HARMONIÆ EVANGELICÆ,

A præstantissimo Theologo

D. MARTINO CHEMNITIO

PRIMVM INCHOATÆ,

& per

D. POLYCARPVM LYSERVM

CONTINVATÆ,

LIBRI QVINQVE,

Vno hoc volumine comprehensi, & emendatiores editi.

PROLEGOMENIS SVBIVNCTI SVNT

Rerum præcipuarum in singulis libris pertractarum

INDICES, hac editione auctiores.

GENEVÆ,

Sumptibus hæredum Iacobi Berjon.

M. DC. XXVIII.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO VVILHELMO, SAXONIÆ DVCI, ELECTORALISQVE DIGNITATIS ADMINISTRATORI, atque Tutori, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, &c. Domino suo clementissimo.

SALVTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

ELEGANS & venusta politici magistratus picturæ extat in Daniele Propheta, Princeps Illustrissime, Domine clementissime: quæ talis est. Offert Deus illic per visum potentissimo Babyloniorum regi spectandam arborem proceram & generosam, quę ramis suis ad cœlos vsq; pertingit, & ab extremis vniuersæ terræ terminis conspici potest. Rami eius vsque adeò sunt firmi & pulcri, vt auiculæ in ipsis nidificare, & ferę sub ipsis degere possint. Fructus denique fert ita copiosos, & generosos, vt alēdæ omni carni sufficiant. Hanc arborem Daniel, Propheta Dei sapiētissimus, & somniorum fatidicorum explicator solertissimus, de ipso rege interpretatus, docet eum, qui regnū, gloriosum, felix, potentia & maiestate amplum consecutus sit, tum fide erga Deum, tum beneficijs erga homines frugiferā illam arborem imitari debere. Quod nisi faciat, futurum esse, vt ipse excindatur, & extra regnum abiiciatur. Sicuti sæpè videre est maximas arbores, easque plurimis & robustissimis ramis longè lateque sparsis, antequam ad iustam maturitatem perueniant, vna hora radicitùs euerti.

Iucundissima hæc est imago, & quæ pias mentes plurimum oblectet. Etenim plantauit Deus initio hortum amœnissimum, in quem hominem collocauit, non tam vt eum coleret & custodiret, quam vt in eo voluptate perpetua frueretur. Sed postquam idem homo sua inobedientia sibi atque posteris paradisum clausit, misericors & cœlestis Pater ex mortalium genere nouum Paradisum plantare instituit, hoc est, voluit sibi ex hominibus Ecclesiam colligere, in qua sancti Dei homines frugiferas arbores fide atque virtutibus discerent imitari. Hinc etiam Propheta Isaias Ecclesiam comparat horto, in quo Deus plantet iustitiam & laudem coram omnibus gentibus. Et Saluator noster fideles vocat bonas arbores, quæ præclarissimos pietatis & virtutum fructus proferant, vt doceat vnumquemque in hisce terris hoc vnice optare debere, vt arbustum aliquod in spirituali hoc paradiso esse & manere, & sancti huius horti culturam plantando, rigando, colendo, piè & pro viribus iuuare possit. Id vbi consecutus est, nihil est quod in hac ærumnarum valle maius, amplius vel sibi honorificentius desiderare queat.

Sed vt in his terris Reges, Principes, & quicunque in potestate positi sunt, præ aliis eminent: Ita enim in hac spirituali cultura Ecclesiastici horti præ aliis operam dare debent, vt sint arbores præstantiores & generosiores, quæ plures & copiosiores pietatis, iustitiæ & reliquarum virtutum omnium fructus, tum Deo tum hominibus gratos, faciant. Cum enim sceptrum, coronam, gladium

& reliqua ciuilis gubernationis ornamenta, ipsa scilicet colendi huius horti instrumenta, ad quæ nos inferiores homines stupere solemus, Reges & Principes à Deo ipso acceperint: ἄθεος prorsus sit necesse est, qui neget ipsos istis vicissim ad Dei honorem & synceriorem huius horti cultum promouendum pro virili vti debere. Vicissim, cum subditi sui commodi & quietis causa sese vni alieni capiti submittant, & quasi in commune obedientiæ caput conspirent, propterea, vt magistratus ipsis tutum asylum in quibusuis aduersis esse possit, quomodo superiores amare & honorare poterunt, nisi sub ipsorum vmbra, ceu sublatissimæ alicuius arboris ramis, contra ventorum & tempestatum vim se tutò & securè delitescere posse sperent.

Quando autem huiusmodi arbores in id vnicè incumbunt, vt & Deo grata & hominibus salutaria præstent, tunc vicissim inde amplissimus ad easdem redit fructus. Deus enim tales Principes filio suo inplantatos tuetur, & contra aduersitates omnes protegit, animas ipsorum in fasciculum vitę colligit, benedictionum suarum dulcedine perfundit & inebriat, denique in cœlestem paradisum, in quo in ęternum vigeant, floreant & fructificent, transplantat. Interim quoque in his terris subditis eum animum instillat, vt eiusmodi frugiferas arbores ament, venerentur, colant, magnifaciant, admirentur, ipsis prompto animo obtemperent, pro earum salute & incolumitate temporali & spirituali vigilent, & vota faciant, non tantum fortunas, sed & sanguinem, si opus sit, pro ipsis profundere parati.

Vt verò taceamus de aliis hortis, quę & quales arbores illic peruenerint, certè, quidem iam per multos annos ex inclyta domo Saxonica enatę sunt plurimæ, non tortuosę aut incuruę, non steriles aut inanes, sed rectę, aspectuque iucundę, frugiferę & satis fœcundę: quarum fructus vsque adeò fuerunt vberes & adhuc sunt durabiles, vt nullo vnquam ęuo eorum iucunditatem desituram speremus. Fuit ex illarum arborum numero, maiorum nostrorum ętate, facile præcipua FRIDERICVS ille sapiens, Sacri Romani Imperij oculus & columna: Ex cuius (vt ita loquar) medulla, celeberrima illa VVITEBERGENSIVM Academia, pietatis & literarum officina pręstantissima, primùm est enata & enutrita. Syncerioris quoque doctrinę lętior seges sub eius protectione repullulare cœpit, quæ Deo benedicente ita se dilatauit, vt paucorum annorum decursu vniuersum ferè terrarum orbem suo vigore compleuerit. Ad scholæ enim illius publicè apertę culturam conuocauit omnium disciplinarum pręstantissimos artifices & Doctores, quibus non tantum liberaliter hospitium prębuit, sed etiam auctor fuit, vt teneras plantulas terram paradisi ad laudabilis vitę rationes quam diligentissimè instituerent. Quis negabit hinc tales fructus enatos esse, qui & cœlesti colono fuerint gratissimi, & ad benè beateque viuendum in terris plurimum momenti attulerint? Huius certè arboris in toto Romano Imperio tanta fuit auctoritas, & tam sublimis existimatio, vt omnes eius ordines sub ipsius vmbra cubare, ipsamque pro capite agnoscere cupiuerint.

Huic ad latus plantata erat alia arbor, IOHANNES pius, frater Germanus: Is tum scholam illam nuper natam, ex qua vberrimum fructum ad Ecclesiam Christi redundare animaduertebat, conseruauit, ex incunabilis ad iustam ætatem euexit, auxit, confirmauit: tum religionem repurgatam miro ardore, in celeberrimis totius Europę comitiis, publicè confessus est. Cui ipsi confessioni ceu saluberrimo animarum fructui, ex ipsa arbore vitæ deriuato & decepto, cœlestis pater tam largè benedixit, vt mox aliæ plurimæ regiones, Principes & ciuitates ad religionis & fidei societatem accesserint: in qua plerę que etiamnum

nam agnoscunt.

Cum vero hæ duæ arbores suo seculo voluntati Dei satis inseruiissent, & per temporalem mortem emarcuissent, plantata est ab ipso Deo in ipsarum locum, alia arbor procera nimis & aspectu grata, IOHANNES FRIDERICVS sincerioris doctrinæ assertor fidissimus, & pugnator constantissimus; qua arbore virente & vigente, viruit simul & viguit cœlestis doctrina in vniuerso ferè Imperio. Et licet variæ procellæ, tempestates, atque turbulentissimorum ventorum furores eam radicitus euertere tentarint, nec omnes illi conatus irriti fuerint; siquidem non pauci, qui sub vmbra illius arboris viuere, & saluberrimos salutis fructus colligere solebant, disiecti & dissipati sunt, ipsa tamen illa iustitiæ arbor firma stetit, nec deiici potuit. Cur enim posset? Profundissimas in religionis negotio radices egerat, quarum fibræ infixæ erant ipsi solidissimæ petræ Christo, aduersus quem ne inferorum quidem portæ præualere possunt. Itaque diabolicæ potestatis impetus euanuit, & licet Pontificia cohors post partam victoriam de veritate triumphare videretur: hæc tamen iustitiæ arbor vita à Deo conseruata & defensa est, vt etiam inter vrticas & vepres honoratum in terrestri paradiso locum obtinuerit tantisper, donec in cœlestem transferretur. Interim autem, vt cœlesti agricolæ fructus multiplicarentur, in hoc mundo illustrem Academiam, diuinæ & humanæ sapientiæ seminarium fertilissimum, in vrbe IENA ad ripam Salæ plantauit, ex qua, vt hactenus multa excellentia ingenia prodierunt, quæ iam passim gubernandis Ecclesiis & Rebuspub. feliciter præfuerunt, quin & in posterum proditura sint, Deo successum clementer largiente, nullum est dubium.

Porro Illustrissimæ huic arbori mox successit, præter alias ex eodem stipite succrescentes, generosa planta GVILHELMVS verè pacificus: qui hoc vnum, dum vixit, studiosè curauit & perfecit, ne infelix lolium & aliæ venenatæ herbæ, quæ tunc diuersis in locis enascebantur, sacrosanctum animarum pabulum inficerent. Et vt noxias earum vires eneruaret, non solum puriorem Euangelij religionem ipse indefesso studio & summa cura promouit, sed etiam honestis stipendiis celeberrimos Theologos conduxit, quorum opera nocendi occasionibus malorum occurrere posset. Et quamquam pacem, puritatem & sinceritatem in toto corpore Ecclesiastico conseruare non poterat, tamen id præstitit feliciter, quousque ipsius vmbra se extendit. Vnde multi etiam ex exteris regionibus excitati in ipsius schola ea cœlestis doctrinæ semina collegerunt, quibus etiam alibi ad Dominicum agrum conserendum & fructuose colendum vti potuerunt. Quibus vt cœlestis agricola etiam in posterum suæ benedictionis flatu aspiret, & incrementum largiatur vnicè precor.

Et hæ quidem arbores omnes iusto ordine collocatæ, ex vna stirpe & lineæ aliæ alias secutæ sunt.

Verum vt in hortis aspectu iucundum est & venustum, si quando arbores alternatim & (vt loquuntur) in Quincunce positas intueri liceat: ita æthereus ille oculus sublunaria omnia pro liberrimo suo arbitratu gubernans, singularem quandam voluptatem ex eo capere videtur, quod etiam in Ecclesiastico suo horto diuersarum linearum arbores alternatim quandoque positas exhibet. Quis enim nescit ex eadem Saxonica familia & domo diuersa tamen linea etiam alias præstantissimas arbores exortas esse, quarum fructibus Deus humanum genus hisce postremis temporibus reficere, & per multos annos alere voluit?

Ex earum numero fuit HENRICVS ille probus, qui primus renascenti

Euangelio & per illud Regi gloriæ aduentanti portas aperuit in Misnia. Huius dexteritate & Zelo ex illis locis expurgatum est, quicquid spinarum & sentium residuum erat ex Papistarum & Scholasticorum senticetis. Huius quoque operâ & studio vetusta illa & celebris LIPSIENSIS Academia, ad illam doctrinæ puritatem, in qua adhuc hodie perstat, peruenit, & vt in æternum perstet, à Domino precor. Copiosior enim fructus ad Ecclesiam Christi etiam ex isto loco redundauit, quam ab hominibus in hac vita perspici & cognosci possit: in altera vita, vbi Dominus ipse eos prędicauerit rectius perspiciemus.

Successit huic totius Germanię fortissimus heros MAVRICIVS Victoriosus. Is cum ob aduersantis belli fortunam ferè de tota religione actum videret, & Pontificij non tantum anathematum fulmina iacerent, proscriptiones tam Principum quam priuatorum meditarentur, sed etiam suas superstitiones passim instaurarent, hoc pręstitit, vt non tantum Ecclesię, puritas doctrinæ, sed etiam Reipublicæ pax vitæ ciuilis restitueretur. Ex huius igitur inclytæ arboris ramis appensæ sunt tabulæ pacificationis, quibus debemus, quod adhuc hodie Romanum Imperium, inter duas maximè dissentientes religiones, pace & tranquillitate fruitur. Quantum item fructus & emolumenti hæc arbor attulerit ad duas illas Academias Lipsensem & VVitebergensem, quæ bello disiecta fuerant, colligendas, augendas & amplificandas, id ab aliis alibi prædicatur.

Quid verò dicam de magno illo AVGVSTO, qui, dum vixit, vt palma floruit, sicut Cedrus, quę in Libano multiplicatur, plantatus in domo Domini, & in atriis Dei nostri? Verè hæc palma iucundissimos atque dulcissimos fidei & charitatis fructus protulit. In quibus recensendis non nimioperè nunc laborabo: Siquidem eos ipse Dei filius in nouissimo die cum perenni eius laude, coram omnibus electis, & enumerabit & remunerabitur? Duos præcipuos paucis saltem verbis attingam. Vnum, qui illibatam fidei synceritatem, quem in promouendo & perficiendo illo nunquam satis à bonis celebrato CONCORDIÆ opere præstitit, spectat. Alterum, qui ad charitatem & opera misericordiæ pertinet, dum verbi ministrorum, viduis & pupillis annuatim distribuendos quinquies mille florenos legauit. O regiam liberalitatem & munificentiam! quam in aliis quoque ipsum præstitisse magis notum est, quam vt opus sit hîc recensere. Ego profectò grata mente vltrò fateor illius munificentiæ ramulos non contemnendos ad me vsque etiam pertinuisse: & Deum precor, vt vicissim seræ ipsius posteritati clementissimè benedicat & benefaciat. Et ipsi quidem mors vitam hanc caducam eripere potuit: perpetuam verò illam pietatis & beneficentiæ laudem nunquam eripiet. Viuit enim semper pietas, viuunt merita in Ecclesiam & Remp. collata, viuit & viget, & in æternum vigebit gloria, quam istis rationibus comparauit.

Reliquit summæ spei & maximæ expectationis filium CHRISTIANVM. Bone Deus, quàm vberem prouentum excelsissima illa & florentissima arbore nobis pollicebamur? Erat enim ad summa quæque nata, plantata, educata, atque adeò abundanter omnibus necessariis instructa, vt vel sola & vnica ad totum Ecclesiasticum hortum exornandum sufficere posse videretur. Sed heu validissima ventorum vi auulsa emarcuit in ipso ætatis flore, antequam ad iustam maturitatem cum fructibus suis peruenisset. Sub vmbram eius, dum adhuc in humanis esset, adrepserant calui & glabri serpentes, qui venenoso adflatu tantæ spei arborem inficere conati sunt. Accurrerant insuper truculentæ bestiæ, quæ

stiæ, quæ sanguibus suis & rostris vastantibus, suffodientibus & depascentibus vigorem huius arboris, vt ante tempus emoreretur, proh dolor, plurimum nocuerunt. Vtinam diuina maiestas hanc arborem nobis tantisper superstitem esse voluisset, donec tumultuantium istarum bestiarum conatus, & subdola viperarum molimina persentiscere cœpisset: citra omne dubium talem Zelum, in extirpandis istis purioris doctrinæ pestibus, & Euangelicę Ecclesiæ maculis, adhibuisset, vt toti orbi Christiano notum esse potuisset, quantopere huic CHRISTIANO displicuisset, si quis in auita religione temerè & extra Dei verbum quippiam innouare sibi præsumpsisset. Sed cœlesti illi futuri temporis arbitro aliter visum est, qui hanc arborem maturè ex hoc corrupto seculo transplantauit in alium hortum, in quo nec viperarum progenies, nec brutorum malitia Dei plantis vlteriùs nocere possunt.

Ex hac tamen arbore succreuerunt noui surculi, felicissimi & generosissimi, CHRISTIANVS, IOANNES GEORGIVS & AVGVSTVS, fratres germani, plantulæ & Deo gratæ & hominibus acceptæ, de quibus mens præsagit illud Psalmi: Adhuc in senecta fructificabunt, pingues & virides erunt, ad indicandum quod rectus sit Dominus, rupes mea, nec sit iniquitas in eo. Deum precor, ne vel ventus aliquis vrens, vel maligna tempestas tenerrimis hisce plantulis, antequam ad iustam maturitatem excrescant, noceat: Sed vt sub vmbra & protectione Altissimi ita adolescant, vt arbores iustitiæ & pietatis factæ, bonis & rectis corde hospitium & nidum præbeant.

Interim, dum id fiat, illustrissime Princeps FRIDERICE VVILHELME, qui ipsis Tutor & in summa dignitate Administrator datus es, tu iam nobis es arbor, ex generosissima arborum propagine descendens, ad cuius vmbram nos confessioni & sincero Dei cultui atque incorruptę religioni hospitium & asylum quærimus. Et quidem quos tu & quàm salubres fructus iam dudum tuleris, & nunc maximè effundere incipias, quibus bonos omnes & sustentas & recreas, parciùs mihi dicendum est, quia illi iam passim innotescunt omnibus, & mihi hęc opera danda, ne in [illegible] [illegible]orum prædicatione auribus aliquid tribuere videar. Hoc tamen [illegible] negare non poterit. Quòd, Deo sit laus per Cels. T. fidem, & industriam, [illegible] expurgatum est rursus, quicquid [illegible] per fraudulentas [illegible]es malorum quorundam hominum, in Ecclesiam Christi, in hisce regionibus, inuehi cœptum fuerat. Quòd item, te duce, redux facta [illegible] vera pietas, cum puriore animarum pabulo, ex sacris Israelis fontibus irrigata. Quòd præterea per te sollicitè curatum sit, vt loca iudicij occuparent viri non tantùm iustitię & doctrinę, sed etiam pietatis & veræ religionis laude celebres. Quòd denique per te omnes scholę, inferiores & superiores iam reflorescant, literarum humanitatis & pietatis studia passim magno cum iuuentutis fructu vigeant: sicque studiosè caueatur, ne imminens barbaries totam terram occupet & pessundet. Quid multis opus? Es tu illustrissime Princeps, tam subditis tuis, quàm exteris, qui ad vmbram tuam confugiunt, & sub ea animarum pabulum quęrunt, arbor generosa & [illegible]osa, quæ hoc [illegible]ibus prestare cupit, vt & animo, & corpori & fortun[illegible] [illegible]um [illegible] [illegible]. Macte hac virtute Princeps optime, Princeps pientissime, [illegible] tibi non [illegible] [illegible]er homines & in Ecclesiastico horto, æternam laudem & perpetuam nominis celebrationem comparabis; sed etiam in cœlesti Paradiso, Christi merito tibi partam & per fidem donatam immarcessibilem æternę glorię coronam, ramis ex ligno vitę decerptis consertam consequeris.

Facilè tamen crediderim, vtut boni omnes hæc tua in Ecclesiam & Rempu. merita magna cum gratulatione excipiant: tamen non defuturos, qui hoc Cels. T. studium, quod in repurgando horto Ecclesiastico, politico & scholastico impendit, sint improbaturi, & saluberrimos hosce fructus theonino dente arrosuri? Est enim, proh dolor, hæc vltima mundi ætas admodũ ferax, non tantùm variarum sectarum & hæresium, sed etiam eiusmodi ingeniorum, quæ antiquum istud LVCIANI artificium ab antiquo serpente instillatum exercent, quòd in vniuersum omnes religiones irrident, & nihil referre existimant, quam opinionem in Religionis causa sequaris. Inuenias viros omni ingenij cultu apprimè ornatos, & in rebus politicis tractandis vsque adeò industrios, vt non ad vnam aliquam regionem, sed plurima regna feliciter & cum laude gubernanda nati, & ab ipsa natura formati videantur. Illi ipsi tamen ad simpliciorem & sinceriorem Euangelij doctrinam adeò nauseant, contraque ad hauriendas sophistarum lacunas, & imbibendas hæreticorum feces, tanto feruore & desiderio feruntur, vt manifestum sit, eos maiori cum nisu ad interitum properare, quàm piæ mentes ad æterna cœlorum regna suspirant. Hi omnes non possunt non ægrè ferre & indignari, quando licentiam istam, quiduis de quolibet sentiendi & credendi, frænari & cohiberi vident, & animaduertunt impediri, quò minùs prauæ opiniones, quibus animi ipsorum imbuti sunt, latius serpere & diffundi possint.

At verò ægrè isti ferant, vt volunt & possunt, murmurent contra, grunniant, insaniant, non tamen impedient, quod DOMINI manus perficere constituit, & in quorum curam, vt pij magistratus sedulò incumberent, Deus seriò mandauit. Sic enim ipse apud Mosen: Rex, postquam sederit in solio regni sui, describet sibi legem in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus & habebit secum, legatque omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodiat verba & ceremonias eius, quæ in Lege præcepta sunt. Eiusdem Dei vox est: Vos Reges intelligite, & vos, qui iudicatis terram, erudimini. Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. Osculamini filium, ne quando irascatur, & pereatis de terra. Et rursus: Aperite portas vestras, ô Principes, & eleuamini portæ seculi: & introibit Rex gloriæ. Hæc & similia dicta, imò vel vnica syllaba huiusmodi diuinorum dictorum maioris æstimanda est, quàm mille totius calui gregis vociferationes.

Exemplum cum primis illustre habet Cels. T. in optimo illo Hebræorum Rege Dauide, qui diuinæ vocis mandato motus, iurauit DOMINO, & votum vouit Deo Iacob, se in domum suam non iturum, nec lectum suum conscensurum, vt somnum capiat, imò ne minimam quidem quietem admissurum, donec certam sedem arcæ DOMINI, ad quam se habitaturum esse Deus Iacob pollicitus fuerat, constituisset. Tanta cura, tanto studio, imo tanta Religione optimus Rex agendum putauit, nisi officio suo, in vero Dei cultu propagando, defuisse videri vellet. Quanquam autem id, quod certò se facturum sibi proposuerat, vetante Domino per Prophetam Nathanem, non perfecit: ea tamen, quæ in introducenda arca DOMINI in vrbem gessit, satis luculenter ostendunt, voluisse ipsum omnes & Principes commonefacere, quid ipsis in colendo Deo faciendum sit. Nam conuocato vniuerso Israele & Sacerdotibus, vsque ad campestria loca Cariath-Iarim & Gabaa descendit: vbi arcam DOMINI, quæ diebus Saulis negligebatur, inuentam, splendida pompa & regio apparatu Hierosolymam aduehere conatus est. Sed cùm triste Ozę fatum optimum Regem solicitum & trepidum faceret, vt in domo Obed-Edom eam ad tempus relinque-

linqueret:tamen ne sic quidem religiosissimus ille Princeps conquieuit. Nam quamprimùm animaduertit DOMINO translationem arcę non displicere, alteram etiam profectionem instituit, vbi sumptibus maximis, comitantibus Sacerdotibus & Leuitis in præsentia totius populi, exquisitissima Musica, ipse ante arcam saltans, eam in vrbem, ingenti cum subditorum applausu, introduxit. Hęc Dauid magno studio & serio conatu, & quidem laudabiliter. Cumque vno ore factum illud collaudarent omnes, inuenta est ipsa coniunx Michol, quam sperare debuit prę cęteris sensuram honorificentissimè de hac Regis pietate. Ea verò Regem, propterea contemptui habuit, & quòd liberiùs ante sacram illam Domini arculam saltasset, Scurram appellare non dubitauit. His verbis: Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur vnus de scurris? Dauid autem respondit Se DOMINO hunc honorem habuisse, coram quo omninò, si res ita postulat, se abiicere, & ad infima, abiectissimáque obsequia descendere sit paratus, si vel mille Micholes id improbent. Et sanè Dauid gloriosus mansit: sed Michol perpetua sterilitate à Deo punita est.

Hoc pręstantissimi Regis exemplum Cels. T. animare potest. Si intellexerit dipnosophistas & crypto Caluinianos pium & salutare studium Cels. T. in necessaria hac Ecclesiarum reformatione carpere, reprehendere, calumniari: cogitet tales homines esse Micholem aliquam ex improba & reiecta Saulis progenie descendentem, quę & iam sterilis sit coram DOMINO, & identidem sterilescat ampliùs. Huius sannas & irrisiones omnes ne vnius quidem æstimet assis. Irrideant iam, prout volunt: olim sufficienter plorabunt. Maledicant: DOMINVS benedicet.

Nam quantam benedictionem DEVS, benignissimus pietatis remunerator, Dauidi ob religiosum illud factum & promiserit & largitus sit, Psalmus 132. prolixè refert. Verba eius hęc sunt: Iurauit DOMINVS Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Si custodierint filij tui pactum meum, & testimonium meum, quod docebo eos, etiam filij eorum vsque in seculum sedebunt super solium tuum. Quoniam elegit DOMINVS Sion, expetiuit, vt esset habitaculum sibi, &c. Sed lubet benedictionem hanc membratim nostris verbis recensere. Prima fuit, quod ex prosapia Dauidis promisit benedictum illud semen, in quo benedicuntur omnes gentes terræ. Secunda, quod velit per successionem ad Messiam vsque regnum in Dauidis familia conseruare: addita tamen hac conditione, si posteritas Dauidis non desciscat à vera pietate. Tertia de Hierosolyma, quod Deus eam elegerit, vt diuinus cultus ibi sit & maneat, ad Messiam vsque, vnde purior doctrina postea propaganda sit in vniuersum orbem. Postrema, quod habituri sint ipsius posteri non tantùm necessaria alimenta & escas, quibus corpus saturatur & alitur: verumetiam spirituales dapes & panem cœlestem, qui famelicas animas recreare & reficere possit, vt conseruentur in vitam æternam, vbi, vt Sacerdotes spirituales, salute induantur, & exultando exultent in omnem æternitatem.

Vides, illustrissime Princeps, quæ benedictio maneat pios principes, ob pietatem illam, qua puriorem Dei cultum promouens: & quàm benedicta sit arbor, stirps & progenies eorum, qui sinceriori doctrinæ hospitium præbent. Quis igitur morosophorum istorum murmura moretur? DOMINI benedictio, quę certa est, & fallere non potest, C. T. contra ista sustentet, recreet, consoletur. Et vt hoc eò efficaciùs fiat, iuxta superioris Psalmi ma-

nuductionem, precor Ego & vnà mecum omnes pij, vt C.T. nobis sit & quàm diutissimè maneat arbor benedicta, quæ instar virgæ Aaronis, simul & vireat, & floreat, & fructus protrudat. Deinde precor, vt ex hac arbore succrescant noui surculi, qui & sursum crescendo, paternam auitamque bonitatem & suauitatem fructuum æmulentur: & deorsum se propagando, piam propaginem post se relinquam, ad gloriosum aduentum vsque magni nostri Dei IESV CHRISTI. Pręterea precor, vt idem benignissimus pater VVITEBERGAM, Euangelicam nostram Hierosolymam, & alterum Misnicarum regionum oculum LIPSIAM, quin & IENAM C. T. cor & animam, sibi in perpetuam requiem eligat, ex quibus identidem puriorem Euangelij sui doctrinam in vniuersum terrarum orbẽ emittat. Denique precor, vt Deus Opt. Max. sub C.T. vmbra & protectione nobis tum corporis, tum animæ alimenta & ornamenta largiatur ea, quibus & in hac vita benè beatéque agere possumus, & coram tribunali Christi ita sustentemur & exornemur, vt per ipsum ęterna olim beatitudine frui possimus. Hęc vota firma & rata esse velit ille, in quo omnes promissiones sunt etiam & Amen.

Vt autem publicè testatum facerem, quod vero cum gaudio & debita gratiarum actione hanc Ecclesiæ reformationem & sinceriores doctrinæ instaurationem, quę nunc Dei auspiciis & T.C. Administratione in Ecclesiis Miniscis peracta est, excipiam, hanc occasionem, qua primus liber Harmoniæ Euangelicæ, Reuerendi & Clarissimi viri Domini MARTINI CHEMNITII, Sacrę Theologię Doctoris, & Ecclesiæ Brunsuicensis quondam Superintendentis vigilantissimi, in publicum emittendus est, cupidè arripui, vt sic C.T. super hac re publicè cõpellare, eidémque hunc librum & meo & hæredum nomine consecrare possem. Et planè spero C.T. hoc munus nequaquam ingratum futurum. Quis enim & quantus Theologus CHEMNITIVS noster fuerit, & quid in exornanda ac tuenda cœlesti doctrina pręstiterit, non tantùm reformatæ Ecclesiæ omnes grata mente agnoscunt, celebrant & profitentur: Sed etiam hostes nostri, cùm Pontificij, tum Zuinglio-Caluiniani, sentiunt & sunt experti? Neruosissimè enim & ex veris fundamentis tum illorum idolomanias & superstitiones in examine Concilij Tridentini, tum istorum errores & blasphemias in duobus scriptis de persona Christi & S. Domini Cœna refutauit, euertit, prostrauit. Hæc ipsius tũ scripta præsens nostra ætas magnifacit, tum citra omne dubium posteri, ad magnũ illum vsque Domini diem, maximi sunt facturi. Nec is tantum pugnando cõtra aduersarios valuit plurimum: sed etiam, quia D. Paulus pręcipit, vt Episcopus fidelis sit διδακτικὸς partim concionibus suis fermè quotidianis vltra triginta annos in hac vrbe habitis, partim eruditissimis suis commentariis in Locos Communes planum fecit, quid in docendo præstare potuerit. Profuerunt ipsius lucubrationes etiam nondum euulgatæ non paucis, qui haud inuiti fatebuntur, quantum ipsorum operas doctis suis meditationibus iuuerit & promouerit.

Sed idem ille CHEMNITIVS in hoc Harmonico opere seipsum superasse mihi quidem videtur, Vt licèt omnes ipsius labores sacri fuerint eximij & excellentes: omnes tamen eos hic labor, quem conscribendæ HARMONIÆ EVANGELICÆ impendit, ceu gemma margaritas, ante cedat. Nam si quis attendet, quanta dexteritate conuenientem ordinem totius historiæ de Iesu Christo cõmonstrat: quam conuenienter Euangelistas in speciem dissidentes conciliet, quanta pietate historias singulas, conciones & miracula explicet, quanta denique perspicuitate in iis fundamenta Christianæ religionis tradat: is dubitabit, vtrum acumen & integritatem iudicij in inueniendo & disponendo, an prudentiam in conciliando, an pietatem in docendo, an ἀφέλειαν in explicando magis mi-

gis [illegible]. Sed in commendando CHEMNITIO, & hoc ipsius labore, hic non ero copiosus. Opus ipsum commendabit Magistrum, & quod vulgò dicitur, id hîc quod locum habere potest: Vino vendibili non opus est suspensa hedera. Nec ignorant [illegible] non solum multos hoc opus, vix dum auctore incoatum, maxima auiditate [illegible] sed aliquos sui ingenij foetus, ex incoati huius operis primitiis, plausibiliores & acceptiores reddidisse. Qui ipsi, si diligentius de eo inquiratur, non negabunt, se ex hisce CHEMNITII lucubrationibus pennas mutuatas esse, quibus sua exornarunt. Ego certè, si quid de scriptis Theologicis iudicare possum, (quod vtut sit perexiguum: tamen, vt spero, non est prorsus nihil) ita sentio, inter omnes cum veterum, tum neothericorum labores, quos Ecclesia magno numero & plurimo cum fructu habet & legit, in hoc quidem non extare vllum, qui hunc æquet, nedum superet. Cui, meo quidem iudicio, nihil deest, nisi quod auctor noster, partim publicis libri Concordiæ laboribus impeditus, partim morte præuentus, opus incoatum vix dimidia ex parte absoluit. Quod quidem magnoperè dolendum est. Neq; enim facile adduci possum, vt sperem futurum, vt vnquam quisquam exurgat, qui pari dexteritate & felicitate, residuam operis partem absoluere, sicque totum opus perficere queat. Vtut autem sit, non committendum putaui, vt hoc opus, quamuis imperfectum, perpetuis tenebris inuolueretur: sic enim Ecclesia magno thesauro iniquissimo iure priuaretur. Quod omnes boni vnà mecum sensuri sunt, vbi deligentius ea, quæ in publicum proferimus, oculis animoque perlustrauerint.

Vt autem optimi parentis boni hæredes citra inuidiam patiuntur, vt in publicum proferantur, quæ pro κειμήλιοις habuerunt: ita C. T. submisse & humiliter oro, vt clementi vultu adque serena fronte à nobis ea suscipiat, suoque patrocinio dignetur. Neque verò solùm pro hoc libro, sed & pro me ipso vel maximè intercedo, vt quemadmodū C. T. me ex nobili & inclyta BRVNSVICA clementer VVittebergam reuocatum, ad Ecclesiæ & scholæ incrementum pristino loco & stationi restituit: ita eadem me & in posterum sua clementia constanter prosequi velit. Ego enim daturus sum operam, vt pro ea facultate, quam Deus largiturus est, quoad ipsi visum fuerit, officio demandato ita defungar, vt nec studium, nec voluntatem rem literariam iuuandi, & studia Theologica promouendi, defuisse mihi videatur.

Obsecro Deum æternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI primùm, vt C. T. Spiritus sui sancti dona, & largiatur semper affatim & perpetuet. Deinde vt prębeat eidem optata Tertulliani: vitam scilicet diuturnā, principatum felicem, administrationem inculpatā, domum semper tutam, senatum fidelem, populum probum, fortes exercitus contra inimicos crucis Christi, Ecclesiā quietam & pacatam, tempora pura, quę & ab hęresibus secura, & ab omni detrimēto Reip. integra esse possint. Deniq; T. C. venturi seculi fructum pręstet, felicitatem illam ęternam in cœlis repositā, ad quam pij omnes adspirāt & tendunt. Datæ BRVNSVICÆ, Anno à filio Dei incarnato M.D.XCIII. pridie POLYCARPI MARTYRIS.

Cels. T.

Obsequentissimus

Polycarpus Lyserus, D. suo & Martini Chemnitij LL. D. atque Pauli Chemnitij Theolog. Candidati nomine.

DE HARMONIA EVANGELICA MARTINI CHEMNITII D. AD CLARISSIMVM VIRVM POLYCARPVM LYSERVM D. Epigramma.

PICTOR apud veteres multum laudatus Apelles
Hunc celebri fructum viuus ab arte tulit:
Quod reliquos inter longè clarissimus vnus
Non habuit seclis ante suóve parem,
Quando, sed est fato functus, laudatior esse.
Visa fuit tanti fama decúsque viri.
Pinxerat egressam maris è spumantibus vndis
Mirifico Venerem docta labore manus.
Cuius quam partem vitiarat longior ætas,
Nemo sub Augusto, qui repararet, erat.
Cessit in artificis laudes iniuria secli,
Et magis est damnis ars celebrata suis.
Cœperat hinc alia Venerem depingere forma,
Qua miranda magis, quam prior illa, foret.
Inuidit mors atra, manu non ipse suprema
Confecit, fuerat quod meditatus, opus.
Nec potuit quisquam post hoc absoluere, prima
Ceu fuit autoris linea ducta manu.
Scilicet hoc alio documento cœpit Apellis
Gloria censeri non habuisse parem.
Talis CHEMNITIVS nostro ter maximus æuo.
Dum vixit, reliquis ante ferendus erat.
Finijt vt vitam, tanto conspectius in se
Nomen habet, quando floruit ante magis.
Namq; locis scriptū sacrauit grande PHILIPPI,
Perfecit summa non tamen ipse manu:
Sed qui seu lacerum reparet meliusve refingat,
Inuenient nullum secla futura virum
Quatuor instituit corpus conferre sub vnum
Scripta, quibus Christi gesta videre datur:
Adnixus sese hoc superare aliosque labore,
Quos eadem tenuit tam pia cura diu.
Obstitit, infandum, properata machina mortis
Ne finis tantum consequeretur opus.
Sed neque posteritas, qui se pertexere cœpta
Posse putet, quenquam proferet vlla virum.
Sic erit artificis multo laus maxima maior
Vt, quem non habuit, non habitura parem.
Non tamen impediet, ne quisquam pingat, Apelles,
Nec, ne quis tẽtet scribere CHEMNITIVS.
Qui par esse nequit, si proximus esse laborat,
Laudis habet cumulum magnus & ille sua,
Qui facis, vt lucẽ videant hæc cœpta, LYSERE,
Aggredere, vt tantum perficiatur opus,
Est genius tibi, sunt & in hoc vestigio libro,
Quæ facient, præstes istud vt arte pari.
Sin minus efficies, hac magnum laude feremus
Esse, quod es magno proximus artifici.
Sospitet ingenium seros tibi Christus ad annos,
Ne putet hoc humeris grandius esse suis.

M. FRIDERICVS PETRI
Minister verbi apud
Brunsuicenses F.

ΠΡΟ-

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ,

IN HARMONIAM EVANGELICÆ HISTORIÆ.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Harmonia Historiæ Euangelicæ: Quid sit eius finis: & quæ vtilitas.

QVONIAM ea, quæ de Harmonia historiæ Euangelicæ à viris doctis in Ecclesia tradita sunt, constituimus hoc scripto, collatis tum veterũ, tum recẽtiorum sententiis & lucubrationibus, repetere. Principiò explicandũ est, quæ sit & esse debeat ratio Harmoniæ Euangelicæ, quæ finis & quæ vtilitas: ne labor ille existimetur curiosus magis quam vtilis, aut etiam cum detrimento veritatis Euangelicę coniunctus esse.

Est autem Euangelica historia à quatuor Euangelistis, tanquam testibus omni exceptione maioribus conscripta, & complectitur certam ac veram expositionem seu narrationem de missione Filij Dei in carnem: de eius exinanitione, & ostensione gloriæ vnigeniti: de testificatione Iohannis Baptistæ: & de iis quæ Iesus in publico suo ministerio cœpit facere & docere: à Baptismo Iohannis, vsque ad diem quo assumptus est in cœlum. Et sicut Petrus affirmat, Actor. 10. ver. 24. diuinitùs præordinatos fuisse illos, qui prædicatione sua, quæ stupendis signis & miraculis obsignata & confirmata fuit, eorum, quæ Iesus & fecit & docuit, testes esse debebant, non in Iudæa tantùm, sed per totum orbem, vsque ad extrema terræ, Act. 1. v. 8. ita nullum est dubium, diuinitùs etiam præordinatos & electos esse illos, qui per Dei voluntatem id, quod Apostoli viua voce de vita & actis Christi prædicauerunt, ipsi in scripturis Ecclesiæ ad omnem posteritatem tradiderunt, vt esset fundamentum & columna fidei nostræ, sicut Irenæus loquitur, lib. 3. c. 1. Non autem omnia: quæ fecit Dominus, conscripta sunt: sed diuina inspiratione selecta sunt, quæ saluti credentium sufficere videbantur: Sicut Augustin. inquit, Tractatu in Ioh. 49. siue quæ tam ad dogmata, quàm ad mores sufficere iudicata fuerunt, sicut Cyrillus inquit. Hæc enim scripta sunt, inquit Ioh. c. 20. v. 31. vt credatis, Iesum esse Christum filium Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

At duplici ratione sancita & cõfirmata est quatuor Euangelistarum auctoritas, de veritate historiæ sufficientia: sicut Augustinus de consensu Euangelistarum tradit. 1. Quia illo tempore scripserunt: quo scripta illorum & à primitiua Ecclesia, cuius aures recentes Christi & Apostolorum voces adhuc personabant, & ab ipsis in carne adhuc manentibus Apostolis approbari meruerunt. 2. Quia quicquid Christus de suis factis & dictis Ecclesiam ad omnem posteritatem legere voluit, hoc scribendum quatuor illis Euangelistis, tanquam manibus suis, capite membris dictante, imperauit. Hęc enim sunt Augustini verba. Sed plenior explicatio, de Euangelistarum auctoritate, pertinet ad locum alium. Hoc loco satis indicasse, nequaquam hoc agi, quando instituitur Harmonia Euangelica, vt in ipsa historia Euangelistarum aliquid, vel mutetur, vel addatur, vel detrahatur. Sacrosancta enim & inuiolabilis sicut est, ita etiã in Ecclesia conseruari debet, quatuor Euangelistarum auctoritas: ad quam rectè accommodatur, quod Iohannes inquit c. 21. v. 24. Scimus testimonium hoc verum esse. Et Apoc. 22. v. 18. Si quis apposuerit ad hęc, apponet Deus super illum omnes plagas. Et si quis de his diminuerit: auferet Deus partem eius de libro vitę.

Verum enimuerò, cum Euangelistarum hoc institutum esset, quod tanquam scopum in sua scriptione sibi propositum habuerunt, sicut Iohannes exponit, cap. 20. ver. 31. ex concionibus & actis Christi ea literis mandare, quibus fides Ecclesiæ per vniuersum mundum institueretur, confirmaretur, & ad omnem posteritatem propagaretur: Iesum esse Christum filij Dei, vtque credentes, vitam haberent, per nomẽ ipsius. Huius instituti & propositi potiùs quàm ordinis & temporis anxiam rationem, in contexenda Euangelica historia, habuerunt. Atque inde factum est, quod Euangelistæ, licet in concionum & rerum gestarum veritate, summum & sanctissimum seruent consensum: in contextu tamen & serie historiarum, quisq; proprium suum ordinem & peculiarem rationem, non per omnia reliquis congruentem, prout proposito scopo de quo dictum est, simplicissimè conuenire quisq; iudicauit, sequatur. Et propter illam causam, vnus idemque Euangelista etiam non semper & vbique in omnibus ordinem temporis & seriem rerum gestarum anxiè obseruat. Ad summam enim fidei non indicarunt multum referre, quo loco & ordine quidq; narretur, modò id quod narratur verum ac certum sit, & ad ædificationem fidei rectè & fideliter referatur.

Quia verò diligens obseruatio in lectione Euangelistarum ostendit, Euangelistas in multis historiis ordinem, & temporis, & rerum gestarum

seruare, in plerisque verò circumstantiis non obscuris prǽmonstrare viam, ad inuestigandum in præcipuis partibus consentientem totius Euangelicæ historiæ ordinem. Ne igitur sacrosancta illa historia videatur esse quasi rudis indigestaque moles & expositio tumultuaria, seu narratio confusanea, quales esse solent hominum vel vanorum, vel arreptitiorum, in qua, nec inter quatuor illos Euangelistas satis conueniat, nec apud vnum eundemque scriptorum historia sibi constet, aut membra inter se cohæreant, religiosa pietas indicat, historiam illam, quæ omnium summa est, quęque æternam nostram salutem complectitur, dignam esse, in qua tantum industriæ & operæ ponatur, vt ex circumstantiis eius, vel certis & manifestis, vel verisimilibus inuestigetur, ac quoad eius fieri potest, constituatur, de annis vitæ seu conuersationis Christi in terris, præcipuè verò quot annos cursum publici sui ministerij in terris confecerit: quę historiæ ad quem annum pertineant: seu quę sint cuiusque anni acta: quis sit prǽcipuarum historiarum ordo seu series, secundum antecedentia & consequentia, cum temporis, tum rerum gestarum: & quę sit ratio consensus & conuenientię, seu congruentię: quod non dissentiant seu pugnent inter se, quando vna ac eadem historia à pluribus Euangelistis variatis quibusdam circumstātiis narratur. Et hęc siue inuestigatio, siue obseruatio, siue notatio ordinis & distributio historię, vocatur Harmonia & Symphonia historiæ Euangelicæ, sicut de veterum huius argumenti appellationibus mox dicemus.

Est autem talis inuestigatio non inanis aut otiosa, sed certam ac non contemnendam habet vtilitatem: cuius nos præcipua quędam capita breuiter recensebimus, vt ad quem finem hæ notationes referendæ sint, in conspectu sit.

Et primò: quia omnibus temporibus fuerunt homines impij, vt Porphyrius, Celsus & similes, qui doctrinæ Euangelij calumnias, de vanitate ac falsitate, inde struere conati fuerunt, quòd ipsa historia Euangelica sibi non videretur constare: membra narrationis non magis inter se cohærere, quàm scopę dissolutę: Euangelistas etiam inter se dissentire & pugnare, sæpè etiam pij salua fide, specie seu opinione quadam discrepantiæ aut cōfusionis, in lectione historiæ Euangelicæ offenduntur & turbantur. Ad retundendas igitur impiorum calumnias, & ad scrupulos piis eximendos, vtilis ac propemodum necessaria est in Ecclesia illa diligentia, quæ & ordinem & consonantiam siue consensum historiæ Euangelicæ ex certis circumstantiis monstret.

Deinde, plurimùm religiosæ iucunditatis habet hæc consideratio. Si enim in prophanis historiis illorum studium eruditi omnes singulari beneuolentia prosequuntur qui ex variis scriptoribus & commentariis, præstantium virorum vitas, monstrato, quantum quidem fieri potest, & temporum, & rerum gestarum ordine, descripserunt: quomodo non summè delectaret pias mentes, dulcissimi Saluatoris nostri totam vitam & salutaria acta certo aliquo ordine memoria posse cōplecti & mente circumferre? Memorię certè subsidium non contemnendum est, totam historiam Euangelicam, certo ordine temporum, locorum & rerum gestarum distributam, animo complecti & menti infigere posse, quæ scilicet fuerint cuiusque anni peregrinationes, conciones & acta: qua occasione & quo ordine in plerisque consequentia antecedentibus attexantur. Quæ obseruatio præter iucundum memoriæ subsidium, ad religiosas etiam considerationes, & pias meditationes vitæ & officij Iesu, incitamenta præbet suauissima.

Tertiò, Non iucunda tantum est historica hæc ordinis obseruatio: sed prætereà etiam multa monet vtiliter, & pulcerrimè illustrat in Euangelica historia, vt vice non contemnendi commentarij esse possit hæc consideratio, quomodo Christus totam terrā sanctam, quasi in certas partes distributam, ordine peragrârit, doctrinâ aut miraculis illustrârit: quando demum ad fines gentilium declinârit: quæ doctrinæ capita primò fuerint proposita, quæ postea addita, & subinde magis illustrata: in quibus locis, & apud quos auditores, quomodo doctrina, vel à discipulis sinistrè intellecta & accepta, vel ab aduersariis impugnata fuerit, & quas vel declarationes vel apologias Christus opposuerit: quæ fuerint occasiones præcipuarum concionum: quomodo miracula, ad doctrinæ illustrationem, & officij confirmationem adhibita fuerint: quæ doctrinæ partes, quibus miraculis obsignatæ: quomodo eorum, quos instituerat, inspectionem, visitando & confirmando, vel per se, vel per Apostolos, susceperit? qua ratione multi conuersi, quibus rebus plerique offensi, qua occasione quidam defecerint, quomodo fructum apud auditores quæsierit, quamdiu expectârit: quomodo tandem iram Dei ipsis denuntiarit: quæ certamina, & cum quibus habuerit: quomodo vna & eadem vel historia, vel concio, additis à cæteris Euangelistis aliis quibusdam circumstantiis illustretur. Hæc & alia, quæ ipsa Harmonia ipsa ostendet, vtiliter profectò & pulcerrimè historiam Euangelicam, quasi commentario quodam illustrant, quæ tàm commodè considerari non possunt, nisi ordo historiæ inuestigetur & obseruetur. Inde enim postea facilius colligi potest, ex quibus locis historiæ Euangelicæ Apostoli suas conciones extruxerint.

Quartò, Ipsa historia Euangelica ita à quatuor Euangelistis contexta est, vt non obscurè appareat, non tantùm rerum ipsarum (quod præcipuū est) verùm etiam ordinis aliquam rationem habitam. Et quidem, circumstantiæ diligenter inter se collatæ, lectorem ad inuestigationem ordinis inuitare, & ad eam in plerisque, quasi intento ad fontem digito, viam prǽmonstrare videntur. Matthæus enim, qui primus Euangelicam historiam literis mandauit, licet in plerisque, rerum potissimum rationem habens, historiam contexerit, prout datâ per vnam aliquam narrationem occasione, memoriam dictorum & factorum Christi recordatione repetiit: in quibusdam tamen expressè notat ordinem rerum gestarum, sicut postea patebit. Et manifestiùs hoc inde colligitur, cùm, iuxta Epiphanij & Augustini sententiam, inter Euangelistas illi, qui post alios scripserunt, priorum scripta & viderint & legerint: (sicut Lucas de se in præfatione profitetur, & de Iohanne Ecclesiastica historia testatur) Posteriores suis repetitionibus, in præcedentium scriptis ordinis rationem aliquam monstrare conati fuerunt. Vt Marcus, qui secundo loco post Matthęum scripsit,

cùm eadem

cùm eadem narret, quæ Matthæus antea scripserat, & quidem breuius, causam scribendi habuisse videtur, vt in narrationibus Matthæi ordinem rerum gestarum aliquo modo monstraret, id quod obseruatio circumstantiarum apud Marcum non obscurè indicat, sicut postea ostendemus. Lucas verò ipse præfatur, se ideo post alios scriptorum, vt & altiùs historiam Euangelicam ordiatur, & ordine quodam illam contexat: sicut in multis ordinem historiarum per Circumstantias notat, & in plerisque cum Marco in ordine conuenit. Vnde Tertullianus scriptum Lucæ non inuenustè vocat Digestum historię Euangelicæ. Quædam verò, quorum ordo ex Matthæo & Marco manifestus est, ipse per narrationis occasionem aliquando loco non suo posuit. Et Iohannes cùm post editas reliquorum Euangelistarum historias postremus ad scribendum se accingeret, disertè, sicut est apud Eusebium, professus est, se acta primi anni ministerii Christi, à reliquis prætermissa, sua scriptione addere velle. Et in reliquo historiæ Euangelicæ contextu, expressè aliquot distinctorum annorum festa, quæ in tempus Ministerii Christi inciderunt, notauit: vt moneret, historiam Euangelicam, à reliquis Euangelistis descriptam, iuxta illa festa in certos annos distribui posse & debere, cùm quidem ordinem rerum gestarum Marcus & Lucas in plerisque non obscurè monstrassent. Hęc omnia postea planiora erunt.

Hoc loco sufficit ostendisse inuestigationem ordinis in historia Euangelica non esse præter mentem Euangelistarum: sed ipsos notatione circumstantiarum subindicasse, quòd ordo & temporis & rerum gestarum in Euangelica historia in plerisque narrationibus & inuestigari & inueniri possit. Non sanè nimis anxiæ, curiosæ & subtiles, singulorum quasi momentorum, exquisitiones consectandæ sunt. Est enim commemoratio illa Euangelistarum non exquisita aut copiosa historiæ descriptio, iuxta Rhetorum artificium instituta, sed simplex potiùs expositio, vel vulgaris & inaffectata recitatio rerum, quæ veræ, vtiles & necessariæ sunt. Quales consignationes visitatæ sunt in commentariis quæ ita vocantur, vel in ὑπομνημονεύμασι (sicut Iustinus Euangelistarum narrationes appellat, quas in eandem sententiam Eusebius vocat ὑπομνήματα) vbi dictorum & factorum alicuius memoria, prout fert occasio, & recordatio suggerit repetitur & consignatur. Licet autem Euangelistarum institutum non fuerit, Annales seu Ephemerides vel ἡμερολογίας conscribere; non tamen turbulenta sunt miscellanea, tumultuaria & confusa perplexitate quomodocunque consuta, sicut Porphyriani olim cauillati fuerunt. In plerisque igitur & præcipuis Euangelicæ narrationis partibus, ordo temporum & rerum gestarum, ex circumstantiis inuestigari & ostendi potest. In reliquis rationes verisimiles & coniecturæ non absurdæ, religiosæ pietati, quæ non præcisionem momentorum, sed ordinem aliquem ἐν πλάτει quærit, sufficiunt: in quibus cùm de summa fidei non agatur, inuestigantium diligentia, absque dissensionum acerbitate, variare potest: vt propositis variis, diligenter inquirentium siue coniecturis siue rationibus, liberum lectori iudicium permittatur, quę collationi circumstantiarum simplicissimè conuenire videat.

Quòd verò ordo temporum & series rerum gestarum, primo aspectu lectoribus, in historia Euangelica non semper & vbique statim sese offert: inde non debet colligi: vel nullam prorsus habitam rationem ordinis in Nouo Testamento, vel nullam eius rationem inuestigari aut iniri siue posse siue debere. Nam & in Veteri Testamento, vbi tamen Spiritus sanctus ex professo voluit tradere certam seriem annorũ ab initio mundi vsque ad Messiam, historiæ sæpius, vel sine expressa significatione ordinis describuntur, vel pro occasione narrationis aliquando loco non suo recitantur. Postea vero alicubi in aliis locis ponuntur quædam circumstantiæ & notationes, quarum consideratione & totius historię collatione, ordo in plerisque & inuestigari & inueniri potest. Cumq; vtriusque instrumenti vnus & idem Spiritus auctor sit, non mirum est, consimilem narrationem, quod ad ordinem attinet, vtrobiq; seruatam esse. Et cum multi diligentia laudabili, non sine magna Ecclesię vtilitate, ordinem historiarum Veteris Testamenti inuestigârint, multò certe iustius in Noui Testamenti historia, cuius gloria immensum Vetus Testamentum excedit, similem inuestigationis diligentiam adhibere conuenit. Neque enim verisimile est, Spiritum sanctum, qui auctor est ordinis, affectâsse ἀταξίαν in illa historia Noui Testamenti, quæ omnium summa est: cum tanta diligentia in Veteri Testaméto, distributionem temporum & ordinem rerum gestarum, in plerisq; historiis obseruârit. Et quidem: cum per Danielem in Veteri Testamento, periodum Ministerij Messiæ in carne, definito annorum numero, dimidiæ scilicet hebdomadis, circumscripserit: rectè Gerson dicit: potuisse Spiritum sanctum sub vno eodemq; penitus, & verborum & ordinis contextu, tradere gestorum verborumque Christi salutarem historiam. Sed non sine magno mysterio placuisse ipsi, sub quadam concordissima (si ita dici possit) dissonantia, mentes fidelium excitare, ad humiliorem & vigilantiorem veritatis inuestigationem, quò palàm fieret, quatuor Euangelistas non mutua conspiratione, sed diuina inspiratione, fuisse locutos.

His causis motus, cũ salutarem historiam, de vita & actis dulcissimi Saluatoris nostri Iesu Christi, à teneris amauerim, mediocri diligentia illorum lucubrationes (quæ quidem ad meas manus peruenerũt) tum veterum tum recentiorum, qui aliquid operæ inuestigatione ordinis siue in Harmonia & consensu historiæ Euangelicæ posuerunt, perlustraui, & in singulis ea, quæ momenti aliquid, ad explanandam & illustrandam Harmoniam Euangelicam afferre posse videbatur, notaui, atque inde distributionem quandam historiæ Euãgelicę priuatim mihi informaui, qua adiutus, σύνοψιν totius historię ordine quodam distributę, in conspectu semper habere, memoria complecti, & mente circumferre possem. Quæ ordinis obseruatio historiam illam dulciorem, gratiorem & illustriorem quodammodo mihi reddidit, ac multas pias meditationes & commonefactiones subiecit. Iudicatum itaq; fuit à fratribus operam nec ingratam nec inutilem quibusdam lectoribus fore, si præcipua, quæ tum à veteribus tum à recentioribus, quæ quidem ad inuestigandam & constituẽdam Harmoniam Euangelicam aliquid

¶ 2

momenti habent, obseruata & tradita sunt, in vno aliquo libello consideranda, & sicubi variant, conferenda proponerentur. Hoc consilio ea, quæ de hoc argumento ante annos aliquot collegi, & in publicis prælectionibus in hac Brunsuicensi Ecclesia proposui, cœpi retexere & in ordinem redigere. Quibus commonefactionibus & obseruationibus, si qui voluerint eo, quod ipsis communicantur, candore vtantur.

Priusquam verò ad ipsam Harmoniam progrediamur: προλεγόμενα quædam generalia de præcipuis capitibus, in quibus rectè & ordine disponendis totius Harmoniæ labor versabitur, præmittemus.

CAPVT SECVNDVM.

De præcipuis Scriptoribus, qui ad inuestigandam & constituendam Harmoniam historiæ Euangelicæ vtiliter aliquid contulerunt, & quam quisque rationem contexendæ Harmoniæ secutus sit.

DE Euangelistis, quomodo in monstratione ordinis mutuas inter se operas tradiderint, in præcedenti capite aliquid dictum est. Iam de Ecclesiasticis Scriptoribus, qui in illustranda Harmonia historiæ Euangelicæ operæ aliquid posuerunt, quædam annotabimus.

Et primus, qui hoc argumentum in Ecclesia vel tentauit vel tractandum suscepit, fuit Tatianus, discipulus Iustini Martyris, circa annum Domini 170. Cum enim prius prestãtis ingenij philosophus fuisset, postea ad fidem Christi conuersus, ad duo illa vtilissima quidem in Ecclesia, sed difficilima & summi laboris, ad Chronologiam scilicet Veteris Testamenti, & ad Harmoniam Euangelicam primus viam aperire & monstrare conatus fuit. Clemens enim Alexandrinus, libro 1. Stromatum scribit: Tatianum primum auctorem fuisse in Ecclesia inquirendi & constituendi certam aliquam rationem Chronologiæ, in historia sacra Veteris Testamenti, atque inde, instituta collatione temporum, ostendisse antiquitatem eius religionis, quam Ecclesia profitetur. Eusebius addit, ipsum ex quatuor Euangelistarum descriptionibus vnum contextum historiæ, certo quodam ordine coagmentatum, collegisse. Oportet igitur magnæ diligentiæ & præstantis ingenij hominem fuisse. Et tamen hic tantus vir postea ita lapsus est, vt auctor & princeps fieret horrendæ hæreseos Encratitarum, qui & matrimonia damnabant, & à carnibus atque à vino abstinendum docebant. Memorabili exemplo humanę infirmitatis, vt magna ingenia discant, in timore Domini se continere, καὶ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, Rom. 12. v. 3.

Operæ autem precium est obseruare, quam rationem Tatianus in contexta sua Harmonia secutus sit. Hæc enim obseruatio ad nostrum institutum aliquid conferet. Eusebius igitur lib. 4. cap. 27. scribit, Tatianum composuisse ex quatuor Euangelistis vnam continuam narrationem historiæ Euangelicæ, quam Eusebius vocabulus significantibus appellat συνάφειαν, hoc est, coniunctionem, connexionem, contextum seu cohærẽtiam, & συναγωγὴν, collectionem in vnum, siue contractionem in compendium historiæ Euangelicæ: quodque opus illud nuncupârit τὸ διὰ τεσσάρων, hoc est, vnum Euangelium ex quatuor collectum. Et Tatianum in illa Harmonia Euangelica non mutasse, sed retinuisse verba Euangelistarum, inde colligitur, quòd Eusebius quasi ex antithesi addit reprehensionem Tatiani, quod in Pauli Epistolis μεταφράσειν tentârit, quasi corrigere volens compositionem dictionis Paulinę. Pręter hæc Eusebio non potest colligi quæ fuerit ratio Harmoniæ Tatiani.

Victor verò, Episcopus Capuanus, circa annum Domini 450. cùm tale quoddam scriptum, in quo dicta & facta Saluatoris, à quatuor Euangelistarum descriptione discreta inordinem, quo se consequebantur, redacta erant, sine titulo & nomine, auctoris inuenisset, verisimilibus coniecturis adductus, Tatiano illud tribuit, quod inter Orthodoxographa, seu vetustissima Ecclesiasticorum scriptorum opera Basileę editum, nunc extat. Et titulus est Ἁρμονία τῶν εὐαγγελίων. Victor reddidit consonantiam Euangeliorum. Atque inde ratio Harmoniæ Tatiani colligi potest. Singulis enim historiis & concionibus singula attribuit capita [sicut vsitatè nunc loquimur] atque ita totum contextum diuidit in 181. capita. Vbi verò eadem historia ab aliis etiam Euangelistis pluribus aut variatis circumstantiis describitur: retinet quidem in plerisque Matthæi contextum: addit autem & interserit illi suo loco præcipuas circumstantias ab aliis etiam notatas. Non enim sollicitus est, singulorum verba, aut minutiores circumstantias, anxiè annumerare: in serie seu ordine historiarum, ad nullius Euangelistæ contextũ Harmoniam suam præcisè alligauit: sed quæ discreta narratione à quatuor Euangelistis exposita sunt, in ordinem, quo ipse iudicauit, illa se consequi debere, redegit. Rationem ordinis, quam in singulis historicis certo loco collocandis & disponendis secutus sit, non exponit. Et ordo eius in plerisque historiis inde perturbatior factus est, quòd omnia acta publici ministerij Christi, intra curriculum vnius anni concludit, & distincta illa festa Paschatis, Iohan. 2. & 6. ac vnicum illud, quod Matth. 26. describitur, contorquet. Multæ tamen non inutiles commonefactiones de ordine historiarum, ex illa Tatiani harmonia sumi possunt, sicut postea monebimus.

Licèt enim non vbique veram rationem ordinis assecutus sit Tatianus; laudandum tamen est studium ipsius, quo primus viam illam, cùm in nullo scriptore Ecclesiastico, quæ sequeretur, vestigia haberet, ingressus est, & posteritatis studia accendit, vt huic viæ, monstratæ quidem, sed nódum planæ & apertæ, diligentius insisterent. Gratam autem tum Ecclesiæ fuisse illam Tatiani operam, inde manifestum est: quòd Eusebius, licèt tenuiter illam commendet (inquiens: Collegit vnum ex quatuor οὐκ οἶδ' ὅπως, nescio quomodo) tamen addit, multorum manibus suo etiam tempore versatam fuisse illam Tatiani Harmoniam. Et Theoderetus scribit, illo libro, non eos tantùm, qui sectæ illius erant, verum illos etiam, qui Apostolica dogmata sequebantur, ὡς συντόμῳ, tanquam compendiario libro vsos. Quanquam horrendus auctoris lapsus harmoniam illam plerisque ingratam, multis verò etiam inuisam reddiderit.

diderit. Epiphanius etiam refert, quosdam Tatiani harmoniam intelligere, quando Eusebius lib.3. Cap. 24. scribit. Ebionæos solo Euangelio secundum Hebræos vti. Et Theodoretus scribit, se in Ecclesiis suæ inspectionis inuenisse, vltra ducenta exempla eius harmoniæ, quæ in magno pretio haberetur: sed quia in illa, & genealogiæ, & omnia loca, quæ testantur Christum ex semine Dauid natum, expuncta essent: (quæ tamen in nostro exemplari extant, vnde colligitur, ab aliis hæreticis, post Tatiani mortem, illa expuncta fuisse) se eam remouisse, & restituisse Ecclesiis quatuor Euangelistarum Euangelia. Et hactenus de Tatiano.

Cùm verò ex Tatiani opinione, quasi Christus post Baptismum vnico tantum anno prædicasset, Valentiniani mirifica paradoxa extruere conarentur: Irenæus lib.2.c.39. opinionem illam confutaturus ex Iohanne ostendit, Christum, tempore sui publici ministerij, post Baptismum aliquoties ad diuersa festa Paschatis, ascendisse Hierosolymam. Vt primò, Ioan.2. Deinde secunda vice inquit; Ascendit ad diem festum Paschæ, cum Ioan.5. paralyticum, qui annos triginta octo decubuerat, sanauit. Tertiò, cùm imminente festo Paschæ quinque millia satiaret. Et deinde cum post resuscitatum Lazarum crucifixus est. Ex duobus enim illis vnum Pascha facere videtur Irenæus: quia tria tantum Paschata numerat. Ita Irenæus primus ostendit rationem, ex historia Euangelica inuestigandi annos ministerij Christi: quanquam ipse mox postea vento traditionum abreptus, ætatem Christi inter quadragesimum & quinquagesimum annū ponit, sicut postea notabimus. Quam ipsius opinionem Ecclesia meritò reputauit.

Postea circa annum Domini 230. Ammonius Alexandrinus, præceptor Origenis, cùm argumētum illud à Tatiano institutum videret ab omnibus probari, sed propter auctoris nomen scriptum ipsius multis ingratum esse, & à plerisque accuratius aliquid in hoc genere desiderari, ipse idem argumentum tractandum suscepit, & vnum è quatuor (sicut Hieronymus loquitur) contexuit. Et quam rationem tùm in sua Harmonia seruarit, Eusebius in Ep. ad Carpianum ostendit, quod scilicet contextum seu ordinem Matthæi sibi proposuerit, & ex reliquis Euangelistis, vbi vel eadem vel similia describuntur, ea excerpta & quasi in vnum congesta, contextui Matthæi annexuerit, ita, vt solius Matthęi contextus in suo ordine consisteret, in reliquorum lectione εἱρμὸς ἀκολουθίας, series ordinis seu cohærentiæ interruptus videretur. Illum contextum Ammonij Hieronymus (sicut Gerson recitat) conquestus fuit suo tempore falso fœdeque laceratum apud Latinos extitisse, & vitio scriptorum, & propter varias Euangeliorum translationes. Ipse verò Gerson dicit, sua ætate apud Latinos non extitisse scriptum illud Ammonij. Anno autem 1523. inuenta sunt Græca quædam fragmenta titulum Ammonij præferentia, quæ Ottomarus Luscinius (qui postea ipse Ammonij exemplo peculiarem Harmoniam germanicè composuit) Latinè conuersa edidit. Sed titulum fallere, & Harmoniam eam non esse Ammonij manifestissimum est, si ad Eusebij descriptionem conferatur. Non enim Matthæi ordinem seu contextum sequitur, sed alium ordinem seruat: nec vnam continuam narrationem ex quatuor Euangelistis contexit: sed breuiter capita tantum narrationum notat. Alterius igitur labor iste est, sicut mox dicemus.

Post Ammonium, circa annum Dom. 320. Eusebius Cæsariensis idem argumentum, sed alia ratione illustrare conatus fuit. Vt enim saluo corpore (sicut ipse loquitur) siue textu, singulorum Euangelistarum, sciri possit, in quibus locis eadem & similia describant, excogitauit canones (quos ita vocat) qui ostendant, quę historię & quibus in locis, simul à quatuor Euangelistis describantur: quæ à tribus: quæ à duobus & quæ historiæ ab vno tantùm quodam ex Euangelistis descriptę & annotatæ sint. Et vsus sanè illorum canonum Eusebianorum, nunc quidem magnus non est. Longè aliter enim tunc distincta fuere capita Euangelistarum, quàm nunc in nostris editionibus Græcis & Latinis habentur. Hoc tamen commodi inde habemus, quod Concordantiæ, vt vocant, quæ in nostris editionibus in margine singulis Euāgelistis adiectæ sunt, ex illis Eusebij Canonibus sumptę, & faciliori ratione ad nostras editiones accommodatæ sunt. Ex illis etiā Canonibus intelligitur, quæ ratio Harmoniæ Euangelicæ Eusebio potissimùm probata fuerit, vt scilicet non vna continua narratio ex quatuor Euangelistis contexatur (ita enim contextum Euangelistarum interrumpi, & misceri iudicauit) sed vt saluo corpore & contextu singulorum Euangelistarum, in vna, quasi area per Cancellos distincta, è regione ponantur, primò historię, quę à quatuor Euangelistis simul descriptæ sunt: secundò, quæ à tribus: tertiò, quæ à duobus: seruatis cuiusque Euangelistæ verbis: & postremò seorsim collocentur historiæ, quæ ab vno aliquo solo Euangelista annotatæ sunt. Hic enim est ordo & series canonum Eusebianorum. Et licet ex illa Eusebiana ratione non possit, vel accurata distributio temporum, vel certus historiarum ordo colligi & constitui: hoc tamen inde sumi potest, in contexenda Harmonia historiæ Euangelicæ, quando de ordine aliquo historiarum, constitutū est, non tantum vnam continuam narrationem ex quatuor, exemplo Tatiani & Ammonij coagmentandam esse, sed & hanc rationem, quæ singulorum Euangelistarum descriptiones, retentis cuiusque verbis, & seruato cuiusque contextu, distinctè & sine mixtione, iuxta se, siue è regione, ponit, vtilem esse, vt quæ collationem Euangelistarum in singulis historiis ob oculos & in conspectu ponit, atq; ita multum lucis afferre potest. Sicut postea in Harmonia vtramque rationem, non iuxta ordinem Eusebianorum canonum, sed iuxta seriem seu consequentiam historiarum, seruabimus. Non enim sine causa Deus historiam Euangelicam, à quatuor diuersis testibus, non sub eodem contextu circumstantiarum, nec eodem tenore verborum describi voluit, sed vt collatio historias & confirmaret & illustraret. Atque ideò Hieronymus ægrè tulit, suo tempore omnia mixta facta fuisse in Euangelistis, vt apud singulos, non quæ & quomodo ab ipsis scripta, sed quæ ex aliis etiam Euangelistis addita, & quomodocunque inserta essent, legerentur. Non malè itaque iudicabit Eusebius, corpus & contextum cuiusque Euangelistæ saluum relinquendum, & diuersorum descriptiones collationis gratia, iuxta se ponendas. Sicut prima ratio Tatiani & Ammo-

nij oſtendit adeò non diſſentire inter ſe Euangeliſtas, vt ex ipſorum deſcriptionibus vna conſentiens, conſona & continua narratio contexi poſſit, oſtendens, quomodo circumſtantiæ, quæ variare videntur, concordari & in vnum quaſi corpus narrationis coniungi poſſint. Ita vtraque ratio teneri poteſt.

Porro in hiſtoria ſcholaſtica (quæ ita vocatur) inter eos, qui vnum ex quatuor conſcripſerunt, poſt Ammonium & Euſebium nominatur etiam Theophilus Antiochenus. Et in veterum quidem catalogis non vidi tale ſcriptum Theophilo tribui, præterquam, quod Hieronymus ad Algaſiam Epi.152.q.6. ſcribens, his verbis teſtatur. Theophilus Eccleſiæ Antiochenæ ſeptimus poſt Petrum Apoſtolum Epiſcopus, qui quatuor Euangeliſtarum in vnum corpus picta compingens, ingenij ſui nobis monumenta reliquit. Quòd ſi ergò opus illud adhuc noſtra ætate extaret, meritò ipſi, ſi non primæ, vel ſaltem ſecundæ partes, inter ſcriptores Harmonicos tribuendæ eſſent: quia circa Tatiani tempora ipſe quoque vixit & claruit. Verùm quod quicquam iſtiuſmodi ſub ipſius nomine extet, ego quidem non ſcio. Nihilominus tamen, quia fragmentum illud, quod Luſcinius ſub Ammonij nomine edidit, ipſius non eſſe antea manifeſtè oſtendimus, non ſanè contendere velim, ſicut affirmare nec poſſum, nec auſim, Theophili hæc eſſe. Quia tamen vetus ſcriptum eſſe non eſt dubium, & eius vſus aliquis ad noſtri inſtituti rationem eſſe poteſt, nominemus ſanè illud Theophili Harmoniam. Seruatur autem in illa Harmonia peculiaris quædam ratio. Ordo enim hiſtoriarum ſua quadam ſerie connectitur: ipſæ autem hiſtoriæ non integrę deſcribuntur, ſed tantùm capita ſeu argumenta earum breuiter recitantur, & notantur loca, vbi apud Euangeliſtas extent. Et hæc erit tertia ratio contexendæ Harmoniæ Euangelicæ: vt quaſi Elenchus diſtributionis temporum & ordinis hiſtoriarum, ſine plena hiſtoriarum deſcriptione delineetur. Illud vero peculiare habet Theophili hęc Harmonia, præ reliquis, de quibus hactenus diximus, quòd curriculum publici miniſterij Chriſti in tres annos diſtribuit, & ſingulis annis peculiares hiſtorias aſſignat. De qua annorum diſtributione mox dicemus.

Lib. 2. Tom. I. Hær. 51.

In hoc verò argumento illuſtrando Epiphanius etiam circa annum Domini 380. aliquid operæ poſuit. Scribens enim contra Hæreticos Alogos dicit, & hos & Porphyrium, item Celſum, & Philoſabbatinum ex Iudæis oriundum, accuſaſſe Euangeliſtas, quòd in deſcriptione hiſtoriæ Euangelicæ inter ſe non conſentirent. Oſtendit igitur, Epiphanius, in hiſtoria Euangelica, ſi diligens & accurata inſtituatur collatio, inueniri & diſtributionem annorum, & ordinem aliquem hiſtoriarum. Ex feſtis enim, ad quæ apud Iohannem Chriſtus ſcribitur Hieroſolyman aſcendiſſe, colligit tres annos prędicationis Chriſti, de qua ſupputatione in ſequenti capite dicemus. Exempli verò gratia (cum argumẽtum illud ex profeſſo explicandum non ſuſcepiſſet) oſtendit, quomodo ex quatuor Euangeliſtarum deſcriptionibus inueſtigari poſſit hiſtoria, à Baptiſmo Chriſti vſque ad capturam piſcium, Luc. 5. De quo ordine poſtea in ipſa Harmonia quędam dicemus. Illam autem diſtributionem annorum, & notationem ordinis hiſtoriarum, elegantiſſimis vocabulis Epiphanius appellat *ἀκρίβειαν*, hoc eſt, exactam rationem Euangeliorum: *συμφωνίαν* hoc eſt, Harmoniam, conſonantiam, concordiam ſeu conſenſionem: *ἀκολουθίαν*, hoc eſt, Ordinem, ſeriem, ſeu conſequentiam hiſtoriarum, qua antecedentia & cõſequentia inter ſe cohærent aut coniuncta ſunt, & hiſtoriæ ſe conſequuntur, ſicut Victor Capuanus loquitur. Dicit enim Epiphanius, Euangelica continere *πάντα ἀπαράλλακτα*, hoc eſt, ſicut in Harmonia Muſica vocum & ſonorum concors ratio & proportio, licet diuerſitas quędam videatur. Atq; inde ſumptum eſt vocabulum Harmoniæ Euangelicæ.

Poſt hos omnes Auguſtinus, videns à multis quidem contexi Harmonias Euangelicas, neminem verò illorum vel oſtendere vel exponere rationes ordinis & conſequentiæ. Ipſe igitur ex diligenti conſideratione & collatione circumſtantiarum ita cœpit inquirere ordinem temporum & rerum geſtarum in hiſtoria Euangelica, hoc eſt, ſicut ipſe loquitur, ante quid & poſt quid præcipuæ hiſtoriæ & accidiſſent & collocandæ eſſent, vt fundamẽta & rationes ordinis, vbi oſtendi poterant, exponeret. Vbi verò nulla manifeſta ratio ordinis poterat inueniri, vel quæſtionem in medio reliquit, vel quid veriſimile videretur, indicauit. Quæſtiones etiam de circumſtantiis, vbi in deſcriptione hiſtoriarum vel eædem ſunt vel diuerſæ, licèt ſimiles videantur, ibi etiam variare & quaſi ſpeciem diſſonantiæ præbere videbantur, eruditè ſoluit & diligenter explicat, oſtendens narrationes quatuor Euangeliſtarum inter ſe pulcherrima quaſi Harmonia conſonare, contra illos, qui calumniabantur, Euangeliſtas ſibi non conſtare in narrationibus, ſed inter ſe diſſentire, multa diſſonantia, quædam etiam repugnantia ſcribere. Et libros illos Auguſtinus inſcripſit, *De Conſenſu Euangeliſtarum*, in quibus multa, quæ ad illuſtrandum hoc argumentum pertinent, continentur. Extant illi in Tomo quarto operũ ipſius, p. 371.

Poſt Auguſtinum etiam quoſdam hoc argumẽtum tractaſſe, hiſtoria Scholaſtica, quæ circa annum Domini 1160. compoſita eſt, teſtatur. In illa enim aliquoties mentio fit quorundam, qui poſt veteres illos vnum ex quatuor ſcripſerũt, & quem ordinem ſecuti ſint, oſtenditur, ſicut poſtea in ipſa Harmonia ſuo loco monebimus.

Lib. 2. tit. Franci Germ. vſi lingua.

Rhenanus etiam de rebus Germanicis ſcribẽs, Hiſtoriam Euangelicam rhythmis Germanicis olim populis Francicis fuiſſe expoſitam, videtur ſignificare, tali ratione, de qua iam agimus, ex quatuor Euangeliſtis decerptas eſſe hiſtorias, ſicut ex illis, quæ inde citat, colligitur. Et memini D. Philippum dicere, ſe vidiſſe Monoteſſaron, ſumptibus Ludouici Pij compoſitum, quod exiſtimet in bibliotheca Lipſica haberi.

Poſtea verò auctor hiſtoriæ Scholaſticæ Petrus Comeſtor, cùm videret fratres ſuos Lõgobardum & Gratianum, nouum genus Theologiæ, ſcholaſticę ſcilicet, in Eccleſiam inuehere, & Longobardum quidem ex Patrum ſententiis, Gratianum verò ex cõciliorum decretis, corpus doctrinæ Eccleſiaſticæ conſtituere, ipſe, vt ad ſacræ ſcripturæ lectionem animos exuſcitaret, totam hiſtoriam ſacram Veteris Teſtamenti, iuxta ordinem temporum, & ſeriem rerum geſtarum diſtribuit, & per ſummaria capita, additis quibuſdam explicationibus,

bus, notatis etiam aliarum gentium, quę in eadem tempora incidissent, historiis, exposuit. Atque eadem ratione etiam Euangelicæ historiæ Harmoniam, monstrato aliquo historiarum ordine, quem ex veterum Commentariis, quibus Euangelia explicuerūt, se collegisse dicit, instituit. Non autem integras historiarū descriptiones repetit, nec nudum etiam tantum Elenchum, sicut Theophilus, recitat: sed quæ pręcipuè in singulis historiis obseruāda sunt, breui notatione complecti conatur, monstrans tanquam argumentum singularum historiarum. Id quod postea in nostra etiam Harmonia imitari & exprimere studebimus.

Inter Monachos etiam illi, qui meditationes de vita Iesu conscripserunt, talem ordinem historiarum ex quatuor Euangelistis contexere conati sunt. In hoc genere extat breue quoddam scriptum Bonauenturæ, præcipua acta Saluatoris Christi ordine quodam meditanda proponens.

Ludolphus verò de Saxonia Carthusiensis hoc argumentum præ aliis copiosiùs & diligentiùs persecutus est, non ex Apocryphis, sed ex ipsa serie historiæ Euangelicæ vitam Iesu piè meditandam proponens. Distribuit autem historias eo ordine, prout res gestæ exigere videbantur, modestè addens, se ordinem illum non ita tradere, quasi velit eum omnino vbique certum & necessarium haberi. Et obseruetur, Harmoniam historiæ Euangelicæ præbere occasiones & incitamenta ad pias meditationes de tota vita Iesu, quæ rectiùs & commodiùs institui possunt, quando pia mens totam historiam Euangelicam ordine aliquo temporum & serie quadam rerum gestarum distributam, sibi propositam habet. Et Ludolphum illum ante Gersonem scripsisse, inde colligi potest, quod in ordinanda historia nullam illius mentionem faciat, quod in tali argumento omissurus non fuisset cum aliorum nomina tam diligenter alleget. Et Trithemius annotauit, ipsum circa Ann. D. 1330. floruisse.

Tandem circa Ann. Dom. 140. cum veterum quorundam de hoc argumento lucubrationes intercidissent. Iohannes Gerson exemplo Augustini illud instaurare cœpit. Quia enim Augustinus ostendit modum & rationes, quomodo ab initio historiæ Euangelicæ vsque ad illud tempus, quo Baptista publicum suum ministerium exorsus est, diuersorum Euangelistarum descriptiones & verba sub vna continua serie narrationis possunt compingi. Gerson id, quod Augustinus incoauerat, pertexuit. Totam enim historiam Euangelicam ordine quodam in vnam continuam narrationem redegit, atque ita Harmoniam ex quatuor Euangelistis contexuit, seruatis & indicatis cuiusque Euangelistę verbis. Diuisit autem totum opus in tres partes, & in 150. capita, singulis historiis singula tribuens capita. In prolixioribus verò historiis, vt in sermone Domini in monte, in sermone post cœnam, in historia passionis & resurrectionis addidit subdiuisiones. In ordine historiarum vt plurimùm sequitur Augustinum. Titulum operi fecit, (*Vnum ex quatuor:*) alij nuncuparunt μονοτέσσαρον, & primum locum inter ipsius opera tenet.

Post Gersonem multi argumentum illud tractandum susceperunt, cùm viderent, in Monotessaro *Gersonis*, quædam nulla consequentiæ ratione cohærere: quædam loco alieno inserta, quædam citra necessitatem distracta, & aliis locis repetita. A variis igitur auctoribus, & ante, & nostro etiam tempore conscripta sunt μονοτέσσαρα, τετράμορφα, conciliationes & concordantiæ Euangelistarum. Item Pandectæ legis Euāgelicæ. Quorum quidam reliquorum Euangelistarum rationes, sicut Ammonius in Matthæo fecerat, accommodarunt ad ordinem à Marco seruatum: quidam ad ordinem à Luca traditum: pauci in certos annos Harmoniam Euangelicam distribuere conati sunt: plerique verò ordinem arbitrariam excogitarunt, cuius rationem reddere vel non voluerunt, vel non potuerunt, cum circumstantiis Euangelicę historię non satis conueniret. Et quando plures Euangelistæ eandem historiam describunt, inde plerique vnam continuam contexuerūnt narrationem, non annumeratis singulis, sed principiis Euangelistarum verbis: alij integros singulorum Euangelistarum textus exemplo Eusebij ordine posuerunt, non in vna continua narratione. Horum nomina singulatim recensere operæ pretium non est. De illis tantum pauca quędam dicemus, qui in suis Harmoniis talem historiarum ordinem instituerunt ac seruarunt, quem rationibus vel certis vel probabilibus ex ipsis Euangelistarum circumstantiis demonstrare conati sunt, seruatis singulorum Euangelistarum verbis & sententiis integris ac omnibus.

Et in hoc genere primus occurrit Andreas Osiander, qui maximo labore & singulari ingenij acumine, noua prorsus ratione Harmoniam historię Euangelicę contexuit, ita, vt nullam historiam (exceptis duabus, Matthæi de euulsis spicis, & sanata manu arida) extra contextum, quo in singulis Euangelistis descriptæ sunt, loco mouere & transponere cogatur. Sentit enim contra totam antiquitatem, Euangelistis nihil vel per anticipationem vel per recapitulationem narrasse: sed singulos in suo contextu & ordine, temporis & seriem rerum gestarum seruasse, ita vt exempli gratia, seruato ordine Matthæi, ex Marco, Luca & Iohanne, cuiusque ordine seruato, historiæ, quæ vel eædem vel diuersę sunt, suis certis locis vel præmittantur, vel inserantur: atque hoc modo, seruato cuiusque Euangelistæ ordine progressus fiat. Et valde concinna videtur hæc ratio, quod nullius Euangelistæ contextus turbatur, nec transpositione historiarum sursum, deorsum, quasi desultare cogitur, sicut fit in aliis Harmoniis. Vnum tantùm incommodum habet, quod historias, quæ consensu totius antiquitatis, & circumstantiis hoc manifeste testantibus apud diuersos Euangelistas eędem sunt, ipse cogitur alias seu diuersas facere, & longo temporis interuallo diuellere, qua ratione fermè perit illa collatio Euangelistarum, quomodo eadem historia à diuersis Euangelistis descripta additione plurium & aliarum circumstantiarum, & mutatione quorundam verborum illustretur? Habet autem Osiander responsionem admodum verisimilem, non esse absurdum sentire, quòd Christus similia miracula mutatis paucis circumstantiis sæpius vel in iisdem, vel aliis locis, diuersis temporibus, in aliis atque aliis personis ediderit, quodque eandem doctrinæ vocem verbis vel iisdem, vel similibus, sæpius inculcando, diuersis temporibus repetiuerit. Qua de re & postea & in ipsa Harmonia plura dicenda erunt. Distribuit autem Osiander

totam Euangelicam historiam iuxta festa Paschatos in certos annos, & redegit eam in vnam continuam sibique cohærentem narrationem, ita, vt nullum verbum ex omnibus Euangelistis omittatur: excogitatis ad hoc ingeniosissimè literis, quę monstrant, quorum Euangelistarum sint singula verba, cùm in contextum continuæ narrationis inseri non potuerint, in margine annotentur.

Illam rationem Harmoniæ Euangelicæ: vtpote nouam & ab vniuersæ antiquitatis sententia discedentem, multi non per omnia probant. Molinæus verò maximè & vnicè eam probat: sequitur etiam Codomannus, qui ne quidem duas illas historias, Matth. 12. de spicis & de manu arida transponi volunt, sed contendunt, & illas diuersas esse ab [illegible], quæ à Marco & Luca describũtur. Sed Molinæus illam rationem non probat, vt ex quatuor Euangelistis vna quædam continua & sibi cohærens narratio contexatur. Præfert autem Eusebij rationem, vt scilicet è regione ponantur singulorum Euangelistarum descriptiones & verba, quando vnam & eandem rem narrant. Sentit enim, Deum ideò non vnum, sed quatuor voluisse habere Euangelicæ historiæ scriptores, vt collatio illa & confirmaret & illustraret doctrinæ Euangelicæ veritatem.

Inter illos verò, qui vetustatis & vestigia in contexenda Harmonia Euangelica secuti sunt, Pomeranus egregium specimẽ edidit, in historia passionis & resurrectionis Christi. Et sub finem vitæ instituerat, totam historiam Euangelicam in talem Harmoniam seu ordinem redigere, & ad Marci potissimum contextum accommodare, sed senectute impeditus, & morte præuentus, opus vix incoauit. Ex cuius incoata delineatione D. Paulus Crellius profitetur, se suam Harmoniam extruxisse.

Et in hoc genere bonam & diligentem operam nauauit Cornelius Iansenius, in ordinem continuæ narrationis redactis, & suo loco positis, quæ Euangelistæ non seruato vel temporum vel rerum gestarum serie recensent: expositis etiam rationibus ordinis, quæ ex circumstantiis vel manifestis, vel probabilibus sumptæ sunt.

Hi sunt præcipui (quorum quidem scripta ad nostras manus peruenerunt) qui in argumento illustrando operæ aliquid posuerunt. Qui enim illud non ex professo tractarunt, sed in commentariis obiter de ordine historiarum quarundam, & de circumstantiarum conciliatione aliquid disputarunt, hùc propriè non pertinent, licet commonefactiones ipsorum institutum hoc non parùm iuuare possint. Sicut huc etiam non pertinet, quod Caluinus disputat, Euangelistas non habuisse magnam rationem ordinis, atque ideò sæpè ea, quæ, quomodocunque similia sunt, licet diuersis vel locis vel temporibus acciderint, in Harmonia coniungit, omissa & seorsim posita historia Ioannis.

Et ex hac recitatione constitui iam posset, pro instituti nostri ratione, dispositio huius nostræ Harmoniæ. Sed de distributione temporis seu annorum ministerij Christi, & de methodo inuestigandi ordinem rerum gestarum, ac consequentiam historiã, prius quædam exponẽda sunt.

CAPVT TERTIVM.

Qua ratione deprehendi & colligi possit vera supputatio totius temporis, quo Christus in publico suo Ministerio in terris versatus est, à Baptismo scilicet vsque ad diem siue Passionis, siue Ascensionis. Et quomodo inde constitui possit vera sententia de ætate Christi secundum carnem, à Natiuitate scilicet vsque ad Passionem.

QVia instituti nostri ratio est, ostendere distributionem temporis ministerij Christi, ordinem historiarum constituemus primò de vera supputatione totius illius temporis, cuius series & distributio inuestiganda & monstranda est. Vocamus autem Ministerium, publicam administrationem illius vocationis siue functionis, ad quam Messias in hunc mundum à Patre missus erat, vt inciperet facere & docere.

Petrus enim, Act. 1. v. 21. vocat ingressum & egressum, phrasi hebraica, qua solent illi Ministerium siue administrationem publicarum functionum describere, vt Deut. 3. vers. 27. 2. Par. 11. v. 10. Et Paulus Rom. 15. v. 8. dicit, Christum ministerium factum circumcisionis. Eandem etiam appellationem ipse Filius Dei in diebus Carnis suæ sibi tribuit, Matt. 20. v. 8. Mar. 10. ver. 45. Filius hominis venit διακονῆσαι. Post ascensionem verò ipse quidem, vt Caput, gubernat Ecclesiam: Nobis verò inquit Paulus 2. Cor. 3. v. 6. & 5. v. 18. dedit Ministerium reconciliationis. Quod igitur Petrus vocat ingressum, & egressum nos appellamus Tempus Ministerij Christi.

Disertè autem in Scriptura notati sunt termini siue limites (vt sic appellem) huius Ministerij Christi, quando scilicet inchoatum fuerit, & quando absolutum. Ita enim Petrus inquit, Act. capite primo, vers. vigesimo primo. Toto tempore, in quo ingressus & egressus inter nos est Dominus Iesus, incipiens à baptismo Ioannis vsque ad illum diem, quo assumptus est à nobis. Et Act. 10. v. 37. Incipiens à Galilæa post Baptismum, quem prædicauit Ioannes, quomodo vnxerit Deus Iesum à Nazareth: Spiritu S. & virtute, qui pertransit benefaciendo & sanando, quem occiderunt. Hunc Deus suscitauit tertia die, & exhibuit manifestum testibus præordinatis, &c. Initium igitur ministerij Christi fuit, quando à Ioanne baptizatus, voce Patris inauguratus, & Spiritu S. vnctus, ad prædicandum missus est, Luc. 4. v. 18. vt inciperet facere & docere. Act. 1. v. 1. & durauit vsque ad diem assumptionis.

Et quia distributionem & ordinem historiæ illius temporis inuestigare instituimus, priusquam ad ipsas historias progrediamur, duo hæc necessariò explicanda sunt.

1. Quæ sit vera supputatio illius temporis, quod intercessit à Baptismo Christi vsque ad diem ascensionis, & quomodo colligi possit.

2. Qua ratione totum illud tempus in certos annos distribui possit. Hæc igitur quàm fieri poterit breuissimè expediemus.

Fuerunt autem variæ de hac supputatione etiam apud Veteres sententiæ, illas primùm recensebimus, & postea ostendemus, ex quibus fundamentis, & qua ratione colligenda sit vera supputatio.

putatio.

Vulgaris opinio, etiam apud vetustissimos, fuit, omnia illa dicta & facta, quæ in Euangelica historia, à Baptismo Christi vsque ad passionem eius describuntur, vnius tantum anni spatio comprehendenda esse.

Irenæus enim lib. 2. c. 39. opinionem illam & recitat & refutat.

Tatianus quoque Iustini Martyris discipulus, Harmoniam suam ita instituit, vt totam historiam Euangelij, à Baptismo vsque ad passionem, ad vnum Pascha accommodet, & vnius anni periodo includat.

Tertullianus etiam in libro aduersus Iudæos, dicit, Christum passum eodem anno, quo publicum Ministerium inceperat, decimo quinto scilicet Tyberij, cùm haberet annos, quasi triginta.

Clemens Alexandrinus, 10. Strom. illam opinionem, de vnico anno Ministerij Christi, probat & conatur confirmare: quia scriptum sit, Esa. 61. vers. 2. vt prædicarem annum Domini acceptum: In eadem sententia videtur etiam Augustinus esse de ciuit. lib. 18. cap. 54. Dicit enim Christum mortuum esse duobus Geminis Consulibus. Et Chronographia ostendit. Cai. Rubellinum Geminum, & Cai. Fusinum Geminum, consulatum gessisse, Anno Tyberij decimo quinto.

Eusebius etiam lib. 3. cap. 18. Matthæum Marcum & Lucam scripsisse post captiuitatem Baptistæ, ἐφ' ἕνα ἐνιαυτὸν πεπραγμένα, quæ ad vnum annum continuum gesta sunt.

Et Alogi opinionē illam, sicut Epiphanius scribit, tam fortiter tutati sunt, vt maluerint Euangeliū Ioānis, quod videbant diuersum testari, reiicere, quàm ab illa traditione de vnico anno, quę tot antiquitatis testimonia haberet, recedere.

Occasionem autem hæc opinio accepit inde, quòd Matthæus, Marcus & Lucas, in tota historia Euangelica, vnius tantùm Paschatis expressam mentionem faciunt.

Irenæus verò videt opinionem illam non posse consistere: quia Iohannes numerat aliquot festa Paschatis, quæ in tempus ministerij Christi inciderūt. Primum scilicet, quod describitur Io. 2. v. 13. Alterum, quod describitur Ioan. 5. v. 1. Illud enim festum Irenæus dicit Pascha fuisse. Tertium, quod tempore miraculi quinque panum imminebat, Ioan. 6. ver. 4. in quo existimat Irenæus Christum crucifixum. Sed Irenæum hoc loco inconsideratè confundere duo diuersorum annorum Paschata, manifestum est. Ioannes enim inter Pascha, cuius mentio fit, Iohan. 6. ver. 4. & inter illud Pascha, in quo Christus crucifixus est, expressè dicit, intercessisse festum Tabernaculorum, cap. 7. v. 2. & Encæniorum, cap 10. v. 22. Duo ergo distincta illa festa Paschatis fuerunt. Atque ita non tria tantum, sicut Irenæus, sed quatuor distincta festa Paschatis, Ioannes numerat. Non autem colligit Irenęus supputationem annorum ministerij Christi ex scripto Ioannis Euangelio, sed mox delabitur ad traditiones, quæ tunc magna specie prætexebantur, viuentibus adhuc illis, qui Apostolos audiuerant. Recitat igitur omnes Seniores in Asia testari, Ioannem Apostolum ipsis tradidisse, Christum baptizatum quidem anno 30. sed nō cœpisse docere, priusquam ætatem magistri haberet, annos scilicet 40. atque ita, cùm per annos aliquot doceret, peruenisse ipsum ad ætatem seniorum, quę non multum abfuerit ab anno 50. Et addit: Quidam autem Seniorum hęc eadem ab aliis Apostolis audierunt, & testantur de huiusmodi relatione. Accommodat autem huc illud Ioh. 8. quod Iudæi dicunt, Ioh. 8. v. 57. (*Quinquaginta annos nondum habes.*) & Ioh. 2. v. 20 (*Quadraginta sex annis ædificatum est templum.*) Et ibi Christus loquitur quidem de templo corporis sui. Sed hanc Irenæi sententiam, Ecclesia nec probauit, nec recepit: memorabili exemplo, quid faciendum sit, quando aliquis ex Patribus à veris & manifestis Scripturæ fundamentis recedit, & ad traditiones, quantumuis plausibiles, delabitur, licèt postea etiam prætextum aliquem quærat ex locis Scripturæ impropriis.

Ita Paulus quidam Episcopus Semproniensis narrat, se in somniis ab Apostolo Paulo edoctum, Christi ętatem fuisse annorum 36. & omnes Chronologos errare in 3. annis. Sed non ex somniis, nec ex incertis traditionibus aliquid in Ecclesia pro dogmate seu articulo fidei statuendum est: quin potius ad Legem & ad Testimonium, quòd si non dixerint, siue Pythones, siue Traditionarij, iuxta verbum hoc, non erit eius matutina lux. Esa. 8. v. 20. Mallemus igitur supputationem illorum humiliter ignorare, cùm præsertim sine periculo & salutis dispendio hoc fieri possit: quàm temerè ex somniis vel incertis traditionibus aliquid pro certo affirmare. Sed quia antea ostendimus, Euangelistas mutuas quasi operas tradidisse in suis scriptionibus, vt certus ordo Euangelicæ historię possit inuestigari & deprehendi: ex Euangelistarum igitur descriptionibus hæc supputatio rectè colligi & debet & potest.

Primus autem Irenæus hoc obseruauit, Ioannem ideò post reliquorum narrationes annotasse aliquot festa Paschatis, ad quæ Christus tempore Ministerij sui ascenderit, vt supputatio & distributio annorum, quàm à reliquis videbat neglectam, ex certis fundamentis posset colligi. Sed ab hoc fundamento patitur se Irenæus abduci, prætextu traditionum.

Epiphanius verò contra Alogos illam Irenæi obseruationem repetēdo euoluere conatus fuit. Numerat autem tria illa festa Paschatis, quorum expressa fit mentio in Ioanne, pręterito illo, quod ex cap. 5. Iohan. Irenæus annumerat. Vt: Primum Pascha, Ioh. 2. vers. 13. post miraculum in Cana editum. Secundum, Ioh. 6. v. 4. post miraculum quinque panum. Tertium, in quo passus est Christus, Ioh. 13 Iniicit verò Epiphanius etiam mentionem de Sabbatho secundo primo, Lu. 6. v. 1. quod non malè de Paschatis festo interpretatur. Sed confundit illud cum aliis, ita vt tria tantùm Paschata numeret.

Et sunt, qui existimant, ex hac supputatione trium festorum Paschatis confici triennium: sed falluntur. Epiphanius enim rectè inde colligit tantùm duos annos & aliquot dies, qui supersunt à Baptismo vsque ad primum Pascha. Nam non multò ante Pascha incoauit Christus Ministerium, & in tertio festo Paschatis crucifixus est, Iuxta Epiphanium. Et hæc supputatio non facit triennium, sed, sicut dictum est biennium.

Eruditæ autem sunt cogitationes Lutheri & aliorum, qui ex Daniele colligunt talem supputationem. Dicit enim Propheta: (*confirmabit pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdoma-*

dis cessare faciet hostiam & sacrificium:) scilicet oblatâ victimâ sui corporis. Facit autem dimidia septimana tres annos & dimidium. Hinc sumpta est communis & recepta sententia, quæ etiam in Theophili fragmentis extat, Christum in ministerio suo, docendo & faciendo, versatum esse annos tres & totidem menses, seu dies, quot intercesserunt à Baptismo ad primum Pascha. Et huic sententiæ etiam exteræ historiæ suffragantur. Eusebius enim ex Ethnicorum commentariis recitat, defectionem illam Solis, quæ tempore passionis Christi facta est, annotatam esse, quòd contigerit quarto anno 202. Olympiadis. Et quod tempus illud inciderit in 18. annum Tyberij, cuius anno decimo quinto Christus ministerium suum incoauerat.

Sed hæc supputatio ex descriptione Ioannis colligenda & probanda est. Hoc est enim fundamentum quod inuestigamus. Et de tribus quidem festis Paschatis, quæ in tempus ministerij Christi inciderunt, nulla est controuersia, sicut iam monstrauimus. Diserte enim, ipso vocabulo Paschatis expresso, numerantur, Ioh. 2. v. 13. & 6. v. 4. & 13. v. 1. Et plerique hac numeratione contenti sunt: quia existimant inde confici spatium trium annorum. Sed falluntur, sicut vel digitis supputanti manifestum est. Fiunt enim inde duo tantum anni integri. Si igitur illa supputatio, Christum quarto anno ministerij sui crucifixum esse, constari debet, necesse est, præter illa, quæ iam monstrata sunt, aliud adhuc, siue quartum, Pascha ostendi posse in Euangelica historia. Vt Christus post incoatum suum ministerium, non in tertio, sed in quarto Paschate crucifixus sit. Ita enim prodibunt tres anni integri, & tantum temporis, quantum elapsum fuit post Baptismum, vsque ad primũ Pascha. Sed quartum illud Pascha non numeratur expresse seu nominatim in historia Euangelica: Et tamen sine certa eius autoritate, nihil nec debemus, nec volumus, affirmare & constituere.

Iuçundum autem est considerare, ratione quartum illud Pascha in historia Euangelica inuestigatum sit. Irenæus siquidem & Epiphanius vestigia quædam eius monstrarunt. Licet enim vterque tria tantum Paschata numeret: ille tamen festum Ioh. 5. v. 1. accipiendo pro Paschatis festo, hic verò exponendo Sabbatum secundoprimum Luc. 6. v. 1. pro Paschate, vestigia quædam quarti Paschatis submonstrarunt. Rupertus verò ex verbis Christi, Ioh. 4. v. 25. de quatuor mensibus ante messem, cœpit colligere, quale festum intelligendum sit, Ioh. 5. v. 1. Historia scholastica: quia ponit Christum sexto Ianuarij baptizatum, & eodem die post reuolutum annum primum signum fecisse. Cùm igitur illo anno necesse erit Pascha interuenisse, dicit, vnum Pascha in Euangelio non expressum, hoc modo subintelligendum esse

Sed Andreas Osiander primus, quod sciam, quartum illud Pascha in narratione Ioannis eruditè, certò & liquidò monstrauit. Et colligitur illud hoc modo. Post Pascha, Ioh. 2. v. 13. & ante illud sequens Pascha, quod Ioan. 6. describitur, incidit aliud festum, Ioan. 5. v. 1. ad quod etiam Christus tempore ministerij sui ascendit. Illud festum Chrysostomus. Cyrillus & Epiphanius intelligũt Pentecostem, quæ mox eodem anno post quinquaginta dies secuta sit primum illud Pascha, quod Ioan. 2. v. 13. annotat. Et in hanc sententiam etiam Caluinus discedit. Sed hoc impossibile est: & constare nullo modo potest. Verum quidem est, singulos annos inter vnum Pascha & proximè sequens, habuisse alia plura festa iuxta legem: sed quia cuiusque festi tempora certò notata sunt, Leuit. 23. & Deut. 16. facile quid sentiendum sit, colligi poterit. Nam Ioan. 4. versic. 3. cum post primum Pascha Christus ex Iudæa reuerteretur in Galilæam, priusquam ad festum illud Ioan. 5. vers. 1. rursus ascenderet, disertè exprimitur, fuisse tunc tempus quatuor mensium, vsque ad messem. In Palæstina verò messem scilicet hordeaceam incoatam fuisse statim post Pascha, & ante Pentecosten absolutã fuisse etiam triticeam messem, certum & manifestum est, cum ex aliis Scripturę locis, vt Ioan. 3. v. 15. & 2. Reg. 2. v. 9. vbi prima messis est hordei, post quam sequitur messis triticea, Ruth. 2. v. 23. & Exod. 9. v. 31. tum verò certò hoc præcipue colligitur, Exod. 34. v. 22. Leuitic. 23. vers. 10. Num. 28. v. 26. Deut. 16. v. 9. Ita enim textus inquit: altera die Paschatis feretis manipulum spicarum, primitias messis vestrę, ad sacerdotem, qui eleuabit fasciculum coram Domino. Item vers. 14. Panem, polentam & pultem non comedetis ex segete, vsque ad diem, qua offeratis ex ea Deo vestro. Et addit v. 13. ab illa altera die Sabbathi numerabitis quinquaginta dies, & offeretis sacrificium nouum, panes primitiarum: hoc est, sicut interpretantur, in Pentecoste panes propositionis & leuationis ex nouis frugibus conficiebantur. Deut. 16. v. 9. dicit Moses, quinquaginta dies ante Pentecosten falcem in segetes mitti. Et inde mensis Paschalis vocatur mensis nouarum frugum. Exod. 13. v. 4. Deut. 16. v. 1. Et quidem si fruges nondum ad maturitatem peruenissent, cogebantur mensem intercalare, vt seges ad maturitatem albescens, incideret in primum mensem: ita enim illi, qui Iudaicarum consuetudinum periti sunt, referunt. Festum quidem tabernaculorum vocatur festum collectionis frugum: sed additur ex area & torculari. Deut. 16. v. 13.

Manifestissimum igitur est, Primò, festum Ioh. 5. vers. 1. non posse esse Pentecosten, quæ proximè post Pascha, quod Ioh. 2. vers. 13. describitur, primo anno ministerij Christi secuta sit. Quatuor enim illi menses, vsque ad messem, de quibus Christus Iohan. 4. v. 35. loquitur, non potuerunt in illa regione esse intra Pascha & Pentecosten vnius & eiusdem anni, sicut tempora messis in Canaan iam monstrata sunt.

Quia verò Iohan. cap. 5. v. 1. non exprimit quale festum fuerit, videndum est, potuerit ne esse aliquod aliud ex reliquis festis, quæ primo illo anno ministerij Christi, secundum legem obseruata fuerunt. Et ratio plana erit. Tempora enim festorum legalium, ad stata tempora determinata sunt à Mose. Ponamus itaque, messem in Palæstina incoatam fuisse post Pascha, vel in Aprili, vel Mayo: & supputatio ostendet illud, quod Iohann. 4. versiculo 35. Christus dicit: (adhuc quatuor menses, & tunc messis erit) factum esse in Decembri, vel in Ianuario. Ergo festum Ioh. 5. v. 1. non potuit esse vel Tabernaculorum festum, vel Encæniorũ primi anni ministerij Christi. Illud enim mense Septembri, hoc Nouembri iam celebratum fuerat, priusquam in Decembri Iohan. 4. Christus di-

stus diceret: Adhuc quatuor menses sunt ad messem. Porrò à mense Decembri, vsque ad sequens Pascha nullum legale festum, ad cuius celebrationem Hierosolymam ascendendum erat, incidit, sicut ostendit descriptio festorum. Habent quidam Iudæi iam in suis Calendariis 10. Decembris, ieiunium obsessionis, 4. Reg. 25. v. 1. & 15. Ianuarij agitant conuiuia, ob succum arboribus restitutum. 14. Februarij agitant festum sortium, eo ferè modo sicut Christianorum vulgus celebrat Ethnicorum Bacchanalia. Sed loquimur de illis festis, non quæ ex traditionibus irrepserant, sed quæ Deus ipse instituit & per Mosen veteri populo solenniter celebranda, idque tantùm Hierosolymis mandauit.

Secundò igitur & hoc demonstratum est, festum Iohannis 5. v. 1. nec esse Pentecosten, nec vllum aliud ex reliquis festis, quæ post Pascha Ioh. 2. v. 13. illo anno, qui ministerij Christi primus est, inciderunt.

Tertiò, manifestum est hoc, festum Ioh. 5. non pertinere ad illum annum, cuius initium facit Pascha, quod Ioh. 6. v. 4. describitur. Contextus enim manifestè ostendit, festum Ioh. 5. fuisse ante Pascha: Ioh. 6. Quia igitur post Decembrem, quãdo Christus dixit: adhuc quatuor menses vsq; ad messem, nullum aliud festum legale prius occurrit, quàm Pascha: consequens erit, festum Ioannis capite quinto, esse festum Paschatis. Non est autem illud Pascha, quod Iohannis capite secundo describitur. Post illud enim sequitur. Nec est illud, cuius mentio fit Iohan. cap. 6. v. 4. Ante cedit enim. Ergo necesse est, fuisse aliud & diuersum ab his. Atque ita vera & certa supputatione inuestigatum & inuentum est quartum illud Pascha, quod cæteris tribus supra commonstratis additum, constituit trienniũ Ministerij Christi. Quòd verò Iohannis festum illud non expresè nominat Pascha: sed tantùm festum Iudæorum, arbitror ideò factum esse: quia notatione illa, de quatuor mensibus ante messem, satis sibi visus est attento lectori significasse, quodnam festum intelligi vellet. Cùm etiam ex descriptione Lucæ de Sabbato secundo primo, in quo Apostoli spicas vellebant, hoc posse colligi videret, de quo postea dicendum erit.

Quod si quis excipiat, non posse certa demonstratione probari, festum illud Iohan. 5. necessariò esse Pascha, cùm possit esse aliud de reliquis festis, si non primi anni, saltem sequentis aut alterius anni. Sicut multi probabiliter disputant: festum illud, Io. 5. fuisse Pentecosten, secundi anni ministerij Christi: sicut postea in Harmonia ostendemus. Illi certè hac demonstratione cõuinci possunt intercessisse aliud festum Paschatis. Qualecunque enim ponatur esse festum Ioann. 5. certũm est, non esse illius anni, cuius principium est Pascha Io. 2. v. 13. Hoc enim demonstratum est. Nec potest referri ad illum annum, cuius initium facit Pascha, Io. 6. v. 4. Id enim ordo textus manifestè redarguit. Qualecunque igitur festum secundi anni posueris, fuisse illud Ioh. 5. non poteris effugere, quin cogaris concedere fuisse aliud Pascha intermedium, inter illud quod Ioh. 2. v. 13. describitur, & quod sequitur Iohan. 6. v. 4. Pascha enim principium est reliquorum festorum cuiusq; anni. Et hoc tantùm erat demonstrandum, quatuor esse festa Paschatis, quę in tẽpus ministerij Christi inciderunt: quorum tria expresè nominantur à Ioanne: quartum verò illa notatione, quam hactenus ostendimus, verè & liquidò ex cap. Io. 5. & Luc. 6. colligitur.

Manifesta igitur & plana iam est supputatio annorum, quibus Christus in ministerio suo versatus est: à Baptismo vsque ad passionem.

A primo enim Paschate, Ioh. 2. v. 13. vsque ad festum Ioh. 5. v. 1. est primus annus.

Ab illo verò festo, vsque ad Pascha, cuius mentio fit Ioh. 6. ver. 4. est secundus annus.

Et vlterius vsq; ad Pascha Ioh. 13. v. 1. in quo crucifixus est Christus, supputatur tertius annus.

Ratio verò temporis quod intercessit à Baptismo vsque ad primum Pascha, supputationem extendit in quartum annum, qui non est completus, sicut de illo tempore postea dicetur. Et Nicephorus inquit: Non impleuit totum quadriennium.

His ita ex veris fundamentis constitutis, facile potest colligi ætas Christi à natiuitate vsq; ad passionem. Si enim anni ministerij Christi adiiciantur annis eius à natiuitate vsque ad Baptismum supputatio plana erit.

Mathematici suis calculationibus admodum sudârunt, vt inuestigarent quoto anno ætatis Christi, Luna 14. vel 15. mense Martio vel Aprili in diem Veneris (vt vocant) incidisset. Hic enim esset dies passionis. Et Gauticus dixit, anno Christi 34. ad 25. Martio hoc fuisse. Illud verò Pitatus acerrimè negat. Iohannes Lucidus tradit, anno Christi 33. labent. die 3. Aprilis, Lunam 14. incidisse in sextam feriam, qua Christus passus fuit. Atq; ita Christum compleuisse annos 32. menses 3. dies decem. Paulus Episcopus Forosemproniensis tradit, se calculatione sua inuenisse, Christum anno 36. labente, 30. Martij passum. Mercator scribit, anno Christi 35. die Aprilis 2. Lunam 14. incidisse in 6. feriam. Oriuntur autem illæ diuersitates supputationum inter Mathematicos præstantissimos inde, quòd annos bissextiles alij aliter ponãt. Quodque annum natiuitatis Christi, alij Augusti annum 41. alij 42. ponant. Sed nos ex Euangelicæ historiæ circumstantiis hæc inuestigabimus.

Epiphanius igitur, qui tantùm duos annos ministerij Christi supputat, colligit annos ætatis eius 32. & 74. dies: qui scilicet supersunt à die Natali vsque ad Pascha. Ponit enim Christum baptizatum sub finem anni ætatis trigesimi currentis, quibus addit duos annos ministerij Christi, & fiunt 32. Adiectis autem diebus superfluis, statuit Christum mortuum esse anno ætatis 33. inchoato.

Inter illos verò, qui tres annos numerant ministerij Christi, oritur quædam differentia inde, quod Lucas inquit, capite 3. v. 23. Erat Iesus quasi annorum triginta ἀρχόμενος ὤν. Quod vetus interpres ita reddidit: Erat incipiens quasi annorum triginta. Et plerique ita interpretati sunt. Incipiebat agere seu ingredi annum trigesimum. Inde historia Scholastica, Longobardus, Lyranus, & his vetustiores, Apollinarius & Victorinus (sicut citantur à Chronographis) posuerunt Christum baptizatum esse in principio anni trigesimi ætatis, cùm vicesimus nonus annus completus esset, & præterea, vsque ad sextum Ianuarij, exacti dies tredecim. Ad illos verò 29. annos, addiderunt annos ministerij Christi tres & totidem

menses, & collegerunt illum numerum, quem Lombardus, lib.4.quæst.44.his verbis describit: Triginta duûm annorum & trium mensium erat ætas Christi, in qua mortuus est & resurrexit. Alij, vt colligerét vsitatum annorum numerum, Christum crucifixum esse anno ætatis 34. posuerunt, baptizatum esse post completum annum 30. in principio anni 31. Statuunt enim ex traditione, sexto die mensis Ianuarij Christum baptizatum, de quo in sequenti capite dicemus. Et verba Lucæ ita interpretantur: Erat incipiens quasi annorum triginta, scilicet completorum. Et illi particulam ὡσεὶ interpretantur pro circiter. Significaturi enim numerum non præcisum, sed qui sit vel paulò plus, vel paulò minus, dicimus: qui discubuerant, erant quasi vel circiter quinque millia, hoc est, non multò, vel plures vel pauciores.

Epiphanius verò illa verba Lucę ἀρχόμενος ὢν rectius ita interpretatur. Erat annorum quasi 30. ita, vt inciperet quasi 30. annorum. Existimat enim Lucam ad illud (erat annorum quasi 30.) addidisse sequentes particulas (ἀρχόμενος ὢν) propter exactiorem & magis perspicuam temporis determinationem. Quia enim particula ὡσεὶ indeterminatè tàm paulo plus quàm paulò minus potest significare, ideo Lucam addidisse ἀρχόμενος, vt ostenderet fuisse tunc Christum annorum 30. non quidem planè completorum, sed qui mox seu breui complendi essent: hoc est, sicut Epiphanius supputat, decem menses anni tricesimi iam erant confecti, & restabant tãtum duo mẽses ad annum trigesimum completum, vt nõ multo, ante diẽ natalem anni 30. cõpleti baptizatus sit, & nõ multum abfuerit à 30. anno.

Quod verò prima opinio sentit, Christum tantum viginti nouem annos & dies tredecim natum fuisse, cum baptizaretur, hoc particula ὡσεὶ non admittit. Sicut enim quando dicitur: erant quasi quinque millia, nõ intelligitur quod fuerint tantum quatuor millia, & vltra vel decem vel triginta, sed quod numerus non procul abfuerit à quinque millibus. Aliàs enim diceretur: erant quasi quater mille. Ita si Lucas voluisset notare annos tantum 29. & paucos dies, tredecim scilicet vltra non dixisset: erat quasi triginta annorum: sed quasi viginti nouem annorum. Epiphanij interpretationem etiam Ambrosius confirmare videtur. Pro, Quasi, enim legit ferè: Erat fere annorum triginta. Irenæus etiam lib.2.cap.39. ita intelligit locum Lucæ, inquiens: Ad Baptismum venit nondum qui trigintaannos suppleuerat: sed qui inciperet esse tanquam triginta annorum.

Alij duo illa vocabula, ἀρχόμενος ὢν, non referunt ad supputationem annorum: sed ita interpretantur. Iesus ἀρχόμενος hoc est, cum in Baptismo à Patre inauguratus incoaret ministerium suum, erat quasi annorum triginta: ὢν existens, sicut putabatur, filius Iosephi, &c.

Et hæc interpretatio concinna est, & optime conuenit cum Grammatica. Lucas enim verbo ἄρχεσθαι vtitur de incoatione ministerij Christi, Act.1.ver.22. & 10.v.37. Et omninò durior videtur constructio, quando duo illa participia, ἀρχόμενος ὢν, coniunguntur, & ad præcedentem numerum annorum referuntur. Enthymius legit ἐρχόμενος hoc est, cum veniret ad baptismum, ad auspicandum Ministerium, erat 30. annorum, existens, vt putabatur, filius Ioseph.

Siue igitur hoc modo, siue ex Epiphanij sententia verba Lucæ accipiantur, additis, annis ministerij tribus, & tot mensibus siue diebus, quod supersunt à Natali vsque ad Pascha, prodibit hic numerus, Christum mortuum esse & resurrexisse anno ætatis tricesimo quarto. Reliqua de supputatione temporis à baptismo Christi ad primum Pascha in sequenti capite explicabimus.

Hæc sunt fundamenta supputationis totius tẽporis seu periodi historiæ Euangelicæ, cuius distributionem & ordinem instituimus.

CAPVT QVARTVM.

Quomodo tempus Ministerij Christi in præcedenti supputatione collectum, in certos annos distribui possit: ita vt constituto, si non exactè, verisimiliter tamen, exordio & termino cuiusque anni, obseruari possit, ad quos annos singula historia referenda sint, seu quæ sint cuiusque anni acta.

IVcundum est, & non habet nihil vtilitatis, posse obseruare, quæ sint cuiusque anni acta, siue ad quem annum ministerij Christi, & quo ordine illa, quę in historia Euangelica describuntur, (vt sunt peregrinationes, conciones, miracula, auditorum conuersio, multorum obstinacia, quorundam defectio, certamina cum aduersariis, & si quæ alia ad historiam pertinent) referri commodè possint.

Illud vero fieri non potest, nisi termini singulorum annorum, vbi scilicet in Euangelica historia incipiant, vbi desinant, notentur. Sed magna obiicitur difficultas, quò minus exactè hęc distributio tradi & ostendi possit. Vt enim de dierum supputatione, quam Postillatores sine omni ratione commentati sunt, solliciti non simus: certè ad quem anni mensem tempus baptizati Christi referendum sit, nec Euangelistæ expresse annotârunt, nec ex circumstantiis historiæ exactè colligi potest. Atqui hoc est exordium primi anni ministerij Christi, sicut Lucas inquit, Actor.1.ver. 22. Quod si igitur exordium illud exactè ad certum tempus anni referri non potest, nec constitui poterit vbi præcisè terminetur. Et idem in sequentibus annis accidere necesse erit.

Accedit, quòd Ioannes, qui sua scriptione distributionem temporis in historia Euangelica ostendere voluit, non videtur annorum distributionem iuxta tempus baptismi Christi instituere, sed notatis illis festis Paschatos, quæ in tempus ministerij Christi inciderunt, ad illorum supputationem videtur ordinem historiæ & distributionem temporis accommodare, Atque hoc modo, iuxta festa Paschatis. Osiander & annos ministerij Christi, & acta singulorum annorum distribuit. Et contextus totius historiæ Euangelicæ, sine perturbatione ordinis, ad illam distributionẽ secundum festa Paschatis, omnium simplicissimè & facillimè accommodari potest. Illorum igitur rationem distributionis: quia expedita est, postea in Harmo-

in Harmonia sequemur. Est enim à Ioanne, monstrato & numero & ordine festorum Paschatis, quę in tempus ministerij Christi inciderunt, Ecclesię tradita. Sed in illa distributione vnicus est scrupulus, quod in primo Paschate Ioan. 2. ver. 23. non potest exactè constitui initium primi anni ministerij Christi, nec secundum Pascha exacta supputatione erit finis primi anni, & exordium secundi, & ita in reliquis.

Baptismus enim Christi qui publico ipsius ministerio initium præbuit, per aliquod tempus præcessit festum Paschatis, ita vt exempli gratia historiæ, quæ per trimestre tempus & amplius ante secundum Pascha acciderunt, pertineant ad acta non primi, sed secundi anni. Et idem in sequentibus etiam annis obseruandum est.

In ipsa autem tractatione deprehendi, non tantùm iuxta festa Paschatis, verùm etiam secundum tempus baptizati Christi, quo publica ipsius missio voce patris & vnctione Spiritus sancti renuntiari cœpit, posse constitui initium & finem, cuiusque anni ministerij Christi, non exactè quidé, quasi per minutissima momenta, verùm ὡς ἐπὶ πλεῖστον, vt tamen supputatio non multùm aberret à vero. Petrus enim, Act. 1. v. 20. & 10. v. 37. docet supputationem & distributionem temporis ministerij Christi incoandam esse à baptismo Christi. Ipse Iohannes verò, in descriptione secundi anni de quatuor mensibus antę messem, & in quarto anno de festo Encæniorum, videtur studiosè notare voluisse historias, quæ in reliquis annis vel respondent tempori baptizati Christi, vel certè ab eo non multum absunt, sicut mox ostendemus. Itaque hinc etiam rationem distributionis annorum ministerij Christi inuestigabimus, & cum priori illa etiam postea in Harmonia sequemur. Vtraque enim ratio ex præscripto Ioannis sumitur, & si simul ponantur, altera alteram adiuuabit, vt mutuis auxilijs ordinem & distributionem absoluant.

Hæc autem secunda ratio distributionis inde pendet, vt inuestigetur, circa quod anni tempus Christus à Ioanne in Iordane baptizatus sit. Ita enim inquisitio institui poterit, an deprehendi possit, quæ historiæ in reliquis annis circa illud anni tempus, quo Christus baptizatus fuerat, acciderint?

Hac etenim ratione initia singulorum annorum ministerij Christi in historia Euangelica inuestigari poterunt.

Et hoc quidem Lucas annotauit, quoto anno ætatis Christus baptizatus sit. Hoc enim constat, aliquam temporis intercessisse moram inter baptismum Christi, & inter sequens Pascha. Sed quot septimanæ fuerint à tépore baptizati Christi, vsque ad Pascha, & quo mense anni baptizatus sit, ex Euangelica historia exactè & præcisè colligi non potest. Aliquot igitur supputationes recitabo, & postea ex circumstantiis historię colligemus, quæ ad hanc inuestigationem viam nobis monstrabunt.

Epiphanij supputatio hæc est. Quia Lucas dicit: Erat quasi annorum triginta incipiens esse, &c. Christum cum baptizaretur compleuisse annos ætatis viginti nouem & decem menses. Et hanc supputationem ita colligit. Ex traditione quadam ponit, ante 8. Idus Ianuarias, hoc est, quinto vel sexto die Ianuarij, (vterque enim numerus legitur in greco exemplari) quem eundem ponit etiam Natalem Christi factum esse primum signum in Cana Galilęæ. Et ab illa die retrò supputat quadraginta dies tentationis. A tentatione dicit Christum reuersum Nazaret, Luc. 4. ver. 16. ibique quatuordecim dies commoratum: postea quatuor dies mansisse apud Ioannem, & tertio die factas nuptias. Hi numeri iuncti faciunt 60. dies, & illos retrò numerando deducit ad dié ante sextum idus Nouembris, hoc est, ad septimum Nouembris. Et illum ponit diem baptismi Christi. Sed hæc supputatio non potest pro demóstratione certa & indubitata consistere. Traditio enim de sexto die Ianuarij extra scripturam & incerta est, adeò, vt vulgaris iam inualuerit opinio, diem Natalem Christi non esse sexto Ianuarij, sicut Epiphanius tradit, sed 25. Decembris. Et quod dicit Epiphanius, Christum statim post tétationem reuersum, non ad Iordanem, vbi Baptista erat, sed Nazareth, contextus & ordo historiæ apud reliquos Euangelistas non admittit, sicut postea ostendemus. Fundamenta igitur supputationis Epiphanij non sunt certa.

Plerique supputant tempus à Baptismo Christi vsque ad Pascha, fuisse trium mensium & decem dierum. Vulgaris enim opinio est, sexto die Ianuarij tria hæc facta fuisse. Magos venisse ab oriente, Christum baptizatum, & elapso anno primum signum in Cana illo die factum esse. Et qui iuxta hâc opinionem historiam Euangelicam distribuere & contexere conati sunt, ordinem miserè perturbârunt, & contextum fœdè lacerârunt, dum voluerunt primum signum Christi in secundum annum ministerij ipsius transferre, sicut historia scholastica facit.

Quidam verò finxerunt illo ipso die, statim cùm in Iordane baptizatus esset, fecisse primum illud signum in Cana. Sed quia narratio Euangelistarum hoc nullo modo patiatur, alij, post sermonem Domini in monte atque ita post multa iam edita miracula, initium illud signorum in Cana factum, contra historiæ Euangelicæ fidem collocârunt. Error autem iste inde habet originem. Iactata fuit traditio, Christum baptizatum 6. die Ianuarij. Epiphanius verò aliam diuersam habet traditionem, sexto die Ianuarij primum signum in Cana factum, cùm ante sexaginta dies baptizatus fuisset. Ex illis duabus diuersis traditionibus conflata est tandem vna opinio, illa scilicet, quę statuit Baptismum Christi factum esse sexto Ianuarij. Et post annum eodem die primum signum factum. Et licet descriptioni Euangelistarum opinio de initio signorum Christi nullo modo conueniat: tamen propter titulum Traditionis maluerunt non tantùm à verbis Euangelistarum recedere, verùm etiam ordinem & contextum perturbare & conuellere, cum tamen & errore confusio facta sit duarum incertarum & dissentientium traditionum. Et hæc obseruanda sunt propter inanes titulos traditionum, quę ad palliandas superstitiones veritati opponi solent.

Per se etiam illa opinio, quæ statuit Christum sexto die Ianuarij baptizatum, descriptioni Lucæ non satis congruit. Vel enim dicendum est, Christum, cum baptizaretur, triginta annos iam cóplectos habuisse, & vltra triginta annos, tredecim dies anni 13. elapsos, quod participiû ἀρχόμενος

apud Lucam non admittit, cum inquit: Erat quasi triginta annorum incipiens esse. Vel dicendum erit, sicut Longobardus supputat, Christum baptizatum cum 13. dies tantum post annum ætatis 29. absoluisset. Sed hoc particula ὡσεὶ apud Lucam non patitur. Quando enim Scriptura inquit: erant quasi quinque millia: certè non intelligit vltra quater mille, tantum 10. aut 20. personas superfuisse, sed numerum non procul à quinque millibus, siue minus siue plus, abfuisse, sicut in præcedenti capite ostẽdimus. Irenęus etiam sentit, Christum non procul abfuisse à 30. anno completo, cum baptizaretur. Quantum igitur vulgari opinioni de sexto die Ianuarij tribuendum sit ex his iudicari poterit.

Vnde autem traditio illa orta sit, ex primo Stromatum Clementis colligi potest. Dicit enim, Basilidis hæretici sententiam fuisse, Christum baptizatum decimo quinto Mensis Tybi. Alios verò ante Basilidem, 11. diem Mensis Tybi tribuisse Baptismo Christi. Epiphanius verò 11. Tybi refert ad 5. Ianuarij. Inde igitur originem cœpit hęc traditio. Et memorabile est, traditionem illam de sexto Ianuarij, non pro demonstratione seu immota veritate in Ecclesia receptam fuisse. Ita enim Maximus in homilia de ephiphania inquit: (*In hac celebritate, sicut relatu paternæ traditioni instruimur, multiplici nobis festiuitate lætandum. Ferunt enim, hodie Christum vel stella duce à Gentibus adoratum, vel inuitatum ad nuptias, aquas in vina vertisse, vel suscepto à Iohanne Baptismo consecrasse fluenta Iordanis.*) Sed quid potissimum prætenti factum sit die, nouit ipse qui fecit. Hæc ille. Incertis igitur traditionibus niti nec possumus, nec debemus.

Funccius ex Daniele conatur colligere inter Baptismum Christi & proximè sequens Pascha, spatium semestre aut dimidij anni intercessisse. Daniel enim dimidium hebdomadis, hoc est, tres annos dimidium tribuit ministerio Christi. Et hæc supputatio à festo Paschatis retrò facta deducit tempus Baptismi Christi in mensem Septembrem, qui multis & præcipuis festis celebris fuit. Et pulcerrima sanè esset analogia festorum, siue Expiationis, siue Tabernaculorum, ad Baptismum Christi & incoationem ministerij ipsius, si aliqua vestigia huius supputationis in historia Euangelica monstrari possent. Funccij verò supputatio qui censet, Baptistam primo die Septembris, in festo Tubarum, ministerium suum incoasse, & 10. die post, in Expiationis Christum baptizatum, ad figuras Veteris Testamenti pulcrè sanè congruit. Sed hoc habet incommodi, quòd ea, quæ de ministerio Baptismi, Matt. 3. & Luc. 3. c. scribunt, intra tàm breue spatium, 10. dierum includit, quod nulla ratione fieri potest, sicut conferenti historias manifestum est, & postea ostendemus.

Recitaui diuersas supputationes, quæ ostendunt varias esse opiniones de tempore Baptismi Christi. Quia verò ab hoc exordio pendet illa distributio annorum ministerij Christi, de qua cœpimus dicere, omnium simplissima est ratio, si traditionibus & præsumptis opinionibus sepositis, ex ipsis circumstantiis historię Euangelicę inquiratur & inuestigetur, quæ supputatio ad veritatem quàm proximè accedere videatur: vt quia exacta præcisio haberi non potest, sumatur mediũ ἐν πλάτει, quod à veritate non multum absit, & ad illud distributio reliquorum annorum accommodetur.

Certum igitur est, post Baptismum per 40. dies Christum in deserto ieiunasse. Addendi autem præterea sunt dies profectionis in desertum, & reditus ex deserto ad Iordanem. Non enim absque pedestri itinere à Spiritu in desertum sublatus fuit: quia Marci & Lucæ descriptio aliud testatur, sicut postea ostendemus. Et si constaret, in quod desertum Christus deductus fuisset, facilè posset de supputatione aliquid constitui. Arbitror autem hanc sententiam vero non esse absimilem. Multa fuerunt deserta in Palestina, quæ peculiaribus cognominationibus notantur & distinguuntur, sed quæ habitationi hominum non omnino fuerunt incommoda, nec ab hominum conuersatione prosus aliena. Desertum verò, in quo Christus tentatus fuit, sine aliqua notatione vel additione simpliciter vocatur desertum, & non tantum à consuetudine hominum remotum, verùm etiam truculentis bestiis plenum fuit, Mar. 1. v. 13. Non errabit ergo, opinor, qui de deserto, quod vocatur Magnum, in quo filij Israel per 40. annos vagati sunt interpretetur. Hoc enim figuræ introductionis in terram promissam pulcerrimè consonat. Et multæ aliæ figuræ sunt, quæ non malè huc quadrant. Est enim ibi locus tentationis, Exod. 17. versic. 7. Est locus vbi non in pane vixit homo, Exod. 16. v. 4. Et Christus ipse hos locos in tentatione allegat. Ibi Moses: ibi etiam Elias ieiunauit 40. diebus & 40. noctibus.

Porrò 3. Reg. 19. v. 8. Iter Eliæ à Bersabe vsque ad montem Horeb scribitur fuisse 40. dierum, quod tamen, si quis rectà eò pergat, non erit tot dierum. Quia verò non possumus constituere, quod illo plane deserti loco in Horeb tantatus fuerit Christus, ponamus sanè à Bethabara ad locum tentationis in deserto iter decem dierum circiter. Et historia dicit, consummatis 40. diebus postea tentatorem accessisse. Forsan etiam tentationes illæ, quæ describuntur, de ductione ad montem excelsum, & ad pinnaculum templi, vno die non fuerunt confectę, & postea etiam accesserunt angeli administrantes ipsi. Sint ergo aliquot dies profectionis in desertum, 40. dies ieiunij, aliquot dies tentationis, & rursus dies reditus ad Iordanem ex deserto. Qui dies collecti ad minimum 60. dierum summam conficient.

Post 60. igitur dies (circiter) à Baptismo rediit ex deserto ad Ioannem Baptistam. Et rursus Ioh. 1. colliguntur quatuor dies quibus apud Baptistam conuersatus est. Profectioni autem à Bethabara in Galilæam tribuantur tres dies. Et tertio die post reditum Christi in Galilæam factæ sunt nuptiæ in Cana, Ioh. 2. v. 1.

Hi numeri ex historia Euangelij ita colligũtur, vt nihil, vel parum admodum habeant controuersiæ vel ambiguitatis. Collegimus autem ad 70. ferè dies, à Baptismo Christi, vsque ad primum miraculum in Cana editum. Post illud verò miraculum, vsque ad Pascha scribit Iohannes, Christum tantùm in Cana & Capernaum fuisse. Restat ergo supputatio, quam diu manserit in Cana, & quam diu hæserit in Capernaum, priusquam ad festum Paschatis proficisceretur.

Nullus verò numerus dierum ponitur ab Euangelista. Coniecturis itaque verisimilibus vtẽdum erit.

dum erit. Et sanè Iud. 14. ver. 17. conuiuium nuptiale durat vsque ad 7. diem. Sed hoc paupertas Sponsi in Cana non admittit. Verisimile tamen est, Christum per aliquot dies in Cana apud cognatos mansisse. Ab illis enim postea deducitur Capernaum. Ioh. 2. v. 12. Ponamus ergo, Christum quatuordecim illos dies, quos Epiphanius falsò tribuit commorationi in Nazareth, mansisse apud cognatos in Cana. Profectus verò Capernaum, mansit ibi dies non multos, inquit Ioh. 2. v. 12. Extat autem similis phrasis Act. 1. v. 5. *(Baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.)* Factum autem est illud decimo die post ascensionem Christi. Ponantur ergo decem etiam dies, quibus in Capernaum fuit. Postea cùm prope esset Pascha, ascendit Hierosolymam. Et Ioh. 12. ver. 1. post resuscitatum Lazarum, sex diebus ante Pascha, ascendit Hierosolymam. Cùi profectioni, vt & illi, qua à Cana in Capernaū transiuit, itidem aliquot dies erunt tribuēdi, ita, vt hac coniectura colligamus dies ad minimum 40. aut plures, à nuptiis in Cana vsque ad Pascha. Quod si ergo illi numeri, videlicet 70. dies tentationi tributi, & 40. dies à nuptiis in Cana ad Pascha, simul iungantur, supputatio tempus Baptismi Christi deducet ad principium Decembris, vel ad finem Nouembris, prout festū Paschatis ponitur, vel visitato modo ad 25. Martij, vel sicut Epiphanius dicit, se ἐκ πολλῆς ἀκριβείας, deprehēdisse, ad 19. Martij. Et hæc ratio non multum abest ab Epiphanij calculo. Supputatio etiam, quæ ex dimidia septimana Danielis sumitur, à Septembri 40. dies, quibus post resurrectionem de regno Dei cum Apostolis locutus est, subtrahantur, ad idem fermè tempus reducitur.

Et hanc sententiam de initio ministerij Christi eò libentiùs amplector: quia cum reliquis historiis initia & termini annorum secundum hoc tempus deprehendi possunt, vt Iohan. 4. v. 35. cum Christus ex Iudæa per Samariam proficiscitur in Galilæam, inquit: *(Adhuc quatuor menses sunt & messis erit.)* Ostendimus autem in præcedēti capite, illud accidisse in Decembri. Ergo facto initio supputationis annorum ministerij Christi à baptismo, erit finis primi anni, & initium secundi, quando post captiuitatem Baptistæ Christus per Samariam proficiscitur, Iohannis 4. cap Menses autem, vt iam dictum est, fermè conueniunt. Ita Iohānis 10. v. 22. fit mentio festi Encæniorum, quod sub finem Nouembris celebratum fuisse, certum est. Si ergo collocemus tempus Baptismi Christi circa initium Decembris, vel sub finem Nouembris, erit in solo festo Encæniorum Iohan. 10. finis tertij anni ministerij Christi & initium quarti. Et hæc distributio pulcerrimè conuenit cum initio ministerij Christi, & est manifesta & plana.

Quia igitur in primo, secundo & quarto anno ministerij Christi ex certis Euangelistæ Iohannis notationibus, distributionem illam sumptam à tēpore Baptismi Christi tenemus, tantùm de tertio anno quæstio restat. Quare inuestigandum est, an inueniri possit, vbi constituendum sit initium tertij anni? Ita enim totum tempus ministerij Christi certis annorum initiis distributum habebemus. Ostendimus autem, quomodo Iohannes in reliquis annis notationes tēporum monstret. Sed de tertio anno Iohannis nihil, nisi pauculas tantum historias, quæ circa festum Paschatis acciderunt, annotauit. Reliqui Euangelistæ historias quidem illius anni diligenter persecuti sunt, sed nullas tales notationes descripserūt, vnde deprehendi posset, vbi ponendum sit initium tertij anni. Certis igitur notationibus in inuestigādo initio tertij anni destituimur. Sed si negligamus hāc distributionē in historijs tertij anni, manifestum est, quòd in reliquis etiam annis magna futura sit perturbatio. Cum tamen Ioannes sine dubio suis notationibus hanc distributionem ideò in quibusdam annis monstrarit, vt simili ratione inuestigetur in aliis. Tentabimus igitur, an aliqua ratione possimus hoc, quod quærimus, deprehendere, vt non multum aberremus.

In reliquis autem annis initium constituimus in quarto mense ante Pascha: quòd si qua ratione colligere poterimus, quid in tertio anno circa Pascha acciderit, habebimus id quod quæritur. Iohannes igitur dicit, miraculum de quinque panibus factum esse, cum prope esset Pascha tertij anni. Reliqui verò Euangelistæ annotant, tunc Apostolos ex prima legatione rediisse. Ita autem fuerant emissi, vt omnes ciuitates Israelis peragrarēt, Matt. 10. v. 23. Non cōsummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis. Aliquot ergo menses tribuendi erunt huic Apostolorum legationi. Et ita ferme ad quartum mensem ante Pascha deducetur historia de emissione Apostolorū, Matt. 10. Atqui circa illud tempus reliquorum annorum initia constituuntur. Coniectura igitur non absurda, sed quæ ad veritatem proximè accedit, initium tertij anni ministerij deprehendimus. Quòd si videbitur tempus nimis lōgum, quatuor scilicet menses tribuere emissioni Apostolorum, priusquam ad Christum reuertantur, non displicet mihi, si addatur illa historia, quæ Matt. 9. versiculo 35. in fine descripta est, quomodo Christus instituerit, quasi generalē visitationem Synagogarum in ciuitatibus & castellis, & cum deprehenderet, Ministerium ab illis, qui ordinariam successionem occuparunt, negligi & non rectè administrari, adiecit animum ad emittendos Apostolos. Huic enim peregrinationi Christi, per ciuitates & castella, aliquod & nō breue tempus tribuendum est, cui si addatur tempus obitæ legationis Apostolorum, vsque dum redeant circa festum Paschatis, sine dubio pertinget ad quartum mensem ante Pascha. Ne igitur tempus primę emissionis Apostolorum iusto latius extendere videamur; constituemus hoc initium tertij anni ministerij Christi, quando visitationem illam, quę prędicta fuit Ierem. 23. versicul. 1. Ezec. 34. versiculo 2. instituit, quam deinde subsecuta est missio Apostolorum. Et hęc coniectura, quia certis notationibus destituimur, candide iudicantibus sufficere potest.

Duobus igitur modis tempus ministerij Christi distribuemus. Primùm illa ratione, quam Ammonij fragmenta sequuntur, vt scilicet ordo historiarum distribuatur secundum Paschata. 1. à baptismo Christi vsque ad primum Pascha, quod Ioan. 2. vers. 13. describitur. 2. à primo illo Paschate vsque ad secundum, cuius descriptio Ioan. 5. & Luc. 6. v. 1. extat. 3. à secundo illo Paschate vsque ad tertiū, cuius Ioh. 5. v. 4. mentio fit. 4. à tertio festo Paschatis vsque ad postremū, in quo filius Dei crucifixus est. Hæc erit vna ratio distributionis.

Deinde tempus illud in certos etiam annos simul distribuemus, monstrato initio & fine vtriusque anni, ita, vt obseruari possit, ad quem annum singulæ historiæ pertineant. Est autem initium primi anni, cùm Christus in Iordane baptizatus, Spiritu S. vnctus, & ad prædicandum missus est, & complectitur historias vsque ad captiuitatem Baptistæ.

Initium secundi anni est, cùm post traditum Ioannem Christus per Samariam reuertitur in Galilæam. Et ad illum annum pertinent historię vsque dum Christus meditatur emissionem Apostolorum.

Tertio anno initium prębent illę historię, quando Matth. 9. versic. 35. & Marc. 6. v. 34. Christus vt visitator peragrat ciuitates & castella: & quia inuenit oues miserè dispersas, sine vera cura pastorali, idcirco postea Apostolos emittit. Complectitur autem tertius ille annus historias, vsque ad festum Encæniorum, Ioan. 10. v. 22.

Quartus annus incoatur circa festum illud Encæniorum, & non absoluitur. In Paschate enim illius anni Christus crucifigitur. Petrus verò 49. post resurrectionem, vsque ad ascensionem, dicit etiam pertinere ad tempus ministerij Christi, Act. 1. v. 22.

Hoc itaque modo ordinem historiarum distribuemus, adiecta explicatione circumstantiarum & vocabulorum, & ita simul fontes doctrinæ monstrabimus.

CAPVT QVINTVM.

Qua ratione seu methodo inuestigari & deprehendi possit ordo seu ἀκολουθία, præcipuarum narrationum in historia Euangelica.

HActenus ex circumstantiis historiæ Euangelicæ collegimus supputationem annorum ministerij Christi, & eorum talem distributionem ostendimus, vt probabili ratione, singulę historiæ Euāgelicę ad certos annos referri, verisimiliter constitui possint, quæ sint cuiusque anni acta, quod præcipuum lumen est in ordine Euangelicæ historiæ inuestigando. Quia verò ad Harmoniam Euangelicam hoc etiam pertinet, vt singulorum annorum historiæ, non tumultuaria confusione, absque ordine, ex quatuor Euangelistis permisceantur, sed vt, quoad eius fieri potest, inuestigetur, quæ sit ratio ἀκολουθίας (sicut Epiphanius loquitur) hoc est, quo tenore seu ordine consequentiæ, iuxta temporum & rerum gestarum seriem, historiæ sibi succedere vel consequi se videantur, sicut Victor loquitur: vel sicut Augustinus inquit, quæ historiæ ante quas & post quas probabili ratione collocandæ sint. Explicandum igitur est, qua methodo inuestigatio illa institui, & qua ratione ordo ille consequentię deprehēdi & inueniri possit. Multi enim non ex ipsius Euangelicæ historiæ circumstantiis, sed ex suis nescio quibus imaginationibus quarum rationes nullas exposuerūt voluntarium seu arbitrarium historiarum ordinem exegerunt & proposuerunt. Sed nos quęrimus ordinem, cuius rationes, si non semper certę & vbique manifestę, probabiles tamen, nec absurdę, vel vero absimiles, reddi possint. Quæ verò rationes tales sint, vel quomodo inuestigari possint, ne in ipsa Harmonia idem sępius repetendum sit, hoc loco regulis seu obseruationibus generalibus probabili simplicitate exponemus.

Antiquissimus igitur, siue Tatianus, siue Ammonius, ad contextum à Matthæo seruatum, ideo forsan, quod primus sit inter Euangelistas, qui Euangelicam historiam literis mandauit, reliquorum narrationes accommodandas existimauit. Alij secundum ordinem à Marco seruatum, illud rectius & commodius fieri iudicarunt. Multi verò Lucam, quasi ducem ordinis elegerunt, eò, quòd in præfatione dicat, καθεξῆς se scripturum. Sed Osiander nouum prorsus αἴτημα præsupponit, singulos scilicet Euangelistas accuratum ordinem temporum, & exactam rerum gestarum seriem in omnibus, quas describunt, historiis obseruasse. Et iuxta has sanè rationes omnes non opus est sollicita consideratione vel accurata collatione circumstantiarum ad inuestigandam vel reddendam rationem ordinis. Sed res ipsa ostendit, si quis mediocri attentione circumstantias obseruet, Euangelistas, tum in rebus ipsis explicandis & illustrandis, tum in ordine historiarum mutuas inuicem operas contulisse. Manifestum enim est quasdam historias describi, additis huiusmodi notationibus, quæ consequentiam historiarum liquidò & certò ostendunt: quasdam verò describi aliis locutionibus, quæ non certò vel necessario ordinis consequentiam significant. Et collatio ostendit, vbi Matthæus sine certa notatione ordinis aliquid descripsit, ibi vel Marcus vel Lucas addiderunt tales circumstantias ex quibus ordinis ratio colligi potest. Vbi verò Matthæus ordinem consequentię vel notauit vel seruauit, ibi reliqui tales notationes sæpè non addunt, vel etiam transpositione aliquando vtuntur, quod in descriptione tentationis Christi manifestum est. Sicut enim ipsi, qui posteriores fuerunt, priorum scripta legerunt: ita voluerunt suas etiam descriptiones eo modo legi, vt cum reliquis conferrentur, atque ex mutua illa collatione, & res ipsæ & rerum series illustrarentur. Et multa apud Euangelistas vel per anticipationem, vel per recapitulationem (sicut veteres loquuntur) recitari manifestius est, quàm vt negari possit. Ita Matthæus coniungit historias de vocatione & de emissione Apostolorum, quas diuersis & distinctis temporibus accidisse certum est. Lucas historiam de captiuitate Baptistæ recitat capite tertio, versu decimonono longè antequàm accideret. Marcus historias de captiuitate & de collatione Baptistæ coniungit, quas non eodem tempore accidisse certum est, sicut Harmonia hoc ostendit. Lucas etiam scribit, parentes Christi perfectis omnibus, quæ in circumcisione & purificatione secundum legem fieri debebant, reuersos Nazareth, & ibi habitasse: vbi certè necessariò interponenda sunt ea, quæ de fuga in AEgyptum scribuntur, Matt. 2. v. 13. Ita Lucas dicit, Christum à tentatione rediisse in Galilæam & cœpisse prædicare, vbi certè multa ex Iohanne interponenda sunt, sicut in Harmonia ostendemus.

Ex Matthæi igitur contextu non posse per omnia colligi, quis sit ordo consequentiæ temporum

rum & rerum gestarum in historiis, vel apud ipsum Matthæum, vel apud reliquos Euangelistas, inde manifestum est, quod apud Matthæum vsque ad 14. caput, pleraque sine manifesta notatione ordinis describuntur. Apud Marcum verò & Lucam, in illis historiis per circumstantias ordinem aliquo modo notari, postea in Harmonia manifestum erit. Ad Marci quidem contextum talis accommodatio ordinis faciliùs fieret, id enim Harmonia postea ostendet: sed tamen non præcisè & per omnia. Ita Lucas in plerisque cum Marco in ordine historiarum conuenit, quasdam tamen ita ponit, vt notatio & consequentia ordinis ex Marco & Matthæo petenda sit, sicut postea exemplis ostendemus. Aduerbium enim καθεξῆς in præfatione Lucæ non significat præcisè exactum ordinem in omnibus, sed quod altiùs ordiri, & historia ab initio repetere, ac deinceps continua narratione distinctè & distributè, quasi per gradus, reliqua velit addere.

Quando verò præsumitur, nullum Euangelistā aliquid extra ordinem, vel per anticipationem, vel per recapitulationem narrasse, sed singulos vbique & in omnibus seruasse, & ordinem temporum, & seriem historiarum, videtur sanè compendiosa esse continuitas. Sed diligens consideratio & collatio circumstantiarum sæpè diuersum clamitant. Ratio etiam profectionum seu peregrinationum Christi, & reliquæ circumstantiæ sæpè hoc non admittunt, quæ posteà in Harmonia patebunt. Accedit & hoc, cum Euangelistæ in plerisque easdem historias describere, & illas sua repetitione confirmare & illustrare voluerint. Osiandri ratio cogit illa, quæ res ipsa testatur, & tota antiquitas semper sensit, eadem esse, distinguere & diuersa facere. Non dubium sanè est, easdem conciones sæpius à Christo repetitas, & varia miracula, quæ similia fuerunt, sæpius ab ipso facta. Sed cùm certum etiam hoc sit, non omnia esse diuersa, quæ à diuersis Euangelistis descripta sunt, sed plerunque eadem, variatis paulisper circumstantiis, à diuersis scriptoribus esse repetita: non igitur, nisi exigent, quasi necessitate, talium circumstantiarum, quæ ita certæ & manifestæ sint, vt ad diuersitatem non tam persuadere quàm cogere videantur, illa, quæ res ipsa testatur eadem esse, diuersa facienda sunt. Aliàs enim collatio circumstantiarum, quæ in earundem historiarum descriptione apud diuersos Euangelistas extant, quæ lux est historiæ Euangelicæ, perit, quando verò manifestæ circumstantiæ diuersitatem ostendunt, apparentia similitudinis non debet confusionem & ordinis & historiarum facere (sicut quidam ex diuersis historiis Reguli, Ioh. 4. v. 46. & Centurionis, Matth. 8. v. 5. eandem facere voluerunt. Et eiectionem vendentium ex templo, quæ Iohan. 2. ver. 14. describitur, eandem esse cum ea, quam Matth. c. 21. v. 12 notauit) id, quod præcipuè in illis historiis, quæ Lucas à cap. 11. vsque ad 17. describit, factum est. Hanc mediam viam iudico esse simplicissimam & tutissimam.

Hactenus de variis rationibus contexendi ἀκολουθίαν historiæ Euangelicæ diximus, quas non per omnia in hac nostra Harmonia sequi certis de causis constituimus. Quædam tamen, quæ per viam collationis aliquid lucis huic argumento afferre poterunt, postea inde assumemus.

Est autem alia vsitatior & receptior ratio, quam fragmenta illa, quæ nos Theophilo tribuimus, seruant, quam Epiphanius etiam sequitur & Augustinus, & omnes fermè, qui ex veteribus post Augustinum, vsque ad Gersonem, de hoc argumento scripserunt, vt scilicet ordo Harmoniæ Euangelicæ ad nullius Euangelistæ solius contextum præcisè alligetur, sed vt tum ex diligenti consideratione & collatione circumstantiarum, quæ apud omnes & singulos Euangelistas in descriptione historiarum extant, tum ex toto corpore historiæ Euangelicæ ordo consequentiæ inuestigetur & colligatur, vt ita in notatione ordinis omnes Euangelistas mutuas inter se operas tradere appareat. Quomodo verò illa inuestigatio instituenda sit, per generales quasdam regulas seu obseruationes hoc loco breuiter ostendemus, ipsa verò tractatio Harmoniæ plures similes postea suggeret.

Et primò obseruetur, quod ex regulis Tironij Augustinus, & ipsum secutus Gerson, tradūt, triplicem esse ordinem in narrationibus, non apud Euangelistas tantùm, verum etiam in aliis historiis. Vel enim suo loco & ordine historias describunt, sicut & quando acciderunt, hoc est, quando in historiis obseruatur ordo temporum ac series rerum gestarum. Vel alia quadam occasione historias extra suum locum & ordinem recensent, idque ita, vt vel id quod tempore posteriùs factum est, narretur alio loco, quasi priùs gestum sit: hoc est, narratur quasi factum, quod tamen eo tempore seu ordine, sicut narratur, factum nondum fuerit, sed postea, sicut Luc. 3. vers. 19. narratur captiuitas Baptistæ, priusquam Christus à Iohanne baptizaretur. Augustinus hanc rationem ex Tironio vocat Anticipationem. Vel vt illud, quod ordine temporum & rei gestę prius factum fuit, occasione aliqua describatur, inter illas historias, quæ postea acciderunt. Gerson vocat Rememorationem, sed Augustinus vocat Recapitulationem, quam Tironius ita describit, quando narrantur quædam quasi sequātur in ordine temporis vel rerū continuatione, cùm tamen ad priora, quæ prætermissa fuerant, pertineant. Vt autem colligi possit, quam rationem Euangelistæ in pręcipuis locis sequantur, particulæ & regulæ quædam obseruandæ sunt.

Secundò igitur notæ debent esse formulæ, quę non certæ vel necessariæ notationes ordinis seu consequentiæ, sed generales tantùm sunt connexiones narrationis. Quales sunt hæ: *in illo tempore, in diebus illis.* Et, *factum est cum turba irrueret: cùm esset orans: cum iret*, &c. περιπατῶν δὲ: ἰδὼν δὲ: ἐγένετο δὲ, *ambulans verò circa mare: videns autem turbas: factum est autem cùm turba immineret.* Hoc est, cùm aliquando ambularet, videret, à turba premeretur. Talis etiam plerumque est & hæc connexio: ἐλθὼν: *& veniens in domum Petri: & circumiuit ciuitates: & perambulauit Galilæam: & aduocans duodecim: & cùm ascenderet Hierosolymam. dixit:* & *cùm appropinquarent Hierosolymam.* Tales generales cōnexiones sunt & hæ: *versantibus ipsis in Galilæa: venientibus ipsis Capernaum:* συνιόντος δὲ *cùm autem turba plurima conuenirent: factum est, cùm esset in quadam ciuitate: in vna dierum: die quodam*, & similes.

Tertiò notandæ sunt præcipuæ illæ formulæ, quibus series, continuatio, seu consequentia rerum gestarum, & ordo temporum designatur.

Vt: *Cùm descendisset de monte. ecce venit: transiens inde vidit: venit adhuc loquente ipso, hæc ipso loquente, venit quidam: cum illi exirent, obtulerunt ei: & factum, cùm complesset hæc mandata: illis abeuntibus cœpit dicere: finitis illis parabolis, venit: factum est, cùm finisset hos sermones: tunc dimissis turbis accesserunt: cum hæc audisset, discessit: & exiens inde, venit: in illa die: in illa hora: & statim*: Item, *cùm exiret ex templo, dixit: cùm discederet & veniret ad turbas: hæc dicens exijt, hæc dixit & oculos sustulit: μετὰ τοῦτο post hoc.* Ita quãdo expresse nominãtur dies *altera die: tertia die: post biduum: post dies octo: ante sex dies: vesperi: diluculo.* Apud Marcũ particula πάλιν, plerunque cõtinuat ordinem historiarum. Ita etiam quando per verba præsentis temporis facit continuationem: ἔρχεται, *venit quidam: & veniunt cognati: & congregati Apostoli ad ipsum*: Item, Verbum respondendi, quando non præcedit quæstio, notat continuationem historiarum. Apud Lucam talis continuationis particula est: *factum est*, ἐν τῷ ἑξῆς· καθεξῆς· τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ.

Quartò Quædam particulæ alicubi ordinem continuum, alicubi interpolatum, interiectis scilicet aliis, denotant, quod ex alijs circumstantijs colligendum est, vt μετὰ ταῦτα Ioh. 3. v. 22. & Luc. 5. v. 27. designat continuum ordinem, sed Io. 5. v. 1. & 6. 1. & 7. v. 1. valdè multa interponenda sunt. ita particulæ ἰδοὺ & τότε, *ecce & tunc*, aliquando continuum ordinem significant, aliquando non id, quod aliæ circumstantiæ ostendunt. idem, sed rarò accidit cum particulis καὶ & δὲ. Vsus harum notationum de huiusmodi particulis postea in ipsa Harmonia patebit.

Quintò Quando Euangelistæ, qui eandem historiam describunt, in ordine seu serie secundum antecedentia & sequentia omnes consentiunt, & notatione quadam circumstantiarum, ordinem temporum & seriem rerum gestarũ seruatam, indicant: sicut in miraculo de quinque panibus & similibus, tunc ratio ordinis expedita & plana est.

Sextò Quando duo Euangelistæ in consequentia quarundam historiarum consentiunt, & tertius alium contextum habet, duorum suffragium, tanquam ostensio & confirmatio ordinis præferendum, nisi tertius certiores & manifestiores seruati ordinis, in circumstantijs illarum historiarum, habeat notationes. Ita Matthæus & Marcus in vocatione quatuor Apostolorum consentiunt: Lucas verò alium habet contextum. Item sæpius Marcus & Lucas consentiunt, vnde de ordine in Matth. historijs rectè constituitur. Contra verò in Iairi historia Marcus & Lucas consentiunt, Matth. verò certa notatione ostendit eius ordinem.

Septimò Quando post narratam aliquam historiam vnus Euangelista hanc, alius aliam subiungit, inuestigandum est, quis inter eos seruet ordinem, quis non. Id quod hoc modo deprehendi potest. Quando vnus Euangelista, historiam aliquam per connexiones generales, sine expressa seu manifesta notatione ordinis seu consequentiæ describit, diligenter inquirendum est, annè alius Euangelista tales circumstantias seu notationes siue temporum siue locorum, siue antecedentium siue consequentium in sua descriptione addat, vnde de ordine temporum & serie rerum gestarum constitui possit? Vt post seruum Centurionis, Matthæus subiungit socrum Petri: Lucas verò filium viduæ. Sed Lucas vtitur particula, qua series rerum gestarum notatur. Matthæus verò. cap. 8. v. 14. generali formula connexionis subiungit sanationem socrus Petri; & Marcus capite 1. v. 29. addit notationem, quòd statim post vocationem Petri factum hoc sit.

Octauò Quando in vno Euangelista post aliquam historiam subiungitur alia, videndum est, num vel per anticipationem, vel per recapitulationem, facta sit transpositio? vt Luc. 3. v. 19. de Baptistæ captiuitate, & Matt. 8. v. 14. de socru Petri. Et videndum est, quis Euangelistarum, & quibus circumstantijs ordinem & locum designet, vbi sunt reponendæ tales historiæ.

Nonò Quando in contextu vnius alicuius Euangelistæ vna historia sequitur post aliam, & sequentem posteriorem esse certum est. Ex collatione diligenter considerandum est, sintnè inter hanc præcedentem & illam sequentem ex reliquis Euangelistis aliquæ aliæ historiæ interponendæ, id quod diligens consideratio ostendet? Vt apud Marcum cap. 3. v. 20. post electionem Apostolorum, priusquam subiungatur, quod ibi proximè sequitur de reditu Christi in domum, & de cognatis, inserenda sunt ex Luca, concio, seruus Centurionis, filius viduæ, legatio Baptistæ, Peccatrix. Et Luc. 2. v. 39. inter purificationem & reditum in Nazareth, interponenda sunt ex Matthæo infanticantium, fuga in Ægyptum.

Decimò Quando historiam aliquã apud vnum Euangelistam inuenimus, ordine quodam præcedentibus subiunctam, & in reliquis Euangelistis non occurrit, quod notatione aliqua circumstantiarum ostendatur inserendum aut præponendum, tanquam quod ante illud acciderit, tunc rectè & tutò ordinem illum vel vnius Euangelistæ retinemus & sequimur.

Vndecimò Quando verò notationes quædam vel circumstantiæ apud alios Euangelistas obstant, quò minus illa historia, quæ apud vnum aliquem sequitur, possit præcedentibus ratione ordinis subiungi, videndum est, possitnè colligi, an tanquam prius facta, sit transponenda? an verò quædam ex alijs Euangelistis sint præponenda, vel interserenda, & ex quibus notationibus & apud quem Euangelistam hoc colligatur?

Duodecimò Quando historiam aliquam habeo, de eius ordine quæro, & diligenter collatis omnibus circumstantijs video, illam non posse collocari ante præcedentia, nec etiam post alia, quæ vel ab eodem Euangelista, vel à reliquis descripta sunt, inde rectè colligo, quo loco & ordine sit ponenda. Vt resuscitatio Lazari non potest poni ante migrationem Christi in Galilæam, Matt. 19. v. 1. vel Luc. 9. v. 51. Accidit enim circa Pascha, nec potest poni post ascensum Ierosolymitanum Matt. 20. v. 1. Ioannes enim illum ascensum post resuscitationem Lazari describit. Inde ergo, quo loco & ordine ponenda sit rectè colligitur.

Decimotertiò Quando video, historiam aliquam non posse præcedentibus eo ordine, sicut descripta est, subiungi, sed ante illam ponendam esse aliam, & ante hanc adhuc aliam. In illa inquisitione tamdiu progrediendum est, donec nihil amplius, quod præponendum seu inserendum sit, occurrat. Ita enim locum & ordinem deprehensum esse colligitur. Hæc postea in exemplis plana erunt.

Deci-

Decimoquartò Ex duorum consensu, vel ex vnius certis notationibus, constitui potest, historiam aliquam apud tertium non suo loco positam.

Decimoquintò Aliquando, quę de iisdem personis narrantur, in narratione coniunguntur, quæ tamen non simul aut eodem, sed diuerso tempore acciderunt. Videndum igitur est, quomodo distingui, & quodque suo loco & ordine reponi possit. Vt Matth.10.v.1. electio & emissio Apostolorum, quasi simul eodem tempore facta, describuntur, quas tamen distinctas historias esse, & diuersis temporibus factas ex Marco & Luca constat. Ita Matthæus & Marcus historiam de captiuitate & de decollatione Baptistæ coniungunt, sed captiuitatem lōgè antè præcessisse, Matthæus indicat cap.4.v.12. & Marcus cap.1.versic.14. Circa quod vero tempus acciderit, ex collatione cum quarto capite Ioannis colligi potest. Eodem modo veteres sentiunt, vocationem & conuiuium Matthæi non simul eodem tempore facta, licet simul describantur, sicut postea in Harmonia monebimus.

Decimosextò, Quando similia describuntur, videndum est, an præcipuæ circumstantiæ conueniant: tunc enim eadem esse iudicantur. Quando vero diuersa sunt loca, tempora, personę, occasiones & fines, tunc propter similitudinem, quæ diuersis temporibus repetita sunt, non sunt confundenda, sed distinguenda. Hoc modo de multis historiis, quæ à 9. capite Lucæ vsque ad 18. describuntur, & cum præcedentibus magnam similitudinem habent, iudicium rectè formatur.

Decimo septimò, Illa etiam consideratio multa illustrat, quando ratio peregrinationum, successionum, & commemorationum Christi in certis locis: item, quando tempus interiectum, vel longum vel breue, siue patitur, siue non patitur, historias hoc vel illo modo disponi.

Postremò, In quibusdam locis ratio ordinis certior & manifestior est: in quibusdam probabilis tantum: in quibusdam verò eruditorum sententiæ variant, quando scilicet vel manifestis notationibus ordinis destituimur: vel quādo circumstantiæ & in hanc & in alteram etiam partem rationes subministrare videntur. Illud discrimen in Harmonia distinctè notabimus, & expositis præcipuis rationibus, candido lectori iudicium permittemus.

Hasce generales siue regulas siue commonefactiones mediocri diligentia in ipsa tractatione obseruaui, quas nuda ac simplici recitatione hoc loco exponere volui, vt postea in inuestiganda & reddenda ratione viam præmonstrent planiorem, & ne in ipsa Harmonia disputationes de generalibus obseruationibus vel intempestiuè, vel cum tædio sæpius repetendæ sint, sed vt ibi generalia eo commodius ad specialem vsum accommodentur. Et lectori existimo non ingratam fore generalem hanc expositionem talium regularum, quibus adiutus, rationem ordinis in Harmōnia cum iucūda quadam delectatione facilius poterit intelligere & considerare, atque inter variantes de ordine sententias iudicium suum eò rectius informatum interponere. Ipsa verò accommodatio harum regularum in Harmonia tales obseruationes plures & magis speciales submonstrabit.

CAPVT SEXTVM.

Generalis delineatio terræ Sanctæ ostendens in genere diuisionem & situm præcipuarum regionum, seu partem eius terræ, quam Christus ministerio suo peragrauit.

QVia ad Harmoniæ nostræ rationem pertinet etiam obseruatio peregrinationum Christi, quo scilicet ordine totam Palæstinam ministerio suo peragrārit, & singulas eius regiones doctrina ac miraculis impleuerit, quæ fuerint cuiusque anni peregrinationes, & in quibus regionis partibus, quando ad fines Gentium, præludens vniuersali gentium vocationi, declinārit, quæ conciones, quæ miracula, in quibus Palæstinæ regionibus facta sint: necessariò inter prolegomena quædam de diuisione, de situ præcipuarum regionum totius terræ, quæ vel Palęstina, vel generali appellatione Iudæa appellatur dicenda sunt: Ad quæ, cum ad ipsam Harmoniam peruentum fuerit, breuitatis seu compendij gratia nos referre possimus.

Non autem instituam hoc loco integram huius argumenti explicationem, quam hoc modo & ordine rectè institui posse animaduerti, si limites, distributio, regiones, & loca præcipua totius Palæstinæ describantur & explicentur. Primò itaque illæ descriptiones, quæ in Mose & Iosua extant. Secundò, Sicut in Prophetis & historiis Regum limitum extensio, diuisionis mutatio, appellationum in regionibus & locis variatio, nouarum ciuitatum accessio describitur. 3. Qualis fuerit Palæstinæ ratio post reditum populi ex captiuitate Babylonica, cuius Chorographiæ descriptio ex historiis Esdræ, Nehemiæ & Machabæorum, additis etiam Apocryphis, Tobiæ & Iudith, colligi posset. 4. Qualis Chorographia ex historia Christi & Apostolorum colligatur. 5. Qualem Chorographię rationem Iosephus passim in suis libris, qualis scilicet sua ætate ante totius terræ vastationem fuerit, describat. 6. Quomodo adhæc conueniant, quæ Strabo, Plinius & Ptolemæus de Palæstina annotarunt. Et postremò qualem Chorographiam Palæstinæ Hieronymus suo tempore in Palæstina inuenerit: & qualem nunc describant illi, qui proximis seculis regionem illam peragrarunt & perlustrārunt. Hoc modo & ordine optârim, aliquem ex Eruditis explicationem descriptionis terrę Sanctæ suscipere, adiunctis semper distinctis, sicut descriptionibus, ita & tabulis, quæ inter se conferri possent, vt eò plus lucis huic argumento accederet. Sed nobis ad instituti nostri rationē sufficit generalis quædā, nec nimis exacta aut accurata delineatio huius terrę, vt lector eius ideā seu εἰκόνα etiam sine tabulis geographicis mente ac animo semper circumferre, & in lectione historię Euangelicæ memoriter quasi in conspectum sibi proponere possit longitudinem, latitudinem, diuisiones, & præcipuas regiones illius ter-

tæ, quam Christus ministerio suo peragrauit, vt agnoscere & distinguere possit, quę, in quibus locis, & quo ordine profectionem contigerint. De precipuis igitur Palæstinę regionibus, & earũ partibus generaliter quędam annotabimus. De specialibus vero locis, in Harmonia dicemus.

Conueniunt autem prorsus Iosephi generales descriptiones cum iis, quæ in historia Euangelica notata sunt: ideò illa coniungemus, vt inde imaginatio situs & diuisionis terræ Sanctę, qualis tẽpore Christi fuit, concipi possit. Mosis enim tempore terrę promissę terminus Orientalis fuit ipse Iordanis. Sed postea etiam trans Iordanem regiones regno adiunctæ sunt.

Primò omnium igitur termini seu limites terræ illius ad mundi cardines relati animo concipiantur.

Et licèt inclinatio quædam sit angulorum inter Occasum Septentrionem, & Orientem: nos tamen crassius, siue non nimium exactè, ἐν πλάτει situm eius animo ita concipiemus. Ab Occidente tota Palæstina terminatur illa parte maris Mediterranei, quam historici vocant mare Syriacum: Scriptura mare Magnum appellat. De maritima enim Phœniciæ parte postea dicemus: nunc terminos in genere, memoriæ gratiâ, ita constituimus. A Septentrione terminatur & quasi clauditur montibus Libano & Antilibano. Post quos sita est Syria. A Libano verò, tanquam parte Septentrionali, declinando versus Orientem, montes vltra Iordanem, perpetui quasi sunt & fermè contigui, qui à parte Orientali terram sanctam, qualis tempore Christi fuit terminant & quasi claudunt. Et à Libano Septentrionali incoando, versus Orientem, sunt, primum montes Hermonim: deinde Trachoni montes post quos sunt montes Gilead, & vltra hos montes, Orientem versus, sita est Cælesyria. Post montes Gilead in parte Orientali, vsque ad terminum Palæstinæ Meridionalem, sunt montes Habarim, vltra quos Orientem versus sita est Arabia, quæ deserta vocatur. A Meridie verò Palæstina terminatur Idumæa: & post illam, Meridiem versus, Arabia, quæ ab vrbe Metropolitana, cui Petra nomen est, appellatur Petræa: post quam, versus Meridiem, est desertum magnum & ingressus in Aegyptum.

Ita ergo situm terræ sanctæ possum animo cõcipere, ac mente memoriter circumferre, quòd ab Occidente terminatur seu clauditur Mari magno: à Septentrione monte Libano, post quem Syria sita est. Ab Oriente sunt montes perpetui, à Libano incipientes, primò montes Hermonim post Trachoni deinde Gilead, & vltimo montes Habarim, qui per totam partem Orientalem vsque ad terminum Meridionalem extenduntur, & terminant seu claudũt ab Oriente terram sanctam, atque habent post se Cælesyriam & Arabiam desertam. A Meridie verò Palæstina terminatur Arabia, quæ Petræa vocatur. Idumæa enim Palęstinę annumeratur, quam & Dauid regno adiecit, & Herodis posteritas possedit, licèt propriè non pertineat ad terram sanctam. Et hæc de terminis Palæstinæ.

Longitudo verò terræ sanctę sumitur à Septẽtrione versus Meridiem, hoc est, à fontibus Iordanis siue à Libano vsque ad Beersеba, sicut scriptura loquitur: vel, sicut Strabo definit, vsque ad Gasam in finibus Arabiæ Petreę propè ingressum in Aegyptum, & numerantur in Longitudine centum sexaginta millia passuum, quæ faciunt milliaria germanica 40. Latitudo sumitur ab Occidente in Orientem, hoc est, à mari Magno vsque ad Trachonos montes, & numerantur sexaginta millia passuum, quæ faciunt milliaria germanica 15.

Porrò totam illam terram à Septentrione in Meridiem, hoc est, per longum diuidit fluuius Iordanis cum lacubus suis. Non autem in partes prorsus æquales diuidit. Maior enim seu latior est illa pars, quę sita est inter mare Magnum & inter Iordanem; aliquantò vero minor seu angustior est illa pars, quæ relinquitur inter Iordanem & montes termini Orientalis. Ac ponamus sanè, partem illam inter Mare & Iordanem in latitudine habere milliaria germanica nouem: alterius igitur partis trans Iordanem latitudo erit sex milliarium. Et partes illas terræ sanctę, quas hoc modo Iordanis diuidit, Scriptura respectu Iordanis distinctis appellationibus discernit. Illam enim partem, quę inter Iordanem & montes Orientales sita est, Scriptura respectu eorum, qui Iordanem transgressi terram Canaan occuparunt, vocat trans Iordanem. Ita Deut. 1. v. 1. Moses, qui Iordanem nunquam trãsgressus est, dicitur locutus in solicitudine trans Iordanem. Et regnum Basan & Gilead dicitur trans Iordanem fuisse. Deut. 3. v. 8. Iudic. 5. v. 17. Ita duæ Tribus & dimidia possessionem acceperunt trans Iordanem ad Solis ortum, Iosuæ 14. v. 3. Et hoc modo historia Euangelica vbique fermè πέραν τοῦ Ἰορδάνου, vel τὸ πέραν vocat illam terræ partẽ, quæ in ripa Iordanis Orientalis sita est. Hoc ergo modo illa terræ pars, quæ inter mare Magnum, & inter occiduum Iordanis littus, sita est, erit cis seu citra Iordanem. Altera verò erit vltra seu trans Iordanem. Aliquando tamen quando illi loquuntur, qui in Orientali parte Iordanis versentur, hic respectus inuertitur. Ita Numer. 32. v. 19. Rubenitæ & Gaditæ dicunt: Nihil quærimus nobis trans Iordanem: quia iam habemus possessionem nostram in plaga Orientali. Et Num. 22. v. 1. Ierico hoc respectu dicitur sita trans Iordanem. Atque ita etiam Marci 5. v. 21. τὸ πέραν vsurpatur.

Hoc etiam respectu Plinius lib. 6. citeriorem Iudæam videtur appellare partem terræ in ripa Iordanis Orientali.

His ita distributis, facilè iam erit totius sanctæ terræ diuisionem ordine quodam distributam animo complecti & mente circumferre, vt non semper opus sit, in lectione Euangelistarum ad tabulas recurrere

Sumo itaque illam partem, quę inter Mare magnum & Iordanem sita est, & incipiendo à parte meridionali partes ita distribuo. Primum occurrit Idumæa duplex, exterior versus mare, interior versus Orientem. Progrediendo verò in longitudine versus Septentrionem sequitur Iudæa, cuius appellatione aliquando duę Tribus, Iuda & Beniamin comprehenduntur, addita etiam tribu Simeon & tribu Dan; aliquando verò separatim seu distinctè nominatur Iudæa & Ierusalem, & tunc Iudæa, quam Iosephus superiorem appellat, complectitur tribum Iuda & Simeon, cuius sortem in monte quodam Idumeæ cecidisse, Iosephus refert. Alij addunt in medio tribus Iuda fuisse. Ad Hierosolymitanos verò ita refertur tribus Ben-

[illegible] Iordanem [illegible] [illegible] Ioppe comprehenditur etiam [illegible]. Post Iudæam complectentem quatuor illas tribus, pergenti in longitudine versus Septentrionem, occurrit Samaria: quæ complectitur tribum Ephraim, & dimidiam Manassis, & longè minor est Iudæa & Galilæa. Post Samariam sequitur Galilæa, quæ duplex est, inferior, quæ Samariæ contigua est, & complectitur in confinio Samariæ, à Iordane vsque ad Carmelum, tribum Issachar, deinde tribum Zabulon, quæ à lacu Genezareth pertingit vsque ad mare magnum Sidonis, Gen. 49. v. 13. Superior Galilæa, quæ ideò gentium Galilæa appellatur: quia pertingit vsque ad fines gentium; Tyri scilicet & Sidonis, & vsque ad terminum terræ septentrionalem: & quia illa parte Galilææ multi gentiles intermixti erant, 3. Regum capite nono, versu vndecimo. Complectitur autem Galilæa superior tribum Aser versus mare à Ptolemaide ad Sidonem, & tribum Nephtalim versus Iordanem. Atque ita ordine inverso, si incipiam à parte terræ septentrionali, primum occurrit Galilæa superior: deinde Galilæa inferior: post Samaria: inde Iudæa: vltimò Idumæa ad meridiem.

Illa verò diuisio terræ, vt memoria comprehendi possit, multum adiuuatur consideratione seu respectu Iordanis. In parte enim septentrionali ad radices Libani, ex duobus fontibus Ior & Dan oritur Iordanis, qui locus Paneum olim fuit appellatus, & Paneas ciuitas ibi ædificata, quæ postea à Philippo Tetrarcha in honorem Cæsaris ampliata, Cæsarea Philippi appellata est, hodie vocatur Belinas.

Progressus autem Iordanis ex sua origine per centum stadia (quidam ponunt stadia 144.) transit lacum quendam, seu paludem potius, quæ æstiuis caloribus sæpe exiccatur, quam Samochonitidem Iosephus appellat, ac longitudinem eius alij ponunt stadia 60. Quidam existimant, hanc paludem appellari aquas Merom. Iosuæ 11. v. 7. Et circa illam partem Iordanis post hunc locum fermè terminatur Galilæa superior. Inde verò Iordanis emensus centum viginti alia stadia, (tantum enim à lacu Samochonitide oppidum Iulias, vbi stagnum Genezareth incipit, abesse scribitur) per medium stagnum seu mare Genezareth transit. Et inferior Galilæa respectu Iordanis *incipit* post lacum Samochonitidem, & post mare Genezareth terminatur. Scribit autem Iosephus longitudinem stagni Genezareth esse centum stadiorum, latitudinem verò quadraginta. Plinius longitudinem ponit stadiorum [illegible] latitudinem 48. Alij longitudinem ponunt 144. stadia latitudinem 40. Hæc stadia, si coniungantur, efficiunt à fontibus Iordanis vsque ad loca post stagnum Genezareth, vbi Galilæa terminatur, circiter sexaginta millia passuum, hoc est, milliaria nostra germanica fermè quindecim. Post stagnum verò Genezareth Iordanis variis ambagibus fluit, & in ripa occidentali *habet* primùm Samariam: postea tribum Beniamin, vbi sita est Ierusalem & Iericho: tandem *è regione* tribus Iuda & Idumeæ lacu Asphaltide, *qui* mare mortuum seu Sodomiticum *vocatur, absorbetur*, qui lacus in longitudine habet *stadia 580.* in latitudine 100. stadia.

Situm igitur præcipuarum partium seu regionum terræ sanctæ, intra Mare magnum & Iordanem, ita memoria possum concipere & circumferre. Primò sicut ordine se contingunt & sequuntur. Primum Idumæa: deinde Iudæa: post Samaria: hanc sequitur Galilæa inferior: & vltimò Galilæa superior, si à meridie versus Septentrionem pergam. Aut vice versa, si à Septentrione incoem. Secundò, respectu Iordanis possum diuisionem illius partis terræ per imaginationem memoriæ ita infigere, quòd superior Galilæa adiacet Iordani, incipiendo à fontibus ipsius vsque post lacum Samochonitidem: inferior verò Galilæa continuò post Samochonitim sequitur, ad ripas Iordanis occidentales, donec veniens ad lacum Genezareth, cuius ripas etiam obtinet. Postea ad sequentes Iordanis ripas meridiem versus pergendo sita est Samaria: deinde Iudæa tribus verò Iuda & Idumæa ad ripas Asphaltidis pertingit. Iosephus de bel. Iud. libr. 3. cap. 2. tertiam rationem addit: quod scilicet versus Mare magnum ad Occidentem, Galilæa superior Tyriorum finibus, inferior verò vrbe Ptolomaide, & monte Carmelo terminatur: versus Septentrionem Libano: versus meridiem Samaria: versus Orientem verò Iordane, sicut iam dictum est. Samariæ & Iudeę limites Iosephus ibidem vicis mediterraneis distinguit, quorum situs & ratio iam ignoratur. Sed libro Antiquit. 5. cap. 5. clarius aliquantò Samariæ, versus Mare magnum, terminum tribuit vrbem Doram, cui additur etiam Cęsarea Stratonis: Iudæam verò, versus mare Magnum, è regione situs sui dicit habere ciuitates Ioppen, Ascalonem & Gazam. Et hactenus de generalibus partibus terrę sanctę, quę inter mare Magnum & Iordanem sita est.

Porrò, si ex illa parte terrę Iordanem transeas, diximus antea, terram trans Iordanem ripa Iordanis Orientali, & continuis fermè montibus Orientem versus terminari. Et quia pars illa Ebreis vocatur עבר Deuteron. 1. ver. 1. quod Gręci reddiderũt τὸ πέραν. Inde Euangelica historia totum illum tractum à lacu Asphaltide vsque ad Cęsaream Philippi siue fontes Iordanis, vocat τὸ πέραν, sicut Strabo libro vndecimo & 16. appellat τὰ πέραν τοῦ εὐφράτου. Videtur autem illa differentia apud Euangelistas obseruari, quod pars illa ab Asphaltide vsque ad mare Genezareth, quę è regione Iudeę & Samarię sita est, vocatur πέραν τοῦ ἰορδάνου, *trans Iordanem*, Matt. 19. vers. 1. Marc. 3. v. 8. Iohan. 1. v. 28. & 3. ver. 26. & 10. v. 40. Altera verò pars à stagno Genezareth vsque ad Cęsaream Philippi è regione Galilęę sita, vocatur vel in genere τὸ πέραν τῆς λίμνης, ἢ θαλάσσης, *trans stagnum vel mare Genezareth*, Marc. 5. v. 1. Luc. 8. v. 22. Iohann. 6. v. 17. Iosephus verò illam terrę partem trans Iordanem, quę è regione Iudeę & Samarię, vsque ad montes termini Orientalis Habarim sita est, propriè vocat Peręam, ex qua voce quidam in Hegesippo fecerunt Peręam. Sed formata est vox ἀπὸ τοῦ πέραν, lib. Antiquit. 15. cap. 11. lib. 17. cap. 13. lib. 18. cap. 9. lib. 20. cap. 1. vocat περαίαν, lib. 3. cap. 2. ὅποσοι περάσαντες Ἰορδάνην ποταμὸν οἰκοῦσι, qui Iordanem transeuntes in illis partibus habitant, lib. 1. de bello Iudaico cap. 2. τὴν πὲρ Ἰορδάνην περαίαν. Et alicubi sanè Iosephus etiam illam partem, è regione stagni Genezareth vocat περαίαν, vt de bello Iudaico, c. 3, lib. 5. Propriè verò Percę situm, & terminos describit lib. 3. de bello Iu-

daico capitul. 2. quòd longitudo eius sit à Macherunte in Pellam, vel Pereæ sit Septentrionalis. Macheruntam autem esse arcem seu munitionem non procul ab Asphaltide, imminentem montibus Arabiæ desertæ, Iosephus indicat lib. 1. de bello Iud. c. 6. Et Pellam esse in Decapolitana regione ad Trachonos montes, è regione stagni Genezareth, multis in locis Iosephus indicat. Dicitur autem sita esse ad fluuium Iacobi, vbi Iacob cum Angelo luctatus fuit, Gen. 32. v. 22. Atque hic terminus notabilis est, inter Peræam & Trachonitidem.

Teneamus igitur ex Iosephi descriptione, Peræam (quæ Hermolao non ineptè vocatur Iudæa trans Iordanis. Interpretes vocant regionem Transammanam) intelligi illam partem trans Iordanem, quæ è regione Iudeæ & Samariæ sita est, quæ olim fuit possessio tribus Ruben: Alteram verò partem, quæ è regione Galileæ sita est, ad mare Tyberiadis, vsque ad Iordanis, Iosephus diuidit in Batanæã, Trachonitim & Auranitim lib. Antiq. 15. cap. 13. lib. 17. c. 13. Et de bello Iudaico lib. 1. c. 15. Terram illam quæ trans Iordanẽ inter Galileam & montes Trachonos sita est, vocat Trachonitin Batanęam & Auranitin, vsque ad Cęsaream Philippi. A ciuitatibus verò Gamala & Gaulena, in illa regione sitis, partes illæ aliquando vocantur Gamalitica & Gaulonitis, de bello Iudaico lib. 3. c. 2. Et hæc fuit possessio olim dimidiæ tribus Manassis in superiori parte, in inferiori, tribus Gad. Deut. 3. ver. 13. Tempore Mosis autem in illis locis Og regnum Basan tenuit. Fuit etiam ibi terra Gilead. Num. 32. v. 1. quibus à tergo, versus Orientem, habitarunt Ammonitæ Num. 21. v. 21. Et quia Amorrhæis vltra fluuium Iacob iunguntur Gergesæi, Gen. 10. v. 16. Deu. 7. ver. 1. Paral. 1. ver. 14. Videntur Gergesei in Trachonitide habitasse. Certe Gessuri ibi non obscurè collocantur, Deut. 3. v. 14. Ios. 13. v. 13. Has igitur duas Pereæas Iosephus ita distinguit, vt ea, quæ Iudeæ & Samariæ opposita est, sit omnium fructuum ferax, seu παμφορος, Altera verò, quæ è regione Galileæ sita est, vt plurimum sit aspera, deserta, & agrestis, de bello Iud. libr. 3. c. 2. Atque inde nomen est Trachonitis. Et de Antiqu. lib. 16. c. 13. dicit, incolas plerunque latrociniis vacare, cùm terra laboribus colonorum non respondeat. Hæc generalis delineatio de diuisione, situ, appellationibus & limitibus præcipuarum regionum seu partium terræ sanctæ, citra & vltra Iordanem ad nostrum institutum, de distribuendis & declarandis peregrinationibus Christi, in historia Euangelica sufficere potest. Vbi verò in specie quorundam locorum & ciuitatum, vicorum, montium, desertorum, &c. in Euangelica historia mentio fiet, de illis commodiùs suo loco dicetur: & adhibita generali hac terræ delineatione ostendi poterit, in qua huius terræ regione, & qua regionis parte, illorum locorum situs sit. Sigillatim enim omnium locorum, ciuitatum, vicorum, montium, desertorum situm describere & explicare alterius operæ est, & ad tabulas Chorographicas pertinet.

Ad hanc declinationem terræ sanctæ congruit & illud, quod Iosephus præcipuas partes ita solet numerare, Antiquit. lib. 17. cap. 12. Et de bello Iudaico lib. 2. c. 2. Factus est concursus ex Iudea, ex Galilæa, ex Idumæa, Hierichunte, & trans fluuium positis regionibus: Præcipuè verò, quòd aliquoties repetit, quomodo Augustus ex Testamento Herodis totum regnum inter hæredes ipsius distribuerit. Quæ obseruatio multa etiam loca in historia Euangelica illustrabit. Scribit igitur lib. Antiq. 17. c. 13. Et de bel. Iud. lib. 1. c. 2. dimidium regnum Idumæani, scilicet, Iudæam & Samariam Archelao sub ἐθναρχίας titulo attributum. Quæ pars postea, post relegatum Archelaum, in formam prouinciæ redacta, & à Romanis Præsidibus administrata fuit. Reliquam verò dimidiam partem in duas Tetrarchias diuisam, & Herodi quidem Antipæ Galilæam & Pereæam cessisse, Philippo verò Betanæam, Traconitim & Auranitim assignatam. Eius verò Tetrarchiam, postea, primùm Caius, deinde Claudius, Agrippæ donarunt, regio titulo, additâ etiam Abela, & finitima ditione in Libano, Ituræa scilicet, quæ Lysiæ siue Lysaniæ tetrarchia antè fuerat, Iosephus Antiquitatum libr. 19. c. 4. & libr. 20. c. 5.

Aliquid etiam ad nostrum institutum conferet, quòd Iosephus annotauit Antiq. libr. 18. c. 3. Et de bello Iudaic. lib. 2. c. 8. Philippum scilicet in sua Tetrarchia, circa fontes Iordanis, vbi antea Paneas fuerat, nouam extruxisse ciuitatem, & in honorem Cæsaris appellasse Cæsaream, quæ ad differentiam alterius Cæsareæ, ab Herode magno ad mare magnum conditæ appellata fuit Cæsarea Philippi. Et vico Bethsaida, in inferiore Gaulanitide ad lacum Genezareth sito, Philippum vrbis dignitatem addidisse, & in honorem filiæ Cæsaris appellasse Iuliada, cuius situs inde potest colligi, quod de bello Iudaico libr. 3. cap. 18. dicit Iordanem post oppidum Iuliada transire medium lacum Genezareth. Herodem verò Tetrarcham Sephorim muniuisse, vt esset totius Galileæ caput. Et ἐπὶ τῇ λίμνῃ, ad stagnum Genezareth in Galilæa, vrbem à se conditam, in honorem Cæsaris appellasse Tyberiada. Aliam verò in Peræa extruxisse, & appellasse Iuliada.

Postremò, ad hoc nostrum institutum pertinet etiam disquisitio de situ & de vrbibus Decapolis, (quæ à numero decem vrbium, quæ in ea primariæ sunt, nomen habet) propter loca quædam in Euangelica historia. Admodum autem in hac descriptione variant auctores, tum quoad situm, tum quoad vrbes Decapolis attinet. Brocardus enim in suo itinerario citat ex Patriarcha quodam Hierosolymitano, Regionis Decapoleos fines esse, mare Galileæ ab Oriente, & Sidonem magnam ab Occidente, longitudinem verò eius incipere à ciuitate Tyberiadis, & extendi vsque ad Damascum. Ciuitates verò inquit Decapolis hæ sunt, Tyberias, Sephet, Cedes, Nephtalim, Assor, Cæsarea Philippi, Capernaum, Ioui terra (quæ forsan Diosopolis est.) Bethsaida, Corazaim & Bethsara. Sed hæc opinio, quæ Decapolin ponit citra Iordanem, non congruit cum historia Matthæi 8. ver. 28. quæ trans Iordanem in Decapoli facta scribitur. Mar. 5. ver. 20. Hieronymus dicit, hanc regionem fuisse trans Iordanem, circa Hippum, Pellam & Gadaram. Plinius etiam lib. 5. cap. 18. in latere Syriæ ponit Decapolitanam regionem; sed in numero oppidorum dicit, non omnes eadem obseruare, plurimos tamen numerare Damascum, Opoton, Philadelphiam, Raphanam, Hippon & Pellam,

lam, Gaulam, Canatham. Hæc Plinius. Alij existimant, Decapolitanæ regioni annumerari ciuitates, quarum quædam citra, quædam trans Iordanem sitæ sint. Disputant non certam aut peculiarem esse regionem Decapolitanam: sed decem ciuitates hinc inde sparsas, per Galilæam Cisiordanem & Transiordanem, ita appellari. Sed historia Euãgelica certos fines tribuit Decapoli. Marc. 7.v.1. Cùm itaque non tantùm ad rationem peregrinationum Christi rectè intelligendam prosit aliquo modo nosse situm Decapolis, & reliquarum finitimarum ciuitatum, ad Iudaismum non pertinentium, verum etiam ideò, vt consideretur, quando & quomodo Christus ad fines gentium deflexerit, mediocri diligentia inquisiui, an ex Iosepho (cui talia sine dubio, vt indigenæ notiora fuerunt, quàm exteris scriptoribus) certi aliquid de Decapoli colligi possit? Et videor mihi, de finitimis ciuitatibus, quæ ad differentiam ἑλληνικαὶ vocabantur, aliquid obseruasse, quo disquisitio hæc illustrari possit: de qua tamen obseruatione eruditioribus, vt plenius illam euoluant, iudicium permitto.

Fuit igitur occiduus terminus Palæstinæ mare Mediterraneum seu magnum, sed ad littus illius maris sitæ fuerunt vrbes, quæ propter commertia opulentæ & potentes fuerunt, atque ideò nec iurisdictionis nec religionis Iudaicæ fuerunt. Inde etiam Iudææ vel Palæstinæ non fuerunt annumeratæ, sicut Strabo libro 16. scribit: παραλία, ora maritima, ab Orthosia vsque Pelusium in Ægypto, Phœnice appellata fuit στενὴ καὶ ἁλιτενής, angusta & maritima, seu ripensis, Mediterranea enim ad Iudæam pertinere dicit. Illius verò Phœniciæ littoralis, è regione Palæstinæ, ciuitates Strabo has numerat: post Berythum, Sidonem, Tyrum, Ptolomaida, Promontorium Carmeli, Turrim Stratonis, Ioppen, Iamniam Gadaridem, Azotum, Ascalonem, Gazan, vbi terminum Palæstinæ meridianum Strabo ponit. Huic consonat, quòd Iosephus etiam in libro tertio de bello Iudaico cap. 2. dicit: Galilæam ab occidente Phœnicia cingi. Illæ igitur ciuitates in littore Maris magni sitæ à regno Iudaico auulsæ, aliquando sub regibus AEgypti fuerunt, quandoque sub regibus Syriæ: à Iudæis etiam sæpius expugnatæ: plerunque verò liberæ esse voluerunt. Iosephus enim Antiquitat. libr. 15. cap. 11. dicit. Augustum adiecisse regno Herodis ciuitates τῆς παραλίας, vtpote antea inde auulsas, Gazam, Antidonem, Ioppen, & Stratonis Turrim. Nam antea Pompeius ciuitates illas à Iudæorum imperio liberarat: Azotum, Iamniam, Arethusam, similiter & τὰς παραλίους, Gazam, Ioppen, Doram, Stratonis Pyrgum, quas Iudæis ablatas, Iosephus libr. 1. de bello Iudaico, cap. 5. refert, Pompeium indigenis ciuibus restituisse, & Syriæ prouinciæ adiunxisse. Quòd cap. 6. dicit: Gabinium in aliis etiam illius locis ciuitatibus fecisse: puta Anthedone, Apollonia, Iamnia, Raphia, Maresa, Dora, Gadara, Azoto. Illæ igitur ciuitates nec gentis nec religionis Iudaicæ fuerunt, habitatæ scilicet ὑπὸ φύλων μικτῶν, à mixtis gentibus Aegyptiis Arabibus, & Phœnicibus sicut Strabo inquit lib. 16. Cùmque essent μιγάδες, non pauci etiam Iudæi inter ipsos habitarunt, qua occasione tempore belli Iudaici, gentes Iudæos illos inter se habitantes crudeliter in illis ciuitatibus trucidarunt. Ioseph. de bello Iudaico, lib. 2. c. 19. & 20. Illas igitur ciuitates ad littus maris Magni sitas, fuisse ἑλληνικὰς, hoc est, religione gentiles, Iosephus testatur Antiquitatum lib. 12. c. 13. Et attributas illas ciuitates fuisse Syriæ & Phœniciæ antea ostendimus. Vnde mulier illa Cananæa vocatur ἑλληνικὴς & Syrophænissa, Mar. 7. v. 26.

Non autem potui animaduertere, appellationem Decapoleos illis ciuitatibus apud Iosephum tribui. Strabo quidem libr. 16. regionem complectentem tres ciuitates, quas ἀδελφὰς, sorores vocarunt, scilicet Tyrum, Sidonem, & Aradum vocat Tripolim: sicut tractum quendam in Syria, circa Euphratem, dicit vocari Tetrapolim, eò, quòd licèt plures ibi sint ciuitates, quatuor tamen maximè sint insignes, Antiochia scilicet, Seleucia, Apamea & Laodicæa. Sed in Phœnicia illa maritima nulla fit Decapolis mentio. Operæpretium autem est ea obseruare, quomodo maritimæ illæ ciuitates in historia Euangelica appellentur. Et Iosephus quidem illas vocat τὰς παραλίους vel ciuitates, τῆς παραλίας, quam appellationem etiam Lucas cap. 6. v. 17. populis tribuit. Matthæus verò c. 15. ver. 21. nominat fines Tyri & Sidonis. Scribit autem Iosephus de bello Iudaico lib. 3. cap. 2. Tyriorum fines, suo tempore in littore maris, à Libano vsque ad Carmelum se extendisse, hoc est, vtranque fermè Galilæam, ad occasum, Cyriorum finibus cinctim fuisse. Quando ergo Christus dicitur exiisse in fines Tyri & Sidonis, præludens ad vocationem gentium, non tantùm de extimo angulo ad Libanum cogitandum est, sed de toto illo maritimo tractu, qui Galilææ, occidentem versus, oppositus est. Atque hæc propterea annotamus, vt ratio peregrinationum Christi eò rectius considerari possit. Habemus itaque & maritimum tractum certis, & quidem illis ipsis, quibus Euangelica historia vtitur appellationibus distinctum. In actis verò tractus ille maritimus vocatur Phœnice. Et in historia Macchabæorum, sæpius nominantur Cœlesyria & Phœnice: quibus Palæstina ab ortu & occasu contigua fuit, & illis terminata ac quasi clausa. Id quod Strabo etiam indicat lib. 16.

Porrò similis etiam ratio est in parte opposita, hoc est, in termino terræ sanctæ Orientali trans Iordanem, vbi in Cœlesyriam declinat. Nã & illis finibus adiunctæ seu interiectæ sunt tales ciuitates, sicut de maritimis iam diximus. Iudæi enim extra fines suos progressi, fines suos etiam & in Phœniciam maritimam & in Cœlesyriam Orientalem, occupatis ciuitatibus quibusdam, extenderunt. Sicut Iosephus Antiquit. lib. 13. c. 20. narrat. Alexandrum Regem Iudæorum, maritimas ciuitates quæ Iudaicum imperium, vt iam diximus detractabant, subegisse. Et c. 21. & 23. addit ipsum in Cœlesyria Gadaram ac multas alias ciuitates expugnasse, & in Geraseniorum tandem finibus in obsidione quadam mortuum. Et illas quidem ciuitates subactas, ad ritus suos suscipiendos Iudæi adegerunt. Pella enim tũc ideo diruta fuit, quod ritus Iudaicos suscipere nollet, Antiq. lib. 13. c. 23. Pompeius verò postea Iudæos, ablatis, quas in Cœlesyria cœperant, ciuitatibus, propriis finibus circumclusit, & ciuitates illas indigenis ciuibus redditas, Syriæ præsidi parere iussit. Ioseph. de bell. Iud. lib. 1. c. 5. vicissim verò c. 15. Augustus ex ciuitatibus illis Gadaram & Hippum regno He-

rodis adiecisse dicitur: quas tamen non multò pòst, hæredibus Herodis regnum distribuens, inde seiunxit. Ita enim Iosephus scribit Antiq. lib. 17. cap. 13. Augustus Gadaram & Hippum, ideò, quòd essent ciuitates ἑλληνίδες, hoc est, Græcanici instituti, à regni Iudaici terminis separatas, Syriæ attribuit. Illas verò ciuitates in finibus Trachonitidis & Cælesyriæ intermixtas intelligendas, quando Decapolis vel Decapolitana regio appellatur, inde colligitur. Iosephus enim in vita sua primò dicit: Iustum quendam incendisse vicos Hippenorum & Gadarenorum, in Scythopolitanorum finibus. Postea verò dicit, hoc factum in Syrorum Decapolis fine, vt Iosephus loquitur, oppugnastis τὰς ἐν τῇ συρίᾳ δεκαπόλεις, incensis vicis illarum. Et de hac clade Gadarenis & Hippenis illata, questi sunt apud Vespasianũ οἱ τῆς δεκαπόλεων ἔνοικοι, Decapolitani siue inhabitatores Decapolis. Et in fine vocat illos πρώτους τῆς συρίας δεκαπόλεων, Decapolitanorũ ciuitates. Et lib. 3. de bello Iud. c. 16. dicit Scythopolim esse maximam τῆς δεκαπόλεως. Et Scythopolim illam Iosephus expressè ponit in Cęlesyria, Antiq. li. 13. c. 21. Et Strabo lib. 16. dicit, Scythopolim sitam nõ in Galilęa, sed πρὸ γαλιλαίαν. In hac verò Syrorum Decapoli, tanquam Syrorum vici & ciuitates, numerantur à Iosepho de bello Iud. lib. 2. c. 19. Philadelphia, Gebonitis, Gerasa, Pella, Scythopolis, Gadara, Hippos. Illis ciuitatibus, lib. 1. c. 4. vbi Pellam & Gerasam nominat, addit Gaulanem, Seleuciam, & eam, quæ Antiochi Pharanx dicitur. Et de Gadara ac Hippo Iosephus alibi etiam mentionem facit, vt Antiq. lib. 15. c. 11. lib. 17. c. 13. De bello Iud. lib. 2. c. 2. coniũgit Hippenos, Gadarenos, & Gerecenos. Et lib. 5. c. 3. vocat Gadaram Metropolim Peræx. Situs vero Decapolis inde colligi potest. Iosephus enim de bello Iud. lib. 1. c. 5. describens iter Pompeij ex Syria in Iudæam, inquit: Cùm Pellam & Scythopolim prętergressus Coreas venisset, vnde Iudęorũ fines per mediterranea subeuntibus incipiunt. Et sub finem capitis, ciuitates illas vocat μεσογείους mediterraneas. In vita Iosephi scribitur, Hippum, Gadaram, & Scythopolin, esse oppida ditionis Agrippę, quæ Trachonitis fuit. Et Hippum à Tyberiade distare stadiis triginta, Gadaram 60. Scythopolim 120. Addam & hoc, quod de bello Iud. lib. 3. c. 2. Iosephus scribit, Peræx, quæ Iudææ & Samariæ trans Iordanem opposita est longitudinem esse à Macherunte in Pellam, ita, vt Pella ei sit Septentrionalis. Ab Oriẽte verò Peręam illam claudi Philadelphia & Geraris: ita enim Græcum exemplar habet, nõ Gerasis, sicut interpres scripsit. Atque ex his manifestum est, situm Decapolis fuisse trans Iordanem non in Peræa, quæ Iudęæ & Samariæ opposita est, sed in Trachonitide, è regione Galilææ: sicut Beda etiam dicit.

Hæc bono studio & mediocri diligentia ex Iosepho collegi, quæ candidis lectoribus iudicanda permitto. Inde verò intelligi poterit ratio peregrinationis Christi, quando scribitur ex finibus Tyri, per medios fines Decapolis, venisse ad mare Galilęę: sicut in Harmonia ostendemus. Et huic obseruationi de situ Decapolis nihil obstat, nisi quod dicunt, Gadaram & Scythopolim citra Iordanem occidentem versus à Scriptoribus collocari. Ad quam obiectionem facilis & plana est responsio. Non enim eadẽ, sed alia est Gadara, quam Iosephus lib. 5. & alibi inter ciuitates maritimas numerat. Vbi etiam Strabo lib. 16. Iordaridem ponit: & alia, quam in Peræa expressè dicit esse mediterraneam, sicut loca supra notauimus. Scythopolim etiam Iosephus expressè dicit in Cælesyria sitam, vt supra ostendimus. Alij verò ex coniecturis argumentantur, Bethsan in Samaria dictam etiam Scythopolim: quæ coniectura tantùm est, & si maximè esset vera, alia esset Scythopolis Cælesyriæ, alia Samariæ.

Ex hac notatione seu delineatione, situs præcipuorum regionum terræ sanctæ quarum in Euangelica historia mentio fit, intelligi potest. Et eadem prorsus ratione ab Euangelistis diuiduntur, sicut in hac delineatione ostẽdimus. Ita enim, qui Christum sequebantur, numerantur, Matt. 4. ver. 25. Mar. 3. v. 7. Luc. 6. v. 17. Ioh. 6. v. 1. primò turbę ab Idumęa. 2. à Iudęa. 3. à Hierosolymis, hoc est, ex tribu Beniamin. 4. à Galilęa. 5. πέραν τοῦ Ἰορδάνου, hoc est, ex Peræa. 6. πέραν τῆς θαλάσσης γαλιλαίας, hoc est, ex Trachonitide. Matt. 4. v. 15. vocatur via Maris, trans Iordanem. Ex Syria enim in Iudæam profecturus Pompeius, per Decapolim & Trachonitidem iter fecit: sicut supra diximus. Et Iosephus Antiq. lib. 17. cap. 2. dicit eos, qui Babylone Hierosolymam petunt transire per Batanæam & Trachonitidem. 7. ex Decapoli. 8. ἐκ τῆς παράλου, hoc est, ex maritimis versus Ægyptum ciuitatibus. 9. ex finibus Tyri & Sidonis, quæ Act. 15. v. 3. vocatur Phœnice. 10. In Actis Samaria additur Iudęæ & Galilęę c. 1. v. 8. & 9. v. 31. In tot igitur partes Euangelica historia totam illam terram diuidit.

Et hactenus, quis sit singularum partiũ situs, in genere explicauimus. Quando verò in specie singulorum quorũdam locorũ, vt ciuitatũ, vicorum, montium, &c. mentio fit, de illis in Harmonia ipsa dicemus, in qua regione seu parte huius terræ sita sint. Ideò enim generalẽ hanc delineationem pręmittere volui, vt tùm omnia essẽt expeditiora.

CAPVT SEPTIMVM.

Generalis distributio totius huius operis, ex qua generatim cognoscitur, quid in sequenti Euangelica Harmonia potissimum tractetur.

EXpeditis vtcunque illis, quę de generalibus quibusdam commonefactionibus & obseruationibus, ordinis & methodi gratia, necessariò pręmittenda fuerunt, iam dispositionem eorum, quę in ipsa Harmonia tractanda nobis proposuimus, breuiter ostendemus. Et capita sumemus ex illis auctoribus, qui vel in veteri Ecclesia vel nostro seculo, ad illustrandam Harmoniam historię Euangelicę aliquid, quod alicuius momenti sit, cõtulerunt: sicut in secũdo capite declarauimus.

Primò igitur totam historiam Euangelicam distribuemus secundum annos, quibus Christus in publico suo ministerio in terris versatus est; ita, vt singulis ministerij ipsius annis sua Acta, seu certę historię assignentur. Atque ita in distinctos aliquot libros diuidenda erit Harmonia, quorum distributionem ex re ipsa sumemus. Quia enim supputatio annorum ministerij Christi à Baptismo ipsius incoanda est: sicut cap. 4. ostendimus. Ea igitur, quę in historia Euangelica Baptismũ Christi antecedunt, vt sunt historię de conceptione, natiuitate, educatione & vita, tum Baptistę tum Chri-

Christi, item initium prædicationis & baptismi Ioannis, vsque ad historiam baptizati Christi, primum librum efficient. Secundus liber exponet historias, seu acta primi anni ministerij Christi. Tertius liber complectetur acta secundi anni ministerij Christi. In quarto libro acta tertij anni ministerij Christi certo ordine distribuemus. Quæ verò quarto seu postremo anno ministerij Christi, vsque ad historiam ascensionis gesta sunt (hunc enim terminum seu finem Euangelicæ historiæ Petrus constituit, Act. 1. v. 2.) ea in quintum librum conferemus. In singulis autem libris ostendemus, in quibus historiis initia & fines cuiusque anni verisimiliter seu probabili ratione collocari possint. Addemus etiam notationem festorum Paschatis, quæ ordine in annos ministerij Christi inciderunt.

Secundò. Vt ordo seu ἀκολουθία singularum historiarum eò rectiùs & distinctiùs obseruari & considerari possit, singulis historiis singula seu distincta capita attribuẽda erunt, quæ continuo progressu ab initio vsque ad finem, iuxta ordinem cõsequentiæ, non habita ratione diuisionis librorum, numerabuntur. Aliquid enim incommodi, tùm propter Elenchos seu indices, tum propter alias etiam causas videtur habere, si iuxta diuisionem librorum Harmoniæ, capita discernantur, & singulis libris peculiaris numerus capitum assignetur. In singulis autem Harmoniæ capitibus annotabitur, ex quibus Euangelistarum capitibus (sicut vulgò illa distribuuntur) historiæ, quæ exponuntur, sumptæ sint.

Tertiò. In singulis capitibus, ordo tùm historiarum, tum profectionum monstrabitur, & ratio ordinis explicabitur: & si quę obseruationes dogmaticę ex ordine antecedentium & consequentium sumi poterunt, ostendetur. Ac sicubi scriptorum sententiæ de ordine historiarum variant, illas quæ præcipuæ sunt, collationis gratia recitabimus, & additis rationibus exponemus. De locorum etiam situ, & ratione peregrinationum, declarationes quasdam, vbi opus erit, addemus.

Quartò. Singulis capitibus pręponemus περιοχὰς summam seu argumentum cuiusque historiæ complectentes, & simul ostendentes, quomodo præcipuæ historiarum circumstantiæ ita expendi possint, vt explicatio sensu textus, dogmata, quæ in singulis historiis obseruanda sunt, quasi intento ad fontem digito, monstrentur. Adiectis interdum vocabulorum explicationibus.

Quintò. Contextum cuiusque historiæ, illo ipso tenore & ordine verborum, sicut ab Euangelistis descriptæ sunt, subiungemus: & quando vna & eadem historia à pluribus Euangelistis simul describitur, singulorum descriptiones & verba, sigillatim ac ordine iuxta se inuicem (distincta per columnulas pagina) vt collatio eò facilius institui possit, proponemus.

Sextò. De collatione, consensu, conciliatione & coagmentatione circumstantiarum, sicut à diuersis Euangelistis in narratione earundem historiarum expositæ sunt, quædam annotabimus.

Septimò. Ostendemus, quomodo descriptiones vnius & eiusdem historiæ, quæ à pluribus Euangelistis, non eodem prorsus modo, sed mutatis quibusdam verbis, & variatis aliquibus circũstantiis, exposita est, in vnam continuam sibi consentientem & cohærentem narrationem contexi & coagmentari possint: quod veteres vocârunt συμφωνίαν, ἁρμονίαν τὸ διὰ τεσσάρων, vel μονοτεσσάρων, in illa coagmentatione, non iudico opus esse notis ostendentibus, quæ verba vel quæ sententiæ cuius Euangelistæ sint: cùm in nostra hac Harmonia singulis capitibus paulò ante Monotessaron, singulorum Euangelistarum verba ordine proponantur. Quando vero singula omnium Euangelistarum verba, in Monotessaro, propter cõtinuæ narrationis cohęrentiam, commodè inseri non poterunt, illa in margine signo crucis† notabuntur, indicato Euangelistæ nomine vsitatis literis M. R. L. I. Et si quæ particulæ copulatiuæ seu expletiuę, propter commodiorem narrationis cohęrentiam, addendę erunt, illę tali signo (..) vt adiectitię notabuntur.

Octauò. In fine singulorum librorum, summam colligemus concionum, miraculorum, profectionum, auditorum, aduersariorum, & quę pręterea in vnoquoq; anno ministerij Christi acciderunt.

Nonò. Ex tota Harmonia excerpemus breuem Elenchum distributionis annorum, ministerij Christi, & ordinis seu ἀκολουθίας historiarum cuiusque anni, ipsis historiis paucis tantum verbis notatis. Et elenchum vel in principio vel in fine Harmonię ponemus: vt tanquam in συνόψει, Harmoniam & ἀκολουθίαν totius Euangelicæ historię compendio, & tanquam in tabella, ob oculos ponat.

Decimò. Addemus indicem, de singulorum Euangelistarum capitibus, sicut vulgò distribuuntur, quę historię in quibus Harmonię huius capitibus quærendę sint, & inueniri possint.

Hæc sunt pręcipua capita, in quorum tractatione Harmonia nostra versabitur. Quæ vero Emphasin vocabulorum & sententiarum seu locorum communium qualemcunque explicationem spectant, illa ita adiiciemus, vt nec hęc tractatio Lectorem ieiunum à se dimittat.

Porrò, diu multúmque deliberaui, quęnam latina versio ad nostri propositi rationem, quæ collationis potissimùm gratia instituitur, commodissima foret. Et primò quidem videbatur aliquam ex eruditioribus versionibus, quę ad Gręcos fontes propius accederet sumendam. Sed quia collatio, quod ad verba & sententias Euangelistarum non potest commodius aut rectius, quàm in ipsis fontibus institui: ideò curabo primò Gręcum textum, sicut Euangelistę scripserũt, exprimi. Frustra enim in versionibus emphases & differentię vocabulorum quęruntur. Deinde veterem & vulgatam versionem: quia & vbique vsurpatur & in nostris etiam Ecclesiis in citationibus siue allegationibus sententiarum vsurpatur, constitueram retinere: & ea, quę in illa versione librariorum vel incuria vel inscitia siue omissa siue deprauata sunt, quęque à fontibus improprietate vel incõmoditate interpretationis nimiùm recedunt, ad ipsos fontes modica inflexione corrigere. Sed vidi, hoc non posse fieri, quin videatur quasi noua esse translatio, quæ tamen omnibus non satisfaceret. Ideò tandem iudicaui, simplicissimam esse rationem, si Erasmi versionem, quæ à veteri non nimis longè recedit, quęque vbique iam recepta & vsitata est, sumerem. Nos enim in hoc libello, non de optimo genere interpretandi, sed de Harmonia historiæ Euangelicę agere constituimus.

¶¶¶

CAPVT OCTAVVM.

De quatuor Euangelistarum Canonicis scriptis, eorumque auctoritate sacrosancta in Christi Ecclesia.

Etsi in Ecclesia Christi palàm quatuor Euangelistarum auctoritas semper sacrosancta salubrisque fuit: rectè tamen eadem variis modis conspurcatur à Pontificiis, affirmantibus, Ecclesię auctoritatem esse supra scripturam. Etenim illam vsurpasse sibi ius & potestatem in Thomæ, Matthiæ, Bartholomæi, & similium, qui tamen Apostoli fuerunt, Euangeliis reiiciendis: & vicissim Marci & Lucæ, qui cum Christo versati non fuerunt, recipiendis. Item, dum nimis strenuè pro stabiliendis humanis suis traditionibus digladiantur: apertè contendunt, Euangelistas non omnia de dictis & factis Christi scriptis suis complexos esse, quæ fidei & saluti Ecclesię sufficiant, sed multa de Christi doctrina, scitu credituque ad salutem necessaria, ex tacitis traditionibus mutuanda esse. Priusquam igitur ad ipsam Harmoniæ nostræ Euangelicæ tractationem progrediamur, breuiter quędam ex veterum scriptis, de quatuor Euangelistarum fide, auctoritate, & (vt ita dicam) sufficientia annotabo, quæ pio Lectori nec ingrata nec inutilia futura spero.

Veteres, qui in numerorum mysteriis cupidè suas quasdam delitias venati sunt, multa disputãt, quare quatuor sint Euangelistæ. Quidam, vt Origenes, à quatuor fluminibus Paradysi rationẽ repetunt. Alij, vt Hieronymus, quatuor annulos, quibus arca, custos tabularum Legis portabatur, proferunt, Augustinus suspicabatur hanc esse rationem: quia doctrina Euangelij propaganda erat, in totum terrarũ Orbem, cuius quatuor sunt partes, ideò quatuor esse Euangelistas. Idem venustè quatuor Euangelistas vocat sanctam quadrigam Domini, qua tamquam curru triumphali, Psalm. 68. v. 18. per orbem terrarum vectus, odorem cognitionis suæ spargit. Irenæus disputat de quatuor ventis principalibus.

Plerique quatuor animalia, Ezech. 1. v. 5. Apoc. 4. ver. 6. ad numerum Euangelistarum accommodant, quorum imagines non eodem modo Euangelistis attribuunt. Græci enim Hominem Matthæo, Aquilam Marco, Bouem, Lucę, Leonem Ioanni attribuerunt. Augustinus verò tribuit Matthęo Leonem. Lucę Vitulum, Marco Hominem, Ioanni Aquilam. Ambrosius, Matthæo tribuit hominem, Marco Leonem, Lucæ Vitulum, Ioanni Aquilam. Sed hęc, vt non impiè cogitata, relinquamus in medio, dummodò certum maneat, sicut præordinatos fuisse à Deo Petrus Act. 10. v. 41. affirmat, illos, qui prędicatione sua testes debebant esse eorum, quæ Iesus cœperat facere & docere: ita etiam diuinitùs ordinatum esse credamus, sicut inquit Augustinus, vt illi quatuor historiam Euangelicam conscriberent, capite membris dictante, quicquid ille, de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam manibus suis imperauit. Hoc vnitatis consortium, & in diuersis officiis concordiam membrorum, sub vno capite ministerium, quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in Euangelio legerit, quàm si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. Hæc Augustinus.

Materia igitur & argumentum historię Euangelicæ est, quomodo Deus Filium suum iuxta prophetarum vaticinia miserit in mundum, natum ex muliere. Quodque initium Noui Testamenti factum sit à prędicatione Ioannis Baptistæ, sicut Prophetæ prædixerant, & præcipuè, quę Iesus cœpit facere & docere, à Baptismo Ioannis, vsque ad diem, quo assumptus est in cœlum.

Horum autem omnium prędordinârat & elegerat Apostolos testes in Hierusalem & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ; qui egressi prædicauerunt vbique ea, quæ Iesus fecerat & docuerat. Et Dominus illorum prædicationem multis stupendis signis & miraculis, quæ doctrinam subsequebantur, Ecclesiæ obsignabat & confirmabat.

Doctrinæ ergo Euangelij (in quam sententiam nunc de ea loquimur) debet complecti historiam de emissione Filij Dei in carnem: de testificatione Ioannis Baptistæ, & de iis, quæ Christus in publico suo ministerio fecit & docuit. Et est illa doctrina, quam Apostoli prædicatione sua per vniuersum terrarum orbem sparserunt, quæ Ecclesiis tradita & miraculis confirmata est. Hanc Apostoli per aliquot annos, sine scripto, viua voce tradiderunt. Postea vero, & propter posteritatem scriptis comprehensa est: sicut inquit Psal. 120. ver. 19. Scribantur hæc in generationem alteram, & populus qui creabitur, laudabit Dominum. Hierosolymus inquit: Sicut necesse fuit ad confirmationem fidei Euangelium prædicari: sic & contra hæreticos scribi. Et illustrior est Irenæi sententia, lib. 3. cap. 1. Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognouimus, quàm per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos. Quod quidem tunc præconisauerunt: postea vero per Dei voluntatem, in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum, &c. Nam & hoc modo Prophetæ suas conciones, quas Deus voluit ad posteritatem extare, scripto complexi sunt, sicut colligi potest ex octauo Esaiæ v. 1. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, hoc est, qui intelligi possit. Et Habacuc 2. vers. 2. Scribe visionem & explana eam super tabulas: vt percurrat, qui legerit eam. Et clarissimè Hieremię 30. vers. 2. 26. v. 2. & 45. versic. 1.

Et hac collatione vtitur Chrysostomus in Matt. Sicut Veteri Testamento doctrina primùm sine literarum auxilio tradita fuit, postea verò Scriptura tradita est: ita in Nouo Testamento, primùm non acceperunt legem scriptam, sed Spiritus promittebatur: Ille vos docebit omnia. Cęterùm quia temporis lapsu, quidam propter dogma, alij propter morum improbitatem, grauiter impegerunt, iterum literis opus fuit.

De singulis vero Euangelistis notanda sunt antiquitatis testimonia, qua occasione, & quo ex consilio ex diuina inspiratione doctrinam Euangelij scripto complexi sint. Inde enim ea, quę ostendere constituimus, planissima erunt.

De *Matthæo* inquit Hieronymus ex Eusebio: quod in Iudęa Euangelium ediderit, ob eorum maximè causam, qui Hierosolymis ex Iudęis crediderant.

diderant. Cùm enim primum prædicasset Euangelium viua voce, volens transire ad gentes, primus Euangelium conscripsit, quod fratribus, à quibus ibat, in memoria dereliquit: siue, vt Eusebius planius loquitur, vt Iudæis prædicati sui Euangelij μνημόσυνον relinqueret. Et addit Hieronymus illam, quam supra annotauimus, sententiam: Sicut enim necesse fuit ad confirmationem fidei Euangelium prædicari: sic & contra hæreticos scribi.

Chrysostomus, in opere imperfecto, refert: cum in Palæstina grauis persecutio oriretur, illi, qui ex Iudæis conuersi erant, si fortè carendum esset doctoribus fidei, ne carerent doctrina, petierunt à Matthæo, vt omnium verborum & operum Christi conscriberet eis historiam: vt vbicunque essent futuri, totius secum haberent fidei statutum. Thomas his verbis Chrysostomi sententiam recitat: vt dispergendis, totius fidei, quam viua voce tradiderat, summam scripto complecteretur. Chrysostomus verò ita recitat: Matthæum scripsisse rogatum à Iudæis: vt quæ verbis docuisset, hæc eadem literis seruanda, post discessum suum dimitteret.

Notet autem lector illud Thomæ: in Euangelio Matthæi, totius fidei, quam Apostoli Hierosolymis ex Iudaismo conuersis tradiderunt, summam scripto comprehensam esse. Et μνημόσυνον eius doctrinę, quę primis annis prędicationis Apostolicæ Hierosolymis & in Iudæa, in vera Ecclesia sonuit, nos habere in scripto Matthæi.

Fuit autem Matthæus Apostolus, cuius doctrinæ fides & veritas miraculis ab ipso Domino cōfirmata est, & scripsit viuentibus & docentibus adhuc reliquis Apostolis. Scripsit autem illi Ecclesiæ, quam primam sibi filius Dei post ascensionem Hierosolymis collegit, in quo quotidie adhuc vigebat & sonabat viua voce Apostolorum traditio. Manifestum ergo est, qua occasione, & quo consilio, Matthæus suum Euangelium scripto primus complexus sit, & quę sit indubitata eius autoritas.

In Cypro Matthęi Euangelium fuisse in tumulo Barnabę inuentum, Theodorus lector testatur. Hieronymus scribit Pantæum, cum à Demetrio, Episcopo Alexandrino missus esset in Indiam, reperisse Bartholomæum ibi predicasse fidem Christi, iuxta Matthæi Euangelium, quod etiam Hebraicè scriptum inde secum attulit Alexandriam. Notetur hoc, vt inde cognoscatur, quantum ipsi Apostoli huic scripto tribuerint.

De *Marco*, Eusebius lib. 2. cap. 15. & Nicephorus lib. 2. cap. 45. ita scribunt, Petrum, cùm Romam ad refutandas Simonis Magi præstigias proficisceretur, comitem assumpsisse Marcum, & prædicatione sua ibi tantùm effecisse, vt auditores, non contenti viua voce, sicut Nicephorus inquit: vel, sicut Eusebius loquitur, non contenti non scripta diuinæ prædicationis doctrina, Marcum discipulum eius rogârint, vt eam doctrinam, quam verbo traditam accepissent, Scripturę traderet, & literis memoriæ mandaret: vt domi forisque in huiusmodi verbi meditationibus permanerent. Quorum pium & iustum desiderium vbi Petrus intellexisset, vt vidit, factum confirmauit, & in perpetuum legendam Scripturam Ecclesiis tradidit.

Chrysostomus, qui asserit, non vsque adeò certum esse, quibus in locis quisque Euangelistarum scripserit, dicit, in Aegypto auditores rogasse Marcum, vt ea, quæ à Petro & Paulo accepta viua voce tradidisset, scripto complecteretur. Vt vt autem sit, hoc manifestum est, qua occasione, & quo consilio scriptum sit Marci Euangelium, & quæ sit eius autoritas.

Nec quenquam moueat, quod Marcus non fuit vnus ex numero Apostolorum. Augustinus rationem, quod Marcus & Lucas, qui non fuerunt Apostoli, ad conscribendam historiam Euangelij diuinitùs vocati sunt, hanc reddit. Ne putaretur, quod attinet ad prædicandum & percipiendum Euangelium interesse aliquid, vtrùm illi annuntient, qui Dominum hîc in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt? An hi, qui ex illis fideliter comperta crediderunt, diuina prouidentia procuratum est, per Spiritum Sanctum, vt quibusdam etiam ex illis, qui primos Apostolos sequebantur, non solùm annuntiandi, verùm etiam scribendi Euangelium tribueretur autoritas? Hæc Augustinus.

Fuit autem Marcus non contemnendæ autoritatis vir in Ecclesia, vt enim disputationem illam, quæ omninò est verisimilis, non faciamus nostram, an sit ille Ioannes cognomento Marcus, cuius mater, Act. 12. versi. 12. discipulus hospitium præbuit. Et cuius mentio fit, Act. 12. v. 12. 13. & 15 v. 5. & 39. Hoc constat, Marcum vnum fuisse ex præcipuis discipulis Petri. Dicit enim 1. Epist. 5. ver. 13. Salutat vos Marcus filius meus. Et Paulus circa finem vitæ & cursus sui, 2. Tim. 4. v. 11. inquit: Marcum adiunge tibi, & adhuc mihi. Est enim mihi vtilis ad ministerium.

Quod ad Lucam attinet, non disputabo de eo, quod Tertullianus, Origenes, Eusebius, Hieronymus, Chrysostomus & veteres plerique omnes dicunt, Paulum, quando dicit, secundum Euangelium meum intelligere historiam illam Euangelicam, cuius ipse sit autor, Lucas verò Scriba tantùm. Præfatio enim Lucæ videtur diuersum tradere, nisi intelligatur, & Paulum Euangelium suum ab Apostolis suis accipisse, quod ipse negat, Galat. 1. v. 17. Item, An de Luca intelligendum sit, quod Paulus inquit, 2. Cor. 8. ver. 18. cuius laus est in Euangelio, per omnes Ecclesias: Ostenderet hoc sane valde solennem approbationem Euangelij Lucæ per omnes Ecclesias.

Sed non opus est illis incertis & detortis disputationibus, cum habemus certiora & firmiora testimonia. Ipse enim Lucas in præfatione confirmat, se ea, & quidem eo modo, sicut Apostoli, qui ab initio ministerij Christi fuerunt oculati testes gestorum ipsius & ministri verbi, tradiderunt, scripto suo complexum esse. Et addit: Ea, quę de historia Euangelica tunc in tota Ecclesia, apud omnes credentes πεπληροφορημένα hoc est, nota, certa, & indubitata fuerunt, se descripsisse. Et quidem hoc consilio, hac de causa, & in hunc finem: quia multi tentabant, vel non diligenter, vel non fideliter narrationes illas conscribere. Vt Theophilus, incertis opinionibus & dubiis libris reiectis, sicut inquit Eusebius, eorum quæ viua voce ex veris Apostolorum traditionibus acceperat, haberet talem certitudinem, ne subinde suboriri incipientibus aliis, peregrinis & incertis traditionibus tanquam vento circumferretur. Hanc enim esse Emphasin & proprietatem voca-

bulorum, τοῦ κατήχηθης, ἡ τῆς ἀσφαλείας, quibus Lucas vtitur, eruditi norunt.

Certum quidem est, Lucam non fuisse Apostolum, Epiphanius, Theophilactus & plerique veteres disputant, fuisse vnum ex 70. & quidem illum, cui cũ Cleopha Christus in itinere, Emauntem versus, apparuerit, Luc. 24. v. 13. Sed ipse negat, se fuisse αὐτόπτην gestorum Christi, & ministrum verbi, ipso in carne versante. Nisi forsan hoc velit, se non ab initio, sicut Apostolos interfuisse concionibus & miraculis Christi. Septuaginta enim postremo anno vocati sunt.

Tertullianus vocat virum Apostolicum. Constat enim, quòd fuerit perpetuus comes peregrinationis Pauli. Cui Paulus hoc testimonium perhibet: Omnes me reliquerunt, Lucas solus mecum est 2. Tim. 4. v. 11. Item, Salutat vos Lucas Medicus dilectus, Col. 4. vers. 17. Ad Philem. versic. 24.

Obseruandum verò est, Lucam non fuisse otiosum comitem. In actis enim ita loquitur: Venimus, prædicauimus, &c. Et quia genere fuit Antiochenus, & professione Medicus, videtur Act. 11. v. 26. conuersus esse ad finem Christi, & adhæsisse Paulo. Et ne ideò minoris sit auctoritatis Euangelium ipsius: quia ipse nec vidit res gestas Christi, nec audiuit conciones, affirmat se omnia à primis initiis historiæ Euangelicæ, non obiter & superficialiter, sed exquisitia diligentia exquisiuisse & peruestigasse, vt ea, quæ Apostoli tradebant, animaduersione & intelligentia rectè & plenè assequeretur. (Ita enim verbum παρακολουθῶ vsurpatur à Luciano in Sympositio) cum non omnibus, quæ acta erant, ipse interfuisset: sed ex aliis cognouisset & exquisiuisset.

Et Demosthenes περὶ στεφάνου, παρηκολουθηκότα τοῖς πράγμασι ἐξ ἀρχῆς, pro quo Lucas dicit: ἄνωθεν. Idẽ περὶ παραπρεσβείας fol. 272. dicit se abhibuisse illam diligentiam, vt quæ acta fuerant in legatione, tam certò & exactè cognosceret, ac si ipse præsens interfuisset. Ita vsurpatur etiam contra Timocratem, fol. 490. Et hæc significatio verbi commodior est ad commendandam auctoritatem Euangelij Lucæ, quam ea quam Budæus sequitur, de serie narrationis, vt nihil cognitione dignum prætermittatur. Nam & Paulus, cuius comes Lucas fuit, ita vsurpat illud verbum, 1. Tim. 4. v. 6. & 2. Tim. 3. v. 10.

Irenæus lib. 3. c. 14. pulcrè confert hac in re præceptorem Paulum & discipulum Lucam. Paulus Mileti conuocationis presbyteris dicit: Non subtraxi vobis, vt non annuntiarem omnem sententiam Dei. Lucas verò sine inuidia, quæ didicerat, tradidit, inquiens: Sicut tradiderunt nobis.

Hæc de tribus Euangelistis, sigillatim notari possunt, de quorum scriptis Augustinus in genere inquit: Eo tempore scripserunt, quo non solũ ab Ecclesia Christi, verùm etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari meruerunt, &c. Omninò enim Apostolica auctoritate opus fuit, vt approbarentur, & Ecclesiis, tanquam fundamentum & columna fidei (sicut Irenæus loquitur) commendarentur Euangelistarum scripta. Illorum enim erat de his testimonium perhibere, quos Christus elegerat & præordinârat, vt essent tales testes rerum à se gestarum. Ita Tertullianus refutaturus Euangelium, quod Marcion pro genuino Ecclesiis obtrudebat, opponit, non posse probari, Euangelium istud esse vel traditũ, vel scriptum, vel approbatum ab Apostolis. Et inquit: constituimus in primis, Euangelicum instrumentum Apostolos auctores habere: quoniam prædicatio Apostolorum suspecta fieri possit, si non assistat illi auctoritas magistrorum: imò & Christi, qui magistros Apostolos fecit.

Hactenus igitur de Matthæo, Marco & Luca monstrauimus, qua occasione & quo consilio scripserint, & quorum auctoritate illorum scripta approbata sint. Est autem hæc obseruatio & iucunda & vtilis: scilicet quæ fuerit summa fidei, quam Apostoli in Ecclesia Hierosolymitana tradiderunt, literis consignatam esse in Euangelio Matthæi: & quæ sit doctrina, quam Petrus viua voce tradidit Romanæ Ecclesiæ, cuius fides in vniuerso mundo, viuentibus Apostolis annunciabatur, Roman. 1. vers. 8. literis Marci memoriæ esse mandatam. Hæc enim sunt Antiquitatis verba. Lucas verò ipse affirmat se ea conscripsisse, quæ Apostoli in Antiochena Ecclesia, quæ prima Christianis hoc nomen dedit, tradiderunt: & quę Ecclesiæ illæ Gentium, quas cum Paulo perlustrauit, certa & indubitata fide tenebant. Et hæ Ecclesiæ, Hierosolymitana, Antiochena & Romana, extra omnem controuersiam tunc fuerunt præcipuæ. Addatur autem & Alexandrina, ad quam Marcus cum Euangelio suo, postquam illud conscripsisset, profectus esse scribitur. Et iam de Ephesina etiam dicemus.

Si ergo pio studio quæritur, quæ sint veræ & indubitatæ Apostolorum traditiones: Quæ sit πληροφορία, hoc est, certa & indubitata fides primę Ecclesiæ, imò illarum Ecclesiarum, quas Tertullianus vocat matrices? Lucas controuersiam illam, quæ caput est dissensionis inter nos & Pontificios, in sua præfatione dilucidè dirimit. Quæ inter nos sunt certæ fidei, sicut Apostoli nobis tradiderunt, constitui accuratè conscribere.

Restat vt de quarto, hoc est, de *Ioanne* aliquid dicamus. Huic enim Deus longiorem vitam post mortem reliquorum Apostolorum cõcessit, ideò sine dubio: quia præuidit fore, vt Ecclesiæ statim post excessum Apostolorum turbarentur prætextu traditionum Apostolicarum. Vt igitur Apostolica vigilantia Ecclesiæ ad omnem posteritatem prospiceretur, ne vel suppositititiæ traditiones, vel adulterina scripta, pro vera & genuina Apostolorum doctrina Ecclesiis obtruderentur, permisit Deus Ioannem Apostolum diutius in carne manere, tanquam vigilem & postremum inspectorem. Nota enim est historia, quam Tertullianus & Hieronymus recitant. Cùm statim post mortem Pauli, libellus quidam de Periodo Pauli & Teclæ in Ecclesia spargeretur, & à multis sub nomine & titulo Pauli circumferretur, presbyterum quendam in Asia σπουδαστὴν Pauli convictum à Ioanne Apostolo, quod auctor esset istius libri, & confessum, se hoc Pauli amore fecisse, & ob id loco excidisse. Hæc sunt Hieronymi verba in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum.

Historia autem de Euangelio Ioannis, si diligenter consideretur, multa vtiliter monet. Cùm enim post mortem Domitiani, Ioannes ex Pathmo, in qua Apocalypsin scripsisse dicitur, sub Nerua rediisset in Asiam, inuenit Ecclesias miserè perturbatas, clamoribus Cerinthi & Ebionis: qui,

qui, reliquis Apostolis morte sublatis, Iohanne verò relegato, iactabant alias traditiones, quas Apostoli viua voce suis familiaribus tradidissent. De Cerintho enim citatur ex Caio, quòd reuelationibus quibusdam, velut à magno Apostolo conscriptis, portenta sua inducere conatus fuerit. Et illud certiùs adhuc colligitur ex c.2. & 3. Apo. Ibi enim describitur, qualis fuerit Ecclesiarum status interea, dum Ioannes in exilio esset. Et c.2.v.2. disertè dicitur: Examinasti eos, qui glorantur se esse Apostolos, & non sunt. Item v.20. Permittis mulierem Iesabel, quæ dicit esse prophetissam, hoc est, nouas prophetias seu traditiones, quasi ab Apostolis profectas, fingit; vt formam doctrinæ Apostolicæ deprauet, docere. Et quo prætextu sint vsi, indicat in Epistola ad Ecclesiam Thyatirensem v.24. τὰ βάθη ὡς λέγουσι, hoc est, non vulgaria illa Apostolorum dogmata, quæ omnibus in Ecclesia exposita, & nota sunt adferimus: sed profunda, recondita, & abstrusa mysteria, quæ Apostoli non cuiuis è vulgo publicè effuderunt, sed silentio veneranda esse docuerunt, & priuatim suis familiaribus viua voce per manus tradiderunt: (vtor verbis Pontificiorum.) Iohannes verò vocat profunda Satanæ. Hinc certò potest intelligi, quibus certaminibus quassata fuerit Ecclesia, interea dum Iohannes in exilio erat.

Cum igitur hæ controuersiæ ad Iohannem, qui iam ex Pathmo reuersus erat, deferrentur, non tantùm, vt scribit Eusebius lib.3.c.24. ab Episcopis Asiæ, sed, (vt inquit Hieronymus) multorum fidelium & totius Ecclesiæ legationibus, trium Euangelistarum, quorum auctoritas strepitu profundiorum & reconditarum traditionum in dubium vocabatur, scripta vidisse, & probasse fidem & veritatem dictorum. Quia verò hæc quæstio magnis tumultibus agitabatur: Essentne alia & plura tradita quam scripta? hoc est, An omnia, quæ Dominus fecisset & dixisset, quæque Apostoli de ipsius rebus gestis tradidissent, comprehensa essent in scriptis trium Euangelistarum? Iohannes igitur ea, quæ præter trium Euangelistarum narrationes & facta sciebat, & tradita nouerat, quæque Spiritus S. Ecclesiæ ad omnem posteritatem necessaria & sufficientia iudicauit, conscripta sua Euangelica historia adiecit. Maximè: quia Ebion solum Matthæi Euangelium recipiebat, cui peculiares interpretationes, quasi ex traditione acceptas, affingebat, Iohannes igitur ex ipsius Christi concionibus, quas ideò accuratiùs quam reliqui descripsit, veram interpretationem sumendam esse monstrauit.

Addit autem Iohannes suæ scriptioni hanc conclusionem, cap.21.v.25. Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum, arbitror, mundum capere posse eos, qui scriberentur libros. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia est Iesus Christus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Iohan. 20. versi.31. Quas sententias Augustinus, Chrysostomus & Cyrillus intelligunt & interpretantur, non tantùm de Iohannis scripto, verum etiam de trium reliquorum historiis. Verba illorum adscribam. Augustinus tractatu 49. in Iohan.11. *Cùm Dominus Iesus multa fecisset, non omnia scripta sunt*, sicut idem Iohannes testatur, multa Dominum Christum, & fecisse & dixisse, quæ scripta non sunt. Electa autem sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur. Cyrillus. Non omnia, quæ fecit Dominus conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quàm ad dogmata sufficere putarunt, vt recta fide & operibus ac virtute rutilantes, ad regnum cœlorum perueniamus in Christo Iesu. Chrysostomus; quia Ioannes pauciora aliis Euangelistis dixerat, subiungit: Multa quidem & alia &c. Sed nec alij omnia collegerunt, sed quæ ad faciendam auctoribus fidem erant necessaria. Et quod supra annotauimus ex Augustino de consensu: Quicquid Dominus de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum Euangelistis tanquam suis manibus imperauit. Cyrillus in præfatione in Ioannem inquit: Diuinitus inspirata est, omnium Euangelistarum doctrina. Nam cùm quasi ab alta specula, cuncta circumspiciat, auditorum vndique commodum ita diligenti studio colligit, vt, qui veritatem diuinorum sitiunt dogmatum, si rectum omninò scripturarum sensum inquirunt, facillimè, quicquid eis conferat, in ea inueniant.

Coniungit autem Iohannes suum testimonium cum testificatione Ecclesiæ, quæ custos est Scripturæ sacræ. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimus: quia verum est testimonium eius, Iohan. 21.ver.24.

Hoc igitur modo constitutus est Canon (sicut Ecclesia loquitur) quatuor Euangelistarum. Primò illo tempore scripserunt tres priores Euangelistæ, quo & ab Ecclesia Christi, & ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari meruerunt: Sicut supra ex Augustino annotauimus.

Secundò: cùm post mortem Apostolorum, reliquorum scripta Euangelistarum ab hæreticis prætextu traditionum, in dubium vocarentur de veritate & perfectione, Iohannes diuina inspiratione suam adiecit historiam, & vnà cum testificatione veræ Ecclesiæ sui temporis, testimonium perhibet quatuor illis scriptis, de fide, veritate, & de perfectione seu sufficientia, quantum fidei & saluti Ecclesiæ Spiritus sanctus necessarium iudicauit.

Addamus & tertium auctoritatis testimonium. Post mortem enim omnium Apostolorum varia exorta sunt de Scriptura certamina. Marcion vnicum tantùm Lucæ Euangelium recipiebat. Ebionitæ Matthæi tantùm, repudiatis cæteris. Alogi tres tantùm Euangelistas recipiebant: Ioannis verò Euangelium damnabant. Multa verò falsa & supposititia, vt Euangelium Basilidis, Appellis, &c. Multa ψευδεπίγραφα Ecclesiæ obtrudebantur. Gnostici ferebãt Philippi quoddam Euangelium. Nazaræi Euangelium secundum Hebræos. Alij iuxta Aegyptios, secundum Thomam, Matthiam, Bartholomæum: Euangelium Petri, Andreæ, duodecim Apostolorum, & Nicodemi, Proteuangelium Iacobi, &c.

Ecclesia verò, cuius aures adhuc personabant recentis memoriæ voces Apostolorum, tuebatur auctoritatem quatuor Euangelistarum, quorum scripta ab Apostolis approbata, & Ecclesiis commendata esse meminerat, & verè, vt de re nota & comperta, testari poterat.

ψευδεπίγραφα verò & supposititia, reiecta & dã-

nata sunt, duabus rationibus. 1. Sicut antea ex Tertulliano annotauimus: quòd viuentibus Apostolis illa scripta nec essent Ecclesiæ tradita, nec ab Apostolis approbata. Cùm Apostolica auctoritas ad hanc rem necessaria sit. Quòd verò obiiciebant hæretici, Apostolos quædam palàm & vniuersis, quædam secretè & paucis demandasse, & hæc post mortem eorum proferri, egregiè refutatur à Tertulliano de præscriptione hæreticorum. 2. Quia forma doctrinæ, sicut ab Apostolis tradita erat, tunc adhuc plenè, purè, sincerè sonabat publicè in Ecclesiis. Irenæus igitur & Tertullianus ostendunt, traditiones omnium Ecclesiarum, quas recens ab Apostolis acceptas religiosè conseruabant, consentire cum Scriptura. Et nullas alias traditiones, quæ sub Apostolorum titulo & nomine iactentur, recipiendas, quàm quæ & Scripturâ comprehensæ, & illi consentaneæ sint. Ita enim traditiones & Scripturam coniungit Irenæus libro 4. capit. 63. Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vno quoque loco esse Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos custodia sine fictione, scripturarum tractatione plenissima, sine falsatione & ablatione, & secundum scripturas expositio legitima & diligens, & præcipuum dilectionis munus, quod est pretiosius quàm agnitio, &c.

Ita Serapion apud Eusebium lib. 6. Euangelium quoddam, præferens titulum Petri, deprehendit esse adulterinum. Inquit enim: Nostrates, & Petrum & alios Apostolos ἀποδεχόμεθα sicut & Christum, sed ὀνόματα αὐτῶν ψευδεπίγραφα, velut ἔμπειροι eorum sensus & sententiæ παραιτούμεθα: scientes quod talia οὐ παρελάβομεν.

Hæc de scriptis quatuor Euangelistarum principio annotare volui, quæ: quia complectuntur dicta & gesta Saluatoris, sunt quasi materia doctrinæ Apostolicæ, siue Noui Testamenti. Quomodo verò ex hac materia extruantur articuli fidei seu dogmata Apostolicæ Ecclesiæ, hoc est, quomodo dicta & facta Christi, in Euangelistarum scriptis comprehensa, accommodanda sint ad doctrinam de pœnitentia, de fide, de fructibus pœnitentiæ: & quomodo falsa dogmata inde refutanda sint, ostendunt Epistolæ Apostolicæ, de quarum auctoritate & approbatione eodem modo, sicut de Euangelistarum scriptis diximus, vtiliter tractari potest, vt fides nostra acquiescat in hoc fundamento. Sicut Tertullianus inquit: cum credimus, nihil desideramus vltrà credere. Hoc enim prius credimus non esse, quod vltrà credere debeamus.

Et res manifesta est. Quæ enim Christus fecit & docuit, Euangelistarum scriptis, quantum saluti credentium sufficere Spiritus S. indicauit, comprehensa sunt. Quomodo verò illa sint intelligenda, & ad vsum transferenda, quæ dogmata, exhortationes, refutationes & consimilia inde extruenda: in Apostolicis literis explicatur. Sed hæc tractatio non est præsentis loci. Progrediamur itaque ad argumentum, quod nos tractare instituimus.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ

IN HARMONIAM EVANGELICÆ HISTORIÆ.

INDEX CAPITVM ET VERSVVM SINGVLORVM EVANGELISTARVM PROVT IN HAC Harmonia exponuntur.

MATTHÆVS.

Caput	Vers.		Harm.Cap.
I.	1 —— 17		III.
	18 —— 25		VII.
II.	1	12	X.
	13	15	XII.
II.	16	18	XIII.
	19	23	XIV.
III.	11	12	XVI.
	13	17	XVII.
IV.	1	11	XIX.
	13	17	XXXV.
	16	17	XXXIX.
	18	22	XXXVI.
	23	25	XLI.
V.	1		L.
	1	12	LI.
	13	16	LI.
	17	48	LI.
VI.	1	4	LI.
	5	15	LI.
	16	18	LI.
	19	34	LI.
VII.	1	5	LI.
	6	12	LI.
	13	14	LI.
	15	23	LI.
	24	29	LI.
VIII.	1	4	LII.
	5	13	LIII.
	14	15	XXXVIII.
	18	22	LXIII.
	23	27	LXIV.
	28	34	LXV.
IX.	1	18	LXVI.

Caput	Vers.		Harm.Cap.
	2	8	XLIII.
	9		XLIV.
	10	18	LXVI.
	18	36	LXVII.
	27	31	LXVIII.
	32	34	LXIX.
	35	38	LXXI.
X.	1	15	LXXII.
	16	42	LXXII.
XI.	1		LXXIII.
	2	6	LV.
	7	30	LVI.
	16	19	LVI.
	20	24	LVI.
	25	26	LVI.
	27	30	LVI.
XII.	1	8	XLVII.
	9	13	XLVIII.
	14	21	XLIX.
	22	45	LIX.
	46	50	LX.
XIII.	1	35	LXI.
	36	52	LXII.
	54	58	LXX.
XIV.	1	2	LXXV.
	3	5	XXXI.
	6	12	LXXIV.
	13	23	LXXVI.
	23	36	LXXVII.
XV.	1	20	LXXIX.
	21	28	LXXX.
	29	31	LXXXI.
	32	39	LXXXII.
XVI.	1	12	LXXXIII.

Caput	Vers.		Harm.Cap.
	13	20	LXXXV.
	21	28	LXXXVI.
XVII.	1	8	LXXXVII.
	9	13	LXXXVIII.
	14	21	LXXXIX.
	22	23	XC.
	24	27	XCI.
XVIII.	1	20	XCII.
	21	35	XCIII.
XIX.	1	12	CXXIX.
	13	15	CXXX.
	16	26	CXXXI.
	27	30	CXXXII.
XX.	1	16	CXXXII.
	17	19	CXXXIV.
	20	28	CXXXV.
	29	34	CXXXIX.

MARCI.

Caput	Vers.		Harm.Cap.
I.	1	8	XVI.
	9	11	XVII.
	12	13	XIX.
	16	20	XXXVI.
	21	28	XXXVII.
	29	31	XXXVIII.
	32	34	XXXIX.
	35	38	XL.
	39		XLI.
	40	45	XLII.
II.	1	12	XLIII.
	15	22	LXVI.
	23	28	XLVII.
III.	1	5	XLVIII.

INDEX.

LVCÆ.

IOANNIS.

INDEX IN LIBRVM PRIMVM Harmoniæ Euangelicæ D.D. MARTINI CHEMNITII.

Quæ in Prologomenis reperientur hac nota P. indicantur.

Iesus

INDEX

INDEX IN LIBRVM SECVNDVM Harmoniæ Euangelicæ D.D. MARTINI CHEMNITII.

Minis

Finis Indicis Secundi Libri.

INDEX IN LIBRVM TERTIVM Harmoniæ Euangelicæ.

D

E

Verborum

FINIS INDICIS TERTII LIBRI.

INDEX IN SECVNDAM PARTEM Libri Tertij Harmoniæ Euangelicæ.

E

F

Legionis

Quis &

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM IN LIBRVM Quartum Harmoniæ.

B

C

K

L

M

N

O

P

Q

R

Reli-

INDEX IN POSTERIOREM PARTEM quarti libri Harmoniæ Euangelicæ.

D

Filius

Ordo

Verorum

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM IN LIBRVM Quintum Harmoniæ.

FINIS.

LIBER PRIMVS.

HARMONIÆ EVANGELICAE,

COMPLECTENS EA QVÆ INCHOATIONEM PVBLICI MINISTERII CHRISTI IN EVANGELIca historia antecedunt, Historias scilicet de conceptione, natiuitate & educatione Baptistæ & Christi. Item, de inchoatione ministerij Baptistæ, vsque ad Baptismum Christi.

CAPVT PRIMVM.

Continens proœmium Lucæ, & periocham Iohannis, in totam Euangelicam historiam.

RATIO ORDINIS.

CERTVM est, Harmoniam Euangelicam non posse conuenientius Exordium habere, quàm proœmia, quæ ab ipsis Euangelistis præposita sunt. Et videtur sanè Matthæus titulum historiæ suæ voluisse exprimere, cùm ita incipit: [*Liber generationis Iesu Christi.*] Sed res ipsa ostendit, illis verbis, de vna tantùm particula historiæ suæ, de genealogia scilicet Christi, Matthæum loqui. Quòd verò librum vocat, Hebraica phrasis est: quia Catalogus genealogiarum liber vocatur, Genes. 5. ver. 1. Ita, quòd Marcus his verbis orditur: [*Initium Euangelij Iesu Christi,*] non est præfatio in totam historiam: sed, quia non à natiuitate vel Iohannis vel Christi, sed à publico ministerio Baptistæ, historiæ suæ initium facturus erat, dicit, publicam seu solennem promulgationem Euangelij, seu Noui Testamenti, tale habuisse initium, sicut à Prophetis prædictum fuerat, à voce scilicet Baptistæ clamantis in deserto. Ita ergo Matthæus & Marcus non habent talia Exordia, quæ tanquam proœmia vniuersæ historię Euangelicæ pręmitti possint: Sed Lucas expresse in totam Euangelicam historiam à se conscriptam præfatur.

Initium vero Euangelij Iohannis, quem locum in Harmonia Euangelica habere debeat, disputatur. Quidam illud post historiam baptisati Christi, & quidem post cœlestem illam vocem [*Hic est filius meus dilectus*] subiungunt. Veteres vero, Tatianus, Ammonius, Gerson, & alij etiam recentiores, illum textum *Iohannis* faciunt initium Harmoniæ Euangelicæ. Existimant enim, Iohannem, bono & vero ordine, moto præsertim tunc Cerinthi certamine, primùm de æterna Christi natiuitate & subsistentia dicendum iudicasse, priusquam historia temporalis ipsius natiuitatis & conuersationis texatur. Sed inter illos quidam contextum illum Iohannis ita discerpunt, vt primam tantùm eius partem proœmij loco ponant, reliquas verò particulas eius, vt de missione Baptistæ, & aduentu λόγου in mundum, aliò transponant: ad historias scilicet de vocatione Baptistæ, & de natiuitate Christi. Iudico autem disquisitionem hanc expeditam & planam fore, si res ipsæ considerentur, quæ in illo Euangelij Iohannis initio tractantur. Cùm enim certissimum sit, totius historię Euangelicæ summam esse, de missione ac ministerio Baptistæ & Christi: & res ipsa ostendat Iohannem, in illo Euangelij sui initio, hæc capita summatim complecti voluisse. Verbi scilicet, quod ab æterno fuit, aduentum in carnem, ab initio mundi promissum, & ipsum tandem verbum suo tempore incarnatum venisse in mundum, Baptistam verò suo ministerio viam Christo præparasse. Et Christum ipsum doctrina, miraculis, & aliis diuinis testimoniis, gloriam suam ostendisse, sed tamen à multis repudiatum, à quibusdam verò receptum ad salutem. Quæ ipsissima & summaria descriptio est totius ministerij Christi: sicut & Paulus Roman. 1. versi. 2. hoc modo summam Euangelij complectitur. Manifestum igitur est Iohannem, in illo Euangelij sui initio, non ordinem historiæ texere (testificationem enim Baptistæ pręponit incarnationi Christi) sed summam seu argumentum totius historiæ Euangelicæ, de ministerio scilicet Baptistæ & Christi, paucis complecti, & tanquam proœmium reliquæ narrationi, in qua summaria illa capita latiùs explicantur, præmittere voluisse. Et hac ratione ἀκολουθία omnium sequentium simplicissimè & mollissimè cohæret.

Duo ergo illa proœmia, Lucæ & Iohannis, in hoc primo capite coniungemus, in quorum altero Iohannes, tanquam testis αὐτόπτης qui gloriam vnigeniti ipse vidit, & doctrinam eius coràm audiuit in altero Ecclesia Apostolica, quæ ex viua Apostolorum traditione doctrinam acceperat, testimonium veritatis Euangelicæ historiæ perhibent: vt nullum aptius seu commodius initium Harmoniæ Euangelicæ excogitari posset. Nec multum refert, vtrum proœmium alteri præponatur. Iohanni quidem, propter testimonij grauitatem, quia αὐτόπτης fuit, videtur primus locus deberi. Sed simplicissima ratio est, si proœmia iuxta ordinem temporis, quo scripta sunt, collocentur. Præterea etiam Lucæ præfatio generalis est, de historia Euangelica, sicut ab Apostolis tradita, & ab Ecclesia certa fide tunc recepta fuerat. Eius verò historiæ, quę sint summaria capita, proœmium Iohannis compendio exponit. Ita vtriusq; proœmij ratio pulchrè sibi constat. Atque inde commoda fit digressio ad seriem narrationis historicæ.

PROOEMIVM LVCÆ, IN HISTORIAM Euangelicam, Luc. 1.

1. Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων·	1. *Quoniam complures aggressi sunt contexere narrationem earum quæ inter nos certissimæ fidei sunt, rerum.*
2. Καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται, καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου·	2. *Sicuti tradiderint nobis, qui ab initio suis oculis viderant, ac pars aliqua fuerant eorum quæ narrabant.*
3. Ἔδοξε κἀμοί, παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, καθεξῆς σοὶ γράψαι, κράτιστε Θεόφιλε.	3. *Visum est & mihi, vt cunctis, ab initio exacta diligentia peruestigatis, deinceps tibi scribere, optime Theophile.*
4. Ἵνα ἐπιγνῷς, περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν.	4. *Quò agnoscas eorum, de quibus edoctus fueras, sermonum certitudinem.*

Periocha procemij Lucæ.

EVANGELIVM Lucas in hoc proœmio vocat narrationem seu expositionem, quam de persona, vita, officio & rebus gestis Christi, Apostoli viua voce tradiderunt, quámque vniuersa tunc Apostolica Ecclesia, certa fide & plena ascensione receperat. Et πεπληροφορημένα quidem hoc loco à quibusdam intelliguntur res completæ seu peractæ in ministerio Christi: sed propria vocabuli significatio illustriorem præbet emphasin. Quando enim de fide, seu de personis credentium dicitur, opponitur hæsitationi: & significat, certa persuasione aliquid credere seu statuere Rom.4.ver.11. Quando verò de rebus, vt hoc loco dicitur: tunc πεπληροφορημένα opponuntur vel falsis vel dubiis de quorum veritate & certitudine non satis constat. Ac πεπληροφορημένα dicũtur ea, quę certò explorata, & firmis testimoniis, quod ita se habeant, comprobata sunt, vt nullus sit dubitationi locus: sed animus illis certa fide & plena assensione meritò & tutò assentiatur. Vnde Græci interpretes de animo obfirmato hoc verbo vtuntur, Eccl.8.ver.11. Et Syrus paraphrastes hoc loco reddidit per Chald [illegible] quod significat talem persuasionem, qua omnino mens fidelis acquiescit.

Obseruandi autem sunt gradus certitudinis historiæ Euangelicæ in hac descriptione Lucæ. Primò enim dicit, quod Euangelium non sit ab incertis auctoribus confictum vel sparsum, sed traditum sit ab illis, qui à Deo peculiariter delecti fuerunt testes, Act.1.ver.8.& 10.v.14. vt ab initio ministerij Christi essent αὐτόπται καὶ ὑπηρέται, spectatores & prę́sertim auditores eorum, quæ Christus cœpit facere & docere. Secundò: Quòd traditum sit ab illis, qui fuerunt ministri λόγου. Ibi quidam λόγον, Christi personam intelligunt, cuius ministri fuerunt Apostoli: Alij per Ebraismum pro re gesta λόγον accipiunt. Sed simpliciùs hoc loco λόγος intelligitur doctrina Euangelij, sicut sæpissime ita vsurpatur: Vt sensus sit: eam esse veram Euangelij doctrinam, quam Apostoli, vt legati diuinitus vocati, & ad prædicandum missi, viua voce per totũ mundum tradiderunt. Tertiò: Dicit res illas, quas historia Euangelica describit, in nobis siue inter nos, hoc est, cũ Lucas viueret & scriberet, in tota pura Apostolica Ecclesia, fuisse tũc certissimæ fidei. Quartò: Addit ea, quæ à Christo facta & dicta, ab Apostolis tradita, à prima Ecclesia recepta fuerunt, vera, certa, & authentica auctoritate etiam literis ad posteritatẽ mandata esse. Quòd enim dicit, quosdam conatos contexere Euangelicam historiam, quia hãc quasi causam assignat, qua ipse ad scribendum impulsus sit, pleriq; intelligunt de scriptis vel adulterinis vel incertis, qualia multa sparsa fuisse, veteres annotârunt: in hoc verò proœmio reiiciuntur. Et simul ostenditur primæ Apostolicæ Ecclesiæ diligentia, in examinandis scriptis Euangelicis. In hoc autem sensu particula (sicut tradiderunt Apostoli) referenda est, non ad præcedentia, sed ad sequentia: quòd scilicet historiam Euangelicam, sicut tradita & recepta erat, multi conati quidem fuerint conscribere, sed parum rectè & feliciter illud præstiterint.

Possunt verò etiam hæc verba intelligi de Matthæi & Marci libris Euangelicis, ante Lucæ scriptionem editis. Ἐπεχείρησαν enim non significat vanum conatum: sed ad verbum significat, manum operi admouere, vel aliquid aggredi. Et sicut διήγησιν de publica & authentica scriptura vsurpatur: vt cùm Leges in tabulis describuntur, vel cùm aliquid in acta publica refertur. Ita Lucas verbo ἀνατάξασθαι, contextam à prioribus Euangelicam narrationem videtur approbare. Idem etiam coniunctio (ET) videtur insinuare. [*visum est κἀμοὶ & mihi.*] Si enim pseudoeuangelistas intelligeret, simpliciter diceret: Quoniam multi infideliter scripserunt, visum est mihi. Iam verò dicit, [*visum est & mihi:*] annumerans se illis, qui priùs hoc argumentum tractârunt. Atque si hoc sensu verba accipiãtur, tunc in hoc proœmio Lucæ approbantur, & vt vulgò loquimur, canonisantur priorum Euangelistarum scripta, & quidem testimonio valde illustri: quod scilicet scripserint ea, quæ in prima Apostolica Ecclesia certissimæ fidei fuerunt: quódque ea ita scripserint, sicut reliqui Apostoli viua tunc voce in Ecclesia tradebant. Et quia Lucas dicit; [*Sicut αὐτόπται tradiderunt nobis:*] significat, ergo se nec Apostolum, nec ex septuaginta discipulis fuisse. Illi enim αὐτόπται: hi verò ministri sermonis fuerant. Nec à Paulo, sed à reliquis Apostolis, qui ab initio spectatores fuerunt, historica illa se accepisse.

De sua verò scriptione Lucas præfatur [*visum est & mihi.*] Vsurpatur autem ἔδοξε, non de tumultuaria cogitatione, aut incerta opinione: sed de iis, quæ certo consilio & graui deliberatione decreta sunt: vt Act.15.v.20 Visum est Spiritui sancto & nobis. Ita, cùm de censu quærunt Pharisæi, dicunt: Quid tibi videtur? Matth.22.ver.17.

Et causam, cur post alios scribat, hanc Lucas indicat: quòd ἄνωθεν, hoc est, sicut Act 26 v 5. vocabulum illud vsurpatur, altiùs, à primis vsque historiæ initiis: à conceptione scilicet, natiuitate & educatione Baptistæ, & Christi, quæ à prioribus prætermissa videtur, omnia inquisierit, & inde velit ordiri, & καθεξῆς hoc est, certo quodam consequentiæ vel cohærentiæ ordine & contextu, reliquas historias annectere. Licèt enim ordinem rerum gestarum Lucas vbique non seruet, habet tamen suam quandam rationem contexendi historias, quod aduerbio καθεξῆς significatur. Syrus vtitur Græco vocabulo τάξις.

De sua verò in scribendo diligentia & fide Lucas contestatur: se non obiter aut perfunctoriè, sed accurata & exacta diligentia singula exquisiuisse, peruestigasse & perdidicisse, priusquam incœperit scribere. Talem enim diligentiam vocabulum ἀκριβῶς significat. Syrus vtitur vocabulo [illegible] quod cuiusdam diligentiam cum anxia sollicitudine coniunctam significat. Talis enim diligentia in tradendis sacris requiritur. Quòd verò dicit παρηκολουθηκότι πᾶσιν: quidam de personis intelligunt, quasi Lucas omnium Apostolorum qui αὐτόπται fuerunt sectator fuerit: ac à singulis sciscitatus fuerit, quæ ad veritatem Euangelij pertinẽt. Alij ad scriptionẽ Lucæ referunt: quod nihil prætermiserit, sed ab initio omnia sit sua scriptione persequutus; sed simplicissimè de exploratione & cognitione rerũ, intelligitur: sicut Paulus de percepta doctrina verbum illud vsurpat. 1. Tim. 4. v.6. & 2. Tim.3. ver.10. Significat autem non superficialem seu perfunctoriã, sed certam & solidam cognitionem, quando nihil eorum, quæ ad rei cognitionẽ pertinent, prætermittitur: sed quasi vestigia sequendo singula, etiã quibus ipsi non interfuimus, diligenter exquiruntur, peruestigantur, obseruantur & notantur, vt ex ipsis fundamentis certa, plana seu solida cognitione comprehendantur. Ita vsurpatur hoc verbum apud Demosthenem, de exacta peruestigatione negotij, cui ipse non interfuerat, contra Timocratem, παρηκολουθηκέναι τοῖς πράγμασιν ἐξ ἀρχῆς. Item περὶ παραπρεσβείας pag.271. Et Lucianus in Symposio cùm non omnibus, quæ gesta fuerant, interfuisset, sed ea aliunde inuestigasset, vtitur hoc verbo. Nec testimonium hoc Lucæ, de sua scriptione tanquam priuatum seu proprium, eludi debet. Tunc enim hoc scripsit, quando Apostoli qui adhuc viuebant ac docebant, & prima Ecclesia Apostolica, iudicare & testari poterant, testimonium hoc de Lucæ scriptione verum esse. Et notetur hæc obseruatio, quàm accurata & sollicita diligentia libri Canonici conscripti sint.

Porrò historiam suam Lucas inscribit Theophilo: quod intelligi posset, cuius Deum amãti hæc conscripta esse; vt Theophilus appellatiuum nomen sit. Sed quia additus titulus, κράτιστε Præsidibus à fortitudine & præstantiæ tribuitur, Actor. 23. v.26.& 26.v.25. quasi strenue seu fortissime, Inde Theophilactus intelligit, fuisse primotem quendam, Theophili nomine dictũ: vt ita ostendatur, principes debere nutritios Ecclesiæ & custodes doctrinæ esse. Et nihilomninus pertinet hoc Euangeliũ ad vniuersam Ecclesiam: sicut & Pauli epistolæ priuatis inscriptæ. Syrus retinet nomen Theophili, vt proprium & addit epitheton, quod à victoria & excellentia nomen habet.

Finalem verò causam suæ scriptionis Lucas ita exponit: [*vt cognoscas certitudinem sermonum in quibus catechisatus*] hoc est, viua voce institutus *es*. Verbum enim κατηχεῖσθαι, Gal.6.v.6. Actor. 19.& 1.Cor.14 v.19. vsurpatur de compendiaria & simplici institutione, quando prima fundamenta seu elementa doctrinæ Christianæ viua voce proponebantur. ἠχεῖν enim est voce sonare. Syrus vocabulo Thalmud reddidit, quod de traditionibus viuæ vocis intelligunt.

Et ἀσφάλεια significat talem certitudinem, qua certi reddimur nos non errare seu decipi. Nam παρὰ τὸ μὴ σφάλλεσθαι, hoc est, à nõ errando dicitur. Et Syrus reddidit שררא quod ratione duplicationis significat stabilem confirmationem, & firmam assertionem.

Et inde obseruatur, ideo doctrinam Apostolorum libris seu scriptis monumentis mandatam, vt Ecclesia habeat certum testimonium, firmum fundamentum & solidam cõfirmationem, vnde explorare, agnoscere & probare possit, quæ fides non erret: sed vera & certa sit. Lucas enim vtitur composito verbo ἐπιγινώσκειν, quo Græci reddiderunt Ebræum נכר quod significat accuratam explorationem & agnitionem discernentem vera à falsis, dubia à certis. Et Theophylactus inquit, γινώσκομεν ignota, ἐπιγινώσκομεν quando ea, quæ antea vtcunque cognita fuerunt, diligentiùs & certiùs cognoscimus. Ne igitur quibusuis doctrinis circumferamur, dicit Lucas, certam contra deceptiones & errores ἀσφάλειαν in scripturis Ecclesiæ traditam esse. Illæ emphases vocabulorum de Scriptura diligenter notandæ sunt, cõtra pontificios. Colligitur etiam hinc morem fuisse in Apostolica Ecclesia, vt primum elementa doctrinæ Christianæ simplici compendio traderentur Ebr.6.v.1. Deinde verò sic institutis scripta Euangelica proponerentur vt eorum quæ simpliciter credebant, certa fundamenta & testimonia ex Scriptura haberent. Vnde & hoc colligitur, ea quæ in Apostolica Ecclesia viua voce tradita fuerunt, non alia, sed eadem fuisse cum iis, quæ postea scriptis Apostolicis comprehensa sunt.

PROOEMIVM IOHANNIS, CONTINENS argumentum totius Historiæ Euangelicæ, Ioh. 1.

1. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος.
2. Οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν.
3. Πάντα δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο· καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν.
4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων.
5. Καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν.
6. Ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης.
7. Οὗτος ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν, ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτὸς ἵνα πάντες πιστεύσωσι δι᾽ αὐτοῦ.
8. Οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς, ἀλλ᾽ ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός.
9. Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον.
10. Ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω.
11. Εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον.
12. Ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ.
13. Οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ᾽ ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν.
14. Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο· καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν (καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς) πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας.

1. *In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & Deus erat sermo.*
2. *Hic erat in principio apud Deum.*
3. *Omnia per ipsum facta sunt: & sine eo factum est nihil, quod factum est.*
4. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.*
5. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt.*
6. *Erat homo missus à Deo, cui nomen Iohannes.*
7. *Hic venit ad testificandum, vt testaretur de luce, vt omnes crederent per ipsum.*
8. *Non erat ille lux illa, sed missus erat, vt testaretur de luce.*
9. *Erat lux illa, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.*
10. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.*
11. *In sua venit, & sui eum non receperunt.*
12. *Quotquot autē receperūt eū, dedit eis, vt liceret filios Dei fieri, videlicet his, qui credidisset in nomē ipsius.*
13. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*
14. *Et sermo ille caro factus est, & habitauit in nobis (& conspeximus gloriam eius, gloriam velut vnigeniti à Patre) plenus gratia & veritate.*

Periocha proœmij Iohannis.

MVLTIS mirabilibus disputationibus pulcerrimus hic textus non tam explicatus quàm obscuratus fuit. Plana autem & simplicia sunt omnia, si cogitatur propositum Iohānis esse, in hoc textu summam totius doctrinæ Euangelicæ complecti. Quia igitur Cerinthus fingebat Christum merum esse hominem, licèt reliquis excellentior esset, & ante incarnationem nihil vel fuisse vel egisse. Ideò Iohannes vtranque naturā in Christo disertè describit, & eodem verbo, quo Moses, historiam Euangelicam orditur. Vtitur autem de Christo illo vocabulo, quo vulgò tūc promissus Messias ex Chaldaismo, ratione promissionis seu patefactionis, vocabatur מומרא & מלרא. מלתא quod Græcè loquens vulgus λόγον tunc appellauit, hoc est. Verbum, vt Psam. 110. vers. 1. Dixit Dominus Verbo, sede à dextris meis. Esa. 43. v. 2. Thargum habet: Ne timeas Iacob, Verbum meum in auxilio vestro, & redemptor vester sanctus Israel. Esa. 45. v. 17. Israel saluatus erit in Verbo seu per Verbum saluatione sæculorum. Ose. 1. ver. 7. Saluabo eos in Verbo, seu per Verbum Domini Dei eorum.

Affirmat igitur Iohannes, [*in principio,*] cùm scilicet omnia, quæ facta sunt, initium sumerent, λόγον illum, de quo Psal. 33. v. 6. inquit, per Verbum Domini cœli firmati sunt: & Thargum, Esa. 44. v. 24. Extendēs cœlos per Verbum, iā tum substituisse: nec verò tunc cœpisse aut factum esse, sicut reliquas creaturas, sed vt verum æternum Deum, & apud Deum, vtpote peculiarem seu distinctam personam substitisse: & quod deitatis proprium est, omnia, quęcunque facta sunt, per λόγον illum cōdita esse. Dixit enim Deus. & facta sunt, Genes. 1. ver. 3. & Psal. 33. v. 9 Et omnia quæcunque sunt & viuunt, in ipso & per ipsum consistere, sustentari & conseruari, Coloss. 1. v. 17. [*In ipso enim vita erat.*] Humanum verò genus à Verbo illo habuisse nō tātum quod Paulus dicit: In ipso sumus, viuimus, & mouemur Act. 17. v. 28. Sed vitam illam, quæ erat in Verbo, dicit fuisse [*lucē hominum*] quia scilicet homo ante lapsum ad imaginē Dei & ad beatitudinem à Deo per λόγον creatus, illustratus & viuificatus fuerat. Cúmque per lapsum tenebræ ignorantiæ, prauitatis, miseriæ & mortis in humanam naturam inuectæ essent, ad liberationem & restitutionem generis humani promissum fuisse illius Verbi aduentum in carnem, per quod initio homo factus, & ad imaginem Dei viuificatus & illustratus fuerat. Et hāc fuisse lucem, Iohannes dicit [*quæ luxit in tenebris:*] post lapsum scilicet generis humani, etiam ante incarnationē verbi: licèt tantæ fuerint tenebræ, vt à maxima parte generis humani λόγος ille, promissionibus se Ecclesiæ patefaciens, non fuerit receptus. His verbis Iohannes complectitur totum tempus Veteris Testamenti, inde ab initio vsque, ostendens non nouam esse doctrinam seu fidem Euangelij.

Obseruentur autem gradus. 1. dicit: statim in tenebris, hoc est, post lapsum, promissum aduentum λόγου. 2. dicit fuisse in prima creatione hominis. 3. apud Deum fuit ante conditum mundum, cùm decretum redemptionis fieret. 4. ab omni æternitate fuit apud Deum.

Describit igitur Iohannes λόγον fuisse apud Deum ante conditum mundum, quia decretum, de redemptione generis humani per Christum, factum est ante tempora sæcularia, priusquam fundamenta terræ iacerentur, Ephes. 1. vers. 4. & 2. Tim. 1. v. 9. Et porrò in infinitam æternitatem deducit λόγον coæternum Patri cùm dicit: [*Erat Deus & apud Deum.*] Scriptū enim est, Esa. 43. ver. 10. Ante me non est formatus Deus, & post me nō erit. Præcipuè verò ad illam considerationem deducit nos Ioannes: quòd per λόγον omnia sint facta, quódque per ipsum homo ante lapsum ad imaginem Dei fuerit creatus; vt ostendat, opus redemptionis & iustificationis hominis lapsi tātum esse vt non potuerit per vllam creaturā effici, sed necesse fuerit incarnari illam diuinitatis personam, per quam omnia facta, & homo ad imaginem Dei primò creatus fuerat, vt ita ostendat; Illum solum posse perditum genus humanum reficere seu reparare, per quem initiò conditum fuit. Illum solum posse à tenebris & morte liberare, ac vitam restituere, in quo in principio fuit vita & lux hominum. Illum solum posse imaginem Dei in nobis restituere, & efficere, vt in filios Dei adoptemur, qui est substantialis imago Dei, & Filius vnigenitus à Patre. Vtque certi simus, beneficia Christi redemptoris & mediatoris, de quibus Euangeliū concionatur, nobis apud Deum rata, & contra omnes inferorum portas firma esse: ideo Iohānes in proœmio præmittit Filium Dei λόγον factum redemptorem & saluatorē nostrum, per quem omnia facta sunt, in quo vita & lux hominum erat in principio, vt ita fides salutis nostræ non recumbat in creatura extra Deum: Maledictus enim, qui confidit in homine, & carnem ponit brachium suum, Ier. 17. v. 5. Quòd igitur Iohannes Euangelium orditur ante tempora sæcularia, sicut Paulus loquitur, & à prima creatione hominis, causas habuit grauissimas, quarum consideratio doctrinam præbet consolationis plenissimam.

His ita declaratis, facilis iam erit vocabulorum explicatio. Varia disputata sunt, quare Filius Dei appelletur λόγος. Et Tertullianus contra Praxeam contendit, appellatione λόγου rationem potiùs seu cogitationem quàm sermonem vel verbum, hoc loco intelligendum. Sed simplicissima videtur ratio; quia Chaldaismus, populo tunc vsitatus, Messiam propter promissionē verbo patefactam, vulgò vocauit מימרא & מלתא quod Græcè λόγον, Latinè Verbum significat, Iohannem appellatione illa, quę de Messia omnibus tunc recepta & vsitata erat.

simpliciter voluisse vti, sicut & alias tales phrases retinuit Iohannes: vt quòd dicit: Credere in nomen vnigeniti, Saluari per nomen eius. Veteres enim Messiam designaturi, dixerunt Schema, Nomen illud, sicut scilicet in promissione Deus personam & officium Messiæ patefecerat, nam & Rabini ita loquuntur. Sed quia Iohannes etiam ante promulgatam promissionem, Genes.3.versi.15. filium ab æterno subsistentem, & tum quando per ipsum omnia facta sunt, appellat λόγον: Ideo Basilius, Nazianzenus, & Augustinus sentiunt, quia cogitatio à mente sine passione & corruptione procedit, & est perfecta mentis imago, nec mens vnquam est sine cogitatione: Ideo Filium appellari λόγον, vt aliquo modo ostendatur, filium ab æterno insensibiliter sine passione & corruptione à Patre genitum esse, imaginē Dei, coæternum Patri. Et inde tanquam ex obscura traditione veteres Philosophi, Chaldæi, Aegyptij & Platonici, sicut Theodoretus de Græcis affectionibus ostendit, in diuinitate nominarunt νοῦν καὶ λόγον: & λόγον dixerunt esse filium mentis. Sed Valentiniani postea, & alij hæretici, ex illa similitudine mentis & cogitationis seu Verbi, horrenda finxerunt prodigia. Valdè cautè igitur & sobriè hæ similitudines Veterum tractandæ & accipiendæ sunt. Aliæ verò rationes appellationis λόγου simpliciores & illustriores sunt, vt secundò appelletur λόγος ideò, quia mentem & voluntatem Patris in Filio agnoscimus, sicut λόγος, hoc est, sermo seu verbum est Character animi. 3. Quia decretum redemptionis & saluationis generis humani ante conditū mundum, in Christo, sicut Paulus dicit, factum est. 4. Quia pater per ipsum dixit decretū creationis, dixit enim, & facta sunt. Eph.1.v.4 5. Quia promissio de aduentu Christi, verbo patefacta est statim post lapsum. 6. Quia ab initio post lapsum λόγος fuit persona loquens cum Patribus. 7. Quia in carnem missus, legatus fuit Patris, enarrans nobis voluntatem Patris. Et hanc rationem appellationis videtur Iohannes ipse ostendere, cùm inquit: (*Filius qui in sinu Patris est, ipse enarrauit nobis.*)

Additur autem articulus ὁ λόγος vt significetur, Iohannem loqui non de vulgari verbo, aut de externa voce promissionis: sed de illo verbo quod Chaldæi Mimus, Messiam nominaturus, ita appellat, sicut diximus. Non autem dicit, Verbum fuit in principio, quasi nunc esse desierit: sed *erat* hoc est ὑφίστατο subsistebat, vt æternam eius durationem ostendat: sicut in Apocalypsi ideo vocatur ὁ ὤν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος. Apoc.1.ver.4.

Principium quidam interpretati fuerunt Patrem, in quo fuerit Filius. Sed mox post dicit: (*Verbū in principio erat apud Deū*) Vbi distinctè Pater & Principium nominantur. Simpliciter itaque intelligitur de principio temporis: quando omnia quę facta sunt, cœperunt esse. In illo principio dicit λόγον non factum aut cœpisse: sed iā tum substitisse, hoc est, non habuisse principium. Rectè itaque de æternitate λόγου hæc sententia hoc modo exponitur.

Porro dicit. [*Verbum illud fuisse apud Deum.*] Et maluit dicere, apud Deum quàm in Deo, vt verbum illud, per se subsistere ostenderet. Quod enim per se non subsistit, propriè non dicitur apud alium, sed in alio esse. Et præpositio illa πρὸς, simul & distinctionem personæ Patris & Filij, (propriè enim Iohannes non dicitur esse apud Iohannem) & vnitatem essentiæ significat. Atque ideò non præpositione παρὰ, sed πρὸς hoc loco vtitur: sicut Græcis dicuntur πρὸς ἡμᾶς ὑπάρχοντες, quæ eiusdem generis & familiæ sunt. Syrus habet præpositionem לות Ad, quæ à coniunctione nomen habet. Et sententia est, quæ alibi explicatur: Ego in Patre, & Pater in me, Iohan.14. ver.10. quia vnum sumus, Iohan.10.ver.30. Sumpta autem est phrasis hæc ex 8.cap.Prouerb. vbi vers.30. sapiētia dicitur fuisse apud Deum vel corā Deo, sicut & πρὸς vsurpatur Iohan.5.v.45. Ego non accusabo vos apud Deum. Et explicatur phrasis, Ioh. 17.ver.5. Glorifica me ea gloria, quā habui apud te, priusquam mūdus fieret. Si itaq; quæratur, vbi fuerit λόγος, priusquā vel mūdum condiderit, vel manifestatione per incarnationem in mūdum venerit? Respondet Iohannes: fuit apud Deum. Extra mūdum igitur, extra & ante omnes res creatas, λόγον in æternam diuinitatis essentiam, maiestatem & gloriam collocat.

Et [λόγος ille, inquit *erat Deus.*] Et quia vnus tātùm est Deus: ergo eiusdem essentiæ est cum Patre. In his enim sententiis, Θεὸς sine articulo, accipitur essentialiter, cum articulo verò, personaliter. Et articulus ostendit λόγον esse subiectum, de quo prædicetur, quòd sit Deus. Et ne quis cauillationem quærat, 1.Iohan. 5.ver.20. addit interpretationem, quòd sit verus Deus. Hunc locum Arriani falsa distinctione deprauarunt, ita legentes: Verbum erat apud Deum & Deus erat. Ac deinde per distinctionem, nouam sententiam subiecerūt; Verbum hoc erat in principio apud Deum, sicut annotat Augustinus de Doct. Christ. li. 3.c.2.

Quòd vero sequitur. [*Hic erat in principio apud Deum.*] videtur esse ταυτολογία: sed Iohannes illa repetitione ostendit, illud ἐν ἀρχῇ addendum etiam reliquis clausulis: scilicet, Verbum erat in principio. Et erat in principio apud Deū. Et in principio erat Deus. Ne quis cogitet, cœpisse ipsum in tempore aliquando esse Deum, & personam diuinitatis: sed sciat, ab æterno & fuisse, & Deum fuisse, & apud Deum. Et tam paucis verbis Iohannes de Filio Dei, per se in diuinitate, tum quod ad essentiam, cùm quod ad personam attinet, considerata, loquitur.

Mox verò progreditur ad ea, quomodo ex arcana sua maiestate procedens, in operibus creationis & restitutionis se manifestauit, & hæc pluribus explicat, vtiliter præscribens nobis certas metas agnitionis diuinæ, quam rectè in θεολογίαν καὶ οἰκονομίαν distinguunt.

Dicit igitur, [*omnia per λόγον facta.*] Ne quis eum cum Arrio Deum nuncupatiuum fingat, Iohannes ab operibus diuinitatem eius probat, eandem enim omnipotentiam ipsi cum Patre tribuit. Et creatio mundi proprium solius diuinitatis opus est; sicut Iustinus in libro de Monarchia recitat hos Pythagorę versus,

Εἴ τις ἐρεῖ θεός εἰμι παρὲξ ἑνὸς, οὗτος ὀφείλει
Κόσμον ἴσον τούτῳ στήσας εἰπεῖν ἐμὸς οὗτος.

Si enim per λόγον omnia facta sunt. Ergo creaturis nō potest annumerari: cùmque inter Deum & creaturam nullum sit medium, efficitur, λόγον esse Deum. Quòd verò non dicit, ab ipso, sed [*per ipsum,*] distinctionem & ordinem inter Patrem & Filium ostendit. Et ex Psalm.33.ver.6. sumpsit illud: præpositionē enim Dauidis Beth בדבר Iohannes reddit: per Verbum facta sunt omnia. Ita Heb.1.ver.2. Pater per filium sæcula condidit: vel, à Patre, per filium creata sunt omnia. Ne verò per filiū tanquam organum aut ministrum creatio facta putetur: sicut Paulus dicit: 1.Cor.3.ver.5. Ministri sunt per quos credidistis, addit Iohannes, [*Sine ipso factum est nihil*] vt ostendat, Patrem cum Filio creasse omnia, & eandem esse potentiam & operationē, in creatione, Filij, quæ est Patris: sicut inquit, Ioh.5.ver.17. Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Sicut Pater viuificat, ita & Filius. Varia autem de loci huius distinctione disputata olim fuerunt. Latini enim interpretes ferè omnes, & inter Græcos etiam Cyrillus, ita legunt. Sine ipso factum est nihil: vt deinde noua sequatur sententia, quod factum est in ipso vita erat. Inde vero Manichæi hoc extruxerunt apud Aug. de natura boni c.25. Nihil, hoc est, res corruptibiles, quorum esse cōtinuò transmutatur in Nihilum, non esse à Verbo creatas, sed ab altero principio contrario. Augustinus verò rectè respondet, sensum esse: sine ipso factum est nihil, hoc est, quicquid in rebus creatis subsistit, per Verbum factum est. Et Aug. quidem super Iohannem philosophatur (NIHIL) posse peccatū aut malitiā intelligi, quæ quatenus est deordinatio seu defectus, non est à Deo, sed ad obliqua diaboli & hominis voluntate. Sed hæ disputationes omnes de nihilo præcidūtur, inspectis Græcis fontibus, vbi non scriptum est οὐδὲν, sed οὐδὲ ἕν, [*ne vnum quidem:*] vt sensus sit, nihil excipi, & nullam omnino rem subsistentem esse, quæ sine Verbo facta sit. Sicut Paulus Coloss.1.vers.16 vniuersalem hanc explicat; Omnia in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, in ipso & per ipsum condita sunt. Vbi præpositionē Beth, Psal. 32.v.6. Paulus dupliciter reddit: In ipso & per ipsum. Ita neglectio vel ignorantia fontium varias de nihilo gignit disputationes, quæ conspectis fontibus vnico verbo præcidi possunt.

Sequentia Macedoniani ita distinxerunt. Quod factum est in ipso vita erat, & de Spiritu Sācto blasphemè exposuerūt: quod licèt viuificet, tamen sit factus seu creatura. Sed sequentia ostēdunt, vitam de ipso λόγῳ in hoc loco accipi. Augustinus verò, qui distinctionem illam sequitur, de idæis philosophatur, quod creatura, priusquam fieret, fuerit in λόγῳ exemplariter vita, id est, intellectualiter & vitaliter. Cyrillus ita exponit, verbum erat vita in eo quod factum est, hoc est, λόγος ei, quod factū est, vitam & vigorem impertiit, vt sensus sit: per Verbum non tantùm creata omnia, verùm etiam omnia viuere seu conseruari per λόγον, cùm ex se vitam, hoc est, durandi virtutem nō habeāt. Et sententia quidē vera est, sed expositio nimis est coacta. Ideo simplicissima est Chrysostomi & aliorum Græcorum distinctio [*Sine ipso factum est nihil, quod factum est,*] vt deinde sequatur noua sententia: *In ipso vita erat.*] Et Græcum relatiuum postulat hanc distinctionem, οὐδὲ ἓν ὃ γέγονε, Sine ipso factum est, ne vnum quidem, ex iis quæ facta sunt; vt ita ab illis, quæ per filiū facta sunt, excipiatur. 1. Pater & Spiritus Sanctus; sicut & 1. Cor.15.ver.27. vniuersalis ita restringitur. Omnia subiecit sub pedibus eius, sine dubio præter eū, qui subiecit ei omnia. 2. Vt excipiatur etiam peccatum: sicut scriptum est 1.Iohan.2 versiculo 16. Omne quod in mundo est, non est ex Patre, sed ex mundo.

[*In ipso vita erat.*] λόγος quidem essentia & natura sua est ipsa vita per se: sed quia Iohannes ostendere vult, λόγον non tantùm omnia condidisse, sed etiam omnium essentiam & vitam sustētari & conseruari per ipsum, ideo dicit; [*In ipso vita erat.*] Sicut Paulus inquit, Act.17.v.28. In ipso viuimus, mouemur & sumus. Coloss.1.v.17. Omnia in ipso & per ipsum cōsistunt. Heb.1.v.3. sustinēs omnia Verbo potētiæ suæ. Viuifica enim virtus, qua omnia viuificantur & cōseruātur, vnde omnia vitā, & vigorē haben

bent, est in λόγῳ, non sicut accidens in subiecto; sed quia natura & essentia est vita. Nam & de Patre, dicitur, Iohan. 5. v. 26. Sicut Pater habet vitam in se manentem: sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.

Pergit autem Euangelista per gradus ostendere omnia, quę in creaturis sunt bona, à Verbo esse. 1. scilicet ESSE, cùm inquit: facta sunt. 2. VIVERE, cùm dicit: In ipso vita erat. 3. INTELLIGERE, cùm inquit: vita erat lux. Præcipuè verò Iohannes ad primam creationem hominum respexit. Quòd λόγος homini impertierit vitam, non physicam tantùm sicut brutis: Sed [*vita erat lux hominum*] hoc est vult dicere, quando Deus inspirauit Adamo spiraculum vitæ, hominem ab initio per λόγον ad imaginem Dei in veritate, iustitia & sanctitate, Ephes. 4. ver. 24. atque ad vitam beatam & æternam creatum. Homo verò, per lapsum amissa illa luce, incidit in tenebras ignorantiæ, errorum, vitiorum & mortis. Et tamen ne tunc quidem λόγος genus humanum deseruit: sed patefactâ promissione de semine [*Luxit in tenebris,*] reuelando, proponens & afferens in promissione vitam suam. Sed Iohannes dicit, hominis naturam per lapsum ita deprauatam, vt non tantùm sit cæca, carens luce; sed tenebras tantas esse, quæ ne quidem illucescentem lucem ex se capere possint, nisi lux illa peculiari efficacia hominem venientem in hunc mundum illuminet, vt ipsius illustratione possit lucem capere. Et tamen hanc etiam operationem eius gratiæ à multis repudiari conqueritur, sicut ex sequentibus hęc manifesta sunt. Hanc sententiam iudico in hoc loco omnium esse simplicissimam, vt Iohannes complectatur, primam hominis creationem, lapsum & restitutionem eius, vtque ostendat, λόγον officium Mediatoris & Saluatoris non post incarnationem primùm suscepisse, sed statim post lapsum, toto tempore Veteris Testamenti exercuisse. Qui verò de donis naturalibus, qualia adhuc sunt in mente hominis corrupti, accipiunt, multa torquent & varia miscent. Sed de hominis spirituali corruptione & restitutione hæc accipienda esse, phrases etiam Paulinæ hinc sumptę ostendunt, vt Eph. 5. v. 8. Eratis aliquando tenebrę: nunc autem lux in Domino.

Digressurus autem Iohannes à Veteri Testamento ad Nouum, quod & quomodo Filius Dei, iuxta promissionem in carne manifestatus, opus redemptionis perfecerit, summam & argumentum historiæ de Baptista præcursore præmittit; quòd scilicet iuxta Prophetarum vaticinia fuerit à Deo missus ante faciem Christi, vt sua testificatione, cui summam auctoritatem Deus circumdederat, per prædicationem & Baptismum manifestum Israëli faceret Christum, sicut postea inquit. Et quia Iohannem plerique Christo præferebant, vel æquabant, Euangelista ostendit differentiam inter Dominum & ministrum. Iohannes fuit homo: Christus λόγος, Deus, vita & lux; Iohannes non fuit missus, vt esset ipsa lux, sed vt de Christo, qui vnus & solus est vera lux, depellens tenebras ignorantiæ, peccatorum & mortis, hominibus testificaretur. Ne verò Baptistæ officium nimis deiicere videatur, addit, ministerium Baptistæ organum fuisse, per quod diuina virtus homines ad agnitionem & fidem Christi adduxerit & illuminarit. Hic enim est sensus verborum, [*vt omnes crederent per ipsum.*] Et hoc discrimen post Iohannem etiam Paulus retinet, quod ministris tribuit credere, δι' αὐτῶ. Deo vero & Christo tribuitur credere εἰς αὐτὸν & ἐν αὐτῷ. Et Syrus hoc loco significanter loquitur, vt crederent per manum, hoc est, per ministerium eius. Et docet hic locus; quod Paulus multis explicat. 1. Cor. 3. v. 4. non faciendam confusionem, vt ea, quæ Christi propria sunt, ministris tribuantur: & tamen ministerio etiam suam debere constare dignitatem & auctoritatem, quòd scilicet sit organon, per quod Deus sit efficax & incrementum det, Ministri enim sumus, per quos credidistis 1 Cor. 3. v. 5.

Quòd verò dicit, [*vt omnes crederent,*] intelligit, omnibus Iudæis Baptistæ testimonium voce clamantis propositum fuisse, eo consilio Dei, vt omnes crederent: sed plerosque repudiasse consilium illud Dei, Luc. 7. v. 30. Ac doctrina Baptistæ nunc etiam inter gentes sonat, vt per illam omnes credant in Christum: et multi eam repudient. Quomodo verò Iohannes testificatus de Christo, ad historiam pertinet. Euangelista verò hoc loco, tanquam in procemio, summam & argumentum tantum ponit.

Occasione verò testimonij Baptistæ, Euangelista priùs de officio Christi, de eius reprobatione & receptione, quàm de incarnatione loquitur, *Erat*, inquit *lux vera*. Duplicem addit articulum: *Erat lux illa, & vera illa lux*, de qua scilicet Prophetæ prædixerunt: vt sis in lucem gentium, Isa. 49. vers. 6. Philosophi iactitant naturæ seu rationis lumen, ad bene beatéque viuendum. Iudæi habebant figuratam seu vmbratilem lucem, in qua vmbræ hærebant. Illi falsæ ac vanæ, & huic vmbratili luci opponitur vera lux. Præcipuè verò, quia Baptista vocatur lucerna. Iohan. 5. ver. 35. Apostoli vocantur lux mundi Matth. 5. ver. 14. quia ministerio suo testantur de lumine, & Euāgelij lucem hominibus præferunt; credentes vocantur lux, Eph. 5. vers. 8. quia Spiritu illuminati sunt. Christum vocat veram lucem: quia lux est, non participatione, sed per se, natura seu essentia lux est, ita vt origo, causa & fons sit omnis splendoris. Intelligit autem non sensibilem hanc lucem, sed veram, hoc est, spiritualem, cœlestem diuinam & æternam lucē. Nec multis disputat, quomodo lux illa in se refulgeat, sed quòd nos illuminet. Et ex antithesi tenebrarum, illuminatio simplicissimè intelligitur. Nam 1. contra ignorantiæ tenebras, reuelatione verbi & illustratione Spiritus ad veram agnitionem, nos illuminat. 2. Cōtra peccati tenebras, imputatione iustitiæ, remissione peccatorū & inchoata in hac vita renouatione, nos illuminat. 3. Contra tenebras iræ Dei, gratia, reconciliatione & adoptione faciē Dei super nos illustrat, sicut Scriptura loquitur, Num 6. v. 25. 4. Cōtra tenebras miseriarum, consolatione, mitigatione & liberatione nobis illucescit. 5. Contra tenebras exteriores mortis & damnationis, vita & salute æterna nos illuminat, 2. Tim. 1. vers. 10. Vitam illuminauit Col. 1. ver. 12. ad sortē sanctorū in lumine. Hæc beneficia illuminationis dicit solius Christi propria esse.

Quòd verò addit: [*Illuminat omnem hominem*] ostendit nullum hominem in hunc mundum nasci, qui hanc lucem natura habeat aut secum afferat; sed omnibus, quia in densissimis & tristissimis tenebris nascuntur & viuunt, necessarium esse, vt ab hac luce ita vt dictum est, illuminentur, nisi in tenebris perire velint. Nec vllam aliam esse lucem, quæ tenebras nostras illuminare possit, præter vnicam & solam hanc lucem, vt dicatur omnes homines illuminare, quia nullus hominum sine eo & nisi per eum illuminatur, vt sensus sit: omnis homo, quicunque illuminatur, ab hac luce & non aliunde vel aliter illuminatur. Sicut eadem phrasi Psal. 146. ver. 8. dicitur. Alleuat omnes, qui corruunt: cùm tamen in lapsibus suis multi maneant. Quòd autē non omnes illuminantur, ipse mox expressè dicit. [*Mundus eum non cognouit. Sui eum non receperunt.*] Sed hoc fit ipsorū culpa, qui magis diligunt tenebras, quàm lucem, Ioh. 3. vers. 19. Christus verò illuminat omnes: quia non solis Iudæis, vt antea, nec quibusdam tantùm: sed omnibus hominibus proponit & offert lucem, sicut inquit: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Marc 16. ver. 15. Docete omnes gentes, Matth. 28. ver. 19. Ac tanta huius lucis vis est, vt possit non paucos, sicut lucerna aliqua, sed omnes homines illuminare. Et tanta est bonitas, quòd velit omnes illuminare: sed homines magis diligunt tenebras quàm lucem, Ioh. 3. v. 19.

Alij propter particulam vniuersalem, cùm videant non omnes homines spiritualiter illuminari, exponunt hunc locum de lumine rationis, quæ communis est omnibus: sed ita celebratio beneficiorum Christi in spirituali illuminatione ex hoc expungeretur. Et Christus non ideò venit in mundum, vt homo fieret creatura rationalis, neque hoc de ipso Baptista testatus fuit: sed de spirituali illuminatione Zacharias canit. Luc. 1. ver. 79.

Clausula verò addita [*ἐρχόμενον venientem in mundum*] in Græco textu posset referri etiam ad τὸ φῶς. quòd scilicet lux illa veniens siue aduentu suo in mundum, illuminaret homines: sed simplicius refertur ad hominem venientem in hunc mūdum, vt sit talis antithesis. In Veteri Testamento, in angusto mundi angulo, paucis, qui scilicet erant ex carnali semine Abrahæ, & ex circumcisione, lux illa refulsit. Iam verò omnem hominem venientem in mundum illuminat, non exigens circumcisionem vel alias ceremonias, sed quicunque nascitur in mundum, cuiuscunque gentis, linguæ & conditionis sit. Nam Iohan. 18. ver. 37. nasci & venire in mundum coniunguntur, vt sit descriptio vniuersalitatis, sicut Iohan. 3. ver. 16. Sic dilexit mundum, vt omnes. Et Iohan. 12. ver. 46 Ego sum lux mundi. Et Augustinus non malè dicit, hac particula indicari, quare omnes homines egeant huius lucis illuminatione. Per vnum enim hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Omnes igitur homines, qui veniunt in mundum, in quem intrauit peccatum & mors, egent illuminatione huius lucis, nisi velint in tenebris perire. Origenes disputat, animas antea in alio mundo, hoc est, in cœlo apud Deum fuisse, & supplicij loco, in corpora detrusas: Sed textus non habet (in hunc mundum) sed simpliciter (*in mundum*)

Et notetur, quòd λόγος, qui ante fuit in mundo, dicitur (*Venisse*) propter nouum & extraordinarium præsentiæ modum. Ita enim Scriptura solet loqui. (*Venit* autem *in propria:*) vel sicut Paulus inquit 1. Tim. 1. ver. 15. Venit in mundum: qui ipsius proprius est. Nam per ipsum factus est: vel ad populum Iudaicum: quia ipsi fuerunt oues perditæ, ad quas quærendas se missum esse testatur. Matth. 15 ver. 24.

Exaggerat autem mundi malitiam quasi per gradus. 1. λόγος, inquit, vbique diuinitate sua, præsens semper fuit in mundo. 2. Mundus per ipsum factus est, hoc est, creatione & conseruatione rerum omnium præsentiam suam mundo manifestauit, sicut Paulus Rom. 1. versic. 19. inquit. 3. Patefacto verbo in tenebris mundi fulsit: & tamen mundus eum non cognouit, sicut Roman. 1. ver. 21. & 1. Cor. 1. ver. 21. explicatur, quomodo

mundus Deum non cognouerit. Poteſt verò verbum Cognoſcendi etiam ratione Ebraiſmi intelligi, quòd mundus eum nõ curârit, non probârit, non amplexus ſit. Poſtremò, inquit, non nuda tantùm promiſſione, ſed aſſumpta carne venit, non in partem aliquam mundi, vbi promiſſio de Meſſia ignota fuerat, ſed in propria, hoc eſt, ad populum Iudæorum venit, quem in peculium ſibi ex omnibus gentibus, tanquam populum peculiarem elegerat, quibus principaliter data erat promiſſio de Meſſia. Sed nec ſui, qui & promiſſionem habebant, & clamitabant ſe Meſſiam deſiderare, ipſum receperunt; quod plus eſt, quàm non cognouerunt. Significat enim, quòd præſentem, ac in carne illuſtribus miraculis ſe manifeſtantem, & ſe cum omnibus ſummis beneficiis offerentem, ſui, qui verbum habebant & cultum, non receperint, ſed reprobârint, repudiârint & reiecerint: quæ impia, malitioſa & quaſi affectata cæcitas eſt. Cùm enim primò dicit, [*Mundus eum non cognouit,*] oſtendit triſtem eſſe cæcitatem naturæ lapſæ, vt naturalibus viribus rationis nõ poſſit Chriſtum agnoſcere. Cùm vero addit: *ſuos*, qui verbum habebant, ad quos in aſſumpta carne doctrina & miraculis venit, [*eum non recepiſſe:*] oſtendit cæcitati adiunctam extremam malitiam, quod Spiritui ſancto reſtiterint, volenti ipſos illuminare dato verbo. Tribus autem in hoc capite vtitur verbis, λαμβάνειν, quòd ſignificat ſimpliciter accipere ſeu apprehendere: παραλαμβάνειν, quod ſignificat id, quod præbetur ſeu offertur recipere vel, ſicut ad verbũ ſonat, ad ſe ſumere. Et καταλαμβάνειν, quod ſignificat aſſequi, complecti & comprehendere: ſicut tenebræ dicuntur hominem comprehendere, quando tenebris inuoluitur, Ioh.12. verſ.35. Ita homo dicitur lucem apprehendere, quando lucem admittit & recipit, ita vt lucidus fiat, & clarè cernat. λαμβάνειν & παραλαμβάνειν hoc loco Syrus reddit per verbum קבל vnde cabala dicitur, quod ſignificat doctrinam diuinitùs traditam diſcere, recipere & intelligere. Vnde Paulus vocat ſermonem dignum omni acceptione. Et in genere ſignificat talem receptionem, vt quando cui aliquid donatur vel commendatur, tanquam depoſitum, vnde ſignificatio huic loco pulchrè conuenit. Relatiuum verò αὐτὸς, aliquoties hoc loco repetitum, non poteſt referri ad proximum antecedens τὸ φῶς, ſed ad λόγον.

Addit autem Euangeliſta, non fruſtra tamen Chriſtum veniſſe in mundum, ſed à multis receptum: & dignitatem atque vtilitatem, quam recipiendo conſequuti ſunt, exponit. Quia verò hactenus adoptio fuerat Iudæorum tantùm, Rom.9. ver. 4. Et eſt filius meus primogenitus Iſrael Exod 4. ver.22. Iam dicit, ὅσοι, faciens adoptionem communem ſine diſcretione gẽtium, populorum, ſanguinis, conditionis, ætatis ſexus omnibus, quotquot fide Chriſtum recipiunt. Pulcherrimàm verò & conſolationis plenisſimam ſententiam obſcurat diſputatio de poteſtate. [*vt fiant filij Dei.*] Quidam enim diſputant, Chriſtum facere nobis poteſtatem, vt ſi libuerit, viribus liberi arbitrij efficiamus nos filios Dei. Sed commentum hoc textus ipſe refellit, dicit enim: eos qui credendo receperunt eum, ex Deo natos eſſe. Et, quæ verò abſurditas eſſet iis, qui filium Dei receperunt, & ex Deo nati ſunt, neceſſarium adhuc eſſe, vt aliunde fiant filij Dei, quaſi per ipſum non acciperent adoptionem. Theophylactus, vt hanc abſurditatem vitet, hanc ſententiam interpretatur de glorioſa adoptione, quæ erit in nouiſſima reſurrectione, Rom.8. verſic.23. Adoptionem expectantes redemptionem corporis noſtri. & 1. Iohan.3. verſic.2. Nondum apparuit, quòd filij Dei ſumus. Auguſtinus ſolet exponere poteſtatem pro gratia fidei, data per Chriſtum, vt poſſimus credere atque ita fide filij Dei fieri. Quæ poteſtas, inquit, ex libero arbitrio nulla eſt. Non enim poſſumus ex noſtris viribus verè credere: ſed illud poſſe donatur nobis à Chriſto per Spiritum ſanctum. Et ſententia quidem vera eſt: coactam tamen hoc loco illam eſſe manifeſtum eſt. Simplicius igitur eſt, vocabulum ἐξουσίας rectè explicare. Significat enim non tantùm facultatem aliquid vel faciendi vel acquirendi, verum etiam dignitatem, præeminentiam, excellentiam, auctoritatem & ius aliquod. Ita Chriſtus cum auctoritate loquens, dicitur ἐξουσίαν ἔχων, Matth 7. ver.29. & Apocal.17. ver.12. dignitatem & ius ſuum dare alteri, Apoca.18 diſtinctè ponitur δύναμις καὶ ἐξουσία: & Græci interpretes שלט reddiderunt ἐξουσίαν. Vnde Rom.13. verſic.1. ac ſæpiſſimè pro præeminẽtia dignitatis accipitur. Syrus ἐξουσίαν reddit vocabulo Sultam, quod inde educitur, quando quis in dignitate ac præeminentia conſtituitur dominationi præfectus. Senſus igitur eſt, quòd illis quibus natura hoc ius non competebat, qui ſcilicet alieni à Repub. Iſraëlis, qui ſerui peccati & pœnæ, hoſtes Dei, mancipia diaboli & inferni, qui natura filij iræ erant, quod illis etiam, ſi Chriſtum recipiant, conferat hanc præeminentiam, excellentiam, ius & dignitatem, vt credendo, non tantùm in familiam eius aſciſcantur, ſed adoptentur in filios Dei. γενέσθαι, enim vtrunque ſignificat, & fieri & eſſe filios, quod fide fit.

Mox enim modum addit ſeu medium quo recipiatur Chriſtus, per quem confertur adoptio: ſcilicet [*His, qui credunt in nomen eius.* Et *nomen*] relationem ad Euangelij doctrinam complectitur: vt credere in nomen eius, ſit ita fide ipſum amplecti, ſicut in verbo ſeu promiſſione perſona & officium eius nobis deſcribitur & proponitur. Ita enim Chriſtus verè recipitur, atq; hoc modo accipimus ius illud ac dignitatem, quòd filij Dei per & propter Chriſtum cenſemur.

Quia verò homines diuites & potentes adoptaturi filios, in adoptandis reſpiciunt, vel generis nobilitatem, vel ingenij præſtantiam, vel virtutum & rerum geſtarum gloriam. Euangeliſta igitur inſtituit collationem ſeu antitheſin: Deum talia non reſpicere vel inuenire in adoptandis filiis, ſed ex mera gratia indigniſſimis hanc dignitatem propter Filium conferri, [*Qui ſcilicet non ex conſanguinibus.*] Et quod ad vocabula *Sanguinis, carnis* & *viri* attinet, Auguſtinus de ſanguine, hoc eſt, ſemine carnis, hoc eſt, mulieris & viri in generatione hominis, multa philoſophatur, vt ſenſus ſit: Filios Dei non carnali generatione naſci, ſed ſpirituali regeneratione adoptari. Sicut & Tertullianus eleganter inquit: Non naſcuntur, ſed fiunt Chriſtiani. Sed quia naturales liberi arbitrij vires in Scriptura hac phraſi deſcribuntur: Caro & ſanguis non reuelauit tibi, Matth.16 verſi. 17. Diſtributio igitur Iohannis ita ſimpliciter poteſt accipi. [*Non ex ſanguinibus.*] Iudæi enim dignitatem generis prætenderant; quòd eſſent ex ſemine ſancto Abrahami. Et quia longa generis ſerie & ſucceſſione ad Abrahamum originem ſuam referebant: ideo in plurali Euangeliſta dicit. [*Non ex ſanguinibus.*] Et in genere docet, carnali generatione ex parentibus credentibus, iuſtis & ſanctis, non propagari in liberos & poſteros adoptionem filiorum Dei, nec quenquam ideò eſſe filium Dei, quòd ex ſanctis maioribus deſcendat. Quod verò addit, [*Non ex voluntate vel carnis vel viri.*] Voluntas ſignificat ſummum ſtudium & conatum. Syrus reddidit צבינא quod electionem & arbitrium ſignificat, vt oſtendat, nomine voluntatis προαίρεσιν & liberum arbitrium hoc loco intelligi. Caro verò in Scriptura vocatur, quicquid natura ſuis viribus poteſt & efficit, ſicut vocatur iuſtitia carnis, Heb 9. verſic.10. Et viri Ebræis vocantur, quos aliæ linguæ præſtantes Heroas vocant. Syrus reddidit גבר quod validos, fortes, potentes, gigantes, ſeu Heroas ſignificat, quos Græci per ἐκθέωσιν, in numerum Deorum referre ſolebant. Et ab hoc vocabulo, etiam virtutes & res præclarè geſtæ Syris appellantur. Senſus igitur eſt, nullis, vel vulgaribus, vel heroicis ſtudiis, operibus, virtutibus, meritis aut dignitate vel præſtantia hominis quacunque acquiri poſſe veram ἐκθέωσιν. hoc eſt, adoptionem apud Deum: Sed ex mera gratia illam à Deo propter Chriſtum donari, ita, quando Spiritu ſuo per Verbum & Sacramenta fidem in nobis efficit, qua Chriſtum amplectimur & recipimus, per quem regeneramur, hoc eſt, iuſtificamur, reconciliamur & in filios Dei adoptamur. Et hoc eſt, quod Ioannes dicit: [*Ex Deo nati ſunt.*] Eius natiuitatis ſemen ſpirituale Petrus Verbum Euangelij nominat, 1. Pet.1. ver.23. Iohannes hoc loco addit fidem recipientem Chriſtum, & ca.3. v.5. ex aqua & ſpiritu nos renaſci. Hæc interpretatio ex Scriptura deſumpta omnium ſimpliciſſima & certiſſima eſt, & ſententiam conſolationis pleniſſimam præbet. Vnica igitur & ſola hæc ratio & via eſt, qua homo, naturâ filius iræ, ex gratia poteſt filius Dei fieri. Et maxima dignitas ſeu præeminentia eſt, quã Chriſtus credentibus donat, vt efficiamur & ſimus filij Dei. Neque enim titulus eſt ſine re: ſed ſicut Paulus explicat, Rom. 8. verſic.17. Si filij ergo patrem habemus propitium: ſumus ergo hæredes Dei, fratres Chriſti & hæreditatis ipſius participes, quæ tam non poteſt nobis deeſſe & eripi, quàm Chriſto fratri noſtro non poteſt deeſſe aut eripi, & ea fiducia poſſumus clamare Abba pater, qua Chriſtus Deum naturalem ſuum patrem compellat, qui etiam orat. Ioh.17. verſ.29. vt pater dilectionem illam, qua proprium ſuum filium complectitur, ad nos etiam adoptiuos ſuos filios & fratres Chriſti deriuet.

Pergit autem exponere, quomodo λόγος filius Dei in propria venerit, factus ſcilicet filius hominis, vt nos filios Dei efficeret. Hæc enim cauſa & hoc pignus eſt noſtræ adoptionis. Et vocabula diligenter expendenda ſunt. Quia enim dicit, λόγος σὰρξ ἐγένετο, Apollinaris finxit, Verbum ſolam carnem humanã ſuſcepiſſe, ſine anima: & λόγον carni illi fuiſſe loco animæ rationalis. Eutyches verò ex verbo ἐγένετο conatus fuit hoc dogma extruere, commixtione λόγου & carnis in Chriſto, vnam factam naturam, quæ nec Deo Patri, nec nobis ſit conſubſtantialis. Sed primò in Scriptura vſitatum eſt, totum hominem ſignificare & intelligere per Synecdochen, nominata vna eius parte, vel appellatione animæ, vt Gen.46. v.26. Tot animæ profectæ in Ægyptum. Act 27 verſ.37. Tot animæ fuerunt in naui; vel etiam appellatione carnis, vt Ioel.2. ver.28. Effundam Spiritum ſuper omnem carnem. Item Pſalm.145. v. 21. Benedicat omnis caro nomini eius. Rom.3. ver.20. Non iuſtificabitur omnis caro. Et hoc loco vocabulum carnis ita accipiendum, inde cõſtat. Nominatur enim Chriſtus alibi & homo, & filius hominis. Et ipſe animam ſuam expreſsè nominat, non tantum ſenſitiuã ſeu vitalem, vt cùm dicit, ſe dare animam in redemptionem, Matth

Matth. 26. v. 38. Sed & rationalem, vt: Tristis est anima mea. Matth. 26. v. 38. Item non mea, sed tua voluntas, fiat, Luc. 22. v. 42. Profectò sapientia &c. Luc. 2. v. 52. Aliàs autem homo in Scriptura vocatur caro vel ratione deprauationis Iohan. 3. v. 6. Rom. 8. v. 5. vel ratione infirmitatum & miseriarum, Psalm. 78. v. 39. Recordatus est, quia caro sunt. Esa. 40. v. 6. Omnis caro fenum. Christus ergo quia peccatum non nouit, ratione infirmitatum, quas volens assumpsit, caro appellatur. Ac maluit hoc loco Euāgelista vocabulo carnis quàm hominis vti, 1. vt ostendat λόγον non personam hominis, sed naturam assumpsisse. 2. vt indicet, non phantasma fuisse, sed veram substantiam humanæ naturæ. 3. vt immēsam illam filij Dei gratiā aliquo modo ostendat, ad quàm miseram & abiectam conditionem filius Dei ex diuinæ maiestatis solio propter nos descenderit. Cùm enim potuisset de nouo sibi, quam assumeret, creare humanam naturam, feliciorem & præstantiorem, quàm in Adamo ante lapsum fuit, voluit nostram naturam, quæ propter fragilitatem, miserias & infirmitates, quibus propter peccatum onerata est, caro appellatur, ex Maria assumere, vnà cū infirmitatibus illis: sed sine peccato, vt hoc modo ex illis miseriis naturam nostram liberaret, & ad æternam gloriam perduceret. Nominat igitur carnem, vt ad nostram miseram hanc naturā beneficia incarnationis filij Dei pertinere non dubitemus; atque ideò non erubescit, nos quātumuis miseri, hoc est, caro sumus, fratres appellare, Heb. 2. v. 11. quia & ipse factus est caro.

Verbum etiam ἐγένετο, non significat vel commixtionem vel conuersionem: vt quando aqua fit vinum, aër fit aqua, virga fit serpens: sed Scriptura per assumptionem in hoc loco Verbum fieri explicat, Hebr. 2. v. 16. Semen Abrahæ assumpsit, Phil. 2. v. 7. Formam serui assumpsit. Sicut Genes. 2. v. 7. corpus Adami, inspirato ipsi spiraculo vitæ, dicitur factum in animam viuentem. Vsus autem est verbo ἐγένετο, vt significet artissimam & indissolubilem vnionem Verbi cum carne, quæ hypostatica appellatur, vt non alia scilicet, sed vna & eadem iam sit persona λόγου & carnis assumptæ, quam semel assumptam in æternū non deponit. Non enim sicut antea visibiliter quasdam species ad tempus, quibus præsentiam suam alicubi manifestaret, assumpserat, & easdem postea rursus deposuerat: sed indissolubili fœdere hanc naturam sibi sociatam habet. Sic ergo Euangelista verba temperauit, vt simul & vnitatem personæ Christi incarnati, & cum ea differentiam naturārum, diuinæ & humanæ ostenderet. Atque ideò, quod sequitur: [*Habitauit in nobis.*] Chrysostomus, Theophylactus & Cyrillus, ad præcauendam confusionem, & ad insinuandam naturarum distinctionem ita interpretantur: quòd λόγος in assumpta carne personaliter habitarit, sicut anima in proprio suo corpore, tanquam in tabernaculo habitare dicitur 1. Cor. 5. v. 19. & 2. Pet. 1. v. 13. Atque ita propter assumptam naturam, quæ ei nobiscum communis est, dici, ipsum habitasse in nobis, hoc est, in assumpta nostra natura. Sed simplicius est, si verba illa de conuersatione exinanitionis & humiliationis inter homines, quæ Phil. 2. describitur, accipiatur: vt *in nobis* idem sit, quod inter nos. Ac videtur respicere ad id, quod scriptum est. Zach. 2. v. 10. Ecce ego venio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus, vtitur autem significanti verbo ἐσκήνωσε, quod in tabernaculis habitare significat: sicut quando peregrini olim in exiliis in tabernaculis habitarunt, vt Patriarchæ. Vel quando milites hostibus oppositi in tentoriis habitant. Et hæc significatio verbi ostendit. 1. Cùm potuisset Christus assumptam suam carnem statim ad dexterā Dei euehere, & cum ea ad patrem redire: non nihil, nisi summa diuina maiestas, gloria & virtus in ea eluxisset, quòd voluerit inter nos exules, in huius exilij miseriis, quasi posito suo tabernaculo iuxta nostrum, σκήνωσε tanquam alius quispiam homo conuersari: non quidem perpetuò, sed ad tempus (tabernacula enim opponuntur manenti & fixæ habitationi) vt ita ex hoc exilio ad beatam & perpetuam nos patriam trāsferret. 2. Cùm militia sit vita hominis super terram, Iob. 7. v. 1. sicut describitur Eph. 6. v. 13. verbum ἐσκήνωσε monet, semen mulieris, positis inimicitiis, quasi tentorium suum fixisse contra hostes nostros, donec partā victoriā triumphans ascenderit in cœlum, relinquens mundum tanquam castrense tabernaculum, vt Ecclesiam militantem ex castrensibus hisce tabernaculis, aliquando transferat ad triumphantem Ecclesiam: pulcerrima igitur est in hoc loco Metaphora tabernaculi, quæ multa monet.

Ne verò exinanitio in Christo videatur vel extinctio vel amissio fuisse diuinitatis & gloriæ eius, addit Euangelista, Licèt exinanierit seipsum, & in similitudinem hominum factus, habitu inuentus sit vt homo: Nos tamen Apostoli & reliqui credentes, vt sciremus, non hominem tantum ipsum esse, sed & verum Deum, emicantes inde radios diuinæ maiestatis, vt quę tota plenitudine in carne illa inhabitabat, spectauimus. Vtitur enim verbo ἐθεασάμεθα, quod significat non obiter videre, sed diligenter ac quasi fixis oculis aliquid inspicere & considerare. Præbuit autem Christus, sub humilitate exinanitionis, subinde spectandam etiam gloriam diuinitatis suæ in doctrina, in miraculis, in patefactionibus & testificationibus Patris & Spiritus S. in Baptismo, & transfiguratione, in morte, resurrectione & ascensione: sicut Ioan. 2. v. 11. de miraculis scriptum est: Manifestauit gloriam suam, & discipuli crediderunt in eū, & Centurio Matt 27. v. 54. videns miracula circa crucem, dixit: Verè hic filius Dei fuit. Et Euangelista dicit, nos videntes patefactiones illas, non neglex imus eas, sicut Pharisæi & vulgus, sed diligenter spectauimus, agnoscentes inde [*gloriam eius, tanquam vnigeniti.*] Et particula ὡς ex Ebraismo intelligi potest: Duplex enim habent Caph, similitudinis & Caph veritatis, quod inde simpliciter intelligi potest: Si dicam, priuatum aliquem incedere tanquam regem, cum rex non sit, ibi est Caph similitudinis. Si verò de rege dicā, incedit vt rex, hoc est, sicut regiam personā decet, ibi est Caph veritatis. Sicut igitur Paulus, cùm dicit: Ambulate tanquam filij lucis. Ephes. 5. v. 7. intelligit, sicut decet filios lucis. Ita gloria tanquam vnigeniti, est ea, quæ solum vnigenitum decet, & nulli alteri conuenit. Cū enim angeli appareant in gloria, Moses etiam Israëlitis visus fuerit in gloria, 2. Cor. 2. ver. 7. dicit Euangelista, talem visam in Christo gloriam, quæ nec humana, nec angelica fuerit: sed nullius alterius esse potuerit, quàm eius, qui est vnigenitus Patris: & hoc est quod dicit: *gloriam quasi vnigeniti.* Et quia paulò antè dixerat, nos fieri filios Dei, & ex Deo natos esse. Vt igitur discrimen ostendat, vocat λόγον vnigenitum, qui ex Dei genitus sit: non sicut nos adoptione ex Deo nascimur, sed quod sit μονογενὴς ex substantia scilicet Patris, vt verus Deus: & hoc est μονογενοῦς παρὰ πατρός. Quidam hanc præpositionem παρὰ referūt ad superiora, vt sensus sit: spectauimus in Christo gloriam à Patre, scilicet ipsi collatam, tanquam vnigeniti gloriam. Putant enim, cùm μονογενὴς nomen sit & non participium; non posse construi cùm præpositione. Sed Ebraismus vsitatus est, quòd nomina retineant constructionem verborum & participiorū: vt salutem ex inimicis, ita & vnigenitus à Patre dicitur, qui scilicet vnus & solus singulariter à Patre sit genitus.

Quod verò sequitur [*plenus gratia & veritate*] constructione non conuenit cum proximè præcedentibus [*gloriam eius tanquam vnigeniti*] nec ad verbum Vidimus potest referri. Est enim Nominatiuus πλήρης. Quidam igitur ad subsequentiam referunt, hoc modo: Plenus gratia & veritate Iohannes testificatur, sicut Stephanus dicitur plenus gratia, Actor. 6. ver 8. Sed præterquam quòd ita perit pulcerrima sententia de beneficiis Christi sequentia manifestè ostendunt, de Christo hæc dici. Sequitur enim, Gratia & veritas per Christum facta est. Itē Ex plenitudine eius nos omnes accepimus. Quod autem ad constructionem attinet, per Parenthesin rectè illa complanatur, hoc modo: [*λόγος caro factus est & habitauit in nobis (& vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à Patre) plenus gratia & veritate.*] Et pro gratia Syrus quidem reddidit חסד quod bonitatem, pietatem & beneficentiam significat. Sed simplicius & rectius est, Paulinam significationem vocabuli χάριτος retinere, vt significet, beneplacitum, fauorem seu beneuolentiam, qua Deus aliquem complectitur. Quæ significatio pulcerrimam hoc loco sententiam præbet: Humana enim natura in Adamo, propter peccatum facta fuit abominatio corā Deo, Gen. 6. v. 6 Psalm. 14. v. 2. Sed quia λόγος, qui ab æterno fuit dilectus filius, naturam humanam assumpsit, de tota iam persona, ita vt simul etiam assumptam naturam complectatur, Pater loquitur: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Et plenitudinem eius gratię Paulus ita explicat, Ephes. 1. v. 6. Quia in dilecto & per dilectum illum ἐχαρίτωσε gratos nos habet & acceptos sibi reddit. Plenitudinem igitur gratiæ, quā homines complecti vult Deus, in Christo incarnato deposuit, vt ibi quæratur & inde accipiatur.

Et sequens antithesis, Mosis & Christi, Legis & Euangelij, ostendit verum sensum. Lex enim est ministerium peccati, iræ & mortis, Rom. 4. v. 15. & 2. Cor. 3. v. 9. Huic verò opponitur Christi gratia. Factus enim est nobis à Deo iustitia, cuius imputatione per Dei gratiam iustificamur, hoc est, grati & accepti ipsi reddimur ad vitam æternam. Ita Lex cōtinet figuras & vmbras; Ac externam morum disciplinæ conformitatem extorquere potest Huic verò opponitur veritas in Christo: quòd scilicet 1. Omnia quæ in Lege præfigurata fuerunt in Christo verè sint impleta. 2. Quòd suos verè renouet spiritu mentis, vt fiant noui homines. Hæc enim renouatio, Ephes. 4. v. 24. vocatur veritas in Christo. 3. Quia bona, beneficia & dona Christi mediatoris non sunt fallacia, fluxa, vana & euanida, sed vera, stabilia, solida & perpetua. Dicitur autem [*plenus gratia & veritate,*] quod de diuina essentia propriè non dicitur, quę ipsa est veritas, sed quia λόγος incarnatus, in suo officio, merito obedientiæ & passionis, acquisiuit plenitudinem seu thesauros gratię & veritatis, ideo plenus dicitur: ex cuius plenitudine riuuli in credentes deriuantur. Sicut hęc sententia in sequentibus explicatur.

CAPVT SECVNDVM,

HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM DE CONCEPTIONE Baptistæ, Luc. I.

RATIO ORDINIS.

Extra controuersiam est, & per se patet, hanc historiam in Harmonia Euangelica post prooemium primo loco collocandam. Baptistæ enim historia, vt præcursoris, præcedit historiam Christi, & in Baptistæ historia primum locum obtinet illa, quæ est de conceptione ipsius.

HISTORIA DE CONCEPTIONE Baptistæ, Luc. I.

5. Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρώδου τοῦ βασιλέως τῆς Ἰουδαίας, ἱερεύς τις ὀνόματι Ζαχαρίας, ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά· καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρών, καὶ τὸ ὄνομα αὐτῆς Ἐλισάβετ.

6. Ἦσαν δὲ δίκαιοι ἀμφότεροι ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, πορευόμενοι ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ κυρίου ἄμεμπτοι.

7. Καὶ οὐκ ἦν αὐτοῖς τέκνον, καθότι ἡ Ἐλισάβετ ἦν στεῖρα, καὶ ἀμφότεροι προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν ἦσαν.

8. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτὸν ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ ἔναντι τοῦ θεοῦ.

9. Κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας, ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι, εἰσελθὼν εἰς τὸν ναὸν τοῦ κυρίου.

10. Καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ ἦν προσευχόμενον ἔξω τῇ ὥρᾳ τοῦ θυμιάματος.

11. Ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος κυρίου, ἑστὼς ἐκ δεξιῶν τοῦ θυσιαστηρίου τοῦ θυμιάματος.

12. Καὶ ἐταράχθη Ζαχαρίας ἰδών, καὶ φόβος ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτόν.

13. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτὸν ὁ ἄγγελος. Μὴ φοβοῦ Ζαχαρία· διότι εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου· καὶ ἡ γυνή σου Ἐλισάβετ γεννήσει υἱόν σοι, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰωάννην.

14. Καὶ ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις, καὶ πολλοὶ ἐπὶ τῇ γεννήσει αὐτοῦ χαρήσονται.

15. Ἔσται γὰρ μέγας ἐνώπιον τοῦ κυρίου, καὶ οἶνον καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ· καὶ πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται, ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ.

16. Καὶ πολλοὺς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπιστρέψει πρὸς κύριον τὸν θεὸν αὐτῶν.

17. Καὶ αὐτὸς προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου, ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων· ἑτοιμάσαι κυρίῳ λαὸν κατεσκευασμένον.

18. Καὶ εἶπε Ζαχαρίας πρὸς τὸν ἄγγελον· Κατὰ τί γνώσομαι τοῦτο; Ἐγὼ γάρ εἰμι πρεσβύτης, καὶ ἡ γυνή μου προβεβηκυῖα ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῆς.

19. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἄγγελος εἶπεν αὐτῷ· Ἐγώ εἰμι Γαβριὴλ ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ θεοῦ· καὶ ἀπεστάλην λαλῆσαι πρός σε, καὶ εὐαγγελίσασθαί σοι ταῦτα.

20. Καὶ ἰδού, ἔσῃ σιωπῶν καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι, ἄχρι ἧς ἡμέρας γένηται ταῦτα· ἀνθ' ὧν οὐκ ἐπίστευσας τοῖς λόγοις μου, οἵτινες πληρωθήσονται εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν.

21. Καὶ ἦν ὁ λαὸς προσδοκῶν τὸν Ζαχαρίαν· καὶ ἐθαύμαζεν ἐν τῷ χρονίζειν αὐτὸν ἐν τῷ ναῷ.

22. Ἐξελθὼν δὲ οὐκ ἠδύνατο λαλῆσαι αὐτοῖς· καὶ ἐπέγνωσαν ὅτι ὀπτασίαν ἑώρακεν ἐν τῷ ναῷ. Καὶ αὐτὸς ἦν διανεύων αὐτοῖς· καὶ διέμενε κωφός.

23. Καὶ ἐγένετο, ὡς ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.

24. Μετὰ δὲ ταύτας τὰς ἡμέρας συνέλαβεν Ἐλισάβετ ἡ γυνὴ

5. *Erat in diebus Herodis Regis Iudaæ Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabet.*

6. *Erant autem iusti ambo coram Deo, versantes in omnibus præceptis & iustificationibus Domini irreprehensibiles.*

7. *Nec erat illis proles, eo quòd esset Elisabet sterilis, & ambo prouectæ iam essent ætatis.*

8. *Factum est autem, cùm is Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ coram Deo.*

9. *Secundùm consuetudinem functionis sacerdotalis, sors illi obuenit, vt odores incenderet, ingressus in templum Domini.*

10. *Et omnis multitudo populi precabatur foris tempore thymiamatis.*

11. *Apparuit autem illi angelus Domini, stans à dextris altaris, in quo thymiamata solent adoleri.*

12. *Et Zacharias turbatus est eo viso, ac timor irruit super eum.*

13. *Ait autem ad illum angelus. Ne timeas Zacharia: quoniam exaudita est deprecatio tua: vxórque tua Elisabet pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Iohannem.*

14. *Et erit gaudium tibi & exultatio, & multi super eius Natiuitate gaudebunt.*

15. *Erit enim magnus coram Domino, & vinum sicerámque non bibet: Et Spiritu sancto replebitur iam inde ab vtero matris suæ.*

16. *Multósque filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum.*

17. *Et ipse præcedet ante illum cum spiritu & virtute Heliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam iustorum, vt paret Domino plebem perfectam.*

18. *Et dixit Zacharias ad angelum: Quo argumento istud cognoscam? Ego enim sum senex, & vxor mea prouectæ ætatis est.*

19. *Ac respondens angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui adstiti in conspectu Dei, missúsque sum, vt loquar ad te, & hæc tibi læta nuntiem.*

20. *Et ecce futurum est, vt sis tacitus, nec fari possis ad eum vsque diem quo hæc fiant: eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.*

21. *Et erat populus expectans Zachariam: & mirabatur quòd moraretur in templo.*

22. *Egressus autem non poterat loqui illis, & cognouerũt quod visionem vidisset in templo. Et ipse innuebat illis: permansitque mutus.*

23. *Et accidit, vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam.*

24. *Post hos autem dies concepit Elisabet vxor eius: &*

αὐτοῦ

αὐτὴ ἐ περιέκρυβεν ἑαυτὴν μῆνας πέντε, λέγουσα·

25. Ὅτι οὕτω μοι πεποίηκεν ὁ Κύριος ἐν ἡμέραις αἷς ἐπεῖδεν ἀφελεῖν τὸ ὄνειδός μου ἐν ἀνθρώποις.

occultabat se mensibus quinque, dicens:

25. Sic fecit mihi Dominus in diebus quibus me respexit, vt auferret probrum meum inter homines.

Periocha Historiæ de conceptione Baptistæ.

HISTORIAM hanc Lucas ita describit vt ostendat, Deum non tunc primùm de Baptista cogitasse, quando adultum ipsum ad ministerium vocauit & misit; sed quòd segregarit ipsum ad hoc officium ab vtero matris, imo priusquam in vtero matris formaretur, sicut Ieremiam & Paulum, Ier.1.v.5. Gal 1.v.15. Vtque omnium animi maturius excitati in expectationem eligerentur, ac maior postea testimonij Baptistæ auctoritas esset, peculiares & insignes circunstantiæ ad historiam illam adhibitæ fuerunt, quas sicut à Luca descriptæ sunt ordine considerabimus.

Dicit igitur Lucas, hanc historiam contigisse, quando Herodes Maior alienigena ex Idumæis, sceptrum Iudææ, non vt ἐπίτροπος, hoc est, tutorio seu curatorio nomine, sicut pater ipsius Antipater, sed vt Rex obtinebat: regno eius ter à Senatu & Cæsare Romano confirmato & aucto: cúmque sublato collegio Synhedrin, penes quod hactenus quasi vmbra quædam scepti Iudæ fuerat (Iacob vocat scribam sub pedibus Iuda, Gen.49.v.10.) ad se prorsus transtulisset sceptrum, nec iam amplius, sicut in principio regni, per vim imperaret, sed in legitimum regem à Iudæis præstito iuramento fidelitatis, susceptus esset. Id quod ex Philone tradunt factum circa trigesimum annum regni Herodis. Cùm igitur vaticinium Genes.49. v.10. ea ratione, sublato sceptro & legislatore de Iuda, plenè tunc impletum esset, Deus, promissionum suarum recordatus, incipit adornare missionem Messiæ, præmissa Præcursoris conceptione. Et Lucas dicit: [*In diebus Herodis regis Iudææ.*] Nam Herodes Antipas filius Magni Herodis tetrarcha fuit, & quidem vulgo etiam appellatus rex, Marc.6.v.26. sed Galilææ tantùm & Peræææ. Agrippa etiam nepos Herodis Magni ex Aristobulo, Herodes dictus, rex appellatus fuit, Actorum 26.v.2. sed Ituræææ tantùm & Galilææ.

Delecti autem à Deo fuerunt Præcursoris Messiæ parentes ex genere Sacerdotali, & notæ apud omnes pietatis ac probitatis, ne quid de visione angelica finxisse existimentur: vtque vel inde Baptistæ aliqua auctoritas accederet. Zachariæ nomen est à recordatione Domini. Elizabetæ à iuramento Domini. Et ad nomina illa videtur Zacharias in cantico suo alludere, [illegible] inquit: vt memor esset iuramenti, quod iurauit ad Abrahamum. Vices sacerdotum à Dauide in 24. familias diuisæ describuntur, 1. Par. 24. vers.4. Vbi octaua recensetur Abiæ sors. Et quia singulis Sabbatis noui Sacerdotes ex aliis familiis ad ministerium accedebant, sicut ostendunt historiæ 4.Reg.11. v.7. & 2. Paral.23.v.5. Lucas igitur vocat ἐφημερίαν, quia certi dies singulorum ministerio præscripti erant. Quod Lucas vocat ἐφημερίαν, 1.Par.24.v.3. Vocatur commissio seu constitutio certi officij. Inde Syrus hoc loco reddidit שמוש siue משמרת ministerium, functionem, officium. Nec verò parentes Iohannis ex gregariis sacerdotibus oriundi fuerunt; sed Zacharias fuit de vice Abia, qui filius fuit Eleazari summi Pontificis. Et Elizabeta fuit non ex vulgaribus Leuitis, sed ex filiabus Aaronis.

Probitatem verò horum dicit Lucas, non fuisse hypocrisin, sitam in externa pietatis specie coram hominibus: sed [*erant iusti, inquit, coram Deo,*] quæ est gratuita iustificatio fidei, Rom.3. cui adiuncta fuit renouatio Spiritus, noua obedientia & iustitia operum, prouidens bona coram Deo & hominibus, Rom. 12.v.17. Et hoc est, quod Lucas dicit, ipsos ambulasse non in hominum traditionibus: sed [*in mandatis & iustificationibus Domini:*] quorum alterum præcepta moralia, alterum ceremonialia, quæ tunc adhuc vigebant, significat. Et elegans est Metaphora ambulationis. Nam mandata Dei vocantur via, intra cuius metas cultus Dei & obedientia nostra se debet continere, non declinans vel ad dexteram, vel ad sinistram: Et dicit ipsos non elegisse, vnum atque alterum bonum opus, & in quo fidem & obedientiam suam Deo probarent: sed [*in omnibus mandatis diuinis ambularunt sine querela.*]

Ex hoc verò loco Pelagiani collegerunt, hominem sine omni peccato in hoc mundo viuere, & legem perfectè implere posse. Et August. Epist. 95. rectè respondet: Non qualecunque peccatum tentationis humanæ, sed graue crimen intelligendum esse, quod in querelam veniat, quando dicitur sine querela vixisse. Ἄμεμπτος enim est, qui publico & iusto piorum iudicio non reprehenditur, sed probatur; sicut ἀνεπίληπτος, 1.Tim.3. v.2. Ideo Syrus per Emphasin ita reddidit: qui non est עיר id est propter publicam culpam reus. Ita concinna erit distributio; coram Deo erant iusti. & coram hominibus ambulabant irreprehensibiles. Græci vero interpretes Hebræum תמים Thamim quod de sincero corde dicitur, reddiderunt ἄμεμπτον Genes.17. v.1. Iob. 1.v.8. Ita idem esset, quod Paulus dicit, 1.Tim.1.v.5. Dilectio seu obedientia ex corde puro, fide non simulata.

Addit autem Lucas, [*naturâ steriles & ætate iam effætos*] delectos fuisse, qui Præcursoris parentes fierent: id quod antea etiã in Isaaci & Samsonis parentibus acciderat. Hac enim ratione Deus ostendere, & animos hominum excitare voluit, ad expectationem, quod illorum opera & ministerio, quos non solito naturæ ordine, sed peculiari diuino munere, procrearet, ad peculiaria & eximia opera vsurus esset.

Facta est autem annunciatio conceptionis Iohannis Baptistæ in templo, inter sacra Leuitica: & electi sunt qui fierent parentes eius, vterque ex tribu sacerdotali, de genere Aaron. Quia enim templum & totum sacerdotium, cum omnibus ceremoniis, erat pædagogia ad Christum, quasi à longè præparans viam ad aduentum eius. Conuenienter itaque in templo & sacerdotij, inter sacra leuitica, facta est annunciatio conceptionis eius, qui Messiæ praeparaturus erat viam, non iam à lõgè, sed ante faciem eius. Ambrosius & ipsum sequuti alij disputant, Zachariam fuisse summum Pontificem, & historiam hanc contigisse, quando in festo propitiationis, decima die septimi mensis, summus pontifex cum incenso & sanguine intrabat sanctum sanctorum, Leuit.16.v.29. Et hi accommodatione non inconcinna delectati fuerunt. Sed Lucas Zachariam simpliciter vocat sacerdotem, & functum esse ministerio in ordine vicis suæ, sicut distributæ erant familiæ stirpis Aaronicæ, 1.Par.24.v.10. Et addit, ipsum posuisse incensum, non intra velum coram arca, sed in altari thymiamatis. Cùm enim faceret suffimentum, Angelus à dextera altaris thymiamatis ipsi apparuit. Faciebat autem suffitum illum non summus pontifex, sed reliqui sacerdotes, iuxta ordinem ministerij sui quotidie. Exod. 30. vers. 7. Posset sanè quis, qui Ambrosij sententiam tueri vellet, excipere: Potuisse angelum etiam summo pontifici iuxta altare thymiamatis apparere. Nam secundùm legem, Leuit.16. v.12. thuribulum implendum erat prunis ab altari holocausti, & incensum sumendum ab altari thymiamatis, priusquam ingrederetur sanctum sanctorum: sed de incertis, nec vsque adeò magni momenti rebus, non litigabimus. Arbitror autem figuram rectius posse accommodari, si accipiamus, Zachariam fuisse non summum pontificem, sed ex reliquis sacerdotibus vnum. Sicut enim reliqui sacerdotes erant sub manu Aaronis, hoc est, erant ministri summi pontificis: ita Ioannes fuit minister, præparans viam Domino, vt verè summo sacerdoti. Quia igitur figura summi sacerdotij implenda erat, non in Iohanne, sed in Christo: ideò parentem eius Deus voluit esse, non summum pontificem, sed alium ex reliquis sacerdotibus, qui ministri erant summi Pontificis.

Porrò, quia varia erant sacerdotum ministeria, & vnius vicis plures erant sacerdotes. Ministeria igitur cuiusque hebdomadis, inter eiusdem vicis sacerdotes, sorte solebant distribui. Vnde non altari holocausti, sed thymiamatis incensum Zachariæ sortitione illa obuenit. Et hoc est, quod Lucas dicit, ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι, vnde etiam confirmatur, non fuisse ipsum summum sacerdotem. Illis enim non sorte obueniebat incensum, sed perpetua ratione officij. Leuit.16.v.12.

Quod verò Lucas nominat πᾶν τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ [*omnem multitudinem populi,*] significare videtur, non fuisse simpliciter tempus incensi, quale quotidie manè & vesperi ponebatur, Exod. 30.v.7. sed fuisse vnum ex festis solenníoribus, ad quę tota multitudo vndique ex tota Iudæa & ex aliis locis conueniebat. Voluit enim Deus multos & varios, ex omnibus locis, historiæ huius testes esse, vt ea occasione latius spargeretur, & omnium animi, ad expectationem instantis visitationis & redemptionis, longè ante excitarentur. Nihil enim incommodi habet concors illa Veterum sententia de septimo mense, in cuius festis historiam hanc contigisse scribunt. Id quod etiam oratio Zachariæ & totius populi, quam angelus exauditam esse nunciat, testatur. Zacharias enim in oratione sua non postulasse vxoris suæ fœcunditatem, satis id testatur, quòd angelo hoc nuncianti non credit. Nec quotidianæ tunc preces, sicut singulis diebus manè & vesperi fiebant, recitatæ fuerunt. Sed quæ fuerit tunc petitio orationis sacerdotalis & populi, verba Gabrielis & canticum Zachariæ ostendunt: vt scilicet Deus visitaret, & faceret redemptionem populo suo, mittendo promissum Messiam.

Fuerunt autem in septimo mense plura festa: vt, Tubarum, Propitiationis, & Tabernaculorum, quæ instituta fuerunt: vt

essent commonefactiones, non tantùm de beneficiis Dei præteritis: sed præcipuè de redemptione futura per Christum. Siue igitur fuerit in festo Tubarum: siue propitiationis, vt Ambrosius vult: siue Tabernaculorum, sicut Chrysostomus sentit: festum præbuit ipsis materiam orationis, & iugum Herodis quo impatienter premebantur, accendit in ipsis desiderium, vt ardentiùs postularent, impleri promissionem de visitatione, & redemptione per Messiam.

Cùm itaque & sacerdos Zacharias in ipso suffitu in templo, & tota multitudo populi extra in atrio, publica & solenni illa oratione, preces suas de mittendo Messia, coram Deo prosternerent, apparuit angelus Gabriel in templo iuxta altare. Et quia in ipsa oratione angelus Zachariæ apparet: sicut & Cornelio Act.10.v.2. cogitemus igitur præsentiam Dei & angelorum in nostris etiam orationibus.

Angelum autem assumpta visibili aliqua specie apparuisse, & visum à Zacharia, non vt hominem, sicut Gen.18. v.2. sed maiestate angelica, sicut Iud.13. v.20. Marc.16. v.5. apparuit, ostendit verbum ὤφθη: & quòd Zacharias turbatus scribitur. Qui cùm sciret, se solum esse in templo, ac repente angelica maiestas à dextris altaris se conspectui ipsius offerret, non leuiter turbatus fuit: sed ita vt timor irruerit super ipsum. Humana enim infirmitas, apparentem angelicam vel cœlestem gloriam, sine turbatione non potest sustinere: sicut exempla ostendũt, Iud.6. v.22. & 13. v.22. Luc.2. v.9. Marc.16. v.5. Idque non tantùm ratione fragilitatis humanæ, sed quia homo à Deo & societate angelica, ad quam initiò creatus fuerat, per peccatum defecit, atque ideò apparente cœlesti aliqua maiestate conscientia turbatur, timens Deum adesse, vt in tremendum iudicium nos pertrahat. Cúmque illud etiam Zachariæ, qui tamen iustus coram Deo, & in vita irreprehensibilis prædicatur, acciderit, satis ostenditur, ipsum non fuisse sine peccato perfectũ, ac proinde nullum hominem per se, absque mediatore, coram Dei iudicio posse consistere.

Angelus verò turbatum rursus erigit, indicans se non formidabile, sed optatissimum nuncium adferre: precationem scilicet de mittenda redemptione populi exauditam, & Elisabetam parituram illum filium, qui Messię, mox subsecuturo, viam præparaturus esset. Dicit autem, [*pariet tibi,*] quia ex Zacharia grauida sit futura. Illi enim mater in Scriptura pariet, ex quo concepit. Et quòd addit [*Erit tibi gaudium, & multi in natiuitate eius gaudebunt.*] causa eius gaudij intelligenda est, non priuata parentum tantùm, sed publica, totius populi scilicet. Non illa tantùm quòd senibus effœtis in sterili orbitate tandem cœlesti miraculo filius sit natus: sed quia ex natiuitate Præconis, & Zacharias & reliqui intelligent, desideratum Messiæ aduentum in foribus adesse. Et hæc est αἰτιολογία quam angelus subiicit, [*Erit enim magnus,*] tum ratione donorum & auctoritatis: tum verò præcipue ratione officij. Non in Oeconomia, non in Politia, sed [*coram Domino,*] hoc est, in Ecclesia, siue in ministerio Domini: quod scilicet Messiam non à longe, vt reliqui Prophetæ, vaticinando salutabit Eb.11. v.13 sed præsentem digito monstrabit.

Porro & nomen pueri, de quo posteà quædam annotabimus, angelus prædicit, id quod antea in Ismaele, Isaaco, Iosia & Cyro, propter peculiaria mysteria factum fuerat. Et totius vitæ ac ministerij Baptistæ rationem antè quasi vaticinando describit, [*vinum,* inquit, *& siceram non bibet.*] Notum autem est proprium Nazaræorum fuisse, vt à vino & sicera abstinerent toto tempore consecrationis & separationis suæ, Num.6. v.3. Indicium igitur & testimonium hoc debuit esse: Ioannem non ex voto vel suo, vel parentum, ad tempus, sed diuinitùs ab vtero, Domino penitus consecratum & ad peculiare munus separatum: sicut idem in Samsone etiam factum fuit. Vt scilicet Iohannes, etiam ante inchoationem publici ministerij ipso vitæ genere, quòd à vulgi consuetudine separatum esset, ostenderet, se ad peculiare & eximium quoddam opus Domini delectum & segregatum esse. Et hoc angelus propterea prædixit, vt populus sciret, Ioannem hac nota diuinitùs insignitum, & ad peculiare quid à Deo segregatum esse: vtque posteris constaret, Baptistam austerius illud vitæ genus, non priuata ἐθελοθρησκείᾳ, vel ex hominum traditione, siue ad cultum, siue ad imitationem, instituisse; sed ex prędordinatione & mandato diuino, vt ea ratione hominum animi ad futurum ipsius ministeriũ excitarẽtur. suscepisse, sicera, vel vinũ factitium, vel præter vinũ omne genus potus, qui inebriare solet, significat. Nam שכר inebriare significat: & inde etiam munuscula dulciaria vocantur אשבר vnde colligitur dulcem potissimùm potum, & ex dulciariis confectum intelligendum. Græci interpretes Ebraicam vocem retinentes dixerunt σίκερα, Actor. 2. v.13. videtur redditum γλεῦκος succus dulcis, siue ex vino siue aliunde.

Porrò prædicit angelus, & hoc singulare fore in illo puero. [*Spiritu sancto replebitur, iam inde ab vtero matris suæ.*] Et repletio Spiritus significat illustria, eximia, singularia & extraordinaria Spiritus dona seu donorum abundantiam. Qui enim vltra communem vulgi rationem, peculiaribus donis à Spiritu sancto instructi sunt, dicuntur pleni spiritu, Actor.6. v.5. & 11. v.24. & Græca phrasis ἔτι ἐκ κοιλίας, significat, non tunc primùm cùm publicum ministerium inchoaret Spiritu sancto repletum, sed initium eius repletionis longiùs repetitum, ex vtero scilicet. Est autem phrasis Scripturæ vsitata, complectens & tempus infantis in vtero, & subsequens post natiuitatem reliquum vitæ tempus, Esa.44. v.2. Formator & auxiliator tuus ab vtero, Esa.49. v.1. Dominus ab vtero vocauit me, formans me seruum sibi: quod de Christo in vtero matris concepto intelligendum est. Et Ier. 1. v. 5. hoc explicatur: priusquam prodires de vtero sanctificaui te. Ideò Syrus paraphrasticè reddidit: Adhuc existens in vtero matris replebitur Spiritu sancto. Significat itaque angelus hac phrasi, quòd puer ille, 1. in ipso vtero matris, ad notandam exultatione sua Messiæ præsentiam, Spiritu sancto replebitur, 2. quòd in ipsa pueritia extraordinario modo Spiritu ita corroborabitur, vt omnes dicturi sint, quis putas puer ille erit? 3. in ipso ministerio, [*in spiritu & virtute Eliæ præcedet.*] Non autem sentit, Eliam Thesbiten resurrecturum & rediturum, sicut Iudæi Malachiam praué intellige bãt: Nec per Spiritum animam Eliæ intelligit, quasi illa in corpus Baptistæ migrat vra sit: sed sicut Elisa dicit, fiat in me spiritus tuus duplex, ita Gabriel intelligit, Spiritum sanctum non vulgaribus donis affuturum ministerio Baptistæ, sed simili excellentia, gratia, auctoritate & efficacia, sicut in Eliæ ministerio se exeruit. Δύναμις autem hoc loco significat excelsi animi magnitudinem, ac robur in arguendis liberè hominum peccatis, & ardentem zelum pro asserenda puritate doctrinæ cœlestis, aduersus inueteratas corruptelas & communes persuasiones. Sicut Elias collapsam veram religionem, magno spiritu restituit, & auersum Israelem ad Dominum conuertit: ac propterea magno zelo Baalitas, populum & ipsum regem Achabum arguit, quæ omnia Baptistæ etiam conueniunt. Significat verò etiam δύναμις auctoritatem, fructum, virtutem & efficaciem ministerij Baptistæ.

Ipsum autem ministerium Baptistæ Gabriel ita describit [*Præcedet ante faciem aduentantis Messiæ tanquam Præco seu apparitor parans viam. Et multos filiorum Israel conuertet.*] Quòd si cõuersione opus fuit, ergo tanta in populo Dei fuit tunc, vel ex pharisaismi hypocrisi, vel ex Sadducæorum Epicureismo, doctrinæ deprauatio, & vitæ corã Deo impietas, vt auersi à Deo, conuersione opus haberent Israelitæ, si salui fieri vellent. Vnde duo colliguntur. 1. Vanum esse, quòd Pontificij suis superstitionibus prætexunt, ex longo temporis prætextu & multorum consensu, Ecclesiam non deleri à Spiritu sancto, ac propterea prælatos Ecclesiæ errare non posse. Idem enim & Sacerdotes & Pharisæi Baptistæ opponere potuissent. 2. Falsum esse, quòd quidam somniant, vnumquemque, siue Pharisæus sit siue Sadducæus, in sua religione seu opinione & persuasione, modò bona sit intentio, saluari. Conuersione enim opus esse Gabriel pronuntiat.

Quòd verò Gabriel dicit [*Iohannes conuertet*] non personæ Iohannis, quod Spiritus sancti proprium est, tribuit; sed quia mox subiicit, [*In spiritu Eliæ præcedet.*] Est enim Spiritus efficax & conuertit corda; sed hoc efficit per ministerium verbi. Et ministeriũ efficax est non virtute ministri: sed quia est ministerium Spiritus, 2. Cor.3. v.8. cui Spiritus sanctus adest, & per illud efficax est, sicut Paulus inquit, 2. Cor.10. v.4. Arma militiæ nostræ sunt δυνατὰ τῷ θεῷ. Hoc modo Iohannes suo ministerio multos conuertit, sicut Paulus inquit, 1. Tim.4. v.16. Hæc faciens, teipsum & alios saluabis. Dicit autem Gabriel, [*Multos conuertet,*] quia Pharisæi consilium illud Dei spreuerunt, Luc.7. v. 30. & licèt non omnes fuerint conuersi: sua tamen & vera ministerio Baptistæ constitit efficacia. Quare licèt à multis ministerium eius fuerit repudiatum: non inanis tamen labor eius fuit in Domino. Multos enim conuertit.

Elegans autem est Grammatica obseruatio constructionis. [*Multos,* inquit, *conuertet Iohannes ad Dominum Deum ipsorum, & ante eum præcedet.*] Certum autem est ante Messiam præcessisse Iohannem. Tria igitur hæc Syntaxeos obseruatio ostendit, 1. Sensum huius loci esse: quòd Iohannes ministerio suo docendi & baptizandi, quo ante Christum præcessit, multos conuertit, vt illum pro vero Messia agnoscerent & reciperent. 2. Messiam esse ipsum verum Dominum Deum. Illum enim, ante cuius faciem Iohannes ministerio suo præcessit, Gabriel vocat Dominum Deum. Relatiuum enim αὐτοῦ, quod Christum significat, antecedens habet Dominum Deum; sicut constructio manifestè ostendit. 3. Veram & salutarem conuersionem esse, vt peccatores primùm ad Christum mediatorem, quem Gabriel hoc loco Dominum Deum vocat, se conuertant ac fide ipsum amplectantur. Per illum enim aditus patet ad Patrem, cui per Christum reconciliamur, & à quo propter Christum acceptamur ad vitam æternam, ac deinde Spiritu renouamur.

Quod sequitur, [*Vt conuertat corda patrum ad filios,*] ex Malachia sumptum est: cap. 4. v. 6. & phrasis, quia videtur obscurior, varie explicata fuit. Quidam enim *Patres* intelligunt Iudæos, *Filios* verò Iohannem & posteros: de quibus, Luc. 11. v. 19. Christus ita loquitur, Filij vestri in quo expellunt dæmonia? Vt sensus sit, Iohannem suo ministerio effecisse, quòd Iudæi quidam postea Christo & Apostolis crediderunt. Alij ita interpretantur, quòd illo tempore propter varias sectas, sæpiùs pater fuit Pharisæus, filiorum vnus Sadducæus, alter Essæus; Iohannem igitur suo ministerio collecturum corda patrum & filiorum in vnitatem fidei. Sed Gabriel phrasin illam in sequentibus voluit explicare, vbi addit: [*Vt conuertat incredulos ad prudentiam iustorum.*] Ratio verò phraseos illustris est, si simpliciter ita consideretur. Ex dissimilitudine sententiarum, & ex contrariis vitæ studiis oriuntur animorum distractiones & abalienationes: qui verò in vna doctrina, & in eadem religione seu ratione cultus diuini consentiunt, de illis prædicatur vna mens, 1. Cor. 1. v. 10. vnum cor & vna anima, Actor. 4. v. 32. sicut è diuerso dissentientes doctrinæ ita notantur, Psalm. 12. v. 3. corde & corde, hoc est, diuerso corde loquuntur. Sensus igitur est, Iudæorum recentiorum, tanquam filiorum, & vetustissimorum, tanquam patrum, non fuisse cor vnum & animam vnam; sed Iudæos illius temporis, tanquam filios seu posteros, desciuisse à doctrina fide, religione & cultu patrum, hoc est, Prophetarũ, inuentis & receptis aliis opinionibus & cultibus, vnde orta fuit dissensio & dissidium inter fidem seu religionem patrum & filiorum. Iohannem verò ministerio suo hoc acturum, vt filij *[illegible]* (quod vtrunque significat & incredulos & inobedientes, Syrus vtitur vocabulo, quod deducitur à verbo [illegible] quod significat persuaderi, consentire, acquiescere, obsequi.) hoc est, qui ab obedientia fidei & cultus seu religionis patrum, variis sectarum opinionibus, traditionibus, cultibus & sadducæa securitate discessionem fecerant, reuocarentur & reducerentur ad iustorum, hoc est, patrum, qui in ipsa Scriptura testimonium habent quòd iusti fuerint, prudentiam, hoc est, vt rursus fidem & cultus Patriarcharum amplecterentur. Hoc Malachias vocat cõuertere corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres. Nam patres, quos Iudæi semper iactabant, ipsos propter fidei & religionis dissidium non agnoscebant pro germanis filiis, nec ipsi verè gloriari poterant se patrem habere Abrahamum, cùm nec fidem eius sequerentur, Rom. 4. v. 16. nec opera eius facerent. Iohan. 8. v. 36. Vnde Baptista dicit, Non patrum, sed viperarum progenies estis, nec dicatis patrem habemus Abrahamum, Matth 3. v. 19. Ac breuiter Gabriel hoc vult dicere; quòd Iohannes suo ministerio cõcordiam & mutuum consensum, inter fidem & religionem patrum & filiorum redintegrabit. Et hæc phrasis ostendit, quæ sit vera & salutaris ratio repurgendę doctrinæ, & reformandæ religionis in Ecclesia. Item, quæ sit vera antiquitas, cùm quidem Pharisæi tunc etiam traditiones suas hoc titulo vẽditarẽt, quòd antiquis ita dictum esset. Matt. 5. v. 21. Ostendit etiam, quæ sit ratio constituendæ salutaris concordiæ, cõsensionis & coniunctionis in Ecclesia: non vt qualiscunque conspiratio in eadem opinione, prętextu præscriptionis temporis longioris, quæratur, aut conciliationes vel palliationes errorum instituantur: Sed vt tota religio in doctrina & cultibus renouetur, reuocetur & reducatur ad prudentiam, non mundi vel rationis, sed iustorum, quibus Scriptura hoc testimonium tribuit, quos Gabriel Patriarchas & Prophetas hoc loco intelligit. Sensus enim est: quòd Iohannes veterem Patriarcharum religionem inter posteros restituet, quódque filiorum religionem, ad patrum religionem, quæ diuinitùs tradito certo verbo ipsis patefacta & mandata fuerat, reformabit & reducet. Nos ex Paulo Ephes. 2. v. 20. rectè dicimus, ad fundamentum Prophetarum & Apostolorum omnia esse reuocanda & inde reformãda. Et hac ratione dicit angelus [*paraturum Meßiæ Domino plebem perfectam.*] Græcè est κατεσκευασμένον, quod significat Iohannem prædicatione pœnitentiæ & testificatione de Christo, adornaturum plebem, præparatam & instructam ad excipiendum Christum, & ad suscipiendam doctrinam eius. Et obseruetur, quòd prædicatione pœnitentiæ idonei reddamur seu præparemur ad suscipiendum Christum seu doctrinã Euangelij. Manifestum autem est, quòd angelus bonam partem orationis suæ ex Prophetarum vaticiniis contexuit, ipsis Scripturæ verbis vel retentis vel explicatis: vt Mal. 3. v. 1. quòd præcedet ante faciem Domini. Quòd verò Malachias dicit, cap. 4. v. 5. Mittam vobis Eliam, Angelus interpretatur de Iohanne in Spiritu & virtute Eliæ. Et sententiam, Esa. 40. vers. 3. de paranda via, angelus interpretatur de plebe, præparanda ad excipiendum Christum.

Hac angeli legatione audita, Zacharias respondit κατὰ τί, quasi dicat, quod argumentum ostendes, aut quod signum dabis, vnde statuere possim hæc ita euentura? Germanicè ad verbum hoc exprimimus: *Wo bey kan ich das wissen?* Et Abraham quidem, Gen. 15. vers. 8. iisdem planè verbis signum postulat, vnde seu in quo sciam? Sed Abraham non facit illud ex diffidentia: (præcedit enim vers. 6. Credidit Abraham Deo) sed in confirmationem promissionis, apud posteros præsertim. Ita Gedeon Iud. 6. vers. 17. sine reprehensione petit signũ, vnde certus reddatur, esse angelum domini qui loquebatur. Non enim omni spiritui credendum est 1. Iohan. 4. vers. 1 Postea cap. 6. v. 36. bis petit signum in vellere, non ex incredulitate, fides enim eius commendatur Hebr. 11. vers. 32. sed ad maiorem confirmationem animi, & in se & in militibus suis. Eadem etiam fuit ratio signi Ezechiæ 4. Reg. 20. v. 8. Zachariam verò ex diffidentia hæc loquutum, & angelus expressè indicat, cum inquit: [*eò quòd non credidisti verbis meis.*] Et ex Zachariæ verbis idem colligi potest. Cùm enim non dubitaret verum angelum esse indicat se ideo, quæ nunciabat, credere non posse, quia indicaret, propter prouectiorem suam ætatem, & propter sterilitatem ac senium vxoris suæ, illa fieri non posse. Et ne miremur hoc in sacerdote iusto, ipse etiam fidei pater Abraham, qui Genes. 15. v. 6. credit Domino, tamen mox cap. 17. v. 17. audiens: ex Sara anu dabo tibi filium, ridet in corde suo. Ita in genere quidem fides credit Deum velle & posse, sed quando progessus fit ad speciem, In hoc casu credas Deum velle & posse, ibi fides hæsitat. Tanta est in sanctis etiam fidei imbecillitas. Oremus igitur, adauge nobis, Domine, fidem, 17. v. 5.

Gabriel verò ostensurus Zachariam meritò non debuisse diffidere: veritatem & certitudinem expositæ legationis suæ, variis argumentis confirmat. 1. Quòd non sit vel spectrum, vel spiritus fallax, [*sed angelus Domini.*] 2. Quòd non sit gregarius angelus: sed [*qui soleat astare in conspectu Dei.*] Nam Dan. 7. ver. 10. videtur discrimen aliquod statui inter angelos ministrantes, & assistentes: vel stare in conspectu Dei est idem, quod Matth. 18. ver. 10. de gloria & beatitudine angelica dicitur. Angeli vident faciem Patris mei in cœlis: vel dicitur assistere, quòd paratus semper sit ad exequenda mandata Domini, Psal. 103. v. 21. vt opponat se angelis malis, qui & à facie Domini abiecti sunt, & verbum eius non faciunt. 3. Quòd non sit obscuri nominis angelus, sed celeberrimi [*Gabrielis*] vt qui Danieli mysterium de supputatione temporis aduentus Messiæ patefecit. Daniel 9. ver. 21. Et ad certitudinis confirmationem pertinet, quòd idem angelus qui supputationem temporis Messiæ prænunciauit, nunc etiam eius impletionem annunciat. 4. Contra Zachariæ imaginationes de impossibilitate, opponit nomen suum [*Gabriel,*] quod à fortitudine seu præualente potentia Dei deductum est. 5. Addit, se illa [*annunciare*] non ex sese, sed [*Dei nomine*] & ex ipsius mandato, à quo missus sit Ac vtitur verbo εὐαγγελίσασθαι, quia læta erat annunciatio: & quia ministerium Iohannis futurum erat initium Euangelij, sicut Marcus c. 1. v. 1. loquitur. 6. Quia ostẽderet iniuriam illam incredulitatis, in ipsum Deum mittentem redundare, signum in confirmationem futuræ impletionis tale addit, quod & mysterio Noui Testamenti congruit, & simul congrua diffidentię pœna est: vt scilicet [*obmutescat Zacharias*] tum quia verbis angeli diuinitùs missi non crediderat, sed contradixerat, tum quia lex & Prophetæ vsque ad Iohannem. Cùm itaque nunciaretur nascitura vox clamantis obmutescit Sacerdotium Leuiticum, cuius finis futurus erat in Noui Testamenti seu Euangelij initio, quod ministerio Iohannis factum est. Marc. 1. v. 1. Marc. 11. v. 13. Ne verò existimaretur, Zachariam statim post visionem præ nimio stupore, sicut in repentina consternatione & subitis pauoribus fieri solet, non potuisse loqui, sicut dicitur: Obstupui, steterúntque comæ & vox faucibus hæsit, Angelus dicit, ipsum vsum linguæ amissurum [*vsque ad diem natiuitatis pueri,*] hoc est, per menses nouem. Et miraculum fuit, quod organis formandæ vocis integris & illæsis existentibus & manentibus, per tot menses non potuerit loqui, quódque non perpetuò manserit mutus, sed ad certum prefixum tẽpus: quando scilicet nato filiolo nomen dandum esset. Ambrosius sentit & affatum & auditum Zachariæ ereptum: Chrysostomus & Theophylactus illud ex vocabulo κωφός, quod aliquando surdum, aliquando mutum significat, ostendere conatur: sicut & vocabulum, quo Syrus paraphrastes vtitur, vtrumque significat. Et figura quidem conuenit. Nam historia testatur sacerdotium Leuiticum & obmutuisse & obsurduisse, ad doctrinam Baptistæ & Christi, Luc. 7. v. 32. Sed nescio, an hæc probatio ex vocabulo, satis firma sit. Sicut enim Ebræa lingua distincta habet vocabula, muti & surdi [illegible] אלם & חרש ita in Nouo Testamento distinctè etiam ponuntur κωφὸς καὶ ἄλαλος Mar. 7 v. 37. & 9. v. 17. Sicut & apud Græcos interpretes, Psal. 37. v. 14. Qui tamen Exod. 4. v. 11. δύσκωφον & κωφὸν reddiderunt mutum & surdum, quod ad Theophylacti sententiam alludit. Quod verò ratio redditur, mutos naturali ratione simul etiam surdos esse, hoc loco nihil probat. Non enim vitio naturali, sed miraculo mutus factus fuit Zacharias. Aliud sanè argumentum magis vrget, quod postea non voce, sed nutibus cum ipso agunt, exploraturi eius sententiam de homine

Pueri: quamuis vocem hoc non excludat, vt quando Petrus innuit sociis vt iuuent, Luc. 5. v. 7. Sed, vt existimo, non odiosè hac de re contendum, ita arbitror linguam tantum Zachariæ ligatam fuisse: non autem auditum ereptum. Angelus enim ipse explicat, in qua significatione hominet κωφὸν: [*quia*, scilicet, *eris tacens*, *& non poteris loqui.*] Et maius est miraculum, quòd Zacharias retinens facultatem audiendi, organis etiam formandæ vocis integris & illæsis, non potuit loqui, quàm si auditus simul ipsi ereptus fuisset: sicut qui illis, naturaliter muti sunt, accidit. Existimo igitur Zachariam auditorem fuisse colloquij Mariæ & Elisabethæ: vnde cognouit Messiam iam conceptum esse, sicut in cantico suo indicat.

Apparet autem colloquium Gabrielis cum Zacharia non breue fuisse, sed singula latiùs explicata. Populus enim, in atrio expectans, miratur de mora sacerdotis in templo solitò longiore, cùm verò Zacharias templo egressus populum data benedictione dimittere deberet, gestibus & nutibus ostendit, aliquid sibi in templo accidisse, vt loqui non posset, cùm quidē etiam in vultu signa apparerent eius, quod Lucas dixit: (*Timor irruit super eum.*) Et hic rumor, per illos qui ad festum ascenderant, per totam Iudæam diuulgatus fuit: cúmque tamdiu Zacharias etiā postea mutus permaneret, fama illa & latius sparsa & magis confirmata fuit, vt omnium animi ad expectationē eorum quæ secura essent erigerentur. Benedictio igitur Leuitica obmutuit, cùm venturus esset ille, in quo omnes gentes benedicuntur, Gen 22 v. 18.

Absoluta autem hebdomade functionis, Zacharias ad montana Iudæ, in domum suam, reuertitus est. Nam tempore vicis, quia à vino & sicera, Leuit. 10, v. 6. & propter panes propositionis à cōcubitu vxorum abstinere iubebantur 1. Reg. 21. v. 24. in peculiaribus cubiculis templo adiunctis 3. Reg. 6. v. 4. habitabant. (*Et post dies illos Elizabetha concepit*) Quòd si recipitur Veterum sententia, octauo Calend. Octobris Iohannem conceptum, in festo tabernaculorū hanc historiam contigisse colligitur, cuius figura non malè quadrat. [*Elizabetha verò occultauit se mensibus quinque.*] Non, quòd ipsa de angeli verbis dubitaret, cùm maritum suum propterea punitum cognouisset: sed propter causam illam quam exponit Sara Gen. 18, v. 12. & ne visionem illam hominum risui exponeret, si effœta diceret se grauidam esse, cùm vulgò sterilis vocaretur. Cùm verò post quintum mensem, excrescente vtero, & ex motu infantis, præcipuè verò ex colloquio Mariæ intelligeret, tempestiuum esse misteriū illud manifestare, (*Dixit: Sic fecit mihi Dominus,*) Hoc est, publicè tunc cœpit celebrare illustre illud beneficiū Dei, quòd cùm opprobrium sterilitatis ab ipsa vellet auferre, nō tantùm in senectute matrem ipsam fieri voluerit, sed talis filij matrem, qui magnus coram Domino & precursor Messiæ futurus esset. Vnde colligitur Zachariam scripto, sicut postea in natiuitate fecit, vxori visionem exposuisse: inde enim Elisabetha de nomine pueri sciuit. Et quia post quintum mensem ea per Elisabethā diuulgata fuerūt, inde postea in natiuitate Baptistæ tantus fuit concursus & tantùm gaudium. Intelligo enim Elisabetham, non tantùm tacitam, priuatim apud se statim post conceptionem, sed post quintum mēsem publicè hæc dixisse, & celebrasse. Porro verbum ἐπεῖδεν absolutè ponitur. [*Respexit vt aufferret.*] Et sterilitatē vacat (*opprobriū*) quia fœcunditas peculiari benedictioni Dei deputatur. Hęc breuis notatio circūstantiarum ostēdi, quàm insignis sit hęc historia.

CAPVT TERTIVM.

HARMONIAE EVANGELICAE: CONTINENS GENEALOGIAM CHRISTI, QVÆ A MATTHÆO descripta est, Matth. 1.

RATIO ORDINIS.

LVCAS sub finem historiæ conceptionis Baptistæ nominat quintum, qui secutus fuit, mensem: & mox annectit, sexto mense missum Gabrielem ad Mariam. Historiarum igitur consequentia apud Lucam manifesta est: vt scilicet post conceptionem Baptistæ sequatur historia conceptionis Christi. Sed quia mirum videri posset, Nazarethanam virginem, Iosepho fabro Nazarethano desponsatam, matrem Messiæ fieri; illud igitur prius non tantùm asseuerādum, sed certa ac firma ratione demonstrandum est, quod Lucas breuiter dicit, Iosephum, cui Maria desponsata fuerat, de domo Dauidis fuisse. Et quod Gabriel in sua legatione inquit: Dabit ei Dominus Deus thronum Dauidis patris ipsius. Non enim ad fidem sufficiebat prædicare Messiam, ex quocunque populo, aut ex quacunque certi populi tribu, aut etiam ex quacunque domo & familia populi Iudaici, originem suam secundùm carnem duxisse. Sed ad eam originem vetustis Patriarcharum & Prophetarum oraculis certus populus certa populi tribus & certa domus seu familia designata, & peculiaribus circumstantiis notata erat. Et quia Genealogia Christi, repetitionem præcipuarum de Messia promissionum, proposita quasi breui tabella, in memoriam lectori reuocat, & ostendit cui populo, & cui tribui illius populi, imò cui domui seu familiæ in illa tribu, ac quibus circumstantiis, seu quibus notationibus, promissio nasci turi inde Messiæ data ac confirmata fuerit. Quia etiam ostēdit, quòd & quomodo Ioseph & Maria ex illa domo & familia orti fuerint. Rectè igitur & bono ordine, Genealogia Christi, legationi Gabrielis ad Mariam & historiæ conceptionis Christi, præmittitur. Posito verò eo fundamento ex Mattheo, Lucæ historia de conceptione Christi ordine conuenientissimo subiungetur. Et quia postrema illa particula, quam Matthæus Genealogiæ annectit his verbis (*Christi autem generatio sic erat*) formula transitionis est, fundamento promissionum annectens consentientem veritatem impletionis, & pertinet ad descriptionem non natiuitatis tantùm, sed totius œconomię incarnationis Christi, in qua cōceptio primum locum obtinet. Harmonia igitur ordinis pulcerrima est: quod primùm ex Matthæi genelogia ponitur fundamentum promissionum, vnde proditurus seu nasciturus esset Messias. Deinde attexitur ex Luca, talem effectam matrem Christi, Mariam sciliet virginem, de domo Dauidis, qualem vetusta Prophetarum oracula designarant. Et postea sequuntur reliquæ de incarnatione & natiuitate Christi historiæ. Nec video, quid in hoc ὕφος ἀκολουθίας, sicut Eusebius loquitur, desiderari possit.

MATTHÆVS, Cap. 1.		LVCAS, Cap. 3.
1. Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, υἱοῦ Δαβίδ, υἱοῦ Ἀβραάμ.	1. Liber generationis IESV CHRISTI, filij Dauid, filij Abraham.	23. *Iesus incipiebat esse fermè annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph, qui fuit filius Heli.*
2. Ἀβραὰμ ἐγέννησε τὸν Ἰσαάκ. Ἰσαὰκ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακώβ. Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰούδαν, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ.	2. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.	24. *Qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianna, qui fuit Ioseph.*
3. Ἰούδας δὲ ἐγέννησε τὸν Φαρὲς καὶ τὸν Ζαρὰ ἐκ τῆς Θάμαρ. Φαρὲς δὲ ἐγέννησε τὸν Ἐσρώμ. Ἐσρὼμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀράμ.	3. Iudas autem genuit Phares & Zaram ex Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom autem genuit Aram.	25. *Qui fuit Matatthia, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Hesli,*
4. Ἀρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀμιναδάβ. Ἀμιναδὰβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ναασ-	4. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naas-	

σὼν. Ναασσὼν ᾗ ἐγέννησε τὸν Σαλμών.

5. Σαλμὼν ᾗ ἐγέννησε τὸν Βοὸζ ἐκ τῆς Ῥαχάβ. Βοὸζ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ὠβὴδ ἐκ τῆς Ῥούθ. Ὠβὴδ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἰεσσαί.

6. Ἰεσσαὶ ᾗ ἐγέννησε τὸν Δαβὶδ τὸν βασιλέα. Δαβὶδ ᾗ ὁ βασιλεὺς ἐγέννησε τὸν Σολομῶντα ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου.

7. Σολομὼν δὲ ἐγέννησε τὸν Ῥοβοάμ. Ῥοβοὰμ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἀβιά. Ἀβιὰ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἀσά.

8. Ἀσὰ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἰωσαφάτ. Ἰωσαφὰτ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἰωράμ. Ἰωρὰμ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ὀζίαν.

9. Ὀζίας ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἰωάθαμ. Ἰωάθαμ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἄχαζ. Ἄχαζ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἐζεκίαν.

10. Ἐζεκίας δὲ ἐγέννησε τὸν Μανασσῆ. Μανασσῆς δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀμών. Ἀμὼν ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἰωσίαν.

11. Ἰωσίας ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος.

12. Μετὰ δὲ τὴν μετοικεσίαν Βαβυλῶνος, Ἰεχονίας ἐγέννησε τὸν Σαλαθιήλ. Σαλαθιὴλ δὲ ἐγέννησε τὸν Ζοροβάβελ.

13. Ζοροβάβελ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀβιούδ. Ἀβιοὺδ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἐλιακείμ. Ἐλιακεὶμ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἀζώρ.

14. Ἀζὼρ ᾗ ἐγέννησε τὸν Σαδώκ. Σαδὼκ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἀχείμ. Ἀχεὶμ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἐλιούδ.

15. Ἐλιοὺδ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἐλεάζαρ. Ἐλεάζαρ ᾗ ἐγέννησε τὸν Ματθάν. Ματθὰν ᾗ ἐγέννησε τὸν Ἰακώβ.

16. Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσὴφ τὸν ἄνδρα Μαρίας, ἐξ ἧς ἐγεννήθη ΙΗΣΟΥΣ ὁ λεγόμενος Χριστός.

17. Πᾶσαι οὖν αἱ γενεαὶ ἀπὸ Ἀβραάμ, ἕως Δαβὶδ, γενεαὶ δεκατέσσαρες· καὶ ἀπὸ Δαβὶδ ἕως τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, γενεαὶ δεκατέσσαρες· καὶ ἀπὸ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος ἕως τοῦ Χριστοῦ, γενεαὶ δεκατέσσαρες.

son. Naasson autem genuit Salmon.

5. Salmon autem genuit Booz è Rachab. Booz autem genuit Obed è Ruth. Obed autem genuit Iesse.

6. Iesse autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Solomonem ex ea quæ fuerat vxor Vriæ.

7. Solomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abia. Abia autem genuit Asa.

8. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam.

9. Ozias autem genuit Ioathan. Ioathan autem genuit Achas. Achas autem genuit Ezeciam.

10. Ezecias autem genuit Manasse. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam.

11. Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in exilio Babylonico.

12. Porrò post exilium Babylonicum Iochonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.

13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.

14. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.

15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Matthan. Matthan autem genuit Iacob.

16. Iacob autem genuit Ioseph, maritum Mariæ, ex qua genitus fuit IESVS ille qui dicitur Christus.

17. Vniuersæ itaq; generationes ab Abrahã vsq; ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid vsq; ad demigrationẽ Babylonicam, generationes quatuordecim: & à demigratione Babylonica vsque ad Christum generationes quatuordecim.

Hesli, qui fuit Nagge.

26. *Qui fuit Matth, qui fuit Matatthia, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda.*

27. *Qui fuit Iohãna, qui fuit Rhesia, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri.*

28. *Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Helmadam, qui fuit Her.*

29. *Qui fuit Ieso, qui fuit Heliezer, qui fuit Ioram, qui fuit Mattha, qui fuit Leui.*

30. *Qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Ionam, qui fuit Eliacim.*

31. *Qui fuit Meleam, qui fuit Menam, qui fuit Mattbata, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid.*

32. *Qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson.*

33. *Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esrom, qui fuit Phares, qui fuit Iuda.*

34. *Qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraha, qui fuit Tharra, qui fuit Nachor.*

35. *Qui fuit Saruch, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale.*

36. *Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sẽ, qui fuit Noe, qui fuit Lamech.*

37. *Qui fuit Mathusala, qui fuit Enoch, qui fuit Iareth, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan.*

38. *Qui fuit Enos, q fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.*

Periocha Genealogiæ Christi.

MVLTA ac varia, quædam etiam inextricabilia, & olim quæsita fuerunt, & adhuc hodie disputantur de Genealogia Christi: Sed meminerimus certam regulam à Paulo, 1. Tim. 1 ver. 4. & Tit. 3. ver 9. traditam, Genealogias ita tractãdas, vt non serantur quæstiones nunquam finiendæ, & contentiones quæ inutiles & superuacaneæ sunt: sed vt seruire possint ædificationi Dei in fide. Præcipuas igitur Genealogiæ circumstantias mediocri explicatione declarabimus, vt præcipua capita doctrinæ eò commodiùs obseruari possint.

Nominat autem Matthæus [*librum generationis,*] non quòd hunc voluerit titulum seu inscriptionem totius suæ Euangelicę historiæ; sed sicut Moses, Gen. 5. ver. 1. Genealogiam Adami, vocat librum generationis Adam. Ebræi enim quamlibet scripturam, in qua aliquid describitur, narratur aut enumeratur, vocant librum: Charta dimissionis, vocatur liber repudij Matt. 19. ver. 7. literas contractus, Ieremias vocat librum emptionis. c. 32. ver. 11. Et Iudæi quamcunque Genealogiam, siue breuiter siue prolixè descriptam, vocant librum generationis. vnde Syrus paraphrastes simpliciter dicit כתבא descriptio generationis. Ita ergo Matthæus illo titulo pollicetur, se in principio historiæ Euangelicæ, breui enumeratione descripturum seu enarraturum genealogiam Christi, hoc est, ex quibus maioribus, certa generis seu familiarum successione, Maria, ex qua Christus carnem suam assumpsit, orta & propagata fuerit.

Causa autem & finis descriptæ huius genealogiæ fuit, vt præter cætera testimonia, etiam inde certiùs constaret, hunc Iesum esse verum Messiam: quia conceptione & natiuitate sua ex illa stirpe, quam oracula prophetica antea ad hoc designarant, originem suam secundùm carnem duxerit. Deus enim inde vsque ab initio lineam (vt ita loquar) seu stirpem & cognationem illam, ex quo Messias aliquando proditurus erat, certis promissionibus in verbo suo notauit, & ab aliis distinctam certis notis insigniuit, & quasi in illustri loco posuit, vt nossent pij, vnde expectandum esset benedictum semen: vtque in plenitudine temporis certiùs & rectiùs exhibitum Messiam agnoscere possent. Et quia Iudæi prætendebant, se ideò Iesum hunc repudiare, quod non ex semine Dauidis, sed ex Galilæa esset oriundus, Ioh. 7. ver. 41. Matthæus igitur ostendit; Iosephum & Mariam, licèt paupertas ipsos in Galilæam expulisset, fuisse tamen certò ac verè ex semine Dauidis, iuxta promissionem.

Atque ita ad nostræ etiam in Christum fidei confirmationem descriptio huius genealogiæ seruit. Paulus enim, Rom.1. ver.2. dicit hoc Euangelium verum esse, quod Deus antea promisit per Prophetas suos in Scripturis Sanctis, de filio suo qui genitus est ex semine Dauidis, secundùm carnem. Atque ita, sicut Paulus loquitur, in Veteri Testamento est ἐπαγγελία, promittens Christum: In Nouo est εὐαγγέλιον annuncians Christum ita exhibitum sicut promissus fuerat.

Et Lucas quidem alia occasione Genealogiam Christi describit, cui etiam secundùm Lucam alius in Harmonia Euangelica locus tribuendus erit; sed quia sine vtriusque descriptionis collatione explicatio hæc expediri potest, vtranque hoc loco coniungemus, ne in explicatione eadem bis repetere opus sit. Suo tamen loco ostendemus vbi in Harmonia collocanda sit genealogiæ à Luca descriptio.

Lucas igitur in descriptione Genealogiæ Christi, ascendendo longiùs quàm Matthæus progreditur, ostensurus non nouam esse fidem aut recentem doctrinam Euangelij de redemptione per Christum, sed ab initio mundi, statim post lapsum, promissum, & stirpem seu lineam illam (vt vsitato more loquar) vnde carnem assumpturus esset, certo Dei verbo notatam, & cùm à Satana rabiose impugnaretur, mirabiliter conseruatam, illúmque solum populum ab initio mundi fuisse veram Ecclesiam, in quo promissio de semine illo conseruata & propagata fuit. Ita Cain cum sua posteritate discessionê faciente ab Adamo, per Sethum vsque ad Noë sacra illa genealogia deducitur, Gen.5 ver.1. & in ipso diluuio conseruatur, Gen.8. ver.16 Deinde cùm Noah tres haberet filios, ex quorum multiplicatione totus orbis rursus implendus esset, vt facta dispersione constaret, quæ & vbi esset radix illa sancta, Deus Sem stirpê designauit. & eius genealogiam deducit vsq; ad Abrahamum, Gen 11. ver.10 Quæ lineæ, ab Adamo vsque ad Abrahamum, ex Genesi à Luca descriptæ, nihil habent controuersiæ: nisi quòd, ex Græca versione post Arphaxad nomen Cainan irrepsit. Deducit autem Lucas genealogiam illam non tantùm vsq; ad Adamum, vt ostendat, ipsum Adamum & fideles eius liberos hac promissione seruatos: Sed addit [*Adam fuit Dei*] vt principium & finem huius genealogiæ inter se conferri debere ostendat, siue, vt Paulus loquitur, primum Adamum & secundũ conferri debere: Rom 5. ver.12 & 1.Cor.15. ver.45 Adam enim principiò ad imaginem Dei creatus, conciuis fuit regni Dei & habuit communionem cum Deo: sed per lapsum & se & totam suam posteritatem ab illa cum Deo coniunctione auulsit, quæ in Christo demum restituta est. Huius enim redintegrationis vinculum seu nexus est Christus Deus & homo in quo diuina natura τοῦ λόγου personaliter sibi vniuit humanam naturam, assumptam quidem ex massa quæ in Adamo corrupta fuerat (ex iis enim quos post lapsum Adam genuit, Genealogia Christi deducitur. vt ad nostram corruptam naturam redemptionem pertinere sciamus) sed spiritu superueniente sanctificatam.

Matthæus verò Dauidem primò nominat. Promissio enim Dauidi facta, & clarior erat, & adeo illo tempore celebris, vt promissum Messiam vulgus vsitata phrasi vocaret filium Dauidis. Mox vero additur Abraham. Illum enim vt communem parentem eius populi, ex quo proditurus esset Messias omnes iactabant: & ad confirmationem fidei satis erat ostendisse, Christum ex semine Abrahami per Dauidem esse natum.

Distribuit autem Matthæus genealogiam in tres τεσσαρεσκαιδεκάδας, sicut Hieronymus inquit, non tam vt lectoris memoriæ cõsuleret quàm vt ostéderet lineam illam Christi, certis circumstantiis siue indiciis in præcipuis mutationibus status huius populi notatam & designatam: idque ter potissimùm, in Abrahamo in Dauide, & in Salathiele seu Zorobabele, hoc est, in Patriarchis in Regibus & in Ducibus

Primò enim, cùm antea stirps illa in variis locis dispersa fuisset, & Deus Abrahamo & semini eius promissionem illam illustratam ita confirmauit, vt ex posteritate eius certum & quidem magnum populum se effecturum promitteret, assignata ipsis certa ad inhabitationem terra, vtque populus iste, ex quo promissa mundi salus expectanda erat, ab omnibus aliis gentibus distinctus & cunctis vbique notus esset, peculiari signo circumcisionis, & postea variis cæremoniis ac peculiari forma politiæ, insignitus fuit. Et in prima illa Tessaradecade ab Abrahamo vsque ad Dauidem, inter Matthæum & Lucam nihil est diuersitatis. Quædam tantùm obseruanda breuiter notabimus. Cùm Iacob plures haberet filios, qui mox in magnum populum multiplicati fuerunt, Deus, vt stirps Messiæ certior & notior esset tribui Iuda promissionem illam confirmauit, addita hac indicatione: tribum hanc aliquando ad sceptrum peruenturam & illud sub aduentum Messiæ amissuram, Genes.49 ver.10. Ex Patriarchis verò Isaac, Iacob. Iuda Phares, Esrom in terra Canaan nati fuerunt. Genes.46. ver.12. Ram, Aminadab in Ægypto nati & mortui sunt. Naasson & Salmon in Ægypto quidem nati fuerunt, sed prior princeps filiorum Iuda fuit, in exitu ex Ægypto. 1.Par.2. ver.12. quo in deserto vel mortuo, vel cum reliquis forsan ducibus suspenso, Numer.25. versic. 4. Salmon princeps filiorum Iuda fuit in introitu terræ. Ipsa verò horum & sequentium genealogia eo prorsus modo sicut apud Matthæum descripta, extat Ruth.4. ver.18. & 1.Par.2. ver.10.

De Booz verò Lyranus quæstionem mouet. Quia enim Iosephus libr. 5. Antiqu. posuit historiam Ruthæ, quam Booz duxit, sub tempore Heli sacerdotis, inter quod tempus, & inter introitum filiorum Israëlis in Canaan, quando Salmon duxit Rachab, anni intercedunt ferme trecenti, vt Booz Ruthæ maritus videatur non potuisse Salmonis filius esse. Existimat ergo Nicolaus, tres fuisse post Salmonem Booz, vt Salmon genuerit filium nomine Booz; qui quum & ipse genuisset filium, imposuerit ipsi suum nomen Booz: vnde porrò alius filius natus fuerit eiusdem nominis Booz, qui Ruthæ maritus fuerit. Et propter συνωνυμίαν duos priores omissos, ac tertium tantùm, qui Rutham duxerit, in genealogia pósitum. Sed historia Ruthæ antiquior est, quam Iosephus camponit. Scribitur enim facta in diebus vnius Iudicis, eorum scilicet qui in libro Iudicum describuntur. Et Rabini eam ponunt tempore decimi Iudicis Abasa. Nostri verò, tempore Deboræ & Barac eam effectam sentiunt. Quicquid verò sit, de tempore historiæ Ruthæ, hoc tamen certum est, inter introitum in terram Canaan, & inter natiuitatem Dauidis, annos intercedere trecentos sexaginta sex. Et per totum illud tempus tantùm tres generationes. Booz scilicet Obed & Iesse in Genealogia Christi describuntur, inter quos anni illi distribuendi sunt. Ponamus igitur, Salmonem non statim post ingressum in terram Canaan, vel duxisse Rachabam, vel non statim genuisse ex illa Booz, sed intercessisse annos circiter triginta, ac consequens erit, tres illos, Booz, Obed, Iesse, filios suos generasse circa annum ætatis centesimum, quod fieri illis temporibus potuit: Atque ita non necesse erit fingere tres Booz, vel dicere aliquos in genealogia illa omissos.

Illud verò magis dignum est obseruatione, quòd in hac Genealogia Christi, mulierculæ quædam gentiles seu alienigenæ, vt Rachab Cananæa, Ruth Moabitis, Betsabe Hethæa, per coniugium insitæ leguntur sanctæ huic radici: vt scilicet præfiguraretur vocatio gentium, quæ similitudine insitionis oleastrij in radicem oleæ describatur: Ro.11. ver.17. vt ita constaret redemptionem Messiæ ad gentes etiam pertinere: & futuram per Christum restitutionem naturæ corruptæ, non Iudæis tantùm, verumetiam in gentibus credentibus. Fide enim Christo desponsamur & ipsi inserimur, Ose.2. ver.16. & 2. Cor. 11. ver.2 Rom.11. ver.20.

Eodem modo in Genealogia Christi nominatim recensentur mulierculæ, stupro adulterio atque adeo incestu contaminatæ: vt qui propter peccatores venturus erat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret: sicut Hieronymus inquit. Vtque ostenderetur, Christum propitiatorem esse, non tantùm pro peccatis quæ originaliter ex Adamo contraximus, sed præterea & pro actualibus, & quidem atrocissimis, quibus nos ipsos contaminamus. Nam & ideò postea, non tantùm sancti Reges, sed & impij, in Genealogia Christi enumerantur.

Secunda verò tessaredecas Matthæi inchoatur à Dauide, & continet Reges: quam ideò Matthæus à priori tessaradecade distinctam peculiari loco posuit, non enim tantùm forma gubernationis in populo illo mutata tunc fuit, illud enim in Saulo rege Benjamita antea factum fuerat: sed quia in Dauide sceptrum tribui Iuda, iuxta vaticinium Iacob, Gen.49. versi.10. datum & confirmatum fuit. Imò quæ potissima causa est, promissio de Messia clariùs tunc illustrata, & Dauidi, posteritate ipsius ad hoc designata, confirmata fuit. Quia verò à Dauide, in descriptione Matthæi & Lucæ, magna est & nominum & graduum diuersitas, quæ varias & mirabiles peperit disputationes, nec animus est illas hoc loco omnes recensere, capita quædam, quæ vera, plana, & Scripturæ consentanea sunt, ordine subiiciam, vnde quæ sit omnium simplicissima & ædificationi seruiens sententia manifestum erit.

Primò igitur semini Dauidis data & confirmata fuit promissio de Messia inde nascituro, addita hac notatione seu circumstantia: Non auferetur de te vir qui sedeat super thronum Israël 2. Reg.7. ver 12. Et Psal.132. ver.11. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, donec prorsus auferatur, Gen.49. versi. 10. aduentante eo cui debebatur, Ezech.21. ver.27. Vt igitur vera radix seu stirps Messiæ probaretur & agnosceretur, non sufficiebat de domo seu familia Dauidis esse, sed addita erat nota sceptri & sessionis super sedem, thronum seu solium Dauidis, quod Zach.6. ver.13. etiam Ducibus post captiuitatem Babylonicam tribuitur. Quia enim Christus Rex & Dux esse debebat: ideò ex linea Dauidis regia & ducali nasci voluit. Ac propterea, quando Deus nutante solio Dauidis, aliquem ex eius familia in gubernatione confirmabat, dicitur seruasse lucernam Dauidi

uidi

uidi, vt impleretur promissio. Christus.n. vera lux mũdi est, Ioh. 8. v. 12. Et Deus dedit ipsi sedẽ Dauidis, patris ipsius, Luc. 1. v. 23.

Secundo: sessio illa super sedem Dauidis, non erat verbo Dei ad verã aliquam certã stirpem seu lineam domus Dauidis alligata. Dauidis enim domui, non Salomonis aut alterius ex posteritate Dauidis, promissio illa cõfirmata erat. Poterat itaque, propter non custoditum testamentum, Psal. 132. v. 12. successio ab vna stirpe seu linea transferri & deuolui ad aliam: ita tamẽ, vt in domo Dauidis maneret. Hoc enim ad promissionis veritatem sufficiebat. Atq; ideò regnũ Israelis, licèt amplius esset, cum decem tribus sub se haberet, ad promissionẽ illã non pertinebat: nõ enim ex domo Dauidis erat, cui promissio de Messia inde orituro data erat. Ita ergo nunc, cùm stirps Salomonis sceptrũ teneret, pręcipuè habita fuit ratio genealogię eius stirpis. Sed interea tamen non neglectæ fuerunt reliquorum genealogiæ, qui erant de fructu ventris Dauidis: vt si sessio super solium Dauidis ad aliam stirpẽ siue lineam transferretur, ratio cõstaret, quòd & quomodo illa esset de domo Dauidis. Quod enim de notatis & asseruatis genealogiis in aliis tribubus factũ legimus 1. Esd. 2. v. 59. illud absq; dubio in domo Dauidis propter promissionẽ de Messia, multo accuratiùs obseruatum fuit. Annius ex Philone citat traditionem, quòd Dauid in Testamento suo certã legem successionis statuerit: vt scilicet stirpe Salomonis vel deficiẽte, vel ex solio remoto, successio ad Nathanis stirpem deuolueretur, atq; ideò vnumquenque ex Nathanis posteritate, licèt priuatus esset, vocatum אחי שר frater meus princeps. Sicut & hodie reliqui regum fratres, qui nõ sunt reges, sed spem & ius successionis habent, vocantur vel infantes regni, vel principes & duces. Quia verò non est tutum traditionibus niti, cùm præsertim tota illa Annij de hac genealogia dissertatio, quasi ex Philone descripta, sicut extat editioni Berosi annexa, valde sit suspecta: & si non prorsus est suppositicia, admodum tamen est incerta. In operibus enim Philonis, quæ Græcè & Latinè prodierunt non extat. Videndum igitur est, possintne in Scriptura vestigia aliqua deprehẽdi, vnde sententia illa, quam titulo traditionis Annius ex Philone recitat, descripta sit. Nominantur autem in Scriptura ita, quòd fuerint de semine regio seu Dauidis 4. Reg. 11. v. 1. & 25. v. 25. Et 4 Reg. 10. v. 13 nominantur fratres Ochosiæ regis Iuda, & 2. Par. 22. v. 8. filij fratrum Ochosiæ ministrant regi. Et existimant eruditi, tales fratres regũ nominari Nathinæas, inde & propterea, quòd *regibus ad ministeria* gubernationis attributi essent. Nam 1. Esd. 2. v 57. filij ministrorum Salomonis vocantur Nathinæi, & habitârunt in munitione Ophel Neh. 3. v. 26. & Zach 12. v. 12. & 13. familia domus Dauid, & familia domus Nathan, vt distinctæ ponuntur. Et nomen habuerunt vel à stirpe Nathan, vel inde, quòd regibus vel ducibus ad ministeriũ, tanquam proximo agnati, attributi essent. Nam & post captiuitatẽ Babylonicam, cũ duces essent ex stirpe Nathan, familia penes quam gubernatio erat, vocatur domus Dauid, reliqui agnati vocantur domus Nathan, Zach. 1. v. 13. Generali vero appellatione illi etiã, qui Leuitis ad ministeria attributi erant, vocantur Nathinæi. Esd. 2. v. 43. de quibus hoc loco non agimus. Quæ igitur de fratribus regum Philo tradit, videntur Scripturæ cõsentanea esse. Quod verò addit, de constitutione illa Dauidis, quoad successionem stirpis Nathan nihil certi ex Scriptura constat. hoc verò constat ex Luca, solium Dauidis, à stirpe Salomonis, ad cognationem Nathanis tandem sub ducibus, translatum. Atque ideò *Matthæus* Salomonis lineam contexit, quæ sceptrum diu tenuit. Lucas verò Nathanis lineam persequitur: ad quam postea solium Dauidis, Ducum titulo, deuolutum fuit.

Tertiò: Multi sentiunt & Matthæum & Lucam, licèt per diuersas lineas, tamen vnius & solius Iosephi genealogiam texere: quod cùm non tam mirum quàm absurdum videatur. Euangelistas tam operosè, & quidem bis per diuersas lineas, Iosephi Genealogiam, ex quo tamen Christus carnem suam non accepit, contexere, & Mariæ virginis, ex qua natus est Christus genus prorsus tacere, varij varia respondent. Quidam opinantur, Euangelistas non Mariæ, sed Iosephi genealogiam contexuisse ideo, ne Iudæi in ipso primo aditu, mysterio incarnationis Christi ex sola virgine, offenderentur. Alij addunt hanc causam, vt illi etiam, qui inter rudiores putabant, Iesum ex Iosepho natum crederent nihilominus ipsum verum esse Messiam. Sed hæc responsio simpliciter admitti non debet. Propter *Pharisaicum* enim scandalum vitandum, non debuerunt Euãgelistæ veritatem minùs apertè profiteri, nec errores dissimulatione aliqua fouere. Nec etiam perniciosus error, fingens *Christum ex Ios*ephi semine natum, per ambiguitatem fouendus fuisset ab Euangelistis; sed apertè potius refutandus. Et tũc cùm Euangelistæ hæc scribebant, mysterium illud incarnationis filij Dei ex virgine, per totum mundum palàm prædicabatur. Nec satis est ad explicationem huius quæstionis, quòd dicitur: non esse morem Scripturæ mulierum genealogias texere. Mulieres enim hactenus in genealogiis poni, vt ostendatur. 1. ex qua familia ipsæ originem ducant. 2. qui ex mulierculis illis nati sint, exempla monstrant, 1. Par. 2. v. 3. & 4. Id quod certè in Maria etiam propter Christum, qui ex ipsa natus est, præcipuè faciendum fuisset. Nec sufficit illa solutio, quæ Veteribus vsitata est, Ostenso genere & probata familia sponsi seu mariti, eadem opera & sponsæ siue vxoris genus & familiam monstratam esse, propter legem, Num. 36. v. 7 In ipsa enim hac Genealogia Christi, quædam mulierculæ, sunt Cananææ, Moabitides, Hethææ: quarum tamen mariti sunt ex tribu Iuda. Lex enim Num 36. v. 7. sicut textus manifestus est, tunc tantùm obligabat, quando per nuptias fiebat aliqua translatio possessionum: aliàs verò liberum erat. Ita non tantùm Aaron duxit sororem Nahason, de tribu Iuda, Exod. 6. v. 23. sed & ipse Dauid antea filiam Saulis, de tribu Beniamin, in vxorem habuerat. Quòd verò dicitur Mariam fuisse vnicam paternorum pędiorum hæredem, & incertum est, & cum descriptione paupertatis Mariæ non satis conuenit. Et etiamsi hoc concedatur, legi tamen, Num. 36. v. 7. satisfieri poterat si ex eadem tribu essent sponsus & sponsa. Iam verò tribus Iuda multas habebat familias, quæ non erant de domo Dauidis Ex Iosephi igitur genealogia non certò & firmiter ostenditur genus & familia Mariæ, nisi eò decurramus: notissimum tunc, cùm Euangelistæ scriberent, omnibus fuisse, Iosephum & Mariam ex eadem familia & domo fuisse. Et hoc quidem verum est. Nam & sensus seu descriptionis historia, Luc 2. v. 4. illud confirmat: Sed hac ratione non ex genealogia Iosephi, sed aliunde genus & familia Mariæ probaretur.

Cùm verò genealogiæ illæ non otiosè ab Euangelistis sint descriptæ, & necesse sit extare perspicua & certa testimonia, Iesum esse ex semine Dauidis, iudico illorum sententiam omnium esse simplicissimam & commodissimam, qui intelligũt, Lucam Mariæ matris genealogiam ex Dauide per Nathanem contexuisse: Matthæum verò Iosephi sponsi per Salomonem: quod quomodo intelligendum sit, mox explicabimus.

Quòd verò Euangelistæ iudicârunt, non sufficere Marię genealogiam texuisse, sed & Iosephi sponsi cognationem descripserunt, nihil ab officio suo alienum fecerũt: quia illud ipsum seruit confirmationi fidei. Vxor enim, quia cum marito vna caro efficitur, lege transit in familiam mariti, vnde etiam post desponsationem & nuptias censetur: sicut exempla muliercularum in ipsa Genealogia Christi ostendunt. Illud enim non tantùm per carnalem, quod dicitur, copulam, fit: sed & ipsas sponsas Moses nominat & iudicat vxores, Deut. 22. v. 23. Lucas igitur ostendit, Mariam natiuitate seu origine esse ex semine Dauidis, Matthæus verò addit, ipsam per desponsationem non transiisse in aliam vel tribum vel familiam, sed desponsatam Iosepho, qui & ipse fuit de domo & familia Dauidis: vt ita vndique firmissimè probetur, Christum nostrum esse ex domo & familia Dauidis, siue censeatur ex familia matris, ex qua virgine natus est siue ex illa familia, in quam Maria per desponsationem transiit, censeatur. Et hæc consideratio ostendit, quare duæ distinctæ genealogiæ ab Euangelistis descriptæ sint. Et multæ perplexæ disputationes hoc modo expediuntur & illustrantur. Ac iucunda sanè est hæc obseruatio, quòd stirps Salomonis regia, quæ sceptrum diu tenuit, cùm à gubernaculis remota & in priuatum ordinem redacta esset, originem præbuit Iosepho. Nathanis verò stirps, quæ Ducum titulo postea super solium Dauidis collocata fuit, Mariæ originem præbuit. Hac enim notatione, sessionis super solium Dauidis, promissio de Maria domui Dauidis data & cõfirmata erat. Et Christus, quia dux & princeps esse debebat, Mich. 5. v. 2 Ezech. 34. v. 24. & 37. v. 25. ideo ex matre, quæ ex familia ducum seu principum de domo Dauidis orta fuerat, nasci voluit. Quia verò etiam Rex esse debebat. Hier. 23. v. 5. Zach. 9. v. 9. ideo mater ipsius per desponsationem in regiam Salomonis lineam translata fuit. Hęc cum fructu explicari & cogitari possunt.

Quartò: Videndum iam est, quomodo descriptiones genealogiarum, sicut extant apud Matthæum & Lucam, ad hæc capita simplicissimè accommodari possint. Certissimum autem est, & extitisse tunc integras genealogiarum descriptiones, & rationes illarum tunc notiores fuisse. Cúmque Iudæis, qui ex professo hostes Euangelij fuerunt, Paulus tribuat peculiarem libidinem contendendi de genealogiis, absque dubio acerbissimè contradixissent, si quid vidissent in Genealogiis Christi, sicut ab Euangelistis descriptæ sunt, non rectè se habere. Vna enim illa maximè plausibilis species fuisset, si potuissent ostendere Iesum non esse ex semine Dauidis: Sed cùm alia, quæ arroderent & calumniarentur, cupidissimè acciperent de genealogiis hisce nihil ipsos mouisse legimus. Cùm igitur, vel hostium testimonio, rectè se habere iudicatæ sint hæ Genealogię Christi, tunc quando & integræ descriptiones extabant, & rationes eorum notissimæ essent, non decet nos eas iam in dubium vocare, sed mediocri explicatione contentos esse. Quod ideò præmittitur, ne infinitis disceptationibus, explica-

tiones harum genealogiarum mediocri simplicitate traditæ, exagitentur & conuellantur.

Matthæus igitur à Dauide per Salomonem, Lucas per Nathanem, diuersis & lineis & nominibus genealogias contexūt, vsque ad Salathielem: in qua enumeratione nihil esset scrupuli, nisi quod Matthæus dicit, [*Ioramum genuisse Oziam.*] cùm cōstet, non immediatè hoc factum, sed tres intercessisse, Ochosiam scilicet, Ioam, & Amasiam, à quo immediatè genitus fuit Ozias. Nec obliuione, aut incuria Matthæum hoc fecisse, dicendum est. Existimant autem quidam, quia Ioramus impio generi Iezabelis, ducta filia eius Athalia, se commiscuisset, ideò memoriam eius vsque ad tertiam generationem tolli, ne in sanctæ natiuitatis ordine ponatur. Sed ita nec Salomon, nec Achaz, nec Manasses in hoc catalogo censendi fuissent. Simpliciùs autem est dicere, Matthæi propositum non fuisse singulorum nomina recensere; sed suo quodam consilio enumerationis intra tessaradecades concludere, & secundam tessaradecadem cum sceptri seu regni fine claudere. Annius verò ex Philone narrat, ideò hoc factum: quia in Ochozia stirps Salomonis defecerit, & Ioas ex Nathanis linea in regnum successerit, qui naturalis quidem filius fuerit Simeonis, & appellatur Leui apud Lucam, ponatur autem apud Matthæum in linea Iorami, ratione successionis: vt ita, qui recensentur post Ochoziam in Matthæo, & post Simeonem in Luca, vsque ad Salathielem iidem esse intelligantur; sed nominibus diuersis appellari. Et multi quidem inter reges binomines fuerūt. Ochozias enim, 2. Par. 21. v. 17 vocatur Ioachaz & Ozias Azarias, 4. Reg. 15. v. 1. Sed videndum est, vnde & quomodo mutationem illam successionis in Ioa factam Annius probet. Scriptum est, inquit 4. Reg. 11. v. 1. quòd Athalia omne semen regium interfecerit, Audio. Sed additur Iosabam, Ioam filium Ochoziæ, de medio filiorum regis, qui interficiebantur subduxisse, & conseruasse. Omnes igitur reliqui regij filij siue de semine regio, excepto Ioa, interfecti fuerunt, cúmque verbis non obscuris Ioas in Scriptura appelletur filius Ochoziæ, non semel, sed in aliquot locis, vt 4. Reg. 11. v. 2. & 1. Paral 3. v. 11. 4 Reg. 13. v. 1. & 2. Par. 22. v. 11. iniquum sane esset, propter traditionem incertā, à manifestis Scripturæ verbis aliquoties repetitis discedere, & contra Scripturam credere, Ioam non fuisse Ochoziæ filium. In Philonis enim operibus ea, quæ Annius sub ipsius nomine venditat, non habentur. Sepositis igitur illis traditionibus, simpliciter, vt verba sonant, accipimus, eos quos Matthæus à Dauide vsque ad Salathielem recenset, à Salomone descendisse & sceptrum tenuisse: Quos verò Lucas à Dauide vsque ad Salathielem enumerat, accipiamus per Nathanem descendisse, & sine sceptro, priuatos vixisse. Ita apud Lucam eiusque omnia plana erunt. Nec apud Matthæum in secunda illa tessaradecade præterea aliquid scrupuli erit; nisi quod [*Iosias dicitur genuisse Iechoniam, in transmigratione Babylonica.*] cùm Deus promiserit Iosiæ, 2. Par. 34. v. 28. colligam te ad patres tuos, nec videbunt oculi tui malum, quod inducturus sum super locum istum. Μετοικεσία enim & ἀποικία apud Græcos interpretes respōdet voci גולה quæ deportationem ex patria in exilium significat. Quia verò vtitur præpositione ἐπὶ, quidam interpretantur circa vel sub tempus captiuitatis, non in ipso exilio, sed aliquot annis ante. Alij ita interpretantur, quod illo tempore, cū ea, quæ causam dederunt Deo, quod captiuitate Iudæos puniuit, agerentur, Iosias genuerit. Sed historica ratio simplicissima est. Nam 1. Par. 3. v. 15. Iosias non est pater Iechoniæ, sed auus. Sentiunt igitur, vitio librariorum patrem Iechoniæ omissum; quod Hieronymus ita accidisse existimat. Iechonias enim 2. Par. 36. v. 9 & 4. Reg. 24. v. 6. vocatur יהויכין Iehoiachin, cuius pater fuit יהויקים Iehoiakim, quæ nomina in Hebræo distinctissima, cum in Græca & Latina lingua scribendo facilè possint confundi, scriptores, putantes idem nomen Iechoniæ otiosè bis positum, alterum expunxerunt. Idē sentit etiam Epiphanius, li. 1. Tom. 1. Stapulensis annotat vetustissimum quoddam exemplar ita habere: Iosias genuit Ioachim. Ioachim genuit Iechonian. Et hæc vera ratio est. Aliàs enim vna persona deesset, siue secundæ siue tertiæ tessaradecadi, apud Matthæū, si rectè enumerentur. In hac verò regia Salomonis linea, obseruanda est facta illustratio promissionis dato signo Achazo, Esa. 7. v. 14. Virginem de domo Dauidis fore matrem Messiæ.

De tertia verò tessaradecade apud Matthæum, & quę nomina apud Lucam è regione huic respondent, intricatissimæ sunt disputationes, quæ quomodo simplicissimè euolui possint breuiter ostendemus. In appellationibus igitur Salathielis & Zorobabelis Matthæus & Lucas conueniunt; sed Matthæus suum Salathielem ex Iechonia, Lucas suum ex Neri deducit. Accedit, quod 1. Par. 3. v. 17. Salathiel scribitur filius Asir, & ver. 19 Zorobabel illius Phadaiæ, atque ita tres essent patres Salathielis, operosè autem à multis disputatur, an & quomodo idem sit Salathiel & Zorobabel, apud Matthęum, apud Lucam, & in Paralipomenis. Et quidam ad vsitatum in hac disputatione ἀκροφύγιον confugiunt, de patre naturali & legali apud Matthæum & Lucam, sed illis postea sudandum est, quomodo tertium patrem Salathielis, Asir scilicet, referant. Annius ex personato suo Philone dicit, mutatis nominibus eundem esse Iechoniam apud Matthæum, Neri apud Lucam, & Asir, 1. Par. 3. v. 17. Item: Salathielem & Phadaiam eundem esse, atque ita de reliquis. Sed quare nostris disputationibus ea nos confundimus, & intricata reddimus, quæ Scriptura diuersis appellationibus distincta & plana esse voluit? Præterea, disputatores isti contendunt, duces Iuda post captiuitatē fuisse ex stirpe seu linea Iechoniæ. Atqui Deus ipse (id quod etiam Irenęus, lib. 3. c. 30. & Ambrosius obseruárunt) Hier. 22. v. 30. dicit de Iechonia: Scribe, virum istum orbum, qui non erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauidis, & potestatem habeat in Iuda. Certū igitur est, ex planissimo hoc Hieremię testimonio, Duces Iuda, qui post captiuitatem sederunt super soliū Dauidis, & potestatem habuerunt in Iuda, non esse ex stirpe seu semine Iechoniæ deducendos. Certum est & hoc: Mariam matrem Christi, quia ipsi Deus dedit sedem Dauidis, non debere deduci ex stirpe seu linea Iechonię, de cuius semine neminem sessurum super solium Dauidis Deus exprelse prædixit, Hier. 22. v. 30. Quæ cum ita se habeant, simplex & quidem ex Scriptura certa est eorum sententia, qui dicunt Salathielem & Zorobabelem, vnde duces descendunt apud Lucam, alios esse, quàm qui apud Matthæum ex Iechonia deducuntur. cuius posteros sine publica auctoritate & potestate, priuatos vixisse, vaticinium illud Hieremiæ exprelse ostendit. Et eadem nomina pluribus solita imponi, nullum est dubiū: præsertim quæ vel boni ominis vel præstantium virorum nomina essent. Ita ergo duæ stirpes seu lineæ sunt, sicut nominibus, ita & gradibus & personis prorsus distinctæ & diuersæ apud Lucam à Nathane, per Neri, vsque ad Eli: & apud Matthæum à Salomone, per Iechoniam, vsque ad Iacobum. Quę vna ratio disputatiōnes intricatissimas & nobis inexplicabiles simplicissimè soluit & expedit. Nec nouum commentum est, sed ex Veteribus pręcipui, vt Africanus, Damascenus, Ambrosius & alij, qui varia quidem de hac Genealogia Christi disputant, nullam prorsus mouent litem de Salathiele & Zorobabele, an eosdem esse necesse sit apud Matthæum & Lucam, sed simpliciter & constanter affirmant Iacobum apud Matthæum ex Salomone, Eli apud Lucam ex Nathane descendere.

Sed his expeditis, vltimus iam & intricatissimus scrupulus superesse videtur, quod Iosepho Mariæ sponso duo videntur patres attribui: Iacob scilicet apud Matthæum, & Eli apud Lucam. Et plerique omnes ad legem, Deut 25. v. 5. de semine fratri suscitando, confugiunt. Semen enim, quod hoc modo fratri demortuo suscitabatur, dictitant habuisse duos patres: alterum naturalem à quo suscitabatur, alterum legalem cui suscitabatur. Cúmque lex illa Deuteronomij loquatur de fratribus in eadem domo habitantibus, quidam ex lege vindicationis seu assertionis ad gradus etiam remotiores, ex historia Ruthæ, sententiam illius legis extendunt. Atque hoc modo cum Matthan, auus Iosephi, apud Matthæum, & Matthat apud Lucam, eadem videatur esse persona, cùm idem sit nomen, nisi quòd alij Matthat, alij Matthan pronunciârint, Lutherus disputat, Eleazarum ex stirpe Salomonis apud Matthæum, sine liberis defunctum: ei verò, ducta ipsius vxore, Leuinum apud Lucam ex stirpe Nathanis suscitasse semen Matthat, qui hoc modo naturalis filius fuerit Leuini, ab ipso genitus, legalis verò Eleazari, cui scilicet demortuo semen illud suscitatum fuerit. Atque ita in auo Mariæ & Iosephi vtramque lineam, & Matthæi & Lucæ, conuenire. Illum enim Matthat ex linea ducali à Nathane, duos generasse filios Iacobum, qui pater fuerit Iosephi & Eli, qui pater fuerit Mariæ virginis. Ac concinnæ quidem essent cogitationes, vt eo firmior certitudo esset, Iosephum & Mariam ex eadem familia & domo Dauidis fuisse, ideò communem ipsos habuisse auum Matthat, & fuisse duorum fratrum liberos, si illud de Matthat, ex certo aliquo testimonio constaret. Africanus verò apud Eusebium tradit, Matthan apud Matthæū ex stirpe Salomonis habuisse vxorē, Esthā nomine, & generato ex illa filio Iacobo defunctum: post cuius obitum Matthatum apud Lucam ex stirpe Nathanis relictam illam Matthani viduam duxisse, non quidem ex lege proximæ cognationis, Deut. 25. v. 5 sed liberè, sicut viduæ ab aliis solebant duci, & ex illa suscepisse filium Heli: vt ita Iacob & Heli fuerint vterini fratres, patres verò habuerint longissima serie distantes, à communi stipite Dauidis. Cùm verò Heli sine liberis discessisset, Iacobum fratrem eius ducta ex lege, Deut. 25. v. 5. defuncti vxore, inde suscepisse filium Iosephum, qui iuxta naturam quidem generationis, Iacobi filius fuerit, secundùm legis verò pręceptum Heli filius: Ambrosius hoc inuertit, & Iosephū facit filium Heli naturalem, Iacobi verò ea, sicut iā dictum est, ratione, legalem. Damascenus lib 4. c. 15. cum Africano eadem ratione Iosephum facit filium Iacobi naturalē, Heli verò

li verò legalem. Sed hæc omnia absque vllo alio testimonio, solo traditionum titulo proponuntur: sicut Africanus apud Eusebium li.1.c.6. à Christi consanguineis hæc tradita asserit, quæ forsan à Iudæis tunc ita sparsa fuerunt, vt haberent plausibiliorem occasionem & prætextum illudendi fidei nostræ. Omnes enim hæ opiniones, de Iosepho tãtùm sollicitæ sunt; & ipsi attribuunt duos patres, magno conatu ex duabus prolixis & diuersis lineis deductos cũ tamen Euangelistę expressè contestentur, Iesum non esse natum ex Iosephi semine. Interim in tota illa genealogica disputatione nemo sollicitus est de familia Mariæ virginis, ex qua Christum natum esse verbum Dei tradit. Animaduertit hoc Damascenus, ideo excogitauit aliam quandam lineolam, extra Euangelistarum lineas: Matthat scilicet apud Lucam fratrem habuisse Panthera, qui genuerit filium Barpanthera: hũc verò genuisse Ioachimum patrem Mariæ, vt ita Ioseph & Maria cognati sint in quarto gradu lineæ inæqualis, ac communem habeant stipitem Leui. Sed incertæ traditiones, vel verisimiles coniecturæ, nõ possunt firmamẽtum esse nostræ fidei. Simplicissima igitur & certissima est illa ratio, quæ descriptiones Euangelistarũ sine vlla vel mutatione, vel confusione, vel additione, simpliciter distinctas & diuersas relinquit & statuit: Matthęum à Dauide per Salomonem contexere lineam regiam, quę sceptrum tenuit vsq; ad Iechoniã, cuius posteritas de solio Dauidis deposita, Hier. 22.v.30. priuatam vitam agens, ex Iacobo produxit Iosephum sponsum Mariæ. Lucam verò contexere lineam Dauidis per Nathanem: quæ priuata vixit vsque ad Salathielem, ad cuius posteritatem successio in solium Dauidis, remota Salomonis stirpe, titulo Ducum seu Principum, deuoluta fuit vsque ad Iohannam. Et quia certum est post Iohannem illum, nullum sedisse super solium Dauidis, seu nullum postea fuisse Ducem ex domo Dauidis, ideo ex illo Iohanna oportet lineam Christi descendere. Ex huius igitur posteritate Maria virgo orta est, ex qua cùm natiuitate esset ex stirpe Dauidis Ducali, & per desponsationem in Iosephi familiam, quæ regia erat, transiisset, natus est Iesus Christus, Rex & Dux, vel princeps, à Deo per Prophetas promissus. Ita non opus est Iosepho duos attribuere patres, sed solus Iacobus, qui secundum Matthæum Iosephum genuit, verus & naturalis ipsius pater fuit. Lucas verò nõ dicit, Heli genuisse Iosephum, sed Iosephum nominat τοῦ Ἡλεί: quæ phrasis non necessariò cõuincit, quod filius naturalis fuerit Heli. Nam & Adam ibi dicitur τοῦ θεοῦ: cùm eius esset creatura. Et Act. 1.v.13. vocatur Iudas Ἰακώβου, scilicet frater: & Marc. 16.v.1. vocatur Maria Iacobi scilicet mater. Syrus quidem paraphrastes singulis addit בר filius: sed nõ tantùm naturali generatione, verùm etiam aliis modis vocatur quis filius alterius: vt Iohannes Apostolus vocatur filius Mariæ. Ioh. 16.v.26. Sicut igitur Noëmi, nurus vocat suas filias, Ruth 1.v.13. ita Ioseph spõsus Mariæ, vocatur τοῦ Heli seu Ioachim patris Mariæ, vtpote gener eius. Et Veterum sententia, quòd Eli apud Lucam sit ille, qui vulgò Ioakim Mariæ pater appellatus fuerit, non est absurda. Nam 4 Reg. 23 v.34. & 2. Par 36. v 4 Eliakim mutato nomine à Chaldæis vocatur Iehoiakim: Ea vulgi consuetudine Ioakim, pater Mariæ, appellatus etiam fuit Eliakim: quod nomen vulgus breuius pronunciat Eli.

Hanc sententiam iudico simplicissimam & commodissimam esse: ad cuius pleniorem confirmationem vtiliter quęri potest, vnde constet, eos, quos Lucas post Zorobabelem enumerat, fuisse *Duces* Iuda? Annianus Philo tradit, Duces illos aliis, quã Lucas scribit, nominibus appellatos: sed & illis, quæ Lucas recitat nominibus appellatos fuisse, addit. Illa verò Anniana valde & suspecta & incerta esse aliquoties iam dictum est. Certius igitur illud est, quod Hieremias cap. 22. v. 30. scribit: Duces illos Iuda, post captiuitatem non fuisse ex stirpe Iechoniæ: cũque 1. Par. 3. stirps ducis Zorobabelis, propter Messiæ stirpem, vsque ad aliquot generationes in linea descendente describatur, (quas generationes aliquot sæculis, post scriptos libros illos Paralipomenon, si Esdram auctorem habent, additas fuisse necesse est) non iniucunda est consideratio, sitne aliqua conuenientia appellationum in stirpe Zorobabelis, Luc. 3. v. 27. & 1. Par. 3. v. 19. Et videntur conuenire hæc nomina: Nepos Zorobabelis, qui vocatur Iohanna, Luc. 3. v. 27. is appellatur Hananias, 1. Par. 3. v. 19. Et huius pronepos Semei, Luc. 3. v. 26. conuenire videtur Semeia 1. Par. 3. v 22. sicut & Iohannan, qui vltimus ferme est 1. Par. 3. v. 24. conuenire videtur, cùm Ianna, qui Luc. 3. v. 24 quintus est ab Heli. In Iosepho etiam diligenter inquisiui, si quid ibi extaret, quod ad lineam Ducum post captiuitatem illustrandam faceret. Sed quia potestas Reipub. Iudaicæ, post solutam captiuitatem, præcipua fuit penes pontifices, Ducum Iosephus mentionem non multam facit. Sed tamẽ lib. Antiq. 12. cap. 4. & 5. scribit tempore Ptolomæi Euergetis & Epiphanis, Iosephum (cuius nomen plane ita in Luca ponitur) fuisse illustrem Ducem Iuda, & eius filium Hyrcanum, cui Iohannis nomen propositum fuit, in Ducatu successorem fuisse, qui cum metu Antiochi Epiphanis manũ sibi intulisset, principatum familiæ suæ finiuit, & vltimus Dux ex tribu Iuda & domo Dauidis fuit. Machabæi enim postea dominationem ad se traxerunt. Iohannem vulgò tunc Iannam dictum, indicio est Alexander dictus Iannæus. Ianna igitur, Luc. 3. v. 24. est Iohannes ille Hyrcanus apud Iosephum. Et 2. Mach 3. v. 11. thesauri in templo Hierosolymitano depositi scribuntur, Hyrcano αἰδῶ: σφόδρα ἐν ὑπεροχῇ κειμένου, quæ Ducis seu pirncipis descriptio esse videtur. Inquisiui etiam diligenter, an Iudæi in suis Chronicis aliquid de Ducibus post captiuitatem haberẽt. Sed inueni, ipsos pleráque nomina 1. Par. 3. v. 3. & deinceps describere. Dicunt enim, Duces fuisse in Babel vsque ad Machabęos, 1. Zorobabelem. 2. Mesullam. 3. Hananian. 4 Berechiam. 5. Hasadiam. 6. Isaiam. 7. Obadiam. 8. Sechoniam. 9. Schemaiam. 10. Naadian. 11. Hiskiam, cuius fratrem dicunt fuisse Hillelẽ, centum annis ante desolationem templi, qui filium habuerit Simeonem, à quo Gamaliel: Sed Rabinorũ commenta hęc sunt. Nos verò illis qualibuscunque vestigiis, de Ducibus Iuda ex conuenientia nominum 1. Par. 3 & ex Iosepho descriptis, cùm pleniores non extent historiæ, contenti simus. Certum enim est, sicut scribit Eusebius li. 1. c. 6. & priuatim & in publicis templi archiuis asseruatas fuisse integras omnium filiorum Dauidis genealogias. Inde verò Euangelistæ hasce genealogias ita descripserunt, quòd planissimè demonstrârunt Iesum ex semine Dauidis natum esse: ita vt illis temporibus nemo, & ne Pharisæi quidem, qui tamen professi erant Euangelij hostes, in illa Euangelistarum genealogia aliquid reprehendere potuerint tunc, cùm ratio harum genealogiarum notissima esset & hoc fidei nostræ sufficit Iesum ex semine Dauidis natum esse.

Explicatum itaque hactenus est, quare & quomodo ex linea Dauidis Regali & Ducali Euangelistæ genus Christi deducãt: cui explicationi vtiliter adiungi potest & hæc consideratio. Cùm Christus & Rex & Pontifex seu sacerdos, iuxta ritũ Melchisedeci esse debebat, quòd Elisabetha de filiabus Aaronis, à Gabriele vocatur συγγενὴς Mariæ. Et necessariam esse aliquam huius quæstionis explicationem inde colligitur, quòd Faustus Manichæus apud August. lib. 23. ex Apocrypha quadam scriptura commentum adducit: Mariam fuisse ex tribu Leui natã, patre sacerdote quodam Ioachimo. Sed explicatio non est difficilis. Constat enim duas illas per nuptias coniungi: & quod tribus Leuitica, cũ nullas haberet possessiones, lege illa Num. 36. v. 7. soluta esset. Ita Exod. 6. v. 23. Aaron duxit vxorem Elisabet sororem Hahason, Ducis Iuda. Et 2. Paral. 22. v. 11. Iosabeth vxor pontificis Ioiadæ, est filia regis Iorami, & soror Ochoziæ. Ad cognationem igitur inter Mariam & Elisabetam sufficeret, si ponatur, aliquam ex cognatione Mariæ nupsisse in tribum sacerdotalem, ex quo coniugio nata sit Elisabetha. Sed hac ratione periret pulcerrimum illud mysterium, quòd Gabriel voluit insinuare Christum, qui sicut Melchisedech futurus erat Rex & sacerdos, ex regia & sacerdotali stirpe nasci voluisse, ita vt tamẽ esset ex semine Dauidis: quod ita fieri potuit, si aliquis ex maioribus Dariæ dux îset vxorem ex filiabus Aaron. Lutherus illã genealogiam ita format: quòd Ioachim siue Eli, qui erat ex domo Dauidis, duxerit ex tribu sacerdotali Annam, sororem Elisabetę, vnde genuerit Mariam. Et hoc propiùs conuenit ad illud, quod apud Lucam Elisabeta dicitur nata ex filiabus non Iuda, sed Aaronis: & tamen Mariam esse eius cognatam. Atque ita Christus, Rex & sacerdos, natus esset ex Maria, oriunda ex tribu regali, quod ad paternam stirpem attinet, & ex tribu sacerdotali, secundùm maternam lineam. Ac talem coniunctionem vsitatam fuisse, ex probatis historiis ostendi potest. Extat enim narratio Iosephi lib. Ant. 12. quòd dux Ioseph, pater Iannæ, vltimi ducis ex familia Dauidis matrem habuerit filiam summi pontificis, nuptam duci Tobiæ, cuius mẽtio fit 2. Mach. 3. v. 11. Est autem ille Simon, cuius filius Onias seu Menelaus, vltimus fuit pontifex ex illa stirpe Aaronis, cui iure diuino competebat summum sacerdotium in domo Eleazari. Sed priusquam deficeret tribus illa pontificia, in domum Dauidis ducalem, ita, vt dictum est, per coniugiũ translata fuit: vt ex illa stirpe, in qua cõiuncta iam erat tribus regia & sacerdotalis, nasceretur Christus, futurus idem rex & sacerdos. Hoc certè mysterium pulcerrimum est, neque pugnat cum promissione de domo Dauidis. Familię enim censentur ex paterna linea, nec propter vxores vel matres mutantur. Mulieres enim per nuptias inseruntur mariti familiæ, sicut exempla Thamar, Ruth, Rachab & Bethsabe in ipsa hac genealogia ostendunt. Atque ita Iesus, qui erat simul rex & sacerdos, dicitur Christus: sicut sub finem genealogię Matthæus dicit. Vngebantur enim Reges, 1. Reg. 10. v. 1. & 24. v. 7. Et peculiaris vnctio sacerdotum describitur, Leuit. 8. v. 12. Vngebãtur etiã prophetæ, 3. Reg. 19 v. 16. Ideò promisso semini, tanquam Regi, Sacerdoti & summo prophetæ, tributa fuit appellatio משיח Ps. 2. v 2. & Dan. 9. v. 26. Vnde vulgus Græcè loquens promissum redemptorem communiter vocârunt χριστόν. Vnctus autem fuit non oleo, sed

Spiritu sancto: sicut postea explicabitur. Luc. 4. vers. 18.

Hęc de Genealogia Christi, non propter otiosas subtilitates, disputantur: sed vt ostendatur conuenientia τῶν ἐπαγγελιῶν cum ἐπαγγελίαις, sicut Deus in Scripturis Sanctis per Prophetas de semine Dauidis prædixerat, Rom. 1. vers. 2. Ne quid verò scrupuli relinquatur, paucis explicabimus & hoc, quomodo Scripturæ (quæ promittit Dauidi: Non auferetur de te vir, qui sedeat super thronum Israël) cōsentiat; quòd sceptrum & corona seu regia potestas, post Iechoniam, annis circiter sexcentis ante natum Christum, à domo Dauidis sublata fuerit: quódque post vltimum ducem Iannam, stirps illa Nathanis, vnde Christus carnem ex Maria assumpsit, per annos 160. ante natum Christum, ablata ducali cidari, de solio Dauidis prorsus deposita, priuatam & pauperem vitam egerit. Et quidam Ecclesiastici scriptores ideò disputant, Machabæos, qui post Duces administrationem Reip. sibi sumpserunt, genere paterno fuisse de domo Dauidis, ex materna verò stirpe tribui Leui fuisse insertos, atque ita sacerdotes factos. Sed Iudæi talia commenta rident; quia cum historia Machabæorum pugnant, nec secum cōsentiunt. Familiæ enim nō ex materna, sed ex paterna stirpe censentur & denominantur. Alia igitur quærenda sunt testimonia, vt historias, sicut acciderunt, cum vaticiniis seu prædictionibus conuenire ostendatur. Hæc enim obseruatio fidem plurimùm confirmat. Ezechiel igitur cap. 21. vers. 26. vaticinatur de subuersione sceptri in Sedechia & Iechonia. & loco coronæ substituit cidarim, quæ non tantùm sacerdotalis dignitatis ornamentum fuit, Exod. 28. vers. 4. Leuit. 16 v. 4. sed & Præfecto Pretorij tribuitur, Esa. 22. v. 18. & vocatur cidaris regni, Esa. 62 v. 3. Atque ita mutationem formæ Reipub. Iudaicæ Ezechiel prædicit: quòd illa scilicet post reditum ex Babylone, non sceptro & corona, id est, regia potestate, sed cidari, hoc est, ducis seu principis titulo, à domo Dauidis administranda esset. Nam & Sedechias ibi non rex, sed dux seu princeps appellatur. Et in illis verbis, vbi propheta dicit: Sublimem deiice, humilem exulta: prædicit translationem gubernationis à stirpe Salomonis, quæ sceptro & corona hactenus sublimis fuerat, vt posthac ne cidari quidem, hoc est, ducali dignitate insignis futura sit & ad Nathanis stirpem, quæ hactenus humilis & priuata fuerat, gubernationem transferendam. Sublato igitur sceptro & corona à regia Salomonis linea, nihilominus tamen de fructu ventris Dauidis, licèt ex alia linea, in cidari sedet stirps Nathanis super solium Dauidis. Addit autem Propheta fore vt post coronam seu regiam dignitatem, à Salomonis posteritate sublatā, etiam cidaris seu ducalis potestas seu dignitas à stirpe altera Nathanis auferatur: & tradatur tū cidaris tum corona ei, cuius est iudicium, hoc est, cui, iuxta promissionem semini Dauidis factā, debetur. Vaticinatur ergo cidarim & coronam sub finem cessuram ad tēpus aliis, qui non sint de domo & familia Dauidis. Et ter repetit, obliquā, obliquam obliquā ponā cidarim & coronam. Nam post vltimum ducem Iannam, qui de domo Dauidis fuit, PRIMVM Machabæi, qui fuerunt de domo Aaronis primæ sortis, 1. Par. 6. vers. 50. & 1. Mac. 2. vers. 54. cidarim, hoc est, potestatem ducum ad se transtulerunt. Secundo Sacerdotes illis succedentes non contenti Ducum titulo & dignitate, ex priuata ambitione, imposita corona, regiam sibi potestatem vendicārunt. Tertio, ad Herodum familiam Idumæorum translata fuit primò cidaris, tutorio nomine, ad Antipatrum: deinde corona, regio titulo, ad Herodem. Hasce tres mutationes Propheta insinuauit; prima illa repetitione obliquam, obliquam, obliquam ponam, cidarim scilicet & coronam. Semper autem addit Propheta; Hæc non hæc, quia contra promissionem, domui Dauidis factam, imperium illi inuaserunt & tyrannicè administrârunt. Ac futuras illas mutationes circa id tempus, quando aduenturus erat promissus Messias, Propheta indicat, cum inquit: Donec is veniat, cui iure debetur, cidaris scilicet & corona, & huic tradam eam. Hæc pulcerrimè conueniunt ad historias, & ad illud, quod Gabriel dicit de Christo; Dabit ei Dominus Deus sedem patris sui Dauidis, & regnabit super domum Iacob. &c.

Non igitur vel casu, vel contra prophetarum vaticinia factū fuit, quòd aliquot annis ante natiuitatem Christi, & regnum & ducatus in domo Dauidis, imò in ipsa Messiæ linea cessauit. Nam Amos 9. vers. 11. citante Iacobo Act. 15 v. 15. scriptum est; tabernaculum Dauidis tempore venientis Messiæ non tantùm interruptum, sed collapsum fore. Et stirps illa Dauidis, quando surculus benedictus inde proditurus erat, debebat stare, non quasi Dauidis esset, dignitate & potentia florens tanquam cedrus excelsa, Ezech 17 vers. 22. sed vt stirps Iessæ, Esa. 11 vers. 1. obscura, ignobilis & priuata, vnde non iudicarentur fabricari posse sceptra dominantium, Ezech 19. vers 14 atque inde factum fuit, quod Iannæ posteritas priuata, in Galilæam detrusa fuit. Nam & Hyrcanus, Alexandrum Iannæum filium suum, ad quē nolebat regnum deuenire, iussit priuatum in Galilæa educari. Propter duas autem causas corona & cidaris à domo Dauidis sublata fuit, aliquot proximis ante natiuitatem Christi annis 1. Vt ita monerentur pij non procul abesse tempus Messiæ, atque ita promissiones diligentiùs expenderentur, ac ardentius desiderium redemptionis per Messiam promissæ excitaretur. 2. Vt esset commonefactio, quale futurum esset regnum Messię, qui ex semine Dauidis nasci voluit, non tunc, cùm dignitate & potentia floreret, sed cùm stirps illa, quasi aridus truncus, ignobilis, obscura & priuata esset facta. Fuit quidem collegium septuaginta iudicum, quod donū magni consilij συνέδριον, corrupta voce Sanhedrin vocârunt, etiam ex domo Dauidis, vel saltem ex tribu Iuda & mansit vsque ad Christum, etiam sub Herode; sublatum tandem, sicut Philo annotauit, ipso anno, quo Christus natus fuit iuxta vaticinium, Genes. 49. vers. 10. Sed Genealogia Christi non ex linea Sanhedrin, sed ex regia & ducali linea Dauidis deducitur.

Hæc, quæ de Genealogia Christi obseruaui, quia multa vtiliter monent & explicant, prolixiùs sanè quàm statueram, bono tamen studio, hoc loco annotare volui.

CAPVT QVARTVM

HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM DE CONCEPTIONE Christi, Luc. 1.

RATIO ORDINIS.

QVòd Lucas dicit, Gabrielem missum ad Mariam mense sexto, non intelligendum est de ordine mensium anni, quasi inchoata Ebraica numeratione, vel à Martio, vel à Septembri nostro, ita sexto mense hoc factum sit: Sed ipse Gabriel se explicat, quòd sextus mensis, ex quo grauida facta fuerat Elisabeta, intelligendus sit. Et Lucas ipse dicit, Elisabetam se occultasse mensibus quinque, & sequente sexto mense Christum conceptum. Consequentia igitur historiarum apud Lucam manifesta est. Cúmque in præcedenti capite ostensum sit, quàm commode post Genealogiam Christi, à Matthæo descriptam, hæc historia subiungatur, nec apud reliquos Euangelistas aliquid extet, quod interponi vel possit vel debeat ratio huius ordinis per se plana est.

HISTORIA CONCEPTIONIS Christi, Luc. 1.

26. Ἐν δὲ τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ ἀπεστάλη ὁ ἄγγελος Γαβριὴλ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς πόλιν τῆς Γαλιλαίας, ᾗ ὄνομα Ναζαρὲθ.	26. *In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitate Galilaæ, cui nomen Nazareth.*
27. Πρὸς παρθένον μεμνηστευμένην ἀνδρὶ ᾧ ὄνομα Ἰωσὴφ ἐξ οἴκου Δαβίδ, καὶ τὸ ὄνομα τῆς παρθένου Μαριάμ.	27. *Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, ac nomen virginis Maria.*
28. Καὶ εἰσελθὼν ὁ ἄγγελος πρὸς αὐτὴν, εἶπε· Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν.	28. *Et ingressus angelus ad eam, dixit: Aue gratiosa, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres.*

29. Ἡ δὲ ἰδοῦσα διεταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ· καὶ διελογίζετο ποταπὸς εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος.

30. Καὶ εἶπεν ὁ ἄγγελος αὐτῇ, Μὴ φοβοῦ Μαριάμ· εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ.

31. Καὶ ἰδοὺ συλλήψῃ ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν.

32. Οὗτος ἔσται μέγας, καὶ υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται. καὶ δώσει αὐτῷ Κύριος ὁ Θεὸς τὸν θρόνον Δαβὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ.

33. Καὶ βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακὼβ εἰς τοὺς αἰῶνας καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος.

34. Εἶπε δὲ Μαριὰμ πρὸς τὸν ἄγγελον· Πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω;

35. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἄγγελος εἶπεν αὐτῇ· Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ.

36. Καὶ ἰδοὺ, Ἐλισάβετ ἡ συγγενής σου, καὶ αὐτὴ συνειληφυῖα υἱὸν ἐν γήρᾳ αὐτῆς· καὶ οὗτος μὴν ἕκτος ἐστὶν αὐτῇ τῇ καλουμένῃ στείρᾳ.

37. Ὅτι ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα.

38. Εἶπε δὲ Μαριάμ· Ἰδοὺ ἡ δούλη Κυρίου· γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου. Καὶ ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτῆς ὁ ἄγγελος.

29. *Illa verò cùm vidisset, turbata est super oratione eius: & cogitabat, qualis esset illa salutatio.*

30. *Et ait angelus ei: Ne timeas Maria, nacta es enim gratiam apud Deum.*

31. *Ecce concipies in vtero & paries filium; ac vocabis nomen eius* IESVM.

32. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ipsius.*

33. *Regnabítque super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

34. *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo erit istud, quandoquidem virum non cognosco?*

35. *Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quapropter & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

36. *Atque ecce, Elisabet cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis est sextus illi, quæ dicebatur sterilis.*

37. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbū.*

38. *Dixit autem Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Ac decessit ab illa angelus.*

Periocha Historiæ conceptionis Christi.

QVod Lucas dicit, (*Gabrielem missum ad virginem desponsatam Iosepho de domo Dauidis,*) in præcedenti capite de Genealogia Christi explicatúm est. Quod verò (*in ciuitatem Galilææ*) missus scribitur, illud Iudæos. Ioan. 7. v. 14. offendit, qui existimabant ciuitatem Iudææ Bethlehem, debere locum esse, sicut natiuitatis, ita & conceptionis Messiæ. Ecclesiastici igitur scriptores diligenter inquisierunt, cùm locum natiuitatis, educationis, ministerij & passionis Christi Scriptura tam accuratè notarit, possítne idem etiam de conceptionis loco ostendi. Et deprehenderunt locum, Hier. 31. 32. vbi scriptum est: Fœmina, circundabit virum. Qui locus non potest intelligi cum Iudæis, de vxore amplexante vel reducente maritum à quo discesserat. Non enim nouum hoc est. Sed quia Propheta in toto illo capite de tempore & beneficiis Noui Test. siue Messiæ loquitur. Ac dicit hoc quod fœmina circumdabit virum, nouum fore, quod ipse Iehouah non tantùm effecturus, sed creaturus sit in terra. Rectè igitur ac piè de conceptione Messiæ, qua vtero fœminæ circundatus fuit, intelligitur locus ille. Nominans enim virum, vtitur vocabulo גבר quo Messias describitur, Psal. 45. 4. Accingere gladio tuo ô heros. Et Esa. 49 24. Ille, qui forti armato Lu. 11. 21 fortior est, illo vocabulo describitur. Ac verbum סבב quod circumquaque siue vndique circumdare significat, ad conceptionem, quâ mater fœtum vtero circumquaque complectitur, non malè conuenit. Nam & Chaldæi appellationem menstrui à verbo illo deducunt. Illam verò nouā rem Propheta dicit Dominum creaturum, in ea parte terræ promissæ, in qua decem tribus olim habitarunt, sicut textus Hier. 31 23. expressè loquitur. Et in illa parte terræ Galilæam sitam esse extra controuersiam est. Fuit igitur & locus conceptionis Messiæ per Prophetas notatus, ac propterea missus fuit Gabriel in ciuitatem Galilææ. De *Nazaretha* verò quædam annotabimus circa finem 2. capitis Matthæi.

Et *ad virginem* dicit Euangelista Angelum missum, propter vaticinium, Esa. 7. 14. nomen virginis Mariæ Syrus paraphrastes iisdem literis scribit, quibus soror Mosis, Exod. 15. 20 nominatur, punctis tantùm mutatis: pro Miriam Mariam, quam Chaldaicam pronunciationem Græca lingua retinuit, & aliquando in Nominatiuo vocatur Mariam: pronunciatione Chaldaica: aliquando Græca inflexione scribitur Maria. Et appellationem habet, vel à doctrina seu institutione ירה vel ab amaritudine, propter mæstitiam illorum temporum. Sicut enim Ruth 1. 20. Noemi, inquit: Vocetis me Mara, quia amaritudinibus repleta sum: Ita tum stirps illa in extremas miserias coniecta esset, multæ fœmellæ ex illa cognatione nomen Mariæ habuerunt. Illam verò virginem, vt de tanta dignitate nihil cogitantem desponsatam Deus esse voluit, ne grauida inuenta, iuxta legem Deut. 22. 21. lapidaretur sed vt tum mater tum puer Iosephum haberent curatorem & nutritium, vtque ex desponsatione eo certius constaret, Christum ex semine Dauidis natum esse.

Porro Gabriel non noctu in somnis apparuit Mariæ, sicut Iosepho, Matt. 1. 20. sed clarâ luce conclaue illud, in quo Maria tunc commorabatur, visibili specie ingressus est, sicut Act. 12. 7. Quia verò ferebat nuncium tot sæculis à Patriarchis & Prophetis desideratum: præ gaudio, non statim exponit legationem suam sed in salutatione immoratur, & hæret in consideratione immensæ illius gratiæ & benedictionis, cuius ipse internuncius esse debebat. Ipsam autem salutationem ex variis Scripturæ locis contexuit & mutuatus est.

Et hæc consideratio commodissimè illustrabit verba angeli, de quibus varia disputata sunt. χαῖρε vel significat gaude & exulta, vel simpliciter est formula salutationis, vt Mat. 26. 49. Act. 15. 23. sicut Syrus reddidit vsitata Ebræis salutatione, Pax tibi. Vetus interpres reddidit *Aue gratiâ plena*, non vsq. adeo incommodè. Nam & Syrus ita reddidit. Dicitur. n. vir plenus Spiritu Dei, Exo. 31. 3. & Act 7. 55. Stephanus plenus fide & Spiritu: & vulgò dicitur sermonem aliquem esse plenum gratiâ. Sed Monachi verba hæc deprauarunt: Mariam esse plenam gratiâ, tanquam collum Ecclesiæ, sicut ipsi loquuntur. Dicunt enim Verbum incarnatum, tanquam caput Ecclesiæ, plenum esse gratia, ita vt de plenitudine eius omnes accipiamus, Ioann. 1. 16. Mariam verò ex capite plenam factam gratia, tanquam collum ex cuius plenitudine membra Ecclesiæ gratiam accipiant. Illud etiam, *Benedicta tu in mulieribus*, in hanc blasphemam sententiam in suis postillis transformarunt: Benedicantur in te mulieres: sicut mares in filio Christo. Sed si adhibeatur grammatica explicatio, plana erit. Et κεχαρισμένη quidem simpliciter significat gratiosam, Angelus verò vtitur participio κεχαριτωμένη, quod est à χαριτόω, cuius illustris est significatio Eph. 1. 6 Deus ἐχαρίτωσε, hoc est, Nos, qui antea inimici eramus, gratuito fauore acceptos & caros sibi reddidit in dilecto. Dicitur itaque Maria κεχαριτωμένη non propriè à qualitatibus infusis & donis inhærentibus: sed quòd eam Deus singulari & gratuito fauore complexus, dilectam & acceptam sibi reddiderit, tale ac tantum in ipsam beneficium conferre statuerit. Et videtur Angelus voluisse reddere passiuam significationem verbi חנן sicut vsurpatur, quasi Hierem. 22, 23. Prouerb. 21 10. & Esa. 26. 10. dicat, affecta es magnâ gratiâ à Deo: sicut mox Angelus ipse tradit explicationem, *Inuenisti gratiam apud Deum*. Syrus Paraphrastes reddidit: Plena טיבותא felicitate & beatitudine, vel bonitate seu beneficentiâ Dei. Et simplicissima ratio explicationis hæc est, si singula verba huius angelicæ salutationis referantur ad promissiones de beneficiis Messiæ. Quia igitur Maria conceptura erat illum, per quem & propter quem patet credentes gratos sibi & acceptos facit, ideo Angelus in salutatione vocat illam κεχαριτωμένην.

Illa verò formula *Dominus tecum*, vsitatissima est in Scriptura, vsurpatur autem dupliciter: vel Optatiuè: vt, Sit Dominus tecum, Iosu. 1. 17. 1. Reg. 17. 37 & 20. 3. Erit Dominus tecum, 1. Par. 22. 16. Vel Indicatiuè, 1. Reg. 10. 7. Fac quæcunque manus tua inuenerit. Dominus enim tecum est, 2. Reg. 7. 3 Omne quod est in corde tuo, fac, quia Dominus tecum est, Gen. 21. 22. Deus tecum est in omnibus quæ agis. Ita Angelus salutat Gedeonem, Iud 6. 12. Dominus tecum, virorum fortissime. Et hæc posterior significatio meliùs conuenit sententiæ Angeli. Sicut enim in

Publicis calamitatibus Deus videbatur à populo suo auersus, cùm verò per manum Gedeonis populum liberare vellet à tyrannide. Angelus compellat Gedeonem, Dominus tecum. Ita cùm ere&turus esset cornu salutis in domo Dauidis, Gabriel dicit: *Dominus tecum*. Sumpta est autem & illa formula ex promissionibus de Messia: Ero tecum, Gen. 26.24. & 31.3. Exod. 3.12. Esa. 41.10 & 43.2. Sicut enim ab illis, quos iratus punit, dicitur aduersus Deus: ita quos gratiâ suâ complectitur, illis præsentiam & gratiam suam peculiaribus beneficiis, donis & operationibus declarat. Et hoc est, *Dominus tecum*. Posset & hoc cogitari, Gabrielem ita loqui, *Dominus tecum*, quia conceptura & paritura erat Immanuelem, qui est nobiscum Deus.

Nec omnino noua est illa formula salutationis, *Benedicta tu inter mulieres*, extat enim Iud. 5.24. Benedicta inter mulieres Iahel, quoniam per illam Deus populo illustria beneficia præstiterat. Quanquam mihi non est dubium Angelum respicere ad promissionem illam, Gen. 12.2. Benedicam tibi & eris benedictus. Et quia Maria conceptura erat illum, de quo scriptum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes, ideo Gabriel dicit ad eam *benedicta tu*. Et obseruetur grammatica differentia. Quando enim significatur laudatus vel laudabilis, plærunque vsurpatur εὐλογητὸς, vt Benedictus Deus, Mar. 14.61. Ep. 1.3. Rom. 9.5. Aliud verò est, Psalm. 115.15. Benedicti vos Iehouæ, Esa. 65. 23. Semen benedictorum Iehoua. Et quòd propriè huc conuenit, Ruth 3.v.10. Benedicta tu Domino filia. In illis locis Græci reddiderunt per participium εὐλογημένος. Ita & Matth. 25.v.34. Benedicti patris & Gen. 14.v.19. & 20. in eadem periodo differentia ostenditur, εὐλογημένος Abraham Deo, & εὐλογητὸς Deus altissimus. Sensus igitur est: vel, quòd Maria præ omnibus mulieribus illustri benedictione à Deo sit ornata, vt scilicet fieret mater filij Dei, Messiæ. Dicit autem Angelus, non inter virgines, sed *inter mulieres*, propter primam promissionem: Gen. 3.15. Semē mulieris conteret caput serpentis & Hier 31.22. Fœmina circundabit virum. Ac propter illam ipsam causam Paulus dicit, Galat. 4.4. Natus ex muliere. Ex hac collatione locorum Scripturæ, explicatio salutationis Angelicæ plana erit.

Maria verò cùm vidisset, turbata est super illa angeli oratione, inquit Lucas. Colligitur ergo, Angelum non simpliciter humana specie Mariæ apparuisse, sed aliquid cœlestis Maiestatis in eo eluxisse. Quædam enim angelorum apparitiones tales fuerūt, vt ab humana specie nihil differre viderentur, Ebr. 13.2. Quidā inscij angelos hospitio exceperunt. In quibusdam vero apparitionibus gloria Domini effulsit: vt Iud. 13. 20. Psalm. 104.4. Mat. 28.3 Luc. 2 9. Maria igitur audiens, se oratione tam accurata, & illis formulis, quæ in Scriptura præstantissimis personis tribuuntur, vt Iud. 5.24. & 6 12. salutari, idque non ab homine mortali, sed in quo angelica quædam maiestas elucerer, turbata est, cum quidem de generis sui abiectione, sicut tunc temporis erat, cogitaret.

Gabriel verò, qui sciebat, homines apparitionibus angelorum perturbari & terreri, propterea, quia per peccatum genus humanum, sicut à Deo, ita & à sanctis angelis, auulsum erat, Gen. 3.24. Cùm itaque annunciaturus esset futuram in Christo ἀνακεφαλαίωσιν eorum, quæ in cœlo & quæ in terra sunt, Ephes. 1. 10. eximit Mariæ omnem terrorem, & exponit causam, quare tam magnificis verbis ipsam salutarit, quia scilicet tale nihil cogitans, inuenerit, hoc est, adepta seu consequuta sit apud Deum insignem illam gratiam, quod Messiæ mater futura esset. Dignum autem est obseruatione, quod in illa omniū summa legatione Gabriel non loquitur linguis angelorum, sed verba, quibus legationem suam exornaturus erat, mutuatur ex vaticiniis Prophetarum. Et Mariæ, cui nota erant illa Prophetarum oracula, ita loquitur: vt in summa hoc inde intelligat: Quæcunque promissiones de Messia in Prophetis extant, iam incipient in te impleri. Et quando illa verba angeli ad sua loca, vnde desumpta sunt, referuntur, explicatio pulcerrimam monstrabit doctrinam.

Quia enim Maria virgo est, cum qua angelus loquitur & inquit, *Ecce concipies*. Ergo plana redditur illa Esaiæ sententia: Ecce virgo concipiet, &c. Vsus est autem Lucas translatione 70. quæ tunc vsitata erat: & tamen ex Mariæ responso colligitur, angelum in illam sententiam loquutum esse, sicut ipsa Esaiæ verba sonant. Nam Iud. 13.5. quando angelus nunciat conceptionem Samsonis, vtitur futuro verbo: concipies & paries filium. Et verbum illud Gen. 4.v.1. 29.v.33. & 38.v 3. iungitur cum altero: cognouit eam & concepit. Esaias vero non vtitur verbo, sed nomine, quod significat eam, quæ iam grauida est, & in vtero gestat. Hoc nomen tribuitur Thamar, cùm iam appareret eam esse grauidam, & 1. Reg. 4.19. Grauida ad pariendum. Esa. 26.17. Grauida appropinquans ad pariendum. Et ita etiam angelum loquutum esse apparet. *Ecce grauida pariet, &c.* Maria enim respondet, *Quomodo erit istud, cùm virum non cognoscam?* Quod si dixisset, concipies, potuisset cogitare futurum illud, quando conueniet cum Iosepho. Ex illis verò verbis, quibus Lucas vsus est, συλλήψῃ ἐν γαστρί, *concipies in vtero*, hoc tam liquido non potest intelligi. Verba enim ita posuit, sicut in Græca trāslatione, quæ tunc inter gentes vsitata erat, leguntur, sicut & Syrus reddidit, Accipiens vel suscipiens vterum vel fœtum: & tamen sensum illum voluit reddere, qui in verbis Prophetæ est. Matthæus verò c. 1. 23. conatus est emphasim illam reddere, cū inquit, ἐν γαστρὶ ἕξει. Quæ enim grauida est, vocatur ἐν γαστρὶ ἔχουσα, Gen. 38.v.24. 2. Reg. 11.v.5 Et in Nouo Testamento Matt. 24. 19. 1. Thess. 5.v.3. Apoc. 12 v.2. Nec otiosum est, quod Angelus non simpliciter dicit, concipies, seu grauida eris: sed addit, *In vtero*. Ita enim indicare voluit, filium Dei carnem suam ex substantia Mariæ assumpturum. Addit autem aduerbium *Ecce*. Hoc enim est signum seu miraculum illud, apud Esaiam prædictum: Ecce grauida virgo pariet, &c. Integram igitur sententiam, Es. 7.14. angelus repetit: Quod enim ibi in tertia persona dicitur: Ecce virgo grauida pariet. Vocabit nomen. Hoc Gabriel in secunda persona effert: *Ecce tu*, quæ virgo es, *grauida eris, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*. De quo nomine postea dicemus.

Quod verò sequitur: *Erit magnus*. hoc dicitur primùm ratione personæ, quia Deus & homo. 2. ratione officij. 3. ratione regni sui. Vnde Syrus magnum vocat רב quod & summo Pontifici & regi seu principi tribuitur. Est autem frequentissimū hoc epitheton, Magnus Dominus noster, &c. sed locum, qui huc maximè quadrat, arbitror esse, Esa. 12.6. Iubila & canta: quoniam magnum est in medio tui sanctus Israelis. Nam & ibi nomen Iesus ipsis fermè literis extat: Dominus Deus factus est mihi in Ieshuah. Et eodem modo angelus in sua legatione hæc duo coniungit. *vocabis nomen eius Iesus, hic erit magnus*. Et caput illud 12. Esaiæ, collatum ad hæc verba angeli, monstrabit explicationem sicut locus 2. Reg. 7.14 Ero ei in patrem, & ipse mihi in filium, & Psalm. 2.7. Filius meus es tu. ostendens, quid illud sibi velit, *filius altissimi vocabitur*: quod scilicet ille, qui ab æterno fuit filius Dei, iam in carne manifestabitur, & prædicabitur filius altissimi: quodque vna & eadem persona sit filius Mariæ & filius altissimi. Et quia Esaias prædixerat nomē Messiæ futurum Immanuel: illud Gabriel hac periphrasi explicat, Mariæ filius vocabitur filius altissimi, hoc est, veri Dei. Elion enim, excelsus siue altissimus, est vnum ex propriis nominibus veri Dei. Et hæc ad descriptionem personæ Messiæ pertinent. Maria enim virgo grauida pariet filium, & hic Mariæ filius erit filius altissimi, hoc est, Deus & homo: filius Dei & filius Mariæ.

Addit autem Gabriel descriptionem officij & regni eius, *Et dabit illi Dominus Deus solium seu thronum Dauidis patris ipsius*, quam descriptionem sumit ex 9. c. Esaiæ v. 7. ibi diserta mentio fit throni Dauidis. Non autem ad illum solum locum angelus respicit, sed hoc insinuat: Quæcunque magnificè promissa sunt de regno, throno, vel solio Dauidis, & de restitutione collapsi tabernaculi Dauidis, vere & spiritualiter implenda esse in Christo. Quando enim Prophetæ de Nouo Testamento & de regno Christi vaticinantur, promittunt felicem statum & magnificum successum regni & solij Dauidis, Hier. 23.v.5. 30.v.10. & 33.v.14. Ezech. 34.v.11. & 37.v.25. Ose. 2.18. Et iucunda est collatio sententiarum Scripturæ, quod illa, quæ Dauidi promissa fuerunt in regno eius, nunquam tam magnificè, sicut promissiones sonant, impleta sunt: sed regnum Messiæ, semini Dauidis promissum, in regno Dauidis quasi in typo adumbratum fuit. Dauid enim vnctus fuit in regem longè antequam solium regni obtineret: ad quod non nisi post multas persequutiones & afflictiones exaltatus fuit. Super domum Iuda primùm rex fuit: deinde etiam super omnes tribus Israelis: imò ad gentes etiam extendit calceamentum suum, Psalm. 60.v.8. & 108.v.8 3. Populum suum primùm ab hostium oppressione liberauit: deinde & in pace ac iustitia ipsum gubernauit, quod Prophetæ vocant in iudicio & iustitia, Esa. 9.v 7. Hier. 23.v.5. Et hæc omnia, quomodo ad regnum Christi & ad beneficia eius conueniant, considerentur. Redimit enim & liberat suos: deinde tribuit ipsis iustitiam, sanctificationem, pacem, gaudium, consolationem, & tandem vitam æternam.

Describit verò & populum regni illius: idque non suis, sed Prophetarum verbis. Regnabit super domum Iacob. Non autem sensus est, illos solos, qui ex domo Iacob carnaliter descēderunt, pertinere ad regnum Messiæ. Sed solium regni primò collocandum esse in domo Iacob, & sceptrum ex Zion emittendum. Fuit enim minister circumcisionis, propter promissiones patribus factas, Rom. 15. vers. 8. Angelo autem satis est loca Prophetarum notasse, in quibus describitur, fore, vt gentes alienæ à politia Israelis inserantur domui Iacob, vt destructa macerie, fiat vnum ouile, vt Es 44.v.4. pulcerrimè describitur multiplicatio domus Iacob, per vocationem gentium; Iste dicet, Domine ego sum, & ille vocabit se nomine Iacob, & hic nomine Israel denominabitur. Mich 4. v.1. Properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad

& ad domum Dei Iacob, Hier.3.v.14. Assumam vos: vnum de ciuitate, & duos de cognatione: & non dicent vltrà: Arca Testamenti Domini: sed cõgregabuntur omnes gentes in nomine Domini in Ierusalem, Zacch.2.v.4. Absque muro habitabitur Ierusalem, & venient gentes multæ, & erunt mihi in populü. Paulus verò Rom.9.v.6.& Gal.6.v.16. omnium clarissimè explicat, qui sint veri Israelitæ, hoc est, quæ sit vera domus Iacob. Et eruditè à quibusdam annotatum est: quando in regno Messiæ distinctè nominantur domus Iuda & Israel seu Iacob, quod per domum Iacob, simul etiam vocatio Gentium intelligenda sit. Regnum enim Israel, hoc est, decem tribus abductæ, nec redierunt simul in terrã Israel, nec in dispersione inter gentes peculiarem habuerunt politiam: sed factæ sunt quasi vnum politicum corpus cum gentibus inter quas dispersæ erant, excepto, quod ascendebant Hierosolymã, & aggregabant se ad promissiones, quæ in domo Iuda quasi depositum seruabantur. Et hæc fuit figura, quomodo gentes inserendæ essent domui Iacob, vt fieret vnus populus & vnum ouile, sicut scribitur Ezec.37.v.28. Nõ tractamus sanè iustam explicationem, monstrandum tamen est, quàm multiplex doctrina illis verbis Angeli comprehendatur. Quia enim non dicit: *Regnabit* super domum Iuda, sed *super domum Iacob*, describitur igitur quis sit verus populus huius regni, hoc est, quæ radix, qui rami naturales, qui insititij. & quomodo inserantur, Rom.11.v.16. Non enim domus Iacob ad gentes, sed gentes ad domum Iacob accedere debent, si volunt sub hoc rege esse. Quomodo autem accessio & insitio illa fiant, Paulus Rom.9.v.24.& 11.v.16. describit.

Porrò, qualitatem etiam regni prophetarum verbis describit Esa.9.v.7.Da.2.v.44.& 7.v.14. *Regni eius non erit finis.* Syrus Par. habet vocabulum סוף quod & limitem seu terminum & cessationem significat. Respicit autem ad collationẽ Non erit flos caducus huius regni, nec certis & angustis terminis inclusum erit; sicut Dauidis regnum suos habuit, eósque nõ amplissimos terminos in terra, & quoad durationem mox in secundo hærede Ieroboam scissum est. & tandem planè collapsum, Amos 9.v.11. sed *huius regni non erit finis*, hoc est, nec vllis terminis includetur, nec vnquam cessabit. Ergo per totũ orbẽ ad omnes gentes, imò in futurum sæculum extendetur, & non erit regnum huius mundi, sed spirituale & cœleste. Nihil enim sub Sole ab interitu liberum est, Eccl.1.v.14. Nec huius tãtùm vitę, sed æternæ beatitudinis bona conferet, neq; hoc sæculo aut hac vita terminabitur. interim in hoc etiam mundo portæ inferorum impugnabunt idem: non tamen præualebunt contra regnum illud, vt illud cessare faciant, quia *regni eius non erit finis* Quod ipse Gabriel ita interpretatur. *Regnabit in æternum.* ita tota hæc oratio Angeli constat ipsis Prophetarum verbis; & quando mediocri diligentia instituitur collatio, statim apparet, quàm multiplicem doctrinam legatio illa, quæ Gabrieli à Deo & iniuncta & præscripta fuit, complectatur.

Respondet autem Maria: *Quomodo erit istud, quoniam virum nõ cognosco?* Et non ex diffidentia quærit Maria, quasi Angeli verbis non crederet; sed ostendit, se modum, quo illud fieri vel possit vel debeat, non intelligere. Quia verò non dicit, Non cognoui: sed, *non cognosco virum.* varias peperit sententia hæc disputationes. Quia enim virgo desponsata, quæ iuxta pactum desponsationis aliquando cum viro congressura esset, non haberet causam quærendi, Quomodo fiet istud? multi Veterum responsionẽ Mariæ interpretantur, de proposito siue voto perpetuę virginitatis, vt sensus sit *Non cognosco*, id est: (Feci votum, & habeo propositum) me nunquam velle cognoscere virum. Sed Vetus Testamentum tale votum, pręsertim in desponsatis, prorsus ignorat; & ipsa certè desponsatio cum tali voto expressè pugnat. Et vtilis est consideratio, vnde originem traxerit illa opinio, quæ etiam Augustino lib. de virginitate cap.4 & aliis imposuit. Extat Proteuangelium, titulo Iacobi, scriptum Apocryphum, in quo multa fabulosa describuntur de natiuitate & educatione Mariæ: vt, quòd sex mensium infans potuerit ambulare: quod triennis puellula fuerit in templo consecrata, & postea Iosepho desponsata tali miraculo, cùm ex baculo eius columba euolaret, & capiti ipsius insideret; & hac lege fuerit desponsata, vt voto perpetuæ virginitatis eam inuiolatam custodiret. Hæc Apocrypha, postea sub titulo traditionum vendita sunt, & multis imposuerunt, sicut de multis aliis traditionibus ostendi posset. Nos verò cum Hieronymo ad tales traditiones respondemus: Quod de scripturis canonicis auctoritatem non habet, eadem facilitate cõtemnitur, qua probatur. Videtur autem illa phrasis Esaiæ, virgo prægnans pariet, de qua suprà dixi, occasionem præbuisse huic interrogationi. Nõ dicis me aliquando concepturam, sicut ad vxorem Manue dictum est Iud.13.5.& Luc.1.13. ad Zachariam: Sed dicis: *Ecce grauida paries.* Atqui ego virum non cognosco, hoc est, nondu in sponsi domum deducta, nondum vtor consuetudine cõiugali; quomodo igitur grauida pariam? Syrus Par. vtitur participio passiuo, vir non est cognitus vel notus mihi. Significant autem talia participia habitum seu consuetudinem. Colligitur autem hinc, Mariam recens desponsatam fuisse: ita vt post aliquot demum menses ad sponsi domum deduceretur, Mat.1.18. Talem enim consuetudinem apud Iudæos fuisse, quòd tempus aliquod inter desponsationem & nuptias intercesserit, & quòd interea sponsa in domo parentum, vel propinquorum manserit, constat ex lege, Deut.22.13. Et inde causam interrogationis Mariæ iudico simplicissimè posse intelligi.

Angelus verò inde sumit occasionem explicandi illum articulum nostræ fidei, *Conceptus de Spiritu S.* In priori enim orationis parte non suis, sed Prophetarũ verbis vsus est. Duo verò hæc non satis explicatè in Prophetarum scriptis proposita, sed quasi per vmbras à longè tantùm ostensa erant. 1. Quòd virgo sine congressu viri conceptura & paritura esset Messiã: & quare necesse esset ita fieri. 2. Quid significet Emanuel, hoc est, quòd Deus & homo vna sit persona. Hæc igitur duo, quæ in scriptis Prophetarum obscurius erant, quasi in ænigmate proposita, Gabriel missus à Deo sumit explicanda, quantũ quidẽ fides nostra in hac vita capere potest. Dicit igitur, *Ex te nascetur.* Hoc enim *ex te*, vetus translatio addit: & quædam Gręca exẽplaria ita legunt. Syrus certè Par. expresse ita legit. Et si quis contẽtiosus vrgeat, pleraque Græca exemplaria tantũ habere, *Quòd nascetur sanctum.* Certum tamen est, illam esse sententiam angeli etiam in præcedentibus, quòd Messias ex Maria nascetur. Inquit enim, grauida in vtero paries. Item Dauid patris eius, & Paulus Gal.4.v.4. disertè ita loquitur. Natum ex muliere. & Rom.1.v.3. Natus ex semine Dauidis. Ex substantia igitur carnis & sanguinis Mariæ, filius Dei debet humanam naturam assumere: vt sit semen mulieris & filius Dauidis Sed humana natura ita peccato deprauata est, vt etiam in carne renatorum nihil habitet boni, Rom.7.v.18. & quotquot ex congressu viri & mulieris nascuntur, in peccatis & iniquitatibus concipiuntur. & sunt naturâ filij iræ, Ps.51.v.7 Ephe.2.v.3. Messias autem debebat esse semen sanctum, Esa.6.v.13.& sanctus sanctorum, Dan.9.v.24 hoc est sicut Ebr.7.v.26. vocabulum illud explicatur. Talis decebat nos Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. Item, per omnia similis fratribus excepto peccato, Ebr.4.vers.15 Ergo ex congressu viri & mulieris Messias nec potuit nec debuit concipi.

Præterea etiam substantia carnis Marię, vnde filius Dei suam assumpturus erat, peccato erat corrupta; quomodo igitur inde etiam sine congressu viri sanctum nascetur? Ad vtrumq; verò respondet Angelus: Spiritus sanctus superueniet in te, vsurpatur autem verbum ἐπέρχεσθαι, quando Spiritus S. non generali actione (sicut vocatur) vt in conceptione & formatione omnium hominum, Iob.10 v 8, Psal.139.v.5. sed actione extraordinaria & operatione cœlesti, non secundum cõmunem naturæ cursum, aliquid operatur. vt Iud.14.v.6.& Act.1.v.8 Accipietis virtutem superuenientis Spiritus S. quod Luc.24.v.49. ita explicatur, induemini virtute ex alto. Addit autem Angelus de obumbratione virtutis altissimi. Syrus habet verbum, quod simpliciter significat protegere. Sed maior est emphasis verbi ἐπισκιάζειν. Vsurpatur enim de peculiari ratione præsentiæ, operationis & defensionis diuinæ. Sic Græci reddiderunt, Deut.33.vers.12, Deus σκιάζει ἐπ' αὐτῷ & Exod.vlt.v.35. Et operuit nubes tabernaculum & non potuit Moses ingredi tabernaculum. ὅτι ἐπεσκίαζεν ἐπ' αὐτὴν nubes. Ita de transfiguratione Christi. Matth.17.v.5. Marc.9.v.7. Luc.9.v.34. Lucida nubes obumbrauit ipsis. Sicut igitur, quando peculiari modo voluit maiestatem suam reuelare, vt homines mortales eam ferre possent (scriptum est enim: non videbit me homo & viuet) vmbraculo quodam nubis eam obumbrauit; Ita in hoc omnium summo modo præsentiæ, inhabitationis & operationis diuinæ Maiestatis. *virtus altissimi obumbrabit tibi*, inquit Angelus, vt possit fieri illa, omnem etiam Angelorum captum excedens, vnio diuinæ Maiestatis & humanæ naturæ in vnam personam Christi. Et sicut in reuelatione diuinitatis, obumbratio nubis olim interposita fuit. Cherubim etiam obumbrant arcam fœderis. 2.Paral.5.v.8 & Seraphim tegunt faciem Isa.6.v.2. ne ita curiosiùs in mysterium incarnationis filij Dei inquiramus virtus altissimi obumbraculum interposuit. Theophylactus putat, Metaphoram ductam esse ab auiculis incubantibus, vt idem sit, ac si dixisset: virtus altissimi reddet te fœcundam.

Tria igitur Spiritus S. superueniens, & virtus altissimi obumbrans, operantur in conceptione Christi. 1. Vt præter naturæ ordinem, sine virili semine, virgo, operante Spiritu S. concipiat fœtum. 2. Vt massa illa incarnationis filij Dei sanctificetur, hoc est, mundetur & separetur à peccato. Heb.7.26. vt quod nascitur sanctum sit. 3. Vt præter & contra omnem naturam fieri possit vnio diuinitatis & humanitatis in vnam personam Christi. Hæc summa sunt miracula, quæ fides nostra reuerenter credit, mens autem comprehendere non potest. Et propter hanc caussam Angelus vtitur verbis superueniendi & obumbrandi,

quorum emphasin & proprietatem non satis assequimur, vt ipsis vocabulis admoneamur, à scrutatione mysterij incarnationis abstinendum esse.

Hæc tanta mysteria in Veteri Testamento ἀινιγματικῶς proposita fuerunt: vt, quòd Messias vocabatur Semen mulieris, Gen. 3.15. item, Grauida virgo pariet, Isa.7.14. Et Ps.132.11. promissio non dicit, de fructu lumborum, sicut de virili semine Scriptura solet loqui: sed, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. De mulieribus enim propriè dicitur, fructus ventris. Angelus verò missus à Deo tradit horum mysteriorum explicationem, quę tamen monet interpositum esse vmbraculum, vt intra metas diuinæ patefactionis nos contineamus.

Multi disputant, cùm Esaias prædixerit nomen Messiæ fore Immanuel, cur eius nulla ab Angelo mentio fiat? Sed si verba Angeli diligenter considerentur, videbit lector, tradi luculentam explicationem nominis Immanuel. Non enim ita in incarnatione filij Dei, Deus est nobiscum, vel adest humanæ naturæ, sicut adest omnibus creaturis: nec ita, sicut habitat in sanctis. Sed hęc est vera significatio nominis Immanuel, sicut Angelus explicat: filius, quem Maria grauida pariet, erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Item: sanctum quod ex te nascetur, filius Dei vocabitur. Non enim alia est persona filius Mariæ, & filius Altissimi: nec alia est persona Sanctū, quod ex Maria nascitur, & qui vocatur filius Dei: sicut alia est persona Baptista, & Spiritus, quo in vtero impletus fuit. Sed tam arcta fit vnio in incarnatione, quòd sanctum illud quod ex Maria nascitur, vocatur filius Dei: & filius Mariæ vocatur filius Altissimi. Et Lucas loquitur in Neutro genere: *Quod nascetur sanctum*. 1. vt ostendat, quòd secundùm carnem filius Dei natus sit ex Maria, sicut Paulus loquitur. 2. Vt ostendat, Christum non tantùm secundùm diuinam naturam sanctum esse, sed & massam assumptam sanctificatam esse. Nec verò duæ personæ propterea fingantur, addit, *Sanctum illud, filius Dei vocabitur*. Ac propterea Syrus in Masculino reddidit: Is qui nascitur ex te, sanctus est, & filius Dei vocabitur. Et hæc est vera explicatio nominis Immanuel.

Postremò Angelus Mariæ proponit exemplum cognatæ *Elisabetæ*: idque propter duas potissimùm caussas. 1. Vt illo exemplo fidem Mariæ confirmet; Deum scilicet ea, de quibus voluntatem suam verbo patefecit, & solere & posse præstare, prę- ter & contra vsitatum Naturæ ordinem. Non autem sumit vetusta exempla: vt Sarę, Annę &c. A multis enim iam annis post Malachiam, vnà cū Prophetia, etiam signa & miracula defecerant, ita vt existimaretur, Deum non ampliùs aliquid extraordinarij vel miraculosè operari. Proponit igitur recens exemplum, quòd Deus anum Elisabetam, quæ & Naturâ sterilis erat, & ad eam ætatem peruenerat, qua iuxta consuetum naturę ordinem etiam à sacerdote Zacharia, qui verbum Dei ex Angelo audierat, impossibile iudicabatur posse concipere, fœcundam reddiderit: & addit, iam sexto mense signa imprægnationis manifesta & certa esse. 2. Facit Gabriel mentionē Elisabetæ ideò, vt monstret Mariæ, cui ipsa hæc arcana debeat communicare, & cum qua de hac tanta re conferre. Sponso enim non audebat indicare: quia fidem non inuenisset narratio, & peregrina erat in Nazaret, hominésque ibi tales erant, sicut prouerbium testatur, Num ex Nazaret aliquid boni? Elisabetam igitur Angelus proponit, quæ & propter cognationem & ætatem matris loco erat Mariæ & quia non ignara erat mysterij huius, vtpote quæ Angelo nunciante Præcursorem conceperat, poterat Mariæ fidem erudire & confirmare.

Conclusit autem generali epiphonemate: ostendēs in promissionibus diuinis simul coniungi & voluntatem & potētiam Dei, & fidem vtrumque amplecti debere. Rom. 4. v. 17. & 2. Timot. 1. v. 12. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Vbi verbum Ebraica consuetudine posset accipi pro quacunque re. Sed simpliciùs est, si propriè accipiatur, de quacunque re Deus voluntatem suam verbo patefecit, de ea fidem certam esse debere, quòd eam & velit & possit præstare, licèt rationi humanæ & vniuersæ creaturæ impossibile videatur. Atque ita Maria postea istam Angeli vocem repetit: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*. Syrus Par. hanc sententiam ita reddidit: Quia non est difficile Deo quicquam.

His auditis, Maria totam se Dei verbo & voluntati obedienter submisit. *Ecce*, inquit *ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*. Quibus verbis. 1. Fidei suæ obedientiam ostendit. quod vt ancilla non velit in Domini sui verbum inquirere, sed illis simpliciter assentiri. 2. Ostendit summam obsequendi promptitudinem, offerens se, vt ancilla, Domino. 3. Ostendit profundissimam humilitatem, quòd Mater Domini futura, appellat se ancillam eius. 4. Verbum *Fiat* est explicatio Ebræi *Amen*, & simul est assentientis & optantis. Fidei enim proprium est, respicere ad verbum promissionis, ita vt ei obedienter assentiatur, & simul voto illud quod promittitur expetat & amplectatur: *fiat mihi secundùm verbum tuum* Atque ita Maria statim de Spiritu Sancto grauida facta est, hoc est, factum ipsi iuxta verbum Angeli. Hac verò legatione confecta. *Angelus à Maria discessit*: siue simplex fuerit discessus, vt Genes. 18 vers. 13. siue disparitio, vt Actor. 12. vers. 10 siue Angelicam quandam maiestatem in discessu ostenderit, vt Iud. 6. vers. 21. & 13. vers. 20. His enim potissimùm modis discessus angelorum describitur.

CAPVT QVINTVM
HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM MARIÆ VISITANTIS Elisabetam, Luc. 1.

RATIO ORDINIS.

MAriam post discessum angeli non diu domi suæ hæsisse, sed properasse, vt quæ ab angelo audierat, posset in Elisabetæ sinum (quam ideò ab angelo nominatam intellexerat) effundere, & ipsius colloquio confirmari, ostendit Lucas, cùm dicit, eam μετὰ σπουδῆς *festinanter* abiisse. Idem etiam supputatio temporis indicat. Gabriel enim in sua legatione nominat sextum mensem imprægnationis Elisabetæ: Et Maria per tres fermè menses mansit apud Elisabetam, quæ post discessum Mariæ peperit. Consequentia igitur harum historiarum manifesta est. Quæ enim de Iosepho Matthæus capite primo scribit, hanc historiam non præcessisse, sed insecutam esse, postea ostendemus.

HISTORIA MARIÆ VISITANTIS Elisabetam, Luc. 1.

39 Ἀναστᾶσα δὲ Μαριὰμ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις, ἐπορεύθη εἰς τὴν ὀρεινὴν μετὰ σπουδῆς εἰς πόλιν Ἰούδα.	39 *Exurgens autem Maria in diebus his, abijt in montana, cum festinatione, in ciuitatem Iuda.*
40 Καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον Ζαχαρίου, καὶ ἠσπάσατο τὴν Ἐλισάβετ.	40 *Et intrauit domum Zacharia ac salutauit Elisabet.*
41 Καὶ ἐγένετο ὡς ἤκουσεν ἡ Ἐλισάβετ τὸν ἀσπασμὸν τῆς Μαρίας, ἐσκίρτησε τὸ βρέφος ἐν κοιλίᾳ αὐτῆς· καὶ ἐπλήσθη Πνεύματος ἁγίου ἡ Ἐλισάβετ.	41 *Et factum est, vt audiuit salutationem Maria Elizabet, salijt infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elizabet.*
42 Καὶ ἀνεφώνησε φωνῇ μεγάλῃ, καὶ εἶπεν· Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου.	42. *Exclamauitque voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*

43. Καὶ

43. Καὶ πόθεν μοι τοῦτο, ἵνα ἔλθῃ ἡ μήτηρ τοῦ Κυρίου μου πρός με;

44. Ἰδοὺ γὰρ, ὡς ἐγένετο ἡ φωνὴ τοῦ ἀσπασμοῦ σου εἰς τὰ ὦτά μου, ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ μου.

45. Καὶ μακαρία ἡ πιστεύσασα· ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ Κυρίου.

46. Καὶ εἶπε Μαριάμ· Μεγαλύνει ἡ ψυχή μου τὸν Κύριον.

47. Καὶ ἠγαλλίασε τὸ πνεῦμά μου ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρί μου.

48. Ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ. ἰδοὺ γὰρ, ἀπὸ τοῦ νῦν μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί.

49. Ὅτι ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα ὁ δυνατὸς, καὶ ἅγιον τὸ ὄνομα αὐτοῦ.

50. Καὶ ἔλεος αὐτοῦ εἰς γενεὰς γενεῶν τοῖς φοβουμένοις αὐτόν.

51. Ἐποίησε κράτος ἐν βραχίονι αὐτοῦ· διεσκόρπισεν ὑπερηφάνους διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν.

52. Καθεῖλε δυνάστας ἀπὸ θρόνων, καὶ ὕψωσε ταπεινούς.

53. Πεινῶντας ἐνέπλησεν ἀγαθῶν, καὶ πλουτοῦντας ἐξαπέστειλε κενούς.

54. Ἀντελάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς αὐτοῦ, μνησθῆναι ἐλέους.

55. Καθὼς ἐλάλησε πρός τοὺς πατέρας ἡμῶν, τῷ Ἀβραὰμ, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα.

56. Ἔμεινε δὲ Μαριὰμ σὺν αὐτῇ ὡσεὶ μῆνας τρεῖς· καὶ ὑπέστρεψεν εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς.

43. *Et unde hoc mihi, vt veniat mater* DOMINI *mei ad me?*

44. *Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in vtero meo.*

45. *Et beata quæ credidit: quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei à* DOMINO.

46. *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.*

47. *Et exultauit spiritus meus in Deo seruatore meo.*

48. *Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ: ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

49. *Quia fecit mihi magnifica qui potens est, & sanctum nomen eius.*

50. *Et misericordia eius in progeniem & progeniem, timentibus eum.*

51. *Præstitit robur per brachium suum, dispersit superbos cogitatione cordis sui.*

52. *Detraxit potentes de sedibus, & euexit humiles.*

53. *Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.*

54. *Suscepit Israel puerum suum, vt memor esset misericordiæ.*

55. *Sicut locutus est ad Patres nostros, nimirum Abrahamo & semini eius in æternum.*

56, *Mansit autem Maria cum illa circiter mensibus tribus & reuersa est in domum suam.*

Periocha Historiæ, quid gestum sit tribus mensibus à conceptione Christi: siue, De visitatione & colloquio Mariæ & Elisabetæ.

LVcas dicit Mariam, in illis diebus, quando nuncium de conceptione Messiæ acceperat, abiisse μετὰ σπουδῆς. Significat autem *hæc phrasis* singularem festinationem, quando animus alicui rei intentus, etiam interiora membra ciet, vt celeriter vel fugiant vel assequantur obiectum monstratum. Ita vsurpatur Exod. 12. ver. 11. & Deut. 16. ver. 3. de esu paschatis. Item Exod. 12. ver. 33. Ægyptij vrgebant populum Israël, vt velociter exirent, & 1. Reg. 21. v. 8. mandatum regis erat, vt properarent, ita vt ne quidem gladium sumpserint. In his locis Græci interpretes vsurpant hanc phrasim. Extat etiam Marc. 6. versi. 25. de saltatrice: εὐθέως μετὰ σπουδῆς ingressa ad regem, petiit caput Baptistæ. Et ex hoc loco colligitur, non tam externorum membrorum festinationem, quæ aduerbio εὐθέως notatur, quàm voluntatis singularẽ intentionẽ significari illa phrasi, μετὰ σπουδῆς. Hinc Syrus reddidit vocabulo בטיל quo vtuntur, quando quis cupidus & studiosus est rei, quæ ei curæ est, atque ideò sedulò in eam incumbit. Et *hæc* significatio pulcerrimè describit festinationem Mariæ, vt quàm celerrimè posset cum Elizabeta colloqui. Rectè enim Ambrosius dixit: Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.

De domo autem Zachariæ, sita in montanis Iuda, quidam existimant, ciuitatem illam fuisse Ierusalem: de qua scriptum est Psal. 87 ver. 1. Fundamenta eius in montibus sanctis. & Psal. 125. ver. 2. Montes in circuitu eius. Sed Ierusalem in sorte tribus Benjamin, non tribus Iuda sita fuit. Nec sacerdotes omnes Ierosolymis habitabant: sed in vrbibus Leuiticis per omnes tribus dispersis. Ac tempore ministerij quidem in exedris, templo adiunctis, commorabantur: illo vero expleto ad ciuitates reuertebantur. Zachariæ itaque domum Lucas dicit fuisse in ciuitate quadam Iuda. Et Ios. 21. ver. 13. describuntur ciuitates, quæ in tribu Iuda filiis Aaron attributæ fuerunt. Illæ verò Ios. 15. pleræque in montanis sitæ scribuntur, & ad illam descriptionem Iosuæ prorsus conueniunt verba Lucæ: (*Abijt in montana, ad ciuitatem Iuda, in domum Zachariæ.*) Ac veteres dixerunt, quatuor miliaribus à Betlehem meridiem versus fuisse domum Zachariæ. Et quia inter Leuitica illa oppida, Ios. 15. ver. 53. & 21. ver. 11. numerantur etiam Ciriatharbe, quæ Hebron est, pulcerrima erit analogia, si accipiamus in illo loco Hebron, vbi Abraham, Isaac & Iacob habitârunt, & acceptam promissionem docuerunt, colloquium inter Mariam & Elizabetam institutum fuisse. Satis longum autem iter fuit à Nazaretha ad domum Zachariæ, continens miliaria Germanica viginti quatuor ferme. Et Elizabeta insignem illam Mariæ humilitatem miratur, quod mater Domini facta ipsa, ad anum visitandam, per tam longum iter pedibus excurrere voluerit, cùm potius ad ipsius ministerium omnes concurrere debuissent.

Ibi vero, in primo noui Testamenti colloquio, stupenda acciderunt miracula. Intellexerat Elisabeta ex significatione mariti, fore propediem etiam ipsius Messiæ ἐνσάρκωσιν: sed de matre eius nihil nouerat. Cùm verò vox salutationis Mariæ, feriret aures Elisabetæ, Ioannes infantulus, mirando, inusitato & extraordinario modo in vtero matris subsiliit. Ne enim intelligatur de motu infantum vsitato in aluo materna post quartum mensem, vel quando matres grauidæ subito gaudio afficiuntur, vsus est Lucas peculiari vocabulo ἐσκίρτησεν: quod Varinus tradit propriè dici de equis subsaltantibus, & transferri ad motum qui fit πηδητικῶς καὶ ὀρχηστικῶς. Potest autem emphasis huius verbi intelligi ex loco Gen. 25. ver. 22. de infantibus collidentibus se in vtero Rebeccæ. Ibi enim Septuaginta reddiderunt ἐσκίρτων. Intellexit autem Elisabeta, quid illa stupẽda infantis in vtero exultatio sibi vellet. Sciuit enim ex mariti notationibus id, quod angelus dixerat (*implebitur Spiritu sancto adhuc in vtero matris.*) & cum dicit: (*Vnde mihi hoc, quod mater Dei mei venit ad me,*) ostẽdit, infantulum repletum Spiritu sancto ad præsentiam DOMINI sui, ante cuius faciem præcedere debebat, venerabundum quasi subsilire, sicut Gigas exultat ad currendam viam suam. Et Lucas addit, infantẽ in vtero subsiliisse ἐν ἀγαλλιάσει: vt ostendat, non fuisse motum vel physicum vel brutum, sicut Asina Bileam locuta fuit: sed infantem, efficacia Spiritus sancti, supra naturæ ordinem, præsentiam Domini sui sensisse: atque ideo præ gaudio subsiliisse. Quid enim, etiam in infantibus Spiritus sanctus sua operatione efficere possit, hoc exemplum ostendit.

Ita ergo cum filius Altissimi in vtero matris primùm cœpisset esse embryo, statim diuinam suam virtutem stupendis miraculis ostendit: quorum primum est, quòd matrem noua & insigni luce Spiritus, sicut canticum ipsius testatur, perfundit. Secundum, quod voce salutationis maternæ, Iohannem in vtero Spiritu S. replet. Tertium est, quòd Elisabeta Spiritu sancto per vocem salutationis Mariæ ita illustratur, vt cùm audiuisset, nec oculis vel sensibus renunciantibus didicisset, cùm quidem nulla adhuc signa conceptionis in Maria apparere possent, agnoscat & magna voce contestetur, Mariam esse matrem DOMINI, & fructum ventris eius esse benedictum illud semen & DOMINVM suum, hoc est, Immanuelem, Deum & hominem. Item iisdem verbis, quibus Angelus vsus fuerat, Mariam resalutat, [*Benedicta inter mulieres.*] Quòd vero in fine addit Elisabeta (*Beata quæ credidisti, &c.*) vel Spiritu reuelante cognouit, quæ acta fuerant inter Angelum & Mariam; vel quod magis conuenire arbitror, quòd Maria post prima verba Elisabetæ cœperit ex-

ponere totam legationem Angeli, quodque ad finem, ad illa verba (*fiat mihi secundùm verbum tuum*,) Elisabeta subiecerit. (*Beata quæ credidisti, &c.*) Mentionem enim facit eorum, quæ Mariæ dicta fuerant à Domino per Angelorum quæ, vt verisimile est, ex narratione Mariæ cognouerat. Exclamans autem, (*Beata quæ credidisti*:) cogitat de mariti sui Zachariæ hæsitatione, qui erepto vsu linguæ punitus erat: Memorabili exemplo confirmans, Noui Testamenti proprium hoc esse: Qui crediderit saluus erit. Qui verò non crediderit, ira Dei manet super ipsum. Ne verò Maria infirma illa specie post conceptum Messiam turbetur, Elisabeta fidem eius confirmatura addit: (*Erit τελείωσις* perfecta consummatio *eorum, quæ dicta sunt ipsi à Domino.*) Intelligit autem quæ Gabriel de persona, officio & regno Christi prædixerat. Ita fides apprehendit promissionem in præsenti, ac certò statuit futuram perfectam consummationem, quæ promissa sunt, licèt nec rationi nec experientiæ hoc pareat. Et quia verba in tertia persona posita sunt: (*Beata quæ credidit.* Item, *quæ dicta sunt ipsi.*) Sicut & Syrus in tertia persona reddidit, videtur Elisabeta orationem suam à Maria, ad alios præsentes, qui salutationi huic interfuerunt, conuertisse. Vel si pro αὐτῇ legitur αὐτῇ potest tota sententia ob participium in secunda persona legi, sicut quidem vetus interpres videtur legisse. Et illud [*à Domino*,] potest legi, à Domino per angelum dicta: vel per angelum dicta, à Domino perficienda.

Est autem præcipuè in hac historia obseruandum, quòd depositum huius tanti mysterij commendatur non pontificibus aut primoribus populi: nec testis adhibetur solennis frequentia populi, sicut in conceptione Baptistæ factum fuerat: sed primùm nunciatur Mariæ soli: Iam cùm alij etiam testes adiungendi sunt, vt depositum illud conseruetur, Maria contêdit ad Elisabetam quam Angelus nominârat. Et ibi virgo iuuêcula & anus effœta de hoc tanto mysterio ex Scriptura sermones conferunt. Post tres menses Zacharias incipit prophetare, de cornu salutis in domo Dauidis. Tandem Iosepho etiam in somnis per angelum mysterium illud reuelatur. Talis fuit exinanitio Christi, statim à conceptione: talis species initij Noui Testamenti seu regni cœlorum.

[*Mansit autem Maria apud Elisabetam per tres menses:*] Nec cogitandum est, quod tantùm in principio salutationis Elisabeta aliquid locuta fuerit, & Maria magnificârit Dominum, ita vt toto illo trimestri tempore nihil ampliu. locutæ sint de his misteriis: sed in illis paucis verbis Elisabetæ & Mariæ, quæ Lucas annotauit, voluit describere, qualia fuerint colloquia per tres istos menses in domo Zachariæ muti, inter pias hasce muliercula: vbi altera Spiritu S. plena, altera filio altissimi grauida erat. Et quia singula ferme verba ex variis Prophetarum sententiis conquisita sunt: Primò est testimonium, quàm familiaris tunc piis fuerit Scriptura. Deinde obseruatio ostendet, de quibus Prophetarum sententiis potissimùm sermones côtulerint, per tres menses, sanctissimæ illæ matronæ. Et hanc iudico esse vtilissimam rationem explicandi colloquium Mariæ & Elisabetæ, si monstretur ex quibus Scripturæ locis sumpta sint verba. Inde enim colligi poterit, quas integras Prophetarum sententias sibi proposuerint, quomodo eas tractarint & expenderint. Et quia Elisabeta dicit. [*Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Item: *Mater Domini mei venit. Beata quæ credidisti.*] Apparet Elisabetam oratiunculam suam contexuisse ex hisce Scripturæ sententiis: Semen mulieris conteret caput serpentis: Eris benedictio: Et, in semine tuo benedicentur omnes gentes: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam: Dixit Dominus domino meo: vocabunt eum Iehouah: Credidit Abraham Deo, &c. Ac de his Scripturæ sententiis trimestre fuit inter Mariam & Elisabetam colloquium.

Periocha gratulatorij carminis Mariæ virginis.

Simplicissimam carminis huius explicationem iudico in eo consistere, si notentur & accommodentur loca Scripturæ, ex quibus Maria, instinctu eius quem vtero gerebat, flosculos gratulatorij sui carminis decerpsit & contexuit. Solennis enim semper fuit consuetudo in populo Dei, quòd præcipua beneficia Dei certis carminibus in modum cantici, vt facilius memoriæ mandari, retinei & ad posteritatem propagari possent, complexi sunt. Et quia hoc primum canticum est Noui Testamenti, de summo beneficio incarnationis filij Dei, profectum ex instinctu filij Altissimi, qui tum in Maria nascebatur, dignû est, quod diligenter expendatur. Sed nos instituti nostri rationem seruabimus.

Verbum igitur [*Magnificandi*] in carminibus eucharisticis, frequens & vsitatum est: sed illa loca in quibus extat, vel figuræ vel vaticinia de Messia, pulcrè huc conueniunt. Vt Exod. 15. ver. 1. de transitu maris rubri & submersione Pharaonis, cuius præcentrix fuit Miriam cognominis Mariæ. Et Psal. 40. v. 17. vbi Messias loquitur: Ecce venio: (subiungitur) dicant semper Magnificetur Dominus, & Psal. 69. v. 31. & 72. v. 17. vbi extant vaticinia de Messia, additur votum: Magnificabo Deum cum laude, omnes gentes magnificabunt eum. Ita phrasis exultationis vsitata est in Psalmis: & quidem hoc modo: Exultabo in salutari tuo, Psal. 13. v. 6. Sed loca, quæ de Messia loquuntur, propriè huc pertinent, vt Esa. 12. ver. 6. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia ecce Deus Ieschua saluator meus. Zach. 9. v. 9. Exulta filia Zion, quia rex tuus venit tibi saluator. Es. 61. ver. 10. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis. Et Habacuc 3. v. 18. illa ipsa verba Mariæ extant: Exultabo in Deo salute mea: quod Græci reddiderunt: ἐπὶ τῷ θεῷ τῷ σωτῆρί μου. Quia verò Deo à nobis nihil potest accedere, quo maior fiat; μεγαλύνειν igitur significat magnitudinem gratiæ beneficiorum & potentiæ Dei agnoscere, considerare, admirari, celebrare & prædicare, vt ita Deus apud nos & apud alios magni fiat & magnificè laudibus extollatur. Porro verbum ἀγαλλιᾶν quia iungitur cum χαίρειν Hab. 3. v. 18 Matt. 5. v. 12. & cum εὐφραίνειν 1. Par. 16. v. 31. plus est, quàm simpliciter gaudere vel lætari, & significat, quando externis gestibus & tripudiis gaudium ostenditur, & ab Ebræo גיל cui respôdet, formatum videtur Græcum ἀγαλλιᾶν. Magnitudinem igitur gaudij sui, & quasi spirituale animæ tripudium Maria hoc verbo exprimere voluit. Syrus habet verbum, vnde deducitur exclamatio præ gaudio: Euge, Euge.

Vbi verò Maria nominat [*Animam*] & [*Spiritum*,] Psalmi ponunt animum & cor: quorum alterum interiores animi sensus siue intellectum, alterum voluntatem & affectus complectitur: siue, vt Psal. 103. v. 1. loquitur, Omnia quæ intra me sunt, laudant, exultant. Accommodatio igitur hæc est: Angelus & Elisabeta me magnificant: sed quia omnes prophetiæ, quando de Messia vaticinati sunt, adiecerunt illud κέλευσμα & votum, Magnificetur Dominus, & exultate in salutari eius. Item: Magnificabo Dominû, & exultabo in Deo salutari meo. Me igitur, cui non tâtùm reuelata est incarnatio filij Altissimi, sed quam præ omnibus mulieribus Deus voluit esse matrem filij sui, præcipuè, tanquam præcentricem Noui testamenti, decet hoc canticum: {*Magnificat* ergo *anima mea Dominum: & exultat Spiritus meus in Deo salutari meo.*} Significat autem propositio ἐπὶ causam, obiectum, & quasi materiâ huius exultationis quod Deus sit σωτήρ, quæ vox significat & liberatorem & conseruatorem. Et quia salutem illam liberationis & conseruationis, Deus conceptione Messiæ iam cœperat operari: ideo Maria inquit, {*Exultat spiritus meus in Deo seruatore meo,*} qui me & liberat, & custodit, & perpetuæ salutis auctor est. Hæc enim tria beneficia gratiæ Dei vocabulum σωτῆρι complectitur. Syrus reddidit, Qui viuificat me. Nec dubium est, loca illa, vnde hæc verba sumpta sunt, integra fuisse considerata & explicata, à Maria & Elisabeta, per tres illos menses.

In tertio versu, Origenes multa philosophatur, de virtute humilitatis, & Monachi postea inde extruxerunt hoc dogma: Mariam virtute humilitatis meruisse, vt fieret mater Domini. Sed Paulus, quando loquitur de illa virtute, quæ superbiæ opposita, indignitatem suam agnoscens humiliter de se sentit, nominat non ταπείνωσιν, sed ταπεινοφροσύνην. Nec conuenit modestiæ Mariæ, de merito virtutis suæ gloriari. Et planè illa ipsa verba Mariæ, in Græca lectione extant, 1. Reg. 1. v. primo, in oratione Hannæ ἐὰν ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης σου. Et cap. nono, ver. decimosexto ἐπέβλεψα ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν populi mei. Et 2. Reg. 16. v. 12. Dauid exul cû maledicto incesseretur, inquit: Siquo modo respiciat Dominus ταπείνωσίν μου. Ita & Gen. 16. v. 11. de Hager afflicta. Respondet autem Hebraica עני quod non virtutê modestiæ, sed abiectionem, afflictionem & miseriam significat: vt sensus sit, cùm aliæ essent virgines nobiles, præstantes, ditiores, & digniores, Deus illis præteritis, me non tantùm ancillam, sed contemptam, abiectam, pauperem, miseram & indignam respexit, vt filio suo matrem deligeret. Ita ex antithesi indignitatis meram Dei gratiam celebrat, & eundem animum, ad exultationem, & gratiarum actionem exuscitat Phrasis verò {*Respexit*} ἐπὶ, opponitur ei, quando dicimur aliquid auersari & oculos auertere. (Syrus reddidit vocabulo, quod à conterendo & contundendo deducitur.) Ac illustris pictura est misericordiæ diuinæ. Quorum enim calamitatis nos miseret, ad illos compassione & beneuolentia quadam sæpe respicimus. Et Deus, qui nec superiorem, nec in creaturis æqualem habet, proprium hoc habet, quòd alta despicit, & humilia respicit: Psal. 113. ver. 5. & 138. ver. 6.

Illud verò, [*Beatam me dicent*,] mutuata est Maria, ex cap. 30. ver. 13. Gen. & mutatis quibusdam verbis pulcrè ad se accommodauit. Magnum erat desiderium prolis in vxoribus Iacobi, propter promissionem Messiæ. Et cum Lex ex ancilla Zilpa nasceretur secundus filius, dixit: Nunc beatam me dicent filiæ. Quia forsan arbitrabatur inde nasciturum Messiam. Maria verò verba hæc ita sibi accommodat. Quia tanta gratia me Deus complectitur, diligens me, vt sim mater Messiæ, ex cuius substantia

stantia filius Dei Altissimi naturam humanam assumit. Inde beatam me prædicabunt, non nunc tantùm: sed [*ex hoc tempore*] non filiæ tantùm, sed [*omnes generationes.*] Qua phrasi cōplectitur, & omnes totius orbis nationes, & succedētes sibi vsque in sæculū futuras omnium temporū generationes. Ac simul prævidet salutē filij sui futuram omnium gentiū & generationum. Et in omni gēte, ac omnibus tēporibus futuros, qui in filiū eius crederent. Nō enim beata prædicanda erit, nisi à generationib. credentiū. Ne verò illam celebritatē seu beatificationē sibi & virtutibus suis tribuere videatur, primò nominat suam ταπείνωσιν: Deinde omnia ad Deū refert, Hoc in me omnes generationes prædicabunt, quòd (*qui potens est:*) mihi, in qua nō excellēs aliquid præ cæteris, sed ταπείνωσιν, respexit [*fecit non tantùm μεγάλα, sed μεγαλεῖα.*] Ita enim opera Domini, quæ peculiariter & insigniter magnifica sunt, vocatur 1. Par. 17. v. 19. & Act. 2. v. 11. Syrus reddidit רברב voce geminata, valde magnifica fecit. Et nomen Dei El, redditum est per illud δυνατὸς, qui potens est. Rem enim mirā, inauditam, & vniuersę naturæ impossibilem Deus in Maria operatus est: ideò dicit, [*qui potens est:*] apud quē non est impossibile omne verbum.

Illud vero vsitatissimum est in Psalmis [*Sanctum nomē eius*] vt non opus sit loca notare. Significat autem Maria, in toto hoc opere, non Mariæ, sed Dei, qui magna ipsa fecit, nomen esse celebrandum, & sanctè seu reuerenter prædicandum. Sanctum enim nomen Domini, significat celebrandam & venerandam maiestatem Dei, quandocunque in verbo & in magnificis operibus suis sese cognoscendum præbet.

Atque ita Maria regulam præscribit, quomodo sancti, siue angeli, siue homines, sint laudandi & honorandi, vt scilicet gratia & potentia Dei, in ipsorum indignitate & infirmitate agnoscatur & celebretur. Atque hinc manifestum est laudes, quas Mariæ Pontificij tribuunt, ex diametro cum ipsius sententia & voluntate pugnare.

In quinto versu, à beneficiis suę personæ peculiariter à Deo collatis, transit ad celebrandam misericordiam, quę omnibus generationibus, in incarnatione filij Dei, proposita & exhibita est. Et multæ quidē in Scriptura sunt sententiæ, de misericordia Dei sempiterna & in sæculū, Es. 54. v. 8. Ps. 118. & 1. 2. 3. & 136. per singulos versus. Sed quia meminit generationum, videtur Maria respexisse ad formulā pacti, quod cū Abrahamo Deus iniit, Gen 17. v. 7. Statuam pactū meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus vnus, & seminis tui post te. Quā sententiam Dauid Ps. 103. v. 17. ita reddidit: Misericordia Domini à sæculo in sæculum, super timentes eū. Et inde Maria verba mutuata est, nisi quòd mentionem facit generationum, vt deducat suos ad considerationem pacti diuini cū Abrahamo. Et sicut Lucas verba illa Mariæ recitat, εἰς γενεὰς γενεῶν: Ita 70. reddiderunt: vel ἀπὸ γενεᾶς εἰς γενεὰν, vel εἰς γενεὰν καὶ γενεὰν. Significat autem hęc phrasis, vel continuatā successionem generationum, sicut in plerisque exemplis: vel idem est cum vsitato illo, in sæculum sæculi, Ps. 72. v. 5. & Eph. 3. v. 21. Esd. 51. v. 8. Syrus reddidit duobus distinctis vocabulis, quorum alterum ætatem seu tempus, alterum generationem significat: in ætates & generationes. Et vtrumque sensui bene conuenit: & quòd Deus in tanta mundi ingratitudine, omnibus tamen sæculis, ex mera misericordia, Ecclesiam colligat, omnibus generationibus, & sine personarum discrimine, gentibus gratiam suam offerens: & quòd non huius tantùm sæculi suæ vitæ terminis & bonis, misericordia Dei includatur, sed quòd & præsentis & futuri sęculi tempus & beneficia complectitur, sicut Theophylactus hanc phrasin explicat.

Addit autem, *Timentibus eum*, vt & superbos Pharisæos & securos Epicuræos excludat, & consoletur eos, qui peccata sua agnoscentes, & iram Dei metuentes, misericordiam in Christo ambiunt. Atque ideò, quod diligenter notandum est, non voluit vti legali illa phrasi, Exod. 20. v. 6. & faciens misericordiam his, qui diligunt, & custodiunt mandata: Sed Euangelica phrasi: Misericordia eius timentibus eum, qui scilicet timent eum, quòd non custodierunt mandata Domini.

Quod vero sequitur, de *Brachio Domini*, potest quidē in genere intelligi de potentia Dei erga superbos: sed multò illustrius est, si referatur ad loca Prophetarum vnde sumptū est, vbi certamen Messię contra diabolū, peccatum & mortem, & victoria eius describitur. Ideò Syrus reddidit, fecit victoriā, vt Esa. 59. v. 16. Vidit Deus, quia non est vir, nec quis se interponat, & saluauit sibi brachium suum. & 63 v. 3. Torcular calcaui solus: circumspexi & non erat auxiliator, quæsiui & non fuit qui adiuuaret, & præstitit salutē brachiū meum. Vocatur autē Messias brachiū Domini, Esa. 53. v. 1. & c 52. v. 10. Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Vt sensus sit Messiam in conterendis hostibus nostris spiritualibus, & liberandis nobis de manu ipsorum, præstiturum brachio suo κράτος, quod vel robur, & potentiam, vel forte, præclarum, insigne facinus significat. Dissipaturum etiam ipsum, seu dispersurum superbum exercitum spiritualium hostium.

Quia verò, præter opus redēptionis, quotidie in colligēda, cōseruanda & defendēda Ecclesia sua præstat robur brachio suo: & superbos hostes Ecclesię suę dispergit in mundo: & tertiò, superbis abutentibus potētia sua Deus resistit, humilibus autē dat gratiā, & in gubernatione mūdi, & pręcipue in regno suo. Ideò sequentes versus Maria, ex generalib. Scripturæ sententiis cōtexuit: vt de profligādis hostibus, Nū. 10. v. 35. & Ps. 68. v. 1. Exurgat Deus, & dispergētur inimici eius. Et de cōfusione superborū, Iob. 5. v. 1. & 1. Cor. 3. v. 19. Cōprehendit sapientes in astutia eorū. & Ps. v. 10. Dominus dissipat cōsilia gentiū, & irritas facit cogitationes populorū. Vtrūq; enim significat verbū διασκορπίζειν: vel sicut paleę dispergūtur. Ps. 1. v. 4. Esd. 29. v. 5. vel sicut petra in frustra cōminuitur, Hier. 23. v. 29. Et ὑπερήφανοι sunt, qui præ se quasi ex alto omnes despiciunt. Et verbū dispergendi dupliciter potest construi: vt vel superbi dispergantur, per & propter cōsilia cordis sui: vel vt illi, qui mēte cordis sui superbi sunt, & sibi placēt, dispergantur brachio Domini. Vnde experientia locū fecit etiam apud Ethnicos huic sententiæ, Deum illis, quos ad pœnam retrahere constituit, mentem primū eximere, vt deinde suis ipsi consiliis perniciem sibi accersant. Syrus superbos reddidit tumidos & inflatos: & cogitationes reddidit אשת quod deliberationem, consiliū electionē significat. Ita & generales sunt illæ sententiæ, quas Maria & ad opus redemptionis, seu ad gubernationem regni Messiæ accōmodat. Esd. 14. v. 15. Detracta est ad inferos superbia. & c. 25. v. 12. & 26. v. 19. Detrahetur vsque ad puluerem. Abd. 1. v. 4. Si inter sidera posueris nidum tuum, inde detrahā te. Ezec. 26. v. 16. Descendent de sedibus suis omnes principes. Syrus reddidit, Potentes deturbauit, subuertit de thronis. δυνάστας enim ita Septuaginta vocant, primores in Repub. & magnates. Iud. 5. v. 9. & 4. Reg. 10. v. 13. Regina ita vocatur.

Reliqua de humilibus, esurientibus, diuitibus, &c. ad verbum extant, 1. Reg. 2. v. 4. in cantico Hannę, & Psal. 113. v. 7. Illas autem generales sententias Maria hoc modo instituto suo accommodat: Reges, quando post victoriam spolia distribuunt, solent opimiora conferre potentibus, nobilibus & opulentis. Messias verò spolia victoriæ suæ in regno suo, non potentibus & diuitibus, qui persuasione propriæ iustitiæ tument, sed iis qui se in vera pœnitentia humiliant & esuriunt iustitiam distribuit. Ita Iudæos abiecit, & gentes vocauit. Item: quia non multos sapientes, potentes & nobiles Deus elegit, sed stulta & infirma mundi, 1. Cor. 1. v. 26. Ideò Maria, generales illas sententias de humilibus & esurientibus, argumento carminis sui accommodat.

Possent quidem omnes illi versus rectè & in genere ita accipi, quòd Maria videns sapientes, potentes & diuites in populo Israelis præteriri, se verò humilem & esurientem delectam, vt sit mater Domini, vt ideò delabatur ad generales illas sententias: quasi dicat, Hæc semper fuit consuetudo Dei, superbos dispergere, potentes deponere, humiles exaltare, esurientes sanare. Sed illustrior est sententia, si præterea etiam de opere Redemptionis, de administratione regni Messiæ, & de distributione beneficiorum eius, exponantur versus illi. Et eleganter dictum est, quòd Deus impios, qui in hoc sæculo opibus abundant, tandem in morte & iudicio ἐξαποστέλλει, à se dimittit & ablegat inanes & vacuos, ne guttam quidem aquę mendicantes consequi possint. Luc. 16. v. 24. Syrus reddidit, Diuites proiecit inaniter שׁרק sicut puluis proiicitur.

Ille verò versus [*Suscepit Israelē puerum seu seruū suū.*] ad verbum ferè ita legitur Esa. 41. v. 8. In Græca translatione σὺ δὲ Ἰσραὴλ παῖς μου ὃ ἀντελαβόμην, Syrus habet verbum עדר quod significat opem & auxilium ferre. Sed pulcrior est emphasis verbi ἀντιλαμβάνεσθαι, significans succurrere, & lapsuro porrigere manum ad sustentandū & erigendū: quod eleganter describit; & animum ac quasi gestum Dei opitulantis, & miserum statum populi Israelis erigēris. Non enim tantū nutabat quasi lapsurus, vt sustentādus esset: sed iā collapsus & plane prostratus erat, vt erigendus esset. Deus igitur qui populū hunc gratia sua quasi neglexisse & deseruisse videbatur, nunc vt patet, videns puerū collapsurū, quasi porrecta manu succurrens sustētauit, & erexit Israelem puerum suum, erecto cornu salutis in domo Dauidis. Nō autem ad illum vnicum locum tantum Esa. 41. v. 8 Maria respexit: sed complexa est omnes sententias, quæ loquuntur de reparatione collapsi status populi Israel, vt Hier. 23. vt. 3. & 33. v. 6. & in aliis multis locis. Infinitiu° verò μνησθῆναι, ostēdit hūc sensum: Se ideò suscipere iā Israelē, vt recordetur, hoc est, vt ipso facto & opere declaret se, qui quasi oblitus videbatur, memorē esse promissę misericordię. Hoc enim sensu, Deus, qui nō est obliuiosus, dicitur recordari. Et Syrus in hoc carmine bis, p misericordia ponit חנן gratiā vnde intelligi potest q̄d vocabulo Gratię Paulus intelligat. Et ex Ps. 98. v. 3. sū-

C

pta est illa particula. Saluauit sibi brachium sanctum eius: notum fecit Dominus salutare suum, recordatus misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israel. Manifestum est, magnã esse cognationem inter verba Psalmi & Mariæ. Et Hier. c. 14. v. 20. inquit: Cognouimus iniquitates nostras. Nunquid proiiciens proiecisti Iuda? Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum: recordare, ne irritum facias fœdus tuũ nobiscum. Atqui iam, inquit Maria, quod Ieremias petiit, impletum est. Deus enim recordatus misericordiæ suæ, Israelem puerum suũ suscepit: quia fecit cum Abraham, se complexurum semen eius, non ad tempus, sed in sæcula. Isa. 54. v. 8. In misericordia sempiterna misertus sum tui. Ier. 31. v. 3. Caritate perpetua dilexi te. Ps. 89. v. 29. In æternũ seruabo illi misericordiã meam, ponam in seculum seculi semẽ eius. Et hoc versu Maria cõplectitur omnes promissiones datas Abrahæ & patribus de semine. Quia verò constructio mutatur *locutus est ad patres*. Et subiungitur *τῷ Abraham* Quidam faciunt hyperbatõ: Recordari misericordiæ, præstãdo Abrahamo & semini eius, sicut loquutus est ad patres. Alij dicũt, quia verbum *λαλεῖν* vtramq; cõstructionẽ recipit, & accusatiui cum præpositione, & datiui, ideo dictũ esse: *Sicut loquutus est ad patres nostros: Abrahamo & semini eius*. Vt explicet, quos patres intelligat, quib. datæ sint promissiones. Et prorsus similis mutatio constructionis extat. Ps. 10. v. 18. Iustitia illius in filios filiorum, his qui seruant testamẽtum eius. Ideò Syrus singulis addidit præpositionem, locutus cum patribus, cum Abrahamo, & cum semine eius. Ita etiam particula *εἰς τὸν αἰῶνα in sæculum* referri potest, vel ad semen Abrahæ, quòd scilicet Abraham habiturus sit semen spirituale, vsq; ad finem mundi, ne tantùm de carnali semine Abrahæ intelligantur hi versus, sed sicut explicatur semen Abrahæ, Ro. 9. v. 7. vel referri potest ad recordationem misericordiæ, quam nõ ad tempus, nec temporalibus tantùm beneficiis, sed in perpetuum & æternis beneficiis exhibebit vero semini Abrahæ.

Hæc volui paucis notare, ex quibus potissimùm Scripturę locis Maria primum canticum Noui Testamenti contexuerit. Idque hoc consilio feci, vt possẽt instituí iucũda illa consideratio, quæ fuerint colloquia Mariæ & Elisabetæ, per tres illos menses in domo Zacharię. Et ex his, quę annotauimus, colligi potest, ipsas in horto Domini fragrantissimos flores promissionũ de Messia decerpsisse: & quomodo illas tractarint, explicarint & ad fidẽ accommodarint, ex cantico Mariæ deprehẽdi potest. Et hanc iudico esse optimam explicationẽ. Quid enim dulcius esse potest, quã aliquo modo posse cogitare, quæ in prima Noui Testamenti synodo sententiæ sint dictæ, quæ Scripturæ dicta, & quomodo tractata, idque per tres cõtinuos menses, ab illis sanctissimis mulieribus, quarum altera Spiritu S. plena altera filio Altissimi grauida erat?

Explicatio igitur simplicissime potest distribui in hæc membra.

I. Membrum continet gratiarum actionem pro beneficiis personalibus: hoc est, quæ personæ Mariæ priuatim collata erant à Domino, vt fieret mater filij Altissimi.

II. Celebrat gratiam (vt sic appellem) vniuersalem seu cõmunem, quæ ex incarnatione filij Dei exuberat & redundat in totam Ecclesiam, & est omnium temporum, quamdiu durant generationes, vsque ad consummationem sæculi. Complectitur autem beneficia incarnationis his capitibus. Est misericordia Dei, præstans potentiam in brachio suo, liberando humiles à manu fortis armati, implendo esurientes bonis, puerum Israelem collapsum erigendo; & hæc misericordia & potentia Dei fundata est in benedicto semine Abrahæ, vt sit sanctum nomen eius.

III. Describit, qui sint illi, qui horum beneficiorum capaces sunt. Pertinent enim ad omnes generationes: sed illi veri sunt Israelitę & semen Abrahæ, qui suam *ταπείνωσιν* agnoscentes timent Deum, qui humiles & esurientes sunt, pueri seu serui eius, vt Israel. Tunc enim recordatur miseriæ suæ, quãdo Israel ita collapsus est, vt sibi opus esse agnoscat à quo suscipiatur seu erigatur. Ostendit etiam causam, quare non ab omnibus hæc beneficia quærantur & accipiantur, & qui sint illi scilicet superbi mente cordis sui, potentes & diuites: hoc est, qui vel persuasione propriæ iustitiæ ebrij sunt, vel qui delicijs huius mundi ita immersi sunt, vt Christum & beneficia eius non curent nec quærant.

IIII. Ostendit, vbi quærenda sint illa beneficia scilicet. Sicut locutus est, hoc est, in Verbo & promissione.

V. Quomodo & quo medio apprehẽdatur docet: scilicet, vt simus semen Abrahæ. Sunt autem illi qui incedunt in vestigiis fidei Abrahæ, Ro 4. v 16 Gal. 3 v. 7. Et qualis sit fides illa applicans, Maria suo exemplo præmonstrat, scilicet, vt non sit opinio in labiis natans: sed vt anima & spiritus statuat, Deum esse meũ saluatorẽ, mihi facere magna, idq; non respectu dignitatis meæ: sed quia respexit miseriã meam, in illo semine Abrahæ, in quo omnes gentes benedicuntur. Et hæc fides nõ sit incerta opinio, sed tam firma persuasio, vt spiritus exultet in Deo salutari. Nec sit epicurea securitas, præbens peccandi licentiam; sed in timentibus Deum, anima quærat misericordiam, & magnificet Deum, vt sit sanctum nomen eius.

In hæc membra, quæ pulcerrimè cohærent, simplicissimè potest distribui canticum Mariæ. Reliqua pertinent ad iustam explicationem.

Et hæc est historia *trium mensium*, qui proximè insequuti sunt post conceptionem Christi. Statuo enim, non illa tantùm hora, de mysterio incarnationis collocutas esse Mariam & Elisabetam, cùm prima fieret salutatio; sed per totum illud trimestre tempus suauissima fuisse colloquia, quæ qualia fuerint, ex his, quæ diximus, simplicissimè & singulari animi delectatione colligi potest. Mansit autem Maria apud Elisabetam tribus fermè mensibus, vt matronam, & ætate grauem, & fœtu grauidam, ac vicinam partui, colloquiis & obsequiis suis subleuaret. Quia verò post tertium illum mensem, à sexto prius exacto, tempus pariendi Elisabetæ instabat, noluit virgo pudica interesse, cùm quidem magna frequentia confluxura esset. *Reuersa* ergo *fuit* Nazaretham *in domum suam*.

CAPVT SEXTVM

HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM DE NATIVITATE BAPTISTÆ, EIVSQVE circumcisione: de prophetia Zachariæ, & de educatione Baptistæ.

RATIO ORDINIS.

CVm Maria salutaret Elisabetam, elapsus iam fermè fuerat sextus mensis conceptionis Iohannis. Et mansit Maria apud Elisabetam per tres fermè menses, cùm propter colloquia, tum vt grauidæ ministraret. Atque ita elapsis iam fermè nouem mensibus, cùm tempus parturitionis Elisabetæ instaret, Maria pro sua pudicitia discessit. Non longè igitur post hunc Mariæ discessum secutam fuisse historiam natiuitatis Iohannis, certum est. Cúmque id, quod Matthæus c. 1. scribit quòd Iosephus deprehenderit, sponsam suam Mariam grauidam esse, videatur, post hoc tempus accidisse, sicut mox ostendemus rectè igitur & bono ordine hoc loco ponitur historia natiuitatis Baptistæ.

HISTORIA NATIVITATIS BAPTISTÆ ET prophetiæ Zachariæ, Luc. 1.

57. Τῇ δὲ Ἐλισάβετ ἐπλήσθη ὁ χρόνος τοῦ τεκεῖν αὐτήν· καὶ ἐγέννησεν υἱόν.

58. Καὶ ἤκουσαν οἱ περίοικοι καὶ οἱ συγγενεῖς αὐτῆς, ὅτι ἐμεγάλυνε Κύριος τὸ ἔλεος αὐτοῦ μετ' αὐτῆς· καὶ συνέχαιρον αὐτῇ.

59. Καὶ ἐγένετο, ἐν τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ ἦλθον περιτεμεῖν τὸ παι-

57. *Elisabeta verò impletum est tempus pariendi, & peperit filium.*

58. *Et audierunt vicini & cognati eius, quòd magnificè Dominus misericordia sua vsus esset erga illam, & gratulabatur ei:*

59. *Et factum est in die octauo venerunt ad circũcidendum,* δίον, καὶ

ἐν, καὶ ἐκάλουν αὐτὸ ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Ζαχαρίαν.

60. Καὶ ἀποκριθεῖσα ἡ μήτηρ αὐτοῦ εἶπεν, Οὐχὶ· ἀλλὰ κληθήσεται Ἰωάννης.

61. Καὶ εἶπον πρὸς αὐτήν, Ὅτι οὐδείς ἐστιν ἐν τῇ συγγενείᾳ σου ὃς καλεῖται τῷ ὀνόματι τούτῳ.

62. Ἐνένευον δὲ τῷ πατρὶ αὐτοῦ, τὸ τί ἂν θέλοι καλεῖσθαι αὐτόν.

63. Καὶ αἰτήσας πινακίδιον, ἔγραψε, λέγων· Ἰωάννης ἐστὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Καὶ ἐθαύμασαν πάντες.

64. Ἀνεῴχθη δὲ τὸ στόμα αὐτοῦ παραχρῆμα, καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ, καὶ ἐλάλει εὐλογῶν τὸν Θεόν.

65. Καὶ ἐγένετο ἐπὶ πάντας φόβος τοὺς περιοικοῦντας αὐτούς, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ὀρεινῇ τῆς Ἰουδαίας διελαλεῖτο πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα.

66. Καὶ ἔθεντο πάντες οἱ ἀκούσαντες, ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν, λέγοντες· Τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται; Καὶ χεὶρ Κυρίου ἦν μετ' αὐτοῦ.

67. Καὶ Ζαχαρίας ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἐπλήσθη Πνεύματος ἁγίου, καὶ προεφήτευσε, λέγων·

68. Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραήλ, ὅτι ἐπεσκέψατο καὶ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ.

69. Καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν, ἐν τῷ οἴκῳ Δαβὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ.

70. Καθὼς ἐλάλησε διὰ στόματος τῶν ἁγίων τῶν ἀπ' αἰῶνος προφητῶν αὐτοῦ.

71. Σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν, καὶ ἐκ χειρὸς πάντων τῶν μισούντων ἡμᾶς.

72. Ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν, καὶ μνησθῆναι διαθήκης αὐτοῦ.

73. Ὅρκον ὃν ὤμοσε πρὸς Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν.

74. Τοῦ δοῦναι ἡμῖν, ἀφόβως, ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας, λατρεύειν αὐτῷ.

75. Ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ, πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν.

76. Καὶ σὺ παιδίον, προφήτης ὑψίστου κληθήσῃ· προπορεύσῃ γὰρ πρὸ προσώπου Κυρίου, ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ.

77. Τοῦ δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας τῷ λαῷ αὐτοῦ, ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν.

78. Διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, ἐν οἷς ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους.

79. Ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, τοῦ κατευθῦναι τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης.

80. Τὸ δὲ παιδίον ηὔξανε καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι· καὶ ἦν ἐν ταῖς ἐρήμοις ἕως ἡμέρας ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ.

dum puerum, & vocabant eum nomine patris sui, Zachariam.

60. *Et respondens mater eius dixit, Nequaquam: sed vocabitur Iohannes.*

61. *Et dixerunt ad illam: Nemo est in cognatione tua, qui vocetur isto nomine.*

62. *Innuebant autem patri eius, quid vellet vocari eum.*

63. *Isque postulatis tabellis scripsit, dicens: Iohannes est nomen eius, & admirati sunt vniuersi.*

64. *Apertum est autem os eius illicò, & lingua eius: & loquebatur, laudans Dominum.*

65. *Et peruasit timor omnes vicinos eorum, & per omnem montanam regionem Iudaæ diuulgabantur omnia verba hæc.*

66. *Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quidnam puer hic erit? & manus Domini erat cum illo.*

67. *Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto: prophetauitque, dicens:*

68. *Laudandus Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem populo suo:*

69. *Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.*

70. *Sicut loquutus est per os sanctorum, qui à seculò fuerunt, Prophetarum suorum.*

71. *Fore vt seruaremur ab inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.*

72. *Vt vteretur misericordiâ erga patres nostros, ac memor esset testamenti sui sancti.*

73. *Præstarétque iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum.*

74. *Ac daret nobis, vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiremus ipsi.*

75. *Cum sanctitate & iustitiâ coram ipso, cunctis diebus vitæ nostræ.*

76. *Et tu Propheta Altissimi vocaberis: praibis enim ante faciem Domini, ad parandum vias eius.*

77. *Ad dandam scientiam salutis populo ipsius per remissionem peccatorum eius.*

78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, quibus visitauit nos Oriens ex alto:*

79. *Vt illucesceret his qui in tenebris & vmbrâ mortis sedebant, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

80. *Puer autem crescebat & corroborabatur Spiritu: & erat in desertis, donec veniret dies, quo ostendendus erat apud Israelitas.*

Periocha historiæ natiuitatis Baptistæ.

Sicuti Deus conceptionem Baptistæ, & miraculis celebrem esse, & per multos testes latè diuulgari voluit, vt maior postea auctoritas esset testimonij ipsius, cùm quidē ipse Baptista nullū editurus esset miraculū, Ioa.10.v.14. Ita etiam Baptistæ natiuitas, & miraculis & magna hominū celebritate nobilitata fuit. Dicit enim Lucas, *Cùm peperisset Elisabetha filium*, cognatos vicinos gratulandi causa accurrisse. Et loquitur in genere masculino, quod idē Attico more etiam de mulieribus intelligi potest: sed quia paulò antè fœminino vsus fuit, ἡ συγγενής σου Elisabetam cognatam Mariæ tantùm intelligi volebat. & Angelus prædixerat, multos in natiuitate eius gauisuros, ideo & de viris & de mulieribus vicinis, & cognatis congratulantibus hæc verba rectè intelliguntur. Et non tantùm illos nominat qui ex eadem familiâ erant: sed dicit, *Congratulabantur ei cognati & vicini.* Hos verò intelligo vicinos, non tantùm qui in illo suburbano, vbi domus Zachariæ erat, habitabant: sed etiam qui vicina loca inhabitabāt. Ita enim vocabulum [illegible] apud Septuaginta vsurpatur, Deu.1.v.7. & 3. Reg.7 v.46. Ier.49. v. 18. Et Lucas manifestè hoc vult. Qui enim in suburbano Leuiticum habitabant, illi erant Leuitici generis: erant ergo συγγενεῖς. Sed præter hos etiam alij gratulati venerunt, ex vicinis locis: sicut postea dicit, diuulgatum esse rumorem in tota vicinia in montanis. Causam verò illius concursus Lucas hanc fuisse dicit: *Audierant enim quòd Deus magnificasset*, hoc est, magnifico & illustri beneficio ostendisset *misericordiam suam in partu Elisabethæ*. Hoc plerique intelligunt de eo quòd Deus opprobrium sterilitatis, post exactos fœcunditatis annos, in extrema demum senectute ab Elisabethâ abstulisset. Alij opinantur, vel extraordinaria quædam miracula in puerperio Elisabethę accidisse: vel pręter opinionem fuisse partum facilem, cùm aliàs primi partus in mulierculis ætatis prouectioris soleant esse difficiliores, & periculo coniuncti. Et hæc quidem rectè dicuntur. Sed vera interpretatio nō rectiùs potest sumi, quàm ex verbis Angeli, qui dicit *Multi super eius natiuitate gaudebunt. Erit enim magnus, & præcedet ante faciem Messiæ &c.* Et quòd gaudium illud fuerit de redemptione per Messiām mox futurâ, canticum Zachariæ ostendit. Inter enitendum igitur forsan Elisabeta narrauit mulierculis, quæ de pueri futuro officio ab Angelo prænunciata fuisse, ex mariti notationibus intellexerat: & plerique meminerant, quid ante nouem menses Zachariæ in tēplo accidisset. Quia igitur propter Herodis tyrannidem omnes tunc anxiè expectabāt aduentū Messiæ, quàm primùm fama cœpisset spargi præcursorem Messiæ natum esse, factus est vndique ad

gratulandum concursus,ex locis præsertim vicinis. Magna enim multorum testium frequentia & celebritate voluit Deus Baptistæ ministerio fidem & auctoritatem conciliare,inde ab ipsa vsque conceptione & natiuitate.

Quia verò inde, quòd cùm Abraham mandatum circumcisionis accipit,nomen ipsi à Deo mutatum fuit,receptū erat infantibus in circumcisione,nomina imponere, vt esset commonefactio, circuncisionem esse sigillum fidei seu obsignationem, quod nomina circuncisorum in cœlo in librum vitæ inscriberentur, ac populo Dei accenserentur: & circuncisos vicissim nomina sua dare Deo, tanquam miles Imperatori. Cùm igitur octauâ die,in circuncisione infantis,deliberarent de nomine,quo puer appellandus esset,plerique in eam sententiam inclinarunt: quia pater præstans vir, & spectatæ probitatis esset,boni ominis causa infanti imponendum esse nomen patris, vt Zachariæ nomen ad posteritatem conseruaretur in filio, cùm Scriptura dicat nomen iustorum esse in benedictione: vtq; ipsum nomen filio esset commonefactio de imitandis & exprimẽdis paternis virtutib. Elisabeta verò,siue mariti scripto, siue peculiari Spiritus sancti reuelatione edocta,exclamauit: *Nequaquam Zacharias, sed Ioannes vocabitur*. Et quia antiqua consuetudo de imponendis nominibus,siue ad significandum futurum aliquid,iam desierat,ac cognatorum nomina vsurpare receptum tunc erat:cognati mirabantur de tali nomine,cuius vsus in propinquioribus cognationis illius gradibus nuper non fuerat.(De remotiorib. enim mox dicemus.) Ad patrẽ igitur Zachariam deliberatio illa delata fuit: sed quia sermone cū ipso agere non poterant (vnde apparet non tantū mutum,sed & surdū effectum fuisse)signis & nutibus ostendũt,de impositione nominis deliberationem esse. Is verò per nutum postulata tabellula cerata, in qua olim stilo scribebatur, scripsit nō simpliciter,sicut Elisabeta dixerat, vocabitur Ioannes:sed *Ioannes est nomen eius*. Quia scilicet vocatum erat ab Angelo prius quàm infans conciperetur.

Porro nomẽ Iohannis non ita nouū est,quasi antea in populo Israelis non fuisset auditū. In tribu regia primogenitus filius Iosię fuit Iohanan:& postea per Zorobabelẽ alius Iohanan descẽdit.2.Par.17.v.15.Et Luc.3.v.27. Atauus Mariæ est Ianna Luc.3.v.24. in tribu verò sacerdotali multi fuerunt huius nominis Nam 1.Par.6.v 9. Iohannā est duodecimus in posteritate Eleazar.Fuit & Iohannan ex filiis Core.1.Par.26. v.3.Item ex Leuitis 2.Par.23.v.1.& 1.Esd.10.v.6.Fuit & in aliis tribubus nomen hoc vsitatum:vt ex filiis Ephraim 2.Par.28.v. 12.de filiis Iad.1.Par.12.v.4.Fuit & mulierum nomen.Luc.8.v. 3.Iohanna vxor procuratoris Herodis,& Luc.24.v.10.

Qua verò significatione,nomen illud,antea in tribu sacerdotali vsurpatum Baptistæ impositum sit ab Angelo, piè potest quæri.Sicut enim ad significandam impletionem figurarum saluatori impositum est nomen,quod antea fuerat & ducis & Pontificis:eadem potest esse etiam ratio in nomine Iohannis. Scriptum est autem 1.Par. 6. Iohannan genuit Azariam,ipse est, qui sacerdotio functus est in domo quam ædificauit Salomon in Hierusalem.Et exponitur quidem hæc sententia de Azaria,quia historia manifesta est,2.Par.26.v.20.Sed postea etiam de ipso Iohannan intelligi,quòd doctrinam & ceremonias templi illustri aliqua instauratione repurgarit. Inter omnes enim sacerdotes ab Eleazar vsque ad captiuitatem Babylonicam, huic soli encomion illud tribuitur. Et ita nomen illud Iohannan pulchrè conueniet Baptistæ.

Duobus autem modis in exemplis Veteris Testamẽti scribitur hoc nomen Iohannan & Iechohannan. Quorum prius simpliciter verbale est:alterum verò compositum est à nomine tetragrammato Iehouah. Græci verò quia literam aspiratam non habent,& in medio præsertim dictionis eam notare non possunt, varie scripserunt hoc nomen. In libris Paralipomenon & Esdræ,scribitur ἰωνὰ. In Ieremia scribitur ἰωνὰν & ἰωάνν,1 Macc.2 v.2.scribitur ἰωάννης.Mat.16.v.17.scribitur more Septuaginta βαρ ἰωνᾶ.& Ioan.21.v.15.Simon ἰωνᾶ, Luc.3.v. 24.est ἰαννὰ. 1.Par. 3. v. 15. scriptor conatus est literam Cheth exprimere:scripsit enim ἰωχανάν. Sed 1.Mac.16.v.1.& 2.Macc. 11.v.17.scribitur ἰωάννης.& hac Græca inflexione Euangelistæ & Apostoli vsi sunt. Ineptum igitur est ex Græca scriptione, quæ literam aspiratam in medio exprimere non potest, verā orthographiam huius nominis sumere velle:quasi scribẽdum sit Ioannes, quod tamen plerique non faciunt. Quia enim Cheth radicalis est litera pertinens ad ipsam substantiam dictionis,quæ nunquam abiicitur, ideo rectè scribitur Iohãnes.

Significationem autem habet Iohannan vel Iohannes,vel simpliciter à gratia,vel à Iehouah siue domini gratia & misericordia. Et quidam gratiam illam referũt ad patrem Zachariam:quod scilicet sit gratia & donum Dei,quòd ipsi seni natus sit filius,& quidẽ talis filius.Et quia ab alia radice Hebręis etiam deprecatio deriuatur, existimāt nomen Iohannis reddere id,quod angelus dixerat:Exaudita est deprecatio tua. Alij ad Baptistæ personam referũt:quòd multis illustribus donis à Deo præ reliquis omnibus prophetis instructus sit: vel quòd Deus carus & gratiosus sit.Sed Gabriel,& ipse Baptista, videntur omnium rectissimè etymologiam nominis explicare. Luc.1.v.13.inquit Angelus,vocabis nomen eius Ioannem, & erit tibi gaudiū & exultatio, & multi super eius natiuitate gaudebũt:præcedet enim,&c.Et Ioh.1.v.16.ipse Baptista summā præconij sui ita explicat:De plenitudine eius omnes accipimus, gratiā pro gratia: quia lex per Mosen data est:Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Certum igitur est.Baptistam insignitum fuisse nomine Iohãnis,ratione officij sui: quòd futurus esset præco gratiæ Dei, in Christo orbi patefactæ;quódque gratiosa esset futura eius prædicatio afflictis cōscientiis. Quomodo enim Iohannes natus fuerit gaudium & exultatio patri, & gaudium populo, non potest meliùs intelligi,quàm ex cantico Zachariæ, vnde etiam vera significatio nominis Iohãnis intelligi potest. Nominat enim viscera misericordiæ Dei,in quibus nos visitauit, &c. Sed vt redeamus ad historiam. Mirati sunt cognati consensum illum Zachariæ & Elizabetæ,de impositione nominis Iohannis,cùm quidem scirent ipsos colloqui nō potuisse. Accidit autem multò magis stupendum miraculū,quod interim dum Zacharias in tabella scribit nomen Iohannis,lingua eius,quæ per nouẽ menses ita ligata fuerat, vt nec audire nec loqui potuerit, illicò soluitur,& incipit laudare Deum. Sine dubio autẽ pleno ore & sonora voce,& tunc & postea,multis narrauit totam historiam,quæ ante nouem menses in templo ipsi acciderat. Nec opus est coniecturis: canticum enim Zachariæ (quod ita vocatur)manifestè indicat, quid locutus fuerit, cùm primùm os eius post silentium nouem mensium operiretur.

Exponit autem Lucas, quo fine omnia illa & in cōceptione & in natiuitate Baptistę,Deo hoc modo disponente,gesta sint. Tota enim historia diuulgata fuit,ita vt esset in ore omnium,(hoc enim significat verbum διελαλεῖτο) primū per montana Iudææ. Ibi enim Zacharias in Leuitico aliquo suburbano habitauit. Postea famā latiùs progressa fuit. Dicit enim: *Et omnes qui audierant, &c.* Acceptus autem fuit rumor iste, non vt falsus seu suspectus,nec de re friuola seu nugatoria, sed *timor factus est super omnes.* hoc est, non irriserunt, non spreuerunt,non contempserunt hæc habuerunt; sed seriò affecti fuerunt diuulgatione huius historiæ, tum quia complectebatur redemptionem & salutem totius populi,tum verò,quia videbant, Deum præsentiam & potentiam suam illustribus miraculis,quasi manu è cœlo exerta,ostendisse in conceptione & natiuitate huius pueri; & porrò in infantia & pueritia huius Iohannis diuinam efficaciam variis inditiis se declarare. Hoc enim est,quod Lucas inquit; *Manus Domini erat cum ipso.* Posuerunt autem omnes,qui audierant historiam hanc,in corde suo,& diligentius eam apud se cogitandam, & memori mente conseruandam,vt obseruarent,quid de puero illo,quando adoleuisset,futurum esset. Et hinc sine dubio statim,cùm ministerium suum inchoaret Baptista, tantus factus est concursus vndique ad prædicationem eius, quòd dicitur,ad eum exiisse vniuersa Hierosolyma, omnis Iudæa, & tota regio circa Iordanem. Multi enim adhuc meminerant eorum, quæ ante 29. annos & facta & diuulgata fuerant. Et hæc est historia natiuitatis Baptistæ.

Periocha prophetiæ siue cantici Zachariæ.

Lucas dicit, Zachariam non tantùm naturalem linguæ vsum recepisse, nec simpliciter ita tantū ad laudes Dei lingua sua vsum, sicut & antea Sacerdos in templo fecerat: sed *repletum Spiritu S. prophetasse*, hoc est, peculiare, nouum & illustre donum prophetiæ ipsum accepisse: vt certi simus, Zachariam non ex priuatis suis cogitationibus sed Spiritu S. dictante ea, quæ cantico suo complectitur, tradidisse. Vocatur autem prophetia; 1. Quia more prophetarum, sub forma præteriti, futura prædicit de officio Messiæ & Iohannis. 2. Quia oracula prophetarū, de liberatione ab inimicis, & de salute per Messiam, ostendit spiritualiter esse intelligenda. 3. Quia ostendit impletionem propheriarum Veteris Testamenti iam inchoatam esse, in conceptione Messiæ, & natiuitate Præcursoris. Ita enim verbum Prophetare accipitur, 1. Cor. 14.3. Et non dubiū sanè est, Zachariā solenni illo actu circumcisionis, illam quasi concionem publicè habuisse: non tamen existimo, ad vnicam illam horam, qua circumcisus fuit Iohannes, illud restringendum, quasi postea de hisce rebus nihil locutus sit, vel docuerit Zacharias. De Sacerdotum enim officio Scriptura dicit: Malach. 2. 7. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, & Leuit 10. 11 Ezech 44. 23. Docebit filios Israel legitima mea. Et vt eo commodiùs illa institutio fieri posset, assignatæ fuerunt Leuitis vrbes, per totum regnum dispersæ, in singulis tribubus. Quia igitur Zacharias sacerdos

cerdos erat, cuius ministerium erat docere, post natiuitatem Iohannis non de traditionibus vel de cultu Leuitico docuit: sed repletus Spiritu S. cœpit in illis locis, vbi habitabat, prophetare, hoc est, non tantùm de futuris rebus vaticinari: sed prophetias antea patefactas spiritualiter & ita explicare, vt ostenderet, iam cœpisse impleri. Destituta autem fuerat gens Iudaica dono prophetiæ annis plus 400. vltimus enim propheta fuit Malachias. DOMINO igitur ipso iam in vtero Mariæ concepto, & Propheta præcursore eius in lucem edito, Zachariæ per Spiritum S. datur donum prophetiæ, vt doctrina sua publicè testetur, instare finem Veteris Testamẽti: Messiam promissum venisse in carnem, factum germen Dauidis, prophetam Altissimi, Præcursorem Messiæ iam esse natum, & mox fore initium Noui Testamenti.

Plenior itaque & illustrior erit sententia, si, quemadmodum de cantico Mariæ diximus, ita etiam accipiamus hoc Zachariæ canticum: quod sit descriptio, qualis fuerit forma doctrinæ, quam post natiuitatem Baptistę Zacharias sacerdos in ministerio suo, impulsu Spiritus, publicè professus sit. Fuisse autem Zachariam in scriptis prophetarum exercitatissimum, inde patet, quòd ex præcipuis ipsorum sententiis, & quidem ipsorum verbis, prophetiam suam contexuit, sicut posset multis testimoniis ostendi; sed non instituimus iustam explicationem. Et veram regulam sanæ interpretationis, siue clauem prophetiarum ex Spiritus S. instinctu Zacharias accepit promissiones scilicet omnes de visitatione & redemptione populi Israel, de liberatione ab inimicis, & de salute, intelligendas esse, non de politico aliquo regno, sed de cornu salutis erecto in domo Dauidis, de spiritualibus hostibus, & de liberatione ac salute spirituali. Et hanc fuisse doctrinam & fidem omnium prophetarum à sæculo.

Paucis autem versus cantici Zachariæ explicabimus: & capita doctrinæ postea ostendemus. Dicit igitur *εὐλογητὸς Dominus*, quæ formula est gratiarum actionis & laudationis, & significat, vel, dignus est laude, vel, celebretur & prædicetur Dominus. Vocat autem *Deum Israelis*: quia peculiariter huic populo, dato certo verbo, essentiam & voluntatem suam patefecerat, & promissiones de Messia apud hunc populum deposuerat: hunc populum peculiari fœdere sibi adiunxerat, & ex hoc populo carnem assumpturus erat Messias, Rom. 9. vers. 5.

Et causam seu materiam gratiarum actionis dicit esse *visitationem*. Dicitur autem Deus, qui semper suis adest, visitare, quando postquam, facie sua quasi auersus, in cruce & calamitatibus non visus fuit nos respicere, ipso opere & illustri aliquo beneficio se nostri rationem habere, & clementer nobis adesse ostendit. Cúmque in omnibus beneficiis Deus dicatur suos visitare: sicut Saram visitauit, reddens sterilem fœcundã: Zacharias certam speciem in æternum celebrandæ huius visitationis exprimit, *redemptionem* scil. *populi sui* per *Messiam*: quam ab initio promissam, dicit Deum iam concepto Messia cœpisse procurare seu præstare. Hoc enim significat *ἐποίησε λύτρωσιν*. Et vocat *λύτρωσιν*, quòd liberationẽ populi Messias præstiturus sit, non vi, vt apud Pharaonem: nec precariò, vt apud Cyrum: sed persoluto precio, oblato sc. corpore, fuso sanguine, & data anima sua: talem enim liberationem *λύτρωσις* significat, quæ captiuitatem & oppressionẽ præsupponit. Quia verò Datiuus *populo suo* non commodè respondet vtrique verbo *visitauit & fecit redemptionem*, ideo quidam verbum *ἐπεσκέψατο* absolute accipiunt, pro deliberauit seu decreuit; sed ita perit pulcerrima emphasis vocabuli visitationis, & Exod. 5. liberatio ex Ægypto, quæ fuit figura huius, describitur vtroque verbo, visitandi, v. 16. & redimendi seu liberandi, v. 8. Et tales constructionum mutationes visitatas esse, in cantico Mariæ ostendimus. Ideo Syrus Par. ita reddidit: Qui visitauit populum suum, & fecit ei redemptionem.

In secundo versu modum redemptionis per *cornu salutis in domo Dauidis* erectum, describit. vocabulo autem Cornu significat robur & potentiam ad profligandos hostes: item ad liberationem, ad defensionem, & ad obtinendam victoriam, notum est. Vt Psal. 75. v. 11. Cornua impiorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti Psal. 112. v. 9. Cornu eius exaltabitur in gloria, Thren. 2. v. 3. Concidit in ira furoris omne cornu Israel. Videtur autem metaphora sumpta à cornutis animalibus, quæ cornibus se defendũt & aduersarios prosternunt ac ventilant. Nam Dan. 7. v. 21. & 8. v. 4. potentia regnorum, bella, conflictus, victoriæ, per cornua animalium describuntur. Et potentia regni Messiæ, deuictura hostes, liberatura & defensura suos, sub metaphora cornu prædicta fuit, Ps. 132. v. 17. Oriri faciam cornu Dauidi. Ezech. 29. v. 21. In illo die pullulabit cornu domui Dauidis. Mic. 4. v. 13 Surge & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & conteres populos multos. Quia igitur grassante tunc Herodis tyrannide cornu domus Dauidis concidisse videbatur, dicit Zacharias, concepto iam Messia ex semine Dauidis, Deum promissum cornu erexisse in domo Dauidis. Et erigendi verbo solidum robur & inuictam eius stabilitatẽ describit, contra quod ne inferorum quidem portæ præualebunt. Est enim *cornu salutis*, hoc est, salutiferum, obtinens victoriam contra hostes & adferens salutem captiuis: ideo dicit, *erexit cornu salutis nobis*. Et Syrus reddidit per vocabulum פרק quod significat redemptionem, liberationem & salutationem.

In tertio versu asseuerat, non fortuitò hæc geri, sed ea, quę per Prophetas de regno & beneficiis Messiæ prædicta sunt, iã impleri: vt ita Deum veracem & fidelem comprobet. Vocat autem *sanctos Prophetas*, eò quòd non à seipsis seu humana volũtate, seu Spiritu sancto impulsi, locuti sint sancti Dei homines, 2. Pet. 1. 21. Et *à sæculo*, hoc est, ab initio Deum semper omnibus temporibus excitasse prophetas, per quorum ministerium patefecit, repetiit, illustrauit & cõfirmauit promissionem de Messia. Ac ministerium Verbi pulcerrima descriptione ornat, cùm dicit Non prophetas vel ex se vel pro se, sed Deum ipsum *per os prophetarum suorum locutum* Heb. 1. v. 1. Docet igitur Zacharias consentientem & constantem omnium prophetarum, inde vsque ab initio doctrinam fuisse: veram salutem & liberationem non nisi in solo Christo quærẽdam. Atque ita non noua doctrina nec noua fides est, quæ in Nouo Testamento à Baptista & à Christo tradita fuit.

In quarto versu explicat ipsum beneficium: quid scilicet nobis conferat illa visitatio & redemptio Messię, & vnde cornu illud salutis redempturum sit populum suum. Accusatiuus autem *σωτηρίαν* ita positus est, vt non facilè appareat, cum quo verbo construatur. Quidam ita ordinant: vt quia præcedent duo verba, *fecit redemptionem, erexit cornu* vt vel ad alterum, vel ad vtrumque referatur, fecit vel erexit salutem. Alij appositionem faciunt, erexit cornu scilicet *salutem*, plerique cum verbo locutus est construunt, in hanc sententiam, locutus est salutem, hoc est, fore vt liberemur, vel saluemur. Atque in hanc sententiam Syrus reddidit per verbum futurum, locutus est, quòd redempturus, liberaturus, seu saluaturus esset nos. Dura enim videtur constructio, *Salutem ex inimicis & de manu hostium*. Sed Hebræis vsitatum est syntaxin verborum etiam tribuere nominibus: vt, sicut dicitur saluare seu liberare & eripere ex inimicis, ita etiam dicitur *σωτηρία* salus seu potiùs saluatio & liberatio *de manu hostium*. Inimicos autem intelligit, sicut Paulus explicat, Eph. 6. v. 12. nõ præcipuè carnem & sanguinem: sed peccatum, maledictionem legis, diabolum, mortem, infernum. Deinde etiam copias horum inimicorum, carnem scilicet & impium mundum, quem Ecclesia semper externum aduersarium & hostem habet & experitur. Cùm itaque multi & varij sint Ecclesiæ hostes, ideo Zacharias vniuersaliter dicit: *de manu omnium qui oderunt nos*. Et tristis est descriptio: quòd extra Christum simus sub potestate tenebrarum, & in manu hostium, vnde non nisi per Christum saluari seu liberari possimus. Plenius autem est, quòd non verbo Saluandi, sed nomine Salutis vtitur. Complectitur enim non tantùm actum redemptionis in Passione Christi, sed quòd Christus Ecclesiæ suæ, quæ in hoc mundo semper inter capitales hostes, tanquam oues in medio luporum, agit, perpetuò adsit ad ferendam opem, quódque misellis nobis, vndique cinctis potentissimis & atrocissimis hostibus, certa & tuta parata sit contra hostes salus in Christo, qui cornu salutis est: cui nulla hostium vel potentia vel astutia præualere potest, qui etiam suos liberatos non deserat; sed perpetua salute conseruet. Et respicit hoc versu Zacharias ad illud Gen. 22. 17. de Messia: Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.

In quinto & sexto versu, Syntaxis illustrat sententiam. In infinitiuis enim, *ποιῆσαι*, *μνησθῆναι*, subauditur *ὥστε*, & respondent verbis præcedentibus: vt sensus sit, Deum visitasse, fecisse redemptionem, erexisse cornu, præstitisse salutem in Christo, vt misericordiam patribus promissam exhiberet, & reipsa ostenderet, se memorem esse promissionis de benedictione: quamprimùm nuda verba proponunt, Gen. 12. 3. deinde, inito solemni fœdere, in forma pacti, addito sigillo circumcisionis; Gen. 17. 7. obsignauit: ac tandem etiam iuramento confirmauit, Gen. 22. 16. & Ps. 89. v. 4. 36. 50. vt fides nostra & firmiorem anchoram contra dubitationes habeat. Heb. 6 19. Ita ostendit Zacharias, quæcunque in promissionibus gratiæ continentur, ea in Christo rata esse. 2. Cor. 1. 20. hoc est, in Christo quęrẽda esse, & in Christo exhiberi. Mutatio verò cõstructionis aliquã parit obscuritatẽ. Cùm enim præcedat Genitiuus *διαθήκης*, mox additur Accusatiuus *ὅρκον*, sine regimine. Vbi quidam vsitato Græcæ linguæ more, subaudiunt præpositionem *κατὰ* iuxta iusiurandũ, vel vt præstaret *iusiurandũ*. Sed simplicissima ratio est quia verbum *μιμνήσκω*, & cum Genitiuo & cum Accusatiuo construitur, vt & Genitiuus *διαθήκης*, & Accusatiuus *ὅρκον* ad idem verbum *μνησθῆναι*, quòd vtrumque

constructionem admittit, referatur, idque more Scripturæ non insolito: sicut in præcedentibus exempla notauimus. Locutus est ad patres, Abraham & semini. Item Psal. 103. v. 18. Iustitia eius in nepotes, his qui custodiunt testamentum.

Docent autem hi versus, ipsam promissionem benedictionis & eius impletionem ex mera Dei misericordia pendere. Et ne de sanctorum Patrum vel dignitate vel meritis (quando Scriptura dicit, propter Abraham, & propter Dauidē) disputetur, Zacharias expresse dicit, *Ad faciendam misericordiam, cum patribus nostris*, cúmque patres illi iam dudum mortui essent hac phrasi ostendit, & ipsos, dum in his terris viuerent, non propriis meritis, sed gratuita misericordia Dei, in fide Messiæ promissi, gratiam & salutem adeptos, & iam etiam post mortem fructum redemptionis Christi ad ipsos pertingere, cùm animæ ipsorum viuant, & corpora ad vitam reditura sint. Non igitur carnalis, aut huius mundi salus est, nec huius vitæ angustiis terminatur, sed spiritualis est & æterna, durans in morte, & post mortem tandem verè se exerens.

In septimo versu, ratio Grammatices in vulgata versione non rectè obseruata, veram cohærentiam diuulsit: quasi ordo verborum & sensus sit, Iusiurandum, quod iurauit se nobis daturum. Sed Articulus τοῦ præpositus Infinitiuo δοῦναι, ostendit, eum non cum verbo Iurauit construi debere, sed nouam inchoari sententiam, in qua caussa Finalis omnium præcedentium explicetur esse hoc donum, *vt sc. de manu inimicorum nostrorum liberati sine timore ipsi seruiremus*. Et פלח verbum, quo Syrus vtitur, de cultu Dei propriè vsurpatur. Significat autem Zacharias Aduerbio ἀφόβως non epicuræam securitatem, quæ Deum nec timet, nec reueretur: sed opponit timori seruili, & intelligit, primò pacem & tranquillitatem conscientiæ erga Deum, & contra omnes tentationes, Rom. 5. 1. Secundò, accessum ad Deum in fiducia, Eph. 3. 12. non in spiritu seruitutis fugiente Deum, sed in spiritu adoptionis, clamante Abba pater, Rom. 8. 15. Tertiò, quòd non omnes cultores Deo placeāt, sed illi, qui animo spontaneo Deo seruiunt, qui scilicet certi sunt, propter Christum, & se Deo placere, & obsequia sua ipsi probari. Finis igitur redemptionis nostræ est, non vt prauis cupiditatibus indulgentes, Diabolo, mundo & carni seruiamus: sed, vt abnegata impietate, cultui Dei totos nos deuoueamus, Tit. 2. v. 19. Cultum verò Noui Testamenti indicat Zacharias consistere non in ceremoniis Leuiticis, aut in specie seu hypocrisi externa ad oculum, vt ab hominibus spectemur. Matt. 6. 1. Sed *in iustitia & sanctitate*, & quidem *coram Deo*, quasi ipso inspectante, qui cor intuetur, eo studio & reuerentia, vt quæ placita sunt coram ipso faciamus, 1. Iohan. 3. v. 22. Non semel aut aliquando tantùm, nec certis tantùm, aut statis festiuitatibus, vt in lege: sed *omnibus diebus vitæ nostræ*. Inter iustitiam autem & sanctitatem quidam hoc loco ita distinguunt: vt Sanctitas, ad officia pietatis primæ tabulæ Decalogi: Iustitia ad caritatis officia posterioris tabulæ referatur. ὁσιότης enim Græcis cultum & obseruantiam numinis significat. Et duo hæc vocabula [illegible] etiam coniunguntur à Græcis. Deut. 9. v. 5. vbi posteriùs respondet Hebræo ישר quod rectitudinem, probitatem & simplicitatem significat. Et 3. Reg. 9. vers. 4. respondet Ebraico תם quod integritatem significat. Syrus vnicum tantùm habet vocabulum, quod rectitudinem significat. Ac possent etiam ita accipi vocabula, vt Sanctimonia cultum vtriusque tabulæ complectatur: Iustitiæ verò vocabulum pro iustitia fidei accipiatur: vt sensus sit, Ea demum esse verè bona & Deo placentia opera, quando persona priùs Deo per Christum reconciliata est, & obedientia procedit ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, 1. Tim. 1. v. 5.

Et hactenus Zacharias de officio & regno Christi prophetauit. Iam in altera parte officium & ministerium Baptistæ explicabit.

In nono igitur versu, ad infantulum Iohannem orationem conuertit: ac licèt nulla indicia prophetica in infantulo adhuc apparerent, prophetico tamen spiritu Zacharias prædicit, non tantùm quòd futurus esset Iohannes propheta, sicut ex Gabriele intellexerat: sed etiam quòd omnis populus in summo honore ipsum vt prophetam habiturus esset, Matth. 21. vers. 26. Hoc enim est, quod dicit: *Tu puer vocaberis propheta*. Quia verò fuerunt varia prophetarum officia, vel de futuris vaticinari: vel Scripturam interpretari: vel politica quædam administrare: Zacharias verbis ex Mal. 3. v. 1. & Esa. 40. v. 3. desumptis, peculiare officium Iohanni assignat, quod Christus affirmat, esse plus quàm prophetam, Matth. 11. v. 9. fore scilicet, vt non à longè, sicut reliqui prophetæ, sed *ante faciem Messiæ* mox præsentis, & officio suo subsequentis, tanquam præco & apparitor præcedat, & prædicatione pœnitentiæ, ac testimonio suo de lumine, *viam ipsi paret*, vt omnes per ipsum in veram illam lucem crederent, Iohan. 1. v. 7.

In decimo versu, præcipuam partem ministerij Baptistæ, quæ ipsa vox Euangelij est, Zacharias describit. *Dabit*, inquit, non ipsam salutem, quod Christi proprium est, sed docendo tradet *veram salutis* siue vitæ æternæ, sicut Syrus habet, *cognitionem*, quòd illa consistat *in remissione peccatorum*, quòd scilicet salus æterna non acquiratur vel legis vel traditionum operibus, vel maiorum meritis: sed beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum, vel cui imputat Deus iustitiam fidei sine operibus, Rom. 4. vers. 6. Et hanc esse salutem non extraneorum tantùm, quando in principio conuersionis ad Deum accedunt, sed ipsius etiam populi Dei, qui Deo seruit, salutem in eo consistere, vt peccata ipsorum ipsi etiam populo Dei non imputentur, sed remittantur. Dicit enim, *Ad dandam scientiam salutis plebi eius*. Et infinitiuus τοῦ δοῦναι hunc præbet sensum: adeo Baptistam prædicatione pœnitentiæ parare viam vt possit rectè tradere scientiam salutis, quæ consistit in remissione peccatorum. Illa enim doctrina aliàs vel Pharisæis sordet, vel ab Epicuri porcis conculcatur.

Versus vndecimus explicat caussam & fundamentum remissionis peccatorum, cum verbis significantissimis. Contingere scilicet eam, non per nostrorum operum merita, aut propter dignitatem nostram: sed per misericordiam Dei. Quia verò Deum remittere peccata, qui Zelotes est, abominans, visitans, puniens peccatum, iuxta legis sententiam, summum opus est super omnia opera Dei: Ideo Zacharias dicit, interuenire misericordiam Dei non simplicem, communem aut vulgarem, qualis in reliquis Dei operibus conspicitur: sed intimam, profundissimam, summam & immensam, quæ Metaphora viscerum describitur: *per viscera misericordiæ*, sumpta inde similitudine, quod in affectis tenerioribus & vehementioribus, præcipue amoris & commiserationis, fermmus σπλάγχνα, id est, interiora vitalia viscera commoueri & affici: vt quando 3. Reg. 3 v. 26. Salomon infantem viuum iubet gladio dissecari, matris viscera super filio commouentur. Et Gen. 43. 30. Iosephi viscera commouentur super fratrem Beniamin: Hinc Deus inquit. Os. 11. 8. Inuersum est & in me cor meum, exarsit miseratio mea. Cúmque Ebræi duo habeant vocabula misericordiæ חסד & רחם à posteriori vterus seu matrix nomen habet: sicut scriptum est, Esa. 49. v. 15. Nunquid obliuisci potest mulier infantis sui, vt non misereatur filij vteri sui? Et Syrus hoc loco reddidit רחמא per miserationem seu dilectionem, quæ quasi in matre ex intimis vteri seu matricis visceribus procedit. Verba igitur sunt significantissima, quando nominantur viscera misericordiæ Dei nostri.

Porrò quia sententia legis contra peccatum, est æterna & immota regula iustitiæ in Deo, quæ aboleri non potest, Mat. 5. 18. Rom. 3. 4. Ideo Zacharias addit, quod Paulus aliàs planis & manifestis verbis explicat, Deum ex immensa misericordia filium suum misisse in mundum, natum ex muliere, factum sub lege, vt pro peccatis nostris satisfaceret. Et illam filij persolutionem seu iustitiam Deum credentibus imputare ad iustitiam, & propter illum peccata remittere. Hanc verò sententiam Zacharias aliis verbis, ex prophetarum oraculis petitis, explicat: *In quibus visitauit nos oriens ex alto*. Quorum verborum emphasis consideranda est. Ἀνατολὴ vulgò significat eā cœli partem, in qua sol oritur, & in ea significatione à plerisque hoc etiam loco vocabulum accipitur. Sed Euangelistæ plerunque vocabulis Septuaginta interpretibus vsitatis vtuntur. Vocabulum igitur צמח quod Ies. 4. 2. Ier. 23. 5. Zach. 3. 8. & 6. 12. Messiæ tribuitur, eò quòd sit surculus seu germen Dauidis, oriens ex radice Isai, Græci reddiderunt vocabulo ἀνατολή: verbo enim ἀνατέλλειν vtuntur de terræ nascentibus, Gen. 2. 5. & 19. 25. & Ezec. 16. 7. vocatur ἀνατολὴ agri. Et inde Ebr. 7. v. 14. scriptum est, Ex Iuda ἀνατέταλκεν ortus est Dominus noster. Et Psalm. 132. 17. & Ezec. 29. 21. pullulationem cornu Dauidis, Græci hoc verbo interpretati sunt. Si itaque ad hæc loca Scripturæ Zacharias respexit, pulcerrima est descriptio incarnationis Christi, cùm inquit, *oriens ex alto*, quòd scilicet filius Altissimi ex alto descendit, & ex immensa misericordia visitans nos, factus est germen Dauidis, quod germen non ex commixtione viri & mulieris, sed ex obumbratione Altissimi exortum est. Alij verò, propter continuam Metaphoram illucescendi, vmbræ, tenebrarum, & ortus ex alto, in vulgata significatione ἀνατολὴν accipiunt. Et quia in Græca interpretatione non tantùm pro parte cœli orientali, sed pro ortu solis & lunæ, vel pro oriente sole vsurpatur, vt Iud. 5. v. 31. sicut ἀνατολὴ Solis in fortitudine sua splendet, Ies. 60. vers. 19. ἀνατολὴ Lunæ non illuminabit te. Ac Mal. 4. 2. Messias ita describitur, Vobis nomen meum timentibus orietur Sol iustitiæ, & medicina seu sanatio erit in radiis eius. Ideo & in hac significatione versus hic de Messia sensum reddit pulcerrimum, & interpretatio cum multis Prophetarum sententiis congruit: vt Esa. 60. 2. Tenebræ operient terram & caligo populos, super te verò orietur gloria Domini. Venit lux tua, surge, illuminare. Is. 9. v. 2. Populus, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam: &

quam et habitantibus in vmbra mortis, lux orta est eis. Et in hanc sententiam Syrus reddidit דנח quod ex oriente prodire & ortum solis significat.

Et ad hanc interpretationem continua Metaphora sequitur postremus versus, in quo totum genus humanum, extra Christum, ita depingitur, quòd *sedeat in tenebris & in vmbra mortis*. Complectitur autem Scriptura Tenebrarum, Primò ignorantiam Dei, Iohan.12. vers.35. Secundò omnis generis peccata, Rom.13.v.12.Eph.5.v.8. Tertiò pœnas peccatorum temporales, Es.5.v.30.& 8.v.22. Et æternas, vt Matth.25.vers.30. Proiicite eum in tenebras exteriores. Quod addit de (*vmbra mortis*) phrasis Ebrææ linguæ propria est, quam quidam interpretantur adumbrationem seu similitudinem mortis, vt sunt peccata & tribulationes externæ, sed caliginis, non delineationis significationem hoc loco vmbra habet, & tenebrarum intensionem, densitatem & horrorem complectitur. Nam afflictionum magnitudo ita describitur, Psalm.23.v.4. Si ambulauero in medio vmbræ mortis. Ac sepulcri & inferni tenebræ ita describuntur, Iob. 3.5. & 10.22. Nominat igitur Zacharias primùm tenebras, deinde addit vmbram mortis, vt ostendat non externas seu vulgares tenebras intelligendas, sed tam horribilem caliginem, quæ metum mortis incutiat, imò quæ mortifera sit & mortem adferat. Et videtur metaphora sumta ab illis, qui in tenebroso carcere vincti, post pronunciatam capitalem sententiam, sine spe vitæ & absque vlla cõsolatione, mortem singulis momentis ita imminentem horribili metu expectant, ac si adueniens & coram tam prope adstans, vt vmbra sua iam contingat vinctos: sicut videtur Metaphora hac explicari, Luc.21.25. Tabescent præ timore & expectatione eorum, quæ superuentura sunt, Ebr.10. 26. Non expiatio pro peccatis, sed horribilis expectatio iudicij ipsis reliqua est. 2.Pet.2.5. Catenis caliginis vincti, in iudicium reseruantur. Non autem dicit vel nobis, vel populo suo: sed loquitur in genere *His qui in tenebris sedent*. vt ostendat se communem & Messiam & salutem totius generis humani, Iudæorum & gentium, describere. Illis igitur Sol iustitiæ, & lux sanans & viuificans, Christus apparet, illucescit seu affulget (hoc enim est ἐπιφᾶναι) vt tenebras nostras illuminet, lux enim tenebris opposita salutarem agnitionem Dei veram conuersionem, Act.26.18. Gratiam Dei. Num.6.26. & salutem æternam, Col.1.12. complectitur. Est autem ἐπιφᾶναι infinitiuus actiuus, subaudita particula ὥστε. Ideo enim visitauit nos oriẽs ex alto, *vt illucescat* seu affulgeat *sedentibus in tenebris*, cùmque possit etiam esse imperatiuus formationis passiuæ, vel deponentalis, vetus interpres videtur ita legisse, vt canticum hoc Zachariæ à gratiarum actione inchoatum precatione concludatur. Tu igitur oriens ex alto, illuminare his, seu illucescere sedentibus in tenebris. Syrus autem reddit actiuè: vt luceat. Ideo autem illucescit nobis *vt dirigat pedes nostros in viam pacis*. Cùm enim viam pacis ignoremus Rom.3 17 illucescit nobis, vt consequamur pacem conscientiæ erga Deum, Rom.5. 1. & in futura vita securam ab omnibus malis tranquillitatem. Pacis enim nomine omnem felicitatem & omnia bona Scriptura complectitur. Non autem ostẽdit tantùm lux illa viam, sed dirigit pedes nostros in illam viam, quę ex his mundi miseriis ad æternam pacem & beatitudinem perducit. Dirigere enim est regere seu ducere, ne pedes aberrent, sed viam, quæ ad pacem ducit, rectè teneant.

Et hoc est canticum Zachariæ, in quo pręcipua capita doctrinæ cœlestis ipsum complexum esse constat. Docuit enim legem, id est, de peccato: quia dicit, in remissionem peccatorum. Et doctrinam illam non frigidè proposuit. sed ostendit, Quid sit peccatum Dicit enim sedere nos in tenebris, & non seruire Deo in sanctitate ipsi placente. Et stipendium peccati, inquit esse, quod sedemus in vmbra mortis, extra viam pacis, in manu inimicorum, & qui oderunt nos.

Doctrinam Euangelij ita proposuit, quòd Deus pater, propter viscera misericordiæ, visitarit & fecerit redemptionem populo suo, qui sedebat in tenebris, in vmbra mortis, & in manu inimicorum. Redemptionem autem & salutem hanc esse, quod Deus erexit cornu salutis in domo Dauid. Erexit autem hoc modo, quòd oriens ex alto visitauit nos, factus germen Dauidis. Et officium eius est, quòd nos liberat & saluat ex manu inimicorum. Facit illud autem per λύτρωσιν pretio sanguinis sui atque ita fit cornu salutis Hanc salutẽ Deus pacto & iuramento promisit patribus, de illa vaticinati sunt omnes prophetæ à sæculo. Hanc verò paratam iam esse affirmat *Zacharias*, in filio Mariæ, de domo Dauidis. Offertur autem hæc salus prædicatione gratiæ, tradente scientiam salutis illis, qui prædicatione pœnitentiæ præparati sunt. Dicit enim: Eris propheta Altissimi, parare ipsi viam, item, his qui in tenebris & in vmbra mortis sedẽt. Medium vero quo redemptio & salus illa apprehenditur, est scientia seu agnitio salutis, hoc est, fides, quæ datur per prædicationem gratiæ, illuminante Deo eos, qui in tenebris sedent. Iustitia verò & salus credentium consistit in remissione peccatorum, liberatione ab inimicis & ab vmbra mortis: vt [illegible] habeamus accessum ad Deum, & clamemus Abba pater. Nec verò huius vitæ tantùm salus est, sed ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Nam & ad patres iam dudum mortuos misericordia hęc pertingit. Hæc certè pulcerrima summa & methodus Euangelij.

Porrò doctrinam de bonis operibus, siue de noua obedientia, vno versu complectitur: sed ita, vt nihil quod huc pertinet desideretur. Dicit enim nos ideo liberatos, vt seruiamus ipsi Deo. Et cultum siue λατρείαν consistere, in sanctitate coram ipso, hoc est, in operibus à Deo mandatis. Deum verò hoc dare, seu Spiritu suo operari in nobis, vt seruiamus ipsi. Clarè enim dicit, tantùm illos, qui liberati sunt, posse seruire Deo. Placere verò Deo liberatorum opera ostendit, cùm inquit, coram ipso. Et caussam quomodo placeant ostendit. Dicit enim in iustitia, &c. Item liberati ab inimicis sine timore seruiamus. Et addit: Non creaturis, sed Deo cultum esse præstandum, idque non ex hypocrisi, sed coram ipso: nec aliquando tantùm, vt in festiuitatibus, neque traditionibus & certis ceremoniis, sed in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ.

Hæc certè pulcerrima methodus est doctrinæ, quam Zacharias vt sacerdos publicè in schola sua professus est, post natiuitatem Baptistæ. Et iucunda est obseruatio, cùm Leuiticum sacerdotium obmutescere, iam nato Baptista, deberet, quomodo Spiritus S. in conclusione Veteris Testamẽti priusquam vox Clamantis in deserto inciperet sonare, in vnam summam per Zachariam collegerit, veram sententiam eius doctrinæ, quæ tempore Veteris Testamenti à sæculo per os omnium Prophetarum patefacta & tradita fuit. Habemus igitur in hoc cantico Zachariæ, catholicum veræ antiquitatis consensum inde vsque à sæculo, & infallibilem regulam, quomodo Scriptura Veteris Testamenti rectè intelligenda & interpretanda sit.

Existimo autem & hoc non incommodè posse dici, hanc esse formam institutionis, qua puerulum Iohannem pater Zacharias à primis annis imbuit, in qua ipsum Spiritu confortatum esse Lucas dicit. In circumcisione quidem, oratione ad infantem conuersa, Zacharias hæc locutus est: sed & postea, cùm puer cresceret, illam ipsam doctrinam, & easdem voces sæpè fuisse à patre Zacharia ad puerum Iohannem repetitas, nullum est dubium. Et ita id, quod quæritur de educatione & institutione Iohannis, non ex coniecturis, sed ex ipsis verbis Zachariæ pulcrè & cum fructu potest explicari. Fuit igitur schola Zachariæ, in Leuitico illo suburbano in montanis, celebris & optimè constituta. Thalmudistę iactant ex traditionibus dicta quædam domus seu scholæ Eliæ, quãto rectiùs & vtiliùs obseruari possunt & debent dicta domus Zachariæ, ex concione Gabrielis, ex colloquio Elisabetæ & Mariæ, & ex cantico Zachariæ? Et multis hanc vocem doctrinæ, quæ publicè in schola Zachariæ sonuit, profuisse, qui postea cupidè amplexi sunt doctrinam Baptistæ & Christi, non est dubium.

Porro doctrina illa, quam dissentientem à receptis traditionibus, Zacharias publicè cœpit profiteri, quomodo accepta fuerit à Pharisæis & pontificibus, ex illis, quæ postea Iohanni & Christo docentibus acciderunt, colligi potest. De exitu igitur Zachariæ, licet nihil certi ex probatis historiis possit affirmari, specie tamen veri non diffidet, quod alicubi annotatum est, ab Herode interfectum esse, cùm publicè vaticinaretur, Erectum esse cornu salutis in domo Dauidis, vnde futura esset liberatio de manu eorum, qui inimici essent populi Iudaici. Quod Herodes contra suam dominationem dici interpretatus est.

Origenes, Basilius & Theophylactus dicunt, antiquam traditionem esse, Zachariam Baptistæ patrem, à sacerdotibus, in ipso templo, esse occisum cùm inciperet & ibi doctrinam illam, quam primò in priuata sua schola tradiderat, spargere. Sed hęc verisimilia quidem, nec impia sanè, incerta tamen, relinquamus in medio. De hac ipsa enim traditione Hieronymus prudenter inquit: Quod de Scripturis sacris non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Quod iudicium vtinam, & ipse Hiero. & alij veteres, constanter retinuissent, de aliis etiam traditionibus.

De educatione igitur & institutione pueritiæ Baptistæ, ex his, de quibus diximus, fundamentis, quędam non inutiliter colligi possunt. Lucę verba hęc sunt, (*Puer crescebat*) (ætate scilicet & statura corporis) (*& confortabatur Spiritu.*) agnitione scilicet spirituali, vitæ pietate, rara indole & peculiaribus donis. Quia enim Gabriel prædixerat fore, vt impleretur puer Spiritu sancto, statim ab vtero matris. Lucas igitur dicit, Spiritum inhabitantem in puero illo, cœpisse progressu æta-

tis, illustribus & vulgò inusitatis indiciis, seu extraordinariis modis, magis magísque se exerere, vt cogitatio & expectatio illa hominum magis confirmaretur. Quis putas erit puer iste?

De eremis verò, in quibus Iohannes fuit, ante inchoationem ministerij, postea quædam annotabimus, in descriptione vitæ, & ministerij ipsius.

CAPVT SEPTIMVM

HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM DE ANGELO PATEFACIENTE IOSEPHO mysterium conceptionis Christi, Matth. I.

RATIO ORDINIS.

Maria ex montanis Iuda, ex Zachariæ ædibus digressa, reuersa est Nazaretam: in suam domum. Nondum enim deducta erat in sponsi domum, & post illud tempus à Iosepho, & aliis deprehensa fuit grauida esse. Et Thamar quidem, Gen. 38. v. 24. post tres menses grauida deprehensa fuit: vt disputari possit, an statim post reditum Mariæ, ante natiuitatem Baptistæ, hæc historia contigerit. Sed quia Elisabeta paulò antè, quinto demum mense manifestauit se esse grauidam, & Maria non in eadem domo cum Iosepho habitauit, vt non nisi ex manifestis signis intumescentis vteri, Ioseph tandem hoc cognouerit. Rectè ergo post natiuitatem Baptistæ hæc historia collocatur. Ita enim finis primi capitis Matthæi, pulcerrimè cohæret cum principio secundi capitis Lucæ, de natiuitate Christi: & ordo patefactionum de conceptione Christi. 1. per Gabrielem. 2. per Mariam. 3. per Elisabetam. 4. per Zachariam. 5. per Iosephum, hoc modo rectè cohæret.

HISTORIA DE ANGELO, PATEFACIENTE Iosepho mysterium conceptionis Christi, Matth. I.

18. Τοῦ δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ γέννησις οὕτως ἦν. Μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ἰωσὴφ, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ Πνεύματος ἁγίου.

19. Ἰωσὴφ δὲ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, δίκαιος ὢν, καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, ἐβουλήθη λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν.

20. Ταῦτα δὲ αὐτοῦ ἐνθυμηθέντος, ἰδοὺ, Ἄγγελος Κυρίου κατ' ὄναρ ἐφάνη αὐτῷ λέγων, Ἰωσὴφ, υἱὸς Δαβὶδ, μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου. Τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ Πνεύματός ἐστιν ἁγίου.

21. Τέξεται δὲ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ ΙΗΣΟΥΝ. αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν.

22. Τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου διὰ τοῦ προφήτου, λέγοντος:

23. Ἰδοὺ, ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ· ὅ ἐστι, μεθερμηνευόμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός.

24. Διεγερθεὶς δὲ ὁ Ἰωσὴφ ἀπὸ τοῦ ὕπνου, ἐποίησεν ὡς προσέταξεν αὐτῷ ὁ ἄγγελος Κυρίου, καὶ παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ.

25. Καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ ΙΗΣΟΥΝ.

18. *IESV verò Christi natiuitas sic habet. Cùm mater enim eius Maria desponsa esset Ioseph, priusquam congressi fuissent, deprehensa est grauida è Spiritu sancto.*

19. *Porrò Ioseph maritus eius, quoniam erat iustus, & nolebat illam infamare, voluit clanculum ab ea diuertere.*

20. *Hæc autem cùm is in animo versaret, ecce, angelus Domini in somnis visus est illi, dicens: Ioseph, fili Dauid, ne metuas adiungere tibi Mariam vxorem tuam. Nam quod in illa conceptum est, à Spiritu sancto profectum est.*

21. *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius* IESVM. *Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis.*

22. *Porrò totum hoc factum est, vt perficeretur id quod dictum fuerat à Domino, per Prophetam, ita loquentem.*

23. *Ecce virgo erit pregnans, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel: quod si quis interpretetur, sonat, Nobiscum Deus.*

24. *Excitatus autem Ioseph à somno, fecit vt iniunxerat sibi Angelus Domini, & adiunxit sibi vxorem suam.*

25. *Et non cognouit eam, donec peperisset filium suum primogenitum, & appellauit nomen eius* IESVM.

Periocha Historiæ.

Debebant extare certa & manifesta testimonia, Iesum non ex Iosephi (cuius filius vulgò putabatur) semine, sed ex Spiritu sancto conceptum. Ideò Euangelista tam diligenter describit, Mariam ex signis externis grauidam inuentam, priusquam in domum sponsi, ad congressum coniugalem, deduceretur. Vtrumque enim τὸ συνελθεῖν significare potest: Syrus verò habet, priusquam sociarentur. Erat enim sub lege consuetudo, vt non statim post desponsationem sequeretur concubitus, sed interposito certo aliquo tempore post desponsationem, sponsa solenniter assumebatur ad cohabitationem coniugalem, & ex paternis ædibus in sponsi domum deducebatur: sicut colligitur Gen. 29. v. 33. Deut. 20. v. 7. Ne verò ex composito, quasi per collusionem, inter Mariam & Iosephum de conceptione, ex Spiritu sancto, res agi videretur: Maria ipsa primum non exposuit Iosepho, quæ partim ex legatione Angeli, partim ex Elisabetæ colloquio cognouerat: Sed Iosephus, post aliquot menses, ex aliis signis animaduertit ipsam esse grauidam, & nec tunc quidem ex ipsa aliquid sciscitatus est, sed (*quia iustus erat,*) timebat (sicut ex verbis Angeli colligitur) eam, quam adulterium commisisse putabat (fornicatio enim post desponsationem, quia sponsa iam vxor erat, adulterium reputabatur: Deut. 22. v. 24. Genes. 38. v. 24.) ad se recipere, & tamen nolebat etiam publicam contra ipsam repudij actionem instituere. Nam lege Deut. 22. v. 21. constitutum erat supplicium, quod toti familiæ ignominiosum & infame erat. Ducebatur enim talis adultera ad ostium domus paternæ, & ibi, in perpetuam familiæ ignominiam, lapidibus obruebatur. Quia igitur regia illa Dauidis stirps, iam antea satis erat abiecta, & omnium despectui apud Nazarenos exposita, Mar. 6. v. 3. (*noluit eam Ioseph* παραδειγματίσαι.) Ponitur enim verbum παραδειγματίζειν pro ἐξαγορεῦσαι apud Ptolemæum 3. ἀποτελεσμάτων Varinus interpretatur per φανερῶσαι, quando

quando occulta vitia per ora hominum traducuntur, Col. 2. v. 15. ita vsurpatur, quando in triumphis captiui hostes, ignominiæ caussa, spectandi per vrbem traducebantur. Et Num. 25. v. 4. ac in Esther, in Græca editione, de illis qui in patibulo ad solem suspendebantur dicitur. Ita Hebr. 6. v. 6. iungitur crucifixioni: hoc est, de illis suppliciis quæ cum insigni infamia & ignominia coniuncta erant, dicitur. Et quando Deus aliquem, vt sterquilinium, omnium ludibriis & contumeliis exponit, Græci reddiderunt, Ponam te, εἰς παράδειγμα, Ier. 8. v. 2. & 13. v. 22. Nahum 3. v. 6. Et hæ significationes omnes ad legem Deut. 22. v. 21. congruunt. Syrus habet verbum [Syriac] quod significat æstimato seu taxato crimine diffamare, & publicam ignominiæ notam inurere.

Quod verò anxiè disputatur quomodo Ioseph iustus voluerit hoc dissimulare, cùm iustitiæ rigor potius flagitasset, vt quam putabat adulteram publicè accusaret, iuxta legem, Deut. 22. v. 21. facilè hoc explicabitur. Lex enim illa non cogit sponsum talem instituere actionem: sicut lex Num. 5. v. 11. de zelotypia. Et iustitia Ebræis sæpè significat mansuetudinem, lenitatem, ἐπιείκειαν, de iure suo aliquid remittentem. Tandem ergo Ioseph, pro sua mansuetudine, hoc consilium inuenit, quia sponsam, quam ex adulterio grauidam putabat, bona conscientia assumere non poterat, nec publica actione diuortium petere volebat, propter totius cognationis, quæ inde sequutura esset, infamiam, se velle occultè eam dimittere: quod fieri poterat, vel si solem verteret, vt putaretur Maria à sponso desertore impregnata: vel si priuatim, ea consentiente, daret libellum repudij, vbi non opus esset caussam explicare, sed existimari posset impregnatam fuisse à marito, priusquam repudiaretur. Et posteriorem sententiam verbum ἀπολῦσαι videtur ostendere. Hæ cogitationes & sollicitudines Iosephi tam accuratè describuntur, vt manifesta extent testimonia, Mariam non ex Iosephi semine, sed ex Spiritu sancto concepisse.

Dum verò Ioseph in hac anxia deliberatione tristes cogitationes animo versat, Angelus Domini, eo modo, sicut Numer. 12. v. 6. & Hiob 33. v. 15. describitur, per somnium ipsi apparet, & prima statim compellatione, vocans eum filium Dauidis, commonefacit ipsum promissionis, quòd ex sua cognatione nasciturus esset Messias: sicut Chrysostomus rectè obseruauit. Et cùm inquit: [*Ne timeas assumere Mariam.*] explicat, quid illa verba significent, [*Ioseph erat iustus:*] hoc est, timebat, ne contra legem peccaret & offenderet, si illam, quam adulteram iudicabat, assumeret. Et quia sponsa statim à desponsatione vxor erat sponsi, Deuter. 22. v. 24. sed postea certo tempore assumebatur, & certis cæremoniis accipiebatur, & in sponsi domum deducebatur, quod Matthæus voce παραλαβεῖν reddidit ex Deuter. 20. v. 7. Dicit igitur Angelus. [*Ne timeas Mariam vxorem tuam*] quæ priusquam tecum conuenerit, grauida deprehenditur, [*assumere: quod enim in ea natum est, ex Spiritu sancto est, &c.*]

Phrases autem obseruandæ sunt. Tribus enim distinctis vocabulis generatio in hoc capite, alia atque alia significatione describitur, vt 1. liber γενέσεως. 2. quatuordecim γενεαί. 3. γέννησις Christi, verbum autem γεννᾶσθαι dicitur, non tantùm de editione partus in lucem, (vt Matth. 2. vers. 1. vbi Christus nasceretur. Item Hebr. 11. vers. 23. Moses, cùm natus esset, expositus est: & quando hæc tria coniunguntur, concipere, grauidam esse, & gignere, Esa. 7. vers. 15. & Rom. 9. v. 11. Nondum natis Esau & Iacob) verùm etiam de fœtu, qui per conceptionem in vtero materno generatur, & ex substantia matris formatur & alitur. Ita Iob 11. vers. 3. & 14. vers. 1. & 15. v. 7. homo vocatur γεννητὸς mulieri, non tam inde, quòd à muliere in hanc lucem editus, quàm quod in vtero mulieris conceptus, ex substantia eius generatus sit. Et Galat. 4. versu 29. Israel secundùm carnem natus est, non de editione in lucem, sed de tota generatione intelligitur. Et quod ex antithesi propriè huc existimo conuenire, Iohan. cap. 9. versu 34. Pharisæi dicunt de cæco: totus in peccatis natus es. Sine dubio enim hac phrasi reddere voluerunt illud, Psalm. 51. v. 7. In iniquitatibus formatus sum, & in peccatis calefecit mater mea. Et in hoc ipso loco distinctè ponitur vtrumque, [*Quod in ea natum est, ex Spiritu sancto est. Pariet autem filium, &c.*] Et Angelus differentiæ gratia dicit. [*Quod natum est in ea.*] De editione enim in lucem dicitur. Natus ex ea. Et vtrunque dicitur, Natus in Maria, & Natus ex Maria. Math. 1. v. 20. & Galat. 4. v. 4. Quæ obseruanda sunt, contra Valentinianos & Manichæos, qui fingebant, Christi carnem aliunde assumptam, & alibi generatam, in vtero verò Mariæ tantùm vt hospitem fuisse, per quem transierit sicut aqua per canalem. Ita verò nostræ carni summa illa spes & consolatio, quam habemus ex incarnatione filij Dei, tollitur. Ideo non oscitanter hæc prætereunda sunt. Quod in ea & ex ea natum est.

Illa etiam phrasis expendenda est, [*Ex Spiritu sancto est,*] non enim ita ex Spiritu S. est, sicut Psalm. 139. v. 5. Quoniam tu Spiritu tuo tu enim formasti me. Et Rom. 11. v. 36. ex ipso sunt omnia. Et 1. Corinth. 8. v. 6. Deus pater ex quo omnia: Sed cogitationibus Iosephi, qui putabat Mariam ex alio viro grauidam esse, opponitur hoc: [*Ex Spiritu sancto est.*] Nam vsitata est phrasis, Genes. 38 v. 25. Ex viro, cuius hæc sunt, ego grauida sum. Iohan. 8. v. 41 Nos ἐκ πορνείας nati non sumus. Quia igitur sine viro, cœlesti & extraordinaria Spiritus sancti operatione, grauida facta erat Maria, & massa illa, quam filius Dei assumpsit, per Spiritum sanctum sanctificata, hoc est, à peccato mundata est, dicitur esse ex Spiritu sancto. Et hinc sumptus est articulus ille fidei: Qui conceptus est è Spiritu sancto.

De nomine verò IESV, de significatione & etymologia eius postea in historia circuncisionis quædam annotabimus.

Et quod sequitur, [*Hoc totum factum est vt impleretur, &c.*] postea ita intelligi, vt sint Euangelistæ verba. Chrysostomus verò ita accipit, vt hæc sententia Angelus orationem suam ex Scriptura probet: Ne scilicet miretur Ioseph Mariam virginem esse, & tamen grauidam esse, nec fortuitò hoc fieri; sed hoc esse signum & miraculum illud dudum ab Esaia prædictum, de conceptione Messiæ. Adeò ne angeli quidem suis verbis in articulis fidei credi volunt, sine Scripturæ testimoniis. Et de sententia illa Isaiæ quædam dicta sunt in historia conceptionis Christi.

De nomine igitur (*Immanuel*) quædam annotabimus. Et significationem nominis Immanuel Matthæus explicat, quod sonet (*Nobiscum Deus.*) Et dicitur quidem Deus nobiscum esse quando gratia & auxilio nobis adest: sicut fuit ita cum fidelibus in Veteri & in Nouo Testamento: Sed quia peccata inter nos & Deum diuidunt, Isa. 59. v. 2. & abalienant nos à Deo, Colos. 1. v. 21 Ideò illa fidelium cum Deo coniunctio à Mediatore Christo pendet. Ille enim verè & propriè vocatur (*Immanuel;*) quia in eo diuina natura nostræ humanæ naturæ personaliter vnita, verbum caro factum, & Deus in carne manifestatus est, 1. Tim. 3. v. 16. Et illa hypostatica, indiuidua, & arctissima vtriusque naturæ in Christo connexio facit Mediatorem, qui Deum hominibus & homines Deo coniungit. Non igitur aliena amplius nostra natura est à Deo, cùm in ea in Christo Mediatore tota plenitudo diuinitatis inhabitet corporaliter. Ita per illum Deo adducimur, & habemus accessum ad Deum: & in illo Deum apprehendentes vnum cum ipso efficimur.

Ita ergo nomen [*Immanuel*] propriè competit Christo, 1. Quia verus est Deus & homo. 2. Quia ipse nexus est coniunctionis nostræ cum Deo, vt nobiscum sit Deus. Quòd verò Iudæi cauillantur, Christum nostrum publicè aut vulgò non Immanuelem, sed Iesum appellatum, facilis est responsio. Scriptura enim significatura aliquem talem futurum, & ab hominibus ita agnoscendum, solet dicere, vocabitur hoc nomine. Ita Isa. 9. v. 6. vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, & cæter. 23. v. 6. vocabitur Iehouah iustitia nostra. Ita de Ecclesia dicitur, Isa. 62. v. 4. Non amplius vocabitur derelicta, sed voluntas mea in ea. Christus igitur, quia iam ita prædicatur, & creditur, quòd sit Deus & homo Mediator, ideò verè habet nomen Immanuel.

Ioseph igitur audito oraculo diuino statim cùm euigilasset, dicto Angeli fuit obediens: [*assumpsit enim Mariam,*] hoc est deductam in domum suam, omni reliqua cura, excepta consuetudine coniugali, eam habuit vxorem. Matthæus enim verbo παρέλαβεν sine dubio respexit ad illud, Deut. 20. v. 7. Si quis despondit vxorem, & nondum accepit eam, &c. Et licet quarto demum mense post conceptionem Mariam in domum suam assumpserit, vulgò tamen ab omnibus putatus est esse pater Christi, sine vlla suspicione. Cœpit enim tunc, sicut hinc colligitur illa consuetudo, quòd post desponsationem sponsa aliquando, etiam antequam per solennes nuptias ad domum sponsi deduceretur, ab ipso cognoscebatur: & hoc vulgus in Maria & Ioseph factum esse putabat. Matthæus verò hanc suspicionem Ecclesiæ filiis eximit, cùm inquit (*Priusquam conuenirent, inuenta est grauida*) Statuit enim differentiam inter συνελθεῖν & παραλαβεῖν.

Addit autem Euangelista [*Non cognouit, donec peperit primogenitum suum.*] Hactenus enim ex ipsius Iosephi anxia & seria confessione demonstrauit, Mariam non fuisse cognitam à sponso, cùm conciperet Christum, sed priusquam conueniant inuenta est grauida à Spiritu sancto. Iam cùm quarto mense eam in domum suam deducit, ita vt post nuptias simul habitent, dicit, Ne tunc quidem eum cognouit eam, donec peperit: sed sicut virgo & à viro incognita concepit, ita & virgo à viro inuiolata peperit. Ioseph enim iustus, ne in mentem quidem aut cogitationem tale quid admittere potuit, cùm audiret, quod natum est in ea, ex Spiritu sancto esse: item, ipse esse Immanuel, [*qui saluabit populum suum, &c.*]

Sed has sententias impius Heluidius, impuro suo ore conspurcauit. Dixit enim: Si grauida inuenta est, priusquam conuenirent: Ergo postea congressi sunt. Item, Si non cognouit eam donec peperit: Ergo post partum cognouit eam. Et si Christus est primogenitus Mariæ: Ergo oportet ipsum habere plures fratres, ex eadem natos, inter quos sit ipse primogenitus. Et variæ quæsitæ sunt explicationes. Basilij sententia est, μέχρι γὰρ τῆς οἰκονομίας ὑπηρετοῦσα ἀναγκαία ἡ παρθενία, τὸ δ' ἐφεξῆς ἀπολυπραγμόνητον τῷ λόγῳ τοῦ μυστηρίου. Auctor operis imperfecti in Matthæum, quod falso Chrysostomo tribuitur, ita explicat: Non cognouit eam, scilicet, pro matre filij Dei, donec in natiuitate & postea ex miraculis hoc didicit. Hugo citat ex Euangelio Nazaræorum, in facie Mariæ, post conceptionem, tantam fuisse claritatem, vt Ioseph non potuerit eam cognoscere, hoc est rectis oculis aspicere. Et Hilarius hoc addit, Si Mosis faciem non poterunt filij Israel ferre, quantò minùs Ioseph potuit faciem Mariæ cognoscere, quæ Dominum gloriæ in vtero suo gerebat. Sed ex phrasi omnium rectissima sumitur explicatio. Particulæ enim [*Priusquam* & *Donec*] terminum temporis aliquando ita significant, vt illud, quod ante illum terminum temporis remouetur, postea factum fuisse intelligitur, vt Genes. 19. v. 22. Non potero pluere ignem super Sodomam, donec ingrediaris Segor. Leuit. 12. v. 4. Erit immunda, donec impleantur dies purificationis eius. Actor. 25. v. 16. Non est Romanis consuetudo tradere hominem ad supplicium, priusquam accusatores habeat præsentes, &c. Aut si dicam, Non cœnabo, priusquam vel donec audita fuerit sexta hora. Aliquando verò particulæ illæ terminum temporis ita describunt, vt de præcedenti tempore, de quo vel dubium aliquod esse poterat, vel quod maximè scire intererat, expressè affirment vel negent: vnde quasi ex contrario sensu de tempore sequenti consequentiæ texi non possunt nec debent, hoc est ita negat præteritum, vt non ponat futurum. Et Nazianz. Orat. 1. de filio 2. inquit: ἄχρι γὰρ ἕως ὡς πάντως ἀντιδιαιρεῖται τῷ μέλλοντι· ἀλλὰ τὸ μέχρι μὲν τοῦδε τίθησι· τὸ μετὰ τοῦτο δὲ οὐκ ἀναίνεται. Vt Gen. 8. vers. 7. Non redit coruus, donec siccata esset terra. 1 Reg. 15. v. 35. Non vidit Samuel vltra Saulem, vsque ad diem mortis suæ, 2. Regum capite sexto, versu 23. Et Michol non habuit filium, vsque ad diem mortis suæ, Psalmo 110. versu primo, Sede à dextris meis, donec ponam, &c. Item, Oculi nostri ad Dominum, donec misereatur nostri. Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Non enim inde inferendum est, Ergo post mortem peperit. Ergo post consummationem sæculi Christus non erit nobiscum. Et quidem in vulgari etiam sermone figura hæc vsitata est: vt si dicam, Vale donec rediero: Priusquam legitimum processum institueret, hominem innocentem interfecit. Hieronymus hoc exemplum ponit: Heluidius, priusquam pœnitentiam ageret, morte præuocatus est. Neque enim ea phrasis vult, quòd postea illa sint facta. Ex particulis igitur illis [*Priusquam* & *Donec*] non potest colligi, Mariam post partum Messiæ cùm Ioseph congressam, & ex ipso filios sustulisse. Vsus est enim Euangelista illis particulis, quia fidei nostræ plurimùm intererat scire, Mariam ante conceptionem Christi, & post conceptionem, vsque ad natiuitatem eius, non fuisse cognitam à viro. Quòd si de tempore sequenti quæritur, optima est Hieronymi responsio, Natum esse Deum per genitalia virginis credimus, quia legimus: Mariam post partum aut cum Ioseph concubuisse, aut filios ex ipso sustulisse non credimus, quia non legimus. Et bonum est argumentum Hieronymi: Si Ioseph, ex sola relatione Angeli in somnis tali reuerentia motus est, vt non cognosceret Mariam donec pareret, quidni motus fuisset postea cùm audiret pastores, Simeonem, Hannam tam diuina de puero illo prædicantes? &c. cùm quidem scriptum sit, Erant pater & mater eius mirantes de his, quæ dicebantur de illo.

Hanc iudico simplicissimam explicationem particularum, *Priusquam* & *Donec*. De *primogenito* enim facilis est responsio. Nam in lege, quando iubentur primogenita offerri Domino, non est sensus, expectandum esse, donec post primum nascatur alius: Sed primogenitus vocatur, non tantùm post quẽ nati sunt alij, verùm etiam ante quem nullus natus est, etiamsi μονογενής, hoc est, etsi postea nullos alios habeat fratres, tamen vocatur primogenitus. Et propter quam rationẽ Christus, additione articuli, vocetur ὁ πρωτότοκος primogenitus ille, postea in historia purificationis explicandũ erit. Quod verò Mar. 6. v. 3. numerantur quatuor fratres Christi, Hieronymus rectè respondit: Quatuor modis in Scriptura fratres dici, Natura, Gente, Cognatione & Affectu: & in Euangelica historia, Maria Alphei & Cleophæ vocatur Iacobi & Ioses mater, ergo non ex Maria matre Domini nati sunt, & tamen vocantur fratres Domini, propter cognationem: sicut Loth & Abraham fratres sunt, Gen. 13. v. 8. de qua cognatione Christi postea suo loco plura dicemus.

A quarto igitur mense conceptionis Christi vsque ad natiuitatem eius, ab Euangelistis nihil aliud annotatum est, quàm quòd Ioseph Mariam assumtam secum habuerit, & excepto vsu coniugali curauit illam vt coniugem, ita vt vulgus aliud etiam postea non intelligeret, quàm Iosephum esse patrem Christi. Quia verò Angelus ipsi meditandum proposuerat dictum Es. 7. v. 14. Non dubium igitur est, per quinque reliquos menses dulcissima fuisse colloquia inter Iosephum & Mariam, de illis prophetarum sententiis, quos ipsa ex annuntiatione Gabrielis ex colloquio cum Elisabeta didicerat.

CAPVT OCTAVVM

HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM NATIVITATIS Christi, Luc. 2.

RATIO ORDINIS.

Hanc esse veram ἀκολουθίαν huius historiarum inde patet, quòd apud omnes Euangelistas præter præmissas nulla alia historia inuenitur, quæ huic præponi vel possit vel debeat: tum verò ex Matthæo manifestum est: is enim post colloquium Angeli cum Iosepho ostendit, ordine hæc consecuta: quæ quomodo facta sint, Lucas exponit.

HISTORIA NATIVITATIS Christi, Luc. 2.

1. Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην.	1. *Factum est autem in diebus illis, exiit decretum à Cæsare Augusto, vt censeretur totus orbis.*
2. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.	2. *Hæc descriptio prima facta est præside Syriæ Cyrenio.*
3. Καὶ ἐπορεύοντο πάντες ἀπογράφεσθαι, ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν.	3. *Et ibant omnes vt profiterentur, in suam quisque ciuitatem.*
4. Ἀνέβη δὲ καὶ Ἰωσὴφ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, ἐκ πόλεως Ναζαρὲθ, εἰς τὴν Ἰουδαίαν, εἰς πόλιν Δαβὶδ, ἥτις καλεῖται Βηθλεέμ, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβίδ,	4. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eo quòd esset de domo & familia Dauid.*
5. Ἀπογράψασθαι σὺν Μαριὰμ τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικὶ, οὔσῃ ἐγκύῳ.	5. *Vt profiteretur cum Maria desponsa sibi vxore, quæ erat prægnans.*

6. Ἐγένετο

6. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ εἶναι αὐτοὺς ἐκεῖ, ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτήν.	6. *Accidit autem, cùm essent ibi, completi sunt dies pariendi.*
7. Καὶ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ ἐσπαργάνωσεν αὐτὸν, καὶ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν τῇ φάτνῃ· διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι.	7. *Et peperit filium suum primogenitum, ac fasciis eum inuoluit, reclinauitque eum in præsepi: quòd non esset eis locus in diuersorio.*
8. Καὶ ποιμένες ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ τῇ αὐτῇ ἀγραυλοῦντες, καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν.	8. *Et pastores erant in regione eadem, vigilantes & excubantes excubias nocte super gregem suum.*
9. Καὶ ἰδοὺ, ἄγγελος Κυρίου ἐπέστη αὐτοῖς, καὶ δόξα Κυρίου περιέλαμψεν αὐτούς· καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν.	9. *Et ecce Angelus Domini astitit illis, & claritas Domini circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.*
10. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ ἄγγελος, Μὴ φοβεῖσθε, ἰδοὺ γὰρ εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην, ἥτις ἔσται παντὶ τῷ λαῷ.	10. *Et dixit illis Angelus, Ne timeatis: ecce enim annuncio vobis gaudium magnum, quod futurum est toti populo.*
11. Ὅτι ἐτέχθη ὑμῖν σήμερον Σωτὴρ, ὅς ἐστι Χριστὸς Κύριος ἐν πόλει Δαβίδ.	11. *Quia natus est vobis hodie Seruator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.*
12. Καὶ τοῦτο ὑμῖν τὸ σημεῖον, Εὑρήσετε βρέφος ἐσπαργανωμένον, κείμενον ἐν τῇ φάτνῃ.	12. *Et hoc vobis signum, Inuenietis infantem fasciis inuolutum, positum in præsepi.*
13. Καὶ ἐξαίφνης ἐγένετο σὺν τῷ ἀγγέλῳ πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου, αἰνούντων τὸν Θεὸν, καὶ λεγόντων,	13. *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentium,*
14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.	14. *Gloria in altissimis Deo, ac in terra pax, in hominibus bona voluntas.*
15. Καὶ ἐγένετο, ὡς ἀπῆλθον ἀπ᾽ αὐτῶν εἰς τὸν οὐρανὸν οἱ ἄγγελοι, καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες εἶπον πρὸς ἀλλήλους· Διέλθωμεν δὴ ἕως Βηθλεὲμ, καὶ ἴδωμεν τὸ ῥῆμα τοῦτο γεγονὸς, ὃ ὁ Κύριος ἐγνώρισεν ἡμῖν.	15. *Et factum est vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum, & homines pastores loquebantur inter sese. Transeamus iam Bethleem vsque, & videamus hoc quod audiuimus accidisse, quod Dominus aperuit nobis.*
16. Καὶ ἦλθον σπεύσαντες, καὶ ἀνεῦρον τήν τε Μαριὰμ καὶ τὸν Ἰωσὴφ, καὶ τὸ βρέφος κείμενον ἐν τῇ φάτνῃ.	16. *Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepi.*
17. Ἰδόντες δὲ διεγνώρισαν, περὶ τοῦ ῥήματος τοῦ λαληθέντος αὐτοῖς περὶ τοῦ παιδίου τούτου.	17. *Quum vidissent autem, diuulgauerunt de verbo quod dictum erat ipsis de puero hoc.*
18. Καὶ πάντες οἱ ἀκούσαντες ἐθαύμασαν περὶ τῶν λαληθέντων ὑπὸ τῶν ποιμένων πρὸς αὐτούς.	18. *Et omnes qui audierunt, mirati sunt de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.*
19. Ἡ δὲ Μαριὰμ πάντα συνετήρει τὰ ῥήματα ταῦτα, συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς.	19. *Porrò Maria conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*
20. Καὶ ὑπέστρεψαν οἱ ποιμένες, δοξάζοντες καὶ αἰνοῦντες τὸν Θεὸν ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἤκουσαν καὶ εἶδον, καθὼς ἐλαλήθη πρὸς αὐτούς.	20. *Et reuersi sunt pastores glorificantes ac laudantes Deum super omnibus, quæ audierant & viderant, ita vt dictum fuerat ipsis.*

Periocha Historiæ Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, secundùm carnem.

QVia Lucas in descriptione Natiuitatis Christi, mentionem facit imperij Augusti, & Matthæus regni Herodis, eo ipso præbent manifestam commonefactionem Euangelistæ: Sicut felix, faustum & salutare illud tempus, quo filius Dei, homo factus, in hunc mundum natus est, dignum est æterna memoria: Ita diligentiam dignam esse pie eruditis in Ecclesia inquirere annotationes sine supputationem illius temporis. Prodest enim ad considerationem promissionum de Messia, quæ ab initio post lapsum generis humani sæpius repetitæ, tandem in plenitudine temporis, Incarnatione filij Dei, exhibitæ & impletæ sunt.

Est autem in supputationibus à condito mundo ad natiuitatem Christi, inter illos etiam qui Ebraicam veritatem sequuntur, quædam diuersitas: quæ inde oritur. Omnes reliqui numeri certò possunt ex Scriptura colligi: sed tribus in locis de annis quibusdam controuersia est. 1. Ab ædificatione templi Salomonis vsq; ad captiuitatem Babylonicam. Iosephus enim ab extructione templi vsque ad conflagrationem eius numerat annos 470 Sed ex libris Regum colliguntur tantùm 4[illegible]. Ponuntur ergo interregna quædam, quibus alij plures, alij pauciores annos tribuunt. 2. Est etiam controuersia quædam, vnde inchoandi sint 70. anni captiuitatis Babylonicæ: quæ tamen differentia tantùm est vndecim annorum. 3. Non omnes eodem modo initium hebdomadum Danielis constituunt: sed differunt alij per annos 46. alij etiam per plures annos differunt. Hinc oritur diuersitas quædam supputationum ab initio mundi vsque ad natum Christum, quarum Lucas Gauricus multas collegit. Nos insigniores tantùm adscribemus.

Picus Mirandulanus dicit Hebræos quosdam ab initio mundi vsque ad natiuitatem Christi numerare 3508.

Chronica verò Hebræorum 3760.

Hieronymus & Beda, Hermannus Conradus numerant 3952.

Picus Mirandulanus 3958.

Alij 3960.

Lutherus post Vrspergensem 3962. quem etiam Philippus sequitur.

Aliacensis ex Vincentio colligit 3963.

Funccius 3964.

Magister sententiarum 3971. Hic numerus quibusdam ideò placet, quia hac calculatione vnà cum principio ministerij Baptistæ terminatur quartus millenarius mundi, iuxta dictum domus Eliæ. Lex enim & Prophetæ vsque ad Iohannem, Matth. 11. v. 13.

Theophylus ad Autolycum ponit 3974. licet postea in fine 3. libri Græcorum supputationem sequatur.

Carolus Bouillus 3684.

Ex Iosepho lib. 10. Antiq. colligi videntur 4103.

Dionysius, Abbas Romanus 4204.

Aurelius Cassiodorus 4697.

Et hæc diuersitas inter illos est, qui videri volunt Ebraicam veritatem sequi.

Ex versione verò 70. interpretum, qui in numeris Gen. 5. & 11. vsque ad Abrahamum, pro centum semper transtulerunt ducentos, alia orta fuit apud scriptores diuersitas.

Epiphanius contra Manichæos, ab initio mundi vsque ad Christum natum, numerat 5029.

Paulus Orosius 5045.

Augustinus lib. 2. de mirabilibus Scripturæ 5195.

Eusebius 5199.

Beda 5200.

Isidorus lib. 5. Etymologiarum 5210.

Rabanus 5296.

Suida 5500.
Niceta Græcus supputator temporum 5506.
Astrologi Arabes numerant 5328. Alij 5492.
Alphonsus 6984.
Hanc diuersitatem supputationum annotaui, vt eò faciliùs institui posset collatio: quæ non difficilis est, quando fundamenta supputationum nota sunt.

Nos Lutheri & Philippi supputationem, quæ plerisque eruditis hoc seculo vsitata est, sequemur, & tantùm è repetitionibus promissionum de Messia supputationes instituemus.

Fuit igitur plenitudo temporis, quando Deus filium suum misit, natum ex muliere, Gal. 4. v. 4. Anno à promulgatione primæ promissionis, Gen. 3. v. 15. de semine mulieris contrituro caput serpentis 3962.

A repetita promissione statim post diluuium, cùm odoraretur Deus odorem suauitatis Gen. 8. v. 21. & 9. vsque ad plenitudinem illam temporis: Anni 2305.

A repetitione promissionis factæ in vocatione Abrahæ; Anni 1938.

A data circuncisione: Anni 1914.

Ab exitu ex Ægypto: Anni 1504.

A repetitione promissionis, quæ facta est Dauidi: Anni 1062.

Ab ædificatione templi Salomonis, quod figura fuit Christi: Anni 1029.

Ab illustratione promissionis facta per Isaiam, de virgine matre Messiæ: Anni 755.

A sceptri ablatione, seu desolatione Hierosolymorum: Anni 606.

A reædificatione templi secundi sub Dario Hystaspe, siue à repetitionibus promissionum de Messia, factis per Aggæum & Zachariam: Anni 518.

Ab vltimo Propheta Malachia, siue à postrema repetitione promissionis de Messia: Mal. 3. v. 1. Anni 456.

A cidaris ablatione, siue ab vltimo duce ex domo Dauidis, Anni 164.

Has iudico esse præcipuas supputationes, quæ monent, quomodo subinde clariùs repetita sit promissio de semine mulieris, donec tandem in plenitudine temporis impleta & exhibita est.

Lucas verò in descriptione historiæ natiuitatis Christi, meminit Imperatoris Augusti, & Matthæus Regis Herodis. Monent igitur; illorum annos considerandos, & cũ tempore natiuitatis Christi conferendos esse. Et Epiphanius quidem, aliquot locis, constanter repetit, Christum natum esse anno imperij Augusti 42. Idem etiam Eusebius confirmat. Et hos reliqui sequuntur. Nisi quòd Irenæus alicubi ponit annum Augusti 41. Et hic numerus etiam apud Tertullianũ extat. Quod inde factum esse arbitror, vel, quia alij statim à morte Iulij Cæsaris imperium Augusti inchoant, alij anno sequenti: vel quia tempus natiuitatis Christi incidit sub ipsum finem anni, iuxta calendarium Romanum, & ideò supputatio ad annum sequentem à plerisque, qui ponunt annum 42. Augusti, refertur, cùm reuera ad finem anni 41. pertineat.

In supputatione etiam annorum Herodis, talis quędam est diuersitas. Epiphanius enim ponit Christum natum anno regni Herodis trigesimo tertio. Lutherus & alij ponunt annum trigesimum regni Herodis. Sed diuersitas inde oritur, quòd quidam initium regni Herodis illud constituunt, quo à Senatu Romano appellatus est Rex Iudææ: Anno 9. imperij Augusti. Alij verò ab occupata Hierosolyma: Anno imperij Augusti 12. initium regni Herodis faciunt. Hæc ideò obseruanda, ne quis diuersitate supputationum turbetur, quasi incerta sint omnia. Et postea vbi de commoratione Iosephi & Mariæ in Ægypto dicendum erit, huius obseruationis vsus erit.

Fit autem in historia natiuitatis Christi mentio Imperij Augusti, quia quod Deus Nabuchodonosori per quietem in statua monstrarat, hoc Daniel ita interpretatus fuerat, tempore quartæ Monarchiæ venturum cœli regnum, quando futurum esset, vt lapis sine manibus à monte abscinderetur. Et census per *vniuersum* terrarum *orbem*, illo ipso cùm Christus nasceretur anno, actus, ostendit, tunc confirmatam fuisse super vniuersum orbem Monarchiam Romani imperij. Cur verò & regni Herodis mentio fiat, notum est: vt scilicet ostendatur, penitùs tunc sublatum fuisse sceptrum à Iuda, Genes. 49. vers. 10.

Porrò etiam de die natali Domini, pia quædam Ecclesiæ curiositas putauit inquirendum. Vulgaris opinio est, 25 diem Decembris esse memoriæ natalis Domini sacrum. Epiphanius ponit 6. Ianuarij. Clemens Alexandrinus 1. stromat. dicit, diuersas suo tempore sententias in Ecclesia fuisse. de natali Domini. Quosdam enim posuisse 25. diem φαμενώθ Ægyptiorum, qui nostro respõdet Aprili. Alios 25. παχών, qui Maio nostro respondet. Existimo autem opiniones illas apud Clementem inde ortas fuisse: quòd sextum mensem, quo Lucas Angelum dicit missum esse ad Mariam virginem, supputarint non à conceptione Baptistæ, sed ab initio anni legalis, hoc est, à Martio. Et iuxta hanc opinionem conceptus esset Christus mense Augusto vel Septembri, & nonus ab hinc mensis esset, vel Aprilis vel Maius: Sed hæc cum narratione Lucæ non conueniunt, & Gabriel disertè dicit, fuisse sextum mensem, non ab initio anni, sed à conceptione Elisabetæ.

Osiander alio vtitur argumento, tempus brumæ non esse natalem Domini: quia tunc, cùm Christus nasceretur, pastores noctu cum gregibus suis in campis versabantur, quòd ipso tempore brumæ non potuisse, ne in calidis quidem illis regionibus, fieri existimat. Sed hæc, de quibus ex Scriptura nihil certi potest constitui, quæque ad summam pietatis nihil admodum habent momenti, in medio relinquamus, & ad explicationem reliquarum circumstantiarum, quæ à Luca descriptæ sunt, digrediamur.

Quare autem tam accuratè Lucas describat, Dominũ nostrum Iesum Christum illo ipso planè tempore natum esse, quando ab Imperatore Augusto exierat decretum de censu agendo, per totum orbem, qui Romano Imperio parebat, expositis vocabulis rectiùs potest explicari & intelligi. Ἀπογραφὴν Suidas dicit fuisse genus actionis forensis, quando enim quis alium accusabat, quòd bona quædam Reipub. in priuatum vsum conuertisset, ita vt actor quasi prolatis tabulis ostenderet, quantum publicæ pecuniæ, & vnde reus haberet, tunc dicebatur facere ἀπογραφὴν. Et Budæus tradit, verbum ἀπογράφειν significare, in rationes referre: & ἀπογραφὴν idem significare, quod vulgò vocatur Inuentarium. Ita Iud. 8. v. 14. vsurpatur de 77 viris in Succoth, quos Gedeon descripserat interficiendos. Ab illa generali significatione translatum est vocabulum ad censum: ita vt ἀπογραφὴ significet descriptionem seu partitionem in ordines, familias, ciuitates, tribus aut centurias, vnà cum notatione facultatum seu bonorum cuiusque. Et respectu eorum qui censebantur, dicebatur professio: Descriptio verò respectu eorum qui censebant. Hæc Budæus. Et Esther 10. v. 1. vbi textus dicit, Assuerum imposuisse tributum omnibus regnis suis. Græci verbo ἔγραψε illud reddiderunt. Et Heb. 12. vers. 23. Ecclesiæ filij dicuntur, vt ciues seu subditi, in cœlo ἀπογεγραμμένοι.

Et multi quidem hanc descriptionem confundunt cum ea, quæ extat apud Iosephum lib. Ant. 18. cap. 1. Sed Iosephi illa descriptio facta fuit, cùm post relegatum Archelaum Iudæa in formam prouinciæ redigeretur, & Syriæ adiungeretur, annis post Christum natum ad minimum 13. & solius Iudęę descriptio illa fuit: Hęc verò totius orbis, qui Romanum agnoscebat imperium, descriptio fuit: quam Iosephus, quia Iudaicam tantum historiam conscribere constituerat, præteriit. Ad conciliandum igitur Lucam & Iosephum, non opus est dicere, Iosephum, in tempore descriptionis errasse: Sed alia est descriptio totius orbis cuius Lucas meminit, & alia post secuta solius Iudææ, quam Iosephus annotauit: cuius etiam Act. 5. v. 37. videtur mẽtio fieri. Videtur autem hęc Lucæ ἀπογραφὴ illa esse, quam Dion Nicęus in Augusto describit. Cùm enim Augustus antea ad alendos varios exercitus tributi loco vigesimã omnium hæreditatum, legatorum, & donationum exegisset, ac intelligeret plerosque id genus tributi ægrè ferre, cõstituit ædibus & agris tributum imponere, nec tamen definiuit, quãtum vel quomodo sibi persolui vellet, sed homines misit in diuersas orbis partes, à quibus possessiones, & priuatorum hominum, atque adeò ipsarum etiam ciuitatum, describerentur. Et Dion ipsum verbum ἀπογράφεσθαι, quod apud Lucam extat, in historia illa vsurpat. Et Dion quidem in quintum decimũ Imperij Augusti descriptionem illam reiicit, sed maior ac certior est Lucę autoritas. Accedit, quod in eandem sententiam & Suidas scribit, Augustum Cæsarem, quum Monarchiam iam constituisset, viginti viros, quos habebat virtute præstantissimos, misisse in omnes terras Romano Imperio subiectas, vt per illos faceret ἀπογραφὰς & hominum & facultatum, vt constituere posset quàm diues viris esset Romanum imperium, & quæ cuiusque regionis, vrbis, familiæ, & domus facultates essent. Et talis descriptionis, quo ad rem ipsam, similia ferè exempla extant in Veteri Testamento, Num. 1. vers. 2. 4. v. 2. & 26. v. 2. Exod. 30. 12. 2. Reg. 24. v. 2. 2. Par. 2. v. 17. Sed vocabulum ἀπογραφὴ in versione 70 non potui in illis quidem locis inuenire. Reperi autem locum, ex cuius collatione non tantùm vocabulum, verùm etiam res ipsa, de qua Lucas loquitur, poterit intelligi. Extat autem in 3. lib. Macchabæor. vbi vocabulo ἀπογραφὴ & ἀπογράφεσθαι aliquoties repetuntur de Ptolemæo Philopatore: qui proposuit edictum, vt Iudæi omnes censu habito in seruilem sortem redigerentur.

gerentur. Et addit historia, quòd plerique intrepidè se ipsos conabantur liberare, ne nomina profiterentur. In isto loco nominatur ἀπογραφὴ & λαογραφία. quem vitæ & facultatum periculo Iudæi auersabantur: quia scilicet hoc agebatur, vt Iudæi non ampliùs peculiaris essent populus, nec αὐτονομίαν retinerent, sed inter ciues & subditos regni Ægypti publica nota ascriberentur. Et ex huius loci collatione iudico multa posse explicari, de descriptione Luc. 2. Dicit autem Lucas *hanc descriptionem primam* fuisse, respectu scilicet alterius, quæ post annos tredecim secuta est apud Ioseph. Ant. 18. cap. 1. Et in catalogo consulũ Romanorũ, circa 32. annum Imperij Augusti, mentio fit *P. Sulpitij Quirini*, qui postea Proconsul, Syriæ Præses factus est; sub quo hãc descriptionẽ factam esse Lucas asserit: Et Syrus legit non Cyrenium, sed Kyrinum.

Significat autem Lucas, seruatam fuisse apud Iudæos, in descriptione illa Augusti, eam rationem, quæ antea sub Veteri Testamento vsitata fuerat, vt scilicet populus distribueretur in tribus, tribus in familias, familiæ in domos, domus in capita. Num. 1. v. 16. Ideò enim Iosepho, quia de domo & familia Dauidis erat, proficiscendum fuit in ciuitatem Bethlehem, vt ibi describeretur. Quòd autem non solus Ioseph Bethlehem ad professionem illam profectus est: sed Mariam, quæ vxor ipsius erat, non vsu coniugali, sed desponsatione tenus, licèt eam domum deduxerat, Matt. 1. v. 24. (hunc enim sensum verba Lucæ: *cum desponsata sibi vxore*, reddunt) per tam longinquum iter duxit, & quidem alieno tempore, cùm esset grauida, & partui valde vicina, non sine vrgentibus causis factum est: aliàs enim commodius fuisset, ipsam, tunc quidem temporis, domi manere. Et mysterium quidem, quòd Messiam oporteret nasci in Bethlehem, ipsos tunc nondum satis intellexisse, postea dicemus. Nec moris fuit mulieres in descriptionibus censere, sicut Exo. 30. v. 12. & Num. 1. v. 2. expressè nominatur sexus masculinus. Et Burgensis idem colligit ex historia, Matth. 17. v. 24. Lyra suas sequitur coniecturas, quòd Maria vnica filia Ioachim, iuxta Legem. 36. v. 6. successerit in hæreditatem paternarum possessionũ in Bethlehem, & propter illarum descriptionem fuisse ipsi eundum ad professionem. Similia fere Nicephorus habet. Sed hæc descriptioni paupertatis Mariæ non satis conueniunt. Et si maximè ita fuisset, iam ad Iosephum, iure coniugij, possessiones illæ translatæ fuissent. Vel igitur in illis, qui erant de domo Dauidis extraordinariè aliquid tentatũ fuit: vt scilicet omnes, & viri & mulieres describerentur, propterea quia vulgò notũ & in ore omnium erat, ex domo & familia Dauidis venturũ regem Iudæorũ: vel quia Iosepho diuinitus per Angelũ commendata erat cura & matris Mariæ & infantis nascituri. Matth. 1. v. 20. cùm iam instaret tempus pariendi, & ipse vocatus ad professionem, non posset tempore partus in Nazareth apud Mariam manere, vt igitur mandato diuino, per Angelum accepto, satisfaceret, duxit eam secum in Bethlehem. Nam quia & exules erant, & ex Regio genere ad extremã paupertatem redacti erant, non in magno precio habiti fuerunt apud Nazarenos, sicut ex historia Euãgelica colligitur. Ita vt Ioseph, peregrè abiturus, nemini tutò potuerit Mariã grauidam & iam partui viciniam committere. Nam de moribus Nazarethanorum vulgare prouerbium erat, Num ex Nazareth aliquid boni? Priorẽ sensum Syrus sequitur, *Ioseph ascendit cum Maria*, vt ibi profiteretur. Et verba Euangelistæ vtroque modo constitui possunt: vel, *Ioseph ascendit à Galilea in ciuitatem David cum Maria*: vel, *vt profiteretur cum Maria, &c.* Sed siue hæ, siue aliæ fuerint causæ, certum est, Deum descriptionem illam diuina sua dispensatione ita moderatum esse, vt Maria, quæ aliàs in Nazareth domi mansisset, hac occasione in Bethlehem Iudææ profecta ibi pareret Messiam, iuxta Scripturam.

Et hoc loco consideretur, quare illo ipso tempore huius descriptionis Christus voluerit nasci. Nos præcipuas causas annotabimus.

I. Prædictum erat, Dan. 2. ver. 44. fore, vt tempore quartæ Monarchiæ Deus suscitaret cœli regnum. Iam sub Iulio cœpta quidem fuerat forma Reipub. Romanæ mutari in Monarchiam, sed interrupta erat cæde Iulij: Et Augusto cum variis Imperij hostibus & competitoribus dimicandum fuit. Tãdem verò hostibus deuictis & regionibus omnibus subactis, Anno 42. per vniuersum orbem, qui Romano Cæsari parebat, censum agendum instituit, quod signum & testimonium erat, Monarchiam Romani Imperij iam esse constitutam & cõfirmatam, parta pace & deuictis hostibus: Tunc, cùm Augustus templum Iani tertiò clauserat, cùm princeps pacis nasciturus esset, Psal. 74. v. 7. Esa. 2. v. 4. Syrus Paraph. dicit, Augustum voluisse describi vniuersum populum professionis seu ditionis suæ. Lucas enim πᾶσαν οἰκουμένην intelligit eam, quæ subiecta tunc fuit Romano Imperio. Multæ enim adhuc prouinciæ erant, quæ Romanum Imperium non cognoscebant. Idẽ ergo est, ac si Lucas dixisset; tempore quartæ Monarchiæ, iuxta vaticinium Danielis, Christum natum esse.

II. Quia λαογραφία seu ἀπογραφὴ Macch. 3. eo loco apud Iudæos habita fuit, quasi non tantùm sceptrum auferret, sed totius Reip. Israeliticæ statum funditus euerteret: sicut testatur historia Macchab. 3. Voluit igitur Lucas mẽtione descriptionis indicare, natum esse Christum illo ipso planè tempore, sicut à Prophetis prædictum fuerat, quando scilicet ablato sceptro & cidari status populi Israelitici funditus collapsus erat. Atque ideo Lucas non contentus est eo, quòd Matthæus dixerat, *Temporibus Herodis regis*: sed addit tũc natum esse Christum, quando Iudæa, sicut Syria & reliquæ totius orbis regiones, in censum Romani Imperij descripta fuit. Hoc enim Lucas vult dicere, non impositam fuisse Iudææ extraordinariam aliquam exactionem pecuniariam, sicut antea à Pompeio & Crasso factum fuerat, sed sicut totus orbis tunc descriptus fuit, vt censu agnoscerent & profiterentur, se esse membra & subditos Romani Imperij, planè eodem modo etiam Iudæam descriptam. Ideò in descriptione seu censu adiũcta fuit Iudea Syriæ, vtrunque igitur considerandum est: & quòd Matthæus dicit, Natum esse Christum tẽporibus Herodis Regis, & quòd Lucas annotat, Accessisse Iudææ præter regnum Herodis alienigenæ, etiam descriptionem decretã & impositam ab Imperatore Romano, vt vndique ostẽdatur plenitudinem temporis, sicut Paulus vocat, tũc, cùm Christus nasceretur, adfuisse. Et dignum est obseruatione, quòd post Archelaum, hoc est, illo ipso ferme anno, quando Christus primùm in templo, Anno ætatis 12. docuit, Iosephus dicit factam esse alteram descriptionem Et sub Vespasiano, cùm immineret extremum excidium populi Iudaici, tertia facta est descriptio. Ioseph. de bello Iud. lib. 7. cap. 16.

III. Christus cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, forma serui sumpta: inquit Paulus Phil. 2. v. 7. Voluit igitur ita nasci, vt descriptione illa in vtero materno quasi in seruitutem redigeretur: sicut ostendit descriptio Macchab. 3. vt cùm filius & liber esset, assumpta forma serui, eos qui sub seruitutem peccati, diaboli & mortis venundati erant, redimeret & liberaret. Ita enim fermè Christus ipse Matt. 17. v. 25. exponit, quòd à liberis non exigatur census. Ac propter nos Christus inter seruos scribi voluit, vt propter ipsum nos cœli ciuibus ascriberemur: sicut Epistola ad Ebr. inquit cap. 12. versi. 23.

IV. Mirabile Dei consilium in eo considerãdum proponitur, quòd illa ipsa descriptione, qua Augustus Cæsar populũ Iudaicum & præcipuè domum Dauidis à spe Regni promissi deiicere constituerat, efficitur, vt Messias in loco à Prophetis prædicto, Bethlehem scilicet, nascatur. Sicut enim de adducta asina in die Palmarum, ne res ex composito ita gesta videretur, Ioh. c. 12. & 16. inquit: Hæc non cognouerũt discipuli eius primùm, sed quando glorificatus erat Christus, tunc recordati sunt, quòd hæc, quæ fecerant ei, essent scripta de eo. Ita etiam, vt non humanis consiliis, sed solius Dei prouidentia, natiuitas Christi gubernaretur. Maria habitauit Nazarethæ, & adeò non cogitauit de sede transferenda in Bethlehem, vt cùm per tres menses à conceptione in Montanis Iuda, non procul à Bethlehem, commorata fuisset, redierit Nazaretham, & ibi vicina partui, tempus pariendi expectauit. Quia verò in Bethlehem Messias debebat nasci, sicut Scribæ Herodi sciscitanti ex Scriptura respondent, Matt. 2. ver. 5. in ipso fermè articulo tempore partus, decretum Augusti de descriptione compellit eos, vt proficiscantur in Bethlehem. Et sine dubio, præter animi sententiam ipsis hæc profectio accidit, & cùm præsertim Maria tam propinqua esset partui, de misera sua sorte iustas querelas in itinere contulerunt. Ita autem Deus mirabiliter perficit, vt iuxta dictum Michæe Christus nasceretur in Bethlehem, de quo Maria & Ioseph nihil cogitarant. Et hoc mysterium ab ipsis posteà intellectum fuisse, inde colligitur, quòd Ioseph ex Ægypto reuersus, cogitauit non in Galilæam sibi redeundum, sed in tribu Iuda commorandum, Matth. 2. v. 22.

V. Illa ipsa descriptio publicum & authenticum præbet testimonium, Christum ex semine Dauidis esse natum. Omnes enim, qui ex familia Dauidis in Bethlehem tunc congregati fuerunt, agnouerunt Iosephum & Mariam esse de domo & ex semine Dauidis. Et hoc, per descriptionem, in publica Romani imperij commentaria relatum fuit: vt ita de Genealogia Christi nullus esset ambigendi locus. Atque ideo non simpliciter dicit, *In ciuitatem Dauid*, sed addit; *quæ vocatur Bethlehem*. Nam & arx Zion, licet ad tribum Benjamin pertineat, vocatur ciuitas Dauidis, quia regni sedem eam delegerat: Bethlehem verò vocatur ciuitas Dauidis, quia in ea natus fuerat.

Hæc de professione siue descriptione, cuius Lucas mentionem facit considerare non inutile fuerit.

Quòd verò *non potuerunt in diuersorio commodum locum, vbi Maria pareret, habere*, hac ratione, quantum ad historiam

pertinet, sine dubio factum est. Bethlehem non fuit ampla ciuitas, Mich. 5. v. 2. Et Iohan. 7. v. 42. vocatur κώμη. Vsitata autem est differentia, etiam in Nouo Testamento, inter πόλις & κώμη. Ebræi addunt tertiũ genus, vt 2. Par. 27. v. 4. quod Marcus c. 1. v. 38. videtur reddidisse κωμόπολις. Et in illã non valde amplam ciuitatulam multi tunc conuenerunt. Burgensis enim id, quod Lucas distinctè ponit, non tantũ de domo, sed & de familia Dauidis, interpretatur de reliqua familia Isai, præter filios Dauidis. Erant autem inter filios Dauidis, quidã opibus & dignitate adhuc quomodocunque florentes, qui scilicet in domum magni consilij siue συνέδριον allegabantur, & illos commodissima quoque in hospitiis loca occupasse non est dubiũ. Meminit autem Lucas καταλύματι. Et Scholastica historia suo more disputat diuersoriũ fuisse locum, in publica platea, deambulationibus & alligandis rusticorum aduentantium iumentis destinatum. Sed vocabulum significat, vel ipsum hospitium, vel communem aliquem in domo siue hospitio locum, in quo promiscuè hospites commorabantur, & sarcinulas suas deponebant, vel vbi communi mensa hospites cibum capiebant: ita vsurpatur, 1. Reg. 9. v. 22. & Marc. 14. vers. 14. Luc. 22. vers. 11. Interpretor itaque Ioseph & Mariam, in illo communi diuersorij καταλύματι antea forsan locum habuisse cum cæteris hospitibus: sed cum tempus pariendi Mariæ veniret, in illo communi (vt sic vocem) triclinio ad partum non potuit locum habere, cum peculiaria in domo illa reliqua cubicula seu conclauia à ditioribus occupata essent, & cæteri hospites paupercula puerperæ ex triclinio illo communi nollent cedere. Ne igitur in conspectu omnium pareret, in stabulum ipsi concedendum fuit. Postea enim, Matth. 2. vers. 11. Magi Mariam cum puero inueniunt in domo scilicet diuersorij illius. Et hoc ipsum mysterio incarnationis filij Dei pulcerrimè congruit. Veniebat enim in hunc mundum, vt genus humanum, propter peccatũ paradiso eiectum, cœlesti patriæ restitueret. Mater igitur ipsum paritura, ex locis hominum habitationi commodis, in stabulum, hoc est, in locum pecoribus destinatum, eiecta est, vt filius natus suo exilio nos iumentis assimilatos, Psal. 49. v. 13. & paradiso extorres veræ & cœlesti patriæ restitueret. Hæc ex historia certa sunt. Vulgaris autem opinio est de boue & asino, quam arbitror ex illa coniectura esse ortam, quia Lucas nominat præsepe, & verisimile est, in tanta hospitum frequentia, qui non omnes pedestri itinere venerunt, ne stabula quidem & præsepia vacua fuisse. Quia verò Pro. 14. v. 4. Isa. 1. v. 3. Luc. 13. v. 15. asinus præsepi alligatur, extructa est inde traditio de boue & asino in quorũ medio Christus sit natus, & in præsepi reclinatus. Et sicut fieri solet, quando incertis traditionibus species aliqua induitur, peregrinæ Scripturæ sententiæ huc accõmodari cœperunt, vt Isa. 1. v. 3. Cognouit bos dominũ suũ, & asinus præsepe domini sui. Et quod Septuaginta Habacuc 3. v. 1. ita transtulerunt: In medio duorum animalium cognosceris. Multa verò Veteres de boue illo & asino philosophati sunt: sed coniecturæ tales, si sobriè vsurpantur, sicut non odiosè exagitandæ, ita nec temerè asseuerandæ pro dogmate. Nec opus est dubia & incerta, licèt speciem aliquam verisimilitudinis habeant, curiosiùs consectari, cùm in illis euoluendis, quæ Spiritus Sanctus per Euangelistas literis commendauit, vtilius operam collocare possimus.

Illud verò dignum est admiratione, quòd Euangelista adeò simpliciter, & quidem tã paucis verbis prosequitur & absoluit illam partem historiæ, quomodo Filius Dei homo factus, ex Maria matre per natiuitatem in hunc mundum progressus & natus sit. Hæc enim tantùm verba huc pertinent, *Impleti sunt dies Mariæ vt pareret, & peperit filium suum primogenitum illum, & pannis eum inuoluit in præsepi, &c.* Hieronymus ex illis verbis, quòd Maria dicitur, ipsa infantem natũ inuoluisse, & in præsepe reclinasse, colligit, nullam ibi obstetricem, nullam mulierculam intercessisse solicitudinem, sed ipsam fuisse & matrem & obstetricem. Alij, sicut ex Gregorio Nisseno citatur, inde colligunt: Mariam sine dolore & difficultate peperisse, quòd ipsa statim potuerit infantem natum curare, quia dolor in partu sit pœna illius corruptionis. In iniquitatibus conceptus, in peccatis natus, pleriq; patres ita disputant quia scriptum est. Virgo concipiet, & Virgo pariet: eadem ergo ratione Christũ natum esse, qua conceptus est, vt scilicet non fregerit virginitatis claustra, sed sicut impassibiliter introiit, ita & ineffabiliter exierit, non adaperta matris vulua. Et sanè non his tantùm, verum etiam maioribus miraculis Christum potuisse nasci, non est dubiũ. Sed Lucas simpliciter vtitur vulgarib. & vsitatis vocabulis, *Impleti sunt dies, vt Maria pareret, & peperit filium suum:* & videtur hoc ideo fecisse, vt ostenderet, non quærenda esse præter Scripturæ testimonia extraordinaria miracula in natiuitate Christi: sed quæ naturali ratione post conceptum fœtum in vtero materno sequi, quæ in partu fieri, & partum comitari solent, cogitanda esse etiam de hac natiuitate: sicut & Hieronymus contra Heluidium sentit: & ante ipsum Tertullianus scripsit de carne Christi.

Ephesina Synodus mysterium hoc natiuitatis pulcerrimo vocabulo considerandum proponit, quando inquit: filium Dei SVSTINVISSE natiuitatem ex virgine. Considerentur enim illa omnia, quę in vtero materno fœtui cõcepto, naturali ratione accidere, quæ in partu fieri solent, & aliquo modo cogitari potest, quanta fuerit exinanitio, ipsis etiã angelis admirãda, quòd filius Dei in assumpta sua humana natura illa sustinuerit. Potuisset sanè veram humanam naturam assumere, vel sicut Adã ex limo terræ formatus est, vel sicut Eua ex latere Adæ ædificata est, vel alia supernaturali ratione. Sed propter nos, vt miseram & immundã nostram natiuitatem mundaret & sanctificaret, vtque fratribus, excepto peccato, per omnia similis fieret, voluit illa, quæ dixi, in sua natiuitate sustinere. Nam & tristiora & indigniora propter nos homines & propter nostram salutem in cruce passus est. Hæc sententia plena est consolationis, & congruit cum præcipuis fidei nostræ articulis, & cum testimoniis Scripturæ de natiuitate Domini, Luc. 2. v. 7. Et sententia illa Exod. 13. ver. 2. Num. 8. ver. 16. de primogenitis aperientibus matricem, accommodatur etiam ad Christum, Luc. 2. v. 23. & Psalm. 22. v. 10. in persona Christi inquit, Tu extraxisti ex vtero matris, &c. Non negarim potuisse extraordinaria quædam miracula in partu virginis fieri: sed vbi destituimur Scripturæ testimoniis, nihil asseuerandum, sed potiùs cogitandum est, quod Paulus dicit, Exinaniuit semetipsum, Phil. 2. vers. 7.

Σπάργανα Grammatici interpretantur primas *fascias*, quibus infans recens natus inuolui & astringi solet: quia originem habet ἀπὸ τοῦ σπαράττειν, quod significat lacerare & conuellere, inde orta est sententia de laceris panniculis. Et quidem quando Angelus hoc pro signo dat pastoribus, inuenietis infantem ἐσπαργανωμένον, iacentem in præsepi, videtur significare, sicut in cunis, ita etiam in fasciis Christi infantia fuisse singularem aliquam exinanitionem. Si enim vsitatæ vel elegantiores fuissent fasciæ, non potuissent esse signum, quo natus Messias, à reliquis infantibus qui in ciuitate Bethlehem tunc etiam fasciis inuoluti fuerũt, dinosci potuisset.

Et ita Natiuitas Christi simplicissimè tanquam vulgaris, imò tanquam abiectissimi cuiusdam hominis ortus describitur, vt huic infanti non conueniat tumidus iste titulus, Summo vel illustri loco natus: sed potiùs obscuro & sordido loco natus. Nullus ibi angelus, nulla lux cœlestis apparuisse, nullum miraculum in stabulo factũ legitur. Visum hoc fuit quibusdam indignum Maiestate filij Dei. Ideo confictum est proteuangelium titulo Iacobi fratris Domini: quod narrat, Mariam in medio itinere partu præoccupatam, in loco deserto in speluncam quandam ingressam, & Iosephum, quum ad quærendam obstetricem abiisset, multa vidisse miracula: cœlum scilicet stare: aues in medio volatu immobiles consistere: hircos ore imminentes aquæ nihil potare: pastoris manum, qua virgam ad cogendas oues eleuauit, in aere quasi pendere: lucidam nubem obumbrare speluncam: obstetrici quæ post partum superuenerat manum aruisse, quæ contactu infantis restituta sit, &c.

Hæc apocrypha postea titulum traditionum acceperunt, quo titulo ipsi patres sæpe fascinati sunt. Ita vt Epiphanio, item Theophylacto in secundum caput Matthæi, pro loco natali Domini, magis probetur spelunca traditionis, quàm stabulum Euangelistæ. Et Legendæ tradunt, ostendi rupem quandã excauatam, non procul à porta Bethlehem, vbi Christus natus sit. Hæc debemus traditionibus, quòd à verbo Dei abducti, rem ipsam ferme amisimus. Si enim Christus non est in ciuitate Bethlehem natus, non potest esse verus Messias, iuxta vaticinia prophetarum, Matt. 2. v. 5.

Vincentius dicit: Corpus Christi, cùm ex vtero Mariæ progrederetur, splenduisse sicut Sol, quando oritur, & illam claritatem illuminasse noctem per vniuersum orbem, vt esset quasi meridies.

Hæc ita non malo forsan animo excogitata sunt, quia iudicatum est talem abiectam & obscuram natiuitatem, sicut à Luca describitur, indignam esse Maiestate filij Dei: sed cogitandum erat illud, Lucerna pedibus meis verbum tuum. Omnino enim etiam ad natiuitatem Christi pertinet, quod Paulus dicit: Cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, forma serui sumpta.

Et obseruandum est quantum cogitationes illæ, quæ speciosæ videntur, derogent mysterio redemptionis & salutis nostræ. Venit. n. filius Dei in hunc mundum, non vt suam Maiestatem ostentaret, sed vt nos perditos in communionem cœlestium bonorum secũ reduceret. Ad illam igitur massam humani generis, quã ex Maria virgine assumpsit, extra omnẽ controuersiam, filius Dei attulit plenitudinem cœlestium bonorũ. Quia verò non propter illam tantùm massam beandã incarnatus est, sed vt ex plenitudine eius nos omnes acciperemus

peremus: ideò maiestatem suã non exeruit, sed exinanitione oportuit ipsum pro nobis seruũ fieri, vt ita nobis mereretur, & à patre impetraret, vt in communionem cœlestium illorum bonorũ & nos cum ipso reciperemur. Et hanc dicit Paulus 2. Cor. 8. v. 9. insignẽ esse gratiam Christi, quòd cùm diues esset, plenus scil. diuitiis, etiam in assumta humanitate, omniũ cœlestium bonorum, propter nos exinanitione pauper factus est, vt nos illa paupertate diuitias istas cœlestium bonorum, quæ nobis aliàs non debebantur, acciperemus. Dulcis igitur est Ambrosij sententia: Propter te infirmitas, in se potentia: propter te inopia, in se opulentia: noli hoc æstimare quod cernis, sed quod redimeris agnosce. Plus Domine Iesu inopiæ tuæ debeo, qua redemptus sum, quàm opulentiæ, qua creatus. Non enim prodesset nasci, nisi etiam redimi profuisset, &c. Hæc dulcis & necessaria consolatio perit nobis si offensi infirmitate exinanitionis extra Scripturã fingamus miracula, quibus filius Dei Maiestatem suam in assumta carne, statim in ipsa Natiuitate, plenè exeruerit. Nam quod peccatis nostris debebatur, in ipsa statim natiuitate filius Dei in se deriuare voluit, vt nos redimeret, voluit etiam onus paupertatis hoc modo in suis sanctificare. Retineamus igitur simplicem illam descriptionem natiuitatis Christi, quam Spiritus sanctus apud Lucam tradidit, nec patiamur nos quacunque specie ad alias cogitationes deduci. Et considerentur causæ, quare tam obscura & abiecta exinanitione filius Dei voluerit homo nasci.

Periocha Historia de Angelis nuntiantibus & celebrantibus Natiuitatem Christi.

IVCVNDA est consideratio, quod in ipsa historia natiuitatis Christi pulcerrimè ostenditur, quid sit exinanitio, de qua Paulus loquitur, Philip. 2. vers. 7. & quid significet verbum κενόω. Filius enim Dei, diuinam suam Maiestatem in incarnatione non ita euacuauit, vt quod ab æterno fuit, desierit esse, sicut euacuatur saccus, Gen. 42. vers. 35. vel sicut Noemi inquit Ruth. 1. vers. 21. Plena abij, & κενὴ reuertor, & Gen. 37. vers. 24. Spelunca est vacua. Incarnatio enim non est amissio diuinitatis, sed arctissima vnio diuinæ & humanæ naturæ in vnam personam. Vnde tota plenitudo diuinitatis habitat in Christo corporaliter, Col. 2. vers. 9. est enim Immanuel. Et Angelus vocat ipsum Iehouach, loquens ad pastores: Sed ille, qui est Iehouach & Immanuel, nascitur in stabulo; in summa paupertate & infirmitate, sine vlla ostensione diuinæ potentiæ & Maiestatis, quam tamen vt sciamus σωματικῶς habitare, in assumpta illa carne, iacente in præsepi, mox vocatur *Christus Dominus* siue Iehouach, & illius *Domini claritas*, quæ in stabulo infirmitate tegitur & latet, in agro Bethlehemitico *pastores ita circumfulget, vt magno timore timeant*, cùm in præsepi infans propter infirmam speciem despiciatur. Qui omni Bethlehemitarum cura & ministerio destitutus, in stabulum reiicitur: illum exercitus cœlestis eadem hora in agro, vt ministri agnoscentes Dominũ suum, cum gaudio & lætitia adorant. Ita enim scriptum fuisse dicit Apostolus, Ebr. 1. v. 6. fore, quãdo pater primogenitum illum introduceret in orbem terrarum, vt omnes angeli ipsum adorarent. Cui terra locum Natiuitatis idoneum negat: illi cœlum, astra, angeli famulantur, *Luc.* 2. Matt. 2. Diuinam enim illam potentiam & Maiestatem, quam in stabulo tegit & occultat, non tantum in agro Bethlehemitico, verum etiam in Oriente, hoc est, in partibus terræ remotissimis exerit, & ostendit in Magis: imo in ipso cœlo peculiari & admirabili stella. Ita quadrat huc illud Pauli: Nihil differt à seruo externa specie, & tamen interea hæres est & Dominus omniũ. In illo igitur infante, qui pannis inuolutus iacet in præsepi, tota diuinitas habitat corporaliter: sed forma serui tecta, Maiestatem, virtutem, & potentiam suã non exerit. Et hoc vocat Paulus exinanitionem: sumpta ratione vocabuli ab illis exemplis, quæ loquuntur de virtute & efficacia, quæ prout se vel exerit vel non exerit, dicitur vel κενὴ vel non κενή. Sicut Esa. 55. v. 11. dicit Dominus: Verbũ quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me vacuũ, sed efficiet quæcũq; volui, & prosperabitur in his ad quę misi illud. 2. Cor. 6. v. 1. Hortamur, ne gratiam Dei acceperitis εἰς κενόν. 1. Cor. 1. v. 17. Misit me Euangelizare, non in sapientia sermonis, ne crux Christi κενωθῇ, exinaniatur, 1. Cor. 15. v. 10. gratia eius in me non fuit κενή. inanis. 1. Thess. 2. v. 1. Nouistis ingressum nostrũ ad vos, quòd non fuit inanis. Lutherus Germanice reddidit pulcerrimè, quod in aliis linguis vno verbo tam commode non potest fieri, *Er hat sich geeussert.* Et Paulus ipse. Philip. 2. v. 8. vocabulum illud explicat per verbum Humiliare, quod scilicet forma serui sumpta in similitudine hominum factus, & habitu inuentus est, non vt Deus incarnatus, sed vt homo: nisi quod postea Apostoli viderunt gloriam quasi vnigeniti.

Quia verò potentiam illam, quam infans in stabulo occultat, eodem tempore in agro & Oriente, imò in cœlo exerit, testimonium est, non aliqua indigentia, sed voluntaria humiliatione exinanitionem illam factam esse. Talem enim oportebat esse satisfactionem pro superbia, quæ in paradiso initium fuit omnis peccati, cùm Eua & Adam, quod non erant, sibi arrogarent, & affectarent esse sicut Dij. Gen. 3. v. 5. Fuit igitur primum peccatum affectatio, seu potiùs rapina diuinitatis. Et huc alludunt verba Pauli: Non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo. Huius verò peccati expiationem Deus talẽ esse voluit, vt qui in forma Dei erat, serui forma sumpta seipsum exinaniret, & Maiestatem diuinitatis, quæ in ipso corporaliter habitabat, non exereret. Hoc tãtùm mysterium simplissimè proponitur, in illa collatione descriptionis de obscuritate in stabulo, & de gloria Domini in agro. Hæc ideò libentiùs annoto, vt historicæ obseruationes magis amentur. Non enim opus est peregrinas disputationes accersere, cùm vtiliùs hæc pulcerrima mysteria in explicatione historiæ natiuitatis Domini obseruari & euolui possint.

Posita hac commonefactione, iam illustrior erit consideratio circumstantiarum: Dicit enim Lucas, fuisse *pastores in illa regione*, non autem intelligit regionem totius Palæstinæ, sicut Mar. 1. vers. 5. dicitur tota Iudæa regio exiisse ad Iohannem: sed agrũ, qui ad ciuitatem Bethlehem pertinebat, vocat χώραν: sicut vocatur Gadarenorũ regio, Marc. 5. v. 1. & agri fertiliores diuitis illius Luc. 12. v. 16. vocantur χώρα. Quia igitur ager Bethlehemicus, domus panis dictus, à bonitate & fertilitate terræ nomen acceperat, non est dubiũ optimis illũ pascuis abundasse. Et Gen. 35. v. 21. circa Ephratã fit mentio turris Eder, quæ à gregibus ibi cogi solitis nomen habet. Et ex 2. Par. 27. sicut supra dictum est, colligitur, sicut vicus ciuitate minor est: ita turrim siue castellũ, vico inferius & angustius esse. Vnde apparet, ciues Bethlehemeticos greges suos nõ in ciuitate aluisse, sed in peculiari loco, turri scilicet Eder, quæ fuit habitatio pastorum. Et in illo loco verisimile est, factam esse hanc apparitionem angelorũ. Non autem pastoribus in castello illo dormientibus angelus apparuit: sed sine dubio operæ ita distributę fuerunt, vt quidam noctu excubias circa greges agerent, reliquis interdiu, quæ ad pascua pertinent curantibus. Lucas igitur illos pastores, quibus angeli apparuerunt, vocat ἀγραυλοῦντας quod Theophylactus rectè exponit in agris αὐλιζομένους pernoctantes. Et Varinus illud Hesiodi ποιμένες ἄγραυλοι ita exponit, qui sub dio in agris pernoctant. Et causam huius pernoctationis Lucas dicit fuisse: *quia vigilias siue excubias noctis circa gregem custodierunt*. Numerantur autem quatuor vigiliæ noctis, Mar. 13. v. 35. Serò, Medium noctis, Gallicinium & diluculum, & forsan singulæ vigiliæ certis pastoribus per vices assignatæ fuerunt. Et hinc certò colligitur Christum natum esse noctu. Illis ergo pastoribus seruantibus circa gregem vigilias, Angelus apparuit & nunciauit felix & faustum Euangelium de nato Messia.

Variæ autem quæsitæ sunt rationes, quare Deus non miserit angelum cum illo Euangelio ad Pontifices, Pharisæos vel seniores populi, sed primos testes, & præcones natiuitatis filij sui voluerit esse pastores. Chrysost. dicit, hoc ideò factum esse, quòd cùm apud Iudęos passim corrupta essent omnia, pastores adhuc antiquæ innocẽtiæ, vetustissimũ genus viuendi, patriarcharũ sc. & Mosis, coluerint. Sed periculosa est hæc opinio, quasi Christus illis tantùm, qui meritis suis digni sunt, natus esset saluator. Quatuor autem veræ sunt causæ. Vna est historica: Quia Bethlehem destinatus erat locus & natiuitati & primæ manifestationi natiuitatis Christi, & pastores illi erant ministri ciuium Bethlehemicorũ quib. commodè hæc prædicare poterant, & in pastores non facilè suspicio cadere poterat, quasi de hoc tanto mysterio aliquid fingerent. Altera causa pertinet ad mysterium exinanitionis. Voluit enim statim à natiuitate specimen & documentum præbere eius, quod Paulus dicit 1. Cor. 1. v. 17. Non multos sapientes, potentes, & diuites, sed quæ stulta sunt mundi, elegit. Item: Placuit Deo, per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Tertia causa est, Ne quis existimet se propter indignitatem, miserias & sortem abiectiorem à communione Christi & gratia regni eius arceri. Potest addi & hæc causa, quòd conuenienter pastoribus, pro ouibus contra lupos excubantibus, primùm patefacta est eius natiuitas, qui vt bonus pastor animam suam pro ouibus suis positurus erat.

Apparitio autem Angelorum ita facta est. Primùm vnus *angelus astitit pastoribus*. Et verbum ἐπέστη quo Lucas vtitur, significat: vel, quod non in terra, sed supernè, quasi ex aëre capitibus ipsorum imminens, adstiterit supra ipsos: vel, quia ex improuiso, nihil tale cogitãtibus, superuenerit. Ita enim verbum illud vsurpatur, Lucę 20. v. 1. Act. 4. v. 1. Nec tantùm visibilis quædam species apparuit in tenebris noctis, sed *claritas circumfulsit* pastores: vt esset commonefactio eius quod scriptum est, Esa. 60. vers. 2. In tenebris & caligine lux & gloria

Domini orta est. Fuit autem claritas illa non simpliciter angelica, ficut Matth. 28.verf.3. defcribitur: Sed *claritas Domini*, quæ vel teftaretur Dominum ipfum præfentem effe, vt Ioãnes inquit 12. verf.41. de gloria Domini quæ apparuit. Ef. 6. verf.3.& Act.22.v.6. Ezech.2.ver.1. quæ teftaretur à Domino angelum illum in re ardua mitti: ficut Ex. 34.v.29. radij claritatis ex facie Mofis refplendebant, cũ mandata Decalogi ad populum deferret. Et fi illud, quod erat mortis minifterium, fuit in gloria: multò magis minifterium vitæ 2. Cor.3. verf. 7. Qualis autem illa claritas Domini fuerit, dici non poteft: nifi quòd aliquid cogitare poffumus ex 1. cap. Ezech. Exod.34.2. Corinth.3. Matt.17. In quib. locis defcribitur, quomodo gloria Domini apparuerit. Et paftores, qui erant Iudæi, de gloria feu claritate Domini audierant, Exod.19.v.11. *Timuerunt* igitur *timore magno*, quia nouerant fcriptum Ex.33.verf.20. Non videbit me homo, & viuet. & Iud. 13.v.22. Morte moriemur, quia vidimus Dominum. Gloria enim fiue maieftas Domini, quando incidit in peccatorem non reconciliatum fine mediatore, eft quafi ignis confumens in ftipula. Deut. 4.verf.24. Efd.5.verf.24. Ioel.2.verf.3. Abd.1.verf.18.

Ac dulcis eft obferuatio, quòd ipfa hiftoria natiuitatis Chrifti oftendit, quare diuinam fuam Maieftatem & gloriam non exeruerit, fed forma ferui texerit. Si enim paftores, vt homines peccatores, gloriam Domini in apparitione Angeli refplendentem ferre non poterant, nec filij Ifrael in facie Mofis: Ergo fi filius Dei in affumpta carne diuinã fuã maieftatem & gloriam plane exeruiffet, non fuiffet faluator fed ignis confumens peccatores, quos quærere venerat. Locus enim 2. Theff.1.verf.9. fi huc conferatur, multum lucis adferet, qui fic habet: In extrema die increduli pœnas luent à facie Domini, & à gloria virtutis eius. Hæc piè cogitata præbent pulcerrimam doctrinã, & oftendũt in illa fimplici defcriptione hiftoriæ natiuitatis Domini apud Lucam multa latere myfteria.

Angelus verò cùm inquit ad paftores, *Nolite timere*, refpicit ad hiftoriam Exod. 20. 26. Id enim gloria Domini in minifterio condemnationis hoc fine apparuit: vt terror Domini effet in populo. Sed hæc, inquit Angelus, alia eft gloria Domini, vitæ fcilicet & falutis æternæ, ideo non eft quod timeatis. Et orationem illam, qua primùm nunciatum eft paftoribus myfteriũ de nato Saluatore, in qua oratione ipfius Domini gloria refulfit, Angelus ex Scriptura mutuatus eft, & ex variis prophetarum locis contexuit. Et hac obferuatione ego plurimùm delector: quia oftendit dignitatem Scripturæ facræ contra confpurcationes Pontificiorum, quòd ipfi angeli, quando grauiffimas legationes obeunt, & orationes fuas venuftè ornare volunt, flores ex Scriptura facra decerpunt. Sunt autem orationis hæc verba, *Nolite timere, Ecce*. Nos vocabula breuiter explicabimus, monftratis locis vnde videntur fumpta effe. Hanc enim rationem explicationis iudico effe optimam.

Quia igitur Scriptura Prophetica prædicationem gratiæ noui Teftamenti in Chrifto Saluatore peculiari vocabulo בשר Bifar defcribit, quod Græci in illa tranflatione, quæ tũc vulgaris & nota erat, reddiderunt per verbum εὐαγγελίζεσθαι Efa.40. verf.9. & 41.27. & 52.verf.7.& 61.verf.1. Pfal.40 ver.10. & 68.verf.12. & 96 verf. 2. Ideò Angelus dicit: *Euangelizo vobis*: vt ipfo vocabulo admonerentur paftores, & qui ex ipfis hæc audituri erant, nouam illam prædicationem gratiæ Noui Teftamenti, de qua Prophetæ vaticinati erant, iam inchoari & adeffe.

De *gaudio* verò *magno*, quod Angelus fe Euangelizare dicit, extant vaticinia in Prophetis, vt Ef.9. v.3. vbi de paruulo nato & filio dato loquitur, inquit: Lætabuntur coram te, ficut qui lætantur in meffe, ficut exultant victores capta præda. Efa. 51.verf. 5. Confolabitur Dominus Sion: gaudium & lætitia inuenietur in ea. Item v. 11. Lætitia fempiterna fuper capita eorũ, gaudiũ & lætitiã tenebunt, fugiet dolor & gemitus. Ego Ego ipfe confolabor vos. Et eadem illa verba extant c.35.v.10. Vbi manifeftũ extat vaticinium de Chrifto. Et illã geminationem gaudij & lætitiæ in Propheta, in fua oratione Angelus exponit per *gaudium magnum*. Per Metalepfin verò vocabulo Gaudij intelligit gratiam Dei, & omnia beneficia Chrifti, quæ ideò vocabulo gaudij proponit, vt oftendat non leuiter vel obiter, nec in genere tantùm hæc audienda & cogitanda: fed ita, vt eorum agnitio & confideratio gaudium, & quidem magnum gaudium in nobis excitet, vtque cum gaudio illa accipiamus & meditemur, Luc.8. v.13. Simul verò oftendit magnum, feu verum & folidum noftrũ gaudiũ in eo fitum effe, fi Chriftus fit nofter faluator. De reliquis omnibus voluptatib. & delitiis extra Chriftum, verum effe, quod fcriptum eft: Extrema gaudij luctus. Ne verò hoc gaudium ad illos folos pertinere quis arbitretur, quibus angelica reuelatione annunciatur, addit: *Quod gaudium erit omni populo*. Et fenfus ex illis Scripturæ locis, vnde hæc verba fumpta funt, commodifsimè deprehenditur. Ef. 11. verf. 10. Stat in fignum populorum, & illum gentes inquirent, Ef. 2. verf. 2. Fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi. c. 60. ver.21. Populus autem tuus omnes iufti, Et c.42. v.6.& 49.v.6. Dedi te in fœdus populi & lucem gentiũ Of.1.v 10. In loco vbi dicetur non populus meus, dicentur filius Dei viuentis. Cõplectitur itaque Angelus hac appellatione primũ electum populum Ifraël, deinde etiam ramos oleaftri, qui oliuæ inferendi erant. Rom.11.verf.17.& 1.Pet.2.v.10. Qui aliquãdo non populus, nunc autẽ populus Dei viui. Atq; ideò Syrus Paraphraftes ita reddidit; Gaudium quod erit vniuerfo mundo.

Et rationem magni huius & vniuerfalis gaudij Angelus hanc effe dicit: *Quia natus eft vobis Saluator*. Verba extant Efa. 9. v. 6. Paruulus natus eft nobis, & filius datus eft nobis. Et infignis eft emphafis in illo pronomine, quòd angelus nõ dicit nobis, fed *vobis*: cũ admiratione enim prædicat, talem ac tantã gratiam filij Dei nunquã, nè fanctis quidem angelis exhibuiffe, qualem ac quantam incarnatione fua hominibus peccatorib. miferis & perditis exhibuit: quia non angelos apprehendit, fed femen Abrahæ, caro factus, affumpfit. Ebr.2.v. 16. de qua aliena gratia cùm ipfi Angeli tantopere exultent, quæ noftra quæfo eft ftupiditas? Et fine dubio Angelus admirabundus hoc myfterium protulit, cùm ad redimendos angelos lapfos, quæ præftãtior natura eft quàm humana, filius Dei noluerit angelicam naturam affumere, quod femen Abrahæ (qui ipfe inquit, Puluis fum, & cinis, Gen. 18. v. 28.) caro factus, affumpferit: Ideò inquit, Magnum eft gaudium. Quia vobis, qui non tantùm cinis & puluis eftis, fed hoftes Dei & mancipia diaboli, natus eft Saluator. Vocabulum σωτὴρ, Syrus reddit פרק quod redemptorem, liberatorem & faluatorem fignificat. Sed de appellatione Saluatoris poftea dicemus in explicatione nominis Iefu.

Appellatio Meffiæ, quam Iudæi Græcè loquentes reddiderunt vocabulo Chrifti, Ioh.1.v.41. Benedicto femini Abrahæ primùm à Dauide exprefsè tributa eft, Pfal. 2. verf.2. Et Dan. 9. bis repetitur illa appellatio: vfque ad Mefsiam ducem, v. 21. Item, Excindetur Chriftus, verf.26. Poftea in tranflatione Chaldaica per Antonomafiam, appellatio Meffiæ femper tributa legitur promiffo femini. Et inde in vulgari fermone populi Dei receptum tunc fuit, quòd tempore nati Saluatoris nihil vfitatius fuit appellatione Mefsiæ vel Chrifti. Deus enim inftituerat peculiare oleum conficiendum ad vngendos reges, quod in tabernaculo feruabatur. 3. Reg. 1.v. 39.& Exod. 30. v. 22. Mofes tradit peculiarem compofitionem & fanctificationem olei, pro vngendis pontificibus. Et qui fanctificato illo oleo vnctus erat, fiue Pontifex, fiue Rex, dicebatur Mefsias fiue Chriftus, cuius multa extant in Scriptura exẽpla. Redẽptor igitur nofter quia futurus erat & Rex & Sacerdos, iuxta ordinẽ Melchifedec, rectè vocatus eft Mefsias feu Chriftus. Ratio verò vnctionis explicatur, Pfal. 45.v.8. Efa. 61.v.1. Dan.9.v.24. Act.4.v.26. Et à Mefsia prophetę & reliqui fancti olim vocabantur quafi Mefsiani, Pfal. 105. v.15. ficut à Chrifto Chriftiani, Actor. 11. v. 26. Ne verò intelligatur talis Mefsias, qualesfub lege multi fuerunt & Reges & Pontifices, Angelus addit, *Qui eft Chriftus, Dominus fiue Iehouah*, vt oftendat, hunc Mefsiam effe verum Deum & hominem. Hæc enim appellatio, folius Dei propria, tribuitur Mefsiæ. Ier. 23. ver. 6. & 33. v. 16. vel vocabulum Κύριος accipi poteft in genere, quòd fcilicet Mefsias ille natus, de manu inimicorum affertus & acquifiturus fibi fit populum peculiarem, Tit.2. verf. 14. quòd in medio inimicorum à mari ad mare, tum viuis tum mortuis, dominaturus fit. Hoc enim eft Chriftũ Dominum effe. Rom.14. v. 9.& memorabile eft, quod ipfi Rabini fcribunt, Sacrum illud oleum vnctionis, 3.Reg.1.verf. 39.& Exod. 30. v. 22. per totum tempus fecundi templi defuiffe, quod fignificauit veri Mefsię aduentũ imminere, qui non materiali oleo, 3.Reg.1. Ex.30. fed Spiritu S. vngẽdus effet, Efa.61.v.1.

Explicatis vocabulis, poftea facilè poteft hæc angelica concio in certa capita diftribui, quæ oftendent totam doctrinam de natiuitate Saluatoris ordine comprehenfam effe illis verbis angeli.

Primò enim cùm inquit, *Nolite timere*, caufa monftratur, quare neceffe fuerit filium Dei fieri Emmanuelem: quia diuinæ Maieftatis præfentiam & gloriam noftra caro propter peccatum ferre non poterat, ficut paftoribus accinit. Simul etiam oftenditur, qui gaudij huius capaces fint: fcilicet qui timent Dominum, ficut multi Pfalmi dicunt.

Secundò docetur, quod doctrinæ genus timentibus feu territis confcientiis proponendum fit, vt gaudium & pacem confequantur: Euangelium fcilicet. Et vera definitio Euangelij colligi poteft ex illa concione angeli.

Tertiò aperitur myfterium illud, quare falus illa non Angelis lapfis, fed nobis contingat: fcilicet, quia nobis natus eft, hoc eft, noftram carnem affumpfit, & quia in illa carne, quæ nobis confubftantialis eft, plenitudinem diuinitatis, gratiæ & veritatis inhabitare fecit, & quafi depofuit: inde ex illa plenitudine

plenitudine, fide accipere possumus gratiam pro gratia, Ioh. 1. versi.16.

Quartò, Extat in illa concione angeli vera descriptio Saluatoris nostri. Natus est enim illa nocte in Bethlehem: Iacet in *præsepi*, hoc est, verus homo est. Et est Iehouah, id est, verus Deus. Officium eius est, vt sit Saluator. Modus autem, quo Saluator noster sit, hic est, vt sit Christus, id est, summus Sacerdos & Rex, qui victima corporis sui redimit & saluat nos.

Quintò, Fructus natiuitatis Christi est, vt nos, qui gloria Maiestatis Domini territi timore magno timemus, gaudium consequamur, quod magnum dicitur, ratione beneficiorum Christi in hac & futura vita.

Sextò, Gaudium hoc pertinet ad omnem populum.

Septimò, Euangelizando verò proponitur & offertur.

Octauò, Accipitur autem & apprehenditur ita, vt hæc sit applicatio, *Vobis natus est Saluator*: vt scilicet fide quisque ita sibi applicet. Ecce Rex tuus. Item: Tibi natus, &c. Tantùm capita breuissimè ostendo, non enim instituimus locos communes.

Quia verò multùm inter erat personam Saluatoris rectè agnosci, Angelus igitur præbet pastoribus *signum*, quo hunc infantem ab omnibus domus Dauidis infantibus rectè internoscere possint. Sed signum illud nullo modo conuenit imaginationibus, quas populus ex Pharisæorum doctrina imbiberat, de externa magnificentia Messiæ. Et angelica voce, circumfulgente gloria Domini, signum illud pastoribus datur, ne illi, quibus annuncianda esset hæc natiuitas, offenderentur præsepi & fasciis. Et signum illud pertinet, non tantùm ad diem natiuitatis Christi, sed ad totum regnum eius in hac vita. Porrò multi disputant, quomodo *infans inuolutus pannis, iacens in præsepi*, possit signum esse eius, quod Angelus nunciarat: Sed Grammatica significatio vocabuli, quæstionem hanc rectissimè soluit. Σημεῖον enim hoc loco non significat miraculum extraordinarium, sed certam quandam notam, qua res, quam agnosci volumus, ab aliis discerni & internosci potest. Ita Ios.2.ver.18. signum rubri fili in ædibus Rahab suspensum vocatur Græcis σημεῖον. Et 2.Thess.3. versic.17. Paulus dicit, hoc est σημεῖον, id est, certa nota, qua genuinas meas epistolas à suppositiitiis discernere debetis. Sensus igitur verborum Angeli hic est: vt natum Saluatorem certò inueniatis, nec aberretis, obseruate hanc notam: Quærite in ciuitate Dauidis, quæ puerpera hac nocte pepererit, non in aliqua *habitatione* seu cubiculo domus, sed in loco vbi præsepia sunt, & si inueneritis infantem hac nocte in stabulo natum, qui laceris pannis inuolutus adhuc in præsepi iaceat, hunc scitote esse Saluatorem, Christum Dominum vobis natum. Et obseruetur, Angelum illud ipsum, quod pastores offendere poterat, per inuersionem proponere, pro certa nota qua agnoscendus sit Saluator. Nec Angelum pudet præsepis & fasciarum, cum propter nostram salutem Dominus se illis inuoluere voluerit, atque ita à nobis inueniri velit. Et talis in genere est ratio regni Christi.

Hactenus vnicus ille Angelus tantùm pastoribus apparuit, & hanc orationem circumfulgente gloria Domini habuit. Vt vero maior esset concionis angelicæ auctoritas, *subitò* circa vnicum illum angelum, qui hactenus locutus fuerat, apparuit & visa fuit magna multitudo angelorum, non in cœlo, sed vel in aere, vel in terra. Mox enim sequitur, quod angeli *illi in cœlum* discesserunt. Et modum apparitionis existimo notari, vbi Lucas vocat *militiam cœlestem*. Ita enim in modum castrorum, quasi currus & equites flammei, leguntur apparuisse, Gen.32.ver.2. 4.Reg.6.ver.17. Et quia Dominus Zebaoth, fortis in prælio, homo factus erat, exercitus igitur cœlestes promptitudinem ministerij sui infanti illi, cui vt capiti, Ephes.1.ver.22. subiectos se agnoscunt, declarant. Psal.24.v.8. Illi igitur cœlestes exercitus, priusquam è terra in cœlum discesserunt, sonora voce coniunctim Deum laudarũt, pro immenso illo beneficio nati Saluatoris. Et in visione quidem Isaias audiuit Seraphim laudantes dominum in cœlis: sicut & Ioannes in Apocalypsi: Sed iam in terra non sex Seraphim, vt Esa.6.v.2. Non vigintiquatuor Seniores, vt in Apocalypsi, sed magna multitudo angelorum auditur laudare Deum. Et quia in specie cœlestis militiæ apparuerunt, fuit quasi ἐπινίκιον: hoc est, sicut victores exultant capta præda. Isa 9. v.3. Et fuit spectaculum, quale ab initio mundi in terra visum non fuerat post lapsum hominis. Olim enim Cherubim flammanti gladio se opposuit Adamo, Gen.3. v.24. vt ostenderet diuortium inter angelos & homines. Christo verò nato, ad vnum caput redacta sunt, quæ sunt in cœlo & quæ in terra, quæ per peccatum hactenus diuulsa fuerant, Eph.1. v.10. Col.1.v.20. Ad testificandam igitur illam recapitulationem, angeli iam in terra inter homines hymnos suos concinunt, qui hactenus in cœlo auditi fuerant.

Maria verò verba cantici illius angelici, quæ ex pastoribus audierat, in corde suo conseruauit, & inde in literas relata ad nos peruenerunt. Quæ ideò diligenter sunt expendenda quia docent, quæ sint cogitationes, siue quis vocare velit sermones, in ipso cœlo inter Spiritus cœlestes de incarnatione filij Dei. Sed nos, pro instituti nostri ratione, pauca quædam annotabimus. Et hoc in primis velim considerari, quòd Luc. ver.38. inter carmina gratulatoria, quibus Messiam excipere, sicut ex Psal.118. colligitur, edocta fuerat, illa ipsa fermè verba, quibus angeli vtuntur extant, quibusdam tantùm mutatis: scilicet pax in cœlo, gloria in altissimis. Et verba hymni illius angeli in valde multis Scripturæ locis extant, & vsitata sunt in aliis etiam angelorum hymnis, Esa.6.ver.3. Ap.4.ver.8 & 7.v.12. & 11.v.17. & 19.v.1. Et quidem Apostolos grata memoria, & singulari cum delectatione, verba illa militiæ cœlestis retinuisse, inde colligitur, quòd in epistolis ipsorum, in principio, & in fine resonant: Gratia & pax. Item: Cui gloria in sæcula, & cæt.

Porrò vulgò in tria membra diuiditur angelicum illud carmen. Osiander verò membra ita disponit: *Deo in altissimis gloria: Hominibus in terra pax. Et* εὐδοκία legit in datiuo, vt ad vtrunque verbum referatur, & fontem ostendat, quòd & Deo tribuatur gloria & hominibus in terra pax fit, gratuitam esse Dei beneuolentiam, qua in nato Saluatore homines complectitur. Hæc sententia vera & bona est: sed si vsitatam distributionem sequamur, eadem & simplicior erit sententia.

Quia verò sine verbo carmen illud angelorum constat, potest subaudiri, vel ἐστὶ, vel ἔστω: est vel sit. Et simplicissima ratio est, quam Vitus Theodorus ostendit, si hymnus ille angelicus accipiatur, 1. tanquam gratulatio & gratiarum actio. 2. tanquam votum, quid angeli optent hominibus ex natiuitate Christi. 3. tanquam doctrina, quæ scilicet sit vera gloria Dei, quæ vera pax & εὐδοκία.

Prius igitur *Gloriam Deo in altissimis* canunt angeli. Quòd enim Deus genus humanum reum, non voluit sine redemptione & satisfactione in gratiam recipere, in eo celebratur gloria iustitiæ Dei. Et quòd iuxta promissionem misit redemptorem, in eo gloria est veritatis Dei. Quòd verò Deus filium suum, natum ex muliere, misit in similitudine carnis peccati, & in formá serui, non hominum meritis aut dignitati tributũ fuit; sed ita immensas diuitias bonitatis & misericordiæ suæ Deus mundo ostendere voluit, ad laudem gloriæ gratiæ suæ, Eph.1.v.6. Ita hactenus in articulo creationis, gloria Domini plenam esse omnem terram, angeli cecinerant, Isa.6.v.3. Sed hæc alia & excellentior est gloria, quòd nobis, qui mancipia diaboli & hostes Dei eramus, Rom.5.v.10. puer natus & filius datus est, Is.9.v.6. Celebrant igitur angeli gloriam iustitiæ & gratiæ Dei, in natiuitate Christi exhibitam, & voto suo hominibus optant, vt & ipsi tantùm hoc beneficium Dei rectè agnoscant, celebrent, & ad gloriam ipsius referãt. Simul etiam docent, nullam esse veram gloriam, qua homines Deum glorificare possunt, nisi in Christo gloria in excelsis Deo tribuatur: sicut Christus ipse docet, Iohan.12.ver.28. & 13.v.31. Et angeli lætabundi canunt: Cùm hactenus nomen Dei vel blasphematum fuerit, vel non rectè glorificatum, Rom.1.versic.21. quod nunc gloria Deo in altissimis, non tantùm ab Angelis in cœlo, sed & ab hominibus in terra, in Christo Iesu, tribui poterit.

Si hoc modo etiam secundum membrum, *Et in terra pax*, consideretur, explicatio plana erit. Quia enim Is.9 versic.6. Messiæ nomen est, quòd sit princeps pacis, cuius non erit finis. Et fœdus pacis promittitur Is.26. ver.3. & 54. versic.10. Et cap.53. ver.5. disciplina pacis nostræ super ipsum. Docent igitur angeli promissam illam pacem iam in terram missam esse, nato illo, qui est pax nostra, Eph.2. ver.14 pacificans ea quę in terris sunt, cum illis quæ in cœlis sunt. Col.1.ver.20. & extra Christum nullam esse veram pacem. Simul etiam ostendunt fructum natiuitatis Christi esse, pacem conscientię erga Deum, & pacem charitatis inter angelos & homines, Rom.5. v 1. & 8.v.1. Es.32.v.17. Opus iustitiæ pax, sicut & Christus inquit: Pacem meam do vobis. Ioan.14.v.27. Et Apostoli in salutationibus ideò semper coniungunt gratiam, misericordiã, & pacem. Et pacem illam Christus definit & distingũit, Luc. 12.v.51. Non veni mittere pacem super terram, sed gladium, Iohan 14.v.27. Pacem meam do vobis, non sicut mundus dat. Deinde angeli hoc membro Deo gratias agunt, quòd iam pax sit in terris. Cogitant enim, quòd homines per peccatum auulsi à Deo, Is.59.v.2. hostes Dei fuerunt, Rom.5.ver.10. & 8. versi.7. & Deus in monte Sina non pacem ostendit terræ, sed ignem furoris sui. Ipsis etiam Angelis non fuit pax, cùm hominibus auulsis à Deo Zabaoth, Gen.3. v.24. Et homines inter se sine caritate vixerunt. Gratulantur igitur Angeli hominibus & gratias agunt Deo, quòd nato Christo inimicitiæ è medio sublatæ, & reconciliatione inter Deum & homines cœpta, pax constitui cœperit, Eph.2.v.14. Quodque iam recapitulata & pacificata sunt, quæ in terris & quæ in cœlis, Col.1.v.20. Et Deum colligaturum credentes fraterna carita-

te in vinculo pacis. Hanc gratulationem ardentiorem in angelis facit, consideratio miserrimi status: in inimicitiis inter Deum & homines. In nobis gratulatio illa frigidior est, quia delectamur inimicitiis aduersus Deum gerendis: accendi tamen debet illa consideratione, quâ angeli nobis proponunt.

Obiter notetur & hæc differentia. Angeli hîc canunt, *Pax in terra*: Homines verò, Luc. 19. v. 38. canunt, Pax in cœlo. Sicut enim angeli gaudent homines in terra, antea inimicos, iam Deo esse reconciliatos, terram non ampliùs ardere furore iræ Dei, sicut in Sina. Ita homines debent sibi gratulari, quod sciunt cœlum sibi apertum, & illum qui in cœlo habitat non ampliùs loqui in ira sua, sed esse reconciliatum, &c. Tertiò optant hominibus in terra, ne pacem & reconciliationem illam spernant, negligant aut violent, sed oblatā quærant, accipiant & conseruēt, sicut 2. Cor. 5. v. 20. Paulus, inquit, Deo exhortante per nos obsecramus, Reconciliamini Deo. Item gratia & pax vobis. Phil. 4. v. 7. Pax Dei custodiat corda vestra in Christo. Col 3. v. 15. Pax Christi exultet in cordibus vestris. 2. Thess. 3. v. 16 Ipse Deus pacis det vobis pacem 1. Pet. 1. v. 2. Gratia & pax vobis multiplicetur. Optant etiam, vt homines inter se piam pacem colant.

Tertium membrum obscurius videtur, & inde non tātùm variæ explicationes traditæ, sed & lectio ipsa mutata est. Beda cum aliis legit: *Hominibus εὐδοκίας* quod interpretantur, Bonæ voluntatis: Et explicant fructum natiuitatis Christi, pacem scilicet, contingere illis tantùm, qui bonam voluntatem habent erga Deum. Quia verò vident, huic interpretationi obstare Pauli sententiam, quòd Christus venerit in mūdum, peccatores saluos facere Et Rom. 5 ver. 10. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, quærunt alias declarationes huius explicationis, quòd scilicet impiis non sit pax, sicut Isaias inquit, c. 57. v. 24. sed qui conuertuntur ad Deum. Vt, sicut dicuntur filij iræ, filij inobedientiæ & homo peccati: Ita simili phrasi dicantur homines εὐδοκίας seu beneplaciti, quia accepta reconciliatione placent Deo. Sed Græca lectio non habet: *Hominibus εὐδοκίας*. Alij sicut suprà dixi, *Hominibus* referunt ad secundum membrum, & εὐδοκία legunt in Datiuo: Hominibus in terra pax, ex gratuita Dei beneuolentia, gratia seu misericordia, quæ est εὐδοκία Eph. 1. vers. 5. Adoptauit nos iuxta beneplacitum voluntatis suæ. Et est hæc in lectione diuersitas, quòd quidam legunt simpliciter, *Hominibus εὐδοκία* Alij cum præpositione legunt, *In hominibus*. Qua lectione multi offenduntur, quia Latinis auribus non videtur benè sonare, *In hominibus beneplacitum*: sed ex phrasi simplicissimè hæc possunt diiudicari. Verbum enim εὐδοκεῖν plerunque construitur cum Datiuo, mediante præpositione ἐν: sicut Hebræis cum Beth vt 2. Reg. 22. v. 20. Liberauit me, quoniam εὐδόκησεν ἐν ἐμοί. Psal. 44. ver. 4. Brachium ipsorum non saluabit eos, sed quia εὐδόκησας ἐν αὐτοῖς. Et in Nouo Test. sæpè ita construitur, vt Matth. 3. 17. in quo complacui. 1. Cor. 10. 5. In plurimis ipsorum non complacuit, &c. Vsitatus autem est Hebraismus, quòd nomina constructionem suorum verborum retinent & imitantur. Præpositio igitur (ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία) peritos linguarum non offendit, sed videtur sententiam illustrare, sicut Germanicè vis præpositionis reddi potest, *An den Menschen ein Wolgefallen*. Et ex antithesi omnium rectissimè potest intelligi. Extra Christum enim, quādo Deus prospicit de cœlo, meram abominationē videt in hominibus, Rom 3 v. 12 Gen. 6. v. 5. Sed nunc, quia in Christo aspicit naturam humanam assumptam inquit: Esa. 42. v. 1. Matt. 3. v. 17. Mar 1. v. 11. Luc. 3. v. 22. 2. Petr. 1. v. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo complacui. Nec verò ad illam massam tantùm, quam filius Dei assumpsit, εὐδοκία illa pertinet: sed Paulus, Eph. 1 v. 5. explicans doctrinam de nostri reconciliatione cum Deo & adoptione, vtitur eodem vocabulo. & Luc. 12. v. 32. Noli timere pusillegrex, quia complacuit patri dare vobis vitam æternam. Et Syrus, illo vocabulo quo Euangelium describitur, hoc loco reddidit εὐδοκίας: Euangelium bonum erga homines. Et sanè Euangelium nihil aliud est, quàm annunciatio εὐδοκίας Dei erga homines. Angeli igitur gratulabundi hanc gratiam Dei celebrant, quòd cùm extra Christum Deus in hominibus videat & inueniat tantùm abominationem: Iam in, per, & propter Christum, fit εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις Et pulcrè hoc figuratum fuit lamina aurea, quam Pontifex in fronte gerebat, cui insculptum erat: Sanctum Domini, ὑπὲρ εὐδοκίας αὐτοῦ, coram Domino. Exod. 28 v. 38. Et Iud. 15. ver. 7. εὐδοκία opponitur vindictæ. Ita enim inquit Sāson: Nisi hoc feceritis ἐν εὐδοκίαις: sed vindictam meam ex singulis persequar. Et hæc etiam antithesis illustrat verba angelorum.

Porrò quia vocabulum εὐδοκίας aliquandò etiam ita vsurpatur, vt sit quædam εὐδοκία actiuè (vt sic dicam) in hominibus erga Deum. Phil. 1. v. 17. 2. Thess 1. v. 11. 2. Cor. 5. v. 8. & 12. v. 10. Quidam hoc loco εὐδοκίας interpretantur, de apprehensione & applicatione pacis, quæ in nato Saluatore offertur. Et vera fides pulcerrimè ex hac sententia describi potest: quod fit in hominibus εὐδοκία, quæ cum gaudio in Christo apprehenso, tanquam in summo bono, acquiescit, ita vt etiam in infirmitatibus seu sub cruce in Christo placide acquiescat, sicut Paulus inquit, 2. Cor. 12. v. 10. Vt ita εὐδοκία significet mutuam relationem gratuitæ Dei beneuolentiæ erga homines, & hominum complacentiam, qua in illa gratia Dei in Christo acquiescunt Extra Christum enim nulla vera est in hominibus εὐδοκία. Quid igitur in tertio hoc membro Angeli doceant, gratulentur & optent hominibus, ex his quæ monstrauimus fundamentis intelligi poterit.

Periocha historiæ, de pastoribus venientibus Bethlehemam.

CVm Angeli discessissent in cœlum, pastores, re deliberata & collatis sententiis, censuerunt omnibus modis illud, quod audierant accidisse, quærendum & inuestigandum esse, an ita se haberet. Ῥῆμα γεγονὸς significat rem gestam, vt 2. Reg. 1. v. 4. Quod est verbum quod factum est? indica mihi. Non simpliciter autem ab Angelo, sed ab ipso Domino, cuius gloriam circumfulgentem viderant, hanc reuelationem profectam esse iudicabant Ideo dicunt, *Quod Dominus manifestauit nobis*. Sicut 1. Thess. 2. vers. 13. Paulus dicit: Accepistis non vt verbum hominum, sed Dei. Ex verbis autem Angeli, de infante inueniendo in fasciis & in præsepi, intellexerant sibi diuinitus mandatum esse, natum Saluatorem eo modo, sicut ex Angelo audierant, quærendum & agnoscendum esse. Ideò mutuò se hortantur. Nam particula δή Hebraicum נא videtur exprimere, vt sensus sit: *Transeamus quaso* Et quia celeriter nulla interposita mora scribuntur venisse Bethlehemam, colligitur, circa postremam noctis vigiliam fuisse, quando angeli pastoribus apparuerunt, vt prima luce manè pastores Bethlehem venerint. Scholastica historia ex literis dominicalibus supputat, fuisse diem dominicam: sed hæc supputatio incerta habet fundamenta.

Quòd verò Lucas non simpliciter dicit, *Inuenerunt*, sed ἀνεῦρον: vult intelligi, factam esse in ciuitate Bethlehem à pastoribus diligentem inquisitionem. An illa nocte puerpera aliqua in stabulo peperisset & vbi infans aliquis recensnatus in præsepi reclinatus iaceret. Et post diligentem inquisitionē, ita inuenerunt, sicut Angelus dixerat: nec offensi fuerunt vel parentum paupertate, vel stabuli sordibus, vel infantis humilitate, id quòd magnitudinem fidei ipsorum ostendit. Illi verò *ceperunt* primùm Mariæ & Iosepho, deinde per totam ciuitatem inter omnes *diuulgare* apparitionem angelorum, & quid ex Angelis, circumfulgente gloria Domini, de illo puero nato in stabulo & iacente in præsepi, audiissent. Est enim emphasis in verbo διεγνώρισαν, quod vbique & apud omnes hæc nota fecerint. Sicut igitur in ciuitate Bethlehem Messias debebat nasci, ita etiam prima manifestatio Natiuitatis eius ibi debebat fieri. Nec cogitandum est, hæc, quæ de pastoribus scribuntur, acta esse vnius horæ vel diei spatio. Et in tam frequenti conuentu, omnium qui erant de domo & familia Dauidis, celebris sine dubio factus est rumor. Nam domui Dauidis peculiariter facta erat promissio de Messia. Et in principio, non curatus fuit ille rumor, præsertim illo ipso tempore, cùm à Cæsare Romano talis descriptio, sicut dictum est, imposita esset. Nec dubium est, illos, qui erant præcipui de domo & familia Dauidis, diligenter inquisiuisse ex pastoribus, de singulis circumstantiis. Audi verò quid consecutum sit. Omnes, inquit, *qui audierunt, admirabantur de his, quæ pastores narrabant*, hoc est, non potuerunt omnino contemnere illustrem illam apparitionem angelorum, quæ facta erat pastoribus, cùm non esset verisimile, homines simplices hæc ita posse confingere. Sed quando considerabant, quòd non sacerdotibus, vt de Baptista factum fuerat: non illis, qui de domo Dauidis in Senatu Synedrij erant, facta esset illa per angelos reuelatio: sed pastoribus, hominibus abiectissimis: Et prætereà videntes summam exinanitionem & paupertatem nati infantis, offensi sunt. Plerique igitur mirabantur tantùm, non autem credebant infantem illum esse Christum Dominum, quia habebant rationes, quæ mouebant, vt crederent: erant contrà, quæ offenderent. Nec tamen dubium est, apud aliquos illud verbum Domini efficax fuisse, iuxta dictum Isa. 55. v. 11. Nam & credentibus tribuitur admiratio, Isa. 60. v. 5. Hoc igitur modo in ciuitate Dauidis à domo & familia Dauidis primùm exceptus fuit Christus.

Pastores verò cùm viderent omnes mirati, paucos verò credere, ipsi de diuina reuelatione certi, *reuersi sunt* ad turrim Eder, ad officia vocationis suæ, *glorificantes Deum*, quòd digni habiti fuissent talia audire, quòdque rem ita se habere vidissent, sicut ex Angelis audierant. Illa enim verba *Sicut dictum fuerat ad ipsos* propriè ad verbum *viderant* referenda sunt.

Maria verò illa quæ pastores narrabant, diligenter memoriæ mandabat, traditura posteà illa Apostolis: & apud se, in corde suo

corde ſuo inſinuebat collationem horum, cum iis quæ ex Gabriele audierat: & hæc omnia cum Scripturæ oraculis conferebat,quàm pulcrè inter ſe conuenirent, vt ita fides cō-firmaretur,hoc enim ſignificat συμβάλλειν. Et præclarum eſt exemplum, quid piis faciendum ſi toto mundo dubitante ſeu admirāte,vel etiam ridente ea, quæ diuinitus patefacta ſunt.

CAPVT NONVM.

HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM CIRCVMCISIONIS DOmini, Luc. 2.

HISTORIA CIRCVMCISIONIS Chriſti, Luc. 2.

21. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν τὸ παιδίον, καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ ΙΗΣΟΥΣ, τὸ κληθὲν ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου, πρὸ τοῦ συλληφθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ κοιλίᾳ.

21. *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius* IESVS, *quod vocatum erat ab angelo, prius quam in vtero conciperetur.*

Periocha Hiſtoriæ circumciſionis Domini, & explicatio nominis Ieſu.

MEntio octauæ diei, ἀκολουθίαν hiſtoriarum oſtendit manifeſtius, quàm vt de ea diſputandum ſit. Et ſimplicitas deſcriptionis hiſtoriæ indicat, in externa circumciſione Chriſti nihil accidiſſe, quod vel extraordinarium vel miraculoſum fuerit. Et phraſis Scripturæ eſt, *Poſtquam conſummati*, vel *impleti ſunt dies octo*. Non enim ſenſus eſt, quòd poſt exactos octo dies, nono fuerit circumciſus, ſed cùm exactis ſeptem diebus octauus dies aduenisſet, ſicut quinquaginta dies dicuntur, Actor.2.v.1.impleti,cum quinquageſimus adeſſet. Sicut & Gen.25.v.24.& Lucæ 1.v.57.dicitur,impleti ſunt dies,vt pareret. Coniunctio καὶ videtur abundare,ideo à multis interpretibus omittitur:ſed quia Græca exemplaria illam legunt, ita conſtructio ordinanda eſt: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer*, ſcilicet,circuncíſus eſt, *& vocatum eſt nomen*. Non enim ſenſus eſt, octauo die cùm circumcidendus eſſet puer, omiſſa circumciſione nomen eius vocatum. Similis phraſis mox ſequitur etiam in hiſtoria purificationis. Octauo igitur die circumcidebantur etiam reliqui infantes, nec alia ratione circumciſio facta eſt in puero Ieſu,quàm ſicut deſcribitur, Geneſ.17. Vſitatum etiam hoc in aliis fuit, quòd in circumciſione infantib. nomina imponebantur, ſicut teſtatur hiſtoria de Iohanne. Monachi igitur cùm putarent,de hac tam vulgari hiſtoria nihil ſpecioſè poſſe dici,finxerunt,præputium præciſum à corpore Domini, poſt annos 800.& ampliùs oblatū Carolo Magno ab angelo, qui ei peculiarem cultum decreuerit. Sed nos omiſſis fabulis de re ipſa dicemus.

De hiſtoria hoc obſeruandum eſt:quòd circumciſio vſitato more legis,non facta fuit à parentibus ſolis: ſed conuenerunt & alij,& de ratione nominis imponendi deliberârunt,ſicut ex hiſtoria circumciſionis Baptiſtæ colligitur. Octauo igitur die cùm hic infans circumcideretur, & adeſſent etiam alij. Maria & Ioſeph abſque dubio quædam de reuelatione per Angelum facta expoſuerunt, cur nomen eius vocandum eſſet IESVS, vt ita manifeſtatio myſterij incarnationis filij Dei, per 40. illos dies ſenſim clariùs proponeretur. Illa verò quæſtio,ſi explicetur,non parum habet vtilitatis: Quare Chriſtus voluerit circumcidi. Ratio enim circumciſionis per ſe & in genere hæc fuit: vt admonerentur circumciſi corruptionis originalis,ſcilicet, quicquid ex carne naſcitur, ipſa origine generationis vitiatum eſſe,quia in peccatis concipiatur & naſcatur. Venturum autem ſemen benedictum,cuius fide à labe originali mundemur; & circumciſionem eſſe ſignaculum iuſtitiæ illius fidei, Rom.4.v.11.Sicut ipſi etiam Rabini vetuſtam circumciſionis benedictionem hanc recitāt. Deus viuus pars noſtra & protector noſter,præcepit erui animam noſtram ab inferis,propter fœdus ſuū,quod poſuit in carne noſtra. Puer autem Ieſus,de Spiritu ſancto ſine vlla labe originali conceptus,non indigebat alio,per quem liberaretur. Eſt enim ipſe Saluator. Quæritur ergo,quare ſignum circumciſionis acceperit. Neque enim ſuo exemplo docere voluit,ſacra illa ſigna ſine vero vſu leuiter,& quaſi per ludum tractanda eſſe. Commemorantur autem multæ cauſæ: nos præcipuas annotabimus, quarum conſideratio vtilem doctrinam oſtendet.

PRIMA eſt, vt ſtatim poſt natiuitatem re ipſa comprobaret,ſe non in phantaſmate apparuiſſe: ſicut quando Angeli humana ſpecie apparent. Carnem igitur præputij ſecundum legem,vt verus homo, præcidi paſſus eſt.

SECVNDA: Quia circumciſio erat extrema nota,qua ſemen Abrahæ ab omnibus aliis gentibus diſcernebatur: vt conſtaret,ex quo populo expectandus eſſet Meſſias. Chriſtus igitur, vt oſtenderet,ſe eſſe verum ſemen Abrahæ,ſuſcepit notam illam circumciſionis,quam vt inſtitutionem Dei, ſuo tempore beatam & vtilem,ſuo exemplo comprobauit.

TERTIA: præcipua cauſa,quare Chriſtus voluerit circumcidi,colligitur ex quinto cap.ad Galatas v.3. & Rom.2.v.25. vbi Paulus dicit: Circumciſionem, quando non vſurpatur vt ſignaculum gratuitæ iuſtitiæ fidei, eſſe obligationem totius legis ſeruandæ. Chriſtus verò ratione ſuæ perſonæ, non fuit ſub lege. Nam ſecundùm diuinam naturam eſt dominus legis:ſecundùm humanam verò naturam conceptus eſt de Spiritu ſancto ſine peccato: pro nobis ergo, quorum culpam & reatum in ſe receperat,ipſa circumciſione ſub lege factus eſt, vt eos qui ſub lege erant redimeret, Gal.4.ver.5. Fuit igitur circumciſio Chriſti ſolennis obligatio coram Deo,ſe velle pro toto genere humano onus legis in ſe transferre eique ſatisfacere,& ferendo pœnas legis,& præſtando perfectiſſimam obedientiam. Illa verò obligatio, quæ in circunciſione cœpit,tandem in paſſione perſoluta fuit. Etſi hac ratione conſideretur circumciſio Chriſti, erit grauiſſimum ſpectaculum, quòd virgam humeri & ſceptrum exactoris, Iſ. 9.v.4. Deus pater à genere humano tollit, & importabile illud iugum legis, Act.15 v.10. imponit filio ſuo incarnato, qui ipſa circumciſione ſolemniter ſe obligat ad plenam perſolutionem, vt iam poſt circumciſionem ſit ὑπὸ νόμον. Impoſita enim ſarcina legis,ipſe iam eſt ſub lege: & Paulus ad illam ſimilitudinem reſpicit, quando alius ſub onere alterius humeros ſupponit, tunc prior illo onere leuatur & liberatur. Inquit enim,factus eſt ſub lege,vt eos qui ſub lege erant redimeret, Gal. 4.v.3. Licèt igitur puer hic in ſua perſona ſit ſine peccato: tamen quia eſt agnus,qui totius mundi peccata in ſe recepit, ita vt Paulus dicat,ipſum factum eſſe peccatum,2.Corint.5.v.21.voluit ſe in circumciſione, quæ propter peccata inſtituta fuit,vt agnum onuſtum peccatis totius mundi coram Deo patre ſiſtere,& ſolemniter ſe ad ſatisfactionem pro omnibus obligare. Et propter illam obligationem conuenientiſſimè puero publicè impoſitum fuit nomen Ieſus: quòd à peccatis populum ſuum ſaluaturus eſſet.

QVARTA: Quia circumciſio commonefactio & ſigillum erat venturi benedicti ſeminis. Vt igitur Chriſtus oſtenderet. & illam figuram in ſe impleri, atque illa impletione finem imponi legalibus ceremonis; quæ pars eſt libertatis Chriſtianæ ideo circumcidi voluit.

Has indico eſſe præcipuas cauſas circumciſionis Chriſti, quæ multa vtiliter monent. Illud enim quod ſolet aſſerri, Chriſtum voluiſſe externa conuerſatione, licèt cauſam nullam haberet,ſe accommodare receptis legibus & moribus, vt exemplum obedientiæ nobis præberet,frigidius eſt,nec ſatis explicat myſterium circumciſionis Chriſti.

Impoſuerunt autem Maria & Ioſeph puero in circumciſione nomen *Ieſu*, ſicut mandatum ab Angelo vterque acceperant,& ante conceptionem & poſt conceptionem, Luc.1.v.31.Matth.1.v.21.Repetitur autem hæc clauſula, *Quod vocatum erat ab Angelo priusquam in vtero conciperetur*, non tantum ideo,vt obedientia Mariæ & Ioſephi celebretur:ſed principaliter ideo,vt hoc ratum & firmum ſit,non humana aliqua in-

tentione, quæ errare potest, sed diuina auctoritate & mandato, nos Christum inuocare Iesum, hoc est; in ipso nos quærere salutem à peccatis & ex inimicis nostris, Matt.1.v.21. Luc.1. v. 71. Est enim nomen illud huic libero impositum, non hominum arbitrio, sed Dei decreto & iussu, priusquam in vtero conciperetur: & ideò Petrus inquit, Non est aliud nomen datum hominibus sub cœlo, in quo oporteat nos saluari, nisi nomen Iesu. Act. 4.v.12.

Porrò, significatio nominis *Iesu*, ex interpretatione Angeli, Matth.1.21. manifesta est. Ideò scilicet vocari eum, quia saluaturus sit populum suum à peccatis eorum. Sed de Etymologia variè disputatum est ab eruditis. Osiander enim multis contendit, nomen Iehouah anteà ineffabile, in nomine Iesu, insertione litteræ Schin effabile factum: & propterea Lucam dicere, nomen illud, anteà scilicet ineffabilè, ab Angelo vocatum, hoc est, pronunciatum fuisse in nomine Iesus. Vt si his litteris יהוה inseratur littera ש conficitur inde nomē יהשוה. Ac disputat litteras illius nominis, si ita scribatur, significare duas naturas in Christo & personalem earum vnionem. Et quia legimus Iehouah est salus. Psal.3.v.9. Es.45.v.21. Iehouah dicit: Non est Saluator præter me. Contendit igitur, Angelum, quoniam rationem nominis hanc reddit, *Quia saluum faciet populum suum à peccatis*, ad hanc etymologiam respicere, quia solius Iehouah proprium hoc sit. Sed hanc disputationem Hebraistis relinquam.

Mihi simplicius hoc videtur, quòd Angelus etymologiam siue radicem, sicut Grammatici vocant, nominis Iesu ostendat, quando inquit: *Saluum faciet*, &c. Quia enim scriptionem & pronunciationem quæ in Græca lectione tunc vsitata fuit, quæ Iehoschua vbique reddidit ἰησοῦς, Angelus retinet, ne mutatio scriptionis & pronunciationis, veræ significationi nominis aliquid caliginis offunderet, ostendit in explicatione radicem vel etymologiam: quod scil. deriuetur à verbo Hiphil הושיע vel à ישע quod saluare, & saluum facere, significat. Iudæi excæcati, quia honorem saluationis Christo detrahunt, litteram radicalem ע ex nomine ipsius extriuerunt, ne à saluandi officio apud ipsos nomen habeat: scribunt enim ישו. Et obseruanda est virulenta ipsorum blasphemia, quam sub hac scriptione occultant. Habent enim peculiares suas abbreuiaturas, quibus capita siue initiales tantùm litteras dictionum scribunt. Ita quando dicere volunt, ימח שמו deleatur nomen eius scribunt tantùm ימ״ש. Ne vero deprehendatur quòd Saluatorem nostrum ita appellant, ideò addunt finalem, & scribunt ישו. Certè quando Christianum aliquem nominant, addunt ימ״ש hoc est, deleatur nomen eius. Quid igitur de illa Iudæorum scriptione sentiendum sit, manifestum est: quam tamen aliqui tanquam fundamentum ponunt suarum disputationum.

Sicut autem appellationem Messiæ siue Christi, quæ multis & Regibus & Pontificibus antea vsitata fuerat, saluator assumpsit, vt ostenderet, figuras in se impleri: Ita duo præcipui viri hoc nomine ἰησοῦς (sicut Græca lectio habet) sub Veteri Testamento appellati fuerunt. Ille scilicet, qui post mortem Mosis dux fuit populi Israel, & introduxit illum in terram promissionis. Et postea qui in reditu populi Israel ab exilio Babylonico summus pontifex fuit, habuit nomen ἰησοῦς. Agg.1.ver.1. Zach 3.ver,1. Et quia vtraque introductio figura fuit veræ & æternæ patriæ & requiei, in quam Messias populum suum introducturus erat, nomen illud diuinitus Christo impositum est. Est enim dux populi, Mich.5.ver.2. Dan. 9.ver 25. & Sacerdos, Psal.110.ver.4. hoc est, verus est ἰησοῦς. Vsitatam igitur pronunciationem huius nominis Angelus retinet: sed simul ostendit veram originem, quòd scilicet nobis peccato perditis salutem afferat. Verbum enim ישע rationem significationis inde habet, quando quis ad miseros, perditos & omni ope destitutos accurrit, & non verbis, sed opere se ipsis applicat, vt opem ferat, liberet & salutem afferat. Semper enim ita vsurpatur, vt simul complectatur terminum saluationis à quo, & terminum ad quem: vt, Terminus a quo: Saluabit populum meum à Philisthinis, 1.Reg 9.v.16. Ex omnibus angustiis saluauit eum, Psal.34 versi 7. de manu Madian, Iud.8.ver.22.1. Reg.23.ver.2. Ceila obsessa & direpta saluatur. 2.Reg.21. ver.17. cùm gigas Dauidem fatigatum interfecturus esset, Abisa saluat ipsum. Terminus verò ad quem, describitur Es.45.ver.17. Israel saluatus est in Domino, salute æterna, quia Deus iustus & saluans non est præter me. Ierem. 17.ver.14. Salua me & saluus ero, Psal 51.ver.14. Redde mihi gaudium salutis. Et qui in bello, cæde aut alio periculo seruati euaserunt, vocantur σωζόμενοι & σεσωσμένοι. 1.Reg 19. ver.17. Iob.1.ver.15 Num.24.ver.19. Iosu.9. Fuerunt igitur in veteri populo, qui vocati sunt & Iesus & saluatores, sed termini à quo & ad quem faciunt discrimen. Per illos enim Deus à periculis & hostibus externis liberationem & felicitatem temporalem siue politicam præstitit. Angelus vero, vt ostendat non politicum aut carnale fore Christi regnum, dicit: *Vocabitur Iesus, quia populum suum saluabit à peccatis ipsorum*, & per consequens, à stipendio seu pœnis peccatorum. Sensus igitur explicationis nominis Iesu hic est. Si saluandus est populus Messiæ, perditus igitur est in peccatis, & propter peccata demersus est in perditionem sub ira Dei, maledictione, damnatione, potestate Sathanæ, mortis, inferni. Nec potest vel per seipsum vel per alium liberari: Sed *Iesus saluum faciet populum à peccatis*, & à stipendio peccati, quando scilicet peccatum victima corporis sui expiabit, & illam suam satisfactionem fide credentibus applicabit. Nec verò tantum respectu termini à quo Iesus est: sed quia libertatis etiam veram confert salutem, remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, gratuitam acceptationem, adoptionem, pacem conscientiæ, donationem Spiritus sancti, salutem & vitam æternam. Hi duo termini, à quo & ad quem, vt ita loquar, debentur illi soli, cui diuino decreto & iussu impositum est nomen Iesu. Et qui fingit se non his indigere, vel alia ratione illa se posse acquirere, non est populus huius Iesu: quia *populum suum saluum faciet à peccatis ipsorum*. Et quod ad Syntaxin attinet, vsitatum est in Scriptura nomini Collectiuo subiicere Relatiuum plurale, ideò dicit: *Saluabit populum suum à peccatis ipsorum*. Cùmque Cicero ipse fateatur plus significari Græco vocabulo σωτήρ & σώζειν quàm Latina voce Seruatoris & seruādi exprimi possit, rectè fecerunt veteris Ecclesiæ Doctores, qui vt salutem in Christo nobis donatam plenius exprimerent, maluerunt vocabulo *Saluatoris* & verbo *Saluandi* minùs forsan Latino vel Ciceroniano, vti.

Et de verbo quidem seu radice, vnde nomen Iesus deriuatur, ex Angeli interpretatione manifestum est quomodo verò inde formetur & quomodo originaliter scribatur quæritur, quæ quæstio non est otiosa, sed digna bonis ingeniis, in eo nomine, quod Saluatori nostro ab ipso Deo diuinitus impositū est. Et obseruetur, quòd à radice הושיע Iosua primùm dictus fuit הושע cuius nomē Moses mutauit in יהושע Num. 13.v.17 Quæ mutatio quare facta fuit, consideretur. Formatur autem הושע ab Imperatiuo, quasi votū seu precatio, vt Deus saluet. Sed cum Deus promisisset, quòd per filium Nun præstiturus esset temporalem & typicam salutem, ideò Moses mutauit nomen eius in יהושע quod vel à præterito הושיע præposita litera Iod denominatum, vel à futuro, mutato Iod in penultimo in Vaf, formari potest. Et licèt futuri tertia persona regulariter sit יושיע tamen aliquoties interposita He legitur, vt 1.Sam.17.ver.47 & Psal.116.v.6 יהושיע vnde per Heæmanticam Vaf loco Iod, in penultima formatur יהושע. Quódq; ex futuro nómen illud formetur, Gabriel sua interpretatione ostendit, cùm inquit: *Saluum faciet*. Illud verò nomen Latini pronunciant Iosua, Græci ἰησοῦς. Lutherus verò, vt veram deriuationem, lectionem & scriptionem aliquo modo indicaret, in Nouo Testamento vbique scripsit Iesus, exprimens Hebraicum He. Porrò nomen illud Iehosuah, de Sacerdote magno scribitur etiam breuius sine He. 1.Esd.2.v.1. ישוע & ita appellati leguntur etiam alij sacerdotes, 1.Par.24.v.11.& 2.Par 31.v.15. ישוע Et Pagninus disputat, nomen Saluatoris nostri scribendum esse non יהושע, sed ישוע propterea, quòd Romæ in templo crucis, in titulo crucis, quē existimat ex Palæstina eo delatum: scriptum sit ישוע. Sed certiùs argumentum est, quod Syriacus paraphrastes constanter legit & scribit ישוע. Et quomodo ע in fine Græci & Latini legerint, ostendit nomen Elisa, quod pronunciatur Eliseus. Ita ergo syllabatim legitur Iesus, & secundùm hanc rationē scribitur Latinè sine H. Non autem est Paul Cal, quod significat saluatū: sed est nomen. Exempla autē ostendunt, nomina, quę ab hoc verbo deducuntur, in penultima loco Iod habere Vaff. Et ad differentiam Participij passiui, hoc nomen scribitur cū Zere, cui Græcis respondet H, vel Latinis E longum. Sed quomodocumque scribatur, interpretatio eius certa est, quòd idē sit, quod σωτήρ. Nec verò Saluator tantùm appellatur Christus, sed & ישועה quod salutem seu salutare significat: vt nomen habeat Iesus non à transeunte aliqua actione saluandi, sed quòd sit fons salutis, sicut Isa.12.v.3. loquitur, ex cuius plenitudine accipiamus & hauriamus semper & vbique veram, plenam, solidam & sempiternā salutem. Illud ישועה Græci pulcerrimè reddiderunt vel σωτηρίαν vel σωτήριον quod vocabulū et à Simeoni placuit: Et in allusione ad futurum nomen Iesu, in Veteri Testamento in multis sententiis de Messia extat. Vt in sententia, Gen.48.v.18. לישועתך Salutare tuum expectabo Domine. Psal.98.v.2. Esa.52.v.10. Viderunt omnes fines terræ ישועת salutare Dei nostri. Es.49.v.6. Vt sis ישועתי salus mea, vsque ad fines terræ. & 56.v.1. Prope est ישועתי salus mea, vt veniat. Es.12.v.2. Dominus Deus meus factus est mihi לישועה in salutem: Haurietis aquas in gaudio de fontibus הישועה σωτηρίας καὶ σωτηρίου. Et Hab.3. v.18. vulgata translatio vocabulum Hebræum reliquit: exultabo in Deo Iesu meo. Hæc cum explicatione, quam Angelus de nomine Iesu tradit, congruūt & illam pulcrè illustrant. Et quia digna certè est piis Ecclesiæ filiis dili-

filiis diligens consideratio nominis Iesu, volui Grammaticas illas obseruationes hoc loco annotare.

CAPVT DECIMVM HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM DE MAGIS, AB ORIENTE STELLA DVCE venientibus Hierosolymam, ad adorandum puerum Iesum, Matth. 2.

RATIO ORDINIS.

Hæc est prima historia, de cuius ἀκολουθίας ordine, seu quo loco in Harmonia Euangelicæ historiæ collocanda sit, sententiæ variant. Quia verò non de necessario aliquo fidei articulo agitur, non contentiosè dimicabimus, sed simpliciter tantùm recensebimus diuersas opiniones, & quæ sint cuiusque opinionis præcipuæ rationes exponemus, vt lector liberè inde statuere possit, quam opinionem vt maximè probabilem ac commodam amplecti & sequi velit.

Et primò vulgata est opinio, die post Natiuitatem decima tertia, Magos puerum Iesum adorasse. Cúmque necesse sit, iuxta hanc opinionem, Magos die post natiuitatem decima venisse Ierosolymã (conuocationi enim & deliberationi concilij: item indicationi, examinationi & dimissioni Magorũ, ad minimum tribuendum est biduum) nec appareat, quomodo tam longum iter ex Oriente, intra tam paucos dies potuerint emetiri, comminiscuntur mirificos dromedarios, quib. Magi vsi fuerint, & addunt alia etiam sine Scriptura miracula. Nicephorus etiam contra Scripturam fingit, stellam Magis biennio ante natiuitatem Christi apparuisse. Cùm Magi ipsi disertè dicant, se in Oriente vidisse stellam regis Iudæorum, nõ nasciturі, sed nati. Sed huius opinionis de die decimatertia post natiuitatem nulla prorsus alia ratio est, quàm traditio de sexto die Ianuarij, cui diei traditio illa tribuit adorationem Magorum, baptismum Christi, & conuersionem aquæ in vinum: sed traditionem illam incertam esse & inconstantem, nec sibiipsi consentientem, & in prolegomenis ostendimus, & in historia baptismi Christi quædam repetenda erunt.

Secundò, Eusebius in Chronicis & Epiphanius, quos alij etiam sequuntur, sentiunt Magos anno post natiuitatẽ Christi secundo, vel biennio fermè expleto venisse Ierosolymam. Tatiani etiam Harmonia, post purificationis historiam aduentum Magorum ponit. Sed & hęc etiam opinio primam originem habet ex traditione quadam, quam ipsi auctores incertã vocant. Nam in opere imperfecto, quod Chrysostomo, sed falsò, tribuitur, recitatur fabella, ex Scriptura quadam incerta & apocrypha (ita enim auctor appellat) quòd in extremis orientis partibus, ad ipsum Oceanum, habitarint Magi, habentes Scripturam sub nomine Seth, de apparitura tali stella. Et quod stella illa, quæ nato Christo apparuit, Magos proficiscentes per biennium præcesserit, cùm interea viaticum in peris ipsorum non deficeret. Sed præter apocryphæ traditionis prætextum, habet hæc opinio duas præcipuè rationes, quæ lectorem mouere possent. Prior ex itineris longinquitate sumitur. Et quidam dicunt, Matthæum non nominare vel gentem vel regionem vnde Magi venerint, sed simpliciter dicere ipsos ex Oriente venisse, quòd ex terra tam procul remota venerint, vt ne nomen quidem eius Iudæis notum fuerit: ac propterea censent biennij iter attribuendum esse Magis, peragendis tot terris & gentibus, à patria vsque ad Ierosolymam. Sed idem hoc est, quod de itineris longinquitate apocrypha illa traditio fingit. Neque inde hoc probatur, quòd ab Oriente dicuntur Magi venisse. Nam & Abraham scribitur vocatus ab Oriente, Isa. 41 v. 2. qui tamen non venit ab ignotis seu ab extremis Oceani partibus. Ac descriptio Magorum orientalium, quæ apud probatos auctores extat, rationem illam refellit. Siue enim intelligimus, Magos illos Ierosolymam venisse quàm longissimè, ex Media, vbi Herodotus illos ponit: Siue ex Persia, vbi Strabo illos collocat: siue propius ex Chaldæa, vbi Daniel Magorum mentionem facit, & vnde Abraham, qui ex Vr Chaldæorum venit, dicitur ab Oriente vocatus: Isa. 41. versi. 2. Siue ex Arabia deserta, quæ Palestinæ ad Orientem est, sicut Iustinus sentit: Nam & Bileam ex montibus Orientis scribitur, Num. 23. versi. 7. Non opus fuit ad iter illud conficiendum, vel biennio vel sesquianno. Esdras enim ducens secum numerosissimum exercitum quinquaginta millium, cum multis & varijs impedimentis, à primo mense vsque ad quintum, iter illud absoluit. 1. Esd 7. versi. 8. Cùm itaque non necesse sit Magos ex intimis vel extremis Persiæ recessibus educere, & intra dies triginta tres (vt septem aliqui dies tribuantur commorationi Magorum in vrbe Ierusalem & Bethlehem) potuerint vltra ducenta miliaria Germanica emetiri. Potuerunt igitur ante tempus purificationis Ierosolymam venire. Altera verò huius secundæ opinionis ratio magis videtur vrgere: quòd Herodes scribitur interfecisse bimulos iuxta apparitionem stellæ, quòd à Magis accuratè exquisiuerat. Existimant igitur, puerum Iesum circa tempus aduentus Magorum bimulum fermè fuisse. Sed ad hanc etiam rationem, quòd non necessariò concludat, variè responderi potest. Neq; enim certè probari potest, statim post Magorum discessum infanticidium illud perpetratum. Sed variæ potuerunt incidere causæ, quòd immane illud consilium Herodis, de cæde infantum, retardatum fuerit vsque in alterum annum, vel actione illa qua filios suos, Alexandrum & Aristobulum, Romæ coram Augusto insidiarum & affectati regni accusauit: illam enim circa hoc tempus incidisse Sabellicus opinatur. Sed quia hoc certum non est, alij sentiunt, Herodem consilium de industria distulisse, cùm videret fama illa, de nato rege Iudæorum, omnium animos exercitatos & in spe libertatis erectos, vt sine tumultu & seditione conceptum animo facinus non statim se posse exequi animaduerteret, cùm præsertim iudicij Sanhedrin aliqua tũc adhuc auctoritas & potestas esset. Quia verò post annum rumorem illum quasi euanuisse videbat, cùm nihil appareret, quòd Pharisæorum de rege Messia imaginationibus responderet, & interea publica Cæsaris auctoritas, vt Herodes certum regni successorem designare posset, intercesserat, quòd conuocata cõcione Herodes magnificè, sicut Iosephus scribit, prædicauit, vt ita obiecto hoc terrore spem populi, si qua prius ex Magorum aduentu concepta fuisset, languefaceret. Interea etiam, post Magorum discessum, iudicium Sanhedrin interfectis iudicibus sustulit, quòd exactè, anno nati Christi primo, iuxta Philonis annotationes, factum fuit. Iudicauit igitur illud demum tempus, anno post natũ Christum secundo, ad facinus illud iamdudum animo conceptum, sine seditionis periculo perpetrãdum, accommodatum esse. Sunt qui existimant, Herodem dubitasse, an stella illa natiuitatem, an verò conceptum regis Iudæorum significarit: atque ipsum ideo consilium suum aliquantisper distulisse, ac talem ætatem trucidandorum infantum designasse, vt inter illos natum iam Messiam comprehenderet, siue stella tempore conceptionis siue natiuitatis eius apparuisset. Aut, etiamsi concedatur statim post discessum Magorum infanticidium illud perpetratum; verba tamen Matth. 2. v. 16. de bimulis hoc non præcisè dicunt, supputationem temporis, ex quo stella Magis apparuerat hoc confecisse, puerum Iesum necessariò tunc bimulum fuisse, aliàs enim bimulos tantùm interfecisset, sed sicut Euthymius annotauit, alteri particulæ *infra bimatum* addi possunt hæc verba *iuxta tempus à Magis perquisitum*: vt sensus sit, infra bimatum occisos infantes, ad illam vsque ætatem, sicut tempus ex Magorum relatione Herodes collegerat, vt cautionis gratia, & tempori à Magis exquisito, & loco à Pharisæis monstrato, adiecerit latitudinem, occidens non tantùm in ciuitate, sed in omnibus finibus Bethlehemeticis, etiam bimulos cautionis gratia, infra bimatum verò vsque ad ætatem iuxta Magorum indicationem infantes interfecerit. Hæc argumenta omnia hoc tantùm efficiunt, non certò probari aut necessariò ostendi posse, secundo anno post natiuitatem Christi Magos venisse.

Tertiò, ex ipsis historię circumstantiis videtur ostendi posse, Magos ante purificationem Marię venisse. Primò enim quod historia dicit γεννηθέντος ἰησοῦ, rectius de puero recens nato legitur, ita enim vsurpatur. Heb. 11. v. 23. Moses γεννηθεὶς occultatus est. Et Chrysostomus, Magos non diu post natiuitatem venisse, ex aduerbio *Ecce* colligit: *cùm natus esset Iesus, Ecce Magi veniunt.* Et quòd Magi interrogant: *vbi est rex ille Iudæorum qui natus est?* non de rege, qui antè aliquot annos, sed qui nuper natus sit, potiùs intelligendum videtur: sicut & Lutherus reddidit *der Newgeborne Kœnig*. Pręterea & hęc ratio videtur admodum vrgere, quòd tunc, cùm Magi quęrerent de nato rege Iudęorum, *tota Ierosolyma turbata fuit*, vt de re noua, de qua antea nihil ibi auditum fuerat. Atqui post historiam Purificationis sol[illegible] illa illustri[illegible] personarum, Si-

meonis & Hannæ in celebri loco templi, facta teſtificatio, non potuit in vrbe illa occulta & ignota eſſe: cùm quidem *Hanna de puero illo ad omnes, qui Ieroſolymis promiſſam redemptionem expectabant, locuta* ſcribatur. Poſtremo Lucas dicit, parentes *perfectis in purificatione omnibus ſecundùm legem, non Bethlehemam reuerſos, ſed Nazaretham demigraſſe.* Magi vero puerum cum matre in Bethlehem inuenerunt. Quod enim quidam dicunt, ipſos ſingulis annis in Bethlehem, vel cenſus vel religionis gratia proficiſci ſolitos, omni teſtimonio caret: & multo minus coloris habet quod Nicephorus affert, ipſos vtrobique habuiſſe proprias ædes, vt pro commoditate nunc in Nazareth, nunc in Bethlehem habitârint. Hoc enim diſertè pugnat cum hiſtoria natiuitatis.

Licet igitur lectori nihil præſcribere velim: probabilis tamen & commoda videtur ratio ordinis, ſi hiſtoria de Magis ponatur facta non longè ante tempus Purificationis. Ita enim ordo hiſtoriarum optimè ſibi cohærebit, quòd interea dum Herodes reditum Magorum expectat, puer in templo Domino ſiſtitur: cúmque fama de teſtificatione Simeonis & Hannæ, non Vrbem tantùm, ſed totam Iudæam peruagaretur, inde intellexit Herodes ſe à Magis deluſum. Conuenit & hoc, quòd puer ille, cùm in templum induceretur, iam fuerat deſideratus à gentibus, Magis ſcilicet, iuxta vaticinium. Hag. 2. v. 8. Et quia patefactus iam fuerat paſtoribus Iudæis, & Magis gentibus: ideo Simeon poſtea dicit, Ipſum eſſe *lumen gentium & gloriam Iſraelis*: Sed liberum ſit lectori eligere, vtram ſententiam iudicarit probabiliorem. Nos poſtremam in Harmonia ſequemur: quòd ſcilicet ante tempus Purificationis Magi venerint.

HISTORIA DE MAGIS, AB ORIENTE STELLA duce venientibus, ad adorandum puerum Ieſum, Matth. 2.

1. Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, ἐν ἡμέραις Ἡρώδου τοῦ βασιλέως, ἰδοὺ, μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παρεγένοντο εἰς Ἱεροσόλυμα.
2. Λέγοντες, Ποῦ ἐστὶν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; εἴδομεν γὰρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ, καὶ ἤλθομεν προσκυνῆσαι αὐτῷ.
3. Ἀκούσας δὲ Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς ἐταράχθη, καὶ πᾶσα Ἱεροσόλυμα μετ' αὐτοῦ.
4. Καὶ συναγαγὼν πάντας τοὺς Ἀρχιερεῖς καὶ Γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, ἐπυνθάνετο παρ' αὐτῶν ποῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται.
5. Οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ, Ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, οὕτω γὰρ γέγραπται διὰ τοῦ προφήτου.
6. Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα ἐκ σοῦ γάρ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ.
7. Τότε Ἡρώδης λάθρα καλέσας τοὺς μάγους, ἠκρίβωσε παρ' αὐτῶν τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος.
8. Καὶ πέμψας αὐτοὺς εἰς Βηθλεὲμ, εἶπε, Πορευθέντες, ἀκριβῶς ἐξετάσατε περὶ τοῦ παιδίου· ἐπὰν δὲ εὕρητε, ἀπαγγείλατέ μοι, ὅπως κἀγὼ ἐλθὼν προσκυνήσω αὐτῷ.
9. Οἱ δὲ ἀκούσαντες τοῦ βασιλέως, ἐπορεύθησαν· καὶ ἰδοὺ, ὁ ἀστὴρ ὃν εἶδον ἐν τῇ ἀνατολῇ, προῆγεν αὐτοὺς, ἕως ἐλθὼν ἔστη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον.
10. Ἰδόντες δὲ τὸν ἀστέρα ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα.
11. Καὶ ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν, εὗρον τὸ παιδίον μετὰ Μαρίας τῆς μητρὸς αὐτοῦ καὶ πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ καὶ ἀνοίξαντες τοὺς θησαυροὺς αὐτῶν, προσήνεγκαν αὐτῷ δῶρα, χρυσὸν, καὶ λίβανον, καὶ σμύρναν.
12. Καὶ χρηματισθέντες κατ' ὄναρ μὴ ἀνακάμψαι πρὸς Ἡρώδην, δι' ἄλλης ὁδοῦ ἀνεχώρησαν εἰς τὴν χώραν αὐτῶν.

1. *Cùm autem natus eſſet Ieſus in Bethlehem ciuitate Iudaa, temporibus Herodis regis, ecce Magi ab oriente acceſſerunt Ieroſolyma.*
2. *Dicentes, vbi eſt ille qui natus eſt rex Iudaorum? vidimus enim illius ſtellam in Oriente, & acceſſimus vt adoremus eum.*
3. *Auditis autem his Herodes rex turbatus eſt, & tota Ieroſolymorum vrbs cum eo.*
4. *Et conuocatis omnibus Pontificibus & Scribis, percontatus eſt eos vbi Chriſtus naſceretur.*
5. *At illi dixerunt ei, in Bethlehem Iudaa: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam.*
6. *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es inter Principes Iuda: ex te enim mihi proditurus eſt dux, qui gubernaturus eſt populum meum Iſrael.*
7. *Tunc Herodes clam accerſitis Magis, accuratè perquiſiuit ab illis quo tempore ſtella appatuiſſet.*
8. *Et iuſſis ire in Bethlehem, dixit: profecti illuc, accuratè inquirite de puero, vbi verò inueneritis renunciate mihi, vt & ego veniam & adorem illum.*
9. *At illi, audito rege, profecti ſunt, & ecce, ſtella quam viderant in Oriente, præcedebat illos, donec progreſſa ſtaret ſupra locum in quo erat puer.*
10. *Cùm autem vidiſſent ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde.*
11. *Et ingreſſi domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius: & proſtrati adorauerunt illum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt illi munera, aurum & thus & myrrham.*
12. *Et oraculo admoniti in ſomnis ne reuerterentur ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.*

Periocha Hiſtoria.

OMnino multis magnis & ſingularibus miraculis referta eſt hæc hiſtoria: quæ quia vno atque altero verbo ab Euangeliſta magis indicata, quàm explicata ſunt, humana curioſitas plurimum ſibi indulſit liberè quæuis fingẽdi, vt iuxta prouerbiorũ, ſin hac hiſtoria facta ſint πλείον τῶν ἔργων πάρεργα. Sed potiùs cogitandum fuerat, quare tam multa extraordinaria, quæ non ſatis explicari poſſunt, in hac hiſtoria deſcribantur. Fit autem hoc propter duas maximè cauſas. 1. Vt diſcamus, ſub ſumma illa exinanitione nati Saluatoris, qua etiam Bethlehemitæ offenduntur, latere cœleſtem gloriam & maieſtatem, quæ quando exerit ſe, nec ſatis intelligi, nec explicari poteſt, ſicut in hac hiſtoria de ſtella. 2. In primitiis gẽtium, quas natus Saluator ad ſe traxit, voluit oſtendere, doctrinam de vocatione gentium, eſſe ſupra omnem rationis conſpectum poſitam. Nam & Apoſtolis etiam poſt acceptum Spiritum ſanctum mirabilis viſa eſt. Voluit igitur primam vocationem gentium in nouo Teſtamento tam inſigni miraculo ſtellæ, quod non ſatis intelligi poteſt, dedicare. Quia ſummus ille articulus, de gratuita acceptatione hominis peccatoris, quę fit propter Mediatorem, fide, ſine operibus, comprehenditur, in doctr[illegible] de vocatio[illegible] gentium. Et rectè quidem nec immeritò fit, quòd ſingulæ huius hiſtoriæ circumſtantiæ diligenter conſiderantur & expenduntur. Ad nos enim, qui ex gentibus ad communionem filij Dei vocati ſumus, peculiariter pertinet: Sed quando exactè non poſſumus ſingula explicare, cogitemus de cauſis quas dixi. Quę igitur ad declarationem circumſtantiarum hiſtoriæ pertinent, paucis annotabimus, & fundamenta doctrinæ monſtrabimus.

Et prima quæſtio eſt, qui fuerint Magi. Auguſtinus interpretatur Magos, maleficos ſeu incantatores, & ita ſentit etiam Iuſtinus in Tryphone, & Hieronymus in 19. cap. Eſa. In hac enim ſignificatione vſurpatur vocabulum μάγος & μαγεύειν in Nouo Teſtamento, Act. 8. v. 9. de Simone Mago, & 13. verſi. 8. de Ælyma. Et commentator Sophocl s in Oedipo illud de Tireſia ὑφεὶς μάγον τοιόνδε μηχανορράφον, ita exponit: ὁ ψευδεῖς φαντασίας ἀφιστῶν. Suidas etiam μαγείαν, & φαρμακείαν non multum differre oſtendit. Varinus ita explicat: μάγος, ὁ διὰ τῶν μαγικῶν ἐμπλάσσειν τὰ μέλλοντα προλέγων. Septuaginta interpretes in Pentateucho & alibi, non reddiderunt μάγον, ſed in verſione Danielis appellatio illa aliquoties extat. Et Ebraica vox ſignificans præſtigiatorem מכשפ Mecaſeph, videtur corrupta eſſe, & alludere ad vocabulum Magus, abiecta vltima litera פ. Syrus retinet græcam vocem מגוש quæ Rabinis ſignificat incantatorem, negantem fundamentum ipſum Deum. Et in Chaldæa

Chaldæa, quæ à quibusdam patria Magis illis Mat.2. attribuitur, tam vsitata fuit præstigiatrix Magia, vt per Antonomasiam Chaldæi vocentur Magi, Dan.2.v.2. Hæc ideo annoto, ne quis arbitretur patres absque omni ratione Magos interpretatos fuisse maleficos. Et quantum ad rem ipsam attinet, sententia non pugnat cum mysterio vocationis gentium, si tales primas primitias puer Iesus ex gentibus vocarit, vt ostenderet se venisse in mundum, peccatores etiam maximos, saluos facere, 1. Tim.1.v.15.

Alia vocabuli explicatio hæc est: In historia Medorum & Persarum frequens est mentio Magorum: & tunc, cum summa rerum esset penes illos populos, præcipui regū consiliarij & administri gubernationis fuerunt Magi. Ita vt ex Magis aliquando etiam reges eligerentur, postea cū Monarchia translata esset ad Græcos, peculiare studium sectari cœperunt Magi, & ex politicis facti sunt Physici & Theologi, sicut gentibus appellabantur. Ita enim Strabo, qui circa Augusti tempora vixit, lib.16. scribit. Magos fuisse apud Persas, quod apud Indos Gymnosophistæ, apud Babylonios Chaldæi, apud Hebræos Moses, qui diuina præcepta & documenta suis tradiderunt. Et lib.15. inquit: Regionem illam Persæ incolunt Achamænidæ & Magi, qui honestum quoddam viuendi genus sectantur. Cœlius lib.3. cap.42. ex Alcibiade Platonis definit, Magiam fuisse nihil aliud, quàm diuinorum scientiam atque cultum, qua Persarum reges imbuti fuerint: vel fuisse altiorem sanctioremq; philosophiam. Et Cicero lib.1. de diuinat. Magi genus sapientum & doctorum habebatur in Persis. Et sub fine: In Persis augurant & diuinant Magi, qui congregantur in fano commentandi causa, & inter se colloquendi. Nec quisquam rex Persarum esse potest qui non ante Magorum disciplinam scientiámque perceperit. Et Plinius lib.20. dicit: Magiam complecti tres artes: nempe, Physicam, Metaphysicā & Astrologiam. Et addit: Magiam regibus imperare in Oriente. Suidas inquit: Magi apud Persas sunt philosophi & φιλόθεοι, quibus initium præbuit Zoroastres. Idem μαγεία est Astrologia, quæ à Magusæis cœpit. Persæ enim ab incolis vocantur μάγοι & μαγουσαῖοι. Varinus addit: Μάγοι vocant θεολόγοι κ ἱερέα. Et vterque dicit, Μάγον significat Persam. Et forsan Matthæus ideo vocat *Magos ab oriente*, vt significet discrimen. Non fuisse scilicet tales Magos, sicut in Ægypto fuerunt, quorum professio capitalis fuit in lege Mosis: sed quales Oriens, hoc est, Persia habet Magos. Et hinc confici potest, quæ fuerit patria horum Magorum. Herodotus enim lib.1. ver.2. Magos collocat in Media. Plato, Cicero, Strabo & Chrysostomus in Perside. Daniel in Chaldæa Magorum mentionem facit, & cap. 21.v.10. ipsorum disciplinam & institutionem videtur describere. Quia verò Bileam, vnus ex Magis, scribitur habitasse super fluuium filiorum Ammon, Num.22.ver.5. hinc Iustinus Arabiam, quam Ptolemæus desertam vocat, ad sinum Persicum sitam, facit patriam horum Magorum. Et hæc omnia congruunt ad descriptionem Euangelistæ, qui dicit *Magos venisse ab Oriente*. Talis enim est harum regionum omnium situs respectu Ierosolymorum. Atq; hinc Monachorum nugæ confutantur, qui confinxerunt, singulos ex diuersis venisse regionibus: vnum ex Saba, Alterum ex Tharsis, Tertium ex Insulis, & ante portam vrbis Ierosolymæ primùm ipsos conuenisse. Regina enim Sabæa, Matth.12.v.42. vocatur regina Austri. Saba enim, siue felix Arabia, Iudæis est ad Meridiem. Et mare, quod Tharsis vocatur, Iudæis est ad Occidentem. Matthæus verò dicit: *Magos venisse ab Oriente*: Quod autem Psalm. 72.v.10. meminit de regibus Tharsis & Saba, non loquitur de Magis, sed de vocatione gentium, quæ ex omnibus mundi partibus Christi regno accessuræ erant. Et quidem forsan, vt in Magis præludium vocationis gentium ex omnibus mundi partibus ostenderent, non impiè de Magis, ex tribus orbis partibus conuenientibus, cogitamus. Potest etiam hinc intelligi, vnde orta sit opinio, quasi Magi Reges fuerint. Veteres enim Magi, cum Monarchia in Media & Persia adhuc floreret, tales fuerunt, vt ex ipsis Reges eligerentur. Quomodo verò post ablatam Monarchiam conditio Magorum mutata fuerit, ex Strabone ostendimus. Quidam verò hoc discrimen non considerantes, ex philosophis Reges fabricati sunt: & postea Psalmum 72. huc torserunt. Et quod Isaias dicit: Ambulabunt Reges in splendore ortus tui. Veteres certe interpretes, hos Magos non vocarunt Reges, nisi quòd Theophylactus ex Chrysostomo semel ita loquitur. Certum tamen est, fuisse homines non obscuros aut abiectos: id quod munera ipsorum indicant: vt ita ostenderetur, cuiusuis ordinis & conditionis hominibus, pastoribus & Magis Christum saluatorem se patefacere: & primùm quidem pastoribus Iudæis, postea verò etiam Magis gentilibus. Et quia abiecta pastorum specie Iudæi offendebantur, mittit ipsis testes Magos, viros præstantes & illustres: Ita omnibus modis quærens Iudæos ad Christum adducere. Summa igitur & finis vocationis Magorum est: Magnum illud gaudium nati saluatoris, pertinere non tantùm ad populum Iudæorum, verum etiam ad gentes. Vtque accommodatio doctrinæ eò rectiùs fieri posset, apparitione stellæ vocati sunt, non vicinæ gentes, vt Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, &c. Hæ enim gentes, partim cognatione carnis & habitationis vicinitate, & religionis similitudine aliquo modo attingebant populum Dei, & Regno Israël aliquando subiecti fuerant. Tunc etiam non multo ante, Idumæi circumcisionem receperant. Sed primitiæ gentium nato Christo vocatæ sunt ex illis, qui prorsus alieni erant à politia Israël, Eph.2.v.12. Et aliquantò longiùs dissiti à terra Israël, vt essent specimē eius, quod scriptum est, promissio pertinet ad eos, & qui prope & qui longe sunt: Act.2.v.39. Ephes.2.v.3. sicut & Christus inquit: Multi venient ab Oriente & ab Occidente, &c.

Et hæc quidem manifesta sunt. Sed modus, quo primitiæ illæ gentium ad Christum vocatæ sunt, abstrusior est: vt plus habeat admirationis, quàm perspicuitatis.

Secunda igitur quæstio est, de *stella nati regis Iudæorum*, quæ Magis in Oriente apparuit: cuius sobria consideratio aliquid lucis potest huic historiæ afferre. Sed meminerimus, non omnia posse exactè explicari: vt doctrina de vocatione Gentium, quæ complectitur gratuitam iustificationem fidei, sine operibus, maneat articulus fidei omni rationi admirabilis, sicut supra dictum est. Illa igitur, quæ vtiliter aliquid monere possunt de stella, annotabimus, & simplicissimè, iuxta analogiam fidei, explicabimus. Vocatur autem *stella nati Regis Iudæorum*, quòd ortum & natiuitatem eius cœlitus designarit Magis. Et illa quidem quæstio planam & manifestam habet explicationem, quòd non fuerit vna ex illis stellis, siue errantibus siue inerrantibus, quæ in principio creatæ, partes sunt orbium cœlestium. De illis enim scriptum est, Isa.40.v.26. Qui educit in numero militiam eorum, & in tanta multitudine ne vnum quidem defuit, stella verò, quæ Magis apparuit, nec ante nec postea visa est. Idem etiam motus ostendit. Nā à Ierosolyma Bethlehem versus, hoc est, à Septentrione in Meridiem ita processit, vt iter facientibus viam monstraret. Item, in Oriente apparet, mox occultata latet, & egressis Ierosolyma derepente rursus apparet: quod physica ratio sphæræ cœlestis non admittit. Nec de stella aliqua, quæ annos fermè quater mille ante apparuisset, dicere potuissent Magi, *Vidimus stellam nati regis Iudæorum, &c.* Situs etiam ostendere videtur, locum huius stellæ fuisse non in orbibus cœlestibus, sed in aëre, & quidem in regione eius inferiori. Procedendo enim monstrat proficiscentibus viam, & consistendo inter contigua ædificia, vnicam illam domum, in qua puer Iesus erat, notare poterat: quod ne in media quidem regione aëris existens, physica ratione facere potuisset. Vel igitur mirabile aliquod meteorō fuit, in loco aëris valde humili, (Et Matthæus ipse vocat φαινόμενον, quod, quia stellæ specie apparuit, Euangelista vulgi more vocat stellam, sicut visiones ignotæ & lucidæ, propter speciem & apparentiam, sæpe in Scriptura nominantur stellæ, vt Ap.1.v.16.8.10.12.v.1.) vel fuit maximum miraculum illius stellæ, quod quale fuerit ne cogitari quidem potest, si in cœlo superlunari apparuit. Nam ne hoc quidem ex Euangelista potest colligi, interdiūne vel noctu profecti sint versus Bethlehem, quando stellam rursus videbant. Item an aliis etiam præter Magos stella illa visa fuerit. Quia verò angeli sæpius tanquam flammulæ ignis apparere solent, Psal. 104. vers.4. Veteres quidam senserunt, angelum Domini tali specie præluxisse Magis: sicut olim columna ignis dux fuit populi Israelitici. Et hæc sententia fermè videtur simplicissima: Sed quomodocumque de his quæstionibus statuatur, fidei non multum est periculi.

Tertia verò difficilior est quæstio, & plus habet momenti quomodo ex apparitione stellæ Magi potuerint agnoscere, Regem illum Messiam, qui Iudæis promissus erat, natum esse. Illorum enim phantasia, qui ex genethliacis principiis Magos cognitionem Christi hausisse finxerunt, meritò à Patribus explosa est. Ita etiam prophana est & illorum sententia, qui censent, Magos planè nihil veræ cognitionis de Christo habuisse: sed ex apparitione stellæ, concepisse opinionem, futurum regem politicum, quem politica adoratione & muneribus voluerint sibi maturè deuincire, si quando Orientis regna occupaturus esset. Sed hæc politica opinio non subsistet in illis tentationibus, cùm viderent Ierosolymitanos accepto hoc nuncio, tam frigidè affici, cúmque puerum in Bethlehem ita inuenirent, sicut Euangelistæ scribunt. Et verba Magorum, de Rege Iudæorum, indicant, promissiones ipsis non fuisse prorsus ignotas. Illud etiam, quòd diuino oraculo in somnis admonentur, argumento est, historiam hanc non simpliciter politicè esse interpretandam. Aliis enim pulcerrimum mysterium, de primitiis gentium, ac Christum natum vocatis, eneruaretur.

Sed iam alia magis ardua quæstio oritur. An ex sola apparitione stellæ, hoc est, ex [illegible]cipiis & [illegible] naturalibus per-

uenerint ad notitiam Christi Saluatoris. Perpetua certè Scripturæ sententia est fidem esse ex auditu, & auditum per verbum Dei, Rom.10.v.17. Item, agnitionem Christi esse sapientiam Dei in mysterio, quæ ita abscondita sit, vt eam ne principes quidem huius sæculi, hoc est, ingenio præstantissimi, cognouerint, 1. Corin.2.v.8. Animalis enim homo, ea quæ Spiritus sunt, non percipit, 1. Cor.2.v.14 Quomodocunque igitur hæc quæstio explicetur, obseruanda est ἀναλογία fidei, an cum his Scripturæ fundamentis pugnet, quæ affirmant rationem naturali suo lumine non posse peruenire ad agnitionem Christi: sed illam à Spiritu sancto dari per verbum.

Et apparet, Vetustatem hanc ἀναλογίαν fidei sollicitè obseruasse, in explicatione huius quæstionis, ne statuerent, Magos sine verbo & reuelatione diuina, peruenisse ad agnitionem Christi Saluatoris. Hinc enim orta est vulgaris opinio, quæ extat apud Hieronymum, Chrysost. & Theophylactum, Magos fuisse ex posteritate Bileam, illius, qui ex Spiritu Dei de Messia vaticinatus est: Num.24.v.17. Videbo eum, sed non modò: intuebor eum, sed non prope. Orietur enim stella ex Iacob, &c. Et cùm hæc prædictio apud posteros diligenter conseruata fuisset, Magos, apparente singulari & miraculosa stella, ex illo verbo & vaticinio agnouisse iam natum esse Messiam. Auctor operis imperfecti in Matt. dicit, Traditionem esse ex libro Apocrypho sumptam: Magos habuisse Scripturam quandam, sub nomine Seth, de apparitura tali stella, tempore natiuitatis Messiæ, & de muneribus ipsi offerendis. Sed hæc Apocrypha à simplicitate fidei longiùs recedũt. Augustinus Steuchus disputat, Sybillam Erithræam quæ Chaldæa fuit, tradidisse scholæ Magorum in Chaldæa, & tempus aduentus Filij Dei in carnem, & signum, quo cœlitus eius natiuitas indicanda foret. Et inde Suetonium in Vespasiano scribere, eam famam totum tunc Orientem repleuisse ex Iudæa, circa illa tempora, regem venturum. Ac Ciceronem 2. de diuin. ideo subindicare in Sybillæ libris inuentum fuisse, futurum circa illa tempora regem, qui ab omnibus Rex & agnoscendus & vocandus foret, qui salui esse vellent. Et sententiam illam, ex foliis Sybillæ, illis temporibus adeò fuisse vulgatam & notam, quòd Virgilius peculiari Ecloga eam exponere voluerit. Et hæc ab eruditis meritò considerari debēt. Certius tamen & firmius est, quod Vitus Theodorus ex circumstantiis historiæ Danielis eruditè colligit. Quia Daniel in schola Magorum educatus fuit, Dan.1.v.6. sine dubio, occasione illius familiaritatis, ipsum postea doctrinam de Messia quibusdam ex Magis instillasse: vt verisimile sit, ex institutione & disciplina Danielis, seminaria quædam doctrinę cœlestis in schola Magorum mansisse. Nam c.2.v.44. Regi Babylonico disertè vaticinatur de regno cœli venturo, quod in æternum stabit. Huc accedit, quòd Iudæi non omnes ex Babylonico exilio reuersi Hierosolymam fuerunt, sed multi in illis locis remanserunt, & celebres ibi synagogas habuerunt: sicut Rabini adhuc multa à sapientibus illis tradita iactant. Quia igitur in variis tunc regnis multi erant, qui nec Iudæi, nec proselyti, sed ἀλλαζῶς erant, sicut in Actis vocantur, hoc est, qui sine circumcisione libros Propheticos, in Græcam linguam translatos lectitabant & Deum Israelis adorabant: sicut de Eunucho Æthiopissæ scribitur, Actor.8.v.28. Non erit absurdum, si Magis notitia aliqua promissionum de Messia Iudæorum, cuius salus etiam ad gentes pertineret, vel ex reliquiis doctrinæ Danielis, vel ex Israelitarum exulibus adhuc in Chaldæa hærentibus, vel ex lectione Prophetarum tribuatur. Et hæc sententia præ cæteris mihi probatur. Conuenit enim cum circumstantiis Scripturæ, & verbis Magorum de rege Iudæorum. Item illud, quod Hierosolymis quærunt explicationem doctrinæ de Messia, idem probat.

Sed vt maxime promissionis de Messia Magi non fuerint ignari, quomodo ex apparitione stellæ potuerunt colligere, ipsum eo tempore natum esse? Auctor operis imperfecti, de sua traditione fabulatur, quòd apparuerit stella, formam habens paruuli, & super se similitudinem crucis, iubens Magos proficisci: & Chrysostomus sentit, angelum in flamma ignis, figura syderis, apparuisse, & mysterium nati Christi, sicut pastoribus, ita etiam Magis, voce reuelasse. Et quidem solere angelos apparere tanquam flammulas ignis, Psal.104.v.4. affirmat. Potest verò etiam ex circumstantiis historiæ apud Matthæum colligi, Magos ex peculiari patefactione diuina illud cognouisse: & ita sentit Augustinus. Nam & postea diuino oraculo moniti sunt, ne reuerterentur ad Herodem. Sicut igitur diuinum oraculum reditum Magorum gubernauit, idem de prima profectione suscipienda non improbabiliter dici pōt.

Hisce quæstionibus mediocri explicatione, quantum quidem historia, quæ propter extraordinaria miracula abstrusior est, patitur, expeditis; reliquæ circumstantiæ historiæ faciles & planæ sunt. Dicunt igitur, se *stellam Messiæ vidisse in Oriente*: quod ita intelligi potest: vt vel in parte cœli Orientali apparuerit, quia ortum solis iustitiæ vel visitationem Orientis ex alto significabat, vel Magi [illegible]riente existentes, stellam Messiæ viderint super illum locum, qui diuinitus natiuitati Regis Iudæorum destinatus erat. Existimo igitur sine impietate cogitari posse, gloriam illam Domini, quæ in agro Bethlehemitico, pastores plena luce circumfulsit, eodem tēpore à longè, tanquam stellulam, in Oriente Magis visam fuisse. Ita enim tota historia pulcrè conueniet ad illud, quod Isa.60.ver.2. scriptum est: Tenebræ operient terram, sed super te Ierusalem gloria Domini apparebit. Et venient gentes ad lucem tuam, & Reges ad splendorem super te exortum. Porrò sunt, qui sentiunt, stellam illam toto itinere, ex Oriente Hierosolymam vsque ducem itineris præcessisse, eo modo sicut Hierosolyma egressis ad Bethlehem vsque præcessit, & ante portam Hierosolymitanam demum occultatam disparuisse. Ita Chrysostomus sentire videtur. Sed contextus historiæ diuersum videtur velle. Dicit enim: *Stella, quam in Oriente viderant, rursus ipsis apparuit*, cùm audito Herode Bethlehem peterent. Item, *Cùm stellam illam rursus viderent gauisi sunt gaudio magno valde.* Ordo igitur historiæ videtur talis esse. In Oriente apparuit ipsis stella, quam diuina reuelatione intellexerunt esse stellam nati regis Iudæorum: Et cùm illum quærendum & muneribus adorandum agnoscerent, stella illa, vel statim suscepta versus Iudæam profectione, vel in ipso itinere, occultata non ampliùs apparuit. Quia verò in toto fermè terrarum orbe, præcipuè in Chaldæa & Persia, propter captiuitatem Babylonicam, notum erat, Hierosolymam esse ciuitatem, in quam vndique conueniatur, propter testimonium Domini, quod ibi in scriptis Propheticis quasi depositum custodiebatur: sicut inquit Psalm. 122. vers. 4. Rectè igitur petunt Hierosolymam, quia non dubitant, se ibi vel inuenturos Messiam, vel certiores posse reddi, vbi inueniendus sit natus Rex Iudæorum. Et huius circumstantiæ consideratio præbet pulcerrimam doctrinam, quòd Deus primitias gentium, quas extraordinaria reuelatione, ad quærendum Christum excitarat, deducit ad verbum suum in scriptis Propheticis patefactum, & ad ministerium verbi, quod Hierosolymis tunc erat, vt inde discerent, quis esset Messias: vbi inueniendus; quomodo adorandus. Nam ita cœlestis visio etiam Paulum & Cornelium deducit ad ministerium verbi, Actor.9.vers.6. & 10. versiculo quinto. Et huius doctrinæ magnus est vsus, contra fanaticos Spiritus: sed quia non instituimus iustam explicationem, satis est locum illum communem notasse.

Cùm igitur Hierosolymam Magi venirent, cœperunt publicè narrare, se apparitione stellæ diuinitus edoctos, promissum regem Iudæorum iam natum esse: & quia ex prophetis didicerunt, fore vt in illo etiam gentes benedicantur: Gen.22.v.18 ad ipsum aggregentur gentes: Genes.49.v.10. vt in ipso sperent: Isa.11.v.10. se igitur venisse ad adorandum illum. Vbi verò quærendus & inueniendus sit, sibi nondum constare: non autem dubium esse, quin populo Iudaico, cui peculiariter Rex ille promissus sit, ex Scriptura hoc notum sit. Dicunt ergo, *Vbi est natus Rex Iudæorum?* Vbi Articulus ὁ Indicat, hunc esse sensum: vbi est rex ille Iudæorum, tandiu Iudæis promissus & expectatus, qui iam natus est. Non enim quærunt regem, qui iam ad gubernacula sedeat, sed qui infans adhuc sit. Rationem verò, vnde sciant ipsum natum esse, addunt: *Vidimus enim stellam*, indicem natiuitatis eius, *in Oriente, & venimus adorare eum.*

Posset autem videri, Magos adiisse ipsum etiam Herodem, & hanc quæstionem ei proposuisse, quòd putarint, Messiam in regio genere & illustri loco, vbi antiqua regia Dauidis erat, quærendum esse. Herodes enim audita Magorum narratione cogit Synodum, cui quæstionem illam ex Scriptura discutiendam proponit; & quòd concilium illud ex Scriptura definierat, significatur Magis, non à Pontificibus & Scribis, sed ab ipso Herode. Sed siue hoc modo, siue ex publico rumore Herodes hoc cognouerit, certè *valde turbatum fuisse* Matthæus dicit. Nec obscura fuit causa turbationis. Non enim ignota ipsi erant oracula prophetica de Messia, & quale esset Iudæorum ingenium, magnis cladibus, per multos iam annos didicerat: & quia sola expectatio futuri Messię Iudæos tam feroces, ad ferendum externum imperium, reddidisset, facilè poterat cogitare, quid futurum esset, si rex ille iam natus, animos suorum ad spem recuperandæ libertatis excitaret. Sed frustra turbatur Herodes. Non enim eripit mortalia, qui regna dat cœlestia. Cùmque Magi cogitassent, gratissimum se nuncium allaturos Iudæis, de ortu illius regis, quem tot sæculis vt Saluatorem expectassent, Euangelista dicit: *Turbatam fuisse etiam totam Hierosolymam.* Et fieri potest, quòd multi cogitatione funestorũ bellorum, quorum recens adhuc memoria erat, cùm Herodes regnum ad se transferret, turbati fuerint. Posset sanè ita etiam hoc intelligi; quòd illo rumore, de nato Messia, admiratione commota, & in spem libertatis erecta fuerit tota ciuitas: sed verbum ἐταράχθη illum sensum vix admittit. Syrus habet verbum זוע, quod à terrore & tremore appellationem habet. Et quod Matthæus addit, *Tur-*

addit, *Turbatus est cum Herode*, ostendit, similem turbationem fuisse Herodis & ciuitatis. Ita externa tranquillitas præfertur regno Christi: quia crucem secum adfert. Atque ideo postea metu seuitiæ Herodis, nemo vel ex Scribis, vel ex populo comitem se Magis adiunxit, vt simul natum regem quæsiisset.

Herodes igitur iudicauit, sibi & rebus suis non consultum esse, si Magi cum hac narratione inter vulgus diutiùs versarentur, nec quidem permittere voluit, vt Magi ipsi cum Pontificibus & Scribis, vndique conuocatis, conferrent de hac quæstione. Sed Herodes quæstionem proponit, & quod ex Scriptura respondetur, ipse clàm Magis significat. Est enim Herodis consilium, vel occultare illam famam, vel priusquam euulgetur, puerum natum opprimere: sicut sequentes circumstantiæ pleniùs docebunt.

Obseruandum etiam est, in hac descriptione, qualis fuerit forma conciliorum in Ecclesia Israelitica, Herodes tanquam magistratus conuocat. Id quod exemplo Ezechiæ & Iosiæ factum est. Et dicuntur conuocati esse *omnes Pontifices & Scribæ populi*, hoc est, capita ministerij Ecclesiastici. Vsitatum autem est in multis locis Noui Testamenti, quando mentio fit eorum, penes quos summa erat ministerij Ecclesiastici, in populo Israel, quod nominantur Pontifices & Scribæ. Et vocantur ἀρχιερεῖς non sicut summus pontifex, qui iuxta legem vnicus tantùm erat. Sed intelliguntur illi, qui in 24. ordinibus seu vicibus 1. Par. 24. principes erant. Reliqui enim simpliciter vocantur ἱερεῖς. Et 2. Par. 36. v. 14. vocantur principes sacerdotum. Aliquando simpliciter vocantur ἄρχοντες Ioan. 7. v. 48. & 12. v. 42. Et Nicodemus Ioann. 3. vers. 7. vocatur ἄρχων Iudæorum. Consideretur autem, an in illa conuocatione etiam ἀρχισυνάγωγοι comprehendendi sint. Porrò conuocati sunt etiam *Scribæ populi*. Sunt autem in Scriptura γραμματεῖς duplices, scilicet politici, vt 1. Par. 23. v. 4. Iof. 23. v. 2. adiunguntur iudicibus, & 1. Par. 26. v. 29. coniunguntur γραμματεῖς καὶ διακρίνειν. 4. Reg. 12. v. 10. Scriba Regis. Et Iof. 23. v. 2. inter gradus politici Magistratus vltimum locum obtinent Scribæ. Esd. 4. vers. 8. Præses Regis Babylonici in Samaria vocatur Scriba: & præpositi in Ægypto. Exod. 5. v. 6. vocantur γραμματεῖς. De hisce Scribis Matthæus hoc loco non loquitur. Sunt verò alterius conditionis Scribæ, qui ex Leuitis eligebantur, 1. Par. 18. v. 16. vt Scriba domus Domini, 4. Reg. 22. v. 8. Et eorum officium quale fuerit, colligi potest ex libris Esdræ & Nehemiæ. 1. Esd. 7. 9. 10. Nehem. 8. 9. 10. & 12. Matt. 13. v. 12. Omnis scriba doctus ad regnum cœlorum, profert, &c. & Matt. 23. clarissimè describitur officium Ecclesiasticorum scribarum. Nomen autem habent à Sepher, quod librum, seu literas & scripturam significat, quòd scilicet in libris sacræ Scripturæ literati & periti essent: sicut de Esdra dicitur. 1. Esd. 7. v. 6. Erat scriba expeditus seu velox in lege Mosis. Et quia verbum ספר significat recensere, exponere, narrare; officium igitur Scribarum fuit prælegere populo, & exponere sacram Scripturam, sicut Esdras fecit. Et inde Lucæ 10. v. 26. Christus ad Scribā inquit: Quomodo scriptum est in lege, quomodo legis? Ante captiuitatem autem Babylonicam tale fuisse Scribarum officium, non potest liquidò ostendi. Erat enim pars ministerij sacerdotum docere, & de lege Domini respondere, Leu. 10. v. 11. Ezech. 44. v. 23. Mal. 2. v. 7. vt videri possit: cùm post captiuitatē Babylonicam sacerdotes, occupati politica gubernatione, officium suum in docenda & tradenda doctrina non facerent, illam partem ministerij scribis fuisse commendatam. Ac breuiter, quod ante captiuitatem in Scholis & Ecclesiis Prophetarum munus fuerat, in illud, postquam donum prophetiæ defiisset, suffecti fuerunt scribæ. Postremis verò temporibus, cùm pontifices regnum affectarent, adiuncti fuerunt scribis Pharisæi & Legisperiti. Distinguuntur enim scribæ à Pharisæis Luc. 5. v. 30. 11. v. 45. 15. v. 2. Mar. 2. v. 6. Matt. 5. v. 20. 12. v. 38. 15. v. 1. 23. v. 13. Et ex c. 23. Act. v. 6. potest colligi, Pharisæum esse appellationem sectæ, quę præter legem, peculiari iuxta traditiones viuendi ratione, ab aliis separata & præ cæteris conspicua esse voluit. Inde enim nomen habet. Scribam verò officij nomen fuisse: ita enim textus habet: v. 9. Surgentes Scribæ, qui erant partium Pharisaicarum. & Act. 26. v. 5. Paulus pharisaismum vocat sectam. Ita in collegio Pontificum, Sacerdotum & Scribarum quidam erant Sadducæi, quidā Pharisæi. Act. 5. v. 17. & 23. v. 6. Aut si Pharisæi, vt plerique volunt, nomen habent ab expositione & interpretatione legis, hoc erit discrimen inter Scribam & Pharisæum: quòd illi textum legis legebant & interpretabantur, Pharisæorum verò professio circa traditiones versabatur: sicut ex historia Euangelica colligi potest. Pharisæi enim orti sunt, & inclaruerunt multò post institutum collegium Scribarum, cùm extra & præter Scripturam Patrum etiam traditiones in admiratione inciperent esse. Extat præterea in Scriptura alia etiam appellatio. Vocantur enim quidam νομικοὶ Legisperiti. Et hoc quidem non multum differre à Scribis, vel idem esse, quidam inde probant: quòd ille qui Matth. 22. v. 35. & Luc. 10. vers. 25. vocatur νομικὸς: apud Marcum, cap. 12. v. 28. vbi eadem historia describitur, vocatur γραμματεὺς, Scriba. Sed Luc. 11. vers. 45. discrimen inter Scribas & Legisperitos manifestiùs indicatur, quàm vt negari possit. Cùm enim Christus Scribas & Pharisæos acriter reprehendisset, accedunt νομικοὶ Legisperiti, & dicunt: Hæc dicens etiam nobis contumeliam facis. Quale verò fuerit discrimen, non ita facile potest ostendi. Quidem interpretationem eruditè petunt ex 49. cap. Gen. v. 10. vt sit Mehokek Legifer: & videtur ipsorum officium fuisse, vt de dubiis caussis ex lege quasi de iure responderent. Tale enim collegium describitur, Deuter. 17. v. 8. ad quod dubij & grauiores casus deferebantur. Et videntur sacerdotes etiam hanc partem oneris ministerij sui, quod ipsis Deut. 17. v. 9. impositum erat, à se remouisse instituto peculiari collegio νομικῶν. Appellatio verò νομοδιδασκάλων simpliciter est interpretatio, quod Scriba sit doctor legis. Quos enim Matthæus cap. 9. v. 3. in historia Paralytici vocat Scribas, hos Lucas c. 5. v. 21. vocat νομοδιδασκάλους. Hæc de appellationibus Scribarum, Pharisæorum, Legisperitorum & doctorum legis, quæ sæpissimè in historia Euangelica occurrunt, hoc loco breuiter annotare volui. De Pharisæis verò postea in historia Baptistæ quædam dicemus.

Sed redeamus ad veterem formam conciliorum. Herodes vt Magistratus conuocat concilium, proponit quæstionem, *vbi Messias nasceretur*: hoc est, vbi secundùm Scripturam nasci deberet. Quem enim Magi regem Iudæorum appellabat, illum Herodes, vt doctrinæ non ignarus, Christum Messiam vocat. Scribæ & Pharisæi, quæ sunt capita ministerij, definiunt: non auctoritate prætoria, sed ex verbo Dei, idque monstrato Scripturę loco. Deprauatam verò formam impij concilij postea in historia passionis habebimus. Ita Scriptura tripliciter tractatur, 1. à Scribis, qui tantùm vt sciant, disputant, &c. 2. ab Herode, vt per Scripturam Christum oppugnet: sicut hęretici & impij. 3. à Magis, vt agnitam veritatem sectentur. Quod bene notetur.

Porrò iustą explicatio sententiæ propheticæ, non pertinet ad hoc nostrum institutum. Hoc igitur tantùm, quod ad illustrandam historiam facit, annotabimus: quomodo scilicet Deus fidem Magorum, qui erant primitię ex gentibus, in Nouo Testamento, quasi per gradus prouexerit & auxerit. Monstratur enim illis locus Prophetæ, & quia tunc etiam gentes libros propheticos, in Gręcam linguam translatos, legere poterant. Act. 8. v. 28. Illustrante Spiritu inde didicerunt, egressionem Messiæ non tantùm esse ex Bethlehem, verùm etiam ab antiquo à diebus æternitatis. Et quia Euangelista in Scribarum responsione ponit verbum ποιμανεῖ, quod in medio fermè 5. capitis Michęę v. 4. legitur, significare voluit, Magos non tantùm particulam, sed totum illud caput prophetiæ perlegisse, & inde non tantùm de loco natali Messiæ cognouisse, verùm etiam de persona & officio eius. Atque hoc modo postea puerum adorarunt.

Porrò multas Grammaticas quæstiones parit dictum illud Micheæ, sicut ab Euangelista citatur. Cùm enim duo sint *Bethlehem*, ad differentiam alterius in tribu Zabulon, Iof. 19. v. 15. Propheta addit Ephratam; Gen. 35. v. 16. & 48. vers. 7. Illam verò differentiam Scribæ clariùs exprimunt, Bethlehem, non in Galilæa, sed *in terra Iuda*: Ita, quod Ebræus & Græcus legit: In millibus Iuda, Matthæus reddit, ἡγεμόσιν, *in ducibus Iuda*. Præfecturæ enim ita distributæ erant in singulis oppidis, vt essent Decuriones, Quinquagenarij, Centuriones & Chiliarchæ. Et vbi multa millia inhabitabant, ibi vel multi vel præcipui erant Chiliarchę. Dicit igitur, Bethlehem tam paruum & rarum esse oppidum, vt vix vnum vel minimum Chiliarcham possit præbere. In Chiliadas enim populus distribuebatur, Exod. 18. vers. 21. & Iud. 6. vers. 15. Inde אלף Aleph & mille & ducem Chiliarchum significat. Pro verbo etiam dominandi Matthęus habet verbum pascendi. Nam & illud in sequentibus apud Prophetam extat, & declarat modum dominationis non fore politicum, sed sicut explicatur, Ioan. 10.

Pręcipua verò quęstio Grammatica est, quòd Hieronymus locum Micheæ ita reddidit: Paruula es in millibus Iuda, & in hanc etiam sententiam Chaldęus Paraphrastes reddidit. Recentiores etiam Iudęi ita exponunt: & illa Gręca versio, quę nunc vulgaris est, etiam ita legit. Matthæus verò dicit, Scribas ita reddidisse sententiam Prophetę: *Nequaquam minima es, &c.* Plerique hoc ita conciliant, quod non Scribarum, sed Euangelistę verba sint, qui illa mutatione affirmationis in negationem, voluerit celebrare gratiam Dei, qui obscurum oppidulum Bethlehem hac prærogatiua nobilitarit, quod facta sit patria Messię, vt iam non sit paruula seu minima. Sed & Scribis hęc verba tribui possunt. Certum enim est,

hanc esse Prophetiæ sententiam: Tu Bethlehem nunc quidem es paruula: tamen quia ex te egredietur Messias, nequaquam paruula eris. In commentariis Hieronymi citatur versio 70. qui planè ita reddiderunt, sicut Matthæus recitat, & Euangelistæ verba illius versionis, quę tunc vsitata erat, plerunque retinent. In illa verò editione 70. quam nos habemus, legitur sicut Hieronymus reddidit. Syrus ita reddidit, sicut in Euangelista verba negatiuè citantur: Non es minima inter reges Iuda. Osiander contendit, Ebraica vocabula apud Michæam omnino ita reddenda, sicut Scribæ recitant. Ebræi enim, qui carent neutro genere, eius loco plerunque vtuntur fœminino: Et si neutrum genus ponatur, erit aduerbialiter positum hoc modo. Parum est, vt sis in millibus Iuda. Est enim in Ebræo & Græco infinitiuus [illegible], hoc est, vt sis. Et hoc est, quod Scribæ reddiderunt, Nequaquam minima es. Quæ sententia etiam ex Hieronymi lectione concipi potest, si legatur interrogatiuè. Num paruula seu minima es? imò, quia Messias ex te orietur, nequaquam minima es. Sed quomodocunque verba accipiantur, sensus idem manet: sicut manifestum est.

Adiiciam verò paucis & hanc considerationem. In Michęa Messias vocatur dux seu dominator sicut Dan. 9. v. 25. vocatur princeps. Alibi vero vt Hier. 23. v. 5. vocatur Rex. In domo enim Dauidis fuerunt Reges, & postea duces & quia illi fuerunt figura Christi, vtrunque igitur ipsi tribuitur, & regis & ducis nomen Et totum hoc caput Michææ, de Messia nominatim interpretatur Chaldæus Paraphrastes sicut & Scribæ tunc intellexerunt. Et integra descriptio Messiæ in capite illo traditur, 1. quo ad personam. 2. quo ad regnum. 3. quo ad beneficia eius. 4. quo ad populum. Hæc sunt fundamenta explicationis.

Sed pergamus in contexenda historia. *Herodes* igitur audita ex oraculis propheticis hac sententia, *Magis*, non in publico concilij consessu responsum dat: sed *clanculum ad se vocatis*, de loco natali Messiæ respondet & dat ipsis mandatum, vt clam, turba non conscia proficiscantur Bethlehem, si inuenerint puerum, ne statim in vulgus hoc effutiant, sed sibi vt Magistratui primùm renunciarent. Sua enim referre, vt ipse ante alios veniat & regem illum adoret: & quidem, ne dolus Magis suboleret, neminem ex suis ministris ipsis adiungit. Quid vero hoc consilio Herodes meditetur, manifestum est: vt scilicet Messias, priusquam populo innotescat natus esse, opprimatur. Ideò enim sollicitè inquirit, quo tempore primùm stella illa Messiæ apparuerit, vt cædem, quam meditabatur, possit data occasione iuxta tempus illud instituere. Mandat etiam, vt singulas circumstantias nati pueri diligenter obseruent & inquirant, & in reditu renuncient. Verbum enim ἐξακριβοῦν pro accurata supputatione à Græcis, Numer. 23 v. 10. vsurpatur, & de exacta singularum vel minutissimarum temporis circumstantiarum & exploratione & explicatione vsurpatur apud Plutarchum in Numa. Verbo etiam ἐξετάζειν, Magi ab Herode iubentur, singula ea diligentia explorare & inquirere, sicut in examinibus seu quæstionibus reorum fieri solet. De illis enim vsurpatur Esther 2. vers. 23. & Sap. 9 v. 7.

Magi verò nihil doli suspicantes proficiscuntur, & cùm antea illa spe ingressi essent Hierosolymam, fore, vt illam præcipuè vrbem inuenirent plenam gratulationibus de nato rege Iudæorum, viderunt Herodem turbari, populum quidem commoueri, sed neminem sollicitum esse de quærendo puero, nec quenquam audere præ metu Herodis regem illum quærere: cùm quidem ipsi Scripturam de natiuitate, de persona & officio Messiæ non tantùm norint, sed possint etiam aliis monstrare & explicare. Magna & periculosa sanè fuit hęc tentatio Magorum, inter ipsa principia fidei, quòd vident illum populum, cui Messias peculiariter promissus & natus erat, tam frigidum esse. Deus igitur, qui fidelis est, duplici consolatione aduersus illud scandalum eos munit. 1. monstrato verbo suo ex Michæa. 2. stella aliquandiu occultata rursus apparet: vt qui contristati fuerant illo scandalo, magno iam gaudio gaudeant Verbum enim Dei, & diuina seu cœlestis illuminatio, per Spiritum fidem excitat, confirmat & conseruat. Et ex ordine circumstantiarum totius historiæ potest colligi, quomodo & per quos gradus agnitionis, tentationis, consolationis & confirmationis, Deus primitias gentium ducat. Et hæc doctrina ad nos, qui ex gentibus populo Dei inserti sumus, propriè pertinet: sed quia manifestum hoc est ex illis, quæ hactenus diximus, nolo nimium prolixus esse.

Stella] autem illa, iam non tantùm apparet Magis, sicut antea in Oriente, sed sicut verbum προῆγεν insinuat, præbet se iam ducem itineris, ita vt locum & domum monstret. Et verè cœlestis est magnificentia, quòd stella *consistit supra domum*, quando Magi puerum adoraturi ingrediuntur. Et hoc ideò fit, quia futurum erat, vt species grauissimi scandali obiiceretur Magis, quando inuenturi essent matrem cum puero, sine vllo splendore regio, in summa paupertate, Deus enim consolationes aliquando post tentationes submittit, aliquando præmittit, vt aduersus futura scandala & tentationes præmuniat. Illa igitur stella Magi ita confirmati sunt, vt ingredientes, non aulam, sed domum publici diuersorij, nihil offendantur ignobili puerperio & pannoso infante: (Dicit enim Euangelista inuenisse ipsos *puerum cum matre*, hoc est, sine regio satellitio) sed prostrati puerum adorant. Et hæc adoratio, rectè quidem exponitur de externo gestu reuerentiæ & geniculationis: ita enim vocabulum illud in Scriptura vsurpatur, & Matthæus addit: *procidentes adorarunt*. Nolim tamen hunc locum de adoratione simpliciter prophana seu ciuili interpretari: quia Magos aliquid veræ agnitionis de Messia habuisse non dubito. Cùmque ad Scripturam in propheta Michæa deducti essent, personam & officium huius regis inde didicerunt rectè agnoscere. Atque hac agnitione & fide, quam ex Michæa didicerunt, puerum adorarunt.

Solenne autem fuisse Persis, Reges suos cum muneribus adire, quando ipsis reuerentiam exhibere volebant, ex omnibus historiis notum est. Imo in reliquo etiam Oriente vsitatum fuit, sumere dona cuiusque terræ peculiaria & præstantissima: sicut ex donis, quæ Iacob Domino Ægypti mittit, manifestum est, Gen. 43. v. 11. & quæ regina Sabæa Salomoni offert, 3. Reg. 10 v. 2. & Persis, transmissis sinu Persico, vicina est Arabia felix siue Saba, cuius terræ propria & præstantissima dona sunt *aurum* optimum; *Thus* & *Myrrha*. Quia igitur in toto Oriente, hæc dona in summo habebantur precio: & Magi externis muneribus volebant declarare quàm præclarè de nato rege Iudæorum sentirent, non itaque vulgaria dona Persiæ sumpserunt, sed quæ ex vicina Saba allata, apud Persas in summo erant precio. Et quod dicuntur *aperuisse thesauros* suos, dupliciter potest accipi: vel quòd non exiguum fuerit munus sed quasi thesaurus. vel quòd de illis, quæ domi pro thesauro carissimo & preciosissimo recondita habebant, dona sumpserint, quibus reuerentiam suam erga natum regem Iudæorum testatam facere volebant. Et hæc expositio conuenit phrasi Scripturæ, Deut. 28. v. 12. Aperiet Dominus thesaurum suum cœlum, vt tribuat pluuiam. Psalm. 17. v. 14. de thesauris absconditis tuis impletus est venter eorum. Hæc est historica & simplicissima sententia de Magorum muneribus, quæ ideo in specie à Matthæo recensentur, vt consideretur impletum; quod scriptum est, Isa. 60. vers. 6. & Psalm. 72. v. 15. Munera offerent, aurum, & thus deferentes. Dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt coram eo. His verò muneribus, iuxta quorundam sententiam, Deus voluit Mariæ prospicere de viatico, cùm mox in Ægyptum fugiendum esset. Patres verò opinati sunt, sicut in tota historia, ita etiam in muneribus aliquid subesse mysterij, quia vsurpatur verbum offerendi. Et Chrysostomus dicit: Licè Magi tunc quid significaretur non intelligebant, sed morem patriæ suæ sequebantur: voluisse tamen Deum aliquid subesse mysterij. Bernhardus dicit; si solùm aurum obtulissent, videri possent, voluisse matris paupertati subuenire; sed quia addunt thus & myrrham, aliquid mysterij subest. Augustinus allegoriam ita format: Aurum obtulerunt, tanquam regi magno: oblatio thuris fuit confessio, puerum esse Deum: Thus enim in sacrificiis Deo immolabatur: & quia mortuorum corpora myrrha condiebantur, putat obligationem myrrhæ fuisse testificationem, quòd agnoscant, regem illum pro salute omnium moriturum. Hanc significationem Iuuencus vno versiculo complexus est: Aurum, thus, myrrham, Regíque, hominíque, Deóque, dona ferunt. Gregorius interpretatur significatum fuisse per aurum, gentes debere Christo offerre veram agnitionem & fidem: per thus ardentem orationem: per myrrham carnis mortificationem. Alij per tria munera intelligunt sensum Scripturæ, historicum, moralem, allegoricum. Alij dicunt Logicam, Physicam & Ethicam à gentibus debere adduci, in famulatum fidei Christi. Sed historica sententia, vt simplicissima, ita etiam certissima est. Verbum enim Offerendi, vsurpatur non tantùm de sacrificiis, verum etiam de ægrotis, qui Christo sanandi afferebantur, Matthęi 9. vers. 2. & trigesimo secundo, & decimo quarto, vers. trigesimo quinto. Item obtulerunt ei denarium, Matth. 22. v. 19. Et paruuli ei oblati sunt. Marc. 10. v. 13. Et Syrus habet, obtulerunt ei dona, seu munera. Quod verò ex trib. muneribus voluerunt colligere, tres fuisse Magos, Leo quidem Magnus aliquoties illud repetit: sed ne Lyrano quidem hoc probatur, qui rectè sentit, singulos obtulisse tria munera. Et opus imperfectum Chrysostomi numerat 14. Magos. Ineptius verò est, quòd finxerunt Magorum nomina Hebraica fuisse Appeleius, Aurelius & Damascus: Gręca, Galath, Malgalath & Sarathim: Latina, Gaspar, Balthasar, Melchior: Etsi enim nomina illa posterio-

posteriora, quæ Hebræa sunt, propter certas significationes non malo consilio conficta videri possunt, vt essent commonefactio, Melchior, id est, Reges: Balthasar, id est, præfectos militares: Gaspar, id est, scribas seu consiliarios debere regno Christi officiis suæ vocationis inseruire: tutius tamen est à fictionibus abstinere, & quæ certa sunt retinere. Quàm diu vero Magis Bethlehem apud Mariam & puerum manserint, certo non potest colligi. Verisimile est autem, non ita irruisse in domum ad Mariam, vt nihil præfati prociderint: sed sine dubio, quæ in Oriente & Ierosolymis acciderant, exposuerunt. Nec cogitandum est, ipsos statim post adorationem tergum Mariæ obuertisse: sed sicut iussi erant ab Herode, singula diligenter inquirere de puero, sine dubio, multa sciscitati sunt ex Maria, & ex ipsa cognouerunt reuelationes diuinitùs factas, in conceptione & natiuitate huius pueri. Non tamen potuerunt diu ibi hærere, propterea quòd Herodes, qui in vicinia omnia poterat obseruare, non passus fuisset ipsos in ciuitate Dauid, occasione longioris moræ, spargere, augere & confirmare famam, de nato rege Iudæorum, sed reuocasset ipsos. Et contextus historiæ ostendit, cùm Herodes adhuc esset in expectatione reditus Magorum, ipsos iam discessisse. Euangelista verò hoc tantùm dicit: Illa nocte, cùm ad discessum iam præparati essent, *admonitos fuisse oraculo diuino*, de ratione itineris. Magos igitur nihil doli vel insidiarum suspicatos esse de Herode, sed voluisse ad ipsum reuerti, & singula referre, quod arbitrabantur omnibus, & præcipue potentibus, gratam fore huius regis natiuitatem, inde colligitur, quod diuino oraculo admonendi fuerunt, *ne ad Herodem redirent*. Et sine dubio, oraculum diuinum ipsis exposuit insidias & pericula, quæ ab Herode, & puero & ipsis Magis imminerent. Voluit autem Deus hac ratione, Magis etiam illam agnitionem præbere, quale futurum esset regnum huius pueri, scilicet sub cruce, expositum insidiis & persecutionibus potentum & sapientum, in hoc mundo. Ergo, non huius mundi regnum est, sed spirituale & cœleste. Simul tamen pulcerrimam illam proponit consolationem: Cùm Herodes dolum ante ita instruxisset, vt Magi nihil mali suspicarentur, sed securè dormirent, redituri ad præsentissimum periculum, non dormit, nec dormitat, qui custodit Israel, Psalm. 121. vers. 4. sed vigilat super Magos in bonum, Ier. 31. v. 28. Certum igitur est, Deum Ecclesiam inter hostium insidias & fremitus defendere: sed modus defensionis mirabilis est. Non enim opponit Herodi potentiam suam, sed iubet Magos declinare & fugere, & ex illo oraculo Magi sine dubio, multa de regno Christi rectiùs didicerunt intelligere. Elegans autem hoc loco vocabulum est χρηματίζεσθαι. Commentator Sophoclis annotat, χρησμὸν dici responsum seu oraculum, quod immediatè à Deo datur; μαντεία verò, quod per homines redditur. Idem etiam Hieronymus obseruauit. Et in Scriptura etiam vsurpatur, principaliter de oraculo, quod immediatè à Deo redditur, vt Noë, Heb. 11. v. 7. Mosi, Heb. 8. v. 5. populo Israel, Hebr. 12. v. 25. Eliæ, Rom. 11. v. 4. Et 3. Reg. 19. vers. 18. Hebræus habet verbum & vocem Domini, Paulus reddidit χρηματισμός. Et reuelatio Simeoni facta, Luc. 2. v. 26. describitur verbo χρηματίζεσθαι. Vsurpatur tamen etiam de patefactione mediata: vt Act. 10. v. 22. Cornelius ab angelo χρηματίσθη. Siue igitur immediatè, siue mediatè, per angelum, oraculum illud Magis datum sit, verbum seu vocem Domini fuisse, colligitur ex 3. Reg. 19. v. 18. & ex historia Simeonis, Luc. 2. v. 26. Origo autem significationis inde sumpta est. Dicitur enim de Magistratibus, quando dandis responsis, reddendo iure, explicandis & constituendis publicis rebus vacant, Ita Suidas illud Appiani, τοῖς φιλεχθροῖς ἐχρημάτιζε, explicat per ἀποκρίνεσθαι, κατηγορεῖν & ψηφίσματα διδόναι, ψηφίσματι χολάζειν. Et hæc significatio pulcrè conuenit huic loco, quòd cùm meditetur Herodes excidium Christi & Ecclesiæ, Deus quasi pro tribunali, reddendo iure & dandis responsis sedet, & occupatus est negotio illo Ecclesiæ administrando & ritè disponendo. Et quidem cùm Magi ignari insidiarum Herodis non sollicitent Deum, accipiunt ab ipso responsum. Nam de precibus etiam Ethnici verbum illud vsurpant, vt Lucianus inquit, Postquam Iupiter satis diu precibus ἐχρημάτισε, id est, vacauit & de iis statuit. Noster verò Deus Magis non petentibus, cùm esset in summo discrimine, χρηματίζει. Syrus habet verbum אזח quod de Prophetarum visionibus vsurpatur.

Hæc de historia Magorum prolixiùs aliquantò annotare volui, quia in his primitiis gentium Deus monstrauit, & quasi dedicauit gradus, per quos illi, qui ex gentibus conuertuntur, ad veram agnitionem prouehantur, confirmentur & Proficiantur. Et Magi in suam regionem reuersi, sine dubio in inchoata agnitione profecerunt, & alios ad eam adduxerunt. Verisimile enim est, quod Chrysostomus annotauit, Thomam, cùm postea in illas partes prædicationem Euangelij afferret, testificatione Magorum multum fuisse adiutum.

CAPVT VNDECIMVM

HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM, DE PVRIFICATIONE MARIÆ, ET de præsentatione pueri Iesu in templo: quo tempore simul accidit historia Simeonis & Hannæ in templo, Luc. 2.

RATIO ORDINIS.

Dies purificationis, quandiu puerpera se domi continebat, certus est. In lege enim Leuit. 12. vers. 1. à die partus numerantur primò septem, deinde triginta tres dies. Quod igitur ad ἀκολουθίαν attinet, historia purificationis necessariò ponenda est ante fugam in Ægyptum. Et in præcedenti capite dictum est, ordinem illum historicum simplicissimum esse, quod interea, dum Herodes Magorum, qui in loco propinquo Bethlehemi iussi fuerant puerum quærere, reditum, sicut inter ipsos conuenerat, expectat, puer Iesus in templum inducitur, & ex illa fama Herodes intellexit, se à Magis delusum. Et quia iuxta prophetiam Haggæi debebat ad templum venire, vt desideratus gentibus, ideò mox post Magorum adorationem hæc historia commodè sequitur. Et diuersæ quidem, seu distinctæ historiæ sunt purificationis, & Simeonis ac Hannæ, vt singulis peculiare caput in Harmonia posset tribui: Sed quia eodem tempore, & quidem eadem occasione purificationis acciderunt, vno capite in Harmonia eas complecti volui, ne numerus capitum nimium excresceret. Explicationes tamen distinctis periochis proponam. Qui aduentum Magorum ponunt ante purificationis historiam: sentiunt, parentes peractis purificationis ceremoniis, cum puero rediisse Nazaretham, & ibi paulò post angelum Iosepho attulisse mandatum de arripienda fuga Sed & hæc opinio, circumstantiis historiæ non satis conuenire videtur. Quia enim illis diebus, Herodes fuit Hierosolymis, Matt. 2. v. 3. celebris fama, de illustribus testimoniis, die purificationis, in templo publice editis, non potuit diu ipsum latere. Cùmque Ioseph, accepto Angeli mandato, statim & quidem noctu, ne in manus Herodis incideret, secesserit, non videtur verisimile, ex Nazaretha per totam Iudæam, cùm quidem circa Hierosolymam, vbi Herodes erat, transeundum esset Iosepho, vt manibus Herodis puerum subduceret, fugisse in Ægyptum. Et quod præcipuum argumentum est, Iosephus rediens ex Ægypto non voluit, nisi Angelo iubente, in Galilæam migrare, cùm existimaret, Messiam vel in ciuitate Dauidis, vel in parte aliqua tribus Iuda, educandum. Ergo, nec priùs priuato suo consilio, statim post purificationem, Nazaretham secessisse videtur. Solet autem Lucas historias aliquando ita contexere, vt scribat, post hoc secutum illud, insinuans interponenda ea, quæ ab aliis Euangelistis, tanquam interea facta annotata sunt. Sicut igitur cap. 4. vers. 14. finitis tentationibus Christi Lucas mox subiügit: Et regressus est Iesus virtute Spiritus in Galilæam. Quod certè interiectis ex Ioanne multis aliis intelligendum est, vt quando regressio illa facta sit, ex aliis Euangelistis sumatur: Ita hoc loco dicit, parentes peracta purificatione reuersos Nazaretham, interiectis scilicet illis, quæ sciebat & legerat à Matthæo descripta. Atque ita ex Matthæo sumendum est, quomodo & quando post purificationem in Galilæam redierint. Illa igitur clausula ex Luca, poterit contextui Matthæi, in forma Harmoniæ, commodissimè hoc modo inseri: *Digressis autem Magis, & cùm perfecissent omnia secundùm legem Domini. Ecce Angelus Domini, &c.* In quo verò loco Angelus Iosepho mandatum de fuga dederit, & vnde Ioseph fugerit, certò non constat. Quidam sentiunt,

in ciuitate Bethlehem hoc factum, statim post Magorum discessum. Et Mariam priùs voluisse ritus purificationis perficere. Sed Matthæus dicit, Iosephum statim illa nocte, quando mandatum accepit, fugam arripuisse. Videtur itaque nocte purificationem sequente, angelum Iosepho Hierosolymis apparuisse: nisi quòd seræ portarum Hierosolymitanarum describuntur obseratæ, Psalm.147.vers.13. vt noctu inde fugere non potuerit. Sunt igitur qui sentiunt, quòd, iuxta Lucam, Ioseph fuerit in itinere, rediturus ex Hierosolymis in Galilæam, & in illo itinere ipsum mandatum fugæ accepisse. Sed de his coniecturis, quisque, vt videbitur, iudicet. Noctu certè tempore pacis patuisse ingressum & egressum ex vrbe Hierosolymorum, ex historia passionis colligitur.

HISTORIA PVRIFICATIONIS MARIÆ ET præsentationis Christi in templo, Luc.2.

22. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν κατὰ τὸν νόμον Μωσέως, ἀνήγαγον αὐτὸν εἰς Ἱεροσόλυμα, παραστῆσαι τῷ Κυρίῳ.	22. *Et posteaquam completi fuissent dies purgationis eorum, secundùm legem Mosis, adduxerunt Hierosolymam, vt sisterent eum Domino.*
23. Καθὼς γέγραπται ἐν νόμῳ Κυρίου· Ὅτι πᾶν ἄρσεν διανοῖγον μήτραν, ἅγιον τῷ Κυρίῳ κληθήσεται.	23. *Sicut scriptum est in lege Domini: Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.*
24. Καὶ τοῦ δοῦναι θυσίαν, κατὰ τὸ εἰρημένον ἐν νόμῳ Κυρίου, ζεῦγος τρυγόνων, ἢ δύο νεοσσοὺς περιστερῶν.	24. *Et, vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.*
25. Καὶ ἰδοὺ, ἦν ἄνθρωπος ἐν Ἱερουσαλὴμ, ᾧ ὄνομα Συμεὼν· καὶ ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος καὶ εὐλαβὴς, προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ Πνεῦμα ἅγιον ἦν ἐπ' αὐτόν.	25. *Et ecce homo erat Hierosolymis, cui nomen Simeon: & homo iste iustus ac pius, expectans consolationem Israel; & Spiritus sanctus erat super eum.*
26. Καὶ ἦν αὐτῷ κεχρηματισμένον ὑπὸ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, μὴ ἰδεῖν θάνατον πρὶν ἢ ἴδῃ τὸν Χριστὸν Κυρίου.	26. *Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem nisi priùs videret Christum Domini.*
27. Καὶ ἦλθεν ἐν τῷ Πνεύματι εἰς τὸ ἱερόν· καὶ ἐν τῷ εἰσαγαγεῖν τοὺς γονεῖς τὸ παιδίον Ἰησοῦν, τοῦ ποιῆσαι αὐτοὺς κατὰ τὸ εἰθισμένον τοῦ νόμου περὶ αὐτοῦ.	27. *Et venit per Spiritum in templum, & cùm inducerent puerum Iesum parentes, vt facerent secundùm consuetudinem Legis pro eo.*
28. Καὶ αὐτὸς ἐδέξατο αὐτὸ εἰς τὰς ἀγκάλας αὐτοῦ, καὶ εὐλόγησε τὸν Θεὸν, καὶ εἶπε.	28. *Ipse quoque accepit eum in vlnas suas & laudauit Deum, ac dixit:*
29. Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου δέσποτα, κατὰ τὸ ῥῆμά σου, ἐν εἰρήνῃ.	29. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum, in pace.*
30. Ὅτι εἶδον οἱ ὀφθαλμοί μου τὸ σωτήριόν σου.	30. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.*
31. Ὃ ἡτοίμασας κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν.	31. *Quod parasti ante faciem omnium populorum.*
32. Φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, καὶ δόξαν λαοῦ σου Ἰσραήλ.	32. *Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.*
33. Καὶ ἦν ὁ πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ θαυμάζοντες ἐπὶ τοῖς λαλουμένοις περὶ αὐτοῦ.	33. *Et erant pater & mater eius mirantes super his, quæ dicebantur de illo.*
34. Καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς Συμεὼν, καὶ εἶπε πρὸς Μαριὰμ τὴν μητέρα αὐτοῦ· Ἰδοὺ, οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραὴλ, καὶ εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον.	34. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicitur.*
35. (Καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία) ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί.	35. *(Quin & tuam ipsius animam penetrabit gladius.) Vt retegantur ex multis cordibus cogitationes.*
36. Καὶ ἦν Ἄννα προφῆτις θυγάτηρ Φανουὴλ, ἐκ φυλῆς Ἀσήρ· αὕτη προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς, ζήσασα ἔτη μετὰ ἀνδρὸς ἑπτὰ ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς.	36. *Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in multam ætatem, & vixerat cum viro annis septem, à virginitate sua.*
37. Καὶ αὕτη χήρα ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, ἣ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν.	37. *Et hæc vidua annorum fermè octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniis ac deprecationibus seruiens noctè ac die.*
38. Καὶ αὕτη αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἐπιστᾶσα ἀνθωμολογεῖτο τῷ Κυρίῳ, καὶ ἐλάλει περὶ αὐτοῦ πᾶσι τοῖς προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ.	38. *Et hæc eâdem horâ, superueniens vicissim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Hierosolymis.*
39. Καὶ ὡς ἐτέλεσαν ἅπαντα τὰ κατὰ τὸν νόμον Κυρίου, ὑπέστρεψαν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, εἰς τὴν πόλιν αὐτῶν Ναζαρέθ.	39. *Et vt perfecerunt omnia, secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth.*

Periocha Historiæ purificationis, & de primogenitis Domino sistendis.

DVas historias, de purificatione & de primogenitis, Lucas simul sua descriptione persequitur. Prudenter itaque videndum est in textu, quæ ad hanc, quæ ad illam historiam pertineant, ne contextum ita accipiamus, quasi pro redemptione primogeniti, par turturum fuisset oblatum, quod imprudenter à quibusdam factitatum est. Quod igitur ad historiam purificationis attinet, tempus purificationis notum & certum est, Leuit.12. v.2. vbi numerantur primò 7. & deinde 33. dies, qui iuncti faciunt 40. Non enim probo illorum sententiam, qui tantùm 33. dies purificationis numerant.

Non autem instituti nostri est, explicare totam doctrinam, de purificatione, & de primogenitis: sed ea tantùm, quæ ad declarationem huius historiæ facere videbuntur, breuiter annotabimus.

Certum igitur est, totum ritum purificationis Leuit.12. vers.1. fuisse pædagogiam admonitricem, de peccato originali, propter cuius immundiciem, excludebantur à conspectu Dei, & à cõmunione sanctorum, nisi fieret expiatio, sicut puerpera

pera immunda excludebatur ab ingressu templi, & à consortio populi. Et pulcerrima sanè fuit pædagogia, si circumstantiæ rectè considerentur. Octauo enim die, infans accipiebat circumcisionem, sigillum applicatæ iustitiæ fidei, quam Paulus Rom.4.v.7. definit esse eius hominis, cui tecta sunt peccata, vt non imputentur. Et tamen post acceptam remissionem peccati originalis, puerpera adhuc immunda purificanda est quadragesimo die. Nec ad puerperam tantùm pertinebat ritus purificationis. Lex enim disertè inquit: Cùm impleti fuerint dies Purificationis, siue pro filio siue pro filia, deferet sacrificium. Ac propterea vocatur hoc loco, *purificatio αὐτῶν ipsorum*. Hæc igitur pædagogia fuit commonefactio de reliquiis peccati originalis: venenum scilicet eius, radices suas tam altè fixisse in natura humana, vt etiam post remissionem in circumcisione acceptam, & post inchoatam mortificationem, reliquiæ eius maneant & hæreant in carne, contra quas perpetua lucta vsque ad mortem pugnandum sit homini iustificato. Et reliquias illas, post acceptam circuncisionem, non esse rem vel sanctam, vel indifferentem, sed quæ continuè sit purificanda & expianda fide sacrificij Messiæ. Et hoc voluit Deus ritu illo Purificationis ostendere. Et quidem ipsos parentes renatos legali immunditia voluit cõmonefacere, in carne ipsorum habitare peccatum, quòd carnali generatione transmittatur ad liberos, & faciat illos reos iræ Dei, nisi fiat expiatio. Hæ Mosaicæ pædagogiæ fuerunt pulcerrimæ conciones, de peccato originali, & de reliquiis eius.

Et in omnibus aliis puerperis & infantibus facilè potest intelligi vsus huius pædagogiæ. In puerpera verò Maria, & in puero Iesu, difficilis est quæstio, præsertim cùm Lucas dicat, fuisse purificationem non αὐτῆς tantùm, sed sicut omnia fermè Græca exemplaria habent, αὐτῶν: vt purificatio pertineat non tantùm ad Mariam matrem, sed ad puerum Iesum. Iam Maria non peperit, suscepto immundo semine ex viro, sicut lex dicit, Leu.12.v.2. & in puero Iesu, nec peccatum originale, nec reliquiæ eius hærent. Nam, quod ex Maria natum est, sanctum vocatur Luc. 1. v. 35. hoc est, ab omni peccato alienum, Heb.7.v.26. Quæstio igitur est, Quare ritum Purificationis, iuxta legem Maria susceperit, pro filio? Thomas respõdet: Ideò hoc factum esse, vt cùm causam nullam haberet, sed libera esset ab illa lege, exemplo suo ostenderet, pios charitatis & publicæ concordiæ gratia, vsitatis & receptis moribus externa obedientia posse & debere se accommodare. Sed hæc sententia facit tantùm politicum spectaculum ex hac historia Purificationis; & præterquàm quòd ex seriis illis actionibus facit externas simulationes, obscurat etiam multa pulcerrima mysteria, sicut in historia circumcisionis diximus. Ita ergo aspicienda est hæc historia Purificationis, quòd puer ille, qui in sua persona est Sanctus sanctorum, Dan.9.v.4 suscepit in se peccata totius mundi. Et quod de peccato originali in historia Circumcisionis diximus, idem de reliquiis eius in historia Purificationis dicendum est, quòd scilicet voluerit se sistere Domino, vt agnum, onustum peccato illo, quod in carne omnium renatorum habitat, Rom.7.v.18. Et holocaustum quidem offerebatur in gratiarum actionem pro accepta prole, & pro felici partu; Agniculum verò vel par columbarum dicit Lex pro peccato offerri debere. Ibi Iudæi suo more ludunt, de peccato periurij, quòd mulier in doloribus partus iurauit, se non congressuram amplius cum viro. Alij sollicitè de specie certi peccati in puerperio commissi inquirunt. Sed simplicissimum est de originali peccato, in carne & matris & prolis habitantis, intelligere. Christus igitur huic legi se subiecit, vt ostenderet, figuras legis in se impleri, qui per semetipsum facturus esset purificationem peccatorũ nostrorum. Hebr. 1. vers. 3. hoc est, se esse verum illum agniculum, cuius holocausto expietur immundicies puerperæ & infantis, cuius figura erat Leuitica illa purificatio, Leu.12.v.1. Et hanc arbitror causam esse, quòd obtulerunt non agnum, sed par columbarum. Aderat enim iam verus agnus Dei. Et ex Mose quidem colligitur, hoc esse argumentum paupertatis Mariæ. Ita enim inquit: Quòd si non inuenerit manus eius sufficientiam agni, sumet vel par turturum vel columbarum. Sed quia recens à Magis munera auri acceperant: item, thuris & myrrhæ, quorum permutatione facilè potuisset agniculum comparare, existimo igitur, ad significandam impletionem figuræ hoc factum esse. Quia enim verus agnus aderat, non obtulerunt typicum, siue Maria mysterium hoc intellexerit, siue Deo gubernante, facta fuerit talis collatio vmbræ, & eius impletionis.

Altera est historia, de primogenitis Domino sanctificandis. Et ne huius quidem legis integram explicationem instituemus. Fuit enim monimentum historiæ præteritæ, Exo.13 v.2. & 15. & pars sustentationis ministerij, Num.18.v.9. & 11. Sed illa huc non pertinent. Tantùm igitur, figuram illam, quæ in Christo, primogenito omnis creaturæ, impleta est, tractabimus. Nota auté est historia, Exo.12.v.29. quomodo Dominus percusserit omne primogenitũ Ægypti, & quare Angelus vastator, primogenita Israelitarũ non læserit, & propter istius historiæ memoriam dicit Dominus, se instituisse consecrationẽ primogenitorũ, Exo.13.v.15. Quod enim Lucas dicit: *sanctum Domino vocabitur*, idem est, quod lex dicit, sanctificabitur, seu consecrabitur Domino. Primogenitus enim, Gen.49.v 3 vocatur fortitudo & principiũ roboris. In excidio igitur primogenitorũ Ægypti præfiguratum fuit, iudicium & iram Dei nõ posse sustineri, ne ab illis quidem, qui præstantissimi sunt, in toto genere humano. Quòd verò Israelitarum primogenita non læduntur, non fit propter ipsorum præstantiam & dignitatem, sed propter aliam causam extra ipsos, Exod.12.v.7. Sãguine enim agni Paschalis postes linebantur. Ne verò bruto sanguini agni hæc virtus & efficacia tribuatur, instituit Deus sanctificationem primogenitorum, Exod. 1. v.23 Et in brutorum primogenitis, consecratio ita fiebat, quòd quæ non redimebantur, illa in sacrificium interficiebantur; hominum verò primogenita redimebãtur precio quinque siclorum, Num. 18.v.16. Vt autem aliud λύτρον, & alia redemptio, quàm quinque siclorum significari intelligeretur, dicit Num. 3. v. 12. se pro primogenitis filiorũ Israël accepisse Leuitas, & ideo redimi posse primogenitos hominum, quia Leuitæ loco illorũ consecrati sunt Domino. Fuisse autem Leuiticum sacerdotium figuram Christi non est dubium. Atque ad declarationem huius figuræ, quidam primogeniti Domino ita consecrabãtur, vt non redimerentur; sicut Samuel 1. Reg.1.vers.28. Ex his colligi poterit, quomodo figura illa sit in Christo, cũ Domino sisteretur in templo. Significatum enim fuit, omnes primogenitos, hoc est, etiam præstantissimos ab angelo vastatore debere interimi, Exod.12.v.12. Nisi vnus aliquis primogenitus figuratus per sacerdotium Leuiticũ se Domino sanctificet, vt ita redimantur, Numer. 18.v.15. Atque ideo Iohan. 17.v.19. Christus inquit: Ego me sanctifico pro eis. Et Matt. 20. v.28. Dedit animam λύτρον multis.

Alia significatio hæc fuit. Primogenitis debebatur maior portio hæreditatis, Deut. 21.v.17. & reliqui fratres à primogenito, cui regnum & sacerdotium debebatur, tanquam Domino pendebant, & fortunas suas inde habebant, Gen. 25. v. 31. 27.v.36. 49. v. 3. Hinc ius primogenituræ, tam celebre nomen habet in Scriptura. Et propter harum figurarum impletionem, Christus Saluator vocatur, per Antonomasian ὁ πρωτότοκος, primogenitus ille, Matt. 1.v.25. & Luc. 2.v.7. non ideo tantùm, quòd Mariæ primogenitus sit, sed quòd sit verus ille primogenitus, per figuram primogenitorum, in filiis Israel significatus. Vt igitur ostendat, & hanc partem figuræ in se impleri, iam in templo iuxta legem se Domino sistit, pro redemptione omnium primogenitorum, ne ab Angelo vastatore exterminentur. Et propter illum primogenitum regem & sacerdotem nostrum, nos reliqui fratres eius accipimus adoptionem, efficimur hæredes Dei, & cohæredes Christi. Ideo Rom. 8. v.29. Paulus dicit: Vt sit primogenitus inter multos fratres. Et hæc appellatio primogeniti, propter hanc causam, tribuitur Messiæ, in Veteri Testamento, non tantùm in figura, sed expresse tribuitur personæ Messiæ. Psal.89.v.28. Primogenitum ponam eum. Hebr.1 v 6. Cùm introduceret primogenitum in orbem terrarum, inquit, Psalm.97.v.7. Adorent eum omnes Angeli.

Ex his fundamentis, extrui potest pulcerrima explicatio huius historiæ. Et verba obseruentur, quod Lucas dicit: παραστῆσαι, *Vt sisterent eum Domino*, scilicet tanquam verum illum primogenitum, ac ipse postea subiturus crucem, Ioh.17. v.19. inquit: Ego me sanctifico pro eis &c. Sistit se igitur Domino: 1. Cum hac obligatione, quòd sit ille primogenitus, figuris Veteris Testamenti significatus, qui se velit sanctificare Domino, victima corporis sui, vt nos redimamur, ne ab angelo vastatore exterminemur. 2. Quia est ille primogenitus, cui pater dedit hæreditatem terminos terræ, Psalm.2.v.8. & quem constituit hæredem vniuersorum, Heb.1.v.2. Sistit se igitur domino postulans gentes hæreditatem suam, Psal.2. v.8. vt propter illum primogenitum nobis detur potestas, filios Dei fieri, Iohan.1.v.12. & recipiamur in communionem hæreditatis, Rom.8.v.17. Et ideo Lucas non dicit, datum fuisse pretium redemptionis, Num.18.v.16. cùm primogenitus Mariæ sisteretur Domino: quia sistebatur Domino cum hac obligatione, quòd ipse daturus esset animam suam λύτρον, redemptionem pro multis. Nam par turturum aut duo columbi, pertinent ad sacrificium Purificationis.

Quod verò postea sequitur, *vt facerent pro eo iuxta legem*, hæc Lucas in præcedentibus explicat. [*vt* scilicet *sanctum vocetur*] seu consecretur & sanctificetur Domino. Non ergo fuit simulatum, ludicrum, vel saltem politicum spectaculũ, quando impletis diebus purificationis eorum, & oblatis sacrificiis

puer Iesus sistebatur Domino in templo: sed plena sunt omnia augustissimis mysteriis, ex quibus capita tantùm breuiter annotaui. Plenior enim explicatio alterius argumenti est.

Periocha Historia Simeonis, testificantis in templo de puero Iesu.

VAlde illustre est testimonium, quod Simeon & Hanna puero Iesu in templo præbent. Nec dubium est, multos pios, qui redemptionem Israeli promissam expectabant, hac testificatione motos fuisse: sicut Lucas ipse in fine historiæ indicat. Hactenus enim pastores homines obscuri, & Magi exteri, alieni à politia Israel, & extranei fœderis, nulla legis aut Scripturæ notitia celebres, testificati sunt de nato Rege Iudæorum. Nunc verò in ipso templo, à duabus personis, quę scientia Scripturæ, dono prophetiæ, vitæ pietate & integritate apud omnes celebres & illustres erant, testimonium huic puero redditur: quòd sit *salutare præparatum ante faciem omnium populorum.*

Et quando Lucas in hac historia dicit, *parentes miratos esse, de his quæ dicebantur de puero*, significat, ipsos huic testificationi præ cæteris plurimum tribuisse. Ideo Euangelista non tantùm testimonium Simeonis & Hannæ recitat, sicut de pastoribus & Magis factum: sed orditur ab accurata descriptione personarum.

De Simeone igitur primùm dicemus. Lyra, cum aliis quibusdam, existimat Simeonem fuisse ex collegio sacerdotum: propterea, quia legitur benedixisse & puero & parentibus, quod ad officium filiorum Aaron pertinebat, Num.6.v.23. Alij fecerunt Simeonem summum sacerdotem. Sed falsi sunt neglecta supputatione temporum. Fuit enim Simeon quidam, cognomento iustus, summus Pontifex: sed annis amplius ducentis ante natum Christum. Et Theophylactus obseruauit, Lucam describere Simeonem non vt Sacerdotem. Dicit enim: *Erat homo quidam*: cùm descriptionem Zachariæ sacerdotis aliter instituat. Nec argumentum, quod à benedictione sumitur, probare potest fuisse Sacerdotem. 3 Reg.8.v.14. Rex Salomon benedicit Ecclesiæ Israel, & populus benedicit Regi. Et Lucas ostendit, non fuisse ordinariam Simeonis dare benedictionem: quia peculiari impulsu Spiritus illa hora venit in templum. Nec vsitatam benedictionem sacerdotum Simeon recitat, sed extraordinaria, peculiari reuelatione Spiritus sancti, ex Scriptura sumptam. Fuisse igitur Simeonem sacerdotem, nullis idoneis argumentis probari potest.

Alij contrà sentiunt, fuisse plebeium & obscurum hominem: propterea quòd Lucas dicit, *Erat homo in Ierusalem.* Sed & de Iohanne Baptista dicitur: Erat homo, &c. Et manifestum est, consilium Lucæ hoc esse, vt ostendat, ex personæ celebritate, testimonio eius auctoritatem conciliatam fuisse Hierosolymis. Dicam igitur, quam sententiam iudicem esse probabiliorem.

Petrus Galatinus, recitans Rabinorum sententiam, de perpetua & ordinaria successione à Mose vsque ad Esdram, & ab Esdra vsque ad Simeonem iustum, & Gamalielem, dicit Ionathan, qui quadraginta annis ante natiuitatem Christi edidit Thargum, hoc est, paraphrasin Chaldaicam librorum Veteris Testamenti, fuisse auditorem Hillelis, cuius filius fuerit Simeon iustus, qui præceptor fuit Gamalielis. Et quis Gamaliel, ad cuius pedes Paulus se in lege institutum esse affirmat, tempore Apostolorum fuit præcipua persona in Synedrio, Act.5.v.34. Conuenit ergo supputatio temporis, Simeonem, cognomento iustum, præceptorem Gamalielis, posse esse hunc, de quo Lucas scribit. Et licèt, contra hanc Galatini sententiam, alij ex Rabinorum commentariis quædam disputāt: existimo tamen, citra fidei periculum hoc modo Simeonis historiam illustrari posse. Magna enim confusio historiarum est in libris Rabinorum. Descriptio verò personæ, quam Lucas ponit, tali viro, sicut Galatinus eum describit, non malè conuenit. Videtur enim Lucas loqui de persona, cuius memoria à quadraginta annis, tempore Euangelistarum, adhuc celebris fuerit, viuente adhuc eius discipulo Gamaliele. Ideo ponit tam accuratam descriptionem personæ, & vulgare cognomentum *Iusti*. Nec mirum videri debet, si Deus talem virum ad agnitionem filij sui, vt testimonium de eo ferat, adduxerit. Idem enim fecit in Nicodemo, Ioan.3.v.1.& 19.v.39. Gamaliele, Act.5.v.34. & in Archisynagogis, Mar.5.v.22. Act. 18.v.17. vt hac ratione plures lucraretur. Ex hac obseruatione iudico historiam Simeonis plurimùm illustrari.

Videamus iam descriptionem, quam Lucas ponit. Et quia propter homines, apud quos testimonio Simeonis auctoritatem conciliare studet, hanc descriptionem instituit, orditur ab illis, quæ hominum conspectui exposita sunt. Qualis scilicet fuerit vita Simeonis. *Iustus*, inquit, *erat*, *&* εὐλαβὴς *pius.* Mox verò progreditur ad interiora: qualis fuerit fides Simeonis: *Erat exspectans consolationem Israel.* Et inde, tanquam à fonte, rectè inchoatur explicatio: Qualis scilicet fuerit fides Simeonis. Adiuuabit autem explicationem significatio vocabulorum. Scriptura enim, quando loquitur de aduentu & beneficiis Messiæ, sæpe vtitur vocabulo consolationis. Ita cùm Noë nasceretur, inditum est ipsi nomen à promissione Messiæ: Ipse consolabitur nos à laboribus. Et vox præcursoris ita describitur, Isa.40.v.1. Consolamini populum meum. Et Esa.61.vers.1. Messias dicit; Spiritus Domini super me, vt consolarer lugentes. Ita etiam Isa.51.v.3.52.v.9.66.v.13. Ostendit itaque Lucas obiectum fidei Simeonis fuisse Messiam promissum, cum beneficiis ipsius: quæ vocabulo consolationis complectitur. Et qualem consolationem intellexerit, canticum ipsius indicat: quòd scilicet non expectarit potentiam, opes & voluptatem huius mundi: quia iam moriturus fide in salutare Dei, in pace petit dimitti. Et vocabulum Consolationis monstrat antithesin, agnitionem scilicet miseriæ, quæ fidem impellit, vt quærat & expectet consolationem. Nec verò fuit nuda tantùm agnitio in mente Simeonis de promissa consolatione. Lucas enim ponit vocabulum προσδεχόμενος, & expectationem esse motum in voluntate certum est. Periphrasis igitur, & vera descriptio fidei est, quod Lucas de Simeone inquit; *Expectans consolationem Israelis.* Sed quia Iudæi omnes etiam in expectatione, venturum aliquando promissum Messiam, mirum videri possit, quare hoc tanquam peculiare & eximium aliquid Simeoni tribuatur. Duæ autem potissimùm causæ sunt. 1. Reliqui nescio quas externas commoditates in promissionibus de Messia quærebant: Simeon autem veram consolationem, de qua Prophetæ docuerunt, expectabat. Moriturus enim exultat de Messiæ aduentu & officio. Et ex eo ipso, quod hoc quasi rarum & peculiare Lucas de Simeone prædicat, ostendit, in paucis tunc temporis fuisse veram agnitionem seu fidem Messiæ. 2. videtur illa phrasi & hoc significari: quòd Simeon, iuxta Prophetarum vaticinia, credidit aduentum Messiæ non procul abesse. Ita Ioseph Luc. 23.v.51. dicitur expectasse regnum Dei. Et Lucas dicit de illis, qui expectabant redemptionem, scilicet non à longè venturam aliquando, sed in foribus iam esse.

Ex illa verò fide Simeonis orti sunt fructus, quos Lucas celebrat: quòd scilicet *fuerit iustus, &* εὐλαβὴς. Et huius vocabuli explicatio ostendet, quod sit discrimen inter hæc duo. Significat autem εὐλάβεια in genere sollicitum timorem, coniunctum cum reuerentia, ne praue agendo illum, quem reueremur, offendamus. Ita vsurpatur apud Plutarchum, in vita Periclis fol.53. Magna sollicitudine accedebat ad dicendum, ne qua vox excideret, quæ populum offenderet. Et in Cæsare vocat εὐλάβειαν erga Senatum. Ita vsurpatur apud Septuaginta, Leuit.15 v.31. Faciatis homines εὐλαβεῖς, ne contaminent se immunditiis in lege prohibitis. Hoc modo iustus referri poterit ad obseruationem præceptorum affirmatiuorum. Et εὐλάβεια significabit cauere & abstinere ab illis, quæ in lege prohibita sunt. Porrò apud auctores Græcos vsurpatur εὐλάβεια etiam in peculiari significatione, pertinente ad religionē erga Deum. Demosth. contra Midian. Vt videatis vestram in Deorum festis εὐλάβειαν & Midiæ ἀσέβειαν. Plutarchus in Coriolano fol.77. vocat εὐλάβειαν Romanorum in diuinis peragendis. Item in Fabio. In Camillo verò, inter superstitionem & Epicuræum Deorum contemptum, medium ponit εὐλάβειαν fol 45. Et iuxta hanc significationem simplicissimè ita potest distingui quòd εὐλαβὴς pertineat ad cultum Dei in prima tabula, δίκαιος ad officia erga proximum in secundā tabula.

Et hæc descriptio Simeonis ipsi communis est cum aliis piis. Quia enim agnoscit sibi opus esse consolatione: habet ergo 1. agnitionem peccati & miseriæ, quæ stipendium est peccati. 2. exspectat consolationem Israel, hoc est, habet veram fidem. 3. Iustus est & timens Deum, ambulans in nouitate vitæ, iuxta præcepta Decalogi. Et in his consistit summa totius pietatis.

Tribuit verò Lucas Simeoni præterea peculiaria quædam dona, quibus Deus ipsum ornauerat, sine dubio propter illud testimonium, quod in templo redditurus esset Christo, vt illud celebrius & maioris esset auctoritatis. Dicit autem: *Spiritus sanctus erat in ipso.* Hæc sententia peperit quæstionem, cùm Spiritus adoptionis sit in omnibus credentibus, quare peculiariter tribuatur Simeoni: & cùm præcedentia, expectationem scilicet Messiæ, iustitiam & timorem Dei, non potuerit habere sine Spiritu sancto. Quæstio est, quare repetatur illud, *Et Spiritus sanctus erat in ipso.* Sed est figura dictionis. Non enim dicit Spiritus sanctus erat ἐν αὐτῷ, sicut Rom. 8.v.9. de omnibus credentibus scriptum est, Spiritus habitat in vobis: sed *erat* ἐπ' αὐτὸν *super illum*, Obseruatio autem exemplorum ostendit

a Grandis hanc phrasin vsurpari de peculiaribus & extraordinariis donis & motibus Spiritus S. Ita Isa. 61. v. 1. Spiritus Domini super me. Num. 11. v. 26. de senioribus prophetantibus. Iud. 11. v. 29. de Iephthe, 1. Reg. 10. vers. 10. de Saul, & 19. v. 23. vbi Saul prophetat, &c. Et hoc loco explicatio subiungitur: *Spiritus Domini ita erat super ipsum, quòd responsum acceperat, &c.* Habuisse igitur Simeonem donum Prophetiæ certum est. Lucas verò illam tantùm reuelationem ponit. *Responsum accepit à Spiritu sancto*: quod per interiorem aspirationem videtur factum, quia additur *à Spiritu sancto*. Alii per externam aliquam apparitionem, vel in somnis factum putant: *non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.* Dictum autem est in præcedenti capite, in historia Magorum, de verbo χρηματίζεσθαι quid significet. Syrus simpliciter habet: dictum erat ei à Spiritu, &c. Nicephorus occasionem dati diuini responsi hanc tradit, Simeonem in lectione sententiæ Isa. 7. v. 14. de partu virginis varia cogitasse de vera explicatione: & cùm ardentibus votis peteret à Deo veram declarationem, raptum in extasi, hoc responsum, quod Lucas describit, accepisse. Ex Euangelistæ verò verbis hoc potest colligi, Simeonem antea ex vaticiniis Patriarchæ Iacob & Danielis intellexisse, tempus aduentus Messiæ non procul abesse. Ideò enim dicitur expectasse consolationem Israelis. Cùm igitur Spiritus propheticus super ipsum esset, & arderet desiderio aduentus Messiæ, quem sine dubio ardentissimis votis expetiuit, accepit responsum à Spiritu sancto, se viuente venturum Messiam. Imò Simeonem non priùs moriturum, quàm vidisset suis oculis præsentem Christum Domini. Videre enim mortem, hoc loco non accipitur, sicut Ioan. 8. Qui credit in me, non videbit mortem in æternum: Sed sicut Psalm. 89. v. 49. accipitur, Quis est homo qui viuit, & non videbit mortem?

Non autem illo primùm die aut hora, cùm parentes puerum inducerent in templum, Simeon responsum illud accepit: sed multò antè hoc factum fuerat, sicut Lucas inquit, *Erat illi oraculum datum à Spiritu sancto.* Et consideretur quàm illustris fuerit reuelatio. Ante natiuitatem Christi Simeon publicè in Scholis docuit, & quia habebat donum prophetiæ, non tantùm ipse intellexit: sed & discipulis suis & aliis ex dictis propheticis monstrauit, non procul abesse aduentum Messiæ: sceptrum enim erat ablatum, tempus Danielis reuelatum erat fermè elapsum. Et cùm hanc doctrinam traderet, responsum accepit à Spiritu sancto, se non visurum mortem, &c.

Datum autem ipsi fuit hoc responsum, non vt illud sibi priuatim in sinu occultaret: sed vt eius patefactione homines excitarentur. Celebre igitur fuisse inter ipsos responsum hoc Simeoni datum, certum est. Nec dubium est Spiritum, qui erat super Simeonem, aliis prædictionibus per ipsum factis fidem astruxisse & huic oraculo. Et quia Lucas in fine huius historiæ dicit: *Habuam loquutam esse omnibus, qui Hierosolymis expectabant redemptionem*, non est dubium multos fuisse, qui responsum illud ex Simeone antea audierant: & quia illi sedem habebant in ciuitate Hierosolymis, vbi Simeon erat, expectabant promissam redemptionem. Si hoc modo circumstantiæ huius historiæ examinentur & accipiantur, multò erit illustrior, quàm si cogitemus de obscuro aliquo homine, qui oraculum illud diuinum tacitus sibi tantùm reseruarit, nec cuiquam communicarit. Lucas igitur describit historiam, quæ sicut publicè gesta fuerat, ita eius memoria, illo cùm Lucas scriberet tempore, publicè adhuc nota erat; fuisse scilicet talem Simeonem, dono prophetiæ præditum, & ex illo multos audiisse, quòd tale responsum accepisset.

Cùm igitur parentes puerum Iesum inducerent in templum, vt sisterent eum Domino, Simeon non erat hic in templo, nec orandi gratia, tunc in templum ascensurus erat: *Sed in Spiritu venit in templum.* Vsurpatur autem hæc phrasis duobus modis. 1. de visionibus, quæ hominem rapiunt extra corpus, vt Ezec. 11. v. 24. Veni in visione & in Spiritu in Chaldæam. 37. v. 1. Eduxit me in Spiritu in campum. Apoc. 1. v. 10. Eram in Spiritu in die Dominica: Sed hanc significationem non potest hoc loco habere. Non enim in visione extra corpus, sed reuera in corpore Simeon venit in templum. 2. Alium igitur habet hæc phrasis modum significandi, vt Zach. 4. v. 6. Non in exercitu, sed in Spiritu meo. Ita Zach. 7. ver. 12. Verba quæ misit Dominus in Spiritu suo, per manum Prophetarum. & Lucæ 4. v. 14. & phrasis ipsa & applicatio ponitur: Reuersus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam. Item, v. 1. Agebatur à Spiritu in desertum. Et periphrasis huius phrasis videtur reddita esse, Actor. 16. v. 16. Incitatur Spiritus eius in ipso. Act. 20. v. 28. Alligatus Spiritu proficiscor Hierosolymam. Sensus igitur hoc loco illustris est: Simeonem cùm tunc non cogitaret de ingrediendo templo, subito impulsu Spiritus incitatum, non ab homine admonitum, vt ascenderet in templum. Nec de externo tantùm impulsu intelligi vult Euangelista: sed, quòd Simeon in Spiritu reuelationem acceperit, puerum illum, qui est Christus Domini, iam iam induci in templum, vt sistatur Domino. Ideò veniens in templum & videns puerum, non quærit, quis, cuius, aut vnde sit, puer iste, sed statim exclamat ipsum esse salutare Dei. Ex his circumstantiis cogitari potest, quàm illustris fuerit hæc testificatio Simeonis. Antea acceperat responsum, quod diuulgatum iam erat apud omnes. Etiam monitu ac impulsu eiusdem Spiritus, venit in templum, testificans hunc puerum esse salutare Dei.

Non autem cogitandum est, factum hoc esse in angulo aliquo templi, remotis arbitris: sed sine dubio, multi tunc fuerunt in templo, qui hæc audiuerunt. Et Simeon sine dubio, sicut antea de accepto responso, ita nunc de reuelatione & impulsu eiusdem Spiritus, publicè professus est, se in Spiritu agnoscere & confiteri, hunc puerum esse Christum Domini. Et hæc fama etiam ad absentes delata est, vt non dubium sit, hac tam illustri testificatione multos motos fuisse: quanquam illud mox postea euanuerit, cùm nulla talis magnificentia appareret, qualem Iudæi in suo Messia somniabant.

Accepit autem Simeon puerum in vlnas suas, hoc enim vocabulo, complexus infantium carissimorum describitur, Marc. 9. v. 36. & 10. v. 16. vbi Christus amplexatur infantes, & 3. Reg. 3. v. 20. mater dormiens filium tenet ἐν ἀγκάλαις. Considerandum autem est, quòd per coniunctionem copulatiuam verba ita posuit: *Accepit & Simeon puerum in vlnas suas*, quasi ostensurus, quòd Sacerdos, per quem sistendus erat puer Domino, ipsum tunc cùm Simeon accurreret in vlnis habuerit; vt sensus esse posset. Cùm parentes inducerent puerum Iesum, vt facerent pro ipso iuxta consuetudinem Legis, quòd Simeon priusquam fieret redemptio, Numer. 18. vers. 14. interuenerit, & quasi interrupta actione Sacerdotis, ipse puerum arripuerit, & suo cantico verè consecrarit hunc primogenitum Domino, ut ipse non redimeretur, sed vt salutare Dei alios redimeret.

Simeon igitur, cùm Christum Domini, vlnis suis amplexaretur, gratulabundus, Deum breui, sed pulcerrimo cantico glorificauit. Hoc enim significat verbum εὐλόγησε. Sicut enim in Spiritu venit in templum: Ita & in Spiritu gratulatorium hoc carmen cecinit, quod quis complectitur confessionem fidei Simeonis, super quem erat Spiritus sanctus, à quo etiam responsum acceperat, dignum est cuius verba mediocri diligentia considerentur. Et est primum nouum canticum, quod in ipso templo Hierosolymitano sonuit. Resonabat aliàs templum multis & variis canticis; sed quæ erant Veteris Testamenti. Hoc verò Noui Testamenti canticum est, quod primum in templo Hierosolymitano publicè auditum est. Mariæ enim & Zachariæ Cantica in priuatis ædibus sonuerunt. Et reuera pulcerrimum est Carmen. Simeon enim filium Dei incarnatum tenet in vlnis. In Spiritu canit, & Deum patrem præsentem alloquitur: *Tuum*, inquiens, *est salutare quod parasti.*

Summa autem carminis paucis potest comprehendi. Tu Domine dedisti mihi verbo tuo responsum, non visurum me mortem, nisi priùs videam Christum tuum. Quia igitur oculi mei iam viderunt salutare tuum, in pace iam dimittas me ex hac vita. Et est verbum præsentis indicatiui ἀπολύεις, vt sensus sit: Si quando ex hac vita me dimittis, tunc certè quando volueris, cum pace me dimittes. Prospicit autem in Spiritu, quomodo Deus Christum illum tanquam signum, ad quod oculi omnium populorum conuertantur, exaltaturus sit, & quid tum apud Iudæos tum inter gentes effecturus sit.

Hæc summa est. Sed vocabula paulò diligentiùs expendenda sunt. Illis enim rectè explicatis, doctrina plana erit.

Vocat Deum δεσπότην, vocabulo sumpto ex versione Septuaginta. Nam Gen. 15. v. 2. vbi coniunguntur Adonai Iehouah, ita redditur δέσποτα κύριε. Iob. 5. vers. 8. Elohim redditur δεσπότης πάντων. Et verbum δεσπόζειν extat Psalm. 21. v. 29. Tu dominaris in gentibus. Hoc vocabulum translatum est etiam in Nouum Testamentum. Vt Actor. 4. v. 24. Domine tu Deus, &c. 2. Pet. 2. v. 1. Abnegant δεσπότην, qui redemit eos. Et in epistola Iudæ, v. 4. Solum δεσπότην Deum, & Κύριον. Ex Hebraicis igitur vocabulis Adonai & Elohim peti potest genuina significatio, quid Simeon velit intelligi, quando nominat δεσπότην: quòd scilicet se potenti imperio Dei subiectum fatetur, quem ita agnoscat, quòd sit sustentator domus suæ, recipiens in se curam & administrationem familiæ suæ, cuius se membrum Simeon agnoscit, quando seruum huius Domini se appellat. Videtur autem & Petrus emphasin explicasse, cùm dicit δεσπότην esse, qui redemit nos, vt serui ipsius essemus.

mus. Et ideo Simeon coniungit *Dominum* & *seruum*. Varinus etiam hanc differentiam annotat: δεσπότης est δούλου κύριος, est ἰδιότης. Et vsitata est illa significatio humilitatis erga Deum, Ego seruus tuus Domine & filius ancillæ tuæ.

Verbum ἀπολύειν significat. 1. Vxorem per repudium abiicere: Matth. 1. v. 19. Marc. 10. v. 2. Ita Psalm. 34. in titulo, quando Abimelech expelleret Dauidem à se, vtuntur Septuaginta hoc verbo: Sed hæc significatio huic loco prorsus non conuenit. 2. Vsurpatur etiam quando captiui dimittuntur, vt de Barnaba in historia passionis, & Actor. 5. v. 40. 26. v. 32. Et hæc significatio rectè potest accommodari ad beneficia Christi, quæ hac similitudine describuntur, Isa. 42. v. 7. Dedi te in lucem gentium, vt educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Et 52. v. 2. Solue vincula colli tui captiua filia Sion. Et 61. v. 1. Prædicate captiuis libertatem & clausis apertionem. Sententia igitur ex hac significatione pia & bona de spiritualibus beneficiis Christi est: sicut Matth. 18. v. 27 Dominus seruum, qui non erat soluendo, ἀπέλυσε remisso debito dimisit. Potest & hæc significatio ad mortem piorum non incommodè referri. In hac enim vita, tanquàm in domo carceris, sedemus in tenebris & miseriis. Anima in hoc corpore mortis onere carnis peccatricis & corruptibilis pressa gemit & desiderat liberationem, Rom. 7. v. 24. Sed quia Simeon sine dubio respicit ad responsum quod acceperat, non visurum se mortem, &c. Pertinet ergo huc etiam tertia significatio vocabuli, vt quando Christus turbas, quas diu in deserto detinuerat, dimittit in suam quemque patriam, Matth. 14. v. 22 Marc. 8. v. 9 Significat etiam simpliciter, post confectum negotium discedere, vel dimitti. Actor. 13. v. 3. 15. v. 30. Et Exo. 33 v. 11. significat reuerti & redire. Quia igitur mors in Scriptura vocatur, transitus ad vitam, Iohan. 5. v. 24. 1. Ioh. 3. v. 14. Gen. 15. v 15. cœpit verbum ἀπολύεσθαι vsurpari, pro mori. Ita Septuaginta vsurpant de morte Aaronis, Num. 20. v. 24. Gen. 15. Et valde elegans est metaphora. Dominus enim seruos suos in certa vocatione, tanquam in statione, in hac vita collocat: vbi licèt multas experiantur difficultates & ærumnas, non tamen licet seruo propria temeritate stationem illam abrumpendo vitam deserere, sed expectandum est mandatum Domini vt auocet ministrum & ipsi copiam faciat reuertendi, vel in patriam, vel in aulam regiam, vbi commodiùs & tranquilliùs viuere possit. Domini igitur est ἀπολύειν seruum, quod in hac significatione propriè ita explicare possumus: Euocare aliquem ex hac misera vita ad cœlestem patriam. Ita Paulus auocatus & nactus missionem, dicitur ἀναλῦσαι Phil. 1. v. 23. quod significat sarcinas colligere, & se ad iter præparare, illudque iam ingredi: sicut nautæ dicuntur soluere, & equitatus equos parant, quos postea ingressi hospitium soluunt. Καταλύειν verò dicitur, quando peruenitur ad hospitium, vel locum optatum, Gen. 19. v. 2. Et hæc pulcerrime congruunt sententiæ Simeonis. Iamdudum enim pertæsus fuerat vitæ, & sciebat sibi meliùs fore, si colligeretur ad patres; sed quia responsum acceperat, *Non visurum se mortem*; inter multas difficultates in statione huius vitæ permansit. Nunc verò, inquit, *quia vidi Christum tuum, auocabis & dimittes me. Hoc enim verbum tuum est*, me moriturum postquam vidi salutare tuum. Ponitur autem in Luca verbum in præsenti indicatiui ἀπολύεις vt sensus sit: terminum vitæ à te mihi constitutum iam assequutus sum. Restat ergo vt iam me in pace euoces. Syrus ponit in imperatiuo, & vtitur verbo שרא quod significat & dimittere & dissoluere intricata. Et valde emphaticè, totum versum reddidit Syrus: Omnino tu mi Domine, dimitte seruum tuum sibi cum pace. Verbum igitur ἀπολύειν, indicat terminũ à quo. Terminus verò ad quem, describitur: cùm inquit, *In pace*. Sicut Tobias c. 3. v 6. optat in pace recipi Spiritum suum. Et ex antithesi intelligi poterit, quid velit. Nam Gen 42. v. 38. Deducetis canos meos cum dolore ad infernum. 3. Reg. 2. v. 6. Non deduces canos eius, cum pace ad inferos. Gen. 15. v. 15. Ibis ad patres tuos, in pace, Is. 57. v. 2. Venit in pacem, requiescet in cubili suo: sicut Psalm. 4. v. 9. In pace, in idipsum dormiam, &c. Significat autem vocabulum pacis, tranquillitatem, lætitiam, felicitatem, & opponitur perturbationi, infestationi, calamitatibus & miseriis. Sensus igitur est, quòd non inuitus, non anxia cõscientia, sed lubens, & placida in Deum fiducia mori cupiat, sicut Iacob viso Iosepho filio, Genes. 46. v. 30. inquit: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam. Simul verò etiam vocabulo pacis complectitur, id quod Apoc. 14. v. 13. scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: A modò requiescent à laboribus suis: hoc est, venient ad pacem, sicut Isaias c. 57. v. 2. loquitur.

Annectit autem Simeon rationem, quæ ipsi peculiaris fuit, vtpote qui responsum acceperat, non visurum se mortem, &c. *Quia*, inquit, *viderunt oculi mei salutare tuum*. Verba autem sumpta sunt ex Psalm. 97. v. 3 & Es. 52. v. 10. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Quid verò σωτήριον significet diximus in explicatione nominis Iesu. Hebraicè vnum est substantiuum, Ieschuah, quod Græci aliquando σωτηρίαν aliquando σωτήριον reddiderunt. Et maior est emphasis, quàm si simpliciter dixisset: viderunt Saluatorem, vel salutem. Significat enim σωτήριον, quasi cornu seu fontem salutis, in quo Deus omnes thesauros salutis suæ, pro genere humano, vt ex eius plenitudine omnes hauriamus, & accipiamus: Isa. 12. vers. 3. & Ioan. 1. v. 16. deposuit.

Ex hac verò vocabulorum consideratione, doctrina generalis manifesta est. Nos pro instituti nostri ratione, capita breuiter annotabimus.

I. Docemur, quare Deus concedat nobis vitam diuturniorem in hac terra: vt scilicet adepti agnitionem filij sui, cum pace possimus hinc euocari.

II. In difficultatibus huius vitæ, cogitemus nos in certa statione collocatos esse à Deo, vt probet obedientiam nostram. Et licèt sciamus mori lucrum esse: non tamen nostrum esse, stationem deserere, sed expectare cum patientia, donec Dominus nos auocet & dimittat.

III. Imago huius vitæ est in verbo ἀπολύειν. Collocati sumus in hanc vitam, non vt perpetuò hîc maneamus: sed extra patriam, & aulam Domini nostri versamur, in valle lacrymarum, vt confecta illa, quę nobis quasi legatio iniuncta est, cum pace euocemur & missionem impetremus.

IV. Noua etiam, & dulcis est descriptio mortis, in verbo ἀπολύειν; sicut in explicatione vocabuli dictum est, quòd euocamur in pace.

V. Ostenditur modus & traditur ars feliciter moriendi: vt scilicet discamus, in hac vita non esse patriam nostram, in qua bene beatéque viuere possimus: sed vt ad veram & beatam illam patriam, cum pace transire possimus: apprehendendum esse salutare Dei nostri. Nec cogitemus nostram conditionem hac in parte deteriorem esse, quàm Simeonis. Vidit ille quidem oculis corporalibus Christum Domini, sed externo illo visu, non potuit agnoscere, pauperem illum infantem, esse salutare Dei. Maior enim pars illo conspectu offendebatur: sed fide ex verbo Dei hoc agnouit, quam fidem & nos habeamus, iuxta dictum: Beati qui non vident & tamen credũt. Tenuit ille infantem in summa exinanitione: in nobis habitat per fidem, consummatis omnibus, sedens in virtute ad dexteram patris, & quidem exhibito nobis in cœna sua illo suo corpore, quod pro nobis traditum est, & sanguine suo, qui pro nobis effusus est, arctissimè se nobiscum coniungit. Non igitur inferiores hac in parte sumus Simeone.

VI. Constituatur antithesis. Omnes euocantur: sed non omnes in pace discedunt. Multi inuiti & anxia conscientia, qui scilicet vel Epicurea securitate tempus huius peregrinationis non ita instituerunt: vt cogitarint, se reuocandos esse ad Dominum commissæ vocationis, vel qui Pharisaica persuasione dementati, cogitarunt se posse sufficientem rationem reddere, & non apprehenderunt salutare Dei. Qui verò in fide Christi moritur, is dimittitur in pace, & venit in pacem, vt Isaias loquitur. Hæc in iusta explicatione latiùs possunt declarari. Nos pergemus ad sequentia.

Et in duobus primis versibus, loquitur Simeon præcipuè de sua persona. In duobus sequentibus exponit, Deum hoc σωτήριον in filio suo ita parasse, vt sit commune omnibus populis & Iudæis & gentibus: & vtitur dulcissimis vocabulis. Græcum quidem verbum ἑτοιμάζειν notum est: sed inde non potest sumi emphasis sententiæ Simeonis. Hebraicum enim verbum כון quod significat decernere, ratificare, certum, firmum & perfectum facere, apparare, instaurare, &c. Græci fermè semper reddiderunt verbo ἑτοιμάζειν, quo etiam Simeon vtitur. Et significationes illæ verbi Hebraici omnes pulcerrimè conueniunt sententiæ Simeonis. Inenarrabili enim consilio Trinitatis decretum, & nunc per incarnationem in mũdum missum est, illud perditi humani generis σωτήριον & non ab hominibus, sed à Deo ipso apparatum est, salutiferum illud contra mortem antidotum, & ideo perfectum, firmum, certum & ratum est, & coram iudicio Dei & contra omnes portas inferorum: diuinitùs ad hoc ordinatum, vt non sit aliud nomen in quo possimus saluari. Hæc omnia in verbo Kon comprehenduntur. Hîc aperit se latissimus campus suauissimæ doctrinæ: sed nostrum tantùm institutum est fontes ostendere, vt obseruetur, quòd sine vera Grammatica vocabulorum explicatione res ipsæ rectè non possint euolui.

Quod autem dicit, *paratam esse salutem, ante faciem omnium populorum*. Sensus sine dubio hic est, Deum hanc salutem quam parauit, non in abscondito velle occultare, vt sit hominibus inaccessa, sed velle illam manifestari, patefieri & quidem offerri omnibus populis: sicut vexillum ideo erigitur, vt omnium conspectui sit expositum. Et Simeon absque dubio respe-

respexit ad illud, Isa. quinquagesimo secundo, vers. decimo, Reuelauit Dominus brachium suum sanctum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Forsan etiam ad illam sententiam alludit, Isa. vndecimo, vers. 10. Radix Iesse stat in vexillum populorum, vt eam gentes requirant. Ideo dicit *κατὰ πρόσωπον ob oculos, ante faciem.* Sicut 2. Reg. 16. v. 22. Absalon ingressus est ad concubinas patris sui *κατ' ὀφθαλμοὺς* omnis populi. Et Act. 25. v. 16. Non est iuris Romani virum condemnare, nisi accusatores habeat, *κατὰ πρόσωπον.* Et si conferatur hæc sententia ad illa, quæ Paulus scribit, 2. Cor. 3. pulcerrimam dabit doctrinam. Mosis facies velata fuit, & Iudæis in lectione Mosis velamen super cor ipsorum positum est. Nos verò omnes retecta facie, gloriam Domini, quasi in speculo limpidissimè intuemur. Potest etiā illud *ante faciem.* vt omnibus præluceat, vt prælucentem illam salutem omnes sequantur. Syrus simpliciter habet, Parasti, in conspectu populorum.

Distinguit autem omnes populos in duo genera: Gentes scilicet & populum Israel. Et constructio per appositionem ita intelligenda est, Deum scilicet parasse salutare suum, lumen & gloriam: scilicet sit lumen & gloria. Quomodo enim Christus sit salutare gentibus & Iudæis, Simeon ipsis Prophetarum verbis explicat: Isa. 42. v. 6. & 49. v. 6. Dedi te in fœdus populi, & lucem gentium, vt aperias oculos cœcorum. Et præcipuè Isa. 60. v. 1. Gloria Domini super te orta est: quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. Super te autem orietur Dominus & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Ex istis locis facilè potest intelligi, quæ sit Simeonis sententia. Gentiles erant alieni à politia Israel, extranei à fœdere, sine verbo Dei, in densissimis errabant tenebris. Significant autem tenebræ. 1. Ignorantiam in mente. 2. Opera tenebrarum. 3. Tenebras exteriores, & vmbram mortis, quæ sunt pœnæ peccatorum. Et cùm in his densissimis tenebris gentes demersæ iacerent, Deus à salutari suo, quod populo suo parauit, illos non exclusit sed ideo ante faciem omnium populorum illud parauit, vt esset lumen ad reuelationem gentium. Et si explicatio illustrationis ergo ducatur per tria illa genera tenebrarum, aliquo modo cogitari poterit, quanta sit Dei gratia, quòd salutare suum parauerit, non tantùm electo suo populo Israel: sed vt sit etiam lumen ad reuelationem gentium. Et distributio beneficiorum, quæ gentes in Christo quærere debeat, quæque ambulantibus in illo lumine conferuntur, sumi potest ex antithesi tenebrarum, de quibus dixi. Certè Paulus Act. 26. v. 18. ita explicat, vt conuertantur à tenebris ad lucem, à potestate Satanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum & sortem inter sanctos per fidem. Ibi ordine explicatur, quid illustratio tenebrarum comprehendat.

Attentè verò considerandum est, quod addit, *Gloriam plebis tuæ Israel.* Magna erat gloria huius populi, præ omnibus aliis gentibus, in toto terrarum orbe, & ne longiùs eamus, Paulus Roman. 3. & 9. & nominat gloriam populi Israël, & quæ ea sit enumerat. Simeon verò venustè dicit, vnicam veram & solidam gloriam populi Israël hanc esse, quòd ex illis Christus sit secundùm carnem, Roman. 9. v. 5. & ad hanc sententiam alludunt verba Isa. 60. v. 1. Sed Simeon non hoc tantùm vult. Instituit enim explicare, quæ beneficia per salutare Dei conferantur non gentibus tantùm, sed & Iudæis. Et gentes quidem hoc salutari indigere extra controuersiam est. Sedent enim in tenebris. Sed populus Israel habebat notitiam verbi & opera legis. Et quidem propterea superbi etiam gloriabantur, Rom. 2. v. 17. Ne verò existiment sibi non opus esse, gratuita hac salute Dei, cùm habeant sapientiam & opera legis. Inquit Simeon, *Parasti salutare tuum, vt sit gloria plebis tuæ Israel:* vt scilicet in conspectu Dei non glorietur omnis caro: non sapiens in sapientia sua, non fortis in fortitudine sua, sed qui gloriatur, in Domino glorietur, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia &c. Ierem. 9. v. 23. 1. Cor. 1. vers. 30. Huc pertinet etiam locus 2. Cor. 3 v. 13. de gloria vultus Mosis, quæ euacuatur. Si enim ministerium mortis fuit in gloria, multò magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. Nam nec glorificatum est, quod glorificatum fuerat, hac in parte, propter excellentem Noui Testamenti in Christo gloriam, qua transformamur à gloria in gloriam, 2. Cor. 3. vers. 18. Plura possent ad illustrandam hanc sententiam addi: sed scribimus tantùm commonefactiones. Hæc igitur de vocabulis cantici Simeonis annotasse, ad nostrum institutum pertinere iudicaui.

Sequitur autem in historia, quomodo affecti fuerint Maria & Ioseph, cùm audirent Simeonem publicè in templo, magno Spiritus ardore, & sine dubio singularibus lætitiæ gestibus, præclarum hoc carmen recitare: *Erant parentes eius mirantes super his, quæ dicebantur de puero.* Et obseruetur, quod phrasis, *erant mirantes,* prorsus est Syriaca. Ita enim generaliter per participium plurale cum verbo substantiuo circumloquitur præteritum imperfectum. Mirantes erant, pro admirabantur. Nec sanè mirabantur, sicut suprà Lucas dicit, Bethlehemitas ad narrationem pastorum, quasi ad rem nouam, quam credere non poterant, admiratione obstupuisse. Sed ea, quæ ante conceptionem à Gabriele, post conceptionem ab Elisabeta & ab Angelo, post natiuitatem à pastoribus & à Magis audierant conferentes cum hoc pulcerrimo carmine Simeonis, grata mente admirabantur consensum testificationum, & quòd subinde illustriora testimonia proferrentur. Est enim admiratio infidelitatis, Is. 29. v. 9. Obstupescite & admiramini. Talis fuit Bethlehemitarum. Est & admiratio fidei, considerantis illustrem & immensam gratiam Dei, ita Iohan. 5. v. 20. Pater filio maiora opera monstrabit, vt vos admiraturi sitis. Hæc sententia vera & bona est.

Sed benedictio Simeonis videtur explicare, qualis fuerit admiratio Mariæ & Ioseph. Septuaginta enim verbum Palach, quod excellentiam significat, reddiderunt per *θαυμάζειν* vt Psalm. 4. v. 3. & aliis ita loquuntur *θαυμάζειν* personam Potentis, Deuter. decimo, vers. decimo septimo, personam serui & virum *θαυμαστὸν* vocant, 4. Reg. 5. v. 1. Potest igitur sensus esse cùm in quadraginta primis diebus tot magnifica & illustria testimonia vndique reddita essent huic puero, quod Maria & Ioseph carnalem aliquam persuasionem conceperint, de externa magnificentia huius pueri, quia in summa omnium admiratione futurus esset. Et ad illam persuasionem eximendam, illa quę sequuntur Simeonis verba pulcrè possunt accommodari. Cùm enim videret parentes eius esse in tali admiratione, propter illa quæ dixerat de puero, textui (vt sic loquar) qui præclarè & magnificè sonat, addit glossam satis duram. Scriptura enim præclara & magnifica prædicat de Christo & de regno eius: sed ne illa carnaliter accipiantur, Simeon externam faciem regni Christi depingit: Item: Abrahæ & semini eius, promissio peculiariter data erat. Ne verò vel soli, vel omnes, qui secundùm carnem sunt ex Israel, putentur hæredes esse illius benedictionis, dicit Simeon, *Positus est in ruinam multis in Israel.*

Benedixit autem *illis,* quod vel de valedictione intelligi potest, sicut vsurpatur, 3. Reg. 8. v. 14. vel quòd puero & parentibus Dei benedictionem precatus sit. Nec absurdum videri debet, si ipsi Christo benedixisse dicatur, hoc est, optasse eum fœlicem negotij eius, ad quod missus erat, progressum. Nam Psal. 118. v. 25. præscribit canendum Hosianna filio Dauid, & Psal. 72. v. 15. orabunt pro ipso semper, tota die benedicent ei. Et hoc congruit ad cogitationes parentum, qui mirificas persuasiones conceperant. Simeon verò inquit: talis erit sors huius pueri & regni ipsius in hoc mundo, vt meritò ipsi Dei benedictio precanda sit, iuxta dictum Psalmi: Hosianna filio Dauidis, *Daß man ihm woll mag Glück vnd Heyl wünschen.*

Conuertit autem orationem ad Mariam matrem, vnde colligitur multum lucis in hoc sene fuisse: quòd, cùm Ioseph etiam adesset, matrem solam alloquitur. Quod non fecisset, nisi mysterium conceptionis sine virili semine aliquo modo cognouisset. Planior autem erit explicatio eorum quæ Simeon dicit: si primò conferantur ad loca prophetarum, vnde sumpta sunt. Secundò, si ad ea, quæ Simeon in Cantico suo priùs dixit, explicanda accommodentur. Tertiò, si vocabulorum emphasis consideretur.

Quia igitur Simeon dixerat, Deum salutare suum parasse ante faciem omnium populorum, & gentium & Iudæorum: vt rectè hoc intelligatur, addit hanc interpretationem. Vtrique in prophetis prædictum esse, Christum fore salutem vsque ad fines terræ, non Iudæis tantùm, sed omnibus populis. Et verum hoc esse, quo ad Deum parantem & ad sufficientiam *τῷ κειμένῳ*: sed respectu hominum, ante quorum faciem hæc salus paratur, Isaiam cap. 8. v. 14. prædixisse, de lapide offensionis, & petra scandali. Et ne cogitetur inter gentes tantùm hoc futurum: Isaias expressè nominat duas domos Israel & Ierusalem.

Nominat autem Simeon *πτῶσιν*, Isaiæ enim 8. v. 14. redditum est *πτώματι*, & Exod. 30. v. 12. idem vocabulum redditum est per *πτῶσιν*. Significat autem deiectionem, quæ fit cum impetu & impulsione, qualis est Matth. 7. v. 27. *πτῶσις* domus super arenam ædificatæ. Et verbum *κεῖται iacet*, vel *positus est*, alludit ad Metaphoram lapidis angularis & ædificij, quæ explicatur, Matth. 21. v. 42. & 1. Pet. 2. v. 7. Et ex illis locis sententia verborum Simeonis rectissimè potest colligi. Omnes enim demersi sumus in luto peccati & mortis, & qui alia re quacunque nixus conatur se sustentare & erigere corā Deo, idem est ac si innitatur arundini: & quicquid operibus legis in negotio salutis superstruitur, non potest contra impetum ventorum & fluctuum consistere. Deus igitur in Sion ponit lapidem angularem, quem qui apprehendunt possunt resur-

gere & se erigere, (ἀνάστασις enim & resurrectionem & erectionem significat,) vt exædificentur lapides viui & domus spiritualis, 1. Pet. 2. v. 5. Contra quod ædificium ne portæ quidem inferorum prævalere possint. Sed heu, inquit Simeon, multis in Israel positus erit hic lapis, non in resurrectionem, sed in ruinam. Et quia resurrectio hoc loco spiritualis est: Ergo & ruina non simpliciter de externo excidio per Romanos intelligitur, sed de Spirituali ruina in cœcitatem & exitium æternum. Num verò genus humanum ante lapsum nō fuit? An verò Deus ideo filium suum misit in hunc mundum, vt fieret ruina stantium? Certè lapsum est totum genus humanum, & iacet in peccato & morte. Ruere verò dicuntur, vel qui stare videntur, vel qui extollunt se contra Christum, 2. Cor. 10. vers. 5. vel qui profundiùs & grauiùs prolabuntur. Et quia Deus posuit lapidem angularem cuius apprehensione, ipso hoc operante & iuuante, possent resurgere. Sicut igitur Ioh. 3. v. 19. hæc est condemnatio, non quòd peccatum habet, ad illa enim tollenda agnus Dei missus est: sed quia lucem, quæ venit in mundum, noluerunt apprehendere: Ita ruina damnatorum non principalis hæc est, quòd lapsi sunt in peccatum & mortem. Positus enim est lapis angularis, per quem possent erigi, ne in lapsu illo manerent & damnarentur. Sed quia nolunt lapidem illum apprehendere, vt erigantur, hæc demum est ruina illa demergens in æternum exitium. Nec opus est textum ita contorquere, sicut Origenes ruinam interpretatur de salutari ruina, quando impij peccatis moriuntur, vt per fidem resurgant: vel sicut Theophylactus interpretatur, de ruina Christi in mortem, vt per eum multi resurgant. Sed idem est, quod Christus, Ioh. 9. v. 39. dicit: In iudicium ergo veni in mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cœci fiant. Petrus enim hoc explicat de incredulis, cùm inquit: verbo non credunt, sed offenduntur. Matth. 21. v. 44. explicat Christus de blasphemis & persequutoribus. Qui ceciderit super lapidem, istum confringet: super quem verò ceciderit, conteret eum. Hæc in iusta explicatione latius possunt declarari.

Non tamen frustrà Deus salutare suum parauit. *Positus enim erit multis in resurrectionem*, eo modo sicut explicauimus. Potens enim hic lapis est, & apprehendentes erigere, & resistentes conterere. Videat igitur quisque, quomodo posito hoc angulari lapide vtatur.

Quod verò dicit: *de signo contradictionis*, vel respicit ad id, quod Isa. 8. vers. 18. loquitur: Ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, in signum & in portentum Israeli. Ita Ezechiel suis est in portentum, c. 24. v. 24. & Zach. 3. v. 8. Viri portenti, quorum doctrina quasi prodigiosa & παράδοξα exploditur: vel appellatio signi indicat quasi inuersionem sententiæ, Isa. 11. v. 10. Deus enim dicit se erecturum radicem Isai in signum populorum, vt gentes ipsum requirant. Item, Leuabit signum in nationes, & colliget dispersos: Sed Simeon dicit, *Erit quasi signum, cui certatim omnes contradicent.* Et phrasis σημεῖον αἴρειν de signo erecto extat Iosu. 4. v. 6. Reliqua congruunt ad illud, Isa. 65. v. 2. Rom. 10. v. 20. Tota die expandi manus ad populū rebellem & contradicentem. Et ἀντιλεγόμενον non futuri, sed præsentis temporis est, vt absolutè accipiatur, pro signo quod contradictioni obnoxium & expositum est. Vnde Tertullianus, in libro de carne Christi, suo modo reddit signum contradicibile. Græco autem verbo ἀντιλέγει & ἀντιλογία, redditæ sunt Hebraicæ voces Rib & Meriba, quæ significant, lites, cōtentiones & murmurationes, quæ fiunt non verbis tantùm, sed & factis. Vt 1. Reg. 25. v. 39. Deus litigauit litem opprobrij mei. Ita Ierem. 50. v. 34. Litigando litigabit litem eorum. & Heb. 12. v. 3 passio Christi, vocatur ἀντιλογία. Non autem leues rixæ vocantur ἀντιλογίαι, sed sicut murmur populi, Num. 20. v. 3. Contradictio Core in epistola Iudæ, v. 11. Et actiones forenses coram magistratu ita appellantur, Exod. 18. v. 16. & alibi. Syrus verbo חרח vtitur, quod significat irritare & lites succendere.

Primum igitur membrum, de ruina, loquitur de illis, qui offensi verbo non credunt. Contradictio verò loquitur de illis, qui blasphemant & persequuntur. Et obseruetur antithesis. Deus erexit signum illud ante faciem omnium populorum, vt in eo salutem quærant; sed fit quasi scopus ad quem certatim omnes collimant, contradicendo, blasphemando, accusando & persequendo. Et quidem ipse Simeon explicat, qualem contradictionem intelligat. Dicit enim Mariæ, *Animam tuam pertransibit gladius.* Cùm enim scriptum sit, ponam te in superbiam sæculorum, &c. Non audietur vltrà in te vox fletus. Sanè si carnale esset gaudium, potissima eius pars ad matrem rediret: Sed Simeon inquit, Matris animam gladius transibit. Et quòd hæc phrasis significet extremam tribulationem & summum dolorem, colligi potest ex illo Psalm. 36. v. 15 Gladius intret in corda eorum. Et Psalm. 22. vers. 21. Erue à romphæa animam meam. & Psalm. 105. v. 18. de Ioseph, Ferrum pertransiuit animam eius. Nec otiosæ sunt coniunctiones καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς: Sed &, vel quin etiam tuam ipsius animam. Significant enim non vulgaribus tantùm membris Christi crucem impendere; sed præcipuis, sicut Maria mater erat, penetrantissimum gladium imminere, quod cùm aliàs tum præcipuè in passione Christi ipsi accidisse, non est dubium. Augustinus post Origenem philosophatur in verbo *Pertransibit*, quod scandalum tempore passionis Christi non sauciarit animam Mariæ, sed eam præterierit. Sed Lucas habet verbum non παρελεύσεται, sed διελεύσεται, quod significat per medium trāsire seu penetrare. Et quorsum Simeon hæc dicat, inde potest intelligi. Scriptum est: Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ipsi. Sed Simeon addit hanc glossam, *Erit in signum contradictionis.* Nunquam igitur futurum est in hac vita, vt totus mundus consentiat in puram doctrinam Christi. Nec offendamur, vel disceptationibus Ecclesiasticis, vel politicis persequutionibus. Si enim volumus Christum habere, oportet nos signum contradictionis pati. Addit etiam causam Simeon, quare necesse sit, vbi de regno Christi prædicatur, etiam hanc prædicationem de contradictione & de cruce addi. *Ita enim reuelantur, & reteguntur ex multorum cordibus cogitationes.* Et refertur hoc ad omnia præcedentia, scilicet, positus est in ruinam, & signum contradictionis, & gladius transibit animam, vt retegantur cogitationes. Tam latebrosi enim sunt recessus cordis humani, vt multi, qui aliàs externa disciplina florent, vt in admiratione sint, irritati quasi hoc signo, contradictionis omnem humanitatem exuunt, & quasi in truculentas feras, blasphemando & persequendo, degenerant. Cùmque omnes simulent, se expetere salutem, tunc quando Christus ipsis proponitur, prodit se cordis humani prauitas, quòd multis ad ruinam positus est, ipsorum vel securitate, vel superbia, vel petulantia. Ita coniunctio *vt*, non causaliter, sed consecutiuè accipitur. Ita in genere omnes tunc Iudæi clamitabant, se expetere Messiam, & salutem eius. Sicut Pharisæus iste, Luc. 14. v. 15. inquit: Beatus, qui panem manducat in regno cœlorum: sed quando Christus expandit manum, tunc reuelantur cogitationes cordis, quòd ipsis positus sit in ruinam & signum contradictionis, cum carnalibus ipsorum imaginationibus non respondeat. Præcipuè verò hoc monet Simeon, multos externa professione amplecti Christum, vt non alios tantùm, verùm etiam seipsos fallant; sed quando crux imponitur, vel ipsis ferenda, vel in præcipuis membris Ecclesiæ, vt in Maria, ostenditur, quomodo gladius transeat, non corpus, sed animam: tunc patefit, quòd professio illa flos fuerit, sine radice, Matt. 13. v. 21. Nemo vnquam cogitasset, quòd tam leuiter defecturi essent: sed gladius transiens animam, reuelat cogitationes, ex multorum cordibus. Perseuerat enim Simeon in metaphora gladij, sicut Poëta inquit: Et latebras animæ pectus mucrone recludit. Crux Ecclesiæ est gladius, non corpus tantùm lædens, sed penetrans vsque ad diuisionem animæ, ita vt corde quasi dissecto, intimæ eius cogitationes pateant. Et bene obseruetur hæc pictura crucis: multa enim monet.

Hæc igitur est benedictio seu valedictio Simeonis, qua aduersus futurum scandalum Mariam præmunit. Et notetur ordo. Primò describitur regnum Christi, quale in se est, coram Deo, & in credentium conscientia: sicut in cantico Simeonis. Mox verò, ne externas persuasiones concipiamus, additur hæc glossa: *Multis erit positus in ruinam, multis in signum contradictionis, & quidem animam Mariæ*, quasi præcipuum membrum Ecclesiæ *pertransibit gladius.* Et qui hæc non habet præmeditata, licet cum gaudio priorem partem accipiat, Luc. 8. v. 13. postea tamen cogitationes cordis reuelantur. Et tamen hæc, quæ non tantùm dura videntur, sed talia sunt, quæ transeunt animam, vocat Simeon benedictionem: *Benedixit enim illis*, inquit Euangelista.

Periocha Historiæ, de Hanna prophetissa.

QVæ de Hanna Lucas scribit, non eodem tantùm die, sed illa ipsa hora facta sunt, cùm Simeon puerum Iesum in vlnis suis teneret. Seruat autem hoc loco Euangelista eandem rationem, sicut suprà in Simeone. Priusquam enim testificationem recenseat, ponit accuratam personæ descriptionem.

Dicitur igitur fuisse *Prophetissam.* Nam & fœmineo sexui donum Prophetiæ datum fuisse, multa exempla ostendunt. Exod. 15. v. 20. Miriam soror Aaronis vocatur Prophetissa, Esa. 8. v. 3. Accessi ad Prophetissam. Act. 21. v. 9. Philippo Euangelistæ quatuor erant filiæ virgines prophetantes. Ne verò intelligatur, sicut Iudæi interpretantur Prophetissam, de sorore, vxore seu filia Prophetæ, alia exempla, de responsis & prædictionibus per Prophetissas datis, testantur, vt Iud. 4. v. 4. Debora Prophetissa habitabat sub palma, & ascendebant filij Israel

Israel ad eam pro indicio: Et Neh.6.v.14. Noiada Prophetissa cum reliquis Prophetis dat falsum responsum, de intermittenda structura murorum. Et manifestum exemplum est 4. Reg.22.v.14. de Holda Prophetissa. Hinc potest intelligi qualis Prophetissa fuerit Hanna. Et vtilis est obseruatio, cùm post Malachiam per multos annos Iudæa nullum verum habuisset prophetam, quòd imminente tempore natiuitatis Christi, Simeon accepit responsum à Spiritu sancto. Hanna fuit prophetissa. Zacharias cœpit prophetare, similiter etiam Elisabeth & Maria, Luc.1. vt concepto & nato Christo, non vulgaria, sed prophetica tribuerentur testimonia, vt populus eò minus dubitaret, vel offenderetur abiecta specie natiuitatis Christi. Et fuisse tunc prophetas & prophetissas in magna celebritate & auctoritate, non est dubium: quia hoc dono Iudæa iam dudum carere cœperat. Vt igitur testificationi Hannæ auctoritatem circumdet, Lucas dicit *fuisse Prophetissam*, cuius parentes & tribum diligenter notat sicut Scriptura consueuit facere in descriptionibus prophetarum. Nam & tunc cùm Euangelista scriberet propter nominis celebritatem genus huius Hannæ adhuc notum erat.

Commendat eam etiam à singulari dono longæuitatis, iuxta Psalm.91.v.16. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Cùm enim Psalm.90.v.10. communem terminum vitæ ponat annum 70. aut ad summum 80. hæc peculiari dono Dei terminos illos longè excesserat: ita vt tamen sensus omnes adhuc essent integerrimi. Erat enim Prophetissa. Dicit autem Lucas: *Et hæc vidua erat circiter annorum* 84. quod vel de tota viduæ huius ætate intelligi potest, quasi dicat: Hæc vidua annorum 84. ætatis scilicet: vel vt sit supputatio annorum viduitatis 84. quibus si adduntur anni coniugij 7. & si anni virginitatis ponantur 18. erunt anni ætatis eius 110. Nata igitur fuit Hanna, & vixit tristissimis illis temporibus, cùm ex genere sacerdotali primum Aristobulus, postea Alexander, parricidiis & fratricidiis, cruentum diadema priuata temeritate sibi imponerent: cùm Romani Pompeius & Crassus Iudæam inuaderent: cùm Herodes in extremam seruitutem Iudæos coniiceret. Et puella, à maioribus suis potuit audire miserrimum interitum vltimi ducis Iannæ, de tribu Iuda, qui ipsum viderant & nouerant. Sunt enim à Ianna ad natiuitatem Christi anni 163. vt anni 50. intercesserint ab interitu ducis de tribu Iuda, vsque ad natam Hannam. Potuit igitur de multis variis & tristissimis mutationibus & religionis & Reipublicæ loqui, quas partim ipsa viderat, partim ex parentibus cognouerat, inde vsque à morte Iannę, vltimi ducis, vsque ad natum Christum: vt etiam hac de caussa magna fuerit eius apud omnes bonos auctoritas, qui eam, vt Prophetissam tot iam annorum, talia cum gemitu narrantem sæpe audierant.

Porrò fuit & hoc nomine vulgò nota & celebris, quòd vitam singulari innocentia & integritate, quæ piis omnibus cõmunis esse debet, & præterea peculiari viduarum illius populi exercitio instituerit. *Non discedebat*, inquit *de templo, ieiuniis & precationibus seruiens Deo die ac nocte.*

Et quia varias hæc descriptio Hannæ disputationes peperit, paulo diligentiùs excutienda est. Analogia autem fidei ad cuius normam explicatio instituenda est extat 1.Cor.7.v. 8. & 39. 1. Tim.5.v.9. Relicta igitur fuit vidua valde iuuenis; quia 84. annos in viduitate vixit. Quòd verò à secundis nuptiis abstinuit, non fuit factum superstitiosa opinione, quasi vel nuptias damnarit, vel singulare meritum iustificationis, in viduitate constituerit. Nam de temporibus Veteris Testamenti, ne pontificij quidem hoc affirmare audent: Sed quia agnouit, se habere singulare donum continentiæ, elegit hũc statum vitæ, in quo minus haberet auocamentorum per domesticas occupationes, vt publicis rationibus, & reliquis ministerij exercitiis in templo assiduè posset interesse. In hanc enim sententiam, de cœlibatu Paulus disputat, 1.Cor.7. v.32. Et hoc est, quod Lucas dicit: *Non discedebat à templo.* Varia autem disputata sunt, quomodo potuerit semper esse in templo. Quidam peculiari domuncula ipsam affixerunt templo. Sed Lyranus rectè obseruauit, quòd Lucas ipse figuram sermonis explicet. Dicit enim, *Hannam illa hora superuenisse*: Ergo discesserat tunc à templo. Est autem hæc sententia. Reliqui qui curis domesticis occupati erant, sed habitabant extra Hierosolymam, vel ter in anno in festis, vel vrgente obligatione aliqua legali, vt purificationis, primogenitorum, votorum, &c. veniebant ad templũ: Qui verò in vrbe habitabant, non semper mane & vesperi sacrificiis, & reliquis ministerij exercitiis poterant interesse: sed quando à negotiis vacabãt, ascendebant ad horam orationis, Act. 3. v. 1. vel Sabbatho in templo conueniebant, Act.15.v.22. Hanna verò quæ nec domum, nec liberos, quos curaret, habebat. Quia singulis diebus, publicis illis ritibus, in templo intererat, dicitur *nunquam à templo discessisse.* Reliqui enim ad suas operas, & curas domesticas, à templo redibant. Et planè hanc ipsam phrasin Paulus 1.Cor.7.v.35. explicat. Hęc de cœlibatu dico πρὸς τὸ εὐπρόσεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως, vt adhæreatis Domino, sine distractione. Et Dauid, in hanc sententiam, inquit in Psal.27.v.4. Vt inhabitem in domo Domini, & visitem templum eius, omnibus diebus vitæ meæ. Ita reliqui habebant publica & solennia ieiunia quarti, quinti, septimi, & decimi mensium, Zach. octauo, vers. decimo nono, vel suscepta ex voto, Num. trigesimo, vers. decimo nono, sicut Pharisęus Luc 18.v.12. Ieiuno bis in Sabbatho. Et Baptistæ discipuli, Matth 6.v.14. Hanna verò, quia Prophetissa erat, & in tanta non solùm Reip. oppressione, sed & religionis prophanatione, ardenter in orationibus suis suspirabat, & assidua habebat cum Deo colloquia, tanquam Prophetissa. Coniunxit igitur orationi ieiunium; sicut sancti semper fecerunt, quando in magnis periculis & calamitatibus, aut de rebus arduis ardenter orare volebant. Vt enim ad orationis deuotionem eò essent expeditiores, ieiuniis corpus subigebant, & carnem mortificabant, ne sua petulantia spiritui obstreperet, vt Iud.20.1.Reg. 7. Esd. 8. &c. Et quia nec domum, nec liberos, nec nepotes, quorum & institutione occuparetur, habebat, non dedidit se otio, delitiis, delationibus, curiosis circumcursitationibus, &c.1.Tim. 6. v. 13. Sed non tantùm in publicis orationibus manè & vesperi communes preces adiuuit, sed & priuatis orationibus institit, siue in domo, siue in lecto vigilans. Et hoc est, quod Lucas dicit: *Seruiens Deo ieiuniis & orationibus, die ac nocte.* Atque ita Psalmi etiam loquuntur, vt Psal. 1. v. 2. In lege eius meditabitur die ac nocte, Psal.42. v. 9. In die mandauit Dominus misericordiam eius, & nocte canticum eius. Psal. 77. v. 3. 5. Manus mea nocte extenditur. Recordor carminis mei nocte, cum corde meo. Psal.88.v.1. In die clamaui, & nocte corã te. Psal. 92 v.2. Ad annunciundum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem, Psal. 119. v. 55. Memor fui nocte nominis tui, Domine v. 26. Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo. Ex his locis colligitur non fuisse nouum aut insolens aliquid, quod de Hanna Lucas scribit, & Paulus de viduis repetit. Esse autem figuram sermonis manifestum est. Nam Esth.4.v.16. tanquam singulare aliquid describitur, quòd tribus diebus & tribus noctibus ieiunarunt. Et miraculi loco recensetur, quòd Moses, Helias & Christus, 40. diebus & noctibus ieiunarint. Ergo qualis figura sit, quòd Hãna dicitur institisse ieiuniis & orationibus omnibus diebus & noctibus, manifestum est. Nam & cibum cepit & somno vsa est: & tamẽ rectè dicitur, die ac nocte ieiuniis & orationibus Deo seruiisse. Porrò, quod ad Syntaxin attinet, non additum est vocabulum (Deo) vt, Phil. 3.v. 3. πνεύματι θεῷ λατρεύοντες. Sed textus simpliciter habet: λατρεύουσα νηστείαις καὶ δεήσεσι, qui casus tãquam datiui accipi possunt: vt sensus sit: Erat dedita & intenta ieiuniis, & precationibus, sicut dicuntur seruire tabernaculo & ceremoniis Leuiticis, Hebr.10. & 13. vel, vt verbum λατρεύειν absolutè accipiatur, pro, cultum diuinum exercere, sicut absolutè ita ponitur Act.26.v.7. Hebr.19.v.2. & casus instrumentales sint *ieiuniis & orationibus*, vt ostendatur, Hannam Deo cultum præstitisse, non legalibus victimis, sed Euangelicis seu spiritualibus, dum offerret Deo animam per orationes & corpus per ieiunia, sicut Rom.12.v.1. præcipit, vt nos ipsos offeramus Deo hostiam viuam. Syrus habet verbum פלח quod absolutè significat cultum Dei exercere.

Porrò non fuit nouus aut electitius cultus Hannæ, sed vetus exercitium viduarum, & vsitatus ritus in populo Israel planè talis erat: sicut extat Exod 38.v.8. quem locum & Chaldæus Paraphrastes & Rabini ita explicant, quòd viduæ quædam, domesticis curis solutę, abdicatis omnibus vitę huius delicijs, (in cuius testimonium specula, quibus antea vsę fuerant, obtulerunt ad vsum tabernaculi) dediderunt se cultui Dei, ita vt per singulos dies certo tempore venirent ad tabernaculum, oraturę in ostio tabernaculi. Et harum etiam fit mentio 1.Reg.2 22. Tribuitur autem illis viduis verbum צבא Zaba, quod non tantùm de politica, verùm etiam de Ecclesiasticą militia ministerij, in tabernaculo vsurpatur, Num.4.v.23. & 8. v.24 Non malè igitur quidam sentiunt, viduas illas non tantùm orationis gratia ad ostium tabernaculi excubasse: verùm etiam ad certam aliquam militiam, seu functionem ministerij Ecclesiastici, sexui huic conuenientem, destinatas fuisse: vt scilicet aquas asportarent, victimas mactatas lauarent, &c. Pręfectas etiam fuisse disciplinę & institutioni puellarum, quidam non malè sentiunt: & inde Hannam nomen Prophetissæ accepisse, sicut Prophetæ appellatio, 1.Cor.14.v.32. ita vsurpatur. Posset huc etiam referri Apocrypha historia, quomodo Maria puellula fuerit ad templum institutionis & disciplinę gratia adducta. Sed clariùs illud ostenditur, Tit.2.v. 3. vbi viduas vocat καλοδιδασκάλους, & quę docere debeant pręscribit. Simile fermè exemplum exercitij viduarum legitur, Iudith 8.v.5. Et videntur illę duæ, Exod. 38. v. 8. ex publicis e-

leemosynis sustentationem habuisse. Nam Deut. 24. vers. 20. quædam pro viduis deponuntur. Et 2. Mac. 3. v. 10. victualia viduarum & pupillorum in templo deposita fuerunt. Certè Act. 6. v. 1. & 1. Tim. 5 v. 9. expressè hoc ponitur. Hoc exéplum viduarum Veteris Testamenti, Paulus 1. Tim. 5. vers. 9. accommodat ad collegia viduarum sui temporis: non vt doceat vxores relictis maritis, viduas relictis liberis & nepotibus, debere hoc institutum vitæ amplecti: sed ponit certam viduarum distributionem. Sicut Hanna cùm esset maritata non sectata est illum ritum viduarum: nec statim post mariti mortem, si vel liberos, vel nepotes habuit, illos necessaria cura destituit, 1. Tim. 5 4. Sed cùm in dies progressa verè esset vidua & desolata, tradidit se in illud collegium viduarum. Paulus enim duo Hebraica vocabula Almanach & Schemeem reddere voluit, cùm inquit ὄντως χήρα. Item, μεμονωμένη. quod vocabulum 70. & Paulus reddiderunt ἔρημος, Esa 54. vers. 3. Hoc modo explicatio & doctrina de instituto vitæ Hannæ plana est, & ἀνάλογα fidei.

Fuit igitur Hanna (vt ad historiæ contextum redeamus) persona publica & multis nominibus celebris. Illa tunc temporis, cùm puer Iesus in templum induceretur, non aderat in templo: nec simul cum Simeone venit, ne res ex composito gesta videretur: sed illa ipsa hora, cùm Simeon puerum in vlnis teneret ἐπιστᾶσα. Significat autem hoc verbum ex improuiso actioni alicui interuenire. Luc. 20. v. 1. Act. 4. v. 1. 1. Thes. 5. vers. 3 vetus interpres commodè reddidit, [*superuenire.*] *Vicissim autem confitebatur Domino*: quod vel de glorificatione & gratiarum actione, vel de testimonio, quod sua confessione Hanna reddidit puero Iesu, intelligi potest. Verbum enim confiteri vtrunque significat. Vsurpat autem Lucas verbum ἀνθωμολογεῖτο. cuius propria significatio intelligi potest, ex 3. c. Esdræ. Ibi enim in Græca translatione ponitur hoc modo: Sacerdotes & Leuitæ statuebantur in peculiari loco, vt tubis & cymbalis laudarent Dominum, & ex illis quidam ad singulos versus succinebant ἐν αἴνῳ καὶ ἀνθομολογήσει τῷ κυρίῳ: quoniã bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Sensus igitur est, quòd Simeon & Hanna, quasi distributis & alternis choris, alter præcinuerit, altera succinuerit. Simile exemplum extat, Exod. 15. vbi Moses canit gratulatorium carmen: Miriam verò prophetissa respondet, repetens principium carminis. Ex his duobus locis intelligi potest, & significatio vocabuli, & qualis fuerit confessio Hannæ: quod scilicet sua confessione responderit Simeoni, & quasi succinendo repetierit verba Simeonis. Et fuit valde illustre spectaculum, quod duæ illæ celeberrimæ personæ, publicè in templo, quasi choris ad formam sacerdotum & Leuitarum, Esd. 3. distributis, de puero Iesu nouum canticum præcinunt & succinunt. Et hę circumstantiæ ostendunt, quàm illustres fuerint illæ patefactiones & testificationes. Colligatur autem summa. Cùm extinctum quasi hactenus fuisset donum prophetiæ, concepto & nato Propheta illo Deut. 18. v. 15. promisso, incipiunt prophetare: Elizabeth cõiugata: Maria virgo: Zacharias sacerdos: Simeon Magister in Israel: Hanna prophetissa vidua.

Lucas verò breuiter perstringit, quod consecutum sit, ex illa tam celebri & illustri testificatione, de puero Iesu. *Hanna*, inquit, *loquebatur de illo omnibus, qui in Hierusalem expectabant redemptionem.* Quod ita intelligo, quòd non tantùm illa hora, ad illos, quos in templo tunc præsentes inueniebat, loquuta sit: sed quia multi erant, qui ex Scriptura, & ex Simeonis & Hannæ prophetiis, intelligebant, & credebant aduentum Messiæ propè adesse, qui tunc in templo omnes non adfuerunt. Ad illos igitur omnes, quos sciebat Hanna Ierosolymis expectare redemptionem, postea accessit, & locuta est illis de puero illo, quem Simeon in templo vlnis tenuerat. Et hoc modo, per totam vrbem & vlteriùs diuulgata est fama eorum quæ in templo gesta fuerant. Et inde Herodes intellexit, se à Magis delusum esse.

Porrò obiter obseruetur & hoc, vbi Lucas dicit, *Hanna loquebatur de illo*, quod proximum antecedens est, *confitebatur Domino*. Ergo puerum istum agnouit Dominum, & de illo, vt de Domino, loquuta est ad pios. Ita ipsæ Grammaticę minutiæ non sunt otiosæ.

Dicit autem Lucas *multos expectasse redemptionem in Hierusalem*: quia in tanta caligine, qualis tunc erat, in illo populo locus natalis Messiæ vulgò non fuit notus, Matth. 2. v. 4. Nota autem erat illi promissio de aduentu Messiæ ad templum, Agg. 2. v. 7. Mouebo cœlum & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebõ domum istam gloria Et Isa. 60. v. 1. Illuminare Hierusalem, quia gloria Domini super te orta est. Et propter hanc causam Simeon in templo tenens puerum Iesum, vocat gloriam plebis Israel. Non igitur velim cum Iosepho dicere, templum secundum à fundamentis ab Herode dirutum, & nouum planè exædificatum fuisse: quia secunda domus, quæ tempore Aggæi & Zachariæ ædificabatur, debebat gloria eius, qui desiderium omnium gentium vocatur, impleri. Sed hoc verisimilius est, Herodem noua quædam ædificia adiecisse, & vetera exornasse. Omnino enim necesse est fixum manere vaticinium, Agg. 2. 7.

Hactenus ergo descriptæ sunt tres valde illustres testificationes de nato Messia, non profectò ab hominibus, sed reuelatæ illæ fuerunt diuinitùs. 1. pastoribus per Angelos. 2. Magis per miraculum stellæ. 3. Simeoni & Hannæ per oraculum spiritus Prophetici.

CAPVT DVODECIMVM

HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM, DE FVGA PVERI IESV in Ægyptum.

RATIO ORDINIS.

POst historiam purificationis, hæc accidisse non est dubium. Nam iuxta legem vsque ad quadragesimum diem puerpera domi se continebat. Et Matthæus disertè addit, post digressos Magos Iosephum mandatum de fuga accepisse. Illud verò ordinem historiarum aliquo modo controuersum facit, quod Lucas in conclusione historiæ purificationis addit: *Postquam perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.* Inde enim Epiphanius statuit, ipsos post purificationem statim reuersos in Galilæam, & per biennium priusquam Magi venirent habitasse Nazarethæ: singulis verò annis, circa tempus primi census, ad consimilem annuam panegyrim rediisse Bethlehemã, & hac occasione Magos, post biennium, puerum Iesum cum matre inuenisse in ciuitate Bethlehem. Sed hæc sinè vllo vel Euangelicæ, vel alterius historiæ testimonio, dicuntur. Alij quidam, qui aduentum Magorum antę purificationis historiam ponunt, sentiunt, parentes peractis purificationis ceremoniis cum puero rediisse Nazaretham, & ibi paulò pòst angelum Iosepho attulisse mandatum de accipienda fuga. Sed & hæc opinio circumstantiis historiæ non satis conuenire videtur. Quia enim illis diebus Herodes fuit Hierosolymis, Matth. 2. v. 1. celebris fama, de illustribus testimoniis die purificationis in templo publicè editis, non potuit diu ipsum latere. Cùmque Ioseph accepto angeli mandato statim, & quidem noctu, ne in manus Herodis incideret, secesserit, non videtur verisimile, ex Nazaretha per totam Iudæam, cùm quidem circa Hierosolymam vbi Herodes erat, transeundum esset. Iosephum, vt manibus Herodis puerum subduceret, fugisse in Ægyptum. Et quòd præcipuum argumentum est: Iosephus rediens ex Ægypto non voluit, nisi angelo iubente, in Galilæam migrare, cùm existimaret Messiam, vel in ciuitate Dauidis, vel in parte aliqua tribus Iuda educandum. Ergo nec priùs priuato suõ consilio statim post purificationem Nazaretham secessisse videtur. Solet autem Lucas historias aliquando ita contexere, vt scribat post hoc secutum illud, insinuans interponenda ea, quæ ab aliis Euangelistis, tanquam interea facta, annotata sunt. Sicut igitur cap. 4. vers. 14. finitis tentationibus Christi Lucas mox subiungit: Et regressus est Iesus virtute Spiritus in Galilæam. Quod certè interiectis ex Iohanne multis aliis intelligendum est, vt quando regressio illa facta sit ex aliis Euangelistis sumatur. Ita hoc loco dicit, parentes peracta purificatione reuersos Nazaretham: interiectis scilicet illis, quæ sciebat & legerat à Matthæo descripta. Atque ita ex Matthæo sumendum est, quomodo & quando post purificationem in Galilæam redierint. Illa igitur clausula ex Luca poterit contextui Matthæi in forma Harmonię commodissimè hoc modo inseri: *Digressis autem Magis & cùm perfecissent omnia secundùm legem Domini: Ecce angelus Domini, &c.*

In quo

In quo verò loco angelus Iosepho mandatum de fuga dederit, & vnde Ioseph fugerit, certò non constat. Quidam sentiunt in ciuitate Bethlehem hoc factum, statim post Magorum discessum: Et Mariam prius voluisse ritus purificationis perficere. Sed Matthæus dicit, Iosephum statim illa nocte, quando mandatum accepit, fugam arripuisse. Videtur itaque, nocte purificationem sequente, angelum Iosepho Hierosolymis apparuisse, & inde ipsum statim fugam arripuisse: nisi quòd feræ portarum Hierosolymitanarum describuntur obseratę, Psalm. 147. v. 13. vt noctu inde fugere non potuerit. Sunt igitur qui sentiunt, quòd iuxta Lucam Ioseph fuerit in itinere, rediturus ex Hierosolymis in Galilæam, & in illo itinere ipsum mandatum fugæ accepisse. Sed de his coniecturis quisque vt videbitur iudicet. Noctu certè tempore pacis patuisse ingressum & egressum ex vrbe Hierosolymorum, ex historia passionis colligitur.

HISTORIA FVGÆ IOSEPHI CVM PVERO IESV, & Maria matre eius in Ægyptum, Matth. 2.

13. Ἀναχωρησάντων δὲ αὐτῶν, [καὶ ὡς ἐτέλεσαν ἅπαντα τὰ κατὰ τὸν νόμον Κυρίου.] ἰδοὺ, ἄγγελος Κυρίου φαίνεται κατ' ὄναρ τῷ Ἰωσὴφ, λέγων, Ἐγερθεὶς παράλαβε τὸ παιδίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ φεῦγε εἰς Αἴγυπτον. καὶ ἴσθι ἐκεῖ, ἕως ἂν εἴπω σοι. Μέλλει γὰρ Ἡρώδης ζητεῖν τὸ παιδίον, τοῦ ἀπολέσαι αὐτό.

14. Ὁ δὲ ἐγερθεὶς, παρέλαβε τὸ παιδίον, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ νυκτὸς, καὶ ἀνεχώρησεν εἰς Αἴγυπτον.

15. Καὶ ἦν ἐκεῖ ἕως τῆς τελευτῆς Ἡρώδου· ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ Κυρίου διὰ τοῦ προφήτου, λέγοντος, Ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.

13. *Digressis autem illis, [& cùm perfecissent omnia secundùm legem Domini] ecce angelus Domini apparet in somnis Ioseph, dicens: Surge & assume puerum, ac matrem illius, & fuge in Aegyptum, & esto illic donec dixero tibi: futurum est enim, vt Herodes quærat puerum, ad perdendum eum.*

14. *Ille verò excitatus, assumpsit puerum, & matrem eius noctu, & secessit in Aegyptum.*

15. *Et fuit illic vsque ad obitum Herodis, vt perficeretur quod dictum fuerat à Domino, per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meũ.*

Periocha Historiæ, de fuga Iosephi, cum puero Iesu, & Maria matre eius, in Ægyptum.

HActenus gloria vnigeniti à patre radios quosdã, aliquot illustribus testificationibus, cœperat exerere. Sed quia nondũ erat tempus, vt Iesus manifestaretur esse Messias, Deus igitur, cum natiuitatem eius satis multis testificationibus patefecisset, ipsum per fugam in Ægyptum subducit è conspectu populi Israel, vt fide expectarent manifestationem eius, quem natum iam esse tot illustribus reuelationibus confirmatum erat. Seruandum enim fuit decorum (vt sic appellem) tẽporis exinanitionis, ne sensibus externis ex magnificentia, sed in abiecta infirmitate, fide ex verbo, agnosceretur esse Messias. Quia scriptum est. Beatus qui non fuerit offensus in me.

Occasio autem fugæ hæc fuit. Scribæ, sicut ex Iosepho lib. 17. c. 3. colligi potest, in explicatione vaticinij Michææ, ostenderant, Dei decretum esse, vt nato Messia sceptrum regni ad illum ita transferret, vt omnes Reges hunc solum adorarent, Ps. 72. v. 11. Hoc siue Herodes ita accepit, siue Pharisęi, vt erant carnalibus opinionibus ebrij, ita interpretati sunt, fore vt externum regnum ab Herode & vniuersa eius cognatione auferretur. Hostili igitur animo Herodes cœpit in propriam etiam familiam sæuire, præcipuè verò meditari excidium pueri Iesu, ab illo die quo primum ex Magis de stella audierat, & ex scribis locum Michææ cognouerat: sed quod machinabatur, insidiosè dissimulabat, vt data occasione commodius illud perficere posset. Deus itaque maturius cùm propter testimoniorum celebritatem Herodes, metu populi, nihil dum tentare audebat, puerum subducit, vt insidias exploratorum eius præueniret.

Porrò, ne fuga hæc videretur dedecori esse huic puero, qui Christus Dominus esse debebat, excogitata sunt varia miracula, quæ dicerentur esse facta in ipsa fuga & in Ægypto: vt quomodo in deserto à latronibus comprehensi & mirabiliter liberati fuerint, per illum latronem, qui postea Christo crucifixo à dextris suspensus fuit. Sozomenus etiam in vulgi narratione refert, Hermopoli, ciuitate Thebaidos, procerã quandam arborem vsque ad terram puero Iesu cum matre prætereunte, se inclinasse, vt gestum adorationis præberet: & illam ex hac inflexione vim medicam tantam accepisse, vt si tãtum vel folia vel cortices ægrotantium collo alligentur, statim pulso morbo sanitas restituatur. Alij narrant, ingrediente Domino in Ægyptum, vniuersa Idola corruisse. Vt sicut, egredientibus filiis Israel, nulla domus fuit, in qua non iaceret mortuus: Ita Domino ingrediente nullum templum fuerit, in quo non iaceret Idolum aliquod collapsum. Et huc accommodarunt sententiam, Esa. c. 19. v. 1. Stapulensis citat ex Petro Martyre, locum illum in Ægypto, vbi puer Iesus exulauit, vocari nunc Matarеam, quæ sita sit vltra Cairum decem millibus passuum, ac Mauros ibi perpetuam lampadem religionis ergo seruare. Ostendi ibi hortum arbuscularum balsami, quæ à puero Iesu plantatæ & ex puteo vicino irrigatæ fuerint. Ita sit quando à verbo disceditur.

Hęc omnia excogitata sunt eo animo, quod existimarũt indignum esse maiestate huius pueri, clandestina fuga saluti suę consulere, aduersus vim & insidias Herodis. Ideo cogitarunt fugæ indignitatem miraculis quibusdam esse quasi obruendam. Sed historia planè illam ipsam ob caussam & facta & descripta est, vt ostendat, quomodo gloria vnigeniti à patre, quæ hactenus aliquos radios exeruerat, specie infirmitatis & exinanitionis quasi nube nunc rursus tegatur & occultaretur: vt ita regni sui, quale futurum sit, specimen præbeat. Non igitur fingenda sunt miracula, sed inspicienda est cum admiratione summa exinanitio filij Dei, propter nos suscepta, vt doceat, qualis sit species regni ipsius in hoc mundo, & ita plus consolationis dabit hæc historia.

Angelus igitur apparet Iosepho in somnis sicut antea. Et tunc quidẽ nunciabat cõceptũ esse è Spiritu sancto: cuius nomen sit Immanuel, hoc est, Deus fortis incarnatus. Iam verò affert ipsi mandatũ de fuga capessenda, & rationẽ addit: *futurũ vt Herodes quærat puerũ, ad perdẽdũ ipsum.* Et fieri potuit quòd Iosepho hoc acciderit præter opinionẽ, vt qui aliam persuasionem de huius pueri regno conceperat. Sed quod Simeon paulò ante cõcionatus fuerat, de contradictione & de gladio, illud mox reipsa ostenditur. Atq; ita historia monstrat hanc obseruationẽ, Deum paterna solicitudine hunc ordinẽ seruare, quod electis suis non imponat crucẽ & persequutionẽ, nisi prius verbo eos præmonuerit & Spiritu præmunierit: Amos 3. vers. 7. Ideo ante fugam in Ægyptum, Simeon concionatur de signo cõtradictionis & de gladio. Est & hic processus Dei notandus, quod post verbalem concionem de cruce, non à longe subsequatur realis, (vt sic loquar.) Simeõ dixerat de signo contradictionis: mox Angelus addit glossam, futurum, vt Herodes quærat puerum, vt perdat ipsum. Hæc dura sanè est contradictio. Et Maria, in fuga, per desertum & in Ægypto, primitias gustare cœpit de gladio transeunte animã. Est quidem puer hic positus in ruinam, & satis potens ad conterendos aduersarios, Matth. 21 v. 44. Non autem exerit potentiam suam in conterendo hoste Herode, sed fugit: vt ostendat, esse tempus exinanitionis, & se non venisse animas perdere, sed saluare, Luc. 9. vers. 56. Verè magna autem est exinanitio filij Dei, quod non tantum fugit, sed Iosepho mandatur, vt ipse puerum periculo eripiat, & in locum tutiorem referat. Et sine dubio, magna cum admiratione Ioseph & Maria, & in itinere & in Ægypto hoc mysterium aspexerunt, quod nõ Magi tantum iubentur fugere: sed ipse Saluator, qui est Immanuel hoc est, Christus Dominus, vix natus, dum adhuc vagit in fasciis, cogitur fugere. Imo hominis mortalis, & quidẽ pauperis, & fabri Iosephi, opera iubetur saluari ille, qui est Saluator omnium. Et longum sanè, difficile ac periculosum fuit iter senem Iosephum, cum recenti ac tenera puerpera, cũ infante 40. dierum vltra ducenta passuum millia per vastam solitudinem, in Ægyptum, ad homines prorsus ignotos fugere. Quoties putas, in illa nocte cùm fugam arriperent, & postea in itinere & in Ægypto, cùm puerum illũ, qui est Immanuel,

aspicerent, admirabundi cogitarint, de summa hac exinanitione? Sed tali & tam immensa humiliatione, nostra superbia & inobedientia expianda fuit. Latet tamen sub illa infirmitatis specie diuina potentia de qua mox sequitur, *Mortui sunt, &c.* Et licet Iosephus sciat, puerum hunc esse Immanuelem, & habere promissionem per angelum, quod rediturus sit ex Ægypto: tamen non negligit media, sed noctem, vt tempus ad fugam tutius, eligit. Nec in ea paupertate opus ipsis fuit longo tempore, ad colligendas sarcinas, sed ea ipsa nocte, qua mandatum accepit, fugit.

Semper autem vtrúque coniungitur, & persequutio & cōsolatio: quod & quomodo in summis periculis, Deus suos curet & defendat. Cùm enim insidiæ adhuc in corde Herodis laterent, & humanitus caueri non possent, Angelus monet, & Deus puerum & parentes periculo subtrahit, priusquam Herodes insidias in actum deducere possit. Sed modus defensionis mirabilis est: quod in fuga salus ostenditur, & per fabrum Iosephum Christus Dominus seruatur. Et tamen sub illa infirma defensionis specie, Angelus promittit certum & præsens Dei auxilium: Inquit enim: *Eris in Aegypto, donec dixero tibi.* Ergo tutus perueniet in Ægyptum, & seruabitur ibi, & incolumis inde redibit. Intellexit etiam Ioseph ex illa apparitione & oratione angeli, quod Angelos, non tam comites quàm duces itineris, & custodes in exilio illo, habituri essent. Deus igitur sub illa infirmitatis specie, non tantum in præsenti periculo, verum etiam in futurum prospicit puero & parentibus, sicut ipsis nihil tunc de fuga cogitantibus, etiam viatico prospexerat, per Magos. Hæc si, in illa historia de fuga in Ægyptum, considerentur, non opus erit circumspicere ad fabulas miraculorum, quæ ex scripturis canonicis nullam habent auctoritatem. Eadem ergo facilitate, iuxta Hieronymum, contemnuntur, qua probantur.

Sed difficilis videtur quæstio, quod Messias in Ægypto habitat, & ex Ægypto vocatur, cum terra Canaan ideo fuerit promissa, & postea multis stupendis miraculis, filiis Israel tradita, inter multorum hostium fremitus conseruata, & tandem post captiuitatem semini Abrahæ restituta, vt esset certus & notus locus, vbi Messias nasceretur, officium redemptionis perficeret, & regnum suum inchoaret.

Ne igitur Iudæi prætenderent, Iesum nō esse Messiam, quia in Ægypto fuerit, & ex Ægypto venerit: Matthæus ostendit, hoc non pugnare cum Scriptura. Et quando status quæstionis ita ponitur, tunc facilis est sententiæ Propheticæ, quam Matthæus citat, accommodatio ad Christum. Coacta enim, & cōtorta est eorum explicatio, qui cōtendunt, Oseam in illo dicto: *Ex Aegypto vocaui filium meum*, simpliciter, & propriè nihil aliud, quàm de solo puero Iesu vocato ex Ægypto, vaticinari. Manifestum enim est, quod Deus ibi exprobret populo Israel multiplicia beneficia sua, inter quæ præcipuum est, eductio ex Ægypto: quibus opponit insignem eorum ingratitudinem & cordis duritiem: & ideo pœnas minatur! Assur erit Rex eius, quomodo dabo te Ephraim? &c. Sed hic insurgit Iulianus clamitans, Euangelistam ludificare Scripturā, quod ea, quæ de populo Israel & de exitu eius loquuntur, dicat impleta esse in puero Iesu, cùm fugeret in Ægyptum, & inde rediret. Cogitetur autem de scopo Euangelistę, & accōmodatio plana erit. Deus elegerat & adoptarat semen Abrahæ, addita hac promissione: Semini tuo dabo terrā hanc. Item: Ero Deus tuus & seminis tui post te, &c. Sed in ipsa quasi infantia, & pueritia huius populi, Ægyptus fuit eius domicilium. Quod si quæratur cum extra terram promissionis, vrgēte necessitate, habitarent in Ægypto, an tunc non fuerit electus populus: An vero hoc pugnarit cum promissione de terra Canaan? Respōdet Propheta: Dilexi eum, & ex Ægypto vocaui filium meū. In extremis enim populi angustiis: Exo. 4. v. 22. dicit Deus, filius meus primogenitus est Israel, dimitte filium meū. Et hæc Euangelista ita ad hanc historiam accommodat, vt ostendat, nec absurdum, nec contra Scripturā esse, quod puer Iesus partem infantiæ seu pueritiæ suæ in Ægypto transegit. Populus enim Israel, erat filius primogenitus Dei, non natura, sed adoptione: propter hunc vnigenitum Dei filium, & verum primogenitum Iesum Christum. Et hic est, propter quem populum Israel dilexit, & ex Ægypto vocauit. Tanta enim est coniunctio capitis Christi, & membrorum eius, vt quæ de membris dicta sunt, rectè ad ipsum caput referantur, vt in eo verè impleri dicantur. Et vt conformitas capitis & membrorum, de qua Paulus, Rom. 8. v. 29. eo manifestius ostēderetur, Matthæus sua hac allegatione talem instituit collationem. Israel natus est in terra Canaan, mox expellitur in Ægyptum: vbi manet, donec, vocante Deo, rursus egrediatur. Et hoc fuit tēpus infantiæ seu pueritiæ populi Israel: sicut Oseas inquit, cū paruulus esset Israel: & Moses Deut. 1. v. 31. Portauit te Dominus, vt solet homo gestare paruulum filium suum. Ita puer Iesus natus in terra Canaan, in infantia fugit in Ægyptum: vbi annos aliquot infantiæ suæ transegit, & mansit ibi, donec Deus per angelum ipsum rursus euocaret. Et quia oportet electos conformes fieri imagini vnigeniti, & verè primogeniti pueri Iesu. Illud ergo, quod Oseas inquit: *Ex Aegypto vocaui filium meum*: rectè dicitur impletum esse. 1. in populo Israel, vt in membris. 2. in ipso capite, puero Iesu.

Vtilis enim est regula ad illustranda multa Scripturæ loca, quod Prophetia seu Scriptura dicitur & intelligitur impleri quatuor modis.

I. Quando illud fit, quod Scriptura in loco allegato propriè & simpliciter prædixit & intelligi vult. Vt cum Matt. 1. 23. Angelus dicit: Mariam esse grauidam ex Spiritu sancto, sine congressu viri, vt impleretur quod dictum est. Ecce virgo, &c. Ita vaticinium Mich. 5. v. 2. impletum est, cùm nasceretur Iesus in Bethlehem.

II. Dicitur impleri: quando simile aliquid fit, quod cognationem habet cum re præterita: vt de Rachel plorante liberos. Item, Matt. 13. v. 35. Aperiam in parabolis os meum.

III. Quando Scriptura non de vno aliquo certo facto loquitur, sed tradit doctrinam generalem, illa rectè dicitur toties impleri, quoties & in quibuscunque illud fit, quod Scriptura dicit. Ita Matt. 15. v. 7. Rectè de vobis prædixit Isaias: Appropinquat populus, &c. Matt. 13 v. 14. Completur in illis Prophetia Isaiæ, auribus audietis & non intelligetis. Hæc enim Prophetia dicitur impleri in aliis etiam auditoribus, & alio tempore. Ioan. 12. v. 40. Act. 28. v. 26. Rom. 11. v. 8. &c.

IV. Multæ Scripturæ sententiæ loquuntur, & de capite, & de membris. Rectè igitur dicuntur impleri, quando accommodantur, siue ad membra, siue ad caput. Talis est hæc sententia, Os. 11. v. 1. Et hoc modo multæ sententiæ ex Psalmis accommodantur Christo.

Matthæus igitur citans dictum Prophetæ, tantum ad analogiam respicit. Sicut enim transmigratione Israelis in Ægyptum, odor doctrinæ diuinitus patefactæ etiam inter gentes sparsus est: Ita puer Iesus ostendit, se ita esse ministrum circumcisionis, vt ad gentes etiam officium suum pertineat. Et quidem fuga in Ægyptum figura fuit, fore vt Christus cū suo regno à Iudæis variis persequutionibus repudiaretur, & hac expulsione gentibus regnum illud traderetur. Ideo Magos gentes, ab Oriente adduxit ad puerum Iesum: & in Ægyptū ad meridiem, mox puerum illum mittit, vt sint præludia vocationis gentium, videtur etiam in annis quædam analogia esse. Filij enim Israel annis 400. in terra nō sua fuerunt, puer verò Iesus, ab anno Herodis 33. vsque ad 37. quo mortuus est Herodes, in Ægypto mansit: hoc est, per annos 4. Sed hæc minutula sunt, quorum tamen obseruatio non iniucunda est. Et quia eductio ex Ægypto figura fuit redemptionis à peccato, & morte æterna: Ideo per illud desertum, puer Iesus in infantia peregrinatus est, per quod filij Israel ex Ægypto educti sunt in terram promissionis. Cúmque nostro loco legem subiturus esset, transiit loca illa, vbi lex in Sina lata, vbi serpens in deserto exaltatus, vbi primum Pascha mactatum, & sanguine eius postes aspersi contra angelum vastatorem.

CAPVT DECIMVMTERTIVM

HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM DE MISERABILI CÆDE INFANTVM Bethlehemiticorum, Matth. 2.

RATIO ORDINIS.

POst discessum Magorum, & post fugam Iosephi, hanc historiam accidisse, nullum est dubium. Sed de tempore sententiæ variant. Quidam enim propter particulam ττε sentiunt, statim post tempus purificationis Mariæ, & post fugam

fugam Iosephi hoc accidisse. Sed particula τότε apud Euangelistas sæpe ita vsurpatur, vt non statim vel continuò, sed tempore aliquo interiecto, ea quæ ita describuntur secuta esse significentur. Alij propter mentionem διετίας, altero anno, post purificationem, hæc accidisse sentiunt, vtriusque sententiæ rationes in historia Magorum exposuimus Lectori liberum sit eligere vtram velit. Ad summam enim fidei nihil admodum affert.

HISTORIA IMMANIS CÆDIS INFANTVM, ab Herode perpetratæ, Matth. 2.

16. Τότε Ἡρώδης, ἰδὼν ὅτι ἐνεπαίχθη ὑπὸ τῶν Μάγων, ἐθυμώθη λίαν· καὶ ἀποστείλας ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας τοὺς ἐν Βηθλεὲμ, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν μάγων.	16. *Tum Herodes, vbi vidit sibi illusum fuisse à Magis, indignatus est vehementer, ac missis satellitibus, interfecit omnes pueros, qui erant Bethlehem, & in omnibus finibus Bethlehemiticis, quotquot essent bimuli, & minores, iuxta tempus, quod exactè cognouerat ex Magis.*
17. Τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου, λέγοντος.	17. *Tunc perfectum est quod dictum fuerat ab Ieremia Propheta, cùm ait,*
18. Φωνὴ ἐν Ῥαμᾶ ἠκούσθη, θρῆνος καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμὸς πολὺς· Ῥαχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς, καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσί.	18. *Vox in Rhama audita est, lamentatio, ploratus & fletus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem admittere, propterea quòd non sint.*

Periocha Historiæ.

DE tempore huius historiæ anteà quædam annotauimus. Ex illis igitur quæ die purificationis acciderant, increbuerat vbique publicus & constans rumor, puerum Iesum in templo, à Simeone & Hanna, publicè renunciatum esse Messiam. Inde intellexit Herodes, Magos fidem de reuersione datam fefellisse. (In malis enim promissis rescindenda est fides: & iuramenta non debent esse vincula iniquitatis, sicut rectè Veteres dixerunt.) Iram igitur Tyranno dignam concepit, verbum enim θυμοῦσθαι, Gen. 39. v. 19. vsurpatur pro eo, quod est, exarsit furor eius. Sed quia videbat omnium animis famam Magorum, & testificatione Simeonis & Hannæ excitatis & commotis, se non posse id, quod animus ira furens meditabatur, sine periculoso tumultu, & seditione perficere distulit igitur in aliud commodius tempus. Quomodo verò interea, quæ ad occasionem, & commoditatem perpetrandi facinoris facere videbantur, studiosè conquisierit, suprà annotauimus. Potest & hoc cogitari. Cùm Herodes audiuisset puerum illum in templo fuisse præsentatum, diligenter ipsum inquisiuisse, vbi puer ille mansisset. Sed cùm nusquam in tota Iudæa compareret, putauit ipsum metu forsan occultari. Iram igitur tunc conceptam aliquandiu dissimulauit (sicut in dissimulationibus egregium artificem ipsum fuisse Iosephus scribit lib. 17. cap. 3.) vt hac occasione parentes nihil amplius timentes, puerum ex latebris rursus proferrent. Sed cùm post longam dissimulationem puer ille in Iudæa nusquam compareret, cùm etiam feruor populi, illustribus de puero illo testificationibus excitatus, paulatim deferbuisse videretur; Herodes altero anno, cùm existimaret, commoditatem & occasionem, quam diu iam captarat, adesse, facinus, quod iamdudum animo agitarat, instituit aggredi, quærere scilicet animam pueri Iesu. Sed quia nec ipse nouerat, nec aliquis alius certò monstrare poterat, quisnam aut vbi puer iste; nisi quod de domo & familia Dauidis, in ciuitate Bethlehem, natum esse intellexerat, cruentum igitur & immane hoc consilium excogitauit, si in ciuitate Bethlehem, & in omnibus finibus eius, hoc est, in illis castellis, vicis & ciuitatib. quæ habitationi, domus & familiæ Dauidis designatæ erant, omnes paruulos trucidaret, non posse euadere Iesum, quin simul interficeretur. Ne verò error aliquis in ætate admitteretur, subducta supputatione iuxta tempus apparitionis stellæ, quod ex Magis inquisierat, constituit, cuius ætatis puer ille tunc esse posset: & si forsan supputatio præcisè non responderet, sed vel deficeret, vel abundaret, cautionis gratia aliquid adiecit, & supra & infra numerum suæ supputationis scilicet, *Inde vsque ad bimulos & infra.* Hanc phrasin quidam ratione numerorum ita voluerunt interpretari, quasi infra bimatum significet tempus vsque ad quintum annum. Sed Græci interpretes phrasin declarant 1. Par. 27. v. 23. In recensendo populo non numerantur ἀπὸ εἰκοσαετοῦς καὶ κάτω, hoc est, minores viginti annis. Sed recensentur ἀπὸ εἰκοσαετοῦς καὶ ἐπάνω, hoc est, maiores viginti annis. Num. 1. vers. 3. Et Macrobius illam phrasin Latinè ita reddidit: Omnes infantes Bethlehemiticos intra bimatum trucidauit. Et ad illud (ἠκρίβωσε) referri tempus à Magis exquisitum, antea diximus, cùm de ordine historię Magorum disputaremus.

Quia verò truculentum & miserabile illud spectaculum infanticidij verbis explicari non potest, breuissimè igitur Euangelista historiam perstringit potius, quàm describit. Nos vocabula quædam explicabimus. ἀποστείλας ponitur absolutè, cùm alias fere semper adiunctum habeat accusatiuum, vel præpositionem significantem ad locum, vt Matth. 27. v. 19. Misit ad ipsum vxor, &c. Extat autem simile exemplum, quod planè huic quadrat, Marc. 6. v. 17. Ipse Herodes ἀποστείλας, comprehendit Ioannem. Et Iohan. 7. v. 32. in eadem significatione constructio plena est. Pharisæi & pontifices miserunt ministros publicos, vt comprehenderent Iesum. Porrò vsurpatur etiam absolutè, 3 Reg. 21. v. 11. in historia Naboth, quando Iesabel nomine regis mandata dedit de tollendo Naboth: Fecerunt sicut ἀπέστειλε ad ipsos Iesabel. Ostendit igitur huius vocabuli significatio, Herodem non clam sustulisse infantes, sed vel misso mandato, vel missis publicis satellitibus. Nam & verbum ἀνεῖλε de publicis suppliciis vsurpatur, vt de crucifixione Christi, Act. 2. v. 23. & 10. v. 39. de Apostolis, Actor. 5. v. 33. de Iacobo, Actor. 12. v. 2. Quomodo verò factum hoc fuerit, ex descriptione Matthæi non potest colligi. Nisi quod Philo & Macrobius scribunt, inter pueros illos etiam Herodis filium, quem ipse coniunx de tribu Iuda pepererat, interfectum esse. Qui si in aula patris educatus fuit, sicut verisimile est, & tamen in finibus Bethlehem inter reliquos trucidatus fuit, coniectura inde potest sumi publico regis edicto, omnes paruulos intra bimatum, de domo & familia Dauidis, vbicunque educarentur, prætextu aliquo conuocatos fuisse intra fines Bethlehemiticos. Neque enim in illa confusione tribuum, omnes qui erant de domo & familia Dauidis, in finibus Bethlehemiticis habitabant: Sed multi ex cognatione Mariæ Nazarethæ & Bethsaidæ habitabant. Ac nisi periculum conuocationis fuisset, potuisset Ioseph cum puero Iesu in ciuitate Nazaretha tutus latere. Et solitas fieri conuocationes ad ciuitatem Bethlehem, eorum qui erant de domo & familia Isai & Dauidis, exempla testantur, 1. Reg. 16. v. 5. 20. v. 6. & descriptio Lucæ 2. v. 2. Hoc modo igitur Herodes infantes intra bimatum, de domo Dauidis, potuit eodem tempore, in finibus Bethlehemiticis, simul omnes trucidare. De finibus Bethlehem, quàm latè patuerint, & quot vicos, castella seu ciuitates comprehenderint, nihil potui ex Scriptura deprehendere.

Pertinent verò huc etiam, quæ Iosephus & Philo annotarunt. Iosephus lib. 17. cap. 3. narrat, Pharisæos prædixisse, decretum esse Deo, regnum ablatum ab Herode & vniuersa eius progenie transferre ad nouum regem, cui omnia prosperè sint cessura. Et hac prædictione multos in domestica familia Herodis motos fuisse, inter quos fuerit vxor Pherone, fratris Herodis, & Bagoas Eunuchus, quem in eam spem sublatum fuisse dicit Iosephus, quasi benefactor appellandus Regis, quem destinarint vaticinia. Qui sermones cùm ad Herodem per sororem Salomen, delati essent, interpretatus est, esse conspirationem, & crimen affectati regni. Pharisæorum igitur aliquot deprehensos interfecit, Begoam etiam Eunuchum, & multos alios ex domestica familia, &c. Ex hac non satis explicata narratione Iosephi, multa huc pertinentia colligi possunt, quod scilicet præter infantes Bethlehemiticos, multi etiam alij illo tempore ab Herode trucidati fuerint.

Philo verò expressius scribit, Herodem Sanhedrin, hoc

est.72. illos ordinarios iudices, qui ex familia Dauidis in domum magni consilij eligi solebant, occidisse, & illis proselytos substituisse. Sororis enim suæ Salomæ maritum de tribu Iuda, & filium quem ipsi vxor, ex eadem tribu pepererat, interfecisse. Et tempus quod Philo annotat, ad narrationem Euangelistæ non malè conuenit. Dicit enim factum esse anno penultimo regni Herodis. Natum autem Christum anno regni Herodis 33. supra ex Epiphanio diximus: & anno natiuitatis secundo, infantes trucidatos, Matthæus annotat. Conuenit ergo fermè hæc supputatio ad numerum annorum quem Philo ponit. Et Herodes ideo iudices de domo Dauidis sustulit, vt facinus illud, vel eò liberius posset perpetrare, vel, ne ad reddendam rationem iudicio sisteretur: sicut meminerat factum esse, cùm iuuenis adhuc, viuente patre Antipatro, ob Iudæos quosdam in Syria occisos, ad iudicium illud citatus, vix periculum capitis euaserat, Iof. lib. 14. cap. 17.

Macrobius recitans iocos Augusti scribit, inter pueros, quos in Syria Herodes intra bimatum iussit interfici, etiam ipsius filium occisum, & Augustum per iocum respondisse: Malle se Herodis porcum, quàm filium esse, cùm simulata superstitione porcos non soleret mactare.

Hæc collatio illustrat historiam Euangelistæ, & ostendit, quomodo sine publico populi motu, tam immane facinus potuerit perfici.

Porrò Euangelista allegat sententiam Ieremiæ, quam, quia dicit tunc impletam fuisse, cùm infantes illi occiderentur, variæ quæsitæ sunt explicationes. Si quis enim contendere velit, Prophetam in illa sententia simpliciter & propriè tantum de hoc infanticidio vaticinari, cogetur dicere, infantes illos non fuisse de tribu Iuda, sed Beniamin, Ephraim, & Manasse. Vocantur enim filij Rachel quæ mater fuit Beniamin, & auia Manasse & Ephraim. Sed contextus manifestè ostendit quod Propheta c.30. vaticinatur de captiuitate Iuda, cui tribus Beniamin coniuncta erat. Capite verò 31. meminit etiã captiuitatis Israelis: aliquoties enim nominat Ephraim. Et quia viui illius comminationibus Prophetæ non mouebantur, tribuit vocem mortuæ Rachel matri Beniamin, & auiæ Ephraim: quasi illa audiens Ephraim nepotem suum in transmigrationem lamentantem, deploret cunctos filios suos, quod post Ephraim, hoc est, post decem tribus, etiam Beniamin cum Iuda abducatur. Hæc propria & historica est sententia illius loci. Dicit autem Euangelista hanc prophetiam impletam esse, cùm infantes occiderentur: quia simile aliquid, quod cognitionem habet cum historia præterita accidit: sicut supra de Prophetarum impletione annotauimus. Et eadem ratione dictum illud Ieremiæ ad omnes martyres, & ad luctum Ecclesiæ omnium temporum, accommodari potest.

Sed Matthæus præter generalem illam rationem, habuit alias etiam causas, propter quas iudicauit dictum illud Ieremiæ propius & conuenientius ad hoc infanticidium accommodari posse. Primò quia Rachel in dolore partus mortua, circa locum illum, vbi infanticidium illud perpetratum est, sepulta fuit. Vt igitur immanitatem tristissimi istius spectaculi exaggeraret, assumit hoc simile. Sicut tanta fuit calamitas, cùm Iuda & Israel in captiuitatem abducerentur, vt viuentium querimoniis non satis posset deplorari, sed demortui ad planctum illum aduocandi essent, vt eorum eiulatus quasi exaudiri putaretur: Ita cùm nemo vel metu Herodis auderet, vel pro dignitate posset, truculentiam istius infanticidij deplorare. Iam, inquit Euangelista, iterum mortuæ Rachelis, quæ in illo loco circa Bethlehem sepulta fuit, planctu opus esset, sicut in captiuitate. Ierem. 31. v. 15. Tanta enim calamitas vel mortuis luctum mouere posset. Ita Euangelista, cum verbis non posset assequi, qualis fuerit ibi planctus & luctus, ad prosopopœiam Ieremiæ, in simili casu positam, se refert.

Secundò allegat Matthæus illam sententiam, vt tacitæ obiectioni respondeat, & doctrinam huius historiæ explicet. Absurdum enim videri poterat, si puer Iesus est saluator, quare cùm vix in hunc mundum editus est, illi qui ipsi proximi & coniunctissimi erant, & ætate & sanguine, vtpote de domo Dauidis & bimuli, tam crudeliter propter ipsum trucidentur? Sed Euangelista ostendit verbis Prophetæ: Noui Testamenti salutem esse ex perditione, vitã ex morte, gaudium ex ploratu, spem ex desperatione. Per totum enim illud caput Propheta loquitur de restitutione Israelis futura per Messiam: quam tali, vt dixi, antithesi & quasi contradictione describit. Et ipsa Rachel, cùm propter promissionem de Messia deserta patria Iacobum sequuta esset, & venisset circa Bethlehem, vbi nasciturus erat Saluator, doloribus partus extinguitur: & tamen obstetrix non vult filium vocari Benoni, sed Beniamin. Non mirum igitur videri debet, quod puer Iesus etiam hoc modo cœperit esse Saluator: Nempe per truculentam cædem ad vitam æternam, ostendit etiam, regnum huius Saluatoris non esse de hoc mundo, nec eius salutem esse huius caducæ vitæ. Trucidantur enim infantes, quorum est Saluator. Et quod sit iudicium rationis hoc modo exponit, *Rachel plorat, & non vult admittere consolationem: quia non sunt*, hoc est, iudicat promissionem de Messia ipsis nihil prodesse, cùm tam crudeliter abscissi sint de terra viuentium, vox verò diuina respondet, Quiescat vox tua à ploratu: est enim spes nouissimis tuis, &c. Hoc modo vtilius potest tractari accommodatio prophetiæ, quàm otiosis & argutis disputationibus.

Porrò in sententia Ieremiæ, Matthæus vocem Ebræam *Rama* reliquit: quæ aliquando quidem est nomen loci. Sed vrbs illa Rama sita fuit in sorte Beniamin, iuxta Gabaa, Iof. 18. v. 5. Iud. 19. v. 13. & 3. Reg. 15. v. 17. opposita Hierosolymis. Quia verò infanticidium in sorte tribus Iuda circa Bethlehem perpetratum fuit: ideò appellatiuè illam vocem quidam accipiunt. *In excelso vocem auditam*, hoc est, quæ longè lateque fuerit dispersa: vel tantum fuisse ploratum, cuius eiulatus extra fines Bethlehemiticos in Rama in tribu Beniamin exauditus fuerit.

CAPVT DECIMVMQVARTVM HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM, DE REDITV PVERI IESV IN Galilæam, ad ciuitatem Nazareth.

RATIO ORDINIS.

MAtthæus nominans tempus mortis Herodis, ordinem & ἀκολουθίαν huius historiæ manifestius, quã vt pluribus disputandum sit, ostendit. Et ex iis, quæ post purificationem, Lucas c.2. habet, nihil esse huic historiæ præponendum, inde manifestum est, quòd reuersionem in Galilæam Lucas præmittit illis, quæ de educatione pueri Iesu, postea addit.

HISTORIA DE REDITV PVERI IESV, ex Ægypto, Matth. 2.

19. Τελευτήσαντος δὲ τοῦ Ἡρώδου, ἰδού, ἄγγελος Κυρίου κατ' ὄναρ φαίνεται τῷ Ἰωσὴφ ἐν Αἰγύπτῳ,
20. Λέγων, Ἐγερθεὶς παράλαβε τὸ παιδίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ πορεύου εἰς γῆν Ἰσραήλ· Τεθνήκασι γὰρ οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου.
21. Ὁ δὲ ἐγερθεὶς, παρέλαβε τὸ παιδίον, καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ ἦλθεν εἰς γῆν Ἰσραήλ.
22. Ἀκούσας δὲ ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας ἀν-

19. *Cæterum, defuncto Herode, ecce, angelus Domini in somnis apparuit Ioseph in Aegypto,*
20. *Dicens: Surge & assume puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.*
21. *At ille surgens, assumpsit puerum, & matrem illius, & venit in terram Israel.*
22. *Verum cũ audisset, Archelaum regnare in Iudæa,*

τὶ Ἡρώδου

τὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ἐφοβήθη ἐκεῖ ἀπελθεῖν. Χρηματισθεὶς δὲ κατ' ὄναρ, ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη τῆς Γαλιλαίας.

loco Herodis patris sui, timuit illuc abire: sed oraculo monitus in somnis, secessit in partes Galilaæ.

23. Καὶ ἐλθὼν, κατῴκησεν εἰς πόλιν λεγομένην Ναζαρέθ· ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται.

23. *Ac profectus habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth: vt impleretur quod dictum fuerat per Prophetas, Nazarenus vocabitur.*

Periocha Historiæ.

QVia in Ægyptum abductus fuit puer Iesus, ne ibi maiorē ætatis partem transegisse, & ex Ægypto ad inchoationē regni sui, cōtra Scripturā venisse existimetur: adiungit Euangelista historiā, quomodo statim, post mortem Herodis, reuocatus sit. Et hinc potest colligi, quamdiu in Ægypto hæserit, scilicet, vsq; ad mortem Herodis. Numerant autem alij 7. annos, alij 4. alij 2. & diuersitas inde oritur, quod initium regni Herodis constituitur, vel ab illo tempore, quando senatuscōsulto Rex appellatus fuit, vel ab occiso Antigono, cùm Hierosolymam occupasset. Et ex hac supputationū diuersitate, quidam Christum anno regni Herodis 30. alij 33. natum esse dicunt. Iosephus scribit, Herodem regnasse annos 37. à regno ipsi per senatusconsultū decreto, 34. post occisum Antigonū, & occupatam Hierosolymam. Hac cōsideratiōne neglecta multi diuersas illas supputationes confundunt. Sed qui ponunt Christum natum, anno regni Herodis 30. tribuere debent regno eius non 37. sed 34. annos. Qui verò ponunt 33. anno regni Herodis Christum natū, illi rectè tribuunt regno Herodis annos 37. Ita conueniunt supputationes à natiuitate Christi, vsq; ad mortem Herodis esse quadriennium. Et si statim post purificationem fugit in Ægyptum, vsque ad 4. annum hæsit in Ægypto. Si vero secundo anno post natiuitatem Magi venerunt, erit tempus commorationis pueri Iesu in Ægypto biennii. Anno igitur post natiuitatē Christi quarto, Angelus rursus Iosepho apparet in Ægypto, reuocās ipsum, cum puero & matre eius in terrā Israel. Addit autē *mortui sunt, qui quærebant animam pueri.* Quæ verba plane cōueniunt cum illis, quę Dominus dicit ad Mosen, Exod. 4. v. 19. Reuertere in Ægyptum, mortui enim sunt omnes, qui quærebant animā tuam. Voluit enim Deus vbique ostendere ἀναλογίαν, inter eductionē populi Israel ex Ægypto per Mosen, & inter redemptionem generis humani à peccato & morte per Christum. Nam & tunc, imminente Israelitarum liberatione, Pharao infantes masculos iussit interfici: sed ex illis vnus eripitur, qui postea fit Dux populi, cùm educeretur ex Ægypto. Et cùm ad ducatum illum euocaret Deus, illis verbis vsus fuit, *Mortui sunt, &c.*

Ad hanc verò clausulam, *Mortui sunt*, pertinet hoc loco historia de domesticis calamitatibus Herodis, quibus confectus, miserabili tandem morte interiit. Propter hanc enim doctrinam, historia de angelo reuocante Iosephum proposita est: quo modo sc. Deus curam suorum agat in mediis periculis prospiciens ipsis tempore opportuno. Et quia supra species infirmitatis, cùm puer Iesus sæuitiā Herodis fugeret, proposita est: ostenditur nūc, hunc Saluatorem sub illa infirmitatis specie, & in sua longanimitate posse inimicos suos conterere, vt prouerbij loco rectè vsurpari possit in Ecclesia hoc apophthegma Angeli. *Mortui sunt qui quærebant animam pueri: viuit autem puer in æternum.* Mox tamen vices & in cruce & in consolatione ostenduntur: cùm mortuo Herode, Archelai tyrannis succedit. At oraculum diuinum iterum viam monstrat.

Historia autē illa Herodis, quę extat apud Iosephū, & repetita est ab Eusebio, prolixior est: nos capita tantū annotabimus, idq; breuissimè. Duos suos filios Alexandrum & Aristobulum, corā Augusto accusauit parricidij, & cū ibi patri recōciliati fuissent, suspicione affectati regni, laqueo strangulari iussi sūt à patre. Mox frater Pheroras veneno per vxorē sublatus esse dicitur: id facinus dū Herodes tormentis inquirit, deprehendit se domesticis suis, & quidē coniunctissimis, ita inuisum esse, vt intelligat, factā fuisse conspirationē à fratre, & à filio, de interficiēdo rege. Et frater quidē Pheroras iam mortuus erat. Filium verò Antipatrum damnatū criminis parricidij, cōiicit in vincula: plurimos ex domestica familia rapit ad supplicīū. Paulo post incidit in morbum talem, vt omnes vates pronūciarent, esse vltionē diuinam. Febris talis erat, quę lēto calore, totum corpus terrebat, vt nō tam externo tactu deprehenderetur, quàm intus popularetur viscera, prurigo intolerabilis omnem corporis superficiem exagitabat. His accedebant tormenta colica, intestinorū exulceratio, inflatio ventriculi vehemens voracitas, neruorū cōtractio: difficultas anhelitus, pedes tanquā intercutis vitio tumebāt: Inguina & verenda putrefacta scatebant vermibus, olea & thermę non mitigabant, sed exasperabant morbū. Postremo atra bile correptus: quia cogitabat populū lætaturum de Regis inuisi miserabili exitu, nobiles omnes ex Iudæa conuocauit, & mandata dedit, vt quamprimū exspirasset, immissa prętoria cohorte, omnes interficerentur: vt ita in morte Herodis populo aliundè luctus causa præberetur. Deinde, in tātis cruciatibus & putrefactione carnis, pertęsus vitæ, quasi pomum concisurus, cultrū poposcit, & tanquam se percussurus, dexteram sustulit. Sed accurrente Achiabo cōsobrino, prohibitus est. Inde vlulatus in tota regia excitatus est, quem cùm filius Antipater vinctus audiret, exultans, quasi de extincto patre, custodes, promissa magna pecunia, rogabat, vt se ex vinculis dimitterēt. Sed cùm hoc Regi nunciatum esset, fortius quàm vires ægrotantis ferebant, exclamans, statim missis satellitibus iubet Antipatrum in carcere occidi, & tertiò mutat testamentum: ac quinque diebus superstes filio, ipse quoque violentia morbi & dolore animi extinguitur. Hæc Iosephus lib. Antiq. 17. cap. 8. & de bello Iudaico lib 7. c. 21. Et sicut Iosephus scribit lib. 18. c. 11. intra centum annos tota Herodis familia extincta est. Et hoc est, quod Angelus dicit: *Mortui sunt, qui quærebant animam pueri.*

Porrò, cùm reuerteretur Ioseph in terram Israel, varia cogitauit, vbi cum puero futuro Rege Iudæorum habitare, & illum educare deberet: vt Scripturæ omnia consentanea essent. Audierat enim natum esse in ciuitate Bethlehem iuxta Scripturam, & nequidem fugam in Ægyptum carere Scripturæ testimonio. Cogitauit igitur, quia rex Iudæorum est, ergo in Iudæa educandus erit. Et quia scriptum est: Ex Bethlehem egredietur dux. Item: Sceptrum potentiæ tuæ emittet Dominus ex Sion: vel igitur in ciuitate Bethlehem, vel in vrbe Hierosolyma sedem figendam esse putauit. Sed talia cogitantem terruit sæuitia Archelai, quam in primis statim successionis suæ diebus exercuerat. Immisso enim in multitudinem equitatu, fœdam stragem edidit, tribus millibus partim confossis, partim obtritis. Timuit igitur Ioseph, ne Archelaus porrò inquireret in pueros Bethlehemiticos, qui viderentur lanienæ Herodis subducti fuisse. Cumque ex testamento Herodis magni, Archelao Iudæa & Samaria, Herodi Antipæ Galilæa & Peræa, Philippo Thraconitis attributa esset: in aliis igitur terræ Israelis partibus, quas constabat non esse locum regalem Messiæ, tutius se cum puero Iesu habitare posse animaduertit Ioseph, præcipuè in obscuro & ignobili oppidulo Nazareth; sed metuebat, ne cum Scriptura, secundùm cuius vaticinia tota huius pueri vita instituenda erat, pugnaret. Dum in hac anxia deliberatione Ioseph versaretur, diuino responso monetur, vt secedat in Galilæam, & cum puero educationis gratia habitet in ciuitate Nazareth. Et hæc quidem de sententia responsi diuini Ioseph fecit. Sed quia Pharisæi, quo minus Christum reciperent, hoc prætendebant: scrutare Scripturas, & vide, quia ex Galilæa propheta non surrexit, Ioh. 7. v. 52. Item: quidam non mali offendebantur, vt Iohan. 1. v. 47. Nathanael inquit: Num à Nazareth potest aliquid boni esse? Euangelista igitur confirmat, esse & hoc scriptis propheticarum consentaneum; *vt impleretur quod dictum est per prophetas, Nazarenus vocabitur.*

Multa verò sollicitè disputata sunt, vbi hæc sententia scripta sit: Nec otiosa est diligentia. Iudæi enim contumeliæ gratia Christum vocabant Nazaræum, & Christianos Nazaræos: quasi ipsa appellatione notantes stultitiam eorum, qui ex Nazareth crederent Messiam posse prodire.

Chrysostomus nodum ita præcidit: quod sicut Iudæorum socordia multorum Prophetarum scripta perierunt, vt quę in libris Regum citantur Nathan, Addo, Semei, &c. ita temporibus Euangelistæ forsan extitisse illud Propheticum scriptum, vnde sententia hæc sumpta sit, quod postea interciderit. Sed periculosa est hæc solutio, quasi non omnes Scripturæ libros, qui Christi & Apostolorum tempore extiterunt, saluos & incolumes habet Ecclesia. Et si extitisset tempore Euangelistæ, scribæ Ioh. 7. non ignorassent.

Osiander censet, non esse scriptum in Prophetis, quia Euangelista non dicit: scriptum est, sed dictum est per Prophetas. Censet igitur esse traditionem, quam filij Prophetarum ex Scriptura bona consequentia deduxerint. (Nam & interpretes Scripturæ vocantur Prophetæ 1. Cor. 14. v. 29.) Quia scilicet Nazareth fuerit oppidum attributum habitationi Regij seminis: ideo Messiam ibi habitaturum. Sed incertis traditionum titulis non sunt committenda illa, quæ ad fidei confirmationem pertinent. Et Mat 21. v. 4. ponitur eadem phrasis, quod dictum est per Prophetā dicentem: quam tamē senten-

tiam ſcriptam eſſe conſtat. Nec probari poteſt, Nazareth fuiſſe ciuitatem Dauidis. Ioſeph enim & Maria per exilium eò proiecti fuerant.

Hieronymi ſententia eſt: quod Euangeliſta, quia non inquit, dictum eſt per Prophetam, ſed per Prophetas, ſignificet, ſe non certi alicuius Prophetæ verba recitare, ſed ad ſententiam in Prophetarum ſcriptis traditam alludere. Quia vero in Veteri Teſtamento, nomen ciuitatis Nazareth ſcriptum non legitur: vt de Etymologia dubium ſit, an per Zain נזר an verò per Zade נצר ſcribendum ſit. Duplex igitur explicationis ſententia eſt: ac vtraque eſt pia, & Scripturæ conſentanea. Si enim etymologia ſeruatur à נזר per Zain, tribuitur in Scriptura appellatio Nazer & Nezer illis, qui vel voto religionis, vt Num. 6. v. 2. vel ſanctimonia ſingulari, vt Pontifex; vel dignitate, vt reges, ſegregati erant à vulgo. Ita creſcens cæſaries, quæ eſt ſignum externum ſuper caput eorum, qui ex voto Nazaræi erant, vocatur Nezer, Num. 6. verſ. 5. 8. Et corona ſanctificationis in capite Pontificis, vocatur Nezer, Exod. 29. v. 6. & 39. v. 30. Oleum vnctionis in Pontificis capite, vnde appellatur ſanctus, vocatur Nezer, Leuit 21. v. 12. Diadema Regium vocatur Nezer, 2. Reg. 1. v. 10. 4. Reg. 11. v. 12. Pſal. 89. verſ. 40. Iratus es contra Chriſtum tuum, prophanaſti in terra coronam eius. Et inde Ioſeph vocatur Nazaræus, quaſi conſeruator fratrum ſuorum, Geneſ. 49. verſ. 26. Deuter. 33. verſ. 16.

Quia igitur Saluator Chriſtus Dominus, verus eſt Pontifex & Rex, Pſalm. 2. v. 6. & 110 v. 4. eſt & Sanctus ſanctorum, Dan. 9 v. 24. ſignificatus per Pontifices, Reges & Nazaræos legales. Non autem volebat ritus legalium Nazaræorum ſuſcipere, nec geſtare coronam Pontificis, vel diadema regis: & tamen vt notum & manifeſtum eſſet, figuras illas in Chriſto impletas & in ipſum verum Nezer Pontificium, Regium, & Sanctum ſanctorum competere, vocandus & publicè prædicandus erat Nazaræus. Mirabili igitur Dei conſilio, appellatione à patria Nazareth, vbi educatus erat, accepta, publicè prædicabatur verus Dei Nazaræus. Iudæi quidem contumeliæ gratia Chriſtum appellabant: ſed Dei conſilium erat, vt indicaretur & publicè prædicaretur, Chriſtum verum eſſe Nazaræum, hoc eſt, Regem, Pontificem, & Sanctum ſanctorum, qui vnctione, corona, diademate & reliquis legalibus ritibus præfiguratus fuerat. Et quia ab externis legalium Nazaræorum, Regum & Pontificum inſignibus ita appellari non poterat, quia illa ſuſcipere & geſtare non voluit: à patria igitur educationis Nazareth, publicam illam appellationem accepit. Et de Meſſia expreſsè ita loquitur Pſal. 132. v. 18. Illuc producam cornu Dauid, ſuper ipſum florebit Nezer, corona ſeu ſanctificatio eius.

Ac ſecundùm hanc rationem, typus Simſonis Nazaræi pulcrè huc poteſt accommodari. Iud 13 ver. 25. Nazaræus Dei vocabitur ab vtero. Simſonem enim fuiſſe in multis figuram Chriſti Saluatoris manifeſtum eſt. Ille fuit fortitudine incomparabili præditus, qua omnes hoſtes deuicit. Noſter eſt verus Saluator, fortior ille, qui fortem armatum ligauit, exuit, Luc. 11. v. 22. Simſon moriens plus nocuit hoſtibus, quàm viuens: Ita morte Chriſti mors eſt exarmata, infernus deſtructus, ſerpentis caput contritum. Ille legali ritu fuit Nazaræus ab vtero: de Chriſto Angelus dicit, Quod in ea natum eſt, ex Spiritu ſancto eſt. Quod ex te naſcetur ſanctum, filius Dei vocabitur. Vt autem oſtenderetur figuram illam Simſonis in Chriſto impletam, vocandus erat Nazaræus: ſed ritum illum legalem non ſuſcepit: à patria igitur vocatus eſt Nazaræus: & ita impleta ſunt ſcripta Prophetarum, de vero Nazaræo ſignificato per legales Nazaræos.

Et hæc quidem ſententia pia ac bona eſt: Sed quia Iudæi Ieſum appellantes Nazaræum ſcribunt per Zade הנצרי ſicut & Pagninus, veram inſcriptionem tituli crucis Domini ita habere oſtendit, & in Syriaca etiam Noui Teſtamenti verſione, per Zade Nazareth ſcribitur. Inde igitur alia etymologiæ ratio & appellationis explicatio ſumitur. Nam Iſa. 11. v. 1. Meſſias vocatur נצר Nazer, ſurculus ſeu germen de radice Iſai exurgens. Ex alio vocabulo idem ſignificante ſæpiùs Meſſias vocatur צמח Zemach, germen, ſurculus ſeu tenella plantula, Ier. 23. v. 5. 33. v. 14. Zach. 6. v. 12. & 3. v. 8 Iſa. 4. v. 2. vt itaque publica appellatione Ieſus hic prædicaretur verum germen, ſeu ſurculus Dauidis, de quo multi Prophetæ tam multa vaticinati eſſent, mirabili Dei diſpenſatione, à loco educationis publicè appellatus fuit Nazaræus, vel Hanozri germen illud, ſurculus ille Dauidis. Et eruditæ ſunt cogitationes eorum, qui exiſtimant ciuitatem in tribu Nephtalim, quæ vocatur Hazor, vel En Hazor, Ioſ. 19. v. 37. poſtea abbreuiatione & deflexione quadam vulgo vocatam Nazor, vnde Ebraico more facile fit Nazareth, quaſi ciuitas germinis ſeu ſurculorum. Terram etiam & locum, quæ in Ioſua vocatur Cimereth, vulgus poſtea appellauit Ge Nezar, ſicut Ioſephus appellat, vel vt Euangeliſtæ, Ge Nezareth, quaſi vallem ſurculorum. Atque ideo Ieſus in Nazareth educatus, tam libenter ac tam multum in terra Geneſar, & circa lacum Genezareth verſari voluit, vt oſtenderet ſe verum eſſe germen ſeu ſurculum illum Dauidi promiſſum. Hæc & erudita & pia ſunt: & quia promiſſio illa de ſurculo ſeu germine Dauidis in multis Prophetarum locis extat, ideo Matthæus dicit: *vt impleretur quod dictum eſt per Prophetas, quod Nazaræus vocabitur*. Et Matthæus quidem, Lucas & Iohannes nomen illud ſcribunt ναζωραῖος. Marcus verò Latina terminatione ναζαρηνόν, c. 10. v. 47 14. v. 67 & 16. v. 6. Et Lucas ſemel etiam ita ſcribit c. 4. v. 34. Sed de ratione appellationis ſtagni Geneſareth, quæ ſit Iudæorum ſententia poſtea annotabimus. Hac igitur allegatione Euangeliſta voluit explicare, quale fuerit conſilium Dei, quod puerum Ieſum iuſſit educari non in regia vrbe Hieroſolymis, non in ciuitate Dauidis Bethlehem, ſed in Nazareth.

CAPVT DECIMVMQVINTVM HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM DE EDVCATIONE ET VITA IESV, A quinto ætatis anno vſque ad trigeſimum: ſiue ad inchoationem publici miniſterij, Luc. 2.

RATIO ORDINIS.

Matthæus Chriſtum quadrimum reducit ex Ægypto in Galilæam, ad ciuitatem Nazareth, inde verò mox digreditur ad initium miniſterij Ioannis & ad baptiſmum Chriſti. Atque inde Marcus hiſtoriam ſuam orditur: ſicut & Ioannes poſt exordium ad teſtimonium Baptiſtę digreditur. Lucas verò contextum coniungit cum Matthęo, dé reuerſione pueri Ieſu in Galilæam: atque inter reuerſionem illam in Galilæam, & inter inchoationem miniſterij Baptiſtæ, interponit deſcriptionem de educatione & vita Ieſu, vſque ad ſuſceptionem Baptiſmi, quæ anno trigeſimo facta fuit. Hic igitur verus & proprius eſt huius hiſtoriæ locus. Poteſt autem hæc deſcriptio diſtribui in tres partes: vt prima ſit de educatione pueri Ieſu à quinto ætatis anno vſque ad duodecimũ. Altera ſit de hiſtoria anni duodecimi. Tertia verò ſit de vita Ieſu ab anno duodecimo vſque ad trigeſimum, quo baptiſatus miniſterium ſuum publicè inchoauit. Atque hoc modo periochas explicationis diſtribuemus: ipſam verò hiſtoriam vno capite comprehendemus.

HISTORIA, DE EDVCATIONE ET VITA IESV, à quinto ætatis anno, vſque ad trigeſimum. Luc. 2.

39. Ὑπέστρεψαν (οὖν) εἰς τὴν Γαλιλαίαν, εἰς τὴν πόλιν αὐτῶν Ναζαρέθ.	39. *Reuerſi ſunt (ergo) in Galilaam, in ciuitatem ſuam Nazareth.*
40. Τὸ δὲ παιδίον ηὔξανε καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι, πληρούμενον σοφίας· καὶ χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ᾽ αὐτό.	40. *Puer autem ſuccreſcebat, corroborabaturque Spiritu, & implebatur ſapientia: & gratia Dei erat ſuper illum.*

41. Καὶ

	Graece		Latine
41.	Καὶ ἐπορεύοντο οἱ γονεῖς αὐτοῦ κατ᾽ ἔτος εἰς Ἱερουσαλὴμ τῇ ἑορτῇ τοῦ πάσχα.	41.	*Et ibant parentes eius quotannis Hierosolymam in die festo Pasche.*
42.	Καὶ ὅτε ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα, ἀναβάντων αὐτῶν εἰς Ἱεροσόλυμα κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἑορτῆς,	42.	*Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundùm consuetudinem diei festi.*
43.	Καὶ τελειωσάντων τὰς ἡμέρας, ἐν τῷ ὑποστρέφειν, ὑπέμεινεν Ἰησοῦς ὁ παῖς ἐν Ἱερουσαλήμ. καὶ οὐκ ἔγνωσαν οἱ γονεῖς αὐτοῦ.	43.	*Consummatisque diebus cùm redirent illi, remansit puer Iesus Hierosolymis: & non cognouerunt parentes eius.*
44.	Νομίσαντες δὲ αὐτὸν ἐν τῇ συνοδίᾳ εἶναι ἦλθον ἡμέρας ὁδόν. καὶ ἀνεζήτουν αὐτὸν ἐν τοῖς συγγενέσι, καὶ ἐν τοῖς γνωστοῖς.	44.	*Caterùm rati, illum esse in comitatu: venerunt itinere diei, & requirebant eum inter cognatos, & inter notos.*
45.	Καὶ μὴ εὑρόντες αὐτὸν, ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλὴμ, ζητοῦντες αὐτόν.	45.	*Et cùm non inuenissent eum, reuersi sunt Hierosolymam quarentes eum.*
46.	Καὶ ἐγένετο, μεθ᾽ ἡμέρας τρεῖς, εὗρον αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ καθεζόμενον ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων, καὶ ἀκούοντα αὐτῶν καὶ ἐπερωτῶντα αὐτούς.	46.	*Et accidit post triduum, inuenerunt illum in templo sedentem, in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.*
47.	Ἐξίσταντο δὲ πάντες οἱ ἀκούοντες αὐτοῦ, ἐπὶ τῇ συνέσει καὶ ταῖς ἀποκρίσεσιν αὐτοῦ.	47.	*Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super intelligentia & responsis eius.*
48.	Καὶ ἰδόντες αὐτὸν ἐξεπλάγησαν. καὶ πρὸς αὐτὸν ἡ μήτηρ αὐτοῦ εἶπε, Τέκνον, τί ἐποίησας ἡμῖν οὕτως; ἰδοὺ, ὁ πατήρ σου κἀγὼ ὀδυνώμενοι ἐζητοῦμέν σε.	48.	*Et viso eo admirati sunt: & dixit mater eius ad illum, Fili, cur fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quarebamus te.*
49.	Καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς. Τί ὅτι ἐζητεῖτέ με, οὐκ ᾔδειτε ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με;	49.	*Et ait ad illos: Quid est, quod quarebatis me? an nesciebatis, quod in his, que patris mei sunt, oportet me esse?*
50.	Καὶ αὐτοὶ οὐ συνῆκαν τὸ ῥῆμα ὃ ἐλάλησεν αὐτοῖς.	50.	*Et illi non intellexerunt sermonem quem loquutus est ipsis.*
51.	Καὶ κατέβη μετ᾽ αὐτῶν, καὶ ἦλθεν εἰς Ναζαρὲθ καὶ ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς. Καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ διετήρει πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα, ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς.	51.	*Et descendit cum eis, venitque Nazareth: eratque subditus illis. Mater autem eius conseruabat omnia verba hac in corde suo.*
52.	Καὶ Ἰησοῦς προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ, καὶ χάριτι παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις.	52.	*Et Iesus proficiebat sapientia & atate, & gratia apud Deum atque homines.*

Periocha Historiæ de Educatione pueri Iesu vsque ad annum duodecimum.

HActenus Euangelistæ, vsque ad annum quartum, seu quintum persecuti sunt historiam pueri Iesu, Quomodo verò in infantia & pueritia educatus fuerit, reliqui tacent, Lucas vnico tantùm & quidem vulgari verbo describit, cùm inquit: *Puer crescebat, &c.* Et quia Euangelistæ hanc quasi legem scribendi perpetuò seruant, quòd ea quæ extraordinario modo Christo acciderunt diligenter describunt, ea verò, in quibus nihil voluit à cæteris hominibus differre, vel silentio prætereunt, vel paucis & è media hominum consuetudine petitis verbis annotant: rectè hinc colligitur educationem pueri Iesu nihil habuisse extraordinarium, peculiare vel differens à communi puerorum educatione, quod quidem scire nostra referret. Sicut igitur, iuxta sententiam Pauli Phil.2. v.7. in reliqua vita; ita sine dubio etiam in educatione, in similitudine hominum factus, habitu inuentus est, vt alius quispiam homo. Est tamen iucunda consideratio eorum, quæ huc pertinentia ex Scriptura colligi possunt. Illa igitur breuiter annotabimus.

Luc.11.v.27. mentio fit vberum matris, quæ puer Iesus suxit. Et tempus ablactationis, Gen.21.v.8. ita describitur: quod Isaac ablactatus iam ludebat cum Ismaele. Et 1. Reg. 1. v.24. Samuel ablactatus adducitur ad tabernaculum, vt maneat ibi coram Domino. Expressius verò 2. Mach.7.v.27. mater septem fratrum dicit, Portaui te in vtero per nouem menses, & lac dedi per triennium. Habet autem ablactatio in Ebræa lingua appellationem inde, quod tunc cibi & nutrimentorum fiat quædam mutatio in educatione. Ita Paulus 1. Cor.3.v.2. inquit, tanquam paruulis lac vobis potum dedi, non escam. Eb.5.v.12. illa mutatio vocatur solidus cibus. Et Deus ipse, Isa. 7.v.15. educationem infantiæ pueri Iesu ablactationem diligenter describit, cùm inquit: Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, &c. Hæc enim ciborum genera fuisse in illis locis vulgaria, in eodem cap.v.22. indicat. Butyrum & mel manducabit omnis homo, qui relictus fuerit in medio terræ. Et 2. Re.17.v.29. varia ciborum genera recitantur: Sed inter hæc quæ fuerunt maximè vulgaria, nec minimum exquisita, butyrum & lac fuisse hinc intelligi potest, quod Gen.18.v.8. peregrinantibus proponitur butyrum. Et Iud.5.v.25. similiter. Præcipuè vero de cibis infantium ablactatorum inspiciatur locus Ezech.16.13. vbi describit delicatiorem educationem, panem, similam, oleum & mel, quibus enutriui te. Messias igitur non simila & oleo, hoc est, delicatiori modo, sed pane, butyro & melle, cibis vulgaribus, educatus est, iuxta Isaiæ descriptionem. Lucas verò de hac parte educationis, inquit: *Puer Iesus crescebat.* Quod verbum de nutritione & augmentatione corporis in pueris dicitur, Genes.21.v 8. Creuit puer & ablactatus est, Iud.13.v.24 de Samsone, creuit puer. Ita 4. Reg.v.18. Creuit puer. Quia igitur Lucas vulgari hoc verbo vtitur, quo cap.1.v.80. Baptistæ educationem descripsit, significat ergo, nutritionem & augmentationem (sicut vulgo loquimur) in puero Iesu vsitato modo, sicut in aliis pueris, factam esse.

Nec verò ratione corporis tantùm, similis fuit eius educatio reliquis pueris: sed de vsu rationis & sermonis Isaias idem de hoc puero affirmat. Dicit enim c.7.v.15. Butyrum & mel comedet, vt sciat, &c. Item: Priusquam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum. Quod non tantum de cibis conuenientibus, aut palatum offendentibus dictum est, sicut quidam interpretantur. Eadem enim fermè verba extant, Deut. 1.v.39. de paruulis, qui non sciunt bonum & malum, hoc est, in quibus propter ætatis infirmitatem, nondum viget vsus rationis, sed progressu ætatis incipit se exerere. Ideo Isaias inquit: Butyrum & mel comedet, vt sciat, &c. Idem c.8.v.4. loquitur de filio Prophetissæ, cui tribuit hoc nomen, velociter spolia detrahe, festina prædari. Et planè eodem modo puero huius Prophetissæ tribuit eiectionem regis Samariæ & Damasci: sicut c.7.v.16. filio virginis hæc tribuerat. Non igitur commode de vxore vel filio Isaiæ exponi potest. Adhibuit enim testes, cùm accederet Prophetissam illam. Obstat etiam supputatio 65 annorum, de quibus cap.7.v.8 Probabilis igitur est eorum sententia, qui de Maria & de puero Iesu vaticinium illud interpretantur. Dicit autem priusquam sciat puer sonare Abi & Imi, quæ primæ sunt balbutientium infantum voces in lingua Ebræa: Pater mi, Mater mea. Et vere magna & inenarrabilis est humiliatio & exinanitio, quod verbum caro factum, ad has etiam balbutientis naturæ humanæ infirmitates sine peccato se demisit, cùm plenum esset gratia & veritate: imo cum in illa carne diuinitas habitaret corporaliter, & quidem omnes thesauri sapientiæ & scientiæ ibi essent depositi, Col.2.ver.3. Hæc pie & reuerenter cogitanda sunt.

Obseruetur autem, quod Lucas in descriptione educatio

his pueri Iesu, talem ostendit differentiam. Quæ enim iam recensuimus pertinent ad physicas conditiones humanæ naturæ, quæ vnico vocabulo crescendi Lucas complectitur. Quæ verò addit: *Corroborabatur Spiritu, plenus sapientia, &c.* Pertinent ad dona siue ad operationes spirituales. Ita enim phrases, quæ extant in hac descriptione, vsurpantur, Eph. tertio, versi. decimosexto. Corroborari per Spiritum in hominem interiorem: Actor. 6. vers. tertio. Pleni spiritu & sapientia. Et Col. 1. v. 9. vocatur sapientia spiritualis. Ordo igitur hic videtur esse, Creuit puer corpore, & cœperunt se exerere naturales dotes animi, siue physicæ animæ humanæ potentiæ, &c. Et hæc pars descriptionis complectitur aliquot annos pueritiæ Christi, forsan vsque ad 5. vel 6. annum: Postea Spiritus vsque ad annum duodecimum (hæc enim descriptio præmittitur historiæ anni 12) cœpit talia quædam in puero illo documenta edere, quibus ostenderetur non esse gregarius puer. Hoc enim vult descriptio illa, quæ hoc loco apud Lucam extat: *Corroborabatur Spiritu, plenus sapientia: & gratia Dei erat super illum.* Diuinitatem scilicet in hoc puero carnis infirmitate ita tectam fuisse, vt tamen in ipsa pueritia, etiam ante annum duodecimum, aliqua Spiritus vis & efficacia animaduerti potuerit, quę homines commonefaceret de futuro pueri huius officio. Et ex collatione hæc sententia melius intelligetur. Cùm enim puerilis ætas aliàs laborare soleat suis quibusdam vitiis: stultitia, ineptiis, petulantia, &c. Lucas dicit talia in hoc puero non apparuisse. Sunt enim partes quædam corruptionis Originalis. Sed eorum loco dicit Lucas, in hoc puero Spiritum, sapientiam & gratiam Dei se exeruisse. Et Lucas de puero Iohanne eadem phrasi vtitur, *Corroborabatur Spiritu:* & illam explicat: Homines videntes manum Domini esse cum illo puero posuerunt in corde suo dicentes: quidnã putas puer hic erit? Idem ergo & quodam excellentiori modo in puero Iesu factum esse non est dubium. Descriptio autem Lucę hæc est: *Corroborabatur Spiritu,* hoc est, virtus & efficacia diuinitatis cœpit se sensim magisq; & subinde potentius exerere. Ideo Lucas vocat corroborationem Spiritus.

Forsterus confert hanc descriptionem ad historiam Samsonis. Quando enim in publica functione, in arduis negotiis, Spiritus suam virtutem in Samsone iam iudice heroicis actionibus declarat, vsurpatur verbum צלח Zalah. De Samsone verò iuuene, cùm præludiis quibusdam specimen ederet, qualis futurus esset, vsurpatur verbum פעם Paam. Et hæc collatio aliquid affert lucis. Nec tamen opus est, hæc prima Spiritus in puero Iesu documenta interpretari de puerilibus miraculis. Nam & de Iohanne eadem phrasis vsurpatur, qui tamen nullum signum fecit, Ioh. 10. v. 41. Et Lucas videtur per epexegesin explicare, qualem corroborationem Spiritus intelligat. Subiicit enim: *Plenus erat sapientia, & gratia Dei erat super illum.* Nam & post annum 12. hæc duo repetuntur, sapientia & gratia. Quod vero sapientiam spiritualem, quæ Col. 1. v. 9 describitur, Lucas intelligat, subiecta historia ostendit, de specimine, quod anno 12. edidit in templo: quod scilicet, cùm literas non didicisset, spirituali tamen de rebus diuinis sapientia vltra ætatem, quærendo & respondendo excelluerit. Quia vero specimen illud quod anno 12. Christus edidit, ideo descriptum est, vt significetur, inter reliqua pueritiæ & adolescentiæ eius gesta hoc præcipuum fuisse & excelluisse, facile potest colligi, prima illa documenta, quæ Spiritus in puero Iesu cœpit edere, non fuisse tam illustria, vt in omnium oculos incurrerent, sed magna humilitate fuisse tecta, vt à filiis huius sæculi vix animaduerterentur vel obseruarentur. Sicut ex narratione Nazarethanorum, Matth. 13. v. 54. & Marc 6. v. 3 colligitur. Quid vero Maria inde obseruarit, postea in Cana Galilææ ostendit.

Vsitata autem phrasis est *plenum esse intelligentia, sapientia, &c.* 3 Reg 7. v. 14. & Actor. 6. v. 3. sed Lucas vocat non πλήρη, sed πληρούμενον, quod est participium passiuum præsentis temporis; cùmque Latinè vna voce reddi non possit, sensus est, sicut Paulus mysterium hoc explicat Colos. 2 v. 9. cùm tota plenitudo diuinitatis in Christo corporaliter inhabitet, cùmque omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in ipso sint ἀπόκρυφοι quod πληρούμενα illud & thesauri illi, progressu ætatis sensim magis magisque in externis patefactionibus, se cœperint exerere, & aliquando supra ætatem illustriores radios, salua tamen exinanitionis dispensatione, proferre, ac habitualia etiam (sicut scholæ loquuntur) dona subinde maiora in assumptam humanam naturam deriuare.

Quod verò dicit de *gratia Dei ἐπ' αὐτὸ*, similis planè phrasis est, sicut illa, quam in historia Simeonis explicauimus: Spiritus sanctus erat super ipsum, vt non de communi gratia intelligatur. Cùmque χάρις significet & gratiam & donum per gratiam, vocabula in hoc loco ita possunt distingui, vt σοφία significet dona in mente seu intellectu: χάρις verò significet dona in reliquis animæ viribus, in sermonibus, gestibus & actionibus, quibus omnibus addita fuit peculiaris diuina gratia: vt sensus sit, quod puer hic omnium oculos & animos in fauorem, in gratiam sui conuerterit, non vulgaribus humanis dotibus, sicut aliquando in puerili ætate fieri solet, sed ob diuinam quandam gratiam in sermonibus, gestibus & actionibus pueri huius, supra ętatem effulgentem. Vnde puer hic amabilis, gratus & acceptus fuit, non tantùm cognatis & notis, sicut historia anni duodecimi ostendit: nec tantum quod in templo sapientia quęstionum & responsionum omnes doctores in admirationem, imò quasi in stuporem, conuertit: sed quòd inde animaduertebatur puerum hunc diuina gratia ipsi Deo singulari ratione gratum & acceptum esse. Et hoc est, quod Lucas dicit: *Plenus sapientia, & gratia Dei erat super illum.* Et tamen ostensio illa diuinę sapientię & gratię, humiliatione & exinanitione ita fuit tecta, vt Nazarethanorum mentibus facilè exciderit. Matt. 13. v. 54 Marc. 6. v. 3. Atque hęc breuis est quasi adumbratio educationis & vitę pueri Iesu, vsque ad annum duodecimum.

Periocha Historiæ, de anno Christi duodecimo, Luc. 2.

DIctum est de educatione. Qualis verò fuerit institutio pueri Iesu, ex hac historia colligi potest, quę ratione grauissima excitat, acuit, commendat & sanctificat diligentiam parentum, in educandis, instituendis & custodiendis liberis. Duplex autem fuit institutio puerorum in populo Israel. Vna fuit generalis, qua domi à parentibus, Exod. 12. v. 26. Deut. 4 v. 10. & 6 v. 7. in capitibus doctrinę cœlestis instituebantur, & progressu ętatis parentes eos ad Synagogas, vbi Sabbatis Moses & Prophetę legebantur, Actor. 13. v. 27. & ad ipsum templum in solennioribus festis secum adducebant: sicut hęc historia ostendit.

Altera fuit eorum, qui pręceptoribus in scholis in lege erudiendi tradebantur, & vocabantur Prophetę & Prophetarum filij. 1. Reg. 10. v. 5. 10. 4 Reg. 2. v. 3. & 4. v. 38. Actor. 22. v. 3. 2. Tim. 3. v. 15. Fuerunt autem Hierosolymis multę excellentes scholę, Actor 2. v. 9. & 10. & 6. v. 9. quarum numerum Rabini dicunt fuisse vltra 400.

Puerum igitur Iesum posteriori hac institutione vsum non esse, ipsi Iudęi testantur, Ioh. 7. v. 15. Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? Idque factum est ideo, vt maiori miraculo postea doceret, non institutus à pręceptoribus, sed vnctus à Spiritu sancto. Vtque testimonium esset, Christum doctrinam suam non ab hominibus accepisse: sed è sinu patris protulisse, Ioh. 1. v. 18. Hanc enim rationem ipse reddit, Ioh. 7. v. 16.

Mariam verò matrem & Iosephum nutritium, non neglexisse in hoc puero domesticam institutionem, hęc historia testatur. Post reditum enim ex Ægypto quotannis ad festum Paschę ascenderunt Hierosolymam, iuxta institutionem legis: quæ Exod. 34. v. 23. omne masculinum iubet ter in anno apparere coram Domino, in illo loco, vbi tabernaculum fœderis esset, in festo scilicet Paschę, Pentecostes & tabernaculorum. Et in duobus quidem posterioribus festis, illis, quorum habitatio remotior erat, indulgentia legis parcebat. Ideo Lucas mentionem facit Paschæ tantum. Et cum masculi tantum illo legis præcepto obligarentur: Exod. 34. vers. 23. Maria tamen zelo pietatis se Iosepho, eo proficiscenti, semper comitem adiunxit. Verisimile autem est, parentes forsan ad illud festum puerum Iesum etiam ante 12. annum secum duxisse. Lucas enim non dicit: quod illo anno primum duxerint eum secum, sed quod tunc remanserit Hierosolymis. Et circumstantia illa, quod existimant ipsum esse in comitatu, inter cognatos & notos, videtur significare, quod antea fuerit in comitatu illo cognatorum & notorum, proficiscentium ad festum. Fuisset enim insignis negligentia, si in prima profectione non melius obseruassent puerum. Coniecturam igitur illam de comitatu ex iis, quę prius acciderant, videntur collegisse. Nisi quis malit hanc rationem sequi, quod regnante Archelao, non ausi fuerint puerum in Iudæam adducere. Quod congruit cum eo, quod Matthęus scribit c. 2. v. 22.

Quid autem puer Iesus, quando etiam ante annum 12. simul cum parentibus ad festum profectus est, egerit, inde potest colligi, quod parentes reuersi Hierosolymam, amissum puerum quærunt, non in plateis, nec alibi, sed in eo loco, vbi doctores supra Cathedram Mosis sedentes doctrinam Prophetarum profitebantur. Licet igitur doctrina in templo multis corruptelis erat corrupta, multa etiam in cultibus deprauata: quia tamen Mosis & Prophetarum scripta legebantur, & externi ritus sacrificiorum iuxta legem seruabantur, pij huic cœtui se coniunxerunt, cùm nondum colligi cœpisset, prę-

set, prædicatione Euangelij, Noui Testamenti Ecclesia. In Maria verò peculiaris fuit causa: cùm sciret, se adducere illum puerum, qui vt dominator ad templum illud venturus, Mal.3.ver.1. & domum istam gloria impleturus esset, Hag.2. vers 8.

Quod verò domi etiam priuatim parentes cum hoc puero de verbo Dei colloquia habuerint, primum ex præcepto Legis præsumitur. Si enim illud Exo.34.v.23. quod operosius & difficilius est obseruarunt: non dubitandum est ipsos ea, quæ Exod.12.v.26. Deut.4.v.10.& 6.v.7. præcipiuntur, in domestica pueri institutione quoque secutos esse. Deinde in hac historia idem, licet obscuriùs, proponitur. Ita enim puer respondet parentibus, *An non sciebatis, quod in his, quæ patris mei sunt, oporteat me esse?* Et quia hæc phrasis significat, antea inter ipsos de hisce rebus tractatum fuisse. (Eadem enim phrasi Rom.6.v.3. de doctrina Baptismi antea proposita vtitur, cùm inquit: An ignoratis, &c.) Verba igitur illa videntur respicere ad colloquia, quæstiones & responsiones, quæ domi inter parentes & puerum de officio Messiæ, licèt non tam clarè & profundè, sicut puer in templo loquitur, agitatæ fuerunt. Voluit igitur puer Iesus suo exemplo, & comprobare & sanctificare, tum domesticam pædagogiam seu institutionem puerorum, tum publicam eorum deductionem & adhibitionem ad conuentus Ecclesiasticos: cùm quidem ipse tali magisterio non indigeret.

Porrò de eo, quod Lucas dicit: *Existimauerunt puerum esse in comitatu.* Item: *Quæsiuerunt ipsum inter cognatos & notos, &c.* quidam ita disputarunt: quòd mos fuerit, non simul, sed separatim viros, & separatim mulieres proficisci: ne scilicet vel solo comitatu mulierum contaminarentur euntes ad festa. Pueros verò impuberes, potuisse cum alterutro parentum proficisci. Vt ita alter parentum putarit, puerum esse in comitatu alterius. Sed iudico commodiùs ita posse exponi, vt referatur ad rationem institutionis seu indolis huius pueri. Non enim ea eius indoles fuit, vt velut μισάνθρωπος hominum consuetudinem fugeret, cognatorum & notorum piam familiaritatem, propter morositatem vel petulantiam, comparare & tueri vel non vellet vel non posset. Sed quia parentes securi proficiscuntur, hac persuasione, quòd existimant cognatos & notos, qui erant in comitatu, puerum habere sibi adiunctum, rectè inde colligitur, puerum Iesum cum cognatis suis sæpe familiariter conuersatum esse. Et quidem talem fuisse dexteritatem & gratiam in puerili eius conuersatione, vt notitiam & familiaritatem eius, præter cognatos, multi etiam alij expetierint & amarint. Ideo enim Lucas distinctè nominat *cognatos & notos.* Et συνοδία significat comitatum eorum, qui simul eandem profectionem susceperunt, & idem iter ingrediuntur, vt Act.9.v.7. de comitibus Pauli: vbi alij possunt præcedere, alij aliquantò subsequi. Nehe.7.v.5. Græci vsurpant de illis, qui eiusdem genealogiæ simul proficiscuntur. Ostendit etiam hæc historia talem fuisse pueri huius indolem: vt parentes nihil de ipso fuerint solliciti, quando sciuerunt eum esse apud cognatos & notos. Et probitas illa pueri etiam hoc effecit, vt parentes in eius obseruatione aliquantò essent negligentiores, cùm Hierosolyma discederent. Origenes existimat ita remansisse Hierosolymis, parentibus non aduertentibus: sicut postea Luc 4.ver.30. per medium Nazarethanorum transit, ipsis non sentientibus. Sed nos de institutione pueri pergemus.

Illud igitur, quod Lucas antea dixit: *Corroborabatur spiritu, plenus sapientia, & gratia Dei erat super ipsum.* Et postea, *Proficit sapientia & gratia, &c.* Ita intelligatur: quod non domi tantum parentes, verum etiam cognati & noti, apud quos conuersabatur, animaduerterint efficaciam spiritus exerentem se peculiari & excellentiori ratione, quàm pro ætate & pro humana ratione, in hoc puero. Quales verò fuerint heroici illi motus spiritus, historia anni duodecimi ostendit, cùm inquit: *Stupebant super intelligentia, interrogationibus & responsis eius.* Hæc est tutissima interpretatio, quæ fundamentum habet in narratione Euangelistæ. Coniecturæ enim de miraculis pueritiæ Iesu carent Scripturæ testimonio.

Hæc de institutione pueri Iesu, ex circumstantiis huius historiæ colligere volui. Et quia pius animus desiderat aliquid scire de educatione & institutione huius pueri: hinc partim ex coniecturis, partim sub titulo traditionum & reuelationum, multæ narrationes de infantia & pueritia Saluatoris excogitatæ sunt, quas vetus Ecclesia, non sine causa, inter apocrypha scripta reiecit. Sed hæc, quæ annotauimus, quia ex certis Scripturæ circumstantiis non obscurè colliguntur, ideo gratiora sunt, & possunt vtilia esse ad ædificationem. Illis autem contenti esse debemus. Si enim plura scire, nostra ad pietatem referret, Deus sine dubio in Scriptura nobis patefecisset.

Reliqua est illa pars historiæ, quæ describit, quale tyrocinium futuri officij puer Iesus, anno ætatis duodecimo, ediderit Hierosolymis in templo, cùm sol ille iustitiæ radiolos aliquantò clariores ex carne assumpta, quàm hactenus factum fuerat, exereret. Pleræque autem circumstantiæ iam antea explicatæ sunt. Remansit igitur puer Iesus Hierosolymis. Ad illud enim templum legatus Testamenti venturus erat, & purgaturus filios Leui: Et in illa vrbe, vbi in festo Paschatis sanguis agni Paschalis fundebatur, victima sui corporis obsignaturus erat Nouum Testamentum, vt abrogato Leuitico cultu Domino offerrentur sacrificia, in iustitia, Mal.3.v.2.3 4 Et quia illo ipso planè tempore postea Christus primum publicè cœpit in templo docere, Ioã.2.v.32. & postremo illo etiam tempore obtulit se Hierosolymis, in cruce, victimam in odorem suauitatis Deo; Ideo ad festum Paschatis, editurus primum officij sui, post inchoandi, tyrocinium, ascendit. Non tamen tunc, cùm in ipso festo celebris illa frequentia populi aderat, sed cùm plerique iam discesserant, specimen futuri officij sui exhibuit. Quia nondum erat tempus publicæ manifestationis.

Tertio igitur die, post festum Paschatis, à parentibus inuentus est puer Iesus, in templo sedens, in medio doctorum. Erant enim ad templum peculiaria quædam siue conclauia, siue cameræ, siue cubicula appellentur extructa, in quibus vestes, donaria & vasa sacra reponebantur: in quibus etiam sacerdotes tempore vicis suæ cubabant. Neh.10.v.39. Ezech. 40.v. 17. Hebraicè vocatur locatus talis לשכה Lisckah Quod vocabulum à Græcis variè redditum est, Ezech.40.v.17.vocatur ἐξέδρα, Ier.33.v.2. αὐλὴ, & v.4 παστοφόριον. Et hæc appellatio extat etiam 1.Mac.4.v 38.Ier.36.v.10. vocatur οἶκος.4 Reg.22. v.11.vocatur γαζοφυλάκιον & ita translatum est etiam Esdr.10. ver. 6.& Neh.13.v.5. Et hanc appellationem Gazophylacij Euangelistæ in eadem significatione vsurpant in Nouo Testamento, Marc.12.v.1. Luc.21.v.1. Ioan.8.v. 20. Hieronymus etiam in Latina translatione vocabulum illud retinuit. Porrò, in illis Gazophylacis solitos conuenire sacerdotes & populum, doctores & discipulos, ad lectionem & interpretationem Scripturæ, colligitur ex 39.cap. Ieremiæ, v.20. Baruch enim in Gazophylacio scribæ Elisamæ legit Prophetiam Ieremiæ audiente omni populo. Et 4.Reg.16.v.18.impius Achaz scribitur è domo Domini remouisse Musach: quod eruditi interpretantur, pro tabulato, in quo sedebant Doctores interpretantes Legem & Prophetas: & quæ fuerit forma huius quasi suggesti, sicut vulgò vocatur, ex c.8.v.4. Nehem. colligi potest. Et Christus Mar.13.v.41.& Io.8.v.20. In Gazophylacio in templo sedet & docet. Et Ioan.18.v.20. dicit, Docui in templo, vbi homines Iudæi conueniunt.

Hæc de auditorio, quod Hierosolymis fuit circa templum (Euangelistæ dicunt, fuisse in templo, Omnia enim ædificia templo adiuncta, aliquando vocantur templum) ideo annotaui, quia ratio exercitiorum in conuentibus Ecclesiasticis inde colligi potest. Paulus enim 1.Cor.14. ostendit duplices fuisse conuentus Ecclesiasticos. Quosdam vulgares, seu vniuersæ multitudini communes: in quibus conueniebant sacerdotes & populus: legebatur Moses & Prophetæ, Actor. 13.v.27. & lectionis explicatio ad exhortationem conuertebatur, Act.13.v.15. Et post auditam explicationem Scripturæ, mittebantur munera in Gazophylacium, ad sustentationem ministerij & pauperum, Mar.12.ver.41. offerebantur sacrificia; Populus hora incensi orabat, Luc.1.ver.10. Cantores psallebant, 1.Par.25.vers.1. Alij verò peculiares fuerunt conuentus, quando doctores cum discipulis suis, quos scholastica quasi institutione informabant, conueniebant. Et Christus licèt tali scholastica institutione noluerit informari, Ioan. 7. versicul.15. propter causam supra expositam: tamen suo exemplo & comprobare & sanctificare voluit congressus illos, quos vocamus Scholasticos & Catecheticos. Talem enim fuisse hunc congressum, existimo. Et ratio illius institutionis breuiter hic, sed pulcerrimè describitur. Discipuli 1. audiebant. 2. Interrogabant. 3. Respondebant. Sedebant autem discipuli ad pedes doctorum, Act. 22. vers.3. Sed puer Iesus sedet in medio doctorum: quod ita factum existimo. Cùm ex quæstionibus, quas puer Iesus hic proponebat, & responsionibus, quas interrogatus dabat, doctores animaduerterent in eo scientiam, supra illam ætatem, & plus quàm humanam, receperunt ipsum in medium sui, vt propiùs cum ipso conferre & diligentiùs animaduertere possent sapientiam eius, in quærendo & respondendo. Et specimen illud, quod puer Iesus ibi edit, fuisse diuinum & admodum eximium, Lucas ostendit, cùm inquit: Doctores omnes, non simpliciter admiratos, *seu obstupefactos*, hoc est, præ admiratione quasi extra se raptos fuisse super scientia, plus quàm humana, quam in pueri illius interrogationibus & responsionibus animaduertebant. Vtitur enim verbo ἐξίστασθαι, quo Septuaginta, Gen.42.v.28. reddiderunt Hebraism-

mum illum, Egressum est cor eorum.

In quibus autem doctrinæ cœlestis articulis, puer Iesus sapientiam suam, interrogando & respondendo, ad stuporem vsque audientium ostenderit, Lucas non explicat: nisi quis verbum illud, quo matri respondet, huc referre velit: *In his quæ patris mei sunt, oportet me esse:* sicut postea explicationem huius sententiæ ostendemus. Verisimile autem est, fuisse præludia disputationum de illis articulis, de quibus ipsi postea, toto tempore ministerij sui, certamina acerrima fuerunt, cum doctoribus templi. Certum enim est, voluisse ipsum in disputatione anni duodecimi tyrocinium exhibere futuri sui officij Mal. 3. v. 3. de purgandis filiis Leui. Fuit ergo sine dubio specimen eius doctrinæ, quam postea traditurus erat, veras sententias explicando & corruptelas refutando: vt, de persona & officio Messiæ: de discrimine legis & Euangelij: de vero cultu Dei, in Nouo Testamento; de abrogatione Leuiticorum: de traditionibus Pharisaicis, &c. Nec dubium est, puerum Iesum, cum audiret ipsorum vsitatos Peruschim, ornatos hoc titulo, dictum est antiquis, Mat. 5. interrogando modestè monstrasse, quòd cum verbis & cum perpetuo sensu Scripturæ non consentiant. Et quia tanta euidentia hoc faciebat, vt doctores contradicere non possent, data fuit ipsi occasio, respondendo illustrare sententiam doctrinæ Propheticæ. Simul autem coniuncta fuit sapientia & gratia; ita, vt omnes obstupescerent. Qui autem fuerint doctores illi, ex his quæ supra annotauimus, de Scribis, Pharisæis, Legisperitis & doctoribus Legis colligi potest.

Ostendit igitur puer Iesus, hoc tyrocinio, fore, vt refutatis corruptelis doctrinæ Pharisaicæ, abrogato cultu Leuitico, & reiectis hominum traditionibus, sana doctrina & verus cultus Noui Testamenti, per suum ministerium instauraretur. Et congruit prodigium idem significans, quod eodem tempore accidit, sicut Scholastica historia ex Iosepho recitat: quòd sub præside Coponio, qui post relegatum Archelaum gubernationi Iudææ ab Augusto præfectus est, die azymorum inuenta fuerunt ossa mortuorum, per totum templum & omnes porticus dispersa. Iosephus vult Samaritanos, per subterraneos cuniculos templum ingressos, hoc fecisse. Sed sine dubio diuinum fuit prodigium, idem significans quod tyrocinium illud pueri Iesu: abrogationem scilicet cultuum Leuiticorum. Sicut igitur in Samsone, qui bello liberaturus erat Israel, Spiritus edidit tyrocinium in castris Dan, peculiari stratagemate militari. Iud. 13 v. 25. Ita puer Iesus futuri sui officij specimen edidit in templo, sapientia in docendo, quærendo & respondendo: vt tyrocinium ipsi officio responderet. Prædictum siquidem erat, fore vt Messias sederet super soliũ Dauidis: sed cùm primum regni sui specimen edit, inuenitur sedens in medio doctorum.

Ita ergo radios diuinitatis suæ, aliquanto clariores quàm antea, puer Iesus anno duodecimo ostendit doctoribus in templo. Et sine dubio, celebris tunc fuit fama de hoc puero. Sed cùm postea tale specimen ampliùs non ederet, imò non inter doctos, sed priuatus apud fabrum, in ciuitate Nazareth viueret, euanuit quasi ex hominum memoria.

Porrò, eodem etiam tempore parentibus suis clariùs, quàm antea cœpit ostendere rationem futuri sui officij. Cùm enim antea simile non fecisset, insciis iam parentibus remansit Hierosolymis: sicut & postea de iis, quæ ad officium suum pertinent, ad matrem inquit: Quid mihi & tibi mulier? sicut & Leuitæ iubentur, Deut. 33. vers. 9. parentibus dicere: Nescio vos. Et parentes videntes in medio doctorum sedere: & cum obstupefactione audiri illum puerum, cuius humiliationi & exinanitioni iam assueti erant. ἐξεπλάγησαν, id est, admiratione perculsi, & quasi attoniti facti fuerunt, inquit Lucas. Maria verò verbo ὀδυνώμενοι (Syrus reddidit מטו quod significat, quando quis pectus tundit & plangit super cor) exponit, quanto cum dolore ab ipsis per triduum quæsitus fuerit. Primo enim die, cum Hierosolymis discessissent, confecto itinere diei, vesperi puerum inquisiuerunt, & non inuenerunt. Altero die, redierunt Hierosolymam. Ac sequenti, hoc est, tertia die demum inuenerunt ipsum in templo. Et hoc vocat Lucas μτ̃, id est *post tres dies.* Nam & Iudæi illam phrasin *post tres dies*, intelligunt & exponunt, vsque ad tertium diem, Mat. 17. ver. 63. Et octo dies consummati significant octauum diem, Luc. 2. v. 21. Dolor autem ex amissionis opinione inde ortus fuit. Meminerant enim, quàm seriò ipsis demandata fuerat cura huius pueri: cùm propter persequutionem Herodis in Ægyptum fugiendum esset, & postea inde redeundum. Timebant ergo, ne fortè ipsorum culpa & negligentia, in hostium manus incidisset: vel potiùs, quia nouerant qualis esset puer, verebantur ne Deus, sua culpa, promissam salutem, amissione Messiæ, mundo retinendo subtraheret. Ideo mater inquit: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Puer verò volens ostendere, in negotiis officij sui, non esse locum maternæ vel humanæ auctoritati, diuinicule respondet modestè tamen: ita, vt ostendat, se non venisse in hunc mundum, vt matris Mariæ & Iosephi nutricij negotiis obeundis semper occuparetur, sicut fecerat ad annum duodecimum, & postea vsque ad tricesimum annum: sed significat se habere alium patrem, cœlestem scilicet. Cùm enim Maria dixisset: *Pater tuus & ego*, ipse de alio suo patre cœlesti loquitur, & addit: se venisse in hunc mũdum, vt in illis sit, quæ patris cœlestis sunt. Et quæ illa sint, hoc suo tyrocinio ostendit: scilicet non principaliter illa, quæ in sustentatione & administratione mundi Deus operatur: sed quæ in templo, iuxta verbum Dei, & agebantur & significabatur: seu, quæ Deus speciali actione in Ecclesia operatur.

Phrasis autem [*Oportet me in his esse*,] intelligi potest, ex illo Pauli, 1. Tim. 4. v. 15. Hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus fiat omnibus. Obseruetur autem in hoc dicto obiter pulcra descriptio Mediatoris, qui missus est, vt in his, quæ patris cœlestis sunt, in Ecclesia perficiendis & gubernandis occupetur. Monemur etiam, tractationem & auditum verbi Dei, insigni hoc elogio ornari: iam audiendo, quærendo, respondendo, sum in iis, quæ patris cœlestis sunt. Est etiam doctrina generalis. Obsequium, quod Deo patri cœlesti debemus, parentum & omnium superiorum mandatis, & amicorum querelis esse præferendum. Et cùm puer inquit: *Num ignorabatis?* commonefacit matrem eorum, quæ de persona, & de officio suo, ex Scriptura, ex reuelatione Angelorum, ex narratione pastorum, Magorum, Simeonis, Hannæ, & ex colloquiis huius pueri, antea obscuriùs intellexerant. Sed hactenus tam clarè & tam manifestè tali sapientia de tantis mysteriis non audierant ipsum loquentem. Animaduertunt igitur, in paucis illis verbis, multa ardua mysteria comprehendi: quæ tamen *non satis intelligunt.* (Quod enim quidam, in gratiam Mariæ de doctoribus, & de aliis interpretantur, quod ipsi hæc verba non intellexerint, peregrinum est) Nec verò ideò verba hæc non satis intellecta, abiiciunt: sed *Maria illa conseruat in corde suo:* vtili exemplo, quomodo Scripturæ mysteria, quæ captum nostrum superant, tractanda sint. Omnino enim dictum illud, *in his quæ patris mei sunt, oportet me esse*, multa complectitur, vt non mirum sit, Mariam tunc non potuisse omnia planè intelligere. Quæ enim in templo & agebantur & significabantur patris cœlestis sunt: & in his dicit puer Iesus, officium suum versari. Sunt autem hæc. 1. docere. 2. pro populo intercedere. 3. sacrificare. 4. populo benedicere. Et Maria sciebat, quod Heb 7. v. 13. postea scriptum est, Ex tribu Iuda nullus vnquam altari astitit. Non igitur satis intelligit, quomodo in his quæ patris cœlestis sunt, puer hic futurus sit. Et quod in festo Paschatis amissus, post triduum demum inuenitur, significatio quædam fuit passionis & resurrectionis, sicut Ambrosius non ineptè colligit. Hæc igitur est historia, quomodo puer Iesus Anno ætatis 12. specimen officij sui ostenderit.

Periocha Historiæ, de gestis reliquæ ætatis Christi, ab anno duodecimo vsq; ad annum trigesimum.

Historiam publici ministerij, & officij Christi, ad quod à patre missus erat, Euangelistæ diligenter & copiosè describunt. De octodecim verò annis historiam, à duodecimo vsque ad trigesimum, duobus versibus Lucas absoluit: reliqui verò Euangelistæ prorsus prætereunt. Et hac ipsa præteritione, vel descriptionis breuitate significat: vixisse hunc puerum, excepto peccato, vt alium quempiam, non filium viri, sed filium hominis, sicut Scriptura loquitur, sumpta non domini, sed serui forma. Ne verò, sicut Ebionitæ finxerunt, tunc primum cum Spiritus columbæ specie super ipsum descendit, existimetur diuinitatem accepisse: sicut hactenus Lucas vsque ad annum duodecimum, ita nunc ab anno duodecimo vsque ad trigesimum describit, quod ante inchoationem ministerij, subinde radiolos quosdam diuinitatis suæ exeruerit, talibus documentis, quæ futuri officij eius tyrocinium essent, & tamen mensuram exinanitionis non excederent. *Profecit*, inquit, *sapientia & gratia.* Dictum autem est supra, quod illam sapientiam intelligat, cuius specimen edidit anno duodecimo. Et illa plenus fuit ante annum 12. sicut inquit, *Plenus erat sapientia*, Luc. 2. v. 40. Adfuit etiam sermonibus, moribus & omnibus actionibus eius singularis quædam & diuina gratia, etiam ante duodecimum annum, quæ hominum mentes excitaret, vt cogitarent (sicut de Baptista Lucas dicit,) Quis putas, puer hic erit? post annum verò duodecimum dicit Lucas, *Puerum Iesum ista sapientia & gratia*, quæ in ipso antea ostensa fuerat *profecisse non tantùm coram hominibus, sed & coram Deo:* hoc est, excellentiori & diuino modo, sicut de puero

de puero Samuele hæc phrasis vsurpatur. Sensus igitur est: sapientiam in dictis, & gratiam in vita & actionibus eius, progressu ætatis subinde illustrioribus documentis cœpisse se exerere: sed quæ exinanitionis humilitate ita temperarentur, vt à vulgo non statim animaduerterentur. Non igitur cogitandum est, quod ante inchoationem publici ministerij planè nihil ex ipso auditum sit, de doctrina cœlesti & officio ipsius, aut quòd in vita & actionibus ipsius nihil eximium aut peculiare animaduerti potuerit. Sed ex illis quæ supra in descriptione educationis & institutionis, & præcipuè in historia anni duodecimi, de sapientia & gratia huius pueri dicta sunt, cogitari poterit, quomodo post annum duodecimum profecerit sapientia & gratia.

Semper autem addenda est consideratio, de adiuncta humilitate summæ exinanitionis. Et non est dubium fuisse primum magnam spem & expectationem, de hoc puero, omnium, qui ipsum nouerant, propter ostensiones illas sapientiæ & gratiæ: sed quia summa exinanitione, radioli illi diuinitatis, quasi obscurati, mox rursus obruebantur: & præcipuè, cum egressus annum vigesimum concitatæ expectationi non videretur respondere, sed priuatus in plus quàm vulgari genere vitæ, vsque ad annum trigesimum versaretur, vulgò à notis contemni cœpit, Marc. 6. v. 2. Maria verò, Ioseph & alij pij, aliquid homine maius, ex illo profectu in hoc puero animaduerterunt: sicut Maria in nuptiis ostendit. Et talis fuit ostensio diuinitatis in Christo ante publicam inchoationem ministerij: in profectu scilicet sapientiæ & gratiæ, non tantùm politicè coram hominibus, sed & coràm Deo, hoc est, excellentiori & diuino modo.

Quæri autem hîc solet, ánne specimen aliquod miraculorum ante annum trigesimum ediderit. Et tria potissimum argumenta sunt, quibus videtur hoc probari posse. 1. Sicut specimen futuri sui officij, in docendo edidit; idem etiam de miraculis factum esse, verisimile videtur. Summa enim ministerij hæc est: cœpit facere & debere. 2. Ne videretur tunc primum virtutem miraculorum accepisse, cùm in Baptismo Spiritus super ipsum descendit: verisimile est, puerilia quasi quædam miracula præcessisse. Hoc est Epiphanij argumentum, contra Alogos. 3. Quia in nuptiis Maria filio obliqua petitione insinuat: vinum non habent. Et ministris inquit: Quicquid dixerit vobis, facite. Videtur ergo, antea domi miracula quædam in rei familiaris penuria à filio edita vidisse, vt si non publicè, domi tamen quædam, si non miracula, tamen mirabilia, vel miraculis similia, fecisse videri possit.

Et sanè argumenta hæc non sunt leuia, nec contemnenda: si coniecturis non absurdis, sed verisimilibus, aliquid in hac quæstione tribuendum esset. Nec periculum fidei est, si quis non præfracta asseueratione, sed probabili coniecturá, has cogitationes sequatur: quòd principium quidem signorum, inchoato iam ministerio Christi, publicè factum sit in Cana, præcessisse tamen mira quædam, quasi præludia priuatim, in actionibus quibusdam pueri Iesu. Tutius tamen existimo esse, si inter terminos eorum, quæ in Scriptura patefacta sunt, nos continemus; quæ illa, quæ aliquo modo extraordinaria fuerunt, in puero Iesu, annotauit, de puerilibus verò & priuatis ipsius miraculis nihil dicit. Dicamus ergo sicut ad simile argumentum Hieronymus ad Heluidium respondet: Quod specimen futuri sui officij docendo ediderit credimus, quia legimus: de miraculis ante annum trigesimum, non legimus: Ergo nec asseueramus, nec credimus. Et Thomas citat sententiam Gregorij: absque ostensione alicuius famosi & publici miraculi, ita inter homines conseruatus est, quasi esset vnus ex illis. In hac etiam sententia Chrysostomus est super Iohannem, qui addit, quod iudico simplicissimum esse; miracula quidem ante trigesimum annum nullum edidit: in sermonis tamen sapientia in gratia vitæ & actionum, mira quædam apparuerunt, vnde iudicari poterat, & esse & fore ipsum mirabilem. Et inde Maria in Cana Galilææ, de miraculis, per filium in ministerio edendis, aliquid præsumere potuit. Hæc Euangelistæ verbis consentanea sunt, & ex illis manifeste colliguntur, quales scilicet diuinitatis suæ radiolos, sub obscura illa extremæ exinanitionis quasi nube, Iesus exeruerit vsque ad annum trigesimum. Duo enim capita ponit Lucas. *Sapientiam* scilicet *& gratiam*: in quibus cùm dicit ipsum profecisse, indicat instituendam collationem. 1. Quomodo ante annum duodecimum, fuerit plenus sapientia, & gratia Dei fuerit super ipsum. 2. Quomodo anno duodecimo, eius sapientiæ & gratiæ publicum specimen ediderit in templo. 3. Quomodo post annum duodecimum in his profecerit.

Alterum autem membrum, de exinanitione, Lucas vulgaribus planè verbis describit: vt ostendat talem fuisse vitam, tales actiones Iesu vsque ad trigesimum annum, sicut Paulus inquit, Phil. 2. v. 7. Forma serui sumpta, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Ὁμοίωμα enim significat conformitatem vitæ, in operationibus naturalibus, cum reliquis hominibus, sicut 1. Cor. 15. vers. 49. dicimur gerere imaginem terreni. Σχῆμα significat actiones in conuictu & conuersatione cum hominibus. Nam 1. Pet. 1. v. 15. vocabulum συσχηματιζόμενοι explicatur per ἀναστροφῇ conuersationem. Et hæc species exinanitionis talis fuit, vt etiam illi qui aliquando animaduertebant sapientiam & gratiam in ipso plus quàm humanam, tamen non curabant, nisi quòd Maria mater, quæ ex Angelo, pastoribus, Simeone & ex domesticis pueri colloquiis, propiùs mysterium hoc intelligebat, diligentius talia potuit obseruare, & manifestationes diuinitatis ab exinanitione discernere. Sed tamen etiam de Maria scriptum est, *Non intellexit verbum illud, &c.* Tanta fuit exinanitio.

Inter illa autem, in quibus Euangelista puerum Iesum dicit profecisse, nominatur etiam ἡλικία, quod vocabulum significat staturam corporis humani, Mat. 6. v. 27. & Luc 19. v. 3. Et ita Syrus etiam reddidit, quam progressu ætatis auctam fuisse, sicut in reliquis hominibus, Euangelista docet. Vetus interpres reddidit *proficiebat ætate*: Sicut Ioh. 9. v. 21. parentes cœci dicunt, Ipse ætatem habet, interrogate ipsum. Et quia Euangelistæ verba ita posita sunt, *proficiebat sapientia, ἡλικίᾳ, & gratia*: Vetus Interpres sensum voluit exprimere. Sicut in cæteris hominibus vsitato naturæ cursu anima, confirmatis paulatim ætate organis, potentias suas magis magisque exerit, & operationes edit in corpore: Ita etiam in puero Iesu profectum sapientiæ & gratiæ, rationem ætatis humanæ non excessisse, vt vera humanitas probaretur. Et hęc exinanitio qualis fuerit inde aliquo modo cogitari poterit: quod Iohannes dicit, Erat plenus gratia. & Paulus Col. 2. v. 3. Omnes thesauri sapientię & scientię in ipso fuerunt. Et tamen iuxta mensuram ætatis Lucas dicit, profecisse in ipso sapientiam & gratiam. Et ad hanc sententiam Paulus videtur alludere Ephes. 4. v. 13. Occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum adultum, in mensura ætatis plenitudinis Christi.

Quod verò Lucas addit, *erat subditus parentibus*: ad externas operationes attinet. Et obseruetur vocabulum ὑποτασσόμενος quo summa exinanitio exprimitur. Significat enim externas operationes alterius superioris dominio & imperio gubernari. Tribuitur enim seruis, liberis vxoribus & subditis, qui à dominis mandata accipiunt & ea exequuntur. Syrus ita reddidit, vt fermè diceret: Erat seruus eorum. Ab עבר ministrans eis. Certum igitur est ex hoc loco, parentes sæpe aliquid negotij vel laboris puero Iesu mandasse, quod ipse obediens exequutus sit. Et ex hoc vocabulo Veteres rectè collegerunt, quid fecerit Iesus, seu quibus actionibus occupatus fuerit, ante trigesimum annum. Ministerium enim nondum inchoarat & literas non didicit, Ioh. 7. v. 15. Nec putandum est, quod ignauo otio vitam traduxerit. Basilius igitur in Asceticis cap. 4. inquit: In prima ætate parentibus subditus, quemlibet laborem corporeum humiliter & obedienter sustinuit. Cùm enim homines illi essent iusti quidem ac pij, egeni tamen & rebus necessariis non abundantes, teste præsepi, quod venerando partui inseruiuit, meritò laboribus corporis assiduis dediti erant, necessaria vitæ sibi indé quęrentes. Iesus autem subditus & obediens illis omnino, etiam simul perferendo labores, subiectionem & obedientiam declarabat. Hęc Basilius. Iustinus in Tryphone affirmat, Iesum fabricandis iugis & aratris vsque ad 30. annum occupatum fuisse. Nec solis coniecturis Veterum hæc sententia nititur. Sed Nazarethani, quibus genus vitæ, in quo Iesus ante inchoationem ministerij vixit, extra dubitationem notissimum fuit, non tantùm fabri filium ipsum appellant, Mat. 13. vers. 55. sed & Mar. 6. v. 2. dicunt: Vnde huic, quod per manus eius miracula fiunt? Nonne hic est ὁ τέκτων faber ille? Et obseruetur, quod mentionem faciunt manuum. Mirantur enim & in eo scandalisantur, quòd per illas manus talia miracula, quæ diuinam virtutem declarant, edantur, quas ante biennium viderant opera fabrilia tractare. Et inde potest colligi quomodo ante annum trigesimum, licet aliquos diuinitatis radios ostendebat, cùm proficeret sapientia & gratia apud Deum, & apud homines; tamen, propter adiunctam summam exinanitionem, contemptus fuerit. Nam quando secundo anno ministerij sui non ampliùs tractat fabrilia, sed clarissimè fulget miraculis, & ita docet, vt Nazarethani sapientiam doctrinæ eius admirari cogantur, tamen quia viderant vulgare illud & humillimum vitæ genus, in quo antea versatus fuerat, ita offenduntur, vt propter incredulitatem ipsorum, nulla miracula in patria edere possit. Imò cum primo anno ministerij sui, in synagoga ipsorum incipit docere, volunt eum de rupe præcipitare, quòd faber munus docendi quasi seditiose inuadere videatur. Illi igitur, qui educationem ipsius & genus vitæ, in quo ante annum trigesimum

versatus fuit, viderunt, certissimi huius rei testes esse possunt.

Præbet igitur illa historia, præter descriptionem exinanitionis & formæ serui, etiam hanc doctrinam, quòd obedientiam liberorum erga parentes ita Iesus voluerit sanctificare, vt illo tam eximio exemplo obedientiæ filij Dei erga matrem & curatorem fabrum, reliquis liberis obedientia erga parentes magis dulcesceret. Item: quod sudorem vultus, qui Adamo propter peccatum, Gen 3. versic. 16. impositus est, Iesus etiam in se reciperet: vt ita laborem manuum & sudorem vultus sanctificaret. Tempore verò ministerij non manibus tractauit fabrilia, nec labore manuum quæsiuit victum: sed ea, quæ ad ministerium pertinebant curauit, & ex eleemosynis, quæ conferebantur vixit, Luc. 8 v. 3. Imò cùm discipulos quotidiana institutione ad Apostolatum formandos susceperat, noluit eos ampliùs manuum laboribus occupari. Et hoc propter Anabaptistas obseruandum est.

Vocabulum etiam τέκτων à Græcis interpretibus redditum est pro Hebraico Harasch: quod in genere significat operas manuarias exercere. Hinc dicitur τέκτων σιδήρου, 1. Reg. 13 v. 19. & Esa. 44. vers. 12. χαλκοῦ. 3. Reg. 7. vers. 14. lapidum, 2. Reg. 5. v. 11. Lignorum vero τέκτων, vocatur 2. Reg. 5. ver. 11. & 4. Reg. 12. vers 11. Isa. 44 ver. 13. & 1. Par. 14. vers. 1. οἰκοδόμος parietum & faber lignorum. Et in hac significatione in hac historia accipitur: licet Hilarius de mulcendo ferro alicubi allegoriam texat.

Et hoc est, quod Lucas præcipuè notare voluit, quod scilicet puer Iesus, non apud templum, vt Samuel inter doctores, qui absque dubio talem puerum libenter apud se retinuissent, educatus fuit, nec apud Pharisæos, vt Paulus ad pedes Gamalielis: nec in deserto apud Essæos, quæ educatio aliquid humanæ auctoritatis ipsi addere potuisse videretur. Sed quòd educari voluit in œconomia, & quidem Iosephi fabri, œconomia vulgari, plebeia & pauperi, in vico obscuro & contempto Nazareth: quæ omnia ratione exinanitionis conueniunt, vt doctrinæ & officij ipsius auctoritas non ab humanis præsidiis, sed à solis diuinis testimoniis penderet. Et quidem statum œconomicum hac sua educatione voluit confirmare & sanctificare.

Et tantùm de vita Christi vsque ad annum trigesimum ex Euangelistarum scriptis colligere possumus. Et quia Spiritus sanctus pauca hæc, ad informationem fidei & ædificationem Ecclesiæ, sufficere iudicauit, reiectis itaque aliis confictis narrationibus hisce contenti simus. Sed priusquam hunc locum concludamus, de illa sententia, *Profecit sapientia & gratia apud Deum & homines*, de qua varia disputata sunt, pauca quædam annotabimus. Sobria enim explicatio aliquid lucis potest afferre ad illustrandam doctrinam de incarnatione, siue de personali vnione duarum naturarum in Christo. Manifestum autem est illud, quod scribitur *creuisse*, & quòd *corroboratus est spiritu, quodque profecit sapientia & gratia*, pertinere non ad diuinam, sed ad humanam naturam in Christo: seu respectu humanæ naturæ dici. Diuinitati enim augmentum, seu profectum tribuere, blasphemum est. Et Lucas ideo hæc coniungit, *Puer Iesus crescebat & corroborabatur:* & postea, vbi de profectu loquitur, in medio ponit ἡλικίαν, vt ostendat ad quam naturam referenda hæc sint. Quomodo verò humana natura in Christo corroborata fuerit spiritu, & profecerit sapientia & gratia, Veteres plerique ita explicant. Quia plenus fuit sapientia, Luc. 2. v. 40. ante annum duodecimum, & plenus gratia quando verbum caro factum est: Ioh. 1. v. 14. Sentiunt igitur ipsum profecisse, non quod plenitudini aliquid accesserit: sed dici hoc secundum effectus, quod scilicet plenitudo illa nec statim, nec semper, in assumpta natura & per eam, illustribus ostensionibus se exeruerit; sed inenarrabili exinanitione tecta & occultata fuerit: subinde tamen magis magisque cœperit se manifestare. Et hoc sit proficere: sicut Cyrillus inquit: Quia iuxta mensuram ætatis corporeæ, natura diuina sapientiam propriam reuelabat. Et Nazianzeni sententia est. Dicitur proficere secundùm humanam naturam: non quod suscipiat augmentum diuina sapientia, quæ ab initio fuit perfecta, sed ex eo, quod paulatim manifestabatur. Scholastici vero disputant de habitibus sapientiæ & gratiæ, animę in humana natura Christi infusis: quos propter personalem cum diuinitate vnionem contendunt ab initio conceptionis perfectas fuisse, qui in effectibus subinde magis magisq; se manifestarint. Thomas subtilius adhuc disputat de intellectu passibili, & de habitibus acquisitis; quod secundùm scientiam acquisitam siue experimentalem profecerit. Sicut Heb. 5. v 8 scriptum est. Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. Et ita ab illis hic profectus refertur ad externam speciem: non quod Christus in humana sua natura aliquid profecerit, sed quod reliquis hominibus per manifestationem hoc apparuerit: Quia verò Lucas dicit: *Profecit & apud Deum & apud homines*. Non autem dici potest plenitudinem sapientiæ & gratiæ ita latuisse in Christo, vt progressu ętatis non hominibus tantùm, sed ipsi etiam Deo manifestanda fuerit: Ideo ex recentioribus quidam ita disputant: Humanam naturam in Christo non statim ab incarnatione habuisse abundantiam & plenitudinem omnium donorum. Verus enim homo fuit, & omnes humanas infirmitates, excepto peccato, non necessitate naturę, sicut nos, sed propria voluntate suscepit: vt per omnia fratribus similis esset, excepto peccato. Sentiunt ergo, Christum secundùm animam profecisse sapientia & gratia, nec in apparentia, sed re vera factam humanæ naturæ in Christo accessionem sapientiæ.

Diligenter autem cauendum est, ne in explicanda obscura hac quæstione aliquid derogetur vnioni personali duarum naturarum in Christo: quod Veteres sollicitè in hac disputatione obseruasse videmus. Ex vera igitur descriptione incarnationis & exinanitionis, sumi potest simplicissima explicatio. Incarnatio enim est vnio duarum naturarum in persona Christi Non sicut Deus habitat in credentibus. Nec satis est ad personalem vnionem, quod diuinitas inseparabiliter habitat in Christo: ita enim habitat in sanctis angelis, & in nobis in futura vita inseparabiliter habitabit, quando Deus erit omnia in omnibus. Sed Paulus omnium planissimè describit, vnionem personalem, quod scilicet tota plenitudo diuinitatis habitet in Christo σωματικῶς, hoc est, personaliter in humana natura Christi. Non enim dici potest in diuinitate habitare plenitudinem diuinitatis. Ergo in assumpta natura, plenitudinem illam diuinitatis personaliter habitare, sentit Paulus. Et Veteres similitudine ferri igniti hanc sententiam simplicissimè declararunt. Sicut enim ignis vndique miscetur ferro, vt nulla pars ferri expers sit ignis: ita arctissimo fœdere, in Christo copulatæ sunt duæ naturæ. Non igitur dicendum est, humanam naturam in Christo aliquando vacuam & inanem fuisse: cùm Scriptura ei tribuat totam diuinitatis plenitudinem, ab ipsa incarnatione, Luc. 2. v. 40 Ioan. 1. v. 14. Col. 2. v. 9. Sed huic plenitudini accidit exinanitio: quæ non talis fuit, quasi humana natura in Christo vacua aliquãdo & inanis fuisset, seu expers plenitudinis diuinitatis. Hoc enim reuera esset tollere personalem vnionem: Sed Paulus exinanitionem simplicissimè ita describit, 2. Cor. 8. ver. 9. πλούσιος ὢν ἐπτώχευσε, diues existens pauperem segessit. Plenitudinem igitur diuinitatis in humana natura non statim exeruit, sed assumptis nostris infirmitatibus eam texit, non superficialiter coram hominibus tantum, sed tam profundè, vt etiam coram Deo esset humiliatio & exinanitio. Quæ non fuit otiosa dissimulatio coram hominibus tantùm, sed fuit seria humiliatio Mediatoris coram æterno patre, Phil. 2. v. 6. vt ita expiatis peccatis superbiæ nostræ, promereretur, vt nos ipsius paupertate ditesceremus. Qualis verò fuerit profundissima illa exinanitio, cum Deo omnia abscondita sint manifestissima, nec intelligi nec cogitari potest. Et nobis sufficit scire, fuisse immensam & imperscrutabilem exinanitionem & humiliationem Mediatoris coram æterno patre. Non enim leuiter facta est expiatio peccatorum nostrorum. Ita si intelligatur sapientia & gratia, de ea quæ diuinitatis est propria, & personaliter vnita est assumptę naturę, certum est, eam in Christo incarnato non creuisse vel auctam fuisse. Sed profectus ita intelligendus est, quòd plenitudo illa diuinitatis radios subinde magis magisq; illustres in assumpta humana natura, & per eam exeruerit. Atque hæc est Veterum interpretatio, & in hanc sententiam Damascenus lib. 3. prolixè disputat, Nestorianum esse fingere, sapientiam & gratiam in Christo, subinde accessionem & additionem suscepisse.

Quia verò præter hanc diuinitatis sapientiam, etiam humana quædam infusa seu creata sapientia Christo, vt homini, tribuenda est: ne, iuxta Apollinaris opinionem, diuinitas loco animæ rationalis carni Christi fuisse existimetur. Scholastici igitur disputant, dotes illas creatas, quoad habitus infusos, ab initio conceptionis in anima Christi cui ipsa diuinitas personaliter vnita est, perfectas fuisse, nec creuisse: sed profectum referendum ad actus, qui subinde illustriores inde prodierint. Et hæc sententia inde etiam magnum robur accipit, quia pars corruptionis originalis est, quod nostræ animæ vacuæ, inanes, spoliatæ & destitutæ spiritualibus illis donis nascuntur: & imperfectio donorum illorum in nobis non caret peccato. Quia verò in similitudine hominum filius Dei factus, & σχήματι vt homo inueniri voluit, vt excepto peccato per omnia fratribus similis esset: videtur quibusdam non impium, aut à fide alienum esse dicere, dotes illas creatas, siue habitus infusos, progressu ætatis creuisse in anima Christi. Et hoc existimant verba Lucæ innuere *quod profecerit sapientia & gratia coram Deo & coram hominibus*, more quidem aliorum hominum: sed tamen sine peccato, & supra modũ humanũ. Erat enim persona Deus & homo; qui non nouit pec-

uit peccatum. Et Lucas quidem eadem phrasi de Iohanne & de Christo vtitur, cùm inquit: *corroboratur spiritu.* Et de Samuele etiam 1. Reg. 2. ver. 26. Scriptura eodem fermè modo loquitur. Samuel proficiendo crescebat, & erat bonus tam apud Deum quàm apud homines. Omnino tamen statuenda est differentia inter profectum Christi, Ioannis & Samuelis: vt salua maneat excellentia, & prærogatiua Christi, præcipuè verò hypostatica vnio diuinæ & humanæ naturæ, in persona Christi. Et amplectenda est simplicissima sententia, quæ ad consolationem, & ad ædificationem accommodari possit, vt vtilis sit.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAM, DE VOCATIONE BAPTISTÆ, de initio, progressu, & successu prædicationis, & baptismi ipsius, vsque ad baptismum Christi, Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

RATIO ORDINIS.

HActenus ordine ea persecuti sumus, quæ in historia Euangelica præcedunt inchoationem publici ministerij Baptistæ & Christi. Et quia Baptista missus fuit, vt suo ministerio viam præpararet, priusquam Christus manifestaretur, ac suum ministerium publicè auspicaretur. Rectè itaque hæc historia præcedentibus subiungitur, & inaugurationi Christi præmittitur. Quia verò Marcus in hac historia initium ponit Euangelij Christi: quidam hinc quasi nouum librum ordiuntur. Sunt etiam, qui initium ministerij Christi ponunt in baptismo Ioannis, propterea quod Petrus Act. 1. ver. 22. inquit: Iesum ministerium suum incepisse à Baptismo Ioannis, vsq; ad diem assumptionis. Sed sensus est, sicut Petrus ipse explicat, Act. 10. v. 37. prædicationem de exhibito Messia, cœpisse quidem in baptismo Ioannis, ipsum vero Iesum vnctum spiritu (quod factum est cùm à Ioanne in Iordane baptisaretur) post baptismum Ioannis cœpisse facere & docere. Quia igitur simplici & certa ratione, quam res ipsæ monstrant, libros Harmoniæ Euangelicæ ita distribuere constituimus, vt singulorum ministerij Christi annorum actis, singuli tribuantur libri. Cúmque primus liber ea complectatur, quę in Euangelica historia publicam illam incoationem ministerij Christi præcesserunt, & primus annus ministerij Christi rectè inchoetur ab illa historia, quando in Iordane Christus baptisatus, & Spiritu sancto vnctus, missus est ad prædicandum, Isa. 61. v. 1. Act. 10. v. 37. Ad ea igitur quæ publicam inchoationem ministerij præcesserũt, pertinet etiam hæc historia de inchoatione & progressu ministerij Baptistæ, donec Christus venit petens à Ioanne baptisari. Atque ita iuxta nostram distributionem ad primum librum hæc historia pertinet, vt sequens liber, qui ordine secundus est, contineat inchoationem & acta primi anni ministerij Christi.

HISTORIA DE INITIO, ET PROGRESSV MINIsterij Baptistæ, Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3.

MATTH. 3.

1.	Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις παραγίνεται Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς, κηρύσσων ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας,	1.	*In diebus illis accedit Iohannes Baptista prædicans in deserto Iudææ,*
2.	Καὶ λέγων, μετανοεῖτε ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.	2.	*Dicensque, Pœnitentiam agite vitæ prioris, in propinquo est enim regnum cœlorum.*
3.	Οὗτος γάρ ἐστιν ὁ ῥηθεὶς ὑπὸ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, λέγοντος, φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.	3.	*Nam hic est ille de quo dixit Isaias propheta, qui ait: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.*
4.	Αὐτὸς δὲ ὁ Ἰωάννης εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ· ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον.	4.	*Ipse verò Iohannes habebat indumentum suum è pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Porrò cibus illius erant locustæ & mel syluestre.*
5.	Τότε ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν Ἱεροσόλυμα, καὶ πᾶσα ἡ Ἰουδαία, καὶ πᾶσα ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου.	5.	*Tunc egressa ad illum Hierosolyma, & tota Iudæa, totaque regio vndique finitima Iordani.*
6.	Καὶ ἐβαπτίζοντο ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ὑπ' αὐτοῦ ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.	6.	*Et baptizabantur in Iordane ab illo, confitentes peccata sua.*
7.	Ἰδὼν δὲ πολλοὺς τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων ἐρχομένους ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτοῦ εἶπεν αὐτοῖς. Γεννήματα ἐχιδνῶν, τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς;	7.	*Cum vidisset autem multos ex Pharisæis & Sadducæis venientes ad baptismum suum, dixit illis: Progenies viperarum, quis submonstrauit vobis, vt fugeretis a ventura ira?*
8.	Ποιήσατε οὖν καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας.	8.	*Facite igitur fructus, qui deceant pœnitentiam.*
9.	Καὶ μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, Πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ. Λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ.	9.	*Et ne sitis hac mente, vt dicatis intra vosipsos. Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quòd possit Deus facere, vt ex lapidib. his filij surgant Abrahamo.*
10.	Ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται. πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.	10.	*Iam verò & securis ad radicem arborum posita est. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur.*
11.	Ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν. ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἰσχυρότερός μου ἐστὶν, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι. αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί.	11.	*Ego quidem baptizo vos aqua ad pœnitentiam: at ille, qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum idoneus, vt calceamenta portem. Ipse vos baptizabit Spiritu S. & igni.*
12.	Οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα αὐτοῦ, καὶ συνάξει τὸν σῖτον εἰς τὴν ἀποθήκην, τὸ	12.	*Cuius ventilabrum in manu ipsius, & repurgabit aream suam: & congregabit triticũ suum in*

ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ.

horreum, paleas autem exuret igni inextinguibili.

MARC. I.

1. Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.
2. Ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις· Ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.
3. Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.
4. Ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.
5. Καὶ ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν πᾶσα ἡ Ἰουδαία χώρα, καὶ Ἱεροσολυμῖται· καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ ὑπ᾽ αὐτοῦ, ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.
6. Ἦν δὲ ὁ Ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ· καὶ ἐσθίων ἀκρίδας καὶ μέλι ἄγριον.
7. Καὶ ἐκήρυσσε, λέγων· Ἔρχεται ὁ ἰσχυρότερός μου ὀπίσω μου, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς κύψας λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ.
8. Ἐγὼ μὲν ἐβάπτισα ὑμᾶς ἐν ὕδατι· αὐτὸς δὲ βαπτίσει ὑμᾶς ἐν Πνεύματι ἁγίῳ.

1. *Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei.*
2. *Sicut scriptum est in Prophetis: Ecce, ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam ante te.*
3. *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.*
4. *Baptizabat Iohannes in deserto, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*
5. *Et egrediebantur ad eum tota Iudæa regio, ac Hierosolymitæ, & baptisabantur omnes ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua.*
6. *Erat autem Iohannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos suos, vescebaturque locustis ac melle sylvestri.*
7. *Et prædicabat, dicens: Venit is, qui fortior me est, post me, cuius non sum idoneus, vt procumbens soluam corrigiam calceamentorum.*
8. *Ego quidem baptizaui vos aqua: ille verò baptizabit vos Spiritu S.*

LVC. 3.

1. Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας, καὶ τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρώδου, Φιλίππου δὲ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος.
2. Ἐπ᾽ ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα, ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην τὸν τοῦ Ζαχαρίου υἱὸν, ἐν τῇ ἐρήμῳ.
3. Καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου, κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.
4. Ὡς γέγραπται ἐν βίβλῳ λόγων Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, λέγοντος, Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου· εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.
5. Πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται· καὶ ἔσται τὰ σκολιὰ εἰς εὐθείαν, καὶ αἱ τραχεῖαι εἰς ὁδοὺς λείας.
6. Καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ.
7. Ἔλεγεν οὖν τοῖς ἐκπορευομένοις ὄχλοις βαπτισθῆναι ὑπ᾽ αὐτοῦ, Γεννήματα ἐχιδνῶν, τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς;
8. Ποιήσατε οὖν καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας· καὶ μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, Πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ. Λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ.
9. Ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται· πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.
10. Καὶ ἐπηρώτων αὐτὸν οἱ ὄχλοι, λέγοντες· Τί οὖν ποιήσομεν;
11. Ἀποκριθεὶς δὲ λέγει αὐτοῖς· Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας, μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι· καὶ ὁ ἔχων βρώματα, ὁμοίως ποιείτω.
12. Ἦλθον δὲ καὶ οἱ τελῶναι βαπτισθῆναι καὶ εἶπον πρὸς αὐτόν, Τί ποιήσομεν;
13. Ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτούς· Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε.
14. Ἐπηρώτων δὲ αὐτὸν καὶ στρατευόμενοι, λέγοντες· Καὶ ἡμεῖς τί ποιήσομεν; καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς, Μηδένα διασείσητε, μηδὲ συκοφαντήσητε, καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν.
15. Προσδοκῶντος δὲ τοῦ λαοῦ καὶ διαλογιζομένων πάντων ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν περὶ τοῦ Ἰωάννου, μήποτε αὐτὸς εἴη ὁ Χριστός,
16. Ἀπεκρίνατο ὁ Ἰωάννης ἅπασι, λέγων· Ἐγὼ μὲν ὕδατι

1. *Anno autem decimoquinto imperij Tiberij Cæsaris, Pontio Pilato præside Iudææ, Tetrarcha verò Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituraæ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenes Tetrarcha.*
2. *Sub Pontificib. Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium, in deserto.*
3. *Et venit in omnem regionem finitimam Iordani, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*
4. *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ dicentis, Vox clamãtis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.*
5. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons ac collis reddetur humilis: & fient quæ obliqua sunt directa, & aspera vertentur in vias planas.*
6. *Et videbit omnis caro salutare Dei.*
7. *Dicebat ergo ad turbas quæ exibant, vt baptisarentur ab ipso: Progenies viperarum quis submonstrauit vobis, vt fugeretis à ventura ira?*
8. *Facite ergo fructus dignos pœnitentia. Et ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamo.*
9. *Iam verò & securis ad radicem arborum posita est: Omnis arbor, non faciens fructum bonum, exciditur, & in igne conijcitur.*
10. *Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?*
11. *Respondens autem dicit illis: Qui habet duas tunicas impertiat non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.*
12. *Venerunt autem & publicani, vt baptizarentur: & dixerunt ad illum, Magister quid faciemus?*
13. *At ille dixit ad eos: Ne quid amplius, quàm quod constitutum est vobis, exigatis.*
14. *Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Et nos quid faciemus? Et ait illis: Ne quem concutiatis, ne quem calumniemini: & contenti estote stipendijs vestris.*
15. *Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis, num ipse esset ille Christus:*
16. *Respondit Ioannes dicens vniuersis: Ego quidem*

aqua

βαπτίζω ὑμᾶς· ἔρχεται δὲ ὁ ἰσχυρότερός μου, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ· αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν Πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί.

17. Οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα αὐτοῦ· καὶ συνάξει τὸν σῖτον εἰς τὴν ἀποθήκην αὐτοῦ, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ.

18. Πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἕτερα παρακαλῶν εὐηγγελίζετο τὸν λαόν.

aqua baptizo vos: sed veniet fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum: Ipse baptizabit vos Spiritu S. & igni.

17. *Cuius ventilabrum in manu ipsius, & purgabit aream suam: & congregabit triticum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.*

18. *Multa quidem & alia exhortans, euangelizabat populo.*

De coagmentatione circumstantiarum huius Historiæ.

NVlla est circunstantiarum in descriptione huius historiæ apud Euangelistas diuersitas. Et ratio coagmentationis patet ex collatione textus per columnas dispositi. Hoc tantùm notandum est, cùm idem dicant Matthæus & Marcus verbis paululum variatis. *Iohannes habebat vestitum ex pilis, &c.* *Et erat vestitus pilis, &c.* quod quidam ad vitandam (sicut ipsis videtur) ταυτολογίαν Matthæi tantùm verba ponunt in Harmonia, Marci verò verba in margine cruce signata ponunt: vt quæ videntur non commodè posse in contextum inseri. Sed quia Matthæus videtur hoc velle dicere, Iohannem etiam ante inchoatum ministerium tale vestimentum habuisse. Marcus verò videtur significare, quod Iohannes etiam tempore ministerij, cùm in maxima esset auctoritate, non susceperit alium habitum, sed vsitatum retinuerit. Ideò in Harmonia, primùm Matthæi verba ponemus: postea Marci verba, eo quo ab ipso posita sunt loco, recensebimus. Quod ideò annotare volui, ne quis illa repetitione tanquam ταυτολογίᾳ offendatur. Reliqua ex collatione cum singulis Euangelistis patent.

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ EX tribus Euangelistis coagmentata.

b Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις. Ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου, ἔμπροσθέν σου. φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ. c Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας, καὶ τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρώδου, Φιλίππου δὲ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος· ἐπ' Ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα, ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην τὸν τοῦ Ζαχαρίου υἱὸν, ἐν τῇ ἐρήμῳ. (Καὶ) a ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις παραγίνεται Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς, b βαπτίζων καὶ κηρύσσων a ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας. c καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου, h κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, a καὶ λέγων· μετανοεῖτε. ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν· c γέγραπται ἐν βίβλῳ λόγων Ἡσαΐου τοῦ προφήτου. a Οὗτος γάρ ἐστιν ὁ ῥηθεὶς ὑπὸ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, λέγοντος· f φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ. c Πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται. καὶ ἔσται τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν, καὶ αἱ τραχεῖαι εἰς ὁδοὺς λείας. καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. a Αὐτὸς δὲ ὁ Ἰωάννης εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ· ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον. e Καὶ τότε ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν Ἱεροσόλυμα, καὶ πᾶσα ἡ Ἰουδαία χώρα; a καὶ πᾶσα περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου· a καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ ὑπ' αὐτοῦ, ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. a Ἰδὼν δὲ πολλοὺς τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων ἐρχομένους ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς, c τοῖς ἐκπορευομένοις ὄχλοις βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτοῦ, Γεννήματα ἐχιδνῶν, τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς; Ποιήσατε οὖν καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας. Καὶ a μὴ δόξητε (ἢ) c ἄρξησθε f λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, Πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ. Λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ. Ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται· πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται. c Καὶ ἐπηρώτων αὐτὸν οἱ ὄχλοι, λέγοντες· Τί οὖν ποιήσομεν; Ἀποκριθεὶς δὲ λέγει αὐτοῖς· Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας, μεταδότω τῷ μὴ ἔχοντι, καὶ ὁ ἔχων βρώματα, ὁμοίως ποιείτω. Ἦλθον δὲ καὶ οἱ τελῶναι βαπτισθῆναι, καὶ εἶπον πρὸς αὐτόν· Διδάσκαλε, τί ποιήσομεν; Ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτούς. Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον, πράσσετε.

b *Initium Euangelij Iesu Christi, filij Dei, sicut scriptum est in Prophetis:* Ecce, *ego mitto nuntium meum ante faciem tuam. qui parabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* c *Anno autem decimoquinto imperij Tiberij* Cæ*saris, Pontio Pilato præside Iudææ, Tetrarcha verò Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituraæ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenes Tetrarcha: sub Pontificib. Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium, in deserto.* (Et) a *in diebus illis accessit Iohannes Baptista,* b *& erat baptizans & prædicans* a *in deserto Iudææ:* c *& venit in omnem regionem finitimam Iordani,* h *prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,* a *ac dicens: Pœnitentiam agite, in propinquo est enim regnum cælorum:* c *sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ.* a *Nam hic est ille, de quo dixit Isaias Propheta, qui ait:* f *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* c *Omnis vallis implebitur, & omnis mons ac collis reddetur humilis: & fient quæ obliqua sunt recta, & aspera vertentur in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei.* a *Ipse autem Iohannes habebat indumentum suum è pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: Porrò cibus illius erant locustæ & mel syluestre.* e Et *tunc egrediebatur ad eum Hierosolyma & tota Iudæa regio,* a *totaque regio vndique finitima* Iordani: e *& baptisabantur omnes ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua.* a *Cum vidisset autem multos ex Pharisæis & Sadducæis venientes ad Baptismum suum, dixit ad illos,* c *& ad turbas quæ exibant, vt baptisarentur ab ipso:* f *Progenies viperarum, quis submonstrauit vobis, vt fugeretis à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Et a *ne sitis hac mente,* c *vt incipiatis* f *dicere intra vosipsos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quod potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamo. Iam verò & securis ad radicem arborum posita est: omnis igitur arbor, non faciens fructum bonum, exciditur, & in ignem conijcitur.* c *Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicit illis: Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti: & qui habet escas similiter faciat. Venerunt autem & publicani, vt baptizarentur: & dixerunt ad illum, Magister quid faciemus? At ille dixit ad eos: Ne quid amplius, quam quod constitu-*

Ἐπηρώτων δὲ αὐτὸν καὶ στρατευόμενοι, λέγοντες· καὶ ἡμεῖς τί ποιήσομεν; καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς Μηδένα διασείσητε, μηδὲ συκοφαντήσητε, καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν. Προσδοκῶντος δὲ τοῦ λαοῦ καὶ διαλογιζομένων πάντων ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν περὶ τοῦ Ἰωάννου, μήποτε αὐτὸς εἴη ὁ Χριστός· Ἀπεκρίνατο ὁ Ἰωάννης ἅπασι, λέγων. f Ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι a εἰς μετάνοιαν ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἰσχυρότερός μου ἐστίν, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι. b Ἦν δὲ ὁ Ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ· καὶ ἐσθίων ἀκρίδας καὶ μέλι ἄγριον. Καὶ ἐκήρυσσε, λέγων, h Ἔρχεται ὁ ἰσχυρότερός μου b ὀπίσω μου, h οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς b κύψας h λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ. b Καὶ ἐγὼ μὲν ἐβάπτισα ὑμᾶς ἐν ὕδατι. l αὐτὸς δὲ βαπτίσει ὑμᾶς ἐν Πνεύματι ἁγίῳ f καὶ πυρὶ οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὸν ἅλωνα αὐτοῦ καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτοῦ εἰς τὴν ἀποθήκην c αὐτοῦ, f τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ. (Καὶ) c πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἕτερα παρακαλῶν εὐηγγελίζετο τὸν λαόν.

tum est vobis, exigatis. Interrogabant autem & milites, dicentes: Et nos quid faciemus? Et ait illis: Ne quem concutiatis, neque calumniemini: & contenti estote stipendiis vestris. Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, num ipse esset Christus ille: Respondit Ioannes vniuersis, dicens: f *Ego quidem aqua baptizo vos* a *ad pœnitentiam: at ille qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum idoneus vt calceamenta portem.* b *Erat autem Ioannes vestitus pilis cameli, & pellicea zona circa lumbos suos, vescebaturque locustis & melle syluestri. Et prædicabat, dicens:* h *Qui fortior me est venit* b *post me, cuius non sum idoneus, vt* b *procumbens* h *soluam corrigiam calceamentorum.* b *Et ego quidem baptizaui vos aqua:* l *Ille verò baptizabit vos Spiritu sancto* f *& igni, cuius ventilabrum in manu ipsius, & perpurgabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum* c *suum,* f *paleam autem comburet igni inextinguibili. (Ac)* c *multa quidem & alia exhortans euangelizabat populũ.*

Periocha Historiæ de initio & progressu Ministerij Baptistæ.

ANtea dictum est, verba illa Marci *Initium Euangelij Christi*, non esse posita tanquam prooemium textus Euangelicæ historiæ: Sed quia doctrina in Veteri Testamento de venturo Messia, & officio eius vocetur ἐπαγγελία. Prædicatio verò Noui Testamenti de exhibito Messia, propriè vocatur εὐαγγέλιον, Rom.1.v.1. sicut Prophetæ & Psalmi quando de annuntiatione in Nouo Testamento futura vaticinantur, peculiari verbo בשר quod Græci εὐαγγελίζεσθαι reddiderunt, vtuntur. Marcus itaque dicit, publicam ac solennem promulgationem Euangelij seu Noui Testamenti, non fortuito qualecunque habuisse initium: sed prædicationes de præsente iam & exhibito Messia initium cepisse in prædicatione Ioannis Baptistæ. Idque non casu seu temere, sed tale eius initium à Prophetis prædictum fuisse, fore, cum Messias in mundum missus, in via iam esset, ad inchoandum regnum & officium suum, vt legatus seu nuncius, à Domino peculiari vocatione missus, præiret, non à longè, sed ante faciem ipsius, iam iam inchoandum officium suum aduentantis, vt viam ipsius ante ipsum præpararet, idque voce non in templo, sed in deserto clamante: Agite pœnitentiam. Sicut quando rex aliquis ad occupandum regnum in vrbem ingressurus in via est, apparitores præmittuntur ante faciem regis, vt viæ ingressuro iam regi præparentur. Atque hoc congruit cum eo, quod Christus dicit Matth. vndecimo, vers. decimotertio: Lex & Prophetæ ad Ioannem: & à diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur. Prædicatio enim de regno cœlorum Noui Testamenti propria est. Significat itaque Marcus, se auspicaturum historiam Euangelicam non à pueritia vel Baptistæ vel Christi; sed ab initio publicæ promulgationis Euangelij: quæ cœpit non primum & immediate ab ipsius Christi publico ministerio, sed à prædicatione Baptistæ, iuxta Prophetarum vaticinia.

Porro in Malachia vna persona de se loquitur: Mitto angelum meum qui parabit viam meam ante me. Marcus vero, sicut & Matthæus c.11.v.10. plenioris declarationis gratia, ita citant hanc sententiam, quod sint verba patris ad filium. Nam & apud Prophetam mox sequitur mutatio personæ. Ego mitto. &, Dominator veniet. Et quia Marcus & Matthæus similiter prorsus hanc Malachiæ sententiam citant, verisimile est, vulgatam tunc Græcam versionem ita locum hunc legisse, quanquam nunc in Græca versione ita, sicut Ebræa habet, legimus. Coniungit autem Marcus quasi vno contextu duo distincta vaticinia, Malachiæ & Isaiæ: quorum alter legatum viam Messiæ praeparaturum dicit, alter vero modum præparationis describit, per vocem clamantis. Sed de Isaiæ vaticinio postea dicendum erit. Vocat autem Marcus *Euangelium filij Dei*. Quia enim Matthæus multis ostenderat, Christum esse filium Dauidis: Marcus statim in principio vocat *Dei filium*, vt ostendat, necesse fuisse, vt Messias propter officia regni & sacerdotij sui, non tantum Dauidis, sed & Dei filius esset. Et Euangelium non rectè annunciari, si Christus non simul & Dauidis & Dei filius prædicetur.

Porro tempus vocationis Baptistæ Lucas diligenter describit, notatis non tantum principibus Iudæę & Pontificibus, sed & Syriæ Tetrarcha, & Imperatore Romano. Et non displicet, quod Origenes obseruauit, prophetias Veteris Testamenti notari tantum iuxta tempora Regum, in illo populo: vt, visio Isaiæ in diebus Ozię, Ioatham, Achaz & Ezechię regum Iuda. Tunc enim maceries nondum erat diruta. Quia vero Euangelij doctrina proponenda erat & Iudęis & gentibus: Ideo licet apud Iudęos tempora rerum gestarum, iuxta annos Pontificum tunc numerabantur: Lucas tamen tempus vocationis & ministerij Baptistę notat, non tantum per Iudęorum Pontifices & Tetrarchas; sed & per Syrię Tetrarcham, & per Romanorum Imperatorem, vt simul ostendatur, sceptrum à Iudęis prorsus tunc ablatum fuisse. Qui enim Romano Imperio subiecti erant, tempora designabant iuxta Romanorum Imperatorum annos. Nominat autem Pilatum pręsidem Iudæę. Post relegatum enim Archelaum, ditio eius, Idumęa proprie dicta & Samaria in formam prouinciæ redacta, non per proprium aut ordinarium principem; sed per pręsidem non perpetuum, sed qui à Romanis mittebatur, & pro occasione mutabatur, tunc gubernabatur. Et ab eo tempore Pilatus iam quintus pręses erat, qui cum per decem annos Iudęę pręfuerit, & eo anno, quo Tiberius, qui annis 22. regnauit, mortuus est, remotus sit, supputatio ostendit, Anno pręfecturæ Pilati tertio vel quarto Ioannem ministerium suum incoasse. Quod vero ad Tetrarchas attinet, notum est, quod Strabo li.13. scribit, regionem Galatarum principio in quatuor pręfecturas diuisam fuisse: quę Tetrarchię dictæ, & pręfecti Tetrarchę. Varinus etiam Thessaliam dicit in quatuor partes diuisam, quę dictę Tetrarchię. Inde Syrus reddidit, principem quartę partis. Et Romani deuicto Perseo, vt potentiam minuerent, & rebelliones pręcauerent, regnum Macedoniæ in quatuor partes diuiserunt, & singulis peculiares gubernatores attribuerunt. Hęc est propria ratio & origo Tetrarcharum. Postea portionibus illis amplius in plures partes diuisis, remansit vt fieri solet, singulis partibus per Catechresin, vetus appellatio Tetrarchię. Ita Plinius lib.5. c.18. in Decapolitana regione sex numerat Tetrarchias. Et ca.23. in Cœlesyria tradit, fuisse Tetrarchias septemdecim. Imo cum ab Antonio, Herodi maiori, priusquam Rex designaretur, vna cum fratre Phalelo totius Iudæę gubernatio attribueretur, vterque vocatus fuit Tetrarcha Iudæę, Ioseph li 14.c.21. Gradus itaque hi colliguntur. 1. Imperator Romanus. 2. Rex. 3. ἐθνάρχης: ita enim Augustus Archelaum, quem nolebat regem appellare, & tamen volebat Tetrarcha maiorem esse, appellauit. 4 ἡγεμών, præses, qui vicario nomine Imperatoris Romani prouinciam aliquam administrabat. 5. Tetrarcha. 6. Toparcha. Vna enim Tetrarchia in plures Toparchias diuisa fuit. Et tota Iudæa diuisa fuit in vndecim Toparchias. Ioseph. de bello lib.3.c.2. Hæc ex Iosepho non obscure ita colliguntur.

Sed vt ad τετραρχίας Iudęæ reuertamur: Eusebius vt iuxta vocabuli propriam significationem ostendere posset, in quatuor portiones, regnum Herodis diuisum, ad Archelai, Herodis & Philippi portiones, addit etiam Lysaniæ Tetrarchiam: quem existimat etiam Herodis filium fuisse. Sed ex Iosepho, vbi Lysaniæ huius meminit, vt li. Ant.14.& 15. Item de bello Iud. lib.1. cap.11. conuincitur falsum hoc esse. Nicephorus, quia tres tantum portiones inuenit, Archelai, Herodis & Philippi, dicit singulos fratres τριτημόριον regni paterni obtinuisse. Ita ergo Tetrarchæ vocabulum impropriè hoc loco accipitur, cum potius τριτάρχαι appellandi essent. Posset verò

verò etiam propriè hoc loco τετράρχης accipi. Quia enim Archelai ditio, duabus reliquis portionibus Herodis & Philippi æquipollebat. Idem igitur est, ac si Euangelistæ dicerent: Ex quatuor portionibus seu tetrarchiis singulas cessisse Herodi & Philippo, Archelao verò duas: qui ideo ἐθνάρχης appellatus fuit. Antea enim ex Iosepho annotauimus, Herodem Magnum in Testamento totum suum regnum ita diuisisse, vt dimidia eius pars, Idumæa, Iudæa & Samaria Archelao, reliquę medietatis vna pars, vt Galilæa & Peroea, Herodi Antipæ, altera pars Philippo cederet, Trachonitis scilicet & Ituræa. Et hi duo à Luca nominantur, quia eo tempore Tetrarchias suas adhuc obtinuerant, cùm Archelaus remotus esset. Lysanias verò non filius Herodis, sed Ptolomæi Minæi fuit. Et Tetrarchia eius non fuit Iudæa, sed in finibus Syriæ, iuxta montem Lybanum, sicut scribit Iosephus li. de bello 14. c.21. & c. 11. Et in illo tractu fit mentio Abelæ ciuitatis: vnde Abelena dicitur, à Metropoli Abela.

Quod verò Lucas dicit, *Anna & Caipha Pontificib.* Non hunc habet sensum, quasi simul vno & eodem tempore duo summi Pontifices fuissent. Hoc enim per legem non licebat, nec factum esse in historiis legitur. Sed cùm libido præfectorum Romanorum etiam iura templi violaret: Annas, qui iuxta legem toto tempore vitæ suæ debebat esse summus Pontifex, remotus fuit ab officio, & post varias mutationes tandem Caiphas in eius locum surrogatus est. Qui vt minori inuidia Pontificatum hoc modo adeptum obtineret, affinitate se cõiunxit cum Anna, & hoc modo vterque dictus fuit Pontifex quidem, qui per Romanos vi contra legem intrusus, officium illud administrabat: Annas verò, qui iuxta legem per totum vitæ tempus in eo officio manere debuisset: ab officio remotus, nudum titulum Pontificis retinuit. Vel, quod verisimilius videtur, quòd duo illi per vices pontificatum administrarint, sicut Iohannes dicit c.18. v.13. Caiaphas erat pontifex illius anni. Et Act.4 v.6. Annas in Synedrio vocatur ἀρχιερεὺς, & ipsi sine tali titulo subiungitur Caiaphas.

Et hæc omnia ad mysterium regni Messię pulcerrimè quadrant. Ablatum tunc erat Iudæis regnum: ereptus erat Pontificatus: ita vt iam nec genuinum regem, nec legitimum haberent Pontificem. Aderat enim verus Rex & Pontifex, per Prophetas promissus, & ad finem iam peruenerat non tantùm regnum Iudaicum, sed & sacerdotium Leuiticum. Quod ad orthographiam attinet: Græci scribunt leni Spiritu Annas: Syrus verò scribit חנן Hannas, vt à gratia dicatur.

Quod si vsitatam supputationem sequimur, Iohannes tũc, cùm vocatus ministerium suum inchoaret, annum ætatis 30. compleuerat, & ingressus erat annum 31. Semestre enim natus erat ante Christum, qui mox postea cum tertio mense ministerij Ioannis baptisatur, ferè absoluit annum 30. sicut postea dicemus.

Et erudita est Funccij obseruatio: quod supputatio 15. anni Tiberij ostendit fermè mensem, quo Iohannes ministerium suum inchoauit. Augustus enim mortuus est 20. die Augusti: & statim ipsi in imperio suffectus est Tiberius. Anni igitur Imperij Tiberij supputantur non à Ianuario, sed à fine ferme Augusti. Et anno 15. Tiberij missus est Iohannes. Opinio igitur est non inconcinna: Primo die Septembris, qui erat festum tubarum, quo fiebat promulgatio anni Iubilæi, vocem clamantis fuisse primùm in deserto auditam. Nam & Isa.40. v.2. dicit: Completa est militia eius. Et annus quinquagesimus (quæ supputatio etiam Iubilæum conficit) merebatur missionem militiæ. Iohannes igitur, quia illi viam parabat, qui Isa.61. ver.2. inquit: ad prædicandum annum acceptum Domino, & ad annunciandam libertatem veram misit me. Ideo non cornea buccina, sed voce clamante in deserto denuntiabat, impletam esse militiam, Isa.40.2. Et supputatio ostendit incidisse circa illud tempus trigesimum à prima institutione Iubilæum. Et quia mense septimo, qui totus ferme festis celebrioribus erat dicatus, magnus erat ex omnibus locis concursus ad templum Hierosolymitanum, illa occasione & commoditate voluit Deus Ioannem vti, vt & plures haberet auditores, & mox latius spargeretur fama doctrinæ eius per eos qui ex festis domum reuertebantur. Nam illo anno solito maior erat concurrentium frequentia, propter denuntiationem Iubilæi.

Et Iohannes scholam aperuit in illo loco, vbi traiectus erat peregrinantium per Iordanem. Et hinc potest intelligi, quod Euangelistæ scribunt, statim sub initium prædicationis Iohannis factum esse magnum concursum ex omnibus locis. *Exiuit vniuersa Hierosolyma, tota Iudæa, & omnis regio finitima Iordani.* Hunc successum ministerij Iohannis Gabriel prædixerat, Luc.1. v.16. Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum suum. Sed Deus voluit ipsum vti ad hanc rem etiam commoditate loci, & occasione temporis. Hęc est obseruatio de tempore inchoati ministerij Baptistæ, quæ multas circumstantias in historia illustrat.

Porrò de loco etiam dicendum est. In deserto enim & vocatus est & ministerium suum inchoauit Ioannes. Primùm ideo, quia doctrina sua discedebat ab erroneis opinionibus sacerdotum templi. 2. Quia finem templi cum toto cultu Leuitico instare annuntiabat. 3. Quia tale discrimen etiam à loco sumptum, Prophetæ inter ministerium Iohannis & Christi prædixerant: vt de præcursore, Vox clamantis in deserto, Isa.40. v.3 de Christo verò, Dominator veniet ad templum suum, Mal.3. v.1. Lucas etiam in fine capitis primi dicit, Iohannem fuisse in deserto vsque ad diem ἀναδείξεως, hoc est, quo peculiari vocatione diuinitus & publicè esset renuntiandus populo Israel, ad quod officium missus esset à Deo. Vsurpari enim hoc vocabulum, quando consules antea creati, populo publicè designantur & renunciantur, eruditi norunt. Et 3. Esd.1. de publicis officiis vsurpatur, vt c 1. & 2. quando rex designatur: c.8. quando iudices constituuntur. Et Lucas c.1. 80. deserti meminit propterea: vt constet, Ioannem in adolescentia non missum fuisse ad collegia illa, quæ Hierosolymis magno numero pro discentibus constituta fuisse, Actorum 6. ver.9. memoratur, vt ibi literis institueretur: nec cooptatum fuisse in collegium sacerdotum, vt parentis loco in templo ministraret. Sed vixit in deserto, & extraordinario modo Deus ipsum idoneum reddidit ad tantum ministerium: sicut antea sæpe fecerat, quando religionem collapsam illustri aliqua immediata vocatione voluit restaurare. Sicut Amos 7. ver.15. manifestum est.

Varia autem de illo deserto Iohannis disputata extant. Multi enim ita accipiunt, quasi locus fuerit inuius, vbi inter feras, extra omnem hominum conspectum, vixerit. Nicephorus recitat traditionem: Cùm Herodes circa Bethlehem puellos vndique ad crudelem cædem conquireret, matrem Elisabetham cum puerulo suo latitandi caussa fuisse ad desertum locum, & Iohannem postea in deserto illo, ad quod tali occasione peruenerat, mansisse. Hęc opinio aliquam habet speciem. Sed Lucas dicit: Spiritum & manum Domini cum Iohanne fuisse, ita vt de pueritia & adolescentia eius omnes dicerent, Quis putas puer iste erit? Non ergo in deserto inuio, extra hominum conspectum & conuersationem, inter feras Iohannes in pueritia & adolescentia vixit. Ebręis enim distincta sunt vocabula deserti & solitudinis: sicut vtrunque ponitur Isa.40. ver.3. Et desertum esse terram minus cultam & fœcundam, loca Scripturæ testantur, Isa.32. ver.15. Erit desertum in Charmelum, Ier.12. v.10. Posuerunt agrum desiderij in desertum. Isa.51. v.3. Ponet desertum eius sicut paradysum: nec frequentibus vrbibus, aut villis habitatam. Isaias enim Tyrum destruendam vocat desertum mare. Item: quando Dauid fugit in desertum, 1. Reg.23. v.14. & 2. Reg.15. v.28. Et Apostoli dicunt, Matt.14. v.15. Locus desertus est, eant in proximas villas, &c. Non tamen fuisse solitudinem vastam & inuiam constat. Nam Gen.36. vers.24. in deserto pascuntur asini. Psalm. 78. v.52. Velut grex in deserto. & Luc.15. v 4. Oues in deserto pascuntur. Nec ferarum tantum locus fuit, vbi nulla hominum habitatio esset. Nam 3. Reg.2. v.34. Iacob in deserto in domo sua sepultus scribitur: Nabal habitat in deserto, 1. Reg. 25. ver. secundo. Et Ios.15. v.62. sex vrbes nominantur in deserto Iudææ. Rarior itaque & minus frequens, nec adeò culta fuit habitatio in deserto, sicut in aliis locis. Sicut & Christus dixit: Quid existis in desertum videre, hominem mollibus ornatum? Nec tamen inter feras, vbi nulla esset hominum habitatio. Iohannes vixit. Hæc ideo notanda sunt, quia plerique intelligunt desertum, pro solitudine vasta, quæ nullius hominis sed ferarum tantum fuerit domicilium, & inde multa portentosa fabricant.

Quærendum autem est si inueniri possit, quodnam & vbi fuerit illud desertum, in quo Iohannes & vixit, & prædicationem suam exorsus est. Multa autem deserta regio ista habuit, tum in terra Israel, tum in vicinis locis. Sed Matthæus explicat, desertum illud in quo Ioannes vixit, & ministerium suum inchoauit, fuisse non Idumææ, non Arabiæ, sed Iudææ desertum, hoc est, in tribu Iuda situm. Recensentur autem Iudææ deserta, 1. Reg.25. v.15 & 24. desertum Ziph & Maon. 24. ver.2. desertum Engaddi. 2. Par.20. v.20. desertum Thecue, &c. Iam Zachariæ domus fuit in montanis sita, Luc.1.39. quæ colligitur ex Ios.15. ver.54 & 2.13. sita fuisse prope desertum Ziph & Maon. Et verisimile est, quod Stapulensis ex veterum sententia annotat, non procul Bethlehem, fuisse domum Zachariæ, ad quatuor miliaria. Quia igitur in ipso natali solo Ioannis fuit desertum, simplicissimè possunt Lucæ verba c.1. v.80. ita accipi, quod Iohannes vixerit in deserto Ziph & Maon. Nam Lucas in plurali dicit Fuit ἐν ταῖς ἐρήμοις. Et descriptio petatur ex 1. Reg.23. & sequentibus.

Si verò existimabitur Ioannes paululum à solo natali & domo paterna discessisse, ratio plana erit. Nam Ios.15. ver.62. in tribu Iuda describuntur sex ciuitates in deserto sitæ: & est desertum quod vocatur Engaddi & Thecue. Nec malè

conuenit, si dicatur in illo deserto prædicationem suam inchoasse. Est enim locus propinquior Hierosolymæ & Iordani, quam Ziph & Maon. Et hoc Euangelistarum descriptioni propius videtur conuenire. Et ex deserto Thecue olim Amos vocatus est, cui magna certamina fuerunt cum regibus, & præcipuè cum sacerdotibus, cum templum terræ motu concuteretur. Est etiam ibi & desertum & solitudo, quorum vtrunque in prædicatione Iohannis ponitur Isa. 40. v. 3. Est ibi desertum Bethauen, quo nomine deprauatio religionis describitur, in Propheta Osea. Est etiam ibi vallis benedictionis, 2. Par. 20. v. 26. Quæ descriptiones omnes pulcrè conueniunt ad ministerium Ioannis. Sic igitur sine præiudicio melioris sententiæ accipio, Ioannem ante inchoationem ministerij, circa domum paternam & in solo natali vixisse, in desertis Ziph & Maon: quia in plurali dicitur fuisse *in desertis*. Quia verò additur: *vsque ad diem quo ostendendus erat*. Et Matthæus dicit: *in deserto Iudæ Ioannem inchoasse suum ministerium*. Interpretor igitur ipsum appropinquante tempore ministerij progressum, & propius accessisse Hierosolymam & Iordanē, & in illo deserto, quod Ios. 15. v. 62. expresse ponitur in tribu Iuda, vel factum esse verbum Domini ad Ioannem: vel ibi primùm cœptam eius prædicationem. Dicit autem Lucas, ipsum subinde longius progressum venisse ad regiones circa Iordanem, & ibi cœpisse Baptizare, iacto prius in deserto Iudææ fundamento doctrinæ. Fuit autem & ibi desertum, non autem desertum tribus Iuda, in quo Ioannes primum cœpit prædicare: sed qui Iordanem volebant transire & Hierosolymam proficisci, per illud desertum iter faciebant, sicut Oecolampadius annotauit. Ibi enim Beth-Abara, id est, domus traiectus erat: per illum locum ingressi erant duce Iosua terram promissionis: illac abductus erat populus in Babylonem: per hanc viam ex Babylone redierant. Hunc locum Ioannes ministerio suo delegit, quia propter viam publicam vndique ab hominibus frequentabatur, & quia ministerio suo respondebat figura introductionis ex Ægypto, & reductionis ex Babylone. Nam Isa. 40. ver. 2. huc alluditur, in deserto, per quod reditus populi ex Babylone futurus erat, parandam esse viam Domini, voce clamantis. Et in illa parte Iordanis vbi Peræa, non vbi ipsa Iudæa sita est, Iohannes baptizauit: quia impletio figuræ introductionis in requiem non Iohannis, sed Christo reseruabatur.

Postea ad Iordanem longius adhuc progressus Iohannes, *baptizauit in Ennon, circa Salem*: non longè à finibus Galilææ, Ioh. 3. v. 23. Sed hæc pertinent ad sequentem historiam quæ occasione deserti hoc loco annotare volui. Quibus hoc addo, quod quidam de solitudine Beersabe, in qua Elias & versatus & à Domino vocatus est. 3. Reg. 19. v. 3. cogitant: vt ita externa quædam conuenientia sit cum illo Gabrielis, in Spiritu & virtute Heliæ: sed notatio Matthæi de Iudææ deserto certior est.

Tertiò, de habitu etiam & victu Baptistæ ea, quæ ab Euangelistis describuntur, explicanda sunt: priusquam ad declarationem doctrinæ ipsius perueniamus. Quod igitur Euangelistæ scribunt, *Vestimentum Iohannis* fuisse *de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos eius*. Item: *cibum eius* fuisse *locustas & mel syluestre &c.* Non ita accipiendum est, quasi tunc primum, cùm ministerium suum inchoaret, illam vitæ rationem instituerit: Sed quod Angelus dicit: Vinum & siceram nō bibet: sed Spiritu sancto implebitur ab vtero matris suæ. Illam omnino habet sententiam sicut Iud. 13. v. 5. de Simsone dicit. Erit Nazaræus Dei ex ipso vtero. Et ex hoc fundamento, quæ Euangelistæ scribunt, de ratione victus & genere vestimentorum Baptistæ, rectè intelligi poterunt, quæ à multis prodigiosè disputata sunt. Nota est enim Lex Nazaræorum, Num. 6. v. 1. Et adhibitis aliis Scripturæ locis colligi potest Nazaræos fuisse, qui totos se Deo quasi consecrabant, & à communi viuendi ratione se abdicabant, vt liberius vacare possent discendæ legi diuinæ: vel castigandi corporis causa seuerius vitæ institutum profitebantur. Ita enim ex Amos 2. v. 11. Thren. 4. v. 7. & Num. 6. v. 1. colligitur. Nomen enim Nazaræorum ex ipsa factum est: quod scilicet vel voto, & religione singulari, vel peculiari vitæ instituto & externis quibusdam notis, separabantur ab aliis. Nam & de iis dicitur, qui dignitate & externis quibusdam præeminentiæ notis separabantur ab aliis. Ita caput Ioseph vocatur vertex Nazaræi, Genes. 49. ver. 26. Deut. 33. v. 16. Corona etiam Pontificis & diadema regis hoc vocabulo appellantur, Exod. 29. v. 6. & 39. v. 29. 2. Reg. 1. v. 10. & 4 Reg. 11. v. 12. Fuerunt autem legales Nazaræi, qui voto se Domino consecrabant, & ad tempus votum illud profitebantur. Talis Baptista non fuit: quia Lex & Prophetæ ad Iohannem. Peculiare verò genus Nazaræorum est, sicut de Simson Angelus dicit: Nazareus Domini erit, non voto, nec ad tempus, sed ex vtero. Quia enim per manum Simsonis Deus magnam salutem facturus erat populo Israel, voluit illum peculiari vitæ instituto ab aliis hominibus separatum esse, vt omnium oculi in ipsum conuersi, expectarent, & postea agnoscerent Dei virtutem, per ipsum.

Hoc modo iuxta angeli prædictionem Iohannes peculiari & duriori vitæ instituto, quasi externis quibusdam notis separatus fuit ab aliis adolescentibus: vt omnium oculi in ipsum coniecti, auidè expectarent & sollicitè obseruarent, quid Dominus per ipsum facturus esset. Non igitur proprio arbitrio, vel priuata intentione, seu ἐθελοθρησκείᾳ Iohannes elegit tale genus vitæ, quasi damnaret vestitum molliorem, vel cibum lautiorem, aut quod iudicaret, sanctitatem sitam esse in vestitu, vel cibo. Regnum enim Dei non est cibus vel potus, Rom. 14. vers. 17. Et finis tunc instabat Leuitici ciborum discriminis. Nec voluit peculiarem Eremitarum ordinem instituere. Christus enim & Apostoli illud genus vitæ non sunt secuti: cùm quidem hoc Christo obiiciebatur, Matth. 11. v. 19. Fuit igitur Iohanni institutum illud vitæ non electitium, sed ab Angelo ex Dei mandato prædictum. Hæc explicatio præbet lucem multis quæstionibus de peculiari genere vitæ Baptistæ. Nec verò Iohannes nunc primùm, quando ministerium inchoauit, illam rationem habitus & victus instituit: sed Matthæus indicat, etiam antea Iohannem tale vestimentum habuisse. Marcus verò ostendit ipsum post vocationem, in ipso ministerio, priorem habitum non mutasse, sed simpliciter retinuisse. Vtque in Harmonia eò rectius illud animaduerti possit: ideo distinctè verba Matthæi primùm posuimus, deinde alio loco Marci verba subiunximus. Quod igitur Iohannes scribitur *vestimentum* habuisse *ex pilis camelorum*, hæc simpliciter intelligo iuxta Stapulensis sententiam, qui dicit, Palæstinæ populos, solitos pilos Camelinos nere. & inde vestimenta texere. De pilis certè caprarum manifestè hoc constat, Exo. 25. v. 4. 23. v. 26. & 36. v. 14. inde enim saga texebantur. Et Christus Matth. 11. v. 8 videtur significare, Iohannem simpliciter, pro ratione loci, in quo viuebat, vsum esse vestimento viliori & duriori. Dicit enim, qui mollia vestimenta gestant, non sunt in deserto, sed in Regum aulis. An verò illius deserti incolæ omnes hoc genere vestium vsi fuerint, non potest certò affirmari. Ego ratione superius posita moueor, vt existimem, Iohannem, propter peculiare vitæ institutum, paululum etiam à vulgari loci illius vestitu discessisse, & durius genus elegisse, vt Nazaræus esset: hoc est, separatus ipso etiam vestitu à reliquis incolis. Non igitur tam monstrosus fuit Baptistæ vestitus, sicut pictores integra ac rudi pelle Cameli ipsum inuoluunt sed cum incolæ in locis desertis vestitu vterentur duriori, sicut Hebr. 11. v 37. illorum vestitus, qui in desertis ac montibus in exiliis oberrarunt, scribitur fuisse ex ouilibus & caprinis pellibus. Græci vocarunt μηλωτὴν, 3. Reg. 19. v. 19. & 4. Reg. 2. v. 7. Baptista verò adhuc durius vestimentum habuit. καμηλωτὴν: quam non pelle, sed pillis cameli constitisse, Euangelistæ expresse dicunt. Hoc verò velim obseruari, quod 4. Reg. 1. v. 8. Elias ex habitu describitur, vir pilorum. Et Zach. 13. v. 4. habitus Prophetarum in genere vocatur pallium pilorum. Forsan igitur Iohannes, quia Propheta erat Altissimi, cùm per 400. ferme annos Prophetiæ dono destituta fuisset gens Iudaica, tale indumentum habere voluit, quod tamen ex peculiaribus pilis erat, quia maior erat omnibus Prophetis. Hæc sine periculo fidei non ineptè possunt cogitari.

Additur verò de *zona coriacea*, quæ & ipsa durioris vitæ indicium est. Molliores enim discincti in longis stolis ambulabant: Matth. 23. v. 5. reliqui vtebantur zonis lineis, Leuit. 16. v. 4. Prouerb. 31. v. 22. & Exod. 39. v. 27. byssinis. In Apocalypsi verò c. 1. v. 13. & 15. v. 6. describuntur Zonæ aureæ, in luctu Isaias c. 22. v. 12. nominat cincturam sacci. & Isa. 3. v. 24. pro Zona erit funiculus. Describitur autem & Eliæ Zona coriacea, seu pellicea, 4. Reg. 1. v. 8. Et quia Iohannes, in virtute & Spiritu Eliæ, debebat præcedere Messiam: voluit etiam propter rudiores habitum externum Eliæ referre.

Porrò *de locustis* etiam multa disputata sunt. Theophylactus dicit, quosdam per ἀκρίδας intelligere genus quoddam herbarum, vel fructus agrestes, quasi scriptum esset ἄγρια: sed absque testimonio hęc dicuntur. Perottus existimat, indignum fuisse tanto viro, quo non surrexit maior, vesci locustis. Quia igitur ἄκρα vocantur vertices montium, ipse ἀκρίδας interpretatur summitates herbarum vel olerum, quibus melle confectis Iohannes vsus sit in cibo. Sunt qui Cancros intelligunt, quos à piscatoribus, tanquam cibum iuxta legem immundum, in ripa abiectos, Iohannes comederit: vt finem legis adesse ostenderet. Et sententia valde bona est: sed an vocabuli significatio eam præbeat non video. Græci certè interpretes vbique חגב vel locustam, interpretati sunt ἀκρίδα: & aliàs etiam in Nouo Testamento locustę ita appellantur. Nec sumendum est iudicium ex nostris locustis, animalculis noxiis & venenosis. Leuiticus enim cap. 11. vers. vigesimo secundo inter volatilia munda, quibus vesci liceat, etiam locustas recenset. Et Plinius lib 11 cap. 29. dicit, locustas Parthis in-

this in cibo gratas esse. Et lib.6.cap.30.scribit, partem quandam Æthiopum locustis, furno & sale in annua alimenta duratis,viuere.Hieron.etiam lib.2.contra Iouinianum dicit: Orientales & Lybiæ populos, quia per desertum & calidam eremi vastuatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vesci moris est.Victus igitur Baptistę,vt in deserto,conueniēs loco, non prorsus fuit inusitatus,insolens aut prodigiosus.Eadem etiam ratio est de melle syluestri. Nam in syluis illius regionis apes syluestres seu feras solitas fuisse tantum mellis agrestis in arboribus conficere,vt copiosè in terram vsque fluxerit,testatur historia 1.Reg.14.v.27. Et Psal.81.v.17.meminit mellis ex petrarum cauernis manantis.Ac notum est,quod sæpe reperitur de terra fluente lacte & melle.Fauū verò mellis,quo Christus vsus est,Luc.24.v.42. arbitror fuisse aliud genus. Nomen enim habet ab apibus: quanquam etiam illud vocabulum 1. Reg.14.v.27 vsurpetur de melle syluestri, vt forsan vtcunque fuerit ab apibus confectum,& tantum culturę modo differat: sicut medici de hortensibus & syluestribus plantis differunt. Esse enim apes quasdam feras seu incultas,quasdam verò altiles seu cultas,certum est. Syrus habet mel deserti. Suidas *mel ἄγριον* interpretatur rorem cœlestem, quem ab arboribus collectum,vulgo manna vocant. Rabanus ex itinerario Arnulphi Galliarum Episcopi citat: In deserto Iudææ reperiri exiguum genus locustarum, quæ corpusculis in modum digiti exilibus & breuibus,in herbis facile capiantur, coctæque in oleo pauperibus præbeant cibum. Syrus habet קמצא quod locustam significat:vel à contracta paruitate,vel ab impletione pugilli, quod manibus seu pugillo capiatur. Esse etiam in eodem deserto arbores habentes folia lata & rotunda, lactei coloris & melliti saporis,quę manibus confricentur in cibum. Plinius etiam lib.10.ca.16. genus quoddam mellis describit, quod ab erica frutice colligatur tempore autumnali. Non igitur prodigiosum aliquid est,quod Euangelistæ narrant, Victum Baptistæ fuisse locustas& mel syluestre.Sed hoc tantum volunt dicere:Baptistam à luxu & delitiis alienum, non lautitias epularum consectatum,sed vsum victu tenui,parabili & rusticano qui in deserto vbique fuit obuius. Christus verò, quādo inquit Matt.11.v.18.Venit Ioannes nec māducans nec bibens,videtur indicare ratiōnē victus Iohanni aliquo modo peculiarē fuisse,quæ non fuerit per omnia cōmunis omnibus incolis illius loci.Nam & Pharisæi propter illam rationem victus dixerunt: Dæmonium habet. Et hæc de victu Baptistæ.

Quod si de potu quæratur: Angelus dicit, Vinum & siceram non bibet. Summa igitur hæc est, quod Ioannes non ἐθελοθρησκείᾳ quadam, vel vt exemplum imitationis statueret, rationem illam vitæ instituerit: Sed quia Angelus genus vitæ eius prædixerat,ipse per reuelationem spiritus intellexit, Dei voluntatem & mandatum esse, vt in ratione victus & vestitus,non ex voto,sed ex vtero Nazaræus Dei esset: hoc est,separatus à communi consuetudine. Et factum est hoc ideo,vt externis hisce notis omnium in se oculos conuerteret,vt intelligerent & expectarent, fore, vt Deus peculiare aliquid in salutem populi sui, per istum Iohannem inchoaret, sicut in Simsone, qui etiam Nazaræus Dei ab vtero fuerat, factum meminerant: vtque ratio victus probaret, ipsum alienum esse ab omni suspicione, quasi vel captandæ gloriæ vel affectandæ potentiæ aut voluptatis causa à templo & vsitata forma doctrinæ discederet. Præterea,voluit Deus etiam specimen potentiæ & efficaciæ suæ, in eo ostendere, quod hominem victu,amictu & toto vitæ instituto rusticanum, agrestem & nulla ciuilitate imbutum, repentè euocat ad tale ac tantum ministerium, quod maius est omnium Prophetarum functione Et talem hominem mox armat tanta auctoritate, vt sit admirationi,non tantum populo, sed ipsis etiam Pharisæis imo & Herodi.

Quarto expendenda est etiam descriptio vocationis Ioannis Baptistæ. Licet enim ab vtero Spiritu plenus esset,& ex paterna institutione non ignoraret, quid Angelus de futuro suo officio prænunciasset: Noluit tamen proprio motu, & priuato arbitrio illud arripere. Et Leuitæ quidem, publica synedrij auctoritate,tanquam mediata vocatione, mittebantur,vt vel in templo,vel in scholis, docerent: Iohannes verò expectauit immediatam diuinam vocationem, sicut ipse postea inquit: Nemo potest sibi sumere aliquid, nisi datum sit ei desuper. Vocationem eius Lucas tali phrasi describit,qua immediatæ Prophetarum vocationes describi solent: scilicet: *Factum est verbum Domini,* ἐπὶ, quod significat, vel, *ad Ioannem*, vel *super Ioannem* Certum enim est, Ioannem diuinitus & immediatè à Deo vocatum fuisse. Quomodo vero vocatio illa facta sit, Lucas non describit. Hinc enim diligentiam Euangelistarum lectio requirit, vt quod in vno loco, primo aspectu, non statim se offert, instituta collatione, cum descriptionibus aliorum Euangelistarum, inuestigetur. Non igitur secreta tantum inspiratio, aut instinctus Spiritus interior tantum fuit: Sed Iohannes ita hoc explicat: *Missus est homo à Deo.* Et Matth.11 vers.11. Christus dicit, ἐγήγερται suscitatus est: id quod de instinctione Spiritus secreta & interiori intelligi posset. Sed ipse Baptista Ioan.1.vers.33. inquit: Qui misit me ad baptizandum, dixit mihi,&c. Ergo quod Lucas vocat *ῥῆμα Dei,factum super Iohannem*, fuit vox quædam diuina,loquens cum Ioanne. Et Matth.21. vers.25.dicit Christus,Baptisma Iohannis esse è cœlo. Ipse etiam inquit: Nisi datum sit desuper, Iohan.3.v.27. Quid verò vox diuina cum ipso in vocatione sit loquuta,quæ mandata dederit, ex his locis potest colligi,Ioan.1.v 6.& 7. Missus est à Deo in testimonium,vt testimonium perhiberet de lumine. Item,v.33. Misit me ad baptizandum, & dixit mihi; Super quem videris Spiritum descendentem, &c. Et proposita ipsi fuisse in vocatione loca,Isa.40.v.3. Malach.3. v.1. ex Gabrielis annunciatione & ex crebra Euangelistarum repetitione constat. Describit autem Isaias,quasi dialogismum, inter Deum vocantem & Ioannem vocatum,vox dicentis: Clama. Et dixi:quid clamabo? Omnis caro fœnum,&c. Vox ergo diuina Ioanni in vocatione disertè iniunxit concionem pœnitentiæ, & quidem ipsam formam præscripsit Isa.40.& Luc.1. in verbis angeli & Zachariæ: Accepit deinde mandatum nunciandi,promissum Messiam iam esse in medio Iudæorum: & quidem esse in via ad inchoandum suum regnum & officium. Et datum fuit ipsi signum, quo personam Messiæ ita agnosceret,vt illud populo Israël manifestaret: descensum scilicet Spiritus in specie columbæ, Iohan.1.v.33.vt postea testificaretur & digito monstraret:Hic est filius Dei.Ecce agnus Dei. Accepit etiam è cœlo mandatum baptizandi, hoc est,nouo ritu colligendi Ecclesiam. Et quia angelus dixerat, de virtute & Spiritu Eliæ: Ergo in vocatione & hoc mandatum accepit,taxandi populi vitia,falsas Pharisæorum opiniones, & conuertendi corda filiorum ad veram religionem patrum. De cursu etiam sui ministerij monitum se esse ipse testatur,cùm inquit, Iohan.3.v 30. Me oportet minui,ipsum crescere. Videtur etiam illas reuelationes tunc accepisse, quod excidium gentis Iudaicæ vaticinatur,sub Metaphora securis ad radicem arboris positæ. Item,quod Christus in Pentecoste igne & Spiritu Apostolos baptizaturus esset. Hæc de ratione vocationis Baptistæ,ex collatione sententiarum Scripturæ, vtiliter possunt obseruari,quam Christus insigni encomio ornat,cùm Luc.7. v.30.vocat consilium Dei.

Hactenus circumstantias de tempore inchoati ministerij Baptistæ,de loco,de ipsa vocatione, de habitu & victu ipsius exposuimus. Superest iam præcipua huius historiæ pars: de doctrina scilicet,ac toto ministerio Baptistæ. Ordo autem historiæ ita videtur se habere. Vocatio facta est *in deserto*, Luc. 3 v.2.quod in loco natali,qui mediterraneus fuit, factum est. Post vocationem mox παρεγίνετο. sicut Matthæus inquit cap. 3.v.1.*accedit prædicans in deserto Iudææ*: quod è regione maris mortui fuit. Quibus verbis Matthæus significat, Iohannem post vocationem ex suo deserto progressum, & in loco deserti, qui Iordani vicinior fuerit, quem Matthæus desertum Iudææ nominat,prædicationem cœpisse.Nec verò statim cœpit baptizare, priusquam vocationem suam exposuisset, ac homines doctrina sua quantum satis erat, instituisset. Sed primùm in deserto Iudææ,excitato voce clamante hominum concursu,capita doctrinæ, quam inuocatione diuinitus acceperat,proposuit: sicut Matthæus ostendit. Postea cùm fundamenta doctrinę suę iecisset,& homines doctrinam illam illustratione Spiritus sancti certatim amplecterentur, tunc ex deserto Iudęę, à mari mortuo, per aliquot miliaria Septentrionem versus progressus, *venit in regionem finitimam Iordani*, sicut Lucas inquit c.3.v.3. & ibi *cœpit* eos, quos doctrina sua imbuerat, aqua in Iordane *baptisare*. Hęc ratio profectionum Iohannis in tabulis considerari potest, & vtilis est ad circumstantias Euangelistarum intelligendas. Nec mysterio caret, quod prędicationem pœnitentię cœpit ad mare mortuum,vbi Sodomorum situs fuit: quódque postea in salubribus Iordannis aquis baptizauit.

In tota autem historia Baptistę, pręcipua obseruatio doctrinæ eius esse debet. Capita igitur doctrinę, quę in principio proposuit,ita ab Euangelistis describuntur: *Venit prædicans Baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum: dicens, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Videt lector,quasi puncta tantùm prędicationis Baptistę breuissimè notari:sed tamen vocabulis significantissimis. Illa igitur, vt vera sententia erui possit,expendenda & explicanda sunt. Et ipsa historia quidem explicat res ipsas: Iohannis pœnitentiam fuisse de agnoscendis & confitendis peccatis: de fugienda ira Dei & igne inextinguibili: quæ postea declarabuntur. Sed nunc de vocabulis parum dicemus.

Verbum igitur μετανοεῖν, Græca compositione, quia opponitur τῷ φρονεῖν, significat post factum aliter & rectius sapere, ad sanam mentem redire, priorem sententiam mutare, ac diuersum ab eo, quod prius existimaueras, sentire. Hebræi

hoc ita exprimunt: quando dicunt redire ad cor. Et Luc.15. v.17. In se reuersus Acolastus. Nam & Rhetores μετάνοιαν vocant Schema, quando ipse, qui loquitur, se reprehendit, & quod prius dixerat, posteriori ac meliori sententia corrigit, & commutat seu retractat. Et hæc vocabuli significatio pulcre conuenit ad illud, quod angelus dixerat: Conuertet corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam iustorum. Quas verò persuasiones Ioannes taxauerit, & qualem mentis seu sententiæ mutationem verbo μετανοεῖν docuerit, inde potest colligi. Cùm enim variarum sectarum variæ tunc essent opiniones, & mirificæ disputationes, Iohannes illas vt vanas & falsas redarguit, & docuit abiiciendas. Quia non fuisset hæc φρόνησις iustorum patriarcharum: sicut Gabriel loquitur Lucæ 1.v.17. & quia in via iam sit ille Propheta, quem solum audiendum Deus præcepit. Deut.18.v.15. Deinde, quia antea fuerant in ea sententia partim, quod suis operibus iusti & sine peccato essent, vt Pharisæi: partim, quod licet malè viuerent, non tamen timendam sibi esse iram Dei & æternam damnationem, quia Deus non sit tam seuerus, sicut illi, qui inter Sadducæos Epicuræi fuerunt, censetunt. Iohannes igitur illas persuasiones taxauit, & sonora voce aliam sententiam ostendit: omnes scilicet esse sub peccato, etiam Pharisæos, qui sanctissimi tunc habebantur: Et addidit seueras comminationes, de ira Dei & igni inextinguibili. Tertio, quia vulgaris erat persuasio de prærogatiua carnis, propterea quod essent de Abrahami semine: Item, posse vnumquenque vel cultibus Leuiticis, vel operibus disciplinæ moralis, siue iuxta Legem, siue iuxta traditiones: iram Dei effugere ac vitam æternam promereri: Ioannes istas persuasiones reprehendit, & ostendit, nulla alia ratione, & nullis operibus, nisi per & propter solum Christum, peccatores posse iram Dei & ignem æternum effugere. Hoc enim est quod docuit de regno cœlorum, & de remissione peccatorum: sicut mox ostendemus. Hæc, quod ad res ipsas, certa & vera sunt, atque ad significationem vocabuli μετανοεῖν pulcerrimè congruunt, ac inde extruuntur.

Sed quia vera pœnitentia, non est actus tantùm mentis seu intellectus, sine veris motibus in voluntate & corde: videndum igitur est, quid præterea vocabulum μετανοεῖν complectatur. Vera est autem communis illa regula: Quod verba notitiæ apud Hebræos complectantur etiam simul qui inde sequuntur affectus. Sicut Deus dicitur respicere humiles, & nosse viam piorum. Hoc loco vero Regula illa inde confirmatur & illustratur, si consideretur, cui dictioni Hebraicæ verbum μετανοεῖν apud Græcos interpretes respondeat. Ex illis enim fontibus de verbi μετανοεῖν, emphasi rectissimè statuitur. Constat autem Græcos sicut multis exemplis probari posset, per verbum μετανοεῖν & μεταμέλεσθαι, reddidisse Hebræum נחם, quod propriè significat, quando ex admonitione & consideratione in intellectu, sequitur mutatio affectuum in voluntate & corde, vel ad commiserationem, vel ad consolationem, vel ad pœnitentiam & in posteriori significatione Græci reddiderunt μετανοεῖν. Et illa significatio doctrinam de pœnitentia pulcerrimè illustrat. Quia enim Iohannes ostendebat omnes esse sub peccato: & addebat seuerissimas comminationes de ventura ira & de igne inextinguibili. Ex illa admonitione & mentis consideratione, operante Spiritu sancto, sequuta fuit talis mutatio: quod vbi antea in voluntate & corde fuerat, vel apud Pharisæos persuasio, fiducia & gloriatio de propria iustitia, vel apud Epicuræos securitas & contemptus iræ Dei, complacentia & delectatio in peccatis; ibi secuta fuit humiliatio, agnoscens imperfectionem & immunditiem operum: Item, displicentia & detestatio peccati, dolor de peccatis, pauor & tristitia ex timore iræ Dei & ignis æterni. Ex quibus motibus postea secuta fuit conuersio à peccatis, mutatio propositi, & talis sollicita cogitatio, sicut ipse Baptista inquit: Quis monstrauit vobis, vt fugeretis à ventura ira? Hæc omnia emphasis Hebræi vocabuli complectitur, vt Exo.13.v.17. Ne fortè pœniteat populum, cùm viderit bellum & reuertatur. Ier.8. vers. 6. Non est quispiam quem pœniteat mali sui, Ier.18.v.8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, Iud.21.vers.5. Cum videret populus fermè extinctam tribum Beniamin, pœnituit eum. Et Sap.5.v.3. de dolore animi in damnatis vsurpatur. Et declarationis gratia sæpius additur verbum ἐπιστρέφειν & ἀποστρέφεσθαι, Isa.46.v.8. Græci reddiderunt στενάξατε μετανοήσατε: ἐπιστρέψατε τῇ καρδίᾳ. Act.3 ver.19. Pœnitentiam agite & conuertimini; Item, v.26. Conuertatur vnusquisque à malitia sua. Ita Gabriel prædicationem pœnitentiæ Baptistæ ita circumscribit: Multos conuertet ad Deum Luc.1.v.16. Atque ita Act.20 v.21. Paulus dicit, se docuisse pœnitentiam in Deum. Ier.36.v.7. Conuertatur vnusquisque à via sua pessima. Ier.31.v.19. Postquam conuersus sum, egi pœnitentiam. Inde Syrus reddidit verbo תוב quod significat reuersionem seu conuersionem; quando scilicet non perseueramus aut pergimus in peccatis, sed ad Deũ, vnde auersi sumus, conuertimur. Hebræis est verbum שוב. Atque inde fit, quod vocabulum Pœnitentiæ pro tota conuersione vulgo vsurpatur & accipitur. Et quia apud Græcos interpretes verbum μετανοεῖν, construitur cum præpositione ἀπὸ & ἐπί. Inde Act 8.v.22. dicitur: μετανόησον ἀπὸ κακίας: Age pœnitentiam à malitia tua & 2.Cor.12.v.21. Qui non egerunt pœnitentiam ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ, de immunditia sua. Et Paulus motus illos consequentes in vera pœnitentia diligenter describit. 2.Corinth.7.vers.9. Gaudeo, quia contristati estis ad pœnitentiam. Quæ enim secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam operatur in salutem. Ecce enim hoc, quod secundùm Deum contristati estis, quantum in vobis genuit studiũ, apologiam, indignationem, timorem, desiderium, zelum, vindictam, &c. Hæc de vocabulis ideo diligentius consideranda sunt, vt intelligi possit, quàm multas res Euangelistæ complectantur, quando vnico verbo dicunt, Baptistam prædicasse, μετανοεῖτε. pœnitentiam agite. Ac tota doctrina de pœnitentia rectius intelligi potest, vocabulo diligenter explicato. Atque hæc, quæ diximus inde confirmantur & illustrantur, si consideretur, qualis mutatio tum apud Pharisæos, & Sadducæos, tum apud vulgus, qui ad Baptistæ prædicationem pœnitentiam egerunt, secuta fuit, sicut in textu sequenti ostendemus.

Alterum caput doctrinæ Baptistæ fuit, *Appropinquat enim regnum cœlorum.* Et obseruanda est rationalis particula γάρ. Est enim inuitatio ad pœnitentiam, & per illam particulam ratio, cur agenda sit pœnitentia talis redditur: Quia Messias cum cœlesti suo regno appropinquet, seu veniat saluare, non eos, qui vel Pharisaica opinione & persuasione iusti sibi videntur; vel qui Epicuræa securitate præfracti in peccatis perseuerant, sed veniat peccatores vocare ad pœnitentiam, & sanare contritos corde. Ideo inquit: μετανοεῖτε: *Appropinquat enim regnum cœlorum.* Nam per pœnitentiam via aduentanti Messiæ præparatur. Et Medicus non illis, qui sani sibi videntur, sed qui ægroti morbum suum & intelligunt & sentiunt, gratus & vtilis est. Item, sicut habet dictum Ambrosij: Nemo rectè egerit pœnitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam. Hæc omnia complectitur rationalis particula γὰρ. *Agite pœnitentiam: quoniam appropinquauit regnum cœlorum.* Sensus autem de regno cœlorum appropinquante hic est. Aduentum & regnum Messiæ dudum promissum & expectatum iam appropinquasse & prope adesse: vtque populo eximat carnales opiniones & cogitationes, de externo, politico & temporali regno Messię, quale Pharisæi expectabant, vocat illud ex Danielis c.2.v.44. regnum cœlorum: propterea, quod regnum ipsum sit cœleste, bona eius cœlestia, & administratio etiam spiritualis & cœlestis. Quid vero Baptista sub appellatione regni cœlorum complectatur, non ex coniecturis diuinandum est, sed ex certis Scripturæ testimoniis ostendi potest: quod doctrinam de persona, de officio & de beneficiis Christi intelligat. Quod enim Euangelistæ hoc loco dicunt, Iohannem prædicasse regnum cœlorum, hoc Paulus Actor.16. v.4. ita explicat: Baptistam docuisse, vt crederent in venturum post ipsum, in Christum Iesum. Et Marcus ac Lucas hoc loco expresse, in prædicatione regni cœlorum, nominant remissionem peccatorum. Zacharias etiam Lucæ 1.ver. 77. vaticinatur, doctrinam Iohannis hanc futuram: quod oriens ex alto nos visitauit, vt faciat redemptionem populo suo de manu inimicorum: vt illucescat his, qui in tenebris sedent, vt accipiant remissionem peccatorum, per viscera misericordiæ Dei, & pedes dirigantur in viam pacis, ad vitam æternam. Hæc omnia Euangelistæ complectuntur, quando dicunt Baptistam prædicasse, de regno cœlorum. Præcipue vero Iohannes Euangelista ea, quæ reliqui breuissimè, quasi per puncta, de Baptistæ doctrina notant, ipse cap.1. & 3. plenius explicat. Hæc ratio interpretationis omnium est certissima, qua breuiùs dicta ex aliis locis, vbi eadem plenius repetita sunt, explicantur. Quare autem Baptista officium & beneficia Christi appellatione regni cœlorum describat, ex cap.11.vers.20. Lucę colligi potest: quod scilicet tunc dicitur regnum Dei ad nos venire, quando Christus digito Dei Satanam expellit, & regnum eius destruit. Est enim fortis armatus, & ipsa lege diuina munitus, detinens nos propter peccata captiuos, vnde nullius creaturę viribus liberari possumus: sed ad liberationem opus est fortiore, Christo scilicet, vt is suum regnum opponat regno Satanę, & merito ac efficacia obedientię & passionis suę regnum Satanę destruat; quod ad doctrinam redemptionis pertinet. Deinde hæc beneficia verbo ac Sacramentis offert, per quę operatur in nobis pœnitentiam & fidem: ac gratia & potentia sua per fidem eripit singulos de potestate tenebrarum, & transfert nos in regnum gratię, Col.1.v.13. quod ad doctrinam iustificationis pertinet. In illo regno, in hac nostra infirmitate tuetur, defendit & conseruat nos, contra Satanam, mundum & carnem, vt tandem ad regnum vitę & glorię ętemę transferamur. In illo etiam

regno

regno cœlorum renouat & gubernat credentes Spiritu Sancto, vt ipsi seruiant in iustitia & sanctitate: quod postea Baptista de fructibus pœnitentiæ plenius explicat. Atque hac ratione sub appellatione regni cœlorum, totum officium & omnia beneficia Christi pulcre comprehenduntur. Et intelligi hinc potest, quare propter maiorem emphasin illa omnia appellatione regni cœlorum quasi depingantur.

Tertiũ caput doctrinæ Baptistæ hoc loco describitur: quòd *prædicarit baptismum*, hoc est, docuerit mandatum sibi diuinitus, vt nouo ac peculiari ritu baptismi Messiæ aduentanti Ecclesiam colligeret, & homines ita ad suscipiendum Christum præpararet, vtque ad doctrinam suam ac promissionem regni cœlorum credentibus ritu illo applicaret & obsignaret. Nouus autem ille ritus baptizandi eò citius & facilius apud populum fidem & auctoritatem inuenit, quia sicut forma doctrinæ Iohannis in Prophetis prædicta fuit, ita etiam de baptismo in Nouo Testamento, quod Iohannes inchoauit, vaticinia apud Prophetas extant, iisdem ferme verbis, sicut Iohannes docuit baptismum in remissionem peccatorum, Zach. 13. v. 1. In die illa aperietur domui Dauidis & Hierusalem fons, in ablutionem peccatorum. Ezech. 39. v. 25. Effundã super vos aquas mundas, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Syrus habet peculiare verbum עמד quod sacram ablutionem significat: Sed quia purificationes externas, quæ apud Iudæos variæ erant, & vel sanguinis, Exod. 24 v. 6. vel aquæ cinere vaccæ ruffæ præparatæ, Num. 19 vers. 9. aspersione, perfusione, mersione vel ablutione fiebant, Græci vocarunt, βαπτίσμους & βαπτίσματα. Iudith 12. v. 7. & 4. Reg. 5. v. 14. Marc. 7. v. 4. illud vocabulum vsitatum & notum Euangelistæ retinuerunt: vtque à Leuiticis baptismis suum baptismum Iohannes discerneret, docuit se simplici aqua, sine additione vel cinerum vel alterius rei, baptizare, non Leuitica vel ratione, vel opinione, vel fine, sed in fide promissionis regni cœlorum, seu Christi aduentantis ad remissionem peccatorum, Mar. 1. v. 4. Et ne putetur fuisse muta ceremonia, valens ex opere operato, Marcus dicit: *Iohannem prædicasse Baptismum*, hoc est, verbum adiunxit aquæ. Et Paulus dicit. Actor. 19. v. 4. Iohannem baptizandos docuisse, vt crederent in Christum, hoc est, fidem voluit accedere ad suum baptismum. Ad differentiam igitur appellauit hoc suum lauacrum, baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: vt ostenderet, quæ esset forma baptismi sui, quid contineret, quid afferret, quis esset eius finis & vtilitas. Vocabatur autem baptismus pœnitentiæ, qui erat commonefactio, testificatio & professio, opus esse pœnitentia, & eos qui baptismum illum recipiebant, talem & agere & habere pœnitentiam, qualem Baptista docebat: Et quia etiam operatione Spiritus per verbum efficax symbolum erat ad pœnitentiam, hoc est, ad mortificationem, vel, vt Syrus habet, Erat baptismus conuersionis. Quia verò præterea etiam in baptismo Iohannis erat verbum, seu promissio regni cœlorum, hoc est, gratiæ Dei, & remissionis peccatorum: & quia fides in Christum venturum, quæ in baptismo Iohannis exigebatur, Act. 19. v. 4. & promissio regni cœlorum, Matth. 3. v. 2. Marc. 1. v. 4. Luc. 3. v. 3 baptismo illo obsignabatur, ideo vocabatur baptismus in remissionem peccatorum. Hæc simplex, vera & plana est horum verborum sententia. Sicut & Petrus Actor. 2. v. 38. hac phrasi vtitur: Baptizetur vnusquisque in remissionem peccatorum. Et pater Zacharias illa etiam phrasi vsus fuerat, de ministerio Iohannis, Luc. 1. v. 77. Ad dandam scientiã plebi eius, in remissione peccatorũ ipsorum. Per ministerium igitur Iohannis, & verbo & baptismo, Spiritum S. credentibus contulisse remissionem peccatorum, ex hac descriptione certum est. Et Baptista postea dicit, ipsos ideo suscepisse hunc baptismum, vt effugerent iram Dei. Qui verò contra manifesta verba contendunt, in baptismo Iohannis credentib. non datam remissionem peccatorum, illi coguntur verba illa mirabiliter torquere: vt scilicet clausula illa *in remissionem peccatorum*, non referatur ad baptismum, sed ad vocabulum pœnitentiæ. Sed si pœnitentia, quæ fuit baptismi Iohannis, fuit in remissionem peccatorum: quid igitur prohibet, quo minus dicamus, pœnitentiam illũ baptismum datum credentibus in remissionem peccatorum? Alij contra illum textum interpretantur, quod Iohannes prædicarit non de suo baptismo, sed de futuro Christi baptismo, qui in remissionem dandus esset. Quidam verba ita explicant, quod Iohannes baptizarit baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum, non quæ in illo baptismo credentibus daretur; sed quæ à longe subsecutura esset, in alio baptismo. Hæ sunt manifestæ contorsiones & peruersiones textus. Sed ita fit quando verba Scripturæ, ad preconceptas opiniones torquentur: hoc est, sicut Hilarius loquitur, quando quis intelligentiam ad verba Scripturæ affert, non inde refert, & cogit videri hoc verbis Scripturæ contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum. Sed totam hanc disputationem, de baptismo Iohannis & Christi, in examine Tridentini concilij plenè explicaui: quia inde peti potest, hoc loco adscribere nolui.

Hæc de capitibus prædicationis Baptistæ, sicut hoc loco Euangelistis consignata sunt (de reliquis enim postea ordine, in textu dicemus) annotare volui, ne quis existimet Iohannem breuissimas & paucissimas illas voculas semper ingeminasse, sine pleniori aliqua declaratione: vtque ostendatur, quomodo ex vera vocabulorum significatione, ex historiæ circumstantiis, & ex collatione aliorum locorum Scripturæ, vera sententia doctrinæ Baptistæ colligi possit. Quam quasi per locos communes explicare, non est nostri instituti: sed fundamenta tantum in textu ostendimus.

Porrò testimonium Isaiæ, quod in ea prædicatione Iohãnis subiicitur, potest ita accipi, vt quasi in continua oratione sint verba Iohannis probantis, confirmantis & explicantis doctrinam suam verbis Prophetæ. In Matthęo vero manifesta sunt verba Euangelistæ. Quomodocunque vero accipiantur, sensus est; Ioannem non nouam, peregrinam aut commentitiam doctrinam attulisse; sed illam ita prædictam, & antea quasi delineatam, à Propheta Isaia. Cum is enim captiuitatem Babylonicam antea prædixisset, subiungit cap. 40. vaticinium, non tantum reductum iri populum captiuum in terram promissionis, sed & redemptionem per Messiam promissam in terra illa completam iri: ideo promissionem de vtraque liberatione coniungit, & ex regno Satanæ. Dicit igitur proponendã hanc consolationem: quod completa sit militia populi, hoc est, finem captiuitatis & potestatis hostium, cùm quibus hactenus conflictati fuerint, fore, immo Christo redemptore, & dimissa iniquitate, non accepturum populum stipendium peccati, sed eius loco ex redemptione accepturum duplicia: reconciliationem scilicet & renouationem. Mox vero Isaias addit, de primo [illegible] præcone huius consolationis: quem Ioannem esse Matthæus affirmat. Et ministerium Ioannis Propheta valde illustribus verbis describit. Vox, inquit, clamantis. Quod scilicet Iohannes tantum ministerium vocis præbeat, ipse autem Deus per Iohannem clamet. Sicut de ministerio Ecclesiæ in genere Christus dicit: Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris mei. Et Paulus etiã 2. Cor. 5. v. 18. ex Isa. c. 59. v. 21. ita loquitur: Posuit in nobis verbũ reconciliationis, Deo exhortante per nos. Posset etiam intelligi, quod Iohannes sua voce clamaturus sit: vt sensus sit, Vox Viri clamantis. Et in Hebræo potest legi, Vox clamans: Sed prior sententia illustrem præbet commendationẽ ministerij. Vocat autem clamãtem vocem, quia Ioãnes publicè, sonora voce, quæ vndique homines excitabat, magna cũ grauitate, eximio zelo, & insigni auctoritate, hoc est, sicut Gabriel inquit, in spiritu & virtute Eliæ, doctrinã suam tradidit: sicut Isa. 58. v. 1. in hanc sententiam scriptum est: Clama ex gutture, ne parcas, exalta instar tubæ vocem tuã. Et summa est; *Parate*, sicut Euangelistæ, vel expurgate, sicut Hebræus legit, *Viam Domini, Rectas facite*, vel vt Syrus reddidit, complanate, æquabiles reddite *semitas eius*. De particula vero *in deserto* disputatur, quò sit referenda. Apud Hebræos videtur ad sequentia referenda: sicut sequens membrum ostendit: In solitudine parate semitas eius: vt sensus sit, cùm propter diuturnum exilium terra promissionis tanquã desertum & solitudo esset facta, vt in illa terra, quæ quasi deserta erat, parent viam Domino, reducenti populum ab exilio. Quæ sententia etiam ad spiritualem liberationem per Christũ rectè accommodari potest, vt scilicet in cordibus nostris, quæ sunt tanquam solitudo, in quib. nihil boni, sed peccatũ habitat, paretur via Domino, aduentanti ad nos cũ regno suo: sicut Gabriel ad Zachariam dixerat, vt præparet Domino plebem instructam. Alij ad precedentia particulam illã referunt: quod vox illa in deserto clamet, per quod populus ex Babylone transiturus sit, & rediturus per Iordanem in terram promissionis. Et quia in deserto vltra Iordanem Ioannes prædicauit, iudicauit hoc modo locum ministerij Ioannis à Propheta monstratum. Quæ vero in sententia Isaię sequuntur, prorsus Metaphorica sunt. *Omnis vallis implebitur, omnis mons humiliabitur, obliqua erunt indirecta, aspera fient plana.* Addit autem Propheta fore, vt gloria illa Domini non Iudæis tantùm & proselytis reueletur, sed *vt omnis caro videat salutare hoc Dei*: Sicut Simeon in suo cantico hoc explicat de Iudæis & gentibus. Vult igitur vt regno Messiæ aduentanti, & apud gentes (hæc enim est omnis caro) via præparetur, sicut regi aduentanti viæ parantur, hoc modo, vt si quæ loca vel eminentiora vel depressiora occurrant, vt illa terra vel ablata vel iniecta complanentur: & si qua asperiora impedimenta, obstacula vel offendicula sint in via, illis remotis, via plana reddatur, nec per ambages aut circuitiones, sed per viam directam ita sternatur. Hæ Metaphoræ in paranda via externa planæ sunt. Quod verò sub illis Metaphoris doctrina pœnitentiæ & fidei in Christũ intelligenda sit, ipse

Propheta explicat, cùm inquit: Clamabis omnem carnem & gloriam populi esse, quasi florem, qui vento asperiori exarescit. Illud autem verbum Domini, quod de Christo salutari Dei concionatur, manere in æternum. Ex illa Prophetæ indicatione facilis & plana est accommodatio, continuæ huius Metaphoræ, ad doctrinam Baptistæ, & in genere ad doctrinā de pœnitentia: vt scilicet montes & colles, hoc est, verè Pharisaica persuasio extollens se opinione propriæ sapientiæ & iustitiæ, ac Epicurea opinio securitatis, exerto collo, sicut Scriptura loquitur, ambulans in peccatis concione pœnitentiæ de peccato, de ira Dei & igne inextinguibili deprimatur, valles verò exaltentur, hoc est, conscientiæ ita depressæ consolatione fidei in Christum rursus erigantur. Omnes etiam ambages ac circuitiones de variis opinionibus & viis perueniēdi ad vitam æternam præcidendas, vt vnica compendiaria ac sola recta via per Christum, quæramus gratiam Dei ac salutem. Et hoc est obliqua facere recta. Σκολιὰ enim de obliquis viarum anfractibus & aberrationibus apud Græcos interpretes dicuntur, ac rectæ viæ opponuntur, Pro. 2. ver. 13. & 14. ver. 2. Et τραχεῖαι, sunt viæ, quæ propter salebras asperæ sunt. Ita Deut. 21. v. 4. vocatur vallis τραχεῖα, dura & saxosa, quæ ideò arari & seri non potest. Impedimenta igitur, quæ obstant, quo minus regnum Christi ad nos perueniat, hæc Metaphora docet amolienda: opinionem scilicet propriæ iustitiæ, & persuasionē impunitatis seu securitatis: vt ita duræ & asperæ viæ in leues, faciles & expeditas vertantur: quod fit, si salebrarum asperitas conteratur & contundatur. Hoc enim significat λεῖαι à verbo λεαίνω, quod contūdere significat: & idem etiam Ebraicum בקע significat, vt quando terra frangitur & scinditur: quæ ad doctrinam contritionis pulcrè conueniunt. Vult enim Dominus habitare in fracto & contrito spiritu Isa. 66. v. 2. Ita ergo Pœnitentia & fide præparatur Christo via, vt beneficiis regni cœlorum, quæ in vera pœnitentia fide accipiuntur, ad nos veniat. Et illa Metaphorica descriptione montium, vallium, salebrarum & anfractuum Propheta ostendit, in quàm misera corruptione & peruersitate Christus naturam nostram inueniat: ne quis natura se dignum & idoneum ad regnum cœlorum existimet. Ac simul docet, per quas viarum asperitates & salebras Christum gratia sua ad nos penetrare necesse sit, vt ad regnum cœlorum nos perducat. Atque ideò vtitur, non imperatiuo, sed futuro tempore, vt simul sit mādatum & promissio. Humiliabitur, sed exaltabitur, erunt recta & plana: vt ostendat, Deum per ministerium verbi illa in nobis operari & efficere velle vt viam Domino parare possimus. Sicut reditus ex captiuitate Babylonica videbatur impossibilis, propter varia obstacula & multas difficultates: Deus verò promisit effecturum se, vt via pararetur. Et hæc etiam eò pertinent, vt illi, qui spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum habent, ac fide ad gratiam Dei suspirant, non dubitent, Christum sibi gratia regni sui adesse. Talis enim est via Domini.

Hactenus de capitibus doctrinæ Baptistæ, sicut hoc loco describuntur, diximus. Subiungunt autem Euangelistæ de successu ministerij Baptistæ: quod scilicet Deus huic voci clamanti addiderit suam virtutem & efficaciam, quòd vndiquaque gregatim homines ad audiendam Iohannis vocem confluxerint. Quod eo ardentius fecerunt, quia omnium animi ad Messiæ aduentum erecti erant. *Tunc egrediebantur ad ipsum Hierosolyma, Iudæa & circumiordanis regio.* Non enim Iohannes ipse ciuitates & vicos prædicatione sua peragrauit, sicut Christus & Apostoli fecerunt: sed homines ex vrbibus & vicis in desertum ad ipsum egrediebantur. Nominantur autem illi potissimum, qui in vicinia illius deserti, vbi Iohannes prædicabat, habitabantur: Regio scilicet in tribu Beniamin, & περίχωρος Iordanis. Ita autem Gen. 13. v. 12. & 19. v. 28. vocatur tractus ille, vbi Sodoma sita fuerunt. Græci enim ככר quod significat regionem in certo aliquo circuitu iacentem, reddiderunt περίχωρον: vt planicies seu tractus circa ciuitatem aliquam ita vocatur Deut. 34 v. 3. Est. 9. v. 31. Iudith 3. v. 9. Significat itaque hoc loco περίχωρος tractum in vtraque ripa Iordanis. In illo enim loco Iohannes baptizauit. Dicitur autem *tota Iudæa* exiisse eò, quod ex omni ætate, conditione & sexu exierunt. Nec verò curiositatis gratia, aut studio nouitatis audierunt Iohannem: sed & baptizabantur ab ipso. Quia verò neminem baptizabat Iohannes, nisi qui se doctrinam amplecti profitebatur: plurimi ergo doctrinam eius amplexi fuerunt. Scribitur autem Iohannes baptizasse *in Iordane flumine*, vt ostendatur, ipsum non peculiaribus ceremoniis aquam Baptismi præparasse, vel consecrasse: vt Num. 19. vers. 9. sed simplicem aquam, vt in Iordane præterfluebat, ipsum vsurpasse. Et quia in obsignationem promissionis regni cœlorum, & fidei in Christum mox adfuturum baptizabat, hoc verbum fuit sanctificatio Baptismi Iohannis. Et figuræ ad Baptismum congruentes, quæ in Iordane præcesserūt, considerandæ sunt. Populus enim Israël quondam transiens Iordanem, siccis pedibus ingressus fuit terram promissionis. Elias etiam transito Iordane, igneo curru in cœlum assumptus est. In Iordane etiam Naaman à lepra mundatus, membrum populi Dei factus est. Quæ omnia ad Baptismum pulcrè conueniunt. Per hoc enim lauacrum regenerationis Spiritus sancti mundamur à lepra peccati: adscribimur populo Dei: & aperitur nobis introitus in regnum cœlorum & in regionem viuentium credentibus promissam.

Iucunda autem est obseruatio, quod ex textu colligi potest, quod fuerit examen, & quæ professio eorum, qui ad Baptismum à Iohanne admittebantur. Neque enim promiscuè quosuis, quorum doctrinam & fidem ignorabat, baptizauit. Matthæus igitur & Marcus dicunt: *Baptizabantur ab illo confitentes peccata sua*, Quod ad pœnitentiæ professionem pertinet: quod scilicet agnouerunt se esse peccatores, & cum verbis tum ipso facto, quod baptizari se peterent, professi sunt, se timere iram Dei, ac cupere illam effugere. Ita enim postea sequitur, *Quis monstrauit vobis fugere iram Dei?* Et Act. 2. v. 37. qui compuncti erant corde, interrogant, Quid faciemus viri fratres; sicut Iohannem turbæ interrogarunt. Non intelligenda autem est secreta & scrupulosa illa Pontificiorum enumeratio omnium peccatorum. Vtuntur enim Euangelistæ vocabulo ἐξομολογέομαι, quo Græci 2. Par. 6. v. 24. reddiderunt הודה quod liberè & publicè fateri significat, atque ideo alibi Græci reddiderunt per ἐξαγορεύειν Psalm. 32 v. 5. Dan. 9. v. 20. Et exempla talis confessionis extant, 2. Par. 6. 24. & Dan. 9. v. 4. Si conuersi in corde suo egerint pœnitentiam, dicentes: Peccauimus, iniquè fecimus, iniuste egimus declinauimus à mandatis tuis, nobis confusio faciei. Et Esd. 9. v. 6. Timebant verbum Dei ob transgressionem, & dixit Esdras: Erubesco faciem meam attollere ad Deum, quoniam delicta nostra creuerunt vsque ad cœlum. Et hæc generalis peccatorum agnitio appellatur confessio, Esdræ cap. 1. v. 11. Similiter etiam Neh. 1. v. 6. Præterea vero etiam, quanto grauioribus implicati fuerunt lapsibus, illos in specie etiam confessi sunt: sicut extant tales etiam specialis confessionis exempla, Leuit. 5. v. 6. & Num. 5. v. 7. Vir siue mulier, si præuaricati fuerint contra Dominum, confitebūtur peccatum suum. Ita Act. 19. v. 18. veniunt ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες facta sua. Ita & Zachæus dicit Luc. 19. v. 8. Si quem defraudaui, reddo quadruplum. Vnde manifestum est, vtrunque genus confessionis peccati in Scriptura doceri. Primum igitur caput examinis seu professionis in Baptismo Ioannis fuit de pœnitentia hoc est, de agnitione peccati, de timore iræ Dei & ignis inextinguibilis. Alterum caput recitat Paulus. Actor. 19. v. 4. his verbis: Iohannes baptizauit baptismo pœnitentiæ, dicens populo, vt crederent in eum, qui post ipsum venturus esset, hoc est, in Iesum Christum. Sicut & Philippus Act. 9. v. 37. confessionem fidei in Christum requirit ab Eunucho, priusquam ipsum baptizet. Postremo subiecit Ioannes baptizandis exhortationē de fructibus pœnitentiæ. Et interrogationes turbæ *Quid faciemus?* ostendunt, ipsos propositum emendationis protessos in baptismo. Hæ obseruationes & iucundæ & vtiles sunt.

Porrò Lucas cap. septimo, v. vigesimo nono dicit, promiscuum vulgus & publicanos, qui multorum lapsuum conscij sibi erant, nec poterant sanctitatem vel merita iactare, certatim ac magno ardore suscepisse baptismum Iohannis: ita vt quasi violenter raperent regnum cœlorum, Matth. 11. v. 12. Pharisæos verò & Legisperitos spreuisse hoc consilium Dei, & noluisse baptizari à Iohanne. Quod igitur Matthæus hoc loco dicit, *multos ex Pharisæis & Sadducæis venisse ad baptismum Iohannis*, quidam ita intelligunt, quod animo tentandi, sicut postea ad Christum venerint: & verba sequentia, *Quis commonstrauit vobis*, intelligunt negatiuè: sicut Matth. 23. v. 33. Quomodo effugietis iudicium gehennæ? Sed contextus Matthæi hoc loco simpliciter ostendit, quosdam ex Pharisæis à Ioanne baptizatos: licet maior ipsorum pars consilium illud Dei spreuerit, sicut Lucas scribit c. 7. v. 30.

Vt verò rectius intelligatur, quare hosce ad baptismum sui venientes Ioannes durius exceperit: pauca quædam, quātum instituti nostri ratio fert, de Pharisæis & Sadducæis annotanda sunt. Notum autem est, quod illis temporibus quatuor præcipuæ inter Iudæos sectæ fuerint: Pharisæorum scilicet, Sadducæorum, Essæorum, & eorum, qui tempore secundi cēsus auctore Iuda Gaulonita exorti sunt. Quarum sectarum & dogmata, & instituta seu mores Iosephus describit, de bello Iudaico lib. 2. & Antiq. lib. 13. & 18. Et quarta quidem secta in omnibus cum Pharisæis sensit: nisi quod disputarunt, impium esse Cæsari censum dare. Essæorum verò nominatim & expressè in historia Euangelica nulla fit mentio; sed tantum Pharisæorum & Sadducæorum.

Et Pharisæi quidem non tantum ritus Leuiticos seu legales, ratione magis exquisita, quam reliquum vulgus, obseruabant: sed præter legem habebant etiam ex traditionibus plures alias obseruationes externas, in quibus iustitiam & meritum

tum vitæ æternæ collocabant, atque ideo regnum Messiæ politicum fore somniabant. Antiquissima verò eorum mentio apud Iosephum fit sub Ionatha, tempore Machabæorum, annis ante natum Christum 150. Ac quia partem dominationis politicæ ad se rapuerant, instituisse tunc videntur traditiones illas, quæ post annos sesquicentum, tempore Christi, præscriptionem antiquitatis sibi arrogarunt, Matth. 5. v. 27. & 23. v. 2. Et quia propter opinionem & speciem sanctitatis & pietatis etiam vestitu, habitu & victu se à reliquo vulgo separabant: Hieronymus libro quæstionum in Genesin, & contra Luciferianos sentit, dictos Pharisæos à פרש quod diuidere significat. Sed Iudæi & Syrus etiam nomen Pharisæorum scribunt per Schin: ideò aliqui à פרש dictos volunt Pharisæos, tanquam explanatores & expositores Legis, cuius interpretandi scientiam & auctoritatem ipsos sibi vendicasse, historia Euangelica ostendit. Et Iosephus etiam inquit: Pharisæi dicuntur, qui certiorem legalium rituum notitiam profitentur.

Sadducæi verò, quia fingebant à Fato, sicut Iosephus loquitur, hoc est, à Deo res humanas non gubernari, nec animarum immortalitatem, nec corporum resurrectionem credebant, nec existimabāt vel angelum vel diabolum aliquem esse, inde conceperunt opinionem, ideo excogitatam seu traditam religionem, vt ea tanquam freno seu terriculamento vulgus eo facilius in officio retineretur. Ritus igitur legales, non propter vitandam damnationem æternam, aut consequendam vitam æternam; sed tantum propter politica, externa & temporalia commoda obseruarunt. Hieronymus ex Tertulliano de præscriptione dicit: Sadducæos repudiatis Prophetis, tantum libros Mosis recepisse: quod tamen Iosephus ipsis non tribuit. Volunt autem dictos à צדיק quasi iustos. Sed cum Iudæorum Epicurei fuerint, videtur ipsis iustitiæ appellatio non admodum conuenire. Ideo alij à Sadoco, primo forsan sectæ huius auctore, dictos volunt Sadducæos. Syri scribunt non per Zade, sed per Zain: atque ita à superbia, præsumptione & temeritate appellationem magis conuenientem haberent Sadducæi.

Ostendit autem hic locus, non in genere tantum prædicandam pœnitentiam: sed ad personarum circumstantias ita accommodandam. Sicut Iohannes videns populum sanabiliorem, placidius principio cum ipsis agit: animaduertens autem persuasionem Pharisæorum & Epicureismum Sadducæorum difficilius moueri, duriori obiurgatione pœnitentiā ipsis concionatur, vt ita vtrosque lucretur. At licet in gubernatione Politica & Ecclesiastica principem locum obtinerēt Pharisæi & Sadducæi, Actor. 5. v. 17. & 23. v. 6 Iohannes tamen prauas ipsorum opiniones & vitia, cum quidem videret populum ipsorum opinionibus fascinatum seduci, ac vitia ipsorum in exemplum trahi, publicè liberè & duriter arguit, memorabili exemplo: Principum & prælatorum vitia, præsertim quando exemplo nocent, à ministris Ecclesiæ, non dissimulatione quod Noachi pallium quidam esse fingunt, obtegenda, sed liberè ad emendationem, vt ipsi conuertantur, & ad ædificationem, vt reliqui timorem habeant, arguenda, 1. Tim. 5. v. 20. Nec verisimile est Pharisæos publicas illas reprehēsiones tacitos deuorasse; sed Iohannes absque dubio multas cum ipsis habuit cōcertationes. Ideo enim Matthæus scribit, quod Iohannes præcipuum ipsorum argumentum, quod essent filij Abrahami magno zelo refutarit.

Quia igitur Pharisæi, propter persuasionem propriæ iustitiæ, iram venturam seu æternam damnationem non metuebant. Sadducæi vero, propter Epicuream securitatē, tale quid nec credebant nec metuebant, & tamen vtrique simulabant studium religionis: Iohannes igitur vocat illos *progeniem viperarum*: ostendens simulatam æquitatem, esse duplicem iniquitatem: sicut veteres dixerunt; & hypocrisin Pharisaicā atque Epicuream securitatem, esse præsentissimum ac maximè insanabile animarum venenum. Vt mirum sit, aliquem ex ipsis, ad effugiendam iram Dei, posse conuerti. Cumque religione aliàs in speciem tantum pro prætextu, ad vulgi applausum captandum, abuterentur, Iohannes metuens, ne idem etiam in suscipiendo suo baptismo, cum vulgi zelum videret, facerent, seuere ipsos monet, vt veris fructibus ostendant, serio se agere pœnitentiam. Deum enim simulationes in religione multo grauiùs quam reliqua peccata punire: positā securi nō ad ramos, sed ad radicem arboris. Nominans autē *progeniem viperarum* ostendit, se non priuatorum tantum, sed totius ordinis, tam Pharisæorum quam Sadducæorum, opiniones & vitia taxare. Hæc totius periodi sententia est, quatenus ad Pharisæos & Sadducæos directa est.

Quia vero vulgus aliorum, & præsertim qui in aliqua excellentia constituti sunt, taxationes libenter audit, & inde sibi blanditur; Lucas igitur dicit; Iohannem post illam cum Pharisæis & Sadducæis concertationem à Matthæo descriptam, eandem obiurgationem, & quidem iisdem verbis, ad vulgus etiam repetiisse: cum ex malo exemplo, iisdem prauis opinionibus & vitiis in vulgo etiam plurimi infecti essent. Vocabula igitur explicabimus, & quomodo accommodari possint, tum ad sectas istas, tum etiam ad vulgus, & in genere ostendemus. De viperis autem varia varij tradunt: atque inde etiam variæ sunt sententiæ, quare Iohannes Pharisæos appellet progeniem viperarum. Basilius & Ambrosius scribunt viperam, inter omnia reptilia malitiosum & astutum animalculum esse, & murænam marinam sibilo euocare ad coitum. Illi sentiunt, Pharisæos appellari progeniem viperarum ideo, quia malitiam & astutiam coniungant: vt scilicet extremam impietatem magna pietatis specie contegant. Sed alij dicunt vtrumque sexum in viperis inueniri, ideo illas descriptiones vigere non constare. Plinius lib. 10. cap. 62. dicit, Marem caput in os viperæ inserere, quod illa voluptatis dulcedine abrodat. Catulos verò in vtero tarditatis impatientes, latera perrumpere occisa parente. Atque inde viperam dici quod vi pariat: vel quod vi pereat. Quidam sentiunt, & Græcam etiam Etymologiam eo alludere volunt, ἔχιδναι dici παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὸν ὠὸν ἄχρι θανάτου, quod ad interitum vsque fœtum intus contineat. Hoc Græcum vocabulum Syrus retinuit. Illi igitur existimant Metaphoræ rationem explicari, Matth. 23. v. 31. Filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt, & vos implete mensuram patrum vestrorum. Nam & ibi vocantur progenies viperarum. Vt idem sit, quod Prouerbio dicitur: Mali corui malum ouum. Aristoteles verò de viperis hoc non scribit. Sumpta autem videtur hæc phrasis de progenie viperarum ex Isaia, qui cap. 59. v. 5. falsam doctrinam & hypocrisin comparat ouis aspidum: vnde si rumpantur, prodeat vipera venenatissima. Ac tales esse fructus prauæ doctrinæ & hypocriseos. Sophocles etiam in Trach. tricipitem cerberum inferni monstrum vocat δεινῆς ἐχίδνης θρέμμα. Ita intelligi posset pharisaismum subinde ad deteriora apud posteros prolabi. Et hypocrisin, quacunque specie se palliet, esse tamen virulentam & venenatam malitiam. Sed Christus in genere videtur respicere ad illud, quod Genes. 3. v. 15. de semine serpentis scriptum est: qui scilicet sunt ex diabolo, Iohan. 8. ver. 44. & 1. Iohan. 3. ver 8. Significatur enim natura veneno peccati à serpente infecta, quæ malitia, impia educatione, praua institutione & simulata assuefactione, fiat insanabile & letale venenum, quale viperæ virus esse, Actor. 28. ver. 4. describitur. Ita Matt. 23. ver. 33. Pharisæi vocantur serpentes, progenies viperarum. Hæc ratio de progenie viperarum, & ad vulgus & ad Pharisæos accommodari potest: vt scilicet venenum, seu ipsam radicem peccati, hoc est, originalem naturæ deprauationem ostendat, & quomodo inde letalia peccata, quæ mortem pariant, oriantur, Iac. 1. ver. 15. Item illos etiam, qui non habent externos lapsus, non debere sibi sanctitatis opinionem arrogare, quasi non egeant pœnitentia. Naturam enim veneno peccati à serpente infectam, cui si accedat, vel Pharisæorum hypocrisis, vel Sadducæorum Epicureismus, fieri inde viperarum venenum, quod mortem adferat. Hæc generalis accommodatio videtur simplicissima esse.

Quod verò sequitur: *Quis submonstrauit vobis fugere à ventura ira Dei?* Admirantis sermo est, cum sciret, Sadducæos non credere, Pharisæos non metuere iram Dei. Atque ita loqui voluit Baptista: vt significaret, se vix posse adduci vt credat seriò ipsos agere pœnitentiam, licet hoc profiteantur: vt ita pungat ipsos & ad serium conscientiæ examē reuocet. Potest etiam intelligi, vt sit oratio admirantis in genere, insignem Dei gratiam, qui operatione sua efficiet, vt natura viperea, hoc est peccato ita deprauata conuertatur. Deinde verò admirantis in specie gratiam illam Dei illustriorem, quod Pharisæis & Sadducæis etiam, qui obstinate semper Spiritui sancto restiterint, dederit pœnitentiam. Ex hoc verò contextu descriptio pœnitētiæ talis potest sumi: quod sit sollicitus affectus, diuinitus per verbum subministratus, quo serio cogitamus iram, quam propter peccata scimus nobis imminere, fide in Christum effugere. Et *venturam iram* intelligit, non tantum futurum gentis excidium per Romanos: sed præcipuè æternam condemnationem. Nam Matth. 23. Christus, vbi eadem Metaphora viperarum vtitur, dicit: Quomodo effugietis iudicium gehennæ? Et diligenter obseruetur, quare iram illam Dei appellet futuram. Neque enim vel tota in hac vita super peccatores effunditur. Imminet autem semper quasi capitibus nostris: sicut Baptista Ioan. 3. ver. 36. dicit: iram Dei manere super incredulos, quæ quasi thesaurizata seu in cumulum coniecta, Rom. 2. ver. 5. ne tota effundatur, seu perueniat in nos in die iræ, Col. 3. v. 6. & 1. Thes. 1. vers. 10. ideo Deus per concionem pœnitentiæ submonstrat nobis, vt effugiamus iram illam venturam. Et verbum ὑποδεικνύναι significat, quando de periculo ex improuiso imminente aliquis submonetur, ac ratio effugiendi præmonstratur. Ita 2. Par. 8. v. 9. vsurpatur de indicatione hostium irruentium. Esth. 1. de

indicatis insidiis. & 3. Esd.2. de periculis aliunde secuturis vsurpatur. Quia verò suspectos ipsos habebat de simulatione pœnitentiæ, cum verbis profiterentur se pœnitere: Iohannes dictis opponit verbum *Facite* in hanc sententiam: Si pœnitentia in vobis est seria auersio à peccatis, verus timor iræ Dei, & sollicitus affectus, cupiens effugere iram Dei: sequentur inde in emendatione vitæ tales fructus in vitandis peccatis, & in studio operum Deo placentium, qui digni sint pœnitentia, hoc est, qui deceant veram pœnitentiam, & declarent vos ex animo resipuisse, detestare peccata, ac nolle Deũ offendere, sed velle illi seruire. Interiorem enim mutationem, regenerationem & renouationem, quæ fit in conuersione, significat non otiosam esse, si vera est: sed proferre bonos fructus Et ne quis tum se tum alios hypocrisi decipiat: *facite*, inquit *fructus dignos pœnitentia.* Exigit autem non opera traditionum seu rituum Leuiticorum, quæ ab hypocritis etiam præstari possunt: sed illis obseruationibus opponit fructus dignos pœnitentia, hoc est, opera legis moralis, sicut mox explicabit, præscribens veros fructus turbis, publicanis, & militibus.

Eximit autem ipsis persuasionem vanam, quod Abrahamum patrem haberent. Sicut Ieremiæ minitanti iram Dei, & hortanti ad pœnitentiam, opponunt: Templum Domini, templum Domini. *Ne sitis hac mente*, inquit, *vt incipiatis dicere.* Et variationes illæ, quod Lucas habet verbum ἄρξησθε, Matthęus δόξητε non sunt otiosæ. Sed quia mens humana, quando ipsi proponitur concio pœnitentiæ, & exigitur fructus, varia prętextuum effugia incipit quærere, arripiens nunc hoc, nunc illud: Lucas igitur dicit: *Ne cœperitis dicere*, hoc est, non arripiatis hoc effugium, vt illud velitis opponere concioni pœnitentię. Matthęus verò verbo δόξητε persuasionem notat, de prærogatiua generationis carnalis: quod existimarent, sibi iram Dei non metuendam, licet pœnitentiam non agerent, quia pactum gratiæ Deus inierit, non tantum cum Abrahamo, sed & cum semine eius: Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Quod ipsi de semine secundùm carnem intelligebant, quod habebat externam professionem religionis diuinitus traditæ. Iohannes igitur ipsorum persuasioni, quod essent Abrahæ filij, opponit: *Progenies viperarum estis*, sicut Ioan.8.ver.43. Christus inquit: Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis: sed ex patre diabolo estis, quia desideria patris vestri facitis. Persuasionem igitur prærogatiuæ carnis & externæ professionis taxat, in hanc sententiam. Non existimetis semen Abrahę, hoc est, Ecclesiam Dei ad vos alligatam, quomodo vos cunque geratis. Nec periclitabitur veritas promissionis, si vos impœnitentes abiiciat: *potens enim est vel ex lapidibus Abrahamo filios suscitare*, vt nihilominus veritas promissionis constet. Et Metaphoram de lapidibus vsitatam tunc fuisse constat, sicut Christus inquit: Si pueri tacebunt, vel lapides clamabunt. Simul etiam ostendit explicationem, quòd sit verum semen Abrahæ, quæ explicatio, Rom.9 clarissimè traditur. Hoc loco verò à Ioanne obscuriùs indicatur magis quàm explicatur, monstratis lapidibus in littore Iordanis, siue illis qui describuntur, Ios.4.v.20. siue aliis. Videtur autem Iohannes respicere ad locum, Isa 51.v.1.& 2 vbi Propheta, ostensurus Abraham & Saram tunc, quando Isaac ex ipsis natus fuit, non magis ad generationem idoneos fuisse, quàm petra & lapis est, inquit: Attendite ad petram, vnde excisi estis, ad Abrahamum & Saram. Sicut igitur tunc Deus Abrahamo emortuo tanquam petræ dedit semen, non secundum carnem, sed secundum promissionem Rom.9 v 9 Ita & nunc Deus potens est, licèt vos hoc repudietis, ex illis Abrahamo filios exuscitare, qui ad hoc natura non magis idonei sunt, quàm lapides isti. Atque ita hoc loco rectè intelligitur prædici vocatio gentium sub lapidum appellatione. Sed hæc explicatio de vero semine Abrahæ clarius traditur, Rom.9. quę ad hanc Baptistę quasi parabolam conferenda est.

Subiungit autem vaticinium de imminente pœna extremæ abiectionis populi, sub metaphora securis positæ ad radicem arboris quę ex parabola de ficu, Luc.3.v.6. simplicissimè intelligi potest. Sicut enim hortulanus arborem sterilem fodiendo, stercorando, inutiles & noxios ramusculos amputando, colit aliquandiu: tandem verò re deplorata radicitus extirpat: Ita Baptista vult dicere, quod Deus hactenus gentem Iudaicam multis beneficiis, & variis pœnis bellorum, captiuitatum, &c. ad pœnitentiam prouocarit: iam verò imminere extremum gentis excidium. Et reliquas pœnas comparat cultro putatorio adhibito ad ramos & ad truncum arboris: hanc vero extremam pœnam comparat securi excisoriæ, admotę radici arboris, vt prorsus extirpetur. Quę pœna & de excidio gentis per Romanos, & de extrema abiectione atque excœcatione populi intelligitur. Opponitur enim persuasioni, quod putabant aliter fieri non posse, quin semper essent & manerent Ecclesia Dei, etiamsi nullos bonos fructus facerent. Vt autem ostendat pœnam illam è propinquo imminere, propter maiorem emphasin inquit: *Iam vero & securis posita est*, ac præsenti tempore vtitur *excinditur, proycitur*, quasi monstrans manum Dei extentam, & securim iam arreptam, vt excisioni iamiam admoueatur. Mirabile autem videtur, quod dicit, eo ipso tempore, quando lux doctrinæ, de gratia Noui Testamenti, incipit clarissime per Baptistam & mox per Christum exoriri, Deum securim excisoriam radici hypocritarum impœnitentium admouere: cum hactenus longanimis multa quasi dissimularit. Sed hoc ipsum diligenter hoc loco obseruandum est. Quò clarior lux verbi & gratiæ affulget, eo grauiores pœnas mundi ingratitudinem sibi accelerare. Sicut Paulus inquit, Act.17.v.30. Hactenus Deus dissimulauit tempora ignorantiæ: nunc vero annunciat omnibus, vt agant pœnitentiam, quia statuit diem in quo indicaturus est orbem. Et autem γνώμη generalis, opposita externæ professioni & simulationi religionis: Deum scilicet non respicere ad externam speciem, an arbores virides & floridę sint, sed ex fructibus arborem cognosci. Omnem igitur arborem sine respectu vel propagationis carnalis, vel professionis externę, quę non facit bonos fructus, excindi & coniici in ignem illum, quem mox vocat *inextinguibile*. Quod si hoc iudicium Dei est arboribus infructuosis: quid de illis futurum est, qui sub specie religionis pessimos fructus proferunt.

Hac seuera obiurgatione Ioannis, Pharisæos plerosque non fuisse motos, Christus ostendit Matth.21.vers.24. In vulgi vero animis oratione illa Baptistæ compunctio talis sequuta fuit sollicitudo, quod post susceptum Baptisma, cum videt opera Pharisæis, qui ritus Leuiticos & opera traditionum diligenter obseruabant, eam serio exigi veros pœnitentiæ fructus, interrogauerunt Iohannem: *Quid ergo nobis faciendum est?* vt fructus dignos pœnitentia faciamus? Proponit autem Ioannes ipsis non ritus Leuiticos, quorum finem adesse docebat: non opera traditionum, quibus frustra Deum coli sciebat: sed legem charitatis ipsis præscribit, dicens: *Qui habet duas tunicas, &c.* Varia autem disputata fuerunt de hoc loco, quasi non liceat bona conscientia duas habere tunicas, vel aliquid repositum, præterquam quod in præsentem & quotidianum vsum erogetur, possidere: vel quasi communionem bonorum doceat. Sed vsitatus Ebrææ linguæ mos est, doctrinam generalem exemplo particulari proponere, vt Exod.23.ver.5 generalis doctrina de diligendis inimicis, particulari exemplo de subleuando collapso inimici asino traditur. Et Matth.5.vers.39.& 40. patientia in tolerandis iniuriis, quando defensionem Magistratus impetrare non possumus, & generalis doctrina prohibens vindictam priuatam, exemplo obuertendæ maxillæ & ablati pallij proponitur. Ita hoc loco Iohannes generalem doctrinam de dilectione proximi, vno atque altero de vestimentis scilicet & cibis exemplo ideo complexus est, quia hæc omnibus necessaria sunt, sicut Paulus inquit 1.Tim.6.v 8. Habentes alimentum, & quibus regamur, his contenti simus. Generalis vero sententia est, vt proximi necessitatem pro sua quisque facultate subleuet. Et non possumus certiorem habere interpretem huius sententiæ Baptistæ, quàm Paulum: qui doctrinam illam regula generali ita interpretatur 2.Corinth. octauo, vers. decimo quarto, Vestra copia aliorum succurrat inopiæ. Non vt vobis tribulatio, aliis sit remissio: sed vt sit æquabilitas, pro ratione circumstantiarum. Quidam mirantur Baptistam tantum de operibus secundæ tabulę loqui non facta mentione cultuum interiorum prioris tabulæ. Sed historia ostendit, illos qui baptizabantur, habuisse timorem Dei, fidem in Christum, ac dilectionem Dei: hoc est, propositum obediendi Deo, qui sunt spirituales cultus in prima tabula. Quia vero Pharisæi externis ceremoniis dediti, opera caritatis proximi non curabant: Iohannes igitur illis reiectis, hæc præscribit illis, qui bonos fructus facere velint.

Quod vero sequitur de publicanis & militibus interrogantibus, *Magister, quid faciemus?* hanc habet sententiam. Quia Essæorum opinio tunc erat, illis, qui θεραπευταί, hoc est, Dei cultores esse vellent, deserendam esse vitæ ciuilis societatem. In desertis enim peculiaria vitæ instituta habebant Essæi, quæ apud Philonem & Iosephum descripta extant, Pharisæi etiam suas obseruationes sanctiores esse contendebant, quàm vulgaria vitę communis opera. Quędam verò vitę genera, vt publicanorum & militum, Iudęi prorsus damnabant: vt quæ libertati suæ contraria esse videbant. Iohannes igitur à publicanis & militibus, ad Baptismum ad se accedentibus, interrogatus, ita respondet: vt ostendat, Euangeliũ politicas honestas ordinationes nõ improbare, tollere aut damnare: Sed omnes ordinationes politicas, & omnia genera vitę ad decalogum exigenda esse, & si huic consentanea sint, atque iuxta eum administrentur, posse quemque bona conscientia in sua vocatione manere. Nec opus esse, vel in Eremum cum Essæis secedere, vel cum Pharisæis peculiares obseruatiores

tiones excogitare:sed posse quemque in sua vocatione, si iuxta Decalogi normam eius opera dirigat, Deo seruire. Hæc generalis doctrina, de veris Dei cultibus contra Pharisaicas persuasiones, de peculiaribus extra verbum Dei obseruationibus vilis est, & omnibus temporibus fuit necessaria. Et obseruetur ordo, quod Iohannes primum in genere turbis præscribit caritatis officia, quæ omnibus Christianis sunt communia. Deinde singulis vitæ ordinibus, vt publicanis & militibus, &c. Peculiaria sua iuxta Decalogi normam præscribit officia.

Quod autem ad publicanos attinet, τέλος significat vectigal, tributum & reliquos publicos reditus. τελώνης verò seu publicanus dicebatur, qui vel Romanorum nomine vectigalia & tributa illa exigebat & colligebat: vel qui certa & cõstituta summa pecuniæ, publica illa vectigalia & tributum populi Romani, in certo aliquo loco redimebat, vt deinde in particularibus exactionibus plus posset corradere. Nec viles fuerunt homines publicani, apud Romanos præsertim. Cicero enim dicit: Flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum Reipub publicanorum nomine continetur. Sed iniquitas rapinarum, & exactionum, & extorsionum in publicanis ita creuit, vt peculiaribus legibus de duplici restitutione cohercenda fuerit. Et Vlpianus inquit: Quantæ audaciæ, quantæque temeritatis sint publicanorum factiones: nemo est qui nesciat. Et tamen tales etiam homines vt publicanos & milites, rapinis & expilationibus deditos, nec religionis nec honestatis magnam rationem habentes, voce Iohannis ad pœnitentiam commotos Lucas scribit. Cumque Pharisæi omnes publicas Romanorum exactiones & eorum ministros, tanquam tyrannidem & ministros tyrannidis, qua se vt populum Dei liberum contra legem premi putabant, damnarent, Iohannes non iubet ipsos vocationem deserere: sed iniquas extorsiones, iniustas exactiones, & crudeles expilationes, ex septimo præcepto prohibet, quas Zachæus, Luc 19. v.8. restitutione quadrupli furtum esse fatetur. *Nihil*, inquit, *amplius quàm quod constitutum est vobis exigite*. Significat autem verbum διατάσσω publicas constitutiones & ordinationes. Et πράσσειν, pro ἀπαιτεῖν, hoc est, pro petere, exigere & colligere pecuniam, publicam præsertim & mulctatitiam, vsurpatur. Et Ebræum נגש exactorem, qui vel debitum vel operas publicas affligendo exigit. Græci Isa.3. vocant πράκτορας. Syrus reddidit per verbum, quod postulare significat. Conuenit igitur hic locus cum Paulo Rom. 13. v.7. de soluendis vectigalibus & tributis.

In responsione verò ad milites, Aug. Ep.5. ad Marcellum eruditè hoc obseruauit. Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius consilium Baptista dedisset, vt abiicerent arma, séque militiæ omni subtraherent. Vitia autem militibus familiaria taxat & contraria docet. Et non tantum ad sententiam, sed ad ipsa verba Samuelis 1. Reg.12. v.3. respicit. Quem calumniatus sum? aut quem concussi aut oppressi? Quia enim milites solent prouinciales seu ciues, quorum defensioni destinati sunt, variis violentiæ modis vexare & opprimere: dicit Iohannes, *Neminem διασείσητε*: quod verbum concussionis, defensioni & publicæ tranquillitati opponitur. Græci etiam Ebræum רצץ quod de hostili concussione regnorum & murorum dicitur, reddiderunt verbo σείω. Samuelis verò verbo, 1. Reg.12. v.3. oppressionem, conculcationem, conquassationem. Secundò, quia post victoriam solent milites per calumniam innoxios ad principes deferre, quasi seditionis, læsæ maiestatis, &c. reos, vt ita facultatibus exuantur & perdantur: dicit igitur, *Neminem συκοφαντήσητε*. Verbum enim עשק quod significat non aperta vi, sed fraude vti, ad spoliandum aut euertendum aliquem, Græci reddiderunt verbo, συκοφαντεῖν: quod significat falso aliquem deferre & calumniis circumuenire. Possent vero duo hæc vocabula etiam ita exponi, vt causa belli non sit sycophantia, nec bella ita gerantur, vt fiant concussiones seu vastitates sed vt oppressis seditiosis vel latronibus, pax & tranquillitas constituatur. Tertio, meminit etiam stipendiorum quæ vocat ὀψώνια. Olim enim non in ære aut argento, sed in certo demenso annonæ, militibus numerabantur stipendia. Quia verò milites stipendia aleis, scortis, &c. dilapidant, & rapinis resarcire conantur, ac militant plerique non vt pacem tueantur, sed vt opes ex rapinis & expilationibus cumulent, ideo Iohannes dicit: *Contenti sitis ordinariis stipendiis*. Cùm igitur Iohannes hoc modo per duos ferme menses, (si Epiphanij supputationem sequamur) magno vndique omnium ordinum concursu in ministerio suo docendo & baptizando versatus fuisset, crescebat eius auctoritas, qua Deus ipsum circumdatum esse voluerat, iam inde à conceptione vsque. Et quia populus vsque in secundum iam mensem aduentum Messiæ, quem iamiam aduentare Iohannes prædicabat anxie expectauerat, & tamen manifestatus nondum erat: cœperunt igitur omnes, & apud se cogitare, & inter se disputare, forsan Iohannem, virum tantæ auctoritatis esse ipsum Messiam, quod ipse fortè modestiæ causa de se nollet prædicare. Sed Iohannes vbi hoc cognouit, publicè omnibus audientibus confirmauit, se non esse Messiam: sed *aduentare illum post se*. Quod enim dicit, ἔρχεται δὲ ad Malachiæ locum respicit, quod iam sit in via, & à tergo præcursorem suum subsequatur. Ideo præsenti tempore vtitur ἔρχεται. Hoc autem testimonium Baptistæ de Christo, non esse idem cum eo, quod Iohan.1. v.26. describitur, licet verba quædam conueniant, circumstantiæ temporis & personarum ostendunt. Hoc enim ante baptismum Christi ad vulgus Iohannes præbuit de Christo. Illud vero, quod Iohan.1. v.19. describitur, post Christum baptizatum ad legatos publicos dedit. Et quod hoc loco describitur, Iohannes non semel dixit, sed aliquoties ad vulgus repetiit: sicut ex collatione trium Euangelistarum colligitur. Vtque in textu illud animaduerti possit: ideo verba illa in Harmonia bis repetere volui. Illa igitur occasione cœpit Iohannes accurata oratione inter se & inter Christum discernere. Hoc enim præcipuum erat officium Iohannis, testimonium perhibere de Christo. *Ideo ego* inquit, *veni in aqua baptizans* vt Messias innotesceret Israeli. Iohan.1. v.31. Et non semel hæc à Iohanne dicta, sed aliquoties repetita esse, colligitur ex variatione verborum: quod Matthæus de calceamentis portandis, Lucas de corrigia calceamentorum soluenda loquitur. Vocat autem Christum ἰσχυρότερόν με. Primo, ratione personæ vt qui non sit ἱκανός, *idoneus* & sufficiens inter seruos Messiæ vilissimum locum obtinere, & infimum seruitutis obsequium, *portandi* scilicet *calceamenta*: (In calidis enim illis regionibus nudis sæpe pedibus incedebant & calceamẽta portabantur ad futuras necessitates) vel soluendi corrigiam calceamentorum. Species enim obsequij & reuerentiæ hæc fuit, sicut Polycarpus apud Eusebium fatetur, se nũquam calceamenta sibi detraxisse: sed hoc obsequio semper à discipulis se præuentum. Cùm verò inter hominem & hominem proportio quædam sit: & hic vir sanctissimus ac summæ auctoritatis, maximus inter natos mulierum, in comparatione ad Christum ita loquatur: significat igitur, maiestate & dignitate homine maiorem esse Christum, hoc est, Deum. Nam & ἰσχυρός Dei epitheton est, Neh 9. v.32. Ap.18. v.21. Secundo etiam quo ad officium Christus Baptista ita maior est: vt sanctissimus & Spiritu sancto plenus Iohannes fateatur, se in illis quæ ad officium Messię pertinent, non posse aliquid vel tantillum præstare, quale est calceamenta portare, vel corrigiam soluere. Requiritur enim ad officium Messiæ, potentia vincẽdi iram Dei, peccatum, Sathanam, mortẽ, infernum, liberandi homines de manu inimicorum illorum, adducendi iustitiam æternam, reconciliandi homines cum Deo, &c. quæ potentia in nulla creatura tanta esse potest, sed solius Christi est, qui Deus & homo est, vocatus à Deo ad hoc officium.

In ea verò, quod sequitur, *Ego baptizo aqua*, non confert suum baptismum aquæ cum baptismo aquæ, ui à Christo detur. Christus enim neminem aqua baptizauit Iohan.4. ver.2. nec suum baptismum cum Apostolorum baptismo confert: sed suam personam & ministerium cum Christi persona & officio confert. Quæ differentia in omnibus aliis etiam ministris locum habet. Ego, inquit, externam tantum vocem præbeo, ad prædicationem pœnitentiæ & remissionis peccatorum, & manu mea aquam ad tingendos vos ministro, ad pœnitentiam, hoc est, vt ostendam, opus vobis esse conuersione: vt autem per illud externum ministerium, intus animi ad pœnitentiam conuertantur, fide illuminentur ad remissionem peccatorum, & Spiritu sancto renouentur: hoc, inquit, ego non possum efficere, & ne tantillum quidem, quantum est corrigiam soluere, sed hoc in solidum est opus efficacia & donum Christi. Illis autem verbis, cùm inquit: *ille baptizabit vos Spiritu S. & igni*, respicit ad futuram tunc visibilem in ignis specie effusionem Spiritus super Apostolos in Pentecoste. Ita enim Lucas expressis verbis hunc locum interpretatur, Act.1. v.5. Et illa visibilis donatio fuit testimonium Christum accepisse & habere donum effundendi Spiritum super credentes. Act.2. v.33. Et vocatur Baptismus, allusione ad vocabulum effundendi. Baptismus enim seu tinctio fit etiam perfusione. Non autem visibiliter tunc tantum Spiritum effudit: sed nunc etiam donat Spiritum per auditum fidei, Act. 10. v.44. Gal.3. v.2. & in baptismo aquæ. Tit.3. v.6. Hæc interpretatio, quia ex Scripturæ fontibus sumpta est, fallere non potest. Falsi igitur fuerunt Seleuciani & Hermiani: qui suis in Baptismo crucem ignito ferro loco aquæ impresserunt. Magis verò falsus fuit Origenes, qui disputauit, quosdam in hac vita aqua & spiritu baptizari, quosdam verò post hanc vitam igne purgatorij baptizari. Alij per ἐν διὰ δυοῖν putant vocem ignis adiectam, vt Spiritus efficacia illuminandi, purgãdi, accẽdẽdi ita exprimatur. Quidã de tribulationibus expo-

H

riunt:sed interpretatio Act.1.v.5.simplicissima est. Et quia per ministerium Baptistæ multi fuerunt conuersi ad pœnitentiam, Luc.1.v.79. illuminati ad fidem, Act.19. v.4. renouati ad bonos fructus, Matth.3.v.7. quæ non humanarum virium, sed Spiritus sancti dona, fructus & opera. Ergo etiam in Iohannis baptismo Christus baptizauit Spiritu sancto. Nam baptismus Christi est effusio Spiritus sancti, quem effundit, vt ostendimus, in auditu fidei & in baptismo. Sed hanc disputationem de baptismo Iohannis, plenius (vt dictum est) explicauimus, in Examine Tridentini concilij.

Obseruandum autem est, quod Scriptura aliquando coniunctim loquitur de ministris, & de efficacia ministerij per Christum, vt Act.26.v.18 Mitto te, vt aperias oculos & conuertantur, 1.Tim.4. v.16. Hæc faciens, saluum facies te & alios, Ioh.20.v.23. Quorum remiseritis peccata, &c. Quando verò Scriptura distinctè exponit, quæ sint ministri partes, & quod proprium Christi, ne efficaciam ministerij ab hominibus ministris pendere putemus, & quod Dei est hominibus tribuamus, tunc Paulus planè ita sicut Baptista loquitur: 1.Cor.3.v.6.& 7. Paulus plantat. Apollo rigat, Deus verò dat incrementum Neque igitur qui plantat, neque qui rigat aliquid est, sed qui incrementum dat Deus. (Quæ sententia ostendit, inter Baptistam & Apostolos hac in parte nihil esse discriminis: eodem enim modo loquitur Paulus quo Baptista) Et tamen ne diuellatur efficacia Christi ab externo ministerio, Scriptura aliàs coniunctim loquitur, sicut ostendimus, Actor.26.v.18. Ioan.20.v 23.1.Tim.4.v.16.

Differentiam igitur inter suum ministerium & inter officium Christi Iohannes ponit. 1. In opere redemptionis. 2. In efficacia per verbum & Sacramenta in articulo iustificationis & sanctificationis. 3. Addit & hoc Iohannes: Christo datum iudicium, credentes saluandi & reprobos damnandi. *Cuius ventilabrum in manu eius, &c.* Et sicut antea, quia nominarat fructus pœnitentiæ, assumpsit similitudinem arborum: ita nunc eadem occasione, quia de fructibus dixerat, similitudine frugum, areæ, horrei & ventilationis vtitur, & eam ad redarguendam hypocrisin dirigit Baptista, Apostoli, & alij ministri sunt messores, ex agro huius mundi colligentes ministerio suo frumentum in aream Domini, quæ est Ecclesia, in qua simul sunt palea & triticum: hoc est, mali & boni. Ac hypocritæ, quia infructuosi & inanes sunt, paleæ nominantur, & externa specie ac professione bonis in hac vita permixti. Verè credentes comparantur tritico: quia sunt fructuosi & pleni Spiritu. Et similitudo palearum & tritici vsitata est in Scriptura, Psal.1.v.4. Iob.21.v.19. Ier.23 v.28. Matth.13.v.24. Et in hac quidem vita per triturationem, hoc est, per crucem, tentationem & tribulationem paleæ aliquando decutiuntur à tritico: sed tamen manet permixtio, hypocritæ florent, pij cruce premuntur, vnde hi sæpius turbantur, illi verò in sua hypocrisi confirmantur. Vtrisque igitur, his quidem ad consolationem, illis verò ad excutiendam securitatem proponitur articulus de secundo aduentu Christi ad iudicium. Non enim perpetuò talis erit mixtura: sed tempore iudicij perfecta fiet separatio hircorum ab hœdis. Atque propterea Euangelistæ vtuntur verbo διακαθαριεῖ. In hac enim vita Christus cribratione aliquando purgat aream suam: sed perpurgatio seu perfecta purgatio in extremo tandem die fiet. Ac tum demum credentes reportabunt finem fidei, salutem animarum. Iam enim habent beneficium Christi inchoatum, hoc est, filij Dei sunt, sed nondum apparuit, 1.Ioh.3.v.2. salui sunt, sed spe, Rom.8.24. ambulant non in spe, sed in fide 2. Cor.5. v.7. Tunc verò consummatum erit beneficium Christi in vita æterna. Et vtrumque beneficium Christi Iohannes describere voluit. Significat autem ἀποθήκη in genere locum, vbi aliquid reponitur. Exo.19.v.23. Deut.28 v.5. Ier.50. v.30 &c. hoc vero loco regnum Dei seu vitam æternam denotat. Significanter autem dicit: *Triticum suum congregabit in horreum suum.* Credentes enim sunt hæreditas Domini. De hypocritis verò loquitur in genere, *Paleam comburet igne inextinguibili.* In hac enim vita conciones pœnitentiæ & comminationes iræ Dei, propter longanimitatem Dei, Rom.2.v.4. non curantur. Non autem perpetuò durabit illa patientia Dei: sed pœnis æternæ damnationis tunc addicentur, qui non egerunt pœnitentiam. Et *ventilabrum*. significat potestatem iudicium faciendi, quæ Christo data est: Hebraismus verò est duplicis genitiui, *cuius ventilabrum in manu eius*, vel sensus est, quod ventilabrum suum iam in manus sumpserit, quasi iam paratus ad faciendum iudicium.

Et hæc sunt, quæ ante baptizatum Christum Iohannes docuit. Lucas autem addit: ipsum *& alia multa docuisse*, quæ sigillatim non sint descripta: sed hæc eorum, quæ docuit, summaria capita esse indicat. Duobus autem vocabulis Lucas Baptistæ doctrinam designat: verbo εὐαγγελίζειν doctrinam de persona, de officio, regno & beneficiis Christi complectitur verbo παρακαλεῖν prædicationem pœnitentiæ, comminationes iræ diuinæ & exhortationes ad bona opera intelligit. Et in hisce capitibus consistit summa doctrinæ cœlestis.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER

LIBER SECVNDVS
HARMONIAE EVANGELICAE
CONSCRIPTVS A REVERENDO ET CLARISSIMO THEOLOGO, DOMINO DOCTORE MARTINO CHEMNITIO, Ecclesiæ Christi in inclyta Brunsuicensi Ecclesia quondam Superintendente vigilantissimo.

EDITVS, ET NVNC DENVO CORRECTVS, OPERA ET

STVDIO POLYCARPI LYSERI, D. ECCLESIÆ in Electorali aula Desdrensi.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOHANNI SIGISMVNDO, MARCHIONI BRANDEBVRGENSI, Borussiæ, Stetini, Pomeraniæ Cassuborum, Vandalorum ac Crosnæ in Silesia Duci, Burggrauio Norimbergensi, &c. Domino suo clementissimo,

GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE, AC Seruatore nostro Iesu Christo.

INTER *omnia exercitia hominis Christiani, Illustrissime Princeps, Domine clementissime, nullum est præstantius, nullum quod ad perfectum pietatis gradum animum euehere possit, quam assidua doctrina & vita Christi lectio & meditatio. Neq; enim reperitur ulla virtus, quam homo pius appetere possit, cuius non plurima eaque admiranda exempla in vita Christi non modo proferantur, sed etiam animum sui consideratione ad imitationem excitent. Inde humiliat se innata nostra superbia, & exaltat se fides; deficit ibi inuidia, & crescit charitas, minuitur morositas, & augetur patientia; contrahitur diffidentia, & dilatat sese perseuerantia; euertitur pusillanimitas, & exurgit spes; omnis denique vita conformis redditur illi, qui amore salutis nostræ, per infimum exinanitionis gradum, ante se nobis confirmarat. Vt non inepte D. Bernhardus dixerit: Homo qui virtutes sibi vult comparare, frustra laborat, si eas alibi quærat, aut ab alio petat, quam a Domino virtutum: cuius doctrina est regula prudentiæ, cuius misericordia est opus iustitiæ, cuius vita est exemplum temperantiæ, cuius mors est vexillum patientiæ.*

Ad hæc, non facile est quicquam, quod nos firmius, vel ex vna parte aduersus molles & vanas huius mundi blanditias, vel ex altera parte cōtra tristes & terribiles eiusdem aduersitates, armare possit, quam illa ipsa Redemptoris nostri doctrina & vita, eiusque diligens meditatio. Hæc nobis monstrat, quomodo inter aduersitates & prosperitates mundi regia via incedere, & vtrinque scopulos ita prudenter vitare debeamus, vt sine naufragio fidei, ad salutis & felicitatis portum feliciter appellere queamus.

Præterea per seriam hanc atque assiduam meditationem, homo pertingit ad intima penetralia diuinæ charitatis. Qua quid sublimius, quid magnificentius, quid diuinius in hoc orbe cogitari potest? Testatur de eo ipso Saluator cum inquit: Qui diligit me, (Christum autem diligit, qui doctrinam & vitam ipsius tenet & meditatur) diligetur a Patre meo & Ego diligam ipsum, & aperiam ei meipsum. Qua autem dilectione eum dilecturus sit, alibi aperit, dum dicit: Sicut dilexit me Pater, ita diligo ego vos. O incredibilem comparationem! qua fideles a se ita diligi Christus testatur, quemadmodum ipse dilectus sit a Patre ab æterno. Quæ opes, quæ regna & imperia, cum hac piorum dignitate, quod cum admodum a Deo diliguntur, comparanda sunt? Sordere merito pijs debebant omnes totius orbis thesauri, collati ad hanc Dei dilectionem, qua non caduci alicuius & mundani Imperij, sed sempiterni & cœlestis regni corona ipsorum capiti imponenda offertur. Quamuis enim non omnino pari dilectionis mensura a filio, qua filius a Patre, diligamur: amplissimus tamen dignitatis gradus est sic a filio diligi, vt hæc dilectio cum Patris erga filium dilectione comparari mereatur, quem Pater infinita dilectione prosequitur. Ioan. 14. Ioan. 15.

Cum igitur ad tantam dignitatem Christianos euehat diligens doctrina & vita Christi lectio & consideratio: merito non tantum plebeij homines, nec tantum ij qui ex professo studio Theologico dediti sunt, in eo elaborare debent: sed etiam Principes viri, idque in eum finem, ne si hoc studium negligant, mundana & temporalis ipsorum eminentia in perennem contemptum & miseriam exeat ac commutetur, sed vt huius mundi dignitatem cœlestis gloria & felicitas consequatur. Etenim quiuis ipse secum in animo suo reputet, quæ hæc sit futura ignominia, & quam graue opprobrium, si quis in hoc seculo cum Imperio alijs præfuerit, ab omnibus in honore & pretio habitus, & pro Semideo cultus fuerit: in altero vero, ob impieta-

tem, vel Christi contemptum, infra omnes diabolos abijciatur? Quis non malit in hac vita calonum & lixarum loco esse, modo in cœlesti Christi regno immarcescibilis gloriæ coronæ particeps fiat, quam hic vel ad summum Imperij culmen peruenire, & illic diabolis in æternum cruciandus tradi? Mouit hoc summos Imperij Monarchas, vt non tam de claris victoriis obtinendis, aut Imperij splendore illustrando, quàm de sincero Dei cultu promouendo, & fide in Christum studiosissimè propaganda, ideoque sincera ipsius doctrina addiscenda, solliciti essent. Cuius rei exempla plurima adducere possem, sed in præsentia vnius aut alterius breuiter meminisse sufficiat. Constantinum Magnum, cui meritò inter Christianos Principes primus gradus assignatur; quia Ecclesiis, post trecentorum annorum persecutiones, primus pacem dedit, res sacras tractare, doctrinam Christi meditari, & virtutum exempla in ipso imitari, vsque adeò non puduit, vt ad eam rem potissimùm se diuinitùs vocatum putaret, quod non tantùm actionibus, verùm etiam literis suis testatus est. Nam vt multa alia taceam ad Macarium Hierosolymitanum Episcopum inter alia sic scripsit: Ἐμοὶ ἀεὶ καὶ πρῶτος καὶ μόνος ἐστί μοι σκοπός, ἵνα ὥσπερ ἑαυτὴν ὁσημέραι καινοτέροις θαύμασιν ἡ τῆς ἀληθείας πίστις ἐνδείκνυσιν, οὕτω καὶ αἱ ψυχαὶ πάντων ἡμῶν περὶ τὸν ἅγιον νόμον σωφροσύνῃ καὶ ὁμογνώμονι προθυμίᾳ σπουδαιότεραι γίγνονται. Hoc est: Hic mihi primus & vnicus scopus est, vt quemadmodum seipsam vera fides quotidie nouis miraculis demonstrat: ita etiam omnium nostrûm animæ prudentia & vnanimi circa sanctam Legem studio alacriores fiant. Non minor fuit pietas Theodosij Secundi, qui Noui Testamenti libros, sua manu descriptos in supellectile sua pro κειμηλίοις habuit, & quotidie eorum partem aliquam legit, manè item cum coniuge & sororibus precationes facere & Psalmos canere solitus fuit.

Socra. li. 1. cap. 9.

Sed non opus est, Illustrissime Princeps, C. T. extra pietatis exempla proponere, cùm ea habeat domestica in Illustrissimis parẽtibus, Domino Ioachimo Friderico Archiepiscopatus Magdeburgensis Administratore, &c. Domino meo clementissimo, atque Domina Catharina, ex eadem Marchionum progenie nata, Domina mea clementissima, vsque adeò clara & insignia, vt illa nullis veteribus siue recentibus iure postponantur. Quanto enim studio in id incubuerint, vt sincera & vnanimis vera Catholica Ecclesiæ religio, in vniuerso Archiepiscopatu susciperetur, confirmaretur, conseruaretur: quantis quoque sumptibus in eum finem generalem visitationem, cum inexplicabili Ecclesiarum fructu, instituerint & perfici curauerint: quam iusto denique zelo & odio omnes ἑτεροδιδασκαλοῦντας persequantur, siue ij ex idololatrico Pontificiorum grege, siue ex Calui Coritarum caterua sint: id omne notius est toti Christiano orbi, quàm vt opus sit hoc in loco recensere. Vnde verò hoc, nisi ex eo, quod ex diligenti sacrarum Scripturarum lectione & meditatione, quæ ipsis quotidiana & familiaris est, Deus, quod dixit, de tenebris lumen splendescere, ipse (vt Paulus loquitur) illuxit in cordibus ipsorum, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Iesu Christi: Ita, vt ob fulgorem futuræ gloriæ, quem ex doctrina Christi perceperunt, non tantùm nullæ tenebræ aduersantis regni animis ipsorum nocere possint, verùm etiam ipsi, licet adhuc in mundo constituti, mundana tamen omnia, tanquam nimis abiecta & vilia contemnant, in cœlestium bonorum consideratio-nem & admirationem abrepti. Qui gustus quidam est ad venturam æternam gloriam capessendam, quæ proposita & promissa est omnibus, qui expetunt illustrem aduentum Iesu Christi, & interim in exercenda fide & pietate sunt occupati.

Horum laudatissimum exemplum, Illustrissime Princeps, vt hactenus laudabiliter cœpisti, ita & in posterum grauiter perge sequi: nec dubita, quin amplissimam Dei benedictionem tam in hoc, quàm in futuro seculo per CHRISTVM sis consecuturus. Christi enim vox est: Scrutamini Scripturas: quia vos in ijs habetis vitam æternam. Quotquot ergo æternam vitam habere cupiunt, siue sint magistratus siue subditi, siue nobiles, siue ignobiles, siue Principes siue quicunque alij, Scripturas, in quibus ea continentur, scrutari debent: id nisi faciant, ab æterna vita in perpetuum exulabunt. Habent quidem Principes viri innumera propemodum obstacula, quæ ipsos a Scripturarum scrutatione & lectione auocare possunt: modo enim publica, modo priuata ipsos circumstant negotia. Sed quò maior externarum rerum & impedimentorum est concursus, eò acrius animus ab ijs est auertendus, & quasi fræno quodam huc reducendus, vt ad Scripturarum aliquod scrutinium recurrat, nisi spe æternæ vitæ excidere velint. Neque enim vita æterna in Scripturis ita continetur, quemadmodum præstans aliquod & salubre pharmacum in pyxide conclusum asseruatur, vt si quis sacros codices splendidè ornatos domi repositos habeat, aut eos superstitiosè veneretur, aut saltem studiosè circumportet & aspectet, idem etiam in vitam æternam circumuehat, & in manibus repositam habeat. Hac siquidem ratione felicissima futura esset prædiuitum sors, qui vitam æternam domi possidere possent, licet nunquam ne vnam quidem paginam in sacris Bibliis legerent. At verò Scripturæ vitam æternam hoc modo continent, quia totius Scripturæ scopus est CHRISTVS IESVS, qui æternæ vitæ verus & vnicus est auctor, & idem per Scripturas, seu per ordinarium medium nobis offertur, vt si eius doctrinam & præcepta audiamus, credamus, seruemus, per ea detur nobis scientia salutis, & via monstretur ad vitam æternam. Itaque finis totius Scripturæ est, vt Christum in iis quæramus: & quidem vt ita eum quæramus, vt non tantum historicè aliquid de ipso teneamus, sciamus, loquamur, disputemus: sed vt ad ipsum veniamus. Quod hic fit fide in vera pœnitentia & pia vita: in futuro verò seculo fiet beata visione & æterna fruitione: vt ita in ipso solo & per ipsum solum, tam hîc quàm illic vitam habeamus.

Porrò scrutari Scripturas non est cuiusuis. Etenim τὸ ἐρευνᾶν, non perfunctoriam aliquam Scripturarum lectionem denotat, qualem etiam habent Iudæi in suis Synagogis, & Pontificij in suis templis, qui eas vix obiter inspiciunt, aut volubili saltem lingua vel vagabundis cogitationibus percurrunt: sed requirit, vt veri & idonei Scripturarum lectores eas penitus inspiciant, & arcanos eius sensus diligentius scrutentur. Vt enim in agris defossos thesauros nunquam obtinebimus, nisi illi effodiantur: ita Domini ager fossione opus habet & diligenti studio, si pretiosissimam illam margaritam Christum, & æternum salutis thesaurum ex eo eruere volumus. Quam ad rem plurimum prosunt Commentarij θεοδιδάκτων Ecclesiæ doctorum, qui, cum verbis res ipsas considerantes, & quæ olim dicta factave sunt, ad nostra tempora transferentes, Scripturas illustrant, easque nobis ita intellectu faciles reddunt, vt nostræ institutioni, admonitioni, correptioni atque consolationi commodissimè seruiant.

Etsi

Etsi autem ex relatione fidissimi Cels. T. Praeceptoris, M. GEORGII TEUTSCHII, *amici mei singularis, intellexi Cels. T. satis bene instructum penu eiusmodi Commentariorum in promptu habere, & eosdem etiam acri studio euoluere, sicque sibiipsi penitiorem mysteriorum sacris literis comprehensorum cognitionem comparare. Tamen illud ipsum studium Cels. T. magis excitare, & illustrissimam librariam supellectilem qualicunque accessione augere volui, oblatione & dedicatione huius secundi libri, ex planè aureis & gemmeis Commentariis, exercitatissimi & clarissimi Theologi,* D.D. MARTINI CHEMNITII, *Superintendentis huius Ecclesiae quondam fidelissimi, quos in Harmoniam Euangelicam conscripsit. Huic libro & reliqua ipsius commentationi in vitam & doctrinam Christi, vt inter reliquos T. Cels. libros locum aliquem concedat, eiusque lectioni interdum horulam tribuat, humiliter oro. In aeternum, vt confido, non poenitebit te fructus, quem ex eo colliges. Solent alias homines, qui gratiosi apud Principes, maximè iuniores, esse cupiunt, ingeniosè multa excogitare, quae externam aliquam & momentaneam voluptatem excitant, & eiusmodi ingenij sui foetibus sese Principibus insinuant: vt eorum gratiam aucupentur, quorum tamen omnium fructus vel tandem est euanidus, saepenumero etiam noxius. Talis non futurus est fructus is, quem C. T. ex huiusmodi librorum lectione colliget. De hoc enim, ipsum os veritatis pronuntiat: Ego elegi vos, & constitui vos, vt abeuntes fructum adferatis, & fructus vester maneat.*

Existimarunt quoque optimi nostri CHEMNITII, *piae memoriae, haeredes, quoniam parens ipsorum ex oppido domus Brandeburgicae subiecto ortus esset, atque superstes multa illustria beneficia ab illustrissima Brandeburgica domo accepisset, aliquot etiam libros suos Brandeburgensibus Marchionibus dedicasset, sicque se semper licet hic Brunsuigae vixisset, Brandeburgicae domus tutelae commendasset: sui muneris esse, etiam quoad posthumos parentis labores, aliquem patronum praeter alios ex inclyta Brandeburgica domo deligere, sicque humilem suam obseruantiam & demissum gratitudinis studium, erga Illustrissimam illam familiam, de parente suo optimè meritam, declarare. Tuae igitur Cels. tanquam maximae expectationis Principi, hanc partem laborum parentis humiliter dedicant, & cum omnia ipsius scripta, tum se quoque ipsos T. C. patrocinio & clementiae, quae omnium bonorum consentientibus testimonijs digni sunt, commendant. Ego quoque demissè peto, vt Cels. T. hoc nostrum studium, quod ex animo Cels. V. obseruantissimo proficiscitur, benignè & placidè excipiat, atque in posterum ea clementia me, licet indignum, complecti dignetur, qua ante septem annos ex Praeceptoris commendatione coepit. Enixè daturus sum operam, quouis tempore, vt quaecunque C. T. grata & accepta à me fieri poterunt, in ijs studium & voluntatem mihi nequaquam defuisse experiaris.*

Christum Iesum omnis boni fontem & datorem, toto pectore precor, vt T. C. det cor perfectum, quod doctrinam ipsius amet, beneficia & merita ipsius firma fide amplectatur, virtutum exempla in vita ipsius imitetur, praecepta eius custodiat, testimonia & statuta ipsius teneat: sicque ipso duce, praeter huius seculi benedictionem, futuri quoque sempiternam felicitatem consequatur. Idem etiam C. T. Illustrissimos parentes, hoc vltimo senescentis mundi tempore, inter grauissimos orbis motus, & vndique minantia pericula tueatur, protegat, conseruet: atque omnia consilia ad communem patriae & Ecclesiae conseruationem suo Spiritu regat. Amen. Data Brunsuigae, pridie Polycarpi martyris, Anno, ab incarnato filio Dei, M. D. XCIII.

Cels. T.
humiliter colens

Polycarpus Lyserus, D. suo & Chemnitianorum haeredum nomine.

EPIGRAMMA MELCHIORIS NEOFANII.

HVnc quoque, si nobis fauissent fata laborem
Expletum studio CHEMNITIIQVE stylo,
Historiam pulcro quo ceperat ordine CHRISTI
Nectere, bis duplicem & conciliare librum:
Nil hoc vtilius multis prodiisset ab annis
Scripto, nullum isto plenius esset opus.
Conatum impediit sancti CONCORDIA libri,
Quo, reor, inuisum nil magis orcus habet.
Quem cùm indefesso studio, assiduóque labore
Vir pius extremum scriberet ante diem,
Prostituit vires, fractas aetate senili
Antè & longinquas conficiendo vias,
Doctorúmque dolos tolerando, irásq; potentum,
Quis erat ingratum religionis opus.
Vtile erat studium hoc, seruata Ecclesia, & isto,
Quo creuit pietas, puráque religio.
Detectaeq; hominũ fraudes, qui dogmata spargũt
Falsa, suis nectunt insidiásque dolis.
O labor eximius, postremi tempore mundi;
Quem tunc aethereo rexit ab axe Deus.
Si produxissent defuncto stamina Parcae
Longiùs, hoc etiam continuasset opus.
Nunc, quantũ expletũ est operis, cõmittitur aure;
Illud posteritas consule grata boni.
Pars operis caeco suppressa latebat in antro,
Nec vestigia erant vlla relicta domi,
Illa meo ad lucem studio curáque reducta est;
Acceptum id referunt secla futura mihi.
Quis verò inceptum hoc felici sidere scriptum,
Atque pium deinceps continuabit opus?
Hũc moderãte Deo, POLYCARPE LYSERE laborẽ
Excipe dehinc humeris ingeniose tuis.
Magna tibi diuûm solertia numine cessit,
Natura, ingenium est, ars simul atque tibi.
Sit tuus iste labor, conatus & iste, redibis.
Ad sacra Leucoreae quando Lycaea scholae.
Sic, quod & ante tibi est, praeclarũ nomẽ habebis:
Ingenij hinc crescet fama magisque tui.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM CONTINENS HISTORIAM BAPTISMI Christi, siue Historiam Christi baptizati.

RATIO ORDINIS, SIVE ἀκολουθίας.

SVpra in prolegomenis ostendimus, Petrum, Act. 1. v. 22. exordium publici ministerij Christi constituere, ad illud tempus, quo à Iohanne in Iordane baptizatus fuit Christus. Rectè igitur & extra controuersiam, optimo ordine, historia baptizati Christi primum locum obtinet, in secundo hoc libro, qui acta primi anni ministerij Christi cōplectitur. Quod verò ad ἀκολουθίαν attinet, sub finem primi libri exposita sunt ea, quibus Baptista, & viam & populum Christo, ministerium suum mox auspicaturo, præparauit. Nec præterea aliæ apud Euangelistas historiæ reperiuntur, quæ Baptismum Christi præcessisse videri possent. Rectè igitur hæc historia præcedentibus, in ordine Harmoniæ subiungitur. Sicut & tres Euangelistæ simul, consentienti narrationis serie, ordinem illum constanter indicant.

HISTORIA BAPTIZATI CHRISTI A Iohanne in Iordane.

MATTH. 3.

13. Τότε παραγίνεται ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην πρὸς τὸν Ἰωάννην, τοῦ βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτοῦ.

14. Ὁ δὲ Ἰωάννης διεκώλυεν αὐτὸν, λέγων, Ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπό σου βαπτισθῆναι, καὶ σὺ ἔρχῃ πρός με.

15. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπε πρὸς αὐτὸν, Ἄφες ἄρτι, οὕτω γὰρ πρέπον ἐστὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην. Τότε ἀφίησιν αὐτόν.

16. Καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος· καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ, καὶ εἶδε τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν.

17. Καὶ ἰδοὺ φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν λέγουσα, Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

13. *Tunc accedit Iesus à Galilæa ad Iordanem, ad Ioannem, vt baptizaretur ab illo.*

14. *At Ioannes prohibebat illum, dicens: Mihi opus est, vt abs te baptizer, & tu venis ad me.*

15. *Respondens autem Iesus, dixit ad illum: Omitte nunc: sic enim decet nos, vt compleamus omnem iustitiam. Tunc omittit illum.*

16. *Et baptizatus Iesus ascendit protinus ab aqua: Et ecce aperti sunt illi cœli, & vidit spiritum Dei descendentem tanquam columbam, & venientem super ipsum.*

17. *Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est.*

MARC. I.

9. Καὶ ἐγένετο ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, ἦλθεν Ἰησοῦς ἀπὸ Ναζαρὲθ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου εἰς τὸν Ἰορδάνην.

10. Καὶ εὐθέως ἀναβαίνων ἀπὸ τοῦ ὕδατος, εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς καὶ τὸ πνεῦμα ὡσεὶ περιστερὰν καταβαῖνον ἐπ' αὐτόν.

11. Καὶ φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῶν οὐρανῶν, Σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

9. *Et factum est in diebus illis, venit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Iohanne in Iordane.*

10. *Et statim cùm ascenderet ex aqua, vidit diffindi cœlos, & Spiritum quasi columbam descendentem super illum.*

11. *Et vox facta est de cœlis, Tu es ille filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est.*

LVC. 3.

21. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν, καὶ Ἰησοῦ βαπτισθέντος, καὶ προσευχομένου, ἀνεῳχθῆναι τὸν οὐρανὸν.

22. Καὶ καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν ἐπ' αὐτόν· καὶ φωνὴν ἐξ οὐρανοῦ γενέσθαι λέγουσαν· Σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν σοὶ εὐδόκησα.

21. *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, vt & Iesu baptizato & orante apertum sit cœlum,*

22. *At descendit Spiritus Sanctus corporali specie quasi columba in ipsum: & vox de cœlo facta est quæ diceret: Tu es filius ille meus dilectus, in te complacitum est mihi.*

De conciliatione & cogmentatione circumstantiarum huius historiæ.

ADuerbium εὐθὺς apud Matthæum, & εὐθέως apud Marcum, quidam vtrobique eo referunt, quod Christus statim, postquam baptizatus erat, ascenderit ex aqua. Alij vtrobique eo referunt, quod statim postquam ex aqua ascendisset, cœli aperti sint. Sed apud Matthæum verba ita posita sunt quod aduerbium *statim* non potest alio referri, quam quod Iesus protinus seu confestim ex aqua ascenderit cùm baptizatus esset. In Marco verò constructio ita potest ordinari, vt sensus sit: cùm ascenderet ex aqua, quod non ex longo aliquo interuallo, sed statim viderit cœlos diffindi. Cúmque vtraque hæc sententia ad illustrandas historiæ circumstantias commoda sit, vtramque in Harmonia distinctè ostendere volui.

Secundo disputatur etiam, an ad Iesum, an vero ad Baptistam referendum sit, quod Matthæus & Marcus dicunt, *vidit cœlos apertos & Spiritum descendentem &c.* Et quia illa quæ proximè antecedunt manifestè de Christo loquuntur, contendunt quidam, & sequentia ad Christum referenda: vt sensus sit, quòd Christus viderit cœlos apertos, sicut Marcus habet: *ascendens ex aqua vidit.* Sed quia ipse Baptista Ioan. 1. v. 34. dicit, se vidisse Spiritum descendentem, quam Baptistæ sententiam, in hac narratione Euangelistarum, expressam esse consentaneum est: Ideo alij sentiunt, ad Baptistam illa verba referenda esse: vt sensus sit, (*vidit*) scilicet Baptista *cælos apertos & Spiritum descendentem.* Si enim ad ipsum Christum hæc sententia referenda esset, Euangelistis vsurpandum fuisse

fuisse reciprocum ἐπ' αὐτὸν *vidit Spiritum descendentem super se*, non ἐπ' αὐτὸν *super ipsum*, sicut Euangelistæ habent. Sed quia non alterutra tantum, sed vtraque sententia vera est, Marci igitur verba ita accipiantur sicut posita sunt: quod Iesus viderit cœlos apertos. Nam ibi ad illum, qui vidit, vox patris in secunda persona dirigitur, *Tu es filius meus, &c.* Et ἐπ' αὐτὸν pro reciproco ἐφ' αὑτὸν accipi potest, *Vidit Spiritum descendentem super se.* Atticorum enim more, αὐτὸς sæpius ἀντὶ τοῦ ἑαυτοῦ vsurpatur, sicut exempla ostendunt. Matthæi verò verba ita accipi possunt: quod Iohannes viderit Spiritum descendentem, sicut ipse Ioh. 1. v. 34. affirmat. Nam & apud Matthæum vox patris quasi ad tertiam, quod dicitur, personam, dirigitur, monstrans ei Christum, *Hic est filius meus, &c.* atque ibi ἐπ' αὐτὸν propriè accipitur, *& vidit Spiritum descendentem super ipsum*, vtramque igitur hanc sententiam in Harmonia distinctè expressimus.

Tertio, quia vox patris apud Marcum describitur in secunda persona illam describit: *Tu es filius meus, &c.* Matthæus verò in tertia persona illam describit: *Hic est filius meus, &c.* cum Augustino quidam sentiunt, alterum tantum dictum fuisse, scilicet sicut duo Euangelistæ, Marcus & Lucas, scribunt, *Tu es filius meus, &c.* In eo verò illud includi, quod Matthæus scribit: *Hic est filius, &c.* Et Matthæum hoc modo vocem patris recitasse, vt ostenderet, ideo vocem paternam Christum ita compellasse, *Tu es filius meus, &c.* non vt Christo illud tunc primum, quasi hactenus ignotum, innotesceret: sed vt Baptistæ & reliquis, qui hactenus illud non nouerant, reuelaretur & declararetur, hunc esse filium Dei, sicut Ioh. 12. ver. 30. Christus inquit: Non propter me, sed propter vos, vox hæc ad me facta est. Illi igitur in Harmonia tantum hoc ponunt, quod Marcus & Lucas scribunt, *Tu es filius meus:* Quod verò Matthæus scribit, *Hic est filius meus, &c.* hoc illi in Harmonia expungunt & omittunt. Sed simplicius & rectius est, vt vox illa patris accipiatur bis repetita: primo ad ipsum Christum, sicut Marcus scribit, *Tu es filius, &c.* secundo ad Baptistam & reliquos, monstrans ipsis Christum, sicut Matthæus scribit: *Hic est filius meus, &c.* Nam & in vaticiniis Prophetarum, vtroque modo vox illa describitur, vt Psal. 2. vers. 7. in secunda persona, Tu es filius meus. In tertia verò persona describitur, Iesa. 42. v. 1. Electus meus est, in quo complacui. Ideo volui Gersonem imitari, qui in Harmonia vocem patris bis ponit: & sicut à Marco, & sicut à Matthæo descripta est.

Reliquarum circumstantiarum coagmentatio, in Harmonia per se patet, si ad singulorum Euangelistarum descriptiones collatio fiat.

HARMONIA HISTORIÆ BAPTIZATI CHRISTI, EX TRIVM EVANGELISTARVM DEscriptionibus, in vnum corpus coagmentata, Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

b Καὶ ἐγένετο ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, a Τότε b ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας (τοῦτ' ἔστι b ἀπὸ Ναζαρὲθ τῆς Γαλιλαίας, καὶ παραγίνεται ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην, πρὸς τὸν Ἰωάννην, τοῦ βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτοῦ. Ὁ δὲ Ἰωάννης διεκώλυεν αὐτὸν, λέγων, Ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι, καὶ σὺ ἔρχῃ πρός με; Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπε πρὸς αὐτόν· Ἄφες ἄρτι, οὕτω γὰρ πρέπον ἐστὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην. Τότε ἀφίησιν αὐτόν. b Καὶ ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου εἰς τὸν Ἰορδάνην. a Καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος· καὶ ἰδοὺ, ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί. c Ἐγένετο γὰρ ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν, καὶ Ἰησοῦ βαπτισθέντος, καὶ προσευχομένου, ἀνεῳχθῆναι τὸν οὐρανὸν, καὶ καταβῆναι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν ἐπ' αὐτόν. b Καὶ εὐθέως ἀναβαίνων ἀπὸ τοῦ ὕδατος, εἶδε (ὁ Ἰησοῦς) σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς, καὶ τὸ Πνεῦμα ὡσεὶ περιστερὰν καταβαῖνον ἐπ' αὐτόν. b Καὶ φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῶν οὐρανῶν, λέγουσα· Σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν σοὶ R. ἐν ᾧ εὐδόκησα. a Καὶ (ὁ Βαπτιστὴς) εἶδε τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν. Καὶ ἰδοὺ φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν λέγουσα, Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα. c Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν.

b *Et factum est in diebus illis, Tunc venit Iesus à Galilæa (hoc est)* b *ex Nazareth Galilææ, & accedit ad Iordanem, ad Iohannem, vt baptizaretur ab illo. At Iohannes prohibebat illum, dicens: Mihi opus est, vt abs te baptizer, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ad illum: Omitte nunc, sic enim decet nos, vt compleamus omnem iustitiam. Tunc dimittit illum.* b *Et baptizatus est à Iohanne in Iordane.* a *Et baptizatus Iesus ascendit protinus ab aqua. Et ecce aperti sunt super illum cœli.* c *Nam factum est cùm baptizaretur omnis populus, vt & Iesu baptizato & orante apertum sit cœlum, ac descenderit Spiritus sanctus, corporali specie quasi columba, in ipsum.* b *Et statim cùm ascenderet ex aqua (Iesus) vidit diffindi cœlos, & Spiritum quasi columbam descendentem super se.* b *Et vox facta est è cœlis, dicens: Tu es filius meus dilectus, in te R. in quo bene complacitum est mihi.* a *Et (Baptista) vidit spiritum Dei descendentem tanquam columbam, & venientem super ipsum. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est.* c *Et ipse Iesus incipiebat esse fermè annorum triginta.*

Periocha Historiæ baptizati Christi à Iohanne in Iordane.

VAlde illustris est hæc historia, cuius singulæ circumstantiæ dignæ sunt, quæ diligenter expendantur, cùm propter exordium Ministerij Christi, tum verò propter res grauissimas, quæ hîc describuntur. Nam primo, verè est hæc historia, sicut Veteres appellarunt, θεοφάνεια, hoc est, tam illustris apparitio & patefactio trium in vna diuinitate ὑποστάσεων seu personarum, vt similis non extet, nec in Veteri nec in Nouo Testamento. Secundò, quid Christus baptizatus nostro baptismo contulerit, pulcherrimè quasi ob oculos ponit hæc historia. Et inde discemus intelligere dignitatem, fructum & efficaciam Baptismi, quo loco actio illa & coram Deo censeatur, & à fidelibus reputanda sit. Tertiò ostendit, quomodo Propheta ille, Deut. 18. v. 15. promissus cum ministerium suum publicè inchoare vellet, cœlesti solennitate & diuina autoritate toti mundo audiendus, renunciatus, & quomodo ad officium redemptionis ac saluationis Spiritu sancto à patre, vt esset Messias, hoc est, Rex & Pontifex noster vnctus, publicè declaratus & confirmatus sit. Has tantas res, Scriptura nobis in hac historia, perpaucis sanè verbis descripta, proponit: de quibus vt piè cogitare, & reuerenter loqui discamus, historia non obiter, tanquam in transcursu, percurrenda est, sed circumstantiæ eius penitus inspiciendæ sunt. Ita non opus erit, peregrinas disputationes aliunde accersere, sed ipsæ circumstantiæ euolutæ & explicatæ, pandent nobis pulcherrima mysteria.

Multum autem lucis historiæ huic accedet, si consideretur quod publica & solennis illa inauguratio Messiæ, vaticiniis veteris Testamenti non tantum prædicta, sed eo ipso planè modo, sicut in hac historia describitur, delineata legitur, quasi Prophetæ præsentis historiæ huius spectatores fuissent. Imò plenius à Prophetis explicatur, quid vox illa paterna & descensus Spiritus indicarit, quàm ab Euangelistis describitur. Vt Psal. 2. v. 7. Ego constitui Regem meum super Zion. Narrabo decretū, quod Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Et Esai 42. v. 1. & seq. Item 61. ver. 1. & seq. multis describitur, quid vox patris, & descensio illa Spiritus super Christum indicarit. Et Ezech. 1. v. 1. figura ministerij Noui Testamenti apertione cœlorum proponitur. Illorum locorum collatio

ad hanc historiam & iucunda & vtilis est.

Sed accedamus ad circumstantias historiæ. Primò enim tempus, quo Christus baptizatus est, diligenter ab Euangelistis describitur. Et solus Lucas disertè dicit, (*anno ætatis*) Christi, secundum assumptam carnem (*trigesimo*) hoc factum: in qua ætate Leuitici generis Sacerdotes, ad publica ministeria admittebantur. Reliqui Euangelistæ notarunt, circa quod tempus ministerij Baptistæ hæc historia acciderit, quod scilicet non statim in principio, cùm Iohannes primum inciperet prædicare baptismum, Iesus venerit, vt baptizaretur: sed cùm per aliquot iam menses, Iohannes in ministerio suo, docendo & baptizando versatus fuerat: Ideo Lucas dicit, cùm non pauci, aut rari: sed *cùm omnis populus baptizaretur*. Et quia summa doctrinæ Baptistæ erat, peculiarem ritum baptizandi sibi diuinitus mandatum esse, vt viam Messiæ, iam iam aduentanti, præpararet, & baptismo suo ipsum manifestaret Israeli, Ioh. 1. ver. 31. Populus igitur desiderio illius manifestationis ita accensus erat, vt cùm per aliquod tempus differretur, quasi moræ impatiens, Iohanni honorem Messiæ deferri vellet, Luc. 3. versic. 15. Tunc igitur, cum via hoc modo satis præparata esset, *Iesus venit*, vt baptismo Iohannis manifestaretur esse Messias. Hanc circumstantiam temporis, Euangelistæ simpliciter ita notarunt. Matthæus inquit: *Tunc venit*. Marcus dicit: *In diebus illis venit, &c.* quibus particulis ad præcedentes historias respiciunt. Non enim cogitandum est, ea, quæ in hac historia describuntur, ex improuiso hominibus antea non præmonitis, accidisse: vel in angulo aliquo occulto, remotis omnibus testibus & arbitris, inter solum Iohannem & Christum ita acta esse, vt ex populo nullus præterea aliquid vel viderit vel audierit, eorum, quæ in baptismo Christi acciderunt. Quia enim Baptista initio sui ministerij, cùm mitteretur ad baptizandum, acceperat responsum illud à Deo de Spiritu descensuro Ioh. 1. vers. 33. Non est verisimile, Iohannem illa, quæ diuinitus acceperat, vel occultasse, vel sibi soli reseruasse, cùm esset vox clamantis. Ordo igitur historiæ, ex primo capite Iohannis, ita contexi potest: cùm omnes apud se cogitarent, Iohannem forsan esse Messiam, Luc. 3. vers. 15. ipse grauiter & accuratè hanc opinionem refutauit. Instante vero populo, vt illum, quem post se aduentare prædicaret, ostenderet & monstraret, quis esset, Iohannes respondit, se illum de facie non nosse, ita vt eum manifestare posset: sed hoc responsum se à Deo accepisse, fore vt in suo baptismo Israeli manifestaretur, & quidem hoc modo, quod super illum in suo baptismo, visurus esset Spiritum corporali specie descendentem Hanc narrationem Baptista ad auditores suos, Ioh. 1. ver. 32. post baptizatum Christum repetit. Sed illam sine dubio ante etiam turbis prædicarat. Magnam autem apud omnes expectationem hac prædicatione concitatam esse, non est dubium, quorum multi post acceptum Baptismum manserunt apud Iordanem, si forsan huic manifestationi interesse possent. His ita, quæ ex primo capite Ioannis colliguntur, positis, illustrior erit accommodatio notationis temporis, quo hæc historia accidit. *Tunc* scilicet, animis populi ita in hanc expectationem erectis, *venit Iesus*, vt baptismo Ioannis manifestaretur Israeli, eo modo quem Iohannes diuinitus sibi reuelatum, populo antea indicauerat, Ioan. 1. v. 33.

Altera circumstantia, ab Euangelistis notata, est descriptio loci. Matthæus enim dicit, venisse Iesum, *ex Galilæa*, Marcus addit, *à Nazareth Galilææ*. Hæc tam accurata descriptio loci eò pertinet, ne Pharisæi calumniarentur, rem istam ex composito ita gestam fuisse, inter Iohannem & Christum. Propter hanc enim causam vterque, in diuersis locis, ita educatus fuit, vsque ad annum tricesimum: vt Ioannes dicat, non noueram ipsum, Ioan. 1. ver. 31. Et cùm ministerium suum Ioannes, in regione circa Iordanem, quæ Peræa vocatur, prædicando baptismum pœnitentię, inchoaret, Iesus se ipsi non adiunxit, sed mansit in Galilæa: vt Iohannes quidem hoc sciret, & publicè prædicaret, Messiam iam natum esse, & venisse in hunc mundum, sed nondum esse manifestatum, & se ipsum de facie non nosse, fore autem, vt in suo baptismo manifestaretur. Et tunc cùm ad Iohannem venit, non antea per aliquod tempus cum ipso familiariter conuersatur & colloquitur, priùs quàm baptismum petat: sed tunc cùm petebat baptismum, veniebat ex Nazareth Galilææ. Et eo ipso, quod Nazaretham Marcus nominat, deducit lectorem ad id, quod Lucæ 2. sub finem ver. 51. scriptum est: quod Christus hactenus sub obedientia Mariæ & Iosephi, priuatam, obscuram & ignobilem, quod dicitur, vitam, tanquam faber Nazarethanus duxerit. Nunc verò, relicta Nazaretha concesserit in Iudæam, quæ sedes erat destinata ad reuelationem & opera Messiæ: *venit* autem *ad Iordanem*, inquit Matthæus: hoc est, ad illum locum, vbi Iohannes publicè turbas baptizabat. Neque enim abditum aliquem locum, è conspectu hominum remotum, Christus baptizandus petiit: sed sicut Lucas expresse dicit, *cum omnis populus baptizaretur, baptizatus est etiam Iesus*. Et hoc diligenter notetur, quod illo tempore, quando Christus baptizatus est, adfuerit Iohanni tanta frequentia populi petentis & accipientis baptismum, vt Lucas dicat: *Cum omnis populus baptizaretur*, & Iesum baptizatum. Inde enim constat, præter Baptistam, multos alios spectatores & testes fuisse eorum, quæ circa Iordanem acciderunt, cum Christus baptizaretur. Ideo enim vocatur manifestatio coram Israele, Ioan. 1. ver. 31. An verò domo aliquis ex Galilæa cum ipso profectus fuerit ad Iordanem, nec affirmari nec negari potest, Euangelistæ enim tacent. Matrem certè, si non spectatricem, saltem consciam fuisse, quòd in baptismo renunciatus esset Messias, inde colligitur: quòd in nuptiis penuriam vini filio indicat, & inquit ministris, quicquid dixerit vobis, facite.

Locus Iordanis, in quo hæc facta sunt, ab Euangelistis non notatur. Scholastica historia dicit tertio lapide à Hiericho locum illum distare, & capellam sancti Ioannis ibi nunc ostendi. Sed quia tunc, cum Christus à tentatione ex deserto reuerteretur, Ioannes in Bethabara baptizauit, Ioh. 1. ver. 28. verisimile est, in illo loco Iordanis Christum baptizatum esse, qui nomen habebat à miraculo traducti populi Israelis in terram promissionis. Ita enim locus ipse commonefactionem præbuit, figuram Iosuæ impleri in Iesu, qui non fluenta Iordanis, sed ipsum cœlum, peccatis nostris clausum, diuidit & aperit, vt vera patria & vera requies se nobis pandat, & noua via introductionis, non in Canaan, sed in cœlestem illam patriam dedicetur, Heb. 10. v. 20. Tunc Iosuæ 3. v. 17 stetit arca fœderis in Iordane, & Deus magnificauit illo die Iosuam, coram omni Israel. Iam vero ille, quem pater proposuit propiciatorium, Rom. 3. v. 5. descendit in Iordanem, & voce patris renunciatur esse filius dilectus. De his figuris ipse locus Bethabara spectatores commonefecit in Baptismo Christi.

Tertiam circumstantiam Matthæus à persona Ioannis & Christi notauit. Iesus enim accedens Iohannem, causam aduentus sui, & quid peteret, exposuit. Ita enim Matthæus inquit: *Venit vt baptizaretur à Ioanne*. Sed Iohannes prohibuit illum, dicens: *Mihi opus est, vt abs te baptizer*. Certum ergo est, quod Iohannes ante descensum columbæ venientem ad se Iesum cognorit eum esse, de quo paulo ante dixerat: *Qui post me venit fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse baptizabit in Spiritu sancto, &c.* Sed quæstio est, quomodo cum hac sententia conueniat, quod Ioh. 1. Baptista bis repetit, ver. 31. & 33. *Ego non noueram ipsum, sed qui misit me dixit, super quem videris, &c.* Variæ autem quæsitę sunt explicationes. Quidam ita interpretantur, quod Matt. 3. v. 14. Iohannes non quidem cognouerit Iesum illum, qui petebat Baptismum, esse Messiam: sed quod ex oculis, incessu & reliquo habitu coniecturam fecerit, esse virum insigni, præ cæteris, pietate præstantem, & ideo ipsum à suo baptismo prohibuerit: Sed nullius hominis tanta fingenda est pietatis perfectio, cui non fuerit opus Baptismo pœnitentiæ, in remissionem peccatorum. Nec cuiquam, præter Christum, tribuendum est, quod baptizet Spiritu sancto, quo baptismo se indigere Iohannes fatetur. Alij locum Ioh. 1. ita exponunt, ex specie & toto externo habitu, quo ad me veniebat, propter summam humiliationem & extremam exinanitionem, non poteram agnoscere, illum esse Messiam: nisi diuinitus mihi reuelatum fuisset. Sed Chrysostomi explicatio omnium simplicissima est: vt illud, quod Ioh. 1. scriptum est, *Non noueram ipsum, &c.* intelligatur de tempore priusquam veniret Iesus ex Galilæa ad Baptismum Ioannis. Tunc enim de facie, quasi ex familiari consuetudine, ipsum non nouerat. Sed cùm veniret ad Baptismum, eodem Spiritu interius reuelante, quo in vtero adhuc existens repletus, ad vocem salutationis Marię exultarat, agnouit illum esse Messiam, quem hactenus de facie non nouerat. Illius verò interioris reuelationis confirmatio & obsignatio fuit publica illa patefactio, quę post baptismum ideò facta est, vt Messias manifestaretur non Ioanni tantum, sed omni Israeli. Et ideo Baptista, non alterius secretę reuelationis, sed publicę illius manifestationis testimonium allegat, Iohan. 1. versic. 33. Hęc est simplicissima collatio horum locorum.

Cùm igitur Iohannes ex interiori Spiritus reuelatione agnosceret Iesum, qui à Galilęa veniebat, esse Christum: noluit eum admittere ad illum baptismum, qui erat pœnitentię baptismus in remissionem peccatorum. Et piam illam contentionem, Iohannis recusantis & Christi petentis baptismum, solus Matthęus annotauit. Est autem pars illa historię ideo diligenter obseruanda. Ostendit enim causas, quare Filius Dei illo baptismo voluerit baptizari, & docet, quos thesauros Christus baptizatus nostro baptismo contulerit. Et hoc est

hoc est vnum ex præcipuis mysteriis huius historiæ. Iohannes igitur definitionem sui baptismi, & personam Christi inter se opponit. *Ego prædico*, inquit, *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Sed vbi non est peccatum, non est opus pœnitentia, nec remissio peccatorum ei necessaria est, qui peccatum non nouit. Et sacramenta diuinitus instituta non sunt profananda: quod fieret si extra vsum à Deo institutum tractarentur. Item: Christus non est tantum sine peccato, sed est agnus Dei tollens peccatum mundi: & est fortior ille, qui baptizat Spiritu sancto, & in cuius fidem reliqui baptizantur in remissionem peccatorum: imo est ipse Filius Dei. Hisce igitur non tam argumentis, quàm demonstrationibus Iohannes motus, prohibebat illum, διεκώλυεν αὐτόν: quod significat, volentem & conantem aliquid non admittere, sed vel verbis, vel facto, & quasi iniecta manu arcere & prohibere. Et præclara est confessio, ac insignis humilitas sanctissimi viri Iohannis Baptistæ; qui in vtero repletus fuit Spiritu sancto, & quo maior non surrexit inter natos mulierum, cùm inquit: *Ego opus habeo vt abs te baptizer.* Non dicemus hîc, quod Thomas ex Apocryphis recitat, Iohannem postea à Christo aqua baptizatum fuisse, sed ex ipsius Baptistæ verbis interpretationem, quæ fallere non potest, sumemus: inquit enim, *Ego baptizo aqua, sed qui post me venit baptizabit Spiritu sancto.* Et hoc baptismo sibi opus esse Iohannes fatetur, vt scilicet Spiritu à Christo baptizetur. Comprehenduntur autem sub appellatione *baptismi Spiritus*, omnia beneficia Noui Testamenti, totum meritum Christi, & applicatio eius. Effundit enim spiritum regenerationis & renouationis, vt iustificati, ipsius gratia, hæredes simus vitæ æternæ, Tit. 3. v. 5. Confitetur itaque Iohannes, 1. Se non posse à peccatis mundari, & hæredem esse vitæ æternæ, nisi per Christum. 2. Quod ad gratiam & salutem, quæ verbo & Sacramentis offertur, non possit se applicare, nisi Spiritu sancto baptizetur. Et Spiritum sanctum se non posse promereri, sed sibi opus esse, vt à Christo Spiritu baptizetur. 3. Non posse se ex propriis viribus boni aliquid facere, nisi Spiritu renouationis donetur à Christo. 4. Et quanquam beneficia illa fide iam possidebat, tamen, inquit, opus mihi est vt à te baptizer; hoc est fatetur, se non posse in gratia perseuerare & salutem acceptam, ac reliqua beneficia retinere, nisi Christus Spiritu suo hoc in ipso operetur. Hæc insignis est confessio, docens, etiam sanctissimos debere in negotio salutis totum tribuere Christo. *Ego*, inquit Baptista sanctissimus χρείαν ἔχω, *indigentiam habeo, vt à te baptizer*, Spiritu scil. Agnoscit igitur, se non esse perfectum, quia, inquit, indigentiam habeo.

Sed audiamus, quomodo ad illa Iohannis argumenta Christus respondeat. *Omitte nunc*, inquit. Syrus habet verbum שבק, quod significat permittere, concedere. Concedit siquidem, argumenta illa quo ad personam suam vera esse: sed ex ratione exinanitionis & officij sui respondet, inquit *Sine modo*. Quod nequaquam significat (absque modo) sicut Scholastica historia explicat: sed est verbum ἄφες quod significat, non arcere, sed permittere. Ἄφεσις enim appellatur, quando equi ex carceribus, quibus detinebantur, & à cursu arcebantur, dimittuntur. Et aduerbio ἄρτι sine dubio intelligi vult tempus ministerij sui, quod veteres ex Paulo vocant οἰκονομίαν, hoc est, dispensationem siue administrationem domus, pulcherrima appellatione. Filius enim Dei missus est à patre, non propter vniuersalem mundi gubernationem: sed propter domum Dei, in qua pater ipsi commisit & mandauit negotium redemptionis ac saluationis. Illam vero administrationem siue οἰκονομίαν, hoc est, dispensationem domus Domini, filius summa cum exinanitione in negotio redemptionis, iuxta mandatum patris exequitur, in diebus carnis suæ, & illos dies exinanitionis ac ministerij hoc loco vocat τὸ ἄρτι. Obseruanda est autem ex illis verbis Christi vtilissima Regula, quod multa argumenta de Persona Christi soluantur & explicentur ex ratione dispensationis ministerij Christi: Argumenta enim Baptistæ de persona & naturis concedit Christus. Ad consequentiam vero respondet. Nunc, quia versor in Oeconomia redemptionis, quæ humiliatione & exinanitione iuxta Patris mandatum, perficienda est, alia est ratio. *Omitte igitur nunc.*

Illa verò sententia, quæ sequitur, *Sic decet nos implere omnem iustitiam*, diligenter expendenda est. Complectitur enim doctrinam, quare Christus voluerit baptizari eo baptismo, qui pro peccatoribus institutus est. Et inde etiam colligitur, quid Christus baptizatus nostro baptismo contulerit. Variis autem opinionibus nō tam declarata quàm obscurata fuit illa sententia. Quidam ita interpretati sunt. Ille implet omnem iustitiam, qui quod alios docere vult, prior ipse facit; ita quia Christus instituturus erat baptismum, prius voluit ipse baptizari. Alij ita. Iustitia est, non quibusdam tantum, sed cuique reddere suum: quia ergo qui baptizantur, Dei obedientiæ se subiiciunt, miserentur animæ suæ, & proximum exemplo ædificant, dicuntur implere omnem iustitiam. Reddunt enim quod suum est omnibus, scilicet Deo, sibi & proximo. Sed ita ex Baptismo efficitur meritum ex opere operato. Alij igitur dicunt. Quia maior iustitiæ pars est humilitas, & maxima humilitas est inferiori se subiicere: ideo Christus dicit, se implere omnem iustitiam, quando in manibus Iohannis, ministri sui, submittit baptizandum. Vel, quia iustitia significat, quod à Deo institutum & mandatum est: igitur quidam existimant, hunc esse sensum: A nobis, qui iustitiæ Magistri sumus, nihil quod iustum est, quod diuinæ voluntati probari agnouerimus, quamlibet minutum aut leuiculum videretur, licet necessitate ad illud astricti non simus, prætermittendum est, sed decet nos omnem iustitiam, siue sit magna siue minima, implere. Sed hæc videtur esse extenuatio baptismi: & ex facto hoc Christi facit quasi hypocrisin, quod in speciem tantum susceperit baptismum. Et hæ interpretationes omnes non explicant doctrinam illam, quid Christus baptizatus nostro Baptismo contulerit: quam tamen in verbis illis comprehendi non est dubium. Et quia magnus & necessarius doctrinæ huius vsus est, inquirendum est, quomodo vera sententia horum verborum simplicissimè deprehendi possit.

Phrasis illa, quid sit implere iustitiam, quando de aliis hominibus dicitur, facile intelligitur. Ita enim Scriptura sæpè loquitur: Implere iustificationes, iudicia, mandata Dei, sermones legis, verba pacti, omnia quæ scripta sunt. Leuit. 25 v. 18. Deut. 4. v. 6. 11. v. 32. 26. v. 16 29 v. 9. 31. v. 12. 32. v. 46. Quando verò Christo Mediatori tribuitur impletio iustitiæ, sensus hic est: Pater misit Filium in hunc mundum, vt fieret nobis iustitia, 1. Cor. 1. v. 30. Idque hoc modo vt factus sub lege fieret victima pro nobis, & de peccato damnaret peccatum: vtque ita iustitia legis impleretur in nobis, Roman. 8. v. 4. vtque daret ministerium reconciliationis, vt ita nos efficeremur iustitia Dei in ipso, 2. Cor. 5. v. 21. Fuit ergo officium Christi Mediatoris, omnia illa, quæ ad consequendam illam iustitiam, qua coram Deo ad vitam æternam iustificamur, pertinet implere, vt ita ipse in solidum esset iustitia nostra. Impleuit autem hanc iustitiam: primo, quando victima pro nobis factus, peccata nostra sustulit, & perfectissima obedientia Legi prò nobis satisfecit. Secundo autem, vt iustitia illa nostra fiat, & nobis applicetur, opus est mediis seu organis, per quæ iustitia illa, obedientia & sanguine Christi acquisita, nobis distribuatur, & efficacia Spiritus nobis applicetur, quod Paulus 2. Cor. 5. v. 18. vocat ministerium reconciliationis. Christus igitur illa etiam media siue organa voluit sanctificare, quæ & ipsa pertinent ad iustitiam fidei, vt sciremus, Deum per illa velle efficacem esse, vt sint potentia Dei ad iustitiam omni credenti, Rom. 1 v. 16. Sensus igitur verborum Christi ad Baptistam hîc erit. Ad officium Ministerij mei pertinet, illius iustitiæ, qua credentes gratis coram Deo ad vitam æternam sanctificandi sunt, non partem aliquam, sed omnia, quæ ad illam pertinent, implere. Ministerium vero Euangelij siue reconciliationis, sicut Paulus vocat, quod iam in me cœlitus dedicabitur, & confirmabitur, & ipsum lauacrum aquæ in verbo sunt media seu organa, per quæ Iustitia illa distribuitur & applicatur. Ergo vt non partem aliquam, sed omnem Iustitiam impleam, Dei voluntas & ordo est, vt baptizer, atque ita ministerium verbi & Sacramentorum sanctificem. Et τὸ πρέπον, non significat hoc loco externam speciem decori, sicut 1 Cor. 11. v 13. sed quod ex Dei ordinatione, & iuxta voluntatem eius fieri conuenit, & debet, sicut vsurpatur Heb. 2. v. 10 & 7. v. 26. Talis nos decebat Pontifex, qui esset impollutus. Ita Lutherus interpretatur hæc verba Christi, vt illis ostendatur, quod Christus voluerit baptizari, non propter illam causam, quæ in reliquis vsum baptismi necessarium reddit, sed vt sanctificaret illum vt sit medium seu organon applicationis iustitiæ fidei.

Hæc explicatio simplicissimè & pulcherrimè monstrat doctrinam, quid Christus baptizatus nostro baptismo contulerit. Prius vero ille nodus expediendus est, qui lectorem perturbare posset. Christus enim de hac impletione iustitiæ loquitur pluraliter, *Nos decet implere*: cùm certum & indubitatum sit, Christum solum iustitiam illam impleuisse. Et quidam non malè sentiunt, Christum de se plurali numero locutum, sicut Ioh. 3. v. 11. inquit, quod scimus loquimur, & quod vidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Sed accipiamus sanè sicut verba sonant, quod Christus loquatur de se & de Iohanne, quando inquit: *sic decet NOS omnem iustitiam implere.* Nihil verò incommodi habebit sententia, sed præbebit vtilem doctrinam. De merito enim iustitiæ per obedientiam, satisfactionem & passionem Christi acquisitæ recte accommodatur ad Christum illud Esa. 63. v 3. Torcular calcaui solus: circumspexi, & non erat auxiliator, &c. Sed de

mediis siue organis distributionis & applicationis dicit Paulus 1. Corinth. 3. 9. *Nos ministri sumus, συνεργοὶ Dei*, & 2. Cor. 5. v. 19 *Posuit in nobis verbum reconciliationis. Deo exhortante per nos, &c.* Idem igitur Christus, qui meruit nobis iustitiam, distribuit etiam & applicat illam: sed alteram solus impleuit, ad alterum verò vtitur etiam opera ministrorum, ita tamen vt Minister tantùm sit vox clamantis, & baptizet aqua, sanctificatio verò & efficacia verbi & Sacramentorum sit solius Christi. Sed tamen ita coniuncta hæc sunt, quod Deus quidem regenerat, sed per verbum, 1. Petr. 1. v. 23. Christus sanctificat & mundat Ecclesiam, sed lauacro aquæ in verbo, Ephes. 5. v. 26. Et ad Timotheum Paulus dicit, 1. Tim. 4. vers. 16. *Hæc faciens, teipsum saluum facies, & auditores tuos.* Et in eandem sententiam hoc loco etiam pluraliter Christus inquit: *decet NOS implere hanc iustitiam.* Hoc modo pluralis numerus rectè explicatus, præbet doctrinam contra fanaticos, ne spreto externo ministerio, distributionem & applicationem iustitiæ *diuinæ* à Christo expectemus.

Ad hanc explicationem verborum Christi, congruit etiam hæc Chrysostomi sententia: *Baptizari dignatus est, non vt peccata deponeret, qui peccatum solus non fecerat, sed vt aquas Baptismi solus sanctificaret, ad diluenda peccata credentium. Nunquam enim aqua Baptismi purgare peccata credentium potuissent, nisi tactu dominici corporis sanctificata fuissent. Ille ergo baptizatus est, vt nos à peccatis lauaremur, &c.* Hæc Chrysostomus. Hoc igitur tenemus, Christum ideo baptizatum esse, vt haberemus Baptismum ab ipso sanctificatum, vt sit medium distributionis & applicationis Iustitiæ. Sed quomodo sanctificatio illa facta sit, in illa parte historiæ, quæ sequitur, explicatur.

Iohannes igitur, audita illa Christi responsione, destitit à sua prohibitione, & admisit ipsum ad suum baptismum. Id quod non sine singulari Spiritus exultatione fecit: tum quia in implenda illa parte iustitiæ Christus ipsius ministerio vti volebat, tùm verò præcipuè, quia ex diuino responso Iohan. 1. v. 33. sciebat, futuram in hoc Baptismo illustrem illam patefactionem Sanctæ Trinitatis, quæ secuta est. De actione verò illa, quomodo in Iordane baptizatus sit Christus, Marcus hęc tantum verba notauit. *Et baptizatus est à Iohanne in Iordane.* Ex circumstantiis tamen historiæ quædam huc pertinentia colligi possunt, quorum consideratio in hac tanta historia non iniucunda est. Non voluit Christus ad baptismum suum sumi aquam peculiaribus ritibus vel preculis antea exorcisatam, & consecratam, sed simplex aqua fuit præterfluentis Iordanis. Neque verò aqua ex Iordane hausta, & in peculiare vasculum infusa, sed in ipso Iordane, inquit Marcus, baptizatus est Christus. Et quia Euangelistæ dicunt, Iesum baptizatum ascendisse ex aqua. Ergo vterque in ipsam aquam in Iordanem descenderat. Sicut Act. 8. v. 38. de Philippo & Eunucho scribitur, descenderunt ambo in aquam. Et Iordanis situs ita describitur. Iosuæ 3. v. 15. Syrach 24. v. 36. Iordanis solet tempore messis omnes ripas suas implere: Quia ergo tum, cùm Christus baptizaretur, nondum erat tempus messis, ripæ non fuerant impletæ, sed descendendum fuit. Et quod non steterint in ripa iuxta aquam, sed in ipsam aquam descenderint inde colligitur, quod Euangelistæ dicunt: *Ascendit ex aqua.* Iesus igitur stans in aqua, in Iordane, à Iohanne, qui etiam in aquam descenderat, baptizatus fuit. Porrò, an illud factum sit mersione corporis Christi in aquam, an verò perfusione aquæ super corpus Christi, non anxiè disputabo. In Ezechiele certè dicitur, *Effundam super vos aquam*, cap. 36. v. 25. Sed hoc certum est, corpus Christi aqua Iordanis tinctum & ablutum fuisse, siue illud mersione, siue perfusione factum fuerit. Sufficit enim si sit ablutio vel lauacrum, 1. Cor. 6. v. 11. Ephes. 5. vers. 26. Tit. 3. v. 5.

Illud verò prætereundum non est, quod Matthæus dicit. *Iesus εὐθὺς statim ascendit ex aqua.* Videntur etiam Euangelistæ significare, peculiare hoc fuisse in baptismo Christi, quod protinus ascenderint ex aqua. Ac videtur ratio hæc esse. Quãdo Iohannes alios baptizauit, inter baptizandum sine dubio multa de pœnitentia & de fide in venturum Christum locutus est, & post baptizationem priusquam ex aqua ascenderent, videtur baptizatis inculcasse fidem Baptismi, & fructus dignos pœnitentiæ, Matt. 3. v. 8. Sed in Christo, quia alia ratio & causa Baptismi erat, Iohannes hoc non fecit. Statim ergo ex aqua rursus ascenderunt.

Lucas verò solus hoc annotauit, Christum, cùm ex aqua ascendisset, statim in ripa Iordanis ad orationem se composuisse vt indicaret, qua fide & deuotione mentis Sacramenta suscipienda sint. Sine dubio autem interiori desiderio, & eleuatione mentis ad Deum, etiam ante Baptismum & inter baptizandum orauit. Sed Lucas hoc vult dicere, quomodo, cum baptizatus esset, in ipsa ripa Iordanis, exterioribus corporis gestibus se composuerit ad seriam & ardentem orationem, vt spectatorum oculos & aures in se conuerteret, vtque certum esset, quem vox paterna designaret. Quia verò patefactio diuinitatis, mox secuta, ostendit orationem Christi exauditam fuisse, non præter rem erit, considerare, qualis fuerit illa oratio, quæ tam illustri miraculo exaudita esse monstrata fuit. Ex circumstantiis autem hoc colligi potest Absque omni enim dubitatione Christus in illa oratione sibi proposuit res illas maximè serias, quæ in hac historia agebantur. Primo enim, ad officium redemptionis & saluationis generis humani, cœlesti solemnitate renunciandus erat Secundo designandus erat esse magnus ille Propheta, de quo Deut. 18. vers. 18. Ac ministerium Noui Testamenti in ipso dedicandum erat, sicut Isa. 61. ver. 1. describitur. Tertio de sanctificatione & efficacia Baptismi agebatur. Has tantas res in oratione sua Christus complexus fuit, vt inchoatio, progressus & vsus huius ministerij efficax & salutaris esset, quia in medio inimicorum dominatus erat, Psal. 110. v. 2. Illa verò Christi oratio nõ simpliciter exauditur, sed illustri & miranda totius diuinitatis patefactione confirmatur dignitas & efficacia ministerij Euangelij, quod filius Dei tunc inchoaturus erat.

Hæ circumstantiæ iusta diligentia obseruatæ monstrant, quàm plena pulcherrimis ministeriis sit hæc historia de baptismo Christi, & quid Christus baptizatus nostro baptismo contulerit. Non enim solam aquam & nudum verbum nostrum baptismum habere sine Christo, sed sicut in hac historia pulcherrimè depingitur, Christus ipse descendit in Baptismum cum suo corpore, atque ita illa, quæ in corpore carnis suæ promeruit & acquisiuit, quasi deposuit in Baptismo, ita vt per illud medium distribuantur & applicentur. Ita Christum induimus in baptismo, Ga. 3. vers. 27. Ita σύμφυτοι efficimur in mortem Christi per Baptismum, Rom. 6. v. 4. Ita Christus mũdat Ecclesiam lauacro aquæ in verbo, Ephes. 5. v. 26 Baptismũ enim cum nobis peccatoribus communem suscepit, vt ita testaretur, nos per Baptismum effici membra ipsius, & coalescere quasi cum ipso; *In vnum enim corpus baptizamur.* 1. Corinth. 12. v. 13. Hæc doctrina plena est suauissimæ consolationis: quod filius Dei nostro loco, & nostrum omnium personã vt Mediator sustinens vt agnus, onustus peccatis totius mundi, accedit ad baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, effecturus, vt per illud ministerium impleatur omnis iustitia. Et quia nostra res agitur, auscultemus & attendamus quid secuturum sit. Inde enim discemus, quando peccator ad Baptismum accedit, quid ibi agatur, quo loco actio illa corã Deo censeatur: An, Cur, & Quomodo Deus baptizatum recipiat. Petrus enim pulcherrima appellatione Baptismum vocat ἐπερώτημα εἰς θεὸν, 1. Pet 3 v. 21. Et quando in Veteri Testamento in casu aliquo os Domini interrogabant, vt certi redderentur, quomodo Deus in tali casu affectus esset erga ipsos, Græci semper vsurpant verbum ἐπηρώτησαν κυρίῳ, & διὰ κυρίου, &c. Baptismus igitur est consolatio, qua inter Deum & peccatorem, qui baptizatur, agitur de bona conscientia erga Deũ: propter Christum, hoc est, quomodo Deus erga baptizatum affectus sit, quid conscientia baptizati de gratia Dei sibi promittere debeat. Ad hanc interrogationem hæc historia mõstrat responsionem. Accommodatio autem historiæ ad hanc doctrinam plena & facilis est, si tantum hoc consideretur, quòd Christus nostrũm omnium personam sustinens, baptizatur, agens cum Deo de distributione & applicatione iustitiæ, quam obedientia & passione sua promeriturus erat. Cœlum igitur super Christum baptizatum aperitur: Spiritus sanctus descendit: vox Patris auditur: *Tu es filius meus dilectus, &c.* Et quia nos baptizamur non Baptismo, à quo Christus sẽ paratus est, sed in mortem ipsius baptizamur. Rom. 6. v. 4. Christum induimus. Gal. 3. v. 27. & morti eius complãtamur, Rom. 6. v. 5. Hæc igitur, quæ in hac historia describuntur, ad nostrũ etiam baptismum suo modo, tanquam ad membra Christi capitis nostri, pertinere non dubitemus. Per Baptismum enim efficimur membra Christi.

Hæc sit mediocris commonefactio de illa doctrina, quid Christus nostro baptismo contulerit, quando à Iohanne baptizari voluit. Et obseruetur, quod suauissima hæc doctrina obscuratur & planè tollitur, quando tale discrimen inter baptismũ Iohannis, & quo nos baptizamur, ponitur, sicut Scholastici disputant. Tollitur enim fundamentum consolationis, eundem scilicet esse baptismum, quo nos baptizamur, & quo Christus baptizatus est.

Duo autem adhuc restant explicanda, patefactio scilicet Trinitatis, & solennis renunciatio ministerij Christi. Et explicationem ex consideratione & collatione circumstantiarum sumemus. Consentiunt igitur Euangelistæ *Cœlum apertũ fuisse.* Ipsam verò apertionem ita describunt; quod alter alterius verba pulcherrimè declarat. Lucas enim dicit, *Cœlum fuisse apertum.* Matthæus verò clarius, ἀνεῴχθησαν αὐτῷ, hoc est, non vniuersum cœlum, nec super totam terram, sed illa pars cœli, vbi Christus in ripa Iordanis orabat, super ipsum aperta fuit, ita

ita vt non super Iohannem, nec super reliquos qui aderant, sed super solum Christum videretur apertum esse. Hic enim est sensus verborũ Matthæi. Modũ vero apertionis Marcus describit: dicit enim, *visos esse cœlos σχιζομένους*. Et vocabulũ illud vsurpatur de tribus ruptis. Luc.5.vers.36. de veste scissa, Matth. 9.v.16 Iohan.19.vers.24.& de velo templi, quod scindebatur in duas partes, Matth.27.vers.51. Syrus habet verbum פרס, quod significat diuidere, scindere, vel findere. Quidam verò hoc loco satis frigidè de hac cœli apertione philosophantur: quasi fuerit tantum Chasma in aëre, sicut accidit, quando visus propter obiecti distantiam deceptus iudicat esse aperturas in modum vel fenestræ vel voraginis in ipso cœlo, cum tãtum in aëre sit φαινόμενον quando lumen in exhalationem, quæ in medio densior, in extremitatibus rarior est, incidit: tunc enim extremæ partes, quæ lumine penetrantur, apparent propinquiores, media verò & densior pars, quia lumine non penetratur, nigra apparet, & quæ nigra sunt, physica ratione videntur longius distare, quàm quæ lucida sunt. Inde in Chasmate visui apparet, quasi sit ruptura, foramen, vel hiatus in ipso cœlo, cum re vera non sit. Hæc disputatio in Meteorologicis quidem locum potest habere, hoc verò loco, tanquam profana, non est recipienda. Non enim fuit ludificatio oculorum, nec φαινόμενον physicum; quia extraordinarium & verè diuinum fuit miraculum, adhibitum ad confirmationem rerum grauissimarum. Hieronymus disputat, apertionem illam cœlorum non factam reseratione elementorum, sed oculis spiritualibus oblatam visionem, quam solus Iesus viderit, sicut Ezechieli & Stephano. Alij addunt Scripturæ phrasin esse. Quando enim illustrior aliqua diuinæ Maiestatis apparitio describitur, tunc cœlum, quia est arcana sedes gloriç Dei, dicitur apertum, vt Ezech.1.vers.1. Actorum 7. vers. 56. & 10. vers.11. Iohan.1.vers.51. Sed quia non Iesus solus, sed & Iohãnes & reliqui spectatores, propter quos illa fiebant, id viderũt, & visio columbæ non fuit imaginaria, sed corporalis, sicut Lucas loquitur, & auditio vocis paternæ fuit sensibilis: simpliciter itaque intelligatur, quod Marcus dicit, *visos cœlos σχιζομένους*, hoc est, illam partem mundi, quæ propriè cœlum dicitur, visam fuisse apertam. Neque enim Philosophica cœlorũ soliditas obstat, quo minus illud fieri potuerit. Et hæc sententia historiæ simplicissimè & optimè quadrat. Debebat enim hæc apertio cœli testimonium esse de cœlesti origine huius Doctoris & doctrinæ eius, quæ per ministerium verbi & Sacramentorum cœli portas credentibus reseratura esset, quódque Christus suo officio copulaturus esset quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, Ephes.1.vers.10. Et Baptistæ testimonium hac visione aperti cœli confirmandum erat, vocem nimirum illã, quæ audiebatur, verè esse cœlestis patris vocem, & illud quod videbatur in columbæ specie descẽdere, esse ipsum Dei Spiritum. Et quia in tam illustri patefactione iucundum est aliquid cogitare posse, quale fuerit spectaculum aperti cœli, potest huc addi collatio reliquorum Scripturæ locorum, in quibus describitur cœlum apertum fuisse. Plerunque autem in apertione cœli mentio fit vel ignis, vel splendoris & lucis. Deus enim inhabitat lucem inaccessibilem, cuius specimen aliquod in apertione cœlorum ostenditur, vt Ezech.1. vers.1.4. Reg.2.v.11. Apoc.4.v.1.11.v.19.19.v.11.& Col.1.v.12. hæreditas cœlestis vocatur sors sanctorum in lumine. Vidit ergo Baptista cœlum supra Christum, in ripa Iordanis orantem, quasi in duas partes scissum, sicut Marcus loquitur, & ex illa scissura siue apertura (quæ propter cœli distantiam aliàs non potuisset certam personam demonstrare, & ab aliis prope astantibus distinguere.) vidit emicantem, & per radios è cœlo vsque ad Christum, in ripa Iordani ad orationem compositum, se porrigentem lucem augustiorem, & diuiniorem, quam pro huius mundi ratione: qualis fuit illa, quæ Paulum circumfulsit, Actor.9.v.3.22.v.6.26.v.13. Ex illa etiam scissura cœli (sicut Marcus appellat) & in cœli illa luce Spiritus sanctus corporali specie columbæ descendendo, sensim se dimisit, donec species illa manens insideret Christo. Inde etiam vox patris audita & in luce illa super Christum delata fuit. Nam & postea in transfiguratione, Matth.17.v.5 vox illa patris in luce super Christum repetitur, quod ad illustrandam hanc historiam diligenter obseruandum est.

Obseruanda etiam est narratio Baptistæ, quæ Ioh.1. extat de hac apparitione: vtitur enim duobus vocabulis, v.34. ἑώρακα, & v.32. τεθέαμαι, sicut.1.Ioh.1.v.1. etiam coniunguntur. Et Matth.6.v.1.& 23.v.5. θεάομαι ita vsurpatur, omnia opera sua faciunt πρὸς τὸ θεαθῆναι, vt spectentur ab hominibus. Sensus igitur narrationis Baptistæ, Ioh.1. hic est, se summa cum attẽtione, delectatione & admiratione inspexisse stupendam & illustrem hanc patefactionem diuinç maiestatis. Antea enim Baptista responsum acceperat à Deo, de futura tali reuelatione, & inde agnouit & aliis testificari potuit Spiritum Sanctum esse, qui ex aperto cœlo in luce illa corporali specie columbę descendebat. Addit autem Baptista, quod nec Matthæus, nec Marcus, nec Lucas annotarunt, speciem illam corporalem, qua Spiritus descendit, mansisse super Christum, hoc est, non protinus euanuisse, sed insedisse Christo, donec vox patris audiretur, & Spiritus ipsum à turba in desertum expelleret. Talis consideratio circumstantiarum profectò iucunda est & multa monet.

Et hæc est admiranda illa, ex luce maiestatis diuinæ, quæ aliàs inaccessibilis est, patefactio, cuius similis non extat: in qua tres distinctæ personæ vnius diuinæ essentiæ tam illustri discrimine reuelatæ sunt. Et non est contra Sabellium vlla firmior refutatio, quam hæc patefactio, sicut Epiphanius multa argumenta ex hac historia texit. *Si non credis*, inquit, *in diuina essentia quæ vnica & simplex est, esse tres distinctas personas, contemplare Iohannem ad Iordanem, & videbis Filium Dei in assumpta carne, in ripa Iordanis procumbentem in genua, & in illo tota plenitudo diuinitatis habitat, Colos.2.vers.9. quia filius τῆς αὐτῆς οὐσίας ἐστὶ Patri & Spiritui sancto. Ne verò credatur esse συναλοιφὴ τελεία ἡ πάντη ἐν ὑποστάσει, videtur Spiritus sanctus peculiari specie corporali descendere super Christum, in quo tota plenitudo diuinitatis habitat. Iam Spiritus sanctus non assumpsit corpus in vnitatem personæ. Hoc enim modo solus filius corpus assumpsit. Voluit tamen in illa patefactione χρήματι τινὶ φανῆναι, peculiari, non humana, sed columbina specie apparere, vt distinctio personarum aliquo modo clarius nobis ostendatur. Et cùm filius in carne manifestatus in Iordane videtur, Spiritus etiam peculiari specie columba super Christum manens apparet: Tunc pater sonat vocem ex aperto cœlo, Hic est Filius meus dilectus.* Rectè igitur ex hac patefactione Epiphanius concludit: Filius non est ἑτερόπιστος, nec ταυτοπρόσωπος, sed ὁμοούσιος Patri & Spiritui sancto, ita vt sit ἐνυπόστατος Pater, ἐνυπόστατος Filius, ἐνυπόστατος Spiritus sanctus. Ita ergo fides simplicissimè concipere poterit agnitionem Trinitatis, si in inuocatione cogitationes refert ad hanc patefactionem circa Iordanem factam: quæ non nudum tantum personarum discrimen proponit, sed officia siue beneficia cuiusque personæ, quæ in inuocatione cogitanda sunt, describit. Pater enim Filium dilectum misit in hunc mundum, & in illo Filio placatur mundo. Filius carnem assumpsit, vt impleat omnem iustitiam. Spiritus S. descendit ad ministerium, quod Esa.c 61. vers.3. describitur, vt prædicet captiuis indulgentiam, clausis apertionem, vt contritis corde medeatur & consoletur omnes lugentes, &c. Hæc est vera agnitio Trinitatis, cuius vsus in inuocatione intelligitur. Breuiter verò tantum notamus ea, quę alibi latius explicantur.

Quod verò Spiritus Sanctus peculiari visibili specie apparuit, ideo factum est, quia pater prædixerat Baptistæ, fore vt ita confirmaretur, Christum baptizare Spiritu, Iohan 1.vers.33. Et inde rectè extruitur hæc doctrina. In nostro baptismo nõ tantum ad actionem ministri respiciendum esse, sed adesse huic ministerio totam Trinitatem. Ibi enim induimus Christum baptizati & insiti in mortẽ ipsius, qui Spiritum regenerationis & renouationis copiose in nos effundit. Ibi vox complacentiæ patris recipientis nos, sonat. Tit.3.vers.6. quæ soli fidei perceptibilis est. Atque ita baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum, per resurrectionem Christi, 1. Pet.3.vers.21.

Postremò considerandum est, quomodo in hac historia, cœlesti & planè diuina auctoritate, vniuerso humano generi promulgetur, confirmetur & obsignetur, & officium redemptionis, & ministerium Christi: de Propheta enim suscitando, Deut.c.18.v.18. ita loquitur: *Ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ in nomine meo loquetur, audire noluerit, ego requiram.* Cum igitur Iesus, pro inchoatione & confirmatione ministerij sui oraret, cœlum supra ipsum apertum est, vt esset testificatio, non humanam, non terrenam, sed cœlestem & diuinam esse doctrinam Christi, quam rationi ignotam ex sinu patris ad nos detulerit, Iohan.1.vers.18. Et luce cœlesti ostenditur efficacia huius doctrinæ & ministerij, quod sit lux illuminans omnem hominem, Iohan.1.vers.9. Et conferantur huc illa dicta Pauli, 2.Corinth.4.vers.4. *Illuminatio Euangelij gloriæ Christi.* Item vers 6. *Illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. Et* 2 Cor.3.v.18 *Nos reuelata facie gloriam Domini speculantes, transformamur à claritatem in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Ephes.1.vers.18. *Det illuminatos oculos cordis, &c.*

Hæc igitur apertio cœli ostendit, Christum officio redemptionis & ministerio verbi ac Sacramentorum aperire cœlũ, vt habeamus aditum & accessum ad thronum gratię in regno cœlorum. Et descensus Spiritus confirmat, doctrinam esse ministerium Spiritus. 1.Cor.3.v.8. *Verba enim mea*, inquit Iohan. 6.vers 63. *sunt Spiritus & vita.* Descendit autem tunc Spiritus sanctus visibili specie, & mansit super Christum, non quod hactenus Spiritu Dei vacuus fuerit. *Tota enim plenitudo diui-*

nitatis in ipso habitauit corporaliter, ab ipsa statim conceptione. Col.2.v.9.Mat.1.v.20.sed quia prædictum erat,fore,vt Messias inchoaturus officium Mediatoris vngeretur,non oleo corporali,sed Spiritu S.Psa.45.v.8. Et Esa.61.v.1.vt omnibus constaret,hunc Prophetam audiendum esse, qui diuina auctoritate cœlitus sit missus & confirmatus.Ideo Lucas dicit, hanc patefactionem factam esse, non cùm soli essent Iohannes & Christus,sed cùm omnis populus baptizaretur. Ideo enim visibili specie Spiritus descendit,& vnxit Christum,vt esset publicum testimonium apud homines. Fuit igitur valde illustre spectaculum, multis stupendam illam reuelationem cum admiratione spectantibus. Et Spiritus sancti quidem vocem vllam, cùm descenderet,auditam fuisse, Euangelistæ non meminerunt:Esaias verò cap.6.multis verbis describit, quæ fuerit forma vocationis siue missionis Christi, dũ Spiritus super ipsum descenderet & maneret.Et quia scripta Prophetarum vulgata tunc & nota erant, visibilis illa species Spiritus spectatores ad illum locum Esaiæ remisit. Postea verò Christus ipse visibilem hanc descensionem Spiritus hoc modo interpretatur, Luc.4.v.18. Illa igitur pars huius historiæ, de Spiritu Dei descendente super Christum,non potest rectius illustrari,quàm adhibito loco illo Esa.61.v.1.Ibi enim describitur,quæ fuerit forma vocationis & missionis Christi, cùm Spiritus sanctus descenderet.Et interpretatio non est dubia. Est enim ipsius Christi,Luc.4.v.18.

Porrò operosè disputatur,an fuerit vera columba, an verò species tantum,seu simulachrum columbæ. Tertullianus cõtra Marcionis phantasmata disputans, inquit: *tam verè erat columba,quàm verè erat Spiritus.* Et in libello de agone Christiano,qui Augustino tribuitur,ca.22.disputatur: *Spiritum non fallaciter apparuisse oculis hominum, & spectatoribus imaginario phantasmata illusisse: sed verum fuisse animal, de nouo sine aliarum columbarum ministerio creatum, quod post officium illud statim esse desierit.* Alij contra disputant, fuisse tantum similitudinem seu simulachrum columbæ, cuius vsus tantum hic fuerit, vt præsentiam Spiritus signaret & indicaret. Et vtuntur hisce argumentis. I. Quòd in visionibus semper vsitatæ fuerint tales apparentiæ. II. Quia additur particula *ὡσεὶ,tanquam.* Nam & Actorum 2.vers.3. dicuntur linguæ visæ dispertitæ tanquã ignis: vbi particula ὡσεὶ ostendit, non veras aut elementares fuisse flammas. III. Lucas vocat εἶδος. Hoc enim vocabulo Græci interpretes vtuntur Ezech.1.v.16.&8.v.2.vbi Prophetæ variæ visiones efferũtur. Et Syrus hoc loco reddidit דמות, quod significat rei similitudinem quæ sensibus offerunt. Et in hanc sententiam Augustinus Epist. 102. inclinare videtur. Sed non agitur de articulo aliquo fidei, modo præsentia & vnctio Spiritus in hac historia retineatur, quę indicata & obsignata est externa & visibili specie columbæ. Nam ad rationem ministerij Euangelij pertinet, quod columbæ specie Spiritus sanctus super Christum descendit. Est quidem non curiosè inquirendum, quare columbæ potius quàm ignis vel alia visibili specie Spiritus descenderit. Non enim omnium operum Dei ratio vel inueniri vel reddi potest. Quia verò externæ species apparitionum diuinitatis, plerumque ad illud quod agebatur declarandum, accommodatæ fuerunt, piè quędam de proprietatibus columbarum cogitari possunt. Et illustrior erit accommodatio, si hæc analogia ex ipsa scriptura petatur. Columbam enim esse figuram ministerij Euãgelij & Ecclesiæ,quæ per hoc ministerium colligitur, ostendit sacra Scriptura,Esa.60.v.8.Psalm.60.v.8. Psalm.68.ver.14. Cant.2.v.10.5.v.2.& 6.v.8. Quia igitur Spiritus sanctus vncturus Christum ad prædicandum Euangelium in columbæ specie descendit, procul dubio externa illa specie figurauit, quale sit ministerium Christi, & quos effectus in Ecclesia producat,Matth.12.v.19.*Non contendet,non clamabit, linum fumigans non extinguet.* Et Matth.10.v.16. *Estote simplices sicut columbæ.* Ideo auctor vitæ Iesu septem proprietates columbæ recitat, & huc accommodat. 1. Habet gemitum pro cantu. 2.Caret felle.3.Rostro non lædit.4.Vnguibus nihil rapit. 5.Pullos suos sollicitè pascit.6.Super aquas residet. 7.Meliora grana eligit,& puris vescitur. Et suauissima est pictura ministerij,per quod Deus nobiscum agit, quod Spiritus sanctus descendit & manet super Christum, qui ad prædicandum mittitur,non formidabili aliqua aut nimis augusta specie,sed columbina:hoc est,simplici & placida specie, ne absterreamur ipsum cum fiducia in ministerio quærere & accedere. Chrysostomus deducit analogiam ad columbam Noachi, quæ illis, qui ex aquis diluuij diuina clementia salui erant, attulit ramum virentis oliuæ,testimonium placatæ iræ Dei. Baptismus enim, 1.Pet.3.v.20. cum Arca in diluuio confertur. Et quia Christus ideo baptizatus est, vt impleret omnem iustitiam, (sicut supra explicatum est) Spiritus sanctus beneficia illa Baptismi tanquam arrhabone inter Deum & nos obsignaturus,descendit columbæ specie. Item: Quia Christus prædicaturus erat annum acceptabilem Domini placata ira eius,ideo vnctus est Spiritu in columbæ specie, sicut cessante diluuio, columba ramum oliuæ ferens,nunciauit iram Dei placatam.

Sed pergamus in historia. Postremò igitur ex illa cœli apertione,& in illa luce vox patris facta est. Nec cogitandum est, fuisse tenuem aliquem sonum aut sibilum, sed fuit vox, quæ ipso sono intelligebatur esse cœlestis, sicut ex c.12. Iohannis v.29. colligi potest. Cùm enim ibi vox de cœlo veniret ad Christum, turba audiens dicebat,tonitru factum esse. Et vt certò constaret, quem vox illa designaret,venit ex illa parte cœli,quæ supra Christum aperta erat:& visibilis species Spiritus sanctus,ideo descendit & mansit super Christum, vt certò notaret,quem vox illa patris designaret. Illa autem vox Patris dupliciter describitur. Matthæus inquit, *Hic est filius meus, &c.* Marcus & Lucas, *Tu es filius meus, &c.* Et antea ostendimus, simplicissimam & commodissimam esse sententiam, si accipiatur vox illa Patris bis repetita. Primò,sicut Lucas scribit,ad ipsum Christum directa. *Tu es filius meus dilectus in te complacitum est mihi.* Quia vniuerso generi humano Propheta hic audiendus renuntiabatur,vox illa directa fuit ad Iohannem & ad spectatores,sicut Matthæus scribit: *Hic est filius meus dilectus,in quo mihi benè complacitum est.*

Digna autem est illa vox Patris, cuius singula verba diligenter expendantur,id quod non rectius potest fieri, quàm si in illis Scripturæ locis,vnde sumpta sunt,considerentur. Et generalis est obseruatio,quando in Nouo Testamento sententia aliqua ex Veteri Testamento allegatur, vt non tantũ verba illa,quæ allegantur,considerentur,sed vt totus locus inspiciatur. Quia igitur Psalm.2.v.7. Illa verba extant, *Tu es filius meus*,reliqua igitur verba Psalmi huc conferenda sunt,vt pars illa vocis paternæ rectè intelligatur. Dicit autem Psalmus, Patrem hac voce filium constituisse Regem super Zion. Et filium Regem prædicaturum hoc decretum, quod ipse filius Dei nobis,qui inimici Dei eramus,adoptionem acquirat. Ac super quos regnaturus sit, describit, dabo tibi gentes hæreditatem,& terminos terræ possessionem tuam. Successionem etiam huius regni describit: Aduersarios depingit: Contemptoribus minatur: Regem illum præcipit audire,& osculo fidei suscipi:& credentibus promittit, Beati, qui confidunt in eo. Hæc omnia intelligenda esse, quando vox paterna dicit, *Tu es filius meus, &c.* collatio Psalmi pulchrè ostendit. Potest & hoc addi, quod idem verè simul constitutus sit Sacerdos in æternum, quæ constitutio describitur Psalmo 110. v. 4. & Heb.7.v.17. quæ huc referri possunt. Et addatur hæc obseruatio, quod Baptista Iohan.1.v.34.dicit,se ex hac voce Patris didicisse,quod postea testificatur, *Hunc esse Filium Dei*, quódq; Iohan. 3. vers.36. inquit, *Qui credit in Filium habet vitam æternam.*

Quod verò hunc filium pater appellat ἀγαπητὸν, ideo fit, vt eum à filiis adoptionis distinguat. Syrus habet vocem חביבא, quæ à vehementi amore significat, non tam dilectum, quàm charum & amabilem. Et apud Græcos etiam discrimen est apud ἠγαπημένος & ἀγαπητὸς, quod gratum, iucundum, amabilem & vnicè dilectum significat. Sumpta autem videtur appellatio ex figuris Veteris Testamenti. De Isaac enim Gen. 22.v.2.Deus inquit. *Tolle filium tuum, vnicum tuum*, τὸν ἀγαπητὸν sicut Græci reddiderunt. Figura etiam Solomonis 2. Reg.12. vers.25. pulcherrimè huc quadrat: Mater enim vocauit nomen eius Solomon:sed Iehoua dilexit eum, & vocauit nomẽ eius Iedidia,hoc est dilectum Domini. Vox igitur paterna ad figuras illas respicere videtur: Hic est verus Iedidia, dilectus meus, figuratus in Solomone. Et hanc appellationem ipse Solomon vbique in cantico canticorum sponso Ecclesiæ tribuit,vocans eum Dod dilectum. Hæc allusio concinna est. Paulus verò Ephes. 1. vers.6. tradit veram accommodationem huius paternæ vocis,cùm inquit: *Acceptos nos sibi reddidit,in dilecto.* Et ipse filius Dei in postrema sua oratione, Iohan.17.ver.26. suauissimis verbis inquit: *Oro pater, vt dilectio, qua me diligis, sit etiam in eis, vel erga eos.* Hæc accommodatio fallere non potest,quia est Pauli,imò ipsius filij Dei.

Postrema verba vocis paternæ, *In quo mihi bene complacitum est*,ex cap.42. vers.1. Isaiæ sumpta sunt. Matthæus enim cap.12.v.18. sententiam Isaiæ ex cap.42. nominatim ad Christi personam & officium accommodat: Et verba citat, ὁ ἀγαπητός μου εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου, dilectus meus, in quo beneplacitum est animæ meæ. Euangelistæ habent, ἐν σοὶ εὐδόκησα. Frustrà autem ex Hellenismo hæc phrasis iudicatur, quasi sensus sit,in te mihi placeo vel oblecto me: secundum Hebraismum enim propensus erga aliquem affectus,hac cõstructione describitur,vel ἐν ᾧ vel εἰς ὃν,vt 2.Petr. 1.v.17. vox patris in transfiguratione ita recitatur. Hic est filius meus dilectus, εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα,cùm Matth.17.v.5. scriptum ἐν ᾧ. Et Luc. 3.v. 22.ἐν σοὶ. Ex illa igitur indicatione Matth.12.v.18. certum est, hæc

hæc verba ex 42. Isaiæ sumpta esse. Et in toto illo capite vocatio, & missio Christi ad ministerium, multis pulcherrimis verbis describitur. Atque antea dixi de illa regula, totum locum Scripturæ, vnde verba quædam allegantur, inspiciendum esse. Quomodo itaque hæc postrema pars vocis paternæ, quæ aliis videtur quasi abrupta esse, ad præsens negotium inaugurationis & missionis Christi accommodetur, ex illo loco Isaiæ intelligi potest, sicut postea Matth. 17. v. 5. in transfiguratione pater hanc ipsam vocem repetens, addit, *ipsum audite*. Et hæc est certissima interpretatio vocis paternæ, si reliqua, quæ Isa. 42. scripta sunt, huc conferantur. Verbum autem, quo Isaias vtitur, quod Græci reddiderunt εὐδόκησα, est רצה, quod significat bonam volūtatem erga aliquem habere, gratum & acceptum aliquid habere, in aliquo requiescere. Et frequens eius vsus est, quando Deus scribitur sacrificium, oblationem vel orationem, vel acceptare, vel non acceptare, vt Iob. 33. v. 26. Psal. 51. v. 21. & 119. v. 122. Malach. 1. v. 8. Exod. 28. Leuit. 19. v. 7. & 22. v. 23. 27. Et hæc significatio pulcherrime conuenit ad Christum, qui & preces & victimam corporis sui oblaturus erat, in redemptionem pro omnibus. Syrus habet verbū אצב, quod beneplacitum, complacentiam, & animi propensionē significat. Et constructio vel est transitiua in ipsum Christū, ἐν σοὶ εὐδόκησα, te beneuolentia complector, vel in te, hoc est, propter te sum animo placato & beneuolo, erga alios scilicet. Paulus certè Coloss. 1. ver. 19. ad hæc verba vocis paternæ non obscurè alludens, eorum vsum ita ostendit, cùm inquit: *In Christo εὐδόκησε omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia pacificans per sanguinem crucis omnibus.* Et Ephe. 1. ver. 5. totum mysterium redemptionis & saluationis describitur εὐδοκία patris, quæ fundamentum habet in Christo. Hæc collatio iucunda est, quomodo Apostoli ad hæc verba vocis paternæ respexerint. Sed de vocabulo εὐδοκίας plura annotauimus Luc. 2. in historia natiuitatis.

Vetus verò Ecclesia in publicis canticis pulchram facit antithesin. Quod Deus, quando genus humanum in peccatis iuxta legem aspicit, meram videat abominationem, Rom. 3. v. 10. Psalm. 14. v. 2. & tristem illam vocem mittit, *pœnitet me fecisse hominem*, Gen. 9. ver. 6. Iam verò in dilecto filio, respiciens assumptam humanam naturam, tunc, cùm ad officium redemptionis vngendus esset, statim & propitiam hanc vocem emittit: *Hic est filius meus, in quo sum placatus hodie.* Ita enim vetus Ecclesia verbum εὐδόκησα intellexit. Tota igitur æterni patris complacentia in hoc solo filio incarnato acquiescit, residet, & quasi deposita est. Et ideo in auguratione officij Christi, hæc vox complacentiæ sonat, vt ostendat, ideo filium ad officium Mediatoris iniungi, vt in eo Deus mundum sibi reconciliet, 2. Cor. 5. v. 19. vt in hoc dilecto nos etiā pater sibi placentes & acceptos reddat, Ephes. 1. v. 5 & propter hunc sit εὐδοκία in reliquis etiam hominibus, Luc. 2. ver. 14. Ex plenitudine enim eius omnes accipimus gratiam seu complacentiam pro gratia. Et quia Isa. 42. v. 1. de persona Christi Pater dicit: *In te complacitum est animæ meæ:* ideo propter hunc etiam de Ecclesia dicitur, Isa. 62. v. 4. *Non dicetur tibi derelicta, sed vocaberis peneplacitum meum in ea, quoniam beneplacitum habet Dominus in te.* Et hæc est optima interpretandi ratio, quando & vocabula ex Scriptura declarantur, & vsus seu accommodatio doctrinæ in Scripturæ sententiis monstratur.

Hæc de obseruatione circumstantiarum & vocabulorum huius historiæ, prolixius fermè quàm pro instituti nostri ratione, annotaui. Plurimum enim hac historia delector, propter illustrem patefactionem, quæ plena est suauissimæ consolationis.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

CONTINENS GENEALOGIAM CHRISTI, DESCRIPTAM A LVCA.

RATIO ORDINIS.

LVcas historiæ baptismi Christi continuata serie, ita vt diuelli non possit, annectit descriptionē genealogiæ ipsius, ea occasione: Quia enim in Baptismo circa Iordanem, pater æternus, sonora voce è cœlis denuntiarat toti mundo, hunc Iesum Nazarenum esse Filium Dei viuentis; Lucas addit, hactenus vsq; ad illud tempus Iesum vulgo habitum pro nudo seu communi homine tantūm: & quidem homines in ea fuisse opinione, quòd Maria ipsum ex Iosephi semine peperisset. Et Lucas alterum ita concedit, quod licet filius Dei sit, simul tamē etiam verus sit homo, ex semine Dauidis iuxta Scripturæ vaticinia natus, id quod descriptione Genealogiæ ipsius ostendit. Hoc igitur Lucas illa connexione historiarum agit, vt ostendat: 1. Christum non esse ψιλὸν ἄνθρωπον nudum hominē, sicut vulgò vsque ad baptismum habitus fuerat, sed esse filium Dei viuentis, seu æterni Patris. 2. Ne existimetur tantum esse Dei filius, Lucas attexit eius genealogiam, inde ostendens, ipsum etiā esse verū hominē. Alterum verò de Iosepho negat & refutat, addens, *ὡς ἐνομίζετο, vt putabatur*. Syrus reddidit verbo סבר, quod opinionem & coniecturam significat: quam homines inde conceperunt, quod Maria & desponsata esset Iosepho, & in ipsius domum traducta, quódque à Iosepho & Maria educatus fuerat Iesus, qui vt parentibus ipsis fuit subditus, Luc. 2. v. 51. Sed opinionem illam falsam fuisse, & Lucas cap. 1. ver. 35. ostendit, & Matthæus cap. 1. ver. 20. Lucas igitur dicit, Iesum *putatiuum filium Iosephi* fuisse, qui non pater, sed nutritius tantum eius fuerit, Mariæ verò naturalem filium esse, c. 2. v. 7. ostendit. Et ea occasione Genealogiam Christi ex Maria per patrem & proauos eius vsque ad Adamū describit, quam ratione desponsationis ad Iosephum refert, sicut sponsus seu gener vulgo soceri filius dicitur. Sed & hæc, & alia, quæ ad explicationem huius genealogiæ pertinent, supra, cùm genealogiam à Matthæo descriptam explicaremus, declarata sunt. Phrasis verò illa Lucæ, *Erat quasi annorum triginta, ἀρχόμενος* in prolegomenis c. 3. explicata est. Nunc igitur vt ἁρμὸν ἀκολουθίας, sine contextum Lucæ seruemus, descriptionem genealogiæ, sicut in Luca extat, ordine subteximus. Ea enim ratione continuationis, historiæ Baptismi subiungitur, vt in Harmonia hic peculiaris locus ei tribuendus sit, nec possit ad illum locum, vbi Matthæi genealogia ponitur, transponi. Periocha verò petatur ex cap. 3. primi libri.

GENEALOGIA CHRISTI.

LVC. 3.

23. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν, (ὡς ἐνομίζετο) υἱὸς Ἰωσήφ, τοῦ Ἡλί.	23. *Et ipse Iesus incipiebat esse fermè annorum triginta, (vt putabatur) filius Ioseph, qui fuit filius Heli.*
24. Τοῦ Ματθάτ, τοῦ Λευΐ, τοῦ Μελχί, τοῦ Ἰαννά, τοῦ Ἰωσήφ.	24. *Qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianna, qui fuit Ioseph.*
25. Τοῦ Ματταθίου, τοῦ Ἀμώς, τοῦ Ναούμ, τοῦ Ἐσλί, τοῦ Ναγγαί.	25. *Qui fuit Matathia, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Esli, qui fuit Nagga.*
26. Τοῦ Μαάθ, τοῦ Ματταθίου, τοῦ Σεμεΐ, τοῦ Ἰωσήφ, τοῦ Ἰούδα.	26. *Qui fuit Maath, qui fuit Matthia, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda.*
27. Τοῦ Ἰωαννᾶ, τοῦ Ῥησά, τοῦ Ζοροβάβελ, τοῦ Σαλαθιήλ, τοῦ Νηρί.	27. *Qui fuit Iohanna: qui fuit Rhesa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri.*
28. Τοῦ Μελχί, τοῦ Ἀδδί, τοῦ Κωσάμ, τοῦ Ἐλμωδάμ, τοῦ Ἤρ.	28. *Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Elmadam, qui fuit Er.*

29. Τοῦ Ἰωσὴ, τοῦ Ἐλιέζερ, τοῦ Ἰωρεὶμ, τοῦ Ματθὰτ, τοῦ Λευΐ.
30. Τοῦ Σιμεὼν, τοῦ Ἰούδα, τοῦ Ἰωσὴφ, τοῦ Ἰωνὰν, τοῦ Ἐλιακείμ.
31. Τοῦ Μελεᾶ, τοῦ Μαϊνὰν, τοῦ Ματταθὰν, τοῦ Ναθὰν, τοῦ Δαβίδ.
32. Τοῦ Ἰεσσαὶ, τοῦ Ὠβὴδ, τοῦ Βοὸζ, τοῦ Σαλμὼν, τοῦ Ναασσών.
33. Τοῦ Ἀμιναδὰβ, τοῦ Ἀρὰμ, τοῦ Ἐσρὼμ, τοῦ Φαρὲς, τοῦ Ἰούδα.
34. Τοῦ Ἰακὼβ, τοῦ Ἰσαὰκ, τοῦ Ἀβραὰμ, τοῦ Θάῤῥα, τοῦ Ναχώρ.
35. Τοῦ Σαρούχ, τοῦ Ῥαγαῦ, τοῦ Φαλὲκ, τοῦ Ἐβὲρ, τοῦ Σαλά.
36. Τοῦ Καϊνὰν, τοῦ Ἀρφαξὰδ, τοῦ Σὴμ, τοῦ Νῶε, τοῦ Λάμεχ.
37. Τοῦ Μαθουσάλα, τοῦ Ἐνὼχ, τοῦ Ἰαρὲδ, τοῦ Μαλελεὴλ, τοῦ Καϊνάν.
38. Τοῦ Ἐνὼς, τοῦ Σὴθ, τοῦ Ἀδὰμ, τοῦ Θεοῦ.

29. *Qui fuit Iose, qui fuit Eliezer, qui fuit Ioram, qui fuit Matthat, qui fuit Leui.*
30. *Qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Ionam, qui fuit Eliacim.*
31. *Qui fuit Melea, qui fuit Mainam, qui fuit Mattathas, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid.*
32. *Qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson.*
33. *Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Iuda.*
34. *Qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraha, qui fuit Thare, qui fuit Nachor.*
35. *Qui fuit Saruch, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale.*
36. *Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noha, qui fuit Lamech.*
37. *Qui fuit Mathusala, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Mathaleel, qui fuit Cainan.*
38. *Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.*

CAPVT DECIMVMNONVM.

CONTINENS HISTORIAM CHRISTI IN DESERTO, A DIABOLO TENTATI.

RATIO ORDINIS.

TRes Euangelistæ, Matthæus, Marcus & Lucas in hoc ordine consentiunt, quod vnanimiter hanc historiam tentationum Christi proximè post baptismum eius subiungunt. Manifestum etiam est, nullam aliam historiam, quæ quidem apud tres illos Euangelistas extet, intercessisse inter baptismũ Christi & inter subductionem eius in desertũ. Recitatio enim genealogiæ. Luc.ca.3.v.23. non est peculiaris historia. Et prætererea Marcus & Lucas certis notationibus, hanc verã esse harum historiarum consequentiam, indicant & confirmant. Lucas enim inquit, *Iesus plenus Spiritu sancto*, qui non tantum in specie columbæ in baptismo exterius descenderat, & manebat super ipsum, sed interius ipsum vnxerat, Isa.11.v.2. & 61.v.1. non mansit tunc apud Iordanem, sed *regressus à Iordane agebatur in desertum.* Marcus verò adhuc clarius dicit: *statim* seu continuò post vocem paternam, *Spiritus expellit ipsum in desertum* vbi & aduerbium εὐθὺ, & verbum præsentis temporis ἐκβάλλει videntur continuam seriem harum duarum historiarum monstrare. Vnum tantum est quod non oscitanter considerandum est, quod scilicet particula illa, Iohan.1.ver.15. de primo testimonio Baptistæ, de exhibito & præsente Messia, Iohannes testificatur de ipso & clamat, dicens: *Hic erat, &c.* videatur annectenda statim post historiam baptismi Christi, ante descriptionem tentationum eius. Ipse enim Baptista dicit. Ioan.1.v.34. *Ego vidi Spiritum descendentem, & testificatus sum, hunc esse filium Dei.* Ac concinna profectò est ratio ordinis, addens etiam aliquid maiestatis historiæ baptismi Christi, si particula illa, Ioan.1.vers.15. ita accipiatur, quod statim post descensum Spiritus. & post auditam vocem paternam, Christo adhuc in ripa Iordanis præsente, Baptista ad turbas conuersus sonora voce hanc testificationem proclamarit, *Hic erat de quo dicebam, &c.* quodque illud post testimonium subductus fuerit Iesus in desertum. Hæc connexio historiarũ valde mihi placet. Illustratur enim ita & amplificatur historia baptizati Christi. Sed & altera ratio ordinis commoda est; vt illo loco Ioannes accipiatur describere, quid interea dum Christus in deserto absuit, Baptista de ipso testificatus fuerit. Et hoc videtur Ioannes ipse indicare, scribens, quod Baptista dixerit, nõ hic est, sed *hic erat*. Ita enim de eo, qui paulo antea adfuit, & nunc abest, solemus loqui. Et postea cùm præsentẽ digito monstrat, inquit, non hic erat, sed hic est, de quo dicebam. Quanquam etiam ita soleamus loqui, quando is tãdem venit, de quo antea sæpius diximus, Hic erat, de quo dicebã. Sed lectori liberum iudicium permitto, vtram rationem probare & amplecti velit. In Harmonia alteram rationem, quæ vsitata & recepta est sine præiudicio prioris secutus sum, ne nouitatis opinio aliquem offendat.

HISTORIA CHRISTI IN DESERTVM subducti, & ibi à Diabolo tentati.

MATTH. 4.

1. Τότε ὁ Ἰησοῦς ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος, πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου.
2. Καὶ νηστεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα καὶ νύκτας τεσσαράκοντα, ὕστερον ἐπείνασε.
3. Καὶ προσελθὼν αὐτῷ ὁ πειράζων εἶπεν· Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, εἰπὲ ἵνα οἱ λίθοι οὗτοι ἄρτοι γένωνται.
4. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε, γέγραπται, Οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος Θεοῦ.

1. *Tunc Iesus subductus fuit in desertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo.*
2. *Et quum ieiunasset dies quadraginta ac noctes quadraginta, tandem esuryt.*
3. *Et cùm accessisset ad eum ille, qui tentat, dixit: Si filius es Dei, iube vt lapides hi panes fiant.*
4. *At ille respondens dixit, scriptum est, non solo pane victurus est homo, sed omni verbo, quod egredietur per os Dei.*

5 Τότε

5 Τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ.

6 Καὶ λέγει αὐτῷ, Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ βάλε σεαυτὸν κάτω· γέγραπται γὰρ, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου.

7 Ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· Πάλιν γέγραπται, Οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου.

8 Πάλιν παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς ὄρος ὑψηλὸν λίαν, καὶ δείκνυσιν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν.

9 Καὶ λέγει αὐτῷ· Ταῦτα πάντα σοι δώσω, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι.

10. Τότε λέγει αὐτῷ Ἰησοῦς, Ὕπαγε Σατανᾶ, γέγραπται γὰρ, Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.

11. Τότε ἀφίησιν αὐτὸν ὁ διάβολος, καὶ ἰδοὺ ἄγγελοι προσῆλθον, καὶ διηκόνουν αὐτῷ.

5 *Tunc assumit illum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.*

6. *Dicitque illi: Si filius es Dei, praecipita te deorsum: Nam scriptum est, Angelis suis mandaturus est de te, ac manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem pedem tuum.*

7. *Dixit illi Iesus: rursum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.*

8. *Rursum assumit illum diabolus in montem excelsum valde, & commonstrat ei omnia regna mundi, & gloriam illorum.*

9 *Et dicit illi: Haec omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me.*

10. *Tunc dixit illi Iesus, Abi Satana, scriptum est enim, Dominum deum tuum adorabis, & illum solum coles.*

11. *Tunc omittit illum diabolus. Et ecce angeli accedebant ac ministrabant ei.*

M A R C. I.

12. Καὶ εὐθέως τὸ Πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει εἰς τὴν ἔρημον.

13. Καὶ ἦν ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἡμέρας τεσσαράκοντα, πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ, καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων. Καὶ οἱ ἄγγελοι διηκόνουν αὐτῷ.

12. *Et continuo Spiritus illum expellit in desertum.*

13. *Et erat illic in deserto dies quadraginta, & tentabatur à Satana, erátque cum feris. Et Angeli ministrabant illi.*

L V C. 4.

1. Ἰησοῦς δὲ Πνεύματος ἁγίου πλήρης ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου, καὶ ἤγετο ἐν τῷ Πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον.

2. Ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου, καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδὲν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις· καὶ συντελεσθεισῶν αὐτῶν ὕστερον ἐπείνασε.

3. Εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ διάβολος· Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, εἰπὲ τῷ λίθῳ τούτῳ, ἵνα γένηται ἄρτος.

4. Καὶ ἀπεκρίθη Ἰησοῦς πρὸς αὐτὸν, λέγων, Γέγραπται, ὅτι οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι Θεοῦ.

5. Καὶ ἀναγαγὼν αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς ὄρος ὑψηλὸν, ἔδειξεν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης ἐν στιγμῇ χρόνου.

6. Καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ διάβολος· Σοὶ δώσω τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἅπασαν, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν· ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται, καὶ ᾧ ἐὰν θέλω, δίδωμι αὐτήν.

7. Σὺ οὖν ἐὰν προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου, ἔσται σοῦ πάντα.

8. Καὶ ἀποκριθεὶς αὐτῷ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς· Ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ· γέγραπται γὰρ· Προσκυνήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.

9. Καὶ ἤγαγεν αὐτὸν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἔστησεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, καὶ εἶπεν αὐτῷ· Εἰ ὁ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, βάλλε σεαυτὸν ἐντεῦθεν κάτω.

10. Γέγραπται γὰρ, Ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, τοῦ διαφυλάξαι σε·

11. Καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου.

12. Καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· Ὅτι εἴρηται, οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου.

13. Καὶ συντελέσας πάντα πειρασμὸν, ὁ διάβολος ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ.

1, *Iesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane & actus est per Spiritum in desertum.*

2. *Ac diebus quadraginta tentabatur à Diabolo, nihilque comedit in diebus illis, & consummatis illis, deinde esuriit.*

3. *Dixit autem illi diabolus: si filius es Dei, dic lapidi huic, vt panis fiat.*

4. *Et respondit ad illum Iesus, dicens: Scriptum est, non pane solo viuet homo, sed omni verbo Dei.*

5. *Et subduxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terrae in puncto temporis.*

6. *Et ait illi diabolus. Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, & cuicunque volo, do illam.*

7 *Tu ergo si adoraueris pronolutus coram me, erunt tua omnia.*

8. *Et respondens Iesus dixit illi: Abi post me Satana: scriptum est enim, Adorabis Dominum Deum tuum, & illum solum coles.*

9. *Et duxit illum Hierosolymam, statuitque eum super pinnam templi, & dixit illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum.*

10. *Scriptum est enim, quod angelis suis mandabit de te, vt conseruent te:*

11. *Et in manibus tollent te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.*

12. *Et respondens Iesus ait illi: Dictum est, non tentabis Dominum Deum tuum.*

13. *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, vsque ad tempus.*

De conciliatione & coagmentatione circumstantiarum huius historiae.

IN ordine tentationum videtur quaedam discrepantia esse. Illam enim tentationem, quã Matthaeus tertio loco ponit, Lucas secundo loco recitat: Et tẽtatio, quae apud Matthaeum secunda vel media est, apud Lucam tertia & postrema est.

(Quidam igitur, qui in descriptionibus Euangelistarum nullibi vllam ordinis neglectionem & transpositionem, vel ὕστερον πρότερον admittere volunt, disputant, tentationes, quas Lucas describit, non easdem sed alias diuersas esse ab illis, quas Matthæus describit: ita autem diuersas, quod licet quo ad res ipsas conueniant, non eodem tamen tempore acciderint, sed quod diabolus tentationes illas primum illo ordine, sicut Lucas recitat, Christo proposuerit; postea verò ex interuallo aliquo temporis easdem tentationes ordine tantum paululum ita immutato, sicut Matthæi descriptio habet, repetierit. Et illam opinionem conantur confirmare. 1. ex diaboli ingenio, qui semel repulsus, solet redire, & quidem easdem tentationes quibusdam tantum circumstantiis variatas repetere. 2. Quia Lucas post consummatas tentationes à se descriptas dicit, diabolum discessisse à Christo *ad tempus*, vt intelligi possit, post aliquantulum temporis diabolum rediisse, repetitis denuo prioribus tentationibus, eo ordine, quem Matthæus describit. Matthæus enim post consummatas tentationes à se descriptas subiicit, *Tunc reliquit*, vel omisit *illum diabolus & angeli accesserunt*. Et concinna sanè est hæc sententia, quę quidem etiam in doctrina de tentatione illa repetitione earundem tentationum, & variatione ordinis aliquid monere potest, quod scilicet Satan semel repulsus soleat subinde iisdem tentationibus redire, circumstantiis tantum quibusdam variatis. In Harmonia etiam historiæ coagmentationem hæc sententia redderet planam: si primo tres illæ tentationes ita, sicut à Luca describuntur, ponerentur, & deinde subiungeretur descriptio earundem tentationum, denuo repetitarum, sicut à Matthæo commemorantur.

Sed descriptiones illæ Matthæi & Lucæ, ita inter se & in rebus, & in ipsis ferme verbis conueniunt, vt non videam, qua certitudinis ratione aliud affirmari possit, quàm eandem historiam & eodem tempore factam, ab vtroq; describi. Quod enim Lucas dicit, *Diabolus discessit ab ipso vsque ad tempus*: non necesse est ita intelligere, quod in deserto ille redierit ad ipsum tentaturus. Lucas enim præmittit, *cùm diabolus omnem tentationem* in deserto scilicet *consummasset, discessit ab ipso*. Dicitur autem ad tempus discessisse, quia rediit, & reuersum ex deserto Christum variis tentationibus postea, per satellites suos, toto ministerij tempore, exagitauit. Et de passione sua Christus etiam inquit, Iohn. 14. versic. 30. Princeps mundi venit, &c.

Quod verò in ordine tentationum, inter descriptionem Matthæi & Lucæ discrepantia quædam esse videtur, hunc nodum Faber Stapulensis ita expedire conatur, quod testatur antiquos quosdam Codices in Luca eundem habere tentationum ordinem, quem Matthæus habet, vt transpositio illa in Luca videatur librariorum vitio facta, cum quidem etiam Ambrosius in commentariis super Lucam eo ordine hasce tentationes, & legat & explicet, sicut apud Matthæum describuntur. Accedit, quod post tentationem de adoratione, tam apud Lucam quàm apud Matthæum diabolus scribatur iussus discedere, *Abi post me Satana*: cui non satis commodè mox videatur annecti, sicut iam in Luca legimus, *Et duxit illum Hierosolymam, &c.*

Sed in tanto tum Græcorum tum Latinorum codicum consensu ad σοφίσμα χαφικὸν confugere velle, χρυσοφύγετι videri possit. Simplicissimum igitur est, quod Augustinus de consensu Euangel. lib. 2. cap. 16. dicit: Ad summam rei nihil interesse, nec aliquid deperire veritati, quod vnus Euangelista easdem sententias aliis verbis & alio interdum ordine quàm alter explicat, dum manifestum sit, omnia illa, quæ scribuntur, facta esse. Manifestum autem est, Lucam in descriptione duarum illarum tentationum, non vti particulis notantibus certam ordinis seriem. De prima quidem tentatione inquit: *Esuriit, dixit autem illi tentator*, quæ notatio aliqua ordinis est, de reliquis simpliciter dicit, *Et abduxit eum*; Item: *Et duxit illum*: Matthæi verò descriptio certis particulis consequentiam ordinis notat: vt, post primam tentationem dicit, *Tunc assumit illum in Ciuitatem sanctam*. Post hanc addit: *Rursum assumit illum, &c.* qua particula indicat, prius in pinnam templi, postea in montem, subductum fuisse. Et cum Christus dixisset, *Abi Satana*: subiungit Matthæus, *Tunc omittit illum Diabolus*. Hæc sunt manifestæ indicationes ordinis. Certum igitur est illum esse verum tentationum ordinem, quem Matthæus describit, & ad illum ea, quæ Lucas sine certa notatione ordinis descripsit, accommodanda esse. Ita ergo Harmoniam huius historiæ constituemus.

HARMONIA HISTORIÆ CHRISTI A SPIRITV subducti in desertum, & tentati à Diabolo, ex Matthæi, Marci & Lucæ descriptionibus in vnum corpus commentata, Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4.

b Καὶ εὐθέως τὸ Πνεῦμα ἐκβάλλει τὸν Ἰησοῦν εἰς τὴν ἔρημον. c Ἰησοῦς δὲ Πνεύματος ἁγίου πλήρης ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου. a καὶ τότε ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος, c ἤγετο (γὰρ) ἐν τῷ Πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον, a πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου. b Καὶ ἦν ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἡμέρας τεσσαράκοντα, c ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ b Σατανᾶ c τοῦ διαβόλου. b Καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων. c καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδὲν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις: καὶ συντελεσθεισῶν αὐτῶν a νηστεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα καὶ νύκτας τεσσαράκοντα f ὕστερον ἐπείνασε. a Καὶ προσελθὼν αὐτῷ ὁ πειράζων c ὁ διάβολος, f εἶπεν αὐτῷ, Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, a εἰπὲ ἵνα οἱ λίθοι οὗτοι ἄρτοι γένωνται. (ἢ) εἰπὲ τῷ λίθῳ τούτῳ ἵνα γένηται ἄρτος. Καὶ ἀπεκρίθη Ἰησοῦς πρὸς αὐτὸν, λέγων, f Γέγραπται, ὅτι οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι, a ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος f Θεοῦ. a Τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, c καὶ ἤγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ καὶ εἶπεν αὐτῷ. Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, βάλλε σεαυτὸν ἐν εὐθεν κάτω. Γέγραπται γὰρ, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, τοῦ c διαφυλάξαι σε, f καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου. c Καὶ ἀποκριθεὶς f ὁ Ἰησοῦς ἔφη αὐτῷ. Πάλιν c εἴρηται, (καὶ) a γέγραπται, f Οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον τὸν Θεόν σου. Πάλιν παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος, c καὶ ἀναγαγὼν αὐτὸν f εἰς ὄρος ὑψηλὸν a λίαν, καὶ ἔδειξεν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου, (ἢ) c τῆς οἰκουμένης a καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν. c ἐν στιγμῇ χρόνου. f καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ διάβολος,

b *Et continuo Spiritus Iesum expellit in desertum.* c *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane:* a *Et tunc subductus fuit in desertum,* a *vt tentaretur à Diabolo.* b *Et erat illic in deserto dies quadraginta,* c *ac diebus quadraginta tentabatur à* b *Satana* c *Diabolo.* b *Eratque cum feris:* c *nihilque comedit in diebus illis. Et consummatis illis,* a *cum ieiunasset dies quadraginta, deinde* f *tandem esuriit.* a *Et cum accessisset ad eum tentator* c *diabolus dixit ei:* f *Si filius Dei es,* a *dic vt lapides hi panes fiant (aut)* c *dic lapidi huic, vt panis fiat.* c *Et respondit ad illum Iesus, dicens:* f *Scriptum est, quod non pane solo victurus sit homo, sed omni verbo* a *quod egreditur per os* f *Dei.* a *Tunc assumit illum Diabolus in sanctam ciuitatem.* c *Et duxit illum Hierosolymam.* f *Et statuit illum supra pinnaculum templi, & dixit illi: si filius Dei es, præcipita te hinc deorsum. Scriptum enim, quod angelis suis mandaturus sit de te,* c *vt conseruent te,* f *& in manibus tollant te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum.* c *Et respondens* f *Iesus, dixit illi. Rursus* c *dictū (&)* a *scriptum est,* f *Non tentabis Dominum Deum tuum.* a *Rursus assumit illum diabolus.* c *Et subduxit illum* f *in montem excelsum* a *valde,* f *& ostendit ei omnia regna* a *mundi* c *(seu) orbis terræ,* a *& gloriam eorum* c *in puncto temporis. Et* f *ait illi diabolus:*

Ταῦτα

Ταῦτα πάντα σοι δώσω ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι. c σοὶ δώσω τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἅπασαν, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν. ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται. καὶ ᾧ ἐὰν θέλω, δίδωμι αὐτήν. Σὺ οὖν ἐὰν προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου, ἔσται σου πάντα. f Καὶ τότε ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, Ὕπαγε c ὀπίσω μου f Σατανᾶ· γέγραπται γὰρ, Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις. καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. c Καὶ a τότε c συντελέσας πάντα πειρασμὸν, a καὶ ἀφίησιν αὐτὸν ὁ διάβολος, c καὶ ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ, ἄχρι καιροῦ. a καὶ ἰδοὺ οἱ ἄγγελοι προσῆλθον c καὶ διηκόνουν αὐτῷ.

a *Hac omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me, c potestatem hanc vniuersam & gloriam illorum tibi dabo: quia mihi tradita sunt, & cuicunque volo, do illam. Tu ergo, si adoraueris prouolutus coram me, erunt tua omnia.* f *Et tunc respondens Iesus, dixit illi: Abi c post me f Satana: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles.* a *Et tunc c consummata omni tentatione a omittit illum Diabolus, c & recessit ab illo, vsque ad tempus:* a *& ecce angeli accedebant c & ministrabant ei.*

Periocha Historiæ, quomodo Christus in desertum ductus, & à Diabolo tentatus sit; Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4.

Post illustrem igitur illam reuelationem Trinitatis & magnificam renunciationem Messiæ, factam circa Iordanem, Christus non mansit ibi apud Iohannem, vel inter turbas, sed statim impulsu Spiritus à Iordane è conspectu Ioannis & aliorum, qui ibi aderant, subductus est. Non autem reuersus est in Galilæam ad pristinum vitæ genus, nec turbis comitatus, Baptista præeunte, & columba insidente, Hierosolymam, ingressus templum vt dominator, petiit, sed in desertum, vbi non homines, sed feræ erant, à Spiritu ductus est, & quidem ideo, *vt ibi tentaretur à Diabolo.* Et hæc obseruatio ordinis multa monet. Verè enim cœlestis gloria & diuina magnificentia vocationis seu missionis Christi apud Iordanem declarata fuerat, vt cogitare quis posset, maiorem habiturum Christum auctoritatem, si tali magnificentia templum Hierosolymitanum ingressus, statim cœpisset docere. Sed quia in summa infirmitate & exinanitione officium suum administrare & absoluere debebat, ideò in desertum inter feras abductus, post quadraginta demum dies reuersus est, vt ita ministerium Christi esset in exinanitione, & tamen simul ostenderetur, huic humili ministerio adesse diuinam gloriam, auctoritatem & efficaciam. Monet & hoc obseruatio ordinis, quod Christus, cùm ad Euangelizandum missus esset, Isa. 61. vers. 1. primum ministerij sui tyrocinium, non inter homines, placidè veras sententias proponendo, exercuit, sed cum illo, qui est pater mendacij & auctor omnium corruptelarum in doctrina, congressus est, præcipuas partes veri Doctoris in Ecclesia esse, vt refutando se opponat illis, qui sanam doctrinam deprauant, & non tantum cum auditoribus docilibus ipsi negotium, sed cum ipso principe tenebrarum, qui pater est mendaciorum, certamen esse. Præcipuè verò hoc considerandum est, quia non tâtum ad docendi ministerium vnctus erat Christus, sed vt omnia, quæ ad officium Messiæ pertinet, impleret: statim igitur post vnctionem in hac historia ostenditur, iam impleri id, quod Gen. 3. v. 15. scriptum est, *inimicitias scilicet positas esse inter semen serpentis.* Cum illo enim forti armato post inaugurationem omnium primo congreditur, cui ligato & vincto arma & spolia ablaturus & caput contriturus venerat, vt ita opera eius dissolueret, Luc. 11. v. 22. Gen. 3. v. 15. Ioann. 3. v. 8.

Magna autem dissimilitudo est inter hanc & præcedentem historiam. Ibi enim summa maiestas & gloria, hic vero subito sequitur tanta exinanitio, quod filius Dei Satanæ tentationibus quasi ludibrio exponitur. Sed non minus vtilis est doctrina huius historiæ, quàm præcedentis. Imò minus nobis contulisset filius Dei, sicut Ambrosius loquitur, nisi ex summa maiestate in extremam hanc exinanitionem, quasi sub Satanæ pedibus, nostro loco & nostra causa se dimisisset. Et nô incommoda est distributio causarum, quas Thomas ex Patribus collegit, quare filius Dei à Spiritu ductus sit in desertum, vt tentaretur à Diabolo, vt scilicet 1. sicut Hilarius docet, ostenderet, neminem, quantumuis sanctum & Deo placentem, debere securum esse, quasi in hac vita non sit expositus Satanæ tentationibus. Si enim tam infrenis est impudentia & audacia Satanæ, vt in ipso capite, de quo audierat vocem è cœlo sonantem, *Hic est filius meus dilectus,* hoc ausit, qui non membris facturus est? Et ideo Christus, non cùm in Galilæa priuatam vitam ageret, sed statim post baptismum, & vnctionem Spiritus, cùm publicè declaratus esset Filius Dei, ductus est in desertum, vt tentaretur. Ideo Syracides dicit, cap. 2. vers. 1 *Filia accedens ad seruitutem Dei, prepara animum tuum ad tentationem.* Qui igitur varijs diaboli tentationibus distrahitur, non cogitet, se ideo minus Deo gratû & acceptû esse. Diligêter verò id, quod additur, obseruandû est, quod Christus nô fortuito nec quasi à Deo desertus esset, obiectus sit têtationibus, sed à Spiritu sancto ductus est in desertum, vt tentaretur à diabolo. Bona igitur & deliberata voluntate Dei immittuntur tentationes. Et quia à Spiritu ductus est, discamus inde, ne nos temerè ingeramus vel exponamus tentationibus, sed quando in vocatione ea facimus, ad quæ Spiritus iuxta præscriptum verbi nos ducit, & ea occasione in calamitates, pericula & persecutiones incidimus, cogitemus id, quod hoc loco scriptum est de capite Christo, in membris etiam impleri: *Ductus est à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo.*

Secunda causa tentationum Christi hæc fuit, sicut Augustinus tradit, vt suo exemplo ostenderet, quibus armis & quomodo fides tentationibus diaboli se opponere debeat. Ideò enim præcipua genera capitalium, vt ita dicam, tentationum diaboli, quibus vt caput, ita etiam membra impetit, describuntur, & additur, quid singulis illis tentationibus filius Dei opposuerit.

Tertiò, iuxta Leonis sententiam, vt in tentationibus haberemus spem victoriæ in Christo Iesu, qui dux noster contra fortem illû armatum factus est. Natura enim nostra, cùm adhuc integra esset, cum hoc tentatore congressa, succubuit: Nunc verò natura humana in semine illo mulieris rursus victoriam ex Satanæ tentationibus retulit. Sicut enim Christus moriens mortem destruxit non sibi, sed nobis, vt sciamus, ipsum nobis adesse in tentationibus; vt assumpta armatura Dei confortati in Domino, per patientiam roboris eius possimus aduersus insultus diaboli stare, Ephes. 6. v. 13.

Quarto: quia certum est, filium Dei vt fortiorem posse Sathanam sub pedibus nostris conculcare. Vt ergo de animo & voluntate eius erga nos in tentationibus eo minus dubitaremus, Epistola ad Hebræos, cap. 2. vers. 17. & 4. vers. 15. hanc causam, cur tentatus sit Christus, dulcissimis verbis exponit: *in quo passus est ipse, cùm tentaretur, potens est ei qui tentatur auxiliari.* Item: *Non habemus pontificem, qui non possit συμπαθῆσαι infirmitatibus nostris: sed tentatum per omnia secundum similitudinem, absque peccato: Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam accipiamus, & gratiam inueniamus, ad auxilium, quando oportunum est.* Sciamus igitur filium Dei Mediatorem nostrum esse, & intelligere cogitationes, dolores & querimonias tentatorum, & quidem ita, vt suauissima συμπάθεια ille afficiatur & commoueatur, vt misericordia, gratia & auxilio tentatis subueniat. Ideò enim & ipse tentationibus se subiecit, & quidem in summo gradu.

Possent verò & aliæ causæ addi, vt scilicet per tentationes comprobaret se verum esse hominem, vtque ostenderet, illû munus ministerij Euangelij rectissimè obire, qui prius varijs tentationibus probatus sit. Posset & tota hæc doctrina plenius declarari. Sed seruabimus instituti nostri rationem, & hisce commonefactionibus tantum recitatis, quædam de circumstantijs & vocabulis historiæ annotabimus.

Iesus igitur non potentia diaboli abreptus, nec casu obiectus est tentationibus: *sed à Spiritu ductus est in desertum.* Et qualis Spiritus fuerit, Lucas describit, cùm inquit: *Plenus Spiritû sancto reuersus est à Iordane.* Habitauit autem in Christo tota plenitudo diuinitatis à principio hypostaticæ vnionis, sed vsque ad annum tricesimum nullis diuinis actionibus se reuelauerat. Nunc verò post vnctionem Spiritus in baptismo, ad opera pertinentia ad officium Messiæ magno zelo, & ductu Spiritus manifestiore, se accingit. Et ideo dicitur *plenus Spiritu.* Ita enim Stephanus Act. 6. v. 5. & 8. dicitur plenus Spiritu S. quando dona eius euidentius se in ipso exerebant. Porrò, quia Matthæus dicit ἀνήχθη *subductus,* & quasi è medio sublatus est: videri posset fuisse talis ductus, sicut de Elia scribitur 3. Reg. 18. v. 12. 4. Reg. 2. v. 16 Et de Ezechiele c. 3 v. 12. & 11. v. 1. Et quidem verbum ἀνάγειν Græci de raptu Eliæ vsurpant, 4. Reg. 1. Sed Lucas vocabulum illud Matthæi explicat per verbum ἤγετο, *agebatur,* quod de peculiari interiori impetu &

impulsu Spiritus vsurpatur. Rom.8.v.14. Gal.5.v.18. Syrus vtrobique habet verbum דבר, quod significat ducere & gubernare. Marcus verò inquit, *Spiritus ἐκβάλλει expellit ipsum*, non sine inuitum aut coactitia expulsione, sed sicut peculiari Spiritus impulsu & alacritate aguntur operarij, qui in messem Domini diuinitus emittuntur, Matth.9.v.38.& Luc.10.v.2. vbi idem verbum vsurpatur. Syrus habet Aphil, ab פקו, hoc est, fecit exire, eduxit. Non igitur opus est fingere, Christum per aera sublimem à Spiritu sancto in desertum vectum: sed vt sciremus, omnia, quæ Christus posthac docturus & facturus erat, non humano spiritu, sicut in priuata vita vsque ad tricesimum annum, sed efficacia & publica auctoritate Spiritus sancti geri: ideo dicunt Euangelistæ, *Plenus Spiritu sancto*, item *ductus à Spiritu*.

Porro desertum, in quo tentatus fuit Iesus, dicit Scholastica historia vocari Guarentenam: & distare secundo lapide à Hiericho, & duodecimo à Hierusalem, & inde per duo milliaria esse montem illum excelsum, in quem ductus fuit Iesus: nō procul etiam inde fluere aquas, quas Elisæus sanauit. Alij addunt, monstrari etiam ibi locum, vbi homo ille qui à Hierusalem descendit in Hiericho, incidit in latrones, & vocari Domim, quasi desertum sanguinum. Sed hæ narrationes parū certis nituntur demonstrationibus. Meam sententiam antea in prolegomenis exposui, quod intelligam desertū, quod vocatur Magnum. Et inducor his rationibus. 1. Reliqua deserta per additionem aliquam circumscribuntur, vt desertū Iudææ, Ziph, Maon, &c Desertum vero Magnum simpliciter, sine additione, quasi per Antonomasiam vocatur ἡ ἔρημος, sicut in hac historia vocatur. 2. In reliquis desertis vel alicubi quædam sunt hominum habitationes, sicut suprà in historia Baptistæ exemplis ostendimus, vel non omnino sunt ab hominum conuersatione remota: sed in hoc deserto Christus fuit cum feris per quadraginta dies. 3. Quæ hic describuntur, pulcrè accommodari possunt ad typum filiorum Israelis in deserto, sicut suprà dixi. Sed hac de re cum nemine contendam, sit suum cuique iudicium liberum, vbi non de articulis fidei, sed de circumstantiis historiarum ex coniecturis probabilibus agitur.

Porro in deserto illo Iesus per *quadraginta dies & quadraginta noctes ieiunauit*: non vt nouam & perpetuam formam ieiunij hoc suo exemplo Ecclesiæ præscriberet, vt scilicet fictione Iuris (sicut Pontificij loquuntur) vespertinæ preces cantentur in meridie, & postea mutata tantum ciborum qualitate, existimetur, quadragesimale hoc ieiunium Christi, distento piscibus ventre, bene expressum esse, sicut Pontificij & Deum & Ecclesiam hac sua fictione iuris ludificāt. Sed Christus fuerat ductus in desertum, vbi non panes, sed lapides, nō homines sed feræ erant. Miraculosè igitur diuina virtute sine cibo sustentatus fuit, vt in quadraginta diebus & noctibus famem non sentiret. Quod enim Matthæus dicit, *Ieiunauit*, hoc Lucas ita explicat: *Non manducauit quicquam in diebus illis: & consummatis quadraginta diebus*, tunc tandem cœpit famem sentire. Et Matthæus disertè facit mentionem noctium, ne existimaretur tale fuisse ieiunium, sicut Iudæi per diem ieiunabant, in vespera & nocte cibum sumebant. Christi igitur quadragesimale ieiunium non fuit astrictio siue qualitatis cibi, siue ordinarij temporis sumendi cibum, ad spatiū quod humana natura ferre potest, sicut ieiunia in Scriptura, quæ ad imitationem proposita sunt, describuntur: sed miraculosè seruatus fuit sine vsu cibi: ita vt in quadraginta diebus famem non sentiret Et manifesta est differentia inter ea, quæ quidem fecit, non autem nobis imitanda præscripsit. Ita Chrysostomus inquit Homil.47. in Matth. *Non dixit ieiunium suum imitandum sed discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Et Basilius annotauit, Christum non quotannis, non sæpius in vita ita ieiunasse, sicut nec Moses, nec Elias fecerunt: Ex quorum etiam ieiuniis Ecclesia V. Testamenti non fecit imitationem. Plus vero quàm ineptum est, cum imitatio huius ieiunij Christi nobis impossibilis sit, tali fictione iuris, quam Pontificij comminiscuntur, Deo & Ecclesiæ illudere. Alia sunt dicta & exempla Scripturæ, in quibus doctrina de vera ratione ieiunij in Ecclesia traditur, quæ huc afferre & explicare nostri instituti non est. Illam enim doctrinam & totam hanc de Quadragesima disputationem in Examine Tridentini Concilij iusta tractatione exposuimus. Non igitur propter nostram imitationem Christus quadraginta diebus & noctibus ieiunauit: sed quia Mosen Deus in illo deserto per tot dies extra hominum consortium, sine cibo, sustentarat, cum ipsius ministerio legem promulgaturus erat. Exod.24.v.28. vt testimonium esset, Mosem legem non à se ipso excogitasse, sed cœlitus à Deo accepisse. Idem etiam Eliæ, per cuius ministerium Deus doctrinam propheticam instauraturus erat, in deserto illo acciderat. 3 Reg.19.v.8. Vt igitur ostenderetur, Christum esse illum, cui Lex & Prophetæ testimonium perhibent, voluit ipsum Deus post ieiunium quadraginta dierum, ad ministerium suum obeundum, ex deserto progredi, eodem planè modo, sicut in Mose & Elia factum fuerat. Illi enim duo ad ostendendum consensum Legis & Prophetarum, cum Christo in clarificatione ipsi apparuerunt, Matth.17.v.3.

Quid vero per quadraginta illos dies, cum nihil manducaret in deserto fecerit, hoc tantum ex Euangelistarum narratione colligi potest. Marcus inquit: (*Erat cum feris*.) Lucæ verò verba ita posita sunt, vt non obscurè significent, tentationes Diaboli non tunc demum incepisse, cum consummati essent quadraginta dies. Inquit enim: *Agebatur in Spiritu in desertum, quadraginta dies πειραζόμενος, tentationem patiens à Diabolo, & non manducauit in diebus illis*. Quales vero Diabolus tentationes per quadraginta illos dies Christo obiecerit, descriptum non est, nisi quod hoc discrimen colligit: *Consummatis quadraginta diebus tentator accessit, & loqui cœpit*: ergo antea non ipse eo modo, sicut posteà accesserat, sed tantùm externas tentationum occasiones obiecerat, penuriam scilicet rerum necessariarum, & discursum ferarum. Quod enim Vincētius propter gloriam diuinitatis Christi existimat, per quadraginta illos dies feras accessisse, & obsequium suum Christo, tanquam creatori, externis subiectionis signis obtulisse, hoc dicit, non considerata exinanitione Christi, nec conuenit cū illo, quod Lucas dicit, per quadraginta dies Christum tentatum in deserto Et modum tentationis Marcus describit, cùm addit: *Erat cum feris*. Hæc igitur tantùm de quadraginta illis diebus ex Euangelistarum descriptionibus colligere possumus.

(*Consummatis verò quadraginta diebus esuriit*.) Noluit enim ieiunium vltra illum terminum Mosis & Eliæ extendere, ne in phasmate apparuisse, & non verus homo fuisse videretur. Cum verò Christus sensu famis afficeretur, accessit tentator. Hactenus enim quasi dubius hæserat non ausus accedere, propter vocem, quam è cœlo sonantem audierat, & quia quadraginta dierum ieiunium videbatur peculiare aliquid portendere: Sed quia iam intelligit, Christum fame premi, quod nec in Mose, nec in Elia factum legitur, accedit audaciùs & impudentius ipsum tentaturus. Et semper cogitetur de accommodatione, quod certamen nostrarum tentationum in hac historia Christi descriptum sit. Tunc enim demum tentator accedit, quando sensus calamitatum penitus nos incipit tangere. Consideranda autem est significatio verbi *tentare*: quod in genere significat explorare, experiri & inquirere. Et quando Deus dicitur tentare, tum significat probationem, qua Deus cor hominis, obiectis aduersitatibus, aut aliis occasionibus explorat, vt vel ipse suæ infirmitatis admoneatur, ne se vana persuasione decipiat, vel vt occulta cordium reuelentur, & hypocritæ manifestentur. Et finis huius tentationis est, vt inter certamina fides cum suis virtutibus exerceatur, & homo ab hypocrisi purgatus firmius adhæreat Deo. Quando verò homo dicitur tentare Deum, tunc significat sine verbo Dei & sine vocatione, prætermissis mediis diuinitus institutis & concessis, extra casum necessitatis, temerè aliquid aggredi, vel auxilium expectare ex præsumptione de absoluta omnipotentia, sapientia & bonitate Dei. Est enim quasi experimentum quærere potentiæ, voluntatis, sapientiæ & veritatis Dei, non ex fide iuxta verbum mandatum & promissionem Dei, sed quasi ex petulantia. Quia vero tentantes aliquando rem ita & ideo explorant, vt non tantum sciant, sed vt illa exploratione aliquid efficiant, vt attentare pudicitiam, est velle ad impudicitiam pertrahere. Ita diabolus dicitur tentare, quia obiectis variis occasionibus, suggestionibus, seductionibus & oppugnationibus hominem ad malum cōtra verbum Dei sollicitet, & inde nequam Spiritus habet appellationem, quod vocatur ὁ πειράζων, vt hoc loco, & 1. Thes. 3. versi.5. Præterea in hac historia vocatur & Satan & Diabolus: quorum prius Hebraicum est, & habet appellationem inde, quia hostili animo & odio se nobis opponit & aduersatur. quam vocem Paulus videtur reddidisse 1. Tim.5.v.14. cum vocat ἀντικείμενον. Quia vero Satan significat etiam eum, qui verbis conatur mali aliquid suadere, vel coniicere in malum. 2. Reg.19.v.22. & Esther 4. literæ accusatoriæ ita appellantur: inde Septuaginta fere semper Satan reddiderunt, διάβολος. Et vtraque appellatio vsitata est in Nouo Testamento, Etymologia vero diaboli explicatur Apoc.12.versi.9. Accusator fratrum nostrorum, qui accusat illos ante conspectum Dei, die ac nocte. 1. Pet.5.v.8. ἀντίδικος, quod significat causæ aut litis aduersarium: quia scilicet diabolus causæ seu actioni salutis nostræ sit aduersarius, ei se opponat, & propterea certamen contra nos capessat. Et huic historię appellatio Diaboli rectè conuenit. Sicut enim Sycophanta leges, ita Diabolus verbum Dei διαβάλλει, hoc est, disiicit, & disiiciendo deprauat, & studium ipsius est, vt calumniis homines à verbo Dei abducat, & aliquid

aliquid contra illud faciendum variis illecebris & obiectionibus impellat. Syrus habet geminum quasi compositum vocabulum, ק׳ אכל צא, quorum vtrunque idem significat, scilicet criminatorem, accusatorem, obtrectatorem, calumniatorem, & compositione illa denotatur singularis & excellens calumniator, supra omnes. Sed redeamus ad historiam.

Accedens tentator dixit, &c. Accessus autem tentatoris ad Christum, post quadraginta dies, non intelligendus, quod inuisibiliter & interius suis præstigiis phantasias animo Christi obiecerit, & tales interiores cogitationes contra Spiritum, qualia verba hic describuntur in cor Christi immiserit, sicut de Iuda scribitur. Licet enim magna fuit exinanitio Christi: iudico tamen simplicius esse, minus habere disputationum, si recipiatur illa Veterum sententia, quod omnes hæ tentationes foris per externas suggestiones factæ fuerint, quodque Diabolus visibili aliqua & corporali specie Christo apparuerit: verba enim Euangelistarum hoc videntur velle. *Accedens ad ipsum tentator Assumit eum secum.* Item: *Abi Satana.* Et conuenit hoc cum prima tentatione in paradiso: vbi corporali specie diabolus Euam tentauit, & super totum genus humanum victor euasit. Et iucunda est collatio, quomodo tentatio, *Genes.* 3. cum hac historia congruat. In iisdem enim capitibus tentationum, quibus in paradiso Satan genus humanum prostrauerat, iam in deserto ab homine Christo vincitur.

In explicatione autem harum tentationum duo expendenda sunt. 1. vt exponatur quomodo & tentationes & responsiones personæ Christi historiæ conueniant. 2. vt obseruetur ille quasi typus, & ad nos referatur: quæ scilicet quasi capitales tentationes Diaboli, quibus omnium periculosissime saluti nostræ insidietur, & qua armatura fides se munire & tentationibus se opponere debeat, ne succumbat. Rectè enim & eleganter Augustinus dixit 4. de Trinit. Christus diabolo se tentandum præbuit, vt ad superandas tentationes eius Mediator esset, non solum per adiutorium, verum etiam per exemplum. Arripit autem Diabolus, & in omnibus hisce tentationibus exagitat vocem paternam: *Tu es filius meus*: idque propter hasce potissimum causas. Quia capiti suo, quod per Messiam filium Dei conterendum sciebat, timebat: ideo tentando explorare voluit: An Iesus ille voce Patris ad Iordanem declaratus esset verus Messias filius Dei, vt ab eo sibi caueret. 2. Cum autem in Christo etiam, postquam voce Patris renunciatus fuerat, non videret talem externam magnificentiam, quæ vel filio Dei conuenire, vel Prophetarum oraculis respondere videretur, cœpit ipse exagitatione vocis paternæ illudere. 3. Vt sicut fecerat Genes. 3. v. 4. vocem illam Dei vel falsitatis, vel vanitatis argueret. 4. vt fidem vocis paternæ & fiduciam inde conceptam Christo eriperet. 5. vt ea occasione Christum in peccatum vel diffidentiæ, vel præsumptionis, vel ostentationis, vel defectionis induceret.

Ad primam igitur tentationem Diabolus hanc sumit occasionem. Messias filius Dei debet esse hæres & dominus omnium, Hebr. 1. v. 2. omnia sub pedibus subiecta habere, Psalm. 8. v. 8. Quomodo igitur etiam ad victum necessariis, quæ tamen reliquis hominibus suppetunt, destitueretur? Item Messias filius Dei ornatus erit virtute miraculorum. *Si ergo filius Dei es, dic huic lapidi, vt panis fiat.* Ita ergo Diabolus in prima tentatione vocem illam paternam, *Tu es filius meus dilectus*, aggreditur, & fidem ab illa, tum hoc loco in Christo, tum in nobis diuellere conatur hac calumnia. Euentus & experientia non respondent magnificis verbis promissionis: si enim Filius Dei es, cur tu fame laboras? cum alij, ad quos vox illa patris non sonuit, abundent? Nec est, quod de omnipotentia Dei præclarè cogites: vides enim, Deum per miraculum famem tuam, quod facile posset, non sedare. Aut tenta hoc, & *dic, vt lapides isti panes fiant.* Hoc enim iuxta Matthæi descriptionem Satan primo proposuit Christo, vt vel omnes vel multos loci istius lapides in panes conuerteret. Mox vero iuxta Lucæ descriptionem subiecisse intelligatur. Aut si hoc nimium est, *dic huic vni lapidi, vt panis fiat.* Duo autem proposita fuerunt Diabolo, primo vt exploraret, an Iesus vere esset Filius Dei, hac ratione: Si solo iussu ex verbo lapides in panes conuerteret, certum erit ipsum esse Filium Dei. Ideo non inquit, ora, sed dic: si vero iam vrgente fame & in extrema necessitate hoc non fecerit, non erit verus filius Dei. At tunc Satan ipsi contempto cogitat illudere. Frustra ergo voce illa cœlesti confisus, vel ipse credis, vel alios credituros speras, te esse Filium Dei. 2. Illa tentatione simul conatur Diabolus Christum in peccatum aliquod conijcere, vel in diffidentiam diuini oraculi, vel in vanam ostentationem, & inanem gloriam, si Diabolo suggerente miraculum ederet. Vulgo dicitur fuisse prima hæc tentatio gulæ seu voracitatis. Et Theophylactus conatur huc trahere, quod tanquam de superfluis Satan loquatur: *lapides fiant panes*, sed Lucas dicit, *hic lapis fiat panis.* Simplicissimum igitur est dicere, quod sit tentatio diffidentiæ, qua in difficultatibus & rebus aduersis, fidem nostram à promissione fœderis, in Baptismo initi, Satan conatur abducere, vt de ea vel dubitantes, vel omnino desperantes, à Deo deficiamus, & aliis modis, quàm per verbum Dei conceditur, rebus nostris consulamus. Et hac quidem tentatione multorum fidem Satan subuertit.

Filius Dei verò suo exemplo ostendit artificium, quomodo tentatio illa repellenda, & superanda sit. Semper autem, in reliquis etiam tentationibus, opponit Scripturam, quod diligenter obseruandum est. Paulus enim ex hac obseruatione militem Christianum, contra insidias & ignita tela Diaboli eum instruens, pulcherrime depingit, iuxta rationem veteris armaturæ, Ephes. 6. v. 13. Et ostendit virtutem hanc Scripturæ non consistere in literis & syllabis, sed in vera vsurpatione & accommodatione verbi Dei. Thorax igitur, tegens partes à pectore ad vmbilicum, est iustitia gratuita, fide in promissione apprehensa & applicata. Ζῶμα vocatur ab vmbilico vsque ad genua, & est veritas, qua persuasi, id quod fides in remissione accepit, & deinde sperat, firmiter retinemus & de eo non dubitamus. Κνημῖδες, tegunt pedes: & huic parti Paulus tribuit Euangelium pacis, quod præparat, ne vel detrectemus certamina ineunda, vel ne in certaminibus genua labascant & deficiant. Caput induitur galea salutis: dextra tenet gladiũ Spiritus, qui est verbum Dei: sinistra gerit scutum fidei, quo omnia tela excipit, & propulsat. Hæc pictura, ad exemplar filij Dei, in hac historia à Paulo formata, & ad vsum nostrum accommodata, huc referenda, & diligenter consideranda est. Noluit autem Christus virtutem Deitatis suę Diabolo ostendere, sed obuertit ipsi humilitatem & infirmitatem assumptæ humanæ naturæ, quam Veteres venustè dixerunt fuisse quasi escam quandam, sub qua velut hamus latens diuina virtus Satanam cepit & superauit. Armaturam igitur Scripturæ nobis in exemplum arripit. Opponit autem Christus sententiam ex 8. cap. Deut. v. 3. *Non in solo pane viuet homo.* Propter hanc causam. Filij enim Israel huic tentationi in deserto succubuerant, sicut nota est historia. Moses vero dicit, Deum, dato Manna, ostendisse quomodo in tali tentatione cor sustentare se debeat. Sensus autem dicti Mosaici, & responsionis Christi, quam ipsius exemplo huic tentationi & nos opponere discamus hic est. 1. Promissiones de gratia & dilectione Dei, non ex abundantia, vel penuria, vel euentu rerum corporalium metiendas, & æstimandas esse, quia sunt spirituales, & cœlestes. 2. Quando causæ secundæ desunt nec statim vel per miraculum eo, quo nos cogitamus, modo, vel iuuamur, vel liberamur, ne ideo à fide promissionis discedamus, ne contra verbum Dei aliquid aggrediamur. *Non* enim *in solo pane viuit homo*, hoc est, Deus auxiliaturus, non est alligatus causis secundis; *sed in omni verbo*, hoc est, quando verbum *quod ex ore Dei egreditur*, siue in vocatione nostra, siue in promissione gratiæ habemus, tunc egreditur etiam ex ore Domini verbum auxilij, hoc est, efficacia verbi potest, sine, præter, imo contra ordinem causarum secundarum, nobis consulere, si Deus voluerit, & nobis illud salutare iudicauerit, sicut Manna in deserto datum ostendit. Quod si hoc Deo non placuerit, à verbo Dei tamen non discedamus, sicut respondent tres illi viri, Dan 3. v. 18.

Ita ergo Christus ex illo dicto Mosis ad Diaboli tentationem respondet, vt ostendat neutrum esse necessarium, vt vel lapides conuertantur in panes, vel vt propterea fiducia in Deum abiiciatur: posse enim Deum aliter quàm pane suos diuinitus sustentare. Ambrosius dictum Mosis ita explicat, & accommodat ad responsionem Christi: Hominem, non tantum habere vitam corporis, quæ pane alatur, sed & vitam animæ, quæ potissima sit, & alimento verbi cœlestis sustentetur. Negligendam igitur famem corporis, & cogitandum de spirituali alimento verbi. Sed responsio Christi simpliciter hoc vult, Deum posse etiam sine pane vitam corporis sustentare, sicut Manna ostendit. Et in Hebræo non est dictio *verbum*, sed *omne quod egredietur de ore Domini*: hoc est, quicquid Deus vult, iubet & ordinat, etiamsi non sit panis, potest hominem sustentare. Hæc est simplicissima explicatio huius dicti, quæ simul nobis etiam monstrat vsum & accommodationem.

Tunc assumit illum Diabolus in ciuitatem sanctam.

Quare autem in secunda tentatione ad ciuitatem Hierosolymam, quæ propter depositum ibi verbum & cultum Dei sancta dicebatur, & quare ad templum Diabolus Christum duxerit, inde colligi potest. Prædictum erat, fore vt Messias tanquam dominator veniret ad templum suum, Malach. 3. vers. 1. vtque sceptrum Messiæ egrederetur ex Zion. Psalm. 110 vers. 2. & verbum ex Ierusalem, Isa. 2. vers. 3. Ideo statuit ipsum super templum, & dicit; si hinc te

dimiseris, totus Israel agnoscet & arripiet te pro Messia. Varia vero hoc loco à multis disputantur. Quidam sentiunt quod reuera & corporaliter diabolus Christum per aërem in sublimi secum duxerit, ad pinnaculum templi. Alij disputant, diabolū tales præstigias obiecisse oculis, & animo Christi, vt putaret, se circumduci, & in pinnaculo templi periclitari, cùm reuera in deserto, in plano loco, esset & maneret. Et magna sanè fuit exinanitio Filij Dei, nescio tamen, an conueniat sentire, diabolum ita præstigiis suis potuisse occupare mentem & animum Christi, vt nesciret vbi esset, & ita in cogitationibus suis falleretur. Alij dicunt, in visione hæc facta, sicut Prophetis talia quædam contigerunt, vt Ier. 13. v. 4. profectio ad Euphratem, Ezech. 4. v. 5. dormitio in vno latere, per dies trecentos nonaginta. Sed quia veræ fuerunt hæ tentationes, non præstigiæ tentationum, Hebr. 2. v. 17. & 4. v. 15. non errabit ergo opinor, qui verba Euangelistarum simpliciter de circumductione, sicut sonant, retinebit. Matthæus enim habet παραλαμβάνει, Lucas ἤγαγεν. Et vterque vtitur verbo ἵστημι. De pinnaculo etiam templi, quale fuerit, quæstio est. Quidam intelligunt fastigium siue summitatem ædificij in acumen tendentis: Pinnam enim vocari, quod acutum est: vel quia fastigiis ædium addi soleant pinnæ, quæ facili motu in modum alarum impellantur, & ventos indicent, atque ideò Euangelistas vocare πτερύγιον, hoc est, paruam alam. Et extat locus de templo apud Iosephum de bello Iudaico lib. 6. cap. 6. In summo aureis verubus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus auibus pollueretur. Vbi tradit ὑπερῷον, superiorem templi contignationem, fuisse angustiorem inferiori, & τὴν κορυφὴν in summo vertice habuisse aureas obelas acutissimas, ne (vt dictum) ab insidentibus auibus pollueretur. Sed de illis obelis pinnaculum intelligi vix potest. Ex linguarum igitur fontibus simplicissimè hæc diiudicantur. Syrus habet כנפא, quod significat alam, & oram, seu extremitatem. Græci verò interpretes reddiderunt πτερύγιον vbi Hebræa habent פנה Pinnah, vnde Latina vox pinna deducta est. Significat autem angulos superiores, *die Ecken* in ædificiis, qui prominent. Et Sophon. 3. v. 6. vocantur pinnæ celsæ, Prou. 21. v. 9. *Melius est sedere in pinna tecti, quàm in domo cum muliere litigiosa.* Et ex hoc loco intelligi poterit, quid Euangelistæ velint. Tecta enim in Palæstina erant plana, quæ poterant inambulari, sed in extremitatibus summorum angulorum, sine periculo lapsus, nemo poterat consistere, præsertim si anguli eleuati prominerent, sicut indicat locus Sophon. 1. v. 5. In templo autem singulos illos peculiari cura sculptos & eleuatos fuisse, testatur Psalm. 144. v. 12. Lutherus commodissimè reddidit, *die Zinnen deß Tempels*. Sed quicquid sit de vocabulis, hoc certum est, locum fuisse in summo templi fastigio, vbi sine periculo non poterat consisti. Hoc enim Satan vult, si in hoc pinnaculo substiteris, & concurrente multitudine te hinc demiseris, omnes statim te agnoscent & recipient pro Messia. Et obiter obseruetur, quod Diabolus etiam, quando circumducit Christum, & in loco periculosissimo, scilicet in pinnaculo templi statuit: non tamen potest inde ipsum deturbare, sed inquit, *Dimitte te deorsum*. adeò sine permissione diuina diabolus ne in ipsa quidem tentatione aliquid potest.

His explicatis consideranda est accommodatio doctrinæ ad nostrum vsum, quàm ordo tentationum monstrabit. In prima enim tentatione conatus fuerat Satan fidem Christi à verbo & promissione abducere: sed quia animaduerterat, fidem eius nullis aduersitatibus posse à verbo auelli, iam ab alia parte Christum aggreditur, decerpens aliquid ex Scriptura, & illud mutilādo detorquens in quamcunque visum fuerit sententiam. Tamen inquit *ita scriptum est*. Hoc enim est Diaboli artificium, quando non potest Epicureum contemptum totius Scripturæ animis instillare, quod variis corruptelis Scripturam deprauat, vt ita vel odium fastidium & cōtemptum Scripturæ, propter varias, quæ inde extruuntur, hæreses iniiciat, vel cum fidei in vniuersum non possit Scripturam eripere, vt verum & sanum eius intellectum adulterando viam tamen salutis retinentibus Scripturam præcludat. Vide autem, filius Dei non abiicit aut vituperat Scripturam, tãquam nasum cereum sicut multi faciunt, propterea, quod diabolus illam deprauet, ac in varias & diuersas sententias transformet: sed ostendit, quomodo corruptelæ refutari, & vera sententia Scripturæ deprehendi & retineri possit. Non autem discedit à Scriptura ad Traditiones, vbi de sensu controuersia est, sicut Pontificij contendunt, sed ex ipsa Scriptura sumit refutationem prauæ allegationis. 1. Quod verba truncata & mutilata allegantur in aliam sententiam, quam sicut verba per se integre considerata sonant. Cùm enim Psalmus dicat, *custodient te in viis tuis*, hoc est, quando in vocatione tua ea, quæ verbum Dei præscribit, facis, etiam si ingruant pericula & aduersitates, confidas Deo: *Angelis enim suis mandabit de te, &c.* Diabolum illud, *de Viis tuis*, omittit & aliã sententiam, quam verba integra sonant, inde extruit, scilicet, etiamsi, extra vocationem & sine mandato Dei, citra necessitatem, ex temeraria præsumptione aliquid aggressus fueris, Deus angelis suis mandauit, vt custodiant te. 2. Christus peregrinam illam sententiam ostendit pugnare etiam cum aliis manifestis Scripturæ sententiis. Non enim hoc loco disputatio est, quasi sententia Psalmi obscura & tropica sit, cuius explicatio ex aliis Scripturæ locis manifestioribus petenda sit. Monstrat igitur Christus suo hoc exemplo regulam de vera interpretatione Scripturæ, illam scilicet esse veram & sanam interpretationem, quam verba, sicut integrè considerata sonant, præbent, & quæ perpetuæ Scripturæ sententiæ consentanea est. Et obseruetur, quantum filius Dei in concertatione contra patrem mendacij tribuat collationi sententiarum Scripturæ, quæ de eadem re loquuntur. Allegationi enim diaboli respondet, πάλιν hoc est, *Contra*, & è diuerso *scriptum est*. non quod contra veram Psalmi sententiam alia Scriptura pugnet, sed contra deprauationem & corruptelam Diaboli, quam ex mutilatione verborum Psalmi effingebat, aliam Scripturam opponit.

Obseruetur autem ordo tentationum. Prima tentatio fuit diffidentiæ, à qua repulsus Satan mox alia via aggreditur. Ergò, inquit, Si tantum tribuis promissionibus, dimitte te deorsum. Extat enim promissio Dei, *Angelis suis mandauit, &c.* Quando igitur fiduciam in promissiones Dei Satan nobis eripere non potest, conatur ex fiducia facere præsumptionem, & vanam confidentiam. Quod autem ad historiam attinet, conatur Sathan Christum per hanc tentationem inducere ad inanis gloriæ appetentiam, ad vanam sui ostentationem, ad Dei tentationem, vel sui ipsius perditionem per præcipitium. Sed notetur responsio filij Dei. Tradit enim regulam vtilissimam, promissiones Dei ita esse intelligendas, & in vsu ad fiduciam accommodandas, ne Deum tentemus. *Scriptum enim est*, inquit: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Vt autem regula illa rectè intelligatur & vsurpetur, ex certis Scripturæ fundamentis explicandum est, quid sit tentare Deum. Nota enim est historia Achaz, Esa. 7. v. 12. qui diffidentiæ suæ hoc prætexebat, *Non tentabo Dominum*: sicut sæpe fit, quando diffidentia vel illicita media quærit, vel manifestè contra Dei voluntatem aliquid aggreditur, quod hoc prætextu se excusat, *Non tentabo Dominum*. Et quod ad phrasin attinet, tentare Deum dicitur, qui non ordinariè, sed ex præsumptione, vel citra necessitatem quærit experimentum potentiæ, sapientiæ bonitatis, & veritatis Dei. Sed ex Scripturæ exemplis simplicissimè hæc intelligi poterunt. Breuissimè igitur fundamenta tantum notabimus, signatis Scripturæ locis. 1. Ex historia, *Exod. 17. vers. 2.* ad quam sententia ex 6. cap. Deuter. v. 16. à Christo citata respicit, colligitur, illos tentare Deum, qui promissiones ipsius non eo modo, quem Deus vel in verbo suo reuelauit, vel occultum sibi reseruauit, vel in tempore sibi opportuno implenda placidè expectant: sed qui vel eo modo vel eo tēpore, sicut nostra temeritate sine verbo Dei nobis præsumimus, & ipsi quasi præscribimus, promissiones impleri postulant. Habebant enim filij Israel promissionem, Deum ipsis in deserto affuturum, sed in siti clamitabant: *Si Dominus iam non dederit nobis aquam ad bibendum, non credemus, ipsum esse in medio nostri.* Ita Iudith. 7. v. 25. & 8. v. 11. dicuntur Deum tentare, qui dicunt: *Si transactis quinque diebus non venerit adiutorium Dei, omissa promissione ad alia consilia conuertemur.* 2. Luc. 11. v. 16. dicuntur illi tentare Deum, qui promissione, quæ diuina patefactione & miraculis confirmata est, non contenti, alia præterea signa quærunt, qualia ipsi volunt, quibus de voluntate Dei certiores volunt reddi. 3. Ex sententia Psalm. 91. v. 11. quam Diabolus allegat, colligimus tentari Deum, quando vel sine vocatione temerè nos in pericula coniicimus, vel quando legitima & ordinaria media negligimus, & tunc citra necessitatem ex præsumptione, de absoluta Dei potentia & sapientia promissiones nobis accommodamus. 4 Qui petulanter ruunt contra manifestum verbum Dei, & nihilominus promissiones ad se pertinere iactant, dicuntur, Num. 14. v. 22. tentare Deum. Et Malach. 3. v. 8. describuntur illi, qui patientiam Dei sua impœnitentia & impietate tentant. 5. De Adiaphoris, quæ non ædificant; sed coniuncta sunt cum scandalo, periculo conscientiarum, & impietate, vt dicit Paulus 1. Cor. 10. v. 22. *Num prouocamus Deum? num fortiores ipso sumus?* 6. Actor. 15. vers. 10. Petrus dicit, illos tentare Deum, qui iugum Legis, tãquam ad salutem necessarium discipulis imponebant, licet magno zelo, & non mala forsan intentione hoc facerent. Qui enim relicta illa via salutis, quam filius Dei suo sanguine dedicauit, aliunde conantur in cœlum ascendere, quacunque oratione & intentione hoc fiat, tentant Deum, iuxta Petri sententiam. Hæc sunt potissima capita, ex quibus regula Christi, quā hic tradidit, promissiones Dei ita esse accipiendas, & accōmodãdas, ne Deum tentemus: luculenter & vtiliter intelligi poterit.

Sequitur

Sequitur autem in historia, *Rursus assumit illum Diabolus in montem excelsum valde, &c.* De monte illo excelso nihil disputabimus vbi situs sit. Ezech.40.v.2. Propheta in visione adducitur in terram Israel, super montem excelsum valde. Et videri posset esse quædam cognatio. Sed iudico vtiliorem esse hanc collationem. Deut.34.v.1. iubetur Moses ascendere montem, & inde Dominus ipsi ostendit totam terram promissionis, dicens: *Hæc est terra, pro qua iuraui patribus, semini tuo dabo eam.* De Messia verò scriptum est, Psalm.2.v.8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et Psalm. 72.v.8. *Dominabitur à mari ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Diabolus igitur ostendit illi, quem audierat renunciatum esse Messiam, non tantum terram Canaan, sed omnia regna totius orbis habitabilis, atque omnem potentiam & magnificentiam eorum. Iam verò nullius montis altitudo tanta potest esse, vnde omnia regna totius mundi conspici possint, ita vt inde monstrari possit, quæ sit in singulis regnis potentia & gloria. Et licet mons aliquis tam excelsus esset: oculus tamen humanus non posset ad inspectionem omnium, præsertim in momento temporis pertingere. Chrysostomus igitur hanc monstrationem ita interpretatur, quod Diabolus quasi intendens digitum tantum monstrauerit, in qua parte orbis sita tunc fuerint potissima regna mundi, & quod verbis narrando exposuerit, quæ esset cuiusque regni potentia, diuitiæ & magnificentia. Et huc facit, quod Syrus habet verbum חוי, quod significat nuntiare, indicare, declarare, demonstrare. Sed Lucas expresse dicit, monstrationem illam factam esse *in momento temporis.* Est autem στιγμὴ Grammaticum vocabulum, & significat exiguam notulam, qua sententiæ distinguuntur, quando vel sententia absoluta est, vel hærente adhuc sententia ponitur χάριν ἀναπνοῆς, vt ibi vox respirationis gratia in pronuntiando sistatur. Quantulum igitur temporis Lucas intelligi velit, cùm inquit, ἐν στιγμῇ χρόνου hinc potest colligi. Nec dubium est, idem esse quod 1.Cor.15.v.52. vocatur ἀτόμῳ temporis. Quidam igitur sentiunt, monstrationem hâc factam esse tali ratione, quæ potentiæ Diaboli propria est, quod scilicet imagines seu phantasias externas & sensibiles omnium regnorum repræsentarit oculis Christi. Hoc enim Diabolum posse, constat, & hoc potuit fieri in momento temporis. Ita sentit Theophylactus. Et ad gloriam mundi non malè conuenit, si diabolus illam suis præstigiis repræsentarit. Lucas enim Act.25.v.61. Regiam Agrippæ pompam vocat φαντασίας. Et Iob.20.v.8. Gloria mundi assimilatur somnio auolanti & visioni nocturnæ. Esa.29.v.8. *Sicut somnium visionis nocturnæ, omnis multitudo gentium coram te.* Psalm.73.v.20. vocatur somnium & imago. Psalm.39.vers.7. appellatur vmbra. Et hoc Paulus interpretari videtur, cùm inquit, 1. Corinth.7.v.31. Schema huius mũdi transit. Hinc Ambrosius venustè inquit: Bene in momento temporis secularia, & terrena monstrantur. Non enim tam conspectus celeritas, quam caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt: & sæpe honor seculi abit, priusquam venerit. Multi etiam, sicut paulo ante notaui, disputant, Christum nõ reuera à Diabolo assumptum & circumductum super templum & super montem, sicut Abacuc Dan. decimoquarto, v. 35. & Philippus Actor. 8 v. 39. de loco ad locum transferuntur: iudicant enim inconueniens, filium Dei à Diabolo ita contumeliose circumduci. Ideo existimant, sicut per visionem imaginatiam Ieremias visus fuit sibi esse circa Euphratem, Ierem.13.vers.4. cum esset in Iudæa, Ezech. cap.40 vers.2. videtur sibi esse Hierosolymis, cum reuera sederet super fluuium Chabar: ita diabolum per suas præstigias effecisse, vt Christus videretur sibi esse iam super templum, iam super montem, cum reuera in deserto esset, & maneret. Sed non fuerunt præstigiæ tentationum. Et dulcissima consolatio est, quod filius Dei per omnia vt nos tentatus fuit, Hebr.2.vers.17 & 4. v. 15. Quæ consolatio perit nobis, si imaginarias Christi tentationes fecerimus. Et verba sunt manifesta. παραλαμβάνει, *secum assumit & ducit.* Et rectè dicit Gregorius. *Nihil esse mirum, si Christus à Diabolo se permisit circumduci, qui à membris illius se permisit crucifigi.* Et Chrysostomus inquit: *In assumpto & circumducto Christo non cogites potentiam Diaboli, sed mirare patientiam filij Dei, qui propter nos ita se humiliauit.*

Causa autem & ratio, quare Diabolus hanc tentationem filio Dei obiecerit, hæc est: *Scriptum est de Messia, Isa.60.vers 12. Omnia regna seruient tibi.* Ostendit igitur Diabolus Christo omnia regna mundi in hanc sententiam: Eâ ratione, sicut nunc agis, per exinanitionem non subiicies tibi regna mundi. Vides enim, illa occupari ab illis, qui mihi obsequuntur. Ergo si me adoraueris, poteris fieri dominus & hæres omnium regnorum citius, facilius, & certius, quàm si voci illi, quæ de cœlo sonuit, confidas. Ita per auaritiam & ambitionem ad defectionem à Deo & ad idololatriam Diabolus Christum sollicitat. Quomodo verò ad nostram doctrinam hoc accommodetur, manifestum est. Artificium enim Satanæ est, quod gloriam huius mundi quàm potest amplissimè exaggerat, & speciem eius oculis, & animis pauperum veri Dei cultorum ingerit, addita illa contrapositione, de successu impiorum, & de cruce piorum, quæ Psalm.73.v.3. describitur, quòd illi, qui malis artibus indulgent, consequantur opes & gloriam: qui verò pietati student, sint abiecti & miseri. Ex illo enim conspectu & collatione, variis cogitationibus animus humanus percellitur, & ad defectionem à pietate atque ad seruitutem Diaboli, ad mundi imitationem, sollicitatur. Obseruetur autem quomodo Diabolus gloriam diuinitatis ad se rapere & sibi arrogare conatur, cùm inquit: *mihi tradita sunt, & cui volo, do ea.* Abutitur autem hoc argumento, quo multi perturbantur, sumpto ex illa rerum confusione, quæ in hoc mundo cernitur. Deus enim certum ordinem administrandi res huius mũdi in lege suâ instituit & præscripsit. Diabolus autem inuecto peccato, horribili ἀταξίᾳ ordinem illum turbat: vnde vocatur princeps huius mundi. Et Deus patientiâ & longanimitate suâ propter intercessionem filij hanc confusionem tolerat, non quòd vel imperio mundi Deus se abdicarit, vel quòd falsum sit verbum Dei promittens benedictionem piis, & minitans maledictionem impiis. Sed causam exponit Paulus, Rom.2. vers.4. vt bonitate suâ adducat nos ad pœnitentiam. Et 2. Pet.3. v.9. patienter agit propter eos: nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti: Et quia constituit diem iudicij, vbi fiat restitutio omnium, Act 3.v.21. hanc salutarem Dei patientiam Diabolus contumeliose & blaspheme ita malitiose interpretatur: Deus quidem promittit piis benedictionem, impiis verò minatur maledictionem. Sed videtis experientiam contrarium testari. Qui enim malis artibus Satanæ voluntati obsequuntur, diuites & potentes sunt in hoc sæculo: qui verò in viis Domini hanc benedictionem quærunt, portant crucem suam. Atque inde Diabolus conatur inferre, Deum administrationem huius mundi & distributionem bonorum ipsius non curare, sed eam cessisse Diabolo principi huius mundi. Atque hanc opinionem ideo conatur stabilire, vt hominibus illam persuasionem instillet: frustra hæc quæri in viis Domini, sed malis Diaboli artibus ea quærenda esse, si quis cupiat successum. Et hoc in omnibus regnis mundi ostendit. Potentia enim & gloria ipsorum quomodo & à quibus occupetur, manifestum est. Hæc ignita tela non tantùm sauciant, sed penetrant & confodiunt multorum animos. Vnde enim fit, quòd ij, qui sectantur bona huius sæculi, relictis viis Domini, vtuntur fraudibus, rapinis & aliis malis artibus, nisi quia spectaculo confusionis rerum in hoc mundo ita turbantur, quòd cogitant, Deum talia non curare, sed cœlestia tantùm gubernare: Iob.22.v.12. Et licèt verbis non dicant, quod sentiunt, non Deum, sed Diabolum distribuendis bonis huius mundi præfectum esse, atque ideò ipsius vias sequendas esse: Reipsa tamen ostendunt, neruos opinionis illius in mentibus suis hærere. Inde enim fit, quòd etiam quando fatentur, Deum hæc omnia in manu sua habere, imo etiã quando à Deo petunt panem quotidianum, tamen quasi non satis fidentes promissionibus ipsius, si eius tantùm viis insisterent, aliquid etiam quasi subsidij ex malis Diaboli artibus miscent, quasi aliàs bona huius mundi, quæ quærunt, consequi non possent. Et addunt prætextum, tanquam rationem: Talis iam est ratio mundi, vt qui talia quærit, cogitur se mundo conformare. Et hoc ipsum est, quod Satan tertiâ hac tentatione quærit, & in magna mundi parte sine magno negotio obtinet. *Cui ego volo, hæc dantur.* Ergo non consequeris illa, si in Domini viis ambulaueris: sed si me adoraueris, tua erunt. Hæc est simplicissima explicatio eius quod Diabolus dicit: *Omnia mihi tradita sunt, &c.*

Antiqua autem Diaboli superbia est, quod diuinum sibi postulat deferri honorem, & quidem à filio Dei incarnato. Et obseruetur, cùm nemo dicat, se velle Diabolo se prosternere, & ipsum adorare, quod ex hoc loco colligitur notatio, quòd quisquis cupiditate, auaritiâ & ambitione victus, sepositis Dei promissionibus contra mandata Dei, exemplo mundi, impiis artibus studet, ea sæpe, quod ita bona huius mundi consecutus sit, quod is re ipsa Diabolo se prosternat, & ipsum adoret ac Deum, inito cum aduersario eius fœdere, ipso facto abneget. Atque inde Paulus auaritiam vocat idololatriam, & auaros idolorum cultores, Ephes.5.v.5.

Obseruandum autem est, qualem refutationem Christus huic tentationi opponat. Non enim simpliciter tantùm, sicut in præcedentibus, Scripturæ sententiam opponit: sed propter blasphema illa verba: *Omnia mihi tradita sunt*, & quia cultum adorationis tribui postulauerat, Christus inquit, ὕπαγε. Quæ formula vsurpatur, quando propter enormem rei indignitatem animo commotiori auersamur & reiicimus eos, quos aliquandiu cum molestiâ toleranimus. Ita vsurpatur Matth 16. v.3. de Petro, & Matth.20. v.14. Tolle quod tuum est, & abi.

Atque inde notanda est doctrina: Blasphemas voces, nō cum secura patientia esse audiendas, sed cum seria indignatione reiiciendas. Item, quando nimis molestus est Diabolus huiusmodi tentationibus, quæ ad blasphemiam vergunt, non instituendam disputationem cum ipso, sed simpliciter cum indignatione repellendum, opposita breui, certa & firma Scripturæ sententia: sicut Christus inquit: *Abi Satana, Scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, &c.* Est autem responsionis Christi hæc sententia: Ea, quæ propriè ad cultum Dei pertinent, nulli creaturæ esse tribuenda, & ne quidem disputationem hac de re esse admittendam, sicut Christus hic simpliciter Diabolum reiicit. Imò, ea quæ ad cultum Dei pertinent, ita Deo esse tribuenda, vt nulli creaturæ communicentur hoc est, ne ea partiamur inter Deum & inter creaturas, vt vel partem Deo, partem creaturis deferamus, vel simul & Deo & creaturis ea tribuamus. Diabolus enim non flagitat, vt Christus Deum patrem prorsus non adoret, sed tantùm petit sibi etiam aliquid eius honoris deferri. Christus verò respondet per particulam exclusiuam: *Solum Deum adorabis & coles*, ne quis fingat, Diabolum quidem non esse adorandum nec colendum, Angelis verò & sanctis honores illos posse deferri. Rectè itaque hæc sententia, contra cultum & inuocationem sanctorum opponitur.

Porro quædam Grammaticæ quæstiones explicandæ restant. Matthæus simpliciter habet ὕπαγε, Lucas verò addit, ὕπαγε ὀπίσω μου. Satan enim significat aduersarium: & aduersantis gestus est, quod in faciem nobis obsistat. Ideo iubens Satanam discedere, nec amplius quasi in faciem obsistere & aduersari secundùm gestum aduersantium loquitur: *Discede post me*, vel à tergo, hoc est, non opponas te mihi in faciem. Frustra ergo Origenes philosophatur, diabolo simpliciter dici, *Abi*: Petro verò Matth. 16. v. 23. dici, *Abi post me Satana*, quasi illa phrasi ad sequendum Christum inuitetur. Præterea locus, Deut. 6. vers. 13. & 10. v. 20. non habet verbum *Adorandi*, sed *Timendi: Dominum Deum tuum timebis* Sed verbum ירא, quando ad Deum refertur, generale est, complectens omnem reuerentiam, quæ cum veneratione & religione Deo exhibetur. Cúmque eius pars sit adoratio, & diabolus se adorari postulauerat: ideo Christus verbum generale timoris seu reuerentiæ, mutauit in verbum adorandi: *Dominum Deum tuū adorabis*. Verbum vero *Adorandi*, in genere significat, & Hebræis & Latinis externam inclinationem seu geniculationem corporis venerationis gratia: & in ea generali significatione tribuitur etiam creaturis. Ita Iacob adorauit Esau. Sed quando Deo tribuitur, tunc significat talem venerationem, quā mens virtute & religione, fide & spe, Deum, vel tanquam primum principium & æternum dominatorem Dominum, vel tanquam boni largitorem, & mali depulsorem veneratur. Et obseruetur in hac historia quid sit adoratio, quæ nulli creaturæ tribuenda est. Diabolus enim non postulat à Christo, vt adoratione tribuat sibi quod sit æterna & diuina essentia, principium rerum omnium, sed vt agnoscat, & geniculatione confiteatur, diabolum bona mundi distribuere, & illa se apud ipsum quærere, ab ipso petere & exspectare, ipsique tribuere, quod illa accipiat & habeat. Et hanc adorationem Christus dicit soli Deo ita deberi, vt blasphemia sit, si ea vlli alicui creaturæ tribuatur. Hæc descriptio adorationis ideo diligenter obseruanda est. Pontificij enim immanes Idolomanias iam ita pingunt, Adorationem quidem, quæ Deo tribuitur, quod sit æternum principium omnium, soli Deo deberi: Inuocationem verò, quia donatio bonorum, & depulsio malorum oratione quæritur, etiam sanctis posse offerri. Quod verò Christus addit particulam μόνῳ *soli*, quæ in textu apud Mosen non est, inde fit, quod Deut. 6 v. 13. scribitur ita: *Deum adorabis & coles, vt non eas post Deos alienos:* quæ sententia breuiter per exclusiuam μόνῳ effertur: quam etiam ad verbum adorare referendam esse, hinc manifestum est. Græci igitur interpretes non fuerunt falsatores, de suo aliquid addentes verbo Dei, quando reddiderunt αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις sententiam illius loci, rectè, perspicue & fideliter reddiderunt. Et illam translationem Christus etiam hac sua citatione confirmat. Atque eodem prorsus modo Paulus dicit, Iustificamur fide & non operibus, vel sine operibus. Hoc Veteres perspicuitatis gratia ita dixerunt: Sola fide iustificamur. Et non esse adulterationem seu falsationem Scripturæ, sicut Pontificij contra nos clamitant, ex hoc loco manifestum est.

Addit autem Lucas, Diabolum *consummata omni tentatione discessisse.* Ergo quicquid Diabolus tentando scit, potest & valet, illud in vniuersum quasi in aciem, denunciatis inimicitiis, in hoc congressu cum semine mulieris produxit. Vnde rectè colligimus, 1. quod hæ tentationes fuerint in summo gradu. 2. quod vniuersa Diaboli in tentando malitia, versutia & potentia, quanta quanta est, à Christo Mediatore in carne nostra sit deuicta. Et eius victoriam nostram esse Scriptura affirmat, 1. Iohann. 5. vers. 4. Rom. 8. vers. 3. 1. Cor. 15. v. 34. ita vt in nobis tentatorem sua gratia & auxilio vincere, & Diabolum sub pedibus nostris conculcare velit, Rom. 16. vers. 20.

Quod verò Matthæus dicit, *Tunc omittit eum Diabolus*, præbet insignem consolationem, quomodo Deus clementer mitiget & terminet tentationes, iuxta dictum, 1. Corinth. 10. vers. 13 *Fidelis est Deus qui non sinit nos tentari ultra vires: sed dat euentum tolerabilem.* Cùm enim ad summum gradum peruenisset tentatio, Diabolus dimittit Christum. *Et ecce Angeli accedunt ministrantes ipsi* Inde rectè colligitur, vires ipsius hisce tentationibus valde fuisse prostratas. Rectè autem hoc intelligitur, de aliqua visibili apparitione Angelorum, sicut in agone describitur, Luc. 22. v. 43. quod scilicet in fame, cum inter feras esset, angeli cibationem & alia externa ministeria ipsi exhibuerint, donec ex deserto, rursus ad homines reuerteretur. Et Matthæus inquit, *Ecce*: quasi dicat: Stupenda res, quod illum qui contumeliis & ludibriis diaboli expositus fuerat: iam non vnus angelus, sed magna angelorum multitudo agnoscunt & venerantur, tanquam verè Filium Dei, Psal. 76. Sicut etiam in hac parte historiæ comprobatur, quod scriptum est Iacobi 4. vers 7. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Et tunc Angeli, qui videbantur tentatos deseruisse, probabunt se nobis adesse.

Illud etiam non sine causa additur à Luca, quod diabolus cum suis tentationibus discesserit à Christo, ἄχρι καιροῦ. Significat enim, totam vitam Christi in hac carne fuisse talem militiam, in qua expositus fuerit continuis tentationibus diaboli, donec eum per manus impiorum ad crucem adegit, & abscidit à terra viuentium. Hoc enim modo conterendum erat caput serpentis. Et tamen Deus carni Christi aliquando spatium aliquod, quasi ad respirandum à tentationibus, concessit. Ideo Lucas inquit, *Discessit ab ipso ad tempus.* Docemur itaque & nos, ne semel ab oppugnatione Satanæ liberati deinceps securi simus, sed ad nouas tentationes nos præparemus. Repulsus enim redit. Et tamen simul sciamus, Christum, cum norit, quid infirmitas nostra ferre possit, militibus suis certas dare vices, vt tristibus succedant læta, duris iucunda, post afflictionem sequatur recreatio consolationis. Sicut iam Christo Angeli ministrant. Sed hæc omnia in hac vita ἄχρι καιροῦ, vsque ad tempus.

Hæ sunt igitur capitales (vt ita loquar) tentationes Diaboli, quæ breuiter ita distribui possunt. Hoc enim agit Satan, vel vt in aduersitatibus diffidentia opis diuinæ vocationem deseramus: vel vt extra vocationem ex temeraria præsumptione aliquid aggrediamur: vel vt in vocatione nostra, extra & contra mandatum Dei, conemur quærere successum, opes, potentiam, gloriam, &c. Nihil autem iuris diabolus habuit in Christo: Atque ideò, nec debuisset, nec potuisset ipsum suis tentationibus exagitare. Sed factus Mediator, & susceptis nostris infirmitatibus, nostro loco, nostro nomine, & propter nos, à patre, ductu Spiritus sancti, & obiectus fuit illis diaboli tentationibus, vt sciremus, victoriam ipsius nostram esse, & ipsum compassione, gratia & auxilio nobis in tentatione adesse, Hebr. 4. v. 15.

Ad hæc capita tentationum accommodari possunt & hæ Veterum distributiones, quas memoriæ gratia annotabo, Dicunt igitur, Diabolum tentare sex modis. 1. in bonis, per elaborationem. 2. in malis, per desperationem. 3. in otio, per luxuriam. 4. in negotiis, per turbationem. 5. in iustitia, per crudelitatem. 6. in misericordia, per adulationem. Præterea addunt, ipsum fallere, & plausibili specie decipere quatuor potissimùm modis. 1. suadendo bonum, propter maius malum inde oriturum. 2. suadendo malum, sub specie boni. 3. dissuadendo bonum, tanquam malum. 4. dissuadendo malum, vt peius inducat. Has distinctiones obiter recitare volui: possunt enim aliquid lucis afferre.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM.

CONTINENS HISTORIAM PRIMÆ TESTIFICATIONIS BAPTISTÆ DE CHRISTO, IN BAPTISMO iam manifestato, interim dum abesset in deserto, Iohan. 1.

RATIO ORDINIS.

Testimonium illud Baptistæ Iohan. 1. v. 15. *Hic erat, qui post me veniens, ante me factus est*, non esse ex iis, quæ de Christo, ante ipsius manifestationem seu baptismum, multa perhibuit inde manifestum est: quia cum inquit, *Hic erat de quo dicebam* non tantum refert se ad priora sua testimonia, quæ apud reliquos Euangelistas descripta sunt, sed hoc testimoniũ cum sequentibus ita distinguit à præcedentibus, vt cum antea dixerit: *post me venturus est, sed ego non noui eum*, iam dicat, οὗτος, *Hic erat* designans certam ac notam personam. Ergo in hac testificatione, de Christo iam manifestato loquitur. Et iucunda est obseruatio, quomodo mutuas inter se operas Euangelistæ in suis descriptionibus tradant. Reliqui enim tres Euangelistæ descripserunt illa testimonia Baptistæ, quæ de Christo sibi adhuc ignoto, priusquam in Baptismo cœlitus manifestaretur, perhibuit. Post baptismum verò, & post manifestationem Christi, tres illi Euangelistæ de ministerio & testificationibus Baptistæ nihil prorsus, nisi de carcere & morte eius, annotarunt. Ioannes igitur Euangelista, cum post reliquos scriberet, illam historiæ partem, à reliquis prætermissam, persequitur, quæ scilicet fuerit doctrina Baptistæ, post manifestatum in baptismo Christum: siue quæ & qualia fuerint testimonia, quæ Baptista perhibuit de Christo, iam manifestato. Et si ista eo ordine, sicut apud Ioannem descripta sunt, accipiamus, erit hoc primum. Et anteà annotaui, posse hoc testimonium ita accipi, quòd Ioannes in illo temporis puncto, quando videbat Spiritum cœlitus descendere, columba adhuc manente in Christo priusquam in desertum subduceretur, hoc testimonium proclamarit, *Hic erat, de quo dicebam* Sed quia statim, post auditam vocem paternam, Iesus in desertum ductus scribitur. Et Baptista ita, sicut solemus loqui de absente, qui paulò ante præsens adfuit, inquit: *Hic erat, de quo dicebam*. Accipiamus sanè, sicut vsitatum & receptũ est, quod dum Christus in desertum à conspectu hominum subductus, tentatus fuit, Baptista interea de ipso iam manifestato, ita testificatus sit. Et quia historiam legationis Hierosolymitanæ, Euangelista dicit tunc factam, cùm altero die post Iesus ex deserto ad Iordanem reuerteretur: Vera igitur ratio ordinis historiarum hæc erit, quod in hoc textu, vsque ad descriptionem legationis, Euangelista breuiter complectatur, quid per quadraginta illos dies, dum Christus in desertò fuit, Baptista de ipso iam manifestato clamarit: hoc est, sonora voce publicè prædicarit, qua prædicatione occasionem præbuit sequenti legationi, quæ facta fuit, dum Christus esset in reditu ex deserto, sicut mox ostendemus. Hæc obseruatio ordinis, & iucunda est, & multum lucis adfert historiæ Euangelicæ.

HISTORIA PRIMÆ TESTIFICATIONIS BAPTISTÆ, DE CHRISTO IAM MANIFESTATO, INTEREA dum in deserto esset, Iohan. 1.

15. Ἰωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, καὶ κέκραγε, λέγων, Οὗτος ἦν ὃν εἶπον, Ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ὅτι πρῶτός μου ἦν.	15. *Iohannes testificatur de ipso, & clamat, dicens: Hic erat de quo dicebam, Qui cùm me sequeretur, antecessit me, quia prior me erat.*
16. Καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος.	16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratium, pro gratia.*
17. Ὅτι ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη, ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο.	17. *Quia lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum exorta est.*
18. Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, ὁ μονογενὴς υἱός, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο.	18. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.*

Periocha Historiæ primæ testificationis Baptistæ, de Christo iam manifestato, Iohan. 1.

Testimonium hoc Baptistæ duobus verbis describitur, quorum primum μαρτυρεῖ, est præsens, *testificatur*: alterum κέκραγε est præteritum, *clamauit*. Et quod in aliis linguis insolens videtur, in Hebraismo vsitatum est: quod verba diuersorum temporum coniunguntur. Vel igitur vtrumque per præsens exponendum est, sicut Erasmus & Lutherus reddiderũt, *Testificatur & clamat*. Nam & postea Euangelista testimonium Baptistæ per præsens verbum describit: *Videt Iesum & dicit ecce*. Et si ita legatur *Iohannes testificatur & clamat*, significabitur continuatio crebra: repetitio & inculcatio eius testimonij: quod pulchrè conuenit ad illud, quod ante diximus, describi hoc loco quid Baptista per quadraginta illos dies, quibus Christus in deserto fuit, de ipso prędicarit. Vel, vt alij sentiunt, vtrumque per præteritum exponendum est: *Testificatus est & clamauit.*) Vel μαρτυρεῖ ita explicandum est: Ioannis testimonium hoc est, quod clamauit. Ita verba relinquerentur sicut posita sunt alterum in præsenti, alterum in præterito. Et ipse Euangelista mox vtitur hac periphrasi: *Hoc est testimonium Iohannis*. Vtitur autem Euangelista verbo *Clamandi*, quia de Baptista scriptum erat *Ecce vox clamantis, &c.* Vtque significaret, Baptistam hoc testimonium non priuatim, aut secretè quibusdam insusurrasse, aut tantum discipulis suis persuasisse, sed publicè, omni populo audiente idque sonorâ voce, summa cum libertate, magno zelo & peculiari Spiritus exultatione, prædicasse hoc de Christo, quem diu expectatum, iam manifestatum gaudebat & prædicabat. Ita enim vsurpatur verbum *Clamandi*, Esa. 58. v. 1. *Clama ex gutture, exalta vocem tuam, quasi tubam.* Et de voce gratulabunda vsurpatur, Luc. 1. v. 42. *Elisabeta exclamauit voce magnâ.*

Et consideretur, quòd non dicit: *Hic est*, sed οὗτος ἦν, *Hic erat*. Budæus exemplis conatur probare, quod imperfectum ἦν, aliquando pro præsenti ἐστί vsurpetur. Sed simplicissimè ita potest explicari, quod de eo quem paulo ante audierat, & viderat cœlesti gloriâ manifestatum, sed quia iam aberat, à Spiritu in desertum subductus, Baptista post manifestationem ita cœperit testificari: Hic, quem vidi Spiritu sancto vngi, quémque voce cœlesti audiui inaugurari, qui iam discessit & abest, hic inquam erat, de quo in præcedentibus meis concionibus dicebam, quod post me venturus esset, vtpote cui ego viam pararem: de absente enim qui paulo ante præsens adfuit, ita solemus loqui: Hic erat, de quo sæpe dixi. Et paulo post, quando Christum præsentem digito monstrat Baptista, non dicit: Hic erat, sed hic est, de quo dicebam.

Et sententia quidem huius testimonij certa est. Refert se enim Baptista ad testimonium anteà à se perhibitum, & illud iam ad Christum manifestatum accommodat. Hoc verò apud reliquos Euangelistas ita describitur: *Qui post me venit fortior me est, cui nõ sum dignus corrigiam soluere.* Necesse igitur est, can-

dem sententiam & horum verborum esse. Sed vocabula videntur obscuriora, quæ ita illustrari poterunt, si cogitetur Baptistam delectatum translatione vocabuli ἔμπροσθεν, hoc modo, quasi dicat: Ego iuxta Prophetarum vaticinia hactenus Messiæ viam præparaui, ἔμπροσθεν αὐτοῦ. Et dixi illum venturum post me. Sed postquam iam manifestatus post me venit, factus est ἔμπροσθέν μου. Et consideratio illustrat totam hanc sententiam Expendendæ igitur sunt significationes vocabuli ἔμπροσθεν. Et de ipso Baptista ita vsurpatur, Marc. 1. vers. 2. *præparauit viam ante Messiam mox subsecuturum*. Sed hæc significatio huic loco non conuenit. Præterea verò vsitatissima significatio τοῦ ἔμπροσθεν, in exemplis Noui Testamenti est, coràm, in conspectu alicuius, vt sit aduerbium loci. Et ita sensus hoc loco esset: *Qui post me venturus erat*, & manifestatus est, iam in conspectum meum venit. Quę sententia vera & bona est: sed huic sensui non satis videtur conuenire ratio, quæ attexitur: *Qui prior me erat*. Consideremus igitur alia exempla. Et 1. Paral. vlt. v. 25 Græci ita vsurpant, *Dedit Deus Solomoni gloriam, qualis nulli Regum contigit ante ipsum*, ἔμπροσθεν αὐτοῦ: vt sit aduerbium temporis. Et ita etiam vsurpatur 2. Par. 1. v. 12. Et hanc significationem secutus est Lutherus, licet post me & natiuitate & inchoatione officij venerit, tamen ante me fuit. *Der vor mir gevvesen ist*. Extat vero in alia etiam significatione exemplum Gen. 48. v. 20. de Iacobi benedictione liberorum Iosephi, *Ephraim posuit* ἔμπροσθεν τοῦ *Manasse*. hoc est, prætulit, ipsi imposita dextra. Quia enim dignior locus dignioribus attribui solet, inde ἔμπροσθεν de dignitate & præcellentia vsurpatur. Et iuxta hanc significationem Chrysostomus hunc locum ita explicat: *Qui post me venit in manifestatione, seu inauguratione, effectus est me anterior, seu superior, seu mihi prælatus est, vocatione & potentiâ: quia præstantius officium accepit. Melioris enim Testamenti Mediator factus est*, Hebr. 8. v. 6. Et hæc explicatio conuenit cum eo, quod reliqui Euangelistæ habent: *fortior me est*. Illud vero quod sequitur, ὅτι πρῶτός μου ἦν. Syrus habet vtrobique vocabulum קדם quod significat & coràm, & ante per anticipationem: & significat etiam primum, item antiquum, imo æternum. Rationem autem reddit, quare officium Christi pręstantius sit ministerio Baptistæ: quia scilicet persona sit dignior, excellentior & præstantior: eodem prorsus modo, sicut Heb. 3. v. 3. Christus ostenditur & officio & persona excellentior esse Mose. Constructionem autem, πρῶτός μου, quidam ita explicant, vt sit princeps meus. Vt congruat cum illo Malachiæ: *Ego nuncius sum, ille verò dominator est*. Et summum quidem sacerdotem Græci vocant πρῶτον. Et primores etiam ita appellantur. Marc. 9. v. 35. Act. 25. v. 3. Constructio etiam cum genitiuo in hac significatione extat, *primores Galilææ*, Marc. c. 6. v. 21. *primores vrbis* Act. 13. v. 50. *primores Iudæorum*, Actor. 28. v. 17. Sed tamen iudicatur simplicissimum esse, si constructio ita accipiatur, sicut Marc. 12. v. 26. vocatur πρώτη πασῶν ἐντολή. Et sicut 1. Tim. 1. v. 15. Paulus dicit, se esse πρῶτον τῶν ἁμαρτωλῶν. Non autem dicit *præstantior me est* sed *erat*. In Baptismo enim non primùm cœpit sed ab æterno fuit præstantior, ratione personæ diuinæ. Et hæc capita testimonij Baptistæ breuiter tantùm ab Euangelista notantur. Non dubium autem est, Baptistam illa capita de præstantia personæ & officij Christi populo latiùs explicasse.

De verbis vero, quæ sequuntur, *Et ex plenitudine eius omnes accepimus, &c.* controuersia est inter scriptores. Chrysostomus & Cyrillus sentiunt, esse non Baptistę, sed Euangelistæ verba. Videntur enim illa cohærere: *Plenum gratiâ & veritate: & ex plenitudine eius accepimus*. Item: *Veritas & gratia per Iesum facta est*. Et sententia illa, *Deum nemo vidit vnquam* Apostoli Ioannis videtur propria esse, 1. Ioan. 4. v. 12. Præterea verba sunt præterita, *Enarrauit*. Item *facta est*. Sed Christus tunc officium suum vix incoauerat. Videtur igitur magis conuenire vt sint Euangelistæ verba. Origenes vero, quem & Theophylactus sequitur, contra non tantùm disputat, sed acriter contendit, esse continuam concionem Baptistæ. Verba enim proximè præcedentibus per copulatiuam connectuntur, *Et ex plenitudine eius, &c.* Ac Scripturam, de rebus futuris loqui, per verba præterita, propter certitudinem, notum est. Ita verba præterita *Enarrauit* & *facta est*, iuxta Origenis sententiam, pro futuris accipienda essent. Et valdè illustris erit concio per quadraginta illos dies, si hæc omnia accipiantur esse Baptistæ verba. Duriuscula certe interponenda erit parenthesis, si verbis Euangelistæ remotioribus *Plenum gratiâ & veritate*, coniungi debent hæc verba: *Et ex plenitudine eius &c.* cum sequentibus. Sed siue Baptistæ siue Euangelistæ hæc verba tribuantur, sententia manet eadem, quod sit explicatio eius, quod Baptista dixerat, Christum præstantiorem se esse, & ratione personæ, & ratione officij. Quia enim quidam Mosis & Prophetarum, quidam Baptistæ auctoritatem opponebat, quò minus Christo & ipsius doctrinæ se dederent: vel igitur Baptista ipse, vel Euangelista, suis verbis ostendit, Christum præstantiorem esse & Baptista, & Mose, & omnibus Prophetis: & quomodo ratione personæ & officij, Christus præstantior sit, hac sententia declaratur.

Singula autem verba exponenda sunt: continent enim illustrem doctrinam. Quod itaque dicit: *Omnes nos accepimus*, primò ita accipi potest, vt de omnibus sanctis Patriarchis & Prophetis, qui ante exhibitum Messiam fuerunt, intelligatur, quibus & Baptista se annumeret: quia Lex & Prophetę vsque ad Ioannem. Qui licet legem habuerint, non tamen ex operibus legis, sed ex promissione Messiæ, quicquid donorum spiritualium habuerunt, acceperunt. 2. Verba illa ita accipi possunt, quod Baptista populum à se baptizatum alloquatur. Ego quidem baptizaui vos ministerio, sed quicquid inde gratiæ accepistis, non ex me, sed ex plenitudine Christi, qui iam manifestatus est, accepistis. Dicit autem *accepimus* se etiam vulgo annumerans, ne, quia sanctorum maximus erat, putaret quis, vel ipsum, vel quenquam alium sanctissimum excipi, quasi quicquam haberet, quod ex plenitudine Christi non accepisset. 3. Si accipiantur vt Euangelistæ verba, sensus erit de toto populo Noui Testamenti. Nos Apostoli & omnes credentes accepimus gratiam, non tam parca dispensatione, sicut sub Veteri Testamento, sed ex magna plenitudine. Ex Christi autem plenitudine accepimus. Quod si hæ explicationes coniungantur, idem erit sensus, sicut Paulus inquit, 1. Cor. 4. v. 7. *Quid habes*, scilicet in donis spiritualibus, *quod non accepisti*? Vnde autem accepisti, nisi ex solius Christi plenitudine? non autem in generatione carnali, sed in regeneratione spirituali. Non autem dicit, *A Christo accepimus*: sed *ex plenitudine eius*. Reliqui quidem sancti etiam dicuntur pleni fide & virtute, Actor. 6. v. 8. & repleti Spiritu S. Actor. 2. vers. 4. Sed illa plenitudo ad mensuram imperfecta est: quantum cuique ad salutem & ad obeunda munera vocationis sufficit. In Christo verò perfecta & tota plenitudo non tantum inest, sed inest per modum redundantiæ & effluentiæ in omnes alios, qualis est plenitudo fontis indesinenter fluentis, & tamē plenitudinem suam semper conseruantis. Et non parum lucis accedet, si huc conferatur sententia Col. 1. v. 19. Complacuit Patri, vt omne πλήρωμα seu plenitudo inhabitet in Christo incarnato, Idque & ratione personæ & ratione officij. Quod simpliciter & piè iuxta hæc membra considerari potest. Primo, in natura quidem diuina est fons vitæ, gratiæ & veritatis: sed iniquitates nostræ diuiserunt nos & Deum. Esa. 59. v. 2. Deus igitur in carne Christi, quæ nostræ, excepto peccato, consubstantialis & similis est, per hypostaticam vnionem deposuit cœlestia illa bona, vt ita à diuinitate, per cognatam nobis carnem ad nos deriuarentur, & defluerent. Vnde Epiphanius eleganter vocat humanitatem Christi δοχεῖον totius πληρώματος. 2. Apud Adamum Deus initio deposuerat omnia dona, pro vniuerso genere humano, vt per illum ad posteros transmitterentur. Sed ille hæc per lapsum, & pro se & pro posteris amisit. Deus igitur in secundo Adamo Christo pro Ecclesia sua deposuit, non tantùm dona, sed omnem plenitudinem. Vtque plenitudo illa non amitteretur, sed perpetuò conseruaretur, vt semper inde omnes accipere possemus, ideo persona Deus & homo est. 3. Christus, ratione officij, obediētia & passione sua acquisiuit & accepit pro hominibus omnem plenitudinem gratiæ & donorum, vt inde nos omnes acciperemus. Illa plenitudo verbo & Sacramentis, tanquam per carnales, ad nos deriuatur. Nos promissionem Spiritus fide accipimus, Galat. 3. v. 2. Sicut & postea Baptista dicit, *Qui credit in eum, &c.* Multa igitur complectitur hæc sententia. Quia enim non tantum bona spiritualia seu cœlestia, sed πλήρωμα quidem, sicut Paulus loquitur, omne πλήρωμα habitat in Christo: Ipse igitur plenus est gratia & veritate; nos verò natura ab huiusmodi bonis sumus vacui; imo repleti vitiis contrariis. Et bona illa nos nostris conatibus acquirere, nec alibi, vel apud sanctos, vel apud angelos, ea vel quęrere debemus, vel inuenire possumus, sed ex ipsius plenitudine oportet omnes eas accipere. Et quia tota plenitudo in ipso inhabitat: nihil ergo, vel ad salutem, vel ad pietatem nobis dederit, si ex Christi plenitudine hauserimus. Nec opus erit aliunde aliquid assui, nec timendum erit, ne non omnibus fons ille salutis sufficiat. Est enim tota plenitudo in ipso. nos verò non totam illam plenitudinem ea perfectione, qua in Christo est, sed *ex plenitudine eius*, accipimus, sicut Deus partitur mensuram fidei, Rom. 12. v. 6. Christus igitur ita plenus est gratia, & veritate, vt ex eius plenitudine omnes accipiamus. Singula hæc latius amplificari possent; sed nos tantum capita annotamus.

Quod verò additur *gratiam pro gratia*, copulatiua coniunctio interponitur, quasi absolute positum sit. Ex plenitudine eius omnes accepimus scilicet quotquot accepimus, deinde per copulam quasi per ἐπεξήγησιν addatur: *& gratiam*, hoc est, scilicet gratiam pro gratia. Quia verò prępositio ἀντὶ aliquando si-

do significat *loco vel vice alterius*, aliquando de commutatiua iustitia vsurpatur, pro hoc dabitur, iuxta illud Genes. cap. 29. v. 20. *Seruiam tibi pro Rachel.* Exod. 21. v. vigesimotertio: *Dentem pro dente, animam pro anima.* Et c. 22. vers. primo, *quinque boues pro vno boue.* Et Syrus habet vocabulum חלף quod ab huiusmodi continuatione quasi pretij nomen habet. Aliquando significat *propter*, Eph. 5. v. 31. Ἀντὶ τούτου, *pro hoc relinquet homo*, &c. inde variæ natæ sunt explicationes. Quidam non tam explicant, quàm deprauant dulcissimam hanc sententiam, *Accepimus gratiam*, hoc est, habitum dilectionis, pro gratia, hoc est, pro vita æterna promerenda. Sed Paulus dicit, Rom. 11. v. 6. *Si ex gratia, ergo non ex operibus, seu meritis.* Ac vera est Augustini sententia: *Gratia non est gratia vllo modo, si non sit gratuita omni modo.* Chrysostomus & Cyrillus ita explicant, loco Veteris Testamenti, quod fuit gratia seu beneficium Dei, accepimus aliam gratiam, hoc est, loco Legis accepimus à Christo doctrinam Euangelij. Et hanc explicationem inde confirmant, quia mox sequitur in textu: *Lex per Mosen data est*, &c.

Augustinus ita explicat, Accepimus primam gratiam, id est, fidem & reliqua dona, pro quibus accipimus præmia, quæ & ipsa sunt gratia: quia Deus ex gratia dona sua in nobis coronat. Bucerus ita explicat: Accepimus gratiam, super gratiam, tali phrasi, sicut Rom. 1. v. 17. Paulus dicit, *Ex fide in fidem, vel ex virtute in virtutem*, hoc est, quicquid gratiæ & donorum nobis opus est ad salutem & pietatem, ex eius plenitudine accepimus, & illa dona subinde augentur in nobis. Sed simplicissima est illa explicatio, quam Scriptura ipsa quasi intento digito, mõstrat, quod scilicet, propter illam gratiam, qua Pater filium sub Lege pro nobis factum diligit & acceptat, nos etiam sibi gratos & acceptos reddat. Gratia enim significat beneuolentiam & acceptationem. Et consentit hęc explicatio cum sententia Pauli Eph. 1. v. 6. *Gratos nos sibi reddidit in dilecto.* Item Rom. 3. v. 15. *Gratia Dei & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in multos abundauit.* Sensus igitur iuxta illa Scripturæ dicta hic erit, Christus sua obedientia & passione acquisiuit gratiam Patris, & dona per gratiam. Ac propter illam gratiam & nos credentes gratuitam accipimus gratiam. Et hæc explicatio illustrem doctrinam & consolationẽ præbet. Perpetua enim vox Legis est, gratiam seu misericordiam Dei non dari, nisi interueniente merito aliquo, Exod. 20. v. 12. Et hinc tot disputationes oriuntur de meritis. Baptista igitur ostendit solidum meritum, & veram causam, pro quo, & propter quam, gratiam accipiamus. Et meritum illud non in nobis collocat, iuxta legem, sed inquit, pro illa gratia, cuius plenitudo in Christo inhabitat, nos accipimus gratiam, vt ita causa & fons meriti extra nos ponatur in plenitudine Christi, vbi nullus defectus, sed tota plenitudo est. Non desunt igitur nobis vera & solida merita gratiæ & vitæ æternæ, quando Christum possidemus, & ex eius plenitudine accipimus. Quãdo igitur conscientia disputat de quærenda & consequenda gratia Dei, occurrat nobis hoc dictum: *Pro gratia Christi accipimus & nos gratiam.*

Sequitur in textu. *Lex per Mosen data est.* Expresse mentionem facit Mosis. Illius enim nomen Iudæi perpetuò in ore habebant, & eius auctoritatem contra Christum iactabant. Baptista igitur, siue Euangelista, inter ministerium Mosis & officium Christi ostendit magnam esse differentiam; ac monstrat, ministerium Legis nequaquam sufficere ad veram conuersionem & salutem. Moses tradit quidem præcepta ad vitã, Rom. 7. v. 12. & addit promissionem vitæ, Luc. 10. ver. 8. sed sub conditione perfectæ impletionis. Quia verò natura nostra corrupta non habet facultatem præstandæ perfectæ obediẽtiæ, & Moses eam auditoribus suis non potest infundere, inde per Legem agnitio peccati, Rom. 3. v. 20. Et lex iram operatur, Rom. 4. v. 15. Atque ita lex naturæ nostræ corruptę tantum est ministerium mortis & condemnationis, 2. Cor. 3. v. 7. & 9. Cũ igitur per legem, & ex operibus legis, non posset iustificari & viuificari vlla caro, Roman. 3. ver. 11. opus fuit alio Mediatore, Christo scilicet, qui ministerium peccati & condemnationis auferret, & eius loco offerret gratiam & veritatem. Obseruetur autem, quibus verbis antithesis illa explicetur: *Lex per Mosen data est, Gratia autem & veritas per Christum Iesum facta est.* Quod intelligatur ita factum esse. 1. Quia Christus non ministerium mortis & condemnationis, sed doctrinam gratiæ & veritatis, hoc est, Euangelium protulit, & ministerium Noui Testamenti & instituit & adhuc seruat. 2. Gratia & veritas non tantum prædicata est per Christum, sed ἐγένετο, *facta est*: quia scilicet passione sua cœlestia hæc bona promeruit & acquisiuit. 3. Ipse gratiam & veritatem fidelibus suis per Euangelium, quod est ministerium gratię, reuera distribuit & communicat. 4. Intelligenda est hæc sententia non tantum de beneficio Christi, in hac vita inchoato, sed comprehendenda simul est consummatio in vita æterna.

Vocabula *Gratiæ & Veritatis* ex Antithesi legis simplicissimè explicari possunt. Gratia enim opponitur ministerio mortis & condemnationis. Significat ergo gratuitam reconciliationem, & acceptationem, ad vitam æternam, propter Christum. Veritas, hoc loco, nõ opponitur falsitati: neque enim falsitas fuit Lex Mosaica: sed opponitur: 1. Legi monstranti quidem viam iustitiæ, non autem præbenti vires & facultatem. Atque ita significat veritas restaurationem naturæ, hoc est, renouationem mentis & nouitatem vitæ, quam Christus per Spiritum sanctum operatur. Atque ita vsurpatur vocabulum illud, Ephes. 4. vers. 4. Sicut est veritas in Christo, deponere veterem hominem, & renouari Spiritus mentis. 2. Opponitur vmbris & figuris, quod scilicet Euangelium illa exhibeat, quæ Lex per vmbras figurauit, quodque conferat non vmbratilia, caduca & transeuntia, sed vera & æterna bona. Ex his indicationibus multæ præclaræ doctrinæ extruuntur, quas nos notare tantum, non explicare constituimus.

Quod verò sequitur, *Deum nemo vidit vnquam*, &c. ostendit præstantiam, dignitatem, excellentiam & certitudinem doctrinæ Christi, quæ organum est, quo gratia & veritas à Christo acquisita credentibus communicatur. Deus quidem multis apparuit in Veteri Testamento: sed illi viderunt Deum, non in propria sua natura, sed in obiecta specie seu similitudine, quæ aliquando illustrior quibusdam proposita fuit: qui ideò dicuntur Deum à facie ad faciem vidisse, vt Iacob Genes. 32. v. 30. Ipsam tamen Dei essentiam & voluntatem, perspicere & peruidere non potuerunt. Hæc verò sententia hoc loco ita accommodatur. Iudæi Mosen suum iactabant, quod Deus cum ipso, non per somnium & visionem, sicut ad reliquos, sed ore ad os locutus esset, Num. 12. v. 8. Reliqui etiam prophetias suas inscripserunt visiones: sed hoc loco, siue Baptista, siue Euangelista, inquit, *Nemo vnquam vidit Deum*: habitat enim lucem inaccessibilem, quam nemo hominum vidit, nec videre potest, 1. Tim. 6. v. 16. Visiones quidem habuerunt Prophetæ: sed Moses, cum quo ore ad os Dominus locutus erat, cùm peteret sibi ostendi gloriam & faciem Dei, audiuit, Exod. 35. v. 20. *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & viuet.* Item v. 23. *Videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Et Lex quidem naturaliter aliquo modo nota est; sed quod ad promissionem Euangelij attinet, manet id quod Paulus dicit, Rom. 11. v. 33. *Inscrutabilia sunt iudicia Dei & inperuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit mentem Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* nisi quod Deus aliquid de promissione Euangelij, quasi in ænigmate, Patribus per verbum reuelauit. Christus verò est vnigenitus, hoc est connaturalis & consubstantialis Patri, & in sinu Patris. Quæ metaphora inde sumpta est: in sinu enim dicuntur celari arcana, quia pectus ibi est, Iob. 23. v. 12. & 31. v. 33. & quos verè diligimus, vt filios, 3. Reg. 3. v. 20. quosque admittimus ad intimam familiaritatem, quibus secreta communicamus, quibus omnia nostra patent, dicuntur in sinu esse & foueri, Mich. 7. v. 5. Iudic. 16. vers. 19. Plutarchus etiam in Catone ἐν τοῖς κόλποις vocat, qui intimi sunt. Talem igitur Doctorem Christum esse ostendit, cui omnia arcana diuinitatis à seculis abscondita nota sunt, qui interfuit arcano consilio diuinitatis, Ephes. 1. v. 4. de redemptione generis humani, de vocatione, conuersione, reconciliatione, sanctificatione & gubernatione credentium ad vitam æternam. Ille verò vnigenitus filius non per ministrum, aut legatum aliquem, sed veniens in carnem, *Ipse*, ipsę mysteria hæc *enarrauit*, ἐξηγήσατο. Græci ita reddiderunt verbum ספר Sipher, quod significat ordine aliquid recitare, & 4. Reg. 8. vers. 4. vtrumque ponitur διηγήσομαι & ἐξηγήσομαι. Et Genes. 41. vers. 25. vsurpatur de Iosepho, qui arcanas somniorum significationes enarrat. Sensus igitur est, filium arcana essentiæ & voluntatis diuinæ, quæ solus exactè nouit, non sibi soli reseruasse, sed quantum nobis ad salutem necessarium & vtile est, clarè & perspicuè exposuisse, & quidem explicatius quàm Prophetarum annunciatio fuit: Hoc enim vult verbum ἐξηγήσατο. Ostendit igitur hæc sententia, primò conciones de promissione Euangelij proprias esse filij, & solum Christum idoneum fuisse, per quem Pater postremis temporibus arcana essentiæ & voluntatis suæ nobis patefaceret. Est enim vnigenitus, & in sinu Patris. In eo igitur, qui est imago Dei inuisibilis: gloriam suam inuisibilem nobis ostendit, & quasi visibilem reddidit. 2. Ostendit nostram conditionem meliorem esse quàm Patrum. Illis enim patefactio obscurior quasi per visiones tradita fuit: nobis verò ipse vnigenitus filius explicatè, quantum huius vitæ conditio ferre potest, enarrauit. 3. Ostendit hæc sententia, ea, quæ Christus enarrauit, vera, certa, rata, necessaria, vtilia, efficacia, salutaria & sufficientia esse. Vnigenitus enim filius, qui in sinu Patris est, ipse enarrauit nobis: vt quid igitur hominum traditionibus circumferremur, relicto verbo

Christi, quod excellentissima habet priuilegia? Et Christus ipse hoc priuilegium de doctrina sua sæpe allegat, vt Iohannis 3.v.11. *Quod vidimus testamur.* Iohannis 6.vers.46. *Non quod quisquam viderit Patrem, sed qui à Deo est, is vidit Patrem,* Mat.11. v.27. *Nemo nouit Patrem nisi filius, & cui filius voluerit reuelare.* Porro vtrumque in hac sententia intelligi potest, & quòd ab initio post lapsum, & toto tempore Veteris Testamenti vnigenitus filius fuerit illa persona, quæ ex sinu æterni patris decretum de redemptione seu promissionem Euangelij protulit, & quod incarnatus planius & plenius mysterium illud enarrauit. Præterea etiam commendat hæc sententia dignitatem & excellentiam Christi, præ reliquis Doctoribus, quo ad personam. Moses enim seruus fuit: & reliqui Prophetæ ministri. Christus vero est filius. Non sicut credentes adoptione fiunt filij Dei. Sed est *vnigenitus filius*: hoc est genitus peculiari modo, quo pater vnicum tantum illum filium, & non reliquos adoptiuos filios genuit, vt esset connaturalis & consubstantialis Patri.

Addit autem Baptista, *Qui in sinu Patris est*; quo significat essentiæ & naturæ vnitatem. In Deo enim nihil est, nisi essentia ipsius. Dicit autem, ὁ ὢν εἰς κόλπον. Et vsitata quidem apud Græcos interpretes est hæc Enallage, Genes. 21. v. 2. εἰς τὸ γῆρας, *In senectute,* Iud. 16. v. 6. *Quicunque inuentus fuerit* εἰς πόλεις, *in ciuitatibus,* 2. Paral. 6. v. 21 *Si orauerit* εἰς τὸν τόπον, *in hoc loco,* Ezec. 29. v. 9. *habitantes* εἰς Αἴγυπτον, *in Aegypto.* Existimo tamen Baptistam ita voluisse loqui, vt aliquo modo exprimeret essentiæ vnitatem, & distinctionem personarum. Sicut Euangelista ideo non dixit *verbum erat* παρὰ τῷ Θεῷ, sed πρὸς τὸν Θεόν. Ita hoc loco dicit, non ἐν κόλπῳ, sed εἰς κόλπον Patris. Quòd si verba hæc omnia accipiantur Baptistæ esse, manifestum inde erit, quomodo Baptista auditores suos ad personam & doctrinam Christi deduxerit & ablegarit. Manifestum etiam inde est, quomodo Baptista vocem Patris, *Hic est filius meus*, intellexerit, ac quomodo eam explicarit: quod bene notandum est. Nam ante manifestationem Christi Baptista non tam dilucide de diuinitate Christi locutus est: sed ex voce paterna, quæ de cœlo sonuit, hanc doctrinam deduxit, quam diligenter etiam postea tradidit & declarauit.

Hæc igitur sunt capita testimonij, quod Baptista clamādo de Christo, post eius manifestationem in Baptismo factam, per quadraginta illos dies diuulgauit, quod occasionem præbuit sequenti legationi Hierosolymitanæ.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM,

CONTINENS HISTORIAM LEGATIONIS A SYNEDRIO HIEROSOLYMITANO AD BAPTISTAM missæ, Iohan. 1.

RATIO ORDINIS.

IOannes Euangelista hanc historiam non tantum subiungit & annectit superiori, sed & postea addit talem notationem, qua manifeste tempus, quando legatio illa missa fuit, indicat. Altera enim die, vel postridie, post missam & auditam illam legationem, dicit Euangelista, Christum ex deserto reuersum ad Iordanē venisse. Vnde id, quod ante annotauimus, cōfirmatur, per quadraginta illos dies, quibus Christus abfuit in deserto tentatus, Baptistā interea clamando hoc est, plena & sonora voce testificatū, Messiam iam esse exhibitum & manifestatum. Quæ prædicatio occasionem dedit ad illam legationem. Cúmque Christus, impletis quadraginta illis diebus, & consummata omni tentatione, in itinere iam esset ex deserto, pridie, priusquam ad Iordanem in conspectum Baptistæ rediret, historia illa legationis Hierosolymitanæ accidit. Altera enim die post Baptista videt Iesum venientem ad se. Hæc igitur ratio ordinis & manifesta & certa est.

HISTORIA DE LEGATIONE AB HIEROSOLYMIS AD BAPTISTAM MISSA, CONTINENS SECVNDVM TEstimonium de Christo iam manifestato, Iohan. 1.

19. Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου, ὅτε ἀπέστειλαν οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων ἱερεῖς καὶ Λευίτας, ἵνα ἐρωτήσωσιν αὐτόν, Σὺ τίς εἶ;	19. *Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserant Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas, vt interrogarent eum, Tu quis es?*
20. Καὶ ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο· καὶ ὡμολόγησεν, Ὅτι οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριστός.	20. *Et confessus est, & non negauit: & confessus est, inquiens, non sum ego Christus.*
21. Καὶ ἠρώτησαν αὐτόν, Τί οὖν; Ἠλίας εἶ σύ; Καὶ λέγει, Οὐκ εἰμί. Ὁ προφήτης εἶ σύ; Καὶ ἀπεκρίθη, Οὔ.	21. *Et interrogauerunt eum. Quid ergo? Elias es tu? Et dicit, Non sum. Es tu Propheta ille? Et respondit, Non.*
22. Εἶπον οὖν αὐτῷ, Τίς εἶ; ἵνα ἀπόκρισιν δῶμεν τοῖς πέμψασιν ἡμᾶς· τί λέγεις περὶ σεαυτοῦ;	22. *Dixerunt ergo ei, Quis es? vt responsum demus his qui miserunt nos: Quid dicis de teipso?*
23. Ἔφη, Ἐγὼ φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, Εὐθύνατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, καθὼς εἶπεν Ἡσαΐας ὁ προφήτης.	23. *Ait, ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta.*
24. Καὶ οἱ ἀπεσταλμένοι ἦσαν ἐκ τῶν Φαρισαίων.	24. *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.*
25. Καὶ ἠρώτησαν αὐτόν, καὶ εἶπον αὐτῷ, τί οὖν βαπτίζεις, εἰ σὺ οὐκ εἶ ὁ Χριστός, οὔτε ὁ προφήτης;	25. *Et interrogauerunt eum ac dixerunt ei: Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta ille?*
26. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰωάννης, λέγων, Ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι· μέσος δὲ ὑμῶν ἕστηκεν, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε.	26. *Respondit eis Iohannes, dicens, Ego baptizo aqua: sed in medio vestrum stat quem vos nescitis.*
27. Αὐτός ἐστιν, ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν· οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος, ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος.	27. *Ipse est, qui cum me sequeretur, antecessit me: cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.*
28. Ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾶ ἐγένετο πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ὅπου ἦν ὁ Ἰωάννης βαπτίζων.	28. *Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem, vbi Iohannes baptizabat.*

Periocha huius Historiæ.

EX ratione ordinis seu consequentiæ huius historiæ rectè colligitur, quæ fuerit occasio & causa istius legationis. Antea docuerat Baptista, aduentum Messiæ de propinquo instare, & se ipsi mox subsecuturo viam parare. Et quia publicè apud

apud omnes constabat, tempus Messiæ, sicut in vaticiniis Prophetarum, præcipuè Patriarchæ Iacobi & Prophetæ Danielis, designatum erat, vel adesse, vel certè non procul abesse: Pharisæi quamuis licet consilium Dei spernebant, nec baptismum Iohannis susciperent. Luc. 7. v. 30. tamen in principio non ausi fuerunt doctrinæ & ministerio Baptistæ manifestè se opponere. Vndique enim magnus concursus totius populi erat ad Ioannem, & propter iugum Romanorum & Herodis, ardens tunc erat desiderium aduentus Messiæ. Et huic populi desiderio Pharisæi simulabant se fauere. Nihil tamen de instituto illo Baptistæ vel mouere vel constituere, sed euentum expectare voluerunt. Cum vero ea, quæ in manifestatione Christi in Baptismo contigerant, à multis, qui interfuerāt, diuulgarentur, atque post manifestationem Christi in baptismo factam, Iohannes magna asseueratione & sonora voce proclamaret, Messiam exhibitum iam venisse, & manifestatum esse; & quidem cū de persona, de officio, & de doctrina Messiæ manifestari ita, sicut in præcedente historia dictum est, testificaretur, idque non semel, sed per totos quadraginta illos dies, clamando & docendo: Moti igitur tandem fuerunt & illi, qui tunc ad gubernacula Reipublicæ & Ecclesiæ populi Israelis sedebant, & rem ad publicam ac solennem deliberationem totius synedrij seu consistorij deduxerunt. Quomodo enim & qua auctoritate legatio illa instituta fuerit, Euangelista indicat, nominando illos, & qui missi, & à quibus seu quorum nomine missi fuerunt. *Iudæi*, inquit, *à Hierosolymis miserunt*. Iudæi autem vocari cœperunt, cum regnum Israel in captiuitatem abduceretur. Sub Achaz enim primum appellatio illa legitur. 4. Reg. 16. v. 6. Antea vocabatur domus Iuda, & de illis intelligebatur, qui erant de tribu Iuda. 2. Reg. 2. v. 4. & 3. v. 10. Postea sub Roboam etiam tribus Benjamin accessit, & vocabatur regnum Iuda. Reliquæ decem tribus vocabantur Israel, 3. Reg. 12. v. 17. Sed postea facta est appellatio generalis eorum, qui ab Abrahamo descendentes Mosaicam religionem profitebantur. Et propter promissionem Messiæ, qui ex tribu Iuda promissus erat & sperabatur, hanc cognominationem postremis temporibus libenter vsurparunt, sicut & in historiis Noui Testamenti ita generaliter vsurpatur, quando Iudæi & Græci opponuntur. Quęstio igitur est, quid Euangelista intelligi velit, quando dicit legationem illam à Iudæis missam? Quidam existimant, ideo hoc positum esse ab Euangelista, ne putetur à Præside & ab aliis penes quos nomine Romanorum tunc summa rerum erat, sed à Iudęis solis, quibus Romani αὐτονομίαν in negotiis religionis concesserant, missam hanc legationem. Sed Euangelista non tantum nominat Iudæos, sed dicit Iudæos ex Hierosolymis, vt declaret quid velit. In singulis enim ciuitatibus constituti erant Iudices, de causis minoribus, sed in Hierusalem summum erat συνέδριον, pro causis grauioribus, 2. Paral. 19. v. 8. Deut. 17. v. 9. ibi erant septuaginta Iudices ex domo Dauidis. Et hos Lyra hoc loco intelligit vocari Iudæos ab Hierosolymis. In historia passionis vocantur γραμματεῖς, πρεσβύτεροι. In Quæstionibus vero fidei & causis religionis adiuncti erāt Sacerdotes & Leuitæ. Deut. 17. v. 9. & 2. Par. 19. v. 8. Porro quomodo Sacerdotibus postea adiuncti fuerint Pharisæi, Scribæ & Legisperiti, quorum opera in huiusmodi causis vtebantur, exposuimus in historia Magorum. Iohannes igitur, quando nominat *Iudæos ex Hierosolymis* & legatos, *Sacerdotes & Leuitas*, quódq; legati illi fuerint, *ex Pharisæis*. quæ secta inter Iudæos præcipuæ & laudatæ auctoritatis erat, notat, legationem fuisse grauissimā, ac simul ostendit, à quibus legatio illa decreta fuerit. Atq; ita significat, congregatum fuisse totum Synedrion, & vniuersale, vt nos loquimur, populi huius Concilium coactum, & ibi rem illam deliberatam fuisse. Quod propter historiæ grauitatem diligenter notandum est. Pertinebat enim ad ipsorū officium inspectio, ne in forma doctrinæ & cultus, præter aut contra Legem, aliquid priuata alicuius auctoritate mutaretur. Et Doctores solitos fuisse potestatem docendi à Cōcilio illo accipere, ostendit & hæc historia, & Matth. 21. v. 23. *Quis tibi dedit hanc potestatem?* ac historia Pauli, Act. 9. v. 3. Potest autē aliquo modo colligi, quales fuerint deliberationes Iohannes discessionem fecerat à templo & à Synagogis, alia vtebatur forma doctrinæ quā quę vulgo tunc recepta erat, & nouam inchoauerat ceremoniam Baptismi. Non autem simpliciter hoc tantum nomine Baptistam accusant, quod absq; Synedrij auctoritate hæc faceret, sed interrogāt, *An sit Messias vel Helias?* quia doceat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorū. Sine dubio igitur in Concilio hoc tractatū fuit; quod Prophetæ prædixerunt fore, vt veniente Messia noua lex & nouū verbum exiret. Deut. 18. v. 18. Isa. 2. v. 3. & fons seu baptismus aquę in remissionem peccatorum tempore Messiæ institueretur, sicut vaticinia Prophetarum insinuare videntur, Ezec. 36 v. 25. & 47. v. 1. Zach. 13. v. 1. Hoc igitur prætendunt: Nobis mandata est inspectio, ne sub prætextu Messiæ populus impostura aliqua circumueniatur. Explorandum itaque est quale sit illud Baptistæ institutum. Quod si probare potuerit, se esse vel Messiam ipsum, vel Eliam, vel Prophetam, toleraturi erant hanc nouationem. Meminerant enim, quid de doctrina & de Baptismo Messiæ prædictum esset. Si vero non posset probare, quod vel Messias vel Helias esset, cogitabant publica Synedrij auctoritate decernere, Non licet ipsi docere, & tradere baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Vt igitur maiori specie & auctoritate hoc facerent, decernunt publicam legationem cum certis mandatis ad Baptistam, & legatos mittunt, non ministros suos, sicut Ioh. 7. 45. & Mat. 22. v. 16. sed Sacerdotes & Leuitas, eosque non idiotas aut gregarios, sed *qui erant ex Pharisæis*. Quando hoc modo circumstātiæ considerantur, intelligi potest, quàm splendida fuerit hæc legatio, & quàm præclarum ac insigne sit testimoniū Baptistę de Christo iam manifestato, quod proclamauit non coram promiscuo tantū vulgo, sed apud publicam grauissimamque totius Synedrij legationē. Et *in Bethabara, vbi Ioannes baptizabat*: hoc est, in publico loco, vbi magna hominum frequentia erat, hæc gesta fuerunt. Latissimè igitur celeberrimum hoc testimonium Baptistæ de Christo manifestato sparsum fuit.

His præmissis, tota historia facilius intelligi poterit. Quod itaq; Euangelista dicit, καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία sensus est: *Et hoc est* insigne & celebre illud *testimoniū Ioannis*: vel vt præcedētibus connectatur *Est & hoc testimonium Iohannis*. Quod autem sequitur: *Vt interrogarēt eum: Tu quis es?* sensus est, Legatos exposuisse Iohanni, se habere in mandatis à Synedrio, vt interrogent, quis sit? Non sane quis sit origine, familia, nomine; sed quis sit, quod ad vocationé, officium & dignitatem attinet, in hanc sententiam. 1. Discedis à templo & à synagogis, instituis nouum ministeriū doctrinæ & baptismi, cumque de Messia scriptum sit, Deut. 18. v. 18. *Ponam verba in ore eius ipsum audieti* & Zach. 13. 1. *Erit fons patens in ablutionem peccatorum*. rogat igitur Synedrion, quis sit vocatione & officio, quia talem mutationem, non accepta à Pontificibus potestate, intoasti?

Quia vero Iohannes ad generalem interrogationem, *Tu quis es?* primo respondet, *Non sum Christus*, existimat Chrysostomus, opinionem vulgi, quasi Iohannes esset Messias, etiam apud Concilium propter præcellentem personæ auctoritatem inualuisse, atque ita Baptistam non ad verba, sed ad intentionem legatorum, & ad vulgi de se opinionem respondisse, *Non sum Christus*. Gaietanus existimat, illa verba, *Vt interrogarent eum, Tu quis es?* esse generalem descriptionem materiæ legationis, seu instructionis, vt vulgo loquimur, à Synedrio datæ. Quæ verò prima quæstio fuerit, qua ipsi Legati Baptistam primò adorti sint, ex responsione Baptistæ colligi potest, sc. quod quæsierint: *Esne tu Messias seu Christus?* Illam verò repetitionem verborum in responsione Baptistæ, *confessus est, & non negauit, & confessus est, &c.* quidam ita explicant: Confessus est quis esset, sed ita vt sua confessione non negaret Christum, sed magis ipsum confiteretur. Alij ita exponunt: Confessus est quid non esset, & non negauit quis esset. Sed repetitiones & antitheta vsitata sunt huic Euangelistæ. Et hoc loco non sunt otiosa. Significatur enim illa repetitione. 1. Cum multos animos opinio illa occupasset, quasi Iohannes esset Messias, quod diligenter, serio, multis verbis & sæpius opinionem illam remouerit. 2. Significatur libertas seu παρρησία confessionis, quod non territus Legatorum auctoritate & potentia, vel hæsitarit, vel priorem sententiam siue retractarit siue per ambages occultarit, siue ambiguitatibus & obscuritatibus inuoluerit, licet offensionem Synedrij præuideret. 3. Significatur constantia: cum dignitas Messiæ ipsi non à vulgo, sed à Synedrio offerretur, quod non superatus cupiditate gloriæ, aliter quàm veritas se habebat, responderit. Et hoc est, *Confessus est, & non negauit, & confessus est*. Quærunt autem secundo: *An sit Helias*: propter vaticinium Malachiæ 4. vers. 5. Tertio rogant: *An sit Propheta?* ex prauo intellectu loci Deuter. 18. vers. 1. Et quia postremo addunt, *Quid dicis de te ipso?* Tres igitur priores quæstiones ex vulgi opinionibus videntur proponere: quasi dicant: *Esne vel Messias, vel Elias, vel Propheta, sicut vulgus de te sentit?* Aut si vulgus opinionibus suis errat; *quid dicis de te ipso?* Quomodo vero Ioannes responderit se non esse vel Heliam, vel Prophetam, ita explicari poterit: Zacharias Luc. 1. v. 76. dicit, *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis*. Et Christus Matth. 11. v. 9. affirmat Ioannem esse Prophetam; imo plus quam Prophetam. Et c. 11. v. 14. & 17. v. 12. dicit ipsum esse Eliam. Additur autem ibi explicatio, quo sensu Baptista appelletur & Helias & Propheta. Quia igitur Ioannes hoc loco, negat se esse Eliam & Prophetam: in alio igitur sensu Legati quæsiuerūt de Elia & Propheta, quàm sicut Zacharias & Christus affirmant Ioannem esse Eliam & Prophetam. Et verisimilis est interpretum sententia, quod ex quarto capite Malachiæ extruxerint traditionem, quę vulgo iactata, & Ioanni etiam non ignota fuerit; quod Elias Thesbites, &

aliquis alius ex vetustioribus Prophetis resurrecturus, & ante aduentum Messię rediturus esset: vel quod olim, sicut & hodie, Iudæis credita fuerit παλιγγενεσία, spiritibus defunctorum migrantibus in alia corpora. Constabat enim Ioannem ex Zacharia natum.

Quod vero negat se esse Prophetam, Chrysostomus & Cyrillus, propter articulum ὁ προφήτης intelligunt, Legatos quæsiuisse, an esset ille Propheta, de quo Deut. 18. v. 15. & 18. Ita vero Pharisæi sensissent, non eundem, sed alium fore Messiam, alium Prophetam illum Deut. 18. v. 15. quem finxerunt Messię in gubernatione politica adiunctum fore, vt Regibus. Augustinus sentit, Ioannem negasse se Prophetam esse, talem scilicet, quales alij Prophetæ fuerunt, qui de futuris vaticinati Christum à longe venturum prædixerunt, cum Baptistæ officium sit exhibitum, præsentem, & manifestatum Messiam demonstrare, atque ideo sit plus quàm Propheta. Sunt qui existimant, Legatos quæsiuisse de Propheta, hoc sensu, An scilicet Baptista non tantum Doctor futurus esset, verum etiam gubernator politicus sicut veteres quidam Prophetę fuerunt: quod scilicet Pharisæi in Baptista hoc quæsierint, vt sicut Samuel deposuit Saulem, & Ieremiæ dictum est: *Mittam te vt euellas, destruas & plantes regna.* Et sicut Elias Baalitas gladio interfecit, 3. Reg. 19. v. 40 & ignem è cœlo 4. Reg. 1. v. 10. elicuit: ita Baptista Romanos ex Iudæa eiiceret. Christus enim inquit Ioh 5. v. 35. *voluistis ad horam in luce Baptistæ exultare.* Obseruetur autem, quod Baptista tali occasione facile, & quidē specie aliqua potuisset casum confessionis ambiguitatibus eludere, sed vt esset exemplar veri confessoris, in casu confessionis noluit ambiguitatibus ludere, sed simpliciter negat, se ita esse Eliam & Prophetam, sicut ipsi intelligebant.

His auditis, legati animosiores redditi sunt. Conantur enim iam ipsum terrere auctoritate eorum, à quibus missi erant *Quis es vt responsum demus ijs qui miserunt nos*? Quærunt autem de officio seu ministerio eius, & de vocatione. Sed Iohannes respondet Scripturæ verbis: primò ideò ne id, quod erat, vel priuata vel humana auctoritate sibi arrogare videretur. Secundo vt suam vocationem ita probaret. Nam Isa. 40. v. 6. expresse de vocatione eius scriptum est, *Vox dicebat clama: & dixi, quid clamabo?* 3. Vt ostenderet officium suum esse, non sacrificare non politica tractare, sed Messiæ præsenti viam parare. 4. Vt simul ex Scriptura demonstraret præsentiam Messiæ. Quòd verò ad sententiam Isaiæ attinet, illa in præcedentibus explicata est. Contra hanc autem Baptistæ responsionē Legati nihil opponunt, sed per instantiam interrogant: Cum baptizare, hoc est, effundere aquas mundantes, ad tempus & officium Messiæ pertineat. Ezech 36. v. 25 Zach. 13. v. 1. cur igitur tu, cum non sis Christus, vel Elias, vel Propheta, baptizas? Ibi verò Ioannes respondet, de differentia inter suam & Messiæ personam: item inter suum ministerium, & inter Christi officium. Et responsio est concisior: alterum enim membrum, quod ad plenam antithesin requiritur, quod scilicet Christus baptizet Spiritu hoc loco non exprimitur, ideo) quia illam doctrinam Baptista antea sæpius inculcarat. Et obseruetur, quod ad constantiam Confessionis pertinet, quod Baptista legatis non aliam nouam seu peculiarem responsionem tradit, sed quod tantum concisa repetitione se refert ad ea, quæ antea docuerat & plenius explicarat. Sicut & in præcedentibus sententia illa de discrimine inter personam Christi & Ioannis, de Baptismo aquæ & Spiritus, de soluendis corrigiis. Item: quo modo Christus post Ioannem venerit, & ante ipsū factus sit, quod ministerij sui efficaciam in solidum Christo tribuat, exposita est, vt non opus sit illa hoc loco rursus repetere, nisi quod Baptista hic addit, se non amplius de venturo Messia concionari. *Medius enim vestrum stetit*: hoc est, prodiit in publicum, siue in medium, & manifestatus est, sed *vos ipsum nondum nouistis*. Quidam illud, *Medius vestrum stetit*, ita interpretantur, conuersatur inter vos, tanquam vnus ex vobis, habitu inuentus vt alius quispiam homo, Phil. 2. v. 6. ideò vos nō nouistis ipsum, quantæ sit dignitatis & excellentiæ. Ego verò ex voce paterna, & ex Spiritu descendente noui ipsum, quis & quantus sit. Sed phrasis simpliciter videtur significare manifestationem Christi, qua in medium prodierit, sicut Lutherus significantissime hæc verba reddidit, *Er ist mitten vnter euch getretten*. Legati vero, quod mirandum est, nihil amplius interrogarunt, quis manifestatus ille Messias, aut vbi esset, quomodo in medium prodiisset, & vnde Ioannes ipsum agnouisset esse Messiam: sed cum ea, quæ in mandatis habebant, exposuissent, discesserunt. Vnde colligitur ipsos agnitionem Messiæ non multum curasse.

Euangelista vero addit notationem loci, vbi hæc acta sunt, *in Bethabara* scilicet. Aliquoties autem de loco illo & significatione eius diximus, nihil igitur iam repetemus, nisi quod Epiphanius in Alogis legit, in Bethamara, quod est domus verbi seu prædicationis, vt à prædicatione seu ministerio Baptistę loco nomen impositum videatur. Addit autem Epiphanius quædam ἀντίγραφα legere in Bethania, sicut etiam vetus interpres legit. Et Syrus etiam habet, Bethaniam. Sed Bethania sita est non vltra, sed citra Iordanem, nisi quis duas Bethanias fingere velit, sicut Syrus dicit, in Bethania, in transitu Iordanis.

Hæc sit breuis explicatio circumstantiarum huius historiæ. Doctrina verò, quæ in hac historia proponitur, alibi latius explicatur. Nos tantum capita notabimus. Et primo de Conciliis, Synedriis & de inspectione Ecclesiastica quędam notari possunt. Deinde ex legatione discimus, etiam eos, qui in ordinaria successione & in legitimis officiis sunt in Ecclesia, quando in eruditione & auctoritate excellunt, errare posse. Et tunc eos errare. 1. Quando Scripturæ sententias negligūt. Cum enim Baptista allegaret dictum Isaiæ de voce clamante, Legati nihil inquirentes mox ad aliud transeunt. 2. Quando traditionibus plus tribuunt, quàm Scripturæ, vt traditioni de Elia & Propheta plus tribuunt, quàm sententiæ Isaię de voce clamante. 3. Quando sine Scriptura, imò contra Scripturam aliquid decernunt, vt cum vulgi opinionem sequentes, Ioanni oblique deferunt honorem Messiæ, cum esset ex tribu Leui.

Obseruetur & hæc doctrina. Magnus fuit concursus totius populi, & quidem ipsi Sacerdotes hac legatione voluerunt ostendere, se summo desiderio expectare aduentum Messiæ: sed cum Ioannes clamat, Christum adesse, & quidem addit, *Medius vestrum stetit, sed vos non nouistis*; ne verbo quidem Legati inquirunt, quis aut vbi sit, vt ipsum agnoscant & recipiāt. Ita multi verbis præ se ferunt se cupidos esse agnitionis Christi, gratiæ & salutis: sed quando Christus in verbo & Sacramētis ipsis proponitur & offertur, de applicatione nihil solliciti sunt. Interim alias quæstiones agitant, & talis postea pessimi hostes fiunt sanæ doctrinæ, sicut Pharisæi.

Baptistæ vero exemplum in hac historia præscribit formam veræ confessionis. 1. quando confessio postulatur, necessario edenda est, siue amici sint, siue hostes, qui eam postulant. 2. Nec spe, nec metu mutanda aut inflectenda est confessio. 3. Non ita instituenda est confessio, vt quando vnum confitemur, alterum videamur negare: sed ita moderanda est, vt simul confiteamur, & reliquos articulos non negemus. 4. In confessione non est ludendum occultationibus & ambiguitatibus, sicut Baptista potuisset facere de Elia & Propheta.

Est & hæc doctrina in hac historia. Quid faciendum sit, quando auditores hæreant in persona ministrorum, & illis nimium tribuunt, vt scilicet opponatur descriptio ministri: *Ego tantum sum vox clamantis, parate viam Domino.* Item: *Ego baptizo aqua*, Efficacia vero soli Christo tribuatur, ita vt etiam qui maxima dona habet, dicat, *Non sum dignus calceamenta soluere*, hoc est, sicut Paulus inquit, *Qui plantat nihil est, sed qui dat incrementum, Deus*, 1. Cor. 3. v. 7 Officium igitur veri ministri est, auditores non in sui admirationem pertrahere, sed ad Dominum ducere. Et quidem si animaduertat, auditores sibi plus quàm æquum est addictos esse, quid faciendum sit, Ioannis exemplum docet.

Colligitur etiam ex hac historia, quales habuerint Pharisæi imaginationes de regno Christi. Quærunt enim de tali Messia, qui adiunctum sibi in gubernatione habeat Eliam cū gladio: Prophetam aliquem, qualis Moses fuit contra Pharaonem. Ita enim locum Deut. 18. v. 15. intellexisse videntur.

Porro solet etiam in hac historia agitari quæstio, de vocatione, quando illi, qui sunt in ordinaria successione, hostes sunt veræ doctrinæ. Ioannes enim probat, se habere veram vocationem, licet à Pontificibus non acceperit potestatem docendi, quia Isa. 40. v. 7. scriptum est, vox dicit *clama*: vocationem igitur habet immediatæ diuinam. Alibi verò rationem reddit cur discessionem fecerit à templo, à synagoga, cum inquit *progenies viperarum*. Non enim debet fieri discessio ab ordinariis Doctoribus, nisi mandato diuino, propter doctrinæ impietatem. Et qui verbum Dei docet, ac ab Ecclesia, iuxta pręscriptum Pauli, legitime vocatus est, is legitimam habet vocationem & verus minister Dei est, licet potestatem docendi ab impiis verbi Dei hostibus non acceperit. Sed huius quæstionis plenior explicatio alterius instituti est.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM CONTINENS HISTORIAM, DE REDITV CHRISTI EX DESERTO, AD IORDANEM, ET TERTIVM TESTIMONIVM Baptistæ, de Christo manifestato, quod primum est de Christo iam præsente.

RATIO ORDINIS.

POst consummatas in deserto tentationes Christi Matthæus & Marcus statim digrediuntur ad descriptionē captiuitatis Baptistæ; quæ tamen non statim, sed interiecto ferme annuo tempore, & interpositis multis aliis historiis, insecuta est. Lucas vero post historiam tentationum Christi subiicit: *Et reuersus est Iesus virtute Spiritus in Galilaeam*, quod Epiphanius contra Alogos ita accipit, quasi Christus ex deserto rectâ reuersus sit in Galilæam, in patriam educationis, Nazaretham, quodque ex Galilæa post dies quatuordecim redierit ad Iordanem, sicut Ioan. 1. v. 29. describitur: sed propter illam Lucæ clausulam, non est opus dicere, Christum ex deserto rediisse, non ad Iordanem, sed in Galilæam, & post commorationem quatuordecim dierum ex Galilæa rediisse rursus ad Iohannem, quod nullus Euangelistarum dicit. Vt enim maxime verba Lucæ ita accipiantur, quod ex deserto reuersus sit Christus in Galilæam, cum in tali reditu Bethabara & loca Iordanis ipsi trāseunda essent, recte intelligi posset, ita ipsum in Galilæam reuersum, sicut Ioan. 1. v. 29. describitur. Nam & ibi post triduum scribitur exiisse in Galilæam. Atque ita *ἀκολούθως* ordinat Osiander, quod Iesus, iuxta Lucam, ex deserto, interpositis illis, quæ Ioann. 1. v. 29. post historiam legatorum vsque ad finem describuntur, reuersus sit in Galilæam, Luc. 4. v. 14. Sed iudico neque hac conciliatione opus esse. Ipse enim Lucas non obscure ostendit, de quo reditu Christi in Galilæam c. 4. v. 15. loquatur, scilicet quando cœpit in synagogis per vniuersam Galilæam docere. Id quod post Baptistæ captiuitatem factum esse, Matth. & Marcus docent. Simplicissima igitur & planissima ratio hæc est, quam Eusebius notauit, & ipsæ Euangelistarum descriptiones ostendunt, quod Matthæus Marcus & Lucas post historiam tentationum, Acta primi anni ministerij Christi prætereuntes, statim digrediuntur ad ea post incarcerationem Baptistæ, in secundo Christi in Galilæam reditu, acciderunt. Iohannes vero ea, quæ post historiam tentationum Christi, vsque ad secundum ipsius in Galilæam, post Baptistæ captiuitatem, reditum acciderunt, à reliquis Euangelistis prætermissā, solus describat. Hoc modo planissima erunt omnia, & contextus atque consequentia historiarum optime fluet & cohærebit. Quia igitur ex circūstantiis ostendimus, interea, dum Christus in deserto abesset, Ioannem de Christo manifestato testificatum: & post historiam Legatorum Iohannes dicit, postero die videt Iesum venientem: Ergo tunc, cum legati mandata sua ad Baptistam exponerent, Iesus fuit in itinere ex deserto. Et mox sequente die post discessum Legatorum venit ad Iordanem, ad Ioannem. Non enim sensus est: *Altera die*, hoc est, sicut quidam exponunt, alia quadam die. Euangelista enim non vtitur generali quadā notatione, sicut Luc. 5. v. 17. *ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν*, *quadam die*. sed dicit *τῇ ἐπαύριον*, quod significat diem proxime sequentem, Iud. 7. v. 1. & Act. 25. v. 6. Sensus igitur est, quod altero, postero, seu crastino die hoc est, postridie post legationem illam Christus ex deserto venerit ad Bethabaram. Ordo igitur & *ἀκολουθία* historiarum plana & manifesta est.

Possent autem historiæ illius quatridui, quo post reditum ex deserto Christus ad Iordanem apud Baptistam conuersatus fuit, quia non sunt admodum prolixæ, vno capite comprehendi: ac videretur hoc non incommodum, ne numerus capitum Harmoniæ nimium excresceret, quod à quibusdam ideo factum video. Sed quia simplici consilio nobis constitutum est, singulis historiis, quæ vel tempore, vel loco, vel aliis circumstantiis, quod distinctæ & diuersæ sunt, notantur, singula & distincta attribuere in Harmonia capita: ideo non vno complexu, sed per distincta capita historias illius quatridui & collocabimus & explicabimus.

HISTORIA TERTII TESTIMONII BAPTISTÆ DE Christo manifestato, cum ex deserto ad Baptistam apud Iordanem rediisset, Iohan. 1.

29. Τῇ ἐπαύριον βλέπει ὁ Ἰωάννης τὸν Ἰησοῦν ἐρχόμενον πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγει, Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου.	29. *Postero die videt Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.*
30. Οὗτός ἐστι περὶ οὗ ἐγὼ εἶπον, Ὀπίσω μου ἔρχεται ἀνὴρ ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν· ὅτι πρῶτός μου ἦν.	30. *Hic est, de quo dicebam, post me veniet vir, qui me antecessit: quia prior me erat.*
31. Κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν· ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τῷ Ἰσραὴλ, διὰ τοῦτο ἦλθον ἐγὼ ἐν τῷ ὕδατι βαπτίζων.	31. *Et ego nesciebam eum: sed vt manifestus fiat Israeli, propterea veni ego aqua baptizans.*
32. Καὶ ἐμαρτύρησεν Ἰωάννης, λέγων, Ὅτι τεθέαμαι τὸ πνεῦμα καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἔμεινεν ἐπ' αὐτόν.	32. *Et testificatus est Iohannes, dicens: Vidi Spiritum descendentem specie columbæ de cœlo, & mansit super eum.*
33. Κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν, ἀλλ' ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι, ἐκεῖνός μοι εἶπεν, Ἐφ' ὃν ἂν ἴδῃς τὸ πνεῦμα καταβαῖνον καὶ μένον ἐπ' αὐτόν, οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ.	33. *Et ego non noueram eum, sed qui misit me vt baptizarem aqua, is mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu sancto.*
34. Κἀγὼ ἑώρακα, καὶ μεμαρτύρηκα, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.	34. *Et ego vidi, & testificatus sum, hunc esse Filium Dei.*

Periocha huius Historiæ.

HÆc historia ad præcedentem ita sequitur. Cum celebris illa totius Synedrij ad Baptistam legatio in Bethabara, in magna populi frequentia exposita maximam concitasset expectationem, & Baptista respondisset verum Messiam iam manifestatum, in medium seu in publicum prodiisse, sed nondum notum esse omnibus. Licet igitur Pharisæi & primores nihil amplius quæsierint, quis aut vbi Messias ille esset: spreuerunt enim consilium Dei, Luc. 7. v. 30. in populo tamen inde ingens desiderium videndi & agnoscendi Messiam præsentem accensum fuit. Iesus igitur altera die mox ibi adfuit. Et Iohannes videns Iesum ex deserto redeuntem, & ad se venientem, priusquam propius accederet, vulgo seu populo, qui in Bethabara frequens conuenerat, cœpit Messiam præsentem monstrare. *Ecce agnus Dei*. Et ordo testimoniorum Baptistæ notetur. 1. Ante baptismum Christi, de mox venturo Messia, quem ipse de facie nondum nosset, testificatus fuit. 2. Post manifestationem per quadraginta dies prædicauit: Messias manifestatus iam in medium prodiit, & ego noui eum, sed iam abest. 3. Nunc vero præsentem monstrat. Et illa manifestatio primum synedrio per legatos oblata fuit:

ſed cum illi conſilium Dei ſpernerent, turbis iam Baptiſta Meſſiam præſentem monſtrat. Et non incongruè dicitur, Baptiſtam intento digito Meſſiam monſtraſſe. Omnino enim vnam certam perſonam turbis monſtrauit. Et non vtitur Aduerbio, ἰδὲ: *ecce* ſed imperatiuo, ἴδε, *vide*: ſicut mox Philippus dicit, *Veni & vide.* & Ioh. 7. v. 52. Scrutare, & vide, quod ex Galilæa Propheta non ſurrexit. Vſurpatur enim quando aliquid diligenter intuendum & conſiderandum monſtratur, vt Marc. 13. v. 1. cùm Chriſto monſtrarent Apoſtoli ſtructuram templi. & Marc. 16. v. 6. *Ecce locus vbi poſuerunt eum.* Ioh. 19. v. 14. *Ecce Rex veſter.*

Monſtrauit autem turbis Chriſtum præſentem ideo, vt ipſum agnoſcerent, ſequerentur, & pro Meſſia amplecterentur. Et quod dicit, *Ecce Agnus Dei, qui tollit*, &c. breuis ſed valde illuſtris eſt ſententia, ac digna eſt cuius ſingula verba expendantur, ſicut fecerunt Apoſtoli ad illam Baptiſtæ ſententiam reſpicientes. 1. Pet. 1. v. 19. & in Apocal. ſæpiſſime. Hactenus enim concionatus fuerat Iohannes primo de perſona Chriſti: *Poſt me veniet vir, qui fortior me eſt, qui prior me erat*, Item: *Vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, &c.* Secundo de officio: *Ipſe enarrauit.* Item: *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Et: *Baptizabit Spiritu.* De modo vero, quo Meſſias bona illa acquiſiturus eſſet, hactenus Baptiſta tam dilucide non fuerat locutus. Illam igitur doctrinæ partem hac ſententia complectitur. Talia autem verba ſelegit, quibus oſtenderet, hunc Saluatorem & omnibus neceſſarium eſſe, & ſingulis amplectendum. Ne quis innocentiam ſuam prætendat, nominat *peccatum mundi*: quia totus mundus in malo iacet, 1. Ioh. 5. v. 19. Et ſanguis Chriſti propiciatio eſt pro peccatis totius mundi, 1. Ioh. 2. v. 2. Extra Chriſtum igitur totus mundus propter peccatum reus eſt iræ Dei & damnationis, niſi fiat remiſſio propter Chriſtum. Et nullum peccatum mundi poteſt tolli vlla alia ratione, quàm per & propter hunc agnum Dei. Quia vero Iudæi, etiam qui peccata agnoſcebant, tamen de expiatione & remiſſione in Chriſto quærenda, minus ſolliciti erant, propterea quod exiſtimabant, Leuiticis ſacrificiis illam acquiri poſſe: ideo Baptiſta Meſſiam vocat *Agnum Dei*, diſcernens ipſum à prophanis, à Leuiticis, legalibus & typicis agnis, & ſignificans, reliquos reuera non fuiſſe tales, qui potuerint auferre peccata, ſed tantum typos ſeu figuras fuiſſe, hunc vero Ieſum eſſe veram illam victimam, cuius oblatio futura eſſet vera expiatio peccatorum coram Deo, ad quam victimã omnia reliqua ſacrificia, tanquã vmbræ ad corpus, reſpexerint. Et quia Baptiſta ita loquitur, quod Chriſtus *tollat peccatũ mundi*: Ergo quotquot ab exordio mundi à peccatis ſaluati ſunt, non ſuis vel operib. vel ſacrificiis, ſed fide futuræ huius victimę acceperunt remiſſionem peccatorum. Valde multa igitur hæc appellatio complectitur, quod Baptiſta Chriſtum vocat agnũ Dei. Quia vero non agni tantum, ſed alia etiam animalia in ſacrificiis offerebantur: vt de volatilib. turtur & colũba: de terreſtribus, bos, vacca rufa, hircus, capra, aries, ouis, agnus, &c. Quæſtio eſt, quare Baptiſta agni potiſſimum appellationem Chriſto tribuat? Quidam reſpondent, quod inter omnia victimarũ animalia agnus immaculatus ſuis potiſſimũ proprietatib. innocentiam, manſuetudinem & volũtariam ad mortem obedientiam in Chriſto delinearit, ſicut Iſa. 53. v. 7. & Ier. 11. v. 19. *ſicut agnus manſuetus portatur ad victimam.* Sed præterea non eſt dubiũ Baptiſtam reſpicere ad Leuitica ſacrificia, inter quæ mactatio agni Paſchalis, & effuſio ſanguinis ipſius, erat maxime illuſtris figura victimæ Filij Dei. Iuge etiam ſacrificium, quod mane & veſperi offerebatur, erat agnus immaculatus, Num 28. v. 3. Præcipue vero Baptiſta reſpicit ad locum Iſai. 53. v. 6 vbi Meſſias & agno, qui ad victimam ducitur, cõparatur, & additur etiam illud, quod in Baptiſtæ ſentẽtia ſequitur, Patrem omnium noſtrũm peccata conieciſſe in Meſſiam, vt ea tolleret. Nominat autem Baptiſta non ſimpliciter agnum, ſed *Agnum Dei.* Agnus enim Paſchalis ex reliquo grege hominum iudicio, vt maxime ad ſacrificium idoneus, ſeligebatur, & reliquis hoſtiis peccata populi per hominis Pontificis interpretationem imponebantur, Leu. 16. v. 10. Sed in hac victima filij Dei expiatio ideo certa, firma, vera & ſolida eſt, quia Deus hunc agnum ad hoc officium miſit & deſtinauit. Imò ipſe tradidit filium, vt fieret victima, in quam ipſe Deus, non verbis tantum imprecando, Leu. 16. v. 10. ſed ſerio, in iudicio ſuo ita coniecit iniquitates omnium noſtras, vt acerbiſſima paſſione ſua pro illis ſatisfaceret. Ratum igitur & acceptum coram Deo pro peccatis totius mundi eſt hoc ſacrificium. Et quia homines varias excogitant expiationes ideò Baptiſta dicit: *Hic eſt ipſius Dei agnus, & quidem diuinus agnus: eſt enim vnigenitus Filius Dei.* Et exiſtimant ideo additum articulum ὁ ἀμνὸς. *Ecce agnus ille Dei*, quod Syrus ſignificantius expreſſit, poſt poſitio articulo, *Ecce agnus Dei ille qui baiulat peccata mundi.*

Quod vero additur: *Qui tollit peccatum* ὁ αἴρων, non oſcitanter prætereundum eſt: magna enim emphaſis eſt, quæ niſi ex phraſi rectè intelligi non poteſt. Græci interpretes verbũ αἴρω dupliciter vſurpant. 1. quando aliquid ex vno loco transfertur in alium, vt 1. Reg. 4. v. 3. de arca ex Silò transferẽda. 3. Reg. 18. v. 12. *Spiritus tollet te*: vel quando prorſus auferetur aliquid, 4. Reg. 9. v. 25. ἆρον καὶ ῥῖψον. *Tolle & proiice.* Deinde vſurpatur, quando onus aliquod portatur, vt 3. Reg. 5. v. 15. & 2. Par. 2. v. 18. αἴροντες ἄρσιν *portantes onera*, Exod. 25. *arcam portare.* 1. Reg. 14. v. 1. & 17. v. 7. *de armigero.* Et in hac ſignificatione multa ſunt exempla in Gręca verſione. Conſiderandi autem ſunt fontes ſignificationũ. Hebræa lingua duo habet verba נשא, quod ſignificat onus leuare, tollere, auferre, vel transferre: & סבל quod ſignificat impoſitum onus portare. Græci verò vtrumq. reddiderunt per verbum αἴρω Et quia Iſa. 53. v. 4. in Hebraiſmo vtrũque verbum de Meſſia, portante & auferente peccata noſtra, vſurpatur (licet Gręca editio verbo φέρει ibi vtatur) valde pulchra eſt emphaſis, ſi vtraque ſignificatio in ſententia Baptiſtę conſideretur. Primò igitur Chriſtus tollit peccata, ſcilicet à nobis, vt in ſe transferat. Deus enim coniecit in ipſum peccata, Iſa. 53. v. 6. Ergo ipſe non habet peccatum: ſed aliunde in ſe transfert. Et quia à nobis tollit: ergo nos exoneramur peccato, quia transfertur in alium. Secundo tollit, & à nobis transfert peccatum, ita vt illud ipſe portarit, & in ſuo corpore in ligno pro peccato ſatisfecerit, 1. Pet. 2. v. 24. Alias enim tolli peccatum, ne nobis imputetur, non poteſt. Tertio tollit peccatum, quia facta expiatione & propiciatione aufert peccatum à conſpectu Dei, proiiciens illud in tergum, Iſa. 38. v. 17. & in profundũ maris Mich. 7. v. 19. Quarto, in hac vita per mortificationem incipit, & tandem in morte ita tollet peccatum, vt in altera vita in electis prorſus non ſit futurum. Hæc ex ſignificatione Hebraicorum vocabulorum, quibus verbum αἴρειν reſpondet, pulchre ita colliguntur, quæ facile plenius poſſent declarari. Sed nobis ſatis eſt fundamenta monſtraſſe. Eleganter autem verbum *Naſa* redditum eſt, 2. Reg. 12. v. 13. & 3 Reg. 24. verſ. 10. *Dominus* ἀφεῖλεν *transtulit peccatum tuum.*

Nominat autem Baptiſta non peccata, ſed *peccatum.* Non quaſi pro ſolo Originali peccato ſatisfecerit Chriſtus, & reliqua peccata noſtris propriis ſatisfactionibus expianda eſſent, hæc enim quorundam opinio contumelioſa eſt in perfectiſſimum meritum Chriſti: ſed nominat peccatum in ſingulari, vt vniuerſaliter intelligatur, talem agnum eſſe Chriſtum, qui, ſicut Thomas citat Theophili ſententiam, omne quicquid rationem habet peccati, totam molem peccati & omnium vitiorum, mundi colluuiem. Item reatum peccati, iram Dei, maledictionem, & quicquid pertinet ad peccati ſtipendium, in ſe transtulerit, atque ita pro omni totius mundi peccato perfecta expiatione Deo ſatisfecerit. Nã Paulus, quando in genere & vniuerſaliter de peccato loquitur, in ſingulari indefinite nominat ἁμαρτίαν *peccatũ.*

Quid vero inde obſeruandum ſit, quod nominat *peccatum mundi*, paulò ante notauimus: quibus hoc tantum addam, Baptiſtam ita oſtendere, regnum Meſſiæ non fore politicum. Eſt enim non vt aries ille & hircus Dan. 8. verſ. 20. ſed agnus, tollens peccatum mundi. Et tacita eſt antitheſis in vocabulo *Mundi.* Leuiticis enim victimis tantum peccata populi Iſraelis imponebantur: ſed hic agnus tollit peccata totius mundi. Non ad ſolos igitur Iudæos, ſed ad totum mundum pertinere affirmat beneficia Chriſti, à quibus nemo, qui in mundo eſt, excluditur, ſi modo fide illa accipere velit.

Porro Chryſoſtomus erudite obſeruauit, quod Baptiſta nõ dicit, qui tollet, aut qui tulit peccata noſtra: ſed dicit, ὁ αἴρων qui tollit: ὁ αἴρων *tollens*: ſignificans, quaſi continuum actum ſeu perpetuum officium Chriſti eſſe, tollere peccata noſtra, quãdiu in hac vita ſumus. Idque tripliciter. Primo enim vis & efficacia expiationis, quæ ſemel in cruce facta eſt, perpetuò viget & valet ad tollenda peccata. Æternam enim redemptionem inuenit: Imò, Apoc. 13. v. 8. ab initio mundi valuit. Secundo, quandocunque Deo reconciliamur, agnus Dei tollit peccata noſtra, non iterum moriendo, ſed meritum expiationis ſuæ per miniſterium verbi & Sacramentorum credentibus applicando. Item, licet habitet in carne noſtra peccatum: tamen coram iudicio Dei in illis, qui in Chriſto ſunt, interceſſione Chriſti tegitur, non imputatur, ſed tollitur ſeu leuatur, ſicut Pſal. 32. v. 1. loquitur. Tertio, tollit etiam Chriſtus in nobis peccata mortificatione per Spiritum ſanctum, quæ in hac vita inchoantur, & ſubinde creſcere debent, non autem conſummantur, niſi in vita æterna. Alij quia Baptiſta principaliter videtur loqui de expiatione in cruce facta, quãdo Chriſtus peccata noſtra tulit in corpore ſuo ſuper lignum, 1. Pet. 2. v. 24. hac ſimilitudine phraſin declarant. Sicut cum dicitur. *Helleborum purgat*, non vnicus actus vel certum aliquod tempus notatur, ſed ſignificatur natiua & perpetua vis, quæ Helleboro inſita eſt: eadem ratione exiſtimat Eraſmus etiam hoc dictum eſſe, *qui tollit mundi peccatum.*

catum. Et sicut herba ægro non medetur, nisi rectè vsurpetur & applicetur: ita virtus passionis Christi sufficiens est ad tollenda peccata totius mundi, sed illis solis prodest, qui agnum hunc recipiunt Ioann.1.v.12. Dicit autem hoc loco Baptista, non qui remittit (id quod alibi Christo tribuitur,) sed qui tollit peccatum. Loquitur enim de officio Mediatoris, quatenus victima pro nobis factus est. Et peccatum non dimittitur, nisi propter expiationem Christi tollatur.

In illis verò verbis, quæ sequuntur, *Hic est de quo dicebam:* &c. Baptista omnia præcedentia sua testimonia, & ante baptismum Christi, & post, per quadraginta illos dies præbita, accommodat ad præsentem hanc personam, quam intento nunc digito monstrat. Vocat autem Christum virum, ex 6. cap. Zachariæ v.12 & ratione assumptæ humanitatis, &, quia in officio suo magnalia efficiet, sicut Psal.45.v.4 ideò vocatur גבור *Gibbor* seu *Heros*, sicut & Syrus hoc loco habet גברא. Reliqua verba textus, *Ante me factum, pro me erat*, in præcedentibus explicati sunt. Vt autem certo constaret, Baptistam non errare in monstranda certa hac persona, affirmat, sibi antea non intercessisse familiaritatem aut consuetudinem cum Iesu, nec antea sibi notam fuisse personam Messiæ. Ideò autem se missum fuisse ad baptizandum, vt baptismo animos hominum præpararet, & excitaret ad euentum Messiæ, vtque accepto certò signo columbæ descendentis, & ipse certo agnosceret personam Messiæ, & agnitam manifestaret Israeli. Illa verò verba de signo descendentis Spiritus Baptistæ dato, supra in historia Christi baptizati exposuimus. Hoc loco vero obseruetur, ideo Spiritum descendisse super Christum in baptismo, vt esset testimonium: *Hunc esse, qui baptizet Spiritu sancto*, sicut Baptista inquit. Et coniungantur hæc duo. 1. Christus est victima tollens peccatum. 2. vt beneficium illud expiationis hominibus innotescat, distribuatur & applicetur, ideò institutum ministerium Verbi & Sacramentorum, per quod Christus confert Spiritum sanctum, qui corda illuminat, conuertit, & fidem accendit, vt Christum agnoscere & recipere possint. Et hinc manifestum est, quàm illustris sit descriptio officij Christi mediatoris in hoc loco. Nos fundamentum tantum notamus.

Notandum prætera & hoc est, quod Baptista inquit: *Et ego vidi.* Et postea per quadraginta illos dies *testificatus sum, quod hic sit filius Dei.* Videtur enim hic sensus esse quod Iohannes antea simpliciter docuerit, *Messias fortior me est*, Matt. 3.v.11. *Item prior me est*, Ioh.1.v.15. post manifestationem vero in Baptismo factam clarius coeperit de persona Christi concionari, voce paterna edoctus, quod sit filius Dei, & quidem vnigenitus. Fuerunt enim certi quidam gradus reuelationum & agnitionis vsque ad Christum manifestatum. Et apparet, Iohannem plurimum hac reuelatione de persona Christi delectatum: aliquoties enim postea repetit hanc doctrinam, quod Christus sit filius Dei.

Hæc sunt acta primi diei, cum Christus ex deserto ad Iohannem rediisset. Ad illam verò tam illustrem Baptistæ testificationem de Christo præsente nullus ex tota turba legitur, illo quidem die, ipsum secutus; cum tamen antea sæpe ostendissent, se plane flagrare desiderio Messiæ. Sed cum præsens ipsis ostenditur, nemo ex tanta frequentia id curat. Tale est initium, & talis sors regni Christi. Nisi dicatur, Euangelistam non annotasse, quid turbæ fecerint, ostenso ipsis præsente Messia, vel quod homines non voluerint de re tanta cito ad primam indicationem, nisi re diligentius explorata, & certius probata & cognita, aliquid statuere, quod ad fidei ingenium accommodari posset. Non enim subitanea, leuis, & temeraria assensio est fides, sed ἔλεγχος, Hebr.11.ver.1.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM

CONTINENS HISTORIAM ALTERIVS DIEI POST REDITVM CHRISTI EX DESERTO: Et de duobus discipulis Baptistæ, sequentibus Christum, Ioan.1.

RATIO ORDINIS.

HAnc historiam ordine sequi posse præcedentem, manifestum est. Dicit Euangelista, τῇ ἐπαύριον, *Postero die.* Ac licet disputari posset, Hebræis *heri* significare quoduis tempus Præteritum; *hodie* tempus Præsens & *cras* quoduis tempus Futurum, aut insequens licet interuallum aliquod temporis interponatur aut intercedat, Hebr.3.v.8. vt hoc loco τῇ ἐπαύριον, intelligi possit de die aliqua, quæ secuta fuerit præcedentem historiam, licet ea non proximè sequens aut continuo postea fuerit, sed aliquot dies intercesserint: tamen quia nulla alia historia est, quæ inter hanc & præcedentem inseri possit, aut debeat, simplicissimum est verba sicut sonant accipere, quod postero die, qui proxime secutus fuit præcedentem historiam, hæc acciderint. Decuit enim Baptistam testimonia sua, Christum iam præsentem monstrantia, subinde inculcare & ingeminare, ac breui tempore sæpius repetere, cum quidem Christus non diu mansurus esset apud Baptistam, ne res ex composito geri videretur.

HISTORIA SECVNDI DIEI POST REDITum Christi ex deserto: & de duobus discipulis Baptistæ sequentibus Christum, Iohan.1.

35. Τῇ ἐπαύριον πάλιν εἱστήκει ὁ Ἰωάννης, καὶ ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ δύο.	35. *Postero die iterum stabat Iohannes, & ex discipulis eius duo.*
36. Καὶ ἐμβλέψας τῷ Ἰησοῦ περιπατοῦντι, λέγει, Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ.	36. *Et intuitus Iesum ambulantem, dicit, Ecce agnus ille Dei.*
37. Καὶ ἤκουσαν αὐτοῦ οἱ δύο μαθηταὶ λαλοῦντος, καὶ ἠκολούθησαν τῷ Ἰησοῦ.	37. *Et audierant eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum.*
38. Στραφεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, καὶ θεασάμενος αὐτοὺς ἀκολουθοῦντας, λέγει αὐτοῖς.	38. *Conuersus autem Iesus & conspicatus eos sequentes se, dicit eis,*
39. Τί ζητεῖτε; Οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ, Ῥαββὶ (ὃ λέγεται ἑρμηνευόμενον, διδάσκαλε) ποῦ μένεις;	39. *Quid quæritis? qui dixerunt ei, Rabbi (quod dicitur, si interpreteris, Magister) vbi habitas?*
40. Λέγει αὐτοῖς, Ἔρχεσθε καὶ ἴδετε. Ἦλθον καὶ εἶδον ποῦ μένει, καὶ παρ' αὐτῷ ἔμειναν τὴν ἡμέραν ἐκείνην. ὥρα δὲ ἦν ὡς δεκάτη.	40. *Dicit eis, Venite & videte. Venerunt, videruntque vbi maneret, & apud eum manserunt die illo. Hora autem erat ferme decima.*

Periocha historiæ

QVartum hoc testimonium est Baptistæ de Christo manifestato, & secundum de Christo præsente. Ac ordo testimoniorum obseruetur. Primo die, post reditum ex deserto, Baptista Christum ostendit populo. Altero die, discipulos

Ilos ablegat seu deducit ad Christum, vt se relicto, illum, cui ipse viam præparasset, sequerentur, traditurus ita Christo Domino populum præparatum, & Synagogam adducturus Christo, vt fiat Ecclesia Noui Testamenti. Historia igitur secundi diei ita describitur. Euangelista dicit, Ioãnem stetisse, comitatum *duobus discipulis*. Illo igitur tempore non habuit circa se frequentiam populi, nec habuit publicam cõcionem, nec baptismum tunc administrauit, sed discipulos quasi priuata disciplina instruxit. Vocantur autem μαθηταὶ aliquando generaliter omnes eiusdem doctrinæ auditores, & confessores sicut Actor. 11. v. 26. *priusquam appellatio Christianorum cœpisset, vocabantur omnes discipuli.* Sæpe vero ponitur discrimen inter auditores & discipulos, Matth. 14. v. 19. *dedit panes discipulis, discipuli verò turbis, quæ antea verbum à Christo audierant.* Matt. 12. v. 49. *Cum frequens turba ipsum audiret, extendit manum super discipulos.* & Matth. 22. ver. 16. *Pharisæorum discipuli mittuntur cum Herodianis.* Et discipulorum Iohannis etiam postea mentio fit. Ioh. 3. v. 25. Matt. 9. v. 14. & 11. v. 2. qui nõ simpliciter tantum auditores Baptistæ fuerunt, sed qui frequentius ipsum sectati, & familiarius ab ipso instituti fuerunt. Et tales videntur hi duo fuisse. Iohannes enim à vulgari auditorio tunc remotus, duos hosce adiunctos sibi habuit. Et non multum sane refert, siue intelligantur fuisse auditores, siue discipuli: nisi quod ostenditur, Baptistam noluisse discipulos apud se retinere, sed Christo adducere, atque quos præparauerat ipsi, vt minister Domino, tradere. Præterea contra Anabaptistas bonum Argumentum hinc extruitur: Christum scilicet non omnino rudes & ignaros doctrinæ fecisse Apostolos. Andreas enim, Petrus & Philippus antea in Schola Baptistæ, tanquam discipuli fuerant instituti, sicut postea de electione Apostolorum hoc plenius declarabimus. Et oportebat Apostolos etiam de Baptismo Iohannis posse testari, Actor. 1. vers. 5. Ideo ex discipulis eius Christus quosdam vocauit, & quidem primos, vt ostenderet auditores Iohannis debere fieri Christi discipulos.

Cum igitur Iohannes duos ex discipulis suis secum haberet, ac *videret Iesum ambulantem* ἐμβλέψας αὐτῷ quod significat oculis fixis, accuratius, cum admiratione, cum gaudio, seu complacentia aliquid intueri, cœpit ad duos illos discipulos repetere pridianam concionem. Euangelista vero tantum initium ponit: *Ecce Agnus Dei.* Generalis enim obseruatio est, quod sacri scriptores tantum capita Concionum annotarunt: quæ vero vel antea vel alibi descripta extabant, breui tãtum repetitione notarunt. Vt hoc loco Euangelista ponens initium, *Ecce Agnus Dei*, significat totam concionem antea descriptam repetitam fuisse. Atque ita Baptista re ipsa præstitit, quod Paulus scribit Phil. 3. v. 1. *Eadem vobis scribere me quidem non piget, vobis verò necessarium est*, præsertim quando auditores prius dicta vel non satis intellexerunt, vel non satis in doctrina confirmati sunt. Duo vero illi discipuli, cum audirent, Iohannem populum instructum Domino parare, Luc. 1. vers. 17. & præparatum velle ad ipsum Dominum Messiam mittere. Relicto igitur Iohanne secuti sunt Iesum Messiam. Obseruetur autem, qua ratione Filius Dei & qualia colligat prima seminaria Ecclesiæ suæ, ex illis scilicet, qui à Iohanne Baptismo pœnitentiæ præparati sunt. Notandum est & hoc, Discipulum Christi non hoc esse, si animum habeas sectandi, vel ostendas te ipsius desiderio teneri, non autem audias ipsum, nec doctrinam ipsius agnoscas, nec sequaris. Ideo duo discipuli ante omnia quærunt à Christo, vbi habeat suum hospitium, vt scilicet possent ipsum sectari, & doctrinam illã, quam, sicut Baptista dixerat, è sinu patris enarraturus venerat, audire & discere, vt ita à primis initiis, in Baptistæ Schola perceptis, ad veram & solidam agnitionem proficerent. Vt autem agnoscas, quam promptè Christus venientes ad se, vel cupientes venire, suscipiat cum videret duos illos, in quibus desiderium illud sui per Spiritum sanctum excitarat, sequentes præuenit, & prior eos alloquitur, *Quid quæritis?* Vnde notari potest hæc regula: quod Christus illis, qui se volunt sectari, hanc primam quæstionem proponendam docet. Quid quæritis apud Christum vel in Christo? Pharisæi enim politicum regnum, opes & potentiam, vulgus Epicuream licentiam & saturitatem in Christo quærebant.

Duo igitur illi discipuli vocantes Christum *Rabbi* ostendunt, se ipsum agnoscere pro Propheta illo, Deuter. 18. vers. 18. ac cupidos se esse doctrinę eius. Quia vero imminebat vespera, ne alieni temporis ipsi molesti essent, quærunt de ipsius hospitio, vt scilicet postea ipsum accedere, & ex familiari ipsius colloquio plenius institui possent. Iesus vero non reiicit ipsum in alterum diem, vel in tempus commodius, sed inquit *Venite & videte.* Non enim per procrastinationem de die in diem reiicienda sunt pietatis negotia, Isa. 28. v. 22. Et Rabbi quidem in genere significat principem, dominum, præfectum, magistrum. Euangelista igitur addit interpretationem, ne de politico principatu intelligatur, sed de magistro, qui aliis docendis præfectus est.

Ostendit autem hæc historia, Christum etiam post manifestationem non vsum familiari seu domestica conuersatione Baptistæ. Habet enim hic peculiare hospitium, quod etiam familiaribus Baptistæ ignotum est. Et Euangelista quidem dicit, Baptistam per biduum illud bis vidisse Iesum, non autem cum ipso, sed de ipso locutum. Et Iesum mox quarto die parasse abitum in Galilæam. Nec postea leguntur congressi aut collocuti esse: quod mirum videri posset. Sed sine dubio ideo factum, ne testimonio Iohannis sinistra aliqua suspicione authoritas detraheretur, quasi ex composito res ita inter duos illos gereretur.

Addit autem Euangelista Chronographiam, fuisse tunc *horam quasi decimam*, scilicet ab ortu solis, ita vt duæ tantum horæ superfuerint ad vesperam. Non potuerunt igitur ad Iohannem reuerti, sed illo die manserunt apud Iesum in hospitio ipsius. Suauissima autem sine dubio fuerunt colloquia, quæ Christus cum duobus illis discipulis, dum apud ipsum in hospitio manerent, habuit. Ex verbis vero Andreæ in colloquio cum Simone, colligimus, summam fuisse de agnitione Messiæ. Atque obseruandum est, quod Christus dicit: *Venite & videte.* Multi enim audiunt de Christi persona & officio eius, & non contradicunt: ostendunt etiam, se non alienos esse à doctrina Christi & Ecclesia eius, sed vlterius non progrediuntur. Christus igitur his duobus respondet: debere ipsos non tantum quærere & scire vbi habitet Christus, sed inquit: *Venite & videte.* Cúmque iam Christus in Ecclesia sua habitet, facilis est accommodatio doctrinæ.

Et hoc est initium & seminarium Ecclesiæ, quam Christus suo ministerio cœpit colligere. Duo sunt, qui ipsum sequuntur, & pro Messia agnoscunt, sed quales quęso? Vnus est Andræas, qui postea cum fratre Simone legitur per totam noctem in piscatione laborasse. Alterius nomen non exprimitur. Sunt qui existiment, ipsum Iohannem Euangelistam fuisse, qui nomen suum non solet exprimere. Et coniectura non leuis est, quod tam accuratè notat, quę fuerit hora diei, quando ad hospitium Christi venerunt. Et tota descriptio primi capitis ostendit, Euangelistam illis omnibus, quę de Baptista & de Christo narrat, interfuisse. Non igitur à vero abhorret, alterum illum discipulum fuisse Iohannem Apostolum. Atqui Iohannes ille postea inuenitur cum patre in naui sarcire retia. Tam humile igitur fuit initium Ecclesię, quam sua prædicatione Filius Dei cœpit colligere.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

CONTINENS HISTORIAM SIMONIS PETRI, PRIMO AD CHRISTVM ADDVCTI, TERTIA DIE post reditum Christi ex deserto, Iohan. 1.

RATIO ORDINIS.

EVangelista vno quasi continuo textu hanc historiam præcedenti annectit, vnde Epiphanius existimat, eadem die vtrumque factum, & de Andrea, & de Petro. Sed circumstantiæ manifestè ostendunt, non eadem die, qua Andreas Christum secutus fuit, adductionem hanc Petri factam. Tunc enim dies inclinata per duas tantum horas à vespera aberat. Et illo die Andreas cum suo comite mansit apud Christum in hospitio, sicut expressè dicit. Non igitur illo die sed vel postero, vel alio aliquo sequente die Andreas fratrem Simonem inuentum ad Iesum adduxit, ideo distinctum & peculiare caput huic historiæ pro nostri instituti ratione attribuendum fuit.

HISTO-

HISTORIA DE SIMONE PETRO PRIMVM AD Christum adducto, quod altero die post Andreæ vocationem factum est, Iohan. 1.

41. Ἦν Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρου, εἷς ἐκ τῶν δύο ἀκουσάντων παρὰ Ἰωάννου, καὶ ἀκολουθησάντων αὐτῷ.
42. Εὑρίσκει οὗτος πρῶτος τὸν ἀδελφὸν τὸν ἴδιον Σίμωνα, καὶ λέγει αὐτῷ, Εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, ὁ χριστός.
43. Καὶ ἤγαγεν αὐτὸν πρὸς τὸν Ἰησοῦν. Ἐμβλέψας αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς εἶπε: Σὺ εἶ Σίμων ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ: σὺ κληθήσῃ, Κηφᾶς ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος.

41. *Erat Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus qui audiuerant à Iohanne, & secuti fuerant eum.*
42. *Reperit hic prior fratrem suum Simonem, & dicit ei, inuenimus Messiam, quod est, si interpreteris, vnctus.*
43. *Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus eum Iesus dixit, Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod sonat, si interpreteris, lapis.*

Periocha huius Historiæ.

EVangelista iam digreditur à Baptistæ testimoniis, & porro describet, quomodo Christus ipse suis dictis & factis comprobauerit se esse Messiam. In hac vero historia describitur, quomodo lux agnitionis Christi latius se cœperit diffundere, & Christus paulatim pluribus innotescere, dum alius alium ad cognitionem eius inuitat & adducit. Vera enim & viua agnitio Christi hoc habet peculiare & proprium, quod bonum hoc aliis non inuidet, sed vellet omnibus esse commune. Et quam efficax fuerit doctrina Christi, in duobus præcedentis diei discipulis hæc historia ostendit. Andreas enim mox sequente die fratrem suum Simonem, non in Galilæa, vbi domus ipsius erat, sed apud Iordanem inuenit: vnde rectè colligitur, Simonem vnà cum fratre Andrea, propter expectationem Messię ad Baptistam profectum fuisse. Non autem casu in Simonem incidit, nec à Simone quęsitus tunc fuit, sed *Andreas prior inuenit fratrem*, inquit Euangelista. Quo ostenditur, Andream gaudio illo exultantem, quod ex indicatione Baptistæ, & ex familiari Iesu colloquio diu expectatum Messiam cognouisset, studiosè & sollicitè quæsiuisse fratrem Simonem, vt ipsi bona hæc noua communicaret. Cum ipsum igitur inuenisset, singulari cum animi exultatione exclamauit. *Inuenimus Messiam.* Chrysostomus rectè hinc colligit, duos illos discipulos pridie duo hæc à Christo accepisse. 1. Veram agnitionem secutum esse motum in voluntate: quod cum gaudio & exultatione Messiam illum amplectuntur & vellent ipsum à toto mundo accipi. Et hęc sine dubio de colloquio Iesu Andreas pluribus verbis Simoni exposuit. Euangelistæ enim tantum capita annotare solent. Quia vero Andreas dicit, *Inuenimus Messiam*, significat etiam Simonem magno Messię desiderio flagrasse. De re enim, quam duo, vel plures simul exoptant aut quærunt, ita loquimur: *Inuenimus quod dudum optauimus & quæsiuimus.* Porro vocabulum *Messia* ex Psal. 2 v. 2. & Daniel 9. v. 25. sumptum, Thargum Chaldaicũ in mille fermè locis, qui de promisso Saluatore loquuntur, vsurpauit. Vnde tempore Christi & Apostolorum appellatio Messiæ vulgo vsitatissima fuit. Et Hebraicè quidem scribitur משיח Meschiach. Chaldæi addunt in fine א & legunt משיחא Meschicha, vnde Græcis, qui aspirationem in medio dictionis exprimere non possunt, fit Messia: & ratione Græcæ inflexionis additur in fine Sigma, ac fit Messias. Significat autem non communes vnctiones, quales in populo isto vsitatę erãt; sed eum significat, qui ad officium vel Regis vel Pontificis, vel Prophetæ vnctus erat. Et quia vsus Græcæ linguæ tunc etiam in populo Iudaico cœperat, vtraque appellatio vulgo vsitata tunc fuit, Messiæ & Christi. Ideo Andreas dicit: *Inuenimus Messiam* qui Græca interpretatione *Christus* dicitur. Quia vero per se generalis est appellatio, ideo Andreas addit articulum: *Inuenimus τὸν Μεσσίαν*, illum scilicet Messiam, qui peculiariter à Prophetis prædictus, à reliquis vnctis præfiguratus, ab omnibus tunc expectabatur, vnctus simul in Regem, Sacerdotem & Prophetam.

Andreas autem non tantum annunciat hoc Simoni, sed adducit eum ad ipsum Iesum, vt coram ipsum videat, audiat, agnoscat & amplectatur. Hæc enim vera est via conuersionis, vt per verbum homines ad ipsum Christum adducantur. Iesus vero probaturus se esse Messiam, hoc est, plus quàm hominem, recitat nomen, parentes & genus Simonis; qui tamen ipsi autem nõ fuerat notus, *Tu es Simon, filius Iona.* Supra autem in historia natiuitatis Baptistæ ostendimus, quam variè Græci propter aspirationem, quam in medio dictionis scribere non possunt, nomen Iohanna scribant, vt non sit dubium, filium Iona & Iohanna, Ioh. 1. ver. 43. & 21. ver. 15. idem esse.

Quidam in hisce appellationibus quærunt mysteria: *Tu es Simon*, hoc est, obediens, filius Ionæ, hoc est, columbæ, propter simplicitatem & mansuetudinem: vel filius Iohanna à gratia; quod Deus ipsi faueat. Sed simplicius est, si ita exponatur, quòd Christus ita voluerit ostendere, se esse Prophetam illũ, Deut. 18. v. 18. de occultis enim certò asseuerat, quod nomen eius sit Simon, & quod sit filius Ionæ: vel quod faciem Simonis intuitus, de interioribus animi virtutibus pronunciet, quod scilicet sit obediens, simplex, mansuetus, gratiosus. Et cor intueri Dei proprium est. Deinde vaticinatur etiam de futuris, & ostendit, sibi cuncta, priusquam fiant, nota esse, quale scilicet & quantum in regno suo organon ex hoc Simone facturus esset. *Tu* inquit, licet obscuri patris ignobilis filius, *Simon bar-Iona, vocaberis Cephas.* Pudendæ autem sunt Pontificiorum ineptiæ, qui hinc Pontificem caput vniuersalis Ecclesiæ fabricantur, quasi Græca sit origo Cephas, à κεφαλὴ, caput; cum interpretatio addita ostendat, esse Hebræum vel Syriacum. Euangelista enim expresse dicit, Cephas Græco vocabulo πέτρος reddi, & exponi. Considerandum autem est, quæ sit propria significatio vocabuli κηφᾶ. Hebræa lingua duo habet vocabula, quæ significant integram rupem seu Petram: סלע צור Sæla & Zur. Aliud vero est vocabulum כיפא Keph, quod significat, in ipsa rupe locum aliquem, ad quem quis confugere potest, vt tutus ibi sit, Iob. 30. v. 4. Hier. 4. v. 4. antepen. Chaldaismus vero כיפא legit. Vnde Græca inflexione fit κηφᾶς. Et scribunt, Thargum, Deut. 32. v. 13. ita appellare ramum petræ vel frustum prominens in petra. Et hæc Grammatica obseruatio conuenit cum ipsius Petri interpretatione, 1. Pet. 2. v. 4. Christus est vera & solida petra, cui nos vt lapides viui superędificamur. Petrus igitur non est ipsa petra, seu fundamentum Ecclesię: Sed nomen habet ab illa petra propter duas causas. 1. Quia futurum erat, vt inter varias Satanæ insidias. Luc. 22. v. 32. & in tristi carnis infirmitate, firma ac constanti fide veræ petrę adhæsurus, & super ipsum tanquam lapis viuus exædificandus esset. 2. Quia ipsius ministerio & cõfessione, Matth. 16. v. 18. Christus Ecclesiam suam super se verã petram ædificaturus erat. Est autem etiam in Græca lingua differentia inter hæc duo, πέτρα & πέτρος. Et Varinus quidem dicit, alterum esse commune, alterum esse Atticum: sed Analogia Grammatica ostendit, quod petra sit primitiuum, vnde deductum est denominatiuum πέτρος. Elias in Thisbi dicit, Thargum lapidem offendiculi vocare Cepha. Et in lingua Italica à petro lapidem vocari pereda, quod ipsum vocabulum etiam in Thargo pro lapide vsurpari ostendit. Si quis igitur ita distinxerit: πέτραν esse integram seu solidam rupem, πέτρον vero partem adhærentem, seu potius quod ædificatur super Petram, & ei adhæret, sensum rectè reddet: & à Grammatica explicatione in Hebraismo & Chaldaismo non procul aberrabit. Pagninus annotat, Chaldaicam linguam Hebræorum סלע Sæla semper reddere Kepha. Et Hebraicam Sæla etiam id, quod super Petram tanquam munitio extruitur, significat. Sed nulla verior est interpretatio vocabulorum, quàm quando ad res ipsas, quę certè sunt, accommodantur, sicut de loco, 1. Pet. 2. vers. 4. & de ministerio Petri iam diximus.

Disputant autem, An hoc loco impositum sit Simoni hoc nomen Petrus, an vero tantum sit prædictio de futura impositione, quæ facta sit, vel Matth. 16. ver. 18. vel Marc 3. v. 16 vbi in electione Apostolorum dicitur, *Simoni imposuit nomen Petrus.* Augustinus vero existimat hoc loco ipsi impositum nomen Petri: quia Matth. 4. ver. 18 de vocatione ipsius textus inquit: *Vidit Simonem τὸν λεγόμενον Petrum.* Matth. 16. v. 18. vero tãtum rationem nominis explicari. & Marc. 3. v. 16. cum eligen-

tur Apostoli, textum ita interpretandum, ἐπίθηκα, hoc est, antea imposuerat Simoni nomen Petri. Sed illa obseruatio vtilior est, quod exempla Scripturæ ostendunt, quibus Deus nomina vel mutauit, vel noua imposuit, quod illorum opera & ministerio ad res magnas vti vouit, vt de Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Iosia, Cyro, Iohanne exempla testantur. Ita Iesum amanter intuendo in Simonem, de futuro ipsius ministerio vaticinatum, & quis scopus ministerij ipsius futurus esset, nouo nomine Cephas indicasse, quod ipse explicat, I. Per 2.v.4 Hęc interpretatio, quia ipsius Petri est, fallere non potest. Et eadem etiam est Christi interpretatio, Matth.16.v.18. Quod si quis conetur inde colligere, quæ capita doctrinæ Christus Petro in prima adductione proposuerit, poterit hac via progredi: quod scilicet mutatione nominis ostenderit credentes transire in familiam Christi accepto nouo nomine, quod os Domini nominauit, & in cœlis ascriptum sit. Item, quod appellatione Petri Christus ostenderit, se esse lapidem illum angularem. Psalm.118.ver.22. fundamentum Ecclesię, cui oporteat superædificari omnes tanquam Petros seu viuos lapides, qui nolunt à portis inferorum expugnari. Complectitur etiam appellatio Petri doctrinam de ministerio ædificante super Petram. Hæc si tunc non fuerunt à Christo explicata, in verbis certè comprehensa fuerunt. Et illa breuiter notare volui, quia præcipua obseruatio in hisce historiis debet esse de doctrina.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

CONTINENS HISTORIAM DE VOCATIONE PHILIPPI ET NATHANAELIS, QVÆ POSTREMA die, priusquam à Iordane in Galilæam Iesus reuerteretur, facta est, Iohan. I.

Ratio ordinis manifesta est, Euangelista enim expresse dicit, postridie post Petrum adductum ad Christum, hæc de vocatione Philippi & Nathanaëlis accidisse: cum Iesus iam vellet à Iordane in Galilæam discedere.

HISTORIA DE VOCATIONE PHILIPPI, ET adductione Nathanaelis, Iohan. I.

44. Τῇ ἐπαύριον ἠθέλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐξελθεῖν εἰς τὴν Γαλιλαίαν καὶ εὑρίσκει Φίλιππον, καὶ λέγει αὐτῷ, ἀκολούθει μοι.
45. Ἦν δὲ ὁ Φίλιππος ἀπὸ Βηθσαϊδά, ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρέου καὶ Πέτρου.
46. Εὑρίσκει Φίλιππος τὸν Ναθαναὴλ, καὶ λέγει αὐτῷ, Ὃν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ καὶ οἱ προφῆται, εὑρήκαμεν τὸν Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ Ἰωσὴφ τὸν ἀπὸ Ναζαρέθ.
47. Καὶ εἶπεν αὐτῷ Ναθαναὴλ, Ἐκ Ναζαρὲθ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι, λέγει αὐτῷ Φίλιππος. Ἔρχου καὶ ἴδε.
48. Εἶδεν ὁ Ἰησοῦς Ναθαναὴλ ἐρχόμενον πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγει περὶ αὐτοῦ, Ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι.
49. Λέγει αὐτῷ Ναθαναὴλ, Πόθεν με γινώσκεις; Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ· Πρὸ τοῦ σε Φίλιππον φωνῆσαι, ὄντα ὑπὸ τὴν συκῆν, εἶδόν σε.
50. Ἀπεκρίθη Ναθαναὴλ, καὶ λέγει αὐτῷ, Ῥαββὶ, σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ.
51. Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ὅτι εἶπόν σοι, Εἶδόν σε ὑποκάτω τῆς συκῆς, πιστεύεις; μείζω τούτων ὄψεις.
52. Καὶ λέγει αὐτῷ, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα, καὶ τοὺς ἀγγέλους τοῦ Θεοῦ ἀναβαίνοντας, καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου.

44. *Postero die voluit Iesus exire in Galilæam: & reperit Philippum, & dicit ei, sequere me.*
45. *Erat autem Philippus à Bethsaida, ciuitate Andreæ & Petri.*
46. *Reperit Philippus Nathanaël, & dicit ei, De quo scripsit Moses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph, Nazarenum.*
47. *Et dixit ei Nathanael, A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus, veni & vide.*
48. *Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo, Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.*
49. *Dicit ei Nathanael, Vnde me nosti? Respondit Iesus & dixit ei, Priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, videbam te.*
50. *Respondit Nathanael, & ait ei, Rabbi, tu es ille filius Dei, tu es ille Rex Israel.*
51. *Respondit Iesus & dixit ei: Quia dixi tibi, videbam te sub ficu, credis: maiora his videbis.*
52. *Et dicit ei, Amen amen dico vobis, posthac videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes ac descendentes super filium hominis.*

Periocha huius Historiæ

Evangelista pergit describere progressum Ecclesię Christi à quam tenuibus initiis, per quæ obscura incrementa hominum scilicet Galilæorum, ex obscuris vicis Bethsaida & Cana oriundis progressio facta sit. Ostendit autem Euangelista Iesum non diu ad Iordanē apud Baptistam in Bethabara, vbi magna frequentia populi conueniebat, mansisse. Quarto enim die, vel non diu post quartum, ex quo ex deserto redierat, *voluit* hoc est, constituit *exire in Galilæam* ex loco scilicet celebri in Galilæam, obscurum locum. Nolebat enim Iesum hominum testimoniis confirmari. Iohan. 5.v.34. sed verbo & miraculis volebat probare se esse Messiam. Elegit autem Galilæam, regionem ignobilem, vt fides cognitionis Messiæ non externa specie, sed verbo Dei & testimoniis miraculorum niteretur Non autem primo statim quarti diei diluculo iter ingressus est, sed prius Philippum vocauit & Nathanaelem sibi adiunxit, vel sensus erit, quod in profectione, quam in Galilæam susceperat, Iesus in Philippum inciderit. Philippum autem non ita vocauit, sicut Andream venientē, & Petrum adductum ad se, recepit: sed Iesus prior inueniēs Philippum, inquit illi, *sequere me.* Phrasis autem illa, quando de præceptore & discipulis vsurpatur, significat, se dedere in disciplinam alicuius, sectari aliquem quasi indiuiduum comitem, institutionis gratia. Ita Luc.9.v.49. dicitur, vidimus quendam signa edentem, qui non sequitur nos. Ita Elisæus sequitur Eliam, 3.Reg.19.ver.20. Philippus igitur primus est, quem Christus immediatè vocauit, vt esset discipulus. Petrus enim & Andreas ipsi ad Christum venerant, & postea ad artificia sua reuersi sunt, & tunc demum vocati sunt, vt sequerentur Christum, Matth.4.ver.19. Vides ergo modos vocationis ad Christum diuersos esse. Andreas à Iohanne mittitur ad Christum, Petrus ab Andrea adducitur. Nathanael à Philippo inuitatur ad Christum. Philippum vero Christus ipse vocat. Et tamen

tamen ad Nathanaelem inquit, *priusquam Philippus te vocaret, vidi te.* Præueniuntur igitur & trahuntur omnes à Christo per verbum, alij occultius, alij manifestius.

Quod autem Philippus ad vnicam vocem Christum, quē nondum vel docentem audierat, vel miracula edentem viderat, sequitur, & pro Messia amplectitur; non arreptitium aliquid est, nec leuitati Philippi, sed diuinæ virtuti & efficaciæ vocis Christi tribuendum est. Hoc ipsum enim testimonium fuit, hunc Iesum esse Messiam, cum verbum eius tam efficaciter in cordibus operaretur. Euangelista vero videtur indicare, Philippum prius ex Andrea & Petro ea, quæ ipsi ex colloquio Iesu didicerant cognouisse. Ideo enim addit *Philippum fuisse ex ciuitate Andreæ & Petri.* Et ciuitatem illam *Bethsaida* nominat, non propter loci celebritatem, sed vt ostendat, ex quam obscuris vicis primos discipulos Christus allegerit. Scribitur autem בי תצירא, quod interpretantur domum venationis. Sed quia circa stagnum Genezareth non venatores, sed piscatores habitabant, & ab eadem radice צרר rete & hamus, quo pisces capiuntur, nominantur, simplicius est, dictam Bethsaida, quasi domum retium seu hamorum, quibus pisces capiuntur. Et Syri piscatores vocant צ׳ר יר, vt sit ciuitas piscatorum.

Philippum vero iam vocatum præ gaudio à latere Christi paulisper discessisse quæsitum Nathanaelem, vt ipsi hoc indicaret, inde colligitur, quod ficus illa, sub qua Philippus inuenit Nathanaelem, tam procul absuit à loco, vbi Christus tūc erat, vt maximi miraculi loco ducat Nathanael, cum Christus inquit: *Vidi te sub ficu.* Fuit autem Nathanael ob viciniā Philippo notus: ex Cana enim fuit, Iohan. 21. v. 2. Si non cognatus, vt Simon Andreæ. Et nomina quidem Andreæ & Philippi Græca esse, certum est. Vsus enim Græcarum appellationum in nominibus propriis, vnà cum imperio & familiaritate regnum Syriacorum, inter Iudæos inualuit, sicut Machabæorum historia ostendit. Nathanaelis vero nomen Hebraicum est, idem significans quod Græcis Theodorus: & apud Augustinum, à Deo datus. Illum igitur Nathanaelē quæsitum cum Philippus inuenisset, præ gaudio & exultatione erumpit in hanc vocem: *Inuenimus Messiam.* Et apparet in loco illo circa Iordanem, in diebus illis, vocem hanc quasi in omnium ore fuisse. Singuli enim non dicunt, *inueni*, sed exclamant: *Inuenimus Messiam*: Philippus autem non simpliciter sicut Andreas dicit: *inuenimus Messiam*: sed, *Inuenimus illum, de quo scripsit Moses & Prophetæ.* Vnde apparet, inter Philippum & Nathanaelem sæpe fuisse colloquia de sententiis ex Mose & Prophetis, quæ de Messia loquuntur, & vtrumque arsisse desiderio Messiæ. Ideo enim hoc modo ipsum alloquitur.

Quod vero Philippus addit: *Iesum filium Iosephi Nazarenum*, in eo obseruetur, quomodo Christus inter initia fidei næuos aliquos in suis toleret, vt emendet. Philippus enim agnoscit Iesum esse illum, quem Moses & Prophetæ scripserunt; sed duos habet næuos. 1. quod putat, Iesum ex Iosephi semine esse natum, hoc est, ignorat conceptum ex Spiritu sancto, & ex virgine natum. 2. locum natalem eius existimat esse Nazareth. Et tamen Christus ipsi inquit, *sequere me.* Vocat autem ipse Christus, non vt in hallucinationibus istis maneat, sed vt rectius erudiatur, & quomodo illud fieri incipiat, hæc historia ostendit. Nathanael enim obiicit, quod forsan vulgare tunc fuit prouerbium: *An à Nazareth boni aliquid potest esse?* Significat enim non consentire scriptis Propheticis, vt locus natalis Messiæ sit Nazareth. Philippus vero, quia ad obiectionem illam respondere non potest, *veni*, inquit, *& vide*, hoc est de persona, & officio Iesu Messiæ non dubito: si qua autē sunt, quæ non satis aut non rectè intelligo, ab ipso discemus. Philippus enim non dubitat, si Nathanael ad Christum accesserit, viderit & audierit ipsum, fore vt omnes dubitationes ipsi eximantur, & credat, hunc Iesum esse Messiam: ideo inquit, *Veni & vide.* Et Nathanael non ideo abiicit indicationem Philippi, quod omnibus obiectionibus non possit satisfacere, sed patitur se duci ad ipsum fontem. Hæc plena sunt multiplicis doctrinæ. Augustinus legit affirmatiuè, quasi Nathanael dicat: Verum est, etiam à Nazareth potest aliquid boni esse, hoc est, Messias, qui Nazaræus vocabitur. Sed prior sententia vt communior, ita & simplicior est, & magis conuenit responsioni Philippi, *veni & vide.* Et obiter obseruetur, quia prædictum fuerat, Isa. 2. v. 3. *In diebus illis ibunt populi multi & dicent, venite ascendamus, &c.* Adeo aliquoties iam repetitur, *venite & videte.* Item, *veni & vide.*

Cum vero Nathanaelem Iesus videret, à Philippo ad se adduci, cum prope accessisset, vt exaudire posset, cœpit de illo dicere, sine dubio ad Andream, Petrum, & quicunque fuit tertius ille. Iohan. 1. versi. 37. *Ecce vere est Israelita*, innuens id, quod Paulus Roman. 9. ver. 6. clarius explicat, *Non omnes qui sunt ex Israel, sunt Israel*: hoc est, non qui filij sunt carnis, hi & filij Dei sunt; sed qui filij sunt promissionis, recensentur in semen. Quod vero additur: *In quo non est dolus*, non sensus est, quod sine omni peccato mundus fuerit Nathanael. In hanc enim sententiam de solo Christo 1. Pet. 2. v. 2. dicitur: *Non est inuentus in ore eius dolus.* Sed vera sententia ita colligi poterit. Respicit enim ad historiam Iacobi, à quo Israelitæ nomen habent, Gen. 25. v. 27. Esau erat peritus venator, Iacob vero vir simplex & rectus, seu integer habitans in tentoriis. Et hoc Christus videtur voluisse exprimere, cum inquit: *In quo non est dolus.* Est autem Antithesis inter verum Israelitam, & inter illos, qui hoc nomine se iactabant, & externam pietatis speciē præ se ferebant; simulabant se ardenter expectare Messiam, sed in ipso non remissionem peccatorum, sed alia quædam quærebant. Sicut igitur Psal. 32. v. 2. dicitur, in illius Spiritu non esse dolum, qui non tacet aut occultat peccatum suum, sed confitetur illud Domino, & agnoscit beatitudinem suam esse remissionem peccatorum: ita de Nathanaele Christus inquit, *verus est Israelita*: ex animo enim & rectè quærit Messiam, non dolo Pharisaico, sed vt remissionem peccatorum & salutem in ipso inueniat, Psalm. 32. v. 2. Hæc interpretatio simplicissima est. Sumitur enim ex Ps. 32. quam etiam Augustinus secutus est, & præbet doctrinam, Christum illos ad se venientes cupidissime amplecti, quib. doctrina legis agnitione peccatorum Pharisaicarum illum dolum demsit, vt in Spiritu eorum non sit dolus, de quo Psal. 32. v. 2.

Quare autem Christus de animo Nathanaelis illa testificatus sit, historia ostendit, nempe vt hoc argumento probaret, se esse verum Messiam & filium Dei, quod arcana cordiū sibi nota sint, 1. Sam. 16. v. 7. Nathanael enim quærit, *Vnde nouisti, me talem esse?* Num aliquando mecum conuersatus es, vt animum meum inde agnoueris? an vero ex aliis hoc accepisti? sed Christus hoc ostendit, vnde & quomodo hoc nouerit. Inquit enim: cum procul hinc abesses, *priusquam Philippus te inueniret*, & tecum loqueretur, *Vidi te, cùm sub ficu esses.* Tria autem miranda, quæ supra hominem sunt, Christus dicit. 1. licet valde procul abfueris, tamen vidi, quod & quando Philippus te vocarit. 2. imo priusquam te inueniret Philippus, cum sub ficu illa esses, vidi te. 3. vidi in cor tuum, quod sis sine dolo. Nathanael vero, cum audiret Iesum talem esse, cui absentia nota sint tanquam præsentia, qui omnia videat, qui etiam occulta cordium inspiciat, quæ plus quam humana & Dei propria sunt, mox exclamat: Agnosco & credo te illum esse, quē Moses & Prophetæ prædixerunt. Tria autem Nathanael in confessione sua de Messia complectitur, vnde colligitur, doctum ipsum fuisse in lege, qui præcipuas Prophetarum sententias de Messia rectè intellexerit. 1. vocat ipsum *Rabbi*: iuxta sententiam Mosis Deut. 18. v. 18. *Ponam verba mea in ore eius, & loquetur ad eos quæcunque mandauero.* 2. Fatetur ipsum *filium Dei*, sicut Messias appellatur, Psal. 2. v 7. & 89. v 7 & sicut Baptista, voce paterna cœlitus edoctus, prædicauit, ipsum esse Filium Dei. 3. Fatetur ipsum esse *Regem illum Israelis*, Ier. 23. v. 5. & 33. v. 14. Zach. 9. v. 9. & Psal. 2. versi. 6 promissum. De essentia igitur & de officio Christi loquitur, in quibus vera eius agnitio consistit, atque ideo additur articulus: *Tu es filius ille Dei & Rex ille Israelis*, promissus scilicet & expectatus.

Suauissima autem est responsio Christi, ostendens quàm paterna cura initia fidei fouenda & prouehenda suscipiat. Quia inquit, inde quod de ficu dixi, credis me filium Dei, *maiora his videbis, &c.* Et conuertens sermonem ad quinque illos discipulos, qui iam gustum aliquem agnitionis ipsius acceperant, inquit: *A modò*, seu posthac, *videbitis cœlum apertum, &c.* Quia enim Philippus fatebatur quidem Iesum esse Messiam, sed putabat ipsum esse Ioseph filium, & Nathanael vocabat quidem ipsum filium Dei, & Regem Israelis, sed hoc forsan ita intellexit, sicut politici Heroes vocantur filij excelsi. Psal. 82. vers. 1. Certum igitur est, Christum hoc loco loqui de clariore reuelatione personæ & officij sui, & de pleniori informatione & conformatione fidei, in discipulis illis; sicut Paulus inquit: *Ex fide in fidem.* Rom. 1. v. 17. Et ex hac commonefactione, tanquam ex scopo dictorum, sensus huius loci rectè potest colligi. Simplicissima igitur ratio est, si verbum *videbitis* intelligatur. 1. de doctrina seu agnitione personæ & officij Christi. (Nam & Ioh. 6. ver. 46. verbum *Videndi* ita vsurpatur) Si postea intelligatur etiam de miraculis cœli aperti, & angelorum apparentium, quibus doctrina & agnitio illa confirmata fuit. Hoc modo explicatio huius sententiæ plana erit. Et quia Christus paulo ante Nathanaelem vocarat verum Israelitam, seu Iacobitam. Respicit igitur ad visionem scalæ Iacobo ostensam. Gen. 28. v. 12. in qua agnitio personæ & officij Messiæ delineata fuit. Scala enim stat in terra, & pertingit vsque ad cœlum, vbi Deus innititur scalæ: qua visione significata fuit vnio diuinæ & humanæ naturæ in Christo, vt idem sit filius Dei & filius hominis, & qui humanam naturam non ex virili semine, sed cœlitus, ex conceptione Spiritus sancti, ex virgine, quasi ex terra, suscepturus esset

Deus enim huic scalæ innititur, & pertingit illa è cœlo ad terram, vbi Iacob iacebat, cui promissio seminis data erat. Angeli etiam ascendentes & descendentes agnoscunt filium hominis esse suum DOMINVM & verum Deum. Cum enim introduceret primogenitum in orbem inquit: *Adorent eum omnes Angeli Dei*, Heb.1.vers.6. Sensus igitur hoc loco est *Videbitis*, hoc est discetis personam meam rectius & plenius agnoscere, quod sim scilicet filius Dei, non propter singularem quandam præ reliquis hominibus gratiæ prærogatiuam: sicut Magistratus vocantur filij excelsi, Psal.82.v.6. Et sicut Nathanael primò intellexit: Nam & Elisæus absentia & occulta vidit. 4. Reg.5.v.26. & 6.v.9. sed quod sim verus Deus, Qui enim in cœlo est Deus, aperto cœlo huic scalæ innititur, & angeli in cœlis agnoscunt me suum Dominum & Deū. Quod etiam sim verus homo, semen Iacobi: non autem ex corrupto semine Iosephi, sicut Philippus putabat, sed superueniente Spiritu sancto, scala è cœlo pertingente ad terrā, filius hominis natus. De officio etiam meo plenius erudiendi eritis. Ne existimeti me externum regem fore, carnalis tantum Israelis, more huius seculi: sed regnum meum erit cœlorum regnum, pro toto mundo, subiectis etiam angelis, Ephes.1.vers. 21.1.Petr.3.vers.22. & officium meum erit, vt vobis hominibus cœlum peccatis vestris clausum aperiatur. Nemo enim ascendit in cœlum, nisi filius hominis, qui est in cœlo, Iohan.3.ver. 13. is cœlum aperuit, & scalam seu viam nobis in regnum cœlorum sanguine suo dedicauit, Heb.1.v.20.

Quod vero additur de angelis ascendentibus & descendentibus super filiū hominis, inde simplicissimè intelligi potest, quod Paulus inquit, Ephes.1.ver.10. *Recapitulans omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt*, & Coloss.1.v.20. *pacificans, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt*. Docet igitur Christus, officium suum esse cœlum aperire, & cœlestia rursus cōiungere cum genere humano, quod per peccatum & à Deo & à sanctis angelis auulsum fuerat: vt simus ciues sanctorum, & angeli iam descendant super humanam naturam assumptam à filio Dei, & propter caput ad corpus etiam iam emittantur, scilicet ad ministerium electorum, Heb.1.v.14. emissio enim ad ministeriū per descensum & ascēsum describitur. Nā angeli emissi descendunt, & rursus sistunt se Deo ascendēdo, iniuncti ministerij rationem redditurī, Iob.1 v.6. Zach.1. ver. 11. Rupertus ita explicat, quod angeli super filium hominis ascendant ad contemplandam eius diuinitatem, & descendāt, ad considerandam eius exinanitionem, sicut Ephes.3.v. 10. Paulus dicit, ipsis angelis multifariam sapientiam Dei innotescere. Si hoc modo verbum *Videbitis* de clariori doctrina & pleniori agnitione personæ & officij Christi accipiatur, præbebit hæc explicatio illustrem sententiam, quæ scilicet fit vera agnitio personæ & officij Christi, ad quam primos suos discipulos sensim voluit prouehere. Verba quidem videri possent ad captum rudiorum, quales tunc adhuc erant discipuli obscuriora: sed quia Nathanaelem eruditum fuisse in Lege & Prophetis hæc historia ostendit. Christus igitur visionem Veteris Testamenti, Genes.28.v.12. Nathanaeli proponit, & ad agnitionem suæ personæ & officij accommodat, cuius vberiorem explicationem & pleniorem agnitionem ipsis pollicetur. Dicit enim *Posthac videbitis*.

Deinde vero hæc verba *Videbitis cœlum apertum, & angelos*, rectè ita etiam explicantur & intelliguntur, quod illam doctrinam & agnitionem diuinis & cœlestibus miraculis, gloriam ipsius manifestantibus, confirmatus sit, præsertim vero apertione cœli & apparitione angelorum circa filium hominis. Quando vero & vbi miraculum illud aperti cœli & angelorum descendentium factum sit, non conuenit inter omnes interpretes. Quidam exponunt de apertione cœli in Baptismo facta, & de angelis in deserto accedentibus, Matth 4.v.11. sed Christus de futuro loquitur, *Videbitis*. Alij vero dicunt, quia Christus prædicit tale miraculum futurum. *Videbitis cœlum apertum, & angelos, &c.* sine dubio hoc ita factum esse, licet scriptum non sit. Non enim omnia, quæ facta sunt, scriptis Euangelistarum comprehensa esse. Chrysostomus vero putat, non esse opus, vt ad incerta & non scripta confugiatur. Duos enim ex hisce discipulos vidisse cœlum apertum in clarificatione, Matth.17.v.2. Angelos visos in resurrectione, & in ascēsione omnes vidisse Iesum euntem in cœlum, & duos angelos astantes, Act.1.vers.10. Stephanus etiam vidit cœlos apertos, Actor.7.v.56. Alij meras Allegorias hinc faciunt. Sed hæc est simplex & historica interpretatio. Loquitur enim de miraculis illustrioribus, quibus diuinitatem suam comprobaturus erat. Et alibi etiam diuinitatem suam probat ex resurrectione & ascensione in cœlum, Iohan.6.v.62. & Luc.22.vers. 69. *Amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*. Vbi eadem phrasis est, qua hic vtitur ἀπ' ἄρτι.

Et hæc est vocatio quinti discipuli Nathanaelis, qui etiam post passionem Apostolis adiunctus legitur, Ioh.21.vers.2. Et ideo quidam existimant, ipsum Apostolum fuisse, sed qui in Catalogo Apostolorum alio cognomine recenseatur. Reliqui enim quatuor discipuli Iohan.1. vocati, electi postea sunt in Apostolos. Et Ioh.21.v.1. Christus dicitur tunc tertiò apparuisse discipulis. Illi autem discipuli, quibus bis antea apparuerat, Apostoli fuerunt. Quia igitur in tertia apparitione discipulis illis etiam Nathanael annumeratur: existimant igitur Apostolum fuisse. Et quia Nathanaelis patria. Iosu.21.v.2. Cana Galilææ nominatur, quidam putant Simonem illum, qui in Catalogo Apostolorum Cananæus Matth.10.v.4. Marc. 3.v.18. appellatur, esse hunc Nathanaelem. Alij, qui in Catalogo Apostolorum Philippo semper adiungitur Bartholomæus, sicut Petro Andreas, existimant, Nathanaelem, qui hoc loco vnà cum Philippo vocatur, esse illum, qui apud reliquos Euangelistas Bartholomæus appellatur, quod sentiunt non proprium nomen, sed cognomen esse, sicut Simonis cognomen à familia fuit, Bar-Iona. Atque ideo, cum reliqui Euangelistæ cognomen ponant Bartholomæi, Iohannem *eius* proprium nomen Nathanael voluisse exprimere. Sunt etiā, qui propter apertionem cœli Nathanaeli promissam existimant, ipsum esse Schepanum, qui vidit cœlos apertos. Actor. 7.v.56. Augustinus vero & alij sentiunt, Nathanaelem hunc non fuisse Apostolum. Et inde, quod inter quinque primos discipulos doctissimum Nathanaelem Christus non elegit in Apostolum, tria obseruarunt. 1. Electionem Dei beneplacito & gratia, non nostra dignitate & merito, niti. 2. Ne conuersio mundi humanæ sapientiæ tribueretur. Elegit Christus Apostolos homines non doctos, sed plebeios, nulla eruditione celebres, vt totus mundus agnosceret, Dei opus esse, quod ipsorum ministerio superstitiones deiiciebantur, & contra omnes inferorum portas per totum mundum Ecclesia Euangelio ædificabatur. 3. Obseruarunt hinc etiam illud: posse aliquem Deo fide placere, acceptum esse, & ipsi seruire, etiamsi ad præeminentia officia non vocetur. Sed tamen inter primos discipulos voluit Christus etiam doctum Nathanaelem vocare, vt ostenderet regnum suum pertinere & ad sapientes, & ad insipientes, Romanorum 1.vers.14. sicut & postea etiam Paulum, à pueris in lege institutum, fecit Apostolum.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

CONTINENS DESCRIPTIONEM PRIMI MIRACVLI, EDITA A CHRISTO IN NVPPTIIS in Cana Galilææ, Iohan.2.

RATIO ORDINIS.

EX veteribus quidam à profectione Christi in Galilæam, quæ sub finem primi capitis Iohannis describitur, digrediuntur ad reliquos Euangelistas, ac multas historias de iis, quæ Iesus in Galilæa docuit & fecit, interponunt, priusquam miraculum hoc mutatæ aquæ in vinum recenseant. Idque nullam aliam ob causam, & ex nullo alio argumento, quàm quod traditio esse feratur, quod 6. Ianuarij Christus sit baptizatus, quodque eodem die, reuoluto anno, aquam in vinum mutarit. Ne igitur Christum per totum primum annum ministerij sui otiosum facere videantur, multas historias, quas post captiuitatem Baptistæ, hoc est, secundo anno ministerij Christi, factas esse constat, sicut in prolegomenis diximus, & mox postea ostendemus, intempestiue huc misceant, ac sine ratione totam seriem historiæ Euangelicæ hoc loco perturbant. Ostēdimus autem in prolegomenis, traditionem illam de sexta die Ianuarij incertam ac dubiam esse, nec ipsam secum

[illegible] confistere posse. Non satis autem considerant [illegible], qui propter incerta ea, quæ manifesta ac certa sunt, [illegible] & peruertit. Certum autem est ex Ioannis notatione, mutationem illam aquæ in vinum esse principium miraculorum Christi. Nullum igitur aliud signum vel miraculum in ordine Euangelicæ historiæ huic proponendum est. Certum est & hoc, ea, quæ Matthæus, Marcus & Lucas in Galilæa à Christo dicta & facta describunt, post captiuitatem Baptistæ accidisse. Sed Ioannes expresse dicit, ea, quæ ipse cap. 2. & 3. describit, facta esse priusquam Ioannes in carcerem coniiceretur. Illa igitur siue mixtura siue confusio historiarum à quibusdam veterum, sicut dixi, propter incertam illam de sexto die, Ianuarij traditionem, instituta, nec probari potest, nec recipi debet. Sed quia Iohannes ea, quæ post reditum Christi ex deserto vsque ad captiuitatem Baptistæ gesta sunt, solus describit, reliquis statim digredientibus ad ea, quæ post captiuitatem Baptistæ gesta sunt: Manifestum igitur est, inter hasce Iohannis Euangelistæ historias, quas à medio primi capitis vsque ad finem tertij capitis describit, nihil posse aut debere ex reliquis Euangelistis interseri. Sed historias illas eo ordine, sicut à Iohanne descriptæ sunt, in Harmonia collocandas. Quod semel hoc loco monuisse satis est. Et in hac historia Euangelica ex professo ostendit, se ἀκολουθίαν historiarum obseruasse. Dicit enim, *Tertia die*, scilicet post aditam Galilæam factum hoc miraculum. Et hic ordo historiarum pulcherrima consequentia cohæret. Cuius enim paulo ante, indicatione occultorum, & prædictione futurorum, Christus se plus quam hominem esse ostendisset: iam mutatione aquæ in vinum, gloriam diuinitatis suæ plenius manifestat discipulis.

HISTORIA DE INITIO MIRACVLORVM IESV, hoc est, de mutatione aquæ in vinum facta in nuptiis, in Cana, Iohan. 2.

1. Καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ γάμος ἐγένετο ἐν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ ἐκεῖ.	1. *Et die tertia nuptiæ fiebant in Cana Galilææ; & erat mater Iesu ibi.*
2. Ἐκλήθη δὲ καὶ ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸν γάμον.	2. *Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias.*
3. Καὶ ὑστερήσαντος οἴνου, λέγει ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ πρὸς αὐτόν· Οἶνον οὐκ ἔχουσι.	3. *Et vbi defecisset vinum, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.*
4. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι; οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου.	4. *Dicit ei Iesus, Quid mihi tecum est mulier? nondum venit hora mea.*
5. Λέγει ἡ μήτηρ αὐτοῦ τοῖς διακόνοις· Ὅτι ἂν λέγῃ ὑμῖν ποιήσατε.	5. *Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis facite.*
6. Ἦσαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι λίθιναι ἓξ κείμεναι κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ἰουδαίων, χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο, ἢ τρεῖς.	6. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas aut ternas.*
7. Λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Γεμίσατε τὰς ὑδρίας ὕδατος. Καὶ ἐγέμισαν αὐτὰς ἕως ἄνω.	7. *Dicit eis Iesus, Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum.*
8. Καὶ λέγει αὐτοῖς, Ἀντλήσατε νῦν, καὶ φέρετε τῷ ἀρχιτρικλίνῳ. Καὶ ἤνεγκαν.	8. *Et dicit eis: Infundite nunc & ferte Architriclino. Et tulerunt.*
9. Ὡς δὲ ἐγεύσατο ὁ ἀρχιτρίκλινος τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον (καὶ οὐκ ᾔδει πόθεν ἐστίν· οἱ δὲ διάκονοι ᾔδεισαν οἱ ἠντληκότες τὸ ὕδωρ) φωνεῖ τὸν νυμφίον ὁ ἀρχιτρίκλινος,	9. *Postquam autem gustasset Architriclinus aquam in vinum versam, (neque sciret vnde esset, sed ministri sciebant, qui hauserant aquam) vocat sponsum.*
10. Καὶ λέγει αὐτῷ· Πᾶς ἄνθρωπος πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθησι, καὶ ὅταν μεθυσθῶσι, τότε τὸν ἐλάσσω· σὺ τετήρηκας τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι.	10. *Et dicit ei: Omnis homo primo loco bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu seruasti bonum vinum vsque ad hoc tempus.*
11. Ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων ὁ Ἰησοῦς, ἐν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.	11. *Hoc edidit initium signorum Iesus, in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.*

Periocha huius Historiæ.

[*Ταύτην fecit τὴν ἀρχὴν signorum Iesus*,] inquit Euangelista, hoc est, miracula, quæ Iesus tempore ministerij sui edidit, tale habuerunt initium, ita vt hoc, quod in Cana Galilææ factum est, primum fuerit. Quidam sane voluerunt hæc verba ita eludere, quod antea quidem & alibi Iesus fecerit miracula, sed eorum, quæ in Cana fecit, hoc esse primum. Chrysostomus vero & hanc opinionem & totum commentum de miraculis infantiæ Saluatoris recte refutat. Euangelista enim dicit, hoc miraculo Iesum cœpisse gloriam suam manifestare, vt ita discipuli crederent in ipsum. Sed miracula infantiæ Saluatoris, si qua edidisset, multo plus habuissent admirationis, & celebritatis, vtpote à puero facta, quàm quæ postea edita sunt, vt non potuisset gloria eius Israeli ignota esse, propter quam tamen manifestandam Baptista dicit se missum esse. Ioh. 1. v. 31. Admirandæ igitur reuelationes factæ sunt in natiuitate & in baptismo Christi. Sed Euangelista loquitur de illis, quæ ipse Christus incarnatus proprie fecit. Et mira quidem, imo diuina sunt illa, quod anno duodecimo cum doctoribus disputat. Luc. 2. v. 46. quod Petri, quem antea non viderat, nomen & familiam tenet: quod occulta indicat: quod futura prædicit: absentia videt & corda scrutatur, Ioh. 1. versi. 42. 48. & 51. Sed aliud est, quod Scriptura vocat signum seu miraculum, aliquid scilicet externum incurrens in oculos, quod sine operatione naturali diuina virtute efficitur, præter, sæpe etiam contra, consuetum naturæ ordinem. Et ab admirãdis illis occultorum indicationibus & futurorum prædictionibus Christus transit ad vera miracula seu signa, quibus plenius gloriam suam quasi vnigeniti à patre manifestat. Reliqui igitur Euangelistæ multa signa & miracula, quę tempore ministerij sui Iesus fecit, diligenter descripserunt, Iohannes vero ordinem notauit, quodnam primum fuerit, quãdo & vbi initium Iesus fecerit signorum. Et propter hanc causam singulas historiæ huius circunstantias æquum est diligenter expendere: continet enim descriptionem primi miraculi.

Quinque igitur illis discipulis, de quibus Iohann. 1. dictum est, comitatus Iesus, venit in Galilæam, & non videtur diuertisse in patriam Nazareth. Nam Luc. 4. versi. 16. primum eo rediit: sed vel cum Petro & Philippo ad ipsorum patriam Bethsaida se cõtulit, vel ad Nathanaelis ciuitatem, Canam Galilęæ, profectus est, id quod verisimilius videtur. Nam & secundo anno ex Iudęa reuersus confert se ad Canam Galilęæ. Hac igitur occasione Iesus cum venisset in Canã Galilęæ, vna cum discipulis ibi ad nuptias, propter cognationem, vt mox ostendemus, vocatus est. Dicit autem Euangelista, nuptias illas factas *tertio die*. Stapulensis intelligit tertium diem à Sabbato. Nam Sabbato, propter varia ministeria nuptialia, non celebrarunt nuptias. Nec Secunda Sabbatorum; quæ enim ad nuptiale conuiuium necessaria sunt, non potuerũt Sabbato præparari. Tertia igitur Sabbatorum celebrãdis

nuptiis commoda fuit, vt secunda Sabbatorum præpararentur necessaria. Et hinc existimat tertium diem, septimanæ scilicet à Iohanne appellari. Sed dies septimanæ Scriptura solet aliter numerare, scilicet prima, secunda, tertia Sabbatorum, &c. Et non est dubium, Ioannem mentione tertij diei voluisse ordinem historiarum notare. Quidam igitur tertium illum diem supputāt à tempore Petri ad Christum adducti: nam ab illa adductione bis nominatur crastina dies. Ad quam sequitur: *Et tertia die facta nuptiæ.* Alij intelligunt diem à discessu Christi à Iordane tertium. Sed si ratio itineris seu profectionis consideretur, apparebit, tertia die ab adita Galilæa, siue postquam in Galilæam Iesus venerat, nuptias illas factas. Baptista enim tunc in Bethabara vltra Iordanem versabatur. Et inde duplex est iter in Galilæam, vel per Peræam, vt circa Genezareth Iordanis transeatur, vel vt in Bethabara Iordanis traijciatur, & per Samariam transeatur in Galilæam, sicut inspectio Tabularum ostendit. Cana vero è regione est venientib. per Samariam, Ioh. 4. ver. 46. Atque ideo verisimile est illac tunc Christum transiisse. Ita autem illud vix triduo potest confici. Tertia igitur dies simplicissime intelligatur, postquam in Galilæam aduenerat.

Vocant autem γάμον Græci Interpretes, Genes. 29. ver. 22. Esther. 2. ver. 18. conuiuium nuptiale, quando sponsa ad sponsum introducitur, & sponsus ad spōsam ingreditur, sicut Scriptura solet congressum coniugalem honeste circumloqui. Alterum enim vocabulum, quod Hebræis significat desponsationem seu ipsum coniugium, Græci reddiderunt, Iof. 23. ἐπιγαμίας, v. 12. Cant. 3. v. 11. νυμφεύσεως. Hoc obseruandum est ideo, quod Christus non iam priuatus viuens, sed in ipso officio Messiæ, non tantum desponsationi, sed & illi conuiuio interesse voluit, quando sponsus ad sponsam ingreditur: & hinc Hebr. 13. v. 4. dicitur, ipsum cubile in coniugio esse immaculatum.

[*Mater autem Iesu,*] quæ alias in Nazareth habitabat, tunc *erat ibi*, in Cana Galilææ, vbi nuptiæ illæ fiebant, inquit Euangelista. Et scriptores ex multis circunstantiis colligunt, vel sponsum, vel sponsam fuisse ex cognatione Mariæ. Ipsa enim adest ibi priusquam reliqui conuiuę vocentur, non discumbit cum reliquis, sed ministrat, & curat quæ necessaria sunt. Et postea Euangelista dicit, matrem & fratres cum Iesu ex Cana descendisse Capernaum. Ergo reliqui etiam cognati Mariæ in nuptiis illis adfuerunt. Et quosdam ex cognatis Mariæ habitasse in Cana Galilææ, vel inde constare potest, quod Simon, qui Matt. 13 v. 55. vocatur frater Christi, in Catalogo Apostolorum Marc. 3. ver. 18. cognomentum habet Cananæi. Atque ita propter illam cognationem Iesus etiam, cum recens in Galilæam vt Messias rediisset, inuitatus fuit, atque honoris ipsius gratia quinque etiam illi discipuli, quos recens sibi adiunxerat. Et iucunda est obseruatio, quod Iesus etiam tunc, quando voce Patris Messias declaratus officium suum inchoauerat, non dedignatur cognatis suis hoc genere officiorum gratificari, quod vocatus nuptias præsentia sua & præclaro munere ornat. Quod Monachi postea fictitia sua religione indignum iudicarunt. Extant enim Canones, quibus Clerici nuptiis interesse vetantur. Fieri etiam potest, quod hæc fuerit causa defectus vini, quod sponsus vinum non in magna copia, sed propter fortunæ tenuitatem, quantum pro numero conuiuarum, quos inuitaturus erat, sufficere videbatur, compararit. Cum vero eodem tempore ex inopinato Iesus in loca illa rediret, & honoris ipsius gratia præterea quinque alij vel plures etiam inuitandi essent, aucto conuiuarum numero vinum non potuit sufficere. Et huius circumstantiæ consideratio vtilis est ad doctrinam: quod propter Christum, quando ipse inuitatur, & discipuli ipsius, aliquid honoris & subsidij impenditur, vinum in nuptiis deficit, quod videbatur sufficere potuisse, si non Christus cum discipulis suis vltra numerum hospitum inuitandus fuisset. Additur autem postea suauissima consolatio.

Auctor vitæ Iesu dicit traditionem esse, Ioannem, qui postea Apostolus & Euangelista factus est, in his nuptiis spōsum fuisse. Sponsam dicit vocatam fuisse Anachitam & Mariam Magdalenam. Et Iesum ideo ad nuptias illas venisse, vt Ioannem, licet desponsatum, & sponsæ iam copulatum, virginem abduceret, ne ad sponsam ingrederetur; quia coniugio pollutus, non posset Christo dilectus esse. Et hoc dicit colligi ex quadam Hieronymi præfatione in Ioannē. Alij addunt, spōsam postea fuisse vnam ex virginibus Deo consecratis, quæ cum Maria semper manserunt. Hæc sine dubio in contumeliam nuptiarum conficta sunt. Et execrandum est hoc commentum. Scelerate enim hoc dogma peruertit illud ipsum, quod filius sua præsentia, & quidem primitiis suorum miraculorum voluit comprobare, honorabiles scilicet esse nuptias, & cubile impollutum, Heb. 13. v. 14. Pertinet igitur fictitia illa traditio ad doctrinas dæmoniorum, 1. Tim. 4. v. 1.

Sed in ordine historiæ progrediamur. Magna sine dubio in principio fuit lætitia & gratulatio in nuptiis illis, & sponsi & reliquorum conuiuarū, ac felices se putarunt propter præsentiam Iesu, quem constabat iam Messiam declaratum esse. Nam & mater ad ipsum intercedit, *Vinum non habent:* & ministri ipsum reuerentur. Circa finem vero conuiuij, cum ad hilaritatem progressum esset, lætitia turbata est. Cœpit enim vinum deficere. Id enim ex verbis Architriclini colligitur, cum inquit: *Omnis homo primo bonum vinum proponit, &c.* Vtitur autem Euangelista Participio ὑστερήσαντος, quo Græci reddiderunt Hebraicum verbum *Haser*, quod ita vsurpatur, Gen. 8. ver. 3. *Aquæ defecerunt*, id est, cœperunt minui. Potest igitur sensus esse: cum exhaustum ferme esset vinum, & inciperet deficere, vt sufficere iam non videretur, Mariam voluisse præuenire, ne conuiuæ hoc resciscerent. Et ad hanc sententiam videtur responsio Christi accommodata esse: *Nondum venit hora.* Vel propter indefinitum, ὑστερήσαντος exponi potest, cum iam defecisset vinum. Maria autem simpliciter dicit, *Vinum non habent*, nihil addens amplius: vnde colligitur, ipsam eximiam de Christo opinionem & fidem habuisse. Satis enim habet, defectum vini verbo ipsi insinuasse, quasi nihil dubitans, quin pro sua bonitate & sympathia, qua suorum inopia tangitur, velit, & pro potentia sua possit succurrere. Ita certè oratio fidei satis habet, defectus suos tali spe Deo exponere, tempus & modum, quo subuenturus sit, bonæ ipsius voluntati & prouidentiæ relinquens. Multum igitur lucis de agnitione Christi Mariam habuisse, hæc petitio ipsius ostendit. Cum enim nullum antea vel vidisset vel audiisset miraculum à Iesu editum, plena fide non tantum accedit ipsum, petens auxilium in defectu vini, verum etiam durius excepta inquit ministris, *Quicquid dixerit vobis facite.* Ostendit autem historia, Mariam non hoc petiisse, vt exposita pecunia aliunde curaret vinum adferri, sed aliquid miraculosi expectauit. Et varie disputatur, vnde hanc notitiam habuerit Maria, quod fiduciam concipit de miraculo. Quidam suas coniecturas de miraculis in priuata vita à Iesu editis sequuntur: sed illa sola quæ scripta sunt, certam & infallibilem præbent regulam. Audiuerat ergo Maria admirandas patefactiones ab Angelo, à Iosepho, Elizabeta, Zacharia, Pastoribus, Magis, & omnia verba conseruabat & conferebat in corde suo, instituta scilicet collatione cum vaticiniis Prophetarum de Messia, de quibus sine dubio multa sæpe per triginta illos annos cum Iesu ante manifestationem loquuta est. Quia igitur sciebat, Messiam editurum miracula, & Iesus iam erat declaratus Messias. Expectat igitur tale aliquid, sicut Prophetæ prædixerant. Hæc est simplicissima ratio.

Quare vero Iesus matrem in hac pia ac modesta petitione tam duriter excipiat, & quæ sit historiæ huius doctrina, ex responsione Christi colligendum est. Prius autem vocabula explicanda sunt. τί ἐμοὶ καὶ σοί; inquit, *Quid mihi & tibi?* Ad verbum videtur & sonare, quid hoc siue ad meam siue ad tuā curam pertinet, quod vinum non habent? Sed hæc non est sententia. Omnino enim hæc sollicitudo pertinet ad caritatem proximi. Et de Deo scriptum, 1. Pet. 5. v. 7. *Ipsi cura est de vobis:* sicut Christus ipso facto mox ostendit. Phrasis igitur est, quæ ex Scripturæ exemplis diiudicanda est. Ita enim rectissime explicari poterunt disputationes, quid sit in petitione Mariæ, quod filius tam aspera responsione excipiat. Iudic. 11. v. 12. ad regem Ammonitarum bello petentem terram Israel Gedeon inquit *Quid mihi & tibi, quod vastas terram meam?* Hoc est, quid iuris tibi sumis? aut quam causam mecum habes, quod inuadis ditionem, quæ non ad te, sed ad me pertinet? Hanc enim esse sententiam, responsio regis indicat. Item 2. Reg. 16. v. 10. cum filij Zeruiæ sine mandato regis vellent Semei maledicentem interficere, inquit Dauid: *Quid mihi & vobis?* Hoc est, non debetis vos ingerere in ea, quæ mei officij sunt, ad me non ad vos iniuria hæc pertinet, & meum tanquam regis officium est, sontes plectere. Ita Esdr. 4. vers. 3. cum hostes dicerent, *Aedificemus vobiscum:* Respondent Israelitæ οὐχ ἡμῖν καὶ ὑμῖν: hoc est, Nihil commune nobis vobiscum esse debet in ædificanda domo Deo nostro, sed nos soli ædificabimus. Hæc sententia perspicue explicat phrasin: Ita Matt. 8. vers. 29. immundi Spiritus superbe dicunt: *Quid nobis & tibi fili Dei?* Hoc est, Cures quæ tua sunt, & nos sine molestia nobis relinquas: habemus enim nostrum peculiare regnum. Hę explicationes ostendent veram sententiam verborum Christi, quid scilicet in Mariæ petitione reprehendat, & quare ipsam tam duriter excipiat. Non enim hoc reprehendit, quod de proximi difficultatibus sollicita intercedit pro aliis: hoc enim est mandatum charitatis. Recte etiam facit, quod Christum ipsum interpellat. Et quidem orationem recte format: tantum enim proponit necessitatem, *Vinum non habent.* Ex Mariæ igitur verbis hoc quod quæritur colligi non potest, sed ex responsione Christi, cuius duæ sunt partes.

1. Quid

4. *Quid mihi & tibi mulier?* 2. *Hora mea nondum venit.* Conferatur autem hoc explicatio phraseos supra posita, & sensus manifestus erit. Quia enim Iesus subditus fuit parentibus, Luc. 2. v. 51. Mater igitur auctoritate & potestate sua materna erga ipsum vsque ad trigesimum annum vsa fuit, quando aliquid ipsi proposuit. Et eadem sua materna auctoritate, sicut in priuata ipsius vita, ita etiam, iam postquam officium Messiæ tractare cœpisset, Mariam tacite & oblique vti voluisse, præsertim cum illorum res ageretur, qui secundum carnem cognati Christi erant, phrasis in responsione Christi indicat. Hoc enim vult dicere: In iis, quæ ad officium meum pertinent, vt in exaudiendis precibus, in conferendis beneficiis diuinis, nihil mihi & tibi est, nullum hic tuum ius, nulla auctoritas est, nihil in hoc officio commune mihi tecum est. In hoc casu nihil differs mater à quauis muliere, ad me solum hoc pertinet, non ingeras te meo officio. Hanc enim esse sententiam phraseos, Scripturæ exemplis ostendimus. Ideo appellat non matrem, sed *mulierem*. Et hoc secundum est, quod in petitione matris Christus reprehendit, quod scilicet propter prærogatiuam cognationis carnalis putauit sibi & cognatis suis præcipue hoc quasi obligatione quadam deberi à Christo. Sed Matth. 12. v. 48. respondet, *Quæ est mater mea, & fratres mei, &c.* Luc. 11. v. 27. *Beatus venter qui te portauit. Imo beati, qui verbum audiunt & custodiunt.*

Iam igitur res manifesta est, quare tam aspere Christus respondeat matri. Et diligenter hoc notandum est, quod aliquando durius voluerit respondere, vt futuræ superstitioni de Aduocatione Mariæ opponeret hanc sententiam, qua ostendit, quantopere abominetur, quando honor sibi soli debitus, inter se & matrem, quasi facta sortione aut partitione, diuiditur. Beda aduersus Erasmum impudenter inquit, Christum etiam nunc in dextera patris debere matri obedientiam, iuxta humanam naturam. Et ideo ita exponunt hæc verba Hymni sui, *Monstra te esse matrem*; hoc est, sicut aliàs canunt, *Iussu matris impera Saluatori*. Sed quid Christus respondeat phrasis ostendit, *Quid mihi & tibi mulier?* Obseruetur itaque nihil in precibus tam offendere Christum, quam si Sancti, etiamsi mater ipsius sit, admisceantur iis, quæ sui solius officij sunt. Ideo enim ita respondet matri, vt asperitas verborum offendere posset non satis considerantem quid agatur. Tertium, quod Christus in petitione matris reprehendit, comprehenditur in his verbis: *Nondum venit hora mea.* Augustinus exponit de hora passionis, Iohann. 7. v. 8. quod tunc matrem agnouerit, Ioh. 19. ver. 26. Sed simplicius est vt more Scripturæ Hora intelligatur tempus commodum & opportunum ad agendum aliquid, quod tempus à Deo constitutum & destinatum est; vt Rom. 13. versic. 11. *Hora est à somno surgere.* Apoc. 14. vers. 15. *Hora metendi* Ioh. 13. ver. 1. *Venit hora eius.* Luc. 22. ver. 53. *Hæc est vestra hora.* Ostendit igitur Christus hac responsione, Mariam nimis properam & festinatam subleuationem vrsisse, & oblique quasi præscripsisse, hoc esse opportunum tempus, vt priusquam defectus vini hospitibus innotescat, & sponsus pudefiat, inopia eius subleuetur, sicut Chrysostomus sentit, & sicut de Participio ὑστερήσαντος supra annotauimus. Tradit autem Christus sua responsione Regulam, non debere nos de opportunitate temporis Deo aliquid præscribere, quia tempus, horam & momenta in sua posuit potestate, Actor. 1. ver. 7. Et obseruentur duæ contrariæ definitiones: Quid sit hora, hoc est, quod sit commodum seu opportunum tempus auxilij. Maria enim cogitat hanc esse horam, vt feratur auxilium, priusquam vinum plane exhauriatur, ne hospites rescifcant, ne sponsus perturbetur, aut pudore confundatur coram conuiuis. Iesus vero respondet, *Nondum venit hora mea*: sed quando vinum vsque ad fundum exhaustum est, quando defectus omnibus innotuit, quando perturbata & ferme desperata sunt omnia, tunc est hora Christi. Hoc enim modo illustrius redditur miraculum, quam si defectum vini præuenisset. Ac notetur, quod Christus, licet duriuscule respondeat, non tamen negat auxilium, sed horam dicit nondum adesse. Sed inquis; verba Mariæ nihil tale sonant, sicut ex Christi responsione colligitur? Respondeo, Et hæc obseruatio multa monet, Deum scilicet orationem seu preces non tam ex verbis, quam ex animi cogitationibus iudicare. Maria enim verbis quidem orationem recte format, sed tacite & oblique intercurrunt cogitationes de auctoritate materna, & de hora, quam iam iudicat esse ita opportunam, vt si hæc præterlabatur, non possit commode fieri subleuatio. Christus vero non ad verba orationis, quæ recte formata sunt, sed ad mentem & cogitationes Mariæ respondet. Assuefaciamus igitur nos, vt cogitationum præcipue rationem habeamus in precibus. Ac discamus cognoscere, quare sæpe durius excipiamur, etiam quando verba orationis ad regulam verbi Dei instituimus, propter aberrantes scilicet cogitationes, quando scilicet nobis præ aliis hoc quasi deberi oblique cogitamus, sicut Maria, & quando properatum nimis auxilium vrgemus, quasi definientes hanc horam esse. Ostendit autem Maria suo exemplo, quando tales cogitationes orationem turbant, & maculant, quid faciendum sit, vt scilicet culpam agnoscentes patienter feramus, quando reipsa durius responsum loco exauditionis experimur, ac vera humilitate voluntati Dei nos subiiciamus. Interea faciamus quicquid dixerit, & ita humili fide expectemus quando hora ipsius venerit, de exauditione interea non dubitantes, sicut Maria facit. In manifesta enim & aspera quasi repulsa Maria certam exauditionem & sibi & ministris pollicetur. Ideo Ministris inquit, *Quicquid ipse dixerit vobis, facite.* Ac notetur, quod in defectu vini Maria ministros non ad se inuitat, promittens ipsis patrocinium vel auxilium, sed ad Christum ipsos deducit & ablegat *Quicquid*, inquiens, *ipse dixerit vobis facite.* Et Theophylactus censet, Mariam iussisse, vt ministri, qui conuiuio debebant infundere, tristes se, non habentes vinum, sisterent in conspectum Christi, vt hoc quasi spectaculo inopiæ animus Christi acrius moueretur. Et in genere hæc quasi repulsa Mariæ docet, Christum Ecclesiam suam in inuocatione sæpius ita tractare, quod obiicit aduersa, quæ quasi contraria sunt promissionibus & exauditioni, non quod iuuare nolit, sed vt fidem probet, & auxilium illustrius reddat, quodque hora eius nondum venerit.

Hæc plena sunt vtilissimæ doctrinæ, quæ aliis Scripturæ sententiis & exemplis illustrari potest. Sed hac ego ratione plurimum delector, quando in ipsis historiarum circumstantiis & vocabulis, fontes doctrinæ simplicissime monstrantur. Non enim idem est commentaria scribere, & locos communes tractare seu explicare. Atque hæc est prima pars huius historiæ.

Reliqua pars in descriptione miraculi consumitur: singulæ enim circumstantiæ accuratius descriptæ sunt, quas vel ideo conuenit expendere, quia est primum miraculum Christi. Dicit igitur Euangelista in illo loco, vbi conuiuium nuptiale celebratur, *hydrias positas fuisse.* Hebraicum כד Gad, quod generale est nomen vasis, Græci reddiderunt ὑδρίαν, Latine dici potest aqualis, quando aquis hauriendis & recipiendis destinatum est. Nam alias etiam de vasi farinæ dicitur. 3. Reg. 17. versi. 12. & hoc pertinet ad illustrandum miraculum. In dolio enim vinario etiam vacuo potuisset reliquis fecium aliquid tribui: sed in illis hydriis nunquam fuerat vinum. Vulgares autem hydrias fictiles fuisse, inde colligitur: confringitur enim Iud. 7. versic. 20. Eccles. 12. versi. 6. Fuisse etiam portatiles, ostendit historia Gen. 24. ver. 15. Iud. 7. ver. 20. Ioan. 4. ver. 28. sed hæ fuerunt lapideæ & tantæ magnitudinis ac capacitatis, vt loco non mouerentur, sed *positæ essent*; non portarētur ad hauriendum aquam, sed aqua in illis inferretur: Et Christus postea non dicit, *Infundite inde*, sed *haurite inde & afferte Architriclino.* Positas autem in illo loco fuisse Euangelista inquit *secundum purificationem Iudæorum.* Iudæi enim ex traditione seniorum crebris vtebantur lotionibus in conuiuiis, præsertim vbi non manus tantum, sed vrcei, calices, patinæ, cultri sæpius purificabantur, Mat. 7. ver. 8. Luc. 11. v. 39. Mat. 23. versi. 25. Ne igitur opus esset semper ad flumina decurrere, hydriæ sex positæ fuerunt, quæ conuiuio quantumuis magno ad purificationem sufficere posse iudicabantur. Et hæc circumstantia de positis hydriis, si recte expendatur, videtur significare, non in priuatis ædibus, sed in publico aliquo loco, vbi hydriæ illæ perpetuo in hunc vsum stabant, (Græce enim est, κείμεναι) nuptias celebrari solitas. Et Architriclinus etiam nomen habet à lecticis, in quibus conuiuæ mensis accumbebant. Ita enim κλίνη vsurpatur, Esther. 1. ver. 6. Et τρικλίνιον siue τρίκλινον appellationem accepit ex frugali antiquitatis consuetudine. Tres enim circa mensam lecticæ erant, in quibus totidem conuiuæ discumbebant, sicut ostendit Iuuenalis, vbi inquit, *aliquando clientem adhiberi mensæ, Tertia ne vacuo vestaret culcitra lecto.* Et Horatius aliquoties meminit de tribus conuiuiis. Plautus vero biclinium vocat, vbi duo tantum, adolescens scilicet cum amica, discumbebant. Postea per Synecdochen non lecticæ tantum, & mensa, sed & locus ipse, vbi mensa cum lecticis stabat, cœpit vocari triclinium. Et per ἐπέκτασιν non tantum locus augustior, qui tres tantum lecticas capiebat, sed quoduis conclaue, in quo quantumuis magna conuiuarum frequentia discumbebat, accepit appellationem triclinij, sicut citatur exemplum ex Quintiliano de triclinio, quod super conuiuas corruit. Vocem autem Græcam esse, dubium non est: sed Latinis scriptoribus vsitatior ferme est quam Græcis Suidas annotauit tale exemplum: *Anastasium rex*, κατῴκει τὸ μέγα τρικλίνιον, τὸ ἐν Βλαχέρναις, *qui vsque ad hæc tempora Anastasiacus vocatur.* Fuisse autem in populo Israel publica & quasi sacra triclinia, in vsum talium conuiuiorum, constat ex historia 1. Reg. 9. versic. 22. Samuel

enim Saulem vncturus in regem in excelso, introducit ipsum in triclinium, vbi quasi triginta viri ad conuiuium vocati erant. Hebraicè est, לשכה *Lischah*. Græcè κατάλυμα postea vocatum est triclinium. Et videtur hoc inde ortum fuisse, quia Moses præceperat, vt epularentur coram Domino, Deuter. 12. v. 12. v. 16. 11. 27. v. 7. vt ipsa loci reuerentia hilaritatem conuiuiorum in timore Domini retineret. Et quia in nuptiis præcipuè hilaritas temperanda est, inuocatione, benedictione, timore Domini, & grauioribus narrationibus, sicut testantur exempla Thobiæ 7. versi. 17. Iud. 14. v. 12. libenter interpretor triclinium hoc nuptiale de tali publico loco, qui forsan non procul à Synagoga abfuit, sicut circa atrium templi solennes epulas habere solebant. Fit autem mentio 1. Reg. 9. ver. 23. cuiusdam, cuius officium est, ea, quæ ad conuiuium pertinent, parare, disponere, & cibos proponere. Vocatur autem ibi טבח *Thabach coquus*, Esther. 1. v. 8. vocatur רב *Rab*, cui mandata est inspectio, ne quis præter voluntatem poculis grauetur. Et in aulis Regum ἀρχιοινοχόος, sicut Græci reddiderunt, Hieron. 52. versi. 12. 1. Reg. 25. versic. 20. fuit splendidum & plenum dignitatis officium. Et non est dubium, qui hic vocatur Architriclinus, appellationem habere ab officio, quod 1. Reg. 9. v. 23. & Ester. 1. vers. 8. describitur. Illi enim primo vinum gustandum offertur. Alcuinus annotat ex veteribus, semper aliquem ex Sacerdotibus huic officio præfectum fuisse, cui mandata erat inspectio, ne hilaritas nuptialis degeneraret in belluinam ebrietatem. Atque hoc conuenit, quod hoc loco narrat Architriclinus, morem esse, vt primo bonum vinum apponatur: postea vero, vbi hilaritas videbatur ad ebrietatem velle vergere, vt dilutius & minus fortè detur. De reipsa non est dubium. An vero Sacerdos fuerit, idoneis testimoniis probari non potest, bona tamen est cogitatio. Hæc ideo annotaui: ostendunt enim pulcherrimam imaginem, qua diligentia & grauitate moderanda sint conuiuia, præsertim nuptialia. In illo igitur publico loco positæ steterunt hydriæ. Et alias in vulgari vsu erant fictiles, in templo erant aureæ 3. Reg. 7. versi. 50. 4. Reg. 12. ver. 13. Hier. 52. versic. 19. in nuptiali vero conuiuio erant lapideæ. Et illæ in principio conuiuij plenæ fuerunt aqua: sed cum iam circa finem fermè conuiuij esset, crebris purificationibus magna ex parte exhaustæ fuerunt. Cum igitur diaconi iuxta monitionem Mariæ starent, ipso gestu defectum vini significantes, & expectantes, an mandatum aliquod de subsidio in defectu vini accepturi essent, Christus dicit illis, *Implete hydrias aqua*. Mirabilis sane ratio iuuandi in necessitatibus. 1. inquit: nondum venit hora mea. 2. quando hora venit ad subleuandum vini defectum, iubet plus aquæ inferri. Ministri vero ita edocti à Maria, nihil inquirunt in hoc mandatum, non rident, non murmurant, nec tergiuersantur, sed implent hydrias vsque ad summum. Et vere admiranda est horum ministrorum obedientia, quod deficiente vino iussi aquam afferunt, quodque postea iussi, quam sciebant aquam esse, afferre Architriclino gustandam, prumpti obsequuntur. Cum vero hydriæ recens aqua essent impletæ, non tetigit Iesus vel hydrias, vel aquam: sed mox nulla interposita mora, inquit ministris ἀντλήσατε, hoc est, *haurite*, ex singulis hydriis aliquid, & infundite poculo. Hoc enim verbum suum correlatiuum, aliquando simul complectitur; haurire scilicet ex aliquo, & in aliquid infundere, sicut Varinus annotauit. Iubet autem Christus illud, quod ex hydriis haustum & poculo infusum erat, Architriclino primum gustandum offerri: quia ad ipsius officium hoc pertinebat, quem Græci ideo vocant προγεύστην, prægustatorem, quique de vini bonitate iudicare poterat. Ostendit autem Euangelista, Architriclinum interea, dum ministri hydrias implerent aqua, occupatum fuisse sollicitudine forsan & agitandis consiliis, qua ratione præsenti inopiæ subueniri posset. Nihil enim siue de hydriis impletis, siue de eo quod inde haustum erat, sciebat. Cum igitur ex inopinato vinum ipsi prægustandum offerretur, existimauit sponsum aliunde curasse vinum afferri: ministri enim nihil ipsi dixerunt, vnde hausissent. Aduocat itaque sponsum, & cum illo quasi expostulat, quod, cum tam præstans vinum potuerit habere, passus sit hilaritatem conuiuij defectu interturbari, & non potius primo optimum illud vinum protulerit. Hæ circumstantiæ omnes pertinent ad certitudinem miraculi. Quod in hydriis fuit factum vinum, in quibus nihil aliud vnquam contentum fuerat, quam aqua. 2. Recens impletæ erant vsque ad summum. 3. Ministri in instanti iubentur inde haurire. 4. Iidam ministri, qui aquam in hydrias intulerant, hauriunt mox inde, in poculum infundunt, & ad Architriclinum deferunt, nec sciunt aut cogitant, se aliquid aliud, quàm meram aquam, quam intulerant, offerre Architriclino. Ac cogitarunt forsan, sententiam Christi esse, vt conuiuis iam ferme saturatis, non vinum sed aqua pro more eius regionis, in illa sponsi paupertate propinaretur. 5. Architriclinus nihil sciebat, nec de impletis hydriis, nec quod inde illud haustum & infusum esset, quod gustandum offerebatur. 6. Ministri sine dubio ad Architriclini de præstantia vini exclamationem obstupuerunt primo, sciebant enim vnde hausissent: cum vero gustassent, & ipsi magis admirati fuerunt. Atque hoc modo miraculum illud increbruit in toto conuiuio, cætis sine dubio ad ipsas hydrias concurrentibus, vt eo certiores essent de miraculo. 7. Pertinet & hoc ad miraculi certitudinem & descriptionem præstantiæ vini, quod non conuiuæ, quorum sensus siue gustus in fine conuiuij posset videri minus integer fuisse, sed Architriclinus, cuius officium erat vinum prægustare, de præstantia huius aquæ, quæ facta fuerat vinum, exclamat. Rectè enim dicit Chrysostomus, intelligendum esse, quod Christus aquam non simpliciter fecerit vinum, sed vinum optimum. Generale enim est in omnibus miraculis, quod terminantur ad aliquid melius quam per naturam fieri posset, sicut scholastici loquuntur: sicut membra claudorum, quæ Christus sanauit & restituit, sine dubio elegantiora & robustiora facta fuerunt, quam alias in sanis sunt. Absque omni igitur dubitatione talis fuit vini huius præstantia & excellentia, cuius similis liquor nullus vnquam vel ex racemis natus fuit, vel vlla arte confici potest. Obseruãda etiam est illa cognatio, quam Chrysostomus annotauit, quod ex aqua Christus facit vinum. Quotannis enim pluuiam per radices vitium vertit in succum, & ex insipido palmitum succo producit vinum. Sed quod Deus generali actione in viribus per multum temporis in anno operatur, hoc Christus in instanti efficit in aquis hydriarum, vt ostendat, se esse verbum illud Patris, per quod creata sunt omnia: & sustentantur: hoc enim modo diuinitatis suæ gloriam, quasi vnigeniti à Patre, hoc miraculo manifestauit. Augustinus inquit: *Ipse fecit vinum illo die in hydris, qui omni anno illud facit in vitibus Sed quia illud assiduitate amisit admirationem, itaque seruauit sibi Deus insusitata quedam, quæ faceret, vt tanquam dormientes homines, ad considerationem operum Dei in creaturis excitaret.*

Porro ad præstantiam miraculi & hoc pertinet, quod accurate descriptum est, quanta fuerit mensura & copia illius vini. Dicit enim Euangelista, singulas hydrias potuisse capere *metretas duas aut tres*: quod intelligi potest: vel quod non æqualis capacitatis fuerint hydriæ, sed quod quædam inter illas tres, quædam vero duas metretas capere potuerint: vel simplicius, quod hac phrasi mensura non præcisè certa significetur, vt capacitas fuerit vltra duas & infra tres metretas. Budæus autem 5. de asse ostendit metretam & cadum eãdem esse mensuram, continentem decem congios. Congius vero sex continet sextarios, sextarius duas continet hæminas vel cotylas. Hæmina appendit libram vnam, hoc est, sex cyathos. Cyathus continet duas vncias liquoris. Robertus Senalis tradit metretam & cadum idem capere, quod Batum seu Ephi: quas mensuras ex Iosepho ostendit continere 72. sextarios Atticos, hoc est, libras mensurales 108. Atticum enim sextarium capere sesqui libram, & idem esse cum Log Hebraico, quæ mensura Hebræis dicitur copax sex ouorum. Inde capacitas harum hydriarum facile potest colligi. Syrus habet vocabulum רבען, quod significat vel quartam vel quadragesimam partem certæ mensuræ. Ponamus igitur simplicissime, mensuram fuisse 15. metretarum, in sex illis hydriis. Continet autem metreta decem congios, hoc est 60. sextarios: qui si ducantur per 15. erunt 900. sextarij, qui faciunt nostra mensura 110. *Stubichen*, hoc est, fermè 6. *Eymer*, vel 3. *Ohmen VVein*. Fuit igitur amplissimum munus, quod Filius Dei ad nuptias illas contulit. Et quia sub finem conuiuij factum hoc fuit *inebriatis*, hoc est liberalis exsaturatis conuiuis, quorum non magnus fuit numerus, non fuit tunc absumptum omne illud vinum: sed ideo in tanta copia Christus illud fecit, vt non semel ac simul absumeretur, sed, sicut postea in miraculo panum fecit, ad memoriam & testimonium miraculi seruari posset. Et quia in loco publico hydriæ illæ stabant, sine dubio multi etiam, qui nuptiis non interfuerant, postea diuulgata hac fama accurerunt, & gustando illud vinum testes facti sunt huius miraculi: quod ea etiam occasione celerius & latius sparsum fuit, vt non dubitem, famam illam præuenisse Iesum Hierosolymas.

Locum autem, vbi primum hoc miraculum editum fuit, propter certitudinem miraculi Euangelista bis nominat, & distinctè nominat, *Canan Galileæ*. Duæ enim Canæ describuntur, vna Iosuæ 16. versi. 10. in tribu Ephraim, altera Iosuæ 19. vers. 28 in tribu Aser, prope Sidonem. Hanc vocant Canã maiorem, quæ inter Tyrum & Sidonem sita fuit in ea regione, quæ Syrophœnicia tunc appellata fuit, vnde mulier Cananæa, Marc. 7. v. 20. Altera vero, quam Iosua cap. 16. versi 10. collocat in tribu Ephraim, in Samaria fuit, sicut descriptio apud Iosuam ostendit. Quæ igitur Cana Ioh. 4. vers. 46. itinere vnius

vnius diei distat à Capernaum, necesse est, tertiam esse, quam ad differentiam vnius Canæ in Phœnicia, & alterius, in Samaria sitæ, Euangelista nominat Canam Galilææ, cuius locum nunc ostendit quarto miliari à Ptolemaide, quæ nunc Acais dicitur, versus ortum in tribu Zebulon. Iosephus vero etiam in Cœlesyria ponit Canam quandam antiq.15.c.6.& de bello Iud. lib.1. c. 14. Iohannes igitur distinctionis gratia necessario vocat Canam Galilææ, quæ etiam Iosephi tempore celebris vicus fuit, in vita Iosephi: & de bello Iud.lib.5. c.13. In Iosua autem קנה scribitur, & appellationem habet vel à velo. Luc 6.ver.15.vbi Simon Cananæus vocatur Zelotes: vel ab acquisitione, possessione, opulentia: vel à calamis vel aromaticis seu arundinibus. Nam Ios.16.v.8.vocatur torrens Cana. Syrus legit קטנא *ketne*, quod agellum modicum significare scribunt.

Hæc de circumstantiis huius historiæ prolixius aliquanto annotare placuit. Quia enim primum est miraculum, & quidem initium signorum Iesu, dignum est, cuius singulæ circumstantiæ diligentius expendantur.

Restat iam, vt breuiter etiam doctrinæ capita, quæ in hac historia proponuntur, notemus. Visa autem plerisque veterum fuit talis historia, quæ secundum literam (vt vocant) non multum doctrinæ præbere posset. Ideo comminiscendis variis allegoriis quæsiuerant peregrinas materias, de quibus speciosius dicere posse videbantur. Quadruplices ponunt nuptias. 1. Carnalis copulationis, in quibus tria bona Coniugij, Castitatem, Fidem, Sacramentum significari dicunt per Iesum, matrem eius & discipulos. 2. Vocant nuptias diuinas, Incarnationis scilicet, vbi arctissima copulatio fit in persona Christi diuinæ & humanæ naturæ. 3. Ponunt spirituales nuptias, inter Christum sponsum, & Ecclesiam sponsam: siue coniunctionem Dei & fidelis animæ. 4. Vocantur etiam in Apocalypsi nuptiæ beatæ fruitionis in æterna gloria, Apocaly. 19.ver.7. vbi pro frigida aqua huius vitæ bibemus vinum nouum in regno patris. Matth.26. versi.29. vel vinum vindemiæ defecatæ, Isa.25. versic 6. Atque hæ allegoriæ, si sobrie adhibeantur, ne sensus historicus per illas obruatur, ferri aliquo modo possunt. Venerat enim Christus in hunc mundum, propter magnum illud mysterium, vt Ecclesiam sibi sponsam adiungeret: vt itaque hoc indicaretur, ideo inchoato officio gloriam suam primo miraculo in ipsis nuptiis manifestauit. Ac quomodo sub specie infirmitatis salutaris illa copulatio Christi & Ecclesiæ fiat in hac vita, quàm gloriosa futura sit in altera vita, in circumstantiis huius historiæ, quod vinum deficiat, hydriæ aqua impleantur, & ex aqua fiat vinum suauissimum, obseruatione non ingrata ostendi potest. Atque hactenus in genere rectè ita potest tractari allegoria nuptiarum.

Addiderunt vero alias præterea allegorias, tertia die factas has nuptias. hoc est, post legem naturæ, & legem scriptam, sub lege gratiæ. Aquam Augustinus interpretatur mysteria Veteris Testamenti, quæ vertuntur in vinum, quando sensus aperitur. Architriclinus est Legis doctor. Ministri sunt doctores Noui Testamenti. Sex hydrias interpretantur quinque sensus corporis, cum vno simplici sensu animæ. Illas dicunt aqua impleri, quando fletu compunctionis omnes sensus à culpa lauamus. Bernhardus sex hydrias interpretatur tot rationes purgandi peccata post Baptismum commissa: compunctionem, confessionem, eleemosynas, remissionem iniuriarum, afflictionem corporis, & obedientiam præceptorum. Inter quas rationes nec Christum, nec Euangelium, nec Sacramenta, nec fidem locum habere vides. Alij de sex ætatibus mundi disputant. De metretis etiam varia comminiscuntur. Hæc obiter annotaui, vt consideretur, quid ex intempestiuo allegoriarum studio consequatur.

Simplicior verò, certior & vtilior est doctrina, quam ipsæ circumstantiæ historiæ præbent. Tales enim sunt historiæ sacræ, quod etiam quando prima specie exiles & quasi steriles apparent, plurimum doctrinæ complectuntur. Et interpres hoc tantum agere debet, vt illa euoluantur. Nos capita tantũ annotabimus. Et primo ipse Euangelista ponit explicationem huius & omnium signorum Christi. *Manifestauit*, inquit, *gloriam suam*. Duplex est autem manifestatio gloriæ eius, diuinitatis scilicet & officij: hoc est, hunc Iesum scilicet esse filium Dei & Messiam. Finem vero & vsum miraculi ostendit, cum inquit, *Discipuli crediderunt in ipsum*. idque dupliciter. 1. Crediderunt doctrinam eius, quam traditurus erat, veram diuinã & cœlestem esse. 2. Conceperunt fiduciam, credentes, per nomen eius vitam æternam se habituros. Ita enim ipse Euangelista fidem explicat cap.20.v.31. *Crediderunt autem iam antea discipuli*, Ioh.1.v.41. Modus ergo augescentis & crescentis fidei ita describitur. Antea crediderunt Iesum esse Messiam: iam credunt in ipsum. Augustinus intelligit hoc non de prioribus discipulis, sed qui miraculo illo moti, nouiter Ipsius discipuli facti sunt, credentes ipsum esse Messiam. Notanter autem de discipulis hoc dicitur: Fratres enim ipsius ne postea quidem in ipsum crediderunt, Ioh.7.v.5.

Secunda doctrina est de Oratione & de modo exauditionis, cuius explicationem in circumstantiis ostendimus.

Tertio ostendit hæc historia, Coniugium, imò ipsas nuptias, etiam in Nouo Testamento, Deo placere, à Christo cõfirmari, & præsentiam Christi ac gloriam gratiæ eius non excludi à fidelium nuptiis. Simul autem traditur doctrina, quomodo in Domino contrahendum sit coniugium, vt scilicet Christus inuitetur, & gratia sua adsit.

Quarto crux, quæ coniugio imposita est, depingitur in imagine huius historiæ, & qua humilitate, obedientia ac spe toleranda sit; qua etiam ratione à Christo tandem subleuetur.

Quintus locus est de conuiuis & hilaritate nuptiarum, quę à Christo non damnantur, sed egregio munere iuuantur. Anabaptista hoc factum simpliciter damnaret, quòd conuiuis saturatis præstantissimum vinum Christus fecerit, cum alibi multi sitirent. Obseruetur autem, qua ratione temperanda sit illa hilaritas, ne excedat limites gaudij in Domino, sicut in explicatione circumstantiarum monstrauimus. Quod enim vsurpatur verbum μεθύω, non significat conuiuas vino ita repletos, & sepultos fuisse, vt sequente ἀσωτίᾳ nec mens, nec manus, nec pes officium suum faceret. Christum enim talem ebrietatem sua præsentia approbasse, imò munere suo adiuuisse, vt in belluas degenerarent, impia, imo blasphema est cogitatio, pugnans cum tota Scriptura. Et inopia vini diuersum de hoc conuiuio testatur. Habet autem Hebraica lingua tria vocabula, quorum duo, סבא & שכר *Saba & Sachar*, plerunque ebrietatem vitiosam significant, nisi quod *Sachar* aliquando de potatione ad hilaritatem vsurpatur, vt Gen.43. v.34. de Iosepho cum fratribus bibente. Item Hag.1.vers.6. *Maledictio est bibere & non ad inebrietatem; comedere & non ad saturitatem*. Tertium verò רוה *Rauah*, significat irrigationem liberaliorem quàm pro simplici necessitate, vt non sitis tantum restinguatur, sed hilaritas sequatur, Psal.36 v.9. *Inebriabuntur pinguedine domus Domini*. Prou.7.v.18. *Inebriemur amoribus*. Ier.31.v.14. *Inebriabo animam Sacerdotis adipe*. Psal 23. ver. 5. *Calix meus inebrians vel redundans*. Es.58.ver.11. *Hortus irriguus*. Atque hoc loco rectè interpretabimur verbum *inebriandi*, quo Architriclinius vtitur. Et antea annotauimus, quam honesta fuerit ordinatio in populo Dei, quod conuiuis ad hilaritatem progredientibus præfecti conuiuij lenius & dilutius vinum soliti sint proponere, vt retinerentur conuiuæ in moderata hilaritate, ne fines sobrietatis excederent, & ne ἀσωτία Ephes.5.v.18. sequeretur. Et in hac historia ex gloria miraculi singularis reuerentia conuiuarum erga Christum præsentem excitata fuit, vt cum admonitione, & gratiarum actione, vino illo, in quo præsentem & quasi conspicuam Dei manum cernebant, vterentur. Et hæc commonefactio debet generalis esse, ne donis Dei abutamur. Debemus enim reuereri manum Dei producentis & porrigentis nobis vinum, vt lætificet cor hominis.

Hæc breuis annotatio capitum doctrinæ pro ratione instituti nostri sufficit. Non enim locos communes tractare, sed capita tantum doctrinæ ex vocabulis & circumstantiis textus monstrare constituimus.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

CONTINENS HISTORIAM IESV, EX CANA DESCENDENTIS CAPERNAVM, ET EX CAPERNAVM ascendentis Hierosolymam, quidque in paschate illo, quod in primum annum ministerij ipsius incidit, egerit, Iohan. 2.

RATIO ORDINIS.

COhærentiam & consequentiam harum historiarum Iohannes certis circumstantiarum notationibus ita describit, vt nulla opus sit disputatione. Dicit enim, Iesum post editum primum illud miraculum ex Cana descendisse Capernaum, atque ibi mansisse ipsum diebus non multis; sed cum prope esset festum Paschatis, ex Capernaum ipsum ascendisse Hierosolymam. Ac porrò quid in paschate illo Iesus fecerit, Euangelista describit. Ratio igitur ordinis manifesta est. Et hoc est pascha primi anni ministerij Christi, secundū quod reliquarum historiarum huius primi anni tempora constitui possunt. Scribit autem auctor vitæ Iesu, Pascha huius primi anni incidisse in quintum Calend. Aprilis, hoc est, in 28. Martij. Secundi anni Pascha incidisse in decimumsextum Calen. Maij, hoc est, in 17. Aprilis: Tertij anni Pascha incidisse in nonas Aprilis, hoc est, in quintum Aprilis: postremi anni Pascha incidisse in octauum Calend. Aprilis, hoc est, 25. Martij. Illa vnde auctor iste habeat, ignoro. Volui tamen ea hoc loco annotare. Obseruandum autem est, quod Epiphanius, & post ipsum alij, hunc descensum Christi in Capernaum, quem Iohannes cap. 2. versic. 12. describit, eundem statuentes cum illo, qui Mat. 4. v. 13. & Luc. 4. v. 31. describitur, mirabilem confusionem historiarum in sequentibus, ex hoc principio non rectè considerato, faciunt. Sed res manifesta est, si circumstantiæ descriptionum apud Euangelistas diligenter considerentur. Iohannes enim illum descensum Christi in Capernaum, quem cap. 2. v. 12. describit, dicit factum ex Cana, priusquam Baptista in carcerem conijceretur, sicut expressè dicit, cap. 3. v. 24. Matthæus verò & Lucas disertè indicant, se describere descensum Christi in Capernaum, qui ex Nazareth post Baptistæ captiuitatem factus est. Diuersas igitur historias esse manifestum est. Maior vero & crassior confusio est, quod quidam hanc eiectionem vendentium ex templo, quæ sub initium prędicationis Christi facta est, Iohan. ver. 15. eandem voluerint esse cum ea, quæ sub finem ministerij Christi, Matt. 21. ver. 12. & Luc. 19. vers. 45. facta est, cùm toto triennio distent. Simpliciter itaque filum Iohannis Euangelistæ in hisce historiis, vsque post captiuitatem Baptistæ, sequendum est.

HISTORIA PRIMI PASCHATIS, QVOD INCIDIT IN TEMPVS MINISTERII CHRISTI, ET quid Hierosolymis & in templo Iesus in Festo illo egerit? Iohan. 2.

12. Μετὰ τοῦτο κατέβη εἰς Καπερναοὺμ, αὐτὸς καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. καὶ ἐκεῖ ἔμειναν οὐ πολλὰς ἡμέρας.
13. Καὶ ἐγγὺς ἦν τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη εἰς Ἱεροσόλυμα ὁ Ἰησοῦς.
14. Καὶ εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ τοὺς πωλοῦντας βόας καὶ πρόβατα, καὶ περιστερὰς, καὶ τοὺς κερματιστὰς καθημένους.
15. Καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων, πάντας ἐξέβαλλεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, τά τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας, καὶ τῶν κολλυβιστῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα, καὶ τὰς τραπέζας ἀνέστρεψε.
16. Καὶ τοῖς τὰς περιστερὰς πωλοῦσιν εἶπεν· Ἄρατε ταῦτα ἐντεῦθεν καὶ μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου, οἶκον ἐμπορίου.
17. Ἐμνήσθησαν δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι γεγραμμένον ἐστὶν, Ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου κατέφαγέ με.
18. Ἀπεκρίθησαν οὖν οἱ Ἰουδαῖοι καὶ εἶπον αὐτῷ· Τί σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν, ὅτι ταῦτα ποιεῖς;
19. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν.
20. Εἶπον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι, Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος, καὶ σὺ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερεῖς αὐτόν;
21. Ἐκεῖνος δὲ ἔλεγε περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ.
22. Ὅτι οὖν ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν, ἐμνήσθησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὅτι τοῦτο ἔλεγεν αὐτοῖς· καὶ ἐπίστευσαν τῇ γραφῇ καὶ τῷ λόγῳ, ᾧ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς.
23. Ὡς δὲ ἦν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῷ πάσχα ἐν τῇ ἑορτῇ, πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, θεωροῦντες αὐτοῦ τὰ σημεῖα, ἃ ἐποίει.
24. Αὐτὸς δὲ ὁ Ἰησοῦς οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς, διὰ τὸ αὐτὸν γινώσκειν πάντας,

12. *Post hæc descendit Capernaum, ipse & mater eius, & fratres, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus.*
13. *Et in propinquo erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.*
14. *Et reperit in templo eos, qui vendebant boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes.*
15. *Et cum fecisset flagellum è funiculis, omnes eiecit è templo, oues simul ac boues, & nummulariorum effudit æs, mensásque subuertit.*
16. *Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, nec facite domum patris mei domum mercatus.*
17. *Recordati verò sunt discipuli eius, quod scriptum est, Zelus domus tuæ exedit me.*
18. *Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei; Quod signum ostendis nobis, quòd ista facias?*
19. *Respondit Iesus, & dixit eis; Destruite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud.*
20. *Dixerunt ergo Iudæi, Quadraginta & sex annis extructum est templum hoc, & in tribus diebus eriges illud?*
21. *At ille dicebat de templo corporis sui.*
22. *Cùm ergo resurrexisset è mortuis, recordati sunt discipuli eius, quòd hoc dixisset eis, & crediderunt Scripturæ & sermoni, quem dixerat Iesus.*
23. *Quum autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomen eius, videntes signa eius, quæ edebat.*
24. *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes,*

25. Καὶ ὅτι οὐ χρείαν εἶχεν, ἵνα τις μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ ἀνθρώπου. Αὐτὸς γὰρ ἐγίνωσκε τί ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ.

25. *Nec opus haberet vt quiſquam teſtaretur de homine. Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.*

Periocha huius Hiſtoriæ.

POſt miraculum in Cana editum, *Ieſus cum matre, cum fratribus*, hoc eſt, cognatis, ſicut Matt. 13. v. 55. explicabimus, *Et cum diſcipulis deſcendit Capernaum*, quod itinere vnius diei diſtat à Cana, Ioan. 4. v. 52. Fuit autem Capernaum præcipua ciuitas, celebre emporium, & quaſi metropolis Galilææ. Eò igitur mox poſt editum miraculum Ieſus ſe contulit, vt manifeſtatio gloriæ ſuæ & ibi pluribus innoteſceret, & inde propter loci celebritatem & commerciorum frequentiam latius ſpargeretur, & quidem iturum ipſum Hieroſolymas præueniret. Atque ideò etiam adduxit ſecum cognatos diſcipulos, qui de miraculo illo, cui interfuerant, teſtificari poterant. Euangeliſta vero nihil annotauit, quid ibi actum ſit; niſi quod addit, *manſiſſe ipſos in Capernaum non multis diebus*. Et rationem addit, quod *in propinquo fuerit Paſcha Iudæorum*. Et publicè quidem in ſynagogis tunc nondum docuit in Galilæa: Hieroſolymis enim in templo debebat hoc initium fieri, Malach. 3. v. 1. Poſt Baptiſtæ captiuitatem primum in Galilæa publice docere cœpit, Matt. 4. v. 17. Non tamen dubium eſt, quin paucis illis diebus in Capernaum priuatim multos docuerit, ac multos ſibi diſcipulos adiunxerit. Fama enim miraculi ex Cana peruenerat Capernaum. Et diſcipuli ac cognati illi apud omnes prædicarunt. Certe primo hoc audita ita ſibi animos apud Capernaitas deuinxit, vt poſtea relicta Nazaretha durabilem aliquandiu habitationem apud Capernaitas inuenerit.

Ex Capernaum vero aſcendit Ieruſalem ad feſtum Paſchatis, quæ hiſtoria ideò diligentius conſideranda eſt, quia de ſecundo templo, quod Zorobabelis vocatur à Prophetis, prædictum hoc fuit, Hagg. 2. v. 8. *Veniet deſiderium cunctarum gentium, & implebo domum iſtam gloria*, inquit Dominus Zebaoth. Et dignum eſt obſeruatione, quod Lyra annotauit, externam gloriam, quæ in primo templo præcipua fuit, toti ſecundo tẽplo defuiſſe. Non enim fuit in illo arca fœderis, & quæ in eo repoſita fuerant, Heb. 9. v. 4. Non ignis ille, qui cœlitus ſuper ſacrificia delapſus, in primo templo aſſeruatus fuerat, vnde accendebantur ſacrificia. Non Vrim & Thummim. Nec gloria Domini ibi ita, ſicut in primo templo, ſuper arca fœderis inuocantibus & oracula ſciſcitantibus apparuit, viſibili aliquo ſigno. Seniores etiam, qui prius templum viderant, aſpicientes, quomodo ſecundi templi fundamenta iacerentur, cœperunt magna voce flere, 1. Eſd. 3. v. 12. & Hagg. 2. v. 4. Et tamen maior erit gloria ſecundæ illius domus quàm prioris fuerat: *quia ego*, inquit Dominus Zebaoth, *implebo domum iſtam gloria*. Deſiderium enim omnium gentium, hoc eſt, Meſſias, in quẽ etiam gentes ſperabunt, ad domum illam veniet. Et cœptum hoc quidem fuit impleri, quando in diebus purificationis puer Ieſus in templum introducebatur, & Domino ſiſtebatur. Item cum anno duodecimo ſedens in templo in medio Doctorum cum magno omnium ſtupore audiebatur. Sed Malachias cap. 3. v. 1. ſolennem Meſſiæ in officio ſuo aduentum ad templum ſuum certa circumſtantia temporis circumſcripſit, inquiens: *Ecce mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis.* Debebat ergo Meſſias iuxta Prophetarum vaticinia, poſtquam prædicatione Baptiſtæ manifeſtatus & voce Patris Angelus ſeu legatus fœderis renunciatus erat, venire ad repurgandum templum ſuum; atque ibi officium ſuum pontificale publice ac ſolenniter inchoare. Quomodo verò vaticinium illud impletum ſit, hæc hiſtoria oſtendit. Baptiſtam enim propter hanc ipſam cauſam non in templo, ſed in deſerto docuit, vt extaret illuſtre diſcrimen inter Angelum parantem viam in deſerto, & inter ipſum dominatorem, qui ad templum venturus, & ibi doctrina & miraculis gloriam ſuam manifeſtaturus erat.

Hoc loco vero cogitandum eſt de narratione Ioſephi, qui ſcribit, Herodem ſecundum templum Zorobabelis diruiſſe, & eius loco magnificentius ac prorſus nouum templum ex fundamentis extruxiſſe. Sed Prophetæ manifeſte vaticinantur, Meſſiam ad ſecundum illud templum, quod tunc tempore Zorobabelis ædificabatur, debuiſſe venire, atque illud gloria ſua implere. Ita ergo accipienda erit Ioſephi narratio, vt & Prophetis & Euangeliſtis ſua conſtet ac ſalua maneat veritas & auctoritas, quod ſcilicet Herodes quædam ſecundi templi ædificia amplificarit, & magnificentius exornarit; quædam verò ex fundamentis noua adiunxerit ædificia, ita tamen, vt quo ad ſubſtantiam, fuerit & manſerit ſecundum templum Zorobabelis. Non enim ad tertiam domum Herodis, ſed ad ſecundam domum Zorobabelis Meſſias debebat venire. Et Rabini Iudæorum tantum de prima & ſecunda domo ſcribunt; ac templum illud, quod Romani ſub Tito deſtruxerunt, vocant ſecundam domum Zorobabelis. Hanc iudico ſimpliciſſimam eſſe conciliationem narrationis Ioſephi, cum Prophetarum vaticiniis & Euangeliſtarum deſcriptionibus. Et maior apud nos debet eſſe Prophetarum & Euangeliſtarum, quam Ioſephi, ſi quid diuerſum videtur narrare, auctoritas.

Obſeruetur autem ordo hiſtoriarum. Hactenus priuatim quidem cum diſcipulis de doctrina ſua collocutus eſt Ieſus, ſed publicam concionem nullam legimus ab ipſo habitam. Hoc enim in templo, iuxta Malachiæ vaticinium, inchoari debebat. Primæ igitur publicæ conciones Chriſti in feſto Paſchatis Hieroſolymis in templo habitæ ſunt. Et ſicut initium ſignorum ipſius in proxima hiſtoria obſeruauimus: ita multo magis notatu dignum eſt, quod fuerit initium publicarum concionum, quas in miniſterio ſuo Chriſtus habuit. Quod autem fuerit argumentum illarum concionum Chriſti, quæ primæ fuerunt, Iohannes poſtea tertio capite in colloquio cum Nicodemo explicat. Sed ordine in hiſtoria progrediemur.

Veniens igitur Dominator ad templum ſuum, primum omnium, etiam priuſquam incipiat doctrinam ſuam proponere, manum admouet ad repurgandum templum à corruptelis doctrinæ & ceremoniarum, ſiue cultus diuini. Quaſi depoſitum enim templi erat conſeruatio ſanæ doctrinæ, & veri cultus Dei, illam à deprauationibus ad veram puritatem reuocare aliter non potuit, niſi prius corruptelas & abuſus tolleret. Et hæc generalis eſt de reformatione Eccleſiarum doctrina. Rectius autem tota hiſtoria intelligetur, ſi conferatur ad vaticinium Malachiæ. Ita enim inquit, cap. 3. v. 3. *Quando Dominator veniet ad templum ſuum, ſedebit & purgabit filios Leui & colabit eos quaſi aurum & argentum.* Addit autem Propheta, repurgationem præcipue futuram in ſacrificiis, quæ & reuocaturus ſit ad verum finem, & abrogationem illorum prænunciaturus. Inquit enim, *Et erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.* Quia igitur Ieſus veniens ad templum inuenit multas ſuperſtitiones & varios abuſus, in iis quæ ad ſacrificia pertinebant: incipit igitur filios Leui purgare. Atque ita ipſo facto oſtendit, ſe eſſe dominatorem illum & legatum fœderis, qui Malachiæ 3. v. 1. prædictus fuerat venturus ad templum ſuum. Et priuſquam in templo incipiat docere, vt attentionem & auctoritatem doctrinæ ſuæ, quam traditurus erat, conciliet, hoc factum præmittit, vt expergefaciat animos ad conſiderandum vaticinium Prophetæ, & oſtendat templum eſſe ſuum, ſe eſſe dominatorem, cuius officium ſit puritatem doctrinę & cultus diuini, exploſis corruptelis, reſtituere, in quo officio Pater ipſum audiendum tam ſeueriter mandarit. Deut. 18. v. 18. Ideo enim vocat domum Patris ſui. Non autem dubium eſt Pontificibus, Sacerdotibus, Phariſæis & Scribis admodum ingratam fuiſſe talem templi repurgationem: Fremitus enim ipſorum poſtea deſcribentur: & tamen cum tot ibi adeſſent mercatores, tot Sacerdotes, & tanta populi qualis in magnis feſtis eſſe ſolebat frequentia, cumque in propinquo, in arce Antonia, milites templi adeſſent, nemo ſe Chriſto, cum illud faceret, auſus fuit opponere. Maximum igitur miraculum, imo plus quàm prodigium eſt, quod vnus homo, in ſumma humilitate & exinanitione, ſolus, non gladio, nec armis, ſed flagello, & illo quidem non loro vitulino, Deut. 25. v. 2. nec ſcorpionibus. 3. Reg. 12. v. 14. ſed ex funiculis abiectis ibi & iacentibus, quibus mercatores oues & boues eo adduxerant, (ineptum enim eſt, quod fingunt Chriſtum, vt Franciſcanum, duplici fune præcinctum, inceſſiſſe) ſimpliciter contexto, omnes expellit, menſas ſubuertit, & pecunias effundit. Et cum omnes fremant, nemo tamen audet ſe ei opponere, nullus ex omnibus negociatoribus audet ibi remanere, ſed omnes cedunt & fugiunt. Imò columbarum venditores non expulſi, ſed iuſſi merces ſua efferre, mox parent. Simul tamen cogitandum eſt, quod intellexerunt, ipſum hoc facere nec priuata temeritate, nec vt hominem furioſum, ſed vt Meſſiam. Diuulgata enim iam erant quę apud Iordanem in Baptiſmo Chriſti & poſtea facta fuerant. Fama etiam miraculi in Cana editi præuenerat ipſum Hieroſolymas. Ac Chriſtus ipſe inter eiiciendum hoc explicauit, quod vt filius Dei, auctoritate & potentia Meſſiæ debita, hoc faciat, cum vocat domum Patris ſui. Non igitur muta fuit hæc eiectio, ſed cauſam & rationem Chriſtus explicauit. Ideo poſtea non quærunt, qua auctoritate illud faciat, ſed vt ſigno oſtendat, quod Meſſiæ auctoritate illud fa-

ciat. Hoc bene notetur.

Quidam opinantur, igneum & sidereum aliquid ex oculis Iesu radiasse, & Sacerdotes ac reliquos, cum viderent diuinā maiestatem in facie ipsius relucentem, ita territos, ne se opponerent, sicut Moysis facies apparuit gloriosa & terribilis. Exod. 34. v. 29. Sed quia Scriptura talis gloriæ hoc loco non meminit, sed in transfiguratione hoc quasi peculiare de facie Christi describit, rectius igitur & simplicius sentiemus, Christum in summa exinanitione (quo ad externam speciem) hoc fecisse. Et eo maius est miraculum, quod nemo ausus fuit ipsi resistere. Hieronymus in Matthæum de secunda eiectione ita inquit: *Multi arbitrantur maxima esse signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex vtero lumen accepit, quod transfiguratus in monte gloriam ostendit triumphantis: mihi autem inter omnia signa, quæ fecit Dominus hoc videtur esse mirabilius, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sæuientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, mensasque euertere, & confringere cathedras, & talia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus.* Hæc Hieronymus. Et ipsi Iudæi videntur tale aliquid, sicut ex vaticinio Malachiæ diximus, aliquo modo intellexisse & cogitasse. Quærunt enim, quo signo comprobet, se habere potestatem talia faciendi. Hæc est simplicissima explicatio, quod Iesus, priusquā publicè in templo ministerium suum inchoarit, voluerit hoc facto quod per vltimum Prophetam prædictum fuerat, ostēdere se esse dominatorem illum, cuius officium sit doctrinam & ceremonias templi sui à corruptelis repurgare, & ad veram puritatem restituere. Et forsan ideo vsus fuit flagello. Commentator enim Aristophanis inquit, τὸ παλαιὸν σχοινίοις ἐπλήσσοντο οἱ ἀγωνισταὶ ἐν τῷ ἀγῶνι. Simul etiam ostendit finem iam instare brutis Leuiticarum sacrificiis, ac adesse iam veram victimam. Doctrina autem generalis est, non rectè posse tradi sanam doctrinam, nec cum fructu verum cultum Dei posse institui, nisi simul corruptelæ, abusus & superstitiones taxentur, refutentur, & è medio (legitime tamen & ordine) tollantur. Atque ideo Christus non semel; sed ter negotiationem istam ex templo eiecit, in principio scilicet ministerij sui, & circa finem, ipso die palmarum, & postridie. Ac notetur differentia. Nunc in principio tantum vendentes eiicit; postea simul & vendentes & ementes. Hic tantum de dolo negotiationis: postea de spelunca latronum dicit. Primò enim adhibenda est mitior castigatio, vt discerni possint dociles & sanabiles: sed quando lenitate nihil proficitur, erga contumaces & præfractos asperiori ratione vtendum est. Vbi tamen considerandum est, Iesum hoc loco vt Messiam manum etiam admouisse, & vim corporalem adhibuisse. Ministris verò Christi non vis corporalis, sed verbum doctrinæ, admonitionis & correptionis mandatum est. Et hic est gladius Spiritus, Ephes. 6. vers. 17.

Porrò obseruandum est, quæ fuerit origo illius consuetudinis, quod oues, boues & columbæ venales circa templum prostabant; & quomodo postea accesserint abusus & superstitio. Deut. 14. v. 24. Moses de decimis primogenitis & spontaneis oblationibus inquit: *Si remotior fuerit locus, quem elegerit Dominus Deus tuus, nec potueris ad eum hæc cuncta portare, vendes omnia & in pretium rediges, portabisque manu tua ad locum, quem elegerit Dominus, & emes ex illa pecunia, quicquid tibi placuerit, &c.* Cum igitur Iudęi inter gentes per totum ferme terrarum orbem dispersi essent, ne opus esset, quando Hierosolymas venirent, discurrere, & sollicite inquirere animalia ad sacrificia idonea, constitutum erat, vt circa templum venalia essent illa animalia, quorum in sacrificiis vsus erat. Et quia ratio habenda erat, ne quid vitij esset in illis animalibus, publico Sacerdotum iudicio antea probata erant, & hoc nomine vendebantur, quæ ibi venalia prostabant. Animalia autem, quæ offerebantur, hæc erant: Vitulus, vacca, bos, hircus, hædus, agnus, aries, columba, turtur. Iohannes vero tribus generibus hæc omnia complectitur. Nominat enim boues, oues & columbas. Quia vero præterea in diuersis ex quibus venitabāt regionibus non eadem erat moneta, voluerunt & huic difficultati, quæ obiici poterat, subuenire, per nummularios. Euāgelista enim nominat κολλυβιστὰς ἀπὸ τῶ κόλλυβος, quod Pollux interpretatur ἀργυρίου ἀλλαγὴν, argenti permutationem. Aristophanis interpres dicit esse εἶδος ἐλαφροῦ νομίσματος: collybum esse speciem leuis monetæ. Inde pecuniam illorum Euangelista vocat κέρμα: hoc est, minutias æris; κερματίζειν enim Aristophani significat τὸ καταλλάττειν νόμισμα, permutare monetam: significat enim κερματίζειν in minuta frusta comminuere. Intelligitur itaque talis commutatio, quando maiores nummi pro minutulis commutantur. Suidas citat hoc exemplum. Hospes protulit ex zona aureos Daricos, volēs κερματίσασθαι, & persoluere hospiti. In mensa vero fiebat illa commutatio. Christus igitur, sicut Iohannes inquit, mensas subuertit: minutias æris, siue ex sacculis, siue quæ in mensa expositæ erant, effudit; ipsos collybistas ex templo expulit; Boues & oues ex templo abegit; columbarum verò venditoribus inquit, vt ipsi merces suas auferrent. Sed postea die Palmarum ipse cathedras columbinas subuertit. Hæc est explicatio vocabulorum.

Quæstio autem est, quare Christus tantopere contra has negotiationes, quæ per se suo genere non sunt vitiosæ, & ex bono, sicut dictum est, principio ortæ fuerunt, exardescat? Id verò verba Christi indicant: *Nolite facere domum Patris mei domum emporij.* Syrus habet aliud Græcum vocabulum, ἀγορὰν, significans, ex templo non faciendum forum. Iohannes vocat *domum* ἐμπορίου, negotiationis, mercatus, quæstus. Et quia non simpliciter dicit, *domum patris nostri*, sed *patris mei*, ostendit igitur esse filium Dei vnigenitum, ac propterea repurgationem templi ad se pertinere. Vocat autem templum (*domum Dei*) quia Deus promiserat, se ibi habitare velle, exaudire præsentiam & virtutem suam exerendo: & quia ibi tanquam in sacrario verbū suum deposuerat, ex cuius doctrina agnosceretur, inuocaretur, & ceremoniis ad spiritualem vsum relatis, coleretur. Sacerdotes verò propter nundinationes illas officium docendi verbum Dei partim intermiserant; (atrium enim destinatum instruendo populo, occupatum erat illis nundinationibus, & maiorem iudicabatur cultum Deo præstare, qui victimas emebat, quàm qui verbum Dei audiret) partim ex prauis illarum emptionum opinionibus vera sententia verbi Dei & verus vsus sacrificiorum deprauabatur. Antea enim sine dubio extra templum emporium tale fuit, Deut. 14. v. 24. postea verò translatum est in ipsum atrium, vel porticum templi, vt ratione loci victimæ, quæ ibi emebantur, sanctiores & Deo acceptiores iudicarentur. Templi enim nomine hoc loco non illa pars, in quam Sacerdotes soli ingrediebantur, sed atria & porticus templi, in quibus populus docebatur, & orabat, intelligi debent. Ita extincta doctrina de fide in futurum Mediatorem, quæ commonefactione sacrificiorum exercenda erat, vsus sacrificiorum in opinionem operis operati degenerauerat, vt propter putatiuam illam victimarum sanctitatem existimarent, se absque pœnitentia & fide Deo placere, licet in sceleribus perseuerarent. Ideo enim postea templum vocat speluncam latronum, sicut suo loco dicemus. Præterea nundinatio illa instituta erat lucri & quęstus gratia. Propter illam enim, quę affingebatur, opinionem, plures ad emendas ibi victimas pellicebantur, & aucupium erat, vt chariùs ibi emerentur, quàm in aliis prophanis locis. Ideò Christus vocat *domum emporij*. Horribiles igitur fuerunt corruptelæ & prophanationes, vt non immerito zelus filij Dei tantopere excanduerit.

Discipulis vero primo res mira visa fuit, quod Christus nō doctrina tantum & voce, sed quasi violenta manu, &, sicut videbantur, turbulenter, expulsis flagello bobus & ouibus, & ipsis venditoribus eiectis, euersis mensis & effusis nummis, templum à corruptelis repurgare incipiebat. *Sed recordati sunt*, siue in ipso facto, siue postea, cum plenius à Christo erudirentur, siue post resurrectionem Christi, (sicut Iohannes ipse de alia sententia dicit) inter cætera, quæ de Messia scripta erant, etiam hoc extare, *zelus domus tuæ comedit me.* Atque inde rationem facti, quo reliqui offendebantur, intellexerunt. Significat autem *zelus* ardentiorem affectum, & quasi æstum animi inde conceptum, quando quis videt personam seu rem caram contemni, prophanari, contaminari, vel lædi, & quia hoc negligere vel ferre non potest, ad depellendas iniurias feruentiori impetu fertur. Prædixit igitur Dauid, Messiam domum patris sui, quæ propter pædagogiam ad promissionem de semine extructa erat, inuenturum ita contaminatam in doctrina, & in ceremoniis ita prophanatam, vt iusto zelo nō moueatur tantum, sed ita corripiatur, vt quasi extra se positus cum impetu feratur ad repurgationem. Et vocat *zelum exedentem*, qui tanquam ignis inter præcordia conclusus, vrit, torquet, & consumit animum, moleste & indigne ferentem prophanationem illam domus Dei. Ideo autem Euangelista allegat illud de zelo comedente, vt defendat hoc Christi factum, quod alias videri posset sine ratione turbulenter, & quasi seditiose commissum. Zelus igitur comedens hoc loco significat peculiares & extraordinarios, quasi heroicos Spiritus sancti impetus, qualis est Eliæ. 3. Reg. 18. v. 40. & 4. Reg. 1. v. 10. & Petri Act. 5. v. 3. Non enim simpliciter politica potestas aut vis corporalis intelligenda est: sed sicut Petrus voce occidit Ananiam. Interponit præterea & ideo Euangelista illam Scripturæ sententiam, ne quis ex κακοζηλίᾳ hoc factum Christi temere imitetur. Decuit enim hoc illam personam, quę est Deus & homo; & Prophetæ, Malachias & Dauid, hoc de officio Messiæ prædixerunt. Nobis igitur, qui hoc mandatum non habemus, imitatio non est proposita: voce doctrinæ admonitionis & correptionis iubemur ea, quæ falsa sunt, refutare, Et

re. Et quando opera pij Magistratus aut Ecclesiæ ipso facto tollantur ea, quæ ad prophanationes prostant, rectè hoc sit exemplo Ezechiæ & Iosiæ, sed priuata & tumultuaria temeritate tale quid conari mandatum nobis non est. Quæ vero in genere sit vera ratio imitationis, supra expositum est.

Obiicitur autem, quod sicut Psalm. 89. vers. 10. hæc duo coniuncta sunt, *Zelus domus tuæ comedit me*. & *opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*: ita in historia hac sequitur altercatio Iudæorum cum Christo propter factum illud. *Iudæi* ergo, inquit Euangelista, hoc est, non pauci aliqui, ne primores tantum, sed totus Iudæorum populus commotus *respondit & dixit*. Et Hebraica phrasis est, quando coniunguntur duo hæc verba ענה & אמר, *respondere & dicere*, etiam quando nulla præcessit interrogatio. Et significat vel repetita inculcatione aperte & cum asseueratione, & non obiter, sed ardenter seriò aliquid dicere. Significat enim ענה re bene considerata aliquid proloqui & testari, vt Gen. 18. v. 27. respondit Abraham & dixit. *Ecce cœpi loqui, cum sim puluis, &c.* Et 1. Reg. 4. v. 17. nuntius respondit & dixit. *Fugit Israel*. Quæ significatio & ad hunc locum potest accommodari. Vel significat voces multitudinis alternatim & tumultuariè responsantium, vt Exod. 32. v. 18. Et hæc significatio huic loco in magna populi frequentia & indignatione non male conuenit. Vel significat, quando nō ad interrogationem, sed ad factum aliquod, vel ad cogitationes & suspiciones alicuius, id, quod dicitur, accommodatur, vt Luc. 14. v. 3. Et hæc significatio simplicissime huic loco conuenit. Aliquando idem est, quando Scriptura inquit: *Locutus est dicens*. pro dixit, vel cœpit dicere. Iudæi igitur ad factum illud Christi tumultuarie clamantes *dixerunt: Quod signum ostendis nobis ὅτι ταῦτα ποιεῖς*; Particulam ὅτι, quidam hoc loco in hanc sententiam explicant. *Quoniam hæc facis*, quæ soli Messiæ, filio Dei conueniunt: quod igitur signū nobis ostendis, te esse Messiam? Alij simplicius in hanc sententiam explicant: quod signum ostendis nobis, quo probes scilicet, te illa non temere facere, sed diuinitus commissam tibi esse potestatem repurgandi templum, & quidem tali modo. Sensus enim disceptationis Iudæorum hic est. Ardua sunt, quæ in templo tentas: quod si propria & priuata auctoritate hæc facis, magna & non toleranda est temeritas: si diuina, ostendas signum, sicut Moses fecit, Exod 4. v. 1. vt credamus tibi. *Et manifestum est ex his* Iudęorum verbis, ipsos hoc Christi facto *ita perculsos* fuisse, vt cogitarent de illis, quæ Prophetæ prædixerant, quid Messias, quando venturus esset, in officio suo in templo facturus esset. Sed quia Moses vocationem suam multis signis comprobauit, & de Propheta post se suscitando, Deut. 19. v. 22. expresse addit notionem de signis, reliqui etiam Prophetæ, vt Isa. cap. 35. v. 5. prædixerant, Messiam editurum signa, quibus comprobaret, se habere diuinam potestatem talia faciendi: Petunt igitur signum à Christo. Sed quare Christus ad talem petitionem nullum edidit signum, cum ipse postea multa vltro ediderit, & quidem cum verus sic potuisse: esse miraculorum vsus? In turba enim multi sanabiles & dociles fuerunt. Difficilis sane esset responsio, cùm circumstantiæ non extent plenius descriptæ, nisi Iohannes postea diceret: *Ipse sciebat quid esset in homine*. Propter illos igitur, qui sanabiles & dociles erant, in ipso festo postea multa edidit signa, sicut Euangelista testatur. Sed quia videbat, illos, qui nomine multitudinis signum petebant, non habere animum discendi, sed captare tantum occasionem calumniandi & tergiuersandi: idem igitur respondet quod Matth. 12. v. 40. in quo loco circumstantiæ, quare petentibus noluerit signum dare, diligentius descriptæ sunt. Et inde potest peti vera huius loci explicatio. Ita ergo tunc petentibus signum nullum, quale ipsi petebant tunc voluit ostendere. Virtutem enim miraculorum non voluit vel ad ostentationem vel obstinatorum ludibriis, vbi nulla spes profectus est, prostituere. Aliud verò signum, quàm ipsi petebant, proponit. Cum enim eximium quoddam è cœlo signum peterent, Matth. 12. v. 38. opponit ipsis signum mortis & resurrectionis suæ. Et obseruetur, quare hoc signum proponat, probaturus, se esse Messiam. Proprium enim Messiæ officium hoc est, propter peccata populi vulnerari, Isa. 53. vers. 5. ac prædictum erat, fore vt Messias occideretur, Dan. 9. v. 26. & per resurrectionem ex mortuis declaratus est, esse Filius Dei, Rom. 1. v. 4. ac Deus ipsum suscitatum & exaltatum fecit Dominum & Christum, Act. 2. v. 36. Non igitur peregrina, sed maximè apta & accommodata est hæc responsio Christi, quod petentibus signum, quo probet, se esse Messiam, proponit miraculum mortis & resurrectionis suæ. Non enim vulgaris mors & resurrectio fuit, sed inter omnia miracula maximum & summum fuit. Quod vero petentibus signum è cœlo mortem & resurrectionem suam proponit, eo ipso in genere monet, inter omnia miracula Dei præcipuum & maximum hoc esse, quod in Ecclesia virtus Dei in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. v. 9. hoc est, quod potentia Dei non absolute & aperte, sed sub inuolucris infirmitatis in Ecclesia res maximas operatur. Hanc esse sententiam circumstantiæ ostendunt. Ipsum enim hoc factum eiectionis per se erat magnum miraculum, in quo elucebat manifesta Dei potentia, sicut supra declaratum est. Sed quia illa infirma exinanitionis specie tecta erat, Iudæi offendebantur, & petebant aliud illustrius signum. Christus igitur opponit futurum aliud simile signum mortis & resurrectionis suæ, se ex infirmitate scilicet moriturum, 2. Cor. 12. v. 9. & sub illa infirmitate se id, quod omnium maximum est, effecturū, vt scilicet damnato peccato, deuicto diabolo, absorpta morte & destructo inferno, iustitia sempiterna adducatur, vita restituatur, & cœlum aperiatur. Vnde hæc axiomata recte extruimus: *virtutem Dei tunc maximè esse illustrem, quando sub inuolucris infirmitatis res maximas in Ecclesia perficit*. Item: *agnitionem potentiæ & miraculorum Dei præcipuè inuestigandam & considerandam esse in illis infirmitatis inuolucris*. Ita maximum nunc est miraculum, quod in medio inimicorum, frementibus ipsis inferorum portis, & in tanta credentium infirmitate, Filius Dei tamen Ecclesiam sibi colligit, gubernat & conseruat. Et hoc miraculum rectè possumus opponere illis, qui nunc etiam signa à nobis flagitant.

Hanc autem sententiam Christus inuoluit obscuriori parabola siue allegoria, de soluendo & excitando templo. Vtrumque enim vocabulum & λύειν & ἐγείρειν potest & ad materialis templi destructionem, ac alterius extructionem, & mortem ac resuscitationem corporis Christi accommodari. Et licèt loquatur de templo corporis sui, sicut Euangelista explicat: voluit tamen ipsis quasi sub ænigmate obscurius illud proponere propter causam, quæ Matth. 13. v. 13. exponitur. *Illis qui extra sunt proponitur in parabolis, vt videntes non videant, &c.* Neque enim credituri fuissent, etiamsi apertissime hoc exposuisset. Nam ne postea quidem, quando signum illud exhibitum fuit in morte & resurrectione Christi, crediderūt. Et tamen grauis est causa, quòd sumpta occasione à templo, in quo tunc versabantur, corpus suum templum vocat, & potissima hæc est. Iudæi semper opponebant doctrinæ Christi & Apostolorum auctoritatem sui templi, & eorum, quæ ad templum pertinebant. Christus igitur incipit, licet obscurius, ostendere id, quod Epistola ad Hebræos clarius & plenius explicat, templum tantum fuisse figuram & vmbram, quæ aliud significarit, personam scilicet & totum officium Mediatoris Christi. Præsentia enim & manifestatio diuinitatis in templo Iudaico recte refertur ad plenitudinem diuinitatis inhabitantis in Christo corporaliter, Coloss. 2. v. 9. Reliqua in templo officium Mediatoris adumbrant. Tecte igitur ostendit, vmbram veniente corpore cessaturam: & impletionem figurarum templi in filio Dei incarnato iam adesse, & prædicari. Quod autem dicit, *Soluitè hoc templum*, non iubentis est aut adhortantis ad cædem, sed partim prædicentis, partim permittentis, sicut Iudæ dicit, *Quod facis fac citius*.

Iudæi vero statim, quasi nacti, quam quæsierant calumniādi occasionem, exclamant: *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc, &c.* Et illam calumniam post triennium etiam in historia passionis repetunt. Quia vero Esd. 5 v. 2. & 6. v. 15. templum Zorobabelis intra sexennium absoluitur, ita vt facta dedicatione sacrificia offerrentur, varia disputant Interpretes de numero quadraginta sex annorum. Augustinus allegorisat ad tempus formationis corporis humani in vtero materno. Origenes refert ad templum Salomonis, quod septem quidem annis consummatum fuit, sed ab illo tempore, quando Dauid primo cœpit consilia de ædificatione agitare, ferme 46. anni computari possint. Sed manifestum est, Iudæos loqui de templo Zorobabelis. Quidam dicunt, Iudæos inuidiæ conciliandæ gratia numerum exaggerasse, additis quadraginta annis. Alij censent, in illa summa comprehendi etiam illos annos, quando aliquid postea ad amplificandum & exornandum templum ab aliis adiectum fuit, vt Herodes ædificauit per octo annos. Turris etiam, quæ vocatur Antonia, per aliquot annos ædificata fuit, & ita de aliis accessionibus templi, vt tota summa sit quadraginta sex annorum. Sunt qui dicant, dedicationem quidem templi factam sexto anno Darij, 1 Esd. 6. v. 16. non quod plane absoluta tunc fuerit ædificatio, sed cum eo vsque esset ædificando peruentum, vt quoquo modo sacrificia possent offerri, ante consummationem ædificationis factam dedicationem; post dedicationem vero inter varia impedimenta reliquam ædificationē vix quadraginta annis absolutam, Ita enim colliguntur anni quadraginta sex. Sed ex Scripturis ostendi non potest, tot annis post dedicationem templum ædificatum fuisse. Simplicissima igitur explicatio hæc est, quod à iactis primis templi Zorobabelici fundamentis vsque ad eius consummationem & dedicationē 46. anni intercesserint. Iacta autem sunt fundamenta primo anno Cyri, 1. Esd. 6. v. 3. Et ædificatio impedita fuit vsque ad

secundum annum Darij, cuius sexto anno ædificatio fuit cõpleta. Regnauit autem Cyrus annis 30. Cambyses annis 8. quibus si addantur anni Darij 6. exurget fermè summa illa 46. annorum. Et congruit hoc cum supputatione Danielis, qui 7 hebdomadas, hoc est, 49. annos tribuit exædificationi Templi & Vrbis. Ad hanc Iudæorum obiectionem Christus nihil respondet, quod inuolucrum sermonis explicaret. Nam ne postea quidem mentionem mortis eius ferre, aut mysterium resurrectionis credere voluerunt. Hæsit tamen dictum illud etiam non intellectum in multorum animis. Nam postea coram Caipha tanquam capitale crimen ipsi hoc dictum obiicitur.

Addit autem Euangelista, ne discipulos quidem satis intellexisse figuratam hanc locutionem, sed post resurrectionem, docente Spiritu, recordatos esse. Egregius hic locus est, in Scriptura seu verbo Dei non statim spernenda aut abiicienda, quæ primo intuitu assequi non possumus. Nec ideo desperandum, quando non statim penetrare possumus ad reconditiora mysteria Scripturæ. Certis enim gradibus Spiritus nos ad agnitionem ducit. Quando igitur non statim possumus intelligere rationes omnium operum Dei, non ideo verbum abiiciamus: suo enim tempore verbum, si tanquam semen animo recondatur, fructum profert: sicut discipuli hoc loco sermonem Christi, quem nõ satis assequebantur, in corde conseruabant admirabundi, cogitantes quid secuturum esset. Et sicut de vaticiniis Scripturæ Irenæus inquit: *Tunc demum recte illa intelligi, quando impleta sunt*: idem Euangelista de hoc etiam dicto Christi inquit. Et in genere quando sub cruce sumus, promissiones Dei videntur nobis tanquam ænigmata, quæ tamen ideo non sunt abiiciendæ, sed memori mente seruandæ: quando enim tolerabilis tandem sequetur euentus, tum recte promissiones intelligemus, modò faciamus, sicut de discipulis Euangelista inquit. *Tunc recordati sunt, quòd hæc dixisset eis.* Apparet autem aliquam declarationem à Christo additam fuisse. Testes enim in historia Passionis recitant distinctionem de templo manu facto, & non manu facto, quam verisimile est ipsos ex Christo audiuisse. Epistola certe ad Hebræos hanc distinctionem egregie explicat. Obseruetur autem phrasis illa, *Dicebat de templo corporis sui*: hoc est, non de templo aliquo, in quo corpus ipsius habitaret, sed de templo, quo corpus suum volebat intelligi, siue de corpore suo, quod metaphoricè templum vocatur. Peculiarem etiã obseruationem præbet, quod Euangelista inquit, *Tunc crediderunt Scripturæ, & verbo Christi.* Arctissima est copula verbi Dei & Scripturæ Et Spiritus monstrauit discipulis, sermonem illum Christi habere fundamenta in Scriptura. Crediderunt igitur Scripturæ & verbo Christi, hoc est intellexerunt Scripturam & sermonem illum Christi in morte & resurrectione eius impleta. Fides enim per euentum confirmatur. Et antea sane non negarunt Scripturam, nec diffisi fuerunt verbo Christi, sed tunc vere dicuntur credere, quando docente Spiritu ea recte intelligunt.

Hanc historiam eiectionis arbitror factam esse non in primo die Festi, qui sanctissimus erat; in illo enim non licuisset onera collybistarum, & eorum qui columbas vendebãt, portare: diebus ergo intermediis facta hæc fuerunt.

Inter acta igitur primi festi Paschatis præcipuum hoc fuit, quod Euangelista de repurgatione templi descripsit. Reliquas vero historias illius festi breuiter perstringit, quæ tamen oscitanter prætereundæ non sunt, quia sunt illius temporis, quando dominator primò ad templum suum venit. Colligi autem ex breui illa Euangelistæ descriptione possunt hæc capita eorum, quæ præterea in festo illo Paschatis acta sunt. 1. *Multi crediderunt*, inquit, *in nomen ipsius.* Christus ergo in primo Paschate prædicauit de persona & officio suo: hoc enim nomen Christi significat. Summa vero illorum concionum in colloquio cum Nicodemo postea repetitur & describitur. 2. Dicit Iesum multa ibi edidisse signa in Festo, quibus illi, qui viderant, ad fidem adducti fuerunt. Qualia vero fuerint illa signa Euangelista non descripsit. 3. Dicit Iesum in festo illo aliquam sibi Hierosolymis collegisse Ecclesiam, inquiẽs: Multi in illo festo, doctrina & miraculis Christi permoti, crediderunt, ea, quæ de nomine, hoc est, de persona & officio suo prædicabat, vera esse. 4. Addit Euangelista, fidem illorum talem fuisse, quod Iesus non volebat seipsum illis credere. De sententia non est dubium, Euangelistam hoc velle dicere, fidem illorum non fuisse veram, viuam, solidam, stabilem & sinceram. De phrasi vero disputatur. Augustinus allegorice interpretatur, de Catechumenis credentibus quidem, sed quibus Eucharistia corporis Christi nondum detur. Chrysostomus & Cyrillus ita exponunt, quod reconditiora mysteria suæ doctrinæ noluerit ipsis concredere. Sed ex phrasi omnium rectissimè vera sententia colligitur. Quidam volunt esse Hebraismum, in quo vsitata est Paronomasia, inter actiuum verbi *Credere*, tertiæ coniugationis, האמין, & inter passiuum primæ coniugationis, נאמן Isa. 7. v. 9. *Si non credititis, non credemini*: seu, *non credetur vobis*, 2. Paral. 20. v. 20. *Credite Domino, & credemini*, seu *fideles reperiemini*, hoc est, firmi & stabiles eritis, Psalm. 78. v. 37. *Non creditus seu fidelis repertus fuit cum Deo Spiritus eius.* Et hanc mutuam relationem inter credentes, & Deum, cui creditur, existimant Euangelistam Paronomasia illa verbi *Credere* voluisse exprimere, cùm inquit, *Iesus non credidit illis, qui in nomen eius credebant*: hoc est, non cognouit ipsos pro vere credentibus, non fuerunt firmi & stabiles in fide. Atque hæc explicatio locum haberet, si scriptum esset: *Nõ credebat illis*: sed quia additur, *Non credebat seipsum illis*: alia igitur phrasis est in communi lingua Græca vsitata. Verbum enim πιστεύειν cum accusatiuo & datiuo significat aliquid cõmittere & concredere alicui. Et ita phrasis illa vsurpatur de familiari conuersatione & secura fiducia in amicitia. Syrach. 6 v. 7. Non statim credas te amico, simpliciter ergo ita explicatur, *Non credidit se illis*: hoc est, non fuit publico multitudinis applausui & blandis ac magnificis verbis confisus, vt frequens, diu & familiariter cum illis conuersaretur, non adiunxit sibi illos sicut reliquos discipulos. Quia enim sciebat quid in homine esset, seipsum & vitam suam noluit illis, qui de fide sua iactabant, inter ipsos diu conuersando, concredere. Caietanus ita exponit: propter multitudinem credentium Iesum noluisse reliquis Iudæis Hierosolymitanis odio & inuidia ipsius ardentibus confidere, aut vitam suam, diu apud ipsos conuersando, illis committere, cum hora patiendi nondum venisset. Ostendit igitur Euangelista illis verbis, aliquid tunc periculi Christum sibi à Iudæis imminere vidisse, propter quod non diu post festum ibi manserit. Et licet ipso facto nõdum hostiliter aliquid tentassent contra ipsum, nec aliquid de insidiis ad ipsum delatum esset: tamen non credebat se ipsis. *Sciebat enim quid in homine esset*, quid scilicet odij & maleuolentiæ Pharisæi iam concepissent, & intra se occultè alerent. Ita historia plana erit, si illud, *non credebat se illis*, accipitur non de credentibus, sed de reliquis Iudæis. Si vero de ipsis credentibus accipiatur, insignis erit locus de inconstanti mutabilitate voluntatum humanarum, de stabili fide, & de fide temporaria. Expendenda igitur est descriptio Euangelistæ. Non enim frustrà inter prima ministerij Christi rudimenta hic locus ponitur. Non autem dicit, ipsos foris simulasse fidem, & aliud in animo scientes occultasse: sed inquit, *Crediderunt in nomẽ eius, miraculis permoti.* Cum externa ergo professione coniuncta fuit interior etiam assensio, & tamen nõ fuit viua & solida fides. Consideretur itaque quid vitij aut defectus habuerit istorum fides, vt nos ipsos explorare discamus, 2. Cor. 13. v. 5. an simus in vera fide, vtque initia fidei non extinguamus, sed excolamus, & petamus augeri. Nouitate igitur & admiratione primorum miraculorum, quæ in festo videbant à Christo edi, cum per valde multos annos nullum verum signum in populo Israelis visum esset, mens ipsorum abrepta & conuicta, in illam generalem persuasionem siue assensionem inclinauit, veram esse doctrinam Christi. Forsan & hoc receperunt, ipsum esse Messiam: hoc enim est nomen ipsius, in quod dicuntur credidisse. Sed præcipua membra, quæ ad veram fidem requiruntur, in generali ista assensione desiderantur. 1. Tantum ex admiratione miraculorum pendent, de fundamentis & certitudine doctrinæ nihil solliciti: Fides vero, nisi in verbo radices agat, non est stabilis. 2. Generali persuasione contenti non inquirunt, nec discunt, quæ sint præcipua capita doctrinæ Christi: De persona eius: Quod officium: Quæ beneficia ipsius. 3. Nulli in voluntate & corde veri motus sequuntur, vt desideretur, quæratur, & speciali applicatione apprehendatur illud, quod in doctrina Euangelij offertur. 4. Videntur magis ex curiositate & nouitatis affectatione, quàm serio pietatis affectu doctrinam Christi amplexi. 5. Iuxta vulgarem tunc Pharisæorum persuasionẽ qui corporales commoditates, & externam magnificentiam à Christo sperarunt, & in doctrina ipsius quæsiuerunt. Ex his facile potest colligi, quæ sit differentia inter generalem assensionem, & inter veram fidem: quid vitij temporaria fides habeat in mente, quid in voluntate. Dicat igitur quisque seipsum probare, ne generali illa persuasione se decipiat. Multi enim tales sunt, qui conuicti non audent manifestæ veritati repugnare: sed generali assensione Euangelium amplectuntur, sicut Agrippa, Actor. 26. v. 27. dicit, se credere Prophetis: sed hoc durat tantisper, dum religio sine cruce floret, & quàm diu cupiditatibus ipsorum non aduersatur: sed illi leui occasione fiunt πρόσκαιροι, siue æstu, siue spinis, iuxta parabolam. Matth. 13. vers. 10.

Addenda verò est & hæc doctrina. Hisce tam infirmis initiis etiam veram fidem inchoari, dummodo suos habeat progressus, ita vt excolatur & augeatur, sicut discipuli Christi, Iohan. 1. v. 50. generali hac assensione credunt, sed hæc initia fidei

fidei excoluntur & augentur, cum Ioh.2.v.11. iterum scribuntur credere. Iudæi vero, de quibus in hac historia Iohannes loquitur, generalia illa initia fidei postea non excolunt, suffocantur igitur & extinguuntur. Hæc doctrina inter initia ministerij Christi diligenter descripta est: *Non omnes, qui eandem fidem profitentur, vere credere.* Est enim quædam stabilis, quædam temporaria fides: & quia ex iisdem ferme initiis, ex generali scilicet assensione, vtraque progreditur, vtilis est commonefactio, vt quisque seipsum probet. Simul etiam hoc obseruandum est, quod hæc ipsa historia accurate distinguit temporariam & vanam fidem, à fide infirma. Discipuli enim post resurrectionem Domini demum intelligunt reconditiora mysteria verborum Christi in hoc loco. Infirma igitur fuit ipsorum fides, sed tamen vera fides fuit. Hoc ideo obseruandum est, ne illi, qui infirmi sunt in fide, desperent, quasi vana & falsa sit ipsorum fides. Vtraque igitur descriptio in hac historia obseruanda est; infirmæ fidei in discipulis, & vanæ seu temporariæ fidei in Iudæis. Imo, quod diligenter obseruandum est, vnus ex hisce credentibus, quibus Christus seipsum non credebat, fuit Nicodemus, cuius fides, quomodo progressa sit, & postea pulcherrimos fructus ediderit, in sequentibus explicabitur.

Addit autem Iohannes, *Ipse norat omnes: sciebat enim quid esset in homine.* Et ostéditur vera in Christo humanitas, eo quod seipsum non credebat Iudæis: vera autem diuinitas in ipso ostenditur, quod sciebat, quid in homine esset. Est autem hoc loco Epiphonema, de occultis latebris & sinuosis recessibus cordis humani, ita vt hypocrisis non alios tantum fallat, verumetiam seipsum decipiat. Iudæi enim isti nequaquam cogitarunt, se temporarios esse in fide, sed solus Christus, tanquam Deus, scit, inquit Euangelista, quid in homine sit, sicut Augustinus recte dicit. Petrum ipsum ignorasse, quid in corde suo esset, Matth.26.v.35. Et quidem in extremo die multi vana persuasione fidei non veræ accedent, Matt.7.v.22. Christus igitur, vt Deus, videt & nouit corruptionem & peruersitatem cordis humani, quàm leuiter, quàm facile, quàm citò à fide deficere possint qui credunt, si sibiipsis relinquantur. Hæc vero doctrina non eo pertinet, vt in perpetuas dubitationes coniiciamur, sed ne quis excusso timore Domini seposita humilitate, securus torpescat, vel superbe sibi blandiatur, quando principia aliqua fidei & pietatis habet, sed vt oratione, & continuis pœnitentiæ & fidei exercitiis eo ardentius gratiæ Dei & auxilio Spiritus sancti inhæreamus, vtque probare discamus, quæ fides etiam in summa infirmitate vera sit, & quæ sit instabilis, & temporaria. Quia igitur fides agit cum Deo, qui scit quid in homine sit, non accedamus ipsum leui & euanida fidei vmbra, sed probemus nos an simus in vera fide, 2.Corinth.13. vers.5. Dulcissima enim est mutua illa relatio, quam Euangelista hac phrasi describit. Nos fide credimus Deo salutem corporis & animæ, & Deus vicissim nobis se credit totum, cum omnibus suis cœlestibus bonis.

In historia igitur primi Paschatis, quando Iesus vt dominator primo venit ad templum suum, multi loci continentur.

1. De Scriptura: eo enim plane modo venit ad templum suum, sicut Propheta prædixerat. Item, Crediderunt Scripturæ & sermoni quem dixerat IESVS.

2. Doctrina de signis & miraculis.

3. Qua ratione puritas doctrinæ & cultus diuini restituatur.

4. Quia doctrina Euangelij & beneficia Messiæ fide accipienda sunt, locus de fide tractatur, non in Theoria saltem, sed vt quisque se ipsum probet.

5. Notetur & hæc descriptio, qualem successum habuerit doctrina Christi, quando primum in templo docuit. Quidam fremunt: Quidam calumniantur: Quidam signa petunt: Alij credunt, sed fides non est vera. In discipulis vero tanta est fidei infirmitas, vt non intelligant omnia, quæ Christus dicit.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

CONTINENS HISTORIAM COLLOQVII INTER Christum & Nicodemum, Iohan.3.

RATIO ORDINIS.

Aliquoties iam ostensum est, inter hasce historias vsque ad 4. caput à Iohanne descriptas, ex reliquis Euãgelistis nihil vel posse vel debere interseri: sed ἡμᾶς ἀκολουθεῖν seriem consecutionis historiarum, à Iohanne notatam, sequendam. Cum enim reliqui historias post captiuitatem Baptistę describant. Matth.4.v.12. Marc.1.v.14. Iohannes sub finem tertij capitis diserte ostendit, se ea narrare, quæ gesta sunt priusquam Baptista in carcerem coniiceretur. Præcedentibus igitur ea, quæ in hoc 3. capite sequuntur, subiungenda esse, non est dubium. Sed videndum est, an in descriptione Iohannis aliquid, quod ad notationem circumstantiarum, temporum & locorum faciat, obseruari possit. Non autem existimandum est, vel in ipso festo Paschatis, vel paulo post, cum Iesus adhuc à festo commoraretur Hierosolymis, colloquium hoc inter Nicodemum & Christum institutum fuisse. Iohannes enim in fine secundi capitis indicat, se ea, quæ gesta sunt, cum in festo Paschatis Iesus Hierosolymis esset, capite secundo descripsisse. Cum autem addit, *Ipse autem Iesus non credebat seipsum eis,* Iudæis scilicet in Hierusalem, ostendit Iesum post festum nõ diu mansisse Hierosolymis, sed relicta vrbe aliò secessisse (sicut & aliàs exactis diebus festis non solitus fuit diu in vrbe commorari.) Et post illum à Hierosolymis discessum illud cum Nicodemo accidisse, ordo descriptionis manifeste ostẽdit. Nicodemum autem in vrbe Hierusalem habitasse, & vnum fuisse ex Senatoribus illius loci, colligitur ex historia Iohan.7.v.50. Non ergo in illo secessu extra Ierusalem Nicodemus Iesum adiit, sed factum hoc fuit, quando ex illo secessu Iesus reuersus fuit Hierosolymas. Quod, quando factum sit, Euangelista non diserte ponit: colligi tamen verisimiliter ita potest. Generale hoc est in tota historia Christi, quod non ascendit Hierosolymas nisi in solennioribus festis, quæ primo illo anno ministerij Christi post Pascha secuta sunt, Iesus reuersus Hierosolymas, in colloquium cum Nicodemo incidit. Et quia post colloquium illud, de commoratione Iesu in tribu Iuda, Iohannes postea vtitur verbo διατρίβειν, quod diurnam & longiorem commorationem significat: Pro verisimili igitur coniectura accipi potest, quod in proximo festo post Pascha, hoc est, in Pentecoste, Iesus Hierosolymas redierit, & colloquium illud cum Nicodemo habuerit. Quæ coniectura ideo etiam mihi placet, quod in Pentecoste, quod erat festum cõmemorationis datæ Legis, Christum summam nouæ legis, quæ ex Ierusalem exire debebat, Isa.2.v.3. Mich.4.v.2. ad Nicodemum exposuisse, pulcherrima analogia & symphonia est Veteris & Noui Testamenti: sicut & postea in Pentecoste Apostoli, misso Spiritu S. prædicationem Euangelij cœperunt.

Eodem modo etiam locorum circumstantia inquirenda est. Iohannes enim nõ expresse quidem indicat, quorsum Iesus discesserit, cum post festum Iudæis Hierosolymitanis se non crederet. Existimo tamen & illud colligi posse, vnde ordini harum historiarum plurimum lucis accedet. In Galilæam igitur statim post Pascha Iesum non fuisse reuersum inde cõstat, quod Ioh.4.v.43. tunc scribitur ex Iudæa redisse in Galilæam, quando Reguli filium sanauit, quod factum fuisse, cum quatuor menses ad Messem, hoc est, ad secundum Pascha superessent, Iohan.4.v.35. expresse dicitur. Post colloquium vero cum Nicodemo habitum Iohannes dicit, *Iesum venisse in terram Iudæam.* Quę non in genere eo loco accipi potest, sicut aliàs tota terra distribuitur in Iudæam, Samariam & Galilæam: ita enim & ipsa vrbs Hierusalem in Iudæa sita est, vt nõ recte diceretur, aliquem ex Hierosolymis venire in Iudæam. Sed propriissime intelligenda est illa pars terræ, quæ tribui Iuda assignata fuit, ita enim Ierusalem non in terra seu tribu Iuda, sed Benjamin sita est, vt recte dicat Iohannes, Iesum ex Hierosolymis venisse in terram Iudæam. Inde autem sic colligo. Quia Iesus statim post festum primi Paschatis ex vrbe Ierusalem secessit, Ioh.2.v.24. nec in Galilæam vel Samariam tunc venit, Ioh.4.v.43. sicut ostensum est: nec in tribu Iuda, eò enim post colloquium cum Nicodemo, venit, Iohan.3.v.22. Ergo intermedio tempore inter primum Pascha & colloquium cum Nicodemo, versatus videtur Iesus in illa parte Iudææ circa Ierusalem, quæ ad Septentrionem vergens ad tri-

tribum Beniamin. Hæc simplici studio ex circumstantiis non obscuris ita collegi, suum cuique lectori iudicium liberum relinquens. Existimo autem, hac ratione acta primi anni ministerij Christi, iuxta circumstantias locorum & temporum, non inutiliter illustrari, vt hic sit ordo. In Bethabara fuit baptizatus: inde ductus in desertum, vnde reuersus ad Iordané, in regione transiordane, quæ Peræa vocatur, per aliquot dies versatus est: inde abiit in Galilæam, ac edito primo signo in Cana, per Capernaum ascendit Hierosolymas. In festo Paschatis fuit Hierosolymis, docens & edens miracula, vbi multi in ipsum crediderunt. Post festum Paschatis, cum Hierosolymitanis se non crederet, relicta vrbe secessit in tribum Beniamin, hoc est, in illam partem Iudææ, quæ à Ierusalem versus Samariam & Galilæam ad Septentrionem vergit. Atque ibi versatus est vsque ad Pentecosten proxime sequentem, per hebdomadas quinque aut sex. Quid verò faciendo & docendo ibi egerit, Iohannes non descripsit. Ad festum Pentecostes rursus ascendit Hierosolymas, atque tunc habitum ibi fuit colloquium inter Christum & Nicodemum, post quod, iterum relicta vrbe Ierusalem, venit in illam partem terræ, quæ ad tribum Iuda pertinuit, ad Austrum, Idumæam, & Ægyptum versus à Ierusalem sita, atque ibi docendo & baptizando vsque ad captiuitatem Baptistæ commoratus est, sicut sub finem Iohann. 3. vers. 22. indicabimus. Primo igitur anno ministerij sui Christus totam illam terram, quæ Iudæa dicitur, citra & trans Iordanem, & à Samaria atque Galilæa distinguitur, peragrauit, ac doctrina sua & miraculis illustrauit, eo ordine, sicut iam dictum est. Hæc enim pars terræ Canaan, quæ Iudæa appellatur, ad primam manifestationem Messiæ destinata fuit. Hæc visum fuit hoc loco de ordine historiarum à primo Paschate vsque ad finem anni annotare.

HISTORIA COLLOQVII INTER CHRISTVM & Nicodemum, Iohan. 3.

1. Ἦν δὲ ἄνθρωπος ἐκ τῶν Φαρισαίων, Νικόδημος ὄνομα, ἄρχων τῶν Ἰουδαίων.

1. *Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum.*

2. Οὗτος ἦλθε πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτὸς, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ῥαββί, οἴδαμεν ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος· οὐδεὶς γὰρ ταῦτα τὰ σημεῖα δύναται ποιεῖν, ἃ σὺ ποιεῖς, ἐὰν μὴ ᾖ ὁ Θεὸς μετ᾽ αὐτοῦ.

2. *Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus quòd à Deo veneris Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

3. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.

3. *Respondit Iesus, & dixit ei, Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest videre regnum Dei.*

4. Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Νικόδημος, πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέρων ὤν; μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰσελθεῖν καὶ γεννηθῆναι;

4. *Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Num potest in ventrem matris suæ iterum introire ac nasci?*

5. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.

5. *Respondit Iesus, Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

6. Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Πνεύματος, πνεῦμά ἐστι.

6. *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.*

7. Μὴ θαυμάσῃς ὅτι εἶπόν σοι, ὅτι δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν.

7. *Ne mireris, quod dixi tibi, oportet vos nasci è supernis.*

8. Τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις, ἀλλ᾽ οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει· οὕτως ἐστὶ πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος.

8. *Spiritus, vbi vult, spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quò vadat: sic est omnis, qui natus est è Spiritu.*

9. Ἀπεκρίθη Νικόδημος, καὶ εἶπεν αὐτῷ· Πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι;

9. *Respondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri?*

10. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ· Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις;

10. *Respondit Iesus & dixit ei: Tu es Magister Israelis, & hæc ignoras?*

11. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι ὃ οἴδαμεν λαλοῦμεν, καὶ ὃ ἑωράκαμεν μαρτυροῦμεν· καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν οὐ λαμβάνετε.

11. *Amen, amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: & testimonium nostrum non accipitis.*

12. Εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε, πῶς, ἐὰν εἴπω ὑμῖν τὰ ἐπουράνια, πιστεύσετε;

12. *Si terrena dixi vobis, & non credidistis: quomodo, si dixero vobis cœlestia, credituri sitis?*

13. Καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ.

13. *Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.*

14. Καὶ καθὼς Μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου·

14. *Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis:*

15. Ἵνα πᾶς, ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, μὴ ἀπόληται, ἀλλ᾽ ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον.

15. *Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

16. Οὕτω γὰρ ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον, ὥστε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, μὴ ἀπόληται, ἀλλ᾽ ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον.

16. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

17. Οὐ γὰρ ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ εἰς τὸν κόσμον, ἵνα κρίνῃ τὸν κόσμον, ἀλλ᾽ ἵνα σωθῇ ὁ κόσμος δι᾽ αὐτοῦ.

17. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt condemnet mundum, sed vt seruetur mundus per eum.*

18. Ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, οὐ κρίνεται· ὁ δὲ μὴ πιστεύων, ἤδη κέκριται, ὅτι μὴ πεπίστευκεν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.

18. *Qui credit in eum non condemnatur: qui verò non credit, iam condemnatus est, quia non credidit in nomen vnigeniti filij Dei.*

19. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις, ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, καὶ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος, ἢ τὸ φῶς. ἦν γὰρ πονηρὰ αὐτῶν τὰ ἔργα.

19. *Hæc est autem condemnatio, quod lux venit in mũdum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum opera mala.*

20. Πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων, μισεῖ τὸ φῶς καὶ οὐκ ἔρχεται

20. *Omnis enim, qui male agit, odit lucem: nec venit*

πρὸς

πρὸς τὸ φῶς, ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ. | ad lucem, ne arguantur opera ipsius.

21. Ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα φανερωθῇ αὐτοῦ τὰ ἔργα, ὅτι ἐν Θεῷ ἐστὶν εἰργασμένα. | 21. Qui autē operatur veritatem, venit ad lucem, vt cōspicua fiant facta ipsius, quod per Deū sint facta.

Periocha huius Historiæ.

INsignis est hæc historia, & peculiari obseruatione digna, propterea, quia Christus Pentecoste, quæ tempore ministerij sui prima fuit, summaria capita nouæ legis & illius verbi, quod in quarta post Pentecoste Zion & ex Ierusalem exire debebat, in colloquio illo cum Nicodemo complexus est & explicauit. Deinde etiam ideò, quia continet repetitionem & summam illarum concionū, quas primas Dominator Messias habuit, quando in festo Paschatis ad templum suum venit. Id quod inde colligitur: quando enim in colloquio dicit, *Si terrena dixi vobis & non credidistis*, refert se hac quasi repetitione ad priores suas conciones in festo Paschatis habitas, vtrumque enim verbum habet significationem præteriti, εἶπον & πιστεύετε. Sicut ergo iucundum est tenere, quæ prima fuerit concio post lapsum Adam, item, quæ fuerint capita primæ concionis, quam Apostoli accepto Spiritu S. habuerunt: ita pias mentes, quando colligere possunt, quæ fuerit summa & quæ capita doctrinæ, quando Christus in suo ministerio primum publicè Hierosolymis in templo, in primo festo Paschatis & Pentecostes, cœpit docere.

Est autem in principio huius historiæ obseruandum, quàm patienter filius Dei toleret fidem quantumuis infirmam, & quam clementer illam foueat, modo sit docilis, quærat institui, petat augeri & confirmari. Primò enim Nicodemus vnus ex illis fuit, quorum fidem Christo non satis probatam fuisse, Iohannes cap. 2. v. 24. dixit. Et in hac ipsa historia dicit, *Dixi vobis & non credidistis.* Item: *Testimonium nostrum non accipitis.* Secundo, Nicodemus in præfatione conatur quidem quasi beneuolentiam inde captare, quod exponit, quàm præclaram & magnificam opinionem, sicut ipsi videbatur, de Iesu concepisset, sed in ea Iesum nec Messiam, nec filium Dei agnoscit, sed tantum pro Doctore singulari, & Propheta aliquo eximio habet. *Rabbi*, inquit, *scimus*, hoc est, non vulgus tātum, sed & nos Pharisæi stupendis miraculis tuis conuicti, persuasi sumus, credere & fateri cogimur, te esse Doctorem, qui non ex seipso docendi munus arripuerit, sicut Teudas & Iudas Galilæus, nec quales Doctores nos Pharisæi sumus, sed qui extraordinaria & immediata vocatione à Deo ad officium docendi sis missus. Deus enim miraculis ostendit, se virtute sua tibi in ministerio tuo adesse. Sensit igitur Nicodemus, Christum miracula illa edere non propria virtute. Sensit etiam Deum adesse Christo, non hypostatica vnione, sed sicut Prophetarum ministerio adfuit. Longe igitur à vera agnitione Christi Nicodemus adhuc abfuit. Quod vero dicit: *Nemo potest signa, quæ tu facis, facere*: distinguit inter falsa miracula, vbi vel sensus ludificantur, vel coniunctio fit occultarum causarum naturalium, ad confirmandam falsam doctrinam, Exod. 7. v. 13. Deut. 13. v. 1. 2. Thess. 2. v. 9. Apoc. 13. v. 13. Matt. 24. v. 24. & inter vera miracula, quæ omnem potestatem rerum naturalium excedunt, ad confirmandam doctrinam cœlestem, 3 Reg. 17. v. 24. *In hoc cognoui, quod vir Dei sis, & verbum Domini in ore tuo verum sit.* Tertio accedit, quod non interdiu & aperte audet colloqui: sed præ timore noctu ad eum venit. Valde igitur languida & misera est fidei infirmitas in hoc Nicodemo & in mente & in corde, quam Christus tamen non reijcit, sed quia quærit, vt ex auditu verbi rectius & plenius instituatur, augeatur & confirmetur, placidè illam fouendam & prouehendam suscipit. Et quis inde in Nicodemo hoc secutus sit profectus, historiæ postea ostendent, Iohan. 7. v. 50. & 19. v. 39. Hoc igitur est pulcherrimum exemplum eius quod Isaias de Messia inquit; *Non contendet, non clamabit, linum fumigans non extinguet*, c. 42. v. 2.

Quæ autem causa timiditatis fuerit, quod Nicodemus ad illum Doctorem, quem credebat à Deo missum esse, non ausus fuerit aperte accedere, Ioannes exponit, cum inquit, fuisse Pharisæum & Principem Iudæorum, & de Pharisæis qui fuerint, antea in historia Magorum diximus Ἄρχοντες vero Synagogæ nominantur, Exod. 34. v. 31. & Iosu. 9. v. 15. Fuit autem aliquando illa appellatio Magistratus politici, vt 4. Reg. 10. vers. 5. coniunguntur ἄρχοντες & presbyteri, Genes. 12. v. 15. ἄρχοντες Pharaonis, 34. v. 2. ἄρχων terræ. Porrò etiam inter Leuitas & Sacerdotes vocantur ἄρχοντες, 1. Paral. 15. v. 5. 6. 7. 8. 9. Fuit autem Nicodemus non politicus Princeps. Christus enim inquit, *Es tu magister in Israel.* Sed quia vocatur Pharisæus & Princeps, fuit ergo sicut alius quidam, Luc. 14. vers. 1. describitur ἄρχων τῶν φαρισαίων. Et Iohann. 7 vers. 48. qui in concilio congregati sunt pontifices & Pharisæi vocantur ἄρχοντες. Actorum etiam 23. vers. 5. Paulus Pontificem vocat ἄρχοντα τοῦ λαοῦ. Illi igitur, qui inter Pharisæos summi erant penes quos erat potestas iudicandi in negotiis religionis, excommunicandi, & ius prehensionis. Iohann. 7. vers. 48. & 12. v. 42. dicebantur ἄρχοντες. Et in aliis ciuitatibus vocabantur ἀρχισυνάγωγοι. Qui vero Hierosolymis erant, vocabantur ἄρχοντες populi, siue Iudæorum. Actorum 23. v. 5. Iohan. 3. v. 1. Illorum enim Iurisdictio latius super totum Iudæorum populum patebat. Et talis fuit Nicodemus. Monet autem hæc descriptio personæ, Deum ex omnibus ordinibus aliquos ad regnū suum vocare, sapientes & insipientes, potentes & infirmos, vt adimatur ipsis prætextus ille, de quo inquiunt, Ioh. 7. v. 48. *Nunquid ex Principibus aut ex Pharisæis aliquis credidit in eum?* Quomodo verò sapientia Pharisaismi non adiuuet, sed magis impediat fidem Euangelij & veram Christi agnitionem, historia hæc docet: quæ simul etiam ostendit, dignitates huius seculi plerunque suo splendore animos perstringere & irretitos tenere, quo minus facile, prompte, expedite & aperte ad Christum accedant, etiam qui initia fidei acceperunt. Causa enim, quare Nicodemus noctu accesserit, exponitur Ioh. 12. v. 42. *Multi ex Principibus crediderunt: sed propter Pharisæos non confitebantur, ne ex Synagoga eiicerentur.* Scholastica historia addit aliā causam, quod timuerit, ne celebritati nominis sui aliquid decederet, si is, qui princeps erat inter Doctores, à Iesu Nazareno aliquid discere sustineret. Aut certe puduit ipsum censeri discipulum Iesu Nazareni. Magis igitur amauit Nicodemus gloriam hominum, quam gloriam Dei, Ioh. 12 v. 43. & puduit ipsum Christi & sermonum eius coram hominibus, Luc. 9. v. 26. Hæc ideo descripta sunt, vt consideretur, in quanta infirmitate fidei Nicodemus accesserit, vtque ecōtrà bonitas, & φιλανθρωπία Christi cogitetur, qui talem discipulū, cum docilem se profitetur, non auersatur, non repellit, non abiicit, sed placidè ipsum plenius & rectius informandum suscipit, & ad illa fidei & confessionis incrementa deducit, quæ Ioh. 7. v. 50. & 19. v. 39. describuntur.

Summa autem doctrinæ Euangelij in hac concione Christi ita comprehenditur, & quidem his verbis describitur, Quomodo id, quod ex carne natum est, & caro est, quæ regnū Dei nō potest possidere, 1. Cor. 15. v. 50. ita renasci debeat, vt regnū Dei videre & ingredi possit: siue, quomodo mundus, qui in tenebris est, veniens ad lucē illam, quę in mundū venit, hoc est, credens in nomen vnigeniti filij Dei, non pereat, sed habeat vitam æternā, non iudicetur, sed saluetur per ipsum. Et hoc est mysteriū illud, quod filius, qui in sinu patris est, nobis enarrauit, Ioh. 1. v. 18 Et obseruanda est ratio methodi, qua Christus in proponēda & explicanda cœlesti hac doctrina vsus est, insigni hac cōcione. Initiū enim facit à doctrina arguente totum mundum peccati, vt omne os obstruatur, & vniuersus mundus reus fiat Deo, Ro. 3. Lux enim veniens in mundū arguit non tantū externa vitiosa opera, sed monstrat fontē & radicē peccatorū, totam scilicet naturā humanā per lapsum Adami factā esse carnē, hoc est, ita corruptā & deprauatam, vt nō possit legi Dei perfectā obedietiam præstare; atq; ideo neminem per se, suis viribus & virtutibus posse ad regnū Dei peruenire. Atqui inde Christus initium fecit, traditurus iustificationē Euangelicā, vt primo cōscientias conuincat, omnibus hominibus, qui perire nolunt, necessariam esse gratuitā illam iustificationem fidei, quæ in Euangelio traditur. Illam enim solā & vnicā esse viam perueniendi ad regnum Dei, sine qua & extra quam omnibus hominibus in iudicio Dei extra regnū cœlorū sit pereūdū, ideo, quia *quod natū est ex carne, caro est* vnde, *nemo potest in cœlū ascendere.* Hæc ratio methodi ideo necessaria est: aliàs enim iustitia fidei contemnitur, non curatur, non quæritur, non apprehenditur. Deinde doctrinam, quæ Euangelij propria est, de iustitia fidei, ita in hac concione Christus tradit & explicat, Deum ex immēsa misericordia misisse filium in mūdum, & filium incarnatum, vt serpentem exaltatum, hoc est, obedientia & passione sua acquisiuisse æternam iustitiam coram Deo, quam Spiritus sanctus verbo Euangelij & Baptismo offerat, quæ fide accipiatur, & finis sit, vt regnum Dei ingrediamur, non pereamus, sed habeamus vitam æternam. Tertiò addit doctrinam de fructibus iustificationis, quod scilicet post reconciliationem natura etiam renouetur, vt veritatem facere, & talia opera, quę in Deo facta sint, præstare possimus. Hęc sunt tria illa principalia capita huius cōcionis, ad quæ si verba textus referantur, & accommodentur plana erunt omnia, quæ alias & obscura esse & non bene cohærere videntur, sed ordine textus explicabimus, vt quomodo doctrina illa inde sumenda & extruenda sit, planum fiat.

Iesus igitur respondit Nicodemo & dixit, *Amen amen di-*

co tibi, nisi quis renatus, &c. Quia vero hæc responsio Christi videtur impertinenter se habere ad verba Nicodemi præcedentia, varie hæc ad præcedentia accommodantur. Theophylactus ita connectit: *Tua Nicodeme de me opinio carnalis tantum & humana est, quia nondum renatus, sed adhuc carnalis es Nisi enim quis renatus fuerit, non potest regnum Dei videre, hoc est, non potest me recte agnoscere, quod sim vnigenitus filius Dei.* Cyrillus hanc responsionem Christi ita accommodat ad verba Nicodemi præcedentia: *Tu tantum admiraris signa, quæ facio, & existimas satis esse ad salutem, quòd statuas me esse doctorem à Deo missum: sed dico tibi, notitiam non sufficere, sed si quis vult in regnum Dei introire, ipsi opus est, vt renascatur ex aqua & Spiritu.* Hæc vera sane sunt. Sed simplicius est, si intelligatur Euangelista breuitatis studio in responsione Christi insinuasse, quæ fuerit interrogatio Nicodemi, quæ scilicet esset ratio consequendi vitam æternam, ascendendi in cœlum, seu perueniendi in regnum illud Dei, quod Baptista & Christus tunc prædicabant. Vel, vt intelligatur, Christum, vt fidem in Nicodemo maiorem accenderet, noluisse expectare, donec ipse quod vellet exponeret, sed ad cogitata animi ipsius siue ad ea, quæ mente voluebat, voluisse Christum præueniendo respondere, vt inde Nicodemus intelligeret, ipsum esse scrutatorem cordium. Cumque antea in festo Paschatis Nicodemus Christum docentem audiuisset, ex responsione hac Christi colligitur, quæ potissimum capita in doctrina Christi Nicodemi animum turbarint & offenderint, scilicet, naturam humanam ita esse deprauatam, vt nemo per se possit ad regnum Dei peruenire. Secundò omnibus hominibus, qui nolint perire, sed vitam æternam habere, opus esse vt regenerentur ad spem vitæ æternæ, propter Christum. 1. Pet. 1. v. 3. hoc est, vt fide in Christum gratis saluentur. Et sane hæc sunt duo illa capita, quę omnibus temporibus rationem humanam offendunt. Nicodemus vero non facit vt reliqui Pharisæi, qui ideo totam doctrinam Christi abiiciunt, & blasphemant, sed cum capita illa non satis intelligat, Christum ipsum accedit, vt ipse sibi ea, quæ assequi non poterat, plenius & planius explicet & declaret. Et hæc est vera infirmæ fidei docilitas, quæ Christo in Nicodemo probatur, quam imitari discamus. Ita valde multa monet generalis hæc consideratio, quod Christus Nicodemum, priusquam quid vellet, exposuisset, tali responso præueniat & excipiat.

Magna autem asseueratione inquit, *Amen amen dico tibi.* Et quia phrasis illa sæpius occurrit, illam hoc loco semel explicabimus. Hebraice igitur אמן & Chaldaice אמין deducitur à verbo אמן, vnde verbum *credere* seu *fidere*. Et nomen fidei ac veritatis in Hebraismo appellationem habet. Magnam autem & illustrem emphasin habet particula *Amen*: quæ propterea etiam in aliis linguis retenta fuit. Et quia hac ipsa particula natura fidei iustificantis in applicatione promissionis & in inuocatione pulcherrime illustratur, diligenter considerand a est eius significatio, quæ vt rectius explicari possit, exempla distinguemus. Ita enim potissimum vsurpatur particula *Amen*. 1. in imprecationibus, Deut. 27. v. 15. 16. &c. *Maledictus qui &c. Et dicat populus, Amen.* Num. 5. v. 22. *Si non polluisti torum &c. Si verò polluisti, det Deus, &c. Et respondebit mulier Amen, Amen.* Ac Rabbi Dauid inquit, dictum hoc esse per modum orationis, vel per modum receptionis, qua in se & super se recipiebant illas imprecationes, si transgressi essent. 2. Vsurpatur etiam vt plurimum in oratione seu inuocatione, item in benedictione, & gratiarum actione, 1. Corinth. 14. v. 16. quando preces & gratiarum actiones recitantur, Ecclesia respondet Amen, Psalm. 41. v. 14. *Benedictus Dominus Deus, Amen, Amen.* Nehem. 8. v. 6. Esdra benedixit Dominum, & omnis populus cum eleuatione manuum respondit, *Amen amen.* Tobiæ 9. vers. 12. ad benedictionem nuptialem respondent, *Amen*, Apocal. 7. v. 12. adorauerunt eum dicentes, *Amen, benedictio, gloria, honor, sapientia gratiarum actio.* Atque ita est optantis particula, quod scilicet fides vero cordis desiderio optat, & certa spe expectat, vt fiant & perficiantur ea, quæ orantes petimus. Ita in historia Samosateni apud Eusebium & apud Ambrosium libro 4. de Sacramentis, quando in actione cœnæ dominicæ singulis exhibetur panis Domini his verbis: *Accipe, comede, hoc est corpus Christi pro te traditum in remissionem peccatorum*; ibi singuli communicantes respondent, *Amen.* Et 3. Reg. 1. vers. 36. additur particulæ *Amen* illustris explicatio. Cum enim Dauid mandasset, vt Salomon vngeretur in successorem Dauidis, addita fausta illa acclamatione, *Viuat rex Salomon*: Respondet Hananias dicens: *Amen, sic dicat Dominus Deus Regis.* Munsterus dicit esse imperatiuum passiuum, primæ coniugationis pro האמן, vt sensus sit, verum hoc fiat, ratificetur, confirmetur hoc à Domino. Chaldaicon lexicon dicit esse futurum, resecta prima litera יאמן, confirmetur, stabiliatur hoc. Græci habita ratione radicis pulcherrime reddiderunt locum, 3. Reg. 1. vers. 36. γένοιτο· οὕτως πιστώσαι ὁ θεὸς τὸ ῥῆμα τοῦ κυρίου μου τοῦ βασιλέως. *Ita fiat, ratum habeat & faciat Dominus Deus verbum regis.* 3. Vsurpatur etiam particula *Amen*, quando fides propositam promissionem accipit. Ita 1. Paral. 16. vers. 36. recitatis promissionibus diuinis subiungitur: *Et dicat omnis populus Amen.* Ierem. 11. vers. 5. vbi Deus repetit promissionem, *Ero vobis in Deum, & eritis mihi in populum, vt suscitem iuramentum, &c.* Et respondi, inquit Ieremias, *Amen Domine.* Et Ierem. 28. v. 6. cùm Hananias fausta vaticinaretur, Dicit Ieremias, *Amen.* Et subiungit prolixam explicationem particulæ *Amen. Sic faciat Dominus, confirmet verba tua, vt ita fiat sicut vaticinatus es.* Et Luc. 1. v. 38. Maria significationem particulæ *Amen* pulchre reddidit, *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Atque hæ significationes omnes in idem ferme recidunt: plenioris tamen declarationis gratia ita distribuere volui: vt proprietates fidei in applicatione promissionis & inuocatione, ex vsu particulæ *Amen*, eò rectius considerari posset. Quarto verò vsurpatur Amen pro particula affirmandi & asseuerandi, vt 2. Cor. 1. v. 20. *Promissiones Dei non sunt ita & non* (quasi scilicet in illis aliud verbis dicatur, aliud corde cogitetur: vel verbis quidem promittatur, re ipsa autem non præstetur) *sed in Christo sunt Na & Amen*: vbi Hebraicum *Amen* exponitur per Græcam affirmandi & asseuerandi particulam ναὶ Isa. 65. v. 16. *Qui benedixerit sibi in terra, benedicit sibi in Deo Amen: Et qui iurauerit, iurabit in Deo Amen.* Vbi sicut Gręcũ ναὶ, ita & Amen est particula iurandi, quando aliquid quasi interposito iuramento affirmatur, & asseueratur. Atque hæc postrema significatio huic loco & reliquis, vbi Christus inquit, *Amen dico vobis, &c.* conuenit. Et quia radix אמן cum deriuatis significationem habet veritatis, certitudinis, firmitatis, constantiæ, &c. Ergo si ad personam dicentis referatur, sensus erit: non obiter, temere aut leuiter dico, sed vere, certo, serio & cõstanter, tanquam interposito iuramento, affirmo & asseuero quod dico. Aut si ad id quod dicitur, referatur, sensus erit: Quod dico, non incerta cogitatio, aut dubia opinio est, sed verum, certum, firmum & stabile est quod dico, quod nec mutatur, nec retractatur; sed certo ita decretum est in voluntate diuina, & re ipsa ita implebitur. Geminatio vero *Amen, Amen*, intendit asseuerationem, ac superlatiuo Nostro, quo Hebræi carent, exprimi potest. Certissimum & firmissimum est quod dico. Porro particula illa *Amen* in Græca Veteris Testamenti versione aliquando redditur per verbũ γένοιτο, Deut. 27. v. 15. & vlt. Psal. 41. v. 14. 3. Reg. 1. v. 36. Num. 5. v. 22. *Aliquando* redditur per aduerbium ἀληθῶς Ier. 28. v. 6. Aliquando ipsa vox Hebraica relinquitur. 1. Paral. 16. v. 36. *Dicat populus Amē.* Ita Iere. 11. v. 5. Nehem. 8. v. 6. Tob. 9. v. 12. particula *Amen* in Græco etiam sermone vsurpatur. Atque ita etiam in Nouo Testamento retenta fuit, vbi alicubi interpretatio ponitur. Quod enim de vidua Marc. 12. v. 43. dicitur *Amen dico*, illud Luc. 21. v. 3. ita explicatur: *ἀληθῶς, verè dico vobis.* Hæc de particula *Amen* semel hoc loco annotare volui, ne subinde quoties ea occurret, repetenda esset explicatio.

Magna igitur asseueratione Christus dicit, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Ac singula verba expendenda sunt. Non de quibusdam tantum loquitur, quasi tantum publicanis, meretricibus, latronibus, &c. opus sit regeneratione: sed concio est vniuersalis. *Nisi quis, &c.* Et quidem ipsum Nicodemum, cum quo Christus loquitur, complectitur, qui ex Pharisæis erat, qui non erant contemptores religionis, nec vitæ profligatæ, sed habebant zelum Legis. Actor. 26. v. 5. Galat. 1. v. 13. & secundum iustitiam in Lege erant irreprehensibiles, Philip. 3. v. 6. Vtitur autem verbo *Nascendi* seu *Generandi*, vt ostendat, se peccata arguere, non opera tantum mala, sed ipsam naturam vitiatam, quam nascendo accepimus. Atque eo ipso ostendit causam, cur nemo suis vel qualitatibus, vel virtutibus, vel operibus possit in regnum Dei peruenire, quia scilicet ipsa natura ita deprauata sit, vt regeneranda sit. Et vocabulo *Regenerationis* ostendit, naturam nostram peccato non tantum sauciatam, læsam aut infirmatam esse, vt vel particulari sanatione & auxilio iuuari & restitui, assuefactione corrigi, habitibus excoli possit, sicut Philosophi de suis virtutibus disputant: sed totam ita esse corruptam & deprauatam, vt non corrigenda aut resarcienda, sed tota regeneranda sit. Quo ipso etiam vocabulo ostendit, instaurationem naturæ non nostris viribus posse fieri, & sicut ad primam generationem, ita etiam ad ipsam regenerationem, nos ex nobis nihil conferre. Vtitur autem aduerbio ἄνωθεν *Nisi quis natus fuerit* ἄνωθεν, in quo totius sententiæ vis sita est. Potest autem, ἄνωθεν, significare, & denuo seu iterum, & è supernis. Hic interpretes in versionibus variant, quod reddunt vel renasci denuo, vel à supernis regenerari. Nos vero in exemplis considerabimus, quomodo ex vocabuli significatione, si vtraque coniungatur, ipsa sententia illustrari possit. Ita autem vsurpatur ἄνωθεν. Demost. χρὴ μικρὸν, inquit, ἄνωθεν ἄρξασθαι, *non partem aliquam narrare, sed totum negotium à prima origine repetere, & integrum*

integram recitat. Plutarchus pag. 88. *Alcibiadis genus ἄνωθεν videtur habere Eurisaces*, hoc est, si integra series genealogiæ Alcibiadis consideretur, prima origo videtur hæc esse, &c. Ita vsurpatur, Luc. 1. v. 3. *omnia accuratè ἄνωθεν persecutus sum*, 4. v. 9. *πάλιν ἄνωθεν seruire vultis elementis*, hoc est, qui ab elementis religionis ad solidam in Christo sapientiam peruenistis, nunc rursus vultis ad prima elementorum initia redire, & inde rursum incipere. Suidas tale recitat exemplum. *Videmus τὰ ἄνωθεν ἐγγεγραμμένα ciceris profecisse de victu illis, à quibus generati sunt*: hoc est, volucrum generi à primis naturæ initiis hoc inditum est, vt nutritoribus gratiam referant. Et hanc significationem plerique interpretes sequuntur, qui reddunt, *denuo nasci*. Et si fontes huius significationis rectè considerentur, sensus erit: Requiri mutationem aliquam non in accidentibus tantum naturæ humanæ, nec in parte aliqua substantiæ correctione aut reformatione opus esse, sed de integro, ab ipsis primis humanæ naturæ generationis initiis refingendam esse. Ἄνωθεν igitur ostendit, ipsam originem in vitio esse, sicut Ambrosius loquitur: & prauitatem humanæ naturæ non contrahi consuetudine, nec per actiones prauas, tanquam habitum postea infundi, sed ipsa generatione contrahi. Et vocat non mutationem, sed regenerationem, vt ostendat de ipsa substantia deprauata se loqui. Hæc significatio vocabuli ἄνωθεν diligenter expendenda est, multa enim monet. Et quod Nicodemus aduerbium ἄνωθεν in hac significatione acceperit, responsio eius indicat, inquit enim, *Quomodo homo potest δεύτερον iterum nasci*? Secundo ipsi Apostoli hanc locutionem Christi reddiderunt compositione ἀνά & πάλιν, 1. Pet. 1. vers. 3. *ἀναγεννήσας nos in spem viuam*. Item *ἀναγεγεννημένοι ex semine incorruptibili*. Paulus Tit. 3. v. 5. vocat *παλιγγενεσίας, regenerationem*. Tertio Syrus etiam ἄνωθεν reddidit מרישׁ *à capite, ab initio, de nouo renasci*.

Et quia collatio vocabulorum vtilis est, vt ex veris fontibus res ipsæ possint illustrari, consideranda est & altera significatio. Græci enim Chrysostomus, Cyrillus & Theophylactus hoc considerant, quod Ioannes alibi ἄνωθεν vsurpat pro eo, quod est è supernis, diuinitus, cœlitus, vt in eodem capit. v. 31. *Qui è supernis venit super omnes est*. Cap. 11. v. 11. *Non haberes potestatem nisi tibi data esset ἄνωθεν*. Et hæc significatio etiam cum re ipsa pulcre conuenit. Non enim loquitur de terrena aut carnali natiuitate, sed de spirituali & cœlesti. Cœlitus enim per Spiritum sanctum confertur adoptio & reliqua dona regenerationis. Et idem est, quod Iohan. c. 1. v. 13. dicit: *Qui ex Deo nati sunt*. Ita & Iacobus loquitur c. 1. v. 17. *Omne donum bonum & perfectum ἄνωθεν est*, c. 3. v. 17. ἡ ἄνωθεν σοφία opponitur terrenæ & carnali sapientiæ. Et c. 1. v. 18. videtur quasi explicasse hanc Christi sententiam. Cum enim dixisset, *omnis donatio bona è supernis descendit*, mox addit, *voluntariè genarauit nos verbo veritatis, vt simus primitiæ quædam creaturarum ipsius*. Hæc verba non obscure alludunt ad Christi sententiam. Et propter hæc testimonia non rursus Erasmi interpretationem reiicere, qui reddidit *è supernis*. Si ergo vtraque interpretatio coniungatur, plena erit sententia: *Nisi quis denuo natus fuerit, non carnali natiuitate, sed è supernis &c.*

Quod vero Christus dicit, *Non potest videre regnum Dei*, phrasis est, sicut Scriptura aliàs dicit, videre corruptionem, Psalm. 16. vers. 10. Videre mortem, Ioh. 8 v. 51. Vt idem sit cum eo, quod in repetitione huius sententiæ dicitur, *Non potest introire in regnum Dei*, hoc est non potest particeps esse vitæ æternæ. Simul vero considerandum est & hoc, quod Iohannes solet verbum *videndi* vsurpare pro agnitione, vt cap. 14. v. 17. *Mundus Spiritum veritatis non potest accipere quia non videt eum, nec scit eum*. Vt sensus etiam esse possit: Caro non tantum non potest ad regnum Dei peruenire, sed ita deprauata est, vt, quando regnum Dei proponitur & offertur, caro illud non possit videre, hoc est, agnoscere nisi desuper Spiritu illuminetur.

Nicodemus autem, cum nullam aliam natiuitatem præter carnalem intelligeret, quæ reiterari non potest, respondit: *Quomodo potest homo nasci cum sit senex*? Potuisset in genere loqui. Est enim omni ætati impossibile corporaliter denuo nasci, siue sit puer siue senex: sed sumit ætatem senectutis, vt ab ætate senili, quæ nascenti contraria & morti proxima est, maior videatur absurditas. Præcipue vero senem nominat, quia de se potissimum loquitur, quasi dicat: Ego sum senex, & cupio in regnum Dei ingredi, quomodo igitur fieri potest, vt senex ego de nouo nascar? Permittit autem Christus Nicodemum ita hallucinari, vt ita Pharisaicam scientiæ præsumptionem in ipso reprimeret, & paulatim ipsum à cogitationibus carnalibus ad intelligentiam spiritualem deduceret.

Sed Christus mox id, quod de renascentia in genere & obscurius dixerat, plenius declarat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*. Ostendit igitur non ex vtero matris, sed ex aqua & Spiritu, natiuitate non carnali sed spirituali nobis denuo renascendum esse. Et sicut carnali natiuitate ad hanc vitam & in hunc mundum nati sumus, Ioh. 16. v. 21. ita inquit: *Si regnum Dei intrare vultis, spirituali natiuitate vobis renascendum est ad vitam æternam*. Vt autem doctrina de Regeneratione eò rectius & explicatius intelligi possit, distinctè & ordine consideretur, quid Regeneratio seu renascentia complectatur. Primo enim, quia carnalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus, 1. Corinth. 2. v. 14. & nemo venit ad Christum, nisi pater traxerit eum, Iohann. 6. vers. 44. Regeneratio seu renascentia hoc complectitur, quod Spiritus sanctus tenebras nostras, hoc est, mentem, voluntatem & cor, collatis nouis spiritualibus donis & facultatibus, illuminat, vt regnum Dei possimus videre, hoc est, fide illud intelligere, agnoscere, assentiri, desiderare, quærere, amplecti & accipere. 2. Quia regeneratio ex filiis iræ facit filios Dei, complectitur itaque & confert gratis, propter Christum, remissionem peccatorum, iustificationem, adoptionem, & hæreditatem vitæ æternæ. Ita enim ad Titum 3 vers. 5. regeneratio explicatur. 3. Complectitur etiam fructus huius regenerationis. Paulus ad Titum 3. vers. 5. peculiari & distincto vocabulo vocat renouationem, vt scilicet efficiamur noua creatura, creati in Christo ad bona opera, vt nouum hominem induamus, qui ad imaginem Dei reformatur, vt in nouitate vitæ ambulemus. Hæc distinctè consideranda sunt. Quando enim quæritur, quomodo per regenerationem consequamur vitam æternam, illud certè nostræ nouitati, quæ adoptionem non præcedit, sed sequitur, & imperfecta atque immunda est, non tribuendum, sed gratiæ seu misericordiæ Dei propter Christum, Tit. 3. v. 5. Et in multorum explicationibus in hoc loco illa confunduntur. Multi etiam in hoc loco de regeneratione seu renascentia loquentes, tantum de naturæ renouatione & de nouitate vitæ disputant, sine distinctione, & quod in regeneratione præcipuum est, de gratuita adoptione, ferme prætereunt. Ideo ordine & distinctè ea, quæ sub regeneratione comprehenduntur, exponere volui, vt accommodatio textus ad doctrinam eò planior fit. Dicit autem renascendum esse *ex aqua & Spiritu*. Ioannes enim baptizabat tunc aqua, & prædixerat Christum baptizaturum Spiritu sancto. Christus igitur coniungens aquam & Spiritum perfectum, ita Noui Testamenti Baptisma constituit remissionem peccatorum. Et quia Christus mox inchoaturus erat ceremoniam Baptismi per discipulos sicut in Euangelista sequetur: ideo priusquam baptismum per discipulos inchoet, præmittit doctrinam de regeneratione ex aqua & Spiritu. Christus igitur regenerandos & saluandos non Enthusiasticis speculationibus suspēdit, sed ad externum ministerium verbi & Sacramētorum, per quod Spiritus sanctus efficax est, deducit. Et quia Baptismus est lauacrum aquæ in verbo, Ephes. 5. v. 26. *Aquæ* igitur appellatione Christus totum ministerium Noui Testamenti complectitur, verbum scilicet & Sacramenta. Sicut & Baptistæ ministerium ita describitur, prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et regeneratio expresse tribuitur & verbo Euangelij, 1. Pet. 1. v. 23. & lauacro aquæ, Tit. 3. v. 5. Ne vero elemento aquæ, vel operi operato virtus regenerandi tribuatur, addit Christus Spiritum sanctum. Coniungit autem *Aquam & Spiritum*. Verbum enim & Sacramenta sunt externa media seu organa, per quæ Spiritus sanctus vult efficax esse, quod ideo ministerium Spiritus appellatur, 2. Cor. 3. v. 8. Quare autem Christus appellet regenerationem ex aqua & Spiritu, Petrus explicare videtur, 1. Pet. 1. v. 23 In prima natiuitate ἐκ σπορᾶς φθαρτῆς, ex corrupto, vitioso & transitorio semine nati sumus filij peccati, iræ & damnationis, ad hanc temporalem vitam: in regeneratione verò ex semine incorruptibili renascimur, ex verbo Dei viuentis, quod in æternum manet, & ex Spiritu. Atque inde ex aqua & Spiritu regeneramur, vt simus filij Dei & vitæ æternæ. Et quia Christus vniuersaliter loquitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit ingredi regnum Dei*. Ergo infantes etiam regenerandi sunt ex aqua & Spiritu. Christus enim pronunciat, talium esse regnum cœlorum. Considerandum autem & hoc, quomodo, illi, qui nostro tempore efficaciæ Sacramentorum iniquiores sunt, varias quærant rimas vt elabātur, ne de Baptismo Christum locutum esse intelligere cogantur, quando inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c.* Clarissima igitur & simplicissima verba in tropos transformant, per aquam intelligunt mortificationem veteris hominis, per Spiritum intelligunt renouationem naturæ. Quidam ita philosophantur. Quia hominis corpus est terrea moles, quod crassius est elementum: Christum igitur opponere aquam & aerem, liquida & pura elementa, vt per metaphoras aquæ & aeris nos hortetur ad nouitatem vitæ. Tanta est libido à simplicitate verborum discedendi, vt scilicet in clarissima luce verbi Dei cæcutiamus, & contra mentem Christi in monstranda mortificatione & renouatione ratione consequendæ

vitæ æternæ constituamus. Hæc enim est quæstio, hic scopus in hac concione Christi, qua ratione vitam æternam consequi possimus? Et hoc diligenter notetur, vt ad hanc quæstionem explicatio textus rectè accommodetur. Quidam textum ita eludunt, vt copula (&) per ἐπεξήγησιν exponatur, hoc modo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, hoc est ex Spiritu, qui metaphoricè in Prophetis solet aquæ nomine designari. Sed manifestum est, hac interpretatione verba à genuina simplicitate violenter retorqueri. Duo autem prætendunt. 1. Quod solus Spiritus sanctus autor & causa efficiens sit regenerationis, quæ non sit elemento tribuenda. Quod verum sane est. Sed quia non Enthusiastica ratione ἀμέσως, sed per ordinaria media verbi & Sacramentorum regenerationem operatur, ideo hoc modo coniunguntur aqua & Spiritus, sicut 1. Pet. 1. vers. 23. & Iac. 1. vers. 18. Verbum & Spiritus. Alterum est, quod prætendunt, in casu necessitatis salutem non alligandam esse Sacramentis. Sed Christus hoc loco non de extraordinariis casibus, sed de ordinaria institutione loquitur, sicut de circumcisione, Genes. 17. v. 14. vbi nihilominus casus necessitatis exceptus intelligitur, Iosu. 5. v. 7. Quod verò sententia hæc Christi de ministerio verbi & Sacramentorum, tanquam organo Spiritus sancti, intelligenda sit, vna ratio est, quæ vel sola piis mentibus satisfacere potest & debet: quòd scilicet Paulus Baptismum, hoc est, lauacrum aquæ in verbo, vocat lauacrum regenerationis per Spiritum sanctum. Tit. 3. vers. 5. qua explicatione quasi intento digito indicat, hunc locum de regeneratione ex aqua & Spiritu de Baptismo esse intelligendum. Præterea tota Antiquitas semper simplicissimè hæc verba Christi de Baptismo intellexit. Totam vero doctrinam de Sacramentis & de Baptismo hoc loco explicari non est nostri instituti. Hoc enim ad locos communes pertinet; nos vero textum tantum explicare constituimus. Quòd autem Christus dicit, (*Non potest introire in regnum*,) ostendit, nos sicut ex carne nati caro sumus, ante regenerationem & sine Christo esse exsortes à regno Dei, ac Spiritum sanctum per verbum & Baptismum hoc agere, vt ex potestate tenebrarum nos transferat in regnum gratiæ Dei, Coloss. 1. vers. 13. vt in extremo die audire possimus: *Venite benedicti Patris mei hæreditate possidete regnum gloriæ*, Matth. 25. vers. 34. Appellatio enim (*regni Dei*) complectitur liberationem à peccato, Diabolo, æterna morte, & damnatione: Item remissionem peccatorum, iustificationem, adoptionem, hæreditatem vitæ æternæ, iustitiam, pacem & gaudium in Spiritu sancto, Rom. 14. v. 17.

Addit autem Christus, (*Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu Spiritus est*) Cyrillus hoc loco disputat de creatione & formatione hominis, qui cùm corpore constet & anima, corpus ex parentum carne tanquam ex traduce formari, animam verò à Spiritu ex nihilo ad Esse produci, & ab ipso ad imaginem Dei reformari, vt diuinæ naturæ particeps efficiatur, 2. Pet. 1. vers. 4. atque ideo hoc loco dici, *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*. Sed Christus non de parte hominis loquitur: totum enim hominem non renatum intelligit, quando nominat carnem, ac Spiritum vocat totum hominem regeneratum. Ac simplicissimæ explicationes sunt, quæ ex contextus cohærentia sumuntur. Non dubium autem est, in hisce verbis contineri αἰτιολογίαν præcedentium, vt scilicet ratio reddatur, quare omnibus saluandis necessaria sit regeneratio, quia, quod ex carne natū est caro est. Appellatione *carnis* vero hoc loco nō intelligēdā est carnea moles vel substātia corporis nostri: sed quia caro spiritui opponitur, intelligēdus est totus homo, qualis est ex prima natiuitate ex parentibus, sicut in corpore & anima, in omnibus potentiis & viribus peccato corruptus & deprauatus est. Ita enim Scriptura totum hominem vocat carnem, destitutum Spiritu, Genes. 6. v. 3. Isa. 40. v. 6. Rom. 7. vers. 18. & 8. ver. 1. renatum vero hominem vocat spiritum, Rom. 8. vers. 5. 1. Cor. 6. vers. 17. & sententia obscurior videtur, quia vocabula abstracta pro cōcretis ponuntur, more Scripturæ. Paulus vero vtroque modo loquitur, nominat hominem iam carnem, iam spiritum: illud vero declarat, cum nominat hominem carnalem & spiritualem, Rom. 7. vers. 14. 1. Corinth. 2. ver. 15. Galat. 6. vers. 1. Ita Christus ipse hoc loco monstrat orationem abstractam resoluendam in concretam, cum inquit: *Omnis qui natus est ex Spiritu spiritus*, hoc est, spiritualis *est*: *& qui natus est ex carne, caro*, hoc est, carnalis *est*. Et eadem Antithesis hoc loco est, carnis & spiritus, sicut 1. Corinth. 15. v. 46. Paulus opponit imaginem primi Adami, terreni & carnalis, & secundi Adami, Christi cœlestis & spiritualis. Vnde simplicissimè hic locus explicari & illustrari potest. Adam initio ad imaginem Dei creatus verè fuit homo spiritualis: & si talis mansisset, tales etiam liberos procreasset: Dona enim illa imaginis Dei in Adamo tanquam in stipite generis humani deposita erant. Sed quia per lapsum spiritum excussit, & imaginem Dei amisit, factus est igitur caro seu carnalis. Et quia effectus non potest præstantior esse sua causa: ex carne igitur non potest nasci spiritus, sed caro: vel ex natura carnali non nascitur spiritualis, sed carnalis. Caro autem in hac significatione, quando spiritui opponitur, tria hæc complectitur. 1. carentiam iustitiæ originalis: omnes enim carnaliter nati, carent gloria Dei. 2. deprauationem naturæ. 3. reatum iræ Dei, mortis & damnationis æternæ. Licet enim in æternis aliquid facultatum, quæ per se Dei dona sunt, residuum sit in homine: inquinata tamen & polluta sunt & hæc, sicut si in vas fœtidum liquor non malus infundatur. Ita ergo Christus ostendit, hominem, qui ex carne natus, caro seu carnalis est, non posse per se regnum Dei introire. Lex enim infirmatur per carnem, quæ Legi Dei non subiicitur, nec enim potest. Rom. 8. vers. 3. & quia caro concupiscit aduersus spiritum, Galat. 5. vers. 17. & sensus carnis inimicitia est aduersus Deum, Rom. 8. vers. 7. Sequitur ergo reatus, quod natura sumus filij iræ, Ephes. 2. vers. 3. & propterea caro & sanguis regnum Dei, quod cœleste & spirituale est, hæreditare non possunt. 1. Corinth. 15. vers. 50. Et hoc prorsus conuenit cum eo, quod Christus hoc loco dicit: *Nisi quis renatus fuerit*, vt efficiatur spiritus seu spiritualis, *non potest introire in regnum Dei*. Quod vero ex carne carnaliter nascitur, etiam si vel centies vterum rursus ingredi posset, non spiritus sed caro est. Ergo vt spirituales efficiamur, necesse est, vt ex Spiritu renascamur. *Quod enim ex Spiritu nascitur spiritus est*: non quod caro renatorum mutetur in spiritum, sed homo fit spiritualis. Vt autem rectè considerari possit, quomodo in regeneratione spirituali illud fiat, opponuntur tria illa, quæ sub *appellatione* carnis hoc loco comprehendi diximus. 1. Carentiam. 2. Deprauationem. 3. Reatum. In regeneratione enim reatus propter meritum Christi tollitur & remittitur, ac imputata per fidem iustitia Christi acceptamur vt filij & hæredes Dei, hoc est, vt cœlestes & spirituales efficiamur. Deinde caro deprauata incipit per Spiritum mortificari, & spoliata caro incipit collatis nouis spiritualibus donis renouari. Sed & mortificatio & imperfecta & polluta sunt, vt iudicio Dei opponi non possint sed in altera demum vita consummata erunt, quæ etiam propterea vocatur παλιγγενεσία, regeneratio, Matth. 19. v. 28. Nam & tunc ipsa caro sine peccato ad vitam æternam resuscitabitur. Vnde planum est, in qua parte regenerationis fiducia salutis collanda sit, ita sententia horum verborum simplicissime potest intelligi, ac manifestatum inde est, quàm pulchra ætiologia præcedentis sententiæ de regeneratione sit in his verbis: *Quod ex carne natum est*, *&c.* & quā multa moneat. Notum autem est, quòd vocabulo *carnis* aliquando ipsa substantia humanæ naturæ significetur, ita, *Verbum caro factum est*, Ioh. 1. v. 14. *particeps factus carnis & sanguinis*, Hebr. 2. v. 14. aliquando verò significat ipsam naturæ corruptionem & deprauationem, quam ex carnali natiuitate contrahimus, vt hoc loco. Quia igitur filius Dei non carnali propagatione, sed ex Spiritu sancto conceptus carnem nostram, per Spiritum sanctum à peccato mundatam & sanctificatam, assumpsit, ideò non comprehenditur sub hoc dicto: *Quod ex carne natum est, caro est*, sed pertinet ad alteram sententiam *Quod ex Spiritu natum est spiritus est*. Non quòd carnis nostræ substantiam non assumpserit, sed quia spiritualis est, 1. Corint. 15. vers. 45.

Quod sequitur: *Ne mireris, quòd dixi tibi, oportet vos nasci denuò*, hæc verba quidam præcedentibus annectunt hoc modo: Quia iam audiuisti, quare necessaria sit omnibus regeneratio. Nam quod ex carne nascitur caro est. Non ergo mireris, quod dixi, oportet vos renasci, causam enim iam intelligis. Hæc sententia bona est: sed vsitatè verba illa ad sequentia referuntur. Hic enim scrupulus videbatur in Nicodemi animo restare, quod regenerationē spiritualem credere nōdū volebat, quia oculis illa videri, sensibus & ratione quomodo fiat cōprehendi nō potest. Idē enim manet corpus, iisdē casibus obnoxiū, etiam post regenerationē: & anima etiā in renatis nō sine peccato est. Christus igitur adducit similitudinem venti in hāc sententiā: In quotidianis & physicis rebus in hac vita corporali multa sunt & fiunt, in quibus virtutē Dei extare negare nō possumus, & tamen modū eius sensibus & ratione nostra cōprehendere non possumus: nec tamen illam propterea, quia ratio eius occulta nobis est, negamus. Quàm absurdū igitur est, in spirituali & cœlesti regno Dei, quod ad vitam æternam pertinet, gratiam & virtutem Dei ex sensuum & rationis comprehensione æstimare velle, vt nec aliud, nec amplius, quam vel oculis videmus, vel ratione comprehendere possumus, credere velimus. Hæc generalis similitudinis huius accommodatio & simplex & plana est. Beneficio aeris in hac vita ad auram vitalem quotidie fruimur, & tamen oculis nec aerem nec ventum videmus. Sonum venti audimus & sentimus,

timus, quàm facile ventus moueatur, & aura, iam in hanc, mox in contrariam partem spiret, sensu apprehendimus, sed eius motus & mutationis modum & rationem comprehendere non possumus. Hoc sane dicere possumus, ventum iam ab ortu occidentem versus flare, iam ab Austro Boream versus: sed certum & determinatum locum, vnde primum incipiant venti, & vbi tandem desistant, scire non possumus, cum sæpe in terra eodem tempore alij sint venti, quàm in mari. Et hoc Christus vult, quando dicit: *Nescis vnde veniat & quo vadat.* Hæc generalis ratio adductæ similitudinis sufficere potest, vt eius, quod additur, *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu*, hic sit sensus: ita fit & in eo, qui ex Spiritu nascitur; seu, talis est etiam ratio regenerationis spiritualis, quòd nec oculis videri nec modus eius ratione comprehendi possit: tamen secundum Dei verbum credenda est, nec ideo neganda, quia non potest oculis videri, aut ratione comprehendi. Aliàs enim etiam aërem & ventum negare te oporteret. Sed præter generalem hanc accommodationem, quædam etiam similitudinis partes ad spiritualem regenerationem accommodari possunt, propterea, quia Christus dicit, *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.* Sicut igitur ventus, vbi vult, spirat: ita Spiritus sanctus, non secundum dignitatem & merita, sed quos & quàdo vult, arcanis suis afflatibus aspirat, diuidens dona sua singulis sicut vult. 1. Co. 12. v. 4. Et sicut sonum venti audimus, licet ventum non videamus. Item: Sicut non visu, sed ex effectu ventum, quem non videmus, agnoscimus: ita regeneratio spiritualis, non sensibus carnis, nec ratione humana, sed ex efficacia Spiritus mouentis & agentis regeneratos percipitur. Spiritus enim Christi dat testimonium spiritui nostro, Rom. 8. v. 16. & ex fructibus spiritus Gal. 5. v. 22. præsentia & efficacia eius cognoscitur. Vnde vero motus & afflatus illi spiritus subitò sæpe veniant, & ad quem euentum spiritus illos ita agat, ipsi renati sæpe non intelligunt, sicut de vento nescis, vnde veniat, aut quo finaliter vadat. Quibus partibus similitudinis & hoc vtiliter potest addi. Sicut aeris motus aliquando maior, aliquando minor, aliquando nullus sentitur: ita sciant renati, nō semper ex sensu motuum spiritualium de præsentia & efficacia Spiritus sancti statuendum esse. Quidam reliquas etiam venti proprietates ad regenerationem Spiritus accommodant. Sicut ventus mouet, impellit, refrigerat, excitat, &c. sed satis est, illa, quæ Christus ipse in hac similitudine notauit, obseruare. Augustinus hæc omnia intelligit non de vento, sed de persona spiritus: propterea, quod nec voluntas nec vox vento proprie tribui potest, vt sensus sit; Sicut ipse Spiritus sanctus autor regenerationis, inuisibilis & incomprehensibilis est, cuius vox in ministerio verbi auditur, & præsentia eius effectu ostenditur; talem etiam esse rationem eorum, qui nati sunt ex spiritu. Vera sane hæc sunt, sed à simplicitate literæ aliquantum discedere videntur. Simplicius itaque est, vt de vento verba hæc intelligantur, sicut Chrysostomus, Cyrillus, & reliqui Græci intelligunt.

Porro ad hæc Nicodemus respondet, *Quomodo possunt hæc fieri*; non dicit *Hoc*, sed in plurali complectitur omnia, de quibus Christus hactenus disseruit, de naturæ corruptione, de spirituali regeneratione, & de modo incomprehensibili: & dicit, se illa non posse assequi, aut quomodo fieri & ita se habere possint, non intelligere. Et quia Nicodemus videbatur illo suo supercilio Pharisaico, quod dicebat, se hæc non intelligere, non exiguum præiudicium contra doctrinam Christi afferre. (Si enim vera essent, certe tantus doctor in Israel non ignoraret.) Christus igitur, nolentem se magistro spiritus humiliter subdere, sed supercilium Pharisaicum opponentem, & subinde repetentem suum *Quomodo*, durioribus verbis excipit, vt ruditatem suam in rebus spiritualibus discat agnoscere, & rationem suam captiuare in obsequium Christi, 2. Cor. 10. vers. 5. Ac præiudicium illud prorsus inuertit, & simul ostendit, Pharisæos cùm aliis ociosis quæstionibus & disputationibus occupati essent, ea, quæ in doctrina Ecclesiæ præcipua sunt, suis traditionibus obscurasse, sepeliisse, & verum Scripturæ sensum amisisse. *Es tu*, inquit, præcipuus *doctor in Israel*, & doctrinam de naturæ corruptione, & de spirituali regeneratione *ignoras*? Quod non tam exprobrantis, quàm admirantis & dolentis est eo rem cum Ecclesia Dei rediisse, vt ipsa principia & fundamenta doctrinæ cœlestis, non vulgo tantum, sed ipsis doctoribus ignota sint. Simul verò ostendit, non nouam esse hanc doctrinam, sed doctorem Israelis non debere ignorare, quàm multis testimoniis Scriptura Veteris Testam. naturæ nostræ corruptionem describat ac deploret, & quàm multis in locis Prophetarum spiritus regeneratio describatur, vt Psal. 51. v. 7. Ezech. 11. v. 19 & 36. v. 26. cum quidem etiam de aquis manantibus extent vaticinia, Ezech. 36. v. 25. & Zach. 13. v. 1. Summa igitur est: neminem, quantumuis aliàs eruditum & celebrem, cum fructu posse in Ecclesia docere, si hæc, de naturæ corruptione, & de regeneratione, vel ignoret, vel non recte tradat.

Subiungit autem Christus, *Quod scimus loquimur; quod vidimus, testamur, &c.* Hæc & sequentia simplicius & planius intelligi poterunt, si cogitetur, Nicodemum in postrema quæstione, & de ratione consequendi vitam æternam, quā Christus docebat, & præcipue, cùm Leuiticis ceremoniis finem & abrogationem denunciaret cur ad ministerium verbi sui & Sacramentorum regenerandos deduceret, & affirmaret Baptismum esse lauacrum regenerationis Spiritus sancti, dubitasse. Ad has quæstiones si sequentia accommodentur, textus planus erit, ita scilicet decretum & constitutum esse in arcano consilio Trinitatis: ac quia terreni sumus, ideo Deum per externum ministerium nobiscum agere, quia cœlestia aliàs capere non possimus. Nec in elemento aquæ virtutem salutis esse, sed propter meritum mortis & resurrectionis Christi nos saluari. Illud vero per ministerium verbi & Sacramentorum nobis offerri & distribui, ac fide accipi. Hoc modo totus sequens contextus planus erit. Sed singula breuiter percurremus. [*Amen amen dico vobis, quia quod scimus loquimur, &c.*] Insignis est hic locus de certitudine doctrinæ Christi, quod vera, certa, firma, & apud Deum rata sint, quæ Christus docet. Offendit interpretes pluralis numerus, *Scimus, Loquimur, Testamur*: ideo referunt hanc sententiam simul ad Christum, & ad Baptistam, qui de corruptione naturæ, & de fide in Christum iustificante & saluante idem docuit, quod hoc loco Christus sicut in fine tertij capitis Iohannis apparet. Alij interpretantur de doctrina Christi & omnium Prophetarum & Apostolorum, quod Christus & suæ & ministrorum suorum doctrinæ certitudinem eandem vindicet. Sed verba illa, *Scimus & videmus*, Christo proprie conueniunt, sicut inquit Ioh. cap. 8. v. 38. *Ego quæ vidi apud Patrem meum, loquor.* & Matt. 11. v. 27. *Nemo nouit Patrem, nisi Filius.* Ioh. 1. 18. *Nemo Deum vidit: vnigenitus Filius, qui in sinu Patris est, ipse enarrauit.* Prophetæ omnia ea, quæ ex afflatu spiritus didicerunt, & quæ ex reuelatione audiuerunt, locuti sunt: sed nos, quæ scimus, quæ vidimus, testamur. Loquitur autem pluraliter, quia Ioh 8. v. 16. inquit: *Non sum solus, sed ego, & qui misit me Pater.* Item v. 17. *Qui misit me, mecum est, & non reliquit me solum.* Et duorum testimonium verū est. item: *Spiritus Domini super me.* Luc. 4. v. 12. Chrysostomus ergo & Cyrillus recte hoc loco pluralem numerum exponunt, sicut Ioh. 14. v. 23. *Veniemus & mansionem faciemus.* Et Gen. 1. 26. *Faciamus hominem.* Insignis ergo hæc commendatio est huius doctrinæ, & de regeneratione Spiritus, & de externo eius ministerio: quod scilicet in arcano diuinitatis cōsilio decreta, & per filium, qui in sinu Patris omnium secretorum diuinitatis conscius est & interpres, enunciata est.

Quod vero addit, *Si terrena dixi vobis*, Chrysostomus & Cyrillus ita interpretantur, quod hæc de corruptione & regeneratione, licet sint mysteria spiritualia, tamen si ad alia mysteria sublimiora conferantur, vt de Trinitate & de cœlesti gaudio vitæ æternæ, quod in cor hominis non ascendit, terrena & quasi rudimenta fidei censeri possint. Vnde ἐπίγεια quidam intelligunt, quæ hic in terris in Ecclesia fiunt: ἐπουράνια vero, *wie es im Himmel zugehe*, vbi à facie ad faciem Deus videtur. Augustinus interpretatur *Quomodo cœlestia hæc mysteria intelligetis, cum antea terrena quæ de soluendo templo vobis dixi nō credideritis?* Sed simplicius erit, quia similitudinem de vento vsurpauerat, si sententiam hanc, & de modo docendi simpliciori, quo Christus mysteria illa proposuit, & de externo ministerio, quia de aqua & spiritu dixerat, intelligamus. Dicit itaque, se cœlestem illam sapientiam non proponere linguis angelorum, quæ captum humanæ mentis etiam Spiritu sancto illustratæ, in hac vita excedunt; sed ait, se loqui terrestria. Quod non de subiecta materia, quæ spiritualis & cœlestis est, sed de modo docendi intelligendum est: hoc est, affirmat, se non vti cœlesti genere dicendi, sed tam familiari, simplici, & quasi rudi ratione docendi, vt iudicetur, non cœlestia, sed terrestria loqui; sicut Paulus Rom. 6. vers. 19. & Gal. 3. vers. 15. cum simplicius & crassius doctrinam explicaret, inquit: *Humanum aut secundum hominem dico propter infirmitatem carnis vestræ.* Vbi ratio exponitur, quare tam simplex & plebeium genus dicendi sit in sacris literis, præsertim in Nouo Testamento. Augustinus inquit: *Sicut nutrix demittit se ad gressus infirmiores infantuli*: ita diuina sapientia, non cœlesti magnificentia, sed terrestri simplicitate de summis mysteriis loquitur, accommodans se ad infirmitatis nostræ captum, vt ea, spiritu illuminante, intelligere & credere possimus. Quomodo inquit, si cœlestia vobis dicerem, crederetis, cum non credatis, quando terrena vobis dico? Hoc est, quando cœlestia vobis trado, & propono ratione docendi simpliciore & plebeia, quę ruditati vestrę accommodata est. Deinde vtiliter & simplicissime hęc verba ita intelligi possunt: cur quærentes efficaciam spiritus, regenerationem & salutem, Christus deducat ad externum mi-

nisterium verbi & Sacramentorum; quod scilicet propter infirmitatem nostram cœlestia illa beneficia & dona non in cœlesti maiestate, sed sub inuolucris terrenis, per externũ scilicet ministerium verbi & sacramentorum, quæ res terrenæ sunt nobis aliàs vsitatæ & familiares, offerat, exhibeat, distribuat, applicet, obsignet, ita vt Euangelium prædicatum & auditum sit virtus Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. Et per lauacrum aquæ Christus mundet & sanctificet Ecclesiam, Ephes. 5. v. 26. Hoc enim naturæ nostræ infirmitas, quæ alias in hac vita cœlestia dona capere non potest, sicut in vita æterna fiet, requirit. Et hac etiam in parte diuina maiestas ad nostram infirmitatem se dimisit, quod scilicet per terrena, hoc est, per externum ministerium, nobiscum vult agere, & per illud in nobis efficax esse.

Quod vero addit: *Testimonium nostrum non accipitis, & non creditis*, docet 1. tantam esse cæcitatem mentis nostræ, vt testimonium Christi, quod certissimum est, & clarissime proponitur, non possit accipere & credere, nisi mens à Spiritu sancto illustretur, & fides accendatur. 2. Ostendit naturæ nostræ peruersitatem, quæ externo ministerio offenditur, & spernit illud, cum nobis in bonum, propter naturæ nostræ infirmitatem, institutum sit illud. 3. Monet Christus his verbis, ne doctrinam Euangelij ex multitudine & qualitate eorum, qui ab ea dissentiunt, æstimemus, & ne propterea offendamur, quãdo multi & magni sunt, qui hanc doctrinam non accipiunt. Christus enim de Nicodemo, & aliis Pharisæis & Principibus Iudæorum loquimur, & ab illis dicit non accipi testimonium illud, quod tamen totius Trinitatis est.

Sequitur in textu, *Et nemo ascendit in cœlum, &c.* Dupliciter hæc verba præcedentibus coniungi possunt. Primò, vt sint quasi explicatio eius, quod dixit, *Quod scimus & vidimus, testamur & loquimur.* Inscrutabilia enim sunt iudicia Dei, & inperuestigabiles viæ eius: quis cognouit mentem Domini? aut quis illius fuit à consiliis? Rom. 11. v. 33 Quis ascendit nobis in cœlum, vt inde afferat & annunciet nobis? Deut. 30. v. 12. Ad hæc Christus his verbis respondet: *Nemo ascendit in cœlum nisi filius hominis, qui est in cœlo* Vnigenitus igitur filius, qui in sinu patris est, qui nouit & vidit, ipse enarrauit nobis. Secundo potest hæc sapientia ad doctrinam præcedentem ita accommodari, quòd hactenus Christus locutus sit de ministerio verbi & Sacramentorum, per quod Spiritus sanctus efficax est, offerens beneficia Christi, iam vero in sequentibus incipiat describere, & personam Saluatoris & meritum eius. Atque hoc modo verba considerata præbebunt valde illustrem sententiam. Humanum genus propter peccatũ cœlo exclusum est, & nemo suis viribus, virtutibus aut meritis vnquam potuit aut poterit in cœlum ascendere & hæreditatem eius recuperare. Vnigenitus igitur filius Dei, qui in cœlo est, descendit, factus filius hominis. Atque ita humana natura in Christo per hypostaticam illam cum diuinitate verbi vnionem ascendit in cœlum, ac rursus recuperauit hæreditatem ac possessionem regni cœlorum, ideo vt nobis, qui ipsius, vt filius hominis, fratres sumus, viam in cœlum aperiret, & dedicaret Heb. 10. vers. 20. atque aditum ad cœlestem hæreditatem regni Dei pararet, vt in Christo & per Christum, tanquam membra capitis nostri, in cœlum ascendere possimus. Atque ideo Saluatorem nostrum oportuit esse & vnigenitum filium Dei, qui in cœlo est, & filium hominis, vt ita nostram naturam, & nos fratres suos secum, per se & propter se in cœlum adduceret & eueheret. Ita non tantum descriptionem personæ Christi, quòd Deus sit & homo, hæc sententia continet, sed simul monstrat doctrinæ huius vsum. His ita explicatis, vocabulorum consideratio facilis erit, & aliquid monebit. Dicitur *descendisse de cœlo*: non quod diuinitas profectione locali cœlum reliquerit: (ideo enim etiam post descensionem dicitur, qui est in cœlo) sed quia assumendo humanam naturam, quę cœlo exclusa erat, filius hominis factus est ratione incarnationis & exinanitionis. Dicitur item de cœlo descendisse, non quod carnem de cœlo detulerit: sed quia ab æterno fuit in cœlo, hoc est, verus Deus, & carnem ex Maria per cœlestem operationem Spiritus sancti assumens, dicitur è cœlo descendisse, factus filius hominis. Hac verò vnione natura humana in cœlum seu regnum Dei subuecta ascendit, quod postea visibili ascensione declaratum fuit. Nemo enim hominum aliàs propria virtute, suo iure ac merito, in cœlum ascendit, nisi Christus filius Dei & filius hominis, per quem, & propter quem, cuius virtute, iure ac merito, omnes, qui cœli ciues fiũt, ascendunt. Dicitur autem *filius* ille *hominis* esse *in cœlo*: non enim duæ in Christo personæ sunt, sed vnica persona est Deus & homo. Et quia in illa exinanitione habet & retinet diuinam virtutem & omnipotentiam, plenus gratia & veritate, & quia plenitudo diuinitatis in ipso habitat corporaliter: ideo & in hanc sententiam filius hominis dicitur esse in cœlo. Porro vsitatissimum est in tota Euangelica historia, quod Christus se vocat *filium hominis*. Rationem appellationis quidam afferunt, cùm in terris Christus non habuit patrem, sed matrem tantum, ideo vocari filium hominis, quasi vnius: sed Græce genitiuus *Hominis* masculinus est, τοῦ ἀνθρώπου. Operæ pretium autem est considerare, vnde sumpta sit illa appellatio filij hominis, quod Messiæ appropriata fuit? Non autem dubium est, sumptam esse appellationem ex 7. capite Danielis v. 13. vbi personam Messiæ Propheta ita describit: *Aspiciebam, & ecce veniebat in nubibus cœli, quasi filius hominis: qui vsq; ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem, honorem, regnum, vt populi seruiant ipsi.* Sicut igitur ex Daniele sumpta fuit vsitata tunc appellatio Messiæ, ita ex eodem propheta vulgus Messiam, quẽ exspectabat, vocauit filium hominis, illum scilicet, quem Daniel in visione prospexit, sicut & filium Dauidis vulgus Messiam appellauit. Atque inde Christus appellationem filij hominis appropriate sibi accommodauit. Ratio igitur appellationis filij hominis hæc complectitur. 1. Quod sit appellatio à Daniele peculiariter Messiæ attributa. 2. Quod Christus verus sit homo. Cum enim filius Dei potuisset è terra sibi creare carnem humanã, sicut Adam formatus fuit, vocat se Christus non hominem tãtum, sed filium hominis, qui scilicet ex Maria carnem assumpserit, factus ita filius hominis. 3. Quia in Hebræa lingua excellẽtes & clari viri, existentes in magna dignitate & autoritate, vocantur filij viri, Plebei vero & obscuri vocantur filij hominũ: ideo propter summam humilitatem & exinanitionem in forma serui vocat se Christus filium hominis. 4. Potest & hęc ratio addi, quod Ezechiel, licet obscurus, abiectus, & contemptus esset: tamen quia ad publicum in Ecclesia officium & ministerium à Deo missus erat, semper à Deo compellatur filius hominis. Sicut & ratione officij & ministerij pater filium apud Isaiam ita compellat: *Ecce seruus meus &c.* Isa. 42. v. 1. Hæc de ratione appellationis filij hominis simplicia, plana & vtilia sunt, quæ hoc loco semel, quia appellatio sæpius occurrit, annotare volui. Et Christus, ne peregrina, quæ Nicodemo Magistro Israelis prorsus ignota essent, docere videretur, tota hac sententia respexit ad locum illum Danielis 7. v. 13. de filio hominis ascendente in cœlum, & in nubibus veniente ad antiquum dierum. Sicut & ex illo loco Danielis hæc sententia illustrari potest.

Et sicut in deserto Moses exaltauit serpentem, &c. Quia autem dixerat, *Es tu magister in Israel, & hæc ignoras?* ideo proximam sententiam ex Prophetis, & hanc ex Mose allegat. Semper autem cogitetur, quomodo membra doctrinæ in hac concione cohæreant. Initiò dixit, Spiritum sanctum per ministerium verbi & Sacramentorum distribuere beneficia regenerationis, iustificationis, adoptionis, salutis & vitæ æternæ. Et personam Saluatoris, cuius beneficia hæc sunt, in proximo versu descripsit. Nunc igitur in hoc versu ostendit, quo merito Saluator beneficia illa, nobis distribuenda, acquisierit. Regeneratio enim, adoptio & vita æterna, pendent ex merito & efficacia Christi.

Nota autem est historia de exaltatione serpentis, Num. 21. v. 9. quæ inter omnes figuras Veteris Testamenti maxime apposita visa fuit Christo, ad explicandam & illustrandam hanc doctrinam. Sicut enim tunc in deserto, ita natura nostra veneno serpentis in Adamo sauciata & infecta, nullo emplastro sanari potuit, sed æterna morte ipsi pereundum fuisset. Sed filius Dei, factus in similitudine carnis peccati sine peccato, sicut æneus serpens formam igniti serpentis habuit, sed absque veneno, & in ligno exaltatus fuit: ita Christus peccata nostra in corpore suo portauit super lignum, 1. Pet. 2. v. 24. Atque ita obedientia & passione sua peccata nostra expiauit, à morte æterna nos liberauit, iustitiam & vitam, æterna redemptione inuenta, acquisiuit. Et illa beneficia Spiritus sanctus per ministeriũ distribuit. Exaltatio enim de Christo in Scriptura tribus modis vsurpatur, 1. Pro passione, crucifixione & morte Christi, qua indignè suspensus, peccatũ & maledictum pro nobis factus est, vt nos à maledictione legis liberaret, Gal 3. v. 13 Ita vsurpatur Ioh. 8. v. 28. & 12. v. 32. vbi additur, quod vocabulo exaltationis significarit, qua morte esset moriturus. 2. Vocatur in Scriptura exaltatio Christi, quod victor peccati & mortis acquisita iustitia & vita ad dexterã patris exaltatus est, Act. 2. v. 33. Phil. 2. v. 9. vt vultui Dei appareat pro nobis, Heb. 9. v. 24. vtque per viam eius seruemur, Rom. 5. v. 10. Vocabulum igitur exaltationis hoc loco cõplectitur omnes illas Scripturæ sententias, quæ docent, Christum traditum propter peccata nostra, & resurrexisse propter iustitiam nostram, Rom. 4. v. 25. 3. Vocabulum exaltationis referri potest ad locum Isa. 11. v. 10. quod scilicet meritũ Christi per ministerium Euangelij, tanquam erecto vexillo, omnibus proponatur, sicut serpẽs æneus in ligno erectus omnium oculis in deserto proponebatur. Cumque antea legem in deserto quidem accepissent, contra lethales vero serpentum morsus ex lege nihil poterant remedij

remedij habere, sed diuino beneficio, gratuito aspectu exaltati serpentis sanabantur: ita non est data lex quæ posset viuificare, Galat. 3. ver. 21. *Et ex operibus legis non iustificatur omnis caro.* Oportuit igitur filium hominis 1. vt victimam exaltari in cruce. 2. vt Mediatorem ad dexteram Dei exaltari. 3. tanquam vexillum Isa. 11. v. 10. erigi, & nobis in Euangelio proponi, vt intuitu fidei ad illum confugiamus, & meritum eius fide nobis applicemus, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Et ratio fide etiam inde colligitur. Qui enim morsus serpentum sentiebant, cum nec in lege nec alibi antidotum contra venenum illud inuenire possent, ne tamen perirent, humili intuitu se conuerterunt ad exaltatum serpentem. Et quia non ratione æris, sed ratione institutionis & promissionis diuinæ aspectus ille serpentis sanabat: In illo igitur aspectu fides promissionem tunc apprehendit. Ita fides in vera pœnitentia Christum in promissione quærit, intuetur, & apprehendit, & in Christo inuenit meritum & efficaciam salutis & vitæ æternæ. In hoc enim Christus differt à serpente illo æneo, qui in se non habuit virtutem sanandi. Et inde fit, quod omnis qui credit in Christum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ita ergo persona Saluatoris descripta est: deinde meritum eius: tertio medium per quod Spiritus beneficia illa offert & distribuit: ministerium scilicet Euangelij: quarto, fides etiam, quæ medium seu organon est, quo beneficia illa Christi apprehendimus, accipimus, & nobis applicamus, vt non pereamus, sed vitam æternam habeamus.

Sic enim Deus dilexit mundum, &c.) Erasmus hæc verba cum sequentibus accipit tanquam ab Euangelista explanationis gratia præcedenti concioni Christi subiecta. Textus enim in tertia persona de Christo loquitur. Sed contextus optime fluit, & plus habet auctoritatis, si accipiatur esse continuatio concionis, & verba esse ipsius filij, qui solet de seipso in tertia persona loqui, cum alias, tum in hac ipsa etiam concione in præcedentibus, *Nemo nisi filius hominis.* Item, *Oportet filium hominis exaltari.* Et hoc loco particula γὰρ ostendit αἰτιολογίαν, cœptum à Christo sermonem continuari. Ac consideretur, quomodo membra doctrinæ cohæreant. Dictum est hactenus, quid in negotio iustificationis filius faciat, quid Spiritus sanctus iam addidit, quæ in hoc negotio partes sint Dei, qui pater est vnigeniti filij. Et explicatur, quomodo & vnde factum sit, quod filius Dei incarnatus liberationem nostri susceperit: quia scilicet ex immensa misericordia decretum hoc redemptionis in arcano consilio Trinitatis ita factum sit, vt ita constet, sine vllo nostro merito, ex gratuita gratia dilectionis seu misericordiæ Dei nos saluari: vtque certi simus, redemptionem, item iustificationem & saluationem fide, propter Christum, ratam esse apud Deum. Breuiter autem ostendemus, quomodo singula verba expendenda sint. Quod etiā in significatione præterita dicit, ἠγάπησε, *Dilexit mundum*: eo verbo deducit nos ad considerationem eius, quod plenius explicatum extat Ephes. 1. v. 5. & 2. Tim. 1. vers. 9. quod scilicet ante iacta fundamenta mundi, & ante tempora secularia, ex gratia, iuxta propositum & beneplacitum voluntatis suæ prædestinarit & constituerit Deus nos per sanguinem Christi redimere, adoptare, & acceptos sibi reddere ad vitam æternam. Non igitur obiter, vel leuiter, vel subito impetu in cogitationem redemptionis filius Dei deuenit; sed in arcano consilio Trinitatis decretum hoc fuit ante tempora secularia. Firma igitur & rata sunt illa omnia. Et tunc quidem, cum ante tempora secularia nondum essemus, nullum potuit mundi meritum esse. Ac ne quis cogitet Deum aliquid præuidisse in nobis, vel causam aliquam in nobis esse, vnde Deus dignum iudicarit, vt nos respiceret & liberaret: Christus Antithesin facit inter Deum & mundum, hoc est, homines peccato corruptos. Deus enim est summum bonum, sibi sufficiens, nullius indigens, & nullius debitor, habens præstantissimorum Angelorum multa millia, facientium voluntatem suam: Homo vero est puluis & terra, tanquam flos decidens, & fumus euanescens. Quid igitur est homo tam misera creatura, quod memor es eius? & filius hominis, quod respicis ipsum? Psalm. 8. v. 5. Imo mundus totus in malo culpæ & pœnæ submersus est. 1. Ioan. 5. vers. 19. Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum, Rom. 8. v. 7. Et Deus est zelotes, non volens, sed puniens & damnans peccatum. Quod igitur Deus, qui talis est, talem mundum non abiecerit, non damnarit, sed absque merito, imo contra quàm merebatur, dilexerit hæc immensa, incomprehensibilis, imperscrutabilis & ineffabilis est misericordia, sicut Paulus inquit, Rom. 5. v. 8. *Commendat Deus caritatem suā erga nos, quod cum peccatores & inimici essemus. Christus pro nobis mortuus est: cum vix in causa iusta, & pro re vtili quis mori sustineat.* Non autem cogitandum est, quod Deus ipsum peccatū diligat, seu approbet: vel quod non curet, siue homines sibi repugnent, siue obsequantur: vel quod homines in sceleribus perseuerantes gratos & acceptos sibi habeat. Hoc enim simpliciter pugnat contra totam doctrinam Legis, cuius ne vnū quidem Iota destrui & cadere potest, quin impleatur, Matth. 5. vers. 18. Rom. 5. vers. 31. Sed verbum *Diligere* complectitur misericordiam, sicut explicatur Ephes. 2. vers. 4. quod scilicet Deus, prospiciens in tristissimam corruptionem & in miserrimam perditionem totius generis humani, ex immensa misericordia & condemnatione condoluerit, vniuerso generi humano tam misere in æternum pereundum esse, quodque illa misericordia & commiseratione motus cogitarit, & decretum fecerit de redimendo & liberando genere humano, cum quidem angelicam naturam, quæ nostra multo est præstantior, lapsam præteriret, & in merita damnatione relinqueret. Nam & hæc consideratio commendat caritatem Dei erga nos. Ne vero contradictoriæ seu pugnantes voluntates in Deo ponantur, semper cogitandum est, ad intercessionem filij Dei, offerentis se ad satisfactionem, decretum hoc redemptionis factum esse. Dilectio enim & misericordia Dei erga nos damnatos peccatores in Christo Mediatore fundata est.

Addit autem Christus, Deum non tantum dilexisse: sed *ita* siue adeo dilexisse mundum, *quod vnigenitum filium tradiderit.* Quæ verba opponit Epicureæ leuitati cogitationum de recōciliatione. Sicut enim homo sæpe ex iusta causa iratus leuiter mutato affectu iram remittit, pœnam indulget, & inimicū in gratiam recipit: ita cogitamus etiam de reconciliatione generis humani cum Deo, quod illa facta sit & fiat sola leui mutatione affectuum in Deo. Sed ita non opus fuisset Christum in crucem exaltari. Ideo hæc verba, de tradito filio, ex hoc fundamento extruunt doctrinam redemptionis. Cum lex sit perpetua & immota regula iustitiæ in Deo, ita vt potius non tantum genus humanum, sed ipsum cœlum & terrā interire necesse esset, quàm vel vnicus apex legis cadere posset quin impleretur, Matth. 5. ver. 18. Ideo sine perfecta impletione legis, & sine plena satisfactione pro peccatis mundi, nō potuit fieri redemptio & reconciliatio mundi. Homo vero corruptus legem implere non potest: & si omnes simul in æternum in inferno arderent, tamen, quia meritas tantum pœnas exoluerent, ita non possent satisfacere pro peccatis quisque suis, nedum pro aliorum peccatis, sicut in damnatis patebit. Nec per angelum aliquem præstantissimum poterit fieri redemptio illa: in illa enim natura, quæ peccauerat & rea erat, necesse erat fieri satisfactionem. Neque effici hoc potuit, si de nouo homo aliquis purus & iustus crearetur: requirebatur enim precium satisfactionis æquiualens pro peccatis totius mundi, & iustitia impletæ legis sufficiens coram iudicio Dei, ad iustificationem omnium credentium. Vt igitur precium redemptionis esset æquiualens, & iustitia sufficiens, decretum fuit in consilio Trinitatis, redemptionem nō posse effici, nisi per vnigenitum filium Dei, quem necesse fuit incarnari, vt in nostra natura assumpta officium redemptionis perficeret, atque ita ad nos omnes pertineret. Non autem sola incarnatione aut leui aliqua deprecatione effici hoc potuit, sed vnigenitus filius incarnatus, & sub lege factus, Gal. 4. vers. 4. tradendus fuit pro nobis potestati tenebrarum, Luc. 22. v. 53. vt illæ omne ius, quod ex lege contra vniuersum genus humanum habebāt, in Christo exequerentur, 1. Corin. 15. ver. 22. Et patet in Scriptura dicitur Filium tradidisse: quia non pepercit ipsi, Rom. 8. v. 32. sed peccata totius mundi in ipsum coniecit, percussit ipsum propter peccata populi, & voluit ipsum conterere, Is. 53. ver. 10. fecit ipsum maledictum pro nobis, Gal. 3. v. 13. ita vt exclamarit, *Deus meus, quare me dereliquisti,* Psalm. 22. v. 1. Tantæ molis erat, lapsam reparare salutē. Et tam magno, æquiualenti & sufficienti, imo superabundāti precio, satisfactione, & iustitia, inuēta est æterna redemptio, propiciatio & reconciliatio mundi, vt certi simus, eam valere & consistere coram iudicio Dei. Ita totum ministerium redemptionis inuolutum est in paruis illis verbis, *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium traderet:* quæ verba quomodo simpliciter & vtiliter expendi & euolui possint, paucis ostendere volui. Sensus igitur est, cum Deus videret, tanti constituram redemptionem generis humani, potius tamen, quam vellet totum genus humanum in æterna perditione relinquere, maluit, nō adoptiuum aliquem filium, sed vnigenitum filium suum tradere. Adeo Deus dilexit mundum. Et adeo filius Dei dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, Galat. 2. v. 20. Quæ verba in hac vita non possumus satis assequi, nedū explicare, sed in vita æterna cum perpetua admiratione illa demum recte intelligemus: nunc tantum ex parte, tanquam in ænigmate, illa agnoscimus.

Addit autem, finem & meritum huius redemptionis esse, *vt non pereamus, sed vt vitam æternam habeamus.* Syrus interpres habet vocabulum אבד, quod significat talem perditionem, quæ inferno solet coniungi, Prou. 15. v. 11. & 27. ver. 20. Et Dia-

bolus inde vocatur אבדון Angelus perditionis, Apoc. 9. ver. 1. Et in Commentariis vsurpatur pro damnatione æterna. Hoc igitur Christus merito suo nobis acquisiuit, ne in iudicio Dei propter peccata, iuxta legis sententiam, ad æternam damnationem disperdamur, sed quod credentes, vitam æternam propter ipsum consequimur. Et eo ipso ostendit, extra Christum nos hærere in æterna perditione, & alienos esse à vita æterna.

Simul vero fidem ostendit esse ordinarium organon, quo gratiam illam Dei & meritum Christi ad liberationem à perditione & ad vitam æternam accipimus, apprehendimus, &, vt nostrum fiat, nobis applicamus. In lege multa varia & impossibilia opera requiruntur, hæc vero beneficia Christi Deus ita nobis per ministerium Euangelij offert, vt fidem tantum, quam & ipsam Spiritus sanctus per verbum in nobis efficit, afferentes, meritorum Christi reddamur consortes & participes. Ita tota salus nostra Dei beneficium est, & in solidum ex Deo pendet. Vtque totum mundum ad participationem meritorum Christi inuitet, & excusationem incredulis præcidat, dicit, *vt omnis qui credit in ipsum*. Quæ verba simul etiam consolationem complectuntur contra indignitatem: qualiscunque & quantuscunque peccator, cuiuscunque conditionis & ætatis sis, modo vere in Christum credas, saluus eris. Omnis enim, qui credit in ipsum, non peribit, sed saluus erit. Veram autem fidem non existere, nisi in seria pœnitentia, & postea efficacem esse per caritatem, alibi explicatur. Hoc loco illud tantum, quod Christus dicit, explicamus, non requiri, vt nostris operibus dignos & idoneos nos reddamus ad participationem meritorum Christi, vel vt de nostro aliquid assuamus, sed tantum vt plenam satisfactionem & perfectam iustitiam Christi, quæ in Euangelio nobis offeruntur, fide tanquam egena & mendica manu, ad nos recipiamus, idque ideo, vt firma sit promissio, Rom. 4. ver. 16. Atque hinc etiam colligitur, quomodo & quare fides iustificare, viuificare, & saluare dicatur: scilicet non ratione virtutis & qualitatis suæ, sed quia Christum, cum merito obedientiæ & passionis suæ, in promissione Euangelij nobis oblatum, accipit, & interponit illum inter peccata nostra, & iram atque iudicium Dei. Et talem fidem Deum acceptare, inde certum est, quia ipse filium pro nobis in mortem tradidit, & per Spiritum, in ministerio Euangelij, ipsam nobis, vt saluationem, offert, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Patet etiam hinc, quare fides debeat esse firma fiducia. Qui enim dubitat, an meritum Christi sibi sufficiat ad salutem, is contumeliosus est in acerbissimam mortem Christi. Qui vero hallucinatur, an pater credentes propterea velit acceptare, is negat decretum in communi consilio Trinitatis factum, vt omnis qui credit in eum, non pereat, &c. Non dubitent igitur, qui fide cum Deo reconciliati sunt, se à Deo serio diligi, cum adeo nos dilexerit, cum adhuc inimici essemus Rom. 5. vers. 10 cumque præstantissimum pignus amoris sui, vnigenitum filium, nobis dederit. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, &c.* In Veteri Testamento sæpius minatur Deus, se venturum vt iudicet. Atq; inde factum est, quod; quando Deus in specie aliqua apparuit, homines consternati leguntur, sicut in Paradiso post lapsum. Conscientia enim rea, existimans Deum ad iudicium venire, iudicem, quem scit se sustinere non posse, fugit. Ideo Christus inquit: *Non misit Deus filium in mundum, vt iudicet mundum, &c.* simul autem ostendit, alium restare aduentum, quo venturus est vt iudicet. Quomodo vero non pugnet contra hanc sententiam, quod Ioh. 9. ver. 39. scriptum est. *In iudicium ego veni in mundum*, suo loco explicabimus. Et iudicare quidem sæpius pro condemnare vsurpatur. Sed si proprie accipiatur, illustris erit sententia, declarans præcedentia. Est enim iudicium Dei, in quo iuxta normam & rigorem Legis fit inquisitio in totam naturam & vitam hominis, & pronuntiatur vel benedictio, vel maledictio, prout quis vel permanserit, vel non permanserit in omnibus, quæ in Lege scripta sunt. Quia vero Deus scit, nos rigorem illius iudicij ad tribunal Legis non posse sustinere: (Nemo enim viuens in conspectu Dei iustificabitur, si in illud iudiciũ nobiscum intrauerit, Psal. 143. ver. 2.) Ideo, priusquam omnia in iudicium illud adducantur, Eccles. 12. versi. 14. Deus filium suum misit in mundum, vt mundus non iudicetur, sed saluetur. Vnica enim salus nostra est, vt in illo iudicio non iudicemur. Sed exempti sumus ab illo iudicio, sicut Christus dicit, vt mundus saluetur & non iudicetur. Quia vero exceptio illa declinatoria fori per se non valet, iudicium enim illud Dei iuxta Legem, quæ est perpetua & immota regula iustitiæ in Deo tolli non potest nisi ei satisfactum fuerit: ideo filius Dei, per incarnationem missus in mundum, iudicium illud Dei nostro loco subiit, factus pro nobis peccatum & maledictum, atque ita nos à iudicio illo Dei & à condemnatione eius liberauit, Gal. 3. v. 13. Atque ita & inde fit, quod qui credit in ipsum non iudicatur. Christus enim subeundo pro nobis iudicium illud Dei, promeruit & acquisiuit credentibus priuilegium exemptionis & appellationis. Ac mutatum iam est forum seu tribunal iudicij. Pater enim omne iudicium dedit filio Mediatori, Iohan. 5. ver. 27. qui loco tribunalis Legis posuit thronum Gratiæ, Hebr. 4. ver. 16. Quando igitur Lex agentes pœnitentiam & credentes citat ad tribunal seueræ iustitiæ Dei iuxta legem, vbi subsistere non possumus, tunc fides nostra opponit hoc priuilegium exemptionis: quod scilicet, quia Christus pro nobis iudicio illi satisfecit, nos nec velimus nec debeamus coram illo tribunali Legis iudicari, sed à tribunali legis fide prouocamus ad thronum illum gratiæ, atque ibi à sententia damnationis, quam coram tribunali legis iustè propter peccata nostra passi sumus, absoluimur, propter satisfactionem Christi, quam, fide apprehensam, interponimus. Valde illustris itaque est hæc sententia, & quàm seria actio fit reconciliatio peccatoris cum Deo, non potest rectius intelligi aut explicari, quam ea imagine illa iudiciali, quam Christus in hac Sententia proponit. Et quia mens humana, vel Pharisaicas, vel perfunctorias & leues cogitationes, de reconciliatione hominis cum Deo, concipit; ideò ex hac phrasi filij Dei Paulus, vocabulo Iustificationis forensi & iudiciali, totã hanc doctrinam solet complecti & explicare. Credentes itaque non timeant, ne forte à Christo, si ad ipsum confugiant, propter peccata damnentur. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per eum.* Et quia tamen Deus suum seuerum habet iudicium, iuxta legẽ, quod sustinere nobis impossibile est, ideo Christus dicit: *Qui credit, non venit in illud iudicium*, ea scilicet ratione, sicut iam explicatum est. Est autem hoc obseruandum, ex beneficiis filij Dei non postremum hoc esse, quod non statim vniuersale & extremum iudicium contra peccatores profertur. Vt enim haberemus spatium agendi pœnitentiam, & quærendi per fidem absolutionem peccatorum in Christo, ideo distincti sunt duo aduentus Christi. Et nũc, vsque ad extremum diem, non venit vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum. Et hic est fons bonitatis, patientiæ, & longanimitatis. Dei erga peccatores, vt ita educat eos ad pœnitentiam, Rom. 2. v. 4 Sed væ illis, qui hoc tempus gratiæ negligunt. Sequetur enim tempus iudicij: Ideo Christus addit, *qui vero non credit, iam iudicatus est.* Lex enim sententiam suam iam pronunciauit: *Maledictus qui non permanserit.* Item: *Ira & tribulatio sit. per omnem animam facientem malum*, Rom. 2. v. 9. tantum deest, vt iudicium illud reueletur, & executioni mandetur. Vnde Rom. 2. v. 5. extremus dies vocatur reuelatio iusti iudicij Dei. Alteram rationem Christus addit, *Quia non credidit in nomen vnigeniti filij Dei:* cum scilicet nulla alia ratio sit effugiẽdi sententiam condemnationis, nisi vnica hæc, vt Christum, fide apprehensum, iudicio Dei opponamus. Qui igitur salutem in Christo propositam vel contemnit, vel reiicit, illi nihil restat, nisi reuelatio & executio damnationis. Iam enim iudicatus est, idque dupliciter. 1. coram tribunali legis propter peccata. 2. coram tribunali Christi, propter spretam & reiectã gratiã. 2. Thes. 1. v. 8. Et vtitur præterito, *quia non credidit*. In extremo enim iudicio non opus erit longa inquisitione, sed sententia hęc erit: *Quia tu nõ credidisti, ergo iam iudicatus es.* Peculiaris vero phrasis est: *Credere in nomen vnigeniti filij.* Sicut enim nomẽ Dei significat id, quod Deus in verbo de essentia & voluntate sua patefecit: sic credere in nomen Christi est, Christum fide ita intueri & amplecti, sicut persona & officium eius in promissione Euangelij nobis offertur, sicut hactenus explicatum est. Et ita Ioannes loquitur, 1. Ioan. 5 vers. 10. *Non credidit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo.* Porro Augustinus magnam constituit differentiam: quando dicimus, credere Deum quod sit, credere Deo, quod etiam impij quandoque faciunt: & quando dicimus credere in Deum, quod iustorum proprium est. Sed in Scriptura hæc differentia tam scrupulose non seruatur. Dicuntur enim & Pharisæi, qui gloriam hominum magis amabant quam gloriam Dei, credidisse in Christum, Iohan. 12. v. 42. Et Iohann. 2. v. 23 multi dicuntur credidisse in nomen Christi, quibus ipse seipsum non credebat Ita Ioh. 6. v. 29. promiscue dicitur, *vt credatis in eum quem misit:* Et mox v. 30. *Quod ergo facis signum, vt credamus tibi?* Iohan. 5. v. 24 *Qui credit ei qui misit me, habet vitam æternã.* Et 1. Iohan. 5 v. 10. *Qui credit in filium Dei* Et mox ver. eodem: *Qui non credit filio, &c.* Non inutilis tamen est distinctio illa Augustini, credere Deum, credere Deo, & credere in Deum, vt historica notitia & assensio à fiducia iustificante discernatur. In Hebraismo vero verbum *Credere* cum præpositione construitur etiam, quando ministris Dei tribuitur, vt Exod. 14. v. 31. *Crediderunt in Domino, & in Mose seruo eius.* Ita Par 20. v. 20. *Credite in Domino, & credite in Prophetis eius.* Longe aliter tamen credimus Prophetis, vel in Prophetis, quod scilicet doctrina ipsorum vera sit: Et aliter credimus in Deum, in quẽ solum

solam fiduciam nostram collocare debemus. Sed simplicissima ratio est Grammatica obseruatio. Quemadmodum enim in Hebraismo verbum *credidit*, vel absolute ponitur, vel construitur cum Datiuo, vel etiam præpositione Beth, Lamed, Æth: ita in nouo Testamento *πιστεύω* aliquando ponitur absolute, Rom. 1. v. 16. *in salutem credenti*. Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit saluus erit*. Aliquando cum Datiuo construitur, etiam quando de fide iustificante sermo est, Iohan. 5. v. 24. *Credit ei qui misit me*, Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo*: aliquando cũ præpositionibus, *εἰς αὐτόν, εἰς ἐμέ*, Ioh. 3. v. 18. *Credere ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα* Rom. 4. v. 5. *Credere ἐπ' αὐτῷ*, 1. Tim. 1. v. 16. In hisce constructionibus nulla quærenda est sententiæ diuersitas. Græci enim Hebraicas constructiones diuersas ita exprimere voluerunt.

(*Hoc est autem iudicium, quod lux venit in mundum, &c.*) Ne quis, ratione eorum quæ hactenus dicta sunt, cogitet, neminem iam, etiamsi impœnitens & incredulus sit & maneat, damnari posse, quasi nullum restet aut futurum sit iudicium: ideo hæc sententia subiicitur, in qua simul ostenditur, quam iuste & merito, qui non credunt, damnentur, vt murmurandi prætextus incredulis ita præcidatur. Simul etiam est admiratio & querimonia: cum Deus tam propensa voluntate salutẽ, tanto pretio à filio partam, mundo damnato gratis per Spiritum sanctum offerat, quod mundus magis tenebras amet, quam lucem. Atque ita scandalum etiam illud tollit, quod inde oritur, quando videmus, maiorem & potiorem mundi partem Euangelium respuere, quorum persuasioni, qua existimant se nihilominus saluos futuros, etiamsi Euangelium contemnant & abiiciant, hæc sentẽtia opponitur. Tam multa complectitur hæc sententia. Et iam facilis erit verborum explicatio & accommodatio. Cum tenebræ operirent terram, & caligo populos, Isa. 60. ver. 2. Cum totus mundus sederet in tenebris, & in vmbra mortis, lux, oriens ex alto, visitauit mundum, & illuxit mundo luce Euangelij, partam à se vitam & salutem gratis offerens. Lux enim erat vita hominum, & luxit in tenebris, Iohan. 1. v. 4. Cum igitur mundo non esset magno labore & difficili industria lux inquirenda & comparanda, sed lux ipsa vltro venerit in mundum, homines vero magis dilexerint tenebras quam lucem: Iusta igitur ipsorum, qui nõ credunt, est damnatio. *Et hoc*, inquit, *erit iudicium*, hoc est, quãdo Christus venerit ad iudicium, sumpturus vindictam de illis, qui non nouerunt Deum, & qui Euangelio non obedierunt, 2. Thes. 1. v. 8. hanc sententiam condemnationis pronunciabit: Propter multiplicia peccata tua incideras in condemnationem legis: Ego vero iudicium illud pro te subij, & passione mea amarissima ab illa condemnatione te liberaui. Et quidem vt lux illuminatura omnem hominem veni in mundum. Tu vero magis dilexisti tenebras quam lucem. Duplex igitur erit tua condemnatio; primo, propter peccata secundũ legem: secundo, propter contemptum Euangelij. Et hic erit vermis in æterna damnatione nunquam moriturus. Tua culpa periisti: potuisses facillime euadere. Lux enim venit in mũdum: quoties volui te congregare, & noluisti? Hic erit fletus & stridor dentium.

Ostendit autem rationem, qui fiat, cum lux ipsa venerit in mundum, quod homines, etiam qui clamitant, se desiderare salutem, lucem illam nolint accipere: *Quia*, inquit, *homines magis dilexerunt tenebras, quam lucem*. Et in externis quidem naturaliter lux gratior & iucundior est, quam tenebræ: & lucem homines naturaliter expetunt, & in tenebris exhorrescunt. Sed tanta est naturæ humanæ corruptio, vt in spiritualibus magis tenebras diligant, quam lucem. Omnes autem opiniones, cultus & traditiones, extra lucem Euangelij, sunt tenebræ: deinde etiam peccata ipsa vocantur opera tenebrarum, Ephes. 5. v. 11. Cum igitur homines vel sint Pharisæi, vel Epicurei, aliæ sunt tenebræ, quas Pharisæi, aliæ quas Epicurei diligunt. Ac de vtrisque intelligenda est hæc sententia. Pharisæi enim persuasione propriæ iustitiæ, rationis opinionibus, & hominum traditionibus ac cultibus inde extructis, plus delectantur quam luce Euangelij, atque ideo lucem hanc non accipiunt, vt in solo Christo fide quærant salutem & vitam, nec releuabit ipsos, quod intentione non mala hæc faciant. Hoc enim est iudicium: qui lucem hanc non accipit, sed tenebras suas amat, condemnabitur. Epicurei vero sordibus peccatorum & operibus tenebrarum ita delectantur, vt per pœnitentiam nolint ab illis recedere, nec per fidem ab illis solui & liberari. Nec fallant se inani persuasione salutis. Qui enim tenebras magis amant quam lucem, habent iudicium condemnationis. Lux enim venit in mundum non vt approbet, sed vt arguat mala opera: scelerati vero nolunt mala sua opera argui ad pœnitentiam, ideo non veniunt ad lucem. Arguit autem lux illa non tãtum externa mala opera, sed totam naturæ corruptionem, vnde fit, quod Legi Dei non possumus perfecta obedientia satisfacere. Cumque hypocrisis humano iudicio facile sibi possit fingere persuasionem propriæ iustitiæ, & in illis tenebris se iactare & venditare: lucem igitur illã quæ opinionibus & persuasionibus ipsorum contraria est, non amat, non accipit, sed odit: quia hypocrisin istam detegit, & etiam ea, quæ videntur esse præstantissima opera, arguit, vel quod sint frustranea, si absque mandato Dei suscepta sint, Matth. 15. v. 9. vel quod sint imperfecta & polluta, atque ideo, cum coram iudicio Dei subsistere non possint, alia nobis iustitia opus esse, quæ scilicet ex fide Christi est, Rom. 7. v. 24. Phil. 3. v. 9. Vtrasque igitur tenebras, non tantum Epicureas, verum etiam Pharisaicas, in hac sententia Christi cõprehendi inde recte colligitur: cum Nicodemo enim, qui Pharisæus erat, Christus loquitur.

Addit autem generale axioma seu prouerbialem sententiam, *Qui male agit, odit lucem*, inde sumptam. Qui vel scelerate vel turpe aliquid agit, non vult accurate in se inquiri, vt hypocrisis latere possit. Hanc generalem sententiam Christus ad subiectam materiam doctrinæ suæ, quam hoc loco tradit, accommodat. Et hæc explicatio simplicissima est. Cumque Christus dicere velit homines odisse lucem, & nolle venire ad lucem, sicut mox explicat; vtitur tamen hac phrasi, *Magis dilexerunt tenebras quam lucem*, vt ostendat multos verbis simulare se Christum & Euangelium non odisse, sed amare, qui tamen re ipsa & factis ostendunt, se tenebras magis amare: cumque impossibile sit, simul & lucem & tenebras amare, Christus pronunciat, eum, qui tenebras magis amat, odisse lucem, & non venire ad lucem. Quod contra eos, qui vtrunque simul se amare fingunt, & lucem & tenebras, & qui verbis simulant, se lucem amare, & factis contrarium ostendunt, diligenter notandum est. Et ex hoc textu recte intelligitur, quod Augustinus solet disputare, solam infidelitatem esse peccatum damnans: Sunt quidem reliqua peccata per se damnabilia; sed quia pro illis Christus satisfecit, credentibus remittuntur. Non autem ita satisfecit, vt etiam non credentibus remittantur. Infidelitas igitur reliqua omnia peccata, ne demittantur, retinet. Et sicut vulneratus, cui salutaris medicina offertur, si illam respuat, moritur, non quia vulneratus fuit, potuisset enim sanari, sed quia medicina, qua sanari potuisset, non voluit vti: ita omnia peccata per se sunt mortalia & damnantia, sed Christus sua passione effecit, vt credentibus remittantur. Quando igitur reliquis peccatis accedit infidelitas, tunc fiunt vere mortalia & damnantia: remitti enim, nisi per fidem Christi, non possunt. Iudicium igitur Christi condemnat infideles, non ideo proprie, quia peccarunt: potuissent enim remissionem peccatorum in oblata Euangelij gratia accipere, si voluissent pœnitentiam agere, & in Christum credere: sed hoc est iudicium, quod magis dilexerunt tenebras, quam lucem.

[*Qui autem veritatem facit, venit ad lucem, &c.*] Est, & hæc sententia generalis & quasi prouerbialis; *Qui bene candide & syncere agit, non odit lucem, sed expetit, vt opera sua manifestentur*. Veritatem enim facere opponitur, & scelerate, & simulate factis. Videndum autem est, quomodo ad subiectam materiam generalis hæc sententia accommodanda sit. Et quia hic sensus esse non potest, quasi homo, ante regenerationem, ex naturalibus viribus veritatem facere, hoc est, vere bona & Deo placentia opera facere possit, atque ideo tantum in mundum venisse, vt naturalia liberi arbitrij opera manifestaret in Deo esse facta: Hæc enim sententia, & huic concioni, & perpetuæ Scripturæ sententiæ repugnat: Mala enim arbor non potest bonos fructus facere. Ideo Augustinus hunc locum ex Analogia sententiæ, 1. Ioan. v. 8. *Si dixerimus, nos peccatum non habere, veritas in nobis non est*, ita conatur exponere, vt sensus sit: *Qui veritatem facit*, hoc est, qui agnoscit naturæ deprauationem, & peccata sua inde orta, *is venit ad lucem*, vt iustificetur & renouetur, vt possit præstare opera, quæ in Deo sunt facta. Sententia quidem vera est, & fidei analoga, & ita solet Augustinus in locis obscurioribus, vt in principio Geneseos, articulos fidei, seu capita doctrinæ cœlestis, quæ firma & certa sunt, præsupponere, & ad illa textum obscuriorem quomodocunque accommodare: ita enim explicatio in locis obscurioribus, etiamsi verborum proprietatem non vbique assequatur, in fide tamen non errabit. Sed hoc loco, veritatem facere, nõ est peccata agnoscere. Christus enim hæc duo opponit, *Male agere*, & *veritatem facere*. Loquitur ergo de altera parte regenerationis, quæ renouatio seu sanctificatio appellatur. Et doctrinam illam paucis & breuiter hoc loco ita complectitur. Primo, quod in regeneratione non tantum gratia Dei, adoptio & salus fide apprehendatur: sed quod sequatur etiam veritas, quam Paulus Ephes. 4. ver. 23. vocat renouationem spiritus mentis nostræ, & nouum hominem, in iustitia, sanctitate & veritate. Quod enim natum est ex spiritu, non manet caro, sine omni renouatione, sed est spiritus. Ita enim pars hominis renouata appellatur. 2. Quod vere bona opera consistant nõ

in externa specie, seu externa conformatione actionum cum lege Dei, siue veris interioribus motibus, sed quod consistant in veritate, hoc est, in nouis & veris motibus interioribus, accensis à Spiritu sancto. Quod enim hoc loco Christus dicit, *veritatem facere*: hoc Paulus Ephes. 4. versi. 21. ita explicat, sicut est veritas in Iesu deponere veterem hominem, & renouare spiritu mentis vestræ, ac induere nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. 3 Ostendit, quomodo talia opera præstari possint, quod scilicet non sint fructus carnis, hoc est, quod in viribus naturalibus liberi arbitrij præstari, sed *in Deo* fieri debeant; hoc est, Deo per Spiritum mentem renouante, nouas virtutes accendente, & spirituales facultates ad præstanda vere bona opera subministrante 4. Quod vere bona opera non sint vel electitia, Coloss. 2. v. 8. Deut. 12. v. 8. vel ex præscripto traditionū humanarū suscepta, Matth. 15. v. 9. sed *in Deo facta*, hoc est, quæ Deus in verbo suo præparauit & præscripsit, vt in illis ambulemus, Ephes. 2. v. 10. 5. Ostendit quomodo credentium bona opera Deo placeant: quia scilicet in *Deo sint facta*: hoc est, quia persona fide cum Deo reconciliata est, & quia venit ad lucē, hoc est, ad Christum, Ioan. 1. v. 8. propter quem spirituales illæ hostiæ, 1. Pet. 2. v. 5. placent Deo. Hæc enim omnia comprehenduntur hac phrasi, *Quia in Deo facta sunt*, hoc est, quia à Deo præscripta, eius ope, ad ipsius gloriam præstita, quæque in Deo, seu propter Christum placent. 6. Quia vero volentibus bonum facere adiacet malum. Rom. 7. v. 21. ideo necesse est accedere ad illam veritatem, de qua 1. Ioh. 1. v. 8. scriptum est, vt cognoscamus & confiteamur peccata nostra; vt scilicet in noua obedientia adsit, & in humilitate agnitio, & in veritate confessio, quod tanquam pannus menstruatæ sint vniuersæ iustitiæ nostræ, Isa. 64. v. 6. Illas vero adhærentes sordes discunt renati agnoscere, quando ad lucem veniunt, & statuunt fide propter Christum illas tegi. Monet etiam hæc sententia, quando iuxta mandatum Dei recte agimus, hoc est, quando veritatem facimus, non debere nos curare varia & iniquiora mundi iudicia: ex sola enim verbi Dei luce de recte factis iudicandum, ac Deo soli iudicium de operibus nostris commendandū. Postremo, talibus operibus promittit, quod licet coram mundo non magnam habeant speciem & laudem: fore tamen, vt quæ nunc quasi in tenebris abiecta iaceant, in lucem aliquando adducantur, manifestentur & celebrentur, quod in Deo sint facta, Matth. 25. versi. 40. Ipsa vero gratia, adoptio & vita æterna non nostrorum operum, sed iustitiæ, obedientiæ & passionis Christi merces est, nostri vero respectu gratuitum. Dei donum est, Rom. 6. v. 23. Ita ergo in hac sententia ostendit regeneratorum bona opera multis nominibus præstantiora esse, quàm Pharisæorum.

CAPVT VIGESIMVMNONVM, CONTINENS HISTORIAM QVOD IESVS POST COLLOQVIVM CVM NICODEMO IN TERRA IVDÆA, DOCENDO & baptizando, versatus sit, vsque ad captiuitatem Baptistæ. Quodque eodem tempore Ioannes adhuc baptizarit in Ænon. Iohan. 3.

RATIO ORDINIS.

IN præcedenti capite ostendimus, Iesum, exactis festiuitatibus, non solitum diu hærere Hierosolymis. Ideo non diu post insigne illud colloquium, cum Nicodemo habitum, verisimile est ipsum discessisse ex Vrbe. Quia vero Euangelista dicit, Iesum venisse in terram Iudæam, cum Ierusalem in ipsa Iudæa sita sit, quidam existimant, ipsum ex Hierosolymis rsic reuersum in Galilæam, atque inde rediisse in Iudæam, cum ratio temporis hoc facile admittat. Sunt enim à colloquio Nicodemico, vsque ad captiuitatem Baptistæ, menses sex & vltra. Sed huius profectionis in descriptione Ioannis nullum exstat vestigium. Scholastica historia conatur periodum illā, quæ Luc. 4. v. 14 de reuersione Iesu in Galilæam extat, huc referre. Sed Matth. cap. 4. vers. 12. tradit ea, quæ Iesus in Synagogis Galilææ doctrina & signis fecit, facta post captiuitatem Baptistæ. Simplicissima igitur ratio est, quam in proximo capite exposuimus, quod scilicet per terram Iudæam Euangelista intelligat terram sortis seu tribu Iuda. Exempla enim Scripturæ ostendunt, Iudæam aliquando generaliter accipi, vt simul etiam Ierusalem complectatur, vt 1. Esd. 1. versi. 2. & 2. Paral. 36. ver. 23. vbi dicitur, *Hierusalem quæ est in Iudæa*. Aliquando vero Ierusalem à Iudæa distinguitur, vt cum distincte nominatur Iudæa & Ierusalem 1. Esd. 2. v. 1. & 7. versi. 14. Item 2. Par. 11. v. 14. 20. v. 17. & 36. versi. 10. & in Euangelistarum etiam narrationibus distincta & quidem hoc ordine nominatur, *Iudæa, Ierusalem, Samaria, Galilæa, & regio Circumiordana*. Matt. 3. v. 5. Luc. 5. ver. 17. & 6. ver. 17. Iohan. 4. ver. 3. Actor. 9. v. 31 Distinguitur autem Ierusalem à Iudæa vel tanquam Metropolis à reliqua circumiacente regione; vt si dicas, *ex Brunsuia venit in agrum Brunsuicensem*: vel, quod magis hoc loco placet, quia Ierusalem in tribu Beniamin sita est, dicitur Iesus inde diuertisse in terram tribui Iuda assignatam, à Ierusalem versus Meridiem, quæ complectitur etiam tribum Simeon. Quomodo vero inde colligatur ratio & ordo profectionum & peragrationum terræ, in primo anno ministerij Christi, in præcedenti capite Harmoniæ ostendimus. Coniunxi autem in hoc capite illa etiam verba, quæ de Iohanne, baptizante adhuc in Ænon, Euangelista posuit. Quæ licet diuersa & distincta sit historia: tamen quia Euangelista voluit coniungere, quid eodem tempore, quando Christus in terra Iudæa docuit & baptizauit, Baptista interea egerit, & vbi versatus tunc fuerit, ideò in vno & eodem capite Harmoniæ duo illa etiam complecti volui: præsertim cum paucissimis etiam verbis vtrumque breuiter tantùm annotatum sit, vt non commodum fuerit, duo inde capita facere, cum etiam in descriptione per copulatiuam coniunctionem ita coniungantur, vt discerpi non possint.

HISTORIA DE IESV VENIENTE EX IERVSALEM IN TERRAM IVDÆAM, AC DOCENTE ET BAptizante ibi, vsque ad captiuitatem Baptistæ; Quodque interea Baptista, etiam in Ænon baptizarit, Iohan. 3.

22. Μετὰ ταῦτα ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν, καὶ ἐκεῖ διέτριβε μετ᾽ αὐτῶν, καὶ ἐβάπτιζεν.	22. *Posthac venit Iesus & discipuli eius in terram Iudaam: & illic morabatur cum eis, ac baptizabat.*
23. Ἦν δὲ καὶ Ἰωάννης βαπτίζων ἐν Αἰνὼν ἐγγὺς τοῦ Σαλὴμ ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ· καὶ παρεγίνοντο καὶ ἐβαπτίζοντο.	23. *Baptizabat autem & Ioannes in AEnon iuxta Salim, quia aqua multa erant illic: & veniebant ac baptizabant.*
24. Οὔπω γὰρ βεβλημένος εἰς τὴν φυλακὴν ὁ Ἰωάννης.	24. *Nondum enim coniectus fuerat, Iohannes in carcerem.*

Periocha

Periocha huius Historiæ.

IEsus igitur, post colloquium cum Nicodemo, relicta vrbe Ierusalem, in terram tribus seu sortis Iuda venit. Nec vero obiter tantum transit, aut paucis diebus ibi mansit; sed διέτριβε ibi, inquit Euangelista, quod significat extrahere, & mora diuturniori in loco aliquo manere & conuersari. Nam vsque ad captiuitatem Baptistæ ibi continuo mansit. Quod si ponamus, in Festo Pentecostes colloquium illud cum Nicodemo habitum, erunt vsque ad transitum per Samariam, quando quatuor adhuc menses ad messem seu Pascha supererant, Ioan.4.v.35. quinque aut sex ferme menses, quibus Christus continue in terra illa Iudæa mansit. Et hoc Euangelista verbo διατρίβειν indicare voluit. Ac ratio locorum consideretur. In illa enim parte Iudææ Patriarchæ, Abraham, Isaac, Iacob, vt plurimum versati sunt. Ibi præcipuas patefactiones & repetitiones promissionis de benedicto semine acceperunt. Ibi, spe promissionis de Messia, sepulti sunt. Ibi igitur Christus impletionem & exhibitionem illam promissionum mora aliquanto diuturniore prædicare, & primo suo Baptismo obsignare voluit. Hæc pie considerari possunt, collatis huc historiis Patriarcharũ ex Genesi. Nõ autem in vno aliquo loco in tribu Iuda ociosus vel delituit, vel desedit, sed loca terræ illius docendo & baptizando peragrauit. Ideo Euangelista dicit, Iesum non solum, nec cum cognatis, sed cum discipulis suis venisse in terram Iudæam. Illorum enim ministerio in baptizandis auditoribus suis vsus est, Ioh.4.v.2. Et ordo notandus est, quod Christus non statim, cum ex deserto rediisset, nec cum primum ad Festum Paschatis Hierosolymas venisset, cœperit baptizare; sed quod docendo per aliquot menses prius fundamenta posuerit de regeneratione ex aqua & spiritu. Deinde in terra Iudæa primum cœperit baptizare. Nam & Baptista in deserto Iudææ Baptismum cœpit, Matth. 3.v.1. Vt igitur Christus ostenderet, se eum esse, de quo Baptista in illis locis prædicarat, *post me veniet, vel me subsecuturus est*, ideo in terra Iudæa cœpit baptizare. Et grata nobis esse debet illa Euangelistæ Iohannis notatio. Aliàs enim, iuxta reliquorum Euangelistarum descriptiones, videretur, Iesum ante ascensionem per discipulos suos non baptizasse, sed solius verbi ministerio Ecclesiam sibi collegisse. Nam & ex hac imaginatione quidam existimant, Baptismum Apostolorum post resurrectionem à Christo primum institututum, & post ascensionem primum in Ecclesia inchoatum, cum hoc tantum Matth.28. versic.19. Christus instituat. Baptismum, qui inter Iudæos hactenus à Baptista & discipulis administratus fuerat, posthac etiam Gentibus communem esse debere.

Addit autem Euangelista, & Ioannem eo tempore adhuc baptizasse; & homines venisse, ac baptismum Ioannis suscepisse. Et locum vbi tunc Ioannes baptizarit notat, scilicet *in Ænon, iuxta Salem*. Et nominatur quidem Ennom in tribu Iuda & Simeon, Iosu.15.ver.8. & 18.ver.16. Sed aliud ibi vocabulum est, & aliter scribitur, scilicet הנם Ezech.47.ver.17. scribitur עינון *Ænon*. Sed ibi est locus in finibus Damascenis, ideò ad differentiam Euangelista nominat Ænon iuxta Salem. Nomen autem habet à fonte seu scaturigine aquarum, sicut in aliis locis appellationes tales fuerunt, vt Iosu.15.v.32. עין *Æn Regel, fontes, fons Rigel, fons solis*. Et hoc loco Euangelista addit, *Aquæ multæ erant illic*: alludens ad etymologiam vocabuli. Syrus legit עין יון, quod in Hebraismo sonat, fontem luti, seu turbidum. Sed hoc non conuenit: munda enim aqua baptizabant. Erit igitur apud Syrum proprium nomen *Iaū* vel *Iauan*, quasi fons Iauan, qui fuit Iapeti filius. Gen.10. versic.2. Quòd igitur Ioannes in Æn Iauan baptizauit, præludium fuit, baptismum gẽtibus, Iapeti filiis, communem fore. Situm verò huius Ænon quidam ponunt in illo loco, vbi torrens Iacob in Iordanem influit, in ripa Iordanis orientali, vbi Iacob cum Angelo luctatus vidit scalam è cœlo, &c. Quæ mysteria pulchre quidem conueniunt: sed Euangelistæ descriptio hunc situm non admittit. Discipuli enim Ioannis accedentes ipsum in Ænon, dicunt, Bethabaram respectu Ænon sitam esse trans Iordanem. Ænon ergo oportuit non in eadem ripa, vbi Bethabara, sed in opposita occidentali scilicet ripa sitam fuisse. Quia verò Iohannes dicit, Ænon prope Salim fuisse, Hieron. in epistola quadam ad Euagrium ostendit, non fuisse Hierusalem, sed illam Salem, cum Genes.33.ver.18. Iacob scribitur transisse in Salem vrbem Sichimorum, cuius Rex Melchisedech scribitur fuisse, Gen.14.vers.18. eius enim palatium inter rudera sub terra, suo adhuc tempore, ostensum fuisse, Hieronymus scribit. Addit autem, nõ referre vtrum Salem aut Salim nominetur, cum vocalibus in mediis literis perrarò vtantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, atq; varietate regionum, eadem verba diuersis sonis & accentibus proferantur. Hęc Hieronymus. Brocardus scribit, Ænon à Sichem ciuitate distare quatuor miliaribus procedendo versus ortum ad Iordanem. Sichem autem in tribu Manasse sita fuit, vbi Samaria postea fuit. Non quidem in media Samaria, sed inter Samariam & Iordanem fuerunt Montana Ephraim, vel Acrabitena: & inter illa montana & Iordanem planities fuit, dicta Aulon, seu vallis regia, aut conuallis illustris; ibi sita fuit Salim & Ænon, vbi è regione in aduersa ripa torrens Iacob influit in Iordanem, non procul à lacu Genezareth, & à Galilæa. Atque inde ratio profectionum Baptistæ, seu quæ loca ministerio suo peragrarit, colligi potest. Cœpit enim in deserto Iudææ. Matt.3.v.1. quod fuit in ripa Iordanis occidentali. Postea progressus ad Iordanem, à Meridie Septentrionẽ versus, trans Iordanem, in Bethabara baptizauit. Iam vlterius progressus versus Septentrionem, transmisso Iordane, in Ænõ ad fines Galilææ è regione Samariæ baptizat. Regiones igitur, vtrique Iordanis ripæ, orientali & occidentali, adiacentes, quæ περίχωροι vocantur, Baptista ministerio suo peragrauit. Ac tandem ipsum in Herodis ditionem, in Galilæam progressum fuisse, historia captiuitatis eius ostendit. Hæc consideratio profectionum Baptistæ iucunda est. Discessisse autem Baptistam paululum à Iordane Euangelista ostendit, cum inquit, *in Ænon fuisse multas aquas*: qua additione non fuisset opus, si in ipso Iordane tunc Iohannes baptizasset. Voluit autem Iohannes non in Iordane tantum, sed in aliis etiam aquis baptizare, sicut idem in terra Iudæa Christus scribitur hoc loco fecisse, ne Iordanis aqua sanctior existimaretur, aut ne quis referre putet, qualis aqua sit, quæ ad baptismum adhibenda sit. Dignum autem est consideratione, cum Baptista missus esset baptizare aqua, vt Christus ita manifestaretur, vtque Baptismo suo viam venturo Domino præpararet, quod etiam post factam circa Iordanem Christi manifestationem, præsente iam & exhibito Christo, Iohannes baptizare non destitit. Sicut enim diuinitus vocatus & missus erat ad baptizandum, ita sine peculiari mandato Dei à ministerio suo desistere nec voluit nec debuit; maximè verò, quia Christus non statim post Baptismum omni populo manifestus & notus fuit. Tamdiu igitur Iohannes baptizauit, quamdiu opus fuit præparatione populi ad suscipiendum Christum pręsentem, & donec per totam terram Israel omni populo Christus manifestaretur, id quod per integrum fermè annum durauit; post Christum baptizatum, vsque ad Baptistæ captiuitatem. Hoc vero loco, quia Euangelista dicit & Christum & Iohannem simul baptizasse, obseruandum est, quæ fuerit forma baptismi Iohannis, & quæ forma baptismi discipulorum Christi. Baptista enim primo baptizauit in eum, qui mox venturus esset, Actor.19. ver.4. Postquam vero baptismo manifestatus fuerat Christus, Iohannes non amplius in venturum, sed in hanc doctrinam baptizauit, sicut Ioh.1. vers.16. ipse explicat, *Messias iam in medium vestri processit, sed nondum nouistis eum*. Tertio verò, cum iam Christus officium suum inchoasset, publice docens, & ministerio discipulorum baptizans, Iohannes absque dubio non amplius in venturum & ignotum Messiam baptizauit, nec ita suos baptizauit, vt amplius nihil quæreret, sed vt baptismo sponsam ad ipsum sponsum deduceret, Ioh.3.v.29. Nullum igitur dubium est, Iohannem eos, quos tunc baptizauit, statim ad Iesum in terra Iudæa docentem & baptizantem, vt ad verum Messiam Dominum & sponsum, misisse & ablegasse. Et inde factum est, quod plures facti sunt discipuli Christi quàm Baptistæ, Ioh 4.ver.1. & inde Iohannis discipuli dicunt, *omnes iam veniunt ad illum, cui tu trans Iordanem testimonium præbuisti*. Ne vero res ex composito inter duos illos agi videretur, Baptista in finibus Galilææ, Christus in tribu Iuda tunc docuit & baptizauit, interuallo miliarium Germanicorum viginti & amplius. Et in modo quidem patefactionum Messiæ discrimen aliquod fuit; ipsa vero substantialis forma doctrinæ, quam Iohannes Baptismo suo obsignauit, eadem fuit cum doctrina Christi & Apostolorum. Docuit enim Baptista. 1. Quod Deus pater miserit filium, & omnia ipsi dederit in manus. 2. Quod vnigenitus filius Dei sit agnus Dei, tollens peccatum mundi, vt qui credit in filium, habeat vitam æternam. 3. Docuit, Deum dare filio Spiritum non ad mensuram, vt baptizet Spiritu. Et hanc doctrinam Iohannes baptismo suo obsignauit. Quæ vero fuerit forma baptismi Christi, quem per ministerium Apostolorum Iesus tunc in terra Iudæa, & postea vsque ad ascensionem suam administrauit, non aliunde, sed ex concione Christi ad Nicodemum, de regeneratione, sumendum est. Ibi vero capita doctrinæ sunt. 1. Deus vnigenitum filium misit in mundum, vt mundus per eum saluetur. 2. Filius descendit de cœlo vt exaltaretur in cruce, vt qui credit in ipsum habeat vitam æternam. 3. Spiritus ex aqua regenerat nos, vt propter Christum adoptionem & vitam æternam accipiamus.

Hanc doctrinam Discipuli Christi baptismo illo, qui Ioh.3. & 4.describitur,obsignarunt. Manifestum autem est, inter hanc doctrinam & Baptistæ, sicut ostendimus, nullam esse differentiam. Et idem profectò nec aliud est,quod post resurrectionem,Matt.28 v.19. Christus iubet baptizare,in nomine Patris,Filij & Spiritus sancti.Imò illa verba ex his fundamentis illustrantur. Quod igitur tam variè disputatur de discrimine baptismi Iohannis & Apostolorum, ex his fundamentis simplicissime diiudicari potest. Duo enim in Baptismo sunt, elementum & verbum seu forma. In elemento & externa administratione Baptismi nulla potest ostendi differentia inter Baptismum Iohannis & Apostolorum, siue mersionem siue effusionem aquæ, vt Ezech.36.ver.25.nominatur,vsurparint. Ad substantiam enim Baptismi sufficit, vt sit lauacrum aquæ in verbo, Ephes.5.v.26. Nec in forma seu verbo, hoc est, in doctrina & fide, in quam baptizauit Iohannes, & in quam Apostoli baptizarunt,vlla substantialis est differentia,sicut ostendimus. Conueniunt etiam in effectu, Iohannes enim dedit baptismum pœnitētię,in remissionem peccatorum, Marc. 1.vers.4.Et eadem Apostolorum Baptismo tribuuntur. Act.2. v.38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque in remissionem peccatorum* Neque dici potest,quod Baptista suos baptizarit,vt homo; Christus vero vt Deus & homo baptizarit suos. Iesus enim,manibus scilicet & aqua,neminem baptizauit,Ioh.4.v. 2.Sed idem,qui efficax fuit per Apostolorum baptisma, operatus etiam fuit per Iohannis baptismum. Reliquum igitur tantum erit hoc discrimen,quod Iohannes in Christum venturum baptizauit,Apostoli vero in manifestatum & exhibitū. Sed inde non potest constitui essentialis differentia. Nam & ipse Ioannes,cum in AEnon baptizaret,non baptizauit amplius in venturum Christum sed in exhibitum & iam præsentem.Cumque discipuli,Ioh.3.v.22.& postea, baptizarunt per Christum exhibitum, qui exaltatione sua sublaturus esset peccata mundi:post resurrectionem vero baptizarint in eum, qui iam passus erat & resuscitatus:Quis vero ideo dicet,in ipsa substantia baptismi Apostolorum, quem ante passionem Christi,& quem postea administrarunt, essentialem differentiam esse, licèt in modo patefactionis Christi discrimen aliquod sit?

Aliæ vero adhuc restant quæstiones de Baptismo Iohannis. Et hoc quidem certum est, eos qui à Iohanne baptizati ante manifestatum Christum mortui sunt, illa fide & baptismo saluatos,sicut Zacharias circumcisus,qui ante baptismum Iohannis mortuus est,agnitione pueri Iesu saluatus est. Quia vero Iohannes baptizabat,vt populum præpararet, & ad suscipiendum Messiam deduceret; Quæstio est,cum Christus iam manifestatus cœpisset docere & ministerio Apostolorum baptizare: *An illi, qui antea à Iohanne baptizati tunc ad ipsum Christum veniebant,adiuncturi se ipsi vt Messiæ; An illi*, inquā, *sine baptismo Apostolorum recepti sint in Ecclesiam,quam Christus ministerio suo colligebat & sibi adiungebat?* Et multa quidem disputantur.Sed ex historia Euangelica certò affirmari non potest,Apostolos illos tantum baptizasse, qui Iohannis baptismum non acceperant; reliquos vero, qui à Iohanne baptizati fuerant, ita Christi discipulos & membra Ecclesiæ eius, quam externo ministerio colligebat,factos esse,vt ministerio Apostolorum non baptizarentur. Quando enim postea iubet baptizari omnes gentes non excipit illos, qui à Iohanne fuerant baptizati. Et inter octo illa millia,quæ Actor.2. versi. 41.& 4 vers.4. baptizantur,sine dubio multi fuerunt, qui Iohannis baptismum antea acceperant. Et ita eruditi quidam etiam disputant de loco Actor.19.v 3 sed illam disputationem nolo nunc fusius persequi,relinquens lectori iudicium. Illud vero magis refert obseruare,quod Ioh.cap.4. versic.2. inquit, non ipsum Iesum aqua baptizasse, sed vsum esse ad hoc ministerio Apostolorum,& tamen cap.3.v.22. vocatur baptismus Christi. Dicit enim: *Iesus baptizabat*. Ratio à veteribus hęc assignatur, Christum ab externa administratione Baptismi aquæ ideo abstinuisset vt illustre extaret discrimē inter personas ministrorum & Christi quod scilicet Christus sit, qui baptizet Spiritu sancto, Ministros vero externum tantum ministerium adhibere,per quod tamen Christus efficax est,effundens Spiritum sanctum, Tit.3.v.6. Et vera est hæc ratio. Addēda vero est & altera; ideo scilicet Christum tempore ministerij sui noluisse baptismum aquæ administrare, vt constaret, virtutem & efficaciam baptismi non pendere ex qualitate personæ, quæ externam actionem administrat, sed baptismum, qui ministerio hominis mortalis, ex mandato & iuxta institutionem Christi datur,esse nō hominis, sed Christi Baptismum, & habere virtutem & efficaciam suam non à ministro baptizante,sed ab ipso Christo, qui per externum illud ministerium intus Spiritu sancto baptizabat. Sine dubio enim illorum baptismus dignior & efficacior habitus fuisset, quem Christus ipse suis manibus externa actione administrasset, quàm qui Apostolorum ministerio datus fuisset. Notum enim est, quid Paulo in simili prorsus casu acciderit, 1.Cor.1.v.14. Ideò Iesus noluit externo ministerio ipse baptizare. Est vero in verbis Euangelistæ & hoc obseruandum, Christum non tantum intus baptizare Spiritu, sed ipsum etiam externum baptismum, qui ministerio Apostolorum fit, Christo tribui: ita vt Iohannes hoc loco, quando de externo baptismo aquæ loquitur, dicat, Christum illos baptizasse, quos tamen discipuli baptizarunt. Non enim suo,sed Christi nomine,baptizarunt.

Mouetur autem & illa quæstio: *à quo ipsi discipuli vel Apostoli baptizati sint, qui postea mandato, nomine & loco Christi baptizarunt?* Ioh.3 v.22. & 4. ver.2. Quosdam ex ipsis fuisse Baptistæ discipulos, constat ex 1.capite Iohannis, & discipuli Baptistæ sine dubio baptismum ipsius susceperunt. Apud Nicephorum lib.2 cap.3.recitatur ex Epistola Euodij, Christum suis manibus baptismum aquæ contulisse Petro, qui deinde fratrem suum Andream & filios Zebedæi baptizarit, ab illis vero reliquos Apostolos baptizatos esse. Euthymius in 3.cap. Iohannis inquit: *Scribunt quidam, Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum & virginem matrem baptizauerat: Petrus verò reliquos omnes Apostolos.* Augustinus ad Seleucianum ostendit, quæstionem hanc vno modo in Ecclesia disputatam fuisse:& respondet ad eam, non necessaria aliqua ratione,sed coniectura,quam vocat credibilem. Ita etiam inquit: *Intelligimus discipulos Christi iam fuisse baptizatos, siue baptismo Iohannis sicut nonnulli arbitrantur, siue, quod magis credibile est, baptismo Christi: neque enim baptizandi ministerio defuit, vt haberet baptizatos seruos, per quos cæteros baptizaret qui non defuit illis humilitatis ministerio, quando eis pedes lauit.* Quod vero Ioann.4. ver.2.scriptum est,Iesum non baptizasse, sed discipulos eius, hoc Auctor vitæ Iesu ita explicat: Christum ministerium baptizandi Apostolis mandasse, non quod prorsus neminem baptizarit: sed sicut Paulus dicit, se non missum esse ad baptizandum,sed ad Euangelizandum,qui nihilominus tamen quosdam baptizauit,1.Cor.1.ver.14 Sed in his quæstionibus, vbi certis & manifestis Scripturæ testimoniis destituimur, cohibere se debet humana temeritas, nihil in alteram partem asseuerando,sicut alibi inquit Augustinus. Alias enim infinitæ gignuntur quæstiones, vt de Baptista: quomodo ipse non baptizatus potuerit alios baptizare? Chrysostomus etiam hoc disputat, baptismum discipulorum ante resurrectionem Christi non fuisse illius virtutis & efficaciæ, sicut post resurrectionem:caruisse enim gratia spiritus, quia spiritus nondum erat datus,cum Iesus nondum esset glorificatus, Ioh.7.ver.39. Sed hæc opinio ab Alcuino & Augustino rectè refutatur, Christus enim in genere de Baptismo inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum Dei.* Et locus Ioh 7.v.39.loquitur de visibilibus donis Spiritus sancti. Sed his quæstionibus omissis, satius est in iis occupari, quæ certa & vtilia sunt.

Quod vero Euangelista addit, *Iohannem tunc nondum fuisse in carcerem coniectum*, eo consilio facit, vt ostendat, Iohannem noluisse priuato consilio aut arbitrio desistere à baptizando, nisi inhibitum, vtque simul ordinem Euangelicæ historiæ ita notet. Reliqui enim Euangelistæ à tentationibus Christi statim ad illas historias, quæ post captiuitatem Baptistæ acciderunt, digrediuntur, Matth.4.ver.12. Ioannes igitur ostendit, se ea, quæ à reliquis Euangelistis præterita erant, annotasse, quę scilicet facta sint post baptizatum Christum, priusquam Baptista in carcerem coniiceretur. Et simul ordinem notat, ea scilicet, quæ tribus primis capitibus describit, pertinere ad illud tempus, cum nondum captus esset Baptista, & inserenda esse in illum locum Matth, 4. versic. 12. vbi post tentationes Christi statim subiicitur: *Cum audiuisset Iesus, quod Iohannes traditus esset, secessit in Galilaam.* Hæc obseruatio ordini historiæ,& Harmoniæ Euangelicę luculenter seruit.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVM,

CONTINENS DESCRIPTIONEM INTEMPESTIVI ZELI DISCIPVLORVM BAPTISTÆ, pro suo Magistro, contra Christum: Et ea occasione habitam vltimam Baptistæ concionem, ante captiuitatem, Iohan. 3.

RATIO ORDINIS.

Certum est, hanc historiam accidisse ante captiuitatem Baptistæ. Rectè itaque ante discessum Christi ex Iudæa ponitur, & præcedentibus subiungitur. Non autem statim, cum Iesus in terra Iudæa cœpisset baptizare, hæc acciderunt; sed cum iam omnes, sicut textus habet, venirent ad Iesum, baptismum ipsius suscipientes. Et non multò ante captiuitatem Baptistæ hanc ab ipso concionem habitam, verba eius indicant. Cum enim inquit, *Gaudium meum impletum est*: Item: *Ipsum oportet crescere, me vero minui &c.* ostendit, se cursum ministerij sui consummasse. Inter illas igitur conciones Baptistæ, quas ante captiuitatem ipsius habitas Euangelistæ descripserunt, hanc penultimam esse, certum est. Ad quam ordine sequitur vltima, propter quam carceri traditus fuit.

HISTORIA DE DISPVTATIONE DISCIPVLORVM BAPTISTÆ ET DE POSTREMO TEstimonio eius de Christo, ante captiuitatem, Iohan. 3.

25. Ἐγένετο οὖν ζήτησις ἐκ τῶν μαθητῶν Ἰωάννου μετὰ Ἰουδαίων, περὶ καθαρισμοῦ.

26. Καὶ ἦλθον πρὸς τὸν Ἰωάννην καὶ εἶπον αὐτῷ. Ῥαββί, ὃς ἦν μετὰ σοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ᾧ σὺ μεμαρτύρηκας, ἴδε, οὗτος βαπτίζει, καὶ πάντες ἔρχονται πρὸς αὐτόν.

27. Ἀπεκρίθη Ἰωάννης καὶ εἶπεν. Οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ.

28. Αὐτοὶ ὑμεῖς μαρτυρεῖτε, ὅτι εἶπον, Οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριστός, ἀλλ᾽ ὅτι ἀπεσταλμένος εἰμὶ ἔμπροσθεν ἐκείνου.

29. Ὁ ἔχων τὴν νύμφην, νυμφίος ἐστίν· ὁ δὲ φίλος τοῦ νυμφίου, ὁ ἑστηκὼς καὶ ἀκούων αὐτοῦ, χαρᾷ χαίρει διὰ τὴν φωνὴν τοῦ νυμφίου· αὕτη οὖν ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπλήρωται.

30. Ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν, ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι.

31. Ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστίν. ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστί, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ· ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστίν.

32. Καὶ ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, τοῦτο μαρτυρεῖ, καὶ τὴν μαρτυρίαν αὐτοῦ οὐδεὶς λαμβάνει.

33. Ὁ λαβὼν αὐτοῦ τὴν μαρτυρίαν, ἐσφράγισεν, ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθής ἐστιν.

34. Ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ Θεός, τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ· οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα.

35. Ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱόν, καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ.

36. Ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱόν, ἔχει ζωὴν αἰώνιον· ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ, οὐκ ὄψεται ζωήν, ἀλλ᾽ ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ μένει ἐπ᾽ αὐτόν.

25. *Orta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis, de purificatione.*

26. *Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes veniunt ad eum.*

27. *Respondit Iohannes, & dixit: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum è cœlo.*

28. *Ipsi vos testes estis, quod dixerim; Non sum ego Christus, sed missus sum ante illum.*

29. *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.*

30. *Illum oportet crescere, me verò minui.*

31. *Qui è supernis venit, supra omnes est: qui è terra profectus est, terrenus est, & de terra loquitur: qui è cœlo venit, supra omnes est.*

32. *Et quod vidit & audiuit, hoc testatur, & testimonium eius nemo accipit.*

33. *Qui accipit eius testimonium, is obsignauit, quod Deus verax sit.*

34. *Nam is quem misit Deus, verba Dei loquitur: Non enim huic ad mensuram dat Deus Spiritum.*

35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit illi in manum.*

36. *Qui credit Filio, habet vitam æternam. Qui verò non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Periocha huius Historiæ.

Vere hæc concio quasi cygnæa cantio est Baptistæ, quæ vel hoc nomine amanda est, quia tunc fuit habita, cum Baptista agnosceret, se cursum suum ferme consummasse. Occasionem autem Euangelista ita describit: *Orta est quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis, de purificatione:* Syrus ita reddidit: Facta est quæstio vni ex discipulis Iohannis, cum quodam Iudæo, de purificatione. Chrysostomus vero obseruauit, Euangelistam ideò dixisse, ἐκ τῶν μαθητῶν Iohannis, vt ostenderet, non Iudæos, sed discipulos Ioannis auctores fuisse motæ huius disputationis. Et quia discipuli illi ex inconsiderato zelo pro Magistri sui auctoritate tuenda disceptationem illam mouerunt: notabile exemplum est de peruerso zelo, qui ex nimio affectu erga doctores, sanctitate, & aliis eximiis donis præditos, sectarum & contentionum causa & origo est. Et obseruetur, sub initium Noui Testamenti statim hoc cœpisse, quod homines admiratione virtutum in sanctis à Christo ipso abducuntur & retrahuntur, ac in sanctis hærent. Hæc vero praua admiratio & perniciosa æmulatio grauiter à Ioanne Baptista refutatur.

Iudæi autem illi, cum quibus Iohannitæ isti disceptarunt, possunt intelligi fuisse, qui Pharisæorum doctrinæ addicti, nec Baptistæ nec Christo adhærebant. Dicit enim Euangelista, quæstionem fuisse περὶ καθαρισμοῦ: & hoc vocabulo Mosaicæ purgationes in cōtractis Leuiticis contaminationibus voca-

bantur, Exod. 29. ver. 37. Luc. 5. ver. 14. Postea vero Pharisæi ex suis traditionibus affinxerunt hanc opinionem, etiam ipsa peccata coram Deo illis purificationibus quasi ex opere operato expiari: vt si ex rapina viuerent, quando tantum patinas purificarent, omnia munda esse, Luc. 11. vers. 39. & hac opinione ritus purificationum, præter illos, qui in Lege instituti erant, cumulati fuerunt ex traditionibus Pharisæorum, Matt. 7. versic. 4. Baptista vero contra docuit, Iudaicas illas purificationes non peccata contra Decalogum, sed ceremoniales tantum contaminationes abluere: se vero ex mandato, fide, in mox venturum Messiam baptizare, in remissionem peccatorum. Videntur itaque discipuli Baptistæ disputasse, Magistri sui Baptismum meliorem, digniorem & efficaciorem esse, quam Pharisæorum purificationes; Iudæos vero astutè opposita alia quæstione ipsos retulisse, vt Baptistæ & Christi discipulos, cum vtrique à Pharisæis discessissent, inter se committerent, cur scilicet sui Magistri Baptismo tantum tribuerent, cum Iesus etiam baptizaret, cui Ioannes ipse testimonium daret, quod esset maior se, quique multa miracula faceret, cum Ioannes nullum signum edidisset. Quidam vero Iudæos intelligunt illos, qui à discipulis Christi baptismum susceperant, ac seipsi adiunxerant, cum quibus Iohannitæ disputarint, Magistri sui baptismum præferentes. Tota autem hæc disputatio orta fuit ex ignorantia veræ doctrinæ de baptismo, & ex opinione operis operati. Respicientes enim in exinanitionem personæ Christi, cum quidem non ipse per se, sicut Baptista, sed per discipulos homines plebeios, baptismum administraret, ipsi propter insignem Baptistæ auctoritatem baptismum ipsius, baptismo discipulorum Christi præferebant. Quia vero arbitrantur, se habere iustam causam, & commodam occasionem pugnandi pro retinenda Magistri sui auctoritate, igitur ad ipsum Iohannem deferunt, & verba formant ex zelo pro Iohanne, & ex inuidia aduersus totum ministerium Christi. Ita enim querelam suam instituunt, *Rabbi*, hoc est, tu qui tantus es, quem non nos discipuli tantum Magistrum agnoscimus, sed quem totus populus plus quàm Prophetam veneratur & celebrat, *Ille, qui tecum erat trans Iordanem*, hoc est, qui suscipiendo à te baptismum te Præceptorem agnouit, & discipulus tuus factus est, cui tu, cum antea ignotus & obscurus esset, quicquid habet auctoritatis, tuo testimonio conciliasti: *Ecce ille* te deserto peculiarem aperit scholam, *& baptizat, & omnis populus* ad ipsius conciones & baptismum *accurrit*: breui igitur schola tua deseretur, & omnis auctoritas ad ipsum transferetur. Hac oratione existimant, se effecturos, vt Baptista commotus indigne hoc ferat, ac non amplius testimonio suo Christum ornet, sed se ministerio eius opponat.

Iohannes vero discipulos dociles placida responsione instruit. Et primo opponit generalem sententiam: *Non potest homo sumere quicquam, nisi sit ipsi datum è cœlo.* Verbum autem λαμβάνειν, non in genere tantum de acceptione, sed de vocationibus & functionibus etiam vsurpatur, vt Hebr. 5. versic. 4. *Non sibi ipsi quis sumit hunc honorem, sed qui vocatus est à Deo, sicut & Aaron.* Et iste locus generalem hanc Baptistæ sententiam de Christo explicat. Ita enim sequitur: *Ita nec Christus seipsum glorificauit, vt fieret Pontifex, sed qui dixit, Filius meus es tu &c.* Ita 2. Reg. 7. ver. 8. Græci hoc verbum vsurpant de vocatione Dauidis ad regnum, & Deut. 4. vers. 20. *Deus assumpsit sibi populum.* Et locus 2. Cor. 11. vers. 20. εἴ τις λαμβάνει, videtur ita exponendus, quod Pseudapostoli in functionibus, in quas sine vocatione se ingesserant, auctoritatem sibi arrogabant, quam diuinitus non acceperant. Et hæc vocabuli significatio rectè considerata, dictum illud Baptistę illustrabit. Duo enim sunt, de quibus discipuli Ioannis disputant. 1. Quòd Christus functionem colligendi discipulos docendo & baptizando aggrediatur. 2. Quod repente in tantam emerserit auctoritatem, vt omnes ad ipsum veniant. Ad vtrumque respondet Iohannes hac sententia. Primò, functiones diuinas, in Ecclesia præsertim, diuinitus gubernari, & ideò neminem illas propria temeritate ad se rapere, sed diuina vocatione illas accipere posse & debere, si velit cum bona conscientia & Dei benedictione in illis versari. Et hac sententia Iohannes discipulos suos tacitè deducit ad vocem Patris, quæ de cœlo super Christum in Baptismo sonuit, ideò etiam loquitur: *Nisi datum sit* ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Secundo ostendit hac sententia, auctoritatem & successum in ministerio esse peculiare donum Dei, nec posse hominem sibi sumere, quantum in functione sua auctoritatis habere, quantum labore suo efficere velit, sed eius mensuram cuique è cœlo dispensari. Ideò Syrus significanter reddidit: *Homo non potest pro suo beneplacito, arbitrio seu voluntate quicquam sumere.* Chrysostomus hanc sententiam ad discipulorum quæstionem ita accommodat: *Non est, quòd commoueamini: quia videtis Iesum ad tantam auctoritatem tam citò peruenisse: diuinitus enim hæc gubernantur.* Augustinus & Cyrillus ita accommodant. Intempestiuus vester est erga me zelus: *Ego enim nec volo nec possum quicquam mihi arrogare præter id quod cælitus mihi datum est. Nec vos pro vestro zelo potestis me maiorem facere, nec meum est cursum seu successum illius velle impedire, aut in me transferre illam gloriam. Nihil enim horum homo, licet anxiè quærat, potest accipere, nihil quicquam amplius potest consequi, quam diuinitus ipsi datum fuerit.* Hinc vero sumitur pulcherrima doctrina, ad frænandam ambitionem, inuidiam, prauam æmulationem, & quicquid inde oritur contentionū in functionibus seu vocationibus, valdè necessaria, vt scilicet in ea quisque functione maneat, ad quam diuinitus vocatus est, & in illa contentus sit eo gradu, seu ea mensura auctoritatis & successus, quem Deus dispensat. Nam etiamsi homo valde tumultuetur: non potest tamen quicquam horum accipere, nisi cœlitus ipsi datum sit. Paulus 2. Corin. 10. vers. 13. pulcherrima similitudine hoc pingit, dicit enim, Deum Apostolis κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος orbem terrarum diuisisse, & cuique suum spatium, quod ministerio excolere debeat, quasi ad regulam admensum esse. Et sicut Apostoli illos limites non possunt excedere: ita aduersarios siue æmulos non posse illos limites, vtpote alienos, inuadere, nec etiam cursum impedire aut prohibere. Addit autem versic. 14. non esse gloriandum εἰς τὰ ἄμετρα, nec ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι, quæ scilicet Deus regula & mensura tibi non est admensus. Hæc cogitatio confirmat fiduciam diuini auxilij in vocatione, etiam contra aduersariorum impetus, & retinet animum in timore Domini, ne ex ambitione, vel suos limites excedere, vel alienos inuadere, tentet. Generalis enim est illa Baptistæ sententia.

Cum vero inquit: *Vos ipsi testes estis, quòd dixerim &c.* Reducit discipulis suis in memoriam ea, quæ in concionibus suis prolixè exposuerat, de discrimine inter se & Christum quo ad personam, & quo ad officium. Et Euangelista satis habuit, repetitionem illam paucis verbis tantum notasse. Scitis, me dixisse, *Non sum ego Christus: sed missus sum ante faciem eius.* Ergo asseuerat, Iesum esse verum Messiam; quasi dicat, Si mihi vt magistro vestro tantum tribuitis, debebatis igitur meo testimonio credere, non me, sed Iesum esse Messiam. Ac peculiari obseruatione dignum est, quod inquit: *Vos ipsos oportet testari, quod ex me illa, quæ nunc assertis, non didiceritis.* Vulgare enim, quod præterita doctrina sanctorum, ex admiratione vitæ & sanctitatis ipsorum, paradoxa quædam ex mera ἀγνοίᾳ extruuntur. Quibus sancti vere respondere possent his verbis Baptistæ: *Ipsos vos oportet testari, quod nos hæc non docuerimus, vt nos innocentes, colatis.*

Pergit autem Iohannes, oratione vere Euangelica, concionari de persona & de officio Christi, & simul ostendere discrimen inter personam & officium Christi & ministrorum. *Qui habet sponsam, inquit sponsus est.* Vtitur enim similitudine coniugij siue desponsationis, quæ in tota Scriptura valde vsitata est. Sponsa vnica est, Ecclesia scilicet, quæ ex Iudæis & Gentibus colligitur. Et casta sponsa non multis prostituitur, sed vni sponso copulatur. Sponsus autem est filius Dei, cui pater nuptias has fecit, Matth. 22 vers. 2. Multa autem hæc similitudo complectitur, de incarnatione & de toto officio Christi. Nos quædam annotabimus. Ne impar sit coniugium, solet inter illos, qui eiusdem generis & conditionis sunt, contrahi. Quomodo igitur Ecclesia, quæ caro & sanguis est, potest sponsa fieri filij Dei? Apud homines sanè hoc impossibile esset; infinita enim est distantia inter creatorem & creaturam. Sed cœlestis pater inuenit viam, vt misera hæc massa generis humani, quæ non tantum propter genus impar erat ad coniugium filij Dei, verum etiam propter peccatum inimica erat Deo, & extorris à regno Dei, posset sponsa fieri filij Dei, ipsi artissime copulari, ex non dilecta fieri dilecta, & in communionem cœlestium bonorum admitti, Ioh. 17. v. 21 Rom. 8. v. 39. ver. 15. sicut Ezech. 16. pulcherrima figura totum hoc negotium describitur. Verbum igitur caro factum est, vt secundum alteram naturam eiusdem substantiæ & generis esset, cum Ecclesia, quam sibi sponsam adiuncturus erat. Sed assumpta similitudine generis nostri longe adhuc impar erat conditio sponsi & sponsæ. Illius enim Caro, sine peccato mundissima & sanctissima, diuinitatem corporaliter in se inhabitantem habet: in nostra vero carne nihil habitat boni, sed sordibus peccatorum misere contaminata, regnum Dei non potest possidere. Filius igitur Dei homo factus, Ecclesiam non inuenit mundam & dignam, quam sibi sponsam adiungeret, sed dilexit eam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, Ephes. 5. ver. 26. vt ita desponsaret sibi eam in sempiternum, in iustitia & iudicio, in misericordia & in miserationibus, & in fide, Oseæ 2. ver. 19. Hoc ergo modo Ecclesia fit sponsa Christi, & vocatur ad communionem filij Dei, 1. Cor. 1. versic. 3. & ad communionem cum patre, 1. Ioan. 1. v. 3. & ad communionem Spiritus sancti, 2. Cor. 13. v. 13. vt sit hæres Dei, & cohæres Christi,

Christi, Rom. 8. v. 17 & omnia illius sunt, 1. Cor. 3. v. 23. Hęc qui dare & efficere potest, solus est sponsus. Potest autem solus filius Dei. Huic igitur soli Ecclesia sponsa adducenda & adiungenda est. Ad illam similitudinem sponsi pertinet etiam doctrina de fide & subiectione sponsæ. Sed Baptista de sponso præcipuè hoc loco concionatur, in fine vero concionis de fide quædam disserit. Cogitetur autem, quare Ecclesia sponsa potius quàm vxor dicatur, & Christus sponsus potius quam vir appelletur hoc loco? In primo enim suo aduentu Christus Ecclesiam sibi quasi desponsauit, consummaturus & celebraturus cum ea gloriosas nuptias in secundo suo aduentu. quæ describuntur Apoc. 19. v. 9. sed filius Dei, qui sponsam habet, solus est sponsus Ecclesiæ. Quod igitur est Baptistæ officium? Ad quid etiam vtitur reliquorum ministrorum opera? Et quo loco sunt habendi? Respondet autem Metaphora pulcherrima, *Amici*, inquit, *sunt sponsi.* Dulcissima est hæc appellatio, quæ ministris verbi tribuitur, quod sint amici sponsi. Sicut enim sponsus vtitur paranymphis, amicis probatis, qui sponsæ nuptias offerant, & persuadeant, qui sponsam adducant, vt sponso copuletur: ita Christus vtitur opera ministrorum, vt spirituales has nuptias miseris peccatoribus offerant, persuadeant & concilient, monstratis peccatis, & ostenso Mediatore, vtque per ministerium verbi & Sacramentorum futura sponsa ad sponsum adducatur, Et sponsus sanctificat & mundat spōsam suam opera ministerij. Eph. 5. v. 26. Ipsis etiam nuptiis, postquam sponso copulata est sponsa, hos amicos suos sponsus vult interesse, vt quæ desponsata est vni viro, virgo casta exhibeatur Christo, 2. Cor. 11. versi. 2. & fidem coniugalem seruet. Ier. 3. v. 1. Semper igitur in hac vita filius Dei vtitur opera ministrorum in Ecclesia: vel vt sponsa ad sponsum adducatur: vel postquam copulata est, vt fidem coniugalem seruet: aut si lapsa est, vt reducatur ad pactum coniugale, Ierem. 3. versi. 1. & qui hæc faciunt, amici sunt sponsi. Valde dulcis est hæc pictura, qua & ornatur ministerium, & ministri officij sui admonentur, vt summum sibi gaudium esse ducant, si plurimos Christo lucrentur & adducant. Nullum enim maius gaudium ei, qui verè amicus est sponsi, contingere potest, quam si viderit rem eo deductam, quod auditur vox sponsi colloquentis cum sponsa, copulantis sibi sponsam, & recipientis eam, data arrha in communionem omnium bonorum, sicut inquit Psal 45. v. 11. *Audi filia & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui, & domus patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. Quoniam ipse est dominus tuus & adorabis eum.* Chrysostomus rectè dicit, Baptistam mentionem facere vocis sponsi. Hæc enim sponsalia fiunt per vocem, hoc est, per ministerium verbi Euangelij: & fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei. Et quando amicus sponsi audit hac voce sponsam compellari, & sponsam autem suam ad hanc vocem inclinare, & hac voce fieri desponsationem, tunc *gaudio gaudet*: hoc est, magna animi voluptate prę gaudio exultat propter vocem sponsi. *Et hoc meum gaudium iam impletum est*, inquit Baptista: Audio enim iam ipsius sponsi vocem compellantis sponsam suam. Quibus verbis indicat, se diu intimis votis & summo animi desiderio optasse & expectasse, quod nunc impletum esse gaudet. Et hoc opponit discipulis suis qui existimabant, ipsum debere inuidere crescenti auctoritati Christi, & offendi, quod auctoritas sua imminueretur, cum omnes turmatim ad Christum venirent. Imò, inquit, *gaudio gaudeo propterea.* Amicus enim sponsi non inuidet sponso, quod sponsa ipsi familiariter se adiungit, non cupit ipsi sponsam præripere, sed gratulatur ei hoc. Admonet igitur hæc sententia ministros officij sui. Et obseruata ratione similitudinis accommodatio facilis est. Adhibentur enim amici ad nuptias, non vt sponsam sibi deuinciant, vel corrumpant eam, nec vt existiment se in societatem thori coniugalis cum sponso recipi: imò nullum maius scelus est, quam si paranymphus, cuius fidei negotium hoc concreditum est, sponsam vel corrumpat, vel sibi eam conciliet; aut si patiatur sua negligentia eam vel à sponso abalienari, vel ab aliis corrumpi. *Et ille, cuius custodiæ sponsa vel vxor amici commendata est, rectè facit*, inquit Augustinus, *si curat, vt nullus alius præter sponsum ametur: sed qui pro se amico amari voluerit, & ea quæ sibi commendata est, turpiter abuti detestandus certè vniuerso generi humano apparebit. Multos autem adulteros video, qui sponsam tanto pretio emptam possidere volunt, & id agunt verbis suis, vt pro sponso amentur.* Hæc Augustinus. Accommodatione, quia manifesta est, breuitatis gratia supersedeo.

Addit autem Iohannes, *Illum oportet crescere, me autem minui*, ostendens, se æquissimo animo ferre, si de sua auctoritate aliquid decedat, modo Christi nomen & auctoritas crescat. Omnes enim antea certatim ad Baptistam currebant, & plerique pro Messia ipsum habebant: hæc hominum opinio & illa Baptistæ auctoritas imminuenda erat. Iesus vero, vt fabri filius, contemnebatur: eius igitur auctoritatem ex decreto diuino oportebat crescere, vt pro Messia agnosceretur. Hoc igitur vult dicere Baptista: Quicquid habui auctoritatis, cœlitus accepi, vt Messiæ Domino populum præparatum adducerem. Vt nunc igitur ipsi soli gloria tribuatur, vt Messiæ, oportet me minui. Græce est ἐλαττοῦσθαι, auctoritate minorem fieri. Atque ita sæpe fit, quod fideles ministri, quorum primo magna fuit auctoritas, postea manente puritate doctrinæ, quando homines rectè instituti ex Scripturæ fontibus veram agnitionem ipsi haurire possunt, minus curantur. Et fit sane hoc plerunque mundi ingratitudine: sæpe tamen hæc Deus ita dispensat, vt qui plantat, & qui rigat nihil sint, sed qui dat incrementum Deus. Et discant ministri cum Ioanne dicere: *illum oportet crescere, me verò minui.* Notabile enim est, cum Baptistæ auctoritas & admiratio vitæ ipsius obstarent gloriæ Christi, ita vt ex discipulis eius multi propterea nollent ad Christum accedere, Deus passus est ipsum in carcerem coniici, & postea cum peruersus discipulorum eius zelus hoc modo nondum corrigi posset, gladio è medio tolli. Nec dubium est Ioannem, cum in carcere opera Christi audiret, cum gaudio mortem sustinuisse, sicut hic inquit *Illum oportet crescere, me verò minui.* Augustinus de hac sententia ita inquit: *Antequam veniret Dominus, homines gloriabantur de se. Venit ille homo, vt minueretur hominis gloria, & augeretur gloria Dei. Sic enim venit ille, vt dimitteret peccata, & homo confiteretur: etenim confessio hominis, miseratio Dei: humilitas hominis, altitudo Dei. Crescat ergo in nobis gloria Dei, & minuatur gloria nostra, vt in Deo crescat & nostra.* Hæc Augustini vera & pulchra sunt, sed huic loco proprie non conueniunt.

Et hæc ad propositam à discipulis quæstionem poterant sufficere: sed Baptista, data hac occasione, pergit doctrinam, quæ Euangelij propria est, plenius & luculentius explicare. Et diligentius inspicienda sunt sequentia membra huius concionis. Ex veteribus enim multi disputarunt, Baptistam non ipsum Euangelium prædicasse, sed medium quiddam inter Legem & Euangelium. Sed extra omnem controuersiam certum est, Euangelij doctrinam hanc esse, quæ tradit explicationem de persona & officio Christi, de fide iustificante, & de vita æterna; quæ fide propter Christum accipitur. Hæc vero membra pulcherrime in hac Baptistæ concione explicantur, sicut ordine annotabimus.

Primo de persona Christi inquit: *Qui è supernis venit.* Item: *Qui è cœlo venit, super omnes est.* Intelligenda autem hæc phrasis est non de loco, sicut Angeli dicuntur è supernis venire, & de cœlo descendere: sed de origine & cōditione, sicut ipse postea explicat, *è supernis est*, hoc est, è cœlo venit, quia scilicet est vnigenitus filius Patris cœlestis. Et ita secundum diuinam naturam est ἐπάνω πάντων: potest enim Genitiuus ille πάντων accipi, vel in Masculino genere, super omnes doctores & sanctos, vel super omnes creaturas: vel vt in Neutro accipiatur super omnes res, sicut Cyrillus exponit, & sicut Paulus etiam loquitur: *Qui est super omnia Deus benedictus in secula*, Rom. 9. versic. 5. Descendit autem siue venit è cœlo, sicut Baptista loquitur, assumpta humana natura absque peccato, & factus sponsus Ecclesiæ suæ. Paulus enim 1 Cor. 15. versi. 47. planè ita loquitur, vt videatur verba ex hac Baptistæ concione mutuatus esse: *Primus homo ex terra terrenus, secundus homo Dominus è cœlo, cœlestis.* Et tales erunt etiam cœlestes: Portabimus enim imaginem cœlestis hominis. Pertinere igitur hæc verba Baptistæ etiam ad assumptam à Christo humanam naturam, ex hac Pauli interpretatione manifestum est. Et Baptista per Antithesin doctrinam declarat. *Qui è terra est, est è terra*, hoc est, χοϊκός est, sicut Paulus explicat. Intelligit autem non ipsam substantiam humanæ naturæ, quæ ex limo terræ facta est. Illam enim etiam filius Dei suscepit, sed deprauationem, quæ propter Adæ lapsum ingressa est, 1. Cor. 15. v. 47. Qui igitur è terra est, est terrenus, hoc est, ex corrupto semine natus originem suam refert corruptione, cæcitate, tarditate, &c. Christus vero secundus homo Dominus è cœlo est. Quod ad diuinam enim naturam attinet, origine est è supernis, & è cœlo: quod ad assumptam humanam naturam, conditione est cœlestis. Conceptus enim de Spiritu sancto, peccatum non nouit, imò tota plenitudo diuinitatis in ipso habitat corporaliter, Col. 2. v. 9. Et ita, qui secundum substantiam humanæ naturæ fratribus similis & consubstantialis est, Hebr. 2. ver. 17. & 4. vers. 15. secundum cœlestes illas siue qualitates, siue conditiones, seu quomodocunque appellentur, super omnes est, etiam quo ad humanam naturam, sicut Paulus expresse dicit, Ephes 1. ver. 22. Hæc explicatio ex collatione loci, 1. Cor. 15. ver. 47. certa est. Et Baptistæ consilium est, discipulis, qui humilitate Christi offendebantur, ostendere prærogatiuam & excellentiam personæ ipsius, secundum

vtramque naturam,super omnes sanctos, vt sensus sit:neminẽ ex omnibus sanctis,ne illum quidem,quo maior non surrexit inter natos mulierum, Christo æquandum esse, multo minus præponendum.Qui enim ex terra est,terrenus est : Qui verò è cœlo est & venit,super omnes est.

Secundò de doctrina, quam filius Dei ex sinu patris protulit,Baptista magnifice & præclare loquitur: & facit differentiam inter Christum docentem,& reliquos ministros docentes:*Qui ex terra est,ex terra loquitur,quia est ex terra.*Hoc Baptista de se & de omnibus ministris dicit. Num igitur ex sapientia carnis,quæ inimicitia est aduersus Deum? aut num fructus corruptæ naturæ fuerunt, quæ Baptista, quæ Prophetæ . quæ Apostoli docuerunt?Certe nullo modo. Ipse enim Christus dicit,baptismum,hoc est, ministerium Iohannis fuisse non ex hominibus,sed è cœlo,Matth.21.vers.25.Chrysostomus igitur ita interpretatur : Intelligenda esse hæc verba non simpliciter , sed in comparatione ad Christum , quasi diceret,Parua & humilia sunt , quasi terrena , quæ ego doceo, comparata his, quæ filius Dei ex sinu patris profert. In illo enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi sunt. Sed nescio, an hæc sit sententia Baptistæ. Certe ad Nicodemum Christus ipse dicit , se etiam terrena loqui , in hanc sententiam , sicut Chrysostomus hoc loco intelligit. Et Paulus affirmat : Christum in se loqui mysteria abscondita à sæculis. Augustini igitur interpretatio propius accedit ad Baptistæ sententiam , vt intelligatur , quid Baptista & omnes sancti sint per se, si ex se & ex sua origine loquantur, non autem quid sint ex dono Dei,& ex illuminatione Spiritus,quando eloquia Dei loquuntur.*Loquitur,*inquit,*de homine,quantum ad ipsum hominem pertinet. Si enim aliqua loquitur diuinâ, illuminatus est à Deo, sicut Apostolus dicit: Non autem ego, sed gratia Dei, quæ mecum est. Ergo Iohannes , & quod ad Iohannem pertinet, de terra est , & de terra loquitur : si quid diuinum audiuimus à Ioanne, illuminantis est,non recipientis.* Hæc Augustinus.Et obseruandum est, quod hic tantus sanctus, qui Spiritu ita illustratus erat,vt à Christo vocetur Lucerna ardens,Iohann.5. versi. 35. Imo qui in vtero matris Spiritu sancto repletus fuit, aperte confitetur, se nondum totum esse spiritualem , sed adhuc circumferre & sentire terrena, hoc est, corruptæ originis deprauationem : ita vt quando ψυχικὸς homo in Iohanne loquitur , loquatur ex terra. Sensus igitur est , in reliquis omnibus ministris,quantumuis sanctis & illuminatis, probandos esse Spiritus, num ex Deo sint, & omnia ipsorum dicta ad regulam Spiritus esse exigenda. Adhuc enim caro & animalis homo in ministris est , sicut Paulus de se loquens hæc accurate distinguit:secundum hominem loqui , Rom. 3. vers.5. secundum carnem cogitare, 2.Cor.1.vers.17. secundum carnem militare 2.Cor.10.versic.3.secundum carnem Christum cognoscere,2.Cor.5.ver.16.& 2.Cor.11.versic.38. non loquor secundum dominum in hac gloriatione,&c. His autem opponit alias sententias 1.Corinth.2.vers.12. *Non accepimus Spiritum huius mundi,sed spiritum, qui ex Deo est. Loquimur non humanæ sapientiæ verbis,sed in doctrina Spiritus.* Item 2. Corinth. 2.versi.17 *In Christo loquimur*,2.Cor.13 vers.3. *Num experimentum quæritis eius,qui in me loquitur Christi?* 2.Petr.1.ver.21. *Non humanâ voluntate allata est Prophetia:sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*,2.Cor.3.vers.5.*Non sumus idonei ex nobis ipsis , tanquam ex nobis ipsis , cogitare aliquid eorum, quæ ad ministerium pertinent.* Hæc sententia simplex est & Antithesis pulchre respondet. Christus non ita est ex terra , vt vel aliquid,vel aliquando ex terra loquatur, cui examen adhibendum sit:sed quia è supernis & è cœlo est , omnia quæ loquitur sunt cœlestia,certa & vera, & sine omni exceptione accipienda. Et ita manifesta est in genere Baptistæ sententia. Eorum vero,quæ Baptista de doctrina Christi prædicat , nos capita tantum annotabimus. 1. Non loquitur è terra : sed quia è supernis & ex cœlo est,omnia quæ docet, sine exceptione sunt verissima & certissima,imo cœlestia & diuina, atque adeo talia , per quæ in cœlum ad communionem Dei transferamur. 2. Cum dicit, *Quod vidit & audiuit testatur,* non generalis tantum phrasis est de rebus compertissimis. (De iis enim , quæ videmus & audimus, certo testari possumus) sed maior hoc loco emphasis est in hac phrasi , quod scilicet Christus,quæ docet non habeat ab extra per reuelationem,sicut Prophetæ & Apostoli, nec ex lege,nec ex testimonio illa didicerit , sicut reliqui ministri : sed quæ in cœlo, scilicet vnde venit ; vidit & audiuit, hæc testatur. Significat autem hæc phrasis,qua ipse etiam Christus Ioann.5. versi.19. & 30.vtitur,ipsum arcano consilio Trinitatis interfuisse, & omnium secretorum conscium doctrinam hanc è sinu patris protulisse.Et obseruetur,quod Paulus etiam , quando raptus fuit in tertium cœlum,tamen addit,2.Cor.12.vel.4. verba quæ ibi audiuit esse ἄῤῥητα, id est , tantam esse imbecillitatem humani ingenij , vt ea,quæ ibi audiuit , explicare non possit; imò vt ignorarit,an fuerit in corpore, vel extra corpus. Nominat igitur reuelationem. Valde magna igitur est emphasis horum verborum,*Quæ vidit & audiuit,testificatur* : quæ ex illo loco Pauli aliquo modo intelligi possunt. 3. Pater illum legatum misit, non sicut Prophetas & Apostolos etiam misit : sed è cœlo hunc legatum misit, vt arcanum illud decretum,quod vidit & audiuit,nobis enuntiaret.*Quem igitur Deus misit,is Dei verba loquitur,*& qui hæc credit, Deo veritatis laudem tribuit : qui verò non credit, Deum mendacem facit. 1 Ioann.vers.10.4. *Deus Christo Spiritum non ad mensuram dedit,* sicut reliquis ministris,1.Cor.12.ver.7 Ephes.4. vers.8 sed omnes thesauri sapientiæ & cognitionis Dei in ipso inhabitant, Col.2.v.3.imò factus nobis est à Deo sapientia, 1. Cor. 1.vers. 30.5.*E supernis & super omnes est.*Non ergo vt seruus , sed vt filius & Dominus in domo Domini cum auctoritate loquitur: pro illa igitur auctoritate,quasi ex sublimi loco loquens , audiendus est.Hæc Iohannes discipulis suis opponit, qui magistri sui auctoritate fascinati,ipsum filium Dei docentem nolebant audire.

Tertio:Quia filius Dei missus erat , vt non tantùm Doctor, sed præcipue vt Mediator & Saluator esset:ideo Baptista de officio Mediatoris etiam concionatur. *Non ex mensura dat Deus Spiritum : sed pater diligit filium & omnia in manum ei dat.* Priorem sententiam quidem generaliter exponunt , Deum dare hominibus Spiritum sanctum, non quasi ex mensura aliqua angusta & finita(sicut Syrus habet במשחא, quod mensuram Ephi significat) quæ possit exhauriri : sed quasi ex fonte perenni opulenter ipsum effundere Spiritum, Tit.3.v.6. diues enim est in omnes,& super omnes qui credunt in eum, Rom. 10.v.12.Hæc sententia bona & vera est. Sed contextus optime fluit,si cum Chrysostomo & Augustino de filio sententiã hanc exponamus,vt sensus sit: Deus Spiritum ipsi, scilicet filio,quem misit, non vt Baptistæ & reliquis sanctis ad certam mensuram. Antithesis enim inter Christum & reliquos ministros,quo ad mensuram Spiritus manifeste explicatur, 1. Cor. 12.v.4.& Ephes.4.v.7.*secundum mensuram donationis, &c.* Intelligenda autem est hæc sententia non tantum de excellentia personæ Christi,sed de officio,sicut Paulus Coloss.1. v.19.inquit : *Complacuit in Christo inhabitare omnem plenitudinem , vt in ipso essemus consummati.*

Appellatione autem *Spiritus* , & ipsum Spiritum, & omnia spiritualia dona ad conuersionem, salutem , & pietatem necessaria intelligit. Respicit enim ad locum Isa.11.v.2. *Requiescet super eum Spiritus Domini,Spiritus sapientiæ, intelligentiæ consilij,fortitudinis,scientiæ,pietatis & timoris Domini.* Et Isa.61.v.1. *Spiritus Domini super me,&c.* Nec melior potest interpres esse, quàm ipse Baptista,Ioh.1.ver.16.Ideo pater filio Spiritum dat, non ad mensuram,sed omnem plenitudinem,vt ex illa plenitudine nos omnes accipiamus, vt ex capite deriuetur in omnia membra , iuxta proportionem & mensuram cuiusque.Ephes.4.v.7. Christus igitur non tantum vt minister docet,sed vt Dominus etiam confert gratiam & dona Spiritus sancti, Hoc nulli ex ordine ministrorum conuenit. Addit autem Baptista,*Pater diligit filium.* Quæ sententia non absolute tantum,sed principaliter ita intelligenda est , quod Pater filium in officio Mediatoris , causam nostræ reconciliationis agentem,diligat. Sine dubio enim Baptista , quia cum discipulis suis loquitur, ad illud , quod in prioribus concionibus explicarat,respicit:*Accepimus gratiam pro gratia.* Quando igitur Deus de cœlo respicit super filios hominum , omnes abominabiles sunt,Psal.14.2.*Omnes sunt filij iræ*,Ephe.2.v.3. sicut tristissimis verbis hæc quasi visitatio describitur, Gen.6.versi.5.solum vnigenitum filium , in officio Mediatoris intercedentem pro nobis, ita diligit , vt in dilecto illo etiam nos sibi reddat gratos & acceptos.Ephe.1.v.6. Hoc enim vult Baptista,quando addit *Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum.* Cyrillus de diuina natura in Christo hoc intelligit , quod scilicet pater filio generando ac dando illi essentiam , omnia sua ipsi dederit. Alij ita intelligunt, quod Christo secundum humanitatem pater dederit per gratiam omnem potestatem in cœlo & in terra,Matth.28.ver.18.omnes enim creaturas subiecit, sub pedibus eius.Psal.8.v.8.Hebr.2.v 8 Hæc vera sunt. Sed simplicius est,si de persona Christi in officio Mediatoris intelligatur.Nam primo pater dedit ipsi omnem carnem, Ioh.17.v. 2.id est,totum genus humanum perditum, vt illud redimeret & saluaret. 2. Omnia ad salutem necessaria deposuit in manu eius. 3. Quæ ad gubernationem & ad eo conseruationem Ecclesiæ pertinent, omnia sunt Christo à Patre in manum data.Et Hebraismus iste sane in genere significat,omnis potestati eius commissa : sed tamen peculiarem emphasin phrasis hæc habet. Est enim dulcissima descriptio Mediatoris , quæ tamen tanquam gemma in postrema hac Baptistæ concione diligẽter obseruanda est. Omnia quæcunq; ad vitã æternã nobis necessaria sunt, Pater dat, sed per manũ siue in manu

manu filij. Quia enim nos non sumus digni, qui illa accipiamus, filius Dei incarnatus constitutus est Mediator, is meruit & dignus est & pater filium diligit, & in manu eius omnia illa dat, ita vt de eius plenitudine accipiamus. Et ideo dat, non quia nos digni sumus, sed quia diligit filium. In Christo igitur Mediatore, per Christum, & propter Christum, hęc nobis donantur, atque ita sunt quærenda & accipiéda. Deposita.n. sunt in manu Mediatoris, per illam manum Pater nobis dat, ex illa manu nos oportet accipere. Hic honor soli Mediatori debetur. Horrenda igitur est idololatria ad sanctos hæc transferre, sicut in papatu fit. Porrò illud, quod vel maximè ad officium Mediatoris pertinet, quod scilicet sit agnus Dei tollés peccata mundi, Baptista hoc loco pręterit. Loquitur enim cũ discipulis suis, quibus nota erat doctrina, quam in prioribus concionibus tradiderat. Illud igitur huc referendum est. Illa etiam, quę antea de Christo sponso diximus, huc pertinent. Sed pia meditatione melius potest considerari, quam longa explicatione declarari dulcissima hęc descriptio. Mediator est filius Dei incarnatus, quem, quia factus est agnus Dei, tollens peccata mundi, Pater diligit, & omnia, quę ad vitam æternam necessaria sunt, dedit in manum eius. Ex omnibus enim illis, quę pater dedit in manum filij, vitam æternam Baptista diserte nominat, vt quę summa sit & finis. Ac propterea postea in Antithesi dicit; *Quia vita æterna data est filio in manum*: ideò, *Qui non credit in ipsum non habet vitam: sed ira Dei manet super ipsum.* Est & phrasis illa consideranda: *Omnia dedit in manum eius.* Significat enim datam esse filio hominis omnem potestatem in cœlo & in terra, vt non tanquam minister, sed vt Dominus omnia in manu sua habeat. Non est itaque quod dubitemus; An illa quę filius Mediator in ministerio nobiscum agit, efficacia sint. Data enim ipsi est omnis potestas in cœlo & in terra Matt.28.v.18. vel an Pater illa rata habere velit. Dedit enim omnia ipsi in manum. Sed cur Deus illa non deposuit in nostra manu? Hęc vero suauissima est cõsolatio, & consistit in tribus capitibus. 1. Homo per se nõ est capax eorum quę Spiritus sunt, etiam quando offeruntur. 1. Cor.2.v.14. Mediator itaque noster sua manu per ministeriũ nobis hęc bona offert, ita quod simul est efficax, vt possimus nos ad ea applicare. 2. illius sapientię est, dona Spiritus distribuere, sicut nouit expedire, iuxta mensuram cuiusque membri, vt vnumquodque augmentum corporis faciat in ædificationem sui in charitate, sicut Ephes.4.v.12. Paulus inquit. 3. Pater omnia hęc dedit in manum filij, vt hoc modo quasi depositum nobis conseruetur in illam diem, 2.Tim.4.versi.8. Humana enim natura cum esset integra, bona illa, quę in manu sua habebat, non potuit conseruare: quomodo igitur nunc posset? Pater itaque depositum salutis nostrę certiori & tutiori custodia commendauit, deponens illud in manum filij, modo fidem seruemus, sicut Paulus inquit, 2.Tim.4.ver.7. Hæc pluribus possent amplificari, sed nos capita tantum signamus.

Quartò, doctrinam de mediis illis, per quę fit applicatio eorum, quę Pater in manu filij deposuit, Baptista breuiter, sed luculenter complectitur. Omnino oportere fieri applicationem, ostendit cum inquit, *Qui non credit filio, non videbit vitam.* Medium verò, per quod bona illa offeruntur, est testimonium filij Dei, siue verbum Dei, quòd filius missus loquitur. Et illud medium Baptista tot præclaris testimoniis ornat, sicut in secundo membro annotauimus, propterea, quia animalis homo per se non est capax spiritualium: Mediator vero per illud ministerium efficax est in mente, voluntate & corde, vt possit fieri apprehensio. Illud verò medium, per quod nos apprehendimus, & nobis applicamus ea, quę in manu filij Dei deposita sunt, & in promissione Euangelij nobis offeruntur, expressis verbis notat esse fidem: *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Priusquam verò de fide incipiat concionari, interiicit tristem querelam: *Testimonium eius nemo accipit.* Et ideo dicit neminem accipere, quod vere fideles, si cum innumerabili impiorum turba conferantur, tam pauci sint, vt propemodum nulli appareant. Ostendit igitur, maiorem partem generis humani hoc tantum beneficium Dei vel persequi, vel spernere, vel certe frigidius tractare, & non eo, quod debebat, loco habere, vt non offendamur eo spectaculo, nec exemplum illud imitemur, sed eo ardentius testimonio filij Dei inhæreamus, quia nemo potest vitam æternam accipere, nisi ex Deo natus sit, Iohan.1.versi.13. Semen autem illius regenerationis est verbum Dei, 1. Pet.cap.1.versic.23. Non autem titulotenus tantum fidem nominat Baptista: sed pulcherrime eam describit, nos nostro more capita tantum annotabimus. Obiectum fidei non tantum in genere dicit esse testimonium filij Dei, seu verba Dei, quę filius à Patre missus loquitur: sed adhuc expressius describit, quid fides in verbo Dei quęrat & apprehendat, vt habeat vitam ęternam. Inquit enim: *Qui credit in filium*, qui de cœlo venit, factus Ecclesiæ sponsus, hoc est, agnus Dei, tollens peccata mundi, quem pater diligit, in cuius manum omnia tradidit: hæc enim omnia sunt verba Baptistæ, quibus verum & proprium obiectum fidei iustificantis describit. Ostendit etiam, fidem, quæ adfert vitam æternam, non esse frigidam cogitationem aut otiosam notitiam Credere enim exponit idem esse, quod *accipere testimonium filij Dei.* Syrus habet verbum קבל, quod significat scientiam diuinitus traditam velle & recipere, tanquam diuinam. Inde enim קבלה *Cabala*; scientia de diuino auditu, appellatur. Vt autem clarissime exponat, fidem esse non tantum in mente lucem quandam, sed præcipue in voluntate fiduciam, acquiescentem in veritate Dei, quando testimonium Mediatoris accipit, vtitur phrasi peculiari & valde significanti: *Qui credit, obsignauit, quod Deus verax sit.* Quando verbum σφραγίζειν, de Deo erga nos vsurpatur, tunc manifesta est eius significatio: quæ hoc loco videtur obscurior esse, quia credentes dicuntur obsignare, quod Deus verax sit. Et in genere quidem potest sensus esse: Qui credit in Christum, is obsignauit Deum Messiam, sicut promisit, misisse, atque ita veracem esse. Sed sine dubio Baptista hac phrasi naturam seu ingenium veræ fidei describere voluit, & sententia ita colligi potest. De quibus non dubitamus, sed certi sumus, ita quod in illis acquiescimus; & illis stare volumus, ea obsignamus: & quæ obsignata sunt, in illis facilius & firmius acquiescimus & confidimus. Quando igitur hoc loco verbum *obsignare* referimus ad conscientiam credentis, pulcherrima erit descriptio veræ fidei, quæ promissionem gratiæ in verbo agnitam ita in corde amplectitur, vt vera fiducia illam in conscientia quasi obsignet, vt in qua velit acquiescere, quia statuit Deum veracem esse. Syrus habet Hebraicum חתם Sigillauit vel obsignauit, quod ita vsurpatur Esth.8.versi.8. quod obsignatum erat annulo regis, hoc nemo audebat refringere. Et quod proprie huc conuenit, Cant.8.v.6. *Pone me sicut sigillum super cor tuum*: est igitur fides iuxta hanc Baptistæ phrasin, quasi sigillum in corde impressum, quo cor confirmatur, vt non dubitet de veritate promissionis, sed certa fiducia illam apprehendit, & in apprehensa acquiescit & retinet. Et non sine graui causa Baptista verbum, *Obsignare*, quod in articulo iustificationis fere semper Deo tribuitur, de credentibus hoc loco vsurpat. Fit enim in iustificatione pactum bonæ conscientiæ coram Deo, hoc est, vt conscientia certo statuat Deum nobis propitium esse. Illud pactum Deus ex vna parte obsignat Sacramentis & Spiritu sancto: Fides vero ex altera parte in conscientia pactum illud obsignat, quod scilicet velit in illa vera fiducia acquiescere. Considerandum autem est, etiam hoc, quod Baptista inquit: *Obsignat quod Deus verax sit.* Illa enim fidei obsignatio non pendet ex aliquo, quod in nobis fit. Ita enim semper incerta nutaret, & dubia fluctuaret: sed fundamentum habet in veritate Dei, & hoc obsignat, Deum veracem esse, qui seipsum negare non potest, non absolute tantum & in genere, sed quod Deus in iis, quæ in filio & per filium loquitur & promittit, verax sit: quod scilicet ea, quæ in filio promittit, certe præstet & præstare velit, quicquid contra obiiciant diabolus, mundus, caro, & ipsa denique etiam experientia. Quàm certa enim & firma veritas Dei est, tam infallibilis, etiam est salutis nostræ fiducia. Mutuo enim sibi correspondent, veritas Dei & obsignatio fidei. Et notetur: Qui filio non credit, etiãsi in genere cogitet, Deum esse veracem, tamen mendacem ipsum facit 1.Iohan.5.v.10. quia in filio & per filium Deus loquitur nobis. Hæc simplex & principalis est sententia huius dicti de obsignatione quæ dulcissimam præbet doctrinam de veræ fidei certitudine, contra mortiferum dogma Pontificiorum de dubitatione. Postea altera etiam explicatio locum habet, quomodo fides sit cultus Deo gratissimus. Subscribit enim testimonio Dei, & quasi annulo obsignat veritatem promissionis de Messia. Et nullus cultus Deo gratior est, quàm laudem veritatis ipsi tribuere, cum quidem ostendat, se hoc cultu delectari, vt veritas ipsius per se firmissima, nostra fide, quasi subscriptione obsignetur. Quam horribile igitur peccatum sit incredulitas & dubitatio, hinc æstimari potest. Detrahit enim Deo laudem veritatis, & facit ipsum mendacem, 1.Ioh 5.v.10. quia nulla maior blasphemia esse potest. Atque ita breuiter ostendimus, Baptistam in hac concione tradidisse valde luculentam fidei iustificantis descriptionem, cuius capita tantum annotare volui. Iusta enim explicatio in locis communibus traditur.

Postremo addit Baptistæ doctrinam de vita æterna. Finis enim fidei est salus animarum, 1.Pet.1. v.9. & Euangelium est scientia salutis, Luc.1.v.77. sine doctrina de vita æterna, quam agnus Dei, tollens peccata mundi, acquisiuit, quæ in testimonio filij Dei proponitur & offertur: accipitur autem fide. Recte igitur Baptista dicit: *Qui credit in filium*, licet omnis generis calamitatibus subiectus sit, non tamen debet

dubitare, se *habere vitam æternam*. Fide enim Christum possidemus, vt inhabitet in nobis: & pater ei in manum dedit omnia, & præcipue vitam æternam. *Ego*, inquit, *sum vita*. Item: *pater dedit ei habere in seipso vitam*. Ioh. 5. v. 26. Atque hoc modo qui credit, habet vitam æternam: quia Christum habet & fide possidet. Describit autem Baptista vitam æternam ex Antithesi. *Qui non credit ira Dei manet super illum*. Hæc Baptista breuiter proponit, Paulus verò, vt artifex sententiam illam, *Qui credit habet vitam æternam*, præclarè euoluit, opponens iustitiã fidei & iustitiam legis, Rom 10. v. 4. & reliquis. Et qui ex operibus legis sunt, sub ira & maledictione Dei sunt, Gal. 3. v. 10. Hanc verò doctrinam de vita æterna, fide per & propter Christum consequenda, Baptista tradidit non tantum affirmatiue, sed addit aduersatiuam, *Qui verò incredulus est filio, non videbit vitam*. Græcum ἀπειθῶν, Syrus reddidit verbo valde significãti [illegible], quod significat animi acquiescentiam, qui non consentit vel acquiescit filio. Ita & videre vitam, phrasis est, vt videre mortem, videre corruptionem. Videre ergo vitam, est frui vita; beata scilicet & æterna, quæ sola vera est vita. Nulla igitur alia est via, qua vitam æternam consequi possit, nisi vnica hæc: *Qui credit in filium, habet vitam æternam*. Non enim illi tantum vitam non videbunt, qui in manifestis sceleribus se volutant, sed quocunque conatu, quocunque zelo, quacunque intentione sectetur quis iustitiam, & quærat vitam æternam, frustra currit, qui extra viam. Qui enim non credit in filium, quicquid alias habeat, & agat, non videbit vitam. Simul autẽ etiam pœnam ostendit, quæ proposita est illis, qui testimoniũ filij Dei non accipiunt. *Qui enim non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum*. Augustinus verba diligenter expendit: Non dicit, *ira Dei veniet ad eum* nec dicit *manebit*: sed *manet super eum*: Quia enim omnes nascimur filij iræ, & cum nulla alia sit via, qua liberari possimus ab ira Dei, quam si Christum fide apprehendamus: Qui ergo non credit in filium Dei, ira Dei, in quam nascendo ipsa originali corruptione, & aliis postea peccatis incidit, & sub qua hæret, manet super eum, vt onus intolerabile, oppressura & demersura ipsum in infernum & æternam damnationem. Ideo enim dicit, super ipsum est & manet ira. Vel idem est, quod nos dicimus, Erit in æternum subiectus & obnoxius iræ & vltioni diuinæ, vt effugere non possit. Non autem dubium est, Baptistam proposuisse hanc comminationem discipulis suis, vt eos à contemptu Christi & Euangelij ipsius deterreret. Et non hæc tantum pœna est contempti Euangelij; quod increduli ab ira Dei, quam nascendo & peccando contraxerunt, liberari non possunt, sed cumulant iram Dei, & grauius ad iudicium incurrunt ipso contemptu Euangelij, sicut Paulus 2. Thess 1. v. 8. ostendit, & ad Nicodemum Christus inquit, *Hæc est condemnatio*, &c. Item *tolerabilius erit Sodoma in die illa*. Matth. 10. v. 15. *Melius illis fuisset viam veritatis non cognouisse*, 2. Pet. 2. v. 21. *Si non venissem, & dixissem eis, peccatum non haberent*. Iohan. 15. v. 12. Chrysostomus hoc etiam expēdit quod non dicit, *Ira Dei manet* in ipso, sed *super ipsum*: ne intelligatur pœna aliquando transitura. Addit enim, *non videbit vitam*. Atque ita duplicem, inquit, Ira Dei ponit pœnam. 1. Priuationem vitæ æternæ, quam vocant pœnam damni, cum inquit; *Non videbit vitam*. 2. Pœnam sensus, cum ira manet super ipsum.

Hæc sunt præcipua capita in postrema concione Baptistæ, in qua comprehensam esse doctrinam totius Euangelij manifestum est. Nam & articulum Trinitatis clare proponit. Nominat enim Deum, & hunc Deum dicit esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Et hinc rectè iudicari potest, quale genus doctrinæ fuerit, quod Baptista in suo ministerio tradidit.

CAPVT TRIGESIMVMPRIMVM.

CONTINENS HISTORIAM CAPTIVITATIS BAPTISTÆ.

RATIO ORDINIS.

IOannes Euangelista post præclaram illam Baptistæ concionem subiicit historiam de secessu Christi ex Iudæa in Galilæam. Marcus vero capite 1. vers. 14. dicit hoc factum esse, postquam Baptista traditus esset, & Matth. 4. ver. 12. inter causas quare Christus, relicta Iudæa, secesserit in Galilæam, hæc etiam recensetur: *cum audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset*, &c. Manifestum igitur inde est, postea, quæ in fine ex Iohan. 4. v. 3. descripta sunt, & ante descriptionem profectionis Iesu ex Iudæa in Galilæam, quæ Iohann. 4. ver. 3. describitur, collocandam & interserendam esse historiam de captiuitate Baptistæ. Quod enim nullus Euangelistarum historiam illam suo loco & ordine narrauerit, manifeste patet. Matthæus enim & Marcus, cum alia quadam occasione post mortem Baptistæ narrent, quomodo interfectus fuerit, ibi simul etiam paucis describunt historiam, quomodo in vincula coniectus fuerit. Non quod tunc primum, cum decollaretur, vel paulo ante in carcerem traditus fuerit. Nam Matth. 11. versic. 2. Baptista ante describitur fuisse in vinculis, & Matth. 4. versic. 12. scribitur traditus fuisse priusquam Iesus ex Iudæa in Galilæam secederet. Per recapitulationem igitur historia captiuitatis Baptistæ, longe post, quàm facta fuerat, Matth. 14. versic. 3. & Marc. 6. versic. 17. describitur. Lucas vero cap. 3. vers. 19. contexens historiam Baptistę ante Christum baptizatum, obiter meminit, quod postea ab Herode captus sit. Non autem de illo tempore, quo Lucas descriptionem illam ponit, hoc factum fuit: Mox enim post illam descriptionem Ioannes baptizat Christum apud Lucam, & apud Ioannem post Christum baptizatum multa alia adhuc ante captiuitatem Baptistę fecisse scribitur. Per anticipationem igitur, non suo loco & ordine, historia illa captiuitatis Baptistæ apud Lucam descripta est. Sed quo loco & ordine in Harmonia Euangelica collocanda sit, & ad quod tempus pertineat, ex his, quæ annotauimus manifestum est. Quia vero Baptista non statim, postquam in carcerem coniectus fuit, occisus est, sed vltra annum, sicut explicatione ostendemus, in vinculis detentus fuit: ideo quædam hoc loco ex Matthæo & Marco in textu addemus. Quæ ideo etiam ad hanc historiam pertinent, quia ostendunt occasionem, qua Baptista Herodem arguit.

HISTORIA CAPTIVITATIS IOANNIS Baptistæ.

MATTH. 14.

	Græce		Latine
3.	Ὁ Ἡρώδης κρατήσας τὸν Ἰωάννην, ἔδησεν αὐτὸν, καὶ ἔθετο ἐν φυλακῇ, διὰ Ἡρωδιάδα τὴν γυναῖκα Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ.	3.	*Herodes ceperat Ioannem & vinxerat, ac posuerat in carcere, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui.*
4.	Ἔλεγε γὰρ αὐτῷ ὁ Ἰωάννης, Οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν αὐτήν.	4.	*Dicebat enim illi Iohannes, Non licet tibi habere eam.*
5.	Καὶ θέλων αὐτὸν ἀποκτεῖναι, ἐφοβήθη τὸν ὄχλον, ὅτι ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον.	5.	*Et cùm vellet eum occidere, metuebat multitudinem, propterea quod illum ceu prophetam habebant.*

MARC.

MARC. 6.

17. Αὐτὸς ὁ Ἡρώδης ἀποστείλας ἐκράτησε τὸν Ἰωάννην, καὶ ἔδησεν αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ διὰ Ἡρωδιάδα τὴν γυναῖκα Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, ὅτι αὐτὴν ἐγάμησεν.

18. Ἔλεγε γὰρ ὁ Ἰωάννης τῷ Ἡρώδῃ, ὅτι οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ σου.

19. Ἡ δὲ Ἡρωδιὰς ἐνεῖχεν αὐτῷ, καὶ ἤθελεν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, καὶ οὐκ ἠδύνατο.

20. Ὁ γὰρ Ἡρώδης ἐφοβεῖτο τὸν Ἰωάννην, εἰδὼς αὐτὸν ἄνδρα δίκαιον καὶ ἅγιον, καὶ συνετήρει αὐτόν, καὶ ἀκούσας αὐτοῦ, πολλὰ ἐποίει, καὶ ἡδέως αὐτοῦ ἤκουεν.

17. *Ipse Herodes missis satellitibus manus iniecerat in Iohannem, & vinxerat eum in carcere, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam vxorem.*

18. *Dicebat enim Iohannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

19. *Herodias autem insidiabatur illi, volebatque occidere eum, nec poterat.*

20. *Herodes enim metuebat Iohannem, sciens eum virum iustum & sanctum, & obseruabat eum, auditoque eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.*

LVC. 3.

19. Ὁ δὲ Ἡρώδης ὁ τετράρχης, ἐλεγχόμενος ὑπ' αὐτοῦ περὶ Ἡρωδιάδος τῆς γυναικὸς Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, καὶ περὶ πάντων, ὧν ἐποίει πονηρῶν ὁ Ἡρώδης·

20. Προσέθηκε καὶ τοῦτο ἐπὶ πᾶσι, καὶ κατέκλεισε τὸν Ἰωάννην ἐν τῇ φυλακῇ.

19. *Herodes autem Tetrarcha, cùm corriperetur à Iohanne de Herodiade vxore Philippi fratris sui, deque omnibus malis, quæ faciebat Herodes:*

20. *Adiecit & hoc super omnia, & inclusit Iohannem in carcerem.*

HARMONIA HISTORIÆ CAPTIVITATIS Baptistæ, ex capite Matthæi 14. Marci 6. Lucæ 3. in vnum corpus coagmentata.

c Ὁ δὲ Ἡρώδης ὁ τετράρχης, ἐλεγχόμενος ὑπὸ τοῦ Ἰωάννου περὶ Ἡρωδιάδος τῆς γυναικὸς Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, καὶ περὶ πάντων, ὧν ἐποίει πονηρῶν ὁ Ἡρώδης, προσέθηκε καὶ τοῦτο ἐπὶ πᾶσι, b ὅτι ἀποστείλας c τὸν Ἰωάννην ἐκράτησε καὶ ἔδησε, a καὶ ἔθετο, c καὶ κατέκλεισεν ἐν τῇ φυλακῇ c διὰ Ἡρωδιάδα τὴν γυναῖκα τοῦ Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. b ὅτι αὐτὴν ἐγάμησεν. c Ἔλεγε γὰρ ὁ Ἰωάννης τῷ Ἡρώδῃ, ὅτι οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ σου. b Ἡ δὲ Ἡρωδιὰς ἐνεῖχεν αὐτῷ, καὶ ἤθελεν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, καὶ οὐκ ἠδύνατο. Ὁ γὰρ Ἡρώδης ἐφοβεῖτο τὸν Ἰωάννην, εἰδὼς αὐτὸν ἄνδρα δίκαιον καὶ ἅγιον, καὶ συνετήρει αὐτὸν καὶ ἀκούσας αὐτοῦ πολλὰ ἐποίει καὶ ἡδέως αὐτοῦ ἤκουεν. a Καὶ θέλων αὐτὸν ἀποκτεῖναι, ἐφοβήθη τὸν ὄχλον, ὅτι ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον.

c *Herodes autem Tetrarcha cùm corriperetur à Ioanne de Herodiade vxore Philippi fratris sui, deque omnibus malis quæ faciebat Herodes, adiecit & hoc super omnia,* b *quod missis satellitibus* c *Iohannem cepit & vinxit,* a *& posuit, ac* c *conclusit in carcerem,* c *propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui:* b *nam duxerat eam in vxorem.* c *Dicebat enim Ioannes Herodi, Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* b *Herodias autem insidiabatur illi, volebatque occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum, & obseruabat eum: auditoque eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* a *Et cum vellet eum occcidere, metuebat multitudinem, propterea quod illum ceu prophetam habebant.*

Periocha huius Historiæ.

VAlde paucis circumstantiæ huius historiæ ab Euangelistis annotatæ sunt, propterea, quia, sicut inquit Chrysostomus, principale institutum ipsorum fuit, ea quæ Iesus cœpit facere & docere, persequi. Reliqua igitur breuiter, quantum historiæ Christi lucis aliquid adferre possunt, perstringunt. Dignæ tamen sunt, quantumuis breuiter descriptæ historiæ huius circumstantiæ, quæ diligenter considerentur. Sicut enim ministerium Baptistæ, dum in eo summa autoritate floruit, plenum fuit multiplicis doctrinæ: ita cum incepit minui (sicut ipse loquitur) exemplo sanctæ in corripiendo libertatis, & constantiæ in confessione: formam fidelis dispensatoris mysteriorum Dei, in carcere & in ipsa denique morte præbuit. In illa igitur Iudææ parte, quæ Peræa, hoc est, trás Iordanis vocatur, à mari Genezareth versus lacum Asphaltitem, Baptista ministerium suum docendo, & baptizando exercuit, incipiens in deserto Iudææ, Matth. 3. v. 1. postea in Bethabara Ioan. 1. v. 28. Illa vero pars Palestinæ pertinebat ad ditionem Herodis. Augustinus enim Archelao Idumæam, Iudæam & Samariam attribuerat. Herodi Antipæ Galilæam & Peræam. Philippo Trachonitidem, & vicinas regiones, vltra Iordanem, à mari Genezareth, vsque ad fontes Iordanis & radices Libani. Et sub finem tertij capitis Ioannis dicit, Baptistam Iordanem transgressum in Ænon, hoc est, in Samaria baptizasse. Quia vero ab Herode captus fuit, ergo vel in Peræam rediit, vel vlterius progressus fuit in Galilæam, partes ditionis Herodianæ. Aliàs enim Pilatus non admisisset Baptistam ab Herode in Samaria capi.. Hæc topographica ideo sunt obseruanda, vt intelligi possit, qua occasione Ioannes Herodem potissimum & non alios gubernatores, reprehenderit. Et quia illustre exemplum est in hac historia, de arguẽdis gubernatorum vitiis, omnes circumstantię diligenter sunt conferendæ.

Non est dubium, Herodem propter incestum & raptum, in fratris vxore commissum, vbique apud omnes honestos malè audiisse. Et vulgus aliàs solet gubernatorum vitia liberioribus conuitiis incessere, præcipue vbi absentibus impune conuiciari licet, sicut Thucydides inquit, ὀλίγοι τοῖς πολίταις αἱ κατηγορίαι. Quærendum igitur est in circumstantiis historiæ, qualis fuerit Baptistæ reprehensio. Non enim in absentem, vulgi more, conuicia ciaculatus est, vt regem apud subditos defor- maret, nec sicut homines politici, facinus illud sibi displicere significauit, sed pro modo & ratione Ministerij sui peccatum arguit, vt regem ad pœnitentiam adduceret. Hæc igitur est propositio generalis, quod Ministerium etiam principum peccata arguere debeat. Quomodo verò Baptista hoc fecerit, iucundum erit in ipsis circumstantiis historiæ considerare. Non ad turbas absente rege, sed ad ipsum Herodem dixit, *Nõ licet tibi, &c.* Huc vero pertinet, quod Marcus inquit, *Herodes metuebat Ioannem, & audito ipso multa faciebat, &c.* Ambiguum sane videtur, An Marcus hæc verba intelligi velit de illo tan-

rum tempore, cum Ioannes iam in vincula coniectus esset? An vero describere velit, quid Herodes de Ioanne ante captiuitatem senserit, & quo loco ipsum habuerit, priusquam incestuosum illud vlcus tangeret. Et quia Herodes offensus liberiore reprehensione Ioannis, scribitur ipsum vinxisse, & in carcere conclusisse, videntur hæc verba intelligenda esse de Ioanne libero adhuc & soluto. Et si hoc modo accipiantur, pulcherrime possunt ad doctrinam de arguendis principum vitiis accommodari. Sed contextus verborum videtur loqui de Iohanne iam captiuo. *Herodias*, inquit, *insidiabatur Ioanni: & volebat ipsum occidere. Sed non poterat. Herodes enim reuerebatur Iohannem, sciens ipsum esse virum iustum, & sanctum*, καὶ συνετήρει, hoc est, conseruabat ipsum, ne scilicet ab Herodiade per insidias interficeretur. Ita enim verbum illud Matth. 9. v. 17. & Luc. 5. v. 38. vsurpatur, quando vinum ne effundatur, & vtres ne rumpantur, conseruatur. Hæc manifeste pertinent ad illud tempus, cum iam in vinculis esset Ioannes. Restant igitur illa verba: καὶ ἀκούσας αὐτοῦ, *Multa faciebat & libenter ipsum audiebat.* Quæ si quis ita velit interpretari, quod Herodes Iohannem in tam clementi & libera custodia potius quam captiuitate habuerit, vt sæpe & libenter ipsum captiuum audierit, & de eius sententia multa fecerit, non admodum refragabor. Nam & Matth. 11. vers. 2. in carcere ipsi nunciatur de miraculis Christi: vnde colligitur, discipulis liberum accessum ad Baptistam in carcerem patuisse, quibus etiam postea, Matth. 14. vers. 12. conceditur vt corpus auferant, & honorifice sepeliant. Sed videntur obstare reliqua verba Euangelistarum. Matthæus enim inquit, *Posuit illum in carcerem.* Marcus, *vinxit illum in carcere.* Lucas, *Conclusit ipsum in carcere*, nisi forsan de principio captiuitatis hæc sint intelligenda, vt Marcus velit progressu temporis captiuitatem Baptistæ mitigatam fuisse. Et hic sensus etiam præbebit pulchram doctrinam, sicut postea annotabimus. Iudico tamen etiam de tempore, quod captiuitatem præcessit, posse intelligi, posteriora præsertim verba: *Et cum audiisset ipsum, multa faciebat, & libenter ipsum audiebat.* Cuius ratio additur: *Sciebat enim ipsum esse virum iustum & sanctum, ideo reuerebatur ipsum, &c.* Hoc modo & contextus historiæ & doctrina pulchre cohærebit, quod scilicet Ioannes non clam, nec apud alios in absentem Herodem inuectus fuit; sed in conspectum ipsius prodiit, & coram libera reprehensione peccata ipsius arguit. Fecit autem hoc, quia patebat ipsi accessus ad regem, qui conciones ipsius sæpe ἡδέως, hoc est, cum gaudio & singulari delectatione audiebat. Nec putauit Ioannes se sanctum obiicere canibus, sed spem aliquam emendationis videtur concepisse. Herodes enim antea, quando quæ Dei esset voluntas & sententia ex Ioannis prædicatione intellexerat, solitus fuerat multa facere, inquit Marcus. Hæc verò ita poterunt intelligi. Erat Herodes non omnino alienus à doctrina & religione populi Dei. Genere enim Idumæus erat, qui ante annos 150. accepta circumcisione professionem doctrinæ & cultuum Iudaicorum susceperant, & ad testandam illam professionem hic Herodes Antipas, tempore passionis Christi, Hierosolymas ad festum Paschatis profectus erat. Et de Agrippa, qui huius Herodis nepos fuit ex fratre, Paulus Actorum 26. vers. 2. inquit, *Beatum me iudico, quòd coram te causam meam agi contigit, qui maxime gnarus es omnium & consuetudinum & quæstionum Iudaicarum.* Item vers. 17. *Scio, quod credas omnibus quæ scripta sunt in Prophetis.* Cum igitur Baptista immediate à Deo missus, magno omnium concursu Messiæ aduentum de propinquo instare annunciaret, Herodes, cui promissio de Messia non ignota erat, cum quidem religionem egregie simulare posset, propter quam causam à Christo vulpes appellatur, Luc. 13. v. 32. cœpit & ipse Ioannem audire, cum ex morum integritate & peculiari vitæ instituto agnosceret, ipsum esse virum iustum & sanctum.

Incertum autem est, an Herodes inter promiscuum vulgus Baptistæ conciones audierit, sicut Pharisæi & Sadducæi. (Et ita Chrysostomus videtur sentire, quòd Ioannes Herodem in communi concione præsentem arguerit) an vero accersitum Baptistam ad aulam audierit, quod posterius videtur verbis Marci magis conuenire. Et cum Baptista de sua vocatione, de ceremonia Baptismi, de pœnitentia, de persona & officio Messiæ concionaretur, & ostenderet in quam crassis erroribus Pharisæi & Sadducæi, qui præcipui erant in populo Dei, versarentur, Herodes ipsum talia differentem libenter & cum delectatione (hoc enim significat ἡδέως) audiuit. Nec animi aut curiositatis tantum gratia auditor fuit: sed auditis concionibus Baptistæ, *multa faciebat.* Quod ita interpretor, Herodem effecisse, vt cursus ministerij Baptistæ liber esset, nec à Pharisæis impediri posset & quia timebat Iohannem, sicut Marcus inquit, sine dubio multa, quæ in publica gubernatione & in priuata vita animaduertit cum doctrina ipsius pugnare, emendauit. Atque ita multa iuxta doctrinam Iohannis faciebat. Hæc descriptio ad ea quæ sequentur illustranda vtilis erit.

Iohannes vero videns, Herodem ex generali admonitione quædam tantum & forsan leuiora emendare, in reliquis autem grauioribus nullam sequi emendationem, à generali admonitione progressus est ad speciem, & de reliquis etiam malis, quæ faciebat, & in quibus perseuerabat, ipsum arguit, inter quæ maxime enorme & flagitiosum erat illud de Herodiade. Et reliqui quidem Euangelistæ de Herodiade tantum Iohannem reprehendisse scribunt. Solus Lucas addit, *etiam de aliis malis quæ faciebat* Herodem reprehensum fuisse. Quæ vero reliqua illa mala fuerint, licèt hoc loco Lucas non explicet, inde tamen colligi potest, quod Christus ipsum vocat vulpem, quodque postea à Caio Cæsare tetrarchia sua priuatus fuit, cumque Iosephus Philippum, quem huic Herodi opponit, commendet, ob rectitudinem, æquitatem, mansuetudinem, & moderationem, satis ostendit, quale è diuerso Herodis huius ingenium fuerit. Cum vero Herodes ita argueretur, ibi hypocrisis Herodis, qui ante Iohannem libenter audierat, & consiliis ipsius in multis obtemperauerat, detegitur, & ex oue fit lupus, lanians suum pastorem. Hæc consideratio circumstantiarum multa monet: quorum quædam ad ministros, quædam ad auditores pertinent. Ioannes suo exemplo monet: ministros debere inchoare à generali doctrina & admonitione: (non enim statim in primo congressu dixit de Herodiade) postea vbi ex generali admonitione non sequitur emendatio, descendendum esse ad speciem. Docet etiam, ministros non defunctos esse suo officio, quando vident leuicula quædam in auditoribus emendari, manentibus aliis multo grauioribus. Et vere heroica fortitudo, imo, sicut Gabriel loquitur, Luc. 1. vers. 17. Spiritus & virtus Eliæ fuit in Baptista, quod non veritus Regis, à quo libenter audiebatur, offensionem, & quæ inde secutura cōiicere poterat, ea quæ ratione ministerij arguenda erant, nō tantum in vulgo, in Pharisæis & Sadducæis, sed in ipso Rege coram & libere arguit, cum quidem plausibilem prætextum dissimulationis obtendere potuisset. Erat Herodes nō ἄθεος, nec hostes Euangelij. Multa enim & in priuata vita & in politica gubernatione secundum doctrinam Iohannis faciebat. Imo etiam Ecclesiæ, quam Baptista voce sua colligebat, hospitium in Peræa præbebat, & cursum ministerij ipsius, ne per Pharisæos impediretur aut abrumperetur, promouebat. Videri igitur sapientulis potuisset, propter publicam Ecclesiæ vtilitatē, huiusmodi principis gratiam reprehensione minus grata non esse effundendam, aut certè aliud commodius tempus expectandum, vt sine offensione pœnitentia prædicari posset. Sed quid Iohannes suo exemplo in tali casu faciendum doceat, manifestum est. Vulpinæ vero pietatis (sicut Christus appellat) exemplum est in Herode, qui in multis doctrinæ Baptistę obsequitur, & in pluribus ita facere paratus fuisset, si modo in quibusdam vitiis, quę deponere libido non sinebat, indulgentius cum ipso actum fuisset, non sane approbando, sed tantum tacendo & dissimulando, ne publice & libere arguerentur. Vbi vero Iohannes vniuersalem vrget pœnitentiam, manifestatur hypocrisis in Herode, qui iugum doctrinæ cœlestis hac occasione in vniuersum abiicit, & fit manifestus hostis. Non igitur seria est pœnitentia, nec vera pietas, quando cum exceptione, in quibusdam tantum, nos verbo Dei subiicimus. Sicut enim verbum Dei omnia peccata arguit: ita pœnitentia debet vniuersalis esse, vt sic dicam. Et hypocritæ illa specie sæpe non alios tantum, sed seipsos etiam decipiūt, quando audito verbo quædam, imo multa faciunt, licet in quibusdam adhuc hæreant & perseuerent. Sed larua illa statim detrahitur, quando vitia illa tenacius inhærentia, aliquāto seuerius arguuntur. Hæc doctrina ex Iohannis & Herodis exemplo pulchre extruitur, quando verba illa Marci ita accipiuntur, vt sit descriptio, quo loco Herodes Iohannem habuerit ante captiuitatem.

Porrò obseruandum est & hoc, quod Iohannes nō tantum duris & asperis verbis obiurgauit & reprehendit Herodem, sed cum inquit: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui, &c.* peccatum ita arguit, vt ostendat, quare hoc sit peccatum, & quomodo pugnet cum verbo Dei. Ideo Luc. 3. v. 19. vsurpat verbum ἐλέγχειν, quod significat & reprehendere, & certis argumentis ostendere & conuincere. Sine dubio autem simul monstrauit magnitudinem & abominationem illius peccati, in quo si perseueret, non possit partem habere in regno Dei. Hæc enim sunt, quæ pertinent ad ministerium arguendi peccata.

Sed consideratio historiæ de Herodiade, & hæc & alia luculenter docebit. Euangelistæ illam breuiter tantum notānt. Erat enim tunc, cum Euangelistæ scriberent, recentis adhuc memoriæ, & in ore omni populo. Nos ex Iosepho illa tantum

tum annotabimus, quæ & Euangelistarum narrationi & obseruationi doctrinæ aliquid lucis adferre videbuntur. Non autem disputabimus de eo, in quo Iosephus ab Euangelistarum descriptione discedit, Herodiadem scilicet matrimonio iunctam fuisse Herodi 2. nato ex Mariamne, Pontificis filia, & Salomen filiam Herodiadis Philippo copulatam fuisse. Euangelistæ enim Matthæus & Marcus tunc scripserunt, cum, viuentibus adhuc Herode Antipa & Herodiade, historiæ huius veritas notissima esset. Merito ergo Euangelistarum autoritas Iosepho præfertur. Illud vero ad nostrum institutum propius pertinet, quod Iosephus describit, Herodiadem neptem Herodis Magni ex Aristobulo filio nuptam fuisse patruo, hoc est, fratri patris sui, quem Iosephus vocat Herodem, Euangelistæ Philippum vocant, vt forsan binominis fuerit, sicut Herodes Antipas & Herodes Agrippa. Herodem vero Antipam coniugem primum habuisse, Aretæ regis Arabum filiam. Is igitur cum Romam euocatus in transitu ad fratrem Philippum diuertisset, amore Herodiadis captus fuit: & quia nouerat, Philippum fratrem placido & mansueto esse ingenio, sicut Iosephus de ipso scribit, nuptias cum illa pactus est, & promisit se filiam Aretæ repudiaturum, quæ vbi nefarias mariti machinationes resciuisset, vltro ad patrem in Arabiam aufugit. Vnde postea luctuosum bellum exortum fuit. Herodes vero reuersus ex Italia, Herodiadem cum filia Salomone à fratre abductam nuptiis antea promissis sibi copulauit. Apud Eusebium lib. 1. cap. 13. vel mendum est scriptorum, vel lapsus memoriæ in ipso autore, quod dicit, Herodiadem hanc fuisse filiam Aretæ regis Arabum. Quam narrationem etiam Hieronymus in 14. Matthæi ex Eusebio ita describit, sed Iosephi narratio certior est. Vnde intelligi potest, Iohannem grauiss habuisse causas reprehendendi Herodem. Multa enim in vno facto simul concurrunt scelera: 1. Adulterium. 2. Eiectio coniugis innocentis. 3. Raptus vxoris proximi. 4. Incesta habitatio cum vxore fratris viuentis, qui iam liberos ex ipsa susceperat. 5. Prohibita commixtio cum fratre patris. Non dubium autem est, Iohannem verbo Dei atrocitatem horum scelerum Herodi monstrasse, vt Leuit. 18. v. 29. *Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quippiam, exscindatur è medio populi sui.* Item v. 28. *Terra euomet tales habitatores suos.* Leuit. 20. vers. 10. *Qui adulterium committit cum vxore alterius, morte moriatur vterque.* Item v. 21. *Qui acceperit vxorem fratris sui abominanda res est.* Malach. 2. v. 13. *Non accipiam placabile quid de manu vestra, quia Dominus testificatus inter te & vxorem, &c.* 2. Reg. 12. vers. 9. *Fecisti malum in conspectu meo, eo quod despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ, vt esset vxor tua. Ideo non recedet gladius de domo tua in sempiternum, &c.* Ex his Scripturæ locis colligi potest, qualis fuerit concio pœnitentiæ, qua Iohannes Herodem arguit. Neque enim illa verba tantum sonuit: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*: sed addit explicationem, quare non liceat, ex illis fundamentis verbi, quæ monstrauimus. Pro ἔξεστι, id est, *licet*, Syrus habet vocabulum שליט, non est potestas tibi, vel non in potestate tua, fratris vxorem accipere. Existimant enim reges, propter potestatem, quam habent, omnia sibi licere. Ideo Iohannes inquit. Non est in potestate tua, vel, propter magnam, quam habes, potestatem, hanc potestatem non habes, quia Deus prohibuit. Nec vero ita voluit accipi concionem pœnitentiæ Iohannes, vt Herodes tantum agnosceret, se male fecisse, & vellet non factum esse, interim verò maneret in incesta illa consuetudine, sed inquit: *Non licet tibi habere illam.* Ratione igitur veræ pœnitentiæ exigit, vt abominandam illam consuetudinem abiiciat, & Herodiadem dimittat. Et hoc bene notandum est de ratione veræ pœnitentiæ.

Porrò Herodes flagitium illud honesto coniugij titulo velauerat. Non enim quasi adulterij specie Herodiadem habuit, sed sicut Marcus dicit, ἐγάμησεν *illam*. Et inter gentes talis quasi permutatio coniugiorum non habita fuit abominanda, sicut exemplum Catonis & Hortensij ostendit. Iohannes vero ostendit, inter tales personas coniugium non posse consistere, & peccari non tantum scortatione & adulterio, verum etiam si coniugium contrahatur inter illas personas, quarum commixtio verbo Dei prohibita est. Iuxta hanc igitur Iohannis interpretationem verba Leuit. 18. & 20. de personis seu gradibus prohibitis intelligenda sunt, non tantum de vagis commixtionibus extra coniugium, sed quod inter illas personas matrimonium contrahi non possit. Nec tantum de contrahendo matrimonio Baptista legem interpretatur, sed ostendit, quando contractum est inter tales personas, dissolui debere. Imo, non dissolui, sed monstrari ex verbo Dei, non fuisse legitimum coniugium, sed incestam & abominandam cohabitationem, quæ deserenda sit. Pertinet vero & hæc obseruatio ad doctrinam de gradibus prohibitis, quod Herodes & Philippus fratres fuerunt ex eodem Patre, sed non vterini. Prior enim ex Marthara, alter ex Cleopatra natus fuit, & tamen Ioannes prohibitionem Leuitici huc accommodat. Valent igitur illæ prohibitiones, siue ex altero tantum parente, siue ex vtroque orta sit consanguinitas, sicut Leuit. 18. v. 9. idem expresse ponitur, *siue domi siue foris genita sit.*

Vtilis est autem consideratio huius circumstantiæ. Herodes Antipas illo tempore, cum à Iohanne arguebatur, annis ferme 30. tetrarchiam suam obtinuerat. Dicit autē Iosephus, ipsum coniugem habuisse Aretæ filiam, annis circiter 15. quā tunc, cum Herodiadem raperet, repudiauit. Siue igitur ante siue post mortem patris Herodis Magni Arabicam illam duxerit, supputatio ostendit, non tunc primum flagitium, illud raptus & incestus admissum fuisse, cum Iohannes ministerium suum inchoaret, sed multo ante. Et hæc circumstantia multa monebit. Vulnus non erat recens, sed mora temporis iam quasi cicatrice obductum, & vulgi sermones propterea de facto illo ferme deferbuerant. Quæstio igitur fuit: *An vulnus illud, cicatrice iam obductum, reprehensione refricandum esset cum tempore ministerij Baptista flagitium illud non esset admissum, sed multo ante?* Sapientes huius mundi quæstionem illam varie disputarent, sed Iohannes suo exemplo, quid fideli ministro faciendum sit, ostendit.

Hæc est prima pars huius historiæ, de causis, quibus irritatus Herodes virum, quem ipse agnoscebat esse sanctissimum, in vincula coniecit. Et circumstantias ideo volui aliquanto plenius considerandas proponere: ostendunt enim, quam plenus doctrinæ sit postremus actus Baptistæ. Et iucundum est, doctrinas non ex peregrinis declamationibus accersere, sed in ipsis circumstantiis historiæ, quando euoluuntur, aspicere.

Secunda pars huius historiæ est, quo prætextu Herodes Ioannem coniecerit in carcerem, & ostendit, quod præmium in hoc mundo propositum sit illis, qui ex verbo Dei peccata arguunt, maxime verò diuitum & potentum. Causam captiuitatis Baptistæ Euangelistæ hanc fuisse describunt, sicut iam exposuimus. Iosephus vero libro Antiquitatum 18. cap. 10. aliam causam assignat, quod scilicet Herodes timuerit, cum tantus populi concursus fieret ad Iohannem, ne vel ipse, vel saltem varium & mutabile vulgus, per seditionem res nouas cum imperiorum perturbatione tentaret. Sed sicut Polybius de bellis Romanorum inquit. aliud esse αἰτίαν, aliud πρόφασιν: ita vera αἰτία captiuitatis Baptistæ fuit, quam Euangelistæ describunt, prætextus vero, quo scelus illud Herodes excusauit, illud fuit, quem Iosephus describit. Atque ita conditio Baptistæ plane similis est Eliæ. Nam & ad illum dicebat rex: *Tu es, qui conturbas Israel.* Imo similis est omnium ministrorum verbi conditio. Semper enim in persecutionibus prætextus est metus seditionis. Nam & hunc Iudæi voluerunt titulum esse crucis Christi. Et species illa, siue prætextus ille, magis excruciat, quam ipsa persecutio. Herodes enim non est ἄθεος, aut manifestus hostis religionis, libenter enim audit verbum, multa etiam facit audito verbo; & quando talis hypocrisis prætextum aliquem persecutionis spargit, ita occupantur animi hominum, vt in publicas historias, tanquam vera causa, à Iosepho relatum sit illud, quod Herodes falsò prætendebat. Et Pharisæi, penes quos in Iudaismo summa rerum erat, odio ministerij Baptistæ violentiam Herodis dissimulant, & ita confirmant falsam illam, siue suspicionem, siue accusationem, qua Herodes Baptistam prægrauabat. Vulgus quidem Iohannem vt Prophetam habebat; sed quia ad suspiciones, præcipue contra ministros verbi, patulas aures habet, nutat & variat. Spiritus sanctus verò scriptis Euangelistarum præbet testimonium innocentiæ Baptistę. Sed illud non ab omnibus accipitur. Contraria enim opinio apud maiorem partem ita inualuit, vt à Iosepho postea tanquam authentica in publica commentaria relata sit. In illa vero iudiciorum varietate & iniquitate, Baptista vnctus testimonio conscientię se sustentat, & expectat iudicium Dei. Hæc doctrina in hac historia Baptistæ, contra varia & iniqua hominum iudicia in persecutionibus diligenter est obseruanda & meditanda.

Chrysostomus dicit, Iohannem in concione publica, in maxima hominum frequentia, Herodis flagitia arguisse, & inde Herodem adeo commotum fuisse. Non incredibile sanè hoc est. Nam & Pharisęos & Sadducęos publice reprehendit. Verba tamen Euangelistarum videntur diuersum sonare. Dixit enim Herodi, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Non autem præsentem tunc habuit Herodes Iohannem, quando iussit ipsum comprehendi. Marcus enim dicit *Herodes comprehendit Iohannem.* Misit ergo Satellites suos ad illum locum, vbi Iohannes tunc publice docebat. Verisimile igitur est, cū Herodes pertinax ostenderet propositum in scelere sine emendatione perseuerandi, Iohannem in publicis concionibus sententiam suam de hoc facinore Herodis non dissimulasse,

qui hoc statim, tanquam crimen seditionis & læsæ maiestatis, ad principalis fastigij imminutionem, & ad concitandam rebellionem pertinere, interpretatus est. Posset enim populus in eam sententiam deuenire, se nolle eius imperium ferre, qui propter incestum abominandus sit. Et hic metus facile potuit ab insidiante Herodiade, & ab assentatoribus aulicis, in immensum amplificari. Iohannes vero illam consequentiam, de non tolerando imperio Regis incestuosi, non docebat, sed Herodes illam affingebat, vt, cum emendari nollet, iugum pœnitentiæ hoc prætextu excutere posset. Et quod populus principem incestu contaminatum minus amabat, non erat Baptistæ culpa, qui ipsum cupiebat emendatum, vt Deo & hominibus probaretur, sed erat Herodis culpa, qui flagitium illud antea commiserat, & nunc per pœnitentiam nolebat ab eo recedere. Sed hæc est ministerij sors, quod causa per se in causam per accidens omnem culpam reiicit, & illam tādem opprimit. Mirabilis verò hęc medicatio est, si ægrotus causam morbi retineat, foueat, & augeat, & existimet, tunc se rectissime posse sanari, si medicum, qui velit & possit opem ferre, opprimat & interficiat. Sed talis est peccati phrænesis. Captus autem Iohannes fuit hoc modo, *Herodes* ἀποστείλας, hoc est, publicos lictores, quorum officium erat facinorosos prehendere, misit, qui iniectis in ipsum manibus (hoc enim significat ἐκράτησε) ligarunt & coniecerunt eum in carcerem. Sicut Iohannes inquit cap. 3 v. 24. & Matth. 14 v. 3. Lucas inquit c. 3. v. 20. *Conclusit eum in carcere*. Marcus verò inquit cap. 6. v. 17. *Vinxit eum* non tantum cum comprehenderetur, sed *in* ipso *carcere* Et hinc Matth. 11. v. 2. vocatur δεσμωτήριον. Non igitur libera & clemens fuit custodia, sed satis dura captiuitas. Locum carceris Iosephus dicit fuisse in arce munita, Machærunte, sita in finibus Peræ, non procul à lacu Asphaltite, Arabiā versus. Et Pharisæis illud vsque adeo non displicuit, vt statim cœperint agitare consilia de opprimendo etiam Iesu, sicut Iohannes inquit cap. 4 v. 1. Et quo loco colligitur, quod Matt. 6. v. 12. & Mar. 1. v. 14. absolute dicitur, de tradito Iohanne intelligendum esse, quod à Pharisæis propter inuidiam, ne Pharisaica secta, quæ à discipulis Iohannis contemnebatur, interiret, Iohannes traditus fuerit Herodi capiendus & vinciendus. Neque enim Herodes ausus fuisset Iohanni manus inicere, nisi Pharisæis, quorum summa tunc erat auctoritas, consentientibus, vtque id fieret subornantibus. Et hoc est, quod Matt. 17. v. 12. Christus inquit, filium hominis ab iis passurum, qui in Baptista idem antea fecerant. Ad Romanos verò præsides, & ad ipsum Cæsarem, videbat Herodes se facile hoc posse, vbi opus foret, excusare & defendere. Concionabatur enim Iohannes de Dominatore quem Iudæi quærebant, statim venturo ad templum suum. Malach. 3. v. 1. Vulgus sciebat Herodes esse mobile & inconstans, cuius fauor calumniis facile possit mutari. Reliquos verò seriò addictos auctoritati Baptistæ, ita placabat; se non velle durius aliquid in ipsum statuere, sed tantum publicæ tranquillitatis causa ipsum custodire. Ideo non statim ipsum occidit, sed vltra annum præ timore populi in custodia habuit. Ita vir ille, quo maior non surrexit inter natos mulierū, desertus ab omnibus, apud quos in maxima auctoritate fuerat, ab adultero, raptore & incestuoso in vinculis multo tempore detinetur. & postea occiditur, Iohannes vero testimonio bonæ conscientiæ & illa cogitatione se solatus est: *Me oportet minui, Christum crescere*, Iohan. 3. v. 30.

Tertia pars historiæ est, quamdiu Iohannes fuerit in carcere, & quid obstiterit, quo minus statim, cum captus esset, interfectus fuerit. Marcus inquit: *Herodias insidiabatur ei & volebat occidere eum*. Græcè est ἐνεῖχεν αὐτῷ quod Interpretes reddunt per verbum *Insidiari*, vt sensus sit; Herodiadem clam voluisse & per insidias Iohānem in carcere tollere, & Herodem ideo diligentius asseruasse captiuum, quem sciebat esse virum sanctum. Et sententia quidem non mala est: sed non video hanc significationem verbi ἐνέχω idoneis exemplis probari. Græci Interpretes. Gen. 49. v. 23. שׂטם, quod significat, infestum esse & aduersari, vnde etiam Satan dicitur, reddiderūt verbo ἐνέχω. Et de accusationibus multa sunt exempla verbi ἐγκαλεῖν, & nominis ἔγκλημα. Syrus reddidit verbo נטרא להון, quod significat minis & insidiis impugnare. Est igitur simplicissima sentētia, Herodiadem, quia metuebat, ne ab Herode repudiaretur, si ad pœnitentiam meditatione concionum Iohannis adduceretur, maxime infestam fuisse ipsi, & quo idianis criminationibus institisse, quia ἐζήτει hoc est, summo studio hoc quærebat, vt sine mora tolleretur. Sed nō potuit statim hoc obtinere apud Herodem. Ipse enim reuerebatur Iohannem, quia sciebat, esse virum iustum & sanctum, & tantum Prophetam occidere timebat. Sciebat etiam, dictante propria consciētia se recte & meritò propter incestum illum reprehensum esse, ideo συνετήρει ipsum, hoc est, asseruabat, ne vis aliqua ab Herodiade ipsi fieret. In hac enim significatione verbum συντηρεῖν vsurpari supra ostendimus. Et σωτήρια vocātur sacrificia facta pro conseruata salute. Et ita Syrus etiam reddidit, נטר, quod conseruationē & custodiam significat. Quidam exponūt pro obseruare, seu revereri, quæ significatio huius loci sentētiæ nō male conuenit, licet exempla eius significationis idonea non occurrant. Ambiguum vero est, an ἐνεῖχεν αὐτῷ ad Herodem, an vero ad Iohannem referendum sit. Si de Herode accipiatur, sensus erit. Herodiadem quasi laqueis & nexibus se implicasse Herodi, non relinquens ei spacium aut locū, vt libere aliquid posset cogitare & statuere. Sed simplicius est, si αὐτῷ referatur ad Iohannem. Apparet autem, qualis lucta conscientiæ fuerit in Herode, cum sciret, Iohannem esse virum sanctum, & conuictus esset, se recte & merito argui, & tamen libido non permitteret incestam consuetudinem relinquere. Quod si illud, quod sequitur, etiam factum fuit, dum Iohannes in carcere esset: *libenter idipsum audiebat, & audito eo multa faciebat*: memorabile exemplum est, quomodo Deus ouem perditam quærat ad pœnitentiam, ne vllus locus excusationi relinquatur. Posset etiam inde colligi, duritiem carceris Baptistę, qualis fuit in principio, postea aliquo modo mitigatam fuisse, si libenter ipsum Herodes, etiam tunc, cū in carcere esset, audiuit, & multa audito eo fecit. Fidelis enim Deus est, qui non sinit suos tētari vltra vires, 1. Cor. 10. v. 13. Matthæus verò sua descriptione ostendit, Herodem in illa lucta conscientię, cum à Deo adhuc post captum Iohannem ad pœnitentiam quæreretur, tandem ad partem deteriorem deflexisse. Inquit enim, *Herodes volebat Iohannem occidere*: hoc est, quod prius nō volebat, hoc postea, quotidianis stimulis & illecebris adulteræ impulsus voluit, vt scilicet interficeretur Iohannes. Et obseruetur, qua ratione Herodes in illa lucta conscientiæ tandem peccato succubuerit, quia scilicet adulteram, propter quam arguebatur, retinebat, consuetudine eius delectabatur, & illecebras eius quotidie audiebat. Hæc ad generalem doctrinam de pœnitētia recte accommodari possunt. Herodes enim, retinens propositum perseuerandi in sceleribus, primò auersatur & odit concionem pœnitentiæ: secundò, monitorem in vincula cōiicit, sed tamen non animo interficiendi: tandem verò cō delabitur, vt non ex errore, sed quem sciebat esse sanctum Dei Prophetam, interficiat. Videat igitur quisque quomodo se gerat, quando Deus concione pœnitentiæ ad ostium cordis pulsat: aliàs enim minus peccatum, quando arguitur & non corrigitur, causa fit maioris peccati, inquit Remigius. Herodes verò cum iam in mortem Baptistæ consensisset, & cuperet illum extinctum, retractus fuit illo metu, ne seditionem vulgi contra se excitaret, si interficeret illum, quem totus populus tanquam eximium Dei Prophetam habebat. Et de tali timore hominum elegans est Chrysostomi sententia: *Timor Dei corrigit: timor hominum differt malam operationem, voluntatem autem non aufert, sed retinet, donec offeratur opportunitas. Vnde & audiores reddit ad crimen, quos aliquandiu suspendit à crimine.* Considerandum autem est, quod Dei fuerit consilium, quod Baptista contra Herodiadis insidias, & contra Herodis voluntatem, tamdiu in carcere dilata occasione viuus conseruatus fuerit. Volebat enim Deus Ioannem tamdiu in vita conseruari, donec discipulos suos, qui propter ipsius auctoritatem alieniores erant à Christo, suo testimonio instructos & confirmatos mitteret ad ipsum Christum, ne post mortem seminaria schismatis relinqueret in discipulis. Et ideo, cum iam in potestate Herodis, imo in carcere esset, & summo studio ad necem quæreretur, Deus tamen ipsi vitam tamdiu conseruauit, primo stimulis conscientiæ Herodis, deinde iniecto metu seditionis. Tam mirabilis Deus est in sanctis suis, etiam in summa infirmitate. Cor enim regis habet in manu sua. Coniectus autem fuit Baptista in carcerem, cum quatuor adhuc menses essent ad messem, Ioh. 4. v. 35. circa Decembrem mensem, & anno sequenti, cum prope esset Pascha, Ioh. 6. v. 4. interfectus est sicut postea ostendemus. Annum igitur, & tres ferme menses in vinculis fuit, sed rationem supputationis postea monstrabimus, quando ad historiam de morte Iohannis peruenerimus.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

CONTINENS HISTORIAM, DE SECESSV CHRISTI EX IVDÆA, PER SAMARIAM IN GALILÆAM, AC DE colloquio cum Samaritide, Ioh. 4.

RATIO ORDINIS.

QVidam hanc historiam ponunt ante captiuitatem Baptistæ, eò quod initio huius historiæ Euangelista dicit, Pharisæos audiuisse, quod Iesus plures discipulos faceret, quam Iohannes scilicet faceret, docens adhuc & baptizans. Idem enim hoc esse, sentiunt cum eo, quod ipsi discipuli Baptistæ conquesti sunt, Ioh. 3. v. 26. Existimant igitur hunc esse ordinem historiarum, quod Iesus, cum intellexisset, sibi parari insidias, secesserit ex Iudæa. Cum verò ipse in itinere esset: Pharisæos, cùm Iesum in Iudæa non inuenirent, Iohannem tradidisse Herodi, quod in itinere Iesus, priusquam in Galilæam perueniret, factum audierit. Sed Matthæus dicit, Iesum, cum audiuisset Iohannem traditum, non tantum venisse, sed secessisse in Galilæam, scilicet ex Iudæa. Recte igitur & commodissime historia captiuitatis Baptistæ ponitur ante hunc secessum Christi ex Iudæa, sicut & Gerson fecit. & verba Euāgelistæ ita intelligenda sunt, Pharisæos audiuisse, Iesum plures facere discipulos quam Iohannes, scil. antea priusquam caperetur, fecisse. Ita ἀκολουθία & harmonia historiarum pulchre cohærebit. Matthæus & Marcus dicunt, Christum post traditum Iohannem secessisse in Galilæam. Quomodo vero secessio illa facta sit, Iohannes describit.

Porro, in Prolegomenis ostendi, in hac historia constitui posse initium secundi anni ministerij Christi, vt finis primi anni sit captiuitas Baptistæ. Dicit enim in hac historia Christus, quatuor menses adhuc superesse ad messem quæ in Palæstina post festum Paschatis inchoata fuit, sicut ostendimus. Et semper sub initium noui anni Christus nouam aliquam memorabilem suscepit profectionem. Accedit, quod Epiphanius contra Alogos dicit, cursum primi anni ministerij Christi fuisse absque persecutione, tranquillum & placidum. Atque huc accommodat illud Iesaiæ: *Prædicate annum Domini acceptum.* Videtur itaque hæc historia, in qua Christus propter imminentem persecutionem fugit, pertinere ad secundum annum. Et hanc distributionem annorum constitueram in Harmonia sequi. Sed quia non libenter à communi sententia, quando nihil habet periculi vel absurdi, discedo, & plerique tempus Christi baptizati, vnde initium annorum ministerij eius sumendum est, sentiunt, non tam longe à Paschatis festo abfuisse, sicut Epiphanius existimat, in Nouembri Christum baptizatum. Communis etiam sententia est, Iohannem primis quatuor capitibus acta primi anni ministerij Christi à reliquis prætermissa describere: Matthæum vero, Marcum & Lucam à tentationibus Christi statim digredi ad acta secundi anni: Ideo historias quarti capitis Iohannis volui adiungere actis primi anni, vt initium secundi anni constituatur in illis, quæ Matthæus, Marcus & Lucas describunt, Iesum doctrina & miraculis in Galilæa claruisse. Verba igitur Marci 1. v. 14. & Luc. 4. v. 14. de Iesu veniente in virtute Spiritus in Galilæam, ac docente ibi in Synagogis, non volui hic quarto capiti Iohannis miscere: sed reseruari ea vsque ad initium secundi anni, quando publice Iesus in Synagogis Galilææ incipit docere, sicut cap. 34. rationem exponam. Verba vero Matthæi c. 4. v. 12. de secessu Christi in Galilæam verbis Iohannis coniungatur, quia Matthæus diserte vtitur verbo ἀναχωρεῖν, secedendi ex Iudæa scilicet.

Quia vero rationes nō sunt euidentes, aut necessariæ, sed in vtramque partem disputari possunt; ideo vtramque distributionem in Elencho ponam, relinquens lectori iudicium. Hanc vero sine præiudicio in Harmonia sequar, vt Iohannes suo supplemento terminet primum annum, ita vt finis primi anni ministerij Christi sit profectio eius ex Iudæa per Samariam in Galilæam, & sanatio filij Reguli. Ac initium secundi anni faciant Marcus & Lucas, quomodo publice in Synagogis Galilææ doctrina & miraculis Christus cœperit inclarescere.

HISTORIA SECESSIONIS CHRISTI EX IVDÆA IN GALILÆAM. ITEM DE COLLOQVIO CHRISTI CVM Samaritana muliercula, ac de multis Samaritanis conuersis, Matth. 4. Iohan. 4.

1. a Ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς, ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη· d (καὶ) ὡς ἔγνω ὁ Κύριος ὅτι ἤκουσαν οἱ φαρισαῖοι, ὅτι Ἰησοῦς πλείονας μαθητὰς ποιεῖ, καὶ βαπτίζει, ἢ Ἰωάννης·
2. (Καίτοιγε Ἰησοῦς αὐτὸς οὐκ ἐβάπτιζεν, ἀλλ' οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.)
3. a Ἀνεχώρησεν, d ἀφῆκε τὴν Ἰουδαίαν, καὶ ἀπῆλθε πάλιν εἰς τὴν Γαλιλαίαν.
4. Ἔδει δὲ αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας.
5. Ἔρχεται οὖν εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας, λεγομένην Συχάρ, πλησίον τοῦ χωρίου ὃ ἔδωκεν Ἰακὼβ Ἰωσὴφ τῷ υἱῷ αὐτοῦ.
6. Ἦν δὲ ἐκεῖ πηγὴ τοῦ Ἰακώβ. ὁ οὖν Ἰησοῦς κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, ἐκαθέζετο οὕτως ἐπὶ τῇ πηγῇ, ὥρα ἦν ὡσεὶ ἕκτη.
7. Ἔρχεται γυνὴ ἐκ τῆς Σαμαρείας ἀντλῆσαι ὕδωρ· λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Δός μοι πιεῖν.
8. Οἱ γὰρ μαθηταὶ αὐτοῦ ἀπεληλύθεισαν εἰς τὴν πόλιν, ἵνα τροφὰς ἀγοράσωσι.
9. Λέγει οὖν αὐτῷ ἡ γυνὴ Σαμαρεῖτις· Πῶς σὺ Ἰουδαῖος ὢν παρ' ἐμοῦ πιεῖν αἰτεῖς, οὔσης γυναικὸς Σαμαρείτιδος; οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις.
10. Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῇ· Εἰ ᾔδεις τὴν δωρεὰν τοῦ

1. a *Cum audisset autem Iesus, quod Iohannes traditus esset* d *(&) vt cognouit Dominus audisse Pharisæos, quod Iesus plures discipulos faceret & baptizaret, quàm Iohannes:*
2. *(Quanquam Iesus ipse non baptizaret, sed discipuli eius.)*
3. a *Secessit,* d *reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam.*
4. *Oportebat autem eum transire per Samariam.*
5. *Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.*
6. *Erat autem ibi fons Iacob: Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem, hora erat ferme sexta.*
7. *Venit mulier Samaritana, vt hauriret aquam: dicit ei Iesus, Da mihi quod bibam.*
8. *Nam discipuli eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.*
9. *Dicit ei ergo mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cum sis, potum a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim commercium habent Iudæi cum Samaritanis.*
10. *Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, &*

Θεοῦ, καὶ τίς ἐστιν ὁ λέγων σοι, Δός μοι πιεῖν, σὺ ἂν ᾔτησας αὐτὸν, καὶ ἔδωκεν ἄν σοι ὕδωρ ζῶν.

11. Λέγει αὐτῷ ἡ γυνὴ, Κύριε, οὔτε ἄντλημα ἔχεις, καὶ τὸ φρέαρ ἐστὶ βαθύ· πόθεν οὖν ἔχεις τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν;

12. Μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἰακὼβ, ὃς ἔδωκεν ἡμῖν τὸ φρέαρ, καὶ αὐτὸς ἐξ αὐτοῦ ἔπιε, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ, καὶ τὰ θρέμματα αὐτοῦ;

13. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτῇ· Πᾶς ὁ πίνων ἐκ τοῦ ὕδατος τούτου, διψήσει πάλιν·

14. Ὃς δ' ἂν πίῃ ἐκ τοῦ ὕδατος οὗ ἐγὼ δώσω αὐτῷ, οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα· ἀλλὰ τὸ ὕδωρ, ὃ δώσω αὐτῷ, γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον.

15. Λέγει πρὸς αὐτὸν ἡ γυνὴ, Κύριε, δός μοι τοῦτο τὸ ὕδωρ, ἵνα μὴ διψῶ, μηδὲ ἔρχωμαι ἐνθάδε ἀντλεῖν.

16. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Ὕπαγε, φώνησον τὸν ἄνδρα σου, καὶ ἐλθὲ ἐνθάδε.

17. Ἀπεκρίθη ἡ γυνὴ, καὶ εἶπεν αὐτῷ· Οὐκ ἔχω ἄνδρα. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Καλῶς εἶπας, Ὅτι ἄνδρα οὐκ ἔχω.

18. Πέντε γὰρ ἄνδρας ἔσχες· καὶ νῦν ὃν ἔχεις, οὐκ ἔστι σου ἀνήρ, τοῦτο ἀληθὲς εἴρηκας.

19. Λέγει αὐτῷ ἡ γυνὴ, Κύριε, θεωρῶ ὅτι προφήτης εἶ σύ.

20. Οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τούτῳ τῷ ὄρει προσεκύνησαν, καὶ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐν Ἱεροσολύμοις ἐστὶν ὁ τόπος, ὅπου δεῖ προσκυνεῖν.

21. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Γύναι, πίστευσόν μοι, ὅτι ἔρχεται ὥρα ὅτε οὔτε ἐν τῷ ὄρει τούτῳ, οὔτε ἐν Ἱεροσολύμοις προσκυνήσετε τῷ πατρί.

22. Ὑμεῖς προσκυνεῖτε, ὃ οὐκ οἴδατε· ἡμεῖς προσκυνοῦμεν, ὃ οἴδαμεν· ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν.

23. Ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν, ὅτε οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ προσκυνήσουσι τῷ πατρὶ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ· καὶ γὰρ ὁ πατὴρ τοιούτους ζητεῖ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτόν.

24. Πνεῦμα ὁ Θεὸς, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν.

25. Λέγει αὐτῷ ἡ γυνὴ, Οἶδα, ὅτι Μεσσίας ἔρχεται, ὁ λεγόμενος Χριστός· ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα.

26. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Ἐγώ εἰμι, ὁ λαλῶν σοι.

27. Καὶ ἐπὶ τούτῳ ἦλθον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ἐθαύμαζον, ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει. οὐδεὶς μέντοι εἶπε, Τί ζητεῖς, ἢ, τί λαλεῖς μετ' αὐτῆς;

28. Ἀφῆκεν οὖν τὴν ὑδρίαν αὐτῆς ἡ γυνὴ, καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, καὶ λέγει τοῖς ἀνθρώποις·

29. Δεῦτε ἴδετε ἄνθρωπον, ὃς εἶπέ μοι πάντα, ὅσα ἐποίησα· μήτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός;

30. Ἐξῆλθον οὖν ἐκ τῆς πόλεως, καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτόν.

31. Ἐν δὲ τῷ μεταξὺ ἠρώτων αὐτὸν οἱ μαθηταὶ, λέγοντες, Ῥαββὶ, φάγε.

32. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Ἐγὼ βρῶσιν ἔχω φαγεῖν, ἣν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε.

33. Ἔλεγον οὖν οἱ μαθηταὶ πρὸς ἀλλήλους, Μή τις ἤνεγκεν αὐτῷ φαγεῖν;

34. Λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Ἐμὸν βρῶμά ἐστιν ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, καὶ τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον.

35. Οὐχ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται; Ἰδοὺ, λέγω ὑμῖν, ἐπάρατε τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν, καὶ θεάσασθε τὰς χώρας ὅτι λευκαί εἰσι πρὸς θερισμὸν ἤδη.

36. Καὶ ὁ θερίζων, μισθὸν λαμβάνει, καὶ συνάγει καρπὸν εἰς ζωὴν αἰώνιον· ἵνα καὶ ὁ σπείρων ὁμοῦ χαίρῃ, καὶ ὁ θερίζων.

37. Ἐν γὰρ τούτῳ ὁ λόγος ἐστὶν ὁ ἀληθινὸς, ὅτι ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος ὁ θερίζων.

38. Ἐγὼ ἀπέστειλα ὑμᾶς θερίζειν, ὃ οὐχ ὑμεῖς κεκοπιάκατε· ἄλλοι κεκοπιάκασι, καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν κόπον αὐτῶν εἰσεληλύθατε.

quis sit, qui dicit tibi, Da mihi, quod bibam: tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.

11. *Dicit ei mulier, Domine, neque quo hauriās habes, & puteus profundus est: unde ergo habes aquam illam viuam?*

12. *Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?*

13. *Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum:*

14. *Quisquis autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

15. *Dicit illi mulier, Domine, da mihi istam aquam, vt non sitiam, neque veniam huc ad hauriendum.*

16. *Dicit ei Iesus, vade, voca virum tuum, & veni huc.*

19. *Respondit mulier, & dixit ei: Nō habeo virum. Dicit ei Iesus, Bene dixisti, non habeo virum.*

18. *Quinque enim viros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus vir, Hoc vere dixisti.*

19. *Dicit ei mulier, Domine, video quod Propheta es tu.*

20. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quod Hierosolymis est locus, vbi oporteat adorare.*

21. *Dicit ei Iesus, Mulier crede mihi, venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem.*

22. *Vos adoratis, quod nescitis: nos adoramus, quod scimus: quia salus ex Iudæis est.*

23. *Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem Spiritu ac veritate: nam & pater tales quærit qui adorent ipsum.*

24. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, Spiritu ac vetitate oportet adorare.*

25. *Dicit ei mulier, Scio, quòd Messias venturus est, qui dicitur Christus: cum ergo venerit ille, nobis nunciabit omnia.*

26. *Dicit ei Iesus, Ego sum, qui loquor tibi.*

27. *Et interim venerunt discipuli eius, & mirabantur, quod cum muliere loquebatur: nemo tamen dixit, Quid quæris? aut, cur loqueris cum ea?*

28. *Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus.*

29. *Venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: num hic est ille Christus.*

30. *Exierunt ergo è ciuitate, & veniebant ad eum.*

31. *Interea rogabant eum discipuli, dicentes, Rabbi, comede.*

32. *Ille autem dixit eis; Ego cibum habeo, quem vos nescitis.*

33. *Dicebant ergo discipuli inter se, Nunquis attulit ei, quod ederet?*

34. *Dicit eis Iesus, Meus cibus est, vt faciam quod vult is, qui misit me, & perficiam opus eius.*

35. *Nonne vos dicitis, adhuc quatuor menses sunt, & messis veniet? Ecce dico vobis, attollite oculos vestros, & videte regiones, quoniam albæ iam sunt ad messem.*

36. *Et qui metit, mercedem accipit & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit.*

37. *In hoc nimirum est sermo verus, quod alius est, qui seminat, & alius est, qui metit.*

38. *Ego misi vos ad metendum, quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiistis.*

39. En

39. Ἐκ δὲ τῆς πόλεως ἐκείνης πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν τῶν Σαμαρειτῶν, διὰ τὸν λόγον τῆς γυναικὸς, μαρτυρούσης, ὅτι εἶπέ μοι πάντα ὅσα ἐποίησα.

40. Ὡς οὖν ἦλθον πρὸς αὐτὸν οἱ Σαμαρεῖται, ἠρώτων αὐτὸν μεῖναι παρ' αὐτοῖς· καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ δύο ἡμέρας.

41. Καὶ πολλῷ πλείους ἐπίστευσαν διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ.

42. Τῇ δὲ γυναικὶ ἔλεγον, Ὅτι οὐκέτι διὰ τὴν σὴν λαλιὰν πιστεύομεν· αὐτοὶ γὰρ ἀκηκόαμεν, καὶ οἴδαμεν ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου, ὁ Χριστός.

39. *Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter sermonem mulieris, testificantis, quod dixisset sibi omnia, quæcunque fecisset.*

40. *Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt apud se maneret; & mansit ibi duos dies.*

41. *Ac multò plures crediderunt propter sermonem ipsius.*

42. *Et mulieri dicebant, Iam non propter tuam orationem credimus: ipsi enim audiuimus & scimus, quod hic est vere Seruator mundi, Christus.*

Periocha huius Historiæ

HÆc historia nobis grata esse debet. Continet enim descriptionem de Samaritanis quibusdam conuersis, qui primitiæ sunt eorum, quos alienos à Republica Israëlis Christus ministerij sui tempore ad communionem Euangelij vocauit. Ordine autem textum & circumstantias historiæ considerabimus. Ac principio obseruatio Chronographiæ aliquid monet. Suprà diximus, post Pentecosten, hoc est, post colloquium cum Nicodemo, Iesum venisse in terram Iudæam. Et iam, cum ex Iudæa secedit quatuor menses restāt ad messem. Circiter sex menses igitur Iesus, docendo & baptizando, in Iudæa commoratus fuit, propter illam causam, quod principia teneræ & nascentis Ecclesiæ, quam suo & discipulorum ministerio colligebat, hoc flagitabant, vt aliquantulum illa confirmaretur. & quia Baptista, cuius auctoritati vniuersus populus addictus erat, auditores suos à se ablegabat, & ad ipsum Christum adducebat, sicut hæc suprà explicata sunt. Nunc vero quarto mense ante messem Iesus, relicta Iudæa descendit in Galilæam, cuius secessionis causam Euangelistæ videntur non vno modo describere. Matthæus enim inquit: *Cum audisset Iesus, Baptistam traditum, secessit in Galilæam.* Iohannes vero dicit, *propter Pharisæos* hoc factum, quæ inter se non pugnant, sed altera causa per alteram declaratur. Pharisæi enim ideo Baptistam, sicut in præcedenti historia diximus, tradiderant Herodi, vt ipsum in carcerem concluderet, quia homines, à Pharisaicis traditionibus abductos, sibi discipulos adiunxerat: mox verò post traditū Iohannem animaduertunt, se id, quod quærebant, traditione Baptistæ nondum effecisse aut consecutos esse, vt scilicet omnes homines ad Pharisaicum fermētum redirent, sed audiunt forsan ex Iudæis, qui cum Iohannis disputauerant, Ioh. 3. v. 25. Baptistam omnes suos auditores ablegasse ad Iesum Nazarenum, qui post traditum Baptistam plures iam haberet discipulos, quàm Iohannes vnquam habuisset. Quia igitur videbant, Herodi non infeliciter cessisse, quod Baptistam, qui in tanta apud vniuersum populum auctoritate fuerat, in vincula coniecisset, cœperunt & ipsi consilia agitare, quomodo Iesum cum nascente ipsius Ecclesia, inter prima principia, priusquam ad florem aut maturitatem perueniret, opprimere & extinguere possent. Et hæc est prima aduersariorum persecutio (quæ quidem descripta extat) contra Christum & nascentem ipsius Ecclesiam, non verbis, sed vi & gladio armata. Monet autem hæc obseruatio ordinis, quàm fidelis Deus sit in gubernatione suæ Ecclesiæ, quam nō sinit tentari supra id, quod ferre potest. Ecclesiam enim, quam tempore ministerij sui Christus collegit, non statim in ipso ortu sæuis & immanibus persecutionum fluctibus obiecit: sed primo anno tribuit ei halcyonia, (sicut dicitur) vt posset primum colligi, institui, & aliquantulum confirmari.

Cum igitur Iesus cognouisset, Pharisæos talia meditari & conari, relicta Iudæa reuersus est in Galilæam. Primum ideo, vt longius aliquanto ex Pharisæorum oculis discederet: & quia in Galilæa, quæ Herodi subiecta erat, Pharisæi non tanta potentia dominabantur, sicut in ea parte, quæ proprie Iudæa vocabatur. Sicut & Apostoli in postremo anno suadent Christo, ne ascendat Hierosolymam, sed maneat in Galilæa. Et idem etiam Ioh. 7. in principio v. 1. describitur. 2. Quia post traditum Baptistam Iesus Euangelij negotium pleniori ac manifestiori quàm hactenus virtute aggressurus erat, quod in Galilæa futurum Prophetæ prædixerunt, sicut Matthæus c. 4. v. 15. indicat. 3. Mirum videtur, quod Iesus, fugiens Pharisæorum persecutionem, in Galilæam secedat, cum Herodi, qui Iohannem vinxerat, illa subiecta esset. Sed ita ostendere voluit, pios in hac vita, quos fugiant, habere: ad quos vero fugiāt, vt in tuto sint, non habere, nisi ad te Deus, qui solus refugiū nostrum es.

Duæ autem de hac secessione Christi quæstiones mouentur, quarum explicatio aliquid vtiliter monere potest, illas breuissime expediemus. *Quare scilicet Christus persecutionem & mortem nunc fugiat, cum ideo in hunc mundum venerit, vt patiatur, & moriatur.* Vera autem & simplex responsio est, quam Christus ipse tradit Ioh. 14. v. 31. *Sicut mandatum mihi dedit pater, ità facio.* Item Ioh. 6. v. 38. *Veni, non vt meam voluntatem faciam, sed eius, qui me misit, Patris.* Item Ioh. 7. v. 30. *Nōdum venit hora mea.* Non igitur voluit nec debuit, persecutionem, passionem & mortem, priusquam à patre imponeretur, sibi accersere, sed, vocationi obtemperans, vsus est mediis, quæ nec impia nec illegitima erant, vt suo exemplo confirmaret doctrinam illam, Matt. 10. v. 23. *Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Rectè igitur Augustinus inquit: *Fecit hoc magister ille bonus non quod timeret, sed vt doceret, quemque scilicet in vocatione sua ita debere ambulare, ne tentet Deum.* Voluit etiam Christus hac secessione, Ecclesiæ suæ, quam in terra Iudææ ministerio suo colligere primum cœperat, quia valde tenera adhuc erat, parcere, vt posset interea plenius institui, confirmari & prorogari.

Altera quæstio est, *quare Christus nefarios illos Pharisæorum conatus vel miraculo, vel omnipotentia sua non represserit, vt non opus fuisset fugere?* Et nobis quidem non est omnium operum Dei ratio curiosius inquirenda, quæ in verbo Dei patefacta non est: sed huius quæstionis explicatio & in Scriptura tradita est, & præbet dulcissimam consolationem. Missus enim fuit Christus non vt potentiam suam manifestè contra aduersarios exerceret, sed exinaniuit se, Phil. 2. v. 7. tētatus per omnia, Hebr. 4. v. 15. vt ex ipsius exemplo in persecutionibus & tentationibus spem conciperemus, sicut inquit, Matt. 10. v. 20. *Nō est discipulus supra magistrum,* & Iohann. 15. v. 20. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Quod si Christus aduersariorum suorum conatus manifesta potentia statim fregisset, & omnia aduersa statim repulisset, quid nos spei aut cōsolationis ex Christi persecutionibus concipere possemus, quando in summa infirmitate aduersariorum libidini obiecti & quasi deserti videmur? Responsaret enim conscientia: Ecce dissimilitudo potentiæ in persecutionibus Christi, & infirmitatis in tuis tentationibus, ostendit, te non esse conformem imagini filij Dei. Christus igitur in persecutionibus exinaniens seipsum in summam infirmitatem se deiecit, 2. Cor. 13. v. 4. vt eo rectius exemplum persecutionum ipsius ad nostram consolationem accommodare possemus. Voluit enim se ostendere, quomodo potentia Dei in infirmitate perficiatur, 2. Cor. 12. v. 9. Et hæc est prima pars huius historiæ, de causis secessionis Christi, ex Iudæa in Galilæam. Illa enim sententia, quod Iesus non per se, sed ministerio discipulorum baptizarit, in 29. c. Harmoniæ explicata est.

Quia vero rectissima via euntibus in Galilæam, ex illa parte Iudææ, in qua Christus versatus fuerat, est per Samariam, Luc. 9. v. 52. occasione huius profectionis Christus incidit in colloquium cum Samaritide: quam occasionem Cyrillus existimat Euangelistam ideo notasse, ne Iudæi Iesum ideo reiicerent, quod Samaritanis se coniunxisset. Minister enim circumcisionis debebat Messias esse, Rom. 15. v. 8. Est autem pulcherrimum colloquium & dignum diligenti obseruatione. Hæc enim prima concio est, qua filius Dei, tempore ministerij sui, doctrinam Euangelij etiam inter illos, qui alieni erant à politia Israëlis, sparsit. Et quia ad nos etiam, qui, cum longe essemus, vocati sumus ad communionem Christi & Euangelij ipsius, hoc pertinet, dicenda prius quædam sunt de Samaritanis, qui & quales fuerint. Ita enim illustrior erit accommodatio huius historiæ de institutione, conuersione & fide eorum, qui extranei à testamentis populi Dei vocati sunt ad communionem Christi. Samaria igitur illa Palæstinæ regio est, quæ olim à tribu Ephraim & dimidia tribu Manasse inhabitata, inter Iudæam & Galilæam sita est. Illa à doctrina & religione populi Dei primum deficere cœpit sub Ieroboam,

3.Reg 12.v.26. Nomen vero Samariæ sub Ambri, qui tempore Asa regnauit, accepit, 3.Reg.16.v.24. quo nomine in Prophetis postea appellata legitur, quando Idolomaniam decem tribuum reprehendunt.

Abductis vero decem tribubus in exilium, colluuies quædam gentium in locum expulsorum quasi in coloniam submissa fuit. Illi vero, qui desertas Samariæ vrbes occupauerant, gentilem plane religionem in illas intulerunt. Cum vero leones, à Domino immissi, terram vastarent, & res ad regem Assyriorum delata esset, captiui ex decem tribubus dixerunt, causam hanc esse, quod terra illa destinata esset cultui veri Dei, iuxta ritus in Lege præscriptos. Noluerunt autem consultores illi ex Hierusalem Sacerdotem accersi, qui in sana doctrina colonos Samariæ institueret, sed suaserunt, vt ex captiuis Sacerdotibus quispiam mitteretur, qui corruptum cultum à Ieroboam institutum, & à posteris auctum, ibi rursus institueret. Adeo falsa religionis persuasione per exilia quidem, vt manifeste diuina pœna in Israeliticis istis corrigi potuit. Qui igitur tunc ex gentibus Samaritani facti fuerant, legalia quædam, sicut ea didicerant ex Sacerdote Ieroboam susceperunt: nihilominus tamen etiam ritus Ethnicæ religionis seruabant. Ita ex duobus corruptis composita tunc fuit religio Samaritanorum, 4.Reg.17.v.24 & apud Iosephum lib.9. Postea vero, abducta etiam tribu Iuda & Beniamin, valde potentes facti sunt Samaritani, & Iudæis ab exilio Babylonico redeuntibus, ædificationem templi variis & miris modis impediebant, sicut testatur liber Esdræ & Nehemiæ. Et tanta tunc fuit illorum auctoritas & potentia apud reges Persiæ, vt illi etiam, qui ex genere Pontificio erant, coniunctionem cum illis quærerent. Eliasib enim nepos Iesu illius, qui cum Zorobabel populum ex Babylone reduxerat, dicitur propinquus factus fuisse Tobiæ Samariæ præfecto. Nehem.13.v.4. Et sicut Iosephus Antiquit.11.c.7.& 8 scribit, Tempore Darij, postremi regis Persarum, erat quidam Sanaballath, Regis per Syriam præfectus valde potens, eius filiam Hachan Manasses, fratres Iaddi summi Pontificis, filius Iohannis summi Pontificis, vxorem duxit, vt eius potentia se muniret. Sed propter illam affinitatem communibus populi suffragiis Sacerdotio deiectus, & terra Iudæa expulsus fuit. Huius historiæ etiam Nehemias c. 13.in fine v.28 meminit. Socer vero Sanaballath veritus ne Manasses filiam ipsius repudiaret, promisit, se ei ædificaturum templum in Samaria, quod Hierosolymitano nihil cederet, in quo maiore splendore quam Hierosolymis sacerdotio fungi posset, & dotis nomine se totam Samariam ipsi daturum, quia senex erat, pollicitus est. Hic cum postea Alexandrum, contra Darium regem suum, pecunia & copiis iuuisset, parta victoria facile ab ipso impetrauit facultatem condendi noui templi & Samaritani, qui ardebant odio contra Iudæos, cupide assenserunt. Hoc modo in monte excelso Garizim ædificatum fuit templum Samaritanorum. Manasses vero nolebat Pontifex esse eorum, qui simpliciter Iudæi non erant, multos igitur ex Iudæis ad defectionem ad se pertraxit, & pollicitationibus & donis. Sanaballath enim socer illis, qui à Iudaismo ad Manassem deficiebant, dabat terram in Samaria. Hinc factum fuit, quod plerique qui propter scelera inter Iudæos locum habere non poterant, profugerent in Samariam. Ibi enim honorifice excipiebãtur, vt Samaria esset quasi asylum sceleratorum & profugorum ex Iudæa. Et hinc templum illud vocatum fuit mons transgressorum. Hæc commẽmoratio illustrat descriptionem Iohannis de Samaritide, quę scilicet causa fuerit acerbi illius dissidij & odij inter Iudæos & Samaritanos, sicut muliercula hæc, vel Euangelista potius per Parenthesin, dicit, *Iudæi abominantur consuetudinem cum Samaritanis.* Prætendebant enim mandatum Dei Exod. 23.ver.32. Deut.7.v.2.non esse fœdus ineundem cum gentibus. Potest etiam hinc intelligi, quare Luc.9.v.53. Samaritani profecturis ad templum Hierosolymitanum nolint transitum præbere. Colligitur etiam hinc, quare muliercula Ioh.4. v. 20.dicat, *Patres nostri:* Item v.25 *Scimus venturum Messiam.* Samaritani enim, de quibus Euangelica historia loquitur, non simpliciter gentiles fuerunt: sed Apostatæ ex Iudæis, in vnam massam cõmixti cum gentibus. Religionem enim eorum sine verbo Dei institutam fuisse, Christus ostendit, cum inquit: *Vos nescitis quid adoretis.* Prætextum vero ex [illegible] Patrum quęsiuerunt: *Patres nostri in hoc monte adorauerunt.* Triplex igitur fuit Samaritanismus, primus tempore Ieroboam, anno mundi 2970. post conditum primum templum anno 30.& anno 990. ante Christum natum. Secundus Samaritanismus, missis in Samariam colonis ethnicis cœpit, anno mundi 3220. post primum templum anno 280. ante Christum natum 740. Tertius Samaritanismus condito templo in monte Garizim cœpit, annis post conditum secundum templum 190. ante inchoationem ministerij Christi annis ferme 363. Potuissent igitur Samaritani longa temporis præscriptione religionem suam tueri.

Hæc historica ideo ascripsi, vt intelligi possit, quales fuerint Samaritani, alieni scilicet à politia & religione Israelis. Ita enim Luc.17.v.18. Samaritanum Christus vocat ἀλλογενῆ, & Mat. 10.v.5. Apostolis, quos tunc emittebat ad oues domus Israel, via gentium & ciuitatibus Samaritanorum interdicit. Quia igitur hæc historia primam concionem describit, qua filius Dei, tempore ministerij sui, ab ouili domus Israel digrediens, Samaritanos instituit, conuertit, & ad veram fidem adduxit: illustrę exemplum est, quomodo in ipsis primitiis ostenderit, & quasi consecrarit rationem seu formam institutionis, conuersionis & fidei eorum, qui alieni ab ouili domus Israel ad communionem regni Dei vocantur, quales nos omnes sumus. Et ordo obseruetur, quod Christus in ministerio suo primum Iudæis Euangelium prædicauit: deinde Samaritanis, qui quasi medij erant inter Iudæos & gentes: postea habebimus exempla, quod etiam ex gẽtibus quosdam vocarit. Eodem modo etiam Apostoli post ascensionem Christi Iudæos primum vocarunt: Postea Samaria accepit verbum Dei: Tertio deinde inter gentes etiam Euangelium prædicarunt. Hoc enim ordine ministerium ipsis mandatum fuit. Actor.1.v.8. *Eritis testes in Iudæa, in Samaria & vsque ad extremum terræ.*

Porro colloquium Christi cum Samaritide Iohannes prolixe & diligenter descripsit. Quid vero per biduum illud, cum reliquos Samaritanos institueret, prædicarit, non descriptum est, absque dubio ideo, quod eadem fuerit sententia, quæ in colloquio cum Samaritide descripta est. Historiam igitur simplicissime ita tractabimus, vt obseruari possit, quæ capita institutionis, conuersionis & fidei Christus primum in colloquio mulierculæ proposuerit, & postea per biduum ad reliquos Samaritanos repetiuerit, qui iuxta hanc doctrinam in Christum crediderunt.

Duplex autem via est ex Iudæa per Samariam in Galilæã. Vna est per mediam Samariam, Luc.17.v.11. Altera est in terminis Samariæ orientalibus per vallem regiam ad Iordanem, inter Iordanem & montana Acribitenæ, sicut Tabulæ ostendunt. Et in hac valle sita fuit Sichem. Iesus igitur non ingressus est ciuitatem Samaritanorum. Erat etiam minister circumcisionis, missus tantum ad oues perditas de domo Israel. Ideo etiam Apostolis postea hoc prohibet, Matth.10.v. 5. Sed extra ciuitatem sumpsit talem locum, qui ipso aspectu, quia multas commonefactiones de Messia præbebat, meditabundum ipsum retinebat. Hieronymus putat corrupte *pro* Sichem legi Sichar. Sed illam sententiam simplicissimam esse iudico, quod tempore Euangelistæ ciuitas illa vulgari sermone dicta fuerit Sichar, & sit eadem, quæ in Veteri Testamento vocatur Sichem. Et historiæ de Sichem, Gen.33.v.19. 34.v.1.& 37.v.12. pulchre huc quadrãt, quod Iacob cum duodecim Patriarchis ibi habitarit, adorarit, fontem effoderit, prædium Iosepho legarit. Ossa etiam Iosephi in ea parte agri, propter fidem & expectationem Messiæ sepulta fuerunt. Iosuæ 24.v.32. Non procul etiam à Sichem, sicut Hieron. scribit, in Salem, Melchisedech habitauerat, & in monte vicino benedictiones, Deut.27.v.5. Iosuæ 8.v.30. recitatæ fuerant. Et Baptista nuper in Ænon circa Salim prope Sichem baptizauerat. Fuit autem Sichem regia ciuitas tempore Iudicum, quam Abimelech solo æquauit. Iud.9.v.45. Ieroboam vero eam rursus ædificauit, 3. Reg.12.ver.25. & pro regia sede vsus fuit. Vnde forsan vallis illa regia vocata est. Postea Amri ædificauit in Ephraim monte Someron ciuitatem eiusdem nominis, 3.Reg.16.v.24. Et ea ciuitate, quæ inde Samaria appellata fuit, sequentes Reges Israelitarum pro regia sede vsi sunt. Iosephus vero scribit, tempore Alexandri Magni Samariæ Metropolin rursus fuisse Sichem. Post Euangelistarum vero tempora Sichem iterum fuit restaurata, & mutato nomine dicta Neapolis, quæ patria fuit Iustini martyris, & Hieronymi adhuc tempore appellationẽ illam retinuit. Fuisse autem Sichem illam non procul positam à monte Garizim, in quo templum Samaritanorum extructum fuisse diximus, colligitur ex 9.c. Iudicum v.7. vbi vox stantis in vertice montis in ipsa hac ciuitate Sichem exauditur.

Narrat igitur Iohannes, Iesum *hora sexta,* hoc est ipso meridie, *venisse ad fontem Iacob.* Et quia dies ille non fuit primus profectionis: secedens enim ex terra tribus Iuda vltra Ierusalem vix tertio die peruenit ad Sichem: Ideo dicit Iesum *defatigatum fuisse:* & vtitur verbo κοπιάζειν, quo Græci, Deut.25. v.pen.& 2.Reg.23.v.10. reddiderunt verbum יגע quod significat, quando membra ex labore contrahunt talem defatigationem, vt corpus anhelitum trahat, & quærat refocillationem. Et Iohannes, qui vnus fuit ex comitibus, significat se in Christo vidisse gestum hominis defatigatione quasi exhausti, cum inquit: *Consedit apud fontem* οὕτως, *sic.* Quod aduerbium Chrysostomus ita interpretatur: *Sedebat sic, hoc est, simpliciter, seu neglectim, prout locus ille admittebat.* Alij ita accipiunt, quod consederit eo modo, sicut solent sedere lassi, ipso corporis

habitu

habitu fatigationem præ se ferens. Sedit autem ἐπὶ *iuxta*, vel *super fontem*, veluti ex aura fontis refrigerationem captans, præcipuè vero, quia illud de muliercula futurum præuidebat. Magna autem est exinanitio, quod corpus illud, in quo tota plenitudo diuinitatis, hoc est, omnipotentiæ diuinæ habitat, adeò defatigetur, vt cum discipuli, itineris illius comites, adhuc possint ciuitatem pro emendis cibis ingredi, ipse fessus consideat. Sed externo hoc & sensibili exemplo voluit ostendere, quid sit exinanitio. Assumpsit enim nostras etiam corporales & exteriores infirmitates, sine peccato, vt sciremus, ipsum vt pontificem, tentatum per omnia, velle compati & succurrere non tantùm in spiritualibus certaminibus, verum etiam in huiusmodi externis infirmitatibus, Hebr. 2. ver. 17. & 4. vers. 15.

Sedens igitur Iesus ibi multa cogitauit de monumentis Messiæ, quibus locus ille insignitus erat, & sine dubio doluit, illa ipsa Patriarcharum monumenta, quæ commonefactiones esse debebant de Messia, transformata esse in Samaritanam idololatriam. Et muliercula ὅ ἐκεινοῦς inquit, *In hoc monte patres nostri adorarunt.* Hæc obseruatio topographiæ & lucis aliquid adfert historiæ, & præbet commonefactiones de multis rebus.

Occasionem autem ad concionem illam talem Christus sumpsit. Quia viaticum itinere bidui iam consumptum erat, & non viuebat ex mendicitate, miserat discipulos in ciuitatem, vt pretio cibos compararent. Habuisse igitur Christum iam tum in loculis communibus pecuniolam, quæ áb auditoribus ad ipsius & discipulorum sustentationem contribuebatur, hinc etiam patet. Quia vero inter montana sita fuit Sichem, Iudic. 9. ver. 36. vt verisimile sit, ipsam siticulosam fuisse, mulier quædam Samaritana interea egressa est, ad hauriendam aquam. Ab illa igitur Christus petit potum, ad alleuandam sitim & fatigationem, præcipue vero, vt occasionem ita ad pulcerrimum illud colloquium præberet. Sitis enim & potus postea obliuiscitur. Muliercula vero ex lingua & habitu, sicut Chrysostomus inquit, agnoscens Iudæum esse, miratur, cum sciret, quantopere Iudæi à commercio Samaritanorum abhorrerent, cuius causam iam exposuimus. Christus vero sumta inde occasione, vt desiderium sciscitandi & discendi in muliercula illa magis excitaret, per ænigma incipit loqui. Et quia doctrina pœnitentiæ & remissionis peccatorum in Prophetis sæpe proponitur sub metaphora sitis, terræ sterilis seu aridæ, & aquæ refrigerantis, refocillantis, vegetantis, Esai. 12. v. 3. 35. vers. 7. 44. vers. 3. & 55. vers. 1. Ierem. 2. vers. 13. Ezech. 47. vers. 1. Ioel. 3. vers. 18. Zach. 14. vers. 8. Christus sub illis figuris incipit concionari de *aqua viua*. Per quam intelligit primo charitatem & misericordiam Dei patris erga nos in Christo Iesu. 2. meritum & gratiam, cuius plenitudo erat in Christo. 3. quod beneficia illa per Spiritum in credentes effundantur, ad remissionem peccatorum & vitam æternam. De donis enim Spiritus, aquæ metaphora explicatur. Iohan. 7. v. 38. Vocat autem aquam ζῶντα, & ratione fontis Christi, in quo est, & ratione effectus, quasi viuificans aqua. Græci enim verbum ζάω sæpe vsurpant pro ζωοποιεῖν viuificare, Psalm. 119. versicul. 17. 4. Reg. 1. versicul. 2. Effectus enim huius aquæ est talis viuificatio. Petita enim & accepta facit, vt dira sitis, agnitione peccatorum & sensu iræ Dei excitata, in hac vita incipiat restingui, ne in æternum illa torqueamur, Lucæ 16. versicul. 24. sed habeamus vitam æternam, hoc est, sit *fons saliens*, hoc est, sicut Syrus reddidit נבע, scaturiens, ebulliens *in vitam æternam*. Syrac. 24. versicul. 29. scriptum est; *Qui bibunt me adhuc sitient*: quo non inopia, sed desiderium spiritualium subinde crescens, describitur. Et licet dona initio non sint perfecta: Christum tamen ipsum, vt scatebram viuam, inhabitantem habemus, vnde contra sitim subinde suppeditatur succus viuificus. Augustinus dicit: *Aquam putei, seu quæ in cisterna est, sæpe deficere, & facile exsiccari, quia ex aqua pluuiali colligatur: viuam vero aquam vocari, quæ ex vena perenni & non deficiente scaturit, ita vt non tantum ipsum fontem repleat, sed inde saliat, & foras etiam deriuetur.* Quæ pulcherrime ad Christum conueniunt, venusta etiam est illa cogitatio. Sicut Physici dicunt, in aquæ ductibus aquam tantum ascendere, quantùm descendit: ita Christus de cœlo descendit, factus fons vitæ, & ideo aqua illa salit, & rursus ascendit in cœlum & in vitam æternam, in illis qui inde bibunt. Tantum enim ascendit, quantum descendit. Tota igitur doctrina iustificationis, secundum omnia genera causarum, in hac metaphora aquæ vitæ proposita est, sicut plenius hoc posset declarari, sed seruabimus institutæ breuitatis rationem.

Tu, inquit, *mihi* Iudæo negas potum huius aquæ, verum *si scires*, quantum & quale *donum* sit, quod Deus in eo, qui tibi nunc loquitur, hominibus offerat, *petiisses ab eo aquam viuam*, quam ille tibi non, vt tu fecisti, negasset, sed mox & vltro tibi eam *dedisset*. Orditur itaque Christus concionem illam à querela, *Si scires donum Dei, peteres, vt darem tibi aquam viuam.* Vita æterna enim est in Christo Mediatore. Pater illam vult donare propter filium. Et Spiritus sanctus riuulos inde per ministerium verbi ad nos deducit. Sed nos miseri, nec scimus, nec cogitamus, quale & quantum sit illud donum, quod pater in filio nobis donat, & per Spiritum S. proponit. Ideo cum proponitur & offertur, non petimus, non desideramus, non quærimus, nec amplectimur illud. Et illustre exemplum est, quomodo animali homini doctrina Spiritus stultitia sit. Mulierculæ enim huic parabolæ & ænigmata sunt, quæ Christus dicit. Ideo festiue ridet magnificas illas promissiones, sicut in textu hoc manifestum est: *Cum non habeas situlam, qua ex hoc puteo haurias: nec maior sis patrè nostro Iacob, qui ex hoc fonte cum suis bibit.* Adeo bona & abundans est hæc aqua, quomodo igitur tu videris aquam præstantiorem promittere? Ad hoc Christus respondet, ex discrimine aquæ corporalis, quæ sitim quidem sedat, sed ad tempus solum, vt iterum alia noua aqua opus sit: spiritualis vero hæc aqua perpetuam habet efficaciam, ariditatem & sitim spiritualem restinguendi. Sicut enim is sitire nunquam posset, qui in visceribus suis haberet fontem perpetuo scaturientem, inquit Chrysostomus: ita in quibus per fidem inhabitat Christus, Ephes. 3. v. 17. quia ipsum fontem aquæ viuę in se habent, non sitient in æternum. Imo *hic fons saliet in vitam æternam.* Data opera autem Christus hunc ordinem seruauit, vt principium colloquij non ordiretur à concione pœnitentiæ, sed prius exponeret doctrinam iustificationis. Voluit enim ostendere, quanta sit deprauatio in mente, voluntate & corde hominis non renati, etiam quando gratia Dei in Euangelio proponitur & offertur, nisi prius excitata sit sitis. Mox vero postea docet, quam rationem seu methodum seruet Spiritus sanctus, vt in homine animali, seu qui securitate ebrius est, per reuelationem peccati & iræ Dei ex lege excitet sitim, hoc est, considerationem, desiderium & apprehensionem misericordiæ Dei, propositæ in Christo. Cum enim muliercula de spiritualibus & æternis bonis parum sollicita, tantum de externa commoditate, ne cogeretur subinde ad fontem illum extra ciuitatem excurrere, quæreret, Christus iubet accersi maritum eius, vt ita ducat eam in agnitionem peccatorum & iræ Dei. Nam post quinque, vel legitima coniugia repudiata, vel post quinque concubinatus, vetula adhuc viuebat in scortatione. Nam coniunctio ἢ, potest accipi vel pro aduersatiua, quinque viros scilicet legitimos habuisti, sed ille, quem nunc habes, non est legitimus tuus vir: vel si καὶ simpliciter accipiatur, sensus erit, Antea quinque viros illegitimos scilicet habuisti, & ne ille quidem, quem nunc in senectute habes, legitimus tuus vir est. Tales autem voluit Christus esse primitias alienigenarum, quos primo ad regnum suum vocauit, vt sciamus, donari illud non ex dignitate, sed ex gratia, ne quis glorietur, sed vt omne os obstruatur. Ideo enim hoc loco donum Dei primo non honestis Samariæ ciuibus offertur, sed exoleto scorto. Summa igitur est prædicationem Euangelij sine pœnitentia non posse locum habere; parari autem Euangelio viam, reuelatione peccatorum & iræ Dei. Et in Samaritide quidem hoc manifestum est. Ipsa enim ciuibus postea publice fatetur sua flagitia. Et quia inquit, *Dixit mihi omnia, quæcunque feci*; videtur muliercula hæc occultò ita scortationes illas exercuisse, sub prætextu vitæ cælibis. Sed quia reliqui ciues, qui euocabantur, non erant omnes contaminati huiusmodi flagitiis, quomodo igitur illis Christus prædicauit pœnitentiam, vt redderentur capaces doctrinę de salute Messiæ? Iohannes verba non annotauit, sed ex colloquio cum muliercula hoc potest colligi. Propter electitium enim cultum in monte Garizim, cui patrum nomina prætexebant, existimabant se sanctos, Deo gratos & acceptos esse. Sed illam ipsam persuasionem Christus arguit, *vos adoratis, quod nescitis:* quia cultus est sine verbo Dei: *Et salus ex Iudæis est.* Ergo in vestra religione non est salus. Huc pertinet etiam allegoria illa sitis spiritualis, quæ nulla aqua, vndecunque hauriatur, etiamsi ex fonte Iacob sit, restingui potest, nisi sola aqua viua, quam Christus dat. Postea etiam agnoscunt, Christum esse Saluatorem mundi. Didicerunt ergo ex concione Christi, mundum, etiam vbi in suis religionibus sanctus est, esse perditum & damnatum, quia indiget Mediatore. Ita doctrina Christi arguit peccatum, non tantùm in secunda, sed in prima etiam tabula. Prædicat enim pœnitentiam non tantùm sceleratis, vt Samaritidæ, verum etiam sanctulis: & omnes religiones extra Christum damnat, ac pronunciat, non esse in iis salutem, sicut hæc aliàs latius solent explicari. Nos tantum ostendimus, quæ sint capita primæ huius conuersionis alienigenarum, inter quæ primum est prædicatio pœnitentiæ, siue agnitio peccatorum & iræ Dei, sicut iam ostendimus.

Secundum caput est fides apprehendens donum Dei in

Christo ad salutem & vitam æternam. Obseruabimus autem, quomodo secundum illud caput Christus in hac concione tractet, non docendo tantum, sed ita, vt primitias alienigenarum ex errore ad veram agnitionem & fidem adducat. Ideo enim non continua oratione, sed forma colloquij articulum iustificationis cum Nicodemo & Samaritana tractat, vt ostendat, veram fidem non posse plantari, nisi prius contrarij errores euellantur. Id vero non vno statim momento fit, sed suos habet gradus, sicut hæc historia ostendit. Muliercula enim videns Iesum non latere domestica vitia sua, quæ, quia occulta erant, in tota ciuitate ex aliorum narratione non potuisset cognoscere, ex occultorum cognitione intelligit ipsum Prophetam esse, quorum proprium est futura & occulta agnoscere & reuelare. Prædicatione igitur arguente peccata ab eo, quem plus quam vulgarem hominem esse agnoscebat, territa, ita vt anxie iam cogitaret de reconciliatione cum Deo, quem grauiter à se offensum esse sentiebat, statim mouet illam quæstionem, Quia video, te Spiritum Dei habere, & Prophetam esse, quorum officium est, homines de voluntate Dei recte docere: explices igitur quæso illam, quæ inter nos conuertitur quæstionem. ***Patres nostri in hoc monte adorauerunt:*** Iudæi vero dicunt Hierosolymis in templo esse adorandum, si quis Deo velit reconciliari, 3. Reg. 8. v. 29. Deuter. 12. ver. 2. Hac quæstione eo tendit, vt vel Samaritanam religionem, ad propitiandum Deum Iudaica meliorem esse probet, ex præscriptione longi temporis, & prætextu autoritatis Patrum: vel vt significet, se turbari dissentientibus de religione sententiis, Iudæis de suo templo, Samaritanis de suo monte contendentibus: vel vt ostendat, idem valere, quacunque ratione quis quærat gratiam & salutem, modo hoc fiat bona intentione, & dirigatur ad illum Deum, qui est creator cœli & terræ. Iudæi, inquit, adorant Deum suo modo, nos nostro: habent illi suas rationes, nos nostras: & vtrumque fit eadem intentione, perueniendi scilicet ad salutem æternam, & dirigitur ad eundem Deum. Hæc sententia quæstionis Samaritanæ ideo diligenter obseruanda est. Hoc enim rationis iudicium de diuersis religionibus plausibile est, & multos perturbat. Sicut Philastrius fanatici cuiusdam Rhetorij opinionem recitat, qui sentit, omnes quascunque religiones recte ambulare. Et nostro tempore erro quidam Postellus scripsit πανθενωσίας, in qua omnes omnium gentium religiones conciliat & vocat *Concordiam orbis*. Præcipue vero ardua & omnibus temporibus vulgata disputatio fuit de illis cultibus, qui licet manifesto Dei verbo destituuntur: tamen ex Patrum vel Sanctorum exemplis, colorem aliquem habent, sicut muliercula hæc dicit, tamen Patres nostri, qui sine dubio Deo fuerunt acceptissimi, Iacob scilicet cum duodecim filiis Patriarchis, erecto in hoc loco altari, inuocarunt ibi fortem Israel, Gen. 33. v. 20 non Hierosolymis, nec in illis plane ritibus, quos Moses describit, adorarunt. Audiamus ergo quid ad hanc Samaritanæ quæstionem Christus respondeat. Versamur enim in loco communi de cultibus, qui ex Patrum exemplis sine verbo Dei instituuntur. Summa autem responsionis Christi hæc est: Non exemplis, sed legibus iudicandum esse, sicut vulgo dicitur. Ideo exempla Patrum, vbi non idem mandatum, non eundem Spiritum habemus, non esse sine iudicio, quod ex verbo Dei formari debet, imitanda. Item tempora esse discernenda. Patres enim ante legem non habuerunt mandatum de templo Hierosolymitano & de Leuiticis ceremoniis, quod mandatum postea datum fuit, & in Nouo Testamento mandatum illud de Leuiticis cultibus iam abrogatum est. Si hæc tempora confundantur, facile potest admitti κακοζηλία exemplorum quæ Deo non probatur. Hæc omnia Christus complexus est breui & memorabili illa sententia: *Vos nescitis, quid adoretis*; hoc est, licet bonam habeatis intentionem & dirigatis cultum ad Deum, prætexatis etiam exempla Patrum: tamen quia sine manifesto verbo Dei cultus vester institutus est, nescitis quid adoretis. Inter Iudæos, qui vere pij sunt, quia habent certum verbum Dei, de suis cultibus, sciunt quid adorent. Adest autem, inquit, hora abrogationis Sacerdotij Leuitici: & si quis post eam abrogationem voluerit Leuiticis ritibus Deum colere, non minus peccabit quam vos Samaritani κακοζηλίᾳ Patrum. Notandus autem est ordo verborum. Non enim dicit, *Nescitis quid adoretis*, sed, *Adoratis quod nescitis*, hoc est, quia verbum Dei non est lucerna vestra, ideo incertæ & vagæ sunt imaginationes, quas de Deo habetis. De essentia vero & voluntate eius nihil certi & firmi potestis absque verbo statuere. ***Nos verò adoramus ὃ οἴδαμεν.*** Significat enim notitiam ex verbo, & fidem debere prælucere in vero cultu Dei, vt certi simus, ex verbo Dei cultus nostros placere. Præcipue vero quod ad hoc caput, de iustificatione, attinet, sensus est: Rationem humanam, sine verbo Dei, prorsus ignorare, quomodo Deus sit placandus, sed ex verbo hoc discendum. Reiectis igitur falsis cultibus, propius iam Iesus mulierculam de vera fide instituit, cum inquit, *Salus ex Iudæis est*. Quod intelligitur primo de Messia nascituro ex Iudæis, Rom. 9. ver. 5. Secundo de verbo Iudæis concredito, Roman. 3. v. 2. & exituro ex Ierusalem. Esa. 2. ver. 3. Fides enim debet quærere & apprehendere salutem: sed vera salus tantum in illo semine est, quod ex Iudæis promissum erat, & in verbo offertur. Qualis item sit illa salus, quomodo sit quærenda & apprehendenda, ex illo verbo, quod Iudæis traditum est, discendum est, quod ex Sion exibit. Hanc esse sententiam huius dicti, ex responsione mulierculæ colligitur. Errorem igitur de Samaritana religione Christus iam ipsi eripuit, & deduxit eam ad agnitionem Messiæ venturi ex Iudæis, in quo salus fit. Et obseruentur gradus, muliercula enim statim arripit agnitionem & fidem generalem: *Scio*, inquit, *Messiam venturum*. Vtitur autem verbo ἔρχεται, quod significat aduentum Messiæ præ foribus esse, *& cum venerit omnia nobis annunciaturum*, iuxta promissionem Deut. 18. v. 18. Illa enim generalis notitia promissionis de Messia ex Iudæa sparsa fuit inter omnes ferme gentes, præcipue vero inter Samaritanos, qui Apostatæ erant ex Iudæis. Et Baptista nuper in illa vicinia de Messia docuerat. Et muliercula hæc generalem illam notitiam & assensionem promissionis de Messia putat sufficere ad salutem. Sed Christus deducit eam ad specialem agnitionem personæ Messiæ: *Ego*, inquit, *qui loquor tibi, sum* Messias ille. Diligenter autem notanda est generalis illa persuasio, qua Samaritana ad veram fidem deducta est, omnia scilicet, quæ ad consequendam salutem necessaria sunt, & quæ ad verum cultum Dei in Nouo Testamento pertinent, Messiam, cum venerit, annunciaturum. Communis igitur tunc opinio fuit, in Mose non omnia explicite contineri, sed multa reseruata esse pleniori explicationi Messiæ, Deut. 18. v. 18. Isa. 2. v. 3. Mich. 4. v. 2. Ex hoc principio deducitur ad veram seu specialem fidem, cum audit Messias, iam venit, & ego, qui tecum loquor, sum ille.

Muliercula vero hanc assertionem non statim stulta credulitate sine inquisitione fundamentorum & certitudinis amplectitur: sed relicta hydria, cupiens plures, sicut est veræ fidei natura, ad Christum adducere, quæstionem illam cum argumentis defert ad conciues suos, non volens sibi priuatim iudicium de re tanta sumere, sed *Venite*, inquit, *videte, numnumquid hic sit Messias*? Non quod ipsa dubitet, sed ex indicatione occultorum infert ipsa hunc esse Messiam. Proponit autem totum illud omnium iudicio in re præsenti examinandum & expendendum. Samaritani vero moti illo argumento, quod omnia occulta, quæ muliercula illa fecerat, dixisset ei, (hoc enim recte inter miracula numerari, Iohann. 1. de Nathanaele & Simeone ostendimus) exierunt ad fontem vbi Christus sedebat. Et quia ex Baptista, qui in Ænon, prope Salem & Sichem, paulo ante docuerat, intellexerant Messiam adesse: *rogarunt* itaque ipsum, vt plenioris institutionis gratia *maneret apud ipsos, & mansit ibi per biduum*. Quia enim plenum tempus vocationis gentium nondum venerat, ideo tantum micas quasdam suæ gratiæ Samaritanis communicat, idque per biduum saltem, ne Iudæi criminarentur, ipsum Samaritanum esse, quod tamen fecerunt, Iohan 8. v. 48. Obseruandum autem est, quod Euangelista dicit, Samaritanos primum credidisse propter sermonem mulieris, testantis, Iesum dixisse sibi omnia occultissima, quæ fecerat: postea vero dicuntur credidisse non propter mulieris orationem, sed propter verbum, quod ex Christo audierant. Miracula enim, vt testes, debent nos ad CHRISTVM deducere, vt ipsum tanquam Messiam audiamus. Ita Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ autoritas me commoueret, non vt in miraculis & testibus inhæreamus, sed vt Christi verbum apprehendamus. Fides enim, sicut ex verbis Christi concipitur, ita solius Christi verbis inniti & inhærere debet, sicut hoc loco Samaritani dicunt, *Non iam propter mulieris orationem, sed propter Iesu Christi verbum, quod audiuimus, credimus*.

Summam vero doctrinæ, qua per biduum illud Iesus Samaritanos de fide instituit, Iohannes complexus est breui hac sententia: *Audiuimus, credimus & scimus, quod hic vere sit Saluator mundi, Christus ille*. Et quæ ad veram fidem pertinent, omnia in dicto illo, licet breuiter, comprehenduntur, scilicet agnitio personæ & officij Messiæ. *Hic est Christus, est Saluator mundi*. Quomodo vero acquisiturus sit salutem mundi, hoc insinuatur appellatione Christi, quod scilicet vnctus sit, vt sit Pontifex, victima corporis sui placaturus iram patris. Non autem plene illa explicata fuerunt tunc, sed quia sciebant, Messiam annunciaturum omnia, cuius voci credendum & obediendum esset, hæc initia fidei ad secuturam pleniorem explicationem retulerunt. Quomodo ergo applicatio fieri debeat, ostendunt hæc verba: *Crediderunt in ipsum*. Item: *Credimus & scimus*. Fides autem in Christo quærat & apprehendat salutem quod scilicet Christus sit seruator mundi. Ex auditu

auditu autem verbi Christi concipitur fides illa: dicunt enim, propter sermonem eius, quia ipsi audiuimus, credimus. Nec est vaga aut incerta opinio, fides: sed scimus, inquiunt, hoc est, certo persuasi, nihil amplius dubitantes statuimus, & scimus, quod hic vere sit Messias. Et aduerbium ἀληθῶς opponitur vel Pseudochristis, qualis Theudas fuit: vel opponitur Saluatoribus typicis mundanis, sicut in historia Iudicum aliquoties dicitur, *Misit eis Saluatorem*: Sed hic Iesus vere est Messias, Saluator mundi. Hæc vero salus non Iudæorum tantum est, sed totius mundi: quia Christus est *Saluator mundi*. Quia enim Pharisæi salutem, per Messiam promissam, solis Iudæis arrogabant: ideo Samaritani, vt se quoque includere possent, vocant Messiam non regem Iudæorum, sed Saluatorem mundi, ex Isai. 49. v. 6. *vt sis salus mea vsque ad extremum mundi*. Et hæc auiditas in discendo, & in credendo facilitas in Samaritanis, Iudæorum malitiam condemnat, qui Iesum, doctrina & miraculis diu apud se commorantem, contempserunt, repulerunt, & ei non crediderunt: Samaritani vero ex verbo Christi certi, non expectant iudicia Pontificum, sed statim, & quidem contra Pontificum decreta, Christum recipiunt. Singula hæc capita in verbis textus manifestè obseruari possunt, quæ ideò tantum annotaui, vt ostenderem, qualis fuerit fides illorum, qui primi à Christo tempore ministerij ipsius ex alienis ad regnum Dei vocati sunt, scilicet *audiuimus, credimus & scimus, quòd Iesus sit Christus, Saluator mundi*. Et vtilis est obseruatio illa, quam monstraui, quomodo & per quos gradus Christus mulierculam illam & reliquos Samaritanos ad veram agnitionem & fidem perduxerit. Secundum igitur caput huius colloquij est, de fide apprehendente donum Dei in Christo, ad salutem æternam.

Tertium caput huius concionis est, de veris cultibus Dei: *Veri adoratores adorabunt Patrem, &c.* Quæ verba etiam ad articulum iustificationis accommodari possunt, de fide per inuocationem petente & accipiente à Deo gratiam, remissionem peccatorum & salutem, sicut fit à quibusdam interpretibus. Sed illam distributionem, quam docendi gratia institui, iudico minus esse intricatam, vt adoratio hoc loco, sicut & aliàs in Scriptura vsitatum est, pro toto cultu accipiatur. Omnes igitur non prorsus ἄθεοι volunt Deo cultum exhibere, quisque suo quodam modo, quem propter intentionem non malam existimant Deo placere. Sed Christus simpliciter omnes cultores reiicit, qui adorant, quod nesciunt, hoc est, quorum cultus sine certo verbo Dei institutus est. Regula igitur hinc colligitur: illos solos cultus Deo placere, qui ex præscripto verbi ipsius instituuntur & suscipiuntur. Nũ igitur omnibus ascendendum est Hierosolymas, vt in solo illo templo Deus colatur, quia cultus templi habet verbum Dei? Adhuc respondet Christus magna cum asseueratione: *Crede mihi mulier*, hoc est, quod dico, certum est, & omni acceptione dignum, sicut Paulus loquitur: vel idem est quod alibi per particulam *Amen* insinuatur: *Venit hora, & iam est, quòd nec in* monte Samariæ, nec Hierosolymis in templo adorabitis Patrem. Ostendit ergo futuram abrogationem ceremoniarum Mosaicarum & totius cultus Leuitici, & quidem se iam aduentu suo & incoatione sui ministerij finem attulisse, vt cultus Dei iam nôn amplius ad certam gentem, ad certum locum, ad certas ceremonias alligatus sit: ideo inquit, *Venit hora, & iam est*. Sed si Deus iuxta verbum suum vult coli, Leuiticus certe cultus habet verbum Dei. De reiectione igitur Samaritici cultus manifesta est ratio, quia destituitur verbo Dei. Sed quomodo Leuiticus cultus abrogabitur, cum habeat verbum Dei? Respondeo: Verbum Dei illam ratione cultus diuini in Mose præscripsit, non vt esset perpetua, sed ad tempus correctionis vsque fuit imposita, donec veniret semen, siue Messias, Heb. 8. v. 8. & 9. v. 10. Gal. 4. v. 1. Ierem. 31. v. 31. Iam ergo cum Messias venit, finem habet totum sacerdotium Leuiticum. Appellatione enim loci Hierosolymorũ totum cultum complectitur, qui ita institutus erat, vt plerasque ceremonias extra Hierosolymas exercere non liceret. Abrogatio igitur loci totius legalis cultus abrogationem cõplectitur, sed colligamus ea, quæ in hoc colloquio ad verum cultum pertinet. 1. Non sine graui consilio factum est, quod loquens de cultu non simpliciter Deum nominat: sed inquit, *Veri adoratores adorabunt Patrem*. Tunc autem sumus filij Dei, & clamamus, Abba, Pater, Rom. 8. v. 14. quando per fidem cum Deo in filio ipsius per ministerium Spiritus reconciliati sumus. Ante omnia igitur in omni vero cultu Dei fidem iustificantem oportet prælucere, vt persona prius fide, propter Mediatorem, Deo reconciliata sit, hoc est, sicut Christus hoc loco inquit, vt Deum tanquam Patrem adorare possit. 2. Non electitiis cultibus & operibus: sed iis, quæ in verbo Dei præscripta & mandata sunt, Deus vult coli. 3. Duplex autem est verbum. Alterum per Mosen de Leuitico cultu traditum, quod temporale est tantum vsque ad aduentum Messiæ: illud verbum ad cultores Noui Testamenti non pertinet. Alterum vero verbum de spirituali cultu Dei perpetuum est, quod etiam Patriarchæ ante legem, & sancti sub lege seruarunt: illud verbum inuolutum & quasi vestitum fuit certis ritibus diuinitus mandantis, & ante legem, & sub lege, sed in cultu Noui Testamenti ita sonat: *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*. Adeo vero nobis, qui carnales sumus, Rom. 7. v. 14. vera ratio spiritualis cultus ignota est, vt ipsa verba, quibus proponitur & describitur, videantur peregrina & obscura, quid scilicet sit in Spiritu & veritate adorare. Non possunt autem verba hæc simplicius & rectius declarari, quam adhibita antithesi. Dixerat enim de cultu Iudæorum Leuitico & de cultu Samaritanorum, quorum hic erat hypocriticus & supposititius; illum Epistola ad Hebræos vocat mundanum, terrenum & carnalem. Christus vero opponit Spiritum & veritatem, vt *Spiritus* opponatur carni, seu externis certis ritibus: *Veritas* opponatur vmbris, figuris & hypocrisi externarum actionum, siue opinioni operis operati. Hęc antithesis monstrabit veram sententiam. Sub Veteri Testamento pij absque dubio Deum spiritualiter coluerunt. Prophetæ enim illos obiurgant, qui in externis ritibus, siue interioribus motibus Spiritus, cultum Dei situm putabant, Psalm. 50. v. 14. Isa. 58. v. 7. Mich. 6. v. 8. sed cultus ille, cum multis Leuiticis ceremoniis, externis ritibus & corporalib. gestibus, erat quasi vestitus. In Nouo verò Testamento Christus affirmat, externas figuras & vmbras abrogatas esse, & cultum Dei consistere non in externis ritibus, gestibus aut ceremoniis, sed *in Spiritu & veritate*: hoc est, in veris seu nouis interioribus virtutibus cordis, excitatis per Spiritum sanctum, & in operibus à Deo mandatis, quæ ex interioribus illis motibus proficiscuntur, vt est fides, inuocatio, timor Dei, dilectio Dei & proximi, &c. Eodem modo consideretur & altera antithesis, Samaritanorum & omnium Ethnicorum cultus erat electitius, consistens in externa quadam religionis specie, seu potius simulatione, sine veris motibus cordis: aut si qui interiores motus aderant, erant ex libero rationis arbitrio eliciti. Christus vero huic Ethnicę cultui opponit Spiritum & veritatem, vt scilicet 1. Sint motus & opera à Deo mandata, & in verbo expressa. 2. Cultus Noui Testamenti consistat non in externa specie aut simulatione exteriori, sed in veris motibus nostris. 3. Illos autem veros motus caro aut ratio non potest excitare, aut elicere & efficere: sed oportet esse fructus Spiritus, qui mentem renouat, cor mundum creat, vt ex hac noua radice noui illi fructus prodeant: Deinde, vt cum his interioribus motibus consentiant etiam exteriores actiones. 4. Huc pertinet etiam, quod antea dictum est, vt persona antea sit reconciliata, & fides præluceat. Addit autem Christus rationem; quia *Deus est Spiritus*: Ergo quærit tales adoratores. Referatur autem hæc ratio ad præcedentem antithesin, & res manifesta erit. *Deus est Spiritus*, hoc est, non est caro, substantia visibilis, effigies corporalis externa. Ergo non acceptat pro vero cultu corporales ceremonias, externos ritus seu gestus, nec colitur externa hypocrisi, sed Spiritus mentis vult coli, quia ipse Spiritus est. Item: *Deus est Spiritus*: ergo non vult coli illis, quæ caro, id est, homo non renatus elicit, aut producit, sed cultum spiritualem requirit, quem Spiritus sanctus in corde renouato efficit.

Hæc est simplicissima sententia ex rebus ipsis petita, & congruit cum phrasi Scripturæ Vocabulum enim *Spiritus* sæpe vsurpatur pro nouis motibus à Spiritu sancto accensis, vt Ioh. 3. v. 6. *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*. Matt. 22. v. 43. Dauid in Spiritu vocat Messiam Dominum, Rom. 7. v. 6. Seruire in nouitate Spiritus, Rom. 8. v. 14. *Qui Spiritu ducuntur*: & v. 9. *non estis in carne, sed in Spiritu* Rom. 1. v. 9. *Deus, cui seruio in Spiritu*, Gal. 4. v. 29. *Secundum Spiritum generatus*. Gal. 5. v. 16. *Spiritu ambulate, &c.* Et vocabulum *Veritatis* in hac, sicut exposuimus, significatione, in Scriptura sæpe vsurpatur, vt Ioh. 1. v. 17. *Gratia & veritas*. Iohan. 3. v. 21. *Qui facit veritatem*. 1. Cor. 5. v. 8. *In azymis sinceritatis & veritatis*. Ephes. 4. v. 21. *Est veritas in Christo Iesu*. Item v. 24. *In iustitia & sanctitate veritatis, &c.* Hæ vocabulorum explicationes, si cum antithesi illa, de qua diximus, iungantur, plana & perspicua erit sententia. Multa autem ex hoc dicto Christi extruuntur, contra prophanos cultus Ecclesiæ pontificiæ, & contra hypocrisin familiarem omnibus hominibus, quando Deum volunt colere. Christus enim, cum inquit, *Veri adoratores adorabunt in Spiritu & veritate*: ostendit, etiam in Nouo Testamento non omnes fore veros adoratores, sed multos in cultibus similes futuros, sed Iudæis, vel Samaritanis. Illis omnibus opponenda est doctrina de vera ratione cultus diuini. Sed non scribimus locos communes. Satis igitur est fontes doctrinæ notasse. Et hæc est præcipua pars historiæ de profectione Christi ex Iudæa per Samariam; cuius circumstantias ideo plenius aliquanto explicare volui, quia prima concio est, quam Chri-

ftus legitur habuiffe ad alienigenas, & quia in ea defcribitur forma inftitutionis,conuerfionis & fidei eorum, qui alieni à politia Ifrael,ficut nos ex gentibus omnes fumus, vocantur ad communionem Chrifti & regni ipfius.Ideò nos præcipue decet diligenter hæc confiderare.

Redeuntes vero interea ex ciuitate cum cibis difcipuli, deprehendunt Chriftum cum muliercula colloquentem, quæ relicta hydria mox abit in ciuitatem. *Mirantur* autem,inquit Euangelifta, hoc eft,cogitant, non decere grauitatem tanti Doctoris,vt cum vili muliercula,& quidem Samaritana,cum quidem fola fit,de rebus fidei colloquatur. Hactenus enim non mulieres,fed viros viderant ab ipfo, & à Baptifta etiam, inftitutos. Et tamen tantum tribuunt Chrifto, vt non aufint reprehendere factum, cuius rationem non fatis intelligunt. *Nemo tamen dixit*,inquit Iohannes, *quid interrogas* mulierem, *aut cur loqueris cum ea*? tanta erat difcipulorum reuerentia erga Chriftum. Quæ doctrina bene notanda eft,ne in operibus Dei illa,quæ rationi noftræ non probantur, cum caufas non intelligimus,ftatim damnemus. Chriftus verò voluit oftendere,fe nullum fexum à doctrina regni fui reiicere, ficut in poftremo anno oftendit, nullam ætatem prohibendam effe à regno fuo, cum etiam paruulos, contra Apoftolorum iudicium,iubet fibi adduci. Gerfon hoc exemplum ita ad doctrinam accommodat: *Non captandam effe in concionando frequentiam aut præftantiam auditorum,quafi aliàs fructus cariturа fit doctrina,cum Chriftus vni & quidem fatis vili mulierculæ tam prolixè concionetur,mirantibus etiam Apoftolis:fructus enim amplifsimus inde rediјt ad totam ciuitatem.* Admonitus vero Iefus à difcipulis ad capiendum cibum,incipit per ἀλληγορίαν concionari de alio cibo. Vfitatum autem in Scriptura eft,metaphora famis,fitis,cibi,& potus defcribere ardens defiderium cuiufque rei,in quam intenti fumus,qua delectamur,quam affequi aut perficere expetimus. Cum igitur videret, mulierculam,accenfam defiderio regni cœlorum, relicta hydria properare in ciuitatem,& præuideret futurum ardorem ciuium, ipfe multo maiori defiderio ardet & in hoc intentus eft, vt inchoatum opus regni cœlorum in Samaria perficiatur, & huic labori,vbi data eft occafio,ita deditus & intentus eft, vt cum antea defatigatus refocillationis gratia confediffet, iam nec cibum nec potum curet. Et hoc vult illa allegoria, *Meus cibus eft*,hoc eft, Nullæ epulæ,nullæ delitiæ tam fuaues mihi funt,quam *vt faciam voluntatem eius, qui mifit me, vtque perficiam opus eius*: fcilicet ex voluntate ipfius mihi iniunctum. Fruftra enim hoc loco Origenes philofophatur, Hominem, qui eft opus Dei,& per lapfum defecerat à Chrifto, perficiendum. Quæ fententia non eft mala,fed non eft huius loci.

Eundem vero ardorem feu Zelum etiam à difcipulis in minifterio requirit. Facit autem illud fub metaphora meffis, qua poftea etiam Matth.9 v.37. vtitur, *Meffis copiofa eft*. ex Efa. 9.v.3. Confiderandum autem eft,quare non fimplici oratione vtatur,in proponendis his rebus, fed fimilitudine cibi & meffis. Facit enim illud,non vt res, quas intelligi volebat occultet,fed quia maiori diligentia & ardore in occafiones rerum corporalium,vt capiendi cibi & faciendæ meffis,intenti fumus, vt hac commonefactione ad curam fpiritualium animos difcipulorum excitet. Inftante enim tempore meffis, quid fingulis menfibus agendum fit follicitè curamus. In ipfa verò meffe omnia poftponimus, in præfentem occafionem intenti,ne matura grana excidant,& fructus pereat. Quanto maior alacritas in fpirituali meffe effe debebat, ne quid ceffatione negligeretur? Sumpta autem à circumftantia temporis occafione,meminit quatuor menfium ante Meffem. Et quomodo fupputatio annorum & diftributio hiftoriarum inde fumatur,aliquoties iam oftendimus. Chriftus vero mentionem quatuor illorum menfium ideo facere videtur: Quarto enim menfe ante meffem feges altius iam exurgit in herbam. Ideo Cyrillus dicit habitam hanc concionem pubefcentibus iam fatis; tertio menfe colligit fpicas; fecundo menfe incipit florere; & quarto menfe ad maturitatem tendens, incipit quafi canefcere. Hæc momenta temporum in fegetibus vulgò diligenter obferuantur, & peculiaris quæ in vnoquoque momento temporis cura requiritur ab agricolis non folet negligi. Ideo dicit, *Nonne vos* foletis ita loqui? Illam fimilitudinem ad fpiritualem Euangelij fementem Chriftus accommodat,vt in fingulis incrementi eius gradibus Miniftri verbi eam, quæ requiritur, curam fumma diligentia adhibeant. Quomodo vero ceffationem & negligentiam in minifterio commonefactione illius fimilitudinis notet & corrigat, manifeftum eft. *Vos*, inquit,*dicitis*,iam *quatuor menfes adhuc* reftare *ad meffem*: Ego autem dico vobis, fpiritualem Euangelij meffem iam inftare. Sicut enim quando videtis fegetes flauefcere,intelligitis eas maturas effe ad meffem; ita fi fuftuleritis oculos corporis & mentis, videtis regiones vbique ad meffem Euangelicam flauefcere: hoc eft,ficut in Iudæa vidiftis, ita nunc ex concurfu Samaritanorum videtis, quos turmatim ciuitate egredi cernitis, & mox videbitis in Galilæa mentes hominum auidas,promptas & paratas effe ad recipiendum Euangelium,per quod colligantur in horreum feu Ecclefiam Domini: vos videritis,ne officio veftro defitis, & labori parcatis. Quia vero meminit fpiritualis meffis & fationis,& hanc tribuit Prophetis, illam vero Apoftolis: totus igitur curfus minifterij verbi, ab initio mundi vfque ad Apoftolorum tempora, poteft non incommode iuxta momenta quatuor illorum menfium diftribui,vt tempus fementis fit ab Adamo vfque ad Abrahamum, fub quo inchoetur πρόδρομον illud, quo feges in herbam exurgat: fub Mofe formentur fpicæ, quæ tempore Prophetarum protrudant flores: Baptifta vero parando viam, & Chriftus præfentiam fuam miraculis demonftrans,fegetem producunt ad maturitatem, ita vt Apoftolis iam reftet collectio frugum in vitam æternam. Ecclefia enim fub Lege fuit,vt puer fub pædagogo, Galat.4.ver.2. Et quia Lex nihil ad perfectionem adduxit,Heb.7.v.19. fed fub Euangelio crefcit Ecclefia in virum maturum. Ephef.4.v.13. ideo maturæ fegeti eam comparat. Et oftendit Chriftus faciliorem iam fore rationem in minifterio Apoftolorum. Animi enim hominum doctrina Mofis, Prophetarum, Baptiftæ & Chrifti ad excipiendum Meffiam excitati & præparati, quafi albefcunt iam,inquit,ad meffem fpiritualem. Et hoc eft, quod inquit: *In illorum laborem ingredimini*. Et: *Mifsi vos ad metendum,quod non laboraftis*: hoc eft,in qua fegete non fubiiftis laborem fationis. Illi grauiores fuftinuerunt labores in minifterio,quales funt ftercorandi,arandi,occandi, ferendi, zizania euellendi: vos in labores ipforum fucceditis, vt,quæ ab ipfis laborata funt,abfoluatis, & colligatis, ipforum teftimoniis confirmabitis doctrinam veftram, latius propagabitis religionem,plures conuerteris. Et ne Apoftoli laboribus & perfecutionibus fecuturis fracti defperent de fuo minifterio, multo copiofiorem fructum minifterio ipforum promittit, quàm vel in Patriarcharum vel Prophetarum minifterio fuerit. Qui enim fementem facit,fæpe vel interea moritur,vt alius ferat, alius metat: vel fundi calamitas fuperuenit, & tantum vel herbam,vel fpicas,vel flores videt: qui vero metit, laboris fui præfens operæ pretium facit, *colligit* enim *fructum ad vitam æternam*. Et illum fucceffum minifterij, feu fructum operis, Chriftus vocat *mercedem*, non quod vita æterna fructus fit colligentis, fed quod minifterium Euangelij fegetes feu fructus,quos colligit,non in terrenum horreum,vbi aliquando confumantur,colligat,fed in horreum regni cœlorum,vbi collecti fructus vitam æternam confequantur. Hanc fententiam Petrus pulchre expreffit,1.Pet.1.ver.12. *Non fibi,fed nobis miniftrarunt Prophetæ*. Addit autem Chriftus, licet hanc differentiam Deus voluerit in minifterio effe: fimul tamen fuo loco & ordine,in minifterio, de fuis donis, & de illo,quod Deus largitur, incremento gaudet & gaudere debet,tam qui feminat,quàm qui metit. Nam omnes qui feminarunt, hoc eft,qui minifterio verbi in Ecclefia laborarunt, licet fructus non femper ftatim aut confpicue fequantur,fciant tamen,laborem fuum non inanem effe in Domino: fed de labore fuo, quem iam irritum fæpe putant, aliquando gaudebunt non minus, quàm qui metiendo ftatim fructum colligit. Hæc eft generalis accommodatio huius fiue parabolæ fiue allegoriæ, ad diuerfa tempora minifterij, ficut hoc loco Chriftus ea vfus eft. Poteft autem hæc fimilitudo etiam accommodari fiue ad diuerfa dona miniftrorum, ficut 1. Cor.3.ver.6. Paulus ea vtitur; *Paulus plantat, Apollo rigat*: fiue ad cuiufque minifterium,pro ratione incrementi auditorum,quę accommodatio ex 4.verf.8.capitis Marci fumi poteft: vel poteft etiam ad Pfalm.126.verf.5.accommodari. Sed nolo iam prolixior effe.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVMTERTIVM, CONTINENS HISTORIAM REDITVS CHRISTI IN GALILAEAM, ET SECVNDVM signum in Galilæa, in sanatione filij Reguli editum, Iohan. 4.

RATIO ORDINIS.

HOc loco disputatur de vera ratione & harmonia historiarum. Matthæus enim cap. 4. v. 12. videtur significare, Christum, cùm rediisset in Galilæam, venisse Nazareth; Iohannes vero dicit, ipsum venisse in Canam Galileæ. Quidam igitur sentiunt, ea, quæ Luc. 4. v. 16. de Nazarethanis describuntur, prius facta fuisse, & Iesum postea ex Nazareth profectum esse in Canam, sicut Iohannes scribit. Et mouentur illi duabus rationibus. 1. Quod ex Iudæa per Samariam redeuntibus in Galilæam Nazareth prior occurrit quàm Cana. 2. Quia Iohannes testatur, Christum prouerbium illud de Propheta contempto in patria dixisse, priusquam veniret in Canam. Lucas verò c. 4. scribit, v. 23. Christum in historia, quæ apud Nazaræos accidit, hoc dixisse. Et hunc ordinem Osiander sequitur, vt Iohannes recitatione illius prouerbij ad historiam, apud Nazaræos prius factam, breuiter tantum alludat, quia illam à Luca copiosè descriptam præterire constituerat. Alij ordinem Iohannis retinent, & sequuntur, ita vt historia reguli in Cana prius acciderit, & Iesus ex Cana postea venerit Nazareth, Luc. 4. v. 16. Et hanc rationem ordinis iudico veriorem, & Euangelistarum narrationibus magis consentaneam esse. Iohannes enim inquit, signum illud, quod Iesus in Canam reuersus in absente reguli filio edidit, eorum quæ in Galilæa à Christo facta sunt, secundum esse, & tunc, cum ex Iudæa in Galilæam rediisset, factum esse. Lucas vero cap. 4. ver. 23. in historia Nazareth narrat, Nazaræos dixisse: *Quæcunque audiuimus, facta à te esse in Capernaum, ea fac & hic in patria tua.* Si itaque ponatur, Christum prius venisse in Nazareth, Luc. 4. v. 16. quam in Canam. Ioh. 4. v. 46. miraculum de filio reguli non potest, sicut Iohannes affirmat, dici secundum esse. Nazaræi enim prius Capernaiticorum miraculorum meminerunt, nisi quis cum Origene verba Iohannis ita interpretari velit, signum in sanatione filij reguli editum, secundum esse ex illis, quæ Iesus post suum ex Iudæa reditum in Galilæam fecerit. Sed hanc explicationem verba Iohannis non facile admittunt. Ideo etiam Origenes alteram interpretationem, quæ communis est, veriorem esse censet. Aliàs enim dicendum esset, Iesum in hoc suo reditu prius venisse Capernaum, & signum ibi edidisse, antequam vel in Nazareth, vel in Canam venisset: quod tamen nullus Euangelistarum describit. Ordo igitur historiarum optime fluit, si sequamur hanc rationem, vt in hoc reditu in Galilæam prius facta ponantur ea, quæ Iohannes de filio reguli scribit: Postea ex Cana Christus, iuxta Lucæ descriptionem, venerit in reliquam Galilæam, & in patriam Nazareth, & ita sequetur id, quod Matthæus inquit; *Relicta Nazareth venit Capernaum.* Nec duæ illæ rationes suprà recitatæ cum hac sententia pugnant. Iesus enim post biduum excedens Samaria, cum esset in itinere ingressurus Galilæam, cœpit discipulis vaticinari, idem sibi in Galilæa euenturum, quod commune habet prouerbium: *Prophetam scilicet in patria sua non habere honorem.* Hac enim commonefactione discipulos suos, priusquam venirent in Galilæam, voluit præmunire, ne offenderentur, si viderent, post læta & honorifica principia Acta secundi anni ministerij sui, in progressu, externa specie non tam placitum & honorificum cursum habere, & quidem in Galilæa, quæ propter educationem patria Christi vocabatur, sicut primus annus in Iudæa & Samaria habuerat. Hæc sententia non est absurda. Aliquoties enim Christus & expressè hoc prouerbium diuersis temporibus citasse legitur, Iohan. 4. v. 44. Luc. 4. v. 23. Matth. 13. v. 57. & tota Galilæa patria eius dicitur, Ioh. 7. vers. 52. Luc. 23. v. 6. vt non necessario consequatur, illud, quod Iohannes recitat de contemptu Prophetarum in patria, dictum esse in ipsa ciuitate Nazareth. Cyrillus vero videtur simplicius prouerbium illud apud Iohannem ita interpretari, quod sit causæ redditio, cur in itinere illo, patriam Nazareth, quæ propior quàm Cana erat, & prior occurrebat, declinans, Canam petierit, quia scilicet iam tùm illud præuiderit & prædixerit, quod postea Luc. 4. v. 20. factum est, quod Propheta in patria non sit in honore. Atque ita Iesus, cum ex Samaria Galilæam ingressus esset, non ad mare Genezareth, sed occasum versus ad Thabor & Carmelum montes deflexit. Ita enim, præteritis Capernaum & Nazareth, recta venit Canam, sicut Tabulæ ostendunt. Et ex hac explicatione soluuntur duæ illæ rationes, quæ supra commemoratæ sunt.

Omninò autem id, quod Iohannes hoc loco dicit, Galilæos excepisse Iesum, idem videtur esse cùm eo, quod Lucæ 4. v. 15. scriptum est; *Et glorificabatur ab omnibus.* Vnde verba illa Lucæ cum hac descriptione Iohannis à plerisque in Harmonia coniunguntur. Sed diuersa hæc esse inde constat. Exceptio enim Ioh. 4. v. 45. facta est in ingressu Galilææ: Glorificatio vero Lucæ 4. v. 15. facta est, cum in Synagogis Galilææ Iesus publicè iam doceret. Sed quia mox postea in ciuitate Nazareth ipse Christus dicit, se antea in Capernaum non vnum illud tantum miraculum in absente reguli filio editum fecisse: inquit enim, *quæ* audiuimus in Capernaum facta, & illud reguli secundum est in Galilæa editum. Vt igitur ordo Lucæ seruari, & illud *quæ* saluari (vt vulgus loquitur) possit: ideo post sanatum reguli filium verba illa Lucæ, *Docebat in Synagogis, & glorificabatur ab omnibus,* collocabo, sicut in cap. Harmoniæ 34. ostendam. Nam & illa verba Iohannis, de Galilæis excipientibus Christum, non restringenda sunt ad illud tantum tempus, priusquam Iesus sanaret reguli filium, sed complecti voluit in genere, quomodo initia publici ministerij Christi in Galilæa post reditum ex Iudæa se habuerint, etiam post sanatum reguli filium.

Historia de secundo reditu Christi ex Iudæa in Galilæam: & de sanatione filij reguli, Iohan. 4.

43. Μετὰ δὲ τὰς δύο ἡμέρας ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν, καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν.

44. Αὐτὸς γὰρ ὁ Ἰησοῦς ἐμαρτύρησεν, ὅτι προφήτης ἐν τῇ ἰδίᾳ πατρίδι τιμὴν οὐκ ἔχει.

45. Ὅτε οὖν ἦλθεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ἐδέξαντο αὐτὸν οἱ Γαλιλαῖοι, πάντα ἑωρακότες ἃ ἐποίησεν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῇ ἑορτῇ· καὶ αὐτοὶ γὰρ ἦλθον εἰς τὴν ἑορτήν.

46. Ἦλθεν οὖν ὁ Ἰησοῦς πάλιν εἰς τὴν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, ὅπου ἐποίησε τὸ ὕδωρ οἶνον. Καὶ ἦν τὶς βασιλικὸς, οὗ ὁ υἱὸς ἠσθένει ἐν Καπερναούμ.

47. Οὗτος ἀκούσας ὅτι Ἰησοῦς ἥκει ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν

43. *Post duos autem dies exiit inde, & abijt in Galilæam.*

44. *Ipse enim Iesus testatus est, quod Propheta in sua patria honorem non haberet.*

45. *Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent, quæ fecerat Hierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum.*

46. *Venit ergo Iesus iterum in Cana Galilææ, vbi fecerat ex aqua vinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur in Capernaum.*

47. *Hic cum audisset, quòd Iesus aduenisset è Iudæa*

Γαλιλαίαν, ἀπῆλθε πρὸς αὐτὸν, καὶ ἠρώτα αὐτὸν, ἵνα καταβῇ, καὶ ἰάσηται αὐτοῦ τὸν υἱόν· ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν.

48. Εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς πρὸς αὐτόν· Ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε.

49. Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ βασιλικὸς, Κύριε κατάβηθι, πρὶν ἀποθανεῖν τὸ παιδίον μου.

50. Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Πορεύου· ὁ υἱός σου ζῇ. Καὶ ἐπίστευσεν ὁ ἄνθρωπος τῷ λόγῳ, ᾧ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐπορεύετο.

51. Ἤδη δὲ αὐτοῦ καταβαίνοντος, οἱ δοῦλοι αὐτοῦ ἀπήντησαν αὐτῷ, καὶ ἀπήγγειλαν, λέγοντες, Ὅτι ὁ παῖς σου ζῇ.

52. Ἐπύθετο οὖν παρ' αὐτῶν τὴν ὥραν ἐν ᾗ κομψότερον ἔσχε, καὶ εἶπον αὐτῷ, Ὅτι χθὲς ὥραν ἑβδόμην ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετός.

53. Ἔγνω οὖν ὁ πατὴρ, ὅτι ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, ἐν ᾗ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Ὅτι ὁ υἱός σου ζῇ, καὶ ἐπίστευσεν αὐτὸς, καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη.

54. Τοῦτο πάλιν δεύτερον σημεῖον ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἐλθὼν ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν.

in Galilaeam, abiit ad eum, & rogabat eum, vt descenderet, ac sanaret ipsius filium, siquidem is agebat animam.

48. *Dixit ergo Iesus ad eum, Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*

49. *Dicit ad eum regulus, Domine descende, priusquam moriatur filius meus.*

50. *Dicit ei Iesus, Vade: filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixerat ei Iesus, & ibat.*

51. *Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt, dicentes, Filius tuus viuit.*

52. *Sciscitatus est ergo horam ab eis, in qua melius habuisset: & dixerunt ei, Heri hora septima reliquit eum febris.*

53. *Cognouit ergo pater, quod illa hora erat, in qua dixisset sibi Iesus, filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota.*

54. *Hoc iterum secundum signum edidit Iesus, cùm venisset à Iudaea in Galilaeam.*

Periocha huius Historiæ

POst *duos dies* dicit Iohannes, Iesum exiisse Samaria, & *abiisse in Galilaeam*, & in itinere *testatum esse*, hoc est, serio & pro certo confirmasse, (hoc enim significat μαρτυρεῖν) quod *Propheta in propria patria honorem non haberet.* Quod si de tota Galilaea (vt antea ostendimus) illud accipiatur, quia mox sequitur, *Galilaeos honorificè ipsum excepisse*: voluit Christus ista praedictione ostendere, honorem, quem vulgus ministerio verbi ad primum, vt ita dicam, introitum ex curiositate nouitatis exhibere solet, non esse stabilem aut diuturnum. Et Christum inconstantiam illam & mutabilitatem vulgi prospicientem dixisse, quod tandem Propheta in patria honorem non habeat: licet non ignoraret, fore, vt in primo aditu honorifice exciperetur; ne discipuli isti fauori confiderent, aut turbarentur, si postea illum mutari viderent. Si vero patria Christi intelligatur Nazareth, in qua educatus fuit, sensus erit, quod praeteriens patriam illam suam, & pergens Canam versus, rationem praeteritionis hanc discipulis suis exposuerit, quod scilicet ideo illam nunc nolit ingredi, quia Prophetae in patria non soleant honorem habere. Erit igitur in textu talis antithesis. Cùm à reliquis Galilaeis Iesus honorificè exciperetur, solam patriam Nazareth inuidam & ingratam ipsi honorem non habituram. Intelliguntur autem prouerbia de iis, quae vt plurimum fiunt. Ita hoc etiam de Prophetis in patria inhonoratis intelligendum est. Causae autem contemptus hae sunt. 1. Ingenita quasi inuidia inter conciues, qua aequalis aequalem aegrè fert prae se honorari: & inter notos maior est aemulatio, quàm inter alios. 2. Familiaritas parit contemptum, maxime quando agitantur studia iuuenilia, & familiares conuersationes ante susceptum officium. 3. Tale est humanum ingenium, quod extranea, & quae è longinquo veniunt, magis admiremur, quam domestica. 4. Videtur & inde hoc sumptum, quod Veteris Testamenti Prophetae nullibi in minori precio fuerint, quàm in Iudaea, & apud Iudaeos, cum reliquae gentes omnes suos quos putabāt Prophetas in summo semper habuerint honore. Iohannes igitur haec duo inter se opponit: cum prius Ioh. 1. v. 1. à Iordane reuerteretur in Galilaeam, fuit plerisque in Galilęa ignotus, priusquam primum signum ederet. Iam vero cum sub finem primi anni ministerij sui rediret in Galilaeam, publico honore & reuerentia à Galilaeis fuit exceptus, (Syrus habet קבל, cui δέχεσθαι respondet, & significat reuerenter & obedienter aliquid suscipere) quia non ex publico tantum rumore audierant, sed ipsi coram viderant omnia, quae Iesus in Festo Hierosolymis, expellendo è templo vendentes, & edendo multa alia diuina signa, fecerat. Nam & ipsi Hierosolymis in Festo illo adfuerant. Sensus ergo est, quod in illo ingressu in Galilaeam Iesus, in omnibus locis, per quae versus Canam pergens transiit, honorificè & cum reuerentia à Galilaeis exceptus fuerit. Ex signis enim, quae viderant ipsum Hierosolymis in Festo edentem, conceperant de ipso generalem hanc existimationem, quod magnus Propheta vel Messias ipse esset.

Atque inde regulus ille Capernaiticus audiuit, Iesum, virtute miraculorum potentem, ex Iudaea iam rediisse in Galilaeam. Cuius historiae explicatio ideo planior est, quia vsus huius miraculi & in principio descriptionis, & postea in ipsa historia ostenditur, quis scilicet sit verus vsus miraculorū, quae Christus edidit. Ideo enim Iohannes dicit, Christum in reditu suo, praeteritis reliquis ciuitatibus, rectà contendisse in Canā Galilęę, & secundum signum in illo ipso loco edidisse, vbi antea aquam in vinum conuerterat. Et pulchra est obseruatio, quod Christus quasi visitationē instituit, inspecturus, quis fructus aut profectus ex primo & celebri illo miraculo, antea in Cana edito, secutus sit. Et ideo durius aliquanto regulo respondet, quia vidit ipsos non tenere verum miraculorū suorum vsum, qui postea ostenditur, quando regulus cum vniuersa sua domo credit. Rectè enim Augustinus obseruauit, in historia huius miraculi, quia ter repetitur verbum *Credendi*, esse exemplum, quod fides habeat sua valde tenuia initia, quales illa debeat habere progressus, qualia incrementa, & huius causam efficientem esse ipsum Christum, qui ideo reuertitur in Canam, vt initiā fidei, primo miraculo excitata, si quid habeant vel infirmitatis vel vitij, corrigat, prouehat, cōfirmet & augeat, vt prima plantatio per subsequentem rigationem suum habeat incrementum. His obseruationibus praemissis, facilis erit explicatio historiae.

Euangelista igitur βασιλικὸν nominat illum, de quo historiam hanc conscripsit. De significatione verò huius vocabuli disputāt interpretes. Quia enim *reguli* tūc dicebantur, quorū angustiores essēt ditiones & dignitates nō excellētes, quales nūc sunt, duces, comites, barones, &c. vetus interpres reddidit regulū: atq; ideo quidā putāt Gręce legēdū esse, βασιλίσκος. Sed exēplaria cōsentiunt in lectione βασιλικός: quę vox potest etiā significare, qui ex genere regio ortus, priuatus viuit, nec gerit publicos Magistratus, sicut ex posteritate Herodis Magni multi in priuata vita, sine publica gubernatione, cōsenuerunt. An vero hic βασιλικὸς talis fuerit, nō ausim affirmare: licet historia nihil repugnet. Nā & in aula Herodis Magni, nato Christo, quosdā eius familiae in expectationē regis Iudęorum erectos fuisse, supra in historia infanticidij diximus, qui etiā propterea interfecti sunt. Receptior vero sentētia est, dictum esse hunc βασιλικὸν, nō ratione generis seu familię, sed ratione officij, sicut Syrus reddidit, עבדא Minister seu Procurator regis. Origenes cēset, ipsum nomine Cęsaris cū Imperio ciuitati Capernaū praefuisse: sed Romano Imperatori vsitata tunc in Iudaea appellatione nō tribuebatur vocabulū Regis, sed Caesaris; nisi forsan illud quis huc referre velit; *Regē non habemus, nisi Caesarem.* Pleriq; igitur sentiūt, praefectū vel Aulicū fuisse Herodis, qui licet Tetrarcha erat, vulgò tamē Rex appellabatur, Marc. 6. v. 14. Hier. in 65. c. Isaię dicit: *βασιλικὸν nos rectius interpretari posse Palatinū, hoc est, aliquē de Palatio siue ex aula Regis.* Et hāc sententiā ideo libētius amplector: postea enim Luc. 8. v. 3. inter mulierculas, quae Christū secutae de facultatibus suis ipsi ministrabant, nominatur Iohanna vxor Chusae, qui fuit ἐπίτροπος Herodis, hoc est, Praefectus, cui administratio aliqua cōmissa fuerat. Et quia Iohānes dicit, totā domū huius reguli credidisse, existimo ipsius vxorē fuisse, quam Lucas inter sectatrices Christi numerat, & Iohānē ipsā vocat. Hoc si recipitur, interpretatio vocabuli plana erit. Iohānes enim generali appellatione vocat βασιλικόν. Illud postea Lucas clarius explicat, cū dicit fuisse ἐπίτροπον Herodis, cuius etiā nomen, Chusę scilicet, ponit. In metropoli enim Galilaeę Capernaum Cęsar habuit centurionē, & Herodes etiā suum ibi habuit praefectum. Et in aliis etiam Galatiae locis eiusdem officij Praefectos Herodis fuisse, colligitur ex 3. c. v. 6. Marci. Ibi enim Pharisaei consiliū ineunt cum Herodianis contra Christū, & Matt. 22. v. 16. discipuli Pha-

puli Pharisæorum cum Herodianis, qui cum Tetrarcha sua Herode Hierosolymam tunc ad Festum ascenderant, quæstionem de censu Christo proponunt. Ita ergo interpretatio ex locorum collatione colligitur. Iohannes dicit fuisse βασιλικόν, quales Marcus vocat Herodianos, & quia plures fuerunt in diuersis locis, Iohannes dicit hunc fuisse βασιλικόν in Capernaum: Lucas verò genus officij exprimit, & nomen eius ponit cap. 8. ver. 3. Hieron. existimabat ethnicum fuisse: sed quia Christus ipsi respondet, *Nisi signa videritis*, quod Iudæorum proprium est, 1. Cor. 1. ver. 22. rectius igitur est sentire, quod Iudæus fuerit; habuit enim initia fidei de Messia. Huius igitur Palatini seu Regij præfecti filius decumbebat Capernaum, graui & periculoso morbo, ita vt non obscura indicia essent, ipsum de vita periclitari, sicut parentis querela testatur. Genus autem morbi famuli dicunt fuisse πυρετόν quod de accessionibus febrilibus vsurpatur. Et quia in illis locis febres sunt ardentes & periculosæ, dicit Euangelista, filiolum reguli vi illius morbi in extremum discrimen coniectum fuisse. Græci interpretes vocabulum קדח, quod generaliter significat inflammationem corporis, Deut. 8. v. 22. reddiderunt πυρετόν. Leuit. vero 26, v. 16. reddiderunt ἴκτερον. Et sanè Palatinus hic Christum & verbum eius antea non multum curauit, sed iam cruce excitatur iuxta dictum Isa. 26. v. 16. *In angustiis requirunt te*, & 28. v. 19. *Sola vexatio facit intelligere auditum.*

Cum itaque fama de reditu Iesu Galilæam, per totam regionem vt diximus, Galilæis ipsum excipientibus, spargeretur, pater sine dubio anxie expectauit, cum non dubitaret, ipsum ad metropolim, Capernaum, potissimum venturum. Cum vero audiret ipsum occidentem versus deflexisse, & rediisse in Canam, non cunctandum ratus, ipse eo proficiscitur, & exposito periculo mortis, in quo filiolus suus propter vim morbi constitutus erat, orat Iesum, vt secum descendat; & fatetur, se ipsi hoc tribuere, quod præsens possit filiolum, licet morti vicinum, sanare. Et manifestum hinc est, qua imperfectione & quibus infirmitatibus Palatini huius fides laborarit. Primo enim hoc genus hominum ex fastu in ea persuasione est, nihil sibi propter diuitias, potentiam & dignitates denegari posse, ac Deum ipsum, quicquid opus habent & petunt, præ cæteris ipsis quasi debere. Ideo enim vult vt secum descendat Capernaum. Deinde de Christo non credit, quod vel absentem possit absens sanare, vel quod mortuum possit resuscitare. Christo igitur vult credere, si causas secundas videat adiunctas. Sed quia tales petitiones in Euangelica historia describuntur, quibus Christum promptè obsecutum fuisse legimus; dignum est consideratione, quare huius Palatini petitionem tam duro responso excipiat. Causam autem ipsæ circumstantiæ ostendunt. Non enim solum Regulum reprehendit: sed respiciens ad id, quod Euangelista antea dixerat, Galilæos excepisse Iesum propter signa, quæ viderant, inquit in plurali, *Nisi signa & prodigia videritis non creditis.* Vnde colligimus, Christum, cum rediisset inspecturus fructum primi sui miraculi, reperisse animos ita affectos, vt doctrinam ipsius non multum curarent, nudis promissionibus non admodum fiderent: qui tamen finis & verus vsus esse debebat miraculorum ipsius. Sed erecti erant in expectationem, vt plura & maiora signa & prodigia viderent, & existimabant egregium opus fidei esse, si ipsi crederent, quando extraordinariam Dei potentiam in externis rebus præsentem viderent. Hoc Christus reprehendit, & manifeste pronunciat, credere quod exterius videas, & re ipsa sentias, non esse illam fidem, quam Scriptura celebrat. *Nisi*, inquit *signa & prodigia videritis non creditis*, scilicet verbo & promissionibus Dei: vel non creditis me esse Messiam. Signa enim data sunt propter incredulos, 1 Cor. 14 vers. 22. vt per ea ad verbum & promissiones Dei miraculis confirmatas deducantur: non autem vt ad fidem adducti verbo & promissionibus non prius, non amplius, non aliter credant, quàm quatenus semper visibilia signa & externa prodigia adiuncta habent. Fides enim est argumentum, & fiducia eorum, quæ in verbo promissa non videntur, sed sperantur. Heb. 11. vers. 1. Et hæc generalis obiurgatio diligenter obseruanda est. Omnes enim ita affecti sumus, vt credere quidem Deo non recusemus: tacite tamen & oblique proposita hac conditione, vt præsentiam & auxilium eius videamus & sentiamus, non in infirmitate, sed in manifesta ostensione potentiæ Dei, sicut in signis & prodigiis. Coniunguntur autem duo hæc, σημεῖα καὶ τέρατα, etiam apud Græcos interpretes. Exod. 4. vers. 8. & 7. v. 9. Deut. 4. v. 22. & 13. ver. 2. Et primo vocabulo respondet Hebræum אות. Et quia radix eius est verbum אתה, quod significat venire vel venturum esse: est igitur hoc loco externum visibile, supernaturale signum indicans ac probans Messiam venisse, regnum cœlorum adesse. Et quia literæ vt characteres vocum hoc etiam vocabulo appellantur σημεῖα: igitur intelliguntur signa, quibus verbum à Deo prolatum, & fides eius verbi confirmatur. Alterum vocabulum τέρας Græce significat τὸ παρὰ φύσιν γινόμενον. quod supra & præter naturam fit, portentum, ostentum, prodigium: cui respondet Hebraicum מופת, quod quidam deducunt à יפה, vt sit spectaculum, ostendens aliquid vel adesse vel adfuturum, siue bonum siue malum, Alij deducunt à פתה, quod persuadendi significationem habet; vt sit portentum, quo quis mouetur, persuadetur & inducitur ad credendum aliquid. Syrus habet vocabulum à verbo תמה, quod significat mirari, vt sit res miranda, in admirationem sui rapiens, quod Latine miraculum vocamus. Hæ considerationes vocabulorum ostendunt scopum, finem & vsum miraculorum Christi, quæ vocatur σημεῖα, τέρατα, καὶ θαυμάσια.

Habent vero insuper & hoc vitij initia fidei huius Reguli, quod de Christo non augustius, quàm de insigni Propheta aliquo, sentit, ad cuius præsentiam Deum morbos profligaturum sperat, Ideo bis vrget, vt secum descendat: *Priusquam filius moriatur.* Sed eo ipso fides Reguli modum auxilij & tempus liberationis Christo præscribit, quod fidei proprium non est & Deus ferre non potest. Obseruetur autem, cum aulici aliàs soleant delicati, superbi, impatientes & morosi esse, quid Regulus hic cum à Christo tam duriter, propter fidē, quam volebat esse sensibilem, exceptus esset, faciat, & quomodo se gerat. Non enim de exauditione desperat, nec offensus duriori responso retrocedit, & ad Beelzebub se conuertit, sed vrget periculum, & petitioni acrius insistit. Christus vero responsum ita temperat, vt ostendat, quò velit fidem ipsius progredi, vt scilicet verbum promissionis apprehendat & cōtra omnium sensuum iudicium ei credat, sicut circumstantiæ historiæ hos progressus fidei pulcherrime describunt. Dicit enim Iesus. *vade filius tuus viuit*, hoc est, non opus est, vt tecum descendam; sed volo aliter petitioni tuæ satisfacere, nō eo, quem tu mihi præscribis modo aut tempore: non enim descendam tecum, sed vade, iam enim filius tuus morbo & periculo mortis liberatus & sanitati restitutus viuit, & valet. In hac enim significatione verbum חיה sæpe vsurpatur, Et Græci etiam 4. Reg. 1. v. 2. verbum ζῆν pro conualescere à morbo vtuntur. Vides autem modum illum exauditionis seu liberationis, quem Christus sequitur, multo meliorem & vtiliorem esse eo, quem Regulus proponebat. Si enim tam longa mora interponenda fuisset, vt Iesus ex Cana Capernaum cum Regulo descenderet, interea vehementia inflammationis natura superata succubuisset, & conuersio totius familiæ non fuisset secuta.

Hoc verbo promissionis audito non amplius vrget Palatinus, vt secum descendat Iesus, sed promissioni credens, de salute filij sui nihil dubitat. Cogitandum autem est, ex quibus angustiis, & per quæ obstacula fidem eluctari oportuerit, priusquam huc progrederetur. Sciebat enim Regulus, quomodo filium affectum reliquisset, & cogitare poterat, quo interea vis morbi progressa fuisset, & procul aberat. Sensuum igitur testimonio destituebatur, rationis vero cogitationes sentiebat contradicentes: Et tamen *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus.* Num vero facultatem aliquam liberi arbitrij fidem hanc existimabis? Nequaquam, sed est donum & efficacia filij Dei. Quomodo vero fidem hanc in Regulo operatus sit, operæ pretium est considerare. Obiurgatione enim illa seueriori edoctus cœpit intelligere, quid de hac persona sentiendum, & quantum verbo ipsius tribuendum sit. Atque ita credidit verbo illi, quod Iesus dixerat. Discimus autem ex hoc exemplo, quare Deus loco exauditionis durius aliquando nobiscum agat, vt scilicet vitia, quæ fidem contaminant, corrigantur & ea, quæ obstaculo sunt ad profectum fidei remoueantur. Et diligenter notandum est, verum & solidum fidei progressum hunc esse si ad agnitionem & persuasionem veritatis, certitudinis & efficaciæ verbi diuini seu promissionis deducatur. Id autem fit, quando de persona promittentis certo statuimus, quod possit & velit ea, quæ verbo promittit præstare. Et hæc tandem est ratio seu proprietas veræ fidei, vt à sensibus abstracta ad verbum & promissionem deducatur, cui innitatur, etiamsi sensuum testimonia desint, & ratio prorsus contrariam experientiam opponat.

Magna autem lux fidei hoc Christi verbo in Regulo accensa fuit. Non enim tumultuarie festinauit domum; sed animo tranquillo ita abiit, vt illo die non redierit Capernaum, quod tamen facere potuisset, si partem aliquam noctis voluisset profectioni adiungere. Miliaria enim nostra à Cana ad Capernaum plus minus sunt quinque. Et hora prima post meridiem dimissus fuit à Christo. In illis autem locis, vt in Palæstina, vbi eleuatio poli est 32. graduum, Sol circa solstitium hyemale occidit hora post meridiem quinta, post quam restat crepusculum, priusquam tenebræ ingruant. Quatuor igitur horæ lucis de die adhuc Regulo restabant, in quibus anxia festinatio potuisset iter illud conficere, aut saltem vnam & al-

teram horam noctis adiungere. Sed altera demum die obuios habet nuncios, qui interrogati respondent: *Heri circa horam septimam*, quæ prima est post meridiem, *reliquit illum febris*. Ex illa consideratione apparet, Regulum, quia verbo Christi credebat, non anxie properasse: sed vt animo tranquillo, ita & itinere placido processisse, quæ egregia descriptio est veræ fidei, sicut Esaias etiam inquit: *Qui credit, non festinabit, aut tumultuabitur*, Isa. 28. v. 16.

Iucunda autem est consideratio, quibus adminiculis fides proueharur, vt crescat & confirmetur. Primo enim Christus edidit miraculum in Cana, mutata aqua in vinum, quo potentiam & bonitatem suam sensibiliter ostendit. Et hac manifesta ostensione inter cæteros etiam hic regulus excitatus fuit. Secundo, cum vero fides illorum semper visibile & sensibile obiectum, quo niteretur, requireret, Christus seuera obiurgatione fidem à sensibus & ab experientia ad verbum deducit idque primum in rebus externis & corporalibus, in sanatione scilicet filij. Tertio, regulus quærit de tempore conualescentis filij, & adhibita consideratione agnoscit, illo ipso momento morbum filij Capernaum decumbentis profligatum fuisse, cum Iesus in oppido Cana diceret, *Filius tuus viuit*: atque inde intellexit efficaciam verbi Christi. Cum igitur videret, fidem innitentem verbo promissionis in corporali illa necessitate non fefellisse, *Credidit & ipse, & tota eius domus*. Quid vero crediderunt? Certè non hoc tantum historicè crediderunt, ægrotum illum iam esse sanatum: vel Christum verbum illud circa septimam horam dixisse: sed credidit cum tota familia sua, Iesum esse Messiam, & eius se discipulum professus, doctrinam ipsius de vita æterna, & de vero cultu Dei amplexus est. Sedulam igitur hic Regulus domesticam disciplinam exercuit, in institutione & exhortatione suorum, vt Deo benedicente totam familiam, quæ numerosa fuit, ad fidem Christi adduceret. Ac vere fuit domus eius non tam aula, quam domestica, sicut Paulus loquitur, Ecclesia, cuius illustre exemplum est, quod Lucas scribit cap. 8. ver. 3. sicut suprà annotauimus, vxorem huius reguli postea non tantum audiuisse conciones Christi, in Synagoga Capernaitica, sed cum transiret per ciuitates & castella, prædicans regnum Dei, ipsa sectata est eum, & de facultatibus eius ipsi ministrauit. Hæc enim est rectissima explicatio huius dicti: *Credidit ipse & tota eius domus*. Et hac occasione postea Centurio & Archisynagogus in ciuitate Capernaum Christo adducti sunt. Illis enim familiaritatem cum hoc Regulo intercessisse, non est dubium. Hac etiam ratione Christus aditum sibi parauit ad hospitium in Capernaum. Et hoc est, quod tertio loco volebam annotare, quomodo scilicet fides, à petitione & fiducia corporalium progredi debeat ad spiritualia. Et pulcrum exemplum est, quomodo præteritæ liberationes aut præsentia beneficia, quæ fides impetrauit, fiant & fieri debeat adminicula, vt fidem & orationem ad spiritualia, cœlestia & æterna certa fiducia eleuemus, & hoc exercitio eam confirmemus. Atque hoc est, quod ter in hac historia repetitur verbum *Credendi*. 1. *Non creditis*. 2. *Credidit sermoni*. 3. *Credidit tota eius domus*. Hæc doctrina ita tractanda est, vt consideretur, quomodo per totam vitam Deus talia adminicula singulis obiiciat, per quæ fidem nostram vult prouehere & confirmare, modò discamus, adminiculis illis ita, sicut dictum est, vti. Sed agnitio huius doctrinæ facilior est, quàm vsus. Thomas enim post resurrectionem adhuc dicit: *Nisi videro, non credam*. Et Christus inquit, *Beati qui non vident & credunt*. Opus igitur est doctrinæ huius exercitio, cui Deus gratia sua non deerit. Hæc possent multis exemplis illustrari, sed nostri instituti ratio est, tantum fontes doctrinæ in circumstantiis historiarum monstrare. Continet etiam hæc historia descriptionem veræ gratitudinis, pro accepta sanitate, & aliis beneficiis, vt scilicet non tantum in beneficiis illis hæreamus, & propter illa solum gaudeamus, vt serui Reguli dicunt, *Filius tuus viuit*: sed sicut pater retrò cogitabat, à quo, quomodo, & ad quid beneficium illud indignus acceperit, ac gratitudinem suam non verbis tantum profitetur, sed reipsa ostendit: cum credit ipse & totam suam familiam ad fidem adducit.

Iohannes autem descriptionem huius miraculi ita concludit, quod dicit: *Hoc iterum secundum signum fecit Iesus*. Non quod secundum hoc signum bis fecerit; sed quia reliqui Euangelistæ valde multa miracula Christi descripserunt, & initium miraculorum faciunt ab illis, quæ in Capernaum edita sunt. Iohannes igitur ea, quæ à reliquis Euangelistis prætentia erant, supplens dicit: Initium signorum factum esse in Cana Galileæ, mutatione aquæ in vinum. Deinde Hierosolymis & in Iudea Christum multa signa fecisse, Iohan. 3. ver. 2. Tertiò cum Iesus ex Iudea rediisset in Galileam, dicit, ipsum iterum fecisse signum in Cana Galileæ, in absente filio reguli. Et hoc signum inter ea, quæ in Galilea Iesus fecit, secundum esse, vt hac commonefactione ostendat, hoc secundum miraculum in ordine historiarum collocandum ante illa, quæ apud reliquos Euangelistas in Galilæa gesta descripta extant. Præmissis igitur seu insertis in Harmonia Euangelica illis, quæ hactenus Iohannes per quatuor capita descripsit, Iohannes hac sua commonefactione de secundo signo in Galilæa edito indicat, iam in ordine historiarum subiicienda esse illa, quæ reliqui Euangelistæ in Galilæa gesta narrant. Duo enim Iohanni in conscriptione suæ historiæ proposita fuerunt. 1. Vt ea, quæ à reliquis Euangelistis prætereita erant, adiiceret. 2. Vt rationem monstraret, quomodo totius Euangelicæ historiæ ordo & ἀκολουθία inuestigari & deprehendi possit. Atque ideo volui quartum hoc caput Iohannis historiis primi anni ministerij Christi adiungere, ne descriptio eius interrumperetur.

Finis & ἀνακεφαλαίωσις Actorum primi anni ministerij Christi.

DIXIMVS in Prolegomenis, duobus modis posse distribui annos ministerij Christi: vel secundum Festa Paschatis, vel ratione temporis baptizati Christi. Et secundum alteram hanc rationem ostendimus, vel in historia captiuitatis Baptistæ finem primi anni ministerij Christi constitui posse, vel in fine quarti capitis Iohannis. Rationes autem huius distributionis in Prolegomenis exposuimus. Veteres etiam Eusebium ita intellexerunt, quod reliqui Euangelistæ post tentationes in deserto Acta primi anni ministerij Christi prætereant, quia statim digrediantur ad Acta secundi anni, hoc est, ad tempus post traditum Baptistam: Iohannem vero Euangelistam ea, quæ ad primum annum pertinent, quæ à reliquis videbat prætereita esse, sua scriptione adiecisse, vt continua extaret narratio Actorum Christi. Fuit ergo antiquitatis sententia, finem Actorum primi anni ministerij Christi, & initium secundi hoc modo rectè constitui posse. Antea autem dixi, me nolle pugnare, si quis finem primi anni constituat in historia captiuitatis Baptistæ, vt quartum caput Iohannis, describens profectionem Christi ex Iudæa in Galilæam, sit initium secundi anni. Matthæus enim & Marcus à tradito Iohanne progressum historiæ suæ faciunt. Sed quia communis opinio est, Matthæum, Marcum & Lucam Acta secundi anni ministerij Christi describere, & Iohannem illis Acta primi anni sua descriptione adiicere voluisse, ideo ne Iohannis descriptio interrumperetur, voluisse eius historiam vsque ad finem quarti capitis primo anno adiungere. Quod si cui altera sententia magis placuerit, dico eam mihi etiam nec displicere, nec improbari. Penes Lectorem igitur sit iudicium.

Vtile est autem loco conclusionis per ἀνακεφαλαίωσιν colligere, quæ sit summa Actorum primi anni ministerij Christi. Nos illam in certa quædam capita breuissime distribuemus.

I. Obseruandum est, quæ fuerint peregrinationes Christi in primo anno ministerij, seu quæ loca Palæstinæ primo illo anno peragrarit, & doctrina sua illustrarit. Ostendit autem hæc obseruatio, quod in genere omnia præcipua loca eius terræ in primo illo anno ita peragrarit, vt seminaria doctrinæ suæ in singulis illis sparserit, quæ sequentibus annis excolerentur. Nam ex Galilææ ciuitate Nazareth profectus est trans Iordanem, & ibi à Iohanne baptizatus est. A Iordane ductus est in desertum. Ex deserto rediit ad Iordanem, in regionem Trans Iordanem, quæ Peræa appellatur, vbi primos discipulos collegit. Inde profectus est ad Canam Galilææ. Ex Cana descendit Capernaum. A Capernaum profectus est Hierosolymam. Inde discessit in terram sortis Beniamin. Ac rediit Ierusalem ad Nicodemum. Tandem illa relicta venit in illam partem, quæ proprie terra Iudæa vocatur, & ad tribum Iuda pertinet, & ibi mansit vsque ad finem anni. Quando enim Iohan. 4. ver. 3. descendit in Galilæam, dicitur relinquere Iudæam, & tunc per biduum Samaritanos quosdam conuertit. Maximam igitur partem primi anni transegit in Iudæa: & tamen obiter etiam primo anno radios quosdam doctrinæ suæ cœpit spargere in Peræa, Galilæa & Samaria, & hæc præcipua loca sunt totius illius terræ, in quibus omnibus primo anno fundamenta Euangelij posuit.

II. Obseruandum est, quæ fuerint conciones primi anni. Inchoauit autem post Baptismum ministerium suum in deserto à certaminibus, & quidem cum illo, qui est Pater homicidiorum & mendaciorum, hoc est, corruptelarum doctrinæ cœlestis. Reuersus ex deserto ad Iordanem, quid cum quinque illis Galilæis, quos sibi adiuxit discipulos, locutus sit, colligi potest ex 1. cap. Iohan. sicut ostendimus. In Cana Galilææ non legitur concionem tunc habuisse, sed matri suæ breui sen-

ni sententia respondet. Vnde vtilis doctrina sumitur. Et primo aduentu in Capernaum Ioh. 2.ver.12. non dubium est, ipsum quosdam instituisse. Inde cum venisset Hierosolymas ad templum, incipit à refutatione errorum & superstitionum, & probat illud ex Scriptura de domo patris sui. Figuras etiam templi ostendit in suo corpore impleri. Prima verò iusta concio, quæ descripta est, extat Iohan.3.ver.3.in colloquio cum Nicodemo: in qua quomodo præcipua capita doctrinæ comprehensa sint, in explicatione ostendimus. Ministerium baptizandi inchoat post Festum Paschatis, cum ex Hierosolymis venisset in terram Iudæam: & postea vsque ad finem anni, cum ministerio Apostolorum baptizaret, & omnis populus ad ipsum veniret, Iohan.3.v.26. sine dubio docuit; sed conciones non sunt descriptæ. Capita enim doctrinæ Christi Iudæis primo anno propositæ in colloquio Nicodemico comprehensa sunt. Porrò primam concionem ad alienigenas Samaritanos etiam ad primum annum retulimus, & quę capita doctrinę in illa concione ad gentes pertinentia comprehendantur, in explicatione ostendimus. Et postremò, quę iam ex Reguli historia annotauimus. Ita ergo primis annis ministerij Christi ostendit, quę fundamenta doctrinę suę in Perea, in Iudęa, Samaria & Galilæa proposuerit Iudęis, Galilæis & Samaritanis. Magnam vero partem in descriptione primi anni obtinent conciones Baptistæ, quæ ita distribui possunt. 1. Quid Iohannes interea, dum Christus in deserto fuit, docuerit. 2. Quod testimonium proposuerit legatis cum Christus in itinere esset ex deserto. 3. Quas habuerit conciones, cum Christus ex deserto ad Iordanem reuersus esset. 4. Quæ fuerit postrema concio Baptistæ de Christo, priusquam in carcerem coniiceretur. 5. Qua libertate Herodis peccatum arguerit, & quod præmium inde tulerit. Capita vero concionum Baptistæ suprà explicata sunt.

III. Caput est, quæ sint miracula primi anni. Multa autem miranda facta sunt in primo anno, vt patefactio Trinitatis in Baptismo: ieiunium 40.dierum: ministerium angelorum in deserto: nouit genus Simonis, & impositione nominis Petri prædicit de futuris. Nathanaëlem procul absens videt, & scrutatur cor ipsius: prædicit de cœlo aperto & de angelis descendentibus & ascendentibus; solus & inermis vnico fune tot vendentes eiicit: occulta peccata Samaritanæ mulierculæ indicat. Vere singularia & admiranda hæc sunt, sed proprie non vocantur signa. Primum vero signum in Cana Galilææ, mutatione aquæ in vinum, edidit. Hierosolymis etiam multa signa fecit in festo, sicut Iohannes testatur c.2.v.23.3.v.2.& 4.v.45. sed qualia fuerint, descriptum non est. Postea cum vsque ad finem anni in terra Iudæa doceret, & discipulorum ministerio baptizaret, an signa ibi tum ediderit, & qualia fuerint, nihil plane annotatum est. Cum verò ex Iudæa in Galilæam rediret, iterum in Galilæa signum in filio Reguli edidit. Plura verò signa facta esse, quæ scripta non sunt, Iohannes ipse testatur c.20.v.31. Atque ita ex signis primi anni tantum duo illa, quæ in Cana Galilææ facta sunt, expresse & in specie descripta sunt.

IV. Obseruandum est, quos conuerterit & habuerit sectatores primo anno. Ioh.1. fit mentio quinque Discipulorum, quos sibi adiunxit in Cana Galilææ & Capernaum, sine dubio multi primo miraculo moti sunt vt crederent in ipsum. De cognatis vero ipsius & de discipulis expressa fit mentio Ioh.2.v.12. Hierosolymis multi crediderunt in nomen eius, videntes signa, quæ faciebat. Ioh.2.v.23. nec tantum ex iis, qui Hierosolymis habitabant, sed ex peregrinis etiam; vt ex Galilæis. Iohan.4.ver.45. Nicodemus, qui primus fuit ex Pharisæis, conuertitur, Ioh.3 ver.1. Et discipuli Baptistæ in sua querela dicunt; *Iesus baptizat, & omnes veniunt ad ipsum*, Ioh.3. v.26. Non exiguus igitur numerus fuit eorum, qui Ecclesiæ, quam filius Dei suo ministerio colligebat, primo anno adiuncti sunt. Samaritanos etiam quosdam conuertit. Et ex aulicis Herodis Regulum discipulum sibi adiunxit, cum tota familia.

V. Qui fuerint aduersarij Christo primo anno, & quæ habuerit cum ipsis certamina. Epiphanius primum annum ministerij Christi vocat annum acceptabilem, quod placidior fuerit eius cursus, respectu reliquorum, nec strepitu aduersariorum ita circumsonet, sicut sequentes anni. Non tamen nullos habuit primo anno aduersarios. Congressus enim est in deserto cum principe omnium aduersariorum, cum ipso Diabolo. Hierosolymis deinde aduersarios habuit, quos templo eiecerat, & Iudæos, qui signum vocationis ab ipso quærebant. Huc etiam pertinent illi, quibus se nolebat credere, cum esset Hierosolymis, qui non manifesti erant aduersarij, nec apertè aliquid contra ipsum machinabantur, sed amici videri volebant credentes in ipsum. Postremo vero, sub finem anni, Pharisęi Hierosolymitani insidias ipsi cœperunt struere, propter quos tum ex Iudęa discessit, Iohan.4. vers.1.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIUS HARMONIAE EVANGELICAE

CONSCRIPTVS A CELEBERRIMO ATQVE SVMMO THEOLOGO, DOMINO Doctore MARTINO CHEMNITIO, Ecclesiæ Christi in Amplissima Republica Brunsuicensi Superintendente quondam fidelissimo.

Editus, & nunc denuò correctius, operâ & studio POLYCARPI LYSERI, *D. & ab eodem iam recognitus.*

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO LVDOVICO, DVCI WIRTENBERGICO, ET TECCIO: COMITI MONTIS PELIGARDI, &c. Domino suo clementissimo, &c.

GRATIA, PAX ET MISERICORDIA à Deo Patre Domino Iesu Christo, Seruatore nostro.

ETSI omnes libri Biblici, Illustrissime Princeps, Domine clementissime, tam Veteris quàm Noui Testamenti pari reuerentia & pietatis affectu sunt excipiendi & venerandi: (siquidem tota Scriptura θεόπνευστος est) tamen dubium non est; quin pro materia & doctrinarum diuersitate, alij aliis præferri possint. Inter omnes autem, meo quidem iudicio, meritò principem locum obtinent scripta quatuor Euangelistarum, hoc nomine; quia in iis non sancti Dei homines, Prophetæ vel Apostoli agunt & loquuntur, sed ipse Dei filius, omnium Prophetarum & Apostolorum Dominus docet & operatur. Hic est magnus ille Propheta, quem Deus olim per Mosen Israelitis promiserat, pollicitus, se verba sua in os ipsius positurum: item, se fore vltorem, si quis verba, quæ Dei nomine locuturus esset, audire nollet. De eodem apud Iesaiam dicit: Et erunt oculi tui videntes Præceptorem: & aures tuæ audient vocem post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dextram, neque ad sinistram. Et iterum apud Ioelem: Filij Sion lætamini in Domino, Deo vestro; quia dedit vobis Doctorem iustitiæ. Ex quibus locis, & aliis similibus, quæ longum esset recensere, apertè liquet, totam Ecclesiam, inde vsq; ab initio per ipsos Prophetas, semper eò remissam esse, Messiam Doctorem iustitiæ & veritatis ea, quæ ipsi obscurius & quasi in vmbra proposuissent, plenius & disertius enarraturum. Vnde & Samaritana fœmina dicit: Scio, quia cùm venerit Messias, ille nobis annuntiabit omnia.

(1. Tim. 3. — Deut. 18. — Iesa. 30. — Ioel 2. — Iohan. 4.)

Et est omnino magnum & inenarrabile Dei beneficium, quod Dei filius, ex arcana sua sede & luce, quam inhabitat, inaccessibili prodiens, ipse locutus est hominibus, atque viam, quæ ad æternam corporis & animæ felicitatem peruenire possint, non tam patefecit, quàm olim in Paradiso patefactam illustrauit atque planiorem reddidit. Quod Author epistolæ ad Hebræos magnificè deprædicat, cùm scribit, Multifariam multisque modis olim Deus locutus est Patribus per Prophetas, nouissimè autem diebus istis locutus est per Filium, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula, &c. Vnde Christus ipse de se testatur: Ego sum via, veritas & vita. Et: Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Veritas quidem patefacta erat etiam sanctis Patribus, verùm eadem Leuiticarum ceremoniarum inuolucris ita erat inuoluta, vt paucissimi eam plenè assequerentur. At Christus in mundum veniens, non tantùm sanctissima oblatione corporis sui, in ara crucis, veritatem compleuit: sed etiam suo testimonio & doctrina ita euoluit eam, atque conspicuam reddidit, vt iam (secundùm Veterum vaticinia) omnes fines terræ videant salutare Dei nostri, & omnes Dominum agnoscunt à minimo

(Ioan. 14. — Ioan. 19.)

minimo usque ad maximum. Quemadmodum enim Sol exoriens non tantum discutit tenebras, sed etiam iubar suum proiicit ab Oriente ad Occidentem vsque, vt totum hemisphærium vno momento collustretur. Ita Sol iustitiæ oriens ex alto non solum tenebras, quæ operuerant faciem terræ & caliginem, qua oppressi erant omnes populi, dispulit, sed etiam fulgorem salutifici verbi sui, qui olim angustis Iudæorum terminis includebatur, longè latéque per vniuersum orbem terrarum ita sparsit, vt sonus eius exierit in omnem terram, & verba ipsius in fines orbis. In hoc certè lumine iam ambulant Reges, & in splendore ortus ipsius viuimus nos gentiles, qui olim eramus alieni à conuersatione sanctorum, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Iesa. 51. Mal. 4. Luc. 1. Ies. 60. Psal. 19. Iesa. 60. Eph. 2.

Hoc Dei beneficium, si Pontificia cohors satis dignè æstimaret, nunquam traditiones à se confictas tanto supercilio Ecclesiæ Christi obtruderet. Prætendunt belli isti homines non sufficere saluti hominum ea, quæ scripta sunt: siquidem Christus discipulis adhuc rudibus non omnia tradiderit, sed pleraque venturo paracleto patefacienda reseruarit. Hinc quicquid Papa, quicquid Clerici Papæ statuunt, id tribuunt paracleto, & paris cum sanctis Euangeliis auctoritatis esse volunt. Verumenimuero in hac tanta Euangelij luce, ista Sophistarum nebula apud pios ita disparuerunt, vt vel puero septenni absurditas huius commenti pateat. Conqueritur quidem Christus alicubi de discipulorum tarditate, quod scilicet animi ipsorum, partim luctu, ob ipsius abitum, partim præconceptis de regno mundano opinionibus, ita sint occupati, vt adhuc carnales sermonem ipsius capere non possint. Et promittit paracletum Spiritum S. cuius virtute & gratia post ascensum eius in cœlum donati, & quasi spirituales facti, longe aliter de regno ipsius iudicent, & mysteria doctrinæ ipsius rectius assequantur. De eo autem paracleto dicit Christus, non quod alia aut diuersa à Christi doctrina, multo minus quod contraria (cuiusmodi pleraque Papæ & Episcoporum sunt) sit allaturus: sed disertè, de meo, inquit, accipiet & annunciabit vobis. Item, Suggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis. Non itaque futurum erat, vt Spiritus S. Apostolis noua quædam aperiret & dictaret, de quibus Christus ipsos, dum in terris viuebat, non instituisset: sed tantum vt à Christo tradita suggereret. Quemadmodum enim penè semper accidere solet, vt doctrina, quæ vbi primum proponitur, planè sterilis & infrugifera apparet, post aliquod demum tempus fructum suum ferat: Ita Christus videbat tunc quidem Apostolorum suorum animos sic rudes esse & indociles, vt de iis, quæ docuerat, seruandis parum solliciti essent, nec fructum ferre viderentur. Promittit autem Spiritum S. qui traditam doctrinam in animis ipsorum illustraturus, & efficacem, siue frugiferam redditurus esset. Ioan. 16. Ioan. 16. Ioan. 14.

Est ergo intolerabilis temeritas Pontificiorũ, qui ipsius filij Dei verba violenter detorquere, & iis abuti conantur, vt probent, ipsum Apostolis suis non omnia salutis & religionis Christianæ mysteria perfectè tradidisse: sed multa reseruasse, quæ demum post longa temporum interualla ipsorum successoribus (vel potius supplantatoribus) singulari Spiritus reuelatione manifestari debuerint. Sed valeat istud nugamentum. Christus ipse dicit Apostolis: Vos dixi amicos; quia OMNIA, *quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Hic audimus, vnigenitum Dei filium, qui est in sinu Patris, & in quo omnes thesauri scietiæ & cognitionis recõditi sunt, testari, se* OMNIA, *quæ à Patre acceperit & audiuerit, discipulis manifestasse.* Ioan. 15. Col. 2.

Quis ergo tam perfrictæ frontis inter vere Christianos erit, vt peregrinis speculationibus, & nouis reuelationibus opus esse autumet? Quibus vsque adeo non indigemus, vt si ne quidem plura ex sacris litteris haberemus, quam Christi doctrinam solam, quatuor Euangelistarum scriptis comprehensam: (quanquam etiam pro reliquis Scripturis, vt quæ nos magis confirment, æternas Deo gratias agamus) tamen ex ea plene, sufficienter & perfectè addiscere possemus ea, quæ essent ad salutem nostram necessaria. Sic enim Iohannes Euangelista pronunciat: Hæc scripta sunt, vt credatis; quia Iesus est Christus, filius Dei: & vt credentes vitam habeatis, in nomine eius. Phil. 3. Ioan. 20.

Idem summum Dei beneficium, quod nimirum Deus nouissimis temporibus per filium nobis locutus est, si caluus Sacramentariorum grex debita gratitudine agnosceret, maiori reuerentia & sanctimonia ipse quoq; Christi verba susciperet & tractaret. Æternus pater voce è cœlo delata hominibus de hoc Iesu Christo imperat & præcipit, HVNC AVDITE. *Hanc vocem* ὑπὸ μεγαλοπρεποῦς δόξης *ad Christum delatam, se audiuisse Apostolus Petrus testatur. At, quod maxime mirandum Caluiniani pleraque doctrinæ Christianæ capita ita tractant, ac si cœlestis Pater aperte dixisset:* HVIC CONTRADICITE. *Christus enim dicit: Sic Deum dilexisse mundum, vt filium daret. Caluiniani contra: Deum ab æterno maiorẽ mũdi atque hominum partem odio prosecutum esse, neque vnquam eos diligere posse, ac proinde ad æternum exitium prædestinasse. Christus affirmat, se in Cœna nobis corpus suum ore manducandum, & sanguinem ore bibendum exhibere: Caluiniani suis hominibus pro corpore & sanguine Christi, eius figuram & vmbram aliquam obtrudunt. Christus omnem sibi potestatem in cœlo & terra traditam asserit: Caluiniani contra contendunt, tantum potentiæ ipsi concessum esse, quantum ad exequendum officium Iudicis ipsi opus sit. Christus, vt re ipsa ostenderet, sibi & Patri, cum quo vnum est, peccata & interitum hominum displicere, seipsum voluntariam victimam &* λύτρον *pro peccatis generis humani obtulit: At Caluiniani in suis scriptis Deo originem, vim, occultamque propagationem mali in hoc mundo ita adscribunt, vt ipse Diabolus nec cadere, nec nos tentare, atque perdere possit, absque impulsu, vi & efficacia Dei, cui soli ista operatio sit adscribenda. Bone Deus, quid hoc aliud est, quam Deum in ipsum Diabolum transformare, cuius solius est peccare ἀπ' ἀρχῆς? verum non est instituti nostri, in præsentia omnia & singula adducere, quibus istud hominum genus Christo in os contradicit. Sufficiat paucis, quasi intento digito, monstrasse fœdam ingratitudinem, quam isti homines Deo promisso filio, & per ipsum donato veritatis Verbo rependunt, quod cæcæ suæ rationis dictamini plus, quam Doctori cœlitus misso fidere volunt.* Matt. 17. 1. Pet. 1. Ioan. 3. Matt. 26. Matt. 28. Matt. 20. Ioan. 8.

Merito itaq; nostræ Ecclesiæ sese à duplici isto hominũ ordine segregarunt, & vt reliquam Scripturam diuinitùs inspiratam, ita vel maxime sacrorum Euangeliorum codicem summa veneratione prosequuntur. In eo enim ipse Filius Dei docet, exhortatur, monet, disputat, pugnat, triumphat. Cuius vel vnicum verbulum, vel minimus verbi apiculus, maioris à Christiano æstimatur, quam vniuersus terrarum orbis. Hæc enim omnia transeunt: verba autem Christi non transibunt; quia sunt verba vitæ æternæ. Et quicunq; vitã amat, amat etiam verba Christi, magnifacit, diurna nocturnaq; manu versat, & in eis spe salutis ponit. Marc. 13. Ioan. 6.

Porrò licet verba ipsa Christi per se plana sint & perspicua: non tamen cuiusuis est ea dextre & plene ad doctrinam, redargutionem, correctionem, institutionem & consolationem accommodare, sed tantum eorum proprie, quibus ipse Christus mentem aperit, & quos proprie sancti sui Spiritus afflatu dignatur. Dei enim sermo ab hominum sermonibus, tum in aliis, tum etiam in hoc maxime discrepat, quod homines de paucis & exilibus rebus sæpe multa inania verba fundunt, & admodum prolixe sermocinantur. Deus autem paucissimis verbis res plurimas & maximas, diuinas & cœlestes comprehendere solet, ita, vt sæpe vnius vocis tam ampla, tamque augusta sit maiestas, tam copiosa item (vt sic loquar) fœcunditas, vt si quis eam ad fontes Israelis examinet, plus inde doctrinæ & consolationis in vnico verbulo reperiat, quàm fere multa pagina humanorum scriptorum complectantur.

2.Tim.3. Luc.24.

Atque ad id prosunt commentarij piorum & fidorum Scripturæ interpretum, qui dant operam, vt caueant, ne eiusmodi verborum vis & vsus lectorem minus attentum præterfluat, sed vt is genuinum sensum verborum assequatur, & præterea spiritualem eorum vsum animo includat. Qua in re celeberrimus Theologus D.D. Martinus Chemnitius, singularis & incomparabilis artifex fuit, in hisce suis in Harmoniam Euangelicam commentariis. In iis enim sæpenumero ex vnius aut alterius vocabuli proprietate & emphasi collatione instituta, partim ad fontes Prophetarum, partim ad vberiores explicationes Apostolorum, consideratis simul omnibus circumstantiis temporum, rerum & personarum, tam reconditas, abstrusas, veras, tamen interim & viuas solidasque doctrinarum & consolationum explicationes eruit, vt quasi ipsum Christum in cathedra sedentem & concionantem tibi audire videaris. Me profectò hæc tam concinna & conueniens mentis Christi expositio ita affecit & delectauit, vt licet non nullius laboris fuerit, ista ex ipsius manu scriptis chartis colligere, & ad publicum vsum proferre: tamen sæpenumero illarum lectione minime satiari potuerim, nec vnquam earum tædium me cœperit. Nec dubito, quin idem mecum sensuri sint, quicunque hasce ipsius lucubrationes non obiter inspexerint, atque legerint, sed seriò diligenterque expenderint.

Hoc enim sibi propositum habuit, vt non tantum verum historiarum de Iesu Christo ordinem monstraret, quod in Harmonia conscribenda alij ferè vnicum spectarunt, & cuius ipse vbiuis exquisitissimam rationem reddit: verum etiam dedit operam, vt genuinum concionum & disputationum Christi sensum aperiret. Quod adeò feliciter assecutus est, vt nec ex veteribus, nec ex Neotericis (quod citra omnem eorum iniuriam dictum velim) quenquam inueniri existimem, cui CHEMNITIVS *noster in hoc genere scriptionis palmam tradere cogatur. Vnde diuini hi eius labores dignissimi sunt, qui publice Ecclesiæ communicentur. Vt qui magno cum fructu tum ab Ecclesiæ ministris, tum ab aliis legi, adeoque publicam Ecclesiæ ædificationem plurimum iuuare possint.*

Quod verò, Illustrissime atque pientissime Princeps, Domine clementissime, ipse D. CHEMNITIVS, *piæ recordationis, si superuixisset, facturus fuisset, id nūc Ego de voluntate & consensu heredū ipsius instituo.*

Destinauit ipse Cels. T. huius laboris partem aliquam, propterea, quia eam inter præcipuos Romani imperij Principes, quorum opera & protectione nostra ætate Christi regnum plurimum propagatum est, numerauit. Meminerunt ipsius heredes, quòd sæpius domi deprædicarit VVirtenbergensium Principum zelum erga sinceram religionem, misericordiam erga pios Christi exules, munificentiam erga litterarum studia, & admirandam, omnibusque piis principibus imitandam Ecclesiasticorum bonorum iustam administrationem: quæ cognouit singula, partim ex publica illa & laudatissima fama, quæ de Cels. T. totam Germaniā peruolauit, partim ex relatione Dn. D. Iacobi Andreæ, cui tum in reformando Ducatu Brunsuicensi, tum in adornando Christianæ CONCORDIÆ *libro, per aliquot annos collega fuit. Sæpius enim grata mente celebrauit clementissimam illam inuitationem, qua C. T. ipsum ex Academia Heidelbergensis visitatione Stutgardiam euocauit: quam multoties testatus est, se chartacei alicuius muneris oblatione compensaturum. At morte præuentus id, quod in animo suo sibi proposuerat præstare non potuit. Quare heredes sui muneris esse existimarunt, hac quoque in parte pij parentis voluntatem exequi. Et proinde à me petierunt, vt C. T. hac publica προσφωνήσει compellarem, eique hunc tertium Harmoniæ librum humiliter dedicarem.*

Ego verò eò libentius assensi, quia dudū exoptanti mihi occasionem aliquam offerri, qua publicè testari possem de singulari C. T. clementia, quæ non tantum studia mea à prima ferè ætate munificentissime fouit ac promouit, sed etiam postea in peregrinas terras, Austriam, Misniam & Saxoniam ministerij Ecclesiastici causa missum, semper benignissime prosecuta est. Non tamen mihi propositum est in præsentia, & quidem in alieni operis dedicatione, Illustrissimæ C. T. merita & beneficia erga me prolixe prædicare. Maiora sunt illa & excellentiora, vt & Ducis HVLDRICI *aui, & Ducis* CHRISTOPHORI *Patris, laudatissimæ & sanctissimæ recordationis Principum, erga meum parentem, quàm vt verbis à me dignè celebrari possint. Habebunt tamen eadem, Deo iuuante & secundāte, suum peculiarem locum. Nunc hanc posthumi & alieni operis oblationem loco pignoris clementer & benigne suscipias, donec olim proprio aliquo grande illud gratitudinis debitum, quo Cels. T. obstrictus sum persoluere incipiam.*

Neque verò nouum aut insolens est Theologica opera Principibus viris offerre. Lucas certè vnus ex quatuor Euangelistis, vtramque suam historiam, de Iesu Christo, & de Apostolis, Theophilo viro illustri & magistratum gerenti inscripsit. In eo nimirum non tantum Theophili pietatem respiciens, sed suo exemplo docens, religionis curam ad pios magistratus in primis pertinere. Et proinde Ecclesiarum ministros nihil præter officium facere, si suas lucubrationes ijs nuncupent: vt earum lectione magis incitentur, & sua auctoritate scriptis illis maiorem fidem & auctoritatem concilient.

Adducor itaq; Illustrissime & clementissime Princeps, in hanc spem maximam, &, quemadmodū confido, verissimam, T. C. hunc heredum Chemnitianorum & meum conatum, pro innata & heroica animi bonitate, æqui boniq; consulturam. Quantopere enim ea bonas & cumprimis sacras litteras ab ineunte ætate semper amarit, pietatem verè & puriorē veritatis doctrinam coluerit, atque promeruerit; id non tantum incolæ Ducatus VVirtenbergensis, patriæ meæ dulcissimæ, incolæ omnes, sed & totus orbis Christianus nouit. Quæ enim est regio in vniuerso Imperio Romano, ad quam non fructus aliquis tui Stipēdij, quod in cele-

a celeberrima Academia Tubingensi habes amplissimum redundarit? Certè te fidum Euangelicæ veritatis aduersus Pontificum idolomaniam & aliorum hæreses patronum esse, & præsens hæc ætas grata mente agnoscit, & posteri, si qui pij sunt deprædicabunt. Quapropter & Deus ipse suo fauore C. T. complectitur, & sua promissionis (qua dixit, 1. Sam. 2. Honorantes me honorabo) erga T. C. tum in hac, tum in altera vita probè memor erit. Pergè modò constanter sancta illa beneuolentia Christi Ecclesiam & Scholas, earumque ministros prosequi, & memineris non esse Ducalis dignitatis, potestatis & opum vsum aliquem meliorem aut quæstuosiorem quàm vt honori Dei, propagatione veræ doctrinæ, Ecclesiæ ac Scholarum conseruationi, pauperum denique sustentationi seruiant: Quicquid mundo vel carni impenditur, id fere nimium est aut noxium. Quod vero ad Dei cultum & veritatis doctrinam promouendam confertur, in quo præ alijs tua Celsitudo munificentiam suam spectandam præbet, id nec nimium aut superuacaneum, nec noxium aut inutile esse potest.

Suscipiat itaque C. T. hunc librum ea clementia & fauore, quo & CHEMNITIVM viuum olim complexa est, & non ita pridem filium ipsius PAVLVM studiorum suorum confirmandorum causa Tubingam euntem clementer prosequi dignata est. Et patiatur quoque hanc meam προσφώνησιν qualemcunque gratitudinis significationem, atque publicum meæ erga C. T. obseruantiæ & studij testimonium, sibi gratam & acceptam esse. Vtque meis studijs ab ineunte ætate fauere consueuit: ita etiam in posterum me meosque sua clementia dignari pergat.

CHRISTVS IESVS *C. T. cum inclyto VVirtembergensium Ducatu, patria mea dulcissima, sua virtute potenter seruet, Spiritu suo clementer regat, & dona sua tam spiritualia quàm corporalia, quæ cumulatissima in C. T. & agrum VVirtembergensem contulit, quotidie augeat ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ propagationem, sincerioris doctrinæ illustrationem, & communis patriæ conseruationem, Amen. Brunsuigæ ipso die* POLYCARPI *martyris. Anno incarnati Filij Dei, M. D. XCIII.*

Cels. T.
Obsequentissimus

Polycarpus Lyserus, D. suo & hæredum Chemnitianorum nomine.

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO, POLYCARPO Lysero, D. Brunsuiga VVittebergam reuocato, S.

QVI fatum negat in vestigia prima reuerti,
Et similes vni non vno tempore lusus
Fingere, te videat tantùm POLYCARPE, tuósque
Attendat casus, qui fato prorsus eodem
Huc veniens ades, & nostra discedis ab vrbe.
Quintus abhinc abiit reuolutis mensibus annus,
Ex quo te vigilem nobis optauimus: istud
Accidit iis gratum auditu, quos improbus error
Egerat in præceps imo eructatus ab Orco,
Vt pietate grauem multâ, meritisque fideque
Submotum vellent, modò ne qua fraude putares
Ipsorum fieri, quod aperta fraude videres
Ipsorum fieri, qui nec curare pararunt,
Quid gemeret plebis pietas, operúque Magistri,
Quidq; ministeriũ, quid maximus Ordo minorq;,
Quid studiosa cohors, omnis quid terra polusq;,
Qui te pastorem semper gregis esse volebant:
Aut vbi prorsus erat tanto doctore carendum,
Temporis absentem modica breuitate reuerti,
Esse sibi quod opus meminisse teque tuisque:
Sic te plebs tristem tristis dimisit, & inter
Spemq; metumq; hærens rediturũ credidit olim.
Tu quoque non vano promittens omine, dixti:
Te post non multos rediturum protinus annos.
Nũc tua te reuocat prior hinc Ecclesia: sunt hîc,
Iucundum quibus hoc cadit, ô, qui velle videntur
Huic vrbi prodesse: sed ah ne fortè nocerent
Incauti: nam te cupit hæc Ecclesia multos
Pastorem sancti fidum gregis esse per annos,
Aut si te nequeat semper retinere magistrum,
Tempora vel tandem lętum post pauca reuerti,
Quod sibi te studiisque tuis opus esse fatetur.
Sic tristes tristem dimittimus, inter & ipsi
Spẽ certâ, dubiũque metum, & pia vota precesq;
Leniter hærentes rediturum credimus olim,
Quum te visus item & certo prædicere nobis
Munus ad hocce citò rediturum in Saxonis vrbes
Hæc fati via prima fuit Albis in ora,
Quod nunc hæc eadem hoc anno vestigia carpit,
Eius & hic idem diuerso tempore lusus
Luditur in te vno: Quid nunc optemus amici?
Scilicet in multis eadem in vestigia fati
Vidimus, & lusus similes, ô pergat in illo
Ludere idem casu, lapsis vt mensibus anni
Non multis huc te liceat vidisse reuersum.
Téque frui, vultusque tuos atque ora tueri
Perpetuo, vates & vt hîc verissimus esse
Pergas, sancta modò ceu te plebs ista recepit;
Æternumque frui sperat te posse, cupitque
Vt vates illîc verum dixisse puteris.
Hæc ideò veteri te consuetudine vulgi
Vincla reluctantem religent, exilia vincla,
Credo equidem, sed quę fati mens æqua benigni
Constrinxit valide, quæ te labentibus annis
Huc retrahant non vana: sed ô POLYCARPE caueto
Rumpere, quæ clemẽs fatum volet integra nobis,
Teque finas illis ad nos aliquando reduci.
Noster es interea, nec quæ te multa putantem
Longius ex oculis remouent, vt corpore distes,
Hæc eadem faciant animo distare fideli
Interualla loci: tua sit mens nostra tuusque
Sensus, vt & noster tuus est Christíque, tuoque,
Qui potes, & nobis opus est, succurre labore,
Quo præsens miseris succurrere sæpe solebas.
Sancta quod his annis nostri concordia cœtus
Visa fuit, puri seruataque semina verbi,
Et quod colloquij vultum reuerenter habere
Sustinuit quisquam, nec totum mole sub omni
Concidit, afflicti grauitas si qua esse putanda est,
Acceptum ferimus meritò tibi sedulus insta,

Vt quamuis absens hæc nobis omnia serues
Consilio scriptisque bonis, operaque benigna.
Quod spectare licet magni monumenta laborũ
CHEMNITII, multo rerũ quæ pondere præstant,
Multaque arte tuum est, lucem non inuidus illis
Qui dare cœpisti, genio qui scripta sagaci,
Eruta de tenebris profers squalentibus ista,
Et veluti laceræ pannos fragmentaque vestis
Colligis, & cautæ submittens omnia limæ
Iudicioque tuo docto sic publica sistis,
Vt possint specie satis apparere decente,
Quam non addiderat præreptus morte magister.
Et quia sunt huius tanti non omnia vatis
Edita, quæ lucem curâ meruere senili,
Exere tu vires genij POLYCARPE, tuisque
Impiger hæc operis deprome è diuite penu
Scripta viri, seris habeant vt secla sub annis.
Omnia solêrti studio auctorisque tuoque.
Sic viuet nobis, qui mortuus esse videtur.
CHEMNITIVS, sic tu nobis manifestus adesse
Apparebis, vbi per te vox nota sonabit.
CHEMNITII, cures, quod vt absens vsq; rogamus,
Sic prodesse potes nimirum absentibus olim.
Denique viue diu Christo, nobisque tuisque,
Æternum salue nobis Diuine LYSERE.
Salue iterum atq; iterum nobis Diuine LYSERE.

Ipso die Polycarp. Martyris anno 1593.
M. Fridericus Petri ludens faciebat.

IN 26. IANVARII DIEM, POLYCARPO MARTYRI SACRVM, AD REVERENDVM ET CLARISSIMVM VIRVM, Dominum D. POLYCARPVM LYSERVM, Brunsuiga Wittebergam redire parantem, M. ANDREAS MOLLERVS, Ecclesiæ Brunsuicensis Vlricanæ pastor.

IAM *tua post festum Cilicis* POLYCARPE *magisti*
Lux redit, ô quoties (factum reminisceris) illa est
Lux mihi, lux aliis candente notata lapillo:
Cum pro more tibi stringendis vincla lacertis
Texuimus cum tu simulato marte vicissim
Pugnabas, tanquam qui vincere nollet amicos.
Est animus iam nunc etiam vincire, ligatum
Est animus retinere: procul ne forte remoto
Tam fido nobis malè sit Doctore carendum.
Ast vbi sunt funes circumspicientibus? Eheu
Quæ manus hos nobis, quis fur malus abstulit? ô nos
Iam miseros, sub te prius ô POLYCARPE *beatos.*
Siccine carum adeò pectus diuellere caris
Pectoribus? mihi crede, nihil, nisi vera loquenti,
Nostra simul tecum migrabunt gaudia: triste
Nam sine te POLYCARPE *mihi tam viuere, dulce est*
Iam POLYCARPE *mori. Dirum Deus omen in hostes*
Vertat, & in melius, quæ mens timet anxia, mutet.
Cum sua desereret LVTHERVS *templa, ducisque*
Egregij monitu tutis se conderet oris
Hospitioque sui pathmi, quas, heu mihi, turbas
CARLSTADIVS *dabat interea? quas, heu mihi, turbas*
Mõstra dabũt hînc te procul ô POLYCARPE *profecto,*
Quæ Christi vastant horrentia monstra viretum,
Ni custos Deus ipse suis hæc arceat aruis?
Euomet hæc etiam stygij rex luridus orci.
In septum BRVNSVIGA *tuum, si credere pergas*
Omnia, ni caueas aliorum prouida damnis,
Post cœlos, BRVNSVIGA *meo carissima cordi.*
Quid tamen hinc POLYCARPE *procul te disgregat vt spes*
Optati reditus vel nulla vel ægra supersit?
Nota quidem nobis in te pia gratia summi
Est Ducis, & veteris iustissima cura Licai,
Et Sanctum pubis studiumque laborque docendæ:
Diuinare tamen si quid licet amplius, annon
Hæ simul hûc furiæ tres conspirasse videntur?
Liuor iners, stultis erecta superbia cristis,
Inque bonos tacitis armata calumnia telis.
Fallor, an hæ nobis rapuerunt vincula diua,
Vincla quibus fueras quoque nunc POLYCARPE *tenendus?*
O fallar potius, quàm veri nuncius oris
Dicar. At interea comitis vestigia PAVLI
Tu lege, te tantum nec tædeat esse secutum
Per varios casus, per mille pericla magistrum,
Hoc duce nullius pigeat, POLYCARPE, *laboris.*
PAVLVS *voce prius curabat ouilia Christi,*
Pastor idem præstans votis ardentibus absens
Tu quoque desertos porrò ne desere: tu quod
Et potes, & nobis opus est aliquando futurum,
Consilijs absens, votisque fidelibus asta.
Eruta tu latebris, & nocte latentia scripta
CHEMNITII *in lucem nobis* POLYCARPE *dedisti.*
Plura viri tanti restant monumenta, sagaci
Ingenio limaque tua dignissima: neruos
Impiger hûc POLYCARPE *tuos intende relicto*
De grege non melius meriture, aut sanctius, absens
Scilicet arctoæ vates doctissimus oræ
CHEMNITIVS *dum vita fuit, nunc arce repostus.*
Siderea tamen hic viuit, dum pulpita templi
CHEMNITII *notis resonabunt vocibus, & dum*
CHEMNITIANA *situ scripta intemerata legentur.*
Denique sis noster, noster POLYCARPE *maneto:*
Sum tuus & sine fine tuus POLYCARPE *manebo*
Cum sociis, quorum sine felle & candida nosti
Pectora, sic in te sibi constatura deinceps.
De te nil dubito: si tu tamen ambigis, istas,
En, desiderij pignus, pius aspice chartas.

M. A. M. F.

HARMONIÆ MVSICÆ, ET EVANGELICÆ SYMPHONIA METRICA ad Cl. V. Dn. D. POLYCARPVM LYSERVM scripta à PAVLO M. F. CHEMNITIO.

V*T, si disparibus spatijs, compagine iusta,*
Quatuor inter se vocum discrimina iungas,
Discors emergit grati concordia cantus,
Concors emergit grati discordia cantus,

Aures

Aures insolitâ quaquâ mulcedine pulsans:
Atque si Vatum, motu qui Flaminis acti
Diuerso Christi scripsere volumine vitam,
Quadringam vnius sub formam temporis aptes
Historiam, ac certo systematis ordine nectas,
Concors exsurgit sacri symphonica cantus,
Harmonica exsurgit sacri concordia cantus,
Mentes ambrosiâ quaquâ dulcedine pascens.
Altius hac paulo iuuat euoluisse: patebit
Quam pulcrè Harmonia Symphonia Musica sacrà
Conueniat: vana fuerit nec forsan opella.
Musica qui docto condunt modulamina plectro
Artifices, artis ducunt cultique lepôris,
Si quasi vox trudat vocem, dulcique sequelâ
(Quam dixère fugam) premat altra subinde priorem:
Cumque sit exili grauis, atque elata profunda
Mixta, fuga seriem vox grandior vltima claudat:
Nec minima hac docti censetur gratia cantus.
Sic quoque Christiados Symmetria sacra fugarum
Quarundam constat vicibus, cum temporis inter
Nonnullâ veniente morâ, scripsere quaterni.
Mysta quisque sui monumenta sacrata laboris.
Matthaeus quasi voce praeit: mox ordine Marcus
Insequitur: Lucas hinc filo pergit eodem:
Vltimus inde chorum Ioannes fulmine vocis
Grandisonante tonans claudit, Fideique tremendam
Tartareis portis Basin altâ in rupe reponit
Temporis hac: quod si seriem spectare iuuabit
Historiae, noua se prodet fuga, suauis & ipsa.
Praefatus Lucas ceu praecinit: inde beatam
Zacharidae memorat sobolem sanctosque Puellae
Conceptus, & dia noui miracula partus.
Matthaeus, longâ retrò propagine ductâ,
Iessaeo Christum productum germine monstrat.
Mox, vti vera aquila & Christo dilecta volucris
Ioannes, coeli caput inter nubila condens,
Diuina Christi deducit origine stirpem,
Aeternumque probat solido fundamine Numen,
Hac velut Herculea sternens monstrà improba claua.
Posterior Marcus subiens sacrosancta lauacra
Baptistae, Christique ineuntia munia cantat.
Hisce fugis Euangelici Symphonia cantus
Incipit, atque alia ex aliis exinde sequuntur.
At verò notulis formatur cantio, textu
Concinitur, textumque nota plerunque sequuntur.
Praefixa & clauis sua vocibus, ipsaque quanquam
Diuersa est aliis, textus tamen omnibus idem est.
Harmoniae sacrae notulae sunt Grammata: Textus
Historiae: Clauem sermonis forma figurat:
Materia, variante stylo, tractantur eadem.
Ast licèt eiusdem textus ceu tramite voces
Decurrant, tamen haud vrgentur passibus aequis.
Saepe, interiecta pausa, vox vna quiescit:
Nunc bino tantum, terno nunc agmine vocum
Itur, nunc plenis concurritur vndique turmis.
Cumque aliàs diuisa ferè sint agmina, semper
Sub finem iuncta conclamant voce cohortes,
Haud secus vna quidem calamo contexta quaterno est
Historiae sacrae series, at dispare forma.

Saepe vno tantum vatum narrante, quiescunt
Represso calamo reliqui, quasi pausa iuberet.
Sic bini quandoque eadem simul acta recensent,
Mox sese adiungit quoque tertius: vltimus inde
Consonat, & sua cum reliquis suffragia iungit.
Tandem vbi sub finem deuentum, atque vltima telà
Texitur historiae, parili sudatur opella,
Dum quasi certatim Christi flagra, vulnera, mortem,
Et partum pretium nece, funere munera cantant.
Crebro etiam modulis, ornatus nomine, suauis
Clausula miscetur, multo comitata lepôre.
Qualiter Harmoniam sacram praesignia dicta
Exornant, vitaeque salubria verba deconant.
Porro limitibus certi conclusa tenetur.
Cantio quaque Toni, quos citra siue, vel vltrà
Limatum quodcunque melos consistere nescit.
Quis neget Harmoniae nostrae modulamina carnè
Lege cauere Modi, qua circunscripta regantur?
Quanam scitaris? Ioannem audito loquentem.
Haec, inquit, literis isthoc mandata fuere
Fine, vt credatis, quod Iesus, stirpe Dauidis
Cretus, is ipse siet promissus Patribus Heros,
Filius aeterno pro maiestate Parenti.
Vtque in eo quicunque fide haud dubitante recumbit,
Aeterna ipsius potiatur nomine vita.
En Modus en limes cantus, en summa salutis.
Denique solertis superest ars docta magistri,
Qui Symphoniacum moderetur prouidus agmen.
Mysticus ille chorus quonam ductore, magistro
Et quo gaudes? habe: sanctus dux agminis huius
Spiritus est, Vatum cuius virtute calescunt
Pectora, qui mentem, dextram, calamumque gubernat:
En constat, veluti modulatio musica sacrum
Hunc Euangelici concentum codicis aptè
Illustret, formaque vt conueniente decoret;
Materiae tantum fastigia summa secutum
Sit satis: alterius tractatio plenior esto.
Quod reliquum est: opus Harmonicũ contexere multis
Cura laborque fuit, nec vana industria: laude
Quisque sua veluti digni, sic iure vehendi.
Tentaras similem multò sudore laborem
CARE PARENS, operis magna iam parte peracta.
Sed dum sacra tibi haec Concordia conditur, inter.
Longum optata venit Concordia publica, sanctum
Religionis opus coeptum abrupitque laborem.
Nil minus Harmonicam Christi praetexere vitam
Cum cuperes, ipsius vita de munere cedis.
Quid tamen imperfecta licet tibi, Lector amice,
En dantur, studio tu candidus vtere nostro.
At tu, defuncti quo successore PARENTIS
Optato sextâ iam nunc gaudemus aristâ,
Clare LYSERE, agedum coepto, ast incude relicto
Sub mediâ, succede operi, parteque PARENTIS
Hac quoque parte subi, & vestigia ponè sequare
Haud tibi subsidia hinc inde instructissima desunt:
Ingenium solers, doctrina diserta, peracre
Iudicium, & rerum varius tibi suppetit vsus.
Aude atq; aggredere: en, Christo duce & auspice, Flatu
Concomitante sacro, Decus immortale sequetur.

CAPVT XXXIIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ CONTINENS HISTORIAM, DE INITIO PVBLICÆ PRÆDICATIONIS CHRISTI in Synagogis Galilææ: Et quomodo in patriam Nazaretham venerit, ac à ciuibus suis eiectus sit, Lucæ 4. versu 14.

RATIO ORDINIS.

SVpra ostendimus, quare initium secundi anni ministerij Christi in exordio publicæ prædicationis eius in Synagogis Galilææ constituere visum sit. De ordine autem historiarum in principio secundi huius anni, scriptorum Ecclesiasticorum sententiæ variant. Quidam existimant, id, quod Luc. 4. v. 15. scriptum est, *Et glorificabatur ab omnibus*: idem esse cum eo, quod Ioannes dixit cap. 4. v. 45. *Cùm venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi.* Atque ideò in Harmonia verba ista Ioannis & Lucæ coniungunt, & periodum illam, Luc. 4. v. 14. de reuersione Christi in Galilæam, in Harmonia ponunt ante historiam sanati filij Reguli. Sed circumstantiæ rectè consideratæ ostendunt diuersitatem. Ioannes enim loquitur de Galilæis excipientibus Christum in ipso, vt ita dicam, introitu Galilææ: & causam addit, *Quia*, scilicet, *viderant signa, quæ Hierosolymis in festo fecerat.* Lucas verò illam suam δοξασίαν, seu glorificationem dicit factam, cùm iam publice in Synagogis ipsorum Iesus doceret; & causam eius glorificationis scribit Galilæos sumpsisse ex illis, quæ in Synagogis ipsorum tunc faciebat. Manifestum igitur est, illa verba Lucæ 4. commodissime post filium Reguli collocari. Ex illo enim miraculo fama exiit per vniuersam regionem. Cumque mox postea in Synagogis inciperet docere, glorificatus fuit ab omnibus. Ita periodus illa Luc. 4. v. 15. commodissime subiungitur historiæ de sanato filio Reguli.

Statim autem Lucas annectit historiam, quid in Synagoga Nazarethana acciderit. Quæ sane commodissima ratio ordinis est. Mox enim sequitur in Matthæo de relicta Nazaretha: cuius causam Lucas prius describit. Atque ita postea Matthæus & Marcus scriptiones coniungunt.

Vnicus autem scrupulus obstare videtur. Quia enim inter signa in Galilæa edita, illud in Reguli filio factum secundum est Iohan. 4. v. 54. Si ergo dicamus, Christum rectà & statim ex Cana venisse Nazareth, Luc. 4. v. 23. non poterit constare, quod ibi scriptum est *Quæcunque audiuimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua.* Cùm in præcedentibus nullum adhuc miraculum in Capernaum factum legitur. Necesse igitur est Christum, priusquam in patriam, Luc. 4. v. 16. rediret Capernaum, signa quædam edidisse. Hic scrupulus adeò mouit Augustinum, de Consens. Euang. 2. cap. 62. vt propterea hanc historiam, Luc. 4. v. 14. per integrum ferme annum transponat, & commisceat cum ea, quæ de Nazarethanis, Matth. 13. v. 54. descripta est. Vt vere dici possit. Luc. 4. v. 23. *Quæcunque audiuimus facta in Capernaum, &c.* Epiphanius Hæresi 51. ideò miraculum de restituta manu arida, & de sanata socru Petri ponit ante hanc Nazarethanam historiam, Luc. 4. vers. 14. Alij ea, quæ Matth. 4. vers. 13. vsque ad finem in tota Galilæa facta scribuntur, præmittunt, & post illa demum subiungunt Nazarethanam hanc historiam, Luc. 4. v. 14. Ita enim existimant rectè dici. Luc. 4. vers. 23. Quæcunque audiuimus in Capernaum facta, &c. Et illi omnes id quod Matth. 4. v. 13. scriptum est, (Et relicta Nazaretha) ita interpretantur, quod Iesus Cana exiens, cum in itinere illo versus Capernaum Nazaretham obuiam haberet, illam tunc non sit ingressus, sed præterierit eam, & prius Capernaum profectus sit. Sed Matthæus verbo κατῴκησεν ostendit, se loqui de ea migratione, quando Iesus habitationem suam ex Nazareth transtulit Capernaum: cuius commigrationis causa omnino, Luc. 4. v. 13. describitur.

Cùm itaque hic ordo historiarum commodissimus sit, & optime fluat: maxime vero, quia valde conueniens est, vt inter conciones, quæ in Galilæa à Christo habitæ describuntur, primum locum obtineat doctrina de vocatione ipsius, Luc. 4. v. 18. diu multumque cogitaui, quomodo hic ordo historiarum seruari, & simul saluari posset illud: *Quæ audiuimus facta in Capernaum.* Luc. 4. vers. 23. Et primum hoc vidi, miraculum illud, Ioann. 4. vers. 46. rectè dici factum in Capernaum. Licet enim Christus in Cana tunc fuerit, editum tamen fuit signum illud in filio Reguli decumbente in Capernaum. Sed hoc nondum satis est. Non enim de vno signo, sed de pluribus loquitur sententia illa. Luc. 4. v. 23. *Quæcunque, &c.* Nec dici potest tunc, cùm Ioh. 2. v. 12. *Iesus ex Cana descenderet Capernaum*, quædam signa ibi facta: aliàs enim Reguli signum non posset inter ea, quæ in Galilæa facta sunt, secundum esse, Iohan. 4. v. 54. Nec sensus esse potest, qui Iohan. 2. v. 12. Iesus cum discipulis suis, descendens in Capernaum sine dubio priuatim tunc ibi docuit, quod Nazarethani & de signo in Reguli filio Capernaum decumbente, Ioan. 4. v. 46. edito, & de iis, quæ ibi antea Ioh. 2. v. 1. 2. docuerat, loquantur cù dicant: *Quæcunque audiuimus facta in Capernaum &c.* De signis enim historia illa manifeste loquitur, & nō de iis, quæ priuatim, sed quæ publice facta sūt. Dicit enim, *quæ audiuimus, &c.*

Tandem igitur circūstantiis in descriptione Lucæ diligenter consideratis, vidi non necesse esse, historias ita ordinare, quasi Christus post sanatum filium Reguli, statim & rectà ex Cana Nazaretham venerit. Lucas enim diserte dicit: *Iesum*, priusquam veniret Nazaretham, docuisse in *Synagogis Galilææ*. Sed in quibus Galilææ locis id factum fuerit, Lucas non explicat. Et Matthæus ea, quæ post relictam Nazaretham facta sunt, describit, c. 4. v. 13. Christus ipse verò cùm post hæc venisset Nazaretham, Lu. 4 v. 23. expresse nominat Capernaum. Et sicut Ioh. 2. v. 18. non dicit expresse, quod in festo Paschatis Iesus Hierosolymis signum aliquod ediderit, imò cùm Iudæi signum flagitarent, dicit Iesum hoc recusasse. Postea verò alia occasione, Ioh. 3. v. 2. Nicodemus, & Ioh. 4. v. 45. Galilæi narrant, Iesum in festo illo multa & magna edidisse. Ita cùm Lucas dicat, Iesum tantum docuisse in Synagogis Galilææ, ipse autem Iesus postea in Synagoga Nazarethana, Luc. 4. v. 23. affirmat, se in Capernaum simul etiam multa & magna signa fecisse, priusquam veniret Nazareth: ideo rectè inde colligitur, quod Lucas dicit: *Glorificabatur ab omnibus, & fama in vniuersam regionem exiit de ipso*, & de doctrina, & de miraculis ante aduentum ipsius ad Nazarethanos intelligendum esse: quod in descriptione primæ periodi Lucas ideo misit, quia mox in persona Christi illud narraturus erat: *Omnino dicetis mihi, quæcunque audiuimus facta in Capernaum, &c.*

Atque hoc modo plana sunt omnia, & ordo historiarum ita commodissime cohæret etiam in sequentibus.

Quod verò ad coagmentationem Harmoniæ attinet, verba illa Marci: *Post traditum Iohannem venit Iesus in Galilæam*: & Lucæ verba: *Reuersus est virtute Spiritus in Galilæam, &c.* potuissent inseri, vel in principio c. 4. v. 3. Ioh. vel in illo loco Ioh. 4. v. 43. vbi Euangelista dicit: *Exiit inde & abiit in Galilæa*: quod ab aliis rectè factū est. Sed ne historiæ in principio secūdi anni ministerij Christi quasi ex abrupto incoœrentur, volui verba illa integra hoc loco adscribere. Vt tamē intelligatur, quomodo reuersus venerit in Galilæam, Ioh. 4. v. 43. exponi: Matthæum verò, Marcum & Lucam describere, quomodo in Galilæam reuersus publicam prædicationem in Synagogis incoarit.

HISTORIA DE INITIO PVBLICÆ PRÆDICAtionis Christi in Synagogis Galilææ. Et quomodo cum in Nazaretham patriam venisset, ac in Synagoga ibi docuisset, à ciuibus eiectus fuerit, Mar. 1. Luc. 4.

b Μετὰ δὲ τὸ παραδοθῆναι τὸν Ἰωάννην,

b *Postquam autem comprehensus esset Ioannes,*

14. c Καὶ

14. c Καὶ [illegible] ὁ Ἰησοῦς ἐν τῇ δυνάμει τοῦ Πνεύματος [illegible] ἦλθεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, κηρύσσων τὸ [illegible] τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. c καὶ φήμη ἐξῆλθεν [illegible] ὅλης τῆς περιχώρου περὶ αὐτοῦ.

15. Καὶ αὐτὸς ἐδίδασκεν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν δοξαζόμενος ὑπὸ πάντων.

16. Καὶ ἦλθεν εἰς τὴν Ναζαρέθ, οὗ ἦν τεθραμμένος· καὶ εἰσῆλθε, κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων εἰς τὴν συναγωγὴν καὶ ἀνέστη ἀναγνῶναι.

17. Καὶ [illegible] αὐτῷ βιβλίον Ἠσαΐου τοῦ προφήτου· καὶ [illegible] τὸ βιβλίον, εὗρε τὸν τόπον, οὗ ἦν γεγραμμένον·

18. Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμέ, οὗ εἵνεκεν ἔχρισέ με, εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με, ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν, κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει.

19. Κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν.

20. Καὶ πτύξας τὸ βιβλίον, ἀποδοὺς τῷ ὑπηρέτῃ ἐκάθισε· καὶ πάντων ἐν τῇ συναγωγῇ οἱ ὀφθαλμοὶ ἦσαν ἀτενίζοντες αὐτῷ.

21. Ἤρξατο δὲ λέγειν πρὸς αὐτοὺς· Ὅτι σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφὴ αὕτη ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν.

22. Καὶ πάντες ἐμαρτύρουν αὐτῷ, καὶ ἐθαύμαζον ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος, τοῖς ἐκπορευομένοις ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ ἔλεγον· Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς Ἰωσήφ;

23. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· Πάντως ἐρεῖτέ μοι τὴν παραβολὴν ταύτην· Ἰατρέ, θεράπευσον σεαυτόν· ὅσα ἠκούσαμεν γενόμενα ἐν τῇ Καπερναούμ, ποίησον καὶ ὧδε ἐν τῇ πατρίδι σου.

24. Εἶπε δέ, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς προφήτης δεκτός ἐστιν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ.

25. Ἐπ' ἀληθείας δὲ λέγω ὑμῖν, πολλαὶ χῆραι ἦσαν ἐν ταῖς ἡμέραις Ἠλίου ἐν τῷ Ἰσραήλ, ὅτε ἐκλείσθη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ ἔτη τρία καὶ μῆνας ἕξ, ὡς ἐγένετο λιμὸς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν.

26. Καὶ πρὸς οὐδεμίαν αὐτῶν ἐπέμφθη Ἠλίας, εἰ μὴ εἰς Σάρεφθα τῆς Σιδῶνος πρὸς γυναῖκα χήραν.

27. Καὶ πολλοὶ λεπροὶ ἦσαν ἐπὶ Ἐλισσαίου τοῦ προφήτου ἐν τῷ Ἰσραήλ· καὶ οὐδεὶς αὐτῶν ἐκαθαρίσθη, εἰ μὴ Νεεμὰν ὁ Σύρος.

28. Καὶ ἐπλήσθησαν πάντες θυμοῦ ἐν τῇ συναγωγῇ, ἀκούοντες ταῦτα·

29. Καὶ ἀναστάντες ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω τῆς πόλεως· καὶ ἤγαγον αὐτὸν ἕως τῆς ὀφρύος τοῦ ὄρους ἐφ' οὗ ἡ πόλις αὐτῶν ᾠκοδόμητο, εἰς τὸ κατακρημνίσαι αὐτόν.

30. Αὐτὸς δὲ διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν, ἐπορεύετο.

14. c *Reuersus est Iesus cum virtute Spiritus, b & venit in Galilaeam, praedicans Euangelium regni Dei: & fama exijt per vniuersam regionem de illo.*

15. *Et ipse docebat in Synagogis eorum, & glorificabatur ab omnibus.*

16. *Et venit in Nazareth, vbi erat nutritus: & intrauit, secundum consuetudinem suam, die Sabbathorum in Synagogam: & surrexit, vt legeret.*

17. *Et traditus est illi liber Esaiae Prophetae: & vt explicuit librum, inuenit locum, vbi scriptum erat:*

18. *Spiritus Domini super me, propterea quòd vnxit me: ad Euangelizandum pauperibus misit me, vt sanem contritos corde, vt praedicem captiuis dimissionem, & caecis visum: vt confractos emittam per remissionem.*

19. *Vt praedicem annum Domini acceptum.*

20. *Et complicato libro reddens ministro, sedit: & omnium in Synagoga oculi erant defixi in eum.*

21. *Coepit autem dicere ad eos: Hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris.*

22. *Et omnes testimonium suum illi dabant, & admirabantur super gratia sermonum, qui procedebant ex ore ipsius, dicebantque: Nonne hic est filius Ioseph?*

23. *Et ait ad eos: Omninò dicetis mihi hanc similitudinem, Medice cura teipsum. Quaecunque audiuimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua.*

24. *Ait autem: Amen dico vobis, quòd nemo Propheta acceptus est in patria sua.*

25. *Sed in veritate dico vobis, multa viduae erant in diebus Eliae in Israel, quando clausum est coelum annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames magna per omnem terram.*

26. *Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarephtha Sidonis, ad mulierem viduam.*

27. *Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo Propheta: & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.*

28. *Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, audientes haec.*

29. *Et insurrexerunt, eiecerunt que eum è ciuitate: & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas ipsorum erat aedificata, vt praecipitarent eum.*

30. *Ipse autem transiens per medium ipsorum, ibat.*

Periocha huius Historiae.

L[illegible] post consummatas tentationes Christi in deserto, [illegible]: *Et reuersus est Iesus in Galilaeam.* Iohannes verò cap. 1. v. 29. scribit, Iesum ex deserto primùm in Peraeam [illegible], vbi Iohannes baptizabat, rediisse. Et tunc quidem [illegible] aliquot dies abiit in Galilaeam, Ioan. 1. v. 43. Sed Lucas [illegible] de illo reditu Christi in Galilaeã loqui, quando [illegible] publice in Synagogis Galilaeae docere: quod Marcus [illegible] esse post traditum & comprehensum Baptistam. Ideò Lucae & Marci verba coniunxi.

Dicit igitur Iesum tunc *in virtute Spiritus* reuersum in Galilaeam. Quod ex antithesi simplicissime intelligi potest: quod scilicet [illegible] tali plebeia & obscura humilitate, sicut, cũ [illegible] vsque ad [illegible] annum 30. priuatam in Galilaeam vitã [illegible], ac [illegible] in nuptiis vnico miraculo statim discederet. Sed quod iam in Galilaeam redierit ἐν δυνάμει Spiritus, accepta manifesta & publica ostensione in doctrina & miraculis, non physicae alicuius facultatis, tanquam ψιλὸς homo, sed diuinae potentiae eius Spiritus, quo adhibito, visibili columbae descendentis symbolo in Baptismo coelitus vnctus fuerat, maiora scilicet, plura & illustriora, quam hactenus in Galilaea fecerat, Spiritus seu diuinae suae potentiae documenta manifeste & publice ostendens. Cumque in Synagogis Galilaeae publice cum tali auctoritate, sicut postea Euangelistae scribunt, doceret, & miracula ederet, (signa enim iam tum doctrinae ipsius adiuncta fuisse, Christus ipse in Synagoga Nazarethana testatur) duo secuta fuisse, Lucas ostendit: 1. *δοξαζόμενος ab omnibus*, hoc est, Galilaei & alij propter doctrinam & miracula, coeperunt praeclare, honorifice, seu gloriose de ipso sentire & loqui, magnam ipsi auctoritatem tribuere, ac cum reuerentia in singulari honore ipsum habere. Haec enim omnia vocabulum δοξαζόμενος complectitur. 2. *Fama exijt per vniuersam regionem de illo*: Iesum scilicet Nazarenum qui apud Iordanem Messias renunciatus esset, quique Hierosolymis in festo, & in Iudaea stupenda signa edidisset, iam in Galilaeam rediisse, atque ibi publice in Synagogis doctrina & miraculis virtutem & efficaciam diuini Spiritus palàm ostendere. Inde enim & ea ratione factum est, quod in Synagogis publice docendi locus ipsi concessus & tributus fuit,

quod turbæ vndique ad audiendum ipsum concurrerunt. Hęc clausula apud Lucam posset accipi, tanquam generalis propositio, quod in Synagogis Galilęę Iesus docuerit. Cuius explicatio mox subiungitur, in quibus Synagogis, & quomodo docuerit: transeundo scilicet ex Cana in Nazareth, inde in Capernaum, &c. Sed quia Iesus ipse in Synagoga Nazarethana dicit, se in Capernaum signa fecisse, prius quam veniret Nazareth: ita ergo explicanda sunt illa verba Lucę, quod ex Cana Iesus digressus sit in alias partes Galilęę, ac in Synagogis quibusdam docuerit, ac miracula fecerit, pręcipue in Capernaum, priusquam Nazaretham accesserit.

Dicit igitur Lucas, Iesum, post peragratas aliquot Galilææ Synagogas, venisse Nazareth, à Ptolomaide maritima septé millibus passuum Orientem seu Iordané versus, ita, vt à monte Thabor, duobus millibus distet Occasum versus, & duobus millibus à Naim Septentrionem versus: à Cana vero Galileæ tribus millibus Orientem versus: à Capernaum vero sex millibus. Situs eius est in cōfinio tribus Zabulon & Nephthalim: vnde quidam tribui Zabulon, quidam Nephthalim eam attribuunt. Hieronymus scribit, obscurum iam vicum ab incolis vocari Nazara. Cum autem publicam prædicationem in Synagogis Galilęæ Iesus inchoare vellet, non primum apud Nazaræos incepit, vbi propter familiarem pristinæ humilitatis conuersationem ad docendum vix admissus fuisset. Sed cum iam in Galilęæ Synagogis aliis magnam sibi auctoritatem, sicut Lucas scribit, comparasset, tum venit Nazareth. Ita occasiones & commoditates ad lucrifaciendos ciues suos captauit, vt essent inexcusabiles.

Quia igitur in ciuitate Nazareth *educatus* fuerat, vsque ad tricesimum annum, vt pro nutritione beneficium spirituale, cœleste & æternum rependeret, peragratis aliquot aliis Galilęę Synagogis, eò profectus est. Addit autem Lucas rationem, quare Nazareth patria Christi appellata fuerit; scilicet, non quòd ibi natus fuerit, sed quod ipsi locum ad nutritionem & educationem præbuerat. Et parem deberi gratiam loco educationis & natiuitatis hæc descriptio ostendit. Nec ociosa est illa annotatio Lucæ. Messias enim non in Nazareth Galilęæ, sed in Bethlehem Iuda nasci debebat, sicut quæstio illa agitatur, Ioh. 7. v. 52.

{ *Die Sabbathi autem intrauit Synagogam, secundum consuetudinem suam.* } Quòd dupliciter intelligi potest: vel quod solitus fuerit, cum priuatus in Nazareth, vsque ad trigesimum annum viueret, diligenter Synagogas diebus Sabbathi visitare: vel quòd tempore Ministerij hanc consuetudinem seruarit, quod diebus Sabbathi Synagogas docendi gratia plerunque ingressus sit. Ibi enim maior frequentia populi conueniebat, & vestigia politiæ Ecclesiasticæ diuinitus olim ad ædificationem institutæ, quæ adhuc reliqua erant, libenter seruauit, vt suo exemplo ostenderet: propter quæ exercitia Sabbathum principaliter institutum sit, & quæ sit vera eius sanctificandi ratio. Hæc sententia receptior est. Nam & Ioh. 18. 20 cùm suspicione seditionis grauaretur, hanc Apologiam opponit: se in publicis illis locis, quæ in Ecclesiasticis conuentibus destinata erant, vt in templis & Synagogis publice docuisse.

Obseruandum autem est in hac descriptione, quæ fuerit consuetudo veteris Synagogæ, in exercitiis doctrinæ diebus Sabbathi. Non enim vndecunque, nec quomodocunque doctrina in publicis illis conuentibus proponebatur, sed vnus locus aliquis ex Scriptura prælegebatur, siue ex Mose, Act 15. v. 21. siue ex Prophetis, vt in hac historia: & Act. 13. v. 15. Vtrumque coniungitur post lectionem Legis & Prophetarum. Et verisimile est, sicut nunc in Synagogis lectio librorum Mosis per Sabbatha totius anni in certas ἀσυνχάς distributa est: talem distributionem tunc etiam Prophetarum fuisse. Et hoc scribunt factum esse tunc, quando lectio Legis ab Antiocho interdicta fuit. Ita cum Iesus surgeret legere, datus ipsi est à Ministro liber Esaiæ. 2. Post lectionem Scripturæ secuta est explicatio, quæ accommodata fuit ad doctrinam & exhortationem, Luc. 4. ver. 21. Actor. 13. vers. 16. Argumentum enim & fundamentum, siue doctrinæ, siue exhortationis ex Scriptura sumebant. 3. Hoc officium præcipue erat Scribarum, sicut ex Esdra colligitur. Et Luc. 10. vers. 26. Christus inquit: Quomodo scriptum est, quomodo legis? Liberum tamen erat & reliquis, qui donum docendi habebant, & legere & exhortari, certo tamen ordine, sicut manifestum est in hac historia & Actor. 13. vers. 15. Item 1. Corinth. 14. ver. 24. Ex collatione enim horum locorum ordo consuetudinis illius colligi potest. Et inde Iudæi nunc etiam in suis Synagogis has habét reliquias, quòd quando profertur Thorach, non præcentor tantum, sed & alij certo ordine ad locum editiorem lectioni destinatum, quem Memorah vocant, accedunt & legunt. 4. Est & hęc veteris Synagogæ consuetudo, quam ipsum Christum seruasse videmus, notanda, quod legentes seu recitantes textum (sicut nunc loquimur) Scripturæ, assurgunt & stant, quod indicium est reuerentiæ erga Scripturæ auctoritatem, in reliqua vero explicatione consident. Sed hoc, quia adiaphoron est, ideo Actor. 13. ver. 15. Paulus stans concionem in Synagoga habet, sicut & 1. Corinth. 14. versi. 30. docentes stant, reliqui sedent.

Multa autem tota hæc consuetudo monet. Doctrinam scilicet in publicis Ecclesiæ conuentibus, non esse vndecunque sumédam: sed ex Verbo Dei, quod in Scriptura traditum est, esse petendam, extruendam, probandam & confirmandam. Ideo enim lectio certi loci ex Scriptura concioni præmissa fuit. Et publico illorum assurgendi & considendi, monstratū fuit discrimen inter Scripturam & reliquas explicationes. Solius siquidem Scripturæ auctoritati ita esse assurgendum, vt de ea dubitare vel inquirere non liceat: reliquas verò explicationes ad Scripturam esse exigendas, & prout illi vel consentiunt vel repugnant, esse acceptandas vel repurgandas, & hoc in Synagogis ita seruatum fuisse, exemplum Berrhoensium, Act. 17. vers. 11. ostendit. Hæc obiter, quia multa monere possunt, annotare volui.

Cùm igitur Nazaręi Iesum, de cuius Ministerij actis fama iam pridem ad ipsos peruenerat, viderent in sua Synagoga esse, & quidem assurgendo significare, se velle aliquid legere, erectis omnium animis in expectationem, minister statim ipsi dedit libellum Iesaiæ Prophetę. Singula enim scripta verbi diuini vocantur βίβλοι & βιβλία, Luc. 3. v. 4. ver. 17. & 20. ver. 42. Heb. 9. v. 19. Ioh. 20. v. 30. & 21. v. 25. Et inde venit vsitata appellatio Bibliorum.

Datus autem ipsi est liber Iesaiæ Prophetæ, siue ordo publicarū Synagogæ lectionum illo Sabbatho hoc postulauerit, vt arbitror, siue ex illo Propheta, qui de Messia & plurima & clarissima habet testimonia, aliquid ab ipso legi voluerint. Vocabula autem πτύσσειν & ἀναπτύσσειν *complicare & explicare librum* alludunt ad formam librorum, quæ tunc temporis vsitata erat, cuius vestigia adhuc in Synagogis Iudæorum videre licet, vbi liber Legis duabus rotulis vtrique extremitati annexis ita circumuoluitur, vt lecturis euoluendus & explicandus sit. Et Græci interpretes verbum illud vsurpant de Ezechia expandente literas Rabsacis, 4. Reg. 19. vers. 14. Et obiter obseruetur, quod liber clausus traditur Christo, qui eum aperit & legit. Is enim aperit nobis intellectum, vt intelligere possimus Scripturam. Luc. 24. ver. 25. Cuius mysteria de solius Christi persona & officio rectissime intelliguntur. Ac conuenit hoc cū eo, quod Apoc. 3. vers. 9. scriptum est de libro clauso, quem nemo aperire potuit, nisi solus agnus Dei. Sed illum librum clausum rursus tradit Iudæis. Velamen enim oculis ipsorum in lectione Scripturæ Iudæis impositum quod in solo Christo tollitur, 2. Cor. 3. v. 14.

Explicans autem librum *ἐν Inuenit locum Iesaiæ*, siue diuinitus statim, cùm librum explicaret, in locum illum inciderit siue quæsierit & delegerit locum ad id, quod dicturus erat, maxime commodum. Verbum enim εὑρίσκω vtrumque significat; vt Matth. 27. v. 32. Inuenerunt Simonem Cyrenæum, casu scilicet transeuntem. Mar. 13. v. 36. Ne ex improuiso veniens inueniat dormientes. Rom. 10. ver. 20. Inuentus non sum quęrentibus. Sæpe verò iungitur cum verbo, Quærere, Matt. 7. v. 8. Qui quærit, inuenit. Marc. 14. vers. 55. Quęrebant falsum testimonium & non inueniebant, &c. Si verò ordinaria lectio illius Sabbathi fuit locus ille Iesaię, singulare consilium Dei conspicitur. Sed illa sententia planior est, quod Christus consulto locum illum delegerit, vt occasionem haberet de vocatione sua docendi. Nazareis enim fama de ministerio Christi, quia secundus iam annus agebatur, non erat ignota; sed quia spectatores fuerant educationis ipsius, quod scilicet literas non didicisset, Ioan. 7. vers. 15. sed fabrilia tractasset, Mar. 6. v. 3. vocationem seu missionem ipsius, ad hoc ministerium, quam apud reliquos miraculis comprobabat, ipsi omnino in dubium & suspicionem vocabant. Ideò locum illum Iesaiæ, in quo vocatio seu missio, & totius ministerij sui ratio clarissime describitur, legit, & complicato libro, sedens cœpit locum illum de sua persona, de ministerio suo docendi, & officio redemptionis interpretari.

Summam autem illius interpretationis Lucas hanc fuisse dicit: quod auditoribus Nazaręis confirmauit & demonstrauit, hæc apud Esaiam de sua persona, ministerio & officio prædicta esse, & in nullo alio, quàm in se impleri. Atque ita ostendit, hanc se omnino habere vocationem & missionem, quę ibi describatur, tale esse suum ministerium & officium, sicut locus ille Esaię explicet. Quod enim dicit, *Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris*, phrasis est significans: Audientibus vobis: vel, sicut audiuistis me legentem & explicantem. Vt sensus sit: Non est, quòd quęratur, de quo prophetia illa intelligenda sit: Quem enim hodie audiuistis legentem & explicantem, id est, de quo & in cuius persona prophetia hęc loquitur. Et cœperat quidem illa impleri in Baptismo, & in princi-

principio prædicationis: sed apud Nazaręos tunc completa fuit, quando audiuerunt ipsum Euangelizantem. Ideò dicit, Hodie in auribus vestris impleta est. Syrus simpliciter ita reddit: Scriptura hæc, quæ est in auribus vestris, quam audiuistis: impleta est hodie. Hęc vero in ciuibus Nazaręorum ita probauit, vt auditores suo consensu & testimonio interpretationem illam approbarent. Hęc enim est sententia horum verborum: *Hodie Scriptura hac impleta est in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant.* Et sine dubio, explicatio, qua ostendit discrimen inter suam personam, vocationem & officium, & omnium aliorum doctorum, suauissima & dulcissima fuit concio, mouens, afficiens & penetrans animos. Lucas enim dicit, omnes ab ore ipsius suspensos admiratos fuisse, *super verbis gratiæ, quæ de ore ipsius procedebant.* Nam & hoc prædictũ fuit. Isa. 50 vers. 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam. Et Psalm. 45. v. 3. Diffusa est gratia in labiis tuis. Obseruetur autẽ ex illis concionibus, quas in Galilæa habitas Euangelistę descripserunt, primam esse de vocatione seu missione. Hoc enim fundamentum est totius Ministerij: sicut Paulus in suis Epistolis semper pręponit vocationem suam ad Apostolatũ. Atque Hierosolymis in prima concione quęrunt de vocatione eius, Ioan. 2. v. 18. Et hoc loco initium concionis facit ab vnctione, quę duo complectitur: primò vocationem, secundò dona Spiritus ad ministerium necessaria. Quia verò Lucas breuissime tantum capita annotauit, seu quę fuerit summa concionis: vtile est, capita illa ex verbis Isaiæ mediocri diligentia colligere & expendere. Non enim dubium est, ipsum in aliis etiam Synagogis de missione sua sępius concionatum, quarum concionum argumentum & summa hoc loco describitur.

Quantum igitur primò ad personam suam attinet, dicit se vnctum esse non ab homine, sed ab Iehouah: non oleo externo seu corporali, quo vel Sacerdotes, vel Reges, vel Prophetæ vngebantur: sed Spiritu Domini, Act. 10. vers. 3. non ad mensuram, sed tota plenitudine. Atque significat se esse Messiam. Apud Esaiam enim est verbum משח vnde Messias appellationem habet. Et sine dubio differentiam vnctionum ostendit, ex Psal. 45. ver. 8. O Deus, Deus tuus vnxit te prę consortibus tuis.

Secundò, missionis seu vocationis suę testimonium, non oleum, sed Spiritum Iehouah allegat: & mentione vnctionis ostendit, se ad publicum munus promissi Messiæ vocatum esse. Et hoc sine dubio comprobauit per descensum Spiritus, & vocem paternam in Baptismo factam. Tali enim solemnitate nullus Prophetarum vnquam missus fuit. Et hęc de vocatione seu missione sua Christus non ambitionis gratia tractauit, & de se interpretatus est: sed multum per omnem modum refert tenere, Christum ea, quę in Ministerio & in officio Mediatoris agit, non priuato arbitrio aut humano consilio suscipere, sed Patre mittente, & Spiritu efficacia sua præsente. Vt sciamus ea, quę Mediator Christus agit, ex decreto Trinitatis fieri, & rata haberi à Patre & Spiritu sancto. Consideranda est autem phrasis: *Spiritus Domini* ἐπ' ἐμέ. Diximus enim in historia Simeonis, hanc phrasin vsurpari de donatione, afflatu & impulsu Spiritus prophetię. Et coniungit hęc duo: *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxit me Iehouah*: vt Hebręa sonant: Sicut enim vnctio externa efficaciam suam in corpore exerit, vt odorem etiam alij sentiant: ita hoc loco significare voluit, Spiritum in sua vocatione seu missione non esse ociosum, sed efficaciam & virtutem suam exerere, & aliis etiam ostendere. Ex vnctione igitur, *eò, quòd vnxit me*, vel ex baptismo, vel ex effectu probat, Spiritum Domini esse super se. Videtur autem obscurior esse sententia, siue secundum Hebręa legatur *eò, quòd vnxit me*, siue cum Gręcis legamus *Propter quod vnxit me*. Sed sententia plana erit, si adhibeatur distinctio illa, quã Hebraici accentus monstrant: ita scilicet: *Dominus super me, propter quod* seu οὗ ἕνεκεν propter hoc *vnxit*; id est, consecrauit *me, ad euangelizandum pauperibus*. (Hæc enim cōniungenda sunt, & post hac ponenda distinctio, ac subiungendum) *Misit me sanare contritos corde*: quam distinctionem etiam Syrus sequitur, addita coniunctione: Et misit me sanare. Hæc Hebraica distinctio totam sententiam illustrat. Porrò, quòd in medio sententię dicitur: *Emittere confractos in remissionem*, non sunt verba à Luca addita, sed sumpta ex Esaię 58. v. 6. Vnde apparet Christum duos hos Esaię locos legisse. Sed pergamus in annotandis capitibus concionis.

Tertio igitur Ministerium docendi, ad quos missus est Christus, valde luculenter in hac Prophetæ sententia explicatur, complectens prædicationem & pœnitentiæ & remissionis peccatorum. Dicit enim se missum esse *ad prædicandum cæcis* ἀνάβλεψιν. Non ergo ea, quæ rationi nota sunt, docebit, sed mysteria supra & extra omnem rationis conspectum posita, in quibus natura peccato deprauata, plane cæca est. Capita autem illius patefactionis hæc ponit. Omnes homines sua natura extra Christum esse contritos, captiuos, confractos, pauperes. Et natura quidem humana illis miseriis oppressa, non tantum in iis iacet, sed & cæca est, & vel securitate, vel pharisaica præsumptione sibi blanditur, vt summas illas miserias vere agnoscat, ideo tam multis ac variis vocabulis miseria nostra describitur. Christus igitur ita prædicat pœnitentiã, ostendens naturam humanam esse confractam, hoc est, tristissima peccati corruptione miserabiliter deprauatam, & onere Legis oppressam, propter quam corruptionem sit captiua, hoc est, in potestate tenebrarum seu regno diaboli; & sit contrita, hoc est, sub ira Dei, & in iudicio Dei, æterna damnatione conterenda: & præterea sit egena, quæ contra has miserias nullum in se remedium reperire potest. Ita multis vocabulis corruptio & miseria humanæ naturæ describitur, & singula magnam habent Emphasin, quæ recte considerata, ostendunt, quomodo prædicanda sit pœnitentia: vt scilicet agnitio peccati monstretur: & priuatiue, cæcis scilicet & pauperibus: & positiue, vt ita loquar, confractis scilicet & vulneratis, qui egent sanatione. Nec tantum nuda recitatione peccata in prædicatione pœnitentiæ sunt proponenda, sed addenda doctrina, de stipendio peccati: Naturam scilicet propter peccatum esse captiuam Satanæ, & iudicio Dei contendam, nec habere ex se, quod ad liberationem opponat. Et ex illa agnitione sequi debet talis sensus peccati & iræ Dei, qui vocatur contritio cordis. Atque ita ostendit Christus, qui sint, quos ad se inuitet, non superbi & securi, sed cõtriti. Et quomodo auditores suos idoneos & capaces reddat, ad recipiendam Euangelij gratiam, faciens scilicet eos ex sensu miseriarum esurientes & sitientes iustitiam. Et hæc est pœnitentia, quam filius Dei in suo ministerio prædicauit, cuius descriptio in hac Prophetæ sententia diligenter notandã est. Verbum θραύειν, quod communiter significat frangere, collidere, Græci interpretes varie vsurpant Exod. 15. ver. 6. pro violenta oppressione: Num. 16. v. 49. pro strage. Deut. 20. ver. 3. pro formidare. 1. Reg. 20. v. 34. pro contristari: Psal. 105. ver. 30. pro interruptione. Ex istis locis colligi potest, quæ significatio huic loco proprie conueniat. Hebraicus textus Esa. 58. v. 6. habet verbum רצץ à רצוצים quod significat collusionem, cõquassationem: vt quando arundo conquassatur, Esa. 42. vers. 3. Hoc Græci reddiderunt τεθραυσμένους. Aliud vero verbum, quod Græce redditum est συντετριμμένους. In Hebræo, Esa. 61. ver. 1. est שבה quod confringere & conterere significat. Et in Hebraico textu Esai. 61. v. 1. distincta sunt vocabula captiuorum & vinctorum. Nam שבוי Schabah captiuus est, qui ex sua patria abducitur in exilium, אסר vero, qui in carcere vinctus & ligatus est, propter certam quandam iuris obligationem. Et hæc differentia significationum ad doctrinam de pœnitentia, quæ prima pars est Ministerij Christi, pulcerrime potest accommodari.

Altera vero & præcipua pars ministerij Christi, Doctrina scilicet gratiæ, quæ Euangelij propria est, verbis plane exquisitis, in hac Esaię sententia, describitur. In illis enim pœnitentiæ terroribus, cæca est mens humana, sed filius Dei illuminat cæcos, proferens è sinu patris mysterium reconciliationis, idque pauperibus, hoc est illis, qui sentiunt & fatentur, se gloria Dei, gratia, remissione peccatorum, salute & vita æterna destitutus esse, ita, vt per se ea assequi non possint. Vtitur autem verbo בשר Bisar & εὐαγγελίσασθαι, quo vocabulo peculiari Prophetæ futurum in Nouo Testamento bonam, lætam & gratuitam annunciationem gratię Dei, & remissionis peccatorum per Christum denotarunt. Syrus habet verbum סבר deductum à radice, quæ significat expectare, sperare, confidere: vel quia Euangelium annunciat ea impleta esse, quæ patres diu expectarunt; vel quia doctrina Euangelij est obiectum fidei & spei. Vtile autem est obseruare quomodo capita doctrinæ Euangelicæ describantur in hoc dicto, quod Christus in Schola Nazaræorum interpretatus est. Et si instituatur antithesis, non opus erit prolixa explicatione. Prędicatio enim pœnitentię ex agnitione peccatorũ tria monstrauit. 1. Quod simus captiui Satanę. 2. Quod rei simus coram iudicio Dei ad æternam damnationem. 3. Quod cor terroribus illis cõquassatum & contritum sit. Et quomodo membra prædicationis Euangelij illis contritionis partibus respondeant, facile potest animaduerti. PRIMO Captiuis prędicatur dimissio, quod scilicet per & propter Christum liberati sint à peccato, diabolo, morte inferno. SECVNDO: Illis, qui iram Dei sentiunt, iudicium damnationis metuunt, prędicatur annus Domini acceptus de gratia scilicet, & misericordia Dei remittentis peccata, & acceptantis credentes ad vitam æternam Gręcum vocabulum δεκτὸν, non intelligendum est, quod annus ille fidelibus tantum gratus & iucundus sit, ob illam annunciationem: sed sicut Hebręi significantissimum vocabulum רצון habent, Gręce εὐδοκία significat gratuitum beneplacitũ, & beneuolam bonitatem Iehouę complectentis & accipien-

tis credentes propter Christum, vt sit annus placationis. Et totum tempus Euangelicæ prædicationis intelligendum esse ostendit Paulus 2. Cor. 6. ver. 2. Ecce nunc tempus acceptabile. Illud autem tempus vocat annum. Alludit enim ad annum Iubilæum, Leuit. 25. v. 10. In quo tria quæ huc pertinent, obseruanda sunt. In Iubilæo enim omnes serui fiebant liberi: Possessiones amissæ restituebantur, & omnes obligationes debitorum gratuito soluebantur. Talem spiritualem Iubilæū, inquit Christus se promulgaturum. Alludit enim eo, quod certo tempore annus Iubilæus buccina publice annunciabatur instare. De accommodatione, quia manifesta est, breuitatis causa nihil dicam. TERTIO, Territos & contritos sanat, vt corda fide erigantur, confractos dimittit, liberatos & liberos ἐν ἀφέσει, id est, per remissionem peccatorum dimittit, vt reconciliati, & iustificati fide, habeamus pacem & accessum ad thronum gratiæ.

Hæc vero prædicatio, licet communis est omnibus ministris verbi, proprie tamen in hac Esaiæ sententia tribuitur Christo; quia in illo, per & propter illum prædicanda est gratia Dei, remissio peccatorum, salus & vita æterna: ipse mysterium illud Euangelij ex sinu æterni Patris protulit, & ad eius vocem reliqui ministri omnes alligati sunt. Breuius sane, quā res tam amplæ patiuntur, hæc annoto, sed hæc est instituti nostri ratio.

Ad has duas ministerij partes pertinet etiam tertium, vt scilicet liberati, seruiamus liberatori. Ille enim sanat naturam confractam, vt possit nouam obedientiam incoare & præstare.

Postremo sunt quædam in hoc Esaiæ dicto ita huius solius personę propria, vt nulli creaturę communicentur. Vt, quod vox doctrinæ Euangelij non tantum auribus externis insonat: sed quod sequitur efficacia, vt cæci illuminentur, vt contriti sanentur, vt non tantum prædicetur dimissio, sed vincti emittantur in dimissione. Hæc efficacia fit quidem per externum ministerium, sed solius Christi propria est. Ideo Esaias vtrumque coniunxit, & prędicationem & efficaciam. Verbum enim חבש quo Propheta vtitur, significat aliquid ponere siue ligare super vulnus id, quod ministerium facit: vt vero alligatio illa sanat, alterius efficaciæ est. Illud vero præcipue solius huius personæ proprium est, obedientia scilicet & morte sua mereri & acquirere medicinam illam contritorum, dimissionem captiuorum, & verum annum Iubilæum, acceptum Domino, in quo scilicet Deus vult propitius esse.

Hæc capita ideo volui notare. Iucundum enim est aliquid posse cogitare, qualis fuerit interpretatio, de qua cum tanta gratia, & omnium admiratione Christus in Synagoga Nazaræorum disseruit. Ita ergo, cum Nazaræi regium splendorem, si Messias esse vellet, in ipso requirere videntur: cum dicerent Medice cura teipsum. Et mouerentur, quod non principes populi, sed misera & despecta plebecula ipsum sectaretur. Christus hoc dictum Esaiæ opponit, quod describit, & verum Messiæ officium, & qualis futurus sit ipsius populus, pauperes, scilicet, cæci, captiui, contriti. Vt discamus, nec securi, nec superbi esse, si volumus beneficiorum Christi participes fieri, sed humilitatis agnitione; & sensu morbi quæramus medicum.

De auditoribus vero Nazaræis Lucas tria commemorat.

1. Quia exactis primi anni ministerij Christi multa per famam cognouerant, iam cum præsentem ipsum audirent docentem, *oculi omnium in ipsum intenti fuerunt*, ἀτενίζειν enim significat, quando fixis oculis attente & quasi immobiliter in obtuitu alicuius hæremus. Et his externis gestibus describitur, qua attentione concionem illam audierint ab eo, quem sciebant literas non didicisse, sed viderant fabrilia ipsum tractasse.

2. Dicit, ἐμαρτύρουν αὐτῷ, hoc est, mens illorum iis quæ à Christo dicebantur, ita conuicta fuit, vt nec dubitare nec contradicere possent, prophetiam in ipsum competere, idque non tacito tantum consensu, interea dum proponebatur, sed publico etiam & manifesto testimonio inter se comprobare. Alij ἐμαρτύρουν ita interpretantur: Dabant illi præclarum testimonium, commendantes & laudantes ipsum, quod Scripturas tanta cum auctoritate & prudentia explanaret.

3. *Admirabantur super verbis gratiæ, quæ ex ore ipsius prodibant.* Quibus verbis Euangelista significat, tantam fuisse gratiam concionis illius, vt non mentem tantum auditorum occuparet, verum etiam in voluntatem penetraret, & cor suauitate afficeret, vt non possent non doctrinam eius amare, suspicere, & ea delectari. Nam verba χάριτος, sunt gratiosa, vel gratia plena, vel acceptabilia verba, afficientia cor.

Quod vero in historia sequitur, illos, qui ita concione Christi afficiebantur, sicut dictum, mox verbis & factis se ipsi opponere: eo & prauitas humani ingenij, & causa reprobationis seu reiectionis ostenditur; quare scilicet omnes quibus Euangelium offertur, saluentur. Et est quasi præludium reiectioni Iudæorum. Est autem notabile exemplum, in quo tanquam viua imago proponitur; quomodo Filius Dei mentem & voluntatem per ministerium verbi præueniat & moueat, & quomodo humani ingenij prauitas Spiritui sancto per verbum mouenti & operanti resistat, repugnet, & opponendo contrarium actum, operationem eius excutiat & dissoluat. Et hoc exemplum propterea est notandum, ne incipiente in nobis operari Spiritu sancto, reperiamur θεομάχοι. Cum enim notoria esset Nazaræorum malitia, quæ etiam prouerbio locum dedit, Iohann. 1. versicul. 46. Num à Nazaræis potest aliquid boni esse? Iesus non statim in principio ministerij sui doctrinam cœlestem propius ad illos attulit, sed publica ministerij sui fama prius in expectationem ipsos erexit. Postea, conciliata hoc modo attentione, doctrinam ipsam proponit, & per eam in mente, voluntate & corde ipsorum incipit operari, sicut dictum est. Sed ipsi repugnando, & contrarium actum opponendo, semen iam erumpens conculcant, suffocant, imo euellunt. Et obseruetur in hoc exemplo, quomodo illud fiat: vt nos tales contrarios actus caueamus, quibus Spiritus sancti operatio impeditur & dissoluitur. Illas autem circumstantias tantum, quas Lucas descripsit, considerabimus. Dicebant igitur, *Nonne hic est filius Iosephi?* Quidam hæc ita accipiunt, quod *omnes* plerique prompti fuerint ad credendum ipsi: fuisse vero quosdam, qui ipsum, propter generis obscuritatem, cœperunt contemnere, & doctrinę eius obtrectare. Sed textus ita cohæret: *Omnes attestabantur ipsi & dicebant: Nonne hic est filius Iosephi?* Dicuntur igitur omnes eadem illa verba dixisse, sed non eodem sensu. Quosdam enim ex admiratione hoc dixisse, agnoscentes plane diuinum esse, quod homo obscurus, subito ad tantam sapientiam euectus sit. Alios vero ex contemptu & cum offendiculo hæc dixisse: illum non posse Messiam esse, nec doctrinam eius esse diuinam, quæ ex obscuris parentibus ortus literas non didicerit. Sed textus simpliciter sonat, illos, qui antea cum admiratione concionem illam Christi celebrarunt, mox obiecisse illud: *Nonne hic est Iosephi filius?* Atque ita historia ostendit, Nazaræos, cum doctrinam Christi improbare non possint, quærere, & aliunde accersere, speciem aliquam scandali, cuius prætextu doctrinam reiiciant, & applicationem eius excutiant: quia scilicet nutricium ipsius Ioseph nouerant, & educationem eius, qualis fuerat, viderant. Num igitur, inquiunt, ille, qui ante annum gregarius faber apud nos erat, iam cum post annum reuertitur, Doctor, Propheta, & quidem Messias erit? Et Christus prouerbio, de Propheta in patriam contempto, quod in proximo capite explicauimus, ostendit, vniuersale hoc esse, quod personæ ministerij, propter vitæ humilitatem, contemnantur: quod contemptis personis, doctrina, officium & dona etiam in illis contemnantur, & contemptum illum interpretatur esse, quando doctrina non recipitur. Et inde potest colligi, qualis sit honor propheticus, quem Christus sibi exhiberi postulat, vt scilicet doctrina recipiatur. Et hic est vnus obex, sicut in scholis loquuntur, quem Nazarei opponunt operationi Christi. Secundus est, *Omnino dicetis mihi: Medice cura teipsum.* Origo prouerbij est, quando quis profitetur: se aliis velle mederi, cum ipse interim fœdis vlceribus obsessus sit. Huic enim recte dicitur: *Medice, cura teipsum*, hoc est, ostende prius in te ipso artem & felicitatem medendi. Vane enim quis aliis pollicetur, quod sibiipsi præstare non potest. Et male sapit, qui aliis, non sibi, sapit. Huius prouerbij accommodatione Christus ostendit, cogitationes Nazaræorum, quos operationi Spiritus opposuerunt, has fuisse: Doctrina ipsius pollicetur sanationem, dimissionem & annum acceptum: sed interim ipse miser est, non habens vbi caput reclinet, nec ciuibus & cognatis suis ea, quæ pollicetur, præstat, cum ipsis præcipue hæc deberet. Hic obex alter nimium vulgaris est, quod doctrina cœlestis etiam, quando de veritate eius non dubitatur, tamen vel contemnitur, vel repudiatur; quia non affert secum externam felicitatem, sed in credentibus, & præcipue in ministris, apparet cum cruce coniuncta esse. Tertius: Nazareth est patria tua: Ergo nobis potius, quam Capernaitis debetur, vt simus beneficiorum tuorum participes. *Quæ igitur in Capernaum fecisti, fac & in patria tua.* Et hac ratione multi seducuntur, quod propter externam aliquam prerogatiuam arbitrantur, sibi deberi beneficia Christi & salutem æternam, etiamsi verbum non suscipiant. Sicut Iudęi clamitabant: Templum Domini, templum Domini. Quartus: Cum de veritate doctrinæ iam conuicti essent, petunt signa, tantum vt habeant, quod tergiuersentur. Licet enim & ideo miracula quædam ediderit Matth. 13. vers. 58. tamen causantur, illa & pauciora & minora esse

esse illis, quæ alibi feceris. Dicunt igitur ὅσα, id est, tam multa & tam magna miracula, sicut in Capernaum fecisti, fac & hic in patria tua. Malus enim est Medicus, qui id, quod aliis pollicetur & pręstat, sibi aut suis pręstare vel non potest, vel negligit. In hanc enim sententiam Christus prouerbium hoc allegat. Ita multi cogitant; Si Deus tot & tanta mihi exhiberet beneficia, sicut Abrahamo, tunc crederem, & pietatem libenter colerem. Quando hęc membra ita distribuuntur, tūc rectius considerari potest doctrina, quomodo prauitas carnis, etiam quando cęcitas illuminari cœpit, repugnet operationi Spiritus sancti.

Christus vero illis verborum & cogitationum obiectionibus responsionem opponit ab exemplo Elię, 3. Reg. 17. versi. 9. & Elisęi, 4. Reg. 5. versi. 8. Hi enim duo Prophetæ pręcipue miraculis clari fuerunt. Nazaręi de miraculis conqueri videbantur. Hęc exempla à quibusdam non rectè accommodantur, quasi sententia sit: Non mirum esse Nazaręos non credere. Dei enim decretum esse, non debere Nazaręos participes fieri beneficiorum Messię: vel Deum non velle Nazaręos per Christum saluos fieri. Certe Christus se & beneficia sua, non simulate, vel ad perniciem Nazaręis offert. Contextus autem ostendit, in quam sententiam exempla hęc à Christo allegentur. Primo, quia Nazaręi, spretis spiritualibus illis beneficiis, de quibus Iesaiæ sententia loquitur de miraculis & illustrioribus externis beneficiis alibi editis, quęrebant. Ostendit igitur Christus exemplis Eliæ & Elisęi gratiam & salutem per verbum in genere omnibus offerri: miracula vero & externa admiranda dona, seu illustria beneficia, Deum dispensare certa ac bona voluntate, quando & quibus ipse voluerit: sicut de donis peculiaribus Paulus dicit, 1. Cor. 12. versi. 11. diuidens singulis prout vult. Ita dicit, certa Dei voluntate non viduis & leprosis in Israel præstita miracula illa Elię & Elisęi. Dicit enim: Ad nullum eorum missus fuit Elias. Nec tamen viduę & leprosi, quibus miracula illa pręstita non fuerunt, propterea damnati sunt, si crediderunt. Non itaque indignemur, si talia vel dona, vel externa peculiaria beneficia nobis non conferantur, sicut aliis: satis nobis sit, quod gratia Dei & salus nobis offeratur & conferatur. Item discamus hinc ne spretis spiritualibus & æternis beneficiis Dei, vel signa, vel externa & peculiaria dona Dei tantum expetamus. Secundo, exempla illa ad Nazaręos ita etiam rectè accōmodantur. Obliquè indignabantur Nazaræi, cùm aliis multis doctrina & illustribus signis Christus benefecisset, quod primum post annum in patriam veniat, atque ibi nec multa nec magna signa edat. Exemplis igitur, respondet, non fieri hoc, vel ex sua impotentia, vel quasi patrię minus bene velit quàm aliis ciuitatibus, sed culpam hærere in ipsis Nazaræis. Prophetas enim cum suo ministerio solere in patria contemptos esse, ac contemptum illum reddere homines indignos beneficiis Dei. Et illud probat exemplo Eliæ & Elisæi: qui, licet Israelitę beneficiis illis indigerent, ideo ad exteros & peregrinos missi sunt; quia ministerium ipsorum domi à suis spernebatur & repudiabatur. Et Deo quidem maiori curæ fuerunt Israelitę quàm Sidonij. Illis enim prius Prophetas misit, sed propter ingratitudinem & contemptum primi facti sunt nouissimi, & nouissimi primi. Ostēdit etiam his exemplis, Deum solere pręteritis illis, qui se maxime dignos putant, abiectis gratiam suam conferre. Item ministerium suum non ideo fore inane & sine fructu, quod in patria non recipiatur. Cum enim Elisæi doctrina in terra Israel à paucis reciperetur & à pueris etiam rideretur, misit Deus peregrinum Naaman ex Syria, per quem vera agnitio & cultus Dei inter gentes sparsus fuit. Ita Christus tacite his exemplis submonstrare voluit, fore, vt regnum Dei à Iudæis auferatur & detur gentibus. Obiter autem notanda est phrasis particulæ εἰ μή, *Nisi*: quod scilicet hoc loco sit particula non exceptiua, sed exclusiua. Sarephthana enim & Naaman non continentur sub Iudaicis viduis & leprosis: vnde fit exceptio. Sed sensus est exclusiuus, ad nullam Israelitarum viduam, sed ad extraneam missus fuit Elias. Et hoc obseruandum est propter locum Gal. 2. v. 16. Scimus hominem iustum non fieri ex operibus legis, nisi per fidem Christi. Hęc accommodatio exemplorum congruit ad contextum huius historiæ, & præbet vtilem doctrinam. Ostendit enim, quomodo filij Dei bonitas cum repugnante prauitate hominum quasi luctetur. Occulta enim cordium ipsorum manifestat: obiectiones soluit: ingratitudinem arguit: & pœnam minatur, fore, vt regnum Dei ab ipsis auferatur, & detur aliis. Et hęc sunt media, per quę adhuc vult duritiem cordis auferre.

Sed vide quo progrediatur homo, quando ad cęcitatem accedit carnis prauitas, & ad prauitatem accedit petulans repudiatio verbi, & affectata excussio operationis Spiritus: quod pręcipue fit, sicut hoc loco, quando Iesus Nazarenorū morbos detegit, mores notat, & vitia reprehendit, & taxat sicut scriptum est Prouerb. 15. v. 12. Non amat pestilens eum, qui se corripit: Amos 5. versic. 10. Odio habet corripientem in porta. Omnes enim illi in Synagoga, qui antea doctrinæ eius testimonium dabant, & gratia verborum eius mouebantur, nunc tantum non irascuntur, sed indignatione implentur, eo, quod oblique aliorum exemplis, ipsorum ingratitudo & malitia perstringebatur. Quod tamē in hunc finem fiebat, vt cogitarent de emendatione, ne similes pœnas incurrerent. Simul igitur insurgentes, apprehensum Iesum contumeliose ciuitate eiecerunt. Et hac contumelia non contenti duxerunt eum ad præcipitium montis, vt inde ipsum præcipitem darent. Hoc scilicet est præmium, quod patria Nazareth Christo, propter fidelem admonitionem rependit, & tamen postea eò redibit. Marc. 6. v. 1. Nazaræi igitur populares & cōciues Christi primi fuerunt, qui Christo manus iniecerunt, & periculum vitæ ipsius intentarunt, idque tanto furore, vt ne Sabbati quidem rationem haberent. Cum enim alias die Sabbati ne pulicem quidem occidere, (sicut adhuc hodie habent Iudæorum superstitiones) sibi licitum existimarent: iam Messiam ipsum die Sabbati conari interficere, nulla ipsis religio est. Ita quicunque occidet vos, putabit se cultum Deo præstare, Ioh. 16. versic. 2. Tria autem genera mortis Christo intentata fuerunt: præcipitium à Nazaræis: gladius ab Herode, Luc. 13 ver. 31. lapidatio à Iudæis, Ioh. 8. versi. 59. Sed cruce mori debebat. Arbitror autem non tumultuarium fuisse hoc Nazaræorum factum. Fuit enim certum genus supplicij, quo Edomitæ hostes populi Israel affecti leguntur 2. Par. 25. versi. 12. Vbi etiam Græci interpretes verbum illud κατακρημνίσαι ponunt, quod Lucas vsurpat. Ad supplicium alludit etiam Psalm. 137. v. 9. Et 2. Macchab. 6. v. 10. Duæ mulieres, quæ contra mandatum regis pueros circumciderant, præcipitantur de muris: vbi idem etiam vocabulum extat. Si hoc modo accipiatur, illustrior erit historia, quod publico quasi Synagogæ decreto ad hoc genus supplicij abductus fuerit, quasi qui sine vocatione Pseudopropheta esset. Apud gentes etiam calumniatoribus hoc genus supplicij constitutum fuisse: exemplum Zoili calumniatoris Homeri ostendit. Cuius collatio monet, quare Christum voluerint hoc genere supplicij afficere: quia scilicet à Pharisæorum doctrina discedebat, & traditiones illorum reprehendebat. Vocāt autem Græci ὀφρύας, tumulos, seu loca editiora. Sicut enim supercilia in facie hominis prominent, ita locorum ὑψηλά: vnde præcipitium est. Lucas vocat montis supercilium. Abduci igitur se passus est ad summum & prominens montis præcipitium. Sicut enim rogantibus non deest, & venientes ad se non reiicit foras, Ioh. 6. ver. 37. ita retractantibus & reiicientibus non ingerit se, sed patitur se eiici à suis ciuibus, ad quos tamen postea, Marc. 6. versic. 1. redit. Tanta est eius bonitas quęrens nostram salutem. Beda dicit: Diabolum non ausum præcipitare Christum ex pinnaculo templi, sed dixisse, mitte te deorsum: Nazaræos vero Diabolo peiores, voluisse Christum de monte præcipitare. Sed præcipitari se non est passus: Nondum enim aderat tempus morti eius destinatum, nec locus ille morti eius, nec tale genus mortis ipsi præordinatum erat.

Ibi igitur documentum diuinæ suæ potentiæ ostendit tale, vt adhuc illos flecteret. Nam *transiens per medium illorum abibat*. Quod ita factum est: Tota multitudo sine dubio ad spectaculum illud effusa fuit, & omnes indignatione & furore repleti volebant ipsum extinctum. Cumque è summo montis vertice præcipitandus esset, habuit totam multitudinem à tergo. Sed Iesus mox vertit se, nec per alium locum à fronte euasit, sed per mediam à tergo circumfusam multitudinem transibat, ita, vt nemine prohibente vel comprehendente, tutus & incolumis euaderet. Quidam existimant Nazaræos cæcitate percussos, non vidisse Iesum per medium ipsorum transeuntem, sicut habet historia Loth, Gen. 19. ver. 11. Et Elisæi 4. Reg. 6. v. 18. Sed ex circumstantiis huius historiæ illud colligi non potest. Et maius miraculum est, si simpliciter ita, sicut verba sonant, accipitur: Quod cum paulo ante omnes fremerent, & publica vi ipsum ciuitate eiectum ad supplicium abducerent: iam scientes & videntes ipsum per medium ipsorum transire & euadere, stant quasi omnium manibus vincula essent iniecta, nemine ipsum vel impediente vel comprehendente. Vt ita non viderent tantum, sed sentirent diuinam in Christo potentiam, si adhuc flecti possent. Ita enim miraculum affine erit ei, quod Ioh. 18 v. 5. describitur. Monachi, vt miraculum hoc augeant, dicunt ex vertice montis, ad quem deductus erat, ipsum descendisse, & quia præcipitium erat, duritiem petrę, vt ceram Christi corpori cessisse, & facto sinu locum præbuisse, vt contra vim Nazaræorū abscondi posset; & dicunt, vestigia pedum, & rugas vestimentorum in petra ostendi. Sed cum descriptione Lucæ hoc non conuenit. Et illustrius documentum est diuinæ potentiæ, quod in ipsis Nazaræis frementibus, & tamen videntibus

Christum per medium sui transire, exhibetur, quam si in petra tale quid factum fuisset. Alij dicunt, Christum in latere montis in alia parte per miliare oppositi, inuentum, & locum illum vocant saltum Domini. Sed omissis hominum commentis, ea, quæ Spiritus S. Euangelistas annotare curauit, obseruemus.

CAPVT XXXV.

CONTINENS HISTORIAM TRANSLATÆ HABITATIONIS CHRISTI EX NAZARETH CApernaum. Et quæ fuerint summaria capita concionum Christi in Galilæa, Matt. 4. Marci 1.

RATIO ORDINIS.

HAnc historiam optimo ordine subiungi præcedenti manifestum est. Quia enim Lucas dicit, Nazarethanos Iesum, qui hactenus ius ciuitatis & locum habitationis ibi habuerat, ciuitate eiecisse, vt qui amplius ipsum apud se habitantem ferre nollent. Matthæus igitur subiungit, Iesum reliquisse Nazareth (propter causam scilicet à Luca indicatam) & venisse Capernaum; non sicut antea eo venerat, nec sicut alias ciuitates peragrabat; sed ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς Καπερναούμ, hoc est, ita venit, vt habitationem suam, quam hactenus cum matre & Iosepho habuerat in Nazareth, iam transferret in ciuitatem Capernaum. Ideo Euangelista vtitur, non præpositione ἐν, sed εἰς, quę motum ad locum significat. Ita enim verbum κατοικεῖν vsurpatur, Actor 7. versic. 2. de commigratione Abrahami ex Chaldæa in Haram. Et 4 Reg. 17. versic. 24. Coloniæ, quæ ex Chaldæa in Samariam transferebantur, hoc vocabulo apud Græcos interpretes describuntur: Inde Matthæus cap. 9. ver. 1. de Capernaum dicit: *Iesus venit in suam ciuitatem* Et Matth. 17. versic. 24. exigitur ab ipso tributum, tanquam à ciue. Ius igitur habitationis & ciuitatis ipsum apud Capernaitas impetrasse, hinc consequitur. Et regulum, de quo Iohan. 4. vers. 46. negocium hoc opera sua apud Capernaitas diligenter adiuuisse, non est dubium, quod eo etiam facilius confici potuit; quia antea & doctrina & miraculis Iesus plura in Capernaum fecerat, quam in aliis Galilææ locis, sicut Nazareni dicunt, Lucę 4. v. 23. Quanta fecisti in Capernaū, fac & in patria tua. Hęc igitur plana sunt. Obseruandum autem est, quod etiam Lucas post eiectionem Nazaręorum dicit, Iesum descendisse in Capernaum. Sed quia addit, tum ipsum sanasse domoniacum in Synagoga, quod Marcus c. 1. versic. 21. dicit factum, post vocationem Petri, Iacobi, &c. Non ergo idem aduentus Christi in Capernaum est, quem hoc loco Matthęus describit, cum eo, de quo Lucas c. 4. ver. 31. loquitur. Sed ordo talis est: Cum ex Iudęa Iesus rediisset in Galilęam; ex Cana digressus est in alia Galilęę loca; & inter ea venit etiam Capernaum, sicut Nazarethani, Lucæ 4. v. 23. dicunt. Postea venit Nazareth: vnde cum eiectus esset, descendens, sicut Lucas inquit (quod verbum hoc loco in Harmonia addimus) venit in Capernaum transferens eò suam habitationem. Quem aduentum solus Matthęus describit, c. 4. ver. 13. Postea vocatis quatuor discipulis, rediit Capernaum, liberans dęmoniacum: qui aduentus Marc. 1. v. 21. & Lucę 4. v. 31. describitur. Hęc obseruatio ad discernendas & rectè dirigendas historias necessaria est. Quia vero Matthęus post translationem habitationis Iesu in Capernaum, summam concionum ipsius in Galilæa habitarum describit, coniunxi in Harmonia verba Marci, quibus eadem capita describuntur.

HISTORIA QVOMODO IESVS HABITATIOnem suam ex Nazaretha transtulerit in Capernaum. Et quæ fuerint summaria capita concionum Christi in Galilæa, Matth. 4. Mar. 1.

13. Καὶ καταλιπὼν Ἰησοῦς τὴν Ναζαρὲθ, ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς Καπερναοὺμ τὴν παραθαλασσίαν, ἐν ὁρίοις Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλίμ.	13. a *Iesus relicta Nazareth, c descendit & a profectus, habitauit in Capernaum, quæ est ciuitas maritima in finibus Zabulon & Nephthalim.*
14. Ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, λέγοντος·	14. *Vt impleretur quod dictum fuerat per Esaiam Prophetam, dicentem:*
15. Γῆ Ζαβουλὼν καὶ γῆ Νεφθαλίμ, ὁδὸν θαλάσσης, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν.	15. *Terra Zabulon & Nephthalim, iuxta viam maris, vltra Iordanem, Galilæa gentium.*
16. Ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει, εἶδε φῶς μέγα· καὶ τοῖς καθημένοις ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς.	16. *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Et qui sedebant in regione & vmbra mortis, lux orta est eis.*
17. Ἀπὸ τότε b ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν Γαλιλαίαν, a καὶ ἤρξατο κηρύσσειν b τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, καὶ λέγειν· Ὅτι πεπλήρωται ὁ καιρὸς, καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, c μετανοεῖτε, b καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. a ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.	17. *Et ex eo tēpore (quo scilicet ex Iudæa) b venit Iesus in Galilaam, & a venit b prædicare Euangelium regni Dei, a, & dicere: b Impletum est tempus, instatque regnum Dei, c pœnitentiam agite, b & credite Euangelio: a instat enim regnū cœlorum.*

Periocha huius Historiæ.

OStendimus Matthæum verbo κατοικεῖν describere commigrationem, seu translationem habitationis Christi ex Nazareth in Capernaum. In illa autem ciuitate voluit quasi sedem habitationis suæ ponere. Fuit enim tunc temporis Capernaum celebre emporium, & præcipua ciuitas totius Galilææ. Vnde Cæsar ibi habuit suum Centurionem: Herodes suum Palatinum seu regulum: Pontifices suum Archisynagogum: per eam etiam via fuit, ex Mesopotamia scilicet, Chaldæa Cęlesyria & Trachonitide, ad mare magnum, sicut Matthęus hoc loco dicit, vel ad Ptolemaida, vel per Galilæā gentium ad Tyrum, & Sidonem. Quia igitur in Capernaum conueniebat magna frequentia, non Galilæorum tantum, sed Iudæorum etiam, & exterarum gentium: propter illam opportunitatem, vt ibi inter multos, atque inde ad plures doctrina Euangelij spargeretur, voluit Christus quasi sedem ministerij collocare in ciuitate Capernaum. Et quia in magnis emporiis plerunque vitia magis regnant, quàm alibi, voluit ibi Christus, tanquam medicus inter ægrotos habitare, ac regnum Dei diaboli regno ita opponere. In veteris autem testamenti libris non fit mentio huius Capernaum: vnde colligitur, posteris temporibus eam conditam & auctam propter opportunitatem, situs & itineris ad mare magnū. Scribit enim Iosephus

Iosephus de bello Iudaico, libr.3.c.18. ad lacum Genezareth, regionem eiusdem nominis pulcerrimam & fertilissimam sitam fuisse, quæ fonte quodam vberrimo irrigetur, quem venam Nili fluuij arbitrantur, propter piscem quendam, qui sicut in Nilo, ita etiam in fonte illo generetur. Illum fontem scribit Iosephus ab indigenis vocatum Capernaum: vnde absque dubio ciuitatis Capernaum nomen fuit, cuius situs scribitur talis fuisse: quod Iordanis à Septentrione inter Capernaum in littore occidentali, & inter Corazim in littore orientali in lacum Genezareth influxerit. Matthęus dicit, sitã in confinio tribuum Zabulon & Nephthalim, vbi terminabantur, & vocat παραθαλασσίαν maritimam, seu sitam ad mare, non mediterraneum, sed Genezareth. Ciuitates enim ad mare magnum sitæ, vocantur παράλια, sed quæ ad oram lacus Tiberiadis sitæ sunt, παραθαλάσσια. Apud Iosephum vero ciuitatis Capernaum non fit mentio, quod inde factum arbitror. Scribit enim Iosephus Antiquit. lib.18. capit.3. Herodem Tetrarcham in ora lacus Genezarethici vrbem à se conditã, appellasse Tiberiada, cum in amicitiam Tiberij receptus esset. Scribunt autem ciuitatem Tiberiada, in regione Genezareth, ad oram stagni, in longum protensam. Et Iosephus scribit, partem eius in solo sepulcris referto conditam: existimo igitur, Capernaum ab Herode ampliatam, & veteris Capernaum sepulcreta complexam, nouo nomine Tiberiadis Iosephi tempore appellatam. In vita vero Iosephi in Græco exemplari, pa.654. In Latino, 575. narrat, se ex Pugna deportatum in vicum Κεφαρνωμὸν, Cepharnomen: quod mutatis punctis & pronunciatione, idem est, quod Capernaum. Nunc scribunt vix septem miseras piscatorum casas in loco illo sitas. Multis autem locis tributa fuit appellatio à כפר quod significat oppida non murata in Thargum. Ita Iosuæ 9. vers. 17. Gabaaniticarum, quædam ciuitas vocatur Caphura. Iosuæ 18. versic. 25. quædam ciuitas Beniamin est Cephar, 1. Macch 7. vers. 31. est ciuitas Capharsalama. Apud Iosephum est campus quidam, Capharsaba, & vicus Capharsophan. Capernaum vero significat vicum consolationis, vt si nostra lingua dicas *Trostdorff*: à fontis, agri & ciuitatis amœnitate & fertilitate. Significat vero etiam כפר propitiationem seu expiationem, & נחם pœnitentiam: atque sic Capernaum est quasi propitiatio pœnitentium: quod pulcerrimè conuenit ad ministerium Christi, cuius summa est doctrina de pœnitentia & de propitiatione, in Capernaum præcipuè proposita. Et quia Christus, qui est verum כפרת propitiatorium, נחם pœnitentium, in Capernaum habitauit. Sed & fonti & ciuitati Capernaum à loci amœnitate nomen tributum fuit. Hæc de ciuitate Capernaum, quia Christi ciuitas fuit, atque ita ad cœlum vsque exaltata, hoc loco annotare volui.

In ea igitur ciuitate Capernaum, & in vicinis locis citra & vltra Iordanem, Christus post captiuitatem Iohannis, vsque ad finem ministerij sui, vt plurimum versatus est, & hæc loca præ reliquis doctrina & miraculis nobilitauit. Apostolos etiam plerosque in illis locis oriundos vocauit & plegit. Quia vero Iudæi hoc calumniabantur, Iohan.7. versic.52. & Luc.23. vers.5. & alias mirum videri posset, quod Galilæam potius, quàm Iudæam ministerij sui quasi sedem elegerit, quodque habitationem suam non Hierosolymas, sed Capernaum transtulerit. Matthęus igitur ex Esaiæ vaticinio, quod extat c.9. vers.1. ostendit, certo consilio Dei hoc factum esse. Nolo autem omnium disputationes, de hoc loco Esaiæ referre, sed illã explicationem & accommodationem, quam iudico esse simplicissimam, breuiter annotabo.

Hoc extra controuersiam est, quod Propheta similitudinem petat ex historia captiuitatis duarum tribuum, & dimidiæ vltra Iordanem, vna cum tribu Nephthalim, per Teglatphalasar, 4. Reg.15. versic.29. & ex captiuitate totius regni Israel, quantum adhuc reliquum erat per Salmanassarem, 4. Reg.17. versic. 6. Sed de accommodatione sequentium in sententia Iesaiæ disputatio est. Rabini, & qui eos sequuntur, accommodant ad tempora Sennacherib, quæ duriora fuerunt, quàm præcedentia: Et populum sedentem in vmbra mortis, interpretantur de Ierusalem, à Sennacherib durissime obsessa. Lucem vero de liberatione sub Ezechia exponunt. Et dicunt, Euangelistam hoc dictum ideo ad prædicationem Christi accommodare, quod veteres illæ clades & liberationes fuerint typus spiritualis miseriæ & liberationis per Christum. Alij accommodationem per modum similitudinis faciunt, sicut tunc post varias clades, cædem Sennacherib & reductionem ex Babylone, liberatio secuta fuerit, ita non post captiuitatem spiritualem, sequi & adesse liberationem per Messiam. Sed Euangelista simpliciter lucem illam, de qua Esaias loquitur, interpretatur de doctrina, miraculis & officio Messiæ, & populum, cui lux illa oritur, intelligit eos, quos Esaias paulo ante nominarat, habitantes scilicet in terra Zabulon & Nephthalim. Et cum hac Matthæi interpretatione contextus etiam Isaiæ bene conuenit. Vsitatum enim est Prophetis in consolationibus, in calamitatibus, tandem deuenire ad promissiones de Messia. Et in hoc loco Esaias dicit, proximis temporibus, ante Messiæ aduentum, duriores fore calamitates, quàm quæ fuerunt vel in leuiori clade, 4.Reg.15.v.29. vel in grauiori illa, 4.Reg.17.ver.6. Dicit enim, Non obscurabitur, qui angustiis afficietur, sicut 4. Reg. 15.&17. Sed quasi in vmbra mortis habitabunt. Tunc vero magna illa lux per Messiæ aduentum affulgebit. Nam c.7.& 8 loquitur de persona & officio Messiæ: & mox post verba hoc loco allegatà, sequitur: Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, &c. Et quidem paulo ante dicit, fore, vt Messias veniens, multis sit lapis offensionis & petra scandali, præcipue habitatoribus Hierusalem. Orat igitur Propheta: Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, &c. Addit autem fore, vt lux illa ab habitatoribus Hierusalem repudiata, ab habitatoribus Zabulon & Nephthalim recipiatur. Ita simplicissima erit explicatio, si verba ita accipiantur, quod Propheta prædicat imminente aduentu Messiæ tristiorem tunc fore calamitatem, in Galilæa præsertim (illa enim loca diserte nominat) quàm fuerit in iisdem locis, tempore duarum captiuitatum, 4.Reg.15.v.29. & 17.v.6. Et posthæc subiungat promissionẽ, fore, vt populus ille habitans in Zabulon & Nephthalim, qui in densissimis tenebris, & quasi in vmbra mortis ambulet, clarissime videat magnam illam lucem doctrinæ & miraculorum Messiæ. Ex hac commemoratione manifestũ est, quomodo Matthæus illam Isaiæ sententiam ad suum institutum accommodarit, qua scilicet ratione factum sit, quod Iesus Galilæam potissimum, & loca circa Capernaum in tribu Zabulon & Nephthalim doctrina & miraculis suis illustrarit. Videntur autem Propheta & Euangelista significare: In Iudæa & Hierosolymis, quia ibi scholæ & studia florebant, plusculum adhuc lucis fuisse, respectu Galilææ, quæ densissimis ignorantię tenebris quasi barbatie obruta fuerit, ita, vt quasi prodigij loco tunc habitum fuerit, dicere, ex Galilæa, quæ milites potius & seditiosos quàm doctos gignebat, Prophetã exortum. Et tamen Iesum illam partem terræ, quæ quasi in vmbra mortis ambulabat, hoc est, versabatur, potissimum sibi delegisse, quam ministerio suo illustraret: ostendẽs simul qualis sit Noui Testamenti populus, & qui sint idonei discipuli Euangelij, qui scilicet in tenebris sedent iuxta sententiam Pauli, 1. Cor.1.v.26. Non multi sapientes, nobiles, potentes, sed &c. Phrasis vero de vmbra mortis explicata est, Luc.1. vers.79. Lucem autem vocat ministerium & officium Christi, & vocat magnam lucem. Fuit enim & Prophetarum doctrina lux, & liberationes externæ iam vocantur lux, sed doctrina & liberatio Messiæ, vocatur magna lux apud Esaiam.

Quando hoc modo simpliciter sententiam tenemus, explicatio vocabulorum consideretur. Nominat terram Zabulon & Nephthalim. Tota enim illa pars terræ à Samaria vsque ad fines Tyri & Sidonis intra Iordanem & mare magnum quatuor tribubus distincta fuit, quarum duæ Aser & Isachar mari magno adiacent: Zabulon vero & Nephthalim, alteram partem versus Iordanem occuparunt: quas duas tribus Euangelista ideo primum nominat, quia pluribus miraculis & frequentioribus concionibus Christi nobilitatæ sunt. Iosephus contra Appionem Galilæam gentium, quę Chabul 3.Regum 9.vers.13. vocatur, dicit suo tempore vocatam Zabulon. Vnde distributio Matthæi ita intelligi poterit, quod Nephthalim sit Galilæa inferior, Zabulon Galilæa superior seu gentium. Reliquas appellationes in sententia Iesaię quidam ita interpretantur, vt sit eiusdẽ tribus Zabulon & Nephthalim plenior per varias descriptiones notatio, vt sit respectu Assyriorũ, *trans Iordanem via maris*, hoc est, terra circa mare Genezareth in Galilęa sita. Sed possunt etiã ita accipi, vt distincta loca, in quibus Christus vt plurimum prędicauit, intelligantur. Grece igitur in Accusatiuo additur ὁδὸν θαλάσσης sine præpositione. Ità enim Greci interpretes sępissime vsurpãt in quęstione Qua? vel Quorsum? Vt 4. Reg.3. vers.8. Qua via ascendam? Respondet ὁδὸν ἐρήμου versus desertum, Et c.14. aliquoties repetitur. Ita, Deut.2.v.8. Per viã versus desertũ. 2. Paral. 6. vers.34. simpliciter ita vsurpant. Si adorauerint ὁδὸν, hoc est, versus terram Israël. Potest autem hæc particula ita explicari, vt intelligantur loca Galilææ, per quę est publica via ex Syria ad mare magnum. Quod vero sequitur πέραν τοῦ Ἰορδάνου, intelligunt ipsam Galilęam, quę respectu Assyriorum, qui terram illam vastarunt, sita est *trans Iordanem*; respectu enim Iudęorum loca illa sunt citra Iordanem. Sed potest hęc particula etiam, sicut sonat, respectu Iudęę hoc loco intelligi. Nam in captiuitate illa 4. Reg.15. vers.29. cuius Propheta meminit, duę tribus & dimidia trans Iordanem habitantes, abductę fuerunt. Illis igitur locis vicissim iam etiam

Q

lucem magnam promittit. Hoc modo πέραν Ιορδάνου significabit eam partem terræ trans Iordanem, & quæ à mari Genezareth vsque ad mare mortuum sub Herodis tetrarchia fuit, & eam, quę à Genezareth vsque ad fontes Iordanis Philippo tetrarchæ parebat. In vtraque enim Transmaria Christum frequenter versatum fuisse, Euangelica historia ostendit. Postremo nominat *Galilæam gentium*, quæ nomen inde accepit. Viginti enim illas ciuitates, quas Salomon in terra, quę fines Tyri circumiacet, dederat Hiram Regi Tyri. Græci interpretes 3. Reg. 9. versi. 13. vocarunt Galilæam. Significat autem גלילת in genere territorium regioni alicui adiacens, habens planitiem instar circuli limitatam, Gręcis in genere ita dicitur περίχωρος. Ita tota Palęstina respectu Ægypti & Tyri vocatur גלילות Iosu. 13. versic. 2. Ioel. 3. vers. 9. Et regio trans Iordanis respectu reliquę terræ Canaan ita vocatur; quia ibi sunt limites & confinia Palæstinę, Iosuę 22. versic. 10. Sicut Germani Marchiam inde vocant. Hęc vero appellatio à Gręcis proprie attributa. Primum limitibus seu confiniis terrę circa Tyrum & Sidonem, 3. Reg. 9. vers. 13. Deinde totam etiam illam partem Palęstinę, intra Samariam & fines Tyri, Gręci vocarunt Galilęam, vt Iosuę 20. versic. 7. ita vt vulgaris postea facta fuerit Galilęę appellatio in libris Machabęorum, Tobię & Iudith. Distinctionis igitur gratia Galilęa postea distincta fuit. Inde Iosephus de bello Iudaico lib. 3. c. 4. scribit, δύο οὔσας τὰς Γαλιλαίας, τὴν τε ἄνω καὶ τὴν κάτω προσαγορευομένην. Duas esse Galilęas, quarum altera superior, altera inferior cognominetur. Complectitur autem sub Galilęa etiam trans Iordanem è regione sitam, quem vocant πέραν Galilęam. Inferiorem autem Galilęam dicit mare Tyberiadis & tribum Zabulon complecti. Reliquam partem vsque ad Tyrios vocari superiorem. Et differentię gratia inferior vocatur simpliciter Galilęa, à Samaria circa mare Genezareth: altera cum additione vocatur *Galilæa gentium*, quam superiorem vocant, ad quem pertinere ciuitates adiacentes finibus Tyri & Sidonis: historia 3. Reg. 9. vers. 13. ostendit. Et vocatur gentium Galilæa. 1. quia in finibus Palæstinæ sita, vndique in confinio gentes habet: sicut vocatur, *Die VVendische Marck*, ideò quod in confinio Sclauoniæ sita sit. 2. Quia post captiuitates Assyriacam & Babylonicam, pars eius à gentibus occupata fuit. 3. Quia pars eius permixtim à Iudæis & gentibus inhabitata fuit. Iucunda autem est obseruatio, quòd Matthæus, Marcus & Lucas maiorem partem suæ narrationis consumunt in historiis illorum locorum, quæ in hac sententia Esaiæ nominantur. Propter illam enim considerationem Matthæus dictum illud Esaiæ allegauit.

Descripta sede (vt ita appellem) ministerij Christi in Galilæa, Matthæus & Marcus annotant, quæ fuerint summaria capita concionum ipsius in Galilæa. Postea enim vterque narrabit Iesum totam Galilęam peragrasse & in Synagogis docuisse. Quia vero propositum ipsorum erat, non integras conciones in singulis Synagogis habitas describere: voluerunt, priusquam in narrationem historiarum ingrederentur, notare, quæ fuerint summaria capita omnium concionum Christi, quas secundo anno ministerij sui, in Galilæa, à reditu suo vsque ad sequens Pascha, habuit. Sicut in præcedenti historia Lucas idem fecit. Et non prætereunda est illa obseruatio, quæ hinc colligitur. Iesum in omnibus concionibus eandem formam doctrinæ, & in rebus & in ipsis verbis seruasse. Ideo enim Euangelistæ non iudicarunt opus esse, de singulis concionibus peculiarem descriptionem instituere, sed satis esse, si capita semel annotarentur. Matthęus igitur inquit *Ex eo tempore Iesus prædicare*: quod non in genere de initio publicę prædicationis Christi in quo ex Veteribus multi hallucinati sunt, intelligendum est, sed de Galilæa. In Iudæa enim anno præcedente publice docuerat quidem: & in Galilæa etiam primo cum esset in Cana & Capernaum, de doctrina sua sine dubio cum multis collocutus fuit. Sed Euangelistę vtuntur verbo κηρύσσειν (quod Græcum verbum etiam Syrus retinuit כרז) quo Gręci interpretes reddiderunt Hebraicum Kara קרא Gen. 41 vers. 43. Exod. 32. vers 5. 4. Reg. 10. vers 20. Esther 6. ver. 3. 2. Paral. 8. v. 33. quod significat non priuatim aliquid significare, sed publice coram multitudine sonora voce, tanquam pręco, aliquid denunciare seu proclamare, quod verbum ad publicum docendi ministerium translatum est. Sicut Esaias inquit, cap. 58. vers. 1. *Clama ne parcas, tanquam tuba, exalta vocem tuam.* Et notandum est, particulam ἀπὸ τότε non referri ad illud tantum tempus, quando Iesus habitationem suam transtulit Capernaum, sed ad totum orationis complexum referendum esse: quod scilicet Iesus talem publicam prędicationem in Galilæa ex eo tempore, quando, post captum Baptistam, ex Iudęa secedens in Galilęam venerat, incoarit. Primo enim anno in Iudæa docuerat. hæc ideò obseruanda sunt. Multi enim Veterum in explicatione huius historię apud Matthæum hallucinati sunt, & cùm velent initium publici ministerij Christi in genere etiam in historiis apud Iohannem reijcere in tempus, post captum Baptistam, ordinem totius historię Euangelicę etiam apud Iohannem perturbarunt: quem tamen monstrandi ordinis causa scripsisse sępius iam ostendimus. Sed manifestum est, Matthęum non loqui in genere de initio prædicationis Christi, sed tantum de Galilęa, quando ibi publica prędicatio Christi cœperit.

Summam verò concionum Christi Matthęus & Marcus hanc fuisse scribunt: *Impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: pœnitentiam agite & credite Euangelio, appropinquauit enim regnum cælorum.* Has conciones filij Dei in Galilęa Matthęus dicit Esaiam in Spiritu prçuidisse, & audiisse, & prę exultatione exclamasse: *Populus sedens in tenebris, vidit lucem magnam.* Nos breui & simplici explicatione tantum ostendemus, quàm multa his paucis capitibus comprehendùtur. Quæ ideo diligentius obseruanda sunt. Marcus enim ponit talem titulum seu inscriptionem: *Prædicauit Euangelium regni Dei*, & huius prędicationis summam omnium concionum Christi, breue compendio, comprehensam, posse tenere? Euangelistę autem & docendi gratia capita numerant quatuor: eadem autem capita, quę Baptista antea docuerat, Christus in suis concionibus repetit, vt doctrinam eius confirmet, & se eum esse ostendat, cui Iohannes viam pararat: vtque consensionem inter doctrinam Christi Domini, & ministri eius ostendat.

Primo inquit: *Impletum est tempus.* Hanc phrasin Filij Dei Paulus imitatus est, Gal. 4 versic. 4. Quando venit plenitudo temporis, Deus misit filium, &c. Et Ephes. 1. v. 10. Proposuit in se ipso in dispensationem plenitudinis temporum. Et similis phrasis extat, Iohan. 7. versi 6. Meum tempus nondum impletum est. In Veteri autem Testamento sępius hęc phrasis accipitur de fine aut termino supputationis certi temporis, quando post multum temporis initium, vt aliquid fiat, statuendum est, Leuit. 8. vers. 33. Non exibitis de ostio tabernaculi, vsque in diem quo complebitur tempus consecrationis vestrę. Numer. 6. ver. 5. Donec impleuerit dies consecrationis nutriet comam, Deut. 34. versi. 8. Completi sunt dies luctus. Ierem. 25. versic. 34. Completi sunt dies vestri, vt interficiamini. Luc. 2. ver. 22 Postquam impleti sunt dies purificationis. Act. 2. versi. 1. Dum complerentur dies Pentecostes, &c. Ex hac collatione phrasium colligi potest, quę fuerit sententia, quando Christus ita cœpit concionari, *Impletum est tempus.* Multa enim in Prophetis extant vaticinia, finem fore Veteris Testamenti, & venturos dies, in quibus Messias, Veteri abrogato, Nouum Testamentum incoaret, & illud tempus Prophetę vocant nouissimos dies, Esa. 2. ver 2. Ioel. 2. ver. 28. Christus igitur dicens, tempus impletum esse, prędicationem suam exorsus est à vaticinijs illis Veteris Testamenti. Et ex hac commonefactione obseruari potest, quę capita complexus fuerit sub his verbis *Impletum est tempus.* Tractauit enim testimonia Prophetarum de fine & abrogatione Veteris Testamenti. Item de nouissimis diebus, hoc est, de tempore seu incoatione Noui Testamenti, & certis argumentis ex ipsis Prophetarum vaticiniis deductis ostendit tempus illud iam in se impletum esse. Sine dubio igitur doctrinam de persona & vocatione sua, quam in Synagoga Nazarethana tradiderat, repetiuit, quę huc referri poterit.

Secundum caput est: *Appropinquauit regnum Dei.* Sunt autem & hęc verba ex Prophetarum vaticiniis sumpta, in quibus Deus promittit se suscitaturum regnum Messię, vt Esa 9. v. 7. Ierem. 23. v. 5. & 33. v. 14. Daniel. 7. ver. 14. Psal. 45. v. 7. Hinc populus die Palmarum clamat: Benedictum regnum patris nostri Dauidis. Illud autem regnum Prophetę ita describunt quod manifeste affirmat ipsum Iehouah regnaturum, Esa. 52. v. 7. Quam pulcri pedes annunciantium Sion, regnat Deus tuus. Mich. 4. v. 7. Regnabit Dominus super eos in monte Siō, Psal. 47. versic. 9. Regnat Deus super gentes: principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, Psal. 96. versic. 10. Dicite in gentibus; quia Dominus regnauit. Idem Messię regnum vocatur Domini regnum: Psal. 21. versic. 28. Adorabunt vniuersę familię gentium, quoniam Domini est regnum. Hęc testimoniorum collatio ostendit. Filium Dei conciones suas ex doctrina Prophetarum formasse & auditores suos remisisse ad fontes propheticos, adeo, vt ipsa verba inde mutuari voluerit, quòd ideò fecit, vt probaret se non nouum doctrinę genus adferre. Messię igitur regnum toties promissum & tamdiu expectatum, dicit ἤγγικεν *propè accessisse*: esse in propinquo & iam incoari, Et illud vocat *Dei regnum*, primum ideo; quia cum propter peccatum essemus in regno & sub potentia Satanę & mortis æternę, Deus opposuit suum regnum per Messiam, reducens & liberans nos inde. 2. Quia Christus suo officio aperit nobis, & aditum facit in regnum gratię & glorię Dei. 3. Quia Deus per Euangelium

lium in Christo regnum suum in terra inter homines erigit, vocans, illuminans, conuertens ac transferens nos in regnum gratię suę. 4. Quia incipit iam per Spiritum regnare in nobis, ne peccatum in nobis regnet, sed vt Spiritu eius ducamur, viuamus, ambulemus, & ipsi seruiamus. Quę declaratio maxime fuit necessaria, propter carnales Pharisęorum imaginationes de externo & politico regno Messiæ. Quia vero Filius Dei ideo missus erat, vt sua passione vinctos liberaret, & propter obedientiam suam regnum illud à patre suo acciperet, Dan.7.v.14. Et nos miseros in illud trāsferret: ideo inquit: *Appropinquauit regnum Dei*: λύτρον enim tunc nondum erat persolutum. Syrus habet verbum קרב accessit, proximum factum est, porrigitur, offertur, applicatur; admonetur regnum cœlorum. Hęc longa oratione possent explicari, sed satis est breui commonefactione fontes monstrasse, vnde plenior explicatio peti potest. Et nulla melior explicatio est horum capitum, quàm si ex integris concionibus Christi petatur. Referatur itaque hoc colloquium Christi cum Nicodemo habitum, & concio Nazarethana; & vera erit explicatio huius breuis sententiæ: *Appropinquauit regnum Dei*.

Tertium caput in concionibus Christi fuit, quomodo regnum illud Dei suscipiatur, vt beneficia eius apprehendantur & accipiantur: μετανοεῖτε, inquit, *&* *credite Euangelio*. Sententia manifesta est. Homines sine pœnitentia non esse capaces Euangelij regni Dei, sed pœnitentia, hoc est, agnitione & sensu peccati, irę Dei & æternæ damnationis pręparandos esse, vt esurientes & sitientes iustitiam, desiderent liberari ex manu inimicorum, & transferri in regnum Dei. Applicationem vero siue apprehensionem regni Dei, fieri fide, cuius obiectum sit doctrina Euangelij de regno Dei: ideo dicit: *Credite Euangelio*. Hęc manifesta sunt: sed de vocabulis aliquid dicendum est. Hebręi duo habent verba, quibus μετανοία, quo Baptista, Christus & Apostoli vtuntur, respondet; נחם Nicham, & שוב Schob. Et Syrus semper pro pœnitentia reddit תוב quod significat conuersionem, seu reuersionem. Inspexi autem pleraque loca, in quibus duo illa verba in hac significatione vsurpantur, & deprehendi 70. interpretes frequenter aliis verbis in translatione vsos esse. Vocabulum vero μετανοίας vsurparunt, 1.Reg.16.vers.1. Et Ioelis 2.versic.14. In Gręcis verò libris, qui titulo apocrypharum Bibliis iuncti, post 70. Interpretes scripti sunt, aliquoties verbum μετανοία ita vsurpatur, vt manifestum sit, quod vtrique Hebraico respondeat. Nam Sap.5.ver.3. respondet Hebraico Nicham pœnitere: Sed cap.11.ver.24. & 12.vers.10. pro tota conuersione accipitur. dissimulas peccata εἰς μετάνοιαν. Item: Dabas locum pœnitentię. Ita etiam Syrach, cap.44.versic.16. vsurpatur. Henoch est ὑπόδειγμα μετανοίας. Et in vtraque significatione, vocabulum illud tempore Apostolorum receptum & vsitatum fuisse, phrasis Noui Testamenti indicat. Vtilis autem est hæc vocabulorum collatio. Inde enim intelligi potest, quomodo Matthæus vocabulo μετανοίας totam conuersionem, hoc est, contritionem & fidem complectatur, quando inquit: *Pœnitentiam agite: appropinquat enim regnum cœlorum*: & quomodo Marcus distincte ponat, pœnitentiam & fidem. Consideratio etiam vocabulorum doctrinam de pœnitentia erudite illustrat. Verbum enim נחם Nicham significat talem agnitionem, considerationem & cogitationem de re, siue de dicto aut facto aliquo, vt in voluntate & corde sequatur mutatio affectuum, hoc est, auersio, dolor, detestatio, seu pœnitentia. Hæc significatio pulcre redditur vocabulo μετανοίας, quod significat animum & sententiam mutare, vel à proposito, seu sententia deduci. Nam μετάνοιαν vocant figuram orationis, quando quis id, quod prius dixerat, posteriori sententia commutat. & Gręcis opponitur προνοεῖν, & μετανοεῖν, ante factum, & post factum sapere. Quia vero Hebraica consuetudine, verba Notitiæ, simul etiam affectus complectuntur, vt: *Nouit Dominus viam iustorum*: hinc μετάνοια, non tantum agnitionem peccati & damnationis in mente significat, verum etiam affectus, qui seriam illam agnitionem sequuntur, vt sunt dolor, auersio, detestatio, &c. Ideo 70. interpretes Nicham sæpius reddiderunt per verbum μεταμέλομαι. Exod.13.vers.17. 1.Reg.15.vers.vlt. 1.Paral.21.v.15. Psal.150.ver.45. & 4.Reg.3.vers.27. Vsurpatur etiam Sap.19.ver.2. & 1.Macch.11.versic.10. Hoc enim verbum significatius exprimit mutationem affectuum, & curam seu solicitudinem emendationis. Alterum verbum שוב Schob, cui etiam μετανοία in Nouo Testamento respondet, eleganter depingit ipsum quasi actum pœnitentiæ. Cognata enim Hebræis verba sunt, quæ significant 1. שבת cessationem motus, quando non amplius progredimur, sed moniti motum sistimus & reprimimus. 2. סוּר auersionem à loco, quo prius cursus dirigebatur. 3. שוב conuersionem seu redditum ad locum. Hæc pulcerrime illustrant doctrinam pœnitentiæ. Per concionem enim Legis Deus hoc operatur & efficit, vt non securi perseueremus, nec pergamus in peccatis, sed quasi reprimamus cursum. Deinde sequitur dolor, auersio, detestatio & terrores ex sensu iræ Dei & timore damnationis. Tertio pertinet etiam ad pœnitentiam desiderium, cura & sollicitudo, vt meritas damnationis pœnas effugiamus, ad Deum nos conuertamus, vt remedium morbo inueniamus. Hæc omnia Hebraicum verbum pulcerrime complectitur, quæ in verbo μετανοία non ita facile animaduerti possunt. Ideò Græci reddiderunt verbum שוב plerumque per verbum ἐπιστρέφειν 3.Reg.8. versic.33. & 11. 47. & 48. & 4.Reg. 14.ver.22. Sæpe etiam per ἀποστρέφειν redditur, vt Ezech.33.ver. 11. 1.Reg.9.ver.6. Esa.59.vers.pen. Nahum.2.vers.2. Hæc obseruatio vocabulorum multum affert lucis & vtilitatis. Inde enim intelligitur, qua ratione & in quam sententiā vocabula pœnitentiæ & conuersionis in Ecclesia recepta sint. Reliqua vocabula, vt quod Euangelium proprie sit læta annunciatio de persona, meritis, & officio Christi Mediatoris, quodque pater propter Christum ex gratia velit credentibus peccatum remittere, eósque acceptare ad vitam æternam; & quod Spiritus sanctus illa beneficia per Euangelium offerat, & exhibeat. Deinde quod fides præter agnitionem & assensionem promissionis Euangelij complectatur etiam motum voluntatis & cordis, quo in vera pœnitentia credens desiderat, expetit, quærit, amplectitur & accipit, & sibi applicat gratiam Dei in Christo per Euangelium nobis oblatam, inque ea vera fiducia acquiescit. Hæc alibi in loco de Iustificatione à nobis explicata sunt. Quando igitur Christus inquit: *Regnum Dei prope adest, ideo agite pœnitentiam*: ostendit, eos non esse aptos ad regnum Dei, qui sunt sine pœnitentia, hoc est, qui seria peccatorum agnitione non sunt humiliati, quique iram Dei non expauescunt: vt sunt Pharisæi, qui fingunt, se vel esse absque peccato, vel suis operibus se gratiam Dei & vitam æternam posse consequi. Item Epicuræi, qui de peccati abominatione serio non cogitant, de ira Dei non sunt solliciti, sed securi in peccatis manent & pergunt. Præponit igitur Christus pœnitentiam, hoc est: Primo vult, omnes homines scire & agnoscere, quod in peccatis coram iudicio Dei sint perditi, quodque sint extra regnum gratiæ Dei, sub potestate diaboli, & mortis æternę, propter peccatum: & quod nec operibus, nec vlla alia ratione, quàm quæ in Euangelio proponitur, inde possint liberari. Deinde per doctrinam pœnitentiæ in cordibus vult excitare auersionem & detestationem peccati, contritionem seriam, dolorem & metum iræ Dei, solicitudinem & desiderium euadendi. Animis autem ita præparatis, non vult nos desperare, sed additur altera clausula: *Et credite Euangelio*, quod regnum Dei, hoc est, gratiam Dei annunciat, & in Christo offert, ac simul monstrat, quod sit medium seu organum, quo quæramus, accipiamus, & nobis applicemus regnum Dei, hoc est, gratiam Dei, remissionem peccatorum, & vitam æternam. Non autem imponit nobis, vt nos aliquid conferamus, aut præstēmus ad promerendam gratiam Dei, & vitam æternam, sed monstrat nobis Messiam, qui sua obedientia & merito beneficia illa per Spiritum sanctum vult distribuere & donare. Nos vero credentes Euangelio ea, quæ Messias acquisiuit, quæ Spiritus sanctus offert, & quæ Pater gratis donat, fide accipimus & nobis applicamus. Hæc manifesta sunt. Dicit enim: *Credite Euangelio*. Et ne de historica tantum agnitione & assensione intelligatur: addit Marcus præpositionem, Credite ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. Sicut in præcedentibus de præpositionibus, cum quibus verbum *Credere* construitur, diximus. Lex vero quæ nostra opera requirit, non est ex fide. Galat.3. vers.12. Nam qui fecerit, viuet: sed Euangelium concionatur de Filio Dei, de regno Dei, hoc est, quod propter Christum Pater gratis offerat & donet regnum suum, quodque illud fide accipiatur. Christus igitur contra Epicureas persuasiones pœnitentiam fidei præmittit, & contra Pharisaicas opiniones monstrat, quod sit verum & vnicum fidei iustificantis obiectum, Euangelium scilicet regni Dei, non lex factorum: sicut Paulus erudite hoc euoluit, Rom.10. vers.6. Gal.3. vers.12. Et dignum est consideratione, quod eadem forma docendi de pœnitentia, & fide vsus est etiam Baptista. Eandem formam Christus præscripsit Apostolis, Matth.10.versic.7. Marci 6.versic.12. Luc.9.versic 2. & septuaginta discipulis, Luc.10.versic. 9. & post resurrectionem, Luc.24.vers.47. Eadem forma docendi vsi sunt Apostoli, post acceptum Spiritum sanctum, Actor.2. vers.38. & 3.vers.19. Paulus etiam Actor.20. versic. 21. summam doctrinæ suæ, quam acceperat per reuelationem Filij Dei post ascensionem, colligit in hæc capita, & quidem hisce verbis: Testificans pœnitentiam in Deum, & fidem in Iesum.

Quartum caput doctrinæ Christi Matthæus dicit hoc fuisse: *Appropinquauit enim regnum cœlorum*. Hęc phrasis, quod regnum Messiæ vocatur regnum cœlorum, quę sępe vsurpatur à Filio Dei, sumpta est ex Daniele, qui cap.2. v.44 inquit

In diebus regnum illorum, suscitabit Deus cœli regnũ. Quod Matthæus dicit: *Appropinquauit regnum cælorum*: idem est cum eo, quod Marcus dicit: *Appropinquauit regnum Dei*. Potest verò in hoc cõtextu ita hoc accipi, vt inter capita doctrinæ Christi sit & hoc vnum: quid consequantur illi, qui regnum Dei fide accipiunt: seu qui sint effectus Euangelij fide accepti: quod scilicet ingrediamur regnum cœlorum, in quo datur gratia Dei, remissio peccatorum, adoptio, salus & vita æterna. Vtque in hunc finem, in hoc regno, per Spiritum incipiamus cœlestem vitam agere, hoc est, vt non amplius peccato, diabolo & mundo, sed Deo seruiamus in iustitia & sanctitate coram ipso. Sicut hæc alibi plenius explicantur.

Hæc obseruatio de summariis concionum Christi capitibus, propterea vtilis est. Sæpe enim in narrationibus Euangelistarum occurrit Christum prædicasse verbum Dei, aut sermonem regni, &c. vbi de sententia concionum nihil annotatum extat. Illa igitur ex summaria comprehensione peti potest & debet. Et per se piis animis iucundum & gratum esse debet, summam concionum Christi in pauca & certa aliquot capita comprehensam habere.

CAPVT XXXVI.

CONTINENS HISTORIAM DE VOCATIONE PETRI, ANDREÆ, IACOBI ET IOANNIS, Matth. 4. Marci 1. Lucæ 5.

RATIO ORDINIS.

HOc loco de ordine historiarum magna est controuersia. Videntur enim Euangelistæ non eodem modo has historias descripsisse. Vt Lucas soli Petro dictum esse scribit: *Posthac homines capies*, quod Matthæus & Marcus Petro & Andreæ simul dictum esse confirmant. Lucas etiam dicit, Iacobum & Iohannem simul cum Petro naues ad terram subduxisse, quorum tamen nauem non in eodem, sed in alio loco stationem habuisse, Matthæus & Marcus describit. Ac Simonem cum sociis suis subductis ad terram nauibus, eo animo reliquisse tunc paulisper omnia, vt postquam, reuerentię gratia, Christum aliquo vsque deducendo ipsum secuti essent, ad operas suas piscatorias redirent. Ac postea interiecto aliquo tempore, secutam esse aliam vocationem, quam Matthæus & Marcus describunt, postquam inseparabili sectatione Christo adhęserint, vt discipuli. Hanc sententiam plerique alij sequntur, à quibus excogitata est hæc distinctio: quòd Ioh. 1. ver. 40. vocati sint ad simplicem notitiam. Luc. 5. v. 10. Ad familiaritatem, Matt. 4. v. 19. Ad sequelam.

Osiander vero, & qui ipsum sequuntur, Molinæus, Codomannus & alij hoc prorsus inuertunt. Sumunt enim hoc *axioma*, nullum Euangelistarum extra ordinem aliquid commemorasse, sed historias sine vlla traiectione vel anticipationis vel recapitulationis, eo ordine, sicut apud singulos Euangelistas descriptę sunt, ponendas, licet hoc modo ex multis historiis, quæ prorsus eædem esse videntur, diuersæ sint faciendæ. Et quoniam Marcus dicit: Vocationem illam factam esse, ante miraculum in Synagoga Capernaitica in dæmoniaco editũ. & ante sanatam Socrum Petri. Lucas vero cap. 5. versi. 6. post hęc duo miracula describit historiam de captura piscium. Ponunt igitur duas prorsus diuersas historias: & vocationem, quã Matthæus & Marcus describunt, sentiunt factam esse, longe ante capturam piscium, Luc. 5. v. 6.

Gerson censet probabile esse, quod eadem sit historia, & eadem vocatio, & Matth. 4. versi. 19. & Luc. 5. versi. 10. nisi quod Lucas, circunstantias in Matthæo & Marco præteritas, diligentius & plenius descripsit. Et hæc sententia rei ipsæ, & regulis supra in prolegomenis traditis, omnium optime conuenit. Ne, scilicet, præter necessitatem, eædem historiæ, propter variationem quarundam circunstantiarum, quæ facile conciliari possint, discerpantur in diuersas. In vtraque enim historia verba vocationis eadem sunt: *Faciam vos piscatores hominum*. Et: *Eris homines capiens*. Item: *Relictis omnibus, secuti sunt eum*. Et pulcerrima erit Harmonia, si simul iungantur hæ descriptiones, vt fiat vna historia. Matthęus enim & Marcus scribunt: Petrum & Andream rete in mare iniecisse: qualis vero fuerit iactus ille, Lucas plenius explicat. Ita Matthæus dicit: Iacobum & Iohannem inuentos fuisse sarcientes retia: qua occasione vero rupta fuerint retia, Lucas sua descriptione indicat. Illis vero, qui diuersas faciunt historias, necesse est dicere: Petrum cum reliquis factos præuaricatores & apostatas, vt, qui deserta prima vocatione, & relicto Christo ad piscationem redierint, ita vt opus ad ipsos fuerit noua vocatione. Cum scriptum sit, Luc. 9. versi. vlt. Nemo mittens manum ad aratrum, respiciens retro, aptus est ad regnum Dei. Probo igitur Gersonis sententiam quod eadem sit historia & vocatio. Vtrobique enim scribuntur ad capturam hominum vocati, & relictis hominum secuti Christum. Quam phrasin non de vulgaribus auditoribus, sed de discipulis: qui, vt perpetui sectatores, semper ipsi adhærebant, intelligendam esse manifestè ostendit locus Mar. 9. ver. 38. vbi Iohannes dicit: *Vidimus quendam eiicientem dæmonia, qui non sequitur nos, &c.* Et non absurde colligi potest, Lucam historiam illam vocationis suo loco & ordine narrare: præmittit enim historiam de sanata Socru Petri, cap. 4. ver. 38. Sed Marcus dicit, sanationem illam factam, cum iam Simon, Andreas, Iacobus & Iohannes Christum sectarentur. Ergo non ante, sed post vocationem ipsorum hoc accidit. Et Lucas, cum in fine capitis 4. v. 38. de domo Simonis mentionem fecisset, voluit per recapitulationem subiungere vocationem Petri, per cuius occasionem contigit, Christum domum Petri ingredi.

Contraria vero argumenta facile possunt explicari. Lucas enim, qui soli Petro dictum esse scribit: *Eris homines capiens*, &c. mox in plurali addit: *Relictis omnibus, secuti sunt eum*. Non ergo solus Petrus vocatus fuit; quia vero in singulis nauibus erant etiam mercenarij, sicut Marcus scribit. Matthæus ergo notat, non omnes, qui in naui illa erant, vocatos fuisse, sed Petrum & Andream. Eadem etiam ratione secundum argumentum explicari potest. Lucas dicit: Iacobum & Iohannem socios Simonis habuisse peculiarem nauem: & post capturam vtramque nauem ad terram subductam esse. Matthæus vero ostendit, Iacobum & Iohannem non in locum Petri, sed in peculiarem stationem nauiculam suam subduxisse id, quod Lucas etiam tacite significat, cum inquit: Iacobum & Iohannem, socios Simonis, tam procul abfuisse, vt non potuerint voce & clamore aduocari, sed quod nutibus & gestibus agendum fuerit. Atque ita post vocatum Petrum & Andream, Iesus paululum in littore progressus, in alia statione inuenit Zebedæum cum duobus filiis. Tertium etiam argumentum non concludit: semper, scilicet, diuersas esse historias, quæ non eodem loco & ordine ab Euangelistis describuntur, sicut in prolegomenis ostendimus. Et ex regulis, de inuestiganda ratione ordinis, ibi traditis colligitur, Marcum hoc loco seruare ordinem rei gestæ. Ponit ergo certam hanc notationem, Iesum post illam vocationem ingressum Capernaum, & ibi in Synagoga edidisse miraculum in dæmoniaco, & mox comitatum quatuor illis recens vocatis discipulis, sanasse Socrum Petri. Lucas vero sine certa notatione temporis & ordinis simpliciter dicit, *Et erat*, &c. *Et factum est*, &c. quæ formulę sine obseruatione ordinis historiarum & temporis, aliquid descriptum esse notant, sicut in prologomenis ostendimus. Ordinem igitur huius vocationis Marcus notauit. Lucas vero per recapitulationem circumstantias descripsit. Et ita plana est ratio ordinis huius historiæ.

HISTO-

HISTORIA DE MIRACVLOSA CAPTVRA PISCIVM, ET DE VOCATIONE PETRI ET Andreæ, Iacobi, & Iohannis.

MATTH. 4.

18. Περιπατῶν δὲ ὁ Ἰησοῦς παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, εἶδε δύο ἀδελφούς, Σίμωνα, τὸν λεγόμενον Πέτρον, καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, βάλλοντας ἀμφίβληστρον εἰς τὴν θάλασσαν, (ἦσαν γὰρ ἁλιεῖς.)

19. Καὶ λέγει αὐτοῖς· δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων.

20. Οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίκτυα, ἠκολούθησαν αὐτῷ.

21. Καὶ προβὰς ἐκεῖθεν, εἶδεν ἄλλους δύο ἀδελφούς, Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἐν τῷ πλοίῳ μετὰ Ζεβεδαίου τοῦ πατρὸς αὐτῶν, καταρτίζοντας τὰ δίκτυα αὐτῶν, καὶ ἐκάλεσεν αὐτούς.

22. Οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες τὸ πλοῖον, καὶ τὸν πατέρα αὐτῶν, ἠκολούθησαν αὐτῷ.

18. *Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocabatur Petrus, & Andream fratrem eius, iacientes rete in mare, (nam erant piscatores.)*

19. *Et dicit illis: sequimini me, & faciam vos piscatores hominum.*

20. *At illi relictis illicò retibus, secuti sunt illum.*

21. *Et progressus illinc, vidit alios duos fratres Iacobum filium Zebedai & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedæo, patre suo, sarcientes retia sua, & vocauit eos.*

22. *At illi protinus relicta naui & patre suo, secuti sunt eum.*

MARC. 1.

16. Περιπατῶν δὲ παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, εἶδε Σίμωνα καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, βάλλοντας ἀμφίβληστρον ἐν τῇ θαλάσσῃ. (ἦσαν γὰρ ἁλιεῖς.)

17. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς γενέσθαι ἁλιεῖς ἀνθρώπων.

18. Καὶ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίκτυα αὐτῶν, ἠκολούθησαν αὐτῷ.

19. Καὶ προβὰς ἐκεῖθεν ὀλίγον, εἶδεν Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, καὶ αὐτοὺς ἐν τῷ πλοίῳ καταρτίζοντας τὰ δίκτυα, καὶ εὐθέως ἐκάλεσεν αὐτούς.

20. Καὶ ἀφέντες τὸν πατέρα αὐτῶν Ζεβεδαῖον ἐν τῷ πλοίῳ μετὰ τῶν μισθωτῶν, ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ.

16. *Cùm ambularet autem iuxta mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem eius, iacientes retia in mare, (erant enim piscatores.)*

17. *Et dixit illi Iesus, sequimini me, & faciam, vt efficiamini piscatores hominum.*

18. *Ac protinus relictis retibus suis, secuti sunt eum.*

19. *Et progressus illinc pusillum, vidit Iacobum filium Zebedæi, & Iohannem fratrem eius, qui & ipsi in naui reconcinnabant retia, statimque vocauit illos.*

20. *Et illi, relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenariis, secuti sunt eum.*

LVC. 5.

1. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ, τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. Καὶ αὐτὸς ἦν ἑστὼς παρὰ τὴν λίμνην Γεννησαρέθ.

2. Καὶ εἶδε δύο πλοῖα ἑστῶτα παρὰ τὴν λίμνην· οἱ δὲ ἁλιεῖς ἀποβάντες ἀπ' αὐτῶν ἀπέπλυναν τὰ δίκτυα.

3. Ἐμβὰς δὲ εἰς ἓν τῶν πλοίων, ὃ ἦν τοῦ Σίμωνος, ἠρώτησεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον, καὶ καθίσας, ἐδίδασκεν ἐκ τοῦ πλοίου τοὺς ὄχλους.

4. Ὡς δὲ ἐπαύσατο λαλῶν, εἶπε πρὸς τὸν Σίμωνα· ἐπανάγαγε εἰς τὸ βάθος, καὶ χαλάσατε τὰ δίκτυα ὑμῶν εἰς ἄγραν.

5. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Σίμων, εἶπεν αὐτῷ· Ἐπιστάτα, δι' ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιάσαντες οὐδὲν ἐλάβομεν, ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου χαλάσω τὸ δίκτυον.

6. Καὶ τοῦτο ποιήσαντες συνέκλεισαν ἰχθύων πλῆθος πολύ. διερρήγνυτο δὲ τὸ δίκτυον αὐτῶν.

7. Καὶ κατένευσαν τοῖς μετόχοις τοῖς ἐν τῷ ἑτέρῳ πλοίῳ, τοῦ ἐλθόντας συλλαβέσθαι αὐτοῖς. καὶ ἦλθον, καὶ ἔπλησαν ἀμφότερα τὰ πλοῖα, ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά.

8. Ἰδὼν δὲ Σίμων Πέτρος, προσέπεσε τοῖς γόνασι τοῦ Ἰησοῦ, λέγων· ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι, Κύριε.

9. Θάμβος γὰρ περιέσχεν αὐτόν, καὶ πάντας τοὺς σὺν αὐτῷ, ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων ᾗ συνέλαβον·

10. Ὁμοίως δὲ καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην υἱοὺς Ζεβεδαίου, οἳ ἦσαν κοινωνοὶ τῷ Σίμωνι. Καὶ εἶπε πρὸς τὸν Σίμωνα ὁ Ἰησοῦς· μὴ φοβοῦ, ἀπὸ τοῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν.

11. Καὶ καταγαγόντες τὰ πλοῖα ἐπὶ τὴν γῆν, ἀφέντες ἅπαντα, ἠκολούθησαν αὐτῷ.

1. *Factum est autem, cùm turba immineret ei, vt audiret verbum Dei. Et ipse stabat iuxta stagnum Genezareth.*

2. *Et vidit duas naues stantes ad stagnum: piscatores autem descenderant ex illis, & abluebant retia.*

3. *Ingressus autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum, vt à terra abduceret pusillum, & sedens, docebat de naui turbas.*

4. *Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.*

5. *Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, tamen tuo verbo laxabo rete.*

6. *Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum.*

7. *Et annuerunt sociis, qui erant in altera naui, vt venirent, & adiuuarent ipsos. Et venerunt, atque impleuerunt ambas naues, ita, vt mergerentur.*

8. *Quod cùm videret Simon Petrus, accidit ad genua Iesu, dicens: Discede à me Domine, quia homo peccator sum.*

9. *Stupor enim circumdederat eum & omnes, qui cum illo fuerant super captu piscium quem ceperant:*

10. *Similiter autem Iacobum & Iohannem filios Zebedæi, qui erant socij Simoni. Et ait ad Simonem Iesus: Ne metuas: posthac homines capies.*

11. *Et subductis in terram nauibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.*

De conciliatione & coagmentatione circumstantiarum huius Historiæ, ex tribus Euangelistis.

QVod Matthæus & Marcus dicunt, Iesum ambulantem iuxta mare, vidisse Simonem & Andream, iacientes rete in mare: hoc quidam ita accipiunt, quod Iesus summo mane veniens ad mare, viderit duos illos adhuc sine fructu, sicut per totam noctem fecerant, retia iacientes, priusquam ex nauibus subductis descenderent, & retia lauarent, Luc. 5. versicul. 2. Sed simplicius est, si hæc ita accipiantur, quod Matthæus breuiter dicat, Iesum vidisse ipsos rete iacientes. Quomodo vero hoc viderit, & quando illi rete iecerint, quod Lucas hoc describat. Ita cùm adhuc essent in naui, Iesus primum Petro dixit: *Posthac homines capies*. Cùm verò nauem subduxissent ad terram, dixit vtrique & Simoni & Andreæ ea, quæ Marcus & Matthęus scribunt. Interea verò Iacobus & Iohannes in suam peculiarem stationem se receperunt. Iesus igitur in litore cum Petro & Andræa paulum progressus, in alia statione inuenit duos illos sarcientes retia, & tunc demum illos vocauit.

HARMONIA HISTORIÆ, DE MIRACVLOSA CAPTVRA PISCIVM, AC DE VOCATIONE Petri, Andreæ, Iacobi & Iohannis: ex trium Euangelistarum descriptionibus in vnum corpus coagmentata, Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5.

c Περιπατῶν δὲ ὁ Ἰησοῦς παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας εἶδε δύο ἀδελφούς, Σίμωνα, τὸν λεγόμενον Πέτρον, καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ βάλλοντας ἀμφίβληστρον εἰς τὴν θάλασσαν. (ἦσαν γὰρ ἁλιεῖς.) c Ἐγένετο (γὰρ) ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ, τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτὸς ἦν ἑστὼς παρὰ τὴν λίμνην· οἱ δὲ ἁλιεῖς ἀποβάντες ἀπ᾽ αὐτῶν, ἀπέπλυναν τὰ δίκτυα. Ἐμβὰς δὲ εἰς ἓν τῶν πλοίων, ὃ ἦν τοῦ Σίμωνος, ἠρώτησεν αὐτὸν, ἀπὸ τῆς γῆς ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον. καὶ καθίσας, ἐδίδασκεν ἐκ τοῦ πλοίου τοὺς ὄχλους. Ὡς δὲ ἐπαύσατο λαλῶν, εἶπε πρὸς τὸν Σίμωνα· Ἐπανάγαγε εἰς τὸ βάθος, καὶ χαλάσατε τὰ δίκτυα ὑμῶν εἰς ἄγραν. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Σίμων εἶπεν αὐτῷ· Ἐπιστάτα, δι᾽ ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιάσαντες, οὐδὲν ἐλάβομεν· ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου χαλάσω τὸ δίκτυον. Καὶ τοῦτο ποιήσαντες, συνέκλεισαν ἰχθύων πλῆθος πολύ. Διεῤῥήγνυτο δὲ τὸ δίκτυον αὐτῶν. Καὶ κατένευσαν τοῖς μετόχοις, τοῖς ἐν τῷ ἑτέρῳ πλοίῳ, τοῦ ἐλθόντας, συλλαβέσθαι αὐτοῖς. Καὶ ἦλθον, καὶ ἔπλησαν ἀμφότερα τὰ πλοῖα, ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά. Ἰδὼν δὲ Σίμων Πέτρος, προσέπεσε τοῖς γόνασι τοῦ Ἰησοῦ, λέγων· Ἔξελθε ἀπ᾽ ἐμοῦ, ὅτι ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι, κύριε. Θάμβος γὰρ περιέσχεν αὐτὸν, καὶ πάντας τοὺς σὺν αὐτῷ, ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων ᾗ συνέλαβον· ὁμοίως δὲ καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην υἱοὺς Ζεβεδαίου, οἳ ἦσαν κοινωνοὶ τῷ Σίμωνι. Καὶ εἶπε πρὸς τὸν Σίμωνα ὁ Ἰησοῦς, μὴ φοβοῦ· ἀπὸ τοῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν. Καὶ καταγαγόντες τὰ πλοῖα ἐπὶ τὴν γῆν, c λέγει αὐτοῖς (τῷ Σίμωνι καὶ τῷ Ἀνδρέᾳ) b ὁ Ἰησοῦς· c δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς γενέσθαι ἁλιεῖς ἀνθρώπων. Οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίκτυα, c καὶ ἅπαντα, ἠκολούθησαν αὐτῷ. c Καὶ προβὰς ἐκεῖθεν b ὀλίγον, a εἶδεν ἄλλους δύο ἀδελφούς, c Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, b καὶ αὐτοὺς c ἐν πλοίῳ, a μετὰ τοῦ Ζεβεδαίου τοῦ πατρὸς αὐτῶν c καταρτίζοντας τὰ δίκτυα αὐτῶν, b καὶ εὐθέως c ἐκάλεσεν αὐτούς. a Οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες τὸ πλοῖον, c καὶ τὸν πατέρα αὐτῶν b Ζεβεδαῖον, ἐν τῷ πλοίῳ μετὰ τῶν μισθωτῶν, ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ, a καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ.

c *Ambulans autem Iesus iuxta mare Galileæ, vidit* a *duos fratres, Simonem, qui vocabatur Petrus,* c *& Andream fratrem eius: iacientes rete in mare, (nam erant piscatores.)* c *Factum est, [enim] cùm turba imminerét ei, vt audiret verbum Dei, & ipse stabat iuxta stagnum Genezareth. Et vidit duas naues stantes ad stagnum: piscatores autem descenderant ex illis, & abluebant retia. Ingressus autem in vnam nauem, quæ erat Simonis, rogauit eum, vt à terra abduceret pusillum: & sedens, docebat de naui turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, totam noctem laborantes, nihil cepimus: tamen tuo verbo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuebant socijs, qui erant in altera naui, vt venirent, & adiuuarent ipsos. Et venerunt, atque impleuerunt ambas naues, ita, vt mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, accidit ad genua Iesu, dicens: Discede à me, Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo fuerant, super captu piscium, quem ceperant: similiter autem Iacobum & Iohannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus, ne metuas: posthac homines capies. Et subductis in terram nauibus* c *dixit illis, (Simoni scilicet & Andreæ)* b *Iesus :* c *sequimini me, & faciam, vt efficiamini piscatores hominum. Illi verò protinus relictis retibus,* c *& omnibus,] secuti sunt eum.* c *Et progressus illinc* b *pusillum,* c *vidit* a *alios duos fratres* c *Iacobum filium Zebedæi, & Iohannem fratrem eius,* b *& ipsos* c *in naui* a *cum Zebedæo patre suo,* c *sarcientes retia sua,* b *statimque* c *vocauit eos.* a *At illi protinus relicta naui,* c *& relicto patre suo* b *Zebedæo, in naui cum mercenarijs, abierunt post ipsum, & secuti sunt eum.*

Periocha huius Historiæ.

MAre Galilææ, cuius hoc loco Matthęus & Marcus meminerunt, idem est, quod Lucas vocat stagnum seu lacum Genezareth, quodque Ioannis 6. versi. 1. vocatur mare Tyberiadis. Hebręis enim omnes collectiones aquarum aliquanto maiores vocantur maria, Gen. 1. versi. 10. Ne vero hoc loco magnum intelligatur, Lucas vocat λίμνην. Hebręi enim distincta habent vocabula. 1. נחל significans torrentes in vallibus, qui ex pluuiis colliguntur, & aliquando exsiccantur. Græci vocant χειμάῤῥους. 2. יאר à limpiditate dicitur, & putant esse riuum seu meatum ex maioribus fluminibus deductum, ad irrigandos agros. Græci Exod. 7. ver. 19. & Iesa. 19. v. 6. reddiderunt διώρυχας. 3. Est נהר fluuius maior & perennis, vt est Nilus, Euphrates, Genes. versic. 14. 15. versi. 18. & 24. ver. 10. Græci reddiderunt ποταμόν. 4. Est [illegible], quod significat copiam aquarum stantium, hoc est, stagnū seu lacū λίμνην. Exod. 7, vers. 19. & Psal. 107. ver. 35. reddiderunt [illegible]. 5. Generale est vocabulum מקוה & significat συστήματα, congregationes aquarum, Gen. 1. ver. 10. Exod. 7. versic. 19. Postremum est

[illegible]

... mare. Stagnum autem illud, de quo hæc historia loquitur, vocatur à Matthæo & Marco *mare Galilææ*. Inferior enim Galilæa, quæ simpliciter Galilæa vocatur, circa stagnum illud sita est. Lucas verò vocat *stagnum Genezareth*. Vetus eius appellatio est כנרת Cinereth, vel Cineroth. Græci Num. 34. vers. 11. Iesa. 11. vers. 2. & 12. ver. 3. reddiderunt Χενερεθ. Deut. 3. v. 17. Χενερεθ. Iosuæ 19. ver. 35. Significat autem כנור (vnde deductum est כנרת, & Græcum, κινύρα) Cytharam, instrumentum musicum. Et stagnum illud inde appellationem habet, ratione vel situs vel strepitus, vel dulcedinis, quod per multos flexuosos alueos cum iucundo strepitu Iordanis per hunc lacum dilabatur, & aquas habeat dulces. Chaldæi alueos fluuiorum, ad lauandum accommodatos ita vocant, & גינוסר exponunt pro lacu, per quem aut in quem multi canales transeunt & defluunt. Porro regio quædam in tribu Nephthalim, à parte Septentrionali & Occidentali adiacens huic lacui, vocata fuit Cinereth, Iosuæ 19. v. 35. & 1. Reg. 15. v. 20. Et vel lacus à regione, vel regio à lacu nomen accepit. Illam vero regionem & lacum illum Chaldæus Paraphrastes, Iosuæ 11. v. 2. Num. 34. v. 11. vocat גנוסר. Quæ vox Syriace mutatis punctis vocalibus, & scribitur, & pronunciatur גנסר Genesar. Vnde 1. Macc. 11. vers. 7. scribitur Γεννησάρ. Atque ita etiam Iosephus vocem illam scribit, de bell. Iudaic. lib. 3. cap. 18. Et Plinius lib. 5. cap. 15. dicit: Lacum illum plures Genesaram vocant. Egesippus accipit tanquam Græcum vocabulum, quod lacus ille crispantibus vndis generet auram suauissimam, à verbo γεννάω & à nomine αὔρα. Nam & Iosephus regiunculæ illi tribuit mirificam εὐκρασίαν ἀέρος. Sed appellatio Chaldæa est, non Græca. Rabbini dicunt גנוסר compositum esse ex גנות horti שר pro שר (princeps) quasi horti Principis, *Ein Fuerstlicher Garten, oder ein theuwren Paradeisz*. Et sicut à generositate gigantes vocantur ...; Prouerb. 9. v. 18. ita à generosa præstantia, & regio illa & lacus nomen possent habere. Euangelistæ scribunt Γεννησαρέθ, addita vltima syllaba ex antiqua appellatione Cinnereth. Atque ita etiam Ptolomæus & Strabo lacum illum vocant Genesareth. Iosephus Antiquit. lib. 18. cap. 3. Græca inflexione vocat λίμνην Γεννησαρῖτιν, locum Genesariticum, lib. 13. c. 10. vocat ὕδωρ Γεννησάρ. Sunt qui nomen stagni cum appellatione ciuitatis Nazareth congruere existimant, vt sit גי נצרת vallis virgultorum seu surculorum. Plinius enim dicit Iordanem, vbi prima conuallium fit occasio in lacum se fundere: & Iosephus regionem illam à mirifica arborum fertilitate & amœnitate celebrat. Ac bonæ sunt cogitationes, quod Iesus verus surculus stirpis Iessæ & germen Dauidis, in Nazareth ciuitate surculorum educatus, circa Genezareth, vallem surculorum, vt plurimum ministerij sui tempore versatus sit. Sed cum Chaldaica & Syriaca scriptione, sicut ostendimus, hæc non conueniunt. Porro vocatur etiam stagnum illud mare Tyberiadis, Ioh. 6. v. 1. & 21. v. 1. Iosephus de bello Iudaico, li. 4. c. 27. vocat λίμνην Τιβεριέων, stagnum Tyberiensium. Antiquitus enim fuit ciuitas Cinereth in ripa occidentali ad oram septentrionalé lacui huic adiacens, Iosuę 19. v. 35. & 3. Reg. 15. v. 20. in cuius locum postea Capernaum ædificata fuit. Cum vero Herodes Tetrarcha in Tyberij amicitiam receptus esset, in eius honorem ampliata Capernaum, vel extruxit ciuitatem, quam Tyberiada voluit vocari, vnde & lacus, præcipue vero illa ripa ciuitati Tyberiadi adiacens, nomen accepit, quod vocatur mare Tyberiadis. In loco enim antiquissimæ ciuitatis Cinnereth, postea Tyberiada ædificatam fuisse, testatur Hieronymus in locis Hebraicis, & in capite Ezechielis vltimo. Ad orā verò Meridionalem, vbi Iordanis ex lacu Genezareth effluit, Tarichea ciuitas, cuius apud Iosephum frequens est mentio, in loco Bethsaidæ, sicut postea dicemus, extructa fuit, vnde pars meridionalis fuit appellata lacus Tarichæus vel Tarichæarum, apud Plinium. A Magnificentia videtur nomen habere. Nam ædes augustæ vel Basilicæ Chaldæis vocantur טרקלין. Vnde & Tarquinius dictus fuit. Quod si appellatio Græca est, Etymologia ostendit dictam à conditura seu salsura piscium. Quia enim locus ille pisces in magna copia suppeditabat, sale ibi condiebantur, vt ad alia etiam loca ferri possent. Postremo, quando absolute nominatur mare apud Euāgelistas, plerunque intelligitur hoc stagnum Genezareth: vt Mar. 17. v. vlt. & alibi. Quia circa illud Christus vt plurimum versatus fuit. Alias, vt Iosuę 11. v. 2. quādo absolute nominatur mare, intelligitur mare mediterraneum, quod alibi vocatur mare magnum. Nu. 34. v. 5. 6. 7. Deut. 11. v. 4. vel nouissimum vel postremum. Nu. 34. v. 5. 12. vel occidentale, Deut. 11. v. 24. Longitudinem autem stagni Genezareth à Septentrione versus Meridiem. Plinius li. 5. c. 15. tradit esse sedecim millia passuū, latitudinem sex mille passuum. Iosephus de bello lib. 3. c. 18. scribit, lacum illum patere in longitudine centum stadiis, in latitudine 40. stadiis. Hæc de mari Genezareth, circa quod valde multa à Christo sunt gesta, hoc loco annotare volui. De regionibus verò & ciuitatibus, vtrinque lacui huic adiacentibus, suis postea locis plura notanda erunt.

Sed accedamus ad explicationem circumstantiarum huius historiæ. Cum igitur Iesus in Synagoga Capernaitarum non semel, sed per aliquot Sabbatha docuisset: hoc enim est quod Lucas cap. 4. v. 31. inquit: ἦν διδάσκων: populus ita accensus fuit desiderio audiendi verbi Dei, vt aliis etiam profestis diebus conuenirent, vbicunque extra Synagogam sciebāt Iesum ipsum versari. Cùm enim die quodam, quando non erat Sabbathum (id quod ex piscatorum laboribus colligitur) iuxta mare Galilææ, quod Lucas vocat stagnum Genezareth, deambularet, siue orationis gratia, siue vt à docendi laboribus se colligeret, siue captans docendi opportunitatem, magna hominum turba, partim versans in littore illo, partim vrbe effusa, ipsum secuta est. Vtitur autem Lucas verbi ἐπικεῖσθαι. Quia enim homines illi non ex curiositate videndi, sed ardenti desiderio audiendi verbum Dei, ipsum sequebantur, vt quisque docenti proximus esse volebat, ita alterum propellebat, vt iam vrgentes quasi incumberent Christo, tanto frequentius turbæ impetu, vt periculum esset, ne ex littore in stagnum proturbaretur. Et quia non venerat, vt eo tempore exinanitionis potentiam & maiestatem suam, præter vocationem, ostentaret: ne igitur Deum tentaret, nauem conscendit. Adeo prompta est eius benignitas quærentibus ipsum. Duæ enim nauiculæ in illa parte littoris, in diuersis, sicut Matthæus notat, stationibus, stabant: quarum alteram Petri & Andreæ fuisse, certum est: alteram verò, Lucas postea dicit, sociorum Simonis, Iacobi scilicet & Iohannis fuisse. Et piscatores, qui per totam noctem laborarant, nauigiis egressi, retia lauabant, vt ea ad aerem suspenderent, vt, qui illo die de captura spem omnem abiecerant, & hinc colligitur mane hoc factum esse. Cum igitur nauiculæ non essent ordinariis piscatorum laboribus occupatæ: Iesus ingressus est illam, quæ Simonis erat. Huius enim consuetudine ante annum & ampliùs vti cœperat. Iohan. cap. 1. versic. 42. Et tamen non voluit Petri nauiculā suo arbitrio, sine consensu & voluntate Domini, vti, nec imperauit ipsi, sed rogauit vt eam modico interuallo à terra subduceret, vt turba in littore circumstans commodiùs posset verba docentis excipere. Et ita in naui sedens, turbis in littore stantibus, verbum Dei exposuit. Quæ verò fuerit & sententia & summa, & huius & aliarum concionum; in duobus præcedentibus Harmoniæ capitibus, explicatum est. Ideo Lucas tantùm nominat verbum Dei, & descriptionem concionis omittit. Non autem Iesus voluit prolixitate obruere, vel perturbare discentium ingenia: sed cùm ea doctrinæ capita, quæ existimabat à simplicioribus posse retineri, breuiter exposuisset, finem fecit docendi, inquit Lucas. Mox verò finita concione, priusquam ex naui descendat, accingit se ad edendum miraculum, quo doctrina, in concione illa exposita, confirmaretur, ne dubitarent ipsum à Deo venisse Doctorem, sicut Nicodemus inquit. Atque ideo tota descriptio miraculi ita accipienda est, vt turbæ, quæ auditores fuerant verbi, facti etiam fuerint testes, & spectatores eorum, quæ in hoc miraculo acciderunt. Dicit igitur Petro: *Duc nauem in altum*, super profunditatem maris, *& expandite retia vestra in capturam*. Lucas duobus in hac historia vtitur verbis ἐπανάγειν, quod significat nauem ex alto ad littus subducere: & ἀνάγειν, quod significat soluere, & naues ex littore in altum deducere. Quia verò paulo ante ad littus venerant, additur præpositio ἐπί, ἐπανάγειν, vt significet, rursus in altum ducere. Verbum χαλάζειν est laxare, expandere: propriè verò significat catenulis aut funibus aliquid demittere. Ita Græci interpretes vsurpant Iosuæ 2. vers. 15. vsurpatur etiam Marci 2. vers. 4. Actor. 9. v. 25. & cap 27. vers. 30. Iubet igitur Christus, vt retia proiiciant, & funibus in profundum demittant. Ideo Matthæus & Marcus vtuntur verbo βάλλειν. Retia Lucas vocat δίκτυα, reliqui ἀμφίβληστρα. Habent autem Hebræi varia vocabula, quibus piscatorum retia appellant, quæ Græci per hæc tria plerunque reddunt: δίκτυον, ἀμφίβληστρον, & σαγήνη. Et Etymologia τοῦ ἀμφιβλήστρου manifesta est, quod scilicet magnum spatium, quando expanditur, circumplectatur, & vndique pisces concludat. Ideo Græci interpretes de ipsa piscatione vtuntur verbo ἀμφιβάλλειν. Abacuc 1. v. 15. Et piscatores vocat ἀμφιβολεῖς, Esaiæ cap. 19. v. 18. Lucas etiam ad Etymologiam alludere videtur, cum inquit: *Concluserunt piscium multitudinem*. Sagena significat minora retia. Propriè enim dicitur de sinu retis, in quem capti pisces deueniunt. Δίκτυον generale est. Et Matthæus videtur differentiam ostendere. Nominat enim ἀμφίβληστρον in singulari, & mox inquit: Relinquētes retia, δίκτυα. Vnum igitur ἀμφίβληστρον ex multis plagis (sicut appellantur) compositum fuisse videtur, quę appellant δίκτυα. Hæc de vocabulis.

Ne verò captura hæc piscium physica ratione cogitetur

facta fuisse, Petrus circumstante turba, sonora voce protestatur: conditionem omnino non esse idoneam siue temporis siue maris, ad capturam piscium. Se enim cum sociis ad prudétiam & industriam piscatoriam nihil fecisse reliqui. Tempus siquidem noctis, propter tranquillitatem & obscuritatem electum fuisse, & non partem aliquam noctis, sed totam noctem, non perfunctorie, sed ad defatigationem vsque laboratum fuisse (ita enim Græci interpretes vsurpant verbum *κοπιάζειν*, Iosuæ 24.v.13 & 2.Reg.23.vers.10.) & tamen se nihil quicquam potuisse capere. Simul autem tacite notat, mandatum Christi contra regulas (vt ita dicam) piscatorias pugnare: appetente enim meridie (nam mane erat, cum leuarent retia, & concioni aliquot horæ tribuendæ sunt) iubet proiici retia, & quidem vbi mare est altissimum, hoc est, profundissimum. Hoc enim significat *τὸ βάθος*. Præmissa hac contestatione, Petrus addit: Sed tamen ne videar verbum tuum contemnere, aut mandáto tuo refragari: *in verbo tuo*, hoc est, ex mandati obedientia & fiducia verbi tui, quia tu dicis & iubes, *laxabo rete*. Annus enim & amplius iam erat, ex quo Petrus cœperat verbum Christi audire, Ioann.1. vers.41. Viderat etiám multas demonstrationes, virtutes & efficacias huius verbi, ideò inquit: *In verbo tuo, &c.* Et vtitur compellatione, quæ huic sententiæ pulcerrime conuenit. Vocat enim Christum *ἐπιστάτην*, qua voce solus Lucas aliquoties vtitur, vbi reliqui Euangelistæ dicunt *Rabbi*. Et Syrus hoc etiam loco reddidit רבי. Idem igitur significare non est dubium. Vsitatum autem est hoc vocabulum apud Græcos interpretes. Exod.5.v.13. respondet Hebraico נגש Nagasch, & significat angariatores seu exactores operarum, quos Græci vocant *ἐργοδιώκτας*. Item 3.Reg.5.v.16. respondet רדה Radah, quod significat habere, & dominium vsurpare in aliquem. Sed 4. Reg.vlt. v. 19. significat eum, cui administratio aliqua commissa est. respondet enim Hebraico פריק Padik. Et in communi lingua Græca significat eum, qui cum imperio præest, & habet ius mandandi. Lucas igitur hoc loco proprie vsus est vocabulo. Quia tu es *ἐπιστάτης*, hoc est, quia habes ius mandádi, & administratio Ecclesiæ tibi, vt Messiæ, commissa est: in verbo itaque tuo, &c. Hoc colloquium Christi & Petri ideo præmittitur, vt spectatorum animi erigantur in expectationem, quid futurum sit, vtque sequens captura piscium agnoscatur esse miraculum, ne tribuatur causis physicis.

Ipsum verò miraculum ita describitur. Cum illi, qui in Petri nauicula erant. nauem in profundum deduxissent. & retia, sicut ad capturam fieri solet & debet, laxassent: (licet enim promissionem benedictionis, imo licet ipsum Christum præsentem Petrus habeat: media tamen laboris & industriæ non negligit) concluserunt magnam multitudinem piscium. Atque ita Christus gloriam Diuinitatis suæ, quodque Messias esset, ostendere voluit. Scriptum enim est, Psalm. 8 vers. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, pisces maris, qui perambulant semitas maris. Quod bene notetur. Cum vero rete extraherent, magna illa copia piscium, sentiens se conclusam, tanto impetu elabendi viam per rete quæsiuit, vt illud inciperet rumpi. Ne igitur vel totum rete rumperetur, vel pisces omnes elaberentur, socios suos, qui in altera naui in littore adhuc erant, nutu & gestibus aduocarunt. Lucas vocat & *μετόχοις* & *κοινωνοῖς*, Syrus reddidit שותפא consortes, qui societatem inierunt, & commercium habebant cúm Simone: Item חברא socius, collega. Et Lucas eleganti verbo *συλλαβέσθαι* descripsit, quo artificio rete, quod ceperat rumpi, ita extraxerint, ne vel rete perderetur, vel pisces elaberentur. Funibus enim, quibus retia annexa sunt, plures socij manus ita admouerunt, vt sensim & simul trahendo, & captos pisces & retia seruarent: ita tamen, vt agnoscerent, non suo artificio, sed miraculo & potentia Christi hoc factum esse, quod intecti rupto tanta piscium copia detenta manserit. Colligentes autem pisces ex reti impleuerunt vtramque nauim, ita, vt sine periculo mersionis vix ad litus possent deduci. Quod enim Lucas habet, *ita, vt mergerentur*: hoc Syrus reddidit: in propinquo seu proximo erant, vt mergerentur. Non autem fuerunt angustæ nauiculæ: in altera enim fuerunt Iacobus, Iohannes, parens Zebedæus, & præterea aliquot mercenarij, Marc. 1. vers. 20. Fuisse igitur non exiguam harum nauium capacitatem, hinc colligitur. Videns autem Petrus cum illis, qui in vtraque naui erant, quod in hac captura piscium multa stupenda acciderent. 1. Quod repente tantam multitudinem piscium conclusissent: cum antea per totam noctem laborantes, ne vnicum quidem capere potuissent. 2. Quod rete ruptum, tamen retinebat tantam copiam piscium. 3. Quod naues, quæ nimium oneratæ, mergebantur quidem, non tamen submergebantur. Stupor itaque omnes vndique occupatos circumdederat & tenebat. Ita enim Græci vsurpant verbum *περιέχειν*. Psalm.18.vers.5. 2.Reg.22.v.5. Funes mortis circumplexi sunt me. Et Petrus illo stupore attonitus, venerabundus procidit ad genua Iesu, exclamans: *Exi à me, quia vir peccator sum, Domine*. Hæc vox Petri, vt recte intelligatur, consideretur, quæ cogitationes illam Petro expresserint. Non enim voluit Dominum à se reiicere, sicut Gadareni, Matth.8.ver.34 nec ipsum deserere, sicut Capernaitæ, Iohan. 6.ver.66. Procidit enim ad genua eius. Sed cum ex miraculo Christi dignitatem, imò Diuinitatem eius, quem in naui sua vehebat, agnosceret: ex vehementiori admiratione diuinæ illius virtutis, quasi in stuporem abreptus fuit. Considerans enim è contra suam indignitatem, quodque multis peccatorum sordibus pollutus esset, dicit: *Exi à me, Domine*. 1. Quia iudicat se indignum consortio & præsentia Christi. 2. Quia metuit, ne ob indignitatis suæ cum diuina Christi maiestate commercium, vindicta de peccatis suis sumeretur à Deo, sicut Sarephthana vidua inquit ad Eliam 3. Reg.17. v. 18, Ingressus es ad me, vir Dei, vt rememorarentur iniquitates meæ. & interficeres filium, quia scilicet non ita me gessi, sicut decebat erga virum Dei. Et sicut Iudic.13.v. 22. *Manoah* exclamat: Moriemur, quia vidimus Dominum. Conscientia enim perterrefacta oblita Mediatoris, existimat Deum vt Iudicem adesse. Ac cogitat Petrus, iustis tantum locum esse apud Christum, qui ratione diuinitatis, peccatoribus sit ignis consumens. Christus verò respondet: *Ne timeas*; veni enim vt homines à peccatis reti Euangelij ad me traham & viuificem, & ad hoc ministerio tuo vsurus sum. Ita magnitudo successus, quæ alios elatiores reddidisset, Petrum humiliorem & modestiorem fecit. Sed de hac sententiâ mox plura dicenda erunt. Hæc igitur est narratio circumstantiarum huius miraculi: in quibus hoc obseruandum est, quod in omnibus illis, quæ acciderunt, Christus ipse in Petri nauicula præsens fuit.

Doctrina autem & vsus huius miraculi, trib. potissimum modis potest tractari. Nos instituti nostri ratione, summaria tantum capita annotabimus.

Primo hoc miraculum sequitur statim post habitam concionem, non tantum vt sit confirmatio & obsignatio veritatis & certitudinis doctrinæ Christi: sed præcipue vt ostendat, post perceptam doctrinam, primam & potissimam curam esse debere, vt exerceatur & ad vsum transferatur. In Petro autem exemplum huius exercitij auditoribus proponitur. Ille enim inter primos auditores Christi fuerat, Ioann.1. vers. 42. Sicut autem duplex est vita, externa & spiritualis: *ita duplex* exercitium fidei in hac historia describitur. Cumque doctrina Christi tradat, de agnitione peccati, & de fiducia concipienda erga Deum propter Mediatorem, & de noua obedientia iuxta verbum: Petrus vsum & exercitium posterioris particulæ recte apprehendit, inquiens: Licet totam noctem frustra laboraui, tamen in verbo tuo laxabo rete. Vbi vero flagitatur vsus prioris partis, pœnitentiæ scilicet & fidei: ibi Petrus errat. Dicit enim, sicut Syrus reddidit: Peto abs te, mi Domine, recede, disiunge te à me, quia vir peccator sum: cum tamen extra tentationes nihil facilius esse putetur, quàm doctrina pœnitentiæ & fidei. Sed Christus ostendit, Petrum, qui dicere potest: *In verbo tuo laxabo, &c.* vbi stupore occupatur in tentatione, quæ tamen non est iræ, sed (vt ita appellem) gratiæ, verum ipsum pœnitentiæ & fidei prorsus amittere. Excidit enim ipsi stulta, imo fidei contraria vox, quia peccator sum, ideo exi à me, Domine Iesu. *Multa* autem hæc doctrina complectitur. Quia enim Pharisaicis opinionibus hominum animi ita erant imbuti, vt doctrinam de spiritualibus Messiæ beneficiis non magnifacerent: Christus in luculento hoc Petri exemplo auditoribus suis ostendere voluit, quare opus sit hac doctrina de beneficiis Messiæ. Humana enim natura, peccato deprauata, sine Mediatore, non tantum Deum irascentem & punientem non potest sustinere, sed in tentationibus & in sensu peccati, ne tunc quidem potest eum ferre, quando ingentibus beneficiis præsentiam & bonitatem suam testatur. Semper enim obstrepit vox Legis: est quidem bonus Deus, sed non peccatoribus. Naturæ igitur sine agnitione & fiducia Mediatoris perpetua hæc vox est: *Exi à me Domine quia homo peccator sum*. Sicut post lapsum Adam, audita voce Dei, fugit, Genes.3.vers.8. Vt igitur in tentationibus non fugiamus Deum, sed accessum ad ipsum habeamus, opus est doctrina Euangelij, de beneficiis Mediatoris. Petrus enim, qui verbo Christi in piscatione obedierat, tamen in tentatione exclamat: *Exi à me, quia homo peccator sum*. Ostendit etiam Christus hoc exemplo, quomodo ratio doctrinam Euangelij peruertat: Messiam scilicet esse Saluatorem, sed dignis. Item: consolationes Euangelij pertinere ad dignos. Ego verò. inquit, peccator sum: ergo exi à me. Ita doctrina pœnitētiæ, sine vero intellectu & vsu Euangelij, facit, vt peccator fugiat & Deum & ipsum Mediatorem Christum. Sine dubio autem summa concionis Christi fuit doctrina de pœnitentia & fide. Et Petrus cogitauit, se illam mediocriter

discriret intelligere: sed in setiis exercitiis ostendit Christus, ipsum de vsu plane nihil tenere, imo periculose errare, cum inquit: *Exi à me, &c.* Monstrat autem ipsi verum vsum, cum respondet: *Noli timere*, hoc est, quando homines sentiunt peccatum & indignitatem suam, non debent fugere Christum Mediatorem, sed hoc est rete illud, quo homines capiuntur, & sub peccato concluduntur, vt ad Christum confugiant, & per ipsum accessum habeant ad Deum. Argumentationi enim Petri, quæ ex Lege sumpta est: *Homo peccator sum:* Ergo *exi à me*. Christus opponit hanc solutionem Euangelicam: *Noli timere*. Et loco confirmationis addit: vsque adeò nō auersor peccatores pœnitentes, vt non per Angelos, sed per homines peccatores, qui Deo reconciliati sunt, velim reliquos homines capere ad conuersionem & vitam æternam. Conferatur autem huc locus Ioh. 6. v. 68. Petrus enim post hanc tentationem & admonitionem, in Schola Christi ita profecit, vt post annum non dicat: Exi à me Domine: sed rogatus: Num & vos vultis abire? Respondet. Quo ibimus Domine? verba vitæ æternæ habes. Hæc pluribus possunt illustrari, sed nos capita tantum annotamus.

Secundo doctrina & vsus miraculi, pulchre potest etiam ad exercitia externa, in negotiis & laboribus huius vitæ accommodari. Statim enim à concione Christus iubet laxari retia. Ergo fides verbi & pietas vitæ non pugnat cum negociis & laboribus vocationum in hac externa vita. Imo voluit ostendere Christus officinam pietatis, non tantum esse in cōuentibus, vbi verbum Dei prædicatur: verum etiam in mediis occupationibus & laboribus huius vitæ ea, quæ ex verbo discuntur, pœnitentiam scilicet, fidem & pietatem, debere & posse exerceri. Petrus enim licet antea in vocatione piscationis multas difficultates esset expertus: tamen iussus subiicit se obedientiæ verbi Christi, laxando rete. Fidem etiam in obiecto externo exerceret, cum inquit: *per totam noctem nihil cepimus, in verbo autem tuo, &c.* Et quod præcipue obseruandum est, simul in externo illo obiecto, deducitur ad exercitium fidei iustificantis. Imo ostenditur in hoc exemplo, fidem, quæ circa externa obiecta versatur, non posse consistere, nisi habeat adiunctam, imo prælucentem fidem, quæ apprehendit spiritualem promissionem gratiæ & remissionis peccatorum. Petrus enim, qui antea ex fide dixerat: *in verbo tuo laxabo, &c.* mox exclamat: *Exi à me Domine: Quia homo peccator sum.* Monstrat etiam exercitium pœnitentiæ in ipsis piscationis laboribus, cum inquit: *Homo peccator sum.* Et tota doctrina de laboribus, in quacunque vocatione, in circumstantiis huius historiæ, pulchre comprehenditur. Petrus enim antea habuit legitimam vocationem piscationis, non fuit impius (fuerat enim auditor Christi) non fuit otiosus, sed in laboribus vocationis suæ eam adhibuit prudentiam, industriam & diligentiam, quæ requirebatur: & tamen cum per totam noctem ad defatigationem vsque laborasset, nihil capit. Sæpe igitur etiam piis, successus in laboribus vocationis denegatur, certo, non tamen malo consilio Dei. Quando enim Petrus nihil cepit, non accipiendum fuit, quasi vel Deus irasceretur ipsi: statim enim cum leuaret retia, Christus ad ipsum venit: nec, quasi impia esset vocatio piscationis: nec, quasi Deus non curaret fidem & pietatem Petri. Imò ideo denegatus fuit ipsi successus, vt esset occasio, qua dona hæc augerentur, sicut historia ostendit. Petrus igitur cum sine successu frustrà laborasset, non ex impatientia murmurat contra DEVM, non abiicit vocationem, non cogitat de illicitis & impiis mediis. Sed Christus accedens, ostendit ipsi vitam & rationem, quomodo difficultatibus, quæ in cuiusque vocatione obiiciuntur, pie consuli possit. Nauim enim suam, licet nihil cepisset, Christo concionaturo, cùm id peteret, commodat, & post infelicem piscationem audit verbum Dei: quod cum audisset, vocationem piscationis, propter fortunam iniquiorem, non deserit, sed in ea, quia verbum Dei habet, pergit. Et sane humano modo nō videt spem aliquam successus: tamen, quia verbum Christi de suis laboribus habet, obediētia & fiducia huius verbi, contra spem in spem rete laxat. Et vtilis est doctrina, vt in difficultatibus & impedimentis, quę in vocatione obiiciuntur, proponamus nobis: 1. Verbum Dei de vocatione nostra. 2. Mandatum Dei de laboribus vocationis. 3. Promissionem de benedictione & auxilio Dei. Atque ita præmissa inuocatione pergamus in vocatione. Habet autem Petrus ipsum Christum secum in naui, quod summum & præcipuum est, de quo quisque in sua vocatione sollicitus esse debet. Habens autem verbum Dei, & ipsum Christum secum naui ferens, de industria tamen & labore nihil remittit, sed rete proiicit & extrahit. Cumque inciperet rumpi, innuit sociis, vt prudentia quadam ita extrahatur, ne pisces conclusi amittantur. Fides enim non excludit industriam & diligentiam laboris. Notandū etiam hoc, quod Petrus prò eo, quod Christo concionaturo nauiculam suam commodarat, accipit illustre præmium capturam illam piscium. In successu verò, qualis gratitudo Deo sit præstanda, hoc Petri exemplum venustè ostendit. Non enim suæ hoc tribuit industriæ, vel dignitati, sed agnoscit & fatetur se indignum. Ita enim Ambrosius & alij quidam accipiunt verba Petri: *Exi à me Domine, &c.* Vt sit vox humiliantis se, sicut Centurio inquit: *Non sum dignus, vt intres*, &c. Porrò obseruanda est & hæc pictura, quomodo in medio etiam successu, variæ obiiciantur difficultates, propter quas etiam in optima fortuna, opus sit præsentia, bonitate & auxilio filij Dei. Cum enim conclusa esset copiosa multitudo piscium, rete incipit rumpi. Atque ita, nisi Christus adesset, non tantum ostensa fortuna amitteretur, sed etiam præterea nouum damnum corruptione retis emergeret. In ipsa vero possessione fortunæ, vbi pisces iam in naues expositi sunt, aliud obiicitur discrimen. Nauicula enim fluctibus maris iactatur, & pondere fortunę pressa, minatur submersionem. Sed quia vna cum piscibus etiam Christum vehit, ad portum ex variis iactationibus deducitur. In ipso vero portu Christus iubet, vt relictis omnibus se sequantur. Vt ita discant illud Iobi apophthegma: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, &c. Hæ circunstantiæ ad periodos negotiorum & successiuum in laboribus externis pulcre accommodari possunt.

Tertio Christus ipse in fine ostendit, quomodo explicanda & accommodanda sit hæc historia. Inquit enim: *Faciam vos piscatores hominum.* &; *Posthac homines capies.* Vsitatum enim est Christo, à rebus externis seu corporalibus, quas tempus & locus offerebant, occasionem sumere docendi de spiritualibus mysteriis. Vt de aqua Samaritanæ, Ioan. 4. v. 10. Ita hoc loco à piscatione sumit occasionem, sub allegoria, de ministerio docendi Euangelij. Et sicut per miraculum stellæ Magos, ita per mirificam capturam piscium piscatores ad se trahit. Est enim dispensatio Dei vnumquenque per ea, quæ sibi propria & peculiaria sunt, ad se inuitare. Proposita igitur est in hac historia imago functionis Apostolicæ depingens, quæ in illa sint difficultates, & vnde pendeat spes successus. Altum enim & profundum est mare huius seculi in cuius limo homines, ministerio Euangelij capiendi, defixi sunt: maioribus piscibus deuorantibus minores. Multa nocentia monstra mare illud alit: sæuis procellis turbatur: nauicula est parua: rete infirmum: rumpitur enim, & piscator inquit: *Ego homo peccator sum.* Item: *Totam noctem laborando nihil cepimus.* Hæ circumstantiæ, si colligantur, hæc tria in functione Apostolicā inter se opponunt. 1. Magnitudinem ministerij. 2. Ministrorum indignitatem & insufficientiam. 3. Mundi malitiam, & diaboli tyrannidem. Vnde cursus & successus Euangelij sæpe impeditur, vt laborando totam noctem nihil capiatur. Et his cogitationibus Petrus ita absterretur, vt exclamet: *Exi à me Domine*, cum illa ratione, *quia homo peccator sum & totam noctem laborando nihil cepimus.* Hoc est, sicut Paulus 2. Corinth. 2. v. 16. Quis ad hæc idoneus est? His verò difficultatibus duo opponuntur. 1. Quod Christus dicit: *Ego faciam, vt sitis piscatores hominum*, sicut Marci verba sonant, hoc est, Filius Dei virtute & efficacia sua adest ministerio, vt labor noster non sit inanis in Domino, 1. Corinth. 15. vers. vltim. Et sicut hoc loco Petrus magnam multitudinem piscium concludit: ita postea Actor. 2. v. 41. vna concione tria hominum millia conuertit. Christus enim præsens est in illa naui, quæ vehit piscatores hominum. Et hæc ipsa captura piscium ostendit successum futuri ministerij, se daturum scilicet gratiam & successum, vt magna multitudo hominum reti Euangelico concludatur. Ideo inquit: Ne timeas Petre propter considerationem difficultatum. Ego enim faciam vt homines capias. Secundum quod difficultatibus opponendum est, comprehenditur in illis verbis Petri: Homo peccator sum, & nihil cepi: [*In verbo tuo autem laxabo rete.*] Voluit igitur Christus Apostolos, priusquam eos vocaret, hoc miraculo præmunire aduersus difficultates, quas videbat in ministerio orituras, ne animis frangerentur, sed certa spe successus functionem, ad quam vocandi erant, forti animo obirent.

Præterea singulæ circumstantiæ huius historiæ continent imaginem functionis Ecclesiasticæ. Auditores stant in littore: Concionator verò impellitur, vt cogatur nauem conscendere, & inter iactationes fluctuum maris vocem verbi Dei sonat. Et Matth. cap. 13. vers. 47. totum ministerium Euangelij comparatur reti, quod ex prædicatione Legis & Euangelij variis sententiis & exemplis Scripturæ contextum, in profundum mare proiicitur, vt pisces vagantes concludat & extrahat. Et hæc allegoria commendatur ministerio indefessum studium quamplurimos Christo lucrandi. Sicut piscatores in omnes partes flexus & recessus lacuum explorant, mille artes tentant, labores & pericula non defugiunt, frustrà etiam laborantes non absistunt, &c. Nec sanè commodior potest excogitari comparatio, quod mundus mari, homines piscibus in limo maris, Euangelium reti com-

paratur. Sicut Hierônymus huc illud Ierem.16.v.16.accommodat:Ecce mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos. Concluſit enim Dominus omnia ſub peccatum,vt omnium miſereatur,Rom.11.v.32.Gal.3.v.22. Multi verò piſces caput in limum profundi ita defigunt, vt comprehenſionem retis eludant. Sunt præterea magna monſtra in hoc mari, quæ vbi ſenſerint ſe reti miniſterij concluſa eſſe, perfringunt & rumpunt rete. Quidam verò piſces ita ſunt lubrici,vt etiam,quando concluſi ſunt,quærant rimam elabendi. Sæpe & hoc fit,quod ex piſcibus in nauim collectis, quidam rurſus in mare exiliant. Hæc venuſtiſſime accommodari poſſunt ad miniſterium verbi. Res autem manifeſta eſt: ideo non addam pleniorem explicationem.

Eſt & hæc imago conſideranda, quomodo Deus in infirmitate potentiam ſuam perficiat. Rete enim rumpitur,& tamen illo rupto reti piſces retinentur, vt Eccleſia Iudæorum non poſſit omnes credentes capere, ſed ambæ naniculæ,hoc eſt,Eccleſia ex Iudæis & gentibus collecta(in altera enim naui mercenarij erant,Mar.1.v.20.) impleantur. Item rete ruptum reſarciendum eſt.Non enim tantum proponendum eſt verbum,ſed quando illud vel ab hæreticis,vel à male viuentibus peruertitur & deprauatur,refutatione prauarum opinionum,& confirmatione veritatis ſarciendum eſt. Et labor ſarciendi hoc rete Ioanni tribuitur, qui poſt mortem reliquorum Apoſtolorum variis erroneis opinionibus & perſuaſionibus ſe oppoſuit, ſicut in Epiſtolis ipſius & Apocalypſi patet. Ipſa etiam nauicula,in qua piſces collecti ſunt, refert imaginem Eccleſiæ collectæ voce Euangelij, quæ fluctibus obruitur,& quaſi ſubmergenda apparet. Sed quia Chriſtum habet præſentem,inter tot ſubmerſionis pericula, tandem in portum deducitur.

Obſeruandum etiam eſt vocabulum, quo Chriſtus vtitur,cùm inquit: *Poſthac homines capies*. De captura enim piſcium antea aliis vſus eſt vocabulis. Iam verò vſurpat verbum ζωγρεῖν, vt oſtendat homines miniſterio verbi concludi ſub peccatum:non vt in mortem æternam præcipitentur, ſed vt à morte liberati, ad vitam æternam perducantur. ζωγρεῖν enim non ſimpliciter ſignificat capere, ſed captiuum à cæde conſeruare,vt redemptione λύτρου liberari, & in vita conſeruari poſſit. Græci interpretes, Ioſuæ 2.verſ.13. Numer.31.v.18.Deuteronom.20.verſ.16. ita reddiderunt Hebraicum verbum החיה quod ſignificat captiuos, in quos ius vitæ & necis habeas,non interficere, ſed vitam ipſis donare. Deuteron.2.verſ.34.reliquias,quæ poſt editam ſtragem conſeruantur, vocant ζωγρείας. Et Num.21. verſ.vltim. vbi populus ad internecionem deletus ſcribitur,vſurpatur hæc phraſis: Percuſſerunt populum, donec non ſupereſſet ζωγρεία.Syrus hoc loco textum ita reddidit: *Capies homines ad vitam.* Hæc ſignificatio pulcerrime poteſt accommodari ad miniſterium legis & Euangelij.

Hæc de explicatione circumſtantiarum, & de doctrina huius miraculi dicta ſint.Supereſt pars hiſtoriæ de vocatione quatuor Apoſtolorum, quæ & breuis & plana eſt. Nos ordinem tantum notabimus Ioann.1.v.39. Petrus & Ioannes generali vocatione, quæ communis eſt omnibus credentibus, ad fidem & agnitionem Chriſti adducuntur.Et quia generalis illa vocatio in communi genere vitæ nihil mutat, nec requirit, vt relictis communis vocationis laboribus, per omnia loca ſemper ſectetur Chriſtum:ideo cùm mediocriter inſtituti eſſent Simon & Andreas in doctrina Euangelij,reuerſi fuerunt ad ſuum officium piſcationis. Et credibile ſane eſt,hoſce diſcipulos comitatos tunc eſſe Ieſum ad nuptias in Cana. Et Iohann. 2. verſ. 12. dicitur:Ipſum cum diſcipulis deſcendiſſe Capernaum.Fieri etiam poteſt,vt cum ipſo aſcenderint Hieroſolymam,Iohann.2.13.Et Iohann.4.v.2.ſcribitur : Ieſum in Iudæa per miniſterium diſcipulorum baptizaſſe. An verò inter illos etiam Petrus & Andreas fuerint,non velim aſſeuerare. Tunc enim tantum habuerunt generalem vocationem ad fidem:ſpecialem verò vocationem ad diſcipulatum, hoc eſt, vt perpetuo ſectentur Chriſtum,iam primum accipiunt. Et Chriſtum alios habuiſſe ſectatores ſeu diſcipulos, ante vocationem Petri & reliquorum manifeſtum eſt, Iohann. 1. verſ. 37.& 43. Philippo enim dicit. Sequere me. Et duo alij ſequuntur ipſum. De illis igitur, qui iam vocati erant,vt eſſent diſcipuli & ſectatores,intelligendum eſt, quod Ioan.4.verſ.2. ſcribitur. Et hoc exemplum Petri pertinet ad doctrinam de vocatione. Acceperat enim promiſſionem, Ioann.1.v.42. Tu vocaris Petrus. Sed ſine ſpeciali vocatione noluit ſe ingerere miniſterio, ſed opificio priſtinæ ſuæ vocationis operam dedit,& ſpecialem vocationem, cuius promiſſionem iam acceperat,expectauit.Prior autem generalis illa vocatio,Ioann.1. verſ.39.& 43.facta fuit poſt exactos 40.dies in deſerto.Supputatio igitur oſtendit, poſt annum integrum ferme, ſecutam eſſe hanc,de qua nunc loquimur,ſpecialem vocationem. Eſt igitur hæc non generalis vocatio, ſicut omnes credentes vocantur ad auditum verbi,ad pœnitentiam,fidem & pietatem. Talis enim vocatio non requirit, vt omnia relinquantur: ſed poteſt quis ſimul opificium ſuum exercere, ſicut Petrus hactenus fecit.Sed hæc eſt ſpecialis vocatio ad hoc, vt ſint indiuidui comites peregrinationum Chriſti, ſemper ipſi adſint auditores concionum,& ſpectatores miraculorum, hoc eſt,vt ſint diſcipuli & ſectatores eius, ab ipſo, quaſi domeſtica inſtitutione informandi ad munus docendi. Hebraiſmus enim, ire ſiue ambulare poſt aliquem,ſignificat imperium, doctrinam aut religionem alicuius ſequi. 2. Reg.20. ver.2.de defectione à Dauide ad Sebam. Ierem. 2. v.23. Poſt Baalim non ambulaui.Oſe.11.ver.10.Poſt Dominum ambulabunt. Et vſurpatur quidem aliquando generaliter de omnibus credentibus,Matth.16.verſ.24.Lucæ 14.verſ.27. *Qui vult poſt me venire,tollat crucem*,&c. Iohann.12. verſic.19. Totus mundus poſt eum vadit. Hoc loco verò ad ſpecialem ſequelam reſtringitur.Inquit enim: *Venite poſt me,& faciam,vt ſitis piſcatores hominum.* Et hæc vocatio requirit, vt reliquo priſtino viuendi genere,& omnibus quæ miniſterio impedimento eſſe poſſunt, toti ſe addicant iis, quæ ad hanc vocationem pertinent. Et quia ante annum Chriſtum audierant, & videbant quoſdam ita vocatos eſſe,vt relictis omnibus ſectarentur Chriſtum: Ideo & ipſi,cum audirent Chriſtum vocantem: *Venite poſt me,&c.* ſtatim relictis omnibus amplexi ſunt hanc vocationem, facti perpetui & indiuidui ſectatores Chriſti.Vnde & efficacia vocationis Chriſti, & ſimplex ac prompta obedientia diſcipulorum patet, quod *ſtatim*, hoc eſt, quod nihil cunctati, nihil ſolliciti de euentu,nihil diffidentes de impletione promiſſionis, quantumuis ſublimis, non prius de rebus ſuis diſponentes, ſed mox *ſecuti ſunt eum*, totos ſe vocantis prouidentiæ & poteſtati committentes.

Ordo autem hiſtoriæ vocationis, ſicut & antea oſtendimus,hic eſt. Poſt capturam piſcium, cum Petrus & Andreas adhuc eſſent in naui & mari, Ieſus primum dixit Petro: *Ne metuas,poſthac enim capies homines.* Cùm vero nauem ſubduxiſſent ad terram, dixit, vtrique & Petro & Andreæ : *Venite poſt me, & faciam vt ſitis piſcatores hominum.* Et duo illi ſtatim,relictis omnibus,ſecuti ſunt eum.Interea vero Iacobus & Iohannes in aliam ſtationem nauem ſuam ſubduxerant.Ieſus igitur in littore, cū duobus hiſce ſectatoribus Petrô & Andrea paululum progreſſus,inuenit Iacobum & Ioannem, qui nōdum deſcenderant ex naui,ſed ibi ſarciebant retia. *Statim igitur* vocauit & hos duos.Et Euangeliſtæ ſtudioſe annotāt,patrem Zebedæum fuiſſe vnà cum illis in naui,quo relicto ſecuti ſunt Chriſtum, vt efficacia vocationis Chriſti, & promptitudo obedientiæ in diſcipulis commendetur. Nam Luc.9. v.59.& ſeq.reprehenduntur illi,qui,quo minus vocati ſequātur, prætendunt domum & parentes. Marcus tamen addit:Zebedæum patrem habuiſſe mercenarios,quorum opera opificium ſuum curare potuerit. Pietas enim longe differt à crudelitate. Ne verò hæc deſertio ſine ſpeciali vocatione in exemplum à quibuſdam trahatur,multi, qui non vocati ad ſectandum ſe obtulerunt,à Chriſto prohibiti ſunt.Luc.8.38.& 9.57.

Porro, quod Chriſtus piſcatores & idiotas vocauit, de eo dicemus in hiſtoria de electione Apoſtolorum.

Commonefactio generalis, de inueſtigando ordine,in hiſtoriis ſequentibus.

IN ſequentibus hiſtoriis ſecūdi huius anni miniſterij Chriſti in concinnanda perpetua Harmonia ordinis hiſtoriæ Euangelicæ, multæ obiiciuntur difficultates, & varij ſcrupuli, ex quibus alij aliter ſe expediunt, ſicut de ſingulis ſuo loco annotabimus.Iam generalia quædam præmittemus.

Poſt vocationem igitur Simonis, Andreæ, Iacobi & Iohannis, Matthæus ſtatim digreditur ad hiſtoriam,quomodo Chriſtus totam Galilæam, docendo in Synagogis, peragrarit. Subiungit deinde prolixam illam concionem Chriſti,tribus capitibus deſcriptam. Ac deinde poſt ſanatum ſeruulum Centurionis, demum ad Socrum Petri accedit. Marcus,poſt vocationem illam,Chriſtum ſtatim cum quatuor illis diſcipulis deducit Capernaum,ad ſanationem dæmoniaci, & Socrus Petri. Lucas vero illa duo miracula ponit ante vocationem Petri & Andreæ. Deinde cum Marco fere conſentit in ordine. Tatianus igitur & Ammonius Matthæi ordinem ſequuntur, ac ex Marco & Luca electionem Apoſtolorum interſerunt, ante ſanationem dæmoniaci & Socrus Petri. Scholaſtica verò hiſtoria annotauit quoſdam ex Veteribus, qui vnum ex quatuor, hoc eſt, Monoteſſaron conſcripſerunt, poſt vocationem Petri poſuiſſe ſanationem dæmoniaci, Socrus Petri & Paralytici, & vocationem Matthæi. Ac poſtea ſubiunxiſſe, quæ Matthæus ſub finem capitis quar-

tis quar-

tis quarti, & cum sequentibus scribit. Scripta est autem historia Scholastica à Petro Comestore, qui frater fuit Lombardi & Gratiani. Cumque Decretum Gratiani, sicut testatur Glossa 2. quæstione sexta, editum sit circa annum Domini 1150: circa illud tempus etiam historiam Scholasticam collectam esse, non est dubium. De Veterum ergo Harmonia historiam illam Scholasticam loqui, certum est. Post hos omnes Osiander singulari ingenij acumine, nouam prorsus rationem excogitauit. Sumit enim hoc, quod [illegible] potius quàm principium est, omnes Euangelistas semper, vbique & in omnibus seruasse ordinem seu seriem historiarum, & nullam historiam apud vllum Euangelistarum extra suum locum & ordinem, vel per anticipationem, vel per recapitulationem narratam esse. Contexit ergo vnius Euangelistæ historias, donec perueniat ad aliquam, quam duo vel tres videantur simul narrare. Sicut in Elencho eius, quem ideo in principio Harmoniæ exposuit, videre est. Ita hoc loco post vocationem quatuor illorum discipulorum subiungit ea, quæ solus Matth. cap. 4. v. 5. 6. & 8. vsque ad Socrum Petri scribit. Ibi enim rursus coniungit Matthæum, Marcum & Lucam, sicut Elenchus eius ostendit. Et concinna sane est cogitatio, nullam prorsus transpositionem historiarum faciens, vel admittens in vllo Euangelistarum. Vt autem illam suam rationem obtineat, cogitur argumentis subtilissimis sæpius ex iisdem historiis alias & diuersas facere, vt diuersam esse vocationem Petri, Andreæ, &c. Matth. 4. v. 18. & Luc. 5. v. 1. aliam esse concionem, Matt. 5. v. 1. & Luc. 6. v. 1. alium esse centurionem, Matth. 8. v. 5. & Luc. 8. alium esse motum maris Christo in naui dormiente, Matt. 8. & Luc. 7. v. 2. Et nihil quidem habet incommodi, si dicamus, easdem conciones sæpius, vel iisdem verbis repetitas, & similia miracula sæpius in pluribus edita. Sed hæc, quæ iam recitauimus, præterquam, quod semper & ab omnibus eadem esse credita sunt, etiam res ipsæ, & rerum narratarum conuenientia & similitudo, tanquam intento digito, eadem esse ostendunt, & quidem lectorem ita communiunt, vt etiam, si quis ponat diuersa esse, res ipsæ tamen in mente reclamare, & quasi in auribus insonare videantur, quod eadem sint, sicut experientia testatur. Præterea fundamentum huius opinionis non satis certum & firmum est, quasi Euangelistæ semper & vbique in omnibus ordinem & seriem historiarum, sine vlla vel anticipatione, vel recapitulatione, seruarint. Quædam enim describunt additis certis notationibus ordinis: quædam vero sine huiusmodi notationibus describunt. Et manifestissimum est, historiam incarcerati Baptistæ à Luca per anticipationem, à Matthæo & Marco per recapitulationem, extra suum locum & ordinem, quando hoc accidit, describi. Manifestum & hoc est; quod Matthæus in vno loco, c. 10. v. 1. simul & vocationem, & emissionem Apostolorum describit: cum vtrumque eodem tempore non sit factum, sicut ex Marco & Luca manifestum est. Sicut etiam de vocatione quatuor discipulorum in præcedenti capite ostendimus, & plura habebimus exempla. Nec vero propterea vel auctoritas Euangelistarum, vel certitudo & veritas historiæ Euangelicæ vacillabit. Neque enim ad veritatem historiarum necessarium est, vt res gestæ eodem prorsus ordine, quo acciderunt, narrentur. In omnibus enim τὸ ὕστερον πρότερον, & econtrà vsitatum est. Et Euangelistis singulis non fuit propositum: vel annales, vel diaria, seu Ephemerides scribere: sed Spiritus sanctus ex magno cumulo, & concionum, & miraculorum Christi, ea per Euangelistas scribenda selegit, quæ ædificationi Ecclesiæ ad omnem posteritatem necessaria iudicauit. Ordinem tamen aliquem posse deprehendi & colligi, certis quibusdam notationibus, Euangelistæ indicarunt. Sed de ratione illa Osiandri iudicium lectori liberum relinquo. Ideo Elenchum Harmoniæ, quem ipse in suis sequitur, in principio exposui.

Ne igitur opus sit, præter necessitatem, ex iisdem diuersa facere, & perpetuæ totius antiquitatis sententiæ repugnare, & ipsi rerum euidentiæ reclamare: simplicissimam iudico hanc esse rationem, quam in prolegomenis exposui. Quando Euangelistæ in ordine historiarum non conueniunt, vt diligenter consideretur; an aliquis eorum certa aliqua notatione verum ordinem indicet? ad illam enim notationem, reliquorum scriptiones accommodandas esse, non est dubium. Et discrimen quidem est, inter dogmata Ecclesiæ immota, seu inter articulos fidei, & inter tales disputationes seu disquisitiones, diligentiam tamen iudico dignam esse piis, in sacrosancta illa historia de ordine aliquid cogitare. Et quæ de hoc loco, re multum diuque cogitata deprehendi bono studio, lectoribus candide iudicaturis, exponam. Talia enim, sicut Augustinus eleganter inquit, non cum credendi necessitate, sed cum iudicandi libertate in Ecclesia proponenda sunt. Præcipua igitur argumenta generalia simpliciter & breuiter exponam.

Primò, post vocationem quatuor discipulorum, Matthæus sine notatione ordinis subiicit, de peragratione Galilææ. Ita & Lucas, tum post vocationem Petri, tum antea etiam in historia dæmoniaci, cap. 4. v. 33. vtitur non certis notationibus ordinis, sed generalibus particulis. Marcus verò addit notationem ἀκολουθίας. Cum enim dixisset: *Relictis omnibus, secuti sunt eum*: mox addit: *Et ingrediuntur Capernaum, & statim Sabbathis ingressus in Synagogam*. ibi manifesta est connexio sequentis historiæ ad præcedentem. Cumque eodem die statim ex Synagoga cum quatuor illis discipulis in domum Petri, vbi Socrus eius decumbebat, Iesus ingressus scribatur, & addantur, quæ continue vesperi eius diei, & sequenti die gesta sunt: certa ratio ordinis à Marco hoc loco indicatur. Et generalis hæc est obseruatio, quod Marcus post Matthæum ideo scripsit, vt historiam eius breui compendio complecteretur, & ordinem in Matthæi scriptione indicaret, sicut res ipsa in sequentibus etiam ostendet, Marcum sua scriptione esse monstratorem, & ducem ordinis in historia Euangelica. Obserua igitur hac notatione Marci in sanatione dæmoniaci, & Socrus Petri, manifestum esse, quod Matthæus cum cap. 8. v. 14. scripsisset, Christum post prolixam illam concionem venisse Capernaum, & sanasse Centurionis famulum, per recapitulationem addiderit descriptionem sanatæ Socrus Petri, quæ & ipsa in Capernaum facta est, sed & antea alio tempore, scilicet, cum post vocationem quatuor illorum Apostolorum ingressus esset Capernaum, hanc enim notationem Marcus addit. Ex illa ipsa etiam obseruatione certum est, Lucam sanationem dæmoniaci & Socrus Petri, per anticipationem, ante vocationem Petri & Andreæ, narrasse: quodque ea occasione, cum de comitatu ac domo Simonis & de Socru eius, dixisset, addiderit per recapitulationem historiam de vocatione ipsius. Hæc simplicia & plana sunt. Quæ igitur apud Matthæum mox post vocationem Petri describuntur, non posse vero ordine in Harmonia statim vocationi illi subiungi, sed ἀκολουθίᾳ, quam Marcus notat, sequendam esse, hinc manifestum est.

Secundò, si ea, quæ Matthæus post vocationem Petri, à quarto capite vsque ad octauum describit, in Harmonia statim essent subiungenda & præmittenda iis, quæ Marcus post vocationem illam secuta scribit, necessario ponendum esset, Iesum ante Pascha secundi anni bis peragrasse vniuersam Galilæam, semel & primo, sicut Matt. 4. vers. 23. describitur: secundo vero iterum, sicut Marci 1. v. 39. describitur. Non autem fuerunt tales peregrinationes, vt cum quis per regionem aliquam transit: sed Matthæus dicit: *Circumibat totam Galilæam, docens in Synagogis eorum*. Et Marcus dicit *Erat prædicans in Synagogis, in tota Galilæa*. Fuit autem Galilæa, sicut Iosephus scribit de bello Iudaico li. 3. c. 2. valde populosa, πολυάνθρωπος, crebras habens ciuitates, & vbique multitudinem vicorum. In Synagogis autem Sabbathis tantùm conueniebant, & Iesus Sabbathis in Synagogis docebat, Luc. 4 v. 31. Multum igitur temporis assignandum erit, si iuxta illam Harmoniam ponendum est, Christum post vocationem illam Petri, ante Pascha secundi anni bis totam Galilæam peragrasse, ita, vt duabus distinctis & diuersis vicibus in vniuersæ Galilææ Synagogis docuerit, Matth. 4. v. 23. & Marci 1. vers. 39. Acqui Iohan. 4. v. 35. cùm Christus secederet in Galilæam, quatuor menses supererant ad messem, quæ in Palæstina post Pascha inchoabatur, ita, vt octiduo post Pascha, spicæ confricari possent, Luc. 6. v. 1. Et historiis illis, quas hactenus ante vocationem Petri in Galilæa factas exposuimus, cum ita doceret in Synagogis, vt fama vbique spargeretur, Luc. 4. v. 37. ad minimum mensis spatium tribuendum est. Vix igitur duo menses supererunt. Quod spatium temporis non admittit, vt dicamus Christum, post vocationem Petri ante Pascha, duabus diuersis peragrationibus, & duabus distinctis vicibus, in Synagogis vniuersæ Galilææ Sabbathis docuisse. Hoc argumentum valde vrgens est, ostendens ea, quæ Matth. cap. 4. post vocationem Petri de peragratione Galilææ scribit, non esse præponenda, sed postponenda illis, quę Marcus de sanatione dæmoniaci & Socrus Petri scribit, vt peragratio Galilææ, Matth. 4. v. 23. sit vna & eadem cum illa, quæ Marci 1. v 39 ante sanationem leprosi describitur.

Tertiò; quia in illa peragratione Galilææ, quæ Marc. 1. ver. 38. & Luc. 4. v. 43. describitur, Christus Capernaitis, volentibus se retinere, respondet: *Oportet me aliis etiam ciuitatibus prædicare*: manifestum inde est, eam peragrationem Galilææ primam esse. Si enim ea, quæ Matth. 4. v. 23. describitur, alia esset, & præcessisset, iam potuissent turbæ respondere: tamen iã in vniuersæ Galilææ Synagogis docuisti. Sequitur ergo vnã & eandem peragrationem Galilææ esse, quæ Matth. 4 v. 23. & quæ Marc. 1. v. 39. describitur. Quę obseruatio clarissime iam monstrat, quomodo ordinandę sint historię, post vocationem Petri apud Matthęum & Marcum.

Quartò, nulla aptior & conuenientior potest esse ἀκολουθία, quam hæc, quod Christus, cùm duodecim ex discipulis ad Apostolatum formandos elegisset, & suscepisset in concione mox subsecuta, proponat commonefactiones de officio Apostolorum: *Vos estis sal terræ, Lux mundi, &c.* Item, quomodo doctrina Legis & Euangelij tradenda, & à corruptelis separanda sit. Illud verò expresse & accurate fit, in concione illa prolixa, quam Matthæus describit. Illorum verò membrorum, quæ ad officium Apostolorum pertinent, in ea concione, quæ Lucæ 6. v. 20. & seq. describitur, nulla fit mentio. Et hæc ratio vel sola me mouet, vt censeam concionem illam, quam Matthæus describit, ponendam esse post electionem Apostolorum, & coniungendam cum concione Luc. 6. vers. 20. Si enim extra illum locum in præcedentibus, ante electionem Apostolorum in Harmonia concionem illam Matthæi posueris, & à Lucæ concione separaueris: absurdum videbitur, Christum de officio Apostolorum tunc, cùm nondum electi essent Apostoli, multa differere, Matth. 5. cùm verò iam ad Apostolatum formandi, electi & suscepti essent, nullam eius rei in concione, quæ mox subsecuta est, Luc. 6. v. 20. & seq. mentionem fieri. De monte verò, Matth. 5. v. 1. & de planitie, Luc. 6. v. 17. & de aliis argumentis suo loco, vbi ad concionem illam peruenerimus, quædam annotabimus. Iam tantùm generalia quædam, de ratione ordinis, in hac parte historiarum præmittere volui. Ordine iam de singulis historiis dicemus.

CAPVT XXXVII.

CONTINENS HISTORIAM, DE SANATO DÆMONIACO, IN SYNAGOGA CAPERNAITICA, Marc. 1. Luc. 4.

RATIO ORDINIS.

IN præcedente commonefactione ostendimus ea, quæ in Matthæo post vocationem Petri sequuntur, non posse in Harmonia subiungi, nec ea, quæ in Luca sequuntur. Marcus enim disertè ordinem historiarum ita notat, vt non sit dubium, post vocationem quatuor illorum discipulorum, proximè secutam historiam dæmoniaci. Ita enim Marcus connectit has historias: *Illi relictis omnibus, secuti sunt eum. Et ingrediuntur* (Iesus scilicet, & quatuor illi sectatores recens vocati) *Capernaum, & statim Sabbathis ingrediens Synagogam docebat.* Ordo igitur historiarum & ratio Harmoniæ manifestè ex illa notatione Marci patet. Et Lucas quidem, post eiectionem ex Nazareth, describit descensum Christi in Capernaum. Sed quia in illo descensu dicit dæmoniacum sanatum: non igitur de illo descensu intelligendum est, quando habitationem suam trāstulit Capernaum: sed quando, cum vocatis quatuor illis discipulis, ingressus est Capernaum. Tunc enim dæmoniacum sanauit, sicut Marcus expresse scribit. Rectè igitur historiam Marci 1. & Luc. 4. coniunximus.

HISTORIA, DE PRIMA EIECTIONE SPIRITVS immundi, in Synagoga Capernaitica.

MARC. I.

21. Καὶ εἰσπορεύονται εἰς Καπερναούμ, καὶ εὐθέως εἰσελθὼν τοῖς σάββασιν εἰς τὴν συναγωγὴν, ἐδίδασκε.
22. Καὶ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς, ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.
23. Καὶ ἦν ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, καὶ ἀνέκραξε λέγων·
24. Ἔα, τί ἡμῖν καὶ σοὶ, Ἰησοῦ Ναζαρηνέ; ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς; οἶδά σε, τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ.
25. Καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, λέγων· φιμώθητι, καὶ ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ.
26. Καὶ σπαράξαν αὐτὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον, καὶ κράξαν φωνῇ μεγάλῃ, ἐξῆλθεν ἐξ αὐτοῦ.
27. Καὶ ἐθαμβήθησαν πάντες, ὥστε συζητεῖν πρὸς αὐτοὺς, λέγοντας· τί ἐστι τοῦτο; τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη; ὅτι κατ᾽ ἐξουσίαν καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει, καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ.
28. Ἐξῆλθε δὲ ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εὐθέως εἰς ὅλην τὴν περίχωρον τῆς Γαλιλαίας.

21. *Et ingrediuntur Capernaum, & statim Sabbathis ingressus in Synagogam, docebat.*
22. *Et stupebant super doctrina eius: erat enim docens eos, tanquam auctoritate praeditus, & non sicut Scribæ.*
23. *Et erat in Synagoga eorum homo obnoxius spiritui immundo, & exclamauit, dicens:*
24. *Sine, quid rei nobis tecum est, Iesu Nazarene? Venisti ad perdendum nos? Noui te quis sis: nimirū ille sanctus Dei.*
25. *Et increpauit illum Iesus, dicens: obmutesce, & exi ab homine.*
26. *Et cùm discerpsisset eum spiritus immundus, exclamassetque voce magna, exiit ab eo.*
27. *Et obstupuerunt omnes ita, vt conquirerent inter se, dicentes: Quid est hoc? Quæ doctrina noua hæc? Quia cum auctoritate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?*
28. *Emanauit autem fama eius statim in totam vndique regionem Galilææ finitimam.*

LVC. 4.

31. Καὶ κατῆλθεν εἰς Καπερναοὺμ πόλιν τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἦν διδάσκων αὐτοὺς ἐν τοῖς σάββασι.
32. Καὶ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ.
33. Καὶ ἐν τῇ συναγωγῇ ἦν ἄνθρωπος, ἔχων πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου, καὶ ἀνέκραξε φωνῇ μεγάλῃ, λέγων·
34. Ἔα, τί ἡμῖν καὶ σοὶ Ἰησοῦ Ναζαρηνέ; ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς; οἶδά σε, τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ.
35. Καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, λέγων· φιμώθητι, καὶ

31. *Et descendit Capernaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbathis.*
32. *Et stupebant super doctrina eius, quia cum potestate coniunctus erat sermo eius.*
33. *Et in Synagoga erat homo, habens spiritum dæmonis immundi, & exclamauit voce magna, dicens:*
34. *Sine, quid tibi nobiscum est? Iesu Nazarene? Venisti ad perdendum nos? Scio te, quis sis, sanctus ille Dei.*
35. *Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, exi*

ἔξελθε

ἐξῆλθεν ἐξ αὐτοῦ. Καὶ ῥίψαν αὐτὸν τὸ δαιμόνιον εἰς τὸ μέσον, ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ, μηδὲν βλάψαν αὐτόν.

36. Καὶ ἐγένετο θάμβος ἐπὶ πάντας, καὶ συνελάλουν πρὸς ἀλλήλους, λέγοντες· τίς ὁ λόγος οὗτος, ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει ἐπιτάσσει τοῖς ἀκαθάρτοις πνεύμασι, καὶ ἐξέρχονται.

37. Καὶ ἐξεπορεύετο ἦχος περὶ αὐτοῦ εἰς πάντα τόπον τῆς περιχώρου.

ab eo. Et cum proiecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illi nocuit.

36. *Et factus est pauor super omnes, & colloquebantur inter sese, dicentes: Quis sermo hic est? Quia cum auctoritate ac potestate imperat immundis spiritibus, & exeunt.*

37. *Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum vndique finitimæ regionis.*

HARMONIA HISTORIÆ, DE DÆMONIACO, IN Synagoga Capernaitica sanato, ex descriptionibus Marc. 1. Luc. 4. in vnum corpus coagmentata.

b Καὶ εἰσπορεύονται εἰς Καπερναούμ, c πόλιν τῆς Γαλιλαίας, b καὶ εὐθέως τοῖς σάββασιν εἰσελθὼν εἰς τὴν συναγωγὴν, ἐδίδασκεν αὐτούς. b Καὶ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ. c ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ. b Ἦν γὰρ διδάσκων αὐτούς, ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς. b Καὶ ἦν ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν ἄνθρωπος, b ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, c ἔχων πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου. b καὶ ἀνέκραξε φωνῇ μεγάλῃ, b λέγων· Ἔα· τί ἡμῖν καὶ σοί, Ἰησοῦ Ναζαρηνέ; ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς; οἶδά σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. Καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, λέγων· φιμώθητι, καὶ ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ. c Καὶ ῥίψαν αὐτὸν τὸ δαιμόνιον εἰς τὸ μέσον, b καὶ σπαράξαν αὐτὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον, καὶ κράξαν φωνῇ μεγάλῃ, b ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ, c μηδὲν βλάψαν αὐτόν. Καὶ ἐγένετο θάμβος ἐπὶ πάντας, b καὶ ἐθαμβήθησαν πάντες, ὥστε συζητεῖν πρὸς αὐτούς, c καὶ συνελάλουν πρὸς ἀλλήλους λέγοντες· b τί ἐστι τοῦτο; τίς ὁ λόγος οὗτος; b τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη, ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει, b καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει, b καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ, c καὶ ἐξέρχονται. b Ἐξῆλθε ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εὐθέως εἰς ὅλην τὴν περίχωρον τῆς Γαλιλαίας. c καὶ ἐξεπορεύετο ἦχος περὶ αὐτοῦ εἰς πάντα τόπον τῆς περιχώρου.

b *Et ingrediuntur Capernaum,* c *ciuitatem Galilææ:* b *& statim Sabbathis ingrediens Synagogam, docebat* c *eos.* b *Et stupebant super doctrina eius,* c *quia cum potestate coniunctus erat sermo eius.* b *Erat enim docens eos, tanquã auctoritate præditus, & non sicut Scribæ.* b *Et erat in Synagoga eorum homo* b *obnoxius spiritui immundo, & exclamauit* c *voce magna,* b *dicens: Sine, quid tibi nobiscum est, Iesu Nazarene? Venisti ad perdendum nos? Noui te quis sis, nimirum sanctus ille Dei. Et increpauit illum Iesus, dicens: obmutesce, & exi ab eo.* c *Et cum dæmonium proiecisset illum in medium:* b *cumque discerpsisset eum spiritus immundus, & exclamasset voce magna,* b *exiit ab eo,* c *nihilque illi nocuit. Et factus est pauor super omnes,* b *& obstupuerunt omnes ita, vt conquirerent inter se,* c *& colloquebantur inter sese, dicẽtes:* b *Quid est hoc?* c *Quis sermo hic est?* b *Quæ doctrina noua hæc? Quia cum auctoritate ac potestate* b *etiam spiritibus immundis imperat,* b *& obediunt ei,* c *atque exeunt.* b *Emanauit autem fama eius statim in totam vndique regionem Galilææ finitimam,* c *& diuulgabatur rumor de ipso in omnem locum vndique finitimæ regionis.*

Periocha huius Historiæ.

LVcas post eiectionem Iesu ex Nazareth, subiicit hanc historiam. Et quia Capernaum ad littus maris sita erat, ideo Iesum descendisse dicit; quia vero addit, tunc factum miraculum in dæmoniaco, idcirco Lucæ textus ita intelligendus est: *Descendit ex Nazareth, & post vocationem quatuor Discipulorum, venit Capernaum.* Propterea verbum Lucæ *Descendit* coniunxi cum historia Matthæi 4. v. 13. de relicta Nazareth. Hoc loco enim ex littore vel à mari non propriè potest dici descendisse in ciuitatem, sed è contrario ex ciuitate descenditur ad mare: vel verbum κατῆλθε hoc loco accipiendum est, pro rediit vel remigrauit Capernaum: sicut aliàs verbum illud in Græca lingua vsurpatur. Quia vero Marcus addit: *Et statim Sabbathis ingressus Synagogam,* videtur significare, vocationem illorum discipulorum factam Prosabbatho, & *statim,* hoc est, die proximè sequenti, quæ Sabbathum fuit, sanationem dæmoniaci factam. Vterque vero Marcus & Lucas ita loquuntur: τοῖς σάββασι, *Sabbathis:* indicantes Christum non semel vnico hoc Sabbatho, sed semper in Sabbathis, quando fuit Capernaum, ingressum Synagogam, ibi docuisse. Quæ verò capita doctrinæ fuerint, supra explicatum est.

Hæc vero capita doctrinæ Christus in suis concionibus nõ perfunctorie seu frigide, tanquam mortuam literam, recitauit, sicut Scribæ de suis traditionibus disputantes faciebant, quorum doctrina nullam Spiritus maiestatem aut efficaciam spirabat, nec aures piorum afficiebat, nec animum ad pœnitentiam & fidem commouebat: sed singularem auctoritatem & maiestatem, non in vna, quæ hoc loco describitur, sed in omnibus concionibus Christi fuisse, Euangelistæ indicant his verbis: *Docebat, vt habens ἐξουσίαν, non vt Scribæ.* Quam sententiam Matthæus etiam post prolixam illam concionem c. 2. versu vltim. repetit. Recte igitur ad omnes conciones Christi refertur hæc sententia. Phrasis vero, *Docebat, vt habens ἐξουσίαν:* Item, *Sermo eius erat in ἐξουσίᾳ.* Latinis auribus videtur alienior esse: ex collatione vero declarari potest. Ecclesiastes enim c. 8. v. 4. eadem plane Phrasi vtitur de Magistratu. In verbo regis est שלטון, hoc est, potentia & auctoritas, Græci reddiderunt verbo ἐξουσιάζειν. Et Syrus hoc loco habet vocabulum שליט.

In Marco ita reddidit: *Docebat, vt dominator, qui cum potestate præest.* In Luca ita reddidit, *Sermo eius erat potestate præditus.* Vnde recte intelligi potest hæc Euangelistarum phrasis. Et hanc collationem ἐξουσίας, in edictis magistratuum, & in verbis Christi Centurio, Matth. c. 8. v. 9. & recte intellexit, & pulcrè accommodauit. Si enim Deus magistratum armat, & circumdat tali auctoritate & maiestate, vt dicta eorum cum obediẽtia suscipiantur & pondus habeant, id, quod ex Antithesi intelligitur, Psalm. 106. v. 40. *Effundit contemptum super principes,* Iob. 12. v. 18. *Baltheum regum dissoluit.* Multò excellentius vocationem Christi Deus ornauit tali auctoritate & maiestate, quæ, sequente in animis auditorum diuina maiestate quadam, testimonium præberet, hunc esse Messiam diuinitus missum. Sensus igitur est: Iesum in docendo peculiarem & eximiam auctoritatem & maiestatem præ se tulisse. 1. Quia non vt interpres, vel alieno nomine, sed, vt Dominus, propria auctoritate ex suo nomine dicebat: Amen ego dico vobis, quæ scimus loquimur. Sicut illi, qui cum potestate sunt, solent loqui. 2. Quia mirandam quandam ἐνέργειαν vim & efficaciã habebat eius sermo, Spiritu sancto per verbum eius corda auditorum permouente ad pœnitentiam & fidem. 3. Quia peculiari gratia, magno zelo & libertate docebat. 4. Quia doctrinã suam miraculis confirmabat. Et hoc est, quod Deut. 18. v. 18. Deus promisit: *Ponã verba mea in ore eius.* In hac ipsa historia in fine, eadẽ phrasis vsurpatur illustri significatione, ἐν ἐξουσίᾳ præcipit immundis spiritibus, & obediunt ei, atque exeunt. Et Euangelistæ addunt: auditores abreptos fuisse in admirationem, & quasi in stuporem, super doctrina Christi. Et hęc conueniunt cum iis, quæ Prophetæ vaticinati sunt de Messia, Psal. 45. v. 3. Diffusa est gratia in labiis tuis. Es. 49. v. 2. Posuit os meũ, quasi gladiũ acutũ. Et Esa. 50. v. 4. Dedit mihi linguam eruditã, opportune loqui lassis. Vsurpatur vero illa phrasis etiam de efficacia prædicationis Apostolicæ. Paulus enim 2. Cor. 10. v. 8. & 13. v. 10. describens potestatem & auctoritatem Apostolicam, vtitur hoc ipso Euangelistarum vocabulo. Appellat enim ἐξουσίαν sibi datam ad ædificationem. Et 2. Corinth. 10. v. 4. & 5. dicit, se instructum armis spiritualibus, quæ sunt potentia

Dei, ad demoliendam omnem celsitudinem, extollentem se, & ad vlciscendam inobedientiam. Vnde 1. Timoth. 4. v. 12. & Tit. 2. vers. vlt. Paulus inquit: Nemo te despiciat, sed argue cum omni ἐπιταγῇ. Eodem pertinent & illæ sententiæ, 1. Corinth. 2. v. 4. Sermo meus fuit in ostensione Spiritus & δυνάμεως. 1. Thess. 1 v. 5. Euangelium nostrum non fuit in sermone, sed ἐν δυνάμει. 1. Cor. 4. v. 20. Regnum Dei non est in sermone, sed in potentia. Rom. 1. v. 16. 1. Cor. 1. v. 18. Euangelium est potentia Dei.

Hæc collatio sententiarum ideo vtilis est: Euangelium enim non tantùm tunc habuit efficaciam, quando ministerio Christi prædicatum fuit: sed est potentia Dei, per quod Deus efficax est, etiam quando ab Apostolis & à reliquis ministris in testaceis vasis circumfertur, 2. Cor. 4. v. 7. Ideo Scriptura eadem phrasi vtitur de Messia, & de reliquis ministris: *Posui verba mea in os tuum*. Deut. 18. v. 18. Esa. 51. v. 16. & 59. v. vlt. In omnibus tamen Christus πρωτεύων id est habet singularem & excellentem prærogatiuam, Col. 1. v. 18. Sine dubio igitur singularis & eximia quædam gratia, auctoritas, maiestas, efficacia, vis & potentia fuit in concionibus Christi, sicut ostendit historia Ioh. 7. v. 46. ibi satellites dicunt: Christum ita locutum, vt non potuerint ipsum comprehendere, cùm tamen ideo missi fuissent.

Altera pars huius historiæ continet descriptionem miraculi, de diabolo, ex homine obsesso, expulso. Et hæc est prima eiectio dæmonij ex homine obsessio, quæ quidem ab Euangelistis descripta est. Et propterea diabolus dicit: *Quid tibi & nobis?* Iesus enim in principio sui ministerij congressus quidem in deserto fuit cum Satana: sed tunc voluit ab illo tentari. Ideo diuinam suam potentiam, contra illum non exeruit. Nunc verò cùm manifestius incipit ostendere, se venisse, vt dissoluat opera diaboli, exclamat: *Quid nobis & tibi?* Singulas igitur circumstantias, quas Euangelistæ annotarunt, vtile erit expendere. Docuerat Christus *regnum Dei adesse*. Iam ipso facto ostendit regnum hoc Dei in eo consistere, vt regnum diaboli destruatur, & opera eius dissoluantur. Item Petro dixerat: *Posthac homines capies*. Iam igitur ostendit hoc ita fieri, vt homines à potestate Satanæ conuertantur ad Deum, Actorum 26. v. 18. Marcus nominat Spiritum immundum. Ne verò appellatio hæc de anima flagitiis contaminata intelligatur, Lucas vocat Spiritum Dæmonij immundi. Syrus habet vocabulum טנפא à pollutione, inquinatione, contaminatione. Et ratio appellationis ex antithesi intelligitur. Angeli enim, qui in veritate steterunt, vocantur sancti, Marci 8. vers. vlt. & electi, 1. Tim. 5. v. 21. Diaboli vero lapsu puritatem originalem amiserunt. Et substantiam quidem retinuerunt: (fuerunt enim & adhuc sunt Spiritus.) successit autem in substantiam illam puritate spoliatam, horribilis immundities, vt non ipsi tantùm & sunt immundi, & immunditie delectentur, sed genus humanum conditum ad imaginem Dei sollicitant ad immunditiem, & conspurcant, ac totum terrarum orbem sordibus, quæ Deo abominationi sunt, replent. Syrus in Luca reddidit שד dæmon, vastator. In Marco & Matthæo reddidit דיוא à Latina voce Diui. Dæmon autem & dæmonium Græca sunt vocabula, à peritia & scientia dicta. Et Plato vniuersi moderatorem vocat: μέγιστον δαίμονα. Homerus reliquos Deos vocat dæmonas. Hesiodus heroas deificatos vocat dæmonas. In Scripturis vero solis malignis spiritibus hæc appellatio tribuitur; quia Deos gentium, qui dæmones appellabantur, constat malignos Spiritus fuisse. Vide August. de ciuitat. Dei, li. 9. Græci [illegible] לשדים Deut. 32. v. 17. & אלילים Psa. 95. v. 5. reddiderunt δαιμόνια. Illi igitur maligni Spiritus non tantùm externa tentatione per suggestiones, homines ad malum sollicitant, & externa impugnatione nocere student: sed quandoque etiam Deo permittente, in homines ingrediuntur, eosq; ita obsident, vt in ipsis inhabitent, membris ipsorum pro sua libidine abutentes, sensus exteriores & interiores perturbantes, appetitum, quò volunt, inclinantes, varia & miranda in eis & per eos operantes. Talem obsessionem Lucas simpliciter describit: *Erat homo habens Spiritum dæmonij immundi*. Marcus vero peculiari phrasi vtitur: *Erat homo in Spiritu immundo*. Qua phrasi, sine dubio, significare voluit hominem illum à Satana totum ita occupatū & obsessum fuisse, vt is membris corporis & potentiis animæ ipsius pro sua libidine abuteretur. Phrasis autem inde sumpta videtur, quod Prophetæ dicuntur in Spiritu esse, quando extra se rapti, multo augustius & diuinius vident, audiunt, intelligunt & faciunt, quàm humanæ naturæ conditio ferat, vt ignorent, an sint in corpore, an extra corpus. Ita Simeon dicitur in Spiritu venisse in templum. Dauid dicitur in Spiritu locutus. Syrus simpliciter reddidit: In quo erat Spiritus immundus. Vel potest simpliciter accipi, sicut Iohan. 5. versicul. 5. ægrotus dicitur 38. annos habere in infirmitate: aut sicut purpurati dicuntur, οἱ ἐν πορφύρᾳ. Item, οἱ ἐν τέλει.

Obseruetur autem piam fuisse consuetudinem à maioribus, sine dubio, acceptam, quòd obsessi Sabbathis in Synagogis adducti & admissi fuerunt, propter lectionem verbi Dei, & propter publicas Ecclesiæ preces. Et hunc obsessum aliquando aliquid habuisse remissionis, hinc colligitur, quod ingreditur Synagogam. Alius enim obsessus Marci 5. v. 3. habitat in sepulcris.

Circumstantiæ verò miraculi eiectionis ita se habent. Christus primùm docuit & diabolus in obsesso, non statim in principio, concionem Christi clamore suo interrupit. Vterque enim & Marcus & Lucas dicunt, populum obstupefactum super doctrina Christi in illa concione, quia intelligebant ipsum non vt Scribas, sed cum auctoritate docere. Principio igitur diabolus in obsesso quieuit. Ex verbis vero diaboli colligi potest, quodnam caput concionis vociferando interruperit, dicit enim: *Venisti perdere nos*. Christus igitur vbi ad illud caput concionis peruenit, *Appropinquauit regnum Dei*, sine dubio instituit antithesin destructionis regni Satanæ. Ibi vero diabolus magna voce in Synagoga in obsesso homine exclamauit. Et verba illa, quæ ab vtroque Euangelista similiter descripta sunt, ideo obseruanda sunt; quia Paulus inquit 2. Cor. 2. v. 10. Non ignoramus cogitationes Satanæ. Proposuit autem imaginem quandam astutiæ diabolicæ, quam luci Euangelij, quando negare eam non potest, opponit, vt etiam vera dicendo fallat.

Ἔα Lutherus cum vetere interprete reddidit pro Imperatiuo, à verbo ἐάω, sine, *Halt*. Et ita etiam Grammatici Suidas & Varinus exponunt per [illegible]. Et sententiæ non male conuenit: *Missos nos facias, quid enim nobis & tibi, quod venisti ad perdendum nos?* Atque ita Syrus reddidit: Relinque vel dimitte me. Reliqui interpretes accipiunt pro interiectione, præ dolore exclamantis. Hebraica enim vocabula אהה, הה, הוי & [illegible], à Græcis varie reddita sunt. Ezech. 30. ver. 2. ὢ ὤ, Iosuæ 7. v. 7. tanquam particula deprecantis δέομαι, Iud. 6. v. 22. οἴμοι. Iob. 19. v. 5. Græci interpretes ponunt ἔα, licet ibi talis vocula in Hebræo non sit. Et in cõmuni lingua Græca [illegible] sunt ἀδιάφορα. Vtraque autem interpretatio sensui conuenit. Diabolus igitur præsentiam, vim & potentiam Filij Dei, quæ in illa concione se exerebat, non ferens, sed ea se torqueri sentiens, ita exclamauit. Non autem subtiliter disputabo, an diabolus plane ac vere agnouerit Iesum esse Messiam, an vero ex coniecturis quibusdam suspicatus hoc sit, cùm Paulus dicat: 1. Corinth. 2. v. 8. Si principes huius seculi cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed id, quod vtilius est, obseruabimus, quod scilicet Iacobus tradit, c. 2. v. 19 quid intersit inter fidem dæmonum & fidem sanctorum. Diabolus igitur ex concionibus Christi & factis eius coniecturam suspicandi cepit, ipsum esse Messiam. Et quia ex Scriptura nouerat, quod causa & finis aduentus Messiæ in hunc mundum hic sit, vt in hac vita destruat opera diaboli, alliget fortem, arma eius diripiat, & spolia diuidat, & in futuro iudicio diabolum cum omnibus suis abiiciat in abyssum, & in ignem æternum: Ideo Interrogatiuè inquit: *Venisti perdere nos?* Quidam legunt Assertiue, Venisti perdere nos: sed propter præcedentem quæstionem, videntur & hæc verba Quæsitiue legenda: *An venisti perdere nos?* Et perditio illa intelligenda est 1. de destructione regni diaboli, Luc. 11. v. 22. & de dissolutione operum eius. 2. de finali damnatione, quando in abyssum mittentur, Luc. 8. v. 31. Matthæi 25. vers. 41. Chrysostomus vtitur hac similitudine, sicut seruus fugitiuus, si post multum temporis incidat in conspectum heri sui, nihil aliud, quàm de verberibus & tormentis cogitare potest: ita conscientiam defectionis diabolo expressisse hanc vocem Beda existimat, potentiam Christi, quasi necessitate quadam, ab inuito diabolo extorsisse illam etiam confessionem, vbi dixit: *Noui te quis sis, ὁ ἅγιος sanctus ille Dei*. Quæ vox periphrasis fuit Messiæ vulgaris tunc & vsitata. Aaron enim figura Christi, Psal. 106. v. 17. vocatur: Sanctus Domini. Et Exod. 28. v. 36. In lamina aurea, quam Pontifex in fronte gerebat, scriptum erat: Sanctum Domini. Et Dan. 9. v. 24. Messias expresse vocatur, Sanctus sanctorum. Et Psal. 16. v. 10. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Ideo articulus ὁ ἅγιος, Sanctus ille Dei. Syrus in fine addit הו, quæ particula semper mysterium subindicat.

Obserua autem technas, quomodo diabolus vera dicendo, quando ea negare vel non audet, vel non potest, conetur fallere, & ea deprauare. Inquit enim: *Quid nobis, & tibi?* De phrasi hac diximus, cùm explicaremus historiam Iohannis de nuptiis in Cana. Sensus igitur est: quid causæ habes, aut quid iuris tibi sumis contra nos? quare nos inuadis & regnum nostrum perturbas? Cures quæ tua sunt, & nos sine molestia missos facias. Habes tu tuum regnum, relinquas nobis nostrum. Obseruetur hoc diligenter: diabolum velle tolerare doctrinam de sancto Dei, & quidem ipsum hanc vocẽ sonare, si mo-

e, si modò sua in pace retinere possit. *Noui*, inquit, & ipse fateor, *te esse sanctum Dei*: tantùm missos nos facias in nostro regno. Illa enim commendatione voluit dæmon Iesum delinire, vt ab expulsione eius abstineret. Hæc diabolica machinatio multa habet exempla, præsertim in conciliationibus religionum. Retineatis sane, inquiunt, & sonetis puram doctrinam, tantùm aduersariam partem missam facite, *quid nobis & vobis*? curetis vestram religionem: non exagitetis nostram. Est & hæc obseruatio diligenter notanda, vere esse illusionem Satanæ; quando habemus & confitemur sanam doctrinam, & interea diabolo regnum suum, siue in prauis religionis opinionibus, siue in mala vita relinquimus: ita vt illud non oppugnemus, idque siue in nobis, siue in aliis. Et hæc est diaboli fides de qua Iacobus loquitur, quam duo habere ex hac historia colligitur. 1. Agnoscens Christum contremiscit, cùm inquit: *Venisti perdere nos*? 2. Nescio quid sibi promittit seu potius fingit, cùm ex superba impudentia inquit: *Missos nos fac, quid nobis & tibi*? Consideretur & hoc, quod non dicit: *quid tibi & nobis*? sed, *quid nobis & tibi*? Oblique enim significat se velle pacem cũ Christo colere, & cursum Euangelij ipsius non impedire, si modo non oppugnet, vastet & perdat regnum Satanæ. Et reuera pugnantia sunt in verbis his Satanæ: *Venisti ad perdendum nos, & missos nos facias, quid nobis & tibi*? Et tamen in multorum Christianorum vita hæc illusio Satanæ conspicitur. Doctrina sonat, & fides ipsorum confitetur hanc sententiam Iohannis: *Filius Dei venit, vt destruat opera diaboli*. In vita vero ipsorum hęc Satanæ vox sonat, *ea, missos nos fac, quid nobis & tibi*? Horribilis sane est superbia diaboli, cùm fatetur: *Venisti perdere nos*: quod tamen superbe inquit: *Sine nos, quid nobis & tibi*? Vtinam vero in Diabolo solo hæc impudentia resisteret: nunc vero in multis etiam, qui externa professione sunt membra Ecclesiæ, hunc lusum ludit. Fatentur enim Christum esse iudicem viuorum & mortuorũ: & tamen quando vocantur ad pœnitentiam à Christo, respondeant *Omitte nos, quid nobis & tibi*?

Huic autem suo artificio diabolus attexit duas calumnias: altera est, quod Iesum appellat *Nazarenum*. Alludit enim ad illud, quod non in Nazareth, sed in Bethlehem Messiam nasciturum prædictum erat. Item ex Galilæa Propheta non surrexit: Num ex Nazareth aliquid boni? Altera calumnia est, quod confitetur Iesum esse, *sanctum illum Dei*, non hoc proposito, vt homines ad illam confessionem abducat: sed vt sua confessione hominibus suspicionem iniiciat, quasi doctrina & miracula Iesu, aliquid commercij & societatis cum diabolis habeant, vt qui mutuum ipsi præbeant testimonium. Et ex hac officina petita fuit illa Pharisæorum calumnia: *In Beelzebub eiicit dæmonia*. Sicut & altera calumnia, Iohan. 7. v. 41. & 52. de Nazareth & Galilæa. Veritas igitur, quæ à Diabolo, siue Dei potentia exprimitur, statim ab ipso inuertitur & deprauatur. Et habet ille discipulos dociles sane, qui artificium illud imitatione statim exprimunt.

Propter hanc verò causam noluit Christus diabolo, etiam cum vera quædam diceret, concedere facultatem plura de se & doctrina sua dicendi, sed verbis durioribus ipsum compescuit. Hoc enim significat, quod Euangelistæ dicunt ἐπετίμησεν αὐτῷ. Syrus habet verbum כאא quod significat, obiurgando aliquem cohibere. Et hoc suo exemplo Christus docet, diabolum non esse audiendum: etiam cum vera dicit: vel, veritatem non esse à diabolo quærendam. Cùm enim mendax sit & saluti nostræ inimicus, etiam veritate aliquando, tanquam inescatione ad fallendum, abutitur. Ostendit etiam, quid de illis statuendum sit, qui vera quædam falsis miscent, vt maiori cum lucro fallant. Duo autem ipsi imperat. Primum est, φιμώθητι. quod plus quàm simplex silentium significat. Marci enim 4. v. 39. vtrunque coniungitur: Tace & obmutesce. Vsurpatur autem in illa sententia, non obturabis os boui trituranti, Deut. 25. v. 8. Et Psalm 39. v. 2. significatio pulcre explicatur, quando præter & contra voluntatem aliquis tacere cogitur: *Imponam ori meo claustrum*. Idem enim vocabulum ibi vsurpatur, quod extat Deuter. 25. vers. 8. De obturatione oris bouis triturantis. Vnde Syrus hoc loco reddidit: *Occlude os tuum*.

Secundum est, quod diabolo imperat, vt ex homine illo obsesso exeat. Describunt autem Euangelistæ, quomodo diabolus contra illud Filij Dei imperium luctetur, & quamuis valde inuitus & plane repugnans, tamen ipsi parere cogatur. Et hæc Antithesis potentiam Christi reddit illustriorem, quæ tanta sit, & dæmonibus, quantumuis ita potentibus, sicut describitur, Ephes. 6. v. 12. & Iob. 40. v. 10 formidabilis sit. Remouet etiam suspicionem collusionis, & ostendit, quantæ molis sit, hominem ex potestate Satanæ liberare & eripere. Est enim fortis & armatus. Iussus erat diabolus obmutescere, sed magna voce clamat, non tamen audet amplius loqui, sed vocem inconditam, testem indignationis & doloris edidit. Iussus erat exire: sed miserum hominem discerpsit. Marcus enim vtitur valde vehementi verbo σπαράξαν, quod de conuulsionibus Satanæ etiam alibi vsurpatur, Marci 9. v. 26. & Luc. 4. v. 42. Significat autem proprie vnguibus lacerare. Et 2. Reg. 22. vers. 8. Græci ita reddiderunt verbum געש, quod significat conuulsionem montium, & collisionem fluctuum maris. Et ita Lucæ 9. v. 39. parens dicit: Conuellit ipsum cum spuma. Valde atrox itaque fuit conuulsio. Lucas addit, quod dæmonium, miserum obsessum eleuatum, proiecerit vsque in medium Synagogæ. Gestus igitur diaboli, cùm violentia imperij Christi, contra voluntatem suam, exire compelleretur, Euangelistæ describere voluerunt. Concussit obsessum & eleuatum, ad terram allisit, quasi discerpere vellet: *sed nihil illi nocuit*, inquit Lucas. Quod non intelligendum est, quasi membra obsessi nullum cruciatum ex illa conuulsione & iactatione senserint: sed quod nulla pars corporis nocumento aliquo, mutilatione, aut nota aliqua læsa fuerit, sicut ex tali iactatione naturali modo fieri necesse fuisset. Significat etiam quòd exeunte diabolo, homo statim sine læsione aliqua, & sine reliquiis debilitationis integre restitutus fuerit. Hieronymus hac descriptione iactationis existimat hoc significari, quod diabolus, quando hominem ex suo imperio cogitur dimittere, tunc demum hostilius ipsum inuadat, iactet, & quasi discerpturus conuellat. Pharao enim, quando cogitur dimittere filios Israel, tunc hostiliter persequitur eos: & diabolus contemptus consurgit in scandala, sicut inquit Hieronymus. Sed ringatur sane & insaniat, præsente Filio Dei, & efficaciam suam per verbum, vt in hac historia, exerente, nihil nocere potest.

Hæc est descriptio miraculi. Fructum vero, qui consecutus est, Euangelistæ ita describunt: *Stupor cepit omnes*, qui singula hæc, sicut gesta fuerant, ipsi & audierant & viderant. Significat autem θάμβος, quando animus admiratione ita percellitur, vt quasi attonitus reddatur. Recte autem fecerunt, quod miraculum illud ad doctrinæ & commendationem & confirmationem retulerunt. Cœperunt enim & in ipsa synagoga, & cùm egressi essent, inter se colloqui. Et Marcus vtitur pulcerrimo vocabulo συζητεῖν, quod est collatis argumentis & sententiis per mutuas interrogationes & responsiones disputando aliquid disquirere. Syrus habet: *Quærebant vnus cum altero*. Dicunt igitur: *Quid hoc est? quod est hoc verbum?* Quidam sentiunt in verbis Lucæ Hebraismum esse: vt verbum pro facto intelligatur: scilicet: Quale hoc factum est? vel, Quid hoc rei est? Theophylactus intelligit de verbo, quo Iesus dæmoni imperauit, vt exiret. Sed Marcus hoc loco λόγον interpretatur, de doctrina Christi, vt sensus sit: Videmus illustrem ostensionem, quale sit huius doctoris verbum, & qualis doctrina, diuina scilicet, efficax & potens contra ipsas inferorum portas. Eodem enim verbo, quo doctrinam proponit, etiam spiritibus immundis imperat, idque non per orationem, vt Exorcistæ, sed vt Dominus κατ' ἐξουσίαν, id est, pro imperio. Nec vt præstigiatores solent, magicis verbis dæmonas adiurare: sed ἐν δυνάμει imperat. Adest enim imperio vis, potentia & efficacia, vt immundi spiritus exeundo fateri cogantur, se huius verbi imperio subiectos & constrictos esse. Ex tali enim αἰτιολογίᾳ vocabula Lucæ ἐξουσία & δύναμις simplicissime intelligi possunt. Marcus auditorum verba ita recitat: *Quæ est hæc noua doctrina?* Possunt autem hæc dupliciter intelligi. Vel vt sensus sit: hæc certe est alia doctrina, quàm vulgaris Scribarum. Efficaciam enim, & virtutem suam exerit, non tantum in auditorum animis: verum etiam in ipsis immundis spiritibus. Vel potest hic sensus esse: Pharisæi hanc doctrinam nouitatis titulo, volunt infamem reddere, & sane dissentit à receptis synagogæ opinionibus: sed certe hæc doctrina noua probatur & confirmatur talibus miraculis, quæ verbi potentiam in ipsis etiam immundis spiritibus ostendunt. Vtraque sententia vera est, sed secunda videtur plenior esse.

Addunt autem Euangelistæ famam de Iesu diuulgatam. Illi enim sermones non in synagoga, nec finibus vrbis Capernaum inclusi manserunt: sed propter opportunitatem loci; quia Capernaum metropolis erat, ad quam propter commercia ex variis locis homines conueniebant, fama illa, de doctrina & miraculis Christi, celeriter omnia loca, & Galilææ, & quæ fines Galilææ attingunt, impleuit. Et propter hanc causam, sicut antea diximus, Christus habitationem suã transtulit Capernaum. Doctrina enim Euangelij, inde facilius poterat spargi, non tantum in ciuitates vicinas, verum etiam in regiones finitimas; sicut hoc loco Euangelistæ testantur. Lucas simpliciter vocat, περίχωρον. Et possit videri esse interpretatio vocabuli Galilææ; quod significat regionẽ circũiacentem. Marcus vero addit τῆς περιχώρου Galilææ. Est enim ἡ περίχωρος generalis appellatio de locis, ciuitatem aut regionem circũiacentibus. Vt Genes. 30. v. 19. & 11. & 19. v. 17. Græci

loca Iordani circumiacentia, vbi Sodoma fuit, vocant τὰ περίχωρα Iordanis Et Matthæus c.3.v.5. plane etiam ita loquitur: regionem finitimam Iordani exiisse ad Baptistam, Deut.34.v.3. Græci vocant τὰ περίχωρα Iericho. Esther 9.v.12. regio, quæ circa Susan metropolin sita est, vocatur περίχωρος Galilææ.

Intelligendam autem esse non ipsam tantum Galilæam, sed finitimas etiam regiones ex fine quarti capitis Matt. colligitur, vbi numerantur Iudæa Trans-Iordanis, Decapolis & Syria.

CAPVT XXXVIII.

CONTINENS HISTORIAM, DE FEBRICITANTE SOCRV PETRI SANATA, Matth.8. Marc.1. Luc.4.

RATIO ORDINIS.

In hac historia τὸ μετὰ καὶ πρὸ τί, sicut Eusebius loquitur, hoc est, ante quid & post quid (sicut Augustinus inquit) hæc historia facta sit, manifeste patet. Lucas enim dicit, Iesum, cum post sanatum dæmoniacum ex synagoga Capernaitica surrexisset, venisse in domum Simonis. Marcus vero adhuc certiorem notationem temporis & ordinis ponit. Post sanatum enim dæmoniacum mox subiicit: *Et protinus è synagoga egredientes, venerunt in domum Simonis.* Eadem igitur die, post præcedens miraculum, accidit hæc historia. Cumque mox post vocationem Petri, præcedens miraculum factum esse ex Marco constet: manifestum est, Matthæum, qui c.8.v.14. post sanatum seruum Centurionis, de Socru Petri scribit, non seruasse ordinem, sed cum in mentionem Capernaum incidisset, addidisse per recapitulationem illud de Socru Petri, quod antea ibi factum in præcedentibus omiserat. Vnde & tali vsus est Matthæus locutione, quæ non necessario exigit ordinem consequentiæ eorum, quæ narrantur. Dicit enim: *Et cum venisset in domum Petri, &c.* Ratio igitur ordinis huius historiæ certa & manifesta est.

HISTORIA DE SANATA SOCRV Petri febricitante.

MATTH. 8.

14.	Καὶ ἐλθὼν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρου, εἶδε τὴν πενθερὰν αὐτοῦ βεβλημένην καὶ πυρέσσουσαν.	14.	*Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum illius in lecto decumbentem & febricitantem.*
15.	Καὶ ἥψατο τῆς χειρὸς αὐτῆς, καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετός, καὶ ἠγέρθη, καὶ διηκόνει αὐτοῖς.	15.	*Tetigitque manum illius, & reliquit illam febris, & surrexit, ac ministrauit illis.*

MARC. 1.

29.	Καὶ εὐθέως ἐκ τῆς συναγωγῆς ἐξελθόντες, ἦλθον εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος καὶ Ἀνδρέου, μετὰ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου.	29.	*Et protinus è synagoga egressi, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Iohanne.*
30.	Ἡ δὲ πενθερὰ Σίμωνος κατέκειτο πυρέσσουσα, καὶ εὐθέως λέγουσιν αὐτῷ περὶ αὐτῆς.	30.	*Socrus autem Simonis decumbebat febricitans, & continuo dicunt ei de illa.*
31.	Καὶ προσελθὼν ἤγειρεν αὐτὴν, κρατήσας χειρὸς αὐτῆς. Καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετὸς εὐθέως, καὶ διηκόνει αὐτοῖς.	31.	*Et accedens, erexit eam, apprehensa manu eius. Et reliquit eam febris illico, ac administrabat eis.*

LVC. 4.

38.	Ἀναστὰς δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς, εἰσῆλθεν εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος. Ἡ πενθερὰ δὲ τοῦ Σίμωνος ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ.	38.	*Cum surrexisset autem Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur febri magna.*
39.	Καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν περὶ αὐτῆς. Καὶ ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς ἐπετίμησε τῷ πυρετῷ, καὶ ἀφῆκεν αὐτήν, παραχρῆμα δὲ ἀναστᾶσα, διηκόνει αὐτοῖς.	39.	*Et rogauerunt illum pro ea. Et astans super illam, increpauit febrem, & febris dimisit illam, statimque surgens, ministrabat illis.*

HARMONIA HISTORIÆ, DE FEBRICITANTE Socru Petri sanata, ex Descriptionibus Matth.8. Marc.1. Luc.4. in vnum corpus coagmentata.

c Ἀναστὰς δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς, εἰσῆλθεν εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος. b Καὶ εὐθέως ἐκ τῆς συναγωγῆς ἐξελθόντες, ἦλθον εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος, καὶ Ἀνδρέου, μετὰ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου. b Ἡ δὲ πενθερὰ Σίμωνος b κατέκειτο πυρέσσουσα, c ἦν (γὰρ) συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ. b Καὶ εὐθέως λέγουσιν αὐτῷ περὶ αὐτῆς, c καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν περὶ αὐτῆς. a Καὶ ἐλθὼν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρου, εἶδε τὴν πενθερὰν αὐτοῦ βεβλημένην καὶ πυρέσσουσαν. b Καὶ προσελθὼν a ἥψατο τῆς χειρὸς αὐτῆς, b καὶ ἤγειρεν αὐτὴν, κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς, c καὶ ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς, ἐπετίμησε τῷ πυρετῷ, l καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετὸς b εὐθέως, a καὶ ἠγέρθη· c παραχρῆμα δ' ἀναστᾶσα, l διηκόνει αὐτοῖς.

c *Cum resurrexisset autem Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis.* b *Et protinus synagoga egressi, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne.* h *Socrus autem Simonis* b *decumbebat, febricitans,* c *tenebatur (enim) febri magna.* b *Et continuo dicunt ei de illa,* c *& rogauerunt illum pro ea.* a *Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum illius in lecto decumbentem, & febricitantem.* b *Et accedens,* a *tetigit manum illius,* b *& erexit eam apprehensa manu eius,* c *& astans super illam, increpauit febrem,* l *& reliquit eam febris* b *illico,* a *& erecta est:* c *statimque, cum surrexisset,* l *ministrabat illis.*

Periocha huius Historiæ

FActum fuit hoc miraculum circa illud tempus sabbathi, quando ex synagoga egrediebantur, ad manducandum panem. Quæ enim illo ipso die sabbathi, post occasum Solis gesta sunt, postea describuntur. Et Simonem inuitasse Iesum cum Andrea, Iacobo & Iohanne ad prandium, sicut moris erat in Sabbathis, Luc. 7. v. 36. & 14. v. 1. inde colligitur, quod socrus sanata administrat ipsis. Iesus igitur post tam insigne miraculum sanati dæmoniaci, non dedignatus est casam piscatoriam subire, cum inuitatus esset. Vocatur autem Iohan. 1. ver. 44. Bethsaida ciuitas Andreæ & Petri. Domum igitur, quam nunc Petrus habet Capernaum, videtur ratione coniugij sortitus fuisse. Non enim hospitium Petri intelligi potest, Socrus enim ipsius in illa domo decumbit. Vel quod propter commodiorem piscationis & negotiationis rationem habitationem ex patria Bethsaida transtulerit Capernaum. Sed vt ut sit, vtilius hoc loco obseruari potest, qualis fuerit desertio Apostolica, quando relictis omnibus secuti sunt Christum. Nam post desertionem illam adhuc est, & vocatur domus Simonis & Andreæ, cuius proprietatem, & dominium ita sibi vendicat, vt conuiuium in illa instruat. Et postea etiam Matt. 17. v. 24. tanquam ciuis Capernaiticus didrachma soluit. Et post resurrectionem, Iohan. 21. v. 11. vtitur nauiculis & retibus tanquam suis. Matthæus etiam post vocationem domo & facultatibus suis ita vtitur, vt ibi & inde conuiuium pro multis instruat. Ioannes etiam, post crucifixum Christum, Mariam recepit in propria. Apostolica igitur desertio non fuit abdicatio proprietatis dominij, & vsus facultatum, sed ab administratione & vsu tunc abstinuerunt, quando aliis Apostolicæ vocationis laboribus occupati fuerunt. Quando vero res & occasio ita ferebat, vt nihil impedimenti obijceretur iis, quæ ad vocationem Apostolicam pertinebant, libere facultatibus suis vsi sunt, quarum proprietatem & dominium in ipsa desertione sibi retinuerunt, sicut & hæc & aliæ, quas notaui, historiæ ostendunt. Alia vero fuit desertio, ad quam Christus iuuenem Pharisæum vocauit. Matth. 19. v. 21. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, veni & sequere me. Et post missionem Spiritus, ratio Apostolatus, cum in omnem terram ad prædicandum Euangelium ipsis excundum esset, non permisit, vt ad sua redirent.

Socrus igitur *Petri* (vxorem enim ipsum habuisse, ex hac historia manifestissime colligitur) *laborabat febri* non leui aut remissa aliqua, sed adeo vehementi, vt plane decumberet. Lucas vocat magnam febrim. Syrus reddidit אחיד συνέχεσθαι, quod de morbis vehementioribus, qui totam naturam affligunt, Matt. 4. v. 24 vsurpatur. Et medicis frequens eius vsus est. Plutarchus etiam in Catone inquit: συνεχόμενον πυρετῷ. Et hæc descriptio ideo præmittitur, vt miraculi magnitudo ostendatur. Vetula enim iam erat (vtpote mater vxoris Petri) & in senibus tales febres sunt periculosæ & lethales, quæ per naturam, cuius vires prostratæ sunt, ægre curari possunt. Cum igitur Iesus venisset in domum Simonis, quatuor illi discipuli cœperunt ei narrare, sicut Marcus inquit, de morbo hoc Socrus Petri. Forsan enim in peculiari cubiculo decubuit, vt à Iesu ingrediente domum, non statim conspiceretur. Fuisse autem ipsam diu hoc morbo conflictatam, inde colligitur, quod Iohannes & Iacobus, qui in aliis ædibus habitauerant, simul cum Simone & Andrea exponunt Christo, quod genus morbi sit. Lucas addit, ipsos non tantum narrasse, sed ex iis, quæ audiuerant & viderant, concepisse talem fiduciam, vt orarent Christum pro febricitante. Apostolicum enim est, & Christo non ingratum, orare pro ægrotis. Non autem post prandium demum recordati sunt febricitantis; sed sicut Marcus inquit: statim cum ingressi essent domum, priusquam discumbant, mentionem iniiciunt decumbentis Socrus. Charitas enim non tunc demum recordatur miseriæ proximi, quando sua curauit: sed sui quasi negligens, sollicita est de proximo. Chrysostomus vero ita hoc interpretatur, quod Apostoli non expectarint occasum solis, sicut reliqui cum suis ægrotis: sed statim ipso die sabbathi eam sanare petierint. Et Christus ideo, non verbo tantum, sed tangens, apprehendens & erigens, sanauit eam, vt ostenderet talia opera non pugnare cum sanctificatione sabbathi, sicut vulgo tunc persuasum erat. Christus igitur, vt facilitatem suam, in exaudiendis discipulorum suorum precibus ostenderet: plusquam ausi fuerant petere, ipsis largitur. Non enim verbo tantum eam sanauit, sicut filium reguli febricitantem, Iohan. 4. vers. 50. sed peculiares adhibuit gestus. 1. Accessit ad eam, vbi scilicet decumbebat: sicut Marcus inquit. 2. Apprehensa manu, erexit eam. 3. Astitit supra febricitantem: non quod steterit super illam, quasi pedibus eam calcans, sed quod ita illi astiterit, vt inclinato corpore, quasi incubuerit supra illam. Hoc enim Græce est ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς. 4. Tetigit manum eius. 5. Increpauit febrem. Et illico febris illam reliquit, ita, vt statim se erigeret, sicut Matthæus inquit; & in illo adhuc prandio ministraret Christo & reliquis. Marcus enim aduerbium εὐθέως vsurpat, quando febris illam reliquit. Lucas vero inquit: παραχρῆμα surgens, administrabat illis. Et Hieronymus recte inquit: Natura hominum eiusmodi est, vt post febrim magis lassescant corpora, & incipiente sanitate ægrotationis mala sentiant. Ostensio igitur est virtutis Christi, quod hanc mulierculam, quæ febri diu conflictata, & ita exhausta erat, vt lecto affixa decumberet, ita sanauit, vt sine reliquiis debilitationis, statim & sanitatem & vires integre recuperaret. Simul vero docemur, quando spiritualiter sanati sumus, vt membra nostra præbeamus arma iustitiæ Dei, & ipsi seruiamus in iustitia & sanctitate coram ipso, inseruientes proximo & membris Christi: sicut hæc muliercula Christo & discipulis ministrat. Quod autem sanatam apprehensa manu erigit, pulcre significatur gratia renouationis, quam Augustinus vocat subsequentem & adiuuantem. In hac vero depulsione febris, quod genus morbi cæteris, quæ humana ope immedicabilia sunt non est comparandum, Christus tam operosam, vt ita loquar, actionem instituere voluit, vt ostenderet, non in arduis tantum, verum etiam in paruis seu minimis, quæ assiduitate vilescunt, præsentiam, bonitatem & potentiam Dei animaduertendam & agnoscendam esse.

Duo autem principaliter in hac descriptione obseruanda sunt. 1. Quod depulsurus febrim, & restituturus iustam & debitam primarum qualitatum crasin, primo tangit manum febricitantis, & postea apprehensam erigit. Ita enim distingui possunt circumstantiæ. Quia Matthæus vtitur verbo ἅπτεσθαι, quod significat simpliciter tangere: Marcus verò, cum de erectione loquitur, ponit verbum κρατεῖν, quod apprehendere significat. Chrysostomus habet bonas cogitationes, Christum tetigisse arteriam in eo loco, vbi ex pulsu temperamentum qualitatum explorari solet, vt hoc cōtactu manus suæ ἀμέσως temperaret, & cor refrigeraret.

Hoc verò certius est, & vtilius obseruari potest, quod ex miraculis Christi, quæ descripta sunt, hoc primum est, vbi non verbo tantum sanat, sed adhibet etiam contactum carnis suæ. Cyrillus piè sentit, ideo hoc factum esse, vt ostenderet, reparationem seu restitutionem generis humani pendere non tantum ex diuinitate Christi, verum ad illam etiam simul adhiberi massam illam humanæ carnis, quam Filius Dei in vnitatem personæ suæ assumsit. Diuinitas enim in illa habitat, non effectiue tantum, sed & corporaliter, ita vt caro Christi totam vitam viuificantem in se habeat, & ita habeat, vt per vitam, quæ in carne illa σωματικῶς habitat, & ibi quasi deposita est, peccatum, & ea, quæ per peccatum in naturam humanam ingressa sunt, in nobis depellantur, & vita restituatur: quæ in hac vita incoantur, perfecta autem erunt in altero seculo. Carnem igitur suam esse viuificam, voluit visibiliter ostendere in sanationibus. Ideo, ne humanam naturam in Christo à negotio redemptionis & viuificationis excludamus. Hæc est Cyrilli sententia, quæ alias plenius explicatur.

Secundo obseruandum est & illud, quod in depulsione febris vtitur verbo increpandi. Ἐπιτιμᾶν enim vulgo significat aliquem obiurgare, aut aliquid interdicere, additis comminationibus pœnarum. Ἐπιτιμία enim significat mulctam seu pœnam. Et in communi lingua durior videtur translatio, vt de inanimatis dicatur, quod in Scriptura vsitatum est, addita præpositione Beth, quæ increpationem ad ipsa inanimata dirigit. Dicitur enim increpari mare à Domino, Psal. 104. v. 7. & 106. v. 9. Esa. 50. v. 2. Nahum. 1. v. 4. & fera arundinis Psalmo 68. v. 31. Ita in Nouo Testamento, dicitur de mari, Luc. 8. vers. 24. & de febri in hac historia. Elegans autem est huius verbi significatio, quod Deus dicitur increpare gentes, Psal. 9. v. 6. Superbos, Psalm. 118. v. 21. Satanam, Zach. 3. ver. 2. Luc. 4. vers. 41. Significat enim potentiam hostium non sine fine & modo pro libitu posse furere, quasi nullius imperio subiecta sit. Deum enim inspectorem ponere metas, vbi eos repressurus sit. Idque ipsum tam facile posse efficere, vt saltem aliquo asperiori verbo opus sit, tantamque esse diuinæ increpationis efficaciam, vt ea etiam inanimata, sicut fluctus maris, compescantur. Hominis enim vox tantum ad animata commouenda efficax est: Dei vero vox in omnes creaturas, etiam inanimatas efficax est. Dominus enim est omnium creaturarum, cuius voluntati & imperio omnia subiecta sunt. Et quia Christi vox idem etiam potest & efficit: diuinam potentiam ipsum habere recte hic colligitur. Et in illo sabbatho ostēdit Christus, verbum suum efficax esse. 1. in animis

auditorum. 2. contra diabolum & portas inferorum. 3. contra morbos & calamitates, quæ per peccatum ingressæ sunt.

Increpatio autem febris hoc loco aliud præterea significat. Sunt enim morbi & reliquæ calamitates, quasi carceres & carnifices, diuino iudicio impositi & immissi humanæ naturæ peccato deprauatæ. Christus vero Mediator cum aduocatus conspiceret febrim, quasi fines mandati excedentem, nimis duriter in Socru Petri affligere illam carnem, quam ipse redempturus assumpserat, commiseratione motus, febri indignatur, & increpatione compescit, coercet & profligat eam. Sicut igitur Dei nutu, iussu & imperio calamitates propter nequitiam immittuntur, ita verbo & iussu Christi Mediatoris rursus, vbi oportunum visum fuerit, coercentur, remouentur & profligantur. Non secus ac si Rex animo non tyrannico aliquem, qui maleficus quidem sit, sed tamen regis vel cognatus, vel amicus, tradat carnifici torquendum. Vides autem crudelitatem carnificis longius progredi, motus, propter cognationem, misericordia, carnifici indignetur, & increpatione duriori modum ponat tormentis. Hæc obseruatio præbet dulcissimas consolationes in cruce, si ei addantur argumenta, quibus Iob vtitur, c.14.v.2.& 3. *Homo quasi flos & vmbra est, & talem tu tecum in iudicium adducis*, &c. Conferantur huc similia loca. Vt, quod super surdum & mutum ingemiscit, Marc.7.v.34. fremit super mortem Lazari, & lacrymatur, Iohan.11.v.35.& 38. Illi enim gestus Christi dulcissime depingunt id, quod scriptum est, Hebræor.2.vlt. & 4.v.15. nos habere misericordem & fidelem Pontificem, qui condolet infirmitatibus nostris.

CAPVT XXXIX.

CONTINENS HISTORIAM, DE VARIIS ÆGROTIS VESPERE ILLIVS SABBATHI A Christo sanatis, Matthæi 8. Marci 1. Lucæ 4.

RATIO ORDINIS.

De ordine consequentiæ nulla prorsus esse potest dubitatio. Omnes enim tres Euangelistæ diserte dicunt, *vespere illius diei*, post curatam Petri Socrum hæc accidisse.

HISTORIA DE VARIIS ÆGROTIS VESPERE illius sabbathi à Christo sanatis.

MATTH. 8.

16. Ὀψίας δὲ γενομένης προσήνεγκαν αὐτῷ δαιμονιζομένους πολλοὺς, καὶ ἐξέβαλε τὰ πνεύματα λόγῳ, καὶ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας ἐθεράπευσεν.

16. *Cum autem appetisset vespera, adduxerunt illi dæmoniacos multos, & eiecit spiritus verbo, omnesque male habentes sanauit.*

17. Ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, λέγοντος· αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν.

17. *Vt impleretur quod dictum erat per Esaiam Prophetam, cum ait: Hic infirmitates nostras suscepit & morbos portauit.*

MARC. 1.

32. Ὀψίας δὲ γενομένης, ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος, ἔφερον πρὸς αὐτὸν πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, καὶ τοὺς δαιμονιζομένους.

32. *Vesperi vero cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & qui à dæmoniis agitabantur.*

33. Καὶ ἡ πόλις ὅλη ἐπισυνηγμένη ἦν πρὸς τὴν θύραν.

33. *Et ciuitas tota congregata erat ad ostium.*

34. Καὶ ἐθεράπευσε πολλοὺς κακῶς ἔχοντας ποικίλαις νόσοις, καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλε, καὶ οὐκ ἤφιε λαλεῖν τὰ δαιμόνια, ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν.

34. *Et sanauit multos, qui ægrotabant variis morbis. Et dæmonia multa eiiciebat, & non sinebat loqui dæmonia, quod ipsum nossent.*

LVC. 4.

40. Δυνόντος δὲ τοῦ ἡλίου, πάντες ὅσοι εἶχον ἀσθενοῦντας νόσοις ποικίλαις, ἤγαγον αὐτοὺς πρὸς αὐτόν. ὁ δὲ ἑνὶ ἑκάστῳ αὐτῶν τὰς χεῖρας ἐπιθεὶς, ἐθεράπευσεν αὐτούς.

40. *Cum autem sol occideret, omnes qui habebant infirmos morbis variis, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens sanabat eos. Exibant autem & dæmonia à multis clamantia ac dicentia:*

41. Ἐξήρχετο δὲ τὰ δαιμόνια ἀπὸ πολλῶν, κράζοντα καὶ λέγοντα. ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. καὶ ἐπιτιμῶν οὐκ εἴα αὐτὰ λαλεῖν, ὅτι ᾔδεισαν τὸν Χριστὸν αὐτὸν εἶναι.

41. *Tu es Christus ille Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quod sciebant ipsum esse Christum.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, EX Descriptionibus Matthæi 8. Marc. 1. Luc. 4. in vnum corpus coagmentata.

a Ὀψίας δὲ γενομένης, h ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος, c πάντες ὅσοι εἶχον ἀσθενοῦντας νόσοις ποικίλαις, ἤγαγον πρὸς αὐτὸν, b καὶ ἔφερον πρὸς αὐτὸν πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, a καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ δαιμονιζομένους πολλοὺς, b καὶ ἡ πόλις ὅ-

a *Cum autem appetisset vespera,* h *cum occidisset Sol,* c *omnes, qui habebant infirmos variis morbis, ducebant illos ad eum,* b *& afferebant ad illum omnes male habentes,* a *& adduxerunt illi dæmoniacos multos.* b *Et*

λη ἐπισυνη-

λη ἐπισυνηγμένη ἦν πρὸς τὴν θύραν· c ὁ δὲ a ἐξέβαλε τὰ πνεύματα λόγῳ, b καὶ ἐθεράπευσε πολλοὺς κακῶς ἔχοντας ποικίλαις νόσοις. c Καὶ ἑνὶ ἑκάστῳ αὐτῶν τὰς χεῖρας ἐπιθεὶς, a πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας ἐθεράπευσεν, ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἠσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος. αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν· b καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλε, c ἃ ἐξήρχετο ἀπὸ πολλῶν, κράζοντα καὶ λέγοντα· Ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Καὶ ἐπιτιμῶν, b οὐκ ἤφιε λαλεῖν τὰ δαιμόνια· ὅτι ᾔδεισαν αὐτὸν c τὸν Χριστὸν εἶναι.

ciuitas tota congregata erat ad ostium. c *At ille a eiecit Spiritus verbo,* b *ac sanauit multos, qui ægrotabant variis morbis.* c *Et singulis manus imponens* a *omnes male habentes sanauit, vt impleretur quod dictum erat per Iesaiam Prophetam, cum ait: Hic infirmitates nostras suscepit, & morbos portauit.* b *Et dæmonia multa eiiciebat,* c *quæ exibant à multis, clamantia & dicentia: Tu es Christus ille Filius Dei. Et increpans non sinebat loqui dæmonia; quia nouerant ipsum, & sciebant ipsum esse Christum.*

Periocha huius Historiæ.

RVmor itaque de duobus miraculis, quorum alterum Iesus sabbatho ante prandium in Synagoga: alterum sub tempus prandij in domo Simonis ediderat, cito totam ciuitatem Capernaum repleuit. Sed superstitiosa opinione de Sabbatho non ausi sunt ægrotos suos adducere, durante sabbatho, sed expectarunt vesperam: quæ iuxta Scripturam finis est diei. Matthæus simpliciter vocat ὀψίαν. Marcus vero & Lucas certa notatione definiunt, quæ fuerit vespera apud Iudæos, à qua initium & finis diei supputabatur, δύνοντος *occidente* scilicet *sole* iuxta Lucam: vel, *quando Sol* ἔδυ *occidebat*, sicut Marcus loquitur. Syrus dicit: *in occasu Solis.* Et hæc obseruatio ad multos Scripturæ locos illustrandos referri potest. Vesperi igitur, finito sabbatho, quando rursus operari licebat, omnes qui in tota ciuitate habebant aliquos, qui vel morbo aliquo naturali detinebantur, vel qui à spiritibus immundis obsessi erant, ad domum Simonis, partim ducendo, partim portando, Christo obtulerunt. Marcus enim vtitur verbo φέρειν *portare.* Lucas ponit ἄγειν, *ducere.* Matthæus ponit προσφέρειν, *adducere, afferre.* Ita vt tota ciuitas partim adducendi, partim spectandi gratia, ante piscatoriam Simonis casam, vbi Christus aderat, collecta esset. Et pulcra imago est, vt in miseriis nostris ad ianuam Petri, hoc est, ad Ecclesiam, vbi in ministerio scimus Christum adesse, accedamus. Morbos autem Euangelistæ hoc loco ita distinguunt: quod alij sunt naturales, quorum duo recensent genera. 1. τοὺς ἀσθενοῦντας, quod de leuioribus morbis intelligi potest. 2. τοὺς κακῶς ἔχοντας qui grauioribus morbis conflictabantur. Alios vero morbos vocant τοὺς δαιμονιζομένους, qui à dæmonio obsessi vexabantur. Qua distinctione diuinam medici huius omnipotentiam ostendunt, qui cuiusuis generis mala, etiam quæ medicorum artem & omnem humanam opem exuperant, tam facile & potenter potest depellere. Et antea quidem dixit de vno dæmoniaco in Synagoga. Iam vero addit in ciuitate Capernaum multos fuisse dæmoniacos. Appetente enim destructione regni Satanæ, maiori indignatione, crudelitate & potentia, vim regni sui in genere humano, etiam sensibiliter in obsessis, exeruit. Et Christus tam multos dæmoniacos liberauit, vt ostenderet iam adesse impletionem eius, quod scriptum est de inimicitiis positis, & de capite serpentis conculcando.

Et Iesus quidem antea ipso facto ostenderat, sanationem ægrotorum non pugnare cum sanctificatione sabbathi. Sed in vulgo, quia nondum rectius instituti erant, hunc næuum tolerauit. Non enim repulit ipsos propterea, quod ante finem sabbathi non ausi fuerant ægrotos suos adducere: sed miraculis parat prius locum doctrinæ, per quam, quicquid irrepserat superstitionis, postea eximeretur. Simul etiam ostenditur prompta, facilis, & omnibus ac semper exposita Christi benignitas, quod non prætendit noctem imminentem, vt tempus ad sanandum intempestiuum. Quod vero Marcus inquit: *Multos sanauit*: non ita intelligendum est, quasi ex illis, qui adducti fuerant, aliquos sine sanitatis restitutione dimiserit, sicut Theophilactus sentit: Non omnes credidisse, ideo multos, non omnes, sanatos. Lucas enim dicit: *Vnumquemque eorum sanauit.* Et Matthæus clarius inquit: *Omnes sanauit.* Quod igitur Marcus dicit: *Multos sanatos*: hunc habet sensum. Licet eorum, qui adducti fuerant, magna esset multitudo, ac varia essent morborum genera, Christum tamen omnes sanasse. Et ostensio est misericordiæ Christi, quod non facit delectum curandorum, vel ratione dignitatis, vel ratione morbi minus fœdi. Phrasis autem illa τῶν πολλῶν, obseruanda est, propter locum Rom. 5. vers. 15. *Gratia abundauit in multos.* Et Matth. 26. v. 28. *Sanguis pro multis effunditur.* Modus autem sanationis hic fuit: *Dæmonia eiicit verbo*, Matth. 8. v. 16. *Reliquos curauit manuum impositione*, Luc. 4. v. 40. Et dulcis est descriptio Lucæ, quod non simul & semel omnes sanauit, sicut decem leprosos: sed ἑνὶ ἑκάστῳ, *vnicuique eorum* sigillatim *manus imponens sanauit eos.* Varia autem erant morborum genera, quibus detinebantur, à quorum contactu delicatior medicus, vel nausea motus, vel contagium timens, abhorruisset. Christus vero, vt ostendat se talem esse medicum, & corporis & animæ, qui neminem, quantumuis miserum & sordidum, fastidiat aut auersetur, non illis tantum, qui leuioribus & minus nauseabundis morbis laborabant, sed vnicuique eorum, quocunque morbo detinebantur, manus imposuit. Potuisset sane, sicut ante solo verbo eos sanare, sed adhibuit impositionem manuum, vt præter demonstrationem saluificæ potentiæ carnis suæ, homines coram viderent, immensam misericordiæ eius dignationem, bonitatem, sympathiam & φιλανθρωπίαν, quod male habentes, non tantum curare velit: verum etiam loca misere & fœde affecta sanctissimis suis manibus contingere.

Matthæus vero accommodans huc sententiam Esai. 53. ver. 4. aliquid amplius in hac miraculorum historia obseruandum esse ostendit. Chrysostomus mouet illam quæstionem. Cum certum sit, prophetam ibi proprie loqui de peccatis, & de æternis pœnis peccatorum: sicut Petrus illam sententiam Esaiæ explicat, 1. Pet. 2. v. 24. item, de spirituali gratia saluteque æterna, per mortem & resurrectionem Christi conferenda: qua ratione Euangelista hanc sententiam ad morbos corporis, & ad temporalem eorum per Christum sanationem retulerit. Manifestum autem est Euangelistæ consilium. Hactenus enim Iesus non multa, sed quasi rara miracula, quantum ex Euangelistarum descriptionibus colligimus, ediderat. Nūc vero, quando incipit valde multa, & quidem eodem tempore miracula edere: voluit Matthæus in hac historia ostendere verum sensum, finem & vsum miraculorum Christi. Si enim voluisset simpliciter hoc probare, Prophetas prædixisse de miraculis Messiæ potuisset sumere sententiam Esa. 35. ver. 5. & 6. *Tunc aperientur oculi cæcorum, aures surdorum patebunt, claudus saliet, & muti loquentur*, &c. In capite vero 53. Esaiæ, totum negocium redemptionis describitur: quomodo scilicet Pater peccata in Christum Mediatorem coniiciat, vt pro illis morte sua satisfaciat, & resurrectione iustitiam & salutem æternā adducat, &c. Hoc testimonium Matthæus ad hanc historiam, quæ multa miracula complectitur, accommodat, vt ostendat, sensum, finem & vsum miraculorum Christi non hunc esse; quasi morbi corporis, & externæ calamitates sint maximum malum in genere humano; & quasi Messiæ aduentus adferat tantum leuationem & liberationem à miseriis corporalibus; aut quasi hæc tantum in Christo quærere debeamus, sicut vulgus nihil ferme augustius de miraculis Christi sentiebat: sed quia morbi corporis sunt effectus & pœnæ, item quasi typi & figuræ morborum animæ, ac præludia pœnarum spiritualium & æternarum. Quia igitur corruptionem peccati hærentem in natura humana, & æternas miserias ingenium humanum nec videt, nec curat spiritualem etiam gratiam, & æterna bona in Christo nec quærit, nec magnifacit: ideo in infirmitatibus corporis, quæ in sensus incurrunt, voluit deprauationem totius humanæ naturæ, & miserias, in quas propter peccatum præcipitata est, considerandas proponere, & per corporales sanationes, κατ' ἀναγωγήν, voluit mentes subleuare, ad agnoscenda & expetenda spiritualia & æterna Messiæ beneficia. Vt sensus Matthæi sit: Tot illa miracula, quæ Iesus legitur edidisse, non hoc docere, quasi venerit in hunc mundum, vt esset excellens & mirificus aliquis chirurgus: sed externa illa & visibilia miraculorum spectacula ostenderunt, fore, vt in hac persona impleretur quod Esa. 53. de redemptione à peccato & morte æterna scriptum est. Et tam promptum ac potentem se esse ad tollendas spirituales & æternas nostras miserias, quam promptum & potentem in miraculis se exhibuit, ad sanandos ac tollendos morbos corporis: nec sane Matthæus Esaiæ verba in alienum plane sensum torquet. Vocabula enim, quibus Esaias in sua lingua vtitur, proprie significant ægritudines & cruciatus. Et morbi corporis sunt pars miseriæ, quæ per peccatum in naturam humanam ingressa est, non quidem principalis pars, sed quæ sensus maxime attingit. In eo igitur, quod oculis suis videbant, dicit

Matthæus cœpisse impleri, quod Esaias inquit: *Ipse infirmitates nostras portauit.* Ne vero in externis illis beneficiis resisterent, sed longius progrederentur, vtque scirent, quo illa essent referenda, allegat 53. cap. Esaiæ, in quo totum negotium redemptionis & iustificationis, & officium Mediatoris luculenter describitur. Ita non contorta & aliena, sed conuenientissima est allegatio Matthæi. Et hæc sententia merito præponenda esset omnibus historiis miraculorum Christi. Ostendit enim verum sensum, finem & vsum miraculorum eius. Et obseruetur; quia ad hanc historiam, vbi Christus manus suas singulis imponendo sanationem confert, accommodatur hoc testimonium Esaiæ, quod sit pulcra pictura, quomodo Messias nostras infirmitates à nobis in se transferat, & eas tollat ac auferat, ac vicissim vitam suam nobis reddat. Vtrumque enim Esaias complectitur: *Nostras infirmitates portat: liuore suo nos sanat.* Existimo igitur explicationem esse, quare Christus impositionem manuum in tollendis morbis & restituenda sanitate sæpius adhibuerit. Vt scilicet ostenderet salutarem illam permutationem, quæ in œconomia incarnationis Christi facta est. Cuius consideratione Chrysostomus, Cyrillus & alij Patres plurimum delectantur. Natura nostra, peccato, & iis, quæ per peccatum in mundum ingressa sunt, deprauata, onerata & perdita est. Illam nostram substantiam, sine peccato, Filius Dei assumpsit, & vnione personali fecit, vt diuinitas corporaliter inhabitans, in illa massa deponeret omnes thesauros diuinæ sapientiæ, gratiæ, vitæ, potentiæ, &c. Col. 2. vers. 3. Iohan. 1. ver. 14. & 5. ver 26. & 27. 1. Cor. 1. vers. 30. Ne vero hi thesauri in sola illa massa residerent, sed vt ex illa plenitudine misera nostra natura, per communicationem, ea, quæ ad salutem necessaria sunt, acciperet: instituit talem quasi permutationem: *Infirmitates nostras volens, sine peccato, assumpsit: peccata & pœnas peccatorum portauit, vt nos ita à malis & miseriis subleuaret & exoneraret.* Vicissim vero vitam, quæ in carne ipsius residet, nobis communicat. Hæc vero salutaris permutatio pulcerrime ostenditur & quasi depingitur impositione manuum Christi. Illa enim substantia per se, vt sine peccato, ita etiam sine pœnis peccatorum est. Attingens autem nostræ miseræ carnis substantiam, in qua & peccatum & ipsa mors habitat, illa in se transfert, non vt illis inquinetur, sed vt ea expiet & tollat. Rursus vero, si substantia carnis Christi, Diuinitatis thesauris ditata, per se maneret, & à nobis separata & auulsa esset, tunc vita, quam in se ipso, quia Filius hominis est, habet, Ioh. 5. vers. 26. nobis nihil prodesset. Attingit igitur nostram misere corruptam substantiam, apprehendit arctissime, coniungit se, vt vnum fiat cum ea, vt illa vita habitans in carne Christi, deriuetur in nos. Quomodo vero illud fiat in ministerio verbi & sacramentorum, alibi explicatur. Impositio vero manuum Christi, huius rei externa ostensio fuit. Postea enim habebimus locum de virtute exeunte à corpore Christi, Luc. 6. ver. 19. Atque ita impletur permutatio illa, quæ apud Esaiam descripta est: *Nostras infirmitates ipse portat.* Et rursus: *Nos eius liuore sanamur.* Verba autem ἔλαβε & ἐβάστασεν hoc loco de morbis ita intelligenda sunt, non quod huiusmodi morbis Christi corpus conflictatum fuerit: sed quod curando ægrotos subleuarit, & morbos abstulerit ab ipsis. Sicut Paulus dicit: *Alter alterius onera portate.* Gal. 6. v. 2. De Esaiæ vero verbis diximus Iohann. 1.

Quæ vero adduntur de confessione dæmonum: & quod Filius Dei noluit iis permittere, vt hanc confessionem sonarent, paulo ante explicata sunt. Et quod antea Iesus appellatus fuit sanctus Dei, hoc loco explicatur, quod appellatur *Messias* seu *Christus Filius Dei.* Hæ enim vsitatæ tunc appellationes fuerunt Messiæ. Et sicut in Græco additur articulus ὁ: ita Syrus addit in fine ה vt ברה quo grande mysterium significari dicunt. Hoc igitur discrimen, quod Euangelistæ monstrarunt, nunc tantum considerandum est, quod scilicet ægrotos impositione manuum sanauit: dæmonia vero, sicut Matthæus inquit, verbo eiecit. Est autem huius obseruationis generalis doctrina, Christum ad exhibitionem bonitatis & potentiæ suæ in corporalib. beneficiis, libere vti, quibus ipsi visum fuerit mediis, quibus tamen virtutem suam non ita alligatam esse voluit, vt non vel alio modo, vel etiam sine mediis, possit benigne & potenter iuuare. Imo studiose hoc loco ordinem, sicut rationi videtur, inuertit. Ad expulsionem enim dæmonum, quod certe miraculum est, maioris virtutis, solum verbū adhibet: ad curandos vero morbos corporis, quod in comparatione prioris minus est, non verbo tantum vtitur, sed singulis ægrotantium manus suas imponit. Veteres hoc discrimen ab Euangelistis notatum ita explicant. Miracula Christi ad duo ordinata sunt. 1. Ad ostensionem Diuinitatis corporaliter inhabitantis in Christo: & ideo adhibita impositione manuū sanauit. 2. Ordinata sunt ad confirmationem verbi & doctrinæ Christi: ideo ad ostendendam eius virtutem maiestatem & efficaciam, verbo eiecit dæmonia, & suscitauit mortuos: vt disceremus, verbum Christi habere virtutem, contra diabolum & mortem, si fide apprehendatur.

CAPVT XL.

CONTINENS HISTORIAM QVÆ ALTERA DIE POST SABBATHVM ILLVD CONTIGIT, Marc. 1. Luc. 4.

RATIO ORDINIS.

Matthæus capit. 8. v. 18. à præcedenti vespera mox digreditur ad transfretationem in terram Gergesenorum, quam immediate post vesperam illam secutam esse, Marci & Lucæ descriptiones nequaquam admittunt. Post descriptionem enim vesperæ illius, Marcus subiungit: *Et manè, multa adhuc nocte.* Lucas vero post vesperæ descriptionem mox subiicit: *Facto autem die.* Et transformationem illam Marcus differte scribit factam vespere illius diei, quando per multas parabolas Christus docuit. Et factam propter turbas, non quæ ad domum Simonis, sed quæ ad mare congregatæ erant, Marc. 4. vers. 35. Manifestum igitur est, in Harmonia illum ordinem sequendum, quem hoc loco Marcus & Lucas consentienti descriptione monstrant.

HISTORIA QVÆ PRÆCEDENS Sabbathum proxime secuta est.

MARC. 1.

35\. Καὶ πρωῒ, ἔννυχον λίαν, ἀναστὰς, ἐξῆλθε, καὶ ἀπῆλθεν εἰς ἔρημον τόπον, κἀκεῖ προσηύχετο.

35\. *Et manè, multa adhuc nocte, cum surrexisset, egressus est, & abijt Iesus in desertum locum, ibique orabat.*

36\. Καὶ κατεδίωξαν αὐτὸν ὁ Σίμων, καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοῦ.

36\. *Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant.*

37\. Καὶ εὑρόντες αὐτὸν, λέγουσιν αὐτῷ· ὅτι πάντες ζητοῦσί σε.

37\. *Et cum inuenissent eum, dicunt ei: Omnes te quærunt.*

38\. Καὶ λέγει αὐτοῖς, ἄγωμεν εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις, ἵνα κἀκεῖ κηρύξω, εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα.

38\. *Et ait illis: Eamus in proximos vicos, vt & ibi prædicem, in hoc enim egressus sum.*

LVC. 4.

42. Γενομένης δὲ ἡμέρας, ἐξελθὼν, ἐπορεύθη εἰς ἔρημον τόπον, καὶ οἱ ὄχλοι ἐζήτουν αὐτὸν, καὶ ἦλθον ἕως αὐτοῦ, καὶ κατεῖχον αὐτὸν, τοῦ μὴ πορεύεσθαι ἀπ᾽ αὐτῶν.

43. Ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτοὺς· ὅτι καὶ ταῖς ἑτέραις πόλεσιν εὐαγγελίσασθαί με δεῖ τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. ὅτι εἰς τοῦτο ἀπέσταλμαι.

42. *Facto autem die, egressus, ibat in desertum locum, & turba quærebant eum, & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant illum ne discederet ab eis.*

43. *Quibus ille ait: Et aliis ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei. Nam in hoc missus sum.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, EX descriptionibus Marc. 1. Luc. 4. in vnum corpus coagmentata.

b Καὶ πρωῒ, ἔννυχον λίαν, ἀναστὰς, c γενομένης ἡμέρας, b ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἀπῆλθεν εἰς ἔρημον τόπον, b κἀκεῖ προσηύχετο. Καὶ κατεδίωξαν αὐτὸν ὁ Σίμων, καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοῦ. καὶ εὑρίσκοντες αὐτὸν, λέγουσιν αὐτῷ· ὅτι πάντες ζητοῦσί σε. Καὶ λέγει αὐτοῖς· ἄγωμεν εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις, ἵνα κἀκεῖ κηρύξω· εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα. c Καὶ οἱ ὄχλοι ἐζήτουν αὐτὸν, καὶ ἦλθον ἕως αὐτοῦ, καὶ κατεῖχον αὐτὸν, τοῦ μὴ πορεύεσθαι ἀπ᾽ αὐτῶν. Ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτοὺς. ὅτι καὶ ταῖς ἑτέραις πόλεσιν εὐαγγελίσασθαί με δεῖ τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. ὅτι εἰς τοῦτο ἀπέσταλμαι.

b *Et manè, multa adhuc nocte, surgens,* c *facta die,* b *egressus est Iesus, & abijt in desertum locum,* b *ibique orabat. Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cum inuenissent eum, dicunt ei: Omnes te quærunt. Et ait illis: Eamus in proximos vicos, vt & ibi prædicem, in hoc enim egressus sum.* c *Et turba quærebant eum, & venerunt vsque ad eum, & detinebant illum, ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Et alijs ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei. Nam in hoc missus sum.*

Periocha huius Historiæ.

LVcas simpliciter dicit. *γενομένης ἡμέρας, cum inciperet dies fieri.* Marcus vero circumstantiam temporis accuratius notans, inquit: *πρωῒ, ἔννυχον λίαν: mane, multa adhuc nocte:* Vsurpatur autem vulgò ἔννυχον, pro tempore noctis, sicut Varinus annotauit, τὸ διὰ τῆς νυκτός. Sed hoc loco simpliciter significat illam partem diluculi, quando adhuc tenebræ noctis, cum albescente ex aurora cœlo, commixtæ sunt ita, vt diluculum propius sit tenebris noctis, quàm luci diei. Et videtur talis descriptio esse, qualis extat Esa. 21. v. 11. & 12. *Custos, qui de nocte.* Est mane & etiam nox. Syrus reddidit: *in aurora mane præueniens surgere.* Iesus igitur, cum inciperet dies fieri, hoc est, sicut Marcus explicat, summo mane, cum adhuc multum noctis esset, surgens, exiit ciuitate, priusquam Simon, aut alius quispiam expergisceretur. Id quod ex sequentibus colligitur. Aut, summo mane, multa adhuc nocte, surrexit: cùm autem inciperet diescere, exiit solus nemine in domo sentiente. Exiit autem ciuitate, vt fugeret suspicionem affectati applausus & concursus hominum, seu seditionis popularis: & ne ob præstita beneficia ambitiosus esse videretur: & postremò; quia præuidebat fore, vt à turbis in ciuitate detineretur. *Abiit* autem *in locum quendam desertum, &* ibi, sicut Marcus dicit: *orauit.* Qua circumstantia Euangelistæ voluerunt ostendere, qua diligentia & sollicitudine Christus munus suum obierit. Venerat enim, vt esset 1. Doctor. 2. Intercessor. 3. Redemptor. Et patrem intercessione ac victima sua placaturus erat: ideò orauit. Quia vero vespere tota ciuitas Capernaum ad ipsum congregata fuerat, & iam intra breue tempus, totam Galilæam peragraturus erat, in oratione igitur illa absque dubio. 1. Gratias egit Patri, pro beneficiis, quæ per ipsum iam cœpisset generi humano præstare. 2. Orauit, vt in illis, qui doctrinam audierant & miracula viderant, fructus digni per Dei benedictionem sequerentur. 3. Orauit, pro benedictione & successu ministerij, apud alios etiam: quia totam Galilæam iam obiturus erat. Vt autem feruentior esset oratio, adhibuit externa adminicula temporis & loci deserti, vbi à turbæ tumultibus liber esse posset; quia ministerio suo varios hostes oppositos esse videbat. 1. diabolum. 2. corruptionem, negligentiam & securitatem carnis. 3. Scribarum corruptelas, odia & persecutiones. 4. varia Mundi scandala. Mane igitur & in loco deserto orat, ne per externa auocamenta oratio interturbetur. Quod si ipse filius Dei externa adminicula orationis non neglexit, multo magis nobis inter tot mundi strepitus, & vagantium affectuum turbas, orantibus, omnia & impedimentorum auocamenta fugienda sunt, & adhibenda externa adminicula temporis, loci, gestuum, &c. non quasi ex his circumstantiis orationi dignitatis aut meriti aliquid accedat, sed vt excitetur, accendatur, & à distractione quasi colligatur Spiritus orationis, vt cum solo Deo colloquatur. Huius doctrinæ, postea aliquot exempla habebimus. Christus enim plerumque intentius oraturus, tempus noctis & secessionem, vt solus esset, delegit.

Die igitur facta, cum Simon surgens, Iesum domi suæ non inueniret, sine dubio circumcursitando per totam ciuitatem, ipsum, si alicubi esset, quæsiuit. Interea & turbæ, sicut Lucas scribit, conuenerunt, quærentes ipsum. Sed quia in ciuitate non inueniebatur Simon, Andreas, Iacobus, Ioannes; quia recens vocati fuerant, vt sequerentur ipsum, vel cum dolore cogitarunt, se reos esse desertionis, vel timuerunt, ne forsan tanquam indigni à societate Christi repudiati essent. Statuerunt itaque extra ciuitatem ipsum quærere. Marcus vtitur verbo κατεδίωξαν, quod militare est, quando quis hostem fugientem ita insequitur, vt omnia vestigia lustret, ne fuga elabatur, sed comprehendatur. Ardorem igitur & diligentiam inuestigationis in discipulis, & quod non statim ipsum inuenerint, Euangelista hoc verbo significare voluit. Postea turbas etiam, ad quærendum ipsum, portis effusas fuisse Lucas scribit. Simon igitur cum suis, vbi Iesum post diligentem inquisitionem in loco deserto inuenissent, nunciarunt ipsi de turba insequenti. *Omnes,* inquiunt, *quærunt te.* Interea ipsæ turbæ peruenerunt vsque ad locum illum, vbi Iesus erat, & detinuerunt eum, ne discederet ab ipsis. Lucas enim vtitur verbo κατέχειν. quod Græci interpretes, Gen. 24. vers. 56. vsurparunt, vbi seruus Abrahæ, petentibus moram aliquot dierum, respondet μὴ κατέχετε με. Discipuli vero, cum dicunt: *Omnes quærunt te,* significant æquum esse, vt apud illos, in quibus initia doctrinæ Euangelicæ excitauerat, & desiderium discendi maneat, & plenius ipsos instituat. Item, propter frequentiam populi commodius, & ad conciliandam veritatem, auctoritatem & dignitatem vtilius esse, vt in Metropoli maneat. Et hæ sanè rationes alium quempiam doctorem meritò retinuissent. Sed Christus respondet ex ratione suæ vocationis: *Exiui,* inquit, sicut Marcus loquitur, scilicet à Patre, Ioh. 16. ver. 27. *& missus sum,* scilicet à Patre cœlesti, in mundum, sicut Lucas verba recitat; non vt docendo in vna aliqua ciuitate hæream, sed vt omnes ciuitates Israel breui ministerij mei curriculo peragrem, & vbique per totam terram promissionis, semen Euangelij spargam, non tantùm in magna frequentia & claris ciuitatibus, verum etiam in vicis obscurioribus & ignobilioribus. Non enim est apud eum acceptio personarum, Rom. 2. v. 11. sed humilia eligit. 1. Cor. 1. v. 27. Ne vero Doctores & Pastores, quos Paulus Eph. 4. v. 11. ab Apostolis & Euangelistis distinguit, occasionem circumcursitandi hinc sumant: Christus vocationem & missionem allegat. Et quia in ciuitatibus totius illius terræ Euangelizare debebat, ideo sufficiebat ipsi in singulis locis fundamentum iecisse, & animos expergefecisse, vt post passionem & resurrectionem suam, ad clariorem Euangelij diuulgationem accipiendam parati essent. Ita enim prædictum erat, Psal. 22. v. 23. & seq. Esa. 53. v. 11. Et Christus sæpe discipulis suis edicit, ne illa, quæ potissima sunt Euangelij mysteria, euulgent, priusquam filius hominis ingressus fuerit gloriam suam. Cumque Capernaitæ magis miracula quærerent, quàm doctrinam Ioh. 6. v. 30. Ideo Chri-

ſtus reſpondet de Euangelio regni Dei.

Obſeruanda vero eſt hæc Grammatica. Lucas vocat πόλεις: Marcus κωμοπόλεις. Cuius vocabuli compoſitio ſignificat loca, quæ vicis maiora ſunt,& tamen minora, quam vt oppida dici mereantur: ſicut municipia appellantur,quaſi dicas ruſticana,pagana ſeu villana oppida. Varinus inquit: κώμη eſt πλειόνων οἴκων σύστημα ἔξω πόλεως κειμένων. Heſiodi interpres inquit: κώμη ἐχ ἡ πόλις, ἀλλ' ἡμέλζων ἀσφαλεία. Et Ioſephus de bello lib. 3. c. 2. ſcribit in Galilæa eſſe πόλεις πυκνάς, ciuitates crebras, τὸ κωμῶν πλῆθος πανταχοῦ πολυάνθρωπον & vbique multitudinem vicorum populoſam, vt quæ minima ſit vel ciuitas, vel villa, ſupra quindecim millia colonorum habebat. Sed ex collatione linguæ Hebrææ facilius & rectius intelligi poteſt, quid Marcus velit. Nam 1. Reg. 6. v. 18. nominantur vrbes munitæ ſeu muratæ, & villæ non munitæ, quas Græci reddiderunt κώμας. 1. Par. 18. v. 1. 2. Par. 13. ver. 19. & 28. v. 18. Illuſtris vero locus extat, 1. Par. 27. v. 25. vbi diſtincte quatuor ponuntur vocabula: oppidi, vici, caſtelli & agri: quæ ſecundum magis & minus gradatim differre, non eſt dubium. Cumque inter vicos hæc ſit differentia, quod alij aliis maiores ſunt, qui ad vrbium ferme magnitudinem accedunt: hanc differentiam Marcus noua hac compoſitione, cum vocat κωμοπόλεις, ſignificare voluit. Syrus ſicut & vetus interpres diſtincte legunt, vicos & ciuitates. Et קריא ſignificat vel ciuitates, vel vicos, hoc eſt, ciuitates minores מדינתא ſignificat vrbes magnas, & ciuitates metropoles. Erant igitur, ſicut ex hoc loco Marci colligitur, ſynagogæ, non tantum in maioribus ſeu munitis ciuitatibus, verum etiam in vicis amplioribus. Caſtella vero ſeu agri, ſicut Marci 5. v. 14. vocantur, hoc eſt, minores vici, non habuerunt peculiares ſynagogas, ſed conferebant ſe in proximas, ſiue ciuitates, ſiue vicos. Et quia Chriſtus hanc profectionem inſtituebat, vt in ſynagogis doceret, ideo Lucas nominat πόλεις, & Marcus κωμοπόλεις. Ibi enim ſynagogæ erant. Hæc obſeruatio vocabulorum non iniucunda eſt.

CAPVT XLI.

CONTINENS HISTORIAM, DE PERAGRATIONE CHRISTI PER TOTAM GALILÆAM, Matthæi 4. Marc. 1. Lucæ 4.

RATIO ORDINIS.

Peragratio Chriſti per totam Galilæam deſcribitur. Matth. 4. v. 23. deſcribitur etiam Marc. 1. v. 39. Et non eſſe duas diſtinctas peragrationes, cùm neceſſe ſit ponere vtramque poſt initium ſecundi anni, ante Paſcha factam, in generali commonefactione, poſt caput Harmoniæ 36. poſita oſtendimus. Quia enim, ſicut Ioſephus ſcribit, Galilæa habuit ciuitates πυκνάς, frequentes, crebras, ſeu denſas, & vbique magnam vicorum populoſiſſimorum multitudinem, & Chriſtus totam Galilæam ita peragrauit, vt in ſynagogis ipſorum, in quibus ſabbathis conueniebant, doceret: & ab initio ſecundi anni vſque ad Paſcha, propter interiectas alias multas & varias hiſtorias, peragrationibus iſtis vix duo menſes tribui poſſunt: ratio igitur topographiæ & chronologiæ non admittit, vt in Harmonia ponatur, Chriſtum tam breui temporis ſpatio bis totam Galilæam, ſabbathis in ſynagogis eorum docendo, peragraſſe. Nec dici poteſt, peragrationem, quæ Matth. 4. v. 23. deſcribitur, præceſſiſſe, ſeu priorem fuiſſe, quam poſtea ſubſecuta ſit altera, ſeu ſecunda peragratio, Mar. 1. v. 39. Tunc enim Chriſtum primo totam Galilæam docendo peragraſſe, quando Marcus illud deſcribit, textus non obſcure oſtendit. Longe vero poſt Paſcha, ſubſecuta eſt alia Galilææ peragratio oppidorum & vicorum, Luc. 8. v. 1. Hinc itaque colligitur vnam & eandem eſſe Galilææ peragrationem. Matth. 4. v. 23. & Marc. 1. v. 39. Et Matthæus peragrationem illam factam ſcribit; tempus vero & occaſionem, qua ſuſcepta ſit illa peragratio Marcus expreſſe notauit. Cumque hūc ordinem Marci Lucas etiam ſuo conſenſu confirmet, non eſt dubium in Harmonia hoc loco ordinem Marci ſequendum, & ad illum accommodandam eſſe Matthæi deſcriptionem de peragratione Galilææ.

HISTORIA PERAGRATIONIS CHRISTI per totam Galilæam.

MATTH. 4.

23. Καὶ περιῆγεν ὅλην τὴν Γαλιλαίαν ὁ Ἰησοῦς, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, καὶ θεραπεύων πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ.

24. Καὶ ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν. Καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, ποικίλαις νόσοις, καὶ βασάνοις συνεχομένους, καὶ δαιμονιζομένους, καὶ σεληνιαζομένους, καὶ παραλυτικούς, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτούς.

25. Καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, καὶ Δεκαπόλεως καὶ Ἱεροσολύμων, καὶ Ἰουδαίας καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

23. *Et circumibat totam Galilæam Ieſus, docens in Synagogis illorum, ac prædicans Euangelium regni, & ſanans omnem morbum, & omnem languorem in populo.*

24. *Et dimanauit fama illius in totam Syriam. Et adduxerunt ad illum omnes malè affectos varijs morbis, ac torminibus conſtrictos, & dæmoniacos, & lunaticos & paralyticos, & ſanauit illos.*

25. *Et ſecuta ſunt eum turbæ multæ à Galilæa, ac Decapoli, & Hieroſolymis, & Iudæa, & à regionibus trans Iordanem ſitis.*

MARC. 1.

39. Καὶ ἦν κηρύσσων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, εἰς ὅλην τὴν Γαλιλαίαν, καὶ τὰ δαιμόνια ἐκβάλλων.

39. *Et prædicabat in Synagogis eorum, in tota Galilæa, & dæmonia eyciebat.*

LVC. 4.

44. Καὶ ἦν κηρύσσων ἐν ταῖς συναγωγαῖς τῆς Γαλιλαίας.

44. *Et prædicabat in Synagogis Galilææ.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, EX Deſcriptionibus Matthæi 4. Marc. 1. Luc. 4. in vnum corpus coagmentata.

a Καὶ περιῆγεν ὅλην τὴν Γαλιλαίαν ὁ Ἰησοῦς, διδάσκων ἐν

a *Et circumibat Ieſus totam Galilæam, docens in Sy-*

[illegible Greek text] Γαλιλαίας, ... εἰς ὅλην τὴν Γαλιλαίαν, ... καὶ θεραπεύων πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ, ... καὶ τὰ δαιμόνια ἐκβάλλων: ... καὶ ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν, καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, ποικίλαις νόσοις, καὶ βασάνοις συνεχομένους, καὶ δαιμονιζομένους, καὶ σεληνιαζομένους, καὶ παραλυτικούς, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτούς. Καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, καὶ Δεκαπόλεως, καὶ Ἱεροσολύμων, καὶ Ἰουδαίας, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

Synagogis illorum, ac prædicans Euangelium regni, b. *in Synagogis Galilææ,* b *per vniuersam Galilæam,* a *& sanans omnem morbum, & omnem languorem in populo,* b *& eijciens dæmonia:* a *& dimanauit fama illius in totam Syriam. Et adduxerunt ad illum omnes male affectos, varijs morbis ac torminibus constrictos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos, & sanauit illos. Et secuta sunt eum turba multa à Galilæa, & Decapoli, & Hierosolymis, & Iudæa, & à regionibus trans Iordanem sitis.*

Periocha huius Historiæ.

MAtthæus vtitur verbo περιῆγεν, quod significat non recta progredi, sed adire singula, quæ sunt in circuitu, loca. Ita enim Marci 6.v.6. explicatur: Circuiuit villas, τὰς κώμας. Illa autem præcipue loca in tota Galilæa, vbi Synagogæ erant, adiuit: sicut Marcus & Lucas annotant. Et quod Marcus dicit (εἰς ὅλην Γαλιλαίαν) potest ita exprimi, vt sensus sit: Prædicabat in Synagogis per totam Galilæam. Sed Græci interpretes frequentissime εἰς cum Accusatiuo, vsurpant pro ἐν cum Datiuo, vt Zach. 9.v.4. εἰς θάλασσαν in mari. Ezechiel. 29.v.6. Qui habitant εἰς Αἴγυπτον, qui habitant in Ægypto. 2. Par. 6 v. 26. Orauit εἰς τόπον in hoc loco. Ita & hæc phrasis Marci simpliciter intelligatur εἰς Γαλιλαίαν, pro ἐν in tota Galilæa, Hebræis enim vna præpositio Beth, respondet duabus Græcis, εἰς & ἐν.

Multa autem sine dubio in illa peragratione memorabilia, quo ad doctrinam & miracula, acciderunt. Sed Euangelistæ; quia in præcedentibus explicationem de doctrina & miraculis Christi tradiderunt, illi multas illas historias breuissime perstringunt. Lucas tantum dicit: *Erat prædicans in Synagogis Galilææ.* Marcus addit de expulsione dæmonum. Matthæus vero plenius quidem aliquanto hanc peregrinationem describit, sed tamen & ipsa capita tantum notat: *Docens,* inquit, *in Synagogis per totam Galilæam, prædicabat Euangelium regni.* Quod vero Marcus & Lucas dicunt: *Erat docens, erat prædicans, erat eijciens,* Chaldaismus est. Syrus enim præterita imperfecta per verbum substantiuum & per Participium ita reddidit. Quæ vero capita fuerint doctrinæ & quod Euangelium regni Dei; quia supra explicatum est, Euangelistæ hoc loco non repetunt, significantes Christum, sine affectione variationis aut nouitatis, easdem res, eadem forma doctrinæ seu verborum, vbique proposuisse. Et quod Marcus supra vocauit Euangelium regni Dei: hoc Matthæus simpliciter appellat Euangelium regni, per Antonomasiam, Messiæ regnum ita appellans.

De miraculis vero in illa peregrinatione editis Matthæus inquit: *Sanauit omnem morbum.* Non quod nullus ægrotus in Galilæa manserit: postea enim de varijs ægrotis mentio fiet: sed sicuti in sequentibus, Matthæus explicationis gratia vocat, varios morbos: ita hic simpliciter intelligit, nullum genus morbi fuisse, quod non sanatum fuerit à Christo; vt omnem morbum intelligat, quemuis morbum, Allerley Kranckheit. Et hoc loco Matthæus nominat νόσον & μαλακίαν, in sequentibus vero plures addit species. Et Græcis quidem interpretibus vsitata est vox μαλακία, Gen. 42.v. 4 Exod. 23.v.25. Deut. 28.v.61. Iob. 33.v.19. &c. Sed ex collatione locorum deprehendi, quod non constanter vbique respondeat vni alicui Hebraico vocabulo, imo alicubi in duriori significatione reddiderunt μαλακίαν quam νόσον. Habita igitur ratione Etymologiæ vocis μαλακίας, existimo differentiam ita posse constitui Hebræi habent vocabulum Dauai דוי quod significat languorem & debilitatem, qualis est menstruatarum, Leuit. 15.v.33. & 20.v. 18. aut lapsum virium, seu spontaneam lassitudinem, sicut Medici vocant. Et huic indico hoc loco respondere μαλακίαν; cum scilicet aliquis non decumbit quidem, sed lapsu virium languet, vt significet infirmitates leuiores: sicut debilitatem stomachi Græci vocant μαλακίαν. Atque ita νόσος significabat morbos grauiores & vehementiores. Syrus νόσον reddidit כאב quod dolorem significat: μαλακίαν reddidit כרה quod imbecillitatem & infirmitatem significat. Aut si placebit sequi Græcos 70. interpretes μαλακία plus aliquid significabit, quam νόσος. Plerumque enim illo חלי quod morbos & dolores intensiores significat, Græci reddiderunt μαλακίαν. Et Matthæus primo loco recenset νόσον postea μαλακίαν. Omnino hæc est differentia, quod vnum significat morbum leuiorem & remissiorem, alterum vero vehementiorem & intentiorem, sicut Germanis differunt *Schwachheit, oder Blödigkeit, vnd Kranckheit, oder Seuche.* Aut sicut in communi Græca lingua differunt [illegible] & [illegible], quorum alterum significat morbum temporarium & curabilem; alterum infirmitatem inseparabilem & incurabilem. Tertium vocabulum βάσανος propriè significat tormenta in quæstionibus & in suppliciis reorum, Lucæ 16.v. 23. & 28. Apoc. 14.v.11. 18.v.7. 20.v.10. & transfertur ad cruciatus parturientium. Apoc. 12.v.2. & ad ictus Scorpionum, Apoc. 9.v.5. Mat. 8.v.6. de cruciatibus paralyseos vsurpatur. Manifestum igitur est significari morbos, qui non vulgares dolores & cruciatus secum ferunt, sed excruciant, & quasi tormentis excarnificant totam naturam. Arbitror autem respondere Hebraico, quod vsurpatur, Deut. 28.v.59. quod significat plagam seu flagellum. Syrus habet duo vocabula אלץ & פנק, quæ significant cruciatibus & torsionibus constringere, afflictione & angustia constringere. Et ad hanc speciem pertinere etiam paralyticos, locus Matt. 8.v.6. ostendit. Quod si quis aliter sentiat, propterea quod paralytici hoc loco separatim nominantur, potest distributionem ita instituere, vt illa, quæ hactenus recensuimus, sint nomina morborum interiorum. Paralytici verò pertineant ad illud genus, quando externa membra affecta aut læsa sunt. præterea nominat dæmoniacos & lunaticos. Et de priori nulla dubitatio est: significat enim obsessos. Quod enim Matthæus dicit: *Sanauit dæmoniacos:* hoc Marcus ita circumloquitur: *Eiecit dæmonia.* Syrus habet Latinũ vocabulum Diuinos. Sed qui sint (σεληνιαζόμενοι,) non conuenit inter omnes. Vocabulum ipsum indicat esse σελήνη, quod pro ratione Lunæ crescentis vel decrescentis, suas habet accessiones & declinationes. Ideo plerique interpretantur de morbo caduco seu comitiali, qui interlunio natis sæpe solet molestus esse. Sed hic morbus sub illis generibus, quæ iam explicata sunt, comprehenditur. Alij, qui inquirunt Hebraicas voces correspondentes, referunt ad Schaga vel שגעון quod significat insaniam ex perturbatione cerebri orientem. Et apud Græcos quidem interpretes non obseruaui verbum σεληνιάζεσθαι. Videtur tamen non incommodum esse, si ita distinguatur vocabula, vt dæmoniaci sint, qui à diabolo correpti exagitantur: Lunatici vero sint, qui mente moti furore corripiuntur, cuius causa sit non obsessio diaboli, sed perturbatio humorum in cerebro, qui pro ratione Lunæ putantur plus vel minus moueri. Extat vero verbum illud Matt. 17.v.15. vbi descriptio non abludit à morbo caduco. Puer enim ille sæpe cadit in ignem, sæpe in aquam, & fit ibi etiam mentio spumæ. Sed historia manifeste dicit fuisse obsessionem diaboli. Iuxta illam igitur descriptionem, Lunaticus erit, qui certis temporibus morbo comitiali corripitur, & tunc simul à malo spiritu exagitatur & in furias agitur. Et erit hæc differentia, quod dæmoniacos obsessio diaboli nunquam deserit: Lunaticis verò malus ille spiritus aliquando recedit, & certo tempore rursus illos inuadit. Ita enim describit Lucæ 9.v.39. inquit: Vix discedit ab eo dilanians eum. Syrus habet בריעריא hoc est, Pythones syluestres. Et hæc sunt genera male habentium, quæ Matthæus recenset. Illud vero requirit peculiarem obseruationem, quod Matthæus dicit famam de doctrina & miraculis Christi in totam Syriam dimanasse, hoc est, in omnes partes Syriæ, quæ Galilææ conterminæ sunt, vt in Syrophœniciam, Cælesyriam & Syriam propriè dictam. Hic enim primus locus est, quod etiam exteræ gentes ad communionem doctrinæ & beneficiorum Christi, tempore ministerij ipsius, admissæ sint: cum scilicet annum & amplius prædicasset. Tria autem de gentibus prædicantur hoc loco. 1. Rumor de Christo in regiones gentium exiuit. 2. Gentes, vt Syri, ex regionibus suis attulerunt Christo male habentes, qui ab illo sanati sunt. 3. Inter illos, qui Christum sectabantur, hoc est, qui doctrinam ipsius & discebant & amplectebantur, fuerunt etiam Decapolitani, de quibus, quod gentes fuerint, in prolegomenis ostendimus. Et hic locus, qui de vocatione gentium tempore ministerij Christi primus est, diligenter obseruandus est. Samaritani enim, de quibus supra dictum est, fuerunt quasi medium quiddam inter Iudæos & Gentes. Habuit igitur Iesus illo tempore, circa festum Pas-

chatis, satis frequentem Ecclesiam apud se, quam peragratione Galilææ collegerat. Secutæ enim sunt eum turbæ à Galilæa, à Iudæa, ab Hierosolymis, ex regione trans Iordanem, quod interpretor de vtraque, & quæ Iudææ, & quæ Galilææ opposita est. Et inter hos sectatores Christi, multi ex Syria, quæ Galilææ versus Septentrionem & Occasum sita est, ægrotos suos adduxerunt; ex Decapoli etiam, quæ Galilææ orientalis est, multæ turbæ ipsum sequebantur. Et Matthæus distinctè ponit hæc duo: *Sanauit omnem morbum ἐν τῷ λαῷ, in populo* scilicet *Israel*. Postea addit de Syria & Decapoli. Spatium igitur temporis non exiguum tribuendum erit huic peregrinationi Christi, in qua frequentem Ecclesiam ex tot & tam variis locis collegit, fama dimanante ex Galilæa in alias vicinas & remotas regiones. Et absque dubio valde multa acciderunt in illa peregrinatione, quæ breui compendio Euangelistæ complexi sunt. Notatis tantum generalibus capitibus, quod multa & varia facta fuerint in illa peregrinatione miracula. 1. In curatione variorum morborum, sicut Matthæus scribit. 2. In eiectione dæmoniorum, sicut Marcus tradit. Quod vero ad doctrinam attinet, ex sanatione morborum & expulsione dæmoniorum colligi potest; & quia in præcedentibus illa explicata est, non opus est denuo eam hoc loco repetere.

CAPVT XLII.

CONTINENS HISTORIAM, DE LEPROSO, IN PRÆCEDENTI PERAGRATIONE Galilææ sanato, Marc. 1. Luc. 5.

RATIO ORDINIS.

POst mentionem præcedentis peragrationis Galilææ, Marcus sanationem leprosi cuiusdam ita subiungit, vt omnino videatur in illa peragratione facta fuisse. Et eundem etiam leprosum à Luca cap. 5. v. 12. describi, ostendit conuenientia eorum, quæ post sanationem illam secuta esse, vterque & Marcus & Lucas ita describunt, vt eadem prorsus sint. Matthæus vero cap. 8. ver. 2. scribit leprosum suum sanatum, cum post prolixam illam concionem Iesus in itinere esset, ad famulum Centurionis sanandum. Ac sane iisdem adeo verbis & circumstantiis, & apud Matthæum & Marcum hæc historia describitur, vt videatur idem esse leprosus, Matth. 8. v. 2. & Marci 1. ver. 40. Nec citra necessitatem ex iisdem historiis diuersæ sunt faciendæ. Sed hoc loco, si ponatur eandem esse historiam, cum Matthæus certam notationem leprosi sui sanati ponat, erunt Marci & Lucæ descriptiones ad Matthæi ordinem accommodandæ: vnde sequitur conuulsio ordinis historiarum apud Marcum, quem ducem esse ordinis res ipsa ostendit. 2. Post sanatum Matthæi leprosum, Iesum statim intrasse Capernaum ad Centurionem, Lucas c. 7. v. 1. ostendit. Post Marci vero leprosum, Iesus non in ciuitatem, sed in desertum secedit, & post interiectos multos dies demum redit Capernaum. 3. Post sanatum Matthæi leprosum, Centurionis famulus Capernaum sanatur. 4. Matthæi leprosus venit ad Iesum, cum in via esset à monte versus Capernaum. Lucæ vero leprosus venit, cum Iesus esset in ciuitate quadam. Propter hasce igitur rationes cogor historias illas, licet similes, distinctas tamen in Harmonia ponere: vt alius sit leprosus, Marc. 1. ver. 40. & alius, Matth. 8. ver. 2. licet doctrina vtriusque sit eadem. Ille vero leprosus, quem Lucas cap. 5. ver. 11. describit, idem est, qui Marc. 1. describitur. Quæ enim post sanationem eius secuta esse, Marc. 1. & Luc. 5. scribuntur, eadem prorsus sunt. Cumque antea ostenderimus, & res ipsa etiam loquatur, apud Lucam vocationem Petri, per rememorationem, sicut Augustinus loquitur, interpositam, aliàs idem historiarum ordo est, apud Marcum & Lucam hoc loco: & hic primus locus est, vbi ex historiis similibus, sicut hæc est in leproso Matthæi & Marci propter euidentiam circumstantiarum, in iis quæ subsecuta sunt, cogor in Harmonia distinctas facere. Pono igitur hunc Marci leprosum in peragratione Galilææ sanatum. Quia enim Marcus & Lucas dicunt, Iesum in illa peragratione prædicasse ciuitatibus Galilææ: Lucas addit in quadam illarum ciuitatum leprosum hunc sanatum. Cumque Matthæus c. 4. v. 23. dicat, in peragratione illa Iesum varios morbos curasse: ex illis Marcus & Lucas vnum exemplum leprosi describunt, atque ideo sanationem huius leprosi, post historiam peragrationis in Harmonia subiungere volui. Videtur autem sub finem huius peragrationis sanatio illa leprosi facta. Cum enim in hac peragratione doceret in ciuitatibus, Luc. 4. v. 43. post illam leprosi sanationem non amplius in ciuitatem aliquam intrauit, donec veniret Capernaum, sanaturus paralyticum, sicut Marcus & Lucas dicunt. Ita ergo ordo historiarum pulcre cohæret, & plana sunt omnia.

HISTORIA LEPROSI IN PERAGRATIONE Galilææ sanati.

MARC. 1.

40. Καὶ ἔρχεται πρὸς αὐτὸν λεπρὸς, παρακαλῶν αὐτὸν, καὶ γονυπετῶν αὐτὸν, καὶ λέγων αὐτῷ ὅτι ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι.

41. Ὁ δὲ Ἰησοῦς σπλαγχνισθεὶς, ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ καὶ λέγει αὐτῷ· θέλω, καθαρίσθητι.

42. Καὶ εἰπόντος αὐτοῦ, εὐθέως ἀπῆλθεν ἀπ᾽ αὐτοῦ ἡ λέπρα, καὶ ἐκαθαρίσθη.

43. Καὶ ἐμβριμησάμενος αὐτῷ, εὐθέως ἐξέβαλεν αὐτόν.

44. Καὶ λέγει αὐτῷ· ὅρα, μηδενὶ εἴπῃς. Ἀλλ᾽ ὕπαγε, σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου, ἃ προσέταξε Μωσῆς εἰς μαρτύριον αὐτοῖς.

45. Ὁ δὲ ἐξελθὼν, ἤρξατο κηρύσσειν πολλὰ, καὶ διαφημίζειν τὸν λόγον, ὥστε μηκέτι αὐτὸν δύνασθαι φανερῶς εἰς πόλιν εἰσελθεῖν, ἀλλ᾽ ἔξω ἐν ἐρήμοις τόποις ἦν, καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτὸν πανταχόθεν

40. *Et venit ad eum leprosus, deprecans eum, eique ad genua accidens, ac dicens illi: Si vis, potes me mundare.*

41. *Iesus autem misertus, protensa manu, tetigit illum, & dicit ei: Volo, mundus esto.*

42. *Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mũdatus est.*

43. *Et comminatus ei, statim emisit illum.*

44. *Et dicit ei: Vide, ne cui quicquam dicas. Sed abi, teipsum ostende Sacerdoti, & offer, pro emundatione tui, quæ præcepit Moses, in testimonium illis.*

45. *At ille egressus, cœpit prædicare multa, & diuulgare sermonem ita, vt iam non posset Iesus manifestè introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis erat, & veniebant ad eum vndique.*

LVC. 5.

12. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν μιᾷ τῶν πόλεων, καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ πλή-

12. *Et accidit, cùm esset in quadam ciuitate, & ecce*

ἀνὴρ πλήρης λέπρας, καὶ ἰδὼν τὸν Ἰησοῦν, πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, ἐδεήθη αὐτοῦ, λέγων· Κύριε, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι.

13. Καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ, εἰπών· Θέλω, καθαρίσθητι. Καὶ εὐθέως ἡ λέπρα ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ.

14. Καὶ αὐτὸς παρήγγειλεν αὐτῷ, μηδενὶ εἰπεῖν, ἀλλὰ ἀπελθὼν, δεῖξον σεαυτὸν τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου, καθὼς προσέταξε Μωσῆς εἰς μαρτύριον αὐτοῖς.

15. Διήρχετο δὲ μᾶλλον ὁ λόγος περὶ αὐτοῦ, καὶ συνήρχοντο ὄχλοι πολλοὶ, ἀκούειν, καὶ θεραπεύεσθαι ὑπ' αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἀσθενειῶν αὐτῶν.

16. Αὐτὸς δὲ ἦν ὑποχωρῶν ἐν ταῖς ἐρήμοις, καὶ προσευχόμενος.

vir plenus lepra. Cumque vidisset Iesum prostratus in faciem, rogauit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

13. *Et protensa manu, tetigit eum, dicens: Volo, mundus esto. Et confestim lepra discessit ab illo.*

14. *Et ipse præcepit illi, ne cuiquam diceret, sed abiens, ostende teipsum Sacerdoti, & offer, pro emundatione tui, quemadmodum præcepit Moses, in testimonium illis.*

15. *Peruagabatur autem magis rumor de illo, & conueniebant turbæ multa, vt audirent, & sanarentur per illum ab infirmitatibus suis.*

16. *Ipse autem agebat in secessu in desertis, & orabat.*

HARMONIA HISTORIÆ, DE LEPROSO, IN PEREGRINATIONE GALILÆÆ SANATO, ex descriptionibus Marc. 1. Luc. 5. in vnum corpus coagmentata.

c Καὶ ἐγένετο, ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν μιᾷ τῶν πόλεων, καὶ ἰδοὺ b λεπρὸς, c ἀνὴρ πλήρης λέπρας, b ἔρχεται πρὸς αὐτόν. c καὶ ἰδὼν τὸν Ἰησοῦν, b γονυπετῶν αὐτὸν, c καὶ πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, b παρακαλῶν αὐτὸν, c ἐδεήθη αὐτοῦ, h λέγων b αὐτῷ· Κύριε, h ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι. Ὁ δὲ Ἰησοῦς σπλαγχνισθεὶς, h ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ, b καὶ λέγει αὐτῷ· b Θέλω, καθαρίσθητι. b Καὶ εἰπόντος αὐτοῦ· h εὐθέως ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ ἡ λέπρα, b καὶ ἐκαθαρίσθη. c Καὶ αὐτὸς παρήγγειλεν αὐτῷ, μηδενὶ εἰπεῖν, b ἐμβριμησάμενος [γὰρ] αὐτῷ, εὐθέως ἐξέβαλεν αὐτὸν, καὶ λέγει αὐτῷ· Ὅρα, μηδενὶ μηδὲν εἴπῃς, c ἀλλ' ἀπελθὼν b ὕπαγε, h σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου, b ἃ, c καὶ καθὼς h προσέταξε Μωσῆς, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. b Ὁ δὲ ἐξελθὼν ἤρξατο κηρύσσειν πολλὰ, καὶ διαφημίζειν τὸν λόγον. c Διήρχετο δὲ μᾶλλον ὁ λόγος περὶ αὐτοῦ, b ὥστε μηκέτι αὐτὸν δύνασθαι φανερῶς εἰς πόλιν εἰσελθεῖν· ἀλλ' ἔξω ἐν ἐρήμοις τόποις ἦν. b Καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτὸν πανταχόθεν. c Συνήρχοντο [γὰρ] ὄχλοι πολλοὶ, ἀκούειν. καὶ θεραπεύεσθαι ὑπ' αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἀσθενειῶν αὐτῶν. Αὐτὸς δὲ ἦν ὑποχωρῶν ἐν ταῖς ἐρήμοις, καὶ προσευχόμενος.

c *Et accidit, cùm esset in quadam ciuitate, & ecce* b *leprosus,* c *vir plenus lepra,* b *venit ad eum.* c *Cumque vidisset Iesum,* b *accidens ei ad genua,* c *& prostratus in faciem,* b *rogauit* c *& deprecatus est eum,* h *dicens* b *ei:* c *Domine,* b *si vis, potes me mundare.* b *Iesus autem misertus eius,* h *protensa manu, tetigit eum,* b *& dicit ei:* h *Volo, mundus esto.* b *Et cùm dixisset,* h *confestim lepra discessit ab illo,* b *& mundatus est.* c *Et ipse præcepit illi, ne cuiquam diceret,* b *cõminatus [enim] ei, statim emisit illum, dicitque ei: Vide, ne cui quicquam dicas:* c *sed abiens* b *vade,* h *ostẽdens teipsum Sacerdoti, & offer, pro emundatione tui,* b *quæ,* c *sicut* h *præcepit Moses, in testimonium illis.* b *At ille egressus cœpit prædicare multa, & diuulgare sermonem,* c *Peruagabatur autem magis rumor de illo,* b *ita, vt iam non posset Iesus manifestè introire in ciuitatem: sed foris in desertis locis erat.* h *Et veniebant ad eum vndique.* c *Conueniebant [enim] turbæ multa, vt audirent, & sanarentur per illum ab infirmitatibus suis. Ipse autem agebat in secessu in desertis, & orabat.*

Periocha huius Historiæ.

QVia ostendimus in illa peragratione Galilææ, sub finem factam eam sanationem leprosi, quam Marcus & Lucas describunt, illam historiam hoc loco ita explicabimus; quia similis omnino est & illa, quæ Matthæi 8. vers. 2. & seq. describitur, vt postea, vbi ea in Harmonia locum suum habuerit, non sit opus Periocham repetere.

Tres autem habet partes hæc historia sanati leprosi. Prima est descriptio leprosi, petitionis eius. 2. Responsio Christi & sanati. 3. Mandatum Christi, & quod leprosus contra Christi mandatum miraculum illud diuulgarit.

Prima pars ita describitur. Marcus dicit leprosum hunc venisse ad Iesum tunc, cum Synagogas totius Galilææ peragraret, & in Galilææ doceret. Ideo Lucas dicit, hoc factum, cùm Iesus in illa scilicet peragratione esset, *ἐν μιᾷ τῶν πόλεων, in quadam ex illis ciuitatibus* Galilææ, quas tunc peragrabat. Leprosi autem, propter infectionem & contagionem, non habitant in ipsis ciuitatibus, sed à communi reliquorum hominum habitatione & commercio seu conuersione separati & remoti, imo à sacris etiam prohibiti erant. Leuit. 13. v. 46. Ordo igitur historiæ ita videtur se habere. Cùm Iesus esset in oppidulo illo, fama de aduentu & præsentia eius ad leprosum, extra ciuitatem commorantem, peruenit. Vel igitur expectauit, donec Iesus ciuitate egrederetur, vel, quod Lucæ descriptioni magis conuenit, cùm Iesum intelligeret esse Messiam, qui infirmitates tollere posset, in ipsam ciuitatem, contra Legis prohibitionem, ingressus, Iesum accessit. Quæ circumstantia ostendit. cùm Lex propter peccata nos à Deo arceat, & aditum ad Deum nobis intercludat, quomodo fides perrupta Lege ad Mediatorem Christum humiliter accedat. Is enim potest tollere peccata. Obseruanda autẽ est descriptio. Marcus vocat leprosum: Lucas dicit ipsum fuisse plenum lepra. Lepra enim iuxta descriptionem Leuit. 13. aliquando hærebat tantum in capite, aliquando in barba, aliquando in parte aliqua cutis. Exod. 4. v. 6. sola manus lepra inficitur. Et ex hac antithesi intelligi potest, quid sit, quod Lucas dicit, hunc miserum fuisse *plenum lepra.* Est autem lepra morbus notus & vulgaris. Sed in populo Israel, sicut Leuit. 13. describitur, multa peculiaria habuit, præcipue, quod non tantum carnem humanam, verum etiam vestes laneas & lineas, parietes & muros ædificiorum potuit inficere. Quod existimo ideo factum esse, vt populo Dei esset peculiaris commonefactio, de tristissima corruptione naturæ humanæ, quæ inficit omnia, quæ hominis sunt. Lepra enim, contagione transit, & apud Hebræos צרע nomen à valida quasi perforatione, quod non in superficie hæreat, sed totam naturam penetret & inficiat. Syrus vocat גרבא à vastatione, & dicunt esse scabiem siccam intrinsecus & extrinsecus. Atque ideo Christus liberationem à peccato, sanatione lepræ, voluit ostendere. Lepra enim confirmata, sicut Iosephus significare videtur, vix aliter, quam diuinitus oratione sanabatur. Idem Iosephus lib. 3. antiq. c. 13. scribit, apud multas gentes leprosos non posse congregari, sed versari inter homines, & quidem sæpe ipsis dignitates vel politicas vel militares committi, &c. quod intelligo de illis, in quibus lepra non apparet exterius in toto corpore. Neque enim tam scrupulosa obseruatio & inquisitio lepræ apud alias gentes vsitata fuit, sicut Deus in sua Lege instituit, Leuit. 13. Hæc pulcre conueniunt ad veram inquisitionẽ & agnitionem peccati, quod Dauid

Psalm.19.vers.13.& Moses Psalm.90.vers.8.occultum vocant, quam sola Ecclesia ex Lege diuina tenet. Sed redeamus ad historiam.

Leprosum hinc aliqua fuisse fide imbutum, vel inde constat, quod non, sicut moris erat leprosis, à longe stet, sed accidit ad genua Christi. Qualis vero fuerit ipsius fides ex oratione rectissime colligitur. Origenes & Chrysostomus ex verbo Adorandi colligunt, Leprosum agnouisse Iesum esse verum Deum factorem omnium. Sed alterum argumentum Chrysostomi firmius est, quod Leprosus non dicit: *Si rogaueris Deum, poteris mundare*, sicut Martha Ioh. 11. ver.22. inquit. Nec dicit: *Si adhibueris pharmaca vel alia media*: Sed, *Si tantum vis, potes me mundare.* Cum itaque Dei proprium sit: *Omnia quacunque voluit, fecit, Psalm.*115.*v.*3. videtur hic leprosus agnouisse Iesum esse Messiam Filium Dei. Porro verbum Adorare, προσκυνεῖν, quo Matthæus in simili historia vtitur, Marcus exposuit per γονυπετεῖν. Lucas vero dicit, *cecidit in faciem.* Est externus gestus, quibus animi reuerentia erga aliquem declaratur, siue erga Deum, siue præstantem aliquam creaturam. Hebræi iisdem vocabulis describunt, quæ Græci frequenter reddiderunt per προσκυνεῖν, Latini Adorare. Varios autem habuit gens illa gestus talis reuerentiæ, quibus singulis peculiaria vocabula attribuit. קדד significat, inclinatione ceruicis reuerentiam exhibere. Græci reddiderunt προσκυνεῖν, Genes. 24.v.48. סגד significat inflexionem capitis, aut incuruationem totius corporis. Græci vocant κύπτειν. Esa.44.ver.15.& 17. ברך significat se super genua inclinare, genu flectere vel adgeniculari. Græci reddiderunt γονυπετεῖν. שחה significat prostrationem totius corporis in faciem. Græci reddiderunt προσκυνεῖν. Esa.44.v.15. hæc obseruatio vocabulorum multa alia loca illustrat. Leprosus igitur ita accessit, quod primū iuxta Matthæum, ceruicem & corpus inclinauit: Syrus reddidit סגד *incuruare se.* Secundò iuxta Marcum: *procidit in genua.* Constructio vero γονυπετῶν αὐτὸν, significat, vel quod coram ipso prociderit in genua, sicut vsurpatur, 2. Paral.6.v.13. vel quod more supplicantium aduolutus sit genibus Christi. Et ita Syrus reddidit: *Procidit ad pedes Iesu.* Tertio, toto corpore, *procidit in faciem*, iuxta Lucam. Et hi gestus in leproso oraturo, signa sunt reuerentiæ & humilitatis, ex agnitione suæ indignitatis. An vero externam illam reuerentiam exhibuerit Christo, vt vero Deo, an vero vt Prophetæ eximio, habenti donum & facultatem sanationum, ex vocabulis illis non potest constitui. Sed qualis fuerit fides eius, ex oratione certius & vtilius colligitur, cùm inquit: *Si vis, potes me mundare.* Quod enim quidam disputant non esse petitionem, sed tantum hypotheticam propositionem: *Si velles, posses me sanare*: vel, esse tantum generalem agnitionem & confessionem immensę & liberæ potentiæ in Christo: *Si vis, potes*: hoc ex ipso contextu refutatur. Lucas enim dicit, ipsum orasse, ἐδεήθη, quod significat id, quo indigemus, precibus poscere & rogare. Syrus habet בעא, petere, implorare. Marcus vtitur verbo παρακαλῶν, quod significat, cum obsecratione deprecari. Et sane non est directa vel expressa petitio. Sed tacita illa precatio, quę & humili prostratione & verbis illis inuoluta erat, multo est efficacior, quam si expresse dixisset: *Munda me Domine.* Patientem enim præ se fert humilitatem, & fidelem ac obediētem submissionem totius negotij, sub benigna voluntate Domini. Syrus habet צבא, quod significat ex animi propensione ac beneplacito aliquid velle. Et emphatice addit: *Si velis tu, potes tu mundare me.* Quod igitur orationem ita format: *Si vis, potes me mundare*: pulcerrimum exemplum est, ostendere vsum doctrinæ Christi, beatitudinem, scilicet, non esse sitam in amolitione omnium externarum calamitatum in hac vita, nec Saluatorem velle eos, quos saluos facit, ab omnibus miseriis in hac vita liberare: sed credentes, licèt bona Dei voluntate sint & relinquantur in huius mundi calamitatibus, spiritu tamen in Christo beatos esse. Ne vero hoc ita accipiatur, quasi credentes non debeant petere, aut, quasi Deus non velit dare, vel mitigationem vel liberationem aliquam in miseriis huius vitæ: leprosus petit, & Christus summa voluntate largitur sanationem, ita tamen, vt bonæ voluntati Saluatoris resignetur, si iudicet ad profectum credentium, & gloriam nominis diuini prodesse: sin minus, non existimabit fidelis, se ideo non esse beatum, si relinquatur in calamitate. Et pulcerrima est veterum precatio, quę in corporalibus calamitatibus docet, Deum ita inuocandum esse: *Vel mitiga, vel libera, vel salua.* Eadem igitur erit leprosi precatio, sicut tres illi viri Danielis 3.v.17.& 18. orant: *Deus noster potest nos eripere & liberare: quod si noluerit, tamen alienos Deos non colemus.* Et sicut Ioab orat, 2. Samuel.10.v.12. *Estote viri fortes, & pugnemus pro populo: Dominus autem faciat, quod bonum est, in conspectu eius*, 2. Sam. 15. ver. 25. & 26. Dauid ita orat: *Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me: si autem dixerit, non places mihi, præsto sum, faciat mihi, quod bonum est coram se.* Et 1. Matt.3. v. vlt. post longam precationem tandem concludunt: *Pugnabimus, sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Talis humilitas in oratione accendit miserationes Domini. In petitionibus enim corporalibus hęc est regula, vt Dei voluntati eas resignemus, nec tamen ideo de potentia Dei, imo nec de bona eius in nos voluntate, dubitemus. Si hoc modo accipiatur hæc leprosi oratio, magnam lucem fidei in eo fuisse necesse est. Tribuit enim Christo 1. talem virtutem, quòd omnia, quæ velit, possit. Quæ virtus certè diuina est, sicut Psal.115.v.3. inquit; *Omnia quæ vult, facit in cælo & in terra.* Marcus addit particulam ἐάν, quæ non est ociosa. Ostendit enim leprosus, se ideo hoc à Christo petere, quoniam inquit: *Si vis, potes.* 2. Tribuit Christo prouidentiam, quod talia externa bona dispenset pro vtilitate credentium, & gloria nominis sui. 3. Fatetur se de spirituali & æterna gratia Dei non velle dubitare, etiamsi lepram non velit à se tollere. Porrò vtilis est & hæc obseruatio, quod vera fides in oratione duo hæc in vera fiducia debet coniungere: potentiam quod possit, & voluntatem quod velit. Quando enim alterutrum diuellitur, nec fides nec oratio vera est; sicut pater lunatici, Marc.9.ver.22. reprehenditur de incredulitate; quia dicit: *Si quid potes, succurre nobis, misertus nostri.* Et ille quidem de commiseratione Christi in tam tristi casu non dubitat: sed an possit, hoc vero in casu tam deplorato non firmiter potest statuere. Ita Moses Numerorum 11.v.21. inquit: *Sexcenta millia peditum sunt, & tu dicis, dabo eis esum carnium integro mense in solitudine.* Respondet autem Dominus: *Nunquid manus Domini abbreuiata est?* Leprosus vero in hac historia ex multis miraculis concepit hanc fiduciam, quod Christus possit: sed consideratione miseriæ & indignitatis suæ; quia plenus erat lepra, & plenus peccatis, cùm quidem non audiisset vllum leprosum antea à Christo sanatum, anxie cogitat: *Ille est sanctus sanctorum* Daniel 9.v.14 vel *sanctus Dei*, Marc.1. vers.14. Virtutem quidem habet, quod potest: sed nescio, an velit me sanare: quia tam fœda & horrenda lepra plenus sum, vt omnes à me abhorreant. Fides igitur leprosi, quæ in quæstione de potentia Christi satis firma fuit, in hac parte de voluntate, non exiguam habuit infirmitatem. Audiamus autem quomodo Christus huic infirmitati subueniat. Rarò enim fides vtramtranique quæstionem fiducia æque firma complectitur. Et quæstionem de potentia postea in historia lunatici habebimus. Hæc vero historia quæstionem de voluntate Christi, quam consideratio indignitatis & miseriæ nostræ dubiam nobis facit, dulcissime explicat & confirmat.

Secunda igitur historiæ pars describit responsum Christi & sanationem. Nec verò ad nudum tantùm miraculum sanationis respiciendum est, sed potissimum ad illas circumstantias, quæ & doctrinam & vsum miraculi ostendunt. Diximus autem fidem, quæ de virtute & de potentia Christi certa est, turbari quæstione de voluntate, ex collatione maiestatis Christi & nostræ indignitatis. Item, ex cōsideratione fœditatis, magnitudinis & diuturnitatis miseriæ. Christus igitur declaraturus animum & voluntatem suam in hac quęstione nō tantum sanat, non tantum respondet, *volo*; sed 1. mouetur cōmiseratione: 2. protensa manu tangit leprosum: 3. inquit: *Volo, sis mundus.* Hæc omnia eò pertinent, vt ostendatur, qua ratione talis fidei infirmitas subleuanda & sustentanda sit. Singulæ igitur circumstantiæ expendendæ sunt.

Leprosus consideratione indignitatis & miseriæ suæ turbatur, quod cogitabant Christum, propter horrendam lepræ fœditatem, non dignaturum se beneficio sanitatis, quod aliis summa voluntate contulerat. Hactenus enim inter multa & varia miracula Christi nullius leprosi sanatio descripta fuit. Et hæc circumstantia diligenter notanda est. Non leuiter enim quassauit fidem leprosi, quod Lege diuina leprosi non tantum à ciuili hominum consuetudine excludebantur, verum etiam ab Ecclesiasticis conuentibus arcebantur. Et non extabat tunc exemplum, Christum leprosos etiam velle sanare. Habet igitur leprosus, præter miseriam & indignitatem, & iudicium Legis diuinæ contra se, vt non mirum sit, ipsum de voluntate Christi non posse firmiter statuere. Et hæc consideratio ostendit, quare Christus non simpliciter ipsum sanet, sed addat alias circumstantias: valde grauis enim fuit tentatio. Marcus vero huic tentationi opponit vocabulum σπλαγχνισθείς, quod scil. indignitas & miseria nostra, etiā quando à Lege diuina damnatur, non alienam reddat voluntatem Christi à nobis, modo indignitatem nostram seriò agnoscamus, & vera humilitate, sicut hic leprosus, ad Christum confugiamus. Marcus enim facit inuersionem. Leprosus cùm prostratus iacet coram Christo, anxius cogitat, potest quidem sanare, vellet etiam, sed impedit & obstat mea indignitas, & inusitata calamitatis fœditas. Marcus verò dicit, illam miseriam non alieniorem reddidisse voluntatem Christi ab hoc leproso, sed conspectu calamitatis motum fuisse ad

commi

commiserationem. Et vtitur non simplici vocabulo misericordiæ, sed verbo σπλαγχνίζεσθαι. Tria enim sunt misericordiæ vocabula ἔλεος, quod respondet Hebraico חן, οἰκτιρμός quod חסד respondet, σπλαγχνίζεσθαι verò à Græcis redditur pro Hebraico רחם, quod etiam Syrus hoc loco habet, quod significantissimum est, quando scilicet intimo commiserationis affectu σπλάγχνα, quæ Græci vocant interiora viscera, vitaliora & meliora, misericordia afficiuntur & commouentur. Talem enim affectum visceribus inditum esse, experientia testatur. Hebræi matricem hoc vocabulo appellant. Sicut igitur matrix fœtum complectitur, fouet & tuetur; item, facile & tenerrime afficitur, quando fœtui aliquid accidit: & qualis propter matricem materna στοργὴ est erga liberos, talis commiserationis affectus verbo σπλαγχνίζεσθαι Germanica, *Erbarmen, Barmhertzig*, manifeste alludunt ad Hebræorum רחם. Hæc explicatio vocabuli præbet pulcerrimam consolationem contra tentationem de indignatione & miseria. Nec vero commiseratione tantùm ita mouetur Christus, vt cùm sit Dei filius, propter immunditiem & horrorem lepræ vultum auertat, sicut delicati magnates faciunt: sed *extendens manum, tangit illum*, qui totus plenus est lepra. Potuisset sane absque contactu, solo verbo, sicut postea fecit, lepram mundare: sed tangendo mundauit, ne mundationem illam, vel casu factam Pharisæi calumniarentur, vel aliis etiam causis asscriberent: vtque ostendat se esse Dominum, imo impletorem Legis, qui contactu lepræ non polluatur, vt in Lege, sed qui contactu suo lepram & omnem immunditiem tollat. Præcipue vero hoc modo voluit ostendere dignitatem, vsum & vtilitatem assumptæ suæ carnis, quòd, scilicet, per eam, naturam nostram corruptam restituat, sit Saluator & Viuificator noster, non nuda sua Diuinitate: sed quod ad illa beneficia vtatur etiam opera & ministerio assumptæ carnis, quæ ex hypostatica cum Diuinitate vnione facta est viuifica. Ne enim à nobis, qui propter peccata à Deo separati eramus. Esaiæ 59. ver. 2. & abalienati à vita Dei, Ephes. 4. vers. 18. salus nostra nimis longe in nuda Diuinitate dissita esset, fecit eam nobis propinquissimam, depositam in carne illa, quam à nobis Filius Dei, sine peccato, assumpsit. Quia enim caro illa, propter communem substantiam, nobis cognata est, habemus accessum, & quasi ius quoddam, ex plenitudine illa accipiendi gratiam. Sed hoc videtur obstare, quod in illius carne sanctissima & purissima tota plenitudo Diuinitatis habitat corporaliter: nostra vero, peccatorum sordibus & aliis calamitatibus miserrime inquinata, contaminata & onerata est, vt videatur indigna esse maiestate Christi, nostri cum ipso communio, à qua, ratio iudicat, ipsum debere abhorrere, sicut & hic leprosus cogitat. Sed suauissima est consolatio, quòd suam sanctam, mundam & diuinam manum extendit, & tangit illud corpus, quod totum plenum & infectum erat fœdissima lepra. Et hoc contactu, fugiente & discedente lepra, restituitur sanitas. Hæc est salutaris illa permutatio, de qua Chrysostomus & Cyrillus dulcissime loquuntur: Christus à nobis accepit substantiam carnis nostræ, illam à peccato mundatam sanctificauit & plenitudine Diuinitatis ditauit. Ne vero ad solam illam humanæ naturæ massam, quæ à Filio Dei assumpta est, hæc dignatio existimetur pertinere, rursus dat & communicat nobis suam carnem, quam à nobis acceptam sanctificauit, vt hoc modo corrupta nostra natura reformetur & refingatur. Nec disputemus indignum hoc esse maiestate Christi: sed agnoscamus immensam eius φιλανθρωπίαν, quod non dedignatur contingere leprosam nostram naturam, sua purissima carne, quæ illa coniunctione non coinquinatur, sed nostram ita sanctificat & purgat. Hæc obseruatio magnum vsum habet in doctrina de Cœna Domini. Et hinc explicari potest illa quæstio, cùm contactus leprosi Lege diuina prohibitus esset, cur Christus voluerit protensa manu hunc tangere, & ita sanare? Atque ita post commiserationem atque contactum, sequitur declaratio voluntatis, cùm inquit: *Volo, sis mundus*. Quia enim leprosus dixerat: *Si vis potes me mundare*, ad illa verba Christus responsionem suam accommodat. Primò enim bonitatem suam, & benignam ad subueniendum promptitudinem declarat, cum inquit: *Volo*. Secundò potentiam ostendit, cum imperatiuè inquit: *καθαρίσθητι, Esto mundus*. Obseruandum autem est, quod declaratio illa, quod Christus tam benigne, & certè petentibus, velit subuenire, quàm potenter & efficaciter ea quæ vult, potest, non nudè proponitur; sed 1. ex intimo misericordiæ affectu progreditur. 2. contactu sanctissimæ suæ carnis obsignetur. Nec vero infirma & inefficax est illa bona Christi erga nos voluntas, sed cum diceret, *Volo, mundus esto: statim lepra ab illo discessit & mundatus est*. Hæc est secunda pars historiæ, quæ continet dulcissimam declarationem quæstionis: An Christus, qui potest, velit etiam miserias nostras subleuare? Et obseruanda est doctrina: quibus consolationibus infirmitas fidei in hac quæstione erigenda & sustentanda sit.

In tertia parte huius historiæ, Christus præcipit mundato, ne miraculum illud diuulget, sed prius ostendat se Sacerdotibus. Ille vero neglecto hoc Christi mandato priusquam ad Sacerdotes pergeret, cœpit multa prædicare &c. Hæc pars historiæ multas peperit disputationes; An Christus serio prohibuerit diuulgationem? Item, an sanatus peccarit, quod hoc miraculum contra voluntatem Christi diuulgarit? Quia enim pater Filio dedit hæc opera, vt per illa manifestaretur mundo; quidam censent, Christum non serio prohibuisse diuulgationem miraculi; sed tantum modestiæ & humilitatis gratia; ne videretur ambitiosius affectare priuatam gloriam. Et dicunt; 1. Esse quoddam præceptum obedientiæ, cuius actum Deus vult, vt Exodi 20. ver. 3. & sequentibus in præceptis Legis. 2. Esse quoddam præceptum probationis, vt Genes. 22. v. 2. vbi Deus actum ipsum non vult, sed tantum ostensionem obedientiæ; vt de immolando Isaaco. 3. Esse quoddam præceptum cautelæ, vbi Deus actum ipsum non prohibet; sed tantùm inanem gloriam, quæ se bonis actibus admiscet. Et talem prohibitionem volunt hanc esse. Sunt, qui dicunt Christum, sicut physici de antiperistasi disputant, voluisse hac prohibitione accendere contrarium studium. Scit enim corruptam nostram naturam ab iis, quæ mandata sunt, abhorrere: ea vero, quæ prohibita sunt, studiosius consectari, iuxta dictum:

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Atque ideo sanatum non peccasse, diuulgando illud, quòd Deus volebat manifestari. Sed regula certa est, quæ fallere non potest: *Quicquid fit contra mandatum Christi, non est bonum opus seu cultus Dei, sed peccatum.* Et in præceptis diuinis non est fingenda talis simulatio. Sicut Augustinus Pelagianos recte reprehendit, quod fingebant, Iohannem tantùm modestiæ & humilitatis causa dicere, 1. Ioh 1. vers. 8. *Si peccatum non habemus*, &c. Addit enim: *Si aliter dicimus, veritas non est in nobis*. Et doctrina quidem ex priori sententia extruitur bona, scilicet: non affectandam esse ambitiosa prædicatione priuatam gloriam ex recte factis. Nam si vera est gloria, sponte sequitur benefacta. Aliquoties vero talis prohibitio à Christo fuit repetita; sed quomodo intelligenda sit, ex hoc loco iudico simplicissime posse colligi. Non fuisse simulationem, Euangelistæ ostendunt. Matthæus enim inquit: *Vide, vt nemini dicas*. Lucas vero vtitur verbo παραγγέλλειν, quo Græci interpretes vtuntur, in describendis magistratuum edictis, Esaiæ 1. ver. 1. 1. Reg. 10. v. 17. 15. v. 4 & 22. v. 14. &c. hoc est, quasi edicto publico ipsi prohibuit. Sed Marcus longe vehementioribus vtitur vocabulis, dicit enim: ἐμβριμησάμενος αὐτῷ, ἐξέβαλεν αὐτόν. Grammatici annotant ἐμβριμᾶσθαι, significare μετὰ δυσχερείας ἐπιτιμᾶν, aut μετ᾽ ὀργῆς λαλῆσαι, cum austeritate, & quasi minaciter aliquid mandare, aut cum ira loqui. Syrus habet verbum כאא, quod significat obiurgando prohibere. Eiicit igitur, & quasi cum fremitu expellit à se sanatum, iuxta Marci descriptionem. Syrus habet vocabulum mitius, significans ediscere, emittere, subducere. Quare vero hoc, cùm tam amanter ipsum paulo ante complexus fuerit? Respondeo: Quia sine dubio vidit & animaduertit sanatum miraculum illud non recte vsurpaturum, nec legitime prædicaturum. Quod enim Christus miraculum non voluerit silentio sepeliri, nec legitimam eius prædicationem & celebrationem prohibuerit, ex additis circumstantiis intelligi potest. Dicit enim: *Vade & ostende te Sacerdoti, &c.* Hęc enim sententia ostēdit, qualē prædicationē & celebrationem miraculorum suorū Christus requirat & probet. Et eius antithesis ostendet, quid huic leproso, & quare prohibeat. Nos capita breuiter notabimus. Primò, vt ostendat, se venisse non ad destruēdam, sed ad implendam Legem. Ideo iubet sanatum Legem, Leuit. 14. seruare. Christus enim nondū cessare fecerat sacrificiū & oblationem victima sui corporis oblata, sicut Daniel 7. versic. vltimo loquitur. Ne igitur Pharisæi ipsum criminarentur, tanquam Legis destructorem dicit: *Vade, offer*, &c. Vulgus enim putabat, Christum docere dissolutionem Legis, & eam multi quærebant in Christo. Secundò; Sacrificia, Leuitic. 41. ideo instituta erant, vt monerent, beneficium mundationis cum vera gratitudine ad ipsum DEVM referendum: præcipue vero, vt essent commonefactio de lepra peccati, & eius expurgatione per victimam Messiæ. Illud vero sanatus hic negligebat, infixus tantum in corporale beneficium. Tertio; Miracula Christi ita erant tractanda, vt illis commonefacti homines, præcipue Sacerdotes & reliqui, qui ministerio verbi præerant, ex Scriptura agnoscerent, & cæteris declararent, hunc esse verum Messiam, qui verbo & contactu lepram posset sanare. Emundatio enim peccati & immunditiei, qualis est menstruū & lepra, Messiæ tribuitur, Zachar. 13. v. 1. Ideo dicit: *Ostende te Sacerdoti & offer dona in Lege mandata.* Addi-

tur: περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου. Quod intelligi poteſt, vel, in gratiarum actionem, pro mundatione tibi iam exhibita, vel, pro emundatione Leuitica. Leproſi enim, ſicut textus loquitur Leuitic.14. iam mundati, adhuc per aliquot dies certis ſacrificiis expiabantur, priuſquam ad conuerſationem cum mundis admitterentur, Leuitic.cap.14. Et hæc erat declaratio munditiei, & reſtitutio ad conuerſationem, & ingreſſum templorum. Et quia in ſingulari Ieſus dicit, τῷ ἱερεῖ: colligitur inde, ſummum Sacerdotem ſolennem illum inſpiciendi & purificãdi leproſi ritum ſibi reſeruaſſe. Addit autem *In teſtimonium ipſis:* quod varie ab interpretibus exponitur. Quidam coniungunt cum verbo *Præcepit*, in hunc ſenſum: Offer, quæ Moſes offerenda præcipit, εἰς μαρτύριον, hoc eſt, vt eſſet Lex & ſtatutum. Leges enim vocari teſtimonia, notum eſt in Scripturis. Alij cum verbo *Offer* coniungunt: Offer, vt hoc ſit illis teſtimonium pro me, quod non ſum Legis deſtructor: vel, vt hæc oblatio ſit ipſis in teſtimonium, ne poſtea poſſint criminari te vel non fuiſſe leproſum, vel non vere mundatum eſſe. Sed eadem phraſis eſt, ſicut Matth.cap.24.verſ.14. Euangelium prædicabitur in toto orbe, in teſtimonium omnibus gentibus. Et Lucæ cap.9.ver.5. Excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium ipſis. Deuter 31.ver.19. Græci plane ita loquuntur, vbi Deus de Cantiquo Moſis dicit: Vt ſit mihi hęc cantio, εἰς μαρτύριον filiis Iſraël. Senſus igitur phraſis, iuxta Hieronymi ſententiam, hic eſt: Vt hac oſtenſione leproſi mundati, vnde diuinam potentiam Chriſti agnoſcerent, vel ſanabiles inter Sacerdotes ad agnitionem Meſſiæ præſentis adducantur, vel contumaces reddantur inexcuſabiles. Sicut alibi Chriſtus inquit: Si non veniſſem, & dixiſſem ipſis hoc, peccatum non haberent: iam vero nullam habent excuſationem. Vulgus vero miracula Chriſti aſpiciebat, narrabat & audiebat non hoc fine, ſed vel ex curioſitate, vel aliis de cauſis. Pontificij ex eo, quod Chriſtus dicit: *Vade, oſtende te Sacerdoti:* conantur neceſſitatem enumerationis omnium peccatorum in confeſſione probare: cùm non ad curandam lepram, ſed ad oſtendendum factam iam mundationem hic mittatur ad Sacerdotem. Si quis igitur allegoricam aliquam doctrinam hinc extruere velit, hoc rectè poterit dicere: Chriſtum eos, qui ad ſe conuertuntur, mittere ad miniſterium Eccleſiæ, ſicut Paulum mittit ad Ananiam, Actor.9.ver.11. Item eos, qui à communione Eccleſiæ excluſi fuerint, ſi rurſus conuerſi fuerint, examinata pœnitentia ipſorum, an vera & ſeria ſit, per Miniſterium publice rurſus eſſe recipiendos, & communioni Eccleſiæ eſſe reſtituendos. Hoc enim etiam Sacerdotes in emundatione leproſi faciebant. Sed ego, qui in allegoriis tractandis exercitatus & felix non ſum, ſimplicitatem hiſtoricam præfero; quod ſcilicet CHRISTVS illa oſtenſione indicarit, qualem diuulgationem & celebrationem beneficiorum ſuorum requirat & probet. Atque ita ex antitheſi intelligi poteſt, quare Chriſtus cum indignatione quadam expulerit hunc ſanatum, & voluerit ipſum Sacerdotibus ſe oſtendere, priuſquam diuulget miracula ſua ſilentio & obliuione eſſe perpetuo ſepelienda. Nam Marci 5.ver.19. Decapolitano mandat: Vade ad tuos, & annuncia ipſis, quæcunque Dominus tibi fecit. Sed ſi ex curioſitate aut alio carnali affectu illud fiat, aut ſi ad abuſum trahatur, hoc Chriſtus non probat. Accedit quod tunc tempus erat humilitatis. Illam igitur οἰκονομίας, ſicut Græci Theologi vocant, ita moderabatur, vt gloria Vnigeniti per miracula non excederet modum & menſuram exinanitionis; ſed quantum tunc ſufficiebat, ſcilicet, vt *in teſtimonium ipſis* manifeſtaretur. Reliqua vero plenior manifeſtatio reſeruabatur tempori glorificationis, poſt reſurrectionem ipſius. Quæ vero, quomodo, & à quibus vellet illo tempori manifeſtari, ipſe diſpenſabat; ſicut miraculum clarificationis mandabat ante reſurrectionem ſuam non eſſe diuulgandum. Et per dæmoniacum Marci 5.ver.19. miraculum ſpargi per hunc leproſum non vult. Chryſoſtomus dicit: Chriſtum non ſimpliciter prohibuiſſe, vt ſanatus nullo vnquam tempore hoc beneficium apud alios prædicaret: ſed vt prius Sacerdotibus ſe oſtenderet. Leproſus itaque ſanatus; quia non profectus eſt Hieroſolymam, vt oſtenderet ſe Sacerdotibus, & ita veram miraculi celebrationem, quam Chriſtus ipſi præſcripſerat, neglexit, ſua autem intentione, licèt forſan non mala, contra mandatum Chriſti, diuulgationem & celebrationem miraculi inſtituit, non dicendus eſt rectè & bene feciſſe. Deus enim, ſicut Ambroſius inquit: Non noſtris cogitationibus, ſed ſuis æſtimandus eſt vocibus: & quicquid cum mandato Chriſti pugnat, peccatum eſt. Hæc de prohibitione: quia in aliis hiſtoriis ſæpius repetuntur, ex hoc loco ita diiudicari poterunt.

Nec verò diſputationes tantùm tertia hæc pars hiſtoriæ continet, ſed præbet doctrinam de vero vſu miraculorum Chriſti, & præterea docet, quando ſimilia beneficia Deus nobis præſtat, quomodo illa aptè ſint vſurpanda, & ritè celebranda. Illud vero ex iis, quæ iam dicta ſunt, intelligi poteſt. Peccant igitur non illi tantum (licet grauius) qui contemnunt, negligunt, & vel plane rident, & blaſphemant talia Dei beneficia: ſed & illi non rectè faciunt, qui ex propria intentione, etiamſi non mala videatur, extra vel contra præſcriptum verbi Dei, celebrationem vel glorificationem aliquam beneficiorum Dei inſtituunt, ſicut hic leproſus: & ſicut apud Pontificios inde multi cultus, abſq; verbo Dei, inſtituti ſunt. Regula enim eſt, Deuter.12.verſic.8.& 31. *Non faciatis ſinguli, quod vobis rectum videtur, ſed quod ego præcipio vobis, hoc tantum facite, nihil addentes vel minuentes.* Et hanc regulam vult adeo fixam, & immotam ſeruari, vt non probet eos, qui ab ea diſcedunt, & abſque verbo vel priuata intentione, vel hominum traditione, licet zelo quodam, aliquid ſuſcipiant vel inſtituant, ea opinione vel intentione, quaſi ad gloriam & celebrationem Dei plus conferat, quàm ſi intra cancellos præſcripti diuini ſe contineant, ſicut exemplum huius hiſtoriæ oſtendit. Addit autem Marcus, ſanatum hunc leproſum, ex intempeſtiuo zelo, id, quod Chriſtus iuſſerat, vt, ſcilicet, Sacerdotibus ſe oſtenderet, non feciſſe; id autem, quod prohibuerat, feciſſe, diuulgaſſe, ſcilicet, πολλὰ, hoc eſt, multis & ſæpius τὸν λόγον, hoc eſt factum illud ſuæ mundationis, per Hebraiſmum. Marcus enim prædicationem leproſi duobus valde ſignificantibus verbis deſcribit κηρύσσειν, quod ſignificat publicam proclamationem, ſicut de miſſione Apoſtolorum oſtendemus, & διαφημίζειν, quod ſignificat famam vbique per omnia loca ſpargere. Et Lucas dicit: *Fama hæc de Chriſto* μᾶλλον, *magis magiſque,* διήρχετο, hoc eſt, *peragrabat hinc inde loca & populos.* Et hæc fama ex illa prædicatione leproſi ſparſa, homines in vicinis locis excitati, magna turba vndique concurrebant ad Chriſtum, ita, vt in ciuitatem non poſſet, propter turbam illam, manifeſte ingredi. Ita enim Marcus ſcribit. Ita autem hoc poteſt intelligi, cùm in hac peregrinatione oppidàtim Ieſus docuiſſet, quod poſt illam leproſi diuulgationem non potuerit ob turbas in ciuitatem aliquam ingredi. Vel, vt nomen ciuitatis per Antonomaſiam de Capernaum intelligatur, ad quam poſt peragratam Galilæam voluerit reuerti. Dicit autem Marcus, non potuiſſe ipſum ciuitatem ingredi, ſcilicet, ſicut volebat & ſolebat, ſine concurſu turbarum. Non enim fuit hoſtilis turba, quæ ipſum aditu ciuitatis prohiberet: ſed, cùm vndique plures concurrerent, videbat fore, vt, ſi manifeſte ciuitatem ingrederetur, immenſam & inuſitatam turbam promiſcuæ multitudinis in comitatu ſecum traheret. Id vero nolebat. 1. Quia tempori & menſuræ exinanitionis non conueniebat. Poſtea vero die Palmarum; cùm, vt Rex, Hieroſolymam ingrederetur, hoc admiſit. 2. Nolebat aduerſariis præbere occaſionem, vt ſpecie aliqua confirmare poſſent calumniam tentatæ & motæ ſeditionis. 3. Quia plerique ex curioſitate, vel aliis carnalibus affectibus concurrebant, non quod doctrinam & beneficia Meſſiæ ſerio vel curarent vel quærerent, ſed, vt vel prodigia viderent, vel aliquid aliud caperent. Illorum curioſitatem noluit confirmare, ſed in ipſo itinere, à turbis accurrentibus ſe ſubducens, in loco deſerto ſe abdidit. Id enim ſignificabat ὑποχωρῶν. Syrus reddidit [illegible] quod ſignificat locum mutare. Et obſeruandum eſt, quod Lucas dicit: *Secedebat in deſertum, & orabat.* Inde enim colligitur, quid Chriſtus egerit, quando non fuit occupatus docendo, & miraculis edendis, quod ſcilicet orationi fuerit intentus, orans & gratias agens pro ſuo miniſterio & officio, & pro tota Eccleſia in Nouo Teſtamento colligenda. Hæc annotatio Lucæ diligenter obſeruanda eſt. Non tamen ſimpliciter omnes tunc venientes à ſe repulit, ſed illos admiſit, qui, ſicut Lucas inquit, ideo veniebant, vt ipſum audirent, & ab infirmitatibus ſuis ab ipſo ſanarentur. Hi enim veri ſunt diſcipuli & auditores Chriſti, quos libenter admittit, qui hoc animo ad ipſum veniunt.

CAPVT

CAPVT XLIII.

CONTINENS HISTORIAM, DE SANATO Paralytico, Marc. 2. Luc. 5.

RATIO ORDINIS.

HOc loco series & consequentia historiarum apud Marcum & Lucam manifesta est, quod scilicet Iesus post peragrationem Galilææ ex secessu deserti redierit Capernaũ (hanc enim mutationem temporis & ordinis Marcus disertè addit) ac ibi sanarit paralyticum. Et Matthæus quidem hactenus consentit, quod post paralytici sanationem facta fuerit vocatio: sed post quas historias proxime præcedentes sanatio illa paralytici facta fuerit, & in Harmonia collocanda sit, Matthæus dissentit, & in ordinanda historiarum Harmonia valde magnam hoc loco difficultatem facit. Præmittit enim transfretationem, motum maris & reuersionem à transfretatione, & post illam reuersionem ponit historiam paralytici: cùm Marcus & Lucas istas historias longe post sanatum paralyticum describant. Atque ideo Osiander, Molinæus & Codomannus omnes illas historias apud Matthæum diuersas faciunt ab illis, quæ apud Marcum & Lucam describuntur. Sed cum & antea dictum sit, & res ipsa ostendit, & historias illas easdem esse, & Marcum esse simplicissimum & rectissimum ducem ac monstratorem ordinis, qui sua scriptione Matthæi historias in certum ordinem redigere voluerit, cumque hoc loco Lucas etiam cum Marco in ordine historiarum consentiat: iudico hunc ordinem historiarum à Marco & Luca monstratum & seruatum in Harmonia sequendum & retinendum esse. Et quod Marcus dicit δι' ἡμερῶν, ita intelligendum est, cùm Iesus inchoaturus peragrationem Galilææ ex Capernaum exierit, quòd iam peracta illa peragratione post plusculum temporis rursus redierit Capernaum. Nam & ita Daniel. 8. vers. 26. Græci vsurpant εἰς ἡμέρας post longum tempus: vel vt intelligatur, quod ex secessu ex deserto δι' ἡμερῶν post dies aliquot redierit Capernaum. Quomodocumq; vero phrasis illa accipiatur, est mutatio ordinis & consequentiæ præcedentium historiarum. Sed magnam parit difficultatem, quod Matthæus ipse omnium optime sciuit, quando, hoc est, post quas & ante quas historias à Christo vocatus fuerit, vt videantur reliquorum potius descriptiones ad ordinem à Matthæo positum accommodandæ esse, quàm econtra: Cùmq; simul hoc loco retineri non possit & Matthæi & reliquorum Euangelistarum ordo, nisi ex pluribus iisdem historiis diuersas facere velimus, fateor difficilem & non satis explicatam in hoc loco esse Harmoniæ rationem & ordinem. Ac multorum variis disputationibus diu multùmque consideratis, iudico nõ posse simpliciorem & commodiorem rationem inueniri, quàm quæ Augustini est, quam Gerson sequitur & alij veteres, qui post Augustinum de hoc Argumento scripserunt: quòd scilicet duæ distinctæ historiæ sint diuersis temporibus factæ, vocatio Matthæi, & conuiuium publicanorum, in domo Matthæi, vt non statim post vocationem Matthæi, secutum fuerit conuiuium illud, sed intercedente aliquo tempore & interpositis aliis multis historiis. Atque hoc modo vetustissimæ etiam Harmoniæ, Tatiani & Ammonij, distinctè ponunt primò vocationem Matthæi, & postea conuiuium Matthæi, in alio loco Harmoniæ, vt alio tempore postfactum, collocant. Ex hac ratione sequitur, vocationem Matthæi factam esse illo tempore, & illo historiarum ordine, sicut Marcus & Lucas eam describunt. Conuiuium verò Matthæi factum illo tempore & ordine, sicut Matthæi descriptio illud ponit. Nam post illud conuiuium addit Matthæus: Hæc loquente Iesu venit Primas quidam. Quam historiam Marcus & Lucas etiam, sicut Matthæus, post transfretationem factam describunt. Necesse igitur erit dicere, Marcum & Lucam, cùm vocationem Matthæi suo loco, tempore & ordine describerent, ea occasione simul per anticipationem adiunxisse narrationem de conuiuio Matthæi, & de subsecuta disputatione Christi cum Pharisæis, quam tamen longe post accidisse Iairi historia ostendit, quam cum certa ordinis notatione Matthæus statim post suum conuiuium factam scribit: Marcus verò & Lucas longe post Matthæi vocationem ponunt. Eodem modo necesse erit dicere, Matthæum, cùm post trãsfretationem & ante Iajri historiam suum conuiuium suo loco & ordine describere vellet, ea occasione simul, sicut Augustinus loquitur, per rememorationem seu recapitulationem historiam de sua vocatione, licèt aliquanto ante facta, sed ab vno nondum commemorata fuerat, adiecisse. Et quia meminerat, proxime ante suam vocationem insigne & celebre illud miraculum de paralytico, illud etiam præmisit, atque ea ratione & occasione post transfretationem ponit historiam paralytici, quæ tamen iuxta Marci notationem longe ante accidit: licèt primo intuitu videatur Matthæus paralytici historiam cum reditu Christi ex transfretatione coniungere, cum inquit: Rediit: & ecce paralyticus, &c. Sed his ita, sicut modò declaraui, positis & admissis, plana & expedita erit ratio ordinis in omnibus ferme sequentibus historiis secundi huius anni ministerij Christi. Quia verò non sunt prorsus euidentes & necessariæ demonstrationes, sed probabiles tantùm notationes seu coniecturæ, voluit eas æquo lectori, non cum sequendi necessitate, sed cum iudicandi libertate, proponere. Liberum vero sit cuique, vt vel Osiandri, vel Augustini & veterum rationem sequatur, vel aliam magis commodam iustis argumentis ostendat. Non enim articulo aliquo fidei agitur. Ego sine præiudicio veterum rationem, quæ easdem historias non transformat in diuersas, simpliciter in Harmonia sequar. Et quia Matthæus in principio 9. capitis, iuxta Augustini & reliquorum veterum rationem, loquitur de eo reditu Christi in Capernaum, quando ex transfretatione rediit ad conuiuium Matthæi, & mox post ad Iajrum quæ post accidisse ostendimus; ideo verba illa Matthæi, *Et ingressus nauim traiecit, & venit in suam ciuitatem*, hoc loco in Harmonia non posui, sed reseruabuntur ad suum locum.

HISTORIA DE PARALYTICO. MATTH. 9.

Græce	Latine
2. Καὶ ἰδοὺ προσέφερον αὐτῷ παραλυτικὸν ἐπὶ κλίνης βεβλημένον. καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὴν πίστιν αὐτῶν, εἶπε τῷ παραλυτικῷ· θάρσει τέκνον, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου.	2. *Et ecce, adduxerunt illi paralyticum in lecto decumbentem. Cumque vidisset Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Bono animo esto, fili, remittuntur tibi peccata tua.*
3. Καὶ ἰδού τινες τῶν Γραμματέων εἶπον ἐν ἑαυτοῖς, οὗτος βλασφημεῖ.	3. *Et ecce, quidam è Scribis dicebant intra sese, hic blasphemat.*
4. Καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν, εἶπεν· ἵνα τί ὑμεῖς ἐνθυμεῖσθε πονηρὰ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν;	4. *Et cum vidisset Iesus cogitationes illorum, dixit: quare vos cogitatis mala in cordibus vestris?*
5. Τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον εἰπεῖν, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι ἢ εἰπεῖν, ἔγειραι καὶ περιπάτει;	5. *Vtrum enim facilius est dicere, remittuntur tibi peccata, an dicere, surge & ambula?*
6. Ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας, τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ· ἐγερθεὶς, ἆρόν σου τὴν κλίνην, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου.	6. *Vt autem sciatis, quod potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata, tunc dicit paralytico, surge, tolle tuum lectum, & abi in domum tuam.*
7. Καὶ ἐγερθεὶς ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.	7. *Et ille surrexit, abiitque in domum suam.*
8. Ἰδόντες δὲ οἱ ὄχλοι, ἐθαύμασαν, καὶ ἐδόξασαν τὸν Θεὸν,	8. *Turba verò quæ viderant, admirata sunt, & glori-*

τὸν δόντα ἐξουσίαν τοιαύτην τοῖς ἀνθρώποις.

ficauerunt Deum, qui dedisset potestatem talem hominibus.

MARC. 2.

1. Καὶ πάλιν εἰσῆλθεν εἰς Καπερναὸν δι' ἡμερῶν, καὶ ἠκούσθη ὅτι εἰς οἶκόν ἐστι.
2. Καὶ εὐθέως συνήχθησαν πολλοί, ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, καὶ ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον.
3. Καὶ ἔρχονται πρὸς αὐτὸν παραλυτικὸν φέροντες, αἰρόμενον ὑπὸ τεσσάρων.
4. Καὶ μὴ δυνάμενοι προσεγγίσαι αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον ἀπεστέγασαν τὴν στέγην, ὅπου ἦν. καὶ ἐξορύξαντες χαλῶσι τὸν κράββατον ἐφ' ᾧ ὁ παραλυτικὸς κατέκλειτο.
5. Ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς τὴν πίστιν αὐτῶν παραλυτικῷ· τέκνον, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου.
6. Ἦσαν δέ τινες τῶν Γραμματέων ἐκεῖ καθήμενοι, καὶ διαλογιζόμενοι ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν.
7. Τί οὗτος οὕτω λαλεῖ βλασφημίας; τίς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός;
8. Καὶ εὐθέως ἐπιγνοὺς ὁ Ἰησοῦς τῷ πνεύματι αὐτοῦ, ὅτι οὕτως διαλογίζονται ἐν ἑαυτοῖς· τί ταῦτα διαλογίζεσθε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν;
9. Τί ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν τῷ παραλυτικῷ, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι, ἢ εἰπεῖν, ἔγειραι, καὶ ἆρόν σου τὸν κράββατον, καὶ περιπάτει;
10. Ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀφιέναι ἐπὶ τῆς γῆς ἁμαρτίας, λέγει τῷ παραλυτικῷ·
11. Σοὶ λέγω, ἔγειραι, καὶ ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου.
12. Καὶ ἠγέρθη εὐθέως, καὶ ἄρας τὸν κράββατον, ἐξῆλθεν ἐναντίον πάντων, ὥστε ἐξίστασθαι πάντες, καὶ δοξάζειν τὸν Θεὸν λέγοντες· ὅτι οὐδέποτε οὕτως εἴδομεν.

1. *Et iterum intrauit Capernaum post dies aliquot, & auditum est, quod in domo esset.*
2. *Et protinus congregati sunt multi, adeò vt iam non caperent eos, nec illa loca, quæ erant circa ianuam, & loquebatur eis sermonem.*
3. *Et veniunt ad eum paralyticum ferentes, qui à quatuor portabatur.*
4. *Et cum non possent appropinquare illi præ turba, nudauerunt tectum ædium, in quibus erat: perfossoque tecto, funibus demittunt grabbatum, in quo paralyticus decumbebat.*
5. *Cum autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico, Fili remittuntur tibi peccata tua.*
6. *Erant autem illic quidam de Scribis sedentes & cogitantes in cordibus suis:*
7. *Quid hic sic loquitur blasphemias? quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?*
8. *Et protinus vbi cognouisset Iesus Spiritu suo, quòd sic cogitarent intra sese, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris?*
9. *Vtrum est facilius dicere paralytico, Remittuntur tibi peccata, an dicere, Surge & tolle grabbatum tuum, & ambula?*
10. *Vt autem sciatis, quòd filius hominis habeat potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico:*
11. *Tibi dico, Surge, ac tolle grabbatum tuum, & abi in domum tuam.*
12. *Et statim surrexit, sublatoque grabbato, egressus est in conspectu omnium, adeò vt stupescerent omnes, & glorificarent Deum, dicentes: Nunquam sic vidimus.*

LVC. 5.

17. Καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, καὶ αὐτὸς ἦν διδάσκων. καὶ ἦσαν καθήμενοι Φαρισαῖοι καὶ Νομοδιδάσκαλοι, οἳ ἦσαν ἐληλυθότες ἐκ πάσης κώμης τῆς Γαλιλαίας, καὶ Ἰουδαίας, καὶ Ἱερουσαλήμ. καὶ δύναμις Κυρίου ἦν εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς.
18. Καὶ ἰδοὺ ἄνδρες φέροντες ἐπὶ κλίνης ἄνθρωπον, ὃς ἦν παραλελυμένος, καὶ ἐζήτουν αὐτὸν εἰσενεγκεῖν, καὶ θεῖναι ἐνώπιον αὐτοῦ.
19. Καὶ μὴ εὑρόντες, διὰ ποίας εἰσενέγκωσιν αὐτὸν διὰ τὸν ὄχλον, ἀναβάντες ἐπὶ τὸ δῶμα, διὰ τῶν κεράμων καθῆκαν αὐτὸν σὺν τῷ κλινιδίῳ εἰς τὸ μέσον ἔμπροσθεν τοῦ Ἰησοῦ.
20. Καὶ ἰδὼν τὴν πίστιν αὐτῶν, εἶπεν αὐτῷ· ἄνθρωπε, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου.
21. Καὶ ἤρξαντο διαλογίζεσθαι οἱ Γραμματεῖς, καὶ οἱ Φαρισαῖοι, λέγοντες· τίς ἐστιν οὗτος, ὃς λαλεῖ βλασφημίας; τίς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἰ μὴ μόνος ὁ Θεός;
22. Ἐπιγνοὺς δὲ ὁ Ἰησοῦς τοὺς διαλογισμοὺς αὐτῶν, ἀποκριθεὶς εἶπε πρὸς αὐτούς, τί διαλογίζεσθε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν;
23. Τί ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου ἢ εἰπεῖν, ἔγειραι καὶ περιπάτει;
24. Ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν, ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἶπε τῷ παραλελυμένῳ· σοὶ λέγω, ἔγειραι, καὶ ἄρας τὸ κλινίδιόν σου, πορεύου, εἰς τὸν οἶκόν σου.
25. Καὶ παραχρῆμα ἀναστὰς ἐνώπιον αὐτῶν, ἄρας ἐφ' ᾧ κατέκειτο· ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, δοξάζων τὸν Θεόν.

17. *Et factum est quodam die, & ipse docebat, erántque Pharisæi sedentes, ac Legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Hierusalem, & virtus Domini aderat ad sanandum eos.*
18. *Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante illum.*
19. *Et non inuenientes, qua parte illum inferrent, præ turba, ascendentes super tectum, per tegulas demiserunt eum lectulo in medium ante Iesum.*
20. *Quorum fidem vt vidit, dixit illi: Homo, remittuntur tibi peccata tua.*
21. *Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est is, qui loquitur blasphemias? quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?*
22. *Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris?*
23. *Vtrum est facilius dicere, remittuntur tibi peccata, an dicere, surge & ambula?*
24. *Vt autem sciatis, quod filius hominis habeat potestatem in terra remittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.*
25. *Isque confestim surgens coram illis tollens, in quo iacuerat: abiit in domum suam glorificans Deum.*

26. Et

26. Καὶ ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας, καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεόν, καὶ ἐπλήσθησαν φόβου, λέγοντες ὅτι εἴδομεν παράδοξα σήμερον.

26. *Et stupor corripuit omnes & glorificabant Deum, & repleti sunt timore, dicentes: Quod vidimus incredibilia hodie.*

HARMONIA HISTORIÆ, DE PARALYtico, ex Descriptionibus Matth. 9. Mar. 2. & Luc. 5. in vnum corpus coagmentata.

b Καὶ πάλιν εἰσῆλθεν εἰς Καπερναοὺμ δι' ἡμερῶν, καὶ ἠκούσθη ὅτι εἰς οἶκόν ἐστι· καὶ εὐθέως συνήχθησαν πολλοί, ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν. c καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, καὶ αὐτὸς ἦν διδάσκων, καὶ ἦσαν καθήμενοι Φαρισαῖοι καὶ Νομοδιδάσκαλοι, οἳ ἦσαν ἐληλυθότες ἐκ πάσης κώμης τῆς Γαλιλαίας, καὶ Ἰερουσαλήμ, b καὶ ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον, c καὶ δύναμις κυρίου ἦν εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς. f καὶ ἰδού, b ἔρχονται πρὸς αὐτὸν c ἄνδρες b φέροντες c ἐπὶ κλίνης b παραλυτικόν, καὶ αἰρόμενον ὑπὸ τεσσάρων, c ἄνθρωπον, ὃς ἦν παραλελυμένος. Καὶ ἐζήτουν αὐτὸν εἰσενέγκειν καὶ θεῖναι ἐνώπιον αὐτοῦ. b καὶ μὴ δυνάμενοι προσεγγίσαι αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον, c καὶ μὴ εὑρόντες διὰ ποίας εἰσενέγκωσιν αὐτὸν διὰ τὸν ὄχλον, ἀναβάντες ἐπὶ τὸ δῶμα, b ἀπεστέγασαν τὴν στέγην ὅπου ἦν, καὶ ἐξορύξαντες c διὰ τῶν κεράμων b χαλῶσι τὸν κράββατον, ἐφ' ᾧ ὁ παραλυτικὸς κατέκειτο, c καθῆκαν αὐτὸν σὺν τῷ κλινιδίῳ εἰς τὸ μέσον ἔμπροσθεν τοῦ Ἰησοῦ. [καὶ οὕτως] a προσέφερον αὐτῷ παραλυτικὸν ἐπὶ κλίνης βεβλημένον. l Καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὴν πίστιν αὐτῶν, εἶπε τῷ παραλυτικῷ· ἄνθρωπε, a θάρσει c τέκνον, l ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου. a καὶ ἰδού b ἦσάν τινες τῶν Γραμματέων ἐκεῖ καθήμενοι, καὶ διαλογιζόμενοι ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, a εἶπον ἐν ἑαυτοῖς, οὗτος βλασφημεῖ. c καὶ ἤρξαντο διαλογίζεσθαι οἱ Γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, λέγοντες b Τί οὗτος οὕτω λαλεῖ βλασφημίας; c τίς ἐστιν οὗτος ὃς λαλεῖ βλασφημίας; h τίς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἰ μὴ b εἷς c μόνος ὁ Θεός; b Καὶ εὐθέως ἐπιγνοὺς a καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς b τῷ πνεύματι αὐτοῦ a τὰς ἐνθυμήσεις, c καὶ τοὺς διαλογισμοὺς αὐτῶν, b ὅτι οὕτως διαλογίζονται ἐν ἑαυτοῖς, c ἀποκριθεὶς l εἶπε c πρὸς αὐτούς· h τί b ταῦτα h διαλογίζεσθε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, a ἵνα τί ὑμεῖς ἐνθυμεῖσθε πονηρὰ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν; l τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν b τῷ παραλυτικῷ, l ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι c σου, l ἢ εἰπεῖν, ἔγειραι, b καὶ ἆρόν σου τὸν κράββατον, l καὶ περιπάτει; ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀφιέναι ἐπὶ τῆς γῆς ἁμαρτίας, λέγει τῷ παραλυτικῷ, b σοὶ λέγω, l ἔγειρε, καὶ ἆρόν σου τὸν κράββατόν σου, c ὕπαγε, c καὶ πορεύου εἰς τὸν οἶκόν σου. b καὶ ἠγέρθη εὐθέως, c καὶ παραχρῆμα ἀναστὰς ἐνώπιον αὐτῶν, b καὶ ἄρας τὸν κράββατον, c ἐφ' ᾧ κατέκειτο, b ἐξῆλθεν ἐναντίον πάντων, ὥστε ἐξίστασθαι πάντας, f καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, c δοξάζων τὸν Θεόν. a Ἰδόντες δὲ οἱ ὄχλοι ἐθαύμασαν, c καὶ ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας, l καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεόν, a τὸν δόντα ἐξουσίαν τοιαύτην τοῖς ἀνθρώποις. c καὶ ἐπλήσθησαν φόβου, h λέγοντες, c ὅτι εἴδομεν παράδοξα σήμερον. b ὅτι οὐδέποτε οὕτως εἴδομεν.

b *Et iterum intrauit Capernaum post dies aliquot, & auditum est, quod in domo esset: & protinus congregati sunt multi, adeo vt iam non caperent eos nec illa loca quæ erant circa ianuam.* c *Et factum est quodam die, & ipse docebat, erantque Pharisæi sedentes ac Legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem,* b *& loquebatur eis sermonem,* c *& virtus Domini aderat ad sanandum eos.* f *Et ecce* b *veniunt ad eum* c *viri* h *ferentes* c *in lecto* b *paralyticum, qui à quatuor portabatur,* c *hominem qui erat resolutus. Et quærebant eum inferre & ponere ante eum.* b *Et cum non possent appropinquare illi præ turba,* c *nec inuenirent qua parte illum inferrent præ turba, ascendentes super domum* b *nudauerunt tectum vbi erat, perfossoque tecto* c *per tegulas* b *funibus demittunt grabbatum, in quo paralyticus decumbebat,* c *& ipsum cum lecticulo demiserunt in medium ante Iesum.* [*Atque ita*] a *obtulerunt ei paralyticum in lecto decumbentem.* l *Et cum vidisset Iesus fidem illorum, dixit paralytico:* c *Homo,* a *bono animo esto,* c *fili,* l *remittuntur tibi peccata tua.* a *Et ecce* b *erant illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis* a *dicebant intra sese: Hic blasphemat.* c *Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes,* b *quid hic ita loquitur blasphemias?* c *quis est iste, qui loquitur blasphemias?* h *Quis potest remittere peccata, nisi* b *vnus,* c *solus (scilicet) Deus?* b *Et protinus cum cognouisset.* a *& vidisset Iesus* b *Spiritu suo* a *cogitationes* c *& disceptationes eorũ,* b *quod sic cogitarent intra sese,* c *respondens,* l *dixit* c *ad eos:* h *quid* b *ista* h *cogitatis in cordibus vestris?* a *quare vos cogitatis mala in cordibus vestris?* l *vtrum enim facilius est dicere* b *paralytico,* l *dimittuntur tibi peccata tua:* l *an dicere, surge,* b *& tolle grabatum tuum,* l *& ambula? Vt autem sciatis, quòd potestatem habeat filius hominis remittendi in terra peccata, tunc dicit paralytico:* b *Tibi dico:* l *Surge, tolle lectum tuum,* c *abi,* c *& vade in domum tuam.* b *Et confestim* c *erectus* c *surgens coram illis,* b *sublato grabbato* c *in quo iacuerat,* b *egressus est in conspectum omnium, adeo vt stupescerent omnes,* f *& abiit in domum suam glorificãs Deum.* a *Turba verò, quæ viderant, admiratæ sunt,* c *& stupor corripuit omnes,* l *& glorificabant Deum,* a *qui dedisset potestatem talem hominibus.* c *Et repleti sunt timore,* h *dicentes,* c *vidimus incredibilia hodie.* b *Nunquã sic vidimus.*

Periocha huius historiæ.

QVia Christus aliquoties iam aliunde redierat Capernaũ, post translatam eò habitationem, & quia incœpturus peregrinationem Galilææ ex Capernao exierat: ideo Marcus dicit, quod *iterum* (πάλιν) *rursus ingressus sit Capernaum post dies vel multos*, à suscepta scil. peregratione Galilææ: vel aliquot, post secessum scilicet in loca deserta, de quo Marcus in præcedentibus scribit. Vtitur autem non præpositione μετὰ sed διά, quæ proprie hoc loco significat dies multos intermedios intercessisse, vel interiectos fuisse, cum ex peregrinatione illa rediret Capernaum: Ita enim Græci scriptores loquuntur, δι' ἡμερῶν δύο, exacto biduo vel post biduũ apud Dioscoridem. Item Plutarchus in Cimone: διὰ ἐτῶν τεσσάρων, post annos quatuor exactos. Et absolut. Græci dicunt διὰ χρόνου, quod non statim sit, sed intersecto temporis interuallo recurrit sed ita Marcus dicit: δι' ἡμερῶν. Quod igitur Lucas dicit, *Factum est quodam die*, hoc Marcus certa notatione determinat, tunc scilicet factum, quando post multorum dierum interuallum ex peragratione Galilææ, & post secessum deserti, rursus ingressus fuit Capernaum. Quod vero Marcus addit: *Et auditum est, quod in domo esset*, significat Iesum sine turbis, quasi latenter ciuitatem ingressum, ac prius se in domum abdidisse, quàm aduentus ipsius vulgo innotesceret. Est autem Enallage præpositionis εἰς οἶκόν ἐστι, pro ἐν οἴκῳ: sicut in præcedente capite exempla quædam ex Græcis Bibliorum interpretibus adduximus. Ne verò Enallage hæc nimium videatur insolens aut solœcismus, obseruetur, sicut in præcedenti historia εἰς Γαλιλαίαν non tantum in Galilæa significat, sed simul cõplectitur quod per totam Galilæam in synagogis docuerit: ita hoc loco εἰς οἶκόν

vtrumq; complectitur,& quod in domum suam reuersus fuerit,& quod tunc in domo, ad quam ex peregrinatione redierat,fuerit. Constat igitur,quod in Capernaum habitationem seu domum habuerit, ideo enim, vt Ciuis didrachma soluit, Matth.c.17.ver.vlt. Emptam vero propriam ibi domum ipsum non habuisse,existimo,quia dicit, Vulpes foueas habent,sed filius hominis non habet vbi caput reclinet, Matth.8.ver.20. Vel igitur in suo conducto,sicut Paulus, Actor.28.ver.30.habitauit: vel vt hospes in certa hospitij domo diuersatus fuit, sicut Apostoli Act.1.v.13. & 12.v.12. Et quia antea post sanationem dæmoniaci & Socrus Petri tota ciuitas ad ædes Simonis confluxerat, & conata fuerat Christum ibi retinere. Cum igitur post antegressam famam, quæ in peregrinatione Galilææ Iesus & doctrina & miraculis designasset, rumor spargeretur, ipsum iam rediisse Capernaum, & esse in suis ædibus,statim tanta hominum multitudo conuenit, vt non solum tota domus impleretur: sed vt ne vestibulum quidem ædium omnem illam multitudinem caperet. Hoc enim Marcus intelligit,nominans, τὰ πρὸς τὴν θύραν. Nam ita ædificatæ fuerunt domus, vt ante ianuam extra domum haberent vestibulum,sicut Mar.14. v.68. Petrus ex aula seu atrio Pontificis exit foras in vestibulum, quod ibi vocatur προαύλιον, in vulgaribus ædibus vocatur πρόθυρον. Et hoc est, quod Marcus per periphrasin hoc loco appellat πρὸς τὴν θύραν. Quod enim Marc.14.ver.68. vocatur προαύλιον, hoc Ioannes capite 18.ver. 16.ita describit:Petrus stabat πρὸς τῇ θύρᾳ,hoc est,in vestibulo. Non autem promiscua tantum multitudo conuenerat: sed quia Iesus primo anno Ministerij Hierosolymis & in tota Iudæa, ac iam secundo anno per totius Galilææ synagogas doctrinam à receptis Pharisæorum traditionibus dissentientem magno populi applausu tradiderat:Pharisæi igitur & Legisperiti vndique, non ex ciuitatibus tantum, sed ex omnibus etiā vicis & Galilææ & Iudææ, & ex ipsa Ierusalem frequentes conuenerant Capernaum, vbi ipsum habitationem habere sciebant, vt captato prætextu aliquo specioso ipsum opprimere, doctrinam eius extinguere, & studia populi ab ipso auertere possent. Cúmque reliqua multitudo staret,Pharisæis reuerentiæ gratia locum præbuerunt,vt sederent,sicut Lucas inquit.Iesus verò propter ipsorum præsentiam & captationes non subduxit se à docendo. Notant enim Euangelistæ, Iesum duo in domo illa tùm fecisse: & docuisse & sanasse. Ac licet vulgi curiositas miracula potissimum quæreret: Iesus tamen prius ac potissimum doctrinæ vacabat. Et Marcus dicit:*Loquebatur eis τὸν λόγον*: per Antonomasiam enim doctrinam seu Euangelium Dei vocat simpliciter λόγον,sermonem. Deinde, ad confirmationem doctrinæ,& ad ostendendum vsum eius miracula addidit,Mar.16.v.17. Et ne sanationes vel medicæ, vel chirurgicæ existimarentur, addit Lucas descriptionem: *δύναμις,virtus seu potentia Domini erat ad sanandum eos.* Quod Hebraismo hoc vult dicere. Dominus non pharmacis, nec oratione medebatur, sed virtutem seu potentiam suam exerebat ad sanandum ægrotos: vel Domini virtus,hoc est,diuina potentia in Iesu & per Iesum se exerebat ad sanandum infirmos.

Ex multis autem miraculis in domo illa tunc factis vnum de paralytico Euangelistæ per circumstantias describunt, quia præ cæteris insigne fuit, & quia in ea vsum ἀναγωγικόν, omnium miraculorum suorum Iesus ostendere voluit, ac simul occasionem præbere, vt de principali capite doctrinæ suæ,de remissione scilicet peccatorum, cum Pharisæis disputare posset. Vocant autem medici παραπληξίαν,quando in toto corpore resolutione neruorum & musculorum sensus & motus intercipiuntur. Quando vero illud fit,vel in parte aliqua corporis, puta in oculo,in lingua, vel in vno latere,tunc vocatur παράλυσις vel ἡμιπληγία.Hic paralyticus verò non in parte aliqua corporis,vel in vno latere tantum læsus fuit, vt duci potuisset:sed in toto corpore nerui intercepto motu ita resoluti fuerunt,vt non posset in sella sedere,sed vt lecto affixus à quatuor portaretur. Et hoc est quod Celsus dicit:vtrumque, & ἡμιπληγίαν & παραπληξίαν, sæpe vocari paralysin. Syrus משרא, paralyticus membris & compaginibus solutus,à שרא à dissolutione. Lucas addit ideò vocari paralyticum, quia fuerit παραλελυμένος resolutus, quando scilicet ex remissione & resolutione nerui & musculi officium suum non faciunt ad ciendos in corpore motus & sensus. Nam & qui ab officio aliquo vel abdicantur, vel excipiuntur, Græcis dicuntur παραλύεσθαι τῆς ἀρχῆς ἢ λειτουργίας.Hęc descriptio ideo obseruanda est,vt magnitudo miraculi considerari possit. Est enim morbus ille vt plurimum incurabilis, vel lentissima est eius curatio,& restitutio nunquam plena. Cum igitur multitudo conferta vel non posset,vel non vellet,vtpote in morbo prorsus desperato, baiulis locum dare, nec per ianuam aliquam vel fenestram possunt lectulum cum paralytico inferre:baiuli tamen non fuerunt vel absterriti, vel laboris pertæsi, cum prætextu illo vti potuissent, quod non pateret aditus,sicut in subleuandis aliorum miseriis tales prætextus auide non tam arripimus quam quærimus. Sed tam indefessum caritatis studium ad iuuandum miserum in baiulis illis fuit, vt cum alia ratione non possent, magna difficultate & modestia multoque labore, super tectum domus paralyticum cum lectulo subleuarint,ac inde perfosso tecto ipsum funibus demiserint. Quod caritatis studium quantopere Christo probetur, historia ostendit: *Iesus enim vidēs fidē illorū dixit, &c.* In exemplum igitur omnibus ad imitationem hoc caritatis studium, tanquam cultus Christo gratissimus,in his baiulis proponitur. Ac simul pictura est,quomodo in tentationibus & calamitatibus ad Christum nobis conentur intercludere hominum iudicia: quales fuerunt amici Iobi,& qui Psalm.3.vers.3.dicunt: Non est salus ipsi in Deo eius. Item: Legis iudicium & propriæ conscientiæ accusationes. Et quomodo per illa omnia fides corrumpere debeat, vt in conspectum Christi Mediatoris se demittat. Fuerunt autem in Palæstina tecta domorum non acuminata,sed plana. Ascenderunt itaque super domum & detexerunt tectum. Talis enim agnominatio est apud Marcū: ἀπεστέγασαν στέγην. *Habendas Dach auffgedeckt.* Et ἐξορύξαντες, hoc est,facto, per tegulas, quas fictiles fuisse Lucas vocabulo κεράμων ostendit,& per contignationes foramine tanto,quātū lectuli spatio sufficiebat, funibus paralyticū cum lectulo demiserunt in medium ante conspectum Iesu, nihil addentes vel verborum vel obtestationum.Vnde recte colligitur ipsos apud se statuisse, fore, vt Iesus ad commiserationem & auxilium optatum flecteretur, si miseria paralytici oculis & conspectui ipsius proponeretur. Ac sane efficacissima est hæc ratio,vt in oratione,vel nostras & aliorum, pro quibus intercedimus, miserias conspectui & oculis Christi exponamus, ac nihil ipsi præscribamus. Hac enim ratione συμπαθὴς pontificis nostri,qui misericors est, Hebræ.2. ver.17. plus & facilius, quam prolixa rhetoricatione mouetur. At quando exacte orare non possumus, vota nostra gemitibus,suspiriis & reipsa declaremus.Atque hæc de paralytico & de baiulis.

Sequitur autem, quomodo Christus paralyticum illum exceperit: *Et cum vidisset Iesus fidem illorum.* Quod intelligi potest: vel,quod Iesus, licet ipsi nihil dicerent aut peterent, fidem in cordibus ipsorum latentem,vt (Deus) viderit & cognouerit,sicut Psalmus inquit: Gemitus cordi mei à te non est absconditus: Psalm.37.v.10. & Rom.8.ver.27. quando non scimus,quid petere debeamus,Spiritus scrutatur corda, &c. Vel quod ex laborioso illo potantium conatu, & ex paralytici patientia fidem illorum viderit,sicut Iacobus inquit cap.2.v. 18. Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis,& Gen.22.ver. 12. Nunc agnoui,quod timeas Dominum. Quod vero Euangelistæ non dicunt, videns patientiam paralytici, & studium caritatis in baiulis:sed videns fidem illorum,cum tamen & illa Christo grata fuisse, non sit dubium: In eo duo notanda sunt.1.quod fides, etiamsi adsint aliæ etiam virtutes,sola sit instrumentum seu organum illud, quo beneficia Christi, præsertim vero remissio peccatorum accipitur. 2. Quod reliqua opera Deo probentur & accepta sint, si ex fide oriantur,& in fide fiant.Hebræor.11.ver.6. Dicturus igitur studium illud caritatis & patientiam sibi probari, dicit se fidem illorum vidisse.Ex radice enim fructus indicat & probat. Quod vero Euangelistæ dicunt, *Videns fidem illorum*, Ambrosius & Hieronymus intelligunt de solis portantibus, ac multa disputant de fide aliena,quid illa conferat & impetret aliis. Et potest quidem fides alterius intercedendo sanitatem & alia corporalia beneficia alteri impetrare:potest etiam impetrare,vt alter ad agnitionem verbi veniat,atque ita propria fide à Deo donetur. Sed quia ad accipiendam remissionem peccatorum cuique opus est propria fide. Iustus enim sua fide viuet:ideo Chrysostomus rectius fidem illorum refert, & ad portantes, & ad paralyticum, qui & remissionem peccatorū & sanitatem accipit. Nisi enim fidem habuisset,non tam patienter sustinuisset super tectum submitti, sicut recte inquit Chrysostomus. Ita conuenit hæc sententia ad dictum Iacobi 5.14. Si quis fidelis infirmatur, accersat presbyteros,& orent super eum. Et oratio fidei sanabit ipsum:& si in peccatis fuerit,dimittentur ei. Ex eo verò,quòd Iesus scribitur fidem illorum vidisse, & ex sequenti verbo θάρσει Iansenius Episcopus Gandauensis recte colligit, fidem, cui consecutio beneficiorum Christi in Euangelio tribuitur,duo complecti:1.in mente seu intellectu assensionem verbi,credulitatem, præclaram existimationem de potentia & bonitate Christi: 2. complecti etiam in voluntate fiduciam consequendæ salutis, ex firma persuasione bonitatis & potentiæ Christi conceptam.Et hæc duo ita ad inuicem cohærere, vt nec vera fiducia esse possit sine tali credulitate,nec credulitatē sine tali fiducia aliquid à Deo impetrare:& fiduciā ex tali credulitate nasci. Et in quibusdam locis vbi fides nominatur,respectum haberi magis ad credulita-

credulitatem, in quibusdam vero magis ad fiduciã, & tamen vtrumq; simul comprehendi. Quod testimoniũ scriptoris Pontificij diligenter notandũ est. Quod verò Christus petenti sanitatem corporis primò remissioné peccatorum offert, in eo multiplex doctrina proponitur. Voluit enim primò verũ vsum miraculorum suorũ ostendere: quod scilicet miraculis suis nõ affectet laudem præstandis medici vel chirurgi; sed quod sanando morbos corporis, qui sunt effectus & pœnæ peccati incurrentes in sensus, ostendat se esse medicum animæ, qui venerit ad tollenda peccata. 2. Voluit ostendere, morbos & cæteras calamitates esse pœnas peccati, & commonefactiones de peccato. Ne igitur cura fit vel superficialis vel palliatiua, sed radicalis siue solida, docet cogitandum, vt intima causa, verus fons & radix morborum prius tollatur & obstruatur, peccatum scilicet: vt ita beneficium curationis sit integrum, & totus homo sanetur anima & corpore. 3. Quia tunc homines miracula tantùm quærebant, & generaliter omnes in ærumnis leuationem tantum aliquam in carne quærimus, de peccato vt remittatur non multum aut non seriò solliciti: vt cum quis in podagra mitigationem tantùm dolorum quærit, causa morbi non tantum manente, sed per illam mitigationem magis exasperante. Vt igitur beneficium sit salutare, ne post corporalem leuationem peius quid nobis accidat, sicut quando impiis leuatio quædam in ærumnis accidit, qui postea euitato leone incidunt in vrsum & scorpionem, Amos 5. ver. 19. ac tandem in æternam damnationem, monet Iesus ab eo ordiendum esse, vt causa calamitatum ante omnia tollatur, vt scilicet remissionem peccatorum quæramus, & Deus placatus à flagello manum retrahat. Atque ita methodus seu processus cœlestis in morbis integre & salutariter curandis hoc loco præscribitur. Vnde Iacobus cap. 5. versi. 14. regulam suam ne infirmis extraxit. Et Ioh. 5. ver. 14. Ecce sanus factus es: noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat. Beda hoc loco tradit infirmitates immitti. 1. propter peccata, vt hoc loco, & sicut lepra Miriam. 2. ad probationem, vt Iob. 3. ad reprimenda peccata, & ad custodiam virtutum, vt Paulo ne efferatur. 4. ad gloriam Dei: vt cœco nato. 5. ad initium æternæ pœnæ, vt Herodi. Quod verò dicit, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Digna est hæc sententia, cuius singula vocabula expendantur. Duplici autem nomine Iesus paralyticum compellat. Apud Lucam dicit ἄνθρωπε, ô homo. Cumque homo appelletur אנוש à morbis, miseriis & calamitatibus, hac ipsa compellatione Iesus ostendit commiserationem & sympathiam suam, condolens calamitati eius, sicut nos proprie dicimus: *Ach du armer elender Mensch.* Apud Matthæum & Marcum dicit τέκνον, fili. Qua compellatione promptum animi sui affectum ad subleuandum miserum ostendit: sicut pater miseretur filiorum, Psal. 103. ver. 13. & sicut mater miseretur filij vteri sui, Esaiæ capite 49. ver. 15. Miseri igitur, si fide ad Christum accedant, non est quod vereantur ne ab ipso vel repellantur, vel durius excipiantur: se enim miseriis nostris condolere, & ad subleuandas eas promptum esse, his duabus compellationibus, *Homo & fili* ostendit. Præterea verbum θάρσει in Græca lingua valde emphaticum est, significat enim se colligere, animum sumere, præsenti animo esse, in spem certam venire, confidere in bonum, fiduciam habere. Syrus reddit לבב fis bono corde seu animo. Græci interpretes Gen. 35. ver. 17. Exod. 14. ver. 13. & 20. ver. 20. 3. Reg. 17. ver. 13. Ioelis 2. ver. 21. Agg. 2. ver. 6. Zach. 8. ver. 13. & 15. & alibi reddiderunt θάρσει, vbi Hebræa habent. Noli timere: ne timeas. Ac Prou. 31. ver. 11. verbum fiduciæ & confidentiæ בטח ita expresserunt: cor mariti θαρσεῖ, confidit in vxore. Quia igitur, sicut hinc manifestum est, verbum θαρσεῖν opponitur timori, trepidationi, consternationi, & perturbationi animi seu pusillanimitati, hoc ipso verbo Christus ostendit, paralyticum, licet bonam de Christi benignitate spem conceperat, ex consideratione tamen peccatorum suorum, quorum pœnam morbum suum esse ex Lege, Deut. 28. ver. 58 didicerat, perturbatum & cõsternatum fuisse, vt timuerit, trepidarit & aliquid dubitarit. Christus verò dicens θάρσει, eximit ipsi timorem, perturbationem & dubitationem: ac iubet ipsum concepta certa fiducia & spe bono & quieto animo esse, proposita promissione remissionis peccatorum. Hoc igitur significant verbo θάρσει Iesus & luctam & confirmationem fidei in paralytico describit. Et quia antea dixerat, videns fidem eorum atque nunc addit verbum, Confide: Ostendit igitur fidem per fiduciam apprehendere & accipere remissionem peccatorum. Docemur etiam quomodo infima & trepidantia fidei initia Iesus prouehat, addita scilicet aucta & confirmata in se fiducia. Est vero & verbi *Remittendi* seu *Dimittendi* magna emphasis. Vsurpatur enim. ἀφιέναι αὐτῷ χρέος, quando creditor debitorem per acceptilationem à debito liberat. Item ἀφιέναι τινὰ τοῦ ἐγκλήματος aliquem à crimine intentato absoluere & liberare. Porrò ἀφέωνται quidam interpretantur optatiue (remittantur) sicut dicitur, misereatur tui Deus, & dimittat tibi peccata. Sed huic sensui non conuenit, quod Christus dicit, Confide. Nec Pharisæi occasionem calumniæ inde sumere potuissent, si optatiue Christus locutus fuisset: ita enim quiuis potest alteri optare. Quidam accipiunt pro futuro: Confide, remittentur tibi peccata. Sed Græci futurum aliter formant, Leuit. 4. ver. 20. 26. & sequentibus ἀφεθήσεται peccatum. Erasmus intelligit non tam optatiue quàm imperatiue, Volo vt peccata tua tibi remittantur: vel, remissa sint. Sicut Germanica ita dicimus: *Sey getrost, deine Sunde sollen dir vergebe seyn: Es soll dir vergeben seyn: Die Schuld soll dir quitt gegeben seyn.* Sed simplicissima explicatio est, quæ ex Grammatica ratione sumitur. Ostendit enim Varinus esse præteritum Atticum ἀφέωνται pro ἀφεῖνται, remissa sunt tibi peccata. Et Syrus etiam reddidit per præteritum, remissa sunt. Atque ita prorsus vsurpatur, 1. Ioh. 2. ver. 12. Scribo vobis pueri, quia ἀφέωνται remissa sunt vobis peccata. Et Luc. 7. versi. 47. dimissa sunt ei peccata multa. Atque in eandem sententiam per præteritum Christus dicit Æmorrousæ: Confide filia, fides tua te saluam fecit, Matth. 9. ver. 22. Et hęc ideo obseruanda sunt, vt sciamus, Christum per ministerium non tantùm optare, sed certò conferre nobis remissionem peccatorum. Sicut Gerson erudite & recte disputat, Absolutionem non tantum optatiue per medium precationis confitendam: sed iuxta hanc sententiam: Item iuxta hæc dicta, Quicquid solueritis: quorum remisetitis, &c. etiam affirmatiuè.

Scribæ verò, qui animo captandi aliquid assidebant, existimantes se palmarium aliquod reperisse, non quidem audebant palam Christo præsenti contradicere: sed taciti apud se cogitabant, se absentem apud suos velle blasphemiæ accusare. Quod enim Matthæus inquit: *Dicebant intra se*, hoc reliqui ita explicant: *Cogitabant in cordibus suis.* Et licet Iesus non directe dixerat, Ego remitto tibi peccata: sed, *Remissa sunt tibi peccata*: quia tamen calumniæ proprium est, omnia in peiorem partem detorquere, ideo non quærunt, quomodo Iesus intelligi hoc velit, sed cum reuera doleant, quod paralyticum ad consequendam remissionem peccatorum nõ mittat ad sacrificia: aliud tamen prætexunt, blasphemiam scilicet, quia huic crimini sciebant in Lege constitutam pœnam capitalem, & Christum è medio sublatum cupiebant. Ita autem cogitant se blasphemiam ipsi impingere posse. Remittere peccatum solius Dei proprium est, Esa. 43. versi. 25. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter mé. Psalm. 32. versi. 2. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, &c. Et blasphemia est, quando homo vel sibi vel alteri tribuit quod Dei proprium est. Hic ergo *blasphemat*, sicut Matthæus loquitur. Apud Lucam dicunt: *Quis est iste, qui loquitur blasphemias?* hoc est, Iste non potest esse vel Messias, vel Propheta à Deo missus, quia blasphemias loquitur. Apud Marcum dicunt: *Quid hic ita loquitur blasphemias?* significantes, non dissimulandum aut tolerandum sibi hoc esse. Meminisse autem debuissent, in Prophetis Messiæ tribui mundationem à peccatis, sicut & Baptista testificatus fuerat: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Iohann. cap. 1. v. 29. Sed calumniæ proprium est, non inquirere, sed peruertere. Quod vero ad vocabula attinet: blasphemia in genere significat conuitia & criminationes. 1. Corinth. cap. 4. versi. 13. Nos Apostoli blasphemamur. Ephes. cap. 4. versi. 31. blasphemia pro maledicentia vsurpatur. Per Antonomasiam verò ad Deum refertur, sicut & verbi Hebræi גדף talis ratio est. Et quando Deo aliquid tribuitur, quod dignitati eius derogat: vel negatur de eo, quod ei competit, vel nomen eius irreuerenter tractatur, aut conuitiis incessitur, tunc construitur cum Accusatiuo, Leuit. 24. ver. 11. 16. 23. Blasphemare nomen Domini, 4. Reg 19 versi. 22. Blasphemauit Deum. Quando vero creaturis id, quod Dei proprium est, tribuitur, tunc absolute vsurpatur, vt hoc loco: Hic blasphemat. Et Matt. 26. v. 65. Pontifex dicit, Blasphemauit. Sed Marc. 3. v. 29. vbi miracula tribuuntur Beelzebulo, dicuntur blasphemare in vel contra Spiritum sanctum.

Quia vero proprium & principale Christi officium est remittere seu tollere peccata, ideo Christus multis modis & argumentis ostendit, se habere potestatem remittendi peccata. Nam primo, quia Pharisæi taciti apud se cogitabant, Iesum vt hominem non debere sibi potestatem remittendi peccata, quæ solius Dei propria sit, vsurpare. Non igitur expectat, donec ipsi ea, quæ cogitant, proferant, sed statim, & non ex signis quibusdam, nec ex aliena reuelatione, sicut Prophetæ, sed proprio suo diuino Spiritu, sicut Marcus scribit, vidit quid in recessu cordis cogitarent: cumque & hoc solius Dei proprium sit 2. Paral. 6 ver. 30. Tu solus nostri corda filiorum hominum, Psal. 7. ver. 10. Scrutans corda & rene Deus. 1. Reg. 16. ver. 7. Homo videt ea quæ patent, Deus autem cor intuetur. Iesus igitur exponens Pharisæis, quid taciti apud se in intimis cordium recessibus cogitabant, ostẽdit se plus esse quam ho-

minem: & eadem potestate, diuina scilicet, qua secreta cordium videat, se etiam peccata remittere posse. Atque ideo nō esse blasphemiam, quod vsurpet potestatem remittendi peccata, quæ alias nudæ creaturæ non conuenit. Secundo, apud Matthæum dicit esse malas & impias cogitationes, sentire quasi Christus non habeat potestatem remittendi peccata. Tertio illud comprobat & confirmat hoc miraculo, quod subito & solo verbo paralytico, ex morbo incurabili plenam & integram restituit sanitatem. Consideretur autem, quæ sit ratio consequentiæ in hoc argumento. Habeo potestatem verbo curandi paralyticum. Ergo habeo etiam potestatem verbo remittendi peccata. Certe multi Sanctorum habuerūt potestatem verbo sanandi: qui tamen hanc consequentiam inde texere nec potuerunt, nec debuerunt. Sed in hac argumentatione Christi *συνεχὲς*, hoc est: quod Christus non alterius nominis inuocatione, nec aliena virtute, sed solo iussu, propria potestate & cum auctoritate præcipiendo sanauit. Inde probat se alteram etiam habere potestatem. Reliqui verò Sancti dicunt, non propria potestate aut sanctitate facimus miracula, Act. 3. ver. 12. Deinde vero miracula probant id, in cuius attestationem mandato Dei adhibentur. Sunt enim quasi sigilla Dei, quibus Deus doctrinam, quæ ipsius mādato proponitur, confirmat & comprobat. Quia igitur hoc miraculum adhibetur, ad probandam potestatem remittendi peccata in Christo: ideo bona & firma est consequentia. Sed videamus quomodo in textu Christus hoc probet. Quando igitur dicit: *Vtrum facilius est dicere?* verbum *Dicere* potest referri vel ad præcedens *facilius*, vtrum facilius est dicere, vel potest coniungi cum sequentibus: vtrum facilius est, vel dicere surge, vel dicere, remittuntur tibi peccata? Cumque reuera maioris potentiæ opus sit remittere peccata, quam sanare ægrotum: Christus tamen hoc loco secundum Pharisæorum iudicium loquitur. Putabant enim facilius esse dicere, *Remittuntur tibi peccata*. Non quod putarint leuiorem esse remissionem peccatorum, quàm sanationem morbi; antea enim insimularant Iesum blasphemiæ, non cum ægrotos sanaret, sed cum diceret: *Remittuntur tibi peccata*. Sed quia effectus horum verborum obscurus & incognitus est, ita vt sensibus non sit expositum, an certam & veram habeant efficaciam, quando dicitur: *Remittuntur tibi peccata*. Sensus igitur est: ita aliquid dicere, vt sensibus redargui non possis: sed vt de certa verborum efficacia, & de effectu inde sequente, manifeste omnibus constet & sensibus pateat. Sed difficilius est dicere, *Surge & ambula*, quam dicere, *remittuntur tibi peccata*. Ergo quod difficilius vobis videtur faciam, vt & alterum, quod propter effectus obscuritatem videtur vobis facile dici posse, cognoscatis etiam verum & certum esse, licet sensibus non appareat. Hoc modo Theophylactus hanc sententiam Christi explicat. Potest vero etiam ita explicari: quia *dicere* hoc loco significat non inania verba frustra fundere: sed potenter & cum efficacia aliquid dicere ita, vt eius quod dicitur effectus reipsa, certo & vere consequatur. Vt sensus sit: *Vtrum facilius est &c.* hoc est, neutrum est facile: sed vtrumque supra humanam virtutem diuinæ potestatis est, cum filius Dei sit, verbo præstare quicquid voluerit. Hoc tantum interest: quod in vno *Surge & ambula*, si effectus sensib. conspiciatur, consequi manifeste deprehenditur, non falso aut blaspheme illum, qui dicit, hanc potestatem sibi vendicare. Non autem manifeste ita deprehendi hoc potest, si quis dicendo *remittuntur tibi peccata* illam potestatem sibi vendicet. Vt igitur certo cognoscatis, quod non falso, non arroganter, non blaspheme mihi vendicem potestatem remittendi peccata: sed quod vere eam habeam, ecce manifesto effectu sensibus vestris ostendam efficaciam horum verborum: *Surge & ambula*. Cumque res ipsa declarabit, quod non falso mihi arrogem illam sanandi potestatem, sed quod vere illam habeam: & cum idem verbum & eadem seu æqualis potestas, licet in diuersis subiectis seu operibus, exerceatur, tandem habeat efficaciam. Ergo non debetis dubitare, vel blasphemum iudicare, quando dico, *Remittuntur tibi peccata*: sed ex signo illo externo potius debetis statuere, quod vere etiam, sicut verbis promitto, habeam inuisibilem & insensibilem potestatem remittendi peccata, quodque verba mea, quibus remissionem peccatorum promitto & cōfero, tam certam & potentem habeat efficaciam, sicut quando dico, *Surge & ambula*. Vsitatum enim in Scriptura est, quod Deus efficaciam verbi sui in Ecclesia, ex manifesta eius potentia in articulo creationis ostendit & probat. Atque hinc simplicissime sententia verborum Christi intelligi potest. In hanc ferme sententiam Hieronymus quæstionem illam explicat. Ita ergo hoc miraculo Christus ostendit, probat & confirmat filium hominis, hoc est Messiam, qui in exinanitione habitu inuentus fuit vt alius quispiam homo, (illam enim appellationem Messiæ appropriatam fuisse supra ostendimus) habere potestatem remittendi peccata non vt ministrum, sed vt filium, Mediatorem & Dominum: nam Apostolis quidem etiam dictum fuit: Quicquid solueritis: Item quorum remiseritis peccata, &c. sed illi vt ministri & testes ministerio tantum remittunt peccata in persona Christi, 2. Corinth. 2. v. 10. Christus vero remittit peccata: Primo merito: expians scilicet sua morte peccata. Secundo, auctoritate & potestate, quam vt Mediator accepit à patre. Pater enim dedit Filio omne iudicium, Ioann. 5. vers. 22. & Ioann. 17. ver. 2. dedit ei potestatem omnis carnis, vt det ei vitam æternam. Tertio remittit vt verus Deus. Particula vero *in terra* si referatur ad præcedentia, sensus erit: quod filius hominis, licet in terra summa exinanitione tunc versaretur, habuerit illam potestatem. Multo igitur magis nunc in cœlo, ad dextram Dei exaltatus, illam habet. Vel, quæ sententia planior est, si referatur ad sequentia: quod Christus habeat potestatem remittendi peccata in terra. Ita enim plena consolationis erit hæc particula. Iniquitates enim diuidunt inter nos & Dominum, Esa. 59. ver. 2. inde conscientia, quando apud Deum quærit remissionem peccatorum, suspensa, anxia & dubia est, quid Deus in cœlo statuat, an deneget, an vero annuat. Misit igitur filium Mediatorem, instructum hac potestate, vt in medio Ecclesiæ suæ, quæ in terris est, adsit, atque ita præsens in terra remittat nobis peccata: vt certi simus ea etiam certo in cœlis remissa & soluta esse. Hæc potestas & auctoritas soli Christo Mediatori data & concessa. Exerit autē & exercet illam potestatem vel immediate, vt hoc loco: vel mediate per ministerium Euangelij, cui vere adest, sicut Mat. 18. v. 18. vbi dicit: Quicquid solueritis in terra, solutum erit in cœlo. addit v. 20. Ego sum in medio vestrum. Et Paulus inquit 2. Corinth. 10. Quicquid condonaui, in persona Christi cōdonaui. Christus enim in me loquitur, 2. Corinth. 13. v. 3. Et Christus per me operatur, Rom. 15. v. 18. Ita dulcescit doctrina de clauibus: quicquid solueritis, quorum remiseritis peccata, &c. quando scimus & ex verbo statuimus, Christum ipsum ministerio adesse, & per illud potestatem remittendi peccata, quam vt Mediator habet in terra, apud nos exercere & exerere, non minus certo, vere & efficaciter, quàm cùm paralytico huic immediate diceret: *Confide, remittuntur tibi peccata tua*. Sicut hoc loco Chrysostomus inquit: Filius hominis per eos quoque dimittit peccata, quibus dimittendi tribuit potestatem. Quando vero à claue in terris per ministerium soluēte filius hominis Mediator toto cœlo separatur, tunc ministerium nihil aliud est, quàm narratio vel *testificatio de re*, quæ alibi quærenda & conficienda est. Sicut *multi* quia Christum à claue in terris soluente separant, frigidissime de absolutione disputant. Diligenter itaque obseruetur, filium hominis habere & exerere potestatem remittendi peccata in terra.

Sequitur autem in textu descriptio miraculi. Porro verba illa: *Vt autem sciatis, quod filius hominis, &c.* propter continuationem cum sequentibus quidam accipiunt tanquam Euangelistarum verba in hanc sententiam. Pharisæi dubitabant & calumniabantur: vt autem vos lectores sciatis, filium hominis habere hanc potestatem, tunc dixit paralytico, &c. Sed rectius est vt accipiantur, ipsius Christi esse hæc verba: *Vt autem sciatis filium hominis habere potestatem &c.* Vt sic continua Christi oratio cum præcedentibus, cui Euangelistæ quasi per paraphrasin interseruerunt illa verba: *Tunc dixit paralytico*. Ita enim gestus Christi depingere voluerūt, cum priora ad Scribas conuersus dixisset, quod tunc in paralyticum se conuerterit, & sermonem ad ipsum direxerit: *Tibi dico: Surge & ambula*. Cumque antea dixisset: Remissa sunt tibi peccata, tam vt planius ostendat, se cum potestate loqui, inquit: *Tibi dico, Surge*: vt intelligamus eandem rationem potestatis suæ esse etiam in remittendis peccatis. Descriptio autem miraculi planior erit, si inter paralysis descriptionem suprà positam, & inter hanc restitutionem instituatur antithesis. Paralysis enim vel est incurabilis, vel cura eius per longa interualla valde lenta est, & restitutio nunquam plena siue perfecta. Sed quando Christus hoc verbum dicit, statim manifesta & præsens diuina virtus adest, quod hic talis paralyticus, sicut supra descriptus fuit, non paulatim, tarde & ægre incipit se mouere: sed statim, quasi nullam vnquam sensisset paralysin, 1. erigit se, 2. surgit. 3. stat & ambulat. 4. lectulum suum, in quo affixus decubuerat, colligit. 5. ipsam lecticam sustulit in humeros. Κράβατον enim, sicut Marcus appellat, fuisse genus lecticę paruæ & portatilis, ex hac historia colligitur. Matthæus vocat κλίνην: Lucas verò κλινίδιον. Et hæc omnia fiunt in conspectu totius multitudinis, quæ aderat, sicut Marcus inquit. 6. Portat lecticam cum lectisterniis per ciuitatem vsque in domum suam, ne putetur præstigiatrix phantasia esse, inquit Chrysostomus, vtque non tantum qui in domo præsentes aderant, testes essent huius miraculi, sed tota ciuitas. Idque paralytico publice & palàm glorificante seu celebrante Deum, vt qui

manifesta

manifestè sensit plenam & perfectam restitutionem motus & virium in omnibus suis membris.

Postremo describitur, quid ex hoc miraculo consecutum sit: quod scilicet omnes, qui spectatores fuerunt, obstupuerint. Significat enim ἐξίστασθαι, quando præ vehementi admiratione homo quasi attonitus,extra se raptus,vel non apud se esse videtur.De raptu enim propriè ἔκστασις vsurpatur. Ac stupendum profectò spectaculum fuit: quod qui paulo ante velut exanime cadauer lecto affixus à quatuor portabatur, cuique turbæ ideo nolebant transitum & aditum ad Christum præbere, quia iudicabant morbum eius prorsus esse deploratum & desperatum, nunc subitò surgat,& gestiens ac alacer tantæ sarcinæ, quæ nuper quatuor habuerat baiulos, gestandæ solus sufficiat, atque ideo conferta multitudo exeunti locum dedit, quem adueniente negauerat. Et Marcus dicit, ad primum hoc spectaculum, *Omnes*, sub quibus etiã Scribæ & Pharisæi comprehenduntur, *obstupuisse*. Postea vero Matthæus turbas disertè nominat, tacitè insinuans, Pharisæos post primam admirationem, ex inuidia & maleuolentia, suo more ad calumnias conuersos. Apud reliquam vero multitudinem Euangelistæ dicunt tria ex miraculo illo consecuta. 1. Quod ex vehementi admiratione attoniti stupore correpti fuerint: sicut Lucas inquit, *Dicentes, hodie vidimus παράδοξα*, hoc est, admirabilia, noua, insolentia, quę præter omnem expectationem & contra omnium opinionem sunt, *quæ nunquam ita vidimus*: sicut Marcus παράδοξα declarat. 2. *Repleti fuerunt timore*, inquit Lucas. Quod non intelligendum est de timore fugiete Christum, sicut glossa: Si crederent, non timerent, sed diligerent. Sed ita intelligendum, quod timuerint, ne scilicet de persona, doctrina & factis Christi frigide & leuiter sentirent aut loquerentur, vel cum Pharisæis calumniis studerent: sed vt reuerenter, tanquam de magno Propheta sentirent, timentes ne ipsum Deum in Christo offenderent. 3. *Glorificârunt Deum*, tribuendo gloriam & gratiarum actionem, *quod talem potestatem*, remittendi scilicet & remittendi peccata, *dedisset hominibus*, hoc est humanæ naturæ in Christo. Nondum sane rectè & satis personã Christi tunc agnouerunt, quod scilicet esset Deus manifestatus in carne, quodque ipsi Messiæ & Mediatori potestas & auctoritas remittendi peccata data esset: Initium tamen fidei & gradus ad pleniorem agnitionem fuit, & Christus linum fumigans non extinguit, sed accendit, & initia fidei in celebratoribus illis boni consuluit. Quanto vero magis nos decet glorificare Deum, qui ex verbo Dei scimus, Christo datam omnem potestatem in cœlo & in terra, humanam naturam in Christo ita exaltatam ad dexteram patris, vt cum ea & per eam tanquam Rex, Pontifex & caput nostrum, miseram nostram naturam remissis peccatis velit restaurare, saluare & glorificare: quodque iam ministris suis in terra dederit hanc potestatem, quicquid solueritis,&c. quorum remiseritis,&c. ita, quod illorum ministerio adesse & per illud vult efficax esse? Et quia Christus ipse dicit, se per corporalem sanationem huius paralytici ostendere & confirmare, quod sit spiritualis medicus animæ, remittens peccata: potest igitur non incommode hoc ad allegoriam accommodari, vt, sicut in paralysi corporis ex prauis humoribus fit resolutio neruorum, ita est paralysis animæ, quod hæc per peccatorum corrupta & deprauata est in omnibus viribus seu potentiis, vt spirituales actiones nec incoare nec efficere possit, sed morbo prauæ concupiscentiæ quasi lecto affixa, viuens mortua est. Quando vero ministerio verbi, contra obstacula Diaboli, mundi scandala & carnis arbitrium colligitur, vocatur & adducitur ad Christum: tunc ille peccata dimittit, & corruptam naturam Spiritu, collatis nouis donis & facultatibus spiritualibus, renouat & corroborat, vt iam non amplius iaceat in peccato, vt in lecto: sed illi dominetur, membra præbeat arma iustitiæ Deo, & ambulet iuxta mandatum Christi, ita, vt homines videntes bona eius opera glorificent patrem, qui in cœlis est.

CAPVT XLV.

CONTINENS HISTORIAM, DE VOCATIONE MATTHÆI. MATTH. 9. Marc. 2. Luc. 5.

RATIO ORDINIS.

IN proximo capite historiam paralytici ex notatione Marci, & ex consensu Lucæ posuimus. Consentiunt autem Euangelistæ post illam historiam subsecutã vocationem Matthæi. Matthæus enim post paralyticum in domo sanatum subiicit: *Et illinc transiens, vidit Matthæum.* Lucas vero post gesta in paralytici historia subdit: *Et post hæc exiit, &c.* Atque in hoc ordine Marcus etiam consentit. Series igitur consecutionem historiarum hoc loco certa & manifesta est: vt post sanationem huius paralytici, proximo loco historia vocationis Matthæi in Harmonia collocetur.

HISTORIA VOCATIONIS.

MATTH. 9.

9. Καὶ παράγων ὁ Ἰησοῦς ἐκεῖθεν, εἶδεν ἄνθρωπον καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, Ματθαῖον λεγόμενον, καὶ λέγει αὐτῷ, ἀκολούθει μοι. καὶ ἀναστὰς, ἠκολούθησεν αὐτῷ.

9. *Et præteriens Iesus illinc, vidit hominem desidentem ad telonium, Matthæum nomine, dixitque ei: Sequere me. Atque is surgens, secutus est eum.*

MARC. 2.

13. Καὶ ἐξῆλθε πάλιν παρὰ τὴν θάλασσαν, καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἤρχετο πρὸς αὐτὸν, καὶ ἐδίδασκεν αὐτούς.

13. *Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, ac docebat eos.*

14. Καὶ παράγων εἶδε Λευῒν τὸν τοῦ Ἀλφαίου καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, καὶ λέγει αὐτῷ· ἀκολούθει μοι. καὶ ἀναστὰς ἠκολούθησεν αὐτῷ.

14. *Et cum præteriret Iesus, vidit Leuin, Alphæi filium, sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Isque surgens, secutus est eum.*

LVC. 5.

27. Καὶ μετὰ ταῦτα ἐξῆλθε, καὶ ἐθεάσατο τελώνην ὀνόματι Λευῒν, καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, καὶ εἶπεν αὐτῷ. ἀκολούθει μοι.

27. *Et posthac exiit, ac vidit publicanum, nomine Leui, sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me.*

28. Καὶ καταλιπὼν ἅπαντα, ἀναστὰς, ἠκολούθησεν αὐτῷ.

28. *Atque relictis omnibus, surgens, secutus est eum.*

HARMONIA HISTORIÆ, DE VOCATIONE Matthæi, ex descriptionibus Matth. 9. Marc. 2. & Luc. 5. in vnum corpus coagmentata.

c Καὶ μετὰ ταῦτα a παράγων ὁ Ἰησοῦς ἐκεῖθεν, h ἐξῆλθε b πάλιν παρὰ τὴν θάλασσαν, καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἤρχετο

c *Et posthac* a *transiens Iesus illinc* h *egressus est* b *rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, ac do-*

ὰς αὐτὸν, καὶ ἐδίδασκεν αὐτούς. Καὶ παράγων ὁ Ἰησοῦς εἶδεν a ἄνθρωπον c τελώνην ὀνόματι Λευὶν b τὸν τοῦ Ἀλφαίου, 1 καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, a Ματθαῖον λεγόμενον. 1 Καὶ λέγει αὐτῷ, Ἀκολούθει μοι. a Καὶ καταλιπὼν ἅπαντα, ἀναστὰς, ἠκολούθησεν αὐτῷ.

cebat eos. Et præteriens Iesus, 1 vidit a hominem c publicanum nomine Leuim b Alphæi filium 1 sedentem ad telonium, a qui dicitur Matthæus. 1 Et ait illi, Sequere me. c Et relictis omnibus 1 surgens, secutus est eum.

Periocha huius historiæ.

LVcas dicit Iesum post hæc (quæ scilicet circa curationem paralytici gesta fuerunt) exiisse: Matthæus dicit transisse. (παρῆλθε enim Syrus reddidit עבר) illinc, scilicet ex domo, & ex Capernaum, vbi paralyticus sanatus fuerat. Marcus vero addit, ipsum ad mare rursus egressum: & omnem turbam, cũ ipsum ciuitate exiisse cognouissent, venisse ad ipsum circa mare. Quare autem in Marco vocetur πᾶς ὄχλος omnis turba, inde intelligi potest: in domo sanationi paralytici interfuerāt multi, sicut Marcus dixit: sed præter hos in plateis multi viderant paralyticum sanatum grabbatum suum gestantem: & insuper multo plures fama illa excitati fuerunt. Illa tota turba non quidem comitatus fuit Iesum exeuntem (talem enim turbarum comitatum, ne seditionis speciem haberet, plerunq; fugit) sed, sicut Marcus inquit, veniebat ad eum, cum iam exiisset ad mare. Ergo postquam cognouerunt ipsum è ciuitate & domo egressum, secuti sunt, donec ad eum venirent. Cumque maior pars ex curiositate ad videnda miracula concurreret: Iesus non curiositati ipsorum indulgebat, sed ea occasione docebat eos, inquit Marcus. Capita vero doctrinæ Marcus hoc loco non repetit: quia antea illa consignauerat. Sed quia tota multitudo, sicut Marcus inquit, congregata erat, non breuem fuisse concionem verisimile est. Ordo igitur huius historiæ non ita se habet, sicut quidam existimant: quasi Iesus, domo sua egressus, telonij domum alicubi in ciuitate existentem præterierit, ac in ciuitate Matthæum vocarit. Sed sicut Marcus inquit: ex ciuitate adiit ad mare: atque ibi turbas ad se congregatas docuit. Post concionem vero ad ripam latius progressus, præterit domum telonij, vbi Matthæus sedebat. Cumque turbæ expectarent externum aliquod stupendum miraculum: Iesus vim & efficaciam verbi sui in vocatione Matthæi ita ostendit, vt diues publicanus, relictis omnibus, statim Christum pauperem sectaretur. Antea enim virtutem & efficaciam verbi sui in vocatione Matthæi ita ostendit. 1. in sanandis morbis. 2. in remittendis peccatis coram Deo. 3. iam in Matthæo ostendit turbis eius verbi, quod in concione audierant, vim & efficaciam in vocandis, illuminandis, trahendis, conuertendis & in melius commutandis hominum cordibus & voluntatibus.

Sed vocabula & circũstantias huius historiæ diligentius aliquanto expendemus. Lucas vocat τελώνην: sicut ipse etiam Matt. cap. 10. ver. 3. hanc appellationem sibi tribuit. Et quia bona populi Romani vocabantur publica: inde in iure publicani vocantur omnes, qui à fisco aliquid conducunt: præcipue vero eum, qui publica populi Romani vectigalia conducta habet, publicanum appellant. Et ita eruditi censent, τελώνης dictum, ἀπὸ τοῦ τέλος ὠνεῖσθαι ab emptione, sed potius redemptione vectigalium.

Certa enim summa pecuniæ publicum aliquod vectigal redimebant, & quod vltra illam summam fraudibus, exactionibus & rapinis corradere poterant, id in lucrum ipsis cedebat. Et præterea, quia in promptu habebant pecuniam, vsuras publice exercebant. Suidas simpliciter interpretatur ἐκλογεύς, hoc est, exactorem tributorum, vectigalium, qui omnia scrutatur & inquirit, vt rigidissime vectigal colligatur. Verbum τελωνεῖσθαι vsurpatur, 1. Macch. 13. ver. 39. quando victi hostibus superioribus tributarij facti, imposita tributa pendent & soluunt. Erat autem genus illud vitæ etiam apud Athenienses, propter exactionum iniquitatem, & propter vsuras, infame. Apud Iudæos vero habebatur quasi sceleratum & impium, propter hanc etiam causam, quod putabant electo populo Dei, qui iam tributarius & vectigalis factus fuerat Romanis & Herodi, iugum externæ dominationis non posse sine insigni impietate imponi: & quia vectigalia seu tributa sunt quasi recognitio & professio dominij, ideo publicanos, tanquam administros externæ dominationis, abominabantur, maxime quando ex Iudæis aliquis publicanatum gerebat. Is enim putabatur esse apostata, & abnegator totius religionis Iudaicæ. Sed Baptista de hac quæstione interrogatus ipsum vitæ genus per se non damnauit, si exactiones non extendantur vltra id, quod legibus constitutum est, Luc. 3. ver. 12. Pertinet igitur ad declarationem historię huius & aliarum, considerare, quare Christus publicanos numeret inter notorios peccatores. Colligitur autem ex historia Euangelica, fuisse publicanos fraudibus, rapinis & iniustis exactionibus deditos. Zachæus enim restitutione quadrupli fatetur furtum & rapinam: & artificium quæstus publicanorum vocat Sycophantiam. Baptista etiam contra commune publicanorum vitium opponit hanc regulam: Non exigatis plus, quàm legibus constitutum est. Et hæc vitia publicanorum tam fuerunt vulgaria & notoria, quod à sanioribus etiam Ethnicis notata & damnata fuerint. Apud Athenienses enim & genus vitæ publicanorum, & ipsum nomen infame & inuisum fuisse, Suidas ex Aristophane ostendit. Vlpianus etiam inquit: Quantæ audaciæ, quantæque temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est qui nesciat. Suidas hæc variis modis describit τελώνης, πανδέκτης, βία ἀνεπίληπτος, κέρδος αἰσχρόν, πλεονεξία, πραγματεία λόγον μὴ ἔχουσα hoc est, Publicanus est vis liberrima, rapina extra reprehensionem, quæstus impudentissimus, negotiatio non habens rationem. Et Chrysostomus inquit: Telonium putatur rapina permissa.

Hæc consideratio vocabuli ideò hoc loco vtilis est. Est enim illustre exemplum Dei vocantis etiam publicos & enormes peccatores ad pœnitentiam, & ad communionem regni cœlorum: vt discamus, vocationem ad salutem pendere, non ex dignitate meriti seu operibus Iustitiæ, sed ex gratuita Dei bonitate & misericordia in Christo. Hanc enim explicationem Christus ipse postea in domo Matthæi tradit: Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Item: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et eo illustrius est hoc exemplum, quod Matthæus vocatur non simpliciter ad pœnitentiam, fidem, & salutem, sicut Zachæus & alter publicanus, Luc. 18. ver. 14. & qualis est generalis omnium credentium vocatio: sed ex telonio vocatur ad munus Apostolicum: & quidem vt fit inter præcipuos Apostolos. Soli enim Matthæus & Iohannes simul & Apostoli & Euangelistæ fuerunt: vt scilicet ipsa Matthæi persona publice præ se ferret & ostentaret illam gratiam Dei, quam verbo Euangelij prædicaturi erant, sicut Paulus de sua vocatione disputat, 1. Tim. 1. v. 13. Reliquos autem, Petrum, Andræam, Iacobum, Iohãnem à retibus & piscatione vocauit, vt ostenderet se ea, quæ coram mundo vilia, despecta, ignobilia & abiecta sunt, non auersari in suo regno, 1. Cor. 1. ver. 27. Sed piscatio, licet genus vitæ vile, contemptum & abiectum sit: honestum tamen & innoxium est. Matthæum igitur ex telonio, hoc est, ex ipsa officina fraudum & rapinarum vocauit, vt peccatoribus ostenderet certam spem gratiæ & veniæ, si conuertatur. Imo Christus ipse inquit: Se voluisse hoc exemplo ostendere, quod venerit ministerio suo exemplo ad pœnitentiam & ad regnum suum non iustos, sed peccatores. Nomen eius Marcus dicit fuisse Λευΐ, Lucas accusatiuum ponit Λευΐν. Quidam inde faciunt coniecturam, quod fuerit ex tribu Leui. Et hæc coniectura concinne potest accommodari ad doctrinam: Matthæũ scilicet non simpliciter peccasse suo publicanatu, sicut Zachæus & reliqui, sed peccatum ipsius etiam hac circumstantia grauius redditum fuisse, quod fuerit ex tribu Leui, quæ ab ipso Deo separata fuit, vt doctrinæ & cultui templi inseruiret. Matthæum vero Leuitam, spreta & abiecta illa Leuitarum vocatione, publicanorum officinis operam suam prostituisse, & Iesum, cùm videret illum sibi sedentem, misertum, vocasse eum. Posset & illud Malachiæ 3. v. 3. huc accommodari, quod scilicet Iesus cum ex Sacerdotibus & Leuitis paucos credentes haberet, in vocatione huius Leui voluerit toti tribui, quæ templum fecerat domum emptorij, ostẽdere, quomodo purgaturus sit filios Leui, vt sint Domini offerentes sacrificia in iustitia. Sed tamen coniectura illa ex nomine Leui, quod ideo ex tribu Leui fuerit. non est satis firma. Nam Luc. 3. versic. 24. & 29. in tribu Iuda duo recensentur, qui nomen Leui habuerunt. Et qui ex tribu Leui fuerunt, non Leui, sed Leuitæ, Luc. 10. ver. 32. Ioan. 1. ver. 19. dicebantur. Hoc vero certum est, cum Leui Iudaicum nomen sit, quod Matthæus non Romanus, sed Iudæus fuerit.

Patrem ipsius Marcus vocat Alphæum: sed qualis autem qua tribu fuerit non explicat. Hoc certum est, alium esse Alphæum, qui fuit Pater Iacobi, fratris Domini, Marc. 3. ver. 18. Luc. 6. ver. 15. Ipse vero Leui vocat se Matthæum, quod nomen origine quidem Hebraicum est, sed terminatione inflexum est ad formam Græcorum nominum. Alias enim est, vel Matthai, vel Matthan, vel Matthat, vel Matthias. Et verisimile est,

mile est, cum publicanus factus esset, nomen eius ab exteris ita inflexum fuisse, vt qui alias inter suos Leui erat, inter publicanos vocaretur Matthaeus. Et non mala est sententia Hieronymi cum reliquę Euangelistae in hac historia Matthęum appellent Leui, quod ipse Leui notet se vsitato suo inter publicanos nomine Matthaei, quod quasi insigne fuit publicanatus sui, vt quasi gratitudinis ergo, ad perpetuam Ecclesiae memoriam, testimonium illud gratiae Dei, omnibus peccatoribus in sua persona exhibitę, commẽdaret: qualis scilicet antea fuerit, & vnde vocatus fuerit. Ideo etiam in historia electionis Apostolorum, cum reliqui simpliciter ponãt Matthęi, ipse c.10.v.3. addit cognomentum publicani. Sed verisimilior videtur altera sententia, quod antea dictus fuerit Leui: post vocationem vero nouum hoc nomẽ seu cognomen Matthęi ipsi impositum fuerit, sicut & multis aliis Apostolis. Nam postea in Catalogo Apostolorum Euangelistę ipsum non Leui, sed Matthaeum, vocãt. Matthaeus autem hoc modo nominatus fuit, quod peculiare donũ gratiae Dei fuerit, ex publicano fieri Apostolum. Et cum significatione est conuenientia. Leui significat addititium, Matthęus datum, donatum.

Domum autem illam publicam, quae exactionibus vectigalium destinata erat, fuisse extra ciuitatẽ Capernaum ad mare, descriptio Marci manifeste indicat. Fuit enim circa Capernaum, propter loci oportunitatẽ, frequens negotiantium traiectus, & forsan mercibus certa vectigalia imposita fuerunt: quae, vt diligentius erigi possent, domus extra ciuitatem in littore constructa fuit. Considerandum vero est, eademne, an vero alia fuerit domus eorum, qui didrachma colligebant, Mat.17.v.24. Hoc certum est, Matthaei domum, in qua postea conuiuium instruxit, aliam & in ipsa ciuitate fuisse. *Iesus* ergo *cum transiret* (παράγειν enim significat & trãsire & praeterire) *vidit Matthaeum sedentem ad telonium.* Est autem τελώνιον, seu τελωνεῖον iuxta Suidam, locus, in quo publicanus sedens vectigalia colligit: ita vt intelligi possit, vel domus ipsa, sicut Syrus reddidit, vel mensa, in qua rationes vectigalium subducuntur. Et quia Euangelistae vsurpant praepositionem ἐπὶ, commodius de mensa intelligitur: quod Iesus Matthaeum tunc, cum non simpliciter in domo illa versaretur, sed cum rationes vectigalium tractaret, vocarit: sicut Paulum in ipso actu persecutionis vocauit.

Vocatio autem paucissimis verbis ita describitur: *Ait ei Iesus, Sequere me. Atque is surgens, relictis omnibus, secutus est eum.* Insignis clementia ac bonitas Christi in hac vocatione relucet: quod non tantũ piscatores, homines rudes & viles in discipulorum numerum aduocauerit; sed quod videns Matthaeum sedentem ad telonium, ex officina rapinarum & perditionis, ipsum ex gratia vocat, non tantum ad vulgare suorum auditorium, sed vt Apostolum & Euangelistam inde faciat. Quia vero concisa breuitas est in hac descriptione, inde praetextum arripuerunt Porphyrius & Iulianus calumniandi, & hanc narrationem & totam Euangelicam historiam esse fictam: vel homines illos, de quibus talia narrentur, sine sensu communi, stolidos & insanos fuisse, quod ad vnicam vocem hominis ignoti, obiter praetereuntis, non piscatores tantum, homines pauperes & simplices, verum etiam Matthaeus opulentus & prudens, qui propter ingenij solertiam idoneus iudicatus fuerat, vt rationibus vectigalium, in praecipua Galilęę ciuitatẽ praeficeretur, statim, relictis omnibus, Iesum & pauperem & contẽptũ ita sectari coepit, vt perpetuus discipulus, & indiuiduus eius comes esset. Hieronymus his verbis respondet: Non secuti sunt irrationabiliter quemlibet hominem vocantem, cum tantae virtutes tantaque signa praecesserint, quę Apostolos antequam crederent vidisse vel saltem audiuisse, non est dubiũ. Certe fulgor ipse & maiestas occultę diuinitatis, quę etiam in humana facie refulgebat, euidenter ad se trahere poterat in primo aspectu. Si enim in magnete lapide haec esse vis dicitur, vt ferrum trahat: quando magis Dominus omnium creaturarũ ad se trahere poterat, quos volebat? Haec Hieronibus.

Sed de fulgore diuinae maiestatis quod exterius in facie Christi reluxerit, non iudico esse disputandum. Neque enim habemus certa & manifesta eius rei in Scriptura testimonia: & videtur pugnare cũ doctrina de exinanitione Christi, de forma serui, & de virgulto ex trunco arido & in terra sitienti. Semel enim pro peculiari miraculo talem fulgorem diuinę maiestatis in transfiguratione ostendit. Illud igitur certius est, & vtilius potest tractari, ne de Enthusiastica, planatica, arreptitia seu violenta vocatione & conuersione somniemus, quod Matthaeo non prorsus fuerit ignota doctrina Christi, quae tot stupendis miraculis confirmabatur. Si enim fama doctrinae miraculorum Christi ex Syria & Decapoli multos euocauit, sicut postea dicemus: Matthaeo certe non potuit ignota esse, cum quidem habitationem suam Iesus haberet Capernaum. Et consideretur, quod Matthaeum, qui ob publicanatum prophanus factus fuerat, non statim initio vocauit sicut Philippum & Nathanaelem: nec tunc, cum Petrum & Ioannem vocauit. Illi enim iam Baptistae auditores fuerant. Sed profanum Matthaei animum prius doctrina & multis miraculis praeparauit, atquẽ ita vocationi suae aditum, sicut Augustinus loquitur, in Matthaei corde procurauit. Deinde etiam non est cogitandum, quod Iesus obiter praeteriens duo illa verba tantum dixerit, *Sequere me.* Quia enim Matthaeus intelligit se vocari, vt sequatur, non sicut vulgares auditores cõmuniter sequebantur, sed sicut videbat alios discipulos, relictis omnibus, ita sectari Iesum, vt quotidiana & famaliari institutione formarentur ad tradendam & propagandam aliquando illam doctrinam. Iesus igitur sine dubio pluribus verbis illi explicauit doctrinam de hac vocatione. Haec ideo diligenter consideranda sunt, ne ex hoc exemplo Enthusiasticam & arreptitiam vocationem expectemus. Illustre autem exemplum est diuinae efficaciae verbi Christi in hac vocatione, & qualis sequatur obedientia, quando Spiritus sanctus verbũ Christi scribit in corda credentium. Erat enim Matthaeus diues, sicut postea splendidum conuiuium in domo suo instruit: habebat officiũ, quod annuatim quaestũ vberrimum reddebat apud eos, qui cum imperio praeerant, in magno habebatur precio, sicut Cicero pro lege Manilia inquit: Publicanos olim apud Romanos habitos fuisse homines honestissimos & ornatissimos. Et pro Plancio inquit: Flos Equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum Reipub. publicanorum nomine continetur, &c. Iam vero vocatur, vt, relictis omnibus suis commoditatibus, Iesum pauperem, contemptum, & qui apud principes populi valde male audiebat, sequatur: quod idem est, ac si iubeatur, relictis sponte opibus, dignitate, gloria & authoritate, inopiam, miserias, ignominiam & exitium sectari. Non igitur Matthaei leuitas vel stoliditas fuit, sicut Porphyrius calumniatur; sed diuina efficacia verbi Christi, quae (quod carni & sanguini non tantum difficile, sed omnino impossibile esset) operata est in Matthęo talem fidem, Hunc Iesum esse verum Messiam, quaeque omnes difficultates, quas videbat & iã propositas esse, & mox secuturas, superauit: vt Apostoli in hoc illustri exemplo discerent, ea, quae doctrina Euangelij proponit & exigit, esse quidem apud homines impossibilia, sed Deo possibilia: idque per efficaciam verbi, ne cogitarent se frustra sine fructu praedicaturos ea, à quibus caro & sanguis abhorret. Et reuera miraculum hoc in vocatione Matthaei tanto maius est, quã sanatio paralytici, quanto anima praestat corpore, & quanto difficilior est animae quàm corporis curatio: cum quidẽ Christus etiam dicat facilius esse camelum foramen acus transire, quàm diuitem in regnum coelorum ingredi, Matthaei 19. v. 24. Cumque homines ad externum miraculum paralytici obstupuissent, proponit iam ipsis in spirituali paralysi Matthaei miraculum multo maius, quod statim relictis omnibus sequitur Christum. Quomodo vero Matthaeus omnia reliquerit: & tamen postea habeat domum, & vnde magnum conuiuium instruat, diximus in vocatione Petri & aliorum: de historia vero conuiuij suo loco dicemus.

CAPVT XLV.

DE SECVNDO PASCHATE, HOC EST, QVOD INCIDIT IN SECVNDVM ANNVM MInisterij Christi, continens historiam de piscina probatica, & de aegroto ibi sanato, Iohan.5.

RATIO ORDINIS.

Matthaeus, Marcus & Lucas eodem modo & ordine post vocationem Matthaei historiam de conuiuio ipsius subiungunt: vt primo intuitu videatur haec ἀκολουθία historiarum in Harmonia seruanda, sed post conuiuium Matthaei,

Marcus & Lucas fine certa notatione continuationis ordinis recensent historiam de confricatione spicarum. Matthæus vero certa & necessaria notatione ordinis, post conuiuium suum ponit resuscitationem filiæ primatis, & sanationem Hæmorrousæ. Inquit enim, ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος αὐτοῖς: Loquente ipso, vel *cum hæc loqueretur cum ipsis, ecce venit primas, &c.* Sed illas duas historias Marcus & Lucas ponunt post reditum ex transfretatione Gadarena: illam vero transfretationem Marcus diserte & notatione exquisita dicit factam vespere eius diei, quando per multas parabolas de semine Iesus locutus fuit, Mar. 4. versic. 35. Nisi igitur cum Osiandro velimus ex iisdem historiis, de filia primatis & de Hæmorrousa, item de transfretatione, apud Matthæum & reliquos Euangelistas, diuersas facere, non potest alia conciliatio inueniri, aut alia ratio ordinis constitui, quàm quæ in tota antiquitate, inde à Tatiano Iustini discipulo vsque ad Gersonem, seruata fuit, sicut supra de historia captiuitatis Baptista eandem etiam rationem notauimus, quod scilicet Marcus & Lucas vocationem Matthæi suo loco & ordine describant. Ea vero occasione historicæ vocationis Matthæi per anticipationem attexant historiam de conuiuio ipsius, quæ tamen longe post, scilicet proxime ante resuscitationem filiæ primatis, & post reditum ex transfretatione, accidit, sicut ostédimus. Matthæus vero cum historiam cõuiuij suo loco & ordine, scilicet post reditum ex trãsfretatione, & ante filiã primatis describat, quod ea occasione per recapitulationẽ præmittat historiam vocationis suæ, antea præteritam, & quæ vocationem suam proxime præcessit, sanationem Paralytici. Ex Matthæo igitur non potest colligi aut sumi, quæ historia post vocationẽ Matthęi in Harmonia collocanda sit. Ex his etiam, quæ dicta sunt consequitur, post vocationem Matthæi, recto & vero historiarum ordine, in Harmonia non posse nec debere collocari historiam de conuiuio ipsius, sicut apud Marcum & Lucam illa subiungitur: longe enim post, interiectis multis aliis historiis, eam accidisse ostédimus. Seposita autem & reseruata ad suum in Harmonia locum historia de conuiuio Matthæi Marcus & Lucas vnanimi consensu subiungunt historiam de spicis vellicatis, quam Matthæus generali notatione cap. 12. ver. 1. describit: cumque res ipsa ostendat Marcum esse monstratorem & ducem ordinis in historia Euangelica, & hoc loco Lucam sibi consentientem habeat, ratio igitur ordinis hactenus plana est. Sed videndum est, sitne apud alios Euangelistas aliquid, quod inter vocationem Matthęi, & inter confricationem spicarum interserendum sit? Hoc enim in constituenda harmonia Euangelica obseruandum esse in prolegomenis ostendimus. Et apud Matthæum quidem nihil tale est: apud Iohannem vero extat historia festi, Ioan. 5.

Et quibus non tam coniecturis, quàm manifestis notationibus Osiander post Irenæum & Rupertum erudite deprehenderet & monstrarit, festum illud Ioan. 5. v. 1. esse secundum Pascha ministerij Christi, siue quod incidit in secũdum annum ministerij Christi in prolegomenis explicatum est. Inquirendum autem est, quomodo distributio ordinis historiarum apud reliquos Euangelistas, ad secundum illud festum Paschatis, Ioh. 5. versi. 1. ita accommodari possit, vt constituatur, quo loco & inter quas reliquorum Euangelistarum historias, secundum illud festum Paschatis, Iohan. 5. ver. 1. in Harmonia tanquam suo debito & iusto loco inferendum sit: hoc est, quæ historiæ apud reliquos Euangelistas, & quo ordine proxime præcedant, vsque ad secundum illud festum Paschatis, Ioh. 5. & quæ proxime post Pascha illud collocandæ sint. Quando autem inuentum fuerit, quæ historiæ apud reliquos Euangelistas proxime post Pascha illud, Ioh. 5. secutę sint: tunc eadem opera simul inuenta est ratio de historiis Pascha illud pręcedentibus, & quo loco inter reliquorum Euangelistarum historias in Harmonia Pascha illud Ioh. 5. collocandum sit. Et in Marco quidem hæc vestigia notationum extant, de vellicatis & confricatis satorum spicis: quod iuxta legem Leuit. 23. v. 10. non ante, sed post Pascha fieri solebat.

Lucas vero c. 6. v. 1. notatione sabbati sęcundoprimi ordinem illum planius & expressius mõstrare voluit. Quod si deprehensum & monstratum fuerit, historiam illam de confricatis spicis proxime post festum Paschatis Iohan. 5. v. 1. collocandam, res tota quam inquirimus plana erit.

Explicandum igitur est, quid intelligendum sit per sabbatum δευτεροπρώτον. Quia enim noua compositio, cum quidem talis appellatio sabbati in aliis Scripturæ exemplis non inueniatur, non eodem modo ab interpretibus explicatur. Nos primo varias aliquot opiniones recitabimus: deinde, quæ sententia ad veritatem propius accedere videatur, ostendemus.

Hieronymus ad Nepotianum narrat, se ex præceptore suo Gregorio Nazianzeno aliquando quæsiuisse, quid sit sabbatum δευτεροπρώτῳ apud Lucam? Nazianzenum vero, cum acumen ingenij in Hieronymo vereretur, & quid certi aut solidi responderet, non occurreret, ita elusisse quæstionem, vt diceret: Docebo te, apud populum, vbi exclamantibus & applaudentibus cunctis, velis nolis cogeris nobis assentiri. Atque ideo Syrus etiam vocem illam non reddidit: sed simpliciter dicit in sabbato. Quidam ex Latina compositione interpretantur: secundoprimum, hoc est, quod primitus seu proxime secundum fuit, post illud sabbatum, quo præcedentia gesta sunt: vel quod primum occurrit post secundum, hoc est tertium. Sed præcedentes historiæ apud Lucam non sunt sabbatis distributæ & notatæ, quasi proxime præcedens historia facta fuerit sabbato: hæc vero sabbato sequente acciderit. Alij intelligunt δευτερόπρωτον quod fuerit non principale aut primario celebre sabbatum, qualia erant septimo quoque die, & in solennibus festiuitatibus: sed secundariæ seu minores festiuitates, vt nouilunij. Verum historia ostendit fuisse tale sabbatum, in quo non licebat operis aliquid facere, vt spicas confricare. Sunt qui ita interpretentur: vt sabbatum intelligant de ipsis solénioribus festiuitatibus in Lege Mosis, & Pascha sit πρῶτον sabbatum; Pentecoste δευτερόπρωτον; Festum tabernaculorum sit τριτόπρωτον. Et prima quidem dies Azymorum vocatur sabbatum, item dies expiationis, ita prima & octaua dies in festo tabernaculorum vocatur sabbatum, Leuit. 23. v. 11. 15. 24. 32. sed nescio, an totum aliquod festum collectiue in Scriptura nominetur sabbatum. Certe Leuit. 23. ver. 3. & 4. & 38. sabbatum excipitur à festis illis solennioribus, vbi textus inquit; Hæ sunt feriæ Domini, in quibus offeretis præter sabbata Domini. Ita etiam 4. Reg. 4. ver. 23. & Col. 2. vers. 16. sabbatum à reliquis festis distinguitur. Et festum Pentecostes ad historiam illam Lucę, de euulsis scilicet & confricatis spicis non conuenire, postea ex Lege ostendemus. Sabbatum igitur non significat collectiue integrum festum, sed certam aliquam diem, & inter ordinaria sabbata, quæ septimo quoque die celebrantur, non fuit talis ordo, vt aliud esset primum, aliud secundum: erant enim celebritatis æqualis. Et quod certius argumentum est, Matthæus & Marcus simpliciter dicunt τοῖς σάββασι, quod non potest intelligi de ordinario sabbato: sed de diebus solenniorum festiuitatum. In magnis enim festiuitatibus, quæ pluribus diebus constabant, omnes dies vocabantur sabbata, sicut ex historia resurrectionis Christi colligitur, vbi vocatur prima sabbatorum, & inter illa sabbata ordo erat & numeri & sanctitatis. Prima enim & vltima dies erant æqualis celebritatis: intermedij vero dies non erant tam celebris & sanctitatis. Postea interuallum inter duo sabbata hæc, quod alias hebdomadas seu septimana dicitur, vocarunt sabbatum, sicut Hieronymus reddidit Leuit. 23. v. 15. & Luc 18. v. 12. Ieiunó bis in sabbato. Dies etiam septimanæ cuiusque per Catachresin ita cœperunt numerari prima, secunda, &c. sabbati: sicut Iudęi nunc numerant. Et 1. Cor. 16. versi. 2. vocatur prima sabbatorum dies proxime sequens sabbatum, in quacunque septimana. Sed hæ significationes ad hunc locũ non pertinent.

Illa igitur sententia verior est, quæ sabbatum δευτερόπρωτον intelligit, de certo aliquo die in vno ex magnis illis & celebrioribus festis anni. Theophylactus hanc sententiam ita explicat; quando prima dies alicuius festi incidebat in parasceuen, hoc est in sextum diem, tunc altera mox sequente, quæ septima erat, ordinarium sabbatum ratione septimæ diei celebrandum erat. Atque ita, inquit, prima dies illius festi vocabatur πρῶτον sabbatum: Altera vero δευτερόπρωτον propterea quia ordinarium sabbatum septimæ diei, licet ordine tũc secundum esset, dignitate tamen primum erat. Et hoc existimat velle illam compositionẽ vocabuli δευτεροπρώτου. Et ad Pharisæorum sane calumniam non male conuenit. Sed hanc sententiam Hebraicarum consuetudinum periti reprobant. Burgensis enim annotauit, peculiari constitutione post captiuitatem Babylonicam cautum fuisse, ordinem de incoatione magnorum festorum ita esse instituendum, ne duo dies celeberrimi, in quibus nihil operari licebat, coniungerentur, aut statim absque interuallo se insequerentur: sed si hoc animaduerteretur futurum, vt prima dies festi transferretur. Et inde affirmant, à soluta captiuitate Babylonica, primam diem alicuius festi, quæ celeberrima erat, nunquam celebratam fuisse in parasceue, vt mox ordinarium sabbatum insequeretur. Hac igitur Theophylacti interpretatione seposita, tres in summa erunt sententiæ de sabbato secundo primo.

Prima est receptissima. In magnis festis prima & vltima dies æque erant celebres & sanctæ, vt in Paschate septima dies, Leuit. 23. vers. 8. in festo tabernaculorum octaua, Num. 29. ver. 35. intermediis verò diebus aliquid licebat operari suo modo. Quia igitur duo erant in illis festis sabbata requietionis: quo-

nis: quorum alterum, vltimæ scilicet diei ordine quidem secundum erat, sanctitate vero celebrationis æquale erat primo, existimant Lucam hanc sententiam noua compositione δευτερόπρωτον voluisse exprimere. Moses enim Leuit. 23. versic. 11 & primum & vltimum diem vocat sabbatum. Et quia vltimus dies pari celebritate erat obseruandus cum primo, & primo per omnia erat similis, primúmque per omnia sic referebat, vt esset quasi primum sabbatum, secundò repetitum, atque ideo δευτερόπρωτον secundo primum.

Secunda sententia etiam vera potest esse. Quando enim prima dies festi, quod vel septem vel octo diebus constabat, incidebat non in ipsum sabbatum septimæ diei, sed in aliquem alium diem, tunc tria fiebant sabbata quietis in vno festo: prima scilicet & vltima dies, & præterea inter primam & vltimam diem incidebat ordinarium sabbatum septimæ diei. Id quod in festo tabernaculorum, quia octo diebus celebrabatur, necessario semper fiebat. Ordinarium igitur illud sabbatum dignitate primum, quia ordine tunc secundum erat, post primum scilicet, & ante vltimum diem festi recte potest vocari δευτερόπρωτον Chrysostomus Homil. 40 in Matth. δευτερόπρωτον intelligit tale sabbatum, in quo ratio ocij seu quietis duplex erat: id quod tunc fiebat, quando prima & vltima dies, quæ celeberrimæ erant alicuius festiuitatis incidebant in septimum hebdomadæ diem, quod ordinarium erat sabbatum. Ita enim duplex ratio sabbati erat in vno die. Et talis dies in historia passionis vocatur magnus dies sabbati. Et in hac historia potuit hoc fieri in vltimo die Paschatis, qui in septimum diem hebdomadis inciderit.

Tertia sententia est Stapulensis, quam etiam Lutherus sequi videtur, & inde sumpta est. In magnis illis festis etiam intermediis dies, inter primam & vltimam, dicebantur sabbata, Matth. 28. ver. 1. & hoc erat discriminis, quod non erant tam celebres, sicut prima & vltima, sed hoc licebat in illis aliquid operari. Opinantur itaque diem, quæ proxime post primam, quæ sanctissima erat, sequebatur, vocari δευτερόπρωτον: quasi quæ sabbatum quidem sit, sed non æque sanctum & celebre sicut præcedens. Vt ratio vocabuli sit, quod sit secundarium sabbatum collatione ad primum, vel vt simpliciter ordinem notet, quasi secundum post primum. Et Stapulensis arbitratur, id quod Lucas mox dicit: ἐν ἑτέρῳ, *in altero sabbato*, ita intelligendum esse, vt sit dies proxime sequens τὸ δευτερόπρωτον, hoc est tertia in ordine, à prima die festi. Sed nescio, an descriptioni Lucæ hæc interpretatio satis conueniat. Diebus enim illis intermediis aliquid licebat operari, sicut manifeste constat. Mulierculæ enim prima sabbatorum emunt aromata, & veniunt vncturæ corpus Iesu, Marc. 16. ver. 1. Lucas vero scribit, sabbatum illud secundoprimum tale fuisse, in quo euulsio & confricatio spicarum quarundam, pro grandi violatione sabbati reputabatur. Et postea Lucas ipse c. 24. v. 1. diem illam sequentem post magnum sabbatum, vocat non δευτερόπρωτον, sed τὴν μίαν sabbatorum. Omnino igitur tale sabbatum illud secundoprimum fuit in quo iuxta Legem nihil operari licebat. Eius autem tria sunt genera. Sabbatum scilicet ordinarium septimæ cuiusque diei: deinde prima & vltima dies in magnis festis. Vocabulum vero δευτερόπρωτον indicat, non intelligendum esse primam diem festi: nec sabbatum, quod extra magna festa septimo semper die celebrabatur. Erit ergo vel vltima dies festi, vel sabbatum ordinarium, quando incidebat in dies intermedios magni alicuius festi: vel quando prima vel vltima dies festi incidebat in ipsum sabbatum. Et hoc arbitror satis manifeste demonstratum esse.

Ipsa compositio τοῦ δευτεροπρώτου in Græcis interpretibus, quod ego sciam, non extat. Ita vero loquuntur Gen 41. v. 43. 2. Parral. 35. ver. 24. Currus seu ἅρμα τὸ δεύτερον τῶν αὐτοῦ, currus secundarius post regium Iudith 2. v. 4. Holophernes δεύτερος secundus post regem. Tob. 1. versi. vlt. Rex constituit illum ἐκ δευτέρας proximo loco dignitatis post regem. Item Ierem. 52. ver. 24. vocatur Sacerdos πρῶτος primarius, & δεύτερος inferioris dignitatis. Et Esther. 13. v. 3. δεύτερον τῶν βασιλειῶν γέρας, hoc est, secundo & proximo loco dignitatis post regem. Et hac ratione compositio δευτερόπρωτον significat sabbatum, quod dignitate inferius esset primo, sicut Leuit. 23. ver. 11. Græci dicunt. Sed historia de spicis ostendit, non fuisse sabbatum celebritatis minoris aut inferioris. Quia igitur prima dies in magnis festiuitatibus, quæ sanctissima & celeberrima erat Græcis dicitur πρώτη, voluit Lucas noua compositione notare alteram diem, vltimam scilicet, quæ æque sancta, & celebris erat sicut prima: ideo non dixit, δευτερόπρωτον, sed δευτερόπρωτον. Et ad hanc sententiam conuenit illa ratio significationis, sicut vocatur δευτερονόμιον Iosu. 8. v. 32. Deut. 17. v. 18 non quod sit alia Lex dignitate inferior, sed quod prior lex à Deo scripta secundario seu iterato sit repetita & conscripta à Mose eadem, & dignitatis æqualis cum priori à Deo scripta. Porro in Hebraismo משנה secundum significat etiã quod duplum est, vt Ierem. 17. vers. 18. Secunda contritione, id est, dupla, contere eos. Ita δευτερόπρωτον significabit sabbatum, cuius celebritas respectu primi dupla erat: id quod ad Chrysostomi sententiam accedit.

Hoc igitur certum est, sabbatum secundoprimum ad vnum aliquod ex magnis & solennioribus festis pertinere: id quod Matthæus & Marcus etiam indicant, cum diem illum nominant *in sabbatis*, quando scilicet plures dies festi concurrebant. Sed quæstio adhuc est, quodnam fuerit illud festum, ad quod sabbatum hoc secundoprimum Luc. 6. vers. 1. referendum sit? Quod autem festum tubarum & propitiationis nõ fuerit, inde colligitur: quod hæc festa vnico tantũ die constabant. Marcus vero in hac historia nominat sabbata, & vocabulum δευτεροπρώτου respectum indicat ad plures dies. De festo tabernaculorum etiam non potest intelligi, qui discipuli euellunt & confricant spicas: quod mensi Septembri in Palæstina præsertim, nullo modo conuenit. Reliqua igitur adhuc sunt duo festa: Paschatis & Pentecostes. Et de Pentecoste quidem conantur aliqui hanc historiam interpretari, quia Leuit. 23. ver. 16. Pentecoste vocatur solennitas Messis primitiuorum, sicut & Numer. 28. versic. 26. sed res plana est, si descriptiones festorum diligenter considerentur. Nam Leuit. 23. vers. 15. secunda die in festo Pascatis primitię spicarum offerebantur: & tunc Deut. 16. vers. 9. falx mittebatur in segetes. Textus etiam Leuit. 23. v. 10. dicit: Cum messueritis segetem, offeretis manipulum spicarum, & addit v. 14. Nec tosta nec cocta comedetis ex segete, priusquam oblatio spicarũ facta sit altera die Paschæ. Hæ descriptiones quasi intento digito monstrant, intelligendum esse festum Paschatis in historia Lucæ. Post oblationem enim spicarum, licebat eas confricare, & grana ita manducare. Hæc plana sunt. Verùm obstare videtur, quod Pentecoste vocatur festum messis primitiuorum, Leuit. 23. vers. 17. sed & huius obiectionis solutio facilis est. In festo enim Pentecostes, primitiæ non spicarum, sed panes ex nouis frugibus messe iam collectis offerebantur: & sicut Rabbini scribunt: Panes propositionis tunc ita mutabantur, vt ex nouis frugibus fierent. Non ergo post festum Pentecostes spicæ primum maturescentes in Palæstina inueniebantur. Mensis enim Paschatis Abib appellationẽ habet à spicis, Exod. 9. v. 31. Leuit. 2. ver. 14. Hęc vero non sunt æstimanda ex ratione messis in nostris terris. Palæstina enim & Ægypti longe alia ratio est. Imprudenter itaq; fecit Pagninus, qui mensem Abib voluit respondere nostro Iulio, vt scilicet ad idem tempus referri possit in Palęstina, & in nostra Europa.

Vnum vero adhuc obstat, scilicet, quod dissentanea esse videantur, quæ de festo Paschatis, Leuit. 23. ver. 10. & Deut. 16. vers. 9. dicuntur: Cum missa falce messueritis segetem. Et quod Leuit. 23 Pentecoste vocatur festum messis primitiuorum. Si enim statim post Pascha falx mittitur in segetem, quomodo Pentecoste, quæ post sex hebdomadas absolutum Pascha insequitur, vocatur festum Messis primitiuorum? Hęc obiectio aliquandiu me torsit: tandem vero deprehendit sententiam, quam non dubito veram esse. Duplex enim Messis fuit in Palæstina. Quia diuersa genera frumentorum non eodem tempore maturescebant: id quod manifestissime colligitur ex loco Exod. 9. v. 31. & 32. Ibi enim paulo ante exitum Ægypti, hoc est paulo ante Pascha, cũ plaga grandinis Ægypto immitteretur, textus dicit: Hordeum iam erat in spica, ideo grandine iam percussum est. Triticum vero & far, quia serotina sunt, vel quia adhuc spicas occultabant, vtrumque enim Hebraicum vocabulum significat, non sunt percussa. Et Exod. 34. v. 22. textus dicit: Solemnitatem Hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ. Prima igitur messis hordei, & similium frugum cœpit statim post Pascha. Spicæ enim in festo Paschatis iam maturescebant & apponebantur. Altera vero messis tritici & farris cœpit circa festum Pentecostes: ita vt die Pentecostes non spicæ vel grana, sed panes ex nouis frugibus Messis triticeæ offerrentur. Sabbatum igitur secundoprimum Luc. 6. v. 1. quia tunc spicæ euellebantur & confricabantur de festo Paschatis intelligendum est. In descriptione enim festi Pentecostes tantum vnius diei mentio fit: Matthæus verò & Marcus in hac historia nominant sabbata.

His ita constitutis, id quod quærebamus manifestum est: scilicet ex historia Luc. cap. 6. versi. 1. de sabbato secundoprimo deprehendi, quo loco in ordine historiarum apud reliquos Euangelistas collocandum sit secundum illud Pascha, Ioh. 5. ver. 1. scilicet, vt mox post Pasca, Ioan. 5. ver. 1. in Harmonia sequatur historia de confricatis spicis, Mar. 2. versi. 23. & Luc. 6. ver. 1. vt primo die Paschatis & sequentibus facta sint ea, quæ Ioan. 5 ver. 1. & sequent. describuntur: vltimo vero die Paschatis, quando Christus forsan Hierosolymis discessit,

acciderit historia de spicis, Luc.6.v.1. Atque inde colligitur, quæ historiæ apud reliquos Euangelistas Pascha illud Ioan. 5.v.1. in Harmonia præcedere debeant. Atque ita inuentus est locus, qui in Harmonia Euangelica attribui debet historiæ quinti capitis apud Iohannem. De hoc vero ordine nullo modo certi aliquid constitui posset, si non historia de confricatis spicis, & notatio sabbati secundoprimi, viam monstraret & patefaceret.

HISTORIA SECVNDI PASCHATIS, QVOD INCIDIT IN SECVNDVM ANNVM MINIsterij Christi, de piscina Bethesda, & de ægroto circa illam à Christo sanato, Ioan. 5.

1.	Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα.	1.	*Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam.*
2.	Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα, ἡ ἐπιλεγομένη ἑβραϊστὶ Βηθεσδά, πέντε στοὰς ἔχουσα.	2.	*Est autem Hierosolymis ad probaticam piscina, quæ nominatur Hebraicè Bethesda, quinque porticus habens.*
3.	Ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν, ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν.	3.	*In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum.*
4.	Ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ. ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος, ὑγιὴς ἐγίνετο, ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι.	4.	*Angelus enim descendebat certo tempore in piscinam, & turbabat aquam. Itaque qui primus descendisset post turbationem aquæ, sanus fiebat, à quocunque detinebatur morbo.*
5.	Ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ, τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ.	5.	*Erat autem quidam homo illic, qui triginta & octo annos morbo tenebatur.*
6.	Τοῦτον ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς κατακείμενον, καὶ γνοὺς ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, λέγει αὐτῷ· θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι;	6.	*Hunc cum vidisset Iesus decumbentem, & cognouisset, quòd iam multum temporis morbo teneretur, dicit ei: Vis sanus fieri?*
7.	Ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ἀσθενῶν, κύριε, ἄνθρωπον οὐκ ἔχω, ἵνα ὅταν ταραχθῇ τὸ ὕδωρ, βάλλῃ με εἰς τὴν κολυμβήθραν. ἐν ᾧ δὲ ἔρχομαι ἐγώ, ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει.	7.	*Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Sed interim dum ego venio, iam alius ante me descendit.*
8.	Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἔγειραι, ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει.	8.	*Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula.*
9.	Καὶ εὐθέως ἐγένετο ὑγιὴς ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἦρε τὸν κράββατον αὐτοῦ, καὶ περιεπάτει. ἦν δὲ σάββατον ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ.	9.	*Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabbatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.*
10.	Ἔλεγον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι τῷ τεθεραπευμένῳ, σάββατόν ἐστιν, οὐκ ἔξεστί σοι ἆραι τὸν κράββατον.	10.	*Dicebant ergo Iudæi ei, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabbatum.*
11.	Ἀπεκρίθη αὐτοῖς· ὁ ποιήσας με ὑγιῆ, ἐκεῖνός μοι εἶπεν· ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει.	11.	*Respondet eis: Qui me sanum fecit, is mihi dixit: Tolle grabbatum tuum & ambula.*
12.	Ἠρώτησαν οὖν αὐτόν, τίς ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, ὁ εἰπών σοι· ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει;	12.	*Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabbatum tuum, & ambula?*
13.	Ὁ δὲ ἰαθεὶς, οὐκ ᾔδει τίς ἐστιν, ὁ γὰρ Ἰησοῦς ἐξένευσεν ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ.	13.	*Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim subduxit se, quòd turba esset in eo loco.*
14.	Μετὰ ταῦτα εὑρίσκει αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς, ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ εἶπεν αὐτῷ· ἴδε ὑγιὴς γέγονας, μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρόν τί σοι γένηται.	14.	*Postea reperit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, ne posthac pecces: ne quid deterius tibi contingat.*
15.	Ἀπῆλθεν ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἀνήγγειλε τοῖς Ἰουδαίοις, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν, ὁ ποιήσας αὐτὸν ὑγιῆ.	15.	*Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis, quòd Iesus esset, à quo sanatus fuisset.*

Periocha huius historiæ.

IOhannes simpliciter nominat festum Iudæorum, quod vero intelligendum sit Paschatis festum in prolegomenis abunde monstratum est. Non autem indefinite, sed per Antonomasiam Iohannes inquit: [*Erat ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων.*] Hoc enim modo, quando simpliciter sine aliqua adiectione festum nominatur de festo Paschatis sępe vsurpatur, Matt. 27. vers. 15. Circa festum. Præsidem oportebat vnum ex vinctis dimittere, Ioan.4.vers.45. Viderant, quæ Hierosolymis fecerat in festo. Ita etiam Ioan.11.versic.56.& 2.vers. 12.vsurpatur. Et Ioan. 6. versic. 4. videtur quasi explicatio extare huius loci. Prope erat Pascha festum Iudæorum. Ratio vero Antonomasiæ est, quia Pascha est principium festorum, & præcipuum inter festa. Cum enim mandatum esset, vt ter in anno omne masculinum appareret coram Domino. Exod. 23. vers.17. in reliquis duobus festis, Pentecoste scilicet & festo tabernaculorum, cum illis, qui longe à Ierusalem dissiti erant, post captiuitatē Babylonicā dispensabatur; sed de festo Paschatis mandatum illud non relaxabatur: vt cui prę cæteris prærogatiua quædā tribuenda videbatur, & propter memoriā beneficij præteriti, & propter significationē futuræ redemptionis.

Ad hoc igitur festum Iesus ascendit Hierosolymam, sicut & ad reliqua festa tempore ministerij sui plerunque ascendit. Chrysostomus eius reitres causas recitat. 1. Vt ipse ita Legi pro nobis subiectus, ab eius seruitute nos redimeret. 2. Ne videretur aduersarius Legis, quasi venisset soluere Legem; sed vt ostenderet, se velle vmbras & figuras eius implere. 3. Quia tunc ad festa Hierosolymam confluebant ex omnibus, non Iudææ tantum, sed totius terrarum orbis partibus Iudæi, proselyti & religiosi. Illa occasione Christus vti voluit, vt & plures institueret, vtque fāma de doctrina & miraculis suis ita latius spargeretur.

Acta vero illius festi tria continent capita: miraculum scilicet, diputationem de sabbatho, & insignem concionem: quæ descripturus Iohannes, præmittit narrationem de natatoria Bethesda, quæ vt rectius intelligi possit, primum vocabula quædam explicabimus. Deinde ipsam narrationem declarabimus. Tertio ostendemus doctrinam. Hieronymus, sicut & vetus interpres videntur simpliciter sine præpositione

ne legisse, *Erat Hierosolymis probatica piscina*, vtque Hebraica appellatio conueniret Græco vocabulo, Hieronymus etymologiam ita constituit: legit in Ioanne non Bethesda, sed Bethseda, & propter pronunciationem Thaustriduli, refert ad Beth: hoc modo, vt altera dictionis huius pars sit Eda, quam hoc loco censet mutilatam esse & non integre scriptam: sed literam R. omissam in fine. Eder enim per Ain עדר significat gregem & scribendum fuisse Bethseder, ita erit domus gregis, & piscina probatica idem erit. Sed Iohannes scribit, non Bethseda: sed Βηθεσδά. Hieronymus igitur, Cyrillus, Chrysostomus & Theophylactus in Nominatiuo legunt: *Est Hierosolymis probatica piscina.* Sed iam in Græcis exemplaribus legitur, addita propositio, ἐπὶ τῇ προβατικῇ: & subaudiendum est, vel ἀγορᾷ, vel πύλῃ vt piscina illa fuerit vel apud forum, vbi vendebantur, vel apud domum, vbi seruabantur oues pro sacrificiis. Et hoc notandum est, sicut suprà Ioann. 2. diximus, quod antiquitus fuerit extra templum locus constitutus, pro emendis iis, quæ ad sacrificia pertinebant. Deuter. 14. versic. 16. Postea in ipsum atrium templi translata fuit hæc nundinatio, hac opinione, quasi sanctiores essent victimæ, quæ ibi emerentur. Hieronymus de locis Hebraicis inquit: Bethesda piscina in Hierusalem, quæ vocabatur pecualis: ostenduntur que gemini lacus, quorum vnus hybernis pluuiis adimpleri solet. Alter mirum in modum rubens, quasi cruentis aquis antiqui in se operis signa testatur. Nam hostias in eo lauari à sacerdotibus solitas fuerunt, vnde & nomen προβατικὴ accepit. Procardus ita scribit. Ab area templi contra Aquilonem est porta vallis, ducens in vallem Iosaphat: & hæc etiam vocatur gregis, quod per eam introducebantur greges immolandi in templo. Porro intrantibus portam gregis ad sinistram occurrit piscina probatica, in qua Nathinæi lauabant hostias, quas tradebant sacerdotibus in templo offerendas. Probatica igitur est nomen loci, in quo vel circa quem fuit piscina, Hebraice dicta Bethesda. Vetus interpres legit Zain Bethsaida domum piscationis; quia κολυμβήθρα reddita erat piscina. Sed vocabulum προβατικὴ ostendit, non ad capiendos pisces, sed ad pecudes, siue potandas, siue abluendas, piscinæ huius vsum fuisse. Commodissima igitur est Etymologię ratio, si legatur per Schin אשד, & tantum in punctis & pronunciatione erit discrimen aliquod. Quod enim Hebræi legunt Esed, hoc Syriace pronunciatur Esda. Significat autem effusionem meatuum, seu fluxum aquarum. Idque ad hanc piscinam accommodari potest, quod scaturigo aquarum eius non fuerit loci illius propria; sed aliunde petita in stagnum illud effusa. Idque hoc loco duobus modis intelligi potest. 1. Cum templum in loco editori situm esset, quod paulo inferius fuerit hæc piscina, in quam aqua pluuia ex tectis & monte templi tanquam in cisternam conflueret. Et Hieronymus narrat Hierosolymis ostendi locum, qui hybernis pluuiis ita impleatur, vt sæpe exundet. 2. Potest & hæc ratio significationis esse. Templũ situm erat in monte, vbi tamen propter victimas multa aqua opus erat. Potest igitur fieri, quia intra vrbem multæ, copiosæ erant piscinæ quod aqua inde per canales deducta in loco prope templum per Siphones effusa piscinam illam effecerit. Lutherus deducit ad Hesed חסד, & appellationem refert non ad piscinam, sed ad porticus, quæ propter decumbentes ægrotos extructæ ibi erãt: quasi domus misericordiæ seu beneficentiæ, *Ein Hospital.* Non enim in piscina iacebant ægroti, nec deambulatoria erant in ipsa piscina: sed ad piscinam extructa erat domus, habens porticus. Inde quidam vtrumque legunt in Datiuo ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ. Apud piscinam probaticam erat domus dicta Bethseda. Syrus habet בית חסדא domum benignitatis, vel misericordiæ, & appellationem refert ad ipsam piscinam, quod Deus benignam suam beneficentiam in curandis morbis in piscina illa populo exhiberet. Domum enim pro loco ponere vsitatum est: sicut domum seminis vocant agrum.

Porro κολυμβήθρα proprie non est piscina, vbi pisces vel capiantur, vel seruentur: sed proprie significat lauacrum seu natatorium: sicut Grammatici dicunt κόλυμβος ὁ νήκτης. Verbum enim κολυμβᾶν proprie significat natare, & de vrinatoribus dicitur. Piscina etiam Latinis simpliciter pro natatorio vsurpatur. Vsum igitur huius piscinæ vocabulũ κολυμβήθρα ostendit, vt scilicet pecudes quæ ibi ad sacrificia seruabantur, in ea vel potarentur, vel mergendo abluerentur: vel quod verisimilius est, vt victimæ mactatæ ibi à Nathineis abluerentur. Syrus habet vocabulum עמד quod ablutionem significat; simpliciter vocat locum ablutionis. Memorabilis autem est historia, quam de hac piscina Iohannes scribit. Non fuerunt thermæ: hoc est, non tales aquæ, quæ sua natura haberent virtutem sanandi morbos: sed ex alio vulgari loco per canales aqua eò deducebatur. Angelus vero certo tempore in piscinam illam descẽdebat. Qualis fieret species, qua descensio & præsentia Angeli repræsentabatur, Euangelista non notauit. Necesse autem est, tale visibile aliquod Symbolum fuisse, quo homines notare possent, aquam non turbine aliquo, non causa aliqua occulta in ipsa piscina latente, turbari: sed è cœlo Angelum demitti vsque in ipsam piscinam. Et quando visibile illud Symbolum in ipsam piscinam descendebat, tunc aqua, quæ alioqui stabat, non tantum in superficie commouebatur, sed à fundo vsque turbabatur. Sicut Iob. 41. v. 22. de Leuiathan scribitur, Feruescere faciet profundum quasi ollam, & sicut vnguenta bulliet. Syrus habet verbum זוע, quod significat commotionem cum tremore. Experimẽto autem deprehensum erat, quicunque primus in turbatam illam aquam ingrediebatur, quocunque modo detinebatur, quod statim sanus reuertebatur. Si vero post primum vnus aut alter aut plures piscinam illam intrarent, nullam planè sanationis virtutem sentiebant.

Porro Angelus non quotidie descendebat, & aquam ita turbabat, sed κατὰ καιρόν. Cyrillus hoc ita interpretatur, quod in magnis festis turbatio illa aquæ solita fuerit fieri: vt in magna frequentia non indigenis tantum, sed & peregrinis illustria gratiæ Dei erga semen Abrahæ vestigia monstrarentur. Et potest huc accommodari, quod Genes. 1. ver. 14. scriptum est: Luminaria erunt εἰς καιρούς, quod de statis festis interpretantur. Sed sine dubio κατὰ καιρόν simpliciter est antithesis eius, quod semper & quotidie fit: & sæpe significat certum & statutum tempus. Ita enim Græci loquuntur εἰς καιρούς, Esd. 10. versi. 14. Nehem. 10. ver. 34. & Exod. 13. ver. 10. Potest etiam significare incertam quantitatem, aut non statutas vices interualli temporis; sicut Gen. 18. ver. 10. κατὰ καιρόν à quibusdam exponitur. Et hanc significationem videtur circumstantia porticuum flagitare. Quia enim experientia docuerat, vnum tantum, qui primus turbatas aquas contigisset, sanari, & quia tempus turbationis in certum præsciri non poterat: curarunt ergo se eo deportari, vt in propinquo adessent, quando aqua turbaretur. Ne vero ibi circa piscinam decumberent, expositi ventis, imbribus, æstibus, & frigoribus, cœperunt extrui porticus. Cum vero multitudo ægrotorum in loco illo cresceret, multiplicatę sunt porticus, vt quinque fierent: στοὰ enim, sicut Varinus inquit, significat καμάρας καὶ τμήματα διὰ τὸ στήριγμα. Est igitur στοὰ porticus in longum ædificata, sub qua contra iniurias cœli potest quis ambulare, sedere & aliquid reponere. Nam & granaria Græci appellant στοάς. Ephesi extra vrbem vsq; ad templum Dianæ dicitur fuisse στοὰ ambulacrum. Et inde potest intelligi, quid sit στοά. Syrus vocat vmbraculum. Hæc est descriptio piscinæ Bethesda.

Quod si de doctrina quæritur, potest esse generalis commonefactio: quod sicut per malos Angelos immittuntur morbi, Psalm. 78. versi. 49. ita per bonos Angelos multa monstrentur & dispensentur ad restituendam bonam valetudinem remedia. Inde enim Raphaël vocatur medicina Dei. Quia vero opera illa Dei assiduitate vilescunt, & in reliquis medicationibus & in thermis; Ideò Deus extraordinarium hoc miraculum in aquis piscinæ Hierosolymitanæ edere voluit, vt homines admonerentur, ne ea, quæ in thermis, (quales multas, referente Plinio & Iosepho) Palæstina habuit, salubriter fiunt, solis causis physicis tribuerent, sed Dei operationem per ministerium angelorum agnoscerent & celebrarent. Hæc generalis est doctrina seu commonefactio. Sine dubio autem singulare aliquid tota hæc historia significauit. Nolo autem recensere varias allegorias. Optima enim explicatio est, quæ non procul petitur: sed ex rebus ipsis, & ex ipsis historiæ circumstantiis sumitur. Valde memorabilis autem est historia, & digna diligenti tum annotatione tum obseruatione. Sed nec in Prophetarum libris, nec in illis, qui post Prophetarum tempora scripti in Bibliis titulo Apocryphorum extant, vestigia vlla reperiuntur huius tam memorandi miraculi. Temporibus igitur Prophetarum, & post Prophetas, quousque historia Apocryphorum pertingit, ad annos scilicet 150. ante Christum, miraculum illud sanationis in piscina Bethesda, verisimile est non extitisse. Imo nec apud Philonem, nec apud Iosephum, huius miraculi mentio fit, vt, quod Lyra sentit, iudicem esse verisimilimum, cœpisse scilicet tunc, cùm tempus reuelationis Messiæ appropinquaret, & post glorificatum filium hominis desiisse. Ex Scholasticis quidam dicunt tunc cœpisse, cum Christus in Iordane baptizatus aquas sanctificasset: Sed secundo anno ministerij Christi iam quinque porticus extructæ erant, & magna multitudo ægrotorum ibi donum illud sanationis expectabat. De articulo igitur temporis quando cœperit, nihil constitui potest. Hoc verò apparet, nõ multo ante Christi tempora cœpisse. Et hæc obseruatio monstrabit, qualem Deus voluerit vsum esse huius admirandi doni sanationis. Donum enim prophetiæ & miraculorum ante annos plus 400. defierat, vt animi excitarentur ad ardentiorem expecta-

tionem Prophetæ qui promissus erat, Deuter.18.vers.15.& ad obseruationem signorum Messiæ, Esa.35.vers.5.& 6. Quia vero postremis temporibus populus Iudæorum non tantum patebat direptionibus & tyrannidi Ethnicorum, sed libertas ipsorum plane oppressa, imo extincta erat: ne igitur vel de promissionibus desperarent, vel totam religionem abiiceret, mirabile hoc donum sanationis statuit in illo loco, vbi victimæ, quæ figuræ erant propitiatorij sacrificij Messiæ, lauabantur & præparabantur, ostendens, se posteritatem Abrahæ, & cultum à se institutum adhuc amare, vt ita firma expectatione vsque ad Messiæ aduentum sustentarentur. Et quidem in aqua turbata virtutem suam mirabiliter ostendit: significans, rebus maxime turbatis, salutem promissam se posse & velle præstare. Tunc autem, cum in foribus esset aduentus Messiæ, miraculum illud Angeli è cœlo descendentis cœpit, vt commonefierent, salutem è cœlo promissam iam appropinquare. Ideo extra templum donum illud sanationis fuit. Et non est dubium, CHRISTVM ideo porticus illas ingressum, edidisse ibi insigne illud, quod sequitur, miraculum, vt ostenderet, quid sibi Deus hoc dono sanationis voluerit, & quo deberet homines deducere. Ideo etiam per interualla temporis aqua fuit ita turbata, & semel non nisi vnus sanabatur, ne resisterent in corporali illo beneficio, vt in ministerio Angeli: sed vt ad considerationem promissionum appropinquantis aduentus Messiæ excitarentur. Augustinus texit Allegoriam: piscinam illam significare populum Iudæorum conclusum quinque libris Mosis, hoc est, Lege, vbi decumbant tantum ægroti. Lex enim morbum ostendit, sed non sanat. Angelum vero magni consilij descendere è cœlo in illam piscinam, & exinanitione sua aquam illam turbare. Quod vero vnus tantum sanatur, hoc refert ad vnitatem fidei & Ecclesiæ. Ita Augustinus. Chrysostomus sentit, Deum ita voluisse viam parare ad Baptismum Iohannis & Christi. Aqua enim purificationis in lege tollebat immunditias Leuiticas. Iam vero aqua Bethesda sanat infirmitates corporum. Vt mox subsequebatur lauacrum regenerationis & renouationis: Ita Ambrosius etiam lib.2. de Sacramentis, piscinam hanc de Baptismo allegorice interpretatur.

Thomas disputat, aquas Bethesda accepisse virtutem sanandi ex ablutione victimarum, & Angelum ad monstrandā illam aquæ sanctitatem descendisse. Sed non semper in piscina illa fuit hoc miraculum: & Euangelista indicat aquas illas non ex victimis, sed per ministerium turbationis Angelicæ virtutem illam accepisse.

Alij de ligno crucis in fundo piscinæ illius defossæ fabulantur.

Illa vero significatio proprius conuenit, quod aqua Baptismi non simpliciter per se est lauacrum regenerationis: sed quando Spiritus sanctus descendēs sanguine victimæ Christi eam turbat, vt verbo huius historiæ vtar, tum fit lauacrum regenerationis & renouationis, Tit.3.v.5. Existimo autē historiam hanc plurimum posse illustrari, si conferatur ad caput 47. Ezechielis: ibi enim monstratur visio de aquis egredientibus è templo, de quibus inquit vers.9. Sanabuntur & viuent omnia, ad quæ venerit torrens iste.

Aquæ igitur Bethesda circa templum, fuerunt commonefactio, fore vt visio illa Ezechielis propediē vere impleretur.

Descriptio vero miraculi à Iesu in illo loco facti, & breuis & manifesta est. In porticibus enim illis, inter reliquos vnus erat, qui 38. annos decubuerat. Genus morbi Euangelista generali appellatione describit, vocans ἀσθένειαν. Circumstantiæ vero ostendunt, qualis infirmitas fuerit. *Iesus enim vidit* ipsum *κατακείμενον decumbentem*. Item decumbens inquit: *Neminem habeo, qui me mittat in aquam. Interim autem dum ego venio, alius ante me descendit.* Et quia inter ægrotos in porticibus illis decumbentes Ioannes post cæcos, claudos & aridos numerat, censent quidam, hūc vel insigniter claudum vel aridum fuisse. ξηροὶ enim tales esse intelliguntur, sicut Matth.12. vers.10. homo quidam habuit manum aridam quam extendere non potuit: & sicut 3. Reg.13. vers.4. manus Ieroboam exaruit quā retrahere non potuit. Amissio igitur motus significatur, sicut etiam exemplum Zach.11. ver.17. ostendit. Inde ξηροὺς quidam interpretantur tabe contractos vel mācos. Veteres non male coniiciunt hoc loco morbum huius decumbentis fuisse paralysin. Non enim potuit consistere, non surgere, non incedere: & tamen inquit ἔρχομαι, venio. Aliquid igitur, licet exiguum, de vi motiua in aliqua corporis parte reliquum fuit, quod ad descriptionem paralysis non male conuenit. Et Christus alibi in paralyticis ostensurus factam integram restitutionem, inquit: Tolle grabbatum tuum, id quod huic etiam dicit. Vocabulum vero ἀσθένεια licet generale, tamen & hanc speciem morbi huius decumbentis significare potest, sicut Græci eo vtuntur, 2. Par.28. vers.15. de illis, quibus pedes ita debilitati erant, vt progredi non possent, Psal.6. vers.3. vehementiorem habet significationem. Respōdet enim verbo quod significat excisionem virtutis seu virium, quod propius huc quadrat.

Multa autem notabilia complectitur breuis hæc miraculi descriptio, quæ ordine paucis annotabimus. 1. Dulcis est descriptio, quod filius Dei, quando, vt dominator venit ad templum suum, Malach.3.vers.1. & quidem quando concionaturus est de æqualitate sua cum patre, ipso sabbatho ingreditur prius vt medicus quinque illas porticus, tanquam Nosocomium, vbi magna multitudo miserrimorum hominum tristi spectaculo decumbebat. Membra enim eorum varijs modis misere deformata & perdita erant, sicut ex enumeratione Euangelistæ colligitur. Hæc dulcis pictura eo prodest, ne cogitemus, Christum, quia æquali potentia & gloria regnat cū Patre, non curare nostras miserias, sed officium eius, vt Mediatoris esse in hoc mundo, tanquam in vniuersali Nosocomio, misere afflictos gratia & auxilio suo inuisere. Sani enim non opus habent medico, sed ægroti.

2. Hoc vero Iohannes peculiari studio annotauit, quod cœlestis hic Medicus ingressus Nosocomion nouit, quanto tempore quisque laborarit: nec tantum speculatiue (vt sic loquar) nouit, sed deploratum & maxime miserandum, cuius calamitas præ cæteris & durior & diuturnior erat, accedit. Iohannes enim peculiari phrasi vtitur: *Habens triginta octo annos in infirmitate.* Habere enim tot annos descriptio est ætatis. Sed annos illos habere in infirmitate, idem est quod Dauid inquit, Psal.31. vers.11. Vita mea in dolore, & anni mei in gemitibus. Conqueritur etiam paralyticus, se omnium ope destitutum. Et magna sane inhumanitas fuit, quod nec vulgus, nec Sacerdotum collegium misero huic, qui tot annis decubuerat, procurarint aliquem, qui ipsum in piscinam mature deferret. Sed omissum hoc fuit forsan ideo, quod propter morbi diuturnitatem de restitutione eius desperarint. Et tristis est querela, quod inquit: Si saltem *haberem hominem, qui me*, si non portaret, si non duceret, saltem *proiiceret in piscinam.* Nec sine gemitibus commemorauit, se sæpius conatū reptare ad turbatam piscinam, sed lusisse operam; & alios, qui præuenerunt, sanatos, qui nec tam diu, nec tan duriter decubuerant, ita singula verba habent peculiare πάθος. Et consideretur, qualem argumentationem ratio humana texat, quādo destituitur causis secundis: medicorum ope infirmitas nō est curabilis: nec per donum hoc sanationis possum restitui, non enim habeo hominem, qui me deferat in piscinam: nec ipse possum descendere. Vna (ergo) salus miseris, nullam sperare salutem. Sed Christus hoc miraculo ostendit, quando & vbi definit auxilium humanum, tunc & ibi præsto esse, & incipere diuinum auxilium, iuxta Philonis dictum. Ac ostendit suam bonitatem & misericordiam eorum maxime curam habere, quos hominum inhumanitas negligit, & pro deploratis habet. Porro interrogatio Christi, cum inquit, *Vis sanus fieri*, non hoc quærit, de quo nulla dubitatio erat. Ideo enim curauerat se in porticus illas deferri, vt sanaretur. Nec est sarcasmus, sed vt ipse desperatam vim morbi & humani auxilij inopiam exponeret, quod ad miraculi commendationem faciebat, vtque ita & ipse, & circumstantes, & simul decumbentes excitarentur ad considerationem miraculi, vt scirent quo auctore fieret. Syrus reddidit, quod æger domino respondeat: Etiam Domine, sed neminem habeo, &c. Verum Euangelista simpliciter describit querelam ægri; *Domine neminem habeo, &c.* In Christi enim verbis est valde pathetica, non tam interrogatio, quam vox commiserantis: *Vnd du wilt auch gern gesund seyn*? Suauissima est hæc consolatio pro illis, qui diuturnis & quasi incurabilibus morbis & calamitatibus premuntur. Ideo enim per tot annos detentus fuit in infirmitate, vt gloria Christi illustrior redderetur eius sanatione.

3. Est & hæc peculiaris obseruatio, quod in tanta decumbentium ibi multitudine vnicum tantum sanauit. In Galilæa omne genus morbi Matt.4.vers.23. Capernaum omnes, qui adducebantur, sanauit, Matth. 8. vers.16. Potuisset igitur & nunc vnico illo verbo omnes, qui in porticibus illis decumbebant, sanitati restituere. Et nostro iudicio debuisset hoc potius Hierosolymis quam in Galilæa facere. Zion enim, Hierusalem, & templum, loca sunt manifestationi regni Messiæ in Prophetis deputata. Sed non tantum in hac, verum in tota Euangelica historia videmus, Christum studiose hoc obseruasse: cum alibi signa ferme innumerabilia fecerit, quod Hierosolymis illustria quidem, sed rara & pauca ediderit. Idque sine dubio propter hanc causam factum est, ne resisterent in externis signis, aut ne cogitarēt, beneficia Messiæ sanitate corporum & aliis externis commoditatibus definiri & terminari; sed vt externa miracula essent anagogia ad spirituale regnū Christi. Ideo in Galilæa & extra Hierosolymam valde multa fecit signa, quæ essent testimonia doctrinæ, personæ & officij ipsius. Hierosolymis vero, vbi spirituale ipsius regnum debebat

bat incoari & primum manifestari, non multa edidit signa; sed pulcerrimas & præcipuas conciones, complectentes doctrinam, quæ Euangelij propria est, habuit Hierosolymis:& ibi victima pro peccatis nostris factus, æternam redemptionem inuenit.Hæc obseruatio valde multa vtiliter monet. Generalis verò doctrina est;sicut tempore Elisæi multi erant leprosi,sed Naaman tantùm sanatus est;& tempore famis multæ erant viduæ,Elias vero ad vnam tantum diuertit:Ita Christus non omnes in hoc Nosocomio sanauit, sed vnum tantum, vt ostenderet, finem fidei non circumscribendum esse externis beneficiis huius vitæ; sed beatitudinem,quam Messias affert, referendam esse ad alias vitam. Si enim Christus omnes simul sanasset,illi, qui nunc morbis incurabilibus cōflictantur,cogitarent, sibi nullam in Messia spem esse. Ideo cum venisset omnes saluos facere, Hierosolymis in magna multitudine infirmorum vnum tantum sanat:cum tamen ad Hierosolymam præcipue pertineat ; quod inquit Zach. 9. vers.9.Ecce,Rex tuus venit tibi Saluator.

Porro verba illa : *Surge tolle grabbatum,ambula,&c.* supra in historia paralytici explicata sunt. Quòd verò Iohannes addit: *Erat sabbatum illa die,&c.* ex illis circumstantiis colligitur, ipsa prima dei paschatis,quæ sanctissima & celeberrima erat, hoc miraculum factum esse. Lucas enim cap.6.vers.1. dicit, Christum vltima die festi profectum per sata discessisse Hierosolymis:sicut de sabbato secūdo primo probauimus.Ergo quod Ioannes inquit:*Erat sabbatum illo die*, non potest de ordinatio aliquo sabbato post festum paschatis intelligi : dicit in festo factum esse. Intermediis autem diebus inter primam & vltimam diem(nisi ordinarium septima die sabbatum incideret)aliquid licebat & operari & portare, Mar. 16.v.3. Luc.24. vers.1. Quia ergo quærunt occidere Christum, propterea, quod iussisset sanatum sarcinam lectuli sui illo die baiulare, recte colligitur,fuisse tunc primam diem Paschatis : quæ sanctissima & celeberrima erat. Et quia dies ille sabbati magnus erat,sicut ait Ioh.c.19.versic.31.mirū videri posset,cur Christus iusserit sanatum sarcinam lectuli sui humeris [illegible] per plateas domum portare, cum non ignoraret,secuturam magnam Iudæorum offensionem, imò exacerbationem. Assignantur autem ab interpretibus hę rationes. 1. vt ostenderet non esse præstigias,sed veram sanationem : & illam non incoatam,vt per interualla, sicut in Medicina fit, perficiatur: sed statim illo momento,cum verbum dixisset, integram & absolutam esse.Non enim ambulat solum, verum etiam sarcinam lectuli sui portat,per satis longum locorum internallum:quod paralytico,si sanatio tantum inchoata, & non integre absoluta & perfecta fuisset, impossibile esset. Hæc est Chrysostomi ratio.

2. Ideo fecit, vt hac ratione miraculum illud vniuersæ multitudini, quæ vndique ad festum conuenerat,plane innotesceret. Propter hanc enim causam in ipsa porticu colloquium cum paralytico instituerat, vt nota esset omnibus & qualitas & diuturnitas morbi,& ratio sanationis. Quia vero in porticibus non aderat tota multitudo, ideo insolita gestatione oneris, in magno illo die sabbati,omnes, qui in tota ciuitate aderant,excitat, vt percunctando ipsi ex recens sanato eo,qui certissimus testis esse poterat, cognoscant de miraculo,quod factum fuerat. Quocunque enim per ciuitatem cum sarcina lectuli sui incedebat, cum ex omnibus locis magna multitudo ad festum conuenisset, ex insolito spectaculo cōcursus fiebat,& ab obuiis interrogatus,quare sabbato onus gestaret, sine dubio totum negotium, & infirmitatis suæ & sanationis,narrauit.Iesus etiā ideo se ex turba,quę in porticu interfuerat,cum miraculum illud ederet,subduxerat, sicut Ioannes inquit, vt re ipsa ostenderet, se non affectate gloriam humanam & applausum vulgi : vtque disputationes de miraculo & facto aliquo admirando,cuius auctor ignoratur, auidius & loquimur & disputamus,illæ per vniuersam multitudinem spargerentur,sicut de facto. Sanatus enim modum miraculosum sanationis publice vbique recitans, dicebat se auctorem non nosse, quis fuerit. Totum vero hoc factum est, vt animi hominum ardentius excitarentur ad insignem illam concionem,quam habiturus erat Christus. Vtitur autem Ioannes verbo ἐκνεύειν quod in hac quidem significatione in communi lingua non admodum vsitatum est. Græci vero interpretes sæpius illud vsurpant pro vertere se ex aliquo loco, & declinare alio,4.Reg.23.vers.16. Iud.4. vers.18. & 18.vers.26.Et ad hanc significationem conuenit, quod Plato deflexus & diuerticula viarum vocat ἐκνεύσεις τῶν ὁδῶν. Constructio dupliciter potest intelligi, ἐξένευσεν ὄχλου ὄντος, *cùm turba esset in illo loco* : ne Genitiui illi ponantur absolute: vel vt Genitiui illi regantur vi præpositionis ἐκ,cum quo verbum compositum est. *declinauit à turba,quæ erat in illo loco.* Syrus reddidit;Occultauit se in turba.

3. Est & hæc vna ratio, quod Christus hac iussione gestationis voluit occasionem quærere ad reprehendendas & refutandas superstitiones & falsas opiniones, de sanctificatione sabbati. Et obseruetur collatio. Antea in Capernaum rationem habuit rudiorum & infirmorum, qui sabbato ante occasum solis non audebant ægrotos suos adducere.Nunc vero,vbi cum Scribis & Pharisæis pertinacibus res est,facit id, quod absque periculo omittere tunc, aut saltem differre potuisset,vt exemplum libertatis ostendat,& occasionem habeat edendi confessionem, quod superstitiones & prauas ipsorum opiniones de sanctificatione sabbati non probet : sicut pluribus postea exemplis Christus hoc ostendit, & in historia Lucæ 13.versic.11. plura de hac obseruatione dicemus.

Inde vero prima concertatio de sabbato inter Iesum & Iudæos oritur:& quod magis ex inuidia & malitia moueantur, quàm ex vero pietatis zelo, circumstantiæ historiæ ostendunt.Primo enim videntes sanatum gestare sarcinam simpliciter admonendi gratia dicunt:*Sabbatum est,non licet tibi portare grabbatum.* Cum vero audirent narrationem miraculi, quodque sanatus gestationem grabbati ad auctoritatem illius verbi,cuius diuinam virtutem in sanationem senserat,referret:dicit enim,*qui me sanum fecit,is mihi dixit : Tolle grabbatum,&c.* Respondebant igitur:*Quis* vel qualis *est ille homo, qui in Sabbato dixit:Tolle grabbatum?* Quæ verba si accipiantur,vt à vulgo dicta, possunt ita accipi, quod bono & pio studio voluerint cognoscere illum,cuius verbi tanta esset vis & efficacia, quod hominem à diuturno & deplorato morbo vno statim momento integræ sanitati restituisset. Si vero accipiātur vt Pharisæorum verba, ingenium calumniæ describitur: quod audito tanto sanationis miraculo non gratulantur sanato,non glorificant Deum,non suspiciunt auctorem miraculi:sed illud tantum in eo facto arripiunt, quod calumniam parare poterat, vtque auctorem miraculi persequi possent, quærunt:*Quis est ille homo,qui dixit tibi,Tolle grabbatum & ambula?* Hoc est, homo ille non potest diuinus propheta esse, quia Sabbatum violat.Sanatus vero respondit : *Se non nouisse, quis esset.* Notabile hoc exemplum est.Paralyticus ipse fatetur se non nouisse Iesum. Non potuit ergo vera fide ab ipso petere beneficium sanationis;sicut etiam verba ipsius querelam non petitionem præ se ferunt : & tamen restituitur. Ita multa beneficia corporalia sæpe impiis & non credentibus, sæpe piis non etiam petentibus,à Deo conferuntur.

Iesus vero sanatum postea in templo inuenit:sine dubio orantem, ac Deo pro recuperata sanitate gratias agentem. Cumque vellet non miraculum tantum cognitum esse, sed & miraculi auctorem manifestari,denuo allocutus est ipsum, & quidem huiusmodi verbis, quibus ostendit; cuius corpus sanauerat,eius etiam animam saluare se velle, docens corporalia beneficia sanitatis,& alia, ita esse accipienda & vsurpāda,vt sint ἀναγωγαὶ ad conuersionem & saluationem animæ, vt ita non pars tantum,sed totus homo saluus fiat. Dicit igitur: *Ecce sanus factus es,noli amplius peccare,&c.* Inde vero sanatus agnoscit Iesum esse,à quo sanus esset factus. Et gradus fidei seu conuersionis in hoc paralytico obseruandi sunt.Primo enim dicit,se hoc agnouisse,cùm solo verbo statim sanaretur, esse medicū illum plusquā vulgarem hominem. Et quid verbo ipsius deferat,ostendit, cum inquit:Scio sabbatis hoc non decere, vt lecticam portem,sed quia ille, qui me sanauit eodem verbo, cuius virtutem in sanatione expertus eram,dixit: *Tolle lectum tuum,&c.* non potui refragari.Vbi & hoc notetur: Paralyticū hūc reuerēter accepisse non tantū illud verbū,quo sanitas sibi cōferebatur,sed & obediēter accepisse illud Christi verbum,quo iubebatur ambulare.Nos vero Euangelij verbum,quo gratia & salus confertur, libenter accipimus:verbū autem,quo iubemur in nouitate vitæ ambulare,negligimus. Ita primus ergo gradus est, quod hic paralyticus per miraculum deducitur ad reuerentiam verbi : deinde progreditur ad agnitionem personæ Iesu, sicut textus inquit:postremò ore confitetur, quod corde credebat.Nomen enim Iesu defert *ad Iudæos*, (qua appellatione non promiscuum vulgus intelligitur,sed primores Iudæorum,sicut & Ioan.1.vers.19. non animo proditorio, sed vt sua confessione & celebratione ipsos ad agnitionem Iesu inuitet.) Ostendit itaque Christus pulcerrimam regulam & rationem : quomodo externa corporalia beneficia referenda sint ad pœnitentiam,fidem,& nouam obedientiam. Nam post sanatum corpus,concionatur ipsi de sananda,præseruanda & tuenda valetudine animæ. Et diligenter notandum est, quod additur:si non hoc modo vsus fueris accepto beneficio, non tantum non proderit tibi, sed deterius quid tibi accidet.

Peculiariter vero notanda est regula de morbis & de liberatione ex morbis:Quia enim dicit : *Noli amplius peccare*, ostendit morbos esse pœnas monitrices de peccatis, & ideo immitti ne amplius peccemus, sed vt chamo & fræno illo ex

cursu peccatorum reuocemur. Deinde obseruandum est, quod tunc,cum sanatum in templo gratiarum actionis ergo versantem inueniret, monet ne amplius peccet. Indicat enim,vulgare hoc esse vitium, quod in morbis Deo multa vouentur,in recenti liberatione quædam præstentur, sed mox obliuione omnia deleantur, vt post restitutionem peiores fiant, quam ante morbum fuerant. Sicut & Germanicum prouerbium testatur: *Da der Krancke genaß, arger als zuvor er warß*. Christus vero seueram opponit comminationem, fore,si liberatione abutatur ad peccandum, vt *deterius* aliquid ipsi *accidat*. Syrus addit,Deterius aliquid quam prius. Illud vero duobus modis intelligi potest: vel de pœna aliqua corporis duriori & tristiori. Et hæc explicatio ostendit quæ causa sit,quòd,sicut Seneca inquit,finis alterius mali gradus est futuri. Item,cur post liberationem pœnæ crescant. Notetur etiam quod huius paralytici morbus putabatur esse in summo gradu,tamen Christus dicit, posse deterius aliquid accidere. Quia vero multis, qui post liberationem peiores sunt, non accidit deterior, aliqua pœna corporis: intelligi potest *deterius* hoc, de ira & iudicio ad traditionem in sensum reprobum, ad maiorem æternam animæ & corporis damnationem. Ratio exponitur Rom.2.v.4.& 5. Benignitas Dei per huiusmodi beneficia ad pœnitentiam te inuitat, Tu vero, secundum cor tuum durum & impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ. Grauius ergo & periculosius est peccatum,post acceptam liberationem Deum offendere. Consideretur autem ordo verborum. In medio ponit admirationem: *Noli amplius peccare*. Vtriusque autem addit causas motiuas: à fronte collocat considerationem collocati beneficij: *Ecce sanctus es*: à tergo addit comminationem; *Ne quid deterius tibi accidat*. Hoc modo vtrinque post accepta beneficia reprimenda est securitas,& excitandus animus ad veram gratitudinem, quæ in eo consistit,vt accepti beneficij memores Deum liberatorem tota vita colamus. Hæ regulæ copiosa oratione ad vitam communem possunt accommodari, sed nos tantum fontes monstramus.

CAPVT XLVI.

CONTINENS HISTORIAM PRIMÆ CONCERTATIONIS IESV CVM IVDÆIS DE SABBATO, & habitam ea occasione Hierosolymis insignem illam concionem, Ioan.5.

RATIO ORDINIS.

Totum quintum caput Iohannis cohærere, & præcedentia occasionem præbuisse ad sequentia, contextus Iohannis manifestè ostendit. Ex reliquis etiam Euangelistis, inter continuam quinti capitis apud Iohannem historiam, nihil interieri posse,collatio historiarum manifestè ostendit. Præcedentibus igitur ea, quæ apud Iohannem sequuntur, bono ac vero ordine subiungi,certum est. Et primo die Paschatis factam esse sanationem ægroti & gestationem grabbati certum est. Quod verò Iohannes addit, *Posthac inuenit Iesus sanatum in templo, &c.* id videtur secunda die Paschatis factum. Reliqua igitur, de concertatione Iudæorum cum Christo, de sabbato, & de sequente concione, vel secunda illa die,vel sequentibus aliis intermediis Paschatis diebus facta sunt.

HISTORIA PRIMÆ CONCERTATIONIS Iesu cum Iudæis de sabbato:& insignis illius concionis,quam in secundo Paschate Hierosolymis habuit, Ioan. 5.

16. Καὶ διὰ τοῦτο ἐδίωκον τὸν Ἰησοῦν οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, ὅτι ταῦτα ἐποίει ἐν σαββάτῳ.

16. *Ac propterea persequebantur Iudæi Iesum,& quærebant illum occidere, quòd ista fecisset in sabbato.*

17. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀπεκρίνατο αὐτοῖς· ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται,κἀγὼ ἐργάζομαι.

17. *Iesus autem respondit eis: Pater meus ad hoc vsque temporis operatur,& ego operor.*

18. Διὰ τοῦτο οὖν μᾶλλον ἐζήτουν αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι ἀποκτεῖναι, ὅτι οὐ μόνον ἔλυε τὸ σάββατον, ἀλλὰ καὶ πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεὸν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ.

18. *Propterea ergò magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum soluisset sabbatum:sed Patrem suum dixisset Deum,æqualem se faciens Deo.*

19. Ἀπεκρίνατο οὖν ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ οὐδὲν, ἐὰν μήτι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα. ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ.

19. *Respondit itaque Iesus, & dixit eis: Amen amen dico vobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc itidem & filius facit.*

20. Ὁ γὰρ πατὴρ φιλεῖ τὸν υἱὸν,καὶ πάντα δείκνυσιν αὐτῷ,ἃ αὐτὸς ποιεῖ,καὶ μείζονα τούτων δείξει αὐτῷ ἔργα,ἵνα ὑμεῖς θαυμάζητε.

20. *Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit, & maiora hi demonstrabit ei opera,vt vos miremini.*

21. Ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἐγείρει τοὺς νεκροὺς, καὶ ζωοποιεῖ, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς οὓς θέλει ζωοποιεῖ.

21. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat:sic & filius quos vult viuificat.*

22. Οὐδὲ γὰρ ὁ πατὴρ κρίνει οὐδένα, ἀλλὰ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ υἱῷ.

22. *Neque enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.*

23. Ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν,καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα· ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱὸν, οὐ τιμᾷ τὸν πατέρα, τὸν πέμψαντα αὐτόν.

23. *Vt omnes honorent filium, sicut honorant Patrem: qui non honorat filium,non honorat patrem, qui misit illum.*

24. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν· ὅτι ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων, καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον, καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν.

24. *Amen amen dico vobis: qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam,& in condemnationem non venit,sed transiuit à morte in vitam.*

25. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν. ὅτι ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστὶν, ὅτε οἱ νεκροὶ ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ

25. *Amen amen dico vobis,quòd veniet hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui*

Θεοῦ, καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται.

26. Ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ.

27. Καὶ ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ καὶ κρίσιν ποιεῖν, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστίν.

28. Μὴ θαυμάζετε τοῦτο, ὅτι ἔρχεται ὥρα, ἐν ᾗ πάντες, οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ.

29. Καὶ ἐκπορεύσονται οἱ τὰ ἀγαθὰ ποιήσαντες, εἰς ἀνάστασιν ζωῆς· οἱ δὲ τὰ φαῦλα πράξαντες, εἰς ἀνάστασιν κρίσεως.

30. Οὐ δύναμαι ἐγὼ ποιεῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐδέν· καθὼς ἀκούω, κρίνω, καὶ ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ δικαία ἐστίν. ὅτι οὐ ζητῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμόν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με πατρός.

31. Ἐὰν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, ἡ μαρτυρία μου οὐκ ἔστιν ἀληθής·

32. Ἄλλος ἐστὶν ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμοῦ, καὶ οἶδα ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία, ἣν μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ.

33. Ὑμεῖς ἀπεστάλκατε πρὸς Ἰωάννην, καὶ μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ.

34. Ἐγὼ δὲ οὐ παρὰ ἀνθρώπου τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω, ἀλλὰ ταῦτα λέγω, ἵνα ὑμεῖς σωθῆτε.

35. Ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων· ὑμεῖς δὲ ἠθελήσατε ἀγαλλιασθῆναι πρὸς ὥραν ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ.

36. Ἐγὼ δὲ ἔχω τὴν μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάννου· τὰ γὰρ ἔργα ἃ ἔδωκέ μοι ὁ πατὴρ, ἵνα τελειώσω αὐτὰ, τὰ ἔργα, ἃ ἐγὼ ποιῶ, μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ, ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέσταλκε.

37. Καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ. οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε.

38. Καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ οὐκ ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν· ὅτι ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος, τούτῳ ὑμεῖς οὐ πιστεύετε.

39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς· ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ.

40. Καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε·

41. Δόξαν παρὰ ἀνθρώπων οὐ λαμβάνω.

42. Ἀλλ' ἔγνωκα ὑμᾶς, ὅτι τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ οὐκ ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς.

43. Ἐγὼ ἐλήλυθα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, καὶ οὐ λαμβάνετέ με. ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ἐκεῖνον λήψεσθε.

44. Πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες, καὶ τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου θεοῦ οὐ ζητεῖτε;

45. Μὴ δοκεῖτε, ὅτι ἐγὼ κατηγορήσω ὑμῶν πρὸς τὸν πατέρα· ἔστιν ὁ κατηγορῶν ὑμῶν Μωσῆς, εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε.

46. Εἰ γὰρ ἐπιστεύετε Μωσῇ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί, περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν.

47. Εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου γράμμασιν οὐ πιστεύετε, πῶς τοῖς ῥήμασι πιστεύετε;

qui audierint, viuent.

26. *Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso.*

27. *Et potestatem dedit ei iudicandi quoque: quia filius hominis est.*

28. *Nolite mirari hoc: quia veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius.*

29. *Et prodibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis.*

30. *Non possum ego ex meipso facere quicquam: sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est. Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, Patris.*

31. *Si ego testimonium perhiberem de meipso, testimonium meum non esset verum.*

32. *Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio verum esse testimonium, quod testificatur de me.*

33. *Vos misistis ad Iohannem, & is testimonium reddidit veritati.*

34. *Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed hæc dico, vt vos salui sitis.*

35. *Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluistis ad tempus exultare in luce eius.*

36. *At ego testimonium habeo maius testimonio Ioannis: opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea, ipsa inquam opera, quæ ego facio, testificantur de me, quod Pater miserit me.*

37. *Et qui misit me Pater, ipse testificatus est de me. Neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis.*

38. *Et sermonem eius non habetis in vobis manentem: quia quem misit ille, huic vos non creditis.*

39. *Scrutamini Scripturas: quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testificantur de me.*

40. *Nec vultis venire ad me, vt vitam habeatis.*

41. *Gloriam ab hominibus non accipio.*

42. *Sed cognoui vos, quod dilectionem Dei non habeatis in vobis.*

43. *Ego veni in nomine Patris mei, nec recipetis me. Et si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.*

44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam à vobis inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo proficiscitur non quæritis?*

45. *Nolite putare, quòd ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est, qui accusat vos, Moses, in quo vos speratis.*

46. *Si enim credidissetis Mosi, credidissetis vtique mihi, de me enim ille scripsit.*

47. *Si autem illius scriptis non creditis, quomodo verbis meis credetis?*

Periocha huius Historiæ.

Pharisæi Hierosolymitani iam dudum quæsierunt occasionem opprimendi Iesum, vel calumniis, vel manifesta vi, sicut ostendit Iohânes, cap. 4. v. 3. Ac propterea sanationi paralytici in Capernaum Luc. 5. v. 21 Scribæ Hierosolymitani se immiscuerant. Iam igitur, cum audirent Iesum esse qui iusserat sanatum sabbato lectulum suum portare, auide hanc occasionem arripiunt, & ad persecutionem se conuertunt: ex inuidia crescentis gloriæ Christi, & quia Pharisæorum traditiones reprehêdebat & damnabat. Dolebat enim Pharisæis, quod Iesus insignibus & stupendis miraculis sibi talem authoritatem comparabat. quod populus, desertis ipsorum traditionibus, doctrinam Iesu & sectabatur & amplectebatur. Cum igitur valde illustre esset hoc miraculum, eius mentionem vociferationibus de violatione sabbati obruere conabantur. Cumque tota ipsorum religio in externa ceremoniarum specie consisteret, non de doctrina potissimum, sicut Scribæ cogitarunt, Luc. 5. v. 21. sed de violata externa sabbati ceremonia iam ipsum accusant. Et hanc occasionem iudicât vrgendam esse: tum quia ad vulgus plausibilis erat, tum verò præcipue, quia habebant pro se non tantum Legem, Ier. 17. v. 21. & seq. & Nehe. 13. v. 15. & seq. de simplici sabbato, sed præterea etiam de prima die Paschatis, sanctissima & celeberrima, Leuit. 23. v. 7. Et violatio sabbati expressa Dei voce capitalis erat, Numer. 15. vers. 35. *Imò quærebant illum occidere,* inquit Iohannes, hoc est, meditabantur publicam accusationem, vt iuxta Legem Numer. 15. v. 35. lapidaretur. Christus vero respondet ipsis: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Videndum autem est, quo genere defensionis aduer-

sus tam atrocem accusationem Iesus vtatur. Alibi enim, vt Luc.6.3.& 14.5. de sabbato aliis vtitur rationibus, quæ communes sunt omnibus credentibus. Sed hoc loco, quia Iudæi non illum, qui sarcinam gestarat, sed Iesum, cuius iussu hoc fecerat, accusant, ex ipso capite & fonte primæ institutionis sabbati defensionem petit. Quia enim Deus, cùm septimo die ab operibus suis requieuisset, benedixit illi diei, & sanctificauit eum. Inde Iudæi colligebant, non licere sine insigni profanatione, vel minimum aliquid operis, quacunque necessitate, vel quocunque fine, sabbatis facere: quia Deus ipse noluerit tunc aliquid operari, ne sabbati sanctificationem violaret. Requieuit enim ab omnibus operibus suis. Concludebant igitur, Iesum non esse ex Deo, cum iussisset grabbatũ gestare in sabbato, in quo Deus ipse quieuisset. Hoc fundamentum Christus ita explicat: Pater meus requieuit die septimo, sed ita, vt ad hoc vsque temporis operetur, vt vtrumque verum sit, & quod requieuerit Deus, & quod continuò operetur. Requieuit siquidem à creando alio modo & condẽdis nouis creaturarum generibus: à prouidentia verò, cura, administratione, gubernatione & sustentatione mundi, alia ex aliis progenerando, collapsa restaurando, subsistentia quandiu vult, conseruando, nec tunc die septimo, nec postea vnquam vel sabbatis, vel festis diebus destitit aut cessauit, sed *operatur vsque modo* Si enim vel vno momento, illa Dei operatio cessaret, totus mundus collaberetur, sicut inquit Paulus Coloss.1.17. Omnia in ipso consistunt, συνέστηκε, hoc est, totum systema mundi dissolutum collaberetur, nisi potentia verbi Dei gestarentur omnia, Heb.1.3. Nam Act.17.28. in ipso sumus, viuimus, & mouemur. Et Psal.104.v.29. inquit: Auertente te faciem, turbantur, & in puluerem reuertuntur. Et hanc explicationem Christus extruxit inde, quod Genes.2.2. scribitur Deus quieuisse, non simpliciter, sed ab opere suo, quod faciebat. Augustinus accurate obseruauit illã phrasin ἕως ἄρτι, *ad hoc vsque temporis* significare continuationem quandam operis eius, quo vniuersam creaturam Deus continet atque administrat. Aliud enim esset, si simpliciter diceret, Pater meus operatur, vel nunc operatur: aliter verò intelligi oportet, cum ait [*vsque nunc,*] ex illo scilicet tempore, quo cuncta cum conderet operatus est, continuè sine cessatione aut intermissione vsque modo operatur. Et non dicit, operatus fuit, quasi iam cessaturus, sed dicit [*operatur,*] continuationem operationis indicans.

Ex hac verò distinctione quietis & operationis Dei Christus tacitè ostendit fontem & fundamentum veræ explicationis tertij præcepti. Quia enim Deus die septimo quieuit ab operibus suis, & simul etiam operatus est: Ergo non simpliciter omnem operationem die sabbati prohibuit: sed sicut ipse à condendis nouis creaturarum generibus quieuit, & operatur vsque modò in administratione mundi, vt cœli enarrent gloriam eius, Psal.19.v.1. & inuisibilia eius, ex creatione mundi, dum per opera sustentationis intelliguntur, peruideantur, Rom.1.v.20. ita seruilia opera prohibuit, & sabbatum dedicauit exercitiis & operationibus, quæ ad Dei gloriam pertinent.

Hæc igitur sententia [*Pater meus operatur, & ego operor,*] pertinet ad locum de creatione, siue de prouidentia Dei, quã hæc sententia definit esse, non otiosam inspectionem, sed cõtinuam operationem Trinitatis. Augustinus de Genesi ad literam, lib.5.cap.20. inquit: Sunt qui arbitrantur tantummodò mundum ipsum à Deo factum, cætera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinauit & iussit; Deum autem ipsum nihil amplius operari. Contra quos perfertur illa sententia Domini: Pater meus vsque modo operatur, &c. Ibidem lib.4. c.12. requieuit, non vt ipso saltem die septimo potentia eius à rerum, quas condiderat, gubernatione cessaret, alioqui continuò dilaberentur. Creatoris namq; potentia, & omnipotentis atq; omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturę, quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquãdo cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structura ædium, cùm fabricauerit quis, abscedit ab illa, & cessante atque abscedente illo stat opus eius: ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Continuationem enim operis significat, cum inquit, vsque modo operatur, &c. sed hæc in loco de creatione plenius explicata sunt. Particulam illam, *Et ego operor*, quidam illatiue accipiunt, vt sensus sit: Quia pater continue, atque ita etiam in sabbato operatur: Ergo & ego filius sine crimine in sabbato hoc feci. Sed plenior erit sententia, si verba hæc ita exponantur, sicut & à Iudæis accipiuntur, & in sequenti concione explicantur, vt sensus sit: Pater meus vsque modo operatur: & ego vsque modo simul cum eo operor.

Quia igitur Iudæi dixerunt: *Quis est homo ille, qui dixit tibi: Tolle lectum tuum*, &c. Christus hanc sententiam opponit, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, quasi dicat. Non est, quod contemptum dicatis: Quis est homo ille? Sum enim ille, per quem pater, sicut initio omnia fecit, ita continue omnia sustentat & gubernat. Ita vt Patris & mea opera in creatione & administratione mundi sint indiuisa. Neque nunc primum sabbatis incipio aliquid operari, vt ideo capitalis accusatio vobis instituenda sit: sed sicut pater ab absoluta creatione vsque modo operatur, creaturas sanas sustentando, & confractas sanando: ita & ego vsque modo operor, ἕως ἄρτι. Syrus reddidit ad verbum, vsque ad nunc: hoc est, vsque ad hoc tempus operor. Et illius continuę operationis exemplum ostendi in sanatione huius paralytici. Atque ita Christus sententiam & vsum huius miraculi ostendit. Sanaui hunc, non sicut Medicus, nec sicut Propheta: sed quod solo verbo & vno momento desperatum morbum sanaui, testimonium est meę diuinitatis. Nam pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Hanc sententiam Apostoli postea plenius explicarũt. Testimonium diuinitatis Christi ex articulo creationis, sustentationis & administrationis mundi, Colos.1.v.17. In ipso omnia consistunt, Heb.1.v.3. ferens omnia verbo potẽtię suæ.

Hæc est valde sublimis, imo cœlestis & diuina defensio, cõtra accusatiõé de violatione Sabbati. Iudæi vero hac Christi responsione non placabantur, sed magis irritabantur: existimantes se iam habere duas accusationes, vtrasque capitales: alteram de violatione sabbati, Num.15 vers.35. alteram de blasphemia, Leuit.24.ver.14. Hoc enim est, quod Ioannes addit: *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non soluisset sabbatum, sed patrem suum proprium dixisset Deum, æqualem se faciens Deo.* Augustinus venuste annotat, Iudæos verba Christi rectius intelligere, quàm Arrianos: qui manifesta verba Scripturæ deprauant, vt filium faciant inæqualem Patri. Indignantur autem Iudæi non ideo simpliciter, quod dixerat Pater meus. Communis enim hæc vox est vniuersi seminis Abrahæ, Esa.cap. 63. versic. 16. Tu pater noster es. Et Ierem.31. vers.9. inquit Deus: Factus sum Israel pater. Sed quia Christus tribuit sibi perpetuam & indiuisam operationem cum Deo Patre, & summam mundi administrationem communem cum Deo Patre, inquiens: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Inde colligunt Iudæi Christum vocare Deum Patrem suum, non sicut credentes filij adoptiui dicunt: Tu pater noster es: sed quod *Deum dicat ἴδιον Patrem*, sicut Roman.8.v.32. Paulus vocat Christum ἴδιον filiũ Dei. Et quid hæc phrasis significet, mox explicatur; *Æqualem se faciens Deo.* Ita ergo Iudæi verba Christi intellexerunt. Quod autem Iesus æqualem se faceret Deo, hoc Iudæi partim inde collegerunt; quia dixerat, ὁ πατήρ μου, hoc est, ἴδιος Pater. Nam sicut Cyrillus inquit: Cuius vere & proprie Deus Pater est, is secundum naturam Deo æqualis est. Præcipuè vero inde hoc collegerunt, quod dixerat se eadem operari quæ Pater cœlestis. Iesus vero Iudæos ita colligentes non accusat calumniæ, quasi verba sua falso interpretentur, sed sententiam illam, quam Iudæi ex verbis ipsis se intelligere significabant, multis grauissimis argumentis confirmat. Nec Euangelista id, quod Iudæi ex verbis Christi colligunt, reprehendit aut corrigit, sicut fecit c.21.23. sed per sequentia approbat, Christum ita velle intelligi, quod sit æqualis Deo.

Obseruanda igitur est hæc interpretatio, ἴδιος pater, ἴδιος filius, id est, æqualis patri. Multa autem in Ecclesia contra Arrianos disputata sunt, filium esse non ὅμοιον tantum, sed ἴσον: nõ similem, sed æqualem Patri. Nam 1.Ioan.3.v.2. de credentibus scriptum est: Cum apparuerit, similes ipsi erimus: nõ autem pares vel æquales. Vsitata autem est Dialecticorum distinctio ἴσον referri ad quantitatem, qua substãtia vel æqualis vel maior vel minor est altera: ὅμοιον ad qualitatẽ, qua alter alteri similis est. Sed ex phrasi Scripturæ rectius de hoc vocabulo iudicari poterit. Psalmus 89.v.7. dicit: Quis in æthere æquabitur Domino? Ibi Græci interpretes vsurpant verbum ἰσωθήσεται. Et ערך Arach significat, quando res rei confertur & æquatur, seu in eodem ordine ponitur, sicut fit in æstimationibus, Leuit.27.v.8. Porro Esa.40.v.25. aliud extat verbum Schovah שוה significans adæquationem, quod etiam Syrus hoc loco vsurpauit, vt ostenderet non similitudinem, sed æqualitatem significari in hac sententia. Esaię dictum hoc est: Cui assimilabitis me, & æquabor, vel vt æqualis sim? Cap. 46. vers 5. Cui assimilabitis me, & æquabitis? Et ad hæc Scripturæ loca sine dubio Iudæi respexerunt, cum inquiunt: *Æqualem se facit Deo*, vt ἴσον ποιῶν sit redditio vtriusque verbi Hebraici. Et Paulus Phil.2.v.6. cum dicit εἶναι ἴσα Θεῷ, sine dubio reddere voluit Hebraica illa verba: & locus ille non potest simplicius intelligi, quàm horum locorum collatione. Idola enim per rapinam diuinitatis falso æquantur Deo: filius vero est æqualis Patri natura & substantia. Adam & Eua

Genes.

Genes. 3. v. 5. suasu serpentis voluerunt rapere illam æqualitatem, vt essent sicut Dij: Christus verò non ita. Ἴσα verò aduerbialiter, sicut Paulus ibi loquitur, frequens est Græcis interpretibus in libro Iob. Hæc quia vsum aliquem habere possunt, hoc loco de vocabulis annotare volui.

Cum igitur Iudæi clamitarent capitalem blasphemiam esse, quod Iesus ostenderet se æqualem esse Deo, Iesus inde sumit occasionem pulcerrimæ concionis. Et vtilis est hæc obseruatio, quam diligentior consideratio descriptionum Ioannis præbet: pulcerrimas scilicet conciones de summis & præcipuis articulis, qui ad doctrinam Euangelij propriam pertinent, Christum habuisse Hierosolymis. Sine dubio, propterea, quia scriptum est: De Zion exibit Lex, & verbum ex Ierusalem. Esa. 2. v. 3. & Mich. 4. v. 2. Cum ergo primo anno in concione ad Nicodemum Hierosolymis docuisset, se esse non tantum filium hominis, sed & filium Dei, & quidem vnigenitum: iam secundo anno ibidem integram concionem instituit: de vtraque natura in sua persona, de diuina & humana: de personali earum vnione, & de vsu huius doctrinæ. Et diligenter notanda sunt capita huius concionis. Illustris enim explicatio de his summis mysterijs ex professo hoc loco instituta est, & per totam postea Euangelicam historiam voces huius concionis repetitas videbimus. Videntur autem sententiæ aliquanto obscuriores esse: quia inscrutabilia & ineffabilia mysteria Trinitatis filius Dei nostris verbis ἀνθρωποπαθῶς explicare voluit. Ac inter veteres varie disceptatum fuit, possintne singulæ sententiæ huius concionis referri ad solam vel diuinitatem filij, vel humanitatem, diuinis actionib. in persona Christi ditatam & glorificatam, sicut Damascenus loquitur? Sed si occasio huius concionis diligenter obseruetur, & status recte constituatur, facilior & planior erit explicatio.

Occasio autem hæc fuit. Iudæi, cum audirent Christum in suis concionibus de persona & officio suo plusquam humana prædicare, licet stupenda & diuina miracula videbant: tamen exinanitione & infirma humanitatis eius specie offensi, vocabant illum Hebraica consuetudine filium non viri, sed hominis: hoc est, non heroa aliquem, sed vulgarem infimæ conditionis & sortis hominem. Alij vero, qui miraculis conuicti honorificentius de ipso sentiebant, tanquam magnum Prophetam, vel insignem sanctum aliquem ipsum habebant, in quo creata dona Dei diuina numero plura & gradibus excellentiora essent, quàm in reliquis hominibus: quique non propria virtute, sed per assistentem diuinitatis gratiam, sicut Prophetæ, miracula ederet. Indignantur enim quod Deum Patrem suum non adoptione, vt credentes, sed quod Deum proprium suum patrem appellet, æqualem se faciens Deo.

Ad has Iudæorum opiniones & voces Christus concionē suam accommodat, asseuerans & probans, se non nudum tantum hominem esse, sed & verum Deum: æqualis sapiētiæ, voluntatis, potestatis, operationis, honoris & gloriæ cū Patre. Ideo vtitur vocabulis videndi, volendi, faciendi, potestatis, gloriæ. Et miracula, quæ vel adhibita voce, vel tactu assumptæ humanitatis facit, esse operationes diuinitatis personaliter cum carne vnitæ, quæ cum carne, & per assumptam carnem, suas Mediatoris operationes perficiat. Ideo addit: *Quia filius hominis est.* Hoc est, sicut vsitate in Ecclesia loquimur, explicat doctrinam de diuina sua natura: de personali eius cum assumpta humanitate vnione; & quid humana natura in Christo ex illa vnione acceperit. De hac vero doctrina non ociose disputat, sed ostendit, quomodo beneficia seu officium Messiæ, & efficacia verbi eius, inde illustrentur & confirmentur. Hunc esse statum & hanc summam concionis manifestum est. Tota autem hæc doctrina de duabus naturis in Christo: de hypostatica earum vnione, & de communicatione idiomatum, quæ inde consequitur, alibi in peculiari libello à nobis explicata est. Eam igitur hoc loco non repetemus: sed ordine singulas sententias textus breuiter explicabimus, vtque explicatio planior sit, ad monstratum statum concionis singula referemus.

Propositio igitur totius concionis in verbis Iudæorum ponitur, quod Christus ostenderat se esse filium Dei, non metaphorice, vel nuncupatiue, quales sunt filij adoptionis: sed quod diceret, Deum esse patrem suum ἴδιον, ita vt æqualis sit Deo. Arriani, sicut Augustinus recitat, hunc locum ita deprauarunt, vt dicerent, Christum totam hanc concionem eo cōsilio instituisse, vt illam, quæ non esset Christi sententia, sed opinio Iudæorum, refutaret, & ostenderet se non esse æqualem patri.

Orthodoxi vero ex cōtextu recte vere & firmiter ostenderunt & defenderunt, Christum propositionem illam, (quod sit æqualis patri.) quam Iudæi ex verbis illis, *Pater meus vsque nunc operatur, & ego operor*, colligebant, non reprehendere aut corrigere, sed refutare: sed totam concionem institutam esse, vt propositionem illam probet, & multis argumentis confirmet, se esse filium Dei, æqualem Deo patri.

Obseruetur autem, quomodo propositionem illam explicet & confirmet. Vera enim explicatio, quid sit τὸ ὁμοούσιον, sicut Ecclesia loquitur, in hoc loco tractatur. Dicit igitur magna, seria & geminata asseueratione: (sicut de particula *Amē* in præcedentibus diximus) *Amen Amen dico vobis, filius non potest à seipso facere quicquam.* Hæc phrasis alibi significat infirmitatem seu imbecillitatem naturæ, quæ aliunde virtutem bene agendi accipere & quasi mutuari cogitur, vt 2. Cor. 3. ver. 5. Non sumus idonei à nobis ipsis cogitare aliquid. Ioh. 15. v. 4. Palmes à seipso non potest fructum ferre. Et ita Arriani de ἐνεργείᾳ & inæqualitate filij hanc sententiam exposuerunt, sed sicut in foro recte & eleganter dicitur: Inciuile est, lege non tota perspecta ex parte aliqua pronunciare. Ita in explicatione Scripturæ Cyrillus admonet, vt & præcedentia & sequentia diligenter considerentur & conferantur, ne ex verbis quibusdam talis sententia exsculpetur, quæ vel à præcedentibus dissentiat, vel cum sequentibus pugnet. Præcedit autem hæc sententia: *Pater meus operatur, & ego operor.* Vnde Iudæi colligebant, quod æqualem se Deo faceret. Sequitur autem post illa verba, de quibus iam agimus: *Quæcunque Pater facit, eadem & filius facit: Sicut Pater viuificat, sic & filius quos vult viuificat.* Totus igitur contextus & in præcedentibus & in sequētibus ostendit, quòd Christus ex operibus iisdem, siue, vt Augustinus loquitur, indiuisis, quæ ipsi communia sunt cum Deo patre, probare vult se esse æqualem Deo. Horum igitur verborum *Filius non potest à seipso facere*, sensus est, se non tantum, sicut antea dixerat, cum Patre cooperari, *Pater operatur, & ego operor*: sed propter perfectissimam exæquationem, sicut Hilarius loquitur, se non posse quidem aliud, seu diuersum operari, quàm idem ipsum, quod Pater operatur. Quæ igitur Pater facit, eadem & filius potest facere. Sed multo plus est, quod dicit: Filius nō potest aliud facere, quàm Pater. Propter ταυτότητα scilicet substantiæ, & perfectissimam potentiæ æqualitatem. Phrasis vero, *à seipso* ex collatione simplicissime intelligi potest. Ex diuersitate naturarum siue principiorum actionis, oritur diuersitas actionum, vt Paulus 1. Cor. 15. v. 10. cum dixisset: Plus cæteris laboraui, mox addit, Non ego, sed gratia Dei, quæ mecum est. Vbi aliud est, quod Paulus ex se ipso, vel ex natura sua potest & facit: & aliud, quod ex gratia Dei assistente seu inhabitante facit & potest. Et sicut Act. 3. v. 12. Petrus inquit: Nos non propria virtute hoc miraculum fecimus. Christus igitur, vt ex communi sanctorū ordine se eximat, ita voluit loqui: Ego à me ipso, hoc est, à natura, & ex propria potestate non possum facere aliud, quàm idem seu illud ipsum, quod Deus Pater facit. Vna ergo erit natura seu essentia & æqualis potestas Patris & Filij. A se ipso enim filius non tantum idem facit, vel idem potest facere, quod Pater: sed nec potest à seipso, hoc est, ex natura & essentia sua aliud operari, quàm Pater. Id quod testimonium est summæ & simplicissimæ vnitatis essentiæ, quam Græci ὁμουσίαν vocant. Chrysostomus confert has phrases; Deus nō potest mentiri, mutari, errare, quod non imbecillitatis, sed summæ substantiæ & ineffabilis potentiæ est. Ita hoc loco phrasis illa, *Filius non potest à se ipso, &c.* significat summam æqualitatem sapientiæ & potestatis in Patre & filio, vt impossibile sit filium aliud facere, quam quod Pater facit. Hoc autem modo ex operibus indiuisis vnitas essentiæ, & æqualitas potentiæ in Patre & Filio firmissimè probatur. Hilarius & Augustinus particulam *à semetipso* iungunt cum verbo *Potest*, vt sit sensus, Filium potentiam faciendi aliquid habere non à se, sed à Patre, à quo substantiam suam habet. Chrysostomus vero particulam illam coniungit cum verbo Facere, propter exceptiuam particulam *nisi* quæ sequitur, *Filius non potest aliquid facere ex se, ἐὰν μὴ τι, sed tantum id potest facere, quod viderit patrem facientem.* Ita enim particula ἐὰν μὴ, nisi, pro, *sed tantum*, in multis accipitur. Syrus particulam, *à seipso*, reddidit, ex voluntate animæ suæ, vt idem sit quod postea dicit: Non facio meam voluntatem.

Sed præcedens sententia declaratur, & confirmatur per ea, quæ sequuntur. *Quæ pater facit, hæc & filius similiter facit.* Non quod filius peculiaria seu distincta opera, ad similitudinem paternorum, separatim operetur, sicut faber Magister facit arcum, & discipulus ad eius similitudinem alium arcum facit, iuxta Augustinum. Sed quod nec Pater solus operetur, nec filius solus: sed pariter & coniunctim Pater cum filio, vt indiuisa sit operatio: & vna essentia principium operationis in Patre & in filio. Non enim inquit: Quæ Pater facit, talia, vel illis similia filius facit: sed ταῦτα, hęc eadem ipsa facit & filius. Simul autem etiam in vnitate essentiæ distinctionem personarum indicat, cum inquit: *Similiter facit.* Ne enim putetur talis esse communis & indiuisa operatio Patris & Filij,

sicut quando concurrunt causa superior & inferior, aut duæ causæ partiales. Ideo Christus inquit: *Quæ Pater facit, eadem & filius similiter facit*, hoc est, ex æquo, pariter, coniunctim. In vna enim & indiuisa operatione, Pater operatur per se, & Filius per se; sed tamen similiter. Sæpe enim in producendo vno & eodem effectu concurrunt: exempli gratia, anima & corpus, dominus & seruus, faber & instrumentum, imò Deus & creatura: sed non similiter. Alia quippe ratione faber, alia instrumentum, alia Deus, alia creatura. Sed in operibus Trinitatis indiuisis, quæ pater facit, eadem & filius, & quidem similiter facit. Et aduerbium ὁμοίως hoc loco non significat tantùm, quòd filius itidem quoque ea faciat quæ pater: sed quod ea quæ pater facit, ea & filius faciat similiter, hoc est, eodem prorsus modo, cum æquali libertate, scientia, potestate, &c. Non autem dicit: Quæcunque pater fecit, talia filius fecit: quasi alia sint opera filij, quæ post patrem imitando efficiat: sed [*quæcunque pater facit ipsa eadem & filius facit:*] vt intelligatur vna & eadem esse operatio patris & filij: idque nō in quibusdam tantum, sed in omnibus. Sicut enim in præcedente membro, *Non potest à seipso*, ostendit filium ea sola operari quæ pater: ita his verbis ostendit omnia quæ pater facit, eadem & filium facere. Quia vero addit *similiter*, indicat aliam esse personam patris, aliam filij. Præterea verò phrasi illa, *Filius non facit à seipso*, insinuatur hæc differentia. Pater habet diuinam essentiam, vitam, potentiam, &c. eandem habet & filius: sed pater eam à nullo, sed à seipso habet: filius verò non à se ipso eam habet, sed à patre sibi communicatam accepit, non tali participatione sicut creaturæ, sed generatione totam accepit, ita vt eadem similiter faciat, quæ pater facit. Hinc Augustinus regulam illam extruxit: Pater agit & à se, & per se: Filius vero agit non à se, & per se. Vnde apparet, quàm religiose verba textus retinenda, & quàm diligenter expendenda sint. Quod enim Erasmus reddidit verbum textus præsens, per præteritum fecerit, & ὁμοίως per itidem, in eo emphasi vocabulorum non parum detrahitur.

Quod vero in textu additur, *Nisi quod videt* (βλέπῃ) *Patrem facientem*, per ἀνθρωποπάθειαν, sicut apud homines, patres filios ita instituunt, vt similes euadant patribus, ita loquitur. Quia enim sublimitas mysterij de vnitate essentiæ & æqualitate potentiæ in patre & filio non potest satis explicari, ideo ex similitudine rerum humanarum verba mutuatur, sicut de filio non degenere, qui patris virtutes conatur imitari & exprimere, dicitur: Disce puer virtutem ex me verumque laborem, &c. Sed hoc loco illud videre filij non modo huius seculi accipiendum est, vbi filius vel discipulus, primum tanquam ignarus spectator est paterni operis, & postea imitator. Est enim præsens tempus. *Non potest aliquid facere, nisi quod* (βλέπῃ) *videt patrem facientem.* Et diuina visio captum nostræ mentis in hoc seculo longe excedit: quis enim explicabit, qualis futura sit visio, cùm æterna beatitudo in eo consistat, quod videbimus Deum sicut est? 1. Iohan. 3 v. 2. Quod si nō capimus, quomodo homo creatura visurus sit Deum, multo altius mysterium erit, quomodo filius patrem videat. Sæpe autem Scriptura ita loquitur. Ioh. 3. 11. Quæ vidimus, loquimur. Et Baptista Ioh. 3. v. 32. Filius quæ vidit, testatur. Ioh. 8. 38. Quæ vidi apud Patrem meum loquor.

Intelligit autem sine dubio per hanc visionem, sapientiam diuinam: vt communis & indiuisæ operationis ratio hæc sit, quod filius, quia sapientia patris, imo eiusdem essentiæ & sapientiæ, perfecte videt seu nouit Patrem. Sicut Paulus 1. Corinth. 9. v. 11. inquit: Ea quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei, qui est in eo. Et sensus valde sublimis est, filius non habet operationes diuersas, multo minus contrarias patri: sed tanta est vnitas & æqualitas, quod filius nihil potest facere, nisi quod æterna & diuina sua sapientia, quam à patre habet, videt & nouit Patrem secum & per se facere. Simpliciter hoc ita diceretur: Pater nihil facit, nisi per filium: & filius nihil facit, nisi quod pater per ipsum operatur. Sed Christus ad ostendendam mysterij sublimitatem addit: *nisi quod vidit Patrem facientem*, vt ostendat Patrem auctorem esse eorum, quæ filius facit: & simul declaret filium esse agens liberum & intelligens, qui videat & cognoscat, quæ Pater cum ipso & per ipsum operatur. Expendenda autem sunt verba, quod non dicit: Quale viderit Patrem fecisse. Non enim alium nouum mundum, qualem Pater fecit, filius fecit, sed dicit: quod videt Patrem in præsenti facientem, hoc filius vnà cum Patre facit, sicut supra dixit: *Pater meus operatur, & ego operor.* Huius verò doctrinæ vsus est, vt quæ Christus dicit & facit, ita accipiamus, vt ab ipso Patre dicta & facta, sicut postea de vsu dicemus.

Et inde etiam quod sequitur intelligi potest: *Pater monstrat filio omnia, quæ ipse facit.* Correlatiua sunt, monstrare & videre: qualis ergo est visio filij, talis est monstratio Patris. Et quia inquit: *Pater diligit filium & monstrat ei omnia quæ ipse facit.* Ergo peculiaris & diuina est monstratio. Si iuxta modum huius seculi hæc sentētia exponenda esset, sensus esset, sicut Augustinus inquit: Veluti si faber doceat filiū artem suā, & demōstret quicquid facit, tunc pater seorsim operatur, & filius tūc monstrante Patre non simul statim cooperatur, sed aspicit prius quod pater facit, vt postea ipse aliud simile faciat. Sed quia hæc monstratio & visio, de qua textus loquitur, est in diuinis, inter Patrem & filium, recte inquit Cyrillus: Pater demonstrat filio, non quasi in tabella depictum, nec quasi ignorantem doctrina instruens & iuuans: sed tanquam seipsum natura filij depingens, vt quæcunque in se habet, in filio demonstret. Et Augustinus ita interpretatur: Patrem dicit monstrare filio omnia, quæ facit, quia gignendo filium, dedit ei cum natura diuina etiam cognitionem omnium, quę Pater facit. Et hæc explicatio phraseos aliquo modo intelligi potest ex illis locis, vbi postea à Christo repetita est. Ioh. 10. v. 32. Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo. Ioh. 14. v. 9. Qui videt me, videt & Patrem meum. Quomodo igitur dicis; Ostende nobis Patrem? Non credis, quod ego in Patre, & Pater in me sit? Hæc sententia ostendit veram interpretationem huius demonstrationis. Pater enim monstrat se filio, & filius in se ostendit Patrem. Ac videtur ex hoc loco sumptum esse, quod Hebr. 1. v. 3. scriptum est, filius est ἀπαύγασμα claritatis Patris, & character substantiæ eius.

Ex hac collatione sententiarum sumi potest simplicissima explicatio huius loci, quod scil. Pater gloriam & substantiam monstret in filio, tanquam in speculo & charactere. Christus autem nominat *opera* quæ Pater filio monstrat, ex operibus enim deducimur ad agnitionem inuisibilis diuinitatis, æternitatis & potentiæ. sicut Paulus inquit Rom. 1. v. 20. Ne verò putetur, talis esse demonstratio diuinitatis in filio, qualem in inanimitatis & brutis creaturis, Paulus Rom. 1. v. 23 fieri dicit, mox addit: *Sicut Pater viuificat, ita & filius, quos vult, viuificat.*

Et hæc quidem per se vera sunt. Sed si hæc demonstratio accipitur de æterna generatione, difficultatem parit id, quod sequitur: *Maiora his demonstrabit.* Simplicius igitur erit, si per ἀνθρωποπάθειαν hæc intelligantur, quo modo, si inter homines pater aliquis filium vnice à se dilectum nihil eorum, quæ facit, celet: sed velit omnium suorum operum esse & conscium & cooperatorem, vt ea ratione hæres fiat paternæ gloriæ. Hæc ab humanis Christus transfert ad Patrem cœlestem, nō quod ibi illa humano, sed diuino modo fiant, vt sensus simplicissimus hic sit: Quod Pater quæcunque facit, non ita faciat, vt velit ea filio occulta esse: sed sic faciat, vt filio sint manifesta omnia quæ facit: vel vt filius omnia, quæ Pater facit, cognoscat, videat, & quidem ita, vt in faciendo cooperetur, sicut præcedentes sententiæ ostendunt. Aliàs enim de creaturis omnibus scriptum est, Rom. 11. ver. 33. O profunditatem cognitionis Dei, quam imperuestigabiles viæ eius! quis cognouit mentem Domini? sed Filio Pater monstrat omnia.

Hinc vero clarissime intelligitur, quam certa, firma, rata & efficacia sint, quæ Filius in officio Mediationis fecit. Et hæc est optima interpretandi ratio, vt non inextricabiles consectemur argutias, sed ad vsum discamus tales Scripturæ sententias referre.

Sequitur in textu: *Et maiora his monstrabit ei opera.* Hactenus enim in genere ostendit in articulo creationis, siue in actione generali sustentationis & gubernationis rerum omnium, communia, eadem & indiuisa esse omnia opera Patris & Filij, quæ ad extra sunt: (sicut Augustinus loquitur) Patre in arcano consilio & decreto Trinitatis monstrante, & Filio vidente ac faciente omnia, quæ pater facit. Atque hæc Iesus hactenus ad curationem languidi in sabbato factam accommodauit.

Iam igitur addit, patrem monstraturum filio; in articulo scilicet redemptionis & saluationis generis humani, opera maiora, quàm scilicet sint opera creationis; vel maiora quàm fuerunt, quę hactenus apud Iudęos sanandis variis morbis & expellendis dæmonibus fecerat.

Nominat autem resuscitationem mortuorum, viuificationem & iudicium, hoc est, administrationem regni cœlestis seu Messię. Et obseruetur, cum potuisset alias species admirādarum operationum in articulo creationis adducere, quod illa opera sumit, quæ ad officium & regnum Messiæ propriè pertinent. Eò enim tota hæc concio referenda est. Et illa opera pronunciat maiora esse: sicut Athanasius inquit: Maius esse ἀνακτίζειν, quam κτίζειν: & maiorem esse ἀνάπλασιν quā πλάσιν. Hoc est, maius esse reficere humanam naturam quā facere, sicut Augustinus loquitur: vel recreare, sicut Bernhardus loquitur, quam creare. In sequentibus autem addit explicationem, quod intelligat & resuscitationem mortuorum miraculosam, vt in filio viduæ & Lazaro, addit enim:

Vt vos

Vt vos miremini id quod factum est Luc.7.v.16. & Iohannis 11.versic.45.& quod intelligat potissimum generalem resuscitationem in extremo die. Viuificationem vero intelligit: quâ anima peccatoris mortua in reconciliatione viuificatur, Ephes.2.v.5. Deinde intelligit viuificationem etiam de liberatione à morte æterna & donatione vitæ æternæ, sicut in sequentibus ipse textus hic explicat. Sumit autem Christus in specie illa, quæ Scripturæ iudicio solius Dei propria sunt. 1. Reg.2.v.6. Deus mortificat & viuificat. Deuter.32.v.39. Ego Dominus viuere faciam. Psalm.68.vers.21. Deus noster Deus saluandi, & Domini exitus mortis. Roman.4.versic.17.& 8. v.11. Deus est, qui viuificat mortuos. 1.Tim.6.v.13. In conspectu Dei, qui viuificat omnia: vt inde ostendat se esse æqualem Patri. Addit igitur: *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & Filius, quos vult, viuificat.* Non autem sensus est, quasi alij sint, quos pater solus & seorsim viuificet: vel quod Filius alios solus & seorsim viuificet, non quos pater viuificet: sed quos ipse velit. Ita enim diuersa & dissentanea essent opera Patris & Filij, quod pugnat cum statu concionis, quod scilicet communia, indiuisa & eadem sint opera Patris & Filij. Sed æqualitatem potentiæ in viuificatione ostendit, cum inquit: *Sicut Pater viuificat, ita & Filius:* eadem scilicet & æquali potentia, ne existimetur Filius Patre inferior. Ideo quia substantiam & potentiam suam à Patre accepit. Addit autem: *Quos vult, viuificat:* vt ostendat, quod Filius sit persona per se subsistens, intelligens & liberrimæ ac omnipotentis voluntatis, sicut Pater. Ne putetur Filius, tanquam instrumentum, vel seruili voluntate, tanquam alterius imperio subiectus, vel aliena virtute sicut ministri, Actorum 3.versic.12. mortuos suscitare & viuificare, sed vt verus Deus diuina omnipotentia & liberrima voluntate. Veri enim Dei proprium esse: sicut Psalmus 115.vers.3. inquit: Omnia quæcunque voluit, fecit. Ideo addit, *Quos vult:* & de Spiritu sancto Paulus eadem phrasi vtitur. 1.Corinth.12.vers.11. ostensurus verum Deum ipsum esse. Hæc omnia, inquit, operatur idem Spiritus, diuidens singulis, prout vult. Sicut igitur hactenus essentiæ, potentiæ & operationis identitatem & æqualitatem in Patre & Filio ostendit: ita his verbis, *Quos vult*, ostendit eiusdem omnipotentis & liberrimæ voluntatis esse Filium, sicut Patrem. Quæ sententia hunc vsum habet, vt quando de benigna Mediatoris erga nos voluntate ex verbo constat, ne de Patris voluntate dubitemus. Quod diligenter notandum est. Nec vero ociosa ταυτολογία est, quod resuscitationem à mortuis & viuificationem distincte coniungit. Sed ostendit filium credentes viuificare, non sicut Deus creaturas ex nihilo adesse & ad vitam produxit, & in vita quam habent, conseruat: sed quod inueniat nos peccatis mortuos, vt à morte resuscitandi & liberandi simus, priusquam viuificari possimus. Deinde & hoc ostendit, quando à morte liberati sumus, quod non habeamus ex nobis ipsis veram vitam, vel quod eam ipsi acquirere possimus, sed vtrumque esse beneficium Filij Mediatoris, & liberationem à morte, & restitutionem vitæ.

Hæc vero eò pertinent, vt media in morte sciamus talem nos habere Mediatorem & Pontificem, qui potest ex morte liberare, viuificare, & contra inferorum portas in vita conseruare quos vult. Quos autem velit viuificare promissione Euangelij patefecit. Et quando de Filij Mediatoris voluntate nobis constat: certum est eandem esse etiam Patris voluntatem. Et Filij voluntatem non minus potentem & efficacem esse ad viuificandum, quàm Patris, Christus hoc loco affirmat. Ita non ad ociosas argutias, sed ad vera exercitia fidei hæ sententiæ referendæ sunt.

Porro, hasce sententias omnes quidam interpretantur de assumpta humana natura in Christo, quod illa à se non possit quicquam, sed sit quasi discipula diuinitatis. Cumque à se non possit quicquam: sola tamen admittatur ad plenam visionem seu cognitionem operum diuinitatis. Ita enim intelligunt, quod in textu dicitur, *Quod filius viderit Patrem agentem.* Item, *Omnia quæ facit, monstrat filio.* Et ex illa monstratione & visione existimat Cyrillus sequi, quod scriptum est: Profecit Sapientia & gratia apud DEVM & apud homines. Et quia in officiis filij Mediatoris vna natura agit cum communicatione alterius, quod cuiusque proprium est, sicut Chalcedonensis Synodus loquitur: Ideo de illa cooperatione humanæ naturæ in Christo, ad quam ex hypostatica cum diuinitate vnione potentiam accepit, intelligunt illa verba: *Quæ Pater facit eadem & filius facit. Item: Sicut Pater viuificat: ita & filius, &c.* Sed si quis ita textum interpretari velit, ei diligenter cauendum est, ne incidat in reprobatas & damnatas opiniones illorum, qui vtriusque naturæ in Christo vnam voluntatem & actionem, vel exequutionem naturarum & proprietatum docuerunt. Quod præcipitium ita caueri potest, si disertè explicetur: humanam naturam in Christo ad actiones illas concurrere, non virtute, quæ humanæ naturæ per se propria sit: sed quia diuinitas, quæ personaliter humanitati vnita est, in illa, cum illa, & per illam talia opera efficiat, sine conuersione, abolitione aut exequutione naturarum. Sicut alibi in peculiari libello illa explicauimus. Sed quia status concionis est, sicut ipse Euangelista disertis verbis ostendit: Christum habere Deum patrem ἴδιον, & esse æqualem DEO, quod extra omnem controuersiam personæ Christi iuxta diuinam eius naturam conuenit: Ideo antiquitas hasce sententias de diuinitate filij, secundùm quam Patri æqualis est, exposuit: & illam interpretationem iudico simplicem & veram esse.

Neque enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Iudiciariam potestatem summam & vniuersalem, ideo enim textus inquit: *Omne iudicium datum Filio*, Scriptura, sicut & viuificationem, soli Deo propriam facit. Psal.82.vers.1. Inde igitur probat Filium esse æqualem Patri, quia omne iudicium habeat. Et hæc sententia per particulam γὰρ annectitur præcedentibus hoc modo: vt ex eo, quod omne iudicium commissum sit Filio, ostendat consequens esse, posse eum etiam viuificare quos vult: vel vt ostendat, ex proxime præcedentibus sumendum esse quale iudicium intelligat, quod dicit Filio datum esse, peccatores scilicet peccatis mortuos suscitare & viuificare. Ita non ociosa hoc loco est particula γὰρ. Intelligunt autem Hilarius, Chrysostomus & Theophylactus, Patrem dedisse Filio omne iudicium, gignendo eum æqualem, & dando ei ab æterno naturam diuinam, cuius attributum proprium est iudicare omnia. Quod vero additur, *Pater non iudicat quenquam:* non est sensus, quasi Pater prorsus se abdicarit à iudicandi potestate & auctoritate: sed quia iudicat cum Filio, in Filio, & per Filium. Ita enim Scriptura loquitur, Iohan.16.vers.32. Non sum solus, quia Pater mecum est, Iohan.14.v.10. Pater in me manens, ipse facit opera, 2. Corint.5.v.19. Erat DEVS in Christo, mundum sibi reconcilians: Et Actorum 17.vers.31. hæc ipsa phrasis explicatur, vbi Paulus inquit: DEVS iudicabit orbem in viro, seu per virum, quem prædefiniuit. Et ne de inæqualitate aliqua, sed de ὁμουσίᾳ, & de communibus seu indiuisis operationibus Patris & Filij, illud, quod supra dictum est, *Filius non potest à seipso facere quicquam*, intelligeretur: ideo permutatis modis loquendi iam inquit: *Pater non iudicat quenquam*, scilicet solus, vel separatim, sed cum Filio & per Filium. Et tamen mox postea Filius ita loquitur, *Non possum à me ipso facere quicquam: sed sicut audio, iudico.* Et Iohan.8.v.15.& 50. Ego non iudico quenquam, Pater quærit & iudicat. Sentiunt igitur veteres, hisce phrasibus describi ὁμουσίαν & operationes indiuisas. Augustinus vero libro primo de Trinitate intelligit de inuisibili executione iudicij, ac disputat ideo dictum esse, *Pater non iudicat quenquam*, quia in extremo iudicio Filius in forma filij hominis apparebit, visibilis & conspicuus etiam impiis, & iudicabit visibiliter & sensibiliter. Atque hoc modo Pater non iudicat quemquam, scilicet in forma visibili, sed dedit filio potestatem iudicandi visibiliter & sensibiliter, quando assumsit formam, in qua ab omnibus videri possit. Atque ita veteres ferme omnes Iudicium intelligunt de eo, quo mundus in nouissimo die iudicandus est. Et omne iudicium intelligunt de iudicio vniuersali, quodq; omnes tam bonos, quam malos iudicabit. Sicut Paulus inquit, Rom.14.v.10. Omnes enim nos manifestari oportet coram tribunali Christi. Sed minus intricata erit explicatio, & plus doctrinæ ac consolationis præbebit hæc sententia, si verbum, *Iudicandi*, Hebraico more intelligatur, pro gubernatione seu administratione regni Messiæ in Ecclesia. Nam Ieremiæ 23.v.5.& 33.vers.15. regnum Messiæ ita describitur: Faciet iustitiam & iudicium in terra. Et Psalm.72. v.1. Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Et ad has Scripturæ sententias Christus hac ipsa sua phrasi alludere & respicere videtur. Nec potest simplicius & rectius hæc sententia de dato iudicio explicari & intelligi, quàm ex collatione loci Danielis 7.v.14. vbi antiquus dierum filio hominis dedit potestatem, honorem & regnum. Nam & hoc loco mox in textu sequitur, *Vt omnes honorent filium.* Item, conferantur huc dicta illa Matth.11. versic.27. Omnia mihi tradita sunt à Patre, Ioh.3.v.35. Pater diligit filium, & omnia tradidit in manum eius. Ioh.17.v.2. Dedisti ei potestatem omnis carnis, vt det eis vitam æternam. De imperio igitur & potestate rerum omnium in cœlo & in terra, præcipue vero de regno filij Mediatoris, quod nunc in hac vita in Ecclesia administrat, quodque post extremum iudicium Patri, 1. Corinth.15.vers.24. restituet, hæc sententia de tradito iudicio simplicissime intelligatur. Et cogitentur ea, quæ ad regnum Mediatoris in Ecclesia pertinent, vocatio, scilicet per verbum, illuminatio, conuersio, iustificatio, donatio Spiritus sancti, sanctificatio, gubernatio credentium, protectio, conseruatio, lapsorum erectio, repressio diabolorum & aliorum

Ecclesiæ hostium, mediatio, intercessio, iudicium extremum, glorificatio, &c. Ita non obscurum nec difficile, sed plenum dulcissimæ consolationis erit, quod dicitur, *Pater non iudicat quenquam*. Patris enim seu diuinæ naturæ, absolute fine Mediatore, cum hominibus peccatoribus agentis, iudicium est, iuxta seueritatem & rigorem Legis diuinæ, quod tantum perfecte iustos & sanctos recipiat: peccatores vero nō vocet, non iustificet, non glorificet, lapsos non erigat, infirmos sentientes peccata non subleuet, toleret & sustentet, sed abiiciat, detestetur, maledicat & damnet. Atque adiudicat vel vitam, vel mortem, absque indulgentia, iuxta Legis sententiam: Qui fecerit hæc, viuet in eis: qui vero non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, maledictus esto. Sed hoc Patris iudicium; quia natura nostra peccato deprauata, absque perditione & interitu æterno, sustinere non potest: ideo Dauid iudicium illud deprecatur, Psalm. 143. v. 2. Ne intres in iudicium cum seruo tuo. Nullus enim viuens coram te iustificabitur. Si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis subsistet? Psalm. 130. v. 3. Pater igitur cum nolit genus humanum totum perire, sed ex gratia seruari: ideo confugientes ad Filium non vult iuxta Legem iudicare: sed omne iudicium seu totam administrationem regni Messiæ ad salutem generis humani, dedit filio Mediatori incarnato, petenti sibi dari gentes hæreditatem, Psalm. 2. v. 8. & potestatem omnis carnis, vt vitam æternam det eis, Ioh. 17. vers. 2. Is igitur filius incarnatus constitutus Mediator inter Deum & homines, accepto hoc iudicio, hoc est, potestate & regno, iam ex gratia vocat ad se peccatores, tenebras ipsorum illuminat, auersos conuertit, reos & damnatos iustificat, pollutos sanctificat, ereptos ex potestate Satanæ donat Spiritu sancto, lapsos rursus erigit, infirmos sustentat, oneratos cruce subleuat, imbecilles conseruat, daturus tandem ipsis immeritis ex gratia vitam & gloriam æternam. Ita dulcissima est hæc sententia, si vocabulum, *Iudicij*, intelligatur hoc loco simpliciter de tota administratione & gubernatione regni Messiæ in Ecclesia in hac vita, sicut iam explicatum est.

Deinde pulcram præbet hæc sententia consolationem, si hoc modo intelligatur de ipso iudicio; siue peculiari, quod scilicet in ipsis pœnis & calamitatibus Filius Dei Mediator non secūdum peccata nostra facit, & retribuit nobis, nec accendit totam iram suam, non in furore, sed in iudicio, scilicet quod Filio datum est, arguit nos (sicut Ieremias loquitur c. 30. vers. 11.) & in ira misericordiæ suæ recordatur. Inde enim fit, quando iudicamur, quod à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur, sicut Paulus inquit 1. Cor. 11. vers. 32. siue de vniuersali iudicio intelligatur, hoc est, extremo iudicio. Habemus enim in Christo priuilegium prouocationis, sicut veteres loquuntur, à tribunali seueræ iustitiæ Dei secundum Legis sententiam, vbi nemo viuens iustificari potest, ad thronum gratiæ filij Mediatoris, vt ibi accipiamus misericordiam & gratiam, Hebr. 4. vers. vlt. vtque iuxta sermonem Christi & Apostolorum ibi iudicemur, Ioh. 12. v. 47. Matth. 19. Qui credit in eum, non iudicatur, sed habet vitam æternam: qui verò non credit, iam iudicatus est, Iohan. 3. v. 18. Qui enim nō crediderit, condemnabitur, Marc. 16. v. 16. Hoc modo & plana & necessariæ consolationis plenissima est hæc sententia, *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio*. Atque ita in sequentibus explicatur: *Qui credit, non venit in iudicium*. Nec tamen reliquæ personę diuinitatis ab illo iudicio excluduntur, sed Pater absolute iuxta Legem non vult iudicare credentes, iudicat autem in Filio Mediatore, iuxta Euangelij sententiā. Et Filius per ministerium Spiritus, & iuxta illud iudicat: sicut postea Christus inquit: Ego à meipso non facio quicquam, sed sicut audio, iudico. Cumq; dicit, filio datum omne iudicium, intelligenda est tota persona filij Mediatoris, qui secūdum vtramque naturam Mediator & Rex noster est. Nam & humana natura in Christo ad potestatem faciendi iudicij assumpta & exaltata est, ac throno iudiciario honorata, sicut veteres loquuntur. Et Christus ipse mox explicabit, datam sibi potestatem iudicium faciendi, quia filius hominis est. Porrò certum est, totius mundi imperium filio, quem hæredem vniuersorum constituit, traditum, Hebr. 1. v. 2. Et secundum assumptam etiam naturam Christo omnia subiecta sunt sub pedibus; oues, boues, pecora campi, volucres cœli & pisces maris, Psal. 8. v. 7. & 8. Hebr. 2. v. 8. Sed iudicium hoc loco proprie de regno Messiæ intelligitur, quia mox subiicit: Qui credit in eum, in iudicium non venit, &c. Sed pergamus in explicando textu.

Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Cyrillus hanc sententiam refert ad omnia præcedentia. Hanc scilicet esse causam eorum, quæ hactenus de æqualitate Filij & Patris dicta sunt, vt omnes ita, hoc est, diuino honore & cultu Filium honorent, sicut Patrem ita honorant. Et colliguntur in vnam summam, quæ hactenus de ὁμουσίᾳ & æqualitate Patris & filij dicta sunt. Eiusdem essentiæ Filius asseueratur cum patre: opera enim sunt indiuisa. Eiusdem & æqualis est sapientiæ: quia Filius non facit quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: Et Pater monstrat Filio omnia. Eiusdem & æqualis est potentiæ; quia quæ Pater facit, eadem similiter & Filius facit, imo non potest aliud facere. Eiusdem est volūtatis; quia quos vult viuificat, sicut Pater. Iam addatur, quod eiusdem & æqualis sit gloriæ, vt omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem. Syrus habet verbum יקר, quod significat glorificare, in pretio & existimatione habere. Honorant autem Patrem diuino honore & cultu, vt verum, viuum, æternum, omnipotentem Deum: Ergo & Filium ita honorare debent. Deus autem gloriam suam non dat alteri, scilicet extra diuinam suam essentiam, qui non est Deus. Filius ergò verus Deus est, vnius & eiusdem essentiæ cum Patre. Et vera definitio τῆς ὁμουσίας in iis, quæ Filium cum Patre eadem, æqualia, communia & indiuisa habere hactenus dictum est, consistit.

Porrò quod additur: *Qui non honorant Filium, non honorant Patrem.* Illa sententia damnat omnes omnium gentium religiones, quæ non agnoscunt & colunt vnà cum Patre Filium Dei, coæqualem Patri: vel quæcunque religiones aliū Deum agnoscunt & colunt, quàm hunc solum, qui est Pater Domini nostri IESV CHRISTI, Filij coæqualis Patri. Non enim tantum dicit; eundem posse honorem tribui Filio, qui tribuitur Patri: nec tantum dicit, eum, qui Filium contumelia afficit, etiam Patrem blasphemare: sed affirmat, adeo vnum & indiuisum esse honorem Patris & Filij, vt qui non honorat Filium, nec Patrem etiam possit honorare, etiamsi id facere vel conetur vel videatur. Inde enim Pater est & dicitur; quia habet Filium. Turcæ igitur & Iudæi, licèt clamitent se honorare Deum Patrem: tamen quia Filium eius non agnoscunt, sed blasphemant, Pater honorem ab illis non accipit, nec verum Deum Patrem agnoscunt & colunt. Ille enim solus est verus Deus Pater, qui Filium habet coæqualem sibi. Idem repetitur Iohan. 15. v. 22. Qui me odit, & Patrem meum odit. Et 1. Ioh. 2. v. 23 Qui negat Filium, nec Patrem habet. Et hæc regula in agnitione & cultu Dei diligenter notanda est. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Qui verò confitetur Filium, is & Patrem habet, 1. Iohan. 2. v. 23. Et eodem modo etiam de Spiritu scriptum est 1. Iohan. 4. v. 13. Inde cognoscimus quod Deus in nobis manet, quum de Spiritu suo dedit nobis. Ergo qui Spiritum sanctum non agnoscit, non habet is nec Patrem, nec Filium.

Theophylactus & alij hanc sententiam immediatè præcedentibus connectunt. *Ideo Filio datum omne iudicium, vt omnes honorent Filium, sicut Patrem.* In Veteri enim Testamento magis notus fuit Pater: sed iam adhibito Christo dicit, credentes Filium, propter traditum iudicium, hoc est, propter officium Mediationis & regni, honoraturos diuino cultu & honore, sicut Patrem: Et Filio deberi cultum ac honorem diuinum nō tantum ea ratione, quatenus est æternum & primum rerum omnium principium, sed quia Pater omne iudicium ipsi dedit, sicut textus loquitur. Continet vero & hanc doctrinam illa sententia. Deum non debere quæri, nec posse agnosci aut inueniri, nisi in Christo & per Christum. Vt quicunque vult in Deum credere, Deum apprehendere & colere, faciat hoc non vagabundis speculationibus, sed in Christo & per Christum. Qui enim non honorat Filium, non honorat Patrem: Et nemo venit ad Patrem nisi per Filium, Ioh. 14. 6. Filiū vero in assumpta sua carne quærimus & inuenimus. Sine enim illa carne, & extra illam carnem, nec recte nec pie de Filio Dei incarnato cogitare possumus. Quomodo vero cultus & inuocatio vtramque in Christo naturā fine confusione & exæquatione intueatur & amplectatur, in peculiari libello explicauimus. Et obseruetur, quod non tantum dicit: *Non honorat Patrem*: Sed addit: *Qui misit illum.* Missio autem complectitur œconomiam seu dispēsationem incarnationis & officij Messiæ, illa igitur in agnitione & cultu Filij vult considerari.

Amen amen dico vobis, quod qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, &c. De formula illa asseuerationis *Amen* antea dictum est, quod scilicet quando sententiæ alicui præponitur aut additur, indicet constanter, & seriò de rebus arduis, certis, salutaribus & necessariis aliquid ita pronunciari, vt non leuiter aut contemptim ea, quæ dicuntur, habeantur, ne vacillanti dubitatione suspendantur, sed vt certa fide & magno animi ardore accipiantur. Vt simul sit nota attentionis & asseuerationis. Sicut cum Paulus dicit, 1. Timoth. 1. v. 15. Certus est sermo & acceptione dignus. Monstraturus igitur Christus vsum & accommodationem eius doctrinæ, quam hactenus tradidit, de consubstantialitate & æqualitate Patris & Filij, præmittit hanc formulam: *Amen Amen dico vobis, &c.* Et quia antea dixerat, Filium viuificare quos vult: iam ostendit, quomodo, vel per quid viuificet,

ficet,

ficet, & quos velit viuificare, deducens scilicet nos ad verbū suum. Diligenter enim notandum est in omnibus hisce disputationibus de arcanis diuinitatis mysteriis, ne quis ingenio indulgens & confidens, ludat subtilitatibus, aut inextricabiles quærat argutias: sed vt de vero doctrinæ huius vsu in seriis fidei & pietatis exercitiis cogitemus, neque extra has metas disputationes illas sinamus euagari. Orditur autem vsum à verbo suo. Per verbum enim nobiscum agit: per verbum se & beneficia sua nobis offert & confert: verbum est obiectum fidei, in quo fides Christum & beneficia eius apprehendit. Iam Euangelium vocatur verbum vitæ, Iohan. 6. v. 68. Act. 5. v. 20. verbum salutis Act. 13. v. 26. & potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. Item fidei, quæ vocem Euangelij amplectitur, Scriptura tribuit iustificationem, salutem & vitam æternam. Fundamenta igitur horum omnium traduntur in hac doctrina. Potentia enim Euangelij & virtus fidei inde pendent, quia Euangelium est eius verbum, qui est vnius essentiæ & voluntatis, æqualis sapientiæ, potentiæ & gloriæ cum Deo Patre. Huic verbo adest Filius Dei, & fides in hoc verbo amplectitur illum, qui sicut Pater viuificat quos vult, qui vitam in semetipso habet, vt ea per verbum deriuetur ad nos, cui Pater omne iudicium dedit. *Qui ergo verbum meum*, inquit, *audit & credit, is habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transiit à morte ad vitam.* Ita summam huius loci tenemus.

Iam facile erit singula expendere. Magna igitur asseueratione ex præcedentibus hæc inferens dicit: *Amen Amen dico vobis*: de qua phrasi antea dictum est. Quia talis sum ego: *qui sermonem meum audit, &c.* Ostendit in ordine iustificationis & salutis nostræ primum esse audire verbum, non quoduis, non cuiusuis, non hominum traditiones & constitutiones, imo nec Mosis verbum seu Legis doctrinam: (quæ aliàs in conuersione suum habet vsum, in agnitione peccatorum, & mōstranda norma nouæ obedientiæ,) sed Christi verbum, hoc est, promissionem Euangelij, in qua sola quærenda est vita æterna. Sed quia auditus illius verbi non prodest, nisi coniunctus sit cum fide, in iis qui audiunt. Hebræ. 4. versi. 2. ideo addit, *qui audit & credit*, quam fidem Spiritus operatur per auditum verbi, Romanorum 10. v. 17. Declarat autem quomodo vera fides amplectatur vocem Euangelij, *Credit*, inquit, *ei, qui misit me.* Quæ verba multa mouent: fidem scilicet amplecti verbum Euangelij, non vt à Christo excogitatum, sed vt decretum in arcano consilio Trinitatis, de redemptione & saluatione generis humani factum, ad quod enarrandum non homo aliquis, non angelus, sed ipse Filius consubstantialis & coæqualis Patri missus sit in mundum à Patre. Et hoc est, quod supra dixit: *Pater omnia, quæ ipse facit, demonstrat Filio.* Item sicut mox sequitur. *Sicut audio, iudico.* Ita fides, amplectens vocem Euangelij, statuit illud esse ministerium Spiritus, 2. Cor. 3. v. 8. & credit Christo, cuius verbum est, & in Christo credit Patri, qui misit filium. Totum igitur mysterium Trinitatis complectitur. Ostendit etiam, quæ propriè sit vox Euangelij, quam fides iustificans amplectitur, seu quod sit argumentum vel subiectum doctrinæ Euangelij, scilicet, quod Pater Filium suum misit in mundum, hoc est, cùm peccatis mortui essemus, & non possemus vlla ratione, ne quidem per legem Dei viuificari, Deus ex immensa misericordia filium vnigenitum misit, in similitudine carnis peccati, factum sub Lege, vt pro nobis Legi satisfaceret, & victima pro nobis factus expiaret peccatum, placaret iram Dei, æterna redemptione inuenta afferret æternam iustitiam, vtque in regno suo nos vocet, illuminet, conuertat, iustificet & sanctificet, beneficia sua nobis commmunicet, gubernet & conseruet nos ad æternam gloriam. Hæc omnia complectitur missio filij in mundum. Quæ breuiter tantum notamus: non enim locos communes scribimus. Ita Christus valde multa paucis illis verbis comprehendit: *Qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me*: quæ scilicet sit doctrina Euangelij propria, & quid fides, tanquam proprium suum obiectum in doctrina Euangelij spectet & amplectatur. Simul etiam hæc sententia docet, summum cultum, quo Patrem & Filium honoramus, esse fidem: cùm enim dixisset: *Vt honorent Filium sicut* Patrem, *&c.* addit: *Qui audit sermonem meū, & credit ei, qui misit me.* Neque verò, quod hoc loco dicitur, Filium à Patre missum, tollit aut subuertit ea, quæ suprà de consubstantialitate & æqualitate Filij cum Patre dicta sunt. Imperatoris quidem legatus, licet loco & nomine Imperatoris honoretur, ipso tamen Imperatore mittēte inferior est: qui seruum & ministrum, non æqualem seu parem sibi mittit Imperator. Christus vero missus est, non vt seruus à Domino, sed vt Filius à Patre, non minor seu inferior, sed consubstantialis Patri, & coæqualis ipsi potestate, maiestate, & gloria. Atq; ita talis missio, sicut Cyrillus recte dicit, non tollit æqualitatem.

Addit autem: *Qui credit, habet vitam æternam*: ostendens & fructum fidei, & efficaciam sermonis Christi. Atque hæc omnia dependent ex fundamentis supra positis. Quia enim vox Euangelij est verbū Christi, qui etsi filius Dei, suscitans mortuos, & viuificans quos vult, sicut Pater, & habens vitam in semetipso: Ergo qui verbo eius, cui ipse adest, credit, atque ita fide in verbo Christum ipsum, in quo est vita, apprehendit, eo ipso à morte liberatur, & habet vitam æternā, præsentissimū antidotum contra mortem. Atque ideo non dicit, habebit vitam, sed iam habet: quia Christum, qui est ipsa vita, habet. Ac licèt vita illa æterna in hac vita abscondita sit cum Christo in DEO, Coloss. 3. v 3. corpus enim etiam in credentibus mortuum est, propter peccatum, Rom. 8. v. 10. & mortificationem Christi circumferimus in corpore nostro, mors agit in nobis, ac semper in mortem tradimur, 2. Cor. 4. v. 10. & 11. Fides tamen in Christo recte iam tenet & possidet vitam æternam secundum interiorem hominem. Spiritus enim est vita propter iustitiam, Rom. 8. v. 10. sed nondum apparuit, quod simus Filij Dei, 1. Ioh. 3. v. 2. quia non per speciem ambulamus, 2. Cor. 5. v. 7. sed fide viuimus, hoc est, vitam possidemus, Rom. 1. ver. 7. Gala. 2. v. 20. & spe salui sumus, Rom. 8. v. 24. Cum vero Christus vita nostra apparuerit, tunc & nos cum ipso manifestabimur in gloria, Col 3. v. 4. & vita Iesu manifestabitur tunc etiā in carne nostra, 1. Corinth. cap. 4. versu 11. quando vltimus hostis mors destructa fuerit, 1. Corint. 15. v. 26. Ita vtrumque recte dicitur: Credentes habent vitam æternam, & credentes habebunt vitam æternam. Vt vero clarius explicet, quid appellatione *vitæ æternæ* complectatur, addit: *Et in iudicium non venit.* Pendet autem & hoc ex superioribus, vbi dixit: *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Intelligit autem iudicium, quo Pater secundum peccata nostra agit nobiscū, & secundum iniquitates nostras retribuit nobis, iuxta rigidā illam sententiam Legis; Qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, maledictus esto, Gal. 3. 10. Et qui in vno offenderit, reus est omnium, Iacobi 2. v. 10. In quo iudicio nemo potest subsistere, quin condemnetur, sicut Dauid inquit Psal. 143 v. 2. Non intres in iudicium cū seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis subsistet? Psal. 130. 3. Atque ideo salus nostra in eo consistit, ne in iudicium illud veniamus: vnde iudicium hoc opponitur saluti, & accipitur pro cōdemnatione, Ioh. 3. 17. Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per eum. Sed qua ratione poterimus effugere, quò minus in iudicium illud & ad tribunal illud protrahamur, cùm Dei sit iudicium, & totus mundus reus sit Deo? Rom. 3. v. 19. Illud vero diligenter hoc loco obseruandum est. Et fundamenta hæc sunt. 1. Quia Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. sicut supra sententiam illam explicauimus. 2. Quia Christus pro nobis iudicium illud subiit, factus sub Lege pro nobis peccatum & maledictum, Gal. 3. 13. & 2. Cor. 5. v. vlt. Inde & ideo qui credit in Christum, in iudicium illud non venit. Ac Gerson eleganter dicit: Debent credentes agnoscere & magnifacere priuilegium illud, obediētia & morte Christi iudicati, nobis acquisitum, quod scilicet ius habemus prouocandi à tribunali seueræ iustitiæ Legis, ne ibi iudicemur & damnemur, ad thronum gratiæ Christi, cui à Patre omne iudiciū datum est, vt ibi sermo Christi nos iudicet, Ioh. 12. 48. Qui credit in filiū non pereat, sed habeat vitā æternā, Ioh. 3. 16. Et in tentationib conscientiæ, quando Moses peccatores nos ad suū tribunal sistit, & in cōuictos sententiam cōdemnationis pronunciat, vnica hæc consolatio est, vt fides apprehendens Christum interponat appellationem coram hoc tribunali. Non volo iudicari, quia nō possum subsistere: sed quia fides mea apprehēdit Christū, cui Pater omne iudicium dedit, prouoco ad thronum gratiæ ipsius. Et forma priuilegij prouocationisq; est: *Qui audit sermonem Christi, & credit ei qui misit ipsum non veniet in iudicium.* Atq; inde & ideo Paulus in hoc articulo vtitur iudiciali vocabulo Iustificationis, vt ostendat seriam esse actionem, Lege nos reos sistente coram iudicio Dei, ac pronunciante in nos sententiam meritæ damnationis: fidem vero apprehendere ac iudicio illi Dei opponere Christum Mediatorem, ac propter illum nos iustificari, hoc est, à iudicio illo & sententia damnationis absolui, imputata iustitia obedientia Christi, ne in iudicium illud iuxta legem ingredi, illudque sustentare cogamur, sicut in loco de Iustificatione hæc plenius explicantur.

Fit igitur in Christo non abolitio iudicij, sed translatio: atque ideo non dicit: Non veniet ad iudicium; omnes enim coram tribunali Christi nos manifestari oportet, Rom. 14. 10. 2. Cor. 15. 10. sed, *Non venit in iudicium.* Atque illud, non venit in iudicium, complectitur remissionem peccatorum, absolutionem ab accusatione & condemnatione Legis, reconciliationem cum Deo, & receptionem in gratiam Dei. Qui vero Christum contemnunt, vel nō habent, eos necesse est in iudi-

cium illud veniret, in quo non poterunt subsistere, quin ad æternam mortem condemnentur. Porro verbum ἔρχεται formatione quidem præsens est, significationem tamen plerunque futuri habet, vt in sequenti versiculo, Veniet tempus: & sicut ἐρχόμενος vocatur, qui venturus seu futurus est. Et vtraque significatio hoc loco pulcre potest ad doctrinam accommodari, quod scilicet in præsenti actu iustificationis credens non veniat in iudicium, sed ab eo absoluatur.

Deinde etiam in futuro, cùm omnibus hominibus constitutum sit semel mori, ac postea iudicium, Hebr. 9.27. quod credens, qui in Christo moritur, non venturus sit post mortẽ in horrendum illud iudicium. Ita quod sequitur in præterito dicitur: *Transiit à morte ad vitam*. Nam simul atque homo vere credit, à morte æterna liberatur, & donatur hæreditate vitæ æternæ. Sumus enim mortui peccatis, hoc est, propter peccata ad mortem æternam destinati. Inde vero fide per Christum liberamur & conuiuificamur vnà cum Christo. Ephes. 2.5. Col. 2.13. Iustificati enim hæredes efficimur, iuxta spem vitæ æternæ, Tit. 3.14. Quia diligimus fratres, ex hoc argumento cognoscimus, nos in Spiritu, fide per Christum, iam translatos esse de morte ad vitam. Sicut vero propter certitudinem præterita sæpe pro futuris vsurpantur in Scripturis: ita hoc loco etiam verbum μεταβέβηκε de futuro potest exponi, quod, licèt credentes iam quotidie mortem circumferant, ac tãdem caro morti tradatur: beati tamen sint. Post mortem enim non venient in iudicium, nec in morte hærebunt & manebunt: mors enim illos nõ poterit detinere, sed fide in Christo & per Christum transibunt per mortem ad vitam: vel sicut Michæas c. 2.13. loquitur, duce Christo, qui est princeps vitæ, perrumpent per funes mortis ad vitam æternam. Quod ex antithesi plenius intelligi potest. Apocalypsis c. 2.11. & 20.14. dicit, impios per mortem temporalem, seu corporalem transire ad secundam mortem, quæ æterna est. Sicut epulo ille Luc. 16.22. In credentes vero mors secunda non habet potestatem, sed per Christum, qui fide in ipsis habitat, & est dux vitæ, ex morte transeunt in vitam, non qualis hæc est, sed in æternam vitam. Et obseruetur suauis mutatio, quod propter Christum mox in credentibus nõ est miseria vel perditio, sed transitus ad vitã æternam. Sicut per aquas maris rubri & Iordanis filij Israel transierũt in terram promissionis, Pharaonis equitibus ad transitum illum vrgentibus. Non itaq; est quod mortem credentes exhorreant, sed cogitent, se fide iam vere factos esse hæredes vitæ æternæ: esse autem mortem corporalem quasi interstitium, quo à plena ac manifesta possessione & fruitione vitæ æternæ aliquandiu prohibemur & arcemur, per mortem vero transitum esse in vitam, ad quem transitum crux, calamitates, pericula, persecutiones, morbi nos cessantes vrgeant. Et interstitium quidem illud tam forte est, quod omnes impios prorsus arcet à vita, & in morte æterna detinet, sed quia fides nostra Christum, qui est ipsa vita, tenet, perrũpimus igitur ipso duce, & transimus per mortem ad vitam. Hæc pluribus possent amplificari: sed quia non declamationes, sed ὑπομνήματα tantùm scribimus, breuiter puncta illa notasse sufficiat.

Quòd si tanta est efficacia verbi Christi auditi & fide apprehensi: ex antithesi igitur rectè hinc constituitur, quid sit verbum Christi ignorare, contemnere, auersari, abiicere, de eo dubitare, blasphemare, persequi.

Amen Amen dico vobis, quod veniet hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent. De formula asseuerationis *Amen*, &c. antea diximus, quod scilicet indicet, constanter & seriò de rebus arduis & certis aliquid pronunciari, vt non leuiter & contemptim ea, quę dicuntur, habeantur, aut dubia assensione suspendantur: sed vt certa fide & læto animi ardore accipiantur. Cohæret autem hęc sententia cum præcedente hoc modo. Verbo suo tribuerat efficaciam contra mortem ad vitam æternam: ne vero de asseueratione illa dubitatio aliqua esset, addit se miraculis resuscitationis mortuorum hæc comprobaturum esse. *Veniet*, inquit, *hora*. Et ne de generali resurrectione accipiatur, quæ longe tunc aberat, futura in extremo die, addit: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei*: hoc est, sentient vim & efficaciam vocis Christi, ita vt per illam resuscitentur ad vitam: sicut comprobauit hoc in filio viduæ, in filio Iajri, & in Lazaro. Cùm enim illos solo nutu potuisset à morte resuscitare, adhibuit externum ministerium vocis suæ, vt virtutem & efficaciam verbi vocalis ita ostenderet.

Vulgo enim, qui viuit, audit: sed efficacia verbi Christi operatur, vt mortui audiant, & per auditum illum viuant. Vtilis autem est hæc consideratio, quod non Christus ipse tantum sua voce excitarit mortuos, sed quod Petrus etiam & Paulus verbo Christi mortuos suscitarint, vt non dubitemus eandem esse efficaciam verbi Christi ad vitam æternam, siue illud per se, siue per os legatorum suorum sonet. Et hic locus ostendit vsum & doctrinam miraculorum Christi, quod scilicet sint anagogæ ad declarandas & confirmandas spirituales operationes Christi.

Hæc simplicissima est explicatio huius sententiæ: de generali autem resuscitatione mortuorum mox docet in altera sententia. Et possent sane hæc verba etiam de spirituali viuificatione, per auditum & fidem verbi eorum, qui in peccatis mortui sunt, intelligi, Ephes. 2. v. 5. Sed prior sententia simplicior est, & de spirituali viuificatione in præcedenti sententia dixit, ad cuius probationem hæc subiungitur.

Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. Christus semper auditores sollicite deducit ad fundamenta, vnde tanta sit vis & efficacia verbi sui, quod possit à morte liberare, & vitam restituere. Et antea quidem dixerat: *Sicut pater, ita & filius, quos vult, viuificat.* Illud vero iam plenius explicat; Pater, inquit, viuit non participatione vitæ, sicut creaturæ viuunt; sed habet vitam essentialiter seu naturaliter in se, ita vt sit ipsa vita per essentiam, qua non ipse tantùm propria & intrinseca virtute viuit, sed est fons vitæ, viuificans omnia. Habere enim vitam in semetipso hoc loco significat, non habere vitam per participationem, sed esse ipsam vitam per essentiam: ideo Syrus reddidit: *Habet vitam in essentia sua*, & habere eam non dependentem ab alterius potestate, sed in sua potestate constitutam, vt possit eam impertiri quibus velit, tanquam fons & auctor omnis vitæ. Et de Deo Patre quidem rem ita se habere nemo dubitat. Affirmat autem Christus, Patrem gignendo ab æterno filium coæqualem sibi, ipsa generatione æterna dedisse filio habere in semetipso eandem vitam, quã habet Pater, & eodem modo, sicut Pater eam habet, vt scilicet sibi vita per essentiam, & possit viuificare quos vult, nulla alia differentia, nisi quod Pater vitam illam habet à semetipso, Filius vero habet illam eandem à Patre acceptam. Vnde rectè intelligitur personarum distinctio, essentiæ vnitas, & maiestatis æqualitas. Atque ita Augustinus, Chrysostomus, & alij hanc sententiam de diuina Christi natura rectè interpretantur, secundùm quam æqualis est Patri. Et ad propositum hæc sententia ita accommodatur. Quia Euangelium est verbum, non nudi hominis, sed eius personæ, quæ simul est verus Deus; & fides in verbo apprehendit non nudum hominem, sed filium Dei, qui vitam habet in semetipso, sicut Pater habet, quique quos vult viuificat: inde & ideo per verbum suum potest & vult credentes viuificare. Athanasius vero & Cyrillus, quia expendunt sententiam hanc copulatiue loqui, de donatione & vitæ & potestatis faciendi iudicij simul, atque ita ad vtramque partem sententiæ pertinere clausulam illam; *Quoniam*, seu quatenus *filius hominis est*. Qua clausula, & vita & potestas faciendi iudicij indicetur data filio tempore & respectu missionis. Cùm verò diuina natura Christi ab æterno essentialiter sit ipsa vita: intelligunt igitur hoc loco, tempore & respectu missionis, carni seu assumptæ naturæ Christi datam vitam, vt non tantum viuat, verum etiam viuificare, & ad opus viuificationis simul cõcurrere possit. Fides enim in Christo non tantum diuinam eius naturam apprehendit, sed totam personam, secundum vtramque naturam. Et verbum Euangelij, de quo hoc loco agitur, enunciauit organis corporis. Ad viuificationem etiam mortuorum contactu carnis suę vsus est. Quia verò caro per se viuificare non potest, ideo docet, per hypostaticam cum diuinitate vnionem carni suæ datam vitam, vt intelligatur illa ad opus viuificationis concurrere, non sicut vox Petri, & contactus Elisæi ac Pauli, sed sicut caro vnigeniti, quæ ex personali cum diuinitate vnione viuifica & ipsa facta est, sicut Ephesinum Concilium contra Nestorium statuit.

In hoc autem sensu vita viuificans non ita est in carne Christi, sicut in Patre & in diuina natura Filij. Caro enim Christi non est ipsa vita per essentiam, sicut diuinitas: nec viuificatio est essentialis proprietas carnis, sicut diuinitatis: sed οἰκονομικῶς, dispensatione vnionis, sicut veteres loquuntur, caro Christi habet in se, sicut totam plenitudinem diuinitatis, ita etiam vitam viuificantem. Sicut virtus lucens & vrens est in igne essentialiter, in ferro autem ignito eadem vis est ratione vnionis, ita vt ferrum ignitum luceat & vrat vi illa, quæ igni essentialis est, ferro autem ignito per vnionem cõmunicata, sicut Cyrillus inquit in Iohannem lib. 4. c. 23. Quãuis natura carnis, vt caro est, viuificare nequeat: facit tamen hoc Christi caro, quia totam τοῦ λόγου operationem suscepit. Corpus enim est, non cuiusuis hominis, cuius caro prodesse non potest: sed ipsius vitæ corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc potest. Sed hæc doctrina alibi plenius explicata est. Et hæc ipsa Veterum explicatio non est ociosa subtilitas, sed insignem præbet fidei consolationem & confirmationem.

In diuina enim natura filij vita erat essentialiter & ab æterno

no, Iohann.1.vers.4.vt quos vult posset viuificare, sed illa vita nobis erat abscondita, procul à nobis dissita, adeoque inaccessa: quia natura nostra peccato deprauata abalienata erat à vita Dei, Ephes.4.vers.18. Illa igitur vita Dei manifesta est nobis, quando Verbum caro factum est, 1.Iohan.1.vers.2. & nobis prope facta, & in promptu exposita est, in Christo incarnato, ita vt tota plenitudo, sicut Deitatis, ita & vitæ viuificantis in humana Christi natura, quæ est os de ossibus nostris, & caro de carne nostra, ὑποστατικῶς deposita, & nobis fratribus exposita, fieret nobis fons vitæ, ex cuius plenitudine, ex natura nobis cognata & consubstantiali, vitam acciperemus. Nemo enim carnem suam odio habet: quod Paulus ad Christum & Ecclesiam accommodat, Ephes.5.v.29. Et frater, qui vere frater est, non grauatim de suis bonis communicat fratribus, qui ad communionem bonorum fratris ipso iure fraternitatis aditum habent. Hæc in seriis fidei exercitiis dulcissimam præbent consolationem. Ita tres erunt gradus, 1. in diuina natura Christi vita est naturaliter: quia est ipsa vita per essentiam, 2. in humana natura Christi vita est, per dispensationem hypostaticæ vnionis: sicut ignis in ferro. 3. Credentes habent vitam in se manentem, 1.Iohan.3 v.15. ratione inhabitationis & participationis.

[*Et potestatem dedit ei faciendi iudicij, quia filius hominis est.*] Supra annotauimus iudicium hoc loco accipi pro plenario & summo imperio rerum omnium in cœlo & in terra, præcipue vero pro administratione regni Dei in Ecclesia, & pro executione vltimi iudicij. Illud iudicium filius administrat, non tantum vt Deus, secundum diuinam naturam, sed ἐξουσία, potestas seu auctoritas faciendi iudicij, quam secundum diuinitatem ab æterno habet, data est ipsi etiam quatenus filius hominis est: ὅτι enim significat *quoniam* vel *quatenus filius hominis est*: hoc est, secundum humanam naturam datam filio potestatem faciendi iudicij. Et simul hoc indicat particula ὅτι quoniam exinaniuit se factus obediens Patri vsq; ad mortem crucis, quod ideo Deus ipsum exaltauerit super omnem carnem. Humana igitur natura in Christo assumpta est in communionem gubernationis rerum omnium, præcipue vero regni Dei in Ecclesia. Vtque illud præstare & efficere posset, cum humanæ naturæ per se proprium hoc non sit, ideo inquit: *Pater dedit filio potestatem faciendi iudicij, quatenus filius hominis est.* Et in eandem sententiam, respectu assumptæ naturæ humanæ, dicit Matt.28.v.18. Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Matt.11.vers.27. Omnia mihi tradita sunt à Patre, Ioh.3.v.35. Pater filio dedit omnia in manum, Hebr.2. v.8. Omnia subiecit sub pedibus eius. Iterum autem cogitetur, non propter eruendas argutias hæc patefacta esse, sed de vsu quæratur in necessariis fidei consolationibus.

Iniquitates enim diuiserunt inter nos & inter Deum, Esa. 59.v.2. Et diuina natura sine Mediatore nobis peccatoribus est tanquam ignis consumens stipulas, Deut.4.v.24. Vt igitur administratio regni Dei in Ecclesia nobis miseris peccatoribus fit salutaris: ideo non tantum secundum diuinam naturam, sed & quatenus filius hominis est, habet potestatem faciendi iudicij. Quia enim secundum illam naturam sumus os de ossibus eius, & caro de carne eius, Ephe.5.ver.30 secundum illam naturam non erubescit nos pro fratribus agnoscere, Hebræ.2.v.17. & nos carnem suam odio non habet, sed nutrit & fouet eam: ideo certe ac tuto statuimus gubernationem ipsius nobis fratribus salutarem esse. Atque ita licet iniquitates nostræ diuellant inter nos & Deum, & ipse inhabitet lucem inaccessam, 1.Tim.6.v.16. tamen habemus aditū cum fiducia ad thronum gratiæ eius, quia quatenus filius hominis, & frater noster est, datum est ipsi omne iudicium. Ita cum omnes nos manifestari oporteat coram tribunali Christi, hæc summa nostra consolatio est, quod ille, qui est caro nostra & frater noster, qui suo pretioso sanguine nos sibi acquisiuit, iudicabit nos, idque iuxta verbum Euangelij sui: dedit enim filio potestatem faciendi iudicij, quatenus filius hominis est.

[*Nolite mirari hoc, quia veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius, &c.*] Chrysostomus hoc loco peculiari distinctione variat sententiam. Præcedentem enim clausulam huic ita connectit: *Quoniam filius hominis est, nolite mirari hoc.* Et illam distinctionem etiam Syrus sequitur, vt sensus sit: Non sit vobis mirum, quod tam ardua de me prædicem, cum videatis me esse non tantum hominem, sed filium hominis, hoc est, humilem & abiectum coram mundo. Sum enim etiam filius Dei, & æqualis Deo. Et hanc distinctionem Chrysostomus excogitauit propter Samosatenū, qui, cum fingeret Christum nudum esse hominem, hunc textum ita deprauauit: Datam esse Filio vitam & potestatem iudicij, quoniam filius hominis est, quod scilicet, cum homo tantum sit, non habuerit ab æterno vel ante incarnationem vitam & potestatem iudicij, sed quoniam filius hominis est, necesse fuisse sibi illa aliunde ab extra cōferri. Hanc impiam sententiam vt Chrysostomus eo vehementius refutaret, elegit hanc de qua dixi, distinctionem. Sed Samosateni error aliter refutari potest, & verba illa bonum & pium sensum, sicut ostendemus, possunt habere.

Retineatur itaque vsitata distinctio, quam Augustinus & Cyrillus sequuntur. Et cohærentia textus hæc est. Magna & admiranda seu potius stupenda erant, quæ hactenus de se Christus prædicarat: addit igitur, se non tantum insigni argumento aliquo in particularibus miraculis, paucis quibusdam mortuis resuscitandis, de quibus vers.25. dixit, sed euidenti demonstratione, re ipsa, facto & opere in generali omnium mortuorum resuscitatione comprobaturum, quod certo ac vere habeat omnem illam potestatem, de qua hactenus concionatus est. Commode autem assumit hanc probationem. Dixerat enim: Qui sermonem meum audit & credit, habet vitam æternam. Sed illa efficacia verbi Christi in credentibus in hac vita cruce tecta, & tentationibus abscondita, nec plane & manifeste, aliquando prorsus non sentitur. Et qui verbum illud contemnunt, blasphemant & persequuntur, plerunque in hac vita pœnas non experiuntur. Atque ideo de dignitate, virtute & efficacia verbi illius homines leuius sentiunt, nec tam ardenter illud amant & amplectuntur. Dicit itaque Christus nunc quidem credentes ambulare in fide, non in specie 2.Corinth.5.v.7. & spe saluos esse, Roman. 8.v.24. sed venturam horam, in nouissimi iudicij die, in qua vis illa & efficacia verbi palam & manifeste se exeret, quam plene facie ad faciem tunc sentient, & credentes & increduli. Credentes enim tunc in plenam & manifestam possessionem & fruitionem eius vitæ, quam nunc in verbo, fide & spe tenuerunt, immittuntur, & qui Euangelio non obedierunt, tunc plenam vltionem in perpetuum sentient & perferent. Atque hoc modo simul ad suscipiendum verbum exhortatur, & à contemptu eius absterret, & insignis est consolatio credentium, qui in fide verbi Christi in hac carne viuunt & moriuntur: licet in hac vita tentationibus, cruce, morbis & morte obruantur, quod efficacia verbi illius fide apprehēsi & custodiri in media morte se exeret, vt ex morte trānseant in vitam. Deinde in nouissimo illo die plene, manifeste & perfecte se exeret. Eiusdem enim verbi, quod in hac vita amplexi sunt, virtute & efficacia, non tantum resurgent, sed ad æternā & beatam vitam resurgent. Et in illa resurrectione propter eius verbi inobedientiam increduli iudicabuntur & condemnabuntur, Iohan.3.versi.18. & 2.Thessal.1.v.8. Hæc summa est. Deinde vocabula considerentur. Quod itaque dicit: *Nolite mirari*, non est sensus, quasi vulgare hoc sit, & non dignum admiratione, sed hoc vult dicere: licet stupendum hoc sit, & omnem rationis ac sensus captum excedat: non tamen ideo debetis illud incredibile, vanum & falsum existimare. Quod vero dicit: *Ne miremini* τοῦτο: hoc Cyrillus restringit ad sanationem ægroti, quasi sensus sit: Nolite mirari hoc, quod paralyticum verbo restitui. Nam verbo mortem destructurus & omnes mortuos resuscitaturus sum. Sed rectius τοῦτο ad totum complexum eorum, quæ hactenus dixit refertur. Et quod sequitur: *Hora* ἔρχεται, recte quidem in futuro exponitur, ventura est: sed tamen aliquid monet, quod loquitur in forma præsenti, *venit*. Nos enim vel cogitamus, vel ipso facto hoc loquimur, horam iudicij vel longissime abesse, vel nunquam venturam, atque ideo concupiscentiis indulgemus. Christus vero dicit horam illam ἔρχεσθαι, venire, subinde magis ac propius accedere, & non diem nominat, sed horam seu momentum accelerans. Vigilemus igitur & oremus, vt digni efficiamur consistere coram filio hominis, Lucæ 21. versiculo 36. *Qui in monumentis sunt*, periphrasis est. Non enim tantum vult dicere mortuos, sed quorum corpora iam computruerunt, in terram conuersa & in cinerem redacta sunt. Et quia illud in monumentis & in sepulcris videmus fieri, ideo hac periphrasi vtitur: non excludens, sed simul per synecdochen comprehendemus omnes, qui vel aquis submersi, vel igne cremati, vel à bestiis consumpti, vel quacunque ratione extincti & corrupti sunt. Generalem enim omnium mortuorum resuscitationem statuit. Et illa ipsa periphrasi: *Qui in monumentis sunt*, ostendit, se loqui hoc loco non de spirituali tantum animæ viuificatione, de qua supra, sed de carnis seu corporum resuscitatione. Resurgent autem corpora non per se seu physica ratione, sicut dormientes euigilant & semina exurgunt: sed virtute verbi Christi excitabuntur. Et diuina verbi Christi efficacia inde recte æstimatur. Viuentes enim sæpe aures obturant, & verbum Christi audire nolunt. Quod vero Lazarus mortuus quatriduanus vocē Christi audit, stupendum quidem est miraculum: sed resolutos & dispersos in cineres in monumentis, vbi nulla amplius sunt auditus vel intellectus organa, audire vocem, hoc est, quasi dicto auribus percepto, audientes efficaciam & virtutem ver-

borum Christi percipere & sentire, ita vt inde corpora resuscitentur, hoc vero omnem captum excedit.

Illa vero vox erit clara illa, Matth. 24. v. 31. tuba Dei, & vox magna Archangeli, Matt. 13. v. 59. 1. Cor. 15. v. 52. 1. Thes. 4. v. 16. Ac licet vocem illam Christus mediate tunc per Angelũ sonabit: tamen quia Christi vox est, & ipsius nomine proferetur, diuinam habebit efficaciam. Quod ideo obseruandum est, ne cogitemus, ideo minorem esse efficaciam vocis Euangelij, quando Christus illam non immediate, sed per ministros sonat, modo Christi verbum sit, & ipsius nomine proponatur. Obseruetur & hoc, quod supra vocauit vocem filij Dei, iam vocat *vocem eius*, & proxime præcedit, *filius hominis*.

[*Et prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*] Verbum *prodibunt* pertinet ad præcedentia, qui in monumentis sunt, audient & [illegible], ex sepulcris exibunt. Deinde subiicitur distinctio; quidam ad vitam, quidam ad iudicium. Omnes igitur resurgent, sed in duos diuersos cœtus separabuntur. Et omnes quidem resuscitati vita animali seu sensibili viuent, sed conditio vitæ erit diuersissima. Et quia sola beata vita, vere vita est: in æternis vero suppliciis viuere non vita, sed mors æterna est: ideo alteram vocat resurrectionem vitæ, alteram resurrectionem iudicij. Et ratio posterioris appellationis hæc est. Primo: quia quotquot extra Christum in iudicium veniunt condemnabuntur, Ioh. 3. v. 18. Mar. 16. v. 16. Secundo; quia in hac vita Deus minatur quidem iudicium, & verbo suo secundum illud pronunciat, sed in resurrectione tunc demum fiet realis executio illius iudicij. Quod vero dicit: *Qui bona egerunt, &c.* non tractat de causa salutis & vitæ æternæ, quam supra exposuit, vbi dixit: Qui audit sermonem meum, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam. Sed quia in resurrectione iudiciũ visibiliter & sensibiliter corã toto mundo celebrabitur, ideo externa nota electos à reprobis discernit, sicut ex fructibus arbor, qualis sit ostenditur. Quia igitur fidei iustificanti semper coniunctum est propositum seu studium bene agendi, iis autem, qui sine Christo sunt, omnia, quæcunque agunt, peccata sunt, & sine fide impossibile est Deo aliquid placere: ideo has duas notas sumit, qui bona egerunt, resurgent ad vitam: qui mala egerunt, ad iudicium. Distincte autem in hac concione Christus loquitur de viuificatione animæ, quia credens habet vitam æternã, & à morte statim transit ad vitam æternam. Deinde de viuificatione corporum, quæ fiet in nouissimo die.

[*Non possum ego facere quicquam, sicut audio, iudico, & iudiciũ meum iustum est. Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, Patris, &c.*] Iam in summam colligit ea, quæ hactenus tradidit, per epilogum præcipua capita repetens. Et phrases simplicissime ex hypothesi intelligi possunt. Iudæi enim criminabantur Christum ea, quę in officio suo docendo & faciendo agebat, à seipso, hoc est, suo quodam proprio arbitrio priuata præsumptione & temerario ausu absque mandato, voluntate & auctoritate Dei patris suscepisse & agere. Ideo ipsi blasphemabant eum, & turbæ ideo de doctrina & operibus eius dubitabant. Affirmat igitur & asseuerat, se omnia, quæ ad officium Messiæ pertinent, ex mandato, decreto, voluntate & auctoritate Patris facere, atque adeo nihil se facere præter seu contra voluntatem Patris, & nulla sit alia voluntas Patris quam sua, nec posse aliquid [illegible] facere, quàm patre auctore. Multo enim fortius sonat, quod dicit: *Non possũ à meipso facere quicquam* quam si simpliciter diceret: Nihil facio à meipso: vel quæcunque facio Deo auctore facio. Sicut enim quando Scriptura dicit: Deus non potest mentiri, non potest seipsum negare, non significatur infirmitas, sed tanta constantia veritatis in promissione, vt impossibile sit ipsum posse aut velle mentiri, aut seipsum negare: Ita etiam cum Christus dicit: *Non possum à meipso quicquam facere*, non infirmitas quædam filio tribuitur, sed ostenditur tantam esse vnitatem & æqualitatem essentiæ, voluntatis & operationis in Patre & filio, vt impossibile sit Filium à seipso quicquam facere, quod non Pater in ipso & per ipsum operetur. Teneatur itaque hæc Filij Dei asseueratio, quod impossibile sit Filium Mediatorem aliquid, quod Patri contrarium sit, imo quod aliud & diuersum sit à Patris voluntate & operatione, aut posse aut velle facere.

Sicut audio, iudico. Hoc loco quidam tantum de sententia extremi iudicij intelligunt, Christum scilicet pronunciaturum sententiam in extremo iudicio non à se, sed iuxta voluntatem Patris sicut audit, atque ideò iudicium illud iustum esse. Sicut & illud: *Sicut audio, iudico*: quidam ita interpretantur, Christum iuxta causæ cognitionem, vel iuxta audita & allegata iudicare, atque ita iustum iudicem esse. Sed non decet ita restringere tales sententias. Iudicium igitur de doctrina & de tota administratione regni Christi intelligatur. Et audire, sicut supra versic. 19. videre, significat conscium esse eorum, quæ in arcano consilio diuinitatis decreta sunt. Audire præterea significat in mandatis accepisse enunciandi & exequendi ea, quæ à Patre decreta sunt. Atque ideo inquit: *Iudicium meum iustum est*: hoc est, inde doctrina mea vera, & opera mea bona & salutaria sunt, quia sicut in consilio & decreto diuinitatis audio, ita iudico. Nec meam priuatam aliquam voluntatem seu cupiditatem cupio explere, sicut Iudæi calumniabantur; sed hoc tantum quæro in meo officio, vt voluntatem Patris impleam & exequar. Et *ad hoc*, inquit, legatus à Patre *missus sum in mundum*. Cumque legatus ex præscripto debeat agere, affirmat decretum & arbitrium Patris esse normam & regulam totius suæ doctrinæ & omnium actionum. Non igitur sensus est, quando dicit: *Non quæro meam voluntatem*, quasi Christus habeat priuatam voluntatem, à Patris voluntate diuersam, quam tamen non voluerit sequi: sed sensus est, Non quæro voluntatem meam, hoc est, non quæro voluntatem, quæ mihi soli ita sit propria, vt non sit communis & eadem cum Patris voluntate, sed ab ea diuersa, talem enim voluntatem non habeo, sicut Iudæi criminabantur. Sed secundum diuinitatem vna est & eadem volũtas filij cum Patre, sicut vna diuinitas seu essentia: secundum humanitatem vero voluntas eius cum diuina voluntate per omnia cõsentiens est, vt nihil velit contra Deum. Repeto autẽ, in grauissimis hisce dictis semper cogitandum esse de vsu, qui certe hoc loco dulcissimus monstratur.

Quando enim conscientiæ anguntur, quæ sit voluntas Dei erga nos: An velit ignoscere, misereri, exaudire, [illegible], saluare? &c. quando quæro, quid Deus de me cogitet, decernat & statuat? quando cupio scire, quid Deus faciat, vel præstare velit mihi in bonum? non opus est vt immergam mea abyssum iudiciorum Dei, vel aciem intẽdam in lucem illam diuinæ maiestatis, quam Paulus inaccessibilem vocat. Quod enim sit decretum Dei, quæ voluntas Dei, quæ operatio Dei pro mea salute, illa omnia in Christo incarnato, in verbo & officio eius monstrata, &, sicut Cyrillus loquitur, quasi depicta & palàm spectanda mihi proposita sunt. Non enim à seipso facit quicquam, sed sicut audit, iudicat, & Patris voluntas est, quam Filius quærit. Hæc vtilius est considerare, quàm argutiis in huiusmodi sententiis ludere.

Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Hactenus Christus magnifica & stupenda, imo diuina de persona sua, de officio suo, & de efficacia verbi sui prædicauit: iam vsque ad finem capitis probat illa & confirmat idoneis certis & firmis testimoniis, quæ omni exceptione maiora sunt. Patris scilicet cœlestis: & simul Iudæorum incredulitatem grauissimis verbis accusat. Ordine autem commemorabit hæc Patris testimonia. 1. per Baptistæ confessionem & ministerium. 2. per miracula. 3. per vocem è cœlo. 4. per Scripturam Propheticam. 5 per Mosen. Sed durius videtur hæc sententia sonare: *Si ego testificor de meipso, testimonium meum non est verum.* Certe Christus ipse de se testificatus est: Ego sum Messias, sum lux mundi, sum via, veritas & vita: quæ certe testimonia nequaquam sunt falsa. Quomodo enim non verum esset eius testimonium, qui est ipsa veritas? Et Iohan. 8. v. 14. prorsus contraria extat sententia. *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, tamen testimonium meum verum est.* Quidam igitur ex præcedenti sententia, quasi [illegible] subaudiunt, si ego à meipso, vel solus testimonium de me perhiberem, tunc merito meum testimonium vanum haberetur. Cyrillus & Chrysostomus sentiunt, Christum hoc loco nõ loqui ex propria sententia, sed ex opinione eorum quibus loquebatur, vt sit quasi occupatio tacitæ obiectionis, quam aduersarij intra se voluebant. Scio vos dicturos, non esse idoneum & legitimum testimonium, quod quis de seipso perhibet, nemo enim in propria causa idoneus testis esse potest. Vt per modum concessionis dicat: Non cõtendam nunc ea de re vobiscum, nec vrgebo, vt propter meum testimonium mihi fidem habeatis, sit ita, remittam hoc vobis, non nitar proprio testimonio, cum aliunde firmissimis testimoniis instructus sim. Iudæi, Iohann. 8 versiculo 13. cum existimarent Christum rudem & vilem hominem esse, dicunt, Tu de teipso testimonium perhibes, ideo testimonium tuum non est verum. Ibi vero respondet: Ego scio vnde venerim, hoc est, non sum nudus homo & vilis persona, sed Filius Dei, & legatus Patris. Et non sum solus, sed ego & qui misit me Pater. Ideo etsi de me testificor, tamen testimonium meum verum est. Hoc loco vero per concessionem, condescendens ipsorum imbecillitati & opinioni, remittit ipsis hoc, quod non velit proprio testimonio niti. Ita duæ illæ sententiæ non pugnant inter se.

[*Alius est, qui testimonium perhibet de me, & scio quod verum est testimonium, quod perhibet de me, &c.*] Chrysostomus *alium* intelligit Baptistam: de eo enim in sequenti mox sententia loquitur, quasi dicat, propriũ meum testimonium nõ recipitur, est vero alius, qui de me testificatus fuit, Baptista scilicet: sed

nes

nec eius testimonium recepistis. Ego vero scio verum esse eius testimonium, quod de me perhibuit. Cyrillus vero per alium intelligit ipsum Patrem, vt sensus sit: Vos meum testimonium, vt contempti fabri, respuitis: sed longe alius est, qui de me testificatur, Pater scilicet, sicut Iohan. 8.v.18. expresse dicit. Et commodum est, vt sequentia testimonia omnia ad Patris auctoritatem referantur. Addit autem, licet vos neque Patris testimonium multum euretis: ego tamen, cui Pater monstrat omnia quæ facit, quinque arcano diuinitatis consilio intersum, scio, quàm verum & serium sit eius testimonium quod de me perhibet. Et notetur, nos ideo testimonia diuina minoris facere, quia non videmus, intelligimus aut cogitamus, quam vera & seria sint, sed Christus scit. Vel sensus est certo scio, quod nihil mihi arrogem, quod non Patris de me testimonio congruat.

[*Vos misistis ad Iohannem, & is testimonium perhibuit veritati.*] Primo loco ponit Baptistæ testimonium, vt Iudæis omnibus notissimum. Et bis ipsis verbis magnam circumdat testimonio Iohannis auctoritatem. Hoc enim vult dicere: Baptista non ipse ingessit se vobis ad testimonium, nec me subornante ad vos accessit, sed vos misistis ad ipsum. Tantam ipsi auctoritatem tribuistis, quod ad ipsum, tanquam ad Prophetam & legatum Dei, non ministros vestros priuatim, sed decreta splendida legatione, publico synodi nomine primores misistis sciscitatum, quisnam esset Messias. Vestro igitur ipsorum testimonio irrefragabilis est testimonij Baptistæ auctoritas. Is vero testimonium perhibuit veritati. Cyrillus ita intelligit: mihi, qui sum veritas, perhibuit testimonium. Sed simplicior est explicatio: *Perhibuit testimonium veritati:* hoc est id, quod res & veritas erat ingenue, palam, aperte & constanter testificatus fuit, se scilicet non esse Messiam, sed me esse Messiam, filium Dei, & agnum portantem peccata mundi, vt idem sit cum eo, quod Ioh. 1. ver. 20. scriptum est: Et confessus est, & non negauit & confessus est.

[*Ego vero ab homine non accipio testimonium, sed hæc dico, vt vos salui fiatis.*] Cum Baptista missus fuerit à Deo, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per ipsum, Iohann. 1. ver. 7. & Apostolis Christus dixerit: Vos eritis mihi testes vsque ad extremum terræ, Act. 1. v. 8. & generaliter ac ordinarie per hominum ministeriũ agnitionem sui in mundo spargat: quomodo hoc loco dicit? *Ego ab homine testimonium non accipio* Respondeo: In aduersatiua, quomodo intelligi velit, plane ostendit, cum inquit: *Sed hæc dico, vt vos salui fiatis:* se scilicet respectu sui, vel ex sua parte, non opus habere, vt vel Baptistæ, vel cuiusdam hominis testimonio commẽdetur & ornetur, cum sit verus Deus, & ipsa veritas omni humano testimonio superior & certior: sed non tam sui respectum, quàm hominum rationem habere, vt ipsis consulatur, vt scilicet cognato & familiari hominum ministerio & testimonio, quos ideo & donis ornat, & auctoritate armat, excitẽtur & confirmentur, vt credentes salui fiant. Et diligenter hoc loco obseruetur, Deum ideo non immediate, nec per Angelos, sed per hominum ministerium nobiscum in Ecclesia agere, vt facilius per ipsius virtutem credere & seruari possimus. Ac agnoscenda & celebranda est illa ipsius bonitas, quod ita condescendat nostræ imbecillitati, vt non sui respectum habeat, quid diuinam suam maiestatem deceat, sed attemperet omnia ad nostrum captum, & ad nostram salutem. *Hoc dico vt vos salui fiatis.* Ad præsentem autem disputationem hanc sententiam Christus ita accommodat. Qui hominum gloriam quęrunt, solent sollicite captare & ambitiose iactare hominum testimonia, vt inde commendentur, ornentur, & claritatis aliquid accipiant: Ego vero propter hanc causam hominum testimoniis nec vtor, nec nitor, nec egeo. Produco autem Baptistæ testimonium non mea causa, sed propter vos, quia me contemnitis: Ille autem in tanta apud vos fuit auctoritate, vt eius testimonio credentes me recipiatis, & ita salutem consequamini.

[*Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.*] Quia vtitur tempore præterito imperfecto, ostendit igitur, Baptistam tempore huius concionis non versatum in publico ministerio, sed fuisse in carcere. Ne vero videatur Baptistæ testimonium eleuare & reiicere, quia dixerat, Ego ab homine testimonium non accipio: addit iam insignem commendationem personæ & officij Baptistæ, vt ostendat, merito à Iudæis recipiendum fuisse ipsius testimonium, vtque ita occasionem habeat ingratitudinem illorum grauius accusandi. Simul vero etiam dignitatem ministerij ac conditiones & dona fidelis ministri metaphora pulcerrima describit. Nam & de Apostolis Christus dicit: Vos estis lux mundi, Matth. 5. v. 14. & Paulus Phil. 2. ver. 15. in genere vocat luminaria præferentia verbum vitæ. Rationem vero metaphoræ explicat Petrus 2. capit. posterioris Epistolæ, quia scilicet totus mundus, quo ad res spirituales, sedet in tenebris, & qui in tenebris ambulat, nescit quo vadat, Iohan. 12. versicul. 35. Hoc est, mundus nec peccata sua, nec iram Dei, nec perditionem suam recte agnoscit, ac nescit se esse in via perditionis: multo vero minus Deum, Christum eius, & viam pacis ac salutis agnoscit. Deus igitur excitat ministros suos, ponens in ora eorum verbum suum, quod est ceu lucerna lucens in loco caliginoso, 2. Pet. 1. ver. 19. quam per ministerium ponit super candelabrum, vt luceat omnibus, qui sunt in domo, Matth. 5. v. 15. Quia vero minister, siue sit Baptista seu quiuis alius, non est ipsa vera lux, sed vt testificetur de luce Christo, qui omnes illuminat, Ioh. 1. ver. 8. ideo Christus hoc loco proprie loquens Ioãnem vocat lucernam. Λύχνος enim est candela seu lucerna aliunde, ab aliena luce, accensa, quam, vbi accensa est, circũfert & spargit. Syrus habet שׁרגא, quod candelam vel cereum significat. Et participium Ardens est passiuum καιόμενος: quod scilicet dona illa in Baptista non sint naturalia, ex libero arbitrio electa: sed quod sit lucerna à Christo, qui est lux vera, accensa, ac lumine eius inflammata. Sicut & Paulus Phil. 2. ver. 15. hac metaphora ministerium describit: Luceatis in medio nationis prauæ & peruersæ, tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ ἐπέχοντες sustinentes, prætendentes. Vocat autem Paulus non λύχνους lucernulas, sed φωστῆρας luminaria magna, Gen. 1. v. 19. seu faces. Verbum igitur vitę lux est, quæ aliquando in lucernis, aliquando in facibus concepta hæret. Ministri igitur sonantes & circumferetes verbum vitæ, vel lucernas circumferunt, vel faces præferunt in tenebris huius mundi. Sicut autem quædam sunt lucernulæ exiguæ, quæ vento & tempestatibus facile turbantur & sæpe extinguuntur: quædam autem sunt faces copiose & firmiter flammam concipientes, vt tempestatibus, ventis & concussionibus non extinguantur, sed sicut ille dicit:

Vidi ego quassatas mota face crescere flammas.

Talis etiam dissimilitudo donorum est inter ministros verbi. Quod igitur Baptistam vocat lucernam ardentem, magnitudinem, multitudinem & præstantiam donorum diuinitus in ipso accensorum ostendit, simul vero etiam illustrem, constantem & ardentẽ zelũ fidei & pietatis eius, in tractatione & executione ministerij sui, metaphora lucernæ ardentis indicat Sicut historia ipsius ostendit. Oportet autem ministerium non tantum in se egregiis donis illustratum & ornatum esse, sed vt splendore donorum suorum per ministerium, quæ circumcirca sunt, illustret. Lucerna enim accensa non est sub modio occultanda, sed in candelabro ponenda, vt luceat omnibus. Ideo Christus vtrumque coniungit: *Erat lucerna ardens & lucens.* Atque ex hac metaphora colligi potest diuersitas inter ministros verbi. Quædam enim lucernæ sunt vel absque luce, vel extinctæ: quædam ardent, sed non lucent, vt si sub modio ponantur: quædam lucent, sed non ardent, vt cum frigide sine zelo docetur: quædam vero ardent & lucẽt, quæ doctrinæ & pietatis zelum re ipsa ostendunt. Illa ipsa vero metaphora culpam, quod Iudæi filium Dei non agnoscunt, in ipsorum contumaciam reiicit. Deus enim, inquit, tenebris vestris lucernam ardentem accendit, quæ splendore suo vobis illuxit. Petulantis igitur contumaciæ est, quod in tanta luce mauultis cæcutire. Quod idem iudicium est contra omnes, qui tenebras magis diligunt, quàm lucem, quæ ipsis clarissime in ministerio verbi accenditur & proponitur. Quod vero addit: *Vos vero voluistis ad horam exultare in luce eius:* Quidam ita intelligunt: In principio ministerij Baptistæ videri voluistis vos exultare, quod tantus Propheta diuinitus vobis missus esset, ideo vndique omnium ordinum concursus ad ipsum factus fuit; sed illa exultatio tantũ fuit ad horã, hoc est, ad breue tempus, mox enim ministerium eius fastidiistis, testimonium eius de me respuistis, vitam eius accusastis, quasi dæmonium haberet, Matth. 11. v. 18. ac tandem in carcerem ipsum tradidistis. Alij vero ita exponunt, quod Pharisæi, licet auctoritatem Baptistæ principio admirarentur & venerarentur, non tamen Spiritualia, & quę ad æternam vitam pertinent, vt sunt vera veri Messiæ agnitio, pœnitentia, scientia salutis, fructus pœnitentiæ, &c. in ministerio Baptistæ quæsiuerint, sed voluerint auctoritate ipsius ad profligandam Romanorum potentiam, ad recuperandam externam libertatem, dignitatem & opes abuti. Et hoc est quod dicit; Non quæsiuistis exultationem spiritualem de beneficiis & bonis æternis, in ministerio Baptistæ, sed ad tempus voluistis in luce eius exultare. Et hic locus communis est, quid fiat, quando Deus ministros suos illustribus donis instructos in Ecclesiam mittit: quod scilicet principio magna fit exultatio & ingens concursus, sed ad horam, mox vero sequatur contemptus, fastidium, & persecutio. Vel, quod homines raro vera, spiritualia & æterna bona in ministerio quærant, sed sub illo prætextu alius potentiam, alius dignitatem, alius opes, alius alia sua desideria explere conetur. Imo sicut Iudæi auctori-

tate Iohannis ad respuendum & opprimendum Christum abuti conabantur: ita sæpius ministrorū auctoritate mundus contra Christum,& ad opprimēdum Euangelium abutitur,sicut Paulus in Epistola ad Corinthios & ad Philippenses cōqueritur. Et venusta est metaphora,vt si paterfamilias lucernam seruis noctu accendat,vt eò rectiùs officia sua peragere possint:illi verò eius vsum,relictis operis, ad comessatiōnes & omne genus petulantiæ exercendum transferant. Quomodo verò Dominus huiusmodi seruos , si ita ipsos inuenerit, tractaturus sit, ipse exponit,Matth.24.v.50.

Ego verò habeo testimonium maius Iohanne. Ita vetus interpres reddidit:sed quia collatio fit non cum persona,sed cum testimodio Iohannis, ideo in Græco videtur subaudiendus articulus, ἔχω τὸ μαρτύριον μεῖζον τοῦ Ἰωάννου: *Habeo testimonium maius quàm Iohannis.* scilicet testimonium fuit. Secundum igitur testimonium,quo ea, quæ hactenus de persona & officio , & beneficiis suis dixerat,comprobat,ponit opera sua,hoc est,signa & miracula. Quod testimonium aliquoties repetit, vt Ioh.10.v.25.Opera,quæ facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me Item vers.38. Si mihi non vultis credere,operibus credite.Ioh.15.v.24. Si non fecissem opera, quæ nemo alius fecit,peccatum non haberent. Et Ioh.3.v.2. Nicodemus inquit:Scimus quòd à Deo veneris magister:nemo enim hæc signa potest facere,quę tu facis,nisi fuerit Deus cum eo. Iohannis igitur testimonium de se concedit magnū esse,sed maius esse affirmat , quod ex miraculis suis sumitur. Baptista enim nullum signum fecit,Iohan 10.vers.41.Et quia miracula Paulus 2.Corinth.12.v.12.vocat sigilla Apostolatus seu legationis diuinæ , testificantia scilicet & demonstrantia personam illam à Deo missam esse , vt ipsi tanquam legato fidem adhibeamus, & sciamus doctrinam eius veram esse: Ideò Christus inquit:*Hæc opera quæ facio testantur de me, quòd Pater miserit me.* Atque ita Christus ostendit miracula aspiciēda esse,non vt muta spectacula, admirationem tantùm excitantia, sed vt testimonia, sonora quasi voce testificantia de persona & officio Christi , ac de veritate & certitudine doctrinæ eius.Sicut de naturę miraculis,Psal 19.v.1. inquit:Cœli enarrant gloriam Dei , & firmamentum annunciat opera eius.

Quæritur autem,quomodo miracula possint probare, Iesum esse Messiam filium Dei & Saluatorem mundi, cum & Prophetæ & Apostoli miracula ediderint , quorum tamen neminem Messiam,filium Dei & Saluatorem esse, miracula comprobarint?Sed vera est responsio. 1. Miracula probant veram esse doctrinam , quam adfert ille, qui edit miracula. Moses verò non docuit se esse Messiam,filium Dei, nec quisquam vel Prophetarum vel Apostolorum hoc docuit. Christi verò propria doctrina, quæ in miraculis eius comprobata & confirmata est,fuit hæc,quòd sit Messias,Filius Dei, Saluator mundi. Ideò ex Christi miraculis rectè sumitur testimonium & probatio,quòd sit verus Messias, Filius Dei & Saluator mundi. 2. Christus ipse affirmat,Iohan.15.ver.24. se talia fecisse miracula, quæ nemo alius fecit, ideò mirum non est, maius quid ex Christi miraculis probari,quàm ex Prophetarum & Apostolorum signis. 3. Petrus & Iohannes Act.3.v.12.disertè protestantur,se miracula edere non propria virtute aut pietate, sed aliena. Christus verò potestate à Patre quidē accepta,non tamen aliena,sed propria,edit sua miracula, vtpote Filius Dei,æqualis Patri,in cuius carne tota diuinitas inhabitat corporaliter.Inde & ideo hoc ipsū ex miraculis Christi rectè probatur. Et in hanc sententiam Christus etiam verba sua de miraculis peculiari ratione moderari voluit. Dicit enim: *Opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea.* Intelligunt autem opera Filio,primo,in quantum Dei Filius, æqualis Patri. Quia enim Filius cum Patre eiusdem est essentiæ & potentiæ,quam à Patre sibi communicatam accepit: ideo dicit Iohann 14.vers.10. Pater in me manens ipse facit opera. Et hoc loco: *Opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea.* Et mox: *Ipsa opera, quæ ego facio,* quæ enim Pater facit, ea similiter & Filius facit. Secundo intelligunt Christo data miracula, quoad humanitatem. Illi enim ex hypostatica cum diuinitate vnione data est potestas diuina operandi, sicut Cyrillus loquitur. Miracula enim Christus non per solam diuinitatem effecit, sed adhibuit ad illa perficienda etiam assumptam suam humanam naturam. Tertio intelliguntur etiam data Christo miracula, vt legato & Mediatori: quod scilicet ex cōmuni consilio & decreto Trinitatis data sint ipsi contra perficienda , non tantum in miraculis , sed in ipsa etiam redemptione & saluatione generis humani. *Atque ita opera,quæ facio testantur de me,quòd Pater miserit me.* scilicet,non sicut seruum Mosen,Prophetas & Apostolos misit: sed quod miserit me vt Filium,Messiam & Saluatorem mundi, hæc opera:quæ facio ego,testantur de me.

[*Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.*] Tertiū testimonium Patris est. Quidam intelligūt hoc testimonium in Lege & Prophetis de Christo à Patre longe ante Iudæis datum,ideo, vt non ignotus prorsus ad ipsos veniret, sed ita certis notis in Scripturis insignitus , vt agnosci posset. Sed mox postea separatim & distinctè de testimonio Scripturarum & Mosis dicit. Quidam etiam de interiori reuelatione exponūt,sicut Mat.16.v.17. Christus dicit:Caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed Pater meus,qui in cœlis est. Sed quia de externis testimoniis ab extra sonantibus loquitur, & quidem in præterito: *Pater testificatus est de me:* & mox postea nominat vocem patris,simpliciter intelligatur hic locus de testimonio vocis paternæ, quæ in Baptismo sonauit , quæ postea etiam maioris confirmationis gratia repetita fuit, in transfiguratione & ingressu Hierosolymitano. Quod vero additur: *Neque vocem eius audiuistis vnquam, neque speciem eius vidistis,* varie exponitur. Quia enim Deut.4.v.33.& 5.ver.23. expresse scriptum est, Israelitas audiuisse vocem verborum Dei , quidam cum Chrysostomo hanc sententiam ita exponunt: Cum Deus sit essentia spiritualis & inuisibilis , quod sicut vera species seu forma eius oculis corporeis in hac vita videri non potest: ita etiam non habere ipsum vocem articulatam, quæ organis corporeis,vt in animalibus & hominibus,formetur,quę hisce auribus corruptibilibus audiri possit: sed vocem illam in Sina angelico ministerio formatam fuisse.Sed iam, vbi Christus in carne manifestatus est,rectè dici: Qui videt me, videt & Patrem meum,Iohan.14.vers.9. Et Patrem iam in Filio & per Filium incarnatum nobis loqui,Hebr.1.v.1.vt vocem eius audire possimus.Extremę igitur ingratitudinis esset, Patrem in Filio incarnato,nec videre,nec audire velle.

Alludit autem & respicit ad locum Deut.18.ver.16. Petiisti à Domino Deo tuo & dixisti, non audiam vltra vocem Domini,ne moriar. Et ait Dominus:Bene locuti sunt. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, & ponam verba mea in ore eius,illum audies. Qui autem verba eius,quæ loquetur in nomine meo,non audiet,ego requiram,&c.Ibi distinctè ponitur vox Dei,quam audire & sustinere non poterunt.& promittitur alia,quam audire possint. Quia igitur Iudæi vocem Dei,quæ in Sina sonuerat, opponebant Christo, & hoc prætextu nolebāt Christum recipere, quia vocem Dei in Sina audiuissent:Christus respondet, Frustra illam vocem mihi opponitis, eam enim Patres vestri non potuerunt audire,sed petierunt aliam, illam scilicet, quam pater per me sonat. Quia igitur me reiicitis,inde ergo apparet, *vos vocem* Patris nunquam rectè audiuisse.

Hæc expositio ex loco Mosis eruditè extruitur,& vera est.

Alij intelligunt, quod Iudæi isti,cū quibus hoc loco Christus disputat,vocem Patris,quæ in Baptismo sonuit, cùm præsentes non fuissent,non audierint,nec corporalem illam speciem columbæ qua Spiritus sanctus descenderat,Lucæ 3.versic.22.viderint, atque ideo minus huic Patris testimonio credant. Sed textus dicit, hos non tantùm ad Iordanem vocem illam non audiuisse, sed nunquam ipsos audiuisse vocem Patris.

Ideo explicatio simplex est, Sicut alibi Iudæis,superbè arrogantibus sibi veram & singularem agnitionem Dei, Christus ipsis eam adimit & detrahit.vt Iohan.7.vers.28. Est verus qui misit me,quem vos nescitis.Ioh.8.ver.55. Vos dicitis esse Deum vestrum,& non nouistis eum.Ita hoc loco,cum Iudæi gloriarentur,maiores suos ipsam Dei in Sina audiuisse, & ex ore Mosis, cum quo Deus facie ad faciem locutus esset, Legem accepisse,ac præ reliquis nationibus omnibus se habere concreditum verbum Dei , atque ob hanc gloriationem, & hoc prætextu securè contemnebant , vt prius Prophetarum,ita nunc Baptistę & Christi,sicut & postea Apostolorum doctrinam; Christus ipsis persuasionem illam diuinę cognitionis detrahit,in hanc sententiam:Quęcunque sit vestra gloriatio,certe facto & re ipsa ostenditis,tales vos esse, quasi nūquam vocem Dei audiuissetis:vel similes vos esse illis,quibus nunquam Deus apparitione aliqua se patefecit. *Verbum* quidem *Dei*, depositum apud vos habetis in literis sacris: sed *in vobis manens*,seu inhabitans illud *non habetis.* Illud vero inde probat: *Quia*,inquit, *quem ille misit, huic vos non creditis.* Ratio vera hæc est:quia omnes patefactiones Dei, & tota Scriptura Veteris Testamenti, pædagogia fuit deducens ad Christum, cuius personam & officium Vetus Testamentum certis notis ita depinxerat,vt qui præsenti ipsi & exhibito nollet credere, is rectè diceretur vocem Dei non audiuisse , & verbum eius non habere manens in se.Ita etiam,quod additur, ipsos speciem Dei non vidisse,respicit ad locum Deut.4. vers.12. Vocem eius audiuisti,sed formam penitus non vidisti. Christus vero est imago Dei inuisibilis,quæ iam in Christo nobis manifestata est in carne,Colos.1.v.15.& 1.Timoth.3.v.16.Item de illa apparitione Dei in Sina populus clamabat, Deuter.18. v.16.ignem hunc maximum amplius non videbo,ne moriar.

Iam

Iam vero Christus est Deus manifestatus in carne, & qui ipsum videt, videt Patrem, vt non moriatur, sed viuat in æternum.

Atqui ita Iudæos, nolentes Christum audire, videre & recipere, ex ipsa Scriptura obiurgat & conuincit. Hæc est ratio concertationis, quatenus ad Iudæos accommodatur. Generalis vero doctrina est, finem & scopum Legis & totius Scripturæ esse Christum, ad quem illa lectores & auditores deducere debeat, adeo vt qui ad ipsum se deduci non patitur, vt ipsi credat, ei tota Scriptura nihil prosit, sed à Deo iudicetur, quasi vocē Dei nunquam audiuisset, & quasi nullam prorsus apparitionem seu reuelationem Dei haberet. Miseram enim hanc nostram naturam hanc solam Dei vocem, quæ in Christo & per Christum sonat, audire & sustinere posse ne moriatur: Et solam hanc visionem & agnitionem Dei in hac vita nobis salutarem esse ad vitam æternam, qua Deus Christo se nobis conspiciendum & agnoscendum præbet: Item non sufficere ad salutem, si verbum Dei habeas tantum vel in libris, vel in labiis, vel in auribus; sed requiri, vt in nobis illud, & quidem manens in nobis habeamus, ne excidat, seponatur, sepeliatur, excutiatur vel conculcetur, nec tantum in labiis, in auribus, in superficie disputationū natet: sed in corde ed ē figat & radices agat. Particula enim *in vobis* opponitur externæ possessioni, quādo in libris solū, vel in externa prædicatione tantum, verbum Dei habemus: & quidem manēs in nobis, vt sit scilicet non tantum sonus in labiis, & perfluēs tinnitus in auribus, vel frigida cogitatio in memoria ex animo effluens, sed vt in ipsis cordibus infigatur, & arctis radicibus ibi retineatur, custodiatur, seu conseruetur & maneat. Tunc autem manet in nobis, quando per virtutem Spiritus sancti fide illud, tanquam pretiosissimum thesaurum, ita apprehendimus & tenemus, vt sit nobis norma & regula fidei & vitæ, vtque per consolationem & patientiam Scripturarum spem habeamus, ac tota fiducia salutis in verbum promissionis Christi recumbamus. Idem enim est, verbum Dei habere manens in se, cum eo, quod Iohan. 8. vers. 43. scriptum est, verbum Dei non capit in vobis, hoc est, non habet manentem locum in vobis, vt fide à vobis accipiatur, & in cordibus fixū maneat. Colligitur itaque, fidem non obiter nec ociosa cogitatione, vel historica tantum assensione, verbum Dei apprehendere, sed ita vt cordi radicitus infigatur, vt per fidem verbum Dei habeamus manens in nobis. Et hoc est, quod Paulus Col. 3. v. 16. scribit, Verbum Dei non vagetur, non peregrinetur apud vos, sicut hospes is veniens honorifice primum excipitur, sed mox fastiditus dimittitur: sed habitet in vobis opulenter.

[*Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsam vitam æternam habere.*] Quartum testimonium sumit à Scripturæ auctoritate, & quia mox Mosis seu Legis testimonium sigillatim allegabit, ideo per Scripturas hoc loco Prophetas intelligit & Psalmos. Verbum [ἐρευνᾶτε] sicut & Latinum *Scrutamini* potest accipi vel imperatiuè, vel indicatiuè. Si imperatiuè accipiatur, sicut Syrus forma imperatiua reddidit, sensus est, quod Christus in hac quæstione & disputatione diiudicanda ipsos remittat ad Scripturas, tanquam ad ordinarium & competētem iudicem. Et eo ipso ostendit, se in quæstionibus, disputationibus, dissidiis & contentionibus, Scripturam facere iudicem, vt inde controuersiæ diiudicentur. Ita autem, vt Scripturas non obiter inspiciant & legant, vtque externum corticem vel literam mortuam tantum arripiant: sed quia multa in Scriptura occultioribus mysteriis inuoluta sunt, monet adhibendam diligentem perscrutationem. Græci enim per verbum ἐρευνᾶν 2. Reg. 10. v. 20. Prou. 20. ver. 4. à fine reddiderunt Hebraicum חפש, quod significat ea, quæ occulta sunt seu abscōdita, denudare vel retegere. Syrus hoc loco reddidit בצא, quod significat indagare, inuestigare, inquirere ad diiudicandum. Vult igitur, Scripturas non haberi tantum, sed legi, nec obiter legi, vel opinione operis operati, sicut Iudæi in synagogis, & Pontificij in templis eas legunt: sed vult adhiberi animum ad feruentem studium & diligentiam scrutandi summam, scopum & finem Scripturæ. Cyrillus legit indicatiue in hanc sententiam: Vos propter piam illam persuasionē, quod in Scripturis sit vita æterna, estis assidui lectores, auditores, tractatores & scrutatores Scripturæ: sed quia nō vultis ad me, de quo Scripturæ testificantur, venire, ergo contra ipsam Scripturam pugnatis. Et ita ostendit, frustrà laborem Scripturis impendi, nisi Christus in illis quæratur, inueniatur & accipiatur. Ac doctissimos & diligentissimos etiam Scripturæ scrutatores errare, si à vero eius scopo, qui est Christus, deflectant. Modum enim & metas veræ scrutationis hic textus monstrat, vt scilicet in Scripturis Christum, & in Christo vitam æternam quæramus, & quomodo illa inuenienda & apprehendenda sit, discamus. Ab hoc scopo quicunque deflexit, licet erudite, acute & scrupulose scrutetur, nihil tamen aliud efficiet, quā quod Scripturas ad suam ipsius perditionem deprauet, 2. Petri. 3. versic. 16. Verbum δοκεῖν, quando dicit, *Vos putatis vitam æternam in Scripturis habere*: non significat dubiam, vanam aut falsam opinionem: neque enim Christus hoc reprehendit, quod existiment se vitam æternam in Scripturis habere, sed modum quærendi reprehendit. Et verbo δοκεῖν indicat communem omnium de Scriptura persuasionem & sententiam, sicut Græcis appellantur κοιναὶ δόξαι, axiomata, quæ communiter & apud omnes rata, firma & certa sunt. Et Iudith. 3. ver. 11. verbum illud vsurpatur: Erat δεδογμένον, constitutum decretum. Et 3. Esdr. 8. v. 12. Sicut ἔδοξε regi & septem consiliariis. Et Actor. 15. ver. 28. decretum Apostolici synodi hoc verbo describitur, ἔδοξε Spiritui sancto & nobis. Christus igitur cōmunem illam Iudæorum omnium de Scriptura sententiam pro confesso assumit. Existimatis vos vitam æternam in Scripturis habere: est enim verbum vitæ & salutis, Eph. 1. ver. 13. Philip. 2. versic. 16. *Sed illæ sunt quæ testificantur de me.* Scopus enim totius Scripturæ est, deducere nos ad agnitionem & fidem personæ, officij & beneficiorum Christi, vt credentes vitam habeamus in nomine ipsius.

Sed vos, inquit, *non vultis ad me venire, vt vitam habeatis.* Vanus igitur est labor, quem Scripturis impenditis, à vero enim scopo aberratis, & Scripturas contra seipsas, imo contra vos, in perniciem vestram, detorquetis, quando me in Scripturis non quæritis.

Tunc autem Christum in Scripturis quærimus & inuenimus, quando desiderium fidei in nobis excitatur, vt velimus ad Christum venire, & quidem ideo, vt vitam habeamus, sicut hic textus inquit. Quod vero dicit, *Non vultis venire ad me*, notat præconceptum propositū & conceptā contumaciam, quod licet Scriptura Christum monstret, & in eo vitam nobis offerat: illi tamen præsumpserint, se non velle ad Christum venire, nec vitam in Christo velle quærere. Est igitur grauissima accusatio, quod lucem, quę in Scriptura sponte se offert, contumaciter obruant, & sibi præcludant. Et diligentissime notetur, in nulla alia doctrina, in nullis aliis literis vel scriptis, in nullis opinionibus vel tractationibus vitam æternam haberi, nisi in solis sacris literis, vel in Scriptura diuinitus inspirata. Est autem vita æterna in Scripturis, non sicut medicina in pixide est conclusa, nec sicut in Christo vita est essentialiter & formaliter; sed in Scripturis est, vt in medio seu organo, quia dant scientiam salutis, & monstrant viam vitæ in Christo. Et quia per hoc medium Christus vitam suam nobis offert & distribuit, reprehenditur hac sententia, & Iudæi, & omnes alij, qui existimant Scripturam sibi vitam æternam afferre, si eam vel in chartis tantum repositam habeant, gestent, aspectent, vel de collo suspendant. Vult enim, vt eam legamus, nec obiter inspiciamus, sed attenta meditatione scrutemur. Nec vero lectio & scrutatio Scripturæ ex opere operato vitam æternam confert: nec etiam quæuis scrutatio sufficit, quasi idem sit, quicquid scrutando in Scriptura vel quæramus vel inueniamus, neque enim vitam Scriptura affert, si à genuino eius sensu aberremus.

Et genuinus totius Scripturæ scopus est agnitio de persona, officio & beneficiis Christi. Sine Christo vero Scriptura non est Spiritus viuificans, sed litera mortua, imo occidens. Nec vero Scripturæ finis est, vt tantum historice de Christo aliquid sciamus vel disputemus, sed vt ad ipsum veniamus, quod fit fide in vera pœnitentia: & quidem vt ideo ad Christum veniamus, vt in ipso & per ipsum vitam habeamus. Qui enim vitam in Christo non quærit, sed putat se eam aliàs & aliunde habere posse quacunque alia ratione ad Christum veniat, non est idoneus Scripturæ lector.

Hæc igitur sententia continet amplissimam doctrinam de vera & salutari lectione & scrutatione Scripturæ, vt vitam in ea inueniamus: & econtra, tanquam multi sint non idonei lectores & scrutatores Scripturæ, qui scilicet vel Christum in Scriptura non quærunt, vel non ita & eo animo quærunt, nec ex lectione hoc assequuntur, vt velint ad ipsum venire, quod desiderium Spiritus sanctus per verbum Scripturæ efficit. Et illi omnes, licet Scripturam non tantum legant, sed & scrutentur: tamen vitam non habebunt. Hæc possent pluribus amplificari, sed nostrę notationes tantum sunt ὑπομνήματα.

Gloriam ab hominibus non accipio.] Occupatio est, præueniens Iudæorum calumnias, quasi ex ambitione quadam contenderet & quæreret tam magnifica sibi tribui, sicut hactenus in concione ostendit. Et idem est cum eo quod Moses dicit: Quid Dominus Deus tuus quærit, nisi vt bene sit tibi? Planissima igitur erit hæc sententia, si verbum λαμβάνειν exponatur pro captare gloriam, vt sensus sit: Quod voco & vrgeo vos, vt mihi credatis, & ad me veniatis, illud non facio ideo, vt inde mihi gloriolam aliquam apud homines, vel ab hominibus comparem, quasi mea referat, vt apud vos in pre-

vo sim,neque enim gloria mea ex hominum iudiciis pēdet, quasi humanorum iudiciorum malignitas mihi aliquid detrahere possit,nec indigeo hominum gloria,vt per illam crescā & extollar,cum plenus sim diuina gloria, quam à Patre, vt Filius vnigenitus,accepi. Sed doctrinam hanc de persona, officio & beneficiis meis vrgeo non mea, sed vestra causa,vt venientes ad me,vitam æternam habeatis. Ostendit igitur,se hominem maiorem esse,cum inquit,se gloriam suam ab hominibus non accipere:aliàs enim humana gloria est honorifica hominum opinio & sententia de virtute alicuius. Alij hanc sententiam ita superioribus connectunt. Ex his,quę de diuinis Patris de me testimoniis dixi,intelligitis, me gloriam illam,quod sim Messias, Filius Dei, Saluator,non ex hominū iudiciis & sententiis mihi arrogare, sed ex testimoniis æterni Patris accipere.Et tamen vos non recipitis me, quia dilectionem Dei non habetis,sicut in textu sequitur.

Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Ἀγάπη hoc loco non significat eam dilectionem, quæ fidem sequitur,sed quæ fundamentum & fulcrum est fidei. Simpliciter itaque significat talem reuerentiam seu obseruantiam, quæ autoritatem Dei ita suspicit, vt verbo eius humiliter & obedienter se submittat & subiiciat.Ideo autem,quia verbum est. Quando tali obseruantia animus primum imbutus est, tunc sequitur obedientia fidei. Quando vero animus non vere imbutus est illa obseruantia autoritatis verbi Dei, facile obrepit negligentia,contemptus, admittuntur quæuis disputationes, varij quæruntur prætextus ad eludendum verbum,ipsa fides frigida & inconstans est, quando hoc fundamento seu fulcro destituitur.

Circumferebant autem Iudæi,sicut omnes solemus, hanc persuasionem,se Deum vehementer diligere, reuereri & magnifacere: atque ideo reprehensiones Christi non curabant, nec de vera obedientia erga Deum solliciti erant, fascinati illa persuasione dilectionis Dei: prætexebant se ideo, quia Deum diligerent,persequi Christum, vt blasphemum sabbathi violatorem. Respondet igitur Christus:Externa quidem specie & persuasione, os vestrum labiis præ se fert magnam dilectionem Dei, sed ego noui,quod in vobis,hoc est,interim in corde, veram dilectionem Dei in veritate non habeatis.Et in breui illa sententia triplex doctrina proponitur, vtilis & necessaria nobis omnibus,qui externa illa persuasione dilectionis Dei fascinati sumus.

Quis enim nostrûm est, qui vel cogitet vel dicat, se Deum odisse, odium gerere aut inimicitias exercere contra Deum? videri enim volumus,nos Deum amare & magnifacere. Sed Christus ostendit primo,veram dilectionem erga Deum non consistere in externa specie, persuasione aut iactantia,sed vt in nobis sit verus & ardens affectus & motus in corde, à Spiritu sancto accensus.Secundo,externa illa persuasione, specie seu hypocrisi dilectionis plerunque & aliis & nobis ipsis etiam imponimus.Ne vero coram Deo etiam persuasionem & speciem illam quasi sufficiat,afferamus,dicit Christus; Ego vero,qui cor intueor, cognoui, quod dilectionem Dei non habeatis in vobis.Tertio,ex fructibus seu effectis probat, ipsos non habere dilectionem Dei; quia scilicet verbum seu testimonium Dei de Christo respuebant,& Christum, qui in nomine Patris venerat,non recipiebant. Ita enim quod in textu sequitur probatio est eius, quod dixit, Dilectionem Dei non habetis in vobis. Monemur itaque,vt quisque probet se, an dilectionem habeat in se.Qui enim verbum Dei non curat, non magnifacit,non custodit, non habet dilectionem Dei. Nam qui diligit me,sermonem meum seruabit, Ioh.14.vers. 23.Et hoc loco: Qui Christum, qui in nomine Patris venit, non recipit,non habet dilectionem Dei. Ita qui legatos seu ministros Dei spernit, Deum non diligit. Qui fratrem non diligit,nec Deum diligit,1.Ioh.3.versic.10.Et fructus seu testimonium veræ dilectionis est,facere mandata Dei, 1.Iohan.5. versic.2. Cogitemus itaque subinde de nobis insonare hanc vocem Christi: Cognoui vos,quod dilectionem Dei non habeatis in vobis. Et: Qui non diligit,manet in morte.1.Ioh.3. vers.14.

Ego veni in nomine Patris mei,& non recipitis me. Si alius venerit in nomine suo,illū recipietis. Venire *in nomine Patris* est, ab eo missum esse,ex eius mandato, præscripto & voluntate omnia agere,eius gloriam quærere, Deum illum ministerio illi adesse,& per illud efficax esse. *In suo nomine venire* est, non missum esse à Deo, ex priuato vel suo vel aliorum arbitrio, non ex Dei mandato agere, propriam gloriam & vtilitatem quærere. Et hæ ipsæ phrases docent,cum non omni spiritui credendum sit,quod hac nota discernendi sint veri ministri à falsis: An scilicet veniant in nomine Patris,an vero in suo nomine veniāt. Ostēdit autē hac sentētia Christus miserā cæcitatem,deplorandam dementiam & abominandam peruersitatem ingenij humani, In recipiendo Christo & veris eius legatis,vt salui fiamus,sumus negligentes,frigidi,animo alieno, auerso & abhorrente:in consectandis vero falsis prophetis animi ardent, & ad praua dogmata toto impetu feruntur in propriam perniciem. Adeo ad mendacium, quàm ad veritatem in hac naturæ corruptione procliuius est ingenium hominum:sicut Oseæ 7.vers.4. scriptum est,in falsis adulterinis cultibus cor tanquam clibanum succensum esse, cum in veris cultibus glacie frigidiores simus. A pseudoprophetis explicationes & quæuis ludibria pati possunt, cum in veris & fidelibus ministris nihil tolerare velint.2.Cor.11.vers.20.Et hæc notanda sunt. 1. Vt deprauationem & peruersitatem ingenij nostri discamus agnoscere, deplorare & sanationem eius petere. 2. Ne turbetur fidelis minister, quando videt veram & sanam suam doctrinam non ab omnibus, & admodum frigide recipi, cum phanatica dogmata à pluribus auidius & ardentius imbibantur. Idem enim Christus sibi etiam accidisse queritur. 3. Ne κριτήριον veræ & sanę doctrinæ inde solum extruamus,quando doctor aliquis, vel doctrina à pluribus auidius accipitur: vel doctrinam ideo falsam, aut doctorem prauum esse,quando is à paucis & frigidius suscipitur.

Et sententia hæc ita posita est, quod posterius pœna est peccati prioris.Iusto enim Dei iudicio fit, vt,qui Christum à Patre missum non recipiunt, pseudochristos suo nomine venientes recipiant:sicut Paulus inquit. 2. Thess.2. versic.10.& 11. Pro eo,quod dilectionem veritatis non receperunt, mittit illis Deus efficaciam erroris,vt ita iudicentur, qui non crediderunt veritati.Et vaticinium est prædicens Iudæis iudicium Dei,& denuncians pœnam diuinam,ob repudiationē Christi. Quod vero & quomodo eos,qui suo nomine venerunt, Iudæi receperint cum sua pernicie,ostenditur, Act.5.ver.36. Matth.24 ver.24. & apud Iosephum de bello Iudaico. lib. 2. cap 2 & apud Gilatinum lib.4.c.21.

Quomodo vos potestis credere,qui gloriam ab inuicem accipitis,& gloriam, quæ in solo Deo est, non quæritis? Non damnat Christus hoc loco ciuilitatem,qua alius alium honore prosequitur,vel ab alio honore afficitur: scriptum est enim Rom.12 vers. 10. Honore inuicem præuenientes, &. 1.Petri 2.ver.17. Omnes honorate. Sed ambitionem taxat, quæ tantum captat & quærit gloriam hominum, & omnia facit, vt videatur & celebretur ab hominibus, Matt 23.vers.5. & ita captat gloriam humanā,vt quę à solo Deo proficiscitur gloriam non quærat, sicut hoc loco ambitio describitur: quam Christus affirmat non tantum affectus deprauare, verum etiam mentem & iudicium in doctrina religionis fascinare. Cum autem hactenus duriter Iudæos obiurgasset Christus, quod sibi non crederent, iam querelam addit: *Quomodo potestis credere?* Quæritur autem non quidem in genere, quod homo animalis ex suis viribus, siue peculiari illustratione Spiritus sancti non possit accipere ea, quæ sunt Spiritus,1.Cor.2.ver.14.sed quando Christus vera lux illuminans adest, quando Baptista faciem præfert,quando Pater talia opera demonstrat,vt cogantur mirari, conqueritur Christus, quod homines etiam tunc, & quidem qui Scripturas scrutantur, gratiam Dei nolint admittere & recipere,sed eam quæsitis magno conatu prætextibus excludant, reiiciant & excutiant. Causam igitur exponit, cum tanta sit lucis Euangelij charitas, vt sæpe etiam apud inuitos oculis & mentibus se ingerat, & miracula conscientias conuincant,qui fiat,quod tamen non credant. *Quomodo*, inquit, *potestis credere, cum apud homines gloriam captetis?* Illam autem captationem gloriæ apud homines impedire fidem, quominus doctrina CHRISTI recipiatur, dupliciter intelligi posse. Quia enim doctrina CHRISTI arguit vanitatem mentis nostræ,& pronunciat in cognitione rerum diuinarum tenebris obscuratum esse intellectum nostrum, Eph. 4.vers.18. ita vt captiuandæ sint cogitationes nostræ in obsequiū Christi,2.Cor.10.ver.5. Item pronūciat coram Deo totos nos esse contaminatos, imo mortuos peccatis, Ephes. 2.ver.5. ita vt tantum confusio nostra sit, Daniel. 9. versic.7. Homines vero expetunt laudem ingenij,sapientię,acuminis, eruditionis, virtutum & rerum præclare gestarum. Hæc igitur captatio gloriæ impedit ambitiosas ceruices quo minus submittere se possint humili iugo Christi in obsequium eius. Scriptum enim est, 1. Cor. 3. vers.18. Qui sapiens est in hoc seculo, fiat stultus,vt reddatur sapiens. Deus enim mysteria sua à sapientibus huius mundi abscōdit, & reuelat ea paruulis,Matth. 11.vers.25. Item Danielis 9. v.7. Tibi Domine iustitia,nobis autem cōfusio faciei. Exclusa est enim omnis gloriatio,Rom.3.ver.27. Vbi igitur ambitio non potest stultescere,& confusionem seu ignominiam coram Deo induere: ibi fides,qua homo seipsum abnegat,& tantum in Domino gloriatur, locum habere nequit. Deinde potest hæc sententia conuenienter ita etiam exponi.In certaminibus & dissensionibus de religione plerique hoc spectant & student, vt hominum, hoc est maioris & potentioris partis, iudiciis & voluntati-

luntatibus se accommodent & approbent, vt ab illis laudentur, probentur & commendentur: parum autem solliciti sunt, vt Deo placeant, & voluntatem eius in verbo reuelatam approbent, praesertim quando calumniae, despicientia, iniuriae, opprobria & persecutiones apud homines propterea sustinenda sunt. Talis captatio laudis & approbationis humanae, mentem excaecat & iudicium fascinat, vt non possit credere. Et Pharisaeis hoc accidisse Scriptura expresse testatur, vt Iohann.7.versic.47. Num & vos seducti estis? num quis ex principibus credidit in eum? sed execrabilis indocta turba, quae non nouit Legem. Et Ioh.12.versi.42. Multi ex principibus crediderunt (hoc est, non potuerunt negare doctrinam veram esse) sed propter Pharisaeos non confitebantur, ne ex synagoga eiicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Et hoc est quod Luc.16.versic.15. Christus dicit: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, hoc est, Omnes vestras actiones ita instituitis, & eò dirigitis, vt hominum iudicijs & voluntatibus vos accommodetis & approbetis, & humani theatri applausum vobis comparetis. Quia vero Christus asseuerat tales verè credere non posse, ideo in controuersiis religionis, & negotiis fidei vnusquisque diligenter in se inquirat, ne talem fidei & confessioni obicem ponat.

Quicquid enim praetendat aut cogitet, filius Dei pronunciat, *Quomodo vos potestis credere, qui hominum gloriam quaeritis?* sicut multis & veteribus & recentioribus exemplis haec illustrari possent, sed nobis sufficit breui commonefactione fontes doctrinae notasse. Et haec de obstaculis fidei obseruanda sunt, non propter Iudaeos tantùm, sed si eadem in nobis etiam deprehendamus, vt remotione illorum obstaculorum sinamus viam Domino in nobis parari. Monet autem etiam hoc illa sententia Christus: In negotiis fidei, iudicia & approbationes hominum, ex ratione extra verbum iudicantium, non congruere cum iudicio & approbatione Dei, sicut sententiam & voluntatem suam in verbo patefecit. Neque idem esse qualicunque iudicio nos approbemus, etiamsi inter homines alij aliorum sententiam initio probent & confirment, ideo enim dicit ἀλλήλων: sed gloriam seu approbationem solius Dei, in verbo nobis patefactam quaerendam & praeferendam. Nec quaerendam esse conciliationem inter discrepantia illa iudicia Dei & hominum, nec tentandum, vt vtrisque satisfacere possimus: sed gloriam seu approbationem, quae à solo Deo proficiscitur, quaerendam, & hoc agendum, vt solius Dei sententiae, iudicio ac voluntati, sicut in verbo se patefecit, fidem nostram conformemus & approbemus, etiamsi maligna hominum iudicia & condemnationes propterea perferre necesse sit. Non enim qui seipsum, vel quem alij commendant, sed quem Dominus commendat, is demum probatus est, 2.Cor.10.v.vlt. Atque ideo Christus dicit, eos, qui rectè credere volunt, non debere captare gloriam ab hominibus, sed gloriam, quae à solo Deo est, debere quaerere.

Nolite putare, quòd ego accusaturus sim vos apud Patrem: est, qui accusat vos, Moses, in quo vos speratis. Quintum testimonium sumitur ex scriptis Mosis, quorum auctoritas apud Iudaeos omni exceptione maior erat. Sicut autem singulis testimoniis hactenus immiscuit reprehensionem incredulitatis Iudaeorum, ita allegationem testimonij ex Mose incoat, ab eadem accusatione & damnatione. Ratio autem & ordo contextus ita se habet. Maxima erat apud Iudaeos Mosis auctoritas, quam ipsi Christo & doctrinae eius opponebant: ac dicuntur in Mose sperasse. Quando enim accusabantur & terrebantur comminatione poenae diuinae, quod Christum & doctrinam eius non reciperent, referebant, se Mosen habere, eius scripta legere, recipere, & seruare, ac sperare se, hoc satis patrocinij sibi apud Deum futurum. Nos scimus, (inquiunt Iohan.vers. 29.) quod Mosi locutus sit Deus, ideo Mosis discipuli sumus. Ita Mosen, tanquam auctorem & patronum suae religionis, doctrinae, & fidei allegabant. Christum vero habebant, vt aduersarium Mosis, & qui sabbathum solueret, ac hostem gentis & religionis Iudaicae, vnde Samaritanum ipsum vocant, Iohan.8.vers.48. qui nihil aliud faceret, quàm quod perpetuo Iudaeos accusaret & damnaret, quibus accusationibus hanc spem opponebant, quod Mosis scripta recipere & seruare videri volebant. Ad hasce Iudaeorum cogitationes & obiectiones, si verba textus accommodentur, res plana erit. Quod enim Christus dicit: *Ego non accusabo vos apud Patrem, sed Moses*: hoc quidem ita interpretantur: Quia Christus futurus est Iudex, ideo non decere, vt simul & iudicis & accusatoris partes sustineat. Alij huc accommodant doctrinam Pauli, quod Moses sperantes in se, hoc est, confidentes in operibus, non iustificaturus, sed accusaturus & condemnaturus sit. Ipsos enim factores accusat, Galat.3.versi.10. Quotquot ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt; quia perfecta exigitur obedientia. Item, quod Lex sit ministerium accusationis, condemnationis & mortis, Roman.3.versi.19. & 2.Corinth.3.versi.7. Christi vero officium esse, non vt accuset & damnet mundum, sed vt saluetur mundus per eum, Iohann.3.versic.17. & sit aduocatus noster apud Patrem, 1.Iohan.2.versi.1. Ideo perniciose Iudaeos errare, quod in Mose sperent, cùm non sit Lex data, quae possit viuificare, Galat.3.versic.21. & ex operibus Legis non iustificetur vlla caro, Rom.3.versi.20. Nec rectè eos facere, quod Christum vt accusatorem abhorreant, cùm ipse solus sit spes nostra, nec in alio sit salus. Haec vera quidem sunt, & hoc loco argute dicuntur, sed simplicissima sententia est haec, vt dixi: Non putetis me ex ambitione & priuatae vindictae cupiditate, propter contemptum mei, vos accusaturum apud Patrem, neque enim opus erit me accusatore, cuius accusationes vobis contemptibiles sunt: sed me etiam tacente alium multo acriorem & intolerabiliorem habetis accusatorem, ipsum Mosen vestrum, quem tamen incredulitatis & contumaciae erga me vestrae patronum putatis vos habere, sperantes meas reprehensiones & comminationes vobis non nocituras: sed Deo propitio vos nihilominus, etiamsi me respuatis, saluos futuros, ideo quod Mosis doctrinam recipere & seruare videri velitis. Moses enim iamdudum accusat vos, quod scriptis suis non credatis: eò quia mihi, de quo ille scripsit, non creditis. Haec simplicissima est sententia. Christus quidem contemptores & hostes suos accusabit & damnabit, Matth. 25.ver.41. Iohan.3.vers.18. & 12. Quod igitur plus momenti apud ipsos habiturum videbat, denunciat ipsis Mosem accusatorem. Ita negatiuae orationes apud Iohannem saepe non simpliciter negant, sed ex hypothesi & opinione eorum, cum quibus agitur, vt: Verbum non est meum. Non facio meam voluntatem. Qui me recipit, non me, sed Patrem recipit. Ita hoc loco dicit: Ego non accusabo vos, scilicet sicut vos putatis, ex priuato quodam odio vestri, tanquam Samaritanus seu hostis gentis Iudaicae: nec contra Mosen, Mose scilicet vobis patrocinante, vos accusabo. Ipse enim Moses, ideo quod mihi non creditis, vos accusat. Et quia Christi argumentis auctoritatem nihili faciebant, Mosen vero in maxima habebant existimatione, ideo dicit: Non ego contemptus ille Nazarenus, sed ipse Moses vester, cuius auctoritas apud vos tanta est, accusat vos apud Patrem incredulitatis & contumaciae.

Et eadem est figura loquendi ac si ego Pontificio alicui responderem: Non ego, sed ipsi patres, quorum auctoritatem vestris superstitionibus praetenditis, quosque magnifacere videri vultis, vos impietatis & superstitionis accusant. Vel, si iudex diceret: Non ego, sed Lex te accusat, damnat & punit. Item, si Papae diceremus: Non nos te accusamus & damnamus: sed ipse Christus, cuius te vicarium, Petrus, cuius te successorem, Paulus, cuius te gladium gestare iactas, accusant te, quod sis Antichristus. Et tales prosopopoeiae etiam in Scriptura vsitatae sunt: vt, Regina Sabea & viri Niniuitae surgent, & vestri condemnabunt vos, Matt.12.versi. 41.& 42. & Iacobi 5.vers.3. Aerugo argenti dicet testimonium contra vos.

Quodque dicit, ipsos in Mose sperare, non tribuit ipsis hanc superstitionem, quasi fiduciam & spem salutis in Mosis persona, relicto Deo collocassent. Nec verum est, quod Pontificij quidam hinc extorquere conantur, Populum Dei etiam in Veteri Testamento sanctos inuocasse, ipsorumque apud DEVM intercessione, patrocinio & praesidio recte confisos fuisse; Christus enim hoc nequaquam dicit: & ipsi Pontificij de sanctis Veteris Testamenti, cum in limbo fuerint nec Dei visionem habuerint, hoc diserte negant. Sed sicut nomen Mosis in Scriptura vsitate pro Lege, & doctrina Mosis ponitur, vt, Habent Mosen & Prophetas, Lucae 16. versic.29. ita hoc loco sensus est: Speratis, vos Deum habere propitium & vitam aeternam propterea; quia Legem seu doctrinam Mosis iactatis vos recipere & seruare. Doctrina autem huius loci est, ne solo titulo, & inani externa specie professionis verbi Dei & religionis Christianae gloriemur: nisi enim poenitentiam agamus, Euangelio obediamus, & Christum vera fide suscipiamus, omnes Prophetae, Apostoli, & omnes electi testes & accusatores contra nos stabunt in extremo die. Ita enim & Apostoli & electi dicuntur iudicaturi mundum, Matth.19.versic.28. & 1.Corinth. 6.versic.2.

Si enim Mosi crederetis, vtique & mihi crederetis. De me ille enim scripsit. Iudaei fortiter negabant intentatum crimen, quod Mosi non crederent, aut doctrinam ipsius reiicerent. Christus probat illud hoc modo. Qui finem & scopum Mosis seu Legis non recipit, vere accusatur quod Mosi Legi nō credat. Sed Christus est finis Legis, Rom.10.versi.4. & Lex est paedagogus ad Christum, Gal.3.versi.24. Vos igitur, quia me

qui sum Christus, non recipitis, Moses acriter accusabit, quod sibi non credatis. Et notetur doctrina, quod omnes in genere quidem dicūt, se Scripturā recipere, verbo Dei se nō auersari, sed ei credere: vbi vero in specie vel particulariter Scriptura aliquid, quod in nobis non arridet, vel opinionibus & affectibus nostris aduersatur, tradit, ibi resistimus, & tamē generali illa persuasione nobis blādimur, nos nequaquā verbū Dei abiicere, sed Scripturā reuerēter suscipere, magnifacere. Christus vero pnūciat: Si Scripturę crederetis, vtriq; & in specie huic, & huic, quod Scriptura tradit, crederetis. Sed quia hoc non facitis, ideo ipsa Scriptura accusabit vos. De Christo autem Moses testatur tripliciter. 1. Quia præcipiendo ea, quæ carni impossibilia sunt, simul monstrat Christum verum impletorem Legis. 2. Quia omnes ceremoniæ Mosis fuerunt vmbræ & figurę monstrantes & depingentes personam & officium Christi. 3. Quia Moses habet expressa vaticinia de Christo, Gen. 3. ver. 15. 22. ver. 18. 49. v. 10. & præcipue, Deut. 18. v. 15. vbi Moses populum à se ad alium ablegat & deducit: Alium Prophetam vobis suscitabit Dominus. Plura vero testimonia de Christo ex Mose exponuntur in epistola ad Hebræos, in oratione Stephani, Act. 7. v. 2. & sequent. in concione Petri, Act. 3. vers. 22. & seq. in concione Pauli, Act. 13. v. 16. & seq.

Si autem Mosis scriptis non creditis, quomodo meis verbis credetis? Opponit Mosen Christo, & scripta verbis: estque argumentum maiorum & minorum. Et Christus quidem per se & in se Mose maior est, Hebr. 3. vers. 3. imò creaturis omnibus atq; adeo ipsis angelis superior, Hebr. 1. v. 4. sed hoc loco argumētum accommodatur ad opinionem & existimationē Iudæorum. De vtroque enim Christus cum sua doctrina contemptus, suspectus & exosus apud Iudæos habebatur: Mosis vero autoritas sacrosancta & omni exceptione maior apud ipsos habebatur. Inde itaque infert, non mirum esse, quod mihi non credatis, cùm etiam Mosi vestro non credatis, cumque Mosis doctrina literis, tanquam publicis & authenticis tabulis, diuina autoritate consignata & apud vos deposita sit. Quod si ergo publicis illis literis Mosis, quæ authenticæ apud vos sunt, non creditis, sicut ipso facto ostenditur, quomodo meis verbis, quæ vobis suspecta sunt, & quæ nondum talem publicam in Ecclesia autoritatem, sicut Mosis scripta, habent, credetis?

CAPVT XLVII.

CONTINENS HISTORIAM SABBATI SECVNDO PRIMI, HOC EST SEPTIMÆ ET vltimæ diei in secundo festo Paschatis, de discipulis Christi vellentibus & confricantibus spicas: vnde occasio sumitur veræ explicationis doctrinæ de sabbato, Matt. 12. Marc. 2. Luc. 6.

RATIO ORDINIS.

IN Ioanne, post præcedentem historiam, sequitur descriptio miraculi quinque panum, sed quia Iohannes expressam notationem temporis addit, miraculum scilicet illud factum paulo ante tertium festum Paschatis, quod in tempus ministerij Christi incidit, hoc est, interiecto integro ferme anno post præcedentem concionem quinti capitis: Ideo historia sexti capitis Iohannis nec potest nec debet in Harmonia historiæ Euangelicæ continua consequentia collocari, post concionem quinti capitis. Videndum igitur est, quæ historiæ apud reliquos Euangelistas vero ordine ἀκολούθως in Harmonia Euangelica post historiam festi, Iohan. 5. sequi debeant. Et in Matthæo quidem & Marco legimus, historiam de confricatione spicarum, vnde secundum descriptionem Leuit. 23. v. 15. & Deut. 16. ver. 9. de oblatione spicarum, hoc rectè colligitur, historiam illam de euulsis spicis non ante, sed post festum illud Paschatis, quod Iohan. 5. describitur, collocandam esse.

Inde vero nondum satis constat, continuóne post quintum caput Iohannis historia illa spicarum sequi debeat, an vero interponendæ adhuc sint aliæ historiæ? Sed Lucas notatione sabbati secundoprimi ostendit, vltimo die illius festi, quod Iohan. 5. v. 1. describitur, secutam historiam spicarum. Luc. 6. v. 1. sicut in 44. capite Harmoniæ perspicue de sabbato secundo primo ostendimus. Vero igitur ἀκολούθως ordine post quintum caput Iohannis mox collocatur hæc historia de spicis.

Ita iucundum est, ex notationibus Euangelistarum ordinem Harmoniæ Euangelicæ posse colligere & deprehēdere. Eodem modo cum Matthæus historiam illam de spicis longe post præcedentes, interiectis multis aliis, 12. demum capite v. 1. describat, inde non posset certo colligi, quo loco in Harmonia historia illa esset collocanda. Nam indefinita particula vtitur Matthæus, *In illo tempore*, hoc est, quodam tempore. Qua particula ostendit, se in illo loco non seruasse historiam & ordinem temporis. Et Marcus etiam generali particula, quæ non satis certa notatio est ordinis, vtitur in hac historia, cum inquit: *Et factum est*: Sed Lucas notatione Sabbati secundo primi dux & lux ordinis est hoc loco. Et idem volunt etiā Matthæi & Marci verba, si diligenter considerentur. Dicunt enim factum ἐν τοῖς σάββασι, non sabbato, sed sabbatis. Quæ notatio ostendit in magno aliquo festo historiam illam contigisse. Nam in magnis festis, quæ per dies aliquot agebantur, omnes festi illius dies vocabantur sabbata.

Quæ notatio & hanc habet vtilitatem. Molinæus enim & Codumannus, ne cogantur transpositionem aliquam historiarum apud Matthæum facere, multis contendunt, historiam spicarum, quam Marcus & Lucas describunt, non eandem esse cum ea, quam Matthæus describit: quam sentiunt alio tempore, multo post Marci & Lucæ spicas accidisse, cum Matthæus tam longe post multas alias historias eam describit cap. 12. Et colorem aliquem hæc disputatio habet inde, quia diuersorū frumentorum spicæ non simul eodem tempore maturescebant, sicut cap. 44. ex Exod. 9. v. 31. & 32. ostēdimus. Potuissent igitur post spicas, Lucæ. 6. post mensem & amplius aliæ spicæ maturæ in segetibus inueniri, quarum vellicationem Matthæus post Lucæ spicas descripsisset. Sed præterquam, quod circumstantiæ eædem, & quidem verba clamitant, & quasi intento digito ostendunt, eandem & eiusdem temporis historiam describi à Matthæo, Marco & Luca, etiam notatio illa de sabbatis idem euincit. Non enim potest dici, quod in sabbatō aliquo intra Pascha & Pentecosten id, quod Matthæus scribit, acciderit. Nec dici potest, quod in festo Pentecostes contigerit: neque enim scriptum est festum Pentecostes pluribus diebus vel sabbatis constitisse: & in festo Pentecostes non amplius erat tempus spicarum. Sed Messis tunc erat in Palæstina absoluta. Offerebantur enim die Pentecostes panes de nouis frugibus.

Reliquum igitur est, vt in sabbatis festi Paschatis de spicis factum sit, tàm id, quod Matthæus, quàm quod Lucas & Marcus scribunt: cum quidem eadem historia de manu arida sequatur & apud Matthæum, & mensis Paschatis nominetur Abib, à spicis. Historiam igitur illam ex 12. capite Matthæi rectè huc referri, & cum descriptione Marci & Lucæ coniungi manifestum est.

HISTORIA DE EVVLSIS ET CONFRICATIS SPICIS, & disputatio de sabbato.

MATTH. 12.

1. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἐπορεύθη ὁ Ἰησοῦς τοῖς σάββασι διὰ τῶν σπορίμων· οἱ δὲ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπείνασαν, καὶ ἤρ-

1. *In tempore illo ibat Iesus sabbatis per segetes: discipuli verò illius esuriebant, & cœperunt vellere*

ξαντο

ξαντο τίλλειν στάχυας, καὶ ἐσθίειν.

2. Οἱ δὲ φαρισαῖοι ἰδόντες εἶπον αὐτῷ· ἰδοὺ, οἱ μαθηταί σου ποιοῦσιν, ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν σαββάτῳ;

3. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· οὐκ ἀνέγνωτε τί ἐποίησε Δαβὶδ, ὅτε ἐπείνασεν αὐτὸς, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ;

4. Πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔφαγεν, οὓς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, οὐδὲ τοῖς μετ' αὐτοῦ, εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι μόνοις;

5. Ἢ οὐκ ἀνέγνωτε ἐν τῷ νόμῳ, ὅτι τοῖς σάββασιν οἱ ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ τὸ σάββατον βεβηλοῦσι, καὶ ἀναίτιοί εἰσι;

6. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστὶν ὧδε.

7. Εἰ δὲ ἐγνώκειτε τί ἐστιν, ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν, οὐκ ἂν κατεδικάσατε τοὺς ἀναιτίους.

8. Κύριος γάρ ἐστι καὶ τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

spicas & comedere.

2. *At Pharisæi cùm vidissent, dixerunt illi : Ecce, discipuli tui faciunt, quod non licet facere in sabbato?*

3. *Ille verò dixit eis: Non legistis quid fecerit Dauid, cum esuriret ipse, & ei, qui erant cum illo?*

4. *Quomodo ingressus sit in domum Dei, & panes propositionis ederit, quos ipsi non licebat edere, neque iis, qui cum illo erant, nisi sacerdotibus solis?*

5. *Aut non legistis in Lege, quòd sabbatis sacerdotes in templo sabbatum profanant, & crimine vacant?*

6. *Dico autem vobis, quod templo maior est hoc in loco.*

7. *Quòd si sciretis, quid sit, misericordiam volo, & non sacrificium, nequaquam condemnassetis insontes.*

8. *Nam Dominus est & sabbati filius hominis.*

MARC. 2.

23. Καὶ ἐγένετο παραπορεύεσθαι αὐτὸν ἐν τοῖς σάββασι διὰ τῶν σπορίμων, καὶ ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες τοὺς στάχυας.

24. Καὶ οἱ φαρισαῖοι ἔλεγον αὐτῷ· ἴδε, τί ποιοῦσιν ἐν τοῖς σάββασιν, ὃ οὐκ ἔξεστι;

25. Καὶ αὐτὸς ἔλεγεν αὐτοῖς· οὐδέποτε ἀνέγνωτε, τί ἐποίησε Δαβὶδ, ὅτε χρείαν ἔσχε, καὶ ἐπείνασεν αὐτὸς, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ;

26. Πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, ἐπὶ Ἀβιαθὰρ τοῦ ἀρχιερέως, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔφαγεν, οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι· καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι;

27. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, οὐχ ὁ ἄνθρωπος διὰ τὸ σάββατον.

28. Ὥστε κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου.

23. *Et accidit, vt transiret sabbatis per segetes, & cœperunt discipuli eius inter viam vellere spicas.*

24. *Et Pharisæi dicebant ei : Ecce, cur faciunt sabbatis, quod non licet?*

25. *Et ipse ait illis : Nunquam legistis, quid fecerit Dauid, cùm egeret & esuriret ipse, & qui cum eo erant?*

26. *Quomodo ingressus sit in domum Dei, sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis comederit, quos non licet edere, nisi sacerdotibus? & dederit etiam iis qui secum erant?*

27. *Et dicebat illis : Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum.*

28. *Itaque Dominus est filius hominis etiam sabbati.*

LVC. 6.

1. Ἐγένετο δὲ ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ διαπορεύεσθαι αὐτὸν διὰ τῶν σπορίμων, καὶ ἔτιλλον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τοὺς στάχυας, καὶ ἤσθιον, ψώχοντες ταῖς χερσί.

2. Τινὲς δὲ τῶν Φαρισαίων εἶπον αὐτοῖς· τί ποιεῖτε ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν τοῖς σάββασι;

3. Καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς, εἶπεν ὁ Ἰησοῦς· οὐδὲ τοῦτο ἀνέγνωτε, ὃ ἐποίησε Δαβὶδ, ὁπότε ἐπείνασεν αὐτὸς, καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ ὄντες;

4. Ὡς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔλαβε, καὶ ἔφαγε, καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς μετ' αὐτοῦ, οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν, εἰ μὴ μόνους τοὺς ἱερεῖς;

5. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, ὅτι κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου.

1. *Accidit autem vt in sabbato secundo primo transiret per sata, ac vellebant discipuli eius spicas, edebantque confricantes manibus.*

2. *Quidam autem Pharisæorum dicebant illi : Quid facitis, quod non licet facere in sabbatis?*

3. *Et respondens Iesus ad eos, dixit: Ne hoc quidem legistis, quod fecit Dauid, cùm esurisset ipse, & qui cum illo erant?*

4. *Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, editque ac dedit etiam his, qui secum erant, quos non licet edere, nisi tantum sacerdotibus?*

5. *Et dicebat illis : Quod dominus est filius hominis & sabbati.*

HARMONIA HISTORIÆ, DE EVVLSIS ET CONFRICATIS SPICIS: VNDE ORTA FVIT disputatio de Sabbato: ex descriptionibus Matth. 12. Marc. 2. & Lucæ 6. in vnum corpus coagmentata.

h καὶ ἐγένετο, a ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, c ἐν τοῖς σάββασι [τοῦτ' ἔστι] c ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ l ἐπορεύθη ὁ Ἰησοῦς διὰ τῶν σπορίμων. a οἱ δὲ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπείνασαν, b καὶ ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὁδὸν ποιεῖν, καὶ l τίλλειν τοὺς στάχυας, f καὶ ἐσθίειν, c ψώχοντες ταῖς χερσί. Τινὲς δὲ τῶν φαρισαίων εἶπον αὐτοῖς· τί ποιεῖτε ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν τοῖς σάββασι, c καὶ οἱ φαρισαῖοι a ἰδόντες e εἶπον αὐτῷ· ἰδοὺ, b τί a οἱ μαθηταί σου e ποιοῦσιν b ἐν τοῖς σάββασι, l ὃ οὐκ ἔξεστι a ποιεῖν ἐν σαββάτῳ, c καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτούς. l εἶπεν αὐτοῖς c ὁ Ἰησοῦς· οὐδέποτε c οὐδὲ τοῦτο l ἀνέγνωτε, τί ἐποίησε Δαβὶδ, b ὅτε χρείαν ἔσχε, l καὶ ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ, πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ

h *Et factum est* a *in illo tempore,* e *vt sabbatis (hoc est)* c *in sabbato secundo primo,* l *Iesus transiret per segetes.* a *Discipuli verò illius esuriebant,* b *& cœperunt discipuli eius inter viam* l *vellere spicas* f *& comedere* c *confricantes manibus. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis : Quid facitis, quod non licet facere in sabbatis?* e *Et Pharisæi* a *cùm vidissent* e *dicebant ei: Ecce,* b *quid* a *discipuli tui* e *faciunt* b *in sabbatis,* l *quod non licet* a *facere in sabbato?* c *Et respondens Iesus ad eos,* l *dixit eis:* b *Nunquam* c *ne hoc quidem* l *legistis, quid fecerit Dauid,* b *cùm opus haberet* l *& esuriret, ipse & qui cum eo erant? quomodo ingressus sit*

Θεοῦ, b ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως, l καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως c ἔλαβε καὶ ἔφαγε, b καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι, l οὓς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, οὐδὲ τοῖς μετ' αὐτοῦ, l εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι μόνοις; a Ἢ οὐκ ἀνέγνωτε ἐν τῷ νόμῳ, ὅτι τοῖς σάββασιν οἱ ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ τὸ σάββατον βεβηλοῦσι, καὶ ἀναίτιοί εἰσι; Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστὶν ὧδε. εἰ δὲ ἐγνώκειτε τί ἐστιν, ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν, οὐκ ἂν κατεδικάσατε τοὺς ἀναιτίους. b καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· b τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, οὐχ ὁ ἄνθρωπος διὰ τὸ σάββατον. ὥστε l κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου.

in domum Dei, b *sub Abiathar, principe sacerdotum*, l *& panes propositionis* c *sumpserit* l *ederitque*, b *& dederit etiam iis, qui secum erant*, l *quos non licebat ipsi edere, neque iis, qui cum illo erant*, l *nisi solis sacerdotibus tantum?* a *Aut non legistis in lege, quod sabbatis sacerdotes in templo sabbatum profanant, & crimine vacant? Dico autem vobis, quod templo maior est hoc loco. Quod si sciretis, quid sit, Misericordiam volo, & non sacrificium, nequaquam condemnassetis insontes.* b *Et dicebat eis:* b *Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Itaque* l *dominus est filius hominis etiam sabbati.*

Periocha huius historiæ.

MATTHÆVS & Marcus dicunt factum *sabbatis*, hoc est, quodam die sabbatorum, quæ in magno festo concurrunt & coincidunt. Lucas vero diem illum nominat *sabbatum secundoprimum*, hoc est, septimum & vltimum diem Paschatis, sicut cap. 44. ostendimus. Illo sabbato dicunt: *Iesum ambulasse cum discipulis per segetes.* Et dies quidem postrema in magnis festis ęque sancta & celebris erat, sicut prima: aliquantulum tamen itineris facere, non erat cōtra traditiones Pharisæorum. Inde orta est appellatio itineris sabbati, Act. 1. v. 12. Iudico autem, traditionem de itinere sabbati inde sumptam esse. Exod. 16. v. 29. prohibetur, ne quis sabbato egrediatur extrà castra, ad profana præsertim negotia. Sicut Esaias inquit cap. 58. v. 13. Si auerteris à sabbato pedem tuum. Ad tabernaculum vero, tēplum & synagogas licebat ire. Sic Christus accessit ad synagogas; sic Apostoli Actorum. 16. v. 13. extra ciuitatem sabbato ad locum orationis concesserunt. Certum igitur est, fuisse iter aliquod, quod cum sabbati sanctificatione non pugnabat, illud vocatum fuisse iter sabbati, & certa mensura cœpit definiri. Quia enim Num. 2. castrametatio ita describitur: quòd in medio situm fuit tabernaculum. in circuitu verò tabernaculi castrametabantur, primò. 22273. Leuitæ, & postea ex aliis tribubus. 630559. Iam vero illis etiam, qui in extremitate castrorum erant, sabbatis ad tabernaculum, in medio situm, accedendum erat. Facta igitur supputatione, iudicatum fuit, extremitatem castrorum à terbernaculo distitam fuisse per mille passus, & hanc statuerunt mensuram esse itineris sabbati. Tantum enim spatium fuit, per quod sabbatis ab extremitate castrorum ad tabernaculum iter facere licebat. Alij numerant duo passuum millia. Sed Bethania Iohannis cap. 11. versic. 18. dicitur per 15. stadia distare à Ierusalem: & mons Olìueti, qui in medio itinere inter Ierusalem & Bethaniam situs erat, dicitur Act. 1. v. 12. itinere sabbati distare à Hierosolymis. Ideo sententia de mille passibus verisimilior est. Et hæc est causa, quod Pharisæi in hac historia ipsam profectionem Christi in sabbato illo celeberrimo non reprehēdunt. Mirum autem videri possit, quod ipso sabbato secundoprimo, qui dies celeberrimus & sanctissimus erat, Iesus quasi neglectis sacris iter fecerit, & quidem quod Pharisæi quidam idem fecerint: vel igitur sensus erit, quod illo itinere in Vrbem ad templum redierit. Nam sicut scribitur Iohann. 8. vers. 1. & 2. Luc. 21. vers. 37. solitus fuit Iesus interdiu in templo docere, noctu vero egredi ad montem Olìueti, vt altera die manè rediret ad templum. Et hæc topographia cum itinere sabbati conuenit. Mōs enim Oliuarum distabat itinere sabbati à Hierosolymis, & reduntibus transeundum fuit per segetes. Vel si ex fame discipulorum colligitur, non fuisse tum tempus matutinum, sensus erit, quod peractis in templo, quæ sabbato illo secundoprimo agenda erāt, Christus cum discipulis suis, non sumpto prius prandio, Hierosolymis à templo discesserit: ideo quia Iudæi quærebant ipsum occidere, Iohan. cap. 5. vers. 18. Et ipse quidem Iesus, manè rediens ex Bethania, esuriit, Marc. 1. vers. 12. In hac vero discipulorum fame casum necessitatis allegat, qui tempore matutino locum non habuisset. Et hæc circumstantia, si ita accipiatur, aliquid docebit, iuxta veterum annotationes. Potuisset enim Christus vel prandium cum discipulis sumere, priusquam iter ingrederetur, vel miraculosè ipsos saturare, sicut postea fecit, Matth. 14. vers. 19. & 16. vers. 9. sed voluit ipsos præparare ad futuras persecutiones. Ipso enim sabbato secundoprimo celeberrimo, quia Iudæi meditabantur persecutionem, coguntur cum Christo fugere, ita vt nec prandium prius sumere, nec cibos necessarios aut secum ferre, aut alibi præparatos inuenire possint: sed necessitate vrgente, confricatis in itinere obuiis spicis famem sedare coguntur, cum quidem ipsum filium Dei in comitatu, imo ducem itineris habeant. Si hæc sententia recipitur, colligi inde potest, vnde factum fuerit, quod Pharisæi quidam in hoc itinere ipsi adsint. Quia enim primo die Paschatis prætextum accusationis de profanatione sabbati, eò quod sanatus mandato Christi lectulum gestarat, inuenerant; iam, cum vident vltima die Paschatis ipsum iter ingredi, Hierosolymitani, qui ipsum Ioh. 5. vers. 18. quærebant occidere, subornarunt Pharisæos quosdam, vt comitatui ipsius se adiungerent, si fortè vltima die Paschatis, quæ & ipsa sabbatum sanctissimum erat, possent non in aliis, sed in ipso Iesu captare, quod maiorem speciem ad capitalem accusationem de violatione sabbati præbere posset. Id quod inde confirmatur, quod mox postea cum Herodianis consilium ineunt de perdendo Iesu, Marc. 3. v. 6. Atque ideo Christus aduersariis insidiantibus exemplo voluit ostendere libertatem in ceremonialibus, & occasionem præbere ad disputationem de vera sanctificatione sabbati, & quibus in rebus sita esset sabbati religio.

Discipuli igitur, cùm iter esset per segetes, & esurirent, cœperunt non confidentes, sed *inter eundum* sicut Marcus inquit, *spicas vellere*, & manibus eas confricantes, grana manducare. Oblatis enim altera die Paschæ spicarum primitiis, licebat spicas præparare, & grana manducare, sicut suprà capitul. 44. dictum est. Et Lex Deuteronom. capite vigesimo tertio, versu vltimo, etiam in alieno agro hoc permittebat. Si intraueris segetem proximi tui, decerpes spicas, & manu conteres, falce autem non metes. Et plane ita hoc loco faciunt discipuli Christi, sicut Lex loquitur. Τίλλειν autem potest significare vellicationem spicarum, vel euellendo, sicut Esdræ 9. v. 3. de euulsione crinium vsurpatur: vel decerpendo, sicut Moses loquitur Deut. 23. v. vlt. Nam & Græci de floribus è corona decerptis vtuntur verbo τίλλειν. Hæc duo igitur, & quòd spicas decerptas confricant, & quod in alieno agro id faciunt, Pharisæi per se reprehendere non possunt: quod vero non in simplici sabbato, sed in sabbato secundo primo hoc fiat, id vero seriò reprehendunt. Non autem contra Legem seruile opus aut magni laboris erat, inter eundum spicas aliquot decerpere, & grana, quæ leni frictioni ex folliculis excidunt, ori admouere: sed ex traditionib. multa talia adhuc hodie sabbatis Iudæis prohibita sunt, vt pomum assare, allium decordicare, in cythara ludere, &c. Atque ita ingenium hypocritarum ostenditur, quod de externis leuiculis rebus superstitiosè pugnant, cùm, quæ grauiora Legis sunt, securè negligant. Matth. 23. v. 23. Quod si ad hypocrisin externæ sanctimoniæ accedat maleuolentia, liuor & odium personæ, ex indifferentibus sæpe capitalia conflantur crimina, vt hoc locō. In hoc verò casu Pharisæi non tantum traditiones, verumetiam verba Legis pro se habere videbantur. Nam Exod. 16. v. 23. Deus inquit: Sextâ die quicquid pinsendum erit, pinsite: quicquid coquendum, coquite: Cras enim requies sabbati sancta est Domino. Pharisæi igitur existimantes, se habere illam, propter quam subornati erant, occasionem, primùm aggrediuntur ipsos discipulos, sicut Lucas inquit: *Quid, vel cur facitis, quod non licet facere sabbatis?* Quia vero hac accusatione non principaliter discipulos, sed ipsum Christum petebant, mox vertunt se ad illum: *Vide quid discipuli tui faciunt, quod non licet facere in sabbato:* Hoc est, ex discipulis tuis deprehendi potest, quid tu & sentias & doceas de sanctificatione sabbati. Vides enim eos facere, quod sabbatis non licet, & tamen nō reprehendis illos. Ita cōciliatur diuersitas, quod Lucas scribit, Pharisæos hæc dixisse ad discipulos, Matthæus vero & Marcus ad ipsum Christū. Augustinus putat ita posse hæc cōciliari: quia ad discipulos ita loquebātur, vt obliquè Christum ipsum peterent & perstringerent. Idem igitur esse, quod discipulis dicunt, sicut Lucas scribit, ac si ad Christum ipsum, sicut Matthæus & Marcus recitāt, hæc verba dicta essēt. Sed simpliciter est con-

est conciliatio,si intelligantur Pharisei vtrumque dixisse, primò ad discipulos, postea ad ipsum Christum.Et hanc rationē in Harmonia secuti sumus. Christus igitur,sumpta occasione ex hac accusatione,factum discipulorum ita defendit,vt multis argumentis vanas Iudęorū superstitiones de sabbato taxet & refutet,& veram sententiam præcepti de sanctificatione sabbati ostendat. Illam itaque argumenta ordine expendenda sunt. Multum enim doctrinæ continent, quæ rectius conspici poterunt, si argumenta sigillatim euoluantur.

Primum sumitur ab exemplo Dauidis.Sed illud exemplum nihil habet de sabbato, sed loquitur de panibus propositionis(qui dicuntur panes facierum & propositionis;quia ponebantur ante faciem Domini,hoc est,ante sanctum sanctorum & propitiatorium,in quo Deus specialem præsentiam sui exhibebat.) Quomodo igitur illud exemplum accommodatur ad accusandum hoc factum discipulorum? Respondeo:Christus à Genere argumentatur ad Speciem. Et vicissim à Specie huius facti transit ad Genus:& vult generalem doctrinam tradere de omnibus ceremonialibus. Et est argumentum, quasi à maiori. Sabbatum enim in ipsa Lege varias habebat dispensationes:sed Leui.24. v. 9. Dominus solis Sacerdotibus concedit ius manducandi panes propositionis,& ex consequenti reliquis vsum eorum interdicit. Et additur ratio: Quia sanctum sanctorū est de sacrificiis Domini, iure perpetuo, quasi indispensabili. Cùm vero Dauid à Saule fugeret, in necessitate constitutus, panes illos comedit, & quidem in loco sancto, in ipsa domo Domini, quod iuxta legem ceremonialem ipsi non licebat. Et obseruetur, quam multa argumenta simul comprehendantur. Dauid ille,qui extra controuersiā sanctus vobis est, hoc fecit: & summus Sacerdos factum hoc Dauidis non tantum non improbauit,& damnauit, sed ipse Dauidi panes propositionis præbuit, cùm necessitatem eius videret, & alios panes ad manum non haberet. Et fecerunt hoc tam Pontifex quàm Dauid, non quasi contra Legem & Dei voluntatē peccantes;sed quod scirent,se recte ex sententia Legis facere. Scriptura enim factum illud nō reprehendit:sed Psal. 52. Spiritus S. illud in sectatione Doëg celebrat. Et ne Saul quidem factum illud,tanquam transgressionem Legis, ausus fuit prætexere immani sacerdotum cædi. Ergo Deus leges ceremoniales ita sanxit, etiam quando addit(iure perpetuo) vt necessitati cedant, quæ facit, vt illa licita fiant,quę per Legem ceremonialem aliàs non licerent. Obseruetur autem discrimen in Legibus moralibus,quæ vniuersales & æternæ sunt,& nulla necessitas, nullum periculum facit,vt violatio earum sit licita.

In ceremonialibus vero hoc fieri posse, Scriptura exemplo Dauidis ostendit. Quod discrimen Pharisæi inuerterāt,vt propter ceremonialia violarent moralia. Christus vero quando inquit: Dauid edebat, quod ipsi non licebat,tacitè opponit Legem ceremonialem & Legem caritatis tanquam superiorem & inferiorem. Iuxta Legem itaq; ceremonialem Dauidi hoc non licebat, sed iuxta caritatis Legem in casu necessitatis licebat. Item lex ceremonialis prohibebat summo Pōtifici, ne panes propositionis plebeis communicaret:Lex verò caritatis in casu necessitatis aliud iubebat.Quia igitur Lex ceremonialis, vt inferior, cedere debet legi caritatis vt superiori, & Dauid rectè fecit, & Pontifex intellexit, se in hoc casu debere ita facere. Quod igitur textus habet: *Nunquam, vel ne hoc quidem legistis?* sensus est: Tam rigide de facto hoc discipulorum meorum iudicatis, ac si nūquam Dauidis exemplum in Scripturis legissetis: si legistis, qui fit, quod discipulos meos condemnatis, & in alio facto Dauidem laudatis? Pharisæis enim gloriantibus de scientia Scripturæ,semper obiicit ignorantiam eius, vt sensus sit huius loci: Apparet, vos non tantum ministeria Prophetarum, sed ne historicas quidem narrationes in Scriptura cum vero intellectu legere.

Ideo apud Lucam dicit: *Nunquam ne hoc quidem legistis?* Et mox de Prophetæ dicto addit:*Si sciretis,quid hoc sit,&c.* Extruit igitur Christus ex illo Dauidis exemplo regulam generalem de ceremoniis, quæ deinde seipsam ad sabbatum eius accommodat. Diligenter autem obseruanda est hæc regula, magnum enim habet vsum in multis disputationibus. Accommodationem vero Christus insinuat in illis verbis, cum inquit: *Et dedit etiam iis, qui secum erant.* Augustinus existimat ideo in vno exemplo factum summi Sacerdotis, Regis, & qui cum ipso erant,comprehēsum esse; quia Christus erat Sacerdos & Rex: vt propter ipsum discipuli meritò excusentur, sicut famuli propter Dauidem. Sed generalis est doctrina,non Dauidem tantùm, vt sanctum Regem & Prophetam Domini, licitè edisse panes propositionis, quasi personale fuisset priuilegium,sed & famulos, qui cum ipso erant, non peccasse manducando in casu necessitatis illud, quod per Legem ceremonialem non licebat. Et casus necessitatis in hac historia conuenit cum exemplo Dauidis. Is enim fugiebat Saulem.Christus vero cum discipulis fugit Iudæos,qui ipsum volebant occidere.

Porrò quod Christus mentionem facit puerorum,qui cum Dauide fuerunt, videtur pugnare cum eo, quod 1.Reg.21.ver. 1.scriptum est:Dauidem solum venisse ad Sacerdotem. Quidam igitur intelligunt, Dauidem solum dici, quia non habuerit amplum pro dignitate regia comitatum, sed pueros tantùm.Sed textus 1.Reg.21.ver.1.expresse dicit:Quare tu solus,& nullus tecum est? Ipse igitur textus præbet explicationem, quod scilicet Dauid solus accessit Pontificem. Addit autem: Pueris meis condixi in certum locum. Cumque Pontifex quæreret, An multi sint famuli illi Dauidis, rectè intelligitur, Dauidem, qui solus aduenerat, petiisse & sumpsisse panes propositionis,non pro se tantùm,sed & pro pueris suis,quos in alio loco latitantes secum habebat, vt ad illos deferret panes illos. Ita narratio 1. Regum cap. 21. & allegatio Christi pulcre consentiunt. Et peculiare argumentum est,cùm mandatum Dei iuberet panes propositionis comedere in loco sancto,quod Pontifex illis dederit Dauidi deferendos ad famulos,in alio loco latitantes. Quod vero Abiathar nominatur, cum Achimelech tunc fuit summus Sacerdos,1.Reg.22.Thophylactus dicit, Achimelechum fuisse Sacerdotem, qui tunc ministrarit in domo Domini, Abiatharem vero fuisse summum Sacerdotem.Sed manifeste constat, Achimelechum fuisse summum Sacerdotem. Alij igitur ita conciliant,quod Abiathar filius vna cum patre Abimelecho functus fuerit summo Sacerdotio. Sed Scriptura vnum summum Pontificem per totum vitæ suæ tempus ponit. Vel igitur est ἐναλλαγή, vt pro Achimelech scriptum sit Abiathar:vel filium potius nominauit,quàm patrem;quia illius etiam consensu & consilio dati sunt Dauidi panes propositionis Et cum pater Achimelech mox post illud factum cum tota sua domo à Saule trucidaretur, solus Abiathar euasit, & quia Ephod secum tulerat,fidus socius Dauidi in exilio,& factus successor patris in summo Sacerdotio,princeps Sacerdotum omnibus diebus Dauid vsque ad Salomonem, 3.Reg.2. ver.26.Quia igitur mentio Abiatharis in rebus & historia Dauidis celebrior & notior erat,vt qui omnibus diebus Dauidis fuerat Pontifex,ideo eius nomen existimant positum. Et nè quis diceret, Deum trucidatione Achimelech ostendisse factum illud sibi displicere, Christus nominat Abiathar,qui idē fecit cum patre,& tamen mirabiliter à Deo seruatus est,& ad summum Sacerdotium exaltatus toto tempore regni Dauidis mansit. Ostendit igitur Deus & reprehensione cædis Achimelech,Psalm.52.& conseruatione Abiathar, se factum illud non improbare. Sed quia phrasis illa, sub Abiathare Principe Sacerdotum,omnino hoc velle videtur, Abiatharem tunc fuisse summum Sacerdotem, cùm hæc contingerent, alij colligunt Achimelechum fuisse binominem, & dictum etiam nomine filij sui Abiathar. Nam 2.Reg.8.versic.17. & 1. Par 18 versi.16. dicuntur in diebus Dauidis summi Sacerdotes fuisse Sadoch & Achimelech:sed 1. Par.15. v.11. Principes Sacerdotum in diebus Dauidis scribuntur fuisse Sadoch & Abiathar.

Secundum argumentum sumptum est ab exemplo Sacerdotum in ipso templo, & probat non tantum in casu necessitatis dispensationem posse fieri in sabbato, & in reliquiis ceremonialibus, sed ostendit mentem & voluntatem Legis non esse, quasi quoduis opus seu quæuis operatio simpliciter cum sanctificatione sabbati pugnet. Sacerdotes enim singulis sabbatis & in celeberrimis festis multa operabantur, & quidem in ipso templo, quæ iuxta Pharisaicas regulas & interpretationes simpliciter essent profanatio sabbati:imo quæ per se & ex suo genere violarent sabbatum. Nam Leuit. 6. ver.12.Sacerdos sicut singulis diebus,ita etiam sabbatis mane subiicit ligna, ad nutriendum ignem in Altari:cum tamen Exod.35.ver.3.prohibitum sit ignem accendere.Item Leuit.24. ver.8.& 1.Reg.21.ver.6.singulis sabbatis remouebantur panes propositionis veteres & reponebantur panes calidi. Legantur præterea, quæ scripta sunt de sacrificiis sabbati & solemnitatum,Num.28.ver.9. & 29.v.8.& seq.His addantur operationes, quæ ad præparandas & immolandas victimas requiruntur:Leuit.1.& sequentib.capitib. Hęc exempla Christus ita accommodat ad explicationem doctrinæ de sabbato. Sacerdotes qui multa talia in templo sabbatis & in festis operātur, non accusantur profanationis sabbati, sed sunt ἀναίτιοι. Non enim in casu dispensationis, sed Lege iubente hæc faciunt: & si has operationes sabbatis non exercerent, tunc omnino peccarent contra tertium præceptum: & cessatio ab huiusmodi operib.vere esset profanatio sabbati.Ergo nō simpliciter quæuis cessatio est sanctificatio sabbati, nec simpliciter quæuis operatio est profanatio sabbati.Quod igitur Christus in textu dicit: *Sacerdotes in ipso templo sabbatum profanant*, lo-

quitur ex hypothesi Pharisæorum. Si vestra opinio vera esset, tunc sequeretur, sacerdotes in ipso templo profanare sabbatum. Sed addit: Illi opera, ratione officij à Deo ipsis iniuncti, sabbatis in ipso templo facientes, sunt *αἰτιοι*, immunes à crimine & accusatione. Ergo non quævis operatio, quomodocunque facta, profanat sabbatum. Ex hoc igitur fundamento Christus extruit veram explicationem præcepti de sanctificatione sabbati. Posito enim hoc genere, ex illo ipso fundamento addi potest distinctio, quæ sint opera, quibus profanetur sanctificatio sabbati, & quæ sint, cum quibus sanctificatio sabbati non pugnet, imò, quæ opera ad ipsam sanctificationem sabbati requirantur. Deus enim mandat, vt homines sabbatis requiescant à suis operibus. Item, Omne opus seruile non facietis, inquit. Ergo operari opera Dei, ea agnoscere & celebrare. Item, opera, quæ pertinent ad ministerium & ad totum cultum Dei, vtriusque tabulæ, non sunt prohibita. Imo in illis consistit vera sanctificatio sabbati, id quod exemplum Sacerdotum ostendit, non tantùm cum sacrificiis, verumetiam quia infantes die sabbati circumcidunt, Ioh. 7. v. 22. Item sabbatis iter faciunt ad templum seu synagogam, cùm aliæ profectiones tum prohibitæ sint, Exod. 16. v. 29. Atque inde manifestum est, illis tantum operibus, tanquam prohibitis, profanari sabbatum, quæ cum exercitiis ministerij & cultus sabbati pugnant, aut quæ ea impediunt. Eodem modo intelligitur etiam requiri requiem seu cessationem à turbis reliquorum negotiorum, vt homines illis exercitiis seu operibus, quæ ad sanctificationem sabbati pertinent, toti vacare possint. Hæc est pulcerrima monstratio fundamentorum de sanctificatione sabbati. Plenior autem explicatio, quã Christus hoc loco cogitandam relinquit, extat Esa. 58. v. 3. & sequentibus, quæ huc referri poterit.

Quia vero obiicere poterant Pharisæi, templum sanctificare illas sacerdotum operationes, ne pugnent cum sanctificatione sabbati: ideo non trahendum inde esse exemplum, vt simile fiat à quibusuis personis, & in quibusuis locis. Respondet Christus: *Dico vobis, quòd templum maior est in hoc loco.* Vetus translatio habet, *Hic*: quod non Pronome, sed Aduerbium loci est. Græce enim est *ὧδε*. Si legatur in Masculino *μείζων*, simpliciter opponitur Christus cum sua sanctitate templo materiali, & sanctitati eius ceremoniali; vt ipse fortius excusare possit discipulos, quàm templum Sacerdotes. Si enim Sacerdotum operationes ideo excusantur, quia illi ministerio templi & cultui Dei ratione vocationis & officij seruiunt: Ergo multo magis discipuli, qui ad meum ministerium, qui maior sum templo, vtpote dominus, abrogaturus ceremonias templi, vocati sunt, excusandi erunt. Et quia factum sacerdotum comparat cum facto hoc discipulorum, ostendit igitur eos, qui cibum seu necessaria corpori parant & sumunt, vt commodius Christo & Euangelio seruiant, (sicut discipuli spicas vellebant, vt eò expeditius in fame Christum comitarentur) facere opus non minus Deo gratum, quàm Leuitica sacrificia erant. Sed Græca exemplaria pleraque legunt in Neutro, *μεῖζον, maius templo*, quod & ipsum potest ad personam Christi referri; sicut in hoc ipso. 12. capite, v. 41. & 42. Matthæi hic ponitur: Ecce *πλεῖον*, plus quàm Ionas & Salomon hic est. Alij Neutrum genus illud interpretatur, agi hoc loco de salute & vita hominis, quæ maius seu pluris sit apud Deum, ne fame pereat, quàm templum cum suis sacrificiis. Alij censent ministerium discipulorum, ad quod vocati erant, vt maius & præstantius, opponi vmbratili ministerio sacerdotum. Quidam cẽsent, templum spirituale, quod nulli certo loco alligatum est, opponi templo Hierosolymitano, sicut Ioh. 4. v. 21. Christus inquit: Non adorabunt in hoc monte, nec Hierosolymis, &. 1. Tim. 1. v. 8. In omni loco eleuate manus. Est spirituale templum maius Leuitico, & est in omnibus locis. Ergo quod sabbatis licet in templo Hierosolymitano, hoc multo magis licet in omnibus locis, vbi spirituale templum est

Tertium argumentum, quod sumptum est ex Oseæ 6. capite, v. 6. non loquitur in specie de sabbato, sed in genere ostendit finem, vsum & rationem omnium ceremoniarum, & taxat abusum illum, qui vniuersalis est omnibus temporibus. Ibi enim Deus scientiam Dei seu agnitionem, & misericordiam erga proximum, seu beneficentiam, hoc est, cultus primæ & secundæ tabulæ, confert cum sacrificiis & holocaustis: hoc est, cum toto externo Leuitico cultu, & pronunciat, se illos cultus pluris facere, quàm omnes ceremonias, & ceremonias debere cultibus illis cedere. Imo quia dicit: Beneficentiã volo & non sacrificium, ostendit se ceremonias per se non morari, nec requirere, nisi ita vsurpentur, vt sint commonefactiones, incitamenta, adminicula & retinacula cultuum primæ & secundæ tabulæ. Quando verò homines vel pluris faciũt ceremonias, quàm cultus in Decalogo præscriptos: vel quando neglectis & posthabitis illis cultibus, in nuda ceremoniarum obseruatione, extra verum finem, summam pietatis constituunt, tunc Deus apud Oseam c. 6. versic. 5. inquit: Propter hoc dolaui in Prophetis, & occidi in verbis oris mei, vt iudicia tua, quasi lux egrederentur: ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum. Hunc locum Christus apposite à Genere de omnibus ceremoniis transfert ad speciem præsentis disputationis de sabbato, idque propter duas causas. 1. Vt ostendat veterem esse illam hypocrisin Pharisæorum, reprehensam olim & damnatam à Prophetis. 2. Vt ostendat non tantùm in sabbato, verumetiam in toto externo cultu, multas hęrere superstitiosas opiniones in doctrina Pharisæorum. Manifesta igitur est huius sententiæ & doctrina & accommodatio ad præsentem disputationem. Ita autem proponit hoc argumentum, vt simul acriter taxet imperitiam veri sensus & intellectus Scripturæ in Scribis & Pharisæis, qui tamen à lectione & interpretatione Scripturæ nomen suum habebant, cùm inquit: Si cognouissetis vel intellexissetis, quid sit illud Oseæ, aliter sentiretis & pronunciaretis.

Quartum argumentum solus Marcus habet, sicut secundum & tertium à solo Matthæo annotatum est. *Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum.* Hoc argumentum sumptum est ex fundamentis institutionis sabbati. Homo enim conditus fuit ante institutionem sabbati. Ergo non homo propter sabbatum, sed sabbatum propter hominem, hoc est, in vsum, vtilitatem & commodum hominis institutum est. Duobus autem modis propter hominem institutum est sabbatum. 1. quo ad corpus, Deut. 5. v. 14. Vt requiescat seruus tuus, & ancilla tua, & tu.. Memento quod seruieris in Ægypto, ex quibus oneribus liberauit vos Dominus. 2. quo ad spiritualem ædificationem animæ, Exod. 31. v. 13. & Ezech. 20. v. 12. Dedi eis Sabbata mea, vt essent signum inter me & eos, & scirent quia ego Dominus sanctificans eos. Et Genes. 2. ver. 2. Sanctificauit sabbatum, hoc est, deputauit illud homini ad cultum diuinum exercendum. Hoc fudamentum Christus pulcre opponit accusationibus Pharisæorum: Vos malletis propter sanctificationem sabbati discipulos meos esurientes fame potius affligi, quàm spicas aliquot ipsos decerpere. Item: Malletis hominem perire, quàm sabbatis sanari. Atqui hoc directè pugnat cum institutione sabbati, Deuter. 5. versic. 14. Sabbatum propter hominem, &c. Sensus igitur est, nec cum noxa, nec cum exitio hominis exigendam externam obseruationem sabbati. Et sicut exemplo Dauidis antea ostendit, propter hominis necessitatẽ debere cessare Legem sabbati: ita iam propter hominis cõmodum vel vtilitatem debere fieri indicat. Neque enim fame periissent discipuli, si vsque ad vesperam inediam tolerassent. Sed quia fames vrgebat, & res ita ferebat, vt ad manum esset vnde paruulo labore cibum pararent, quo sanctificatio sabbati non impediebatur, nec ministerium turbatur: mane enim fuerant in templo, & iam, vt commodius Christum comitarentur, spicas confricatas edunt. Hoc Christus ita defendit, vt simul ostendat, extra casum contemptus publici ministerij, & turbationis cultus sabbati propter ocium externum sabbati, hominem ne leui quidem incommodo afficiẽdum. Idem enim opus, ex contemptu præcepti diuini, cum impedimento ministerij & cultus sabbato factum, impietas fuisset, Num. 15. v. 35. Atque ita ad præsentem casum fundamẽtum illud institutionis sabbati accommodatur. Idem vero etiam ad alios casus accommodari potest in aliis historiis: vt, Vos mauultis ea opera, quæ ad spiritualem animæ ædificationem pertinent, sabbatis intermitti, quàm externum ocium sabbati violari. Aliam vero esse rationem institutionis sabbati, propter spiritualem scilicet ædificationem hominis, ostendit Deus, Ezech. 20. v. 12. Atque hinc generalis sumitur regula: Omnes ceremonias debere seruire vel externæ hominum vtilitati, vel debere vtiles esse ad ædificationem spiritualem. Quando vero extra vel contra hos fines, homo seruituti ceremoniarum subiicitur, illud manifesta est deprauatio ceremoniarum, contra mentem & voluntatem legislatoris.

Quintum argumentum, sicut & primum, communiter à tribus Euangelistis recitatur, *Dominus est filius hominis & sabbati.* Sed Lucas illud ponit absolutè, vt non dependeat ex superioribus, hoc modo: *Et dicebat illis, quòd filius hominis dominus sit sabbati.* Matthæus illatiue illud annectit, probans discipulorum innocentiam hoc modo: *Non damnassetis innocentes, nam Dominus est sabbati filius hominis.* Marcus verò infert illud ex præcedenti: Sabbatum factum est propter hominem. *Itaque Dominus est filius hominis & sabbati.* Ob quam illationem Marci, quidam hanc sententiam exponunt in genere, de omnibus hominibus, quod quiuis filius hominis sit, nõ seruus, sed dominus ceremoniarum & sabbati. Sed simplicior est explicatio, vt postremum, præcipuum & fortissimum argumentum, quo discipulorum factum defendit, si sumptũ à potestate &

[illegible]ctoritate Messiæ, qui vulgo filius hominis appellaba-[illegible] additur coniunctio, *Est Dominus & sabbati*, insi-[illegible], vel iuxta Marci connexionem, cum Messias sit [illegible] hominum & eorum, quæ ad hominum vtilitatem [illegible]em pertinent, quod ideo Dominus sit etiam sabbati, [illegible] propter hominis vtilitatem & sanctificationem ordina-[illegible] est. vel iuxta Matthæi illationem, cùm Messias sit Domi-[illegible] sacrificiorum, omnium ceremoniarum, & totius Legis, qu[illegible] ideo etiam sabbati Dominus sit, qui pro sua auctorita-te, sicut alias ceremonias legales, ita etiam sabbatum mode-rari possit. Atque ideo non esse violationem sabbati, quando vel ipse operatur aliquid, vel alios iubet aut permittit aliquid operari, cùm eius officium sit, atque ideo in hunc mundum venerit, vt credentes à seruitute Legis & à necessitate cere-moniarum redemptos in veram libertatem vindicet. Atque inde & hoc modo ipsi etiam credentes in Christo sunt non serui, sed domini & ceremoniarum & sabbati. Simul au-tem hac sententia ostendere voluit Christus, Legem cere-monialem de sabbato non esse perpetuam & immutabilem; sed Prophetas prædixisse, fore, vt aduentu Messiæ abrogare-tur. Ille enim Dominus est sabbati. Id quod postea factum esse, Paulus ostendit, Coloss. capite 2. versiculo 16. & 17. Ex hi-sce argumentis extrui potest integra methodus doctrinæ seu explicationis de sanctificatione sabbati; imo de omnibus ce-remoniis, & de toto externo cultu. In nullo verò Scripturæ loco fundamenta doctrinæ de sabbato simul ita collecta extant, sicut in hac historia, quæ ideo diligentius obseruanda est. Et Euangelistæ, expositis semel fundamentis, in re-liquis de sabbato disputationibus breuiores erunt.

CAPVT XLVIII.

CONTINENS HISTORIAM ALTERIVS SABBATI: IN QVO PROPTER SANATAM MANVM aridam iterum orta fuit concertatio, de sanctificatione & violatione sabbati, Matth. 12. Marc. 3. Luc. 6.

RATIO ORDINIS CIRCVMSTANTIARVM.

QVOD hæc historia in ordine Harmoniæ proxime post præcedentem sit subiungenda, de eo nulla potest esse dubitatio. Euangelistæ enim omnes in eo consentiunt. Et quod ad rationem locorum attinet, certum est, non Hierosolymis, sed in Galilæa historiam hanc factam. Non enim templum, sed synagogam ingressus scribitur. Et mox mentio fiet Herodianorum. Nec dubium est, in ditione Herodis Galilçã fuisse. Quod vero ad tempus attinet, Matthæi descriptio ita generalis est, quasi eodem sabbato, quo prius, etiam hoc contigerit. Sed Marcus particula πάλιν *rursus* vel iterum, alio tempore hoc factum esse subindicat. Lucas vero expressam addit notationem: factum esse ἐν ἑτέρῳ, *in alio quodam sabbato*. An vero fuerit sabbatum, quod proxime post festum Paschatis, vel post sabbatum secundo primum secutum est, non potest certò statui. Ratione quidem itineris fieri hoc potuisset, Lucas vero non dicit in proximo sabbato, sed ἐν ἑτέρῳ *in alio quodam sabbato*. Nec vero repugnantia aliqua est: quod Matthæus scribit, Pharisæos interrogasse Dominum, apud Marcum vero & Lucam legitur, Dominum interrogasse Pharisæos. Ita enim iuxta Augustinum disponendæ sunt circumstantiæ historiæ, quod Pharisæi iuxta Matthæum prius interrogarint Dominum: Is vero, cum cogitationes ipsorum, occasionem criminandi quærentium, intelligeret, in medio constituerit sanandum, & vicissim quæstionem proposuerit, quam Marcus & Lucas describunt: quæstionem quæstione soluens. Tunc vero ipsis tacentibus, Dominum proposuisse similitudinem de oue, & quæ sequuntur, sicut in Harmonia patebit.

HISTORIA DE SANATA MANV arida in sabbato.

MATTH. 12.

9. Καὶ μεταβὰς ἐκεῖθεν, ἦλθεν εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν.
9. *At progressus illinc, venit in synagogam illorum.*

10. Καὶ ἰδοὺ ἄνθρωπος ἦν τὴν χεῖρα ἔχων ξηράν, καὶ ἐπηρώτησαν αὐτόν, λέγοντες· εἰ ἔξεστι τοῖς σάββασι θεραπεύειν; ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ.
10. *Et ecce homo erat manum habens aridam, & interrogabant illum, dicentes: Licet ne sabbatis curare? vt accusarent eum.*

11. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· τίς ἔσται ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, ὃς ἕξει πρόβατον ἕν, καὶ ἐὰν ἐμπέσῃ τοῦτο τοῖς σάββασιν εἰς βόθυνον, οὐχὶ κρατήσει αὐτό, καὶ ἐγερεῖ;
11. *At ille dixit eis: Quis erit ex vobis homo, qui habet ouem vnam, & si ea inciderit sabbatis in foueam, nonne apprehendet eam & eriget?*

12. Πόσῳ οὖν διαφέρει ἄνθρωπος προβάτου; ὥστε ἔξεστι τοῖς σάββασι καλῶς ποιεῖν.
12. *Quantò igitur præstantior est homo oue? Licet igitur sabbatis beneficio afficere.*

13. Τότε λέγει τῷ ἀνθρώπῳ· ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου. καὶ ἐξέτεινε, καὶ ἀποκατεστάθη ὑγιὴς, ὡς ἡ ἄλλη.
13. *Tunc dicit homini: Extende manum tuam. Et is extendit, ac restituta est sanitati, sicut altera.*

MARC. 3.

1. Καὶ εἰσῆλθε πάλιν εἰς τὴν συναγωγήν, καὶ ἦν ἐκεῖ ἄνθρωπος ἐξηραμμένην ἔχων τὴν χεῖρα.
1. *Et intrauit iterum in synagogam, & erat ibi homo arefactam habens manum.*

2. Καὶ παρετήρουν αὐτόν, εἰ τοῖς σάββασι θεραπεύσει αὐτόν; ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ.
2. *Et obseruabant eum, an sabbatis sanaturus esset eum? vt accusarent illum.*

3. Καὶ λέγει τῷ ἀνθρώπῳ τῷ ἐξηραμμένην ἔχοντι τὴν χεῖρα, ἔγειραι εἰς τὸ μέσον.
3. *Et ait homini habenti manum arefactam: Surge in medium.*

4. Καὶ λέγει αὐτοῖς· ἔξεστι τοῖς σάββασιν ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σῶσαι, ἢ ἀποκτεῖναι; οἱ δὲ ἐσιώπων.
4. *Et dicit illis: vtrum licet sabbatis benefacere, an malefacere? animam seruare, an occidere? Ipsi vero silebant.*

5. Καὶ περιβλεψάμενος αὐτοὺς μετ' ὀργῆς, συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν, λέγει τῷ ἀνθρώπῳ· ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου. καὶ ἐξέτεινε, καὶ ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς, ὡς ἡ ἄλλη.
5. *Et cum circumspexisset eos cum iracundia, condolescens super cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illius sana, vt altera.*

6. Ἐγένετο δὲ καὶ ἐν ἑτέρῳ σαββάτῳ εἰσελθεῖν αὐτὸν εἰς τὴν συναγωγὴν, καὶ διδάσκειν. καὶ ἦν ἐκεῖ ἄνθρωπος, καὶ ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἡ δεξιὰ ἦν ξηρά.

7. Παρετήρουν δὲ αὐτὸν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι, εἰ ἐν τῷ σαββάτῳ θεραπεύσει αὐτὸν, ἵνα εὕρωσι κατηγορίαν κατ' αὐτοῦ.

8. Αὐτὸς δὲ ᾔδει τοὺς διαλογισμοὺς αὐτῶν, καὶ εἶπε τῷ ἀνθρώπῳ, τῷ ξηρὰν ἔχοντι τὴν χεῖρα, ἔγειρε, καὶ στῆθι εἰς τὸ μέσον. ὁ δὲ ἀναστὰς ἔστη.

9. Εἶπεν δὲ ὁ Ἰησοῦς πρὸς αὐτοὺς, ἐπερωτήσω ὑμᾶς τι· ἔξεστι τοῖς σάββασιν ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σῶσαι, ἢ ἀπολέσαι;

10. Καὶ περιβλεψάμενος πάντας αὐτοὺς, εἶπε τῷ ἀνθρώπῳ· ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου. ὁ δὲ ἐποίησεν οὕτω, καὶ ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς, ὡς ἡ ἄλλη.

6. *Factum est autem & in alio sabbato, vt intraret in synagogam, ac doceret. Et erat ibi homo: & manus eius dextra erat arida.*

7. *Obseruabant autem eum Scribæ ac Pharisæi, an in sabbato sanaturus esset eum, vt inuenirent vnde accusarent eum.*

8. *Ipse verò sciebat cogitationes eorum, & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medio. Ille verò surgens stetit.*

9. *Ait igitur ad illos Iesus, Interrogabo vos aliquid: Licet sabbatis benefacere, an malefacere? animam seruare, an perdere?*

10. *Et circumspectis omnibus illis, dicit homini: Extende manum tuam. Ille autem fecit, & restituta est manus eius sana, sicut altera.*

HARMONIA HISTORIÆ, DE MANV ARIDA IN Sabbato sanata, ex descriptionibus, Matth. 12. Marc. 3. & Luc. 6. in vnum corpus coagmentata.

a Καὶ μεταβὰς ἐκεῖθεν, ἦλθεν εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν. c Ἐγένετο γὰρ καὶ ἐν ἑτέρῳ σαββάτῳ, εἰσελθεῖν αὐτὸν εἰς τὴν συναγωγὴν, καὶ διδάσκειν. καὶ a ἰδοὺ, l ἦν ἐκεῖ ἄνθρωπος, e τὴν χεῖρα ἔχων a ξηρὰν (ἢ) b ἐξηραμμένην. c ἡ χεὶρ (γὰρ) αὐτοῦ ἡ δεξιὰ ἦν ξηρά. h Καὶ παρετήρουν αὐτὸν c οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι, h εἰ τοῖς σάββασι θεραπεύσει b αὐτὸν, c ἵνα εὕρωσι κατηγορίαν κατ' αὐτοῦ, (γὰρ) b ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ. a Καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν, λέγοντες· εἰ ἔξεστι τοῖς σάββασι θεραπεύειν; ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ. c αὐτὸς δὲ ᾔδει τοὺς διαλογισμοὺς αὐτῶν, b καὶ λέγει τῷ ἀνθρώπῳ τῷ ξηρὰν (ἢ) ἐξηραμμένην ἔχοντι τὴν χεῖρα, ἔγειραι, c καὶ στῆθι h εἰς τὸ μέσον. c ὁ δὲ ἀναστὰς ἔστη. h Εἶπεν ὁ Ἰησοῦς οὖν πρὸς αὐτούς· c ἐπερωτήσω ὑμᾶς τι· h ἔξεστι τοῖς σάββασιν ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σῶσαι, ἢ c ἀπολέσαι b καὶ ἀποκτεῖναι; οἱ δὲ ἐσιώπων. a Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· τίς ἔσται ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, ὃς ἕξει πρόβατον ἓν, καὶ ἐὰν ἐμπέσῃ τοῦτο τοῖς σάββασιν εἰς βόθυνον, οὐχὶ κρατήσει αὐτὸ καὶ ἐγερεῖ; h πόσῳ οὖν διαφέρει ἄνθρωπος προβάτου; ὥστε ἔξεστι τοῖς σάββασι καλῶς ποιεῖν. h Καὶ περιβλεψάμενος c πάντας αὐτοὺς, b μετ' ὀργῆς, συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν. a Τότε l λέγει τῷ ἀνθρώπῳ· ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου. c ὁ δὲ ἐποίησεν οὕτω, e καὶ ἐξέτεινε. l καὶ ἀποκατεστάθη h ἡ χεὶρ αὐτοῦ l ὑγιὴς, ὡς ἡ ἄλλη.

a *Et progressus illinc, venit in synagogam illorum:* c *factum est enim & in alio sabbato, vt intraret ipse iterum in synagogam, ac doceret. Et* a *ecce,* l *erat ibi homo* e *manum habens* a *aridam (siue)* b *arefactam: (nam)* c *manus eius dextra erat arida.* h *Et obseruabant eum* c *Scribæ & Pharisæi,* h *an in sabbato sanaturus esset* b *eũ?* c *vt inuenirent accusationem aduersus ipsum,* b *& accusarent eum.* a *Et interrogabant illum dicentes: Licet ne in sabbatis curare? vt accusarent eum.* c *Ipse verò sciebat cogitationes eorum,* h *& ait homini habenti aridam seu arefactam manum: Surge,* c *& sta* h *in medium.* c *Ille verò surgens stetit.* h *Et dixit ad illos Iesus:* c *Interrogabo vos aliquid:* h *Licet sabbatis benefacere, an malefacere? animam seruare, an* c *perdere* b *& occidere? At illi tacebant.* a *Ipse vero dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habebit ouem vnam, & si ea inciderit sabbatis in foueam, nonne apprehendet eam & eriget? Quanto igitur præstantior est homo oue? Licet igitur sabbathis beneficio afficere.* h *Et cum circumspexisset* c *omnes illos,* b *cum iracundia, condolescens super cæcitate cordis ipsorum,* a *tunc* l *dicit homini: Extende manum tuam.* c *Ille autem fecit* e *& extendit* l *& restituta est* h *manus eius sana sicut altera.*

Periocha huius historiæ.

ORdo historiæ ita se habet. Pharisæi obseruatores, qui se Iesu Hierosolymis discedenti adiunxerant, non discesserunt ab eo, intenti in omnes captandi occasiones. Et Iesus non subduxit se ab illis obseruatoribus, abdens se in latebras: sed tunc maxime indicauit & voce & facto edendam confessionem. Ideo in altero sabbato iterum intrauit, non in vulgarem synagogam, vbi vulgus tantùm conuenerat: sed sicut Matthæus inquit, *In synagogam ipsorum*, Scribarum scilicet & Pharisæorum, qui obseruabant Iesum. Et ibi tunc non tantùm, sicut aliàs fecit, auditor fuit: sed *docuit*, inquit Lucas, & post doctrinam edidit miraculum in ipsa synagoga. Et ordo historiæ inde intelligi potest. In conuentibus sabbatorum ordine hæc agebantur. Primum erat lectio Mosis & Prophetarum, Actor. 15. ver. 21. Luc. 4. v. 16. Secundum sermo exhortationis, Act. 13. ver. 15. & 1. Corinth. 14. ver. 31. Tertium orationes, hymni, Psalmi, Actor. 2. ver. 42. & 47. id quod & Psalmi indicant, quorum titulus est pro sabbato. Quartum in templo addebantur sacrificia. Quintum fiebant collectæ pro pauperibus. Exod. 23. ver. 11. Leuit. 23. ver. 22. Num 28. Act. 2. ver. 24. vocatur *κοινωνία*. Cùm igitur in illo sabbato Iesus in synagoga docuisset, sicut Lucas annotauit, & reliqua ad sabbatum pertinentia peracta essent, pauperum cœpit haberi ratio. Et verisimile est, Iesum à cathedra docentium progressum ad locum, vbi pauperes in angulo stabant. Mox enim iubetur in medium progredi. Erat autem inter pauperes ibi in synogoga habens *manum aridam*. Lucas dicit dextram fuisse, vt, cùm labore victũ quærere nõ posset, iure inter pauperes reputatus fuerit. Vocatur autẽ manus *ξηρὰ*, sicut & Iohan. 5. ver. 3. quidam vocantur *ξηροί*. Suidas simpliciter interpretatur *ξηρὸς ὁ ἰσχνός*. gracilis, extenuatus. Ita hoc loco idẽ esset quod nos dicimus. *Ben einem ein Glied schwvindet.* Varinus dicit, Hypocratem gangrænam vocare *ξηροσαπεδόνα*. aridam putrefactionem. Marcus vtitur participio. *Habens manum ἐξηραμμένην*. Et Græci interpretes in historia Ieroboam, 3. Reg. 13. ver. 4. eodem verbo vtuntur. Et cuius historiæ collatione aliquid potest colligi, quid hoc loco sit manus arida. Manus enim Ieroboam, quam extenderat, ita exaruit, vt non posset eam retrahere ad se. Et cùm restitueretur, dicit historia: Reuersa est manus regis ad eum. In Hebræo est verbum יבש quod de herba, de ramo, de gramine vsurpatur, quando humore & vigore exarescunt. Et per Metaphoram ita dicuntur ossa ex tristitia arefieri, Prouerb. 17. v. 22. & Psal. 22. v. 16. Exaruit tanquam testa robur meum. Significatur igitur hoc loco manus eneruata seu manca, cuius nerui vim natiuam amiserunt. Hieronymus ex Euangelio Nazaræorum citat, hominem hunc cementarium fuisse, & his verbis compellasse Iesum. Cementarius eram, manibus victum quæritans: precor te Iesu, vt mihi restituas sanitatem, ne turpiter

piter mendicem cibos. Sed nos Eangelistarum certa narratione contenti simus. Cùm igitur reliquis in synagoga peractis, Iesus ad locum pauperum in synagoga accederet, inter quos hic miser erat, Scribæ & Pharisæi, quia viderant, quid his iam continue ipsis videntibus in sabbatis Iesus fecisset, Iohan.5.versic.6. & Luc.6.versic.6. non dubitabant, idem ipsum etiam in hoc misero homine facturum. [*Obseruabant igitur ipsum*] non vt bonitatem & potentiam eius agnoscerent & admirarentur: sed sicut Euangelistæ scribunt, vt possent accusationem violati sabbati contra ipsum, vt contra Legis hostem, & Mosi contrarium, publice instituere, si sabbato in ipsa synagoga sanaret, vbi magna populi frequentia congregata aderat: vnde plausibiliorem speciem accusationi prætendere posse videbantur. Ita Marcus & Lucas scribunt de Pharisæis obseruantibus. Matthæi vero descriptio hunc ordinem historiæ indicat. Cum obseruatores illi viderent, Iesum non statim aliquid tentare in sanatione huius hominis, non potuerunt se continere, quin in verba erumperent, proposita Christo hac quæstione: *An liceret sabbatis curare?* Proposuerunt autem illam quæstionem, non disputandi aut discendi gratia: sed quia paulo ante dixerat, se esse Dominum sabbati, vt hac quæstione ipsum lacesserent ad edendum miraculum, ne, si forte sanationem illam tunc intermitteret, occasio accusationis elaberetur: præcipue vero, vt maiori inuidia ipsum prægrauare possent, si non tantum facto solueret sabbatum, idque in ipsa synagoga, verum etiam si respondendo ad quæstionem publice in synagogis homines doceret violationem sabbati. Existimant autem Iesum hac quæstione constrictum teneri. Si enim dicat licere, habere quam quærunt accusationem: si respondeat. Non licere, obiicient quod dixerat, filium hominis esse Dominum sabbati, ac propterea discipulos vellendis spicis peccasse. Est autem exemplum, quod animus praua doctrina infectus, malitia, inuidia, fastu & odio præoccupatus, nec vere discere, nec recte iudicare possit, sed in omnes occasiones intentus sit, tantum vt ea, etiam quæ optima sunt, qualis est hæc sanatio, calumniis deformet & deprauet. Habemus præterea in hac historia egregiam doctrinam, propter scandalum aduersariorum acceptam, non esse omittenda ea, quæ recta, vtilia & salutaria sunt, siue sit doctrina, siue sit erroris refutatio, siue exemplum libertatis. Imo post traditam doctrinam, & post exploratam aduersariorum contumaciam, tunc potissimum & voce & facto edendam confessionem, quando veritatis aduersarij obseruant, & oblique exigunt confessionem, sicut Pharisæi hac quæstione. Tria enim exempla huius libertatis seu confessionis Iesus continue in breui tempore edidit, cum animaduerteret se obseruari, 1. Iohan.5.v.6. in Paschate. 2. in sabbato secundo primo. 3. in hac historia.

Iesus igitur cum cogitationes illorum, qui quæstionem hanc proponebant, sicut Lucas scribit, sciret, non directe ipsis respondit, sed ait misero illi homini: Surge, & procede in medium synagogæ. Idque adeò factum est, vt omnes qui in synagoga erant, attenti redderentur ad secuturum miraculum, vel sicut Chrysostomus inquit, vt calamitas huius hominis omnibus ob oculos poneretur, vtque Pharisæi hoc tristi spectaculo, à tam iniquo iudicio ad misericordiam flecterentur. Stante autem misero illo in medio synagogæ & populi, Iesus quæstionem ipsorum opposita alia quæstione retundit & soluit, sicut vsitatum est, ad captiosam quæstionem sæpe non directe respondere, sed opposita alia planiore quæstione ostendere, ipso vel aduersarij silentio vel confessione, quid respondendum sit.

Quæstionem igitur Iesus aliter, quàm à Pharisæis proposita fuerat, formauit hoc modo: Calamitatem miseri huius hominis videtis, & nemo est vestrum, qui non iudicaret bonum opus esse, si quis manum eius aridam posset sanitati restituere, hoc tantum in dubium vocatur. An sabbato hoc liceat facere? Interrogabo igitur vos, *Vtrum sabbatis licet benefacere, an malefacere?* Insinuans tàm conuenire sabbato benefacere, quàm non conuenire malefacere. Verba vero, ἀγαθοποιῆσαι & κακοποιῆσαι, non simpliciter significant opus aliquod, quod in se bonum vel malum est facere, sed sunt quasi Transitiua, sicut Prodesse & Nocere. Ita posterius vsurpatur à Græcis, Leuitic.5.versic.4. 1.Reg.26.v.21. Gen.31.vers.6. Prius ita vsurpatur, Numer.10.vers.32. Iud.17.vers.13. Sensus igitur quæstionis est: An liceat sabbatis proximum vel beneficio vel iniuria afficere? Et plenioris explicationis gratia additur: An liceat animam, hoc est, vitam hominis, si possis, sabbatis seruare? an verò negligendo eam perdere, atque ita hominem occidere? sicut Marcus inquit. Et videtur Christus quæstionem illam formasse ex Esaiæ cap.58.vers.3 & seq. qui locus si huc conferatur, tota disputatio planior erit. Ibi enim Deus inquit: Si quis sabbato debita repetat, litiget, contendat, pugno percutiat, non iudicatur violatio sabbati: sed si quis proximo, opere aliquo caritatis benefaciat sabbatis, statim est profanatio. Pharisæi verò ad hanc Domini quæstionem tacebant. Non enim audebant dicere, Deum iussisse quidem aliàs benefacere, sed in sabbato hoc prohibuisse. Videbant enim ex bimembri Christi quæstione consecuturum: Ergone male facere licet sabbatis? Neque audent dicere, sabbatis nec bene nec male esse faciendum. Cùm igitur non possent dicere, quod sabbatis liceret male facere, nec vellent concedere, quod liceret benefacere, tacuerunt. Et exemplum est Pharisaicæ malitiæ, quæ etiam cum veritate ita constricta est, vt contradicere non possit, sed tacere cogatur: non tamen vel veritati cedit, vel animum calumniandi, dissentiendi & repugnandi deponit.

Dignum verò est peculiari obseruatione, quod in necessitate proximi non est medium statuendum inter benefacere & malefacere.

Est enim Theologicum principium: Non benefacere, cùm data occasione possis, & necessitate exigente debeas, idem esse ac male facere. Atque ideo Christus tantùm bimembrem facit diuisionem: vel benefacere, vel malefacere. Omissio enim beneficentiæ refertur ad malefacta, præsertim vbi periculum est in omissione. Notetur autem ordo historiæ. Post illam enim quæstionem cum Pharisæi tacerent, sicut Marcus & Lucas scribunt, sequuntur ea, quæ Matthæus habet. Tacentibus igitur illis, ipse ait eis: *Quis ex vobis homo qui habet ouem, &c.* Et obseruetur, cum sententiæ Christi parum auctoritatis apud Pharisæos haberent, quod responsionem mutuatur non à praua impiorum consuetudine, sed à more, quem à maioribus acceptum omnes, vt licitum & pium, vsurpabant. Atque ita ex eo, quod confessum tunc vsitatumque apud omnes erat, concludit etiam ipsorum, licet taceant, testimonio, licere sabbatis beneficia præstare, si illis operibus non impediantur ea, quæ ad ministerium & ad cultum Dei ratione sabbati pertinent. Si enim cui ouis incidat in foueam, nemo certe ex vobis, inquit, religione sabbati absterrebitur, quo minus labore manuum eam apprehendat, & ita erigat, subleuet seu extrahat. Illud enim hoc loco significat ἐγείρειν. Et qui hoc facit die sabbati, non iudicatur ideo reus violati sabbati, Luc.13.15. Christus vtitur hoc exemplo, Sabbatis, post peracta ea quæ ad ministerium & cultum sabbati pertinent, quisque vestrum soluit bouem & asinum à præsepi, & ducit aquatum. Et quia hac aquatione necessaria opera ministerij & cultus sabbati non impediuntur, iudicatis & vos licite & recte hoc fieri. Cumque extra omnem controuersiam homo oue, asino & boue multo præstantior sit: Beneficia ergo conferre proximo, præsertim si ministerium & cultus sabbati non impediatur vel interrumpatur, etiam iuxta vestram consuetudinem, non pugnat cum sanctificatione sabbati.

Subest verò in illa Antithesi ouis & hominis etiam illa notatio, quod ouem prolapsam subleuent proprij commodi gratia: Ipse verò ex meræ caritatis & misericordiæ affectu hominem sanet. Et illa exempla Christus ideo allegat; quia reliquiæ sunt, ex antiqua Patrum consuetudine, monstrantes quid ipsi de operibus sabbato vel prohibitis vel licitis senserint: & non dubium est, consuetudinem hanc inde ortam fuisse; quia in tertio præcepto expresse fit mentio bouis & asini. Et ex hac vere antiqua consuetudine, quam etiam Christus ipse approbat, recte colligitur hæc regula: Opera beneficentiæ, quæ exhibentur vel hominibus, vel iumentis, si illis non impediatur, vel interrumpatur ministerium & cultus sabbati, non esse prohibita sabbatis. Et dignum est obseruatione, quod Iudæi antiquam illam patrum consuetudinem, quæ tempore Christi adhuc vsitata & probata fuit, postea aboleuerunt. Nunc enim contrariam habent traditionem quod sabbatis non liceat ouem, imo ne hominem quidem, si vel in cloacam ceciderit, extrahere, sicut Munsterus annotauit. Ita impietas in peius semper proficit.

Cum vero hoc exemplum Christus adduxisset, & videret ipsos plane nihil moueri, *circumspexit omnes illos, qui in synagoga erant, cum iracundia quadam.* Opposuerat enim miserum illum hominem & ouem collapsam, & de oue erigenda die sabbati nullam mouent disputationem, quia ad priuatum commodum hoc pertinet, ne ouis pereat. Et Lucæ 14.vers.5. inquit: Bouem statim extrahitis, hoc est, non curatis, etiamsi sit interrumpendum ministerium sabbati. De homine vero restituendo, etiamsi id sine chirurgica operatione fiat, & quidem ita, vt nec impediatur, nec interrumpatur ministerium sabbati, meditantur capitalem accusationem, partim quia proximum non curant, partim inuidia & odio Christi hoc faciunt. Christus igitur cum iracundia ipsos non tantum aspexit: sed circumducto ad omnes, qui in synagoga aderant, vultu circumspexit, an quisquam esset, qui à Pharisæorum hypocrisi, miseria manci tangeretur. Et quia iracundiæ in

circumspiciendo fit mentio, sine dubio Euangelista simul indicare voluit, etiam seueriora signa indignationis in vultu Christi. Pulcerrima autem est descriptio, quam solus Marcus hoc loco habet, iracundiam Christi mixtam fuisse cum indolentia seu commiseratione, super duritiem cordis. Quod enim inquit, συλλυπούμενος, præpositio σὺν ostendit, illud referendum esse ad circumspectionem cum iracundia, cui mixta fuerit condolentia.

Et valde pulcra est descriptio, quando Mediatorem & Pontificem nostrum contumacia & duritie cordis nostri iustam iram prouocamus, quod in ipsa iustissima ira simul doleat, & contristetur, de contumaci nostra duritie: quia recordatur, qualem creaturam condiderit, quam redemerit, quam sanctificarit. Vere igitur multo magis, & verius quam pastor de oue, pater de filio pertinaci, anxius & sollicitus est de nobis, etiam quando irascitur. Irascens quidem ob duritiem, sed simul dolens de perditione. Hæc bene meditata multa monent, ne abutamur mansuetudine irascentis Christi, nec desperemus, si ipsum iratum senserimus. Et hinc colligitur Christum ab affectibus humanis, vt ira, dolore, seu tristitia non fuisse alienum. Et quia Christus fuit sine peccato: affectus igitur illi per se non sunt vitiosi, nisi accedat ἀταξία, hoc est, irregularitas vel excessus. Habemus autem exemplar in Christo, quales futuri fuissent affectus in natura integra. Et simul ostenditur, quo temperamento moderandus sit verus zelus, vt scilicet zelus & oriatur ex condolentia, hoc est, ex amore iustitiæ & veritatis, vtque in zelo mixto sit iracundia cum condolentia, hoc est, vt ita non proprie contra homines, sed contra impietatem hominum excandescamus, vt simul ipsis hominibus vere condoleamus, hoc est, tristemur, anxij & solliciti simus de ipsorum impietate, duritie & secutura inde perditione. Ita ergo peccantibus ex zelo Dei & virtutis irascamur, vt simul affectu caritatis & misericordiæ condoleamus, ira commota contra vitium, condolentia vero erga homines. Vocat autem πώρωσιν cordis; vetus interpres reddidit cæcitatem cordis. Græci enim interpretes oculis hoc vocabulum tribuunt, Iob.17.vers.7. Proprie autem significat Græcis callosam concretionem, instar tophi, vt in articulis podagricorum, quæ in membro callo obducto non facile admittit tactum, & sensum: sed duritie sua quasi repellit, vt non sentiatur. Et est illustris descriptio quomodo malum propositum consuetudine & pertinacia obduratum, callum obducat cordi, vt à veritate, vel euidentissima, non afficiatur, nullis vel minis vel promissionibus tangatur, vt sensum aliquem admittat. Et hæc tota descriptio Marci præcipue obseruanda est in hac historia.

Ipsa vero restitutio manus aridæ ita facta est. Cum Iesus aliquandiu ita, sicut dictum est, circumspexisset, cœpit sanationem, suo exemplo docens, propter obstinatam aduersariorum malitiam non esse abstinendum à bono opere, quando eius ratio vera & pia constat & exposita est. Non autem apprehendit eius manum, non tetigit eam, sicut alias solet, vt hoc prætextu Pharisæorum calumniam destrueret, & ne infirmos qui in synagoga illa aderant, offenderet. Ostendens hoc exemplo, quomodo vtrinque moderanda sit libertas, ne vel infirmis offendiculum, vel aduersariis occasionem criminandi præbeamus. Hoc ipsum vero miraculum facit illustrius, quod absque contactu & externo adminiculo ipse mancus, quod impossibile antea erat, manum repente extendit. Dixit igitur homini: *Extende manum tuam.* Colligitur autem ex his verbis, morbum eius non fuisse talem, sicut de Ieroboam 3.Reg.13.vers.4. scribitur, quod non potuerit manum ad se retrahere: sed plane contrarium, quod scilicet dextram manum non potuerit vel mouere vel extendere. Cum vero homo ille id, quod iussus erat, conaretur facere, in ipso conatu extensionis manus statim restituta est, *vt esset sana sicut altera.* Quibus verbis ostenditur, illico hoc miraculo & potentiam Locomotiuam neruis restitutam, & pristinam formam seu figuram manui redditam, quæ non tantum manca, sed arefacta fuerat.

Quid vero consecutum sit ex hoc miraculo, & fructus apud bonos, & inuidiæ apud Pharisæos, in sequenti historia exponemus. Quæ vero ad doctrinam de sabbato pertinent, antea sunt explicata. Beda ex Ambrosio sentit, per manum hanc designari Adamum cum tota posteritate, cuius manus dextera, quam ad decerpendum vetitæ arboris fructum extenderat, ad operationes vere bonas obtorpuit & exaruit: sinistra vero valet, ad mala operanda nimium facilis & expedita. Veniat igitur mancus Adam in conspectum Iesu, prodeat in medium synagogæ, vbi Iesus docet, vt verbo eius per afflatum Spiritus sanetur, non vt otiosa sit manus, vel mala operetur, sed inquit: Extende manum iuxta verbum & mandatum Christi.

CAPVT XLIX.

CONTINENS HISTORIAM DE CONSPIRATIONE PHARISÆORVM CVM HERODIANIS, PROpter præcedens miraculum: De secessu Christi: Quid in secessu illo egerit: & quæ turbæ ipsum secutæ sint, Matth.12.Mar.3.Luc.6.

RATIO ORDINIS.

De hac consecutione historiarum nulla potest esse controuersia. Tribus enim Euangelistis simul propositum fuit describere, quid post & propter miraculum sanatæ manus aridæ in Galilæa consecutum sit, & apud aduersarios Pharisæos, & apud turbas sectatrices Iesu. Non autem vnius diei historia est, sed aliquanto longiusculi temporis, quo in secessu illo mansit Iesus, sicut in explicatione circumstantiarum ostendemus.

HISTORIA DE CONSPIRATIONE PHArisæorum cum Herodianis: & de secessu Iesu ad mare: quidque in illo secessu actum sit.

MATTH. 12.

14.	Οἱ δὲ φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον κατ' αὐτοῦ ἐξελθόντες, ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσιν.	14	*Porro Pharisæi egressi, ceperunt consilium aduersus eum, quomodo illum perderent.*
15.	Ὁ δὲ Ἰησοῦς γνοὺς, ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς πάντας.	15.	*At Iesus vbi nouisset, secessit illinc, secutæque sunt eum turba multa, & sanauit eos omnes.*
16.	Καὶ ἐπετίμησεν αὐτοῖς, ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσιν.	16.	*Et interminatus est illis, ne facerent manifestum.*
17.	Ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, λέγοντος·	17.	*Vt compleretur quod dictum erat per Esaiam Prophetam, qui ait:*
18.	Ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα, ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. Θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτὸν, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ.	18.	*Ecce filius meus, quem elegi, dilectus meus, in quo sibi benecomplacuit anima mea. Ponam Spiritum meum super illum, & iudicium Gentibus annuntiabit.*

19. Οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει, οὐδὲ ἀκούσει τὶς ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ.	19. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet quisquam in plateis vocem eius.*
20. Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν.	20. *Arundinem comminutam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiciat ad victoriam iudicium.*
21. Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι.	21. *Et in nomine illius Gentes sperabunt.*

MARC. 3.

6. Καὶ ἐξελθόντες οἱ Φαρισαῖοι εὐθέως μετὰ τῶν Ἡρῳδιανῶν συμβούλιον ἐποίουν κατ' αὐτοῦ, ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσι.	6. *Egressi autem Pharisæi statim, vnà cum Herodianis consilium inibant aduersus eum, vt illum perderent.*
7. Καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀνεχώρησε μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς τὴν θάλασσαν. καὶ πολὺ πλῆθος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἠκολούθησαν αὐτῷ, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας,	7. *Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare. Et ingens multitudo à Galilæa secuta est eum, & ab Iudæa,*
8. Καὶ ἀπὸ Ἱεροσολύμων, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα, πλῆθος πολὺ ἀκούσαντες, ὅσα ἐποίει, ἦλθον πρὸς αὐτόν.	8. *Et ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum habitabant ac Sidonem, hominum multitudo magna, qui cum vidissent quæ faciebat, venerunt ad eum.*
9. Καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα πλοιάριον προσκαρτερῇ αὐτῷ, διὰ τὸν ὄχλον, ἵνα μὴ θλίβωσιν αὐτόν.	9. *Et iussit discipulis suis, vt nauicula sibi deseruirent, propter turbam, ne ipsum premerent.*
10. Πολλοὺς γὰρ ἐθεράπευσεν, ὥστε ἐπιπίπτειν αὐτῷ, ἵνα αὐτοῦ ἅψωνται, ὅσοι εἶχον μάστιγας.	10. *Multos enim sanauerat ita, vt irruerent in eum, quo illum tangerent, quotquot affligebantur.*
11. Καὶ τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα, ὅταν αὐτὸν ἐθεώρει, προσέπιπτεν αὐτῷ, καὶ ἔκραζε, λέγοντα· ὅτι σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.	11. *Et Spiritus immundi, cum illum vidissent, procidebant ei, & clamabant, dicentes: Tu es filius Dei.*
12. Καὶ πολλὰ ἐπετίμα αὐτοῖς, ἵνα μὴ αὐτὸν φανερὸν ποιήσωσι.	12. *Et vehementer interminabatur eis, ne se manifestum facerent.*

LVC. 6.

11. Αὐτοὶ δὲ ἐπλήσθησαν ἀνοίας, καὶ διελάλουν πρὸς ἀλλήλους, τί ἂν ποιήσειαν τῷ Ἰησοῦ.	11. *Ipsi autem repleti sunt amentia, & colloquebantur inter se, quidnam facerent Iesu.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, DE CONSPIRATIONE PHARISÆORVM: ET DE SECESSV Iesu, ex descriptionibus Matt. 12. Marc. 3. & Luc. 6. in vnum corpus coagmentata.

c Αὐτοὶ δὲ ἐπλήσθησαν ἀνοίας, καὶ διελάλουν πρὸς ἀλλήλους, τί ἂν ποιήσειαν τῷ Ἰησοῦ. e Καὶ ἐξελθόντες οἱ Φαρισαῖοι b εὐθέως μετὰ τῶν Ἡρῳδιανῶν συμβούλιον ἐποίουν, a καὶ ἔλαβον συμβούλιον e κατ' αὐτοῦ, ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσι. Ὁ δὲ Ἰησοῦς a γνοὺς, ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν b μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς τὴν θάλασσαν, a καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί. b Πολὺ γὰρ πλῆθος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἠκολούθησαν αὐτῷ, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας, καὶ ἀπὸ Ἱεροσολύμων, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα, πλῆθος πολὺ ἀκούσαντες, ὅσα ἐποίει, ἦλθον πρὸς αὐτόν. Καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα πλοιάριον προσκαρτερῇ αὐτῷ, διὰ τὸν ὄχλον, ἵνα μὴ θλίβωσιν αὐτόν. Πολλοὺς γὰρ ἐθεράπευσεν, ὥστε ἐπιπίπτειν αὐτῷ, ἵνα αὐτοῦ ἅψωνται, ὅσοι εἶχον μάστιγας. a Καὶ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς πάντας. b Καὶ τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα, ὅταν αὐτὸν ἐθεώρει, προσέπιπτεν αὐτῷ, καὶ ἔκραζε, λέγοντα· ὅτι σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. c Καὶ πολλὰ ἐπετίμησεν αὐτοῖς, ἵνα μὴ αὐτὸν φανερὸν ποιήσωσιν. a ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου, λέγοντος· Ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα, ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου, θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτὸν, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ. Οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει, οὐδὲ ἀκούσει τὶς ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ. Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν. Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι.

c *Ipsi autem repleti sunt amentia, & colloquebantur inter se, quidnam facerent Iesu.* e *Et egressi Pharisæi* b *statim cum Herodianis consultationem fecerunt,* a *& consilium ceperunt* e *aduersus eum, vt (seu) quomodo illum perderent. Iesus verò* a *cum nouisset, secisset illinc* b *cum discipulis suis ad mare, secutaque sunt eum turbæ multæ.* b *Ingens enim multitudo à Galilæa secuta est eum, & ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum habitabant ac Sidonem, hominum multitudo magna, qui cum audiuissent quæ faciebat, venerunt ad eum. Et iussit discipulis suis, vt nauicula sibi deseruirent, propter turbam, ne ipsum premerent. Multos enim sanauerat ita, vt irruerent in eum, quo illum tangerent, quotquot affligebantur.* a *Et sanauit eos omnes.* b *Et Spiritus immundi, cum illum vidissent, procidebant ei & clamabant, dicentes: Tu es filius Dei.* c *Et vehementer interminabatur eis, ne se manifestum facerent,* a *vt compleretur quod dictum erat per Esaiam Prophetam, qui ait: Ecce seruus meus, quem elegi, dilectus meus, in quo sibi benecomplacuit anima mea, ponam Spiritum meum super illum, & iudicium gentibus annunciabit. Non cōtendet, neque clamabit, neque audiet quisquā in plateis vocem eius. Arundinem cōminutam non confringet, & linū fumigans non extinguet: donec eiciat ad victoriam iudicium. Et in nomine eius gentes sperabūt.*

Pheriocha huius Historiæ.

QVid ex præcedenti miraculo sanatæ manus aridæ, & apud Pharisæos obseruatores, & apud turbas sectatrices Iesu consecutum sit, in hac parte historiæ exponitur. Et ostenditur in hac historia, quo tandem euadat mens humana,

quando non solitam pietatem, sed vmbratiles tantum ceremonias in cultu diuino sectatur. Item, quando non habet studium inquirendæ veritatis, sed præsumptis aut præconceptis opinionibus seruit. Christus enim in præcedenti historia rationem facti sui planissimam ita reddiderat, vt vi ac luce veritatis ita constricti Pharisæi, nihil, quod contradicant, inueniant, sed tacere cogantur. Nunquid igitur conuicti, abiecto errore, veritati cedunt? Nequaquam, inquit Lucas. Non enim ad saniorem mentem reducuntur, sed *replentur amentia*. Et consideranda est phrasis vocabuli ἀνοίας. Mens veritate conuicta debebat ad sanitatem quasi ad seipsam redire: sed illud non facit, vbi occupata est obstinata malitia: quin potius, quando ita conuicta est, vt contradicere non possit, repletur amentia. Homo initio ad imaginem Dei creatus habuit ἐπίνοιαν, perspicaciam veritatis: per lapsum vero amissa luce veritatis, incidit in διάνοιαν. Deus igitur ex immensa misericordia lucem verbi sui accendit, vt reducat nos ad μετάνοιαν, hoc est, ad meliorem & saniorem mentem. Sed tanta est malitia mentis humanæ, vt inde multi incidant in ἄνοιαν. Et Lucas hoc loco vocat ἄνοιαν, quando homo quasi amittit mentem seu sensum communem, & fertur tanquam beluina rabie, quasi nihil intelligens, nihil cogitans, nihil iudicans, & summatim, quasi sine mente fit, quod Paulus Rom. 1.28. vocat νοῦν ἀδόκιμον, mens quæ sine omni cogitatione & iudicio in flagitia fertur. Potest verò etiam ita intelligi, quod impleti sint furore & insania. Nam Plato 2. de Repub. hoc vocabulo vtitur, de specie quadam furoris seu insaniæ. Designare aliquid mali διὰ μανίαν ἢ ἄνοιαν, præ furore vel amentia & insania quadam.

Ex illo autem furore consecutum est, sicut Euangelistæ dicunt: *Colloquebantur inter se, quidnam facerent Iesu, & consilium ceperunt cum Herodianis, &c.* Quæ narratio multa monet. 1. Hypocrisin, inuidiam & malitiam, nec veritate, nec beneficiis, nec moderatione posse placari, nedum separari: quod tamen in aliis vitiis fieri solet. Cum enim Christus facti sui rationem, exposita vera de sanctificatione sabbati sententia, tanta perspicuitate reddidisset, vt tacere cogerentur Pharisæi: cumque illustre beneficium calamitoso homini præstitisset, idque adhibita ea moderatione, vt nec ipse tangeret manum, nec iuberet illum aliquid operari vel portare in sabbato, ne quam occasionem criminandi ipsis præberet: (manum enim extendere sabbatis, ne apud ipsos quidem Pharisæos prohibitum erat) tamen non placati fuerunt Pharisæi, sed eo ipso magis irritati & effrænati, vt iam de perdendo ipso consultent.

Ostenditur quæ sit methodus disputationum hypocriticarum contra veritatem. Pharisæi enim hactenus propositis quæstionibus disputarunt contra Christum. Sed iam cùm se disputando contra veritatem nihil proficere vident, (tacere enim coguntur) conuertunt se ad alias artes, vt scilicet armatis & cruentis disputationibus, adhibito brachio & gladio seculari, ipsum refutent. Ordo autem historiæ ita se habet. Primò inter se colloquuntur, sicut Lucas inquit, quid faciant Iesu. Sed quia vident gladium sibi à Romanis ereptum. Ioh. 18. versic. 31. Mox igitur egressi, consilium *cum Herodianis*, hoc est, cum præfectis Herodis Tetrarchæ, ineunt, quomodo ipsum perderent. Galilæa enim erat sub ditione Herodis. Συμβούλιον significat & ipsum cœtum consultantium, & ipsam etiam consultationem. Quod igitur Marcus dicit ἐποίουν συμβούλιον, significat ipsos conuocasse seu coegisse concilium. Matthæus vero, cum inquit, ἔλαβον συμβούλιον, significat ipsum consilium, quod habita publica consultatione ineunt de perdendo Iesu. Vtuntur autem particula ὅπως, quæ indicat, vtrumque deliberatum fuisse, vt perderent, & quomodo ipsum perderent, non occulte scilicet, sed publico supplicio.

Vnde TERTIO notandum est, quod Pharisæi non statim ad ipsum Herodem accusationem detulerunt, (is enim diu post, Matth. 14. versic. 1. primum audit de Christo) idque sine dubio ideo fecerunt, quia videbant Herodem indulgentius & remissius agere cum Baptista, quem tunc adhuc in vinculis tenebat. Cum igitur aulicas artes non ignorarent, quomodo regis etiam non malus animus deprauari posset, cum præfectis & aulicis Herodis consilia agitant, quomodo inflammari possit regis animus, vt Iesum perderet. Non enim volebant clam ipsum tolli, sed vt publico iudicio, iuxta legem. Num. 15. versic. 35 tanquam violator sabbati damnatus, per Herodem occideretur, vt hac ratione doctrina ipsius animis hominum eriperetur.

4. Notandum est & hoc, cum inter Pharisæos, vt vindices publicæ libertatis, & inter Herodis tyranni familiam capitales aliàs essent inimicitiæ, quod ad perdendum Christum inter se conspirant. Tantum erat in ipsos odium contra Christum, vt mallent se in capitalium inimicorum gratiam insinuare. Ita nullæ obstant inimicitiæ, quo minus ad oppugnandum Christum & veritatem eius etiam hostes mutuas operas præbeant, sicut in passione Christi Pilatus & Herodes amici fiunt.

Obseruetur Emphasis, quod Marcus inquit: *Egressi synagoga statim consilium de perdendo Christo, idque cum Herodianis, ineunt.* Quo præpostera hypocritarum religio indicatur. Qui enim tantopere indignantur Christum sabbato sanasse, & quidem solo verbo, & miserum hominem: ipsi statim eodem sabbato, cruenta consilia contra innocentem & benefacientem, idque cum hostibus populi Dei agitare non verentur. Hoc plus est, quam colare culicem, & deglutire camelum. Et notetur, quòd ad quæstionem (An liceat sabbatis animam hominis seruare, an verò perdere?) Pharisæi tacentes iam ipso facto respondeant, quod sabbato malint animam hominis perdere, quam seruare. Talis est Pharisaica religio.

Fuisse autem consultationes illas non vanas, seu non habuisse nihil periculi, inde colligitur, quod Euangelistæ dicunt, Iesum, cognita illa conspiratione, secessisse cum discipulis suis ad mare. Quod non de mari magno, sed de mari Galilææ intelligo. Mox enim discipuli nauicula Christo deseruiunt.

Quia verò videri posset, nec personæ nec officio Christi conuenire, quod aduersus armata Pharisæorum consilia fuga sibi consulit, Matthæus & Marcus multa addunt, quæ causam & rationem illius cessionis exponunt. Ne enim fuga illa existimaretur ministerium suum vel deserere vel abiicere velle, traxit secum magnam multitudinem ex variis locis, exercens apud illos docendo & sanando ministeria officij sui. Hoc itaque exemplo suo docet Christus, licitum quidem esse aliquando furori aduersariorum cedere, & persecutiones declinare: sed ita tamen, ne fiat illud cum desertione aut abnegatione ministerij. Sequela vero turbarum ostendit, in media etiam persecutionis rabie, non sine fructu doctrinam & miracula Christi abiisse. Frementibus enim Pharisæis, sapientibus, Herodianis, potentibus: turbæ Christum sequuntur, iuxta dictum 1. Corinth. 1. versic. 26. & 27. Et quidem fructus ille doctrinæ & miraculi Christi, apud turbas illustri confessione ostenditur: quod non verentur ipsum sequi, tunc, cum non Pharisæi soli, sed adiuncto etiam brachio (sicut vocant) seculari, Christum oppressuri videbantur. Item, ne fuga illa Christi, vel timiditati fugientis mortem, vel imbecillitati, quasi vitam aliter non posset quàm fuga tueri, tribueretur. Euangelistæ dicunt, quod secedentem ipsum secutæ fuerint multæ turbæ, quodque omnes sanarit: ita vt locus ille fugæ non essent obscuræ latebræ, ignotus angulus. Multis enim insignibus miraculis breui adeo illustris reddebatur, vt ex omnibus locis, cum audissent quæ Iesus ibi faciebat, in locum illum secessionis ad ipsum confluerent. Et Marcus loca illa sigillatim enumerat à Galilæa, Iudæa, Hierosolymis, Idumæa, præterea trans Iordanem, & ex locis circa Tyrum & Sidonem. Illa verò enumeratio ita distinguenda est. Vt primo ex Galilæa, vbi in synagoga fecit miraculum, intelligantur turbæ ipsum secedentem secutæ. Cùm verò in secessu apud illos Galilæos multa ederet miracula, fama illa sparsa est per totam regionem. Cumque vbique audiretur, quid Iesus in loco illo secessionis faceret, vndique ad ipsum turbæ turmatim confluxerunt: non in primo die secessionis, sed postea, cum vbique hoc audiretur. Per aliquod igitur tempus Iesum in illo secessu mansisse, inde colligitur. Addunt autem hanc enumerationem turbarum Euangelistæ, vt ostendant rabiem & persecutionem aduersariorum non opprimere aut extinguere Euangelium. Ex illo enim secessu Christi, odor Euangelij latius in omnes mundi partes sparsus est, non tantum ad Iudæos, verum etiam ad vicinas gentes, sicut chronographia illorum populorum, qui enumerantur, ostendit. Galilæa enim, Iudæa, Hierosolymæ, Peræa, hoc est, regio trans Iordanem regiones sunt Iudæorum. Idumæa vero, loca circa Tyrum & Sidonem, & in Peræa Decapolis: gentium regiones. Quod præludium fuit, fore, vt regnum Dei à Iudæis repellentibus auferretur & traderetur gentibus, vtque vniuersalis vocatio gentium insinuaretur, ideo regiones gentium, ad quatuor angulos mundi sitæ, enumerantur. Idumæa enim ad meridiem: Syrophœnicia circa Tyrum & Sidonem ad occasum & septentrionem: Decapolis cum Peræa gentium, ad orientem sita est. Habuit igitur tunc Iesus in illo secessu pulcerrimam circa se Ecclesiam, ex variis regionibus & gentibus.

Miracula verò, quæ ibi edidit, Euangelistæ duobus generalibus capitibus complectuntur, sanatione scilicet infirmorum, & eiectione dæmoniorum. Idque ideò, quia in his duobus consistit officium Christi. 1. vt caput serpentis conterat. 2. vt homines à potestate Satanæ liberatos saluet. Illud verò vt pecu-

vt peculiare hoc loco notat Marcus. Cum Christus verbo & contactu multos sanasset, quod reliqua turba tantam inde conceperit fiduciam, vt non dubitarent se sanari, etiamsi ipse nec alloqueretur nec attingeret eos, modò ipsi possent Christum contingere. Quod ad rationem & exercitia fidei pertinet, ne cogitemus, si hoc vel illo modo iuuaret, sed si modo Christum fide amplectamur, vt certam auxilij fiduciam concipiamus. Cum vero certatim conarentur ipsum tangere, premendo irruebant in ipsum, stantem in ripa lacus: ideo iussit, vt semper in promptu & ad manum adesset nauicula (hoc enim significat verbum προσκαρτερῇ,) in quam possit ascendere, ne in lacum protruderetur à turba propellente. Et hoc ipso veritatem & infirmitatem assumptæ humanæ naturæ ostendere voluit. Morbos Marcus vocat hoc loco μάστιγας, flagella, נגע vt ostendat 1. morbos esse pœnas peccati diuinas, & à Deo immitti. 2. vt significet morbos grauiores & sæuiores. Ita enim pœnæ diuiduntur, in virgam & flagellum, 2. Reg. 7. vers. 14. & Psal. 89. vers. 33. Et hæc ab Euangelistis ita describuntur, vt ostendant, Christum non ob impotentiam, quasi non potuisset miraculo potenter se tueri, nec etiam timore mortis fugisse, sed quia tempus passionis à Patre decretum nondum venerat, ne Deum tentaret. 2. Quia tunc nondum erat tempus manifestæ ostensionis diuinæ virtutis, sed exinanitionis. In ipsa tamen exinanitione secessionis, seu fugæ, diuinam virtutem non obscure ostendit. Primo multis miraculis. Deinde quod ibi tutus esse poterat. Locus enim secessionis Pharisæis non potuit ignotus esse, cum in Idumæa & Syrophœnicia de illo audiretur. Præcipue vero observandum est, quod Marcus inquit, tunc cum hominibus ex infirmitate videbatur fugere, ostendit ipsis inferorum portas sibi subiectas esse. Spiritus enim immundi, in hominibus obsessis, conspectum ipsius ferre non poterant: sed priusquam aliquid ipsis loqueretur, procidebant ei magno clamore confitentes: *Tu es filius Dei*. Quare verò noluerit testimonia à Spiritibus immundis accipere, quia etiam vera dicendo ad fraudes viam & compendium sibi parant, supra explicatum est. Et apud Marcum quidem interminatio illa, ne se manifestum facerent, videtur referri ad Spiritus immundos. Apud Matthæum vero expresse turbis dicitur, ad quas etiam Relatiuum apud Marcum referri potest: ne scilicet famam miraculorum spargerent, id quod propter duas potissimum causas prohibuit. 1. Quia nondum tempus erat glorificationis, sed exinanitionis. 2. Quia turbę verum finem & vsum miraculorum nondum satis tenebant, sed vt regnum Messiæ externum & corporale somniabant, ita externa tantum in Christo quærebant & celebrabant.

Porro in fine huius historiæ Matthæus pulcerrimam sententiam Esaiæ ex c. 42. vers. 1. & sequent. allegat. 1. vt causam reddat, quare Christus maluerit fugere, quam miraculis & manifesta potentia vitam contra Pharisæos tueri. 2. quare turbis interdixerit, ne se manifestum facerent. 3. quod turbas, adhuc valde carnaliter de se sentientes, placide tamen admiserit. 4. quia sectatores habebat ex Idumæa, Syrophœnicia & Decapoli: ideo ex hoc dicto Esaiæ futura vocatio Gentium insinuatur. Quod itaque Matthæus dicit, vt impleretur Esaiæ dictum, hanc habet sententiam, Christum ipso facto in hac historia ostendisse, se ministerium suum obire, & officium suum administrare, eo prorsus modo, sicut per Prophetas Deus prædixerat.

Multa autem complectitur illa Esaiæ sententia, Nos de iis, quæ ad propositum Euangelistæ faciunt tantum capita signabimus. Vulgaris erat Iudæorum persuasio, Messiæ aduentum, regio splendore & externa potentia insignem futurum. Et quia huic præsumptæ ipsorum opinioni, nec persona, nec vita, nec administratio officij Christi respondere videbantur, reclamabant ipsum non esse Messiam. Huic igitur offensioni, quam ex infima exinanitionis Christi specie, in hac historia concipere quis posset, Euangelista opponit descriptionem Messiæ, quam ipse Deus tanquam paradoxon quoddam in Esaia proposuit, cum inquit: *Ecce seruus meus*. Primum autem de persona loquitur. Et in Græco quidem posset ambiguitas esse, an παῖς, significet vel filium, vel seruum. Sicut Erasmus ideo reddidit filium, sed in Hebræo & Syro עבד nunquam filium, sed seruum significat. Et in Chaldæo appellationem inde habet, quod aliquid iniunctum sibi efficiat, & exequatur. Apud Hebræos vero ille etiam, qui conditione non est seruus, ex quadam animi humiliatione & submissione, propter obsequendi & obediendi studium, vocat se seruum alterius. Appellat igitur Deus Messiam seruum ratione ministerij, doctrinæ & redemptionis, ad quod in forma serui missus est, vt simul & remissio ad ministerium & infima species exinanitionis, qua Patri obediens factus est, Philip. 2. vers. 8. vocabulo Serui significetur. Ne vero humili illa specie serui quis offendatur, exponit ipse Deus, qualis sit illa persona: *Electus* sc. *Dei*. Hoc autem fuisse vsitatum epitheton Messiæ, ex verbis illis Iudæorum colligitur, quæ extant, Luc. 23. 35. Saluet seipsum, si est Christus electus Dei. Hebræis autem vocabulo בחיר appellantur, qui ex reliqua turba ad publicum aliquod officium deliguntur, vel qui reliquis præferuntur, & præ reliquis in pretio habentur, & diliguntur. Cumque Matthæus ea tantum, quæ ad suum propositum facere iudicauit, allegare vellet, alterum verbum in dicto Esaiæ, quod sustentare significat, omisit. Nomen vero בחיר dupliciter reddidit, & per verbum ᾑρέτισα, vel ἐκλέγω eligere ac complecti aliquem & per nomen, ἀγαπητός, quod Euangelista ideo addidit, vt ostenderet, vocem Patris, quæ Matt. 3. v. vlt. è cœlo sonuit, ex hac Esaiæ sententia sumptam esse. Quæ vero de illa complacentia Patris dicenda essent, supra in historia baptismi Christi sunt explicata.

Secundo loquitur hæc sententia Esaiæ de officio Messiæ, quod Iudæi putabant fore in magnifica externæ dominationis administratione, & ideo Iesum, qui tantum concionaretur, & quidem in magna infirmitate, recipere nolebant. Euangelista igitur ostendit, Deum quasi intento digito, cum inquit: *Ecce*, monstrare, hoc ipsum fore ministerium Messiæ: *Ponam Spiritum meum super ipsum, & iudicium gentibus annunciabit*. Quomodo verò Spiritu S. vnxerit Christum, in historia baptismi Christi & Luc. 4. explicatum est. Porro, patefactionem verbi de essentia & voluntate Dei vocari iudicium, notum est ex Psalm. 101. 1. & 147. 19. & 20. Cumque iudicium Legis antea per Moysen fuerit traditum: aliud iudicium, quod Messias proferet, Euangelij sc. Cumque hactenus angustiis Palæstinæ quasi inclusa fuerit patefactio doctrinæ cœlestis: iam Messias illam proferet, educet seu efferet, sicut 70. interpretes reddiderunt, ἐξοίσει, etiam ad gentes, cuius præludium est, quod hoc loco ex Idumæa & Syrophœnicia ipsum comitantur.

Tertio modum, quo Messias ministerium & regnum suum administraturus sit, describit: *Non contendet, non clamabit, nec audietur vox eius in plateis*. Vocabulum, quod Matthæus reddidit ἐρίσει, non vult, quod Christus non sit reprehensurus peccata, prauam doctrinam & superstitiosos cultus, sed Hebraice צעק significat clamorem, vel querulum, vel imperiosum, iracundum, minacem. Vt quando à Rege populus conclamatur, ad vindicandam iniuriam, & ad faciendam impressionem in hostes. Ita enim vsurpatur, Iud. 7. 23. & 24. & 10. 17. & 1. Reg. 13. 4. Et hinc intelligi potest, quomodo explicandum sit vocabulum ἐρίζειν apud Matthæum, quo etiam Græci interpretes, 1. Reg. 22. 14. pro rebellione vtuntur. Syrus habet verbum נחרו, quod significat, quando quis irritatus ex iracundia litigat, contendit cum aliquo. Et ita Matthæus reddidit ἐρίζειν. Sensus igitur est: Messias non ostentabit diuinam & formidabilem suam potentiam aduersus rebelles, vt ipsos vel faciendum officium cogat, vel statim extinguat: nec peccatores, vel calamitosos, vel infirmæ fidei duriter, aspere, imperiose, minaciter excipiet; sed accedentes placide amplectetur. Quod vero in Esaia sequitur; *Non leuabit clamorem, nec vox audietur in plateis, &c.* ostendit, quòd non pro magnificentia gloriæ suæ se gereret, vt in omnibus plateis celebretur: ideo hostibus credit, miseras turbas circum se habet, & quidem etiam, quando miracula edit, prohibet ne se manifestum faciant. Tota vero sententia de clamore in plateis, ex antithesi simplicissime intelligi potest. Reliqui reges in aduentu suo plateas, vrbes, imo totas regiones regiæ magnificentiæ strepitu & tumultu complent, atque hoc affectant, vt magnificentia regia conspicua sit omnibus, longe lateque spargatur, & in omnibus plateis resonet & celebretur. Si quis regem illum vel contemnat vel oppugnet, cum illo omnibus viribus contenditur, conclamatur vndique omnes, vt ad vindicandam regis iniuriam accurrant. Deus vero prædicit, Messiam non hoc modo ministerium & regnum suum administraturum, sed in humili & infima exinanitionis specie: Non clamabit, non audietur in plateis vox eius.

Quarto exponitur in hac Esaiæ sententia causa, quare Messias non apparuerit in primo aduentu in sua gloria, quodque ne nunc quidem regnum suum in hoc mundo ita administret, vt diuinam suam potentiam conspicuo & illustri modo exereret. Estque pulcerrimum dictum: *Arundinem conquassatam non confringet, &c.* Hoc est: Natura nostra peccato corrupta & miseriis pressa, est tanquam debilis & infirma arundo, quæ modo erecta est, mox in hac mox in illa parte tempestatibus calamitatum deprimitur. Imo est tanquam conquassata arundo, quæ sane non posset ferre & sustinere gloriam & potentiam filij, si secundum eam nobiscum ageret, sed confringeremur. Quid enim futurum sit in extremo die, quando peccatoribus non reconciliatis manifesta sua potentia & gloria apparebit, describitur 2. Thess. 1. 8. & 7. Apoc. 1. 7. Vt igitur arundinem conquassatam non confringe-

re, sed alligare, sanare, erigere, sustentare & roborare, linum fumigans non extinguere, sed sufflando fouere & succendere posset, elegit infirmam illam speciem, sub qua officium, ministerium & regnum suum exequeretur & administraret. Hoc vero pertinet ad totum tempus, vsque ad secundum gloriosum aduentum Christi. Non igitur offendamur, quod Filius Dei, sub tali infirma specie, regnum suum apud nos administrat, nec abutamur illa mansuetudine Christi: propter nos enim hoc facit, ne arundo quassata confringatur, sed vt sanari possit. Extremæ enim stultitiæ est, ideo minus honorifice de Christo sentire, quod vltro ad nostrum modulum se demittit. Discamus igitur immensam illam bonitatem, comitatem, clementiam & mansuetudinem Christi Saluatoris nostri agnoscere, admirari & exosculari, quod ita se nostræ infirmitati attemperat, non reiiciens, non imperiose mactans imbecillitates nostras, sed tolerans & subleuans eas. Vocat autem arundinē oppressam, collisam, conquassatam seu fractam, sicut Hebræum vocabulum significat: vel dilaceratam, concerptam, sicut Syrus reddidit: qua similitudine, vel in genere miseria humanæ naturæ, vel cor contritum & Spiritus contristatus ac contribulatus, significatur. Per *linum* obscuratum, cuius lumen vel extinctum vel nondum clare accensum est, sed scintillulis quibusdam non tam lucet quàm *fumigat*, significatur & fidei & aliorum donorum spiritualium infirmitas: quam Christus non abiicit, *non extinguit*, sicut candelas fumigantes & ipso fumo male fœtentes nos solemus vel obiicere, vel extinguere. Sed Christus tolerat nostras infirmitates, fouens nos, suppeditans oleum donorum spiritualium, vt lumen plenius & clarius in nobis accendat. Ita dulcissimas consolationes præbent hæ similitudines. Chrysostomus similitudines illas refert ad ipsos aduersarios, quib. ideo parcit filius Dei, ne confringantur, sed vt sanari aliquando possint. Ita Hilarius inquit: Tam facile erat ei omnes frangere, sicut arundinem, quæ iam contrita est: & accensum ipsorum furorem tam facile posset extinguere, vt cum quis lucernam fumantem extinguit. Augustinus li. 20. de ciuit. persecutores suos cōparauit calamo quassato, & lino fumiganti, & tamen illis pepercit; quia non venerat iudicare, sed iudicari.

Vocabulum Lini quid per se significet, notum est. Vsum autem eius fuisse in elichniis, hoc est, in lucernarum funiculis, testantur exempla, Esa. 43.17. Sicut linum extincti sunt. Iud. 15.14. & 16.9. Funes super brachia erant, sicut lina, quæ accenduntur. Τυφόμενον vero respondet Hebraico quod significat non lucide splendere, sed obscurum esse: sicut quando deficiente oleo flamma in elichnio sensim deficit. Græcum vero τύφω vsurpatur de fumo, & sæpe iungitur cum καπνῷ, vt: τύφω καπνόν, fumum excito. Apes τυφόμεναι καπνῷ. Item ciuitatem καπνῷ τύφειν, fumo infestare. Hinc Augustinus sumpsit, quod linum fumigans infestum sit oculis & naribus; quia fœtet: & tamen filius Dei illam fœtentem nostram infirmitatem non abiicit. Sed plenior declaratio huius sententiæ, de arundine quassata & lino fumigāte, pertinet ad iustam explicationem.

Postremo ostendit Deus in illo loco Esaię, illam infirmam exinanitionis speciem non obstare virtuti & efficacię officij, ministerij & regni Christi: ne tristes cogitemus, regnum illud ratione infirmitatis non posse subsistere, aut nullam fore eius in tentationibus, calamitatibus & persecutionibus vtilitatem, virtutem & efficaciam. Virtus enim Mesiæ nostri in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. 10. ideo inquit: *Non deficiet, nec caligabit, donec ponat in terra iudicium*. Item, *in veritate*, vel *ad veritatem educet iudicium*. Quibus verbis ostendit, iudicia hominum de Ecclesia & de credentibus variare, mutari, hallucinari, falli. Sed Christus tandem ad veritatem educet iudicium, ac tandem ponet, hoc est, firmum esse ostendet in terra, in extremo iudicio. Has duas sententias Esaiæ Matthæus ita complectitur: *Donec eiiciat iudicium ad victoriam &c.* Hoc est, Licet regnum illud infirmitatis varie oppugnetur, & quasi succumbere videatur, tandem tamen præualebit contra omnium hostium conatus & potentiam, imo contra credentium etiam opiniones & cogitationes. Vocabulum enim VICTORIAE, luctam & pugnas, contra diabolum, mundum & carnem præcedere indicat, vnde in magna infirmitate, tandem tamen, consummato certamine, regnum eius emerget & eluctabitur. Id quod sæpe in hac vita illustribus exemplis ostendit, ac tandem in extremo iudicio publica sententia ostēdet se victorem, positis omnibus hostibus scabellum pedum suorum. Et particula *Donec* indicat, Christum, licet aliquando taceat, & quasi dissimulare ac suos negligere & deserere videatur, non tamen conquieturum, donec iudicium ad victoriam educat, seu perficiat. Ne vero offendātur infirmiores, videntes eos, qui præcipui erant apud Iudæos, non tantum non accipere, sed hostiliter persequi Christum, addit ex Esaia vaticinium, fore, vt regnum Dei auferatur à Iudęis, & detur gentib. Verba Esaiæ sunt: Legem eius insulæ expectabunt: Matthæus sensum ita reddidit: *in nomine eius gentes sperabunt*. Quæ verborum permutatio docet, in nomine Christi credere seu sperare, nihil aliud esse, quam legem Christi, hoc est, promissionem Euangelij cum desiderio & gaudio accipere, & ei credere. Et hinc postremam particulam Euangelista propterea addidit; quia in hac historia, Pharisęis furentibus, ex Idumea, Tyro, & Sidone gentes ad Christum confluxerant. Hæc sunt capita sententiæ illius Esaiæ, quæ quomodo ad Euangelistæ propositum accommodandæ sint, manifestum est. Plenior autem eius explicatio non est nostri instituti, sed ad commentaria pertinet.

CAPVT L.

CONTINENS HISTORIAM DE ELECTIONE duodecim Apostolorum, Matthæi 5. Marci 3. Luc. 6.

RATIO ORDINIS.

Apud Matthæum post præcedentem historiam subiungitur miraculum de eiectione dæmonij, cæci & muti. Et quidem præcedentibus annectitur per particulam *Tunc*, quæ videtur continuam consecutionem indicare: sed circumstantiæ manifeste ostendunt, Matthæum hoc loco non seruasse ordinem ἀκολουθίας historiarum, nec eiectionem dæmonij muti continuo post præcedentem historiam factam, vel ei statim subiungendam. Præcedens enim historia facta est in secessu, in littore maris: disputationem vero de Beelzebub Marcus expresse dicit factam in domo. Item: Præcedens historia facta est, cum Iesus secessisset à Pharisæis: tunc vero non fuisse ipsi oblatum dæmonium illud mutum, Mat. 12. 22. inde constat: Pharisæos enim in illa eiectione adfuisse Christo, ipse Matthæus testatur. Cum igitur hoc loco ordo historiarum ex Matthæo sumi non possit, sicut ostendimus, reliqui Euangelistæ consulendi sunt. Et consentiunt in ordine Marcus & Lucas. Vterque enim post historiam secessus Christi subiungunt electionem Apostolorum. Lucas quidem dicit, *In diebus illis*. quia per dies multos, in secessu illo commoratus fuerat Iesus, donec ex Iudæa, Idumæa, & ex partibus Tyri turbæ ad ipsum confluerent: sicut Marcus scribit. Ipse vero Lucas expresse dicit, turbas illas, de quibus dixit, à Iudæa & à maritima Tyri adfuisse Christo, cum elegisset Apostolos. Euidens igitur ostensio est in secessu illo, de quo Mat. & Marc. scribunt, factam electionem Apostolorum, & post historiam secessus illius collocandam electionem Apost. Hęc consideratio circumstantiarum, monstrantium ordinem, iucunda est.

Quod ad Matthæum attinet, is electionem Apostolorum non describit peculiari loco & tempore, sicut Marcus & Lucas faciunt: sed vbi missionem Apostolorum describit, ibi tacite ipsorum electionem etiam insinuat. Et illa sane verba, Matth. 10. 1. Accersitis duodecim discipulis, dedit eis potestatem, &c. à quibusdam ad electionem Apostolorum referuntur, cùm verbo προσκαλέσασθαι, etiam Marcus vtatur in historia electionis, & addat, *vt haberent potestatem*. Sed quia Marcus 6. versic. 7. iisdem prorsus verbis emissionem Apostolorum describit, quibus Matt. c. 10. vtitur: & in electione potestas contra dæmonia Apostolis tantum promissa est, quæ in emissione ipsis data est, Marci 6. 7. Luc. 9. 1. Verba igitur Matt. 10. 1. ad historiam missionis reseruabimus, & ex Marco & Luca electionis historiam contexemus, addita etiam apendice de descensu Christi in locum campestrem ad populum, vt postea historia prolixæ concionis proprium caput habeat. Porro c. 5. 1. cum Matthæus ex iisdem locis, quæ Marci 3. 7. notantur, turbas alio tempore & occasione Christo adfuisse scripsisset, subiici-

subiicit ascensum eius in montem & concionem. In illo igitur loco, inserenda est historia electionis ex aliis Euangelistis, vel, quod idem est, pauca illa verba in principio quinti capitis, intersérenda sunt historiæ electionis apud Marcum & Lucam. Mihi vero magis probatur Gersonis ratio, vt post electionem Apostolorum & post descensum ad turbas, subiiciantur verba Matthæi in principio quinti capitis, quod scilicet Christus tunc rursus ascenderit in montem, atque ibi ad discipulos & ad turbas simul habuerit sermonem. Sed vt lectori liberum sit sequi, quam voluerit sententiam, vtramque rationem in Harmonia seruabo; vt scilicet primo verba in principio quinti capitis Matthæi intexantur historiæ electionis: deinde post electionis historiam ponam eadem illa verba in principio concionis. Quia vero in ordine Apostolorum Marcus & Lucas variant, retinui in Harmonia Lucæ ordinem, qui per paria numerat: vbi vero Marcus variat in Andrea & Thaddæo, in margine notaui.

HISTORIA ELECTIONIS APOSTOLORVM.

MATTH. 5.

1. Ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος, καὶ καθίσαντος αὐτοῦ, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.	1. *Cum vidisset autem turbas, ascendit in montem, & cum consedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.*

MARC. 3.

13. Καὶ ἀναβαίνει εἰς τὸ ὄρος, καὶ προσκαλεῖται, οὓς ἤθελεν αὐτὸς, καὶ ἀπῆλθον πρὸς αὐτόν.	13. *Et ascendit in montem, ac vocat ad se, quos voluit ipse, & venerunt ad eum.*
14. Καὶ ἐποίησε δώδεκα ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ, καὶ ἵνα ἀποστέλλῃ αὐτοὺς κηρύσσειν·	14. *Et fecit, vt duodecim essent secum, & vt emitteret eos ad prædicandum:*
15. Καὶ ἔχειν ἐξουσίαν θεραπεύειν τὰς νόσους, καὶ ἐκβάλλειν τὰ δαιμόνια.	15. *Et vt haberent potestatem sanandi morbos, eiciendique dæmonia.*
16. Καὶ ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι ὄνομα Πέτρον·	16. *Et imposuit Simoni nomen Petrus:*
17. Καὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν τοῦ Ἰακώβου, καὶ ἐπέθηκεν αὐτοῖς ὀνόματα Βοανεργὲς, ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς·	17. *Et Iacobum filium Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui:*
18. Καὶ Ἀνδρέαν, καὶ Φίλιππον, καὶ Βαρθολομαῖον, καὶ Ματθαῖον, καὶ Θωμᾶν, καὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ἀλφαίου, καὶ Σίμωνα τὸν Κανανίτην.	18. *Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi filium, & Thaddæum, & Simonem Cananæum:*
19. Καὶ Ἰούδαν Ἰσκαριώτην, ὃς καὶ παρέδωκεν αὐτόν.	19. *Et Iudam Iscariotem, qui & prodidit illum.*

LVC. 6.

12. Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις, ἐξῆλθεν εἰς τὸ ὄρος προσεύξασθαι, καὶ ἦν διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ.	12. *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem adorandum, eratque pernoctans in deprecatione Dei.*
13. Καὶ ὅτε ἐγένετο ἡμέρα, προσεφώνησε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, καὶ ἐκλεξάμενος ἀπ' αὐτῶν δώδεκα, οὓς καὶ ἀποστόλους ὠνόμασε·	13. *Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex illis, quos & Apostolos nominauit:*
14. Σίμωνα ὃν καὶ ὠνόμασε Πέτρον, καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, Ἰάκωβον, καὶ Ἰωάννην, Φίλιππον καὶ Βαρθολομαῖον,	14. *Simonem, quem & nominauit Petrum, & Andream fratrem eius, & Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomæum,*
15. Ματθαῖον καὶ Θωμᾶν, Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ἀλφαίου, καὶ Σίμωνα τὸν καλούμενον Ζηλωτήν·	15. *Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi filium, & Simonem, qui vocatur Zelotes:*
16. Ἰούδαν Ἰακώβου, καὶ Ἰούδαν Ἰσκαριώτην, ὃς καὶ ἐγένετο προδότης.	16. *Et Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.*
17. Καὶ καταβὰς μετ' αὐτῶν, ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ, καὶ ὄχλος μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ πλῆθος πολὺ τοῦ λαοῦ ἀπὸ πάσης τῆς Ἰουδαίας καὶ Ἱερουσαλὴμ, καὶ τῆς παραλίου Τύρου καὶ Σιδῶνος, οἳ ἦλθον ἀκοῦσαι αὐτοῦ, καὶ ἰαθῆναι ἀπὸ τῶν νόσων αὐτῶν·	17. *Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, turbaque discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis, ex omni Iudæa & Hierusalem, & à maritima Tyro & Sidone, qui venerant, vt audirent eum, & sanarentur à morbis suis:*
18. Καὶ οἱ ὀχλούμενοι ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων, καὶ ἐθεραπεύοντο.	18. *Qui vexabantur à spiritibus immundis, & sanabantur.*
19. Καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἐζήτει ἅπτεσθαι αὐτοῦ, ὅτι δύναμις παρ' αὐτοῦ ἐξήρχετο, καὶ ἰᾶτο πάντας.	19. *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus ab illo exibat, & sanabat omnes.*

Pheriocha huius Historiæ.

SI solam Matthæi narrationem habemus, videri posset Apostolos tunc primum electos, quando emissi sunt ad prædicandum, Matth. 10. versic. 5. sed Marcus & Lucas, quos manifestum est hoc loco verum ordinem historiæ obseruare, separatim describunt electionem Apostolorum, & post satis longum temporis interuallum, sicut postea ostendemus, missionem secutam esse ostendunt. Matthæus igitur solam missionem Apostolorum describit, prætermissa electione: vel certe in historia emissionis simul electionem etiam insinuat. Marcus vero & Lucas electionem ipsorum suo loco, tempore & ordine describunt, & ostendunt electionem ita factam esse, non vt statim emitterentur, sed vt cum Christo essent, sicut Marcus inquit, donec institutione præparati, postea legationem Apostolicam obire possent.

Et hæc obseruatio de ordine huius historiæ, seu de tempore electionis & secutæ postea emissionis Apostolorum non est ociosa, sed multa vtiliter monet, præsertim contra Anabaptistas. Quia enim Christus elegit illiteratos, idiotas & rudes, quos postea ad ministerium Euangelij non in Iudæam tantum, sed per totum terrarum orbem misit, censent Anabaptistæ non opus esse in Ecclesia studiis linguarum & literarum, imo nec peculiari quidem studio sacrarum literarum, nec in vocatione ministrorum talia dona esse spectanda, sed eligendos esse idiotas, illiteratos & rudes, quibus, si ad ministerium vocentur, promittunt adfuturam gratiam Spiritus sancti, etiam sine studiorum adminiculo: imo iudicant Christum suo exemplo præscripsisse formam & exemplar electionis ministrorum, ne vocentur literati aut docti; sed quo quisq; rudior

& imperitior est, eo propiorem esse Apostolis, & magis idoneum ad ministerium Euangelij. Firma autem & illustris est refutatio huius barbaricæ opinionis. Christus quidem elegit tales Apostolos, de quibus Pharisæi Actor. 4. vers. 13. dicunt, quod sint illiterati & idiotæ. Non voluit autem hoc exemplo vniuersalem & perpetuam regulam præscribere, quales vocandi sint ad ministerium: sed huius facti habuit peculiares caussas. 1. Volebat miraculum virtutis suæ & gratiæ Spiritus in ministerio Apostolorum conspicuum esse toti terrarum orbi, præcipue vero Iudæis, ne putaretur humanæ sapiẽtiæ, artium aut eloquentiæ præsidiis res tanta geri: sed sicut Gamaliel inquit, vt viderent & quasi palparent, negotium illud ex Deo esse, & ipsum filium Dei, quasi exerta è cœlo manu, illa quæ per ministerium Apostolorum fiebant, gerere. Minus autem perspicuum fuisset hoc miraculum, si doctos & sapientes elegisset. Ideo idiotas & illiteratos elegit, quos gratia Spiritus sui subito sine literarum adminiculo ita expoliuit, vt cunctis huius mundi sapientibus præcellerent: vt cum sapientiæ ipsorum ne doctissimi quidem possent resistere, Lucæ 21. v. 15. Act. 4. v. 14. & 7. vers. 54. virtutem filij Dei in ipsis conspicue animaduerterent. 2. Voluit peculiare specimen gratiæ & Spiritus sui in persona Apostolorum statuere, vt disceremus veram sapientiam, cognitionem, & quæ ad ministerium necessaria sunt, non propriæ industriæ tribuere, sed è cœlo à Deo petere, & ad illum auctorem referre. 3. Supercilium sapientiæ carnis, quo tunc Pharisæi in Iudæa, & Philosophi in toto mundo turgebant, piscatoria illa simplicitate voluit humiliare, & ostendere, qui in regno Christi volunt sapientes fieri, illos oportere coram mundo stultescere. Voluit in Apostolis specimen præbere, qualis sit vocatio nostra, sicut Paulus inquit 1. Corinth. 1. vers. 26. & seq. Non multi sapientes, potentes, nobiles vocati sunt: sed quæ sunt stulta, infirma & ignobilia mundi elegit Deus, vt confundat ea quæ aliquid sunt in mundo, vt non glorietur in conspectu eius omnis caro.

Has peculiares Christus tunc habuit causas, quod illiteratos & idiotas elegit Apostolos. Non autem voluit hoc suo exemplo regulam perpetuam & vniuersalem statuere, quod rudes & imperiti vocandi sint ad ministerium Ecclesiæ. Paulum enim, qui à pueritia sedulo fuit institutus, Actorum 22. versic. 3. postea fecit summum Apostolorum. Et Paulus postea præscripsit regulam, quam Ecclesia in electione ministrorum sequi debeat, ne scilicet vocentur, nisi qui ad docendum idonei sint, 1. Timoth. 3. versic. 2. Tit. 1. versiculo 9. Et ipse Paulus Timotheum, qui ab infantia sacras literas didicerat, sibi adiunxit. 2. Timoth. 3. versiculo 15. & dicit illum doctrinam suam assecutum esse, 2. Timoth. 3. versiculo 10. Præcipit etiam, vt ille porro hominibus idoneis, & qui alios docere possint, doctrinam apostolicam commendet, 2. Timot. 2. versiculo 2. Valent igitur in hac disputatione hæ regulæ duæ. *Extraordinarium priuilegium paucorum non facit legem communem.* Item: *Non extraordinariis exemplis sed regulis perpetuis & vniuersalibus iudicandum est.* Deus in deserto per 40. annos pauit filios Israel sine humano labore. Si postea in terra possessionis ociosi voluissent extraordinarium hoc miraculum sine peculiari mandato & promissione in exemplum trahere, vt nec laborarent, nec sererent, certe tentassent Deum, & iuste sane interiissent. Ita; quia non habemus mandatum & promissionem de gratia Spiritus in ministerio sine adminiculo studiorum, non debemus ex priuilegio Apostolorum extraordinario facere legem communem, ne Deum tentemus: sed sequamur regulam Pauli: Attende lectioni, 1. Tim. 4. vers. 13. vt efficiamur διδακτικοὶ, 1. Tim. 3. vers. 2. & ita habebimus promissionem, Deum non defuturum nobis suo Spiritu in ministerio, 1. Tim. 4. versic. 14. 2. Tim. 1. v. 14.

Hæc est generalis responsio ad obiectionem Anabaptistarum. Obseruatio vero ordinis historiarum de vocatione, electione & missione Apostolorum magis illustrem adhuc præbebit explicationem huius quæstionis. Non enim omnino rudes, imperitos, & plane ignaros doctrinæ Noui Testamenti elegit Apostolos, nec statim post electionem ipsos misit in omnem terram ad prædicandum Euangelium. Sed hæc membra ordine in historia Euangelica obseruanda sunt. 1. Plerique eorum, qui postea Apostoli facti sunt, fuerant auditores Baptistæ, & in ipsius schola instituti, priusquam à Christo vocarentur. Hoc enim manifestum est ex 10. cap. versiculo 41. Iohannis. 2. Christus statim in principio ministerij sui quosdam, Iohan. 1. versic. 39 & 43. vocauit ad familiarem secum conuersationem. Nam Iohan. 15. versiculo vltimo, Christus inquit: Vos Apostoli perhibebitis testimonium de me; quia ab initio mecum estis: & illa conditio, Actorum 1. versic. 21. in Apostolo requiritur. 3. Postea Matth. 4. versi. 19. & 21. Lucæ 5. vers. 10. vocantur, vt relictis rebus & negotiis omnibus sectentur Christi, & sint indiuidui ipsius comites: vt eo commodius familiari & quasi scholastica institutione formari & erudiri possint. Et hoc contra Anabaptistas diligenter obseruandum est, qui laborem manuum à ministris Ecclesiæ tanquam necessarium quiddam exigunt: cum Christus Apostolos suos voluerit alia negotia omnia relinquere, vt eo commodius & diligentius possent doctrinæ operam dare, cum tamen illos magis miraculose, quàm ordinario modo expolire vellet. 4. Cum facti essent discipuli post aliquod demum tempus eliguntur, vt sint Apostoli: neque ita tamen, vt statim emittantur, sed vt sint cum Christo, sicut Marcus inquit, vt quæ proposita functione scirent, quomodo quotidiana Christi institutione, & ad quid formandi & præparandi essent. 5. Tandem post aliquot menses mittuntur ad prædicandum. Non autem statim in totum terrarum orbem exeunt: sed primo mittuntur, vt in sola Iudæa prædicent. 6. Priusquam in vniuersum orbem prædicatum Euangelium mittantur, Christus post resurrectionem aperit ipsis sensum, vt intelligant Scripturas Lucæ 24. versic. 45. & mittit ipsis Spiritum sanctum die Pentecostes, qui eos in omnem veritatem ducat, & institutionem absoluat, priusquam Apostoli orbis terrarum fiant. Hæc obseruatio ordinis historiarum pulcerrime ostendit, Christum nullo modo Apostolos rudes omnino illotis, quod dicitur, manibus ad ministerium Euangelij admouisse, sed per longum tempus magna cura & diligentia ipsos prius instituisse, & ad futuram legationem formasse. Et tamen in Apostolis voluit peculiare miraculum illuminationis Spiritus elucere. Multo magis ergo nunc opus erit sedula institutione & diligenti studio in illis, quibus mandandum est ministerium. Supputatio etiam temporis aliquid lucis afferet. A prima vocatione, Iohan. 1. versic. 43. vsque ad alteram illam, qua omnia iubentur relinquere, & Christum sequi, integer ferme annus intercessit, sicut in ordine historiæ ostendimus. Quo vero anni tempore facta sit electio, vt essent Apostoli, non expresse ponitur: coniecturis tamen potest aliquid colligi. Post Pascha enim Iesus rediit in Galilæam, & post concertationem de sabbato facta est conspiratio Pharisæorum cum Herodianis, cui Christus cessit. Et quod in loco illo secessionis satis diu hæserit, inde colligitur, quod rumor, quid in loco illo ageret, dimanauit in Iudæam & Syrophœniciam, & ex illis regionibus ad locum istum venerunt ad Iesum: non igitur vnius aut alterius septimanæ tempus fuit. *A die Paschatis* vsque ad sabbatum secundoprimum, quando Iesus discessit Hierosolymis, sunt 7. dies, & deinde vsque ad alterum sabbatum, Lucæ 6. vers. 6. secunda est septimana. In tertia igitur septimana post Pascha Iesus secessit ad mare: & quia aliquot septimanæ necessario tribuendæ sunt commigrationi Christi in loco illo cessionis, deducetur supputatio ad tempus circa festum Pentecostes. Et hæc coniectura ideo plurimum mihi probatur; quia Christus electurus Apostolos ascendit in montem, postea descendit ad turbas, ad radices montis consistentes, quasi repræsentans historiam legis Mosaicæ, & instituens explicationem Decalogi circa illud tempus, quando Iudæi memoriam promulgatæ Legis peculiari festo Pentecostes celebrabant. Nam & Iohann. 6. vers. 35. 53. & seq. Christus circa festum Paschatis de vero agno Paschali, hoc est, de esu suæ carnis & potu sui sanguinis quasi de tempore (sicut vulgus loquitur) concionatur. Et pulcre cõuenit, quod etiam hodie Iudæi in synagogis, ad officia lectionum, cantionum, & quę præterea ad politiam ipsorum pertinent, certas personas in festo Pentecostes deligunt. Ita ergo circa Pentecostem ad apostolatum electi sunt: & postea etiam in Pentecoste Spiritus super ipsos descendit, per quos exitura erat Lex ex Zion. A prima igitur familiaritate discipulorum cum Christo, vsque ad vocationem Matth. 4. v. 18. annus intercessit & amplius. A vocatione vero, quæ Matth. 4. v. 19. & 21. & Luc. 5. v. 10. describitur, vsque ad electionem ad apostolatum, Luc. 9. vers. 13. erunt plus minus quatuor menses: & ab electione vsque ad emissionem, Luc. 9. v. 2. sicut postea monstrabimus, intercessit dimidius annus & amplius. Qui numeri, si coniungantur, erunt ferme duo integri anni ab illo tempore, cum primo ad familiarem notitiam Christi vocarentur, Iohann. 1. v. 39. & 43. donec emittuntur ad prædicandum. Et ab electione, vsque ad illam Pentecosten, quando superueniente cœlitus Spiritu sancto, facti sunt totius terrarum orbis magistri, iterum erunt duo integri anni. Hæc supputatio non est ociosa diligentia: sed præterquam quod propter historiam iucunda est, ostendit etiam contra Anabaptistas, quàm diu, & quàm sedula diligentia Filius Dei Apostolos suos ad futurum ministerium formarit & præpararit. Et simul monet, ne quis imperata præparatione leuiter se ad capessendum ministerium ingerat, cum videat Apostolos, qui tantum ac talem magistrum habuerunt, per tempus satis longum quasi in Schola Christi retentos fuisse, priusquam publice,

blice, ad ipsum ministerium docendi obeundum, prodiret. Hæc ideo præmittenda fuerunt, vt manifestum fieret; obseruationem ordinis historiarum valde multum habere vtilitatis.

Ipsa autem historia electionis Apostolorum ita se habet. Cum Iesus in secessu circa mare à turbis vrgentibus ita, sicut Marcus dixit, comprimeretur, deflectens à mari exiit inde: & circa vesperam ascendit in montem: Lucas enim dicit eum ibi pernoctasse. Deflectentibus autem autem à mari Galilææ, primum occurrit mons Thabor, & hoc loco sine additione per Antonomasiam nominatur mons. Nam Psalm. 89. vers. 13. & Ierem. 46. vers. 18. inter præcipuos Galilææ montes numeratur Thabor: & veteres opinantur in illo monte electos Apostolos, vbi postea vox Patris sonuit, Hunc audite: vt intelligerent Apostoli, ministerium suum ad vocem filij Dei alligatum esse. Hæc veterum coniectura, vt satis certa non est, ita nihil habet incommodi, sed aliquid monet. Solus autem Iesus sicut aliàs oraturus fecit, vt in secessu & secreto liberius sine impedimentis orare posset, montem ascendit. Mane enim primum discipuli vocati ad ipsum veniunt; & quia ratione ministerij interdiu turbis operam dabat, nocturnum tempus sumpsit ad orationem. Tunc enim quies officiorum corporis & aliorum negotiorum mentem distrahentium, tenebræ & silentium animam aptiorem faciunt ad orationem.

Non autem quotidiano more orauit: sed διανυκτερεύων tota nocte insomnis in oratione perseuerauit. Lucas vocat προσευχὴν Dei, vel quod fuerit de negotio pertinente ad regnum & gloriam Dei: vel potius, quod fuerit serium colloquium cum Deo. In forma enim serui, tempore exinanitionis, cum ad ministerium missus esset, obtulit Patri deprecationes & supplicationes. Et licet Filius esset, didicit obedientiam, vt ita fieret causa salutis obedientibus ipsi, Hebræor. 5. vers. 8. & 9. Et hic locus Hebr. 5. contra Arrianos ostendit, filium Dei non ideo minorem esse Patre; quia patri orationem offert. Dicit enim, licet Filius esset. Egregium vero hoc exemplum est, quod Christus ante electionem Apostolorum orat: & quidem tam serio & instanter, vt in oratione ille totam noctem trāsigat. Sine dubio enim hæc inter se opposuit, quàm ardua & difficilis sit functio Apostolica; & contra, quanta sit humanæ naturæ infirmitas in ipsis Apostolis: quàm callidus & potens aduersarius diabolus, quàm varia scandala in mundo, quàm multa auocamenta carnis. Quia vero ad hoc tantum ministerium Deo placuit, non angelis, sed infirmis hominibus συνεργοῖς vti, proponit Christus sibi in oratione summam illam necessitatem, quantum referat ad regnum Dei, quales Ecclesia habeat ministros. Per illos enim vel colligitur & ædificatur, vel dispergitur & destruitur Ecclesia. Orat igitur, vt in electione monstrentur personæ idoneæ, vt instruantur donis necessariis, vtque in ipsis donis gubernentur à Deo, & in ministerio defendantur ab illecebris carnis, ab insidiis mundi, & patentia diaboli. Præterea orauit; quia super hæc omnia opus est benedictione Dei in ministerio. Quando enim ministri donis necessariis instructi labores vocationis diligenter faciunt: tamen nisi adsit benedictio Dei, non ædificatur Ecclesia, vt fiat Deo grata, conscientiis necessaria, & Ecclesiæ vtilia. Hæ considerationes detinuerunt Christum per totam illam noctem in oratione. Duo autem docet hoc exemplum Christi pernoctantis in oratione, ante electionem Apostolorum. 1. Quàm sollicitus sit Filius Dei etiam nunc, sedens ad dexteram Patris, & dans Doctores & Pastores, Eph. 4. vers. 11. vt Ecclesiæ vtiliter prospiciatur fidelib. & idoneis ministris, vt ipsorum ministerio, per suam gratiam & benedictionem, ædificet Ecclesiam. Et magna est consolatio in his senescentis mundi deliriis, quod ille, qui tunc electurus Apostolos pernoctauit in oratione, iam sedet ad dexteram Patris potenter intercedens pro nobis, & dans talia dona hominibus. 2. Christus hoc suo exemplo regulam nobis præscripsit, qua sollicitudine & circumspectione aggredienda sit electio seu vocatio ministrorum Ecclesiæ, præcipue vt incoetur à seria & ardenti inuocatione. Si enim Christus electurus Apostolos tam ardenter orauit, vt in oratione pernoctaret, qui tamen sciebat quid in homine esset, Iohann. 2. vers. 25. quid nobis faciendum erit, qui iudicio facile aberramus, sæpe magis affectibus quàm iudicio ferimur? Ideo Act. 13 vers. 3. electuri ministros, vt oratio magis esset ardens & seria, ieiunium coniungunt orationi. Et quid Ecclesia, in vocatione ministrorum orans sibi proponere debeat, ex his, quæ diximus, colligi potest. 1. Ne iudicio aberret à forma electionis in Paulo præscripta. 2. Ne quid vel prauis vel blandientibus affectibus tribuat. 3. Vt Deus ostendat personam idoneam, quam ipse elegerit, sicut Actor. 1. vers. 24. Apostoli precantur. 4. Vt personam, quæ electa est, instruat donis necessariis. 5. Vt instructam donis gubernet & defendat; ne à carne, mundo & diabolo vel terreatur vel seducatur. 6. Vt Deus plantationi & rigationi eius, qui vocatur, dare velit incrementum, ne labor eius inanis sit in Domino, 1. Cor. 3. vers. 6. & 15. vers. vlt. Et in hac oratione habemus consolationem illam, de qua iam dictum est, de sollicitudine & intercessione filij Dei.

Sed hic obstrepit obiectio, qui factum sit, cum Iesus in oratione illa pernoctarit, quod tamen Iudas, qui diabolus postea Iohan. 6. vers. 70. vocatur, in numerum Apostolorum irrepserit? Num igitur filius Dei falsus est iudicio suo? Atqui Iohann. 6. versic. 64. scriptum est: Sciebat ab initio, quis esset ipsum traditurus: nec dici potest, filij orationem à Patre non esse exauditam; imo destinato consilio Deus voluit Iudam fieri Apostolum, vt Scriptura de proditore impleretur. Est igitur & hæc pars historiæ de electione Iudæ, quæ offendere aliquem posset, cum proditor sit dedecus & macula ordinis Apostolici, plena multiplicis doctrinæ. Nos capita tantum notabimus. 1. Scriptura vtrumque affirmat, Iudam fuisse electum à Christo & non electum; Iohann. 6. vers. 70. Ergo vos duodecim elegi, Iohann. 13. vers. 18. Non de omnibus dico, scio enim quos elegerim. Sciebat ergo Iesus Iudam proditorem futurum, Iohan. 6. vers. 64. Electionem autem Apostolorum instituit non iuxta diuinam illam præscientiam, sed iuxta illa signa & testimonia, de quibus homo iudicare potest. Fuit enim Iudas absque dubio externa specie diligens, industrius, doctrinæ gnarus & bonæ vitæ. Illum igitur Christus elegit, idque inter cæteras causas ideo, ne turbemur, si quis, quem adhibito iusto, maturo & diligenti iudicio, iuxta formam à Deo præscriptam elegimus, postea in transuersum rapiatur, quasi eligentium culpa sit, si inde Ecclesia scandalizetur, turbetur & destruatur. Recte enim hic colligitur, Ecclesiam nunquam tàm cautam esse posse in eligendis ministris, quin inter bonos habitura sit permixtos malos, sicut Iudas fuit inter Apostolos. Augustinus lib. 18. de ciuit. Dei inquit: Habuit inter Apostolos & Iudam, vt suæ passionis impleret dispositum, & Ecclesiæ tolerandorum malorum præberet exemplum. 2. Iudam Deus voluit cooptari in Senatum Apostolorum, vt in primis & præstantissimis Noui Testamenti ministris ostenderet specimen futuræ ἰσχύος in Ecclesia, vsque ad finem mundi; non omnes scilicet fore veros & fideles ministros, qui ordinarias vocationes occupant, vel qui in legitima & ordinaria successione in Ecclesia inueniuntur. Item: ne offendamur, vt de doctrina Euangelij vel dubitemus, vel eam abijciamus, si in ordinariis vocationibus impij & perfidi inueniantur. 3. Si à sana doctrina, quam antea tradiderunt, deficiant: ne ideo iudicetur doctrina falsa esse. 4. Ne propter vocationem & locum ordinarium, absque probatione & iudicio, cuiuis spiritui credamus. 5. Voluit Deus ostendere se etiam per impiorum ministerium, quamdiu doctrinam sanam & saluam retinent, posse ædificare Ecclesiam, ne efficacia Euangelij ex dignitate & probitate ministrorum æstimetur. 6. Voluit ostendere: quomodo diligentibus Deum omnia in bonum cedant. Iudas enim postea defecturus eligitur Apostolus: ne putemus, ædificium Ecclesiæ funditus periturum, etiamsi aliqui quasi columnæ ruant. Non enim super homines quoscunque, vel doctores, vel sanctos, sed super solum Christum, qui firma & electa petra est, superstructa est Ecclesia. Quando igitur ex Apostolis aliquis labitur, sciamus Deum probare suos, vt ita à personis hominum, quibus aliàs nimium addicti sumus, ad solius Dei auctoritatem & potentiam reuocemur & deducamur. 7. Est commonefactio, ne quis in tam sublimi loco constitutus securus sibi indulgeat. Diabolus enim illis præcipue tendit insidias, & quo maior est vocatio, eo periculosior est eius abusus, & eò pronior lapsus. Hæc de electione Iudæ, qui postea factus est proditor, ideo diligenter notanda sunt: variæ enim cogitationes animum subeunt, quod post tàm ardentem & solicitam precationem filij Dei Iudas proditor in numerum Apostolorum subrepserit. Sed consideratio causarum ostendit, quare Deus electionem Apostolorum ita moderari voluerit, & multum vtilis doctrinæ etiam hæc pars historiæ de electione Iudæ continet.

Sed his expeditis pergamus in contexenda historia. Cùm igitur, post pernoctationem in oratione, facta esset dies, *Vocauit ad se discipulos suos.* Lucas vtitur verbo προσφωνεῖν, Marcus προσκαλεῖσθαι, vt significent ita vocatos, vt in montem ad ipsum conscenderent. Et ideò Marcus dicit, *Abierunt ad ipsum*, & post electionem cum illis descendit. Lucas autem nominat *turbam discipulorum.* Fuit igitur non exiguus numerus discipulorum Christi, præter reliquas turbas. Lucas enim distinctè ponit turbam discipulorum, & multi-

titudinem populi. Ex illa vero turba discipulorum elegit duodecim. Vtque diuina Christi in eligendis Apostolis auctoritas significetur, addit Marcus, *Quos voluit*. Ecclesia enim ad certum præscriptum in eligendo alligata est. Beda illud, *Quos voluit*, ita interpretatur: Non illorum electionis & studij, sed diuinæ erat dignationis & gratiæ, vt ad Apostolatum vocarentur, sicut Christus inquit Iohann. 15. v. 16. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Si enim habuisset in electione rationem dignitatis aut meriti, Iudas non fuisset electus: sed præteritis aliis, qui meliores fuerunt, quam Iudas, ex quibus postea 70. designauit, Iudam elegit, vt ostendat se non delectari eius perditione; quia in apostolatu plus incitamentorum habiturus erat ad pœnitentiam & conuersionem. Est & hæc doctrina huius particulæ *elegit quos voluit*. Deum sæpe præteritis præstantioribus, alios, qui minora habent dona, euehere ad præcipuas vocationes, vt gloria sit potentiæ Dei, qui virtutem suam in infirmitate perficit. Discamus igitur humiliter de nobis sentire, & non inuidere, quem cuique Deus locum attribuit. Quod vero Marcus addit: *Vt emitteret eos ad prædicandum*, non intelligit, quod tunc statim emissi fuerint, sicut antea ostendimus: sed in electione Christus proposuit ipsis capita futuræ functionis, vt scirent, quomodo & ad quid iam essent præparandi. Elegit igitur Apostolos. 1. *Vt essent cum ipso*: scilicet non sicut reliquæ turbæ, nec sicut hactenus vna cum aliis discipulis ipsum sectati fuerant, sed vt, tanquam indiuidui comites, propius & familiarius iam cum ipso versarentur, & ratione domesticæ & priuatæ institutionis, & præterea vt testes esse possent omnium, quæ Iesus faceret & doceret. 2. Elegit eos, vt aliquando *ipsos emitteret ad prædicandum*. Monet igitur, ita ipsos debere audire & discere, vt aliquando alios docere possint. 3. Ita elegit Apostolos, *vt haberent potestatem*, hoc est, promisit, se ipsos instructurum donis miraculorum, quæ sigilla apostolatus nominantur, 2. Cor. 12. v. 12. quæ duobus generibus complectitur, potestate scilicet *sanandi morbos, & eiiciendi dæmonia*. Quia enim elegerat pauperes, ignobiles, idiotas, ne auctoritas ipsorum condemnaretur, dixit se ipsis additurum auctoritatem sibi alioqui propriã, vt in nomine Iesu morbos sanarent, & dæmonia eiicerent. Sicut principes solent legatis suam potestatem, quantum ad legationem necessarium est, concedere. Data autem ipsis fuit illa potestas postea, cum emitterentur, Marc. 6. v. 7. Luc. 9. v. 1. Hoc loco igitur verba promissionis sunt, quod Marcus c. 3. v. 15. dicit: *Elegit eos, vt haberent potestatem*.

Duodecim autem elegit. Et de numero duodenario multa disputata sunt. Illam vero sententiam iudico esse omnium simplicissimam; quia populus Israel in 12. tribus distinctus, typus fuit populi electorum, Apoc. 7. v. 4. Ideo 12. elegit legatos, qui mittendi erant primo ad oues perditas de domo Israel: & postea ad verum & spiritualem Israelem in toto terrarum orbe congregandum. Ad hanc enim rationem Christus ipse alludere videtur, Matth. 19. ver. 28. Sedebitis super 12. sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Auctor vitæ Iesu alias colligit [illegible] huius numeri ex Scriptura: illas breuissime annotabo. Duodecim fuerunt Patriarchæ 12. viui fontes in Helim. 12. gemmæ in pectorali pontificis gerentis. 12. nomina filiorum Israel, 12. panes propositionis in mensa Domini. 12. principes tribuum. 12. exploratores missi in terram Canaan. 12. lapides ex Iordane sublati. 12. lapides altaris. 12. vituli Domino immolati. 12. boues sub mari æneo. 12. leonculi in throno Solomonis. 12. Prophetæ. 12. portæ & totidem fundamenta nouæ Ierusalem in Apocalypsi. & 12. stellæ in corona sponsæ.

Porro nouæ functioni nouam etiam tribuit appellationem. Nam Lucas inquit: *Elegit duodecim, quos & Apostolos nominauit*. Ratio vero appellationis exposita est in verbis Marci: *Elegit duodecim, vt* ἀποστέλλῃ, *emitteret ipsos ad prædicandum*. Et Iohann. 13. v. 16. Apostolus non est maior eo, qui misit ipsum. Et quia apud Prophetas sæpe fit mentio missionis & missorum à Domino: ideo ab illo verbo nominauit Apostolos. Significat enim ἀποστέλλειν, aliquem cum certis mandatis mittere, qui sit legatus, nuncius vel orator. Paulus 2. Cor. 5. v. 20. videtur illud ἀποστέλλειν per verbum πρεσβεύειν, quod in communi lingua Græca, pro legatione vsitatius est, reddidisse. Apud Demosthenem [illegible] dicuntur ἀποστολεῖς, magistratus rei nauticæ iurisdictionem habentes, & trierarchis iura reddentes. Et ἀποστολοι ipsæ classes & expeditiones maritimæ dicuntur. Hæc significatio à quibusdam huc traditur, sed nimis duriter. Subtilius huc posset referri, quod apud Iureconsultos ἀπόστολοι vocantur literæ dimissoriæ, quæ ab illo, à quo prouocatur, ad eum, qui de appellatione cogniturus est, dantur. Sed quia Christus ipse simplicem rationem appellationis tradidit, de missione ad prædicandum, omittamus illas subtilitates. Illud vero vtilius quæritur, cum pleræque phrases Noui Testamenti ex Græcis interpretibus sumtæ sint, vtrum etiam apud ipsos antea fuerit illa appellatio. Syrus deducit à [illegible]. Obseruaui autem, quod verbum Schalach, quando significat dare aliquid in mandatis, vel nuncium seu legatum cum certis mandatis mittere, à Græcis redditum est per verbum ἀποστέλλειν, vt 3. Regum 21. vers. Insecerunt in accusatione Naboth, sicut Iesabel ἀπέστειλε ad ipsos & c. 12. v. 18. Roboam cum mandatis ἀπέστειλε τὸν Ἀδωνιρὰμ ad Israelitas, qui & lapidibus adobrutus est. Ita Exod. 4. v. 30. Moses narrauit Aaroni omnes sermones Dei: à ἀπέστειλε. Ipsum etiam nomen Apostoli vsurpant Græci 3. Regum 14. v. 6. vbi Propheta Achia dicit ad vxorem Ieroboam: Et ego sum ἀπόστολος πρὸς σὲ σκληρὸς, hæc enim dicit Dominus. Ex hac collatione iudico rationem appellationis Apostoli simplicissime posse illustrari. Ad scribam præterea locum ex Epiphanio lib. 1. Tom. 2. hæresi 30. contra Ebionitas, vbi dicit: Iudæos vsque ad tempora Constantini Magni habuisse Patriarcham ex genere Gamalielis, & post Patriarcham esse, qui appellentur Apostoli, qui assideant Patriarchæ, & cum ipso assidue nocte & die degant consulendi gratia, vt referant ad ipsum ea, quæ sunt in lege. Hæc Epiphanius. Arbitror autem Iudæos illam appellationem non antea habuisse, sed post tempora Christi eam ad suam politiam transtulisse.

Christus igitur duodecim illos nominauit Apostolos, vt ipsa appellatione eos distingueret, & à vulgari turba auditorum, & ab illis etiam suis discipulis & sectatoribus, qui discipuli vocabantur; & quia auctoritas Apostolorum præ reliquis omnibus Doctoribus in toto orbe, & ad omnem posteritatem debebat præcellere & eminere, ideo peculiarem appellationem huic functioni tribuit. Est igitur Apostolus vocabulum non tam dignitatis, quam officij: quo ipsos electos voluit commonefacere, & populis, ad quos mittebantur, commendationes reddere, circumdata ipsis hac auctoritate, quod non à se ipsis venirent, sed à Christo missi, non sua, sed Christi mãdata, ad salutem hominum pertinentia, adferrent; nõ suam, sed Christi causam de salute generis humani agerent; non suam, sed Christi gloriam quærerent. Huic autem explicationi vocabuli addenda est etiam definitio rei, quod scilicet Apostolus sit Doctor in Nouo Testamento, immediate vocatus à Christo ad docendum Euangelium, & ad publicam administrationem clauium & sacramentorum, non ad politica negotia: & est ordinatus testimonio Spiritus sancti & miraculis, vt certum esset doctrinam ipsius diuinam esse, & *ipsum non errare in doctrina*; quia Deus de ea testificabatur: *& habet* potestatem vbique docendi.

Postremo recitantur nomina Apostolorum, & in illo catalogo Lucas per paria recenset Apostolos, sicut & Matthæus, vt ostendatur, dextras societatis & humanitatis ministris Euangelij necessarias esse; & quia postea scribuntur bini emissi, vt constet; qui quibus adiuncti fuerint. Marcus vero non recenset per paria. Et in ordine etiam recitationis non curiosi fuerunt Euangelistæ, sed variant: nè quis cum Pontificis existimet aliquid superioritatis vel prioritatis (sicut loquuntur) inter Apostolos ex ordine recitationis statuendum. Matthæus & Lucas Petro adiungunt fratrem Andream. Marcus vero & Lucas in Actis coniungunt Petrum, Iacobum, Iohannem, & postea subiungunt Andream. Matthæus, Marcus, & Lucas Philippo adiungunt Bartholomæum, sed Actor. 1. versic. 13. Philippo adiungitur Thomas, & Bartholomæo adiungitur Matthæus. Ita Marcus & Lucas Matthæum *præponunt* Thomæ, sed Matt. 10. v. 3. & Actor. 1. *versic*. 13. Thomas præponitur Matthæo. Item Simon Cananæus apud Matthæum & Marcum iungitur Iudæ Iscarioti: sed apud Lucam & Act. 1. versic. 13. Simon ille iungitur Iacobo Alphæi, & Iudas Thaddæus iungitur Iscariothi. Illud vero tanquam peculiare quiddam describitur, quod tribus ex illo numero Christus noua nomina imposuit, Petro scilicet, Iacobo & Iohanni. Vsitatum enim est in Scriptura, quod illis, quorum opera Deus ad magna & singularia quædam conficienda vti constituit, nomina mutantur. Ita Patriarchis Abrahæ & Iacobo noua nomina imposita sunt imposita. Id quod etiam inter gentes vsitatum fuit. Sic Pharao nouum nomen imposuit Iosepho, Gen. 41. versic. 45. Nabuchodonosor Danieli & sociis, Dan. 1. v. 7. Assuerus coniugi Estheræ, cap. 2. vers. 7. Et historia Euangelica ostendit, Christum peculiarem quandam prærogatiuam Petro, Iacobo, & Iohanni, præ reliquis Apostolis tribuisse. Hos enim solos adhibuit spectatores resuscitationis filiolæ Iairi: hos solos assumsit secum in montem, testes futuros clarificationis suæ & vocis paternæ: solos hos tres in agone testes secum propius assumsit, cum reliquos procul considere iussisset. Inter Apostolos etiam post ascensionem Christi Iacobus, Cephas & Iohannes habiti sunt pro columnis. Gal. 2. vers. 9. quanquam Iacobus, cuius ibi fit mentio, non videtur ille esse, de quo nunc loquimur, qui Act. 12. v. 2. interfectus scribitur. Fuit etiam singularis quædam familiaritas & coniunctio inter Petrum & Iohannem, vt Luc. 5. v. 10

soci-

socij sunt in piscatione. Iohan.13.vers.24. in cœna innuit Petrus Iohanni, vt exploret de proditore. Ioh.20.v.3. simul currunt ad sepulcrum. Ioh.21.vers.21. Petrus de Iohanne inquit: Domine quid ille? Act.3.ver.1.simul ascendunt in templum. Act.4.v.19. simul edunt confessionem coram synedrio. Gal. 2.v.9.coniunguntur tanquam columnæ.

Porrò Simoni impositum est nomen Cephæ, cum eligeretur in Apostolum. Quæ mutatio nominis ipsi promissa fuerat in principio ministerij Christi, Iohann. 1. versic.42. De ratione vero & significatione nominis Cepha quædam annotauimus Iohann. 1. & plura dicenda erunt Matth.16. versic.18.vbi Christus ipse rationem appellationis explicat.

Nouum vero nomen, quod Iacobo & Iohanni impositum est, solus Marcus annotat, & addit interpretationem, quæ nihil habet ambiguitatis, vocatos scilicet esse *filios tonitrui*. Sicut per Hebraismum vocantur filij iniquitatis, filij pacis. Rationem appellationis Hieronymus hanc tradit, quod assumpti sint, vt audirent vocem Patris, per nubem de filio tonantis, Matth.17.v.5. Vocem enim Dei tanquam tonitru sonare ostendit historia, Ioh.12.vers.29. vbi audita voce Dei turbæ dicunt, tonitru esse factum. Chrysostomus tradit ideo his duobus appellationem tonitrui impositam, quod magna, sublimia & stupenda diuinitatis edicta debebant per orbem terræ diffundere voce tam sonora, quæ in toto orbe quasi tonaret, vt ita vis & efficacia prædicationis ipsorum appellatione tonitrui designetur, sicut Psalm.19.vers.3.& seq.& 68. vers.34. efficacia Euangelij metaphora tonitrui describitur. Existimo autem, & hanc posse rationem appellationis assignari, sicut tonitru seu vox Domini, iuxta Psalm 29. commouet, concutit, terret. Ita Iacobo & Ioanni impositam esse hanc appellationem; quia futurum erat, vt præ cæteris acrius & vehementius aduersariis Euangelij se opponerent, & illos tonitru suæ prædicationis reprimerent. Ideo enim Herodes Agrippa, Actor. 12. versic.2. gratificaturus Iudæis, ante omnes alios Apostolos Iacobum interfecit. Postea vero demum Petrum comprehendit. Iacobus igitur sine dubio pro reliquis Apostolis vehementia sua Iudæis molestus fuit. Ioannes vero quomodo post obitum reliquorum Apostolorum, portis inferorum eructantibus innumerabiles & prodigiosas hæreses opposuerit tonitru suæ prædicationis & scriptionis, sonora eius vox adhuc hodie in Ecclesia tonans testatur. Interpretatio igitur & ratio appellationis certa & manifesta est. De peregrino verò vocabulo, quod Marc. 3. vers. 17. scribitur [Βοανεργές] ab eruditis disputatur. Peregrina enim vocabula, quando in aliam linguam transscribuntur, & aliis literis scribuntur, facile mutantur. Priorem partem dictionis significare filios, Marcus sua interpretatione ostendit. Vera autem & integra pronunciatio pluralis numeri vocis significantis filios, est בני. Quia vero Scheva aliquando pronunciatur, & non eodem modo ab omnibus pronunciatur, sed à quibusdam per e, à quibusdam per a, à quibusdam per o; vt, in nomine שלמה Scheva legitur Selomo, Salomo & Solomo. Et cum affixis seu in compositione scribitur בני *Bane*. filij. Inde quidam legerunt & scripserunt *Bone*, quidam *Bane*. postea Scribæ imperiti vtrumque corruperunt, *Boane*. De altera vero parte dictionis difficilior est disputatio. Debet enim significare tonitru, iuxta Marci interpretationem. Diximus autem in explicatione vocabuli Bethesda, Iohan.5. hoc interesse inter pronunciationem Chaldaicam & Hebraicam, quod vocales consonantibus vel proponuntur vel subiunguntur, Esdra & Esda. Ita hoc loco. *Erges* & *Reges*, nam & e præcedens pertinet ad *Bene* plurale. Vel, si litera hæemantica ה præponatur, erit *Herges*. Vel Græca pronunciatione, quæ aspirationem in medio scribere non potest, *Erges*, sicut in textu Marci scriptum est. Bucerus igitur deducit à רגש *Regasch*, quod significat congregationem facere cum sonitu seu tumultu, vt Psalm. 2. vers.1. Quare fremuerunt gentes. Vt ad verbum sit, filij fremitus, seu sonitus: quod Marcus, vt ostenderet qualem sonitum Christus intellexerit, reddidit filios tonitrui, sicut & Poetæ Iouem tonantem vocant ὑψιβρεμέτην, ex alto frementem, hoc est, tonantem. Sed quia vocabulum illud proprie significat congregationem, seu cœtum & turbam, & procul abesse videtur à cognatione cum tonitru: Lutherus, secutus Forsterum, deducit à Ragam, quod significat obruere lapidibus: & formato inde nomine [illegible] legit Benehargem; quia tonitru aliquando lapides eiaculatur. Et quia Græci in medio dictionis non possunt scribere aspirationem: ideo censet pro Hergem scriptum Ergem. Hieronymus super primum caput Danielis putat legendum *Beneerem*, & existimo ipsum respexisse ad vocabulum *Raam* רעם, quod significat concussionem, quæ tonitru comitatur, & ipsum tonitru significat, vt Psal. 77.vers. 19. vox concussionis tuæ in sphæra. Psalm.81. Versiculo 8. Exaudiam te in absconsione concussionis, & Iob. 26.versiculo vltimo. Hieronymus vocabulum Raam reddidit: Tonitru magnitudinis eius quis poterit intueri? Hæc Etymologia pulcre conuenit ad interpretationem Marci: & *Reges* quidem vel *Regem* in Marco scribitur per Gamma, vt non videatur respondere רעם *Raam*: sed notum est, Aim Hebræorum apud Græcos interpretes aliquando per Gamma pronunciari, vt Æmorrha Græci pronunciant Γομόῤῥα. ita רעם Raam per Ain, Græcis pronunciaretur Ragam. Sed obstare videtur, quod in Marco scriptum est, non *Regem*, sed *Reges*. Sentiunt igitur, cum apud Hebræos Mem finale & Samech in figura cognationem habeant ם & ס, scriptorem pro Mem legisse Samech: atque ita ex *Regem* factum *Reges*. Vel, si iuxta scriptionem Marci Sigma in fine retinendum putatur: cùm Græcum Sigma respondeat Hebraico Zain, Zade, Samech & Schin. Est igitur aliud verbum רעש, vbi si Ain pronuncietur per Gamma, erit *Rages*. Vsurpatur autem illud ita, vt ad interpretationem Marci pulcre alludat, Nahum.1. versic. 5. Montes commoti sunt ab eo. Ierem.4. vers.24. Vidi montes, & ecce mouebantur. Psam.60.vers.4. Commouisti terram. 3. Reg.19. versic.11. Post ventum commotio, post commotionem ignis. Sed vt literæ substantiales seu radicales maneant, sicut in Marco scriptæ extant, simplicissimam Etymologiam, quæ & scriptioni vocis *Reges* & interpretationi Marci conuenit, iudico hanc esse. Est verbum, quod scribitur per Zain, רגז *Ragaz* quod ita vsurpatur, Ioel 2.vers.10. A facie eius commota est terra, Dominus dedit vocem suam. Psalm.18.versic.8 De descensu Domini in Sina fundamenta montium commota sunt. Iob.37.versic.2. Commotio vocis eius. Si igitur Zain pronuncietur per Sigma, erit *Reges*, sicut in Marco scriptum est, & interpretatio ad vocem seu commotionem tonitrui non male conuenit. Syrus Paraphrastes habet בני רגשי *Benai Regeschi*, quod à sonando & tonando deducunt, ac illud vocabulum explicationis gratia addit רעם quod fragorem tonitrui Chaldæis significat. Hæc de variis etymologiis vocis *Boanerges* ideo annotaui, ne existimetur Marcus aliud reddidisse, quàm vocabulum ipsum proprie significet. Sensus igitur interpretationis hic est, *Reges* significat commotionem seu concussionem. Marcus dicit, hoc loco Christum significasse illam, quæ fit per tonitru. Et hactenus diximus de nouis nominibus, quæ Christus Petro, Iacobo & Iohanni imposuit.

Reliqui vero Apostoli, vel retinuerunt vsitata sua nomina, vel aliunde non à Christo acceperunt cognomina. Sunt autem Græca nomina *Andreas* & *Philippus*: in quibus frustra & inepte quæruntur Hæbraicæ origines, vt quod *Philippus* sit os lampadis: *Andreas* à momendo dicatur. Constat enim manifestissime ex libris Macchab. quod propter confœderationes & commercia cum exteris gentibus Iudæi externa etiam nomina adsciuerint. Hinc Iasones, Menelai, Lysimachi, Dosithei, Sosipatres, Aristobuli, Alexandri, Stephani, Nicolai, Nicodemi, Timothei apud Iudæos. Et sicut imponendis externis seu peregrinis nominibus multæ solent ineptiæ committi: ita piscatores militaria nomina filiis suis imposuerunt, vocantes eos Philippos & Andreas, fortes, viriles, bellicosos amatores equorum. *Bartholomæo* Hieronymus tribuit Hebraicam originem, à *Bar Thala* & *Maim*, hoc est, filius suspendentis vel eleuantis aquas. Alij deducunt à *Thelem*, vt sit filius sulcorum, seu areolarum: vel frumentum sulcorum meorum. Sed simplicius iudico esse, sicut Τιμαῖος Græcum nomen est, & inde fit Bartimæus, filius Timai. Mar.10.v.46. ita *Bartholomæus* sit filius Tholmai. Ita enim Chaldaice scribitur. Nomen enim Ptolomæorum Iudæos etiam sibi imposuisse, testantur exempla. Esther 11. vers.1. de Ptolomæo Leuitici generis, & 1. Macch.16.v.11. Ptolomæus quidam est gener summi sacerdotis. Quod vero ex Apocryphis Hieronymi citatur, Bartholomæum nobilem fuisse, ex posteritate regnum Syriæ ortum, propterea, quod Ptolomæorum nomen in regum Ægypti & Syriæ familiis celebre fuit, fabula est. Translatum enim fuisse nomen illud ad Iudæos iam ostendimus. Et Apostolos non ex gentibus, sed ex Iudæis electos esse, certum est. Ex Hebraica vero origine potius dicendum esset, Bartholomæum fuisse filium vel agricolæ vel hortulani, quod ad locum 1. Cor.3.v. 6. vbi agriculturæ & plantationi ministerium comparatur, pulcre conuenit: vel qui hauriendis aquis vitam tolerare solitus fuerit.

Quatuor igitur nomina Apostolorum Græca sunt, Petrus, Andræas, Philippus & Bartholomæus. Cephas Chaldaicum est, sicut Iohan.1. ostendimus. Reliqua Hebraica sunt, quorum nota est origo & significatio. *Simon* scilicet audiens, obediens, & Chaldaice etiam prædicans. *Iacobus*, supplantans. *Ioannes*, gratiosus, *Iudas*, confitens, celebrans. Et *Mat*-

thaus, datus seu donatus: qui & ideò *Leui* dictus fuit, quasi accommodatus adhærens Domino. Quod postremum videtur in historia Macchabæorum redditum esse δοσίθεος, quanquam illud magis proprie explicet nomen Matthiæ.

Porro quibusdam Apostolis attributa sunt cognomina non à Christo, sed ab aliis, vt qui Hebraice *Thomas*, Græcis dictus fuit δίδυμος, Iohan 20. versic. 24. gemelli enim vocantur Thomim. Simon, qui Matt. 10. versic. 4. & Marc. 3. vers. 18. vocatur κανανίτης, Græcis dictus fuit Ζηλωτής, Lucæ 6. vers. 15. Act. 1. versiculo 13. Et oppidum quidem Cana Iosuæ cap. 19. versic. 28. scribitur in fine per He, non per Aleph: vt à mercatura potius, vel à calamis seu arundinibus, nomen habere videatur. Ideo quidam contendunt, Simonem hunc non ab oppido Cana nomen habuisse, sed scribendum esse κανανίτης, Canaa enim significat æmulatorem. Sed quia potissimum est He & Aleph sæpe mutari, potest appellatio κανανίτης, (ita enim scribitur & apud Matthæum, & apud Marcum) esse ab oppido Cana, & nihilominus originem habere à zelo. Ita enim Lucas in duobus locis interpretatur & Chaldæis vtrumque significat zelum קנא & קנה. Obseruetur vero & hoc discrimen. Muliercula, Matt. 15. v. 22. vocatur Cananæa nomine gentili, à Cananæis populis: Simon vero ab oppido vocatur non χαναναῖος, sed κανανίτης. In Hebræo literis primis substantialibus differunt. Alterum enim per כ Caph, alterum per ק Coph scribitur.

Quia vero duo sunt in numero Apostolorum, qui habent nomen Simonis ad differentiam prior vocatur Simon Bar-Iohanna, alter vocatur Simon Cananæus seu Zelotes. Ita duo sunt Iacobi: & prior vocatur filius Zebedei, & frater Iohannis. ab historicis vocatur Iacobus Maior: alter ab Euangelistis Iacobus Alphæi vocatur, filius scilicet illius Alphæi, qui fuit maritus Mariæ Cleophæ, sororis matri Domini. Paulus Galat. 1. versic. 19. vocat ipsum fratrem Domini: & ita etiam Iosephus lib. 20. Antiquit. ipsum nominat. Marci 15. v. 40. vocatur etiam Iacobus minor. Apud Eusebium, Epiphanium & reliquos historicos, vocatur Iacob Iustus & Oblias: quanquam existimetur hic alius fuisse Iacobus.

Duo etiam nomen habuerunt Iudæ: Posterior vocatur *Iudas Simonis*, scilicet filius, Iohan. 13. vers. 26. ab aliis Euangelistis vocatur proditor & *Iscariotes*, quam appellationem iuxta Hieronymum accepit vel à Vico, vnde oriundus fuit: vel à tribu Issachar: vel post proditionem ita vocatus fuit, quod pro mercede Dominum prodidisset: aut si ante proditionem ita vocatus fuit, vel à Christo, vel à vulgo, ominosum & fatale nomen fuit. שכר Schacar enim significat ob mercedem aliquid facere. Sunt qui deducant ab *Isch* vir & *Carath*, quod significat abscissionem, exterminium: vnde etiam libellus repudij appellationem habuit. Et Petrus 1. vers. 18. & 25. videtur alludere ad vtramque Etymologiam. Dicit etiam: Acquisiuit agrum ex mercede iniquitatis. Et postea inquit: Ex quo ministerio τοῦτο Iudas Syrus scribit per Samech סכר quod ab obduratione nomen habet, & significat etiam strangulationem, quod ipsum etiam proditori Iudæ conuenit. Alter Iudas, ad differentiam illius, à Luca vocatur *Iudas Iacobi*, non sicut à patribus nomina habent, Iacobus Zebedei & Alphæi, sed sicut ipse in epistola sua explicat, cum inquit: Iudas frater Iacobi minoris scilicet. Marcus vocat *Thaddæum*. Matthæus *Lebbæum*, qui dicit cognominatum fuisse *Thaddæum*. Hieronymus putat dictum Lebbæum, quasi corculum. *Leb* enim cor significat. In Thaddæo Munsterus quærit Chaldaicam etymologiam, ab vbere seu mammilla. Exponam vero & meas cogitationes de his duabus appellationibus. Post proditionem Ischariotis nomen Iudæ adeo fuit inuisum, vt ob detestationem flagitij Matthæus & Marcus fratrem Iacobi nolint appellare Iudam, ne si appelletur Iudas appellatio cogitationem de proditore ingerat, maxime quia iuxta Lucę descriptionem, in prima legatione socij fuerant Iudas Iacobi, & Iudas Iscariotes. Sumserunt igitur aliud vocabulum ab eadem radice & eiusdem significationis, sicut nomen Iudæ: sed quod sono parumper variaret, & pro Iuda vocarunt Thaddæum: Sicut in Hebraica origine cognatio illa manifestior est. Nam à radice ידה deriuatur & יהודה & תודה *Iuda* & *Thodda*, quæ à confessione, laudatione & gratiarum actione nomen habent. Porro, quia Iacob Iudam patriarcham, Gen. 49. vers. 9. vocat leonem & catulum leonis. Apostoli igitur, cum fratrem Iacobi nollent vocare Iudam, propter cognomen proditorem, per Antonomasiam ipsum vocarunt *Lebbæum* לביא enim significat leonem, vnde Lebbæus dicitur. Hanc iudico esse rationem mutati nominis in Iuda Iacobi: quæ conuenit & cum grammatica, & cum significatione nominis Iuda. Quidam dicunt Iudæorum morem esse, quando in proprio alicuius nomine aliquot literæ nominis tetragrammati continentur, quod illud cum vicino aliquo commutent, ne quotidiano vsu sacrosanctæ nominis tetragrammati literæ profanentur. Ita Iehojakim, exaltandum, vocant Eli, altum. Pro יהודה scribunt & pronunciant ידה pro Iehuda, Iuda: & pro eo תודה Thoda, quod idem significat. Sed prior ratio mihi magis probatur.

Hæc de appellationibus Apostolorum non indigna iudicaui, quæ annotarem. Spiritus sanctus enim in quatuor locis nomina illa recenset: vt à Pseudoapostolorum nominibus ea distinguat, vtque ea Ecclesiæ ad perpetuam memoriam commendet.

Quomodo vero & quando primum cooptati sint in numerum discipulorum, priusquam ad Apostolatum eligerentur, de sex expresse scriptum est: de Petro scilicet, Andrea, Iacobo, Iohanne, Philippo & Matthæo. De cæteris sex sigillatim nihil scriptum est, nisi quod dicuntur vnà cum cæteris fuisse in numero discipulorum, priusquam eligerentur, vt fierent Apostoli, Lucæ 6. ver. 13.

Tres autem illi, Iacobus Alphæi, Iudas Iacobi, & Simon Cananęus, videntur in Cana facti discipuli Christi. Iohannes enim dicit capite 2. v. 12. Post hęc descendit Capernaum, ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius.

Quale vero fuerit genus vitę ipsorum ante vocationem, de quibusdam constat. Petrus, Andreas, Iacobus & Iohannes fuerunt piscatores. Matthęus fuit publicanus. Iacob Alphęi, Iudas Iacobi, & Simon, colendis agris operam dederunt, sicut narratio Eusebij ex Ægesippo ostendit, de qua postea. Thomas Ioh. 21 v. 2. cum Petro & reliquis vadit piscatum. De reliquis tribus nihil certi constat: nisi quod de Bartholomæo ex Hebraica etymologia diximus. Philippum etiam patria Bethsaida, & societas Nathanaelis posset forsan ostendere piscatorem fuisse: nam Iohan. 21. vers. 2. Nathanael simul piscatur. De Ischariote vero nihil constat.

De patria etiam quędam obseruari possunt. Petri enim, Andreę & Philippi patria fuit Bethsaida. Zebedęum vero, patrem Iacobi & Iohannis, Capernaum habitasse, ratio piscationis, Matth 4 vers. 21. & Luc. 6. vers. 10. indicare videtur. Matthęum certe Capernaum domum habuisse historia manifeste indicat, Matt. 9. versi 9. Iudas proditor à patria cognomen habuisse dicitur. Iacobus Alphęi, Simon & Iudas sunt fratres Christi, Mar. 6. vers. 3 Matth. 13. vers. 55. & Simon à patria vocatur Cananęus. Videtur ergo Cana fuisse horum trium patria. Sed Nazarethani dicunt: Fratres eius sunt hic apud nos. Ergo Nazareth fuit Iacobi minoris & *Thaddei* patria. Simon vero Zelotes vnus ex duodecim, vel non fuit ille Simon qui Mar. 6. vers. 3. inter fratres Domini numeratur, hos enim Nazarethani ciues suos vocant. Simon vero Apostolus à patria Cana cognomen habet Cananæi: vel fratres, hoc est, cognati Christi non omnes ex vna & eadem patria fuerunt. Solius ergo Thomæ & Bartholomæi patria ignoratur. Fuisse autem Thomam Galilæum, cuius patria circa mare Tyberiadis fuit, ex historia Iohannis c. 21. v. rs. 2. colligitur. In vltima enim cœna Christus dicit Iohan. 16 vers. 32. Venit hora, vt dispergamini quisque in propria, sed Ioh. 21. vers. 2. Thomas est circa mare Tyberiadis cum Petro & filiis Zebedæi. Ergo ibi fuit patria eius Hoc enim Christus vocat τὰ ἴδια. De Nathanaele enim, qui simul ibi aderat, quia alibi patriam habebat, ideo distinctionis gratia additur, qui erat à Cana Galilææ.

Dignum est & hoc annotatione, quod Christus delectatus est peculiari familiaritate cum cognatis suis, non tantum in priuata vita, verum etiam tempore ministerij sui. Aliquot enim Apostolos ex illis elegit. Nam Iacobus, Iudas & Simon consobrini fuerunt Christi, sicut suo loco de fratribus Domini dicemus: Iohannes vero & Iacobus Zebedęi, ex Salome, sorore Ioseph, nati fuerunt.

De ordine etiam quædam disputata sunt. Romanus enim Pontifex primatum suum inde confirmare voluit, quod Petrus primo loco ponitur, & non casu sanè ordo ille in catalogo Apostolorum ab Euangelistis institutus est. Hieronymus enim dicit, ordinem Apostolorum & meritum vniuscuiusque illius fuisse distribuere, qui cordis arcana rimatur. Non tamen satis firmum argumentum inde ducitur de prærogatiua Apostolorum. Marcus enim tres illos, quibus Iesus noua nomina imposuit, primo loco recenset, & Andreæ tribuit quartum locum, qui in Matthæo & in Luca secundum locum obtinet. Matthæum reliqui ponunt ante Thomam: ipse vero, cap. 10. vers. 3. humilitatis & modestiæ gratia Thomam sibi præponit. Atqui si Christus certos & immotos dignitatis gradus inter Apostolos ipso ordine catalogi constituisset, non licuisset Matthæo humilitatis gratia ordinem illum à Christo institutum mutare. Variant etiam in fine catalogi. Lucas enim in duobus locis Simonem Cananæum præponit Iudæ Iacobi: Matthæus vero & Marcus Simonem postponunt. Hinc Chrysostomus dicit, catalogum Apostolorum non secundum dignitatem ordinatum: mihi enim videtur, inquit;

inquit, Iohannes non aliis solum, sed & fratre maior esse: Theophilactus etiam sentit, ideo primos nominari Petrum & Andream, quia primi vocati sunt, vt essent discipuli Christi. Et Paulus, quod argumentum maxime huc pertinet. Gal. 2. vers. 9. inter columnas Apostolorum recitat Iacobum, non Zebedæi, (ille enim iam tunc interfectus erat,) sed Iacobum minorem, & illum præponit Petro & Iohanni. Et vt maxime videtur, Petrum inter Apostolos primarium esse: non tamen inde dominatio eius in clerum extrui potest, quam & Christus, Luc. 22. vers. 26. & 1. Petr. 5. vers. 3. ipse Petrus prohibet. Imo licet maxime inter Apostolos supremus fuisset: non ideo super totum terrarum orbem eminentia ipsi arrogari posset. Paulo enim in Euangelium in præputio concreditum fuit, sicut Petro in circumcisione, Galat. 2. vers. 7. Ac postremo, etiamsi Petro tale priuilegium concessum fuisset, non ideo ad Antichristum illud pertinere dici posset. Aliquam tamen esse rationem ordinis in catalogo Apostolorum, dubium non est: quæ pie considerari potest si absit Romanensis superstitio. Præbet enim obseruationem non contemnendam, quod Iesus cognatos suos non primo, sed vltimo loco in catalogo Apostolorum posuit: & tamen ex vltimo loco Iacobum minorem postea transfert, vt numeretur inter columnas, & quidem Petro etiam præponatur. Gal. cap. 2. v. 9. Illud etiam in catalogo Apostolorum obseruandum est, quod secundum paria seu iuga, sicut Hieronymus loquitur, numerantur. apud Matthæum præsertim & Lucam. Marcum enim hoc non obseruasse inde colligitur, quod singulis nominibus singulas addit copulatiuas coniunctiones. ϗ, Et: reliqui vero duobus nominibus vnicam tantum addunt copulam. Quia igitur Iesus misit binos, seu vt Marcus loquitur δύο δύο, catalogus ostendit, qui in illa legatione fuerint socij. Conuenit autem inter Matthæum & Lucam, hos fuisse socios, & hæc quasi iuga Apostolorum: Petrum & Andræam: Iacobum & Iohannem: Philippum & Bartholomæum: Matthæum & Thomam. In duobus vltimis paribus variant, Matthæus enim Iacobum Alphæi, & Iudam Iacobi, item Simonem Cananæum & Iudam Iscariotem socios facit. Et hunc ordinem etiam Marcus sequitur. Lucas vero duobus locis Simonem Cananæum adiungit Iacobo Alphæi, & Iudam Iacobi socium facit Iudæ Ischariotis.

Postremo, vt ea, quæ ad hunc locum pertinere videntur, tanquam in tabella simul comprehendamus: breuissime annotabo quædam etiam de illis, quæ de singulis Apostolis & eorum actis extant in Scriptura testimonia: & quid præterea historiæ de peregrinatione & morte singulorum annotarint, idque paucis & breuissime.

Petri igitur plurima fit in Scripturis mentio. Ioh. 1. vers. 42. ex Schola Baptistæ deducitur ad Christum, & accipit nomen Cephæ. Luc. 5. vers. 3. & 10. nauiculam suam Christo concionaturo accommodat, & post capturam piscium vocatur, vt relictis omnibus sectetur Christum. Marc. 1. vers. 30. socrus Simonis sanatur, & Simon insequitur Christum. Luc 6. vers. 14. cooptatur in collegium Apostolorum, Luc. 8. vers. 45. dicit de turbis comprimentibus Christum, Marc. 5. v. 37. assumitur, vt fit spectator resuscitationis filiolæ Iajri. Circa Pascha iussus ambulat super aquas maris, & incipit mergi, Matt. 14. vers. 28. Et mox Iohan. 6. vers. 68. dicit: Quo ibimus? verba vitæ æternæ habes, Matt. 15. vers. 15. quærit de interpretatione eorum, quæ intrant in os, & tamen hominem non coinquinant. Postea, nomine omnium Apostolorum, edit præclaram confessionem, & accipit promissionem clauium. Sed mox, sapiens ea, quæ carnis sunt, vocatur Satan, Matth. 16. vers. 16. & 23. In monte spectat transfigurationem Christi: audit colloquentes Christum, Mosen & Eliam: audit ibi insuper vocem Patris è nubibus sonantem. Et post disputationem de spirituali libertate, & de externa subiectione erga magistratum, iussu Christi piscem capit, in ore habentem staterem, Matth. 17. vers. 4. & vlt. Remissionem peccatorum ad numerum septenarium vult restringere, Matth. 18. vers. 21. Postea Matth. 19. vers. 27. inquit: Nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid igitur erit nobis? Luc. 12. vers. 41. quærit. Ad nos ne, an vero ad omnes, dicis hanc parabolam? Mar. 11. versic. 21. de ficu arefacta quærit. Mar 13 vers. 4. quærit de tempore desolationis templi, & consummationis mundi. Luc. 22. vers. 8. mittitur ad parandum Pascha. In vltima cœna, non vult sibi pedes lauari. Iohan. 13. vers. 8. nimium confidenter promittit de sua constantia: vers. 37. quærit de proditore vers. 24. &c. In horto spectator est agonis Christi, Matth. 26. vers. 37. vtitur gladio contra mandatum Christi. vers. 51. primo fugit, vers. 56. postea ingreditur domum Pontificis, vers. 58. abnegat Christum, vers. 70. 72. & 74. & agit pœnitentiam, vers. 75. Resurrectio Christi primum iubetur Petro nunciari, Mar. vlt. vers. 7. ingreditur monumentum, Iohan. 20. vers 6. Postea in mari Tyberiadis intelligens Iesum adesse inicit se in aquam, vt citius ad ipsum veniat, Iohan. 21. vers. 7. Post sumptum cibum Christus familiariter cum ipso loquitur de dilectione: de pascendis ouibus: & de futuro ipsius martyrio. Ipse verò ex curiositate sua quærit de Ioanne, versic. 15. 18. & 21. Post ascensionem Christi, Petrus proponit deliberationem de substituendo Matthia in locum Iudæ, Act. 1. vers. 15. Post acceptum Spiritum sanctum primas duas conciones habet Petrus, quarum priore conuertit tria millia, Act. 2. vers. 41. posteriore quinque millia, Actor. 4. versic. 4. Inclusus carceri postea primam edit confessionem coram aduersariis. Act. 4. vers. 8. Edit miraculum in claudo, Act. 3. vers. 7. postea in Anania, Act. 5. versic. 5. & multos vmbra sua sanat: vers. 15. per angelum educitur ex carcere: vers. 19. & alteram edit confessionem, vers. 29. Mittitur ad confirmandos Samaritanos, & ibi cum Simone Mago agit, Act. 8. vers. 14. & 20. Sanat paralyticum, & suscitat Thabidam. Act. 9. vers. 34. & 40. Accipit visionem de vocatione Gentium & conuertit Cornelium Act 10. v. 9. & seq. Fratribus Iudæis exponit vocationem & conuersionem Gentium, Act. 11. vers. 4. Conijcitur ab Herode in carcerem, vnde per angelum liberatur, Act. 12. v. 3. & 7. In concilio Apostolorum dicit sententiam de abrogatione ceremoniarum Mosaicarum, & de iustificatione per solam fidem sine operibus Legis. Act. 15. v. 7. Paulo dedit manus societatis: venit Antiochiam, & ibi reprehensus est à Paulo, Gal. 2. vers. 9. & 11. Docuisse ipsum in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia, & in Babylone, constat ex prioris epistolæ ipsius cap. 1. vers. 1. & 13. Duæ eius epistolæ extant, de quarum posteriori dubitatum fuisse, & Eusebius & Hieronymus scribunt. Magnæ sunt inter eruditos contentiones, An Petrus Romæ fuerit: quo tempore eo venerit: & quamdiu ibi fuerit. Et fuisse ipsum Romæ omnes historici consentiunt. Quo vero tempore eo venerit, perturbatissimæ sunt annotationes. Illud cum historia Actorum simplicissime conuenire videtur, quod Origenes Tomo in Genesin 3. & Nicephorus annotant, Petrum circa finem vitæ suæ, vltimis annis Neronis, venisse Romam. Reliqui addunt, quod ibi demisso capite & inuersis vestigiis cruci affixus sit.

Andreas à Baptista ablegatur ad Christum, Iohan. 1. v. 40. & fratrem suum Simonem deducit ad ipsum, v. 41. Matth. 4. v. 18. Marci 1. vers. 16. vocatur, vt relictis omnibus fit discipulus Christi, Marci 1. v. 29. excipit Christum in domo sua. Lucæ 6. v. 14. fit Apostolus. Matth. 10. v. 2. emittitur cum aliis. Iohan. 6. v. 8. dicit de puero habente quinque panes & duos pisces. Iohan. 12. ver. 22. die Palmarum Græcorum petitionem defert ad Iesum. Marci 13. v. 3. Interrogat de tempore desolationis templi, & consummationis seculi. Eusebius ex Origene dicit, Andream ad prædicandum Euangelium in Scythiam concessisse. Nicephorus addit, ipsum accessisse ad vtrumque Pontum Euxinum. Crucifixum ipsum esse in Achaia, Sophronius tradit. Sabellicus locum passionis in Scythia fuisse significat.

Iacobus Zebedei à piscatione vocatus est, Matth. 4. vers. 21. Lucæ 5. v. 10. in electione Apostolorum peculiare ipsi nomen à Christo imponitur. Marci 3. v. 17. assumitur ad spectandam resuscitationem filiolæ Iajri, Marci 5. vers. 37. ad clarificationem Christi in monte, Matth. 17. v. 1. & ad agonem eius in horto, Matt. 26. v. 37. Marc. 10. v. 35. petit sibi concedi, vt ad dextram Christi consideat. Lucæ 9. vers. 54. vult, vt ignis descendat de cœlo, & deuoret Samaritanos. Marc. 13. v. 3. quærit de templi & mundi consummatione. Actor. 12. vers. 2. interficitur ab Herode, Anno Christi 45. Eusebius ex Clemente citat, accusatorem Iacobi, cum martyrium ipsum subiturum cerneret, constantia eius motum, statim & vltro confessum, se Christianum esse. Cum autem vtrique simul ducerentur, accusatorem in itinere petiisse, vt sibi ignosceretur à Iacobo, qui parumper deliberans, Pax tibi, inquit. Et cum osculatus esset ipsum vterque decollatus est.

Iohannis fratris Iacobi primum expressa mentio fit, quando post capturam piscium, Luc. 5. ver. 10. vna cum Iacobo vocatur, vt sequatur Christum, Matt. 4. v. 21. Marc. 1. v. 19. Verisimile autem est, ipsum à principio illis omnibus, quæ tam accurate describit à 1. cap. vsque ad 5 interfuisse. In electione ad Apostolatum nouum nomen accepit, Marci 3. vers. 17. Adhibitus autem fuit à Christo cum Petro & Iacobo ad spectaculum resuscitationis filiolæ Iajri, Marci 5. v. 37. transfigurationis, Matth. 17. vers. 1. & agonis Christi. Matth. 26. v. 37. Marci 9. versic. 38. Et Lucæ 9. v. 49. Iohannes defert ad Christum de quodam, qui cum non esset in numero discipulorum, vtebatur tamen nomine Christi ad eiicienda dæmonia. Lucæ 9. versic. 54. putat Samaritanos dignos esse, quos ignis de cœlo descendens deuoret. Marci 10. vers. 35. petit sessionem à sinistris Christi. Marci 13. vers. 3. interrogat de templi desolatione. Lucæ 22. versic. 8. mittitur cum Petro ad parandum Pascha. Quam carus autem fuerit Christo,

inde colligi potest, quod vocatur discipulus, quem Iesus diligebat. Iohan. 21. vers. 20. & quod in postrema cœna super pectus Domini recubuit, Ioh. 13. ver. 25. ipsique Christus reuelauit, quis esset proditor, v. 26. Secutus est Iesum in atrium Pontificis, Iohan. 18. vers. 15. stans sub cruce matrem Domini sibi commendatam in tutelam recipit, Ioan. 19. vers. 26. & 27. post resurrectionem primus cum Petro currit ad monumentum, Iohan. 20. ver. 4. in mari Tyberiadis primus agnoscit Iesum in littore stantem, Ioan. 21. v. 7. Post ascensionem Christi cum Petro edit miraculum in claudo, Actor. 3. v. 4. Post incarcerationem simul cum Petro edit præclaram confessionem, Act. 4. versic. 19. Postea cum Petro mittitur ad confirmandos Samaritanos, Actor. 8. ver. 14. Paulo dedit dextram societatis, Galat. 2. ver. 9. In diuisione Apostolorum Asiam Iohanni obtigisse scribunt, & inter. 12. Apostolos Iohannem peculiari zelo se opposuisse hæreticis, præter reliquos historicos, testatur Euangelica eius historia & epistola. Et nota est Irenæi historia. Cum in balneo Iohannes offendisset Cerinthum, quod statim, non lotus, exilierit de balneo, timens, ne ob blasphemias eius concideret, id quod postea factum est. In Pathmon relegatus, ibi Apocalypsin vidit, Apocal. 1. v. 9. Hieronymus dicit Iohannem Ephesi mortuum, anno 68. post passionem Domini. Tam longæuam autem filius Dei ipsi concessit vitam, vt monstraret Ecclesiæ ad omnem posteritatem, quæ essent vere γνήσια Apostolorum scripta, & ab illis Apostolica notatione seiungeret apocrypha & supposititia, sicut de trium Euangelistarum scriptis Eusebius meminit, & Hieronymus de adulterino quodam scripto de Tecla, sub Pauli nomine edito, ex Tertulliano citat.

PHILIPPVS inter principia ministerij Christi vocatus, Nathanaelem adduxit ad Christum, Iohan. 1. vers. 45. & in deserto Christus cum ipso deliberat de saturandis quinque millibus, Iohan. 6. v. 5. Græci etiam quidam, cum familiaritatem Christi appeterent, apud Phillippum, qui inter primos discipulos vocatus fuerat, se insinuant, Iohan. 12. v. 21. Post vltimam cœnam, cum Philipus peteret sibi ostendi Patrem, Christus alludens eò, quod ab ipso statim in principio ministerij sui vocatus fuisset, inquit: Tãto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me, &c. Iohan. 14. ver. 8. & 9. Præterea nihil sacræ literæ de Philippo Apostolo meminerunt. PHILIPPVS enim Diaconus & Euangelista, Actor. 8. v. 5. & 21. v. 8. alius est. Eusebius lib. 3. c. 30. ex Clemente refert, Philippum Apostolum maritum fuisse, liberis procreandis operam dedisse, & filias elocasse. Et lib. 5. cap. 24. recitat hæc verba Polycratis: Philippus vnus ex duodecim Apostolis obdormiuit Hierapoli, & duæ filię eius in virginitate consenuerunt: & altera filia eius, quæ in Spiritu sancto conuersata est, Ephesi quiescit. Notandum autem est discrimen. Philippo Euangelistæ, Act. 21. ver. 9. quatuor fuerunt filiæ Prophetiæ dono claræ: Apostolo vero Philippo Polycrates tribuit tres filias, doni vero Prophetiæ non meminit. Vulgus scriptorum Philippum in Scythia crucifixum tradit. Eusebius in Chronico tradit crucifixum, & lapidibus obrutum, anno Christi 54. Sophronius scribit ipsum in Phrygia prædicasse, & Hierapoli honorifice sepultum. Ibi enim Polycrates ipsum obdormiuisse tradit. Ergo videtur fine martyrio vitam finiuisse.

DE BARTHOLOMAEO Scriptura nihil amplius meminit, nisi quod cum reliquis cooptatus sit in numerum 12. Apostolorum, & postea cum Philippo missus sit ad prædicandum in Iudæa, Matth. 10. v. 3. Indis ipsum postea concionatum fuisse, ad quos Euangelium Matthæi detulerit, scribunt Eusebius, Sozomenus & Hieronymus. Sed Nicephorus scribit, Philippum & Bartholomæum Syriam & Asiam superiorem sortitos. Qui etiam tradit Bartholomæum in crucem actum esse. Alij scribunt, ipsum in Armeniæ vrbe Albana interfectum, pelle prius detracta.

DE MATTHAEO Scriptura, præterea, quæ omnibus Apostolis communia sunt, tria tantum describit. 1. Quomodo ex telonio vocatus sit, vt fieret discipulus Christi. Matth. 9. ver. 9. 2. Quomodo in domo sua magnum conuiuium Christo instruxerit, ad quod multos publicanos vocarit, vt eos Christo lucrificaret, ibid. ver. 10. 3. De doctrina & laboribus eius in ministerio, historia Euangelica ab ipso conscripta testatur. Scribunt in Æthiopia ipsum prædicasse, & ibi capite truncatum esse. Nicephorus tradit, apud Anthropophagos clauis in terram esse defixum.

THOMAE, post electionem ad Apostolatum, Scriptura quater meminit: 1. quod Ioh. 11. ver. 16. reliquis Apostolis formidantibus in Iudæam reuerti, Thomas dicit: Eamus & nos, vt moriamur cum eo. 2. quod Ioh. 14. vers. 5. inquit: Domine nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire? 3. post resurrectionem Christi, longa est, Ioh. 20. v. 24. & sequent. historia de Thoma. 4. ad mare Tyberiadis Thomas cum reliquis vidit Christum, & cibum cum ipso capit, Ioh. 21. ver. 2. Eusebius Thomæ Parthiam in diuisione Apostolorum obtigisse scribit. Hieronymus addit Mediam, Persiam, Carmaniam & Hircaniam. Quidam scribunt lanceis ipsum transuerberatum: alij gladio percussum. Hieronymus simpliciter dicit, ipsum obdormiuisse in ciuitate quadam Indiæ.

IACOBVS ALPHAEI: frater Domini dictus, præter illa, quæ cum reliquis Apostolis ipsis communia sunt, multa habet in Scriptura testimonia. Act. 12. v. 17. Petrus liberationem suam ex carcere iubet nunciari Iacobo & fratribus. Act. 15. v. 13. in Concilio Apostolorum præclaram dicit sententiam de lege, de iustitia fidei & de vocatione Gentium. Act. 21. ver. 18. conuocata synodo presbyterorum Paulo persuadet, vt propter Iudæos offensos se purificet in templo. Gal. 1. vers. 19. Paulus inquit: Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Gal. 2. v. 9. Iacobus Cephas, & Iohannes dederunt mihi dexteras societatis. Eusebius tradit, ipsum fuisse Episcopum Hierosolymitanæ Ecclesiæ, & ex pinna templi deiectum, primo lapidibus obrutum, postea instrumento fullonibus percussum, obiisse. Epiphanius supputationem temporis ponit annum Domini 63. Neronis 7. post ascensionem Christi 24. Annum vero ætatis Iacobi 69. Extat epistola sub nomine Iacobi, quam Eusebius & Sophronius iudicant adulterinam esse, & ab alio quodam sub eius nomine editam.

IVDAS IACOBI vnum habet peculiare testimonium, Iohann. 14 ver. 22. Ibi enim interrogat Christum, Domine, quare manifestaturus es te nobis, & non mundo? Epistola etiam sub nomine eius extat, de qua veteres dubitarunt. Præter hæc nihil habemus in Scriptura de hoc Iuda. Nicephorus huic Iudæ tribuit Iudæam, Galilæam, Samariam, Idumæam, Arabiam, Syriam, Mesopotamiam, & addit illum tandem Edessæ placida morte quieuisse. Alij in Persia Pontificum impetu interemtum esse tradunt. Memorabile autem est, quod Eusebius ex Ægesippo recitat. Huius Iudæ nepotes ad Domitianum delatos, propterea, quod ex fratribus Christi essent: de qua historia postea dicemus. Nunc hoc tantum volui annotare, Iudam hunc fuisse coniugatum, & habuisse liberos, colligitur ex nepotibus eius. Tres igitur in numero Apostolorum fuerunt coniugati & parentes liberorum, Petrus scilicet, & Philippus, & Iudas Iacobi.

DE SIMONE CANANAEO Scriptura nihil commemorat, nisi quod fuerit in turba discipulorum Christi, ex qua cooptatus sit in numerum Apostolorum, & vnà cum illis missus ad prædicandum in Iudæa, Matth. 10. v. 3. & quæ præterea in Euangelica historia & in Actis Apostolorum communia sunt omnibus Apostolis. Nicephorus scribit, hunc Simonem prædicasse in Ægypto, Aphrica, Cyrene, Lybia, & insulis Britannicis. Epiphanius scribit, Simonem Apostolum procul astitisse, cum Iacobus Alphæi lapidibus obrueretur, & ad Iudæos dixisse: Cessate, quid lapidibus obruitis iustum? Ecce, pro nobis optima precatur. Eusebius tradit, Hunc Simonem post martyrium Iacobi & expugnationem Hierosolymorum, communibus suffragiis eo, quod consobrinus esset Domini, dignum iudicatum esse, qui gubernationi Ecclesiæ Hierosolymitanæ præficeretur. Sub Traiano autem multis diebus flagris cæsum, tandem cruci affixum esse, anno ætatis 120. anno Domini 110. Traiani verò decimo. Alij verò sentiunt, hunc Simonem Episcopum Hierosolymitanum fuisse, non Apostolum, sed aliquem ex numero 70. discipulorum.

Et obseruetur, quod tres non tantum sunt in numero Apostolorum, de quibus Scriptura nullam peculiarem facit mentionem, scilicet Bartholomæus, Simon Cananæus, & Matthias, de quo mox dicemus.

IVDAE ISCHARIOTIS mentio fit, Ioann. 6. v. 70. vbi Christus inquit: Nonne duodecim vos elegi & vnus ex vobis Diabolus est? Ioan. 12. v. 6. habebat loculos, & fur erat. Ideo dicebat, quare hoc vnguentum non est potius venditum? &c. Ioan. 13. vers. 2. Diabolus miserat in cor Iudæ, vt traderet Christum, ver. 26. datur ei intincta buccella: ver. 28. iubetur facere citius, quod facturus erat. Reliqua ex historia passionis nota sunt.

DE MATTHIA nihil habemus in Scriptura, nisi quomodo in locum Iudæ substitutus fuerit, Act. 1. v. 26. Sophronius tradit, ipsum in partem Æthiopiæ maximo agrestem concessisse, & ibi mortuum esse. Si itaque colligamus, quinque erunt ex numero Apostolorum, qui sine martyrii placida morte obdormiuerunt. 1. Iohannes. 2. Philippus. 3. Thomas. 4. Iudas Iacobi. 5. Matthias. Clemens 2. Stroma. recitat hanc Matthiæ sententiam. Cum carne quidem pugnare, & ea vti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, agere autem animam per fidem & cognitionem.

Hæc breuis annotatio, de vita & Actis Apostolorum, nostro instituto satisfacere potest, quam hoc loco, cum series historiæ

historiæ ad mentionem Apostolorum non deduxisset, adiicere volui, vt præcipua capita tractationis de Apostolis in conspectu essent.

Porro ad historiam electionis Apostolorum Lucas addit appendicem. *Et descendens cum illis stetit in loco campestri, turba que discipulorum eius & multitudo plebis, &c.* Et cohærent hæc ita cum præcedentibus. Iesus solos duodecim ex discipulis ad se in montem aduocarat, & inter illos negotium electionis peractum fuit, reliquis discipulis cum turba plebis in planicie ad radices montis consistentibus & expectantibus. Quia vero non tantum illis duodecim debebat constare, quod electi essent in Apostolos, sed & reliquis discipulis & vniuersæ plebi: ideo post electionem descendit cum Apostolis, ad reliquam turbam discipulorum, & ad multitudinem plebis, vt coram ipsa publice solennem faciat renunciationem, duodecim illos electos esse in Apostolos. Quia vero in electione promiserat Apostolis potestatem sanandi morbos & eiiciendi dæmonia, iam in renunciatione specimen illius potestatis ipse dedit, multos ægrotos & obsessos sanans. Et quia pro autoritate, &, sicut Matthæus loquitur, cum potestate concionaturus erat contra inueteratas Pharisæorum traditiones, *Ego autem dico vobis*: ideo ante concionem præmittit multa miracula, vt illis sibi maiorem apud auditores, qui ex variis locis confluxerant, authoritatem conciliet.

Hæc autem pars historiæ, quod ad turbas & miracula attinet, prorsus conuenit cum ea, quæ Marci 3. v. 10. proxime ante electionem Apostolorum descripta est. Cum enim de monte descendisset, similia fecit illis, quæ ante ascensum fecerat. Quia vero Marcus dicit, Christum ante ascensum sanasse omnes ægrotos in turba illa, & Lucas post descensum adhuc de multis male habentibus dicit, quod Iesus illos omnes sanarit: hæc intelligenda sunt, quod Marcus de ægrotis in secessu ad mare sanatis loquitur. Interea vero rumore percrebrescente, vndique alios ægrotos & obsessos attulerunt, cum quibus Christum ad montem secedentem secuti sunt. Et de illis loquitur Lucas, quod post descensum de monte illos etiam sanarit. Sententia igitur supra capite 49. explicata est. Vocatur autem Lucas obsessos ὀχλουμένους ἀπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων, *ab impuris spiritibus*, qua phrasi etiam Act. 5. v. 16. vtitur. Et vocabulum significat, qui turbabantur, vexabantur & molestia afficiebantur à Dæmoniis. Sumpta autem est phrasis ex Græcis hagiographis. Nam Tob. 6. v. 8. textus ita habet, εἰ τινὰ ὀχλῇ δαιμόνιον aut spiritus malus. Et 70. Hebraicum חלה, quod de dolore ægritudinis etiam lætalis dicitur, reddiderunt ἐνοχλεῖται, Gen. 48. ver. 1. Syrus hoc loco, Luc. 6. v. 18. habet verbum אלץ quod significat molestâ afflictione aliquem constringere, & quasi in angustiam redigere. Ostendit etiam hoc loco Lucas, vtrumque verbum & θεραπεύειν & ἰᾶσθαι vsurpari in Euangelica historia pro synonymis, de sanationib. miraculosis. Illud vero peculiare est quod Lucas dicit, non tantum illos sanatos fuisse, quos Iesus vel voce compellarit, vel ipse manu apprehenderit; sed cum animaduerterent virtutem sanatiuam ex corpore ipsius exire, certatim quærebant ipsum contingere, quod ex historia Hemorrhousa postea didicit. Obseruanda est autem illa phrasis (*de virtute exeunte ab ipso sanante*. Syrus enim δύναμιν reddidit חילא, quod significat virtutem roborantem) quæ indicat Iesum non per preces & aliena virtute, sicut Prophetæ & Apostoli, Act. 3. v. 12. sanasse. Sed sicut tota plenitudo Deitatis, ita & diuina virtus sanandi personaliter habitauit in illo corpore, & per illud ita se exeruit, vt qui corpus illud contingebat, ad illum virtus ea sanans exibat: sicut qui ferrum ignitum contingit, vim ignis sentit. Declarat igitur hæc phrasis descriptionem hypostaticæ vnionis, diuinæ & humanæ naturæ in persona Christi.

CAPVT LI.

CONTINENS HISTORIAM SEV DESCRIPTIONEM PROLIXÆ ILLIVS CONCIONIS, QVAM post electionem Apostolorum, ad ipsorum informationem, Christus habuit; Matth. 5. 6. & 7. & Lucæ 6.

RATIO ORDINIS.

Apud Matth. post insinuationem electionis Apostolorum statim subiicitur emissio ipsorum: sed Marcus & Lucas manifeste ostendunt, post electionem non statim, sed interiectis multis historiis, & intercedente tempore non breui, secutam missionem. Matthæo igitur series ordinis hoc loco peti non potest. Neque Marcus hoc loco dux & monstrator ordinis esse potest. Post electionem enim Apostolorum statim subiungit concertationem de Beelzebub, & historiam de fratribus Christi. Sed Lucas ostendit, attestante etiam aliquo modo Matthæo, multas alias historias intermedias, quas Marcus omisit, intercessisse, priusquam illæ, de Beelzebub & de fratribus Christi, insecutæ sunt. Reliquus igitur est Lucas, quẽ ipsa cohærentia rerum & verborum hoc loco seriem ordinis & ἀκρίβειαν διηγήσεως seruare manifestum est, vt scil. post electionem & renunciationem Apostolorum proxime subiungatur concio Christi, idque optimo ordine. Elegerat enim Apostolos, vt ipsos informaret, & postea informatos ad prædicandũ emitteret. Statim igitur post electionem summam eius doctrinæ, ad cuius prædicationem emittendi erant, sequenti concione exponere voluit, vt constaret, qua ratione Christus Apostolos ad futurum Apostolatum instituerit & præpararit. Hanc igitur veram esse rationem ordinis, non est dubium. Quia vero similis prorsus concio describitur Matth. 5. magna est disceptatio, an eædem, an verò diuersæ sint illæ conciones? Ex veteribus plerique sentiunt eandem esse concionem, & apud Matth. & apud Lucam. Augustinus opinatur, si non eodem fuit, eodem tamen die habitam vtramque. Et primò quidem illam, quæ à Matt. descripta est in monte, ad solos Apostolos, postea vero in descensu illam, quam Lucas describit, ad vniuersam turbam habitam. Osiander autem cũ aliis, qui ipsum sequuntur, censet nec easdem esse, nec eodem tempore habitas: sed prorsus diuersas esse, & intercedente longo temporis interuallo vnam post aliam habitam. Et Matthæi concionem sub initium anni secundi duobus mensibus ante secundum Pascha habitam: Lucæ vero circa Pentecosten habitam, vt interuallum sit 4. mensium. Rationes autem illorum paulò post recitabimus. Nullum enim dubium est, eandem doctrinam & easdem conciones, iisdem verbis sæpius, aliis atque aliis temporibus & locis, à Christo repetitas. Et tales repetitiones iisdem verbis factæ, faciunt ad confirmationem doctrinæ, ac monent Doctores in Ecclesia non debere affectare nouitatem seu variationem non necessariã, in tractandis eiusdem doctrinæ sententiis. Non enim valere debet in Ecclesia illud Rhetorum præceptum: τὰ καινὰ ἀρχαίως, vsitata nouo modo non simili aut eodem modo proponenda esse. Sed illud Irenæi potius valere debet: τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν, de iisdem dicenda esse eadem. Non igitur in fide errat, qui duas illas conciones vt diuersas accipit. Sed hoc loco non video vllam necessitatem flagitare, vt duas diuersas inde conciones faciamus. Imo quando hoc fit, ordo historiarum non parum perturbatur, vt cogantur illi ex vno centurione, & ex vno Archisynagogo Capernaitico, duos diuersos facere, apud Matthæum, & apud Lucam. Iudico igitur re diligenter considerata, simplicissimam & commodissimam esse rationem, si in Harmonia ponamus vnam & eandem concionem, atque eodem tempore habitam, simul à Matthæo & à Luca describi. Et rationes huius sententiæ graues atque vrgentes sunt. Nam 1. in illo loco, vbi Matthæus hanc concionem describit, sub finem 4. capitis, ordinem seu consequentiam historiarum non seruari in commonefactione ad 37. caput Harmoniæ ostendimus. Aliàs ponendum esset, Christum intra duos menses, ante Pascha, bis circuisse totam Galilæam, prædicando sabbatis in synagogis in tota Galilæa: semel, Matth. 4. v. 23. & iterum, Marc. 1. v. 38. quod topographia Galilææ non admittit, sicut ibi ostendimus. Et si quis in Harmonia illo loco, vbi apud Matthæum descripta est, ponat hanc concionem, cogitur totam Harmoniam turbare, & alium centurionem, aliam resuscitationem filiolæ, aliam hæmorrhousam, alios porcos, aliorum motum maris apud Matthæũ & apud Lucam facere. Quæ omnia caueri possunt, si Matthæi concionem cum Luca, vt eandem, coniungamus.

2. Idem est exordium, eadem conclusio vtriusque con-

cionis:& in medio etiam ordo sententiarum apud vtrumque, & Matthæum & Lucam, congruit, nisi quod Lucas breuius, Matthæus vero plenius omnia narrat. Quæ igitur vel necessitas, vel vtilitas est, ex illa concione, quam & res, & verba, & ordo sententiarum clamitat eandem esse apud vtrumque Euangelistam, disputando, velle diuersam facere?

3. Regula generalis est: quando alicuius historiæ certus locus, qui in ordine Harmoniæ Euangelicæ ipsi assignandus sit, non facile deprehendi potest, vt consideretur, num in sequentibus historiis, quæ certo ordine inter se cohæreant, aliqua certum locum, ex manifesta vel notatione vel conuenientia, sibi vendicet. Inde enim ordine retrogrado, de præcedentibus etiam recte statui potest. Ita cùm hoc loco centurionē inueniam apud Matthæum & apud Lucam, & vtrobique manifesta ordinis notatione, is sequetur post habitam concionem. Satis igitur argumenti hoc est, concionem esse eandem. Cumque circumstantiæ præcedentium historiarum non admittant, vt Lucæ concio ad ordinem Matthæi accommodetur, reliquum est, vt Matthæi concio ad illum locum in Harmonia referatur, quem Lucæ ordo demonstrat: cum etiam constet, Matthæum in illo loco ordinem historiarum non curiose seruasse.

4. Cum Christus ex discipulis suis duodecim ad Apostolatus ministerium informandos elegisset, optima ratio ordinis hæc est, quia in concione mox insecuta proposuerit ipsis cōmonefactiones, de officio, ad quod delecti erant. Illæ verò commonefactiones in concione apud Matthæum expresse & accurate explicantur: quomodo scilicet doctrinā Legis & Euangelij tradenda & à corruptelis vindicanda sit: quomodo proponenda sit doctrina de pœnitentia, de iustitia coram Deo, & de bonis operib. Item: *Vos estis lux mundi, sal terræ: nolite sanctum dare canibus. Attendite à falsis prophetis, &c.* Et hæc ratio vel sola me mouet, vt censeam concionem illam, quam Matthæus describit, ponendam esse post electionem Apostolorum. Cumque in ea concione, quæ Lucæ 6. describitur, in reliquis cum Matthæo conueniat: eorum verò, quæ ad officiū Apostolorum pertinent, nulla fiat mentio, existimo Matthæi concionem cum illa, quę Lucæ 6. describitur, vt eandem coniungendam esse. Si enim Matthæi concionem à Lucæ separaueris, & in tempus ante electionem Apostolorum reieceris, absurdum erit, Christum tunc, cum nondum electi essent Apostoli, multa de officio Apostolorum disserere, Matth. 5. Cùm vero ad Apostolatum formandi essent electi & suscepti, nullam eius rei mentionem fieri in concione, quæ mox subsecuta est, sicut Lucæ 6. describitur. Hæc ratio plurimum ponderis apud me habet.

5. Cum Matthæus tam accurate singula capita huius concionis descripserit, verisimile est, ipsum non ex aliorum relatione hæc scripsisse, sed ipsum concioni interfuisse, ac singula corām audiuisse & diligenter notasse: Vt maneat id, quod Lucæ 1. v. 3. scriptum est, Apostolos αὐτόπτας spectatores fuisse eorum quæ tam accurate scripserunt. Ergo non ante, sed post vocationem Matthæi concio illa ponenda erit, nec alius commodior locus ei tribui potest, quàm post electionem Apostolorum.

6. In illa concione Christus ad rem præsentem iubet oculos conuertere: *Videte lilia agri, quomodo crescant.* Item: *Auicula non metunt, non congregant in horrea.* Verisimile igitur est, tempore messis, quæ non incidit ante Pascha, habitam illam concionem Matthæi. Et quia Canticorum 7. v. 2. scriptum est, aceruos manipulorum tritici in illa regione circumseptos fuisse liliis: messis autem triticea circa Pentecostem ibi fuit, sicut supra ostendimus. Ostendunt igitur & hæ circumstantiæ, post electionem Apostolorum, quę circa Pentecostem facta fuit, habitam illam concionem Matthæi.

7. In tota antiquitate veteres omnes sentiunt, tam Matthæi quàm Lucæ concionem post electionem Apostolorum habitam. Licet enim Augustinus & Chrysostomus, propter montem & planiciem aliquid diuersitatis faciant: tamen sentiunt, post electionem Apostolorum, & eodem die vtramque concionem habitam. His rationibus motus, iudico recte coniungi concionem hanc Matthæi & Lucæ, ac pro vna & eadem haberi.

Nec verò circumstantiæ vel rationes, quæ pro altera sententia adducuntur, satis certò & firmiter euincunt diuersas esse conciones. Nam 1. quod dicunt, Matthæi concioni solos Apostolos interfuisse, Lucæ verò concionem auditores habuisse etiam turbas. Augustinus quidem hoc loco concedit & sentit, Christum eandem concionem, quam in monte solis Apostolis prolixiùs & pleniùs, sicut Matthæus eam describit, explicauerat, mox cum descendisset turbis in planicie breuius & quasi per compendium repetiuisse. Sed ipse Matthæus diserte hoc negat. Sub finem eam concionis, dicit: *Cum consummasset Iesus verba hæc, turbæ obstupescebant super doctrina eius.* Turbæ igitur auditores fuerunt non tantum eius concionis, quam Lucas describit, sed & eius quæ à Matthæo descripta est.

2. Matthæus dicit concionem suam habitam in monte ita, vt absoluta concione de monte descendisse [illegible] Christus. Lucas verò videtur dicere suam concionem [illegible] campestri habitam. Hanc diuersitatem Augustinus [illegible] conciliare conatur, quod Iesus, cùm eligeret Apostolos [illegible] cacumine, summitate siue in excelsiori parte montis [illegible] descenderit in locum aliquem planiorem, [illegible] campo, sed in latere montis fuerit, vbi turbæ [illegible] vnde post concionem descendens, recte dici [illegible] te descendisse. Sed locus πεδινὸς significat humilem [illegible] opponitur locis montanis, sicut extant exempla [illegible] 16. Iudith. 15. ver. 3. Et Syrus reddidit [illegible] valle significat. Mihi diu probata fuit illa ratio [illegible] nis: quod in monte facta fuerit electio Apostolorum [illegible] Marcus & Lucas expresse dicunt, & Matthæus [illegible] videtur, cum inquit: *Ascendit in montem, & [illegible] discipuli.* Quia vero Lucas dicit, turbas sub monte [illegible] Iesum expectasse, ad quas descenderit ante concionem [illegible] Matthæus asserit, etiam suæ concioni turbas interfuisse [illegible] existimaui, etiam Matthæi concionem non in monte, sed in loco campestri, vbi turbæ, quæ illam Matthæi concionem audiuisse scribuntur, Matth. 7. v. 28. constitisse dicuntur, Luc. 6. v. 17. Atque ideo verba Matthæi, *Ascendit in montem, & aperiens os, dicebat,* non continuo textu legenda, sed interponenda ea, quæ Lucas de descensu ad turbas scribit. Et hactenus conciliatio non male procedit. Quod vero Matthæus dicit, post absolutam concionem Iesum de monte descendisse, ita putabam explicari posse. Cum Matthæus non vtatur participio præsenti καταβαίνοντι, cum descenderet, sed aoristo καταβάντι, quod vetus interpres reddidit, *cum descendisset:* intelligi igitur posse Iesum non tunc primum, cum finita esset concio, sed antea de monte descendisse. Quando vero descenderit, Lucam describere, scilicet ante incoatam concionem. Et aoristus quidem ita vsurpatur, Marci 3. v. 22. Scribæ ab Hierosolymis καταβάντες, dicunt, Beelzebub habet. Non quod inter descendendum hoc dixerint, sed sensus est: Scribas, qui antea Mar. 2. v. 14. descenderant ab Hierosolymis, postea in Galilæa ita locutos. Sed omnino coactior est hæc explicatio. Nam & Luc. 6. v. 17. cum Iesus ad turbas descenderet, vsurpatur aoristus καταβάς. Ideo existimo hanc esse simplicissimam explicationem, quod de illa ascensione Christi in montem, quando in oratione pernoctauit, & mane Apostolos elegit, Matthæus nihil scribat, sed quod soli Marcus & Lucas illam historiam texant. Et Lucam solum meminisse, quod post electionem ante concionem, de monte ad turbas descenderit, & quod ab omni turba, quærente ipsum tangere, iterum facta fuerit compressio. Hinc vero Matthæum suam ordiri descriptionē c. 5. v. 1. quod Iesus, videns turbas ita vrgentes & contrectandi gratia sibi incumbentes, Lucæ 6. vers. 19. iterum ascenderit in montem, Matth. 5. v. 1. & cum ibi sederet, accessisse discipulos. Quod vero etiam turbæ secutæ fuerint in montem, inde colligi potest, quod Matthæi c. 7. v. 28. etiam turbæ concioni illi in monte interfuisse scribuntur. Vt ita Christus sedens in monte, præsentibus discipulis & turbis concionem illam habuerit. Voluerit enim Christus illa concione non tantum Apostolos instruere & confirmare: sed & turbis ipsos tanquā futuros suos legatos commendare, vt quando Apostoli postea illam formam doctrinæ allaturi essent, scirent eam, vt vocem ipsius filij Dei positam in ore Apostolorum, accipiendam. Atque ita omnia plana erunt, ac placide ita fluet contextus, Matth. 8. v. 1. Cum descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ. Lucas enim dicit quidem, Iesum descendisse de monte ante concionem, & in loco campestri multos sanasse: non autem expresse dicit in illo campo habitam etiam concionem, sed ex Matthæo illud sumendum est. Sicut etiam dicit, finita concione Iesum intrasse Capernaum: sed ita, sicut Matthæus scribit, cum prius descendisset de monte. Hanc iudico esse simplicissimam & planissimam rationem ordinis circumstantiarum in his concionibus.

Ex veteribus quidam texunt talem allegoriam. Sicut cum lex promulgaretur in monte Sina, solum Mosen ascendisse, populum vero ad radices montis constitisse, Exod. 19. 20. & 24. legitur. Ita Christum solos Apostolos assumpsisse, cum in monte veram explicationem & vsum legis traditurus esset: turbis interea in campo consistentibus, ad quas descendens, non legem, sed beatitudines, prædicarit. Sed alterius sententię allegoria planior & iucundior est. In Veteri enim Testamento tam terribilis erat promulgatio legis, vt populus non posset in montem ascendere: sed clamabat, Vocem illam non possumus audire. Sed quando Christus Mediator explicat Legem, addens suam impletionem: siue quando Euangelium

vitur

vtitur ministerio Legis addens ei suam [illegible], tunc turbæ in ipsum montem, vbi Christus Legem explicat, ascendunt, & de efficacia doctrinæ eius mirantur, Matth. 7. ver. 28. Sicut in monte Thabor, vbi Christus adest, Apostoli faciem Mosis non tantum ferre possunt, sed cupiunt ibi manere, Matth. 18. v. 3. Cum filij Israel non potuerint in faciem Mosis intendere, 2. Cor. 3. v. 13. sicut Lutherus in præfatione Veteris Testamenti hanc similitudinem erudite explicat. Ita ergo mons Matthæi & planicies Lucæ non obstant, quo minus eadem sit concio Matthæi & Lucæ.

Tertia ratio diuersum sentientium est, quod apud Matthæum sedens, apud Lucam stans, concionem habuisse Iesus videatur. Sed Lucas hoc quidem dicit, Iesum in loco campestri stetisse, cum ægrotos sanaret, & à turbis contrectandi gratia comprimeretur. Non autem addit, quod stans habuerit concionem. Sed illo loco inserenda est Matthæi descriptio, quod propter compressionem turbarum, ascenderit in montem, & ibi sedens docuerit. Sicuti in grauibus concionibus semper sedisse scribitur. Luc. 4. v. 20. in synagoga Nazarethana. Luc. 5. v. 3. sedens docebat eos. Matth. 26. v. 55. Quotidie apud vos sedebam docens in templo.

Postremo neque hæc ratio facit diuersas conciones, quod Matthæus plures, Lucas verò pauciores concionis sententias recitat. Vsitatum & notum est, vnam & eandem historiam ab vno Euangelista breuius, ab alio plenius narrari. Et Lucas in descriptione huius concionis ideo breuior est. Christus enim multas huius concionis sententias postea sparsim, diuersis temporibus & locis, repetiuit, quas repetitiones cum Lucas alibi diligenter persecuturus erat, ideo sententias illas hoc loco præteriit. Matthæus vero vno in loco præcipua capita doctrinæ Christi vna concione comprehensa, proponere voluit. Et quidem ex Matthæi hac planiori descriptione iudicari potest, quæ sententiæ ex hac insigni concione in aliis Euangelicæ historiæ locis repetitæ sint.

Vt igitur tandem hanc disputationem finiam: iudico ex hisce rationibus vtrinque diligenter consideratis planum esse, simpliciter, recte, commode & vtiliter fieri, si hæc concio apud Matthæum & apud Lucam, tam in Harmonia, quàm in explicatione coniungatur, ac pro vna & eadem habeatur.

Quia vero concio prolixa est, complectens multa membra: vt igitur & Harmoniæ & explicationis ratio sit eo expeditior, non vno continuo contextu concionem hanc totam semel recitabimus, sed in pericopas aliquot, complectentes sententias eiusdem generis, distribuemus hoc 51. caput Harmoniæ Euangelicæ, & singulis pericopis breues explicationum periochas subiungemus.

Pericopa prima.

Concionis Christi in monte, de Beatitudinibus. (vt vocant)

MATTH. 5.

1. Ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους, ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος· καὶ καθίσαντος αὐτοῦ, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.
   Cum vidisset autem turbas, ascendit in montem, & cum consedisset, accesserunt ad illum discipuli eius.
2. Καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ, ἐδίδασκεν αὐτοὺς, λέγων·
   Et postquam aperuisset os suum, docebat illos, dicens:
3. Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι· ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.
   Beati pauperes spiritu: quoniam illorum est regnum cœlorum.
4. Μακάριοι οἱ πενθοῦντες· ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται.
   Beati qui lugent: quoniam ipsi consolationem accipient.
5. Μακάριοι οἱ πραεῖς· ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν.
   Beati mites: quoniam ipsi hæreditatem accipient terræ.
6. Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην· ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται.
   Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.
7. Μακάριοι οἱ ἐλεήμονες· ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται.
   Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.
8. Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ· ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται.
   Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.
9. Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοί· ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται.
   Beati pacifici: quoniam ij filij Dei vocabuntur.
10. Μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης· ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.
   Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam illorum est regnum cœlorum.
11. Μακάριοί ἐστε, ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς, καὶ διώξωσι, καὶ εἴπωσι πᾶν πονηρὸν ῥῆμα καθ᾿ ὑμῶν, ψευδόμενοι ἕνεκεν ἐμοῦ.
   Beati estis, cum probra iecerint in vos & insectati fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersus vos, mentientes propter me.
12. Χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε· ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς. οὕτω γὰρ ἐδίωξαν τοὺς προφήτας τοὺς πρὸ ὑμῶν.
   Gaudete & exultate: quoniam merces vestra multa est in cœlis. Sic enim persecuti fuerunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.

LVC. 6.

20. Καὶ αὐτὸς ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ εἰς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἔλεγε· μακάριοι οἱ πτωχοί· ὅτι ὑμετέρα ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.
   Et ipse attollens oculos suos in discipulos, dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.
21. Μακάριοι οἱ πεινῶντες νῦν· ὅτι χορτασθήσεσθε. μακάριοι οἱ κλαίοντες νῦν· ὅτι γελάσετε.
   Beati qui esuritis nunc: quia saturabimini. Beati qui fletis nunc: quia ridebitis.
22. Μακάριοί ἐστε, ὅταν μισήσωσιν ὑμᾶς οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς, καὶ ὀνειδίσωσι, καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν, ὡς πονηρὸν, ἕνεκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.
   Beati eritis, cum vos oderint homines, & separauerint vos, & exprobrauerint vos, & eiecerint nomen vestrum, tanquam malum, propter filium hominis.
23. Χαίρετε ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ καὶ σκιρτήσατε, ἰδοὺ γὰρ ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς. κατὰ ταῦτα γὰρ ἐποίουν τοῖς προφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν.
   Gaudete in illo die & exultate. Ecce enim merces vestra multa est in cœlis: secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.
24. Πλὴν οὐαὶ ὑμῖν τοῖς πλουσίοις· ὅτι ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν.
   Veruntamen væ vobis diuitibus: quia habetis consolationem vestram.
25. Οὐαὶ ὑμῖν, οἱ ἐμπεπλησμένοι· ὅτι πεινάσετε. οὐαὶ
   Væ vobis qui saturati estis: quia esurietis. Væ vobis,

ὑμῖν, οἱ γελῶντες νῦν· ὅτι πενθήσετε.

26. Οὐαὶ ὑμῖν, ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσιν πάντες οἱ ἄνθρωποι. κατὰ ταῦτα γὰρ ἐποίουν τοῖς ψευδοπροφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν.

qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.

26. *Va vobis, cum laudauerint vos omnes homines. Secundum hæc enim faciebant Pseudoprophetis patres eorum.*

HARMONIA HVIVS PRIMÆ PERICOPÆ, EX descriptionibus Matthæi & Lucæ coagmentata.

a Ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους, ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος, καὶ καθίσαντος αὐτοῦ, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. c Καὶ αὐτὸς ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ εἰς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, a Καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ, ἐδίδασκεν αὐτοὺς, λέγων· Μακάριοι οἱ πτωχοί· ὅτι ὑμετέρα ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι· ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. c Μακάριοι οἱ κλαίοντες νῦν· ὅτι γελάσετε. a Μακάριοι οἱ πενθοῦντες· ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται. Μακάριοι οἱ πραεῖς· ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν. c Μακάριοι οἱ πεινῶντες νῦν· ὅτι χορτασθήσεσθε. a Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην· ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται. Μακάριοι οἱ ἐλεήμονες· ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται. Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ· ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται. Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοί· ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται. Μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης· ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. c Μακάριοι ἐστὲ, ὅταν μισήσωσιν ὑμᾶς οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς, f καὶ ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς, c καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν, ἕνεκα τοῦ υἱοῦ ἀνθρώπου, a καὶ διώξωσι, καὶ εἴπωσι πᾶν πονηρὸν ῥῆμα καθ' ὑμῶν, ψευδόμενοι ἕνεκεν ἐμοῦ. f Χαίρετε c ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, a ἀγαλλιᾶσθε, c καὶ σκιρτήσατε· ἰδοὺ γὰρ, a ὅτι f ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς. c κατὰ ταῦτα γὰρ ἐποίουν τοῖς προφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν. a καὶ οὕτως ἐδίωξαν τοὺς προφήτας τοὺς πρὸ ὑμῶν. c Πλὴν οὐαὶ ὑμῖν τοῖς πλουσίοις· ὅτι ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν. Οὐαὶ ὑμῖν, οἱ ἐμπεπλησμένοι· ὅτι πεινάσετε. οὐαὶ ὑμῖν οἱ γελῶντες νῦν· ὅτι πενθήσετε καὶ κλαύσετε. Οὐαὶ ὑμῖν, ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι πάντες οἱ ἄνθρωποι· κατὰ ταῦτα γὰρ ἐποίουν τοῖς ψευδοπροφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν.

a Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem: & cum consedisset, accesserunt ad illum discipuli eius. c Et ipse attollens oculos suos in discipulos, a postquam aperuisset os suum, docebat eos, dicens: c Beati pauperes: quia vestrum est regnum Dei. a Beati pauperes spiritu: quoniam illorum est regnum cœlorum. c Beati qui fletis nunc: quia ridebitis. a Beati qui lugent: quoniam ipsi consolationem accipient. Beati mites: quoniam ipsi hæreditatem accipient terræ. c Beati qui esuritis nunc: quia saturabimini. a Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam ipsi filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam illorum est regnum cœlorum. c Beati eritis cum oderint vos homines, & separauerint vos, f & probra iecerint in vos, c & eiecerint nomen vestrum, tanquam malum propter filium hominis, a & insectati fuerint vos, & dixerint omne malum verbum aduersum vos, mentientes propter me. f Gaudete c in illo die, a exultate c & tripudiate: ecce enim a quoniam f merces vestra multa est in cœlis. Secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum. a & sic persecuti fuerunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. c Verumtamen, Va vobis diuitibus: quia habetis consolationem vestram. Va vobis, qui saturati estis: quia esurietis. Va vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. Va vobis cum laudauerint vos omnes homines. Secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.

Exegesis huius primæ pericopes.

IN præcedenti capite Harmoniæ ostendimus, quomodo verba Matthæi in principio quinti capitis de ascensione Christi in montem, & de ascensione discipulorum, intexi possunt narrationi Marci & Lucæ de electione Apostolorũ. Quia vero simpliciorem & expeditiorem rationem Harmoniæ esse iudico, si post factam electionem Apostolorum, post descensum Christi, & post varia in planitie edita miracula, Matthæus suam illam narrationem c. 5. vers. 1. ordiatur: Ideo post Lucæ textum, verba illa Matthæi sigillatim in hoc Harmoniæ capite ponere volui. Vt sensus sit, Iesum, cum videret turbas vrgentes, & contrectandi gratia sibi quasi incumbentes, sicut Lucas scribit c. 6. ver. 19. vt in illa turbæ compressione non posset commode in planitie illa concionem habere, ideo ascendisse in montem. Sicut Lucæ 5. v. 1. cum propter turbas vrgentes non posset in littore concionem habere, ascendit in nauim, & sedens inde docuit turbas. Et sicut Marci 3. vers. 9. paulo ante electionem Apostolorum, propter turbæ compressionem, nauiculam Christo ad manum fuisse scribitur. Cum vero in monte consedisset, dicit Matthæus secutos discipulos accessisse ad ipsum, scilicet vel circumstantes vel circumsedentes, ne à turba irruente comprimeretur. Nam & turbam secutam & concioni interfuisse, Matthæus in fine concionis expresse indicat. Solitum autem Christum sedere, quando docere voluit, paulo ante ostendimus. Et aliàs consuetudo illa fuit, sicut ostendit dictum illud Matthęi 23. ver. 2. Super cathedram Mosis sedent Scribę. Et Psal. 1. Ver. 1. Qui in cathedra illusorum non sedit. Quod vero Matthęus dicit: *Iesum aperuisse os, & docuisse*, hoc quidam interpretantur: cum ante locutus fuerit per os Prophetarum, quod nunc proprium suum os aperiat. Chrysostomus existimat ideo additum, quia etiam non aperiendo os, vita & miraculis aliàs docuerit. Alij sentiunt esse pleonasmum, sicut cum dicimus: Sic ore locuta est: Videt oculis. Vel esse Hebraismum, aperuit os, hoc est, exorsus est dicere. Sed phrasis vsitata est in Scriptura, quando non leuiter (sicut de leuiculis locutuleis dicitur, quod semper patulum os habeant) nec obiter & breuiter, sed grauiter & seriò, meditata & iusta oratione de rebus grauibus & magnis libere, plane & expresse aliquid dicitur. Ita Iud. 11. 35. de voto Iephthę dicitur: Aperui os meum ad Dominum, & ideo aliter facere non potero. Iob. 33. vers. 2. Aperui os meum, scientiam puram loquentur labia mea. Psalme. 78. 8. Aperiam in parabolis os meum. Prouerb. 31. 26. Os suum aperuit sapienter. Ibidem 31. 9. Aperi os, iudica iuste. Syrach. 15. ver. 5. Cibabit illum pane intellectus, & in medio Ecclesiæ aperiet os eius. Ezech. 29. vers. 21. cum euenerunt hæc, dabo tibi apertum os in medio eorum. cap. 33. versi. 22. Aperuit os meum, & aperto ore meo non silui amplius. Ita Paulus loquitur, Ephes. 6. ver. 19. Orate pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei, cum libertate prædicare Euangelium. Ita, quando quis libere & pleno ore, absque metu, nulla vel dissimulatione vel circuitione vlus, dicit quæ dicenda sunt, Germanice dicimus: *Er thut den Můd vveit auff*, *Oder: Er nam kein Blatt vors Maul.* Hoc loco igitur phrasis illa de apertione oris, sicut ex adductis exemplis colligitur, est periculiaris commendatio huius concionis, quòd insignis sit & digna accurata obseruatione, id quod alia etiam argumenta ostendunt. Habita enim est tunc, cum Apostolos ad ministerium Euangelij per totum orbem formandos & instituendos elegisset, cumque ipsorum electionem populo soléniter renuntiaret & insinuaret, vt Apostolis esset quasi instructio, vnde & populo constaret quæ esset forma doctrinæ Apostolicæ. Ac Christum ipsum plurimum huic concioni tribuisse, inde æstimari potest, quod postea aliquoties integras sententias ex hac concione citauit & alibi repetiuit. Sicut apud Lucam videre est, cap. 11. v. 2. & 9. c. 12. ver. 22. 13. vers. 24. 14. ver. 16. ver. 18. Turbæ etiam cum stupore admiratæ fuerunt doctrinam huius concionis, Matth. 7. v. 28. Et sicut aliàs solitus fuit Christus circa tempora festorum Iudaicorum

rum maxime insignes conciones proponere, vt in festo hac Ioh.3.v.5 & 6. In festo tabernaculorum, Ioh.8. Encæniis Ioh.10. Cumque & hæc concio, sicut in præcedenti capite ostendimus, habita sit circa festũ Pentecostes, non est dubium, eam reliquis festiuis concionibus similem, hoc est, insignem esse. Cum enim alias Christus de fine & abrogatione legis in multis locis disputet, in hac concione ostendit discrimen legum ceremonialium forensium & moralium: ac diserte & diligenter non obiter, sed multis tradit & affirmat, Ministerium Apostolorum seu Noui Testamenti, abrogatis reliquis Mosaicæ Legis partibus ceremonialibus & forensibus, Legem moralem seu doctrinam Decalogi debere in Ecclesia retineri, suo loco & ordine proponere, explicare & vrgere.

Nec Iudæis tantùm proponendam esse doctrinam Decalogi, sed omnibus Christi discipulis & sectatoribus, etiam ex gentibus collectis. Ideo enim concioni huic interfuisse scribuntur, non Iudæi tantum, sed & diserte nominantur ex Idumæa, ex ora maritima Tyri & Sidonis seu Syrophœnicia: & in tota Euangelica historia nulla alia concio Christi extat, in qua tam accurata, plena & iusta explicatio Legis moralis, & quidem in specie, per singula Decalogi præcepta ducta, tradatur, addita refutatione corruptelarum, & monstrato vero vsu Decalogi de agnitione peccatorum & iræ Dei, de verè bonis operibus & interioribus cultibus, & de impletione Legis à Christo pro nobis præstita, quæ credentibus ad iustitiam imputatur.

Et quia ad hanc de lege concionem adhibet non tantùm eos, qui ex Iudæis & gentibus primùm accedebant, verùm etiam Apostolos & reliquos discipulos suos, qui certe renati fuerunt: ostendit non tantum ad non renatos, verum ad ipsos etiam renatos suo modo & ordine doctrinam legis pertinere, sicut doctrina illa alibi explicatur. Est igitur encomium & commendatio huius concionis phrasis illa, quod Iesus dicitur, *Os suum aperuisse*, habiturus hanc concionem. Sed iam vna cum discipulis & turbis montem ascendamus, ad obseruandam, expendendam & percipiendam doctrinam insignis huius concionis.

Primus igitur locus est de beatitudinib. (vt vocant) explicans quæ sit ratio & condicio beatitudinis credentium in hac vita, ex distinctione carnis & spiritus: item huius præsentis & futuri seculi. Multa autem hoc loco Monachi philosophati sunt de octo beatitudinibus, quas ita explicant, quod quædam ponantur per modum meriti, vt exempli gratia, *Beati pauperes*: quædam per modum præmij, vt *illorum est regnum cælorum*. Quasi Christus hoc loco doceat, regnum cœlorũ, gratiam Dei, salutem & vitam æternam meritis nostrorum operum & afflictionum, & posse & debere acquiri, cùm sententia illa cum tota doctrina Euãgelij pugnet, in qua Christus causam & meritum salutis sibi, applicationem verò fidei tribuit. Sed iuxta Hilarij regulam simplicissima & certissima explicatio dictorum est, quæ ex causis seu occasione dicẽdi sumitur.

Christus igitur per sesquiannum ferme Euangelium regni de salute & vita æterna ita docuerat, vt credentes in se beatos pronunciaret, Io.3.v.16.4.v.14. & 5.v.24. Et in principio magnus vndique factus fuerat concursus ad prædicationem illã, promittentem credentibus beatitudinem regni cœlorũ, salutem & vitam æternam. Sed iam experientia ostendebat, illos, qui in Christum crediderant, non tantum manere pauperes & miseros secundum carnem, quales antea fuerant: sed præterea præ cæteris hominib. subiectos esse variis ærumnis, & expositos maledictis & iniuriis omnium hominum. Erat enim tunc Christus ipse in illo loco, ad quem, propter conspirationem Pharisæorum, cum Herodianis secesserat: cumque variæ essent hominum, & sine dubio etiam discipulorum cogitationes, quomodo amplissimæ illæ promissiones Euangelij de beatitudine, salute & vita æterna cõuenirent miseræ & despectæ credentium turbæ, quæ pluribus calamitatibus subiecta, & atrocioribus totius mundi iniuriis exposita videbatur, quàm reliqui homines. Iesus igitur, qui aliquandiu quasi meditabundus demissis oculis sederat, *Attollens oculos in discipulos suos*, sicut Lucas inquit, & iuxta Matthæum *aperiens os suum*, incoat hanc concionem de beatitudine: quasi dicat, Vosne discipuli mei qui in me credidistis, estis beati illi? cum iuxta carnem miserabiliores sitis omnibus hominibus, 1. Corinth.15.versic.19. Sed noli timere pusille grex, quantumuis misera & despecta turba. *Beati enim estis*. Et vocabulum μακάριοι non significat meritum salutis: sed sicut vox אשרי, cui respondet, est particula bene ominantis, fausta precantis, beatum aliquem pronunciantis, vel felicitatem alicuius prædicantis & commendantis, sicut exempla Hebræa ostendunt, quæ significatio sententiam huius loci illustrat. Et hæc, quæ est vera occasio primæ partis huius concionis, ostendit, Christum hoc loco non tradere illam doctrinam, quæ Euangelij propria & peculiaris est: vbi & quomodo peccator quærere debeat & inuenire possit gratiam Dei, remissionem peccatorum, salutem & vitam æternam. Eius enim in præcedentibus concionibus causam & meritum sibi, applicationem vero fidei tribuerat. Sed illis, qui Euangelio iam crediderant, & fide beatitudinem acceperant, tradit declarationem, quæ sit ratio & conditio beatitudinis in hac vita. Declaratio autem petitur ex doctrina de cruce. Et regula hinc sumatur, doctrinam de cruce esse veram & necessariam declarationem beatitudinis, de qua Euangelium concionatur, hanc autem quæstionem Christus ideo tractat in hac concione, in qua doctrinam Legis explicaturus erat. Est enim Legis diuinæ vox, bonis in hac vita debere bene esse & malis male. Inde vero ratio iudicium suum format & confirmat, vt beatitudinem ex præsentis vitæ felicitate metiatur & æstimet: illos vero, qui præ cæteris expositi sunt variis ærumnis, iudicet damnatos, & à Deo abiectos esse, sicut Psalm.144.versic.11. & seq. hanc mundi persuasionem prolixe describit. Hanc sententiam Christus corrigit, & promissionibus de beatitudine addit exceptionem crucis & castigationis in hac vita. Obedientia enim, quam legi in hac vita præstamus, imperfecta est. Et voluit Deus beatitudinem fidei in hac cruce tegi, vt admoneremur: 1. Non operibus Legis, sed Christi iustitia fide nos saluari. Si enim ex operibus Legis iustificati essemus coram Deo, sequeretur etiam talis beatitudo in hac vita, sicut Lex eam, Leuitic.26 versic.3. & seq. Deuter.28. per totum ferè caput describit. 2. Vt admoneremur de imperfectione & immunditiæ nouæ nostræ obedientiæ in hac vita. 3. Vt esset testimonium & commonefactio de futura & æterna vita, in qua demum vere & perfecte promissiones illæ legales implebuntur.

Præterea hæc pars concionis Christi opposita est imaginationibus Apostolorum & reliquorum auditorum, de externa & carnali felicitate & voluptate populi Dei in regno Messiæ. Multi enim carnali illa spe & externa persuasione sectabantur Christum, & ipsi Apostoli, blanda illa somnia, de tali regno Messiæ, intra se alebant & circumferebant. Futurum autem videbat Christus, si amplexi doctrinam longe ab illa sua opinione diuersam in hoc mundo experirentur sortem, vt turbati vel offenderentur, vel ab Euangelio plane deficerent. Ideo in hac concione, cùm elegisset duodecim Apostolos, quibus videbatur præcipua pars felicitatis in regno Christi cessura, multis sententiis describit, quam tristis & misera futura sit externa sors & conditio Christo credentium, præcipue vere Apostolorum in hoc mundo. Hanc vero descriptionem ærumnarum & calamitatum, non nudam, sed vocabulis & temperamento beatitudinis vestitam, proponit & explicat, ne auditores ab amplectendo Euangelio & prædicatione crucis absterreantur: sed nihilominus sciant & certo statuant, finem fidei esse felicitatem non quidem carnalem, nec caducam huius vitæ, sed spiritualem, cœlestem & æternam. Habet autem hæc descriptio, opponens, imo miscens crucem & beatitudinem, valde magnum vsum. Remouet enim scandalum, quo fascinatur mundus, vt totam religionem Christianam rideat. Turbantur etiam ipsi credentes, vt doctrinam Euangelij vel minus curent, vel de ea dubitent: aut certe languidius ei assentiantur, quando vident Ecclesiam omnis generis calamitatibus, præ cæteris hominibus, in hoc mundo expositam esse. Corrigit etiam prophana iudicia de vera felicitate, quam constituit non in externis commoditatibus carnis & huius vitæ, sed in spirituali, cœlesti & æterna beatitudine. Et ita animum à captandis per fas & nefas caducis huius vitæ voluptatibus deducit ad meditationem & inquisitionem veræ, spiritualis & æternæ beatitudinis. Postremo, hæc doctrina fons est & patientiæ & consolationis in cruce, vt persuasi simus in mediis ærumnis, nos vere beatos esse: & bono Dei consilio nos hac ratione præparari, & deduci ad spiritualem & æternam beatitudinem. Nam pia & seria meditatione huius doctrinæ, Spiritus sanctus flectit corda ad præstandam Deo obedientiam & patientiam in cruce. Et quàm necessaria sit hæc explicatio, ostendit historia libri Iob: cuius vxor ex prophano rationis iudicio, amici vero ex sententia Legis de hac quæstione non recte disputant, sed periculose hallucinantur: ipsius etiam Iobi fides, difficultate huius quæstionis, in cruce turbatur & duriter quassatur.

Multum autem iuuabitur explicatio, si obseruetur, in quæ capita Christus distribuat & crucem & consolationem in cruce. Numerat enim 1. calamitates & ærumnas externas, quas sub vocabulis paupertatis & famis complectitur. 2. Nomine luctus & fletus comprehẽdit interiores afflictiones, dolorem & tristitiam animi. 3. Præter communes humani generis calamitates, numerat odia, contumelias, probra, iniurias & persecutiones in hoc mũdo, propter filium hominis. 4. Accedunt & spirituales tentationes de indignitate & particulari

tate:vt,qui esuriunt & sitiunt iustitiam. 5.In bona causa,& in vero studio bonorum operum, successus sæpe non sequitur iuxta promissiones Legis:sed pij, ambulantes in via Domini, à mundo affliguntur & opprimuntur. Et huc pertinent in textu mites,misericordes,& mundo corde.Christus vero promissiones ; & illis & aliis bonis operibus additas, Euangelice declarat.

Eodem modo etiam consolationes in cruce, quæ hoc loco traduntur,tripliciter possunt diuidi. Primò enim ponitur interior & spiritualis consolatio : quod scilicet credentes in mediis calamitatibus certi sunt,se esse filios Dei & hęredes vitæ æternę: & quod cruce onerari non pugnet cum gratia Dei & remissione peccatorum. Illorum enim est regnum Dei. Secundò additur hæc consolatio , Deum in cruce daturum talé euentum,vt possimus sufferre 1.Cor.10.v.13. Vel enim crucem mitigat:vel ab ea etiam in hac vita sæpe liberat:vel certe animum confirmat patientia,& perfundit consolatione,vt possit crucem sustinere. Et huc pertinent illa dicta, cùm inquit:Cõsolationem & misericordiam consequentur. Item:Hæreditabunt terram. Tertium genus consolationum , vocat credentes sub cruce ad futuram & æternam vitam. Promittit enim fore,vt à calamitatibus huius vitæ , quas Scriptura momentaneas vocat,liberati,transferuntur in cœlum,vbi Deum videbimus,& reipsa apparebit, quod simus filij Dei. Promittit etiam copiosam mercedem,quę non in hac vita in terris,sed in cœlo,in æterna vita reposita sit,reddendam.

Porrò est & hęc obseruatio nõ inutilis,quod singulę sentẽtiæ de beatitudine, eisdẽ ferme verbis in scriptis Propheticis extant. Voluit enim filius Dei, sicut recte annotauit Chrysostomus,contra criminationes Pharisæorum ostendere se, nõ afferre nouum genus doctrinæ : sed Prophetas eandem doctrinam,eodem modo & iisdem verbis tradidisse. Vt primò de Pauperibus multæ extant similes sententiæ,vt Esaiæ 61.ver.1. Ad euangelizandum pauperibus misit me. Et c.9.ver.13. Pauperum suorum miserebitur. Et Psalmi, qui de Christo loquuntur, sæpe vtuntur hac sententia,vt 68.v.11. Parasti in bonitate tua pauperi Deus. Et Psal.72.v.2. Iudica pauperes tuos in iudicio.v.4.Saluos faciet filios pauperũ, v.12. liberabit pauperẽ, v.13.miserabitur pauperis & animas pauperum saluas faciet.

2. De lugentibus extat sententia , quæ plane conuenit cum verbis Christi, Esa.61.vers.3. Misit me,vt consolarer omnes lugentes.

3. Psal.37.v.9.Mansueti hæreditabunt terram.

4. Esa.55.vers.1.vbi de Christo loquitur, inquit:Omnes sitientes venite ad aquas,&c.cap.65.v.13. Serui mei comedent & bibent:vos verò esurietis & sitietis. Generalis vero sententia de esurientibus,sicut Lucas eam posuit,extat Psal.107.v.9. 1.Reg.2.v.5. Ps.34.v.11.

5. Psalm.41.versic.1.Beatus qui intelligit super egenum & pauperem,in die mala liberabit illum Dominus,conseruabit eum,beatum faciet eum in terra,confortabit eum super lecto doloris,&c. Hoc certè idem est,quod Christus inquit, Beati misericordes,quoniam,&c.

6. Psal.15.v.1.Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus & mundo corde,hic accipiet benedictionem à Domino.

7. Psalm.34.v.13.Quis est homo,qui vult vitam? Inquirat pacem & diligat eam. Hæc collatio iucunda & vtilis est,propter duas causas. 1. Quia ostendit,quantum filius Dei tribuerit sententiis,atque adeo ipsis verbis Scripturæ. 2. Vera explicatio harum sententiarum in concione Christi multum iuuari potest ex hac collatione , ex quibus locis Scripturæ Propheticæ desumptæ sint. Sed iam exposita summa & monstrata vera sententia huius pericopes, de singulis sententiis breuiter quædam annotabimus.

1. *Beati pauperes.* Lucas simpliciter tantum nominat pauperes. Matthæus addit, *pauperes spiritu.* Hæc duo plerique in Harmonia coniungunt,& paupertatem Spiritus interpretantur de interiori animi humilitate. Sed volui in Harmonia distincte ponere,primò Lucæ sententiam, deinde Matthæi verba. Lucas enim suis pauperibus opponit postea diuites,& in antithesi monstrat explicationem : Eos scilicet se intelligere pauperes,qui hic nullam habent consolationem sed sicut de Lazaro dicitur,in vita sua recepit mala , iam vero consolationem accipit, Luc.16.v.25. Et ad hanc interpretationem testimonia Veteris Testamenti, quæ supra annotauimus , conueniunt , in quibus Græci reddiderunt πτωχοὺς , qui & rebus necessariis , & omni ope destituti sunt , cui respondet Hebræum עני Ani , quod significat omnis generis ærumnis, calamitatibus, difficultatibus & iniuriis afflictum & oppressum esse. Hoc ideo notandum est,ne paupertas hoc loco , de sola mendicitate,seu de penuria tantum pecuniæ intelligatur. Sæpissime enim apud Græcos interpretes coniunguntur πτωχὸς καὶ πένης, pauper & egenus seu mendicus. Egenos igitur & afflictos Christus monet,ne ideo de gratia Dei,quasi abiecti,& damnati,desperent, pronuncians ipsos non miseros , sed beatos,non quod salus Euangelij propriè consistat in miseriis,sed quia illorum est regnum Dei,sicut mox explicabimus. Quia vero paupertas per se non facit beatum , & multorum paupertas impia & maledicta est,quam Salomon Prouerbiorum 30.versiculo 8.deprecatur:ideo Matthæus addit, *Pauperes spiritu*,qui scilicet in miseriis ex diffidentia non desperent, nec ex impatientia & contumacia fremunt , & ferociunt aduersus Deum, & ad illicitas artes conuertuntur , sed qui miseriis domiti & subacti , spiritum suum humiliant, ac fide voluntati Dei,vera animi humilitate , patientia & obedientia se subiiciunt. Cumque nec seipsos expedire possint , nec aliorum ope subleuentur , toti à Dei misericordia pendent, & ad ipsius solius auxilium confugiunt , quos Psalmus 72.versiculo 2.vocat pauperes Dei. Hac igitur additione Matthæus docet, quomodo pauperes animum componere & miserias gubernare debeant:vt scilicet sint spiritu pauperes. Recte vero etiam paupertas spiritus intelligetur spiritualis paupertas: de illis,qui agnitione peccatorum suorum , & sensu iræ Dei humiliati,de suis viribus , virtutibus & operibus, hoc est, de propria iustitia desperant : cumque nihil, quod iudicio Dei opponere possint,in se inueniant , dicuntur gerere magnos & excelsos spiritus. In hanc sententiam dicitur Matth.11. vers.5. pauperes Euangelizantur. Et Esa.66.v.2. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum , & contritum spiritu ac trementem sermones meos? Psal.34.v.19. qui tribulati sunt corde & humiles spiritu. Paupertas igitur illa spiritus multa complectitur,ac latè se extendit,monens etiam diuites,vt sint pauperes in spiritu,sicut Iacobus inquit:Glorietur diues in humilitate sua, Iacob.1.v.10.

Proponit autem Christus pauperibus consolationem, propter quam ipsos beatos pronunciat : *Quia*, scilicet *ipsorum est regnum cælorum.* Et apud Lucam dicit : *Quia vestrum est regnum Dei.* Ostendens,vnumquemque in suis miseriis generalem hanc consolationem debere ad se accommodare. Sum miser , sed meum est regnum Dei. In mediis igitur miseriis beatus sum. Et concionatores debere ad suos auditores eam accommodare,vestrum est regnum Dei. Potest autem hoc loco *regnum cælorum*,vel *regnum Dei* , sicut Lucas loquitur,intelligi,vel de gratuitis beneficiis Christi , quæ per Euangelium in hac vita offeruntur & donantur : vel de felicitate futuræ & æternæ vitæ. Atque iuxta hæc ratio, quomodo & quare credentes, licèt variis ærumnis & difficultatibus huius vitæ subiecti & expositi , tamen beati sint, exponi & intelligi potest. Diuites enim , quia commoditatibus & voluptatibus huius vitæ plerunque fascinati & ebrij sunt , non admodum seriò curant ea,quæ in Euangelio proponuntur. Pauperes verò,quia in hac vita nihil,nisi quod durum,molestum,difficile,acerbum & aduersum est , experiuntur, hoc modo expolitiores & aptiores redduntur ad consideranda & amplectenda spiritualia,& æterna bona , quæ in Euangelio offeruntur. Illis enim quasi stimulis excitantur , vt non terrenis affixi,sed in solo Deo felicitatem quærant & constituant , sicut Paulus pulchra gradatione ostendit, Rom.5.versi.3.4.5. Item contriti Spiritu & spiritualem suam paupertatem serio agnoscentes, capaces sunt doctrinæ de regno cœlorum, idonei & pręparati ad gratiam regni Dei, quæ, Euangelio offertur, fide & cum gaudio amplectendam. Atque ita pauperum est regnum cœlorum. Deinde quia illæ tentationes sæpe magnos tumultus in animis afflictorum excitant, quod existimant, promissiones Euangelij de gratia Dei , de adoptione & hæreditate vitæ æternæ ad se non pertinere ; quia miserias cogitant esse testimonia iræ Dei,& iudicia damnationis æternæ. Christus igitur hanc quæstionem reuocat ad testimonia Prophetarum. Illi enim, quando describunt beneficia regni Messiæ , quibus illa offerantur , & à quibus accipiantur, semper mentionem faciunt pauperum: sicut supra ostensum est, *Beati* igitur *pauperes: quoniam illorum est regnum cælorum.* Postremo, quia credentes in hac vita, vt plurimum miseri sunt , ne igitur Deus promissione beatitudinis in Euangelio ipsis videatur illudere: Christus veram & perfectam impletionem harum promissionum refert ad cœleste regnum futuræ & æternæ vitæ, vt licet in hac vita pauperes & miseri sint , sciant tamen se beatos esse ; quia in altero seculo, in regno Dei , in cœlis , veram & æternam possessuri sint beatitudinem.

Augustinus & Chrysostomus paupertatem Spiritus interpretantur, de humilitate animi, quæ deposita superbia & abiecta omni arrogantia, modeste in omnibus de se sentit. Basilius quæstione 205. & Bernhardus in festo omnium Sanctorum , interpretantur de paupertate , quæ non necessitate quadam sustinetur , sed quæ spontanea desertione , & vltronea abiectione facultatum voluntaria assumitur. Sed hæc interpretatio Monachorum resipit , sicut suo loco explicabimus

mus postea, in illis dictis: Qui reliquerit propter me. Item: vade, vende omnia, &c. Illa igitur interpretatio, quam & vocabula & circumstantiæ ostendunt, simplicior & certior est. Quia enim mundus in diuitiis & honoribus existimat sitam beatitudinem, atque adeo ea, qualia cunque sunt, quæ opes & honores afferre iudicantur, studiose consectatur, fugit vero ea, quæ paupertatem, miserias, ærumnas & contemptum secum trahere videntur, qualis est sors regni Dei in hac vita: Ideo Christus dicit: Beati pauperes, quoniam illorum est regnum cœlorum. Cùm mundi Apophthegma sit: Beati diuites, quoniam ipsorum est regnum terrarum. Item: Beatum dixerunt populum, cui sunt opes & honores, Psalm. 144. vers. 15. Et non dicit *regnum cælorum* erit ipsorum, sed *est ipsorum*. Licèt enim sint pauperes: bona tamen spiritualia regni Dei iam sunt ipsorum, & fide iam hæredes sunt vitæ æternæ, & salui sunt spe secura & tuta, Rom. 8. v. 24.

II. *Beati qui lugent.* Lucas: *Beati qui nunc fletis.* Luctus non simpliciter significat leuem aliquam animi affectionem ex dolore & tristitia, sed quando animus ex calamitate aliqua tristitia ita occupatur & deiicitur, vt mœrore ac gemitu se maceret & erumpat in fletum, planctum, lamenta seu eiulatum. Hoc enim significat אבל Abel. Et ordo obseruetur in hisce sententiis. Communes miseriæ sæpe patienter tolerantur. Sunt vero præterea calamitates quædam singulares & grauiores, quæ animum in luctum, mœrorem & planctum coniiciunt. Sunt igitur pauperes Spiritu qui fide & spe ad tolerandas fortiter calamitates animum componunt. Multi vero illa fortitudine Spiritus destituuntur, & magnitudine calamitatum superati, dolent, mœrent, flent, lugent, &c. Et Stoici talem mollitiem animi simpliciter damnant: requirunt enim ἀπάθειαν. Christus vero non simpliciter damnat luctum & planctum: sed illos etiam, qui in tolerandis calamitatibus minus fortes sunt, beatos pronuntiat. Imo eos etiam, qui non tantum communibus miseriis premuntur: sed qui præterea vel inusitatis vel grauissimis calamitatibus, superantibus patientiam & coniicientibus animum in luctum & planctum, onerantur, beatos pronuntiat. Addit autem promissionem: *quoniam ipsi consolationem accipient.* Quod intelligi potest, vel de consolatione reali, in liberatione & mitigatione calamitatum in hac vita, iuxta dictum 1. Corinth. 10. versic. 13. Fidelis est Deus, qui non sinit suos tentari vltra id, quod ferre possunt, sed dat euentum tolerabilem. Vel intelligitur de consolatione interiori, qua Spiritus sanctus animum in luctu consolatione perfundit, spe & patientia erigit, roborat & confirmat, sicut 2. Corinth. 1. versic. 3. Paulus inquit: Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt, sicut abundauerunt afflictiones Christi in nos, ita & per Christum abundet consolatio nostra. Et Psalm. 94. versicul. 19. secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Rom. 5. versic. 3. Gloriamur in afflictionibus. Psalm. 19. versic. 14. Desine à me, vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero. Vel quod de consolatione dicit, intelligi potest de consolatione in futura vita: sicut Luc. 16. versic. 26. Abraham dicit: Lazarus in vita sua accepit mala, nunc vero consolationem accipit. Et 2. Thess. 2. versic. 16. dedit consolationem æternam. Et hæc triplex interpretatio non insinuat ambiguitatem vel incertitudinem promissionis: sed quia Deus his modis pro sua bona voluntate solet suos consolari, vel liberando, vel mitigando, vel animo confirmando, vel saluando. Sicut elegans est veterum oratio, monens in cruce, orandum esse, vt Deus vel liberet, vel mitiget, vel confirmet, vel saluet. Quod vero Lucas dicit: *Beati qui fletis nunc: quia ridebitis, &c.* explicatur verbis Christi, Iohan. 16. versic. 20. Vos contristabimini & plorabitis, mundus autem gaudebit: sed tristitia vertetur in gaudium, &c. Ac conuenit cum illo Psalmi 126. versic. 5. Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Ibant & flebant; venientes redibunt cum exultatione. Et Apoc. 21. ver. 4. Absterget omnem lachrymam: non erit vltra luctus, clamor & dolor. Et obseruetur antithesis, cui Christus hasce sententias opposuit. Mundus enim & caro in delitiis & voluptatibus huius vitæ existimat sitam beatitudinem; ideo talia quoquomodo sectatur, ab iis autem abhorret; quæ licet pia sint & recta, fletum & luctum in hac vita secum trahere videntur, qualis est confessio Euangelij. Christus igitur huic persuasioni opponit: Beati lugentes & flentes. Quia vero non omnes lugentes beati sunt, veteres interpretantur hanc sententiam de iis, qui lugent vel sua vel aliena peccata, vel ob Dei contumeliam, impiorum perditionem, & pusillorum scandala. Roman. 7. v. 24. Miser ego, &c. 2. Corinth. 12. versi. 21. Lugeo eos; quia non pœnitentiam agunt. Psal. 119. v. 136. Deploro eos; quia non custodiunt legem tuã. Ita Samuel luxit Saulem, 1. Reg. 16. v. 1. Et hic quidem pius & sanctus luctus est. Sed Christus loquitur in genere de discipulis suis, quando ipsis immittitur luctus, vt sciant se habere consolationem, quam illi, qui perpetuis delitiis affluunt, nec intelligere nec gustare possunt. Loquitur autem de luctu non accersito sine causa, nec de tristitia mundi, quæ ossa exiccat, Prou. 17. v. 22. imò quæ mortem operatur, 2. Cor. 7. v. 10. quam Syrach. 30. v. 22. iubet longe expelli, sed de luctu, quem Deus discipulis suis immittit, loquitur, vt consolationem quærere & amare discant: qui luctus non est, vt gentium sine modo, sed coniunctam habet patientiam, inuocationem, spem & consolationem. Tales enim lugentes beati sunt.

III. *Beati mites, quoniam ipsi hereditatem accipient terræ.* Supra diximus, rationem explicationis expeditiorem esse, si consideretur status seu consilium concionis Christi in hac parte. Verbum Dei hortatur pios ad studium bonorum operum, propositis promissionibus præmiorum: sed euentus videtur promissionibus non respondere. Piis enim contrarium euenit, & illa, quæ bonis operibus promittuntur, videntur occupari & obtineri ab illis, qui viam mandatis Dei contrariam ingrediuntur. Illam igitur doctrinam Christus exemplis quibusdam declarat. Reddiderunt autem Græci πραεῖς, Iob. 24. vers. 4. Psalm. 37. vers. 12. 76. v. 10. mansuetos seu mites terræ, vbi Hebræi legunt vocabulum ענו Anav, quod ab afflictione & consideratione mentis originem habet. Et quia hęc sententia de mitibus ex Psalm. 37. vers. 11. desumpta est, inde rectissime constitui potest, quos hoc loco Christus mites seu mansuetos intelligat: qui scilicet commotionibus seu passionibus æmulationis, iræ & indignitatis erga Deum, & erga homines pia moderatione imperare possunt. Erga Deum quidem, vt non indignentur aut turbentur, vel ob impiorum successum, vel ob proprias aduersitates à Deo immissas: sed placido animo iudicia Dei ferunt. Erga homines verò faciūt bonitatem, muniunt se fide & veritate: imo lacessiti iniuriis, non ita commouentur, vt malefaciant, sicut Psalmus inquit: hoc est, non contentiose verbis pugnant cum improbis, nec meditantur aut exercent vindictam factis, sed acceptis iniuriis patienti tolerantia, taciturnitate, cessione, miti responsione ac placida morum suauitate & beneficentia, contendunt hominum improbitatem superare, non summo iure in depellendis iniuriis vtuntur, sed fugiunt contentiones, tolerant iniurias, & condonant potius offensiones, quàm vt aliquid turbetur. Deo autem causam suam commendat, & auxilium ac iudicium eius placide expectant. Hæc descriptio mansuetudinis, quæ in Scriptura multas egregias commendationes habet, ex significatione vocabuli & ex Psalmo 37. recte ita colligitur. Augustinus inquit: Mites sunt, qui non resistunt malo, sed bono vincunt malum. Meminit autem illorum Christus hac occasione. Scriptura ad illud studium mansuetudinis, tolerantiæ & condonationis vbique propositis præmiis hortatur: sed experientia ostendit, in terris confusionibus huius mundi, illum, qui nihil pati, sed leuissimas iniurias summo iure, vel quauis etiam iniuria verbis & factis repellere, persequi & vindicare paratus est, absterrere sceleratos, vt timeant ipsi iniuriam inferre. Mites vero, placidos & moderatos omnium iniuriis & contumeliis expositos esse; quia nihil ab illis metuendum sit. Inde mundus beatos prædicat illos, qui rixis, contẽtionibus, ac manu iniurias suas vlcisci possunt. Ita enim regna, imperia & possessiones in hac terra occupari, custodiri & augeri. Christus igitur econtra beatos pronũtiat, qui Domino silent, & ipsum pręstolantur: *ipsi enim hæreditabũt terram,* & delectabuntur in multitudine pacis, sicut loquitur Psal. 37. v. 11. vnde hanc sententiam Christus desumpsit.

Videtur autem promissio seu consolatio obscurior esse: *Quia,* inquit *hæreditabunt terram.* Ambrosius & Bernhardus ita interpretantur, quod anima mansueti regnet super motus carnis, & omnibus membris corporis imperet. Ac per terram intelligunt corpus, de eo Scriptura dicit, terra es, & in terram reuerteris. Sed hæc interpretatio coacta est. Hieronymus dicit, non intelligendam hanc terram, quæ spinas & tribulos producit: sed terram viuentium, hoc est, cœlum. Simplicior autem est Chrysostomi sententia, si vocabulum terræ proprie accipiatur, & in verbo κληρονομεῖν hoc est, hæreditatem accipere & possidere, emphasis consideretur. Ita impij quidem occupant terram, sed contra Dei mandatum, Deo infesto & irato, sicut latrones inuadunt & occupant alienam ditionem. In ipsa possessione etiam inquieti sunt impij, turbantur & à seipsis & ab aliis, & tandem miserabiliter excutiuntur possessionibus; quia non vere hæreditario iure illas possident, sicut Epulo ille, Luc. 16. v. 19. Pij vero promissionem habent hæreditatis totius mundi, 1. Cor. 3. versi. 22. Omnia vestra sunt: siue mundus, siue præsentia, siue futura. Et 2. Pet. 3. ver. 13. Nos expectamus cœlos nouos & terram nouam, iuxta promissum Dei, in quibus iusti inhabitabunt. Et illam quidem pij in extremo die, cùm omnes inimici Christi positi fuerint ad scabellũ pedum eius, pleno hæreditario iure, & re ipsa adibunt

Interea vero licèt variis casibus in hac terra exagitentur, sæpe etiam ab impiis excutiantur: Deus tamen alicubi, cum tota sit illorum hæreditas & patria, nidulum ipsis concedet, quem sciunt diuinitus sibi concessum, & Deo propitio, bona conscientia se eo posse frui, in quo contra impiorum violentiam, sub vmbra manus Domini, mirabiliter proteguntur, vt in tantis diaboli furiis & mundi intemperie, locum aliquem tamen in hac terra retineant: sicut Abraham hæres fuit terræ promissionis, imò totius mundi, Rom.4.v.17. in quo ne passum quidem pedis possedit, Act.7.vers.5. Ita hanc sententiam explicat, Psal.37.ver.16. Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Hic vero tenuis tantum gustus est futuræ hæreditatis, quando iusti totius mundi domini erunt. Ita promissio illa de hæreditanda terra pertinet & ad hanc, potissimum vero ad futuram vitam. Atque ita Christus mansuetis promittit mansiunculam aliquam in hac terra. Quia vero sæpe in possessionibus suis in hac terra turbantur, eiiciuntur & exuuntur, promittit ipsis hæreditariam possessionem totius terræ melioris, & nouæ, sicut & Hebr.2.v.5. vocabat orbem terræ futurum.

IV. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, &c.* Lucas simpliciter dicit: *Beati, qui esuritis nunc.* Et his opponit saturos, quibus væ denuntiat. Intelligit ergo famem & sitim corporalem; seu inopiam & penuriam rerum externarum, quæ necessariæ sunt. Et addit promissionem: *quoniam saturabimini.* Loquitur enim ad discipulos suos, qui in fame ad Deum, cuius proprium est esurientes implere bonis, Luc.1.v.53. clamât. Et scriptum est, Prouerb.10.versi.3. Non perdet fame animam iusti. Psal.37.v.19. In diebus famis saturabuntur. Et quia ibi additur: Non vidi iustum quærentem panem, ideo Christus hoc loco dicit, eos etiam, qui esuriunt & mendicant, vt Lazarus, modò discipuli Christi sint, beatos esse, & fore, vt nihilominus satientur. Quia vero Esaias c.30.ver.20. vocat panem huius vitæ arctum, & aquam breuem: ideo in Futuro Christus loquitur, *Saturabimini*: iuxta Psalm.17.v.vlt. Ego autem satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Apud Matthæum vero Christus ostendit se loqui de fame meliori & sanctiori, spirituali scilicet. Ideo in Harmonia distinctè posui, primo Lucæ, deinde Matthæi famem. Quod autem Matthæus dicit, *qui esuriunt & sitiunt iustitiam*: non eodem modo ab omnibus exponitur. Alij enim intelligunt de illis, qui cum magno animi dolore vident refrigescente charitate abundare iniquitatem, ac vero zelo optant & quærunt iustitiam seu emendationem. Sunt qui exponunt de Christianis, qui in hoc mundo ius suum contra improborum calumnias & violentiam obtinere non possunt, sed coguntur esurire & sitire iustitiam. Sed simplicior videtur Veterum sententia, vt hæc fames & sitis intelligatur de iustitia, vel fidei, vel nouæ obedientiæ. Atque ita vtiliter hæc sententia exponi potest de tentationibus, quibus credentium animi turbantur, vel illis cogitationibus, quod in suis virtutibus non inueniant iustitiam: vel dubitationibus de gratia Dei: vel tentationibus de fidei infirmitate: vel de sordida imperfectione obedientiæ, & de nimis languida pugna aduersus vitia. In illis vero tentationibus, modo sit & maneat fames & sitis iustitiæ, Christus pronuntiat credentes beatos. Vult enim illas infirmitates agnosci, ac confirmationem & augmentum peti. Addit igitur promissionem, fore, vt saluentur imputatione iustitiæ Christi, confirmatione in gratia, augmento fidei & aliis donis. Et licèt in hac vita in credentibus maneat multiplex infirmitas & imperfectio: tamen in Christo habent saturitatem. Iohan.6.versi.35. Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum. Iohan.4.v.14. Qui bibit hanc aquam, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Et tandem in æterna vita erit homo omnium satietas, hoc est, plenitudo & perfectio omnium, vbi Deus erit omnia in omnibus, 1.Corinth.13. ver. 12.& 15.v.28. Esaiæ 65.vers.17. Est autem valde emphatica metaphora famis & sitis, qua non leuis expetitio, sed vehemens, serium & ardens desiderium gratiæ & donorum per gratiam describitur, & vera penuria indicatur. Appetitio enim & desiderium in fame & siti omnes alias appetitiones vehementia & ardore longe superat, & ex vera nutrimenti sufficientis penuria famem & sitim oriri notum est. Ideo ad inopiam & desiderium gratiæ refertur, Esa.55.versic.1. vnde hæc sententia sumpta est.

V. *Beati misericordes.* Semper consideretur antithesis. Misericordia in Scriptura valde commendatur ac præcipitur nobis, additis ingentibus promissionibus. Sed mundus Epicureo suo prouerbio, λάθε βιώσας, iudicat illos rectè facere, qui, vt quieti suæ consulant, sibi & suis thesauros colligunt, aliorum miserias nec curantes, nec subleuantes. Vident enim benefactoribus tantum ingratitudinem propositam. Christus igitur discipulos suos beatos pronuntiat, qui non tàtum proprias afflictiones tolerant: sed & alienis afficiuntur, & student illas subleuare. Hoc enim est proprium misericordiæ. Ne vero à cultura huius virtutis mundi ingratitudine absterreantur, addit promissionem: *quoniam misericordiam consequentur.* Vbi quidam subaudiunt (a Deo,) Theophylactus subaudit (ab hominibus.) Et vtrumque rectum est. Licèt enim vulgaris sit apud homines beneficiorum obliuio: Christus tamen promittit fore, vt misericordes rursus in suis calamitatibus alicubi, si non apud suos beneficiarios, tamen apud alios misericordiam & humanitatis officia inueniant. Deus enim, qui hominum corda habet in manu sua, potest & vult ea rursus ad misericordiam flectere. Et vt totus mundus sit ingratus: apud Deum tamen misericordibus reposita est gratia. Psal.41.v.2. In die mala liberabit eum Dominus, Psal.112.v.5. Beatus qui miseretur, non commouebitur, &c. Tob.4.v.7. Esto misericors, ita nec Domini facies à te auertetur. *Sicut* econtra Iacobi 2.vers.13. Iudicium sine misericordia, immisericordi. Superexaltat autem misericordia iudicium.

VI. *Beati mundo corde.* Theophylactus hanc munditiem interpretatur pro castitate; quia immunditia pro libidinibus vsurpatur, 1.Thessal.4.v.3. Galat.5.v.1. Et allegat sententiam, Hebr.12.v.14. Sectamini castitatem, sine qua nemo Deum videbit. Alij interpretationem ex illo dicto sumunt, Iacob.4.v.8. Purificate corda vestra duplices animo. Ita antithesis hæc erit: simplicitas & ingenuitas in mundo redditur, & gerendis negotiis aduersa putatur. Astutia enim, vafricie & occultatricibus artibus iudicant opus esse inter homines. Christus vero beatos pronuntiat eos, qui mundi corde sunt: id est, qui, sicut inquit Psalm.12 versic.3. non loquuntur corde & corde: vel qui non sunt duplici animo, sicut Iacobus loquitur cap. 4. versic. 8. Sed rectius est cum Ambrosio & Basilio in genere accipere munditiem, pro interiore purificatione cordis, ab inquinamentis peccatorum. Christus enim per antithesin respicit ad hypocrisin Pharisæorum, qui in externa & corporali munditie sanctitatem collocabant, Matth.23.v.25. & sequ. externa sanctitatis specie magnam autoritatem sibi apud homines conciliabant, licèt corda intus omnibus sordibus scaterent. Interim vero illi, qui interiori & veræ puritati cordis operam dabant, contemtui habebantur. Atque ideo minus curabatur studium purificationis cordium, *sicut omnibus temporibus fit.* Christus igitur hoc *studium discipulis suis* commendat. Est enim cor hominis peruersum, Ier. 17.ver.9.& cogitatio eius mala, Genes.8.ver.21. Purificantur autem corda duobus modis. 1. Fide in Christum, Actor.15. vers.9. qui est nostra sanctificatio, 1.Corinth.1.v.30. expiatione & remissione peccatorum. Esaiæ 1.v.16. Lauamini, mundi estote. Psalm.51.v.9. Expia & laua me, & mundus ero. 2. Deinde Deus creat cor mundum in nobis per renouationem, Psal. 51.v.12. Ezech.36.v.26 Et Pater purgat palmites. Iohan.15.v. 2. vt expurgetur vetus fermentum. 1. Corinth.5.ver.7. & mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, 2. Corint.7.v.1. Et licèt secunda hæc mundities non sit perfecta in hac vita. Quis enim dicet, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Prou.20.v.9. Iob.15.v.14. corā Deo tamen mūdi reputamur, tecta immunditie nostra, propter perfectissimā munditiem Christi, fide nobis imputatam. Tales igitur mundi cordes (sicut Augustinus loquitur) Christus beatos prædicat: cumque à mundo non spectentur aut celebrentur, reuocat eos Christus ab hominum iudiciis, *ipsi enim* inquit, *Deum videbunt.* Quod accipitur primò de agnitione Dei in hac vita, sicut Speculum mundum recipit imaginem, inquit Theophylactus, Ioh.14.ver 9. Qui videt me, videt & Patrem meum. Præcipue vero de visione Dei in æterna vita, in quam cum nihil inquinatum ingrediatur, Apocal. 21 ver.27. dicit: Mundi corde Deum videbunt. Et est antithesis: in mundo quidem non spectantur, sed Deum videbunt. Et sumptum est ex Psal. 24.v.4. Innocens manibus & mundo corde. Hæc est generatio quærentium faciem Dei. Consistit autem æterna beatitudo in visione illa Dei, sicut scriptum est Psal.16.v.vlt. Satietas enim lætitiarum est cum vultu tuo. Et angelorum beatitudo ita describitur, quod semper videant faciem Patris cœlestis, Mat.18.v.10.

VII. *Beati pacifici.* Inter vocabula est differentia. Græci enim interpretes habent vocabulum εἰρηνικὸς, quod etiam in Epistola Iacobi & ad Hebræos vsurpatur: & significat eos, qui ipsi pro se abhorrent à contentionibus, amant pacem & student concordiæ. Εἰρηνοποιοὶ verò, sicut Christus hoc loco loquitur, sunt conciliatores pacis, qui etiam inter alios dissensiones componere & pacem conciliare satagunt. Illis autem plerumque ab vtraque litigantium parte mala gratia refertur, vt in pacificatione sæpe vtramque partem offendant, & vtrinque male audire incipiant. Hæc ingratitudo multos à pacificandi studio deterret. Christus igitur beatos pronuntians pacificos, vult nos in illo studio pacificationis alacriter progredi.

progredi. Illud autem pacificandi studium multiplex est 1. Sicut Augustinus docet, vt quisque animi sui motus ita componat, vt spiritui non rebellent, sed subiiciantur. 2. Sicut Chrysostomus interpretatur, vt quisque ita se componat, vt contentiones fugiat, causas dissidiorum vitet, & studeat pacem seruare cum omnibus. 3. Vt quisque alios à se dissidentes, siue ipse offenderit alios, siue offensus sit ab aliis, studeat sibi reconciliare, & in gratiam cum ipsis redire: sicut Dauid erga Saulem hoc studium habebat. 4. Vt alios, qui inter se discordes sunt, conetur mutuo reconciliare, & ad concordiam redigere. 5. Basilius intelligit pacificos, qui alienos à Deo student ipsi reconciliare, annunciantes pacem, Rom. 10. v. 15. & exhortãtes pro Christo, reconciliemini Deo, 2. Cor. 5. v. 20. Cùm autem studium hoc difficile ac molestum sit, & mala plerũque prǽmia in hoc mũdo referat, Christus addit consolationem & promissionẽ: *quoniam ipsi filij Dei vocabuntur,* hoc est, censebuntur & celebrabuntur, tanquam filij Dei, imitatores Patris cœlestis, ac ingenium eius referentes. Sicut postea: Diligite inimicos: vt sitis filij Patris cœlestis. Et in hac quidem vita habentur pacifici pro filiis Dei, non quidem coram mũdo, sed apud Deum, & apud pios. Sed in altera vita vocabuntur, hoc est, publice manifestabuntur, habebuntur & celebrabuntur pro filiis Dei coram toto mundo, & præcipue coram omnibus sanctis. Deus enim est Deus pacis, pacificans ea, quæ in cœlis & quæ in terra sunt, Colos. 1. v. 20. vbi eodem verbo Paulus vtitur, quod extat hoc loco in Matthæo. Scitum vero est, quod Chrysostomus annotauit: ne quæuis pax & concordia cum mundo probetur & affectetur, mox additur in Matthæo de persecutione. Et in Luca: Væ vobis, cùm laudauerint vos omnes homines. Obseruandum autem est non de solis illis quatuor pietatis operibus, vtpote de mansuetudine, misericordia, munditie cordis & pacificandi studio, doctrinam hanc intelligendam esse. Hebraica enim consuetudo est, proposito vno atque altero exemplo doctrinam, quæ generalis est, & ad alia, quæ eiusdem generis sunt, pertinet, comprehendere. Rationem igitur Christus monstrauit, quomodo generaliter promissiones de præmiis bonorum operum sint declarandæ, ne turbemur vel deterreamur, quando videmus experientiam in hoc mundo promissionibus externis non respondere. Simul tamen adscribam duos dulcissimos Bernhardi versiculos, quibus potissimam partem harum sententiarum complexus est.

Nullum turbaui: discordes pacificaui
Lasus sustinui: nec mihi complacui.

VIII. *Beati qui persecutionem patiuntur, &c.* Hoc verè paradoxon est. Apostoli enim recens electi, putabant se in toto mundo apud omnes homines gratiam, gloriam, honores, opes, potentiam ratione illius officij consecuturos: sicut & reliqui pij tales imaginationes de regno Messiæ circumferebant. Christus vero prædicit ipsis persecutionem, propter multas causas. 1. Vt maturè animum præparent ad perferendas persecutiones. 2. Ne turbentur, si orta fuerit persecutio, sed sicut Iohan. 16. v. 4. scriptum est, tunc reminiscantur eorũ, quæ Christus prædixit. 3. Vt discant, quomodo tẽpore persecutionis se gerere debeant. 4. Vt in persecutione certã habeant consolationem. Describit autem Christus persecutionem Ecclesiæ multis verbis & variis vocabulis. Præuidit enim, quàm rabiose & quàm variis modis mundus persecuturus sit Ecclesiam. Genus igitur Matthæus ponit persecutionum, cui deinde varias subiicit species, ne illi soli putent se persecutionem pati, qui in exilia pelluntur: & ne turbemur, quando simul magna congeries insectationum ingruit. Ita autem numerat, 1. *cùm oderint vos homines.* 2. *Cum probra iecerint in vos:* hoc est, cum pessima crimina, quæ odiis & persecutioni prætexunt, de vobis sparserint. Et hoc est, quod Matthæus dicit *cùm dixerint omne malum verbũ aduersus vos.* 3. *Cum separauerint vos*, vel à priuato consortio, vel ab Ecclesiæ communione. Lucas enim verbo ἀφορίζειν sine dubio reddere voluit illud quod Ioh. c. 9. v. 22. 12. v. 42. & 16. v. 2. solet dicere ἀποσυνάγωγον facere. Nam & Græci Esai. 56. v. 3. per ἀφορίζειν reddiderunt verbum בדל, quod significat à re abominabili separare se, vt ab impiis & impuris gentibus. Esd. 6. v. pen. 9. v. 1. & 10. v. 4. Nehem. 9. v. 2. 2. Cor. 6. v. 14. 4. *Cùm eiecerint nomen vestrum, vt malum.* Sententia huius phraseos intelligi potest ex his & similibus exemplis, Iob. 18. v. 17. Non celebretur nomen eius in plateis. Psalm. 109. v. 13. In generatione altera deleatur nomen eius. Psalm. 49. ver. 12. Vocauerunt nomina sua in terris. Psalm. 41. ver. 6. Dixerunt inimici, quando morietur, & peribit nomen eius. Prouer. 10. ver. 7. Nomen impiorum putrescet. Et Iudæis familiare est, quando Prophetam vel sanctum aliquem mortuum honorifice nominant, ex phrasi Syracidis cap. 46. vers. 14. ita præfari: Sit nomen eius in benedictione. Contra Esai. 65. v. 15. Nomen vestrum erit in execrationem. Et Esai. 48. vers. 19. Succidetur & abolebitur nomen eius à conspectu meo. Est igitur nomen alicuius vt malum eiicere: Memoriam eius vel abolere, vel posteris abominabilem facere, vel sicut proscriptorum nomina ex albo ciuium delentur. Imò, sicut scriptura loquitur, nomen alicuius ex libro vitæ delere. 5. Ponit ipsam *persecutionem*, quæ non in hominum odiis & maledictis tantùm resistit, sed reipsa credentes vel expellit in exilium, vel lædit aut in corpore, aut in facultatibus, vel, si potest, omnino perdit & occidit. Vocabulum sumptum est ab illis, qui hostes insectantur, quando animus ita ardet & inflammatus est, vt omnia loca perscrutetur, nullam concedat quietem vel securitatem: sed vtatur tam insidiis quàm violentia, vt hostem vel expellat, vel lædat, vel perdat. Hebræis enim דלק dalak ab inflammatione originem habet. Obiter verò & oblique indicat; à quibus Ecclesiæ pertimescenda sint illa genera persecutionum. Lucas in genere nominat *homines*, Matthæus nominat illos; *qui persecuti sunt Prophetas.* Ergo non tantum ab illis, qui alieni sunt à professione Euangelij, expectanda est Ecclesiæ persecutio: sed & ab iis, qui eandem religionem profitentur. Illi enim, non gentes, olim occiderunt Prophetas. Præcipue vero obseruanda sunt illa verba, quæ singulis sententiis adduntur. Cùm dixerint omne malum verbum aduersus vos, *mentientes:* hoc est, quando crimina, quæ de vobis confingũt, falsa sunt. Cùm probra iecerint in vos, *propter me*, cum eiecerint nomen vestrum, *propter filium hominis.* Qui persecutionem patiuntur *propter iustitiam.* Eadem autem est sententia & doctrina, quæ traditur, 1. Petr. 4. ver. 14. Si probris afficimini in nomine Christi, beati eritis. Item vers. 15. Nemo vestrum patiatur vt fur aut homicida. Si autem vt Christianus, non erubescat: glorificet tantum Deum hoc nomine. Et cap. 3. vers. 14. Si quid patiamini propter iustitiam, beati. Terrore igitur eorum ne terreamini. Item cap. 2. versic. 19. Hæc est gratia, hoc probatur Deo, si quis propter conscientiam Dei suffert molestias. Quæ enim est gratia, si peccantes alapis cædimini? Sed, si cum benefacitis, malis afficimini & sufferitis, hæc est gratia apud Deum. Docet igitur Christus, illis, qui persecutionem patiuntur, præcipue & ante omnia cogitandum esse, vt causam habeant veram, bonam & iustam. Ita enim simpliciter & in genere intelligatur, quod textus inquit, *propter iustitiam.* Illa autem in Ecclesia iusta causa est, quando doctrinam filij Dei à nostris partibus habemus: sicut inquit, *Beati, qui persecutionem patiuntur, propter filium hominis:* hoc est, propter agnitionem & confessionem Christi & doctrinæ eius. Persecutiones igitur in Ecclesia æstimandæ sunt à causis, sicut rectè & eleganter dictum est ab Augustino Epistol. 61. *Non pœna, sed causa facit martyrem.* Sæpe enim probris & pœnis afficiuntur etiam scelerati, & propter maleficia. Sed Christus peculiari nota Ecclesiæ martyres à maleficiis mundi discernit: *Mentientes.* Et, *Propter iustitiam.* Item, *Propter filium hominis.* Illa verò contrapositio (homines Ecclesiam probris & persecutionibus insectantur, mentientes propter me) ostendit causam & originem, cur & vnde contra Ecclesiam persecutiones moueantur. 1. Pet. 3. v. 13. Apostolos dicit esse axioma naturaliter mundo notum *Quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Sed Ecclesia patitur persecutionem præter meritum, (dicit enim, maledicunt vobis mentientes,) & in iustissima causa; quia propter iustitiam, & propter filium hominis. Vnde igitur illa rabies mundi contra Ecclesiam? Resp. Ex duobus potissimum oritur causis. 1. Quia positæ sunt inimicitiæ inter semen serpentis & semen mulieris, Christum. Diabolus igitur princeps mundi; quia videt per Euangelium arma sua diripi, regnum destrui, & spolia distribui, non desinit mundum incitare & armare contra Ecclesiam. 2. Mundus sua diligit: credentes vero, electi & segregati sunt à mundo, Ergo mundus non potest non illos odisse & persequi, Ioh. 15. v. 19. & 17. v. 14. Item: Caro non sustinet peccata sua argui, nec opiniones suas & iustitiam suam damnari. Maior igitur pars mundi, quia caro est, Euangelio semper infesta est. Hãc doctrinam de persecutione Christus ad statum suæ concionis accommodat. Mundus enim eos beatos iudicat, qui omnium hominum fauorem, applausum, studia & beneficentiam habent, atque ideo omnia quæ facit, ita moderatur, vt hæc sibi comparet. Econtra vero ea fugit, quæ licet iusta sint, odium tamen, infamiam & insectationes secum trahere videntur: qualis est Euangelij confessio. Christus igitur discipulos suos beatos prædicat, si persecutionem patiantur propter iustitiam. Ostenditur vero simul etiam explicatio huius quæstionis: An scilicet certum testimonium sit illam religionem, doctrinam & fidem falsam esse, quam maior pars hominum odit, criminatur & persequitur? Item: An doctrinæ & religionis veritas & prauitas æstimanda sit ex mundi siue applausu, siue insectatione? Docet autem Euangelij accidens, quasi inseparabile esse, quod odiis, conuitiis & persecutionibus mundi expositum est. Idem enim inquit, Prophe-

tis, non inter gentes, sed in ipso populo Dei, accidit. Ne propterea de doctrina Euangelij dubitent, vel ministerium & confessionem eius fugiant & abiiciant, quando vel conuitiis proscinditur, vel persecutionibus exagitatur. Imo in Luca additur, applausum mundi in causis fidei debere suspectum esse: *Ita* enim, inquit, *Pseudoprophetis faciebant patres eorum.*

Quia vero inter reliquas calamitates persecutio est calamitas omnium difficilima, Christus non tantum in tertia persona, sicut in cæteris sententiis loquitur: *Beati qui patiuntur persecutionem*: sed etiam per Apostrophen conuertit orationem; præcipue quidem ad Apostolos, simul tamen etiam ad totam turbam credentium. Est enim doctrina de persecutione generalis: sicut Paulus dicit, 2. Timoth. 3. versiculo 12. Omnes, qui pie viuere volunt in Christo, persecutioni obnoxij sunt. Ideo inquit, *beati estis.* Et quia animi hominũ facile turbantur, franguntur & deiiciuntur in persecutionibus, Christus opponit in hanc sententiam: *Gaudete & exultate in illa die.* Matthæus vtitur verbo *ἀγαλλιᾶσθε*, quod respondet Hebraico עלז alaz, significanti tripudia in gaudiis. Lucas dicit *σκιρτήσατε*, quod Græci interpretes, Psalm. 113. v. 6. reddiderunt רקד rakad, quod 1. Paral. 15. v. vltimo vsurpatur de Dauide ludente & saltante ante arcam. Et Psalm. 29. ver. 6. Exultare fecit eos, sicut vitulum. Sensus igitur est, tempore persecutionis non debere nos vel animis frangi, vel deplorare conditioné nostram vt miseram, quasi à Deo negligamur & deseramur, sed debere nos potius intus in animo lætari, & animi lætitiam exteriori gestu & exultatione ostendere. Et infirmitas sane credentium, talem exultationem, in paroxismo persecutionum raro, ægre & languide præstare potest. Sed Christus his verbis docere voluit, quò animi credentium se conuertere debeant, ne in persecutionibus vel succumbant, vel tristitia absorbeantur. Caro enim, respiciens ad odia, infamiam, exilia, damna, contristatur & turbatur. Quando vero spiritus mentes in cœlum & ad Deum eleuat, tunc offert se immensa lætitiæ materia, sicut 1. Pet. 1. vers. 6. scriptum est. Quia in Christo hæreditas æterna conseruatur vobis in cœlis, in eo igitur exultetis, modicum nunc si opus fuerit afflicti. Et in præcepto illo simul includitur promissio: Deum scilicet spiritu suo animas ita consolaturum & confirmaturum, vt consideratione gaudij tristitia superetur & pellatur, sicut de Apostolis scriptum est, Act. 5. vers. 40. Cæsi ibant gaudentes, quod digni habiti essent pro Christi nomine pati. Proponit autem ipsis exemplum Prophetarum: *Ita faciebant Prophetis, qui fuerunt ante vos.* 1. Ne existiment nouum aut insolitum aliquid sibi accidere, si propter Euangelium incidant in persecutionem. 2. Vt cogitent, eadem sibi certamina proposita, quæ olim Prophetæ subierunt, ne in regno Messiæ omnia suauia sibi somnient. 3. Vt sciant non ab exteris tantũ, sed in ipsa etiam Ecclesia persecutiones sibi expectandas; sicut patres ipsorũ persecuti sunt Prophetas. 4. Vt moneat eadem de causa ipsos passuros, sicut Prophetæ. 5. Vt ostendat ipsos persecutionibus æquales, consortes & socios fieri Prophetarum. 6. Sicut Prophetarum nomen olim contemptum, nunc autem celebre & gloriosum est in Ecclesia, etiam in terris ita etiam se sperare debere. Ita scriptum est 1. Pet. 4. v. 12. Ne miremini, quasi nouum aliquid vobis contingat; sed quia consortes estis passionum Christi, gaudete. Postremo inquit: *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Ne enim frustra, vane & inaniter, sine remuneratione se illa pati existiment, auocat credentes ab hac terra & à præsenti vita, & iubet mentes fide & spe in cœlum attollere, & ibi affirmat non fore tantum, sed iam esse mercedé copiosam repositã, scilicet illis, qui persecutionem patiuntur, propter filiũ hominis, vt non vereantur, si Dei voluntas ita fuerit facultates, famam & vitam ipsam in discrimen, propter confessionem Euangelij adducere. Pro amissa igitur patria & mansione terrena promittit patriam cœlesté, pro ablatis facultatibus bona æterna, pro vana huius mundi gloria, claritatem & celebritatem in cœlis. Sicut inquit Pet. 1. c. 4. v. 13. & 14. Si probra sustinetis ob Christi nomen, beati estis: quoniam gloria & spiritus Dei super vos requiescit, vt in reuelatione gloriæ Christi gaudeatis exultantes. Vt igitur mentes ad illam considerationem deducantur, ideo Christus vtitur particula demonstratiua: *Ecce enim merces vestra in cœlis.* Non autem nominat vel decuplam vel centuplam, sed copiosam mercedem: vt ostendat immensam fore mercedem, cuius numerum seu mensuram mens nostra in hac vita cogitando concipere non potest.

Quia vero præmia bonorum operum Christus hoc Deo vocat mercedem, cuius correlatiuum dicunt esse meritum, multa & de vocabulis illis & de rebus ipsis disputata sunt: de quibus pauca quædam pro instituti nostri ratione annotabimus. Et de rebus ipsis primum dicemus. Certum enim est Deum & promittere & dare præmia, mercedem seu remunerationem eorum, quæ à piis propter Deũ, vel bona fiunt, vel aduersa tolerãtur, sed quæstio est, 1. an sit mutua relatio seu æquiualens proportio inter meritum & mercedem? 2. An propter operis dignitatem merces promittatur & detur? siue, an dignitas operis correspondeat mercedi seu præmio? 3. An ex debito iustitiæ detur? 4. An propter opera Deus nobis obstrictus sit, vt quasi actio, iure exigendi mercedem, cõpetat merẽtibus? Ad has autem quæstiones ex Scripturæ sententia respõsio plana est. Nam primo serui sumus Dei, qui Dominus noster est, & creationis & redẽptionis ratione: quo nomine debemus ipsi opera, non tantum ea, quæ præstamus, sed & perfectissima illa, quæ secundum Legem, in hac carnis infirmitate, præstare non possumus. Atque ideo non deberi nobis mercedem, Christus expresse affirmat, Lucæ capite 17. v. 10. Meritum enim est, quo quis opera sua alteri non debita, mercedem ex conuentione meretur. 2. Deus nostris operibus pro se non eget: nihilque ipsi vtilitatis ex nostris operibus accedit. Est autem proportio mercedis & meriti, quando pro ratione vtilitatis, quæ ex alterius opera nobis prouenit, mercedem constituimus. 3. Omnia bona opera sunt Dei dona & operationes in nobis. Merces autem debetur non propriæ, sed alienæ operæ indebitæ. Vnde Augustini sententia est: Nil Deus in nobis præter sua dona coronat. Et Bernhardus recte dicit: Omnia merita nostra esse dona Dei, ita, vt homo propter ipsa magis debitor sit Deo, quàm Deus homini. 4. Sunt quidem bona opera fructus Spiritus: sed quia nostræ carnis sordibus inquinantur, ita, vt imperfectio & immundities operum nostrorum censuram diuini iudicij & iustitiæ sustinere non possint, nisi per misericordiam à condemnatione eximantur, & ex gratia acceptentur. Non igitur est dignitas operum correspondens mercedi: id quod tamen ad meritum requiritur. 5. Nullam esse proportionem mercedis ad opera, Paulus diserte affirmat, Romanor. 8 versic. 18. Non sunt condignæ passiones nostræ, &c. Quæ cum ita se habere certum sit, certum inde & hoc est, Deum non proportione seu commensuratione meriti ex debito, sed ex bonitate, misericordia & gratia piis remunerationem operum promittere & dare. Nã ex gratuita bonitate, tectis infirmitatibus, & personam & opera acceptat & remunerat. Non possumus igitur nec debemus meritum, proprie dictum, operibus nostris arrogare. Merces enim, quam Christus promittit, est indebita remuneratio, quam præter & contra dignitaté Deus, ex gratia, operibus rependit. Agnoscamus igitur potius & fateamur peccata nostra, sordes & infirmitates, quàm de meritis coram Deo gloriemur. Quod vero Deus ex gratia suis promittit præmia, idem est, ac si pater filium hæredem suum, promisso aliquo munere, inuitet ad feruens literarũm studium: ita gratiæ Dei, reconciliationis & hæreditatis vitæ æternæ, nulla in nobis constituenda sunt merita. Illa enim propter Christi meritum ex gratia nobis donantur. Illis vero, qui ita facti sunt hæredes, Deus promittit præmia operum. Et quia fructus seu vtilitas, quæ ex opere aliquo, seu post laborem aliquem, sequitur, licet sit indebitum & gratuitum munus, sine adæquatione & commensuratione laboris & præmij, in Scriptura sæpe vocantur merces, vt Psalm. 127. v. 3. Fructus ventris merces est. Genes. 15. ver. 1. Ego sum merces tua copiosa. Ita Christus præmia operum vocat mercedem; quia dantur pro labore seu afflictione, cuius sunt gratuita & indebita remuneratio, qua vel labor vel detrimentum externum ex gratia compensatur. Et sicut nisi certanti nulla corona datur: ita etiam nulli laboranti, & nisi præstita opera, præmia illa non dantur. Inde ita & ideo vocatur merces, quam Christus ideo promittit suis discipulis, ne cogitent se omné operam, quam impendunt, ludere & perdere, ac nullum facere operæ pretium, hoc est, frustra, vane & inaniter, sine fructu & vtilitate aliqua inde secutura ea, quæ Christus facienda & patienda proponit, suscipere, vtque ita infirmos suorum animos ad obedientiam exuscitet, inuitet, prouocet, & in progressu confirmet. Sicut Moses respectu remunerationis opprobrium Christi thesauris Ægypti prætulit, Hebr. 11. ver. 26. At prudenter ab Augustino dictum est: *Deus est debitor noster, non ex commissa, sed ex promisso, scilicet gratuito.* Sicut igitur hoc modo vocabulum mercedis ad præmia bonorum operum à Christo transfertur, licèt aliàs merces vocetur, quæ ex debito pro commensuratione laboris mercenariis datur: Ita si cum veteribus meritum accipiatur pro ipso opere, cui Deus ex gratia promittit & dat remunerationem, ferri posset. Sicut ne Lutherus quidem explicans hanc concionem ab eo abhorruit, & aliquoties in Apologia Augustanæ confessionis ita vsurpatur. Sed quia Pontificij vsum eius vocabuli contra gratiam Dei odiose & contentiose vrgent, & inde veritati insidias struunt: ideo non immerito suspectum habetur, & valde caute agendum est, quando Veterum dicta de meritis allegantur. Sed hæc breuis commonefactio pro nostri instituti ratione hoc loco sufficiat.

Porro

Porro apud [illegible] quatuor adduntur antitheses: quod ipsum fit Hebraica consuetudine, quæ monet, reliquis etiam beatitudinibus, quæ apud Matthæum describuntur, similiter addendas suas antitheses. Quod autem [illegible] legimus: *veruntamen væ vobis diuitibus*, particula πλὴν hoc loco aduersatiua est. Recitatis enim beatitudinibus suorum, paradoxis sane coram mundo, subiicit πλὴν: hoc est, econtra vero væ diuitibus, sicut Lutherus recte reddidit. *Væ* est ad Hebræo אוי vel הוי, Syrus habet וי exprimens Græcum. Est autem particula execrantis, vel dolentis, vel minantis, vel denuntians malum & calamitatem vel temporalem, vel æternam. Vnde etiam ex antithesi recte colligitur, quid significet μακάριοι: sicut Lutherus vtrumque reddidit, *vvol vnd vvehe*. *Diuites* autem vocat, qui multas acquirunt & possident opes. *Saturos* vocat Lucas ἐμπεπλησμένους: quod vocabulum Græci Ezech. 7. versic. 19. ita vsurpant, quorum venter non tantum necessariis, sed & omnis generis deliciis saturatur, & anima desiderio omnium, quæ optat, impletur. Per *Ridentes* intelligit gaudium, lætitiam, risum impudicum. Explicatio autem ex præcedentibus sumenda est. Sicut enim non simpliciter paupertatem, luctum, fletum, &c. per se beatificat, sicut dictum est: ita etiam non simpliciter damnat diuites, saturos, ridentes. Nam benedictio Domini diuites facit, Prouerb. 10. vers. 22. Et Paulus præcipit diuitibus vt apprehendant vitam æternam, 1. Timot. 6. vers. 19. Est tempus ridendi, Eccles. 3. vers. 4. Et Lazarus pauper in sinum Abrahæ diuitis collocatur, Luc. 16. versic. 23. Sed ad statum concionis hæc referenda sunt. Et vera interpretatio est, quam tradit Dauid Psalm. 62. vers. 11. qui scilicet cor apponunt opibus Et sicut Christus inquit, qui confidunt in diuitiis, Marc. 10. vers. 24. Aut qui sperant in multitudine diuitiarum, Psalm. 52. versu 9. Et qui absque pœnitentia & timore Domini diuitiis abutuntur ad luxum, fastum, voluptates & ingluuiem sine misericordia erga pauperes, Luc. 16. vers. 19. Quia igitur diuites, saturi & ridentes summum bonum plerunque constituunt in opibus, saturitate & lætitia huius mundi, atque hoc nomine beatos se iudicant: ideo etiam ab omnibus beati prædicantur, vnde serio nec curant, nec quærunt cœlestia & æterna bona. Opes enim, voluptates & gaudia huius mundi, suffocant verbum Dei, Luc. 8. ver. 14. sectantur talia externa quoquo modo, etiamsi contra Deum sit: fugiunt vero ea, quæ talia vel turbare vel impedire videntur, etiamsi pia & à Deo mandata sint: abutuntur bonis mundi pro sua libidine, ac nihilominus persuasione & opinione beatitudinis sibi blandiuntur. Ideo Christus denuntiat ipsis væ. Non autem in genere tantum dicit væ diuitibus: sed *væ vobis diuitibus*, saturis: *væ vobis*, qui ridetis nunc. Vt illa accommodatio seu applicatio generalis doctrinæ magis afficiat & moueat. Denuntiat autem ipsis væ, propter pios pauperes & afflictos, ne scandalo illo prosperitatis impiorum turbentur, aut ad imitandos illos seducantur. Tum verò præcipue propter ipsos diuites, saturos & ridentes: ne constituant beatitudinem in prosperitate illa huius vitæ, neglecto regno Dei: vtque præmoneantur, ne sectentur talia contra Deum, neve rebus prosperis irretiti, & voluptatibus inebriati, negligant vera & æterna bona. Quas vero addit comminationes, cum inquit *Esurietis lugebitis, flebitis*, intelligi possunt, vel de mutatione fortunæ in hac vita, præcipue vero de exterioribus tenebris, vbi erit fletus & stridor dentium; vel de fame, hoc est, penuria æterna, vbi ne gutta quidem frigidæ aquæ in refrigerium ipsis concedetur, Luc. 16. versi. 24 Et Esa. 65. vers. 13. calamitas æternæ damnationis, sub metaphoris famis & luctus, describitur. Et Iac. 5. vers. 1. Plorate nunc diuites & vlulate, ob miserias suas euenturas vobis. Et quod dicit: *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram*. Non est simplex verbum ἔχετε habetis, sed compositum ἀπέχετε, cuius significatio, sicut & sententia huius loci, ex historia diuitis, Luc. 16. versic. 25. recte sumitur, vbi Abraham dicit: Recepisti bona tua in vita tua: nunc Lazarus solatio fruitur, tu vero cruciaris. Et verbum ἀπέχειν, quod hoc loco vsurpatur, ibi exponitur per aliud ἀπέλαβες. Significat ergo ἀπέχειν, non tantum simpliciter recipere & habere, sed portionem solatij sui iam accepisse, & iam ita habere, vt postea nullam aliam, & nihil amplius, vel petere possit, vel expectare debeat. Latine vno verbo non potest reddi, nisi dicas, præripitis consolationem vestram, quo tamen proprietas verbi non explicatur. Germanicè vero & proprie & elegāter redditur: *Irh habt evvern Trost all hinvveg, oder dahin*. Est enim illud quod Psalm. 17. ver. 14. dicitur: Sunt homines de mundo, quorum portio est in vita eorum. Sed de verbo ἀπέχειν, paulo post rursus dicendum erit.

Peculiaris vero antithesis est: *Væ vobis, cum laudauerint vos omnes homines*. Et καλῶς εἴπωσι apud Lucam opponitur omnibus illis, quæ de persecutione dicta sunt, odio, criminationibus, opprobriis, separatione, eiectione & persecutione. Illa autem sententia Christus ambitionem, præcipue in ministris Ecclesiæ suæ, taxat & reprimit id, quod exemplum Pseudoprophetarum ostendit. Qui enim in iis, quæ ad ministerium pertinent, potentum gratiam, vulgi applausum & auram, seu gloriam popularem spectat, captat & quærit, fieri non potest, quin à norma & semita verbi Dei transuersum agatur. Mundus enim non vult argui, vel prauas suas opiniones, vel opera mala, Iohann. 3. vers. 20. & 7. vers. 7. Sed quærit, qui dicunt placentia, Esa. 30. vers. 10. iis, quibus aures pruriunt, 2. Timoth. 4. vers. 3. Et hoc est, inquit Christus, quod olim fecit Pseudoprophetas: quod scilicet timentes potentum & vulgi offensiones, doctrinam ita voluerunt moderari, vt vel omnibus, vel maiori parti placerent, neminem offenderent, sed apud omnes gratiam inirent. Non autem vult Christus contemni sanorum & piorum iudicia in Ecclesia: nec vult, vt minister Ecclesiæ piorum animos offendat, & voluntates eorum temere à se abalienet. Sed dicit: *væ vobis cum laudauerint vos homines*: intelligens prophana mundi & filiorum huius seculi (quorum semper maxima pars est) iudicia, ne veritatem doctrinæ & bonitatem causæ ex multitudine applaudentium æstimemus. Vulgi enim iudicium est, eos, qui ab omnibus acceptantur, commendantur & celebrantur, habere veram, iustam & bonam causam; qui vero à maiori & potentiori parte fastidiuntur, abiiciuntur & damnantur, falsa docere & malam causam tueri. Sicut Actor. 28. vers. 22. Iudæi ex hoc αἰτίωμα iudicant de Pauli doctrina: De secta ista notum est nobis, quod ei vbique contradicitur. Et hoc loco Christus dicit: *Secundum hæc Patres eorum faciebant Pseudoprophetis*: hoc est, antiquis etiam temporibus maior fuit eorum pars, qui Pseudoprophetas, quàm qui veros Prophetas laudarunt, sicut monent exempla Eliæ, 3. Reg. 18. vers. 22. Michææ cap. 22. v. 13. Ieremiæ c. 37. & 38 Nam de mundo sunt, de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Monet igitur Christus, ne ad talia mundi seu maioris partis iudicia & applausum, Apostoli ministerium inflectant: aut væ ipsis minitatur. Atque hinc intelligi potest, non pugnare inter se illas Pauli sententias, Rom. 15. v. 2. quisque proximo placeat in bonum. 1. Corint. 10. v. 33. per omnia omnibus placebo. Et Gal. 1. versic. 10. Si hominibus placerem, seruus Christi non essem.

Pericopa secunda

CONCIONIS CHRISTI IN MONTE: de officio ministerij Apostolorum, Matth. 5.

13. Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς· ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται; εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων.

13. *Vos estis sal terræ: quod si sal infatuatus fuerit, quo salietur? ad nihil valet amplius, nisi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

14. Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου. οὐ δύναται πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη.

14. *Vos estis lux mundi. Non potest oppidum abscondi supra montem situm.*

15. Οὐδὲ καίουσι λύχνον, καὶ τιθέασιν αὐτὸν ὑπὸ τὸν μόδιον, ἀλλ' ἐπὶ τὴν λυχνίαν, καὶ λάμπει πᾶσι τοῖς ἐν τῇ οἰκίᾳ.

15. *Neque accendunt lucernam, & ponunt istam subter modium, sed super candelabrum, & lucet omnibus, qui sunt in domo.*

16. Οὕτω λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώ-

16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant*

πων, ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα, καὶ δοξάσωσι τὸν πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

veſtra bona opera, glorificentque patrem veſtrum, qui eſt in cœlis.

Exegeſis huius ſecundæ pericopes.

TOtam hanc concionem Chriſtus inſtituit ad formandos & inſtituendos recens electos Apoſtolos: ſed quædam ſententiæ formam doctrinæ Apoſtolicæ continent. Huius vero pericopes ſententiæ proprie de officio miniſterij Apoſtolorum loquuntur. Tribus autem metaphoris ſeu ſimilitudinibus illud deſcribit. 1. Metaphora ſalis. 2. Similitudine Lucernæ lucentis. 3. Ciuitatis ſuper montem ſitæ, & omniũ conſpectui expoſitæ. Dicit igitur ad Apoſtolos: *Vos eſtis ſal terræ &c.* Et metaphora ſalis pulcerrime deſcribit neceſſitatem, vſum & proprietatem miniſterij verbi. Recte enim dicit Hilarius, ſententiam ſimpliciſſime poſſe intelligi, ex collatione naturæ ſalis cum officio Apoſtolorum. Porro vſus ſalis in Scripturæ exemplis ita deſcribitur, Ezech.16.verſic.4. Infans recens natus, quando vmbilicus eius non præciditur, aqua non lauatur, nec ſale ſalitur; quia naſcens materiam putrefactionis ſecum affert, putreſcit. Et hoc exemplum pulcerrime illuſtrat metaphoram ſalis in hoc loco. Præterea Leuit.2.v.13. Ezech.43.verſi.24. ſine ſale nulla victima, quæ Deo placeret, offerebatur. Iob.6.verſ.6. Inſulſum ſine ſale, non delectat guſtum comedentis. Exod.30.v.35. Conditura incenſi appellationem habet à ſale. His exemplis, ſi addatur conſideratio de natura & vſu ſalis, explicatio plana erit. Sale enim condiuntur. Illa quæ propter ſuperfluos & prauos humores corruptioni & perditioni obnoxia ſunt, vt humoribus illis acrimonia & mordicatione ſalis attenuatis & exeſis, corruptio inde expurgetur & arceatur, ne pereant, vt ſi vulneri ſal inſpergatur. 2. Inſipia & inſulſa, ſicut Iob inquit c.6.verſ.6. condiuntur ſale, vt inde gratus ſapor illis concilietur. 3. Acrimonia ſalis ea quæ condit in poſterum præſeruat à putrefactione & corruptione. Quia ergo Chriſtus Apoſtolos ratione miniſterij appellat ſal terræ, oſtendit miniſterium ipſorum latius patere, & longius ſe extendere, quàm Prophetarum, qui tantùm Iudææ ſal fuerunt: Apoſtolos vero non Iudææ, nec partis tantum orbis, ſed ſal terræ appellat. Per terram autem intelligit homines terrenos, ſicut deſcribuntur Iohann.3.verſ.12. Phil.3.verſ.19. Iacob.3.verſ.15. Et quia dicit, terræ indefinite opus eſſe cœleſti illo ſale, oſtendit omnes homines extra Chriſtum, propter peccata, corruptioni & perditioni obnoxios eſſe, niſi acrimonia & mordicatione illius ſalis à corruptione purgentur. 2. Inſulſos & inſipidos eſſe, vt Deo placere non poſſent, niſi ſale cœleſti per miniſterium condiantur, & Deo accepti reddantur. 3. Illis etiam, qui iuſtificati ſunt, opus eſſe hoc ſale: ne denuo occupati putrefactione, recidant in corruptionem & perditionem. Hac igitur ſimilitudine ſalis, vis, efficacia & fructus doctrinæ Chriſti proprie deſcribitur. Quæ vero verbi propria ſunt, ad perſonas miniſterij transferuntur. Verbum non niſi prædicatum & auditum vim illam exerit. Ac ſimul monet, qua ratione doctrinam Chriſti, non in genere tantum ſonare, ſed ad auditores ita accommodare & applicare debeant, vt ſint ſal terræ: vt ſcilicet primo concionem pœnitentiæ arguentem peccata, & reuelantem iram Dei peccatoribus ita proponant, vt ſit ſal, quod acrimonia & mordicatione ſua peccata mortificet: & putrefactionem expurget. Secundo, vt doctrina fidei de gratia Dei in Chriſto, eos, qui corruptionem & abominationem ſuam agnoſcunt & ſentiunt, ita condiant, ne Deus ex ore ſuo ipſos euomat, Apoc.3.verſ.16. ſed vt Deo ſapiant, hoc eſt, placeant, probentur & accepti ſint, ſicut victimæ ſalitæ, Leuit.2.v.13. ſiue ſicut odor incenſi, Exod.30.verſi.35. Tertio, vt meminerint in tota hac vita vſum debere eſſe huius ſalis per admonitiones, exhortationes, correptiones, ne nouus homo relabatur in vetuſtatem, putrefactionem & corruptionem: ſed vt de die in diem creſcat, vt quæ grata ac placita Deo ſunt, facere ſtudeat, & virtute Dei cuſtodiatur & ſeruetur ad vitam æternam, per organon illud ſalis Apoſtolici. Imo per condimentum illud ſalis Spiritus ſanctus dat cor nouum, & creat hominem nouum. Item pactum gratiæ Dei vocatur pactum ſalis, Num.18. verſ.19. 2. Par.13.verſ.5. quia ſymbolum amicitiæ olim fuit commutatio ſalis, vt eſſet commonefactio, pacta debere eſſe firma, & à corruptione ſeruari, qualis eſt natura ſalis. Et Chriſtus Euangelice prædicatus, vere eſt ſal illud cœleſte faciens & confirmans pactum gratiæ inter Deum & nos. Ita ergo ratio, neceſſitas, vſus, vis, efficacia & fructus miniſterij verbi metaphora ſalis eleganter deſcribitur. Monet etiam appellatio ſalis, ſicut Chryſoſtomus annotauit, non mirandum eſſe, ſi homines contra miniſterium verbi maledictis & perſecutionibus tumultuentur. Salis enim natura eſt, ſua acrimonia ea, quæ putrida ſunt, mordicare, quod carni ingratum, inuiſum & odioſum eſt. Opprobria igitur & perſecutiones teſtimonia ſunt, ſal noſtrum habere ſuam virtutem & acrimoniam: atque ideo poſt mentionem perſecutionum Chriſtus mox ſubiicit, quaſi cauſam: *Vos eſtis ſal terræ.* Ita metaphora ſalis monet, quàm ingratum, inuiſum & odioſum futurum ſit putreſcenti & corrupto mundo miniſterium Apoſtolorum; ſi putrida cœperit mordicare, & denuntiare, omnes, etiam qui ſapientia & virtutibus coram mundo celebres ſunt, eſſe inſulſos coram Deo, niſi hoc ſale condiantur. Simul vero etiam fructum & efficaciam laboribus Apoſtolorum in miniſterio promittit, cum inquit: *Vos eſtis ſal terræ*, hoc eſt, adero miniſterio veſtro benedictione, gratia & efficacia Spiritus, vt labor veſter non ſit inanis, fruſtraneus, aut ſine fructu abeat: ſed efficaciam, vt in miniſterio veſtro ſitis ſal terræ, hoc eſt, efficaciam, vt per miniſterium veſtrum putrefactio mortis & peccatorum à multis expurgetur, multi ita condiantur, vt non amplius ſint abominatio coram Deo, ſed ſuauem guſtum & odorem Deo præbeant, vtque renati per vſum huius ſalis virtute Dei ſeruentur, ne excidant gratia Dei, ſed vt perſeuerent & ſalui fiant. Ita verba illa: *Vos eſtis ſal terræ*, recte accipiuntur, partim vt doctrina ſeu commonefactio, partim vt promiſſio. Porro ad metaphoram illam ſalis pertinent & hæc. Sicut ſal non iuſta proportione admixtus cibis corrumpit & perdit ipſos, ſi vel nimis multum, vel nimis modicum admiſceas: ita Doctores Eccleſiæ debent recte ſecare verbum, vt obſeruent, quibus acrimonia legis, quibus dulcedo gratiæ proponenda ſit: & ne nimia ac intempeſtiua legis acrimoniâ infirmæ conſcientiæ triſtitia abſorbeantur, & ad deſperationem adigantur, vel intempeſtiua amplificatione gratiæ Dei, impœnitentibus fræna licentiæ laxentur. Item ne nimia acerbitate animi à doctrina verbi abalienentur. Poſtremo conſiderandum eſt & hoc: Sicut in Scriptura ſal illis rebus, quas non condit, vaſtitatem & deſolationem ſeu maledictionem inſinuat, vt Gen.13.v.3. *Sophon.* 2.verſ.9. & Iud.9.verſ.45. ita Euangelium illis, qui *condiri eo* nolunt, eſt odor mortis ad mortem, 2. Cor.2.*verſic.16. Sicut* Lothi vxor, ſpernens admonitionem verbi, in ſtatuam ſalis conuerſa eſt, Gen.19.verſ.26. Tam multa complectitur metaphora ſalis, quæ monſtratis fundamentis facile plenius euolui poſſunt.

[*Quod ſi ſal infatuatus fuerit.*] Grauem & valde ſeriam continet hæc ſententia admonitionem, vt hoc tantum miniſterium Apoſtoli recte & fideliter adminiſtrent. Vtitur autem verbo μωρανθῇ, quod ad verbum ſignificat fatuum ſeu ſtultum & inſipiens fieri. Ac videtur peregrina eſſe metaphora, vocare ſal fatuum ſeu ſtultum, niſi ita mitigetur, quod ſal aliquando pro ſapientia vſurpatur, vt: Qui habet ſalem, qui in te eſt. Et Coloſ 4.v.6. Sermo veſter ſit in gratia ſale conditus. Sicut enim inſulſum in cibo transfertur ad hominem: ita viciſſim fatuum in homine transfertur ad cibum. Vnde Martialis betas, eo quod ſint inſipidæ, vocat fatuas. Et Luc.19.verſ.4. συκομωρέα vocatur fatua, hoc eſt, inſipida ficus.

Sed illud proprius conuenit, quod non niſi ex fontibus intelligi poteſt. Hebraicum תפל Taphel, ſignificat fatuum, ſtultum ſeu inſipientem. Vſurpatur vero etiam pro incondito, inſulſo, inſipido, Iob.6.verſ.6. An editur inſulſum, ſine ſale? Matthæus igitur Græco verbo ſignificante fatuitatem voluit exprimere etiam id, quod inſulſum eſt: ſicut Hebræis idem verbum vtrumque ſignificat. Sed in Græca lingua hoc tam facile non animaduertitur. Senſus autem manifeſtus eſt: quando ſal non habet, retinet, aut exerit ſuam virtutem & acrimoniam, tunc eſt ſal inſulſum. Monet igitur Apoſtolos, quibus commiſſa eſt adminiſtratio doctrinæ cœleſtis ceu ſalis, vt veritatem doctrinæ ab omnibus corruptelis puram diligenter conſeruent, & vſum eius ad auditores recte adhibeant, ne fiat ſal inſulſum: hoc eſt, ne mundum vel foueant & confirment in ſua putrefactione, & corruptione, vel ne peregrino, fictitio, & prauo ſapore ipſum coram Deo inficiant. Dupliciter autem hoc fit in miniſterio. 1. Quando doctrina, vel ſal ipſum, corrumpitur & deprauatur. 2. Quando doctrina per ſe quidem ſana eſt, ſed non ita adhibetur, accommodatur & applicatur in prædicatione, vt virtutem ſuam exerat in mordicando, condiendo & præſeruando: idq; ideo ne mordicando homines offendantur. Et cum addit Chriſtus: *In quo,* vel cum qua re, *ſalietur?* oſtendit, quantum damni in Eccleſia inde ſequatur, ſi ſal vel deprauatum, vel non recte & fideliter à miniſtris adhibitum fuerit. Mundus enim per ſe eſt corruptioni obnoxius, inſulſus & inſipidus. Deus vero miniſterio

ideo

ideo commendatur cœlestem illum salem, vt per hoc organon à corruptione liberetur: & Deo accepti reddantur, qui credunt.

Quando igitur illi, quibus ministerium commendatum est, salem illum vel corrumpunt, vel nolunt adhibere, sicut DEVS præscripsit, vt mordicando virtutem suam exerat, tunc mundus non potest vlla alia re saliri, vt cum Deo reconcilietur, atque ita; quia nullum aliud medium est, per quod Deus homines vult ab æterna perditione liberare, quàm in hoc sale, necesse erit mundum in sua corruptione perire. Et ita vos, qui estis sal terræ, rei eritis omnium animarum, quæ ita pereunt, quarum sanguis de manu vestra requiretur, Ezech.3.versic.18. Quicquid igitur aliàs fiat, licet magno zelo, & hoc proposito, vt saluemur, si sal alterutro modo, sicut dictum est, infatuatum fuerit, impossibile est quenquam posse ita saliri, vt à corruptione liberetur & gratia salutetur. Hoc enim & nullum aliud medium est, per quod Deus victimas sibi placentes condit. Simul vero etiam auditores monet, vt non ægre ferant, se mordicante hoc sale conditi. Si enim maluerint fatuum seu insulsum, quàm acre & mordicans sal, sciant se insulsos, sale non posse saliri ad vitam æternam. Illa enim particula ἐν τίνι ἁλισθήσεται? potest accipi impersonaliter, sicut iam exposuimus, & Lutherus ita reddidit: *Vwomit sol man saltzen*? per quid fiet salitio seu censitura? Marcus vero cap.9.versic.vlt. vbi eadem sententia alio tempore & alia occasione reperitur, addit pronomen αὐτὸ, vt ad ipsum sal referatur, & sensus sit: ipsum sal, si infatuatum fuerit, non posse vlla alia re condiri, vt vim suam recuperet. Grauiores ergo & periculosiores sunt lapsus ministrorum, qui sale cœleste infatuant, quàm aliorum. Ipsum enim sal, si corrumpatur, non potest alio condimenti genere restitui & reparari. Atque hoc modo sal infatuatum, de ipsa doctrina exponitur. Quia vero ipsos Apostolos Christus appellat salem terræ, ideo de ipsis personis ministrorum hæc recte intelligi possunt: quod scilicet grauissimas pœnas denunciet illis ministris, qui vel doctrinam deprauant: vel ea non recte tanquam sale vtuntur: vel qui non sunt typus gregis, vita id, quod docent, exprimentes: sed cum aliis prædicent ipsi sunt reprobi. Atque ita sensus erit, reliquorum hominum lapsus posse per ministerium verbi corrigi & reparari: ministrorum vero lapsus esse plerunque irreparabiles & immutabiles, non sane per se; sed quia sale, qui ipsis commendatus est, fit reparatio, & ipsi fiunt insulsum sal. Non igitur habent, vnde reparentur, sicut textus dicit, aut quo saliantur. Vnde Chrysostomus conqueritur: quis vnquam vidit prolapsum Clericum agentem pœnitentiam? Quod vero addit: *Ad nihil valet vltra*, describit pœnas, pertexendo metaphoram salis. Reliquæ res si corrumpantur, aliquem tamen vsum habent, ad minimum vt in fimum proiectæ agris stercorandis adhibeantur. Salis verò infatuati prorsus nullus potest vsus esse: imo ne in sterquilinium quidem proiicitur. Luc.14.vers.vlt. Noxium enim est; quia agros steriles reddit, Iud.9.versic.45. Deut.29.vers.23. Psalm.107.v.34. Foras ergo proiicitur, tanquam res & inutilis & noxia, vt ab hominibus conculcetur. Illi ergo, qui sal infatuant, non blandiantur sibi, si aliis polleant donis & virtutibus, quasi alia ratione possint Ecclesiæ vsui esse. Christus enim dicit: Nulli vsui esse sal infatuatum. Sed 1.Reg.2.vers.30. dicit de ministerio: Qui honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Et Oseæ 4. vers.6. Quia scientiam repulisti repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Malach.2.vers.48.& 9. Pactum feci cum Leui, sed vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas. Veteres proiectionem salis infatuati interpretantur, de remotione ab officio docendi, & excommunicatione eorum, qui vel doctrina vel vita fiunt sal infatuatum. Grauissima igitur est admonitio, ne ministri verbi, qui debent esse sal terræ, vel terrore, vel spe, vel metu fiant sal infatuatum, vel in doctrina, vel in vita. 1. Quia multos ita in æternam proditionem præcipitant. 2. Quia sunt inutiles in Ecclesia, quantumuis magnis aliàs donis prædit. 3. De gradu suo apud Deum & in Ecclesia deiiciuntur. 4. In Ecclesia apud pios in extremum veniunt contemptum. Id enim conculcatio significat. 5. Ex ciuitate Dei proiiciuntur in tenebras exteriores, vbi præ cæteris hominibus grauius punientur. Nam & proiectio illa ita recte intelligitur. In magno igitur timore Domini sal illud ministerij tractandum est. Non enim priuilegium habent Episcopi, quasi errare aut damnari non possint: imo vetus prouerbium dicit: Inferni fundum galeis principum & sacerdotum rasuris stratum esse. *Die Helle sey mit Pickelhauben vnnd Platten gepflastert.*

Secunda similitudo est, *Vos estis lux mundi, &c.* Christus solus est lux mundi: scilicet sicut sol, seu lux substantialis, seu fons lucis. Est enim vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et hoc modo Baptista negatur esse lux. Iohan.1.versic.8. Hoc loco autem Christus declarat, qualem lucem intelligat. Mox enim lucernam, quæ aliunde accenditur, & lucem suam mutuatur, nominat: sicut Baptista vocatur lychnus ardens & lucens. Iohan.cap.5.versi.35. Et Paulus quidem fideles homines vocat lucem in Domino, Ephes.5.versic.8. quia scilicet à Christo illuminati & vera Dei agnitione illustrati sint. Sed hoc loco Apostoli vocantur lux mundi, ratione ministerij, per quod & non aliter, filius Dei illuminat illos, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Et hac appellatione commendat dignitatem, vtilitatem & necessitatem ministerij. Quia enim Apostolos propter ministerium verbi vocat lucem, non quorundam tantum, vt Iudæorum, qui vmbras legis habebant, sed totius mundi: ostendit totum mundum cum omni sua sapientia versari in densissimis tenebris. 1. Agnitionis Dei & veræ pietatis. 2. In tenebris peccatorum. 3. In tenebris vmbræ mortis. Ac simul ostendit, ex triplicibus illis tenebris neminem, quicquid conetur, & agat, posse liberari, nisi per hoc ministerium verbi, quod ideo vocat lucem mundi. Nam filius Dei est quidem vera lux, quæ illuminat, sed illud facit per hoc ministerium, quod est lux mundi. Secundo complectitur etiam promissionem efficaciæ ministerij hac appellatione lucis, & cum addit: *Non accendunt lucernam, & ponunt subter modium, sed vt luceat omnibus, qui sunt in domo*, fore scilicet, vt multi ex tenebris ad lucem perducantur, per hoc ministerium. Quando enim Deus accendit hanc lucernam in ministerio verbi, non ideo facit, vt homines nihilominus maneant & aberrent in tenebris, sed vt lucerna luceat omnibus, qui sunt in domo. Tertio monet hæc appellatio lucis, quomodo tractandum & administrandum sit officium ministerij verbi, ita scilicet, vt sit lux mundi. Quando animaduertit aliquos versari in tenebris, non abscondat lucernam, sed admoueat illam propius. Opera enim tenebrarum, quæ arguuntur, à lumine manifestantur, Ephes.5. vers.13. vt ita protrahantur ex latibulis tenebrarum ad lucem, vt arguantur opera ipsorum, Ioh.3.versi.20. Deinde ostendatur, quæ sit vera lux, ad quam ex tenebris conuerti debeant. Act.26.versic.18. vt accipiant sortem sanctorum in lumine. Col.1.versic.12. Postea præferatur fax verbi Dei, vt tanquam filij lucis ambulent, Ephes.5.vers.8. Ita enim simplicissime intelligi potest, quomodo ministerium verbi tractandum sit, vt sit lux mundi, si accommodetur ad tres illas pietatis partes, pœnitentiam scilicet, fidem, & nouam obedientiam. Quarto similitudine lucernæ, sub modio positæ, docet, propter mundi malitiam, opprobria & persecutiones ministros verbi non debere defatigari, aut timidiores reddi, vt radios doctrinæ cœlestis vel occultent, vel contrahant, & sibi Musisque (sicut in prouerbio dicitur) canant: Sed sicut lucerna accenditur, non vt pro se tantum sit illustris, nec vt tantùm in angulo aliquo luceat: ita Deus vult lucernam Apostolicam poni non subter vas aliquod, vt occultetur, sed super candelabrum, vt sine respectu personarum omnibus, qui in domo sunt, luceat. Libertatem enim prædicandi, contra metum & pusillanimitatem hac similitudine significat: sicut Hieronymus recte annotauit. Et Apocal.1. vers.vltim. septem candelabra sunt septem Ecclesiæ, quibus Iohannes scribit. Apostoli igitur & Doctores in Ecclesia in altiori gradu positi sunt, vt quasi ex sublimi radios suos spargant. Paulus Phil.2.vers.15. hanc similitudinem pulcerrima metaphora illustrat. Sicut enim noctu in alto nauigantibus faces in loco sublimi suspensæ præferuntur, vt scopuli caueantur, & portus monstretur: ita, inquit, & vos in medio nauigationis prauæ lucetis, sicut luminaria in mundo ἐπέχοντες, hoc est, præferetis in altum tenentes facem verbi vitæ. Sicut vero orta tempestate, flantibus ventis & ingruente pluuia, lucerna iudicatur tranquillior esse, & videtur clarius lucere, si ponatur sub modium: ita in his mundi procellis ministri quærunt tranquillitatem, & extra turbas certaminum arbitrantur se Ecclesiæ vtiliorem operam posse præstare. Sed quæ esset vtilitas facis nauticæ, si ipsa extra procellas in loco tranquillo, pro se & paucis quibusdam, in turricula quadam luceret, interea vero naues scopulis illiderentur? Deus igitur vult facem illam in altum sustineri, & expositam esse procellis. Tunc enim præcipue vsus est facis, quando tempestatibus cœlum terræ misceri videtur. Nec timeamus, ne extinguatur: ille enim, qui accendit, seruabit lucem inter ipsas tempestates: iuxta commune prouerbium,

Vidi ego quassatas, mota face, crescere flammas:
Et vidi, nullo concutiente, mori.

Colligitur vero ex his verbis Christi & Pauli, pro diuersitate donorum & vocationum, in ministerio esse talem differentiam. Quædam enim lucernæ ponuntur super candelabrum, vt luceant illis, qui sunt in domo: quædam in mari in-

ter procellas suspenduntur, vt periclitantibus nautis viam præmonstrent. Ita Deus alios ad maiora certamina vocat, aliis tranquilliorem cursum præbet in ministerio.

Tertia similitudo est: *Non potest ciuitas abscondi, super montem sita*. Vsitatum autem est Scripturæ Ecclesiam Dei comparare ciuitati, Psalm. 46. vers. 5. 48. versic. 1. 87. versic. 3. Esaiæ 60. versic. 14. & 64. vers. 10. Et Ezechiel. 40. v. 2. Propheta super montem excelsum videt ciuitatem Dei. Hac igitur similitudine ex Prophetis sumpta Christus ostendere voluit: 1. Apostolos per ministerium Deo debere colligere Ecclesiam, & eam exædificare super lapidem illum, qui, sine manibus de monte abscissus, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram, Daniel. 2. v. 34. & 35. & extruere eam, vt ciuitatem Dei, in qua Deus inhabitet, & membra ciuitatis sint conciues sanctorum & domestici Dei, Ephes. 2. vers. 19. vbi sit communis fides, & communicatio officiorum, consociatio hominum, pro diuersitate donorum, sicut ciuium in vrbe, membrorum in corpore humano. 2. Monet hæc similitudo: Ecclesiam non debere esse clancularium quandam conspirationem aut cœtum occultum, sed cuius confessio quasi è sublimi omnibus exposita sit, sicut ciuitas in monte. Multo vero minus ministerium debere in angulis & tenebris delitescere. 3. Licet Ecclesia in hoc mundo sit pusillus & contemtus grex: tamen propter montem illum magnum, super quem extructa est, omnium oculos in se conuertit. Præcipue vero illi, qui in ciuitate illa Dei in ministerio, tanquam in specula, Ezech. c. 3. v. 17. & 33. v. 7. constituti sunt. 4. Sicut ciuitas seu specula in monte extruitur, non vt in occulto lateat, vel paucis quibusdam sit conspicua, sed primo & præcipue ab hostibus impeditur: ita sciant ministri in turbis & persecutionibus, si huc vocentur, se non posse nec debere latebras quærere, nisi velint ministerium prodere, sed præ reliquis primo & præcipue persecutionum telis se expositos. Sicut ciuitas in monte posita, nec si velit potest latere: ita ea, quæ Apostoli in ministerio & in tota vita agunt, omnium oculis exposita diligentius obseruantur, quàm aliorum hominum acta. Et sicut bono exemplo multos possunt inuitare, excitare, lucrari, & cōfirmare: ita vicissim malis exemplis plus possunt destruere, quam sana doctrina ædificare.

Porro in eadem sententia pertexit etiam metaphoram lucis, cum inquit: *Lux vestra luceat*: non tantum coram Deo, sed & *coram hominibus*, nec tantùm in doctrina, verum etiam in operibus ministerij & in tota vita: *vt homines* non tantum audiant, sed & *videant vestra bona opera*, non vt vestrum nomen celebrent, sed *vt glorificent patrem vestrum, qui in cælis est*.

Sensus igitur est. 1. Ministros Ecclesiæ debere prælucere, non tantum sana doctrina, verum etiam bonis operibus. 2. Illorum lucem, nec rectè nec satis, ad ædificationem lucere, qui tantum bene docent, vita autem & operibus doctrinæ non respondent. 3. Debere ipsos non tantum conscientiæ suæ coram Deo satisfacere: sed sicut Paulus inquit 2. Corinth. 8. vers. 21. Procurare bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. 4. Debere ipsos in ministerio & in omnibus vitæ actionibus quærere non suam gloriam, aut famam ac celebritatem sui nominis, sed vt Pater cœlestis glorificetur. 5. Monet, si sana doctrina malis ministrorum operibus maculetur, non glorificari, sed blasphemari nomen Dei apud homines, Rom. 2. vers. 24. Et cum paulo post, corrigendæ ambitionis gratia, prohibeat bona opera facere coram hominibus, Matth. 6. vers. 1. ostentationis scilicet gratia: hoc loco propter alium finem præcipit, vt ministri Ecclesiæ vita doctrinæ correspondendo luceant coram hominibus, quorum oculi magis in vitam, quàm in doctrinam intenti sunt, vt doctrina Euangelij per vitam ministrorum non obscuretur & maculetur, sed magis ornetur & illustretur, vt ipsa vita plures ad doctrinam inuitentur, 1. Petri 3. versic. 16. & cap. 2. vers. 12. Vt qui detrahunt vobis, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. Sunt autem duplicia opera ministrorum. Quædam enim proprie pertinent ad ministerium, vt fides, sedulitas, zelus, humanitas. Quædam sunt communia pietatis opera: & in illis omnibus vult lucem ministrorum ita lucere, vt glorificetur Deus. Non enim sufficit ministro verbi, si tantum in communibus pietatis operibus se exerceat, & ea, quæ officij sui sunt, negligat: sed Christus vult, vt officium suum tali fide & diligentia administret, vt homines videant & labores & fructus, sicut Paulus inquit 1. Cor. 9. vers. 1. Nunquid opus meum vos estis in Domino? & 2. Corinth. 3. vers. 1. & 2. Non opus est Epistolis commendatitiis: vos enim estis Epistola mea. Rursus vero etiam non sufficit, officium ministerij fideliter administrare, & interea vitam à doctrina dissentientem agere. Homines enim videntes mala docentium opera, non glorificant Deum, sed bonum eius nomen blasphemant. Et hoc quidem loco hæc sententia proprie ad Apostolos, ratione ministerij pertinet. Doctrina vero generalis est, pertinens ad omnes pios de bonis operibus: *quod ij, qui filij lucis sunt*, debeant bonis operibus, tanquam *fructibus lucis lucere*, idque propter illam causam & in hunc finem, vt Pater cœlestis per ea glorificetur. Sicut 1. Petri 2. vers. 12. hæc sententia, de glorificando Deo per opera, ad omnes pios accommodatur.

Pericopa prima

CONCIONIS CHRISTI IN MONTE,

continens explicationem legis seu Decalogi, Matth. cap. 5.

17. Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον, ἢ τοὺς προφήτας· οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι.

17. *Ne existimetis, quòd venerim ad destruendam Legem, aut Prophetas: imò non veni vt destruam, sed vt compleam.*

18. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν· ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἓν, ἢ μία κεραία, οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται.

18. *Amen quippe dico vobis: donec prætereat cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex, non præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint.*

19. Ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ μίαν τῶν ἐντολῶν τούτων τῶν ἐλαχίστων, καὶ διδάξῃ οὕτω τοὺς ἀνθρώπους· ἐλάχιστος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. ὃς δ᾽ ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, οὗτος μέγας κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.

19. *Quisquis igitur soluerit vnum ex mandatis hisce minimis, & docuerit sic homines: minimus vocabitur in regno cœlorum. Quisquis autem fecerit & docuerit: hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

20. Λέγω γὰρ ὑμῖν· ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

20. *Dico enim vobis: nisi abundauerit vestra iustitia plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non possit is ingredi in regno cœlorum.*

21. Ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις, Οὐ φονεύσεις· ὃς δ᾽ ἂν φονεύσῃ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει.

21. *Audistis, quod dictum sit veteribus, Non occides: quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio.*

22. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν· ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῇ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει. ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ, ῥακά, ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ. ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ μωρέ, ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός.

22. *At ego dico vobis: quòd quisquis irascitur fratri suo temerè, obnoxius erit iudicio. Quicunque vero dixerit fratri suo, racha, obnoxius erit consilio. Quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio.*

23. Ἐὰν οὖν προσφέρῃς τὸ δῶρόν σου ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, κἀκεῖ μνησθῇς, ὅτι ὁ ἀδελφός σου ἔχει τι κατὰ σοῦ·

23. *Itaque si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te:*

24. Re-

24. Ἄφες ἐκεῖ τὸ δῶρόν σου ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ὕπαγε, πρῶτον διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου, καὶ τότε ἐλθὼν πρόσφερε τὸ δῶρόν σου.

25. Ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχὺ, ἕως ὅτου εἶ ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτοῦ· μήποτέ σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κριτῇ, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ, καὶ εἰς φυλακὴν βληθήσῃ.

26. Ἀμὴν λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην.

27. Ἠκούσατε, ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις· Οὐ μοιχεύσεις.

28. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν ὅτι πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ.

29. Εἰ δὲ ὁ ὀφθαλμός σου ὁ δεξιὸς σκανδαλίζει σε, ἔξελε αὐτὸν, καὶ βάλλε ἀπὸ σοῦ. συμφέρει γάρ σοι, ἵνα ἀπόληται ἓν τῶν μελῶν σου, καὶ μὴ ὅλον τὸ σῶμά σου βληθῇ εἰς γέενναν.

30. Καὶ εἰ ἡ δεξιά σου χεὶρ σκανδαλίζει σε, ἔκκοψον αὐτὴν, καὶ βάλλε ἀπὸ σοῦ. συμφέρει γάρ σοι, ἵνα ἀπόληται ἓν τῶν μελῶν σου, καὶ μὴ ὅλον τὸ σῶμά σου βληθῇ εἰς γέενναν.

31. Ἐρρέθη δὲ ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, δότω αὐτῇ ἀποστάσιον.

32. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι. καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ μοιχᾶται.

33. Πάλιν ἠκούσατε, ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις· οὐκ ἐπιορκήσεις, ἀποδώσεις δὲ τῷ κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου.

34. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν μὴ ὀμόσαι ὅλως, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ· ὅτι θρόνος ἐστὶ τοῦ Θεοῦ·

35. Μήτε ἐν τῇ γῇ· ὅτι ὑποπόδιόν ἐστι τῶν ποδῶν αὐτοῦ· μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα, ὅτι πόλις ἐστὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως.

36. Μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς, ὅτι οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι.

37. Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν· ναὶ ναί· οὒ οὔ. Τὸ δὲ περισσὸν τούτων, ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν.

38. Ἠκούσατε, ὅτι ἐρρέθη ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος.

39. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ· ἀλλ' ὅστις σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιάν σου σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην.

40. Καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι, καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον.

41. Καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν, ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο.

42. Τῷ αἰτοῦντί σε δίδου, καὶ τὸν θέλοντα ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι, μὴ ἀποστραφῇς.

43. Ἠκούσατε, ὅτι ἐρρέθη· ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου.

44. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν· ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν· εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς· καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς· καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς καὶ διωκόντων ὑμᾶς·

45. Ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς· ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους.

46. Ἐὰν γὰρ ἀγαπήσητε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς, τίνα μισθὸν ἔχετε; οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι τὸ αὐτὸ ποιοῦσι;

47. Καὶ ἐὰν ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν μόνον, τί περισσὸν ποιεῖτε; οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι οὕτω ποιοῦσιν;

48. Ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐστι.

24. *Relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum.*

25. *Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo cito, dum es in via cum illo: ne quando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem conijciaris.*

26. *Amen dico tibi: non exibis illinc, donec persolueris extremum quadrantem.*

27. *Audistis, quod dictum fuerit antiquis: Non committes adulterium.*

28. *At ego dico vobis, quod quicunque aspexerit uxorem alterius ad concupiscendum eam, iam adulterium commisit cum ea in corde suo.*

29. *Quod si oculus tuus dexter offendiculo tibi fuerit, erue illum, & abijce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conijciatur in gehennam.*

30. *Et si dextra tua manus offenderit tibi, amputa eam, & proijce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conijciatur in gehennam.*

31. *Dictum est autem: Quicunque repudiauerit uxorem suam, det illi libellum diuortij.*

32. *At ego dico vobis: quod quisquis repudiauerit uxorem suam, nisi causa stupri, efficit, vt illa sit adultera. Et quicunque repudiatam duxerit, adulterium committit.*

33. *Rursum audistis, quod dictum fuerit antiquis: Non peierabis, sed persolues Domino ea, quæ iuraueris.*

54. *At ego dico vobis: Ne iuretis omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est:*

35. *Neque per terram: quia subsellium est pedum illius: neque per Hierosolyma, quoniam ciuitas est magni regis.*

36. *Neque per caput tuum iurabis, propterea quod non potes vnum pilum album aut nigrum facere.*

37. *Sed erit sermo vester: est est: non non. Porrò quod vltra hæc adiungitur, ex malo proficiscitur.*

38. *Audistis, quod dictum fuerit oculum pro oculo, & dentem pro dente.*

39. *At ego dico vobis: Ne resistatis malo. Sed quisquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obuerte illi & alteram.*

40. *Et ei qui te velit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium.*

41. *Et qui te adegerit ad miliarium vnum, abito cum illo duo.*

42. *Petenti abs te dato, & volentem mutuum accipere abs te, ne auerseris.*

43. *Audistis, quod dictum sit: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*

44. *At ego dico vobis: Diligite inimicos vestros: benè precemini deuouentibus vos: benefacite ijs, qui vos odio prosequuntur: orate pro ijs, qui lædunt & insectantur vos.*

45. *Vt sitis filij Patris vestri, qui est in cœlis. Quia solem suum exoriri sinit super malos & bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos.*

46. *Num si dilexeritis eos, qui diligunt vos, quod præmium habetis? Nonne & publicani idem faciunt?*

47. *Et si complexi fueritis fratres vestros tantum, quid eximium facitis? Nonne & publicani sic faciunt?*

48. *Eritis igitur vos perfecti, quemadmodum Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est.*

LVC. 6.

27. Ἀλλ' ὑμῖν λέγω τοῖς ἀκούουσιν· ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς.
28. Εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς· καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς.
29. Τῷ τύπτοντί σε ἐπὶ τὴν σιαγόνα, πάρεχε καὶ τὴν ἄλλην· καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντός σου τὸ ἱμάτιον καὶ τὸν χιτῶνα μὴ κωλύσῃς.
30. Παντὶ δὲ τῷ αἰτοῦντί σε, δίδου. καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντος τὰ σά, μὴ ἀπαίτει.
31. Καὶ καθὼς θέλετε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς ὁμοίως.
32. Καὶ εἰ ἀγαπᾶτε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ τοὺς ἀγαπῶντας αὐτοὺς ἀγαπῶσι.
33. Καὶ ἐὰν ἀγαθοποιῆτε τοὺς ἀγαθοποιοῦντας ὑμᾶς, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ τὸ αὐτὸ ποιοῦσι.
34. Καὶ ἐὰν δανείζητε παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ ἁμαρτωλοῖς δανείζουσιν, ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα.
35. Πλὴν ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καὶ ἀγαθοποιεῖτε, καὶ δανείζετε, μηδὲν ἀπελπίζοντες, καὶ ἔσται ὁ μισθὸς ὑμῶν πολύς. Καὶ ἔσεσθε υἱοὶ τοῦ ὑψίστου, ὅτι αὐτὸς χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηρούς.
36. Γίνεσθε οὖν οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί.

27. *Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui vos oderunt.*
28. *Benedicite maledicentibus vobis: Et orate pro calumniantibus vos.*
29. *Percutienti in maxillam, prabe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi pallium, etiam tunicam non prohibeas.*
30. *Omni autem exigenti abs te, tribue. Et ab eo, qui aufert qua tua sunt, ne reposce.*
31. *Et prout vultis, vt faciant vobis homines, vos quoque facite illis similiter.*
32. *Et si diligitis eos, qui vos diligunt, qua vobis est gratia? Nam & peccatores eos, à quibus diliguntur, diligunt.*
33. *Et si benefeceritis iis, qui vobis benefaciunt, qua vobis erit gratia? Nam & peccatores idem faciunt?*
34. *Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis vos recepturos, qua gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, vt recipiant paria.*
35. *Quinimò diligite inimicos vestros & benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa. Et eritis filij altissimi: quia ipse benignus est erga ingratos & malos.*
36. *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.*

Commonefactio de coagmentatione textus, in Harmonia huius loci.

SI ordinem, quem Lucas in suo contextu hoc loco seruauit, sequi voluerimus, post illud Matthæi: *Audistis dentem pro dente,* inserenda erunt Lucæ verba: *Diligite inimicos, benefacite hostibus, &c.* vt post illa ex vtroque subiungantur illa: *Percutienti te in maxillam,* ita facile ex vtroque sequentia coagmentari poterunt. Et videtur hæc ratio Harmoniæ monere dilectionem inimicorum in cordibus plantandam: priusquam illud de obuertenda altera maxilla præstari possit. Sed hoc modo mox postea in sequenti periculo, eadem prorsus verba de diligendis inimicis & malefactoribus, ex Matthæo, iterum sigillatim in Harmonia repetenda erunt. Quia igitur Matthæi concio pulcre distributa est ad præcepta Decalogi, & hoc loco Matthæus primo ponit mandatum de non vindicando: mox vero longius progreditur, non tantum iniuriam non vlciscendam, sed præterea etiam malefactoribus benefaciendum. Gerson hac ratione motus illam periodum Lucæ, de diligendis inimicis, paulum transponit, & ad Matthæi ordinem, qui hoc loco iustissimus est, accommodat. Quam ratio video & aliis probari: ideo & nos Harmoniam eo ordine hoc loco contexemus. Liberum tamen sit, si quis priorem rationem sequi maluerit.

HARMONIA POSTREMÆ PARTIS huius pericopes, ex Matth. 5. & Luc. 6. coagmentata.

a Ἠκούσατε, ὅτι ἐρρέθη· ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν· μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ. ἀλλ' c τῷ τύπτοντί σε, a καὶ ὅστις σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιάν σου f σιαγόνα, c πάρεχε a καὶ στρέψον αὐτῷ f καὶ τὴν ἄλλην. c καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντός σου τὸ ἱμάτιον, καὶ τὸν χιτῶνα μὴ κωλύσῃς. a Καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι, καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον· καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσῃ μίλιον ἕν, ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο. Παντὶ δὲ f τῷ αἰτοῦντί σε, δίδου, a καὶ τὸν θέλοντα ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι, μὴ ἀποστραφῇς. c Καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντος τὰ σά, μὴ ἀπαίτει. Καὶ καθὼς θέλετε, ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς ὁμοίως. a Ἠκούσατε, ὅτι ἐρρέθη· ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου. f Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, c τοῖς ἀκούουσιν· f ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν· καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς· εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς· καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς, a καὶ διωκόντων ὑμᾶς, ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς· Ὅτι

a *Audistis, quod dictum fuerit: oculum pro oculo, & dentem pro dente. At ego dico vobis: Ne resistatis malo. Sed quisquis* c *percusserit te,* a *& impegerit alapam in dexteram tuam* f *maxillam,* c *prabe* a *& obuerte illi* f *& alteram.* c *Atque ab eo, qui aufert tibi pallium, etiam tunicam non prohibeas.* a *Et ei, qui te velit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium. Et qui te adegerit ad miliarium vnum, abito cum illo duo:* c *Omni autem* f *petenti abs te dato, & cupienti mutuum accipere abs te, ne auerseris.* c *Et ab eo, qui aufert qua tua sunt, ne reposce. Et prout vultis, vt faciant vobis homines, vos quoque facite illis similiter.* a *Audistis, quod dictum sit: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* f *Ego vero vobis dico,* c *qui auditis:* f *Diligite inimicos vestros: benefacite iis, qui vos odio prosequuntur: Benedicite maledicentibus vobis: & orate pro calumniantibus* a *& infectantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui est in cœlis.*

Quia

τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους. f Ἐὰν γὰρ ἀγαπήσητε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς, c ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; a καὶ τίνα μισθὸν ἔχετε; Οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι τὸ αὐτὸ ποιοῦσι; c καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ τοὺς ἀγαπῶντας, αὐτοὺς ἀγαπῶσι. a Καὶ ἐὰν ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν μόνον, τί περισσὸν ποιεῖτε; Οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι οὕτω ποιοῦσιν; c Καὶ ἐὰν ἀγαθοποιῆτε τοὺς ἀγαθοποιοῦντας ὑμᾶς, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ τὸ αὐτὸ ποιοῦσι. Καὶ ἐὰν δανείζητε παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ ἁμαρτωλοῖς δανείζουσιν, ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα. Πλὴν ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καὶ ἀγαθοποιεῖτε, καὶ δανείζετε, μηδὲν ἀπελπίζοντες, καὶ ἔσται ὁ μισθὸς ὑμῶν πολύς. Καὶ ἔσεσθε υἱοὶ τοῦ ὑψίστου, ὅτι αὐτὸς χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηρούς. Γίνεσθε οὖν οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί. a Ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐστι.

Quia solem suum exoriri sinit super malos & bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos. f *Nam si dilexeritis eos, qui diligunt vos,* c *quæ vobis est gratia?* a *& quod præmium habetis? Nonne & publicani idem faciunt?* c *Nam & peccatores, à quibus diliguntur, diligunt.* a *Et si complexi fueritis fratres vestros tantùm, quid eximium facitis? Nonne & publicani sic faciunt?* c *Et si benefeceritis iis, qui vobis benefaciunt, quæ vobis erit gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis vos recepturos, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, vt recipiant paria. Quinimò diligite inimicos vestros, & benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa. Et eritis filij altissimi: quia ipse benignus est erga ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* a *Eritis igitur vos perfecti, quemadmodum Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est.*

Exegesis huius tertiæ pericopes.

INsignis est hic locus, ostendens doctrinæ Legis, si recte, vel vt Paulus loquitur 1. Tim. 1. versic. 8. legitime tractetur, magnum, vtilem & necessarium esse vsum in ministerio apostolico: sicut econtra pestilentissima corruptela est Euangelij & totius pietatis, si pharisaico modo Lex, vel non recte, vel non suo loco tradatur. Deprauatur enim inde doctrina pœnitentiæ, iustificationis, & vere bonorum operum: sicut exempla pharisaicarum corruptelarum in textu ostendent. Christus igitur in hac concione, in qua Apostolos ad ministerium informat, monstrat, quomodo doctrina Legis recte interpretanda & intelligenda, legitime tractanda & vsurpanda, atque à pharisaici fermenti opinionibus & corruptelis repurganda sit. Et vsum ostendit. 1. Vt pœnitentia, hoc est, vera agnitio peccatorum & iræ Dei inde doceatur. 2. Cum perfecta impletio Legis in hac vita nobis impossibilis sit: ideo operibus Legis non posse iustificari vllam carnem, Christum vero pro nobis factum esse sub Lege, & esse finem seu impletionem Legis, ad iustitiam omni credenti. Ita iustitia credentium coram Deo, est quidem sine Lege, sed tamen testimonio Legis comprobata, sicut Paulus inquit Roman. 3. versic. 21. 3. Vt Lex sit norma bonorum operum, in quibus Deus vult reconciliatos ambulare. Ad hæc capita tota concio dirigitur.

Sed in explicatione textus ordine progrediemur. Cum igitur inquit: *Non debetis existimare, quod venerim destruere Legem*: apparet ipsi datam occasionem, vt hanc partem doctrinę diligentius aliquanto explicaret. Et quantum apparet, duplex fuit occasio. 1. Pharisæi hac inuidia Christum apud populum prægrauabant, quod esset apostata, aduersarius & destructor totius Legis, & afferret doctrinam toto genere dissimilem & pugnantem Legi: imo euertentem totam formam religiosæ pietatis, ex Lege & Prophetis, in populo Dei constitutam, & multis seculis vsurpatam. Et hoc inde conabantur probare: quod aliquoties, de abrogatione sabbati & ceremoniarum, cum Pharisæis disputarat, Iohan. 5. vers. 18. Matth. 12. versic. 3. Lucæ 6. vers. 3. Pharisaica etiam traditionum exercitia, quæ ipsi magnifaciebant, non probare videbatur, & propterea docebat, peccatores pœnitentiam agentes, sine operibus Legis, fide in filium hominis Mediatorem saluari. Huic autem calumniæ Christus opponit, se Legem Dei non destruere, sed implere: traditiones vero, quas titulo antiquitatis Pharisæi iactabant, ostendit non esse veram sententiam, sed deprauationem Legis. 2. Discipuli quidem & turbæ sequentes Christum, quia videbant ipsum soluere sabbatum, & reliquas Leuiticas ceremonias, & de earum abrogatione disputare, putabant Leges illas, vt malas & impias, à Christo damnari. Et quidam longius progressi, id quod carnis petulantia quærit, cogitabant, eadem ratione etiam à Decalogi vinculis in Nouo Testamento nos solutos esse, vt non cogitandum vel curandum sit, quid Deus in Decalogo vel mandet, vel prohibeat. Et doctrinam gratuitæ iustificationis per fidem in Christum quidam ita intelligebant, quasi filius suo aduentu ea, quæ in Lege morali, de peccatis & pœnis peccatorũ, scripta sunt, plane irrita vellet reddere, & concedere priuilegium impune quæuis scelera designandi: fidem iustificantem putabant hoc debere credere, in Veteri quidem Testamẽto valuisse illam Dei aduersus peccata sententiam, quæ in Decalogo doctrina sancita est, nunc vero in Nouo Testamento, post Messiæ aduentum, Legem moralem sublatam, sententiã Dei mutatam, vt nihil iam curet ea, quæ suis digitis in tabulis lapideis scripsit, & hoc modo censebant fide in Christum, sine operibus Legis, homines coram Deo iustificari & saluari. Hanc opinionem mundum postea aperte affinxisse doctrinæ iustificationis, ex Epistolis Pauli, Petri, & Iohannis manifestum est. Et in ipsa turba auditorum Christi quosdam Epicureis illis opinionibus fascinatos fuisse, inde colligitur, quod hoc loco non ad aduersarios Pharisæos, sed ad ipsos suos discipulos & auditores ita loquitur: *Non debetis existimare.* Opponit igitur & aduersariorum calumniis, & prauis auditorum opinionibus hanc sententiam: *Non veni vt destruam Legem & Prophetas, sed vt impleam.* Singula autem vocabula in hac sententia consideranda sunt. *Legis* igitur vocabulo in prima sententia, vbi dicit se impleturum Legem, intelligit totam Legem, & ceremonias Leuiticas, quæ figuræ fuerunt Messiæ, & ipsum etiam Decalogum. In sequentibus vero, vbi ostendit, quæ Lex in Ecclesia Noui Testamenti docenda & faciẽda sit, intelligit proprie Decalogum tantum. Inde enim solum exempla adducit. Adiungit autem Legi Prophetas, quod illi doctrinam Decalogi interpretantur, & promissionem de Messia repetunt & illustrant. Vocabulo autem *veniendi*, missionem intelligit, & legationem à Patre sibi iniunctam, ac totum officium suum, sicut in aliis multis locis complectitur. Verbo νομίζειν, & calumniæ Pharisæorum, & prauę auditorum quorundam opiniones notantur. *Destruere* vel *soluere Legem* καταλύειν, intelligi potest ex collatione verbi simplicis & compositi. Nam Iohannes 5. versic. 18. λύειν sabbatum, & Iohann. 7. versic. 23. λύειν Legem circumcisionis, significat transgredi & violare, vel non obseruare mandatum sabbati & circumcisionis. Hoc verò loco non simplex λύειν, sed compositum καταλύειν vsurpatur, & est sensus: quod Christus non hoc tantum neget de sua persona, quòd non venerit, vt peccet contra Decalogum, sed καταλύειν significat destruere, vel in nihilum redigere. Sicut vsurpatur de destructione templi, Esdr. 5. v. 12. Matth. 24. versic. 2. Et Actor. 5. vers. 38. Si ex hominibus fuerit consilium illud, dissoluetur. Et simplicissima ac omnium rectissima explicatio est ex antithesi. Duo enim illa in hac sententia opponuntur: soluere seu destruere, & implere. Si itaque ad Legem ceremonialem hæc referantur, sensus erit, se non venisse, vt ceremonias Leuiticas tanquam malas, impias, vitiosas & Deo aduersas destruat; sed vt illas tanquam vmbras & figuras impleat, atque ita, præter impletionem, finem ipsis imponat, & eas abroget. Si vero ad Decalogum hæc referantur, sensus est: se non venisse ad destruendam vel soluẽdam Legem Decalogi, tali abrogatione, vt non amplius habeat vim Legis, nec sit amplius norma in mente diuina, accusans & damnans peccata, sed, etiamsi sine satisfactione & expiatione violata fuerit, Deum tamen nec velle nec iure posse trãsgressores vel accusare vel dãnare. Nemo. n. punitur, qui aduersus Legẽ aliquam, quæ antiquata & abrogata est, delinquit. Paulus in hac significatione vtitur verbis, καταργεῖν, ἀθετεῖν & ἀκυροῦν. Ioh. 10. v. 35. in eadẽ significatione vsurpatur simplex λύειν: Nõ potest solui Scriptura. Ita hoc loco Prophetæ nõ possunt solui aut destrui, hoc est, vaticinia Prophetarũ de persona, officio & beneficiis Messię nõ possũt

intercidere, sed necesse est ea implere, atque ideo, inquit Christus, ego veni. Græci Psal.88.versf.40. vtuntur hoc verbo, vbi textus habet: Diruisti pactum serui tui, thronum eius prophanasti ad terram. Demosthenes vtitur verbo καταλύειν, quãdo Democratia mutatur in Oligarchiam. Herodotus de illis, qui magistratu moti & principatu deiecti sunt, vtitur hoc verbo. Et alias καταλύεσθαι dicitur, quod non amplius est in suo vigore & valore.

[*Implere Legem*] dicitur Christus: primo, si ad vaticinia Prophetarum & ad ceremonias, figuras & vmbras Legis referatur; quia promissiones Prophetarum, vmbras & figuras Legis omnes quæ in Veteri Testamento de Messia extant, persona, officio & beneficiis suis implet, sicut inquit, Luc.24. versic.44. Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Mosis, Prophetis & Psalmis de me. Deinde, si ad Legem Decalogi hæc impletio Christi referatur, triplici modo considerari poterit, vt Christus dicatur Legem moralem seu Decalogum implere, vel in doctrina, vel in sua persona & officio, vel in credentibus. Atque ita 1. impletionem illam Decalogi etiam ad doctrinam referendam esse, contextus indicat, dicit enim: *Qui fecerit, & ita docuerit.* Et Augustinus quidem cum veteribus quibusdam sentit, Christum veteri Legi Decalogi addidisse alia noua & grauiora mandata. Sed DEVS in Mose & Prophetis Legi suæ talem perfectionem vendicat, quod aliquoties repetit: *Nihil addas, nec minuas.* Et postea ostendemus, omnia illa mandata, quæ Christus in hac concione tradit, non esse noua, sed extare in Mose & Prophetis. Rectius igitur hæc doctrinalis (vt ita loquar) impletio seu perfectio Legis intelligitur, quod Christus doctrinam Legis à corruptelis Pharisæorum repurgarit, & genuinam sententiam ei restituerit, monstrato vero vsu: quodque non particulam aliquam Legis de externis tantum peccatis & operibus, sed totam Legem plane doceat, & interpretationem eius perfecte tradat, non Legem mutilatam, & interpretationem truncatam vel adulteratam, sicut Pharisæi. 2. In sua persona & officio Christus impleuit Legem Decalogi, factus pro nobis sub Lege, cui sanguine & morte, hoc est, suscipiendis in se & sustinendis omnibus pœnis, quæ peccatis nostris debentur, ac perfectissima obedientia seu impletione pro nobis satisfecit, ad iustitiam omni credenti sicut Rom.5.versf.19 & 10.versf.4. Paulus docet. 3. Implet Christus Legem Decalogi in credentibus, primum imputatione: per vnius enim obedientiam iusti constituuntur multi. Rom.5.versf.19. Deinde etiam incoatione seu renouatione, scribendo scilicet Legem Decalogi in corda credentium, Ierem. 31. versic.33. hoc est, sicut Dominus inquit, Ezech.36.versf.27. faciam, vt in præceptis meis ambuletis, vt ex illa incoatione renouationis sequatur quod Paulus inquit Rom. 7. versf.22. Condelector Legi Dei secundum interiorem hominem. Sed illa impletio in nobis non est plena & perfecta: sed tantum incoata in hac vita. Mente enim seruio Legi Dei, carne autem Legi peccati, Rom.7.versf. vltim. Ideo hæc Legis impletio non potest coram iudicio Dei consistere, sed secunda illa, qua Christus in sua persona pro nobis Legem impleuit, perfectissima est, & semper credentibus ad iustitiam imputatur.

Vocabulis ita declaratis, manifesta erit sententia, quid Christus docere velit, cum inquit: *Non veni soluere legem & Prophetas, sed implere*, & accommodatio eius sententiæ fiat per distributionem. Si enim de Prophetis loquamur, Christus sua doctrina non est aduersarius Prophetarum. Data enim fuerant vaticinia Prophetarum, vt aliquando, idque per Messiam, implerentur. Et Iesus affirmat, se venisse, hoc est, à Patre missum esse in mundum Messiam, vt impleat vaticinia Prophetarum. Qui autem implet non destruit. Secundo quod ad Leges ceremoniales attinet, illæ latæ fuerunt, vt essent vmbræ & figuræ Messiæ, quæ ipsius exhibitione & præsentia implendæ essent. Et impletis illis promissum fuit aliud nouum pactum seu fœdus. Ierem.31. versic. 31. Ergo non perpetuo, sed vsque ad exhibitionem Messiæ & eius impletionem, durare debuerunt, sicut Epistola ad Hebræos recte argumentatur. Quia igitur Christus venit, vt Leges illas tanquam figuras impleat: Ergo non est destructor earum. Opposita enim sunt destruere & implere. Et facta quidem impletione Leges illæ abrogantur: nam Lex & Prophetæ vsque ad Iohannem. Illa tamen abrogatio non est solutio seu destructio Legis, sed impletio. Ita calumniis Pharisæorum hæc sententia opponitur. Tertio vero, quod ad Legem Decalogi attinet, latissime patet hæc sententia, & ostendit, non posse rectius explicari aut intelligi doctrinam de iustitia fidei, qua ingredimur regnum cœlorum, quàm si definiatur impletione Legis à Christo præstitæ & nobis fide imputatæ. Christus enim missus à Patre venit in mundum, ad perficiendum officium Redemptoris & Saluatoris: hoc est, vt mundus non pereat, sed saluetur per eum, Iohann. 3. versic.17. Item prædicare captiuis dimissionem, dimittere confractos in remissionem, Esaiæ 61. versf. 1. Luc.4. versf. 19. Sed obstat Lex, quæ est sententia & iudicium ipsius Dei, accusans & damnans omnes, qui non sunt conformes Legis normæ, & promittit quidem benedictionem, salutem & vitam, sed illis tantum, qui perfecta obedientia mandatis Dei satisfaciunt. Quomodo igitur, & qua ratione Messias in Euangelio potest promittere & largiri gratiam Dei, benedictionem, adoptionem, salutem & vitam æternam credentibus, qui & peccata habent contra Legem Dei, & à perfecta impletione Legis procul absunt? Hic quidam imaginabantur Christum venisse, vt officium redemptionis & saluationis ita peragerer, *tollendo* scilicet, mutando, abrogando & destruendo sententiam *Legis*, vt Deus nunc plane nihil curet, siue violetur, *siue impleatur* Lex. Destructa enim Lege, sequitur Deum nec odisse, nec accusare, nec damnare peccata, nec requirere, vt Legi satisfiat. Huic imaginationi Christus opponit hanc sententiam: Non putetis quod venerim, executurus scilicet officium redemtionis, destruendo Legem. Et magna asseueratione addit rationem, quæ diligenter obseruanda est: *Amen dico vobis, donec prætereat cœlum & terra, iota vnum aut apex vnus non præteribit ex Lege quoad omnia fiant.* Obscurior videtur sententia, propter particulam *donec*, sed Scripturæ phrasis est, vt Psalm.72.versic.5.& 7. Coram tecum Sole, & coram Luna, florebit sub Christo iustitia & pax, donec defierit Luna. Et Lucas sententiam illam alibi repetens, phrasin illam planissime reddidit: Facilius est cœlum & terram præterire, quam vnum Legis apicem cadere. Idem igitur est, quod alibi Christus dicit, Luc.21.versf.33. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Nihil igitur est, quod in particula *donec* quis argutari velit, Legem tantum vsque ad finem mundi duraturam, & tunc desituram, sicut omnis Prophetia & tota Scriptura, Notum enim est, particulam *donec* non semper significare præcisum terminum, sicut explicauimus, Matthæi 1. versic.vlt. Et sententia quidem illa verissima est, doctrinam & vsum Legis Decalogi in Ecclesia Noui Testamenti vsque ad finem mundi mansurum: tunc vero totum ministerium cessabit, 1.Corint. 15.versf.24. sed hæc phrasis de impletione loquitur in hanc sententiam. Tam firmam, immotam & immutabilem esse Legis sententiam, vt cum cœlum & terra, quorum constitutio firmissima iudicatur, præteritura sint: fieri tamen non posse, vt aliquid in Lege, quod vel minimum iudicatur, intercidere possit, quin omnia perfectissima satisfactione implenda sint, etiamsi fractus illabatur orbis. Vsitata enim est periphrasis firmæ & immotæ immutabilitatis, quæ sumitur ex collatione rerum, quæ maximæ firmæ & immotæ iudicantur in hoc mundo, vt Ier.33.v.20.& 21. Si irritum potest fieri pactum meum cum die & nocte, & pactum meum cum Dauide irritum esse poterit. Item, si non posui pactum meum inter diem & noctem, & Leges cœli & terræ, proiiciam semen Iacob, Esa.54.versf.8. vocat misericordiam sempiternam. Et mox, versf.10. addit periphrasin: Montes mouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te. Ita quod Esaias dicit cap.40.versf.8. *Verbum Domini manet* in æternum, Christus hoc quasi circumloquitur, cœlum & terra transibunt, &c. Sensus igitur verborum Christi hoc loco hic est: sententiam illam Dei, quam in doctrina Decalogi patefecit, æternam & immutabilem esse, quod scilicet requirat perfectam obedientiam, iuxta normam Legis. Item: quod nec velit, nec possit gratiam, benedictionem, salutem, & vitam æternam dare, nisi facta fuerit Legis impletio, eaque perfectissima, vt ne minimus quidem apex impletioni desit, sicut de vocabulis illis mox dicemus. Qui enim in vno delinquit, reus est omnium, Iacob.2.versf.10. Et qui non in omnibus permanserit, maledictus est, Gal.3.versic.10. Ita perpetua, immota, & immutabilis est sententia, quod Lex accuset & damnet omnes, qui huic normæ non sunt conformes, nisi interuenerit sufficiens satisfactio. Iuxta hanc autem sententiam totus mundus hærebat in ira Dei, morte & perditione: mox enim ostendet Christus, impossibile nobis in hac vita esse integram impletionem Legis præstare. Filius igitur Dei Messias venit ad hoc officium, vt mundus non pereat, sed saluus fiat per eum. Sed quia Lex obstabat, oportebat itaque officium illud Messiæ perfici, vel destructione, vel impletione Legis. Est autem destructio Legis impossibilis, & perfecta eius impletio, nec ab illis quidem, qui per Spiritum sanctum renati sunt, in hac vita præstari potest, id quod omnium sanctorum querelæ testantur: & tamen in humana natura impletionem illam Legis fieri necesse erat, aliàs vniuerso generi humano in æternum pereundum fuisset. Vt igitur mundus non periret, sed saluaretur, oportuit ipsum Filium

Filium Dei Mediatorem, qui ad officium redemtionis & salutationis missus veneat, humanam naturam assumere, & in illa nostro loco subire Legem; & illam, quia destrui non poterat, perfecta obedientia & satisfactione pro toto genere humano implere, & quidem tali impletione, quæ sufficiens esset pro peccatis, & ad salutem totius mundi, quod inde & ita præstitum fuit; quia persona Christi erat infinita, Deus & homo. Ad ipsam vero impletionem duo requirebantur. 1. Vt perfectissima, integerrima, purissima & sanctissima obedientia Christus Legem pro nobis impleret. 2. Vt pœnas peccatorum mundi subiret, iram Dei à nobis in se deriuaret, fieret maledictum pro nobis, atque ita Legi pro vniuerso genere humano satisfaceret, quod ipsum in passione perfecisse & consumasse certum est. Hæc impletio Legis à Christo pro nobis præstita in verbo & Sacramentis proponitur & offertur agentibus pœnitentiam: fide vero ex gratia credentibus imputatur & donatur, Rom.5.v.15.& 8.v.3.& 10.v.6.& hæc est iustitia Euangelij seu fidei, quæ abundat supra quàm Scribarum & Pharisæorum, hoc est, abundantior, plenior & perfectior est, & per hanc iustitiam ingredimur regnum cœlorum, sicut hoc loco Christus inquit.

Et hæc est mirabilis illa consensio Legis & Euangelij, de qua Rom.3.v.vlt. Legem ergo destruimus per fidem? Absit, imo magis Legem stabilimus. Euangelium enim concionatur Christum esse impletionem Legis, ad iustitiam omni credenti. Non igitur pugnant Lex & Euangelium, sed quod Lex à nobis requirit, illud Euangelium à Christo pro nobis præstitum esse, & gratia Dei credentibus imputari docet. Ita fides iustificans non est Epicurea persuasio, Deum non curare peccata; sed ad iustitiam coram Deo fide apprehendit impletionem & satisfactionem Legis à Christo præstitam. Ita ergo hæc sententia de impletione legis per Christum ostendit verissima fundamenta doctrinæ de iustificatione fidei, quæ diligenter discenda & consideranda sunt. Epicureismus enim fingit, Deum in Euangelio peccatores credentes saluos facere, ita & ideo, quod mutari Legis sententia, peccatorum non curet: & ex hac imaginatione horribilis oritur securitas & leuitas, sicut multi disputant, Deum potuisse genus humanum alienatione redimere & saluare, etiam si Christus non fuisset passus, hoc est, etiamsi Legi pro nobis non satisfecisset: Christus vero ostendit, vera fundamenta huius doctrinæ, Euangelium scilicet, non facere destructionem, sed translationem Legis, scilicet à nobis, in personam Christi, vt ibi pro nobis impleatur ad iustitiam omni credenti. Lex igitur ad iustitiam & salutem requirit perfectissimam obedientiam, & plenissimam satisfactionem pro peccatis, & simul ostendit nos illam nec habere, nec præstare posse, & tamen affirmat etiam impossibile esse vllum apicem Legis cadere, vt non omnia impleantur. Euangelium vero ostendit, quomodo facta fuerit translatio Legis à nobis in Christum, Gal.3.vers.13. Esa.53.versic.4.& seq. ita vt eius impletio ad iustitiam imputetur omni credenti, vt ita coram Deo iustificemur iustitia Legis, non in nobis, sed in Christo, nec à nobis, sed à Christo impleta. Et hoc est, quod Paulus dicit Rom.3.versic.21. Iustitia fidei manifestatur in Euangelio sine Lege, & tamen testimonium habet à Lege.

Sed hic oritur quæstio. Quare ergo Paulus Legem tam procul remoueat ex articulo iustificationis, & quidem in Epistola ad Galatas, tribuens ei, si negotio iustificationis misceatur, appellationes, quæ quasi contumeliosæ videntur? Respondeo, quando Legi per se proponitur quæstio, quomodo & quare coram Deo iustificemur & saluemur, deducit nos ad nostra opera. Alloquitur enim singulos: Hoc fac & viues. Qui fecerit ea, viuet in eis. Et hoc, quod proprium Legis est, Paulus rectè & necessariò remouet ex negotio iustificationis nostræ. Euangelium vero in quæstione Iustificationis & salutis à nostris propriis operibus; quia imperfecta & immunda sunt, deducit nos ad personam & officium Christi, & docet in illo esse nostram iustitiam: non quod destructa Lege Deus non curet peccatum; sed quia Christus factus sub lege, eam, & obedientia & satisfactione, perfectissime impleuit non pro se, sed pro nobis, vt illa impletio Legis, in personâ Christi pro nobis præstita, credentibus imputetur ad iustitiam. Atque hoc modo etiam Paulus docet Christum esse iustitiam nostram, quatenus, factus sub Lege, est impletio Legis, vt obedientia eius iusti constituantur multi, Gal.4.versic. 4.& 5. Rom.5 versic 19.& 10.v.4. Hoc igitur discrimen, quod totam disputationem illustrat, obseruandum est. Aliud est Lex, si in nobis & in operibus nostris consideretur: & aliud, quando in persona Christi perfectissima eius obedientia & satisfactione, pro nobis Lege impleta, consideratur. Hoc enim est ipsissimum fundamentum Euangelij. Sed plenior explicatio ad aliam tractationem pertinet.

Quisquis soluerit vnum ex mandatis istis minimis. Item: *Nisi abundauerit iustitia vestra, &c.* Ostendit Christus, Pharisæos sectantes Legem iustitiæ, in articulo Iustificationis ita errare, vt iustitiæ fidei nolint esse subiecti, Rom.10.vers.3. quia hanc partem explicationis de Lege non teneant. Scribæ, inquit, & Pharisæi habent iustitiam, sed per illam non poterunt ingredi regnum cœlorum. Rationem addit; quia non est abundans, sufficiens, plena, seu perfecta. Nam soluunt minima mandata Legis. Vocat autem *minima* non per se, sed per concessionem, & ex sensu Pharisæorum. Potest autem ex hoc loco intelligi, qualis fuerit Pharisæorum doctrina de iustitia. Sumpserunt hoc axioma Legis: Ad iustitiam & vitam æternam opus esse impletione Legis. Animaduerterunt autem impossibile esse, minutissima quæque in Lege, vt de interioribus motibus in mente, voluntate & corde: item de næuis quibusdam in gestibus, in verbulo aliquo, ex toto corde, tota anima & omnibus viribus perfecta conformitate implere, ita vt nulla sentiatur contraria concupiscentia. Finxerunt igitur talem distinctionem: Quædam mandata Legis esse minima: quædam esse magna. Et licèt quis in mandatis, de interioribus motibus seu affectibus cordis, Legi perfectè non satisfaciat, si modò, quantum in homine est, magna mandata de externis operibus seruet, illum iustum esse coram Deo. Quia mandata illa de interioribus cordis motibus, vtpote de rebus minutulis sunt minima: ideo, quod propterea Deus non velit hominem impium censere & damnare, si in reliquis magnis mandatis, de externis operibus, præstet quantum potest. Hęc opinio; quia cum rationis iudicio conuenit, quę sentit Leges ferendas & seruandas esse [illegible], (sicut Solon apud Plutarchum inquit) concinna visa fuit. & ita inflauit Pharisæos, vt præterita iustitia fidei, non dubitarint opera sua opponere iudicio Dei, ad iustitiam & vitã æternam. Hanc fuisse Pharisæorum doctrinam tota hæc concio manifeste indicat. Quod ideo obseruandum est. Pontificij enim, vt iustitiam operum coram Deo stabiliant, prorsus similia docent: Deum scilicet non requirere, vt minutissima quæq; Legis in hac vita scrupulosè à nobis impleantur, sed contentum esse, si quãtum in nobis est fecerimus, cætera pertinere ad alterã vitam. Atque hoc modo existimant & ipsi, sicut Pharisæi, opera posse opponi iudicio Dei, ad iustitiam & vitam æternam.

Sed Christus magna asseueratione opponit responsionem, & pronunciat, Pharisaicam illam iustitiam, quæ non perfectissime habet integram Legis impletionem, sed tantum particulam quandam Legis, de quibusdam externis operibus, quæ, quomodocunque seruat, non posse ingredi regnum cœlorum. Suorum igitur iustitiam Christus vult esse abundantiorem seu pleniorem, hoc est, suos vult ad iudicium Dei afferre abundantissimam, plenissimam & perfectissimam iustitiam, vt per ac propter eam possint ingredi in regnum cœlorum. Eam verò, quia in se non inueniunt, fide quærunt & apprehendunt in impletione Legis, à Christo pro nobis præstita. Deinde est & esse etiam debet iustitia operum in renatis, propter interiorem renouationem spiritus, abundantior, quam iustitia carnis in Pharisæis, sicut in sequentibus explicabitur. Sed quia etiam renati, licèt in mente sentiant Legem Dei, carne tamen seruiunt Legi peccati, Romanor.7.v.25. ideo per & propter opera sua; quia imperfecta & immunda sunt, non possunt ingredi in regnum cœlorum. Sed in hac quæstione, vt ingredi possint regnum cœlorum, non ad iustitiam carnis Pharisæorum, nec ad spiritualem suam imperfectam obedientiam, sed ad perfectissimam iustitiam Christi fide confugiunt. De ipsis vero renatorum operibus in sequentibus dicendum erit. Pharisæorum vero figmento de mandatis minimis, Christus opponit *vnum iota & vnum apicem*: vt ita quam fortissime neget, esse quædam mandata in Lege ita minuta, quæ Deus non multum curet, quorum etiam, quamuis non impleantur, non sit ratio habenda, in statuenda iustitia Legis coram Deo. Mandata enim Dei constant pluribus verbis, verba constant literis, literæ multis apicibus. Christus igitur iureiurando affirmat, mentem esse, vt quæ in Lege mandata sunt, siue magna, siue parua videantur, omnia fiant, & quidem ita perfectè, vt facilius sit, cœlum & terram transire, quàm non dico vnum mandatum, non vnum verbum, non vnam literã, sed ne vnum quidẽ literæ apicem in Lege cadere, quem non necesse sit impleri. Hoc modo perfectissima impletio totius Legis describitur. Quod.n. Matthæus dicit, *iota præterire*, hoc Lucas dicit *apicem cadere*, phrasi Scripturę, qua verbũ Dei dicitur cadere in terrã ab impiis, qui blasphemãt, promissiones & minas Dei, quasi irritas, non impleri. Nominat autẽ Christus iota & apices: Iod enim in Hebræa lingua minutissima litera est, quæ sæpe etiã per pleonasmũ tãquam otiosa adiecta videtur. [illegible] vero significat minutam virgulã, sicut Plutarchus vocat [illegible], fastigium seu extremitatem lineæ in

modum cornieuli (ceratia enim nomen habet) exertam. Possunt igitur *κεραῖα* intelligi, vel puncta vocalia, quæ Hebraicis literis vel subscribuntur, vel imponuntur, vel apices, qui in scriptione literarum Hebraicarum in extremitatibus, in modum corniculi formantur: sicut in Aleph, Schin & aliis. Hæc verò Christus accommodat ad opiniones Pharisæorum. Literæ, quibus Decalogus manu Dei descriptus est, non sunt omnes eiusdem quantitatis. Aliæ sunt longiores, vt Lamed: Aliæ breuiores, aliæ latiores, aliæ angustiores, vt Vau, Zain, Nun, &c. Iod est litera omnium minutissima, puncta vocalia adhuc minora sunt: & tamen seuerissimæ prohibitiones in Decalogo, per minutissimum punctulum ad caput longissimæ literæ Lamed, ita signantur א'ל. Iudæi autem multum tribuunt Cabalæ literarum, vt Genes. 23. v. 2. vbi Abraham luget Saram: Caph forma aliquanto minori scriptum est: Inde colligunt, vxorem mortuam non nimis multum aut diu esse lugendam. Et inspectio Decalogi ostendit in præceptis primæ tabulæ Iod sæpius scribi, quàm in secunda tabula. In quinto enim, sexto, septimo & octauo præceptis nullum Iod scribitur, sed aliæ magnæ literæ. Et forsan igitur Scribæ inde sumserunt occasionem distinctionis, de magnis & minimis mandatis. Christus vero inquit, vnicum Iod & minutissimum punctum in Lege eo loco apud Deum haberi, vt priusquam prætereat vel cadat, quin impleatur, facilius cœlum & terram transiturum. Sensus igitur est: Legi non satisfieri particulari & mutila obedientia, sed necesse est, vt omnia vsque ad minimum apicem perfectissime impleantur. Deum facilius destructionem cœli & terræ admissurum, quam vt vnicum Iod, vel minutissimus apex intercidat, vt non impleatur. Et eadē est sententia, sicut Moses denuntiat maledictionem non illis tantùm, qui non in magnis, sed qui non in omnibus permanserint, quæ scripta sunt in libro Legis: & sicut Iacobus inquit: Quicunque totam Legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Ideo Christus addit: Quisquis magna (iuxta vestram opinionem) mandata seruauerit, ex illis verò, quæ vos minima reputatis, vel vnicum transgrediendo soluerit, illa persuasione, quasi Deus non curet, non habebit locum in regno cœlorum. Præcipue vero Doctoribus minatur, qui praua hac opinione homines à iustitia fidei ad vanam operum suorum fiduciam abducunt. Ideo inquit: *Qui & ipse soluerit, & ita docuerit alios homines.* Nam vtrique simul, & qui ita docent, & qui hac doctrina à vera iustitia seducuntur, excludentur à regno cœlorum.

Hæc vero tam scrupulosa & rigida, vt Pharisæis videbatur, explicatio Legis, obstruit omne os, & totum mundum reum sistit Deo, sicut Paulus inquit: quod ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro, coram Deo, Roman. 3. versic. 19. Nemo enim tantam perfectionem præstare potest: & nihilominus impossibile est, vel minutissimum apicem ex Lege cadere, vt non impleatur. Vrget igitur hæc explicatio necessario, quærendam esse aliam iustitiam, in qua sit perfecta impletio & satisfactio Legis. Illam vero in Christo inueniri Euangelium docet: qui venit Legem implere, ad iustitiam omni credenti. Porro illa etiam phrasis obseruanda est, quod dicit: *Erit minimus in regno cœlorum.* Pontifici enim inde probare conantur discrimen præceptorum & consiliorum. De præceptis enim dicendum fuisset: Excludetur à regno cœlorum. Sed quia dicit, minimum quidem futurum in regno cœlorū, sed tamen locum ibi habiturum, qui minima mandata soluerit. Contendunt igitur non præcepta, sed consilia esse intelligenda, de quibus Christus in hac concione loquitur. Apud Gratianum 14. quæst. 1. Sed Christus minima illa de quibus loquitur expresse vocat mandata, non consilia. Et transgressoribus minatur gehennam, & inquit: *Non potestis intrare regnum Dei.* Recte igitur Chrysostomus inquit: Cum audieris minimum in regno cœlorum, nihil aliud suspicare, quam supplicium & gehennam. Hilarius: Erit minimus, hoc est, nouissimus & nullus in regno cœlorum. Augustinus: In regno cœlorum nisi magni esse non possunt. Ergo minimus ibi non habebit locum. Sed non opus est patrum auctoritatē niti. Nam Christus ipse hanc phrasin ita explicat. Quod enim hic dicit: Minimus vocabitur in regno cœlorum: illud verbis mox sequentibus explicat: *Non poteris ingredi in regnum cœlorum.* Ratio vero phraseos ex subiecta materia sumta est. Pharisæi enim mandata quædam Legis vocabant minima, quasi nullius momenti: quibus inter ea, quæ vere præceptorum seu iustitiæ rationem haberent, non censebant locum dandum esse. Et illa significatione etiam vos, inquit Christus, in regno cœlorum, in altera vita eritis minimi, vtpote contemti & indigni, quibus vllus ibi locus detur. Alij regnum cœlorum hoc loco accipiunt pro Ecclesia in hoc mundo, vt sensus sit, fore quidem in Ecclesia tales Doctores, qui doctrinam Legis nec recte tradant, nec recte vsurpent, sed illos pronunciat minimos, hoc est, indignos esse, qui inter veros Doctores regni cœlorum obtineant. Et tamen tales sunt in Ecclesia, sicut scandala dicuntur esse in Ecclesia, Matth. 13. v. 41. Ille vero magnus & vtilis Doctor erit in Ecclesia seu regno cœlorum, qui doctrinam & vsum Legis ipse recte tenet, & aliis tradit, & ipse etiam in exercitiis pœnitentiæ & fidei exprimit. Facere enim & docere hoc loco Christus in Doctore, quem magnum pronuntiat, coniungit. Quomodo vero illa interpretatio Legis etiam in doctrina de pœnitentia, & de noua obedientia, siue de bonis renatorum operibus locum & vsum habeat, in sequenti textu ostendemus.

Audistis quod dictum sit veteribus: Non occides, &c. Totus hic locus obscuratus, imo fœde deprauatus fuit ab illis, qui existimarunt, Christum hanc suam explicationem opponere ipsi Legi diuinæ, quando inquit: *Dictum est antiquis.* Hinc orta est perniciosa illa opinio, vtrumque genus doctrinę & Euangelij & Legis tradere de nostris operibus, per quæ *vita æterna* promerenda sit, hoc tantum esse discrimen, quod Lex præscribat crassa, carnalia, externa, & quasi elementaria opera. Euangelium vero addat mandata de operibus interioribus, sublimioribus & perfectioribus. Inde etiam natum est axioma Scholasticorum, Legem Mosis cohibere tantum externa membra, Legem vero Euangelicam formare & coercere ipsos etiam affectus. Et ne homo desperaret, suis operibus se posse vitam æternam promereri, addiderunt figmentum de præceptis & consiliis: præceptorum scilicet obseruationē meritum vitæ æternæ necessariam & sufficientem esse, consiliorum vero obseruationem vltra meritum illud, quod ad vitam æternam necessarium est & sufficiens, supererogare aliquid, quod aliis etiam ad salutem communicare vel vendere possint. Sumunt enim, tanquam pro confesso, hominem, si velit anniti, non tantùm Legem ipsam iplere, sed plus etiam posse præstare, quam lex Dei requirat. Ita ex deprauatione huius loci tota doctrina Ecclesiæ corrupta fuit. Integram autem refutationem delirij, de præceptis consiliis, peculiari loco complexi sumus. Nunc igitur ea tantum, quæ ad declarationem textus pertinent, annotabimus. Manifesta autem & firmissima argumenta sunt, Christum hoc loco non voluisse Legi diuinæ addere alia mandata, de grauioribus & perfectioribus operibus. Quod enim ad præcepta operum attinet, Deus de Lege sua veteri inquit: Nihil addas, aut minuas. Item dicit summam Legis esse, dilectionem *Dei* & proximi ex toto corde, ex tota anima, & ex *omnibus viribus.* Quæ certè summa est perfectio. Quid igitur ad summam perfectionem addi posset? Et quod argumentum maxime illustre est. Illa ipsa, quæ Christus hoc loco doctrinæ, quam vocat veterum, tanquam supplementum apponit, extant in Lege diuina in Veteri Testamento. Vt de ira & signis iræ, Genes. 4. versic. 6. Quare iratus es, & concidit vultus tuus? Psal. 112. v. vlt. Peccator videbit, & irascetur: dentibus suis fremet & tabescet. Leuit. 19. v. 17. & 18. Non oderis fratrem in corde tuo, nec memor eris iniuriæ. Et exempla Cham, Michol, puerorum irridentium Elisæum, idem ostendunt. Item: de concupiscentia vxoris proximi, in ipso Decalogo extat præceptum: Non concupisces. Et Iob. 31. versic. 1. Pepigi fœdus cum oculeis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Et c. 24. v. 15. Oculus adulteri obseruat caliginem. Ierem. 5. v. 8. Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Prouer. 6. v. 25. Ne concupiscas plenitudinem mulieris extraneæ, ne capiaris palpebris eius. Certum igitur est, hanc suam explicationem Christum non opponere ipsi Veteri Legi diuinæ, sed prauis Pharisæorum interpretationibus: Dicit enim: *Nisi abundauerit iustitia vestra, plus quam Scribarum & Pharisæorum:* non autem dicit, plus quàm Legis diuinæ. Et quia ante mentionem fecerat mandatorum, quæ à Pharisæis minima vocabantur: iam explicat quæ illa sint. Est igitur hæc explicatio Christi repurgatio doctrinæ Legis à corruptelis Pharisæorū, non vt alia & noua, maiora & grauiora mandata operum, Legi diuinæ addantur, sed vt doctrinæ Legis vera & genuina sententia & explicatio restituatur. Quia verò deprauatio illa Pharisæorum non erat recens commentum, adeo, vt præscriptione temporis, & titulo antiquitatis, sine argumentis & probationibus illam populo venditarent, ideo Christus inquit: *Audistis, quia dictum est veteribus.* Et quæ verba Christus recitat dicta veteribus, non intelligenda sunt ex Mose sumpta: sed sunt illa ipsa verba, quibus Scribæ *δευτερῶσεις* traditiones suas de Lege vulgo seu auditoribus suis soliti fuerūt recitare. Ideo inquit: *Audistis.* Pharisæi igitur, vt ad stabiliendam operum iustitiam, impletionem Legis non tantum possibilem, sed adeo facilem proponerent, vt ex traditionibus multa etiam possent supererogari. Luc. 18. versic. 11. & 12. agnitionem peccati ex Lege variis modis deprauarunt. Has corruptelas Christus abstergit, & veræ interpretationi Legis lucem restituit, vt non inflet homines vana opinione iustitiæ, sed seria agnitione peccati & iræ Dei, & auditores & ipsos

etiam factores humiliet, vt iustitiam in Messia Mediatore propositam quærant. More autem Hebraico corruptelas Pharisæorum in exemplis quorundam præceptorum Decalogi describit, & veram sententiam de agnitione peccatorum opponit, vt illa ratio interpretationis in reliquis etiam præceptis explicandis adhibeatur.

Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. Hæc sunt verba vet. traditionis quæ ideo videtur iudicij meminisse, quod Pharisæorum forsan opinio fuerit, ea tantùm peccata rea esse coram iudicio Dei pœnæ æternæ, quæ iuxta forenses Mosis Leges ciuili iudicio morte puniebantur, vt homicidium, Exod. 21. versic. 12. Hic certe locus ostendit, Pharisæos interpretationem quinti præcepti ita deprauasse, illum tantùm, qui externo opere homicidium admisisset, reum esse iræ Dei & pœnæ æternæ coram iudicio Dei. Quicquid autem in affectibus interioribus, gestibus & verbis quinto præcepto non erat conforme, sciebant quidem pugnare cum Lege, sed sicut supra ostendimus, vocabant minima mandata, quorum transgressio non constitueret hominem reum iræ & pœnæ æternæ coram Deo. Facilem igitur putabant impletionem quinti præcepti, & rarò aliquis erat, qui agnosceret se habere peccata contra quintum præceptum, licèt corda arderent ira, odio, inuidia, licet etiam affectus illi non intus tantùm premerentur, sed & gestibus & virulentis maledictis, insectationibus & insidiis proderentur. Huius hypocriticæ persuasionis exemplu n habes in Saule, 1. Reg 18. versi 8. & seq. & in Iudæis, Ioh. 18. vers. 31. Nobis non licet interficere quenquam, cum tamen odio furerent contra Christum. Hæc igitur fuit vetus Pharisæorum traditio, de interpretatione & sententia Legis, monstrante agnitionem peccatorum ex Lege. Christus vero dicens: *Sed ego dico vobis*: pro illa auctoritate, quam vt Messias Spiritu sancto vnctus à Patre in ministerio suo acceperat, ostendit, quomodo quintum præceptum arguat peccata, seu, quomodo ex quinto præcepto discenda sit vera agnitio peccatorum. Et gradus ordine ita numerat. 1. *Quisquis irascitur fratri.* Et de vocabulo fratris ac proximi postea suo loco dicemus. Complectitur autem sub ira omnes interiores motus, in mente, voluntate & corde, non congruëtes cum norma quinti præcepti, seu pugnantes cum charitate proximi. Chrysostomus legit & interpretatur particulam *εἰκῆ, qui irascitur fratri temerè*, vel sine causa. Augustinus etiam explicans hunc sermonem, vult particulam illam etiam ad sequentia referri. Qui temere vel sine causa dixerit Raca & fatue. Et Syrus etiam Paraphrastes Græcam illam particulam εἰκῆ retinuit. Est enim ira quædam iusta, vt eorum, qui in publicis officiis sunt. Sic Christus, Paulus, Moses irascuntur. Itē, quando vitiis irascimur, vt Psalm. 139. vers. 22. Perfecto odio oderam illos. Sed Hieronymus dicit esse particulam suppositiciam, & hoc loco plane eradendam; quia Christus simpliciter loquitur de ira, quæ pugnat cum charitate proximi, & probata exemplaria affirmans sine particula illa simpliciter legere: *Quisquis irascitur fratri suo* Augustinus etiam lib. Retract. 1. cap. 19. dicit in Græcorum libris eam non inueniri. Vnde colligitur non rectè fieri, quod iam passim in Græcis exemplaribus additur particula εἰκῆ. Causa verò propter quam addi voluerit particulam illam, ex vera definitione iræ, quæ contra dilectionem proximi pugnat, expediri potest. Ita enim est commotio animi, propter offensionem aliquam maleuolentis proximo, & cupientis seu meditantis vltionem. Ita cum sæpe animo non malo voces quædam stomachosiores & duriores emittantur, vt Matth. 16. vers. 23. Satan. Luc. 24. versic 25 stulti tardi. Galat. 3. versic. 1 insensati, sequentibus rectè additur primum membrum: ita scilicet, si quis ex ira vel iratus dixerit Raca, & fatue. 2. Secundus igitur gradus est: *Quisquis dixerit Raca* Et vocabulum illud fuisse tunc vulgare & ἐπιχώριον, sicut Eusebius inquit, non est dubium. Nam & ideo interpretes eam reliquit siue interpretatione. Nunc vero, vt in voce peregrina variæ quæruntur interpretationes, cùm tamen quid Christus velit, non sit obscurum, quidam Græcam quæsiuerunt Etymologiam, quasi dicas, lacerum & pannosum. ῥάκη enim tales panniculos significat, & congruit ad Chaldaicum רקע, quod scissuras, frusta & assumenta panniculorum significat. Hieronymus ab Hebraico רק *Rek* quod inanem & vacuum significat, deducit, & dicit idem esse, sicut vulgata iniuria aliquem vocamus sine cerebro, aut hominem nihili. Et sanctè est quasi vox opprobrij, quando quis ita vocatur, quasi inops, mendicus, homo nihili. Nam Nehem. 5. v 13 quando excussione sinus aliquis excommunicatur, vocatur *Rek*: & Iud. 9 v 4. de perditis hominibus, vagis & erronibus vsurpatur vox *Rekim*, quæ etiam vsurpatur, 2. paralip. 13. vers. 7 *Lose Leute*. 2. Reg 6. vers. 20. Nudatus est rex vt scurra. Sed ita inter Rakа & conuitia, nulla in gradibus hoc loco esset differentia. Chrysostomus dicit Syrorum lingua *Raka* significare vocem indignantis per Aposiopesin, sicut si Dominus dicit seruo: Abi tu, dic tu. Sed Syra lingua non habet tale pronomen. Alij dicunt Chaldaice significare, Vide te. Sed quicquid sit de peregrina illa voce, sensus manifestus est. Ponitur hic gradus in medio inter affectus interiores, & inter manifesta conuitia: vnde quidam per *Raca* intelligunt conuitia, quæ vel occultiora, vel leuiora sunt, quàm Fatue. Sed Augustini sententia simplicissima & ad hunc locum accommodissima esse videtur, quod vox ipsa *Raka* per se nihil certi significet, quod sit interiectio animi commoti, indignantis, frementis, minantis, spernentis. Chaldæis enim רוק, significat conspuere, & רקא significat sputum, quod nos Germanice propriissime exprimimus, quando irati alicui dicunt: *Pfuy dich an.* Et hæc Etymologia præ cæteris placet. Comprehenduntur itaque sub voce *Raka* omnia signa & gestus irati & maleuoli animi, in voce, vultu, & gestibus totius corporis, & non male hoc congruit, quod *Rak* vnde *Raka* deducitur, Chaldæis significat expuitionem. Est igitur secundus gradus, quando affectus interiores eò progrediuntur, vt prodant se externis signis seu gestibus. 3. *Quisquis dixerit, Fatue:* hoc est, quando affectus commoti & maleuoli erumpunt in manifesta conuitia & maledicta. Nominat autem id, quod in conuitiis leuissimum putatur, vocare aliquem fatuum, vt inde à minori reliqua grauiora conuitia & maledicta æstimentur. 4. Gradus est, ipso externo opere corpus & valetudinem alicuius lædere. 5. Gradus est *occidere*. Ita Christus exemplo monstrat, quomodo constituendus sit catalogus peccatorum pugnantium contra quintum præceptum. Et illam rationem mox accommodat ad sextum præceptum, sed breuius: significans eadem ratione, quæ in quinto præcepto monstrata est, singula præcepta explicanda esse. More enim Hebraico doctrina generalis in vno aliquo exemplo proponitur, vt eadem ratione ad similia, quæ eiusdem generis sunt, accommodetur. Hæc igitur ratio interpretationis manifesta est. Addenda autem est & hæc obseruatio, quod sicut alia sunt peccata commissionis, alia omissionis: ita in hac concione Christi idem deprehendi potest. Illa enim, de quibus iam diximus, sunt peccata commissionis. Postea vero arguit etiam illos ex quinto præcepto, qui non quærunt reconciliationem, qui nolunt condonare, qui affecti iniuriis non præstant patientiam, qui non diligunt inimicos, & hæc sunt peccata omissionis. Et obseruandum est iudicium Dei, quod eandem pœnam denuntiat peccatis omissionis & commissionis. Nam & arbor, quæ facit malos fructus, & quæ non facit bonos fructus, vtraque excindetur, & in ignem mittetur, Matthæi 7. v. 16.

Porrò in textu singulis gradibus additur, *Obnoxius* (seu *reus*) *erit iudicio, concilio, vel gehennæ.* Ad veram enim agnitionem peccati pertinet & hoc, vt magnitudo peccati, ira & iudicium Dei aduersus peccata rectè agnoscantur, & seriò sentiantur, hoc est, sicut Paulus Rom. 7. v. 13. inquit, vt fiat supra modum peccans seu reum peccatum per mandatum. Christus igitur sub vocabulis iudicij, concilij & gehennæ ostendit, Pharisæos hanc etiam partem doctrinæ Legis deprauasse ita, quod dixerunt, illa tantùm externa peccata, quæ iudicio forensi capitalia censentur, coram Dei etiam iudicio obnoxia esse maledictioni & damnationi æternæ.

Et huic corruptelæ hanc potuerunt speciem prætendere, Deum ipsum in Legibus forensibus politię Mosaicæ, quarum ipse auctor est, determinasse pœnas peccatorum. Ideo illa, quibus vel nullam, vel non capitalem pœnam Deus in Legibus iudicialibus Mosis adscripsit, licèt cum Decalogo pugnent, non esse aggrauanda, quasi coram iudicio Dei dignæ censeantur æterna damnatione. Neminem enim certius posse pœnas peccatorum determinare, quàm ipsum Deum, qui fecerit in Legibus Mosis forensibus. Et hoc diligenter notandum est, Pharisæos ex collatione humanorum iudiciorum, deprauasse doctrinam Legis de ira Dei, aduersus peccata.

Lex enim forensis dicit: Qui occiderit, reus erit iudicio: Qui vero irascitur, illum Lex iudicialis non subiicit pœnę iudicij forensis.

Ergo etiam coram iudicio Dei non est reus iræ Dei. Et hanc fuisse Pharisæorum sententiam, inde etiam colligitur, quod in hoc ipso capite scribuntur cupiditatem vindictæ iustificare voluisse ex forensi illa Lege: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ex Christi vero explicatione colligitur hæc regula. De magnitudine peccatorum, & de ira Dei aduersus peccata coram iudicio Dei, non esse pronuntiandum ex forma iudiciorum humanorum, imo nec ex Legibus forensibus, quas Deus ipse politiæ Mosaicæ tradidit. Dei enim iudicium, & humana seu politica iudicia, immenso interuallo distant: sicut Paulus inquit 1. Corinth. cap. 4. vers. 3. Nolo iudicari ab humano die, nec meipsum iudico, sed qui me iudicat, Dominus est. Ideo nihil quidem [illegible] conscius sum, sed tamen

in hoc non sum iustificatus coram Deo. Exemplo igitur quinti præcepti Christus ostendit, quomodo Dei iudicium de magnitudine & pœnis peccatorum pronunciet, idque facit per vocabula iudicij, synedrij, & gehennæ. Obscurior autem est sententia; quia Christus vocabula forensia, quæ in politia Mosaica vsitata fuerunt, transfert ad iudicium Dei, occasione inde sumpta; quia Pharisæi allegabant hoc ex Legibus iudicialibus, *Quisquis occiderit, reus erit iudicio.* Et hæc ratio allusionis non obseruata, varias peperit interpretationes. Quid autem appellatione iudicij & synedrij intelligendum sit, hinc potest intelligi. Paulus Fagius in 16. cap. Deuteron. annotauit, iudices in politia Mosaica in tres ordines distributos fuisse. 1. In iudicio sedebant triumuiri, pronuntiantes de causis, quæ erant manifesti iuris: vt de pœna homicidij. 2. In qualibet ciuitate Israel erat paruum synedrion, constans ex 23. iudicibus. Illi iudicabant de causis, quæ aliquid habebant controuersiæ. 3. Hierosolymis erant 72. iudices, qui de summis causis cognoscebant, Deuteronom. 17. vers. 8. & 9. Et hoc summum iudicium significatur appellatione synedrij. Nam Græci Hebræum סוד reddiderunt συνέδριον, Psal. 26. vers. 4. Et qui præsident iudiciis, Iud. 5. vers. 10. Græcis ibi vocantur συνέδρια. Syrus reddidit כנוש, quod cœtum seu congregationem significat. Et collegium Esdræ scribæ, vocarunt inde viros synagogæ magnæ, sicut Elias tradit. Sumpta autem fuit ratio synedrij ex 70. senioribus, qui Mosi in iudiciis adiuncti fuerunt, Exod. 24. vers. 9. Græcam vero appellationem συνέδριον, Iudæi in suam etiam linguam transtulerunt vocantes Sanhedrin: Et Elias dicit intelligi 70. seniores prætorij magni, quod erat Hierosolymis. In iudicio igitur certis delictis certæ pœnæ erant determinatæ & definitæ, vt de homicidio: in synedriis verò pro qualitate & enormitate delictorum de pœnis grauioribus & atrocioribus imponendis deliberabatur. Gehennæ verò pœna erat in illa politia cum æterna abominatione coniuncta. Fit enim inter gradus pœnarum politicarum mentio etiam gehennæ. Cadauera enim eorum, qui propter maleficia supplicio affecti erant, plerunque sepeliebantur, sicut Christi & Stephani, sed tanta poterat esse atrocitas & abominatio delicti, vt vel malefici in loco abominabili Thophleth interficerentur, Ierem. 7. vers. 32. aut cadauera eorum in locum illum infamem, vel sine sepultura proiicerentur, vel ibi sepelirentur. Proiiciebantur autem vel sepeliebantur talia cadauera, in valle filiorum Hinnom. Ille enim locus in sorte tribus Beniamin, Iohann. 15 vers. 8. & 18. vers. 16. propter immanem idololatriam, quæ ibi exustis per ignem in honorem Molochi paruulis exercebatur, 2. Par. 28. versic. 3. contaminatus, infamis, & abominandus per Iosiam regem redditus erat & appellatus Thophleth 4. Reg. 23. vers. 10. vt cadauera & ea, quæ summæ abominationi essent, extra Ierusalem in illum locum proiicerentur. Et Ierem. cap. 7. vers. 31. 32. & 19. versic. 6. 11. 12. 13. Deus ipse atrocissimas suas pœnas hac valle describit inquiens: Non dicetur amplius vallis filij Hinnom, sed vallis interfectionis, & sepelient in Thophleth, eò quod non sit locus, &c. Inde factum est, quod locus, vbi post hanc vitam supplicium de impiis sumetur, vocari cœperit Thophleth, quam Esaias horrendo igne describit c. 30. versic. 33. Nutrimenta eius ignis & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Apoc. 28. vers. 8. vocatur stagnum ardens igne & sulphure. Chaldaica inflexione pro גיא הנום Gehinnom. In Hebræo scribitur גהנא Gehinna, & in Thamuldicis etiam libris pro loco cruciandis, in æternum impiis destinato vsurpatur. Ex illa vulgi vsurpatione etiam Christus in Euangelica historia vocat Gehennam. Additur autem hoc loco *Gehenna ignis*, hoc est, ardens igne, Apocal. 21. vers. 8. ne existimetur significari vallis illa, Ios. 15. vers. 8. sed locus suppliciorum post hanc vitam, qui igni describitur Esa. 30. 33. & ne de igne elementari huius mundi intelligatur, Marc. 9. vers. 45. vocatur ignis inextinguibilis, sicut & Esa. 66. vers. 24. & Matth. 18. versi. 8. vocatur ignis æternus. Quia enim abominabilis ignis lustrationis fuit in valle Hinnom, inde ignis æternæ abominationis & damnationis ita vocari cœpit. Hæc autem vocabula omnia iudicij, concilij & gehennæ, significatione forensi, significant hoc loco pœnas non ciuiles, sed supplicia capitalia, quæ pro ratione delictorum aggrauabantur quidem & exasperabantur, omnia tamen erant capitalia, & iudicij, & synedrij, & gehennæ. Hæc vocabula ab vsu forensi Christus transfert ad descriptionem iræ & iudicij Dei aduersus peccata. Et verum esse concedit, sicut omnia peccata non sunt paria, ita etiam pœnas coram iudicio Dei non fore per omnia æquales. Ideo enim gradus recitat iudicij, concilij & gehennæ. Sed simul contra Pharisæos ostendit, in iudicio Dei, si non facta fuerit remissio, omnia etiam, quæ minutissima à nobis censentur peccata, obnoxia esse iudicio [illegible] damnationis æternæ: ideo primò [illegible] interiores motus no[illegible] [illegible]gruentes cum quinto præcepto, & eum, qui fratri irascitur, pronuntiat obnoxium esse iudicio Dei, hoc est, pœnæ iudicij diuini ad æternam condemnationem non secus atque ipsum homicidam, 1. Ioh. 3. vers. 15. Nam obnoxium esse iudicio Dei, non tantùm discussionem, & examen significat, sed in Scriptura ita explicatur, Ps. 143. v. 2. cum quo Deus in iudicium suum ingreditur, is non iustificatur, sed damnatur. Gal. 5. v. 20. Ira, odium, &c. qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, 1. Iohan. 3. versi. 15. Qui odit fratrem, homicida est, non habens vitam æternam in se manentem. Vides, quid sit reum esse iudicio. Quod ad phrasin ἔνοχος attinet: vbi in Hebræo est Morte interficietur, Genes. 26. ver. 11. sanguines in Exod. 22 v. 3. Sanguis super ipsum, Leuit. 20. v. ibi Græci interpretes reddiderunt vel ἔνοχος simpliciter, vel ἔνοχος θανάτῳ vel ἁμαρτ. In communi lingua Græca ἔνοχος cum Genitiuo reatum criminis, cum Datiuo reatum pœnæ significat, vt τοῖς ἀραῖς ἢ τῷ ἄγει ἔνοχοι [illegible], diris & piaculo obnoxium esse. Syrus reddidit verbo חיב, quod reatum & condemnationem, seu obligatum & obnoxium teneri ad damnationem, significat. In reliquis, iuxta gradus peccatorum, per distinctos gradus vocabulorum concilij & gehennæ, maiores & grauiores æternæ damnationis pœnas comminatur. Quorum graduum qualis sit in inferno ratio, nostri non est scrutari, sed cauere, ne in illas pœnas coniiciamur: sicut Augustinus eleganter dixit. Ita qui dixerit Raca, reus erit concilij: qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Cùm verò conuitio fatuitatis tribuat summum gradū supplicij, qui quidem nobis auditus est, gehennam scilicet ignis: vult inde colligi, quæ supplicia maneant & destinata sint atrocioribus maledictis, & ipsi operi homicidij. Et tamen in his gradibus pœnarum omnia, siue maxima, siue minutissima peccata, in hoc paria sunt, quod peccatorem obnoxium reddant iudicio Dei, nisi facta fuerit reconciliatio. Quid vero nomine Iudicij hoc loco intelligendum sit, Christus ipse explicat postea, cùm inquit: *Tradetur iudici, iudex tradet illum tortori.* Luc. 12. v. 58. & hic *coniicietur in carcerem, vnde non edibit, donec soluerit extremum quadrantem.* Perseuerat enim in forensi illa metaphora, vbi debitor summo iure damnatus, si non habeat in ære, luit in corpore, vt totum debitum reddat, Matth. 18. vers. 34. vel solutione, vel, si eam præstare non potest, perpetua captiuitate. Addit autem Christus in iudicio Dei non magnas tantùm summas in rationem venire, verumetiam extremum quadrantem: vt ostendat, inter magnas & varias summas debitorum nostrorum, etiam extremum quadrantem, nisi in hac vita facta fuerit remissio, hanc habere rationem in iudicio Dei, vt si Deus in iudicium suum nobiscum ingrediatur, æterno carceri & torturæ nos mancipare possit. Appellatione autem quadrantis significari minutissimam monetam, & hic locus flagitat, & Marcus 12. v. 42. disertè ostendit: vbi duo minuta interpretatur quadrantem. Imo quod Matthæus hoc loco vocat extremum quadrantem, Lucas 12. v. vlt. vocat extremum minutum. Matthæus hoc loco vsurpat Latinam vocem κοδράντην. Est autem Quadrans quarta pars assis, continens tres vncias. Cumque Marcus dicat quadrantem continere duo λεπτά, minuta. Minutum igitur est dimidia pars quadrantis.

Si itaque obtuleris munus tuum ad aram. Duo sunt principalia capita interpretationis in singulis præceptis. 1. De agnitione peccatorum. 2. De norma bonorum operum. Ideo post taxata peccata quinti præcepti, subiungit doctrinam de fraterna concordia, vel colenda & retinenda, vel sarcienda. Et ostendit, quàm necessarium sit studium concordiæ. Vetus enim fuit corruptela, aduersus quam omnes ferme Prophetæ magna contentione pugnarunt, vt Esaiæ 1. versic. 11. & sequ. & 58. vers. 5. & sequenti. Amos 5. vers. 21. & 22. Micheæ 6. vers. 7. & 8. Si sacrificia & reliqua externa cultus Leuitici exercitia præstarentur, Deum officia erga proximum in communi vita non admodum curare, & si quid contra charitatem proximi delinquatur, illud abundè compensari sacrificiis, & aliis externis cultibus. Et hæc persuasio à Pharisæis ita aucta fuit, vt non vererentur docere, ipsis parentibus etiam necessaria licitè posse subtrahi, si modò dona ad Corbonam offerentur, Matthæi 15. versic. 5. Sine dubio autem huic corruptelæ speciem aliquam induerunt inde; quia Deus ipse præcepta Decalogi distinxit in duas tabulas, & prima tabula vocabatur magnum mandatum, Matth. 22. versic. 38. Christus verò in exemplo sacrificiorum, quæ tunc vsitata erant, opponit hanc declarationem. Quando offers munus tuum ad altare, in prima tabula, & recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersus te, in secunda tabula, non cogites Deum hoc non curare, modò offeras sacrificia, sed relinque ibi munus tuum & vade, vt prius reconcilieris fratri tuo. Et hinc colligitur regula illa generalis, quam Christus tradit, Matthæi 22. versiculo 39. quod mandata secundæ tabulæ similia sint mandatis primæ tabulæ, quoad obedientiam & cul-

& cultum: & quidem ita, vt hoc loco Christus pronuntiat: Deum non acceptare cultus illos externos, qui ad primam tabulam pertinent, si charitatem proximi sine pœnitētia violemus. Inquit enim: *Si recordatus fueris*. Cohærent autem hæc cum præcedentibus ita. Quia ostenderat, violationi charitatis proximi, siue affectu, gestu, verbo, aut facto fiat, destinatas esse æternas pœnas, fieri autem nō possit, quin in hac naturę corruptione sæpe inter fratres offensæ quædam oriantur, & vnus alterum lædat: ideo subiicit mentionem de ara & sacrificiis, quæ typi fuerunt expiationis peccatorum propter victimam Christi.

Monet igitur post agnitionem peccatorum, quærendam eorum remissionem, non autem ita, vt in peccatis illis pergamus & perseueremus: sed *Vade*, inquit, *& reconcilieris prius*: hoc est, prius pœnitentiam requirit, vt deponamus iram, odium, & concordiam resarciamus per reconciliationem. Non enim tantùm dicit: Desine irasci, sed addit: *Reconciliare fratri*. Aliàs enim non agitur, sed fingitur pœnitentia, nisi rupta cōcordia resarciatur. Quia verò tempus & locus sæpe non permittunt adire fratrem offensum, sæpe etiam fratri hoc non expedit, sensus est, vt ex animo bonum concipiamus & habeamus cordis propositum placandi fratrem offensum, & quantum in nobis est, omnia faciamus, vt offensum fratrem nobis reconciliemus. Ostendit igitur Christus se malle misericordiam erga proximum, quàm sacrificium. Et non inscitè huc accommodatur, quod Iacob non, nisi facta prius cum fratre Esau reconciliatione, legitur altare erexisse, in quo sacrificium Deo obtulit. Quod igitur Christus inquit: *Si ibi recordatus fueris, &c.* docet, quando volumus accedere ad Deum, petituri remissionem peccatorum, cogitandum esse, vt subducamus rationem debitorum in prima & secunda tabula. Vbi enim nulla est pœnitentia, dicit Deus Ier. 5. versi. 7. quomodo possum tibi esse propitius? Ostendit etiam violationem charitatis proximi intercludere aditum ad Deum. Item: nullum cultum Deo gratum esse, si absit vera pœnitentia. Non autem dicit: Si recordatus fueris, te læsisse caritatem proximi, in æternum te non admittam, tolle, aufer munus: sed vt ostendat patere ianuam pœnitantiæ & reconciliationis cum Deo, inquit: Relinque ibi munus, & postquam recōciliatus fueris fratri, tūc veniens offer munus tuum. Exemplum autem hoc ad generalem doctrinam de pœnitentia in omnibus præceptis referri debet. Quod vero ita loquitur: *Si frater tuus habet aliquid aduersus te, &c.* phrasis forensis est de parte læsa, quæ causam habet conquerendi de aliquo, aut expostulandi cum aliquo, vt Actorum 19. v. 33. Si habeant causam aduersus aliquem. Actorum 24. ver. 20. Si quid habent aduersum me, proferant, accusent. Apocal 2. vers. 4. 14. & 20. Habeo aduersus te pauca. Augustinus itaque sic interpretatur, vt is, qui læsit, conetur offensum placare & in gratiam redigere. Quia vero etiam ille, qui læsus est, debet dimittere fratri. Marc. 11. vers. 25. Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem. Chrysostomus igitur intelligit de vtraque parte, sicut & Syrus reddidit: Si quis habet aliquid aduersus te, hoc est, si tibi cum alio non bene conuenit, sed aliquis inimicitias tecum gerit, siue meritas siue immeritas, da operam vt fiat compositio, siue petendo reconciliationem, si læsisti: siue dimittendo, si læsus es. Atque ideo existimat Chrysostomus, non esse dictum: Reconcilia tibi proximum, sed *reconciliare* διαλλάγηθι, quod & offendenti & offenso conuenit, vel quære reconciliationem, vel patere te reconciliari. Sicut autem hoc loco Leuiticis sacrificiis monet præmittendam reconciliationem fraternam: ita Marc. 11. vers. 25. spiritualibus etiam sacrificiis Noui Testam. eam præmittendam docet. Cùm stabitis ad orandum, dimittite prius. Et 1. Corinth. 13. v. 3. Si quis totam substantiam distribuat pauperibus, & caritatem non habeat, nihil est.

Esto beneuolus aduersario tuo citò, &c. Augustinus, quia legit, Esto consentiens, multis inquirit, quis sit aduersarius ille, qui nobiscum in via sit, cum quo consentire iubemur, an sit Diabolus, an homo, an caro, an Deus: ac per viam remotionis ostendit nullum horum, sed præceptum Dei esse talem aduersarium nostrum. Sed simplicissimum est quod Hieronymus & Chrysostomus annotarunt, propositum Christi hoc loco esse cohortari nos ad sarciendam & ineundam concordiam cum aduersariis nostris hominibus, quàm diu in huius seculi via cum ipsis ambulamus. Est autem parabola talis, quæ & ad litteram aliquid docet in externis inter homines, & deinde simul etiam aliquid altius coram Deo indicat, qualis est parabola illa, Luc. 14. versic. 8. de accubitu prioris & nouissimi loci. Scopus autem est ostendere, quanto studio quærenda sit reconciliatio cum illis, qui à nobis offensi sunt, proposito grauissimo periculo ni fiat. Ad literam igitur hoc docet, si vel creditor vel alius aduersarius, iustam habens causam contra te, voluerit iudicio tecū experiri, & ad iudicem te vocarit, cōsultissimum est, vt, dum adhuc in via es cum ipso, te coram ipso, humilies, & placida deprecatione vtaris, vt priuatim cum ipso transigere & causam componere possis. Si enim vir bonus est, debitum vel condonabit vel mitigabit. Si verò iudicis sententiam humili ac placida transactione præuenire, vel securitate, vel superbia neglexeris, tunc iuxta summum ius pronuntiabit, & debitor in carcerem coniectus tunc frustrà de condonatione vel mitigatione, aut transactione, quam ante latam sententiam impetrare potuisset, quia eam neglexit vel spreuit, clamabit, sed tum extrema exactaque debiti persolutio exigetur. Ita rigor & pertinacia litigantibus plerumque multa afferunt incommoda, quæ moderatione & placida humilitate vitare potuissent. Ille etiam qui in foro bonam videtur causam habere, & alium in iudicium trahit, non nimium sit rigidus & pertinax, ad vrgendum & persequendum summum ius, præsertim reo deprecante: sed vtatur beneuolentia & moderatione, si tolerabilibus conditionibus ante iudicis sentētiam possit causa transigi & componi. Solet enim Deus tales rigidos litigatores dubio litis euentu punire, vt in manus iudicis incidant, præsertim quando patiens est aduersarius. Ita ferme Chrysostomus. Et in genere Paulus mauult æqua & amica transactione componi, quàm forensi contentione terminari, 1. Cor. 6. v. 1. & seq. Hanc autem forensem sententiarum Christus ἀλληγορικῶς tacite accommodat, ad priuatam seu mutuam fratrum reconciliationem, hoc modo: Si fratrem offendisti, atque ita coram Deo debitor eius constitutus es, da operam, dum adhuc es in via, priusquam Deo iudici, qui vindex horum est, tradaris, vt offensum places, cum eo reconcilieris & in gratiam redeas: ita enim & à fratre offenso, & à Deo iudice veniam impetrabis. Si verò hoc in via neglexeris, & Deo iusto iudici traditus fueris, nō erit quod tunc vllam ab eo veniam speres, sed iuste iudicabit, nullam concedens debiti relaxationem, sed exigens extremam & exactam debiti persolutionem, quod fit in carcere. 1. Pet. 3. 19. inflictione supplicij perpetui, & cruciatu æterni ignis. Similiter & ille, qui læsus est, non sit nimiùm morosus & rigidus alteri parti, ostendenti aut offerenti tolerabiles rationes redintegrandæ concordiæ: sed sit beneuolus, ne propter rigidam implacabilitatem tradatur iudici ad persoluendum etiam suum vniuersum debitum, Matth. 18. 32. & Marc. 11. 25. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra. Ita ostendit hæc sententia beneuolentiam, æquitatem, humanitatem, moderationem multa tolerantem, mitigantem, concedentem optimam vbique esse magistram colendæ, fouendæ, & sarciendæ inter fratres concordiæ, quæ pertinaci & rigida asperitate sub specie summi iuris scinditur. Vocabulum ἀντίδικος significat aduersarium causæ, & litis præcipue, qui actor seu accusator vocatur. Quod enim Iud 11. ver. 2. Iephthe dicit: Ego vir litis, cum filiis Ammon, hoc Græci reddiderunt, ἀνὴρ ἀντιδικῶν. Sed Luc. cap. 18. vers. 3. ἀντίδικος, vocatur accusatus, à cuius iniuriis se vindicari petit vidua, implorans opem iudicis. Et ita Græci interpretes vtuntur verbo ἀντιδικεῖν, Iudic. cap. 6. vers. 31. Qui aliquid egit contra Baal, interficiatur. Potest igitur tam actorem quàm reum significare. Sed circumstantiæ huius parabolæ de actore, qui tradit reum iudici ad incarcerandum, proprie loqui videntur.

Postremò ex veteribus quidam totam hanc sententiam in genere interpretantur, vt sit exhortatio per similitudinem, vt post lapsum citò, dum in hac vita sumus, Deo reconciliemur. Et hanc interpretatur, quòd Luc. 12. vers. 15. hanc ipsam similitudinem Christus vsurpat, cum reprehendisset Pharisæos, quòd non agnoscerent tempus visitationis gratiæ. Et huius similitudinis forensis, de transactione, antequam iudex pronuntiet, & de executione post latam sententiam accommodatio generalis ex præcedentibus plana est. Nam qui pœnitentiam in hac vita neglexerit, si ad extremum iudicium Dei venerit, sine remissione peccatorum conjicietur in æternas pœnas, iuxta seuerissimam Legis sententiam. In vltimo enim iudicio Dei non erit locus transactioni seu reconciliationi, & ex inferno nulla est redemptio. Sed in hac vita, quæ quasi via est ad iudicium Dei, Euangelium proponit & ostendit modum, quo possimus cum Deo, quem offendimus transigere, & cum eo reconciliari, & condemnationē debitorum impetrare. Et qui iuxta Euangelium cum Deo in hac vita reconciliatur, ille non iudicatur, nec venit in iudiciū, Ioh. 3. v. 18. & 5. v. 24. hoc est, non tradetur iudici, nec in carcerem coniicietur. Iam in communi vita debitor seu reus, sciens se non esse soluendo & timens iudicium, sollicitat de tali transactione, ne cogatur summum ius experiri, humiliat se, deprecatur, offert quicquid potest, conquirit & summittit intercessores & deprecatores, vt aduersarij animum molliat & persuadeat. In Euangelio verò Deus ipse propter filium Mediatorem vltro gratuitam offert pacem & reconciliatio-

nem nobis inimicis suis, & quidem per ministerium ipse exhortatur. Reconciliemini cum Deo 2. Cor. 5. v. 20. sed humana natura deprauata, partim secura, partim superba, exhortationes illas Euangelicas negligit. Deus igitur, qui non vult vt quisquam pereat, sed vt omnes ad pœnitentiam conuertantur, 2. Pet. 3. v. 9. per Legem, & præterea virgis & flagellis excitat, vrget, & impellit, vt cito prius quàm morte & iudicio Dei præoccupemur, fide, propter Christum, quæramus & apprehendamus reconciliationem cum Deo, quem peccatis aduersarium nobis fecimus. Vtque nos eò impellat parabola hæc, variis quasi argumentis vtitur. 1. Ostendit multitudinem & magnitudinem debiti, & quod non simus soluendo. 2. Ostendit iudicem, ad cuius tribunal aliquando sistendi sumus, esse omnipotentem, cuius manus effugere non poterimus, sicut si politicus iudex habeat ministros, carceres, vnde nemo possit exire. Ministrum enim Matthæus vocat ὑπηρέτην, & Act. 5. v. 26. & Ioh. 7. v. 45. publici lictores qui homines comprehendebant, & in carcerem coniiciebant, ita vocantur. 3. Addit extremum illud iudicium iuxta rigorem sententiæ Legis, tunc exquisiturum perfectissimam & exactissimam persolutionem omnium debitorum, vsque ad extremum quadrantem cum damnatis: quam cum præstare impossibile sit, æternis pœnis eam exoluere necesse erit. 4. Cōcludit tunc in iudicio, & post iudicium non fore tempus gratiæ, misericordiæ & concordationis, sed non exibis illinc, donec solueris. Et hæc omnia huc diriguntur, vt cito, dum in via sumus, quæramus reconciliari cum Deo, ne in iudicium hoc nobis sit veniendum. Ioan. 5. v. 24. Psalm. 143. v. 2. Ita veteres sententiam illam non inutiliter ad generalem exhortationem accommodarunt.

Non exibis donec persolueris. Pontificij hoc loco aduerbio *donec* purgatorium fabricare conantur, fore scilicet, vt coniecti in carcerem Dei, inde aliquando exeant, vbi debitum suum vel per se, vel per alios exoluerint. Id cum de inferno, in quo nulla est redemptio, intelligi non possit, existimant ideo purgatorium esse extruendum. Sed certum est, ex parabolis seu allegoriis nō posse dogmata constitui aut probari. Deinde parabola hæc non ponit categorice, post iudicium debitum aliquando posse exolui. Non ponit fore, vt debitor non perpetuò in carcere illo maneat, sed aliquando inde liberetur, sed rigidum ac summum ius, & extremam seu exactissimam debiti inquisitionem describit illa hypothetica seu cōditionali, neminem ex illo carcere liberari posse, nisi omne debitum, & quidem extremum quadrantem persoluerit, vt tempus incarcerationis coæuum sit solutioni extremi quadrantis. Sed damnatorum debitum manet in æternum, nec vnquam ab eis exsolui poterit. Necesse igitur erit, vt semper maneant in carcere, æternum soluentes supplicium. Præterea certum est, Christum hoc loco, proposito periculo æterni & nunquam finiendi supplicij, voluisse suos impellere, vt citò dum in vita sua quærant reconciliationem, ne incidant in pœnas, quas in æternum euadere non poterunt. Sed hæc seria ac necessaria exhortatio blaspheme eneruatur, si purgatorij opinio contradicat: Etiamsi mittaris in carcerem, poteris inde exire persoluta vel per te, vel per aliorum suffragia aliquando purgatorij pœna. Non igitur opus erit, vt tam sollicitus sis de reconciliatione, dum in via es. Hæc certè pugnant cum eo, quod Christus in hac concione sibi propositum habet. Quod ad particulam [DONEC] attinet, de ea diximus Matth. 1. vers. vlt. Et Augustinus ipse hunc locum interpretatur de pœnis æternis. Et addit: Vbi tunc soluet, vbi non datur pœnitendi locus? Sed plura de hoc loco annotauimus in Examine Tridentini Concilij de Purgatorio.

[*Audistis, quòd dictum fuerit antiquis: Non mœchaberis.*] Verba sunt Decalogi. Sed Christus suam ἀντίθεσιν, cum inquit: *At ego dico vobis*, non opponit verbis Decalogi, sed sinistræ ac crassæ Pharisæorum interpretationi, quasi externum tantūm opus adulterij & fornicationis verbis illis, *Non mœchaberis*, prohibitum esset: à quo qui abstineret, licet flammæ libidinū in corde arderent, oculos, nutus, gestus, sermonem ac dicta polluerent, illum sexto præcepto perfecta, quantum Deus à nobis requirat, impletione satisfacere. Christus verò eodem modo, sicut antea verba, *Non occides*, exposuit; ita nunc etiam verba, *Non mœchaberis*, ita interpretatur, vt ostendat, illis prohiberi omnem immunditiem seu concupiscentiam venereā in mente, corde & voluntate: in sensibus visus, auditus, tactus: in nutibus, gestibus, sermonibus: & demum in ipso opere commixtionis extra legitimum coniugium. Expresse autem hoc loco nominat cor, visum & concupiscentiam, sub quibus reliqua comprehendit Hebraica synecdoche: quia in quinto præcepto paulo antè gradus illos nominatim exposuerat. Et in genere nominat γυναῖκα mulierem, vt ostendat peccare hominem in aliena muliere, quæ non sit sua vxor, siue sit alteri nupta, siue soluta, licet alterum peccatum altero grauius sit. Quod verò dicit: *Qui aspexerit mulierem ad concupiscendum eam*, præpositio πρὸς indicat intelligi talem aspectum, vnde cor interius titillatur & libidine accenditur: vel quando cor libidine æstuans oculis se prodit, & quærit concupiscentiam oculorum, ideo vt inde libido cordis pascatur, magis inflammetur & augeatur. Prouerb. 23. v. 33. Oculi tui videbunt extraneas. Ezech. 6. cap. vers. 9. Cor fornicans & oculi fornicantes. & 23. 16. Insaniuit super eos concupiscentia oculorum. Hieronymus disputat, quando ex aspectu mulieris alienæ cor agitatione aut sensu aliquo libidinis titillatur seu pungitur, esse προπάθειαν, quasi præludium morbi: ac non habere veram rationem peccati. Quando verò inde delectatio, deliberato seu fixo consensu concipitur, esse πάθος: & hoc demum habere veram rationem peccati. Ac gradus esse differentes in peccatis non est dubium, sicut veteres non inutili illa distinctione suggestionis, delectationis consensus, imaginationis, & operis ostenderunt. Sed Christus, vt ostēdat perfectam impletionē Legis nobis in hac naturæ corruptione impossibilē esse, asseuerat hoc loco, ipsam cordis concupiscentiam per se esse peccatum, & quidem ita, vt sola cordis concupiscentia homo reus fiat mœchi seu fornicationis coram Deo, vt ita verum maneat, quod Salomon inquit: Prou. 20. vers. 9. Quis dicit, castum est cor meum, & mundus sum à peccato? 1. Ioh. 2. vers. 16. numeratur concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum. Illis, si ex hoc loco addatur concupiscentia cordis, tria erunt genera, ad quæ peccata sexti præcepti rectè referri poterunt, sicut Paulus econtra requiri docet castimoniam carnis & spiritus. 1. Corinth. 7. v. 34. Quia vero in ipso Decalogo expresse dictum est, *Non concupisces vxorem*, quæritur, quomodo Pharisæi potuerint fingere concupiscentiam non esse peccatum, vt opus fuerit Christum sua interpretatione hoc ostendere? Augustinus existimat, ipsos concupiscentiam in Decalogo vetitam interpretatos, de ablatione alienæ vxoris, vel de eius mœchinatione, seu de attentatione alienæ pudicitiæ. Lyranus dicit ipsos concupiscentiam intellexisse, de exterioribus concupiscentiæ signis, vt complexu, osculis, tactibus, &c. Christus vero etiam cordis concupiscentiam damnat: & Paulus vstionem vocat πύρωσιν, 1. Corinth 7. ver. 2. Et hoc propter Pontificiorum disputationes obseruandum est, maxime cum Augustinus & Chrysostomus disputent, non omnem alienæ mulieris concupiscentiam damnari, sed eam tantum, quæ affectata, & pleno consensu libidinis deliberata est. Alij censent Pharisæorum opinionem fuisse, cum Decalogus concupiscentiam eius, quæ proximi vxor esset, prohiberet. Ideo concupiscentiam eius, quæ nullius vxor esset, non esse peccatum, vel si concedatur esse peccatum, non tamen adulterij peccatum esse. Christus igitur mulierem in genere nominat, & ostendit etiam corde, vel sola concupiscentia cordis adulterium committi coram Deo, hoc est, reatum concupiscentiæ in iudicio Dei eundem esse, qui est adulterij, quod scilicet maledictioni Dei obnoxios reddit, licet pro differentia peccatorum, in ipsa etiam maledictione gradus sint. Sicut igitur Ioannes dicit: Qui odit fratrem, homicida est: Ita Christus hoc loco dicit: Qui concupiscit mulierem, adulter est. Salui tamen nihilominus manent & peccatorum & pœnarum gradus. Sicut suprà de ira, Raca, & Fatuo, item de iudicio, concilio & gehenna dictum est. Et quando cum credentibus & renatis agitur, rectè docetur, punctiones, suggestiones seu subreptiones illas, quibus Spiritu resistitur, esse peccata venialia quæ credentibus, propter Christum, non imputantur. Quando vero remota omni mortificatione accedit delectatio, consensus, mœchinatio, esse peccatum mortale, quo pœnitentia, fides, gratia & Spiritus sanctus excutitur, sicut hæc doctrina alibi in locis explicatur. Hoc loco verò Christus explicat, quo loco concupiscentia per se, secundum Legem in iudicio Dei habeatur, vt doceamur, non posse nostris nos operibus coram Deo consistere & iustificari, sed opus nobis esse gratia Dei & imputatione meriti Christi.

Si oculus tuus dexter, manus dextra, scandalizauerit te.] Variæ hoc loco quæsitę sunt allegoriæ. Augustinus per oculum dextrum & manum dextram, intelligit consiliarios & auditores in rebus diuinis: Per sinistram, in rebus terrenis. Chrysostomus intelligit cognatos & amicos, quos tanquā membra nostra diligimus. Hieronymus per oculū dextrum intelligit bonā intentionē, per manum dextram operationem per se bonam, si pietati obsint. Sed optima semper est interpretatio, quam ipse contextus mōstrat & præbet. Quia igitur dixerat, per oculos sæpe libidinem penetrare in corda, & aspectum esse occasionem & irritamentum concupiscentiæ: ea occasione attexit doctrinam de vitandis, declinandis & abscindendis occasionibus & irritamentis peccatorum, vt scilicet crucifigamus & mortificemus Legem peccati, in membris corporis & potentiis animæ, allicientem, irritantē, abstrahentem & potentiis

rapientem nos ad peccata. Ita etiam hanc allegoriam Paulus interpretatur, Roman. 6.versic.6.7.versic.23.&versic. 13. Galat. 5.versic.24. Iacob. 1.versic.14. Ad hanc sententiam accommodatio vocabulorum, quibus hoc loco Christus vtitur, facienda est. Aliquoties autem monuimus Hebraicum morem, quod doctrinam generalem sub vno aliquo atque altero exemplo proponunt, sub quo reliqua, quæ eiusdem generis sunt, subintelligenda sunt: vt cum Moses præcipit de subleuando asino inimici, omnia charitatis officia, inimico præstanda, sub illo exemplo complectitur. Ita hoc loco nominans oculum intelligit omnes sensus: sub manu intelligit omnia membra: & similiter de cogitationibus & affectibus, seu de potentiis animæ in homine, idem etiam vult intelligi. Nominat autem dextrum oculum & manum. Dextræ enim partes iudicantur præstantiores & validiores. Cum vero & illa dicat nobis scandalo esse, ostendit totam naturam, omnes animæ potentias, omnes sensus, omnia membra peccato esse deprauata, ita vt etiam ea, quæ videntur aliquid habere præstantiæ seu dexteritatis, ad lapsus sint occasiones & irritamenta. Vtitur enim verbo σκανδαλίζειν, atque ita Græci reddiderunt, quæ à כשל deducitur, quicquid sit, in quod aliquis impingit, vt vel collabatur & ruat, vel ab instituto cursu impediatur, aut euertatur. Notat igitur Christus hac parabola manus, & osculi scandalizantis, Legem peccati in membris, sicut Paulus loquitur, etiam dextris, hoc est, quæ videntur esse præstantissima, suggerentem occasiones & irritamenta ad lapsum seu ruinam peccati, & impedientem, imo aduertentem & abripientem à via & cursu pietatis. Hæc enim est scandali metaphora. Monet igitur Legem ideò arguere ipsam concupiscentiam in membris, vt non indulgeamus aut obsequamur prauis concupiscentiis, quæ aduersus animam militant, sicut offendicula, sed vt resistendo & repugnando, spiritu ipsos reprimamus & cohibeamus. Christus perpetuam texens allegoriam dicit, oculum eruendum, manum præcidendam. Vt enim vitam quis redimat, aut reliquum corpus ab internecione incolume seruet, membrum aliquod vel ferro præcidi, vel igne aduri patitur, licet graue, molestum, incommodum & aliquando turpe hoc sit. Iudicat enim satius esse vel monoculum vel mancum viuere, quàm vel vitam, vel totius corporis sanitatem amittere. Ita licet valde durum & molestum sit, propriis affectibus & concupiscentiis, præsertim erga res charas, pretiosas, vtiles, necessarias aut delectabiles resistere & repugnare, nō minus quàm mēbrum aliquod corporis rescindere; & videatur sæpe in commodi, detrimenti, & turpitudinis aliquid, sicut mutilatio membri, afferre, si non obsequamur desideriis & affectibus nostris: potius tamen dicit hoc faciendum, quàm obsequendo prauis concupiscentiis gehennæ incendio in perpetuum nos mancipemus. Et ex hæc allegoria Paulus sumpsit duas phrases, de crucifigendo vetere homine, Galat.5.versic.24. de mortificandis membris, quæ sunt super terram, Colos 3.ver.5. de abolendo corpore peccati, Rom. 6.ver.6. Cumque mortificationem illam dicat spiritu debere fieri, Rom.8.versic.13.& membra, corpus, carnem, ac veterem hominem interpretetur pro concupiscētiis, desideriis & actionibus prauis, Galat. 5.v.24. Rom.8.versic.13. Colos.3.ver.5. ideo certum est allegorice seu spiritualiter illa hoc loco intelligēda esse, non de externa mutilatione membrorum, qua peccatum nō eliminatur, cuius fons & sedes ipsum cor est. Matth. 15.v. 19. Hæc est propria huius allegoriæ sentētia, que deinde etiam ad genus transferri potest: vt quicquid sit nobis tàm cognatum, coniunctum, carum, pretiosum, vtile vel necessarium, sicut est vel dexter oculus, vel manus dextera, si illud offendiculo nobis sit, hoc est, si vel occasionem & irritamentum ad lapsum in peccatum præbeat, vel transuersos nos rapiat à pietate: vt illud deseramus & abiiciamus, licet hoc vel cum dolore, vel cum detrimento aliquo coniunctum esse videatur. Sicut cum membrum aliquod vel ferro pręcidendum, vel igne comburendum sit. Nihil enim est, quo non præstet nos fraudari & vitam ęternam cōsequi, quàm illud retinere, & eo frui, ac in gehennam abiici.

Dictum est autem: Quicunque repudiauerit vxorem suam. Pergit Christus ostendere, adulterium committi etiam per repudium quodcunque, nisi fiat causa stupri. Ostendit autem quatuor modis ratione repudij adulterium committi. Cum enim dicit: *Qui repudiat vxorem, vt fiat adultera:* Illud fieri potest. 1. Si repudiata non potest se continere, priuata vsu coniugali, incidit in scortationem, quæ adulterium est, quia nondum est vinculo matrimonij, per illegitimum illud repudium, soluta, sed adhuc alligata. 2. Si nubat alteri, committit adulterium, quia adhuc est prioris vxor. 3. Qui cum tali repudiata contrahit matrimonium, committit adulterium, quia eam, quæ adhuc alterius vxor est, ducit. Matth.19.vers.9. additur: Qui extra causam stupri vxorem suam repudiat, & aliam sibi matrimonio iungit, is committit adulterium; quia adhuc est maritus prioris. Tota autem doctrina de repudiis plenius repetitur & explicatur Matth.19. versic.3.& sequentibus, vbi quædam annotabimus. Hoc loco considerandum est, vnde Pharisæorum traditiones corruptelam de repudiis, & qua specie extruxerint. Quia enim Moses Lege sua forensi seu iudiciali permiserat repudium, iubens repudiatæ dare libellum repudij, Pharisæi in quocunque repudij casu talem formam libelli introduxerunt & receperunt, vt maritus repudians repudiatæ concederet licentiam & potestatem, vt duci posset, nemine prohibente, à quocunque viro, & addebant, illud fieri iuxta constitutionem Mosis & Israelis, sicut Matth.19. talem formam libelli repudij adscribemus. Docebant igitur, bona conscientia etiam coram Deo fieri posse repudia, ex quacunque causa, & tum repudiantem, tum repudiatam, viuente priori coniuge, aliunde matrimonium contrahere posse. Regula enim inter traditiones Pharisaicas, sicut hinc colligitur, fuit: Omnia, quæ in Lege Mosaica forensi permissa erant, ea coram Deo & iudicio diuino rectè, sine peccato, & bona conscientia fieri. Et magnam sane speciem habebat, quod Deus ipse, qui certe non mala, seu vitiosa, sed bona & iusta præcipit, per Mosen forenses Leges dederat populo Israel. Sed Christus in hoc exemplo ostendit regulam generalem, quid scilicet in foro conscientiæ coram Deo ac iudicio eius, vel peccatum sit, vel bona conscientia, tanquam cultus Dei fieri possit, iudicandum esse non ex Legibus forensibus, sed ex Lege morali. Politicę enim constitutiones, etiam in illa Republica, quā Deus ipse latis peculiaribus per Mosen Legibus forensibus instituit, pro circumstantiis locorum, temporum & personarum κατὰ τὸ δυνατόν, & ad rationem politicæ consociationis attemperatæ sunt, in quibus multa, quæ cum Lege Decalogi & cum charitate proximi non vsque quaque congruunt, permittuntur, ne status publicus perturbetur, vtque vitentur maiora mala, sicut de libello repudij Christus inquit Matth.19.8. Ideo non sequitur: Lex Mosaica forensis permittit libellum repudij: Ergo coram Deo non peccat, sed iuste & pie facit, qui quacunque ex causa dimittit vxorem suam. Lex enim moralis pronuntiat, copulam indissolubilem esse, Gen.2.24. Solam autem causam fornicationis excipit: quia illa directè pugnat cum natura coniugij, seu contra substantialia matrimonij, & contra fidem coniugalem, ideo vinculum coniugij soluit. Sed hęc doctrina Matth.19. plenius explicabitur. Hoc loco regula tantùm obseruetur, de discrimine legum forensium & Legis moralis, agnitionem scilicet peccatorum & bonorum operum coram Deo, non ex solis politicis cōstitutionibus, sed ex Lege morali, quæ æterna est & immutabilis, tradendā & discendam esse. Leges enim politicæ non omnia peccata prohibent & puniunt, nec omnia bona opera præcipiunt. Item, in Lege forensi quædam tolerantur & permittuntur, quæ in Lege morali coram Deo sunt peccata. Nec tantùm ad disputationem de diuortio hæc regula pertinet, sed generalis est. Ita vsura erga peregrinos & opulentos quodammodo permissa erat Iudæis Lege forensi, sed Lex moralis simpliciter illam excludit à iustitia & à regno Dei, Psal.15.5. Ezech. 18.13. ita de aliis etiam iudicetur.

Rursus audiuistis, quod dictum fuerit antiquis, Non peierabis, &c.] Verba, quæ Christus hoc loco allegat, non sunt Pharisæorum traditiones, sed ipsius Legis animæ verba. Prius enim membrum extat Leuit.19.vers.12. Nō iurabis in nomine meo falsò, seu mendaciter. Alterum membrum, *Reddes autem Domino iuramenta tua,* quidam interpretantur, vt sensus sit, Iuramenta reddenda seu præstanda esse in nomine Domini, non in nomine vel creaturarum, vel idolorum. Et hæc sententia extat quidem Deuter.6. versicul.13. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies: ac per nomen illius iurabis. Pharisæi autem *per cœlum, per caput* iurarunt. Sed verbum ἀποδώσεις, quo Matthæus vtitur, non significat præstare iuramentum, sed persoluere, reddere & exhibere quod iurauerís. Quæ sententia extat Numer.30.ver.3. Si quis votum vouerit Domino, aut se iuramento constrinxerit, hoc faciet. Ita & Deuter.23.ver.21. Obseruandum autem est, quòd Christus sequētem suam sententiā non Legi Dei opponat, sed corruptelis, quas Pharisæi ex praua & peruersa Legis Dei interpretatione in Ecclesiam inuexerant. Colligitur autem ex hoc textu, tres fuisse potissimum corruptelas doctrinæ de iuramentis. 1. Licitum esse, etiam in familiari sermone, & in communibus negotiis, in quocunque casu, de re quacunque, etiam nō faciente vel ad gloriam Dei, vel proximi vtilitatem, per nomen Dei iurare. Et qui ita iuraret, modò non falsum iuraret, non peccare, sed rectè facere. Docebant enim tantùm periuria per nomen Dei prohibita. 2. Eum, qui iurat, non per ipsum nomen Domini, sed per cœlum, terram, etiāsi quod iurauit vel non præstet, vel falsum sit, non esse reum periurij co-

ram Deo:quia Lex dicat:Non peierabis in nomine Domini, & Domino reddes iuramentum.Periuria igitur intelligebant tunc tantùm committi, quando expressa nuncupatione, vel interpositione nominis Dei, aliquid confirmatum erat. Atque ita libere aliarum formularum periuriis fallebant proximum:sicut Matth. 27.versic. scriptum est:Qui iurat per templum nihil est. 3. Quæ per simplicem affirmationem & negationem pacta & promissa erant, ea, data occasione, sine conscientia violabant. Putabant enim Deum tantùm periuriorum vindicem esse. *Ex hac consideratione simplicissime intelligi potest hic locus, qui variis disputationibus perterbatus est. Quod enim Christus inquit: *Ego vero dico vobis, Ne iuretis omnino*, quidam ita acceperunt,quasi in Nouo Testamento simpliciter omnis vsus iuraméti prohibitus sit, propter particulam vniuersalem ὅλως, *Ne iuretis omnino*. Ecclesiastica enim historia ostendit, multos martyres circa annum Domini ducentesimum recusasse, imposita à magistratu in iudiciis iuramenta præstare, prætendentes Christianis non licere vllum iuramentum præstare. Et Manichæi ideo reiecerunt Vetus Testamentum, quod iuramenta & vsurpet & probet,quæ contenderunt simpliciter à malo esse. Anabaptistę etiam omnem iuramentorum vsum damnāt. Et Hieronymus super hunc locum scribit: iurare per nomen Domini, in Lege quasi paruulis fuisse concessum,vt sicut victimas immolabant Deo,ne eas idolis immolarēt,sic iurare permissos fuisse per Deum: non quod recte hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere,quàm dæmonibus. Theophylactus etiam inquit: Disce, quod tunc non erat malum, iurare: Post Christum verò malum est, sicut & circumcidi, & in summa quicquid est Iudaicum. Surgere enim puero conuenit, viro minime. Bernhardus & alij disputant prohibitionem hanc de non iurando ,non pertinere ad præcepta quæ reatum criminis & pœnæ annexum habent, sed ad consilia perfectionis. Sed vera explicatio sumitur. 1. Ex rebus ipsis, siue ex substantia iuramenti. 2. Ex phrasi. 3. Ex contextu huius loci. Iuramentum igitur per se, vel sua substantia,& suo genere, non pugnat cū lege Dei morali, hoc est,cum pietate & sanctificatione nominis Dei. Præcipitur enim,Exod. 22.v. 8.&.11.Deut.6.versic.13. & 10. versic 20. & est pars cultus diuini ac confessionis nominis Dei Esa.45.v.23.&.65.ver.16. Ierem. 4. v.2. Psal.63.v.vlt. Laudabuntur omnes,qui iurant in eo. Nec tantum in Veteri Testamento hæc doctrina ita tradita fuit,sed in Nouo etiam repetita.Iurauit ipse Deus.Hebr. 6.versic.13. Iurat Paulus. Iurat ipse Christus. Amen enim esse formulam iuramenti,ex Heb.6.versi.4 colligitur.Iurant etiam Angeli in Apocalypsi. Et Nouum Testamentum tradit, omnis controuersiæ finem esse iuramentum, Heb. 6.ver.16. Non ergo simpliciter omnis iuramenti vsus per se, in Nouo Testamento, hac Christi sentētia interdicitur,& pro peccato damnatur. Hæc explicatio ex rebus ipsis sumpta firma & manifesta est. Quod vero ad particulam ὅλως *omnino* attinet, notum est,quod particulæ vniuersale sæpe non in infinitum extenduntur, sed ad materiam subiectam restringantur. Vt,cum Paulus dicit:Omnia mihi licent,1.Cor.10.v.23. Item:Factus sum omnia omnibus.1.Cor.9.ver.22.Ibi certe vniuersales particulæ ita non sunt extendendæ, quasi liceat scortari, occidere, furari,&c. Nec sensus est. Paulum cum gentibus idololatriam exercuisse, & cum impiis Iudæis Christum per conuersionem blasphemasse. Sed quia ibi disputat de rebus Adiaphoris, ad illam subiectam materiam vniuersales particulę restringuntur,nec latius sunt extendendę.Eadem ratio etiā est in præsenti loco.Exempla enim,quæ in contextu subiiciūtur,sunt tanquam species, quas in vniuersali illa particula contineri Christus vult intelligi. Nec particula ὅλως simpliciter, sine omni exceptione, semper vniuersalis est. Aristot. enim 2.polit.illam ita vsurpat.Oportet facultates quodammodo esse communes:ὅλως vero proprias. Et hoc exemplum diligenter consideretur,& hunc locum accommodetur.Obseruari vero poterit & hoc,quod transpositio particulæ *omnino* sensum nō parum variat. Vt si ita dicam:Omnino non est innocens,& non est omnino innocens. Ita:dico vobis,vt omnino non iuretis.Et dico vobis,vt non iuretis omnino. Sed explicatio certior & firmior est,quæ ex textu sumitur.Duæ enim quasi species subiiciuntur.1.Quòd Pharisæorum traditio erat,in quibusuis casibus,in familiari sermone,& in communibus negotiis,recte & sine peccato posse nomen Dei ad iuramentum assumi.2.Quòd sentiebant,in quibusdam obliquis siue indirectis iurandi formulis,vt per cœlum,per caput, iuramentū impune posse violari.Illis igitur persuasionibus Christus opponit particulam *omnino*, quæ ad hanc subiectam materiam restringenda est, vt scilicet omnino non liceat vel directe per Deum, vel indirecte per creaturas, vel vane seu temere vel falso iurare. Hæc autem prohibitio Christi non est noua quædam Lex, sed extat in ipso Decalogo. Non enim tantùm prohibitum est, ne ad periurium nomen Dei assumatur, Leuit. 19.vers. 12. sed etiam, ne in vanum assumatur, Exod.20.v.7. Et hunc esse sensum verborum Christi ipse manifeste ostendit, cum inquit:*Sermo vester sit Est, & Non* : hoc est, in quotidianis & communibus colloquiis, negotiis & commerciis, quæ per affirmationem & negationem, vel per alias probationes confici possunt, vult omnino non esse nomen Dei ad iuramentum assumendum:quia, etiamsi verū iuretur, nomen tam Dei contra secundum Decologi præceptū in vanum assumitur. Et facilitas,leuitas,futilitas & temeritas in quauis causa, & in quouis sermone iurandi, prohibetur. 1. Ob reuerentiam & sanctificationem nominis diuini, quod tam sacrosanctum nobis esse debet, vt illud non nisi in re grauissima & necessaria, in testimonium adhibeamus. Nam in re leui, ne magnum quidem virum in testem vocare auderemus.2. Secundam causam prolixè describit Syr.23.vers. 9.& sequentibus:Iurationi non adsuescat os tuum. Nam qui nomen Dei assidue vsurpat, non vacabit culpa. Vir crebrò iurans implebitur iniquitate. Et etiamsi iurauerit ἀδίκως, hoc est,non animo fallendi,vel nocendi,sed tantùm vanitatem non erit insons. Et cap.27.vers.15. Sermo crebro iurantis horrorem incutit. Augustinus addit tertiam causam,3.ne per facilem & crebram assuetudinem iurandi decidatur in periurium.Quæ enim crebro fiunt, raro multum curantur. Atque hinc manifestum est,quando,quomodo & quoties in exigēdis, imponendis & præstandis iuramentis contra hanc Christi doctrinam peccetur. Et vicissim ex antihesi ex hac prohibitione colligi potest, quando recte,bona conscientia, & sine prophanatione nominis Dei iuramenta vsurpari possint. Quia enim nomen Dei tam sacrosanctum esse nobis debet, vt non tantum non ad mendacium, sed nec in vanum etiam assumatur. Quando igitur causæ vel necessitas vel grauitas postulat,hoc est, quando de gloria Dei & de salute proximi spirituali agitur, in his duobus casibus, & Christum & Paulum ratione vocationis iurasse constat.

Porro in externa etiam seu temporali graui necessitate, & euidenti vtilitate iuramenta, maxime si imponantur seu exigantur,adhiberi possunt. Ostendunt enim exempla Scripturæ,in pactis seu fœderibus, item in iudiciis, de controuersiis forensibus,iuramenta recte imponi & præstari posse. Exod. 22.versic.8.& 11. Genes.21.vers.23. & 26.vers.28.1.Reg.20.v.3. & 24.vers.22.Heb.6.v.16. scriptum est, Omnis controuersiæ finem ad confirmationem esse iuramentum, quando scilicet aliæ probationes cessant, & controuersiæ non possunt aliter dirimi aut pacta confirmari. Atque de huiusmodi casibus loquuntur sententiæ,Deut.6.v.13 & 10.v.20. quæ affirmant,exercitium timoris & cultus Dei esse per nomen eius iurare. Recte autem dictum est à Hieronymo, iuramentum debere hos comites,seu conditiones habere.Ierem.4.v.2. Vt scilicet fiat in veritate: hoc est, vt iuretur illud,quod conscientia dictat verum esse,& adsit propositum, quod non velimus fallere. 2. In iudicio,vel cum discretione:vt scilicet non de rebus vanis, nec de incertis, aut incompertis iuretur, nec incogitanter, sed animo deliberato & considerata iurisiurandi religione.3.In iustitia:vt scilicet de re iusta,licita & possibili, quæ non pugnet vel cum fide, vel cum veritate. Et recte addit Hieronymus:Si illa defuerint, non esse iuramentum, sed periurium. Est autem iuramentum duplex:Assertorium & Promissorium. Et in Assertorio periurium est, quando aliter quàm vel res se habet,vel aliter quàm conscientia dictat, iuratur. In promissorio verò cōmittitur periurium, quando iurans vel non intendit præstare id, quod iurat:vel etiamsi intendat,tamen postea non implet,nisi id quod iurauit, vel per se,vel euentu malum sit.Et tamen iurans,assumendo nomen Dei in vanum,peccauit. Sed totam hanc doctrinam in locis plenius tractauimus. Vt igitur ad textum redeamus,quando Christus inquit:*Sit autem sermo vester:Est est:Non,non.*In communi sermone, vbi negotia per simplicem negationem & affirmationē, vel aliis probationibus possunt expediri, Christus prohibet leuitatem iuramentorum. Et quia propter inconstantiam,fallacias, & perfidiam in dictis, ad crebriorem iuramentorum vsum confugitur, tradit Christus regulam,talem debere esse inter Christianos simplicitatem, candorem, & constantiam in sermone, vt non opus sit confirmatione per iuramentum.Item ea, quæ per simplicem affirmationem & negationem pronuntiantur vel contrahuntur, constanter fideliter esse seruanda & præstanda. Duplex enim potest sensus esse horum verborum. 1. *Sermo vester sit, Est, & Non* hoc est, communia negotia in familiari sermone, sine iuramentis, per simplicem affirmationem & negationem expediatis. 2. Quando in communi sermone aliquid affirmatis, tunc ναὶ sit ναὶ,etiam sit etiam:hoc est,affirmatio vestra sit vera & seria.Quando aliquid negatis,tunc οὒ sit οὒ,non sit non. Particula enim ναὶ est aduerbium affirmandi seu asseuerandi,vt Latinus

Latinus etiam, vere, certe. Quis vero geminatur, *Sermo vester sit ναὶ ναί, Etiam, etiam: Non, non*; intelligi potest, nihil addendum sed simplicem asseuerationem vel negationem repetendam, ingeminandam, & inculcandam. Veteres illam geminationem ita exponunt. 1. Vt sicut est in conscientia, Est vel Non: ita sit etiam in lingua. 2. Sicut est in re Etiam vel Non: ita sit etiam in ore seu sermone. 3. Sicut in ore est Etiam vel Non: ita etiam sit & sequatur in opere seu facto. Erasmus ita distinguit vt prius ναὶ & οὒ sit interrogantis, est ne sic aut nō sit? posterius sit respondentis, vt simpliciter sine iuramento dicat: Est sic, aut non est sic. Græci vero scriptores, vt apud Aristophanem, quando grauem & seriam asseuerationem describere volunt, ingeminant ναὶ ναί. Sed Iacob. 5. ver. 12. hic locus ita explicatur: Vestrum τὸ ναὶ sit ναί, hoc est, quando aliquid affirmatis vel asseueratis, illud debet esse ναί; hoc est certum, verum, firmum & ratum: & quando dicitis Non, illud debet esse Non. Et addit Iacobus rationem, cur leuitas & assiduitas iuramentorum vitanda sit: Ne incidatis in ὑπόκρισιν. Sicut enim histriones alienam personam induunt & simulant qua spectatores mouent: ita peierationes sunt quasi pallium seu velamen fallaciarum, & qui crebro multumque iurant, plerumque fallunt. Alij diuidunt vocabulum: Ne cadatis ὑπὸ κρίσιν, hoc est, ne in iudicium incidatis. Non enim insons erit, qui in vanum nomen Domini assumpserit. Atque ita legit vetus interpres, & Syrus etiam reddidit. Phrasis vero ναὶ ναί, extat & apud Paulum. 2. Corinth. 1. v. 18. & 19. Sermo meus non est etiam, & non, sed ναὶ ναί, οὒ οὔ, Etiam etiam, Non non. Et hæc non est traditio nouæ Legis, sed repetitio veteris. Extat enim Leuit. 19. ver. 11. Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum. Τὸ δὲ περισσὸν τούτων, inquit Christus, hoc est, quod vltra simplicem affirmationem in communi sermone sæpius & plerunque, ceu iuramentum superfluum accedit & additur, *ex malo est*. Vocabulo enim περισσὸν notat superflua iuramenta, quæ sine graui necessitate adhibentur, vbi res affirmatione & negatione seria possent expediri. Et hoc dicit esse ex malo, hoc est, oriri ex perfidia animi humani, alios ex suo ingenio iudicantis, quod non putat fidem sibi haberi, nisi peieret; vel quando putat se non posse simplici affirmatione & negatione homines fallere, tum vltra hæc iurando assumit nomen Dei. Leuitas igitur & procliuitas iuramentorum proficiscitur ex malo, qui adeo nulla est reuerētia nominis diuini, vt facile temere & libere in vanum assumatur, & plerunque proprij commodi gratia, sine vera necessitate iuratur. Sæpe etiam optimum fallendi aucupium iudicatur esse assumptio nominis Dei. Potest vero horum verborū & hic sensus esse, quod in hac vita non omnia negotia possunt simplici affirmatione & negatione transigi, sed sæpe necessitas flagitat iuramenta, tunc quidem iurare per se non esse malum, sed *ex malo*. Ex malo scilicet vel proprio, vel alieno. Si enim talis esset fidelitas inter homines, qualis esse debebat, omnino superuacaneum esset & exigere & præstare iuramentum. Sed quia lubrica, mutabilis, fluxa, inconstans & mala est humani ingenij fides, ideo iurisiurandi vinculo & religione sæpe coërcendus & deuinciendus est animus, ne fallat. Deinde ex crebris malæ fidei exemplis oritur apud alios diffidentia, præsertim quando alterius fides vel suspecta, vel non satis probata est. Et licet hæc ex malo oriantur, tamen, propter confirmationem, iuramentum interponere non est malum, Hebr. 6. v. 16.

Ne iuretis, nec per cælum, nec per terram.] Hieronymus existimat, Christum hoc loco simpliciter damnare has formulas iurandi per creaturas, tanquam impias, sed rationes quæ adducūtur, aliud ostendunt. Hoc igitur reprehendit Christus, quod Pharisæi fingebant, fidem datam per iuramentum, in quo non expressē nomen Dei, sed aliæ formulæ, licet oblique & indirecte ad Deum referrentur, interponebantur, impune posse falli, sicut Christus ipse explicat Matth. 23. v. 16. vel tales iurandi formulas, in quib. ipsum nomē Dei expresse nominabatur, libere & absque peccato contra secundum præceptum Decalogi, posse in familiari sermone, & in quibuis casibus vsurpari. Hoc enim volunt verba Christi: *Ne iuretis omnino per cælum, &c.* Obseruandum autem est illud discrimen, quod multum lucis huic loco afferet. Scriptura tradit iuramēta per nomen solius veri Dei fieri debere, Deut. 6. v. 13. & 10. v. 20. & prohibet, ne per creaturas vel per idola iuretur, Exod. 23. v. 13. Per nomen externorum Deorum non iurabitis. Ier. 5. v. 7. Iurant in his, qui non sunt dij. Sophon. 1. v. 5. Perdet eos, qui iurant simul in Domino, & in Melchon. Rursus vero Ioseph iurat per salutem Pharaonis, Gen. 42. v. 15. Et formula illa frequens est: *Viuit rex, & viuit anima tua.* Et hoc loco Christus formulas illas *per cælum, terram, Hierosolymam, &c.* refert ad ipsum Deum, id quod clarius ostendit, Matth. 23. versic. 16. Ex definitione vero iuramenti discrimen hoc diiudicari potest. Est enim iuramentum contestatio seu inuocatio Dei, qua petimus, vt Deus, qui est inspector cordium, & patronus veritatis, sit testis de animo nostro, quod non velimus fallere, & simul petimus, vt sit vindex, si fefellerimus. Hanc inuocationem, hunc honorem & hunc cultum, Deus non vult transferri ad alios aut etiam communicari vel creaturis vel idolis. Et qui in hanc sententiam iurat, vel per Elementa, vel per reges, vel etiam per sanctos, peccat vt sacrilegus. Et huc pertinent sententiæ. Exod. 23. v. 13. & Ier. 5. v. 7. Aliquando vero Scriptura in formulis iuramenti mentionem facit creaturarū: non vt iurisiurādi religio & inuocatio dirigatur ad creaturas, vel ibi subsistat, sed oblique, indirecte seu mediate refertur ad ipsum Deum, & quidem solum. Nominātur autem creaturæ in huiusmodi formulis iurandi duobus modis, seu duplici sensu. 1. respectu Dei creatoris, quia Deus præsentiam, gloriam, potentiam, & operationem suam illustri aliqua ratione in creaturis quibusdam patefacit, siue in articulo creationis, vt in cœlo quod thronus est Dei, & in terra, quæ scabellum est pedum eius, siue in articulo redemptionis & sanctificationis, vt in Ierusalē, quæ est ciuitas regis magni, hoc est, Messiæ, Psal. 48. v. 3. Item, in templo, in altari. Iuratur autem vel per creaturas communes, vt per cœlum, terram: vel per res sacras, vt per Hierosolymam, templum, altare: vel per res nobis charas, & ad nos pertinentes, vt per caput. Ratio autē additur: cur non sit vel temere vel falso per creaturas iurandum, quia Dei sunt, qui in omnibus præsens est, ac solus in omnes habet potestatem. Per phrasin enim throni & scabelli, iudicatur immensitas Dei: & præsentia eius in omnibus, & imperium in omnes. Vnde & per Deum iurat, qui per creaturas hoc modo iurat. Et in hanc sententiam Christus ipse has formulas iuramenti explicat, Matt. 23. versic. 16. & seq. Qui iurat per cælum, iurat per thronum Dei, & per illum, qui sedet super ipsum: qui iurat per templum, iurat per ipsum & per eum, qui habitat in templo. 2. Fit aliquando mentio creaturarum in formulis iuramenti, tanquam per obtestationem, vel quasi oppignerationem: vt cum rem aliquam pretiosam & nobis charam, quasi pignus apud Deum deponimus, vt si fefellerimus, Deus perfidiam nostrā puniat, in re illa nobis chara & pretiosa, vt, qui iurat per caput suū: & quando Paulus dicit: Testem inuoco Deum super animam meam. 2. Corinth. 1. versic. 23. Item, per gloriationem nostram, 1. Corinth. 15. versic. 31. Christus vero denuntiat, ne minutissimam quidem creaturam hoc modo per iuramentum Deo temere quasi oppignerandam esse, vt impune liceat fidem fallere. Quæ enim in creaturis videntur minima, & maxime esse in nostra potestate, sicut sunt capilli capitis, sunt opus creatoris. Omnes enim capelli capitis vestri numerati sunt, neque in potestate hominis est efficere, vt vel vnicus capillus nascatur, siue albus, siue niger. Non enim loquitur de inducendo fuco, sed de ipsa productione capillorum. Si vero dicam, per fidem meam, per existimationem meam, non tam est formula iuramenti, quàm species obtestationis inter homines, vt si fefellerimus, nō amplius inter homines habeamur fideles aut honesti. Quod vero Anabaptistæ, sicut ex ipsis coram audiui, disputant, recte posse dici, sicut Paulus inquit: *Testem inuoco Deum super animam meam*, modo verbum *iurandi* non adhibeatur, indocta sententia est, notata & refutata ab Augustino in Pelagianis Epistolis sub finem, vbi inquit: Illi, quid sit iurare, prorsus ignorant. Putant enim se non iurare, quando in ore habent: *Scit Deus, testis est Deus: Testem inuoco Deum super animam meam.* Quia, inquiunt, non dicitur: *Per Deum.* Sed & Paulus ita loquitur: *Per gloriam, quam habeo in Christo*, 1. Corinth. 15. versic. 31. Non autem ideo, quia Paulus iurauit, ludus nobis esse debet iuratio. Multo enim tutius est, quantum ad nos attinet, nunquam iurare; non quia peccatum est verum iurare; sed quia grauissimum peccatum est periurium, in quod sæpe & citius cadit, qui consueuit iurare. Et super hunc locum, inquit: *Dominus præcipit, ne iuretur, ne quis, tanquam bonum, appetat iusiurandum, & ne quis assiduitate iurandi in periurium delabatur. Qui igitur intelligit, non in bonis, sed in necessariis iurationem habendam, refrenet se quantum potest, vt ea non vtatur nisi necessitate, cum videt homines pigros esse ad credendum, quod eis vtile est nisi iuratione firmetur.* Hæc Augustinus.

Porro ex hoc loco colligitur regula, peccari & esse transgressionem mandatorum Dei, non tantum quando aliquid expresse & directe fit contra Legem Dei, verum etiam ea, quę per obliquum, siue per indirectum eo redeunt, vt vel pugnent, vel non congruant cum Lege Dei, esse peccata, sicut de Pharisæorum iuramentis ostensum est.

[*Audistis, quod dictum fuerit Oculum pro oculo.*] Multæ obscuræ & intricatæ disputationes omnibus temporibus fuerunt de hoc loco: cumque eius occasione periculosa sæpe mouerentur certamina, exciderunt non raro quædam incommodius dicta, quæ postea ad corruptelas non dissimulandas seminari subministrarunt. Vnde Origenes sub finem lib.

contra Christum de sententiis huius loci ita disputat, vt dicat, Christianos non debere militare, non magistratum gerere, non iudicia exercere. Idem Iulianus Apostata virulentam texuit calumniam, Christianam religionem imperiis & Rebuspublicis prorsus esse contrariam: tollere ordinem iudiciorum, eripere magistratui gladium vindicem, armare singulorum petulantiam, dum iubet, non resistere malo. Valusianus etiam, vir illustris, proponit Augustino Epist. 5. hanc quæstionem, quomodo doctrina conueniat moribus Reipub. cũ doceat non resistendum malo? Ibi Patres quidam eo confugerunt, vt dicerent, per se sane non esse peccatum, legitimo malo resistere, sed qui hoc non faciat, illum melius facere & perfectiorem esse. Manichæi propterea totum Vetus Testamentum damnabant, quod probaret vindictam, quæ in Nouo prohibita esset. Augustinus ad illam obiectionem responsurus contra Faustum li. 22. c. 76. dicit esse dispensationem rerum, & distributionem temporum. Item ratione dispensationis, pro diuersitate temporum, vel præcepta, vel consilia, vel permissa mutari. Hæc Scholastici arripientes finxerunt Christum proposuisse talia, non tanquam generalia præcepta pro omnibus Christianis, sed tãquam consilia pro pauculis, qui cæteris vellent esse perfectiores. Vnde tandem nata est perniciosa illa corruptella, de præceptis & consiliis. Præcepta scilicet legis opera, quæ ad promerendam salutem necessaria sunt, proponere sub tali mensura & moderatione, quæ nullius quantumuis infirmi vel ignaui vires excedat: quia omnes, modo animi velint, salutem per præcepta Legis possint consequi. Si qui vero reperiãtur alacriores, qui vltra illos terminos progredi gestiant, illis in Euangelio, proposita esse cõsilia, pro illis, qui velint esse perfectiores, & plus quàm vitam æternam mereri, sicut in loco de Consiliis ostendimus. Hugo disputat ea, quæ hoc loco à Christo traduntur, tẽporaria fuisse pro Apostolis, qui Ecclesiam sanguine fundaturi & tyrannos humilitate patientiæ conuersuri erant: Hodie vero illa locum non habere, nec congruere modernis temporibus. Proficerent enim, inquit, ad detrimentum Ecclesiæ. Anabaptistæ etiam, ex praua huius loci intelligentia, officium magistratus & ordinem iudiciorum forensium damnant. Et primo intuitu hominibus prophanis, non recte institutis, videntur stulta & inepta esse præcepta, de obuertẽda altera maxilla. Ideo diligenter inuestiganda sunt fundamenta veræ interpretationis, quæ non aliunde ingerenda sunt, sed ex ipso loci huius contextu omnium rectissime sumi possunt, adhibita collatione aliorum Scripturæ locorum. Quod igitur inquit: *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*, sumptum est ex Lege Exod. 21. v. 24. Leuit. 24. v. 20. Deut. 19. v. 21. vbi Legem talionis Deus magistratui præscribit, sicut textus manifeste inquit, Deut. 19. v. 19. Iudices qui fuerint in diebus illis, reddent ei, sicut fratri suo cogitauit facere: sicut fecit, sic fiat ei. Est enim naturalis etiam æquitatis, ne pœna sit maior delicto. Et Aristoteles 5. Ethnic. Rhadamanthi iustitiam hoc veteri versiculo describit.

Εἴκε πάθοι τά τ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.

Si quæ fecerunt, eadem patiantur & ipsi.

Et si intelligentia dictorum non sumatur, iuxta Hilarij regulam, ex causis dicendi apparet, quasi Christus veterem illam Legem voluerit tollere & abolere, cum subiicit: *Ego vero dico vobis: Non resistatis malo.* Sed Christus initio præfatus fuit: Non veni soluere aut tollere Legem, nec venerat vt Euangelio suo ordinem politicum tolleret aut mutaret, & nouam politiam nouis Legibus constitueret: Regnum enim ipsius non est de hoc mundo. Et quod argumentum clarissimum & firmissimum est, Petrus, qui concioni huic interfuit, absque dubio, post acceptum Spiritum sanctum, sententias huius loci recte intellexit. Is vero 1. Pet. 2. versic. 14. expresse dicit publicam magistratus vindictam per Euangelium in Nouo Testamento non prohibitam. Dicit enim magistratum à Deo mitti ad vindictam male facientium. Et Paulus, qui ex reuelatione Iesu Christi didicit Euangelium, scribit Rom. 13. vers. 4. Magistratus non frustra gladium gestat, nam Dei minister est, vindex ad iram malefacienti. Manifestissimum igitur & certissimum est, Legem Dei, de publica vindicta magistratui mandata, hoc loco à Christo non aboleri aut damnari. Quid igitur est quod dicit? *Ego vero dico vobis: Ne resistatis malo.* Respondeo, sicut in præcedentibus Christus Legem Dei à Pharisæorum fermento repurgat, & veram ac natiuam eius sententiam restituit: ita etiam hoc loco explicationem suam non Legi Dei, sed corruptelis Pharisæorum, quibus veram huius Legis sententiam deprauarant, opponit. Fuit autem hæc Pharisæorum praua interpretatio. Quia Lex magistratui non tantum permittit, sed præcipit vindictam talionis. Ergo singulis etiam priuatis accepta iniuria licet se vlcisci, ac malum pro malo reddere, modo non excedatur modus talionis. Christus vero, sicut Petrus indicat, vindictam talionis magistratui relinquit, priuatis vero inquit: *Vobis dico ego: Ne resistatis malo.* Ita & Paulus Roman. 13. ver. 4. magistratum auctoritate diuina accingit gladio ad vindictam nocentium: reliquis vero Rom. 12. ver. 19. præcipit, ne vindicantes semetipsos alicui malum pro malo reddant. Christus igitur hoc loco discrimen tradit, inter vindictam publicam & priuatam. Et ex hoc loco colligitur vtilis regula, discernenda esse officia publica ab officiis priuatorum hominum. Non enim sequitur: Quæ personis publicis in officio suo licent, eadem etiam personis priuatis, vel etiam publicis personis in negotiis & officiis priuatis, licere. Hoc est primum fundamentum interpretationis huius loci. 2. Clare potest doceri, Christum hoc loco non nouam Legem, quæ Veteri Testamento ignota fuerit, tradere, sed veterem Legem prohibentem priuatam vindictam, quæ à Mose & Prophetis tradita, sed Pharisæorum corruptelis sublata & deprauata erat, reuocare & restituere. Moses enim, qui magistratui vindictã publicam mandarat, Leuit. 24. ver. 16. & sequentibus, idem Leuit. 19. ver. 18. priuatis dicit: Non quæras vltionem, nec memor sis iniuriæ ciuium tuorum. Et Salomon id, quod magistratibus mandatum erat (sicut fecit, ita fiat ei) illis ipsis verbis personis priuatis prohibet. Prouerb. 24. vers. 29. Ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei, rependam vnicuique iuxta opus suum. Et illud ipsum de obuertenda maxilla extat, Thren. 3. v. 29. Portabit iugum, tacebit, quia Dominus proiecit super eum, ponet in puluere os suum, dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis. 3. Ad quos hæ sententiæ pertineant, ipse textus ostendit. Inquit enim Christus *Dico vobis*, & in iis quæ sequuntur, in Luca addit: *Vobis* auditoribus, seu *qui auditis dico*. Fuerunt autem tunc auditores eius non viri Senatorij, sed sicut Lucas expresse dicit, Apostoli, discipuli & turbæ. Non igitur magistratum hoc loco de suo officio instruit, sed Apostolos suos & priuatos docet, ne priuata vindicta iniurias vlciscantur. Ideo mox in singulari loquitur: *Si quis te percusserit, si tibi abstulerit, &c.* 4. Apostoli, discipuli & turbæ circumferebant somnium de externo & politico regno Messiæ, in quo externis præsidiis, armis & potentia imperij totum mundum subacturi, & ab omnibus iniuriis externa defensione tuti futuri essent. Sed Christus prædicit ipsis alapas, spoliationes, iniurias & contumelias. Item, nec à magistratu, nec à iudiciis, quæ alias scuta terræ, Psalm. 47. v. vltim. appellantur, multum ipsos subsidij aut defensionis in hoc mundo habituros; imo inde angarias & ablationes ipsis timendas. His enim verbis textus vtitur. 5. Christus hoc loco formam sui regni, quod spirituale est & non de hoc mundo, describit. Eius autem ratio in externa specie ea est, sicut hoc loco describitur, & sicut Ioh. 18. v. 36. Christus inquit: Si regnum meum esset de hoc mundo, ministri mei certarent pro me, ne traderer iniuriis iniustis. Alia vero est constitutio regni mundi, certis, honestis Legibus, defensionibus, & pœnis ordinata, quam & ipsam Dei ordinationem esse etiam in Nouo Testamento Paulus expresse affirmat, Roman. 13. ver. 1. & sequent. Et Christianum, qui ciuis & domesticus est regni Christi, posse etiam ciuem & subditum esse regni mundi, & eius ordinationibus sibi in bonum vti, Paulus & doctrina & exemplo suo ostendit, Roman. 13. v. 1. & sequent. Actor. 23. v. 3. & 25. ver. 10. His fundamentis, quę vera, certa & manifesta sunt, positis, explicatio textus planior & expeditior erit.

[*Dico autem vobis: Ne resistatis malo.*] Semper repeto, illam optimam esse interpretationem, quam textus ipse monstrat & præbet. Ostendimus igitur Christum hoc loco non prohibere magistratui, quo minus innocentes ab iniuriis defendat, & maleficos puniat: hoc est, præceptum illud non pertinet ad magistratum. Eius enim officium est resistere malo, Roman. 13. v. 4. 1. Pet. 2. v. 14. sed ad Apostolos, quorum officium est, non gladium, sed claues regni cœlorum gestare, & ad turbas, tanquam priuatas personas pertinet. Pharisæorum autem traditio erat: non opus esse magistratus officium implorare ad propulsendas & vindicandas iniurias. sed si magistratus vel negligentior, vel iniustior, vel nobis iniquior, nolit officium facere in propulsandis à nobis iniuriis, & puniendis maleficis, tunc vnumquemque priuatim recte facere, si, quoquo modo possit, malo resistat. Huic corruptelæ Christus opponit hanc sententiam: *Ego autem dico vobis: Non resistere malo τῷ πονηρῷ*, quidam loco ablatiui accipiunt, vt sensus sit: iis, qui iniuriam nobis faciunt, non esse per malum aliquod resistendum, vt reliquum sit, si absque impatientia, odio & vindictæ cupiditate legitime & ordine iuris resistatur iniuriæ. Hoc enim esse, malũ vincere per bonum, sicut Paulus loquitur, Roman. cap. 12. versic. 21. quia magistratus ordinatus est à Deo ad vindictam malorum tibi in bonum, Roman. capit. 13. versic. 4. sed rectius est, si in datiuo accipiatur: & tunc refertur, vel ad rem nocẽtem, hoc est, ad iniuriam, vel ad personam nocentem. Verbum ἀνθίστημι, Resistere apud Græcos inter-

interpretes respōdet Hebræo קום, sicut & Syrus hoc loco reddidit, quod hostilem incursionem seu impetum significat: quando quis vt hostis, vel contra hostem insurgit. Ita hostes oppugnantes, Num.10.versi.9.vocantur ἀνθιστάμενοι. Num. 22.versic.22. angelus stricto gladio insurgit contra Bileamum. Leuit.26.ver.37.quando non possunt stare contra hostes, sed cedunt & fugiunt. Sensus igitur est: Quando infertur vobis iniuria, & magistratus non vult vos ab ea defendere & malos punire, tunc non debetis vosmetipsos vindicare, illatam iniuriam priuata vindicta vlcisci, malum pro malo rependere, & par pari referre. Et quia priuata vindicta adiunctam habet, ex dolore iniuriæ, impatientiam erga Deum, maleuolentiam, acerbitatem & odium contra aduersarium, cupiditatem, studium, ac conatum vicissim nocendi, sicut & verbum קום ἀντιστῆναι hostilem animum & actum complectitur. Prohibet igitur Christus hac sententia, non tantum externū priuatæ vindictæ actum, sed & interiores illas flammas, ne vincantur à malo, Rom.12.v.21.hoc est, ne lædentis malitia nos etiam ad priuatæ vindictæ malitiam, vel interiorem vel exteriorem, pertrahat. Et contra, hæc ipsa sententia præcipit, quando magistratus subsidio destituimur, vt animum ad mansuetudinem & patientiam, ad obliuiscendas, tolerandas & deuorandas iniurias ita componamus; quia ne capillus quidem ex capite nostro cadit sine voluntate Patris cœlestis, vt sub potenti Dei manu permittatur talia, vt ita vel puniat nostra peccata, vel patientiam nostram exerceat, ac voluntati eius tolerandis istis obedire conemur, proximo iniuriam condonemus, & vindictam vero animo Deo, legibus & iudicibus cedamus, ac Dei auxilium placide expectemus. Vt autem impatientiam, maleuolentiam, & acerbitatem animi, ac vlciscendi cupiditatē, quæ ex dolore iniuriæ oriuntur, spiritu reprimere, cohibere & mortificare possimus, quæ lucta difficilis & victoria ardua est, tradit Scriptura regulas quasdam. 1. Vt cogitemus, non casu, vel ex sola inimicorum petulantia, sed bona voluntate Dei permittentis talia, vt vel peccata nostra puniat, vel fidem, spem, charitatem, & patientiam nostram exerceat, illa nobis accidere: cum ne capillus quidem de capite nostro cadat sine voluntate Patris cœlestis. 2. Ne tantum indignitatem & atrocitatem iniuriæ nobis illatæ apud animum nostrum expendamus & exaggeremus, sed cogitemus non multis & variis peccatis nostris, cum contra Deum tum contra proximum, non hæc tantum, sed multo grauiora commeruisse. His enim cogitationibus animus ad moderationem flectetur. 3. Quando animus acerbitate ardet, nec flecti potest, vt odium deponat, & iniuriā condonet proximo, cogitemus quàm multipliciter & grauiter nos Deum sæpissime offendamus, ita vt vix sit proportio centum denariorum ad decem millia talentorum, Matt. 18. v.28.& tamen cupimus illa debita nobis remitti à Deo, ideo Paulus inquit Coloss.3.v.12.13.Induite lenitatem, mansuetudinem, patientiam, sufferentes vos inuicem, & condonantes vobis mutuo, quemadmodum Dominus condonauit vobis, ita & vos. 4. Paulus Rom.12.v.19.dehortatur à priuata vindicta hoc argumento: Quia Deus inquit: Mihi vindictam, ego retribuam. Date igitur locum iræ, hoc est, priuata vindicta non ægre facimus hostibus, sed cursum iræ Dei, quæ ipsis destinatur, intercipimus, & ab illis auertimus, & in nos deriuamus. 5. Non priuata vindicta, sed mansuetudine consulimus rebus nostris. Nam mansuetos Dominus suscipit, Psal. 147.ver.6.Et mansueti hæreditabunt terram, Matth.5.versi.4. Inde Dauid, cum ad vltionem à suis irritaretur, inquit, 2.Reg. 16.versic.11.Sinite, vt maledicat mihi; quia præcepit ei Dominus. Si forte respiciat afflictionem meam, & reddat mihi bonum, pro his maledictis. Et talis spiritualis lucta contra vindictæ cupiditatem egregie descripta est, in exemplo Dauidis, cum Saulem hostem in spelunca deprehendisset, 1. Reg. cap.24.versicul.5. Hæc grauissima doctrina hoc loco à Christo traditur. Non igitur affingi debet his verbis tam inepta sententia, quasi non liceat iusta prudentia malum cauere, vitare & declinare, si fieri possit: Sicut & Eremitis quidam pediculos capitis, & vermiculos vulneris noluit abiicere, ne videretur malo resistere, vel quasi non liceret magistratus officium & subsidium contra iniurias, compositis animi affectibus, implorare & vsurpare. Hoc enim Paulus fecit. Actor.23.v. 4.& 25 v.8.sed priuatam vindictam exteriorem & interiorem, vt ita loquar, prohibet. Ideo Paulus Rom. 12. versiculo 20. non dicit, viduam illam Luc.18.ver.3. peccare, quando iudicem implorat, vt vindicetur de aduersario suo: sed quando nos ipsos vindicamus, quod ipse Paulus interpretatur, malum pro malo rependere, Rom.13. versi. 17. Fit autem illud, quando ex acerbitate animi, & studio vicissim nocendi proximo, quærimus, vt vel per nos, vel per alios malum pro malo reddatur. Vnde manifestum est, & illum peccare, qui animo acerbo & cupido, vt proximo vicissim noceatur, magistratus officium implorat, vt animum suum vindictæ cupidum, cum per se non possit, vel non ausit, per magistratus vindictam saturet & expleat. Sed tum recte à læso imploratur publica magistratus vindicta, quando ideo hoc fit: 1. vt is, qui iniuriam fecit, ita corrigatur. 2. Vt hoc modo publica auctoritate reprimatur, ne aliis similiter noceat. 3. Vt & nos in posterum ab ipsius iniuriis ita perseueremur. 4. Aliis in terrorem ne ipsorum petulantia, dissimulatione vel impunitate vnius armetur: sed vt videntes alios puniri, ita coerceantur & reprimantur ab inferendis iniuriis. 5. Propter iustitiam: iustum enim est malefactores, iuxta ordinē à Deo institutum, puniri, vt sit testimonium esse Deum, qui iuste iudicet in terrā, vel mediate vel immediate. 6. Vt propulsetur iniuria, ne nobis inferatur, vtque nostra in pace possidere, & illis sine turbatione frui possimus: vel vt nostra nobis restituantur; vel vt iusta nobis illationis compensatio fiat. Hinc vero intelligitur, quam raro & à quàm paucis vero animo & illæsa conscientia magistratus officium accepta iniuria imploretur, & quod plerique, imploratione publicæ magistratus vindictæ ad priuatam animi acerbitatem & vindictæ cupiditatem satiandam abutantur. Imo publicæ etiam personæ grauiter peccant, si publica vindicta non ex zelo iustitiæ vtuntur, sed ex odio personæ, ad vlciscendas priuatas aliquas inimicitias, abutuntur: vel si ex sæuitia cruciatibus delectantur, sicut describuntur exempla, Ier.20.v.2.Ezech.25. v.12. Adeo difficile est in hac naturæ corruptione, inter flammas priuatæ cupiditatis vindictæ vel ardentes vel occultas, legitimo & innoxio modo malo resistere, ne à malo vincantur. Ideo Christus inquit: *Ne resistatis malo*, sed vincite potius malum bono: patientia scilicet & beneficentia, Rom.12.versi.21. Augustinus & Chrysostomus hoc loco recensent gradus quosdam, qui eo prosunt, vt rectius intelligatur, quo eniti debeat Christiana patientia, supra Ethnicorum mores. 1. Pro bono non reddere bonū. 2. Pro bono reddere malū. 3. Malū reddere innoxio, siue immerito. 4. Malus malū reddere pro minori. 5. Par pari referre. 6. Minus malū reddere pro maiori. 7. Nō resistere malo, vel nihil repēdere mali. 8. Paratū esse plura & maiora tolerare. 9. Benefacere malefactorib. Sicut in loco de vindicta hæc explicata sunt.

[*Si quis percusserit te in dexteram maxillam.*] Posito genere, priuatos non debere priuata vindicta malo resistere, subiicit exempla: non quod in illis solis præstanda sit patientia, sed more Hebraico sub vno exemplo similia, affinia seu quæ eiusdem generis sunt, complectitur. Vt 1. sub Alapa comprehēdit omnes iniurias, quæ corpori seu personæ vel cum læsione, vel cum contumelia inferuntur. 2. Sub spoliatione complectitur iniurias & detrimenta, quæ rebus inferuntur. 3. Sub angariis complectitur iniustas superiorum exactiones, grauamina & oppressiones. 4. Sub contentione iudicij complectitur iniurias, quæ vel sub specie iuris, vel denegatione, aut peruersione iustitiæ forensis inferuntur. ῥαπίζω igitur, sicut Suidas explicat, est πατάξαι τὴν γνάθον ἁπλῇ τῇ χειρὶ, maxillam nuda vel simplici manu percutere. Fuit autem hoc olim contumeliæ & quasi infamiæ quoddam genus, vt spuere in faciem, Deut.25. ver.9.3.Reg.22.v.24.cedere maxillam, Ioh.18.v.22. Matth.26. v.67. Actor.23.ver.2. Et Varinus verbum ῥαπίζω exponit in genere, pro ἐλαύνειν, παίζειν, &c. Quod vero Christus dicit apud Lucam παρέχειν exhibendam vel offerendam, apud Matthæū στρέψαι, obuertendam esse percussori alteram maxillam, non ita intelligendum est, quasi velit nos homines petulantes ad alias & plures iniurias, obiecta vltro occasione inuitare, prouocare & irritare: hoc enim esset Deum tentare. Et ipse Christus, accepto colapho, non inuitauit percussorem obuersa statim altera maxilla ad plures colaphos, sed inquit: Si recte locutus sum, quare cedis me? Et Paulus Act.23.v.3. percussus seuere respondet: Percutiet te Deus paries dealbate. Christus igitur vulgo & vulgari sermone locutus fuit, sicut phrasis illa de præbenda maxilla extat, Thren.3.v.30. Et hæc sententia pendet ex superiori, non esse priuata vindicta resistendum malo. Iam addit, discipulos suos à priuata seipsos vlciscendi libidine adeo debere alienos esse, vt si non possis fugere, vt Act. 5.v.18. nec verbis benignis percussorem placare, vt Ioh.18.ver. 23. seuerioribus absterrere, vt Act.23.v.3. nec magistratus præsidio defendi, sicut Christus Iohan. 18.v.23. conqueritur, sibi in ipso iudicio præsente magistratu iniuriam fieri, alteram etiam maxillam potius, quam priuata vindicta malo resistas, aut professionem Christi abiicias. Ita Christus, cùm querela sua apud iudicem nihil contra iniuriam illam proficeret, postea tacitus totam faciem, imo totum corpus patienter præbet percutientibus, vindictam Deo iuste iudicanti commendans, 1. Petr.2. versic.23. Et Paulus, cum audisset ipsum Pontificem esse, cuius iussu colaphizatus esset, ad patientiā se componit, Act.23.v.5. Meminit igitur obuertēdę alterius

maxillæ, ut præmoneat discipulos suos, ne accepta vna iniuria fatigati deficiant, vel existiment, se ita agone pijs proposito defunctos esse, sed animum præparent ad nouam & aliã, si Deo ita visum fuerit, perferendam. Conditio enim vitæ Christianæ in hoc mundo est colaphos post colaphum, vnam maxillam post aliam percutiendam præbere. Hæc interpretatio, quam ipse textus præbet, & exempla Christi & Pauli confirmant, errare non potest, sed certa & vera est. Et patientia eorum, qui omni præsidio destituti sunt, prorsus illa similitudine describitur. Thren. 3. versicul. 30. Quia Dominus proiecit super eum, ponet in puluerem os suum, dabit percutienti maxillam, saturabitur opprobriis. Illo autem exemplo obuertendæ alterius maxillæ more Hebræo generalem doctrinam tradit, ad talem scilicet patientiam & tolerantiã discipulos Christi debere se assuefacere, vt ad alias seu nouas & plures iniurias accipiendas & perferendas, animum præparemus & obfirmemus potius, quàm legitima defensione destituti, priuata vindictam aliquos opponamus. Augustinus ita loquitur, has sententias potius de interiori præparatione animi, quam de externa ostensione operis intelligendas esse. Quod recte dicitur, inquit Lutherus, si recte intelligatur, vt scilicet, etiamsi non statim ipso opere, altera maxilla percutienda, & pallium etiam auferendum offeratur, sed ordinaria media legitimæ defensionis concurrant: nihilominus tamen interea animus paratus sit, si legitima defensio non processerit, alias & plures iniurias accipere & perferre, quam seipsum vindicare. Chrysostomus has sententias ita interpretatur, vt tali externa patientię ostensione, obuertẽda altera maxilla, animi nostri mansuetudinem & tolerãtiam declaremus, ea spe & hoc animo, vt qui iniuriam infert, tam illustri specimine lenitatis, patientiæ & mansuetudinis cohibeatur seu mitigetur, & ad resipiscentiam adducatur. In quam sententiam Paulus Rom. 12. v. 21. hortatur, vt malum bono, hoc est patientia & beneficentia vincamus. Quod vero Matthæus primum meminit dextræ maxillæ, cum ferientis ictus primo impetu in sinistram feratur: Augustinus allegoricum mysterium inde facit. Alij existimant sinistram percussi vocari dextram, eo quod ferienti sit à dextris. Sed Matthæus expresse dicit de percusso: Si dextram tuam percusserit. Simplicius igitur est, quod Lucas absolute dicit: *Qui te percutit in vnam maxillam, præbe ei & alteram.* Et Augustinus testatur Latina exemplaria Matthæi suo tempore non habuisse vocabulum *Dextræ.* Vel ita intelligatur: Si quis obuersa manu in dexteram leniter te percusserit (sunt enim ictus illi minus vehementes) obuerte illi alteram ad ictum grauiorẽ, hoc est, ad maiorem iniuriam te præpara.

[*Et ab eo, qui aufert tibi pallium &c.*] Semper repetatur, Christum hoc loco concionari non magistratibus, sed discipulis suis, qui futuri erant in mundo, tanquã oues in medio luporum, expositi omnium contumeliis, iniuriis & rapinis, tum priuatorum, tum ipsius etiam magistratus. Illos igitur cum præuideret à magistratu iniquiori præsidium & defensionem impetrare non posse, ad patientiam & æquanimitatem instruit, & à cupiditate seipsos vindicandi dehortatur. Et aliquid lucis hisce sententiis accedet, si cogitetur, quod ipsi Iudæi tunc Romanorum iugo duro sane premebantur, præsidum contumeliis, iniuriis, rapinis & expilationibus expositi. Iudæi vero impatientissi ne hæc ferebant, odio contra Romanos acerbissimo, & cupiditate vlciscendi se insatiabili tota ardebant, machinabantur dies ac noctes vindictas ac seditiones, ac data occasione vi & armis in manifestas seditiones erumpebant. Et hæc Pharisæi dicebant recte fieri: Oculum pro oculo, par pari. Christus igitur suos discipulos instruit, hortatur, ne illa Iudæorum exempla imitentur, sed discat in silentio seu patientia & spe, sicut Esaias loquitur, c. 30. versic. 15. sitam esse Christianorum fortitudinem. Ita in hac sententia de tunica & pallio exemplum ponit, de tolerandis rerum seu facultatum direptionibus. Si innoxia ratione sua retinere & tueri non possint, nec à magistratu iniquiori legitimam defensionem impetrare, ne priuata vindicta se opponant ad arcendam seu prohibendam talem violentiam, vel ne propterea professionem & confessionem fidei abiiciant. Et Lucas ponit exemplum de violenta direptione. Matthæus vero addit, si illud fiat sub prætextu & specie iuris: vel, si iudices non tantum conniueant ad direptiones bonorum, sed pronũcient iure eos spoliari, qui diuersam ab ipsis religionem sectentur. In hisce Christus monet præstandam patientiam, nec propterea professionem fidei deserendam, sicut Hebr. 10. versicul. 34. scriptum est: Direptionem facultatum vestrarum cum gaudio suscepistis. Ne abieceritis itaque fiduciam vestram, sed patientia vobis opus est. Qui enim subducit se, non placet Deo. Duo autem sunt distincta vocabula, *pallij & tunicæ.* Et Græci ita distinguunt: quod interior vestis attingens carnẽ sit χιτὼν, exterior vero appellatur ἱμάτιον. Et Syrus prius reddidit כותינא quod significat laneã, seu gossipinam tunicam interiorem scilicet & strictam. Alterũ reddidit מרטוטא à רטט vestem laxiorem quasi tremulam. Hebræi habent differentiam inter vestem honorariam superiorem, quæ appellatur אדרת & מעיל & quotidianam, quæ appellatur כתנת, cui ipsis literis respondet Græcorum χιτών. Ad quam differentiam forsan Christus respexit. Et sensus est, tolerandam esse direptionem non tantum eorum, quæ minus necessaria & vulgaria sunt, sed & eorum, quæ maxime necessaria & præstantiora sunt. Quod vero apud Matthæum χιτὼν tunica proponitur, quę apud Lucam postponitur: & ἱμάτιον pallium apud Lucam præponitur, quod apud Matthæum postponitur: vel inde factum est, quod ipsi Grammatici fatentur differentiam illam annotatam non vbique obseruari, sed sæpe confundi. Vt simpliciter sensus sic sit: Si vna vestis tibi auferatur, dimittas & aliam: vel quod magis mihi probatur, vt Matthæi sensus sit, non tantum χιτῶνος seu tunicæ, vt vestis vulgaris, sed & ἱματίου pallij, quod preciosius & præstantius erat, direptionem tolerãdam. Apud Lucam vero sensus sit: Si auferatur pallium ἱμάτιον, vt vestis minus necessaria, qua carere poterant, & nihilominus vestiti incedere, etiam χιτῶνα tunicam, quæ magis erat necessaria, vt qua destituti nudi erant, dimittendam potius, quam priuata vindicta illam defendendam. Verbum enim κωλύειν quo Lucas vtitur, cum inquit: *Non prohibeas*, non significat verbis tantum prohibere, sed vim quandam inhibẽtem seu arcentem denotat, sicut & Hebræum כלא, vnde est Græcum κωλύειν. Cõstructio κριθῆναί σοι sumpta est ex Græcis interpretibus: quod enim Hebræus habet disceptare seu contendere cum aliquo, vel contra aliquem, hoc Græci reddiderunt κρίνεσθαί τινι, Esa. 50. v. 8. Iob. 9. v. 3. 13. v. 3. & 31. ver. 13. quod Iud. 21. v. 22. Iere. 2. v. 12. Oseæ 2. v. 2. dicunt κρίνεσθαι πρός τινα. Ita autem Græci reddiderunt verbum ריב, quod significat in iudicio litigare, disceptare, contendere seu causam agere. Et tribuitur etiam ipsis iudicibus exercentibus iudicium, Esa. 1. ver. 18. & 3. v. 13. Ideo dixi & de actoris & de iudicis iniquitate, ius nostrum peruertente, & innocentiam opprimente, locum hunc intelligi posse, sicut Syrus per verbum דין, quod iudicis proprium est, reddidit. Non autem damnat hoc loco Christus vel iudicia ipsa per se, vel verum vsum actionũ forẽsium. Iudicia enim sunt ipsius Domini, 2. Par. 19. v. 6. & vsum actionũ Deus ipse instituit, Exod. 22. v. 1. Deut. 25. v. 1. Nec sensus est rem contra iniustitiã vel actoris vel iudicis non debere ius suũ deducere & exigere. Fecit enim hoc Christus Iohan. 18. v. 23. & Paulus Act. 23. v. 3. 24. v. 10. & 25. v. 8. Sed docet, quando sub specie iuris circumuenimur, vel quando iudicia sunt corrupta aut nobis iniquiora, vt quod iustum est, obtinere non possimus, vt patienter illud toleremus, ac potius post tunicã & pallium dimittamus, quàm vel priuata vindicta nos vlciscamur, vel ideo à fide desciscamus. Sed totam hanc doctrinam de actionibus forensibus in locis communibus explicauimus.

[*Et qui te angariauerit mille passus &c.*] Ponitur hoc loco verbum ἀγγαρεύειν. Suidas dicit esse appellationẽ Persicam. Regum enim nũcij οἱ ἐκ διαδοχῆς, hoc est, qui regias literas, vt celerius perferrentur, certis itinerum spatiis, aliis per manus tradebant, & ab aliis accipiebant, vocabantur Angari, sicut nũc vulgo Postæ, quasi dicas, certis locis & itinerũ spatiis ad talia ministeria seu onera positæ seu collocatæ. Rapiebant autem & adigebant ministri regij ad talia onera quoscunque vel homines vel equos. Inde factum est quod ἀγγαρεία cœpit vocari [illegible], secundum Suidam, hoc est, publica & seruilia onera, quæ per vim imponebantur subditis, dicebantur ἀγγαρεῖαι, vt de Simone Cyrenæo, Matth. 27. v. 32. Iurisconsulti vocant Angariam, opus personale, quod labore corporali expletur. Respondet autem Persicum ἀγγαρεύειν Hebraico נגש Nagas quod significat exactores publicorum onerum, Exod. 3. v. 8. & 5. v. 7. Iob. 3. v. 18. Esa. 9. v. 5. Zach. 9. v. 8. & 10. v. 5. Græci vero interpretes, quantum ego obseruare potui, non vsi sunt verbo ἀγγαρεύειν. Sensus igitur manifestus est, sub hoc exemplo cõprehendi omnia iniusta onera, quæ à magistratibus & eorum ministris imponuntur. Et hæc commonefactio necessaria erat discipulis & auditoribus Christi, qui pharisaicas imaginationes de externo & corporali regno Messiæ circumferebant. Christus vero prænunciat ipsis fore, vt non tantum priuatorum iniuriis & contumeliis expositi esse cogantur, sed ne à magistratu quidem iustam defensionem habere possint, imo magistratum iniustis oneribus & persecutionibus oneraturum Ecclesiã. Docebant autem Pharisæi, si magistratus nolit officium suum facere, quemq; priuatim recte facere, si seipsum quouis modo vlciscatur; quia Lex dicat: Oculum pro oculo, sicut fecit, sic fiat ei: vel si magistratus iniusta onera imponat, si licere ea, si fieri possit, vel per vim,

vel

vel per seditionem excutere. Christus vero contra docet suos animis ita debere esse compositos, quando auxilio & defensione magistratus destituuntur, vel quando iniuste à magistratu premuntur, vt malint alias vel maiores iniurias, si legitime ab eis depellere non possint, accipere & tolerare, vel duriora onera sustinere, vt pro vno miliari duo, quàm irarum odij concipere vel alere, & priuata vindicta vel iniuriam depellere, vel vlciscendo malum pro malo reddere, vel ideo professionem sibi abiicere. Quando vero defensionem à magistratu impetrare possumus, pie ea possumus vti, si fiat sine acerbitate animi & odio proximi. Paulus enim dicit: Magistratus minister Dei est, tibi in bonum. Sed totam hanc doctrinam plenius tractauimus in loco de Vindicta.

Omni petenti abs te dato.] Textus ita cohæret. Christianos debere non tantum proximorum, & quidem etiam inimicorum iniurias patienter tolerare, sed præterea etiam sua beneficentia necessitates ipsorum subleuare. Vel docet: primo, quomodo erga superiores, potentiores & violentos; secundo, quomodo erga inferiores, egentes & supplices nos gerere debeamus per beneficentiam. Eius autem beneficentiæ duas hoc loco species Christus ponit. 1. Liberalem donationem, quæ eleemosyna in Ecclesia nuncupatur. 2. Gratuitam mutuationem. Matthæus igitur inquit: *Petenti abs te dato.* Lucas vero addit particulam vniuersalem: *Omni petenti abs te tribue.* Sed quia certum est, mediocres Christianorum facultates non posse sufficere omnibus petentibus, vt quantum petant detur omnibus, certum etiam est ex Paulo. 2. Thessal. 3. v. 10. non esse voluntatem Dei, vt temeraria prodigalitate in quosuis ociosos scurras, vel petaces decoctores totam nostrã substantiam profundamus. Nec ita vult nos dare aliis, vt ipsi egeamus & mendicemus. Spiritus sanctus enim tradit hanc regulam Christianę liberalitatis, 2. Cor. 8. ver. 13. & 14. Detis non vt aliis sit remissio, vobis tribulatio, sed ex æqualitate vestra abundantia illorum suppleat inopiam. Videndum igitur est, quid Christus velit vniuersali illa particula: *Omni petenti abs te tribue.* Et optima ac certissima interpretatio est, quam ipse contextus monstrat & præbet. Christus igitur simpliciter non dicit: *Dato cuiuis*, sed addit: *Omni petenti* τῷ αἰτοῦντι. Et Lutherus recte obseruauit hoc vocabulum induere & insinuare indigentiam seu necessitatem: Qui enim non eget, id quod habet vel quo non indiget non petit, vel certe petere non debet: & verbum αἰτεῖν sæpe significat mendicitatem, vt Actor. 3. v. 2. claudus mendicus petit eleemosynam. Et Psalm. 109. v. 10. Græci mendicantes liberos describunt verbo ἐπαιτησάτωσαν. Egentes igitur hoc loco Christus intelligit, quando nominat petentes. Et idem verbum ostendit, non quiduis largiendum petentibus: (sicut Carpocratiani de promiscuæ Veneris concessione blaspheme hoc dictum intellexerunt) sed quod ad subleuandam indigentiam necessarium est. Et quæ hoc loco sit vis & significatio particulæ vniuersalis, *Omni petenti dato*, in sequentibus apud Lucam ex antithesi declaratur, quæ planius exponitur Lucæ 14. v. 12. Plerunque enim tantum solemus dare solis cognatis, amicis, notis, benemeritis, vel quos speramus donationem vel simili vel alio officij genere compensaturos.

Christus vero contra docet, Christianorum eleemosynas non debere mercenarias esse, sed gratuitas. Inquit ergo: *Omni petenti* hoc est, siue sit notus, siue ignotus, amicus vel inimicus, etiamsi non sit meritus, siue compensare officium illud velit & possit, siue non, tribuas pro modulo tuarum facultatum. 2. Corinth. 8. versicul. 12. Docet igitur, ne existimemus, nos satisfecisse mandato Dei de eleemosynis, si ex priuato affectu certos aliquos nobis delegerimus, erga quos liberalitatem exerceamus: sed quemcunque egentem, quacunque occasione & ratione Deus nobis obtulerit, vt vulneratũ, Lucæ 10. ver. 33. sicut mox de significatione proximi dicemus, cum sciamus sub hoc mandato comprehendi: *Omni petenti abs te tribue.* Quod rectius ita verteretur: Cuiuis petenti, scilicet sine respectu personarum, certis tamen gradibus, sicut Paulus explicat, Galat. 6. v. 10. Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Et 1. Timoth. 5. v. 8. Quisque suorum & maxime domesticorũ curã habeat. Deut. 15. v. 7. & 11. Pauperi in terra habitationis tuæ, & qui tecũ moratur, intra portas ciuitatis tuæ. Sed illis solis gradibus nõ absoluitur Christiana beneficentia, sed extenditur ad quosuis egentes. Ad hoc mandatum etiam pertinet, quod Paulus scribit Gal. 6. v. 9. ne putemus nos defunctos officio beneficentiæ, si quibusdam & semel atque iterum benefecerimus, sed bonum facientes non defatigemur. Veteres obseruarunt, non dictum esse, omni petenti quiduis, vel quicquid petit, tribue: sed simpliciter, *omni petenti tribue*, quod scilicet honeste & iuste, ac pro tua facultate potes. Et glossa inquit: Si deest tibi facultas, da obsequium: da affectum, vel bonam voluntatem: da verbum vel consolationis, vel admonitionis, si iniuste petit da bonum responsum & orationem, vt nunquam inanem dimittas. Ita volentem mutuari, etiamsi dare non possis, non tamen auerseris.

Cupientem mutuum accipere abs te, ne auerseris. Altera species beneficentiæ est Mutuatio. Quidam enim nec facultates, vnde viuant, habent, nec operas, vnde victum acquirere possint, præstare possunt. Illis eleemosyna seu gratuita donatione subueniendum est. Alij vero facultates, sed valde tenues habent & operas aliquas facere possunt, vnde solutio fieri posset, sed nõ habent præ manu aliquid. Illis mutuatione subueniendum docet. Apparet igitur hinc declaratio superioris particulæ vniuersalis, non simpliciter scilicet omni petenti gratis dandum, sed quibusdam mutuatione subueniendum. Quia vero officium mutuationis solemus cognatis, amicis, notis, bene meritis, & à quibus simile officium speramus, præstare, reliquis vero hoc denegare: Matthæus igitur contra delectum illum, sine exceptione & indefinite dicit, τὸν θέλοντα, *volentem*, cupientem, desiderantem, petentem abs te mutuo accipere. Intelligit enim non impudentes flagitatores, sed qui præ verecundia vix audent petere: seu quos ex indigentia ipsorum animaduertimus cupere mutuum. Dicit autem: *Ne auerseris*, docens, non tantum non negandum, sed ne vultu quidem & gestibus alienioribus aut durioribus ipsos excipiendos. Significat enim ἀποστραφῇς ita auersari, vt quando quis faciem à petente auertit, & tergum ipsi obuertit. Requirit igitur animi beneuolentiam. Nam Deut. 15. ver. 7. vbi Hebræa habent: *Non obdurabis cor tuum contra petentem mutuum*, Græci hoc verbum vsurparunt: Non ἀποστρέψεις cor tuum. Et breuis hæc est sententia Matthæi, quid scilicet sit volentem mutuo accipere, non esse causæ alicuius prætextu auersandum, declaratur prolixa sententia, Deut. 15. versic. 7. Si frater tuus ad paupertatem deuenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quantum sufficit pro penuria eius. Non subrepat impia cogitatio in corde tuo, & non sit malus oculus tuus contra fratrem, propter septimum annum, & non agas nequiter cor tuum in dando. Reliqua de mutuatione postea in Lucæ sententiis sequerentur.

Et ab eo, qui aufert, quæ tua sunt, ne reposce. Paulo ante Lucas dixerat de violenta ablatione & spoliatione. Hanc vero sententiam subiicit post expositam indigentiam proximi. Sensus igitur erit: si proximus egestate coactus aliquid de tuis subducat & vsurpet, non ideo furti ipsum accusandum, sed concedendum, vt per ea, quæ etiam non donamus petentibus, ipsorum necessitas subleuetur; vel quia subiicitur post præceptum de beneficentia donationis & mutuationis, sensus erit de illis, quæ proximus mutuo data à nobis accipit. Nam verbum αἴρειν, non semper significat violẽtam ablationem, sed ille etiam, qui à dante aliquid accepit, dicitur αἴρειν, vt Matth. 20. versicul. 14. Tolle quod tuum est. Et Matth. 11. v. 29. Tollite iugum meum super vos. Atque ideo hoc loco Syrus verbum αἴρειν reddidit per שקל, quod significat pondere, vel mensura, vel munere appensum dare & accipere, quod ad acceptionem mutui plucre conuenit. Et verbum ἀπαιτεῖν, repetere seu reposcere, Græci vsurpant de exigendis debitis. Deut. 15. v. 2. & 3. Nehem. 5. vers. 7. Sensus igitur huius loci est, qui exponitur in parabola, Matth. 18. versi. 23. Licet tuum sit, quod ille mutuo à te accepit, & iure debitum illud exigere possis: si tamen proximus attenuatus, vel non statim, vel non totum, vel prorsus non possit debitum reddere, non debes absque misericordia & patientia, cum proximi perditione, quod tuum est repetere & exigere. Et idem est, quod Esa. 58. v. 6. dicitur: soluere fasciculos onerosos. Non igitur simpliciter prohibet debita, seu, quæ tua sunt reposcere. Scriptura enim pronuntiat impium illum esse, qui mutuo accipit & non reddit, Psalm. 37. v. 21. Sed de indigentibus loquitur in eo casu, qui describitur Deut. 24. versi. 12. Ezech. 18. versic. 7. & 33. v. 15. de restituendo pignore, si proximus non sit soluendo, qui casus pulcher exprimitur, Matthæi 18. ver. 23. & seq. Et hæc interpretatio, quæ ex Scriptura sumitur, fallere non potest. Tres igitur Christus hoc loco species ponit subleuandi indigẽtiam proximi. 1. Donationem. 2. Mutuationem. 3. Concessionem, vt ita appellem, quando proximus sine perditione non est soluendo, vel quando nostra nec donata, nec mutuata ex egestate vsurpauit.

[*Et prout vultis, vt faciant vobis homines, vos quoque facite.*] Hanc generalem sentẽtiam Legis Christus præceptis de beneficentia erga proximum egentem subiicit. 1. vt contra Pharisæorum traditiones & consuetudines ostendat, non esse noua paradoxa aut consilia, præter aut supra Legem, sicut Scholastici fingũt: sed esse ipsam Legis sententiã de diligendo proximo, vt scilicet quicquid subleuationis nobis, si essemus in simili egestatis casu constituti, vellemus ab ipsis præstari, similiter etiam illis vel donando, vel mutuando, vel conceden-

vel per seditionem excutere. Christus vero contra docet suos ceptorum suorum rationem reddit, & æquitatem ostendit, vt ita animi ad obedientiam flectantur. Secundo subiicit hanc sententiam ideo, vt ostendat beneficentiam non esse ad illas enumeratas species restringendam, sed præcipi in genere, vt quacunque etiam alia ratione nos vellemus in simili casu nostram indigentiam subleuari, vt idem etiam proximo faciamus. Tertio ideo etiam hanc generalem Legis sententiam subiicit, vt tradat declarationem, quomodo, vbi, quando, erga quos, & in quibus casibus illa præcepta de beneficentia, ad literam obseruanda & exercenda sint; in eo scilicet casu & eo modo, prout nobis ab aliis fieri vellemus, quando scilicet necessitas, aut euidens vtilitas proximi aut gloriæ Dei hoc exigit, & sine benefactoris defraudatione aut euersione. Intelligatur autem voluntas, non cupiditas praua aut inordinata, qualis est vel decoctorum, vel Euclionum, sed quæ naturali iure rectæ rationis sit regulata. Quia vero dominus operas, quas à seruis suis vult sibi præstari, non similiter eadem ipse seruis debet: Caietanus aduerbium *Similiter* exponit non de similitudine operum in specie, sed de similitudine proportionali, pro ratione vocationis & officij cuiusque. Sed census simplicissimus est: quando aliquid vel dandum vel reddendum est, vt consideremus, quid nobis, si in simili casu & conditione constituti essemus, ab aliis fieri vellemus. Quisque autem in necessitate constitutus, vellet benigno & prompto animo, sine respectu personæ, quacunque ratione, pro modo facultatum cuiusque, vel re, vel consilio, vel intercessione, vel consolatione sibi subueniri. Eandem igitur animi benignitatem & promptitudinem subueniendi quibusuis, communionis ratione, pro facultate nostra, debemus & aliis. Et sicut nos subuenientes aliis, non vellemus id officium nobis fraudi aut damno esse: ita etiam proximi beneficentia non debemus ad ipsius damnum aut euersionem abuti. Quando vero iniquior aliquis casus solutionis facultatem nobis eripuit, sicut tunc vellemus nobiscum agi, similiter etiam faciamus aliis. Atque hoc modo generalem hanc sententiam Lucas accommodat, ad confirmationem & declarationem præceptorum de beneficentia seu liberalitate, vt fit regula omnis donationis, mutuationis & cessionis: Matthæus vero cap. 7. v. 12. in genere ad omnia præcepta secundæ tabulæ eam accommodat, sicut suo loco postea ostendemus.

Diliges proximum, & odio habebis inimicum tuum. In Scriptura nusquam extat præceptum inimicum odio habendum: sed contrarium extat, Exod. 23. versic. 4. & 5. Prouerb. 25. versic. 21. Scribarum igitur traditio & ἀνθρώπινον fuit, quam Christus ita proponit: *Audistis quod dictum* seu traditum *sit*, à Scribis scilicet & Pharisæis: non quod scriptum sit in Lege & Prophetis. Sicut igitur reliqua præcepta Legis à corruptelis & fermento Pharisaicarum traditionum Christus in præcedentibus repurgauit, ac vera interpretatione genuinum sensum illis restituit: ita iam præceptum de diligendo proximo, quod Paulus vocat plenitudinem Legis; quia omnia præcepta secundæ tabulæ Decalogi complectitur, Rom. 13. vers. 10. sumit repurgandum. In præcedentibus Christus vsum Legis, quoad agnitionem peccati, contra Pharisæorum corruptelas declarauit: iam pergit idem facere, quoad doctrinam de bonis operibus. Cumque tota doctrina Pharisæorum esset de operibus, & videri vellent præ cæteris studiosi bonorum operum, ac propterea calumniarentur Euangelium, quasi abduceret à bonis operibus: Christus ostendit ipsos nec doctrinam, nec exercitia bonorum operum recte tenere, & probat se suos ad multo præstantiora opera instituere. Et quia Pharisæi propter præsumptam suam opinionem, quod possent operibus suis Legem in hac vita perfecte implere, imo plurimum supererogare, doctrinam Legis ad eas vires & appetitiones inflectendo deprauarant: Christus ostendit, quam absolutam perfectionem Lex requirat, vt credentes in ipso, bonorum operum actu agnoscant se Legi nequaquam satisfacere, atque ideo opus esse alia iustitia corã Deo, vtque præfixum scopum habeant, ad quem collimare magis magisque debeant. Intelligebant igitur Pharisæi appellationem *Proximi* tantum de amico, & ex antithesi inferebant. Si amicus iubetur diligendus, ergo inimicus vel iubetur vel certe conceditur odio habendus. Et sicut vocabulum *Proximi* praua interpretatione deprauabant: ita etiam verbum *Diligendi* eludebant, de dilectione, quæ lingua tantum, aut verbis fit, 1. Iohan. 3. vers. 18. Christus igitur ex Grammaticæ enarratione, quis sit proximus, & quid sit diligere, præceptum hoc illustrat, & genuinum eius sensum contra Pharisæorum traditiones & corruptelas restituit. Tanti in Scriptura est vera Grãmatica vocabulorum enarratio. Illam vero huius præcepti particulam *sicut teipsum*, Christus declarat per sententiam & regulam illam generalem, *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis.* Totum igitur hoc præcepti & singula eius vocabula, *Diliges proximum tuum, sicut teipsum,* in hac concione à Christo explicantur.

Non autem cogitemus, hæc tantum propter veteres & exoletas Pharisæorum traditiones disputari, [illegible] natura nostra peccato deprauata in omnibus & singulis [illegible] talem interpretationem huic præcepto [illegible] sufficiat amicos & bene meritos diligere, inimicos [illegible] meritos liceat odisse. Ostendunt hoc [illegible] sententiæ & exempla, ac singuli etiam tenati in [illegible] Legem peccati in membris talem interpretationem [illegible] & suggerentem, imo abripientem nos [illegible]. Omnibus igitur & singulis necessaria est hæc Christi explicatio, vt eius commonefactione dictamen Legis peccati in nobis mortificemus. Et ordine enarratio [illegible] vocabulorum *Proximi* & *Dilectionis*, sicut eam Christus [illegible].

In præcepto igitur, *Diliges proximum tuum*, [illegible] habent vocabulum רע quod Græci reddiderunt [illegible] indeclinabiliter, ὁ ἐγγὺς, ὁ πλησίον, ut Exod. 11. 2 versic. 2. & [illegible], Esth. 9. versic. 19. & Rom. 15. v. 2. placeat [illegible]. Eph. 4. ver. 25. μετὰ τοῦ πλησίον. Interpretantur autem Hebræi pro amico & socio. Pharisæi igitur ex antithesi [illegible] ἀντίστροφον. Lex iubet amicum diligere. Concedit ergo & probat, si quis inimicum oderit, imo addebant, odium inimici præceptum esse in Lege, quæ Gentes idololatras in terra Canaan iubet partim occidere, partim tributarias facere, Deut. 7. vers. 2. 20. ver. 11. & seq. & 25. vers. vltimo. Et c. 23. vers. 6. dicit Non facies pacem cum eis, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ. Proximus igitur in Pharisæorum Grammatica significabat vel cognatum, siue sanguine, siue patria, siue religione, vel amicum diligentem, vel benefactorem, vel eum, à quo officia beneuolentiæ sperantur. Hanc enim fuisse Pharisæorum interpretationem, exempla, quæ à Christo afferuntur, ostendunt: Si salutaueritis fratres vestros, & Luc. 14. versic. 12. nominat cognatos. Et hoc loco: Si dilexeritis eos qui diligunt vos. Si benefeceritis benefactoribus vestris. Item: dant mutuo, vt simile officium recipiant. Et hoc modo existimabant se præcepto, de diligendo proximo, abunde satisfecisse, si amicos diligerent. Christus vero genuinam significationem, quis sit proximus, ita ostendit. Primo Deus in articulo creationis & in operibus prouidentiæ non tantum bonos, iustos & gratos diligit, sed totum genus humanum. *Solem* enim suum oriri facit super malos & bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos. Et non tantum dicit, [illegible] pluere, sed βρέχει, hoc est, *mittit pluuiam*. Ita non dicit solem oriri, sed ἀνατέλλει, hoc est, *Producit solem*, seu facit vt oriatur: ita enim ad similitudinem coniugationis Hiphil hoc verbum vsurpatur à Græcis, Gen. 2. vers. 5. Et addit solem non alienum sed suum facit oriri. Lucas addit: *Quoniam ipse benignus est etiam super ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Ratio vero huius consequentiæ hæc est: Homo conditus fuit ad imaginem & similitudinem Dei, & credentes in Christo per spiritum rursus renouantur ad imaginem Dei, Ephes. 4. versic. 23. Qualis autem sit imago illa Dei, in decalogo ostenditur. Lex igitur non qualemcunque dilectionem requirit, sed talem, qualis est in Deo. Secundo ponit hoc discrimen: Publicani, inquit, & peccatores diligunt cognatos, amicos & benefactores: Vos vero oportet longius progredi. Quia enim fide, propter me filij Dei facti, & ex Deo nati estis, decet vos patrem imitari, & referre patris cœlestis ingenium, qui solem suum facit oriri super bonos & malos. Non enim docet hoc loco, quando inquit: *vt sitis filij altissimi*, quod adoptionem promereri & consequi possimus nostra dilectione. Nemo enim vere potest inimicos diligere, nisi prius factus fuerit filius Dei. Illud autem fit ex gratia, propter filium Mediatorem, & fide accipitur, Ephes. 1. versic. 5. Postea vero sequitur renouatio mentis & dilectio. Cum igitur inquit: *Vt sitis filij Dei*, pronunciat hanc esse notam, qua ostendamus, probemus & declaremus nos non esse filios Diaboli, vel huius seculi: nec spurios, sed genuinos filios Patris cœlestis, nempe si naturam & ingenium patris referamus, & dilectione exprimamus. In eandem sententiam Matthæus inquit: *Eritis igitur perfecti, sicut Pater vester cœlestis.* non loquitur autem de perfectione supererogationis, de qua Monachi nugantur: nec perfectam & absolutam impletionem Legis intelligit, quam in hac vita impossibilem nobis affirmat Paulus, Rom. 8. versic. 3. Galat. 3. versic. 10. & 11. sed nota est eruditis significatio vocabuli תם *Tham*: à תמם, quod Græci reddiderunt, τέλειος. Illud enim opponitur ei, quod mancum & mutilatum est, sicut de victimis ita vsurpatur, atque ita Christus non nude tantum præcipit inimicos diligendos, sed addit etiam rationes, quibus animus ad obedientiam eius præcepti per spiritum permoueri possit. Pharisæi igitur dilectione sua tantum partem aliquam proximi & dilectionis complectebantur, cognatos scilicet & amicos, lingua & verbis di-

bis diligendos. Partialis igitur, manca, & mutila, vel iuxta Scripturam non תם *Tham*, nec τέλειος, sed imperfecta erat ipsorum dilectio. Deus vero sua dilectione complectitur totum genus humanum, bonos, malos, iustos, iniustos & ingratos, hoc est, iuxta Scripturæ phrasin, dilectio Dei non est mutila & manca, sed תם, *Tham*, perfecta: & nos, qui fide propter Christum facti sumus filij Dei, debemus ita esse perfecti, sicut Pater cœlestis, non absoluta æqualitate, sed illa similitudine, vt dilectione nostra complectamur non aliquos saltem, sed omnes homines, amicos & inimicos. Hæc est Lutheri explicatio, quam iudico esse simplicissimam, & congruit ad phrasin vocabuli *Tham*. Et idem est cum eo, quod Lucas inquit: *Estote ergò misericordes, sicut & pater vester misericors est*.

Tertio huc etiam referri potest regula illa, quam Lucas in recitatione sententiarum de dilectione proximi recitat, sumpta ex Lege naturæ, quæ in cuiusque conscientia scripta est: *Prout vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis similiter*. Quam regulam ad declarationem, quis sit proximus, Christus venusta parabola accommodat, Luc. 10. vers. 30. & seq. Quærit enim, quis fuerit proximus sauciato, vel quem Iudæus ille, qui in latrones inciderat, in illo casu iudicarit esse proximum suum, hoc est, à quo voluerit se diligi & curari, scilicet non tantum à cognatis, Sacerdote & Leuita prætereuntibus, verum etiam à Samaritano qui non tantum peregrinus ignotus, sed & inimicus erat. Sensus igitur est: ex nostris cogitationibus, quando in necessitate constitui aliorum opera indigemus, rectissime posse iudicari de significatione proximi, iuxta regulam illam: *Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines*. Nec vero in genere tantum exponit Christus definitionem proximi, sed in specie, & quasi per partes enumerat, qui sub appellatione *Proximi* comprehendantur, & quos filij Dei dilectione sua complecti debeant, sicut hæc in textu obseruari possunt. Numerat autem fratres, cognatos, amicos, benefactores, gratos, bonos, iustos. Et hos dicit etiam à publicanis & peccatoribus, ex dictamine Legis naturæ, intelligi proximos & diligi: filios Dei autem vult vlterius progredi, & dilectione proximi complecti etiam malos, iniustos, ingratos, inimicos, qui oderunt nos, qui maledicunt nobis, qui deuouent nos, qui lædunt & persequuntur nos. Est autem obseruandum, Christum illis suis phrasibus non prohibere, quo minus fratres, cognatos, amicos diligamus, sed & inimicos dilectione nostra complectamur. Vtile autem est semper posse fundamenta interpretationum in ipso textu ostendere. Matthæus igitur expresse ostendit, has sententias cum particula exclusiua esse intelligendas. Dicit enim: Si fratres vestros *tantùm* complexi fueritis: quid eximij facitis? Quod vero ad vocabula attinet, reliqua nota & manifesta sunt, excepto vno, ἐπηρεαζόντων. Exponit autem Suidas ἐπηρεάζειν per βλάπτω lædere, nocere. Varinus vero ex Etymologia ostendit rationem significationis: ab ἐπὶ enim & ἄρεια fit ἐπήρεια, & inde verbum ἐπηρεάζω. Significat autem proprie τὴν ἐν πολέμῳ ἀντίταξιν καὶ κατὰ ἐχθρῶν, hoc est, hostilem insectationem, & ad verbum, martium insultum significat.

Hæc vero interpretatio quis sit proximus, non est noua à Christo in Nouo Testamento primum tradita. Salomon enim Prou. 26. vers. 21. de pascendo inimico esuriente præcipit. Et ipse Moses de asino & boue inimici subleuando scribit, Exod. 23. vers. 4. & 5. & Leuit. 19. ver. 18. Moses ipse, vbi tractat præceptum de diligendo proximo; ponit explicationem, quem intelligat proximum. Dicit enim: Non quæras vltionem, nec memor sis iniuriorum filiorum populi tui. Et mox subiicitur: Diliges proximum tuum.

Hæc est realis (vt ita dicam) explicatio, quis sit proximus, ad quam Grammatica interpretatio vocabuli vtiliter potest accommodari. Iungitur autem רע *Rea* seu *proximus*, fratri seu consanguineo, Psal. 35. vers. 14. cum propinquis, 3. Reg. 16. v. 11. cum vicino. Ierem. 6. vers. 21. cum amico, Psal. 38. vers. 12. 88. v. vltim. Ergo proximus aliquid aliud & amplius complectitur, quam tantum fratrem, consanguineum, amicum & vicinum. Deducitur autem à רעה radice, quæ proprie significat pascere. Et sicut inter pascendum oues inter se nunc aliis, mox aliis iunguntur, & quæcunque ita occasione pascuorum proximæ fiunt, placide inter se conuersantur. Vnde etiam de rebus inanimatis, ordine quodam inter se iunctis, dicitur, sicut Gen. 15. v. 10. Partibus sacrificij diuisis, & ordine quodam sibi oppositis, appellatio proximi tribuitur. Ita *Rea* proximus dicitur, cum quo, quacunque ratione & occasione coniungimur, seu cum quo negotij aliquid nobis intercedit, & obiicitur, vt 2. Reg 13. vers. 3. Ionadab propter cõsanguinitatem vocatur proximus Ammon. Exod. 11. versic. 2. propter vicinitatem & cohabitationem, Ægyptiæ mulieres vocantur proximæ Iudaicarum. 2. Reg. 15. versic. vlt. 3. Reg. 4. vers. 5. ratione ministerij, quidam vocantur proximi regis, Exod. 2. versic. 13. qui eiusdem populi & religionis est, vocatur proximus Iud. 14. vers. vlt. Philistini, qui alias allophyli, alienigenæ vocantur, cum Samsoni in nuptiis adiunguntur, vocantur proximi eius. Gen. 11. vers. 3. & 7. qui simul laborabant, in ædificanda turri, vocantur alter alterius proximus. Exod. 18. v. 16. quando duo causam habent coram iudicio, vocatur vir & proximus eius. Iud. 7. versic. 13. Qui in eodem bello, in iisdem castris versantur, dicuntur proximi. Prou. 3. vers. 8. Qui petit aliquid vocantur proximus. Ierem. 3. versic. 20. maritus vocatur proximus vxoris. Exod. 20. v. 16. qui producitur testis in causa alicuius vocatur proximus eius. Et de contractibus, ibi Lex dicit: v. 17. Non concupisces domum, aut omnia, quæ sunt Proximi tui. Luc. 10. v. 33. Samaritanus non habuerat in comitatu suo comitem vulneratum illum; sed quia casu in illum incidit, fit proximus eius, licet alias inimici inter se essent Iudæi & Samaritani. Veteres hos gradus numerant: 1. Diligere diligentes, est debitum naturæ. 2. Diligere propter beneficium vel acceptum vel speratum, mercenarium est. Sicut Augustinus inquit: Qui amicum amat propter commodum, non amicum conuincitur amare, sed commodum. 3. Diligere propter peccati consensum, malignum est. 4. Diligere aliquem propter bonum opus, hoc est, vel quia bonus est, vel vt bonus fit, gratuitum est. 5. Diligere aliquem, quia eiusdem corporis membrum, & eiusdem Patris cœlestis filius est, spiritualis dilectio est. 6. Diligere non diligentes, gratiæ est. 7. Non diligere diligentes, peruersitatis est. 8. Non diligere, infirmitatis & corruptionis humanæ est.

Hæc consideratio significationis & collatio exemplorum multa monet. Erga omnes homines in toto genere humano debemus affecti esse, tanquam erga proximos. Sed quia non omnes opera nostra iuuare possumus, monet vocabulum proximi, charitatem non debere ex priuato affectu vel respectu priuati communi sibi deligere quosdam, quos solos dilectione proximi complecti velit, nec debere charitatem desistere, quasi officio suo defuncta sit, si quibusdam benefecerit; sed quoscunque dominus nobis, quacunque ratione & occasione obtulerit, vt negotij aliquid nobis cum illis intercedat, vel si auxilium nostrum ab aliis deserti implorãt, imo si casu, sicut Samaritanus, incideribus in aliquem, quem etiam non petentem viderimus nostra opera indigere, non instituamus supputationem, quomodo erga illum affecti simus, aut quid commodi inde ad nos rediturum sit, sed cogitemus: Ecce Deus hunc tibi adiungit, vt sit tuus proximus, & vult probare, an in præcepto dilectionis proximi sis vel publicanus, vel peccator, vel Pharisæus, vel filius Dei? Hæc fundamenta explicationis, quis sit proximus, in textu manifesta sunt.

Eadem ratione Christus etiam explicat, quid significet verbum *Diligere*. Eius enim significationem deprauari solitam ostenditur, 1. Iohan. 3. versic. 18. Non diligamus verbo & lingua, sed opere & veritate. Imo quotidiana experientia ostendit, homines diligere ita, vt vel aliquid benigne dicant, vel aliquando faciant, sed animo alieno & corde auerso: vel putant sufficere, si verbis & gestibus significent συμπάθειαν, etiamsi facto & opere nihil præstent. Christus igitur veram significationem huic verbo restituit, & ex verbis textus tantum annotabimus, quæ Christus velit comprehendi sub dilectione. 1. Ipsum affectum cordis complectitur cum inquit: *Digilite inimicos*. Item: *Estote misericordes*. Et: *Pater cœlestis χρηστὸς benignus est*. Est autẽ inter misericordiam, dilectionem & benignitatem talis differentia, quod misericordia dolet de calamitate proximi, & sympathia mouetur, vt succurrat. dilectio remouet iram, odium, inuidiam & negligentiam proximi (vt sic appellem) & animum ita informat, vt suaui affectu complectatur proximum, & delectetur benefaciendo. χρηστότης vero significat benignitatem, humanitatem, comitatem, promptitudinem & facilitatem ad gratificandum proximo. 2. Christus in hoc textu sub dilectione, complectitur bene precari, & orate pro proximo. 3. Complectitur εὐλογεῖν quod est, vel lingua, verbis, & affectibus beneuolentiam ostendere, vel bene & non male de inimicis loqui: ita tamen, vt iniquitatem ipsorum nec probes, nec laudes. 4. Complectitur ἀσπάζεσθαι, quod significat salutationes: quæ, quia in illis locis complexu & osculo fiebant, omnes igitur externos gestus beneuolentiæ hac voce complectitur. 5. Est ἀγαθοποιεῖν, quod complectitur omnia beneficia, quæ opere & reipsa præstantur. Hæc est generalis explicatio præcepti de dilectione proximi, sicut in hoc textu ea traditur. Monstratis autem fundamentis, facile est ad doctrinam ea accommodare. Et quia nostrum institutum est tantum ὑπομνήματα seu commonefactiones tradere, non locos communes scribere, iudico illa sufficere.

Porro de inimicis diligendis multæ mouentur quæstiones. Num mala ipsorum opera probanda? Num impium ipsorum

propositum dilectione nostra iuuandum, siue contra Deum, siue contra nos? quia iubemur inimicis bene precari, benefacere, pro illis orare. Sed simplicissima responsio sumitur ex verbis Christi: ita diligendos scilicet esse inimicos, sicut Deus diligit malos, iniustos & ingratos, longanimitate sua parcens & benefaciens illis in opere prouidentiæ, non vt illos confirmet & adiuuet in impietate, sed vt hac sua bonitate ipsos ad pœnitentiam, conuersionem & emendationem adducat. Rom. 2. versic. 4. Sæpe vero fræno & chamo coercet ipsos, vt ita eos conuertat, Psalm. 32. versic. 9. ponit circulum in naribus ipsorum, vt retrahat & reprimat malitiam eorum, Esa. 37. versic. 29. Ex hac collatione multæ quæstiones recte & expedite possunt explicari. Ita Augustinus inquit: Sic diligendi sunt homines, vt eorum non diligantur errores & vitia. Item: Ipsa beneuolentia erga proximum semper in voluntate complenda est; agenda sunt multa cum inuitis aspera quadam benignitate; nam, cum licentia iniquitatis erigitur, vtiliter euincitur. Item: Melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere. Christus dicit: Orandum pro inimicis, non vt in iis, quæ impie contra Deum & proximum agunt, successum habeant: sed vt conuertantur, peccatum agnoscant, & eius remissionem consequantur: vel, vt veteres dicunt: Optanda sunt etiam inimicis bona gratiæ & gloriæ, quibus nemo male potest vti, bona vero naturæ & fortunæ eatenus ipsis optenda sunt, quatenus ipsi salutaria sunt ad pœnitentiam. Quando vero benignitate & longanimitate Dei abutuntur, licet sine animi acerbitate orare, vt Deus chamo & fræno maxillas ipsorum constringat, vt ita malum opus impediatur, ipsi à malitia retrahantur, iram Dei intelligant, & ad ipsum conuertantur. Addantur etiam illa argumenta Pharisæorum ex Lege de inimicis extirpandis, quæ supra recensuimus. Illorum enim explicatio quæstionem hanc de dilectione inimicorum vtiliter illustrabit. Tria autem sunt capita responsionum ad illas Pharisæorum obiectiones ex Lege: 1. Alia ratio est magistratus erga hostes Reip. & religionis, siue erga maleficos: & alia ratio priuatorum. Nõ enim Deus iussit in Lege, vt priuatus quisque priuatim occideret quemcunque & quocunque modo ex gentibus illis, nisi imposita ipsi à magistratu, quasi publica persona. Corruptela igitur Pharisæorum fuit ea, quæ de publico magistratus officio dicta sunt, transferre ad priuatam vindictam. Augustinus illis, qui habent potestatem puniendi tradit hanc regulam: Ita puniat, non vt pœna miserum, sed vt correctione beatum esse velit quem punit: sicut pater corrigit filium. 2. Magna differentia est inter inimicos, qui priuatim nos lædunt, & qui oppugnant Remp. & Religonem. 3. Poterant & debebant priuatim gentes illas inimicas diligere, & tamen non contrahere connubia cũ illis, non fœdus cum ipsis inire, non recipere eas in Ecclesiam vel societatem, in quotidiana & familiari conuersatione. Deut. 23. versic. 3. Has breues commonefactiones ideo adieci; quia ostendunt explicationem argumentorum Pharisaicorum, & in doctrina de diligẽdis inimicis multa illustrant. Addenda vero est & hæc obseruatio: quod Christi verba non sunt eo torquenda, quasi prohibeat amicos diligere, bene meritis gratiam referre. Illud enim præcipitur in omnibus Scripturæ locis, quæ gratitudinem laudant, & ingratitudinem detestantur. Sed sensus est, charitatem Christianam non debere consistere intra limites dilectionis publicanorum, peccatorum & Pharisæorum, sed debere vlterius progredi, vt referat naturam & ingenium patris cœlestis. Qui vero cognatum & amicum bene meritum non diligit, quomodo is inimicum diliget? Et maius peccatũ est, domesticos negligere. 1. Tim. 5. vers. 8 & amicum bene meritum odisse, quàm inimico non benefacere. Quæ reliqua sunt in hoc contextu, plana sunt.

Nonne publicani & peccatores idem faciunt?] Publicani propter auaritiam & rapacitatem, peccatores propter publica manifesta & enormia flagitia, vulgo quasi infames erant. Quia vero nemo tam flagitiosus est, quin aliquando & erga aliquos boni aliquid faciat, dicit igitur Christus: Sæpe & plerunque publicani & peccatores eos, à quibus diliguntur, vicissim diligunt, & benefactoribus suis vicissim benefaciunt. Si itaque charitas vestra non vlterius progrediatur, sed tãtum amicos diligat, non estis meliores publicanis & peccatoribus: τί περισσόν; quid magni aut præclari, vel quid plus, maius, abundantius, melius aut præstantius facitis, quam publicani & peccatores? inquit Matthæus. Lucas inquit: ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; *quæ gratia vobis est?* Quia vero χάρις & beneficium ipsum, & gratiam, quæ pro officio debetur, significat: Quidam igitur exponunt, *Quæ gratia*, & hoc est, quale beneficium est, quod præstatis diligendis benefactoribus? Hoc enim ipsis ratione gratitudinis debetur, vt vicem reddatis. Sed quia non dicit: *Quæ gratia est?* Sed *quæ gratia vobis est?* ideo sensus est, quid gratiæ & laudis vobis debetur pro illo officio, quod aliàs benefactoribus debetis? Sicut Luc. 17. ver. 9. Christus eadem phrasi inquit: Si seruus faciat operas debitas, dominus nõ habebit illi gratiam pro illis operis? Et illum huius etiam loci sensum esse inde colligitur, quod Matthæus pro eo, quod Lucas habet: *Quæ gratia vobis est?* ponit, *quammam mercedem habetis?* Ostendit igitur pro illis, quę proximo tanquam legitimam compensationem & remunerationem debemus, non expetendam esse peculiarem gratiam & mercedem à Deo. Tunc enim quæ debemus reddimus, Luc. 17. versic. 10. Similis etiam ratio est eorum, quæ facimus spe & expectatione compensationis & remunerationis ab hominibus consequendæ & recipiendæ, sicut textus inquit: Si mutuo dederitis his, à quibus speratis vos recepturos, quæ gratia est vobis? Colligitur itaque hinc, quod Deus illis proprie gratiam, præmia seu mercedem promittat, quæ facimus tantum propter Deum, sine spe compensationis ab hominibus recipiendæ. Et quæ in hac vita ab hominibus non retribuuntur, illa compensabuntur in resurrectione iustorum, Luc. 14. versic. 14.

Peccatores peccatoribus dant mutuum, vt recipiant premia.] De officio mutuationis & de vsura pręcipua capita in locis annotauimus, iam tantum de explicatione textus dicemus. Hoc constat ex historia Romana, publicanos, quia propter redemptionem vectigalium prompta pecunia abundabant, solitos vsuras seu fœnerationem exercere. Sed Christus hoc loco, sicut de ipsorum expilationibus, ita etiam de vsuris nihil dicit. Propositum enim ius est, collationem instituere inter virtutes publicanorum & Christianorum. Vsuras igitur publicanorum; quia in Lege, Prophetis & Psalmis prohibitæ erant; & quia inter cætera vitia etiam hoc nomine publicani apud Iudæos inter peccatores numerabantur, Christus inter vitia relinquit. Dicit enim, ipsos etiam publicanos & peccatores aliquando, & quibusdam mutuum dare, sine vsura, sed illis, quorum facultates tales sunt, vt sperent sortem se recepturos: vel ideo, vt aliquando vel eodem vel simili officij genere vicissim iuuentur ab illis, quibus officium mutuationis gratuito sine vsuris præstant. Lucas vsurpat verbum, ἀπολαμβάνειν, quod vsurpatur, quando id, quod datum est, redditur, & recuperatur: vel quando pro eo, quod datum est, aliquid recipitur, vt accipere mercedem, 2. Iohann. versic. 8. recipere remunerationem, Col. 3. versic. 24. Illa igitur sententia: *Si mutuum dederitis his, à quibus speratis* ἀπολαβεῖν, vi huius verbi posset intelligi, vel de receptione eius, quod *mutuo datur*, hoc est, sortis, vel de eo, quod pro officio illo datur & recipiatur, hoc est, pro vsura. Sed in receptione huius sententiæ Lucas verbum illud non ponit absolute, sed addit qualem receptionem intelligi velit, scilicet τὰ ἴσα, *paria*, seu æqualia. In sorte enim mutui non idem, sed par seu æquale redditur. Alij τὰ ἴσα interpretantur, quod opulentis ideo mutuentur, vt præter sortem simile seu par beneficium, si opus fuerit, ab ipsis recipere possint. Nam id, quod pro opera seruorum domini ex æquitate debent & reddunt, vocatur ἰσότης, Colos. 4. v. 1. Et vtraque interpretatio vera est, ac possunt coniungi. Syrus vtitur vebo פרע, quod significat solutionem debiti, & sensum ita reddidit. Si dederitis mutuum his, à quibus expectatis, quod dabunt seu reddent vobis solutionem debiti. Et τὰ ἴσα reddidit per voculam הכבי. quæ significat tantundem, seu idem. Mutuantur, vt idem seu tantundem soluatur, seu reddatur. Sed verbum פרע significat etiam compensationem, retributionem, vt sensus etiam esse possit: Mutuantur, vt simili officio hoc compensantur. Hæ igitur sunt virtutes publicanorum, quando in mutuatione optime & rectissime agunt, quod amicis bene meritis gratuito dant mutuum, sed ea conditione, vt id, quod mutuum dant, hoc est, sortem recipiant, & ea spe, vt vicissim simili officio iuuentur. Et tale ἀντίδωρον, sicut Leges loquuntur, est naturalis æquitatis. Christus vero hoc quidem non improbat, aut damnat. Ille enim impius pronunciatur, qui mutuum accipit & non reddit, Psalm. 37. vers. 21. Et gratitudinem pro acceptis beneficiis ipsa Scriptura præcipit. Sed Christus vult suorum virtutes non consistere intra limites publicanorum, sed altius ire & vlterius, vt scilicet non tantum amicis & illis mutuum dent, à quibus sperant se sortem & simile officium recepturos, sed & inimicis & illis, à quibus nihil se recepturos sperant, vel sortem vel simile officium. *Mutuum*, inquit, *date, nihil inde sperantes.* Sentẽtia igitur est, Christianos debere officio mutuationis subleuare egentes, non tantum eos, de quibus vel certi sumus, vel præsumtio est, quod possint reddere seu soluere: sed & illos, de quibus non sumus certi, sed metus est, quod non erunt soluendo, quodque id, quod mutuũ damus, ab illis vix recepturi simus. Vult igitur, ne propter talem metum officium mutuationis egenti denegemus. Non autem docet Christus creditorem fraudandum. Impius enim mutuo accipit, & non soluit, Psalm. 37. vers. 21. Nec vult mutuo dandum ea conditione, vt de sorte nihil reposcatur

aut

... reddatur : ita enim non mutuatio, sed donatio esset. Etenim inter hæc duo illa est differentia, quod in mutuo sors & reposci potest & reddi debet, in donatione vero non. Quia igitur nominat mutuationem, ergo concedit repetitionem sortis, si reddi possit. Sed si ille, qui mutuo accepit, casu aliquo afflictus vel paupertate exhaustus, soluere non possit, vult Christus, vt debitum illud non exigatur cum proximi euersione, licet ratione mutui tuum sit, quod proximus accepit. Huc enim pertinet, quod prius Lucas dixit: Ab eo, qui accepit, quæ tua sunt, non reposcas. Neque vero hunc tantum casum Christus complectitur, sed addit: Etiamsi talis videatur ratio facultatum proximi, vt non possis sperare ipsum fore soluendo : tamen vult in egestate ipsi non denegandum mutuum. Et quia tamen non vocat donationem, sed mutuationem, vult igitur animum ita comparatum esse, vt si debitor possit reddere, exigatur cum oppressione proximi. Sed inquis: Ita damnum mearum rerum facio. Respondet Christus: *Merces vestra erit copiosa*, seu præmium erit multum, *apud Deum*, scilicet & in cœlis. Beneficentia enim, quæ ab hominibus non compensatur, remuneratorem seu retributorem habet certissimum ipsum Deum, qui reddet centuplum, siue in hac vita siue in futura vita. Nam qui benefacit pauperi, fœneratur Domino, qui retributionem suam reddet illi, Prou. 19. ver. 17. Sed quis credit auditui nostro? imo quis ipsi Domino sua hoc modo concredet? Et tamen graue est Deum mendacem facere. Hanc esse huius loci sententiam, ex circumstantiis manifestum & certum est, vnde apparet, quàm pauci sint veri & genuini filij Dei inter Christianos. Omnia enim vbique vsuris repleta sunt: paucissimi sunt qui in eodem gradu cum probis publicanis consistant, vt tantum sortem reposcant. Vbi vero sunt qui mutuum dant, nihil inde sperantes? Et quis etiam habitabit in tabernaculo Domini, & in monte sancto eius requiescet? Psal. 15. vers. 1. Quod attinet ad vocabulum ἀπελπίζοντες, in communi lingua Græca significat ἀπελπίζειν desperare de re aliqua. Et Esth. 4. ver. vlt. vocantur ἀπηλπισμένοι, qui nullam spem auxilij apud homines habent, sed qui de ope humana desperarunt. Ita Iudith. 9. versic. 16. Deus vocatur Seruator τῶν ἀπηλπισμένων. Quod si ita verbum illud hoc loco accipiatur, sensus erit : Etiam si mutuum dederitis egentibus, qui non possunt vel sortem reddere, vel simile beneficium rependere : nihil tamen debetis de lucro desperare. Deus enim sponsor est pro paupere, & reddet præmium copiosum, Prou. 19. ver. 17. Illa quidem sententia vera est, sed Christus phrasin illam μηδὲν ἀπελπίζοντες, opponit ei, quod antea dixerat, publicanos mutuum dare illis, à quibus sperant paria vel æqualia recipere. Ratio igitur antitheseos requirit hanc significationem, vt Christiani mutuum dent illis etiam, à quibus nihil tale sperant. Et compositio verbi videtur inde facta ; quia antea dixerat : Sperant à debitoribus ἀπολαβεῖν. Iam igitur in antithesi componit verbum ἐλπίζειν cum præpositione ἀπὸ vt sensus sit: Publicani sperant recipere æqualia. Vos vero mutuum dare, nihil sperantes recipere. Veteres reddiderunt : Nihil inde sperantes, & exponunt, nihil vltra sortem ex mutuo esse sperandum. Quæ sententia de vsura alibi fundata est. Sed hoc loco Christus suam hanc antithesin μηδὲν ἀπελπίζοντες, non opponit publicanorum vsuris, sed virtuti publicanorum, quando pro mutuo non vsuras, sed tantum æqualia vel sortem cupiunt recipere. Et vult suos longius progredi, vt mutuum dent, etiam vbi illud sperare non possunt. Ac quia dixerat spem publicanorum in gratuita mutuatione complecti, & solutionem sortis, & retributionem similis beneficij, in antithesi dicit μηδὲν, nihil inde sperantes, nec sortem, nec retributionem similis beneficij. Veteres vero, quia vniuersaliter dicitur : *Nihil inde sperantes*, etiam id, quod sorti accedit, sub illa vniuersalitate comprehensum esse iudicarunt. Sed Christus hoc loco & in hac sententia proprie illud non dicit, sicut circumstantiæ manifeste ostendunt. Nequiter autem illi faciunt, qui inde conantur inferre, vsuram in Nouo Testamento non esse prohibitam, cum eius prohibitiones manifestissimæ extent in Lege, in Prophetis & Psalmis : & Christus non venerit Legem & Prophetas soluere. Ac quomodo hoc loco vsuras laudaret, cum à suis exigat, vt non tantum cum publicanis receptione sortis in mutuatione contenti sint, sed eius etiam recipiendi spem, si opus sit, abiiciant? Syrus reddidit: Ne præscindatis spem hominis miseri. Videtur itaque legisse μηδένα pro μηδὲν nominem & ἀπελπίζειν accepisse in propria significatione, sed transitiue, vt denegatione mutui neminem in desperationem coniiciamus. Sed in verbis Lucæ sensus manifestus est. Illud enim μηδὲν ἀπελπίζοντες, *nihil inde sperantes*, refertur non tantum ad mutuationem, sed ad omnia, quæ in periodo illa continentur, scilicet ad dilectionem inimicorum, ad beneficentiam, & ad mutuationem. Diligite, inquit, inimicos vestros, & benefacite, & mutuum date, ita vt inde, scilicet ex dilectione inimicorum, ex beneficentia, & ex mutuatione, nihil scilicet retributionis ab hominibus speretis recipere. Nec est quod metuatis, ne fructus officij vobis pereat: præmium enim vestrum copiosum erit apud Deum, qui retributor est eorum, quæ ab hominibus non compensantur. Nec nouum hoc Christi præceptum est, quasi paradoxon, vnde quidam consilium non obligans inde fecerunt. Sed eadem est sententia, quæ de remissione debitorum, Esa. 58. vers. 6. de restitutione pignoris, Deut. 24. versic. 12. & Ezech. 18. v. 7. traditur. Et regula huius præcepti est generalis illa sententia: Prout vultis vt faciant vobis homines, ita facite & illis similiter, vnde recte æstimatur, quomodo mutuandum sit, vel cum, vel sine spe receptionis.

Pericopa quarta
CONCIONIS CHRISTI IN MONTE,
De Eleemosynis, Matth. cap. 6.

1. Προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς· εἰ δὲ μή γε μισθὸν οὐκ ἔχετε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν τῷ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.
2. Ὅταν οὖν ποιῇς τὴν ἐλεημοσύνην, μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου, ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ ποιοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ ἐν ταῖς ῥύμαις, ὅπως δοξασθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν.
3. Σοῦ δὲ ποιοῦντος ἐλεημοσύνην, μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου·
4. Ὅπως ᾖ σου ἡ ἐλεημοσύνη ἐν τῷ κρυπτῷ. καὶ ὁ πατήρ σου, ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, αὐτὸς ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ.

1. *Attendite, ne eleemosynam vestram præstetis coram hominibus, quo spectemini ab illis : Alioqui præmium non habetis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.*
2. *Itaque cum præstas eleemosynam, ne tubis canatur ante te, quemadmodum hypocrytæ faciunt in conciliabulis & in vicis, vt glorificentur ab hominibus. Amen dico vobis : habent mercedem suam.*
3. *Cæterum tu cum præstabis eleemosynam, nesciat sinistra tua quod facit dextera tua:*
4. *Vt sit eleemosyna tua in occulto : & pater tuus, qui videt in occulto, ipse reddet tibi in propatulo.*

Exegesis huius quartæ pericopes.

Hactenus contra Pharisæorum traditiones disputauit Christus, & ab earum fermento doctrinam Decalogi repurgauit. Iam reprehendit eleemosynas, ieiunia & orationes Pharisæorum, non simpliciter & per se damnans illa opera, (sunt enim in verbo Dei mandata:) sed removens abusus, & ostendens, quomodo bene & recte fieri debeant. Vnde colliguntur duæ regulæ in doctrina bonorum operum necessariæ. 1. Opera mandata in verbo Dei non tantum esse facienda, quoad substantiam actuum (sicut Scholæ loquuntur) verum etiam, eo animo, eo modo & fide fieri de-

bere, ficut à Deo præſcribuntur, vt eleemoſyna, ieiunium,& oratio præſcripta ſunt in verbo Dei; ſed quia Phariſæi non eo animo, non eo modo, nec eo fine orabant, ieiunabant,& eleemoſynas dabant, ſicut Deus præſcripſit, Chriſtus pronunciat, illa non eſſe vere bona opera Deo placentia. Hinc in Scholis dixerunt: Deum eſſe remuneratorem non nominum, ſi ſcilicet ea, quæ ſuo genere & per ſe bona ſunt, fiant, ſed aduerbiorum, ſi ſcilicet ea, quæ per ſe bona ſunt, etiam bene & recte fiant. Quando enim ea, quæ per ſe quidem,& ſuo genere bona ſunt, fiunt: ſi autem non recte nec bene fiant, non placent Deo. 2. Regula: Quando operibus à Deo mandatis, aliquid vitij, ſeu abuſus ab hominibus aſſumitur, propterea non ipſa opera per ſe eſſe damnanda, prohibenda ſeu abroganda, ſed abſterſis deprauationum & abuſuum ſordibus, puritatem doctrinæ & exercitiorum in illis operibus ad normam Legis diuinæ reſtituendam eſſe, ſicut Chriſtus non damnat eleemoſynas, non prohibet ieiunare & orare, propterea quod Phariſæi non recte ieiunabant, orabant, eleemoſynas dabant, ſed vitia acceſſoria reprehendit, & docet, quomodo recte ſit orandum, ieiunandum, dandum.

Oſtendit autem, hypocriſin eſſe generale & commune vitium, quod opera etiam à Deo mandata cōtaminare ſolet. Reprehendit enim Phariſæos, quod faciant opera ſua coram hominibus, vt ſpectentur & glorificentur ab illis. Et quid ſit hypocriſis, quam Chriſtus in operibus Phariſæorum reprehendit & damnat, ſimpliciſſime intelligi poteſt ex illis exemplis, quæ & hoc loco, & Matthæi 23. verſ. 3. & ſequent. adducit. Erant autem Phariſæi auari,& à vero beneficentiæ & eleemoſynarum ſtudio alieni, ſuam curantes cuticulam. Hoc enim Chriſtus ipſis exprobrat, Lucæ 16. verſic. 14. labiis appropinquabant Deo, ſed cor ipſorū longe erat ab eo, Matth. 15. verſic. 8. In corde igitur Phariſæorum motus, nec cum largitione eleemoſynarum, nec cum ieiunio, nec cum oratione congruebant. Externa vero opera eleemoſynarum, ieiunij & orationis faciebant, non principaliter, vt Deo præſtarent cultum & obedientiam, ſed vt applauſum vulgi, gloriam & laudem ſanctitatis apud homines inde conſequerentur: vel, vt inde conciperent opinionem ſeu perſuaſionem meriti & iuſtitiæ coram Deo. Hoc enim intelligit ſiniſtram ſcire, quid faciat dextra. Et quia hoc loco primum nominantur ὑποκριταί, poteſt huic ſumi deſcriptio, quid ſit hypocryſis, quando ſcilicet cor vel eſt ſine veris motibus congruentibus Legi Dei, & interim externas actiones quomodocunque componit & conformat ad normam Legis, vt ita vel apud reliquos homines gloriam & laudem ſanctitatis aucupetur, vel ſibiipſi comparet opinionem & perſuaſionem iuſtitiæ & meriti coram Deo. Vocabulum ſumptum eſt à fabularum actionibus. Mimi enim & hiſtriones, qui perſonas fictas repræſentabant, ſimulantes habitu, externis moribus, verbis & actionibus ſe tales eſſe, quorum perſonam referebant, cum reuera non eſſent, dicebantur ὑποκριταί. Et hoc vocabulum pulcherrime tranſlatum eſt ad ſimulationem, ſiue externam ſpeciem ſanctitatis. Mundi enim theatrum, quia cor inſpicere non poteſt, quærit, admiratur & prædicat tales laruas pietatis, quæ in oculos incurrunt. Ideo Chriſtus vtitur verbo θεαθῆναι, quaſi dicat, hypocritæ tantum theatri applauſum captant. Et ſicut, ſi quis videat & nouerit Mimum priuſquam ſumpto alieno habitu è ſcena in theatrum prodeat, videns ipſum habitu, verbis, geſtibus actionibus ſimulare aliam perſonam, in riſum ſoluitur. Talis luſus coram Deo eſt hypocriſis ſanctitatis. Septuaginta illa, quæ deriuantur à verbo חנף Chanaph, reddiderunt ὑπόκρισιν & ὑποκριτής. Iob. 34. verſic. 30. & 36. verſ. 13. Significat autem verbum illud, aliquid tegere & operire, ſiue ornatus, ſiue contumeliç cauſa, & aliam ſpeciem præ ſe ferre, quam antea ſiue per ſe habebat. Varinus varias recitat deſcriptiones hypocryſeos. Vt: ἐστὶ φιλαμαρτήμων διάθεσις τῇ τῶν κατ' ἀρετὴν ἰδῶν περιβολῇ τοῦ διαμένειν λανθάνουσα. Vel: δημοσιεύουσα προσποίησις τῇ τοῦ [illegible] δοκεῖν συστηματευμένη. Vel: ἀπό τι ἀληθείας ἔχουσα μόρφωσιν. Et hoc eſt malum illud, quod polluit & vitiat opera etiam per ſe & ſuo genere bona.

Quod vero Chriſtus hanc reprehenſionem iiſdem ferme verbis repetit, in doctrina de eleemoſynis, ieiunio & oratione, efficitur inde doctrina generalis, de omnibus bonis operibus, quorum hæc diximus genera eſſe, quod quædam immediate agunt cum Deo, vt oratio: quædam cum proximo, vt eleemoſyna: quædam pertinent ad mortificationem carnis, vt ieiunium. Sunt igitur bona opera facienda, non vt illis quæramus gloriam & laudem ſanctitatis inter homines, nec vt ſiniſtra ſciat, quid faciat dextera, hoc eſt, ne inde formemus nobis perſuaſionem vel iuſtitiæ coram Deo, vel prærogatiuæ præ cæteris hominibus. Et vt breuius dicam, à bonis operibus debent abeſſe hæc tria. 1. Hypocriſis, conformitas externarum tantum actionum, carens veris interioribus motibus. 2. Ambitio, quærens gloriam & laudem hominum. 3. Superbia, inflans animum, propter præſtita opera, vel coram Deo, vel coram hominibus. Et Chryſoſt. recte annotauit, Chriſtum ideo vti verbo προσέχετε, *Attendite*: quia inſidioſæ & blandæ ſunt beſtiæ Hypocriſis, ambitio & ſuperbia, quæ tanquam ſerpentes & tacitæ peſtes etiam latenter bene operantibus ſolent obrepere, & bonis operibus quaſi adnaſci, niſi diligenti attentione caueantur. Nam, ſicut Auguſtinus inquit, reliquæ iniquitates in malis operibus exercentur, vt fiant: ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Et Chriſtus recte dicit: cum reliqua vitia ſeruos diaboli vexent, concupiſcentia vanæ gloriæ magis vexat ſeruos Dei, quàm ſeruos diaboli. Ex antitheſi verò, vere bona opera fieri debent. 1. Ex animo, Roman. 6. verſic. 17. motibus cordis congruentibus cum externis bonis actionibus. 2. Principaliter & quidem ſolo hoc reſpectu & intuitu, quia eſt Dei voluntas & mandatum: hoc etiam fine, vt Deo præſtetur honos & obedientia, vtque ſoli Deo obedientiam noſtram probemus, licet totus mundus ſit ingratus, & vel deſpiciat vel culpet bona noſtra opera. 3. Retinenda eſt vera animi humilitas, in ipſo bonorum operum exercitio, vt, cum omnia, quæ debuimus, fecimus, ſerio dicamus: Serui inutiles ſumus, Lucæ decimo ſeptimo capite, ver. decimo, hoc eſt, ſiniſtra debet ignorare quid faciat dextra.

His expoſitis, facile conciliari poſſunt duo hæc dicta: *Lux veſtra luceat coram hominibus, vt videant veſtra bona opera & glorificent Deum.* Et: *Ne faciatis opera veſtra coram hominibus, vt videamini ab illis, atque vos glorificent.* Quando enim tria illa, quæ ſupra diximus, remouentur à bonis operibus, Hypocriſis, Ambitio & Superbia, tunc verus ordo eſt, vt primo & principaliter fiant propterea, quia Dei voluntas eſt, & hoc fine, vt Deo præſtetur honos & obedientia: Deinde vero etiam Lux illa non tantum poteſt, verum etiam debet coram hominibus lucere, vt videant bona noſtra opera: non, vt nos inde glorificemur, ſed vt obturetur os blaſphemantibus doctrinam Euangelij, 1. Pet. 2. verſ. 12. vtque reliqui noſtro exemplo inuitentur ad pietatem, & ædificentur ad imitationem, ſicut Paulus inquit, atque ita Deus glorificetur. Hæc ſententia & ſimplex & vera eſt.

Auguſtini conciliatio hæc eſt: Bona opera non debere fieri propterea, vt videantur ab hominibus, ſed ex conſequenti hoc fieri, vt homines videant & glorificent Deum. Laus humana, inquit, non appeti, ſed ſequi debet, vt illi, qui probant, proficiant ad gloriam Dei. Et conferendo illa dicta Pauli, Galat. 1. verſ. 10. Si hominibus placerem, ſeruus Chriſti non eſſem. Et 1. Corinth. 10. v. vlt. placere omnibus, ſicut ego omnibus per omnia placeo. Rom. 15. verſic. 2. proximo ſuo placeat in bonum. Non ideo inquit, recte faciebat Paulus, vt hominibus placeret, ſed Deo, cui placere non poſſet, niſi his, quos ſaluos fieri vellet, ſe præbuiſſet imitandum. Nemo autem illum imitatur, qui non placet. Ipſum igitur, quod hominibus placebat, ad Deum referebat. Ita Auguſtinus. Hæc quia complectuntur doctrinam generalem, & repetuntur eodem modo de eleemoſyna, de oratione & ieiunio, volui hoc loco præmittere. Hebraica enim conſuetudo eſt, ſicuti aliquoties monuimus, doctrinam generalem per exempla ſpecialia proponere. Cumque generalis diſtributio bonorum operum ſit, quòd ex obiectis quædam immediate agunt cum Deo, quædam cum proximo: in quibuſdam homo ſecum ipſe agit, vt ſcilicet corpus ſubiiciatur, caro mortificetur, & membra præbeantur arma iuſtitiæ Deo. De ſingulis vnum ponit exemplum: orationem erga Deum: eleemoſynam erga proximum: ieiunium ergo nos ipſos, vt ita generalem tradat doctrinam, quæ cauenda ſint in omnibus bonis operibus, ſiue cum Deo, ſiue cum proximo, ſiue cum nobis ipſis agamus. Sed iam ad explicationem eorum, quæ in hoc textu reliqua ſunt, progrediemur.

Attendite, ne eleemoſynam veſtram faciatis.] In præcedentibus docuit de dilectione, miſericordia, & benignitate animi erga egentes. Iam agit de ipſis operibus beneficentiæ. Et quanquam hoc loco proprie loquatur de donis ſeu munuſculis, quæ in pauperes erogantur, ſicut & vocabulum eleemoſynæ ita vſurpatur, Actor. 3. verſ. 2. & 24. verſ. 17. doctrina tamen in genere agit de omnibus operibus beneficentiæ, quibus ex miſericordia proximo bene fit: ſicut Scriptura omnia beneficia, & Dei, & hominum, erga nos, hac ipſa phraſi, quæ hoc loco vſurpatur, deſcribit: facere alicui, vel cum aliquo miſericordiam. Et Tob. 1. verſ. 20. etiam mortuos ſepelire vocatur eleemoſyna. Vetus autem tranſlatio hoc loco apud Matthæum habet, *facere iuſtitiam.* Atque ita legunt & Hieronymus & Auguſtinus. Græci enim Interpretes, vbi in Hebræo vocabulum iuſtitiæ ſæpius tranſtulerunt ἐλεημοσύνην, vt Deut. 6. verſ. vltim. & 24. verſ. 13. Eſa. 1. verſic. 27. 28. verſ. 17. & 59. v.

59. vers. 16. Et Psalm. 112. vers. 9. vocabulum iustitiæ pro beneficentia in pauperes vsurpatur: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum.* Quod dictum Paulus allegans, 2. Cor. 9. v. 9. retinet vocabulum δικαιοσύνη. Ita Chaldaismus Dan. 9. ver. 16. Et hoc loco Syrus pro eleemosyna habet צדקתא iustitiam: Iudæi adhuc hodie eleemosynas ita appellant. Et appellatio illa non est incommoda. Monet enim, ne putemus beneficentiam in pauperes arbitrariam esse. Sed Deus ideo facultates inæqualiter distribuit, vt hoc modo genus humanum consociatum esse mutuis officiis in communicatione rerum & operarum, iuxta regulam, 2. Corinth. 8. vers. 13. Non vt vobis angustia, reliquis relaxatio, sed vt ex æqualitate vestra copia ipsorum succurrat inopiæ. Cumque iustitiæ sit neminem defraudare, sed suum cuique reddere, monet hæc appellatio, pauperes defraudari, & quod ipsis, ratione iustitiæ, hoc est, ordinis à Deo sanciti, debetur non reddi, quando inopia ipsorum eleemosynis non subleuatur, atque ita peccari contra iustitiam. Quia vero Græci Daniel. 9. vers. 16. צדקה reddiderunt ἐλεημοσύνη, & vox in ea significatione in libris Syracidis & Tobiæ sæpius repetita, ostendit, vsitatum tunc fuisse in sermone Ecclesiæ illius temporis. Euangelistæ igitur notum & receptum illud vocabulum retinuerunt, quia ipso sono & significatione multa monet. Quia enim à misericordia nomen habet, monet non tantum ad externam largitionem respiciendum, sed ante omnia animum debere misericordia informatum esse iuxta dicta, Esa. 58. vers. 10. *Cum effuderis esurienti animam tuam.* Hiob. 30. ver. 25. *Anima mea compatiebatur pauperi.* 1. Iohan. 3. vers. 17. *Videns pauperem non claudas viscera tua.* Psalm. 111. versiculo 5. *Beatus qui miseretur & tribuit.* Ostendit etiam illa appellatione, quibus sint præstandæ eleemosinæ, non scilicet vel diuitibus, vel ociosis scurris, sed quorum fortuna digna est commiseratione. Nec propter præcedentia merita, vel sequentem retributionem, sed ex gratuita misericordia pauperibus subueniendum esse. Hæc de vocabulis, quia res ipsas illustrant, obseruare vtile est. De doctrina verò, quod in bonis operibus non sit spectandus aut quærendus ille finis, vt ab hominibus spectemur & celebremur, supra diximus. Addit autem: *Alioqui non habetis mercedem apud Patrem.* Deus enim vult, nos dare eleemosynas propter suam voluntatem & mandatum, vt Deo præstetur cultus & obedientia. Atque eleemosynis promisit præmia Psal. 41. versic. 2. 111. vers. 6. & 9. Esa. 58. versi. 10. 11. & 12. Quando verò non ad Deum respicimus, sed ab hominibus pro illo opere gratiam & laudem, seu retributionem, hoc est, mercedem captamus, eo ipso fraudamus nos mercede à Deo promissa. Inquit enim: *alioqui mercedem non habetis apud Patrem.* Et obseruetur quod non dicit in futuro, *non habebitis*: sed, *non habetis mercedem*: nec dicit *à Patre*, sed *apud Patrem.* Significat enim, mercedem bonorum operum, etiamsi non statim, vel non in hac vita reddatur: certo tamen iam repositam esse apud Deum, sicut frugi seruus mercedem suam, ne dilapidetur, apud Dominum relinquit, vt commodo tempore eam saluam & integram recipere possit. Et Patrem potius quàm Deum appellat, vt ea appellatione magis nos excitet ad studium bonorum operum, vt Patri nostro placeamus, ac simul ostendat, ex fide, quasi filij Dei facti, Deum patrem habeamus, proficisci debere illa opera, nec reddi mercedem, vt ex merito debitam, sed ex gratia, sicut pater filiorum officia remunerat. Et addit: *Qui in cælis est.* Vult enim ostendere, mercedem quam ab hominibus expectamus, esse incertam, dubiam, transitoriam & caducam, expositam, innumeris periculis: quam verò apud Patrem in cœlis habemus repositam, esse certam, cœlestem, solidam, æternam & tutam. Stultam igitur esse permutationem, quod pro cœlesti captamus humanam mercedem. Ita singula verba, si recte expendantur, peculiare aliquid monent.

Noli tuba canere ante te.] Apparet, vetustum morem fuisse, quod pauperes in Israel non incerta vagatione ostiatim vel vicatim eleemosynas quæsierint, sed quod cuiusque loci pauperes, statis temporibus, incertum aliquem locum, dato ad hoc publico signo, quod tubæ sonitu in illis locis fiebat, congregati fuerint, vt de iis quæ vel ex decimis pauperum, Deut. 14. vers. 28. vel ex aliis piorum eleemosynis collecta erant, distributio fieret, pro cuiusque necessitate. Ac primò pias rationes habuit illud institutum, ne ociosi Scurræ & validi mendicantes sua petacitate reliquis eleemosynas præriperent, & ne veri pauperes negligerentur aut præterirentur, sed vt pro necessitate cuiusque distributio fieri posset. Ac factum hoc fuit in synagogis, vt ipse locus, in quo Lex & Prophetæ legebantur, tum conferentes & distribuentes, tum pauperes accipientes, officij sui admoneret. Hunc morem Christus per se non reprehendit aut damnat. Nam similis ferme videtur ratio fuisse. Act. 6. v. 2. & 3. Pharisæi verò eleemosynas suas non voluerunt in commune conferre, sed ipsi eas per se distribuerent, & quando illud facturi erant, curarunt tubam ante se clangere, quando per ciuitatem procedebant ad locum eleemosynarum, neque in synagogis tantum, sed in publicis plateis ciuitatum eleemosynas suas distribuebant, vt non tantùm à pauperibus, sed à reliquis ciuibus spectarentur. Et quia ideo illud faciebant, vt ab hominibus honorificarentur, seu celebrarentur, tanquam misericordes, liberales, benigni & benefici, cum in corde nihil minus essent, sed externa tantùm essent hypocrisis: propterea Christus illud damnat, & inquit: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*, inanem scilicet illam à vulgo gloriolam, quam quærunt & captant, ita, vt vlterius aut amplius à Deo nihil ipsis pretij expectandum sit. Vtitur autem Matthæus verbo ἀπέχειν, quod significat aliquid ex aliquo recipere, velut censum aut reditum ex agris, vt, ἀπέχειν τὰ διδασκάλια, doctrinæ mercedem recipere. Item, ἀπέχειν καρπὸν, fructum vel ex agris, vel pro laboribus reportare. Sensus itaque erit hoc loco, Pharisæos ex hypocrisi aliquid dare pauperibus, & dico vobis, pro illa hypocrisi parem etiam accipiunt mercedem, inanem scilicet gloriolam, inconstantem, & mutabilem vulgi applausum, vt quale est beneficium, tale etiam sit præmium. Sed compositio verbi ἀπέχειν respicit ad simplex, quod præcessit ἔχετε, pij scilicet ἔχουσι habent præmium suum repositum apud Deum, quod certo sibi reddendum sciunt. Hypocritæ verò οὐκ ἔτι ἔχουσι, vel ἀπέχουσι, mercedem suam iam receperunt & habent, vt nullam etiam posthac expectandam habeant, quàm inanem gloriolam, sicut Lutherus reddidit: *Sie haben ihren Lohn dahin oder hinweg.* Græci enim apud Varinum hæc duo opponunt, quando creditor pecuniam suam nondum recipit, tunc vtuntur hoc verbo ἀπέχει κεχρεωστημένον, hoc est, οὐκ ἔτι ἔχει, & amplius exigere nihil potest. Ita Synesius loquitur: postquam Carnas domesticus meus factus est, ἀπέχω χάριν: gratiam illam, quam quærebam, vel beneficium quod expectabam iam recepi, postquam Carnas domesticus meus factus est. Et Græci etiam interpretes ita vtuntur verbo ἀπέχειν. Nam Gen. 43. v. 23. vbi Iosephi œconomus dicit, se accepisse pecuniam pro frumento, & se nihil habere, quod ab ipsis exigat, Hebræus dicit: pecunia vestra peruenit ad me. Græci verò reddiderunt ἀπέχω pecuniam vestram, *Habe euch nirgends mehr von zumahnen.* Et Num. 32. v. 19. vbi Ruben & Gad dicunt, se non expetere portionem in diuisione terræ vltra Iordanem, quia iam habeat suam possessionem, Græci vtuntur verbo ἀπέχειν. Et Plutarchus in Solone prorsus ita loquitur: *Qui, inquit, non ex legitimo matrimonio, sed ex scortatione liberos procreat, cum non liberis, sed voluptati suæ operam dederit*, ὁ μισθὸν ἀπέχει · *præmium suum iam recepit*, expleta scilicet libidine, ita, vt à liberis præterea nihil gratitudinis sperare vel petere possit, vt parentem in senectute alant, cùm ipsis fœdam illam maculam aspersit. Ita Syrus hoc loco reddidit קבלו acceperunt, apprehenderunt mercedem suam. Duo igitur hac phrasi Christus docet. 1. Quod homines sæpius seipsos defraudent veris bonorum operum præmiis apud Deum, quando remunerationem apud homines quærunt. 2. Quod tunc certior sit spes retributionis apud Deum, quando illi, quibus benefecimus, vel non possunt, vel non volunt illud in hac vita compensare, sicut manifeste Christus dicit, Luc. 14. v. 14.

Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera.] Tropum esse in his verbis, non est dubium, sed quomodo explicandus sit, quæritur in secunda expositione Matthæi, quæ Chrysostomo, sed non recte tribuitur, citantur ex libro de Canonibus Apostolorum, in quibus sinistra explicetur pro infidelibus, impiis & reprobis, qui ad sinistram Christi statuentur. Sed ipse Chrysostomus in prima expositione & Augustinus illam interpretationem, quod sinistra significet vel infideles, vel inimicos, vel vxorem: quasi coram illis aut ipsis consciis, non sit facienda eleemosyna, omnino reiiciunt. Canones igitur Apostolorum, vel non agnouerunt, vel non pro authenticis habuerunt. Augustinus verò, ex materia subiecta, per dexteram intelligit voluntatem, vitam aut intentionem obediendi Deo, in præstandis eleemosynis. Per sinistram intelligit appetitionem, vel delectationem laudis humanæ. Et quando conscientiæ dantis miscet aut ingerit se appetitio laudis humanæ, tunc dicit, sinistram scire quid faciat dextra. Alij per sinistram intelligunt familiares, qui homini proximi esse solent, sicut sinistra dextræ, vt sensus sit, adeo secrete faciendam eleemosynam, vt non alieni tantum, sed ne proximi quidem eius sint conscij. Chrysostomus censet esse hyperbolen: Tantum abesse debet vt aliis ostentes quod bene agis, vel aliorum applausum inde quæras, vt si fieri posset, etiam sinistra tua, quæ coniunctissima & cooperatrix est, ignorare illud debeat, hoc est, vt etiam ipse nescias, & benefactorum tuorum obliuiscaris, ne attendas, aut tecum supputes, quid, quantum, quomodo, quibus aut quoties dederis, vt non obrepat in animum superbia quædam, vel sibi placens, vel aliis hominibus præ

se ferens, vel coram Deo se efferens, vel pauperi beneficium exprobrans. Quæ admonitio admodum est necessaria, vt non tantùm aliorum applausum non quæramus, sed ne ipsi quidem nobis blandiamur in benefactis. Lutherus ita interpretatur: Quando dextra dat, sinistra verò captat inde vel pro eo plura & meliora apud homines arripere, sicut qui furatur equum, & frænum dat pauperibus, vel qui dant frustum panis, vt possint reditus Ecclesiasticos sub ea specie libere inuadere. Vt sensus sit, sicut Rom.12.8. Paulus inquit: Qui dat, det in simplicitate, non quærens gloriam vel lucrum, vel vt obnoxios habeat, tanquam mancipia, quos beneficiis sibi deuinxit.

Vt sit eleemosyna tua in abscondito.] Hæc verba intelliguntur vulgò de loco secreto à conspectu hominum remoto. Et quærunt, an sit præceptum, an vero cautela? Quia enim in hac naturæ nostræ infirmitate & corruptione, etiam quando recta intentione conantur eleemosynas facere, facile obrepit titillatio laudis humanæ, aut propriæ complacentiæ, quando in publico multis spectantibus & consciis hoc facimus, dicunt esse consilium seu cautelam, vt ad præscindendam ambitionis occasionem studeamus, quàm fieri potest occultissime eleemosynas facere. Si verò accipiatur vt præceptum, intelligendum esse de intentione, vt scilicet non ideo fiat, vt spectemur & celebremur ab hominibus, nec ita instituendam eleemosynam, vt ambiamus vulgi conspectum, sed solo intuitu voluntatis & mandati Dei. Aliàs enim sæpe posse in publico eleemosynas recte fieri, vel propter Dei gloriam vel ad excitandos nostro exemplo alios, vel ad proximi in publico occurrentis inopiam subleuandam. Et hæc quidem per se vera sunt.

Simplicior tamen est illa explicatio, quæ ex ipso contextu sumitur. Ita scilicet eleemosynam nostram fieri in occulto, sicut in verbis præcedentibus Christus declarauit. 1. Quo ad alios. Ne ideo aut ita fiat, vt ab hominibus spectemur & celebremur. 2. Quo ad nos ipsos, vt sinistra non sciat quid faciat dextra, sed solo studio obediendi Deo, & iuuandi proximum.

Pater tuus, qui videt in occulto, reddet tibi.] Ita vetus interpres legit. Græca verò addunt: *Reddet tibi in propatulo.* Quam additionem Augustinus dicit, suo tempore repertam in libris Latinorum, sed defuisse in libris Græcorum. Nunc vero in Græcis hæc verba leguntur, desunt autem in Latinis. Sed Chrysostomus & Theophylactus legunt ita, sicut iam Græca habent, & ipsa sententia ac ratio antitheseos flagitat illam additionem. Innatum enim quasi nobis est, quod sine testibus, vbi non sunt, qui virtutes nostras spectant & celebrent, ac sine spe gloriæ & præmij, aut quando putamus, beneficium non recte collocati, non libenter benefacimus. Et ingratitudo, seu beneficiorum obliuio, segnes nos reddit ad beneficentiam, ac videtur eleemosyna esse quasi dispersio, Psal.112.9. ac si panis mittatur super faciem aquarum, Eccles. 11.1. Dicit igitur Christus: Vbi inter homines nullus est operum tuorum vel testis, vel præco, vel gratus remunerator, non ideo existimes te oleum & operam perdere. Licet enim hominum obliuione, negligentia & ingratitudine quasi tenebris beneficia tua sepeliantur & occultentur, ac multi sæpe alieno labore partam gloriam in se deriuent, scias tamen, omnes etiam occultissimas latebras oculis Patris tui cœlestis expositas, peruias & conspicuas esse, Hebr.4.versic.13. Homo enim videt etiam ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor. 1.Reg.16.vers.7. Obseruandum autem est epitheton illud, quod Deo tribuit, quod scilicet sit ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, hoc est: Quod sit spectator illorum recte factorum, quæ fiunt in occulto, hoc est, quæ homines spectare vel non possunt vel non volunt. Quia enim antea dixerat homines benefactis suis quærere, vt theatro mundi gratificentur, & eius applausum captent, atque ideo abhorrerent ab illis, quibus non est proposita mundi gloria, vel quæ mundus non curat aut magnifacit, hoc est, quæ fiunt in abscondito. Dicit itaque: Patrem cœlestem esse τὸν βλέποντα, hoc est, spectatorem in abscondito seu tenebroso illo theatro, quod ab oculis hominum remotum & proiectum est, vt propter hunc spectatorem excitentur ad alia recte facta. Rectius igitur & significantius redderetur hæc phrasis, Pater tuus, qui est spectator in occulto, quàm quando vulgo redditur, qui videt in occulto. Et ille spectator, quia verax est & promisit præmium, certe illud tibi ἀποδώσει retribuet, renumerabitur, aut compensabit. Et eius merces est copiosa valde, Genes.15.vers.1. Nec tantum reddet, sed *in propatulo reddet.* Illam enim particulam, sicut Chrysostomus recte annotauit, opponit vanæ ambitioni, qua gloriam & applausum coram hominibus in hoc mundo quærimus. *Reddet*, inquit, non in angulo aliquo mundi, sed *in propatulo*: nec coram paucis testibus, seu spectatoribus vnius vel ciuitatis, vel regionis, sicut in hoc mundo fieri solet, sed in resurrectione iustorum, Lucæ 14.ver.14. vbi omnes manifestabuntur coram tribunali Christi, Rom.14.vers.10. coram omnibus Angelis, & coram toto mundo Matth.10. versic.32. & 25.versic.31. Et hæc vera erit gloria ab ipso filio Dei, idque in conspectu angelorum, omnium piorum, & totius mundi, palam celebrari. Et hoc vocat ἐν τῷ φανερῷ, in manifesto. Iam enim vita nostra abscondita est cum Christo in Deo, Colos. 3.v.3. tunc vero etiam occulta tenebrarum manifestabuntur. Et implebitur illud Esai.c.58.v.10. Tunc erumpet quasi aurora Lux tua, & ornabit faciem tuam iustitia tua.

Pericopa quinta

CONCIONIS CHRISTI IN MONTE,

De oratione, Matth.6.

5. Καὶ ὅταν προσεύχῃ, οὐκ ἔσῃ ὥσπερ οἱ ὑποκριταί, ὅτι φιλοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν ἑστῶτες προσεύχεσθαι, ὅπως ἂν φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν· ὅτι ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν.
6. Σὺ δὲ ὅταν προσεύχῃ, εἴσελθε εἰς τὸ ταμιεῖόν σου, καὶ κλείσας τὴν θύραν σου, πρόσευξαι τῷ πατρί σου τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ· καὶ ὁ πατήρ σου ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ.
7. Προσευχόμενοι δὲ μὴ βαττολογήσητε, ὥσπερ οἱ ἐθνικοί. Δοκοῦσι γὰρ, ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται.
8. Μὴ οὖν ὁμοιωθῆτε αὐτοῖς. Οἶδεν γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὧν χρείαν ἔχετε, πρὸ τοῦ ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτόν.
9. Οὕτως οὖν προσεύχεσθε ὑμεῖς· Πάτερ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου.
10. Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς.
11. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον.
12. Καὶ ἄφες ὑμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν.

5. *Et cum oraueris, non eris quemadmodum hypocritæ. Nam illi solent in conciliabulis, & in angulis platearum, stantes orare, quo conspicui sint hominibus. Amen dico vobis, quod habent mercedem suam.*
6. *Tu vero cùm oras, introito in conclaue tuum, & occluso ostio tuo, ora patrem tuum, qui est in occulto: & pater tuus, qui videt in occulto, persoluet tibi in propatulo.*
7. *Verum orantes ne sitis multiloqui, sicut Ethnici. Putant enim fore, vt ob multiloquium suum exaudiantur.*
8. *Ne igitur efficiamini similes istorum. Nouit enim pater vester, quibus rebus opus sit vobis, priùs quam petatis ab illo.*
9. *Ad hunc ergo modum orate vos: Pater noster qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum.*
10. *Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra.*
11. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*
12. *Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.*

13. Et

13. Καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ· ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν.

14. Ἐὰν γὰρ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, ἀφήσει καὶ ὑμῖν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος.

15. Ἐὰν δὲ μὴ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, οὐδὲ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἀφήσει τὰ παραπτώματα ὑμῶν.

13. *Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum, Amen.*

14. *Proinde si remiseritis hominibus errata sua, remittet & vobis pater vester cœlestis.*

15. *Quod si non remiseritis hominibus errata sua, nec pater vester remittet errata vestra.*

Exegesis huius quintæ pericopes.

ET *cum oraueris, &c.* Præcipuum religionis & pietatis caput est oratio, atque ideò eius studiosi apud homines videri volebant Pharisæi, vt opinionem religiosæ & deuotæ pietatis apud omnes haberent. Christus verò, propter Pharisæorum abusus, non reiicit aut damnat ipsa exercitia orationum per se, sed repurgat ea à vitiis & Pharisæorum & Ethnicorum, vt abstersis sordibus, vera & pia orationum exercitia genuinæ puritati in Ecclesia sua restituat. Pharisæi inquit, *φιλοῦσι in synagogis & plateis orare.* Et verbum φιλοῦσι non simpliciter solitum ipsorum morem significat, sicut aliàs pro solere vsurpatur. Neque enim simpliciter ipsorum morem seu consuetudinem publicarum & communium precum per se damnat, sed affectationem verbum φιλοῦσι complectitur, sicut Græci, Gen. 27. versi. 4. loquuntur: cibos, quos φιλεῖ Isaac, quos expetit, quibus delectatur: Item Matth. 23. vers. 6. φιλοῦσι vocari Rabbi, amant loca superiora. Ita Græci dicunt φιλεῖ δρᾶν, quod quis affectat facere, & gaudet faciendo. Significat igitur Pharisæos, propter ostentationem deuotionis seu pietatis affectasse hoc, vt in locis publicis, vbi magna erat multorum hominum concursatio & frequentia, sicut in synagogis & in angulis platearum, orarent, & quidem *stantes*, vt omnibus circumstantibus & prætereuntibus, ex visis gestibus, conspicuum esset ipsos orare. *φανῶσι vt videantur*, conspiciantur seu spectentur. Intelliguntur autem anguli platearum, non abditi vel sinuosi recessus aliqui in plateis, sed locum, vbi duę vel plures plateæ conueniunt. Latini vocant compita, biuia vel triuia. Germanice, *nicht ein VVinckel, sondern ein Ecke.* Quia vero verbum φαίνονται vsurpatur etiam de illis, quæ extra aliter apparent, quam intus sunt, vt Matthæi 23. vers. 27. Sepulcra dealbata extra apparent pulcra, intus verò plena sunt sordibus. Hoc loco igitur φανῶσι pulcre coniungitur cum hypocritis. Sicut enim Mimi, externa larua induti, apparent, quasi reges essent, simulant fletus, iras, &c. ita Pharisæi externis gestibus ita se gerunt coram hominibus, quasi humiliter, ardenter & deuote orarent, cùm cor ipsorum longe sit à Deo. Et ridicula prorsus est hæc hypocrisis, cum oratio immediate agat cum Deo, vt ab ipso exaudiatur, & quæ petit impetret, non sollicitum esse de mente ardenti, fide in vera humilitate ad Deum eleuanda, interea vero quærere & affectare, vt ab hominibus, ad quos oratio non dirigitur, tanquam religiose deuoti spectentur & celebrentur. Et tacita antithesis est. Ita componunt se ad orationem, non vt à Deo exaudiantur, sed vt ab hominibus spectentur. Repetit autem Christus illam antea vsurpatam & explicatam phrasin: *Amen dico vobis, quoniam accipiunt mercedem suam*, hoc est, orationibus suis nihil aliud quam euanidam illam, à vulgo, quam quærunt gloriolam, consequuntur, nec est quod sperent orationem suam à Deo exaudiri, & esse sacrificium Deo gratum, aut per illam se à Deo aliquid impetraturos. Hoc diligenter obseruetur: Per ostentationem & affectationem gloriolæ humanæ poni obicem orationi, vt ad Deum penetrare non possit. Et quia Christus hoc loco ostendit, Pharisæos per opus orationis mercedem quæsiuisse, indicat ipsos ex oratione fecisse opus operatum seu meritorium, cum magna sit differentia inter illa opera, quibus Deo aliquid tradimus seu afferimus, & inter fidem, spem & orationem, quibus cum Deo humiliter agimus, vt gratuitum aliquod beneficium ab ipso accipiamus. Sicut inquit Christus: *Qui petit, accipit: qui quærit, inuenit:* Hic, si accedat opinio operis operati & meritorij, ipsa oratio vitiatur. Ideo CHRISTVS à Pharisæorum hypocrisi suos absterret, cum inquit: *Cum oraueritis, non eritis sicut hypocritæ.*

Tu vero cum oras, introito in cubiculum, &c.] Docet quomodo absque ostentatione & affectatione gloriolæ humanæ orandum sit. Sed certe communes & publicæ preces, quæ in conuentu vel plurium vel paucorum fiunt, habent probata Scripturæ testimonia & exempla, vt Mosis Leuit. 23. versic. 8. Solomonis 3. Reg. 8. versic. 22. Dauidis Psalmo 26. vers. 8. 68. versic. 31. In Ecclesiis benedicite Domino. Iosaphati 2. Paral. 20. vers. 5. Ioëlis 2. vers. 32. Et templum vocabatur Domus orationis. Num vero Christus tales publicas preces in Nouo Testamento sustulit & damnauit? Nequaquam. Ipse enim Christus dicit, Matth. 18. vers. 21. Si duo vel tres congregati in nomine meo cōsenserint de re aliqua petenda, ero in medio eorum. Et Paulus ita instituit publicas seu cōmunes preces, 1. Corin. 14. vers. 19. Et 1. Timoth. 2. vers. 1. vbi addit, in Nouo Testamento, orationem ad nullum vel publicum vel priuatum locum esse alligatam, sed in omni loco posse fieri leuationem manuum ad orationem, modò pura sit. Et rationes publicarum precum sunt fidei analogæ. 1. Vt ex publica ad precandum exhortatione, ex solenni commemoratione necessitatis, promissionum & beneficiorum Dei, animi ardentius ad orationem & gratiarum actionem inflammentur. 2. Vt multorum simul consentientium oratio sit apud Deum acceptior, sicut Christus Matth. 18. vers. 19. inquit. 3. Vt ita publice testemur fidem, spem, & gratitudinem nostram, & hoc nostro exemplo alios ad idem agendum excitemus. Nam exempla feruentiorum socordiam tepidorum excutere solent, sicut fit in Symphonia Cantus, quo vocabulo Christus de communibus precibus vtitur. 4. Vt ita testemur nos esse membra vnius corporis. Quomodo igitur Christus hoc loco oraturis præcipit, vt in secretum cubiculum secedant? Augustinus & Hieronymus ideo ad allegorias confugiunt, vt intrare in cubiculum, sit in ipsum cor descendere, & claudere ostium, sit terrenas cogitationes & sensum carnalem excludere, ne sese orationi ingerāt, & eam turbent, impediant, aut vitient. Quæ per se vera quidem sunt, sed hoc loco non traducitur, vbi tantùm contra Pharisaicam ostentationem doctrina traditur. Non igitur opus est, à litera (quod dicitur) descendere, & tales argutias quærere. Christus enim ostendit se loqui non de communibus, sed de priuatis precibus. Inquit enim: *Cum oraueris.* Item: *Tu cum oras.* Et non alligat orationem ad cubiculum, tanquam ad certum locum, Iohan. 4. 21. Et 1. Tim. 2. 2. sed loquitur in comparatione, ad ostentationem & affectationem Pharisaicam. Illi oraturi fugiunt loca secreta, & affectant publica loca, vt spectentur ab hominibus, non oraturi, nisi testes, spectatores & laudatores habeant. Tu verò oraturus, adeo non affectes hominum laudem, vt ad cauendam, vitandam & effugiendam vanæ gloriæ, quæ in publico obrepere posset, occasionem & titillationem, potiùs in locum secretissimum vbi nemo videat, sentiat, aut sciat te orare, secedas. Intentio enim Christi est, vt doceat cauendam & fugiendam omnibus modis ostentationem in orando, ac Deum solum spectandum ac præ oculis habendum, vt cum illo recte, humiliter & deuote agamus.

Illud, quando seruatur in publicis etiam precibus, non pugnat cum hac Christi sententia. Sicut, si cubiculum ideo ingrediaris, & ostium claudas, vt homines inde animaduertant te orare, non seruas hoc præceptum Christi, quia contra intentionem eius pugnas. Christus enim secessum in oratione ideo hoc loco probat, vt caueatur & vitetur inanis gloriæ cupiditas. Habet vero secessus ille, quo oraturi ab hominum conspectu & præsentia nos abducimus, præterea alias etiam causas & vtilitates, nempe, vt eo liberius vota nostra suspiriis, gemitibus, vocibus & gestibus coram Deo prosternere, & animam effundere possimus. Deinde vt mens ab omnibus auocamentis & distractionibus soluta & libera, facilius se eleuare, atque cum debita attentione & deuotione ardentius, instantius, purius & familiarius cum Deo colloqui possit.

Ora patrem tuum, qui est in occulto, &c.] Vetus interpres habet, *Ora patrem in occulto.* Sed Græcus addit articulum τῷ, vt sensus sit, Deum esse in occulto, hoc est, oculis & sensibus humanis non percipi, sed esse Deum absconditum. Esa. 45. v. 15. Atque ideo etiam quærere tales adoratores, qui sine externis pompis in occulto orent: Deum autem videre in occulto, hoc est, nosse abscondita cordium, Psalm. 44. vers. 22. vt ne gemitus quidem noster ipsi absconditus sit, Psalm. 10. vers. 14. atque ideo addit: *Reddet tibi in propatulo*: hoc est, manifeste & publice ostendet, orationem tuam, quam ad Patrem in occulto dirigis, esse exauditam. Quia vero illud *in propatulo*, in præcedentibus significat in resurrectione iustorum, coram

omnibus electis & angelis, erit igitur sensus: Licet in hac vita sæpe videaris non exauditus, cum ea, quæ petis non sequantur, sed sæpe diuersum accidat: Tunc tamen in propatulo ostendetur, orationem tuam fuisse exauditam, si non ad voluntatem tuam, tamen ad vtilitatem & salutem, sicut Augustinus loquitur. Et iucundum erit tunc videre, quomodo orationes nostræ, quæ res petitas impetrarunt, tamen exauditæ fuerint. Porro quia non simpliciter dicit, donabit, ἀποδώσει, *reddet*, rependet, persoluet tibi, Chrysostomus monet, misericordiam Dei cum admiratione obseruandam, quod pro eo, quod rogatur à nobis, merces promittitur bonis à Deo danda. Quis enim principum mercede dignos putat, à quibus rogatur, ac non potius ipse deputat summum esse suum beneficium, quod rogantibus autem præbuerit, & sui copiam fecerit? Deus vero adeo gratas sibi piorum preces esse ostendit, & adeo gloriosum sibi reputat, quod à nobis in tribulatione inuocatur, vt se orantibus quasi debitorem exhibeat, cum inquit: *Reddet tibi*. Non autem ex commisso, sed ex promisso: sicuti Augustinus loquitur. Cumque orationi, quę Deo nihil dat, sed quasi mendica manus gratis ab ipso aliquid accipere petit, promittitur merces; satis ostenditur, quicquid in Scriptura mercedis promittitur, non esse debitam, sed gratuitam remunerationem.

Verum orantes ne sitis multiloqui, &c.] Alterum iam vitium orationis coniungit, multiloquium scilicet, quod ab Ethnicis ortum, etiam in Ecclesiam Dei irrepserat. Nam Matth. 23. vers. 14. prætextus prolixarum orationum etiam Pharisæis exprobratur à Christo. Hodie vero totam Pontificiorum Ecclesiam occupauit. Vocantur autem Ethnici omnes aliæ gentes; extra Ecclesiam Dei, quæ certo verbo Dei ac vera agnitione essentiæ & voluntatis Dei ex patefacto ipsius verbo destituuntur, quæque peculiares suas religiones extra, præter vel contra verbum Dei habent. Illis hoc vitium multiloquij Christus tribuit, vt Pharisæos eodem vitio laborantes pudefaciat, quod Ethnicis, quos aliàs non tam contemnunt quam detestantur, similes sint in orationibus suis, vtque suos etiam eò efficacius ab illo vitio auocet & deterreat. Inquit enim: Nolite ergo assimilari illis. Vtitur autē Euangelista verbo βαττολογεῖν, deducto à Batto quodam, qui prolixos & multorum versuum hymnos ταυτολογίας habentes conscripsisse dicitur, vt inquit Suidas. Significat igitur Græcis βαττολογία inutilem nugacitatem, quando idem sæpius, non eleganti aut erudita orationis varietate, sed incondita eorundem verborum repetitione cum tædio inculcatur. Sicut Ouidius Battum Indicem ita exigat:

——Sub illis
Montibus, inquit, erant & erant sub montibus illis.
Item, Me mihi perfide prodis:
Me mihi prodis ait.

Varinus dicit βάττον significare ἰσχνόφωνον καὶ τραυλὸν qui habet exilem quasi interclusam & interceptam vocem, & linguam balbutientem. Sed hæ significationes huic loco proprie non conueniunt. Deus enim in oratione non requirit rhetoricam elegantiam, & pij afflictionibus pressi quid orent, sicut oporteat, sæpe nesciunt, sed eadem verba de suis miseriis ingeminant, idque vix balbutiendo, ita vt sæpe vox faucibus hæreat, Psalm. 13. 1. Quales orationes tamen efficacissimas esse, Paulus affirmat Rom. 8. 16. Quidam igitur existimant, βαττολογίαν exponi per mox sequens vocabulum πολυλογίας, vt idem sit quod multiloquium. Et vocari multiloquium à Christo Battologiam, vt ostendat, in oratione multiloquium tam absurdum, tædiosum & molestum esse coram Deo, sicut Battologia est in eruditorum auribus. Sed recte possunt hæc duo vocabula distingui, vt vtilis doctrina inde extruatur. Hesichius enim tradit, Battologiam significare ἀργολογίαν καὶ ἀκαιρολογίαν, hoc est, ociosa seu superuacanea verba, & loquacitatem intempestiuam. Tria igitur Ethnicorum vitia in oratione Christus reprehendit. 1. Si sit βαττολογία, id est, ociosus sine mente sonus, vt quando in papatu ad certum numerum patriloquiorum (sicut barbare loquuntur) verba cumulant, ac preces absque cordis deuotione demurmurantur, hoc est, sicut Propheta inquit: *Labiis appropinquant Deo, sed cor longe abest*, existimantes se ex opere operato, propter ipsam externam verborum numerationem exaudiri, cum Pater velit in spiritu & veritate adorari, Iohan. 4. 23. hoc est, sicut Dauid loquitur: *Ad te leuaui animam meam*, Psalm. 86. 4. *Effundite coram illo corda vestra*. Psal. 62. 9. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, &c.* Psalm. 103. 1. Hoc vitium pontificius quidam scriptor in suis graphice describit. Detestanda inquit, est peruersa illorum consuetudo, qui existimant Deum exaudire preces solis verbis sine mente prolatis, idque cum tanta linguæ volubilitate, vt neque, si vellent, sese ipsi possent intelligere, ac præterea cum tali animi distractione & exteriori corporis irreuerentia, quomodo nec Ethnici quidem suos Deos orare ausi fuissent; neque quisquam homo hominem etiam sibi parem, nedum regem orare auderet, &c. Secundo Chrysostomus, & post eum Theophylactus, βαττολογίαν intelligunt ἀκαιρολογίαν qua non salutaria & spiritualia, sed quæ ad voluptates & superbiam vitæ pertinent, petimus. Tertium vitium nominat πολυλογίαν, quod vocabulum non tantum loquacitatem seu multiloquium, sed & facundiam significat. Et Christus in sequentibus ostendit, se talem πολυλογίαν intelligere, ob quam existimant se à Deo exaudiri, & opponit: *Pater vester nouit necessitatem vestram, priusquam petatis.* Vnde colligitur, Christum talem πολυλογίαν intelligere, quod Ethnici habuerunt certas preculas verbis picturatis, & rhetoricis flosculis tam eleganter & artificiose ad persuadendum adornatas, vt existimarent eleganti illa facundia Deum ad exauditionem permoueri. Aut si πολυλογία accipiatur simpliciter pro multiloquio, sensus erit, sicut Elias ad Baalitas inquit 3. Reg. 18. versic. 27. *Clamate voce maiore, vt excitetur Deus vester, si forte dormiat, vel aliis rebus occupatus sit.* Syrus ita reddidit: Existimant, quod propter multiplicationem seu multitudinem verborum exaudiantur. Et vocabula extant Prouerb. 10. 19. vbi Græci reddiderunt: In πολυλογίᾳ non deerit peccatum, parcus verò labiis prudens est. Tales igitur Christus non vult esse suorum orationes, sed ab illis vitiis peccatores suos vult esse alienos, cum inquit: *Ne igitur efficiamini similes illorum.*

Nouit enim Pater vester, quid vobis opus sit. Antithesis est. Ethnici Deos suos in oratione multiloquio propter duas potissimum causas fatigant. 1. Quia non possunt statuere, Deū videre, intelligere & considerare suorum miserias & necessitates. Idola enim gentium oculos habēt, & non vident: aures habent & non audiunt, Psalm. 115. v. 5. Ideo iudicant omnino opus esse, vt multis verbis & oratione accurata diis suis prolixe exponant necessitatem suam, quæ, qualis & quanta sit. 2. Quia non possunt certo statuere, Deum curare res humanas aut calamitatibus suorum affici, & habere animum ad iuuandum propensum. Existimant enim animos Deorum, vt qui præstantiores sunt, vel à nobis tanquam vermiculis alieniores esse, vel iniquiores nobis, vt qui non satis digni sumus: ideo ex diffidentia iudicant tali oratione vtendum, qua Deorum suorum animi delineantur, moueantur, flectantur, & ad iuuandum propensi reddantur, sicut de Baalitis exemplum extat 3. Reg. 18. v. 27. *Contra verò pater vester*, inquit Christus, *videt, nouit, intelligit & considerat necessitates vestras.* Et loquitur in plurali ὧν χρείαν ἔχετε, *quibus opus habeatis*: vt attēdat, Patrem nostrum non tantum scire & considerare eam necessitatem, pro qua oramus, sed omnia ea, quibus nobis opus est, etiam quæ nos non intelligimus vel cogitamus, Roman. 8. v. 26. Et dicit: *Nouit* ὧν χρείαν ἔχετε indicans, Patrem nostrum non tantum nosse nostras calamitates & necessitates, verum etiam nosse, quibus rebus & modis illa subleuari possint. Vel, sicut verba Christi sonant, nouit, quibus rebus opus habeamus, vt subleuentur necessitates nostræ. Ita singula verba, si expendantur aliquid monent. Deinde nouit necessitates nostras; non sicut vel alienus, vel hostis, qui non curet, vel tanquam amicus, qui non possit iuuare, sed nouit, vt Pater vester, cui cura est de nobis, 1. Pet. 5. v. 7. qui σπλαγχνίζεται commiseratione mouetur, & animum ad iuuandum propensum, promptum, pronum & paratum habet, ac cum voluntate simul & facultatem seu potentiam coniunctam habet, tanquam Pater cœlestis. Syrus reddidit verbo ידע quod scientiam coniunctam cum affectu significat, quādo aliquid affectu misericordiæ seu gratiæ complectimur, vt in curam nostram recipimus, sicut ea, quæ negligimus & non curamus, lingua Hebręa dicimur non cognoscere. Elegans igitur hæc sententia est, plena dulcissimæ consolationis in oratione, quod talem Patrem habeamus.

Atque in eo nos gentibus præstare dicit Moses, Deut. 4. v. 7. *Quæ est alia ea natio tam eximia, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicuti Dominus Deus adest, quoties inuocamus eum?*

Hoc loco vero Christus sententiam illam ita accommodat: Vobis non opus est multiloquio in oratione, sicut Ethnicis. Pater enim vester nouit, priusquam petatis ipsum. Non igitur vt ignorantem doceatis, moueatis aut instituatis, nec vt animum eius, quasi à vobis alienum, durum & auersum deliniatis & flectatis, multis & accuratis verbis in oratione vobis opus est. Nouit enim priusquam petatis. Et erit priusquā clament, ego exaudiam. Esa. 65. ver. 24.

Sed oriuntur hîc non tantum prophanorum hominum disputationes, sed & cogitationes ipsos piorum animos turbantes, contra necessitatem & vtilitatem orandi. Nam primo, si Deus nouit quo indigemus, priusquam petamus, quid opus est, vel quid prodest scienti narrare aut inculcare necessitates nostras? Tales enim commemorationes tædiosæ & molestæ esse solent. Hieronymus acute respondet: *Nos in* *oratione*

orationem esse narratores, & aliud esse ignoranti narrare, aliud scientem rogare [illegible]. Sed hac responsione nondum exemptus est omnis [illegible] scrupulus. Pater enim cœlestis non tantum scit quid nobis [illegible] scit, sed etiam non rogatus, ex paterna cura & gratia [illegible] sponte & propensus ac paratus est ad iuuandum nos [illegible] quam petamus. Videtur itaque esse nulla orandi vel vtilitas vel necessitas? Respondeo: Non oramus eo animo & fine, quasi Deum negligentem & non curantem res nostras velimus orationibus nostris excitare & officij admonere, aut durum aliàs & inclementem nostris precibus delinire, & in aliam sententiam adducere. Scimus autem Deum quidem sponte propensum esse salutaria dare, sed agentibus pœnitentiam, humilantibus se sub potenti manu Dei, fide quærentibus, pulsantibus ac petentibus. Prosternimus igitur orationes nostras coram Deo, non quòd de voluntate eius dubitemus, sed vt reipsa ostendamus, nos adferre veram pœnitentiam; quia promisit se pœnitentibus peccata remissurum esse, Ezech.18.vers.23. pœnas mitigaturum, bona daturum, Ierem.18.ver.18.& humilibus gratiam daturum. 1.Pet.5. vers.5. Vtque ostendamus, nos inuocatione & meditatione promissionum, veram fidem afferre & exercere, cùm pulsanti & quærenti Deus promisit omnia bona, Matth.7.vers.7. Et nos ad thronum gratiæ accedere, vt accipiamus gratiam & auxilium in tempore opportuno, Hebr.4.vers.1. Item spiritualia quidem beneficia, non aliter quàm fide accipi possunt, corporalia verò seu externa sæpe quidem etiam impiis conferuntur. Sed vt salutaria nobis sint, vult ea Deus à nobis ex paterna sua manu spe expectari, & fide accipi. Oramus igitur fide, vt testemur, nos non tantum corporalia, sed præcipue spiritualia, cœlestia & æterna cupere à Deo accipere. Et corporalia ita nos velle à Deo accipere, vt sint nobis Dei benedictione salutaria. Ac quia Deus vult hanc sibi gloriam tribui, quod ipse sit fons, auctor & dator omnis boni, Iacob.1. v.17. ac totos nos ab ipso pendere, ideo oratione testamur, nos illa nec nobis tribuere, nec alibi quærere, sed à Deo solo nos illas sperare, expectare & expetere. Ad tales enim iuuandos, Deus promisit se paratum & propensum esse. Ita etiam miserias & necessitates in oratione nostra exponimus Deo, non tanquam ignoranti, sed vt ita curas nostras in Dei sinum effundentes, animum nostrum exoneremus & subleuemus. Et dulcissima promissio est, Psal.37.v.5.& 54.v.9. 1. Petr.5.vers.7. Conuolue, & proiice super Dominum vias & semitas tuas, & ipse curabit ac faciet. Chrysostomus addit etiam hanc rationem, cur orandum sit: vt familiares efficiamur Deo interpellationis frequentia. Item, vt illud, quod petentibus & pulsantibus nobis à Deo datur, pluris æstimemus & reuerentius vsurpemus.

Hæc de necessitate & vtilitate orandi diligenter meditanda sunt, ne cum aliàs plus satis ad orandum frigidi simus, hisce cogitationibus, quod DEVS vltro propensus sit ad iuuandos nos, ab orationis studio nos abduci sinamus. Nec dulcissima illa sententia, de propensa Dei erga nos voluntate, ad restinguendum orandi feruorem abutamur, quæ potius incitabulum & flabellum incitans & confirmans orandi studium & fiduciam esse debebat. Sunt qui vel disputant, vel certe cogitationibus illis se turbant, cum Deus non rogatus, & priusquam petamus, iam sciat, imo antea prædefinierit & constituerit, quid facturus & daturus sit: vel frustra igitur peti, quod aliàs futurum est, vel orando impie hoc agi, quasi speremus nos Deum à firmo suo decreto & proposito oratione nostra posse auerti, atque ita inconstantem & mutabilem reddi. Ad hanc obiectionem quidam ita respondent. Si id quod petimus prædestinatum est vt fiat, tunc bona & certa fiducia nos illud petere: sin minus, tunc non conari cursum prædefinitionis diuinæ impedire seu abrumpere; quia oramus, vt Domini voluntas fiat. Sed Lutheri explicatio simplicior & tutior est, quod scilicet non iubeamur de arcana Dei præscientia solliciti esse, aut in secreta eius consilia inquirere, sed iubemus ad voluntatem eius in verbo nobis patefactam nos componere, vbi docet, per pœnitentiam & orationem iram Dei mitigari, multa pericula & mala auerti, multaque beneficia impetrari, Ier.18.vers.8. Ezech.33. vers.11. 3. Reg.8.versic.56. Atque ideo serio mandauit, vt oremus, imo indignatur, quãdo nemo oratione sese interponit inter Deum & terram, ne vastetur, Ezech.22.v.30. Monet igitur vtrunque, primò, quod Deus ad iuuandum sit propensus vltro, & sciat quid nobis desit, & quid facturus sit. Secundò quod nihilominus Dei mandatum & voluntas sit vt oremus. Nec ex arcana Dei præscientia debemus vel texere vel admittere consequentias, contra ea, quæ in verbo manifestata, reuelata ac mandata sunt. Quod si illa conciliare non poteris, relinquas Deo arcanas rationes secretæ suæ præscientiæ, & tu agas ea, quæ in verbo patefacto tibi mandata & præscripta sunt, vt scilicet ores, & quidem sine intermissione. Hæc annotaui occasione illius sententiæ, quod Pater cœlestis norit, quibus rebus indigeamus, etiam antequam petamus. Redeamus iam ad textum.

Sic ergo orate vos. Quia hactenus taxauit & Pharisæorum & Ethnicorum vitia in oratione, atque addidit: *Ne efficiamini similes illorum*: iam adiicit antithesin: *Vos igitur in hunc modum orate.* Est enim emphasis in pronomine ὑμεῖς, quod in fine ponitur *Sic ergo orate vos*. Non autem ad numerata & concepta verba, tanquam ad opus operatum, Christus petitores suos alligare voluit. Hoc enim esset βαττολογεῖν. Et ipsi Apostoli etiam post traditam & acceptam hanc à Christo formulam, aliis verbis sæpe precati leguntur in Actis & Epistolis. Et quod maximum argumentum est, non similiter iisdem prorsus verbis superstitiose annumeratis, Dominica hæc oratio à Matthæo & Luca describitur. Modum igitur orandi Christus discipulis suis breui paradigmate ostendere voluit, sicuti vsitatum ipsi esse ostendimus, doctrinam generalem proposito aliquo particulari exemplo tradere, vbi sub specie ipsum genus intelligendum est. Hoc igitur exemplo orationis ostendere voluit, qua verborum breuitate seu paucitate vtendum sit in oratione, contra Pharisæorum & Ethnicorum Battologiam. Quis sit inuocandus, seu ad quem dirigenda oratio, qua fiducia sit orandum, quomodo & propter quas causas, quæ res, quo ordine, qua ratione, & quo fine res sint petendæ. Atque in omnia capita, quæ ad veram precationem requiruntur, in hac formula comprehenduntur. Tam vere igitur quàm eleganter dictum est ab Augustino in Epistola ad Probam: Liberum quidem est, aliis atque aliis verbis, eadem tamen, quæ hæc oratio continet, in orando dicere: sed non est liberum, alia, diuersa seu contraria dicere. Atque hoc est, quod Matthæus dicit: οὕτως, hoc modo, siue ad hunc modum orabitis. Eadem etiam est sententia, quod apud Lucam Christus dicit: quando oratis, dicite. Mouet autem Augustinus hanc obiectionem: Si ideo, quia Pater scit, non multis verbis in oratione est vtendum, eadem ratione, & propter eandem causam, nec paucis verbis, & ne illis quidem, qui hoc loco à Christo præscripta sunt, vtendum erit. Sed responsio est, quod ad Deum attinet, ipsius causa & respectu nec multis, nec paucis, nec vllis verbis in oratione opus est, nec formale orationis in recitatione verborum consistit. Orare enim est animum ad Deum leuare, & cor coram Deo effundere, ac aliquid petere. Nemo autem vere petit aliquid, qui non idem desideret, & desiderium est affectus animi. Qui igitur verba etiam optima ore profert, si non adsit eleuatio, & attentio, & deuotio mentis, vt cor ex animo id, quod petit, desideret, is non vere orat. Qui vero mente eleuata & deuota, interiori cordis affectu aliquid à Deo ex animo desiderat, is vere orat, etiamsi desiderium suum verbis non exprimat. Hominem quidem homo sine verbis aut gestibus orare non potest; quia interioris desiderij affectus alteri homini non potest innotescere, nisi verbis vel gestibus exprimatur; sed quia Deus interiores mentium & cordium recessus perspectos habet, ideo Dauid inquit: *Gemitus meus non est à te absconditus.* Psal.38.v.10. Et Psal.11.v.4. *Desiderium pauperum exaudit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua*, Psalm.38. v.10. *Coram te est omne desiderium meum.* Et Romanorum 8.v.26. *Quando ignoramus quid oremus, spiritus intercedit gemitibus inenarrabilibus.* Ac stultum esset, ideo verbis in oratione vti, quasi Deus desiderium cordis nostri intelligere non posset. Sed tamen & sancti in Veteri Testamento, & Apostoli in Nouo Testamento verbis in oratione vsi leguntur. Et Christus apud Lucam non sine causa inquit: *Cùm oratis, dicite.* Id vero fit propter nos seu orationum causa. Quod diligenter considerandum est, vt vocali oratione recte & cum fructu discamus vti. Necessitates enim siue res petendas, præsertim spirituales, & quæ ad Dei gloriam pertinent, mens nostra non satis considerat. Verba igitur, quibus in oratione vtimur, per commonefactionem nos deducunt in illam considerationem, vt desiderium cordis ita recte conformetur. Cor in oratione debet esse pœnitens & humile. Sed quia plerunque sine consideratione peccatorum & indignitatis nostræ ad orationem proruimus: ideo vtilis est verborum recitatio, ad quæ si mens attendat, vt spiritu & mente oremus, 1. Corinth.14.v.15. meditatio illorum cor ad seriam pœnitentiam & veram humilitatem præparabit. Desideria cordis nostri plerunque sunt inordinata, vt sæpe non cogitent, vel de ordine & de fine petendorum: verba vero, quibus in oratione vtimur, de illis inter orandum cogitãdis nos commonefaciunt. Recitatio certe & meditatio promissionum fidem excitat, accendit & auget. Sæpe ad orandum torpentes, in ipsa sæpe oratione somniculosi & frigidi sumus, nec ea, qua decet, animi deuotione ad Deum accedimus. Sed quando verba in oratione recitamus, illorum attenta meditatione, & consideratione mandati & promissionis, animus ad eleuandum se in Deum excitatur,

& deuotio accenditur, accensa continuatur & augetur. Consideratio etiam attenta rerum petendarum, de quibus verba orationis nos commonefaciunt, excitat & accendit in corde frigido & torpente studium orandi. Verba enim illa, quia sunt Christi verba, sunt ministerium seu organon spiritus, per quæ spiritus precum vult in nobis esse efficax. Quatenus igitur recitatio verborum in oratione ad hoc conducit, vt deuotio excitetur, accendatur, continuetur, augeatur, ne tepefiat, frigescat & extinguatur: eatenus obligat id, quod Christus tradit: cùm oratis, dicite. Ad hoc vero aliquando vtiles sunt preces prolixiores, nonnunquam vero breuiores. In quam sententiam Augustinus Epist. 121. ad Probam multa grauiter scribit, ex quibus quædam huc pertinentia adscribemus. Idem, qui in oratione prohibet multiloquium, quia nouit quid necessarium nobis sit, præcipit, vt semper oremus, & non deficiamus, non quod velit voluntatem nostram sibi innotescere, quam non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere, quod ipse præparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad accipiendum parui & angusti sumus. Ideo nobis dicitur: Dilata os tuum. Tantò quippe illud, quod valde magnum est, sumemus capacius, quantò id & fidelius credimus, & speramus firmius, & desideramus ardentius. In ipsa ergo fide, & spe, & charitate continuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, vt nos ipsos admoneamus, quantum in hoc desiderio profecerimus, & ad hoc agendum nos ipsos acrius excitamus. Quod igitur Apostolus ait: Sine intermissione orate: nihil est aliud, quàm sine intermissione beatam vitam desiderate. Sed ideo ab aliis curis & negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocamus, verbis orationis nos admonentes in id, quod desideramus intendere, ne, quod tepescere cœperit, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur. Non igitur, vt nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur: Aliud enim est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quod pernoctarit in oratione, & quod prolixius orarit. Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta intentio per productiores moras euanescat atque hebetetur. Atque per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtrudenda, si perdurare non potest, ita si perdurauerit, non citò esse rumpendam. Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseueret intentio. Multum precari, est ad eum, quem precamur, diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerunque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quã afflatu. Est autem gemitus noster non absconditus ab eo, qui omnia per verbum condidit, & humana verba non quærit. Nobis ergo verba necessaria sunt, quibus commoneamur, vt inspiciamus quid petamus, non quibus Dominum seu docendum seu flectendum credamus. Hæc Augustinus. Et in hunc vsum Paulus publicam recitationem precum & Psalmorum in Ecclesia instituit. Col. 3. v. 16. *Docete & commonete vos inuicem Psalmis, Hymnis & Canticis spiritualibus, cum gratia canentes in corde vestro Domino, vt verbum Christi in vobis habitet opulenter*, 1. Cor 14. v. 26 *Cùm conuenitis, habet quis Psalmum, orет spiritu & mente, vt omnia fiant ad ædificationem.*

Quia igitur verbis aliquando in oratione opus est, nulla commodior est oratio, quam quæ à Domino tradita & præscripta est. Nam primò compendio complectitur omnia, quę rectè & congruenter à Deo peti possunt, ostendens, à quo, quomodo, quo ordine & fine petenda sint. Et si omnium sanctorum precationum verba, quæ in tota Scriptura maxime in Psalmis extant, percurras, nihil inuenies, quod non ista Dominica compendio contineat & concludat oratio, inquit Augustinus. Secundò sicut Symbolum est regula fidei, ita hęc Dominica precatio est regula omnium precationum. Qui enim in oratione aliquid desiderat, vel dicit, quod ad Euangelicam illam precem pertinere non possit, non spiritualiter, sed carnaliter & illicite orat, inquit Augustinus. Tertio propter auctoritatem. Ipse enim filius Dei, qui Aduocatus noster est, perferens preces nostras ad Patrem, qui impetrat nobis spiritum precum, qui vnà cum Patre nos exaudit, hanc orandi formam nobis præscripsit. Amica & familiaris oratio est, inquit Cyprianus, Patrem Filij verbis rogare. Agnoscit Pater Filij verba cùm precem facimus. Et cum Christum habemus aduocatum apud Patrem pro peccatis nostris. Aduocati nostri verba promamus, quando peccatores pro delictis nostris petimus. Hæc Cyprianus. Ac fastidire vel breuitatem, vel simplicitatem Dominicæ orationis, quasi meliorem orandi formam tu possis excogitare & componere, non tam temeritas quam impietas est. Non autem debet esse Battologica recitatio orationis Dominicæ, quasi verba [illegible] te prolata, vim quasi magicam haberent, sed considerandum est, quid verba illa significent & moneant, [illegible] ac quàm multa sub se complectantur, vt oremus & spiritu & mente, 1. Cor. 14. v. 15. ac nostras necessitates in illis petitionibus includamus. Hoc enim modo, sicut [illegible] erunt incitamentum deuotionis. Breuiter [illegible] videamus, & conferamus descriptionem Matthæi cum ea, quæ apud Lucam extat, c. 11. v. 2. & seq. Licèt enim alio tempore & alia occasione Christus formam illam orationis, Luc. 11. v. 2. repetierit, tamen quia forma eadem est, in explicatione vtilis erit collatio, & vt postea non opus sit eadem repetere, cùm ad 11. v. 2. caput Lucæ peruentum fuerit.

Obseruandum autem est, Latinos codices apud Lucam formam illius orationis, omissis quibusdam, breuius [illegible], quam apud Matthæum describitur. In principio [illegible] tantum dicitur: *Pater*: & omittitur, quod apud Matthæum additur, *Qui es in cælis*. Omittitur etiam tota tertia petitio: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*. Item omittitur: *Sed libera nos à malo*. Et Augustinus in Enchiridio cap. 115. & 116. expressè dicit, Dominicam orationem apud Matthæum continere septem petitiones, Lucam vero non septem, sed quinque tantum petitiones complecti. Et ostendit petitionem illam: *Fiat voluntas tua*, contineri in duabus præcedentibus. Illud etiam, *Sed libera nos*, contineri in eo, quod præcedit: *Ne inducas in tentationem*. Vnde colligitur, Latinos codices etiam Augustini tempore apud Lucam orationem Dominicam ita habuisse, sicut nunc legitur. Græci vero codices orationem illam totam ita apud Lucam ponunt, sicut apud Matthæum, nisi quod coronidem illam, *Quia tuum est regnum*, apud Lucam non habent. Videri autem posset, ex Græcorum libris ex Matthæo adiecta esse, quæ hoc loco apud Lucam desiderabantur. Sed apud Augustinum libro de verbis Domini super Lucam c. 28. & apud Ambrosium de Sacramentis lib. 5. c. 4. oratio illa tota ita recitatur ex Luca, sicut extat apud Matthæum. Vnde colligitur, Latinos codices tunc variasse, & quosdam hoc loco in Luca ita legisse, sicut Græca habent: quosdam verò ita, sicut nunc Latina versio legit. Vbi vero in vocabulis quibusdam differentia est, illud in explicatione notabimus. Et illa ipsa vocum quarundam diuersitas ostendit, non esse nos alligatos ad superstitiosam verborum [illegible] in oratione.

Tres autem Oratio hæc continet partes: Exordium, petitiones, & conclusionem, de quibus singulis ordine dicemus.

Pater noster, qui es in cælis.] Augustinus inquit: Cùm in omni deprecatione beneuolentia sit concilianda eius, quem precamur, idque commodissime fiat ex laude, seu commemoratione beneficiorum eius, quem precamur: ideo cum nostra merita coram Deo iactare nec possimus nec debeamus, Christus in principio orationis nihil aliud dicere iussit, quàm *Pater noster*. Hugo dicit, Christum more boni oratoris præmittere petitionibus breue procemium, in quo captetur beneuolentia à persona rogata, cum dicitur *Pater*: persona rogantis, cùm dicitur *Noster*. Et habent sane hæ commonefactiones suum vsum.

Sed quia supra monstratum est, adhiberi in oratione verba, non tam vt insinuationibus rhetoricis animum Dei inflectamus, quàm vt recitatione & meditatione verborum in nobis ipsis excitetur attentio, deuotio, fiducia, & cura rectè formandæ orationis, vt ostendamus nos esse tales precatores, quales pater vult: ideo in hunc finem potissimum expendenda sunt illa verba. Nos ea, quæ præcipue ex commonefactione horum verborum cogitanda sunt, per capita breuiter notabimus. Vt primo verba illa, *Pater noster*: monent, orationem non debere esse tale nudum votum in modo optatiuo, sicut vsitatum est dicere: Vtinam illud boni mihi contingat: Ah, si periculum illud ac malum depellatur: Sit fœlix & faustum: Absit, &c. sed nominatim exprimendum illum, à quo nobis id petitum dari optamus. Idq; non in genere tantum, vt cùm dicimus; Faxit Deus: Auertat Deus: sed nominatim illum compellandum & inuocandum, vt oratio tanquam in alloquio ad ipsum dirigatur, *Pater noster*. Quando vero Psalmi in tertia persona loquuntur: Deus misereatur nostri: Benedicat nobis Deus: intelligendum est, orationem vel ad Mediatorem dirigi, vt propter illum Deus misereatur & benedicat: vel deuotionem mentis reducendam esse ad secundam personam. Est enim phrasis scripturæ, personam etiam præsentem compellare in tertia persona, vt Gen. 33. ver. 14. Præcedat Dominus ante seruum suum. 1. Reg. 16. v. 16. Iubeat Dominus noster rex. Et c. 25. ver. 25. Ne ponat, oro, Dominus meus rex, cor suum contra Nabal. Et in phrasi illa scripturæ vsitata: Viuat Rex, subintelligitur, oro Deum, vt rex

vt te x viuat. Quibuscunque igitur verbis oratio formetur, mens semper Deum cogitet & intueatur, vt desiderium & petitiones ad ipsum dirigantur. Formula enim & regula orationis est, vt dicamus *Pater noster*.

2. Monent illa verba, orationem seu inuocationem non dirigendam ad vllam creaturam, sed ad solum Patrem cœlestem, ita vt ne ad illos quidem, quorum spiritus apud Deum viuere certum est, oratio sit dirigenda. Illis enim etiam opponitur compellatio Patris, Esa. c. 64. v. 16. Tu enim Pater noster; quia Abraham non cognoscit, neque Israel nouit nos: Tu Domine Pater noster es, redemptor noster.

3. Monent illa verba. Deum in oratione ita intuendum & compellandum, sicut essentiam suam nobis in verbo patefecit. Ethnici siquidem oraturi, cogitant de Deo æterno creatore Optimo Maximo, sed quis Deus ille sit, ignorant. Nos vero monemur illis verbis, vt inuocationem nostram seiungamus ab Ethnicorum orationibus; & cogitemus nos illum Deum inuocare, qui essentiam suam nobis in verbo ita patefecit, quod sit Pater, Filius, & Spiritus S. Pater scilicet Domini nostri Iesu Christi, qui spiritum Filij sui mittit in corda credentium, in quo clamamus: Abba Pater. Quia ita vocabulum Patris hoc loco intelligitur essentialiter, pro Deo, siue pro ipsa diuina maiestate, seu pro tota Trinitate, quæ est Pater, Filius, & Spiritus S. sicut Deuter. 32. vers. 6. scribitur: Nonne ipse est Pater tuus, qui acquisiuit te, qui fecit & præparauit te? Esa. 63. versic. 16. Tu Domine Pater noster & liberator seu assertor noster. Nam & Filius hac generali appellatione vocatur Pater æternitatis. Esa. 9. versic 6. Et Spiritus S. vocatur Pater pauperum. Monentur autem hac compellatione oraturi, vt animum contra leuitatem, incogitantiam & superbiā, tali deuotione, reuerentia & humilitate componant, vt qui meminerint, se verba orationis non in aërem aut coram creatura aliqua effundere, sed ipsam diuinam Maiestatem, ad quam oratione nostra accedimus, Ephes. 3. v. 14. Et ante cuius faciem apparemus deprecantes, Psalm. 41. v. 3. & 119. vers. 58. se habere in omnibus obsecrationibus propinquam & præsentem.

4. Potest vero etiam vocabulum Patris & quidem recte intelligi personaliter vel relatè, pro ipsa persona Patris, cuius mentio seu nominatio necessario includit correlatiuum Filij. Et in spiritu Filij clamamus: Abba pater. Ita singulæ personæ Trinitatis in suis erga Ecclesiam officiis, & beneficiis, in hac præfatiuncula orationis, considerandæ proponuntur. Atque ita appellationem Patris in oratione Paulus intellexit, tum alibi, tum præcipue Ephes. 3. vers. 14. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi. Et Christus ipse interpretatur, *Patrem nostrum*, cum Iohan. 20. vers. 17. inquit: *Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum: Deum meum & Deum vestrum* Complectitur itaque hæc compellatio non tantum, quod Pater ab æterno Filium vnigenitum generauerit, sed respectu Patris complectitur beneficia nostræ regenerationis, adoptionis, & vocationis ad cœlestem hæreditatem. Respectu Filij Mediatoris complectitur meritum, officium & beneficia propitiationis, reconciliationis & intercessionis, vt sit commonefactio eius, quod Iohan. 16. v. 23. Filius promittit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Cumque dubitans & hæsitans oratio nihil impetret, Iacob. 1. vers. 6. sed sicut scriptum est Marc. 11. v. 24. Dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, si non hæsitaueritis in corde, sed credideritis quod accipietis, euenient vobis. Docet igitur hæc compellatio Patris nostri, qua fide seu fiducia oratio offerenda sit Deo, scilicet non superba aut Pharisaica præsumptione, propter nostram iustitiam aut dignitatem, propter nostra aut aliorum opera & merita, sed in humili agnitione & confessione nostræ indignitatis, propter solius Filij Dei Mediatoris merita & intercessionem, propter quem Pater nos adoptat in filios & hæredes, Ephes. 1. vers. 5. Sicut Daniel inquit in sua oratione: Peccauimus, inique egimus, non in iustificationibus nostris, sed in miserationibus tuis multis prosternimus preces ante faciem tuam, exaudi nos propter Dominum. Ac simul correlatiuum huius compellationis Patris nostri commonefacit nos dulcissimæ consolationis Hebræor. 2. vers. 17. quod in iis, quæ apud Deum agenda sunt, habemus misericordem & fidelem Pontificem. Et 1. Ioh. 2. vers. 1. Si peccauerimus, Aduocatum habemus apud Patrem, qui est propitiatio pro peccatis nostris. Heb. 7. v. 25. & 9. v. 24. Semper viuens & apparens vultui Dei pro nobis, vt interpellet pro nobis, qui per ipsum accedimus ad Deum. Ipse enim accepit dona pro hominibus, Psalm. 68. v. 19. Et dat nobis illa, Ephes. 4. v. 11. Ita per hęc verba, quod non iubemur Deum appellare Dominum, iustum, magnum, omnipotentem, terribilem, sed Patrem nostrum, excitatur & confirmatur in orantibus fiducia exauditionis & impetrationis. Hebr. 4. v. 16. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt consequamur misericordiam, & gratiam inueniamus ad auxilium opportunum. Et dulcissima est Bernhardi sententia: Oratio, quę paterno dulcescit nomine, omnium petitionum mearum impetrandarum fiduciam mihi præstat. Compellatio enim Patris præbet nobis hanc fiduciam, sicut Christus ipse explicat, Iohan. 16. v. 23. preces nostras non esse vel molestas vel ingratas Deo, sed Patrem ita amare nos, vt hoc nostro officio delectetur, si ipsi precibus nostris ad eum accedamus; ac paternum ipsius animum solicitum esse de nostris necessitatibus, Matt. 6. v. 32. Et sponte propensum ac promptum esse ad exaudiendos & iuuandos nos, Luc. 11. v. 9. Et Psalm. 103. v. 13. Sicut pater miseretur liberorum, &c. Simul vero etiam hæc compellatio monet orantes, vt seipsos considerent & excutiant, an vere sint filij Dei, membra & fratres Christi, ipsi insiti? Qui enim absque pœnitentia in peccatis perseuerant, & Christum vera fide non quærunt & complectuntur, vt per ipsum Deo reconcilientur, non possunt Deum Patrem appellare. Ita valde multa monet hæc compellatio.

Quintò quod non tantum dicimus, *Pater*, sed *Noster Pater*, illud deducit nos ad considerationem eius, quod Christus dicit Iohan. 20. v. 17. Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum: vt scilicet cogitemus, Deum, qui natura est Pater Christi, propter ipsum ex gratia esse nostrum etiam Patrem, non natura, sed adoptione. Et ne cogitemus ipsum quorundam tantùm, qui magnis virtutibus & eximiis donis præditi sunt, patrem esse. Totum igitur corpus credentium, in quo omnia membra non sunt similia, complectimur, quando dicimus *Pater noster*. Quæ commonefactio in magnis sanctis superbiam retundit, & humilitatem instillat, ne sibi in hac paternitate peculiare aliquid arrogent, sed in communi grege filiorum Dei se statuant, dicentes: *Pater noster*. Et imbecillioribus fiduciam addit, ne existiment se ab illa paternitate exclusos, sed statuant, Deum non minus esse suum Patrem, quàm Mariæ, Baptistæ, Pauli. Ideo iubentur dicere: *Pater noster*. Inuocamus enim Patrem, qui circa acceptionem personarum iudicat, 1. Pet. 1. versic. 17. Tandem illa ipsa compellatio commonefacit nos de fraterna dilectione. Si enim vnus est Pater noster, Matt. 23. v. 9. Ergo inuicem sumus fratres & membra. Malach. 2. v. 10. Nunquid non Pater & Deus vnus omnium nostrum? Quare ergo despicit vnusquisque fratrem suum? Monemur etiam, vt non tantùm pro nostris necessitatibus oremus, sed totius fraternitatis & singulorum membrorum necessitates Deo in oratione nostra proponamus. *Pater noster*: Da nobis, remitte nobis. Nec dubitemus, communes totius corporis preces, nostras etiam necessitates simul complecti, modò membra simus corporis illius. Quia enim preces potissimum vult esse communes, vt aliquot in nomine ipsius congregentur, & inter ipsos conueniat, quid petere velint, Matth. 18. versic. 20. Ideo formam orationis præcipue ad talem *συμφωνίαν*, sicut ipse loquitur, accommodauit. Sed tamen; quia etiam priuatim in cubiculo, in abscondito iubet nos orare: ideo cum dicimus: *Pater noster*, communem illam paternitatis promissionem vnumquenque sibi applicare necesse est. Sicut Thomas recte dicit: Dominus meus & Deus meus. Et sicut Paulus dicit: Gratias ago Deo meo. Ita ergo cuiusque fides in illa applicatione recte statuit ac dicit, Deum etiam meum Patrem esse: vt Ierem. 3. vers. 4. Ergo saltem amodò voca me, Pater meus es tu. Et mox versicul. 19. Ponam te in filios, & dixi: Patrem vocabis me. Et Matth. 6. vers. 4. Ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus reddet tibi.

Adeo multæ vtiles commonefactiones in exordio Dominicæ precationis paucis hisce verbis proponuntur, quæ ita etiam considerari possunt, quod commemoratione eorum beneficiorum, quæ antea à Deo in nos collata sunt, Deus quasi moueatur ad dandum, & fiducia nostra excitetur & confirmetur ad impetranda alia necessaria. Vt quia summum nobis ex gratia dedit beneficium adoptionis, quod Pater noster & esse & dici vult: dabit igitur & alia necessaria.

Qui es in cœlis.] Quidam hic propter verbum substantiuum, Es, multis philosophantur de immutabili essentia, & de illis Dei nominibus, Ego sum, qui sum: qui est, qui fuit, qui erit. Sed Græca verba illam disputationem hoc loco nec requirunt, nec admittunt. Simpliciter enim habent, *Pater noster, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, vt ostendant inuocari à nobis non terrenum aliquem Patrem, sed qui in cœlis est, seu habitat, hoc est, cœlestem Patrem. Ita enim Christus ipse explicat hæc verba Matthæi 6. vers. 26. cùm nominat Patrem *ἐπουράνιον*. Quod verò cœlum in Scriptura vocatur thronus, sedes, mansio seu habitaculum Dei, & hoc loco inuocatur Pater, qui in cœlis est: nequaquam sensus est, infinitam Dei essentiam, vel cœlis hisce aspectabilibus, vel cœlo, quod vocant Empyreum, circumscribi aut concludi, ita vt alibi non adsit. Scriptum enim

est 1.Reg.8.vers.27.& 2.Paral.2.vers.6.quod cœli & cœlorum cœli ipsum non capiant. Implet enim cœlum & terram, Ier. 23.versic.23. Imo in cœlo, in terra, in mari, in inferno adest. Psal.139.versic.7.Excelsior est cœlo, profundior inferno, longior terra, latior mari. Hoc est, vbique totus adest, intra omnia, extra omnia, sicut Gregorius inquit. Neque in hoc orationis exordio, quando compellamus Patrem nostrum, qui in cœlis est, sentimus ipsum à nobis precantibus, à necessitatibus & precibus nostris separatum & seiunctum longius abesse, quàm cœlum à terra distat, sicut impiorum cogitationes & voces describuntur, Iob.22.versic.13.Quid Deus videret? circa cardines cœli deambulat, nec nostra considerat. Nam Psal. 145.vers.18.scriptum est: Præstò adest Dominus orantibus, inuocantibus eum in veritate. Deuteronom.4.vers.29. Dominus Deus noster prope adest cunctis obsecrationibus nostris. Et Matth.18.versic.20. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, &c. ibi sum in medio illorum. Quod vero Pater noster, quem obsecrationibus nostris adesse minime dubitamus, dicitur in cœlis esse, hoc Scholastici ita exponunt, vel quod in cœlorum aspectabilium seu materialium pulchritudine, magnificentia, harmonia & operatione opera Dei gloriosius & sublimius reluceant, quàm in terra: vel quod in cœlis spiritualibus, (sicut vocant) totam suam gloriam, potentiam, bonitatem, magnificentiam, non sicut in terris per aliqua media siue velamina inuisibiliter, & per varia obstacula, sed plena ostensione visionis & fruitionis facie ad faciem, beatis angelis & electis animabus, conspiciendam & fruendam, cum plena sui communicatione, ostendat, exhibeat & præbeat, ita vt hæc ipsa sit beatitudo, lætitia, salus & vita æterna sanctorum.

Sed non video, quantum consolationis nobis, in terra sub cruce & infirmitatibus inuocantibus, hæc sententia præbeat? Simplicior itaque explicatio est. Quia Scripturæ cœlos, in quibus Deus habitat, definiunt non situ locali, sed cœlesti & diuina gloria, maiestate, potentia, beatitudine. Item, quod ideo Deus dicatur in cœlis esse, & habitare in cœlo, in loco habitaculi sui, in habitaculo mansionis suæ exaudire, 3.Reg. 8.vers.27. quia omnia imperio ipsius subsint, omnia in manu & potestate sua habeat, dominetur omnibus, in omnibus locis, omnia quæcunque vult possit & faciat, sapientia sua omnia ante prospiciat, sciat, videat, audiat, & modum iuuandi norit, prouidentia sua omnia curet, & potentia sua omnia ordinet, disponat, administret, gubernet, &c. Psal.115.versi.3 Deus noster in cœlis, omnia quæcunque vult, facit. Psalm.103.vers. 20. Dominus in cœlo parauit sedem suam, & regnum ipsius dominatur in omnibus, in omnibus locis dominationis suæ 3.Reg.8.vers.39. Tu exaudies in cœlo, propitius eris, remittes peccata. Tu enim solus vides ac nosti corda omnium filiorum hominum. Psal.113.v.5. Qui in altis habitat, vt humilia respiciat in cœlo & in terra. Psal.102.v.20. Dominus de excelso suo Sanctuario prospicit è cœlo, terram aspicit, vt soluat gemitus vinctorum, & soluat filios mortis. Psal.11.vers.4. Domini sedes in cœlo, oculi eius pauperem respiciunt, palpebræ eius explorant filios hominum. Psal.20.ver.7. Exaudiat illum de cœlo potentia saluifica dexteræ suæ. Esa.63.vers.15. Attende de cœlo, & vide vbi nunc est zelus tuus, fortitudo tua, multitudo miserationum? Et quando Deus illustri aliqua exauditione, liberatione, auxiliatione diuinam suam gloriam, potentiam & clementiam ostendit, Scriptura dicit: Deum tunc exaltare vel se extollere super cœlos, misericordiam suam magnificari vsque ad cœlos, Psal.57.v.6.& 108.vers.5.& 113.v.4. Super cœlos gloria eius. Psal.68.v.19. Ascendit super cœlum cœli.

Hæc Scripturæ testimonia plane explicant phrasin illam, qua Deus dicitur esse seu habitare in cœlis. Proderit etiam hæc consideratio ad explicationem doctrinæ de Ascensione seu exaltatione Christi ad cœlos, de Sessione eius ad dexteram in cœlestibus. Sensus igitur præfationis Dominicæ Orationis iam planus erit. Quando enim dicimus: *Pater noster*: propensam animi beneuolentiam & promptitudinem Dei erga nos fide concipimus. Quando vero addimus, *qui es in cœlis*: 1. Bonæ voluntati adiungimus diuinam potentiam, quod possit facere ac dare, quæ petimus, cùm omnia in potestate sua habeat. 2. Diuinam prouidentiam, quod necessitates nostras videat & norit; quod obsecrationibus nostris adsit & exaudiat eas: quod ipsi curæ sit de nobis: quod ordinet, disponat, administret & gubernet omnia, & præcipue in Ecclesia. 3. Diuinam sapientiam, quod norit modum liberationis & auxilij. 4. Dominationem diuinam, quod scilicet ad regnum & officium eius, qui in cœlis habitat, pertineat, audire preces, nostra curare, iuuare, liberare, &c. Summa igitur est, quod oratio Dominica dicit, Patrem nostrum, quem inuocamus, esse aut habitare in cœlis, 1. Ideo ne quid humile aut terrenum pro ratione & conditione huius mundi de ipso, mente concipiamus, sed omnia cœlestia & diuina. Vt 2. ostendat collationem & discrimen inter patrem terrenum & cœlestem; sicut diserte hæc inter se opponit, Matt.23.v.9. Ne vocaueritis vobis patrem in terra. Vnus enim est Pater vester, qui est in cœlis. De qua collatione & differentia in 7. capite Matthæi dicendum erit. 3. Vt hac ipsa compellatione moneamur, potissimum à Deo petenda esse cœlestia, & terrena, quæ simul petimus, ad cœlestia ordinanda esse. Vocati enim & regenerati sumus ad hæreditatem, quæ in cœlis conseruatur, sicut 1. Petr.1.vers.3. scriptum est. 4. Vt illa appellatione moneamur agnoscere, vitam huius seculi esse peregrinationem à Domino, vtque desiderium in nobis excitetur ad veram cœlestem patriam, ac simul indicetur, omnia, quæ petimus, eò dirigenda esse, vt ad illam patriam peruenire possimus, vbi Pater noster est in cœlis. Augustini verò & aliorum allegoria, quod Deus sit in cœlis, hoc est, quod per gratiam inhabitet in sanctis, & quod orantes debeant sibi optare inhabitationem Dei, vt impia sane non est, ita hoc quidem loco peregrina est. Pertinet enim ad secundam petitionem, vt regnum Dei ad nos veniat.

Sanctificetur nomen tuum.] Sequuntur iam certæ petitiones in oratione. Non enim vera est oratio, quando tantum gloriosos titulos Dei cumulamus. Sed oratio debet aliquid à Deo petere, vel pro beneficiis acceptis gratias agere. Phil.4. vers.6.& 1.Timot.2.vers.1. Numerantur autem vsitate septem petitiones, quæ sunt tanquam classes generales & quasi metæ, ad quas ea, quæ petimus, referre, & in illis includere possumus & debemus. Scriptum enim est, 1.Iohann.5 versic.14. Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quod siquid petierimus, secundùm voluntatem eius audit nos. Et Iacob.4.v.3. Petitis & non accipitis, eò quod non male petitis, vt in voluptatibus vestris insumatis. Quæ igitur petenda sint, & quo ordine seu quo fine petenda, ex petitionibus Dominicæ orationis, quæ orandi regula est, colligi potest. Illæ enim ita distributæ sunt, quod priores spectant ad Dei gloriam potissimum, quatenus cum illa gloria salus nostra coniuncta est. Reliquæ complectuntur nostram necessitatem, vtilitatem & salutem, quarum quædam ad corpus, quædam ad animam pertinent: quædam ad vitam huius seculi, quædam ad spiritualem vitam in hoc seculo, quædam ad cœlestem futuram vitam. Item: quædam petitiones postulant *donationem aut* collationem bonorum, vel temporalium, *vel corporalium*, vel spiritualium, vel futurorum cœlestium: quædam vero postulant remotionem malorum vel temporalium, vel spiritualium, vt vel præterita remittantur & non imputentur, præsentia tollantur aut mitigentur, futura arceantur. Item in Oratione Dominica & finem petimus, scilicet gloriam Dei ac salutem nostram, & ea quæ ad finem hunc ducunt. Ordinem etiam petendorum Oratio Dominica ostendit. Primò scilicet, quæ ad Dei gloriam & ad salutem nostram pertinent, petenda esse. Deinde, quæ ad corporis & vitæ huius necessitatem, vtilitatem & commoditatem pertinent, recte etiam peti posse ac debere. Ita in auertendis malis, quæ gloriæ Dei & saluti nostræ obsunt, primum locum habere debent. Deinde etiam vt aduersitates, tribulationes, difficultates & molestiæ corporis & huius vitæ, vel tollantur *vel mitigentur*, petere possumus. Petenda autem esse temporalia seu corporalia ea conditione & moderatione, si bona voluntas Domini sit, si ad Dei gloriam & nostram salutem profutura sint. Sin ea, quæ nos petendo nobis vtilia & commoda putamus, Deus nouit ac iudicat noxia nobis futura, vt mala auertat & prohibeat, eo etiam fine petenda sunt temporalia, vt ordinentur, & dirigantur ad Dei gloriam, ad bona spiritualia, cœlestia & æterna. Hoc modo, quæ & quomodo secundùm voluntatem Dei petere possimus & debeamus, ex petitionibus Orationis Dominicæ recte colligitur. Et Paulus etiam certis distinctis vocabulis genera petendorum monstrat & exponit, Phil.4.v.6.& 1.Tim.2.ver.1. Distinguit enim orationem εἰς αἴτημα καὶ εὐχαριστίαν, in petitionem & gratiarum actionem. Petitiones distribuit in προσευχὰς, qua bona dari petimus: in δέησιν, qua mala auerti postulamus: in ἔντευξιν, qua vel pro aliis apud Deum intercedimus & oramus, vel contra hostes arma orationis dirigimus. Addit petenda esse, quæ ad Dei agnitionem & nostram salutem pertinent. Item: vel ad pietatem, vel ad vitæ huius tranquillitatem ac honestatem pertinent.

Vt autem enarrationem singularum petitionum eo breuius pertexere possimus, exponam hoc loco, ad quæ generalia meditationum capita sententia singularum petitionum inter orandum referenda, accommodanda & applicanda sit, sicut publice in enarratione Catecheseos & in priuatis pietatis exercitiis illa vsurpare soleo. Vt scilicet primò pia ac deuota meditatione consideretur, quæ bona in singulis petitionibus precemur, vel dari, vel, si data sunt, conseruari & augeri.

& augeri. 2. Quæ mala in singulis petitionibus cupiamus vel futura,ne accidant,prohiberi, vel præsentia, vt ab illis eripiamur & liberemur, auerti: & si cœpta est illa auersio ,vt subinde magis magisque fiat. 3. Quæ beneficia in singulis petitionibus agnoscenda sint, vt pro illis gratias agamus, vtque talis agnitio & gratiarum actio in nobis accendatur, crescat & augeatur. 4. In singulis petitionibus fit humilis confessio, quod illa, quæ proponuntur, non semper serio & ardenter, sed raro & frigide petamus,& magnitudinem eorum non satis consideremus; quodque contra quàm petimus dona illa quæ petimus re ipsa auersemur & excutiamus:mala vero,quę verbis deprecamur, ipso contrario actu nobis accersamus & attrahamus: quod accepta beneficia non agnoscamus, non gratias serio pro illis agamus,sed obliuiscamur eorum:nō curemus ea,non reuerenter cum gratitudine ad Dei gloriam illis vtamur, sed ex ingratitudine per abusum male illa collocemus.

Hæc humili confessione in singulis petitionibus agnoscenda & deprecanda, ac de emendatione cogitandum ac petendum est. Et illa omnia, & in genere ad totum Ecclesiæ corpus,& ad nos ipsos priuatim, & nominatim ad illos, quorum nobis necessitas nota est, accommodanda sunt. Ita in singulis petitionibus prolixa erit meditatio, quam hoc loco, quia instituti nostri iam non est, non tractabimus,sed priuatæ cuiusque deuotioni commendabimus.

Tantùm igitur verba in singulis petitionibus explicabimus, ac sententiam ostendemus,facta breuiter mentione, quomodo ad quatuor illa capita accommodari possunt ac debeant.

Sanctificetur nomen tuum.] Ad inuestigandam veram huius petitionis sententiam, vocabulorum explicatione opus est. Et agi de laude, honore ac celebratione Dei non est dubium. *Nomen* enim pro gloria ac celebritate sæpe accipitur. In Genes.6.vers.4. vocantur viri Nominis, quorum celebris fama erat. Deuteronom.26.vers.19. Altissimus super omnes gentes, quas fecit, ponet te in laudem, in nomen & in gloriam. Et verbum *Sanctificandi,* sicut mox ostendemus,sæpe vsurpatur,quando magnifice & gloriose aliquid, tanquam eximium,celebratur. Vt autem sententiam huius petitionis eo rectius in pia meditatione considerare possimus, explicationem perspicuitatis gratiâ in membra[illegible] quot breuiter distribuemus.

Et primo in genere, primo loco posita hæc petitio studium gloriæ Dei nobis commendat, vt primùm & ante omnia Dei gloriam curemus & quæramus. Vtque omnia, quæ petimus & agimus,ad Dei gloriam, tanquam ad verum finē, referamus,1.Corinth.3.ver 31. Omnia ad Dei gloriam faciamus. Et quia in hac naturæ corruptione non multum solliciti sumus de vera Dei gloria, quæ agimus, quæ petimus,quæ accipimus,vel prorsus non, vel certe non serio ad Dei gloriā referimus, sed loco gloriæ contemptu & ignominia Deum afficimus, nomen eius prophanamus, polluimus & blasphemamus: ideo iubemur petere,vt diuinitus accendatur in nobis,conseruetur & augeatur verum studium gloriæ Dei,vt omnia ad Dei gloriam referamus,vtque ab obliuione,contemptu,prophanatione,pollutione & blasphemia nominis diuini & gloriæ eius custodiamur,vindicemur & liberemur.

2. Secundo,Nomen Dei significat,quæcunque perfectionum idiomata, attributa seu virtutes Deus in verbo suo de sua essentia, voluntate & operibus patefecit & prædicat, vt quod sit sapiens,iustus,magnus,terribilis,bonus,clemens,misericors, patiens, pœnitens, zelotes, visitans iniquitates,&c.

Iudæi enim, quando nomen Iehouah nolunt pronunciare, vtuntur loco eius שם Inde Thargūm pro ipso Deo ponit שם & השם nomen. Gen.10.vers 5. Virtutes enim seu perfectiones Dei sunt ipsa essentia. Illud nomen Dei non potest sanctificari per collationem,infusionem,accessionem vel augmentum sanctitatis,sicut de nobis scriptum est, Qui sanctus est,sanctificetur amplius, Apoc.22.versi.11. Est enim in se sanctum,hoc est,ab omnibus aliis communibus & prophanis rebus mundicie & sanctitate separatum, exemptum, eximium & summum.

Sed sicut verbum *Sanctificari* vsurpatur, Leuit.10.vers.3. Cum enim occidisset duos filios Aaronis afferentes ignem alienum,dicit: *Sanctificabor in his, qui appropinquant mihi.* Et Ezech.38.vers.23. propter vindictam de Gog & Magog sumptam dicit:*Magnificabor & sanctificabor.* Esa.5 ver.16.post comminationes pœnarum dicit: *Exaltabitur Dominus in iudicio,& sanctificabitur sanctus in iustitia* Ezech.20.vers.9.de reductione populi loquens,inquit: *Sanctificabor in vobis in oculis nationum.* Et c.28.v.22.de punitione Sidonis,& liberatione Israelis dicit: *Sanctificabor in eis.* c.36.vers.23.de reductione populi dicit:*Non propter vos,sed propter nomen sanctum meum faciam, sanctificabo nomen meum magnum,vt sciant gentes,quod ego Dominus, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis.* In hanc igitur sententiam petimus, vt Deus gloriam & magnificentiam nominis sui,hoc est,suarum,de quibus diximus,perfectionum,attributorum seu virtutum insigni aliquo opere in Ecclesia & contra hostes exhibeat, ostendat & declaret, sicuti de singulis nominibus Dei peculiariter hoc exponi & intelligi potest, quod lectoris diligentiæ priuatæ commendo. Ita etiam; quia præmittitur:*Pater noster*,& subiungitur:*Tuum nomen sanctificetur*,recte per nomen intelligimus beneficia personarum, Patris officium,merita & beneficia Filij Mediatoris, & officium ac beneficia Spiritus Sancti, quæ in Scriptura reuelantur & prædicantur. Illa petimus sanctificari, hoc est, erga nos clementer declarari,ostendi & exhiberi. Ita Scriptura dicit: Credendum in nomen vnigeniti: remissionem nos & vitam æternam accipere in nomine & per nomen Christi.

Hæc si sigillatim euoluantur, prolixa fiet meditatio sed nos tantum ὑπομνήματα monstramus.

3. Correlatiue etiam petimus nomen illud Dei inter nos, apud nos à nobis sanctificari,hoc est, apud nos attributa illa, quæ sub nomine Dei comprehendi diximus,reluceant & innotescant in nobis, & in toto mundo prædicentur & celebrentur. Sicut Scriptura inquit: Sanctificabor coram gentibus,vt sciant,quod ego Dominus. Et antithesis,quando monemur, ne nomen Domini polluamus, prophanemus, blasphememus,simplicissime monstrat,quid sit sanctificare. Petimus igitur diuinitus nobis concedi, vt illas virtutes & operationes Dei agnoscamus,consideremus,reuerenter prædicemus & celebremus,cogitationibus, dictis & factis Sicut scriptum est Ps.48.v.11. Secūdum nomen tuum laus tua. Id quod de singulis virtutibus Dei essentialibus & personalibus explicando & meditando deduci potest & debet. Simul vero etiam petimus, vt de operibus & iudiciis Dei sancte & reuerenter cogitemus,sentiamus & loquamur, ne maligni simus æstimatores,vt vel de prouidentia eius,de castigationibus erga nos,& de longanimitate erga hostes, querendo aut murmurando inique aut prophane iudicemus,vel bonitate, clementia & pœnitētia eius abutamur. Num.20.v.12. Cum Moses & Aaron tumultuante populo dubitarent de impetranda aqua,dicit Dominus: Non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel.1.Pet.3.v.15. In persecutionibus ne terreamini:sed sanctificate Deum in cordibus vestris.

4. Quoniam nomen Dei de essentia,voluntate,operationibus & iudiciis eius in verbo nobis patefactum est,petimus, vt nomen Dei,hoc est, verbum eius pure, sincere, in vero ac sano intellectu,sancte,hoc est,absque corruptelis & deprauationibus nobis detur ac prædicetur, vt ministri synceri ac fideles ad ædificationem Ecclesiæ donentur,officium suum fideliter faciant,ac donis necessariis instruantur,vtque ab omnibus verbi diuini corruptelis & deprauationibus, à lupis & mercenariis clementer custodiamur & liberemur.

5. Huius correlatiuum est,vt donationem verbi pro sancto & eximio Dei beneficio agnoscamus, reuerenter accipiamus, diligenter & deuote audiamus, cogitemus & meditemur. Vtque vita etiam sancta illud sanctificemus seu ornemus, ne propter nos nomen Dei & doctrina polluatur & blasphemetur.1.Tim.6.v.1. Sed vt conseruatione nostra facta, alij etiam ad amandam & amplectendam doctrinam alliciantur. Matt.5.v.16. Vt videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum. Romanor.2.versic.23. Per præuaricationem Deum dehonestas, & propter vos nomen Dei male audit.

Hæc membra iam ducantur per quatuor illa generalia capita superius exposita: 1. Quæ scilicet beneficia petamus dari,conseruari,augeri. 2. A quibus malis custodiri & liberari. 3. Quæ beneficia collata agnoscere, ac gratias pro illis agere debeamus. 4. Qualis confessio peccatorum inde extruenda sit. Et hæc accommodentur in specie ad totam communem Ecclesiam, & priuatim ad nos & ad eos, quorum necessitas nobis nota est. Ita prolixa erat huius petitionis meditatio.

[*Adueniat regnum tuum.*] Græce est simpliciter ἐλθέτω. Veniat. Sed quia Lucæ 11.versic.2.scriptum est: *Regnum Dei peruenit ad vos*: Interpres non male reddidit: *Adueniat.* Porro regnum Dei non vno modo accipitur. Est enim regnum Dei generale seu vniuersale, quo potenter omnibus creaturis dominatur Psal.103.v.19. Regnum eius omnibus dominatur. Et Ps.145 vers.13. Regnum tuum, regnum omnium seculorum. Hoc proprie non intelligimus in hac petitione. Illud enim potenter pertransit omnia, nihil potest illud impedire,& nulla creatura potest se ab eo subtrahere, nisi intelligamus orandum,vt prouidentiam illius regni Dei administrantis, gubernantis & disponentis cuncta, omnes agnoscant, obseruent & reuereantur, & se ei humiliter in omnibus subiiciant.

Deinde est regnum gratiæ in Ecclesia in hac vita,& regnum gloriæ in futura vita, quod proprie intelligendum esse, præfatio docet. Dicimus enim, Pater noster, *tuum regnum* veniat. Et ad commendandam gratuitam Dei gratiam,non dicimus nos peruenire ad regnum Dei, sed petimus, vt illud ad nos perueniat. Siue vt Christus significantius loquitur, Lucæ 11. versi.10. Vt perueniat ad nos regnum Dei. Et hoc vocatur regnum Patris,regnum Christi,regnum cœlorum. Est autem regnum gratiæ,non cibus aut potus,sed iustitia,pax,gaudium in Spiritu sancto,Rom.c.14.versic.17. Non in sermone situm, sed in veritate & efficacia, 1.Corint.2.v.5.Petimus igitur dari nobis Spiritum sanctum, vt efficax sit in nobis per verbum, illuminet, conuertat, iustificet, sanctificet,ducat, gubernet, confirmet,conseruet nos,vt in regno illo inueniamur,maneamus,& perseueremus,ne rursus inde deficiamus, & in regnū Satanæ relabamur. Vt Deus regnum suum opponat regno Satanæ ac mundi,diabolum arceat,alliget,insidias ac potentiam diaboli & mundi reprimat, retundat ac infringat, ac Ecclesiam suam ab illo clementer tueatur & conseruet, hoc est,vt iuxta Psal.110.v.2. Dominetur potentia dexteræ Dei in medio inimicorum.Conculcet Satanam sub pedibus nostris, Rom.16.versic.20.Seruet nos à mundo,Ioh.17.v.15. Vt vincamus mundum,1.Ioh.5.v.4. & Ioh.16.v.33. Vt eripiat nos à præsenti seculo malo. Galat.1.v.4. Ne mundi regnum cum contemptu & neglectu Dei diligamus & appetamus. Ne regnet peccatum in mortali nostro corpore,Rom.6.v.12.Ne dominetur nobis iniquitas,Psal.19.v.14.& 119. Sed vt peccatum in nobis crucifigatur & mortificetur, Gal.5.v.24. Vt Spiritus sancti ductui nos subiiciamus, & ab ipso formemur in obsequium Dei,vt seruiamus iustitiæ.Nec responsemus: Nolumus hunc regnare super nos, Luc.19.versic.14. Iugum eius non proiiciamus à nobis, Psalm.2.versic.3. sed assumamus: quoniam suaue & leue est, vt inueniamus requiem pro animabus nostris, vtque laborantes & onerati ad thronum regni ipsius confugiamus & refrigerium accipiamus,Matth.11.ver. 29. Hebræor.4.versic.16.Vt primum quæramus regnum Dei, Matth.6.v.33. Vt recumbamus in regno cœlorum, nec inde eiiciamur,Matt.8.v.11.Ne simus scandala in regno Dei, Matthæi 18.versic.6.Ne auferatur à nobis regnum Dei,Matth.20. Vt intra nos sit regnum Dei, Lucæ 17.vt 33. Vt Christus nostri meminerit in regno suo, Luc.23.vers.42. Vtque regnum illud subinde latius propagetur, ad alias etiam nationes & gentes perueniat,& plures subinde homines ad regnum illud aggregentur. Ac summa, vt serio dicamus: Benedictum regnum Dauid promissum, quod venit in nomine Domini, Marci 11.v.10. Vtque regnum illud accipiamus, Matthæi 19. vers.17 Ciues sanctorum ac domestici Dei in hoc regno efficiamur & maneamus, Ephes.2.v.19.Ac de regno Gloriæ petimus, vt idoneos faciat ad participationem sortis sanctorum in lumine, Coloss.1.v.12. vt regnum illud ex gratia adoptionis hæreditare ac possidere possimus, Matt.25.v.34. 1.Cor.15. v.50.vt ab omnibus, quæ ab introitu & possessione eius prohibere possunt,clementer custodiamur & liberemur: Vtque 2.Tim.4 v.18. aduentum regni gloriæ amemus, expetamus, desideremus,& ad illud festinemus,2.Pet.3.v.12. Vt digni habeamur regno Dei,2.Thess.1.ver.5. Qui vocauit nos in suum regnum,& gloriam,1.Thess.2.ver.13. Vt subministretur nobis introitus in æternum regnum Dei,2.Pet.1.v.11. Vtque ad regni illius aduentum parati simus,Luc.12.v.40.

Hæc petamus in genere pro toto corpore Ecclesiæ, & priuatim pro se quisque,pro notis,amicis & inimicis.Ac ducantur per quatuor illa capita superius posita,quæ scilicet in hac petitione bona precanda, quæ mala deprecanda,pro quibus gratiæ agendæ, quæ peccata nostra in hac petitione humiliter agnoscere & confiteri debeamus.

[*Fiat voluntas tua.*]Voluntas Dei non vno modo consideratur. Ex distinctione igitur voluntatis Dei simplicissime sumi potest explicatio huius petitionis. Veteres igitur vocant voluntatem beneplaciti dispositionis aut decreti, quando Deus ipse vult ac constituit aliquid facere. Et nostra quidem voluntas viribus suis imbecilla est, & sæpe aliunde impeditur.Vnde necessario nobis orandum est,vt ad illud,quod boni in corde nostro constituimus, Deus vires subministret, ac impedimenta remoueat, vt opere illud complere possimus. Sed illud de hac Dei voluntate dispositiua;quia omnipotens est,nec opus est petere,nec recte ac pie hoc peteretur. Omnia enim,quæcunque vult,facit in cœlo & in terra.Ps.115.v.3. Voluntati eius quis resistet?Rom.9.v.19.Voluntas Domini in æternum permanebit,Esa.14.v.27.Dominus decreuit,quis poterit infirmare?Manus eius extenta, quis auertet eam?Esa.46. vers.11. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.

Alia est voluntas signi, qua Deus in mandatis & prohibitionibus,siue in Lege,siue in Euangelio,ostendit & declarat, quid à nobis velit fieri & omitti, Rom.12.v.2. Vocatur hæc voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. Agnoscimus igitur & fatemur in hac petitione,nos ex nostris viribus non posse voluntatem Dei,siue in Lege,siue in Euangelio nobis propositam,facere aut implere.

Petimus igitur dari nobis spiritum renouationis & sanctificationis,qui cor nouum in nobis creet, sublato corde lapideo, repressa & abolita contumacia & impatientia carnis,vt possimus ea,quæ Deo placita sunt,cogitare, desiderare, velle & facere,contraria cauere & omittere,ne quid, quod voluntati Dei contrarium sit,committamus.Quod si deprehendamus nos ea,quæ Deus vult,non curare,non probare,non velle,non facere,sed quæ Deus prohibet,auersatur & odit,petimus illa in nobis per Spiritum sanctum vera pœnitentia corrigi,voluntatem nostram à malo auerti, & ad bonum reformari. Ac antithesis consideretur:alia est Satanæ, mundi & carnis voluntas, dissimilis ac repugnans Dei voluntati.

Illis igitur renunciamus, & nos abdicamus hac petitione, ac petimus, vt Satanæ & mundi voluntas impediatur & reprimatur,ac suggestiones Satanæ infringantur, ne iis obtemperemus,nec huic seculo nos conformemus,atque carnis desideria & concupiscentiæ in nobis per spiritum crucifigantur & mortificentur, vt repressa contumacia, impatientia & praua carnis concupiscentia in nobis, nostra voluntas diuinæ ita conformetur, vt nihil velimus, appetamus aut faciamus, nisi quod Deo placeat & probetur, vtque de voluntate Dei reuerenter iudicemus, ac nos illi subiiciamus, vtque Dei voluntas in nobis fiat. Quam bonam Dei voluntatem Scriptura complectitur,hisce tribus capitibus.Volo,vt peccator conuertatur,Ezech.33.vers.11. Voluntas Dei est,vt credamus in filium Dei,Iohan.6.vers.39.Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra,vtque abstineamus à peccatis, 1.Thess.c.4.vers.3.Vt igitur eam possimus incoare & facere, petimus à Deo gratiam,vires & auxilium.

Aliam deinde voluntatem vocant operationis & permissionis diuinæ. Quicquid enim fit in toto mundo & in Ecclesia,quicquid nobis accidit,certum est non fieri sine voluntate Dei,Matth.10.vers.29.vel operante,vel permittente. Quia vero illam Dei voluntatem, vel disputando non probamus, vel per impatientiam de ea querimur,contra eam murmuramus,& obluctamur: petimus igitur patientiam,vt reuerenter & obedienter nostram voluntatem diuinæ voluntati subiiciamus,vel certe subiicere conemur, ac contra impatientiam luctemur,non maligne de iis, quæ Deo volente ac permittente nobis eueniunt,iudicemus,sed dicamus:Sicut Domino placuit, ita factum est. Ac quia viribus nostris non possumus hoc præstare, ideo præcipue petimus dari nobis patientiam, subiectionem & obedientiam: item robur & vires contra impatientiam. Illa etiam, quæ petimus, licet videantur nobis conuenientia, commoda & vtilia esse, semper subiiciamus Dei voluntati:Non quod ego volo,sed quod tu vis fiat.

Quidam etiam nominant voluntatem Dei optatiuam,qua ipso facto ostendit, se velle ac optare ea, quæ nobis vtilia ac salutaria sunt:quibus tamen nos sæpe contrarium actum, tanquam obicem ponimus. Vt cum dicitur: Deus vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quoties volui te congregare,& noluisti? Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur,& viuat. Non vult aliquos perire,sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Vbi petimus, vt hæc voluntas clementer compleatur in nobis, nec per suggestiones Satanæ, per mundi illecebras & carnis concupiscentias à nobis auertatur.

[*Sicut in cœlo & in terra.*] Hebraismus hic plenius ita redditur: Sicut in cœlo,ita etiam in terra Chrysostomus existimat, hanc clausulam, quasi κοινοῦ, referendam etiam ad priores petitiones: Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Sicut in cœlo,ita etiam in terra. Hoc loco vero pulcra est commonefactio de eo,quod Paulus dicit,in Christo pacificata & ad vnum caput reducta, quæ in cœlo & quæ in terra sunt, ac futurum vnum cœtum ex beatis angelis & hominibus, nósque, sicut Christus inquit, futuros ἰσαγγέλους. Monemur itaque petere, vt conformitas inter Ecclesiam angelorum & hominum in hac vita incoetur, vt ad illam beatam communionem tendamus & aspiremus.Quia igitur angeli prompte & alacriter absque contumacia & repugnantia ex charitate & obedientia ea, quæ sciunt Deum velle, exequuntur,sicut inquit: Psal.103.vers.20.Angeli potentes virtute, facientes verbum ad audiendam vocem sermonum eius, vt faciant voluntatem eius. Petimus igitur,vt illud etiam in nobis incoetur.Ac simul etiam monemur; quia ad communionem illam pertinemus,vt & conformemus nos, non huic seculo; quia non sumus de hoc mundo, sed pertinemus ad ciuitatem cœlestem. Illa autem conformitas in hac vita incoatur: consummata autem erit in æterna tandem vita.

Item:

Item sicut angeli de iudiciis Dei reuerenter sentiunt, ac quæ Deus vult per omnia approbant: idem etiam in nobis in terra fieri optamus per Dei gratiam & spiritus efficaciam. Atque ita vtilem continet hæc clausula commonefactionem, vt dū in terra in carne viuimus, incipiamus caput & animam eleuare, ad desiderandam & meditandam cœlestem conuersationem cum angelis, & eius conformitatem in terris incoari.

Hæc explicatio iterum accommodetur ad quatuor illa pie deuotionis & meditationis capita, quæ scilicet bona in hac petitione petere: quæ mala deprecari: pro quibus beneficiis gratias agere: quæ nostra pugnantia peccata agnoscere & confiteri debeamus. Idque vel in genere & pro tota Ecclesia, vel in specie pro nobis & pro aliis.

[*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*] In hac petitione, vt ad verum sensum perueniamus vocabula prius explicanda sunt. Et primo לחם panis proprie significat cibarium panem coctum, qui inciditur & manducatur. Vt quando distincte nominatur Panis & Aqua, 3.Reg.13.v.9. Panis & Vinū, Gen.14.versic.18. Frumentum panis & cibus, vel obsonium. Gen. 45.versicul.23. Vsurpatur vero per Metonymiam etiam pro frumento, vnde panis conficitur, Genes. 47.ver.13. Psal. 104.versic. 15. Et per synecdochen pro omnis generis cibis, vt 4.Reg.6.v.22 Appone eis panem & aquam. Et additur: Apposita est ciborum magna præparatio. Item, pro toto apparatu conuiuij in esu & potu, vt Lucæ 14.v.1. Comedere panem cum aliquo. Exod.18.v.12. Item, lac caprarum vocatur panis, Prouerb.27.v.27. Radix iuniperorum vocatur panis. Imo cibus iumentorum vocatur panis, Psalm.147.ver.9. Arborum etiam fructus vocatur panis, Ierem.11.vers.19. Nomine igitur *Panis* in hac petitione intelliguntur omnia, quæ ad sustentationem corporis & vitæ huius pertinent, ac necessaria sunt. Christus Matth.6.v.32. Iacob Genes.28.v.20. & Paulus.1. Timoth. 6. v.18. complectuntur illa in genere appellatione alimentorum & indumentorum. Illa etiam, quibus victus acquiritur, vt agricultura, negotiatio, & similia comprehenduntur appellatione *Panis*, Prou.31.ver.14. Quia vero Christus in hac petitione omnia corporalia, quæ ad vitam hanc commode transigendam requiruntur, complecti voluit. Vt cum Isaac pro vxore precatur. Genes. 25. v.21. Centurio pro seruo, Matth.8.v. 6. Paulus iubet pro magistratu, vt tranquillam vitam agamus in honestate, orare, 1.Tim. 2.v.2. Et Salomon orat pro bona aeris temperie, fœcunditate terræ, 3.Reg. 8.v.36. Ideo vocabulum Panis recte in hac petitione latius extenditur, pro omnibus iis, quę in politia, œconomia, in terrę fœcunditate, in aeris tempore: &c. ad necessariam, tranquillam & honestam vitæ huius rationem requiruntur.

Porro quod panem vocat ἐπιούσιον, quid proprie significet, non inter omnes conuenit. Ante Hieronymi tempora Latina versio habuit quotidianum Panem, sumpta absque dubio ratione interpretationis ex Luca, qui addit τὸ καθ᾽ ἡμέραν, quod quotidie seu singulis diebus opus est. Hieronymus reddidit super substantialem, quem sequitur Ambrosius li.5. de Sacramentis, & addit: Non iste est panis, qui vadit in corpus, sed panis vitę æternę: Ioh.6 v.40. qui animæ substantiam fulcit. Quia enim Hebraicum סגלה, significat peculium seu thesaurum peculiarem, quod Symmachus reddidit ἐξαίρετον præcipuum, eximium, peculiare. Septuaginta reddiderūt, περιούσιον, existimat idem esse ἐπιούσιον & περιούσιον, quod vniuersas substantias seu creaturas excellit. Intelligit igitur Cyprianus, Hieronymus. Ambrosius, Augustinus cibum corporis Domini. Addit tamen Ambrosius nec dissimulat Hieronymus, ἐπιούσιον significare etiam aduenientem. Diem enim superuenientem seu crastinam Græci vocant ἐπιοῦσαν, Act.7. v.26. Et Xenophon ita loquitur, ἐπιόντι ἐνιαυτῷ, vertente seu præsente anno. Et ἐπιόντι χειμῶνι, sequenti hyeme. ἐπιόντα enim vocantur, quæ futura sunt. Et Demosth. contra Midiam ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν vocat proxime insequentem concionem. Inquisiui etiam in Septuaginta versione hoc vocabulum, & inueni illud vsurpari in hac significatione, in Deut.32.v.7. Vtinā intelligerent ἐπιόντα χρόνον tēpus secuturū. Vnde.1. Para.20.v.1. Anno sequente. Prou. 27.v.1. absolute ponitur: Ne glorieris de crastino: ignoras enim τί τέξεται ἡ ἐπιοῦσα, quid paritura sit superuentura scilicet dies, vbi in Hebræo simpliciter ponitur diebus: Græci reddiderunt ἐπιοῦσα. Hieronymus addit, se in Euangelio secundum Hebræos reperisse, pro ἐπιούσιον, מחר, quod crastinum seu futurum significat. Hanc significationem Erasmus amplectitur. Et quia Christus prohibet de victu temporali nos in crastinum solicitos esse, ideo interpretatur, quod Christus iubeat petere, non panem præsentis vitæ, sed cibum ad futuram seu insecuturam vitam. Et rationē addit, quod non verisimile sit, Christum in tam spirituali ad Patrem cœlestē oratione de pane corporali locum, quem à suis parentibus etiam accipiunt Ethnici. Sed ratio hæc non constat. Vult enim Deus non tantum curam spiritualium, sed simpliciter omnem curam nos in ipsum conijcere, 1.Pet.5. v. 7. Et Pater cœlestis nouit, quod illis etiam temporariis nobis opus sit, Matth.6.v.32. Vult agnosci, quod ipse sit qui det nobis, quæ ad panem quotidianum pertinent, & irascitur, si quis aliunde, quam ab ipso, se ista accipere putet, Ose.2.v.8. Ioel. 2.v.22. Mandauit etiam illa à se peti, 3.Reg.8.v.35. Petierunt illa Iacob. Gen.28.v.20. Salomon, Prouerb.30.v.7. Cumque oratio Dominica sit forma perfectæ precationis, continens omnia, quæ Deus à se peti vult: necesse est & pani quotidiano locum tribuere, cum in nulla alia petitione contineatur. Et impium est ea, quæ ad panem quotidianum pertinent, vel creaturis, vel nostræ industriæ tribuere, vel à sanctis petere, ac non statuere esse Dei donum. Potest igitur & panis quotidianus recte significari per ἐπιούσιον. Non enim deducitur in hac significatione ἀπὸ τῆς οὐσίας sed thema eius est verbum ἔπειμι & τὸ ἰέναι, quod significat aduentare. Et sicut Plutarchus in Sertorio loquitur κατ᾽ οἰκίας ἐπιόντες, ordine singulas domus obibāt, vel circumibant domesticatim. Ita panis ἐπιούσιος erit aduentans seu aduentitius, quem non sufficit semel accepisse, aut sumpsisse, sed quem in hac vertentium temporum vicissitudine, subinde & semper, singulis diebus, seu quotidie necesse est nobis aduenire. Ita Luc.11.v.4. vocat ἐπιούσιον καθ᾽ ἡμέραν, panem ex manu Dei singulis diebus abeunte circumeuntem, aut aduentantem. Et huc conueniunt illæ compositiones, quod Hesiodus vocat victum ἐπήετανον, qui ad annum sufficit, & necessarius est. Plutarchus in Pericle vocat ἐφήμερον, quod ad singulos dies requiritur. Item, quia ἰέναι significat tēpus continuo insequens, sensus erit, continue subsequentibus subinde temporibus *für vnd für* in hac vita opus nobis esse hoc pane. Vt moneamur, Patrem cœlestem singulis diebus quotidie suppeditando panem nos pascere. Potest etiam intelligi, quod appelletur non quæsitus panis, sed ἐπιών, hoc est, sicut Varinus interpretatur ἐπερχόμενος superueniens, ne nostræ industriæ, sed Dei donationi illum tribuamus. Vel, Panem non esse principale, quod in oratione à Deo petendum est, sed ἐπιούσιον aduentitium, accessorium, adiectitium. Matt.6.v.33. Quærite primum regnum Dei, adiicientur vobis. Sed quia adiectiua in ειος non solent à participiis fœmininis, vt ab ἐπιοῦσα ἐπιούσιος, formari, ideo simplicissimum est ἀπὸ τῆς οὐσίας vocabulum hoc deducere, vt ἐπιούσιος panis sit, qui sustentandæ substantiæ corporis & vitæ nostræ necessarius est, quasi qui ἐπὶ οὐσίαν, ad substantiam corporis & vitæ huius sustentandam pertineat.

Ita Basilius in quæstionibus compendio explicat ἐπιούσιον explicat, hoc est, ἄρτον τὸν πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύοντα, illum panem, qui ad quotidianam vitam substantiæ nostræ vtilis & commodus est. Et Suidas inquit: Panis ἐπιούσιος, ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων καὶ συναρμόζων, qui substantiæ nostræ sustentandæ conuenit, congruit, quadrat & idoneus est, vel est panis quotidianus. Et Theophylactus exponit panem ἐπιούσιον qui substantiæ & constitutioni nostræ sufficit. Idem repetit Euthymius: Panis qui substantiæ vitæ & constitutioni nostræ conueniens est. Et addit Chrysostomum exponere ἐπιούσιον quotidianam.

Porro οὐσία significat etiam facultates seu bona fortunæ, Lucæ 15.c.12. Da mihi portionem substantiæ, seu facultatem ad me pertinentium. Ab illa vero significatione deducuntur duo nomina περιούσιον, quod significat peculiarem selectum, eximium thesaurum, sicut ante dictum est: & ἐπιούσιον, quod, quia distinguitur contra περιούσιον, significat vulgarem, necessariam & sufficientem substantiam. Et Syrus interpres reddidit vocabulo deducto à סנק Senak vt intelligatur panis necessitatis nostræ, quo indigemus & opus habemus. Sicut Baptista, cum inquit ad Christum: Mihi opus est, vt abs te baptizer, hoc verbo vtitur Matt.3.v.14. Atque hoc modo panis ἐπιούσιος pulcre congrueret ad illud, quod scriptum est, Prouerb.30.ver.7. Paupertatem & diuitias ne dederis mihi, sed nutri me pane constituto, seu ordinato mihi, vel pane demensi. Et Græci locum illum reddiderunt: Da mihi τὰ δέοντα καὶ αὐτάρκη ea, quæ necessaria & sufficientia sunt, vel quibus sim contentus. Magnus enim quæstus, pietas & αὐτάρκεια animus sua sorte contentus, 1.Timoth.6.v.6. Hæc, quæ ab eruditis merito consideranda sunt, hoc loco annotare volui, vt sensus petitionis huius eo fiat planior.

Docemur itaque & cōmonemur hac petitione, res humanas in hac communi externa vita non casu aut temere volui, bona corporis & fortunæ, quæ ita vocantur, quæcunq; ad felicem Reipubl. & œconomiæ statum pertinent, non ex hominum prudentia, industria aut dexteritate pendere, nō cæcę fortunæ, non fato aut periodo secundarum causarum tribuēda: sed à Deo hæc pro sua voluntate dispensari & gubernari. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, & ædificauerit domum frustra laboratur, Psal.127.v.1. Ita sortes regnorum, quo

modo à Deo dispensetur, in Daniele describitur. Et Prouerb. 22.v.2. Diues & pauper obuiarunt sibi, vtriusque operator est Dominus. Ita Deut. 28.ver.12. Pluuia datur terræ ex thesauris, & ventos mittit ex thesauris suis, Psal.135 ver.8. Nec cogitemus Deum curam bonorum corporalium & temporalium seu terrenorum, tanquam summa sua maiestate indigna, à se remouisse, & eorum procurationem inter sanctos distribuisse. A se enim talium vel felicitatem vel aduersitatem prouenire, serio affirmat, Leuit.26.v.3. Et Deu.28.v.12. Ac nisi hoc agnoscatur, irascitur, Oseæ.2.v.12. Ioel.2.v.22. Curã animæ, corporis, vitæ nostræ, cibi, vestitus, Patri cœlesti Christus attribuit, Matth.6.v.32. Imo capillos capitis nostri ipsum numerasse dicit, Mat.10.v.30. Iubemur itaque donationẽ horu bonorũ, & calamitatũ auersionem ac liberationem ab ipso petere, ac si contigerunt, per gratiarum actionem, vt ipsius peculiaria beneficia agnoscere. Ac simul petimus eximi nobis impiam solicitudinem, dubitationem, diffidentiam, auaritiam. Vt certo statuamus, Patrem cœlestem & velle & posse filiis suis dare panem quotidianum, vt in silentio & spe sit fortitudo nostra. Ita pro fructibus terræ precatur Moses, Deut.26.v.15. In morbo petunt leprosi, cæci, &c. in Euangelica historia. In sterilitate precatur Isaac, Gen.25.v.21. Hanna, 1.Samuel. 1.v.11. Pro magistratibus petit Paulus, 1.Tim.2.v.2 Pro pace ciuitatis, Ier. 29.v.7. Ac quia vult nos laborare, ac ordinariis mediis, ad quærẽda talia, vti, petimus vt talia ipse obiiciat, & illis benedicat, plantanti & riganti præbeat incrementum, 1. Cor.3.v.6. Domini enim benedictio diuites facit citra molestiam, Prou. 10.v.22. Quia vero iubemur quotidianũ panem petere, monemus ne delitias, copiam, abundantiam ad luxum & superbiam petamus, sed quæ ad vitæ commoditatem & necessitatem sufficiunt. Ac breuiter, iuxta Salomonis interpretationẽ, Prouer.30.ver.7. petimus, ne vel fortuna nimia oneremur, aut calamitate nimia opprimamur. Et addit ibi Salomon, non simul deprecari mala seu peccata quæ ex nimia fortuna, vel opulentia vel paupertate oriũtur. Simul vero iuxta Paulũ, Philip.4.v.18. & 1.Tim.6.v.6. etiam petimus αὐτάρκειαν, pium & salutarẽ vsum cuiusque fortunæ, ne anima nostra nauseet super Manna, & ollas Ægyptiacas, vel coturnices cum murmure appetamus. Num. 11.v.5. sed ipsi committamus vt de piscibus inter turbas, quantum vult, distribuit, Ioh. 6.v.11. Subordinatur petitioni panis præcedens, vt fiat voluntas Patris.

Ideo addimus *Nostrum panem*: non quia nostra industria acquiratur, aut iure quodam nobis debeatur; sed quia Dei benignitate ad sustentandã hanc vitam ordinatus & destinatus est, ac gratuita Dei donatione noster efficitur, vel quod cuique ratione suæ vocationis necessarius est. Item: Quid & quantum Deus cuique pro bona sua voluntate ex thesauris suis dispensare decreuit. Ac quia Paulus contra ociosos & contra iniquas victus acquirendi rationes, opponit præceptum laborandi, vt suum seu proprium panem quisque comedat. Ephes. 4.v.28.2. Thess.3.v.8. recte etiam intelligimus nostrum panem, qui non per iniquitatem aliis rapitur, vel in ocio aliis præripitur, sed sicut scriptum est: Labores manuum tuarum manducabis. Simul vero, quando petimus *Panem nostrum*: monemur pro aliorum etiam necessitatibus soliciti esse. Imo quod mihi, quod tibi datur, ita nobis donari, vt inde communicemus etiam aliis, Ephes.4.v.28. Est enim nõ meus, non tuus, sed *noster panis*. Pauperis igitur panis, quem detines, quando pauperi non communicas.

Illum panẽ iubemur petere, *Hodie*, Matt.6.v.12. Lucas dicit καθ' ἡμέραν, quotidie, vt moneamur, Deum singulis momentis nostri curam agere. Atque illa ipsa vox *Hodie* stultæ & impiæ sollicitudini de crastino frænum iniicit, qui nimiam huius vitæ bonorum cupiditatem, quã omnes laboramus, restringat & moderetur. Et ne existimemus, quando aliquid fortunarum & possessionum in promptu, & quasi in thesauro habemus, tunc non opus esse hac petitione, sed ideo etiam tunc quotidie vtendum hac precatione, vt agnoscamus ipsius donum esse, & nos essemus mendicos Dei, iuxta Augustinum; vtque illa donata nobis conseruentur, præcipue vero vt ex illis, quę donauit, ipse nobis quotidie suppeditet necessaria cum benedictione, quo ad sustentationẽ huius vitæ vires panis subministret, & efficiat vsum eius salutarem nobis. Ne fiat id, quod scriptum est, Leuit. 26.v.26. Comedetis & nõ saturabimini. Ezech.4.v.16. Confringam baculum panis, comedetis in solicitudine & angustia. Ne inueniamur inter illos, qui bona sua & partem suam in hac vita totam expetunt & accipiunt, & à bonis cælestibus & æternis exhæreditantur, Psal,17.v.14. Luc.16.v.25. Quique ad diem occisionis saginantur, Ierem.12.v.3. Ex veterum interpretationibus colligitur ipsos Luc.11. simpliciter legisse καθ' ἡμέραν, Quotidie. Sed omnia exẽplaria habẽt articulum non τὸν, vt ad panem referatur, sed τὸ καθ' ἡμέραν, hoc est, quantum vel quotidie & singulis diebus, vel quantum in hunc diem sufficit, vt conueniat cum eo, quod Matthæus habet: σήμερον *hodie*. Alias vero βίος ὁ καθ' ἡμέραν apud Arist. 2. Politic. est victus quotidianus. Et propter commonefactionem huius petitionis, Christus hunc morem seruauit & præmonstrauit, quod benedictionem & gratiarum actionem præmisit cibationi. Matt.14.v.19. & 15.v.36. & Luc.24.v.31. Atque ideo Paulus scribit, 1.Tim.4.v.2. doctrinam dæmoniorum esse, iubentem abstinere à cibis, quos Deus creauit, ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus. Et nihil reiiciendum, si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificari enim creaturam per verbum & orationem. Intelligit autem verbum Dei, quo creaturarum, quæ ad nostrum commodum creatæ sunt, vsus & dominium in principio homini traditũ. Gen.1.v.28. fuit, & postquam per peccatum amissum erat, propter intercessionem filij restitutum est, Gen.9.v.2. Et quia discrimen ciborum in Nouo Testamento sublatum est, Col.2.ver.16. Vt omnia sint munda, Tit.1.v.15. Orationem eam intelligit, qua, vt adoptati in filios, petimus, ex Patris nostri benefica manu, panem nostrum nobis dari, cum eius benedictione, vt ita vsus Deo placeat, & dona ac læta conscientia creaturis frui possimus. Nam & hoc peculiare Dei donum esse Salomon tradidit: De pane suo comedere, bibere & lætari, Eccles.3.ver.12.&.5, ver.17.

Hæc itaque pro toto Ecclesiæ corpore in genere, pro nobis priuatim, & pro aliis nominatim, quorum necessitas nobis nota est, ita petamus, vt per quatuor superius posita generalia capita petitionem illam ducamus. 1. Quæ bona petamus. 2. Quæ mala per auersionem, & amolitionem & liberationem deprecemur. 3. Pro quibus beneficiis Deo gratię agẽdæ sint. 4. Quæ peccata nostra agnoscere, Deo, ad remissionem & emandationem, confiteri debeamus in hac petitione.

[*Remitte nobis debita nostra.*] Non ideo in ordine orationis petitio Panis quotidiani præponitur remissioni peccatorum, quasi sit quærenda pecunia primum, & discenda post nummos tandem pietas: iubet enim Christus primùm regnum Dei quærere, Matth.6.v.33. Sed quia natura ad quęrenda externa bona ferimur, & Deus vult, vt beneficia sua in rebus externis gradum in nobis sternant, & animum subuehãt ad agnitionem Dei, & desiderium spiritualium ac cœlestiũ bonorum, sicut Ioh.6. versi 53. Regulus à sanatione filij sui externa, ad fidem in Christum in vniuersa sua domo subuehitur. Et Genes. 28.v.20. Iacob dicit: Si Deus custodierit me in via, & dederit mihi panem & vestimenta, erit mihi Dominus in Deum. Ideo post petitionem panis, mox subiungitur petitio remissionis peccatorum, & quidem per particulam copulatiuam καὶ annectitur, vt moneamur, quanto ardore naturaliter ferimur ad quærenda bona externa, vt tanto ardore spiritus desideremus, & curemus ea, quæ ad animæ æternam salutem pertinent. Et huius nos per coniunctionem copulatiuam καὶ admoneat naturale bonorum corporis & fortunæ desiderium, quod tamen Christus in Dominica sua Oratione restringit & moderatur, vt à Deo petamus panem, dispensationem voluntati eius committamus, sicut dictum est.

Quæ igitur Matthæus vocat *debita*, Lucas exponit peccata, vt sciamus quæ debita intelligẽda sint. Et Chaldaismus vsitatus est, verbũ חוב Thab, debitorem fieri, obligatũ esse, vsurpari pro peccare, inique agere. Et debitum pro peccatis, flagitiis, sceleribus in Christi etiam sermonibus vsitatum est. Vt in parabola Matth.18.v.24. In historia peccatricis, Luc. 7.47. Et Luc.13.v.2. An putatis, quos ruina turris Silo oppressit, præ reliquis fuisse debitores? Nõ autem phrasis tantum notanda est, sed & considerandum est, quas commonefactiones præbeat, quod peccata vocantur debita. Quia enim homines sibi ipsis vel peccata fingũt ex priuatis superstitionibus & humanis traditionibus, vel ex Pharisaica persuasione iustitiam sibi & perfectionem arrogant, deducit nos appellatio debiti ad Legem seu Decalogum, tanquam ad cautionem, quæ regula est iustitiæ Dei, qualis natura nostra esse, quid & quomodo, qua perfectione & puritate facere ac omittere debeamus. Sicut Christus inquit, Lucæ 17.v.10. Quæ debuimus facere, fecimus. Et Ro.8.ver.12. Debitores sumus, vt secundum spiritum viuamus. Et quia illa est forma obligationis nostræ erga Deum, monstrat ergo ex antithesi, quot nominibus ingentia debita contrahamus, facientes omittenda, omittentes facienda, at quæ præstamus, non recte, non perfecte, non pure, præstantes. Eadem etiam phrasis simul significat noxam, reatum, offensam, condemnationem, sicut multa exempla sunt, quando quis propter debitum non solutum pœnæ obnoxius redditur & tenetur. Sicut & Græci verbum ὀφείλω, ὀφλεῖν, ita vsurpant: ὀφλεῖν ζημίαν, ὀφλεῖν vel ὀφλισκάνειν δίκην, θανάτου τιμήν. Et Christus ipse hoc ita explicat, Matth.18.ver.25. Cum nõ esset soluendo, iussit Dominus ipsum venundari cum omnibus suis. Docet itaque hæc phrasis, nos petere simul & culpæ

culpæ & pœnæ remissionem, contra Pontificiorum distinctionem.

Quare vero & in quem finem piis in hac vita, post remissum peccatorum, sæpius pœnæ temporales non maledictionis, sed castigationis imponantur, alibi explicabimus. Et quia hęc oratio Apostolis, & quorum Deus Pater est, præscribitur, quotidie, sicut pro pane quotidiano, oranda: indicat igitur contra Pelagianos, neminem sanctorum in hac vita perfectum & absque peccato esse, cui non sit opus quotidie humiliter petere remissionem peccatorum. Contra Nouatianos etiam hæc petitio ostendit, lapsos post Baptismum & reconciliationem, si conuertantur, posse consequi veniam. Baptizati enim, & Deo reconciliati, iubentur petere remissionem peccatorum. Et quæ, ipso iubente, in nomine ipsius petimus, ea iureiurando promittit se daturum. Quorum alterum nostræ nos infirmitatis quotidie admonet, & ad humilitatem nos deducit: alterum, ostendens quotidie expositam nobis, si conuertamur, esse Patris misericordiam & indulgentiam, fidem confirmat, ne desperemus. Illam vero misericordiam & condonationem non ab angelis, nec à sanctis, sed apud DEVM ipsum iubemur oratione quærere, in vsu mediorum illorum, per quæ Deus vult dispensare remissionem peccatorum. Et quia iubemur petere remissionem debitorum, eo ipso igitur, contra Pontificias satisfactiones, humiliter coram Deo fatemur, nos non posse persolutionem aut satisfactionem pro peccatis nostris facere, sed gratuita condonatione propter Mediatorem nobis opus esse. Cumque peccata nostra diuidant inter nos & inter Deum, Esa.59.v.2. In hac ergo petitione gratiam Dei, reconciliationem & acceptationem petimus. Quicunque siue per satisfactiones, siue per merita, aliter quam ex mera misericordia Patris, propter solius Christi solutionem, satisfactionem & meritum quærit, nec recte ea quærit, nec vnquam consequetur. Remissionem enim debitorum iubemur petere. Et verbum *ἄφες, Remitte*, opponitur nostræ solutioni, compensationi & satisfactioni, ac significat gratuitam condonationem. Græci enim per verbum *ἀφιέναι* reddiderunt Hebræum סלח, quod significat propitium esse, & ex clementia condonare. Daniel 9. versic.9. Domini sunt miserationes & condonationes. Numer.14. versi.19. Condona iniquitatem populo, secundum multitudinem misericordiæ tuæ.

His ita explicatis facilis iam erit consideratio quid in hac petitione precandum nobis sit. Petimus igitur, qui innumerabilia, infinita & immensa habemus debita, ne Deus velit cum illis in iudicium suum intrare, ne velit ea imputare, observare, & requirere, sed clementer propter Christum condonare, in tergum ipsius, imo in profundum maris reiicere, Esa.53. versic.6. Mich.7. versic.19. Et quia stipendia peccatorum sunt offensa, ita seu indignatio Dei, maledictio & condemnatio, & pœnæ maledictionis in corpore & in anima, in hac & in futura vita, siue mors æterna: petimus igitur, vt Deus meritam iram remittat, non accendat, non effundat, indignationem deponat, gratia & clementia sua nos complectatur, vt clementem & propitium patrem habeamus & retineamus, non faciat, non retribuat nobis secundum peccata nostra, non subiiciat nos pœnis maledictionis, non coniiciat nos in carcerem satisfactionis, Matt.5.v.25. & 18.v.34. sed à culpa & à pœna absolutos, à nexu & obligatione liberos nos dimittat, vt cum Paulo dicere possimus: Quis accusabit, quis condemnabit nos? Deus absoluit & iustificat, quis condemnabit? Rom.8.v.33. Et quia non in genere debita, sed *nostra debita* nominantur: quisque igitur oraturus consideret in singulis Decalogi mandatis, quæ contraxerit & habeat debita, & differenter consideret, an sint debita contumaciæ, Psal.19. v.14. quæ vocantur mortalia peccata: an vero debita infirmitatis & imperfectionis, quæ venalia peccata nominantur. Ita enim recte poterimus pro discrimine, peccatorum remissionem petere. Et quia, nisi pœnitentiam egerimus, peccatum non dimittitur, Ierem.5. vers.7. nos vero securi, secundum cor nostrum durum & impœnitens, debita nostra quàm multa, quā magna & grauia sint, non supputamus, non consideramus, non numeramus, de peccatis non serio dolemus, non ex animo detestamur & fugimus ea, non auertimus nos ab illis, delectamur peccatis, prædicamus ea, vt Sodoma, Esa.3. versic.9. non habemus timorem Dei ob oculos, non afficimur sensu iræ diuinæ. Ideo, quando petimus remissionem peccatorum, simul petimus, vt Deus spiritu suo securitatem nobis excutiat, ne peccatum dormiat, aut mortuum sit, sed per Legem excitetur: vt auferat cor lapideū & impœnitens, det nobis cor carneum & pœnitēs, quod peccata sua agnoscat, detestetur, deploret & expauescat agnitione & sensu iræ Dei. Simul vero etiam petimus, vt fide rursus nos erigat & sustētet, ne desperemus. Fide enim accipimus remissionē peccatorū. Et quia petitioni quartæ, vbi panem quotidianū petimus hodie, per cōiunctionē copulatiuā annectitur petitio remissionis debitorum: quotidie igitur iubemur hoc petere, ac simul monemur, ne ita cumulemus debita, vt inueniamur in libris iudicij, Dan.7. ver.10. absque remissione, sed quotidiana delicta, quotidie peramus deleri, ne stylo ferreo inscribantur, ne thesaurizemus nobis iram ad diem iudicij, Rom.2.v.5. Et quia ad dispensandā & accipiendā remissionē peccatorum Deus certa instituit media; simul itaque petimus dari nobis talē mentem, vt auditum verbi, vsum clauium cœli & Sacramentorum, & exercitia fidei ac orationis non abiiciamus, nō negligamus, sed assidue vsurpemus. Ne tradat nos in sensum reprobum seu indolentiam, non curantem peccata & iram Dei, Rom.1.v.28. Ephes.4.v.17. Ac tandem petimus, ne morte præoccupemur, peccatis ligatis & retentis. Vtque ante finem vitæ liceat nobis vti mediis illis, per quæ remissio peccatorum ordinarie dispensatur: Hæc tot ac tanta debemus cogitatione complecti, quando petimus, *remitte nobis debita nostra*. Vnde manifestum est, qualis deuotio & presentis animi intentio in oratione requiratur.

Hæc vero omnia, & pro toto corpore Ecclesiæ in genere, pro nobis priuatim, & nominatim pro iis, quorum nota nobis est necessitas, petere debemus. Dicimus enim *debita nostra*. Ac licet tres posteriores petitiones sint deprecatoriæ malorū recte tamen illæ per quatuor generalia capita, in principio: exposita, dici possunt & debent. Sicut enim in prioribus petitoriis petitionibus ostendimus, inuolutas esse etiam deprecatorias, eucharisticas & confessorias, eadem ratio etiam in his deprecatoriis est.

[*Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*] Lucas habet, *καὶ γὰρ αὐτοὶ*: *Nam & nos ipsi remittimus*. Non autem apud Matthæum significatur similitudo prorsus æqualis, vt nō perfectiori clemētia Deus nobis remittat, quā nos aliis. In nobis enim caro repugnat spiritui, etiam quando proximo recōciliamur. Et Deus ipse inæqualitatem ostendit, Ose.11. versi.8. Ponerem te sicut Adamam & Zeboim, sed non faciam furorem iræ meæ: quoniam Deus ego, & non homo. Et de *στοργῇ* matris ardentissima inquit Esaiæ.49. versic.15. Si mater oblita fuerit infantis sui: ego tamen non obliuiscar tui. Nec Lucas causam aut rationem, per & propter quam remissionem peccatorum mereamur, describere voluit. Est enim remissio Dei gratuita, & ex mera miseratione, Matth. 18. versic.27. Et Paulus vtitur verbo *ἐχαρίσατο*, Deus ex gratia vobis condonauit. Non enim nostram condonationem opponit Deo, tanquam pretium aut meritum, vt ideo & Deus nobis remittat, quoniam nos prius remiserimus. Sed inquit Eph.4. versi.32. Sitis alius in alium benigni, misericordes, condonantes vobis mutuo; sicut & Deus in Christo donauit vobis. Col. 3.v.13. Sufferentes vobis inuicem, & condonantes vobis mutuo; sicut & Christus condonauit vobis, ita & vos. Non igitur causa, vnde remissio Dei depēdeat, significatur hac phrasi, sed sicut Cyprianus loquitur, est conditio & sponsio. Sicut enim liberi parentum indulgentia plerunque redduntur deteriores: ita corrupta nostra caro; quia audit, petentibus, & pœnitentiam agentibus, semper paratam apud Deum esse veniam, accipit licentiam inde liberius in posterum peccandi, sub spe veniæ facile impetrandæ. Atque ita immenso illo beneficio gratuitæ diuinæ remissionis abutimur, tanquam priuilegio turpitudinis & licentiæ. Ideo Christus adiecta hac clausula orantium propositum, tanquam publica & solenni conditione & sponsione obstringit, quod velint in posterum peccata cauere, vitam emendare, ac pietati studere. Est igitur grauissima commonefactio sub formula sponsionis in conspectu patris cœlestis, ne paterna condonationis clementia & promptitudine ad peccandi licentiam abutamur, sed spondeamus & quasi voueamus emendationem. Illam vero generalem doctrinam, de bono proposito emendationis concipiendo, exemplo speciali, congruente ad verba petitionis, de mutua fraterna condonatione proponit, sicut Matth.5. vers.39. de obuertenda altera maxilla diximus. Quia vero caro, radice amaritudinis, Hebr.12. vers.15. corrupta, per se impatientiæ plena, vindictæ cupida, iræ tenax, à fraterna reconciliatione & condonatione alienissima est: ideo simul petimus, vt radix illa amaritudinis per Spiritum sanctum in nobis mitigetur, reprimatur & mortificetur, ac accendatur in nobis studiū concordiæ, reconciliationis, condonationis, nec imputetur nobis, quod non ex toto corde, sed reluctante carnis nostræ condonatio fiat.

Quia igitur vita nostra in his terris non degitur sine multis peccatis contra Dominum, nec conuersatio inter fratres sine mutuis variis offensionibus: ideò vtrumque in hac quinta petitione coniunxit, vt ita simul cōscientiæ pax erga Deum, quotidiana remissione peccatorum, & fraterna charitas, qua Deus præcipue delectatur, inter homines continua mutua reconciliatione & condonatione conseruetur. Atque

ideo fraternam condonationem cum diuina remissione coniungit, sicut in parabola Matth. 18. vers. 23. quæ simplicissima huius petitionis declaratio est, ostendit, vt eo efficacius depravatam cordis nostri impatientiam amaritudinem frangat & corrigat, & argumenta, quæ pro tuenda vindicta, quasi iure nostro, de offensæ proximi erga nos magnitudine & multitudine, de nostra dignitate, de beneficiis nostris erga proximum, prætendere & speciose exaggerare solemus, nobis eximat, collatione inter debita nostra erga Deum, qui serui sumus, & inter conseruorum debita, vbi plerunque debita sunt mutua. Vel enim lædenti proximo occasionem damus, inscientes siue imprudentes: vel læsi vicissim impatientia & amaritudine peccamus. Vnde Iacobus recte dicit: Confitemini inuicem alter alteri peccata, & orate pro vobis inuicem, Iacob. c. 5. v. 16. Et ne crebritate offensionum proximi offendamur, ac repetitis sæpe condonationibus & recociliationibus defatigemur, præmittitur, quod quotidie nobis apud Deum repetenda sit illa petitio, *Remitte nobis debita nostra:* vt non septies, sed septuagies septies condonemus proximo. Et ad studium ac promptitudinem fraternæ condonationis acres illos stimulos admouet & adhibet in forma conditionis & sponsionis: *Sicut & nos remittimus*, vt meminerimus, nos fidem in hac petitione solenniter datam & obstrictam fallere, si non condonemus proximo, ac sciamus, quod ipsi nobis imprecemur diuinam vltionē absque remissionis misericordia. Atque ita, sicut Chrysostomus inquit, nō oramus Deum, sed irritamus, nec gratiam obtinemus, sed condemnationis sententiam ipsi contra nos pronunciamus, & iuxta illam sententiam in iudicio iudicabimur, quando dicimus: *Sicut & nos remittimus*. Deum enim hoc modo incitari, vt beneficium remissionis ipse retrahat, & retractet, vt ostendit parabola, Matth. 18. versic. 34. Nec releuat immisericordes hæc elusio, quod quidam (sicut Chrysostomus scribit) inter orandum illam sponsionem omiserunt: vel quod quidam nunc aliis precatiunculis, in quibus hæc clausula non habetur, interea vtuntur, imo hac stropha, qua ipsi Deo illudere conantur, maiorem merentur indignationem. Fixa enim manet illa sententia Dei: Si vos non remiseritis hominibus nec Pater vester vobis remittet.

Debitores autem nostri intelliguntur, Chaldaismo illo supra exposito, qui nos offenderunt, qui aliquid contra nos commiserunt, vel, sicut Paulus exponit Coloss. cap. 3. versicul. 13. contra quos querelam aliquam habemus. Et Lucas addit: *Omni debenti nobis remittimus.* Quia enim natura solemus contra quosdam faciliores, contra alios duriores esse, ac minus ægre à potentioribus quàm vel à paribus vel inferioribus iniurias ferimus: ideo omnem in fraterna condonatione respectum tollit, quando dicit: *Omni debenti remmittimus* Ac de ciuili quidem debito proprie & potissimum non loquitur: & tamen illud etiam, si absque damno & pernicie proximi exigi & reddi non potest, remittendum esse, vel habendam patientiam, parabola Matt. 18. versi. 33. diserte monet. Recte itaque Augustinus monet, odium fratris magis, quam reliqua peccata, vitandum. Quia, inquit, quod aliis sensibus & cupiditatibus peccaueras, hic erat sanandum, quando dicis: *Remitte nobis debita.* Sed odium implacibile & vindictæ cupiditas perdit tibi id, quod additur, *Sicut & nos remittimus.* Illo perdito, cuncta peccata retinentur, & nihil omnino remittitur. Vtrique autem, & qui læsit, & qui læsus est, iniungitur reconciliatio. Vt Matt. 5. vers. 23. Si offeras munus tuum ad aram & recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid aduersus te, hoc est, querelam aliquam contra te, vtpote iniuria abs te affectus, vade, reconciliare prius fratri. Absque pœnitentia enim non potes cum Deo agere, aut remissionem petere. Læso vero præscribitur Lucæ 17. v. 4. Si frater septies in die peccauerit in te, & septies conuersus fuerit ad te, dicens, pœnitet me: Remittes illi, imo non septies, sed septuagies septies. Ac quicquid ita in terra soluitur, solutum etiam erit in cœlo, Matt. 18. versic. 18. Sed si tu fratrem, qui te læsit, & non pœnitet ipsum, solueris, Deus in cœlo non pœnitenti non remittit. De publica igitur reconciliatione Christus loquitur, Luc. 17. vers. 3. Non autem sensus est, posse aut debere nos iram, odium, amarulentiam retinere & exercere, hoc est, non remittere, si aduersarius non agit pœnitentiam, nec rogat te. Præceptum enim generale est, Mar. 11. versic. 25. Cum stabitis parati ad orandum, remittite, si quid querelæ aduersus aliquem habeatis, vt & Pater vester remittat vobis. In corde igitur priuatim remittimus debitoribus, etiam non pœnitentiam agentibus, & nec rogantibus. Illa autem fraterna remissio complectitur, vt vel non concipiamus iram seu odium contra proximum iniuste nos lædentem: vel vt iram, odium, inimicitiam contra proximum, ob illatam iniuriam conceptam, dimittamus ac deponamus. Deinde, vt nec ipsi vindictam vel sumamus, vel meditemur, aut conemur de proximo sumere, imo nec cupiamus, nec optemus, vt propter iniuriam nobis illatam vindicta de ipso, vel à Deo, vel aliis siue temporalis siue æterna sumatur, nisi ordo iustitiæ hoc postulet. Sed magis optemus ipsis piam emendationem, vt conuersi non damnentur, sed in æternum saluentur: quod si non pœnitentiam egerint, vt paternis flagellis in chamo & fræno, in misericordia & miserationibus erudiantur, & castigentur in tempore, vt eis parcatur in æternum. Et hoc modo debemus inimicos diligere, cuncta ad salutem profutura ipsis optando & imprecando, & pro persequentibus orare, ne statuatur ipsis hoc peccatum.

[*Et ne nos inducas in tentationem.*] Variæ autem sunt tentationum species. Deus enim scribitur tentare, sed ad bonum, quando obiecta aliqua difficultate, aut immissa aduersitate, aut dilata auxiliatione & liberatione, explorat, exercet & probat emendationem, fidem, spem, patientiam, obedientiam & constantiam nostram. Tentatio vero, seu solicitatio ad malum, fit vel à diabolo, vel à carne, vel à mundo. Et diabolus proprie vocatur ὁ πειράζων, 1. Thess. 3. vers. 5. Ne vos tentet, ille, qui tentat, quando scilicet vel per suggestionem interiorem, vel per externas occasiones, siue felicitatis, siue calamitatis, siue à dextris, siue à sinistris, sollicitat nos vel à bono abducere, vel ad malum seducere. Caro vero tentat ad malum, quando à praua nostra propria concupiscentia inescamur & abducimur, vt concupiscentia pariat peccatum, & peccatum pariat mortem. Mundus tentat vel prauis exemplis, tanquam obiectis scandalis seu offendiculis, vel persuasionibus impiis. Et sicut Veteres dicunt: *Mundus blanditur, vt decipiat: terret, vt frangat.* Omnis enim talis tentatio fit, vel per blanda, delectabilia & expetibilia, cupiditate, spe & amore prauo: vel per tristia, horrenda & tremenda, metu, timore, fuga. Ad explicandam etiam huius petitionis sententiam, vtilis est illa Gregorij distinctio, quod tentatio fiat suggestione, delectatione & consensu.

Prodest & illa Veterum distinctio, quod dicunt, Satanam in tentationibus, ad prosternendos etiam sapientes & fortes, vti hisce insidiis, astutiis & fallaciis. 1. Quando afflictio diu durat, & liberatio differtur. 2. Quando videtur nimium enormis, singularis & insolita esse calamitas. 3. Quando sub prætextu magni boni suggerit aliquid suscipiendum, quod vel cum periculo coniunctum, vel supra vires & vocationem nostram est. 4. Quando sub prætextu virtutum vitia palliat, vt sub prætextu prouidentiæ, auaritiam: sub prætextu iustitiæ, crudelitatem: superbia pingitur, sub nomine celsitudinis animi: ignorantia, nomine simplicitatis venditatur: profusio, liberalitatis speciem assumit, &c. 5. Pace, quiete, tranquillitate abutitur ad securitatem instillandam. Non autem iubemur petere, vt Deus per suas tentationes nos non exploret. Gloriamur enim in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, Rom. 5. vers. 4. Et Iac. 1. vers. 2. Omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideritis. Nec etiam petimus, vt prorsus liberi conseruemur à telis Satanæ, carnis & mundi. Qui enim non est tentatus, qualia scit? inquit Syracides cap. 34. ver. 10. Et Augustinus inquit in Psalmum 60. Per tentationem profectus noster fit. Non enim sibi quisquam innotescit, nisi tentatus. Nec potest quisquam coronari, nisi vicerit; nec vincere, nisi certauerit; nec potest certare, nisi inimicos & tentatores habeat. Et de Ciuit. lib. 14. dicit: Dum huius vitæ infirmitatem gerimus, si tentationes & passiones omnino nullas habemus, non recte viuimus. Et rectissime potest hoc intelligi ex oratione Christi, Io. 17. vers. 15. vbi inquit: Non rogo vt tollas eos è mundo, sed vt liberes eos à malo. Verba igitur petitionis huius non sonant: Ne tentemur: sed *Ne inducamur in tentationem* Et aliud est, sicut ex Cypriano Bernhardus notat, tentari seu tentatione pulsari; aliud in tentationem duci, quādo scilicet tentationibus exponimur & exercemur: aliud vero in tentationem induci, quando scilicet tentatione obruti & oppressi succumbimus, & ab ea superamur, vel consentiendo, vel cedendo. Vel, duci in tentationem est suggestione alterius peccati delectari: induci est tētationi consensum præbere. Vtitur autem Christus verbo εἰσενέγκῃς, quod significat non tam inducere, quam inferre, sicut & Augustinus obseruauit, quando aliquid induci seu inferri dicitur. Græci interpretes הביא à ביא reddiderunt per verbum εἰσενέγκειν, afferre, abducere, introducere, inferre. Et verbum illud in Hebræis ita etiam vsurpatur de adoratione vituli. Exod. 32. ver. 21. Adduxisti super populum peccatum grande. Gen. 26. versicul 10. Induxisses super nos debitum. Gen. 27. versic. 12. Inducerem super me maledictionem, non benedictionem. Psal. 66. v. 11. Induxisti nos in laqueum. 3. Reg. 21. ver. 20 Non adducam malum in diebus illis.

Sed Phrasis inducendi aut inferendi in tentationem, vnde petitionis huius sensus dependet, simplicissime ex collatione depre-

deprehendi [illegible]. De incursatione enim, vel immissione tentationum [illegible] ita loquitur. 1. Cor. 10. vers. 13. Tentatio vos non [illegible] apprehendit aut inuasit, nisi humana. Iac. 1. vers. [illegible] περιπέσητε, quod non simpliciter significat [illegible] tentationes, incurrere, offendere in tentationes. [illegible] est, quod Paulus dicit 1. Tim. 6. vers. 9. [illegible] tanquam in laqueum, quæ demergũt homines in [illegible] perditionem, Lucæ 22. versic. 40. Orate, [illegible] in tentationem, hoc est, ne securi, imparati [illegible] & lucta in tentationem, quæ vos superet, [illegible] inuoluamini. Inde planum est, induci nos in tentationem, quando in medias tentationum diabolicarum insidias & potentes incursationes, tanquam in laqueum vndique [illegible], nobis relicti, & subsidio diuino destituti, cõiicimur, immergimur, detrudimur seu præcipitamur, & obruti finimur. Non autem impersonaliter tantum petimus, ne inferamur in tentationem, sed compellantes Patrem cœlestem [illegible]: *Ne inducas nos in tentationem*. Et Augustinus quidem [illegible], multos ita legisse: *Ne nos patiaris induci in tentationem*. Plenior tamen sententia est si legitur: *Ne inducas*.

Quia igitur [illegible] & potentia tentationum longe exsuperat nostram infirmitatem: non enim, cum carne & sanguine nobis lucta est, sed aduersus potestates tenebrarum & spirituales astutias. Eph. cap. 6. versic. 12. & periculum fit, ne in tentatione succumbamus, & superemur, & demergamur in exitium: Petimus ergo primo; quia Satanæ non est liberum nos tentare, quantum vel vult vel potest, sed quantum Deus permittit & concedit. Iob. c. 1. ver. 12. ne Pater cœlestis nos abiiciat & tradat libidini, insidiæ & potentiæ tentatoris, sed vt ipse dispenset & moderetur tentationem, nec finat nos tentari supra id, quod ex ipsius gratia & dono sufferre & sustinere possumus, sicut Paulus 1. Cor. 10 versicul. 13. inquit. 2. Quãdo Satan expetit nos ad tentationem seu cribrationem, petimus, ne pater cœlestis nos deserat, nos solos nobis relictos, nec nos in paroxismo tentationis sua præsenti gratia & auxilio destituat: sed vt adsit & assistat nobis, arcens, depellens, comprimens, refrænans diabolum, suppeditans nobis vires & robur, vt fortes in Domino & per potentiam roboris illius, Eph. 6. v. 13. possimus tentationem sufferre, Iacob. 1. vers. 12. resistere, 1. Petr. 5. vers. 10. ne succumbamus, ne superemur, ne tempore tẽtationis deficiamus, Lucæ 8. v. 13. aut demergamur in exitium, 1. Tim. 6. ver. 6. Sed, Ephes. 6. v. 11. vt omnibus peractis eluctari & stare possimus, & in tentatione seruemur à malo, Iohan. cap. 17. ver. 15. vtque Christus mediator, Lucæ cap. 22. versic. 32. roget pro nobis, ne deficiat fides, spes, patientia, lucta & constantia nostra. 3. Cum securi, imparati & somnolenti simus in tentationibus, non considerantes tentatoris insidias cum potentia coniunctas, & nostras multiplices imbecillitates, nec de periculo tentationis admodum solliciti simus petimus, vt ipse nos à somno securitatis excitet sicut Apostolus, Lucæ 22. versic. 46. docet, vigilemus cum omni solicitudine & instantia orantes, ne intremus in tentationem, vt armaturam Deus ipse nobis inducat, prudentiam & robur attribuat, vt illam recte tentationibus opponere possimus. 4. Petimus dari nobis patientiam, consolationem & spem, Rom. 5. vers. 4. vt quamdiu & quàm grauiter Deus nos tentari velit, sufferamus, contenti gratia Dei, sicut Paulo, 2. Corinth. 12. ver. 9. responsum fuit. 5. Petimus, vt quando tentationum laqueo constricti sumus, & inde expedire nos non possumus, nec exitum inuenire, vt ipse 1. Cor. 10. v. 13. det talem exitum, vt possimus sustinere & sufferre, vt nobis salutare sit, vt cedat ad Dei gloriam. 6. Quia nouit, exiguam nos habere potentiam, petimus, vt Christus nos seruet ab hora tentationis periculosa & perniciosa, sicut scriptum est, Apoc. 3. versic. 3. 7. Vt Deus in tentationibus custodiat nos à præsumptione Petri & desperatione Saulis. 8. Ne Deus in furore suo puniturus peccata peccatis, inducat nos in periculosam tentationẽ, sicut Dauidem, 2. Sam. 24. ver. 1. & 1. Paral. 21. v. 1. Vel ne tradat nos concupiscentiis cordis nostri. Psal. 81. vers. 3. Vel ne tradat nos in sensum reprobum, Roman. 1. versic. 28. Siue in dedolentiam; Ephes. 4. versicul. 18. Hæc interpretatio simplicissima & [illegible], quæ ex ipsa Scriptura depromitur.

Et hæc in genere pro tota Ecclesia, priuatim pro nobis ipsis, & nominatim pro aliis tentatis oremus, deprecando mala, petendo bona, gratias agendo pro beneficiis, confitendo, quod non fortiter luctemur contra tentationes, cedamus illis, nõ præparemus nos ad tentationes, non accipiamus armaturam Dei, ipsi tentatori inescationes suppeditemus, [illegible] & ornantes domum, Luc. 11. vers. 25. membra nostra ipsi tentatori arma præbeamus, Rom. 6. v. 19. quæ capita supra exposita sunt. Et tantum commonefactiones submonstramus, non integras petitionum meditationes conscribimus. Est autẽ hæc petitio generalis, totius Ecclesiæ confessio de imbecillitate & infirmitate etiã sanctorum in hac vita. Petendo enim agnoscimus & fatemur, nos non posse nostris viribus tentationibus resistere, ne succumbamus & superemur: sed gratiæ Dei esse hoc, quam subsequi etiam oportet, quando in regeneratione nouas spirituales vires accipimus.

[*Sed libera nos à malo.*] Contendunt quidam, hanc non esse peculiarem petitionem. Aduersatiuæ enim particulæ, quæ hic additur, hæc ratio & vis est, quod duas clausulas in vnam sententiam coniungit. Vt quod in præcedente clausula negatiue deprecamur, *Ne nos inducas*: huic contrarium in aduersatiua clausula affirmatiue petamus. Qua de re cum nemine contendam. Existimo autem in doctrina catechetica eos non peccare, qui docendi gratia apud simpliciores vocant hanc petitionem septimam. Latius enim patet, & plura complectitur, quam sexta petitio de tentatione. Sed omissis rixis inutilibus, ad explicationem progrediamur. Verbum ῥύσαι in communi lingua Græca vtrumque significat & defendere, protegere, custodire, seruare à malo, ne in illud incidamus. Ita vsurpatur apud Homerum Iliad. 10. vbi coniungitur cum φυλάσσω, & Iliad. 15. εἴ σε πυρὸς ῥυσαίμην. Et ex malo, in quo iam hæremus, eripere, eruere & liberare. Ac vtraque significatio probe huic petitioni, qua petimus à malo custodiri & liberari, conuenit. Græci interpretes per verbum ῥύσαι reddiderunt illa Hebraica, quæ significant eripere, eruere & liberare de manu inimicorum. Ita etiam ferme in Nouo Testamento vsurpatur. Sed 1. Thess. 1. versic. 10. vtraque significatio videtur simul comprehendere Iesum τὸν ῥυόμενον, qui & eripuit nos, & qui custodit, seruat nos ab ira ventura, sicut Rom. 5. v. 9. pro eo vsurpatur verbum σώζειν. Per vitam Christi seruatur ab ira. Et Iohan. 17. versic. 11. Christus respiciens ad hanc petitionem, vtitur verbo τηρεῖν. Non oro, vt ex mundo ipsos tollas, sed vt serues eos à malo. Recte ergo vtrumque intelligimus: & vt custodiamur, & vt eripiamur *à malo*, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Chrysostomus legit in Masculino genere, & interpretatur pro ipso diabolo: qui non tantum in se malus est, sed omnis mali, quatenus illud nobis damno & exitio est, auctor & administer est, qui aduersarius noster est, quærens nos deuorare, qui malis nostris, vt ἐπιχαιρέκακος delectatur. Et in Scriptura Noui Testamenti, quando sine adiuncto substantiuo cum articulo nominatur ὁ πονηρὸς, intelligitur Satanas. Et in Neutro genere τὸ πονηρὸν absolute, pro aduersitate in Nouo Testamento vix vsurpatur. Sed plerunque adiunctum habet substantiuũ, vt mali homines, cor malum, opera mala, cogitationes malæ. Græci autem interpretes vocãt τὸ πονηρὸν rẽ malã, & intelligunt, vel peccatum, vt Gen. 39. ver. 9. de adulterio in vxorem Domini: vel incommoditatem, periculum, damnum, aduersitatem, vt 1. Reg. 25. versic. 18. Malum pro bono reddere, quod in Nouo Testamento τὸ κακὸν appellatur. Positiuum igitur malum in hac petitione intelligimus, in Masculino pro ipso diabolo. Deinde etiam in Neutro intelligimus, & peccatum est, & quicquid est damnorum, periculorum, aduersitatum, quæ vel animam, vel corpus, vel famam & fortunas, siue iam onerant, siue imminent & impendent. Petimus igitur primo, vt cum Satanas obambulet, sicut Leo rugiens, quærens quem deuoret, Deus clementer nos ab ipso, ab omnibus eius insidiis, laqueis, tentationibus & tyrannide defendat, tueatur, custodiat, seruet & protegat. Et si laqueis ac tentationibus suis nos irretierit & apprehenderit, vt inde nos eripiat, eruat ac liberet. Ita opponatur hæc petitio præcedenti per particulam aduersatiuam, vt 2. Petr. 2. versic. 9. Nouit Dominus pios ex tentatione eripere, & à die mala liberare. 2. Petimus, vt ab omni peccato seu opere malo Deus nos custodiat, nec in peccata incidamus: aut si hæremus in peccatis, vt inde eripiat, eruat & liberet, vt desinamus male agere, & discamus bene agere, vt peccato moriamur, & iustitiæ viuamus. 3. Petimus, vt à malis futuræ vitæ, hoc est, à pœnis æternis, & ab omnibus periculis, damnis, incommoditatibus, aduersitatibus huius vitæ, animæ & corporis, fortunarum & famæ protegere, defendere & custodire nos velit, arcens, depellens & auertens mala: vel si onerati sumus malis huiusmodi, vt inde nos clementer eripiat, eruat, & liberet. Illa vero proponimus Deo sub appellatione mali, hoc est, si ipse nouit, intelligit, & iudicat fore illa nobis mala, hoc est, non vtilia & salutaria, sed periculosa, perniciosa & exitiosa. 4. Quia multa optamus nobis dari, quæ iudicamus bona nobis & vtilia fore, & à multis custodiri & liberari, quæ an salutaria nobis futura sint, nos non satis intelligimus: ideo in conclusione Orationis addimus, si quid optemus, quod ipse norit & intelligat non salutare, sed malum nobis futurum, vt custodiat & liberet nos à malo. 5. Si ipsi non visum fuerit nobis bonum & salutare fore, vt angelum Satanæ, colaphizantem nos, tollat à nobis, vel, vt ab aduersitatibus custodiamur & liberemur, vt paternam eius pro nobis curam agnoscentes, petamus dari

nobis patientiam, obedientiam, consolationem & spem, ne id, quod Deus in bonum nostrum nobis immittit, malum nobis fiat. Sicut vetustas arguta & pia breuitate in aduersitatibus orat: vt Deus aut liberet, aut mitiget, aut data patiẽtia saluet.
6. Quia protectiones & liberationes illæ à malo in hac vita sunt non plenæ & perfectæ, sed vt Germani loquuntur. *Flickwerck oder Lappwerck.* Subinde enim nouæ incursationes Diaboli, peccati & aduersitatum emergunt, & nobis obiiciũtur. Ideo petimus, vt aliquando ab omnibus incursionibus & tentationibus Diaboli, peccati, periculorum & aduersitatum plene, perfecte ac solide liberi ac tuti reddamur. Et quia in hoc seculo & in hac vita, quæ super terram militia est, vel, sicut Græci reddiderunt, πειρατήριον: vitam igitur æternam, quam in Symbolo credimus, in hac Oratione petimus, vt trãsferamur ex hoc mundo, vbi diabolus princeps est, vbi in valle miseriarum terra spinas ac tribulos aduersitatũ germinat, in alterum seculum vitę æternæ, vbi ab omnibus malis liberi ac tuti erimus, ne semper ita Diaboli, mũdi, carnis & calamitatum telis, tentationibus & incursationibus obiecti & expositi simus & maneamus. Ita Paulus Rom. 7. vers. 24. inquit: Miser ego homo, quis liberabit me de hoc corpore mortis? Et 2. Tim. 4 vers. 16. pium & elegens ἐπιφώνημα est, cum dicit: In prima mea defensione omnes me dereliquerunt. Dominus autem mihi astitit, & liberatus sum ex ore leonis. Et liberabit me Dominus ab omni malo, & saluum me faciet, vel seruabit me, in regnum suum cœleste, cui gloria in secula seculorum, Amen. Quibus verbis ipsam vltimam petitionem & conclusionem Orationis Dominicæ reddere voluit. 7. Monemur hac petitione, vt eleuantes capita meditemur & desideremus alteram futuram beatam vitam æternam, vbi erit plena liberatio ab omnibus malis. Ac, quia nimiũ occupati ac immersi sumus rebus ac negotiis huius vitę & seculi, simul petimus, vt inspiretur, excitetur, accendatur, ingeratur & conseruetur in nobis meditatio ac desideriũ, vt cupiamus dissolui, hanc vitã relinquere, & transire ad alteram beatam vitam. Quia vero non omnis aut qualiscunque mors est finis miseriarum, sed impiorum mors est initium tormentorum, Luc. 16. versi. 22. piorum vero mors est liberatio ab omni malo, & initium æternæ beatitudinis: quando itaque dicimus, *Libera nos à malo*, simul petimus, vt Pater cœlestis custodiat nos à mala morte, ne moriamur morte incircumcisorum, Ezech. 28. versic. 10. aut peccatorum morte, quæ pessima est, Psalm. 34. versicul. 22 ne in securitate absque pœnitentia imparati in peccatis moriamur, Iohan. 8. versic. 24. sed vt concedat nobis pium & salutarem vitæ finem & exitum, vt in Domino moriamur. Apoc. 14. vers. 13. Vt, siue viuamus siue moriamur, Domini simus, Rom. 14. ver. 8. Siue in peregrinatione huius vitæ versantes, siue per mortem in patriam euocemur, Domino placeamus. 2. Cor. 5. v. 9. Simul itaque etiam petimus inspirari nobis curam & studium, vt illa, quæ ad bene moriendum necessaria sunt, mature nobis comparemus vt ad mortem parati simus, ne, veniente sponso, & euocante nos, oleum in lampadibus nostris desit, Mat. 25. ver. 4. Sed in extrema vitæ hora habere possimus veram pœnitentiam, verbum, Sacramenta, fidem, spem, spiritum gratiæ & precum, vt morituri in Christo inueniamur, habentes iustitiam, quæ ex Deo est, in fide Christi, & ita animam in manus Patris recte commendare possimus. Ac si non satis parati inueniamur, ne subitanea & improuisa morte nos præoccupari permittat, sed spatium ad talem præparationem clementer nobis concedere velit, vt mors nostra sit liberatio ab omni malo, & transitus ex valle miseriarum ad vitam æternam. Vt igitur in extremo illo & periculoso agone, vbi aduersarius noster maxime circumit, obseruans, an rapere nos & deuorare possit, Dominus clementer nobis adsit, ita, vt ab omni malo custodiamur & liberemur, hac petitione oramus. Vtque confirmet nos, ne mori timeamus, mortem horreamus aut gustemus, sed in pace dimittatur, atque ita vere ab omni malo morientes liberemur.

Hæc in genere & in specie petendo bona, deprecando mala, gratias agendo beneficiis, & confitendo peccata nostra, in hac petitione oremus.

[*Quia tuum est regnum, &c.*] Hanc clausulam, quæ apud Lucam non repetitur, Latina exemplaria non habent, nec Latini scriptores, vt Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus eam interpretati sunt. Græca vero exemplaria omnia constanter eam habent, & Syrus etiam interpres eam reddidit. Chrysostomus etiam interpretatur. Paulus etiam 2. Tim. 4. v. 17. reddens vltimam petitionem de liberatione ab omni malo, clausulam illam addit; Cui gloria in secula.

Et pulchre hæc clausula totam orationem concludit. Primo enim Deum promissionis suæ, & quasi officij sui admonet, exponens causam, quare illa à Deo petamus, & ab ipso nobis dari speremus. *Tuum enim est regnum, &c.* Intelligit autem regnũ non vniuersale super omnes creaturas, sed quod vocatur regnum cœlorum, regnum Dei & Christi in Ecclesia. Et hæc, quæ petimus, sunt regni illius beneficia, quod Deus ideo instituit, propter nostram indigentiam, contra diabolum, mundum & carnem; vt quia à nobis illa, quæ petimus, nõ habemus, nec per nos illa acquirere possumus, in regno ipsius ex manu eius percipiamus. Et ad officiũ Regis nostri in hoc regno pertinet, vt cõtra diabolum, mundum & carnem nos custodiat & defendat, vtque illa beneficia credentibus & petentibus donet, sicut petere nos iussit, & exauditionem promisit. Commonefacit igitur Oratio his verbis Deum mandati, & promissionis, & officij sui in suo regno, ac simul ostendit causam, cur hæc petat, nec apud alium, sed apud Deum solum quærat: *Tua est potentia, &c.* Quæ verba monent, Deum hæc, quæ petimus, habere in manu ac potestate sua, licet magna sit mundi & diaboli potentia, & solum posse hæc nobis solide & salutariter dare. Ideo ab ipso solo hæc petimus *Et gloria.* Hoc verbo fides admonet Deum, gloriosum ipsi hoc esse ac ad gloriam, laudem & celebrationem misericordiæ, potentiæ, beneficentiæ eius hoc credere, si nos exaudiat: atque ea, quæ ex ipsius mandato & promissione, vt ciues regni eius petimus, nobis largiatur. Petimus igitur in hac clausula, vt Deus propter Christum, cuius proprie est hoc regnum, ex gratia, qua regnum hoc administrat, ad ostẽdendam & declarandam beneficentiam, potentiam & gloriam regni sui nos exaudiat, & quæ petimus, donet.

Secundo hac clausula etiam fides petentium exsuscitatur & confirmatur de certitudine exauditionis. Quia enim *Tuum est regnum*, quod ideo institutum est; quia vult in eo talia beneficia distribuere, mandauit ea in suo regno peti, & promisit exauditionem. Fides igitur de benigna erga nos voluntate Dei se certam esse his verbis ostendit, ac simul profitetur, se in precibus non niti propriis meritis aut dignitate, sed sola Dei gratia propter Christum. Est enim regnum Christi & gratiæ. Deinde voluntati potentiam adiungit. Inquit enim: *Tua est potentia.* Cumque certi simus, Deum ea, quæ petimus & velle & posse præstare: fides igitur de exauditione hæsitare aut dubitare nec potest nec debet. Ac quia dicimus: *Tua est gloria*: statuit igitur fides, Deum, qui fidelis est, gloriam veritatis, gratiæ, & potentiæ suæ præstando ea, quæ petimus asserturum, ne dicant gentes: Vbi nunc est Deus eorum?

Tertio monet hæc clausula, quomodo vsurpanda sint illa beneficia, quæ orantes impetramus, in quem finem petenda & referenda sint, ac simul spondemus, ad quem finem ea referre, & quomodo vsurpare velimus, seu quam gratitudinem Deo promittamus, scilicet, sicut inquit Psal 145. v. 10. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam & magnificentiam gloriæ regni tui. Quæ autem sit illa gloria regni Dei, & quomodo sit celebranda, totus ille Psalmus à principio ad finem docet. Hoc modo valde multa monet hæc clausula seu conclusio orationis Dominicæ.

Amen. De significatione & vsu huius particulæ suprà diximus, quæ hoc loco repetere superuacuum esset. Quod autem Oratio hac particula concluditur, commonefactio est, vt quando in oratione ad finem peruenerimus, consideremus, qua deuotione preces nostras recitauerimus, ne frigida sit battologia. Post expositas igitur necessitates & petitiones nostras, sub finem animus excitatur & erigitur, vt ex corde concipiat serium votum, quo excitetur & inflammetur ardor desiderij, humiliter & deuote internis gemitibus optans & petens, vt rata habeatur apud Deum oratio nostra, & propter Christum Mediatorem Pater aures inclinet, orationem exaudiat & acceptet, ac pręstet ea, quę petimus: *Amen. Amen:* fiat, fiat Domine, quod petij. 2. Hac particula fides ostendit, se non hæsitare, dubitationum fluctuationibus circumferri, an Deus exaudiat, & ea, quæ petimus, præstare velit: sed certo statuit, Deum, sicut petere iussit, & se exauditurum promisit, fideliter præstiturum. Ac simul hac ipsa particula fides se erigit, sustentat, munit ac confirmat contra dubitationes. Sumit enim particulam, *Amen*, ex illa promissione, Amen Amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Atque huic adiungit suum Amen, tanquam obsignationem, quod statuat Deum veracem & fidelem esse, Ioh. 5 v. 33. Inde Hieronymus particulam, *Amen*, eleganter vocat signaculum orationis. Sed quis fuerit semper vsus particulæ *Amen* in precationibus, in præcedentibus aliis exemplis ostendimus. Quod autem & quomodo semper audiamur, etiamsi id, quod petimus, non ita aut statim fit, sicut petimus, explicabimus Matth. 7. versicul. 7. Vbi Christus dicit: Qui petit accipiet.

[*Si etiam remiseritis hominibus peccata, &c.*] Post expositas Orationis Dominicæ petitiones, statim quintę potissimum petitionis doctrinam & sententiam repetit. Nouit enim natura

turæ nostræ prauitatem etiam in sanctis adhuc reliquam in hac vita, quod etiam, quando petimus, vt Deus nobis innumerabilia & grauissima peccata nostra ex gratia propter Christum remittat, ipsi interea erga conseruos duri, offensiunculas qualescunque in immensum exaggeramus, vt iustis de causis ingentes contra proximum iras concepisse, & odium implacabile alere videamur, ac nihilominus persuasionem circumferimus, Deum nobis, etiam proximo non remittentibus, remissurum peccata. Ideo graui nodo durum opponit cuneum, vt irritabilis naturæ nostræ iram, odium, & vindictæ cupiditatem ita reprimat, retundat, & flammas iracundię restinguat & placabiles nos reddat. Sicut enim ira accenditur, & odium inflammatur, quando iniuriam nobis à proximo illatam ex omnibus locis rhetoricis exaggeramus: ita praui illi affectus vindictæ in nobis retunduntur, & incendia eorum per spiritum restinguuntur, quando ad nostra erga Deum debitá, quorum remissio gratuito, nisi perire velimus, petenda est, & ad hanc Christi sententiam serio respicimus. Dicit itaque: *Si non remiseritis hominibus, nec Pater vester remittet.* Ratio autem non est hæc, quasi necesse sit meritum, compensationem seu satisfactionem, tanquam solutionem debiti nostri, ad Deum afferre, vt hoc respectu & propter hanc causam nobis dimittat, Mat.18.versi. 35. Fide enim gratis propter Christum accipimus remissionem peccatorum, Actor.10 versic.43. Sed ratio est; quia retinens malum propositum vindictæ contra proximum, absque vera pœnitentia orat; quia proximo non dimittit. Nec vera fides est, quę in impœnitētia & malo proposito perseuerandi & pergendi in peccatis, fingit sibi remissionem & impunitatē in Christo, quasi is patronus sit impœnitentię nostrę. Ideo Marc. 11.v.25.inquit: Quando stabis ad orandum, cōsidera & inquire, quale propositum in corde tuo inuenias; & quia oraturus es, vt Pater tuus cœlestis, quem peccatis tuis in immensum offendisti, infinita tua debita tibi remittat, præcipue considera, quomodo erga proximum, qui te offendit, animus tuus affectus sit. Et vtitur verbo præsentis temporis ἐὰν μὴ ἀφῆτε, *Si non remittitis.* Nouit enim Deus, sicut Chrysostomus inquit, ingenij nostri fallaciā quandam, in diem aliquid promittimus, quod post acceptum beneficium finem fallamus. Vt si orem: Ah Deus remitte mihi mea peccata, postea videbo vt cum proximo agam. Nouit enim seruum nequam post acceptam remissionem egressum obliuisci acceptæ remissionis, 2. Pet.1.vers.10.& immisericordem esse erga conseruum, atque ita beneficium acceptæ remissionis amitti, Mat.18.ver.35. Ideo de præsenti cordis proposito loquitur: *Si non remittitis:* aut: *si remittitis.* Nec vero condonatio fraterna vera seu ex corde, quæ Deo placeat, ex libero arbitrio hominis non renati elucet & procedere potest. Est enim fructus fidei & spiritus: qui inde, sicut Paulus scribit, oritur; quia Deus in Christo vobis condonauit: Ergo & vos mutuo vobis condonetis Eph.4.v.32.& Coloss.3.vers.13 Luc.6.v.36 *Estote misericordes: sicut & Pater vester misericors est.* Sed quia etiam renati in hac vita docentur & iubentur quotidie petere remissionem peccatorum: ideo dicit: *Si remittitis hominibus remittet & Pater vobis:* non propter vestram condonationē, tanquam meritum, compensationem aut satisfactionē debiti nostri. Solius enim Christi satisfactio est meritū remissionis peccatorum. Neque enim fornicatio, raptori, homicidæ, blasphemæ, idololatræ, si serio offensionum aliquam remittat, ideo peccata remittuntur, si non agat pœnitentiam, & fide propter Christum remissionem apud Deum petat & quærat. Loquitur itaque hoc loco non de causa & merito remissionis peccatorum nostrorum, sed de eo, quod obstat, quo minus petentes impetrent remissionem, si in impœnitentia & in malo proposito orent. In renatis verò, qui cum Deo reconciliati sunt, fructus ille spiritus, quod etiam non fratribus remittimus offensiones, testimoniū & obsignatio est nobis credentibus, & petentibus gratis propter Christum remitti peccata nostra. Sicut eodem modo ab effectu ad causam Iohannes argumentatur: Qui iustitiam facit, iustus est: qui non diligit, manet in morte, 1. Iohan.3.ver.7. Hæc sententia plane ita exprimitur cap. 28.v.1. Syrac. Qui cupidus est vindictæ, à Domino inueniet vindictam: qui peccata eius seruans seruabit. Remitte iniuriam proximo, tunc quoque tibi peccanti peccata soluentur. Homo erga hominem iram seruat, & à Domino quærit salutem? In hominem sibi similem non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse, qui caro est, seruat iram, & quis peccata eius expiabit?

Porro hoc loco, vbi de proximi offensa erga nos loquitur, nō nominat peccata & debita, sed παραπτώματα: quod, iuxta communem Græcæ linguæ rationem, de erratis & delictis leuioribus vsurpatur. Habet enim significationem inde, quando manus in contingendo aliquid aberrat (Germanice, *Ein Feil*) ἀπὸ τοῦ ἅπτειν ἢ παρα, vel quando quis casu vel ex improuiso impingit & prolabitur, ἀπὸ τοῦ πταίω. Et videri potest ideo Christum vocabula commutasse, cum de proximi offensione loquitur, contra nostras exaggerationes, aggrauationes & amplificationes de proximi iniuria, opponat vocabulum mitius: ipsius sono seu appellatione extenuemus proximi erratum, in collatione debitorum nostrorum erga Deum. Quod vero in hac ipsa sententia nostra etiam erga Deum debita vocat παραπτώματα, potest ita dictum videri, quod nos illa secure ita extenuamus. Et dicit Deum illa nostra debita, quę nos iudicamus leuicula errata esse, nō dimissurum nobis, si nos proximo non remiserimus. Syrus interpres reddidit per vocabulum סכל, quod prudentiæ opponitur, & significat stulte, insipienter aliquid committere. Sed Græci interpretes grauissima Hebræa peccati & iniquitatis vocabula reddiderunt aliquando παραπτώματα. Ezech.3.versic.18.14. vers.3. 15.18.vers.13.20. v.4. Dan. 6.ver.4. Iob.36.vers.10. In 19. autem Psal. ver.19.שגיאה, erratum ex imprudentia & ignorantia commissum, reddiderunt παραπτώματα. Ita & Gal.6.v.1. proprie vsurpatur: Si homo præoccupatus fuerit delicto aliquo. Alibi vero in Nouo Testamento pro grauissimis peccatis vsurpatur, vt Eph.2 versic.5. mortui peccatis. Et Rom.5. v.17 de Adami transgressione vsurpatur. Quod ideo moneo, ne quis ex vocabulo παραπτώματα hoc loco extruat, leuia tantum errata proximo condonanda, & non atroces iniurias: vel peccata nostra in iudicio Dei tantum esse παραπτώματα, leuicula errata.

Pericopa sexta
CONCIONIS CHRISTI IN MONTE, DE Ieiunio, Matth. cap. 6.

16. Ὅταν δὲ νηστεύητε, μὴ γίνεσθε ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ σκυθρωποί. ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, ὅπως φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις νηστεύοντες. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν.

16. *Porrò cùm ieiunaueritis, ne sitis velut hypocritæ tetrici. Obscurant enim facies suas, quo perspicuum sit hominibus ipsos ieiunare. Amen dico vobis: habent mercedem suam.*

17. Σὺ δὲ νηστεύων, ἄλειψαί σου τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ πρόσωπόν σου νίψαι·

17. *Tu verò cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua:*

18. Ὅπως μὴ φανῇς τοῖς ἀνθρώποις νηστεύων, ἀλλὰ τῷ πατρί σου, τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ, καὶ ὁ πατήρ σου, ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ.

18. *Ne conspicuum sit hominibus te ieiunare, sed patri tuo, qui est in occulto. Et pater tuus, qui videt in occulto, reddet tibi in propatulo.*

Exegesis huius quartæ pericopes

QVid in Scriptura appellatione νηστείας, seu Ieiunij intelligatur, notum est. Quando enim quis vel propter cibi penuriam ex necessitate cogitur inediam pati, vel ratione valetudinis non potest cibum sumere, is non proprie dicitur ieiunare: sed vocatur λιμὸς 2. Cor.11. versi.27. & ἀσιτία, Act. 27. versic.33. Et quando moderatio in cibo & potu seruatur, vt corpora non onerentur, nec corda grauentur crapula & ebrietate, neque hoc proprie est ieiunium: sed vocatur temperantia, frugalitas & sobrietas. Nec ieiunium est, à carnibus abstinere, & piscibus ventrem distendere. Νηστεία enim appellationē habet à priuatiua particula νὴ & ἐσθίειν siue ἔδω, hoc est, cibum non comedere, vel cibum non sumere. Et in Scriptu-

ra ieiunare dicuntur illi, qui prandio prorsus abstinebant, & ante vesperam, vel solis occasum cibum non sumebant, Iudic.20.v.26.2.Reg.1.v.12. & 3.v.35.Act.10.v.30. Aliquando vero tribus diebus & noctibus cibum non sumebant, Esther. 4.v.16.Tobiæ 3.v.10.Et quamdiu ieiunij tempus durabat,cœnabant quidem,sed parcè,ac non delicatè, sicut scriptum est Dan.10.ver.3. Panis delicatus & vinum & caro non introierunt in os meum. Ac ieiunantes non cibo tantùm & potu abstinebant, sed simul aliàs etiam licitas siue delitias, siue delectationes, vel commoditates,quibus corpus solet foueri, refocillari & exhilarari, abdicāt,& habitus ac gestus lugentiū assumebant, 2. Reg.3.v.35.& 12.v.16. 3.Reg.21.v.5. Iudith.4. v.9.Ioel.2.v.15. Dan.10.vers.3. Finis autem ieiunij in verbo Dei hic describitur, vt intentio & religiosæ operationes animæ excitentur, adiuuentur & augeantur, vt excitatiores, ardentiores, alacriores, & magis feriæ sint, ne vel nimia repletione, vel nimis delicata corporis cura impediantur, interturbentur vel retardentur. Ita enim Deus vult nos corpus nostrum curare & tractare,ne praua concupiscentia,petulātia & desidia, quibus caro spiritui repugnare solet, excitentur,foueantur & augeantur:sed vt corpus in obsequium spiritus,vel, vt Paulus loquitur,in seruitutē subiugetur,& in officio contineatur,vt mēti sit obnoxium,Rom.13.v.14.1.Cor.9.27.id quod vel quotidiana temperantia & sobrietate efficitur, Luc. 21.v. 24.& 1.Pet.5.v.8.1.Thess.5 v.8. vel ieiunio. Inde Scriptura ostendit adhibita fuisse ieiunia, in exercitiis vel feriæ vel publicæ ac salutaris pœnitentię,Ioel.2.v.12.Ionę 3.ver.7.in luctu & magnis calamitatibus, Matth. 9.v.14.& 2.Reg.12.ver.16.in orationibus ardentioribus & publicis,Ioel.1.v.12. & 2.ver.13. & 2.Paral.20.ver.3.(Ideo hoc loco ieiunium subiungitur doctrinæ de eleemosynis,& de oratione, sicut & Tobiæ 12.v.8.) in constituendis Ecclesiis Actor.13.v.3.& 14.v.22. ad conuentus Ecclesiæ solenniores, Ioel.1.v.13.& 2.v.15.ad luctam contra Diabolū,Matth.17.v.21. ad exercitia pietatis & opera charitatis,Esa.58.v.5 6.7. Inde Scriptura describit ieiunium afflictione & humiliatione animæ, Leuit.16.v.31.Dan.10.v.12.& 3.Reg.21.v.5. Et apud Chaldæos verbum, Ieiunandi צם vsurpatur etiam,Deut.21.ver.12. quando mulieri captiuæ,quam Dominus vult in vxorem ducere, vngues præciduntur, & ad operas liberaliores aptantur. Ita צם ieiunare est cibum præcidere,vt homo aptus & idoneus reddatur ad obsequium in exercitiis spiritualibus.Sed totam doctrinam de ieiunio in explicatione Canonum Tridentinorum copiose explicauimus: vnde lector, si videbitur, eam petere poterit. Vt igitur ad explicationem textus veniamus, operæ pretium est hoc loco notare illud discrimen, cuius mentionem facit Paulus inter ipsam pietatem, & inter exercitia corporalia, 1. Tim.4.v.7.8. Sunt enim quædam opera, quæ per se & suo genere bona sunt, vt Oratio, Eleemosyna,&c. Quædam vero,quæ per se & suo genere sunt Adiaphora:fiunt autem bona opera,quando ordinantur & referuntur ad excitandam,alendam & promouendam veram pietatem, vtque impedimenta veræ piętatis remoueantur,& eatenus pertinent ad mandata Dei. Tale est ieiunium, & reliqua exercitia, quæ Paulus vocat corporalia. Ita Hieronymus rectè dicit, Ieiunium non esse virtutem, sed gradum ad virtutem. Non autem damnat Christus hoc loco ieiunium, tanquam opus per se & suo genere malum & impium;neque illud,tanquam Leuiticam ceremoniam, in Nouo Testmento abrogat. Extant enim in Nouo Testamento & pręcepta & exempla veri & pij ieiunij,Matth. 17.versic.21.& 2. Cor.6.ver.5. Actor.15 versic.29.& 14.v.22. & 2.Cor.11.v.26. Sed sicut in precædentibus, in Eleemosynis & oratione, ita hoc loco in ieiuniis, reprehendit Christus superstitionem & hypocrisin Pharisæorū,qui talia exercitia nō referebant ad suos veros fines, sed in opere operato,vt in abstinentia cibi, in afflictione & maceratione corporis per se constituebant pietatē, acfaciebant inde peculiares cultus & merita, sicut Esa.58.ver.3.& sequent.tales superstitiones grauiter taxantur, & vera ratio ac iusti fines pij ieiunij describuntur.Ierem.14.v.10.Vacillant pedibus,non abstinent:ideo etiā si ieiunent,non exaudiam. Zach.7.v.6. Non ieiunastis mihi. Præcipue vero Christus taxat hoc loco stultam ambitionem & vanam ostentationem, quod Pharisaica hypocrisis, non tantùm quando cum proximo agit, verumetiam quando oratione cum Deo debet agere, & quando ieiunio corpus suum debet spiritui subiicere., quærit & spectat gloriam, laudem & applausum hominum, omissuta & ieiunium, nisi propositum sit humanæ laudis choragium. Ideo dicit,Pharisæos in suis ieiuniis non esse solicitos de mortificatione carnis & concupiscentiarum eius, sed tantùm hoc spectare, vt in ore sit omnium hominum, sanctos illos crebrò & magna cum corporis afflictione ieiunare.Et quia ieiunium debet esse humiliatio animi, Leuit.16.v. 31. & sugillatio quædam corporis,1.Corint. 9.v.27. Ideo vt conspicuum esset hominibus,quando & quàm strictè Pharisæi ieiunarent, dicit ipsos solitos fuisse facie,vultu ac gestibus præ se ferre,ac publice omnibus ostentare tetrica signa singularis afflictionis,curæ & macerationis corporis.

Potest vero hic locus etiam ita intelligi,quia opinio operis operati cumularet ieiunia, vt cùm in Lege vnus dies ieiunio destinatus esset Leu.16.v.31.postea Zach.7.v 5.& 8.v.19. addita fuerunt ieiunia quarti, quinti, septimi & decimi mensis. Imò Luc.18.v.12.ieiuno bis in septimana. Ac tanta disciplinæ austeritate & seueritate corpus macerabant, ac conficiebant, vt debitum ipsi honorem necessaria sustentatione ac conuenienti curatione non tribuerent,sicut ostēdit Paulus Rom. 13.v.14.& Coloss.2 v.23. Et apud Epiphanium talia quædam de Pharisæis describuntur. Ac talis corporis ἀφειδία habebat tunc pręcipuam religionis, sanctitatis & cultus speciem, ac passim ab omnibus suspiciebatur & celebrabatur.

Videtur itaque Christus dicere, tam ineptam & puerilem fuisse Pharisæorum hypocrisin, vt cùm ieiunando corpori non admodum ægre facerent: tamen opinionem & laudem illam affectarent, vultu per simulationem ad tristitiam composito, & colore faciei per ascititios fucos ad speciem afflictissimæ macerationis immutato. Vtitur.n.peculiaribus vocabulis, quibus absque dubio respexit ad gestus illos hypocriticos,qui describuntur Esa.58.5.σκυθρωποὶ dicuntur,qui demissis oculis incedunt,& subductis superciliis tetricum & turbidum vultum præ se ferunt. Ita enim Suidas ex Platone citat,σκυθρωπάζει tanquam cochlea συμπιέσας τὰς ὀφρῦς. Septuaginta verbo σκυθρωπάζειν reddiderunt Kadar, קדר Psal. 34.v.14.37.v.2.41.v.1. quod significat nigrescere,obscuriū esse. Gen.40.v.7. vbi textus habet:Quare facies vestræ sunt malæ, hoc est,ob afflictionem tristes? Græci reddiderunt σκυθρωποί. Syrus reddidit vocabulo כמר, quod significat sicut in luctu attriti incedunt mœsto vultu. Intelligit igitur σκυθρωπούς quādo in vultu apparent tetrica & turbida signa ac notæ aliquæ tristitiæ, afflictionis seu luctus Ἀφανίζω,Suidas dicit veteribus significare ὅλως ἀπωθεῖν, ἀλλ᾽ ἀφανῆ ποιεῖν,prorsus è medio tollere,demoliri, perdere, aut certe plane ex conspectu remouere. Et hoc modo Septuaginta verbo illo sæpissime vtuntur. Vetus interpres reddidit exterminant, Hilarius conficiunt, Hieronymus demoliuntur.Syrus reddidit חבל,quod significat corruptionem, vt, quando facies macula,næuo seu labe aliqua deformatur. Ita & Varinus inquit,ἀφανίζω,veteres non vsurparunt, sicut nunc recentiores, ἀντὶ τοῦ μολύνειν ἢ χρώζειν,hoc est, pro contaminare,sordibus fœdare, vel coloribus tingere. Et hæc significatio huic loco proprie conuenit,vt significet fucis seu coloribus vel aliis ascititiis simulationibus natiuum faciei colorem & vultum quasi imposita persona celare, & alium vultum quasi macie & pallore obsitum fingere.Et absque dubio Christus vocabulo ἀφανίζειν voluit alludere ad laruas siue personas scenicas, vnde appellatio hypocritarum desumpta est,quibus mimi velati seu personati in theatrum prodibant, vt cùm aliàs intus essent festiue ridiculi, cominus sub illis laruis repræsentarent vultum mœstum, gestus lugentium ac plorantium,ita vt totum theatrum simulatis illis gestibus cōmouerent. Hanc vanam & stultam ostentationem in ieiuniis Pharisæorum Christus reprehendit. Et addit:*receperunt premium suum*, vanæ scilicet multitudinis applausum,nihil vero, quod vel Deo gratum, vel ipsis salutare sit, tale ieiunio præstiterunt.

Tu verò cùm ieiunas, vnge caput tuum, & laua faciem tuam, &c. Contra Pharisaicam ieiunij ostentationem vult Christus docere,externos gestus tempore priuati ieiunij ita esse componendos, vt non agnoscant vel animaduertant nos ieiunare.Illos vero gestus seu talem habitum describit pro more illius regionis,sicut Hieronymus rectè annotauit.

Quando enim non ieiunabant, & extra luctum erant, vsitata ratio erat,prodituros in publicum vngere caput & lauare faciem. Præcipue vero in conuiuiis & hilaritatibus vsus erat vnctionum & lotionum,vt Ruth.3.v.3. Iudith 10.vers.3.2. Reg.12.vers.20.& 14.ver.2.Luc.7.vers.46.Intelligenda autem hæc sunt de materia subiecta contra Pharisaicam ieiunij ostentationē. Multi enim pij in Veteri Testamēto ieiunarūt in sacco & cinere,qui hac sententia non damnātur,vel externis illis gestibus vsi fuerunt,tanquā commonefactionibus, excitantibus ad veram subactionem carnis & humiliationē mentis in ieiunio præstandam, atque in publico præsertim ieiunio, alios etiam suo exemplo ad vera ieiunij exercitia excitandos & confirmandos, vt Ionæ 3.v.6. Nec iubet Christus,in Nouo Testamento vnctione capitis& facie solito mūdiore,aliis hominibus denuntiandū & ostentandum esse nostrum illud ieiunium. Nam & illud ipsum esset ostentatio, sicut Augustinus rectè dicit. Multo minus vult docere, verum ieiunium tempore Noui Testamenti consistere in deliciis, vel in superuacaneis & affectatis corporis voluptati-

[illegible]. Augustinus confugit ad Allegoriam: caput vngi, quando interius mente lætamur: oculos lauari, quando simplici [illegible]ndo intentionis oculo ieiunamus. Hieronymus dicit quosdam per vnctionem intelligere virtutum operationem. Chrysostomus in 2. expositione dicit, oleo eleemosynarum caput nostrum, Christum esse vngendum seu lætificandum, Matt. 25. ver. 35. Gregorius disputat ieiunantium faciem esse lauandā manu eleemosynarum. Basilius Allegoriam ita exponit, animam à peccatis ita esse obluendam, & caput oleo sancto vngendum, vt participes simus Christi. Sed simplicior est explicatio de qua dixi. Duo igitur Christus hac sententia docet: 1. Ieiunium consistere, non principaliter in corporis destructione seu ἀφειδίᾳ, sicut Paulus loquitur Colos. 2. ver. 23. sed vt caro abstinentia subigatur, ne spiritui repugnet. Illud vero fieri posse, etiam si moderatus corpori cultus adhibeatur. Monet igitur in vero ieiunio corpus non esse monstroso aut affectato modo affligendum. 2. Docet, externis notis siue gestibus ieiuniorum hypocrisin, ambitionē & ostentationem in nobis titillari, excitari & confirmari, potius tempore ieiunij habitum mundiorem & gestus hilariores esse sumēdos, vt ea ratione animus, si hominum conscientiis ieiunium nostrum celetur, ab ostentationē & vulgi applausu retrahatur, & ad meditandum, exercercendum & præstandum verum ieiunij finem, tanquam in ipsius Dei conspectu, deducatur. Augustinus addit illud etiam hoc loco notandum esse: Non solum in nitore & pompa, sed in ipsis etiam sordibus posse esse iactantiam, ambitionem, superbiam & ostentationem, & quidem periculosiorem.

Quod vero Christus addit: *Pater qui videt in abdito, reddet tibi in propatulo.* Non intelligit ieiunium esse meritum iustitiæ aut vitæ æternæ. Hic enim titulus solius Christi obedientiæ & morti debetur. Sed hoc vult dicere, non frustrà ieiunari, etiamsi à vulgo propterea non laudemur. Deum enim spiritus sui gratiâ effecturum, vt carnis mortificatio, mentis humiliatio, intentio, deuotio, ardor in pœnitentia, per verà ieiunij exercitia excitentur, augeantur & confirmentur, hoc est, vt veri ac spiritualis ieiunij fines sequantur, vtque talia exercitia Deo placeant & probentur. Idque *in propatulo*, hoc est, reipsa vere nos in experientia hoc intellecturos, vel hic vel in iudicio.

Pericopa septima

CONCIONIS CHRISTI IN MONTE, CONTRA auaritiam, seu contra impiam habendi cupiditatem & solicitudiuem, Matth. 6.

19. Μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς ἐπὶ τῆς γῆς, ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει, καὶ ὅπου κλέπται διορύσσουσι, καὶ κλέπτουσι.
20. Θησαυρίζετε δὲ ὑμῖν θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ ὅπου οὔτε σὴς, οὔτε βρῶσις ἀφανίζει, καὶ ὅπου κλέπται οὐ διορύσσουσιν, οὐδὲ κλέπτουσιν.
21. Ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ ἔσται καὶ ἡ καρδία ὑμῶν.
22. Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός. ἐὰν οὖν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινὸν ἔσται.
23. Ἐὰν δὲ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρὸς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σου σκοτεινὸν ἔσται. εἰ οὖν τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστί, τὸ σκότος πόσον;
24. Οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει· ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει. Οὐ δύνασθε Θεῷ δουλεύειν, καὶ Μαμμωνᾷ.
25. Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν· μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν, τί φάγητε, καὶ τί πίητε· μηδὲ τῷ σώματι ὑμῶν τί ἐνδύσησθε. οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος;
26. Ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τρέφει αὐτά· οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν;
27. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα;
28. Καὶ περὶ ἐνδύματος τί μεριμνᾶτε; καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, πῶς αὐξάνει· οὐ κοπιᾷ, οὐδὲ νήθει.
29. Λέγω δὲ ὑμῖν· ὅτι οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο, ὡς ἓν τούτων.
30. Εἰ δὲ χόρτον τοῦ ἀγροῦ, σήμερον ὄντα, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον, ὁ Θεὸς οὕτως ἀμφιέννυσιν, οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς, ὀλιγόπιστοι!
31. Μὴ οὖν μεριμνήσητε, λέγοντες· τί φάγωμεν, ἢ τί πίωμεν, ἢ τί περιβαλλώμεθα;
32. Πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ· οἶδεν γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος, ὅτι χρῄζετε τούτων ἁπάντων.
33. Ζητεῖτε δὲ πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν.

19. *Ne reponatis vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea corrumpit, & vbi fures perfodiunt ac furantur.*
20. *Sed recondite vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & vbi fures non perfodiunt, neque furantur.*
21. *Nam vbi fuerit thesaurus vester, illic erit & cor vestrum.*
22. *Lucerna corporis est oculus. Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.*
23. *Quod si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Ergo si lumen, quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ?*
24. *Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim hūc habebit odio, & alterum diliget: aut huic adhærebit, & alterum negliget. Non potestis* Deo *seruare, & Mammonæ.*
25. *Propterea dico vobis: ne sitis soliciti animæ vestræ, quid esuri sitis aut bibituri: neque corpori vestro, quibus indumentis vsuri. Nonne anima pluris est, quàm cibus? & corpus pluris, quàm indumentum?*
26. *Vertite oculos ad volatilia cœli, quia non serunt, neque metunt, neque conuehunt in horrea, & Pater vester cœlestis alit illa. Nonne vos longe præcellitis illa?*
27. *Quis autem ex vobis solicite cogitando potest addere ad staturam suam cubitum?*
28. *Ac de indumento quid soliciti estis? cognoscite lilia agri, quomodo crescant: nō laborant, neque nent.*
29. *Attamen dico vobis: ne Solomonē quidē in vniuersa gloria sua sic amictum fuisse, vt vnum ex his.*
30. *Quod si gramen agri, quod hodie cum sit, cras in clibanum mittitur,* Deus *sic vestit, an non multo magis vobis id faciet? ô parum fideles!*
31. *Ne sitis igitur soliciti, dicentes: Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur?*
32. *Nam omnia illa gentes exquirunt. Nouit enim Pater vester cœlestis, quòd opus habeatis his omnibus.*
33. *Quin potius quærite primùm regnum Dei & institiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.*

34. Μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον· ἡ γὰρ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς, ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς.

34. *Ne sitis soliciti in crastinum. Nam crastinus dies curam habebit sui ipsius, sufficit sua diei afflictio.*

Exegesis huius septimæ pericopes.

HVIVS Pericopes membra postea etiam aliis temporibus ac locis à Christo repetita sunt, vt Luc.11.ver.34.& 12.v.33.ac 16.ver.13.quibus suum locum in Harmonia tribuemus. Quantum vero ad illustrandam explicationem attinet, descriptiones, sicut apud Matthæum & diuersis locis apud Lucam extant, inter se conferemus.

Ne reponatis vobis thesauros.] Ex iis, quæ hactenus Christus concionatus fuerat, auditores colligere poterant, credentium, præcipue vero Apostolorum conditionem paupertati potius & mendicitati expositam, quàm colligendis opibus & coaceruandis ad futuras necessitates thesauris aptam & idoneã esse. Idque propter multas causas. 1. Quia sine impietate, absque fraudibus & rapinis in huius mundi peruersitate vix aut raro aliquis ditescere potest, sicut ipse princeps mundi fatetur, Luc.4.v.4. Vnde vsitatum Hieron. dictum, *Diues aut iniquus est, aut iniqui heres.* Christus vero suis auaritiam, impietatẽ fraudes & rapinas serio interdicit: præcipit autẽ, vt ante omnia regnum Dei, tanquam principale bonum, quærant, deinde vt in contractibus iustitiam & æquitatem colãt & obseruent. 2. In persecutionibus confessio Euangelij opes & substantiam in discrimen adducit. Confiscantur enim & diripiuntur facultates, Heb.10.ver.33. Et Christus docet, propter hæc pericula non abiiciendam esse confessionem Euangelij, sed sustinendã potius iacturam omniũ facultatũ, quam abnegandam doctrinam Euangelij. 3. Christus docet, alias etiam direptiones facultatum, seu defraudationes, quando magistratus subsidio destituimur, non esse priuata vindicta persequendas, sed patienter tolerandas. 4. Docet etiam mutuo dandum & eleemosynas erogandas, non illis, à quibus vel simili officium speres, vel lucrum captes, sed illis, qui retribuere vel propter inopiam non possunt, vel propter ingratitudinem non volunt. 5. Occasio huius concionis ita describitur Luc. 12.v.33. quod Christus docet, non tantum nostram abundantiam debere aliorum inopiam supplere, sicut Paulus 2.Corint.8.14. Sed inquit: VENDITE *quæ possidetis*, & DATE *eleemosynam*: non quasi sentiat nefas esse homini Christiano aliquid possidere, vel aliquid reliquum sibi facere: aut quasi præcipiat, pios debere omnia semel profundere & dilapidare. Sed hoc vult liberalitatem eleemosynarum apud Christianos non tantùm ad ea, quę nobis superflua sunt, restringendam esse: sed re ita ferente, ac fratrum necessitate ita postulante, etiam ad patrimonij diminutionem & possessionum distractionem extendendam esse.

Atqui non ad diuitias, sed ad paupertatem compendiaria hæc via est: sicut in Græco versu dicitur:

ἀτραπὸς εἰς πενίην ἐστὶ συντομωτάτη.

Christus igitur videns fore, vt propter has causas multi à susceptione & professione Euangelicæ pietatis absterreantur, vt eam vel aduersentur, vel negligant, vel abiiciant; quia omnes naturali quadam inclinatione à paupertate abhorremus, & ad opes quærendas ac ad thesauros colligendos ferimur. Respondet igitur ad hanc obiectionem per ἀντιφοράν. Imo, inquit, si animus vobis est ditescere, si omnino cupitis thesauros reponere, solum Euangelium & sola pietas docet ac monstrat quærere, colligere ac reponere veros, certos, tutos, durabiles, indeficientes, perpetuos & præstantissimos thesauros. Monet enim instituendam antithesin inter terrenos & cœlestes thesauros. Vt primo in terrenis euentus incertus est, sæpe enim fortuna non respondet labori, sed oleum & opera perditur, sed pietas habet certas promissiones Dei cœlestibus præmiis in æterna vita. Cumque Deus mentiri non possit: euentus igitur de cœlestibus thesauris semper certus est. 2. In terrenis plerunque magno labori & multis molestiis vix exigua fortuna respondet. Sed in cœlestibus, etiam haustus aquæ frigidæ magnam habet mercedem, Matth. 10.v.42.& Roman.8.ver.18. Afflictiones huius temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam. 3. Illi thesauris colligendis deditisunt, certe delectum habent. Quo enim præstantiora acquirere possunt, eò ardentiori studio, spretis & posthabitis aliis, illis inhiare solent. Extra controuersiam autem est, infinitum esse discrimen inter opes cœlestes & terrestres: Hæc enim sunt temporariæ & transitoriæ. Nam 1. Cor.7.v.31. Status huius mundi præterit. Sunt etiam corruptiles, vel enim vsu exhauriuntur & absumuntur, vel in seipsis, siue rubigine & tineis vitiantur, siue vetustate corrumpuntur. Et etiam quamdiu saluæ perseuerant, possessorem tamen vere, solide ac constanter beatum reddere non possunt. Ex antithesi vero thesaurum in cœlis Christus, Luc.12.ver.33. vocat, ἀνέκλειπτον indeficientem: qui scilicet, nec tẽpore, nec vsu, nec physica aliqua corruptione vitietur, deteratur, imminuatur, deficiat & pereat, sed est durabilis, perpetuus, inexhaustus & æternus, fruitione sui possessores in æternum reddens & conseruans beatos. 4. In thesauris reponendis, etiam vbi extra periculum esse & tutò asseruari possint, vt de crumena, de arca, de loco commodo & munito, anxie deliberari solet. Cùm vero in his terris nihil sit tutum, extra fortunę aleam positum, atque inde thesauri in hac terra variis fortunæ casibus, multis latronũ & furum insidiis ac innumerabilibus perditionis, amissionis & ereptionis periculis expositi sint, dicit Christus, Deum in cœlo nobis locum ab omnibus periculis tutum accommodare velle, vt ibi thesauros nostros reponamus, quos tanquam depositum fidei ac custodiæ suæ commendatos habere vult, sicut Paulus inquit: Scio cui credidi, & potens est depositum nostrum conseruare, & mihi reddere in illa die, 2.Tim. 1.v.12.& 4.v.8. Chrysostomus vtitur illa similitudine: Sicut illi, qui habitationem in alium locum translaturi sunt, thesauros suos solent eò præmittere. Quæ igitur, inquit, stultitia est, ibi reponere thesauros, vnde mox tibi exeundum sit, ac non potius illuc præmittere, quò migraturus & vbi perpetuo mansurus es? Ac breuiter ad antithesin illam pertinet & hoc, quod in fruitione cœlestium thesaurorum consistit æterna hominis beatitudo & felicitas. Terrenæ vero opes seipsas à spoliatione & corruptione tueri non possunt: Imo propter ipsas vel acquirendas, vel iam partas, homo multis solicitudinibus, molestiis, ærumnis, & infinitis fortunæ casibus, periculis denique corporis & animæ exponitur & obiicitur. Ad tales antitheses inter terrenos & cœlestes thesauros considerandas, Christus quorundam commemoratione nos deducit, vt ea consideratione ab auaritia, hoc est, ab impia cura, cupiditate, amore & fiducia opũ terrenarũ, mentes nostras auertat, & verum studium & amorem cœlestium thesaurorum in nobis exsuscitet & accendat. Et antithesis quidẽ illa per se plana est. Cõsequentia etiam, quam Christus inde texit, manifesta est. Sed agnoscenda & deploranda est tristis naturæ nostræ deprauatio, quod mens peccato excæcata antithesin illam, quam non ignorat, non considerat non curat, sed voluntas cupiditate terrenorum thesaurorum in aduersum ita abripitur, vt maiori studio hos quęrat, quàm cœlestes, imo, vt propter terrenos sæpe negligat, abiiciat & perdat cœlestes. Hæc naturæ corruptio agnoscenda, & verbo Dei per spiritum reprimenda, corrigenda & sananda est.

Sed recondite vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, &c.] Vocabula in textu obseruanda & explicanda sunt. Θησαυρίζειν vtrũque significat, & colligere, congerere seu acquirere, & recondere seu reponere thesaurum, hoc est, cumulum seu copiam diuitiarum in longum tempus, à τιθέναι εἰς αὔριον, in crastinum seu futurum aliquid reponere. Quando inquit, ἐπὶ τῆς γῆς, non hoc tantum vult, thesauros non esse in terram, vbi corruptioni & rapinæ obnoxij sunt, defodiendos: sed in genere de terrenis thesauris, qui in hoc mundo conquiruntur & reconduntur. Opponit enim thesauros in cœlo, seu cœlestes. Marsupia μὴ παλαιούμενα Luc.12.versic.33. Syrus reddidit לא בלין quæ vetustate non deteruntur ac consumuntur. Sicut Hebr. 8.versic.vltim.scriptum est, τὸ παλαιούμενον, quod veterascit, non procul abest ab interitu. Ita thesaurus etiam, si in sacculum pertusum aut detritum reponatur, non seruatur, sed amittitur. Sed tempus edax rerum atque inuidiosa vetustas omnia, quæ sub sole sunt, consumunt: Ergo & sacculos & arcas. Cœlum itaque solum æternis thesauris certò, perpetuo & tutò conseruandis idoneum esse indicat. Atten̄i autem acquirendi & colligendi cœlestes thesauros, seu comparandi sacculos, qui non vetera sunt, Scriptura ita tradit. 1. Rom.5.versic. 2. Fide in Christum habemus accessum in gratiam istam, in qua gloriamur sub spe gloriæ Dei. 2. Pietas habet promissiones & præsentis & futuræ vitæ, 1.Tim.4.v.8. & Matthæi 6.v.4. Pater in cœlis reddet vobis in propatulo. 3. Qui aliquid patiuntur, aut relinquunt propter Christum, Matth.5.v.12.& 19.v.30. habent copiosam mercedem in cœlis. 4. In hoc loco Christus affirmat, per erogationem Eleemosynarum facultates non dispergi, Psal.112.v.9. nec super superficiem aquarum proiici, Eccles. 11. v.1. sed ita colligi & acquiri cœlestes thesauros. Ad hanc concionem Christi Paulus respicit, 1.Tim.6.v.17. Diuites non spem ponant in diuitiarum incertitudine, sint faciles ad impertiendum, thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum vt apprehendant vitam æternam, Psal.112.vers.9. Dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Tob. 12.v.8. Eleemosyna est melior, quàm thesauros auri recondere. Illi vero thesauri paratis marsupiis non veterascentibus repo-

reponuntur in cœlo; quando præmia, quæ in hac vita non redduntur, certa spe apud Deum deponuntur. Is enim remunerationem retribuet in resurrectione iustorum, Luc.14.v.14. & 1.Tim.1.v.18. Prouerb.19.v.17. Qui miseretur inopis fœneratur Domino. Vtrumque igitur docet: Et quemadmodum acquirendi sint cœlestes thesauri, & quemadmodum terreni thesauri, si adiiciantur & affluant, commutandi & conuertendi sint in cœlestes, nempe, si proximum egentem, vel mutuo vel eleemosynis inde iuuemus.

Porro vocabulum σὴς videtur Hebraicam habere originem. סס enim significat tineam, corrodentem lanea. Sed hoc vocabulum tantùm semel legitur, Esa.51.v.8. Græci vero interpretes, Iob.4.ver.19.27.v.18.32.v.22. reddiderunt σὴς, vbi Hebræus habet עש quod significat vermes corrodentes. Et Prouerb.14.vers.30 רקב Rakab, quod significat putredinem, quæ etiam ossa corrumpit, reddiderunt σὴς. Generale igitur Græcis vocabulum est σὴς, significans id, quod corrodit, vitiat & corrumpit. Et quia thesauri non tantum consistunt in pecunia, sed in aliis etiam rebus, maxime vestibus pretiosis, voluit Christus generali hoc vocabulo vti. Suidas dicit σὴς est σκώληξ, vermis. Chrysostomus inquit, vnaquæque res habet aliquid à quo corrumpatur, ὁ σίδηρος τὸν ἰὸν, τὰ ἱμάτια τὸν σῆτα, ferrum rubiginem, lana tineam. Ita Syrac.42.versi.13. De vestimentis procedit σὴς, tinea. Iacob.5.versic.2. Vestimenta vestra σητόβρωτα, à tineis arrosa. Interpres Hesiodi accuratius distinguit: θρὶψ est species vermis, qui in lignis nascitur: ἶψ est vermis, corrodens cornua: ἶξ vites: σὴς vestimenta: τερηδὼν legumina: ψὴν vites, &c. Ita Prou.25.v.20. σὴς in vestimento, σκώληξ in ligno. Alterum vocabulum est βρῶσις, quod generaliter significat omnem erosionem. Lucianus βιβρωμένος dicit erosum esse. Græci interpretes, quando de tineis loquuntur, vtuntur verbo βιβρώσκω, Esa.51.v.8. & Iosuę 9.v.12. panes Gabeonitarum βεβρωμένους, vetustate mucidos & corruptos. verschimmelt Brodt. Iudico autem hoc loco σὴς καὶ βρῶσις, hoc modo simplicissime posse distingui: vt σὴς sit, quicquid vermium vel animalculorum ex ipsa materia nascitur, βρῶσις vero sit, quicquid non viuit, inhæret autem materiæ & erodit ipsam, vt ærugo, rubigo, &c. Et illustris est extenuatio, quod ex ipsa materia thesauri terreni, si recondantur, nascatur, quod ipsam vitiat & corrumpit. Nec opus est vrsis, leonibus aut aliis validis animalibus ad destructionem terrenorum thesaurorum, sed minutissimi vermiculi, animalcula vix apparentia, thesauros, in quibus mundus spem & fiduciam suam collocat, possunt vitiare & corrumpere. Imo, quod nec vitam, nec motum habet, vt ærugo, potest erodere terrenos thesauros, qui etiam, quando diligentissime custodiuntur, ne extrinsecus damni aliquid accipiant, intrinsecus tamen in seipsis habent materiam corruptionis: quod scilicet inde enascuntur vel tineæ vel ærugo, id, quod Deus ita ordinauit, vt sit commonefactio de transitoria corruptibilitate & instabilitate thesaurorum huius mūdi. Item, Deum terrenas facultates creasse & largiri, non vt ab vsu abscondantur & recondantur: ita enim vitiantur & corrumpuntur. Quando igitur auaris talia in thesauris suis accidunt, sciant esse diuinas commonefactiones.

Porro, qui colligit & habet terrenos thesauros, multos habet inimicos, qui thesauris vel fraude vel vi insidiantur. Vtitur autem Christus duobus vocabulis, κλέπτειν καὶ διορύσσειν. Et Græci interpretes, Exod.22.v.2. his vocabulis distinguunt furem nocturnum & diurnum, hoc est, qui vel clam furatur, vel manifesta violentia grassatur. Ita & Atticis differunt κλέπτης & τοιχωρύχος.

Sensus igitur est, terrenos thesauros non posse tam diligenter in tuto loco custodiri, quin vel fraudibus vel violentiæ plurimorum insidiatorum pateant. In cælo vero, quicquid deponitur, certò & tutò conseruatur.

Verbo ἀφανίζειν, quod Christus hoc loco vsurpat, Græci interpretes vtuntur pro variis Hebraicis, quæ significant tollere, perdere, exterminare, eliminare. Huic loco vero etiam nō male cōgruit illud, quod Deut.7.v.2. Herem dicitur, quod alias est anathematizare, quod Græci reddiderunt ἀφανίζειν ostendit, quando aliquid quasi anathema, sine commiseratione tollitur & ita perditur, vt quasi indignum bono vsu male perdatur. Hoc enim modo verbum ἀφανίζειν ostendit, quando thesauris, qui non vsui hominum seruiunt, sed reconduntur, tale quid, vel à tinea, vel ærugine, vel à furibus aut aliis fortunæ casibus accidit, non casu hoc fieri, sed accipiendum esse, tanquam anathematismum, qua Deus iudicium suum denunciat: sicut scriptum est Iacobi 5.v.3. Tineæ & ærugo in testimonium vobis erunt, & exedent carnes vestras. Suidas dicit Lysia vocari ἀφανῆ οὐσίαν τὴν ἐν χρήμασι καὶ σώμασι καὶ σκεύεσι· φανερὰν δὲ τὴν ἔγγειον, hoc est, substantiam in pecunia, mancipiis & vasis vocari ἀφανῆ, latentem, obscuram: quæ vero in solo seu agrorum possessione sita est, vocari substantiam φανερὰν, manifestum. Quia igitur auari substantiam à conspectu & vsu hominum recondunt, vt sit ἀφανὴς, dicit Christus tineas, æruginem, fraudatores, fures & latrones ἀφανίζειν, hoc est, efficere, vt reuera sit & fiat quod ipsi volunt, ἄδηλα, ἀφανῆ.

Quod vero dicit: μὴ θησαυρίζετε, *Nolite vobis reponere thesauros in terra, &c.* non vult confirmare desidiam & negligentiā in faciendis laboribus œconomicis. Nec docet ita in diem viuendum, vt prodigali profusione ea, quæ Dei benedictione parta sunt, semel abliguriamus, ne quid supersit in crastinum, nec etiam simpliciter damnat thesauros.

Salomon enim desidem iubet ire ad formicam, quæ in æstate recondit vsui futura in hyeme. Paulus 2. Corinth.12. v.14. *Parentes debent filiis thesaurizare.* Ita Ioseph reposuit thesauros in annos futuros. Ita Abraham plura possedit, quàm vno die absumeret. Et Actor.11.v.29. cùm ex Propheta intelligunt imminere famem, collectas instituunt. Et summa, frequentissima est mentio thesauri domus Domini in sacris literis. Quare igitur ita loquitur Christus: *Nolite thesaurizare?* Respondeo: Hanc sententiam vult exprimere, terrenis thesauris nec tantum nec principaliter colligendis & reponendis debere nos intentos esse, nec cor illis apponere, aut in illis acquiescere: sed primam & potissimā curam debere esse cœlestium thesaurorum, nec propter terrenos thesauros ea, quę ad cœlestes thesauros pertinent & requirūtur, negligenda, supponenda, & abiicienda, sed quando simul colligi & haberi non possunt, negligendos potius terrenos, & præferendos ac eligendos potius cœlestes. Terrenos enim nō dignos vera appellatione thesauri, si ad cœlestes conferantur. Tales vero sententias Scriptura solet efferre negatiue, vt Luc.14.v.12. Quando facis conuiuium, non inuites fratres, vicinos, &c. cùm tamen hoc simpliciter, tanquam per se peccatum, nec prohibeat, nec damnet.

Vbi est thesaurus vester, ibi ERIT *& cor vestrum.*] Hac sententia ostendit Christus, quomodo, qua ratione, quo animo & fine nolit suos in terris thesauros recondere, quare velit illos cœlestibus thesauris intentos esse, & quàm periculosum sit terrenis thesauris addictum esse. Quicquid enim caro vel simulet vel prætexat, propensio & intentio cordis ostendit, vbi sit thesaurus tuus. Et rectè dicit Gregorius: Non totum cor offers Deo: in tot enim partes cor diuiditur, quot res sunt, quibus cor affixum & alligatum est. Et ex fontibus Hebraicis hoc simplicissime intelligi potest. Hebręa enim lingua variis appellationibus nominat thesaurum, quæ pleręque à recondendo & abscondendo significationem habent. Duę vero sunt appellationes, quæ ad illustrandā hanc sententiam pulcherrime conueniunt. סגלה Segullah vocantur thesaurus, inde, quod præ reliquis omnibus rebus habeatur in pretio, tanquam præcipuum, primarium & summum bonum. חסן Chosen appellatur thesaurus, quod in eo collocetur spes & fiducia fortitudinis & protectionis. Nam & idolo tribuitur hęc appellatio, Esa.1. Hac igitur ratione, hoc animo, & hoc fine, sicut lingua sancta thesaurum appellat, Christus credentes non vult colligere & reponere thesauros in terris, vt scilicet nihil carius, prius & potius habeant, quam thesauros, & propter illos acquirendos posthabeant regnum Dei. Nec vt fiduciam in illis collocent: vel sicut Scriptura loquitur, cor apponant. In hac enim significatione verum est prouerbium, *Vbi thesaurus, ibi etiam cor est.* Quamcunque enim rem potissimum primariam aut summū bonum ducimus, vbicunque illa sit, illic ea cor nostrum intentum, addictum, implicitum, alligatum & affixum sibi occupat & tenet.

Periculosum igitur est terrenis thesauris intentum esse: ita enim cor à cœlestibus serio meditandis & curandis abducitur, auertitur & auellitur. Et propter hanc etiam causam vult nos spirituales thesauros in cœlis colligere, vt cor nostrū etiam cùm in terra, cœlestibus tamen intentum, occupatum, & addictum in cœlis versetur. Si enim serio statueremus nostram felicitatem veram in cœlo esse, absque dubio etiam cor nostrum ibi esset. Nomine autem cordis comprehenduntur cogitationes mentis, appetitiones & studium voluntatis, effectus etiam cordis. Qui igitur totus deditus est colligendis & asseruandis thesauris in terra, eius omnes cogitationes, cura, studium, conatus, appetitiones, gaudium, fiducia, spes, amor, metus, &c. occupātur terrena thesaurizatione. Regnum igitur Dei talis rectè ac serio non potest quærere. Nam si cor alibi occupatum est, frustra labiis iactatur amor & studium regni Dei. Et Col.3.v.2. Non terrestria, sed superna quærite & curate, vbi Christus est ad dextram Dei sedens. Thesaurus enim natura cor ad se rapit, quia cordis natura est, vt ad ea, quæ maxime cara, pretiosa, & fortunata, siue vere siue falso ducit, totum feratur & rapiatur. Et rectè annotat Hieronymus, non de pecunia tātum hoc intelligendū

esse, sed de omnibus terrenis rebus, quibus nimium tribuimus, delectamur & addicti sumus, vt gloriæ, potentiæ, voluptati, &c. Vult autem Deus nos vti rebus huius mundi, tanquam hospites & peregrinos, ita vt cor habeat suum πολίτευμα in cœlis, Philip. 3. v. 20.

LUCERNA CORPORIS EST OCULUS, &c.] Sententia est Parabolica & generalis, quæ ad multas hypotheses accommodari potest, sicut Lucæ II. ver. 34. alia occasione repetitur & aliter accommodatur.

Primùm itaque in genere sententiæ huius explicationem inuestigabimus, coniuncta & collata illa etiam descriptione, quæ Lucæ II. v. 34. extat: licet alio tempore repetita.

Postea, quemadmodum ad huius loci, apud Matthæum, contextum accommodetur, ostendemus.

Generalis igitur sententiæ Parabolæ seu similitudinis manifesta est. In ambulatione enim corporis, & in reliquis actionibus externorum membrorum, oculus luce sua est dux & gubernator, ne membra vel temerè, vel aliter, quam singulis actionibus conuenit, ferantur. Nam si corpus sit benè constitutum & membra valida, quæ & iusto conatu & arte moueantur, nisi lucerna oculorum in ambulando & cæteris actionibus dirigantur, nihil rectè & constanter efficient, sed vel temere vagabuntur, vel periculose errabunt, impingent & labentur. Huic vero similitudini Luc. II. 33. additur illa sententia, quæ Mat. 5. 15. extat, de candela super candelabrum posita, vt lumen præbeat illis, qui in domo versantur. Et ad illustrandam hanc Parabolam pulcre conuenit.

In obscuro enim & tenebroso loco, non potest verus & salutaris oculorum vsus ad dirigendas corporis actiones esse, nisi vel lucerna in domo, vel sole in mundo illustrentur. Sed si oculus fuerit vel læsione aliqua deprauatus, vel suffusione aliqua humorum vitiatus, non illustratur vel candelæ vel solis lumine, vt externas actiones corporis ritè gubernet, sed totum corpus erit tenebrosum: hoc est, totius corporis motus & actiones non iusto ordine & debito gradu, sed quasi in tenebris temere vagabuntur, aberrabunt & impingent.

Si vero oculus fuerit simplex, hoc est, sanus, integer, purus, absque vitio, tunc totum corpus lucidum erit, hoc est, sicut Christus ipse explicat, Luc. II. ver. 36. lumen vel candelæ vel solis fulgore suo illustrabit oculum, vt totius corporis motibus & actionibus quasi facem præferre possit, & eas dirigere & gubernare. ἁπλοῦς, *oculum simplex*, non est Latina phrasis, sed vbi Hebræus habet 1. Paral. 29 versic. 17. ישר rectitudinem & sinceritatem cordis. Græci reddiderunt ἁπλότητι. Et 2. Reg. 15. v. 11. Ambulabant in simplicitate sua, nihil scientes de impiis Absalomi machinationibus, vbi Hebræa habent תמם perfectionem, absque culpa & contaminatione. Græci reddiderunt ἁπλότητι. Atque inde 2. Cor. 1. v. 12. simplicitas & sinceritas coniunguntur.

Et Syrus hoc loco reddidit פשיטא, quod significat simplicitatem puram, mundam, planam, & claram. Et vocatur simplex oculus, cui non admixti sunt praui & vitiosi humores. Huius contrarium vitiatus, corruptus, læsus, peruersus oculus vocatur πονηρός malus: qui Prouerb. 23. v. 29. suffusione describitur, & extat hæc appellatio Matth. 20. v. 15. & in Syracide c. 14. v. 8 & 31. v. 14. & oppositum eius ἀγαθὸς, bonus oculus c. 35. v. 12. *Corpus tenebrosum* vocat, cuius motus & actiones vel temere vagantur, vel praue aberrant, impingunt & labuntur, vt non possint rite suis fungi officiis. *Lucidum corpus* vocat, cuius motus & actiones rite componuntur & ordine gubernantur. Huius planæ similitudinis explicatio etiam plana est. Sicut enim oculum corpori, ita iudicium mentis, & intentionem voluntatis & cordis, tanquam interiorem seu spiritualem oculum, vult bonis operibus, vt ducem & gubernatorem præfectum esse, quæ inde & non ex substantia facti coram Deo, vel bona (si oculus simplex fuerit) vel mala (si malus fuerit) iudicatur. Quod si interior & spiritualis ille oculus tenebrosus, vitiatus, & deprauatus, quàm tristes erunt tenebræ in actionibus & operibus in Ecclesia, quamcunque externam præ se ferant speciem? Hoc enim est, quod Christus inquit: Si id quod debebat in te lumen esse & cæteris membris prælucere, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ in toto corpore quantæ erunt? Corpus enim per se non est lucidum, nisi oculorum luce illustretur & dirigatur. Versamur autem in hoc mundo, tanquam in tenebris Iohan. 1. v. 4. & verbum Dei ceu lucerna in loco obscuro lucet, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris, sicut 2. Pet. 1. v. 19. scribitur. Sed quando lux in tenebris lucet, tenebræ eam non apprehēdunt, Iohan. 1. v. 4. Inuenit enim oculū nostrum interiorem non simplicem, sed læsum, distortum, vitiosum & misere deprauatum. Necesse igitur est, vt pater, propter Christum, per spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitione Christi, hoc est, per lucernam verbi, det nobis illuminatos oculos cordis nostri, Ephes. cap. 1. versic. 18. Bona itaque opera piorum, à philosophorum virtutibus [illegible] cultibus, non materia tantùm, & fine, sed & [illegible] ac morali, vt Deo probentur, differre debent [illegible] sint mandata, & fiant à persona fide propter [illegible] reconciliata, oriantur ex corde per Spiritum [illegible] nato & renouato præeunte fide & prælucente [illegible] finem, vt Deo præstetur honos & obedientia.

Ita ergo Scriptura ipsa similitudinem hanc [illegible] 4. Eph. 1. 18. & 2 Pet. 1. 19. Item Psal. 119. 105. [illegible] meis verbum tuum, & lumen semitis meis. [illegible] quondam tenebræ, nunc autem Lux in Domino [illegible] lucis ambulate. Et Rom. 13. 34 Bona opera [illegible] cis. In hac etiam similitudine Luc. II. 34. [illegible] explicationem: corpus erit lucidum, sicut [illegible] fulgore suo te illuminat, illustrat seu lucidum [illegible] cet motus & actiones iusto ordine dispon[illegible] tur. Apud Lucam verò non tantum [illegible] similitudo, sed additur exhortatio, vt moneat [illegible] ctrinam hanc ad vsum priuatum transferre. [illegible] nim loquitur: *Vide ERGO, ne lumen, quod in te* [illegible] Quod & de verbo seu doctrina, & de oculis cordis [illegible] tis seu renouatis, rectè intelligi potest. Quod [illegible] cam sequitur, Si corpus totum lucidum fuerit [illegible] liquam partem tenebrosam, non est sensus [illegible] seu renouationem in hac vita in nobis, omnibus [illegible] se perfectam, absolutam & consummatam, absque [illegible] næuo, vel defectu, seu peccato. Aut, si quid adhuc [illegible] erroris aut peccati admixtum sit, credentes ideo [illegible] abiiciendos. In futura enim demum vita, Matth. [illegible] hac carne, toti, vt sol, splendebimus: sed iam, vt [illegible] dum plena, aliquid lucis in nobis accensum est, [illegible] men adhuc caliginis & tenebrarum superest & [illegible] fide propter Christum reguntur, & ad damnationem [illegible] imputantur. Sed sententia illa Lucæ vel de verbo [illegible] na intelligenda est. Illam enim oportet totam esse [illegible] puram & sinceram. Si enim aliquid habeat lucidum [illegible] ta autem sit pars aliqua tenebrarum, sicut in Pharisæorum & Pseudoprophetarum doctrina, tunc, vt Paulus pronunciat, parum fermenti totam massam corrumpit. [illegible] Lucerna non partem tantum aliquam illustrat, sed [illegible] per totam domum, & in omnes cubiculi partes [illegible] ita Lucem verbi, & illuminationem spiritus, seu [illegible] cordis vult non in vna tantùm atque altera actione, sed in tota vita & in omnibus operibus lucere. Et [illegible] verbis textus proprie conuenit. Dicit enim, Ita totum corpus lucidum erit, non habens partem aliquam tenebrosam, sicut cum lucerna fulgore suo te circumfulget, in omnibus membris apparet lucidi aliquid. Augustinus hanc sententiam [illegible] exponit, vt in omni bono opere intentio sit bona, [illegible] Nō enim quid quisque, sed quo animo agat, Deus considerat. Si enim bonum bona intentione feceris, etiamsi euentus externus non respondeat intentioni: illa tamen totum corpus actionis illuminat, & te etiam illustrabit seu gloriosum reddet, quæcunque hominum sint iudicia. Si verò & malum & mala intentione feceris, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Actio autem suo genere bona, mala intentione vitiatur, vt tibi non tanquam lucida imputetur. Atque ita Augustinus hanc generalem sententiam, ad omnia, quæ in præcedentibus de eleemosynis, de oratione & ieiunio dicta sunt, accommodat: ne fiant propter homines, sed propter Deum. Chrysostomus ad proxime præcedens dictum sententiam hanc accommodat, quia enim vbi thesaurus noster est, eò etiam rapitur cor nostrum. Existimat igitur commode subiungi oculum cordis, occupatum, implicitum, affixum terrenis maculari, vitiari & percuti, vt reliquæ etiam operationes non sint lucidæ, sed tenebrosæ, Lucæ II. versi. 34. Videtur hæc sententia accommodari ad iniqua & peruersa Pharisæorum de doctrina & operibus Christi iudicia, non posse scilicet ipsos sincere iudicare aut dextre loqui, cum animum habeant liuore, odio, [illegible] & malitia suffusum, vitiatum & deprauatum. Generalis igitur sententia est, quæ ad varias hypotheses rectè potest accommodari.

Nemo potest duobus dominis seruire, &c.] Luc. 12. versic. 22. & seq. vbi hæc concio alia occasione repetitur. Status est ita ponitur: *Videte & cauete ab auaritia.* Et πλεονεξία ita describitur ibi, Qui sibi thesaurizat, is non est in Deo diues. Item Luc. 16. versi. 11. ita describitur, qui in mammona non est fidelis, hoc est, qui in opibus acquirendis, seruandis, vtendis & dispensandis, non iuxta præscriptum verbi Dei, sed contra [illegible] agit. Ostendit itaque Christus, quàm noxia pietatis pestis sit auaritia in credētibus, præcipue vero in apostolis. Cor enim, quod Deo debetur, illa occupat & sibi vēdicat. Nam vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Deinde auellit & abalienat nos à Deo, vt ipsi non possimus rectè & sincere seruire. Matthæus

vero

vero periculosum est, quando ministerium Apostolorum conuertitur ad quæstum, vt propter pugillum hordei, sicut Scriptura loquitur, Ezech.13.v.19. doctrina inflectatur ad cupiditates hominum: vel, quando ob solicitudinem victus, ac metum amissionis bonorum, confessio veritatis deseritur. Præterea, quod pessimum omnium est, auaritia prætextu quodam perstringit & fascinat animum, quod, quando tradit se in seruitutem Mammonæ, non velit propterea videri discedere à seruitute Dei. Velle enim se, & posse nihilominus Deo etiam seruire, quando Mammonæ seruit. Et his insidiis multi circumuenti, fidem & pietatem amittunt, sicut inquit Paulus 1.Timoth.6.v.10. Radix omnium malorum est auaritia, quam quidam appetentes aberrauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli & desideria nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Hanc igitur periculosam & noxiam persuasionem Christus animis suorum vult eximere, vtque animos carnales fortius percellat & moueat ex sensu communi & consuetudine in vita politica vulgari, sumit commune prouerbium: *Nemo potest duobus dominis seruire*. Ita enim Paulus Roman.6. vers.19. vbi contra illos, qui fingebāt se simul posse, & peccato & iustitiæ seruire, eandem ferme sententiam recitat. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ, &c. Sensus igitur est: In vita politica, qui simul duobus dominis, aduersariis & hostibus, qui contraria moliuntur & præcipiunt, vult operam suam addicere & præstare, non iudicatur fidelis minister, sed perfidus nebulo & proditor. Item, in œconomia, nemo vult ferre talem seruum, qui verbis & externa specie præ se fert & domino prolixe promittit fidem, operam & obedientiam, interim verò clanculum alteri, qui patrisfamilias aduersarius est, se adiungit, ipsi auscultat, obsequitur, vtque ipsi gratificetur, patrisfamilias iussa contemnit, transgreditur aut certe infideliter exequitur. Hoc sensus communis in politia & œconomia iudicare potest. Quia igitur eadem ratio est seruitutis Dei & Mammonæ, seducitis vos, inquit Christus, hoc prætextu & tali persuasione. Non enim potestis Deo seruire & Mammonæ. Sed de illis, qui Mammonæ seruiunt, & tamen prætendunt se nihilominus etiam Deo seruire velle, Deus idem iudicat, quod Paterfamilias de tali seruo, qui recte iudicatur nequior esse, quàm apertus & professus hostis. Hoc verò iudicium ex sensu communi Christus ideo allegat, vt ostendat cæcitatem cordis humani, quod cogitat se hoc posse Deo persuadere, quod hominibus in politia & œconomia, ab huiusmodi seruis, qui ἀνθρωπάρεσκοι, persuaderi non potest, vtque proprio rationis iudicio conuincantur, vanum esse illum prætextum, sicut inquit Paulus Rom.2.1. Inexcusabilis es, qui iudicas. Eo ipso enim, quo iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim facis. Obseruetur autem quomodo illud, quod prætexitur, auferat: dicit enim, *alterum diliget alterum odio habebit*. Sed excipit auarus: Ego verò nullo modo Deum odio habeo, nec opes plus diligo quàm Deum. Christus igitur non otiosa ταυτολογίᾳ idem aliis verbis repetit, sed repetitione illa & verborum mutatione subiicit & ostendit, qua nota agnosci & discerni possit, diligas ne Deum, an odio eum habeas? Item an Mammonam plus diligas, quàm Deum? inquit enim: *Aut alteri adhærebit, & alterum contemnet*. Verbum ἀνθέξεται vetus interpres reddit, sustinebit: Augustinus, patietur: quasi esset ab ἀνέχω, quod significat perferre, tolerare. Sed ἀντέχεσθαι significat tenaciter alicui adhærere, vt non finas te auelli, operam alicui dare, addictum esse. Græci interpretes hoc verbo reddiderunt Hebraicum חזק Chazak, Prouerb.3. verſ.18. אחז Achaz Ecclesiast.7. verſ.20. quod significat vel membris corporis, vel intentione spiritus aliquid apprehendere, eique adhærere. Syrus hoc reddidit per יקר Iekar, in honore & pretio habere. Alterum contemnere per בזה vilem habere, paruifacere. Sensus itaque erit, qui præscriptum Dei in septimo præcepto contemnit, cogitationes verò, studia & conatus in quærendis opibus ex proposito perseueranter dirigit contra mandatum Dei ad obsequium eius, qui Lucæ 4. vers.6. clamitat: Hæc omnia dabo tibi, si procidens adoraueris me. Dum ille iudicabitur Deum serio & sincere diligere, eius autoritatem in pretio habere & magnificere? Nonne plus ille diligit aut pluris facit Mammonam, quam Deum? Et notandæ sunt hæ sententiæ contra carnis iudicium, quod vitia mitioribus appellationibus palliare solet. In Dei enim iudicio, qui mandatis ipsius posthabitis Mammonæ adhæret & obsequitur, iudicatur Deum contemnere, imò odisse. Et hinc intelligi potest, quare Paulus Ephes. 5. auaritiam appellet idololatriam. Ponit autem Christus contemptum & adhæsionem. Nam Paulus, qui carne seruit Legi peccati, Rom.7.25. quia concupiscentiis reluctatur, & mente condelectatur Legi Dei, non hæret in contemptu & odio Dei. Obseruetur etiam, quod iubentem Deum, posthabitis mandatis eius, contemnere, coram iudicio Dei idem sit, atque odio ipsum habere, Exod.20.v.3. Alias enim nemo fatetur se Deum odio habere.

Non potestis DEO SERVIRE ET MAMMONAE.] Hæc est conclusio, quam ex generali sententia, tanquam ex sensu communi infert. Sed quia generaliter hoc dicitur, definiendum est, quid sit seruire Mammonæ. Recte enim Hieronymus obseruauit, quòd Christus non dicit, Nemo potest Deo seruire, qui quærit victum & amictum: vel, qui possidet & habet opes: aut qui vtitur diuitiis, sicut Monachi & alij phanatici somniarunt. Sed quid seruit Mammonæ, non potest Deo seruire. Quid autem sit Mammonæ seruire, ex textu simplicissimè potest colligi. Qui scilicet 1. sicut gentes diuitias sectantur per fas & nefas, & in illis summum bonum constituunt, quasi ad hanc tantum vitam creati. 2. Qui solicitudinibus ex diffidentia se & alios turbant. 3. Qui non primum quærunt regnum Dei, sed propter opes negligunt vel abiiciunt regnum Dei. Hæc simpliciter possunt declinari per hos gradus. 1. de acquirendis diuitiis. 2. de vtendis. 3. de dispensandis. 1. Qui enim non contentus illa benedictione, quam Deus iustis laboribus tribuit, ita studet acquirendis & cumulandis diuitiis, vt propterea mandata Dei violare non vereatur, absque omni dubitatione seruus est Mammonæ. Facit enim hoc, quod princeps mundi Lucæ 4. verſ.6. iubet. 2. Qui opibus acquisitis cor apponit, hoc est, qui ita eas diligit, vt malit vel Euangelium negare, vel aliquid aliud contra Deum facere, quam vt detrimenti aliquid, Deo ita volente, in diuitiis suis patiatur, is vere seruus est pecuniæ. 3. Qui diuitias ita diligit, vt malit mandatum Dei contemnere, quam eas dispensare, sicut Deus voluntatem suam patefacit, is seruit Mammonæ. Tales autem serui Mammonæ sunt, vel Eucliones, vel Sardanapali. Ac breuiter opposita inter se sunt, opibus seruire & illis dominari, seu imperare.

Et phrasis illa indicat, studere pecuniæ nihil aliud esse, quàm se illi in seruitutem dedere, prę qua non possis vel Deo seruire, vel cœlestia sectari, vel animæ consulere. Hæc valde late patent, quæ recte considerata, ostendent multos in speciem se iactare cultores Dei, quos iudicium Christi pronunciat esse seruos Mammonæ. Et eo diligentius hæc pars concionis discenda est, quia illa persuasione etiam, qui non mali sunt, possunt seduci, quasi nihilominus possint Deo seruire in prima tabula, licet excessu aliquo in secunda tabula in corruptibilibus huius mundi exorbitent. Est autem sententia & doctrina hæc generalis non in auaritia tantum, sed in omni genere vitiorum. Vulgaris enim persuasio est & generalis, non simul posse & Deo seruire, ac nihilominus etiam prauis concupiscentiis obtemperare.

Porrò המון Hamon Hebraice significat cuiuslibet rei copiam & multitudinem, vsurpatur etiam pro diuitiis, Eccles.5. verſ.10. Psalm.37. versic.16. Ezech.29. verſ.19. Mammon verò per Mem in Scriptura non legitur, sed Syriaca lingua vt copiam & thesauros diuitiarum peculiari vocabulo notaret, ex Hamon fecit Mammon, & addit in fine Aleph, vnde fit Mammona, sicut apud Euangelistas scribitur. Non igitur præcipue est appellatio Diaboli dominantis super thesauros, sicut quidam fingunt: sed simpliciter significat copiam, multitudinem, cumulum, aceruum diuitiarum, & arbitror quod Græcis est thesaurus, idem Syriace fuisse tunc Mammona. Vtroque enim vocabulo Christus in hac parte concionis vtitur, & thesauri & Mammonæ. Illa ipsa tamen antithesi inter seruitutem Dei & Mammonæ Christus ostendit, auaros Mammonem pro Deo colere, & ex re corruptibili, ærugini, tineis & furibus exposita, sibi facere Deum, sicut Satan & venter ita dicuntur Deus, Phil.3.v.19. & 2.Cor.4.v.4. Sicut Græcis πλοῦτος significat proprie diuitias, & πλούτων Deum diuitiarum. Ita Paulus auaritiam vocat seruitutem seu cultum Idolorum.

Num vero Euangelium sectatores suos fame, nuditate & frigore enecabit, quia seruire Mammonæ prohibet? cum tamen in hac vita non possimus carere terrenis facultatibus. Finis-ne igitur Euangelij erit fames, frigus, egestas, miseria? & quid amplectetur illud? Ad hanc obiectionem Christus longa oratione & multis argumentis respondet. Ponit enim dulcissimas promissiones, Deum Patrem credentibus, quibus cœlestia & æterna promisit & dedit, non defuturum suppeditando externa & terrena, quibus ad sustentandam hanc vitam opus est. *Nouit*, inquit, *quibus rebus opus habeatis*, & quod illis carere non possitis. Nostræ quidem cupiditates existimant, & alia & plura, quàm quæ Deus largitur, nobis necessaria esse. Sed ipse vt Creator & vt Pater rectius quàm nos ipsi intelligit quæ nobis sint necessaria, inquit Chrysostom. Et Augustinus inquit: Ipse, vt cœlestis medicus nouit quid expediat, vt nobis donetur ad consolationem, vel vt subtrahatur, ad medicinam, probationem & exercitationem. Nouit

autem non ficut diues nouit Lazarum egere, non autem curat, nec subleuat illum. Sed verba notitiæ apud Hebræos complectuntur simul etiam affectus, sicut 1. Pet. 5. vers. 7. hæc sententia ex Psalmo ita explicatur: Ipsi enim curæ est de vobis. Porro verbum χρῄζετε, quæ necessaria sunt ad sustentationem vitæ complectitur, & ab illis separat, quæ ad luxum, superbiam & ostentationem faciunt: separat etiam superflua, quæ auaritiæ immensa cupido expetit. Simul verò notitia eorum, quæ necessaria nobis sunt, etiam hoc complectitur, quod Deus hominem ita creauit, quod voluit ad vitæ eius sustentationem alimenta & vestimenta necessaria esse, quodque non tantum creator hominis esse voluit, sed & suppeditare eorum, quæ conseruandæ vitæ eius necessaria sunt. Nouit igitur illa omnia quæ nobis necessaria sunt, vt *Pater vester Pater*, quæ indicatio est beneuolæ voluntatis, & quidem vt *cælestis* pater, quia omnia in manu sua habet. Si enim vos, Lucæ 11. versi. 13. qui cum mali sitis, filios tamen vestros, quos egere intelligitis, non destituitis vestra cura & beneficentia: quanto magis Pater vester cœlestis? 2. Dedit & conseruat corpus & animam seu vitam, quod maius est. Dabit ergo quod minus est, victum scilicet & amictum. 3. Deus non est Pater volatilium & herbarum, sed credentium. Alit autem volatilia & vestit lilia: ergo multo magis vos, quorum Pater est. 4. Vos coram Deo multo præstantiores estis omnibus volatilibus & terra nascẽtibus. Creati enim estis ad imaginem Dei, redempti sanguine filij Dei, sanctificati Spiritu sancto, ad quos Pater & Filius veniunt & mansionem faciunt. 5. Quia dedit regnum suum, adiiciet ergo & terrena illa, quibus opus habemus. Si enim herbas, quæ hodie florent & postridie concidunt, tam pulcre vestit, quidni magis vos, qui estis hæredes vitæ æternæ? Hæ promissiones, seu potius amplificationes promissionis de pane quotidiano, hoc ferme modo in textu ponuntur.

Deinde ostendit rationem & tradit artem, quomodo credentes bona conscientia, fine offensione fidei & iactura pietatis, debeant & possint panem quotidianum quærere, ita, vt illud ipsum studium Deo probetur, & fit exercitium fidei & iustitiæ. Adhibet autem Antithesin: *Omnia hæc gentes requirunt.* Vult igitur credentes seiunctos esse à gentibus, non tantum in spiritualibus rebus fidei, verum etiam in acquisitione & vsu temporalium facultatum. Lucas habet gentes mundi, atque ita etiam hoc loco Syrus reddit Gentes mundi, respiciens ad illud Psalm. 17. versic. 14. Custodi me ab hominibus de mundo, quorum portio est in hac vita, thesauro tuo imples ventrem eorum, &c. Ethnici igitur, quia regnum Dei nec nôrunt nec curant, tantum externis illis bonis acquirendis intenti sunt, & in illis acquiescunt. Ideo non simpliciter vtitur verbo ζητεῖν, sed ἐπιζητεῖν, quod auget studium & intentionem inquirendi. Nam & Græci interpretes Hebraicum דרש Darasch, quod significat inquisitionem, quæ adiunctam habet curam & sollicitudinem, reddiderunt verbo ἐπιζητεῖν. Deinde Ethnici, quia nec sciunt, nec credunt, Deum vulgares illas œconomicas operas curare, ac manum suam aperire, & singulis, quæ necessaria sunt, distribuere, non inuocant Deum, nec possunt vera fiducia benedictionem laborum ab illo expectare, sed sollicitudinibus suis tumultuantur, vt quacunque ratione siue per fas siue per nefas ditescant. Et si quid acquisierint, non benedictioni Dei, sed suæ diligentiæ & prudentiæ tribuunt. Hoc ethnico modo Christus suos non vult sectari externa bona: ac pronuntiat Ethnicos non Christianos esse, qui hac ratione dediti sunt temporalibus. Ars verò χρηματιστική quam Christus suis præscribit, comprehenditur paucis hisce capitibus: *Quærite primum regnum Dei.* Apud Lucam particula πλὴν verumtamen, & apud Matthæum particula aduersatiua δὲ, respondet præcedentibus: Nolite soliciti esse, &c. Non inquirite vt gentes. Quia vero obiicere poterant: Sed vnde viuemus? Respondet, Vos autem ante omnia quærite regnum Dei: vel, veruntamen ne timeatis futura vobis necessaria ad sustentationem vitæ. *Quærite regnum Dei:* quod de regno & gratiæ & gloriæ rectè intelligitur. Ac simul ostendit, solicitudinem terrenorum impedire nos à quærendo regno Dei. Est autem regnum gratiæ, Rom. 14. v. 17. iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto.

Prima igitur cura semper esse debet, vt à regno tenebrarum auertamur, quod fit per pœnitentiam, & in regnum dilectionis filij Dei transferamur, & in eo perseueremus, quod fide fit, Rom. 3. versic. 1. Iustificati fide pacem habemus cum Deo. Hæc fides iustificans semper præluceat laboribus œconomicis. Regnum igitur gratiæ Dei sit primum, præcipuum & principale, quod quærendum est, quicquid fiat de aliis. Deinde etiam de regno gloriæ intelligitur, curandum scilicet esse, vt efficiamur & maneamus ciues, consortes & hæredes regni futuræ gloriæ. Aut, vos Apostoli curate ante omnia, vt ministerio vestro regnum Dei quàm latissimè propagetur, ac operarius dignus erit mercede sua. [illegible] *Quærite iustitiam Dei.* Relatiuum enim non [illegible] sed [illegible] quanquam Enallage generum in [illegible] Hebraismo non est inusitata, vt etiam intelligi possit iustitia regni Dei. Iam Paulus Roman. 1. vers. 17. vocat iustitiam Dei, qua iustus ex fide viuit, qua iustificamur gratis per redemptionem Christi, fide in sanguine ipsius, Rom. 3. vers. 24. [illegible] mo de regno Dei, vt de vltimo fine [illegible] cogitare. Deinde etiam de mediis ad consequend[illegible] ordinatis, vt de iustitia Dei. Lucas vero [illegible] habet: *Quærite regnum Dei.* Possumus vero regnum Dei simpliciter hoc loco iustitiam Dei seu regnum [illegible] Iustitiam, quam verbum Dei cuique in sua [illegible] præscribit, vt hic sit ordo. 1. Quærite regnum Dei. [illegible] vestrum genus vitæ habeat testimonium verbi Dei. [illegible] eius præscriptum, quæ in vocatione vestra [illegible] 3. Quæque sua curet dies, hoc est, non [illegible] vocationis vestræ, non πολυπραγμονεῖτε [illegible] vos peregrinis negotiis, quæ vocatio vestra non requirit: sed labores vestræ quisque vocationis fideliter facite, idque vt fiat, iustam diligentiam & necessariam curam adhibete. [illegible] tur enim verbo μεριμνᾶσθαι. 4. Quæque dies suam habet afflictionem, hoc est, toleranda sunt onera, [illegible] difficultates, quas labores vocationis secum afferunt, nec propterea deserenda est vocatio, vt in sudore vultus tui vescaris pane tuo. 5. Hæc omnia fiant in vera [illegible] & fiducia promissionis de benedictione & auxilio diuino. 6. Ita, quæ necessaria sunt, adiicientur vobis benedictione diuina Non autem dicit, dabuntur seu reddentur, quasi corporalis merces essent quærentium regnum Dei. [illegible] verbo προστεθήσεται apponentur, sicut Augustinus reddidit, quo Hebraicum יסף Iasaph redditur, quod peculiariter de benedictione Dei sæpe vsurpatur, Psalm. 115. versiculo decimoquarto: Adiiciet Dominus super vos & super filios vestros, Deuteronom. 1. vers. 14. Deus Abraham addet super vos. Ita Prouerb. 11. vers. 24. qui distribuit, ei adhuc adiicitur. Videtur autem Christus respicere ad illud Psalm. 62. vers. 11. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Potest autem verbum προστεθήσεται ita explicari, sicut Græci dicunt ἐν προσθήκης μέρει, quod per se nullo loco habetur, sed quasi appendix, secundarium, auctuarium & accessorium est alterius, quod primarium est. Germanice pulchre vocamus *ein Zugabe.* Tale enim discrimen vult ostendere inter regnum Dei, quod primarium est, & inter opes terrenas, quæ sunt accessorium seu appendix. 7. Vt afferamus animum sorte sua contentum. Paulus enim 1. Timoth. 6. cap. vers. 6. docet veram artem quæstuariam hanc esse, si spirituales diuitias constituamus in pietate: corporales verò in αὐταρκείᾳ, quam ita describit Philipp. 4. cap. versic. 12. Didici contentus esse in quibus sum, noui & abundare & penuriam pati. Sed opponitur, quod etiam Paulus dicit, esurimus sitimus, nudi sumus, 1. Corinth. 4. versic. 11. Ideo addenda est exceptio illa Marci 10. cap. versic. 30. cum tribulatione, & in quantum saluti nostræ expedit, ne incrassati calcitremus, Deuter. 32 cap. vers. 15. Hæc sunt capita, quæ in hoc textu extant, de pie quærendis illis, quæ ad victum & amictum necessaria sunt.

Quia verò præcipuũ, & quod plus difficultatis habet, caput est, de fiducia benedictionis & auxilij diuini, in illo explicãdo pluribus verbis & argumentis insistit. Et qualis debeat esse fiducia, ex antithesi solicitudinis, quæ carni nostræ notior est, ostendit. Monachi tempore Augustini hunc locum, *ne sitis soliciti*, ita deprauabant, quasi omnis labor & negotiatio simpliciter prohibita esset. Quam opinionem Augustinus in libro de opere Monachorum grauiter refutat, quod inde etiam planissime intelligi potest. Qui enim domesticis suis non prouidet, infideli est deterior. 1. Timoth. 5. versic. 8 parentes enim debent filiis thesaurizare, 2. Cor. 12. v. 14. & 2. Thess. 3. v. 11. Illis, qui nihil operis faciunt, sed curiose agunt, præcipit Paulus sub interminatione excommunicationis, vt operentur, ac proprium panem comedant. Ita Paulus Actor. 20. v. 34. & 1. Thess. 2. v. 9. propriis manibus laborat pro victu. Et Gal. 2. vers. 10. solicitus est de prouisione pauperum Hierosolymis. Idem de Euchetis Augustinus scribit in lib. de hæresibus, quod contenderunt ita instandum precibus, vt non liceat Monacho sustentandæ vitæ suæ causa aliquid operari: quia scriptum sit *Nolite soliciti esse quid edemus.*

Quod vero dicit, *Nolite soliciti esse* τῇ ψυχῇ *animæ:* Chrysostomus interpretatur: quia homo constat anima & corpore, ideo vtriusque in hac sententia fieri mentionem. Et licet anima in se alimentis non indigeat: tamen, vt in corpore maneat, opus ipsi esse alimentis à corpore sumptis. Sed Augustini explicatio simplicior est, vocabulo animæ, iuxta Scripturæ phrasin vitam intelligi, vt Matth. 10. vers. 39 & 16 vers. 25. qui amat animam suam, perdet eam. Potest vocabulo ψυχῆς hæc etiam

etiam commonefactio intelligi: homines quando de anima solliciti sunt, tantum curare plerunque, quid edemus, quid bibemus, quæ belluina solicitudo est: cum longe alia cura esse debeat, si de anima soliciti sumus, vt recte ei prospiciatur. Mentionem autem facit Christus in hac sententia tantum de victu & amictu. Hæc duo enim tantum ad sustentationem huius vitæ necessaria, Paulus etiam ponit 1. Timoth. 6. vers. 8. Ac solet à multis morbo auaritiæ hoc prætexi, non cupio immensos thesauros colligere, non Mammonæ seruire, sed quia ad victum & amictum valde multa requiruntur, &c. Videtur autem Christus tacite hoc inuertere, Si victu & amictu contenti esse possetis, non opus esse tanta solicitudinis anxietate. Illa enim & parabilia sunt, & brutis etiam ac inanimatis à Deo suppeditantur. Vt autem tota hæc pars concionis recte intelligatur, sciendum est, quod duplex sit solicitudo. 1. Cura, vt labores vocationis recte & diligenter fiant, adhibita iusta circumspectione & prudentia, ne quid negligatur. Hæc solicitudo non pugnat cum fiducia, sed est mandata in hac ipsa concione: Crastina dies curet quæ sua sunt. 2. Et solicitudo diffidentiæ, quando ea, quæ nostri sunt officij, quæque vocatio requirit, facimus. Cor vero euentum, & successum laborum, non vult vera fiducia Deo commendare, sed solicite timet, si circa hos terminos consistendum sit, vel necessaria defutura, vel non tantum benedictionis, quantum appetimus, nos habituros: & ideo vel vocationem deserimus, vel committimus in ea aliquid, quod non congruit ad præscriptum verbum Dei, aut certe affectus solicitæ diffidentiæ ita tumultuantur in corde, vt turbetur fides & inuocatio, turbentur etiam ipsi labores vocationis. Hæc est crassa & simplex descriptio solicitudinis diffidentiæ.

Sicut autem semper optimæ sunt illæ explicationes, quæ ex ipso contextu extruuntur: ita hæc ipsa concio ostendit, qualem solicitudinem Christus prohibeat. 1. Quando soliciti sumus, vt gentes: quæ quoniam existimant Deum hæc terrena bona non curare, vel promissionibus non credunt, ideo & inde est anxia ipsorum solicitudo. 2. Quando necessaria tantum cupimus, sed amplas ac magnificas spes concipimus, & anxij sumus, ne forsan euentus nostris expectationibus non sufficiat. 3. Quando formula, quam Deus largitur, non sumus contenti, sed anxie nos maceramus, quod non ampliorem & splendidiorem fortunam habeamus, sicut qui staturæ suæ modo non est contentus. 4. Quando curis de futuro nos excruciamus, quid si hoc fieret? quid si cœlum rueret? Et obseruanda sunt vocabula: non enim dicit: Nolite laborare, nolite studium & diligentiam adhibere vt vobis & vestris prouideatis. Hæc enim serio mandantur, Ephes. 4. 28. 1. Timoth. 5. versic. 8. sed vbi Lucas habet ζητεῖτε, ibi Matthæus, addit μεριμνᾶν: ne scilicet trepida diffidentiæ solicitudine victum quæramus, sed vt laborantes seu quærentes in vocatione promissionum fiducia, Deo euentum & benedictionem in silentio & spe committamus. Non enim securam pigritiam, Prouerb. 6. vers. 9. sed supinam negligentiam docet aut confirmat. Curam igitur laboris & prouidentiæ mandauit, ne Deum tentemus, sollicitudinem verò de euentu ad se pertinentem nobis prohibuit. Vtitur autem peculiari vocabulo μεριμνᾶν, cuius emphasis picturam præbet huius solicitudinis. Grammatici enim censent dictum esse μεριμνᾶν, quasi μερίζειν τὸν νοῦν. Et aliud habent verbum affine huic μερμηρίζειν. Homerus πολλὰ δ' ὁ γ' ὁρμαίνων μερμήριζεν, quod exponunt, ὡς πολλὰ μέρη διαιρεῖ τὴν ψυχὴν quod Virgilius ita reddidit: *animum nunc huc, nunc diuidit illuc*. Hæc est vera pictura sollicitudinis, quæ ex diffidentia oritur. Cogitat quidem cor aliquid de promissionibus, sed non incumbit illas vera & plena fiducia, sed trepida & anxia solicitudo impellit ac distrahit animum, nunc huc, nunc illuc, ad quærenda præsidia, ad tentandas subinde nouas rationes: & tamen nullibi acquiescit, redit ad promissiones Dei, sed illis nō satis fidit. Adiungit igitur illa illegitima media, sed & tunc similis est fluctibus maris, qui à ventis nunc huc nunc illuc impelluntur, & nusquam consistunt.

Hac enim similitudine Iacobus vtitur cap. 1. vers. 6. Et meticulosæ atque anxiæ illæ solicitudinum distractiones, discursationes & quasi æstus, hoc loco per dialogismum, quomodo animum exagitent, describuntur, quid edemus, quid bibemus, quibus vestiemur? Lucas cap. 12. vers. 22. in repetitione huius concionis vtitur verbo μετεωρίζεσθαι. Augustinus libro 2. quæstionum intelligit, ne, si diuitiæ affluant, extollamur, vt 1. Timoth. 6. vers. 17. *Præcipe diuitibus ne altum sapiant*.

Alij exponunt, ne de illis, quæ supra nos sunt, soliciti simus: vel, ne quando vel astra vel meteora annonæ penuriam minitantur, abiecta fide curis nos consumamus, sicut gentes. Sed μετεωρίζεσθαι hoc loco simpliciter, sicut Theophylactus exponit, significat instabilem mentis distractionem. Quæ enim in sublimi posita sunt, facili momento huc illuc impelluntur. Et μετέωρος vocatur, qui propter incertum & dubium euentum, iudicium & voluntatis inclinationem suspendit.

Item qui spe rerum nouarum fluctuant & inclinant ad defectionem, sicut multa extant exempla de hoc vocabulo in prophanis autoribus. Græci interpretes reddunt μετέωρος, Ezech. 3. vers. 14. Spiritus sublimem me rapuit, Esaiæ 5. vers. 15. Psalm. 131. vers. 1. Oculi sublimes & elati. Esaiæ 2. versic. 12. Elatus homo. Et μετεωρισμοὺς vocant eleuationes fluctuum, Psalm. 41. versic. 8. 87. vers. 8. & 92. vers. 4. Ionæ 2. v. 4. Ipsum verò verbum μετεωρίζεσθαι vsurpant pro exaltari. Abdiæ 1. v. 4. Esa. 52. vers. 13. Mich. 4. vers. 1. Syrus reddidit per ‏נהוון‏ ne mens & voluntas in suspenso maneat & distrahatur. Græci interpretes verbo μεριμνᾶν, & nomine μέριμνα sæpius vtuntur, vt non vni semper Hebraico respondeat. Iob. cap. 11. vers. 18. Vbi textus loquitur de fiducia, expectatione & securitate. Græci per antithesin reddiderunt μεριμνᾶν & φροντίς, 1. Reg. 7. versic. 10. & 1. Paralip. 17. vers. 9. respondet verbo ‏רגז‏ Ragaz, quod significat commotionem animi, quæ fit vel metu vel alio affectu, & opponitur trāquillitati, Psal. 37. v. 19. ‏דאג‏ Daag, reddiderunt μεριμνᾶν, quod significat metu periculi solicitum esse, vt Ierem. 42. v. 16. fames, de qua soliciti estis, adhærebit vobis. Syrus reddidit ‏צי‏, quod significat curas cum animæ meticulositate, anxietate & molestia coniunctas. Et hæc congruunt ad solicitudinem diffidentiæ, quæ ideo prohibetur, quando Christus inquit: Ne soliciti sitis, quoniam suffocat bonum semen. Luc. 8. v. 14. Sed Exod. 5. vers. 19. vbi describitur occupatio, exercitium, diligentia, studium & cura laboris. Græci etiam vtuntur verbo μεριμνᾶν. Ita & Prouerb. 15. ver. 23. Laborem reddiderunt hoc vocabulo. Et hinc potest intelligi, quare in hac concione Christus verbo μεριμνᾶν vtatur, aliquando in malam partem, aliquando verò in bonam: vt, crastinus dies sua curabit. Ita & Paulus 2. Cor. 11. v. 28. solicitudinem suam pro Ecclesiis vocat μέριμναν. Ita 1. Cor. 7. vers. 34. Virgo curat quæ sunt Domini. Et Phil. 2. vers. 20. Sincere pro vobis solicitus est. In aliis vero locis, vbi Latinus laudabilem diligentiæ solicitudinem ponit, Græci habent vocabulum σπουδὴ & σπουδάζω. Hæc explicatio vocabuli illustrat hanc concionem contra solicitudinem diffidentiæ. Et iam ex antithesi constituatur, qualis fiducia requiratur, vt scilicet labores vocationis fideliter & diligenter faciamus: benedictionem verò, successum & euentum Deo commendemus inuocatione & fiducia promissionum, & non dubitemus Deum daturum nobis necessaria, quando iuxta præscriptum verbi ipsius labores vocationis instituimus. Quando vero non talem, nec tantam benedictionem, nec eo modo largitur, sicut caro nostra expetit: ne ideo vocationem vel abiiciamus, vel impie agendo violemus, sed contenti simus illa benedictione, quam Deus bono consilio dispensat, tumultuantes affectus reprimamus, & sequamur consilium Psal. 55. v. 23. μέριμναν tuas conuolue & proiice super Dominum, quoniam ipsi cura est de vobis. Phil. 4. v. 6. Nihil soliciti sitis, sed in omni obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum, cum gratiarum actione. Hæc est simplex & plana doctrina seu descriptio, qualis debeat esse fiducia.

Quia vero caro & sanguis contrariis affectibus tumultuantur, vt facilius intelligatur hæc doctrina quàm præstetur, Christus igitur recenset aliquot argumenta, quæ pij, quando cum diffidentia luctantur, sibi proponere & meditari debent, vt Spiritus sanctus excitet, alat, augeat & confirmet in nobis veram fiduciam.

Quia verò virtus in infirmitate perficitur, non desperent pij, si fiduciæ languidior est, & acriores sentiuntur stimuli diffidentiæ, modo non indulgeant diffidentiæ, sed reluctentur. Nam & ipsos Apostolos tunc huic tentationi obnoxios fuisse, Christus hoc loco testatur, cum per Apostrophen inquit: ὀλιγόπιστοι, *ô vos modicæ fidei!* Exercitium igitur in hac vita perpetuum esse debet, cum diffidentia pugnare, fiduciam excitare & confirmare. Atque ideo nota omnibus esse debent hæc argumenta, quæ Christus in hac concione præscribit. Sunt autem illæ ipsæ promissiones, quas supra recensuimus: tantum obseruetur, quomodo accommodandæ sint ad exercitium excitandæ, augendæ & obseruandæ fiduciæ. Promissio hæc est, Pater vester cœlestis nouit, quod externis illis bonis non possitis carere: hoc est, sicut explicatur 1. Petr. 5. vers. 7. Ipsi cura est de vobis, non tantum in spiritualibus & æternis, verum etiam in corporalibus & temporalibus. Huius promissionis fiduciam Christus docet excitandam, augendam & confirmandam argumentis, partim ex articulo redemptionis & sanctificationis, partim ex articulo creationis sumptis.

Primum: Est Pater noster cœlestis, qui promisit & dedit

nobis regni Dei: quomodo ergo nō corporalia, quę similiter promisit, daturus esset? Et diligenter notanda est doctrina, fidem iustificantem debere prælucere fiduciæ promissionum corporalium. Ille enim, qui statuit, personam fide propter Mediatorem reconciliatam Deo placere & acceptam esse ad vitam æternam, facilius potest sperare, Deum non commissurum, vt talis persona contra suam promissionem destituatur, illis quæ necessaria sunt ad hanc vitam corporalem sustentandam. Quando igitur tentamur diffidentia, optimum remedium est confugere ad exercitium articuli Iustificationis. Ita enim accendetur & confirmabitur etiam fiducia corporalium promissionum. Addit autem Christus notam & argumentum esse, fidem iustificantem in nobis infirmam, exiguam & valde languidam esse, quando fide nitente promissionibus Dei, & accensa à Spiritu sancto, non possumus Deo in his externis & corporalibus tantùm confidere, quantum irrationales auiculæ naturali inclinatione possunt. Et cum dicit ὀλιγόπιστοι, significat, diffidentiam promissionum corporalium eneruare & languidiorem reddere ipsam etiam fidem iustificantem, quod Deus sit Pater noster. Significat autem ὀλιγόπιστοι vel quorum fides est exigua, infirma & languida, vel qui Deo non multum, nec multa, nec magna, sed parum, pauca, & exigua vix concredere & fidere possunt. Ac simul innuit prodigij simile esse, cum in spiritualibus sæpe fides mediori fiducia se erigat & sustentet, quod in corporalibus tam muliebriter trepidet, turbetur & labascat. Atque eandem infirmitatem etiam in Apostolis fuisse hæc Apostrophe ostendit.

Huc possunt addi alia argumenta ex articulo sanctificationis, quia scilicet corpora nostra membra sunt Christi, ac templa Spiritus sancti, quodque membra etiam corporis nostri præbeantur arma iustitiæ, & regantur à Spiritu S. Ergo non finet ea fame aut nuditate perire. Sed nos ea tantùm, quæ in textu posita sunt, annotamus.

2. Ex articulo creationis plura ponit argumenta. Ea enim, quia sensibus exposita sunt & in oculos incurrunt, plus mouent, vt quocunque te in hoc theatro naturæ vertas, occurrant argumenta exprobrantia nobis diffidentiam, & confirmantia fiduciam promissionum corporalium. Et eandem sane sententiam continent, quæ dicit de corpore, de vita, de statura, de auiculis, de herbis, singula hæc tamen peculiare aliquid proponunt, quæ paucis euoluemus. Meminit igitur primò creationis corporis & animæ nostræ, quod argumentum ita potest ad confirmandam fiduciam accommodari. Deum scilicet creatorem nostrum promptum, paratum & sufficientem esse, seu, quod possit & velit suis prospicere de iis quæ ad vitæ sustentationem necessaria sunt. Iam enim maiora nobis dedit, corpus scilicet & animam, quàm sint ea de quibus nos soliciti sumus. Qui enim corpus & vitam ita nobis dedit, vt ea per escam & tegumenta conseruari velit, vtique & ea dabit, sine quibus illa non voluit posse subsistere. *Nisi enim ea quæ fecit vellet, quamdiu vult, conseruare, non creasset ea, vt existerent*, inquit Chrysostomus.

Non enim factor tantùm, verùm etiam conseruator est eorum quæ fecit, quamdiu vult conseruari. Et articulus creationis vtrumque opus Dei complectitur. *Creator enim*, sicut Augustinus inquit, *priusquam essemus, curam habuit nostri, vt fieremus. Ergo postquam facti sumus, non deseret nos.* Nec casu in hūc mundum proiecti sumus, sed sicut inquit Psalmus 22. vers. 11. *In te proiectus sum ex vtero: tu es spes mea ab vberibus matris meæ.* Dedit enim nobis & conseruauit corpus & vitam in vtero, vbi nostra cura nulla adhuc erat, nec cuiusquam alterius hominis cura adhiberi poterat.

In hac etiam vita Deus manifeste ostendit suam operationem, quod corporis & vitæ nostræ curam agat. Quando enim adsunt alimenta optima & cōuenientia, sed Deus suam operationem subtrahit, corpus nec nutritur, nec vita sustentatur. Augmentatio etiam corporis non efficitur secundum quantitatem aut qualitatem alimenti, quod adhibetur, sed Deus staturam cuique dispensat, prout ipse vult, vt Dei viuificantis operationem vltra causas secundas excellere agnoscamus.

Accommodatio horum argumentorum manifesta & facilis est, si consideretur, quod Christus vult docere. 1. ad officium creatoris pertinere, vt creaturis suis ipse suppeditet ea, per quæ constituit & voluit illas conseruari, sicut hoc eius officium Psalmo 104. prolixe describitur. 2. Deo etiam, quando manifestis causis secundis destituimur, iuxta promissiones ipsius esse confidendum, vt in vtero matris. 3. In ipsis causis secundis Dei potentiam, bonitatem & operationem potissimum inspiciendam, vt in nutritione & viuificatione. 4. Quādo vtimur causis secundis, Deum libere tribuere non semper, nec similiter, aut omnibus eundem effectum: sed quomodo ipsi placet, vt in statura corporis, vt non turbemur aut indignemur, quando idem nobis accidere videmus in aliis secundarum causarum euentibus, vt in quærendis iis, quæ ad victum & amictum pertinent.

Cubiti verò meminit, non quasi nos vel palmum vel digitum, non autem cubitum possemus adiicere: sed quoniam, sicut Euthymius annotauit, mensura staturæ hominis respondet quadruplæ proportioni cubiti eius. Est autem interuallum, à flexu brachij ad supremam partem medij digiti. Addit autem, si quis maxime indignetur, murmuret & quotidiana solicitudine se excruciet, nihil tamen eo proficit. Sicut enim certus & definitus modus mensuræ in statura cuique attributus est: ita etiam certam mensuram fortunæ & successus in aliis etiam negotiis Deus cuique definiuit, vltra quam progredi non poteris vtut tumultueris. Nihil itaque proficitur indignatione & diffidenti solicitudine, nisi quod sæpius fortunam quam Deus daturus erat, hoc modo ipsi interuertamus, & tandem iram Dei & æternas pœnas nobis attrahimus.

Ostendit ergo non impiam tantum, sed & vanam, inutilem & perniciosam esse illam anxiam nostram solicitudinem, Luc. 12. vers. 26. Additur conclusio à minori. *Si ergo nec, quod minimum est, potestis, quid de cæteris soliciti estis?* Quod ita intelligendum est, sicut Matth. 5. versic. 36. Non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Si non potes cubitum staturæ adiicere, sed Deus, te non vidente, non sentiente hoc sicut vult efficit: multo minus ergo ipsam vitam in multos annos tua solicitudine poteris prorogare. Sed ipse est vita tua, & longitudo dierum tuorum, quàm diu ipsi videtur.

Hæc argumenta homo quotidie circumfert suo corpore & quotidiana vita. Secundo adducit & aliarum creaturarum exempla, vt auicularum de cibis. Et tertio liliorum de vestimentis, vt hac collatione pusillanimitatem credentium & diffidentiam in rebus corporalibus fortius percellat & quasi pudefaciat, sicut inquit: *Nonne vos pluris estis?* Item: *Nonne multo magis vobis hoc faciet? ô modicæ fidei!* Auicularum enim Dominus tantum est, & tamen pascit illas: vester Pater est, & ad Patris officium pertinet liberis alimenta prouidere, 1. Timoth. 5. vers. 8. & quidem cœlestis vester Pater est: Ergo magis curæ ipsi est de vobis, Luc. 11. vers. 13. Ac licet Pater sit in cœlo, rebus cœlestibus occupatus: tamen coruos etiam sua prouidentia complectitur, quod ideo addit, ne cum Philosophis existimemus Deum, qui in cœlis est, non demittere se ad hanc curam, vt prouideat & dispenset nobis terrena & corporalia, ad huius vitæ sustentationem necessaria. Sicut quidam impie huc torquent illud: *Cœlum cœli domino: terram autem dedit filiis hominum.* Psal. 115. v. 16.

Addi verò huc potest & illa amplificatio, quæ extat de leone, Psalm. 104. vers. 21. de coruo, Psalm. 147. vers. 9. quod irrationalia animantia naturali quadam inclinatione, in qua suauiter acquiescunt, quasi sentiunt & fatentur Deum abunde omnibus suppeditare quæ necessaria sunt ad hanc vitam: & nos qui habemus fidem accensam à Spiritu sancto, & nitentem promissionibus Dei, illud præstare nec volumus nec possumus. Auium autem potiùs quàm aliarum bestiarum mentionem facit; vel quia minima sunt inter animalia; vel quia minus de cibo solicitæ sunt quam reliqua animalia. Potuisset adducere exempla de Elia. 3. Reg. 19. versic. 6. & de Israelitis, quorum vestimenta non fuerunt attrita quadraginta annis, Deuteron. 8. vers. 4. Sed quia obiici posset, nostri respectum non esse similem illis, auiculas proponit, à minori ad maius: vtque ostendat, sicut Euthymius notat, reliquas creaturas in eo ordine, quo primum creatæ fuerunt, mansisse, sicut describitur Psalm. 145. versic. 15. Omnia abs te expectant cibum, & tu imples vel satias ea beneplacito, hoc est, vt contenta sint, & læte acquiescant. Hominis vero ingenium non tantum in spiritualibus corruptum, verum etiam in corporalibus. Adam enim positus in Paradisum, laborasset absque vlla diffidentia & sollicitudine. Illud vero in argumento de auiculis & herbis generale est, quod inquit: *Auiculæ non serunt, non metunt, non congregant in horrea.* Lilia non laborant, vt viri, ad conficiendas vestes: non nent, vt mulieres ad ornatum. Psalmus enim 104. vers. 16. talem tradit differentiam. Quædam terræ nascentia producit Deus opera & seruitute hominum: quædam vero vocantur ligna Domini, quæ non sunt rastris hominum non vlli obnoxia curæ. Ita formicæ colligunt cibos: bos & asinus quærunt præsepe Domini sui, Esaiæ 1. vers. 3. Auiculæ vero & pleraque animalia, nec colligunt in horrea, nec humana ope pascuntur. Vel, vt clarius dicamus, in quibusdam Deus vtitur ministerio humano, siue magno, operoso & quasi splendido apparatu secundarum causarum: quædam vero sine ministerio humano & sine tali apparatu secundarum causarum efficit, vt lautius, hilariusque pascantur auiculæ liberæ, quàm in cauea, in magna alimentorum copia & exquisita præstantia.

Lilia agri pulchrius vestiuntur quàm Solomon in omni sua exquisitissima magnificentia. Hanc differentiam Deus ideo constituit, vt in ipso concursu, & non conspectu causarum secundarum, non hæreamus in ipsis, sed omnia ad Deum operantem referamus, sicut in reliquis vbi non tam illustris est concursus secundarum causarum, vtque ex illis naturæ exemplis discamus Deo iuxta promissionem ipsius confidere, non tantum tunc, quando ad manum habemus illustrem apparatum causarum secundarum, verum etiam quando causæ secundæ videntur vel non sufficere, vel etiam plane deficere, vel quando labores vocationis non admittunt, vt possimus sementi, messi & reliquis laboribus seu modis acquirendi, sicut Iurisconsulti loquuntur, vacare. Est & hæc Antithesis consideranda: Nobis Deus constituit magnum, varium & manifestum apparatum causarum secundarum: laboramus, nemus, serimus, metimus, habemus horrea, promptuaria, apothecas, &c. vt eo facilius Dei promissionibus confidere possimus, & inter manus nostras benedictionem Dei agnoscere discamus.

Sed tanta est naturæ corruptio, quod in ipso concursu adminiculorum non possimus præstare id, quod naturali quadam inclinatione auiculæ irrationales, imo lilia inanimata præstant, sine huiusmodi adminiculis.

Lucas nominat coruos, respiciens ad Psal. 147. v. 19. pullis coruorum inuocantibus eum. Quando enim corui pullos omnes non possunt alere, quosdam nido eiiciunt, sicut & reliquæ aues faciunt: ibi à parentibus deserti & crocitantes, vel rore, vel vermiculis ibi renatis aut insectis circumuolitantibus, quæ Deus ipsis mirabiliter procurat, aluntur.

Aristoteles & Plinius scribunt, cum voracissimum animal sit coruus, ideo ipsos pullos suos, cum iam volandum ipsis est, nido eiicere & tota regione pellere. Atque ad hanc descriptionem illud Psalmi recte potest accommodari. Iob etiam c. 39. inquit: Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, rogantes eo, quod non habeant cibos? Hinc colligi potest, quare Lucas diserte coruos nominet. Potest & hæc ratio esse. Inter aues enim quædam sunt pulchræ, præstantes & magni vsus: quædam vero deformes, viles & nullius vsus in vita mortalium, vt coruus & passer. Deus vero curat & pascit non aquilas tantum, sed & coruos & passeres. Ne quis cogitet, Abrahamum, Eliam &c. & reliquos præstantes sanctos Deus ita sustentauit, ego vero vilis & abiectus, sicut inter aues coruus & passer, non ausim illud sanctorum priuilegium mihi arrogare. Sicut autem supra vocauit volucres cœli, vt ab altilibus, quæ hominum cura pascuntur, distinguat: ita *lilia agri* nominat, sicut Psalmus vocat ligna Domini, quæ absque hominum cura & labore diuinitus excoluntur.

Nam hortensia hominum curæ ac industriæ aliquid debere videntur: Et in specie nominat lilia seu rosas, quod inter flores hi præcipuam & singularem obtineant gratiam, decorem & odoris suauitatem. Lilia autem mox peritura ita vestit, vt ostendat sapientiam, potentiam & magnificentiam gloriæ suæ, qua deposito, misero ac sordido hoc tabernaculo superinduemur, & lucebimus sicut sol in regno patris. 2 Cor. 5. v. 4. Matth. 13. v. 43. Philip. 3. vers. 21. Et sicut lilia non statim, quando oriuntur, sic vestita sunt, sed crescendo, tractu temporis foliis, floribus, odore ornantur: ita nostra corpora in resurrectione gloria illa vestientur.

Addit autem χόρτον *agri*, quod non fœnum vel gramen tantum significat, sed generalis appellatio est omnium terra nascentium. Ita enim Græci loquuntur, Genesis 1. v. 12. & 2. v. 5. & 9. v. 3. Duo autem monet in vestiendis herbis: 1. Non omnes eodem colore & venustate ornantur: ita non eandem fortunam, copiam & splendorem omnes affectemus, nec turbemur, si viderimus aliorum splendorem illustriorem, sed sinamus Deum illa varietate dispensationis, diuitias gloriæ suæ ostentare. Sicut minus splendidum esset agrorum theatrum, si omnium herbarum idem esset color. 2. Naturalis vestitus liliorum plus habet venustatis, admirationis & veræ pulchritudinis, quam Solomon in omni sua artificiali magnificentia, conquisitis omnibus thesauris & artificibus totius mundi, habuit.

Simus igitur & nos contenti vulgari simplicitate, in cultu & amictu, nec propter parandum affectatum splendorem, contra præscriptum verbi Dei, aliquid suscipiamus.

Hieronymus eleganter inquit: Quod sericum, quæ regum purpura, quæ pictura textricum, potest floribus comparari? quid ita rubet, vt rosa? quid ita candet, vt lilium? violæ vero purpuram nullo superari murice, oculorum magis quam sermonis iudicium est.

Et Chrysostomus inquit: Quantum distat à veritate mendacium: tantum inter Regum amictus, & inter florum colores discrimen interiacet. Solomonis vero præcipue mentionem facit. Is enim profitetur se & amatorem & inquisitorem fuisse pulchritudinis, Eccl. 2. versic. 4. & seqq. *In omni sua gloria*, h. e. quando gloriosissime fuit vestitus, longe vel ab vno flosculo fuit superatus. Quod ideo addit, vt vestitus superbiam retundat.

Elegantiores enim sunt flores, quos in pratis pedibus conculcamus: quid igitur tam multum tribuimus vestibus pretiosis? quare & illas contemptu non conculcamus? Et quia clibani mentionem facit, Græci & Latini inter clibanum & ἰπνὸν seu furnum hanc ponunt differentiam: quod hic maior sit; clibanus vero minor, auro excoquendo & herbis destillandis accommodatus. Syrus habet Hebræum תנור, quod & pro furno, in quo panes coquuntur, & pro clibano proprie dicto vsurpatur: & Græci indifferenter verterunt κλίβανον. Potest autem hoc loco de vtroque intelligi. Ex quibusdam enim terræ nascentibus arefactis fit stramen, quod lignorum loco in furnis ad fouendum ignem vsurpatur. Herbæ vero & flores in clibanum iniiciuntur, ad aquas inde destillandas, aut alia extrahenda: sicut de Nardi vnguento mentio fit, Iohan. 12. vers. 3. Quod terræ nascentia *vestit* οὕτως: δεικτικῶς tanquam in re præsenti monstrat herbarum pulchritudinem, quanto magis vos vestiet, qui ad vitam æternam redempti & sanctificati estis? Et quod de herbis eleganter dicitur:

Sic rosa, sic viola prima moriuntur in herba:
Candida nec toto lilia mense nitent.

Hoc non inuenuste ad fortunæ florem in rebus humanis à Plinio accommodatur, vbi de rosis scribens inquit: Maximum esse argumentum ea, quæ maxime florent, celerrime marcescere. Non autem narratiue hæc tantum ponit, sed ad inspectionem & considerationem eorum in rerum natura nos inuitat & deducit, per verba ἐμβλέψατε & καταμάθετε.

Hoc modo argumenta hæc simplicissime accommodari possunt, ad excitandam & confirmandam fiduciam promissionum corporalium, contra solicitudinem diffidentiæ.

Postremo, quia videri poterant credentes in spiritualibus quidem beati, in externis vero & corporalibus omnium infelicissimi & miserrimi, Christus & hanc quæstionem per ἀντιφορὰν soluit.

Ostendit enim pios etiam, quoad externa illa bona, feliciores esse, quàm filios huius seculi. Atqui non tam multos & magnos thesauros corradunt & possident, sicut serui Mammonæ: quomodo igitur maior potest illorum esse felicitas in externis illis facultatibus? Respondet Christus Lucæ cap. 12. v. 15. Hominis bona, iucunda, felix & beata vita non consistit in eo, vt abundet quis, &c. illam enim abundantiam quærunt per varios & infinitos labores & dolores. Conscientia non est tranquilla, & præ solicitudine non possunt bonis suis frui. Quando vero cogitant se velle aliquando fructum laborum suorum capere, Deus dicit: Stulte hac nocte repetetur à te anima.

Pij vero primo diuites sunt in Deo. Iustificati enim fide pacem habent cum Deo, Rom. c. 5. versic. 1. Gaudium in Spiritu sancto, Rom. c. 14. v. 17. Sunt hæredes vitæ æternæ, & gloriantur spe gloriæ Dei.

Secundo, Panem quotidianum bona conscientia quærunt, iuxta præscriptum verbi Dei, cui tranquillo animo euentum commendant, non dubitantes curaturum ipsum & daturum laborantibus, quæ necessaria erunt, sicut promisit.

Tertio, Quicquid acquirunt, tanquam ex manu Patris cœlestis, cui sciunt se acceptos esse, accipiunt & sciunt illud à Deo benedici.

Quarto, Illa sorte, quàm Deus pro bona voluntate singulis distribuit, contenti sunt, propter causas iam expositas, & αὐτάρκεια iuncta pietati præcipua felicitatis pars est in hac vita, sicut Paulus inquit.

Quinto, Si quam ipse Deus fortunauerit horam, grata sumunt manu & fruuntur qualicunque illa, quam Deus dat, fortuna, nec illam perturbant aut solicitudinibus diffidentiæ, aut accersendis peregrinis & non necessariis curis & negotiis.

Hanc quæstionem Solomon in Ecclesiaste prolixe explicat. Totus mundus personat querelis de difficultatibus & miseriis huius vitæ. Et verum est, propter peccatum hæc vita subiecta est spinis, tribulis & sudori vultus. Sed quasi hæ communes difficultates & miseriæ non sufficerent, mortales seipsis plures & grauiores accersunt & cumulant, & ipsam felicitatem, qua Deus exilij huius difficultates temperatas esse voluit, perturbant. Hoc iuueni inquit Ecclesiastes c. 7. vers. 30. quod Deus fecerit hominē rectum, planum, ישר Iascher, hoc est, certam & planam viam laborandi & ferendi communes difficultates, quæ obiiciuntur, præscripsit: sed ipsi ab

hac via declinantes, multas & varias calamitates sibi accersunt, idque tunc, cum maxime volunt ingeniosi, prudentes & industrij esse.

Hoc enim significat proprietas vocabulorum. Quid, inquit, habet homo de vniuerso labore suo & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatur? Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem requiescit, comedit in tenebris, in curis, ærumna & tristitia.

Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo. Hæc enim est pars illius. Sed & hoc video datum de manu Dei esse, &c.

Quia igitur soli pij hoc possunt: ergo non spiritu tantum in cœlestibus beati sunt, sed & in externa hac vita felices esse possunt, nisi sibiipsis felicitatem hanc perturbent, sicut inquit Psalm. 127. v. 2. Mane surgunt, sero quiescunt, & comedunt panem laboris. Dilectis vero suis Deus concedit necessaria quasi in somno, &c.

Ex illis vero, quæ hactenus dicta sunt, colligi potest, quomodo homines partem felicitatis suæ in hac vita, sicut Solomon loquitur, plerunque perturbent, & accersant sibi infinitas ærumnas. Et ex antithesi ostenditur doctrina, quomodo pij vitam ita possint instituere, vt in communibus vitæ huius difficultatibus aliquam mitigationem, & in tenui etiam fortuna aliquid tranquillitatis, gaudij & lætitiæ in hac vita habere possint.

Præcipua autem capita hæc sunt. 1. Verbum Dei cuique in sua vocatione præscribit laborem & diligentiam & communes difficultates, quæ in hoc cursu obijciuntur, mitigat ac iubet tolerari. Homines vero, vel in ipsis necessariis negotiis multas, varias & mirabiles practicas (vt vno verbo dicam) excogitant, vel πολυπραγμοσύνη, peregrina & non necessaria negotia sibi accersunt. Et hinc difficultates multo plures & grauiores oriuntur, quàm ex iustis & necessariis laboribus.

Secundum, Anxia solicitudine de euentu & successu animum maceramus & spiritum affligimus: cum tamen staturæ suæ, quam Deus cuique definiuit, nemo vel vnam palmam, omnibus suis maxime anxiis solicitudinibus, adiicere possit. Huc pulcherrima sententia Pauli 1. Timoth. 6. vers. 9. referatur.

Tertium, Illa sorte, quam Deus cuique dispensat, nolumus esse contenti, & ea placide frui: sed tumultuamur πολυπραγμοσύνῃ, suscipientes πάρεργα, non necessaria & periculosa, ingerimus nos alienis vocationibus, curis nos conficimus, vt præsenti felicitate non possimus frui, & tamen vltra mensuram fortunæ, quam Deus nobis determinauit, progredi non possumus.

Quartum, Non tantum occupamur præsentibus, vt illa recte disponamus, sed de futuris & procul absentibus soliciti sumus: non quo ad laborem & prouidentiam, hoc enim recte fit, quando in præsenti curamus ea, quæ in futurum sunt necessaria (sicut Ioseph futuris septem annis sterilitatis prouidet. Ita Christus habuit loculos ad crastinam sui & suorum necessitatem. Ita & Apostoli Actor. 11. vers. 29. propter imminentem famem procurant in futurum necessaria) sed quo ad euentus futuri temporis, & propter illam imaginariam phantasiam, de futuris euentibus præsentia negotia non recte disponimus. Et si qua se offert felicitas, illam turbamus, vt ea tranquille non possimus frui.

Contra vero Scriptura, quæ non vult, vt extra vocationis metas, per infinitas ambages, solicitudine de futuro euagemur & nos excruciemus, tradit regulam pulcherrimam: Quicquid manus tua inuenerit, hoc facito. Vel sicut veteres dicunt: Tu præsens cura, Domino committe futura. Et satis se offeret difficultatum & miseriarum, vt non opus sit ex futuris petere ærumnas. Crastinus enim dies quando venerit, afferet secum cuique in sua vocatione suas curas & difficultates. Et sane satis onerata est miseriis hæc vita ex maledictione propter peccatum, vt non opus sit alias plures accersere. Nobis igitur hoc imputemus, non de inhumanitate Dei conqueramur. Et Christus eleganter, per prosopopœiam, facit ipsum diem quasi quiritantem, cum satis aliàs oneris habeat, quod præterea à nobis superfluis solicitudinibus oneretur & affligatur. *Crastinum*, more Scripturę non tantum significat diem, qui mox insequitur, præsentem, sed tempus futurum etiam remotius. Κακία hoc loco significat, non malum culpæ, sed malum pœnæ: hoc est, afflictionem, seu quod durum, asperum, aduersum, triste est. רעה Raa enim vtrunque significat, & malum culpæ & malum pœnæ. Et Scriptura ideo vno vocabulo vtrumque notat, vt sit commonefactio, quod afflictiones, propter peccatum, ingressæ sint in mundum. Græci etiam interpretes hoc imitati sunt: & malum non tantum culpæ, verum etiam malum pœnæ reddiderunt κακίαν, 1. Regum 6. 2. Regum 24. 3. Regum 18. 2. Paralipp. & quidem Nehem. 1. πονηρίαν in hac significatione reddiderunt.

Pericopa octaua

CONGIONIS CHRISTI IN MONTE, De non iudicando, & de correptione fraterna.

MATTH. 7.

1.	Μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε.	1.	*Nolite iudicare, vt non iudicemini.*
2.	Ἐν ᾧ γὰρ κρίματι κρίνετε, κριθήσεσθε. καὶ ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν.	2.	*Quo enim iudicio iudicatis, eo iudicabitur de vobis. Et qua mensura metimini, eâ metientur vobis alij.*
3.	Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖς;	3.	*Cur autem vides festucam, quæ est in oculo fratris tui, trabem autem, quæ est in oculo tuo, non animaduertis?*
4.	Ἢ πῶς ἐρεῖς τῷ ἀδελφῷ σου, ἄφες, ἐκβάλω κάρφος ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ ἰδοὺ ἡ δοκὸς ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου;	4.	*Aut quomodo dices fratri tuo, sine, eximam festucam ex oculo tuo, & ecce trabs in oculo tuo?*
5.	Ὑποκριτά, ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ ἀδελφοῦ σου.	5.	*Hypocrita, eiice prius trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies, vt eximias festucam ex oculo fratris tui.*

LVC. 6.

37.	Μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε. Μὴ καταδικάζετε, καὶ οὐ μὴ καταδικασθῆτε. Ἀπολύετε, καὶ ἀπολυθήσεσθε.	37.	*Nolite iudicare & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Remittite, & remittetur vobis.*
38.	Δίδοτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν, μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον, καὶ σεσαλευμένον, καὶ ὑπερεκχυνόμενον δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν. τῷ γὰρ αὐτῷ μέτρῳ ᾧ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν.	38.	*Date & dabitur vobis, mensuram bonam, confertam, & concussam atque exundantem dabunt in sinum vestrum. Eademque quippe mensura, qua metimini, metientur alij vobis.*
39.	Εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς· μήτι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν; οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται;	39.	*Dicebat autem illis similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadent?*

40. Οὐκ

40. Οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον αὐτοῦ. Κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ.

41. Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ δοκὸν τὴν ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ οὐ κατανοεῖς;

42. Ἢ πῶς δύνασαι λέγειν τῷ ἀδελφῷ σου, ἀδελφέ, ἄφες, ἐκβάλω τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου, αὐτὸς τὴν ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου δοκὸν οὐ βλέπων; Ὑποκριτά, ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβάλειν τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου.

40. *Non est discipulus supra magistrum suum. Perfectus autem omnis erit vt magister ipsius.*

41. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo proprio est, non animaduertis?*

42. *Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine, eiiciam festucam, quæ in oculo tuo est, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, eiice primum trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies, vt eiicias festucam, quæ est in oculo fratris tui.*

HARMONIÆ HVIVS PERICOPES, EX descriptionibus Matthæi & Lucæ coagmentata.

a Μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε. Ἐν ᾧ γὰρ κρίματι κρίνετε κριθήσεσθε. Καὶ ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. c Μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε. Μὴ καταδικάζετε, καὶ οὐ καταδικασθῆτε. Ἀπολύετε, καὶ ἀπολυθήσεσθε. Δίδοτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν. Μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον, καὶ σεσαλευμένον καὶ ὑπερεκχυνόμενον δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν. τῷ γὰρ αὐτῷ μέτρῳ, ᾧ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. Εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς, μήτι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν; οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται; Οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον αὐτοῦ. Κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ. f Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ δοκὸν ἐν τῷ σῷ c ἰδίῳ f ὀφθαλμῷ οὐ κατανοεῖς; c Ἢ πῶς δύνασαι λέγειν τῷ ἀδελφῷ σου, ἀδελφέ, f ἄφες, ἐκβάλω τὸ κάρφος c τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου, a ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ ἰδοὺ, ἡ δοκὸς ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου; c αὐτὸς [δὲ] τὴν ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου δοκὸν οὐ βλέπων; f Ὑποκριτά, ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρφος c τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, a ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ ἀδελφοῦ σου.

Nolite iudicare, vt non iudicemini. Quo enim iudicio iudicatis, eo iudicabitur de vobis. Et quâ mensura metimini, ea remetientur vobis alij. c *Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Remittite, & remittetur vobis. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & concussam atque exundantem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensurâ, quâ metimini, metientur alij vobis. Dicebat autem illis similitudinem: Nunquid cæcus potest cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus supra magistrum suum. Perfectus autem omnis erit vt magister ipsius.* f *Quid autem vides festucam,* c *quæ est* f *in oculo fratris tui, trabem autem, quæ est in oculo tuo* c *proprio,* f *non animaduertis?* c *aut quomodo potes dicere fratri tuo,* f *Sine,* c *frater, festucam, quæ est in oculo tuo,* f *eiiciam* a *ex oculo tuo, & ecce trabs in oculo tuo?* c *Ipse (autem) trabem, quæ est in oculo tuo, non vides? Hypocrita, eiice primùm trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies vt festucam, quæ est in oculo fratris tui,* f *eximas* a *ex oculo fratris tui.*

Exegesis huius octauæ pericopes.

APud Lucam hæc Pericope annectitur parti concionis de dilectione proximi, & de misericordia. Est enim non postrema dilectionis & misericordiæ pars absque morositate, sine suspicionibus, ac citra obtrectãdi libidinem de proximo candide & benigne iudicare, apud Matthæum vero ratio continuationis, quomodo doctrinæ contra auaritiam mox subiungatur, hæc Pericope de non iudicando non facile animaduerti potest, nec etiam anxie in eo laborandum est. Cum enim Christus de multis distinctis doctrinæ cœlestis partibus in ea concione, qua Apostolorum informationem complecti volebat, disseruisset, & absque dubio fusius ac prolixius, Euangelistis satis fuit summaria capita concionis annotare eo ordine, quo memoriæ ipsorum Spiritus sanctus, cuius afflatu ac instinctu Petrus ipsos dicit scripsisse, 2. Pet. 1. v. 21. ea suggerebat. Atque hoc modo septimum caput Matthæi quasi miscellanea continet.

[*Nolite iudicare.*] Vt de sententia recte constituatur, vocabula prius consideranda & distinguenda sunt. Et aliquando quidē pro eodem vsurpatur iudicare & damnare. Hoc loco vero, vbi distincte ponuntur, iudicare est de persona aut facto alicuius bene aut secus apud se statuere aut pronuntiare. Condemnare vero est pœnæ damnationis aliquid addicere, vel dignum pronuntiare: vel homo apud se tacitus dicitur iudicare, palam autem & publice condemnare. Varia autem sunt iudiciorū genera. De politico enim magistratu scriptum est, 2. Paral. 19. v. 6. *Non hominis exercetis iudicium, sed Dei.* Ipsis vero seuere mandatum, vt recte iudicent, Psalm. 58. v. 2. hoc est, vt bonos tueãtur & impios condemnent, Deut. 1. v. 16. & 25. ver. 1. quod nisi fecerint, in ipsos & in totā Rempubl. pœna redundat, Ios. 7. v. 13. Numer. 25. v. 4. Ad Apostolorum etiam ministerium pertinet iudicium, 1. Corint. 5. v. 3. quibus certe serio iniustum est, ne dicant malum bonum, Esa. 5. v. 20. sed vt separent pretiosum à vili. Ier. 15. v. 19. ne beatificando populum & annuntiando pacem, vbi non est pax, seducant animas, Ezech. 13. v. 18. sed iram Dei de cœlo patefaciant. Rom. 1. v. 18. Tito præcipit, vt arguat, increpet. Tit. 1. v. 9. & 2. v. 15. Item 1. Tim. 4. ver. 2. aliàs sanguinem animarum de manibus ipsorum requiret, 3. v. 18. sicut Christus ipse hoc modo iudicauit & condẽnauit Pharisæos, Ioh. 8. v. 44. & Mat. 23. v. 13. Credentibus etiam iudicium de doctrina & de cultibus mandatum est, 1. Ioh. 4. ver. s. 1. cum anathemathis denuntiatione, Gal. 1. versic. 8. & 9. & 1. Cor. 2. v. 15. *Spiritualis iudicat omnia.* Atque in hac ipsa concione dicit: *Cauete à Pseudoprophetis.* Proximum etiam ac vitia iubet arguere, Mat. 18. v. 15. Eph. 5. ver. 11. Nec etiam œconomica disciplina de correptione liberorum & familiæ prohibetur, quæ mandata est, Prou. 22. vers. 15. & 23. vers. 13 & 29. vers. 15. Syrac. 33. vers. 25. Ac nisi fiat, parentes ipsi puniuntur, 1. Sam. 4. vers. 18. Ac breuiter, non vult Christus hac sua concione discrimen ac iudiciū inter verum & falsum, inter bonum & malum tollere: imo totâ hac concione idipsum agit, vt iudicium nostrum de doctrina & de factis, siue nostris, siue alienis, ex verbo suo recte formet. Remotis autem illis veris, licitis, imo mandatis iudiciis, facile iam erit inuenire, quod iudicium Christus hoc loco prohibeat. Et sicut alias Scriptura optima & certissima est sui ipsius interpres: ita hoc loco Chrisostomus recte monet, huius sententiæ, de non iudicando, veram interpretationem petendam & colligendam esse ex illis, quæ mox sequūtur: *Quid vides festucam in oculo fratris? Hypocrita, eiice primum trabem.* Sicut enim Pharisæis Christus alibi exprobrat, quod culicem colent & camelum degluttiant: ita cùm non vulgo tātum, sed omnibus etiam sapientibus in hac naturæ corruptione illud quasi cacoëthes penitissime infixum sit, vt cum in grauissimis peccatis nobis ipsis nimium facile & indulgenter ignoscamus, & in communibus nostris erratis ad cogitandas palliationes, excusationes & defensiones ingeniosissimus artifices, aliorum tamen iudices inclementissimi, & censores rigidissimi simus, Christus morbum illū sanaturus, vulgare illud vitium, quod apud multos vix pro vitio agnoscitur, multis verbis prohibet, ac variis argumentis à iudicandis illa leuitate ac temeritate suos deterret ac dehortatur. Multiplex autem ac late patens est iudicandi illud vitium, quod vt rectius agnosci ac diligentius corrigi possit, membra eius, tanquā in σκιᾷ, consideranda, breuiter proponere vtile est. Primo enim proximi recte, preclare aut mediocriter facta, vel per superbiam aut inuidiam extenuamus, vel per calumniam labe

aspergimus. 2. Quæ adiaphora, ambigua & dubia sunt, vel quo animo, vel in quem finem suscepta sint, plerunque sinistre interpretamur, & in deteriorem partem rapimus. 3. Leues infirmitates & cōmunia errata odiose exaggeramus, & acerbis insectationibus & obtrectationibus exagitamus. 4. Et incertis aut falsis sæpe rumusculis vel indiciis, sinistras de proximo suspiciones concipimus, & obtrectandi occasionem & prætextum arripimus. 5. Quæ non sunt notaria, sed tegi & occultari possent, cupide spargimus, vt famæ proximi detrahatur. 6. Quæ notoria & enormia vitia sunt, reprehendimus, taxamus, insectamur, hoc est, iudicamus & condēnamus, non odio vitiorū, aut vt vel ille, qui lapsus est, emendetur, aut alij præmoneantur; sed quia vel animus prauus delectatur huiusmodi obtrectationibus, vel ex odio & inuidia lætamur de lapsu proximi, vel iudicando & condemnando hoc agimus & quærimus, vt famæ proximi labes ac macula aliqua aspergatur: vel ex illis condemnationibus, tanquam ex collatione aliorum, speciem seu vmbram potius aliquam virtutis & probitatis apud homines nobis conciliare studemus, sicut ille inquit: Non sum sicut cæteri homines. 7. Proximum, quando lapsus est, statim ita condemnamus, quasi vel desperatæ sanitatis, vel deploratæ prorsus salutis sit, vel agentem etiam pœnitentiam, tanquam damnatum, auersamur. 8. Curiosi sumus inquisitores in animaduertendis, obseruandis & recensendis singulis, quæ alij agunt, cupide venamur & arripimus quamcunque obtrectandi speciem & occasionem, ac delectatio quædam titillat vel aures tale quid de proximo audientes, vel linguam recitantem, vel mentem cogitantem. Hanc suspicandi, censendi, carpendi, mordendi & obtrectandi libidinem Christus hoc loco prohibet, quando inquit: *Nolite iudicare, nolite condemnare.* Ac sciamus singuli, prauas illas cupiditates, in nobis inhærentes, hac Christi concione ita notari ac taxari, vt ea pro peccatis serio agnoscamus, naturę corruptionem deploremus, ac de mortificandis & sanandis illis cogitemus ac veniam deprecemur.

Hæc enim vitia Christus multis verbis propterea insectatur; quia vtrinque animos sauciant, exulcerant & abalienant, vt charitas locum habere non possit. Num igitur plane non debeo curare, quomodo proximus viuat, male an bene? Respondeo: Non. Christus enim ideo mox subiicit doctrinam, de vera ac pia ratione correptionis fraternæ. Et dignum est obseruatione, quod Leu. 19. v. 16. & 17. plane eodem modo vtrumque cōiungitur: *Non eris criminator, nec susurro in populo, nec oderis fratrem tuum in corde tuo: sed arguendo argue eum, ne habeas propter ipsum peccatum.* Qui igitur non arguit proximum, vt emendetur, communicat peccatis alienis. Sed hunc prætextū hypocrisis statim arripit, & sub specie fraternæ correptionis, animū obtrectandi libidine abunde pascit. Tradit igitur veram, vtilem & salutarem rationem priuatæ fraternæ correptionis. Et regula hæc est: Charitas in correptione fraterna debet inquirere & attrectare morbos fratrum, animo & studio sanandi & emendandi. Sed hoc vtiliter ad emendationem præstare non potest, qui ipse similibus aut maioribus vitiis sine pœnitentia laborat. Frater ergo, quem corripis, non potest meliorem emendationem ex te discere, quàm in te videt. Aliam igitur addit regulam: Quando fratrum vitia tibi incurrunt in oculos, & sub prætextu correptionis titillat animum obtrectandi libido, adhibeatur hoc remedium repercussiuum. Quando animus de qualitate & magnitudine vitiorum proximi seuere ex regula Legis iudicat, cogites te admoneri huius prouerbij: *In alterius oculo festucam videmus, in nostro ne trabem quidem animaduertimus.* Forsan igitur, quod in aliis vides, hoc in teipso non consideras. Et prius progrediaris in iudicando & corripiendo fratre, inquiras in te ipsum: Anne simili vel maiori vitio labores? & cogites de agēda pœnitentia & emendatione. Postea poteris vtiliter ad fraternam correptionem accedere. Ita enim charitas proprio exemplo te docebit, qua ratione & quibus verbis debeas censuram in vitiis fratrum ad emendationem exercere. Cum enim inquit: *Tunc perspicies, vt eiicias, &c.* monet ita instituendam & moderandam esse correptionem, vt non tantum taxentur vitia proximi, sed vt correptio verum suum finem assequatur, scilicet emendationem. διαβλέψει enim significat accuratam circumspectionem.

Nam διὰ auget significationem, vt in διαγγέλλειν, διαγινώσκειν, &c. Hæc vero prudentia rectissime discetur, si prius trabem ex oculo tuo eieceris. Propria enim emendatio docebit, quomodo illa sit quærenda & exædificanda in proximo. Vocabula etiam obseruāda sunt. δοκὸς iuxta Suidam est μεγάζυλον. Septuaginta vsurpant pro trabe & tignis, 3. Reg. 6. v. 15. & 4. Reg. 6. ver. 5. Varinus dicit appellationem habere ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι. Trabibus enim in domo superimponuntur varia. Significat igitur Christus voce *trabis*, congeriem & quasi exædificationem in variorum vitiorum, quæ hypocrisi, φιλαυτία, inuidia, &c. quasi trabibus sustentantur. κάρφος & κάρφη est ξηρὸν καὶ κοῦφον χόρτον. Ita enim Suidas ex Arrhiano, narātes sollerepelles repletas arido fœno vel paleis consuere. Quia vero ratione Etymologiæ generaliter significat id, quod siccum & leue est: Varinus dicit κάρφη etiam vocari ξυλάκια ξηρά. Et Septuaginta Gen. 8. v. 11 vocant κάρφος oliuæ, quod columba attulit Noe. Et hanc significationem secutus est Lutherus: reddidit enim, *Ein Splitter*, vt antithesis respondeat trabi. Altera enim significatio non est incommoda. Paleæ enim sæpe per ventum, sæpe casu iniiciuntur oculis: Pharisæus vero data opera, quasi positis trabibus exædificat vitia. Et his vocabulis notatur ita differentia inter peccata. Potest & illud huc referri, quod Galenus dicit καρφολογεῖν, signum esse phreneseos, hoc est, si quis festucas colligat. Species enim spiritualis phreneseos est hypocrisis. Consideranda sunt & hæc vocabula. De festuca in oculo fratris: vtitur verbo βλέπειν, quod in Nouo Testamento significat, intentis oculis aliquid aspicere, diligenter inquirere & considerare aliquid. De trabe vero in proprio oculo inquit: οὐ κατανοεῖς. Iungitur enim κατανοῶ apud Græcos cū verbis videndi, Psalm. 21. v. 18. 36. v. 32. 141. v. 5. *Considerabis & videbis.* Et 91. v. 8. *Oculis tuis considerabis.* Ita etiā Act. 11. v. 8. & Iac. 1. v. 23. *Qui faciem suam in speculo considerat, &c.* Sensus igitur est: etiamsi vides trabem, mox tamen auertis mentem, non cogitas, nec consideras. In exemplis enim, quorum loca notauimus, significatur copulatio actionum in sensibus exterioribus & interioribus: & hæc significatio huic loco pulchre conuenit.

Hæc igitur præcepta, Christus præter generalem doctrinam, de dilectione proximi, peculiari tractatione explicare voluit. Cauenda enim pręcipue sunt impedimenta, quibus exulceratur, exacerbatur, & excutitur charitas, & vsurpanda omnia adminicula, quibus foueri & sarciri possit mutua concordia & beneuolentia. Duo autem capita in hac concione recensentur. 1. In verbis & lingua, sicut iam ostendimus. 2. In ipsis factis, sicut supra diximus de illa sententia, *Esto beneuolus aduersario, &c.* Videlicet non omnia summo iure persequamur, sed beneuolentia & moderatione multa toleremus, mitigemus, quædam etiam damno nostro transigamus, ne exulceretur concordia.

Pericopa nona

CONCIONIS CHRISTI IN MONTE,

De non dando Sancto canibus, Matth. 7.

6. Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί. Μηδὲ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων. μήποτε καταπατήσωσιν αὐτοὺς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς.

7. Αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν. Ζητεῖτε, καὶ εὑρήσετε. Κρούετε καὶ ἀνοιγήσεται ὑμῖν.

8. Πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν, λαμβάνει. Καὶ ὁ ζητῶν, εὑρίσκει. Καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται.

9. Ἢ τίς ἐστιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, ὃν ἐὰν αἰτήσῃ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἄρτον, μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ;

10. Καὶ ἐὰν ἰχθὺν αἰτήσῃ, μὴ ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ;

6. *Ne detis, quod sanctum est, canibus. Nec proiiceritis margaritas vestras ante porcos: ne quando hi conculcent eas pedibus suis, & illi versi in vos lacerent vos.*

7. *Petite, & dabitur vobis. Quærite, & inuenietis. Pulsate, & aperietur vobis.*

8. *Quisquis enim petit, accipit. Et quicunque quærit, inuenit. Et pulsanti aperietur.*

9. *An quisquam est vestrum homo, qui, si filius eius petierit panem, lapidem daturus sit illi?*

10. *Aut si piscem petierit, num serpentem porriget illi?*

11. Εἰ οὖν

11. Εἰ [illegible]μεῖς, [illegible] ὄντες, οἴδατε δόματα ἀγαθὰ [illegible] τοῖς τέκνοις ὑμῶν, πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ [illegible] τοῖς οὐρανοῖς, δώσει ἀγαθὰ τοῖς αἰτοῦσιν [illegible]

11. *Si vos igitur, cum sitis mali, nostis dona bona dare filiis vestris, quantò magis pater vester, qui est in cœlis, dabit bona, si postuletis ab ipso?*

12. Π[illegible] ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς. οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται.

12. *Omnia igitur, quacunque volueritis vt faciant vobis homines, sic & vos facite illis. Hac enim est Lex & Propheta.*

Exegesis huius nonæ pericopes.

NOlite *sanctum dare canibus, &c.*] Quidam hanc sententiam ad correptionem fraternam restringunt, vt contextus cohæreat. Sed extra controuersiam manifestum est, eam pertinere ad ministerium. Et Augustinus recte monet de sensu ita recte constitui, si quæratur quid sit *Sanctum*? Quid *margarita*? Qui *canes*? Qui *porci*? Certum autem est ea, quæ ad ministerium pertinent, vt Verbum & Sacramenta, intelligenda esse sub appellatione *sancti & margaritarum*. In Veteri Testamento, quæ sanctificata erant, non quibusuis proponebantur, ne prophanarentur. Et ita hoc loco vocatur τὸ ἅγιον, non tantum quia sanctificatum est; sed quia est organon, per quod Deus homines sanctificat. *Margarita* comparatur regnum cœlorum, Matth. 13 ver. 45. propter præstantiam & dignitatem. Quos *canes* intelligat Christus ipse ostendit, cum inquit: *Ne versi lacerent vos*. Qui scilicet implacabili rabie feruntur contra Euangelium, quibus, si prædices, nihil aliud efficies, quàm quod magis irritantur ad blasphemandum & persequendum. *Porci* vero sunt, qui beluino Epicureismo tantum rident doctrinam Euangelij, vel eam detorquent ad suas cupiditates, ad ignauiam & lasciuiam fouendam & confirmandam. Huc referri possunt exempla Scripturæ de pretio canis, Deut. 23. v. 18. de capite canis, 2. Reg. 2. v. 8. de cane mortuo, 2. Reg. 16. v. 9. Et cadauera ignominiæ causa proiiciuntur canibus 3 Reg. 14. v. 11. & 21. v. 19. Ier. 15. v. 3. Et panis filiorum non proiiciendus canibus. Matth. 15. v. 26. Sensus igitur manifestus est: Ministros debere rationem & delectum habere, quibus Euangelium proponant, & Sacramenta communicent. Et huius delectus finis est & esse debet, vt nomen Dei non blasphemetur & conculcetur, sed sanctificetur. *Margarita*, inquit, *vestra* sunt; vel quia thesaurus ille Apostolis, tanquam Oeconomis, commissus est. Videndum igitur, ne ipsorum culpa conculcetur. Vel, vestræ sunt Margaritæ, hoc est, debentur non porcis, sed filiis Dei.

Hæc vero doctrina dextre intelligenda est. In hac corrupta enim natura ante conuersionem omnes sumus vel porci, vel canes: quomodo igitur quisque per ministerium conuerti poterit, si canibus & porcis verbum non est proponendum? Et vbi inueniemus, quibus prædicemus, si omnes canes & porci sunt abigendi? cum sine verbo nemo conuertatur, & ante conuersionem totus mundus nihil aliud sit, quam vel hara porcorum, vel colluuies rabidorum canum. Item, si minister viderit canem reuerti ad vomitum, suem ad volutabrũ, 2. Petri 2. v. 22. num hac sententia ipsi interdictum erit arguere, increpare, monere, vt peccator retrahatur & resurgat? Quęstio igitur est: Quales canes & porcos Christus intelligat, quibus vetet dari sanctum? Hæc vero quæstio rectissime intelligitur ex fine ministerij, & ex Christi Apostolorumque exemplis.

Quomodo enim Christus hanc sententiam voluerit intelligi, & quomodo Apostoli eam intellexerint, exempla ostendunt. Filius Dei igitur ministerium instituit, non pro Angelis, sed ad hunc finem, vt porci, qui in limo peccatorum demersi sunt, & canes, quorum sapientia inimicitia aduersus Deum, conuertantur & salui fiant. Et hactenus doctrina Euãgelij in cœtu promiscue omnibus proponẽda est. Ideo enim Apostoli vocantur sal terræ, & Lux mundi, & Christus iubet, vt exeant in vniuersum mundum, doceant omnes gentes, prædicent omni creaturæ. Ipse etiam Christus ad suas conciones admisit Pharisæos, Sadducæos, & reliquos aduersarios. Ita Apostoli prædicarunt Iudæis & Gentibus, inter quos multos fuisse canes & sues, Petrus conqueritur, 2. Pet. 2. ver. 22. Primo igitur omnibus & porcis & canibus proponenda est doctrina Euangelij, si forte det illis Deus pœnitentiam ad salutem. Quando vero post traditum & auditum verbum Dei, postquam satis diu instituti sunt, plane nulla spes apparet emendationis, sed euidentia sunt argumenta, deploratam & incurabilem esse malitiam, & prædicationem Verbi tantum ad prætextum Epicureismi ad irritamenta blasphemiæ & persecutionis contra Euangelium traduci: hanc certam esse notam porcorum & canum, de quibus Christus hoc loco loquitur. Vult igitur Christus Apostolos sanctum & margaritas, non temere & leuiter, ita inter homines prædicando proiicere, vt non curent, quomodo thesaurus ille accipiatur & tractetur ab auditoribus, quasi res esset non magni momenti, sed diligenter monet obseruandum esse, qui fructus sequatur. Quod si animaduerterint, quosdam, vt porcos salutarem doctrinam conculcare, quosdam vt canes lacerare, & nullam admittere medicinam ad emendationem: illos certe non debent ita tractare, quasi nihilominus sanctum, & margaritæ Euangelij etiam ipsorum sint, hoc est, quasi nihilominus pertineant ad salutem, de qua Euangelium concionatur, hoc enim esset margaritas porcis obiicere, sed debent seuere obiurgare, habere illos vt ethnicos, quibus nec sanctum dandum, nec margaritæ obiiciendæ sunt, & denuntiare illis, quod non habeant partem in regno Dei & Christi. Quod si perrexerint manere sues & canes, debent illos vitare, Tit. 3. versic. 10. vel, vt Christus loquitur, non debent illis amplius prædicando vel sanctum dare, vel margaritas obiicere, sed eos iudicio Dei relinquere. Ministerium enim non debet seruire ad contumeliam nominis Dei.

Tam multa igitur requiruntur priusquam iudices, aliquem esse talem porcum & suem, quales Christus hoc loco intelligit. Et ita consentiunt, quod Christus iubet Apostolos prædicare omni creaturæ: & simul mandat inquirere, qui sint digni & filij pacis, Luc. 10. versic. 6. Hoc modo Christus primo in genere prædicauit omnibus, non exclusit Pharisæis & Sadducæis. Postea vero, cum obstinatam malitiam facto ostenderent, duriter ipsos obiurgat, mysteria, quæ explicat discipulis, Pharisæis proponit in parabolis, vt videntes, non videant. Matth. 13. vers. 13. Tandem, relictis illis, vertit se ad dociles. Ita etiam Apostoli Iudæis primo prædicarunt, & quidem cùm durissimis persecutionibus ab iis exagitarentur, non statim tamen omnes iudicarunt esse porcos & canes; quia sciebant Deum ex illa multitudine aliquos velle conuertere & saluare: reliquis prędicabant in testimonium ipsius. Postea, cùm notoria obstinatione declarassent se porcos & canes, relictis illis, conuertunt se ad gentes, Act. 13. ver. 46. Hac ratione Paulus suo exemplo monstrat canes, 2. Tim. 4. v. 14. & 1. Tim. 1. ver. 13. Ex his exemplis simplicissime potest intelligi, quæ sit sententia huius præcepti. Et hæc de prædicatione dicta sunt.

Alia vero est ratio confessionis, siue sint porci, siue canes, qui eam à nobis exigunt. Errant igitur Anabaptistæ, qui fingunt confessionem non esse necessariam, si à talibus exigatur. Summa igitur est, quod prædicit Apostolis, qualem successum ministerium eorum habiturum sit in hoc mundo. Non enim omnes poterunt conuertere, sed multi sic declarabunt se, vt maneant vel porci vel canes. Nec vero ideo vel abiiciendum vel paruifaciendum erit ministerium, sed dignitas eius tunc fortius asserenda est, quando conculcatur ita, vt porcos & canes à sancto illo pretioso & thesauro arceamus & abigamus. Non enim eodem modo in ministerio tractandi sunt pij, sanabiles deplorati & obstinati. In cœtu quidem prædicamus omnibus. 1. Si forte Deus det pœnitentiam. 2. Quia admixti sunt multi sanabiles. 3. Quia non leuiter debemus de alicuius salute desperare. 4. Vt sint inexcusabiles impij. Quando vero vel totus aliquis cœtus, vel quidam in cœtu, certis & notoriis argumentis, declarant se esse canes & porcos, sicut Christus loquitur, tunc alibi iubet puluerem ex pedibus excutere. Et ad hoc Domini pręceptum pertinet excommunicatio.

Paulus Tit. 3. versic. 11. vocat αὐτοκατακρίτους, qui ipso facto de se ipsis ferunt iudicium & sententiam, quod sint tales porci & canes. Minister enim solicite debet agere, ne temere pronuntiet & iudicet aliquem esse deploratum. Quando vero quis proprio iudicio declarauit se esse porcum seu canem, præceptum Christi est: *Nolite sanctum dare canibus*. Si enim te ingeras apud tales, nihil aliud efficies, quàm quod margaritæ conculcantur, & accersis tibi ipsi periculum, vt canes in te versi lacerent te: & ita nomen Dei blasphematur, & tu tentas Deum.

Omnia igitur quæcunque volueritis, &c.] In hac sententia tradit, quæ sit regula bonorũ operum, seu vnde docenda sint. Ordo autem in ea est pulcherrimus, si recte obseruetur Lex

naturæ, Lex diuina & prophetæ. Ponit primo communem noticiam, petitam ex Lege naturæ, *Quæcunque vultis, &c.* & ita omnem pretextum tergiuersationem adimit, cum ostendit, ipsam Legem naturæ præscribere nobis officia charitatis. Quia vero Lex naturæ per peccatũ partim obscurata, partim extincta & deprauata est, Deus promulgatione suæ Legis doctrinam de peccato & de bonis operibus, suę puritati & integritati restituit. Ideo Christus notitiis naturalibus addit Legem diuinam. Et de singulis præceptis Decalogi extant exempla in hac concione. Vt cum dicit, eleemosynas, ieiunia, orationem esse ad Deum referenda. Itẽ, in vocatione Deo esse confidendum. Hæc sine omni dubitatione pertinent ad primum præceptum. Doctrina de iuramentis & de inuocatione pertinent ad secundum preceptum. Oblatio muneris ad altare, & auditus verbi pertinet ad tertium præceptum. Discrimen inter vindictam publicam & priuatam pertinet ad 4. preceptum. De quinto & sexto exempla sunt manifestissima. Doctrina de eleemosynis pertinet ad 7. preceptum. Sermo vester sit: Est & Non: itẽ admonitiones de non condemnando & iudicando, &c. pertinent ad 8. preceptum. De frænanda concupiscentia in 9. & 10. preceptis loquitur sententia de ruendis membris scandalizantibus, & de concupiscentia vxoris. Hoc modo singula præcepta Decalogi in hac concione recitantur. Sed ne in tanta breuitate Decalogi quisque liberam sibi sumat interpretationem, Christus Legi adiungit Prophetas: significans Decalogum ita esse intelligendum, sicut doctrina eius à Prophetis explicata est. Nos in Nouo Testamẽto addimus explicationes Christi & Apostolorum. Regula igitur bonorum operum iuxta hãc Christi sententiam est. 1. Lex naturæ. 2. Decalogus. 3. Explicationes Decalogi à Prophetis, Christo & Apostolis additæ.

Pericopa decima
CONCIONIS CHRISTI IN MONTE, de arcta via, & angusta porta. Matth. 7.

13. Εἰσέλθετε διὰ τῆς στενῆς πύλης· ὅτι πλατεῖα ἡ πύλη, καὶ εὐρύχωρος ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ἀπώλειαν, καὶ πολλοί εἰσιν, οἱ εἰσερχόμενοι δι' αὐτῆς.
14. Ὅτι στενὴ ἡ πύλη, καὶ τεθλιμμένη ἡ ὁδὸς, ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ζωὴν, καὶ ὀλίγοι εἰσὶν, οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν.

13. *Introite per arctam portam: quoniam lata est porta, & spatiosa via, quæ adducit in exitium, multique sunt, qui ingrediuntur per illam.*
14. *Quoniam angusta est porta, & stricta via, quæ adducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniũt illam.*

Exegesis huius decimæ pericopes.

De arcta & spatiosa via, de angusta & lata porta, variæ sunt sententiæ. Nos eam, quæ simplicissima est, sequemur. Metaphora viæ in Scriptura vsitatissima est pro vita, quæ certa aliqua ratione instituitur & gubernatur. Pro ipsa etiam doctrina & fide vsurpatur. Porta significat vel accessum & aditum ad agendum & assequendum aliquid, Psal. 24. v. 7. & 118. vers. 19. vel significat finem & exitum deducentem aliquo, sicut vocantur portæ mortis. Quia igitur hactenus Christus descripsit, quomodo instituenda & gubernanda sit vita Christiana, quam vult studiis & operibus distinctam & seiunctam esse à vita filiorum seculi, nunc facit antithesin vtriusque. In vocabulis nulla admodum differentia est. Græci enim idem vocabulum רחוב Rechob, quod significat latum & spatiosum, reddunt πλατεῖα & εὐρύχωρος. 2. Par. 18. v. 9. area, quæ est ante portam Samarię, vocatur εὐρύχωρος.

Via igitur filiorum seculi lata & spatiosa est: 1. Quia effrænatæ superbiæ licentia dilatatur, sicut inquit Chrysostomus. Non enim cancellis verbi Dei se includi patitur, sed dissoluta vita libere vagatur, quocunque fertur carnis libido. Et hęc via carni gratissima & iucundissima est. 2. Faciliorum habet aditum ad honores, opes & voluptates. 3. Omnia enim, quibus talia in hoc corrupto mundo, quocunque modo parantur & vsurpantur, libere sibi permittit. Habet exemplum multitudinis. Maior enim pars generis humani huic viæ insistit, & tale institutum vitæ sectatur, & quis sit euentus, honores, opes & voluptates ipsorum ostendunt. 4. Mundus, quæ sua sunt, amat. Iuuat igitur, promouet & subleuat ambulantes in hac via: qui non ita expositi sunt contemptui, odiis & persecutionibus mundi, sicut pij. 5. Diabolus ostendens regna mundi & magnificentiam ipsorum, proclamat: *Hæc dabo, quicunque procidens adorauerit me.* 6. Non opus est exhortationibus, sed natura toto impetu & summa voluntate fertur ad hanc viam, & amanti nihil est difficile, sicut prouerbium habet.

Hæc omnia conueniunt ad vocabulum latitudinis, quo lingua sacra notat, quod facile, planum, expeditum, gratum & iucundum est. Multi autem Deo vocante aliò, hanc viam ingrediuntur propterea; quia lata est, illo, quem iam dixi, modo.

Et quia hoc scandalum etiam pios mouet, vt periculum sit, ne vel pedem à via pietatis retrahant, vel languidius in ea progrediantur, Christus ostendit finem & exitum, quo tandem via illa deducat, nempe per portas mortis ad æternam perditionem. Ita Psal. 73. v. 18. docet, per splendorem diuitiarum, honorum & voluptatum, respiciendum esse ad nouissima impiorum. Finem enim & exitum hominis, Christus hoc loco duplicem facit: vel ad vitam æternam, vel ad perditionem. Et quæ in hac vita geruntur, via sunt ad alterutrum horum finium. Quod diligenter notandum est, contra Epicureismum. Pietatis vero via arcta, & porta angusta est, quod simplicissime intelligi potest ex antithesi. 1. Quia non permittit hominem libere pro animi sui libidine vagari, sed certis cancellis verbi Dei ipsum includit, vt concupiscentias refrænare, imo mortificare & crucifigere cogatur. Hoc carni tam gratum est, ac si quis molesto carceri volens se mancipare, deberet, cum libere posset, vagari. 2. Quando posset exemplo filiorum seculi malis artibus assequi honores, opes & voluptates, verbo Dei prohibetur, nec permittitur pro sua libidine vti bonis suis, sed ad præscriptum verbi Dei, poscente confessione, facultates suas cogitur ad periculum adducere, imo sępe omnino amittere. 3. Magna paucitas & raritas est eorum, qui hanc viam sectantur, & ostentui habetur ipsorum miseria. 4. Mundus contemnit, irridet, odit & persequitur eos, qui in hac via ambulant. 5. Diabolus omnis generis calamitatibus infestat pios. Vndique igitur à carne, mundo & diabolo pietatis via premitur & in angustias coarctatur. 6. Via hęc ratione ignota est. Preterea cruce & scandalis ita obtegitur, vt vix eam monstrante verbo Dei agnoscere possimus. Et postquam agnita est, caro non delectatur ea, sed reluctante & inuita carne, in ea ambulandum est. 7. Tantum vnica est vera semita pietatis, quę tam accurate seruanda est, vt nec bona intentione ad dexteram ab ea vel pauxillum declinare. 8. Quia caro immunda est, quæ regnum Dei non potest possidere, Deus variis tribulationibus eam coarctat, vt expressis sordibus refingatur ad possessionem regni Dei. Et hæc est angusta illa porta, sicut Paulus inquit. Per varias tribulationes oportet ingredi in regnũ Dei. Hæ vero angustiæ faciunt, quod à paucis via hæc vel inuenitur, vel ambulatur, imò à multis contemnitur & deseritur. Sed Christus opponit contrariam exhortationem, ne absterreamur viæ huius angustiis. Finis enim eius est, vt perducat ad vitam æternam. Nec cogitet quis, se in alia illa lata via nihilominus posse saluari. Vnicam enim viam vitæ Deus dedicauit, sicut Epistola ad Hebræos loquitur: & illa via, quæ deducit ad vitam, est arcta porta angusta. Qui igitur vitam quærit & cupit, angustiis huius viæ se premi & constringi non ægre ferat. Et Lucæ 13. versic. 24. Vbi alia occasione hæc sententia repetitur. Christus dicit ἀγωνίζεσθε intrare per angustam portam, significans opus esse magna lucta ad subigendam carnem illis, qui huic viæ insistere volunt. Hebraicum צור & צרר. Zor & Zarar significat concludendo premere, constringere, coarctare. Et sæpius vsurpatur pro tribulare & affligere. Hinc Matthæus vocat viam τεθλιμμένην, quæ latæ viæ opponitur, quo vocabulo simul indicat, tribulationibus & afflictionibus viam illam reddi adeo arctam & angustam. Ad verbum est, *Ein trübseliger geengster VVeg.* Et talis pietatis via in hac vita.

Pericopa

Pericopa vndecima, siue prima pars conclusionis, CONCIONIS CHRISTI IN MONTE, DE cauendis pseudoprophetis.

MATTH. 7.

15. Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δὲ εἰσὶ λύκοι ἅρπαγες.
16. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτοὺς. Μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλὴν, ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα.
17. Οὕτω πᾶν δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖ. Τὸ δὲ σαπρὸν δένδρον καρποὺς πονηροὺς ποιεῖ.
18. Οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν· οὐδὲ δένδρον σαπρὸν καρποὺς ποιεῖν.
19. Πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.
20. Ἄραγε ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς.
21. Οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, κύριε, κύριε, εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἀλλ' ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου, τοῦ ἐν οὐρανοῖς.
22. Πολλοὶ ἐροῦσί μοι ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, κύριε, κύριε, οὐ τῷ σῷ ὀνόματι προεφητεύσαμεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δαιμόνια ἐξεβάλομεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δυνάμεις πολλὰς ἐποιήσαμεν;
23. Καὶ τότε ὁμολογήσω αὐτοῖς, ὅτι οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς. Ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν.

15. *Cauete vero vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces.*
16. *A fructibus eorum agnoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuam, aut de tribulis ficus?*
17. *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit. Putris autem arbor fructus malos facit.*
18. *Non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor putris fructus bonos facere.*
19. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem conijcitur.*
20. *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.*
21. *Non quisquis, qui dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est.*
22. *Multi dicent mihi in illo die, Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas virtutes præstitimus?*
23. *Ac tum confitebor illis: nunquam noui vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem.*

LVC. 6.

43. Οὐ γάρ ἐστι δένδρον καλὸν, ποιοῦν καρπὸν σαπρὸν, οὐδὲ δένδρον σαπρὸν ποιοῦν καρπὸν καλόν. ἕκαστον γὰρ δένδρον ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ γινώσκεται.
44. Οὐ γὰρ ἐξ ἀκανθῶν συλλέγουσι σῦκα, οὐδὲ ἐκ βάτου τρυγῶσι σταφυλήν.
45. Ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ ἀγαθόν· Καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ πονηρόν. Ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας λαλεῖ τὸ στόμα αὐτοῦ.
46. Τί δέ με καλεῖτε, κύριε, κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε ἃ λέγω;

43. *Non est enim arbor bona, quæ facit fructum malum: neque arbor mala faciens fructum bonum: Vnaquæque enim arbor ex fructu suo cognoscitur.*
44. *Neque enim de spinis colligunt ficus, neque è rubo vindemiant vuam.*
45. *Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum. Et malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum. Ex abundantia enim cordis loquitur os eius.*
46. *Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?*

HARMONIA HVIVS PERICOPES, EX descriptionibus Matthæi & Lucæ coagmentata.

a Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δὲ εἰσὶ λύκοι ἅρπαγες. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. Μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλὴν, ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα; Οὕτω πᾶν δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖ. Τὸ δὲ σαπρὸν δένδρον καρποὺς πονηροὺς ποιεῖ. Οὐ γάρ ἐστι δένδρον καλὸν, ποιοῦν καρπὸν σαπρὸν, οὐ δὲ δένδρον σαπρὸν ποιοῦν καρπὸν καλόν. ἕκαστον γὰρ δένδρον ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ γινώσκεται. Οὐ γὰρ ἐξ ἀκανθῶν συλλέγουσι σῦκα, οὐδὲ ἐκ βάτου τρυγῶσι σταφυλήν. a Οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν. Πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται καὶ εἰς πῦρ βάλλεται. Ἄραγε ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. c Ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ ἀγαθόν. Καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ πονηρόν. Ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας λαλεῖ τὸ στόμα αὐτοῦ. Τί δέ με καλεῖτε, κύριε, κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε ἃ λέγω; a Οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, κύριε, κύριε, εἰσελεύσεται εἰς

a *Cauete vero vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. A fructibus eorum agnoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuam, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit. Putris autem arbor fructus malos facit.* c *Non est enim arbor bona, quæ facit fructum malum: neque arbor mala faciens fructum bonum. Vnaquæque enim arbor ex fructu suo cognoscitur. Neque enim spinis colligunt ficus, neque è rubo vindemiant vuam.* a *Non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor putris fructus bonos facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem conijcitur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.* c *Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum. Et malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum. Ex abundantia enim cordis loquitur os eius. Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* a *Non quisquis dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cælorum,*

τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἀλλ' ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου, τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Πολλοὶ ἐροῦσί μοι ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, κύριε, κύριε, οὐ ἐν τῷ σῷ ὀνόματι προεφητεύσαμεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δαιμόνια ἐξεβάλομεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δυνάμεις πολλὰς ἐποιήσαμεν; Καὶ τότε ὁμολογήσω αὐτοῖς· ὅτι οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς. Ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν.

sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Multi dicent mihi in illo die Domine, Domine, nonne per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas virtutes præstitimus? At tunc confitebor illis: nunquam noui vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem.

Exegesis huius vndecimæ pericopes.

VAlde offendit moderatoria ingenia hæc species, quod in illo cœtu, qui titulum habet Ecclesiæ, tam multæ sint contentiones & dissensiones docentium & dicentium. Et hac specie aduersarij in impietate confirmantur: infirmi turbantur: pij excruciantur & tentantur: quidam ab amplectenda doctrina absterrentur: quidam etiam ideo abiiciunt, vel languidius amplectuntur eam. Et summa, multis & variis scãdalis plena est squalida hæc Ecclesiæ species. Christus vero prædicit: *Ad vos venient Pseudoprophetæ*. Vbi igitur in hoc mundo sunt credentes & Filij Dei, ibi inuenientur Pseudoprophetæ. Iohan. 10. versic. 12. inquit: Vbi ouile est, ibi lupus oberrat: Vbi domus Dei est, vbi fures obambulant, non ociosi, sed suffodiunt et perfringunt, vt rapiant & occidant. Bonus vero pastor, fidelis œconomus, & verus Propheta non fugit, non tacet, sed ratione officij resistit, lupos, fures & Prophetas notans & monens fugiendos. Inde oriuntur clamores, contentiones, dissensiones, &c. Et tranquillitas quidem Ecclesiæ iucundior & gratior est: sed mala pax & concordia est, quæ initur inter pastores & lupos, inter furem & œconomum, inter verum & falsum Prophetam. Dissidia, contentiones & dissensiones pastorum & luporum, furum & œconomorum, salus est Ecclesiæ. Et certum τεκμήριον est, ibi esse veram Ecclesiam, ad quam oppugnandam, turbandam & infestandam cateruatim prorumpunt lupi, fures, Pseudoprophetæ, &c. Vbi enim ouile vacuum est, ibi raro videntur lupi. Econtra vero fortis palatium suum ita custodit, vt in pace sint ea, quæ possidet. Hæc vero non patrocinantur illis, qui ex petulantia, certaminibus non necessariis, turbant Ecclesias. Scripturas enim loquitur de certâminibus necessariis. Discant igitur pij, ne hoc scandalo offendantur, sed rem recte secum reputent: ità non absterrebuntur à sua doctrina propter certamina, sed eam magis amabunt, & diligentius conseruabunt. Non igitur quærenda & imaginanda est talis species Ecclesiæ, vbi nulli audiantur Pseudoprophetæ, lupi, fures, latrones. Sed hæc est sors Ecclesiæ in hoc mundo, quod obsidetur, oppugnatur & infestatur à Pseudoprophetis, lupis & furibus.

Certum autem est, hanc accuratam & prolixam admonitionem de cauendis Pseudoprophetis pertinere ad totam Ecclesiam. Sicut enim principio concionis cœperat loqui Apostolis, discipulis & turbis: ita conclusionem etiam ad totum cœtum accommodat. Et cum monet Pseudoprophetas cauendos esse illis, ad quos veniunt, sine dubio Ecclesiam siue auditores intelligit. Ad illos enim veniunt. Hæc vero vigilantia & sollicitudo, attendi à falsis Prophetis, præcipue pertinet ad officium Apostolorum seu ministrorum. Ita enim Act. 20. vers. 28. Paulus presbyteris seu Episcopis, quos Epheso euocauerat, hanc admonitionem proponit: *Attendite vobis & vniuerso gregi, &c.*

Aliter autem Apostolus seu minister verbi cauere debet à falsis Prophetis, aliter auditor. Principio igitur obseruandum est, quare hanc concionem, qua Apostolos ad futurum ministerium expositione sanæ doctrinæ formauerat, voluerit concludere admonitione de cauendis Pseudoprophetis. Hæc enim obseruatio tria docebit: 1. Pharisaica imaginatio erat de externa tranquillitate & consensione totius mundi futura sub regno Messiæ. Huc enim torquebant dictum Esa. 11. vers. 6. Habitabit lupus cum agno, pardus cum hœdo, &c. Et Christus præuidit fore, vt mundi dissensionibus & distractionibus in certaminibus Ecclesiæ ita offenderentur, vt vel doctrinam ideo damnarent, vel ministerium abiicerent. His igitur imaginationibus & scandalis Christus opponit hanc admonitionem, prænuncians fore multos Pseudoprophetas, vbi sana doctrina traditur. Fit autem illud non vitio doctrinæ, sed propter humani ingenij leuitatem & petulantiam, quæ à diabolo propter odium ipsius aduersus Filium Dei & Ecclesiam eius impellitur & armatur, ad fingendas corruptelas sanæ doctrinæ. Vult itaque Apostolos, si talia oriantur certamina in Ecclesia, non perturbari, sed prœmonet, in ministerio ipsis expectandum esse, vt non tantum inter auditores multos experiantur porcos & canes, sed & inter eiusdem ministerij collegas multos inueniant Pseudoprophetas, quos Paulus vocat falsos fratres & dolosos operarios.

2. Hæc conclusio docet, ad officium ministrorum verbi pertinere, vt non tantum discant, proponant & tradant, quæ vera & sana sunt, verum etiam cognoscant, improbent & refutent corruptelas, pugnantes cum sana doctrina, vt oues veram vocem audiant, & alienam fugere moneantur. Apostolorum enim officium est, vt non tantum ipsi caueant, ne falsa doctrina inficiantur & seducantur, sed speculatorém te dedi domui Israel, inquit Deus, Ezech. 3. v. 17. vt Pseudoprophetas notes & refutes, ne oues non præmonitæ ex simplicitate seducantur. Sanguinem enim ouium de manu tua requiram. Ideo Christus vtitur verbo προσέχετε, quo Græci interpretes reddiderunt Hebraicum השתמר Hischthamer, quod significat attentum, prouidum, circumspectum & cautum esse, vt à noxiis sceueris. Et Paulus Act. 20. ver. 28. metaphoram eleganter explicat: *Oues simplices, improuidæ & incautæ sunt.* Spiritus sanctus igitur vos presbyteros constituit Episcopos, hoc est, inspectores, vt attendatis, & vobis & vniuerso gregi, ne lupis præda fiant. Et quia præcipit Apostolis, vt caueant à Pseudoprophetis, certum est ipsum velle dare spiritum petentibus, vt possint ipsos agnoscere & cauere eo modo, sicut in ministerio requiritur.

3. Hæc conclusio concionis monet, vt illi qui sunt in ministerio non sint securi & negligentes, sed in timore Dei & seria inuocatione officium suum administrent, ne fiat organa diaboli. Ex illis enim multi fient Pseudoprophetæ, sicut Act. 20. ver. 30. hanc sententiam Paulus interpretatur. Et multi, qui in nomine Iesu prophetarunt, & signa ediderunt, audient in die iudicij: *Non noui vos, &c.* Obseruanda autem est distributio, qua Christus vtitur. Publicani & peccatores habent falsam doctrinam, habent Scribæ & Pharisæi suas corruptelas, sed sunt præterea alij Pseudoprophetæ, à quibus cauendum est. Et ordo monet, post profligatum vnũ certamen, non imaginandum esse pacem, quæ nullis certaminibus in Ecclesia turbetur: sed semper post vetera oriri alia & noua certamina. Post refutatas enim Scribarum & Pharisæorum corruptelas subiicit: *Cauete à Pseudoprophetis*, qui ad vos veniunt. Pharisæi vero non habebant communionem cum Ecclesia Apostolorum. Tria igitur constitui possunt genera Pseudoprophetarum. 1. Eorum, qui prorsus sunt extra Ecclesiam visibilem, qui verbum Dei non habent, & scripturam non agnoscunt, sicut gentes, Turcæ. 2. Qui habent quidem verbum Dei, & agnoscunt Scripturam, sed professi & manifesti sunt hostes veræ Ecclesiæ, vt Scribæ, Pharisæi, &c. Hæc duo genera opprobriis, persecutionibus, & aperto marte oppugnant Ecclesiam, ideo facilius, vt manifesti hostes agnosci & caueri possunt. 3. Tertium vero genus Pseudoprophetarum est eorum, *qui veniunt ad vos*, habent *vestimenta ouium*, & prophetant in nomine Christi, hoc est, habent legitimam vocationẽ. profitentur se esse ciues & membra Ecclesiæ. Oues enim sunt Christiani, quorum vestimentis se induunt, iactant scripturam & verbum, & magis asseuerationibus confirmant se non venire, non contra vos, sed ad *vos*, quærere salutem vestram, &c. Christus igitur monet, non tantum cauendum esse à manifestis Pseudoprophetis, sed ne illis quidem sine iudicio & discretione omnibus credendum, qui veniunt ad vos, prophetant in nomine Christi. Nam & sub illis inuolucris sæpe latent Pseudoprophetæ. Ne vero existimetur sine periculo esse, etiamsi vigilantia & accuratio, illa inquisitio non adhibeatur, modo caueamus à manifestis seductoribus, dicit Christus, *esse intrinsecus lupos rapaces*, hoc est, animas ouium rapi & iugulari non tantum à manifestis lupis, sed magis sæpius ac periculosius ab illis, qui sub vestimentis ouium in medio gregis versantur. Ab illis enim credulæ oues nihil mali timent, cum alias ad conspectum lupi horreant & fugiant. Ad hoc tertium itaque genus cauendum, diligentiori opus est circumspectione & solicitudine; quia plus nocent, & minus possunt facile dignosci. Et hoc præcipue pertinet ad officium ministrorum. Quia enim oues sunt stultæ, credulæ & incautæ, &c. Deus posuit inspectores Episcopos, qui vniuerso gregi debent attendere, Act. 20. ver. 28.

Sed quomodo possibile est hosce personatos (vt ita appellem) Pseudoprophetas agnoscere & cauere, præsertim si qui

si qui sunt simpliciores, & non prædiri eximiis illis donis spiritus 1.Cor.12.vers.10. siue inter ministros, siue inter oues? Respondeo: Christus ideo allegat sententias ex medio & quotidiano vulgi sermone petitas, vt ostēdat, si petatur à Deo spiritus discretionis, & adhibeatur mediocris circumspectio, non difficulter agnosci posse Pseudoprophetas tales, vtcunque se occultent. Nunquid, inquit, colligunt de spinis vuam, aut de tribulis ficus? Igitur ex fructibus ipsorum eos cognoscetis. Sensus similitudinis consideretur, & planiorem accommodatio. Si considerentur folia & flores, spina & tribulus pulcriorem habent speciem, quando florent, quam vel vitis vel ficus. Quare in spinis & tribulis non quærimus vuas & ficus? nisi quod cōmunis sensus docet, de qualitate arboris iudicandum esse, non ex foliis & floribus, sed ex fructibus. Ita ad agnoscendos & cauendos Pseudoprophetas Christus duo proponit. 1. Vt vestimenta ouium ipsis detrahamus, ne externa species iudicium deprauet. 2. Vt fructus, ex quibus agnoscēdi sunt, discamus intelligere & inspicere. Appellat autem Christus vestimenta ouium allegorice, & figuram mox planius explicat, cum inquit: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine.* Item, *Multi dicent: Nonne in nomine tuo, &c.* Sunt igitur vestimenta ouium. 1. Titulus, vocatio, officium. Dicunt enim se prophetare in nomine Christi. 2. Verbis pietatis & ædificationis zelum peculiarem præ se ferunt. Dicunt enim *Domine, Domine, &c.* Et geminatio significat zelum & exaggerationem. Item, *veniunt* non contra, sed *ad vos.* 3. Exterior pellis ouila, & aspectu & tactu similis ouibus gregis significat externam speciem vitæ, operum & conuersationis. Mollior etiam lana potest significare id, quod Rom. 16.versic.17. Paulus vocat χρηστολογίαν. 4. Inter vestimenta ouium, quibus Pseudoprophetæ ouiculas decipiunt, Christus præcipue numerat peculiaria & illustria dona, posse prophetare, dæmonia eiicere, & virtutes facere. Donum autem prophetiæ hoc loco intelligitur, non tantum de vaticiniis seu prædictionibus futurorum, sed, sicut vsurpatur 1. Cor. 13. ver. 2. de linguis, interpretatione, eloquentia & reliquis, quę ad donum præclare & cum authoritate docendi pertinent. Sub expulsione dæmonum comprehenditur donum miraculorum. Δύναμις aliquando virtutem miraculorum significat, Matth. 11. vers. 21. 13. vers. 5. 1. Corinth. 12. vers. 10. Græci vero Psal. 118. versic. 16. & 1. Reg. 14. ver. 48. ποιεῖν δύναμιν vocant edere præclara & insignia aliqua facta. Et in hanc sententiam Lutherus hoc loco interpretatur: *grosse Thaten aussrichten.* Vt triplex sit distributio donorum.

Num igitur, cui talia adsunt, suspectus habendus est, aut damnandus tanquam Pseudopropheta, propter hæc dona? Respondeo: Nullo modo. Sunt enim hæc dona partim necessaria ad ministerium, partim vtiliter illud ornant & promouent. Sed Christi sententia hæc est, hæc dona sola, & per se non esse satis certa κριτήρια vt cui hæc adsunt, consequens sit necessario doctrinam eius veram & sanam esse, vt non opus sit aliqua consideratione & inquisitione de doctrina, vbi talis externa species adest. Monet enim Christus, etiam Pseudophetas hac specie, persona seu larua indutos in scenam prodire. Quando igitur de doctrina instituendum est iudicium, Consilium Christi est, non esse primo & principaliter respiciendum ad externam illam, quantumcunque speciem, sed remouēdas esse personas illas è scena (sicut dicitur) & vestimentum ouium detrahendum, vt qualis doctrina ipsorum sit, facilius & rectius diiudicari possit. Quando enim doctrina vere & sana est, tunc dona illa iuuant & ornant ministerium: quando verò doctrina deprauata est, tūc externa illa species tantum est larua & decipula ouium. Hoc igitur primum est, sicut non ex foliis & floribus iudicatur de arbore: ita separandum esse vestimentum ouium ab ipsa doctrina.

Alterum est verum κριτήριον. *Ex fructibus ipsorum cognoscetis eos.* Hoc igitur certum est, de Prophetis seu doctoribus, An sint veri & falsi, iudicium sumendum esse ex fructibus ipsorum. Sed quæstio est: Quid sit intelligendum appellatione fructus? Quidā de vita seu operibus interpretantur. Et quidē, si in genere de omnibus Christianis hæc probatio intelligatur, vera est sententia, sicut postea dicimus. Et in hanc sententiam veteres interpretati sunt fructus, de vita & operibus. Sed quando de prophetis seu doctoribus iudicandis quæritur, licet hypocrisis tandem etiam operibus se prodat, manifestum tamen est, vitam & opera numerari inter vestimenta ouium, & distingui contra fructus. Simplicissima igitur explicatio est, sicut fructus Christiani, in quantum Christiani sunt bona opera: ita Doctoris, in quantum Doctoris, fructus est forma seu qualitas Doctrinæ. Et sicut ex operibus, tanquam ex fructibus, cognoscitur quis, an sit vere Christianus vel hypocrita: ita ex fructibus, hoc est, ex qualitate doctrinæ iudicandum est de veris & falsis Prophetis. Et hanc explicationem verba Lucæ manifeste ostendunt: Qualem enim spiritum Propheta habet, talis est etiam doctrina: Sed Spiritum videre non possumus. Quomodo igitur diiudicamus? Respondet Lucas: *Bonus homo ex bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo ex malo thesauro cordis sui profert malum: ex abundantia enim cordis os loquitur.* Ex eo igitur, quod Propheta profert & loquitur, iudicandum est, qualis sit thesaurus in corde Prophetæ, hoc est, an sit verus seu Pseudopropheta. Sed alia hic oritur quæstio, non minus ardua & difficilis: Quæ & qualis sit doctrina, quæ monstret siue verum seu falsum Prophetam? Respondet Christus: *Quisquis fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* Sed hoc, quia obscurius est, Lucas clarius explicat: *Vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ ego dico vobis.* Sensus igitur, quantum ad hunc locum de officio Apostolorum pertinet, hic est: Tradidi & exposui vobis veram & sanam doctrinā. Qui igitur profert & tradit quæ ego dico, ille verus est Propheta. Qui vero profert & loquitur, non quæ ego dico, sed alia, diuersa & contraria, ille est Pseudopropheta, qualicunque specie niteat, & quantiscunque donis ornatus sit. Hæc est simplex interpretatio huius loci.

Plenior enim explicatio pertinet ad integram tractationem. Sunt autem quædam in his sententiis, quæ communia sunt omnibus Christianis: Illa suo loco explicabimus. Nūc tantum de illis, quæ ad officium Apostolorum pertinent, diximus.

Porrò expendendum etiam est, quid significet phrasis *in nomine tuo.* Si enim intelligatur de virtute & efficacia spiritus Christi, sicut Marci 16. versi. 17. inquit: *In nomine meo dæmonia eiicient, &c.* Sensus esse non potest, quod tunc falsa doceāt: quādo Christus virtute & efficacia sua per illos prophetat, miracula edit, & virtutes facit. Hæc enim esset contumelia in ipsum filium Dei. Et Paulus veritatem suæ doctrinæ probat hoc testimonio; quia inquit, Christus per me loquitur. Rom. 15. ver. 18. 2. Cor. 5. v. 5. & 13. v. 3. Si igitur nomen pro efficacia & virtute Christi accipiatur, sensus erit, sicut & Chrysostomus agnouit, illos etiam, qui fuerunt aliquando salutaria organa Spiritus sancti, posse postea labi. Vt hęc consequentia non valeat: Qui antea recte docuit, & de Ecclesia bene meritus est, illius omnia sine iudicio esse accipienda, quasi lapi & errare non possit. Imo, inquit Christus, in illa die multi non mentientur, sed vere dicent: *In nomine tuo prophetauimus.* Sed quia in eo non perstiterunt, sed facti sunt operarij nō veritatis, sed iniquitatis in doctrina, audient: *Non noui vos, discedite.*

Vsurpatur autem illa phrasis etiam, quando nomen Christi falso prætexitur, vt Matth. 24. vers. 5. *Multi venient in nomine meo, &c.* Et si hoc modo in hoc loco accipiatur, sensus manifestus erit, Diabolum in Pseudoprophetis falsæ suæ doctrinę, & falsis miraculis Matth. 24. vers. 24. 2. Thess. 2. versic. 9. solere prætexere nomen Christi. Videndum igitur esse, ne hac specie decipiamur. Hęc sententia vera est. Sed in die iudicij quādo occulta cordium manifesta erunt, Rom. 2. v. 16. illi præstigiatores vix audebunt dicere: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo, &c.* Prior itaque sententia contextui melius videtur conuenire. Illud etiam obiter annotandum est, quales pœnas Christus hoc loco denunciet Pseudophetis, cum inquit: *Arbor putris excindetur & in ignem mittetur. In illa die confitebor illis: Non noui vos, discedite à me, &c.* Proposita est igitur Apostolis hæc denunciatio. 1. Vt cum timore Dei, in seria inuocatione, diligenter & fideliter officia ministerij faciant. Ex illis enim, qui in nomine Christi prophetarunt, & multas virtutes ediderunt, multi non persistunt, sed fiunt Pseudoprophetæ, qui excidentur & in ignem mittentur. 2. Proponitur hæc denunciatio Apostolis etiam ideò, ne donis illis, quæ ad ministerium & communem Ecclesiæ ædificationem pertinent, freti & confisi, fidem & pietatem negligant. Multi enim, qui de eximiis illis donis, 1. Cor. 12. vers. 8. & seq. vere gloriari possunt; quia veram fidem, quæ per charitatem efficax est, negligunt, audient in die iudicij: *Discedite, non noui vos.* Sed hæc doctrina in sequenti loco, vbi de mortua fide externæ professionis dicemus, repetenda erit.

Iucunda etiam & vtilis est illa obseruatio, quam proprie Christus, loquens de Pseudoprophetis, allegat sententiam ex Psalmo 6. ver. 9. de operariis iniquitatis. Ponitur enim vocabulum און *Auen*, cuius radix significat concupiscentiam, & scribuntur illo vocabulo in Prophetis omnes traditiones doctrinæ & cultuum, quæ siue extra siue contra verbum Dei, ex propria cupiditate seu deuotione, excogitantur & instituuntur. Proprissime igitur hæc sententia accommodatur ad iudicium de Pseudoprophetis, qui contra conscientiam, studio fallendi, falsa docent & defendunt. Horum enim iudicium grauius est. Sed qui zelum habent, non autem secundum scientiam, illis igitur Christus tribuit, quod sint operarij hoc

est, quod magno zelo multa faciant & patiantur pro sua doctrina. Sed quia sunt operarij און *Auen*: hoc est; quia doctrina & cultus ipsorum, extra & contra verbum Dei, ex hominum commentis & propria imaginatione ortũ habet, Christus dicit ipsis: *Non noui vos, discedite à me.* Tamen sumus operarij? Estis, sed operarij און *Auen*, quorum iudicium Psal. *6. v.* 9. descriptum est. Paulus videtur reddere voluisse illud און *Auen*, cùm 2. Cor. 11. v. 13. Pseudoapostolos vocat ἐργάτας δολίους. Et Phil. 3. v. 3. κακοὺς ἐργάτας. Sunt igitur quidam Pseudoprophetæ sub vestimentis ouium tam profunde absconditi, non tantum ab aliorum, verum etiam à propriis oculis, vt ipsi non agnoscant se falsa docere, adeò vt in die iudicij miraturi sint, quod reiiciantur: *Domine, nonne in nomine tuo, &c.* Talis præstigiator est diabolus. Petendus igitur est Spiritus discretionis, & ministris & auditoribus, vt caute possimus cauere à Pseudoprophetis.

Altera pars conclusionis

CONCIONIS CHRISTI IN MONTE,

in qua taxat hypocrisin auditorum, & hortatur ad verum & solidum pietatis studium

MATTH. 7.

24. Πᾶς οὖν ὅστις ἀκούει μου τοὺς λόγους τούτους, καὶ ποιεῖ αὐτοὺς, ὁμοιώσω αὐτὸν ἀνδρὶ φρονίμῳ, ὅστις ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν πέτραν.
25. Καὶ κατέβη ἡ βροχὴ, καὶ ἦλθον οἱ ποταμοὶ, καὶ ἔπνευσαν οἱ ἄνεμοι, καὶ προσέπεσαν τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ, καὶ οὐκ ἔπεσε· τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν.
26. Καὶ πᾶς ὁ ἀκούων μου τοὺς λόγους τούτους, καὶ μὴ ποιῶν αὐτοὺς, ὁμοιωθήσεται ἀνδρὶ μωρῷ, ὅστις ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν ἄμμον.
27. Καὶ κατέβη ἡ βροχὴ, καὶ ἦλθον οἱ ποταμοὶ, καὶ ἔπνευσαν οἱ ἄνεμοι καὶ προσέκοψαν τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ, καὶ ἔπεσε, καὶ ἦν ἡ πτῶσις αὐτῆς μεγάλη.
28. Καὶ ἐγένετο, ὅτε συνετέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, ἐξεπλήσσοντο οἱ ὄχλοι ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ.
29. Ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.

24. *Omnis igitur, qui audit ex me sermones hos, & facit eos, assimilabo eum viro prudenti, qui ædificauit domum suam super petram.*
25. *Et descendit imber, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non est prostrata: fundata enim fuerat super petram.*
26. *Et omnis qui audit à me sermones hos, & non facit eos, assimilabitur viro fatuo, qui ædificauit domum suam super arenam.*
27. *Et descendit imber, & venerunt flumina, & flauerunt venti: & impegerunt in domum illam, & deiecta est, & fuit ruina illius magna.*
28. *Et factum est, vt cum finisset Iesus sermones hos, obstupuerunt turbæ super doctrina illius.*
29. *Docebat enim eos, velut habens authoritatem, & non sicuti Scribæ.*

LVC. 6.

47. Πᾶς ὁ ἐρχόμενος πρός με, καὶ ἀκούων μου τῶν λόγων, καὶ ποιῶν αὐτοὺς, ὑποδείξω ὑμῖν, τίνι ἐστὶν ὅμοιος.
48. Ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδομοῦντι οἰκίαν, ὃς ἔσκαψε, καὶ ἐβάθυνε, καὶ ἔθηκε θεμέλιον ἐπὶ τὴν πέτραν· πλημμύρας δὲ γενομένης, προσέρρηξεν ὁ ποταμὸς τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ, καὶ οὐκ ἴσχυσε σαλεῦσαι αὐτήν, τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν.
49. Ὁ δὲ ἀκούσας, καὶ μὴ ποιήσας, ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδομήσαντι οἰκίαν ἐπὶ τὴν γῆν χωρὶς θεμελίου, ᾗ προσέρρηξεν ὁ ποταμὸς, καὶ εὐθέως ἔπεσε, καὶ ἐγένετο τὸ ῥῆγμα τῆς οἰκίας ἐκείνης μέγα.

47. *Quisquis venit ad me, & audit sermones meos; & facit eos, ostendam vobis, cui similis sit.*
48. *Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere, fundata enim erat super petram.*
49. *Qui autem audiuit, & non fecit, similis est homini, qui ædificauit domum suam super terram absque fundamento, in quam illisus est fluuius, & continuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna.*

HARMONIA HVIVS CONCLVSIONIS,

ex Matthæi & Lucæ descriptionibus coagmentata.

f Πᾶς a οὖν ὁ ἐρχόμενος πρός με, f καὶ ἀκούων μου τῶν λόγων, καὶ ποιῶν αὐτοὺς, c ὑποδείξω ὑμῖν, τίνι ἐστὶν ὅμοιος. a ὁμοιώσω αὐτὸν ἀνδρὶ φρονίμῳ, ὅστις ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν πέτραν. c Ὅμοιος [γάρ] ἐστιν ἀνθρώπῳ, οἰκοδομοῦντι οἰκίαν, ὃς ἔσκαψε, καὶ ἐβάθυνε, καὶ ἔθηκε θεμέλιον ἐπὶ τὴν πέτραν. a Καὶ κατέβη ἡ βροχὴ, καὶ ἦλθον οἱ ποταμοὶ, καὶ ἔπνευσαν οἱ ἄνεμοι, c πλημμύρας δὲ γενομένης, προσέρρηξεν ὁ ποταμός. a καὶ προσέπεσον f τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ, c καὶ οὐκ ἴσχυσε σαλεῦσαι αὐτήν, a καὶ οὐκ ἔπεσε. f τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν. a Καὶ πᾶς f ὁ ἀκούων a μου τοὺς f λόγους τούτους, f καὶ μὴ ποιῶν a αὐτοὺς, f ὁμοιωθήσεται c ἀνθρώπῳ, a ἀνδρὶ μωρῷ, f ὅστις ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν a αὐτοῦ ἐπὶ τὴν ἄμμον, c ἐπὶ τὴν γῆν χωρὶς θεμελίου. a Καὶ κατέβη ἡ βροχὴ, καὶ ἦλθον οἱ ποταμοὶ, καὶ ἔπνευσαν οἱ ἄνεμοι, καὶ προσέρρηξεν ὁ ποταμός, f καὶ c εὐθέως f ἔπεσε, c καὶ ἐγένετο τὸ ῥῆγμα τῆς οἰκίας ἐκείνης μέγα, a καὶ ἦν ἡ πτῶσις αὐτῆς μεγάλη. Καὶ ἐγένετο,

f *Omnis* a *igitur* c *qui venit ad me,* f *& audit sermones meos hos, & facit eos,* c *ostendam vobis cui similis sit.* a *Assimilabo eum viro prudenti, qui ædificauit domum suam super petram.* c *Similis [enim] est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram.* a *Et descendit imber, & venerunt flumina, & flauerunt venti.* c *Inundatione autem facta, illisum est flumen,* a *& irruerunt* f *in domum illam,* c *& non potuit mouere eam,* a *nec prostrata est.* f *Fundata enim erat super petram.* a *Et omnis,* f *qui audit* a *à me sermones hos,* f *& non facit* a *eos,* f *assimilabitur* c *homini,* a *viro fatuo,* f *qui ædificauit domum* a *super arenam,* c *super terram absque fundamento.* a *Et descendit imber, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & impegerunt in domum illam,* c *in quam illisus est fluuius,* f *&* c *continuo* f *cecidit, & facta est ruina domus illius magna.* a *Et factum est, vt cum finisset Iesus sermones hos, ob-*

ἐγένετο, ὅτε συνετέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, ἐξεπλήσσοντο οἱ ὄχλοι ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ· ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.

stupuerunt turba super doctrina illius. Docebat enim eos, velut habens authoritatem, & non sicuti Scribæ.

Exegesis huius conclusionis concionis Christi in monte.

Matthæus conclusurus hanc concionem Christi, ponit sententiam illam, quam supra explicauimus: *Erat docens cum maiestate quadam*, non tam frigidè sicut Scribæ. Turbæ igitur admiratione quasi attonitæ stupebant super doctrina eius. Et cum vlterius non progrederentur, nec ad pœnitentiã, nec ad fidem, nec ad pietatem, putabant satisfactum esse, quod à Pharisæorum commentis discessissent, & iam auditores Christi essent. Christus qui in media concione Pharisæos, & de doctrina & de vita reprehenderat, in conclusione vertit se ad ipsos auditores suos, & monet ipsos, vt verum & solidũ pietatis studium suscipiant & sectentur, ne externa specie existiment se defunctos esse. Explicationem autem, vt eo sit simplicior & expeditior, in membra aliquot breuissime distribuemus.

Et primo vtile est ex verbis illis, quibus hæc concio concluditur, colligere, quàm variis modis hypocrisis seu externa species, etiam illos, qui non sunt blasphemi, non persecutores nec contemptores verbi, sed qui veniunt ad Christum, & audiunt verbum eius, sicut Lucas loquitur, fallat & seducat, ita, vt in tentatione non consistant, imo vt in die iudicij abiiciantur. Capita autem tantum notabimus: sicut in textu ponuntur.

1. Quidam seiungunt se ab erroneis & phanaticis opinionibus, audiunt verbum Dei, agnoscunt verum esse, probant, laudant, admirantur, obstupescunt, &c. & hic consistunt: de instituenda pœnitentia, fide & pietate, iuxta verbum, plane non sunt soliciti, contenti, quod audiant verbum Dei, quod possint de eo disserere, quodque profiteantur se doctrinæ huius sectatores esse. Hos Christus ita describit: *Qui veniunt ad me, audiunt verba mea, non autem faciunt ea.*

2. Quidam auditores, admirantes doctrinam, sunt & manent mali, dicentes & facientes mala. *Malus homo* inquit, *de thesauro cordis sui profert mala.* Item: *Mala arbor facit fructus malos.*

3. Quidam auditores eo vsque progrediuntur, quod vitant mala, non autem faciunt bona. Sed Christus sententiam ignis pronuntiat, non tantum de arboribus facientibus malos fructus, sed inquit: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem abiicitur.*

4. Quidam auditores verbis præ se ferunt magnum pietatis studium, & quidem præ aliis ingeminantes: *Domine, Domine.* Sed quia non faciunt, quæ Christus dicit: *Non intrabunt in regnum cælorum.*

5. Quidam externis operibus conformant se verbo Dei, cor autem & interiores motus reformantur spiritu ad normam verbi Dei. De illis Christus dicit: Vbi thesaurus cordis est malus, ibi ea, quę proferuntur, mala sunt, quamcunque habeant speciem. Item: *Aut facite arborem bonam, & fructus erunt boni.* aut: *Si arbor relinquitur mala, etiam fructus non possunt nisi mali esse.*

6. Quidam peculiaribus eximiis illis donis, quæ Deus ad ædificationem Ecclesiæ distribuit, vt sunt prophetare, virtutes facere, &c. ita nituntur, vt pœnitentiam, fidem iustificantem & veram pietatem non curent. Illi in extremo die audient: *Non noui vos: discedite à me, &c.*

7. Quidam dicunt & faciunt multa, magna, & quidem magno zelo, bonaque intentione, ita vt in illa die coram iudice ea producere non vereantur: sed quia sunt electitia, non iuxta voluntatem Patris, Matth. 7. 21. quam Filius in verbo reuelauit, sicut inquit Luc. 6. 46. Non facitis quæ dico vobis, in extrema die pronuntiabuntur, *operarij iniquitatis.*

8. Quidam habent vanam persuasionem fidei & pietatis, & Christus inquit: *Ex fructibus agnoscendam* & diiudicandam esse arborem. Vbi enim fructus mali sunt, ibi de bonitate arboris ex foliis, floribus, & reliqua externa specie frustra disputatur. Tam multiplex & varia est hypocrisis inter ipsos auditores verbi, qui non sunt blasphemi, non persecutores, nec contemptores. Et varia illa capita Christus ideo in conclusione huius concionis recitauit, vt quisque seipsum consideret & examinet, qualis sit auditor. Ex ipsis enim auditoribus verbi in illa die multi audient: *Discedite à me, Non noui vos.* Hoc est primum membrum.

Secundò describit, quàm magnam speciem habeat hypocrisis coram carne & mundo. Spectatores enim è vulgo prætereuntes ædificium quàm bene & firmiter posita sint fundamenta, nec considerant nec videre possunt. Ipsa etiam domus, quomodo interius sit disposita & ornata, vulgo non patet, sed tantum inspiciunt, laudant & admirantur externam speciem, si illa in superficie sit splendida. Et talis est hypocrisis, vt si architectus, non habita ratione, quàm firma, durabilis & vtilis domus sit, hoc tantum curet, vt externa species prætereuntibus sit admirationi, atque ideo fundamenta nolit vel in terram demittere vel super asperam petram ponere, sed ea in leui arena, & quidem in superficie ponat. Et similis quidẽ stultitia est in tali ædificatore & hypocrita, sed in terreno ædificio ratio stultitiam illam agnoscit & videt: in pietatis verò ædificio adeo cœca est mens humana, vt maior pars etiã illorum, qui non mali esse volunt, neglectis veris & solidis pietatis fundamentis, tantum externam speciem & quasi vmbram pietatis sectentur: & tamen non existimant se stulte facere. Hæc imago ideo diligentius est consideranda. Tale enim fascinum habet externa illa species, vt non tantum oculos aliorum hominum, qui cor intueri non possunt, perstringat, sed aliquando etiam propriæ conscientiæ hypocritarum induat opinionem, & persuasionem veræ pietatis, idque non tantum in hac vita, inter homines, verum etiam coram iudicio Dei. Multi enim in illo die pronunciata sentẽtia damnationis admirabundi respondebunt: *Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Cum igitur hypocrisis tam periculose fallere possit & seducere, ipsos etiam auditores verbi, eo diligentius iuxta capita recitata quisque se examinare debet, & non hærere in externa specie, se ad tentationes se comparare, & quidem ad ipsum iudicium Dei se sistere, ita enim larua illa detrahetur, & vmbra discutietur.

Tertio exitium seu pœnam hypocriseos exponit: idque primo sub parabola, deinde simpliciter. Domus super arenam ædificata aere tranquillo stat, & præbet admirationem sui: si verò pluuiæ, eæque non leues, sed afferentes secum inundationes, si turbines & tempestates in domum illam irruerint, statim magno fragore concidit. Et idem accidet etiam hypocrisi. Variæ autem quæsitæ sunt allegoriæ arenæ, pluuiæ, fluuiorum & ventorum. Sed Christus simpliciter hac parabola tentationem voluit describere. Ideo etiam Lucas partes parabolæ non recitat singulas, nec eodem modo, sicut Matthæus: non enim nominat arenam, sed terram sine fundamẽto, nec meminit venti. Posito autem hoc genere, quod si allegorica descriptio tentationis, accommodatio facilis est. Duplex enim est Tentatio, à dextris & sinistris. Arena igitur quæ fundamentum esse debet, est fluida, & in vnam copulam nõ potest redigi, sicut inquit Hieronymus. Pluuia potest significare iuxta Hilarium primas illecebras & titillationes ad voluptates, & peccata, quibus primum fides rimis patentibus immadescit, sicut Hilarius loquitur. Inundatio, iuxta eundẽ, significat grauiorum cupiditatum motus, quibus tota compages pietatis soluitur. Aduersitates sunt leuiores, quæ per pluuias significantur: vel grauiores, quæ per ventos & inundationes notantur. Et verbum προσέκοψαν, quo Matthæus vtitur, significat leuiorem illusionem: ita enim vtitur Demosthen. 2. Olynthiaca. Προσέῤῥηξεν vero, quod Lucas 6. v. 48. & 49. vsurpat, grauiorem impetum minitantem omnimodam disiectionẽ notat: pro quo Matthæus vtitur προσέπεσον, quod Græci Prouerb. 25. v. 8. pro impetu exercitus ruentis in pugnam vsurpat. Et hæc significatio pulchre describit, quomodo in grauioribus tentationib. vndique omnia quasi facta conspiratione, ingruant ad oppugnandam & euertendam pietatis domum: Matthæus vocat πτῶσιν. Lucas explicat πλήμμυραν quando scilicet vehementiori pluuia vel colligitur quasi inundatio, vel quando flumina aut stagna fluuialibus aquis aucta ruptis aggeribus exundant, & obuia quæque sternunt. πλήμμυρα iuxta Grammaticos est ἀνάβασις ὕδατος ἐκ τῆς θαλάσσης. Et Homerus Odysseæ 1. describit, quomodo æstus maris aliquãdo frustra illidatur petris, aliquando in Epirum effusus ibi tumultuetur. Et Virgilius inquit: Furit æstus arenis. Et ex illis marinis rebus sumpta est hæc similitudo, de Arena & Petra. Intelligitur autem hoc loco non maris tantum æstus: nominat enim pluuiam & flumen. Hæc declaratio vocabulorum monstrat accommodationem. Sensus igitur est: Externam illam speciem hypocriseos, quæ extra tentationes splendet & oculos perstringit, in tentationibus probari & manifestari. Et illud fieri tentationibus, vel ad dextram, vel ad sinistram, aliquando leuioribus, aliquando grauioribus. Tempore igitur tentationis deficiunt, qui verbum cum gaudio susceperant, sicut inquit parabola Luc. 8. versic. 13. Notandum verò est quod inquit: *Erit ruina domus illius magna.* Lucas

vocat ῥῆγμα, non simplicem ruinam, sed disiectionem coagmentationis, sicut hiatum seu disiectum terræ, Græci vocant ῥῆγμα γῆς. Sine dubio autem Hebraicum פרץ Perez, Lucas voluit reddere, quod significat rupturam ædificij vel muri, & à Græcis redditum est πτῶμα. Esa, 30. ver. 13. Psalm. 144 v. 14. quod Mattheus retinuit Psal. 106. vers. 23. reddiderunt θραῦσιν. Esa. 58. alludunt ad ῥῆγμα. Significat ergo lapsus seu defectiones hypocritarum esse enormiores & periculosiores, quã si vel impius aliquid designet, potest enim redire ad pœnitentiam: vel si pius præoccupetur simili lapsu, retinet enim fundamentum. In hyprocrisi verò totum ædificium vnà cum fundamento euertitur. Hæc latius possunt explicari, sed nobis satis est fundamenta monstrasse. Hypocrisis igitur primò in hac vita in tentationibus non consistit, sed turpiter & periculose concidit. Idque *statim*, sicut Lucas inquit. Deinde alia multo tristior pœna hyprocrisi denuntiatur. *Non enim omnis qui dicit mihi Domine, intrabit in regnum cælorum*: hoc est, vel in hac vita, non habebit gratiam, remissionem peccatorum, adoptionem: vel in futura vita non habebit vitam & salutem æternam. Et in die iudicij multi, qui habebunt & iactabunt talem speciem, audient: *Non noui vos: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Et obseruetur, cum dicit *omnes*, quod hypocritas annumeraturus sit manifeste impiis, & eadem sententia vtrosque damnaturus. Hæc est valde grauis & seria conclusionis, quæ diligenter singulis meditanda est, ne, dum sumus auditores verbi, hypocrisi fascinemur.

Altera pars conclusionis, de vero & solido studio pietatis & antithesi, manifesta est, ideo breuius eam absoluemus, adiectis tantum iis qua explicatio textus requirit. Dicit igitur: *Non quicunque dixerit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui fecerit voluntatem Patris mei cælestis.* Quæ autem sit illa voluntas Patris, Lucæ cap. 6. versiculo 46. ita explicat: *Cur non facitis quæ dico?* Voluntas igitur Patris, quam facere debemus, petenda est ex verbo, quod Christus tempore Ministerij sui reuelauit, quod Apostoli postea voce prædicarunt & literis consignarunt. Nec fingenda aut recipienda est alia voluntas Dei, quæ nobis facient proposita sit. Quod enim verbum intelligendum sit, Matthæi 11. versic. 24. Christus indicat, cum inquit: *Qui audit & facit sermones meos hos*, quos scilicet tempore ministerij sui tradidit. Quid autem sit facere verbum Christi, antithesis hypocriseos supra recitata simplicissime ostendit, vt scilicet non hæreat in auribus, non natet in lingua, nec in externis tantum factis ostentetur, sed fundamentum ponat in corde, & ibi radices agat, sicut inquit parabola, Lucæ 8. versiculo 15. Et Paulus ad Ephesios 3. v. 17. & Coloss. 2. versiculo 7. mentione radicationis & fundamenti videtur huc alludere. Et de tota sua doctrina Christus loquitur. Cuius tres principales sunt partes. 1. Pœnitentia. 2. Fides ad remissionem peccatorum. 3. Fructus pœnitentiæ, seu bona opera. Facere ergo illud, de quo hoc loco concionatur, deducendum est per tria illa capita, ita, vt opponatur illis, qui audiunt, & vel nihil faciunt, vel aliud & aliter faciunt, quàm verbum Dei præscribit. Et qui audiunt & faciunt, sunt veri & genuini discipuli & auditores CHRISTI. Hæc extra controuersiam plana sunt: voluntas enim DEI est, 1. Vt peccator conuertatur, sicut inquit Ezechiel 33. versiculo 11. 2. Iohann. 6. versic. 40. *Hæc est voluntas eius, qui misit me, vt omnis qui vidit Filium, & credit in ipsum, nõ pereat, sed habeat vitam æternam.* 3. Hęc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis, 1. Thess. 4. v. 3.

Alia verò est quæstio, quid sit Petra illa, super quam ædificatos nos esse oportet, vt nullis procellis commoueamur & euertamur, & propter quam petram in regnum cælorum recipiamur. Illa certe petra non est contritio nostra, nec opera nostra. Paulus enim dicit, 1. Corinth. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus.* Et quid Petra illa sit, super quam Christus vult Ecclesiam suam ædificari, vt portæ inferorum non præualeant aduersus ipsam. Petrus explicat 2. 1. suæ Epistolę v. 4. & seq. Christus verò fide apprehenditur, & habitat in cordibus, Ephes. 3. versic. 17. Sed non potest vera fides esse sine pœnitentia, & vbi arbor bona est, ibi fructus etiam boni sequũtur. Ita facere, recte intelligitur de omnibus partibus doctrinę Christi, modo quæ cuiusque partis propria sunt, retineãtur, Christo sua gloria & saluti verum fundamẽtum relinquatur. Porrò sicut hypocrisis ędificat in superficie, vt videatur ab hominibus, ita solida pietas non oculis hominũ, sed in corde, quod solus Deus intuetur & scrutatur, ponit fundamentum.

Lucas vtitur duobus verbis σκάπτειν & βαθύνειν. Exædificaturi enim firmam & durabilem molem, maxime in locis maritimis, fundamentum non collocant in arena vel in superficie terræ, sed ducunt fossas, quarum profunditate eo vsque penetrant, donec inueniant petram, cui ædificium tuto committere possint. Ita doctrina Euangelij debet radices mittere in ipsum cor, easque tam altas, vt apprehendat, & teneat petram illam, Christum, contra quam ne inferorum quidem portæ præualere possunt. Et hæc similitudo pulchre depingit, qualis coram mundo sit differentia inter hyprocrisin & veram pietatem. Nam in huiusmodi fundamentis plerunque plus operæ & sumptuum insumitur, quam in toto reliquo ædificio: sed quia sub terra latent fundamenta, aut posita sunt in scabra & aspera petra, non sunt admirationi vulgo, quod ea tantum, quæ oculis exposita sunt, laudat. Sed hoc sapiens architectus non curat, modo ædificium fiat firmum & durabile.

Qui vero hoc modo supra Petram fundatus & exædificatus est, non cogitet se extra fortunæ, periculorum & aduersitatum aleam positum esse. Imo est, sicut domus, quæ in littore maris extructa est, ad quam pluuiæ & frequentius & densius descendunt, quam in locis mediterraneis exposita est æstibus maris, procellæ & tempestates vndique ab omnibus partibus in domum illam hoc modo fortiter irruunt. Sed quia fundata est supra petram, infestatur, agitatur, & concutitur quidem, sed non concidit: fundamentum enim firmum & immotum est. Lucas dicit inundatio non potuit domum illam σαλεῦσαι, quo verbo Græci interpretes vsi sunt, quando dicitur terra commoueri, 2. Reg. 22. v. 16. 1. Par. 16. v. 30. & columnæ eius concuti, Iob. 9. v. 6. Vera igitur & solida pietas in tẽtationibus non cõcidit, sed firma persistit, vt gloriari possit: Quis separabit nos, &c. Rom. 8. v. 35. Et Christus dicit: *Non quicunque dicit Domine Domine, sed qui facit voluntatem Patris mei cælestis, intrabit in regnum cælorum.* Regnum igitur dabitur, non nihil agentibus, sed audientibus verbum & facientibus illud. Nõ autem datur propter facere, sed propter Christum fide apprehensum. Reliqua ex antithesi manifesta sunt. Et hæc est conclusio huius concionis, in cuius explicatione ipsa amplitudo rerum longius nos protraxit quam initio constitueramus.

LECTORI

AMICO, BENEVOLO, ET CANDIDO, S.

CVm anno Christi 1593. hi libri Harmoniæ Euangelicæ primum euulgarentur, hortatus sum Lectorem beneuolum, vt piis precibus Deum solicitaret, quo is fidelem quempiam Ecclesiæ Doctorem excitaret, qui residuum huius operis ad Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem absolueret. Sed animaduerto nos integrum hoc sexennium frustra expectasse. Constitui itaque, sic monentibus amicis, quod diuino adiutus auxilio ipse manum operi admouere & tentare velim, ecquid per Dei gratiam hac in re præstare possim. Quapropter pium & huiusmodi Commentationum studiosum Lectorem etiam atque etiam rogatum velim, vt suis precibus me apud Deum patrem omnis misericordiæ & gratiæ iuuare dignetur, quo is, propter Filium Mediatorem, vires corporis & animi largiri velit, vt bonum hoc propositum feliciter persequi, & si non ipse Ecclesiæ satisfacere queam, vel saltem aliis occasionem præbeam, vt facilius in hoc scriptionum genere versentur. Tantum enim industria Scriptoris proficit, quantum pietas & deuotio Lectoris apud Deum impetrat. Vale. Scriptum in Zabeltz Misnia, 15. Aug. Anno. 99.

P. L. D.

TERTII

TERTII LIBRI

HARMONIAE EVANGELICAE, A PRÆSTANTISSIMO THEOLOGO, DN. DOCTORE MARTINO CHEMNITIO, INCHOATÆ, & per D. POLYCARPVM LYZERVM, Deo auxiliante, continuandæ.

PARS ALTERA.

OPVS, SI DEVS VITAM VIRESQVE, VT VLTIMVM FASTIGIVM EI IMPONATVR, LARGITVS FVERIT, Serenissimo Saxoniæ Electori, D. CHRISTIANO II. Domino suo clementissimo, humillimè consecrandum.

LECTORI A. B. C. D.

Vulgò dicitur: Omne promissum cadit in debitum. Cum ergo meminerim, Lector amice, beneuole, candide, dilecte, me ante quatuor annos, cum secundam Harmoniæ huius Euangelicæ (quousque quidem ea à celeberrimo Theologo, Dn. Doctore MARTINO CHEMNITIO, *piæ memoriæ, perducta est) editionem adornarem, spem tibi fecisse, quandoquidem nullus prodiret, qui inchoatum opus perficere vellet, quod Ego, diuina adiutus gratia, residuum superaddere conaturus essem. Fateor me tibi debitorem factum esse.*

At verò reipsa experior, facilius esse promittere quid, quàm præstare. Non tantum propterea, quia in promittenda re aliqua, nudis saltem verbis, quæ ex simplici voluntate dependent, vtimur: in eadem autem præstanda non verba sufficiunt sed facultatis etiam vires excutiendæ sunt, quæ vbi deficiunt, homo promissis stare nequit. Verum etiam hac de causa, quia Salomonis dictum: Homo proponit, Deus disponit, si vllibi in huiusmodi certè pollicitationibus vel maximè locum habet. Vbi varia, grauia & improuisa impedimenta interdum à Deo ipso obiiciuntur, quæ hominem, qui vel maximè promissa explere cupiat, quo minus iis satisfaciat, remorantur.

Idem mihi in hoc negotio accidit. Mox enim post editionem illam absolutam manum operi admoui, sperans me citra moram diuturniorem illud expediturum. Et quidem initio res satis feliciter procedebat: at mox infinita pene obstacula me exceperunt, vnde factum, vt huius partis editionem in quartum vsque annum protraxerim. Nam cum iam ad vmbilicum eam adduxissem, lethalis ille, & ne nunc quidem plene superatus, morbus, ante annum me crudelissimè inuasit, sicque cruciauit & afflixit, vt de toto opere prorsus desperarim.

*Verum Deus, qui mortuos suscitat, & qui lasso dat virtutem, atque infirmis fortitudinem & robur multiplicat (*Iesa. 40. 29.*) idem me quoque ex singulari benignitate ex mortis faucibus extraxit, atque insuper nouas vires mihi addidit, vt vel tandem typographo id quod conscripseram tradere potuerim. Commendo autem hoc ipsum, Lector amice, beneuolentiæ & candori tuo. Si intellexero te cum fauore hæc mea qualiacunque excipere, animum mihi addes, vt de reliquis pertexendis diligentius cogitem, eadémque maiori cum conatu vrgeam, vtcunque alioquin labores mei in functione hac mea aulica crescant.*

Ingenue autem fatebor, me sæpius exoptare veterem conuersationem cum Reuerendo & doctiss. viro, Dn. FRIDERICO PETRI, *Ecclesiæ Brunsuicensis ministro & seniore vigilantissimo, Compatre & amico meo sincero. Iste enim vir non tantum crebris monitionibus, ad eiusmodi labores continuandos mihi sæpe calcar admouit: sed etiam diligenti sententiarum collatione sæpius mihi occasionem præbuit, de quibusdam accuratius cogitandi, imò etiam quædam dexterius explanandi, quæ alioquin sicco (quod aiunt) pede præteriissem.*

Tu ergo, candide Lector, tenuibus hisce meis notationibus, cum nemo prodeat, qui præstantiora in medium proferre velit, benignè fauere digneris. Si expectationi tuæ satisfactum fuerit, vnà mecum Deo Opt. Max. gratias agito, qui per Spiritus sui gratiam clementer largitus est, quicquid hîc depromitur: sin alicubi defectus aliquos deprehenderis, humanæ illos imbecillitati adscribito. Et si in quibusdam me monendum censueris, liberè & candidè, modò sine acerbitate, illud facito. Experieris me omni studio, labore & solicitudine in id incumbere, non vt mundanam aliquam gloriam vener, sed vt commune religionis negotium pro virili promoueam, sitque Deo grata, Ecclesiæ vtilia, mihi verò ad salutem conducentia peragam. Quod superest, te non minus quàm meipsum omnipotentis Dei gratiæ commendo. Scriptum in Zabeltitz Misniæ: 30. Octobris, Anno 1603.

CAPVT LII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM SANATI LEPROSI, QVÆ PROXIMI CONCIONEM ILLAM de Lege in monte habitam secuta est, Matth. 8. vers. 1.

RATIO ORDINIS.

Generalis hæc est obseruatio in tota Euangelica historia, quod post traditum & explicatum insignem aliquem doctrinæ cœlestis locum, plerumque sequantur illustria aliquot miracula. Hunc autem ordinem filius Dei propter duas potissimum causas obseruauit. 1. Vt traditæ doctrinæ certitudo & veritas, per subsequentia signa confirmetur & obsignetur. Et hanc causam Christus ipse monstrat, Marc. 16. 17. 2. Vt vsus, applicatio, atque (vt sic dicam) praxis traditæ doctrinæ in exemplis monstretur. Et quando hoc modo miracula Christi non confuse aspiciuntur, sed ad præcedentes conciones referuntur, tum facilior, tum illustrior est explicatio. Post prolixam itaque illam concionem, cuius explicatio superiori capite posita est, sequentur iam aliquot miracula.

Primum autem de ordine historiarum constituendum est. Et quidem manifestum est, Matthæum cap. 8. versic. 1. & Lucam cap. 7. versic. 1. expressam ponere notationem temporis & ordinis, quid post absolutam concionem secutum sit. Vterque enim consentit, quod post illam concionem Iesus ingressus Capernaum sanarit famulum Centurionis. Matthæus vero addit, quod sanatio cuiusdam leprosi facta sit, cum Iesus finita concione in itinere esset à mõte versus Capernaum, priusquam ciuitatem illam ingrederetur. Hæc notatio ordinis & temporis certa & manifesta est, quam etiam confirmat ipse textus. Nam in Græco participium καταβάντι notat præsens tempus, cui quia mox subiungitur particula, καὶ ἰδοὺ, *Et ecce*, dubium nullum est, eam hic cõsecutionem historiarum notare, quod scilicet hoc miraculum factum sit statim, cum Christus de monte descenderet, & adhuc populus, qui prolixum illud sermonem audierat, eum comitaretur.

Quo autem Marcus cap. 1. ver. 4. & Lucas c. 5. ver. 12. hanc historiam de leproso alio ordine describunt, dicendum est, id vel per anticipationem factum esse, vel diuersam historiam esse: sicut suprà c. 42. diligenter de eo annotatum est. Similia enim miracula Christum sæpius diuerso tempore, diuersisque in locis edidisse dubium est nullum. Quapropter communem omnium interpretum sententiam secuti, hanc de leproso sanato historiam hoc loco repetemus. Quia tamen Euangelista Lucas c. 7. v. 1. quædam verba ponit, quæ & ipsa historiam de seruo Centurionis antecedunt, ideo ea hic in harmonia omittere non potuimus.

HISTORIA LEPROSI, POST ILLVSTREM ILLAM de Lege concionem, sanati Matth. 8. v. 1.

	Græce		Latine
c	Ἐπεὶ δὲ πλήρωσε [ὁ Ἰησοῦς] πάντα τὰ ῥήματα αὐτοῦ εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ, [καὶ]	c	*Cum autem consummasset [Iesus] omnia verba hæc audiente populo, [&]*
1.	a Καταβάντι αὐτῷ ἀπὸ τοῦ ὄρους, ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί.	1.	a *Cum descendisset de monte, secutæ sunt eum turba multa.*
2.	Καὶ ἰδοὺ, λεπρὸς ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, λέγων· κύριε, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι.	2.	*Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.*
3.	Καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς, λέγων· θέλω, καθαρίσθητι, καὶ εὐθέως ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα.	3.	*Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius.*
4.	Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ὅρα μηδενὶ εἴπῃς. ἀλλὰ ὕπαγε, σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε τὸ δῶρον, ὃ προσέταξε Μωσῆς, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς.	4.	*Et ait illi Iesus: vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis.*

Periocha huius historiæ.

Qvandoquidẽ hæc historia plene & solide exposita est suprà cap. 42. superuacaneum videtur in præsentia nouam explicationem superaddere. Quia tamen ex ratione ordinis quædam vtiliter hic obseruantur, quæ in superioribus commode notari non potuerunt, de iis pauca monebimus.

1. Dictum est autem modo, Christum insignioribus concionibus illustria miracula subiunxisse, hanc ob causam, vt per illa doctrina præmissa confirmaretur. Qui sane communis finis & vsus est omnium miraculorum. In præsenti autem historia euidentissime monstrari potest, quomodo miracula doctrinæ subseruiant. Attulerat Christus in præcedentibus eximiam & prorsus cælestem diuinæ legis interpretationem, quæ cum Pharisæorum & Scribarum expositione nulla ex parte consentiebat. Vnde & ipse Christus diserte inter se opponit, *Dictum est antiquis*: Et: *At ego dico vobis.* Cumque sermonem suũ sic finierit, vt turbæ obstupuerint super doctrina eius: quia non docuit sicuti Scribæ, sed ὡς ἐξουσίαν ἔχων: Dubium est nullum, plurimos ipsius doctrinæ protinus assensum præbuisse. Alios autem, & fortassis non malos, ne leues viderentur, in suspenso mansisse & hæsitasse, dubitantes, vtrum Scribarum doctrinam deserere, & Christi amplecti, an vero diutius Scribis adhærere debeãt. Sic enim sunt ratiocinati: Maiores nostri & antiqui non fuerunt stipites & trunci, an non illi quoque verum legis diuinæ sensum consequi potuissent? Num statuemus tot doctos Scribas & Pharisæos omnes errasse, & solum hunc Mariæ filium Iesum veriora proferre posse? Aut Num iudicabimus maiores nostros omnes periisse, quod ista ignorarint? Hos vtrosque Christus iuuare voluit. Et quidem, vt priores, qui doctrinam iam amplexi erant, confirmaret, posteriores vero plenius alliceret, mox finita concione, præsente adhuc populo, miracula aliquot edit, eaque solo verbo. Leproso enim primum dicit: *Volo, esto mundus.* Ac mox Centurioni: *Fiat tibi sicuti credis.* Vt sic reipsa commonstraret, verba sua non esse nuda & inefficacia verba: sed esse potentiã Dei, Rom. 1. v. 16. & ministerium Spiritus sancti 2. Cor. 3. v. 8. sicut ipse dixit Ioann. 6. ver. 36. Verba, quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita sunt. Ne ergo amplius dubitarent, an doctrina ipsius esset vera: sed vt certo statuerent, eam diuinam esse & cælestem, hisce miraculis comprobauit. Sicut postea dicit Ioã. 5. v. 36. Opera, quę ego facio, testimoniũ perhibẽt de me, quia Pater misit me. Et c. 10. v. 37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite. Ac rursus cap. 14. v. 11. Non creditis, quia Ego in Patre, & Pater in me est? certe (εἰ δὲ μὴ) propter opera ipsa credite. Hæc omnia innuit Euangelista, dum dicit: Christum descendentem de monte, in quo concionẽ illã habuit, multas turbas secutas esse, atque tum eum hoc miraculum edidisse. Ex his, vt verus vsus miraculorum constat, quod nimirum sint testimonium doctrinæ: sic simul manifestum est, doctrina sufficienter confirmata, nihil amplius opus esse miraculis. Qua de causa Deus ipse, postquam Euangelio in orbe fides habita, & Christus Dei filius ac mundi Saluator receptus est, domum miraculorum sustulit. Vnde etiam habemus, quod respondeamus Iesuitis, qui à nobis miracula exigunt,

exigunt, quibus veritatem nostræ sanæ doctrinæ confirmemus. Illis non opus esse, nos affirmamus. Si enim nouam, à Christi & Apostolorum Euangelio alienam doctrinam proferremus, omnino indigeremus miraculis, quibus eam confirmaremus. Cùm vero nostra doctrina cum Christi & Apostolorum doctrina per omnia conueniat, eorundem miraculis hæc abunde est confirmata. Qui vero nouam & cum Euangelio Christi pugnantem doctrinam afferunt, illi etiam noua miracula quærant, quibus sibi fidem faciant.

II. Alteram causam, ob quam Christus solennioribus concionibus miracula subiungere solitus fuerit, diximus esse hanc, vt sic veram χρῆσιν & applicationem, ceu in exemplo & viua imagine, commonstraret. Id quoque ex hac historia liquido patet. Nam dubium non est, huc leprosum concionum & miraculorum Christi excitatum, cum alias vndique ad Christum confluerent, qui variis infirmitatibus tenebantur (sicut Matth. 4. ver. 24. refertur) & ipsum Christum secutum esse. Sed quia lege Mosis cautum erat, Leuit. 13. v. 44. vt ne leprosus tempore suæ immunditiei sese ingeret in consortium mundorum, iccirco verisimile est, hunc leprosum segregatum à plebe seorsim stetisse, expectaturum, quando Iesus è cœtu progrederetur, vt tuto eum alloqui posset. Cumque Christus insigne illā concionem ordiretur, ipse quoque, licet eminus, auditorem se præbere voluit. Nunc finita concione ostendit, quantum ipse ex ea profecerit. Nam quia Christus 1. initio concionatus erat de cruce, ostenderat, secundum Legis quidem vocem ærumnas esse indicium irati Dei, secundum Euangelij autem doctrinam credentes non excludere à vera beatitudine, & à regno cœlorum. Quinimo beatos esse pauperes, quia ipsorum sit regnum Dei. Iccirco & ipse corpore & animo pauper, bene sperare incipit de regno Dei, & credere, licet ob lepram exclusus sit ab externo contubernio Iudæorum, & cultus Mosæi, tamen non fore se exclusum propter eandem à regno Messiæ. Sed quia hic Messias dixerit: *Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolationem accipient. Beati qui fletis nunc: quia ridebitis*: Iccirco ipse quoque in illo suo luctu & fletu magna fiducia ad thronum gratiæ accedit, vt consolationem consequatur, vt os ipsius gaudio impleatur, & lingua exultatione, Psal. 126. v. 2. 2. Audierat præterea Christum dicere: quod *non venerit tollere legem, sed eam implere.* Hanc doctrinam sic sibi applicat, vt licet lex Moysi ipsi interdicat commercio omnium hominum: ipse tamen, (quia credit hic adesse eum, qui vtraque faciat vnum, & medium parietem maceriæ soluat, Eph. 2. v. 14.) irrumpat ad ipsum vsque Christum, & coram ipso procidens sanari petat. 3. Ex doctrina precationis didicerat, licere à Deo petere, non tantum spiritualia bona, sed & corporalia. Siquidem bona corporis & fortunæ non temere aut casu voluantur, sed diuina prouidentia dispensentur, & distribuantur prout Deus velit. Deum autem illa quoque elargiri per Messiam, qui Saluator noster constitutus sit, no spiritualibus tantū, sed & corporalibus. Cum igitur ipse sanitate, quæ corporale bonum est, destituatur, adit hunc Messiam, & ab eo illam petit. Si quis enim re quapiam indiget, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, Iacob. 1. versic. 5. Quia tamen spiritualia & corporalia bona cum discrimine petere iubemur: illa sine conditione, hæc cum conditione, si nimirum sit bona Dei voluntas, sique nobis sit vtile & salutare. Sæpe enim ipsi nescimus, quid peramus, Matth. 20. 22. Ideo & hic Leprosus hoc præceptum obseruat & dicit: *Domine si velis, potes me mundare.* Quia diceret: Scio, quod possis, sed an mihi sit salutare, hoc ignoro: quare fac quod bonum videtur in oculis tuis. Licet autem ipsum opus resignet in manus Christi: sic tamen orationem informat, vt manifestè deprehendatur declinare in alteram partem, quod cupiat mundari. Aduersatiuam enim omittit, nec dicit: Si non placet, volo manere, qualis iam sum. Est hoc infirmitatis, quam tamen Christus suffert. Dauid pleniori fide præditus erat, cùm dicit 2. Sam. 15. 25. Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi arcā & tabernaculū suum. Si autem dixerit mihi: Nō places; præsto sum, faciet quod bonum est coram se. 4. Denique ex hac vna cōcione, quam audiuit, hic leprosus in agnitione Christi plus proficit, quàm multi, qui per aliquot annos & quidem inde à iuuentute doctrinam Euangelij audiuerunt. Quem enim oculis corporis videt esse hominem, eundem, quia cum potestate prædicantem audiuit, oculis fidei agnoscit Deum. Nisi enim pro vero Deo ipsum habuisset, nūquam eum adiisset, neque de depellenda lepra, morbo alioquin incurabili, interpellasset. Cùm 2. Reg. 5. v. 7. Ioram rex Israelis legisset literas Benadab, in quibus scripserat: Scito, quod miserim ad te Naaman seruum meum, vt cures eum à lepra sua, protinus Ioram exclamat: Nunquid DEVS ego sum, vt occidere possim & viuificare, quia misit ad me, vt curem hominem à lepra sua? Semper itaque in populo Dei æqualis potentię, diuinę nimirum, habitum est, viuificare seu à mortuis resuscitare, & lepram depellere. Cumque leprosus hoc à Christo petat, omnino ipsum pro vero Deo habuit. Iccirco etiam προσεκύνει αὐτῷ, *adorauit ipsum*, non tantùm exteriori veneratione, quæ per corporis inclinationem & prostrationem exhibetur; sed simul interiore illa λατρείᾳ, quæ vni & soli Deo debetur. Nam Græci Hebrǽum שחה, quod totius corporis prostrationem in faciem significat, & plerumque in diuino cultu vsurpatur, per προσκυνεῖν reddiderunt. Deut. 4. v. 19. Caue, ne videas solem & lunā & astra, & errore deceptus προσκυνήσῃς αὐτοῖς, adores ea. Ps. 99. v. 5. Exultate Dominum Deum nostrū, & adorate scabellū pedum eius. Atque sic ostendit hic leprosus, in Christo non tantùm diuinam naturam, sed, vt Patres olim locuti, adorandum esse τὸ συναμφότερον ipsius. Quemadmodum & Patres, inprimis autem Ambros. li. 3. de Spiritu S. c. 12. & Augustinus in Psalmum 98. illud dictum Psalmi: Adorate scabellū eius, ad Christum secundùm humanam naturā applicant. Dicunt enim, Quomodo adorabimus scabellum, quod est terra? & respondent: Scabellum terra est, & Christus suscepit terram de terra, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem CARNEM illam manducat, nisi prius ADORAVERIT: inuentum est quomodo scabellum pedum Domini adoretur, vt non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Caueant itaque Christiani errorem illorum, qui humanam Christi naturam non aliter adorandam docent, quàm vt purpura, qua rex indutus est, adoratur. Nam ex vera adoratione firmior quoque exurgit fides, & plenior consolatio, quàm fuit huic leprosi, vt sciamus Christum & posse & velle nos iuuare in nostris afflictionibus. Posse: quia verus DEVS est. Velle: quia verus HOMO est, tentatus per omnia (sed absq; peccato) vt possit compati infirmitatibus nostris, Heb. 4. v. 14. Hæc sunt præcipua membra, quæ puto ex ordine historiarum desumi posse, quibus historia leprosi præter ea, quæ superius c. 42. tractata sunt, non inutiliter illustratur. Si quis plura obseruauerit, his adiicere poterit.

III. Antequam ad aliam historiam transeamus, lubet spiritualem considerationem Lepræ, qua animæ & corpora impiorum inficiuntur, subiungere. Grata enim potest esse hæc consideratio pio lectori, in meditatione historiarum tum huius leprosi, tum aliorum. In hac autem consideratione duo potissimum spectare debemus. Vnum est, ipsa deformitas spiritualis lepræ, siue Peccati. Alterum remedia, quibus hic animæ morbus sanatur. De vtroque breuiter differemus.

PRIMÒ igitur lepræ metaphorā Peccati deformitas mirifice ob oculos ponitur, à quo non minus quam ab edacissima lepra abhorrere debemus. Nam primò constat, inter omnes morbos lepram esse morbum facile omnium maximum. Epilepsia, paralysis, pestis, reuera sunt morbi magni: Verumtamen aut non sunt perpetui, nec diuturni; aut homo non segregatur propter eos. Sed lepra perpetuo durat est, incurabilis, morbus contagiosus, atque tantoperè abominabilis, propter eum homo à reliquorum consortio excludatur: Ita peccatum inter omnia mala existimare debemus malum maximum. Paupertas, carcer, morbi, mors quoque sunt mala: sed talia, à quibus homo vel liberari potest, vel certè sunt ei finis malorum. Peccatum autem ab initio ad finem vsque durat, omniaque reliqua mala habet sibi adiuncta, eorumque fons & origo existit. Ideoque non leuiter æstimemus peccatum, vt vulgus hominum solet, sed, vt reuera est, infinitum aliquod malum esse statuamus, cuius odio nunquam sufficienter flagrare queamus. 2 Lepra est maximè deformis. Febris, phthisis, morbilli, variolæ hominem quoque corrumpunt & deformem reddunt: ita vt quò naturâ antea fuit venustior, eò reddatur postea per morbos illos deformior. Sed lepra magis hominem deformat, ita vt os veste contectum gestare iubeatur, Leuit. 13. v. 45. Ita peccatum spiritualiter coram Deo hominem adeo deformem reddit, vt nullum monstrum, nullumque cadaueri fingi queat, quod eo sit turpius. Erat sane homo omnium creaturarū pulcherrimus, insignitus imagine Dei. At iam propter peccatum horribilis est Diaboli larua, mente, voluntate & corde corrupta atque à Deo auersa, vt & ipse homo DEO sit abominabilis, Prouerb. 14. v. 1. & omnia ipsius opera peccato infecta, idem sint βδελύγματα, Isa. 1. 13. 3. Lepra est maxime contagiosa; vnde ea infecti à communi hominem contubernio arcentur: Ita peccatum adeo facile alios inuadit, vt nulla pestis tātopere aërem inficere possit. Nam vt ligna arida igni admota cito flammam concipiunt: sic homines ob naturæ corruptionem, aliorum improborum exemplis facilime impelluntur, vt securè eadē committere audeant. Hac de causa Peccatum fermento confertur 1. Cor. 5. v. 6. quia facile totam massam inficit. Vnus im-

purus Doctor infinitos perdere potest. Vnus blasphemus multos corrumpere, vnus inobediens multos rebelles reddere potest. Et optandum esset eiusmodi peccatores secludi à contubernio aliorum. Sed, proh dolor, totus mundus in malo positus est, 1. Iohan.5.ver.19. nec quicquam aliud est, quàm collegium leprosorum. 4. Halitus quoque leprosorum odore est molestissimus. Neque enim aliter fieri potest, quia omnes humores in ipsis sunt vitiati. Idem euenit eorum mentibus, qui peccatorum vitiis sunt infecti, licet nos ob consuetudinem fœtorem illum non odoremus. Deo certe hic fœtor molestus est: Vnde conqueritur Psal.5.ver.11. Sepulchrum patens est guttur eorum. Sicut enim ex sepuchro, in quo putrida cadauera iacent, immanis fœtor exhalat: Ita ex homine, in quo anima ob peccatum mortua est, nil nisi graueolentia prodit. Optime DEVS, quantum fœtorem quotidie excipere & tolerare cogeris? Alij ex hoc tumulo oris nil nisi lasciuiæ verba, alij nil nisi blasphemias, alij mera mendacia eructant. Hinc prodeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blaphemiæ & consimilia, Matth. 15.v.19. Ecce, quanta malorum lerna ex spirituali hac lepra prodeat. Sed nondum omnium malorum finis. Nam 5. notū est, quod lepra hominem in viduū cadauer vertat; mutilat aures, erodit oculos, nares, pedes, omnem denique sensum aufert. Sicut Aaron pro sorore Miriam hisce verbis intercedit apud Mosen, Num.12.v.12. Obsecro Domine, ne imponas nobis peccatum hoc, ne fiat hæc quasi mortua, & vt abortiuum, quod proiicitur de vulua matris suę. Ecce iam medium carnis eius deuoratum est à lepra. Ita quoque peccatum, si assiduitate in consuetudinem abeat, omnem spiritualem sensum homini aufert: Aures eripit, vt nec mādatis Dei obtemperent, nec minas eius curent. Oculos excœcat, vt nec magnitudinem suæ miseriæ, nec periculum mortis imminentis, nec diuini iudicij acrimoniam cernant. Denique nec manus habent, quibus bene operentur, nec pedes, quibus currant viam mandatorum Domini. Est autem hoc malorum omnium maximum (sicut veteres sapientes testantur) si quis & ipse non sapiat, & aliorum sapientum dicta audire nolit; quod accidit iis, qui spirituali lepra sunt infecti. Hæc & alia plura in considerationem veniunt, si quis metaphoram illam Lepræ diligentius meditetur.

SECVNDO autem simul discendum, qua ratione hic animæ morbus curetur. Docet hoc exemplum huius leprosi. Fugiendum nimirum est ad Christum. Is est solus medicus noster, Exod.15.versic.26. qui mortis suæ merito peccatum expiauit, & iam iustitia sua fœditatem nostram tegit, donec per mortem & resurrectionem nos totos ab hac peccati lepra purget. Ad hunc accedēdum est 1. humili pœnitētia. 2. firma fide. 3. precibus, & exorandus, vt nostri misereatur: sicut hic leprosus fecit. At Christus nos remittit ad ministeriū, nō quasi verbi & sacramētorum ministri per se nos purgent, sed quia sunt testes, & quasi manus Dei, per quam media purificationi nostræ conuenientia applicat. Iucunda autem est consideratio, quomodo nostra purificatio, in lege de mundandis leprosis, Leuit 14.v.4. adumbrata sit. Nam lex Dei plena est mysteriis, quæ lector non oscitans diligenter expendere, inque spiritualem suum vsum transferre debet. Hic ergo occurrit 1. quod purificando pręceptum fuit, vt offerret duas aues mundas, quarum altera mactanda, altera sanguini intincta libera dimittenda erat. Significabant hæ duæ auiculæ corpus & animam hominis, siue eiusdem carnem & spiritum. Illa Deo mactanda est: hic sursum liberè ad Deum & cœlestia euolare debet. Carnē mactare & mortificare iubet Apostolus Colos.3.v.5. Mortificate mēbra vestra, quę sunt super terrā. Et rursus Rom. 12.ver.1. Exhibete corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Hæc mortificatio fit, quando luxuriātes affectus, & prauas carnis cupiditates rescindimus, sicut in dicto loco ad Colossenses Paulus docet, vt abiiciamus fornicationem, immunditiem, libidines, concupiscētiam malam, auaritiam & consimilia vitia. Altera auis scilicet anima spiritus sursum euolet, pennis orationis, & sanctæ meditationis. In quibusdam hominibus animus rebus terrenis quasi glutino quodam sic est affixus, vt nunquam aut raro cogitet de cœlestibus. Precibus itaque vacandum est, & meditanda sunt Dei beneficia, cœlestis gloria, Christi & beatorum maiestas. Sicut Paulus præcepit: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quęrite; vbi Christus est in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite; non quæ super terram. Colos 3.ver.1. Hæc aliquibus duriora videntur, fateor: vnde & altera auis in alterius sanguinem intingitur, hoc est, non sine cruce & tribulatione ista fieri solent. 2. Verumtamen in Lege Purificationis duo monstrantur, quæ obseruata hanc mortificationem reddunt faciliorem. Vnum est, quod auis mactanda est super vase fictili, ad aquas viuētes seu fluētes. Quod designat, homini mortificando proponendam esse vitæ huius & fragilitatem & breuitatem. Vita enim fragilis est, ceu vitrum au vas figuli, eiusque fluxus subinde decurrit instar aquæ præterlabentis. Cur ergo durum esset gloriam Christi, & propriam salutem, mortificare carnem, cùm alioquin, quicquid facias, mortalitati illa sit subiecta? Alterum est, quod auicula libere dimittenda, cum aspersorio septies intingitur in sanguine immolati. Quo denotatur, Deū per ministerium dare & velle & perficere. Philip.2. 13. tam quoad mortificationem carnis, quàm quoad libertatem Spiritus. Aspersorium enim Ministerium significat: in quo Hyssopus, id est, minister humilis & despectus, rubro filio meriti CHRISTI ligatus est ad nobilem cedrum, CHRISTVM, cuius sanguis nos emundat ab omni peccato. 1. Iohan.1.v.7. Huc alludit Dauid Psal.51.v.9. Asperges me hyssopo, & mundabor. 3. Tertio iniunctum fuit leproso mundando, vt tempore Purificationis suæ pilos raderet, & vestes lauaret. Pili, vt notum est, nascuntur ex superfluitate humorum. Omnis igitur superfluitas rerum mundanarum ei, qui à peccato velit mundari, remouenda est, aut certè cor non est apponendum, Psal. 62.ver.11. Et quia appetitus earum, licet semel atque iterum rescindatur, tam facile redit, quàm facile pili crescunt. Iccirco semper instandum, donec penitus euellatur, quicquid est pristinæ vetustatis. Et sicuti leprosus mundandus vestem lauabat, ne sordibus prioris vestis rursus inficeretur: Sic, qui velit à peccato mundari, nouum hominem induere debet, Eph.4.v.24. vt in nouitate vitæ ambulet, Rom.6.ver.4. Id quod fit, quando pia cogitat, honesta loquitur, salutaribus delectatur: sicuti in notato loco ad Ephes. 4. Paulus prolixe explicat. 4. His ritè & secundum præscriptum legis peractis, leprosus à sua plaga sanatus & mundatus admittebatur intra castra: sed septimo die rursus radebatur, lauabatur, octaua expiabatur, ac sic demum in domum suam remeabat. Ita nos, lepra peccati infecti, & sanguine Christi in Baptismo abluti atque mundati admittimur intra consortium militātis Ecclesiæ. In morte autem, quando caro tota absumitur, nosque immutamur, vt corruptibile induat incorruptibilitatē, & mortale hoc induat immortalitatē 1. Cor.15.53. ibi tū penitus expiabimur. Atque vbi aduenerit octaua dies ęternę vitę, tū plene sentiemus fructum sanguinis agni, & admittemur ad domum Dei, de qua Apoc.21.27. scribitur, quod in eam non ingredietur aliquod coinquinatū, aut faciēs abominationē, aut loquēs mēdaciū; sed tātūm qui scripti sunt in libro Vitę Agni.

CAPVT LIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ.

Historia Centurionis in Capernaum, intercedentis pro seruo suo, vt à Paralysi liberetur, Matth.8.v.5.& Luc.7.v.2.

RATIO ORDINIS.

IN hoc capite ratio ἀκολουθίας ita manifesta est, vt non opus esse videatur, multum de ea laborare. Nam vterque Euangelista & Matthæus & Lucas testatur, hoc miraculum factum esse statim post finitum prolixum illum sermonem in monte. Cumque supra, c.51. Harmoniæ, prolixe & satis firmiter sit demonstratum, eandem esse concionem, quam Matthæus 5.6.& 7. capitibus, Lucas autem c.6. describit, dubium est nullum, vtrumque quoque idem miraculum describere voluisse.

Sunt tamen qui contendunt, esse duas diuersas historias, diuerso tempore in diuersis factas. Vrgent hi potissimum, quod Matthæus scribit, ipsum Centurionem Iesum accessisse, & negocium illud egisse. Lucas autem testatur, illud factum esse primò per seniores Iudæorum, deinde per amicos Centurionis. Sed hanc diuersitatem Augustinus ita conciliat, quod Matthæus breuitatis studio Capita tantum huius historiæ signarit, quid Centurio à CHRISTO petierit, qua item humilitate & fide hoc fecerit: Lucas vero circumstantias plenius descripserit, quomodo Centurio negociū hoc egerit; scilicet, nō per seipsum, sed primò per legatos Iudæos, deinde per

de per amicos suos. Quod igitur apud Lucam mandato & nomine Centurionis agitur: hoc apud Matthæum Centurio ipse agere dicitur. Nam & aliàs hic vsitatus scripturæ mos est, quod, qui per legatos aliquid agit, ea quæ dicuntur & aguntur, ipse dicere & agere perhibetur. Sic Matth. 11. v. 2. & Luc. 7. ver. 19. Baptista per legatos quærit ex Christo, quis sit: & tamen diserte dicitur, εἶπεν αὐτῷ & λέγων αὐτῷ, dixit ei: non aliter, ac si præsens præsenti illa dixisset. Sic in passione Matth. 26. v. 18. Marc. 14. v. 14. Luc. 22. vers. 11. Iesus mittit duos discipulos paratum pascha: & tamen expresse dicitur: *Magister dicit tibi.* Nam quod Dominus per legatos dixit, illud ita narratur, ac si præsens hospiti illud coram dixisset. Sic Matth. 17. versic. 19. Vxor Pilati misit λέγουσα. *Dicens* scil. per legatum. Et Act. 25. v. 26. dicit Festus Præses Romanus ad regem Agrippam, de Paulo, προήγαγον: *adduxi*, id est, iussi adduci eum, & cætera. Ex quibus & similibus locis patet, nihil noui in scriptura, quod, quæ quis per legatos dixit & fecit, sic referantur, ac si ipse coram id dixisset. Itaque non est diuersitas, multò minus contrarietas, quod quæ Lucas scribit Centurionem per legatos dixisse, Matthæus ita refert, ac si Centurio ipse coràm dixisset. Quid, quod Lucas ipse in cursu orationis cum Matthæo consentit? Etsi enim diserte dicit, Centurionem non ipsum venisse, sed seniores & amicos misisse: tamen vtitur etiam ipse eodem, de quo modò diximus, scripturæ more, cùm sic scribit: *Misit ad eum, rogans eum.* Item λέγων αὐτῷ· Κύριε, μὴ σκύλλου, οὐ γάρ εἰμι ἱκανός. &c. *Dicens ei: Domine noli vexari. Non enim sum dignus, &c.* nō aliter quàm si præsens præsenti hoc dixisset, licet ex circumstantiis manifeste pateat, hæc non per Centurionem ipsum, sed per ipsius legatos dicta fuisse. Hæc eò dicuntur, vt Augustini sententia confirmetur, qui vult ostendere, veritati narrationis apud Matthæum nihil derogare, quod is breuitati studens, modo loquendi scripturæ familiari ita voluit, Centurioni adscribens, quod per legatos egit Lucas autem omnia copiosius persecutus, exquisite descriptis omnibus circumstantiis, breuiloquentiæ Matthæi nihil contradicit.

Gerson autem iuxta Theophylacti sententiam, putat hoc modo conciliari posse, quod primo miserit Presbyteros seu seniores Iudæorum: secundò amicos, tertiò subsecutus sit ipse, & dixerit, quæ Matthæus scribit. Et hæc ratio conciliandi videtur omnium conuenientissima, qua tum modestia Centurionis, tum magnitudo fidei ipsius fit luculentior. Nam cùm Iesus conferta multitudine turbæ comitatus Capernaum versus tenderet, fama, vt fit, præuenit in vrbem, quæ Centurionem excitauit, vt seniores Iudæorum ad ipsum ablegaret, qui pro impetranda seruuli sanitate intercederent. Ipse enim tanquam homo militaris & gentilis subuerebatur sanctum hunc Prophetam accedere. Postquam ergo Iesus promptè suam operam offerret, & se venturum diceret, hocque Centurio resciret; protinus misit suos amicos, qui aduentum Christi deprecarentur. Siquidem Centurio se indignum tanto hospite iudicaret. Sed Dominus Iesus, eo nihil motus, progreditur. Cùm ergo iam prope ad Centurionis ædes peruenisset, hic properè inde prorumpit, quod nimirum credat, Iesum ea potentia præditum esse, vt sit vel tantùm verbulum proferat, eius virtute seruus sanari possit. Hoc modo si hæc conciliantur, in reliquis circumstantiis vsq; adeo nulla est diuersitas, vt potius mirabili Spiritus sancti dispensatione factum videatur, quod vna eademque historia à duobus diuersimode descripta est, vt sic quod ab vno prætermissum erat, ab altero suppleretur, adeoque neutrius narratio superflua esse animaduerteretur. Nam quem Matthæus παῖδα, *puerum* vocat, ne quis filium arbitretur, Lucas non tantùm παῖδα *puerum*, sed & δοῦλον *seruum* nuncupat. Lucas etiam in genere dici *seruum ægrotum* fuisse, quo autem morbi genere decubuerit, id Matthæus diserte exprimit. Sicut etiam Matthæus expressius dicit, quale fuerit verbum, cuius virtute & efficacia famulus in illa hora statim sanatus fuerit. Locum denique de vocatione gentium & reprobatione Iudæorum, Matthæus solus notauit. Itaque vnã & eandem historiam Matthæum & Lucam recitare, nullum nobis est dubium. Vterque enim eum nominat ἑκατόνταρχον: vterque dicit eum Capernaum habitasse: vterque de pari fide huius Centurionis agit: vterque idem beneficium refert, quo à Christo fit affectus: apud vtrumque Christus iisdem verbis fidem Centurionis commendat: ita vt vix maior similitudo narrationis desiderari possit.

HISTORIA SANATI SERVI Centurionis in Capernaum.

MATTH. 8.

5.	Εἰσελθόντι δὲ τῷ Ἰησοῦ εἰς Καπερναοὺμ, προσῆλθεν αὐτῷ ὁ ἑκατόνταρχος, παρακαλῶν αὐτόν,	5.	*Cùm autem introiisset Iesus Capernaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum,*
6.	Καὶ λέγων· Κύριε, ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικός, δεινῶς βασανιζόμενος.	6.	*Et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.*
7.	Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτόν.	7.	*Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum.*
8.	Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἑκατόνταρχος, ἔφη· Κύριε, οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς, ἵνα μου ὑπὸ τὴν στέγην εἰσέλθῃς· ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγον, καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου.	8.	*Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbum, & sanabitur puer meus.*
9.	Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας· καὶ λέγω τούτῳ, πορεύθητι, καὶ πορεύεται· καὶ ἄλλῳ, ἔρχου, καὶ ἔρχεται· καὶ τῷ δούλῳ μου, ποίησον τοῦτο, καὶ ποιεῖ.	9.	*Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, & habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit; & alij, veni, & venit; & seruo meo, Fac hoc, & facit.*
10.	Ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς, ἐθαύμασε, καὶ εἶπε τοῖς ἀκολουθοῦσιν· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον.	10.	*Audiens autem Iesus, miratus est; & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.*
11.	Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.	11.	*Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac & Iacob in regno cœlorum.*
12.	Οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς, καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.	12.	*Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium.*
13.	Καὶ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς τῷ ἑκατοντάρχῳ· ὕπαγε, καὶ ὡς ἐπίστευσας, γενηθήτω σοι. καὶ ἰάθη ὁ παῖς αὐτοῦ ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ.	13.	*Et dixit Iesus Centurioni: vade; & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.*

LVC. 7.

1.	Εἰσῆλθεν εἰς Καπερναούμ.	1.	*Intrauit Capernaum.*
2.	Ἑκατοντάρχου δέ τινος δοῦλος κακῶς ἔχων, ἤμελλε τελευτᾷν, ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος.	2.	*Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus.*
3.	Ἀκούσας δὲ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν πρεσβυτέρους τῶν Ἰουδαίων, ἐρωτῶν αὐτὸν, ὅπως ἐλθὼν διασώσῃ.	3.	*Et cùm audisset de IESV, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & sal-*

ῃ τὸν δοῦλον αὐτοῦ.

4. Οἱ δὲ παραγενόμενοι πρὸς τὸν Ἰησοῦν, παρεκάλουν αὐτὸν σπουδαίως, λέγοντες· ὅτι ἄξιός ἐστιν, ᾧ παρέξει τοῦτο.

5. Ἀγαπᾷ γὰρ τὸ ἔθνος ἡμῶν, καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν.

6. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐπορεύετο σὺν αὐτοῖς. ἤδη δὲ αὐτοῦ οὐ μακρὰν ἀπέχοντος ἀπὸ τῆς οἰκίας, ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν ὁ ἑκατόνταρχος φίλους, λέγων αὐτῷ· Κύριε, μὴ σκύλλου. οὐ γάρ εἰμι ἱκανὸς, ἵνα ὑπὸ τὴν στέγην μου εἰσέλθῃς.

7. Διὸ οὐδὲ ἐμαυτὸν ἠξίωσα πρός σε ἐλθεῖν. ἀλλὰ εἰπὲ λόγῳ, καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου.

8. Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν τασσόμενος, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας· καὶ λέγω τούτῳ, πορεύθητι, καὶ πορεύεται· καὶ ἄλλῳ, ἔρχου, καὶ ἔρχεται· καὶ τῷ δούλῳ μου, ποίησον τοῦτο, καὶ ποιεῖ.

9. Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Ἰησοῦς, ἐθαύμασεν αὐτόν· καὶ στραφεὶς τῷ ἀκολουθοῦντι αὐτῷ ὄχλῳ εἶπε· λέγω ὑμῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ, τοσαύτην πίστιν εὗρον.

10. Καὶ ὑποστρέψαντες οἱ πεμφθέντες εἰς τὸν οἶκον, εὗρον τὸν ἀσθενοῦντα δοῦλον ὑγιαίνοντα.

uaret seruum eius.

4. *At illi cùm venissent ad Iesum, rogabant eum solicitè, dicentes ei: Quia dignus est, vt hoc illi præstes.*

5. *Diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis.*

6. *Iesus autem ibat cum illis; Et cùm iam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari. Non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres.*

7. *Propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.*

8. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit; & alij, veni, & venit: & seruo meo, Fac hoc, & facit.*

9. *Quo audito, Iesus miratus est: & conuersus, sequentibus se turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni.*

10. *Et reuersi, qui missi fuerant, domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, EX descriptionibus Euangelistarum, Matth. 8. & Luc. 7. in vnum corpus coagmentata.

c Καὶ εἰσῆλθεν (ὁ Ἰησοῦς) εἰς Καπερναούμ. Ἑκατοντάρχου δέ τινος δοῦλος κακῶς ἔχων, ἤμελλε τελευτᾷν, ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος· Ἀκούσας δὲ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν πρεσβυτέρους τῶν Ἰουδαίων, ἐρωτῶν αὐτὸν, ὅπως ἐλθὼν διασώσῃ τὸν δοῦλον αὐτοῦ. Οἱ δὲ παραγινόμενοι πρὸς τὸν Ἰησοῦν, παρεκάλουν τὸν σπουδαίως, λέγοντες, ὅτι ἄξιός ἐστιν ᾧ παρέξει τοῦτο. Ἀγαπᾷ γὰρ τὸ ἔθνος ἡμῶν, καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐπορεύετο σὺν αὐτοῖς. ἤδη δὲ αὐτοῦ οὐ μακρὰν ἀπέχοντος ἀπὸ τῆς οἰκίας, ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν ὁ ἑκατόνταρχος φίλους, λέγων αὐτῷ· Κύριε μὴ σκύλλου. οὐ γάρ εἰμι ἱκανὸς, ἵνα ὑπὸ τὴν στέγην μου εἰσέλθῃς. Διὸ οὐδὲ ἐμαυτὸν ἠξίωσα πρός σε ἐλθεῖν, ἀλλὰ εἰπὲ λόγῳ, καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου. a Εἰσελθόντι δὲ τῷ Ἰησοῦ Καπερναούμ, προσῆλθεν αὐτῷ ἑκατόνταρχος, παρακαλῶν αὐτὸν, καὶ λέγων· Κύριε, ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς, δεινῶς βασανιζόμενος. καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτόν. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἑκατόνταρχος ἔφη· Κύριε, οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς, ἵνα μου ὑπὸ τὴν στέγην εἰσέλθῃς· ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγον, καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου. f καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν c τασσόμενος, f ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας· καὶ λέγω τούτῳ, πορεύθητι, καὶ πορεύεται· καὶ ἄλλῳ, ἔρχου, καὶ ἔρχεται· καὶ τῷ δούλῳ μου, Ποίησον τοῦτο, καὶ ποιεῖ. Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Ἰησοῦς, ἐθαύμασεν c αὐτὸν, καὶ στραφεὶς f τῷ ἀκολουθοῦντι αὐτῷ ὄχλῳ εἶπε· a Ἀμὴν f λέγω ὑμῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον. a Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ δυσμῶν ἥξουσι, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς, καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. Καὶ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς τῷ ἑκατοντάρχῳ, ὕπαγε, καὶ ὡς ἐπίστευσας, γενηθήτω σοι. καὶ ἰάθη ὁ παῖς αὐτοῦ ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ. c Καὶ ὑποστρέψαντες οἱ πεμφθέντες εἰς τὸν οἶκον, εὗρον τὸν ἀσθενοῦντα δοῦλον ὑγιαίνοντα.

c Et intrauit (Iesus) Capernaum. Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens, agebat animam, qui illi erat charus. Cùm audisset autem de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret & seruaret seruum suum. At illi cùm venissent ad Iesum, rogabant eum studiose, dicentes: Dignus est, vt hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis. Iesus autem ibat cum illis. Iam verò, cùm non longè abesset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens ei: Domine, noli vexari. Non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres. Quapropter nec meipsum sum digum arbitratus, vt venirem ad te; sed dic verbo, & sanabitur puer meus. a Porrò cùm ingressus fuisset Iesus Capernaum, adiit eum Centurio: obsecrans eum, & dicens: Domine, famulus meus domi decumbit paralyticus, ac grauiter discruciatur. Et dicit illi Iesus, Ego cum venero, medebor illi. Et respondens Centurio, dixit: Domine, non sum dignus, vt tectum meum subeas: imò tantùm dic verbum, & sanabitur famulus meus. f Nam & ego homo sum sub potestate c constitutus, f habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alteri, veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit. Auditis autem his Iesus, miratus est c eum, & conuersus f sequenti se turbæ dixit: a Amen f dico vobis, ne in Israel quidem tantam fidem inueni. a Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venturi sunt, & accumbent cum Abraham & Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Filij verò regni eiicientur in tenebras exteriores, illic erit ploratus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni, Abi, & quemadmodum credis, ita fiat tibi. Et sanatus est famulus eius in hora illa. c Et reuersi, qui missi fuerant, in domum, repererunt seruum, qui languerat, sanum.

Periocha huius historiæ.

AD vberiorem intelligentiam huius historiæ pertinet explicatio quorundam vocabulorum. Matthæus nominat παῖδα, quod filium vel ætate *puerum* significare posset. Sed Lucas expresse dicit hoc loco δοῦλον seu *famulum* intelligendum esse. Græci enim interpretes עבד, quod non de ingenuorum obsequiis, sed de duriore seruitute dicitur, ita reddiderunt. Vt, 2. Reg. 10. v. 5. seniores vrbis Samariæ mittunt ad Iehu, dicentes: Serui tui sumus, quæcunque iusseris, facimus: & 1. Para. 18. v. 6. & 7. Syri à Dauide bello subacti vocantur δούλους & παῖδας, serui. Iosuæ 1. idem vocabulum diuersimodè reddiderunt. Ibi enim Moses vocatur v. 1. δοῦλος seruus. v. 2. θεράπων famulus, versic. 7. παῖς puer Iehouæ siue Domini. 2. Sam 15. vers.

15. vers. 14. & 15. reddiderunt παῖς & δοῦλος pro vnico vocabulo עבד Æbæd. Lucas vero dicit *famulum* illud ἔντιμον *pretiosum* fuisse Centurioni, hoc est, propter probitatem, virtutem, inobedientiam, & industriam, in magno pretio & singulari gratia fuit apud eum. Et quales huiusmodi famuli sint apud militares homines, aliquo modo colligere licet ex historia Gedeonis, Iud. 7. vers. 11. vbi is iubetur à Domino descendere ad castra Midianitarum, cum puero suo Phara. Sunt tales famuli, quibus vitam suam, & omnia Duces militiæ committere solent. Nos vocamus *einen Leibknecht*. Et sine dubio hunc famulum intelligit, cùm postea dicit: *Quando dico seruo meo, fac hoc tunc fecit.*

Morbum Lucas in genere describit, *quòd malè habuerit, ita vt de vita periclitaretur*, & quidem mox videretur expiraturus. Matthæus vero dicit fuisse acerbissimos cruciatus, corpus sæuissimis tormentis quasi excarnificantes. Vtitur enim verbo βασανίζεσθαι, quod de cruciatibus & tormentis, quæ in quæstionibus & suppliciis reorum adhibentur, accipitur: & aliquoties in scriptura sacra æternos inferni cruciatus denotat, vtpote Luc. 16. v. 23. de Epulone. Apocalyp. 14. vers. 11. vt sit cruciatus talis, ac si homo scorpionibus percuteretur. Apoc. 9. vers. 5. sicuti de hoc vocabulo aliqua superius annotata sunt capitul. 41. ex Matth. 4. v. 24. Ipsum vero morbum Matthæus nominat *paralysin*: Sed quia παράλυσις quæ vsitatè ita vocatur, simul & motum & sensum in illis corporis partibus, quas occupat, aufert, hoc loco non potest intelligi de eiusmodi aliqua ἀπληξία. Dicitur enim hæc paralysis cum acerbissimis cruciatibus coniuncta fuisse. Quòd enim quidam disputant, paralysin in principio accessionis, priusquam confirmetur, habere crutiatus quosdam, id num huic loco conueniat, meritò quis dubitare possit. Famulus enim iste non dicitur esse in principio morbi, sed ἤμελλε τελευτᾶν, *iam iam erat moriturus.* Diligenti autem inquisitione instituta occurrit locus quispiā, ex quo simplicissima explicatio colligi potest, qualis hoc loco παράλυσις intelligenda sit. Nam 1. Maccab. 9. v. 55. interitus Alcimi ita describitur: In illo tempore ἐπλήγη, tactus est Alcimus, & occlusum est os eius, καὶ παρελύθη, præ paralysi. & mortuus est in illo tempore μετὰ βασάνου μεγάλης, cum tormento & cruciatu magno. Et dicit Iosephus Antiquit. Iudaic. lib. 12. capit. 16. cruciatus illos durasse per dies non paucos. Hæc descriptio ad verbum conuenit cum illis, quæ Matthæus hoc in loco scribit. Non ergo παράλυσις propriè dicta hîc intelligenda est: sed sicut Græci quamuis resolutionem neruorum in quacunque parte corporis, ex quibuscunque causis, siue luxando ex plenitudine, siue ex inanitione restringendo, vocant παραλύσεις μέρη, & παράλυσιν cum adiectione partis. Et Hebræa lingua metaphorice tribuit resolutionem, manibus, Iesa. 13. v. 7. renibus, Ezech. 29. v. 7. genibus, Nahum 2. v. 10. oculis, linguæ, carni, Zach. 14. ver. 12 Nos vocamus *die Gicht*. quæ aliquando in quibusdam tantùm partibus hæret, aliquando verò totum corpus acerbissimis tormentis excruciat. Et ideo Lutherus rectè ac propriè transtulit *Gichtbrüchig* Quam translationem multi mirantur, nisi ad hanc speciem paralyseos respiciant, atque inde veram causam colligant. Nam hoc loco propriissime redditur *Gichtbrüchig*: sed hæc significatio non conuenit ad paralysin propriè dictam, de qua Matthæi 9. vers. 2. extat historia, quæ suprà capitul. 43. tractata est.

Reliquiæ circumstantiæ manifestæ sunt. Matthæus dicit famulum *illa ipsa hora* sanitati restitutum esse. Lucas hoc ita explicat: Cùm nuncij à Centurione missi domum redirent, seruum, quem abeuntes cum acerbissimis cruciatibus conflictantem reliquerant, inuenerunt sanum & plene restitutum, cùm tamen missi fuissent, cùm Iesus non longè abesset à domo Centurionis. Momentum ergo intelligendum est, quod Matthæus *horam* nominat. Tunc enim, cùm Iesus verbum dicebat in plateis, statim domi sanatus fuit seruulus. Sicut etiam Regius, Iohan. 4. v. 53. agnouit, eo ipso momento, quo ipsi Christus in Cana dixisset: Filius tuus viuit, hunc filium effectum verbi illius sensisse in Capernaum, vnde & ipse & vniuersa domus eius permota est, vt fidem conciperet in Christum Iesum. Hæc de Circumstantiis.

In genere autem proponit hæc historia illustre Exemplum, quàm mirabiliter Deus cursum Euangelij sui aduersus tyrannos tueatur & proueheat. Non diu enim post secundum festum Paschatos facta fuerat conspiratio inter Pharisæos & Herodianos contra Christum, Marc. 3. vers. 6. & Christus ideo secesserat ex Capernaum, sicut cap. 49. Harmoniæ hoc tractatum est. Iam vero Centurio, qui præsidio Romano in Galilæa præest, mirabiliter adiungitur Ecclesiæ Christi: sicut antea Regulus Iohan. 4. 53. & non multo post Iairus princeps Synagogæ Capernaiticæ adiungetur Christo Luc. 8. v. 41. Et hoc modo Deus mirabiliter elusit conspirationem illam Pharisæorum cum Herodianis quibusdam, vt non interrumperetur tum cursus Ministerij Christi. Et hæc etiam causa est, quod fama de doctrina & miraculis Christi, non prius quàm post mortem Baptistæ ad Herodem delata fuit. Ita igitur Deus ministerio Christi, hoc secundo anno, præbuit sedē vtcunque tranquillam & securam in ciuitate Capernaum, adiunctis ipsi mirabili conuersione Regulo, Centurione, & Archisynagogo. Sed non diuturnum hoc fuit. Mox enim post secundum hunc annum Christus exclamabit: *Va tibi Capernaum, &c.* Hæc in genere monet ordo historiarum.

Sunt autem singulæ Circumstantiæ diligentius aliquanto expendendæ. CHRISTVS enim post concionem mox duo edit miracula: Vnum, in homine Israelitico, alterum in Ethnico: Ostendens doctrinam suam ad vtrosque pertinere, ad Iudæos primùm, deinde etiam ad gentes. Et hic primus locus est, in quo Christus disertè vaticinatur, de reprobatione Iudæorum, & de vocatione gentium, quos vera fide dicit inserandos esse sanctæ Patriarcharum radici. Qua de causa etiam nobis, qui ex gentibus originem trahimus, hic locus eò gratior esse debet. Causam autem reprobationis Iudæorum, & modum insitionis gentium circumstantiæ huius historiæ ostendunt. Ideo non sunt oscitanter prætereundæ. Præcipui autem loci hi sunt:

Primus est de spirituali arrogantia Iudæorum, & de vera humilitate Centurionis. Presbyteri enim & seniores Iudæorum sine dubio Centurioni persuaserunt, ipsum, vt hominem Ethnicum & militarem, indigniorem esse, quàm qui per seipsum negotium hoc conficere possit. Se vero propter prærogatiuam sanguinis & sanctitatis, vt qui non tantùm sint Iudæi, sed & presbyteri seu seniores *Iudæorum*, dignos & idoneos esse ad hæc & quidem maiora à Iesu impetranda. Intercessionem verò ita formant: *Dignus est cui hoc præstetur* Et rationem addunt: *Diligit enim gentem nostram, & synagogam suis sumptibus nobis ædificauit.* Agnosci arrogātiam & gloriationem de meritis & dignitate, propter prærogatiuam partim sanguinis, partim operum, quæ tamen non in veris cultibus Dei, sed in Pharisaicis ceremoniis collocant. Dicunt enim de ædificatione synagogæ. Et hęc arrogantia atque fiducia in operibus ac meritis fuit præcipua causa reprobationis Iudæorum, sicut Paulus inquit Rom. 9 ver. 31. Israël sectando legem iustitiæ, ad iustitiam non peruenit: quia non ex fide, sed quasi ex operibus.

Centurio verò, qui doctrinam Propheticam amplectitur, qui militare suum officium non tyrannice, sed [illegible] & moderatè administrat. Diligit enim gentem Iudæorum, quam vt in officio contineret cum imperio missus fuerat in Galilæam. Est nutricius Ecclesiæ, Iesa. capitul. 49. vers. 23. Ædificarat enim Synagogam. Famulum etiam suum vera complectitur charitate: cùm tamen tunc temporis serui pro mancipiis haberentur. Talis, inquam, cùm esset Centurio, non præsumit aliquid de sua dignitate & meritis: sed dicit: *Non sum dignus, &c.* Pertinet autē hoc Exemplum ad declarationem doctrinæ de bonis operibus & de mercede operum, quam Christus paulo ante in cōcione tradiderat, ne scilicet transferatur ad Pharisaicam præsumptionem de dignitate & meritis. Hanc enim humilitatem Christus admiratur & probat: quod Centurio cùm ornatus esset præstantissimis operibus, & non tantùm haberet promissiones pręmiorum, sed & Christus ipse in itinere esset, ornaturus pietatem ipsius suo accessu, tamen missis nuntiis denunciat: *Non sum dignus, &c.* Sicuti Matth. capitul. 25. vers. 37. electi nolunt opera sua in iudicio agnoscere, etiam cùm coram toto mundo celebrantur à filio Dei. Aliud enim est in flagitiis animo deiici, & aliud in ipso flore virtutum veram præstare humilitatem. Orta autem fuit hæc humilitas in Centurione, ex consideratione imperfectionis in fide, & in bonis operibus: præcipue vero cum maceries illa Ephes. capitul. 2. vers. 14. nondum esset destructa, agnouit gentilem indignitatem. Ideo enim meminit tecti & congressus, profitens se indignum esse, qui vel colloquio, vel communi tecto vtatur cum tam sancto Dei propheta. Et Iudæi quidem nimia arrogantia, propter prærogatiuam illam carnis, peccabant: talem tamen agnitionem gentilis indignitatis, tunc Christo in Ethnicis placuisse, historia de Syrophœnissa testatur.

Obseruanda etiam est Phrasis, quod dicit: *Non sum ἱκανός.* Esse autem synonyma ἱκανός & ἄξιος, manifestè ex Euangelica historia colligitur. Quod enim Matth. cap. 3. v. 11. Marci cap. 1. vers. 7. Luc. cap. 3. v. 16. de Iohanne Baptista scribitur: Nō sum ἱκανός, dignus calceamenta soluere: Illud Iohan. cap. 1. v. 27. & Actorum 13. vers. 25. ita redditur: non sum ἄξιος. Et hoc loco seniores dicunt: ἄξιός, *dignus est, cui hoc præstes.* Ipse vero Centurio dicit: *Non sum ἱκανός, dignus.* Et mox vtitur verbo ἀξιόω: *Non iudicaui me dignum venire ad te.* Significat autem ἄξιον, quando redditur vel præmium vel supplicium, iuxta proportionē meriti. 1. Timoth. 5. vers. 17. Qui bene præsunt presbyteri, duplicē

honore digni habeantur. Et Hebræorum c.10.verſ.29. Quanto acerbiori ſupplicio dignus cenſebitur? Sed vocabulum ἱκανὸς peculiarem habet ἔμφασιν. Græci enim interpretes Hebraicum די Dai per ἱκανὸν reddiderunt: Vt Leu.5.verſ.7.& 12. verſ.8.& 25.verſ.18. Si manus eius non inuenerit τὸ ἱκανὸν, ſufficientiam, ſiue facultatem ſufficientem. 2. Paral.30. verſic.3. Sacerdotes non erant ſanctificati ἱκανοί. Exod.36.verſ.7. ἱκανὰ εἰς τὴν κατασκευὴν, quantum opus eſt ad ſtructuram. Exod.4.v.10. vbi textus habet: Non ſum vir ſermonum,& editio Sanctandriana reddidit: οὐχ ἱκανός εἰμι. Ibi habet editio Baſilienſis: οὐχ ἱκανός εἰμι. Vocem enim שדי Schadai, quæ omnipotenti Deo tribuitur, Græci reddiderunt ἱκανὸν Ruth.1.v.20. Iob.21. v.15.& 31.v.2.& Nehem.5.v.8. די Dai, licet Græci aliter reddiderint, ita vſurpatur: Nos fratres noſtros venditos gentibus redemimus, ſecundum poſſibilitatem noſtram, ſeu, pro viribus & facultate noſtra. Deut.25.v.2. ſignificat proportionem peccati & pœnæ: & flagellabunt ipſum iuxta ſufficientiam ſeu proportionem improbitatis ipſius. Hæc & ſimilia exempla notari poſſunt, vt ex illorum collatione conſtitui poſſit, quare in ſumma humiliatione Baptiſta, Centurio, & Paulus ita loquantur: *Non ſum ἱκανός*. Nam & Paulus in exemplum omnibus fidelibus verbi miniſtris, 2.Cor.3.verſic.5. dicit: οὐχ ἱκανοί ἐσμεν, Non ſumus idonei: & ἡ ἱκανότης ἡμῶν, ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui eſt אל־שדי Dominus omni ſufficiens. Græcis etiam prophanis ſcriptoribus vſitatiſſimum eſt hoc vocabulum, quando deſcribere volunt aliquem, qui habet dona, δύναμιν, facultatem, aptitudinem, induſtriam, ſeu peritiam faciendi aliquid. Vt Plutarchus in Pyrrho, τῷ φρονεῖν ἱκανός. In Camillo, ἱκανοὶ πονεῖν, corpora, habentes ad labores idonea. Xenophon: ἱκανὸς διδάσκειν. Plato ἱκανὸς τὴν ἰατρικήν. Xenophon: ἱκανὸς ſum benefacere & malefacere. Idem: habere ſeruum ἱκανὸν facere imperata. Hinc ergo licet intelligere, quam ſententiam habeat, quod Centurio dicit *Non ſum ἱκανός*. Quod vero meminit *tecti*, iam indicatum ideo factum eſſe, quia Iudæi putabant ſe contaminari, ſi ſub tectum hominis gentilis ingrederentur. Sicuti hoc ex hiſtoria paſſionis patet, Ioh.18.v.28. Et magna gratia olim reputabatur, quando ſancti viri ad aliquem diuertebantur, vt Gen.18.v.3. Abraham,& 19. v.2. Loth dicunt: Si inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum.

Secundus locus eſt, de efficacia, virtute & potentia verbi Chriſti, qui pulcherrima ſimilitudine, ab edictis & mandatis Magiſtratus politici ſumpta, illuſtratur: qua etiam Chriſtum cum admiratione quadam delectatum fuiſſe Euangeliſtæ ſcribunt. Sed videndum eſt vt recte accommodetur. Quidam enim diſputarunt: Sicut Centurio non obit miniſteria viliora per ſe, ſed ea famulis ſuis committit; Ita Chriſtum ſanationem morborum & ſimilia beneficia nō præſtare ipſum per ſe, ſed vti ad hoc miniſterio angelorum ſiue ſanctorum. Sed Centurio ſanitatem ſeruo ſuo reſtitutam, non tribuit vlli creaturæ, ſed ipſi & quidem ſoli Chriſto, qui eam potenti & efficaci ſuo verbo contulerit. Simplex autem & vera accommodatio hæc eſt: Amplexus erat hic Centurio doctrinam Propheticam. Ideo enim Synagogam Iudæis ædificarat. Et huius doctrinæ præcipuum caput eſt promiſſio de Meſſia. Regulus vero Capernaiticus Ioh.4.v.53 cognouerat& crediderat, hunc Ieſum eſſe Meſſiam. Et ſine dubio huic Cęturioni, quia in eadem politica adminiſtratione ſocij erant, ſæpius narrauit, quod ideo durius aliquantulum exceptus fuerit à Chriſto, quod noluerit nudæ promiſſioni verbi credere, ſed voluerit præſens videre ſigna & prodigia, & tunc demum credere. Cum vero tribuiſſet vera & firma fide verbo Chriſti efficaciam & virtutem ſanandi: ita cum non videret quomodo cum filio ſuo ageretur, tamen ſtatueret Chriſtum hoc velle, poſſe & efficere, quod verbo promittebat, tunc ſe expertum verbi eius virtutem & efficaciam,& ita ſe didiciſſe, quæ ſit vera fides, quæ Chriſto probetur, quæque ab ipſo beneficia impetret. Ex illa Reguli prædicatione, Centurio concepit agnitionem,& fiduciam de virtute, potentia & efficacia verbi Chriſti, quam explicat & confirmat ſimilitudine à maiori ad minus. Magiſtratus eſt Miniſter Dei, & propter illam Dei ordinationem verba, mandata & edicta Magiſtratuum, quamdiu Deus baltheo authoritatis ipſos cingit, ſicut Ioh. loquitur c.12.v.18. talem habet vim, quod timentur & obſeruantur ita, vt illud, quod iubent,& mandant, efficiatur. Multo magis ergo Meſſiæ & filij Dei, (qui à patre miſſus eſt) verbum habebit virtutem, efficaciam & potentiam efficiendi & præſtandi ea, quæ promittit. Et valde illuſtris eſt confirmatio, ſi fundamenta diligentius conſiderentur. Quicquid Deus agit in Articulo creationis, verbo efficit, Gen.1.v.3. Dixit Deus, fiat Lux: & facta eſt Lux. Pſalm.105.verſ.31. Dixit & venit locuſta. Pſal.148.v.8. ignis, grando, nix, glacies, quæ faciunt verbum eius. Et in rerum natura, non dubia nec obſcura ex quotidiana experientia eſt illius verbi efficacia. Et hac ſimilitudine Ieſa.55. v.10. efficacia verbi promiſſionis cōfirmatur. Centurio vero longius progreditur. Quia enim tantum ex ſcriptura notum eſt,& fide creditur, ſenſibus vero non percipitur, quod Deus verbo in articulo creationis omnia efficiat. Conſiderat igitur hoc, quod manifeſtum eſt, quod ſcil. in ſocietate politica & œconomica plæraque peraguntur verbo. Quod vero verba illa in politia & œconomia authoritatem, vim & efficaciam habent, quod timentur, obſeruantur,& perficiuntur, agnoſcit & intelligit centurio, quod ideo fiat, quia iſti ſtatus ſunt ordinationes Dei ſtantis in medio Deorum, Pſalm.82.v.1. qui talem authoritatem & efficaciam illis tribuat. Quod igitur videmus & experimur quotidie fieri in politia & œconomia, debet nos exuſcitare, vt de efficacia verbi Euangelij eo minus dubitemus. Hoc modo enim exempla petita ex rerum natura recte poſſunt accommodari ad ſpiritualia: non vt ex illis dogma ſine verbo Dei extruamus, ſed quando dogma habemus ex fundamentis ſcripturæ conſtitutum, tunc exempla ex rerum natura petita poſſunt à minori ad maius ſeruire confirmationi. Ita de ſtorge paterna, Luc.11. v.11. de materna, Iſa.49.v.15. de ſeruitute, Rom.6.v.16. de teſtamento; Gal.3.v.15. & alibi conſimilia accommodantur ad res ſacras ac diuinas confirmationis & illuſtrationis ergo, quando doctrina iam ex ſcriptura eſt certa. Quæ enim quotidie ob oculos verſantur, infirmitatem carnis poſſunt ſubleuare, ſi adiungantur verbo Dei hoc modo, ſicut centurio fecit.

Gradus autem in hac comparatione obſeruentur. *Ego*, inquit, *ſum homo*. Et ſane certo affirmari non poteſt, tam illuſtrem noticiam fuiſſe in centurione, quod crediderit Chriſtum eſſe verbum patris, eiuſdem cum ipſo eſſentiæ & omnipotentiæ, per quod omnia facta ſunt. Hoc vero certum eſt, quod agnouerit Ieſum eſſe Meſſiam, atque ideo perſonam & officium ipſius extra & ſupra omnes homines, qui aliquid à Deo poteſtatis habent, collocat. Et ſtatuit Deum alio multo excellentiore & præſtantiore modo adeſſe Chriſto in officio Meſſiæ, quàm magiſtratib. politicis. Hęc vult intelligi hac cōparatione. Nam *ego homo ſum*. Addit autem & hoc: Ego non ſum ſummus magiſtratus: non habeo plenum aut merum imperium: Sed *ſum ſub poteſtate conſtitutus*. Centurio enim eſt ſub Tribuno chiliarcha, Tribunus ſub Præſide, Præſes ſub Imperatore. Vt hoc modo poteſtas politica à Deo primum detur Imperatori, ſummo magiſtratui, & ab illo cōmunicetur deinde, ac deriuetur in alios inferiores ordines. Et tamen, inquit, experior mea verba, qui infimum ferme locum in politica gubernatione teneo, propter ordinationem Dei habere multiplicem efficaciam. Alius enim me iubente, *vadit, alius venit*, alius *agit* aliquid. Ergo multo certior & potentior eſt efficacia verbi Meſſiæ, quem centurio, ſi forſan tunc nōdum liquido agnouit, eſſe verum Deum, tamen vltra & ſupra omnes homines hac ſimilitudine collocat. Verbum Dei in politia, in hominibus & per homines ſubdelegatos habet certam efficaciam. Quid ergo dubitabimus, quando Deus ipſe verbo ſuo aliquid promittit & agit? Corporalia ſunt, quæ Magiſtratus agit: Spiritualia vero & cæleſtia ſunt, quæ Chriſti verbum proponit,& agit. Hæc ita conſiderata pulcherrime illuſtrant & confirmant efficaciam verbi Euangelij. Nam & hæc pars collationis non eſt negligenda, quam Chryſoſtomus annotauit. Sicut Imperator habet multos miniſtros, quibus ad peculiaria & diuerſa miniſteria obeunda vtitur: Ita Deus eſt Dominus Zebaoth, cuius exercitus non tantum ſunt, ſed cæleſtes Spiritus, aſtra & meteora, de quibus expreſſe ſcriptura ita loquitur, ſed & morbi, ſanitates, peccatum, mors, damnatio, iuſticia, vita, ſalus &c.& ſingula hæc verbum Dei expectant, & ita vel veniunt, vel diſcedunt, vel operantur aliquid. Hoc enim Centurio ſentire videtur, quod Chriſtus morbum ſerui ſui ita habeat in ſua poteſtate, ſicut ipſe ſeruum, qui iuſſus diſcedere, abit. Et ſicut Centurio ſeruum ſuum vocat,& venit: ita ſtatuit mox adfuturam ſanitatem, ſi tantum Chriſtus verbo dicat. Hæc ſunt plena multiplicis doctrinæ, quod quando vel morbus, vel ſanitas operantur in nobis, fieri illud ſtatuamus verbo & mandato Dei: viciſſitudines etiam venientis vel diſcedentis morbi, reſtitutæ aut mutatæ ſanitatis, non caſu accidere, ſed verbo & mandato Dei gubernari. Hoc igitur tantum petit Centurio, vt fiat applicatio verbi Chriſti ad ſeruū languentem, ad morbum præſentem,& ad ſanitatem quæ deſiderabatur. Certa igitur & efficax eſt virtus verbi Chriſti, ſed quærendum & petendum eſt, vt nobis applicetur: ſicut Centurio fecit. Quando vero Chriſtus verbum ſuum nobis applicat, ſiue in corporalibus ſiue in ſpiritualibus, fides non debet dubitare, ſed de efficacia certo ſtatuere, licet ſenſibus non appareat. Et quando infirma eſt fides, poteſt hac ſimilitudine Centurionis confirmari. Valde igitur illuſtris eſt hic locus de efficacia verbi Chriſti.

Porro phraſis eſt notanda, quod Centurio dicit, *ſe eſſe ὑπ' ἐξουσίαν ſub poteſtate*. Ita enim Plutarchus in Catone minori loquitur:

quitur: ὑφ' ἑαυτὸν ἔχειν, sub sua potestate habere. Xenophon dicit: ὑφ' ἑαυτῷ ποιεῖν, suo imperio subiicere. Aristoteles 1. de animalibus inquit: ὑφ' ἡγεμόνα εἶναι, Imperio Ducis subiectum esse. Lucas addit participium τασσόμενος. Græci enim interpretes de constituendis Magistratibus vtuntur verbo τάσσειν, & καθίστασθαι. 1. Reg. 22. versic. 7. Num filius Isai vos omnes τάξει, constituet Centuriones? 2. Reg. 7. vers. 11. Deus iudices ἔταξε, ordinauit. Esther. 3. in prima epistola Ahasueri, Hamanus dicitur τεταγμένος ἐπὶ τῶν πραγμάτων, constitutus super acta Regis. Et c. 8. in posteriori ipsius epistola, τεταγμένοι ἐπ' ἐξουσίας dicuntur, qui minoribus Magistratibus cum imperio præsunt. Reliqui dicuntur ὑποτεταγμένοι subditi. Hanc compositionem Lucas resoluit, τασσόμενος ὑπὸ ἐξουσίαν. Quid nos deceat, docet Paulus Rom. 13. vbi singulariter monet, ne quis sit ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ, ne se magistratibus opponat. Rom. 13. v. 2.

Tertius locus est de fide Centurionis, quam Christus magna cum admiratione laudat. Eius vero descriptio ideo diligentius obseruanda est, quia *hac fide multi, qui ab Oriente & Occidente veniunt, discumbent cum Patriarchis in regno cælorum.* Et præcipua pars explicationis pendet ex præcedenti loco de efficacia & virtute verbi Dei. Considerandum autem est, quibus gradibus Centurio ad fidem tam illustrem, Spiritu sancto ducente, prouectus fuerit. Genere igitur & natione non fuit Israelita, sed Ethnicus. Seniores enim gentem Iudæorum à Centurionis gente distinguunt. Et Christus inquit: *In Israel non inueni tantam fidem.* Et mox occasione Centurionis de vocatione gentium incipit vaticinari. Constitutus autem fuit in ciuitate Capernaum, vel à Romanis, vel ab Herode, quod verisimilius est (Illa enim pars tunc nondum redacta fuerat in formam prouinciæ à Romanis, sed erat Tetrarchiæ Herodis attributa) vt gentem Iudaicam sub iugo peregrini Domini in officio seruitutis contineret. Sed quia in Capernaum erat celebris synagoga, ad quam ex Hierosolymis mittebant Pharisæi, vt interpretationi scripturæ præessent, Marc. 3. versi. 22. cœpit Centurio gentem Iudaicam diligere, & quare eam dilexerit, seniores ostendunt: *Ædificauit enim ipsis synagogam,* hoc est, doctrinam Propheticam amplexus est, ex qua cognouerat Deum huic genti voluntatem suam patefecisse dato verbo, & ex hac gente nasciturum Messiam, mundi Saluatorem. Et tales, qui non Iudæi erant, nec proselyti, qui nec circumcisionem nec reliquas ceremonias Mosaicas recipiebant, vocantur in Actis εὐλαβεῖς, Religiosi. Et quia talis religiosus erat, non neglexit doctrinam Baptistæ, & Christi, quæ monstrabat Messiam iam adesse. Fuit autem hæc agnitio primum valde obscura, & fiducia tenuis: paulatim autem multis signis & prodigiis confirmari cœpit: tandem vero ex Reguli Iohan. 4. versic. 53. exemplo & prædicatione, sicuti in præcedenti loco dictum est, deducta est ad illum profectum, vt Christus illam gentibus ab Oriente & Occidente proponat imitandam, si velint cum Patriarchis in regno cœlorum discumbere.

Duo autem habet hæc Centurionis fides, propter quæ tantopere Christo probatur: 1. Quod, cum habeat principia veræ noticiæ Dei, & opera pietatis non simulata, in prima & secunda tabula; tamen vera humilitate agnoscit indignitatem suam. 2. Cum Iudæi non vellent credere, nisi viderent vel impleri, vel impleta esse, quæ verbo proponebantur: imo multi etiam cum videbant, tamen nolebant credere, hic Centurio profitetur se verbo Christi talem tribuere vim, virtutem & efficaciam, vt sine hæsitatione crediturus sit, etiãsi nec oculis nec aliis sensibus apprehendat, modo Christus verbum ipsi proponat de sanando ægroto famulo. Hoc enim notandum est, veram fidem concipere generalem tantum persuasionem, de certitudine verbi Dei, sed de applicatione quæstionem esse, quando promissio mihi accommodatur, siue in corporalibus siue in spiritualibus rebus, vt tunc, licet non sentiatur, imo licet ratio & experientia contrarium testetur, tamen de voluntate Dei, operatione & auxilio eius nõ dubitem. Hæc in duobus præcedentibus locis plenius sunt explicata. Et hæc est fides, qua gentes ingredientur regnum cœlorum. Non enim imponit Centurioni Circumcisionem & reliquas Mosaicas Ceremonias, nec iubet ipsum abiicere militiam, sicut Augustinus contra Faustum obseruauit.

Addenda vero hoc loco est hæc consideratio, quod centurionis fides prima facie videtur verbum separare à Christo, vt, vbi verbum adsit, non opus sit ipso Christo: & quia indigni sumus præsentia Christi, sufficere nobis verbum sine Christo. Sed scriptura nullo modo vult separari Christum & verbum ipsius, sed sicut docet concio Iohan. 5. (supra cap. 46. exposita) verbum Euangelij ideo tantam habet efficaciam, quia est eius verbum, qui vnum est cum patre, cui pater dedit vitam habere in semetipso. Sicuti prolixe in illius concionis explicatione hæc sunt tractata. Etenim Euangelium est virtus Dei in salutem omni credenti, Rom. 1. vers. 16. non pro ratione syllabarum, nec pronuntiationis: Sed quia Christus ipse adest suo ministerio, Matth. 18. versic. 20. & 28. vers. 20. & quia verbum Christum, Dei potentiam, ad nos affert, vt mansionem apud nos faciat, Ioh. 14. vers. 23. & fide inhabitet in cordibus nostris, Eph. 3. vers. 17. Qui igitur Christum ex verbo Euangelij tollit, non efficaciam, sed vmbram & putamina tantum retinet. Quæ autem est sententia, quod centurio dicit: *Non venias ipse sed tantùm dic verbum?* Respondeo: Iudæi hoc quærebant, sicut ex historia Reguli manifestum est, vt viderent Christum visibiliter præsentem, admouentem manum operi, & operationem procedentem manifestis signis & prodigiis, donec absolueretur. Huic opinioni opponitur fides centurionis, de efficacia verbi, quæ certum esse statuit, quod Christus loquitur, etiamsi non videat, nec sentiat quod & quomodo operatio Christi per verbum inchoetur & procedat. Et tunc quidem Christus quosdam solo verbo sanabat: quosdam vero dignabatur hac gratia, quod ipsos accedebat, visibiliterque tangebat, vt viderent coram & sensibiliter ipsius operationem, initium, progressum & effectum. Et Regulum ideo reprehenderat Christus: Iohan. 4. vers. 48. quod non contentus verbo peteret etiam alteram illam dignationem: Centurio vero eius exemplo edoctus cum videret Christum sponte ad se accedere, agnoscit & fatetur se non esse talem, qui dignus sit, ad quem Christus visibili sua præsentia & operatione veniat. Hanc enim prærogatiuam iudicat decere illos, qui sunt sancti filij Dei: sibi vt ethnico & homini militari satis supérque esse, si solum verbum velit dicere, & ita sanare famulum, sicut solitus fuerit antea quosdam sanare, quos illustriori illa gratia contactus, & sensibilis operationis non fuit dignatus. Et hæc est illa fidei humilitas in centurione, quæ Christo probatur, non quod Christum à verbo excludat, sed sicut Cananæa Matth. 15. vers. 27. dignitatem discubitus illis relinquit, qui sunt filij, modo sibi vt caniculæ liceat micas colligere. Hæc esse simplicia & vera manifestum est. Non enim extruendum hic est perniciosum dogma, quod Christum ipsum à verbo suo separet & excludat. Impij enim literam quidem verbi habent: sed quia Christum non habent, vera & salutari efficacia verbi destituuntur. Impie igitur hic locus contra præsentiam & communicationem corporis & sanguinis Christi in cœna torquetur. Multo magis enim indigni sumus præsentia & inhabitatione diuinitatis, & tamen Paulus Rom. 8. vers. 9. dicit: Qui spiritum Christi non habet, non est eius. Sed hæc ex suis locis, vbi materia hæc sedem suam habet, petenda sunt. Pauca vero hoc loco dicenda fuerunt, ne centurionis fides, quæ tantopere à Christo commendatur & laudatur, ita accipiatur, quasi velit tale verbum, à quo Christus ipse separatus & exclusus sit. Augustinus inquit: Centurio dicendo se indignum, præstitit dignum, non in cuius parietes, sed in cuius cor verbum Dei Christus intraret, &c.

Hæc igitur est descriptio, qualis fuerit centurionis huius fides, cui tria eximia Encomia à Christo hoc loco tribuuntur. Primo quod huius fidei occasione de vocatione gentium incipit vaticinari. Dicit enim: hac fide *multi ab oriente & occidente venient, & discumbent cum Patriarchis in regno cælorum: Filij vero regni,* qui hac fide destituuntur, *eijcientur foras.* 2. De fide inquit ad centurionem: *Sicut credidisti, ita fiat tibi: Fiat tibi sicuti vis,* vel, *secundum fidem tuam.* Item: *Fides tua te sanauit, &c.* Est enim grauis lucta de hac quæstione: Desidero quidem, opto, peto, credo & spero, sed quis scit, quomodo Deus affectus sit, quid decreuerit, quid facturus sit? Christus vero opponit hanc phrasin: *Sicut credis ita fiat tibi.* Est itaque doctrina diuinitus per filium patefacta: Quando ex verbo, & secundum verbum Dei cor concipit fidem, spem, vota, desideria, non ingrediendum esse abyssum consiliorum & iudiciorum Dei. Hoc enim ipso filio Dei reuelante, est decretum Dei, quod illud vult, ita vult, & tantum vult, qualem & quantam fiduciam, spem, vota, & desideria cor credentis ex verbo Dei per Spiritum sanctum concipit. Sicut inquit Psalm. 21. versic. 3. Desiderium cordis eius tribuisti ei. Et Psalm. 145. versic. 19. Voluntatem timentium se faciet. Iohan. 15. versic. 7. Si verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis petetis, & fiet vobis. Et reuera magna est dignitas fidei, quod Deus totum se tradat voluntati, desiderio, fiduciæ & spei credentium, si ex verbo & secundum verbum Dei formantur, vt ex mea fide, quando fundamentum habet in verbo Dei, recte statuere possim & debeam, quid Deus velit, quidque facturus sit: vt non opus sit suspensum procul vagari, & sicut scriptura loquitur, Deut. 30. v. 11. & Rom. 10. ver. 6. vel ascendere in cœlum, vel descendere in infernum. Prope enim in ipso corde nostro fides nobis indicare potest, quid in abysso iudiciorum Dei de nobis lateat. Et hæc indicatio fidei certa est: 1. Quia

ex verbo Dei, in quo is voluntatem suam patefecit, formata est. 2. Filius Dei certus sponsor est, non aliam nec diuersam esse voluntatem Dei, quàm sicuti fides nostra eam ex verbo Dei concipit. Ideo Christus non dicit: Sicut ego volo, vel, sicut pater vult, fiat tibi. Semper enim maneret scrupulus, an, quid & quomodo velit. Sed inquit: *Sicut credis, ita fiat tibi.* Et hinc intelligi potest, quare Deus sæpe minus liberalis erga nos videatur. Fides enim est manus accipiens, quæ si contracta fuerit, minus accipiet, non dantis, sed accipientis culpa.

Sicut & hæ circumstantiæ obseruandæ, quod Christus quidem iam in itinere erat, & constituerat alio modo sanare famulum: sed tamen humilitas & firmitas fidei impetrat, quod citius & illustrius eum sanat. Inquit enim: *Sicut credis, ita fiat tibi.* Ambrosius hoc annotauit: quod Christus ad filium Reguli non vult ire, ad famulum vero Centurionis vltro accedit. Hæc certe considerata valde magnum habent vsum. Sed quando fides propter infirmitatem tentatur, tenendum est, quod Diuus Paulus inquit, Ephes. 3. vers. 20. Potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus. Agnoscenda igitur est fidei infirmitas, & orandum, vt velit abundantius dare, quàm nos vel credere vel petere possumus. Recte enim ab Hieronymo dictum est, talem sæpe esse fidei infirmitatem, quod nollemus nobis dici: Sicut credis, vel, secundum fidem tuam fiat tibi. Hæc igitur phrasis, *Sicut credis fiat tibi*, diligẽter cõsideranda & expẽdenda est. Et dignum est peculiari abseruatione, quodnam sit illud verbum, quod sicut Centurio petit, Christus dicit, quo famulus ægrotus sanatur. Non enim dicit, vt Regulo: vade, seruus tuus viuit. Non mandat morbo, vt euanescat. Sed tantum dicit: *Sicut credis, ita fiat tibi.* Non ergo quæramus nouas reuelationes, quibus Deus verbum suum nobis applicet. Sed quando generalem promissionem fide nobis applicamus, tum Christus obsignat hoc non nouo aut peculiari verbo, sed, *Sicut credis, ita fiat tibi.* Et hoc est verbum illud, cuius efficaciam Centurio tantopere prædicat: quod diligenter obseruandum est.

3. Tribuit Christus & hoc Encomium fidei Centurionis, quod inquit: *Tantam fidem ne in Israel quidem inueni.* Dupliciter autem consideratur siue infirmitas siue robur fidei: vel quoad agnitionem, vel quoad fiduciam. Et hæc antithesis respicit 1. vulgus Iudæorum. Illi enim sacris literis enutriti, tam illustrem noticiam de persona & officio Messiæ non habebant, sicut Centurio homo Ethnicus & militaris. 2. Respicit illos, qui ex Iudæis magis assidui auditores Christi erant quàm Cẽturio, atque ideo quoad noticiam plus aliquantulum profecerant. Sed illi cum noticiam haberent pleniorem: fiduciam tamen non longius extendebant, quam videbant & sentiebant: sicut ipsi Apostoli in naui trepidant, Matth. 8. vers. 25. de causa etiam Christus eos reprehendit. Christus igitur cum admiratione turbis hoc prædicat, quod Centurio inter tenuia inchoatæ agnitionis principia tam firma & illustri fiducia efficaciæ verbi innititur, remotis omnibus rationis & sensuum adminiculis. 3. Antithesis hæc duo illa inter se confert; Iudæis, vt filiis regni, Euangelium ceu in mensa plene instructa proponebatur: sed illi doctrinam cauillabantur, blasphemabant, persequebantur, contemnebant, vel certe frigide amplectebantur. Ethnicos vero, quibus vix vel mica obiiciebatur, vel tenuis scintillula illucescebat, videt Christus firmiore & ardentiore fide regnum cœlorum ad se rapere. Ideo inquit: *Dico vobis; Multi venient ab Oriente & Occidente, &c. Filij vero regni eiicientur.* Hæc est simplicissima sententia, vt non opus sit gradus fidei, in Maria, Simeone, Baptista, & Centurione scrupolosius metiri.

De admiratione etiam disputatum est, an & quomodo illa conueniat Christo Deo: cum sit de rebus ignotis, insolitis, & quæ præter expectationem accidunt. Sed simpliciter significatur celebratio, sicut Lucas dicit: *Admiratus est ipsum.* Græci enim Deuter. 10. v. 17. honorate personam potentis, & cap. 28. v. 50. personam senis, reddiderunt per verbum θαυμάζειν. Et 4. Reg. 5. v. 1. Naaman vocatur vir τεθαυμασμένος προσώπῳ, honoratus facie. Admiratur ergo Christus in Centurione, sicut Origenes inquit, non nobilitatem, non potentiam, non opes, non reliquas virtutes, sed ipsam fidem.

Quartus locus est de vocatione gentium & reprobatione Iudæorum. Et qua occasione Christus hoc vaticinium huic historiæ intexat, iam dictum est. Phrasis autem recte explicanda est, quod dicit: *Discumbent cum Patriarchis, in regno cœlorum.* Potest enim intelligi vel de gaudio & lætitia, quibus in vita æterna credentes perfruentur: sicut Christus inquit, Luc. 22. v. 29. Dispono vobis, vt edatis & bibatis super mensam meã in regno meo, &c. vel potest intelligi de beneficiis regni cœlorum, quæ in hac vita verbo offeruntur & distribuuntur, fide vero applicantur, & apprehenduntur. Vsitatũ enim est in scriptura, sub metaphora mensæ seu conuiuij hæc beneficia describere. Psalm. 23. v. 5. Parasti in conspectu meo mensam. Prouerb. 9. v. 5. Sapientia proposuit mensam suam clamitans: Venite, edite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Et Christus ipse similitudine cœnæ, Luc. 14. v. 18. & nuptiarum, Mat. 22. v. 2. in hanc sententiam vtitur. Et hæc posterior explicatio ad rem ipsam, quæ in hac historia tractatur, melius conuenit. Propter antithesin tamen *fletus & stridoris dentium*, prior etiam sententia tanquam à consequenti simul comprehendenda est.

Regnum igitur *cœlorum*, quod in hac vita per verbum & Sacramenta proponit, offert & distribuit spiritualia dona & beneficia filij Dei mediatoris, comparatur mensæ, omnibus illis, quę cum ad necessariam vitę sustentationem, tum ad lautitias, gaudium, & lætitiam requiruntur, instructissimæ. Et cum inquit: *Discumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, &c.* tribuit in hac mensa Patriarchis primum & præcipuum locum, quibus reliquos quasi posteriori loco adiungit, idque propter duas causas: Primo, propter promissionem de benedictione seminis factam Patriarchis. Illud enim solum est, quod conuiuium regni cœlorum instruit mensam ornat. Ideo non dicit, cum Mose & Aarone, vt Iudæorum supercilium de lege deiiciat. Deinde, vt Pharisæorum calumnias refutet, qui titulo antiquitatis simpliciorum oculos perstringebant, Christum vero criminabantur, quod nouã doctrinã afferret, & recentem fidem proponeret. Christus igitur regnum suum comparat Mensæ, in qua primum locum occupant Patriarchæ. Eadem enim doctrina, eadem fides est. Nam quod Patriarchæ promissum sperarunt, iam impleri nunciatur: quod ipsi à longe in spiritu videntes crediderunt, idem nunc fides in reuelatione clariori apprehendit. Qui igitur cum Patriarchis vult discumbere, ad hanc mensam accedat necesse est. Et obiter indicat, Iudæos, repudiata Patriarcharum mensa, alias sibi mensas instruxisse, de quibus Psalm. 69. versicul. 23. Fiat mensa eorum in scandalum. Et Iesa. 28. versiculo 7. Errauerunt in visione, ignorauerunt iudiciũ. Omnes eorum mensæ repletæ sunt vomitu & sordibus. Idem nos hodie respondere possumus calumniis pontificiorum, qui nostram fidem paucorum annorum fidem esse calumniantur. Nos Dei beneficio in regno Christi cum Prophetis & Apostolis assidemus in illa mensa, *quæ Patriarchis &* omnibus fidelibus ab ipso Dei filio parata est. Ipsi vero spreto merito & beneficiis Christi sibiipsi dapes colligunt, vel ex propriis, vel ex Sanctorum meritis, quibus an æternam famem depellere possint, ipsi viderint. Nos immensam illam Dei dignationem grata mente agnoscimus & prædicamus. Illam porro mensam Regni cœlorum, ostendit Christus principaliter instructam esse Iudæis, quos vocat *Filios regni cœlorum.* Nati enim sunt ex sanguine Patriarcharum discumbentium in regno cœlorum, & ad regnum Messiæ, circumcisione, doctrina & ceremoniis quasi enutriti sunt: Ipsorum est adoptio, testamentum & promissiones, Rom. 9. v. 4. Has enim prærogatiuas populi Iudaici Christus intelligit, cum vocat *Filios regni.* Videns itaque Iudæos mensam illam iam instructam partim blasphemare & persequi, partim contemnere, negligere, aut certe frigidius ad eam accedere: Gentes vero humili & ardenti fide ad mensam illam quasi irruere, conuertit se ad turbas; quasi diceret: Videtis iudicium Dei, partim blasphemantibus, partim negligentibus, gentes veniunt, & occupant loca in mensa regni cœlorum: & hoc præludium est vestræ reprobationis & futuræ vniuersalis vocationis gentium. Hic enim est sensus verborum Christi.

Vocationem autem gentium ita describit: quod non conuertitur tantum vnus atque item alter, sicut hactenus ex illis gentibus, quibus propter vicinitatem & cognationem, non omnino ignota fuit doctrina diuinitus patefacta: vt sunt Idumæi, Moabitæ, Æthiophes siue Syri, &c. Sed *ab oriente & occidente*, ex gentibus longissime dissitis, & plane ignaris doctrinæ propheticæ, magna multitudo vocabitur, & veniet ad mensam regni cœlorum. Occasionẽ sumit à Centurione, qui *ab occidente*, hoc est, ex Roma vltra mare in Iudæam missus, iam ante Iudæos fide præoccupet locum in hac mensa regni cœlorum. Significat igitur fore vniuersalem vocationem gentium, quæ non inclusa erit angustiis terræ Canaan, sed propagabitur per totum terrarum orbem, ex quibus non quidem omnes, sed tamen multi venient, cum Patriarchis *discumbent*, hoc est, eadem promissio de benedicto semine, quæ Patriarchis facta est, gentibus proponetur, & illam apprehendent eadem fide, sicut Abraham, Isaac & Iacob; atque ita gentes 1. participes erunt gratiæ, misericordiæ Dei & adoptionis, qua Deus olim dignatus est Abrahamum, Isaacum & Iacobum. 2. Participes erunt etiam illius lætitiæ & gloriæ, qua nunc Patriarchæ apud Deum viuentes in æterna vita fruuntur. Quomodo vero gentes venient & discumbent

bent cum Patriarchis, exemplum humilitatis & fidei in Centurione ostendit, quod propter hanc causam diximus diligenter obseruandum esse.

Quid vero fiet *de filiis regni*, qui nolunt ad mensam illam accedere? Respondet Christus: Prærogatiua illa Iudæorum non eo se extendet, vt etiamsi rideant, contemnant, imo blasphement & persequantur, nihilominus futuri sint participes mensæ in regno cœlorum: sed propter illam ipsam causam Deus grauius illis irascetur, & durior erit ipsorum pœna. Sicut enim Rex, si aulicis suis instruxisset sumptuosum conuiuium, ipsi vero hoc non tantum contemnerent, sed insuper Regem propterea blasphemarent, & persequerentur, certe iratus non tantum remoueret ipsos à mensa, sed proiectos in carcerem non vulgarem, sed maxime squalidum, profundum & tenebrosum, pro instructo gaudio & oblata lætitia perpetuo mœrori & horrori, hoc est, fletui & stridori dentium eos manciparet. Et hæc, etiam humano iudicio, iusta & legitima esset pœna: Ex hac similitudine simplicissime potest intelligi sententia verborum Christi. Pœnas enim comitantes reprobationem Iudæorum, vt sunt abdicatio, excæcatio, calamitates temporales, turbata & anxia conscientia, horribilis expectatio æternorum suppliciorum similitudine incarcerationis describit. *Proijcientur* enim foras & deturbabuntur *in tenebras* non vulgares, sed *extremas. Ibi erit fletus & stridor dentium.* Captiui enim in pessimo carcere, partim propter squalorem & duritiem carceris, partim propter expectationem certi & imminentis supplicij, mœrore & horrore conficiuntur. Ex hac Metaphora horrendi damnatorum cruciatus, qui verbis exprimi non possunt, aliquo modo designantur *Fletus* enim significat tribulationem, angustiam, dolorem & mœrorem. *Stridor* vero *dentium* significat vel horrorem ex conscientiæ cogitationibus, inuicem se accusantibus, vt D. Paulus innuit Rom. 2. vers. 15. scriptura alibi vocat vermem perpetuo rodentem & non moriturum, Iesa. 66. vers. 24. Marc. 9. ver. 44. vel significat acerbissimam indignationem & murmurationem ex impatientia ortam. Ita enim stridere dentibus vsurpatur, Psalm. 35. vers. 16. & 37. vers. 12. & 112 vers. 18. Thren. 2. ver. 16. Act. 7. vers. 54. Vtraque vero significatio huic loco conuenit. Hæc sine dubio vera est sententia. Ineptum enim est, quod quidam ex hac phrasi fabulantur, ardorem inferni fumo suo excitare fletum oculorum, & tantum ibi esse frigus, vt dentes præ frigore strideant. Et huc accommodant sententiam quandam ex Iob 24. vers. 19. Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsq; ad inferos peccatum illius. Causa vero reprobationis Iudæorum, ex illis quæ supra dicta sunt intelligi potest, quæ à nobis ita consideranda est, sicut Paulus docet Rom. 11. v. 21. Si Deus naturalibus ramis non pepercit; multo minus tibi parcet, si simili contumacia illum irritaueris.

Si cui ex hac historia liberet ἀλληγορεῖν, sequentes cogitationes non essent prorsus absurdæ. Quisque statuat se esse Centurionem, qui in domo cordis sui habeat paralyticum ministrum, animam nimirum decumbentem & conscientiam misere afflictam. De eo ergo sit solicitus, quomodo hic seruus suus à benignissimo Domino Iesu curetur, atque à paralysi sua liberetur, antequam æternæ morti tradatur. Hoc vero fit, quando Deus per verbum largitur spiritum sanctum, qui in hoc pectore operatur conuersionem, & veram regenerationem, vt firma fide amplectatur ipsius mortem & satisfactionem, particeps fiat ipsius iustitiæ & innocentiæ, atque hæc consolatio in corde ipsius efficacia Spiritus sancti & ministerio Sacramentorum confirmetur. Sed (proh immortalem Deum) videmus hunc Romanum Centurionem ob metum temporalis mortis, & quia serui ministerium sibi vtile esse poterat, singulari diligentia procurare, vt hic suus seruus sanetur. Miseri vero nos homines, animæ nostræ decumbentis & conscientiæ paralysi prostratæ, exilem curam habemus: non mouet nos iactura æternæ vtilitatis, non metuimus sempiternam mortem, nec inextinguibilis infernalis ignis cruciatus, quos secum affert spiritualis hæc animæ nostræ paralysis. Sed fere tum demum plærique sibi consuli seque iuuari cupiunt, quando etiam externum corpus animam agit, quando memoria extincta est, intellectus deficit, lingua stupet, adeoque iam in via sunt, vt Deo rationem exactæ vitæ suæ reddant. Viderint tales, ne tunc frustra laborarint, & in æternitate pœnas suæ negligentiæ luant. O bone IESV, qui solus es medicus noster, Exod. 15. vers. 26. Matth. 9. vers. 12. licet indigni simus, sub quorum tectum intres: te tamen humili fide inuocamus, vt ex gratia id præstare, & domum pectoris nostri spiritu tuo per verbum & sacramenta visitare digneris, quo expulsis omnibus infirmitatibus languentis animæ in te ad æternam felicitatem confirmemur, & corroboremur. Amen.

Huiusmodi allegoriis si quis delectatur, diligentius de re tota cogitet. Nos doctrinas, quas literalis sensus subministrat, potiores esse iudicamus.

CAPVT LIIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DE RESVSCITATIONE MORTVI IVVENIS, FILII VIDVÆ, ciuitatis Naim, Luc. 7. vers. 11.

RATIO ORDINIS.

POst sanatum famulum Centurionis, Euangelista Matthæus subiicit historias de sanata febricitante socru Petri, & iis infirmis, quos mox eadem vespera Dominus sanitati restituit. Sed ea longe ante gesta esse, & hic à Matthæo per recapitulationem narrari, supra ostensum est cap. 38. & 39. Nam apparet Matthæum hoc spectasse, quod prolixo sermoni, superius descripto, multa miracula subiungere voluerit, eum in finem vt doctrinam in eo traditam miraculis illis confirmaret. Postea subiungit Matthæus, quemadmodum Dominus iusserit trans fretum nauigari in terram Gergesenorum. Sed Marcus diserte scribit, transfretationem illam factam esse longe post, vespere scilicet eius diei, quando per multas parabolas Christus docuit: & intercessisse complures alias historias, quæ partim apud reliquos Euangelistas extant, partim etiam ab ipso Matthæo alibi extra suum locum describuntur: Itaque ex Matthæo non potest colligi, quæ historia proxime post sanatum istum seruulum Centurionis in Harmonia collocari debeat. Nec de eo quicquam commemorat Marcus. Restat ergo solus Lucas, qui isti historiæ subiungit descriptionem suscitati adolescentis Naimitici, & quidem certa ac manifesta notatione temporis. Inquit enim: καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἑξῆς, scilicet ἡμέρᾳ: *Et factum est sequenti die.* Vnde sequitur, post Centurionem recte collocari in Harmonia historiam de vidua Naimitica, Nam vocula ἑξῆς significat ordinem, siue loci siue temporis, quid proxime seu continuo post aliud sequatur. Sic de ventis Græci loquuntur: ἑξῆς τῷ ἀπαρκτίᾳ est Aquilo. Et de tempore ἑξῆς πολλὰς ἡμέρας, per multos continuos dies. Actor. 25. versic. 17. τῇ ἑξῆς, sequenti die. Plutarchus τῷ ἑξῆς ἔτει proximo anno. Vtuntur etiam hac particula Rhetores, quando absoluta vna aliqua materia transeunt ad aliam. Et quidem hæc phrasis ἐν τῇ ἑξῆς, scilicet ἡμέρᾳ, certior est temporis & ἀκολουθίας notatio quam ἐν τῷ καθεξῆς, scilicet χρόνῳ siue καιρῷ. Vbi potest subintelligi, potuisse intermediis diebus, ante initium sequentis istius temporis, alias accidere historias. Hic vero nullum est dubium, quin mox altero die, post sanatum seruulum Centurionis, secuta sit profectio in Naim, & miraculum ibidem editum.

HISTORIA DE SVSCITATO FILIO viduæ Naimiticæ.

Luc.7. v.11.

11. Καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἑξῆς, ἐπορεύετο εἰς πόλιν καλουμένην Ναΐν, καὶ συνεπορεύοντο αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἱκανοί, καὶ ὄχλος πολύς.

12. ὡς δὲ ἤγγισε τῇ πύλῃ τῆς πόλεως, καὶ ἰδού, ἐξεκομίζετο τεθνηκὼς υἱὸς μονογενὴς τῇ μητρὶ αὐτοῦ, καὶ αὐτὴ χήρα, καὶ ὄχλος τῆς πόλεως ἱκανὸς σὺν αὐτῇ.

13. Καὶ ἰδὼν αὐτὴν ὁ κύριος, ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτήν, καὶ εἶπεν αὐτῇ· μὴ κλαῖε.

14. καὶ προσελθὼν ἥψατο τῆς σοροῦ· οἱ δὲ βαστάζοντες ἔστησαν. καὶ εἶπε, νεανίσκε, σοὶ λέγω, ἐγέρθητι.

15. καὶ ἀνεκάθισεν ὁ νεκρός, καὶ ἤρξατο λαλεῖν. καὶ ἔδωκεν αὐτὸν τῇ μητρὶ αὐτοῦ.

16. ἔλαβε δὲ φόβος ἅπαντας, καὶ ἐδόξαζον τὸν θεὸν λέγοντες. ὅτι προφήτης μέγας ἐγήγερται ἐν ἡμῖν, καὶ ὅτι ἐπεσκέψατο ὁ θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ.

17. καὶ ἐξῆλθεν ὁ λόγος οὗτος ἐν ὅλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ περὶ αὐτοῦ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ.

11. *Et factum est deinceps, ibat in ciuitatem, qua vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius multi, & turba copiosa.*

12. *Cum autem appropinquaret porta ciuitatis, ecce, defunctus efferebatur, filius vnicus matris sua: & hac vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.*

13. *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.*

14. *Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterũt; Et ait: Adolescens, tibi dico surge.*

15. *Et resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui: Et dedit illum matri sua.*

16. *Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suã.*

17. *Et exiit hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & in omnem circa regionem.*

Periocha huius historiæ.

QVia hanc historiam solus Euangelista Lucas describit, circumstantiæ omnes planæ & manifestæ sunt. Doctrinam igitur, quæ hoc miraculo proponitur, inuestigabimus, quæ ex obseruatione ordinis simplicissime deprehendetur.

In proxima concione Christus inter cætera & hoc caput doctrinæ tractauerat: *Beati qui lugent, quoniam consolationem accipient.* Illud vero quomodo impleatur pulcherrime in hac historia de lugente vidua declaratur. Item in proxime præcedenti miraculo, efficaciam, vim & potẽtiam verbi sui Christus, & confessione Centurionis & illustri sanatione seruuli ipsius comprobauerat. Ne vero existimetur, hæc vel sola vel summa esse efficacia verbi Christi, quod morbos corporales potest depellere, mox, & quidem adhibitis iisdem testibus, qui Capernaum ipsum secuti fuerant, illustrius edit specimen, de præcipua & spirituali verbi sui efficacia. Et est simul cõprobatio & declaratio eius, quod in proximo festo Paschatis dixerat; Mortui audient vocem filij Dei, & viuent, Iohan.5.v.25.item v.24. Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & etiamsi mortuus fuerit, viuet. Hæc enim resuscitatio est typus liberationis à morte æterna, & restitutionis ad vitam spiritualem, quæ fit voce Euangelij. Et simul ostendit, credentes etiam quando moriuntur, non frustrari efficacia verbi Christi, quod fide apprehenderunt. Exeret enim se ad resuscitationem corporum ad vitam æternam.

Præcipui igitur loci doctrinæ in hac historia sunt. 1. Beati lugentes, quoniam consolationem accipient. 2. De efficacia verbi Christi contra mortem, & in morte. 3. Quomodo ex hac mortui resuscitatione, quæ in nouo testamento prima est, populus clarius cœperit agnoscere Iesum esse Messiam, atque ideo ad certiorem historiæ fidem circumstantiæ eiusdem diligenter sunt descriptæ.

Primo muliercula hæc fuit coniugata & vixit in matrimonio. Sine dubio igitur experta est communes difficultates, quas hoc genus vitæ secum affert. Et quia mater effecta est, sensit etiam dolores partus, Gen. 3 vers.16. Deus vero & in principio benedixit coniugio, Gen.1.ver.28. & nunc etiam coniugibus benedictionem promittit Psalm. 128. ver.2. Sed huic mulierculæ, quæ tristissima est calamitas, maritus moritur, non in senectute, plenus & satur dierum, sed in ipso flore iuuentæ, non diu post contractum matrimonium: Id quod inde colligitur, quia relinquit vnigenitum tantum filium, quẽ Christus appellat νεανίσκον, adolescentulum. Iam viduitatis calamitas omnium tristissima & miserrima est. Psalm. 109. ver.9. inter diras imprecationes ponitur: Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Thren.1.ver.1.& 5.vers.3. Pupilli nostri facti sunt absque patre, matres nostræ quasi viduæ. Sed Deus variis & dulcissimis promissionibus viduas consolatur. Vocat enim se Iudicem & susceptorem viduarum, Psalm.68. vers.9. Deut.10.vers.18 & Psalm.146.vers 9. Viduarum quoque causas singulari quasi priuilegio commendat Magistratui & reliquis omnibus Exod.22.versic.22. Viduæ & pupillo non noceto. Deut.14.vers.29. decimam pro peregrinis, pupillis & viduis ordinat. Deut.16.vers.11.& 14. eosdem præ aliis ad solennia conuiuia coram Domino vocari vult. Deut.27.vers. 19. maledicit illi, qui aduenæ, pupilli, & viduæ iudicium peruertit. Isai.1.vers.17. dicit principibus: Iudicate pupillo, defendite viduam. Ierem.5.vers.28. inter causas interitus populi Iudaici numeratur, quod causam viduæ non iudicauerunt. Ier. 22.vers.3. Viduam nolite contristari, neque opprimatis inique. Hæc igitur vidua illis promissionibus se sustentauit: & quamuis iuuenis; secundas tamen nuptias non affectauit. Statuit quoque mitigationem aliquam esse viduitatis, quod haberet filium. Sed & ille, adolescentulus adhuc moritur. Et non est dubium, cum decumberet, matrem viduam assidentem lectulo, dulcissimas illas promissiones, viduis datas, Deo ardentissimis votis & gemitibus proposuisse. Et cogitauit, tunc tempus esse, vt impleretur illud: Beati lugentes, quoniam consolationem consequentur. Sed vnicus filius adolescentulus moritur. Ibi verò mater vidua flens & plorans iudicauit, vel promissiones illas vanas, irritas & inanes esse, vel se propter peccata à Deo abiectam & maledictam non pertinere ad illas promissiones. Erat enim species maledictionis 1. status viduitatis 2. quando non relinquebatur semen in Israel. Et tam tristis est hæc calamitas, vt totam ciuitatem ad commiserationem commoueat, quæ vnà cum matre vidua funus comitatur. Promissionum vero de consolatione viduarum nulla prorsus apparet efficacia.

Hæ circumstantiæ ideò diligenter sunt expendendæ, Ostendunt enim quam rationem Deus seruet in praxi huius doctrinæ: *Beati qui lugent, quoniam consolationem consequentur.* Ne ita interpretemur, quasi statim in primis luctus principiis subsecuta sit sensibilis consolatio: Neve, si hoc statim non fiat, iudicemus vel promissiones esse vanas & irritas, vel nos à Domino abiectos. Iesus enim propter hanc viduam profectionem illam ex Capernaum versus Naim suscipit: sed non præseruat adolescentulum à morbo, nec venit interim dum decumbit, priusquam moriatur, & tamen in itinere est, suscepturus patrocinium huius viduæ. Hæc via Christi Mediatoris diligenter est obseruanda in praxi doctrinæ: *Beati qui lugent, &c.* Vidua vero, vt in re deplorata, sepositis quasi promissionibus, nihil iam petit, sed totam se fletibus & luctui dedit. Ibi vero desperatis omnibus Christus obuiam venit viduæ, & cum præ doloris magnitudine nihil vel loqui vel orare posset. *Videns eam Iesus plorantem, tactus est* intima *commiseratione.* Habemus enim talem Pontificem, qui ideo tentatus est per omnia, vt συμπαθείᾳ nostrarum calamitatum tangeretur, Hebr.2. vers.18. & 4. vers.15. Et ideo Euangelista vtitur verbo ἐσπλαγχνίσθη, de cuius emphasi dictum est in historia leprosi cap.42. Et qui antea, cum inuocaretur, fuit quasi qui non audiret, nunc, tacente & gemente tantum vidua, ipse vltro alloquitur: *Noli flere.* Et reipsa efficaciam consolationis ostendit, filium suscitatum restituens matri, quæ lætitia multis modis

maios

maior fuit, quàm si à morbo & morte præseruatus fuisset. Et quia hoc auxilium est extraordinarium miraculum, nos sane non habemus specialem promissionem, quod Deus tali extraordinario & miraculoso modo velit nos subleuare. Sed hoc miraculo confirmatur generalis promissio & fides, quod habemus talem Pontificem, qui conspectu nostrarum calamitatum ad sympathian commouetur: quique licet differat, tamen fidelis est, nec sinit nos tentari vltra quam possumus, 1.Corint.10.versi.13.sed vel liberat, vel mitigat, vel cor consolatione perfundit patientia confirmat, fide erigit & sustentat. Sicut hoc loco inquit: *Noli flere*. Et hæc est vera explicatio, seu, vt ita dicam, praxis eius doctrinæ, quam paulo ante in concione tradiderat: *Beati qui lugent, quoniam consolationem accipient.*

Secundum locum doctrinæ in hac historia diximus esse de efficacia verbi Christi contra mortem, & in ipsa morte. Hoc enim miraculo voluit ostendere & obsignare, quare potissimum in hunc mundum venerit, non vt politicam dominationem exerceret, nec præcipue vt aquam in vinum verteret, vel similia prodigia ederet, sed vt morte, quæ per peccatum in mundum intrauit, destructa, vitam Dei, à qua abalienati fueramus, Eph.4.ver.18.restitueret. Et quod illud facere possit, hoc miraculo ostendit. Duobus autem quasi instrumentis vtitur in resuscitatione huius mortui. Tangit enim pheretrum, & verbo alloquitur mortuum. 1. Vt ostendat, destructionem mortis & restitutionem vitæ esse virtutem & opus suæ personæ, non in diuina tantum natura, sed in illa etiam, quam à nobis assumptam plenitudine diuinitatis ditarit. 2. Vt doceat, medium seu organum, quo illa personæ Christi beneficia nobis distribuuntur, esse verbum ipsius, per quod in nobis mortem destruet, & vitam restituet. Et illud verbum propterea tantam habet efficaciam etiam contra mortem, non quod sit sonus longe separatus à Christo, sed quia Christus ipse in verbo suo adest, & per illud operatur, sicut hoc loco simul & loquitur & tangit. Sed quia, sicut Ecclesiastes Salomonis dicit, corporali morte æque moritur sapiens & insipiens. cap.2.versi.16. quomodo igitur verbo Christi sua constabit virtus & efficacia, cum illi qui verbum hoc apprehendunt, moriantur? Respondet Christus Iohann.5.versi.28. Hora venit, cum illi, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & resurgent ad vitam æternam. Et quod verbum Christi in ipsa morte hanc efficaciam magna cum facilitate habeat, quam suo tempore in credentium demortuis corporibus ostendet, hoc miraculo voluit confirmare & obsignare. Suscitat enim mortuum, quasi ex somno saltem eum excitaret.

Porro hæc historia typus & imago est, quomodo Christus per verbum animæ peccatis mortuæ vitam spiritualem restituat. Non infirmati tantum, sed mortui sumus in peccatis & delictis. Ephes.2.versic.1.Col.3.versic.3. & desperata vita nullum superest in toto mundo remedium vel auxilium, sed in via sumus, qua tendimus in foueam perditionis, aliis præcedentibus, aliis sequentibus, omnibus vero plorantibus. In hac vero via Christus obuiam venit, & non rogatus, ipso aspectu calamitatis mouetur ad commiserationem: non horret mortuum, sed accedit, tangit, nos vocat. Præcipue vero obseruandum est, quod non prius suscitet mortuum, & postea alloquatur: sed verbum suum ad ipsum mortuum dirigit, & ita ipsum suscitat. Initium enim vitæ spiritualis non præuenit efficaciam & operationem verbi, ex qualibuscunque liberi arbitrij viribus: sed anima peccatis mortua est, Christus vero eam ad spiritualem resuscitaturus, verbum suum ad animam peccatis mortuam dirigit, quæ sane non habet vere spirituales aures ad audiendum. Hæc vero est diuina verbi efficacia, quod efficit & operatur, vt, qui vere mortuus fuerat, acceptis spiritualibus audiendi auribus, audiat, erigat se & incipiat loquiidque ideo [illegible] quia Christus verbo suo adest, & is, qui vita est, mortuum ta[illegible]. Hæc igitur resuscitatio mortui pulchra imago est, quomodo Christus nos per verbum ex morte ad vitam spiritualem restituat.

Tertio multum profuit hoc miraculum ad veram agnitionem Christi. Hæc enim prima est resuscitatio mortui, quæ in Nouo Testamento facta est. Ambrosius ita numerat. In Veteri Testamento leguntur tres mortui resuscitati: Filius Sareptanæ ab Helia, 3.Reg.17.vers.22.filius Sunamitidis ab Elisæo, 4. Reg.4. vers. 35. & cadauer hominis proiectum in sepulchrum Elisæi: cum enim ossa eius tetigisset, statim reuixit, 4.Reg.13.vers.21. In Nouo Testamento à Christo resuscitati leguntur. 1. Filius viduæ, Luc.7.vers.11. 2. Filia Archisynagogi, Matth.9 vers.25. 3. Lazarus, Ioh.11.versic.44. 4.Multa corpora sanctorum, Matth.27.versic.52. post ascensionem Christi ab Apostolis suscitati sunt, vidua Dorcas, Act.8.v.40. à Petro. Eutychus à Paulo, Act.20.vers.10. Quia igitur hæc est primo resuscitatio mortui à Christo in Nouo Testamento facta, singulæ circumstantiæ ad faciendam fidem historiæ diligenter descriptæ sunt. Christus enim habuit tunc in comitatu *multos suos discipulos*, hoc est, non tantum duodecim Apostolos: sed multos alios, qui se profitebantur sectatores doctrinæ ipsius, (credentes enim discipulos vocatos fuisse testatur Lucas Act.11.vers.26.) *&* præterea *magnam turbam* promiscuæ multitudinis. Hæc enim tria genera comitum Christi hoc in loco ex verbis Lucæ colliguntur 1. Apostoli. 2. Discipuli multi. 3. Magna turba. Et iudico illum ipsum comitatum fuisse, qui in historia Centurionis ipsum secutus fuisse scribitur, vt à Capernaum mox altero die deflexerit versus tribum Isaschar, vbi sita Naim fuit. Hieronymus scribit, sua etiamnum ætate oppidulum hoc nomine extitisse duobus millibus passuum à monte Thabor. Magnam itaque turbam miraculi huius testium Christus in comitatu suo secum adduxit. Et ipsum funus magna turba totius ciuitatis deductum fuit. Circa ipsam etiam ciuitatis portam, vbi pro more illius regionis conuentus celebrari solebant, facta est resuscitatio. Corpus mortui adolescentuli portabatur ἐν σορῷ. Ita enim Græci interpretes vocant arcam, in qua corpus Ioseph in Ægypto depositum fuit. Gen.50.vers.25. Ad illum loculum Iesus accessit, & portatoribus consistentibus inclamauit mortuum, non verbis precandi, sicut Helias & Elisæus fecerunt, sed verbis imperandi: *Adolescens, tibi dico, suscitare*, seu resurge à morte. Ita enim verbum ἐγείρεσθαι de mortuis vsurpatur, Matt. 11.vers.5.& 14.vers.2.& 16.vers.21. Et ad verbum illud præcipiendi, ille qui mortuus fuerat, tot & tam diuersis testibus inspectantibus, cœpit se erigere, & primò in ipso loculo residens cœpit loqui, postea surrexit ex loculo, nec statim rursus defunctus est. Sed *Iesus dedit eum matri suæ*, vt eo certius testificari posset de filio suo, quem vitæ restitutum ex ipsius manu acceperat. Et quia in ciuitate illa apud matrem postea vixit, illustre fuit testimonium veritatis huius miraculi. Et non est dubium quia Lucas dicit famam huius miraculi per totam Iudæam & regiones circumiacentes diuulgatam fuisse, multos ex illis locis eo profectos, & vidisse adolescentulum resuscitatum, & totam rei veritatem, sicuti facta fuerat, diligenter explorasse.

Hæc tam diligens descriptio omnium circumstantiarum pertinet ad confirmationem & illustrationem miraculi. Et quia hæc prima est resuscitatio mortui in Nouo Testamento à Christo facta, multum attulit fructus. *Repleuit* enim non *Iudæam* tantum, sed *& vicinas regiones, fama de Christo*. Quod enim Lucas dicit, Spectatores *omnes timore occupatos fuisse*, non habet hunc sensum, quod tam horribile spectaculum fuerit resuscitationis: Sed quod vulgus, eorum etiam qui Christo non crediderant, hoc miraculum propter insolitam magnitudinem (Annis enim nongentis ferme post Elisæum tale nihil in Israel contigisse legimus) non potuerunt ita leuiter negligere vel calumniari, sicut cætera. Quo minus enim id facerent, timore diuinæ potentiæ, quam in illo miraculo non obscure perspiciebant, in officio continebantur. Vt ita timor opponatur leuitati, contemtui & calumniis. Admirationem autem, & celebrationem miraculi, retulerunt ad ipsum Deum. Lucas enim dicit, eos *glorificasse Deum*, non tantum ideo, quod virtutem manifeste diuinam in hoc miraculo agnoscebant: Sed præcipue, quod iudicabant hoc miraculum esse testimonium & commonefactionem, quod Deus vel insignem aliquem Prophetam, vel ipsum Messiam misisset. Ita enim intelligere licet illud ὅτι καὶ ὅτι, quod duæ in vulgo fuerint sententiæ de hoc miraculo: Quidam iudicarunt testimonium esse, quod Iesus hic sit Propheta: & quia tantum Helias & Helisæus, prophetarum principes, leguntur mortuos suscitasse, nominant *magnum*, siue insignem *Prophetam*. Prærogatiuam enim vaticinandi aliquot iam annis Eliæi sibi arrogarant, sicut Iosephus ostendit. Non autem talis, aiunt, sed magnus est hic Propheta. Alij vero rectius iudicarunt, miraculum hoc esse testimonium, quod Deus visitationem & restitutionem populi sui, quam per Messiam futuram promiserat, iam inchoaturus esset. Alij suscitationem magni Prophetæ intelligunt de Promissione, Deut.18.vers.15.& quod mentio visitationis sit explicatio, quod non intelligant simpliciter prophetam aliquem, sed Messiam ipsum. Atque hæc est descriptio de fructu miraculi, quem tunc attulit, quod nimirum illustrior aliqua agnitio personæ Iesu Christi secuta fuerit apud plerosque, quam hactenus habuerint. Nos certe ipsi, tum ex hoc miraculo, tum ex tota Euangelica historia cognoscimus & grata mente prædicamus; Deum nos miseros misericorditer respexisse, & ex gratia ita visitasse, quod filium suum vnigenitum in mundum misit, hominem fieri voluit, eumque nobis donare dignatus fuit. Is nos, mortuos per delicta, quotidie verbo suo ad vitæ nouitatem excitat. Et quia morte sua mortem deuicit, efficiet, vt si firma fide ipsi adhæserimus, ne mors nos detinere possit, sed excussa omni ipsius

tyrannide olim læti ad æternam vitam resurgemus, & Christi, omniumque sanctorum consuetudine in perpetuas æternitates fruamur. Porrò, quod hîc fit mentio *loculi portatorum*, quod *extra portam vrbis* sepeliendus effertur, quod deducitur à matre plorante & magna turba ciuium, pertinet ad doctrinam de sepultura & luctu mortuorum. Sed, iuuante Domino, locum illum ad historiam Lazari reseruabimus.

COMMONEFACTIO, QVA RATIONE INuestigari & deprehendi possit series & contextus historiarum à suscitatione filij viduæ, vsque ad exitum secundi anni ministerij CHRISTI.

POst solennem illam Christi concionem de Lege, quæ vulgo Concio in monte dicitur, ordo & contextus historiarum de mundatione leprosi in itinere, de sanatione seruuli Centurionis in vrbe Capernaum, & de resuscitatione demortui filij viduæ in Naim, satis certus & manifestus est: vt in præcedentibus vidimus. Quis vero (sicut Eusebius loquitur) sit ἀρμὸς ἀκολουθίας in iis, quæ proxime sequi debent, hoc est, quo ordine, & contextu collocandæ sint historiæ à suscitatione filij viduæ, vsque ad finem secundi anni ministerij Christi, valde obscurum & perplexum & intricatum videtur. Matthæus enim historias de traiectu maris, Christo dormiente: de Dæmoniacis apud Gergesenos sanatis: de filiola Archisynagogi suscitata, &c. describit, multo ante varias illas parabolas, quas in vna concione Christus contexuit. Marcus vero & Lucas concionem illam parabolicam (vt sic appelletur) prius describunt, & post eam subiiciunt illas historias, quas Matthæum præposuisse diximus. Et Matthæi quidem ordinem Ammonius, Gerson & alij secuti sunt. Sed quia post historiam Centurionis Matthæus à serie temporis & consequentia historiarum aliquantulum per rememorationem (sicut Augustinus loquitur) discedit. Mox enim subiungit sanationem socrus Petri, quam multo ante factam esse, suprà cap.38. clarissime monstratum est. Icirco aliis videtur consensum duorum, Marci & Lucæ, præferendum esse contextui Matthæi, in illo præsertim loco, vbi aliquam esse ordinis perturbationem manifestum est. Ac proinde Lucam sequentes, resuscitationi filij viduæ in Naim (& recte quidem, sicuti monstrabimus) mox subiiciunt legationem Iohannis Baptistæ ad Iesum. Sed hic rursus obiicitur alia difficultas. Lucas enim calumniam Pharisæorum de Beelzebub, quam Matthæus & Marcus ante concionem parabolicam describunt, longe post, in vltima scilicet profectione Christi versus Hierosolymam, recenset. Quid igitur certi, in tanta obscuritate, quæ perturbata, perplexa, & incerta videtur, de serie temporis & ordine historiarum constituemus?

Potest sane hæc res intricata etiam solertissimum & ingeniosissimum diu in suspenso detinere, cum temerarium sit, audere vel velle certi aliquid affirmare, sine manifesta notatione temporis, & ordinis. Extat tamen apud Marcum in descriptione harum historiarum vnica quædam notatio, quæ initio non magni momenti esse apparet: Sed illa, si recte obseruetur, monstratrix est ordinis, & facem quasi præfert, in obscura illa perplexitate contextus, quæ prima facie legentibus se offert. Est autem hæc notatio, Marcus c.4.vers.35. diserte scribit transfretationem illam, quæ Matth.8.vers.23. & Luc.8. vers.22. describitur, factam esse vespere illius diei, quando per multas, & varias parabolas Christus ad turbas locutus fuerat. Certum igitur est, contextum Matthæi in illo loco de transfretatione, non seruare verum ordinem temporis & historiarum, sed esse Anticipationem.

Potest autem ex illa notatione ordo ita inuestigari & deprehendi, vt ordine retrogrado historiæ deducantur certa serie vsque ad miraculum resuscitati filij viduæ. Post transfretationem enim contextus & ordo historiarum, de dæmoniaco, peregrinatione Galilææ, & aduentu in Nazareth vsque ad finem secundi anni ex consensu trium Euangelistarum, non obscurus, nec ambiguus, sed manifestus est. Ante transfretationem vero, cum in itinere ad nauim Christus prius disseruisset cum quibusdam volentibus ipsum sequi, illo ipso die proxime præcessisse parabolicam illam concionem, Marcus diserte notauit. Et ante illam concionem, eodem die in domo factam esse historiam de matre & fratribus Christi, cum prius contra Pharisæos super calumnia de Beelzebub in illa ipsa domo disputasset, Matthæus c.13.v.1. clarissime indicat. Dicit enim: *In illo die exiens de domo, sedebat secus mare*. Et paulo ante illam disputationem cognati voluerunt ipsum comprehendere, cum primum in domum illam venisset, Mar. 3.v.20. Ita ergo hæ historiæ, de quarum ordine perturbata videbatur esse obscuritas, serie retrograda quidem, sed certa & manifesta, recte possunt contexi & ordinari.

Vnus vero adhuc scrupulus superest. An hic ordo historiarum, quem iam inuestigauimus & deprehendimus, ita sit cōtexendus, vt statim post miraculum editum in filio viduæ Naimiticæ subiici & attexi debeat historia de cognatis Christi volentibus ipsum comprehendere, Marc.3.vers.20.& quæ porro in ordine consequuntur. Et ad Marci quidem, imo etiam ad Matthæi contextum hæc ratio facile & expedite posset accommodari. Lucas vero sua descriptione quæstionem & controuersiam facit. Historiam enim de legatis Baptistæ ad Christum missis, ita attexit miraculo resuscitationis mortui in ciuitate Naim, vt ea, quæ in septimo capite Lucæ sequuntur, vna cum principio octaui capitis videantur & accidisse, & collocanda esse ante illas historias, quarum ordinem vsque ad finem secundi anni iam monstrauimus. Matthæus vero legationem illam Baptistæ, & quæ continua serie illam secuta sunt, describit cap.11.vers.2. postquam Apostoli iam in tertio anno ministerij Christi emissi erant ad prædicandum. Quam rationem ordinis Gerson post alios, & cum aliis sequitur. Hic scrupulus quem non torqueret? Videntur enim rationes quædam inclinare ad Gersonis sententiam, quod historia legationis Baptistæ acciderit tertio anno ministerij Christi, illo tempore quo Apostoli aberant missi ad prædicationem, priusquam redirent. Matthæus enim cap.11.vers.1. dicit: *Cum consummasset Iesus præcipiens Apostolis, quos mittebat*, &c. & postea subiicit descriptionem legationis Baptistæ, quæ tunc opportunum habuisse videtur tempus, cum Iohannes prophetico spiritu, de propinquo sibi interitum imminere intelligeret, ne post mortem suam discipulorum animos suspensos, & peruerso præceptoris zelo fascinatos relinqueret. Accedit, quod Matthæus cap.14.vers 12. scribit legatione illa tantum effectum esse, quod discipuli Baptistæ post mortem ipsius se adiunxerunt Christo. Sed priusquam Apostoli emittantur ad prædicandum, discipuli Iohannis Baptistæ Matth.9.vers.14. consentiunt cum Pharisæis, & cum ipsis disceptationem instituunt contra Christum, & ex illa concertatione videtur Baptista occasionem sumsisse emittendi legatos ad Christum. Et ita videtur ordo historiæ pulchre cohærere, vt Matthæus cap.11 versic.2. describat, quæ sint acta Christi, quæ acciderunt interea, dum Apostoli profecti ad prædicationem abessent, vsque ad reditum ipsorum. Neque enim interea otiosus fuisse putandus est. Hæ rationes multos mouent, vt omnino iudicent sequendum esse ordinem illum, quem Gerson ex Matthæi contextu sumsit.

Veruntamen Lucas cap.7. à miraculo Naitico, vsque ad concionem illam parabolicam historiam ita contexit, vt non appareat, quomodo recte fieri possit, si diuellatur, & legatio Baptistæ in nonum caput transponatur. Etenim dicit, *famam resuscitati filij viduæ dimanasse in totam Iudæam, & in omnem circumiacentem regionem*. Et mox quasi continuo textu subiungit: *Et nunciauerunt Iohanni discipuli eius de hisce omnibus*, &c. Hæc series consequentiæ, quasi catena continua, quomodo distrahi & diuelli potest? Et ἀκολουθία de peregrinatione Christi in principio octaui capitis Lucæ, continua serie cohærere cum præcedentibus historiis, aduerbium καθεξῆς manifestissime ostendit. Ibi vero expresse dicitur duodecim Apostolos Christo adfuisse. Illa igitur σύνοδος cum præcedentibus, quibus adhæret, non fuit facta in absentia Apostolorum. Licet igitur priorem illam sententiam, si cui illa adlubescat, nolim prorsus improbare: video tamen simplicius & firmius esse, si Lucæ ordo obseruetur, vt mox post miraculum Naiticum subiungatur legatio Baptistæ, cum adhærentibus historiis vsque ad finem septimi capitis Lucæ, & vndecimi Matthæi. Post illas vero historias Christus peragrauit ciuitates & castella. Et cum domum rediisset in ciuitatem suam Capernaum, secuta sunt illa, quorum ordinem paulo ante inuestigauimus & deprehendimus, quæ scilicet in domo illa facta scribuntur Mar.3.vers.20.& Matt.12.versic.22. porro, quæ cum rursus traiecisset, atque sic deinceps, sicuti suo loco videbimus.

Hoc modo series historiarum sine interruptione simplicissime

cissime cohæreret, non tantum in Luca, verum etiam in descriptione Matthæi, qui cap. 11. legationem Baptistæ cum adhærentibus describit. Et si ex 11. cap. illa, quæ ad tempus multo ante præcedens pertinere suprà cap. 47. ostensum est, demantur, mox sequentur etiam iuxta Matthæum, quæ in domo acta sunt, Marc. 3. versic. 20. Quod si altera sententia seruetur, hæc diuellenda sunt; & tamen pericope in principio 8. capitis Lucæ propter aduerbium καθεξῆς non potest commodè alio loco inseri. Nec rationes pro altera sententia quæ supra sunt recensitæ, vel necessario concludunt, vel euidenter monstrant ordinem. Neque enim Matthæus inquit, tunc missos à Baptista venisse legatos, cum Iesus emisisset Apostolos. Ita enim nulla esset quæstio, si hæc notatio temporis atque ordinis in Matthæo extaret. Sed ita tantum dicit: *Cùm finem fecisset Iesus præcipiendi discipulis, transiit inde, vt prædicaret ciuitatibus eorum.* Hæc est vera continuatio, monens, quid Iesus interea egerit, dum abessent Apostoli. Quod vero subiungitur; *Iohannes autem in vinculis cum audisset, &c.* non euincit continuam historiam, quæ illo ipso tempore acciderit, describi. Nam particula δὲ ab Euangelistis sæpe ponitur, vbi non seruatur continua narrationum siue historiarum series. Vt Matt. 8. versic. 18. post sanatam socrum Petri Euangelista subiicit: *Videns autem turbas, iussit discipulos trans fretum ire, &c.* cum in illo loco nequaquam obseruetur continua series, vel temporis vel historiarum. Ita Luc. 5. vers. 1 *Factum est autem, cum turba irruerent, &c.* quæ tamen historia non post sanatam socrum Petri, nec illo ordine accidit, sicuti suprà monstratum est, cap. 36. Particula igitur δὲ non est vbique certa notatio ordinis historiarum & temporis.

Neque sequitur historiam legationis Baptistæ ideo in tempus post emissos Apostolos reiiciendam esse, ne existimetur Christus otiosus fuisse interea dum abessent Apostoli. Matthæus enim in principio 11. capitis diserte explicat, quid Iesus egerit interea, dum abessent Apostoli. *Transiit vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus ipsorum.* Imo firmius est argumentum, historias illas, de quibus nunc disputamus, non accidisse in absentia ablegatorum Apostolorum. Lucas enim cap. 8. ver. 1. dicit Apostolos fuisse σὺν αὐτῷ eorum, quæ post vocationem ipsorum in Euangelica historia describuntur. Apostoli igitur non absentes, sed σὺν αὐτῷ fuerunt, cum illa gererentur. Nec verisimile est, Baptistam per integrum annum, vsque ad extremum vitæ articulum, nihil vel audiuisse vel percontatum fuisse de doctrina & miraculis Christi, cum præsertim discipulis ipsius pateret aditus ad ipsum. Nec inconueniens est, si ponatur post reditum & renunciationem legatorum Baptistæ, quosdam ex discipulis ipsius adhuc nimium addictos authoritati sui præceptoris iniquiores inueniri Christo, Matth. 9. vers. 14 Nam Act. 19. vers. 3. aliquot annis post ascensionem Christi, tales adhuc inueniuntur. Crebro igitur, diu & multum negotij Baptistæ fuisse cum suis discipulis, vt ipsos à peruersa admiratione suæ personæ ad Christum adduceret, nullum est dubium: quæ tamen persuasio ipsis non potuit eximi nisi morte Baptistæ. Et cum in vinculis teneretur, nec ignoraret insidias Herodiadis, singulis diebus & horis finem vitæ sibi imminere cogitauit. Missos igitur fuisse ipsius legatos ad Christum aliquanto tempore ante mortem, sicut Lucas historiam ordinat, vero non est dissimile.

Hæc de argumentis, quæ pro confirmatione sententiæ Gersonis adducuntur, considerari possunt. Nos, propter rationes iam expositas, ordinem à Luca obseruatum & monstratum tanquam simplicem & planum sequemur: sine iniquiori tamen præiudicio alterius sententiæ, quam sine periculo & incommodo, si quis eam probauerit, sequi poterit. Habet enim rationes non contemnendas. Et profuit hæc de tatione ordinis historiarum à miraculo resuscitationis filij viduæ vsque ad finem secundi anni ministerij Christi semel annotare, vt eo expeditius in ipsa explicatione progredi possemus, nec sæpius in singulis historiis disputatio illa repetenda esset.

CAPVT LV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM BAPTISTÆ MITTENTIS EX carcere discipulos ad CHRISTVM. Matt. 11. v. 2. Luc. 7. versic. 18.

RATIO ORDINIS.

QVod hæc sit vera consequentia historiarum, ex iis, quæ iam annotata sunt, manifestum est. Marcus & Iohannes de hac legatione nihil annotarunt. Atque ea propter ex ipsis nihil de certo ordine desumi potest. Cumque Matthæus cap. 11. vers. 2. eandem describat sine certa temporis notatione, apparet, descriptionem Matthæi ad ordinem Lucæ accommodandam esse, qui hanc historiam præcedenti ita firmiter annectit, vt diuelli non possint. Adeoque dubium est nullum, in Harmonia huic Legationi hunc locum, post resuscitatum filium viduæ, sine vllo errore attribui posse.

HISTORIA DE LEGATIS A BAPTISTA ex carcere ad Christum missis.

MATTH. 11. v. 2.

2. Ὁ δὲ Ἰωάννης ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ, πέμψας δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ,	2. *Iohannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis,*
3. Εἶπεν αὐτῷ· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν;	3. *Ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*
4. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτοῖς· πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ ἃ ἀκούετε, καὶ βλέπετε·	4. *Et respondens Iesus, ait illis: Euntes renunciate Iohanni quæ audistis & vidistis:*
5. Τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται.	5. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Euangelizantur.*
6. Καὶ μακάριός ἐστιν ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί.	6. *Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.*

Luc. 7. v. 11.

18. Καὶ ἀπήγγειλαν Ἰωάννῃ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ πάντων τούτων.	18. *Et nunciauerunt Iohanni discipuli eius de omnibus his.*
19. Καὶ προσκαλεσάμενος δύο τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ὁ Ἰωάννης, ἔπεμψε πρὸς τὸν Ἰησοῦν λέγων· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν;	19. *Et conuocauit duos de discipulis suis Iohannes: & misit ad Iesum, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?*
20. Παραγενόμενοι δὲ πρὸς αὐτὸν οἱ ἄνδρες εἶπον· Ἰωάννης ὁ	20. *Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Iohannes*

Gg

βαπτιστὴς ἀπέσταλκεν ὑμᾶς πρός σε, λέγων· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν;

21. Ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ὥρᾳ ἐθεράπευσε πολλοὺς ἀπὸ νόσων καὶ μαστίγων, καὶ πνευμάτων πονηρῶν, καὶ τυφλοῖς πολλοῖς ἐχαρίσατο τὸ βλέπειν.

22. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ ἃ εἴδετε, καὶ ἠκούσατε· ὅτι τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται, πτωχοὶ εὐαγγελίζονται.

23. Καὶ μακάριός ἐστιν, ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί.

Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es ille, qui venturus est, an alium expectamus?

21. *In ipsa autem hora multos curauit à languoribus suis & plagis, & spiritibus malis: & cæcis multis donauit visum.*

22. *Et respondens dixit illis: Euntes renunciate Iohanni quæ vidistis & audistis: Quia cæci vident, & claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.*

23. *Et beatus est, quicunque non fuerit scandalizatus in me.*

HARMONIA HISTORIÆ LEGATIONIS Baptistæ ad CHRISTVM, ex descriptionibus Matth. 11. & Luc. 7. in vnum corpus coagmentata.

c Καὶ ἀπήγγειλαν Ἰωάννῃ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ πάντων τούτων. a ὁ δὲ Ἰωάννης ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ, c προσκαλεσάμενος δύο τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ὁ Ἰωάννης, ἔπεμψε πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ a πέμψας δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, εἶπεν αὐτῷ, c λέγων· f σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν; c παραγενόμενοι δὲ πρὸς αὐτὸν οἱ ἄνδρες, εἶπον· Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς ἀπέσταλκεν ἡμᾶς πρός σε, λέγων· Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν; ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ὥρᾳ ἐθεράπευσε πολλοὺς ἀπὸ νόσων καὶ μαστίγων, καὶ πνευμάτων πονηρῶν, καὶ τυφλοῖς πολλοῖς ἐχαρίσατο τὸ βλέπειν. f καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτοῖς, πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε, c ὅτι f τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται. καὶ μακάριός ἐστιν, ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί.

c *Et nunciauerunt Iohanni discipuli ipsius de his omnibus.* a *Iohannes autem cum audisset in carcere facta Christi,* c *aduocauit duos quosdam è discipulis suis, misitque ad Iesum. Et* a *missis duobus discipulis suis, ait illi,* c *dicens:* f *Tu es, qui venturus est, an alterum expectamus?* c *Cùm autem venissent ad eum viri, dixerunt: Iohannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es ille, qui venturus est, an alium expectamus? In eadem autem hora multos sanauit à morbis, ac plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum.* f *Et respondens Iesus, dixit illis; Euntes renunciate Iohanni, quæ auditis & videtis; Quod cæci visum recipiunt, & claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi audiunt, mortui excitantur, & pauperes lætum accipiunt Euangelij nuncium. Et beatus est, quisquis non fuerit offensus super me.*

Periocha huius historiæ.

VEra explicatio & vtilissima doctrina huius historiæ variis & intempestiuis quæstionibus, turbata & obscurata potius quàm plana reddita fuit. Idque inde factum est, quod verba legationis, à Baptista discipulis præscripta, ita accepta fuerunt, quasi ipse Baptista de aliquo fidei articulo non satis certus & confirmatus, voluerit animi sui dubitationes Christo per legatos exponere, & ita pro se ac propter se quærere instructionem & confirmationem.

Quidam igitur illam Baptistæ legationem ita interpretati sunt; Ipsum quidem, dum liber & solutus magna authoritate doceret, & firmiter credidisse, & aliis magna asseueratione prædicanda confirmasse, IESVM Nazarenum esse verum Messiam, à Deo per Prophetas promissum. Postea vero diuturnitate carceris fractum cœpisse dubitare, cum quidem videret in sua captiuitate sibi à Iesu corporaliter non præstari, quod de Messia Isaias cap. 61. versic. 1. prædixerat, captiuis scilicet liberationem, & clausis apertionem. Hæc sententia pulcre posset accommodari ad doctrinam de variis & non exiguis infirmitatibus, quas maximi etiam sancti, qualis Baptista fuit, in hac vita circumferunt, ita vt non semper absconditæ lateant, sed cruce excitatæ sæpe manifeste se exerant. Præcipue vero quod Baptista, suborta illa in animo suo dubitatione, non statim cœpit meditari defectionem seu abnegationem, abiecta fide & confessione: Sed & luctatus est cum illa dubitatione, & à Christo in verbo quæsiuit instructionem & confirmationem. Neque enim sancti in hac vita debent indulgere infirmitatibus, sed illis repugnare, & apud Christum medicum in verbo quærere remedium, vt contra illas infirmitates recte informentur, sustententur & confirmentur. Hæc doctrina per se vtilis & vera est. Sed sicut Chrysostomus recte obseruauit, ea quæ Christus mox post discessum legatorum ad turbas, de Encomio personæ & ministerij Baptistæ, prædicauit, non admittunt illam explicationem, quasi fides Baptistæ diuturnitate carceris fracta, in talem dubitationem prolapsa fuerit: maxime cum etiam postea Christus testimonium Baptistæ aliquoties honorifice allegarit.

Aliorum igitur sententia fuit, sicut ex annotationibus Ambrosij, Hieronymi, & Gregorij colligitur, non hanc, sed aliam dubitationem fuisse in animo Baptistæ, quæ huic legationi occasionem dederit. Illam vero colligunt ex vocabulo ἐρχόμενος. Quia enim Messias iam tunc in mundum venerat, iuxta Prophetarum vaticinia: Baptistam igitur de hoc articulo, quem & credebat & prædicauerat, non dubitasse. Non enim vtitur vocabulo præteriti, sed præsenti temporis: Tu es ὁ ἐρχόμενος: quod ita interpretantur: Baptista per mortem iam descensurus erat ad populum istum, ad quem, Scriptura Veteris Testamenti dicit sanctos collectos fuisse. Putant autem incertum eum fuisse, & dubitasse, an Christus etiam ingressurus viam omnis carnis, & per mortem venturus esset post Baptistam ad populum illum, sicut in hac vita post Baptistam venit in mundum, Iohann. 1. vers. 30. Et Ambrosius inquit: Baptistam de hac quæstione non fide, sed pietate dubitasse: An Messias, quia filius Dei, moriturus esset. Sicut & Petrus dicit, Matth. 16. vers. 22. Domine propitius esto, tibi non fiat hoc. Et Hieronymus iuxta hanc opinionem, quæstionem Baptistæ ita format: Manda mihi, quia ad inferna descensurus sum, verum te etiam inferis debeam nunciare, an vero alium eò missurus sis: sicut Deus missis Prophetis mediate cum Patribus egit. Hæc opinio gignit multas otiosas & prophanas quæstiones: & quia non habet fundamenta in historia, recte refutatur à Chrysostomo. Dauid enim in Psalmis, Isaias & Daniel prophetæ, de passione & morte Christi manifestissime vaticinati sunt. Quomodo igitur Baptista plus esset quam propheta, Matth. 16. vers. 23. Petrus propter ignorationem huius articuli valde duris verbis à Christo excipitur: nunquam tam celebre Encomium Baptistæ, mox post hanc historiam, subsecutum fuisset, si sententia quæstionis ipsius eadem esset cum intentione Petri, Matthæus 16. versic. 22. Imo Baptista vocans Christum Agnum Dei, Iohann. 1. vers. 29. simul agnouit, credidit & prædicauit ex similitudine figurarum Leuiticarum, oblationem & mactationem illius agni. Quomodo vero ὁ ἐρχόμενος dicatur de Christo, qui iam venerat & versabatur in officio Messiæ, postea explicabimus.

Sicut autem in otiosis & prophanis quæstionibus fieri solet,

solet, quidam longius progressi hoc loco disputarunt, in inferno quosdam, qui absque fide ex hac vita discesserant, prædicatione Baptistæ & aduentu Christi conuersos & saluatos esse. Et hanc esse sententiam quæstionis Baptistæ, quod sit via conuersionis ad salutem non tantùm in hac vita, verumetiam apud inferos. Vnde & aliqui, tanquam specialem casum huc accommodarunt dictum Petri in 1. Epistola c. 3. ver. 19. ex historia Noachi. Sed hoc erroneum figmentum Chrysostomus recte reprobat, & addit hæc verba: Præsens vita gratiæ tempus est: post mortem vero iudicium est & pœna.

Hæc recitanda fuerunt eo consilio, vt lector animaduertat, quantum referat in explicatione scripturæ veras circumstantias historiarum recte considerasse. Error enim in huiusmodi circumstantiis admissus, sæpe peregrina, absurda & falsa dogmata extruit.

Hilarius itaque, Augustinus, & Chrysostomus ex circumstantiis recte colligunt, Baptistam hanc legationem instituisse non sua causa, sed propter discipulos suos. Et si hoc modo inspiciatur hæc historia, doctrina eius plana & vtilis erit. Baptista enim cùm adhuc liber & solutus in ministerio suo versaretur, diserte professus est, se non esse Messiam, Luc. 3 versic. 16. sed testimonium reddidit Iesu, ipsum esse Agnum Dei ad quem omnes discipulos & auditores suos, tanquam sponsam ad verum Sponsum, adducere studuit, Iohan. 1. versic. 29. & 3. vers. 28. Sed discipuli ipsius nimia admiratione & peruerso zelo præceptoris fascinati, ægre volebant à Baptista ita diuelli, vt Iesu Nazareno (offensi nimium vulgari simplicitate & humilitate eius) ea, quæ ad Messiæ personam & officium pertinent, vera fide tribuerent. Sciebat autem Baptista Messiam habiturum testimonium maius, firmius, & illustrius suo testimonio, miracula scilicet, Iohan. 5. vers. 36. & 10. v. 37. Ita enim docuerat: Qui post me venit, baptizabit Spiritu sancto & igni, Matth. 3. vers. 11. Marc. 1. v. 8. Luc. 3. vers. 16. Sed ante captiuitatem Baptistæ, Iesus pauca quædam & rara tantum miracula ediderat. Cùm igitur in vinculis Baptista audiret, Iesum multis iam, variis & stupendis miraculis, maxime autem resuscitatione iuuenis in Naim ex mortuis, inclaruisse, ratus est opportunum iam tempus adesse, quo falsa persuasio animis discipulorum suorum eximi posset. Quia igitur intelligebat, se cursum suum iam consummasse, Iohan. 3. versic. 30. & finem vitæ suæ non procul abesse, ne animos discipulorum post mortem relinqueret suspensos, & peruerso zelo fascinatos, instituit legationem ad Christum. Et sicut in vita vnicum ipsius studium fuit, omnes adducere ad Christum: Ita moriturus iam vnicum hoc agit, vt post mortem suam omnes Christum sectentur.

Quæ vero fuerint collocutiones discipulorum Baptistæ cum præceptore de hac quæstione, vtiliter potest colligi ex verbis legationis, & ex responsione Christi. Baptista enim propter peculiare institutum vitæ omnibus erat admirabilis, & magna erat ipsius authoritas non tantum apud omnem populum, Luc. 3. v. 15. sed & Sadducæi & Pharisæi ad ipsius Baptismum venerant, Matth. 3. ver. 7. imo penes quos Hierosolymis summa rerum erat, illustrem legationem ex sacerdotibus & Leuitis ad ipsum miserant, Iohan. 1. vers. 19. Herodes etiam in ipsis vinculis eum reuerebatur, Marc. 6. vers. 10. Iesus vero quotidiana vita à vulgari reliquorum hominum consuetudine nihil discedebat, Matth. 11. v. 19. & sectatores habebat tantum ignobile vulgus, & miseram turbam pauperum & calamitosorum hominum: reliquis vero, qui alicuius nominis & authoritatis erant, partim contemtui, partim odio erat. Hæc collatio & species perturbabat discipulos Baptistæ, vt non possent iuxta præceptoris sui doctrinam Iesum pro Messia agnoscere, sed existimabant ea, quæ ad officium Messiæ pertinent, Baptistę potius quàm Iesu Nazareno conuenire, & ipsis sine impietate tribui posse. Cùm vero Baptista longo iam tempore in vinculis detineretur, & Iesus interea multis vere diuinis miraculis vocationem & missionem suam confirmaret, cum quidem Iohannes nullum miraculum fecisset, Ioh. 10. vers. 41. cœperunt discipuli agnoscere Baptistam non esse Messiam, & de Iesu cœperunt honorificentius sentire: nondum tamen certò poterant statuere ipsum esse verum Messiam. Dubitationes igitur suas & argumenta in vtramque partem detulerunt ad præceptorem suum in carcerem, idque, sicut Lucas annotauit, hac occasione factum fuit. Reliqua miracula Christi mouerunt quidem discipulos Baptistę, sed non permouerunt. Cùm vero partim vidissent, partim audiissent, ipsum filium viduæ à mortuis resuscitasse, non amplius cunctati & hoc & cætera miracula Christi nunciauerunt Baptistæ in carcere. Quia vero verba legationis hæc sunt: *Tu es qui venturus est, an alium expectamus?* Recte inde colligitur, quod habuerint, & produxerint argumenta in vtramque partem, quorum quædam probare viderentur, Iesum esse Messiam, quædam vero in alteram partem inclinarent, ipsum non esse verum Messiam. Et ad prius quidem genus retulerunt & cætera miracula Iesu, præcipue vero resuscitationem mortui recens factam. Contraria vero argumenta quæ fuerint, ex responsione Christi colligitur. Iudicarunt enim ipsa miracula Christi, quantumuis miranda & stupenda, non respondere & satisfacere magnificis descriptionibus regni Messiæ, quæ in Prophetis extant. Claudos enim, cæcos, leprosos & similes circa se habebat, & in illis miracula edebat: præterea docebat de gratia Dei & remissione peccatorum, & eius doctrinę auditores habebat pauperes tantum. Ipsi vero imaginabantur sibi talia Messiæ admiranda opera, quæ in dignitatibus, dominationibus, opibus & reliquis huius seculi felicitatibus & magnificentiis ita conspicerentur, vt certatim ab omnibus & quidem præstantissimis in hoc mundo Messias reciperetur, vt qui sectatores suos felicissimos in hoc seculo redditurus esset. Corporaliter enim, sicut persuasionem illam à Pharisæis acceperant, descriptiones regni Messiæ intelligebant. Quia igitur miraculis Christi non parum mouebantur: & tamen illa non erant huiusmodi, qualia ipsi expectabant, suspensi hærent, an Iesus ille sit verus Messias, an vero post ipsum demum venturus sit, qui talia opera, qualia ipsi imaginabantur, facturus esset: & Iohannes sua admiranda vita sit præcursor Iesu, Iesus vero suis miraculis præparet viam vero Messiæ, qui alia magnificentiora opera editurus sit.

Has fuisse cogitationes discipulorum Baptistæ ex circumstantiis colligitur, quas sine dubio præceptori exposuerunt. Iohannes autem nolebat discipulos suos incerta, dubia & fluctuante opinione suspensos tenere: & tamen ipse non volebat quæstionem illam decidere, propterea, quia videbat se hactenus testimonio suo parum profecisse apud discipulos. Censet igitur ab ipso Christo petendam esse explicationem, vt qui iam miraculis clarus, non voce tantum, sed ipso facto posset hanc dubitationem soluere: & meminerat vocis paternæ: *Hunc audite.* Aduocans igitur duos ex præcipuis *discipulis suis* (ita enim intelligendum puto, quod Lucas dicit δύο τινὰς) illis iniunxit legationem ad Christum, & quæstionem plane ita formauit, qualem esse discipulorum hæsitationem ex collocutione intellexerat: *Tune es ille qui venturus est, an alterum debemus expectare?*

Hæc de circumstantiis accuratius aliquanto annotanda duxi. Iucundum enim est posse colligere, quæ fuerint collocutiones discipulorum cum Baptista, quãdo in carcere ipsum adierunt, & quomodo ex illa collocutione formata sit quæstio siue instructio (sicut vulgus loquitur) legationis, quæ hoc loco describitur.

Et ex illa explicatione circumstantiarum manifeste iam colligi potest, quæ sit doctrina primæ partis huius historiæ. Primò enim exemplum discipulorum Baptistæ ostendit, Admirationem vitæ, sanctitatis & donorum in sanctis sæpe ita fascinare homines, vt in sanctis hæreant, & quæ Christi sunt, illis tribuere non dubitent. Ostendit etiam, homines non tam ad doctrinam, quam ad vitam sanctorum, præsertim quando peculiare aliquid & extraordinarium habet, respicere: imo sæpe ex vita sanctorum aliquid statuere, quod doctrinæ ipsorum plane sit contrarium. Quod hoc loco discipulis Baptistæ accidit. Monstrat etiam quid sit & faciat præposterus zelus discipulorum erga præceptores, quando non ad Christum dirigitur, & ipsius voci subiicitur. Præterea docet hoc exemplum multos etiam inter illos, qui ab Euangelio non sunt alieni, quærere in Christo & amare non vera spiritualia & æterna, sed spectare externam felicitatem. Quando vero illa non sequitur, tunc quidam plane deficiunt, quidam dubitare incipiunt, plærique vero ideo minus curant Euangelium & pietatem. Et hæc est pœna illa scandali, qua impeditur maior pars, quò minus Christum sectetur & amplectatur. Hæc ex circumstantiis manifesta sunt, & accommodatio plena est.

Secundò, Baptistæ exemplum docet, fidelem Doctorem in Ecclesia non debere discipulos, etiam volentes, sibi astringere. Hæc enim est nota luporum, qui peruersa loquuntur, vt abducant discipulos post se, sicut Paulus inquit Actor. 20. vers. 30. Sed quia vnus est Magister, Matth. 18 vers. 8. ad ipsius vocem audiendam præparandi & mittendi sunt discipuli. Fidelis enim paranymphus Sponsam, etiamsi vellet sibi adhærere, non tamen debet apud se detinere, sed Sponso eam conciliare & adducere. Ostendit etiam, quod Baptista summo studio in omnes occasiones fuit intentus, vt discipulos suos placide & per gradus, ab errore ad veram, firmam & solidam agnitionem Christi adducat.

Tertio forma legationis docet: In arduis quæstionibus de religione, non sumendum esse iudicium ex hominum iudiciis: sed consulendum esse os Domini in illo, de quo patet

clamauit: Hunc audite: quia verba sua posuit in os ipsius, Deut.18.versic.18. Ostendit etiam fidem non debere esse ambiguam opinionem, inclinantem nunc in hanc, nunc in illam partem: sed firmam, certam & stabilem cogitationem & persuasionem. Vt: Si tu es Christus, non expectandus erit alius: si vero alius expectandus est, tu non eris. Ostendit etiam, in fide iustificante non sufficere generalem assensionem, si in specie vel dubites, vel erres. Vt: Discipuli Baptistæ in genere credunt promissionibus de Messia. Quis vero sit Messias, quid sit, & quod sit eius officium, non recte nec certo tenent. Apparet etiam hinc, non esse veram fidem, quæ Christo quędam tantum, ad officium eius pertinentia, tribuit, reliqua vero vel in dubio relinquat, vel ad alios transferat, aut peregrina ipsi affingat. Hæc enim taxantur in discipulis Baptistę. Obseruanda autem simul est ratio, quæ in hoc exemplo præscribitur: quomodo subleuandæ, curandæ & corrigendæ sint tales infirmitates & hæsitationes in fide. Hæc pluribus possunt illustrari: nobis sufficit capita & fontes ex circumstantiis monstrasse.

Hæc est prima pars huius historiæ: descriptio scilicet legationis Baptistæ. Superest vt quædam dicantur, quare & quo sensu Messias appelletur ὁ ἐρχόμενος, non tunc tantùm, quando venturus expectabatur: verumetiam cùm iam venisset, & in ministerio suo versaretur. Et verbum quidem ἔρχομαι in pręsenti, simul habet & præsentis & futuri significationem. Diligentius tamen inquirendum videtur, vnde sumpta sit Antonomastica illa appellatio, quod ὁ ἐρχόμενος sit quasi periphrasis Messiæ, vt in hac historia, & Iohan.3.versic.31. ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος, & ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος. Item Iohan.11.vers.27. Martha inquit: Tu es Christus filius Dei, ὁ ἐρχόμενος in mundum: Et significationem esse futuri certum est. Græci enim interpretes hoc vocabulo describunt annos venturos, Gen.41.v.35. generationem venturam, Psalm.21.v.32.& 70.v.18. tempus venturum. Eccles.2.v.16. Respicit ergo appellatio ὁ ἐρχόμενος ad vaticinia Prophetarum, quibus prædictus & promissus erat Messias venturus in carnem, siue in hunc mundum. Vtroque enim modo Iohannes loquitur, Iohan.11.v.27. & 2.Ioh.v.7. Et hoc sensu appellatio accommodatur ad Messiam, quando adhuc venturus expectabatur, ὁ ἐρχόμενος, qui prædictus est, quod sit venturus. Accommodatur etiam ad Messiam iam præsentem & exhibitum: ὁ ἐρχόμενος, qui prædictus fuit, quod debebat venire. Iudico autem hanc Antonomasiam allusionem esse ad locum Exod.3.v.14. vbi Messias propter promissiones ipse tribuit sibi appellationem אהיה Ero misit me ad vos. Licet enim Græci simpliciter reddiderint, ὁ ὤν: Iohannes tamen in Apocalypsi, c.1.v.8 ostendit comprehẽdi tria tẽpora, ὁ ὤν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Et si ita accipiatur, valde pulchra est Ἀντονομασία sumpta ex illo loco Exodi. Citantur autem loci in Nouo Testamento, Matth.21.v.9.& Hebr.10.v.37. in quibus Gręci interpretes reddiderunt ὁ ἐρχόμενος de Messia. Psalm.117.vers.26. Habac.2.v.3. vbi respondet Hebraico בוא seu בא, quod significat venire ad locum. Et Iohann.11.v.27. phrasis expletur, venturus in mundum. 2.Ioh.v.7. ἐρχόμενον in carne. Obseruandum autem est, quod Hebręis verbum illud non simpliciter tantum aduentum significat, sed administrationem publicę functionis seu vocationis. Sicut ferme Latini dicunt, inire Magistratum. Vsitatissima enim est Phrasis: ingredi & egredi. Item Deut.23.v.3. Ammonites non ingrediatur in Ecclesiam Domini. Ita 1.Ioh.5.6. Hic est, qui venit per aquam & sanguinem. Ὁ ἐρχόμενος itaque aduentum Messię ita significat, vt simul complectatur etiam officium eius, & administrationem regni. Baptista igitur vocabulo, ὁ ἐρχόμενος simul quęrit, & de persona & de officio Messię: & ideo etiam Christus de officio potissimùm respondet. Hęc Grammatica obseruatio aliquid lucis afferre potest. Et Christus mox loquens de Baptista, phrasin illam resoluit, ὁ μέλλων ἔρχεσθαι, *qui venturus est.*

Altera pars historię continet responsionem Christi. Non autem simpliciter respondet: Ego sum Christus. Obiecissent enim cum Iudęis: Tu de te ipso testimonium dicis, Ioh.8.v.13. Quia igitur discipuli simplici testimonio, ne Baptistę quidem, cuius tamen authoritati multum tribuebant, volebant acquiescere, & Iohannes legationem ita instituerat, vt Iesus non verbis tantùm asseueraret, sed factis & operibus demonstraret se esse Messiam: talem enim ὑπόθεσιν discipuli eius quęrebant: Ideo responsi loco miracula edit, & concionatur, & hęc iubet Baptistę renunciari. Ex Luca vero ordo historię pulchre potest colligi. Cum enim legati mandata sua exposuissent, Christus non fuit solus in abdito aliquo loco, sed habuit circa se turbas. Mox enim digressis nunciis, cœpit loqui ad turbas. Acta igitur hęc fuerunt in magna frequentia populi: & sine dubio omnes in magnam expectationem erecti fuerunt, cùm Baptista, cuius magna adhuc apud omnes authoritas erat, missis legatis, & quidem ex carcere, cum Iesu, qui iam miraculis celebris erat, institueret συζήτησιν de quęstione omnium maxima, quę tunc temporis in omnium ore erat: An scilicet Messias iam adesset: an vero in futurum adhuc expectandus esset. Et quis esset Messias, quę opera, quod officium ipsius. Iesus vero non statim legatis respondet: *Ite & renunciate, &c.* sed, quasi aliud agens, *in illa hora multos sanauit à morbis & flagellis.* Μάστιγες autem non sunt vulgares morbi, sed sęuiores & inusitati, qui quasi clamitant de ira & pœna diuina. Multis cęcis *in illa hora* donauit visum. Multos etiam à malis spiritibus obsessos liberauit, & doctrinam Euangelij *in illa hora* pauperibus exposuit. Hoc enim etiam illa hora factum esse colligitur ex responso Christi, qui iubet renunciare non tantùm quę viderant, sed & quę audierant, quod scilicet *pauperes euangelizarentur.* Sine dubio autem aspectu mirum visum fuit, quod ad exposita mandata Baptistę nihil respondere, sed aliud agere videretur. Et non interpositum fuit breue aliquod momentum temporis. Lucas enim de multis sanationibus illa hora factis dicit: & quia iubet renunciare Iohanni quę audiissent, ideo dubium non est totam Euangelij doctrinam eum ita exposuisse, vt Iohanni eam potuerint renunciare. Iustum igitur tempus huic interstitio attribuendum est. Cum verò & docendo & faciendo, quantum ad instructionem discipulorum Baptistę satis erat, iam perfecisset, tandem illos dimittit cum hoc responso: *Ite & renunciate Iohanni quæ vidistis & audistis.* Lucas enim vtitur significatione pręteriti, vt ostendat debere legatos in renunciatione comprehendere, quę miracula & nunc & antea ipsi viderant, & ab aliis audierant. Matthęus autem vtitur pręsenti verbo, *quæ auditis & videtis.* Vt scilicet Iohanni renuncient non tantum miracula, quę in oculos incurrunt: sed pręcipue doctrinam, quam audierant, quę finem, significationem & vsum miraculorum explicet, & verum officium Messię propius ostendat. Ideo primo loco ponit, *quæ auditis*: postea, *quæ videtis.* Quin & hoc modo non inconcinne ordinari potest historia: Vt, quę Matthęus in pręsenti posuit: *Ite & renunciate, quæ auditis & videtis,* Christus mox in initio, exposita sua legatione, discipulis dixerit, quò in illis attentionem excitaret, ad diligentius obseruanda & firmius memoriæ commendanda ea, quæ ipse interim & dicturus & facturus esset. Postea vero cum Baptistæ discipuli iam sufficienter informati viderentur, denuo hoc ad ipsos repetierit, dicens: Iam ergo abite, & *quæ* hactenus *vidistis & audiuistis, illa* præceptori vestro *renunciate.*

Illud vero præcipue dignum est obseruatione, quod responsionem de miraculis suis, quæ viderant, & de doctrina, quam audierant, iubet Iohanni renunciare, non suis, sed ipsis Prophetarum verbis, ex variis locis collectis. Verba enim de cæcis, claudis, & surdis extant Iesa.35.v.5. de pauperibus, qui euangelizantur, extant Iesa.61.v.1. de scandalo seu offensione, Psalm.118.versic.22.& Iesa.8.v.14. de mortuorum resuscitatione loquuntur Prophetæ, vbi describunt aduentum & officium Messię, & simul complectuntur vniuersalem resurrectionem, Iesa.26.v.19 Oseæ 13.v.14. Sanatio reliquorum morborum & mundatio leprosorum alludit ad locum Iesa.53.vers.4. infirmitates nostras ipse portauit, & liuore eius medicatum est nobis. Ita enim Matthæus locum illum accommodat, c.8. v.17. & de mundatione ab inquinamentis, loquitur Ezechiel c.36.v.25.& Zach.13.vers.1. Hos locos in scriptis Prophetarum Christus ideo in responsione sua paucis verbis notauit, vt ita Iohanni præberet occasionem & materiam discipulos suos plenius erudiendi, ex integris locorum Propheticorum expositionibus. Illa enim consuetudo in nouo Testamento obseruatur, quod quando pauca quædam verba ex Prophetis citantur, commonefactio est, totum locum esse inspiciendum & considerandum. Vt, cum Christus in cruce recitat principium Psalmi 22. Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? &c. monet totum Psalmum ad passionem Christi referendum esse. Et non est dubium, Iohannem post reditum legatorum, Biblia in manus sumsisse, & integros illos locos Prophetarum, qui paucis verbis à Christo notati erant, discipulis suis proposuisse, & ita explicasse, vt inde ostenderet & confirmaret Iesum esse Messiam. Tota autem illa explicatio hoc syllogismo comprehendi potest: Quicunque ita docet & talia opera facit, sicuti hi loci Prophetarum describunt & vaticinantur, is sine dubio est verus Messias. Sed ipsi vidistis & audiuistis Iesum Nazarenum plane illa ipsa opera facere, & talem doctrinam annunciare. Ergo non debetis alium expectare, sed indubitata & certa fide hunc agnoscere, & accipere pro Messia. Et quàm dulcia fuerint colloquia Baptistæ cum discipulis suis in carcere, post reditum legatorum, ex his circumstantiis vtiliter potest colligi.

Si hoc modo consideretur altera pars huius historiæ de responso Christi, circumstantiæ monstrabunt multiplicem doctrinam. Primum enim forma responsionis Christi ostendit, quanta

quanta sit & esse debeat authoritas scripturæ. Iohannes, qui maximus est inter natos mulierum, & Christus maior ipso, vtpote filius Dei, de quęstione omnium grauissima per legatos inter se conferunt. Et Christus quidem est filius Dei, de quo pater clamitat: Hunc audite. In hac tamen quæstione non vult ipse suis verbis sententiam pronunciare, sed scripturam Propheticam facit & constituit vocem Iudicis, & scripturæ verbis responsionem suam format. Quia igitur Iohannes discipulos mittit ad Christum: Christus vero ad scripturas. Ergò in scriptura quærendum est quid Christus, quem pater vult audiri, nobis respondeat in controuersiis religionis. Sicuti ipse dicit: Scrutamini scripturas, in illis vitam æternam habetis, & hæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, Iohan.5. v.39. Nec vero ideo ministerium, vt otiosum & inutile contemnendum est, quia Christus vnicus est Magister, Matth.23. vers.8. Christus enim, propositis Prophetarum dictis, legatos rursus mittit ad Iohannem, vt eius opera in inuestiganda vera explicatione sententiarum scripturæ vtantur. Et Iohannes, qui maior est Propheta, non habet tale ministerium, vt suo arbitratu vel affirmet, vel neget aliquid in negotiis religionis: sed Christus, Princeps pastorum & Episcopus doctorum, prębet ipsi certam materiam, dicta scil. scripturæ, & ponit certum scopum & Canonem, ad quem illa sint dirigenda, ad personam scilicet & officium Messiæ. Iohannis vero ministerium est, sententias Propheticas iuxta monstratum illum scopum & Canonem explicare, & ad doctrinam accommodare: sicut huius historiæ circumstantiæ ostendunt: Hæc doctrina latius potest explicari. Nos vero digitum, vt dicitur, ad fontem intendimus, monstratis fundamentis ex historiæ circumstantiis.

Secundò præbet hæc historia vtilissimam doctrinam, quod sit officium Messiæ, quæ sint opera seu beneficia ipsius, propter quæ à patre missus, & à nobis quærendus & amplectendus est, quæque soli Messię tribuenda sunt. Suprà enim ostendimus, discipulos Iohannis & de persona & de officio Messiæ hallucinatos fuisse. Diximus etiam qualia opera ipsi suis cogitationibus Messiæ affinxerint, & in ipso quærere voluerint. Christus igitur in responsione simul & falsam persuasionem refutat, & ostendit, quę sint vera sua beneficia. Ponit autem hoc fundamentum. Non ex rationis cogitationibus, aut huius seculi studiis, sed ex doctrina diuinitus in scriptura patefacta, de hac quæstione iudicandum esse. Quia verò vaticinia Prophetarum, in quibus regnum Messiæ describitur, de externa & corporali felicitate à discipulis Iohannis intelligebantur: Christus Pharisaicam illam opinionem ex ipsis Prophetis refutat, qui populum sive (vt vulgi vocabulo vtar) beneficiarios Messiæ describunt, non diuites, non potentes, non gloria huius seculi præstantes, sed claudos, surdos, cæcos, leprosos, pauperes: quibus à Messia conferatur, non gloria regnorum huius mundi, sed etiamsi cum corporalibus miraculis ornantur, manent tamen pauperes, ita vt hoc ipsum in Messia multos offendat. Hæc sunt Prophetarum verba, & illo ipso spectaculo, cùm illa hora, qua eum accesserant, turbam calamitosorum hominum circa se haberet, & illis beneficia sua conferret, ita vt nihilominus pauperes in hoc seculo manerent, illustrem opposuit refutationem magnificis imaginationibus discipulorum Baptistæ de regno Messię. Et non potest simplicior pictura excogitari, quàm hęc, quod Iohannis discipuli adueniunt, afferentes gloriosas & magnificas cogitationes de regno & beneficiis Messię. Prophetę vero suis vaticiniis monstrant Christum, circumdatum satellitio cęcorum, claudorum, surdorum, leprosorum & reliqua misera plebecula, quibus annunciat quidem Euangelium, confert illis sua beneficia, sed nihilominus manent pauperes in hoc seculo. Et ibi personat hęc vox: *Beatus, qui non offensus fuerit in me.* Non igitur externa & corporalia sunt beneficia Messię, qualia discipuli Baptistę pro ratione huius seculi cogitabant, nec talia quærenda sunt in Euangelio.

Obiiciat quis: Sed tamen restituere visum, auditum, sanitatem, &c. sunt corporalia bona? Respondeo. Multę mitigationes, liberationes & donationes, etiam in externis & corporalibus, credentibus conferuntur à Christo, sed hęc non sunt principalia beneficia. Manent enim nihilominus, *pauperes euangelizantur.* Miracula vero illa externa tunc temporis fuerunt testimonium & commonefactio de spiritualibus beneficiis Messię: sicut in sua responsione Christus, post enumerationem miraculorum corporalium, ponit annunciationem Euangelij & beatitudinem. Illa enim est significatio, hic finis miraculorum Christi, sicut alibi explicatur. Et hęc est negatiua sententia de operibus, & beneficiis Christi.

Quę autem sit affirmatiua sententia, ex responsione Christi rectè colligendum est. Neque enim omnes cęci, claudi, surdi &c. sancti sunt: neque nunc omnes tales, si credant in Christum, corporaliter sanantur. Et illa, quę tunc in miraculis facta fuerant, non sunt generalia, perpetua & principalia Messię beneficia. Enumerat autem morbos & mortem, hoc est, ea, quæ per peccatum ingressa sunt in mundum. Nominat etiam Euangelium gratiæ Dei & beatitudinem, quæ per peccata amissa sunt. Vera igitur & Messiæ propria beneficia sunt, liberare credentes ab illis malis, quæ per peccatum ingressa sunt in hunc mundum: & restituere ea, quæ per peccatum amissa sunt. Illa vero per partes hoc loco in miraculis & responsione Christi, ex Prophetarum dictis enumerantur. Vt morbi seu infirmitates, quæ Isaiæ 53. versic.5. sunt fructus & commonefactiones peccati. Numerantur autem quidam morbi, qui sunt priuationes, vt cæcitas, surditas, claudicatio, Lepra vero est positiua infectio. Significatur ergo in peccato & carentia rectitudinis, & vitiosus habitus. Numerantur deinde flagella, quæ sunt expressiores commonefactiones iræ, & pœnarum diuinarum. Fit quoq; mentio malorum spirituum & mortis. Messiæ ergo officium est, liberare à peccato, ab ira Dei, à Diabolo, à morte, &c. Hæc enim expresse hoc loco nominantur. Restituit vero & donat ea, de quibus Euangelium concionatur: quorum Catalogus prolixe describitur, Isa.61. vers.1. & sequentibus. Et quia quædam beneficia Messiæ credentibus in hac vita conferuntur: quædam vero in futuro sperantur: ideo Christus hoc loco addit: *Beatus est, qui non fuerit offensus in me.*

Porrò ostendit etiam Christus in hac responsione, quæ sit externa species regni sui in hoc mundo, quando hæc beneficia offert, confert, & distribuit. Dicit enim, *pauperes euangelizantur.* Et verbum εὐαγγελίζονται complectitur media seu inuolucra, verbum & Sacramenta, per quæ nobiscum agit in Ecclesia. Et nomen עָנִי (pauper) describit externam sortem & conditionem credentium in hoc mundo. Significat enim & humiliationem spiritus interiorem, & afflictiones externas. Et ita ratione Euangelizationis, & ratione pauperum, externa species regni Christi talis est, vt meritò beatus dicendus sit, qui non offenditur. Ne vero existimetur, nihil præter miserias & scandala in regno Messiæ expectandum esse, in fine coniungit hæc duo: *Pauperes euangelizantur, & beatus est.* In hac enim vita annunciatur Euangelium, id est, credentibus inter varias miserias confertur gratia Dei, remissio peccatorum, &c. in futura verò vita sine omnibus miseriis mittentur in possessionem eius beatitudinis, quam nunc fide & spe tenemus, Rom.8. vers.24. Meminit autem pauperum & miserorum. 1. ne propter calamitates & miserias putemus nos indignos & exclusos esse à regno cœlorum. 2. Ne principaliter quæramus externam felicitatem in Euangelio: nec deficiamus si crux subsecuta fuerit, Luc.8. vers.13. 3. Vt moneantur illi, qui fortuna huius seculi præstant, miserias suas agnoscere, si velint & ipsi ad beatitudinem regni Messiæ peruenire.

In fine autem meminit scandali, propter discipulos Baptistæ, qui & ipsi offendebantur, & prætexebant præcipuos in populo Dei offendi illa specie. Christus igitur opponit: hoc ipsum à Prophetis prædictum esse, Messiam fore petram scandali & lapidem offensionis. Multa autem docet hæc postrema sententia. 1. varia scilicet obiici scandala, quibus impediantur & retrahantur illi, qui beatitudinem in Messia propositam quærere volunt. Non enim plana & expedita via est, sed multis scandalis circumsepta, quæ non tantum exterius obiiciuntur: sed Christus inquit: *Beatus est, qui in me non fuerit offensus.* In ipso Christo igitur, hoc est, in modo administrationis regni sui, quem in hac vita seruat, caro nostra inuenit materiam scandali: & per talem viam ad regnum cœlorum tendendum est. 2. Qui vero ita offenditur, vt vel retro cedat vel deficiat, & fiat vel persecutor vel contemptor, non assequitur beatitudinem illam, quæ in solo regno Messiæ confertur. 3. Sed qui per omnia illa obstacula pergit, & in mediis hisce scandalis amplectitur & retinet Christum, is licèt in hoc mundo sit pauper, ita vt ipse etiam sæpius hisce scandalis turbetur; verè tamen coram Deo beatus est in hac vita, & in futuro habebit vitam æternam.

CAPVT LVI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS CONCIONEM CHRISTI AD TVRBAS, CVM discipuli Iohannis Baptistæ iam abiissent. Matth.11. v.7. Luc.7.v.24.

RATIO ORDINIS.

De consecutione huius historiæ nulla potest esse dubitatio. Consentiunt enim in eo Matthæus & Lucas, quòd Dominus ista ad turbas dixerit, mox vt abierant discipuli Iohannis. Quia autem Matthæus plura recenset, quæ tunc dicta sint, quàm Lucas, quæritur, an Dominus omnia illa dixerit mox, postquam discipuli Baptistæ discessissent, an alio tempore: præcipue cùm Lucas similia commemoret longe post, quando scilicet Dominus ordinauit, & emisit septuaginta discipulos, c.10.v.13. Ibi enim subiungit, Dominum væ dixisse Chorazim, Bethsaidæ, & Capernaumo, quemadmodum hîc Matthæus post legationem Baptistæ. Item, cùm septuaginta illi rediissent, ait vers.21. Dominum gauisum, eodem planè modò, quo hîc post abitum discipulorum Baptistæ. Ad hanc quæstionem respondemus: Certum est, Lucam à fine capitis 9. vsque ad 18. multa recensere, quæ in speciem videntur eadem esse cum iis, quæ sparsim Matthæus vsque ad 19. Marcus autem vsque ad 10. caput commemorant: cùm tamen & tempus & locus conuincant esse diuersa. Sic & ista, quæ Matthæus hîc describit, alio tempore & loco facta sunt, ante finem scilicet secundi anni in Galilæa: quę vero Lucas recenset, ea dicta sunt sub finem tertij anni, cùm Dominus completis diebus assumptionis suæ pergeret Hierosolymam.

Præterea Matthæus ista cum superioribus connectit per certam notationem ordinis, vt mox secuta esse appareat. Ait enim τότε ἤρξατο ὀνειδίζειν, *tunc cœpit exprobrare.* Et quidem particulam τότε, non semper consecutionem historiarum significare, concessum est superius in 5. cap. prolegomenon. Hîc tamen apparet eam εἱρμὸν ἀκολουθίας indicare, præsertim quia additur verbum *cœpit* quod aliquando significat rem, quæ tum cœpit, cùm dicitur, non autem notat in secutum aliud simile, nec intelligitur rem postea sæpius esse repetitam. Vt Petrus, Matth.26.vers.75. cœpit se detestari & iurare, Non noui hominem: ante scilicet non fuerat se execratus, sed tunc primùm cœpit, neque tamen post idem repetiuisse intelligitur. Hæc igitur verbi ἤρξατο significatio nondum certum historiæ ordinem nobis monstraret. Sed deinde ἤρξατο significat etiam rem sic incipi, vt intelligatur postea sæpius repetita. Sic, Matth. 16. versic.21. Dominus cœpit dicere de futura sua passione: quam concionem & prædicationem postea sæpe repetiuit. Ita hoc loco *cœpit exprobrare ciuitatibus*: quia postea illas exprobrationes alibi repetiuit, sicut Lucas annotauit. Hæc significatio vocis manifeste indicat, quo ordine hæ historiæ sint collocandæ. Cumque Lucas, vbi c.10.v.13. has exprobrationes repetit, non addat, καὶ ἤρξατο, tacitè innuere voluit, harum exprobrationum initium iam ante esse factum. Gaudium quoque Christi & exultationem Spiritus Matthæus cęteris subiungit per particulam, ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, *in illo tempore*, quę est certa & manifesta temporis & consecutionis historiarum notatio. Et antithesis doctrinæ monet, etiam ista eodem tempore dicta esse. Neque enim verbum Christi apud omnes sine fructu abiit, Iesa.56. vers 10. sed quidam audientes conuersi sunt, & pœnitentiam egerunt. Hinc ergo nascitur gaudium Christi.

CONCIO CHRISTI AD TVRBAS, POST discessum legatorum Baptistæ.

MATTH. 11.

7. Τούτων δὲ πορευομένων, ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς λέγειν τοῖς ὄχλοις περὶ Ἰωάννου· τί ἐξήλθετε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι; κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον;
8. Ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδοὺ οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες, ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν.
9. Ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; προφήτην; ναὶ λέγω ὑμῖν, καὶ περισσότερον προφήτου.
10. Οὗτος γάρ ἐστι περὶ οὗ γέγραπται· ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.
11. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ ἐγήγερται ἐν γεννητοῖς γυναικῶν μείζων Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ. ὁ δὲ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, μείζων αὐτοῦ ἐστιν.
12. Ἀπὸ δὲ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ ἕως ἄρτι, ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν.
13. Πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος, ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν.
14. Καὶ εἰ θέλετε δέξασθαι, αὐτός ἐστιν Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι.
15. Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.
16. Τίνι δὲ ὁμοιώσω τὴν γενεὰν ταύτην; ὁμοία ἐστὶ παιδίοις ἐν ἀγοραῖς καθημένοις καὶ προσφωνοῦσι τοῖς ἑταίροις αὐτῶν,
17. Καὶ λέγουσιν· ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε. ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε.
18. Ἦλθε γὰρ Ἰωάννης μήτε ἐσθίων, μήτε πίνων, καὶ λέγουσι, δαιμόνιον ἔχει.
19. Ἦλθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐσθίων, καὶ πίνων, καὶ λέγουσιν· ἰδοὺ ἄνθρωπος φάγος καὶ οἰνοπότης, τελωνῶν φίλος

7. *Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Iohanne: Quid exiistis in desertum videre, arundinem vento agitatam?*
8. *Sed quid exiistis videre? hominem mollibus vestitum: Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.*
9. *Sed quid exiistis videre? Prophetam? Et iam dico vobis, & plus quàm Prophetam.*
10. *Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te.*
11. *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne Baptista. Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo.*
12. *A diebus autem Iohannis Baptistæ vsque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*
13. *Omnes enim Prophetæ & Lex vsque ad Iohannem prophetauerunt.*
14. *Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.*
15. *Qui habet aures audiendi, audiat.*
16. *Cui autem assimilabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus.*
17. *Dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis.*
18. *Venit enim Iohannes neque manducans, neque bibens: & dicunt, Dæmonium habet.*
19. *Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, publica-*

φίλος καὶ ἁμαρτωλῶν. καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς.

20. Τότε ἤρξατο ὀνειδίζειν τὰς πόλεις, ἐν αἷς ἐγένοντο αἱ πλεῖσαι δυνάμεις αὐτοῦ, ὅτι οὐ μετενόησαν.

21. Οὐαί σοι Χοραζίν, οὐαί σοι Βηθσαϊδά· ὅτι εἰ ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἐγένοντο αἱ δυνάμεις, αἱ γενόμεναι ἐν ὑμῖν, πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν.

22. Πλὴν λέγω ὑμῖν, Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἀνεκτότερον ἔσαι ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ ὑμῖν.

23. Καὶ σὺ Καπερναούμ, ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ· ὅτι εἰ ἐν Σοδόμοις ἐγένοντο αἱ δυνάμεις, αἱ γενόμεναι ἐν σοί, ἔμειναν ἂν μέχρι τῆς σήμερον.

24. Πλὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι γῇ Σοδόμων ἀνεκτότερον ἔσαι ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ σοί.

25. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν· ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τῆς γῆς, ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν, καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις.

26. Ναὶ ὁ πατήρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου.

27. Πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου, καὶ οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱόν, εἰ μὴ ὁ πατήρ· οὐδὲ τὸν πατέρα τις ἐπιγινώσκει, εἰ μὴ ὁ υἱός, καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι.

28. Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς.

29. Ἄρατε τὸν ζυγόν μου ἐφ᾽ ὑμᾶς, καὶ μάθετε ἀπ᾽ ἐμοῦ, ὅτι πρᾶός εἰμι, καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν.

30. Ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστός, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστι.

norum & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia a filiis suis.

20. *Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus facta sunt plurima virtutes eius, quia non egissen pœnitentiam.*

21. *Væ tibi Chorazim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

22. *Verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis.*

23. *Et tu Capernaum, nunquid vsque in cœlum exaltaberis? vsque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem.*

24. *Veruntamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi.*

25. *In illo tempore respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

26. *Ita pater: quoniam sic fuit placitum ante te.*

27. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit filius reuelare.*

28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos.*

29. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde; & inuenietis requiem animabus vestris.*

30. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

LVC. 7.

24. Ἀπελθόντων δὲ τῶν ἀγγέλων Ἰωάννου, ἤρξατο λέγειν πρὸς τοὺς ὄχλους περὶ Ἰωάννου· τί ἐξεληλύθατε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι; κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον;

25. Ἀλλὰ τί ἐξεληλύθατε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδοὺ οἱ ἐν ἱματισμῷ ἐνδόξῳ καὶ τρυφῇ ὑπάρχοντες, ἐν τοῖς βασιλείοις εἰσίν.

26. Ἀλλὰ τί ἐξεληλύθατε ἰδεῖν, προφήτην; καὶ λέγω ὑμῖν, καὶ περισσότερον προφήτου.

27. Οὗτός ἐστι περὶ οὗ γέγραπται· ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.

28. Λέγω γὰρ ὑμῖν, μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν προφήτης Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ οὐδείς ἐστιν· ὁ δὲ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ, μείζων αὐτοῦ ἐστι.

29. Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας, καὶ οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τὸν θεόν, βαπτισθέντες τὸ βάπτισμα Ἰωάννου.

30. Οἱ δὲ Φαρισαῖοι καὶ οἱ νομικοὶ τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς, μὴ βαπτισθέντες ὑπ᾽ αὐτοῦ.

31. Εἶπε δὲ ὁ κύριος· τίνι οὖν ὁμοιώσω τοὺς ἀνθρώπους τῆς γενεᾶς ταύτης καὶ τίνι εἰσὶν ὅμοιοι;

32. Ὅμοιοί εἰσι παιδίοις τοῖς ἐν ἀγορᾷ καθημένοις, καὶ προσφωνοῦσιν ἀλλήλοις, καὶ λέγουσιν, ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκλαύσατε.

33. Ἐλήλυθε γὰρ Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς μήτε ἄρτον ἐσθίων, μήτε οἶνον πίνων, καὶ λέγετε, δαιμόνιον ἔχει.

34. Ἐλήλυθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐσθίων, καὶ πίνων, καὶ λέγετε· ἰδοὺ ἄνθρωπος φάγος καὶ οἰνοπότης, τελωνῶν φίλος, καὶ ἁμαρτωλῶν.

35. Καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς πάντων.

24. *Et cùm discessissent nũtij Iohannis, cœpit de Iohanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?*

25. *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt, & deliciis, in domibus regum sunt.*

26. *Sed quid existis videre? Prophetam? Vtique dico vobis, & plus quàm Prophetam.*

27. *Hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

28. *Dico enim vobis, maior inter natos mulierum Propheta Iohanne Baptista nemo est; Qui autem minor est in regno Dei, maior est illo.*

29. *Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Iohannis.*

30. *Pharisæi autem & legisperiti consilium* Dei *spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo.*

31. *Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis huius: & cui similes sunt?*

32. *Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis.*

33. *Venit autem Iohannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet.*

34. *Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum.*

35. *Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.*

DE COAGMENTATIONE ET ORDINATIONE partim huius concionis, ex duobus Euangelistis.

QVia sit ordo harum historiarum in præcedentibus satis euidenter commonstratum est. Nullum autem est dubium, quin explicationi vniuersæ magna lux accederet, si certò constaret, quo tempore & quo loco hæc concio Christi fuisset. Etsi autem ea in Euangelistis expresse non indicantur: ex antecedentibus tamen & consequentibus verisimiliter aliquid elici potest, quod huic instituto seruiat. Post secundum Pascha ministerij Christi, Capernaum Pharisæi cum Herodianis conspirarunt contra Christum, ob miraculum sanatæ manus aridæ in Synagoga ipsorum quodam Sabbato editum: sicuti supra cap. 48. & 49. expositum est. Christus igitur ex vrbe secedens, in locis desertis aliquantisper se continuit, docendo turbas, sanando ægros, eligendo Apostolos, & insignem illam concionem de Lege habendo. Inde semel saltem vrbem ingreditur, & vna nocte ibi commoratur: eò forsan non tam citò reuersus, nisi diuino suo Spiritu præuidisset, Centurionem vrbis sanatione seruuli sui eo tempore lucrifieri posse. Mox altero mane, ne periculum amare, seseque ante tẽpus hostibus offerre velle videretur, rursus discedit, & è Capernaum versus Naim, quæ bidui itinere inde distabat, in via, quæ è Syria Ægyptum versus ducit, proficiscitur, filium viduæ suscitaturus. Quis autem dubitabit eum, post editum tam grande beneficium, aliquantisper ibi, aut etiam in vicinia non substitisse? Detinuerunt eum, Iohan. 4. ver. 43. Samaritani biduum, postquam ex muliercula audiuissent, eum omnia ipsi indicasse, quæ in occulto fecisset: & non detinuissent eum Naimitici ciues, qui oculis suis resuscitationem iuuenis viderunt? Aliquid igitur moræ Christum ibi traxisse omnino verisimile est. Interim, vt fit, volitat fama per omnes plagas orbis, & per discipulos Baptistæ defertur Macheruntem vsque in castrum munitissimum, in quo, vt Iosephus Antiquit. Iudaic. lib. 18. cap. 9. testatur, Herodes eum captiuum detinebat, quod quatridui itinere à Naim distabat. Baptista occasione commoda discipulos suos in rectam deducendi viã vtens, absque mora duos eorum ad Iesum ablegat, quæstionem demandatam ipsi propositurος, vbicunque locorum eum inuenirent. Christus igitur sensim vel per vallẽ Israelis, vel ad ripam torrentis Cison versus Capernaum remeandò, intra aliquot dierum spatium ad occidentale latus maris Tyberiadis peruenit: vbi transituri erant legati Baptistæ, qui ex Macherunte iuxta fluuium Iordanem quoque Capernaum versus contendebant. In via itaque Christo occurrerunt. Hos ibidem auditos & plenis mandatis instructos, ad præceptorem suum inde domũ remisit. Illis digressis mox primam partem huius concionis, ἐγκωμιαστικὴν illam Ioannis ad turbas habuit: quæ eo directa erat, vt si ex legatione illa, dubitatio aliqua de certitudine testimonij Iohannis quoad Christum, animis turbarum insedisset, scrupulus ille eximeretur. Inde paululum Capernaum versus progressus subiecit alteram partem, parabolam nimirum de pueris in foro ludentibus, quæ eo est accommodata, vt ostendat, quomodo diuina sapientia in vtriusque & Baptistæ & Christi ministerio à filiis suis iustificetur. Mox cum in itinere suo eo vsque peruenisset, vt ciuitatem suam Capernaum, & reliquas ei vicinas, Corazim & Bethsaida, oculis suis intueretur: & simul animo volueret, tum sua beneficia, conciones & miracula, tum odia Pharisæorum & Herodianorum erga se, ita vt propter illata eorum receptum nõ amplius in vrbe habere posset, erumpit in illam querelam & exprobationem, quæ horrendum væ ipsis denunciat. Quemadmodum enim, Luc. 19. ver. 41. intuens vrbem Hierosolymorum, & spiritu præuidens miserabilem eius interitum, amarè fleuit, & quid ipsi euenturum esset, diserte prædixit: ita etiam ex contuitu harum vrbium ipsum ad hoc vaticinium commotũ fuisse, certum est. Deniq; cum iã quasi vrbẽ ingressurus, & turbis in quarũ medio Ecclesiæ suę seminarium quoq; habebat, valedicturus esset, totius huius itineris conciones gratiarũ actione ad cœlestẽ suum Patrem, pro electo grege bonorum auditorum, conclusit: atque simul omnes, qui animarũ suarum requiem serio quęrerent, amicissime, vt ad se venirent, inuitauit. Vnde postea euenit, vt non tantum Pharisęus eum ad conuiuium inuitaret, (tales enim sæpe cũ in comitatu Christi fuerunt, vt patet ex Matt. 12. ver. 2. & 15. ver. 3.) qui volebat videri vnus ex numero eorum, qui Iesum magnifacerent: sed & mulier peccatrix excitata Christi blanda inuitatione ad eum sese conferret, sicuti suo loco audiemus. Hæc bono animo annotauimus, nostras saltem cogitationes de circumstantiis huius concionis aperientes, ne quicquam aliis præscribentes. Liberum enim cuiuis hac in re esse debet, vt qui meliora & certiora adinuenire possit, id faciat, & nos ei postea cedemus. Quia tamen manifestum est, membra huius concionis esse diuersa, lubet quoque eam, perspicuitatis ergo in diuersas pericopas dirimere.

PRIMA PERICOPE HVIVS CONCIONIS, ET eius harmonia, ex Matth. 11. & Luc. 7. concinnata, quæ continet Encomium Baptistæ, quo à filio Dei, post discessum ipsius Legatorum, apud turbas ornatur.

f Ἀπελθόντων δὲ τῶν ἀγγέλων Ἰωάννου, ἤρξατο a ὁ Ἰησοῦς f λέγειν τοῖς ὄχλοις περὶ Ἰωάννου· τί ἐξήλθετε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι; κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον; ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδοὺ οἱ c ἐν ἱματισμῷ ἐνδόξῳ καὶ τρυφῇ ὑπάρχοντες, a ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν. f ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; προφήτην; ναὶ λέγω ὑμῖν, καὶ περισσότερον προφήτου. οὗτος γάρ ἐστι, περὶ οὗ γέγραπται· ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου. a Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ ἐγήγερται ἐν γεννητοῖς γυναικῶν μείζων Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ. c λέγω γὰρ ὑμῖν, μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν προφήτης Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ οὐδείς ἐστι. f ὁ δὲ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, μείζων αὐτοῦ ἐστιν. a ἀπὸ δὲ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ ἕως ἄρτι, ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν. πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος, ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν. καὶ εἰ θέλετε δέξασθαι, αὐτός ἐστιν Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι. c καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας, καὶ οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τὸν θεόν, βαπτισθέντες τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. οἱ δὲ φαρισαῖοι καὶ οἱ νομικοὶ τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς, μὴ βαπτισθέντες ὑπ' αὐτοῦ. a ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

f Et cum discessissent c nuncij Ioannis, f cœpit a Iesus dicere turbis de Iohanne: Quid exiistis in desertum, vt videritis? Num arundinem, quæ agitatur à vento? Age, quid exiistis vt videretis? Num hominem mollibus vestibus amictum? Ecce qui c vestitu splendido vestiuntur, & in delitiis agunt, f in domibus regum sunt. At quid exiistis videre? Num Prophetam? Certe dico vobis, & excellẽtiorem prophetâ. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparaturus est viam tuam ante te. a Amen dico vobis, non exortus fuit inter eos, qui nascuntur è mulieribus, maior Iohanne Baptista. c Dico enim vobis, Maior inter natos mulierum propheta Iohanne Baptista nemo est. f Attamen is, qui minor est in regno cælorum, maior illo est. a Porro à diebus Iohannis Baptistæ vsque ad hunc diem, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nam omnes prophetæ, & ipsa lex, vsque ad Iohannem prophetauerunt. Et si vultis recipere, ipse est Helias ille, qui venturus erat. c Et omnis populus audiens & publicani iustificauerunt Deum, baptisati baptismo Iohannis. Pharisæi autem & Legisperiti consilium Dei spreuerunt aduersus semetipsos, non baptisati ab eo. a Qui habet aures ad audiendum, audiat.

Exegesis huius primæ Pericopes:

CHristus, Seruator noster, instituit Encomium seu commendationem Baptistæ, non in præsentia discipulorum ipsius, ne videretur esse species quædam adulationis. Et illis non opus erat tali commendatione. Iam ante enim nimium addicti erant authoritati Iohannis. Sed post discessum legatorum cœpit ad turbas loqui de Iohanne, texens insigne Encomium de ministerio, donis, & fidelitate ipsius. Et quia hactenus non legitur tā effuse laudasse Baptistam, Chrysostomus arbitratur ideo hoc loco id factum esse, ne propter quæstionem illā à legatis nomine Baptistæ quasi dubitatiue propositam, turbæ in dubium reuocarent totam ipsius doctrinam, quam, cum liber adhuc in ministerio versaretur, tradiderat, quasi ipse carcere fractus vel sententiam mutasset, vel certe inciperet dubitare de fine & scopo totius sui ministerij, quod scilicet Iesus sit Messias. Sed simplicius est, si ita accipiatur. Præclarum erat testimonium, quod Baptista, non tantum cum in magna authoritate floreret, testificatus erat, hunc Iesum esse Messiam: sed quod in ipso carcere, cum quasi in vmbra mortis versaretur, idem repetebat & confirmabat, ita vt in manifesto & præsenti vitæ discrimine aliud agere videretur, quàm vt post mortem suam nulla plane dubitatio in animis discipulorum relinqueretur: An hic Iesus sit Messias. Quia vero propter diuturniorem captiuitatem, quæ eo iam progressa erat, vt videretur Baptistæ non obscurum vitæ exitium minari, authoritas & existimatio ipsius (sicuti fieri solet) apud vulgus non parum languefacta conciderat & refrixerat. Christus igitur instituit hanc commendationem, vt turbas & reliquos admoneat, & expergefaciat, quo loco habere debeant & cętera & hoc postremum Baptistæ testimonium.

Est autem insigne & prolixum Encomium ministerij, donorum & fidelitatis Baptistæ: quo docemur, dona Dei in sanctis non esse contemnenda, dissimulanda vel silentio sepelienda. Et ostenditur medium inter duo extrema. Discipuli Baptistæ peccabant in excessu, nimium tribuentes authoritati ipsius contra Christum, imò contra ipsius Baptistæ doctrinam, sicut suprà dictum est: Alij detrahebant ipsi: Pharisæi clamabant, dæmonium habet, Matth. 11. vers. 18. Herodes accusatione ipsum deformabat. Vulgus antea preclare de ipso senserat, & studium suum erga ipsum magno concursu testatum fecerat: sed illud in persecutione propter calamitatem Baptistæ iam refrixerat. Christus vero Baptistam tunc potissimum laudat, quando externa ipsius fortuna valde inclinata & ferme collapsa erat. Et ostendit quomodo sancti laudādi & celebrandi sint in Domino: vt scilicet omnia referantur ad veram causam efficientem & finalem. Dona enim & authoritatem Baptistæ refert ad illum, qui apud Prophetam dicit: Ecce ego mitto angelum meum. Et alibi Ies. 41. v. 27. Ego adsum, & Hierusalem Euangelistam dabo. Ille Baptistam maiorem fecit omnibus Prophetis. Ipse addidit efficaciā ministerio Baptistæ, vt auditores eius quasi violenti raperent regnum cœlorum. Finem verò commendationis hunc constituit, vt doctrina Baptistæ de regno cœlorum ornetur, & authoritate quadam apud homines circumdetur. Ipsa verò doctrina Baptistæ hunc habet scopum, vt Christo via præparetur, & multi ardenter regnum cœlorum amplectātur. Propter has enim causas Deus sanctos ornat insignibus donis & peculiari authoritate, non vt cum discipulis Baptistæ in ipsis sanctis, omisso Christo, hæreamus. Extant in Patrum scriptis multæ πανηγυρικαὶ orationes de laudibus sanctorum, sed hoc loco extat verum exemplar, quomodo sancti in Domino sint laudandi & celebrandi, ab ipso Dei filio præformatum.

Illud etiam obseruandum est. Cum Iohannes in magna authoritate floreret, & certatim ab omnibus ordinibus laudaretur, tunc Christus non multam eius mentionem fecit. Cum vero propter carcerem nomen Baptistæ partim negligi, partim sordescere, partim ab aduersariis proscindi inciperet, tunc reliquis vel tacentibus vel maledicentibus, Christus instituit magnificam prædicationem & insigne Encomium Baptistæ. Hoc ideo notandum est, ne moueamur iniquioribus hostium iudiciis, vel vulgi inconstantia: sed sciamus illos, qui fidelitatem in ministerio præstant, tunc potissimum, quando à toto mundo vel proscinduntur vel deseruntur, laudari & celebrari ab ipso filio Dei.

Hæc in genere de hac Baptistæ commendatione obseruāda sunt. In explicatione vero singularum partium, quia simul tractatur antithesis de ministerio Baptistæ, & de auditorum vel negligentia vel contumacia, vt interpretatio minus sit turbata, primum ea, quæ ad Baptistę ministerium pertinet, ordine tractabimus: deinde ea, quæ ad antithesin auditorum pertinent, subiiciemus.

Ita autem aspiciendū est hoc Encomium Baptistæ, vt simul intelligatur propositum esse absolutum exemplar talis ministri in Ecclesia, qui ministerio suo Spiritus sancti operatione, Christo viam vult parare, auditores quasi cum violentia regnum cœlorum rapiant.

Primum autem Seruator Christus hoc commendat in Baptista, quod *non* fuerit *arundo à vento agitata*. Similitudo agitatæ arundinis extat 3. 14. ver. 15. Et licet ibi alio modo accommodetur: generalis tamen ratio similitudinis inde colligi potest. Arundo in aqua, præsertim decurrente, sicut citato in loco describitur, agitationibus & fluctuum & ventorum exposito est, erigitur quidem, & tranquillo aere pulchre consistere videtur, sed mox ad quemuis siue impetuosiorem motum aquæ siue flatum venti se inclinat, non quidem ita, vt plane collapsa concidisse videatur: sed modo flectitur, iam rursus erigitur, mox iterum inclinatur, & non multo post denuo consistere videtur. Euidentissima hæc est Ecebolorum in Ecclesia pictura, qui rebus florentibus & tranquillis magna specie docent & confitentur. Orta autem aliqua persecutionis tempestate, doctrinam & confessionem inflectunt & inclinant, ita vt tempestati cedant, nec tamen videri volunt apostatæ vel abnegatores, sed in ipsa inflexione speciem aliquam erectionis præ se ferre videri volunt: sedata tempestate rursus consistunt: mox vero in diuersam, sæpe in contrariam partem pro ratione tempestatis inclinantur, plane ad similitudinem arundinis. Illustrabitur autem accommodatio huius similitudinis, si adhibeatur hæc Grammatica consideratio. Hebraicum קנה, quod Græci reddiderunt κάλαμον, tria significat: 1. Calamum aromaticum. 2. Calamum mensorium. 3. Calamum arundineum. Et de ministris Ecclesiæ, Paulus inquit 2. Cor. 2. ver. 15. Christi bonus odor sumus Deo. Item, iis qui saluantur, sumus odor vitæ ad vitam. Et Psalm. 19. v. 5. Canon seu regula mensoria ministerium Apostolorum describit. Vt non incommode priores duæ significationes ad ministerium referri possint. Calamus igitur aromaticus non ita sicut arundo inflectitur & inclinatur: quia plenus est bono succo: Consimiliter nec calamus mensorius inflexionem admittit, alias homines mensurando fallerentur. Arundo vero externam quidem speciem præ se fert. Nam & Græcis ἀπὸ τοῦ καλεῖν nomen habet, & ad edendos sonos apta est. Sed quia intus vacua est, ad impetum venti non cōsistit: sed huc illuc se inclinat. Chrisostomus hanc rationem similitudinis ita explicat. Calamus est vacuus, & ideo quantumuis leuis ventus flauerit super eum, huc & illuc flectit eum. Sic & homo, in quo fidei nulla est medulla, & virtus veritatis non inuenitur, in eo qualiscunque tentatio venerit super eum, curuat eum, &c. Pronuntiat igitur Christus, Baptistam in suo ministerio non fuisse, vt arundinem, qui vel carnis affectibus, vt timore, ira & similibus, vel mundi calumniis, odiis & persecutionibus ita fuerit motus, quo minus doctrinam cœlitus sibi commendatam syncere & libere sonaret, & peccata sine in doctrina siue in vita, cum hac cælesti doctrina pugnantia, ingenue & seuere argueret. Sed tanquam calamus architectonicus firmus & solidus, quicquid inueniret obliquum, curuum, tumidum, elatum, prædicatione pœnitentiæ ita formabat, vt ad regulam verbi diuini cōponeretur, & ita praua verterentur in directum: sicut scriptura inquit, Iesa. 40. v. 4. Neque enim in illo ædificio, in quo lapides viui fundamento superædificantur 1. Pet. 2. vers. 5. vt sint templum Spiritus sancti, regula ad lapidem, sed lapis ad regulam inflectendus & accommodandus est. In hanc sententiam Christus similitudine arundinis de Baptista ita vtitur, vt simul formam fidelis ministri omnibus proponat. Et notatu dignum est, quod Lucianus de hæresibus, leuitatem & inconstantiam in sectis Philosophicis eadem plane similitudine notat. Hæc enim sunt eius verba: καλαμῷ τινὶ ὑπ᾽ ὄχθη ποταμοῦ πεφυκότι, καὶ πρὸς πᾶν τὸ πνέον καμπτομένῳ, κἂν μικρά τις αὔρα διαφυσήσασα διασαλεύσῃ αὐτόν.

Secundo dicit, Ioannem Baptistam *non* visum fuisse *mollibus vestibus*, quæ illorum propriæ sunt, qui in aulis regum versantur. Alludit autem Christus ad habitum Baptistæ asperiorem, pro ratione loci, in quo versabatur. In desertis enim durior & victus & vestitus inuenitur. Magnificentia vero & delitiæ, siue in victu, siue in habitu, regum aulis proprie conueniunt. Non autem in vestitu constituit fidelitatem ministerij. Nam nec Christus nec Apostoli Baptistæ habitum imitati sunt. Sed sicut agitatio arundinis aliquid significat, ita & hæc allegorica similitudo quædam denotat. Duobus autem modis similitudo hæc, de mollioribus & delicatis vestimentis, ad Baptistę ministerium accommodari potest. 1. Vt significet prædicare mollia, hoc est, doctrinam ita temperare, vt neminem offendat, sed vt diuitibus, potentibus & reliquis

huius seculi filiis grata esse possit. Iesaias vocat dicere placentia, Iesa.30.vers.10. Ezech.c.13. fere per integrum caput, propius ad hanc allegoriam accedit, dum inquit adulatorios Prophetas delicatos puluillos consuere, quos peccantium manibus & capitibus falsa docentium & credentium molliter subiiciant. 2. Lucas nominat τρυφῇ, voluptates & delitias. Quod vocabulum posteris temporibus fere in malam partem accipi solitū est, vnde etiam experti intrumphis dicuntur homines nequitiosi. Initio tamen de concessis voluptatibus vsurpatum fuisse indicio est, quod vocula עדן per τρυφῇ à septuaginta redditum est. Et Paradisus dicitur hortus τῆς τρυφῆς, voluptatis & delitiarum, Genes.2.vers.15. & 3. vers. 23. Salomon etiam dicit Prouerb. 19. vers.10. Non est decora stulto τρυφὴ, delectatio. *Dem Narren stehet nicht vvol an, gute tage haben.* Item Lucas nominat *vestimentum* ἔνδοξον, hoc est, quo magnifici & illustres viri vtuntur. Græci enim in historia Esther præcipuos & potentissimos in aula Regis vocant ἐνδόξους cap.1.versic.3. Potest ergo hęc similitudo etiam hoc significare, Baptistam in suo ministerio non captasse gratiam mundi, non quæsiuisse magnificentiam, opes, dignitates, delitias, &c. Cum enim multi homines inglorij & leuiculi in Regum domibus, magnificentia & delitiis affluerent, hic vir præstantissimus, quo non surrexit maior inter natos mulierum, in deserto duro victu, & aspero amictu vtitur, tandem in vincula coniectus squaloribus carceris integro anno diutius quasi mancipatur, nec tamen propterea confessionem doctrinæ vel deserit, vel abiicit. Sensus igitur, quomodo hæc Allegoria de molli vestitu ad Baptistæ ministerium accommodetur, planus est. Nec obscurum est, quomodo generalem formam fidelitatis in ministerio pertineat. Si enim vtrumque membrum coniungatur, de arundine, & de mollitie vestium, doctrina in summa hæc erit. Ministrum Euangelij non debere vel aduersis frangi, vel prosperis attolli; non gratia nec odiis hominum moueri: non laudibus, nec infectationibus, non beneficiis, nec persecutionibus, siue vulgi, siue potentum, & in summa nec spe nec metu, in transuersum extra metas ministerij rapi: sed inter prospera & aduersa constantem, & quasi immobilem, officium suum docendo & arguendo fideliter facere. Et obseruanda est antithesis. *Qui in Regū domibus*, in politicis ministeriis versantur, *mollibus induuntur.* Multas enim habent occasiones, quod potentibus possunt grata & dicere & facere, & præmium laborum habent, dignitates, opes, delitias. Ecclesiasticum autem ministerium tale est, in quo non potest fidelitas præstari, quin multi offendantur. Iubet enim ea annunciare, quæ carni & rationi nō sunt grata. Ideo etiam in hac vita sequuntur non mollia præmia, sed contraria. Talia igitur si & nostrum ministerium sequi viderimus, non turbemur, nec ideo vel vocationem deseramus, vel confessionem abiiciamus. Hæc sunt generalia.

Tertiò describit, qualis sit peculiaris vocatio Baptistæ, qua parte ministerium ipsius excellentius est ministerio Legis & omnium Prophetarum. Concedit, & vsitata confirmandi formula, καὶ λέγω ὑμῖν, asseuerat, ipsum esse Prophetam, hoc est, personam immediate vocatam à Deo ad repurgandam doctrinam, & præcipue ad illustrandam promissionem de Messia. Addit autem simul etiam Iohannem ratione ministerij maiorem & περισσότερον, hoc est, excellentiorem & præstantiorem esse & Mose & omnibus Prophetis. Περισσεύειν enim, περισσεία, & περισσὸν Græci reddiderunt pro יתר, quod etiam præstantiam, excellentiam seu prærogatiuam significat: & ita Græci loquuntur. Eccles.2.11. & 3.9. & 7.1. & 12. & passim alibi in illo libro. Consistit autem excellentia ministerij Baptistæ, non in ipsa substantia doctrinæ, de pœnitentia, remissione peccatorum, & fructibus pœnitentiæ. Illa enim eadem semper fuit in Ecclesia. Sed consistit in modo, vt ita dicam, reuelationis, annunciationis & agnitionis, siue in circumstantia temporis non iam futuri, sed præsentis. Reliqui enim Prophetæ omnes, sicut Stephanus inquit Act.7.52. de futuro aduentu Messiæ & officio ipsius prænunciarunt. Baptista vero ille est, de quo in vltimo Propheta Malachia scriptum est, cap.3. v.1. & 4.vers.5. quod sit nuncius seu legatus, qui non à longe præmittatur, sed præcedat ipsam faciem Messiæ aduentantis iam, inchoantis & tractantis ministerium suum. Sicut antea in historia Baptistæ locum illum Malachię declarauimus. Reliquorum omnium Prophetarum vox est. Videbo eum, sed non modò: intuebor eum, sed non prope. Num. 24. 17. vel, sicut Hebr.11.13. scriptum est: Promissiones à longe salutarūt. Iohannes verò Messiam vidit, baptizauit, digitis monstrauit præsentem & ministerium suum inchoātem. Ipsa Lex & Prophetæ tempus & dies Messiæ, tanquam scopum & finem ministerij sui, præfiniunt. Suscitabo vobis alium Prophetam, illū audietis, Deut.18.15. Item, quod frequens est in Prophetis: In diebus illis: &. In tempore illo, &c. Iesa.2.2. Ier.33.15. Ioel. 3.1. Mich.4.1. &c. Illud vero tempus, & illi dies cœperunt in ministerio Iohannis. Nam à diebus Iohannis vsque nunc regnum cœlorum vim patitur. Et Marcus dicit, prædicationem Baptistæ esse initium Euangelij, cap.1.ver.1. Et hoc est quod Christus hoc loco inquit: *Omnes Prophetæ & Lex vsque ad Iohannem prophetarunt.* Obseruandum autem est verbum *prophetandi.* Reliqui enim Prophetæ docuerunt quidem de regno cœlorum, sed secundùm modum vaticiniorum obscurius, vt de re futura. Baptistæ vero vox est, regnum illud ita appropinquasse, vt *violenti illud rapiant.* Nam & in efficacia illustriori constituitur inter Ministerium Prophetarum, & Baptistæ. *Vim enim patitur regnum cœlorum, à diebus Baptistæ*, inquit Christus. Illud autem inde intelligi poterit. Prophetæ prædixerunt, in nouissimis diebus, hoc est, tempore Messiæ, fore & magnam copiam & ardentem feruorem audientium & amplexantium doctrinam cœlestem, Iesa.2.2. Mich.4.1. Quia igitur illud à diebus Baptistæ iam cœperat, & ministerio Christi magis magisque augebatur, debebant inde agnoscere, nouissimos dies, hoc est, tempus Messiæ iam adesse. *Et si vultis recipere, ipse est Helias venturus.* Notum erat Malachiæ vaticinium cap. 4.vers.5. Heliam debere præcedere ante diem magnum aduentus Messiæ. Sed vulgaris persuasio erat, Thesbitam Heliam, igneo curru in cœlum auectum, rediturum. Christus verò affirmat Iohannem esse illum, qui spiritu & virtute Heliæ præcessurus sit Messiam, sicut etiam angelus, in annunciatione conceptionis ipsius prędixerat, Luc.1.ver.17. Addit autem *si vultis accipere*, non quasi vulgi suffragiis hoc committatur, vt Iohannes sit Helias, si ab ipsis recipiatur: non sit, si non recipiatur. Sed phrasis est de illis, qui alia opinione præoccupati sunt. Est Helias, si tantum velletis accipere. Porro verbum δέχεσθαι potest etiam hoc significare, si velletis candide iudicare & rem diligentius considerare, inueniretis Iohannem esse illum Heliam, de quo Malachias loquitur.

Hæc sunt capita, quæ de excellentia seu prerogatiua ministerij Baptistæ præ Prophetis ex hoc loco colliguntur. Et ad hanc quasi materiam subiectam, sicut Dialectici loquuntur, accommodanda est illa sententia: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Neque enim opus est instituere generalem collationem personarum, donorum, vitæ, & actionum Baptistæ, Patriarcharum & Prophetarum. Apud Lucam enim Christus expresse addit determinationem, seu restrictionem, *Inter natos mulierum non est maior Propheta, quam Baptista.* Ministerium igitur Baptistæ & Prophetarum hoc modo, sicut iam dictum est, Christus inter se confert. Frustrà ergo hoc quidem loco collatio longius quæritur & extenditur. Nam & verbum *surrexit* publicam inchoationem & administrationem alicuius officij significat, Deut.13.v.1. & 34.ver.10. Matth.24.v.24. surgunt pseudoprophetæ. Exod.1. ver.8. Surrexit rex nouus. De phrasi *inter natos mulierum* varia disputarunt. Ideo nominari natos, ne Mariæ virgini Baptista videretur vel præferri vel æquari. Sed Græci Iob. 14.ver.1. & 15.versic.14. vocant γεννητὸν γυναικός, vbi infirmitas & miseria humanæ naturæ post lapsum in hac vita significatur. Sensus igitur simplicissimus est: Magnam esse in Ioanne Baptista præstantiam, siue excellentiam, qualis in nullo Propheta fuit, quanta quidem per Dei donum esse potest, in hac misera & infirma naturæ imbecillitate in hac vita. Et obseruetur in hac phrasi, quod filius Dei, quando commendat dona, etiam illius, cui primas inter omnes prophetas defert, simul in ipsa præstantia siue excellentia mentionem facit infirmitatis humanæ, vocans *natum mulierum.*

Huic autem sententiæ addit Christus correctionem: *Sed tamen minor in regno cœlorum, maior est Ioanne.* Quidam interpretantur, nouissimum angelorum, ministrantium Deo in cœlo, maiorem esse Ioanne. Hieronymus dicit: Minimum sanctorum, qui ex hoc corpore mortis liberatus, iam cum Deo in regno ipsius est, esse maiorem etiam præstantissimis sanctis, qui in huius vitæ infirmitate onere carnis peccatricis premuntur, & variis tentationibus expositi sunt. Alij philosophātur: qui minor est, hoc est, qui humilitate Ioannem potest vincere, is maior ipso est in regno cœlorum. Sed hæc peregrina sunt, hoc quidem loco. Duæ autem sunt interpretationes, quæ simplicissime huic textui conuenire videntur.

Vna est Augustini & Chrisostomi, quod Christus seipsum significet. Quia enim dicit, legem & omnes Prophetas prophetasse vsque ad Ioannem, quē affirmat & Mose & omnibus Prophetis maiorem esse, ne intelligatur Iohannes esse ille Propheta, de quo promissio Deut. 18.15. loquitur, seu Messias ipse, de quo reliqui prophetæ vaticinati sunt, necessariò addenda fuit hæc correctio: Iohannem quidem maiorem esse omnibus prophetis, sed aliam esse personam in regno cœlorum, quæ maior sit ipso Iohanne Baptista. Nam & discipuli Iohannis, & reliquum vulgus inclinabat in eam sententiam, Iohannem esse Messiam. Quia verò externa species perso-

personæ; vitæ authoritatis minor tunc erat in Iesu, quam in Baptista, (hoc enim & discipulos Iohannis, alios offendebat) ideo dicit: Ille qui minor apparet, imo qui minor est exinanitione, (Minoratus enim est non tantum infra angelos, Psalmo octauo, versu 6. verum etiam infra homines, Psalmo 22. versu 7. Vermis sum, & non homo) Ille, inquit, *minor* exinanitione & externa specie, *est maior Baptista*, dignitate, maiestate, persona, ministerio & officio. Omnino enim ita extolli debent dona, ministerium seu officium sanctorum, vt immensum sit & maneat discrimen inter personam & officium Christi & Baptistæ, atque aliorum sanctorum omnium. Hæc sententia contextui bene quadrat, & præbet vtilem doctrinam. Potest autem lectio distingui, vel simpliciter: Ille qui in regno cœlorum minor est, maior est Iohanne. Vtriusque enim ministerium, & Baptistæ & Christi, pertinebat ad regnũ cœlorum, & iuxta externam speciem Christi ministerium videbatur minus conferre: sed affirmat illum, qui hoc modo minor in regno cœlorum videbatur, maiorem esse Baptista. Augustinus ita legit: Ille qui minor à vobis reputatur, maior est in illis quæ ad regnum cœlorum constituendum pertinét. Accipit autem Augustinus comparatiuũ *minor* proprie. Duæ enim illæ personæ, Baptista & Christus, nunc celebres erant, & omnibus innotuerunt. Disputationem autem mouerant Iohannis discipuli, vter horum duorum in regno cœlorum, quod à prophetis prædictum iam inchoaretur, maior vel minor esset.

Altera interpretatio est Buceri, qui hanc correctionem non de Christo intelligit, sed de Apostolis, de septuaginta discipulis, imo de nouissimo aliquo ex ministris, qui post ascensionem Christi, prædicturus sit Euangelium. Et talem existimat hoc loco prædicari maiorem Baptista, eodem plane modo, sicut ipse maior est prophetis. Vt tantum sit collatio ministerij Baptistæ, Apostolorum, & aliorum etiam minimorum ministrorum, post reuelatum iam regnum Christi. Instituitur autem collatio non iuxta mensuram donorum, sed iuxta gradus reuelationis. Prophetæ nunciabant venturum: Baptista monstrabat præsentem: Apostoli ante resurrectionem Christi prædicabant appropinquasse regnum Dei, Matth. cap. 10. versic. 7. sed faciebant hoc clarius & potentius, adiunctis miraculis, quàm Baptista. Post ascensionem vero Christi prędicatur regnum Dei, non tantum appropinquasse, sed venisse, atque ea, quæ ad opus redemptionis pertinent, iam consummata esse, & Christum non amplius humilem esse, sed assumptum in gloriam, 1. Tim. 3. v. 16. Et ita, qui ratione donorum collatus Baptistæ *minor* est: tamen quia est *in regno Dei*, hoc est, prędicat regnum Dei non à longe venturum, vt Prophetæ, nec tantum appropinquasse, vt Baptista: sed iam venisse, & in eo, tanquam dispensator mysteriorũ Dei ministerio suo versatur, hac ratione *maior est Baptista*. Et in hanc sententiam ἐπανόρθωσις illa valde necessaria est: ne cogitemus illos solos beatos esse, qui Baptistam maiorẽ omnibus prophetis docentem audire potuerunt. Plerunque enim homines efficaciam ministerij, ex personarum vel præstantia vel abiectione metiuntur. Dicit igitur: *Minimus in regno Dei, maior est Baptista.* Comparatiuus enim μικρότερος, vel secundum Hebraismum ponitur pro superlatiuo, vel simpliciter complectitur quemcunque ex ministris post Christum glorificatum, etiamsi ratione donorum minor sit Baptista. Hæc interpretatio parit bonam sententiam, quæ contextui non male conuenit. Sed eligat lector, quam ipse iudicauerit simplicissimam esse, & quam intellexerit suo instituto esse maxime commodam.

ANTITHESIS MINISTERII *Baptistæ, & negligentia in magna parte auditorum: ex quibus tamen multi cum fructu Ioannem audiuerunt, & regnum cœlorum occuparunt.*

Ne sit panegyrica declamatio Christi de Ioanne, qualia sunt Rhetorum Progymnasmata ita genere demonstratiuo, vbique interspergit antithesin de auditoribus, vt ostendat, se ideo Baptistam ita celebrare, vt doctrinæ ipsius authoritatem conciliet, vt omnes eam ardentius amplectantur & recipiant, vtque moneantur illi, qui eam aspernantur, aut reiiciunt, quàm contumeliosi sint in Deum, & quàm iniurij in seipsos. Nam & populus admirabundus suspiciebat authoritatem Baptistæ, & pro magno beneficio Dei reputabat, quod tantum Prophetam excitasset. Christus vero monet, non consistendum esse in admiratione personæ Baptistæ, sed addendam esse & hanc considerationem, quomodo auditores tanti Doctoris eius ministerio vtantur ad ædificationem. Illa enim est vera celebratio donorum Dei in præstantibus viris in Ecclesia. Quod si secus fiat, vt gloriemur quidem de felicitate nostri seculi, propter præstantes Doctores: Viuamus autem sine pœnitentia, sine fide & sine fructibus pœnitentiæ, non tantum nihil proderit, sed maior cumulus damnationis inde accedet, sicut Christus mox post hunc locum ingeminat *Væ*, & pronuntiat Sodomitis in die iudicij tolerabilius fore. Et hæc est generalis doctrina in hac antithesi, cuius altera pars, de auditoribus scilicet, iam nobis explicanda est.

Colligi autem potest ex textu quasi Catalogus quidam, quàm multis & variis modis mundus consilium Dei de salute nostra, (sicut Lucas loquitur) quod in ministerio nobis offertur, aspernetur & reiiciat. Hæc enim de tempore Baptistæ ita explicanda sunt, vt ad nos ipsos accommodemus, & quisque consideret, an & vbi in simili crimine hæreat.

1. Quidam erant manifesti aduersarij & hostes ministerij Baptistæ, vt plerique ex Pharisæis, Herodes, Herodias, &c.

2. Quidam Epicuræo quodam contemptu plane nihil curabant: ita vt ne quidem exire dignarentur ad audiendam doctrinam Baptistę.

3. Quidam in vita ipsius, cum nihil, quod reprehendere possent, inuenirent, calumniabantur id, quod maxime debebat doctrinę authoritatem conciliare. De austeriore enim vitæ ipsius instituto dicebant, *dæmonium habet*, Matth. 11. versic. 18.

4. Quidam destinata contumacia propter pręsumtas opiniones, nolebant doctrinam ipsius recipere, sed aures obturabant, & cor indurabant. Propter illos enim dicit: *Si vultis recipere.* Item: *Qui habet aures audiendi, audiat.*

5. Inter illos, qui in desertum ad Ioannem exierunt, quidam voluerunt videre arundinem à vento agitatam, hoc est, cum nollet ministerium suum ad illorum cupiditates inflectere, retrocesserunt. Quando alios arguebat, probabãt: sed, quando eodem modo etiam ipsos taxabat, offendebantur.

6. Quidam quærebant in concionibus Iohannis mollia, hoc est, carni grata, & rationi placentia. Alij sperabant inde dignitates, potentiam, opes, &c. Sed cum diuersum experirentur, studium illud erga doctrinam Baptistę refrigescebat, imo extinguebatur.

7. Quidam, qui externa specie nec aduersarij, nec contemptores videri volebant, *in seipsis spernebant consilium Dei* sicut Scribę.

8. Discipuli Baptistę tantum ipsi tribuebant, vt nollent ad Christum concedere, sed Iohanni ea, quę Messię propria sunt, tribuebant.

9. De illis, qui minime mali videbantur, quorum ardens & constans studium erat erga Baptistam, Christus ita loquitur: *quid exiistis in desertum videre?* hoc est, magnifacitis Baptistam, multum personæ ipsius tribuitis, singulare vestrum studium erga ipsum fuit, quod turmatim ex longinquis etiam locis, ad illum exiistis, & quidem in desertum. Sed personam admirantes doctrinam non curatis, vt nesciam an ad audiendum, an vero ad spectandum exieritis. Vtitur enim verbo θεάσασθαι, quod spectaculis conuenit. Nec sane propter rem ludicram & vbique obuiam, qualis est agitatio arundinis, profectionem illam suscepistis. Nec causa profectionis vestrę fuit, quod ibi magnificam aliquam huius seculi pompam visuri essetis. Illa enim non in locis desertis, sed in aulis Regum quærenda est. Exiistis ergo in desertum: quia audieratis Deum excellentem Prophetam suscitasse. Et ego dico, plus est quàm Propheta. Atqui Prophetæ proprium est docere. Non ergo propter personam spectandam, sed propter vocem doctrinæ audiendam, debuissetis ad ipsum exire? Iam verò erant inter illos quidam, qui non tantum personam spectarant, sed doctrinam Baptistæ audierant, quam laudabant & extollebant. Illorum curiosum, otiosum, & confusum eum auditum Christus ita perstringit. Iohannis ministerium est, prædicare Baptismum pœnitentiæ & remissionis peccatorum, atque ita præparare viam Messiæ aduentanti & iam præsenti. Num vero omnes pœnitentiam egistis & baptizati estis ab ipso? Quis vestrum quæsiuit, vbi & quis esset Messias ille, quẽ præsentem monstrare Baptista missus erat? Quæ esset via illa, qua Messias adeundus & inueniendus esset? Hæc, qui inter Baptistę auditores pręcipui esse volebant, non curabant: interim tamen multa de persona & concionibus ipsius magnifice loquebantur. Illos igitur hoc modo Christus taxat: Aliter enim tractat hostes & contumaces: aliter verò imbecilles & dociles.

Tam multis ergo & tam variis modis consilium Dei, quod per ministerium nobis offertur, sperni & reiici potest. Et quomodo ad historiam temporis Baptistæ ita conueniant, mani-

festum est. Accommodandum vero est nostra etiam tempora, & ad nos ipsos: ita copiosam & valde vtilem præbebit doctrinam. Et si nobis miseris verbi ministris idem eueniat, vt tam raros habeamus bonos & fideles auditores, non indignemur: cum non melior facile possit aut etiam debeat esse nostra conditio quàm eius, qui inter natos mulierum fuit etiam maximus.

Num autem propterea labor Baptistæ fuit inanis, & sine omni fructu ministerium eius? Nequaquam. Sicut enim Paulus inquit, testimonium atque ἀπόδειξιν Apostolatus sui non esse in verborum magnificentia, sed in virtute & efficacia Spiritus, 1. Cor. 2. v. 4. Ita de Iohannis ministerio Christus dicit: *A diebus Io. Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Labor enim ministrorum non est inanis in Domino, 1. Corinth. 15. versicul. 58. & verbum Dei non abit sine fructu, Iesa. 55. versicul. 10.

Coniungenda autem est Matthæi verbis illa descriptio, quæ apud Lucam extat. Ita enim colligemus tria hæc: 1. Quid quantum sit spernere doctrinam cœlestem. 2. Quomodo eadem vere, & salutariter accipiatur, & quis sit huius acceptionis fructus. 3. Qui & quales sint iuxta externam speciem in hoc mundo, qui spernunt, & qui accipiunt, ne vel offendamur, vel magnatum exemplis seducamur.

Quidam censent Pericopen illam, *Omnis populus audiens, & Publicani,* &c. Item, *Pharisæi spreuerunt consilium Dei,* esse Euangelistæ verba, quæ tanquam exegetica interposuerit orationi Christi. Mox enim post hanc διήγησιν subiicitur: *Dixit autem Dominus.* Et nihil sane refert: cum certum sit esse Spiritus sancti verba: simplicius tamen est, vt vno continuo contextu legantur tanquam verba Christi. Non autem loquitur de manifestis hostibus & persecutoribus Baptistæ. Dicit enim spreuisse εἰς ἑαυτοὺς, quod recte Scapulensis annotauit dupliciter posse exponi, vel *aduersus seipsos*, vt postea dicemus: vel *intra seipsos.* Septuaginta enim interpretes sæpissime εἰς cum Accusatiuo vtuntur, pro ἐν cum Datiuo: sicut multis exemplis posset monstrari. Vt Gen. 21 versicul. 2. Sara peperit filium εἰς τὸ γῆρας in senectute. Postea vers. 7. dicit: ἐν τῷ γήρᾳ μου, in senectute mea, Iud. 20. ver. 48. Quicunque inuentus fuerat εἰς πάσας τὰς πόλεις, in omnibus vrbibus. 2. Paral 9 v. 16. Si quis orauerit εἰς τὸν τόπον τοῦτον, in hoc loco. 2. Reg. 15. ver. 21. In quocunque loco rex erit, siue in vita, siue in morte, ibi etiam erit seruus tuus. Semper ponitur εἰς. Et hanc κατάχρησιν etiam Apostolicus sermo sæpe imitatur. Loquitur itaque de illis, qui non manifestis contradictionibus & calumniis se opponebant doctrinæ Baptistæ. Et obseruetur, quomodo etiam illi iudicentur abiecisse doctrinam cœlestem, quæ in ministerio Baptistæ sonabat, licet publice eam non damnarint. Quia scilicet *non sunt baptizati ab ipso.* Hæc vt recte intelligantur, instituatur ἀνάλυσις vocabulum. Iohannes prædicat Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, dicens vt crederent in eum, qui venturus esset post ipsum. Act. 19. v. 4. Noluerunt igitur pœnitentiam agere, & fide in eum, quem Iohannes venturum prædicabat, remissionem peccatorum quærere, & illam fidem vsu Baptismi Iohannis obsignare, vt ita veri fructus pœnitentiæ sequerentur. Et hoc modo etiam illi, qui non erant manifesti hostes, blasphemi, calumniatores, &c. pronunciantur tamen à filio Dei abiecisse doctrinam Baptistæ. Hic locus diligenter notandus & ad nos ipsos accommodandus est. Plerunque enim externa specie & nos & alios fallimus, satis esse putantes, si non manifeste reclamemus. Sed filius Dei pronunciat eos, qui plane se non ita ad auditum verbi componunt, vt ea, quæ in doctrina cœlesti proponuntur, pœnitentia, fide & fructibus pœnitentiæ exprimant, coram iudicio Dei ita censeri, quod spreuerint & abiecerint consilium Dei. Non enim externam speciē Deus moratur, sed quid homines in seipsis agant, sicut hoc loco loquitur. Hæc & possunt & debent latius explicari.

Obseruādum vero etiam est, quas causa hoc loco Christus notet, quæ impedierunt illos, quod cum non damnarent doctrinam Baptistæ: tamen baptismum eius nō receperint. Verba Lucæ hæc sunt: *In seipsis spreuerunt consilium Dei,* quia erant Pharisæi & Legisperiti, hoc est, doctrina Baptistæ non conueniebat cum traditionibus & opinionibus eorum, qui tūc doctissimi habebantur. Media etiam, per quę Deus in ministerio Baptistæ salutē offerebat, nimiū simplicia, vulgaria, imo stulta ferme videbantur. Prędicabat. n. Baptismū pœnitentiæ in remissionē peccatorū. *Intra semetipsos* igitur *spreuerunt consiliū Dei.* Altera causa ex antithesi colligitur. Publicani, qui baptizabantur, iustificabāt Deū. Pharisæi ergo, qui nolebāt Baptismū accipere, nō iustificabāt Deum, sed sicut Luc. c. 16. v. 15. inquit, vbi repetitionē huius concionis Christi describit: Iustificabāt seipsos corā hominibus, propter id quod altū est corā hominibus, hoc est, propter admirationē suarū virtutū, & persuasionem propriæ iustitiæ, nolebant se pœnitētiæ & iustitiæ fidei subiicere. Et hæ duę potissimæ causæ sunt in omnibus Pharisæis, quod doctrinā Euangelij non recipiunt. In contēptu vero Epicuræorum alię causæ sunt. Quales vero peccatū sit apud Deū, doctrinam cœlestem eo modo, sicut iam dictū est, spernere, potissimū obseruandum est in hoc loco. Nō. n. nominat Iohannis doctrinā, & baptismū, nec simpliciter tantum verbum Dei: sed *consiliū Dei* nominat. Et addit, illud non simpliciter sperni: sed vtitur verbo valde significante, ἀθετεῖν. Expendendæ autem sunt Emphases vocabulorum. Homines ideo minus curāt, & securius repudiant doctrinam Euangelij quod ex ministri persona & ab externa specie illam æstimāt. Christus vero ad Deum refert, nec simpliciter ita, quasi obiter verbū illud Deo exciderit, & de re non magni momenti constitutum sit. Sed vocat βουλὴν, consiliū Dei. Cum enim genus humanum peccato perditū esset, & nulla pateret via salutationis, Deus ex immensa misericordia, quasi deliberatione, vt de re difficili, ardua, seria & maximi momenti, habita, certo cōsilio inuenit, cōstituit, decreuit, & ordinauit, quomodo vellet genus humanū saluare. Et illud suū consiliū ignotum & absconditū omni humani sapientię, per ministeriū verbi patefecit, & singulis ita offert atq; proponit, vt ego & vnusquisque alius, qui æternę suę salutis appetēs est, scire possit, quid Deus de sua salute deliberarit, constituerit, & ordinarit. Hæc est vera & dulcissima descriptio ministerij verbi, quę ex sola Emphasi vocabuli βουλῆς rectius potest cōsiderari, quā ex prolixis declamationibus. Euoluēda autē hæc sunt in explicationibus, vt discamus ministeriū verbi amare, venerari & magnifacere. Imo vocabulo hoc recte cōsiderato, vltro & per se hoc sequetur. Paulus tali consideratione vocabulorū peculiariter delectatus fuisse videtur. Multa. n. coaceruat Eph. c. 1. κατὰ τὴν εὐδοκίαν, θέλημα, βουλὴν τοῦ θελήματος. Ambrosius de sacramētis li. 2. ex hoc loco texit definitionē: Baptismū esse consiliū Dei de saluandis hominibus. Idem vero de toto ministerio recte dici potest.

Verbum ἀθετεῖν vetus interpres reddidit: *Spreuerunt consilium Dei.* Et sane vno verbo non potest hoc quidem loco reddi. Plenior tamen est emphasis verbi ἀθετεῖν, quam quæ verbo spernendi satis exprimatur. τιθέναι sæpe significat, maxime iuxta Hebraismum, aliquid constituere, confirmare, ratum facere, & ratum habere. Et eius contrarium est ἀθετεῖν significans aspernari, non probare, reiicere, abrogare, irritum facere &c. Apud Græcos interpretes crebro vsurpatur, sed ita vt non vni semper Hebrǽo respondeat. Quædam exempla huc referemus, vnde absque dubio aliquid lucis huic loco accedet. Exo. 21. ver. 8. & Iud. 9. ver. 23. redditur pro verbo בגד quod significat præuaricationem cum iniuria & contumelia alicuius coniunctā. Sicuti ibi accipitur de Abimelecho: & de serua Hebræa seu captiua, Deut 21. v. 14. postea, 1. Reg. 2. ver. 17. de filiis Eli respōdet Hebraico נאץ quod significat talem contētū, qui irritet & prouocet indignationē. Rursus. 3. Reg. 8. v. 50. significat defectionem seu rebellationē, qualis seditiosis tribuitur. Respondet etiam ibi Hebraico verbo פשע. Et ita etiam vsurpatur 4. Reg. 1. v. 1. & 3. v. 7. & 8. v. 21. Insuper sæpissime, maxime autem 2. Par. 36. v. 13. respondet verbo מרד quod manifestā excussionē dominationis significat. Sicut etiam Ps. 32. ver. 10. eodem modo vsurpatur à Græcis. Dissoluit consilia gentium & irritas facit, seu infringit cogitationes populorum &c. Quando igitur Christus hoc loco dicit, ἀθετεῖν consilium Dei, non simplicem tantum contemtūm significat, sed talem repudiationem, quę ad iniuriam & contumeliam Dei pertineat, ita vt iustam indignationem prouocet. Si quis Rex graue decretū pro salute alicuius Reipublicæ faciat & proponat, qui illud non accipit, sed repudiat, & quasi per modū seditionis, aut rebellionis se opponit, vt irritum reddatur, is dicitur ἀθετεῖν decretum Regis, sicut exemplis ostendimus. Et tale peccatū pronunciat Christus esse illorum, qui doctrinā cœlestē ita aspernantur, vt eam nō recipiant. Obseruetur hęc Emphasis & latius explicetur. Addit autem εἰς ἑαυτούς. Consilium enim Dei per se non possunt infringere, vel irritum facere. Scriptum. n. est: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, Ies. 46. v. 10. Sed quantum *in ipsis* est, seu potius *aduersus seipsos*, illud dirigunt. Infringunt. n. seu irritum faciūt cōsilium Dei, nō Deum, sed seipsos lædentes, cōsilium hoc Dei ipsis ad salutem prodesse possit. Et miserāda est corruptio naturæ nostræ, quod homo consilium Trinitatis de sua salute ipse sibi infringit & irritum facit. Et ita repudiando reus fit & suæ dānationis, & læsæ maiestis Dei, cuius consilio & decreto se opponit. Magna igitur, & digna consideratu est Emphasis horum vocabulorum βουλὴν Dei ἀθετεῖν. Ostendunt enim quid & quantum sit doctrinam cœlestem non recipere.

Secundo ostendit etiam Christus in hac sententia, quomodo doctrina cœlestis vere & salutariter accipiatur. *Omnis populus & publicani iustificabāt Deū, baptismo Iohannis.* In breuitate sententiæ verba expendenda sunt. Lucas hæc duo coniungit, auditum verbi & susceptionem Baptismi: Matthæus vero

appre-

apprehensionem regni cœlorum. Ceremonia enim Baptismi, sicut omnium sacramentorum, si affingatur opinio operis operati sine verbo & fide, & ad salutem nihil prodest, imo est prophanatio institutionis diuinæ. Ideo prius ponit auditum verbi, & subiungit susceptionem Baptismi. Ordo igitur iustificationis seu saluationis hoc loco ita describitur: 1. Deus ab æterno βουλὴν & consilium certum instituit, qua ratione & quibus mediis lapsum genus humanum ad salutem velit reducere, Ephes. 1. 4. 2. Consilium illud in tempore hominibus manifestauit, atque sic regnum Dei euangelizari curauit, Luc. 16. 16. 3. Populus exiit & audiuit. 4. Idem etiam Baptismum recepit, & *violenti rapuerunt regnum cœlorum*. Neque enim sine his mediis regnum Dei accipiatur. Obseruanda etiam est Syntaxis, populus ἀκούσας ἐβαπτίζετο, *populus postquam audierat baptizabatur*. Ostendit enim auditum debere esse, non curiosum, frigidum, otiosum, &c. sed talem, vt ex auditu sequatur pœnitentia, deinde fides, accipiens & apprehendens ea, quæ in Euangelio offeruntur. Appellatione enim Baptismi Iohannis totum ipsius ministerium complectitur. Prædicabat enim Baptismum pœnitentiæ, iubens credere in Messiam aduenturum, in remissionem peccatorum: & addens de faciendis fructibus pœnitentiæ. Suscipere ergo Baptismum Iohannis est, agere pœnitentiam, credere in Iesum ad remissionem peccatorum, & facere fructus dignos pœnitentia. Hæc enim est summa ministerij Baptistæ, licet singulæ partes suam peculiarem habeant rationem & proprietatem. Et hæc est nota eorum, qui veri sunt auditores.

Porro quod addit: *audientes iustificasse Deum*, suscepto baptismo Iohannis: Docet ex quo fundamento hoc oriatur & progrediatur, vt auditores doctrinæ cœlesti, pœnitentia, fide & noua obedientia, se subiiciant. Et sensus pendet ex verbo *Iustificandi*. Quando enim Deus dicitur homines iustificare, vel homines seipsos iustificare, peculiaris est significatio, quæ suis locis explicatur. Quando vero *Deus* dicitur *iustificari*, significat, quod exerat & declaret se iustum, hoc est, omnibus virtutibus perfectum & absolutum. Ita 1. Tim. 3. v. 16. Christus dicitur Iustificatus in spiritu. Psalm. 51. v. 6. vt iustificeris in sermonibus tuis. Psal. 19. v. 10. Mandata Domini iustificata. Homines ergo dicuntur *Deum iustificare*, quando agnoscunt, confitentur & celebrant Dei iusticiam, hoc est, quando vero & serio cordis affectu Deo tribuunt sapientiam, iustitiam, bonitatem, misericordiam, potentiam, maiestatem, & cæteras virtutes. Hæc vocabuli significatio in hac sententia duobus modis potest ad doctrinam accommodari. 1. Sicut iam dixi, quando ratio captiuatur ad obsequium Christi, vt ea, quæ in cœlesti doctrina proponuntur, non abiiciat, damnet, contemnat & negligat: sed vera reuerentia, pœnitentia, fide, & obedientia se illis subiiciat. Quando enim verbum Dei audimus, & Deo patefacienti nobis in verbo consilium & voluntatem suam, vero cordis affectu tribuimus sapientiam, nō disputamus nec tergiuersamur, sed grato, prompto & hilari animo recipimus ea, quæ in verbo nobis proponuntur. Persuasi enim sumus, Deum ex immensa misericordia ea, quæ de salute nostra in consilio Trinitatis decreuit, constituit & ordinauit, cum rationi ignota sint, in verbo nobis patefacere. Ita quando Deo serio tribuimus iustitiam, non defendimus, non excusamus, non palliamus, non contemnimus peccata, non blandimur nobis de iustitia & virtutibus nostris: sed peccata, quæ in verbo nobis reuelantur, humiliter agnoscimus, confitemur & pœnitentiam agimus. Quando tribuimus Deo serio cordis affectu bonitatem, seu misericordiam, vera fiducia amplectimur gratiam Dei, quæ in promissione nobis offertur, atque in ea acquiescimus. Et inde sequitur gratitudo, quod Dei mandatis nos obedienter subiicimus. Neque enim cor à subiectione & obedientia Dei se subducit, quando serio agnoscit, & Deo tribuit ea, quæ sunt maiestatis diuinæ. Qui igitur cum fructu vult verbum Dei audire, ante omnia talem affectum induat, vt eo modo, sicuti iam explicatum est, iustificet Deum. Ita enim sequetur assensio, pœnitentia, fiducia, obedientia, reuerentia. Vbi vero cor à Spiritu sancto non ita est affectum, licet verbum audiatur & intelligatur: tamen non sequitur vera pœnitentia, fides & obedientia, ibi etiam nulla adest iustificatio. Ideo Lucas verba ita posuit: *Populus cum audisset, quia iustificabat Deum, ideo accepit baptismum*.

Deinde verbum iustificandi hoc loco præbet etiam illam doctrinam, quod cultus Deo gratissimus sit, verbo eius vera fide & reuerentia se subiicere. Christus enim pronunciat, hoc esse Deum iustificare, hoc est, Deo iustitiam suam vera agnitione & celebratione tribuere & asserere. Et elegans est Ambrosij sententia, quod is, qui peccauit, quando Deo peccatum suum confitetur, credens ei promittenti, & sperans gratiam ab eo, pronuncietur à Christo Deum iustificare. Vbi ergo editur confessio peccatorum, & accipitur venia eorundem, ibi iustificatur Deus. Et ex antithesi intelligitur, contrariam tali iustificationi esse blasphemiam; quando verbo eius pœnitentia, fide, & obedientia nos non subiicimus. Et hoc ideo obseruetur ex hac phrasi Christi, vt discamus agnoscere, quantum peccatum reputetur coram Deo, verbo ipsius se non subiicere.

Fidem vero, qua cor ardenti desiderio & fiducia quærit, apprehendit, & sibi applicat promissionem gratiæ in verbo Euangelij propositam, Christus peculiari phrasi describit apud Matthæum, quæ sententia etiam Luc. 16. vers. 16. repetitur: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, seu, vt Lucas inquit, *quiuis vim facit in illud*. Sensus autem simplicissime hic est. Fidem iustificantem non esse historicam tantum noticiam, non Epicuream persuasionem, non otiosam & frigidam cogitationem, sed ardentem cordis affectum, quo desiderat, quærit, apprehendit, & retinet regnum cœlorum, quod in Euangelio proponitur & offertur. Vtitur autem his vocabulis: βιάζεται, & βιασταὶ ἁρπάζουσι. Βιάζειν vulgo significat, vi adigere aut necessitate cogere inuitum. Hanc significationem Manichæorum furores hoc loco amplexi sunt, quasi conuersio & saluatio hominis fiat per violentos raptus, seu per modum coactionis, sine spontanea applicatione voluntatis, quæ Spiritu sancto operante efficiatur ad apprehensionem gratiæ. Sed hæc sententia phanatica & falsa est. Deus enim operatur, vt velimus, Phil. 2. v. 13. Et quidem hoc loco Christus ex professo describit, quàm ardenti affectu fides esuriens & sitiens iustitiam feratur ad occupandum regnum cœlorum. Neque hæc est sententia: Regnum cœlorum contra voluntatem & ordinationem Dei, per violentiam & iniustitiam, & tyrannico modo ab impœnitentibus posse inuadi & occupari; sicut sæpe regna mundi contra ius & fas per scelera inuaduntur.

Quærenda igitur est vera significatio verbi βιάζεσθαι. Et sæpe in superioribus ostensum est, sermonem Noui Testamenti, ex phrasi septuaginta interpretum, ad collationem Hebraismi omnium rectissime posse explicari. Exempla quædam hic annotari possunt. Gen. 33. v. 11. Iacob ἐβιάσατο Esau, vt acciperet munera. Ibi respondet Hebraico פצר, quod significat non semel, non obiter, non frigide Iacobum fratri obtulisse munera, sed tali instantia, vt quasi iniecta manu, & apprehensa veste vrserit, non desistens, donec acciperet. Ita Genes. 19. vers. 3. cum angeli sub persona peregrinorum in platea vellent pernoctare, Loth κατεβιάζετο αὐτούς, valde vrgebat illos, vt ad se diuerterent. Iud. 19. vers. 7. Socer arbitrum generum ἐβιάσατο, vt maneret. Ita & 4. Reg. 2. v. 16. & 5. vers. 16. verbum illud παραβιάζεσθαι vsurpatur, sicut Germanis *Nötigen*, quod non verbis semper fit, sed sæpe iniecta manu, apprehensione vestium, vt ipso gestu ostendatur verum, serium & ardens studium, Exod. 12. v. 33. Ægyptij κατεβιάζοντο populum Israel, vt celeriter exirent. Ibi respondet Hebraico חזק, quod significat quasi apprehendendo instare & vrgere, ita vt præualeat. Exod. 19. v. 24. vbi præcipitur, ne populus per septum in radice montis factum impetu quodam perrumpat & irruat ad montem, Græci dicunt, μὴ βιαζέσθωσαν (quanquam quædā exemplaria legant βιαζέσθωσαν, sed corrupte) Hebræus habet הרס quod significat impetu quodam per obstacula iis diruptis irrumpere. Luc. 16. v. 16. plane hoc modo loquitur, πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, omnis in illud vim facit, vel irruit. Prou. 16. v. 26. Græci ita reddiderunt, Vir laborans laborat sibi, ἐκβιάζεται ἑαυτοῦ τὴν ἀπώλειαν. Sententia est: homines sæpe ardentissimis animi & omnium virium contentionibus, & indefessis laboribus in ea incubuere, quæ ipsis exitio sunt, ita vt quasi vi & contentione quadam videantur exitium sectari, *Das heist zu seinem eigenen verderben rennen*.

Ex hac exemplorum collatione intelligi potest, Christum verbo βιάζεσθαι voluisse describere naturam & proprietatem fidei iustificantis, quod scilicet non sit otiosa notitia, nec frigida cogitatio, sed ardentissimus cordis affectus, qui feruenti desiderio, lucta & conatu per omnia obstacula, gemitu, petitione, & fiducia eò feratur, vt regnum cœlorum, quod verbo offertur, ita quærat, amplectatur, & retinere cogitet, sicut illi, qui violentia aliquid inuadere & occupare conantur, nullis laboribus parcunt, nullis periculis absterrentur. Ambrosius inquit: Omnis qui vim facit, vehementi studio properat, non torpendi lentescit affectu. Illa autem salutaris & Deo grata violentia, excitata fuit à Spiritu sancto per ministerium Baptistæ, prædicantis pœnitentiam & remissionem peccatorum. Seria enim agnitio peccatorum, metus & terror iræ Dei & iudicij diuini, sunt flabella Spiritus sancti, per quæ cor inflammatur, vt regnum cœlorum, hoc est, gratiam Dei, quæ verbo proponitur & offertur, non contemnat, non negligat, non frigide de eo vel cogitet, vel loquatur, sed serio & ardenti cordis affectu desideret, expetat, petat, quærat, amplectatur, & retineat. Vera igitur fides hæc est, cuius obiectum est regnum cœlorum, & forma talis

est, qualis verbo βιάζεσθαι describitur. Hilarius existimat ideo Christum ita loqui, quod regnum cœlorum vim patiatur: quia regnum illud Dei Israeli debitum à Prophetis prænunciatum, à Christo oblatum, fide gentium occupetur, qui quasi alienum locum pœnitentia & fide inuadant. Vt si regnum aliquod, exclusis filiis regni, detur occupandum extraneis, tunc vis fieri videretur ipsi regno. Ita Pharisæis, Legisperitis, & reliquis sanctulis existimabatur propter virtutes, dignitatem & merita, peculiari prærogatiua regnum cœlorum deberi. Illis vero exclusis, publicani & peccatores, quibus nullo iure aut merito regnum cœlorum debebatur, agentes pœnitentiam, quibus gehenna, non regnum cœlorum debebatur, illud sine propria dignitate & meritis, fide in Christum ita occupant & amplectuntur, vt firma fiducia de gratia Dei & spe gloriæ Dei glorientur. Ille enim vim facit, qui id, quod sibi non debetur, rapit. Hæc saniora & veriora sunt, quàm Manichæorum figmenta, quod regnum cœlorum quidam precario accipiant: quidam vero mereantur meritis operum debitorum: illos vero qui afferunt opera supererogationis, non precario accipere, nec tantum pro meritis mercari, sed violentia operum supererogationis vi ad se rapere regnum cœlorum. Sed hoc expresse pugnat cum Scriptura, quæ tradit nullum esse æquiualens precium regni cœlorum, præter vnicum solius Christi meritum. Nos vero quasi per violentiam fide, propter alienum meritum illud accipimus.

Plenum igitur veræ & salutaris doctrinæ est vocabulum βιάζεσθαι, si recte & dextre intelligatur, vt vel describat quid & qualis sit fides iustificans, vel vt ostendat, regnum cœlorum non esse stipendium aut debitum nostrorum operum & meritorum. Porro quod Matthæus dicit, *regnum cœlorum βιάζεται*, à quibusdam actiue explicatur, quod parabola Luc. 14. versic. 23. vocat compelle intrare. Nam & Luc. 16. vers. 16. βιάζεται actiue vsurpatur. Sed simplicius est, si passiue accipiatur apud Matthæum. Eius enim explicatio est, quod sequitur: *violenti rapiunt illud*. Et Luc. 16. vers. 16. *quiuis quasi per vim irrumpit in illud*. Explicatio ergo verbi βιάζεσθαι ab ipso Christo monstrata & tradita est. Postremo illa sententia Christus etiam describit, qui & quales sint iuxta externam speciem in hoc mundo, qui accipiant & qui spernunt regnum cœlorum *Pharisæi & Legisperiti* spernunt. Fuerunt autem νομικοὶ eruditione, sapientia & prudentia præstantes, à quibus responsa in difficilioribus legis Mosaicæ quæstionibus, quasi à Iureconsultis, petebantur. Pharisæi opinione sanctitatis, authoritate & potentia cæteris præstabant. Sicuti in historia Magorum c. 10. harmoniæ huius, vocabula hæc explicata sunt. Et illi fuerunt, qui tunc consilium Dei spreuerunt, & regnum cœlorum non acceperunt. *Omnis vero populus & publicani iustificauerunt Deum*, baptizati baptismo Iohannis. Et de publicanis notum est, quod fuerunt conditionis & vitæ parum probatæ, vt facta fuerit inde ἀτιμωρία eorum qui turpi vita & quasi publica infamia notati erant, Matth. 18. v. 17. Luc. 15. v. 1. Quod vero nominat omnem populum, non est sensus, omnem vulgi multitudinem accepisse Baptistæ doctrinam. Sed πᾶς ὁ λαὸς significare potest promiscuam multitudinem, vt opponatur Pharisæis & Legisperitis tanquam præstantioribus. Nam & vocabulum πᾶς in tali significatione vsurpatur. Plato de legibus: χειροτονεῖτε πᾶς πάντα. Aristoteles de mundo: Principibus nō conuenit incumbere παντὶ ἢ τῷ τυχόντι ἔργῳ. Qui igitur Baptisma Iohannis susceperunt, homines fuerunt plebei, vulgares, simplices, indocti, nulla sapientiæ, dignitatis, potentiæ vel authoritatis opinione clari, imo multi inter illos fuerunt, turpi macula vitæ quasi infamia notati. Tales describuntur primitiæ regni cœlorum in nouo Testamento. 1. Ne illa specie vel offendamur, vel magnis exemplis seducamur. 2. Ne doctrinam Euangelij, ex personarum accipientium & repudiantium siue splendore siue abiectione, æstimemus. 3. Ne quis suam abiectionem & indignitatem considerans, existimet regnum cœlorum ad se non pertinere.

Hanc partem concionis Christus ita concludit: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quando enim Christus proponit aliquid, quod vel arduum est, vel mysticum, hoc est, allegoricum vel parabolicum, & vult commonefacere auditores, opus esse attentione & singulari diligentia, vt ea, quę dicuntur, pressius considerentur, recte intelligantur, & animo infigantur; tunc vtitur hac sententia *Qui habet aures audiendi, audiat*. Itaque eo modo, sicut quidam in Psalmis סלה intelligunt. Et quia dixerat Iohannem esse Heliam, monet illud recte intelligendum esse. Hoc vero loco illud etiam significat, plerosque ita repellere regnum Dei, vt ipsi sibi oculos claudant, aures & coaggrauent, vt nec audire nec intelligere velint. Reliquos igitur, quorum aures Dominus aperuit, hortatur, ne aliorum exemplis seducti, ipsi aures diuinitus apertas, vel contumaciter obstruant, vel auertant, sed dono Spiritus sancti vtantur: & quia aures audiendi acceperunt, audiant etiam eo modo, sicut paulo ante veros auditores descripsit.

SECVNDA PERICOPES HVIVS CONCIONIS CHRISTI.

PARABOLA DE PVERIS IN FORO LVDENTIBVS, HVC ACCOMMODATA, QVOMODO SAPIENTIA DIVINA, in ministerio Baptistæ & Christi, à filiis suis iustificetur.

MATTH. 11.

16. Τίνι δὲ ὁμοιώσω τὴν γενεὰν ταύτην; ὁμοία ἐστὶ παιδίοις ἐν ἀγοραῖς καθημένοις καὶ προσφωνοῦσι τοῖς ἑταίροις αὐτῶν,
17. Καὶ λέγουσιν· ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε.
18. Ἦλθε γὰρ Ἰωάννης μήτε ἐσθίων, μήτε πίνων, καὶ λέγουσι, δαιμόνιον ἔχει.
19. Ἦλθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐσθίων καὶ πίνων, καὶ λέγουσιν· ἰδοὺ ἄνθρωπος φάγος καὶ οἰνοπότης, τελωνῶν φίλος καὶ ἁμαρτωλῶν. Καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς.

16. *Cui autem assimilabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro qui clamantes coæqualibus,*
17. *Dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis.*
18. *Venit enim Iohannes neque manducans, neque bibens: & dicunt, Dæmonium habet.*
19. *Venit filius hominis, manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filiis suis.*

LVC. 7.

31. Εἶπε δὲ ὁ κύριος· τίνι οὖν ὁμοιώσω τοὺς ἀνθρώπους τῆς γενεᾶς ταύτης; καὶ τίνι εἰσὶν ὅμοιοι;
32. Ὅμοιοί εἰσι παιδίοις τοῖς ἐν ἀγορᾷ καθημένοις, καὶ προσφωνοῦσιν ἀλλήλοις, καὶ λέγουσιν· ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκλαύσατε.
33. Ἐλήλυθε γὰρ Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς μήτε ἄρτον ἐσθίων, μήτε οἶνον πίνων, καὶ λέγετε, δαιμόνιον ἔχει.
34. Ἐλήλυθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐσθίων καὶ πίνων, καὶ λέγετε·

31. *Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis huius? & cui similes sunt?*
32. *Similes sunt pueris sedētibus in foro, & loquētibus ad inuicem, & dicentibus: Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentauimus & non plorastis.*
33. *Venit autē Iohannes Baptista neq; manducans panē, neque bibens vinum: & dicitis: Dæmoniū habet.*
34. *Venit filius hominis manducans & bibens, & di-*

ἰδοὺ

Ἰδοὺ ἄνθρωπος φάγος καὶ οἰνοπότης, τελωνῶν φίλος, καὶ ἁμαρτωλῶν.

35. Καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς πάντων.

citis: *Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum.*

35. *Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.*

HARMONIA HVIVS PERICOPES coagmentata ex Matth. 11. & Luc. 7.

c Εἶπε δὲ ὁ κύριος f τίνι οὖν ὁμοιώσω τοὺς ἀνθρώπους τῆς γενεᾶς ταύτης; c καὶ τίνι εἰσὶν ὅμοιοι; f ὅμοιοί εἰσι παιδίοις τοῖς ἐν ἀγορᾷ καθημένοις, καὶ προσφωνοῦσι a τοῖς ἑταίροις αὐτῶν, f καὶ λέγουσιν, ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε. ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, a καὶ οὐκ ἐκόψασθε, c καὶ οὐκ ἐκλαύσατε. f ἐλήλυθε γὰρ Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς, f μήτε c ἄρτον f ἐσθίων, μήτε c οἶνον f πίνων, καὶ λέγετε, δαιμόνιον ἔχει. ἐλήλυθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐσθίων, καὶ πίνων, καὶ λέγετε, ἰδοὺ ἄνθρωπος φάγος, καὶ οἰνοπότης, τελωνῶν φίλος καὶ ἁμαρτωλῶν καὶ ἐδικαιώθη σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς πάντων.

c *Ait autem Dominus:* f *Cui ergo similes dicam homines generationis huius?* c *& cui similes sunt?* f *Similes sunt pueris sedentibus in foro, ac clamantibus* a *sodalibus suis,* f *ac dicentibus: Tibia cecinimus vobis, & non saltastis. Lugubria cecinimus vobis,* a *& non planxistis, nec plorastis.* f *Venit enim Iohannes Baptista,* f *nec edens* c *panem,* f *nec bibens vinum,* f *& dicitis, Dæmonium habet. Venit filius hominis edens & bibens, & dicitis, Ecce homo edax, & vini potator, amicus publicanorum & peccatorum. Et iustificata est sapientia à filiis suis* c *omnibus.*

Exegesis huius tertiæ Pericopes.

EX illa antithesi ministerij Baptistæ & negligentiæ seu contumaciæ in magna parte auditorum, Christus sumit occasionem attexendi querelam de contemptu sui etiam ministerij. Antea enim gradus ita constituit. Baptista maior est Prophetis: Iesus vero maior est etiam ipso Baptista. Iam populus Israel non tantum olim Prophetas contempsit, Para. 36. v. 16. sed & nunc Baptistam, qui maior est Prophetis, spreuerunt: neque hic consistit impia ingratitudo, sed & ipsum Messiam, qui non tantum Prophetis, sed & ipso Baptista maior est, contemnunt, repudiant, imo damnant. Væ igitur inde minatur & denunciat, illis præcipue, apud quos & frequentiores conciones habuerat, & plurima miracula ediderat.

Vsitatum autem est in lingua Hebræa increpationes per similitudines & parabolas non tam proponere quàm exaggerare. Ita hoc loco, quia Pharisæi peculiarem eruditionis & prudentiæ laudem in eo quærebant, quod poterant speciem aliquam prætexere, quo minus amplecterentur doctrinam Baptistæ & Christi, ad deprimendum illud supercilium, Christus sumit similitudinem seu parabolam, à vulgari & ludicro spectaculo puerorum in foro ludentium, & ita perstringit, arguit & exaggerat ipsorum malitiam & contumaciam.

Veteres sentiunt, Pueriles lusus apud Iudæos singulari quadam prudentia ita institutos fuisse, vt vtiliter aliquid de moribus monerent. Pueros igitur ludentes, solitos fuisse in foro distribui in duos quasi choros: & quando vnus chorus cantabat & tripudiabat, alter lamentabilia carmina, & gestus lugubres repræsentabat. Postea vnus chorus alteri exprobrabat: Quare nobiscum non tripudiatis? Et alter: quare vos nobiscum non lugetis? Vt spectaculum illud esset commonefactio de vicissitudine fortunæ, gaudij & luctus in hac vita, imo in vna ciuitate, in vno foro, in vna platea; & quidem in vna domo, vnus gaudet, alter tristatur. Et sicut lætitiam quisque sibi retinet: ita pauci alienis calamitatibus ad commiserationem mouentur. Sed de his nihil certi affirmari potest, & frustra laboratur de nimis tenui accommodatione singulorum membrorum parabolæ.

Simplicius vero est, si ad summam parabolæ & accommodationis respiciatur. Inter pueros plerunque sunt quasi ἔρανοι ludorum, & delectantur varietate. Iam enim cantant & tripudiant in suis ludis: sæpe funera & luctus repræsentant. Inueniuntur autem inter pueros quidam ita morosi, quibus nihil, quod sodales ludendum instituunt, probatur: Quando reliqui volunt tripudiare, ipsis hoc non placet: si mutato ludi genere luctus simulatur, nec illud volunt. Ita tantum impediunt & perturbant lusus pueriles. Postea oriuntur exprobrationes. Quando cantamus, non vultis saltare: quando ploramus, non vultis lugere, tantum morosi ludorum perturbatores estis: sicuti Germanice vocamus *Sauwertopff vnd Spielverderber.*

Hæc vulgaria & nota sunt in lusibus & ingeniis puerilibus. Christus igitur vt contemptores illos aliquantulum confundat, dicit, *generationem istam*, hoc est, genus illud hominum, quales erant Pharisæi & ipsorum similes, non posse rectius comparari, quàm huiusmodi morosis ludorum turbatoribus. *Baptista venit non edens panem, nec bibens vinum.* Ita enim Lucas explicat, hoc est, non vulgare, sed extraordinarium, peculiare & austerum vitæ genus coluit. *Filius hominis venit manducans & bibens*, hoc est, in externa, & communi vita nihil affectauit singulare, aut extraordinarium, sed vulgari & vsitatæ consuetudini se accommodauit. Et quia additur de amicitia cum publicanis & peccatoribus, notatur diuersitas inter Baptistam & Christum, non tantum in genere seu ratione vitæ, verum etiam in methodo, vt ita appellem, docendi. Baptista durus, rigidus, horridus & austerus fuit in arguendis peccatoribus, vt quasi implacabilis ipsorum aduersarius videretur, vt hoc modo ad pœnitentiam ipsos compelleret. Christus vero non probabat quidem, nec confirmabat peccatores in suis sceleribus: sed tamen placidius, mitius & quasi familiarius cum illis, in quibus spes aliqua resipiscentiæ apparebat, agebat, vt videretur quasi amicus esse publicanorum & peccatorum, vt ita placida & miti lenitate ipsos ad pœnitentiam inuitaret & adduceret, Rom. 2. v. 4. proposita promissione gratiæ & bonitatis Dei. Et illa diuersitas diuina moderatione, in Baptista & Christo ita instituta fuit, vt ostenderet Deus, se variis, multis, imo omnibus modis quærere conuersionem & salutem populi sui, vt quasi in varias formas se vertat, accommodans se nostræ infirmitati. Sicut inquit Iesa. 5. v. 4. Quid debui facere vineæ meæ, quod non feci? Sed tanta est humani ingenij malitia & peruersitas, quando ad naturalem deprauationem accedit petulans contumacia aduersus Spiritum sanctum, vt nec flecti, nec molliri, nec duci, nec trahi velit, imo ex ipsa hac summa φιλανθρωπίᾳ Dei sumit prætextum, quo se confirmet in obstinatione, vt de Iohanne dixerunt: *Dæmonium habet*, hoc est, quia genus ipsius vitæ excedit communem hominum morem & mensuram, calumniose prætexebant, illos, qui à dæmonibus agitantur, sæpe multa solere præter & supra communem humanæ naturæ modum facere & pati: vt ita prætextum habeant, cur non amplectantur doctrinam Baptistæ, quia de ea dubium sit, an sit ex Deo, an vero ex Diabolo. Item, quia erat rigidus, durus & quasi horridus in reprehensionibus, clamitabant ipsum quasi obsessum furore & insanire in concionibus, sicuti postea dicendum erit in verbo ἐξέστη, Marc. 3. ver. 21. In filio hominis, cum vulgare genus viuendi & placida lenitas ipsos inuitare debuisset, hoc ipsum calumniabantur: qualis scilicet esset præstantia & authoritas ipsius Doctoris, qui in communi vita nihil à vulgo differret. Placidam vero & mitem ipsius lenitatem ita interpretabantur, ac si peccatoribus blandiretur & adularetur, cum ipsi seuerioris disciplinæ cultores & exactores videri vellent: quam tamen in Baptista calumniabantur. Ita omnes vias, quibus Deus ipsorum conuersionem & salutem quærit, ipsi perturbant & peruertunt, & quidem inde sibi fabricant laqueos & prætextus impœnitentiæ & incredulitatis.

Obseruandus autem in hac parabola est locus, de illa donorum diuersitate in ministris Ecclesiæ, quæ inter Baptistam & Christum describitur: quam Deus ideo in Ecclesia ita distribuit & temperat, vt scilicet ostendat, quàm solicite nostram conuersionem & salutem quærat, multis & variis modis quasi conformans & accommodans se ad nostram infirmitatem. Et quia nec Baptista Christum nec Christus Baptistam, propter illam diuersitatem, vel contemsit vel exagitauit. Ita cogitent ministri talem donorum diuersitatem à Deo distribui & temperari, propter ædificationem Ecclesiæ, nec debere alterum propterea alterum iudicare. Sæpe enim diuersis viis ad eandem metam tenditur & peruenitur, sicut eleganter Chrysost. inquit. Sint igitur viæ illæ in ministerio διάφοροι verbo

Dei,& dirigantur ad eandem metam,& diuersitas non debet parere dissidia. Sicuti Paulus de se fatetur,se non semper eodem modo tractasse omnes auditores.2. Cor.5.v.13. Si mente excidimus,Deo:si moderate agimus,vobis. Et 1.Cor.4.ver.21. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an vero in Spiritu mansuetudinis?

Insignis etiam locus est, quomodo malitia & contumacia humani ingenij certet cum bonitate Dei, multis & variis modis inuitante nos ad pœnitentiam. Et quisque consideret, quando & quoties similitudine morosorum puerorum, omnia turbantium, *Der Spiel zu storer*,locum in nobis demus, vt cogitemus de emendatione.

Hæc autem pars concionis concluditur hac sententia: *Et iustificata est sapientia à filiis suis omnibus*: Cumque sensus videatur manifestus esse,phrasis facit obscuritatem. Verbum enim Iustificare nostris linguis quasi insolens est iuxta Hebraismi vsum. Lutheri sententia videtur simplicissima esse: צדק enim significat inter cætera etiam in genere, in iudicio aliquo de iure disceptare, vel litem decidere. Iesa.43.v.9. Producant testes suos,& iustificentur.2.Reg.15.v.4 Omnem virum,cui causa erit & iudicium, iustificabo eum. Lutherus ita reddidit: *Die VVeisheit muss sich rechtfertigen lassen*, hoc est,sicuti filij Prophetarum, doctrinam eorum, quam sciunt diuinitus comprobatam esse, sine tergiuersatione & inquisitione amplectuntur: Ita dicebant omnes homines,præcipue vero Iudæi, quibus Deus iudicia sua præ reliquis gentibus patefecit, Ps.147.v.19.vt filij,hoc est,discipuli diuinę sapientiæ,sine tergiuersatione & censoria inquisitione, doctrinæ diuinitus patefactæ se subiicere & ei acquiescere.Iam vero diuina sapientia à filiis suis iustificatur, h. e. quasi in iudicium pertrahitur, disceptatur cum ea de iure accusatur, taxatur, reprehenditur, vt in qua nunc hoc,nunc illud desideretur. Et qui debebant esse filij sapientiæ diuinæ,hoc est,obedientes discipuli illi sumunt sibi, quasi pro tribunali sedentes, ius vocis decisiuæ, vt pro libitu suo vel pro vel contra sapientiam diuinam possint pronunciare.Germanice proprie diceretur: *Muss sich meistern vnd richten lassen.* Hæc explicatio & sententiæ & contextui & phrasi,Iesa.43.ver.9.2.Reg.15.ver.4.congruit.

Bucerus sumit interpretationem inde.Sicut in hoc ipso loco verbum iustificare vsurpatur: Publicani iustificauerunt Deum. Vt sensus sit:Licet magna pars contempserit & repudiarit Euangelium:fuisse tamen sapientiam diuinam iustificatam, hoc est, vt iustam comprobatam, celebratam & susceptam ab omnibus filiis suis,qui scilicet à Deo electi & præordinati erant.

Chrysostomus ita interpretatur: *Sapientia diuina omnia* tentauit,& nihil eorum omisit,quæ ad conuersionem & salutem filiorum suorum pertinent. *Iustificata* igitur,hoc est,absoluta & excusata *est*,ita vt culpa perditionis sit penes ipsos,non penes sapientiam Dei. Significatio enim verbi Iustificare pro absoluere vsitata & nota est.

Alij ita interpretantur.Illi,qui debebant filij esse sapientiæ, licet eam noluerint accipere: tamen in conscientia conuicti, non potuerunt eam solidis argumentis improbare & refutare,& ita sapientia diuina, etiam è filiis suis, qui eam reiecerunt,iustificata est. Sicut enim vocantur filij regni, Matt.8. ver.12. Ita intelligi possunt *filij sapientiæ*, quibus tradita erant oracula Dei Rom 3.vers.2. & quibus priuatim annunciari oportebat regnum Dei. Actor.13.versic.46.

Castalion expendit præpositionem ἀπὸ, quæ apud Græcos regulariter non solet referre personam agentem. Rom.6.v.7. Qui mortuus est,iustificatus est ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, à peccato,hoc est,liberatus est à iure,siue obligatione peccati.Ita Act.13.ver. 38.ab omnibus,à quibus in lege Moysis non potuisses iustificari, in Christo omnis, qui credit, iustificatur. Ibi, iustificari ἀπὸ, non monstrat id, quod efficit nostram iustificationem: sed significat absolutionem,seu liberationem à iure & obligatione peccati.Eodem modo & hoc loco explicat præpositionem ἀπὸ.Sapientia enim ex promissione patribus facta,quasi iure quodam obligata erat Iudæis, qui ratione promissionis filij erant sapientiæ, vt illis primum annunciaretur. Sed quia filij eam repudiant, absoluta est ab illo iure seu obligatione, & libera est,vt prædicatione transferatur ad gentes Sententia vera est, & à phrasi Scripturæ non abhorret: simpliciores tamen sunt reliquæ interpretationes. Nam in sermone Euangelistarum ἀπὸ sæpe pro ὑπὸ personam agentem refert, vt Luc.17.ver.25.Oportet filium hominis multa pati & reprobari ἀπὸ γενεᾶς ταύτης.

Hæc de interpretatione huius sententiæ annotare visum est. Vtile enim est, & dignum eruditis, phrases illas, quæ scripturæ propriæ & peculiares sunt, ex fontibus diligenter considerare. Vtrunque autem requirit explicationem, & quid significet vocabulum Iustificare,& qui sint filij sapientiæ.

TERTIA PERICOPE HVIVS CONCIONIS CHRISTI.

EXPROBRATIO EX QVERELA CHRISTI, de Corazim, Bethsaida & Capernaum, Matth.11.

MATTH. 11.

20. Τότε ἤρξατο ὀνειδίζειν τὰς πόλεις, ἐν αἷς ἐγένοντο αἱ πλεῖσται δυνάμεις αὐτοῦ, ὅτι οὐ μετενόησαν.	20. *Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus,in quibus facta sunt plurima virtutes eius,quia non egissent pœnitentiam.*
21. Οὐαί σοι Χοραζίν, οὐαί σοι Βηθσαϊδά. ὅτι εἰ ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἐγένοντο αἱ δυνάμεις, αἱ γενόμεναι ἐν ὑμῖν, πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν.	21. *Va tibi Corazim, va tibi Bethsaida:quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes,qua facta sunt in vobis,olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*
22. Πλὴν λέγω ὑμῖν, Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἀνεκτότερον ἔσται ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ ὑμῖν.	22. *Veruntamen dico vobis,Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij,quàm vobis.*
23. Καὶ σὺ Καπερναοὺμ, ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ· ὅτι εἰ ἐν Σοδόμοις ἐγένοντο αἱ δυνάμεις, αἱ γενόμεναι ἐν σοὶ, ἔμειναν ἂν μέχρι τῆς σήμερον.	23. *Et tu Capernaum, nūquid vsque in cœlum exaltaberis? vsque in infernum descendes:quia si in Sodomis facta fuissent virtutes,qua facta sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem.*
24. Πλὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι γῇ Σοδόμων ἀνεκτότερον ἔσται ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ σοί.	24. *Veruntamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissius erit in die iudicij,quàm tibi.*

Exegesis huius tertiæ Pericopes.

ETsi de ratione ordinis in superioribus aliquid dictum est: vberioris tamen confirmationis ergò hic præterea quid addendum videtur. Et quidem de parabola puerorum in foro ludentium, quod eo modo, quo à nobis factum est, cum præcedentibus cohæreat, nullum est dubium. Ipsa enim continuatio contextus, in qua vterque & Matthæus & Lucas consentiunt, manifeste hoc ostendit. Hæc vero pars historiæ, quæ agit de increpatione ciuitatum quarundam, controuersa est, quo loco & ordine sit collocanda. Lucas enim c.10.v. 13. annotauit, illam factam esse tunc, cum septuaginta discipuli ad prædicandum ablegarentur. Et cum reuersi essent, addit Lucas expressam notationem temporis

temporis: eadem sc. hora Christum dixisse: *Confiteor tibi Pater* &c. vt videri posset, hanc præsentem περικοπὴν vndecimi capitis Matthæi vsque ad finem, extra ordinem per Anticipationem positam, eò referendam esse. Et illam rationem multi sequuntur. Sed hæc περικοπὴ, quoad textum, & quoad sensum, tam apte & commode cohæret cum præcedentibus, & cum sequentibus, vt sine iniuria & obscuratione sensus & doctrinæ non inde eximi, & aliò transferri posse videatur. Præbet enim occasionem dulcissimæ exclamationi Christi: Venite ad me omnes &c. & sternit pulcherrimam viam historiæ de peccatrice, Luc. 7. ver. 1. Sicuti, iuuante Domino, postea ostendemus. Probo igitur Augustini sententiam, qui existimat, eandem illam Christi concionem bis fuisse habitam: semel sicut Matthæus describit: postea vero alio tempore & alia occasione fuisse repetitam, sicuti Lucas cap. 10. ver. 13. describit. Nam & aliquando idem Euangelista idem à Christo bis vel aliquoties fuisse siue dictum siue factum narrat. Et hæc concionis repetitio diuersis annis ministerij Christi facta, non malè conuenit. 1. Quia querela de ingratitudine mundi vniuersalis & omnium temporum est. Sicuti enim Christus de ea in secundo anno ministerij sui, Matth. 11. ver. 20. conqueritur: ita in postremo anno, Luc. 10. v. 13. eandem querelam iisdem verbis repetit. 2. Hoc tempore, iuxta Matthæi descriptionem Christus contemtoribus comminatus est *væ*: postea vero & per se & per Apostolos, doctrina & miraculis ipsos adhuc ad pœnitentiam inuitauit. Postremo verò anno iuxta Lucæ annotationem, cum videret ipsos in impœnitentia perseuerare & duriores reddi, iussit discipulos aliò se vertere cum prædicatione Euangelij, istis *væ* illud, quod antea comminatus fuerat, rursus denunciat, eósque relinquit. Ea enim est consuetudo Dei, prius minis terrere, quam pœnam infligere. 3. Obseruatio huius repetitionis etiam hoc monet. Christus hoc loco illis, qui se contemserant, *væ* minatur. Ne vero Apostoli eius docentes impune contemni posse putentur, tunc cum Apostolos ad prædicandum ablegaret, repetit illud: *Terræ Sodomorum tolerabilius erit in die iudicij*, &c. Matth. 10. ver. 15. Porro vt sciamus non ad solos Apostolos, sed ad omnes ministros, qui verbum & doctrinam Christi circumferunt, pertinere, Luc. 10. v. 13. de contemtu ministerij septuaginta discipulorum, eandem exprobrationem & comminationem repetit. Illam igitur sententiam, quod eadem hæc concio diuersis temporibus repetita sit, Matth. 11. vers. 20. & Luc. 10. v. 13. sequemur. Contextui enim apte conuenit, reddit bonam sententiam, & ipsa obseruatio repetitionis multa monet, sicuti monstrauimus.

In superiori enim similitudine de morosis pueris, præcipue taxauit Scribas & Pharisæos, qui calumniis & conuitiis proscindebant doctrinam Baptistæ & Christi, alterum appellantes Dæmoniacum, alterum bibonem & publicanorum affectatorem. Capernaum vero, Bethsaida & Corazim tale nihil faciebant, sed præbebant Christo hospitium, erant concionum ipsius auditores, & miraculorum spectatores, atque hoc nomine sibi blandiebantur quasi re bene gesta, licet doctrina Christi non vterentur ad conuersionem. Sicut igitur antea de Baptistæ, ita nunc etiam de suo ministerio loquens distinguit contemtores, & non tantum manifestos calumniatores & blasphematores arguit, sed mox adiungit reprehensionem illorum etiam, qui conciones quidem audiebant & miracula spectabant, verum sine fructu & conuersione. Nominatim vero increpat Capernaum, Bethsaida, Corazim, apud quos & frequentiores conciones habuerat, & plurima miracula ediderat, cum præsertim Prophetæ prædixissent fore, vt in illis locis lux magna orietur, sicuti Matthæi 4. vers. 15. in 35. cap. huius Harmoniæ explicatum est.

Quodnam igitur peccatum fuit harum ciuitatum, propter quod ingeminatum *Væ* ipsis interminatur? Certe non erant hostes & persecutores Christi, non calumniabantur, nec blasphemabant doctrinam eius: sed præbebant ipsi hospitium, (inde enim Capernaum vocatur ipsius ciuitas. Matth. 9. v. 1.) & erant frequentes ipsius auditores. Et apparet Capernaitas gloriæ & laudi sibi hoc duxisse. Dicit enim, *Capernaum exaltatam vsque in cœlum*. Et Bethsaida patria erat quatuor Apostolorum. Cur igitur *Væ* ipsis comminatur? Respondet Christus ipse: *Quia non egerunt pœnitentiam*. Nomine autem pœnitentiæ complectitur totam conuersionem: scilicet agnitionem peccati, contritionem, reconciliationem cum Deo, fidem in Christum, & fructus dignos pœnitentia. Et diligenter obseruandum est, quod filius Dei huiusmodi etiam auditoribus horrendum *Væ* minatur. Sed quare non potius mentionem facit Nazareth, qui ipsum expulerant? Respondeo, De manifestis contemtoribus, & hostibus nulla est quæstio, an peccent, & pœnam mereantur. Sed quia homines externa specie, etiamsi absque conuersione maneant, sibi blandiuntur: illis igitur, nisi secuta fuerit correctio, expresse & nominatim Væ denunciat, ne se prætextu illo decipiant. Sententia igitur iudicij diuini est: *Væ tibi Corazim, Væ tibi Bethsaida.* Quare autem *Væ*? tamen non fuimus blasphematores, non persecutores: verbum audiuimus, miracula spectauimus? Respondet illis: *Quia non egistis pœnitentiam.* Exaggerat autem illud peccatum more Scripturæ ex collatione: *Tyri & Sidonis* flagitia, qualia in colluuie opulentorum emporiorum esse solent, ex Prophetarum concionibus, & ex publica fama, propter loci vicinitatem, notoria erant: & euersio, quæ subsecuta erat, ab omnibus prædicabatur esse pœna diuina, iuste inflicta propter atrocitatem peccatorum. Sodomæ vero immania flagitia omnes execrabantur: & in extraordinario supplicio Gen. 19. v. 24. iustitiam Dei prædicabant. Ostendit autem hoc peccatum Corazim, Bethsaidæ, & Capernaum, maius & grauius esse. Tyrus enim & Sidon non habuerunt verbum Dei. Prophetæ quidem ferme omnes de peccatis & futuris pœnis Tyri & Sidonis quædam concionati sunt: sed quasi à longe, cùm non essent in locis illis præsentes. Sodoma habuit quidem Loth arguentem & docentem: sed sine signis, in obscuro verbo. Hisce vero ciuitatibus ipse Messias filius Dei prædicabat, non obscuris parabolis, sed sicut Propheta Iesa. 9. vers. 2. inquit, Lux magna orta est eis, & viderunt talia signa, quibus vel gentiles Tyrij vel scelerati Sodomitæ ad seriam pœnitentiam (quam vsitato Veteris Testamenti symbolo de *sacco & cinere* describit) permoueri potuissent. Miraculorum autem præcipue meminit. Illa enim Messiæ propria erant: & finis illorum erat, non curiosa & otiosa admiratio, sicut à plerisque tunc fiebat, sed vt animos permouerent ad conuersionem iuxta verbum.

Et obseruetur hoc loco regula Theologica: Coram iudicio Dei non esse omnia peccata paria: Reddi autem vnum peccatum alio maius & grauius coram iudicio Dei, non præcipue ex specie & circumstantia externa. Iuxta hanc enim rationem Capernaum & Bethsaida præ Tyriis & Sodomitis, quasi angelos se reputabant. Sed illa vnica & præcipua est circumstantia, exaggerans & aggrauans peccata coram iudicio Dei, quando Deus dat verbum, & non agitur pœnitentia. Et quò clarior est lux verbi præstringens oculos: eo magis aggrauatur peccatum. Capernaitæ conceperant persuasionem de peculiari prærogatiua, non tantum coram hominibus, verum etiam coram Deo: (Hoc enim volunt verba: *Et tu Capernaum, quæ exaltata es vsque in cœlum*) quod Iesus doctrinæ & miraculorum suorum sedem, & quasi domicilium collocasset in ipsorum ciuitate. Sed quia non egerunt pœnitentiam, ex illa prærogatiua maior & grauior cumulus damnationis accedit, quo quasi pondere detrahentur & deprimentur in infernum. Hæc ratio amplificationis ab oculis carnis abscondita, diligenter notanda est. Eadem autem proportio est, & peccati, & pœnæ peccati. Tyriis igitur & Sodomitis in die iudicij remissior pœna erit; quàm impœnitentium Capernaitarum. Quod enim hoc loco vocat ἀνεκτότερον, idem est, quod Luc. 12. vers. 47. & 48. dicit: quidam serui vapulabunt multis, quidam paucis. Ostendit autem hæc sententia 1. Sicuti peccata non sunt paria: ita etiam iuxta gradus peccatorum differentiam fore grauioris & remissioris supplicij in die iudicij. 2. Ostendit Tyrios subuersos & Sodomitas in hac vita cœlesti igne absumptos, nondum defunctos esse suppliciis, quæ peccatis ipsorum debentur: sed in die iudicij expectandam ipsis adhuc sententiam æterni supplicij. 3. Etiamsi Corazim, Bethsaidæ, & Capernaum, tale nihil in hac vita accidat, sicut Tyriis & Sodomitis: non debere ipsos propterea impunitatem somniare. In die enim iudicij reddetur cuique iuxta opera sua. Quanquam quod ad Capernaum attinet: sicut exaltatio in cœlum, de præclara felicitate & gloria externa, ita & descensus in infernum, de insigni aliqua calamitate externa intelligi posset.

Hæc simplicia, vera & vtilia sunt de hac exprobratione Christi. Et non est dubium, Christum hisce comparationibus tantum voluisse ostendere magnitudinem & grauitatem huius peccati, quod humana securitas solet extenuare & contemnere. Nullo modo autem voluit curiositati nostræ irritamenta obiicere, scrutari abyssum absconditorum Dei iudiciorum. Quid scilicet Deus præuiderit facturos fuisse Tyrios & Sodomitas, si Euangelium ipsis prædicatum fuisset? Item: Sitne Deus causa peccati, qui Tyriis & Sodomitis non dedit verbum suum tanta luce, sicut Capernaitis, cum tamen præsciret ipsos acturos pœnitentiam? Item, Videantúrne Sodomitæ & Tyrij Dei potius an propria culpa perire, cum Christus affirmet ipsos acturos fuisse pœnitentiam, si vidissent talia miracula, sicut Capernaitæ? Quare etiam Deus dederit verbum suum Corazim, Bethsaidæ, Capernaum & aliorum locorum hominibus, quos præuidit non acturos pœ-

nitentiam, si tales virtutes apud ipsos factæ fuissent? Hæ quæstiones & similes, non tam curiosæ quàm impiæ sunt, & ex hoc loco nullo modo debent extrui. Christus enim comparationibus illis, quæ in Prophetarum etiam scriptis, præsertim vero de Sodomitis, Ezech. 16. vers. 49. extant, simpliciter iuxta communem morem loquendi vsus est. Tantam esse maiestatem miraculorum suorum, quæ vel Tyrios vel Sodomitas, si adhuc superstites essent, ad pœnitentiam commouere possent. Sicut Christus alibi dicit: Si omnes homines tacerent, lapides clamaturos, Luc. 19. versic. 40. Item: Deum ex lapidibus excitaturum filios Abrahæ, Matth. 3. ver. 9. Ex his figuris, nisi vulgari loquendi modo accipiantur, prodigiosæ quæstiones possent extrui. Sed regula vniuersalis est In parabolis & comparationibus, quando tenemus sensum, finem, vsum & accommodationem, in illa materia, cui adhibentur, reliqua non esse exagitanda otiosis, peregrinis & scrupulosis disputationibus. Aliàs enim multa prodigiosa & falsa ex omnibus parabolis & comparationibus extruerentur.

Augustinus nectit quidem illas quæstiones, sed præcidit verius quam soluit, inquiens: Cuius vult miseretur, non iniustitia, sed gratia: quem vult obdurat, non iniquitate, sed veritate vindictæ. Sic enim misericordia & veritas obuiant sibi, vt nec misericordia impediat veritatem, qua plectitur dignus: nec veritas misericordiam, qua liberatur indignus. Quidam dixerunt, Deum præuidisse, maiorem partem Tyri & Sodomorum non credituros, & illos, qui agerent pœnitentiam, defecturos. Noluisse igitur pœnam illorum grauiorem reddere, si dedisset ipsis verbum. Hieronymus dicit: facilis & aperta est responsio, ignorare nos iudicia Dei, & singularium eius dispensationum sacramenta nescire. Beda inquit: Quare non Tyriis, sed Capernaitis dederit Euangelium, ipsius est scire, cuius vniuersæ viæ sunt misericordia & veritas. Sed omnium optimum est, has quæstiones simpliciter omittere, & reiicere. Christus enim de illis hoc loco non loquitur, sicut ostendimus. Sunt, qui hoc loco significatum fuisse sentiunt, quod postea, Act. 21. ver. 3. & 37. vers. 3. Tyrus & Sidon scribuntur Euangelium recepisse.

Vetus interpres, πάλαι ἂν μετενόησαν, ἔμειναν ἄν, reddidit, forte egissent pœnitentiam & mansissent. Inde possibilitatem liberi arbitrij, sicut ad reiectionem, ita etiam ad conuersionem stabilire voluerunt. Valla vero ostendit ex Prisciano, Præteritum vel Aoristum Indicatiui eum particula ἂν æquipollere affirmationi vel negationi, quæ per Subiunctiuum effertur. Et hoc modo vetus interpres sæpe particulam ἂν reddidit. Matt. 12. versicul. 7. Nequaquam condemnassetis innocentes. Heb. 8. versic. 7. Si prius à culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur, Psalm. 51. versic. 18. Si sacrificium voluisses, dedissem vtique. Et recte stomachatur Valla, praue redditam esse illam sententiam, Iohan. 8. vers. 19. Si me sciretis, forsitam & Patrem meum sciretis. Rectius: vtique & patrem meum sciretis. Quia igitur affirmatiue dicit: *Mansissent vtique*, &c. ostendit pœnas corporales vel mitigari, vel auerti & tolli vera & seria pœnitentia.

Ὀνειδίζειν significat obiecto certo crimine aliquem increpare: vt, quando ei, qui accepit multa beneficia, ingratitudine exprobratur. Non enim simpliciter significat obiurgare, sed exprobrare, quod debuisset & potuisset aliter fieri. Græcis Rhetoribus opposita sunt ἐγκώμιον καὶ ὄνειδος, hoc est, oratio inuectiua. Δυνάμεις vocat miracula sua, propterea, quia in illis manifestum & illustre diuinæ potentiæ documentum & specimen reluxit.

QVARTA PERICOPE HVIVS CONCIONIS CHRISTI.

CHRISTVS GRATIAS AGIT PATRI, QVOD mysteria Euangelij, quæ sapientibus huius seculi abscondita sunt, reuelet paruulis.

MATTH. 11.

25. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν· ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις.

26. Ναὶ ὁ πατήρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου.

25. *In illo tempore respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.*

26. *Ita pater: quia sic fuit placitum ante te.*

Exegesis huius Pericopes.

Eandem plane orationem Christus in reditu Septuaginta discipulorum, Luc. 10. v. 21. repetiuit. Hoc vero loco cum præcedentibus vno quasi contextu, tàm commodè cohæret, vt si eximatur & aliò transferatur, ipsa sententia totius huius capitis ἔμφασιν suam magna ex parte amittere videatur. Cum enim multis conquestus esset, Euangelium à maiori parte, & præsertim ab illis, qui aliqua sapientiæ, virtutis, dignitatis & potentiæ opinione clari & excellentes erant, sperni. Paucos vero, & illos quidem ex vulgari quasi plebis fece, vt idiotas, pauperes, simplices, obscuros, contemptos homines: item publicanos, & notoriis flagitiis infames, illud amplecti. Cumque videret & sciret illa specie credentes turbari, & contristari, mundum vero offendi, vt minus honorifice de doctrina Euangelij sentiat, leuiuseam curet, securius contemnat & persequatur: in media querela orationem conuertit ad Patrem, ostendens illud non fieri ex imbecillitate & impotentia Euangelij, sed certa & bona Dei voluntate. Neque accipiendam hinc occasionem contemnendi Euangelium, sed potius sumendam inde materiam celebrationis Dei, & gratiarum actionis. Et ita ipsa obseruatio ordinis monet, nullum præsentius esse remedium contra illud scandalum, quam si mens cogitationes suas supra hanc tam vilem, obscuram & contemptibilem Ecclesiæ speciem, ad voluntatem & ordinationem Dei attollat, & à querelis ad beneplacitum Dei patris se conuertat. Ita enim discemus arcana eius iudicia reuerenter adorare, & in beneplacito eius cum gratiarum actione acquiescere. Nam hoc modo Christus querelam suam gratiarum actione abrumpit. Quia igitur cum præcedentibus tam commode cohæret hæc [illegible], & occasionem monstrat sequentis historiæ. Simon enim Pharisæus inde mouetur, quod Christum ad prandium vocat: & peccatrix illa oratione Christi inuitatur, quod audet ad ipsum in magna conuiuarum, qui erant Pharisæi, frequentia accedere. Luc. 7. vers. 37. Simpliciter itaque sentio, sicut Prophetæ etiam delectati fuerunt, insignes quasdam sententias iisdem verbis, aliis atque aliis temporibus & locis (vt Hierem. 23. v. 5. & 33. v. 14. Ezech. 18. ver. 23. & 33. ver. 11.) repetere: ita etiam Christum insignem hanc orationem diuersis temporibus, alia atque alia occasione iisdem verbis repetere voluisse, Matth. 11. vers. 25. & Luc. 10. vers. 21.

Sed priusquam de sententia dicamus, vocabula quædam explicanda sunt. Dicit Iesum *respondisse*, cum tamen nulla præcesserit interrogatio. Sed ea est ratio vocabuli ענה, quod sæpe vsurpatur cum verbo (*dicere*) vbi nemo manifeste quæstionem aliquam proponit. Significat autem nouam orationem superioribus aut præcedentibus attexi. Vt sit particula continuatiua (vt ita dicam) orationis præsertim vbi sermo vel paululum intermissus fuerat, vel quando noua seu alia materia subiicitur. Vt (*respondens dixit*) simpliciter significet: ad priora, superiora seu præcedentia & hoc adiunxit, siue subiecit. Non tamen simpliciter tantum est particula continuatiua, sed simul respectum ad præcedentia significat, quando scilicet prius dicta causam seu occasionem præbent, vt aliud addatur seu subiungatur, aut quando per modum occupationis ad obiectionem, quæ ex prius dictis oriri poterat, respondetur. Et huic loco singula hæc conueniunt; quod scilicet Christus post querelam illam paululum substiterit, & postea subiecerit hanc orationem: vel quod præcedens querela causam præbuerit, quod se ad patrem oratione conuertit, vt ita præoccuparet obiectionem, quam tristis illa querela mouere poterat

poterat apud auditores.

Vetus interpres reddidit: *Confiteor tibi pater.* Sicut enim Hebraicum הודה & confessionem & gratiarum actionem significat: Ita Græci interpretes vtramque significationem vno verbo ἐξομολογεῖσθαι exprimere voluerunt. Idem Latini verbo confitendi imitari conati sunt: quod tamen vtramque significationem non tam commode reddere potest, sicut Hebræis & Græcis. Huic autem loco conuenit significatio non confessionis, sed celebrationis. Significatur enim non simpliciter tacita & priuata quædam gratiarum actio, sed quæ fit expressa & sonora voce: sicuti quando in cœtu vel canuntur hymni, vel recitantur laudationes & gratiarum actiones, siue id fiat à toto cœtu, siue ab vno aliquo publice in cœtu. Et vtrumque Græco vocabulo ὁμολογεῖσθαι indicatur. ὁμολογεῖν enim insinuat id, quod commune & publicum est, & præpositio ἐκ significat illud fieri libera & sonora voce. Vocabulum igitur gratiarum actionis, non satis exprimit emphasin huius verbi: ideo Lutherus recte reddidit *preisen*. Græci enim interpretes coniungunt αἰνεῖν, εὐχαριστεῖν, & ἐξομολογεῖσθαι. 1. Par 16. ver. 4. & 23. vers. 30. & 25. v. 3. Augustinus ex ipsa re & sententia illud animaduertit, inquit enim: Quia Christus confitetur, à quo longe est omne peccatum. Est ergo confessio non solius peccatoris, sed aliquando etiam laudatoris.

Vocabulum etiam νήπιος seu *paruulus* declarandum est. Quæ enim deducuntur ab עלל, Græci reddunt νήπιος. Quæ vox Græcis eodem plane modo vsurpatur, vt scilicet referatur & ad ætatem puerilem, & ad animum, qui scilicet ingenio & moribus stultus, imprudens, imperitus est, pueriliter se gerens in negotiis. Ita Græci dicunt: νήπια εἰδώς, νήπια φρονῶν. Varinus annotat apud Græcos vsurpari, ἐπὶ τῶν μὴ βαδιζόντων γινομένους. Et hoc loco antithesis ostendit significationem. Opponitur enim *sapientibus & prudentibus*. Porro obseruandum etiam est, quod Hebræi habent aliud vocabulum פתי, quod significat simplicem, credulum, qui non est callidus aut astutus, cui facile persuadetur. Et illud Græci etiam reddiderunt νήπιος, Psalm. 114. vers. 6 Custodiens τὰ νήπια, paruulos Dominus. Illa significatio ad hunc locum pulcerrime quadrat. Talis enim requiritur in discipulis Christi simplicitas & credulitas, vt omnem rationem captiuent in obsequium fidei, 2. Cor. 10. v. 5. & contra spem in spem credant, Rom. 4. v. 18. Paulus vero piam simplicitatem, à stulta credulitate, crassa ignorantia, & puerili constantia distinguit, Eph. 4. v. 14. & 1. Cor. 14. vers. 20. Animaduerterat enim vocabulum τοῦ νηπίου deprauari & in abusum detorqueri, ad confirmandam negligentiam discendi & leuitatem in amplectendis quibusuis dogmatibus.

Sed iam ad ipsius sententiæ explicationem accedemus. Diximus autem supra obseruandam esse hanc doctrinam. Quando animus turbatur vel offenditur illa specie, quod Euangelium ab illis, qui præstantissimi in hoc mundo sunt, spernitur: qui vero illud amplectuntur, & pauci & obscuri sunt, nullum esse certius & efficacius remedium, quam si ab illa specie oculos auertamus, & à querelis animum auocemus ad iustitiam & bonitatem Dei, arcana eius iudicia reuerenter adorantes, & in beneplacito eius acquiescentes. Hoc enim Christus suo exemplo docet, qui tristem querelam gratiarum actione ad patrem conuersa, abrumpit.

Et consideretur, quare in hac oratione Patrem hoc potissimum titulo compellet (*Domine cæli & terræ*) Tales enim compellationes seu tituli Dei in scriptura non otiose ponuntur: sed semper accommodantur ad declarationem rei, de qua instituta est tractatio. Quia igitur animos auditorum subire poterant cogitationes contemtum Euangelij derogare maiestati, authoritati & omnipotentiæ eius, qui author est doctrinæ Euangelij, aut certe argumentum esse imbecillitatis & infirmitatis huius doctrinæ: (Maiestas enim & potentia Regum & Principum ex authoritate mandatorum & reuerentia subditorum æstimari solet.) Nominat ipsum *Dominum cæli & terræ*, vt ostendat, non fieri ex imbecillitate, aut impotentia Dei, quod Euangelium à sapientibus huius mundi cōtemnitur. (Posset enim efficere, vt nemo imperium verbi sui in Euangelio detrectaret.) Nec ideo fieri, quod Euangelium non sit dignum melioribus auditoribus: sed fieri illud certa voluntate & beneplacito Dei, & quidem ideo, vt laudetur gloria gratiæ ipsius. Ideo in hoc ipso casu, in quo alij partim turbabantur, partim offendebantur, ipse sonora voce incipit Deum laudare & celebrare. Sed quare? *Quia*, inquit, *abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Loquitur autem de Apocalypsi, quæ non tantum per externum ministerium foris proponitur, sed qua mens ad veram agnitionem & fidem illuminatur, Eph. 1. v. 18. Externa enim reuelatione omnibus de quibus Christus hoc loco loquitur, proponebatur. Num igitur perditione maximæ partis generis humani, quæ Euangelium non complectitur, lætatur ille, qui est Mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. vers. 5. in quo omnis spes nostra sita est, quod sit intercessor, aduocatus & propitiator noster apud Patrem, per quem accessum habemus ad ipsum? Num causam excæcationis transfert in ipsum Deum, & quidem ita, vt propterea gratias agat Patri, quod Euangelium non omnibus reuelarit, sed maiori parti absconderit? Hoc certe pugnat cum officio & affectu Mediatoris nostri erga genus humanum, & euertat pulcherrimas consolationes: Et pugnat cum ipsa scriptura, quæ affirmat Deum non velle, vt quisquam pereat, sed vt omnes ad pœnitentiam adducantur. 2. Pet. 3. vers. 9. Imo Deus ipse non simpliciter asseuerat, sed iureiurando confirmat, se nolle mortem peccatoris, sed vt cōuertatur & viuat, Ezech. 18 ver. 28. & 33. versic. 11. Interposuit ergo iusiurandum, vt per duas res immobiles, quia impossibile est Deum mentiri, fortissimum solatium habeamus, Heb. 6. vers. 18. Chrysostomus expendit illud, quod Christus aspiciens Hierosolymam nolentem agnoscere tempus visitationis suæ, non lætatur, non exultat, non ridet, sed lachrymis gemitum & dolorem suum testatur. Cyrillus ex 10. capite Lucæ colligit materiam exultationis Christo præbuisse, quod septuaginta nunciabant, se prædicatione sua multos ad fidem conuertisse. Phrasin igitur Chrysostomus iudicat interpretandam esse ex illo loco Pauli, Rom. 6. vers. 17. Gratia sit Deo, quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Vbi certe sensus non est, Paulum, ob horrenda peccata, quibus Romani ante conuersionem seruierant, Deo gratias agere: sed Paulus in eo Dei gratiam celebrat, quod illos peccatores, qui quasi mancipia fuerant vitiorum, per conuersionem, ex singulari bonitate, ad obedientiam adduxerit. Ita & Christus hanc Patris bonitatem prædicat, cum Euangelium à sapientibus & prudentibus huius sæculi superbe reijceretur, quod illud patefecerit alijs, non iuxta merita & dignitatem, sed *paruulis*, hoc est, illis, qui abiecti, contempti, & omnium minime digni erant hoc tanto thesauro. Chrysostomi igitur explicatio, gratiarum actionem Christi refert, non ad excæcationem sapientum, sed ad illuminationem paruulorum. Et monet, nos non debere offendi misera illa specie Ecclesiæ, quod sapientes non sunt, paruuli verò sunt, qui amplectuntur Euangelium; sed agnoscendum & celebrandum esse illustre illud documentum gratuitæ bonitatis Dei, quod cum sapientes abiiciant Euangelium, Deus illud non auferat, sed gratiam eius communicet illis, qui abiectissimi sunt in genere humano, & ex illis sibi colligat æternam Ecclesiam. Quod vero dicit, Patrem *abscondisse*, non intelligit, Patre volente, adiuuante, & quidem efficaciter operante, sapientes spernere, abiicere & persequi Euangelium. Sed scriptura dicit hoc abscondi, quod non reuelatur, vel indicatur. 1. Reg. 20. vers. 12. dicit Ionathan ad Dauidem: Non faciet pater meus rem, quam non reueler auri meæ; cur autem hanc rem à me absconderet? 4. Reg. 4. vers. 27. dicit Elisæus: Et Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.

Hæc sententia vera, bona & pia est. Sed tamen disertis verbis Christus dicit: *Patrem abscondisse hæc à sapientibus*, siue id dicatur celando, siue non indicando factum esse: & illud affirmat tale esse, quod ad gloriam & celebrationem Dei redundet. Quæstio igitur est, quomodo excæcatio sapientum huius sæculi illustret gloriam gratiæ Dei? Iudico autem duobus modis hanc sententiam pie intelligi posse, vt non pugnet cum analogia fidei. 1. Vt intelligatur loqui de pœna peccati. Pater enim per filium in ministerio proposuit & patefecit doctrinam Euangelij etiam Pharisæis & reliquis. Sed illi superbe spreuerunt & reiecerunt filium Dei in Euangelio. Pater igitur hanc contumeliam iuste vindicauit, tradens eos in sensum reprobum, vt habentes aures, nec audirent, nec intelligerent. Ita Deus abscondit Euangelium à sapientibus, & tamen non constituitur vel author vel approbator peccati: sed iustitia Dei celebratur in ipsa vindicta & pœna peccatorum. 2. Omnium simplicissima interpretatio potest sumi ex Paulo. In tota scilicet deprauata massa generis humani, neminem esse idoneum vel dignum cœlestibus illis thesauris, qui per Euangelium conferuntur: sed Deum ex gratuita bonitate, sine respectu meritorum aut dignitatis, Euangelij agnitione illuminare quos voluerit, idque ideo, vt laudetur gloria gratiæ suæ, Eph. 1. vers. 6. vtque illa gratia Dei eo conspectior sit, Deum non multos sapientes & nobiles secundum carnem elegisse, sed quæ stulta, infirma & contemta sunt in hoc mundo, 1. Corinth. 1. versic. 26. Et Christus hoc loco addit, sapientes & prudentes, qui erga Euangelij doctrinam ita se gerunt, sicut tunc Pharisæi, scribæ & reliqui contemtores faciebant, vel iustificantes sapientiam Dei, vel præsumentes de suis meritis & dignitate, non tantum non illustrari agnitione Euangelij, sed excæcari & indurari. Non quod sapientiam & prudentiam, quæ Dei dona sunt, per se damnet: sed

ne suis meritis & dignitati hoc tribuant; placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, vt ita confundat, & stultitiam faciat sapientiam huius mundi, & non glorietur in conspectu eius omnis caro, 1. Corinth.1. versic. 29. Num igitur Deus ex ordine sapientum neminem vult saluare? Omnibus modis illos etiam saluos cupit, vult enim omnes homines saluari & ad agnitionem veritatis peruenire, 1. Timoth.2. versicul.4. Sed modum, quomodo velit sapientes saluare, Paulus describit, 1. Corinth.3. vers.18. Si quis videtur sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. Et illud contra sapientiam huius seculi scriptura ideo tam diligenter inculcat, ne eius iudicium præferamus iudicio Spiritus sancti in Euangelio patefacto, & ideo reddamur vel contemptores vel persecutores Euangelij, sed vt ratio attollens se sapientia sua aduersus scientiam Dei, quæ ipsi stultitia videtur, destruatur & captiuetur in obsequium Christi, 2. Corint.10. versic.5. præcipue vero ne sapiens glorietur in sapientia & dignitate sua, Ierem.9. versic.23. sed vt omnes humilient se, paruuli suam infantiam agnoscant; sapientes sciant sapientiam suam coram Deo in negotio Euangelij esse stultitiam, & ita vtrinque fiant νήπιοι, quibus non ex merito vel dignitate, sed ex gratuita Dei bonitate Euangelium reueletur in hunc finem, vt celebretur gloria gratiæ Dei, Eph.1. vers.6. Et illa quidem celebratio gratiæ Dei, manifeste intelligi & animaduerti potest, quando vel paruuli, vel quidam ex sapientibus stulti facti, illustrantur agnitione Euangelij. Sed in hoc casu iudicium nobis difficile & obscurum est, quando illi, qui sapientia aut alia dignitate in hoc seculo præstant, nolunt se humiliare, rationem suam captiuare, stultescere & agnoscere suam miseriam, stultitiam in rebus spiritualibus, & indignitatem. Tunc enim Deus in ipsis edit exempla iudicij sui, quod excæcantur, vt fiant vel contemptores vel hostes Euangelij. Et hæc exempla turbant vel offendunt nos. Sed Christus affirmat, esse sonoram testificationem, quod in negotio Euangelij omnia pendeant, non ex respectu meriti, aut dignitatis, sed ex gratuita bonitate Dei, vsque adeo, vt cum ex illa bonitate OMNIBVS offeratur & proponatur Euangelium, qui illud hoc modo nolunt tanquam paruuli accipere, illis iusto iudicio abscondatur. Doctrina igitur est, quando videmus talia exempla in sapientibus huius seculi, ita accipiendum esse, quod ex antithesi sint testimonia bonitatis & gratiæ Dei, qui etiam hoc modo ostendat, quæcunque beneficia per Euangelium nobis confert, ea se non ex merito aut secundum dignitatem nostram, sed ex mera gratuita sua bonitate conferre. Si enim ea esset ratio in regno Christi, vt quo quisque in hoc seculo dignior & præstantior est, eo propiorem haberet accessum ad agnitionem Euangelij, iam non gratia indignis, sed debita merces dignitati reddi videretur. Vt igitur gratia sit gratia, & excludatur omnis gloriatio, ne vel ex prærogatiua sapientiæ putentur vocari, vel sapientia seculi aliquid conferre ad agnitionem Euangelij: Ideo quando non volunt stultescere coram Deo, hoc est, agnoscere suam indignitatem, & sapientiam carnis captiuare, iusto Dei iudicio excæcantur. Et hoc vocat Christus εὐδοκίαν coram Patre. Verbum enim εὐδοκεῖν & εὐδοκία à Græcis interpretibus ita vsurpantur, vt non simpliciter significent voluntatem, sed respondeant verbis חפץ chafak, & רצון razon, quæ significant propenso & animo peculiari beneuolentia erga aliquem affectum esse, atque ingenti amore eum circumplecti. Et idem est, quod Paulus vocat Gratiam. Vt sensus sit: in conspectu Dei, in regno Christi, solam gratiam regnum obtinere in negotio Euangelij: atque ideo paruulis reuelari Euangelium, illis vero, qui non volunt meram gratiam, sed suis meritis & dignitate nituntur, abscondi Euangelium. Atque hoc modo excæcationem ex antithesi esse testimonium εὐδοκίας Dei. Hoc modo iudico simplicissime intelligi posse, quare & quo sensu Christus dicat, in eo etiam celebrandam gratiam Dei, quando mysteria Euangelij à sapientibus absconduntur, & quomodo ibi sit testimonium εὐδοκίας Dei.

Alij hoc loco disputant: Deum, qui vt Dominus cœli & terræ omnes gentes in sua manu habet, pro suo arbitrio, sine aliqua ratione discriminis, præterire & abijcere quos velit, & rursus trahere & illuminare quos velit, & in eo elucere gratiam & bonitatem ipsius, quod non ex illis, qui præstantissimi in hoc seculo habentur, sed ex ea parte generis humani, quæ abiectissima & miserrima est, sibi colligat Ecclesiam: in reliquis vero, qui prætereuntur & abijciuntur, proponi exemplum iusti iudicij Dei, quid toti massæ fieri deberet, si non ex gratia quosdam ex illa massa saluaret. Sed sicut non omnes sapientes damnantur: ita nec omnes, qui è vulgo sunt, saluantur. Sed qui agnitione suæ indignitatis humiliantur, reuerenter se subijciunt verbo, & Christum in Euangelio amplectuntur, hi saluantur, siue sint ex primoribus, siue ex vulgi fece. Sed illud fieri in pluribus ex vulgo, in paucioribus vero ex sapientibus, Christus affirmat. Simplicius igitur & tutius esse iudico illam sententiam amplecti, quæ ædificationi vtilis est, & multas curiosas atque prophanas quæstiones præcidit. Propositum enim Christi est, docere, ne perturbemur, contristemur, vel offendamur, quando videmus eos, qui præstantissimi sunt, in hoc seculo Euangelium vel contemnere vel persequi. Nec existimemus hac ratione aliquid derogari vel dignitati Euangelij, vel gloriæ Dei. Sed discamus iudicia Dei reuereri, non scrutari vel reprehendere, sed agnoscere & celebrare gloriam gratiæ Dei, siue videamus paruulos illuminari, siue sapientes excæcari. Quando hoc propositum Christi tenemus, sufficit nobis simplex accommodatio textus, quæ vtilior est, quàm subtiles & curiosæ disputationes.

Illa vero veterum obseruatio notanda est, quod Christus, cum dixisset quibusdam Euangelium abscondi, quibusdam vero reuelari, non vlterius progreditur ad excutiendum abyssum iudiciorum diuinorum: sed inquit: *ναὶ Vater, quoniam sic fuit beneplacitum coram te.* Est autem ναὶ hoc loco particula approbantis vel acquiescentis, ac si Germanice dicas: *Recht recht du lieber Vater.* Vel si accipiatur pro particula affirmatiua, erit antithesis respiciens præiudicia mundi & rationis. Quidam enim disputant, iniustum esse, si feces vulgi eligantur, abiecta præstantissima humani generis parte. Pii etiam sæpe dubitant, an reuera res ita se habeat. Christus igitur non simpliciter pronunciat, sed peculiari particula affirmationis asseuerat bonam & iustam esse voluntatem. *Profectò pater bona est voluntas tua.* Hinc Patres extruxerunt pulcherrimas sententias. Gregorius inquit: Christus præbet exemplum humilitatis, ne temerè discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione, præsumamus: ostendens iniustum esse non posse, quod placuit iusto. Hilarius inquit, Dominus facti huius æquitatem paternæ voluntatis iudicio cõfirmat. Chrysostomus inquit, Non dicit, qua ratione sic Patri placuit: sed tantum gratias agit Patri, quod sic ei placuit. Sic & tu nunquam discutias consilia Dei, in operibus eius, quid fecerit, aut qua ratione fecerit: sed quocunque modo voluit rem suam ordinare, gratias ei agas. Sufficit tibi ad testimonium ipsa Dei natura: quia Deus sine ratione & sine iustitia nihil facit. Non enim ad discussionem suam, sed ad honorem suum creauit te: nec iudicem te esse voluit actuum suorum, sed factorẽ præceptorum. Boni enim Domini est, omnia prouidere, quæ ad vtilitatem pertinent: Boni autem serui est, fideliter operari, & non discutere Domini sui actus. Hæc Chrysostomus.

CONCLVSIO HVIVS CONCIONIS CHRISTI.

MATTH. 11.

27. Πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου, καὶ οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατήρ. οὐδὲ τὸν πατέρα τις ἐπιγινώσκει, εἰ μὴ ὁ υἱὸς, καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι.

28. Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς.

29. Ἄρατε τὸν ζυγόν μου ἐφ' ὑμᾶς, καὶ μάθετε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι πρᾶός εἰμι, καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν.

30. Ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστὸς, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστιν.

27. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit filius reuelare.*

28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos.*

29. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde; & inuenietis requiem animabus vestris.*

30. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

Exegesis huius sententiæ.

VTilis est obseruatio, quod multæ scripturæ sententiæ, aliter in certaminibus contra hæreticos vsurpantur, & rursus simplicius explicantur, quando extra certamina ex contextu sensus quæritur, qui ad simplicem doctrinam tantum accommodatur. Ita de hac vere aurea sententia varia sunt disputata. Idque potissimum factum fuit importunitate Arrianorum, qui ex hac sententia oppugnabant diuinitatem Christi. Si enim filio omnia tradita sunt à Patre: Ergo, inferebant, natura non habet, sed aliunde accepit, & per consequens, non est Deus. Hæc refutanda fuerunt Patribus. Dixerunt itaque, Christum loqui de traditione Patris, & de acceptione Filij, ne existimemus, duos esse ingenitos: sed quod Filius à Patre diuinitatem acceperit, non quod prius extiterit natura quædam creata Filij, cui postea omnia tradita fuerint à Patre, sed quod Pater gignendo tradiderit, & filius nascendo acceperit, non quædam, sed omnia, quæ Pater habet, Ioh. 16. ver. 15. Non ergo minor est Patre, sed ὁμοούσιος. Aliàs enim non omnia Pater ipsi tradidisset. Alij responderunt: Cùm in Christo, tanquam filio Dei incarnato, duæ sint naturæ, sententias Scripturæ, quæ loquuntur de traditione Patris & acceptione Filij, intelligendas esse non de diuina, sed de humana natura in Christo, quæ cum per se creatura sit, in personali vnione cum diuinitate acceperit illa omnia, quæ Scriptura humanæ naturæ in Christo præter & supra conditionem nostræ naturæ, per se consideratæ, tribuit. Hæc vera sunt & ad refutandos hæreticos necessaria.

Simplicior tamen hoc in loco est illa veterum explicatio, quæ sensum ex contextu præcedenti quærit. Duo enim dixerat: 1. Illos, qui Euangelium Christi amplectuntur, habere reuelationem & beneplacitum Patris cœlestis: qui vero illud repudiant, non illuminari à Patre cœlesti. 2. Dixerat, in solo diuino beneplacito causam esse, quod quibusdam agnitio Euangelij reuelatur, quibusdam absconditur. Alterum ergo videri poterat incertam reddere nostram electionem, vocationem & salutem. Quis enim cognouit sensum Domini? Rom. 11. v. 34. Contra alterū vero poterant excipere. Licet Euangelium Christi non amplectantur, se nihilominus habere, colere, & agnoscere Deum Patrem, Dominum cœli & terræ, atq; hoc modo posse saluari. Christus igitur ad confirmationem & declarationem præcedentium subiungit hanc sententiam: *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Et simpliciter loquitur de officio Mediatoris, eodem plane modo, sicut Baptista inquit, Ioh. 3. v. 35. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Athanasius pulcherrime solet hosce locos explicare: quod scilicet ea, quæ ad agnitionem Dei, ad salutem & vitam æternam generis humani pertinent, principio à Deo deposita fuerint apud Adamum, pro ipso & pro posteris, ad quos propagatione traducerentur. Sed ea Adamus per lapsum amisit, non pro se tantùm, sed & pro vniuersa posteritate, cui in æternum carendum fuisset amissis illis bonis, nisi filius Dei sua intercessione impetrasset restitutionem, quæ in arcano consilio Trinitatis hoc modo decreta, & postea verbo patefacta est, vt filius Dei assumeret humanam naturam, & fieret Mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. ver. 5. Et in persona huius Mediatoris Pater deposuit omnes thesauros sapientiæ & scientiæ, Col. 2. v. 3. & omnium cœlestium bonorum, ad salutem generis humani. Illum autem Mediatorem voluit Pater esse Deum & hominem, vt à Patre ipsi omnia traderentur, vtque cognata & consubstantiali carne nobis ingereretur, & ita à Patre in filium Mediatorem, Deum & hominem, & per eius carnem in nos omnia, quæ ad salutem nostram pertinent, deriuarentur. Quia vero genus humanum per peccatum à Deo auulsum, in iram Dei & pœnas condemnationis inciderat, oportuit hunc Mediatorem pati & mori, vt ita Patri pro nobis satisfaceret & promereretur, vt illa, quæ ipsi ad salutem humani generis tradita sunt, ad nos deriuari, transfundi & communicari possent. Si hoc modo hæc sententia consideretur, plena erit pulcherrimæ doctrinæ, & consolationis, *omnia tradita mihi sunt à Patre meo.* Quæ enim ad agnitionem Dei, & breuiter, quæ ad salutem generis humani pertinent, Pater habet in sua voluntate & potestate, sed illa offert, proponit & donat in solo filio Mediatore, & per ipsius manum, Iohan. 3. ver. 35. Extra hunc filium Mediatorem, frustrà hęc quæruntur, petuntur & expectantur à Patre. *Omnia* enim, inquit Mediator, *mihi à patre meo tradita sunt.* Qui habet filium, non Patrem habet, 1. Iohan. 2. vers. 23. Hoc modo præcedentia declarantur per hanc sententiam. Electio enim, vocatio, tractatio, illuminatio &c. sita sunt, non in nobis, sed in beneplacito æterni Patris. Ibi verò abyssus imperscrutabilis est iudiciorum Dei: & ita perplexa, suspensa & incerta nobis maneret notitia salutis nostræ. Christus igitur ab illa arcana voluntate Dei reuocat nos ad se, affirmans omnia, & præcipue illa, de quibus locutus fuerat, de electione scilicet, vocatione, tractione, & illuminatione, sibi à Patre tradita esse. In Christo itaque quærenda sunt, & in ipso voluntas Dei non amplius abscondita, sed reuelata & manifestata est, vt fide eam amplectamur. Ita pulcerrime cohæret hæc sententia cum præcedentibus, & valde multa complectitur. Vsus quoque late patet. Etenim potest opponi tentationibus diffidentiæ, dubitationis, desperationis, particularitatis illius quasi Deus æterno suo decreto aliquos certos homines reiecisset, & ad damnationem prædestinasset siue ordinasset. Vt semper proponamus nobis Christum affirmantem, OMNIA *sibi tradita esse à Patre.*

Neque verò Pater tradendo omnia filio, semetipsum à negotio salutis nostræ abdicauit. Ideo subdit Christus: *Nemo nouit filium, nisi Pater.* Et pulcherrime ostendit verum & pium vsum articuli de Trinitate, ne otiosas disputationes, quæ subtilitate quadam blandiuntur, consectemur: sed reuerenter consideremus, quomodo beneficia personarum in Trinitate, præcipue vero in negotio salutis nostræ, coniuncta & indiuisa teneantur de simplicissima vnitate diuinitatis.

Pater omnia, quæ ad salutem generis humani pertinent, dedit filio. Sed quando Filius illa nobis enarrat & offert in ministerio verbi, animalis homo non percipit, non agnoscit, nō amplectitur ea; idq; ideo, quia sapiētia carnis nō agnoscit Deum in sua sapientia, 1. Cor. 2. v. 14. imo est inimicitia aduersus Deum, Rom. 8. v. 7. Accedit, quod mysterium illud Euangelij absconditum est etiam principibus huius seculi, hoc est, qui in ingenio præstantissimi sunt, 1. Cor. 2. vers. 8. Ideo, quia filius Dei assumpta serui forma, exinaniuit semetipsum, Phil. 2. vers. 7. Et licet iam glorificatus, infirmitatem illam deposuit, 2. Cor. 13. ver. 4. regnum tamen ipsius in hoc mundo, inuolucris infirmitatum coopertum & absconditum est. Christus igitur affirmat: *neminem scire, quis sit Filius, nisi Pater.* Loquitur autem de tota persona, & de officio Filij Mediatoris. Quod illa persona, ita tunc exinanita, fit in forma Dei: quod omnes thesauri cœlestium bonorum, ad salutem generis humani, in illam personam collati & depositi sint: quod & quomodo ad nos deriuentur: quid accipiamus & habeamus in Christo: quomodo ab ipso gubernemur & conseruemur, nemo nouit nisi Pater. Hæc est asseueratio ipsius filij Dei. Et Pater quidem voce sua reuelat filium: sed Christus tunc, cum iam in ministerio suo aliquandiu summa fide & diligentia explicasset doctrinam de sua persona & officio, tamen affirmat: *Nemo nouit filium, nisi Pater.* Vanumne ergo & inutile est ministerium verbi, si nemo, licet ministerio verbi sonante, nouit filium, nisi Pater? Minime, inquit Christus. Antea enim sonora gratiarum actione testatus est, Patrem illam notitiam filij non sibi soli reseruare: sed hæc est εὐδοκία coram Patre meo, vt notitiam illam reuelet extra per ministerium verbi; & intus per Spiritum illuminationis. Vtrumque enim complectitur, Luc. capite decimo, versiculo vigesimosecundo; idque non secundum merita & dignitatem, sed paruulis, sicuti supra hoc explicatum est. *Pater* itaque *omnia dedit Filio.* Sed vt illa in filio vere agnoscamus, desideremus, quæramus, amplectamur, & retineamus, non est virium liberi arbitrij naturalis, sed Pater cœlestis voce Euangelij mentem illuminat, voluntatem & cor renouat, accensa fide, agnoscente & amplectente Christum. Et ne vel conspectu indignitatis nostræ turbemur, vel de particularitate disputemus, affirmat esse εὐδοκίαν, hoc est, Patrem peculiari quasi voluptate delectari, vt reuelet illa paruulis. Num verò Spiritus S. excluditur, quia dicit: *Nemo nouit filium, nisi Pater.* Nullo modo: sed illa exclusiua *Nemo* opponitur omnibus creaturis. Paulus enim, quasi interpres huius loci, ex reuelatione filij Dei inquit, 1. Cor. 2. ver. 11. Quæ Dei sunt, nemo nouit nisi Spiritus Dei, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Et quæ in cor hominis non ascenderunt, Deus nobis reuelauit per Spiritum suum. Pater igitur paruulis reuelat filium: sed per Spiritum suum. Et ministerium Spiritus est prædicatio & auditus verbi, Rom. 10. v. 17. 2. Cor. 3. v. 8. Ita omnia pulcherrime cohærent. Et quia manet quod Paulus dicit: Ex parte cognoscimus, quasi per speculum in ænigmate, 1. Cor. 13. v. 9. Manet igitur & illud, quod Christus hoc loco inquit: *Nemo nouit filium, nisi Pater:* qui tamen, quantum ad salutem sufficit, reuelat paruulis. Et merito à veteribus taxatum fuit Eunomij delirium, quasi fides tam perspicue & tam perfecte in hac vita agnoscat Patrem & filium, sicut Pater nouit filium, & filius patrem. Certe 1. Iohan. 3. v. 2. scriptum est: Cum apparuerit, tunc videbimus eum sicuti est. Vt autem reuerenter consideremus vsum doctrinæ, quod Pater & filius vnum sint: Pater in filio, filius in Patre: Addit Christus: *Neque Patrem nouit quis, nisi Filius.* Nec de sola Essentia loquitur, sed præcipue de voluntate, quid de nobis Pater statuat, quomodo erga nos affectus sit in cruce

præsertim & tentationibus, quod & quomodo nos recipiat, donet gratiam, salutem & vitam æternam, gubernet & defendat nos: hæc & similia nemo nouit nisi Filius. In illo enim, quia Pater ei omnia, ad salutem humani generis pertinentia, tradidit, & agnoscere possumus, & inquirere debemus, quæ sit voluntas Patris erga nos. Et extra Christum impossibile est agnoscere & statuere, quod & quomodo Deus sit pater noster. Est enim asseueratio filij Dei: *Nemo nouit Patrem, nisi filius*, qui est imago Patris inuisibilis. Coloss. 1. v. 15. Illam verò notitiam patris filius non absconditam in se occultat: sed eam communicat alijs. Inquit enim: *Nemo nouit Patrem, nisi filius: & cui filius voluerit reuelare.* Illi igitur cognoscunt Patrem, quibus filius reuelat & affirmat se velle reuelare. Loquitur autem & de externa reuelatione per ministerium verbi, & de interiori illuminatione per Spiritum, sicut in toto hoc textu. Pater igitur reuelat paruulis, vt agnoscant, quæ tradita sint filio. Et filius quando inde trahente Patre agnoscitur, efficax est, vt Deum agnoscamus esse Patrem nostrum, idque per Spiritum Christi, cuius ministerium est prædicatio & auditus verbi. Accepimus enim Spiritum non huius mundi, sed qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, 1. Cor. 2. v. 12. Ita agnoscere & quotidie in negotio salutis nostræ considerare debemus, quod vnus sit Deus, Pater, Filius & Spiritus sanctus, qui procurat nostram salutem, & de eo, vt illius participes fiamus, paterne solicitus est. Donat enim nobis salutem Pater: sed non sine filio: nec filius sine patre: & vterque non sine Spiritu sancto. Et pulcherrima est doctrina de causa efficiente fidei, quomodo donetur nobis agnitio Patris, Iohan. 17. versic. 3. scientia filij, Esa. 53. versic. 11. communicatio Spiritus sancti, 2. Cor. 13. versic. 13. non ex perspicacia ingenij nostri: sed operatione, efficacia, & illuminatione Patris, Filij & Spiritus sancti: & quę sint beneficia Patris, quæ Filij, quæ Spiritus sancti, in hac reuelatione: quæ tamen coniuncta & indiuisa sunt. Hæc non in otiosis disputationibus agitanda, sed in praxi articuli Iustificationis exercenda sunt: Ita enim rectissime intelligentur.

Quod autem dicit: *Cui Filius voluerit reuelare*: Non vult noxia quadam particularitate illam suam voluntatem nobis dubiam & incertam facere. Mox enim ipse disertis & pulcherrimis verbis explicat, quibus velit reuelare: *Venite ad me* OMNES. Nos verbum (*velle*) nostro modo ita intelligimus: vt si quis diues in turba pauperum aliis largiatur, alios prætereat, sine vlla ratione, tantum pro sua libidine, vt vel quibusdam ægre faciat, vel ostendat se aut non posse, aut non velle omnibus benefacere. Sed quod suprà vocauit εὐδοκίαν, nunc simpliciter *voluntatem*. Significat autem non secundum merita, aut respectu dignitatis filium reuelare notitiam patris sed ex mera gratia & beneplacito, idque cum delectatione quadam, & propensissimo affectu erga perditam genus hominum. Nam hoc modo verbum βούλεσθαι sæpe vsurpatur. Vt 2. Sam. cap. 10. versicul. 11. חפץ, quod significat complacitum habere, & cum amore ac beneuolentia amplecti, redditur per βουλόμενος. τίς ὁ βουλόμενος Ἰωάβ; quis voluit pro Ioab? id est, quis amat Ioab, & fouet partes eius Et Iesa. 53. 10. Dominus βούλεται, voluit eum conterere. Vbi etiam habetur verbum חפץ, Iac. 1. 18. βουληθεὶς, volens genuit nos verbo veritatis, hoc est, sicut Paulus loquitur, ex gratia, beneplacito & φιλανθρωπίᾳ. Consideranda est & illa Grammatica obseruatio, quòd ὃς ἐὰν non significat Manichaicam particularitatem, quasi ex omni hominum ordine Deus tantùm certum aliquem numerum elegerit, quem velit saluare: reliquos autem interitui ita destinarit, vt quicquid audiant, discant, faciant, omne id sit vanum, irritum & inefficax, siquidem eos premat aliquod arcanum & absconditum Dei decretum, quo ad damnationem sint & conditi & ab æterno ordinati. Nam Act. 2. versicul. 21. ita vsurpatur, ὃς ἐὰν, quicunque inuocauerit nomen Domini: quod postea Rom. 10. versic. 13. πᾶς ὃς ἂν, Omnis, quicunque sit; modò inuocauerit. Iohannes epist. 3. v. 5. Fideliter agis, ὃ ἐὰν ἐργάσῃ, quicquid operaris. Matth. 8. versicul. 19. Magister sequar te, ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ, quocunque sit, quò abieris. Ita Matth. 15. v. 5. & Marc. 7. v. 11. ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, quicquid illud est, quo te subleuare debebam, ad corbonam datum est. Sensus igitur hoc loco est. Licet nemo per se, ne præstantissimus quidem ingenio, possit nosse Patrem: tamen qualiscunque sit paruulus, laborans, oneratus, si filius ex gratia ea reuelarit, agnoscet Patrem: & hæc est vita æterna, Ioh. 17. versicul. 3. Quod autem velit, & quibus velit reuelare, expresse declarauit. Et contra imaginationem eiusmodi particularitatis, mox ponit vniuersalem: *Venite ad me* OMNES. Rectius itaque redderetur ᾧ ἐὰν, *Cuicunque filius*, ex beneplacito & gratia *reuelarit*. Ita enim vera sententia, quæ plena est consolationis, intelligi, & contra Manichaicas speculationes, de particularitate à Deo introducta, & in arcano ipsius consilio constituta, præmuniri possit. Et tamen opus non est, vt vniuersalem aliquam electionem omnium hominum, siue illi credant, siue non credant, sicut aliqui faciunt, introducamus. Sed potius dolendum est, dulcissimas huiusmodi sententias transformari, vt fiant laquei dubitationis & desperationis. Ex contextu igitur & ex phrasi vera sententia colligenda & defendenda est.

DVLCISSIMA INVITATIO Christi.

Venite ad me omnes, &c.

HÆc suauissima sententia ordine pulcherrimo ad præcedentia annectitur. Quia enim filio omnia tradita sunt; ita vt in ipso solo inueniatur efficacia Patris, Filij & Spiritus sancti ad salutem nostram, ideo omnes inuitat ad se, inquiens: *Venite ad me.* Ne quis enim putet Enthusiastico modò per raptus violentos sine medio, Patrem reuelare agnitionem filij, & filium per Spiritum sanctum reuelare Patrem, ostendit hoc esse medium: *Venite ad me* In Mediatore enim Dei & hominum, coniungitur Deus cum hominibus, & homines cum Deo, ad salutem ipsorum. Et ne quis existimet gratiam illam Dei in Christo, paucis tantum & certis quibusdam hominibus expositam esse, quia dixerat: *Cui voluerit filius reuelare*, quasi non erga omnes eadem beneuolentia affectus esset, vt conuertantur & viuant: ideo benigne & familiariter Omnes ad se inuitat. Et ne quis conspectu suæ indignitatis absterreatur, expresse nominat *laborantes & oneratos*. Ostendens, cum gratia Dei in Christo ad salutem omnibus sit exposita, quare non omnes eius participes fiant: quia scilicet nolint agnoscere se laborare & oneratos esse. Et simul docet, quomodo animi à Patre præparentur, vt Christum esuriant, sitiant & quærant: quid item fit ad ipsum venire, quando laborantes & onerati desideramus, quærimus & petimus, vt in Christo refocillemur. Finem horum omnium dicit esse: *Ego refocillabo vos, & inuenietis requiem animabus vestris.* Hæc si explicatione euoluantur, manifestum erit dulcissimam esse sententiam, & multa complecti. Sed sine adminiculo Grammatices, vera sententiæ Emphasis & proprietas nec deprehendi nec intelligi potest. Nominat enim laborantes *& oneratos*: atque inquit, *Venite ad me, & ego reficiam vos.* Sed quid proprie hæc sibi velint, ex Grammatica vocabulorum explicatione, & ex reipsa colligendum est.

Non simpliciter dicit, *Venite*: sed δεῦτε, quæ particula est hortātis, Græcis vsitata. δεῦτε ἄγετε, *quaeso, eia agite venite*, accedite. Sed vera Emphasis ex collatione Hebraismi rectius intelligi potest. Nam imperatiuum לך, cui etiam aliquando obsecrantis particula נא, vt Num. 23. versic. 27 δεῦρο, veni obsecro, aliquando aliud verbum additur, vt 1. Reg. 9. versic. 5. veni, eamus, reuertamur. Iud. 19. v. 13. δεῦρο καὶ ἐγγίσωμεν, Age accedamus. Græci Interpretes reddiderunt per δεῦρο & δεῦτε. Respicit autem verbum הלך proprie terminum à quo, & est verbum exhortantis, quod & quare non commorandum sit in priori loco. Et vsurpatur ferme semper, quando aliquis progressus in medium, reliquos inuitat, hortatur, obsecrat, ad aliquid suspiciendum. Vt Gen 37. v. 20. & Psalm. 82. v. 5. Est etiam iubentis & quasi permittentis, vt libere & quasi bona cum venia aliquid fiat, 4. Reg. 5. ver. 5. & 6. vers. 3. Præterea Græci, Exod. 1. v. 10. Gen. 11. versic. 3. & alibi, per δεῦτε reddiderunt verbum יהב, quod non tam imperantis est, quàm obsecrantis amice, adhortantis familiariter, compellantis, desiderantis, efflagitantis, vt suscipiatur aliquid. Singula hæc conueniunt huic sententiæ, & eam pulcerrime illustrant: quod filius Dei, Mediator, quasi voce præconis, vndique conuocet, exciet omnes ad se: vt si Germanice dicam: *Her, her zu mir etc.* Progressus in medium laborantiū & oneratorum non tam imperat, quàm familiariter ipsos compellat, amice adhortatur, obsecrat, cum desiderio quodam efflagitat, vt non maneant in illis miseriis, sed à miserrimo termino à quo, à peccato & à Diabolo, conuertant se ad illum, cui Pater omnia tradidit, quæ ad salutem ipsorum sunt necessaria. Et quod libere, non tantum bona venia, sed summa ipsius voluntate accedere liceat, particula δεῦτε ostendit. Talem dulcissimarum consolationum syluam Grammatica obseruatio vnius vocabuli suppeditat. Venitur autem & acceditur ad Christum, nunc quidem postquam assumptus est in gloria Patris, non corpore, non pedibus, sicut veteres dixerunt, sed corde seu animo, esuriendo, sitiendo iustitiam, gemendo, desiderando, quærendo petendo, credendo. Illud autem non fit sine medio, sed vbi verbum ipsius prædicatur, auditur, cogitatur, ibi ipse adest. Quando igitur à verbo ordimur, & Christum ibi quærimus, tunc Pater reuelat Filium in verbo. Ita enim Paulus inquit, Gal. 1. v. 16. Pater reuelat filium suum per me, & simul trahit, vt non externo tantum auditu, sed cordis affectu ad Christum veniamus. *Nemo enim venit ad me, nisi Pater eum traxerit.*

Et

Et quodcunque venerit ad me, non eiiciam foras, dicit ipse Christus Ioh.6.v.37.& 44.

Omnes autem sine exceptione hoc modo compellat, inuitat & hortatur. Et ne de meritis aut dignitate disputemus, nominat *laborantes & oneratos*, ostendens quomodo & quos Pater trahat ad filium, Iohann.6. vers.44. hoc est, quomodo afficiat & disponat corda eorum, quos dat filio, Iohan. 10.v. 29. quos trahit ad filium, Iohan.6. vers.44. quibus reuelat filium, Matth.11 vers.27. scilicet vt agnoscant se laborare, se oneratos esse & indigere refocillatione per filium. Quando vero hoc modo animus contractus, cor contritum, spiritus contribulatus est, fingit sibi pauida conscientia Deum aduersum, & se abiectum esse. Sed Christus pronunciat tunc Patrem operari, & in via esse nobiscum, ducendo & trahendo nos ad Filium Mediatorem, cui omnia ad salutem nostram necessaria tradita sunt, & filium obuiis vlnis nos ita venientes ad se inuitare & excipere. Iohan. enim 6. vers.37. dicit: Omnem venientem ad me non eiiciam foras. Hinc etiam intelligi potest, qui sint qui non trahantur à patre, qui non veniant ad filium, qui non refocillentur, quibus hæc mysteria absconduntur: qui scilicet non agnoscunt se laborare & oneratos esse. Manifestum igitur est, duo hæc vocabula κοπιῶντες & πεφορτισμένοι multa complecti, quæ sine Grammatica explicatione intelligi non possunt. Quæstio enim est, quid sit laborare & oneratum esse. Significat autem Græcis κόπος molestiam, defatigationem, vt ὁ πόνος ἐστὶ τοῦ κόπου αἴτιος, Labor est causa lassitudinis. Medici etiam spontaneam lassitudinem, *VV enn ein Mensch matt, müde, vnd ohnmechtig vvird*, appellant κόπον. Inde verbum κοπιάω actiue significat negotium facessere, defatigationem afferre: neutraliter vero significat, quando quis consumpto labore fessus succumbit. Ita in communi lingua Græca vocabulum illud vsurpatur: quod quidam accommodant ad illos qui in ceremoniis legalibus, magno conatu & multis molestiis, portantes onera legis, quærunt iustitiam & salutem: sed fessi succumbunt, nec possunt requiem animabus suis inuenire. Hæc sententia vera est: sed omnino plus complectitur filius Dei hac suauissima sententia. Sicut igitur hactenus sæpe dictum est, non potest rectius deprehendi vera emphasis vocabulorum noui Testamenti, quàm ex collatione Hebraismi, quæ scilicet Hebraica vocabula, quibus Græcis vocibus reddita sint, ab illis interpretibus, quorum versio Euangelistis nota & vsitata fuit, adeò, vt ad illius phrasin magnam partem suæ orationis conformarint: ita & hoc loco idem obseruare decet.

Græci igitur interpretes verbum κοπιάω vsurparunt, Deut. 25.v.18.2. Reg.17.v.2.& 23.v.10. Ios.24.v.13. Psalm. 6.v.7. Prou. 4.vers.12.& alibi, in quibus locis respondet duobus Hebraicis יגע & עמל, quorum prius significat ex labore, itinere, æstu, onere vel dolore animi, ita exhaustum esse, vt nisi aliunde accedat refocillatio, sequatur vmbra mortis, quæ & ipsa hoc vocabulo designatur, Iob.10.v.22. Alterum significat molestiam seu calamitatem, quæ ex facto aliquo oritur, vt Eccles. cap.10.versic.15. Labor stulti, laborare faciet eum. *Bringt ihm iammer vnd vnglück*. Malach.2.v.17. laborare fecistis Dominum in verbis vestris. Eccles.1.v.8. Cunctæ res κόποι, laboriosæ, Lutherus reddidit: *Es ist alles thun vol iammer vnd mühe*. Deinde κόπος Græcis interpretibus vsurpatur, quando iungitur labor & dolor, Iob.5.v 7. Psalm.89.v.10. & 106.v.12.& aliis. Et respondet ibi Hebraico און quod significat ipsam corruptionem naturæ, fructus eius & pœnas, quæ peccatum consequuntur. Significat etiam Idololatricus cultus, qui sine verbo Dei instituti, non afferunt pacem conscientiæ, sed relinquunt animos tandem in dubitatione, dolore & desperatione. Ita etiã Apostoli vtuntur hoc verbo pro cruce & calamitate, 1.Cor.4. v.12. Incertis sedib. vagamur, καὶ κοπιῶμεν ἐργαζόμενοι, & laboramus operantes propriis manibus. 1.Tim.4.v.10. κοπιῶμεν καὶ ὀνειδιζόμεθα de fatigamur & probris afficimur propter Euangelium Christi. Et κόπον παρέχειν vocant molestiam exhibere, Matt.26. v.10 Luc.18.v.5. Coniungunt κόπον καὶ μόχθον, fatigationem & ærumnas, 2.Cor.11.v.27.2.Thes.3.v.8. Et Apoc.14.vers.13. quicquid in tota hac vita accidit molestiarum & miseriarum, id vocatur κόπος. Requiescent à laboribus suis.

Hinc colligi potest, quos Christus intelligat laborantes. Primo scilicet illos, qui in ceremoniis legis, aut in traditionibus humanis, imo etiam in ipsis operibus legis, magno labore, difficultate, & molestia quærunt gratiam Dei pacem conscientiæ, salutem & vitam æternam: ita vt exhausti & defatigati non inueniant ibi requiem, sed carnificinam dubitationis & desperationis animabus suis. Intelligunt enim & agnoscunt se cum operibus suis non posse coram iudicio Dei consistere. Illos itaque hoc modo sub operibus legis siue traditionum laborantes & cum iudicio atque ira Dei luctantes, ac succumbentes, Christus amice compellat, ne vel desperent, vel in operibus suis refocillationem quærãt, sed ad se veniant, cui soli omnia, quæ ad salutem humani generis pertinent, tradita sunt. Hæc est Chrysostomi explicatio: cui etiam alterum vocabulum πεφορτισμένοι, onerati congruit. Legem enim Iesaias c.9.v.4. vocat iugum oneris. Et de traditionibus vna cum lege, Christus inquit, Matth.23.vers.4.& Luc.11.v.46.ad Pharisæos, vos oneratis homines oneribus importabilibus, vocat φορτία δυσβάστακτα. Et in quibus Pharisaicum supercilium, de persuasione propriæ iustitiæ hoc modo per legem, in ipso zelo & conatu operum, humiliatum & ita depressum est, vt succumbant, illi idonei sunt ad regnum cœlorum. Sicut Christus respondet Scribæ, Marci 12.vers.34. Non procul habes à regno Dei.

Secundo *laborantes* intelligit illos, quorum conscientia onus peccatorum, iræ Dei, & iudicij diuini agnoscit, sentit, & sub illo ita laborat & luctatur, vt corde contribulato & spiritu contrito deficiens & desperabunda circumspiciat, vbi & quomodo possit refocillari. Illos igitur compellat, illustrat, hortatur, imo obsecrat, vt ad se veniant. Et ad hanc significationem pulchre congruit vocabulum πεφορτισμένοι onerati. Nam de onere peccatorum & iræ Dei Isaias loquens cap.53.v.4.& 11. iniquitates nostras & dolores nostros ipse portabit, vtitur verbo סבל, à quo vocabulum oneris deducitur.

Tertio intelligit etiam illos, qui mole ærumnarum & difficultatibus, cum exterioribus tum interioribus, conflictantur, premuntur & vrgentur, ita vt sub illo onere laborantes & luctantes nullum exitum inuenire possint: nec tamen inde redduntur præfractarij seu contumaces, sed conscientia humiliata ita ducuntur in agnitionem peccatorum, & disputationem de voluntate Dei erga se. Illos etiam ad se amãter Christus inuitat, ne ex ærumnis & tristitia animi iudicent se à Deo abiectos, & à regno cœlorum exclusos esse, se promittit: sed illos refocillaturum, vel liberando, vel mitigando, vel si manendum sit in ærumnis, vt tamen *requiem animabus suis inueniant*. Et ad explicationem tum res ipsa, tum vocabulorum significatio præbet. Dauid enim, Psal.6. vers.7. vbi conqueritur se esse infirmum, animam esse turbatam, vultum inueteratum, inquit: Laboraui in gemitu meo, lachrymis meis stratum meum rigaui Ibi Græci interpretes vsurpant verbum ἐκοπίασα. Et verbum עמס, quod significat onera imponere, vel gestare, vsurpatur, Psal.68.v.20. Benedictus Deus, quotidie onerat nos: & tamen est Deus salutis nostræ. Et si ita accipiatur hęc sententia, pulcherrimam præbet consolationem illis, qui ob molem ærumnarum animo deiecto sunt.

Grammatica igitur vocabulorum consideratio ostendit, quam copiosa sit doctrina dulcissimæ huius sententiæ, quæ monstratis fundamentis facile explicari & euolui potest.

Consideranda autem etiam est antithesis. Hinc enim colligi potest, qui sint, qui non veniant ad Christum, qui ab illo non refocillentur, nec requiem inueniant animabus suis: & quare hoc fiat. Primo scilicet, qui persuasione propriæ iustitiæ & meriti temulenti, somniant se posse legi Dei satisfacere, nec sentiunt se sub onere legis & peccatorum succumbere. 2. Epicuræi, & quos Paulus, Eph.4. vers.19. vocat ἀπηλγηκότες qui peccata non curant, de ira Dei non cogitant: sed secure contemnunt. 3. Qui deliciis & illecebris huius mundi ita sepulti & dementati sunt, vt miseriam suam ratione peccatorum & iudicij diuini non agnoscant, nec serio cogitent de spirituali gratia Dei, & vita æterna. 4. Qui agnitione peccatorum & sensu iræ diuinæ humiliati, nolunt ad Christum venire: sed desperationi succumbunt. Discamus igitur nos examinare, & impedimenta excutere, vt Patre trahente, Filio vocante & Spiritu operante possimus venire ad illum, cui omnia ad salutem nostram necessaria tradita sunt à Patrę. Id nisi fiat, culpa damnationis hominum non in Deo, qui neminem per arcanum aliquod decretum exclusit, sed in ipsis hominibus damnatis non hærebit, qui Deo trahenti, vocanti & operanti se noluerunt obsequentes præbere. Iuxta illud Oseæ 13. vers. 9. Perditio tua ex te Israel: tantummodo autem in me salus tua.

Quis igitur fructus, quæ vtilitas, quis finis est eorum, qui filio Dei, hoc modo vocati, parent, & ad ipsum veniunt: *Ego*, inquit, *refocillabo vos*. Suauis sine dubio est consolatio: sed eius genuina sententia ex significatione vocabuli inuestiganda est. Vsurpatur autem verbum ἀναπαύειν in communi Græca lingua, quando à laboribus nos in otium recipimus, & quieti nos tradimus, vt vires defatigatas, exhaustas & deiectas foueamus & recolligamus. Ita Lucianus inquit: ἐκ κόπου μακροῦ ἀναπαυόμενος, ex magno labore, vel etiam ex magno morbo respirans. Et quia per mortem homo defungitur laboribus, difficultatibus & miseriis huius vitæ, hoc verbo finem hominis describunt: sicut exempla extant apud Herodotum. Et Suidas citat præconium Charontis esse, τίς εἰς ἀνάπαυσιν ἐκ κακῶν καὶ πραγμάτων? Quis ad requiem ex malis & negotiis? Quis in obliuionis campum? Vsurpatur etiam pro mentis tranquillitate,

sicut Varinus citat exemplum ex Libanio: ... Hæ significationes non male quadrant ad hanc sententiam.

Sed videamus etiam, quomodo Græci interpretes vt sint hoc vocabulo, vt ex fontibus Hebraismi emphasis eò rectius colligi possit. Respondet autem in plerisque locis Hebraico נוח. Et pulcherrima est obseruatio, quod pius Lamech patriarcha antediluuianus, cum existimaret filium suū fore Messiam, vocauit illum Noachū, addita hac ratione appellationis, quoniam iste consolabitur nos labore nostro, & à dolore manuum nostrarum de terra, quam maledixit Deus, Gen.5.v.29. Ibi Græci habent verbum διαναπαύσει. Et ad hunc locum Christus hac sententia manifeste alludit, *qui laboratis, venite: ἀναπαύσω vos*, ostendens se esse illum, à quo refocillationem laborantes Patriarchæ expectarunt. Exempla autem Scripturæ ostendunt, in hoc verbo considerandum esse terminum à quo, vt 2.Reg.7.v.11. & 1. Paralip.22. v.9. Dabo tibi requiem ab omnib. inimicis tuis. Gen.5.v.29. à labore & dolore. Eccl.10.v.4. opponitur dolori, & afflictioni Spiritus. Esther 9.v.17. dies ἀναπαύσεως vocatur, quem Iudæi ab insidiis Hamani, & à sententia mortis liberati celebrant. Rhuth 1. v.9. inuenire requiem: & Rhuth 3.v.1. quærere requiem, vt bene sit tibi. Psalm.23.v.2. ad aquas refrigerij deducet me. Porro 1.Reg. 16.v.21. vbi Saul exagitatur à Spiritu malo, Græci habent verbum ἀναψύχειν pro Hebraico רוח *vvenns gut oder besser mit einem vvirdt*. Iob.10.v.20. Dimitte me, vt refrigerer paululum, antequam moriar. Græci habent verbum ἀναπαύσασθαι pro Hebraico בלג refrigerare. Eandem verò sententiam, Psal.38.v.14. Græci reddiderunt per verbum ἀναψυχῶ. vnde Act.3.v.19. Petrus aduentum Christi ad iudicium vocat tempora ἀναψύξεως refrigerij. Ita & Apostoli hoc vocabulo vtuntur, Matth.12.v. 43. & Luc.11.v.24. Satanas expulsus quærit ἀνάπαυσιν, requiem, *Da er seine lust vnd freudt habe*. 1.Corint.16.v.18. ἀνέπαυσαν recrearunt spiritum meum. Apoc.14 v.13. Requiescant à laborib. suis. Luc.12.v.19. diues dicit animæ suæ ἀναπαύου, *habe gute tage*, ede, bibe.

Hæc collatio exemplorum multum lucis addit huic sententiæ, quid filius Dei intelligi velit, quando promittit se refocillaturum venientes ad se. In hac enim vita ab æstu miseriarum, peccatorum & iræ Dei præbet refrigerium animabus per fidem, iuxta dictum Pauli, Rom.5. v.1. Iustificati fide pacem habemus cum Deo. Deinde in altera vita ab omnibus miseriis liberatos, in vera & perpetua quiete, lætitia, gaudio & gloria nos constituet. Neque enim, sicut Gentes somniarunt, mors per se est ἀνάπαυσις. In impiis enim est initium æterni cruciatus, Luc.16.v.23. Vnde Apocalyp.14.v.11. de damnatis dicitur, quod ἀνάπαυσιν, requiem non habeant, nec die, nec nocte. Sed in Christo, iis qui in ipsum credunt, mors est somnus, quies & refocillatio. Vocat autem ἀνάπαυσιν animarum, ne externas, corporales & tēporales voluptates in Christo in hac vita quæramus. Hæc doctrina ex collatione exemplorum illustrari & amplificari potest. Sed nobis sufficit fundamenta monstrasse.

Sequentem sententiam *de tollendo iugo Christi*, cum præcedentibus cohærere non est dubium. Sed de sententia non conuenit inter interpretes: idque inde fit, quia vocabulum iugi alia atque alia significatione exponi & accipi potest. Primo enim si accipiatur pro doctrina, vt respondeat antithesi de iugo legis, Ies.9.v.4 & Act. 15. v.10. sensus erit: Hactenus intolerabili iugo legis onerati fuistis: quod tamen non potuit requiem animabus vestris afferre. *Meum igitur iugum suscipite*: hoc est, meam doctrinam, quæ est Euangelij, amplectimini, cuius summa est, vt discatis quod sim mitis, & humilis corde, qui laborantes & oneratos non auersor aut reiicio, sed amplector & recipio. Ita *inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum* non est vt legis, Ies.9.vers.4. Actor.15.v.10. & Matth. 23.v.4. δυσβάστακτον, portatu difficile & graue: sed *suaue, & onus meum leue*. Hoc modo commode cohæret tota sententia: vt sit antithesis inter legem factorum & legem fidei, sicut Paulus loquitur. Nominat autem *iugum*, quia vocabulis laborantium & oneratorum respicit ad locum Ies.9.vers.4. de iugo oneris, hoc est, de lege. Et 2.Corinth.6.v.14. dicit Paulus iugum cum infidelibus ducere eos, qui externa communione diuersis religionibus se accommodant.

Secundo vocantur viri Belial, id est, absque iugo, qui nolunt iugo mandatorum Dei coerceri: sed sine disciplina carnis libertatem affectant. Ne igitur liberationem à iugo oneris legalis credentes ita accipiant, quasi iam liberum sit pro libidine carnis quiduis agere. Mox mentionem facit iugi, quod dicit esse *suum iugum*. Nam sicut Paulus dicit Ephes. cap. 4. vers.20. in Christo edocti estis deponere veterem hominem, & induere nouum. Et 1.Cor.9.v.21. pulcerrime dicit: Non sum ἄνομος, sed ἔννομος, sub lex Christo. Subiicit autem suum exemplum: *Discite à me, &c.* Nam sicut scriptum est, Heb.5. vers.8. cum esset filius Dei: tamen ex iis quæ passus est didicit obedientiam. Phil.2.ver.5. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, humiliauit semetipsum, factus obediens Patri, &c. Et hoc suum iugum dicit esse *leue*, sicut Iohannes dicit: Mandata Dei non esse grauia, 1.Ioh.5.v. 3. Credentes enim ambulant in bonis operibus, non iuxta rigorem legalem, vt vel perfecta obedientia legis acquirant salutem, vel si quid desit damnentur: iuxta sententiam: Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, Gal.3.vers.10. quia, qui non in omnibus permanserit quæ scripta sunt, maledictus erit, Deuter. 27.v.26. sed gratiam Dei, hoc est, liberationem à maledicto legis, & salutem iam habent in Christo, per fidem, ideo obedientia per Spiritum inchoata placet propter Christum: & si quid vel non fit, vel minus fit, ignoscitur. Ita *onus est leue*: & quia Spiritus renouat corda credentium, vt delectentur lege Dei, Psalm. 1. vers. 2. iuxta interiorem hominem, Rom.7.v.22. ideo *iugum suaue* vocatur.

Ita doctrina de noua obedientia renatorum recte potest accommodari ad hanc sententiam. Nec obstat quod dicit: *& inuenietis requiem animabus vestris*. Denarius enim, Matth.20. ver.8. datur non male agentibus, nec nihil agentibus, si ita sine conuersione perseuerent, sed portantibus onus & æstum diei. Non autem propter opera, sed ex gratia, propter Christum, fide accipientibus. Quæ fides si vera est, per charitatem est efficax, Gal.5.v.6. tollens super se iugum Christi.

Tertiò, omnium verò simplicissima sententia videtur, quæ & ad contextum & ad Grammaticam commodissime quadrat, si de iugo crucis intelligatur. Illud enim vsitatissimum est in scriptura, quod iugum de cruce, disciplina, & castigatione seueriori, qua homines coercentur & cohibentur, vsurpatur. Quia igitur dixerat: *Venite ad me, & Ego refocillabo vos*: Mox attexit admonitionem de cruce, ne carnalem refocillationem imaginentur, sed illis, quos refocillandos suscepit, opus esse in hac vita iugo, quo malitia & petulantia carnis reprimatur, coerceatur & cohibeatur. Inuenimus igitur in Christo, non voluptates & delitias carnis, sed requiem animabus nostris. Propter carnem verò inquit: *Tollite iugum super vos*. Sicut alibi inquit: Qui vult me sequi, tollat crucem suam, Matt. 16.ver.24. Non ergo mirum, alienum aut peregrinum nobis videatur, si quærentes fide in Christo requiem, cruci in hac vita & calamitatibus subiiciamur. Dicit enim, ita *vos reficiam*, vt memineritis portandum vobis esse iugum meum. Ne verò illud nos offendat, vocat suum iugum, & *addit rationem*: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, hoc est, à Christi exemplo nobis discendum est, quod pater filios suos in hac vita nō velit esse sine cruce. Et cur obmurmuremus Deo, cum videamus exemplum eius, qui est natura & vnigenitus filius? Hinc 1.Pet.2.ver.21. In hoc vocati estis: quia & Christus passus est, relinquens nobis exemplum, vt vestigia eius sequamur. Rom. 8.v. 29. Quos præsciuit, hos & prædestinauit, conformes fieri imagini filij sui.

Nec vero hoc tantum ex Christi exemplo discendum est, quod crux sit ferenda: sed præcipue quomodo recte sit ferenda. *Discite*, inquit, *a me, quoniam sum humilis corde*, hoc est, humiliauit se, factus obediens Patri, Phil.2.v.8. & Heb.5.v.8 ex iis, quæ passus est, didicit obedientiam. Vt autem eo patientius crucem feramus, duo dicit: 1. *Onus meum est leue*, hoc est, 1. Cor. 10.v.13. fidelis est Deus, qui non finit nos tentari vltra quàm possumus ferre. 2.Cor.4.v.17. Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, operatur æternum pondus gloriæ. 1 Pet.1.ver.6. Modicum nunc, si ita opus est, contristari. 2. Dicit, *iugum meum suaue est*. Spiritu enim mentes consolatur, sustentat & confirmat, vt patientiam & obedientiam Deo præstare possint. Imò Paulus inquit, Coloss.1. v.24. gaudeo in passionibus, & Rom.5.v.2. gloriamur in afflictionibus, in spe gloriæ filiorum Dei. Hæc plena sunt multiplicis doctrinæ & consolationis. Nos, instituti præsentis rationem habentes, tantum summa capita notamus. Vocatur ergo *iugū Christi*. 1. Quia ipse pro bona sua voluntate suis illud imponit. 2. Quia ipsius exemplo illud portamus. 3. Vt discrimen notetur inter flagella impiorum, & crucem credentium. 4. Quia ipse iugum illud suo corpore sanctificauit. 5. Quia gratia sua moderatur illud, vt sit leue, spiritu suo adest, vt sit suaue: & est Pōtifex fidelis & misericors, qui potest compati, iisque qui tentantur, auxiliari, Heb.2.v.17.

Vanane igitur est promissio facta credentibus: *Et ego refocillabo vos*? Nequaquam, inquit Christus. *Inuenietis* enim *requiem animabus vestris*, hoc est, corpus quidem moritur propter peccatum, spiritus autem viuit propter iustitiam, Rom.8.vers.10. In interitum carnis, vt Spiritus saluus sit in die Christi, 1. Corinth. 5. vers. 5. qui foris est homo corrumpitur, qui verò intus est, renouatur de die in diem, 2.Corinth.4.vers.16. vel, licet caro prematur iugo crucis: conscientia tamen erit tranquilla & pacata, cùm fide certa sit de voluntate Dei. In medio igitur

igitur crucis promittit animæ requiem. Nec vero refrigerium illud animarum vel incertum redditur, vel amittitur, inter turbationibus illis crucis, sed illa est via, qua possessionem requiei, quam nunc fide tenemus, reipsa adituri, & Christo in ipsius vestigiis ducimur. Promissio enim est: *& inuenietis requiem animabus vestris.*

Hæc sententia, vt spero, etiam aliis videbitur simplicissima, quæ & cum contextu & cum significatione vocabulorum cõgruit: & plena est multiplicis doctrinæ & consolationis.

Porro restant adhuc vocabula quædam in hac sententia explicanda. De quibus breuiter aliquid adiiciemus. πρᾶος in lingua Græca significat lenem, mansuetum, humanum, clementem, placidum: & est nomen virtutis. Hæc significatio conuenit ad primam & secundam explicationem. Græci verò interpretes vocabulum עני, quod significat afflictum, sæpe etiam reddiderunt πρᾶος, vt Psalm. 36. v. 11. Zachar. 9. v. 9. & alibi. Aduersa enim hominem mansuetum reddunt, & in malis vera mansuetudo conspicitur & probatur. Inde πρᾶος etiam Græcis dicitur, qui moderate potest ferre aduersa. Et hæc significatio ad tertiam sententiam conuenit: quasi dicat: Ego sum Rex ille afflictus, Zachar. 9. versic. 9. Quid autem sit, quòd se nominat *humilem corde*, ex locis suprà citatis intelligi potest, Philip. 2. v. 8. & Heb. 5. v. 8.

Iugum suum vocat χρηστὸν, quod vocabulum apud septuaginta semper respondet טוב significans id, quod bonum, suaue, iucundum, gratum & vtile est, *darmit man vvol zu frieden, vnd guter ding darbey ist.* Inde vetus interpres reddidit *iugum suaue.* Qui vero caro aliter iudicat de cruce, Erasmus putauit rectius reddi *commodum iugum*, quam suaue. Nam Græcis χρηστὸς idem significat quod χρήσιμος, vtilis, fructuosus, vel, quod in vsu bonum & facile est. Opponitur etiam nimis rigido, seuero, aspero & duro, Rom. 11. ver. 22. Et hæc significatio congruit cum dicto Pauli, 1. Cor. 10. v. 13. Fidelis est Deus, &c.

Onus meum ἐλαφρόν. A leuitate & agilitate ceruorum nomen habet. Illud verò huic sententiæ pulchre conuenit, quod dicunt significari κοῦφον & ἀβάρητον, quod sine difficultate portari potest. Et est antithesis eius, quod Matth. 23. v. 3. vocantur δυσβάστακτα, & Act. 15. ver. 10. quæ non potuerint portari. Ita ex antithesi sumatur declaratio. Lex est iugũ onerosum, Iesa. 9. v. 4. *Christus* vero *iugum suum vocat* χρηστόν. Onera legis sunt importabilia, Matt. 23. v. 3. *Christus onus suum vocat* ἐλαφρόν.

Hæc de vocabulis in tota illa sententia Christi copiosius aliquanto annotanda duximus. Monstrant enim vera fundamenta doctrinæ, quæ deinde facile potest latius explicari, cognitis Grammaticis fundamentis. Et quid iucundius est quàm genuinam significatio nem vocabulorum rectè intelligere, præsertim in illis dulcissimis filij Dei sententiis? Ita enim solide possunt, cum ad doctrinam, tum ad consolationem accomodari. Animaduerterunt hoc Patres, ideo dulcissimas inde collegerunt sententias. Chrysostomus: Non dixit: venite ille & ille, sed OMNES, qui in tristitiis, qui in peccatis estis: non vt expetam noxas: non, quoniam indigeo vestra gloria: sed quia volo vestram salutem. Nec solum exonerabo, sed quod multo amplius est, ἀναπαύσω, id est, in omni quiete vos constituam. Bernardus: Mundus clamat, Ego deficiam: caro clamat, Ego interficiam: Christus clamat, Ego reficiam. Ad quem ibis? Chrysostomus inquit: O gratissimum põdus, quod magis confortat portantes. Nam onus terrestrium dominorum atterit paulatim ministrãtium vires: onus autem Christi magis adiuuat baiulantem, quia non nos portamus gratiam, sed gratia nos. Ambrosius. Non dixit: Discite à me, quia potens sum, nec, quia gloriosus sum: sed discite, quia humilis, quod potestis imitari. Augustinus. Discite à me, inquit, non mundum fabricare, non in ipso mundo miracula facere: sed quia mitis sum & humilis corde. Magnus esse vis, in minimo incipe. Cassiodorus. Tanta fuit in sancta incarnatione humilitas, quanta est in diuinitate incomprehensibilis maiestas. Consimilia dicta plura, ex hac Christi sententia desumpta, diligens lector ipse ex scriptis patrum colligere potest.

CAPVT LVII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DE CONVERSIONE ET ABSOLVtione peccatricis: Et de Simone Pharisæo. Luc. 7. v. 36.

RATIO ORDINIS.

VEteres varie disputarunt de Vnctricibus, quarum historiæ describuntur, Luc. 7. v. 36. & Iohan. 12. v. 3. & Matth. 26. v. 7. Quidam enim ordine plane perturbato ex tribus illis historiis vnam fecerunt: & ideo Simonem Pharisæum, Luc. 7. v. 40. finxerunt esse Simonem leprosum, Matth. 26. v. 6. Sed circumstantiæ manifeste indicant, tres esse distinctas historias, diuersis locis & temporibus factas: Sicuti Iacobus Faber Stapulensis ex sententia Origenis erudite ostendit, in libello de tribus Mariis, seu Vnctricibus.

Hæc vero historia de vnctione Peccatricis, habet manifestam ordinis rationem. Nam Matthæus quidem, post legationem Baptistæ, & concionem Christi ad turbas habitam, cap. 11. vers. 1. commemorat, de euulsis spicis Sabbato, & de Sanata manu arida. Quæ vel ipso Osiandro teste, longe ante facta fuerant, & in hoc capite à Matthæo extra suum locum per recapitulationem descripta sunt: sicuti suprà Cap. 47. 48. & 49. harmoniæ huius, ex veris fundamentis demonstratum est. Post illa describit Matthæus historiam de sanato Dæmoniaco cæco & muto, & disputationem prolixam ex illo miracula ortam. Et sane hæc paulo post secuta esse nullum est dubium: videndum tamen, num ista continuo post superiora collocanda sint in harmonia, an vero ex aliis Euangelistis nonnulla inserenda, quæ Matthæus prætermisit. Quia ergò Lucas solus, post concionem illam statim annectit historiam de Peccatrice, absque quidem certa notatione temporis & loci, sed tamen ita, vt apud reliquos Euangelistas nihil extet, quod inseri vel præmitti possit, commode proximum locum post superiora in Harmonia habet historia illa, de peccatrice conuersa & in gratiam recepta: ita vt meritò præmittatur iis, quæ Matthæus de Dæmoniaco commemorat. Hæc ipsa autem consideratio ordinis etiam aliquid lucis affert doctrinæ. Etenim Lucas initio capitis 8. v. 1. vtitur aduerbio καθεξῆς, quod continuatam seriem ordinis significat. Ante illa igitur, quæ c. 8. describuntur, certè facta est historia huius vnctionis, & secuta est postea, quæ post legationem Baptistæ descripta leguntur. Quibus si inseratur δεῦτε πάντες, quæ in fine 11. cap. Matthæi habetur (sicut à nobis factum est) ordine pulcherrimo hæc historia sequitur. Christus enim additis seuerissimis comminationibus obiurgauerat illos, à quibus cum Euangelio suo nec curabatur, nec recipiebatur: amanter autem ad se inuitauerat OMNES laborãtes & oneratos, proposita promissione refocillationis. Simon igitur Pharisæus, quia non erat manifestus aduersarius Christi, & doctrinæ ipsius, nec volebat videri socius illorum, quos Christus seueriori obiurgatione notauerat, mox finita concione inuitat ipsum. Christum enim semper fere in suo comitatu etiam Pharisæos vel auditores vel obseruatores habuisse, vndique ex historia Euangelica constat. Vicissim autem etiam peccatrix infamis, ex suauissima Christi inuitatione hãc concepit fiduciam, se ab ipso non reiectum iri. Quapropter ipsa, peccatorum onere pressa ad eum in medium conuiuium irrumpit, quæsitura peccatorum suorum solutionem. Vtriusque igitur ad Christum venientibus, cùm quidem Pharisæus disciplina legis ornatus Christum magnifice ad se inuitaret, peccatrix vero publica infamia notata humiliter & quasi timide à tergo ad ipsum accederet, Simon existimabat, se multis nominibus Christo acceptiorem esse: peccatricem vero indignam esse, à qua Messias contingatur, & ideo miratur, quod vel ad contactum ipsius admittatur. Sed Christus longe diuersum pronunciat, & ipso facto ostendit, eos sibi omnium esse gratissimos, qui ita ad se veniant, vt ipsi suam indignitatem ex humili corde agnoscant, omnem autem suam fiduciam non in se, sed in sola bonitate Christi collocatam habeant. Hæc obseruatio de ordine multa vtiliter monet. Cùm scilicet maior pars in genere humano oderit, blasphemet, persequatur, vel certè non curet Christum

& Euangelium ipsius: quod inter illos etiam, qui externa specie & professione ad Christum venire, imo ipsum manifeste ad se inuitare videntur, multi nec serio, nec vere nec recte illud agant, ac propterea ab ipso non recipiantur. Ostenditur etiam quomodo ad Christum venire & accedere debeant, qui volunt ipsi grati esse & ab eo recipi. Docetur praeterea, diuersum esse de hac re iudicium rationis, imo ipsius legis diuinæ, ab illo, quod filius Dei in Euangelio patefecit. Sed præstat singulas circumstantias & totam descriptionem historiæ expendere, atque ita capita doctrinæ colligere, quæ tamen ipsa consideratio obseruatione ordinis non parum iuuabitur.

HISTORIA DE PECCATRICE VNGENTE, & de Simone Pharisæo.

LVC. 7.

36. Ἠρώτα δέ τις αὐτὸν τῶν Φαρισαίων, ἵνα φάγῃ μετ' αὐτοῦ· καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ φαρισαίου, ἀνεκλίθη.	36. *Rogabat autem illum quidam de Pharisæis, vt manducaret cum illo: Et ingressus domum Pharisæi, discubuit.*
37. καὶ ἰδοὺ γυνὴ ἐν τῇ πόλει, ἥτις ἦν ἁμαρτωλὸς, ἐπιγνοῦσα ὅτι ἀνάκειται ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ φαρισαίου, κομίσασα ἀλάβαστρον μύρου.	37. *Et ecce mulier, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti.*
38. Καὶ στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω, κλαίουσα, ἤρξατο βρέχειν τοὺς πόδας αὐτοῦ τοῖς δάκρυσι, καὶ ταῖς θριξὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμασσε, καὶ κατεφίλει τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ ἤλειφε τῷ μύρῳ.	38. *Stansque ad pedes eius à tergo flens, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.*
39. Ἰδὼν δὲ ὁ φαρισαῖος ὁ καλέσας αὐτὸν, εἶπεν ἐν ἑαυτῷ, λέγων· οὗτος εἰ ἦν προφήτης, ἐγίνωσκεν ἂν τίς καὶ ποταπὴ ἡ γυνὴ, ἥτις ἅπτεται αὐτοῦ, ὅτι ἁμαρτωλός ἐστι.	39. *Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit ipsum, quid peccatrix est.*
40. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπε πρὸς αὐτόν. Σίμων, ἔχω σοί τι εἰπεῖν· ὁ δὲ φησὶ, διδάσκαλε εἰπέ.	40. *Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo quiddam, quod tibi dicam. At ille ait: Magister dic.*
41. Δύο χρεωφειλέται ἦσαν δανειστῇ τινὶ, ὁ εἷς ὤφειλε δηνάρια πεντακόσια, ὁ δὲ ἕτερος πεντήκοντα.	41. *Duo debitores erant cuidam creditori, vnus debebat denarios quingentos, & alter quinquaginta.*
42. Μὴ ἐχόντων δὲ αὐτῶν ἀποδοῦναι, ἀμφοτέροις ἐχαρίσατο. τίς οὖν αὐτῶν, εἰπὲ, πλεῖον αὐτὸν ἀγαπήσει;	42. *Cùm autem illi non essent soluendo, condonauit vtrisque. Horum igitur, dic, vter eum plus diliget?*
43. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Σίμων εἶπεν· ὑπολαμβάνω, ὅτι ᾧ τὸ πλεῖον ἐχαρίσατο. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, ὀρθῶς ἔκρινας.	43. *Respondens Simon dixit: Existimo, quòd is cui plus condonauit. At ille dixit ei, Rectè iudicasti.*
44. Καὶ στραφεὶς πρὸς τὴν γυναῖκα, τῷ Σίμωνι ἔφη· βλέπεις ταύτην τὴν γυναῖκα; εἰσῆλθόν σου εἰς τὴν οἰκίαν, ὕδωρ ἐπὶ τοὺς πόδας μου οὐκ ἔδωκας· αὕτη δὲ τοῖς δάκρυσιν ἔβρεξέ μου τοὺς πόδας, καὶ ταῖς θριξὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμαξε.	44. *Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis sui extersit.*
45. Φίλημά μοι οὐκ ἔδωκας, αὕτη δὲ ἀφ' ἧς εἰσῆλθον, οὐ διέλιπε καταφιλοῦσά μου τοὺς πόδας.	45. *Osculum mihi non dedisti, hæc autem, ex quo intraui, non cessauit deosculari pedes meos.*
46. Ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου οὐκ ἤλειψας, αὕτη δὲ μύρῳ ἤλειψέ μου τοὺς πόδας.	46. *Oleo caput meum non inunxisti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos.*
47. Οὗ χάριν λέγω σοι· ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαὶ, ὅτι ἠγάπησε πολύ. ᾧ δὲ ὀλίγον ἀφίεται, ὀλίγον ἀγαπᾷ.	47. *Propter quod dico tibi: Remittuntur peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus remittitur, is minus diligit.*
48. Εἶπε δὲ αὐτῇ, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι.	48. *Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.*
49. Καὶ ἤρξαντο οἱ συνανακείμενοι λέγειν ἐν ἑαυτοῖς: τίς οὗτός ἐστιν, ὃς καὶ ἁμαρτίας ἀφίησιν;	49. *Et cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata remittit?*
50. Εἶπε δὲ πρὸς τὴν γυναῖκα· ἡ πίστις σου σέσωκέ σε, πορεύου εἰς εἰρήνην.	50. *Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: vade cum pace.*

Periocha huius historiæ.

HAnc historiam solus Euangelista Lucas annotauit: quo nomine ipsi à Christianis magnæ debentur gratiæ. Multis enim insignibus historiis & doctrinis in Euangelica historia destitueremur, nisi Lucas peculiari diligentia non pauca scriptis mandasset, quæ reliqui omiserant. Sicuti Irenæus martyr lib. 3. aduersus hæreses c. 14. illa singula ordine enumerat. Cùm igitur ipse tali diligentia nobis inseruire voluerit, decet nos consimili scrutari, quid diuinorum mysteriorum in huiusmodi historiis reconditum sit.

Et primùm quidem in hac historia obseruandum venit, quomodo describatur pœnitentiæ seu conuersio peccatricis. Præbet enim illustre Exemplum, quomodo, qui peccatis onerati sunt, ad Christum venire possint & debeant, vt requiem animabus suis inueniant. Lucas dicit fuisse *mulierem peccatricem*. Num igitur reliqua multitudo ciuitatis fuit absque omni peccato, ita vt in tota ciuitate vna sola mulier peccato fuerit obnoxia? Certè Christus mox in parabola de duobus debitoribus ostendet, & Simonem & omnes homines coram iudicio Dei reos esse peccati, pro quo satisfacere non possint, nisi ex gratia fiat condonatio. Sicut Paulus dicit, Galat. 3. versic. 22: Conclusit Scriptura omnia sub peccato, &c. Et 1. Iohan. 1. v. 8. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Quare igitur solam hanc mulierē Euangelista peccatricem vocat? Respondeo, phrasis est obseruanda. Græci enim interpretes, quando coniungunt ἀσέβειαν, ἀδικίαν, & ἁμαρτίαν: summum & extremum gradum tribuunt τῇ ἁμαρτίᾳ. Exod. 34. v. 7. Leuit. 16. v. 16. Psal. 105. v. 6. & 1. Tim. 1. v. 9. atque 1. Pet. 4. vers. 18. ἁμαρτωλὸς ita ponitur, quod plus significet quàm ἀσεβής. Et Christus, in parabola debitorum, gradus ostendit

inter

inter eos, qui 500. denarios debent, & inter eos, qui 50. Respondet autem Hebraico חטא, & vsurpatur Gen. 13. v. 13. Sodomitæ erant ἁμαρτωλοὶ coram Domino nimis. Ex quo exemplo colligi potest significatio vocabuli in hoc loco. De peccato enim Sodomorum scriptura dicit, quod coram Domino erant peccatores, Gen. 13. vers. 13. hoc est, sine metu, quasi sub oculis & conspectu Domini non verebantur flagitiosissima quæque designare. Et Iesa. 3. v. 9. Iniquitatem suam sicut Sodoma prædicauerunt. Gen. 18. v. 20. Clamor Sodomorum multiplicatus est, & venit ad me. Vocari igitur cœperunt ἁμαρτωλοὶ, *peccatores*: 1. Qui non ex ignorantia seu imbecillitate lapsi, sed ex destinata malitia, sine metu & reuerentia numinis, male agebant. 2. Qui non exiguo aliquo errato delinquebant; sed in enormibus & atrocibus flagitiis viuebant. 3. Qui non semel in flagitium aliquod prolapsi fuerant: sed acquisita ex crebrò repetitis flagitiosis actionibus ἕξει, quasi certum suum vitæ genus, exercebant manifesta scelera & flagitia. 4. Quando flagitia non clam in occulto designabantur: sed erant manifesta & notoria, ita vt quisque honestus ab illis abhorreret. Suidas inquit: ἁμαρτωλοὶ οἱ παρανομίᾳ συζῶν προαιρούμενοι καὶ βίον διεφθαρμένον ἀσπαζόμενοι. Tales per antonomasian, propter excellentiam, seu enormitatem, vocabantur ἁμαρτωλοὶ, *peccatores*: sicut in multis locis Euangelicæ historiæ, coniunguntur publicani & peccatores. Paulus seipsum inter ἁμαρτωλοὺς πρῶτον, primum ex peccatoribus fuisse fatetur, 1. Tim. 1. v. 15. eo quòd blasphemus, persecutor & publice iniuriosus fuerit in Ecclesiam Christi. Et Dauid in Psal. 104. v. 35. dicit: Deficient ἁμαρτωλοὶ καὶ ἄνομοι, peccatores & iniqui à terra, vt non sint. Obseruandum verò est, cùm vocabulum illud per Antonomasian cœpisset restringi tantum ad manifeste sceleratos, paulatim secutam & inuectam fuisse Pharisaicam illam persuasionem, quasi illi, qui notoriis flagitiis non essent contaminati, iusti & sine peccato essent, idque coram Deo. Ideo Christus in parabola debitorum concedit, esse quidem gradus peccatorum: sed tamen affirmat, coram iudicio Dei omnes esse debitores, & quidem tales, qui per se non sint soluendo: Et addit: se ideo minus diligi à multis, quia existiment tantùm istos esse peccatores. Tanti refert propriam & genuinam significationem vocabulorum in scriptura retinere. Hæc dicta sunt, vt colligi possit, qualis fuerit hæc fœmina. Illa enim obseruatio illustrabit descriptionem pœnitentię & Absolutionis. Quo vero genere flagitij contaminata fuerit, ex conditione sexus colligi potest. Mulier enim fuit. Ergo non latrocinando, non aperta vi alios inuadendo & persequendo hunc titulum sortita est: sed aliàs profligatæ & prostitutæ vitæ fuit. Sicut adhuc hodie apud nos eiusmodi fœminæ vocantur *arme Sünderin*. Et quod Marc. 8. v. 38. de generatione adultera & peccatrice dicitur, illud ex 57. cap. Iesa. v. 3. sumptum videtur, vbi impij semen adulteri & fornicariæ dicuntur. Vagis igitur libidinibus & tetris fornicationibus polluta fuit: ita vt Simon dicat, τίς καὶ ποταπή, *quæ & qualis est hæc mulier?* Ποταπὸς enim ποῖος: sed habet emphasin quasi admirationis de excellentia seu enormitate.

Talis verò cùm esset illa mulier, considerandum est, quomodo pœnitentia seu conuersio ipsius describatur. Est enim exemplum, quomodo qui laborant & onerati sunt, ad Christum venire debeant, vt inueniant requiem animabus suis. Sed quia interiores motus contritionis & fidei hominibus monstrari non possunt: iccirco externis signis vera & non simulata conuersio describitur: Nam Euangelista inquit: *Stans retrò secus pedes Iesu, flens lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* In varias autem Allegorias transformata fuit hæc descriptio: sed simplicissimum est, si explicatio sumatur ex sententia proxime præcedenti: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis*, hoc est, si accommodetur ad partes conuersionis. Nam Christus postea expresse nominat fidem, quæ accipiens remissionem peccatorum saluarit peccatricem. Nominat etiam dilectionem, quæ secuta est, post acceptam condonationem debitorum. His si addatur contritio, facilis & plana erit explicatio. Nominatim autem Christus non meminit Contritionis: quia paulo ante dixerat de laborantibus & oneratis, & signis ostendit, quomodo hæc peccatrix sub onere peccatorum laboret, quomodo agnoscat immensam summam sui debiti, & quòd non sit soluendo. Et hæc est vera contritio. Ad has igitur partes accommodabimus descriptionem.

Intrat ergo in ipsum locum conuiuij, vbi multi simul accumbebant, sicut Lucas inquit in fine. Facit autem illud non meretricia quadam impudentia & leuitate, irridens cōciones Christi de pœnitentia. Præ pudore enim & confusione *à tergo, iuxta pedes Christi stat*: sed onere illo, sub quo laborat, compellitur quærere Christum, vbi audierat ipsum discumbere. Non autem vel morbo vel aliqua corporali calamitate laborat, quæ causa tunc plerosque compulit ad Christum accedere: sed multa peccata, seu ingens summa debiti, est onus illud, sub quo laborat. Ita enim Christus ipse explicat. Et sine dubio excitata fuit, suauissima illa inuitatione Christi: *Venite ad me omnes, qui laboratis, Ego refocillabo.* Vide autem quomodo accedat. Num impudenter & præfricta fronte, ridens, & in peccatis suis exultans coram facie Christi prodit? dicens: Sunt profligatæ vitæ & prostitutæ libidinis: sed non curo. Nihil enim nocet, quia Deus est misericors, & tu venisti peccatores saluos facere. In flagitiosa igitur vita mea perseuerabo & pergam: tu verò saluabis me, non imputans mihi mea peccata. Hoc modo Epicuræi solent pœnitentiam, non agere, sed fingere, sicut Augustinus loquitur: & tamen blandiuntur sibi de gratia Dei. Sed Paulus Ephes. 4. v. 19. vocat illos ἀπηλγηκότας, dolere nescios, & pronunciat eos alienos esse à vita Dei. Ier. 3. v. 3. frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ier. 6. v. 15. Num confusi sunt, quia abominationem fecerunt? imo erubescere nescierunt. Prouerb. 2. ver. 14. Exultant in rebus pessimis. Ies. 3. v. 9. Iniquitatem suam vt Sodoma prędicauerunt. Non igitur talis fuit huius peccatricis pœnitentia. Sed ingressa, *stat à tergo, iuxta pedes Iesu* (ita enim in lecticis, quæ à tergo patebant, discumbebant, vt stans aliquis posset pedes attingere) & tam effuse *flet vt lachrymis pedes ipsius abluere* posset. Sunt autem hæc signa spiritus contribulati, cordis contriti & humiliati, Psal. 51. v. 19. quod non audet in conspectum Christi prodire, non manus apprehendere, non oris osculum expetere, non vllum verbum facere: sed tacita à tergo stat gemens & lachrymans. Vsitatum autem est in scriptura veram & seriam contritionē huiusmodi signis describere, vt de Petro scriptum est: Egressus, fleuit amarè. Matth. 26. v. 75. Et nota est historia de publicano in templo, Luc. 18. v. 13.

Sed vnde hæc tam subita mutatio in peccatrice, quæ hactenus libidinibus delectata, turpissima quæque summo studio sine verecundia consectata fuit? Hæc vero quæstio de causa efficiente præcipue consideranda est in hac historia, vt quibus exemplum hoc ad imitationem propositum est, sciamus, non nostra ἐθελουργίᾳ verā pœnitentiā inchoari & effici, sed operatione Spiritus S. qui cùm certis diuinitus ad hoc ordinatis mediis vtatur, discamus illa nobis vsurpanda esse. Non autem digrediamur longius: sed ex hac ipsa historia doctrinam sumamus. Christus dicit de multis peccatis huius mulieris, & in parabola, ipsa audiente, pronunciat eam esse debitricem coram iudicio Dei quingentorum denariorum, & non habere, vnde huic debito satisfaciat. Numerum enim quinquaginta & quingentorum, certa proportione esse perfectum numerum, ex Ezechielis 40. & sequentibus capitibus colligitur. Sed vnde didicit, & debitum & summam debiti, & quod non esset soluendo? Extra omnem controuersiam, ex doctrina arguente peccata, quæ ostendit & multitudinem & magnitudinem peccatorum: & cùm satisfactio nobis sit impossibilis, nihilominus affirmat, citius cœlum & terram transitura, quàm vnus apex de lege cadere possit, quin impleatur. Matth. 5. ver. 18. Deut. 23. v. 17 Non erit meretrix de filiabus Israel. Hoc cùm ipsa non obseruauerit, pronūciat igitur verbum Dei, ipsius iudicium: Scortatores & adulteros iudicabit Dominus, Heb. 13. v. 4. qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, Gal. 5. v. 21. Ita & indignatio, tribulatio & angustia, super omnem animam agentem mala, Rom. 2. v. 9 Per hoc ministerium, quod arguit peccata, prædicatum, auditum & cogitatum, Spiritus S. efficax est, auferens cor lapideum: vt peccatrix quæ antea onus suum non sentiebat, iam corde contrito & spiritu cōtribulato, iram & iudicū Dei sentiens, solicita sit de remissione. Et hinc factum est, quod nunc de peccatis doleat, & ea detestatur. Vera enim cōtritio ita de peccatis præteritis dolet, vt simul complectatur propositum in futurum vitandi peccata. Ita hæc peccatrix ostendit, se in posterum capillos, oculos, os & oscula, quibus hactenus libidinibus se prostituerat, velle accommodare ad meliorem & sanctiorem vsum. Nam sicut veteres dicūt: in quo quis peccauit, in eo per contrarium agat pœnitentiam. Hæc est prima pars, atque adeo initium conuersionis: Contritio scilicet, excitata à Spiritu S. ex seria agnitione & sensu peccati, iræ & iudicij diuini.

Alteram conuersionis partem Christus expresse nominat, cùm inquit: *Fides tua te saluam fecit.* Et quid fides huius peccatricis in Christo quæsierit & apprehenderit, in parabola ostendit. Cùm debitores non haberent vnde satisfacerent, condonauit debitum. Et postea dicit: *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Operæpretium autem est considerare, quomodo in hac historia describatur fides confugiens ad Christum, quærens in ipso, amplectens & apprehendens condonationem debiti, seu remissionem peccatorum & pacem conscientiæ. Territa & contrita peccatrix sensu peccati & ira Dei

non fugit ad laqueum, nec ruit in desperationem: sed sustentat se spe veniæ. Illam vero non quærit, vel in suis vel in aliorum operibus & meritis: sed quia didicerat, omnia, quæ ad reconciliationem & salutem pertinent, à Patre tradita esse Christo, quem etiam audiuerat amanter ad se inuitantem omnes laborantes & oneratos, proposita promissione refocillationis, ad illum, vbi cognouerat ipsum esse, properat. Et pulchra est descriptio, quomodo mixti sint in conuersione motus contritionis & fidei: & qualis sit lucta. Humiliata & confusa timet, dolet, & lachrymatur. A tergo enim ad pedes stat. Sed in illo timore & dolore pedes Christi amplectitur, & inter illos amplexus lachrymatur. Et hoc est, quod Augustinus dicit: Ita doleat pœnitens, vt ex fide doleat. Et quod Psal. 147. versic. 11. dicit: Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Iam id, quod peccatrix facit, manifestum est, lachrymis lauat pedes Christi, capillis tergit, vnguēto vngit, & ore osculatur: quo animo verò hæc fiant, aspectus humano patet. Pontificij fingunt hæc facta esse, vt essent satisfactio pro peccatis, vtque his officiis Christum sibi demereretur, & ita impetraret remissionem peccatorum. Et hæc opinio, cùm rationi sit consentanea, speciose & plausibiliter ex descriptione facti potest exaggerari. Sed optimum & certissimum habemus interpretem, ipsum filium Dei, & quidem in hac ipsa historia. Dicit enim, cùm non haberent, vnde soluerent, siue satisfacerent debito, *condonauit vtrisque*. Fides ergo peccatricis, quæ ipsam saluam fecit, non obtulit Christo hæc sua officia, vt illis satisfaceret pro suis peccatis, & promereretur remissionē peccatorum: sed agnoscit, & lachrymis contestatur, se non habere, quo satisfaciat. Quærit autem, suspirat, & petit, vt ex gratia condonetur debitum: propterea quod satisfactio sibi sit impossibilis. Ita enim Christus interpretatur hæc externa signa. Et hoc significat χαρίζεσθαι, præter meritum, imo contra quàm qui meritus sit, ex gratia condonare. Quare autem gratuitam illam condonationem, quæ ad Deum pertinet, Iesa. 43. ver. 25. in Christo quærat, Euangelium explicat. Non enim ex leuitate Deus peccata remittit, cùm scriptum sit, ne nimirum quidem apicem legis cadere posse, quin impleatur, Matt. 5. v. 18. Sed vnigenitum filium suum misit in mundum, vt proiectis in ipsum peccatis totius mundi, Iesa. 53. v. 6. perfecta impletione satisfaciat iudicio Dei pro nobis. Et tunc pater nobis peccata dimittere dicitur, quando illam filij sui satisfactionem credentibus donat & imputat. Ita ergo fides huius peccatricis, quærens remissionem peccatorum, quæ contingere nō potest nisi lex impleta sit, Christum amplectitur, vt ipse peccata eius, pro quibus ipsa satisfacere non potest, suscipiat, & pro illis satisfaciat. Hoc suspirat, optat & petit, vt cœlestis Pater, pro suis etiam peccatis, illam filij sui satisfactionem acceptet, & propter illam personam, cùm sit in officio Mediatoris, peccata condonare velit.

Hæc ex interpretatione ipsius filij Dei certissima sunt, ad quæ explicatio illorum signorum, de vnguento, osculo & reliquis accommodanda sunt. Non autem ex priuata & peruersa interpretatione horum signorum extruendum est dogma, pugnans cum explicatione, quam ipse filius Dei, in hac ipsa historia tradit. Facilis autem est accōmodatio. Nō enim est, sicut vobis videtur, ἐθελοθρησκεία quædam, sed pro more illius regionis vsitata fuerunt talia officia. Hospitibus pedes lauabantur: id quod vulgo aqua fiebat, Gen. 18. v. 4. & linteo extergebantur, Ioh. 13. ver. 5. Amicis vero valde charis, & quibus propter excellentia dona peculiarem reuerentiam exhibere volebant, non aqua, sed vnguēto pedes lauabant, Ioh. 12. ver. 3. Hæc vero peccatrix, *lachrymas* contritionis adhibet loco aquæ, & non linteo, sed *capillis extergit*, qui in mulieribus non postremus ornamenti locus esse solet. Pretiosis aquis destillatis caput perfundere solebant, Matt. 26. v. 7. Sed magnæ reuerētiæ signum erat, *pedes* alicuius dignari tali vnctione. *Osculo* se inuicem salutabant & excipiebant: sed hæc peccatrix, & præ humilitate, & vt ostendat quantum huic personæ tribuat, pedibus ipsius oscula figit. Hæc omnia Christus ita interpretatur: *Veni in domum tuam Simon*, hoc est, non es blasphemus, nō persecutor, sed inuitasti me: quàm leuiter autem & quàm frigidè de me sentias, quàm parùm mihi tribuas, & quàm parùm tibi gratum sit & acceptū, quod de mea persona & officio Euangelium concionatur, externa signa ostendunt. Nam ne illa quidem communia officia, quæ vulgaribus hospitibus & honestis viris præstari solent, mihi exhibuisti: *non aquam pedibus nec* cōmune quidem *oleum capiti, nec oris osculū dedisti*. Hęc peccatrix verò quàti me faciat, quàm carum, gratum & acceptum ipsi sit, quod in Euangelio de me prædicatur, pro quanto thesauro me habeat, externis illis signis testatur.

Summa igitur explicationis, ex Christi manuductione hæc est. *Capilli, vnguentum, oscula* &c. testimonia sunt, mulierem hanc non contemnere, aut vilipendere Christum, non leuiter, frigide aut perfunctorie eum amplecti, sicut plerique, qui non mali videri volunt, faciunt. Sed cum onere peccatorū ad Christum, qui refocillare & potest & vult, cōpellatur, duo habet. Primò, non affert persuasionem meriti aut dignitatis; sed indignitatem suam, & confusione vultus & lachrymis, palàm testatur. Secundò, quàm serio & ardenti desiderio atque affectu voluntatis & cordis Christum amplectatur, vt per quē solum agnoscit se posse saluari, & sine quo cogatur in æterna damnatione manere, ostēdit & testatur externis illis signis vnctionis & osculi. *Simon* vero ideo minus reuerenter & ardēter Christum, licèt ad se veniētem, excipit, quia præ opinione dignitatis & meriti, non agnoscit quàm sibi opus sit Christo mediatore. Hęc simplex accommodatio ex ipsius Christi verbis sumpta est, & est analoga fidei, & multa vtiliter monet. Illustrior vero est significatio *Osculi*, quod multarum quidem rerum symbolum fuit, vt amoris, reuerentiæ, subiectionis, &c. huic tamen loco pulchre conuenit, quod 3. Reg. 19. 18. Deus dicit: quorum os non est osculatum Baal. Colligitur enim inde fuisse symbolum supplicantium. Sicut & Iob 31. 27. inquit: Si osculatus sum manum meam ore meo, videns solem & lunam, quæ est abnegatio contra altissimum. Ita Esther c. 5. v. 2. cùm non vocata, veniret ad Regem, & timeret indignationē, osculatur summitatem virgæ eius. Syrach. 29. 5. Donec accipiant, osculantur manum dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam. Et hoc pulchre conuenit ad Psalmum 2. v. 12. Osculamini filium, ne irascatur Dominus, & pereatis. Hæc est descriptio fidei in conuersione huius peccatricis. Porrò, Christus pronunciat peccatricem hanc conuersam habuisse etiam dilectionem, & quidem magnam. Dicit enim: *Dilexit multum*. Et ad dilectionem eadem illa externa signa, osculorum & vnctionis, accommodari posse Christus ostendit. Sicut vnius rei multi possunt esse fines subordinati. Et quidem, si dilectio habeat rationem meriti, vel quamcunque rationem causæ præcedentis remissionem peccatorum, omnino hoc loco ponenda & explicanda esset inter ea, quibus quæritur, applicatur & apprehenditur gratia & remissio peccatorum. Sed Christus disertè affirmat, dilectionem non præcedere remissionem, nec esse satisfactionem, pretium aut meritum eius, sed gratuitam esse condonationem, quæ & causa sit, vnde postea oriatur dilectio erga Deum. De ea igitur postea dicemus. Hoc verò loco ea notauimus, quomodo illi, qui laborāt & onerati sunt, ad Christum venire possint & debeant, vt refocillentur, & requiem inueniant animabus suis. Et hic est primus locus.

Secundò diligenter considerandum est, cùm peccatrix in seria pœnitentia, vera fide quærat & petat in Christo, & propter Christum, gratiam Dei & remissionem peccatorum, quid consequatur & impetret. An recipiatur: an vero repudietur. Simon cum reliquis Pharisæis non rectè intelligunt officium Mediatoris. Existimant Messiam, quia est sanctus sanctorum, Dan. 9. vers. 24. ideo venisse in hunc mundum, vt eos, qui disciplina, operibus, sanctitate, & meritis reliquam hominum colluuiem præcellunt, ad se recipiat, & quasi in societatem asciscat. Ideo non dubitat se, & sui similes, propter illam dignitatis prærogatiuam, Christo propiores & acceptiores fore. De peccatrice vero, ingerente se in conuiuium ad Christum, pronunciat in corde suo, illam ne contactu quidē pedum Messiæ, qui est sanctus sanctorum, dignandam, nedum ad communionem cœlestium bonorum, de quibus Euangelium concionatur, admittendam aut recipiendam esse. Nec curant Pharisæi, quod vident in illa peccatrice signa pœnitentiæ & fidei. Quia enim Lucas dicit: *Erat mulier peccatrix*: & quia Simon etiam inquit: *quæ & qualis est illa mulier*? apparet ipsam antea, quod quidem publice in ciuitate notū esset, nō egisse per longum aliquod tempus pœnitentiam ab impura sua vita. Et Pharisæorum opinio erat, peccatores, si conuertātur, prius debere satisfacere pro peccatis suis, & postea demū, quando sufficienti satisfactione digni essent effecti, ad reconciliationem à Deo recipi. Hoc erat Simonis iudicium: & sane non iniquum, si cogitationes rationis, imo etiam si normam legis diuinæ respicias. Quid igitur Christus? Illi enim Pater omne iudicium tradidit, Ioh. 5. 22. Lucas dicit: dum Simon hæc cogitat, priusquam sententiam suam iuxta legē pronunciat, Christus præuenit: quia non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Et in parabola, sententiam illius iudicij, quod Pater filio dedit, cognoscendam exhibet: 1. Dei scilicet legis doctrinam peccatoribus proponere, non quod plenaria satisfactione pro peccatis suis satisfacere possint: sed vt ostendat, & conuincat, ipsos non habere, vnde satisfaciant, vt ita humiliati, persuasionem dignitatis, meriti & propriæ iustitiæ deponant, & agnoscant sibi opus esse alia iustitia. 2. Ipsa absolutione & receptione peccatricis ostendit, officium Mediatoris esse, non vt habita ratione meritorum dignos,

dignos,& qui sanctitate pares sunt,tibi adiungat: sed quis omnes sunt debitores, & nemo est soluẽdo,vt ipse pro omnibus satisfaciat, & eos recipiat, qui debitum suum & impossibilitatem satisfactionis seriò agnoscant, atque ideo nec ad sua nec ad aliorum merita,sed ad solũ Messiam, qui est ἀντίλυτρον pro omnibus,1.Tim.2.6.cõfugiant, & ipsum vera fide opponat iudicio & iræ Dei. 3.Ostendit talem fidẽ statim impetrare, & consequi remissionem peccatorum, non requisita,imposita & expectata propria ipsorũ satisfactione. Ille.n.Christi est,qui est ἱλασμὸς & propitiatio, nõ pro nostris tantũ, sed pro totius mundi peccatis,1.Iohan.2.ver.2.& per fidem imputatur credentibus. *Cùm* enim *non essent soluendo*, non imposuit satisfactionem, sed *condonauit vtrisque*.

Hæc membra diligenter sunt notanda in hac historia. Periculosa.n.tentatio & acris lucta est conscientiæ, quando sub sensu iræ Dei fide conatur se erigere & sustẽtare. An Deus velit,& quidem statim,nos in gratiam recipere. Opinio enim Pharisæorũ,quia & rationis & legis est, obstrepit nobis & turbat fidem. Sed opponamus hanc Christi sententiam & factũ, qui si nos recipiat & absoluat,non terreamur, si totus mundus,si ratio, si Moses cum lege sua, imo si ipsum cor nostrum nos condemnet. Filio enim Pater omne iudicium dedit,Ioh. 5.22.imo omnia dedit in manus eius,Iohan.3.35.Quare si proprium cor nostrũ nos cõdemnet, fiduciam habemus ad Deũ, qui maior est corde nostro,1.Ioh.3.20. Hoc autem iudicium filij Dei conferatur cum quorundam Patrum cogitationibus de satisfactionibus, & consideretur,cuius iudicio potius acquiescendum sit. Certè vnde illæ cogitationes Patrum manarint,hæc historia exemplo Simonis ostẽdit:ex ratione scilicet, seu potius ex lege Dei. Sed qualem responsionem Christus opponat, iam ostensum est. Et dignum est obseruatione,quod Pharisæorum iudicium, quo damnatur hæc mulier, prius refutat, quam ad ipsam mulierem se conuertat. Ostendere enim voluit, hanc doctrinam de Iustificatione,incurrere reprehensionem illorũ,qui & sapientissimi & sanctissimi in hoc mundo videri volunt. Tales.n.erãt Pharisæi. Imo doctrinam hãc turbari obiectionibus,ex ipsa lege diuina petitis. Et nisi obiectiones illæ ex veris fundamẽtis refutẽtur, & scrupuli illi animis eximantur, consolatio Euãgelij non potest efficaciam suam verè in animis hominũ exercere. Ideo Christus iudicia Pharisæorum, cum hac doctrina pugnantia,prius refutat;postea se vertit ad mulierem,& inquit ad illam: *Dimittuntur tibi peccata*.

Ordine autem in Iustificatione hæc cohærent,sicut verba Christi cohærent:1.*Dimittuntur tibi peccata tua*. 2 *Vade in pace*.3.*Fides tua te saluam fecit*. Conueniunt enim hæc ad sententiam, Rom.5.1. Iustificati fide pacem habemus,& gloriamur spe gloriæ filiorũ Dei. Et hæc Christus omnia hoc loco, sicut & Paulus,Rom.5.1. fidei tribuit. Ne cum Pontificiis existimemus,fidem tantùm esse inchoationem vel præparationem iustificationis & salutis, quæ postea per aliquid aliud perficiatur & absoluatur: Dicit autem: *Fides tua te saluauit*: non tribuẽs operi fidei illam virtutem, seu efficaciam: sed fides huius mulieris ideo apprehendit obedientiam,& satisfactionem filij Dei Mediatoris, quia videt vniuersa opera non esse soluendo coram iudicio Dei. Et quia Christus est impletio legis,ad iustitiam omni credenti. Rom.10 4.ideo fides,quæ apprehendit Christum,& ponit illum inter peccata sua, & inter iudicium Dei,sicut Augustinus loquitur, dicitur iustificare & saluare. Vt oratio correlatiue intelligatur: *Fides*, hoc est, Christus fide apprehensus *saluauit te*. Sed quare non dicit: Gratia Dei,aut,Christus Mediator te saluam fecit? Respondeo. Scriptura illis propositionibus sæpissime vtitur. Christus vero peculiari quadam ratione delectatus est hoc modo loquendi: *Fides tua te saluam fecit*. Est enim Christus nobis à Deo factus iustitia.1.Cor.1.30.sed nisi fide ipsum apprehendam, & mihi applicem, non iustificat me: quia iustitia Dei est in omnes & super omnes,qui credunt in Christum,Rom.3.ver.22. ad iustitiam omni credenti, Rom. 10.4. vt promissio ex fide Iesu detur credentibus,Galat.3.22. Et ideo fides dicitur iustificare. Christus enim fide apprehensus est formalis nostra iustitia. Est & hæc ratio huius modi loquendi:quando cor vera fide complectitur Christum,luctatur cum dubitatione, & turbatur disputationibus de arcana prædestinatione. Opto sane, quæro & peto gratiam Dei in Christo:sed quis scit,an Christus me velit recipere? an Pater sua gratia velit mihi donare & imputare obedientiam filij sui ad iustitiam? An hoc fecerit,an faciat,an adhuc facturus sit,vel non? Ab illis disputationibus nos Christus reuocat ad verbum,& ad fidem,vt nõ dubitemus, quando iuxta verbum fide Christum amplectimur, nos in gratiam recipi & saluari. Ne igitur de arcanis disputemus,solet Christus ita loqui: *Fides tua te saluam fecit*, vt deducat nos ad verbum patefactum & fide apprehensum.

Tertiò: Peculiaris est doctrina, quæ quidem ad præcedentem locum pertinet, sed docendi gratia ab eo distingui potest. Dicit Christus mulieri, *iam peccata ipsi remissa esse*. Vtitur enim præterito,ἀφέωνται,sicuti supra,c.43.Harmoniæ in historia paralytici dilucide ostensum est, & hoc loco parabola de debitoribus expresse idem affirmat. Ex generali igitur concione Christi de regno Dei,concepit fiduciam:& cùm fide iam eam promissionem se includeret,eámque sibi applicaret, accepit remissionem peccatorum. Hoc Christus confirmat,dum inquit: *Dimissa sunt tibi peccata*. Quid igitur mulier illa adhuc quærit apud Christum? Quidam disputant, Christum hoc loco mulieri nihil donasse, nec mulierem quicquam accepisse, cùm Christus diceret: *remissa sunt tibi peccata*: quia iam antea habebat remissionem peccatorum. Sed tantùm propter hospitem & conuiuas Christum voluisse ostendere, quid mulier illa iam antea fide accepisset,vt ita probaret,se esse Messiam, cuius fide remittantur peccata. Sed hæc opinio falso fingit principia fidei tam perfecta, vt nullus opus habeat confirmatione,nec aliquis restet vsus ministerij, post acceptam semel remissionem peccatorum, cùm diuersum hæc historia doceat. Pulcherrima enim & cõsolationis plena est doctrina, quam hic locus diligenter obseruandus præbet. In lucta tentationum valde difficile est generalem promissionem ita amplecti,vt non dubites eam priuatam etiam ad te pertinere, & tibi applicari. Hoc concedit conscientia,Deum in promissione esse veracem & fidelem, & illam applicari electis. Sed an me etiam Deus æterna sua prædestinatione in promissionem gratiæ inclusum & comprehensum esse voluerit,an mihi etiã fiat applicatio,etsi fide hoc optem,hoc demum est, quo conscientia in tentatione angitur: præsertim quando multæ se offerunt rationes, quod videatur ad me non pertinere, cùm mea,propter multas circumstantias,alia sit ratio, quam aliorum credentium. Vel enim aliis sum ignobilior,contemptior, abiectior:vel peccatis,cùm aliorum hominum, tũ propriæ cõscientiæ testimonio,fœdius contaminatus,& magis oneratus, quàm vt sperare possim, ea tam facile mihi remitti posse. Sicuti idem ex mulierculæ huius lucta deprehendi potest. Vide autem quid faciat hæc mulier, vt idem in simili casu vel ipse imiteris,vel alios imitari doceas. Ipsa non est contenta generali promissione,quæ in genere proponitur omnibus: Illam enim fide iam apprehenderat. Sed contendit ad Christum,& hoc agit, vt Christus priuatim annunciet remissionem peccatorum: vt ipsa priuatim pro se certa reddatur,promissionem remissionis peccatorum ad se pertinere. Quid autem Christus? Num ipsam repellit, obiiciẽs hanc exceptionem: Atqui iam dimissa tibi sunt peccata tua, quid quæris amplius? Num Deum in generali sua promissione vis mendacem facere? &c. Sicut vociferantur illi, qui vsum priuatæ absolutionis impugnant. Nihil horum dicit, sed conuertit se ad ipsam & inquit: *Tibi dimissa sunt tua peccata: Fides tua te saluã fecit*. Et addit quidem fructum huius applicationis,quæ priuatim fit,illum esse: *Vade in pace*. Ita fides,quæ semel accepit remissionẽ peccatorũ,subinde opus habet confirmatione quæ fit per ministerium, operante Spiritu S. Et hoc exemplum ostẽdit,fieri hæc & in generali annunciatione Euangelij, & quando priuatim ad vnum dirigitur illa annũciatio, & quando ita fit applicatio. Certum enim est,Deum efficacem esse, quando promissio gratiæ in genere proponitur, & fidem,quæ in generali concione promissionem gratiæ apprehendit,certò accipere remissionem peccatorum. Dicit enim: *Dimissa sunt ei peccata*. Sed quando mens luctatur cum dubitationibus, & turbatur de noxia & Manichæa particularitate, quia licèt Deus velit omnes homines saluari,1.Tim.2.4.tamen pauci sunt electi,Matt.20.16. eo quod multi consilium Dei spernant contra semetipsos,Luc.7.30. quãdo ita,inquam,animus turbatur,vt non possit habere pacem,ostenditur hoc exemplo rectè peti posse, vt vsu ministerij priuatim mihi annuncietur & applicetur promissio remissionis peccatorum. Et Christum hoc fecisse, atque suo exemplo faciendum instituisse,ex aliis etiam locis Euangelicæ historiæ manifestum est. Et ipsum sua efficacia huic Absolutioni,quæ priuata dicitur,adesse, hoc exemplum testatur: sicut circunstantiæ ostendunt, & quod inquit: *Vade in pace*.

Obseruandum vero & hoc est, Pharisæos generalem, vt ita dicam, narrationem de remissione peccatorum vtcunque potuisse ferre. Sed per hominem in ministerio fieri applicationẽ promissionis de remissione peccatorum,vel in genere ad multos, qui credunt, vel priuatim & in specie ad vnum aliquem,qui vera fide hoc petit, hoc vero mirantur *Quis hic est, qui etiam peccata dimittit?* Et prius in sanatione paralitici, Matt. 9.3 dixerant esse blasphemiam. Sicuti hac de re actum est superius in explicatione eius historiæ,c.Harmoniæ 43. vbi etiam vocabulum ἀφέωνται, quomodo illud sit accipiendum, est expositum. Ex hoc autem loco colligi potest, quàm frigide exercuerint ministerium verbi Scribæ & Pharisæi. Mirati-

tur, enim per ministerium verbi fieri applicationem promissionis ad credentes, ita vt certo quis statuere possit & debeat, peccata sibi dimissa esse. Ipsi igitur iudicarunt, in concionibus tantùm fieri generalem quasi narrationem, cui nulla diuina efficacia adiuncta sit. Et illa opinione valde multi adhuc hodie hærent, qui ideo minus honorifice de ministerio Euangelij sentiunt. Pontificiorum etiam dogma de dubitatione, non procul ab hac Pharisæorum admiratione abest. Quæ vero Christi sit sententia, ex antithesi opinionis Pharisæorum intelligi potest. Et suprà c. 43. Harmoniæ, plura de ea sunt dicta.

Quartò, quia certum est, hanc conuersionem peccatricis nobis in exemplum propositam esse, considerandum est, quomodo illud exemplum sit imitandum, & quare Christus Seruator tale exemplum sumserit. Num docere voluit, eligendam esse flagitiosam & sceleratam vitam, vt idonei reddamur ad communionem regni Dei? Nequaquam. Nō enim venit docere perpetrationem, sed remissionem seu solutionem peccatorum. Iam vero non omnes similes sumus profligatæ vitæ huius peccatricis. Nihil igitur ad nos exemplum illud conuersionis pertinebit: sed illis tantum, qui similib. flagitiis maculati sunt, propositum erit vt hoc modo pœnitentiam agant, & fide in Christo remissionem peccatorum quærant? Illæ sunt Pharisæorum & multorum aliorum cogitationes. Sed Christus parabola quadā suam & veram sententiam explicat. Non autem disputat hoc loco, sitne hypocrisis in prima tabula maius & grauius peccatum, quàm scortatio & adulterium in secunda tabula. Sed per concessionem loquitur. Apparet enim ex parabola, Simonem Pharisæum non fuisse in illa opinione, quasi plane sine omni peccato esset. Nam & hoc reliqui pharisæi, Ioh. 8. 7. conuicti concedunt. Sed in comparatione illius peccatricis cogitauit Simon, talem esse differentiam, qualis est inter *debitum* 500. *&* 50. *denariorum*. Hoc Christus per concessionem sumit. Non enim negat esse differentiam & gradus peccatorum, & quidem etiam coram Deo: sed hoc vult ostendere, licet peccata in omnibus non sint paria: omnes tamen coram iudicio Dei similes & pares esse in his quatuor: 1. Quod omnes sunt debitores. Licèt enim plus debeat, cuius summa est quingentorū argentorū tamen & ille debitor est, qui 50. tātùm debet. 2. Quod nemo potest pro peccatis suis satisfacere. Sicut enim peccatrix non habet, vnde soluat quingenta sua: ita nec Simon habet, vnde pro quinquaginta suis iudicio Dei satisfacere possit. 3. Sicuti Lex peccatricem cum suis quingentis damnat: Ita si Deus cum illo, qui tantum quinquaginta debet, in iudicium intrare vellet, subiiceretur eidem sententiæ damnationis. Quia maledictus, qui non in omnibus permanserit, Deut. 27. vers. 26. Item, Qui in vno delinquit, reus est omnium, Iac. 2. v. 10. Cōiectus enim in carcerem, Matth. 5. v. 26. non exit inde, etiamsi tantum extremus quadrans soluēdus restet. Tam seuerus exactor est Moses: Et solutio impossibilis est vtrique, sicut Christus affirmat. 4. Sicut ergo ex sola gratuita cōdonatione peccatrix propter Christum recipitur & saluatur: ita & sola hæc via Simoni ad vitam æternam proposita est: & nisi voluerit hoc modo, vt laborans & oneratus, ad Christum venire, coniicietur in carcerem, vnde non exibit, quia gratuitam remissionem non vult petere, & solutionem non potest præstare. Hæc Christus in parabola proponit, vt eo facilius peruersum rationis iudicium corrigere possimus. Et quid aliud agit Pōtificiorum doctrina? quàm quod tradit, magnis quidem peccatoribus opus esse gratuita Dei misericordia: illos vero, qui pauca, nec vsque adeo magna habent peccata, facile posse pro illis Deo satisfacere. Sicut docent Sententiarij: ad venalia peccata non opus esse contritione, & posse ea alia ratione deleri, vt non opus sit sanguine Christi. Necessaria igitur est hæc doctrina Christi. Licet sit differentia, & gradus sint peccatorum: vnam tamen, solam & eandem rationem iustificationis omnibus propositam esse, qui volunt saluari. Vt scilicet agnoscant se esse debitores, nec esse soluendo, sed si Deus vellet in iudicium intrare, coniiciendos esse in carcerem æternæ damnationis, etiamsi non quingenta, sed quinquaginta tantum quis debeat? Confugiant autem ad Christum in ipso & per ipsum fide quærant, & petant gratuitam condonationem, vt ita fides omnes saluos faciat.

Ostendit autem Christus hanc causam esse, quod multi, etiam qui non sunt Epicuræi, tamen sine seria pœnitentia seu contritione de peccatis suis & ira Dei non sunt soliciti: quia non considerant, se esse debitores summæ, pro qua satisfacere iudicio Dei sit impossibile, & non cogitant quodnam sit iudicium illorum, qui cum sint debitores, nec possint soluere, nec velint condonationem quærere. Ex hoc fundamento Spiritus sanctus excitabit veram pœnitentiam, si cor hanc doctrinam meditatur. Et diserte dicit Christus, se cum Euangelio & toto regno suo ideo minus curari, & frigidius à Simone Pharisæo excipi, quod hanc parabolam de debitorib. non recte intelligat & consideret. Qui enim vel nihil vel ideo parum debet, vt facile possit creditori satisfacere, ei non opus esse demissis supplicationibus: nec vsque adeo gratum est, si creditor magnificis pollicitationibus offerat condonationem. Et nota qualem opinionem, quam putauit fidem esse, hic Simon de Christo conceperit, cum ipsum ad se inuitaret. Existimauit enim illos à Messia in regnum Dei recipi, qui vel sine peccatis essent, vel pro exiguis & paucis, si quæ habeant peccata, ipsi suis operibus satisfacerent. Quia vero Christus peccatores ad se inuitat, & de gratuita remissione concionatur, minus à Simone curatur. Christus igitur proposita hac peccatrice, & parabola de debitoribus, ostendit non afferendam esse talem opinionem, si velimus in ipso requiē animabus nostris inuenire. Hæc ita considerentur, vt nō tantum de hoc Simone cogitemus: sed nos ipsos examinemus, quantum Christum cum beneficiis suis curemus, & quæ sit negligentiæ causa: scilicet, vel Epicuræa securitas, vel Pharisaica superbia. Christus enim instituit antithesin, *Peccatrix lachrymis lauit pedes ipsius*: *Simon* vero etiam cum inuitat Christus, *ne aquam quidem dedit*, &c. Quid facit illam differentiam? Respondeo: parabola de debitoribus hoc explicat.

Hoc ergo modo generale exemplum conuersionis in hac peccatrice propositum est omnibus, qui volunt à Christo refocillari, vt requiem inueniant animabus suis. Sed quare exēplum infamis peccatricis sumsit? Respondeo. Propter duas potissimum causas hoc fecit: 1. Quia Articulus gratuitæ Iustificationis, quæ fit sine nostris meritis, illustrius ita *potest proponi*. Non enim potest hæc, quia deprehenditur in *manifestissimis* flagitiis, vel defendere, vel excusare, vel extenuare peccata sua, nihil potest prætendere meritorum: sed humiliata, confusa & contrita in solam gratiam, quæ in Christo proposita est, recumbit. Et talis debet esse iustificatio omnium, qui volunt saluari. 2. Talia exempla scriptura proponit, ne quis propter multitudinem & magnitudinem peccatorum desperet, quasi doctrina gratiæ tantum ad eos, qui non enormiter sunt peccatores, pertineret. Ita Paulus exemplum suæ conuersionis proponit, 1. Tim. 1. v. 16.

Porro, quod Christus peccatum & peccatores parabola *debiti & debitorum* describit, illustrem habet significationem, ne leuiter de peccatis sentiamus, aut contemptim de iis loquamur. Appellatio enim debiti correlatiue respicit: 1. ad tabulas debiti, hoc est, ad legem ostendentem & summam & magnitudinem debiti, quod non excidit. Signatum enim est in tabulis lapideis. 2. Respicit ad creditorem, ne eum contemnamus, qui quotidie peccata nostra, tum commissionis tum omissionis annotat, easdem accurate supputat, & suo tempore tanquàm debita seuerissime exacturus est. Et quidem eum, qui non est soluendo, potens est & vendere, Matth. 18. versicul. 25. & in carcerem coniicere, Matth. 5. versic. 25. Tabulas enim ipse conscripsit. Ita ad rationem pœnitentiæ illustrius est vocabulum quàm *debiti*, quàm peccati. Et quidē hoc in loco vtitur Christus composito vocabulo, vocans hosce debitores χρεωφειλέτας, vt ostendat, nos omnes coram iudicio Dei prorsus non esse soluendo. Nam ὀφειλέτης simpliciter pro se debitorem significat: & χρέος significat indigentiam atque egestatem, quæ non est soluendo. Et 1. Sam. 22. ver. 2. dicuntur ὑπόχρεοι, illi obærati, qui ad Dauidem confugerunt. Et Hebræa lingua Dan. 1. v. 10. à חוב, quod debitum significat, deducit verbum חיב, quasi de debito accusatum & damnatum in discrimen capitis adducere: ideo Hieronymus reddidit: Condemnabitis caput meum apud Regem. Ita Psal 55. ver. 6. verbum נשה, quod significat debitū exigere, vsurpatur: Mors vt rigidus exactor opprimat, accuset, condemnet ipsos. Et in Nouo Testamento frequentior est vsus vocabuli *debiti* pro peccatis, quàm in veteri. Luc. 13. v. 4. vocantur debitores, super quos turris in Siloah concidit. Matt. 23. v. 18. qui iurat per donum, quod est in altari, debet: qui vero per ipsum altare, nihil est. Et dicunt hoc ex Chaldaismo sumptum esse. Vbi enim Hebræus habet peccata, Chaldæus in multis locis reddidit debita. Et Græca lingua ita ferme loquitur: vt, ὀφείλεις μοὶ ζημίαν, hoc est, obnoxius mihi es, vt pœnas à te exigam. Item ὀφείλεται κατθανεῖν, adiudicatus est morti. Menan. Βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται. Et vsitata sunt, ὀφλεῖν δίκην, damnatum esse. Item, ὀφλεῖν ζημίαν, certa mulcta damnatum esse. Et damnati iudicio forensi, simpliciter dicebantur, ὀφληκότες. Sicuti etiam ὄφλημα dicitur mulcta iudicio imposita. Ita & Suidas explicat. Et Græci interpretes Iob. 6. ver. 20. reddiderunt αἰσχύνην ὀφειλήσουσι pro חפרו, confundentur, ignominiam sustinebunt. Hæc obseruata aliquid lucis afferunt locis scripturæ.

Quintus locus est *de dilectione*. Eius enim Christus ter mentionem facit in hac historia. Et mulierem quidem hanc conuersam habuisse dilectionem Christus affirmat, & ex signis externis probat. Sed ardua est quæstio, quę magnis cōtētionibus hodie

hodie agitatur. An dilectio, vt meritum & causa praecesserit remissionem peccatorum, ita vt peccata dicantur ideo dimitti, quia praecedente magna dilectione peccatrix hoc promerita fuerit: seu dilectionem in hac peccatrice tantam fuisse, quae magnitudinem & multitudinem peccatorum absumere potuerit? Hanc sententiam Pontificij magnis clamoribus vrgent, & habent quaedam dicta Patrum, quae in illam sententiam inclinare videntur. Vt, Gregorius inquit: Charitatem esse ignem, peccatum vero rubiginem, quae magno charitatis igne concrematur & consumitur. Ideo enim remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quidam hoc loco allegant illud: Dilectio operis multitudinem peccatorum, Prouerb. 10. vers. 12. & 1. Petr. 4. versic. 8. Ambrosius inquit: Bonae sunt lachrymae, quae nostrum possunt lauare delictum. Item: Bonae lachrymae, in quibus est redemtio peccatorum. Lauit lachrymis maculas proprias. Chrysostomus, Per lachrymas & confessionem mundamur. Consimiles sententiae plures occurrunt. Sed magna quaestio est, in qua remissio peccatorum, salus nostra, & vita aeterna vertitur. Ideo non est committenda hominum opinionibus. Sed consulamus os Dei, & audiamus quid ille de hac quaestione pronunciet, qui est ipsa veritas, Iohan. 14. vers. 6. qui in sinu patris est, & venit vt enarraret nobis, Iohann. 1. versic. 18. ea, quae in cor hominis non ascenderunt, 1. Cor. 2. vers. 9. Eius enim sententia tuto possumus stare, etiamsi sint, qui diuersum sentiant. Pater enim de coelo clamauit: Hunc audite, Matth. 17. vers. 5. Extat autem explicatio filij Dei, nec dubia nec obscura, in hac ipsa historia. Expresse enim dicit: *Cum non haberent, vnde soluerent, vtrisque debitum ἐχαρίσατο, ex gratia condonauit.* Lachrymae igitur & dilectio peccatricis non fuerunt pretium seu satisfactio pro peccatis; nec dilectione ipsa promerita fuit, vt peccata dimitterent, quae ex sola gratia, sine meritis dimissa Christus pronunciat. Et explicat peccatricem lachrymis pedes lauisse, capillis tersisse, vnguento vnxisse, & osculis honorasse, non hoc animo & hoc fine, vt hisce officiis pro peccatis suis satisfaceret. Sed haec ipsa esse testimonia, quod non sit soluendo, sed petat gratuitam condonationem. Deinde verbis clarissimis asseuerat, dilectionem non praecedere remissionem peccatorum, vt sit eius causa efficiens, sed sequi vt effectum qui oritur ex gratuita condonatione peccati. Ita enim inquit: *Cum non esset soluendo, condonauit vtrisque debitum.* Vter horum iam *plus diliget* talem creditorem? sine dubio ille plus diliget, cui plus dimissum est. Haec sunt manifestissima. Et magna est temeritas, (ne quid dicam durius) contra hanc tam manifestam Christi sententiam diuersum statuere, ex deprauatione phraseos in illo dicto: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed inquiunt: Causalis est locutio, *quoniam dilexit,* &c. & quando effectum aliquem ponimus, cuius causam seu rationem mox nominamus, etiam scriptura ita solet loqui. Vt Gen. 2. vers. 3. Sanctificauit Deus septimum diem, quoniam in illo cessauerat ab omni opere. Respondeo. Nulla certior & verior est phrasium explicatio, quae sit earum vis & proprietas in singulis locis, quàm quae ex rebus ipsis & manifestis scripturae sententiis sumitur. Et sceleratum est, torquere, quando de sententia manifeste constat, phrasin contra manifestam sententiam. Haec vna responsio sufficere posset; sed tamen etiam de phrasi responderi potest. Particula enim כִּי, ὅτι, vel *quoniam*, non semper est causalis seu rationalis: sed saepe etiam vsurpatur, quando argumentum ab effectu, siue, quando ex consequenti ostenditur antecedens. Vt si dicam: Oportet solem ortum esse; quoniam dies est. Video Herodem & Pilatum reconciliatos esse: quoniam reuerentia & officiis beneuolentiae inter se certant. Ita Christus ex fructibus dilectionis ostendit, remissionem peccatorum iam praecessisse. Nam cui *dimissum est, is diligit*. Haec manifesta sunt, nec eludi vllo modo possunt. Ita enim Christus de debitoribus verbis nec obscuris nec ambiguis loquitur: & ipsam phrasin mox explicat. Cum enim dixisset: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Mox vt ordo causae & effectus recte intelligatur, addit: *Cui vero parum dimittitur, is parum diligit.* Iterum ergo affirmat remissionem peccatorum praecedere, & dilectionem sequi, ne quis de parabola tergiuersetur. Idem confirmatur ex illa quoque phrasi. Cum dixisset *debitum condonatum vtrisque*, proponit quaestionem: *Vter horum plus ἀγαπήσει, diliget*, in futuro: ἐχαρίσατο autem, seu gratis donauit, in praeterito. Dilectio itaque sequitur post remissionem iam factam: sicut futurum post praeteritum. Latina versio non parum adiuuit occasionem erroris. Ita enim habet: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Visa fuit dilectio iuxta hanc versionem praecessisse, quam postea subsecuta sit remissio peccatorum. Quidam legerunt: *Remittantur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed Grammatici simpliciter affirmant (sicuti etiam supra c. 43. indicatum est) ἀφέωνται, non esse praesentis, sed praeteriti temporis: nec optatiui, sed indicatiui modi. Haec contra corruptelas Pontificiorum, ex veris & solidis firmamentis opponenda fuerunt, vt absterfis Pharisaicis sordibus, sententiae sua genuina puritas restituatur, constet & conseruetur.

Non autem cum aduersariis tantum litigandum est: sed quaerenda etiam est doctrina, quae vtilis sit ad aedificationem. Et est haec; quod Christus docet, post acceptam remissionem peccatorum, quae sine nostris meritis, gratis, fide, propter Christum fit, sequi debere dilectionem. Et quidem ex dilectione, tanquam ex certo testimonio probat, mulierem illam non esse amplius peccatricem & aduersariam Dei, sed iam esse reconciliatam cum Deo: quia, inquit, *vides, quàm multum diligat.* Et addit: quando quis vel prorsus nihil, vel parum diligit, signum esse, nullam ibi adesse remissionem peccatorum, vel languide & frigide illam quaesitam & acceptam esse. Sicut & Iohannes dicit: qui non diligit, signum est ipsum non esse translatum ad vitam, sed manere in morte, 1. Iohan. 3. vers. 14. Et haec commonefactio singulis est valde necessaria, vt examinemus nos, ne decepti fingamus nos habere remissionem peccatorum, cum fructus longe diuersum testentur. Per dilectionem enim, vt Lutherus inquit, iustificatio nostra non tantum aliis manifestatur, sed & sibiipsi certa redditur, ne forsan simulata & mortua fide nos deceperimus.

Illud vero hoc loco praecipue obseruandum est, quod Christus ostendit, ex quo fonte oriatur vera dilectio. Quamdiu enim debitor cogitat, creditorem esse rigidum exactorem, cui, licet varia tentet, tamen non possit satisfacere, sed timendum esse, ne aliquando vel cum omnibus suis vendatur, Matth. 18. vers. 25. vel in carcerem coniiciatur, Matth. 5. vers. 25. non potest creditorem vere & ex corde diligere, sed vel manifeste, vel tacite odit, aut certe contemnit ipsum: & licet aliquando bladiatur ipsi, non tamen ex animo ipsum diligit. Ita mens ignara gratuitae reconciliationis, cui certo & tuto inniti possit, aut contemnit Deum, aut fugit & odit iratum. Sine Euangelio igitur, quod annunciat & donat remissionem peccatorum, vera dilectio Dei nec inchoari nec existere potest: nec possunt esse vere opera charitatis, quae Pharisaei, qui in lege iustitiam quaerunt, praestant. Sed quando creditor illis, qui non sunt soluendo, gratis condonat debitum, tunc sequitur, *cui plus dimissum est, ille plus diligit.* Et seruus quidem ille nequam, Matth. 18. vers. 28. egressus, dilectionis obliuiscitur: sicut multi, qui post acceptam reconciliationem, ad vomitum reuertuntur, 2. Petr. 2. vers. 22. Sed Christus loquitur de ordine diuinitus instituto, & de proprietate verae fidei, quod eam debeat sequi dilectio. Quando enim dilectio vel non sequitur, vel amissa est, signum est, vel fidem non esse veram, vel si adfuit, rursus amissam esse. Et haec singuli cogitare debemus. Nota enim esse debet doctrina parabolae, Matth. 18. vers. 23. Simul vero in quotidianis pietatis exercitiis vsurpanda est haec pars doctrinae, quomodo & quibus commonefactionibus & meditationibus vera dilectio per Spiritum sanctum inchoari, excitari, conseruari & retineri possit, vt fides ducat considerationem per partes huius parabolae. Debebamus magnam summam: non eramus soluendo: lex iam pronunciabat sententiam damnationis: ibi gratis propter filium Deus condonauit debitum: imò debitores, iam ad carcerem condemnatos, adoptauit in filios. In hoc exercitio fidei Spiritus sanctus adest, & illa consideratione voluntatem & cor renatorum mouet, vt incipiant velle & conari illa, quae mens ex verbo agnoscit Deo grata esse, vtque fiat illud cum quadam delectatione & laetitia in Deo, ad hunc finem principalem, vt Deo praestetur honos & laetitia.

Quando igitur sentimus dilectionem Dei in nobis vel frigere, vel concidere, his cogitationibus nos ipsos exuscitemus, & aderit efficacia Spiritus, qui per verbum Euangelij accendit, conseruat & auget dilectionem Dei in nobis. Et semper nobis insonet sententia illa: *Cui parum vel nihil dimissum est, parum vel nihil diligit.* Haec in seriis exercitiis rectius intelliguntur, quàm in nudis disputationibus. Ostendit enim Christus in responsione ad Simonem, dilectionem non sitam esse in externis & perfunctoriis operibus, sed esse ardens studium animi, cupientis & conantis, quacunque ratione potest, honorem & obedientiam praestare, & gratum aliquid facere ei, quem diligit. *Veni*, inquit, *in domum tuam, non aquam dedisti pedibus meis: illa vero non destitit lachrymis lauare, & capillis tergere,* &c. Oscula & vnctionem pedum Christus per se non curasset: sed iudicat illa ex animo, in quo ardet dilectio, ostensura, si quid haberet pretiosum, imo omnia quaecunque habet, se Christo offerre. Hoc modo dilectio pertinet ad veram poenitentiam seu conuersionem. Conuersam enim esse hanc peccatricem Christus inde ostendit, quod non perseuerat aut pergit in peccatis; sed Deum, quem hactenus contemptu & odio offendit, nunc summe timet, honorat & diligit. Sed

hoc in sequenti membro plenius explicabitur.

Postremo est & ille locus obseruandus, quod Simon apud se cogitat; *Si hic Propheta esset, sciret utique quæ & qualis sit illa mulier, quæ tangit ipsum.* Verbum Dei seuere mandat, cauendam & vitandam esse consuetudinem cum impiis. Psalm. 1. versi. Beatus qui non ambulat in consilio impiorum. Psalm. 26. vers. 4. Non sedi in consilio vanitatis, & cum iniquis non introibo: odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Iesa. 52. versic. 11. Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis. Et idem significabat illa pædagogia legis, qua ab immundis separari iubebantur, Leuit. 10. versic. 10. & 11. v. 44. Num. 35. v. 33. & c. Pharisæus igitur cogitat: Si sciret Iesus Nazarenus, quam flagitiosæ vitæ sit hæc fœmina, non pateretur sibi ab illa exhiberi siue seruitia siue officia. Tam honorifice enim sentit de Christo, quod existimat ipsum non commissurum, vt contra verbum Dei vel minima aliqua significatione societatis cum muliere ista se polluat, *si sciret quæ & qualis esset.* Iudicat autem ex ignorantia hoc fieri, quod in ciuitate illa satis ampla singulas personas, quales essent, non exacte nosset. Rursus vero cogitat: Tamen Prophetę talia sæpe in Spiritu viderunt, & cognouerunt: Vt 3. Reg. 14. v. 6. Abias agnoscit vxorem Ieroboam. 4. Reg. 1. v. 3. Elias legatum Ochosiæ, & quid in mandatis haberet. Ita 4. Reg. 5. v. 26. Elisęus in spiritu videt, quid Giezi absens agat. Ergo si hic esset Propheta ille, qui in mundum venturus est, Deut. 18. v. 18. sciret vtique qualis sit hęc mulier. Non autem pateretur se ab illa tangi, si sciret. Sed Christus ad cogitationes illius respondens ostendit, se plus esse quàm prophetam. Considerandum autem est, quomodo ad quęstionem respondeat. Multa enim illa responsio docebit. Et alibi quidem respondet ad illam obiectionem, quod publicanos & peccatores appropinquantes, vt audirent ipsum, non reiiciat & repudiet. Hoc vero ad alterum respondet, nimirum, scire se quidem quàm immensæ summæ debitrix sit hæc mulier peccatrix, quod autem illam recipiat, & ad communionem suam admittat, non fieri, quasi scelera ipsius probet, vel quasi eam ita in securitate malæ vitæ confirmare velit. Sed ostendit 1. Signa contritionis. 2. fidei, quomodo quærat remissionem peccatorum. 3. dilectionis, seu emendationis. *Vides,* inquit *hanc mulierem.* Peccauit: sed iam agnoscit, dolet, deflet, & detestatur peccata. Vides quàm solicite quærat, vt Deo reconcilietur. Vides ipsam non amplius hærere in pristinis flagitiis: sed conuersam esse. Membra enim sua, quæ antea fuerant organa Diaboli, ad flagitia, iam præbet arma iustitiæ Deo. Et quia ardens dilectio testimonium est, Deum ipsi peccata iam remisisse, Ecclesia non debet durior esse ipso Deo, vt illam reiiciat & damnet, quam Deus iam recepit & saluauit: sed debet talem receptionem Dei suo etiam testimonio comprobare & publice quasi promulgare. Pharisæi vero simulatione quadam magni zeli notorios peccatores, etiam quando conuertebantur, non facile ad communionem recipiebant. Et ideo Simon vlterius cogitat, non decere ministerium Christi, vt peccatricem tam cito & tam facile admittat atque recipiat. Propheta enim multo seuerior atque durior esse erga peccatores, quàm alius quispiam. Sed Christus in responsione sua: 1. concedit, communione cum peccatoribus non esse vel approbanda vel confirmanda peccata, sed probat legem Dei, quæ iubet, vt subducamus nos à talibus, vt ita pudefiant. 2. Quando vero pœnitentiam agunt, quærunt reconciliationem, & testantur emendationem vitæ se esse conuersos, ostendit non esse repellendos, sed benigne inuitandos & recipiendos. Ecclesia enim debet sequi Dominum suum, ne illos reiiciat, quos Deus recepit. 3. Præcipue vero ad illos, qui in ministerio versantur, ostendit hanc curam pertinere, vt peccatores ad pœnitentiam inuitent, venientibus quasi obuiam eant, manum porrigant, admittant & recipiant, ne absterreantur & relabantur: sed in eo, quod cœperunt confirmati, pergant. Ideo Christus, conuersus ad mulierem illam, inquit: *Dimissa sunt tibi peccata: fides tua te saluam fecit: Vade in pace.* 4. Nec tamen leuiter, sine certa comprobatione & testificatione veræ & serię conuersionis, receptio illa fieri debet, ne & Ecclesia offendatur, & ipse peccator simulatione pœnitentiæ decipiatur. Christus enim ostendit euidentia signa & manifesta testimonia, quibus comprobatur mulierem hanc vere & serio esse conuersam. *Vides,* inquit, *hanc mulierem* &c. Et diligenter obseruandum, quomodo publici peccatores post conuersionem rursus in communionem Ecclesiæ recipiendi sint, seu, vt breuius dicam, quæ debeat esse publicę absolutionis, in recipiendis iis, qui publici fuerunt peccatores. Ad mulierem, cuius conscientia luctabatur cum sensu peccati & iræ Dei, conuersus, publice omnibus audientibus eam absoluit: *Remissa sunt tibi peccata tua.* Illam vero absolutionem, quæ ad conscientiam pertinet, non vult niti debere dilectione, sed inquit, *fides tua te saluam fecit.* Quando vero Simoni & reliquis conuiuis, qui fidem cordis inspicere non possunt, vult ostendere peccatricem hanc non esse amplius fugiendam & damnandam, sed recipiendam, ex signis & fructibus pœnitentiæ & dilectionis probat ipsam esse conuersam, & cum Deus ei peccata remiserit, id quod ardens dilectio testatur, æquum esse, vt & Ecclesia eam recipiat. In publica igitur absolutione. 1. Conscientia peccatoris consolanda, & confirmanda est, annunciatione remissionis peccatorum, quæ fide Mediatoris Christi nitatur. 2. Ecclesiæ ex fructibus, signis & testimoniis conuersionis ostendendum est, peccatorem illum iam in communionem recipiendum, pro fratre agnoscendum, & de eius conuersione lætandum. Ita Lutherus in disputatione quadam, de duplici absolutione hunc textum explicat. Aliter enim Christus loquitur ad ipsam mulierem, quando conscientiam ipsius absoluit: *Fides tua te saluam fecit:* & aliter ad Pharisæum. Ad hunc enim inquit: *Tibi dico,* id est, publice vobis significo, mulierem hanc publica fama propter notoria flagitia notatam & damnatam, iam propter publicam eius dilectionem seu confessionem esse publice ab Ecclesia absoluendam à publica sententia, seu Excommunicatione: id quod coram Ecclesia, quæ cor intueri non potest, aliter fieri non potest, nisi ostendantur fructus digni pœnitentia. Conscientia vero peccatoris, vt habeat firmam consolationem, non ad dilectionem, quæ imperfecta & immunda est, releganda est, sed ad fidem nitentem Mediatore Christo deducenda est, sicut Christus inquit: *Fides tua te saluam fecit.* Et hic considera Exemplum Apostoli Pauli, an non hanc Christi Domini sui doctrinam obseruarit, 2. Cor. 2. vers. 6. in recipiendo incestuoso illo Corinthio, intra Ecclesię communionem, quem prius, 1. Cor. 5. v. 3. excommunicandum consueuerat. Studeamus igitur & nos eodem modo ad doctrinam & facta Christi nos accommodare.

CAPVT LVIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM PEREGRINATIONIS CHRISTI, per ciuitates & castella, cum Apostolis & mulieribus quibusdam. Luc. 8. versic. 1.

RATIO ORDINIS.

POst historiam de peccatrice, Lucas hanc peregrinationem ponit. Et non est dubium eam hoc ordine sequi. Etenim eam cum sequentibus hoc modo connectit: καὶ ἐγένετο ἐν τῷ καθεξῆς, *factum est deinceps,* ostendens se historiam (vt ita dicam) continuare, & quid post absolutionem peccatricis secutum sit, indicare. Ab ἑξῆς enim, vnde καθεξῆς deducitur, est ἐχόμενον, quod proxime & quasi continua serie sequitur. Est autem hæc profectio alia ab ea, quam Matthæus cap. 4. v. 23. & Marcus cap. 1. vers. 39. descripsit, & supra c. 41. harmoniæ est exposita. Hæc enim accidit ante secundum Pascha ministerij Christi, vbi ὅλην τὴν Γαλιλαίαν, *totam Galilaam circumiuit.* Est item alia ab ea, quæ describitur Matth. 9. versi. 35. & Marc. 6. versic. 6. vbi rursus quasi generalem visitationem Synagogarum, in ciuitatibus & castellis illorum, scilicet Discipulorum, qui plerique ex Galilæa oriundi erant, instituit. Hæc enim demum post suscitatam Iairi filiolam accidit, paucis nimirum mensibus ante tertium Pascha, quod incidit in ministerium Christi: sicuti de eo etiam in 4. cap. Prolegom. actum est. Hæc autem profectio, quæ hoc loco à Luca describitur, accidit, vt apparet, antequam Dominus transfretaret in terram Gadarenorum, ex qua rediens demum filiolam Iairi suscitauit.

Itaque

Itaque Christus hunc etiam secundum ministerij sui annum magna ex parte profectionibus & peregrinationibus Galilææ consumsit. Etenim, licet Dominus Iesus, Matth.4. versi.13. habitationem suam transtulerit ex ciuitate Nazareth in nobile illud emporium Capernaum, vnde & ipsius ciuitas dici cœpit, Matth.9.versic.1. tamen ex eo tempore, quo Pharisæi cum Herodianis contra ipsum conspirarant, ob sanatam manum aridam in Sabbato, Matth.12.versic.14. quia nondum hora ipsius venerat, non multum hæsit in vrbe, sed per secessus & profectiones ipsorum insidias declinauit. Aliquoties tamen eam ingressus est, quoties nimirum sciebat, illud gloriæ diuini sui nominis conducere, & aliquos sibi lucrifieri posse: sicuti id bis nunc, tum in Centurione, tum in peccatrice factum esse videbimus.

Quia vero graui ista compellatione, qua in præcedenti capite Simonem Pharisæum notauit, quod frigide admodum se curaret & amaret absque dubio aliquos ex conuiuiis, qui minus beneuole erga Christum erant animati, ostenderat, ne præsentia sua ipsorum liuorem & odium amplius accenderet, mox rursus eum ad tempus declinandum censuit, atque propterea hanc profectionem in ciuitates & castella instituit. Cui non opus est ita multum temporis tribuere: quia non totam Galilæam peragrauit, quæ habuit, Iosepho teste, ciuitates πυκνάς, frequentes, crebras & densas, sed tantum aliquas abiit. Vnde & Lucas simpliciter dicit διώδευε, *quasi obiter permeans iter fecit*. Osiander quidem in annotat.lib.2.c.9. & 10. dicit illum secessum Christi, qui Matth.12.versi.15. post sanatam manum aridam describitur, eundem esse, cum his, quæ Lucas hoc loco commemorat: sed nec probat, nec ipse ea in Harmonia coniungit. Icciro nos, sine præiudicio aliorum, huic profectioni hunc locum attribuemus. Et post hanc historiam pulchre sequetur, quod Marcus c.3.ver.20. dicit, *Iesum domum rediisse*, ex hac scilicet profectione, sicuti postea ostendemus.

HISTORIA PEREGRINATIONIS Christi per ciuitates & castella.

Luc.8. cap.8.

1. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ καθεξῆς, καὶ αὐτὸς διώδευε κατὰ πόλιν, καὶ κώμην, κηρύσσων καὶ εὐαγγελιζόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, οἱ δώδεκα σὺν αὐτῷ,
2. Καὶ γυναῖκές τινες, αἳ ἦσαν τεθεραπευμέναι ἀπὸ πνευμάτων πονηρῶν, καὶ ἀσθενειῶν, Μαρία ἡ καλουμένη Μαγδαληνή, ἀφ' ἧς δαιμόνια ἑπτὰ ἐξεληλύθει.
3. Καὶ Ἰωάννα γυνὴ Χουζᾶ ἐπιτρόπου Ἡρώδου, καὶ Σουσάννα, καὶ ἕτεραι πολλαί, αἵτινες διηκόνουν αὐτῷ ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς.

1. *Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, prædicans & Euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo.*
2. *Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exiuerant:*
3. *Et Iohanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.*

Periocha huius historiæ.

HViusmodi profectiones sunt pulchra & dulcis descriptio, quale sit officium Messiæ. Antea Dominus Iesus inuitarat ad se laborantes & oneratos, & ostendit quàm amanter eos ad se recipiat, qui ad se veniunt. Iam vero suscipit peregrinationem, vt eos, qui vltro & per se non veniunt, ipse præueniens quærat & excitet quo impleatur illud Iesa.65. versic.1. inuenerunt, qui non quæsiuerunt me. In Christo enim non hoc tantum habemus, quod eos, qui agnoscunt se esse oneratos, & habent propositum veniendi, clementer recipit: sed & hoc pertinet ad Messiæ beneficia, quod eos, qui non veniunt, quia non sentiunt se oneratos esse, ipse quærit, & ostenso labore & onere ipsorum, inspirat ipsis desiderium & propositum veniendi ad medicum. Excitatos amanter ad se inuitat, venientes clementer recipit, receptos custodit & gubernat, vt perseuerent in finem & salui fiant. Obseruandæ igitur sunt illæ crebro repetitæ descriptiones peregrinationum & profectionum Christi, quæ perfunctorie, quasi non magni momenti, præteriri solent: quod Christus, quando non habet multos auditores vltro accurrentes, ipse suscepta peregrinatione prædicando quærit & colligit Ecclesiam. Quando vero magnum concitauit concursum, ipse secedit, vt ostendat, quomodo vocati, qui habent initia fidei, debeant Christum quærere & ipsum sequi, iuxta dictum: *Venite ad me omnes* &c. Secessit vero etiam ob illam causam, vt corrigeret illorum peruersam opinionem, qui propterea concurrebant, eo quod somniarent carnale aliquod regnum Messiæ. Ita hoc loco ardore refrigescente & turba dilabente, rursus ciuitates & castella prædicando obit, vt colligat Ecclesiam. Et mox postea, cum multæ turbæ conuenissent traiiciet mare: & non diu post iterum, & ipse, & per missos præcones, conuocauit turbam quinque millium & vltra. Et tales vicissitudines vt ita appellem, multæ in Euangelica historia describuntur, quæ monent, quàm multa pertineant ad fidelitatem illam, quæ in ministro verbi atque dispensatore mysteriorum Dei requiritur, 1.Cor.4.versi.1. Dominus enim, cum factus esset minister Circumcisionis, Rom.15.versi.8. non consedit expectans, donec ipsi venirent, quibus opus esset medico: sed ipse peregrinando per ciuitates & castella quærit eos. Nec offenditur, quando congregatis voce ministerij multis turbis, videt non omnes respondere vocationi, imo plerisque retrocedentibus non abiicit ministerium: sed tunc maiori studio & labore prædicatione verbi colligit sibi Ecclesiam. Ideo Lucas dicit διώδευε. Hoc enim verbo Græci interpretes vsi sunt, Gen.12. versi.6. & 13. versi.17. vbi Hebræa habent: Ibat eundo & proficiscendo secundum longitudinem & latitudinem. Et vt ostendat, se neminem excludere, sed omnes vocare, *peragrauit & castella & ciuitates*. Nam quod Lucas dicit, κατὰ πόλιν καὶ κώμην, idem est, quos nos Germanice dicimus: *Von dorff zu dorff von einer Stad zur andern.* Sicque reipsa demonstrauit, se esse solem iustitiæ, à Propheta ita nuncupatum, Mal.4.versic.2. Vt enim sol exortus absque defatigatione mouetur ab oriente in occidentem, & per diuersas orbis plagas modo versus meridiem, modo versus septentrionem declinat, vt nihil quicquam à calore eius absconditum maneat, sed ipse omnibus lucem, calorem atque vitam suppeditet. Sic etiam Christus Iesus tempore ministerij sui nullum angulum in terra promissionis ita neglectum & præteritum esse voluit, cui non aliquid lucis de doctrina, non aliquid caloris de spiritu suo, non aliquid de vsura sempiternæ vitæ communicaret. Imitentur hoc exemplum eius ministri & serui, qui olim boni & fidelis serui elogio & testimonio insigniri cupiunt, Matth.25. versi.21.

In illa vero peregrinatione sine dubio multas habuit conciones: sed Lucas summam tantum annotauit, quod scilicet *prædicauerit Euangelium de regno Dei*. Sed inquis, hæc ταυτολογία est. Illa enim eadem doctrina & illa ipsa verba supra sæpius proposita, repetita & inculcata fuerunt. Atqui propter illam ipsam causam Euangelista hæc notauit, vt ostenderetur Christum in ministerio suo non quæsiuisse laudem eloquentiæ, nec simplices auditores affectatione nouitatis turbasse: sed sicut Paulus inquit Phil.3.versi.1. Eadem docere me non piget, vobis vero ad confirmationem vtile est. Et sicut Irenæus dicit summam in Ecclesia virtutem esse, perpetuo τὰ αὐτὰ λέγειν, eadem de iisdem & sentire & loqui. Quid vero significent & complectantur illa verba, *prædicauit & Euangelizauit regnum Dei*, supra cap.35 Harmoniæ ex 4. cap. Matthæi, & 1. Marci neruose explicatum est. Frigidum enim & ineptum est, quod quidam subtilitates quærunt, quasi in principio ministerij prædicarit *regnum cælorum*: nunc vero incipiat prædicare *regnum Dei*. Idem enim regnum est, quod in Euangeliis nunc regnum cœlorum, nunc regnum Dei vocatur: sicuti postea sæpius mentio fiet regni cœlorum.

Porro in eadem peregrinatione sine dubio etiam miracula facta sunt. His enim duobus capitibus (facere & docere) summa ministerij Christi comprehenditur, Act.1.versi.1. Et de miraculis quidem, in peregrinatione illa factis, Lucas nihil videtur dicere: sed tamen si contextus diligentius inspiciatur, apparebit Lucam vtrumque complecti, & doctrinam & miracula. Licet enim intelligi posset, mulierculas illas, quarum hoc loco mentio fit, sanatas fuisse ante susceptam hanc pere-

grinationem, nihil tamen obstat, quo minus accipiantur in hac ipsa peregrinatione sanatæ fuisse. Et hoc iudico esse simplicius, vt plena sit descriptio, quid Iesus in illa peregrinatione & docuerit & fecerit. Et illustre fuit spectaculum, quod cum prædicaret regnum Dei, simul circumtulerit testimonia confirmantia & obsignantia veritatem doctrinæ, ducens secum mulierculas, quas recens in ipso itinere & *ab infirmitatibus variis, & ab immundis spiritibus liberauerat.* Illo enim spectaculo plures excitati fuerunt ad audiendum verbum. Memorabilis etiam est gratitudo mulierculaꝛum, quod non statim reliquerunt Christum, sicut plerique accepto beneficio sanitatis fecerunt, sed in comitatu ipsius hæserunt, *& de suis facultatibus necessaria ipsi & Apostolis ministrarunt.* Nec tantum gratitudinis exemplum est, sed præcipue ostenderunt verum vsum miraculorum Christi, vt scilicet deducant ad verbum, & sint incitamenta ad agnoscenda, quærenda & amplectenda spiritualia beneficia Christi, vt scilicet verbum audiant, vtque spiritualium beneficiorum participes reddantur. Et hæc vera est gratitudo pro corporalibus beneficiis acceptis, vt Christo adhæreamus, ipsique de facultatibus nostris ministremus. Ita simplicius & ad doctrinam accommodatius est, si sanationes harum mulierculaꝛum intelligantur in hac ipsa peregrinatione factæ. Quod enim quidam fingunt, *Mariam Magdalenam* esse peccatricem illam, modo Luc. 7. vers. 47. in gratiam receptam, & septem dæmonia intelligenda esse septem vitia capitalia, friuolum est. Lucas enim expresse dicit *à spiritibus immundis liberatam fuisse.* Duo autem genera miraculorum recenset, *sanationem ab infirmitatibus, & liberationem à spiritibus immundis.* Ostendere enim voluit Christus, miseriam humani generis consistere non tantum in corporalibus calamitatibus, sed præcipue in eo, quod regno & tyrannidi immundorum spirituum natura humana propter peccatum subiecta est, & suum officium esse, non tantum corpora sanare, sed præcipue, vt ex potestate tenebrarum nos transferat in regnum suum, Coloss. 1. vers. 13.

Singulari vero diligentia Lucas descripsit, qualem comitatum Christus in peregrinatione illa habuerit. Et primo nominantur *duodecim* Apostoli, quod quidam ita intelligunt, ipsos in hac peregrinatione vnà cum Christo obiisse munus prædicandi. Id enim constructio indicare videtur. *Transibat prædicans, & duodecim cum illo.* Sed eadem ratione constructionis cohærent etiam sequentia de mulierculis, quas tamen propterea nemo affirmabit simul cum Christo prædicasse. Simplicius igitur est, quod Beda dicit, Christum iter fecisse prædicando, & duodecim Apostolos cum ipso, non vt & ipsi docerent, sed vt ab ipso instruerentur. Vocati quidem iam fuerant Apostoli, sed nondum acceperant mandatum prædicandi. Vt igitur firma maneat sententia Pauli, Rom. 10. vers. 15. Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint, simpliciter intelligatur, Christum Apostolos ante mandatum missionis secum circumduxisse, cum ipse prædicaret, vt ad futurum ministerium ipsos instrueret & præpararet. Deinde nominantur *mulierculæ quædam,* quæ ipsum comitatæ scribuntur in hac peregrinatione. Et imago est regni, seu Ecclesiæ Christi; Chorazim, Bethsaida, Capernaum contemnunt Euangelium Christi. Scribæ blasphemant & persequuntur. Simon Pharisæus leuiter & frigide curat. De quibusdam ex cognatis Christi mox Marcus dicet, quod disiunxerint se ab ipso. Et tamen non frustra circumfert prædicationem de regno Dei. Quales vero habet sectatores? Præter Apostolos habet mulierculas quasdam, & quidem tales, quarum aliæ antea à spiritibus immundis obsessæ, aliæ incurabilibus infirmitatibus notatæ fuerant. Contemptibilia igitur mundi eligit, vt confundat quicquid altum est coram hominibus, vt non glorietur omnis caro, 1. Cor. 1. versic. 28. Et ne pauperes, atque abiecti in hoc seculo existiment, sibi non patere aditum ad diuitias gloriæ gratiæ Dei in regno Christi. Ostendit etiam illa species, regnum Christi non esse de hoc mundo, Iohann. 18. vers. 36. Obseruandum etiam est in hac descriptione, quod anteactæ vitæ maculas, si sanatio subsecuta fuerit, Christus comitatui suo non ducat dedecori esse: sed illa tanquam insignia gratiæ & virtutis suæ circumferat & ostentet. Est & illa abiecta species regni Christi, quod in ministerio suo non habet vitæ necessaria, sed cogitur ex mulierculaꝛum quasi contributionibus se & suos sustentare. Lucas enim vtitur vocabulo διακονίας, quod de collatione & subministratione eleemosynarum pro pauperibus vsurpatur, Act. 6. versic. 2. Rom. 15. vers. 25. 2. Corinth. 8. vers. 19. & 9. vers. 12. Et hinc potest colligi, vnde Christus cum Apostolis in ministerio habuerint victum. Apostoli manibus non laborarunt: reliquerunt enim retia, Matth. 4. versi. 22. Nec legitur Christum certos habuisse reditus. Et aliquando quidem miraculose pecuniam & victum sibi & suis procurauit, Matth. 14. vers. 20. & 17. versic. 27. sed non semper, imo semel atque iterum tantum hoc fecit. Nec tamen etiam ostiatim mendicando victum quæsiuit. Sed ex contributionibus piorum habuit vitæ necessaria, quorum liberalitatem mediocrem loculi, Iudæ commendati, Iohan. 12. ver. 6. ostendunt. Et potuisset quidem semper miraculoso modo victum sibi & Apostolis procurare; sed voluit hoc suo exemplo ostendere, auditores debere ministris verbi vitæ necessaria, & qui Euangelio seruiunt, iure de Euangelio viuere posse, 1. Cor. 9. v. 14. Hieronymus inquit: Consuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua victum atq; vestitum præceptoribus darent. Cumque non tantum Christum doctorem, sed & discipulos, qui ad prædicandum instituebantur, honesto stipendio aluerint; exemplum præbent, debere opulentiores etiam aliquid contribuere ad honestam educationem & institutionem eorum, qui ad ministerium verbi in Ecclesiis subeundum instituuntur.

Recensentur autem nomina quarundam mulierculaꝛum. Inter quas 1. nominatur *Maria Magdalena,* quæ à Magdalo Vico, Matth. 15. vers. vlt. cognomen hoc traxisse videtur. De hac autem Maria Magdalena vulgarissima est opinio, ipsam fuisse peccatricem, quam Christus capite præcedenti in gratiam receperat, cuique peccata sua dimiserat. Imo aliqui faciunt quoque ex ea Mariam, sororem Marthæ & Lazari. Sed vtraque sententia nullum fundamentum habet in historia Euangelica. Neque enim frustra Lucas hic adiicit, & Marc. 16. vers. 9. repetit, ex Maria Magdalena septem dæmonia exiisse. Inde enim colligere licet, primo illam non fuisse sordidam illam peccatricem. De hac enim Lucas in præcedentibus testatus fuerat, eam adstitisse ad pedes Christi, amare illachrymatam fuisse, pedes eius lachrymis rigasse, capillis tersisse, vnguento vnxisse, crebra oscula fixisse. Christus autem hæc omnia interpretatus est fuisse signa seriæ pœnitentiæ, qua peccata sua agnouerit, fidem testata sit, & toto corde eum, qui salutaria æternæ vitæ monita præbuerit, amare cœperit. Talia vero nunquam quisquam de dæmoniacis, quamdiu eiusmodi essent, prædicari audiuit. Adhæc, sunt dæmoniacæ, etiam ab vno tantum nedum à septem obsessæ, adeò horribiles & cuilibet spectanti terrificæ, vt reuera perditè & prodigiose libidinosus sit, qui fœminam, quæ à Diabolo exagitatur & discruciatur, in comitatu habere velit. Cum ergo prior illa à peccato, hæc vero à Dæmoniis, quorum exagitatio non peccatum, sed pœna peccati est, liberata fuerit: quis non videt duas diuersas fuisse? Peccatricis autem nomen Euangelista non expressit, dubio procul ipsi parcens, ne qua infamiæ nota peccans apud suos viua laborauerat, eadem pœnitens & mortua apud posteritatem traduceretur. Non ergo nos, siue ex curiositate, siue ex præsumptione aliqua nomen ipsius disquirere cupiamus. Dæmoniacæ autem nomen non suppressit, quia à flagello suo liberata authorem vitę sequebatur, & gratitudinis ergo de facultatibus suis ministrabat ei, qui prouidet omni creaturæ. Quo etiam nomine tanto minus credibile est, quod illa, quæ tantas habebat facultates, vt etiam Domino & discipulis ministrare posset, ad stipem male & perdite emerendam, tam prostituti fuerit pudoris. Deinde quoque hæc Maria, quæ cognominatur Magdalena, non fuit illa Maria, soror Marthæ & Lazari; eo quod Magdalena fuerit Galilæa, Maria autem Marthæ soror fuerit Iudæa, ex castello Bethania, Ioh. 11. vers. 1. Anile autem & nugatorium est, & omni fundamento Euangelico caret, quod historia Lombardica fabulatur, fuisse Lazarum, Martham & Mariam ex regia prosapia oriundos, atque adeo diuites, vt non tantum Bethania & maior pars Hierosolymorum ad ipsorum hæreditatem pertinuerit, sed etiam ex hac copia Magdalon munitissimum castrum ædificarint, quod Marię sorori inhabitandum tradiderint, vnde ipsa postea Magdalena dicta fuerit. Hæc extra scripturam adducta eadem facilitate reiiciuntur, qua afferuntur. Et cuiuis diligenti scripturarum lectori sponte sua patet, tres diuersas fœminas fuisse, peccatricem, Luc. 7. v. 37. Mariam Magdalenam hîc Luc. 8. v. 2. & Mariam sororem Marthę, Luc. 10. v. 39. & Iohan. 11. vers. 1. Hæc satis manifesta sunt ex historia Euangelica, sicut etiam Cornelius Iansenius, Episcopus Gadauensis, negare non potest. Nihilominus tamen vrget receptam Ecclesiæ opinionem, qua tenetur, eandem fuisse fœminam & peccatricem, & ex qua septem dæmonia sunt eiecta, & quæ Bethaniæ Christum hospitio excepit. Et concludit secundum hanc sententiam esse sentiendum, non obstante eo, quod ex Euangeliis videtur obstare. Sed non perpendit, quam turpe, imo quam impium & prophanum sit, hominis, quisquis is sit, sensum præferre testimonio Euangelij. Originem autem hæc opinio traxisse videtur ex Gregorio Magno, qui super Euangelium de peccatrice hæc ponit verba: Cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet quàm dicere. Cuius enim vel saxeum pectus, illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitentiæ non emol-

emolliant? Ab eo tempore in Ecclesia cœptum est, peccatricem & Mariam Magdalenam pro vna eadémque haberi: cum vetustiores Patres, Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius & Hieronymus, semper pro diuersis habuerint. Adeo facile est & procliue Diabolo errorem in Ecclesiam inuehere etiam ex eo, si quando insigni alicui Doctori inconsideratior aliquis sermo excidit. Vnde etiam magni viri, non omnibus suis cogitationibus leuiter indulgere, sed eas exacte ad normam diuini verbi examinare debent: ne sua authoritate puritati doctrinæ apud posteros noceant. Sed de his satis. Nos statuimus Mariam quæ & hîc & alibi in Euangelica historia, Magdalenæ cognomento insignitur, non fuisse sordidam illam & infamem peccatricem, sed obsessam quidem à septem dæmoniis, cæteroquin autem honestam, nobilem & satis opulentam, quæ vnà cum aliis Dominum atque discipulos eius ex facultatibus suis aluerit.

2. Nominatur etiam *Iohanna*, cuius Lucas postea adhuc semel mentionem facit, cap. 24. v. 10. quod affuerit reliquis mulierculis, cùm angelus annunciaret resurrectionem Iesu. Illud vero peculiarem requirit obseruationem, quod hæc Iohanna scribitur fuisse *vxor Chusæ procuratoris Herodis*. Significat autem ἐπίτροπος Græcis, non tantum Tutorem pupillorum, verum etiam procuratorem & præfectum, cui aliquid committitur, vt alterius nomine & loco negotia quædam obeat & administret. Ita Xenophonti villicus vocatur ὁ ἐν τοῖς ἀγροῖς ἐπίτροπος. Et Herodotus dicit: ἐπιτροπεύω τῆς Αἰγύπτου, procuro vel administro Ægyptum. Et Thucydides dicit: τὴν πόλιν ἐπιτροπεύειν, ciuitatem gubernare. Porro vocabulum illud receptum & vsitatum fuisse inter Iudæos inde constat, quod Elias Leuites in suo Thesbite annotat, vbi Gen. 41. vers. 40. Pharao dicit ad Iosephum: Tu eris super domum meam, ibi Thargum Hierosolymitarum reddidit אפיטרופוס. Et Esther. 2. v. 3. vbi Rex constituit פקידים, quibus commissum erat hoc negotij, vt ex vniuerso regno conquirerent puellas eleganti forma, Græci reddiderũt κωμάρχας, Thargum Hierosolymitanum reddidit, אפיטרופין, quæ dictio simpliciter à Græco ἐπίτροπος mutuata, Hierosolymitanis quasi vernacula facta fuit, tunc potissimum, cum Græcorum societate sub Lacedæmoniorum imperio vterentur, sicut & ἡγεμών הגמון de quo suo loco. Græci etiam interpretes, Gen. 39. v. 6. vbi Potiphar Iosephum verbo הפקיד totius domus suæ administrationi præficit, vsi sunt verbo ἐπιτροπεύειν. Hæc obseruanda sunt, vt intelligatur, maritum Iohannæ præcipuæ authoritatis fuisse in aula Herodis. Oportuit enim & illud impleri, quod Psalm. 68. versic. 23. dicit: ex pinguibus adducam: conuertam de profundo maris. Neque enim de pauperibús & despectis Deus ita alligauit regnum suum, vt diuites & potentes plane exclusos esse velit. Paulus enim non dicit omnino nullos, sed paucos diuites & potentes electos esse, 1. Cor. 1. versi. 26. Sed quomodo diuites & potentes huius seculi vocentur, & recipiantur in ciuitatem Christi, hoc exemplum ostendit. Quæ enim sana Christum forsan non curasset, infirmitate compellitur, vt quærat ipsum: quod & ipsum forsan factum non fuisset, si infirmitas alia ratione curabilis fuisset. Nec coram mundo gloriosum fuit, Iohannam in comitatu Christi esse, sed à multis sine dubio probro hoc datum fuit mulierculis illis, & præcipue Iohanna à multis ludibrio habita, & quasi digito monstrata fuit, quod relicto aulico splendore, pauperem & despectum Iesum, cum discrimine famæ, dignitatis, & rei familiaris sequeretur, præsertim quia Pharisæi & Scribæ cum Herodianis dudum aduersus ipsum conspirauerant, atque tunc noui quid contra ipsum moliri videbantur, sicut sequentes historiæ ostendunt. Vt ita impleatur quod scriptum est, 1. Cor. 1. vers. 28. infirma, & ea quæ non sunt, elegit Deus, vt fortia, & ea quæ sunt, confundat & destruat, vt non glorietur omnis caro, sed per stultitiam prædicationis salui fiant credentes. Maritum Iohannæ fuisse non Ethnicum, sed Iudæum, appellatio *Chusæ* ostendit. Qui si Christo aduersarius extitit, insigne exemplum efficacis fidei & constantiæ est, quod Iohanna, contempta non modo mundi ignominia, verum etiam mariti indignatione, comitando Christum tam illustre specimen confessionis edit. Si vero marito consentiente factum est, Deus mirabiliter elusit & fregit impias machinationes Pharisæorum contra Christum. Iam enim conspirauerant cũ Herodianis in perniciem Christi, Marc. 3. vers. 6. De quo supra cap. 49. Harmoniæ. Sed interim Regulus, Iohan. 4 vers. 53. Centurio, Matth. 8. v. 6. & iam præfectus *Chusa* (nisi quis hunc eundem cum regulo esse velit) Ecclesiæ adiunguntur. Sed si alius fuit, de ipso nihil certi affirmari potest, vtrum Ecclesiæ membrum factus sit nec ne: de ipsa vero *Iohanna* Lucas c. 24. vers. 10. testatur, quod in constantia fidei perseuerarit, etiam post crucifixum Christum. Relicta enim Galilæa Hierosolymam Christum cum cæteris mulierculis secuta fuerat, & effecta est testis atque prænuncia resurrectionis Christi. 3. Nominatur etiam *Susanna*, & præterea dicuntur fuisse plures. Quarundam nomina extant. Matth. 27. vers. 56. Marc. 16. vers. 1. & Luc. 24. vers. 10. scilicet Mariæ, matris filiorum Zebedæi, Salomes, & Mariæ matris Iacobi minoris, & Ioses. Illæ enim scribuntur in Galilæa ministrasse Christo. Reliquarum nomina scripta sunt in libro vitæ, & in altera vita nobis innotescent, vbi recepturæ sunt præmia suæ erga Christum & Apostolos liberalitatis.

Ita pericope hæc descriptionis apud Lucam de peregrinatione Christi, quæ propter breuitatem ieiuna videbatur, non parum vtiles doctrinas complectitur.

CAPVT LIX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM REDITVS CHRISTI EX ILLA peregrinatione Capernaum, in domum suam, vbi eiicit dæmonium cæcum & mutum: vnde magna concertatio inter ipsum & Scribas oritur.

Matt. 12. v. 22. Marc. 3. v. 19.

RATIO ORDINIS.

Videntur distinctæ esse historiæ, reditus in domum, quem Marcus solus describit: eiectio dæmonij cæci & muti, quæ apud Matthæum & Marcum inuenitur: & cognatorum desiderium colloquendi cum Christo, quod apud tres Euangelistas habetur. Sicut etiam à plerisque hæ historiæ distrahuntur. Sed si quis omnes circumstantias diligentius ponderet, atque accurate, quomodo cohæreant, consideret, facile animaduertet hasce historias non distrahendas esse, verum vno continuo tractu eas accidisse, séque inuicem secutas esse. Ideo Euangelistæ diligenter inter se sunt conferendi. Et Marcus quidem historiam reditus statim subiicit post electionem Apostolorum: sed ratio ordinis, rem ipsam diligentius considerantibus manifesta est. Lucas enim post descriptionem peregrinationis illius dicit multas turbas conuenisse: & Christum postea multa per parabolam locutum esse. Matthæus vero dicit ante concionem illam parabolicam, in domo factam esse concertationem de Beelzebub: qua occasione vero Christus *in domum venerit*, Marcus annotat; cuius tamen descriptio plene intelligi nequit, nisi conferatur cum Luca. Marcus enim dicit Iesum venisse in domum: sed vnde venerit, ex Luca colligitur, scilicet ex peregrinatione. Et simplex positum est pro composito, sicut Iohan. 14. vers. 28. Vado & venio ad vos, id est, redeo. Ita significatius hoc loco diceretur: *Rediit*, absoluta scilicet peregrinatione, *in domum*, quam Capernaumi habebat. Marcus item dicit, *multas turbas conuenisse*: qua occasione vero conuenerint Lucas explicat, quia scilicet Christus peregrinatione sua eas excitauerat, & quasi conuocauerat. Et Marcus vtitur particula πάλιν, *rursus conuenit turba*, &c. Vult enim insinuare, antea dilapsas fuisse turbas, & iam rursus eodem modo collectas, quo antea, Matth. 4. versic. 25. factum fuerat. Ita mutuas operas Euangelistæ tradunt in descriptionibus. Nam & Lucas dicit, post absolutam peregrinationem Christi, multas turbas vndique conuenisse, & mox ad ea, quæ ad mare facta sunt digreditur. Marcus vero & Matthæus dicunt, turbas non ad mare primum venisse ad Christum, sed in domum. Atque sic ratio ordinis quoad reditum in domum manifesta & certa est.

Cæterum quod in domo mox secutum sit miraculum eie-

cti dæmonij, de illo nullum est dubium. Etsi enim Lucas descriptionis Christi subiicit parabolam de quadruplici semine: tamen Matthæus diserte dicit cap. 13. vers. 1. illam parabolam dictam esse illo ipso die, quo Dominus iam ante sanauerat dæmoniacum cæcum & mutum, & refutauerat blasphemias Scribarum. Et cum Matthæo consentit Marc. c. 4. vers. 1. qui & ipse c. 3. v. 23. præmittit disputationem de Beelzebub contra scribas, eique parabolam, exquisita notatione ordinis annectit, hoc modo: *Et cœpit iterum ipsos docere ad mare.* Vbi dubium non est, particulam πάλιν *iterum* apud Marcum illo loco εἱρμὸν ἀκολουθίας indicare. Cúmque Marcus dicat hoc factum esse in illa domo, ad quam ex peregrinatione redierat, eò magis ex vtriusque Euangelistæ descriptione ratio ordinis certa & manifesta est. Nec obstat, quod Matthæus plures, Marcus autem pauciores sententias Apologiæ Christi commemorat. Sic enim Euangelię mutuas operas tradere solent, vt quæ vnus satis plene descripsit, reliqui quasi studiose contrahere soleant. Inprimis autem Marcus, vt est monstrator ordinis, ita fere Matthæi abbreuiator esse videtur.

Scrupulum autem iniicere videtur, quod Lucas simile miraculum & concertationem, non hoc ordine, sed id vltima profectione Christi cap. 11. v. 14. describit, & tamen omnia ita refert, vt videantur prorsus eadem esse, & non nisi semel vno loco & tempore facta. Sed nihil absurdi erit, si intelligamus historiam, quam Lucas dicto in loco describit, non eandem esse cum hac, quæ Matth. 12. vers. 22. & Marc. 3. vers. 22 extat, sed in vltima profectione Christi accidisse. Nam in sequentibus manifeste deprehendetur, quæ Lucas à cap. 9. v. 51. describit ea omnia in tertio anno ministerij Christi facta esse, licet tam conciones quàm miracula magna ex parte cum iis, quæ in prioribus annis euenerunt, ita conueniant, & iisdem verbis describantur, vt prorsus eadem esse videantur. Sed eadem sæpius accidisse quis dubitabit? Cum etiam hæc ipsa historia per multa conueniat cum illo miraculo, quod Matthęus cap. 9. vers. 32. annotauit, vbi etiam testatur, Christum eiecisse Dæmonium mutum, & inde secutam esse Pharisęorum calumniam, quod Dæmones per principes Dæmoniorum eiiciat. Cum ergo in vno eodemque Euangelista idem miraculum bis factum, & vtrobique eandem calumniam inde ortam esse legamus: cur non duobus diuersis temporibus dicta factáque, etsi similia, statuamus, quę à duobus Euangelistis describuntur? Maxime cum apud Matthęum & Marcum, euocatio Christi ex concione per matrem & cognatos, & vicissim apud Lucam, inuitatio Pharisęi ad prandium, cum certa notatione ita pręcise pręcedentibus subiungatur, vt neutro in loco commode alterum ab altero auelli possit. Nos hic in Harmonia Matthæum saltem & Marcum coniungemus, Lucam suo loco & tempori reseruaturi. Quoad explicationem, quia collatio Euangelistarum aliquid lucis ei addit, assumemus etiam ex Luca illa, quę expositionem illustrare possunt. Porro, quia Scribę & Pharisęi editum miraculum tam acerbè calumniabantur, & cognati Iesu metuebant, ne in ignominiam totius familię, vel trucidaretur, vel aliàs male haberetur. Itaque ad auertendam illorum indignationem domo egrediuntur, & de Iesu in priuatam custodiam detrudendo deliberant, prętendentes speciosum, (vt ipsi opinantur) prętextum, quasi ob nimios labores & intempestiuas multitudinis interpellationes in furorem actus sit. Sed Iesus interim egregiam facti sui instituit Apologiam, & quidem talem, ex qua vel acerrimi hostes colligere potuerunt, ipsum mente probe sibi constare, nec ea motum esse. Et quidem cognati etiam matrem in suas pertraxerunt partes, quę propterea vnà cum cognatis ipsum adire voluit, sed Iesus eam non admisit. Quę historia licet cum hac continenti cursu acciderit, & proinde recte hisce annecti posset: ne tamen caput hoc nimium excresceret, illam in peculiare caput reseruare voluimus.

HISTORIA REDITVS EX ILLA PROFEctione Capernaum in domum suam: eiectio Dæmonij cæci & muti: calumnia Scribarum; cognatorum deliberatio; & acris concertatio inter Christum & Scribas.

MATTH. 12.

22. Τότε προσηνέχθη αὐτῷ δαιμονιζόμενος, τυφλὸς καὶ κωφός· καὶ ἐθεράπευσεν αὐτὸν, ὥστε τὸν τυφλὸν καὶ κωφὸν καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν.

22. *Tunc adductus est ad eum, qui dæmonio agitabatur cæcus ac mutus, & sanauit illum, ita vt cæcus ac mutus & loqueretur & cerneret.*

23. Καὶ ἐξίσταντο πάντες οἱ ὄχλοι, καὶ ἔλεγον· μήτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς Δαβίδ;

23. *Et obstupuerunt omnes turbæ, dicebantque: Num hic est ille filius Dauid?*

24. Οἱ δὲ Φαρισαῖοι ἀκούσαντες, εἶπον· οὗτος οὐκ ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια, εἰ μὴ ἐν τῷ Βεελζεβοὺλ, ἄρχοντι τῶν δαιμονίων.

24. *At Pharisæi cum audissent, dicebant: Hic non eijcit dæmonia, nisi præsidio Beelzebub, principis Dæmoniorum.*

25. Εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν, εἶπεν αὐτοῖς· πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, ἐρημοῦται· καὶ πᾶσα πόλις ἢ οἰκία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, οὐ σταθήσεται.

25. *Iesus autem cum sciret cogitationes illorum, dixit illis: Omne regnum diuisum aduersus sese, desolatur; Et omnis ciuitas aut domus diuisa aduersus seipsam non stabit.*

26. Καὶ εἰ ὁ σατανᾶς τὸν σατανᾶν ἐκβάλλει, ἐφ' ἑαυτὸν ἐμερίσθη, πῶς οὖν σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ;

26. *Et si Satanas Satanam eijcit, aduersus seipsum diuisus est. Quomodo igitur stabit regnum illius?*

27. Καὶ εἰ ἐγὼ ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι; διὰ τοῦτο αὐτοὶ ὑμῶν ἔσονται κριταί.

27. *Et si ego præsidio Beelzebub eijcio Dæmonia, filij vestri cuius præsidio eijciunt? propterea ipsi iudicabunt de vobis.*

28. Εἰ δὲ ἐγὼ ἐν πνεύματι Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.

28. *Quod si spiritu Dei ego eijcio Dæmonia, ergo peruenit ad vos regnum Dei.*

29. Ἢ πῶς δύναταί τις εἰσελθεῖν εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἰσχυροῦ, καὶ τὰ σκεύη αὐτοῦ διαρπάσαι, ἐὰν μὴ πρῶτον δήσῃ τὸν ἰσχυρὸν, καὶ τότε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάσει;

29. *Alioqui quomodo potest aliquis intrare in domum potentis, & vasa illius deripere, nisi prius vinxerit potentem, & tunc domum illius deripiet?*

30. Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι· καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει.

30. *Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit.*

31. Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις, ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις.

31. *Propterea dico vobis: Omne peccatum & conuitium remittetur hominibus, at conuitium in spiritum non remittetur hominibus.*

32. Καὶ ὃς ἂν εἴπῃ λόγον κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ· ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ, οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι.

32. *Et quicunque dixerit verbum aduersus filium hominis, remittetur illi: Qui autem dixerit aduersus spiritum sanctum, non remittetur ei neque in præsenti, neque in futuro seculo.*

33. Ἢ ποιή-

33. Ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον καλὸν, καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ καλόν· ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον σαπρὸν, καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ σαπρόν· ἐκ γὰρ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκεται.

33. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem vitiosam, & fructum illius vitiosum. Nam è fructu arbor dignoscitur.*

34. Γεννήματα ἐχιδνῶν, πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν πονηροὶ ὄντες; ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ.

34. *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Siquidem ex abundantia cordis os loquitur.*

35. Ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά· καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει πονηρά.

35. *Bonus homo è thesauro cordis expromit bona: & malus homo ex malo thesauro depromit mala.*

36. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν, ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.

36. *Sed dico vobis, quòd de quocunque verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddituri sunt rationem in die iudicij.*

37. Ἐκ γὰρ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ, καὶ ἐκ τῶν λόγων σου καταδικασθήσῃ.

37. *Nam ex dictis tuis iustificaberis, & ex dictis tuis condemnaberis.*

38. Τότε ἀπεκρίθησάν τινες τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, λέγοντες· διδάσκαλε, θέλομεν ἀπὸ σοῦ σημεῖον ἰδεῖν.

38. *Tunc interrogauerunt eum quidam è Scribis & Pharisæis dicentes: Præceptor, volumus ex te signum quærere.*

39. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς, γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου.

39. *At ille respondens, dixit illis, Generatio praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur illi, nisi signum Ionæ prophetæ.*

40. Ὥσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους, τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας· οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας.

40. *Quemadmodum enim fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.*

41. Ἄνδρες Νινευῖται ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτήν, ὅτι μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ· καὶ ἰδοὺ πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε.

41. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quòd ipsi resipuerint ad prædicationem Ionæ. Et ecce plus quam Ionas est hoc loco.*

42. Βασίλισσα νότου ἐγερθήσεται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινεῖ αὐτήν, ὅτι ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν Σολομῶντος· καὶ ἰδοὺ πλεῖον Σολομῶντος ὧδε.

42. *Regina Austri surget in iudicio cum generatione hac, & condemnabit eam, quòd venerit à finibus terræ ad audiendam sapientiam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon est in hoc loco.*

43. Ὅταν δὲ τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, διέρχεται δι' ἀνύδρων τόπων, ζητοῦν ἀνάπαυσιν, καὶ οὐχ εὑρίσκει.

43. *Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, perambulat per arentia loca, quærens requiem, & non inuenit.*

44. Τότε λέγει, ἐπιστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου, ὅθεν ἐξῆλθον· καὶ ἐλθὸν εὑρίσκει σχολάζοντα, σεσαρωμένον καὶ κεκοσμημένον.

44. *Tunc dicit: reuertar in domum meam, vnde exiui: & cum venit, reperit eam vacantem, & scopis purgatam atque ornatam.*

45. Τότε πορεύεται, καὶ παραλαμβάνει μεθ' ἑαυτοῦ ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ· καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων. οὕτως ἔσται καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ.

45. *Tunc abit, & adiungit sibi septem alios spiritus sceleratiores se, & ingressi inhabitat illic: Et fiunt postrema hominis illius peiora primis. Sic erit & generationi huic peruersæ.*

MARC. 3.

20. Καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον· καὶ συνέρχεται πάλιν ὄχλος, ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν.

20. *Et veniunt ad domum: & conuenit iterum turba, sic vt non liceret illis vel panes edere.*

21. Καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ, ὅτι ἐξέστη.

21. *Et cum audissent, qui ad illum attinebant, exierunt, vt manus inijcerent in eum. Dicebant enim: In furorem versus est.*

22. Καὶ οἱ γραμματεῖς, οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβάντες ἔλεγον, ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει, καὶ ὅτι ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια.

22. *Et Scribæ qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant: Beelzebub habet, & per principem Dæmoniorum eijcit dæmonia.*

23. Καὶ προσκαλεσάμενος αὐτοὺς ἐν παραβολαῖς ἔλεγεν αὐτοῖς· πῶς δύναται σατανᾶς σατανᾶν ἐκβάλλειν;

23. *Et conuocatis ad se eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo potest Satanas Satanam eijcere?*

24. Καὶ ἐὰν βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ, οὐ δύναται σταθῆναι ἡ βασιλεία ἐκείνη.

24. *Et si regnum aduersus sese diuisum fuerit, non potest stare regnum illud.*

25. Καὶ ἐὰν οἰκία ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ, οὐ δύναται σταθῆναι ἡ οἰκία ἐκείνη.

25. *Et si domus contra semetipsam diuisa fuerit, non potest stare domus illa.*

26. Καὶ εἰ ὁ σατανᾶς ἀνέστη ἐφ' ἑαυτὸν, καὶ μεμέρισται, οὐ δύναται σταθῆναι, ἀλλὰ τέλος ἔχει.

26. *Et si Satanas insurrexerit aduersus semetipsum, ac diuisus est, non potest stare, sed finem habet.*

27. Οὐ δύναται οὐδεὶς τὰ σκεύη τοῦ ἰσχυροῦ, εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, διαρπάσαι, ἐὰν μὴ πρῶτον τὸν ἰσχυρὸν δήσῃ, καὶ τότε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάσει.

27. *Non potest quisquam vasa fortis, ingressus in domum illius, diripere, nisi prius fortem alligarit, & tunc domum eius diripiet.*

28. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι πάντα ἀφεθήσεται τὰ ἁμαρτήματα τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, καὶ βλασφημίαι, ὅσας ἂν βλασφημήσωσιν.

28. *Amen dico vobis, omnia remittentur filijs hominum peccata & conuitia, quibuscunque conuitiati fuerint.*

29. Ὃς δ' ἂν βλασφημήσῃ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ

29. *At qui conuitium dixerit in Spiritum sanctum, non*

ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, ἀλλ' ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου κρίσεως.

30. Ὅτι ἔλεγον, πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει.

habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio.

30. *Dicebant enim: Spiritum immundum habet.*

HARMONIA HISTORIÆ REDITVS, MIraculi & concertationis, coagmentata ex duobus Euangelistis, Matth. 12. & Marc. 3.

b Καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον, καὶ συνέρχεται πάλιν ὄχλος, ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτους φαγεῖν. a Τότε προσηνέχθη αὐτῷ δαιμονιζόμενος, τυφλὸς καὶ κωφός, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτόν, ὥστε τὸν τυφλὸν καὶ κωφὸν καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν. Καὶ ἐξίσταντο πάντες οἱ ὄχλοι, καὶ ἔλεγον, μήτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς Δαβίδ; Οἱ δὲ Φαρισαῖοι ἀκούσαντες, εἶπον· οὗτος οὐκ ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια, εἰ μὴ ἐν τῷ Βεελζεβοὺλ, ἄρχοντι τῶν δαιμονίων. b Καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ, ὅτι ἐξέστη. Καὶ οἱ γραμματεῖς, οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβάντες, ἔλεγον, ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει, καὶ ὅτι ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια. a Εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν, b Καὶ προσκαλεσάμενος αὐτοὺς, ἐν παραβολαῖς ἔλεγεν αὐτοῖς· πῶς δύναται σατανᾶς σατανᾶν ἐκβάλλειν; c πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, ἐρημοῦται. καὶ πᾶσα πόλις ἢ οἰκία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς, οὐ σταθήσεται. b Καὶ εἰ ὁ σατανᾶς ἀνέστη ἐφ' ἑαυτὸν, καὶ μεμέρισται, οὐ δύναται σταθῆναι, ἀλλὰ τέλος ἔχει. a Καὶ εἰ ὁ σατανᾶς τὸν σατανᾶν ἐκβάλλει, ἐφ' ἑαυτὸν ἐμερίσθη. πῶς οὖν σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ; Καὶ εἰ ἐγὼ ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι; διὰ τοῦτο αὐτοὶ ὑμῶν ἔσονται κριταί. Εἰ δὲ ἐγὼ ἐν πνεύματι Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. c Ἢ πῶς δύναταί τις εἰσελθεῖν εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἰσχυροῦ, καὶ τὰ σκεύη αὐτοῦ διαρπάσαι, ἐὰν μὴ πρῶτον δήσῃ τὸν ἰσχυρὸν, καὶ τότε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάσει; a Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι· καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει. a Διὰ τοῦτο b ἀμὴν c λέγω ὑμῖν, ὅτι πάντα ἀφεθήσεται τὰ ἁμαρτήματα τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, καὶ βλασφημίαι, ὅσας ἂν βλασφημήσωσιν· ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις. a Καὶ ὃς ἂν εἴπῃ λόγον κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ· ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ, οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι b εἰς τὸν αἰῶνα, ἀλλ' ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου κρίσεως. ὅτι ἔλεγον, πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει. a Ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον καλὸν, καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ καλόν· ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον σαπρὸν, καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ σαπρόν. ἐκ γὰρ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκεται. Γεννήματα ἐχιδνῶν, πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν πονηροὶ ὄντες; ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ. Ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά. καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει πονηρά. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν, ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως. Ἐκ γὰρ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ, καὶ ἐκ τῶν λόγων σου καταδικασθήσῃ. Τότε ἀπεκρίθησάν τινες τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, λέγοντες· διδάσκαλε, θέλομεν ἀπὸ σοῦ σημεῖον ἰδεῖν. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς, γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου. Ὥσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους, τρεῖς ἡμέρας, καὶ τρεῖς νύκτας, οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, τρεῖς ἡμέρας, καὶ τρεῖς νύκτας. Ἄνδρες Νινευῖται ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτήν, ὅτι μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ· καὶ ἰδοὺ πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε. Βασίλισσα νότου ἐγερθήσεται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινεῖ αὐτήν, ὅτι ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν Σολομῶνος· καὶ ἰδοὺ πλεῖον Σολομῶνος ὧδε. Ὅταν δὲ τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, διέρχεται δι' ἀνύδρων τόπων, ζητοῦν ἀνάπαυσιν, καὶ οὐχ εὑρίσκει. Τότε λέγει, ἐπιστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου, ὅθεν ἐξῆλθον, καὶ ἐλθὸν εὑρίσκει σχολάζοντα, σεσαρωμένον καὶ κεκοσμημένον.

b Et veniunt in domum, & conuenit iterum turba, sic vt non liceret illis vel panes edere. a Tunc adductus est ad eum, qui dæmonio agitabatur cæcus ac mutus, & sanauit illum, ita vt cæcus ac mutus & loqueretur & cerneret. Et obstupuerunt omnes turbæ, dicebantque: Num hic est ille filius Dauid? At Pharisæi cum audissent, dicebant: hic non eijcit dæmonia, nisi præsidio Beelzebub, principis dæmoniorum. b Et cum audissent, qui ad illū attinebant, exierunt, vt manus inijcerent in eum. Dicebant enim, in furorem versus est. Et Scribæ, qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant: Beelzebul habet, & per principem Dæmoniorum eijcit dæmonia. Iesus autem cum sciret cogitationes illorū, b ad se vocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo potest Satanas Satanam eijcere? c Omne regnum diuisum aduersus sese, desolatur. Et omnis ciuitas aut domus diuisa aduersus seipsam, non stabit. b Et si Satanas insurrexerit aduersus semetipsū, ac diuisus est, non potest stare, sed finem habet. Et si Satanas Satanam eijcit, aduersus seipsum diuisus est. Quomodo igitur stabit regnū illius? Et si ego præsidio Beelzebub eijcio Dæmonia, filij vestri cuius præsidio eijciunt? propterea ipsi iudicabunt de vobis. Quod si Spiritu Dei ego eijcio Dæmonia, ergo peruenit ad vos regnum Dei. c Alioqui quomodo potest aliquis intrare in domum potentis, & vasa illius deripere, nisi prius vinxerit potentem, & tunc domum illius diripiet? a Qui non est mecū, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit. Propterea b amen c dico vobis, omnia remittentur filijs hominum peccata & conuitia, quibuscunque conuitiati fuerint: at conuitium in Spiritum non remittetur hominibus. a Et quicunque dixerit verbum aduersus filium hominis, remittetur illi: Qui autē dixerit aduersus Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in præsenti seculo neque in futuro, b in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio. Dicebant enim, Spiritum immundum habet. a Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum. Aut facite arborem vitiosam, & fructum illius vitiosum. Nam è fructu arbor agnoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Siquidem ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo è bono thesauro cordis expromit bona. Et malus homo ex malo thesauro depromit mala. Sed dico vobis, quòd de quocunq; verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddituri sunt rationē in die iudicij. Nā ex dictis tuis iustificaberis, & ex dictis tuis cōdemnaberis. Tūc interrogauerūt eum quidā è Scribis & Pharisæis, dicētes: Præceptor, volumus ex te signū quærere. At ille respondens, dixit illis: Generatio praua & adultera signum quærit, & signū nō dabitur illi, nisi signū Ionæ prophetæ. Quemadmodū enim fuit Ionas in vētre ceti, tribus diebus & tribus noctibus: sic filius hominis erit in corde terræ, tribus diebus & tribus noctib. Viri Niniuitæ surgēt in iudicio cum generatione hac, & condemnabūt eam, quòd ipsi resipuerint ad prædicationē Ionæ. Et ecce plus quàm Ionas est hoc loco. Regina Austri surget in iudicio cū generatione hac, & condemnabit eam, quòd venerit à finibus terræ ad audiendam sapientiam Salomonis. Et ecce plus quàm Salomon est in hoc loco. Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, perambulat per arentia loca, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit, Reuertar in domum meam, vnde exiui; & cum venit, reperit eam vacantem, & scopis purga-

ἔρημον τότε πορεύεται, καὶ παραλαμβάνει μεθ' ἑαυτοῦ ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ, καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων. οὕτως ἔσται καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ.

tam atque ornatam. Tunc abit, & adiungit sibi septem alios spiritus sceleratiores se, & ingressus inhabitat illic. Et fiunt postrema hominis illius peiora primis. Sic erit & generationi huic peruersæ.

Periocha huius historiæ.

DEscribitur nunc ordine, quid post peractam illam peregrinationem, Luc.8.ver.1.secutum sit. Marcus dicit, *ipsos, Christum scilicet & Apostolos, rediisse domum.* Paulo ante enim nomina Apostolorum recensuerat: & Lucas diserte dixerat, duodecim cum ipso fuisse in peregrinatione. Vbi autem domus illa fuerit, non explicat Marcus. Nam cap.2.versic.1. significauerat Capernaum ipsum habuisse domum: qua de causa etiam Capernaum ipsius ciuitas dicitur, Matth.9.vers. 13. Sicuti hac de re in 35.cap.Harmoniæ huius actum est. Ex illis igitur locis, per quę peregrinando & docendo transierat, *multæ turbæ* excitatæ *ipsum secutæ sunt:* ita vt cum ex singulis ciuitatibus ad illum, domum scilicet euntem, properarent, magna multitudo conuenerit. Ita autem irruerunt in ipsum, petentes simul & auditum verbi & sanationes, vt *nec ipse, nec Apostoli tempus haberent vacuum, quo panem manducarent.* Et obseruetur, quod Christus animaduertens ardorem illum in turbis, posthabito cibo, doctrinæ & miraculis vacauerit, ne desiderium turbarum, voce Euangelij excitatum, nisi voto suo frueretur & in fide confirmaretur, paulatim vel refrigesceret, vel extingueretur. Sicut etiam Ioh.4.vers.34. cum Samaritani ad illum properarent, audituri Euangelium regni, licet prius esuriisset, & Apostoli allato cibo eum ad manducandum hortarentur, tamen cibum sumere noluit, dicens: Meus cibus est, vt faciam voluntatē eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.

Dum ergo sic & docendo & miracula edendo occupatus est: ecce inter alios adducitur δαιμονιζόμενος, *dæmoniacus*, vel dæmonio agitatus. De cuius historiæ Circumstantiis primum quædam annotanda sunt, tum ipsa doctrinæ obseruatio eo planior erit. Mutum fuisse miserum illum hominem, qui ad Christum adductus fuit, Matthæus diserte testatur. Significat autem κωφὸς & mutum & surdum. Ita enim Physici loquuntur, quando disputant de causis, qui à natiuitate sunt κωφοὶ, iidem sint & ἄλαλοι. Et vocabulū illud plane vsurpatur, Marc.7.vers.32. & 9.vers.25. Matthæus etiam cap.11.vers.5. & Luc.7.vers.22.ita loquuntur, κωφοὶ audiunt. Hoc loco vero principaliter significat mutum. Sequitur enim κωφὸν eiecto dæmonio locutum esse. Sine incommodo tamen vtrumque potest intelligi, & quod mutus & quod surdus fuerit. Nam & Christus Mar.9.vers.25.aliud dæmonium vocat surdum & mutum. Matthæus addit fuisse etiam cæcum. Multa vero leguntur miracula edita in mutis, surdis & cæcis: sed hoc peculiare est in hac historia, quod mutus ille & cæcus dicitur fuisse *dæmoniacus:* & quod Lucas vocat *dæmonium mutum.* Illud quidam ita interpretantur. Quia in principio creationis natura humana à Deo non est ita formata, vt esset cæca, muta, surda: sed per peccatum hæ & aliæ deprauationes à Diabolo in naturam humanam iusto Dei iudicio inuectæ sunt: ideo Euangelistas ita loqui, vt ostendant esse morsus diaboli. Sed Matthęus diserte dicit, hunc hominem ita fuisse sanatum, vt loqueretur & audiret. Et tota concertatio, quæ insecuta est, non agit simpliciter tantum de sanatione cæci & muti, sed de eiectione dæmoniorum. Fuit igitur ille homo non simpliciter cæcus & mutus, quales multi fuerunt à natiuitate: sed fuit à Diabolo obsessus. Hoc enim Matthæus vocat δαιμονιζόμενον. Et ex obsessione illa Satanæ, non naturali aliquo vitio, factus est miser hic vir cæcus & mutus. Probo itaque illorum sententiam, qui existimant organa visus & dispositionem linguæ, vt & organa auditus, sine omni naturali vitio integra, sana & illæsa in hoc homine fuisse. Et *dæmonium* illud propterea vocari *mutum*, quod sua obsessione effecisset illum miserum hominem, mutum, surdum & cæcum, cum quidem in organis horum sensuum nihil vel esset vel appareret vitij. Vnde etiam dubium non est, hunc hominem ante obsessionem loqui, audire & videre potuisse: quo nomine tanto miserabilior factus est coram omnibus, qui antea eum nouerant. Et quia talis obsessio, rarum, insolitum & plane stupendum erat παράδοξον; ideo huius dæmonij eiectio, tanquam singulare aliquid, valde mouit turbas, & excitauit concertationem illam, quæ secuta est. Cum quidem Iesus iam ante multa eiecisset dæmonia, Matt. 4.vers.24. Mar.1.v.33. Luc.4.v.33.

Quia igitur multæ turbæ ex singulis ciuitatibus, Luc.8.v.4. Mar.3 versic.20. aderant, cum eiecto dæmonio mutus loqueretur & cæcus videret, varia secuta sunt iudicia, & varij sermones in turba, cum quidem nemo esset, qui non perculsus esset, quasi re inopinata & insolita, referente illustre documentum, plus quam humanæ, imo plus quam propheticæ virtutis & potentiæ in Christo. Et illa descriptio diuersorum iudiciorum & sermonum obseruanda est, cum quia imago est, quàm diuersis mundi iudiciis doctrina & opera Dei excipiantur, tum vero præcipue, quia mōstrat viam, quomodo ea, quę in disputatione Christi contra Pharisęos sequuntur, rectè explicari, simplicissime intelligi, & ad doctrinam accommodari possint. Videtur enim longa illa oratio Christi perturbata esse, in qua argumenta non satis cohæreant: sed plenissima erit si obseruetur, eam referri ad singulorum iudicia, quæ hoc loco describuntur, vel refutāda vel corrigenda, vel confirmāda. Et hæc obseruatio ostendet doctrinam huius historiæ.

Turba itaque *admirabantur.* Et non fuisse vulgarem admirationem Matthęus ostendit. Vtitur enim verbo ἐξίσταντο, quod vsurpatur, quando quis admiratione rei inusitatæ & inopinatæ attonitus, quasi obstupescit. Erat enim miraculum tale, quod non sinebat se contemptu eleuari: sed omnes in admirationem rapiebat, vt in quo manifesta diuinæ potentiæ ostensio relucebat, sicut dicunt, Matth.9.v.33. Sunt quidem & olim in Israel à Prophetis miracula facta, sed tale quid nunquam in Israel apparuit.

Ordine autem diuersa iudicia notentur, quæ ab Euangelistis describuntur. 1. Quidam dicunt: *Nunquid hic est filius ille Dauid?* hoc est, disputant secum & inquirunt, num hoc miraculū, cuius simile in Israel non erat factum, idoneum & satis firmū adeoq; euidens sit testimoniū, Iesum Nazarenum esse Messiam. Forma enim loquendi (*nunquid?*) significat non absolutam affirmationem, sed animum, qui cōsideratione rei ita mouetur, vt incipiat & secum & cum aliis ex collatione argumentorum veritatem inquirere, & quidē significat, quod aliquo modo animus illorum inclinarit in illam sententiam, quam proponunt. *Nunquid hic est filius ille Dauid?* Vsitata autem tunc fuit turbis hæc periphrasis Messiæ: quia post Patriarchas promissio Messiæ specialiter ad domum & familiam Dauidis à Deo fuerat directa, 2.Sam.7.versic.12. Psal.132.v.11.

2. *Pharisæi* per quos intelligo illos, qui in Synagogis Galilææ ordinariū docendi locū tenebant. Cùm animaduerterent inter turbas tales sermones spargi, & tales quæstiones agitari: *Nunquid hic est filius ille Dauid?* Et viderent se nihil profecturos, si tentarent miraculū illud contemnendo, extenuādo, aut subsannando eleuare, abiicere & conculcare, conuertunt se ad virulentas calumnias, vt turbis ita eripiant conceptam opinionem de diuina virtute in Christo, & dicunt: *Hic non eiicit dæmonia, nisi præsidio Beelzebub, principis Dæmoniorum.* Sensus eorum, quæ dicunt, hic est: Quid attoniti stupetis ad hoc miraculū, quasi nō posset, nisi diuina potentia fieri? Nunquid scitis, Magnos etiā multa miranda & stupenda per operationem diabolorū conficere? Extitisse.n.tum in illis terris & populis talē diabolicam Magiā, testantur Exempla Simonis & Elymæ Magorū, Act.8.v.9. & 13.v.8. Et quia videbāt Pharisæi sibi obstare, quod turbæ dicerent, *nunquam tale quid in Israel factum est.* Et meminerāt, quod magi Pharaonis, cū simile pręstare nō possent, cōfessi sunt, Exod.8.19. Digitus Dei hic est. Arripiunt illud, de quo inter Iudæos constabat, in regno Satanæ vnum malum spiritū nequiorem & potentiorem esse alio. Et hoc ita accōmodāt, quod reliquid malefici, seu magi & exorcistæ, nō possunt talia prodigia edere, inde fit, quia inferiorū dęmoniorū operā vtūtur. Hic vero maiora edit: quia habet Beelzebub secum, quasi familiarē spiritum, & per illū, vtpote per principē dæmoniorū, facile potest talia miracula facere. Cúmq; Pharisæi, qui ordinariū in Synagogis docendi locū tenebāt, hisce calumniis hoc Iesu miraculū pergrauarēt, protinus *Scribæ, qui ex Hierosolymis missi erant*, vt Iesu se opponerēt, quasi succēturiati ipsis suppetias ferunt, & magna asseueratione cōfirmāt omnino *Beelzebub habet, & per hunc Principem dæmoniorū, eiicit dæmonia.* Sic mutuas sibi operas tradunt Pharisæi Galilæorum, & Scribę Hierosolymitanorū, vt cōiunctim maiori authoritate Iesum premerent. Caput autem seu Principem in regno Satanæ vocant Beelzebub. Varia enim Idolorū apud vicinas gentes nomina Scriptura recitat. Vt Moabitarū, Beelpeor, Num.25.3. Chamos, 3.Reg.11.5. Baal, Num.22.41. Ammonitarum, Chamos, Iud.11.24. Moloch. 3.Reg.11.v.5. Melchon 4.Reg.23.v.13. Soph.1.v.5. Sidoniorum & Madianitarum, Astaroth, 4.Reg.23.v.13. Iud.2.13. Astarthes Dea, 3.Reg.11.5. Phegor, Num.25.18. Deut.3.29. Philistinorum, Dagon, 1.Reg.5. Iud. 16. 23. Babyloniorum, Bel, Draco, Dan.14.2. Adon Ezech.8.14. Priapus, 3.Reg.15.13. Accaronitarum, Beelzebub 4.Reg.1.2. Baal Berith. Iud.6.23. & 9.4. Sed inter illa Idola superstitio videtur principem locum tribuisse Beelzebub, vt

tentiori. Nam & Ochozias rex, cùm de vita periclitaretur, ad illud Idolum misit, 4. Reg. 1. 2. Quia verò scriptura pronunciat Deos gentium esse Dæmonia, Deut. 32. 17. & Psal. 96. 5. Pia igitur consuetudine receptum fuit inter Iudæos, Idola gentiū vocare non Deos, sed dæmonia: & inde Beelzebub, quia pro principe inter Deos gentium cultus fuerat, vocarunt Principem Dæmoniorum. Significat autem זבוב muscam. Et Beda existimat hanc appellationem tributā huic idolo inde, quod propter multa & frequentia accurrentium sacrificia, perpetua muscarum examina, quasi agnoscentia ipsum Deum, secum traheret. Alij opinantur, sedem Accaronitarum à muscis infestatam fuisse, contra quas opem huius idoli, vt præsentis numinis in arcēdis muscis, inuocare soliti fuerint. Forsan autem lingua Accaronitarum, à quibus nomen illud idolo impositū fuit, aliud significauit. Iudæi vero postea, iuxta Etymologiam suæ linguæ, iudicarunt hanc appellationem non male cōuenire principi Dæmoniorum, vt sit Baal & Dominus muscarū, hoc est, dæmoniorum: quæ muscæ appellantur, vel quia in aëre, vbi potestatem habent, tanquam muscarum examina præ multitudine circumuolitant, quærentes quos deuorent: vel quia dæmoniorum malitia & potentia ita describitur. זבוב enim non simpliciter muscam significat, sed venenatam, quæ sua infectione vel preciosissima corrumpit. Vt Eccles. 10. 1. Musca moriens fœtere facit vnguentum pigmentarij. Ita præstantissimam hominis naturam diabolus sua infectione deprauauit. Potentissimi etiam & sæuissimi hostes Iesa. 7. 18. vocantur זבוב. Vtrunq; igitur hac appellatione comprehēditur, & malitia & potentia Satanæ. Lutherus existimat Pharisæos principem Dæmoniorū vocasse, contemtus aut ludibrij gratia, vt qui viderentur sibi per se sua sanctitate tam facile posse Diabolum vincere, quàm facile muscæ abiguntur & contemnuntur. Christus vero ideo opponit disputatione de potentia regni Satanici. Sed quicquid sit de ratione appellationis, hoc obseruari potest. Omnia gentium idola vocata fuisse Baalim, quasi res petendas habeant in sua manu, alius alias, quas cultoribus suis propter venerationem largiantur. Illa verò idola, quæ cum adiectione aliqua nominabantur, vel Baal-Peor, vel Baal-Berith, vel Baal-zebub cæteris habita fuisse excellentiora & potentiora. Pharisæi itaque hoc modo inter turbas de illo Christi miraculo locuti sunt.

3. Et hæc virulenta Pharisæorum calumnia sine dubio multorū applausum consecuta est. Fuerunt tamen quidam, sicut Matthæus inquit, qui non assentiebantur quidem illis, qui ex hoc miraculo iudicabant Iesum esse Messiam; veruntamen abhorrebant euidentem hanc diuinæ virtutis ostensionē Satanæ tribuere. Illi igitur hoc subterfugium quæsiuerunt. Concesserunt, magnum sane esse hoc miraculum: sed tamen officium Messiæ requirere maiora & excellētiora *signa è cœlo*, hoc est, talia, qualia sub Mose facta fuerant, vel etiam præstantiora. Ita enim Ioh. 6. v. 31. declaratur, quid sit signum è cœlo. Et diligenter obseruetur, quomodo rationis iudiciū offendatur, cū videt Iesum, quando vult officium suū, de quo Prophetæ tam magnifica prædixerunt, ostendere & confirmare, tantum miracula sua in sanandis & restituendis miseris hominibus absumere. Iudicat enim multo excellentiora fore signa, quæ plus habeant magnificentiæ respondentis officio Messiæ, & plus addant authoritatis Euangelio, si è cœlo in rebus insuetatis & prodigiosis edantur. Illi igitur tunc tentantes, *petierunt* à Christo, vt, si vellet pro Messia agnosci, *signum* ederet nō in misero aliquo homine, sed *è cœlo*. Quia enim regnum cœlorum annunciet, conuenire vt signa sint cœlestia, non quæ in cæcis, mutis, claudis, surdis, leprosis & similibus eduntur. Hæc obseruatio ad explicationem expeditiorem sequentis disputationis plurimum proderit.

4. Multi in illis turbis fuerunt, qui reliquis disputantibus, ipsi tantum hærentes in admiratione rei insuetatæ, non progrediuntur ad inquisitionem de fine & vsu miraculi. Et sunt hi quasi Neutrales, qui nec ad Pharisæos, nec ad alios, qui iudicant Iesum esse Messiam, accedunt, sed tantùm admirantur.

Hæc distributio, cùm per se aliquid monet, quàm variis scilicet iudiciis doctrina & opera Dei excipiantur, inter illos etiam, qui cateruatim ad Christum properant: tum præcipue vtilis est ad explicationem sequentis disputationis.

Et quod Marcus quasi obiter annotat, nō est prætereundū: *συγκαλεσάμενος αὐτοὺς, conuocatis illis dixit* &c. Non ergo in ipso conspectu Christi hæc disputarunt, sed post factum miraculū aliquantulū secesserunt à Christo, & sicuti fieri solet, in multa quasi conuenticula diuisi, de hoc facto inter se contulerunt. Pharisæi vero singulorum colloquiis se miscentes, suas calumnias sparserunt. *Iesus igitur cùm sciret cogitationes ipsorum*, totam turbam, in varia quasi contubernia distractam, ad se cōuocauit. Ita notatio illa Marci ostendit rationem & ordinē historiæ. Dicitur autem *cogitationes cognouisse*, cùm tamē verbis protulerint illa, quæ Euangelistæ notarunt: vel quia non dicta erant in conspectu seu præsentia ipsius: vel quod cognouerit, quo animo singuli sua iudicia pronunciassent, licèt verbis aliud prætenderet, vt qui signum è cœlo quærebant. Præcipue vero cùm sciret Pharisæos, contra conscientiam, rei euidentia conuictam, loqui. Significat etiam, quòd non tam propter cōuitium illud, quàm propter ea, quæ hac calumnia in turbis efficere cogitabāt, sequentem orationē instituerit. Possit etiam ita intelligi, cùm multi in turba iudicium suum de hoc miraculo verbis nō expressissent, quod tamen agnouerit, quid singuli cogitarent, & ita non tantùm ad verba, sed ad cogitationes etiam orationem suam accōmodarit. Illud vero singulare est, & peculiarem considerationem meretur, quod à Marco annotatū est: *& cùm audissent sui, exierunt tenere eum.* Hæc verba non eodē modo ab omnibus explicantur, propter phrasin *οἱ παρ' αὐτοῦ, qui circa ipsum erant.* Quidā enim intelligunt de discipulis, non sane de Apostolis, qui cum ipso erant in domo, sed de aliis discipulis, qui cū audirēt à turbis ita obrui ipsum, vt nullam corporis curam habere posset, timentes ne vires nimia defatigatione exhaustæ collaberentur, accesserūt ad domum illam, hoc consilio, quod vellent Christum à turbis vi abducere, vt corpus reficeret. Et eam turbis facti sui rationem reddebāt. Dicebant enim *ὅτι ἐξέστη*, hoc est, nimia defatigatione in Syncopen, vel etiam alienationem mentis posset incidere. Sententia hæc non est mala. Sed contextui melius cōuenit, & pleniorem doctrinam præbere videtur, si iuxta Theophylacti & Bedæ explicationem *de cognatis* Christi intelligatur. Postea enim Matt. 12. 46. expresse dicit; & Marcus in hoc ipso capite v. 31. repetit, matrem cum fratribus, hoc est, cū cognatis foris stetisse, & euocasse Christum ad colloquium, siue quæsiuisse ipsum, sicut Marcus inquit. Sciebant enim Pharisæos antea conspirationem fecisse cum Herodianis contra Christum, & videbant iam propter illam causam ex Hierosolymis Scribas, quorum præcipuæ partes erāt in administratione politica, venisse Capernaum, & quidem ad ipsam domum, in qua Iesus docebat, se contulisse. Timentes igitur ne vel ipsi triste quid accideret, vel ne inde toti familiæ periculum crearetur, ceperunt hoc consilium, se velle totius familiæ nomine ipsum comprehēdere, & quasi in priuata custodia habere. In hac enim significatione verbū *κρατεῖν* in Euangelica historia sæpissime vsurpatur. Ideo dicitur *ἐξῆλθον, exierunt*, nimirum ex domo, in qua illa fiebant, & communi consilio, *habita* prius deliberatione, de captiuando Iesu decernebant. Hoc igitur fuit consilium cognatorum Iesu, quod *Pharisæos & Scribas*, si quid tentaturi essent, hoc modo placare vellent, quasi excusationis loco hoc prætensuri, *ὅτι ἐξέστη*. Significat autem verbum illud, quādo quis non est apud se, sed ita dicit, & agit aliquid, quasi extra se sit raptus. Græci interpretes reddiderūt sæpe pro חפז, quod significat vel perturbatione, vel alio vehemēti affectu abripi, vt nescias, vel non consideres, quid dicas vel agas. Ps. 31. v. 23. dixi in ecstasi mea, in excessu mentis meæ. Psal. 48. v. 6. Ipsi videntes admirati sunt, perturbati sunt, abrepti sunt. Sæpe etiam vsurpant pro חרד, quod significat vehementem commotionem mentis, ex affectu aliquo, Deut. 28. v. 28. verbū תמהון reddiderūt ecstasin mentis, quod significat ex turbatione, distractione, vel occupatione animi quasi totum obstupescere. Et Gen. 2. v. 21. soporem profundum, quo Adamus totus oppressus erat, Græci vocant *ἔκστασιν*. Vetus interpres hoc loco, Marci 3. 21. reddidit: *in furorem versus est.* Et in communi quidē lingua Græca, *ἐξίστασθαι* sæpe accipitur pro insania, quādo quis mentis suæ non est compos, sed in furorem actus est. Sed in Græcis Veteris Test. interpretibus & in Nouo Test. haud indicarim exempla tam duræ significationis inueniri. Alteram igitur significationem, de qua in scriptura exempla extant, sicut quædam annotata sunt, simpliciter retineo, idq; eo libentius, quia ostendit hoc loco imaginem iudiciorum mundi de Doctoribus in Ecclesia, præcipue quando aduersariorum authoritate premuntur. In principio enim ministerij, cū doctrina & miracula Christi peculiari quodam fauore ab omnibus exciperentur, mater & fratres descendunt cum ipso Capernaum, atq; inde Hierosolymam, Ioh. 2. v. 12. Postea quia vidēt non amplius gratum, sed inuisum esse ministerium ipsius, potentibus præsertim, & de periculis cogitare incipiunt, subtrahunt se ex comitatu ipsius, Luc. 8. v. 2. Et mulierculæ sane aliquæ ex cognatione sequebātur, sicuti ostendimus: *fratres verò*, h. e. qui præcipui erant in familia, domi manserunt. Nūc vero cum existimant, propter missos ex Hierosolymis Scribas, præsens imminere discrimē Christo & toti forsan familiæ, cogitāt ipsum comprehendere, & prætendunt, *ὅτι ἐξέστη*. Significat autem illud verbum, quod non simpliciter damnent doctrinam & miracula Christi, sicut Pharisæi dicunt ex Beelzebub esse, sed in modo agendi, maxime contra aduersarios, nimiam vehementiam non probant, moderationem aliquam desiderant. Et hac ratione existimant se vtrique parti satisfacere, & aduersarios hoc modo placare posse, si doctrinam quidem

non

non improbent, nimiam tamen vehementiam, in excessu delinquentem, reprehendant. Et simul in verbo ἐξέστη obliquam excusationem inuoluunt, quasi dicant, nimio studio, ardore & zelo propagandi regni Dei, ita quasi extra se raptus est, vt non semper consideret modum agendi, sed sæpius abripiatur nimia vehementia. Illam enim esse vim verbi ἐξίστασθαι, ex exemplis supra notatis colligi potest. Et eodem modo etiam Apostolus Paulus hoc verbo vtitur, 2. Cor. 5. vers. 13 εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, θεῷ· εἴτε σωφρονοῦμεν, ὑμῖν. Siue insanimus, Deo; siue sani sumus, vobis. Vult indicare, à fidelibus Christi ministris multa in ministerio agi tali zelo, vt vulgus improbet, & vel insaniam interpretetur, vel saltem de nimio excessu conqueratur: quæ tamen ipsa & Deus & euentus probent. Idem etiam visum fuit cognatis Iesu, de ipsius ministerio. Communi igitur consilio statuerunt, ad placandos aduersarios hoc esse commodissimum remedium, si ipse nolit se à ministerio abdicare, vt familia ipsum aliquantisper, per priuatam quasi custodiam, à ministerio remoueat, ne aduersarij durius quippiam in ipsum statuant. Hæc est simplicissima sententia de consilio cognatorum Christi. Et mirum est ipsam matrem Domini, antea cæteris mulierculis, Luc. 8. versic. 1. ipsum comitantibus, domi mansisse, & postea se coniungere huic consilio & decreto cognatorum. Et hoc opponatur illis, qui Mariæ sanctitatem, vltra quam scriptura vel pronunciat vel admittit, extollunt. Vt ita inter filios hominum in hac vita, solus Pontifex noster Christus sit sine peccato, 2. Corinth. 5. versic. 21. Heb. 7. vers. 26.

Obseruanda autem est hæc imago, quod longe alia sunt iudicia cognatorum Christi de ministerio ipsius, quando in principio sine aduersitatibus floret, quàm nunc, cùm vident aduersarios & vi & calumniis velle impugnare ministerium ipsius. Et quæ in tali statu rerum sint iudicia illorum, qui nec mali nec aduersarij esse volunt, sed qui videntur & doctrinæ & ministris bene velle, hoc exemplum ostendit. Nihil enim vsitatius est, quàm verbo ἐξίστασθαι notare ministerium, hoc est, vehementiæ nomine ministros Euangelij reprehendere, & maiorem moderationem requirere. Et discamus talia iudicia pati posse, non ab aduersariis tantùm, sed à cognatis, amicis, sociis & intimis. Ita enim Christo hoc loco accidit. Ideo (sicut modo dictum est) Paulus 2. Cor. 5. 13. hoc ipsum verbum ἐξίστασθαι, quo cognati Christi hoc loco vtuntur, generaliter accommodat ad omnes ministros. Quasi diceret: Communis querela est, ministros Euangelij nimia vehementia modum excedere, sicut fratres Christi dixerunt ipsum ἐξέστη. Non molestè sane feramus, hoc verbum nobis tribui, quod ipsum Christum oportuit ferre. Sed si ἐξέστημεν, Deo hoc fit. Charitas enim Dei constringit nos. Opponit ibi, ἐξίστασθαι verbo σωφρονεῖν, quod significat prudenter, cautè, circumspectè, modestè seu moderate agere. Et moderatione sæpius vtendum esse propter Ecclesiam, Paulus ibidem docet. Sed quando studium gloriæ Dei, zelus contra peccata, & consideratio felicitatis, quæ in ministerio requiruntur, interdum ministros quasi extra se rapiunt, vt aliquanto vehementius agant, hoc mundus tragicis clamoribus statim damnat: sed sustentemus nos testimonio bonæ conscientiæ, quod non priuatis affectibus, sed Deo hoc dederimus, cuius charitas nos ita constringit. Et Paulus vtitur valde significanti verbo συνέχειν, quod significat vndique circumsistere, coarctare & vrgere, sicut fit in obsidionibus, Luc. 19 43. Ita cùm mallemus placidè agere, & iam multa cogitamus, atque varia deliberamus, charitas Dei συνέχει nos, vt non possimus aliter agere, modo fidelitatem præstare velimus. Et συνεχόμενος dicitur, qui peculiari afflatu & instinctu diuino animatus aliquid agit. Ita Paulus Actor. 18. 5. συνείχετο, constrictus, testificabatur Christum, hoc est, impetu Spiritus concitatus, totus in hoc ferebatur, vt Iudæis testificaretur Christum. Et videtur Paulus postea Emphasin huius vocabuli c. 20. vers. 22. hac phrasi exprimere voluisse, ἐγὼ δεδεμένος τῷ πνεύματι, Ego vinculis constrictus spiritu proficiscor in Hierusalem. Et proprietas vocabulorum in illo loco Pauli diligenter obseruanda est. Iudicium enim Spiritus S. opponit iniquis mundi præiudiciis, & simul ostendit, quis debeat esse modus & regula vehementiæ. Illam enim potestatem Deus dedit ministerio. Sicut Paulus inquit, 1. Cor. 4. 21. Quid vultis? in virga veniam ad vos: an in charitate & Spiritu mansuetudinis? & 2. Corint. vlt. v. 3. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Sed hæc potestas data est ad ædificationem, non ad destructionem. Ibid. v. 10. Solent autem talia iudicia valde probari, & quod Ecclesiæ multum prosint, commendari, vt quæ moderatione aliqua aduersarios possint mitigare. Sed vide in hac historia, quid cognati hoc suo iudicio proficiant. Aduersarij enim, Scribæ & Pharisæi non placantur, non conuertuntur, sed cùm audiunt cognatos tribuere Iesu ecstasin: ipsi mox exclamant, imo per Beelzebub eiicit dæmonia. Ô prima igitur in iudicando est illa Pauli regula, 2. Cor. 5. 13. de qua hactenus dictum.

Hanc iudico esse simplicissimam explicationem. Quod si quis voluerit ita intelligere, quod plane damnarint doctrinam Christi, vt hominis insani & furiosi, poterit hoc accommodare, quod Iohannes c. 7. v. 5. dicit: ne fratres quidem eius credidisse in ipsum. Et verbum σωφρονεῖν, quod 2. Cor. 5. 13. opponitur τῷ ἐξίστασθαι, in lingua Græca solet aliquando ex contrario respondere verbo μαίνεσθαι. Sed alteram explicationem iudico simpliciorem esse, maxime quia mater Domini patitur se ad eandem sententiam allici, & vnà cum fratribus seu cognatis Dominum euocat. Huic non ausim hoc tribuere, quod iudicauerit doctrinam Christi furorem esse & insaniam. Iam his præmissis inspiciamus reliqua huius historiæ mẽbra.

Acris concertatio seu disputatio cum Scribis, quæ miraculum illud est consecuta.

IN præcedentibus dictum est, quomodo certa distributio personarum & rerum seruiat huic explicationi. Quidam enim explicationem ita instituunt, quasi tota illa disputatio Christi tantùm esset opposita calumniæ Pharisæorum & Scribarum de Beelzebub. Et hoc quidem Christus præcipue agit, quod virulentam ipsorum linguam voluit retundere: simul tamen etiam orationem accommodat ad reliquorum iudicia vel refutanda, vel corrigenda, vel confirmanda. Et inde disputatio aliquanto prolixior efficitur, quia singulis vult satisfacere. Hæc obseruatio non tantùm planam reddet explicationem contextus, verumetiam monstrabit capita doctrinæ, quæ in disputatione Christi proponuntur. Primùm igitur obseruetur, quæ argumenta & quomodo illa opponat Pharisæorum & Scribarum calumniæ de Beelzebub. Quia enim certum est, etiam Pseudoprophetas per operationem Satanæ sæpe miracula facere: Exod. 7. v. 11. & 8. 7. Deut. 13. v. 1. Matth. 24. vers. 24. 2. Thess. 2. vers. 9. Apoc. 13. vers. 13. & 19. v. 20. Christus igitur, ne qua relinquatur dubitatio de authoritate, certitudine & veritate suæ doctrinæ, quod diuina & cœlestis sit, solicitè, graui oratione & multis argumentis ostendit atque probat, sua miracula nihil habere commune cum magicis Satanæ operationibus, sed fieri *digito Dei*, hoc est, cœlesti virtute ac diuina potentia. Atque illam tam accurata argumentatione ostendit, opus esse prudenti diligentia, discernendi falsa & diabolica miracula à veris & diuinis, ne prætextu miraculorum seducamur. Et simul docet, quomodo rectè, verè & certò discerni & dignosci possint. Illustrem igitur habemus hîc locum communem: quem tamen si ea, qua decet, perspicuitate tractare, & argumenta, quibus Iesus hoc loco vtitur, rectè euoluere velimus, necesse est, vt ea, quę de vtroque regno tam Diaboli quàm Dei, huic disputationi admiscuit, prius expediamus.

Proponit igitur primò Satanam considerandum, tanquam tyrannũ fortem & potentem. Idcirco vocat ipsum ἰσχυρόν, quo vocabulo septuaginta interpretes sæpe in veteri Testamento reddiderunt גבור, quod significat præualidum, qui authoritate aliis est superior. Ier. 9. 23. Ne glorietur ἰσχυρός, fortis in fortitudine sua. Redditur etiam aliquãdo per vocabulum Gigantis, sicut inuenire licet Gen. 6. 4. de potentibus illis antediluuianis, qui sua tyrannide Dei iram attraxerunt super mundũ. Et Gen. 10. v. 8. & 9. De Nimrod, qui post diluuiũ primus fuit tyrannus, & factus est robustus venator coram Domino. Hæc appellatio non male quadrat in Diabolum. Vt enim tyranni, quò sunt potentiores, eò plus damni inferunt hominibus, vt nemo ipsis resistere siue ausit, siue possit: Ita Diabolus tãquam potentissimus tyrannus totum genus humanum suę potestati subiecit, adeo vt nullus ex toto hominum genere quicquam contra ipsum obtinere queat. Atq; hanc appellationẽ Christus opponit veræ & iactabundæ persuasioni Pharisæorũ, qui principem Dæmoniorum propterea Beelzebub nominabãt, quia opinabantur, se sua sanctimonia Satanam tam facile, quàm muscam aliquam grandiorem vel crabronẽ depellere posse. At in eo se deceperũt. Est enim *fortis, qui habet* βασιλείαν *regnum*, & præterea οἰκίαν *domum*, vt Matthæus, & αὐλὴν *atrium*, vt Lucas loquitur, hoc est, habet regnum, in quo dominatur, licèt in eo sit obsessus. Atrium autem illud nõ ita nobis imaginemur, quasi in inferno habeat palatium, vbi Beelzebub ignitæ sellæ insidens inter reliquos diabolos præsideat, ita vt nihil periculi inde ad nos redundet. Est quidem infernus diabolo & eius angelis à Deo paratus, Matt. 25. 41. vt ibi torqueatur, & æternis vinculis sub caligine reseruetur, vt habet Epistola Iudæ v. 6. Sed donec veniat magna illa dies Domini, & vniuersale iudicium mundi, in illam abyssum non mittitur, sicut etiam eam deprecatur, Luc. 8. 31. Interim igitur domum suam habet in his terris, & palatium erigit in cordibus hominum. Vnde à Christo vocatur ἄρχων, princeps huius mundi, Ioh. 14. v. 30. à Paulo Princeps, cui est potestas aëris

Ephes.2.2. κοσμοκράτωρ & Dominus mundi, Ephes.6.12. imo Deus huius seculi.2.Cor.4.v.4.

Quid vero in hoc suo palatio faciat, nos corporalibus oculis non videmus, sed Christus eleganter hîc depingit. Dicit enim habere eum multos ministros, Spiritus, quorum vnus altero sit nequior: omnes tamen vnanimiter eò intenti, ne regnum suum aliquod damnum patiatur. Esse præterea non tantum ipsum καθωπλισμένον & *armatum*, sed habere etiam alia sua *σκεύη, vasa*, & *ὅπλα, arma quibus confidat*. Vasa sunt, vt Chrysostomus interpretatur, vniuersi homines, qui male viuendo ipsi adhærent. Et hi ipsi exhibent huic principi membra sua arma iniustitiæ peccato, Rom.6.vers.13. Habet insuper aculeum mortis, 1.Cor.15.56. ceu hastam virulentissimam, quam acuit ad lapideas tabulas legis diuinæ. Ad hæc vtitur magna prudentia in custodiendis, tuendis & retinendis illis, quæ semel occupauit, habet firmos vngues, quibus tenet id, quod semel est consecutus, & studet in pace ea possidere. Est denique satis impudens, si maxime semel eiectus sit in desertum, sicuti in historia Tobiæ c.8.v.3. factum legimus: non tamen pudet eum redire. Et quando redit, tum est astutè malitiosus. Sumit enim secum septem spiritus se longe deteriores, vt eiusmodi hominis posteriora reddat peiora primis. Hoc modo vult Christus, vt non tantum Pharisæi & Scribæ Iudæorum, sed & omnes homines potentiam atque tyrannidem Satanæ considerent. Et quia pauci id faciunt, permittit interdum Deus aliquos corporaliter à dæmonibus obsideri, vt in illis ceu in speculo reliqui videant, quid & quantum valeat hic hostis ipsorum, qui indefesso studio circumit quærens quem deuoret, 1. Pet.5.8. si Deus ipsi propter peccata nostra indulgeat. Tale speculum, Scribis propositum, fuit hic Dæmoniacus. Voluit enim Deus vt cogitarent: En Deus istum virum creauit, non arborem, non bestiam, multo minus sic miserabilem & abiectum, sed hominem, tanquam creaturam nobilissimam, ad suam imaginem, vt esset templum, in quo Spiritus Domini habitaret, à quo agnosceretur, & in æternum celebraretur. Sed, proh dolor, Diaboli tyrannide res eò est deducta, vt quouis bruto sit miserior. Nam oculi eius, quibus cœlum & opera Dei intueri, atque ex visibilibus operibus huius mundi inuisibilem Deum cognoscere potuisset, Rom.1.20. sunt excæcati. Aures, quibus verbum Dei audire, atque ad fidem adduci potuisset, sunt obturatæ. Lingua, qua creatorem suum celebrare debuisset, est ligata. Infelicissima itaque est miserrimi huius hominis conditio, ita vt ne minimum quidem in ipso inuenire liceat, quod huius vitæ visum ipsi vtilem & iucundum reddere possit. Et hæc omnia eueniunt ipsi ex tyrannide Satanæ, qui irreconciliabilis & immortalis est mortalium hostis. Neque in omnibus hominibus coniunctim, nedum in vno aliquo separatim tantum est virium, vt miserum hunc hominem ex ipsius potestate eripere, atque ex his tantis malis eum liberare possemus. Ex horum consideratione etiam altius Scribæ exsurgere & considerare debuissent, quod hic corporaliter obsessus præ se ferat typum omnium eorum, qui Diabolo penes se locum dantes, spiritualiter ab ipso obsidentur. Adamum certè Deus principio bonum & beatum creauerat, qui non tantum creaturarum omnium & ipsius Creatoris cognitionem plenam haberet: sed & huius voluntati atque præcepto obedire potuisset. Sed dedit locum suggestioni Diabolicæ, atque ex vetita arbore comedit, vnde sibi & toti posteritati hoc malum accersiuit, vt homo animalis, in iis quæ sunt Spiritus Dei, nihil percipiat, 1.Cor.2.14. vt præcepta Dei surdis auribus prætereat, nec de vlla re magis inepte iudicet & loquatur quam de rebus diuinis, ita vt interdū mutum esse præstaret. Hoc cùm Scribæ, qui tamen in sacris præ aliis multum profecisse videri volebant, animaduertere & expendere nolint, re ipsa commonstrarunt Beelzebubum ipsorum mentes spiritualiter ita obsedisse, animos ita excæcasse, aures obstruxisse, & linguas aggrauasse, vt nec veritatis lucem videre, nec salutaria monita audire, multo minus ea verbis fateri vellent & possent, quæ ad Dei laudem & propriam salutem conducibilia videri poterant.

Deinde vero Dominus Iesus non tantùm Diaboli, sed etiam Dei regnum nobis considerandum proponit. Vbi tamen non loquitur de vniuersali Dei gubernatione, seu potentiæ regno, vt vulgo loquuntur, respectu cuius etiam Diaboli Deo, tanquam creaturæ suo creatori subsunt. Nec etiam loquitur de regno gloriæ, quod in cœlis administrat inter beatos spiritus, quibus gloriam suam indesinenter conspiciendam præbet. Hoc enim nihil nobis, nisi eodem aliquando deduceremur, prodesset. Sed loquitur de regno gratiæ, quod in his terris Diaboli regno opposuit. Deus enim cùm videret illum fortem atrium suum ita custodire, vt nemo elabi posset, nostri misertus, dedit ἰσχυρότερον *fortiorem*, nimirum filium suum vnigenitum, qui à Propheta Iesa. 9. versic.6. inter alia dicitur אֵל גִּבּוֹר Deus fortis. Et si Diabolus est κοσμοκράτωρ, Ephes.6.vers.12. hic est Iehoua ὁ θεὸς παντοκράτωρ, Deus exercituum, quod est perpetuum ipsius nomen, Oseæ 12.5. Hic propter nos & nostram salutem descendit de cœlo, & homo factus, *ingressus est domum & atrium fortis* illius, *eumque* initiò *superauit*. Vicit enim leo de tribu Iuda, Apocal.5.vers.5. postea *vinculis constrinxit*, atque nunc quasi catena ligatum circumducit, vt etiam in hoc ipso suo atrio, in mundo non plus nocere possit, quàm ipse permittat, & diligentibus Deum in bonum cooperari sinat, Rom.8.28. O quantopere expetit omnes cribrare, Luc.22 31. & non tantùm ipsorum bonis atque corpori, sed etiam animæ nocere: sicut ex historia Iobi manifestum est, Iob 1.10. & 2.24. Sed bonus hic Dominus nos tuetur: & quia maior est, qui nobiscum est, quàm qui in mundo tumultuatur, 1.Iohann.4.4. ne capillus quidem de capite nostro decidere potest, absque illius voluntate. Idem quoque fortem hunc *exuit omni sua πανοπλίᾳ & armatura*. Peccatum enim, per quod ipse generi humano dominabatur, passionis & mortis suæ merito expiauit, iræ Dei sua perfecta obedientia satisfecit, chirographum, quod contra nos datum erat, è medio sustulit, affigens illud cruci, Colos.2.14. Nunc vero *spolia diuidit*. Nam mutat miseram nostram conditionem, atque credentibus viam ac ianuam aperit ad vitam æternam: cœlum, quod propter peccatum occlusum erat, reserat, credentes æterni sui verbi semine in filios Dei regenerat, 1.Petr. 1.23. ex vasis iræ, facit vasa gratiæ & misericordiæ, Rom.9.23. & sancti sui spiritus gratia donat, vt non tantùm ambulent in libertate filiorum Dei, Iohann.8.36. verumetiam membra sua, quæ ante præbuerant membra iniustitiæ peccato, nunc exhibeant arma iniustitiæ Dei, Roman.6.13. Et hanc captiuitatem captiuam circumducit, Psalm. 68.19. tantisper, donec inimici ipsius omnes subiiciantur pedibus eius, 1.Corint. 15.24. Tunc enim tradet regnum Deo patri. Et vt ipse Dominus Iesus pro hoc fortiori ab hominibus agnosceretur, in eum finem aliquoties ex obsessis, quorum corpora & animas dæmonia occuparant, sola verbi sui virtute & proprio iussu miraculosè eiecit, vt sic reipsa demonstraret, se esse illum promissum humani generis vindicem, & filium illum Dei, qui in hoc apparuerit, vt dissoluat opera Diaboli, 1.Iohann.3. vers.8.

Tertio vult Christus vt hæc duo regna, duorum potentium istorum Dominorum, non tantùm absolutè consideremus, ac si nihil nostra referret, quid rerum nunc in iis tractetur. Sicuti multi tam frigidas habent cogitationes, ac si Diabolus suum regnum tantùm haberet in inferno, quò Christus per mortem descendisset, infernum vastasset, atque inde in cœlos rediisset, vbi iam regnaret in perpetuum. Verū quia Diabolus atrium suum habet in hoc mundo, & iam natura omnes sumus filij iræ, Eph.2.v.3. atque sic in potestate tenebrarum, Col.1.13. *Regnum* autem *Dei venit ad nos*, & illud Deus nos vult transferre. Ideo debemus etiam cogitare de applicatione, hoc est, quomodo ex Diaboli regno in regnum Dei transeamus. Et quidem æquum ac iustum esset, vt nos regnū hoc quæreremus, adeoque omni conatu anniteremur, vt in regnum illud perueniremus. Verum nimium sumus inertes & imbecilles: adeo, vt nisi ipse Deus nos transferat de potestate tenebrarum in regnum dilecti sui filij, Col.1.13. actum sit de nobis. Ideo etiam in oratione Dominica precamur: Adueniat regnum tuum: Matth.6.10. Luc.11.2. Hoc si fieri debeat, ante omnia princeps huius mundi eiiciendus est foras, Ioh. 12.31. quod non fit sine magno labore. Quia ægre & inuitò cedit. Ideo in hac historia vsurpatur verbum ἐκβάλλει, quod propriè significat violentam expulsionem. Sicuti Leuit.21.14. Esdr.10.3. vsurpatur de repudio: quando vxor expellitur ex ædibus mariti. Quanquam SanctAndreana editio habeat ἐξαγαγεῖν pro ἐκβαλεῖν. Item 1.Reg.26.v.19. & 3.Reg.2.v.27. de exule, qui eiicitur ex patria, Matthæi quoque c.21.39. & Marc. 12.8. de filiofamilias: qui eiicitur extra vineam, & ibi occiditur: & Matth.22.13. non indutus veste nuptiali eiicitur in tenebras exteriores. Hæc loca omnia ad præsentem significationem quadrant. Etenim *Satanas eiicitur* ex sua domo, quam occupauit, in deserta loca, tanquam in exilium, extra vineam Domini, in tenebras exteriores. Hæc vero eiectio non fit virtute humana, vel magica, sed diuina. Ideo Christus dicit apud Matthæum *ἐν πνεύματι θεοῦ, per spiritum Dei*, apud Lucam autem *ἐν δακτύλῳ θεοῦ per digitum Dei dæmonia expellere*. Exprimit autem sic & efficientem causam & instrumentalem. Spiritum nominat, non quasi ipse propria virtute Satanam eiicere non posset: sed quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Nam singularum Personarum in Trinitate opera Trinitas ipsa operatur, vnicuique operanti cooperantibus duabus, conueniente in tribus agendi concordia, non in vno deficiente efficacia peragendi. Sicuti eleganter Augustinus Serm.11. de verbis Dom. loquitur. Spiritui autem hoc opus attribuitur, quia

quia alibi Scriptura sacra hæc tria præcipua Dei opera ita distribuit, vt creationem Patri, redemptionem filio, regenerationem, qua ex regno Satanæ transferimur in regnũ filiorũ Dei, Spiritui S. adscribat. Per *digitum* autem *Dei* intelligit more scripturæ sacræ Ministerium sacrum, cui diuina vis est adiuncta. Sicuti Exod. 8.19. Magni Ægyptiaci, ministerium Mosis & Aaronis vocant digitum Dei. Christus enim est ipsa Dei dextra, Psal. 118. 16. qua facit virtutem, & brachium ipsius, Iesa. 53. 1. huius dexteræ digitus vnus est ministerium sacrum: Sicut Rehabeam 3. Reg. 12. 10. suos officiarios vocat suos digitos, & Iesa. 40. 12. testatur Deum appendere molem terræ tribus digitis. Hi sunt tres hierarchiæ: Ecclesiasticus nimirum, politicus, & œconomicus status, quibus Deus orbẽ terrarum regit & conseruat. Expellitur itaque Satanas per ministerium verbi & Sacramentorum, virtute Spiritus S. Alterutrũ tamen saltem in vno Euangelista exprimitur: quia hæc duo semper sunt coniuncta, sicut Iohannes dicit, 1. Epist. 5.8. Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres vnum sunt. Ministerium quoque verbi non est ministeriũ literæ, sed Spiritus, 2. Cor. 3. 8. per quod is efficaciter operatur. Quicunque ergo à tyrannide Satanæ in æternum liberari & in regnum Dei transferri vult, is non differat illud in alteram vsque vitam, sed in hac vita se accommodet ad digitum Dei, seu ministerium sacrum. Est enim regnum Satanę destructum quidem, sed tantùm iis, qui Christum suscipiunt & in eum credunt. Qui verò ipsius hostes & calumniatores manent, vt Scribæ & Pharisæi, illi violentiam & potentiam regni Satanici experientur & sentient in æternum.

His ita fundamenti loco præmissis, iam tractatio argumentorum à Christo adductorum erit expeditior & planior. Sicut enim superius in disputatione de Sabbato (quam in 47. c. harmoniæ huius habuimus) pluribus argumentis vsus est, vt falsam Pharisæorum & Scribarum opinionem tantò fortius refutaret: ita & hîc plura adhibet, vt improbitatem & futilitatem virulentæ huius calumniæ aduersus ipsum effusæ tanto firmius retundat.

Primum argumentum deducitur à fine suorum miraculorum, qui est, vt destruatur regnum Satanæ. Proponit autem illud per figuram Rhetoricam, quæ communicatio dicitur. Ipsos enim suos hostes & aduersarios Iudices poscit huius argumenti, inquiens: *Quomodo potest Satanas Satanam expellere? Omne regnum diuisum aduersus se, desolatur*, &c. quasi diceret: Non nego Exorcistas, qui pactum habent cum Diabolo, interdum Satanam eiicere: Ego quoque dæmonia: sed tanta inter vtrosque est differentia, vt ipsi eam obseruare possetis, nisi linguas vestras ad calumniandum ipsi diabolo mancipassetis. Etenim quãdo Magi per diabolicas suas artes dæmonia eiiciunt, id non faciũt in eum finem, vt rẽgno Diaboli damnum aliquod inferant, vel vt Satanas per ipsos ligetur, exarmetur, domus eius eripiatur, & homines ex ipsius regno ac potestate liberentur: sed fit ex collusione, vt hominum animi abalienentur à sinceritate verbi, vt mendacia & errores confirmentur, vt fictitij cultus stabiliantur, sicque homines ab ipso Dei regno abducantur. Vnus diabolus alterum ex corpore ita expellit, vt ambo postea in animam decepti reuertantur, ibi coëant, & arctioribus vinculis hominem ad æternam perniciem constringant. Ego autem Satanam ita expello, vt ipsum ligem & expoliem, vt ei eripiam omnem potestatem, dissoluam eius opera, destruam ipsius regnum. Hominem miserum oculis, auribus & mente captum ita in integrum restituo, vt ipsi videatis, verbum Dei locum in ipso inuenire, opera Dei ipsum spectare contemplari, de iis audire atque loqui posse, sicque eum ad verum Dei cultum conuerti, adeoque Dei regnum ad ipsum venire. Itaque ex fine cognoscatis differentiam. Diabolus nunquam edit miracula in eum finem, vt verbum Dei confirmet, vtque regnum Dei erigat. Etenim tanquam astutissimus Spiritus, qui, sicut Cyprianus ad Fort. inquit, plurium quàm quinquies mille annorum experientiam habet, & mille artifex est, multorum seculorum vsu addidicit, intestina dissidia tam regnis potentissimis, quàm familiis nobilissimis dissipationem & ruinam certam afferre.

Quis igitur putet eum tantopere insanire, vt hostiliter eiiciat impuros Spiritus ab illis, quos semel ex Dei permissione secundùm suam voluntatem occupauit? Intelligit nimirum ipse hac ratione regno suo πανωλεθρίαν & extremum interitum attrahi, in quo tamen propagando & conseruando acerrimum agit propugnatorem.

Hinc ergo discamus, quæ certissima sit ratio probandi miracula, & in iis discernendi vera à falsis, diuina à diabolicis. Quando miracula eduntur vel sine verbo Dei, vel contra illud: aut quando miracula nos abducunt à Dei verbo, ad peculiarem aliquem cultum, quocunque titulo & specie ille veniat, tum sciamus esse diabolica. Nam vt Moses dicit, Deuter. 13. 3. Dominus Deus noster tentat nos, vt palàm fiat, vtrum ipsum in toto corde, & tota anima nostra diligamus, an non. Hanc notam etiam Paulus monstrat, 2. Thess. 2. 9. quando dicit, aduentum Antichristi fore secundùm operationem Satanæ in prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis. Hoc si maiores nostri, homines simplices atque nimium creduli, ad hæc in scripturarum sacrarum lectione minus exercitati, attendissent, minus errorum in Ecclesiam inuectum fuisset. Etenim ad statuas sanctorum & alibi plurima edita sunt miracula, de quibus adhuc hodie Pontificij magnifice gloriantur: & nobis è contrario obiiciunt, nos, dum sacrum Euangelium prædicamus, adeo infirmos esse, vt nulla miracula edere, & ne canem quidem aut equum claudicantem sanare possimus. Et quidem de eo iam nihil dicemus, quod infinitæ fraudes, & occultæ imposturæ hominum, illis mirabilibus, sub Papatu factis, fuerunt coniunctæ, dum statuæ supplicum precibus vel annuere, vel abnuere & faciem auertere, vel etiam illachymari (ex cauatis nimirum stipitum capitibus & infuso oleo) visæ fuerunt. Non aliter, quam qualis impostura in historia Danielis, c. 14. de Bele & Dracone Babylonio, ipsorumque sacerdotibus legitur. Quin si concedamus miracula illa non ficta, sed facta fuisse; tamen cùm res ipsa loquatur, ea edita fuisse in illum finem, vt homines inducant in errores, ad stabiliendas idolomanias & superstitiones, inuocationem sanctorum, adorationem statuarum, ignem purgatorium & similia nugamenta, præter & cõtra verbum Dei reuelatum, & iam ante miraculis diuinis confirmatum: certè ex hac Christi regula illis minime credendũ fuisset. Diligenter igitur attendendum est, quando fiunt miracula, qualia illa sint, vtrum à Deo, an vero à Diabolo proueniant. Miracula enim initio data sunt propter infirmitatem hominum, quæ tanta est, vt Dei verbo solo & nudo, nisi accedant miracula, difficulter fidem habere queant. Hac de causa Christus discipulos suos, ad confirmandam doctrinam inter incredulos subsequentibus signis, Marc. 16. ver. 20. dono miraculorum instruxit. Sicut & Paulus testatur signa edi propter infideles, 1. Cor. 14. 22. Postquam autem Euangelium iam in toto terrarum orbe est sparsum, Christus est prædicatus in gentibus, fides ipsi habita in mundo, 1. Tim. 3. 16. iam non opus est vlterius miraculis. Et hac de causa nos libenter agnoscimus & fatemur, nos miracula nulla edere posse, neque vt possimus, petimus. Siquidem non nouum aut alium Christum, non nouum aut aliud symbolum, non nouam orationem Dominicam, non noua Sacramenta aut alia, veteri & veræ Ecclesiæ Christi incognita afferimus: sed eadem, quæ Saluator ipse tradidit, & vnà cum suis Apostolis stupendis miraculis iam olim confirmauit, prædicamus & docemus. Ab his fontibus doctrinæ, in scriptura sacra traditæ, cùm non recedamus, miraculis non indigemus: si quis verò diuersum tradere velit, eum non audimus, etsi non tantùm angelus è cœlo esset, Gal. 1. v. 8. sed & ignem è cœlo elicere posset. Apoc. 13. v. 13. Christi itaq. regula, hîc tradita, certa, firma atque obseruatione digna est. Illa miracula, quibus regnum Diaboli destruitur, ipse vincitur & ligatur, Dei autem regnum venit atque erigitur, vera sunt: cætera pro diabolicis sunt habenda, neque ipsis fides adhibẽda. Quemadmodum enim ethnica auguria, Dei verbo interdicta, propterea non probari possunt, licèt Actius Næuius Augur ad eorum cõfirmationem cotem nouacula discederit: ita nec propterea vel purgatorium credendum, vel inuocationem statuarum instituendam esse probatur, quamuis aliqua miracula ad eorum confirmationem sunt edita.

Qui etiam ex hac generali Christi sententia, qua nec regna nec domus constituere posse docet, si inter se dissideant & confligentur, cohortationes desumunt pro plantanda concordia, illi rectè faciunt. Etenim natura ita comparatum est, vt omnium rerum salus & incolumitas in concordia consistere, per discordiam vero interire videatur. Exemplum habemus in admirabili fabrica huius mundi, qui totus ex cõcordi partium, alioquin inter se diuersissimarum, compositione dependet. Humani quoque corporis valetudo cõsistit in humorum qualitatum & singularũ partium legitima proportione & consensu. Quem si tollas, non modò morbos, sed finalem hominis interitum sequi videbimus. Accommodemus hæc ad administrationem statuum Ecclesiasticorum & œconomicorum, in quibus omnibus Deus volt fratres habitare in vnum. Ps. 133. vers. 1. atque ibi mandauit benedictionem, qua seruantur & indies proficiunt. Quæ adeo vera sunt, vt etiam ab Ethnico homine dictum sit: Concordia paruę res crescunt: discordia magnæ dilabuntur. Et sane hæc scimus vera esse: nemo tamen est, qui rectè monitis locum præbere velit. Quid ergo mirum, quod dum singuli status se inuicem mordent & comedunt, ab inuicem etiam consumantur? Gal. 5. v. 15. Sicut hac de re, qui ad plebem verba faciunt, copiosas

admonitiones instituere possunt.

Secundum argumentum est. *Et si Ego præsidio, Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri cuius præsidio eiiciunt?* Hoc argumentum ab exemplo ductum plerique omnes tam neoterici quàm veteres, & inter hos Augustinus quoque & Chrysostomus, ita interpretantur, quasi Christus per filios illos intelligat Apostolos & discipulos suos, quos is, emittens ad prædicandū, donis necessariis, & inter hæc etiam dono eiiciendi Spiritus immundos instruxerit, Matth. 10. vers. 8. ac proinde hos olim sessuros super duodecim thronos, iudicaturos tum reliquas tribus Israelis, Luc. 22. v. 30. tum etiam Pharisæos atque Scribas, de hac iniqua & blasphema cẽsura miraculi Christi. Sicuti etiam scribit 1. Cor. 6. v. 2. An nescitis quoniam sancti de mundo iudicabunt? Sed hæc explicatio est coactior. Præterquam enim quod Christus tum temporis Apostolos suos nondum dono miraculorum edendorum donauerat, vt ex sequentibus patebit, Apostoli etiam non Pharisæorum, vel *Scribarum filij* dici poterant, siquidem non hos, sed Christum sequebantur: vnde etiam Prophetarum filij olim dicebantur, qui priuato studio Phrophetarum doctrinam addiscebãt: Apostoli proprie Christi filij dici debuerunt. Intelligit ergo per filios Pharisæorum Exorcistas, qui tum temporis in populo Iudaico reperiebantur, & de quibus passim in Euangelio legitur. Hi quoniam in omnibus doctrinam Pharisæorum & Scribarum amplectebantur, merito ipsorum filij dicebantur. Illi igitur ante Christum diabolos expellebant, ex pacto & fœdere, quod cum Satana inierant. Postquam verò Christus in ministerio suo regnum Dei annunciare cœpit, senserunt hi exorcistę artes suas magicas inanes esse, nec quicquam amplius valere. Itaque omissis illis, assumserunt nomen Iesu, & illo vsi sunt in expellẽdis dęmoniis Sic enim legitur Matth. 7. v. 22. multos in nomine Christi dæmonia eiecisse, quos tamen ipse pro suis agnoscere nolit. Et Marc. 9. v. 18 Luc. 9. v. 49. Iohãnes ad Christũ refert, se vidisse vnà cum reliquis Apostolis quendam dæmonia eiicientem, qui tamen Christum nõ fuerit secutus, & prohibuisse. In primis autem Act. 19. ver. 13. legitur de quibusdam Iudæis exorcistis, Ephesi commorantibus, qui nomen Domini Iesu inuocarint super eos qui malos spiritus habebant. Cumque aliquando obsessum quempiam adiurarent per Iesum, quem Paulus prædicaret, spiritus nequam ipsis respondit: Iesum noui, & Paulum scio: vos autem qui estis? Et insiliens in eos obsessus, male eos tractauit, adeo vt nudi & vulnerati è domo profugere coacti fuerint. De his ergo Christus proprie loquitur: & quemadmodum in hac historia dicit, Reginam austri & Niniuitas in extremo iudicio surrecturos, & prauam hanc Iudæorum generationem condemnaturos: ita etiam hic affirmat, proprios ipsorum filios (sicuti illi Exorcistæ, Act. 19. v. 14. fuerunt filij cuiusdam Sceuæ Iudæi principis sacerdotum (tunc surrecturos, & coram tribunali Dei publice contestaturos, Pharisæi non ex ignorantia aliqua, aut simplicitate, sed ex incurabili malitia & odio plus quàm Satanico, Christi miracula tam iniqua censura presserint, eaque ad authorem Diabolum retulerint: cum tamen reipsa senserint virtutem hic adesse diabolica aut Magica maiorem. Atque hinc infert & concludit: *Quod si spiritu Dei Ego eijcio dæmonia, Ergo peruenit ad vos regnum Dei.* Prophetæ multoties in veteri testamento, quando loquuntur de aduentu Messiæ, qui contriturus esset caput serpentis vocant illud regnum Dei, maxime Dan. 2. v. 44. & 7. v. 14. Hoc regnum Iudæi maximo cum desiderio per multa secula expectarunt. Vult ergo Christus ipsos ex hoc certissimo & indubitato κριτηρίῳ iudicium facere, regnum illud Dei, cuius præsidio tota illa Diaboli potentia expugnanda & debellanda esset, iam per ipsum, tanquam verum Messiam, inchoatum & constitutũ esse, eo quod magica illa operario Satanæ, quæ hactenus vsitata fuerit, iam manifeste impediatur, destruatur, & ad nihilum redigatur. Vt enim Philistæi 1. Reg. 5. ver. 3. cum Dagon ipsorum Deus, coram arca Domini primo quidem prosterneretur, mox autem amputato capite & manibus turpis truncus iaceret, ex eo Idoli sui inanitatem, & Iehouę, Dei Iudæorum, veritatem & potentiam cognoscere potuerunt. Ita etiam non tantum Scribæ Iudæorum, verum etiam omnes alij homines, diuinam Domini Iesu potentiam agnoscere debent ex eo, quod diabolicæ artes, magiæ, oracula & miracula dæmoniorum per aduentum Christi desierant. Et enim hoc modo Diabolum quasi exautorauit, eumque exarmauit. Et quemadmodum in Iudæa, cum Christus inciperet concionari, & Euangelium suum prædicare, ligatus est Satanas, adeò, vt exorcistæ non amplius suas impias potuerint exercere artes: Ita etiam cum Act. 8. v. 8. Euangelium Christi in Samaria annunciaretur, euanuit illa magna virtus Simonis Magi, qua antea populos illos dementarat. Sic Act. 16. v. 16. Philippis fugatur spiritus Pythonis per Euangelicam prædicationem Pauli. Ephesij quoque Act. 19. vers. 18. postquam recepissent Euangelium de Iesu Christo, curiosis illis artibus valedixerunt, atque insuper libros igne cõbusserunt. Et memorabile est, quod Suidas de Apolline refert, quod cum Augustus Cæsar, sub quo Dominus noster Iesus Christus natus est, re diuina facta Pythiam percontaretur, quis post se regnaturus esset, responsum aliud nullum acceperit, præterquam hoc.

Puer Hebræus iubet me diis beatis imperans,
Hanc edem relinquere, & in Orcum redire:
Iam abito tacitus ab aris nostris.

De Gregorio quoque Neocæsariensi Nicephorus ex Eusebio refert, lib. 6. cap. 17. ipsum Apollinem & precibus suis fugasse, & eundem Epistola quadam reuocasse, vnde profanum sacerdotem, templi custodem ad fidem Christi pertraxerit. Qua in re plus pietatis præ se tulit, quàm Iulianus apostata, qui cum Daphnæo Apollini litaret, nec tamen responsum vllum acciperet, tandem ex sacerdotibus ipsis cognouit, Sanctum Babylam in vicinia sepultũ impedire, quo minus oracula edere posset. Sed nihilominus is in sua impietate perstitit. Res ipsa itaque demonstrauit, Domini nostri Iesu Christi potentiam longe maiorem, adeoque vere diuinam esse, qua dæmones pellat Porphyrius hic, Christiani nominis hostis infensissimus, Eusebio teste, graues querimonias instituit, in libro, quem aduersus religionem Christianam conscripsit, in quo inter alia hæc refert. Nunc mirantur, inquit Porphyrius, si tam multos annos ciuitas peste vexetur, cum & Aesculapius, & alij Dij longe absint. Postea enim quàm Iesus colitur, nihil vtilitatis à Diis consequi possumus. O vesanum caput, quod hæc animaduertisti, nec tamen Christum Iesum Diis illis potentiorem esse agnoscere voluisti? Nos vero *hinc* eiciamus confirmationem religionis nostræ Euãgelicæ. Neque enim facile obliuioni tradere debemus, quomodo auorum nostrorum ætate non tantùm magicæ artes vbique locorum, maxime autem in monasteriis regnarint, verum etiã spectra in omnibus fere ædibus homines infestarint: iam vero, Dei beneficio, post prædicatum Euangelium, phantasmata illa omnia euanuerint. Nimirum tenebras dispellit lux, mendacium veritas, Diabolos ipse Deus. Sicuti etiam de Occidentalibus Insulis referunt Scriptores, in iis dæmones fere per omnes vias & compita frequentissime homines allocutos fuisse, & de quibus voluerint admonuisse: sed posteaquam Christianæ doctrinæ præconium (licet idolomania pontificia corruptum) isthuc venisset, illico magnum silentium omnium, magnam fugam secutam esse. Ex his omnibus liquidò apparet argumentum, quo Christus hoc loco vtitur, firmissimum esse. In hanc sententiam: Ego nequaquam ex conspiratione cum Beelzebub eiicio dæmonia: quia filij vestri, qui aliàs dogmata vestra sequuntur, vltro fatentur, se nunc post promulgatum Euangelium de regno Dei, nihil contra Satanam efficere posse, nisi meum nomen assumant. Agnoscite ergo regnum Dei per miracula mea ad vos venire.

Quod vero Christus dicit apud Matthæum, se *spiritu Dei*, apud Lucam autem, se *digito Dei*, per quem, vt supra monuimus, sacrum ministerium intelligit, *dæmonia eiicere*: eo docet, omnes alios modos fugandi Satanam ab hominibus excogitatos, esse Magicos, diabolicos, & à Deo damnatos. Quare, quando gentiles in suis verbis, herbis & lapidibus magnam vim posuerunt, & æmuletis suis atque caracteribus dæmones pellere voluerunt: quando Iudæi per suum τετραγράμματον & Schemhamphoras idem tentarunt: & quando hodie Pontificij, aquæ & sali benedicto, herbis & lychnis consecratis eandem vim attribuunt, illud omne diabolici instituti & inventi esse, meritò & iure ex Dei verbo arguitur. Quod verò legitimo verbi & Sacramentorum ministerio hanc vim attribuimus, quod Satanæ regnum vastare, & ipsius potestatem ex cordibus hominum spiritualiter depellere possit, id propterea fit, quia hoc ministerium non est hominum aut etiam angelorum, sed ipsius Spiritus ministerium, 2. Cor. 3. v. 8. per quod is efficaciter operatur. Et quia, vbicunque est Spiritus, ibi etiam est Pater & Filius, à quibus essentialiter ab æterno in æternum procedit, ideo totius sacrosanctæ Trinitatis, non autẽ hominum vel aliorum Spirituum opus est, quando regnum Diaboli in cordibus humanis diruitur. Iccirco etiam Christus Marc. 16. v. 17. inter effectus ministerij Apostolici numerat eiectionem Diabolorum. Et Marc. 9. v. 29. dicit etiam oratione pelli. Paulus quoque Ephes. 6. v. 17. monstrat gladium, verbum Dei, & scutum fidei, cum omni oratione & obsecratione, quibus aduersus principes & potestates stare, cum illis colluctari, atque eorum malitiam superare queamus. Verbũ ergo Dei pellit Satanam, non quando in collo suspensum gestatur: sed quando iusto zelo docetur, attenta aure excipitur, & fideli corde conseruatur. Atque hoc innuere voluerũt sancti Patres, in primitiua Ecclesia, quando sacræ Baptismatos actioni

tos actioni Exorcismum addiderunt. Non quasi verbis illis Exorcismi peculiarem aliquam ἐνέργειαν, vim & efficaciam attribuerent, sed vt ipsius Baptismi & ministerij Spiritus virtutem considerandam proponerent, atque subindicarent, tunc fortem hunc armatum ligari, Luc.11.vers.22. principem huius mundi eiici foras, Iohan.12.v.31. spolia eius à matrefamilias Ecclesia distribui, Psal.68.v.13. repudiari veterem hospitem & spurcum procum Christi, abrenunciari omnibus ipsius operibus & communioni cum ipso, adeoque virtute spiritus diuini eripi infantem de potestate tenebrarum, & transferri in regnum dilecti filij Dei, in quo habeat redemptionem, remissionem peccatorum, & partem fortis sanctorum in lumine, Coloss.1.v.12. Hæc pia sunt, nec possunt nisi per calumniā exagitari. Addunt etiam suo loco & tempore firmam consolationem piis mentibus, tyrannidem Satanæ, siue in vita, siue in morte, metuentibus, quod certi sunt, si digitum Dei secum habeant, hoc est, sacro verbi & sacramentorum ministerio in vera fide vtantur, quod Diabolus nullam potestatem in ipsos habere queat.

Tertium argumentum hac quæstione continetur: *Quomodo potest aliquis intrare in domum potentis, & vasa illius diripere, nisi prius vinxerit potentem, & tunc domum illius diripiet?* Interpretes dicunt hic latere argumentum à simili siue exemplo, quo res omnis magis illustratur: cuius argumenti summa hæc sit. Quicunque robusti alicuius & potentis domum inuadere atque diripere vult, ille robustior & potentior sit, oportet. Ego propterea in mundum hunc veni, vt Satanæ domum inuadam, vasa, quæ possedit, hoc est, homines, quos in suam potestatem redegit, ipsi eripiam: atque huius rei specimen & documentum edo, quoties dæmonia ex obsessis pello. Ergo illo robustiorem & potentiorem, qui ipsius opera minime indigeam, me agnoscite & credite. Recte & pie hæc dicuntur: & tamen sublimius quid hic contineri statuo, nimirum argumentum ductum ab auctoritate scripturæ sacræ, cuius cumprimis se gnaros esse Scribæ videri cupiebant, Christus autē huius maiestate ipsos confundere & reprimere volebat. Propheta Iesaias postquam cap.49. magnifice docuit, quomodo Deus in nouo Testamento ipse suæ Ecclesiæ vindex & protector sit futurus, per prædicationem Euangelij omnes gentes ad Christum vocaturus, Ecclesiæ suæ reges & Reginas nutritios & tutores daturus, denique effecturus, vt minime pudefiant omnes in ipsum sperantes: tandem ver.24.& 25. hæc verba subiicit: Num verò auferetur forti præda? & potestne iusti captiuitas eripi? Atqui sic dicit Dominus: Etiam captiuitas forti auferetur, & præda tyranni recuperabitur: quia cum eo qui tecum contendit, Ego contendam & filios tuos Ego seruabo. Quis non videt Dominum Iesum ad hæc verba nō tam alludere, quàm aperte ea citare? Occurrit autem Propheta illis verbis tentationi, quam pij sæpenumero in cordibus suis sentiunt, quando amplissimas promissiones Ecclesiæ factas audiunt. Cogitant nimirum, promissiones illas vix esse possibiles, cum Ecclesia tot ac tam potentibus hostibus sit septa, vt nulla spes liberationis superesse videatur. Inter omnes autem hostes primas obtinet Diabolus, qui etiam hic à Propheta גבור ἰσχυρὸς & *fortis* dicitur. Is per peccatum tantas vires in genus humanum acquisiuit, suarum tenebrarum potestati omnes gentes subiecit, & in ea per multa secula detinuit, ita vt indomitum furat, si quid Deus ipsi permittit, quod non tantum in historia Iouis, cuius liberos, seruos, pecora, breuissimo tempore occidit, domum & fortunas omnes vno quasi momento euertit, Iob.1.versic.12. verum etiam totius Ægypti, cuius primogenita omnia vnius noctis spacio iugulauit Exo. 12.ver.30. apertissime videmus. Vt non immerito ipsius robur & potentia in loco cap.40. & 41. sub truculentissimarum bestiarum Behemoth & Leuiathan imagine describatur. Et quanquam hic humani generis hostis in veritate nunquam stetit, sed est mendax, adeoque mendacij pater est, Iohann.8. ver.44. hic tamen ab Isaia iustus dicitur, eo quod adiò ipsius aduersus genus humanum, iusto Dei decreto nitatur. Qui mox in initio Adamo dixit Gen.2.v.17. Quocunque die ex ista arbore comederis, morte morieris: atque post in lege Deut.27.versic.29. pronunciauit: Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius. Ex his diuinæ iustitiæ regulis, ipse agnita sua tela petit, quibus miseras conscientias oppugnat, vt proprio testimonio conuicta accusationem ipsius iustam esse fateri cogantur. Consideratione ergo huius tam fortis & potentis hostis vetus illa Ecclesia suam querimoniam instituit, qua impossibile esse opinatur, vt quam semel cepit prædam, eam sibi extorqueri patiatur: Huic querelæ Dominus ipse opponit veritatem sui verbi, & dicit: Quid mihi commemoratis potentiam principis huius mundi? Scio quàm fortis sit Diabolus, & quibus viribus instructus. Illæ ipsæ tamen non obstabunt, quo minus fiat id, quod Ego sum pollicitus. Nam Captiui illi, quos fortis iste detinet, ab ipso repetentur. Et vtut ius suum prætexat, nō tamen illud ipsi proderit, sed sua causa cadet, & præda ex ipsius tyrannide liberabitur. Si verò quis quærat, vnde hoc futurum sit? Et respondet Dominus, Ego, Ego ipse contendam cum eo, & Ego filios tuos seruabo. Non humanis hoc peragetur viribus, sed diuina opus est virtute. Ego merito meæ passionis & obedientiæ satisfaciam legi diuinæ: atque sic ius illud, quod Diabolus contra homines per peccatum obtinuit, ipsi vel inuito extorquebo. Mihi ergo patrono vestro committite causam vestram, Ego eam tueri volo & possum, & germanos dilectissimæ sponsæ meæ filios, ex hostium suorum manibus liberabo. Ad hunc ergo locum Christus Scribas & Pharisæos in præsentia remittit, & vult, vt ex hoc opere eiecti dæmonij grata mente agnoscant, adesse salutare illud tempus à Prophetis promissum & prædictum, quo ipse Messias præsens humani generis hostem sit deuicturus, & omnem captiuitatem captiuam ducturus, Psalm.68.vers.19. Ipsi verò non tantum agnouerunt illud, sed insuper ex diabolica malitia ipsum calumniati sunt, Beelzebub dæmoniorum principi adscribentes id, ex quo diuinam Messiæ virtutem cognoscere debuissent.

Collatio itaque inter Christi & Prophetæ verba instituta, non tantum argumentum hoc mirifice illustrat, sed & Redēmptionis nostræ articulum totum nobis considerandum ob oculos ponit. Præcipua eius membra hæc sunt: Vt 1. ante omnia perpendamus, in quanta miseria iam post lapsum ob peccatum hæreamus. Crearat quidem nos Deus initio ad imaginem suam, Gen.1. ver.27. sed iam gignimur ad imaginem Adami, Gen.5.v.27. in peccatis concipimur & nascimur, Psalm. 51.ver.7. atque propterea sumus natura filij iræ, Eph.2.vers.3. quia nihil boni habitat in carne nostra, Rom.7.v.18. Vnde in rebus diuinis sumus cæci, 1.Corinth.2.versic.14. in audiendo verbo Dei tanquam aspides surdæ, obturantes aures, Psalm. 58.v.5. in celebrando Deo nostro plus quàm pisces muti. Psal. 58.ver.2. Sicuti misera hæc imago in hoc obsesso spectanda proponitur. Et hæc peccata diuidunt inter Deum & nos, Iesa.59.v.2. ita vt digni simus, qui abiiciamur ab oculis eius in æternum, Ion.2.ver.5. vt tanquam oues in inferno positi, mors nos depascat, Psal.49.ver.15. vbi vermis noster non moriatur, nec ignis extinguatur. Iesa.66.v.24.

2. Quis vero hinc nos liberabit? Non frater redimendo redimet quenquam: non dabit Deo placationem animæ suæ, aut pretium redemptionis: omittet illud in æternum, Psal.49. v.8. Non faciet hoc angelus quispiam. Mali enim angeli atrij potentis sui Præsidis custodiunt, vt in pace sua possideat. Boni autem ob peccatum nobis facti sunt aduersarij & gladio versatili custodiunt vitam, ne penetremus ad arborem vitæ. Gen. 3.v.24. Neque faciat hoc lex Dei: quia hæc tantum iram operatur, Rom.4.ver.15. Superest solus Dei filius, Diabolo potentior & geminæ Gigas substantiæ. Hunc Deus nobis proposuit propitiatorium, Rom.3.v.25. Hunc dedit Goëlem, vindicem & Redemptorem, Iob.19.ver.26 qui nos liberaret ab inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos, Luc.1.v.71. Et in eo Deus commendauit suam charitatem erga nos, quoniam cum adhuc peccatores, imo inimici eius essemus, filium tamen dedit vindicem, ὑπερασπιστὴν & protectorem. Rom. 5.ver.8.

3. Quomodo hic potentior nos liberauit? Homo à Spiritu sancto conceptus & ex casta virgine natus, venit in hunc mundum, & in eo fortem hunc aggressus est, vicit, constrinxit, & omnem armaturam abstulit. Initium eius fecit statim à Baptismo in deserto, vbi gloriosa victoria eum repulit, Luc.4. ver.13. Postea apertius cum illo congressus est, quando totam Iudæam & Galilæam prædicatione regni Dei compleuit, & omnes excitauit, vt relicto infelici Satanæ regno per pœnitentiam regnum Dei amplecterentur. Addidit doctrinæ insignia miracula, & ea non ad ostentationem, sed ad salutem hominum composita, vt operibus diuinis commonstraret, iam adesse optatum illud tempus, Satanam ex possessione sua deturbandi. Tandem iugulum huius hostis petiit, quando in ara crucis mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, Rom.4.v.25. Venit ergo Dei filius in hunc mundum, non vt in eo deliciaretur, sed vt daret animam suam redemptionem pro multis, Matth.20. v.28. Cū enim lex Dei obliget hominem vel ad obedientiam, vel ad pœnam, nos verò legi obedientiam non præstiterimus: Satanas quasi iure quodam, ob rigorem iustitiæ diuinæ, pœnam exigit. Filius itaque Dei in vita & passione sua vtrunque præstitit. Patri obediens factus vsque ad mortem crucis, Phil.2.v. 8. & disciplinam paci pro nobis exoluens, vt liuore ipsius nos sanaretur, Ies.53.ver.5. atque sic quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, id ipse in carne sua impleuit, Rom.8.v.3. nosque à maledicto legis redemit, Gal.3.ver.13. Et quod Pater hanc victimam acceptarit, Filius autem fortem

nunc totum deuicerit, id aperte commonstrat gloriosus triumphus, qui hanc victoriam secutus est. Quando Christus non tantum in cœlum ascendit, & captiuam duxit captiuitatem, Eph.4.v.8. subiectis sibi angelis, & potestatibus, 1.Pet.3. ver.22. verum etiam Spiritum sanctum in Apostolos effudit, Act.2.v.33. cuius donis ipsi, ceu validissimis armis, instructi, exierunt in vniuersum orbem terrarum, & salutifera prædicatione Euangelij mundum ad Christum, ad cuius pedes vinctus & prostratus iam hic tantus hostis iacet, adduxerunt. Nec dum finis est huius victoriæ. Nam adhuc hodie Christus ad dextram sui Patris sedens dat Pastores, Ephes.4.vers.11. qui de victoria in victoriam progrediuntur, donec Deus deorum videatur in Sion, Psalm.84. versic.8. & consummetur opus ministerij sanctorum ad ædificationem corporis Christi, Eph. 4 v.12. 4. Considerandus etiam est finis nostræ redemtionis, qui non est, vt in posterum pro libitu nostro nobis viuere liceat, quasi Christus scholam turpitudinis erexisset, sed vt, quemadmodum antea membra nostra exhibuimus arma iniquitatis peccato: ita in posterum membra nostra præbeamus arma iustitiæ Deo, Rom.cap.6.v.13. vt ita liberati à manu inimicorum nostrorū, ipsi seruiamus in sanctitate & iustitia corā ipso omnibus diebus vitæ nostræ, Luc.cap.1.v.74. Sicque facti σκεύη ἐλέους, vasa misericordiæ, quæ Deus in gloriam suam præparauit, Roman.9.versic.23. talia etiam maneamus, nec recidiuam patiamur: sed simus vasa in honorem sanctificata, vtilia Domino, & ad omne opus bonum parata, 2.Tim.2.v.21. Sicuti de eo Christus in sequentibus pluribus disseret. Hæc non tantùm vtiliter hic cogitari, sed & latissime diduci possunt. Sed nobis, instituti rationem tenentibus, sufficit fontes monstrasse.

Præter hanc vtilissimam doctrinam de Redemtione, quam Christus in hoc argumento considerandam proponit, simul etiam obuiare voluit tacitæ Pharisæorum obiectioni. Plerumque enim, quando Christus dæmonium aliquod eiicere aggressus est, illud crudeliùs quàm antea in hominem sæuire cœpit, sicuti superius audiuimus in capite harmoniæ trigesimo septimo, quod Spiritus immundus hominem discerpserit & proiecerit in medium, Marc.1.26. & Luc.4.35. Et Marc.9.26. Spiritus, cum egredi cogeretur è puero, sic illum discerpsit, vt mortuus videretur. Poterant ergo Scribæ vel cogitare vel obiicere: Si tu Iesu is es, quem tu profiteris: cur Satanas non mox tibi cedit? Cur fere plus tumultus oritur, vbi tu prędicationem Euangelij tui instituis, quàm antea ibi fuit? Hic respondet Iesus: Satanas quando quieta possessione fruitur, non tumultuatur, sed in pace sua custodit. At quando potentior eum inuadit, eumque armis suis exuere conatur, ibi restitat, & quantis potest viribus se opponit, vt se & sua tueatur. In hac ergo lucta necessum est, vt aliquid doloris & incommodi accrescat illi, de cuius siue salute siue interitu agitur. Quanquam si Christo se dedat is, pro quo cum Satana luctatur, facillime vel verbulo vel attactu in integrum restitui possit. Sicuti exempla modò adducta dilucide illud commonstrat. Hęc accommodari possunt ad Ecclesiam Christi, in qua fere maximi tumultus excitantur, quando Euangelij præcones, siue inueteratos errores, siue noua dogmata exorientia, ex verbo Dei constanter refutant, & Satanam in quieta sua vel quasi possessione turbant. Ibi culpa omnis coniicitur in miseros concionatores: qui propterea diris conuitiis proscinduntur, quasi omnium turbarum in orbe causam sustinerent. Fecerunt hoc Israelitæ Mosi & Aaroni, Exod.5.ver.21. Achab Eliæ, 3.Reg.18.ver.17. Iudæi Ieremiæ, Ier.44.18. Sic etiam hodie quando per Euangelium superstitiones oppugnantur, errores refutantur, morum licentia arguitur, adeoque Satanæ regnum inuaditur & coarctatur, totus mundus contra verbi ministros insurgit, & vult vt moderate agant, ne turbarum & tumultuum sint authores. Quasi verò Diabolus facilitate vinci posset. Resistite ei, inquit Petrus 1.Epist.5. vers.9. fortes in fide, & fugiet à vobis. Iccirco in huiusmodi motibus discamus culpam non adscribere Christo, vel eius ministris aut Euangelio, sed communi huic humani generis hosti, qui fremit & tumultuatur, quando Deus non vult vlterius permittere, vt sua in pace custodiat, ac proinde extrema quæque molitur, vt in possessione regni sui manere possit. Qui iam mauult in hoc mundo pacatam quàm turbatam principis ipsius administrationem habere, is cum sempiterno suo damno in altero mundo experietur, qualem & quàm noxiam pacem elegerit. Qui autem cum Christo turbas illas ad tempus patiēter sustinet, is olim Principis pacis Iesa.9.v.6. in æternum gratias aget, quod pace Dei, quæ exuberat omnem sensum, custodierit corda & sensum ipsius, Phil.4.v.7.

Quartum argumentum: *Qui non est mecum, contra me est. Et qui non congregat mecum dispergit.* Potest hoc argumentum accommodari, tum contra Pharisæos conuitiatores, tum contra Neutrales, qui cæteris disputantibus, ipsi in suspēso manebāt, neutri parti sese adiungentes. Si contra Pharisæos dirigatur, desumptum est à contrarietate studiorum & morum inter Christum & Beelzebub. Beelzebub est mendax & pater mendacij, Iohan.8.vers.44. Christus est ipsa Dei veritas, Ioh. 14.versi.6. Beelzebub est princeps tenebrarum, Eph.6.versic. 12. & author cæcitatis 2.Cor.4.versic.4. Christus autem est lux vera illuminans omnem hominem, Iohann.1.vers.9. Beelzebub est spiritus nequam, iniustitia & immunditie gaudens: Christus est iustitia & sanctitas à Patre tradita, 1.Cor.1. vers. 30. Beelzebub inde ab initio dissidiis studuit, Babylonicam confusionem introduxit, & terrarum orbem in varias sectas diuisit, Gen.11.vers.3. Christus in mundum venit, vt filios Dei, qui erant dispersi, in vnum congregaret, Iohann.11.v.52. Hinc argumentum tale elicitur: Inter quos summa est studiorum diuersitas, illi sibi inuicem mutuas operas tradere non solent. At maior dissimilitudo inueniri nequit, quam quæ est inter me & principem dæmoniorum. Quæ enim potest participatio esse iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci cum tenebris? aut quę conuentio Christi & Belial? 2.Cor.6.v.14. Nolite ergo locum dare improbis hisce calumniis: quasi inter Satanam & me vllum aliquod esset commercium.

Hæc quidem non incommode, sed secundum instituræ disputationis sensum satis conuenienter dicuntur. At vero quia superius in distributione iudiciorum de hoc miraculo, Neutralium etiam facta est mentio, admodum apposite hoc argumentum illis accommodari potest. Etenim omnibus temporibus inuenti sunt, & adhuc hodie inueniuntur non tantum ἐπαμφοτερίζοντες, qui in religionis negotio cum Israelitis, 3.Reg.18.vers.21. claudicant in vtrumque latus: sed & qui neutri parti se adiungere volunt. Imo mundus hoc singularis prudentiæ & circunspectionis esse statuit, qua neutram partem quis offendat, sed vtriusque beneuolentia frui possit, vsque dum vel inter se concilientur, vel vna alteram vincat, vbi postea potentiori parti absque periculo se adiungere ausit. Contra hos Christus hanc seueram sententiam pronunciat, dicens: *Qui non est mecum, contra me est.* Constituit duos principaliores Dominos, Se & Satanam, studiis extreme contrarios: & sub his dispescit totum genus humanū in duas partes: quarum vna sit *cum Christo*, hoc est, ipsum vnicum generis humani Seruatorem agnoscat, vera fide doctrinam eius amplectatur, ex miraculis fidem confirmet, ipsique vni & soli ingenua confessione seruiat: altera autem sit *contra Christum*, quę illum negligat, ipsum nec agnoscat, nec colat. Vult ergo turbis in illis in suspenso hærentibus dicere: Quid claudicatis inter me & Pharisæos in vtramque partem? Si statuitis Scribarum calumnias veritati esse innixas, aperte in ipsorum partes transite. Sin iudicatis me diuina virtute hæc miracula edere, circa tergiuersationem vos mihi adiungite. Vobis enim diserte edico, licet conemini vtriusque partis beneuolentiam aucupari, vos nihil proficere. Ego enim tales non minus pro meis hostibus habeo, quàm si apertè mihi contradicerent. Et ne hanc grauem commonitionem floccipenderent atque aspernarentur, admonet eos de periculo: *Qui non mecum congregat, dispergit.* Considerandam ipsis proponit sub his verbis scripturæ, miseram & tristem sortem humani generis. Diabolus enim qui est infernalis ille lupus, qui σκορπίζει τὰ πρόβατα, oues dispergit, Iohan.10.v.12. venit & dissipauit felicem illum statum, in quo Deus humanum genus condiderat. Et Zach.11. v.16. verbum נעת quod significat vehementer exturbare, & in præceps deiicere, à LXX. interpretibus redditum est τὸ ἐσκορπισμένον, quod dispersum est. Alias, vt Num.10. versic.penult. Psalm.68.vers.2. & Zach.13.v.7. verbum פוץ quod significat id, quod ante collectum erat, huc atque illuc dispergere, redditur per σκορπίζειν. Vtroque depingitur ingenium Satanę, cui non satis est genus humanum semel decepisse, quasi ex gremio Domini excussisse, atque in exitium præcipitasse: nisi etiam postmodum, quando per verbum iterum cœtus aliquis collectus est, eundem dispergat. Cum ergo Deus Opt. Max. miserum genus humanum instar dispersarum ouicularum cœtum intueretur, ex misericordia illi dedit Pastorem filium suum, qui homines rursus congregaret. Vnde apud Isaiam cap.56.v.8. vocatur Dominus Deus, ὁ συνάγων, qui congregat dispersos Israel. Et pollicetur Ezech.34.vers.13. συνάξω, congregabo oues meas de terris. Quibus in locis Prophetæ habent verbum קבץ quod significat magnam hominum copiam congregare, ita vt non singulatim, sed turmatim conueniant, vt numerus fere turgescere videatur. Reddiderunt quoque LXX. interpretes sæpenumero per verbum συνάγειν duo vocabula Hebræa: vnum est אסף, quod significat colligere ad conseruandum, Gen 6.v.penult. Mich.2.vers.penult. alterum אצר quod significat in thesaurum reponere, sicuti vsurpatur Iesa.39.versic.6. Et iucundum est ex proprietate vocabulorum colligere officium Messiæ, ad quod à Deo patre est destinatus. Ipsius est dispersas ouiculas, quas Satanas ad perdēdū in præ-

in præceps ruperat; rursus congregare ad cœtum Ecclesiæ, ibidemque eas colligere ad seruandum. Cumque sanctos suos habeat inter pretiosissima κειμήλια, ex iis quasi thesaurum colligit, quem in æterna vita Patri suo cum gaudio monstrabit. Hinc etiam in veteri Testamento Ecclesiæ τῆς συναγωγῆς & congregationis nomen inditum est, vt Christiani scirent, se ibi ministerio verbi & sacramentorum, ad verum Dei cultum in eum finem congregari, vt æterno interitui præripiantur. Cumque Iudæi non ignorarent à Deo populo suo talem pastorem promissum esse, qui congregaturus esset dispersos, grauiter istos Neutrales monere vult, vt relictis Pharisæis ipsi se aggregarent, alioquin futurum, vt cum æterno suo damno in dispersione Satanica maneant, & in ea pereant. Etenim quando Deus extrema populo alicui minatur, tum dicit fore ipsum instar damulæ & ouis dispersæ, nec futurum qui congreget: vt videre est Iesa. cap. 13. versic. 14. Docet ergo Christus grauissimo & seuerissimo hoc dicto, in negotio religionis à Deo reiici illos, qui exortis de doctrinæ capitibus controuersiis, neutri patri se adiungere volunt. Vt enim in politicis pro hoste habetur is, qui obsidentem vrbem mœnibus non excludit, quando potest: ita Christo plane est contrarius, qui cum aperto ipsius hoste colludit. Tantum enim duo sunt spiritualia regna in mundo, vnum Christi, alterum Diaboli. Qui ergo non aperte est in regno Christi, ab ipso pro hoste habetur. Eiusdem fuit sententiæ D. Augustinus, ideoque duas vrbes constituit: vnam, ciuitatem Dei, Hierusalem: alteram, ciuitatem Diaboli, Babylonem. Qui voluerint intermedij esse, in Diaboli casses incidunt. Si quis tamen scire cupiat, cuiusnam vrbis ciuis sit, breuem ponit sententiam, ex qua quis id nosse possit. Illam, inquit, ædificat amor Dei, pertingens vsque ad contemptum sui: hanc ædificat amor sui, pertingens vsque ad contemptum Dei. Notemus ergo hanc doctrinam contra eos, qui ex nimia sapientia carnis interdum Medium quærunt in negotio religionis. Horum hypocrisis, & quod non sint syncera Ecclesiæ membra, fere tandem erumpit in apertum. Eos vitemus. Nam si Solon olim bonum ciuem negauit eum esse, qui orta seditione Neutralis esset, nec meliorem partem adiuuaret: cur non etiam Christus odisset illos tepidos, qui nec calidi, nec frigidi sunt, & vel tandem ex ore suo expueret? vt habetur Apoc. 3. v. 16. Habemus etiam hic, quod respondeamus illis, qui nimium mites de eo disputant, an non etiam honestiores inter gentes, qui singularibus virtutibus vitam suam exornarunt, saluari possint? Christus certe dicit: *Qui non est mecum, contra me est.* Atqui cum Christo esse, non est Thalmudi nugas recipere, aut Mahometi fabulis attendere, aut gentilem esse: Sed Christum in verbo audire, agnoscere & in eum credere. Qui non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. v. 16. vtut virtuosa vita in hoc mundo fuerit præditus.

Hæc est simplicissima sententia huius dicti Christi: nec cum ea pugnat, quod Christus postea Marc. 9. v. 40. & Luc. 9. v. 50. dicit: *Qui non est aduersum nos, pro nobis est.* Ibi enim non est ipsi sermo de Neutralibus, qui nec amici nec inimici Christi videri volunt: quales fuerunt hi, qui in præsenti concertatione neutri patri adstipulari volunt. Sed loquitur de infirmo, qui Christi nomen agnoscit, illud profitetur, & in eo dæmonia eiicit. Hunc, licet se non sequatur, & multa adhuc ipsi desint, non tamen abiici aut damnari, sed potius, vt Paulus postea Rom. 14. v. 1. docet, assumi & in fide confirmari vult. Sicut igitur Paulus, Phil. 1. v. 15. ferendos censet, etiam qui per inuidiam & contentionem Christum prædicant, modo Christum prædicent: ita & Christus non vult impediri propagationem regni Christi in eo, qui non per omnia recte sit institutus. Sed de eo suo loco pluribus videmus.

Porro postquam Iesus grauissimis hisce argumentis Pharisæos intra animos suos conuicerat, ita vt non haberent quod opponerent, apparet Christum corda ipsorum intuitum esse (vt est καρδιογνώστης) ac vidisse quod nihilominus in proposito suo persisterent, cumque in vulgi odium & contemptum calumnia conspirationis cum diabolo adducere niterentur. Quia tamen horum etiam acerbissimorum suorum hostium, æternam salutem in hac tanta cordis ipsorum obstinatione ex animo quærebat, incipit de peccato in Spiritum sanctum disserere, eo illis peccati sui atrocitatem ob oculos statuere, atque simul, ni resipiscant, æternæ damnationis pœnas denunciare. Hoc enim proprium officium est Mediatoris, quærere quod perierat. Perierunt autem non tantum parui, sed & magni, imò maximi peccatores: qui quo profundius in luto peccatorum hærent, eo maiori cura & solicitudine sunt quærendi. Hoc conatur Christus per doctrinam de peccato in Spiritum sanctum præstare.

Caute autem admodum & circumspecte hæc doctrina est tractanda, ne ea impingamus in vniuersales promissiones Euangelij, quasi aliqua peccata adeo sint grauia & atrocia, vt si maxime quis pœnitentiam agat, & in Christum credat, non tamen ipsi remitti possint. Hoc esset iniuriosum in meritum Christi, & perturbatis conscientiis necteret laqueos desperationis. Et in veteri Ecclesia multæ erroneæ sententiæ hinc sunt exortæ. Alij enim disputarunt, quod si quis post acceptum baptisma in peccatum prolaberetur, illud ipsi non amplius remitti possit. Sed hæc opinio refutatur exemplo incestuosi Corinthiaci, & Galatarum, qui post baptismum grauiter lapsi, tamen Deo sunt reconciliati, 2. Cor. 2. v. 10. Gal. 4. v. 19. Et Christus docet fratri peccanti non septies, sed septuagies septies condonandum esse, Matth. 18. v. 22. Deinde Nouatiani ex hoc loco docuerunt: si quis tempore persecutionis agnitam veritatem abnegaret, ei etiam redeunti, pœnitentiam agenti, & per fidem in Christum reconciliationem cum Deo quærenti, tamen peccatum illud remitti non posse. Sed & hanc opinionem Ecclesia recte sentiens, tanquam erroneam & noxiam, ex irrefragabilibus scripturæ sacræ fundamentis, reiecit & condemnauit. Sicut etiam Apostoli Petri exemplum diuersum docet, Iohan. 21. v. 15. Præter hos nō defuerunt, qui satis periculose hac de re in hunc modum disputarunt, quasi peccata, quæ committerentur ex imbecillitate, essent peccata in Deum Patrem: quæ vero ex ignorantia, essent peccata in Deum filium: quæ denique ex proposito fierent & scienter, essent in Spiritum sanctum. Et hæc non posse remitti, licet peccator pœnitentiam agat, & in Christum credat. Tales distinctiones non possunt probari. Quia, vt pie D. Augustinus serm. 11. de verb. Domini docet, nullum peccatum in Patrem committi potest, quod non simul vergat in Filium & Spiritum sanctum: nec vllum in filium, quod non sit directum aduersus Patrem & Spiritum sanctum: idque propter purissimam essentiæ in sacrosancta Trinitate vnitatem. Adhæc habemus exempla Adami & Dauidis, qui scientes peccauerunt, & tamen per pœnitentiam, propter meritum Seruatoris cum Deo sunt reconciliati. Has disputationes veterum notare decet, vt quæstionis huius difficultatem, de qua ipse etiam Augustinus conqueritur, agnoscamus, & tanto diligentius de solidis fundamentis recte hanc doctrinam percipiendi cogitemus.

Vt igitur scire possimus, quid Christus nominet peccatum in Spiritum sanctum, quod est irremissibile, hæc sunt tenenda. Primo, quod licet vnum peccatum altero sit grauius, sicut Christus ipse testatur, Matthæi 11. v. 24. & Iohann. 19. versi. 11. nullum tamen peccatum adeo paruum sit aut exile, quod nō dignum sit ira Dei, & æterna damnatione, si velit Deus intrare iudicium. Quia enim Deo nos totos & omnia nostra debemus, certe in infinitam ipsius maiestatem iniurij sunt, & æternam mortem merentur, qui vel minima in re sanctissimā ipsius voluntatem transgrediuntur. Ideo lex maledictioni subiicit, qui non manserint in OMNIBVS, quæ in ea scripta sunt, Deut. 27. v. 26. Gal. 3. v. 10. Et Iacobus dicit c. 2. v. 10. Si quis totam legem seruet, in vno autem offendat, eum omnium esse reum. Hactenus etiam aliquoties audiuimus esse errorem in Pharisæis damnatum, quem habuerunt de mandatis minimis & exilibus aduersus ea peccatis, Matth. 4. v. 15.

Deinde verò & hoc sciendum, nullum peccatum esse adeo atrox & horrendum, quod non pœnitenti remittatur propter Christū fide apprehensum. Hoc enim vrget perpetuus sacrarum scripturarum consensus, qui docet: 1. Christum esse propitiationem non tantum pro aliquibus, sed pro totius mundi peccatis, 1. Iohann. 2. versi. 2. 2. Velle Christum etiam maximos peccatores saluari, 1. Timoth. 1. ver. 15. 3. In hunc finem præcepisse, vt in suo nomine prædicetur pœnitentia & remissio peccatorum in toto mundo, Luc. 24. v. 47. addita vniuersali inuitatione: Venite ad me OMNES, qui laboratis & onerati estis, ego vos reficiam. Matth. 11. versic. 20. 4. Hinc etiam promissiones Euangelij sunt vniuersales, promittentes, quod omnis, qui conuertitur & credit in Christū, non sit periturus, sed vitam æternam habiturus, Marc. 16. vers. 16. Iohan. 3. v. 16. 5. Potestas quoque clauium, quam Christus post se reliquit Ecclesiæ suæ, in se complectitur generale mandatum & vniuersalem promissionem: Quorumcunque solueritis peccata super terram, soluta erunt & in cœlo, Matth. 18. v. 18. Iohann. 20. v. 23. Et quod firmiter sit statuendum, nullum peccatum esse adeò enorme & virulentū, quod non remitti possit, vel ex hoc ipso textu potest elici, vbi Christus dicit: *Omne peccatum & conuitium remittitur hominibus. Et quicunque dixerit verbum aduersus filium hominis, remittitur illi.* Aut, vt Marcus magis diserte, & cum graui asseueratione dicit: *Amen dico vobis, OMNIA peccata & conuitia, quibuscunque conuitiati fuerint, remittentur filiis hominum.* Βλασφημία Græcis dicitur, παρὰ τὸ βλάπτειν τὴν φήμην, à lædenda fama & existimatione alicuius. Varinus dicit, quod βλασφημῶ idē sit, ac ὁ τὰ μὴ πρέποντα λέγω, ἢ χέω τὰ ἀπρεπῆ λόγια: Effundo ea, quæ nō decet, probra & conuitia in aliquem iacto, maledictis & conu-

meliis incesso, famam & existimationem alicuius lædo, eum calumniando, eique obtrectando. Interdum absolute ponitur, vt Plato de Legib. βλασφημεῖν πᾶσαν βλασφημίαν, nullis non probris & contumeliis incessere. Interdum cum præpositione κατὰ: Suidas in Iustino. κατὰ τῶν χριστιανῶν βλασφημεῖν, Christianos conuitiis & maledictis insectari. Interdum cum præpositione εἰς. Plato lib.2. de Republ. εἰς θεοὺς βλασφημεῖν, Diis maledicere, seu Deos probris & contumeliis incessere. Hic secũdum omnes tres modos vsurpatur. Absolute, Marc.3.ver.28. βλασφημίας ὅσας ἂν βλασφημήσωσιν, Cum κατὰ, Matt.5.v.32. λόγος κατὰ τοῦ υἱοῦ ἀνθρώπου. Cum εἰς Marc.3.v.29. ὃς ἂν βλασφημήσει εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. In veteri Testamento respondet interdum verbo גדף, quod significat vituperare, & atrocibus verbis in quempiam inuehi, vt, 4.Reg.19.v.6.& 22. interdum verbo נאץ, quod significat conuitiis aliquem irritare, & cum execratione respuere, vt Ezech.33.vers.12. Iam perpendat quis, quantum & quàm graue sit peccatum blasphemare, vel conuitiis, maledictis & contumeliis lacerare filium hominis. Cum enim idem sit filius Dei, in quo creata sunt omnia, & omnia in ipso constant, Coloss.1.ver.17. & qui virtute verbi sui omnia sustentat, Heb.1.vers.3. hominis autem filius propter nos & nostram salutem factus est, vt purgatione peccatorum nostrorum facta, non tantum ipse sederet ad dexteram maiestatis in excelsis, sed & nos vnà secum consedere faciat in cœlestibus, Ephes.2. vers.6. poteſtne atrocius quid cogitari, quàm si quis Creatorem & Redemptorem, à quo non semel saltem omnia sua accepit, sed & amissa recuperauit, conuitiis incessat, & probra in eum iactet? Certe humano etiam iudicio dignus est, cui ima terra dehiscat, quique viuus in orcum descendat. Et tamen Christus hic dicit, imo, iureiurando confirmat, *Amen dico vobis* talia conuitia omnia hominibus remitti posse: si nimirum pœnitentiam agant. Et quod hic tam asseueranter pronunciat, illud etiam reipsa præstitit. Quot enim putes illorum Iudæorum fuisse, qui Christum prius contumeliose contra Pilato abnegarunt, eundem ad crucis supplicium postulantes, & Barrabam ipsi præferentes: Luc.23.v.18. qui tamen per conciones Petri, in prima Euangelica Pentecoste habitas, ad pœnitentiam adducti, huius peccati veniam sunt consecuti? Act.2.v.41.& 3.ver.19. Idem videmus in Apostolo Paulo, qui Ecclesiam Dei est persecutus, 1.Cor.15.v.9.& non tantum ipse fuit blasphemus, persecutor & contumeliosus, 1.Tim.1.ver.13. sed & grauibus pœnis coegit alios ad blasphemandum, Act. 26.v.11. & tamen resipiscens, non tantum remissionem peccati sui adeptus, verum etiam Apostolorum præcipuus factus est. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius patet, nullum peccatum adeo enorme & atrox esse, pro quo Christus non satisfecerit, vt qui etiam pro crucifigentibus se orauerit, Luc. 23.v.34. & quod non remitti possit agentibus pœnitentiam. Et vt consternatæ conscientiæ tanto certiorem & efficaciorẽ habeant consolationem, non opus est scrupulose hic disputare de ignorantia Christi agnitionem præcedente: quasi illa tantum conuitia in Christum remitterentur, quæ committat is, qui in cognitione Christi nondum recte sit institutus, nec quicquam vulgari homine maius de ipso sentiat. Hac enim ratione satis periculose laquei necterentur, quibus constringerentur & ad desperationis præcipitium adducerentur illorum conscientiæ, qui cum in Christi agnitione sint educati & sufficienter instituti: tamen vel præcipiti ira abrepti, vel vino ebrij, vt ignorent quid faciant, quidve dicant, Christo Seruatori suo maledicunt: quasi hi, etiamsi resipiscant, & mentis sanitatem recipiant, 2.Tim.2.ver.26. tamen non possint per pœnitentiam Deo reconciliari. Hos periculosos nexus ipse Christus præscindit, & vniuersalem particulam ponit. *Omnia peccata & conuitia, QVIBVSCVNQVE conuitiati fuerint, remittentur filiis hominum.* Ergo, licet is grauius, & longe atrocius peccet, qui Christum, quem agnouit Dominum & Seruatorem suum, blasphemat & contumelia afficit, quàm qui ignorans ipsum contemtui habet & conuitiatur: tamen nec illud irremissibile dicendum est pœnitentiam agenti. Neque enim Paulo blasphemiæ suæ remissæ fuerunt propterea, quod ignorans illas effudisset: sed propterea, quia pœnitentiam egisset, & fide Christum suscepisset.

His ita præmissis, & irrefragabili hoc fundamento posito, quod licet peccata omnia, etiam leuissima, natura sua damnationem mereantur: omnia tamen, etiam grauissima, veniã consequantur propter Christum, si quis pœnitentiam agat: non immerito iam miretur quis, & inquirat, quodnam & quale sit illud peccatum in Spiritum sanctum, quod Christus tam in hoc quàm in futuro seculo irremissibile pronunciat. Hic mihi Augustinus viam simplicissimam monstrasse videtur, dum dicit, esse tale peccatum, quod pugnet cum officio, donis, & operatione Spiritus sancti. Quodnam autem sit illud officium & operatio Spiritus sancti in Ecclesia, id Christianis ignotum esse non potest. Etsi enim opera Trinitatis ad extra, iuxta communem regulam Theologorum, sunt indiuisa: docendi tamen symbolum Apostolicum secundum scripturas ita ea distribuit, vt Patri Creationem, Filio redemptionem, Spiritui sancto sanctificationem attribuat. Huius enim personæ proprium officium est, per ministerium verbi & sacramentorum colligere Ecclesiam, quæ redemtionem filij Dei vera fide amplectatur, peccatorum remissionem consequatur, cœlesti Patri reconcilietur, sicque singula illius cœtus membra ad æternam vitam innouentur. Quicunque ergo huic vocanti obedientem aurem præbet, se ab illo ad ouile Christi aggregari, in vera fide illuminari, sanctificari & conseruari patitur, is certe tum in hac vita omnium suorum peccatorum, quantacunque illa sint, remissionem, tum in altera æternam salutem propter Christum consequitur. Et hæc est illa gloria ministerij Spiritus, quam D. Paulus 2.Cor.3.ver.8.& sequenti tam magnifice commendat, quod sit διακονία τῆς δικαιοσύνης, ministerium iustitiæ & vitæ, & quidem talis vitæ & iustitiæ, non quæ aboleantur, sicut ministerium mortis, sed quæ maneant, donec in eandem imaginem transformemur ex gloria in gloriam, sicut à Domini Spiritu. Hoc ministeriũ qui aspernatur, qui verbum non vult audire, sed ei contradicit, qui sacramenta, quæ sunt media ad salutem, reiicit: hæc, inquam, qui spernit, is non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis, 1.Thess.4.ver.8. Fit autem hoc variis modis, vt veteres docuerunt. 1. Præsumtione de impunitate peccati, & misericordia Dei: quasi his salUare nos velit, si maxime in peccatis sine pœnitentia & conuersione perseueremus. 2. Inuidentia fraternæ gratiæ, si quis donis Spiritus sancti à Deo in proximum collatis detrahit, iisque ex incurabili odio inuidet. 3. Obstinatione, si quis id, quod pugnat cum lege Dei, non vult pro peccato agnoscere, sed tuetur male facta sua, & de iis gloriatur. Item, si omnes admonitiones ex Dei verbo factas aspernetur, odio habeat corripientem in porta, Amos 5.vers.10. imo ex duritie cordis sui non amplius audire velit, sed subinde in peius proficiat. 4. Impugnatione agnitæ veritatis: Si quis viam iustitiæ cognouit, sed post agnitionem non solum retrorsum conuertitur ab eo, quod ipsi traditum est, sancto mandato, 2. Pet.2.v.21. sed & veritatem olim professam sciens & volens, ex proposito contra conscientiam blasphemat, calumniatur, persequitur. 5. Desperatione: si quis gratiæ Dei quæ in Christo per verbum salutis offertur, & per sacramenta obsignatur, nolit fidere, sed simpliciter statuit, sibi peccata non posse remitti. Hic mendacem facit Deum, quia non credit in testimonium, quod Deus testificatus est de filio suo, 1.Iohan. 5.v.10.& est peccatum ad mortem, ver.16. His omnibus si 6. sexto loco accedat impœnitentia finalis, tum dicit Christus esse talem blasphemiam, & tantum *peccatum, quod non remittatur neque in hoc, neque in futuro seculo*, hoc est, vt Marcus interpretatur, homo isto modo peccans, nullam habet remissionẽ *in æternum, sed reus est æterni iudicij*. Quî sic? Num propterea, quod Spiritus sancti dignitas maior sit quàm Filij Dei? Nequaquam. Etenim Pater & Filius vnum sunt, Iohan.10.v.30. & ex vtroque procedit Spiritus sanctus, qui tam Filij quàm Patris Spiritus dicitur. Num ergo propterea, quod tales sciẽtes peccent & propriæ conscientiæ testimonio conuincantur? Nec hoc dicere possumus. Siquidem sæpenumero etiam electi taliter peccant, vnde peccata sua studiose celare conãtur, vt in Dauide videmus, 2.Reg.11.v.6. & tamen peccatum hoc ipsi remissum est, cap.12.ver.13. Sed causa huius tam duri decreti est, quod tales non possunt innouari per pœnitentiã, Heb.6. Etenim, quia hoc (vt diximus) est Spiritus sancti proprium officium, vt per verbum & Sacramenta corda illuminet, emolliat, innouet, & donet fide, qua peccatorũ remissio in Christo apprehenditur: ipsi autẽ hunc reiiciunt atque impie conculcant, Deus ipsis non aliud medium ordinauit, per quod in fide institui, & remissionem consequi possint. Sed vt terræ maledictæ indicium est, si neque cultura, neque rore & pluuiis cœlestibus fœcundatur: ita animi reprobi & incurabilis nota est, si qui Dei verbum scientes volentes contemnunt, oderunt, persequuntur, & Spiritui sancto volenti corda ipsorũ illuminare impie ad finem vsque 1.Thess.2.versic.16. resistunt. Quomodo ergo hi peccatorum remissionem assequantur, quam nec quærunt, nec desiderant? Hinc fit, quod tales homines cor suum ipsi subinde magis magisque indurent. Et plerumque ad hoc peccatum accedit iustum iudicium Domini, quod Deus tales tradit in sensum reprobum, Rom.1.ver. 28. vt excæcentur, & accipiant Spiritum compunctionis: oculos, qui non vident; & aures, quæ non audiunt, Rom.11. ver.8. sicuti Pharaoni accidisse in Exodo prolixe legitur.

Simul autem danda est opera, vt Phrasin, qua Matthæus in præsentia vtitur, *non remittetur ei, neque in hoc seculo neque in futuro*, recte accipiamus. Origenes enim ex hoc fundamento perperam intellecto, statuit fore tempus pœnitentiæ, reconciliationis

liationis & remissionis etiam in altero seculo: vnde vlterius progressus etiam damnatis, imo Diabolis quoque finem pœnarum promisit. Pontificij quoque ex hoc loco ignem suum Purgatorium adstruere conantur, & in eius confirmationem allegant Augustinum, qui de ciuit. Dei, lib. 21. cap. 24. sic argumentatur. Neque enim veraciter de quibusdam diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro. Item Gregorium, qui Dialog. 4. cap. 39. scribit: quod in hac sententia detur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam vero in futuro relaxari. Quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Denique Bernhardum, qui super Cantica, serm. 67. dicit: Quærant ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remittetur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio, purgatione peccati. Contra vtramque opinionem & Origenis & Pontificiorum, prodest in conspectu habere clarissima scripturæ dicta, quæ disertè testantur, quod tantum in hac vita sit tempus fructuosæ pœnitentiæ, gratiæ, reconciliationis & remissionis, atque proptereà nos, dum in hac vita viuimus, ad eam exhortantur. Christus inquit Ioh. 9. v. 4. venit nox, quando nemo potest operari. Ergo operemur bonum, dum tempus habemus, Gal. 6. v. 9. tempore incolatus nostri, 1. Pet. 1. v. 17. quod reliquum est in carne tempus, 1. Pet. 4. v. 2. redimentes tempus, Eph. 5. v. 16. sobrie, pie, iuste viuamus in hoc seculo, Tit. 2. v. 12. Scientes tempus, quia iam hora est, à somno surgere, Rom. 13. ver. 11. nunc est tempus acceptum, nunc est dies salutis, 2. Cor. 6. v. 2. Hoc tempus qui negligunt, illi postea frustra cum virginibus fatuis pulsabunt ianuam clausam, Matt. 25. v. 11. Itaque quærite Dominum, dum inueniri potest, Iesa. 55. vers. 6. Nec quisdam differat iustificationem vsque ad mortem, Syr. 18. v. 22. aut tardet cōuerti ad Dominum, nec differat de die in diē, Syra. 5. v. 8. quia mortui nihil nouerūt amplius, nec habent vltra mercedem, Eccles. 9. versic. 5. sed sicut ceciderit arbor, in quemcunque locum ceciderit, ibi erit, Eccles. 11. v. 3. Quare quodcunque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas, c. 9. v. 10. Etenim post mortem chasma illud formatur, vt postea non amplius pateat aditus ad pœnitentiam, reconciliationem cum Deo, & saluationem, Luc. versicul. 26. Ac proinde Epistola ad Hebræos, in duobus capitibus, 3. & 4. prolixe hortatur, vt si velimus ingredi in requiem Domini, festinemus, ne quis frustretur. Adhortemur itaque nos inuicem, per singulos dies, donec dies appellatur HODIE. Qui enim HODIE obdurāt corda, illis iurauit in ira sua, non ingressuros in requiem suam, qui vero credunt, illi ingrediuntur, non tormenta, sed in requiem. Quid possit manifestius dici, contra illam sententiam, quasi aliqua peccata remitterentur denuo in altero seculo? Adhæc, Christus claues regni cœlorum ita instituit, vt diserte simul affirmet, quę in terris soluuntur, eadem soluta esse in cœlo. Ergo quæ in terris non soluuntur, sed ligata manent, ea postea non soluuntur, Matth. 16. v. 19. & 18. v. 18. Ioh. 10. v. 22. sed sicut in libris inuenietur, & secundum ea, quæ dum in corpore fuimus acta sunt, iudicabitur, 2. Cor. 5. versicul. 10 Apoc. 20. v. 12. Huic perpetuo Scripturarū consensui suffragatur catholicus consensus Christianæ Ecclesiæ, quæ vna voce in cōfessione Symboli sui canit: *Die gantze Christenheit auff erden, helt in einem sinn gar eben, hier* (scil. in hoc seculo) *alle Sünde vergeben werden.* Contra tam manifestam scripturæ sententiam, velle alicui, qui sine remissione peccati alicuius moritur, remissionem polliceri in altero seculo, illud non est docere, sed seducere homines, & decipere. Neque quisquam Patrum, qui Augustini tempora antecesserunt, nec Hilarius, nec Hieronymus, nec Chrysostomus, nec Theophilactus, nec ipse Athanasius, qui peculiarem Tractatum de hoc dicto conscripsit, excepto solo Origene, hanc interpretationem huius dicti posuit.

Quomodo ergo nos partitionem illam Matthæi, *non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro*, accipiemus? Chrysostomus intelligit de suppliciis, quæ non remittentur, & ponit quatuor hominum ordines. Vnum eorum, qui & hic & illic supplicia sustinebunt, vt Sodomitæ. Alterum illorum, qui in præsenti solummodo vita, vt incestuosus ille apud Corinthios. Tertium, qui in futura tantum vita, vt diues epulo. Quartum, qui nec in præsenti, nec in futuro seculo, vt Prophetæ & Apostoli. Statuit ergo Chrysostomus hunc esse sensum verborum Christi: quia peccatum Scribarum in Spiritum sanctum non sit veniale; iccirco ipsos tam in præsenti quàm in futura vita grauissimas pœnas luituros. Hæc interpretatio non est mala. Sed potest & hæc addi. Quia aduentus Christi ad iudicium finem imponet præsenti huic seculo, Matth. 13. ver. 39. & 24. v. 3. ideo tempus resurrectionis vocatur tempus futuri seculi, Marc. 10. v. 30. Luc. 19. v. 35. Post resurrectionem autem à Christo, in tribunali sedente, manifestabitur iudicium omnia carnis, Rom. 14. v. 10. Hoc extremum iudicium intelligit hic Christus, quando nominat *futurum seculum*. Et propterea in hac partitione coniungit vtrumque seculum, quia quando iudicium Dei de peccato in hoc seculo ex verbo Dei pronunciatur, tum mundus non magnopere illud curat. Impij, quando peccata ipsis retinentur, & quasi colligata ceruicibus ipsorum ad tribunal Christi Iudæis viuorum & mortuorum portanda, imponuntur, tum denunciationem istam, ceu vanam rident & floccipendunt. Rursus pij, quando lætam remissionis peccatorum annunciationem audiunt, sæpe subdubitant, metuentes, ne peccatorum noxa grauior sit, quam quæ tam facile remitti possit. Christus igitur hic vult affirmare, si cui pœnitentiam agenti, in suo nomine gratuita peccatorum remissio annunciatur in hoc seculo, isque omnem suam fiduciam in Christi merito, eò quòd ipse fortem armatum ligauerit, collocet, tum se in futuro seculo declaratoria sua sententia hanc remissionem ratam habiturum, atque tali ad æternæ suæ gloriæ regnum accessum concessurum. Sin vero quis impœnitens in hoc seculo officium Spiritus sancti, quod in ministerio peragit, aspernatus fuerit, ac proinde in eo peccata ipsius non remissa, sed ligata fuerint, tum etiam futurum, vt idem in altero seculo, in die iudicij non iustus, sed ligatus & condemnatus pronuncietur. Et hoc est, quod Marcus, interpres Matthæi certissimus, & omni exceptione maior, dicit, *in æternum hoc peccatum non dimitti*, sed hominem *reum esse æterni iudicij*. Et rationem addit Marcus de suo: *Dicebant enim, Spiritum immundum habet.* LXX. verbum טמא, quod pollutum, contaminatum & immundum esse significat, passim per ἀκάθαρτον reddiderunt. Et hanc rationem Euangelista ita ponit, ac si innuere vellet, Christum grauissimis illis argumentis apud Scribas plus non profecisse, quàm quod ipsi se malitia vincentes, priori calumniæ, qua eum adminiculo Beelzebub diabolum pellere dicebant, hanc nouam addiderint. *Spiritum immundum habet*, insimulantes eum, quasi ipse Diabolo obsessus esset; cum tamen omnis vita eius, sermones, mores & actiones ipsius apertissime ostenderent, nihil immundi, polluti vel contaminati in ipso esse. Contra hos virulentos calumniatores Matthæus partitione sua ideo vti voluit, vt ostenderet peccatum in Spiritum sanctum tam horribile esse, vt illi, qui eius rei sunt, iudicium iræ diuinæ & in hac vita exagitationibus conscientiæ sentiant, & in altero seculo longe grauius premendi & excruciandi sint, quando in resurrectione mortuorum iudicium de peccatis, & eorum siue remissione siue retentione palàm feretur. Hæc sententia plana est, & salutarem doctrinam in Ecclesia præbet; adeoque dolendum est tum Pōtificios ineptis suis disputationibus de igne Purgatorio, tū etiam quosdam Patres inconsiderate dictis eam obfuscare.

Cæterum, quia hoc peccatum in Spiritum sanctum vsque adeo graue & atrox est, considerandum, quomodo in Ecclesia Dei coram cœtu simplicium de eo agendum; & quomodo illi, qui in hoc peccatum impingere videntur, tractandi sint. Et quidem veteres hinc primum vtiles commonefactiones desumserunt ad pios & fideles, vt de Dei verbo magnifice sentiant, conscientiæ & Spiritus sancti suggestionibus non reluctentur, sed sibi applicent illud Psal. 95. ver. 8. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Hæc enim peccata, quibus verbo resistitur, & pugnatur contra officium atque operationem Spiritus sancti, hac de causa sunt grauiora & periculosiora, quia à reliquis peccatis Spiritus sanctus nos liberare potest, dum per officium & ministerium suum in cordibus nostris seriam pœnitentiam excitat, & veram fidem accendit, qua remissio peccatorum acquiritur. Qui vero huic officio perseueranter, totaliter & finaliter repugnat, quomodo is ad peccatorum remissionem venire potest? De talibus dicit Paulus, Tit. 3. versic. 10. Hæreticum hominem, post vnam atque alteram correptionem deuita. Et in hanc sententiam etiam intelligi debent difficiles illi loci, Heb. 6. v. 4. & 10. ver. 26. in quibus Apostolus testatur, quod illi, qui scientes, volentes atque ἐκ προαιρέσεως deficiunt à veritate, Christum de nouo crucifigant, sanguinem eius quasi pedibus conculcent, atque illos non posse renouari ad pœnitentiam affirmat: quia scilicet extra Christum nulla alia victima restet pro peccato. Deinde vero, quia pœnitentia & remissio peccatorum omnibus hominibus annuncianda est in nomine Christi, Luc. 24. v. 47. etiam iis, qui resistunt Spiritui sancto, Act. 7. v. 51. exemplo Stephani, qui etiam versi. 60. orauit pro illis. cauendum, ne temere iudicium nostrum præcipitemus, neve teneris conscientiis scrupulum iniiciamus, quo ad desperationem impellantur. Etenim nos corda hominum non possumus penitus introspicere, multò minus scire, quales in finem vsque futuri sint. Deus quoque

interdum aliquos, qui ex obstinato corde in Spiritum sanctum contumeliosi fuisse videbantur, conuertit: Ideo quandiu dies adhuc HODIE vocatur, & superest tempus salutis, tamdiu portam gratiæ patere sciamus, & si tales vel in extremo halitu per pœnitentiam conuertantur, & fide meritum Christi apprehendant, nō de eorum salute desperemus. Ideo non inepte Augustinus hanc speciem blasphemiæ seu peccati in Spiritum sanctum finali impœnitentia definiuit. Hæc enim sola facit, vt peccatū retineatur & non remittatur. Quādo vero Deus iudicium suum manifestat, vt videamus quempiam finaliter & perseueranter in tali blasphemia mortuum esse, & interiisse, tum quasi à posteriori & nos iudicare possumus, eiusmodi hominem talem blasphemiam in Spiritum sanctum commisisse, quæ nec in hoc, nec in altero seculo remittatur, sed & hic induratione, & illic æterno igne gehennæ puniatur. Interim autem antequam Deus manifestat suum iudicium, non desistant fideles verbi ministri eos, qui in officium Spiritus sancti peccare videntur, serio ad pœnitentiam hortari, & de eo grauiter commonefacere, quod æternam damnationem, & acerbissimas tam corporis quàm animæ cruciatus subituri sunt, nisi maturè resipiscant. Sicuti iam videbimus, Christum idem quoad Scribas & Pharisæos fecisse. Nam ob hanc obstinatam malitiam & effusam calumniam, non protinus eos deserit, & Diabolo tradit: sed seria concione pœnitentiæ apud ipsos instat, ostendens: 1. vnde hæc ipsorum improbitas proueniat. 2. quomodo eam corrigere debeant. 3. quid ipsos vel tandem maneat, si rectè monitis locum dare nolint. Singula inspiciamus.

I. Vocat ipsos *progeniem viperarum*. Quo autem sensu tum Pharisæi, tum alij viperarum progenies dicantur, cap. 16. huius harmoniæ prolixe explicatum est. Hic vero non tantum stolidam & arrogantem ipsorum superbiam taxat, qua propterea se sanctos Dei filios esse arbitrabantur, quia ex Abrahamo progeniti essent: sed fontem omnis mali aperit Diabolus, draco magnus & antiquus serpens, Apoc. 12. vers. 9. per exitialem lapsum primorum parentum totam humanam naturam lethali veneno ita infecit, vt iam omnes homines natura sint filij iræ & indignationis, Ephes. 2. v. 3. Si iam ad naturalem hanc malitiam accedat praua educatio, impia institutio & nequitiosa assuefactio, tum ex hominum genere fit semen serpentis, vt Gen. 3. v. 15. dicitur, hoc est, tales homines, qui quasi ex patre Diabolo oriundi, Iohann. 8. ver. 44. fiunt progenies viperarum & incarnati Diaboli. Tales fuerunt hi Scribæ & Pharisæi, siquidem non solū ex innata omnibus hominibus naturæ vitiositate peccabant, sed ex voluntaria cæcitate & excellenter nequitiosa contumacia. Et quod Christus hanc exquisitam malitiam intellectam velit, dum eos *viperarum progeniem* nominat, ipse explicat, dicens: *quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* quasi diceret: Mihi sane non est mirum, vos tam atroces blasphemias, etiam contra conscientiæ vestræ testimonium, ex ore vestro effundere: siquidem præter communem naturæ humanæ vitiositatem, Satanas atrum virus maligni odij ita cordi vestro afflauit, vt non possitis aliter loqui, quàm in ipsius schola estis edocti, qui linguas vestras, tanquam viperarum & aspidum, tantum ad criminationes & calumnias exacuit. Quapropter matura & seria resipiscentia opus est, nisi in æternum perire velitis. Et hoc innuit, dum dicit: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Περισσεύματος & abundantiæ meminit, vt quemadmodum dicitur: περισσεύματα ἔχειν καὶ τὰ περισσεύοντα, non tantum necessaria habere, sed & quæ redundant: ita nos intelligamus tantū vim impiarum cogitationum, amarulenti odij, & nequissimarum cupiditatum in Pharisæorum corde latuisse, vt ea postea in omnes sermones & actiones, adeoque in totam vitam redundarit. Et rectè Chrysostomus ex his infert, fontem deteriorem esse riuulis. Si ergo dicta praua sunt, & diaboli sensu scatent, coniice qualis sit fons, ex quo deriuantur. Nam lingua fere rubore impeditur, vt non effundat omnem pectoris insaniam: quid igitur velamine pectoris obductum in corde latitare iudicabis, si mens non sit ad Deum conuersa?

Vt vero Christus hæc dicendo non tantum cor ipsorum pungat, sed & venenatis hisce Præsulibus fictitiæ sanctimoniæ laruam apud vulgus detrahat, generalem sententiam ex re familiari petitam addit: inquiens: *Bonus homo ex bono thesauro cordis profert bona: & malus homo ex malo thesauro profert mala.* Videt nimirum apud vulgus simplex & ineruditum scandalo plenum esse, quod sua miracula à principibus viris in vtroque ordine tam Ecclesiastico quàm politico damnarentur. Monet ergo ipsos hoc exemplo vsque adeo non debere moueri, vt propterea minus suæ doctrinę fidere velint, vt vel hinc iudicium sumere possint, quàm deuote impij sint hi Scribæ & Pharisæi, qui qualitercunque extrinsecus pietatem & sanctitatem simulent, in intimis tamen cordis sui penetralibus eo impietatis progressi sint, vt nisi Satanæ cor & os suum mancipassent, nunquam talia prolaturi essent. Quemadmodū enim vir bonus & honestus qui ex Dei liberalitate, istas opes possidet, ex penu suo depromit bonas, vtiles & salutares dapes, quibus tam familiam suam sustentat, quàm aduenientes hospites honeste & beneuole excipit atque tractat: ita quicunque reuera boni & sancti sunt, quorum correctum est (vt 4. Reg. 10. ver. 15. Iehu dicit ad Ionadab filium Rechab) illi ex syncero & pio corde nihil aliud proloquuntur, quàm quod pium & honestum est, atque ad ædificationem facit omnium cum quibus versantur. E contra, quemadmodum homo subdole malus & impius, qui sanguine & nece aliorum delectatur, ex cella sua penaria profert veneno infectas dapes, quibus clam aliorum vitæ insidiatur: ita impij, quorum corda Satanas occupauit, ob impietatem cordis sui aliud nec loqui nec facere possunt, quàm quod & propriæ & aliorum saluti officit. Hoc cum Pharisæos hosce & Scribas facere manifeste videatis, vel inde saltem colligite, quàm exitiali veneno corda ipsorum sint infecta, nec ipsorum sermonibus moueamini. Hic est simplicissimus horum verborum Christi sensus, quo simul & hostes suos grauiter arguit, & rudi plebeculæ consulit, ne impiis horum sermonibus & ipsa inficiatur. Vniuersalem autem hic præbet doctrinam, de corrupta nostra natura, qua omnes inde ab Adami lapsu laboramus, atque hinc fit, quod nemo nostrum ex se ipso quicquam boni cogitare, 2. Cor. 3. v. 5. nedum facere potest: quia mali sumus. Et rectè Augustinus docet, virtutes infidelium seu non renatorum, non esse bona opera, sed coram iudicio Dei peccata. Nam ratione causæ efficientis & formalis nequaquam pro bonis operibus haberi possunt. Vere enim bona opera proueniunt, quando vetus homo per spiritum sanctificationis est renouatus. Dum ergo homo adhuc est *mala arbor*, sicuti Christus iam iam dicturus est, *non potest bonos fructus proferre.* Sed quicquid sine fide facit, peccatum est, Rom. 14. v. vlt. Inter hos ipsos malos autem, quando adolescunt, oritur differentia. Alij enim institutione & externa disciplina se coerceri patiuntur, vt etiam ex non renatis aliqui malitiam cordis reprimant, aut etiam exuant, & heroicis virtutibus studeant. Sicuti de Romanis Augustinus disputat de ciu. Dei lib. 5. asserens eos, per viam virtutis, ad gloriam, honorem & imperium contendisse. Et hoc diuino munere fit, qui ex immēsa misericordia propter imperia, vt illa constitui possint, Diaboli tyrannidem reprimit, ne omnia sceleribus & furoribus misceantur. Alij vero Diabolo & carnis malitiæ frena laxant, & ex abundantia cordis sui deprauati nihil aliud proferunt, quàm quod impietas ipsis dictat, & quod tum propriæ ipsorum tum aliorum saluti obest. Et huc respicere videtur Paulus, dum scribit: Quorundam hominum peccata manifesta esse, præcedentia ad iudicium: quosdam autem subsequuntur, 1. Tim. 5. v. 24.

II. Hæc naturæ malitia nobis proponitur, non tantum vt eam sciamus: sed vt eam corrigere studeamus. De quo etiam Christus hic dicit: *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem vitiosam & fructum eius vitiosum.* Primum huius dicti membrū, vt Augustinus rectè monet, Serm. 12. de verbis Dom. est præceptum, cui obedientiam præstare debemus. Alterum membrum est admonitio, vt caueamus. Neque enim Christus vult, vt arbores vitiosas faciamus, aut fructus putres feramus. Σαπρὸς deriuatur ab Aoristo pass. verbi σήπω, quod significat putredine vitiare. Requirit autem Christus pœnitentiam siue resipiscentiam, eamque veram ac seriam, non fictam aut simulatam. Sed quæstio oritur, quomodo nos *bonas arbores facere* possimus? Et est hæc doctrina suauis atque vtilis, quam Christus iucunda similitudine, ab opere hortulano desumpta, considerandam proponit. Vix est iucundius opus vel labor, quàm quando in hortis arbores seruntur, & plantantur, in quarum succretione quotidie diuinæ bonitatis & potentiæ illustria documenta conspicere licet. Sic coniugium est hortus domesticus, & iucundissimum vitæ genus, quando Deus sua benedictione illud exornat, quando filij & filiæ tanquam nouellæ oliuarum, Psal. 128. v. 3. & plantulæ à Deo satæ & datæ mensam nostrā circumstant. In arborum autem satione hoc molestiam creat, quod nunc post trimundinam terræ maledictionem, quarum prima post lapsum, Gen. 3. v. 17. altera post fratricidium Abelis, Gen. 4. ver. 11. tertia post diluuium, Gen. 7. v. 17. introducta est, omnes satiuæ arbores agrestes & sylnestres, fructus amaros & acerbos proferentes, è terra nascuntur: & nisi arte natura siue iuuetur siue corrigatur, fructibus istis frui aut vesci non possumus. Eodem modo iam post tristem lapsum omnes infantes, quotquot naturali conceptione, ex cohabitatione viri & mulieris in hunc mundum progenerantur, originali peccato sic sunt infecti & vitiati, Psal. 15. ver. 7. vt natura non sint arbores iustitiæ, Ies. 61. v. 3. sed oleastri, Rom. 11. v. 17. hoc est, putres & malæ arbores, natura filij iræ, Eph. 2. v. 3. nullos bonos fructus profe-

proferentes,sed dignæ,quæ excindantur, & in ignem mittantur,Matth.3.v.10.Sed quænam est illa ars, qua syluestris arborum natura corrigitur,vt mitescat?Hanc inuenit Noachus pater & progenitor secundi mundi. Is bonus agricola,Genes.9. vers.20.inuenit artem insitionis, qua surculus de bona & miti arbore decerptus per hortulanum aut alium artis illius gnarum,inseritur syluestri trunco, & ligamentis certis ita ipsi adaptatur, vt vnum fiat cum trunco, ex quo postea mitis surculus humorem & vires crescendi,fructusque bonos proferendi accipit.Sic cœlestis agricola,Ioh.15.v.1.in verbo suo nobis reuelauit diuinam artem, cuius adminiculo fera & corrupta nostra natura mitescere & emendari potest,sicque nos ex malis arboribus bonæ arbores iustitiæ fieri possumus.Ea autem ars, vt D.Paulus docet Rom.11.vers.17. & seqq.terrenæ insitioni prorsus est contraria. In nostris hortis truncus est syluestris, surculus autem mitis. In spirituali hac insitione surculi sunt syluestres, truncus autem est mitis, nimirum Seruator noster Iesus Christus. Huic si nos per ministerium verbi & sacramentorum inseramur, & firma fide vniamur, ab ipso succum & spiritum accipimus, vt in ipso adolescamus, sicque bonæ arbores fiamus,proferentes fructus bonos in honorem Dei, vtilitatem proximi & propriam nostram salutem.

Hæc cum ita sint, quærat quis, an vero Scribæ & Pharisæi non & ipsi huic arbori vitæ in iuuentute sua, per Sacramentum circumcisionis fuerunt implantati? Vt enim Paulus de nobis in Nouo Testamento scribit, quotquot baptizati estis, Christum induistis,Gal.3.versic.27. ita idem de illis in Veteri Testamento pronunciare possumus, quotquot circumcisi fuerunt in semen benedictum,semen illud induerunt. Et circumcisio illa Sacramentalis non tantum typus & figura, vt quidam volunt,sed medium & organum ordinarium fuit,per quod Deus cordis ipsorum præputium auferre, eos sibi circumcidere,ceruicem eorum emollire(vt in Prophetis loquitur,Deut.10.ver.16.& 30.versic.6.Ier.4.ver.4.) adeoque ipsos bonas arbores efficere voluit. Hanc circumcisionem cum Pharisæi & Scribæ, quisque octauo post natiuitatem suam die acceperint, cur Christus nihilominus ipsos hic insimulat,quod sint malæ arbores? Respondeo. In hortis nostris quotidiana experientia monstrat,quod etiam insititiæ arbores,ex generosissimis surculis, plantatæ, rursus degenerant, quod protrusis stolonibus & inutilibus ramis denuo syluescere, adeoque sterilescere incipiant, nisi diligenti cura & cultura in bonitate sua conseruentur. Ita multo magis in spirituali horto id euenire solet,quod arbores tenellæ, nisi diligenti cura verba Dei, & fideli institutione semper ad arborē vitæ Christum religentur,vt ex vnico dependeant, vitæ & omnium actionum suarum vires vnice accipiant,facillime degenerare possunt. Radix enim amaritudinis sursum germinans,multos rursus inquinat,Heb.12.v.15. & figmentum cordis humani tantum malum est ab adolescentia sua, Gen.8.v. 21. Valde emphaticum est vocabulum figmenti יצר,quo Moses vbi vtitur. Significat enim cor nostrum nunquam quiescere,sed ex obiectis forinsecus oblatis, suas quosdam ideas & cogitationes concipere,quas singulari studio, & magna animi intentione formare, & tantum ad malum dirigere soleat. Nisi ergo cor nostrum indesinenter à Spiritu sancto regatur, & cogitationes illæ verbo Dei tanquam gladio ancipiti, vsque ad diuisionem animæ & Spiritus penetrante, atque cogitationes & intentiones cordis discernente,Hebr.4.v.12. rescindantur, sicque arbores recens plantatæ per cœlestem agricolam assidue purgentur,Iohan.15.v.2. nisi etiam diligentia cœlestis coloni sterilitati nostræ medeatur, nisi circa arbores fodiatur,illæ rigentur & stercorentur, Luc.13.v.7. tunc facillime fieri potest, vt illæ arbores aridæ, & exuccæ in tantum degenerent,vt deteriores postea fiant, quàm natura initio fuerant,sicque ex redundantia praui cordis sui, tanquam ex malo promptuario, proferant pessimorum consiliorum peiora dicta & facta,quibus & seipsos & alios in exitium præcipitare conentur.Huius conduplicatæ malitiæ Christus Pharisæos hic admonere & innuere voluit, se conatum fuisse ipsorum naturalem prauitatem, primumquidem per sacramenti Circumcisionis in iuuentute, postea vero per verbum Euangelij in adultioribus corrigere, verum se nihil proficere,imo ipsos Pharisæos tanquam malos hortulanos, vel potius arborum & hortorum vastatores efficere, vt quodcunque ipse docendo, miracula operando, arguendo,eo dirigit, vt tota Iudæa tanquam paradisus Domini germinet iustitiam & laudem,coram omnibus hominibus, Ies.61.vers.11. id ipsi secundum corruptissimi ingenij sui prauitatem eo conuertant, vt tam seipsos quàm alios malas saltem arbores efficiãt, quæ vitiosos fructus proferant.Vult igitur,dum dicit:*facite arborem bonam,& fructus eius bonos*,vt imposterum aliter se ministerio suo accommodent, ex animo resipiscant, praua vitæ suæ prioris studia & diabolicum aduersus se odium serio detestentur,neque pergant hypocrisi sua Deo simul & hominibus imponere,sed bonis fructibus declarent,se deposito omni fuco bonas arbores & plãtationem ad glorificandum Dominum,Ies.61.ver.3.factas esse. *Nam ex fructu arbor cognoscitur.* Generalis hæc est sententia, sed ad Pharisæos ita accommodatur. Illi foris quidem & in publico,ieiuniis,precibus, eleemosynis,Matth.6 ver.1.vestitu item,sacrificiis,& crebris ablutionibus, Matth.23.vers.5. iustitiam & sanctitatem ostentabant: intus verò dolo,odiis, mendaciis,calumniis & blasphemiis repleti erant. Atqui externa illa opera etiam sunt hypocritarum,qui quiduis simulare & dissimulare possunt. Interiores autem isti affectus sunt indicium animi diabolica malitia deprauati. Vult itaque vt deposita ista simulatione,quâ se hactenus coram simplici populo venditarunt,in posterum bonos fructus, secundum præscriptum legis diuinæ, ex puro corde,in honorem Dei & ædificationem proximi proferant, quibus de seria resipiscentia, atque integro synceroque veræ pietatis studio testentur.

Hæc omnia monstrant modum & rationem, quomodo homines ex viperarum progenie,Dei soboles,& ex malis hominibus,qui ex malo thesauro cordis sui mala proferunt, boni homines, qui ex bono thesauro cordis bona proferant, fieri possint. Nimirum non naturalibus liberi sui arbitrij viribus, sicuti οἱ αὐτεξουσίου patroni hominibus persuadere conantur. Sed per spiritualem illam insitionem, quæ fit in diuina agricolatione ministerij verbi & sacramentorum, quo mediante,Christo per fidem inserimur, & per Spiritus communionem ita vnimur, vt in ipso tanquam palma floreamus, tanquam cedrus Libani multiplicemur, plantati in domo Domini,in atriis domus Dei nostri,Psalm.92.v.15. Quando vero Christo arbori vitę & iustitiæ sic semel insiti sumus,caueamus, ne per impœnitentiam rursus ab ipso reuellamur: curemus, ne gratiam Dei in vacuum acceperimus,2.Cor.6.v.1. Nemo nostrum desit gratiæ Dei,Heb.12.v.15.nemo permittat, vt in se rursus exurgat radix germinans fel & amaritudinem, Deut.29.ver.18. sed quisque seipsum quotidie seria pœnitentia purget, aut certe cœlesti colono per verbum & crucem purgandum præbeat, vt ipsius gratia fœcundus, & ad omne bonum opus idoneus reddatur,2.Tim.3.vers.17. Nam quando filius Dei nos liberauit,Ioh.8.versic.36.sicque seruum nostrum arbitrium liberum factum est, tum libertatem illam non debemus conuertere in licentiam carnis, sed tanquam serui Dei,1.Pet.2 vers.16. liberati à peccato, serui fieri debemus iustitiæ,Rom.6.vers.18.Et hoc est,quod D.Augustinus de præsenti loco vrget,vt quisquam potius bonus esse,quam bona habere cupiat. Hæc enim licet per se sint bona: si tamen quis male vtatur,mala ipsi euadunt. Quid ergo,inquit, tibi prodest plena nummis arca, inanis conscientia? Bona vis habere, & bonus non vis esse. Non vides te erubescere debere de bonis tuis,si domus tua plena est bonis,& te habet malum.Quid enim est quod velis habere malum? Nihil omnino,non vxorem, non filium, non filiam,non seruum,non ancillam,non villam, non tunicam, postremo non caligam? & tamen vis habere malam vitam. Rogo te,præpone vitam tuam caligæ tuæ. Omnia quæ circa iacent oculis tuis, elegantia & pulchra tibi chara sunt, & tibi ipsi vilis es, fœdus es, &c. Talia nobis ipsi occinamus, quando de hac Christi sententia cogitamus: *Facite arborem bonam & fructum eius bonos.*

3. Quod vero Pharisæos & Scribas attinet, vt ad hos reuertamur, videt Christus fidelibus suis admonitionibus se laterem lauare. Quia enim illi apud plebem authoritate valebant,rémque eo deduxerant,vt nemo aduersus ipsos vel mutire auderet:ac proinde hasce seueritas Christi exhortationes secure aspernabantur: Iccirco ipsos ad tribunal Dei citat, & grauissima cæterorum suppliciorum comminatione hanc cum ipsis susceptam disputationem concludit: *Sed dico vobis, quodcunque verbum otiosum locuti fuerint homines, de eo reddituros rationem in die iudicij.* ἀργὸς dicitur per crasin quasi ἄεργος, cessans ab opere,ab opere immunis & otiosus. Tribuitur diuersis rebus: vt apud Iudæos ἀργὸν ἔτος dicebatur septimus annus,quasi cessator annus seu feriatus,siquidem septimo quouis anno sabbatismum terræ celebrabant. Apud Budæum ἀργὰ χρήματα dicuntur pecuniæ, quæ compendium nullum vsurarum afferunt.Moses Exod.21.vers.19. ἀργίαν vocat cessationem operis.*die versaumnus.* Et Salomon,Eccles.10.18.dicit ἐν ἀργίᾳ χειρῶν, in defectione manuum perstillat domus, *durch faulkheit sincken die Balcken.* Hic vero ἀργὸν ῥῆμα, *otiosum verbum*, dicuntur sermones, qui omni vtilitate vacui temere effutiuntur,nulla vel suiipsius vel aliorum habita ratione, ex quibus vlla vtilitas nec ad Deum nec ad dicentes, nec ad auditores redit. Vult autem Christus ipsis dicere: Apud vos in confesso est, venturum aliquando magnum illum Domini diem, quo omnes homines sistentur coram tribunali Dei,

Ibi vero rationem reddent, non tantum de grauibus sceleribus & flagitiis, nec etiam tantum de omni σαπρῷ λόγῳ, spurco sermone, qui procedit de ore hominum, Eph.4.versic.29. sed etiam *de verbo otioso*, quod licet non noceat, nullam tamen habet vtilitatem. Eo enim tempore Dominus Ierusalem scrutabitur in lucernis, Soph.1.versic.12. nec quicquam adeo occultum erit, quod non manifestabitur, Luc.8.ver.17. Et nunc quidem vos quiduis temere pro vestro arbitrio effutitis, quia authoritate vestra alios premitis, & populi simplicitate abutimini. Sed venit aliquando dies, quo tota hæc mundi machina dissoluetur, ibi nec authoritas, nec simulata sanctimonia vos tuebuntur, sed etiam de quouis otioso verbo, quod temere locuti estis, ratio à vobis exigetur: quanto grauior ergo & exactior ratio reddenda erit, de atrocibus hisce & horribilibus calumniis & blasphemiis, quæ omnem pietatis & honestatis rationem excedunt?

Hæc testificatio filij Dei, cui Pater omne tradidit iudicium, Ioh.5.v.22. non est contemnenda, sed sæpe ad animum reuocanda, vt non tantum ab enormibus flagitiis & sceleribus abstineamus, nec tantum effrenem linguæ petulantiam coerceamus: sed etiam cum regio Psalte custodiam ori nostro ponamus, & caueamus, ne in lingua nostra delinquamus, Psalm. 39.v.2. Est magnum donum, quo Deus hominum genus præ reliquis visibilibus creaturis exornauit, quod mutuo sermone se inuicem alloqui, animi sensa exprimere, cordis mœrorem in alterius sinum effundere, & mutuo solatio se inuicem recreare possunt. Merito non debebant homines hoc Dei donum inutile reddere, sed semper in gratia sermonem suum sale condire, Coloss 4.v.6. & ea proferre, quibus vel Deus honoraretur, vel proximus aut emendaretur aut recrearetur. Si quis vero futilitate linguæ peccat, & vel falsa dogmata spargit, vel blasphemias effundit, vel execrationibus proximo molestus est, huic semper intonemus hoc Christi: *In die iudicij rationem redditurus es, de quouis verbo otioso.* Nam & Enoch septimus ab Adam prophetauit, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt peccatores impij contra eum, sicut testatur Iudas in Epist.v.14.

Quia vero extremi huius iudicij mentionem facit Christus, annectit etiam hanc sententiam: *Ex sermonibus tuis iustificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis.* Quod vocabulum iustificari, sit forense verbum, & à Spiritu sancto accipiatur pro absolui à peccatis, & eorum tam reatu quàm pœna, vel ex hoc vnico Scripturæ loco, quanquam etiam alij quamplurimi produci possint, euidentissime patet, Christus enim illud non tantum opponit verbo condemnari, sed & expresse agit de extremo iudicio. Vbi oportebit nos omnes sisti ante tribunal Christi, Rom.14. versicul.10. Lex autem ibi accusabit nos omnes, & ostendit, nos sub peccato esse, Rom.3. versic.9. Propria nostra conscientia mille testium loco nos conuincet, vt nec negationi, nec excusationi vllus sit futurus locus, sed omne os obstruatur, & totus mundus ὑπόδικος reddatur Deo, Rom.3.versiculo 19. quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, sed secundum legem condemnatoria sententia premet totum genus humanum. Atqui peccator, per legem Dei accusatus, conscientiæ testimonio conuictus, & ex lege iam æternæ damnationis sententiæ subiectus, fide confugit ad thronum gratiæ, omnémque suam fiduciam in mundi Seruatorem collocat, is ibidem propter Christum à peccatis absoluitur, in gratiam recipitur, iustus reputatur, & ad hæreditatem æternæ vitæ per absolutoriam sententiam acceptatur, atque sic iustificatus dicitur.

Quia vero Scriptura testatur, quod in illo die Deus per Iesum Christum occulta hominum iudicaturus sit secundum Euangelium, Rom.2.vers.16. Atque hinc aliàs, ex Paulo præsertim docetur, quod homo gratis iustificetur fide propter redemtionem, quæ est in Christo Iesu, Rom.2.versic.24. iuxta illam celebrem Christi sententiam, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur, Marc.16.ver.16. Miretur quis, quî fiat, quod Christus hoc in loco sermonibus vel verbis illud tribuat, dicens: *ex sermonibus tuis iustificaberis: & ex sermonibus tuis condemnaberis.* Sed res plana est. Christus hic agit cum Pharisæis, qui externa conuersatione & simulata sanctimonia, magnum Dei & religionis amorem, adeoque studium consequendæ vitæ æternæ præ se ferebãt: interim intra cordis penetralia virulento & plus quàm Satanico odio Euangelium Christi persequebantur, omnemque in ipsum fidem aspernabantur. Hoc populus, qui non est cordium scrutator, non poterat videre. Ex sermonibus tamen eorum satis euidens indicium sumere poterat. Nisi enim ab Euangelio Christi, & omni fide in ipsum prorsus fuissent alieni, nunquam tam enormis, & cum sensu communi pugnans calumnia, qua Christi collusionis cum Beelzebub insimularunt, in mentem ipsorum venire potuisset. *Ex sermonibus itaque suis ipsi condemnari potuerunt*, tanquam sorices proprio indicio se prodentes, vtut cæteroquin se pro sanctissimis venditabant. Sic vice versa, veram fidem in Christum, in corde latentem, nemo hominum videre potest. Hoc tamen extra omne est dubium, quod qui pie & religiose de Christo, de ipsius Euangelio, de fide in ipsum, & toto salutis æternæ negotio sentiunt, illi hoc piis sermonibus & colloquiis satis testantur, à prophanis & scurrilibus dicteriis toto pectore abhorrentes. Et hi *ex sermonibus suis testificantur*, siquidem ex illis iudicium fit, qualis fides & pietas in pectore ipsorum lateat. Nec facile fallere hoc potest, quin sermo sit character & index animi. Ita nimirum fixum & firmum manet, quod iudicium sit futurum iuxta Euangelium Christi, & secundum fidem vel incredulitatem, siue absolutoria siue condemnatoria sententia pronuncianda: Siquidem sermones illi boni ore prolati, nihil aliud sunt, quàm fides sonans, per omnia conueniens cum ea, quæ intrinsecus in corde latitat. Hinc etiam Matth. 25 versic.35. vbi Christus processum vniuersalis sui iudicij describit, non tantum sermonum, sed & operum mentionem facit, quasi iuxta illa sententia iudicij esset instituenda & pronuncianda. Nimirum, tum temporis Christus, à consequente effectu toti mundo commonstrabit & spectandum præbebit, credentes suos, à Spiritu sancto regeneratos, vera, viua & per charitatem efficaci fide præditos fuisse, ac proinde dignos esse, qui secundum Euangelium suum iustificentur & absoluantur. Hæc cum ita sint, viderint non tantum illi, qui leuiter de verbo Dei loquuntur, scurriliter eius ministros traducunt, contemptim de omni religione sermocinantur; sed etiam isti, quos silentiarios agentes, pudet fidem & religionem suam coram hominibus confiteri, ex quo latere in extremo iudicio sint collocandi. Certe quia hi nullo sermone indicium de se præbent suæ fidei, ex sermonibus suis non possunt iustificari, sed ex silentio suo, & propter illam σιγὴν seu cessationem, condemnabuntur. Nam quod regius Psaltes de se dixit, in Psalmo 116.vers.10. Credidi propter quod locutus sum: humiliatus autem sum nimis: idem sibi singuli veri Christiani accómodare debent. Quẽ etiam puduerit Christi & sermonum eius in hoc mundo, eius etiam pudebit filium *hominis*, quando venerit cum gloria sua & Patris, sanctorumque angelorum, Luc.9.vers.26. Sic Saluator noster Christus suo exemplo prolixe docuit suos ministros, qualiter virulentissimos & acerbissimos suos suæque doctrinæ hostes & calumniatores, etiam qui in Spiritum sanctum peccare videntur, tractare debeant. Non protinus debent de eis desperare, nec mox eos Diabolo tradere; sed prædicando verbum, arguendo, obsecrando, increpando, in omni patientia & doctrina instare, opportune, importune, 2.Tim.4.v.2. Nã oportet domini seruum mansuetum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos: cum lenitate erudientem eos, qui resistunt, ecquando det eis Deus, vt resipiscentes agnoscant veritatem, & elabantur ex Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem, 2.Timoth.2.versic.24. Magna hic patientia, seu μακροθυμία, vt Paulus nominat, opus est. Cum caro nostra nihil minus quam contemptum & calumnias ferre possit: & quidam etiam speciose non carnis suę sensum, sed diuini honoris zelum prætendere norint. Sed neminem lenitatis suæ pœniteat. Eâ enim etiam præfracta ingenia facilius flectuntur, & duriora corda emolliuntur: quàm austeritate & vehementia. Si quid ea ad salutem istorum suorum hostium, Dei beneficio, profecerint, iam animas aliquas Christo lucrifecerunt. Sin istorum hostiles animi nec hac ratione expugnari possunt, sed manent incurabiles: non tamen cuiquam merces lenitatis suæ periit, cum testimonio conscientiæ subleuetur, se liberasse suam animam, Ezech.3. vers.19. nec austeritate sua ipsis ad insanabilem istam suam contumaciam ansam præbuisse. Et hæc egit Christus cum duobus illis ordinibus Spectatorum huius miraculi, quorum vnus fuit calumniantium, alter, vt diximus, Neutralium. Supersunt adhuc duo ordines, de quibus sigillatim agendum.

Actio Christi cum illis, qui signum petebant è cœlo.

HAnc actionem nouam Euangelista Matthæus priori subiungit & annectit, per particulam τότε, *tunc* innuens illud tunc factum esse, cùm Christus dicto modo suam innocentiam defendisset, atque calumniatores suos ita conuicisset, vt non haberent, quod vicissim opponerent. *Tunc* scilicet, quando omnes admirari & obstupescere, adeoque confusi abire debebant. Licet ergo illi calumniatores Apologiam Christi non admiserint, sed, quod reproborum est proprium,

prium, plus fuerint indurati & excæcati: tamē quidam ex Scribarum & Pharisæorum numero, illam de Beelzebub effusam calumniam non approbarunt. Quia tamen nimis exile & leuiculum ipsis videbatur, tantum dæmonium expellere & cæcum ac mutum hominem liberare, existimantes necessarium esse, vt Messias maius aliquod opus è cœlo ederet. Cum enim Moses fidelis ille Dei seruus & magnus Propheta Exod. 16. v. 14. de cœlo Manna dederit. Cumque Iosua dux populi Israelitici, solem in cœlo stantem fecerit, vt persequeretur hostes populi Dei. Ios. 10. v. 12. Cumque Elias grādis ille zelotes pro lege Dei, ignem è cœlo euocarit, quo capitaneum cum quinquaginta militibus, qui capiendi ipsius causa aduenerant, absumpsit, 4. Reg. 1 vers. 10. Cum denique Esaias, in signum reualescentiæ regis Ezechiæ, Solem per decem gradus retrogradum fecerit. Iesa. 38. v. 8. Quanto magis ipse, si magnus esset ille Domini Propheta, Deut. 18. v. 15. & promissus Messias, quem Deus insigni miraculorum dono instructurus esset, Ies. 35. v. 5. signum è cœlo edat? Ideo dicunt: *Magister*. In Syriaco habetur מלפנא quod significat Doctorem, ab אליף, docuit: & apparet hunc titulum cuiuis docenti apud Iudæos tributum fuisse. Scribæ vero hoc in loco ex turpi adulatione Christum Præceptorem salutant: cum tamen in corde suo nihil minus de ipso sentirent. *Velimus*, inquiunt, perinde ac si ius ipsis in eum esset, *ex te signum videre*, scilicet *è cœlis*, sicuti Lucas suo loco addit. Quasi dicerent: quid magni hoc est, expellere Satanam? Summus inter ipsos est Beelzebub, rex vel Dominus muscarum: quæ si maxime diu circa aures susurrēt, & molestæ sint, nō tamen possunt nocere, sed facile abigūtur. Si vis Messias è cœlo missus haberi, nō solūmodo circa terrena miracula, & corporum morbos occupari debes, sed cœlestibus signis opus erit. Et quidē eiusmodi, quæ EX TE facias, vt omnibus conspicuum & manifestum euadat, te propria tua virtute, & non aliena ope illa perficere. Prodit se in his Scribis & Pharisæis signum è cœlo petentibus, humani ingenij peruersitas. Neque enim illi soli ita fuerunt affecti, quod leuiculum ipsis videbatur Satanam pellere, ac proinde aliud maius signum expetierunt: sed plerique hominum adhuc hodie eodē modo offenduntur, quando in regno Christi nihil aliud inueniunt, quam spiritualia beneficia, quæ oculis non videntur, nec manibus palpantur, atque insuper etiam cruce teguntur. Mallent magna aliqua, visibilia & palpabilia habere, quibus & ipsi coram mundo, magni, diuites, beati efficerentur. Contra huiusmodi siue tentationes siue cogitationes prodest diligentius considerare, quomodo Christus nobis diabolum in tota hac historia depinxerit: tum animaduertemus, Diabolum expellere, esse longe maius beneficium & miraculū quàm Manna de cœlo depluere, siue solis cursum inhibere. Etenim est is fortis, armatus, astutus, mille artifex, confidens in suis armis, quæ sunt in membris nostris, lex, peccati & carnis desideria. Imo non est vnus tantùm, sed eorum integer exercitus, regnum totum vndique spiritibus nequitiæ refertum, vbi semper vnus est altero fortior, altero nequior, altero deterior: omnes se mutuo iuuant, ad vnum finē, qui est, vt iugum tyrannidis, semel ceruicibus humani generis impositum, perpetuo contra illos tueantur. Nam quæ semel occupat Satanas, illa custodit, & vt in pace possideat, laborat, nec facile ex suis laqueis, ex catenis consuetudinum, dimittit, quod in ipsius potestatem semel venit. Si etiam vnus victus, ex nido suo expellitur, & in desertum relegatur, nō pudet ipsum redire, assumptis aliis spiritibus se nequioribus. Neque vllam requiem habet, nisi inter homines dominetur & tumultuetur. Et hoc facit in hoc mundo tantisper, donec homines impij per mortem deueniant in locum tormentorum, vbi ab ipso cruciabuntur die ac nocte in secula seculorū, Apoc. 20. v. 10. Iam cogitet quisque secum, quid prodesset nobis, si maxime talis venisset Messias, qui non tantum per quadraginta, sed per quadringentos, aut quater mille annos Māna de cœlo dedisset, qui singulis diebus pro nostro arbitrio solem siue stationarium siue retrogradum fecisset, qui non ignem, sed aurum & margaritas de cœlo pluisset? & nos interim subiecti maneremus tyrannidi Satanæ, indies cum terrore & formidine expectantes, quibus & quantis cruciatibus ab ipso in æternum essemus carnificādi. Agnoscamus ergo nos, qui non contemplamur ea, quæ videntur, sed quæ non vidētur, 2. Cor. 4. vers. 18. summum esse beneficium hoc, quod filius Dei in hoc apparuit, vt dissolueret opera diaboli, 1. Iohan. 3. v. 8. & maximum ipsius esse beneficium, quod princeps huius mūdi eiectus est foras, Ioh. 12. v. 31. nec iam propter Christum vllum amplius in nos ius habet, sed nobis per & propter Christum ex hoc inferiori mundo in cœlos, ad nunquā finienda gaudia saluum conductum permittere cogitur.

Verum prodest ipsum Christum hisce Tentatoribus respondentem audire. Is responsionem suam ita attemperat, vt omni inordinata animi perturbatione se superiorem esse manifeste ostendat. Cum antea vna pars Scribarum & Pharisæorum diabolicam blasphemiam aduersus ipsum effunderet, nihil aspere aut contumeliose respondit: sed tantùm peccati grauitatem monstrauit, & ni in extremo iudicio æternæ condemnationis sententiæ subiici velint, vt desisterent, monuit. Nunc cùm altera pars Scribarum & Pharisæorum ipsi assentaretur, horum adulationibus vsque adeo se non deliniri passus est, vt in responsione non mediocri acrimonia vtatur, iisque non minus quàm prioribus graue Dei iudicium minetur. *Generatio*, inquit, *praua & adultera, signum quærit*, Γενεὰ seu *generationis* vocabulo Scriptura vtitur de hominibus vna ætate eodemque tempore viuentibus. Sic per Hebraismum, Exod. 1. v. 6. dicitur mortua esse generatio illa, hoc est, omnes homines eius ætatis, qui Iosephum viderant & nouerant. Moses Deut. 32. v. 5. homines suę ætatis, qui ex Ægypto egressi sub ipso in deserto vixerunt, vocat γενεὰ σκολιά, generationem peruersam & distortam. Iud. 2. v. 10. dicitur mortua esse illa generatio, quæ viderat opera Domini sub Iosua facta, & surrexisse generatio noua. Et Eccles. 1. vers. 4. Salomon dicit: γενεὰ πορεύεται, καὶ γενεὰ ἔρχεται, generatio vna (seu homines eodem tempore nati) præterit, generatio altera aduenit. Tria autē Christus desiderat in hac generatione. 1. quod sit *mala*, πονηρά. Πονηρὸς, inquit Varinus, ἐξ ὑπτίου dicitur ὁ κακὸς prauus, qui non tātùm ipse est malus, sed sua malitia & improbitate molestiā & laborem aliis exhibet. Deriuatur enim ἀπὸ τοῦ πόνου, à labore. Itē dicit: πονηρὸς ὁ πολὺ γυμνάσιον ἔχων δυσχερῆμάτων, quo vocabulo LXX. Deut. 32. v. 5. reddiderūt vocabulū פתלתל, quod descendit à verbo פתל, quod significat duarum rerum vices inter se commutare, summum & imum, & contra peruertere, & quod quadruplatorum est, versutia magis quam robore res distorquere, ita vna res pro altera obtrudatur. Vtraque significatio hisce Scribis & Pharisæis probe conuenit. Etenim propria sua malitia non erant contenti, nisi populum insuper seducerent: & Christo indesinenter insidiarentur, subinde nouam molestiam ipsi facesserent, atque communis salutis negotium, quod ipse procurabat, impedirent. Adhæc instar versutissimorum quadruplatorum animi sui malitiam ita commutabant, vt qui modo virulentissimi calumniatores fuerant, ex improuiso in sordidos adulatores commutati videbantur. 2. Quod sit *generatio* μοιχαλὶς seu *adultera*. Hoc Epitheton ipsis tribuit, nō hac tantum de causa, quia ab Abrahamo se descendere gloriabantur, à cuius tamen fide ac pietate tanquam spurij iampridem degenerauerant atque alieni erant. Sed & propterea, quia adulteris hoc tribuitur, quod possint emollire sermones suos, Prouerb. 2. v. 16. quod labia earum stillent fauum, & palatum earum sit lenius oleo, nouissimum autem eorum amarum sicut absynthium, & acutum veluti gladius biceps, Prou. 5. ver. 3. hoc est, adulteræ non sunt contentæ suis maritis & iis, quæ ab ipsis accipiunt, sed astute etiam alios circumuenire, & ab illis, quæ libidini suæ satisfaciant, impetrare conantur: ita Scribæ isti, mellito verborum suorum lenocinio Christum vel decipere, vel certe subdole, adulteræ instar, se apud ipsum insinuare conabantur, cum tamen non hoc quærerent, vt per ipsum in vera fide confirmarentur, sed vt spirituali fornicatione Deum ampliùs offenderent. 3 Reprehendit in ipsis, quod *signum quærerent*, quasi vero illa, quæ hactenus inter ipsos fecit, non satis abunde cælestem ac diuinam ipsius potentiam commonstrassent. Sed mirum alicui videatur, Christum hîc adeo indignè ferre hanc Scribarum postulationem: cùm iam olim Deus, Iud. 6. versic. 37. Gideoni, & Iesa. 38. versic. 7. Regi Ezechiæ idem petentibus tam benigne morem gesserit. Adhæc Mosen Exod. 3. ver. 2. & seq. aliquot signis instruxerit, cùm eum ad Israelitas mitteret, vt tanto facilius fidem ipsi haberent. Imò Achaz ab Iesaia hoc nomine accusatur, quod iussus signum petere, id facere recusaret, Iesa. 7. vers. 11. verùm si res diligentius expendatur, diuersitas facile apparebit. Nam petere & accipere signū ad confirmationem suæ fidei, per se non est impium. Sicut etiam Luc. 1. vers. 36. cùm virgo Maria angelo denuncianti, quod grauida esset: responderet: quomodo est istud, quandoquidem virum non cognosco? Angelus quasi signi loco proponit Elisabetham, quæ hactenus natura sterilis, & iam anus, tamen gerat vterum. At si quis tentandi animo petat (vt hic faciunt Scribæ) & illa intentione, quod de potentia Dei, & de veritate verbi ipsius nihil credere velit, nisi ea signa videat, quæ ipsi præscribit, eo Deus offenditur. Maxime cùm Iudæi Messiæ fidem habere debeant, ex præscripto Mosis, Deut. 18. v. 19. si maxime nulla signa edat. Cum Deus verba sua posuerit in os ipsius, & vltor existere velit aduersus eos, qui verba illa non volent audire. Vt iam taceam, quod quotidie viderint illa signa, quæ Deus Ies. 35. v. 5. Messiam editurum prædixerat.

Et hic habemus, quid respondere debeamus Pontificiis, qui etiam satis sceptice à nobis signa & miracula petunt. Quod si vester Lutherus, inquiunt, est tertius Elias, si est quintus Euangelista, cur non edit signa, & miracula, quibus illud probet? Respondemus cum Paulo, 1. Cor. 1. v. 22. Iudæi signum petunt, & Græci sapientiam quærūt: Nos autem prædicamus Christum crucifixum. Si Lutherus aliud Euangelium prædicasset, quàm quod in Nouo Testamento est reuelatum, nos nec ipsi, nec angelo è cœlo, Gal. 1. vers. 8. fidem habuissemus, si maxime innumera miracula edidisset. Nunc vero cùm nec ipse prædicauerit, nec nos prædicemus alium Decalogum, quàm quem Deus stupendis miraculis sub Mose confirmauit: nec aliud symbolum Christianæ fidei, aut aliam orationē Dominicam, vel alia sacramenta, quàm quæ Christus & ipsius Apostoli, per subsequentia signa, Marc. 16. versic. 17. iam olim confirmarunt: quid opus est siue Lutherum, siue nos illis signis noua superaddere? Iam enim Christus creditus est in mundo, 1. Tim. 3. vers. 16. Cùmque signa infidelibus, prophetia autem fidelibus seruiat, 1. Corinth. 14. ver. 22. omnes facile intelligunt, quod rectius faciamus, dum ad legem & testimonium, Iesa. 8. ver. 20. atque vtriusque prædicationem nos potius, quàm ad miracula edenda obstrictos esse agnoscimus. Interim si Pontificij omnino cum Iudæis signum habere velint, accipiant hoc, quod nos summi miraculi loco habemus, vnicum virum, eúmque miserum Monachum, absque omni mundana vi, Romanorum Pontificum tyrannidem, quę tot seculis non tantum potentissimis Regibus, sed & toti orbi formidabilis fuit, oppugnasse, superasse, prostrauisse, iuxta elegantissimos versiculos:

Vir sine vi ferri, vi verbi & inermibus armis:
Vir sine re, sine spe, contudit orbis opes.

Cui accedit illud, quod multi relictis summis dignitatibus, & amplissimis diuitiis, pusillo Christi gregi ad Christū cōgregato se adiungunt, tātum spe futuræ remunerationis. Quod denique Deus Ecclesias Euangelicas in medio hostium, aduersus quamplurima sanguinolenta consilia tuetur & auget. Hæc nobis sunt signa, fidem nostram confirmantia. Videmus enim hactenus totum mundum non potuisse dissoluere id, quod ex Deo est, Act. 5. ver. 39. Ipsi si hoc videre nolint, agnoscimus ipsorum cœcitatem, eámque deploramus, siquidem indicium est desperatæ conuersionis, & imminentis perditionis.

Nam & Christus, licet Scribis deneget tale signum, quale ipsi petebant, aliud tamen ipsis proponit, quod futuri exitij, quod iampridem meruerant, præludiū aliquod esse ostendit. *Non dabitur*, inquit, *huic nationi praua & adultera signum, nisi signū Ionæ Prophetæ*. At vero in hoc signo duo membra cōsideranda videntur: vnum, collatio Ionæ & Christi: alterum, collatio Niniuitarum & Iudæorum. De primo membro sic dicit: *Quemadmodum Ionas fuit in ventre ceti, tribus diebus, ac tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus.* Quod Christus hic de tribus diebus, & tribus noctibus, quibus futurus sit in corde terræ, loquitur: cùm tamen ex Euangelica historia appareat, tamdiu ipsum in sepulchro non fuisse, de eo iuuante Domino, inferius agemus, in loco Marc. 8. vers. 31. ne idem sæpius cum tædio lectoris repetere cogamur. Phrasis autem, *in corde terræ*, est Metaphorica. Quia enim cor in medio hominis aut animalis est, ideo admodum crebro pro medio cuiusuis rei per metaphoram accipitur: Vt cor maris, Psal. 46. v. 3. non timebimus, etiamsi montes præcipitentur in cor maris. Sic Tyrus sita dicitur in corde maris, Ezech. 27. v. 4. Cor cœli, Deut. 4. ver. 11. vidisti ignem ardentem vsque ad cor cœli, cuius flamma in medium cœli vsque ascendebat. Nam quod aliqui hic disputant, non tantum vrbem Hierusalem in meditullio orbis habitabilis sitam fuisse, sed & sepulchrum Christi esse ipsissimum centrum totius terræ, illud Geometris discutiendum relinquimus. Quanquam à vero non sit alienum, vrbem Hierosolymam sic in medio (ἐν ὀμφαλῷ) inter Asiam, Aphricam & Europam sitam fuisse, vt inde Euangelium Christi commodissime per Apostolos in omnes plagas orbis habitabilis efferri atque propagari potuerit. Sed omissis hisce videamus collationem Ionæ & Christi. Fuit autem Ionas Christi typus, tam in morte, quàm in resurrectione. I. In morte. 1. Quemadmodum Ionas, extra Iudæam ad Niniuitas gentiles missus, vt eos ab imminenti exitio per pœnitentiam reuocaret, fuit præco gratiæ Dei vniuersalis, quæ ad gentes etiam se extendit: Ita Christus præco gratiæ Dei esse debebat, non tantum ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israelis conuertendas, sed datus fuit in lucem gentium, vt sit salutare Dei vsque ad extremum terræ, Iesa. 49. versic. 6. Deus enim non est tantum Iudæorum Deus, sed & gentium, Rom. 3. versic. 29. quibus nōn minus in Adamo, Gen. 3. vers. 15. benedictum mulieris semen promissum est, quàm Iudæis in Abrahamo, Genes. 22. v. 18. 2. Quemadmodum Ionas sæuiente tempestate seipsum obtulit ad mortem, vt nautæ & reliqui comites, qui eadem naui vehebantur, à naufragio seruarentur: ita Christus sæuiente ira Dei aduersus peccata nostra vitam suam pro nobis expendere voluit, ne nos in æternum periremus, sed vt saluti nostræ consuleretur. Sicuti non tantum ipse dicit, Matth. 20. v. 28. venit filius hominis ministrare, & dare animam suam λύτρον, redemptionis pretium pro multis. Sed & Caiphas, anni illius Pontifex de morte eius vaticinatur, Ioh. 11. vers. 50. Expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. 3. Ionas voluntarie & sponte sua ad mortem se obtulit, cum nautæ libentius ipsum seruare voluissent: idem fecit Christus: ideo inquit, Iohan. 10. v. 18. Nemo tollit animam meam à me: Sed Ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. 4. Vt denique Ionas in mare proiectus, mari tranquillitatem attulit, & ventorum procellas compescuit: Ita Christus morte sua Patris iram placauit, mūdi & eius principis rabiem domuit, & mortis horrorem sustulit, vt illa piis in ipsum credentibus nō amplius φοβερῶν φοβερώτατον, omnium terribilium terribilissimum, sed gratus somnus existat. II. Fuit Ionas etiam typus Christi, quoad resurrectionem. 1. Quemadmodum Ionas in mari non periit, sed à grandi pisce deglutitus, & ab ipso triduum circumuectus, tandem ex immanis illius belluæ rictu saluus & incolumis rursus ad littus euasit: Ita Christus in sepulchro non perpetuo mansit, eo quod impossibile esset ipsum ab inferno detineri, Act. 2. vers. 24. sed deuicta morte & diabolo vitæ est restitutus, iuxta illud Oseæ 13. vers. 14. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. 2. Vt Ionas ex ventre ceti restitutus Niniuitis prædicando pœnitentiam salutem attulit: Ita Christus ex mortuis rediuiuus, per Apostolos non tantum Iudæis pœnitentiam prædicauit, sed & ad gentes eos emisit, quæ illorum prædicatione ad iustitiæ & salutis in Christo partæ consortium feliciter sunt attractæ. 3. Vt Ionas à nautis in mare demersus, illis ipsis salutaris conuersionis ad Deum author fuit: ita Christum morte sua multos eorum conuertisse legimus, Act. 2. versic. 41. qui mortis ipsius authores fuerant. 4. Quemadmodum in Ionæ historia curiosas quæstiones rescindimus, nihil scrupulose disputantes, quomodo in ventre ceti potuerit respirare, qui factum, quod hoc triduo nec suffocatus, nec à calore belluæ natiuo consumptus fuerit: sed simpliciter in historica relatione sacræ Scripturæ acquiescimus ne cum Luciano verbi diuini veritatem in prophanas fabulas commutemus: Ita impias & prophanas quæstiones de sanguine Christi, an non ille ante mille quingentos annos in terra sub cruce fuerit corruptus: an corpus ipsius in sacra cœna sumptum in nobis digeratur? rescindamus, & simplici fide verbo Dei attendamus, ne cum nostri temporis Lucianistis, in Empęctas euadamus & iram Dei prouocemus. Hæc omnia latius diduci, & denique in vna summa tractari ita applicari possunt:

Sicuti Ionas fuit signum Niniuitis, vt per exemplum in obedientia & miraculum conseruationis excitati, ipsum prædicantem attentius audirent, & verbis eius mori citius conuerterentur: ita Christus moriens & resurgens, non tantum suæ gentis hominibus, sed toti terrarum orbi sit signum, quo moueantur, vt ipsum per Euangelium loquentem audiant, & exhortationibus locum dantes resipiscant. Si enim hoc factum est in viridi ligno: quid futurum est in arido? Luc. 23. v. 31. Et si iustus ac obediens Dei filius, ob aliena peccata tot ac tantas plagas sustinuit, impius & peccator vbi comparebunt? 1. Pet. 4. ver. 18. Non ergo Scribis tantum & Pharisæis hoc dictum esse putabimus, sed & nobis ipsis accommodemus. Stat enim radix Isai adhuc hodie in signum populorum, Ies. 11. vers. 10. Itaque hoc signum recte intueamur, & 1. in eo agnoscamus, quanta & quam horribilis sit peccati atrocitas, quanta item iustitiæ diuinæ seueritas; cùm Deus vnigenitum & dilectissimum suum filium potius mori, quàm peccatum impunitum dimittere voluerit. 2. In eodem signo agnoscamus bonitatem & misericordiam Dei plus quàm paternam. Nam sicut pater miseretur filiorum, ita Deus misertus est nostri, Psal. 103. ver. 13. & filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit, Rom. 8. ver. 32. vt ab æterno exitio nos liberaret. 3. Ex hoc signo etiam discamus, non esse aliam viam salutis, nec aliud medium nobis datum, in quo oporteat nos saluos fieri, quam mortem & satisfactionem Christi, Act. 4. versic. 12. Si enim alia ratio instaurandæ salutis humanæ in arcano Dei consilio inueniri potuisset, vel decreta esset: vere dilectus hic filius ad tam acerbam & ignominiosam crucis mortem, Phil. 2. vers. 8. detrusus non fuisset. 4. Denique ex hoc signo discamus, æterna morte & interitu dignissimos esse, qui in hanc filij Dei mortem & resurrectionē, omnem suam fiduciam collocare

erte nolunt. Etenim ipsum Deum Patrem mendacem faciunt, quasi testimonium, quod testificatus est de Filio, non esset verum, 1.Iohan.5.versic.10. Sanguinem filij Dei pedibus conculcant, ac si is non esset sufficiens λύτρον pro peccatis ipsorum: ac proinde damnatio ipsorum iusta est, Rom.3.vers. 8. Hoc si ita consideremus, erit nobis mors & resurrectio Christi salutare signum: vt nos signum illud, ad quod diaboli exhorruerunt, & ad cuius sensum tota mundi machina contremuit, Math.27.versic.51. vnà cum angelis cum voluptate inspicere desideremus, 1.Pet.1.versic.12. Siquidem ad salutem nostram nihil scimus, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, 1.Cor.2.vers.2. Sic Christus Scribis σημεῖον, hoc est, extraordinarium miraculum, petentibus, σημεῖον seu signum dedit, quod est maxime singulare & salutare.

At sicuti hoc signum positum est credentibus in resurrectionem, ita incredulis & impiis, quibus nihil mundum est, sed inquinatae sunt ipsorum mens & conscientia, Tit.1. vers.15. positum est in ruinam, teste Simeone, Luc.2.v.34. Christus ergo praeuidens hosce Iudaeos, suos disceptatores, esse incurabiles, priori collationi, inter Ionam & se institutae, nunc alteram subiicit, in qua confert Niniuitas & Iudaeos, & hosce illis longe deteriores esse, ac proinde grauiores Deo poenas daturos, imo Niniuitas Iudaeorum iudices in nouissimo die futuros, testatur: Hoc enim vult, quando dicit: *Viri Niniuitae surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam.* Niniuitarum status & conditio Iudaeis non erat ignota, vtpote quorum superbiam, fastum, dominandi impotentiam, fratres ipsorum Israelitae, non sine gemitu & lachrymis, vt ex sacra historia Regum & Tobiae patet, experti fuerint. Et hac de causa Iudaei Niniuitas tanquam גוים, & gentiles prae se contemnebant, se autem sanctos Dei filios, & regni coelestis haeredes esse arbitrabantur. Sed vt Deus ipsis per Mosen Deuteron.cap. 32.vers.21. praedixit: Ego prouocabo vos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo vos: ita Christus illud hoc in loco facit, & diserte dicit: Niniuitas, quos Iudaei pro impiis & damnandis habebant, surrecturos in nouissimo die, & coram tribunali filij Dei generationem illam accusaturos & ad condemnationem postulaturos. Quare? *Quia ipsi resipuerunt ad praedicationem Ionae. Et ecce plus quàm Ionas est hoc loco.* Multa complectitur haec pars collationis, quae Iudaeis incurabilem suam maliciam, prophanum verbi Dei & omnium admonitionum contemtum, adeoque obstinatam cum ipso Deo pugnandi petulantiam ob oculos statuit. Etenim erant quidem Niniuitae impij & peccatores: Orientis siquidem Imperium, quod penes ipsos fuerat, eos superbos, & otium, quo abundabant, ad omnem scelerum licentiam pro nos reddiderat. Veruntamen per verbum Dei à Iona praedicatum corrigi se passi fuerunt, non obstante: 1. quod à Republica populi Dei essent alieni, nec verbum eius antea acceperant. Iudaei autem Legem à Deo acceperant, in ea gloriabantur: & tamen Christum eam explicantem audire noluerunt. 2. Niniuitae vnicum verbi praeconem, Ionam, habuerunt, & ei obtemperarunt: Iudaeis Deus per innumeros Prophetas, Iohannem Baptistam, & nouissime omnium per filium suum locutus est, Hebr.1. versic.2. & tamen contumeliose omnes reiecerunt. 3. Niniuitae vnica concione, Ionae serui, audita crediderunt, & vitam in melius commutarunt: Iudaei tot seculis Prophetarum cõciones propositas, & tandem ab ipso Christo Domino (hoc enim est plus esse, quàm Ionam) repetitas & confirmatas, absque emendatione audiuerunt. 4. Niniuitae audiuerunt hominem peregrinum, & fidem habuerunt ipsi ex inuisa gente aduenanti: Iudaei Christum, qui ex Patribus ipsorum, secundum carnem ortus fuerat, Rom.9.v.5. aspernabantur. 5. Niniuitae Ionae absque omni signo crediderunt, contenti eo, quod ipsi ob inobedientiam erga Dei verbum acciderat: Iudaei quotidie multa miraculorum signa à Christo edita spectabant, & tamen quasi nihil fide dignum editum esset, in sua pertinacia perseuerabant. 6. Niniuitis nemo quicquam de Iona praedixit: de Christo autem Iudaeis omnes Prophetae, à Samuel & qui deinceps locuti sunt, praenunciarunt, Actor.3. vers.24. & opera praedictionibus consentire prospexerunt. 7. Niniuitae Ionam tristissimum vrbis & regni excidium minitantem patienter tulerunt: Iudaei Christum gratiae & salutis praeconem, non duras viuendi rationes praescribentem, sed peccatorum remissionem annunciantem, ferre, audire, sequi detrectarunt. 8. Denique Ionas, ne à Niniuitis derideretur, fugit, & tamen nullum ab ipsis opprobrium ferre coactus est: Christus mille opprobria & subsannationes à Iudaeis ferens, ne mortis quidem acerbitatem aut patibuli ignominiam subterfugit, modo aliquos ab interitu imminente eriperet, & tamen parum effecit. Haec, & similia plura elici possunt ex illis verbis: *Et ecce plus quam Ionas est hoc loco.*

Exemplo Niniuitarum addit Christus alterum *de Regina Austri*: cuius idem finis est, qui prioris. Docet nimirum, ipsos & in hoc seculo puniendos esse, & in futuro sempiternas poenas mereri, quod Euangelij sui praedicationem negligerent, nec per illud ad resipiscentiam mouerentur, ad quam tamen olim permoti fuissent alij, qui tam euidentem resipiscendi occasionem non habuissent. *Regina austri*, inquit, *surget in iudicio cum generatione hac.* Reginam Austri vocat eam, quae 3.Reg.10.vers.1. regina Saba dicitur. Quae vero sit illa regio, de ea interpretes non consentiunt. Alij cùm Iosepho sentiunt, Sabam fuisse vrbem insulae Meroes, quam Nilus efficit, cuius regina Aethiopibus & Aegyptiis imperitarit. Huius etiam Strabo mentionem facit, Geographiae lib.16. & testatur fuisse vrbem maximam. Alij vero eam collocant in Arabiam felicem, in qua regia vrbs Saba, fuerit vrbs inclyta, in monte excelso arboribusque pleno sita, auro argentoque praestans, & nomen nacta à Saba, filio Rhegma, nepote Chus, pronepote Cham, Gen.10.vers.7. Ibi enim duo Saba leguntur. Sed prior per ס, posterior per ש scribitur, eodem modo, quo regina Saba. Quicunque autem ex hisce duobus locis intelligatur, ad rem non magnopere facit: siquidem vterque locus Palaestinae versus Austrum seu meridionalem plagam situs est. *Haec regina in nouissimo iudicio surrectura & Iudaeos hoste damnatura* dicitur: non quod ipsa iudicandi potestatem sit habitura. Haec enim soli Christo debetur, Iohann.5.versic.22. qui assessores iudicij habiturus est, non reginam Austri, sed Apostolos suos, Luc.22.vers.30. Sed propterea Iudaeos damnatura dicitur: quia eius exemplo isti tunc conuincendi sint, adeo vt nullus excusationis praetextus illis relinquatur. Haec enim venit *à finibus terrae*, ad audiendam sapientiam Salomonis. *Et ecce plus quàm Salomon est in hoc loco.* Ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς venisse dicitur, quae ratio loquendi à Thucydide accipitur, pro extremis seu vltimis terrae finibus vel limitibus. Atque hoc sensu magis quadrat ad Sabam ex descriptione Strabonis in insula Meroë sitam. Aristoteles autem lib.4.Metaph. τὸ πέρας sic definit: πέρας λέγεται τὸ ἔσχατον ἑκάστου, extremum quod rem quamlibet ambit. Et hoc sensu Arabia felix, non procul à finibus & limitibus Palaestinae sita, non male quadraret huic significato. Venit illa regina ad audiendam *sapientiam regis Salomonis.* Etenim Salomon post Patris Dauidis obitum regni gubernacula subiturus, cùm optionem à Deo petendi, quod vellet, accepisset, non diuitias aut potentiam, sed sapientiam, quam istis omnibus anteferebat, à Deo petiit, 3.Reg.3.vers.5. quae petitio tantopere Deo probata est, vt praeter diuitias & gloriam ipsi sapientiam tantam praebuerit, qua cunctos reges terrae superauit. Vnde Rex Salomon apud omnes tantam famam acquisiuit, vt omnibus admirationi fuerit. Neque enim quicquam Reges vel Principes magis exornat quàm sapientia: quae recte apud Salomonem, Prouerb.8.vers.15. dicit: Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Hic vero Christus dicit: *hoc loco plus quàm Salomon.* Et vere hoc dicit. Nam cum per tristem Adami lapsum concreatam sapientiam, quas is pro se & omni posteritate in imagine Dei ornatus erat, amisisset; ita vt iam ex nobis ipsis, quae spiritus Dei sunt, non percipiamus, 1.Cor. 2.vers.14. Deus in Christo Iesu recondidit omnes thesauros scientiae & sapientiae, Coloss.2.vers.3. cumque nobis sapientiam fecit, 1.Cor.1.v.30. vt per verbum suum nos veram & saluificam sapientiam doceat. Cumque ipse suis concionibus nihil aliud spectauerit, quam vt verum Dei timorem, qui est initium sapientiae, Psalm.111.vers.10. etiam Scribarum pectoribus instillaret, sicque veram recte credendi, pie viuendi, & beate moriendi artem traderet, vere dicit hoc loco plus esse quàm Salomonem. At vero hoc ipsum Iudaeos non potuit permouere, vt Christum obedienter audirent. Inest autem etiam huic exemplo multiplex collatio, vel etiam ἀντίθεσις. Nam 1. Regina foemina, vas infirmius, 1.Petr.3.vers.7. & persona laboribus inassueta, venit ad Salomonem: Iudaei autem viri, & magnum quid prae se ferentes, tamen in audiendo sunt desides & inertes. 2. Illa gentilis venit, ad audiendum Hebraeum: Isti Hebraei, & in lege enutriti, dedignantur audire eum, qui eiusdem cum ipsis originis erat ex Patribus. 3. Illa regina à longe venit itinere magno & molesto: ad Iudaeos ipse rex Regum aduenit, nec eum admiserunt. 4. Illam fama excitauit, quae non raro homines fallere solet, vt praesentia famam minuat: Iudaei coràm viderunt & audierunt, quae multi reges & Prophetae desiderauerunt videre & audire, Luc.10.vers.24. & tamen ea contemserunt. 5. Illa sumptus fecit maximos, & Salomoni obtulit munera pretiosissima: Iudaei gratis docentem, se ipsis in vrbibus & vicis sedentibus ingerentem, & aeternae salutis dona ex gratuita beneficentia offerentem, non amplecti voluerunt. 6. Illa venit ad nudum hominem, seque beatam iudicauit, quod illius colloquio vti concessum esset, in quo scintillam aliquam diuinae sapientiae relucere animaduertebat: Iudaei filium Dei, &

æternam Patris sapientiam reiecerunt. 7. Et quidem Salomon tantum de arboribus ac plantis perite disserebat, ex quarum rerum cognitione mundana saltem vtilitas redundabat: Christus autem æternæ salutis mysteria, à seculo abscondita, Ephes.3.vers.9. Iudæis annunciauit, ex quorum cognitione æterna vita dependet, Ioh.17.vers.3. & tamen acceptare noluerunt. 8. Illa denique ministrorum ipsius vitam, mores, cibos videns, eos beatos prædicauit, quibus talis herus contigit. Iudæos autem, ne miracula quidem stupenda & inaudita, in amorem & admirationem huius tam potentis Domini adducere potuerunt. Hæc & alia plura ex historia illa nota, quæ 3.Reg.10. prolixè describitur, desumi possunt. Quæ cum ita sint, quis negabit, Christum vere dixisse, reginam illam Iudæos coram tribunali ipsius condemnaturam, & omnem excusationis prætextum ablaturam.

Hæc in Iudæos quidem rectè dicuntur: sed non propter illos solos ista dicta sciamus: verum etiam in nostrum vsum transferamus. Is hic est, vt exempla tam Niniuitarum, quàm reginæ Austri, tum etiam omnium illorum, qui è longinquo interdum magnis itineribus, ad audiendum Dei verbum properarunt, etiam in nobis excitent ardens eius audiendi studium, & flagrans ex eo vitam emendandi desiderium, Matth. 2.vers.2. Magi stella excitati, ex oriente venerunt Bethlehemum, vt adorarent regem Iudæorum. Ioh.12.v.20. Græci videndi Iesu studio accesserunt Philippum. Act.8.ver.27. Eunuchus reginæ Candaces ex Æthiopia venit Hierosolymam vsque, vt ibi adoraret. Et adhuc hodie sæpe ex exteris nationibus, magno labore, maioribus periculis, non sine damno rei familiaris ad nos multi accedunt, excitati fama restitutæ veritatis Euangelicæ. At nostri homines, qui præ foribus habent diuitem Euangelicarum concionum prouentum, eas negligunt, contemnunt, verbi ministros morum licentiam taxantes oderunt, scurriliter eos traducunt, & tantum non aperte persequuntur. O si maiores nostri in mediis Papatus tenebris, vel vnam saltem eiusmodi Euangelicam concionem in anno audire potuissent: illi manibus pedibusque eo vsque per aliquot milliaria proreptassent. Nunc nostri homines correptiones audire nolunt: & si quis saltem paucis de vera disciplina quasi iure postliminij in Ecclesiam reducenda disserit, is papalem tyrannidem, excommunionem, & bannum ex inferis reuocare velle proclamatur. An non ergo vere & nos cum Christo dicere possumus: Isti homines omnes in nouissimo die surgent, & coram tribunali Christi accusabunt & condemnabunt nostram generationem, cui Deus tam excellentes Doctores dedit, & Euangelicæ veritatis facem tam claram accendit? & tamen nequicquam in corrigendo mundo laboramus.

Commonefactio Christi ad eos, qui ipsum pro Dauidis filio, seu Messia agnoscere videbantur.

SVpersunt illi, qui tum hoc tum aliis miraculis Christi, insuper eiusdem concionibus moti, animos suos erigebant ad concipiendam fidem de hoc Iesu Nazareno, quod is esset filius Dauid, siue Messias, atque sic fide in ipsum à Satanæ potestate liberabantur, Iohann 8.vers.36. Ad hos instituit grauem admonitionem, vt à tyrannide diaboli liberati, huius accepti tanti beneficij memores sint, nec vel negligẽtia, vel cõfidentia eidem hosti rursus locum dent. Etenim talibus accidit idem, quod illis, qui ex graui & lethali morbo restituti, in eundem recidunt. Vt enim tales postea periculosius laborãt: ita illorum quoque conditio posterior peior fit priori. Iccirco illi, qui beneficio Christi semel ex diaboli potestate redemti, & Euangelica luce illustrati sunt, diligenter aduersus hostis huius insidias vigilent, & libertatem acquisitam constanter tueantur. Aliàs, si Satanæ denuo locus conceditur, ita regnum suum in eiusmodi homine stabilire solet, vt nunquam postea, aut certe admodum difficulter, iugum eius excutere queat. Quia vero toti huic disputationi occasionem præbuit miraculum, in dæmoniaco cæco & muto editum, ideo ab eo desumit Christus parabolam, & commonefactionem suam ea illustrat. Dicit enim: *Cùm impurus Spiritus exierit ex homine, &c.* Diabolum vocat impurum Spiritum: quia vt ut interdum se in angelum lucis transformat, 2.Cor 11.vers 14. reuera tamen impurus est, & impuritate delectatur: ita vt non tantum hominum animos fœdis cogitationibus & cupiditatibus polluat, sed & corpora eorum intemperantiæ & vagarum libidinum pollutionibus ita inquinet, vt sæpe qui Dei templum esse debebant, turpe diaboli prostibulum fiant. *Impurus* ergo *ille Spiritus perambulat arida loca, &c.* Loquitur de diabolo κατ' ἀνθρωποπάθειαν. Inter homines loca arida, deserta & squalida inepta sunt, quæ ab ipsis inhabitantur: domus vero vacans, purgata & ornata, apta est & parata ad excipiendos hospites, quos & inuitat ad sui inhabitationem. Hoc parabolice iam accommodat Christus ad Diabolum, & vult dicere: Videtis quidem miserum hunc hominem à tyrannide Diaboli liberatum, iam videre, audire, loqui. Sed non putetis eum propterea securum esse debere, quasi nulla ratione ipsi diabolus amplius nocere possit. Nondum enim Diabolus in abyssum est relegatus. Luc.8.vers.31. neque missus in stagnum ignis & sulphuris, Apoc.20. vers.10. ex quo non possit rursus exire. Sed ita eiectus est, vt perambulet *loca arentia*, hoc est, quærit an ibi locum habeat, vbi semen verbi non spargitur, vbi non fluunt fluenta Dei, quæ lætificant ipsius ciuitatem, Psalm.46.vers.5. Illa loca Satanæ non arrident, sunt ei desertum, non inuenit ibi requiem. Neque enim vllam ipse capit voluptatem, nisi damnum inferat mortalium generi. Hæc autem ipsius quies hæ delitiæ, si indies nouam prædam inuenire, si subinde alios homines post alios inuadere, eos ab obsequio Dei abstrahere, atque infernali suæ potestati mancipare possit. Et, si minus grassari ipsi datur in alios, vel saltem pristinum suum hospitium rursus attentat, sicubi illud recuperare queat. Quod si ergo hic ipse vir securus fuerit, non attente audiuerit verbum Dei, non diligenter orauerit, non in studio bonorum operum diligenter se exercuerit, tum Satanas inuenit *domum scopis purgatam & ornatam*, hoc est, animam ad excipiendos hospites paratam. Etenim, vbi assidue laboratur, ibi raro purgatur. Vbi vero hospites inuitantur & expectantur, ibi à laboribus vacatio instituitur, domus verritur & ornatur. Hunc animæ securæ statum si diabolus in hoc homine inuenerit, sicque eum ingratum erga Dei gratiam deprehenderit, an non ipsi iudicatis diabolum reuersurum, & assumtis compluribus aliis spiritibus se nequioribus, ita huius animum occupaturum, vt longe deteriori & magis exitiali cæcitate & surditate in posterum, quàm hactenus sit laboraturus? Hoc in vnius huius hominis persona Christi proponens, postea toti genti accommodat, & dicit: *sic erit & generationi huic peruersæ.* Atque ita indicat applicationem huius ad vniuersam gentem faciendam esse.

Hæc applicatio si rectè & vtiliter institui debeat, ad tria potissimum, vt Chrysostomus viam monstrat, attendere debemus: 1. Considerandum, quæ fuerit conditio Iudæorum inde à principio. Cum enim Christus testatur, immundum spiritum expulsum secum instituere deliberationem, & dicere: *reuertar in domum meam.* Ostendit, diabolum, sicut totum mundum occupauit, ita etiam gentem Iudaicam pro sua domo habuisse. Et sane, si omnium temporum *historias* excutias, semper talis fuit. Incipiamus ab Abrahamo primo huius gentis Patriarcha. Is, Iosua teste cap.24.v.2. cum tota familia sua idololatriæ deditus, seruiuit diis alienis, sicque regno Satanæ apud se locum concessit. Et licet Deus ex singulari gratia ipsum è domo paterna euocarit, & in terra Chanaan cum ipso fœdus erexerit, quod promissio de benedictio semine ad ipsius familiam alligata esse debeat: subinde tamen Satanas ad ipsius & posterorum domum reuersus est, eamque modo per altercationem Saræ & Agaris, mox per irrisionem Ismaelis, tum per Esaui impietatem, atque omnium fere filiorum Iacobi improbitatem, multipliciter turbauit. Postea in Ægypto Iacobitæ inter Ægyptios, eorum exemplo seducti, rursus simulacra colere, & variis superstitionibus immergi cœperunt. Sed hic Deus per Mosen ipsos liberatos potenti manu eduxit, & in deserto legem dedit, qua seipsum & voluntatem suam satis luculenter manifestauit, atque totum statum Ecclesiasticum splendidissimis ceremoniis ita communiuit, vt spes esse potuerit, diabolo procul inde adeoque perpetuo exulandum fore. Sed non diu emansit. Vix enim paucis diebus ab accepta lege elapsis, vitulum aureum fecerunt, Exod.32.v.4. gloriam immortalis Dei cum imagine bouis comedentis fœnum commutarunt, Psal.106.v.20. atque sic Diabolo in domum suam reuertendi locum concesserunt. Terra promissa potiti, quamprimum Iosua, vna cum senioribus populi, qui mirabilia Dei in deserto spectauerant, obiisset, à vero Deo defecerunt, vicinarum gentium superstitionibus sese polluerunt: & quamuis hoc nunquam impune tulerint, tamen quoties pax & otium ipsis rursus concessum fuit, ad vomitum redierunt. Sub regibus nihilo meliores fuerunt. Etsi enim Deus subinde excitatis extraordinariis doctoribus, Prophetis, populi scelera accusabat, eum ad veri Dei cultum reuocabat, sicque Diaboli conatibus se opponebat; sacerdotum tamen desidia, & falsorum Prophetarum perfidia subinde maior fuit, quàm vt Satanæ regnum inter ipsos plane expugnari posset. Post Babylonicum tamen exilium, & sub Machabæis, legis diuinæ obseruantiores videbantur, & sub Antiocho, qui templum prophanauit, sacros legis libros exussit, & populum hunc grauissime afflixit, multa aduersa tulerunt. Sed hæc probitas non diu durauit. Nam Satanas ad domum suam reuersus est, & inuenit Iudæos gentium studiis deditos, domum suam purgasse, & legem Dei negligentius habere. Totum igitur por

tur populi statum in diuersas sectas, Pharisæorum, Essæorum & Sadducæorum discidit, atque hos quidem eò cæcitatis spiritualis addixit, vt palam resurrectionem mortuorum, animarum immortalitatem, atque insuper spiritus tam bonos quàm malos negare auderent. Eo vsque denique diaboli tyrannis in hunc Dei populum exarsit, vt iusto Dei iudicio etiam quamplurimorum corpora occuparet, qui furoribus acti, passim omnia infesta reddebant, Matth. 8. verf. 28. Hunc miserum suum statum Christus hic Iudæis vult considerandum proponere.

2. At simul vult, ipsos quoque expendere beneficij magnitudinem, quod ipse inde ab initio in eos contulerit, qui subinde diaboli tyrannidi se opposuerit, & iteratis vicibus tam maiores ipsorum quam ipsos ab eius potestate liberauerit. Christus enim fuit, qui Abramum ex Vr Chaldæorum, & à gente Idololatrica euocauit. Ipse Mosen misit, & eleuato brachio atque omnipotenti sua manu Israelitas ex Ægypto eduxit, & per desertum in terram promissam deduxit, 1. Cor. 10. versic. 4. Ipse fuit, qui de nocte consurgens excitauit prophetas, quibus quotidie eos commonebat, vt à peccatis desisterent, nec diabolo ad voluntatem suam seruirent, eo quod populo & tabernaculo suo libenter parcere voluisset, 2. Par. 36. verf. 15. Ipse excitauit Cyrum, Iesa. 45. verf. 5. qui Iudæos libertate donatos honorifice ex captiuitate Babylonica rursus dimisit, atque vt templum & vrbem reædificarent, cultumque diuinum rite instaurarent, non tantum clementer concessit, sed & munificentia sua liberaliter iuuit. Ipse quoque fortissimos illos heroës, Iudam cum fratribus excitauit, qui Antiochi & consimilium tyrannidem reprimentes, populum à superstitionibus & idololatria, tanquam ex diaboli potestate ad veri Dei cultum reduxerunt. Idem ipse ergo Dei filius, qui hactenus innumerabiliter per sua media populo adfuit, & Diaboli tyrannidem compescuit, vel tandem induta carne humana præsentem se exhibuit, mortis & resurrectionis suæ merito diaboli regnum in solidum vastaturus, atque plenam salutem, vniuersosque gratiæ suæ thesauros populo suo, si modo obtemperare velit, oblaturus. Atque vt sole meridiano clarius ipsis commonstraret, se promissum Seruatorem esse, qui Diaboli tyrannidem vastare, atque regnum Dei inter ipsos erigere deberet: ideo non tantum errorum tenebras cœlestis suæ doctrinæ luce discussit, sed & verbi virtute dæmonia passim ex obsessis eiecit, sicque bonitatem suam plus quàm paternam erga hunc populum declaraauit.

Nunc 3. quia Iudæi omnium mortalium ingratissimi, hanc tantam Dei bonitatem non agnoscebant, sed plerique eam aspernabantur, multi insuper calumniabantur, atque illi ipsi qui cum gaudio suscepisse videbantur, tempore persecutionis non constantes futuri erant, ideo ipsis prænunciat, quàm graues & horrendas huius ingratitudinis & oscitantiæ causa, pœnas sustinere debeant. *Posteriora nimirum deteriora fient primis*, hoc est, si quis ex vobis, qui iam meam doctrinam amplecti videmini, recidiuam passi fueritis, nec volueritis in illa gratia, in quam recepti estis, persistere, quia multo deterius est, in meum, quàm in prophetarum interitum sæuire: iccirco prædico vobis, vos in tantas calamitates præcipitandos esse, vt quæ maioribus vestris, vel in Ægypto, vel in Babylone, vel sub Antiocho acciderunt, ludus & iocus videri possint, præ illis, quæ vos manent. Nec fuere hæ minæ inanes. Nam ex Iosepho, Egesippo & aliis cognoscantur, quæ acciderunt Iudæis Vespasiano duce & Tito, tum longe asperiora & duriora deprehendentur, quàm ea, quæ vnquam præcedentibus seculis euenerant. Vt non immerito Christus alibi dixerit: Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque erit, Matth. 24. verf. 21. Nam plurimi factiosi impostores, qui se Messias esse confinxerunt, ipsos seduxere: Act. 5. verf. 36. pestis & fames mirum & dirum in modum ipsos vsserunt, Romani graui bello ipsos afflixerunt: vrbem cum templo exciderunt: infelicem populum superstitem hinc inde inter gentes vili precio venundatum dispersserunt: ipsi Iudæi externum cultum Dei cum libertate & omni Reipublicæ forma amiserunt: cumque alia ipsorum exilia & captiuitates, vel tandem finem suum habuerint, hæc tamen dissipatio annis mille quingentis & amplius durauit, nec adhuc vlla liberationis spes affulget. Numerum horum supputet quis in digitis, & obseruet an non septem spiritus prioribus deteriores Iudæos affligant.

4. Hæc tamen adhuc tolerabilia erunt, si conferantur ad animæ mala, quæ sustinent, & æternæ salutis iacturam. Etenim traditi in reprobam mentem, verum scripturarum sensum ignorant: ex portentosis Rabinorum fabulis, quibus totum religionis negotium obscurant & corrumpunt, dependent: spiritualem famem verbi Dei, quam Amos capite octauo, versiculo vndecimo minatur, non sine rabie patiuntur: si qui conuertuntur, contemptim fere pro fece populi habentur: reliqui in Synagogis, Christum vitæ ducem & salutis authorem diris conuitiis proscindunt, sicque maiores suos impietate longe superant. Et hoc omne inde fit, quia diabolus apud ipsos inuenit *domum vacuam*, hoc est, tales inuenit, qui repulso Christo, tantùm somnia sua sequuntur, & admonitiones atque correptiones omnes secure contemnunt. Nunc nihil aliud superest, quàm vt in nouissimo die vnà cum Pharaone demergantur non in mare rubrum, sed vt Chrysostomus grauiter depingit, in ignis fluuium atque pelagus, in pelagus impertransibile atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus montium instar eriguntur: ignei, non sensibilis huius & materialis ignis, sed ignis certe multò quàm hic horribilioris, cuius flammam conficit abyssum, ita vt vndique ignis immanissimæ feræ instar transcurrere videatur. Harum rerum consideratione Christus, sub finem huius disputationis, tum eos, qui veram viam agnitionis suæ ingressi videbantur, confirmare, & qui stare sibi videbantur, ne relaberentur, 1. Corint. 10. verf. 12. commonefacere, tum eos qui in sola sua malitia, conuitiis & calumniis contra Christum constantes erant, metu venturi periculi, ab improbitate sua reuocare conabatur.

Cæterum, quia Deus vbiuis locorum in Iudæis iustæ suæ iræ & vindictæ exemplum toti mundo proposuit, non hic subsistendum erit, sed hæc etiam aliis applicanda erunt. Potest autem hæc ipsa applicatio trifariam pro ratione temporis & auditorum institui. 1. In genere ad homines. 2. In specie ad gentem aliquam, quam Christus gratia sua Euangelica dignatus est. 3. In indiuiduo, ad certas personas.

Primò qui in genere ad omnes homines velit applicationem instituere: Is poterit 1. differere de vniuersali miseria totius generis humani, quomodo quidem Adamus initio bonus ad Dei imaginem creatus fuerit, sed non diu in integritate steterit, siquidem astu serpentis deceptus, se & omnem suam posteritatem deperdiderit, atque mancipia Satanæ fecerit. Nam post illum lapsum Diabolus inuasit totum genus humanum, sibi in hominibus sedem & quasi domum elegit, vt iam quia omnes in peccatis concipiuntur & nascuntur, diabolo hosti suo sponte hospitium largiantur, & natura omnia cogitent, cupiant, dicant, faciant, quæ diabolo grata, Deo autem diuersa sunt, Rom. 8. versic. 7. 2. Postea addet, paternam Dei pro nobis curam, qui cum nos natura imbecilliores essemus, quàm qui Diaboli iugum & tyrannidem excutere potuissemus, nobis vindicem dederit vnigenitum suum filium, qui diabolum ex hac domo perfide occupata eiicere, & ex vniuerso mundo exturbare debebat. Illud ipsum Diabolo denunciauit is in paradiso, quando Gen. 3. versic. 15. in prima promissione in se recepit, se inimicitias positurum inter serpentem & mulierem, inter illius & huius semen, atque se serpenti caput contriturum. Postea repetitione promissionis de semine benedicto, promulgatione legis, vtriusque explicatione per conciones Prophetarum subinde Satanæ regnum oppugnauit, atque innumeros ex ipsius faucibus eripuit. Donec tandem in plenitudine temporis in carnem nostram veniens, merito passionis ac mortis suæ regnum ipsius totum diruit. Sicuti ipse mortis hora instante dixit, Iohan. 12. verf. 31. Nunc princeps eius mundi eiicietur foras. Et adhuc hodie eundem pellit ministerio Euangelij quod est potentia ad salutem omni credenti, Rom. 1. verf. 16. Verbum enim Dei est gladius ille spiritus, Eph. 6. verf. 17. cuius fulgore Diabolus territus cedit: sicut Christus eundem hoc spirituali gladio profligauit, cum ab ipso tentaretur in deserto Matth. 4. verf. 11. Plene autem hunc hostem debellauit in nouissimo die, quando omnes suos hostes suis subiiciet pedibus, & regnum tradet Patri, 1. Cor. 15. v. 25. 3. Denique subiunget de indefesso nocendi studio, quo Satanas inde ab initio aduersus genus humanum flagrauit. Vsque adeò enim non potest quiescere, vt si alia nocendi occasio desit, instar leonis obambulet, & quærat quem deuoret, 1. Petr. 5. verf. 8. Adeò impudens est, vt à Deo ausit poscere, vt sibi potestatem nobis nocendi concedat, vt videre est Iobi, 1. v. 11. & 2. v. 4. Et ipse accusat nos ante conspectum Dei nostri die ac nocte, Apo. 12. v. 10. Hinc maiorem orbis terrarum partem in suo obsequio habuit, errorum, superstitionum & idolomaniæ tenebris excæcauit: linguas & aures hominum occupauit, vt non audirent sibi salutaria, non loquerentur Deo grata, nec quærerent quæ ad pacem ipsorum sempiternam faciunt; sed vt iniustitiæ, intemperantiæ & fœdissimis libidinibus dediti, tandem ipsi æternis inferorum flammis excruciandi traderentur. Ibi vero quæ tribulatio futura sit, & quomodo nouissima illa omnibus præcedentibus huius mundi pœnis & plagis deteriora futura sint, id humana lingua eloqui non potest. Tunc enim nemo erit, qui eos iuuare possit, nemo qui consolari cupiat, nunquam iucundam & tranquillam Christi Seruatoris faciem spectare

poterunt. D. Chrysostomus hoc simili vtitur. Quemadmodum qui ad metalla damnati sunt, acerbis tormentorum ministris ita traduntur, vt nullos amicorum postea, sed solos qui præsunt, videant: ita illi Diabolo ad libidinem tractandi & excruciandi tradentur: Et hic quidem interdum principes accedere, & pro condemnatis intercedere possumus: illic autem non licebit, quia chasma iam erit confirmatum, Luc. 16. v. 26. Commonefaciendi ergo sunt omnes & singuli, vt aduersus communis huius hostis insidias diligenter vigilare discant, ne ab ipso circumueniantur.

Deinde si quis hoc ipsum in specie ad certam aliquam siue nationem siue ciuitatem accommodare velit, ei non est opus, vt laboriose conquirat, quid & de quo sit dicturus: tantum reassumat tria hæc membra, & singulis aliqua specialiora, quæ secundum locorum diuersitatem etiam variant, & fidelis minister pro discretione sua adducere poterit, addat. Hic enim nihil certi præscribi potest, sed singula pro diuersitate personarum, circumstantiarum & actionum accommodari debent. Alij enim aliis sæpius immundo spiritui redeunti locum dederunt: alios Christus aliis maioribus beneficiis tam spiritualibus quàm corporalibus affecit: rursus alij sunt in viis resipiscentiæ, alij in iis viis, in quibus præfractiùs peccare, & vincula verbi diuini, quibus Christo adduci poterant, disrumpere volunt, Psalm. 2. vers. 3. Prudens itaque & circumspectus concionator operam dabit, vt quemadmodum aliàs sermonem Domini rite secare debet, 2. Tim. 2. vers. 15. ita etiam hic in applicatione proponat ea, quæ faciunt ad ædificationem Ecclesiæ, 2. Corinth. 13. vers. 10. cui præest.

Denique qui hæc in indiuiduo vni alicui homini applicare velit, is non inutiliter ad sequentia attendere potest. 1. Vt ei ex verbo Dei ostendat, quantæ molis fuerit, ipsum ex tyrannide Satanæ eripere. Non potuit hoc præstare vlla potentia humana, imò ne angelica quidem: Sed opus fuit, vt ipse Dei filius de cœlo descenderet, humanam carnem indueret, in ea durissimos cruciatus sustineret, ignominiosissimamque crucis mortem adiret, quo ita tyranni & latronis huius atrium ingressus eum vinceret, vinciret, & spolia distribueret. Hanc victoriam non tantùm sibi & paucis aliis de hominum reliquorum numero selectis reseruauit, sed liberalissime eam toti humano generi offert, & tibi quidem in specie eam in tuo baptismo applicauit, vbi virtute diuini sacramenti à Christo instituti, ereptus es de potestate tenebrarum, & translatus in regnum filij Dei., Coloss. cap. 1. vers. 3. quæ potens ereptio in Ecclesia grauibus & seriis istis verbis indicatur, quando Diabolo in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti denunciatur & mandatur, vt recedat ab eo, qui se seruitio Christi mancipare constituit. 2. Talis, qui semel egressus est ex potestate Satanæ & liberatus, serio est commonefaciendus, vt diligentem animæ suæ custodiam habeat, ne denuo illi viam sternat, neue aditum ad se patefaciat. Et hæc exhortatio eo acui debet, quod ex hac Christi concione satis liquido apparet, Diabolo ex homine eiecto, non liberum rursus accessum ad eundem patere, nisi is occasionem ipsi præbeat, ipsum inuitet, eique hospitium paret, seu, vt nos Germani loquimur, *den Teuffel zu gast bitte*. Nam quando inuenit hominem σχολάζοντα, *otio deditum* (Hoc verbum vsurpatur Exod. 5. vers. 8. & 17. de Israelitis in Ægypto, & respondet Hebræo רפה quod significat remissum esse, & præ pigritia quasi torpere, sicuti illam dissolutionem & laxationem Pharao Israelitis obiicit) & *domum scopis purgatam atque ornatam*, hoc est, quando animam inuenit ad preces remissam, ad meditandum Dei verbum desidem, spiritualibus præsidiis destitutam, indulgentem ornatui mundano: tum facilè eidem rursus patet aditus. At quando anima assiduè lectione verbi Dei pacitur, continuò oratione munitur, indesinente sacramentorum vsurpatione roboratur, & homo super sui custodiam vigilat, aures, oculos, linguam, ne ad vanitatem euagentur, seruat, tum non facilè subiugatur. 3. Proponendum etiam est hisce, quàm miserabilis ipsorum futura sit conditio, si salutari Christi iugo penitus reiecto, securitate autem & confidentia sua deuicti, denuò se Diabolo permittant. In hos enim postea indomitum sæuit & furit, vlturus etiam iniuriam sibi cum expelleretur illatam. Nam tristis hæc sententia, quam Christus hic ponit, & Apostolus Petrus, 2. Epist. 2. vers. 20. repetit, quod nouissima fiant deteriora primis, in hisce plerunque completur. Vt enim hic dæmoniacus fuit corporaliter surdus, cæcus & mutus: ita isti longe periculosius spiritualiter redduntur surdi, vt licet multas audiant conciones, admonitiones, comminationes de horrendo gehennæ supplicio, exhortationes de lætis cœlestis regni gaudiis, perinde tamen fit, ac si nihil audiissent. Fiunt cæci, vt si maxime videant signa & iudicia Dei, quibus ad interitum reuocantur, tamen non attendant. Fiunt muti, vt non tantum de rebus diuinis nulla verba faciant: sed nec vnquam orent, aut Dei gratiam implorent. Videmus hoc vel maxime impleri in illis, qui à professione Euangelica semel deficientes, primo quidem ad Caluinismum, inde verò ad veteres superstitiones & Papismum, denique ad Atheismum deficiunt. Huius multa exempla vidit nostra ætas. Qui mox extincta omni conscientia, sibi ipsis in impietate sua delitias faciunt, & ne cui ob priorem professionem suspecti sint, conuitiando & blasphemando contra puriorem confessionem plus faciunt, quàm qui in superstitionibus nati & enutriti sunt: insuper sublatis non tantum pietatis, sed & ciuilis honestatis repagulis, effreni licentia in omne scelus ruunt, donec tandem iusto Dei iudicio, leuitatem, ingratitudinem & inconstantiam ipsorum punientis, corpore simul & anima male pereant. 4. Hæc ipsa tamen doctrina à fidelibus verbi ministris ita tractanda & caute proponenda est, ne teneris & ad pœnitentiam contendentibus conscientiis occasionem ad desperationem præbeant.

Quod olim Nouatiani, qui recte ab Ecclesia damnati, fecerunt. Nam pij etiam ex carnis imbecillitate, post Baptismum Diaboli suggestionibus sæpissime locum præbent, vt interdum in grauia prolabantur peccata & crimina, sicut Dauidi, Ezechiæ & Petro accidisse ex sacris constat. Tales enim ex Dei verbo informandi sunt, quod cœlestis pater filium suum Iesum Christum tale nobis proposuerit propitiatorium in suo sanguine, Rom. 3. vers. 25. vt per & propter ipsum, nunquam nobis gratiam & remissionem peccatorum denegare velit, quando & quoties vera pœnitentia & fide ad ipsum conuertimur. Sicuti non tantum Ierem. 3. versic. 1. exemplo adulteræ, & Luc. 15. vers. 11. exemplo filij prodigi id declarauit: sed & Ezech. 33. vers. 11. solenni iuramento id confirmauit. Accedamus ergo cum fiducia ad hunc thronum gratiæ: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus ad auxilium opportunum, Hebr. 4. versic. vltimo. Conscientias itaque pœnitentiam agentium non illaqueemus. Imò nec de illis hanc tristem Euangelij sententiam intelligamus, qui in conscientiæ tentationes recidunt: & quos Satanas sæpius repulsus tentando rursus aggreditur. Nam in hac palæstra Christus summus noster Imperator, interdum suos milites exercet, vt eorum constantiam probet: sicuti de Paulo notum est, quòd ter rogans Dominum hoc responsum acceperit: sufficiat tibi mea gratia: nam virtus mea in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. vers. 9.

Hæc de præsenti historia aliquanto copiosius commentanda fuerunt, quia amplissimum habent vsum in reformatis Ecclesiis, de quibus etiam varia sunt hominum iudicia. Nos qui in releuata Euangelij luce acquiescimus, grata mente agnoscamus immensum Dei beneficium, quo Satanam cum omni idolomania & superstitiosis cultibus rursus expulit: in Christo vno & solo omnem spem salutis nostræ collocatam habeamus: aduersus Diaboli molitiones assidue in excubiis stemus: nihil eorum, quæ bene sublata sunt, etiamsi exigui momenti esse videantur, reduci patiamur: errorum atque vitiorum occasiones omnes vitemus: cum audiamus eos, qui remissiores & negligentiores redduntur, paulatim intermoriente disciplina & pietatis feruore, tandem Euangelium amittere, & salutis suæ iacturam facere irreparabilem.

CAPVT

CAPVT LX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DE MATRE ET FRATRIBVS Christi, cupientibus eum alloqui. Matt. 12. v. 46. Marc. 3. v. 31. Luc. 8. v. 19.

RATIO ORDINIS.

QVandoquidem Matthæus dicit, *Domino adhuc sic loquente cum plebe*, & sese aduersus calumnias Pharisæorum defendente, *foris astitisse matrem, & fratres eius, volentes ipsum conuenire*. Dubitari non potest, quin post istam concertationem cum Pharisæis statim inserenda sit in Harmonia Euangelica historia ista de Matre Christi & eius fratribus. Idque tanto magis, quia Marcus etiam consentit in hunc ordinem, & eodem modo cum Matthæo eam historiã recenset. Atque sic ostendunt, quomodo cognati Iesu in actum traducere conati fuerint suum de eo factum decretum, quod securitatis ergo priuatæ ipsum voluerint mancipare custodiæ. At Lucas eam commemorat demum post dictam parabolam de quadruplici semine, quam Matthæus & Marcus post hanc narrationem describunt. Vnde Andreas Osiander duas diuersas ex his facit historias, quasi mater & fratres Iesu bis vna die voluerint ipsum conuenire. Et hoc facit ad suum obtinendum ἀξίωμα, quo statuit singulos Euangelistas vbique locorum certissimum historiarum ordinem obseruasse. Ne ergo cogatur vllam alicuius Euangelistæ periodum transponere, bis hanc historiam recitat. Et sane, si bis vno die Iesum conuenire voluissent, vna vice ante, altera post meridiem, argumento hoc esset, quàm serio & constanter suum illud decretum exequi voluissent, quod etiam Christo ansam dedisset, adhuc illa vespera ex vrbe exeundi, & per mare in aliam regionem transfretandi. Sed res ipsa & omnes omnium Euangelistarum descriptiones euidenter conuincunt, & manifeste clamant, vnam & eandem historiam ab omnibus describi, de cuius ordine cum Matthæus & Marcus certis notationibus consentiant, Lucas autem absque omni certa notatione temporis & ordinis suam recitationem instituat, citra omnem iniuriam, Lucæ descriptio suo loco moueri & cum reliquorum narrationibus coniungi potest: vt & Augustinus coniungit. Adhæc, Matthæus expresse dicit, *dominum*, postquam reiecisset hunc congressum, *domo exijsse*, & de quadruplici semine non domi, sed ad mare, & quidem in naui sedentem, vt vterque Matthæus & Marcus refert, disseruisse. Est autem apud omnes tres Euangelistas eadem parabola de quadruplici semine. Cum ergo etiam post hanc parabolam Lucas dicat matrem & fratres *stetisse foris*, non possunt intelligi ad mare stetisse, sed extra ædes. Quod ipsum etiam Osiander agnouit, ac proinde prius Christum à mari domum reducit, illic parabolas dictas suis explicantem, antequam denuo dicat istos *foris* stetisse. Sed hoc ipsum non iuuat. Siquidem Matthæus testatur, Dominum à mari domum redeuntem *turbas dimisisse*: & Marcus dicit, eum *priuatim suis parabolas explicuisse*. Vnde intelligitur solum ipsum domi fuisse cum suis, quando explicatio ista instituebatur. Cum ergo Lucas ipse affirmet, turbam adhuc Domino adfuisse, cum mater & fratres eius venirent, ita vt præ turba non potuerint ad ipsum ingredi: latenter ipse insinuat, illos venisse eo tempore, quo Matthæus & Marcus annotarunt, & se per rememorationem extra ordinem historiam illam recitasse.

HISTORIA DE MATRE ET FRATRIBVS IESV, cupientibus eum conuenire.

MATTH. 12.

46. Ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος τοῖς ὄχλοις, ἰδοὺ ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ εἱστήκεισαν ἔξω, ζητοῦντες αὐτῷ καλῆσαι.	46. *Cum autem adhuc loqueretur turbis, ecce mater & fratres eius stabant foris, quærentes ei loqui.*
47. Εἶπε δέ τις αὐτῷ, ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου, καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἔξω ἑστήκασι, ζητοῦντές σοι λαλῆσαι.	47. *Dixit autem illi quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes tibi loqui.*
48. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπε τῷ εἰπόντι αὐτῷ· τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου, καὶ τίνες εἰσὶν οἱ ἀδελφοί μου;	48. *At ille respondens dixit ei, qui sibi renunciauerat: Quæ est mater mea? aut qui sunt fratres mei?*
49. Καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπὶ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, εἶπεν· ἰδοὺ ἡ μήτηρ μου, καὶ οἱ ἀδελφοί μου.	49. *Et protensa manu sua in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.*
50. Ὅστις γὰρ ἂν ποιήσῃ τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς, αὐτός μου ἀδελφὸς καὶ ἀδελφὴ, καὶ μήτηρ ἐστίν.	50. *Quisquis enim fecerit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis, ipse meus frater, & soror & mater est.*

MARC. 3.

31. Καὶ ἔρχονται ἡ μήτηρ αὐτοῦ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ, καὶ ἔξω ἑστῶτες ἀπέστειλαν πρὸς αὐτὸν, φωνοῦντες αὐτόν.	31. *Et veniunt mater eius & fratres eius, & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum.*
32. Καὶ ἐκάθητο ὄχλος περὶ αὐτὸν, εἶπον δὲ αὐτῷ· ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου, καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἔξω ζητοῦσί σε.	32. *Et sedebat turba circa eum, dicuntque ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te.*
33. Καὶ ἀπεκρίθη αὐτοῖς, λέγων· τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου, καὶ ἀδελφοί μου.	33. *Et respondit eis dicens: Quæ est mater mea, & fratres mei?*
34. Καὶ περιβλεψάμενος κύκλῳ τοὺς περὶ αὐτὸν καθημένους λέγει, ἰδοὺ ἡ μήτηρ μου, καὶ οἱ ἀδελφοί μου.	34. *Et cum circumspexisset in circuitu circum se discipulos sedentes, ait: Ecce mater mea, & fratres mei.*
35. Ὃς γὰρ ἂν ποιήσῃ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, οὗτος ἀδελφός μου, καὶ ἀδελφή μου, καὶ μήτηρ ἐστί.	35. *Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.*

LVC. 8.

19. Παρεγένοντο δὲ πρὸς αὐτὸν ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον.	19. *Venerunt autem ad illum mater & fratres eius, & non poterant adire eum præ turba.*
20. Καὶ ἀπηγγέλθη αὐτῷ, λεγόντων, ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀ-	20. *Et nunciatum est illi, dicentibus: Mater tua &*

δελφοί σου ἑστήκασιν ἔξω, ἰδεῖν σε θέλοντες.

21. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε πρὸς αὐτούς· μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου οὗτοί εἰσιν, οἱ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ ἀκούοντες, καὶ ποιοῦντες αὐτόν.

fratres tui stant foris, volentes te videre.

21. *Qui respondens dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi sunt, qui sermonem Dei audiunt, & faciunt illum.*

HARMONIA HISTORIÆ ILLIVS, IN vnum corpus coagmentata, ex cap. Matth. 12. Marc. 3. Luc. 8.

a Ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος τοῖς ὄχλοις, ἰδοὺ c παρεγένοντο πρὸς αὐτὸν ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ [καὶ] a εἱστήκεισαν ἔξω, ζητοῦντες αὐτῷ λαλῆσαι. c καὶ οὐκ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ, διὰ τὸν ὄχλον. b καὶ ἔξω ἑστηκότες ἀπέστειλαν πρὸς αὐτὸν, φωνοῦντες αὐτόν. a εἶπε δέ τις αὐτῷ, ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου, καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἔξω ἑστήκασι, ζητοῦντές σε λαλῆσαι. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε τῷ εἰπόντι αὐτῷ, τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου; καὶ τίνες εἰσὶν οἱ ἀδελφοί μου; b καὶ ἐκάθητο ὄχλος περὶ αὐτὸν, h εἶπον δὲ αὐτῷ· ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου, καὶ οἱ ἀδελφοί σου c ἑστήκασιν h ἔξω, e ζητοῦσί σου, ἰδεῖν σε θέλοντες. h ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπε πρὸς αὐτοὺς, τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου, καὶ ἀδελφοί μου; b καὶ περιβλεψάμενος τοὺς κύκλῳ περὶ αὐτὸν μαθητὰς καθημένους, a ἐκτείνας τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπὶ τοὺς μαθητὰς c εἶπεν, ἰδοὺ ἡ μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου. ὅστις γὰρ ἂν ποιήσῃ τὸ θέλημα b τοῦ θεοῦ a τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς, e αὐτός μου ἀδελφὸς καὶ ἀδελφή b μου e καὶ μήτηρ ἐστίν. c μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου οὗτοί εἰσιν, οἱ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ ἀκούοντες, καὶ ποιοῦντες αὐτόν.

a *Cum autem adhuc loqueretur turbis, ecce* c *venerunt ad illum mater & fratres eius,* [&] a *stabant foris quærentes ei loqui.* c *Et non poterant adire eum præ turba,* b *& foris stantes miserunt ad eum, vocantes eum. Dixit autem illi quidam, Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes tibi loqui. At ille respondens, dixit ei, qui sibi renuntiauerat, Quæ est mater mea? aut qui sunt fratres mei?* b *Et sedebat turba circa eum,* h *dicuntque ei: Ecce mater tua & fratres tui* c *stant* h *foris,* e *quærunt te,* c *volentes te videre.* h *Qui respondens, dixit ad eos: Quæ est mater mea, & fratres mei?* b *Et cum circumspexisset in circuitu circum se discipulos sedentes,* a *& protensa manu sua in discipulos suos* e *dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quisquis enim fecerit voluntatem* b *Dei* a *patris mei, qui est in cælis,* e *ipse meus frater & soror* b *mea,* e *& mater est.* c *Mater mea & fratres mei hi sunt, qui sermonem Dei audiunt & faciunt illum.*

Periocha huius historiæ.

De fratribus Domini, quinam illi fuerint, disserendi occasionem inferius habebimus, quando Christus Nazarethum reuertetur, Matth. 13. vers. 55. Nunc sufficit nos per eos intelligere ipsius cognatos. Nam Hebræum אח *frater*, vsurpatur non tantum de germanis & vterinis fratribus, sed etiam de propinquis sanguine & professione: imo tribuitur etiam rebus inanimatis, quæ similitudinem quandam inuicem habent. Nam cognationem habet cum אחד id est, vnus, ac proinde quæ in vno conueniunt, fratres dicuntur. Inprimis autem quatuor modis homines fratres in scriptura dici inuenimus. 1. Natura: vt Esau & Iacob, Gen. 27. vers. 6. 2. Gente: ita Iudæi omnes dicebantur fratres, Deut. 15. v. 7. & 17. v. 15. 3. Cognatione: sic fratres dicebantur, qui de eadem sunt familia, sicut Gen. 13. v. 8. Abrahamus Lothum fratrem vocat. 4. Affectu: quomodo omnes Christiani in epistolis Paulinis fratres dicuntur. Qui autem hic Christum adire cupiuerunt, fuerunt ipsius cognati. Inquiritur autem de causa, quare Christum conuenire cupiuerint. Et sunt aliqui, qui opinantur eos peregre aduenisse, & ipsius conspectu & alloquio frui desiderasse. Sicut etiam is, qui Christo ipsorum præsentiam renunciat, dicit: *cupiunt te videre.* Quasi iam tum inciperent aliquanto honestius de ipso sentire, quia ipsum in magno apud populum precio esse viderant. Sed veram causam Marcus in superioribus ostendit. Cum enim fratres eius non crederent in ipsum, Iohann. 7. v. 5. nec ignorarent, conspirationem factam esse inter Pharisæos & Herodianos, quomodo ipsum perderent, Marc. 3. v. 6. Videbant insuper adesse Scribas ex Hierosolymis, Marc. 3. v. 22. qui absque dubio in eum finem aduenissent, vt periculum capitis ipsi crearent: insuper ex prioribus actionibus, præsertim illa de sanato paralytico Matt. 9. versic. 4. facile coniicere poterant, Iesum illam calumniam, de conspiratione cum Beelzebubo, absque refutatione non dimissurum, vnde maior animorum exacerbatio apud Pharisæos secutura esset, iccirco consultum fore existimarunt, si ipsi priuatæ custodiæ (vt superius dictum est) eum manciparent. Sic enim furorem Scribarum & Pharisæorum sedari, & ipsum aliis melioribus temporibus asseruari posse. Quia verò nihil tumultuarie agere volunt, eum euocant, vt ipsum à turba semotum, priuatim secum abducere, & siue Nazarethi, siue alibi custodire possint, ne quid discriminis toti familiæ & cognationi propter ipsum immineat. Hoc eorum institutum & propositum fuisse, ex superioribus liquido patet. Et quidem de cognatis Iesu non est mirum, ipsos tale quid tentasse. Nam vt familiaritas fere contemptum parit, ita etiam odium & inuidia inde nascitur, si qui videant eos, qui ex sanguinis propinquitate ipsos propius attingunt, sibi præferri. Quemadmodum ergo Iosephum fratres eo nomine vel maxime oderunt, quòd ex somniis coniicerent ipsum sibi præferendum esse, Gen. 37. 11. ita dubium non est, fratres Christi tanto maiore odio & inuidia ipsum prosecutos fuisse, quanto plus iuris ratione cognationis sibi in ipsum esse arbitrabantur. Minus indigne laturi, si alius peregrinus quispiam extra ipsorum cognationem docendi munus capesseret, & cum Pharisæis atque Scribis acerbius congrederetur. Hoc corruptæ naturæ vitium adhuc hodie multis inhæret, vt quidam, aliàs erga religionem non male affecti, quosuis tamen potius, quàm suos fratres vel cognatos, in docendi munere coram Ecclesia versari, in precio haberi, & cum aduersariis congredi optent. Et si quando eos zelo domus Dei tangi animaduertant, iuxta Psalm. 69. vers. 10. plurimum iuris se in eos habere: & tantum non leges ipsis dictare sibi licere opinantur, quibus circumscripti & constricti, quasi in vinculis suo munere fungi debeant. Illis si fideles doctores, quos Domini Spiritus agit, se non adstringi patiantur, dicunt ipsos insanire, vt supra de Christo dixerunt, & res eò deuenit, vt verum fiat id, quod Christus Matthæi cap. 10. vers. 36. ex Propheta Michæa cap. 7. vers. 6. citat: Inimici sunt domestici eius. Est hoc vitiosæ naturæ argumentum, quando homines pudet eius quod vel maxime coram Deo & sanctis angelis ipsis honorificum esse poterat.

Verùm, vt dixi, de cognatis Iesu, quòd tales fuerunt, mirum non est: at de *Maria matre,* quod illa se in illas partes pertrahi passa est, cum stupore quis audiat. Certe meminisse illa debebat, quid ex angelo Gabriele de hoc suo filio, quis & quantus futurus esset, didicisset. Non oblita esse debebat, quomodo Simeon prędixisset, eum futurum signum, cui contradiceretur, Luc. 2. versi. 34. Sibi quoque in memoriam reuocare debebat, se in hoc suo filio Spiritum & indolem humana maiorem inde à prima pueritia sensisse, Luc. 2. vers. 52. Ac proinde verbi & concionum ipsius præ aliis studiosissima fuisse debuerat. Sed non tantum non comitatur ipsum, Luc. 8. vers. 2. cum aliis mulieribus, docentem in ciuitatibus & castellis Galilææ: non tantum domo nō exit cum aliis, ipso interea docente, & miraculi editi rationes reddente, cùm ipsa inter primos auditores considere debuisset: sed insuper consentit in insanum cognatorum consilium, qui ipsum euocandum, & ad tempus secludendum, sicque à docendo remouendum censuerunt. Hæc obseruare & notare debent illi, qui ex Scoti doctrina, Sixti IIII. constitutione, & Tridenti Concilij decreto sess. V. contēdunt, Mariam virginem Deiparam ἄσπιλον, illabem, & sine peccato originis conceptam fuisse. Certe si sine originali labe fuisset, nunquam hic tam enormiter exorbitasset. Neque enim tantùm fuit intempestiua quædam interpellatio, qua cursum concionis Christi interrumpere

pere nitebatur: sed grauior noxa, quæ consensit, vt si non omnino, ad tempus tamen, à docendo remoueretur, ne sibi & cognationi periculum attraheret. Viderunt hoc Ambrosius & Chrysostomus, iccirco hoc loco ipsi ambitionem tribuunt, quod coram Pharisæis & plebe videri voluerit, se huius excellentissimi Doctoris matrem esse, & ius aliquod in ipsum habere: vt ex ipsius signis choragium aliquod gloriæ consequeretur. Equidem Augustinus de natura & gratia cap. 36. scribit, cum de peccatis agitur, propter honorem Domini, nullam prorsus quæstionem habere velle de Maria virgine. Siquidem non dubitet, ei plus gratiæ collatum fuisse ad vincendum omni ex parte peccatum, quia conceperit & pepererit eum, quem constet nullum habuisse peccatum. Non tamen semper & vbiuis hac gratia polluisse & peccatum vicisse: sed & ipsam peccato succubuisse, tum ex hac, tum ex aliis historiis patet. Soli etenim Messiæ, qui de Spiritu sancto conceptus est, hoc competit, vt omnino peccatum nullum, nec originale, nec actuale nosset, 2. Corinth. 5. vers. 21. Talis enim Pontifex nos decebat, qui esset sanctus, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr. 7. v. 26. Reliqui homines omnes (& inter hos etiam Maria) qui ex commixtione maris & fœminæ sunt nati, sunt in peccatis concepti & nati, Psalm. 51. vers. 7. peccatum pertransiit omnes, Rom. 5. vers. 12. Mariæ itaque non minus opus fuit, quàm aliis sanctis, vt in tempore opportuno pro peccatorum remissione oraret, Psalm. 32. vers. 6. & sic gratia Dei per fidem in Christum saluaretur, Ephes. 2. vers. 8. sicut cæteri homines, quo sic totus mundus ὑπόδικος fiat Deo, Rom. 3. 19. Hæc non in contumeliam Mariæ dicuntur. Agnoscimus enim eam electum esse illud organum, quo Deus ex singulari gratia vti dignatus est, vt ex ea æternus suus filius, hominis filius fieret. Credimus etiam atque fatemur, ipsam illæsæ virginitatis flore hunc Dei filium ex sancto Spiritu concepisse, & postea peperisse. Sed sicut Paulus de se scribit, 2. Corinth. 12. vers. 6. se de infirmitatibus suis gloriari, ne quis de se cogitet supra id, quod ipsum vel esse videt, vel ex ipso audit: ita etiam hæc eo dicuntur, ne quis Mariam in contumeliam Christi Seruatoris altius locet, quàm ipsa habere velit.

Emphatice autem positum videtur illud *εἱστήκασιν ἔξω*, *stabant foris*. Sicuti vocula ἔξω quater repetitur, atque eorum oscitantia ipsis exprobratur. Nam quando Christus sedet & docet, atque sic thesauros cœlestis gratiæ distribuit, non foris standum, non ipse euocandus, non aspectus eius vel vulgare alloquium (sicut hic fiebat) petendum, sed ad ipsum intrandum, assidendum, ipseque iuxta mandatum cœlestis patris, Matth. 17. vers. 5. audiendus, sicque reipsa commonstrandum est, nos ex numero discipulorum ipsius esse, qui gratiæ per ipsum partæ & oblatæ participes fieri serio cupiamus. Huius autem participes redduntur, qui non sunt ἔξω *foris*; sed qui sunt ἔσω, *intus*. Hinc Apostolus Paulus sumpsisse videtur illam suam distinctionem inter τοὺς ἔξω, extraneos qui alieni sunt ab Ecclesia Christi, & τοὺς ἔσω, eos qui intus sunt, veræ Ecclesiæ membra, 1. Corinth. 5. vers. 12. Quid mea interest eos qui foris sunt iudicare? Nonne vos iudicatis de iis, qui intus sunt? Eos autem, qui foris sunt, Deus iudicabit. Et ad Coloss. 4. v. 5. vult Christianos prudenter & circumspecte ambulare, πρὸς τοὺς ἔξω, ad eos, qui foris sunt, ne scilicet offendiculum ipsis detur. 1. Thess. 4. vers. 12. vocat εὐσχημόνως, honeste ambulare, πρὸς τοὺς ἔξω, ad eos qui foris. Imò ipse Christus mox in sequenti concione, Marc. 4. vers. 11. hanc distinctionem confirmabit, quando Apostolis dicet: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis vero τοῖς ἔξω, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt. Quin & aliam distinctionem Paulus hinc sumpsisse videtur, quia vnum Christianum hominem, renatum distinguit in ὁ ἔσω ἄνθρωπον, in interiorem hominem, Rom. 7. vers. 22. Ephes. 3. vers. 16. quatenus nimirum homo renatus est, & Spiritu Dei agitur: & in ὁ ἔξω ἄνθρωπον, exteriorem hominem, 2. Cor. 4. v. 16. quatenus nimirum naturaliter anima & corpore constat, & externis huius vitæ actionibus seruit. Singuli operam demus, vt per auditum verbum simus ex numero τῶν ἔσω, eorum qui sunt intra Ecclesiæ septa, & vt indies corroboremur secundùm interiorem hominem, ad Christi gloriam & nostram salutem.

Sed videamus, quomodo Christus matrem & cognatos exceperit, & tractarit. Non ignotum ipsi erat hoc eorum propositum. Nam in præcedentibus dictum est, Christum, cùm sciret ipsorum cogitationes, populum conuocasse. Circumuallatus igitur erat turba plebis, ita vt ad ipsum accedere non possent. Etenim sæpenumerò Deus fideles Doctores plebis turba circumuallat, vt tuti sint à conatibus & impetu eorum, qui ipsis nocere cupiunt. Itaque qui in adiutorio Altissimi habitat, & qui in protectione Dei cœli commoratur, Psalm. 91. versic. 1. non sit solicitus, vel aranei tela murus ipsi aheneus erit. Interim tamen plebs non est concitanda, multò minus eius fauore nimium fidendum: siquidem nihil ea est mobilius & inconstantius. Quod Christus non ignorauit. Nam qui in festo Palmarum, cum fausta acclamatione eum exceperunt: Benedictus qui venit in nomine Domini, Matth. 21. vers. 9. iidem quatriduo pòst horrendum vociferati sunt: Tolle, tolle, crucifige eum, Luc. 23. v. 21. Quapropter plebem non concitat, sed quasi nihil eorum, quæ ipsi deliberabant & decreuerant, intelligeret, dissimulat. Tantum illi, qui primum nuncium de matre & fratribus afferebat, eúmque euocabat, respondit: *quæ est mater mea? aut qui sunt fratres mei?* Et hæc est prima pars responsi. Quæ non ita est accipienda, sicuti Chrysostomus diligenter annotauit, ac si negasset sibi matrem vel cognatos esse in terris. Sicuti Marcion & Manichæi olim hisce verbis ad negandam veram humanam Christi carnem, abusi sunt. Neque enim dicit: Non habeo matrem: sed in forma interrogationis inquit: *quæ est mater mea?* quasi diceret: Mater mea, ante viginti annos ex mea responsione Hierosolymis data, Luc. 2. vers. 49. didicisse debuerat, quod in rebus officium mihi à Patre demandatum concernentibus, nullum ipsi ius in me concedam. Ad hæc nondum biennium elapsum est, quando in nuptiis Canæis denuo ipsam huius commonefeci, Iohan. 2. vers. 4. Cur ergo nunc sibi in animum inducit, quod me à munere docendi auocare nititur? Hac in re ipsam non audio: quin potius ipsa huc intrò se conferat, reliquis auditoribus cum fratribus meis assideat, méque docentem attentè audiat, & iuxta verbum auditum viuat, sic erit mihi mater, sic ipsi erunt mihi fratres. Non ergo patrocinatur hoc exemplum Christi, liberis ἀστόργοις & parentibus suis immorigeris, de quibus Paulus, 2. Tim. 3. versic. 2. qualiter Anabaptistæ, Monachi item & Iesuitæ suos nouitios instituunt, vt parentes & cognatos abnegent, illos ne quidem ex verbo Dei secum conferre volentes audiant, sed simpliciter reiiciant; neque illis inopia laborantibus subueniant. Hoc à Christo non didicerunt, qui & in prosperis & in aduersis matrem suam semper maximi fecit. In prosperis matrem honorauit, eique subditus fuit, Luc. 2. v. 51. in aduersis non oblitus est eius, sed in cruce pendens, extremumque iam iam emissurus spiritum, illam Iohanni commendauit, Ioh. 19. vers. 27. Christus ergo hic acerbius respondet, non in contumeliam, sed ad emendationem. Vult nimirum docere, eum, qui in diuina vocatione versatur, omnibus aliis rebus relictis, huic vni vacare debere, adeo, vt si opus sit, etiam στοργὰς naturales exuere, & neque parentes, neque liberos, neque quenquam mortalium tanti facere debeat, vt propter illum officium demandatum vel negligat, vel ab eo recedat. Ideo Moses Leuitas, qui Deo ministrabant, in sua benedictione à fidelitate ita describit: Qui dixit patri suo & matri suæ, Nescio vos: & fratribus suis, Ignoro illos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, Deut. 33. vers. 9. Et Exod. 32. vers. 29. eis dixit: Hodie consecrastis manus vestras Domino, vnusquisque in filio & in fratre suo, vt detur vobis benedictio. Debent ergo etiam verbi ministri parentibus suis, coniugibus & cognatis, omnia pietatis officia: sed quando illi vel in officio suo ipsos impedire, vel à prædicatione verbi prorsus abstrahere conantur, non debent illos audire. Sic Elisæus cum ab Elia ad munus propheticum vocaretur, protinus valedixit patri & matri, ne ipsi impedimento essent, & secutus est Eliam, 3. Reg. 19. vers. 20. Ita Propheta Ezechiel vnice quidem dilexit coniugem suam, vnde & desiderium oculorum ipsius dicitur: tamen cùm illa moreretur, ex mandato Dei non ausus est eam lugere, quò muneri suo instituendo Israëlitas satisfaceret, Ezech. 24. v. 16. Et Christus vocans discipulum ad apostolatum, noluit permittere, vt sepeliret parentem, Matth. 8. vers. 22. Nimirum vult partes muneris diuinitus demandati in omnibus primas habere debere: & reliqua omnia negligenda, vt mandato Dei satisfiat. Accommodare hoc quoque sibi debent illi, qui Rempubl. administrant. Nam & hi sui muneris esse agnoscant, vt nec ipsi in gratiam siue parentum, siue cognatorum, vel legis diuinæ præscripta transiliant, vel publicam populi commissi salutem negligant. Vsque adeo vniuersale est illud quod Petrus dixit, Act. 5. v. 29. Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus, & illis quidem quibuscunque. Et rectè Ambrosius statuit: quod Christus qui de aliis pronunciauit; Qui non reliquerit patrem suum & matrem suam propter me, non est me dignus, meritò seipsum primus huic sententiæ subiecerit, sicque suo exemplo nobis præiuerit. Seruit etiam hic locus refutandis illis, qui beatam virginem matrem, & Diuos cœlites intercessores & Mediatores nostros constituunt: qui apud Christum in cœlis regnantè bona nobis impetrent, & mala auertat. Habent Pontificij Idololatricam huiusmodi precationē ad Mariā directā;

Aue miserorum patrona,
Tu ancillam Iesu Christi
Sed, vt docet lex diuina,
Nam ius habet & ratio,
Ergo ora suppliciter,
Vt nos in mundi vespera,

Gaude cœlica matrona.
Te vocari voluisti:
Tu ipsius es Domina.
Matrem præesse filio.
Et præcipue sublimiter,
Ad regna ducat supera.

Quis credat Christum, in solio diuinæ maiestatis sedentem, auditurum esse matrem & cognatos sese ingerentes in id, quod ipsius solius est? An non putabimus ipsum responsurum & dicturum: *Quæ hæc est mea mater? qui hi sunt mei fratres?* qui hoc sibi in me ius arrogant. Mater mea & fratres mei, in altero illo seculo didicerunt & docuerunt, quod mihi vni & soli data sit omnis potestas cœli & terræ, Matth.28.vers.18. quòd Ego vnus sim Mediator Dei & hominum, 1.Timoth.2.vers.5. quòd, qui peccauerunt, vnum aduocatum apud Patrem habeant, ME, 1.Ioh.2.vers.1. & quod ego hanc meam gloriam alteri non sim traditurus? Iesa.42.v.8. Vnde ergo hi veniunt? Hanc matrem & hos fratres Ego non noui. Et hæc est vna pars responsionis.

In altera autem parte hæc omnia magis explicatè ponit. Etenim ex collatione Euangelistarum apparet, cùm primo Christo indicatum fuisset, adesse matrem cum cognatis, & Christus nuncium illum reiecisset, turbam quasi ex reuerentia erga huius Doctoris cognationem assurrecturam, & matri, fratribusque locum daturam fuisse. Nam & ipsi ingeminant, dicentes: *Ecce nos sedemus hîc, & mater tua atque fratres tui stant foris, quærentes te & volentes te videre*: nos libenter & merito ipsis locum cedimus. At Christus, prius quidem in circuitu circumsedentes circumspiciens, quasi magnum quid animo voluens, postea vero protensa in illos manu, ait: *Ecce mater mea, & fratres mei*, q.d. Quid opus est, vel me foras exire, vel vos loco surgere: cùm hîc matres & fratres habeam? Et tandem dicti huius rationem adducens, addit: *Quisquis facit voluntatem Dei patris mei qui est in cælis, ipse meus frater, & soror mea & mater mea est.* Hoc verò enunciato non tantùm verbi diuini studium nobis commendare, sed & simul docere voluit, quis nos & omnes Christianos facere deceat, si ipsi salutariter vniri, eiusque gratia non minus frui velimus, quàm si vel mater vel fratres eius censeremur. Etenim omnes in vana illa hæremus persuasione, eum ventrem beatum esse, qui Iesum portauit, & vbera quæ ipse suxit, vt fœmina loquitur, Luc.11.versic.27. hoc est, esse in regno Dei prærogatiuam quandam carnalem, cuius respectu illi, qui Christum sanguine & cognatione propius attingunt, Deo sint gratiores. Christus ergo vt ostenderet eam prorsus nullam esse, disertè hîc docet, ad æternam salutem carnalem cognationem nihil prorsus conferre: sed solam spiritualem regenerationem hoc præstare, sine qua regnum Dei nemo possit videre. Iohann.3. versi.3. Et hoc vocat apud Matthæum, *facere voluntatem patris, qui in cælis est.* Voluntas autem Dei non est illa, quam nos nobis imaginamur, sed quam in verbo patefecit: & quæ consistit, 1. in vera animorum conuersione. Ezech.18.v.23. 2. In vera fide in Christum, Iohan.6. versic.40. 3. In noua obedientia seu sanctificatione nostri, 1.Thess.4.vers.3. Et ne dubium aliquod hac de re oriatur, apud Lucam magis expresse ponit, dicens: *Qui sermonem Dei audiunt, & faciunt illum, hi sunt mater mea, & fratres mei.* Quibus verbis veram & laudabilem nobilitatem nos docet, quam si consecuti fuerimus, in æternum plus nobilitatis nobis accedat, quàm si ex potentissimo Monarcha progeniti essemus. 1. Semen, ex quo ita regeneramur, vt diuinam nobilitatem & necessitudinem cum ipso Dei filio consequamur, est ὁ λόγος τοῦ θεοῦ: *Verbum Dei*, 1.Pet.1.23. Et intelligit Christus hoc loco, per verbum Dei, non quoduis verbum ab hominibus traditum, aut aliàs confictum, sed quod ipse olim per spiritum suum Mosi & Prophetis dictauit. Vnde scriptura illa à Paulo θεόπνευστος, 2.Tim.3.vers.16. dicitur. Cui si nunc annumerentur scripta Euangelistarum & Apostolorum, de quibus ipse Christus pronunciauit: qui vos audit, me audit, Luc.10.v.16. habemus incorruptibile illud semen Dei viui, & permanentis in æternum, per quod regeneramur ad vitam æternam. Non igitur attendamus ad verbum non scriptum, ad quod interdum homines nos ablegare volunt, & per quod facile decipimur: quia etiam Satanas se transfigurare potest in angelum lucis, 2.Corint.11.vers.14. sed adhæreamus scripturis, in quibus vitam habemus æternam, Ioh.5.v.39. Euangelium enim est potentia Dei, ad salutem omni credenti, Rom.1.v.16. 2. Discamus vero etiam quomodo hoc *Verbum* tractare debeamus. Nam si hostili odio illud persequamur, sicut Scribæ & Pharisæi in hac historia fecerunt, verget id nobis ad maiorem condemnationem. Si etiam eius cursum impedire, & lumen verbi subtus modium occultare præsumamus, sicut mater Iesu & cognati eo fine accesserunt, etiam oberit nobis. Neque etiam proderit si ex collo suspensum circumferamus, aut domi in repositoriis collocatum asseruemus: sed *audiamus* illud, & *faciamus*. Audire primùm oportet, quia fides est ex auditu, Rom.10.vers.17. quæ fides sola, non autem sanguis, aut voluntas carnis, aut voluntas viri, nos filios Dei facit, Iohann.1.vers.13. Rursus autem, quia regnum Dei non consistit in sermone: sed in virtute, 1.Corinth.4.vers.20. Et Deus vult nos non tantùm auditores esse, sed & factores verbi, Iacob.1.vers.22. ideo etiam requiritur, vt faciamus verbum Dei, vel potius, vt faciamus id, quod in verbo Dei nobis iniungitur. Cùmque verbum Dei totum hominem Deo vendicet, & ab eo plenam obedientiam requirat, quæ in vera dilectione Dei & proximi cum innocentia & vitæ sanctimonia coniuncta, consistit: non immeritò in hac historia hæc duo coniunguntur, vt se mutuo explicent, *audire ac servare verbum Dei*: & *facere voluntatem Dei patris, qui in cælis est.* 3. Ex his tandem relucet illud effectum, de quo Christus in præsentia disserit: quod tales non tantùm fiant *sui fratres, suæ sorores, sed & sua mater.* Perueniunt nimirum ad intimum illum propinquitatis cum Deo modum, qui multo melior, vberior & salutarior est, quàm si secundùm carnem Messiam in hunc mundum procreassent. Etenim nec ipsa mater, in quantum mater, vllam vtilitatem ad æternam felicitatem consequitur, nisi & ipsa verbum Dei audiat, & faciat ipsius voluntatem. Verbum itaque Dei, illud organum est, quod omnia nobis præstare potest, si illud audiamus & faciamus, Iohan.15.vers.15. Seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia *omnia quæcunque audiui à Patre meo*, nota feci vobis. *Vos amici mei estis*, si feceritis ea, quæ ego præcipio vobis. Psalm.22.vers.23. & Hebr.2. vers.12. vocat fratres, quibus in verbo nomen Dei annunciat, Iohan.14.vers.23. Qui sermonem meum seruabit, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Imo Christus dicit Iohan.10.vers.35. nos deos dici, ad quos Dei sermo factus est. Et quod hîc matrem quoque suam esse testatur, eò respexit Paulus, cùm Galatis scriberet, c.4.v.19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Audiendo ergo verbum Dei, ei credendo, illudque faciendo, fit aliquis mater Christi spiritualis, in quo formatur Christus. Nam, quemadmodum virgo Maria audiendo verbum angeli annunciatum, eique credendo æternum illum λόγον, Spiritu sancto virtute sua eam obumbrante, Luc.1.vers.35. intra se concepit: ita etiam homo, audiens Dei verbum, illudque per fidem suscipiens, Christum quasi in vtero cordis siue conscientiæ suæ concipit, dum sibi proponit, quod velit Dei voluntatem facere. Parit autem postea hunc conceptum, quando opere præstat, id quod sibi piè proposuerat. Atque hoc est, quod Christus coniungit *sermonem Dei & audire & præstare.* Et hæc est summa illa & vera nobilitas, quæ non auro, non emendicatis Regum & Imperatorum literis, non vllis aliis siue honestis, siue inhonestis officiis, sed sanguine filij Dei Iesu Christi parta, obtinetur. Nam & de parentum nobilitate, Chrysostomo teste, nihil quicquam nobis arrogare debemus, nisi probam eorum vitam sequamur. De hac autem nobilitate in Domino securè gloriari possumus, siquidem per eam diuinæ naturæ consortes efficimur, 2. Petr.1.vers.4. & per eam multo propinquiores reddimur Deo, quàm qui secundùm carnem, summa carnis necessitudine coniunguntur.

CAPVT LXI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS DESCRIPTIONEM PARABOLICÆ CONCIOnis, quam Christus habuit ad mare ex nauicula.

Matt.13.v.1. Marc.4.v.1. Luc.8.v.4.

RATIO ORDINIS.

Hanc historiam Euangelista Matthæus superiori tam exquisita temporis notatione subiungit, vt nemini dubium esse possit, quin continuo eam secuta sit. Ait enim: *Illo ipso die domo exijt Iesus, & consedit ad mare.* Huic consentit etiam Euangelista Marcus, qui hæc cum prioribus ita connectit: *Et cœpit iterum docere ad mare.* Licet ergo Lucas hanc parabolicam concionem sine certa siue temporis siue loci notatione referat: non tamen ordinem istum negat, sed simpliciter tantum dicit: *cum turba immineret, Christus per parabolam est locutus.* Quæ autem hîc apud Matthæum inseruntur, similia iis, quæ Lucas c.10. recenset: Quæ item apud Marcum dicuntur similia iis, quæ alibi habent tam Lucas quàm Matthæus, ea bis à Domino dicta esse, & singula suum locum in Harmonia mereri, ex diuersitate temporis & loci apparet.

CONCIO PARABOLICA, QVAM CHRISTVS habuit ad turbas iuxta mare, ex nauicula.

MATTH. 13.

1. Ἐν δὲ τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐξελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ τῆς οἰκίας, ἐκάθητο παρὰ τὴν θάλασσαν.
2. Καὶ συνήχθησαν πρὸς αὐτὸν ὄχλοι πολλοὶ, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον ἐμβάντα καθῆσθαι, καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν εἱστήκει.
3. Καὶ ἐλάλησεν αὐτοῖς πολλὰ ἐν παραβολαῖς, λέγων· ἰδοὺ ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπείρειν.
4. Καὶ ἐν τῷ σπείρειν αὐτὸν, ἃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ ἦλθε τὰ πετεινὰ, καὶ κατέφαγεν αὐτά.
5. Ἄλλα δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὰ πετρώδη, ὅπου οὐκ εἶχε γῆν πολλὴν, καὶ εὐθέως ἐξανέτειλε, διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς.
6. Ἡλίου δὲ ἀνατείλαντος, ἐκαυματίσθη, καὶ διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν, ἐξηράνθη.
7. Ἄλλα δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὰς ἀκάνθας, καὶ ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι, καὶ ἀπέπνιξαν αὐτά.
8. Ἄλλα δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν, καὶ ἐδίδου καρπὸν, ὃ μὲν ἑκατὸν, ὃ δὲ ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα.
9. Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.
10. Καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ, εἶπον αὐτῷ· διὰ τί ἐν παραβολαῖς λαλεῖς αὐτοῖς;
11. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· ὅτι ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται.
12. Ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ, καὶ περισσευθήσεται· ὅστις δὲ οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ.
13. Διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς αὐτοῖς λαλῶ, ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ συνιοῦσι.
14. Καὶ ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς ἡ προφητεία Ἠσαΐου ἡ λέγουσα, ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε· καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε.
15. Ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν· μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς.
16. Ὑμῶν δὲ μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ, ὅτι βλέπουσι, καὶ τὰ ὦτα ὑμῶν, ὅτι ἀκούει.
17. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ δίκαιοι ἐπεθύμησαν ἰδεῖν ἃ βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδον, καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν.
18. Ὑμεῖς οὖν ἀκούσατε τὴν παραβολὴν τοῦ σπείροντος.
19. Παντὸς ἀκούοντος τὸν λόγον τῆς βασιλείας καὶ μὴ συνιέντος, ἔρχεται ὁ πονηρὸς, καὶ ἁρπάζει τὸ ἐσπαρ-

1. *In illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare.*
2. *Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore.*
3. *Et locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce, exijt, qui seminat, seminare.*
4. *Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam: & venerunt volucres cœli & comederunt ea.*
5. *Alia autem ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam: & continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ.*
6. *Sole autem exorto æstuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.*
7. *Alia autem ceciderunt in spinas: & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea.*
8. *Alia autem ceciderunt in terram bonam & dabant fructum, aliud quidem centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.*
9. *Qui habet aures audiendi, audiat.*
10. *Et accedentes discipuli, dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?*
11. *Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem non est datum.*
12. *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo.*
13. *Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vidēt, & audientes non audiunt, neque intelligunt.*
14. *Et adimpletur in eis prophetia Esaiæ, dicens, Auditu, audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis.*
15. *Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.*
16. *Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt.*
17. *Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.*
18. *Vos ergo audite parabolam seminantis.*
19. *Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit Malus, & rapit quod seminatum*

μένον ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, οὗτός ἐστιν ὁ παρὰ τὴν ὁδὸν σπαρείς.
est in corde eius, hic est qui secus viam seminatus est.

20. Ὁ δὲ ἐπὶ τὰ πετρώδη σπαρείς, οὗτός ἐστιν ὁ τὸν λόγον ἀκούων, καὶ εὐθὺς μετὰ χαρᾶς λαμβάνων αὐτόν.
20. *Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud.*

21. Οὐκ ἔχει δὲ ῥίζαν ἐν ἑαυτῷ, ἀλλὰ πρόσκαιρός ἐστι. γενομένης δὲ θλίψεως ἢ διωγμοῦ διὰ τὸν λόγον, εὐθὺς σκανδαλίζεται.
21. *Non habet autem radicem in se, sed est temporalis: facta autem tribulatione, & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur.*

22. Ὁ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας σπαρείς, οὗτός ἐστιν ὁ τὸν λόγον ἀκούων, καὶ ἡ μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου συμπνίγει τὸν λόγον, καὶ ἄκαρπος γίνεται.
22. *Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & solicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.*

23. Ὁ δὲ ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν σπαρείς, οὗτός ἐστιν, ὁ τὸν λόγον ἀκούων καὶ συνιών· ὃς δὲ καρποφορεῖ, καὶ ποιεῖ, ὁ μὲν ἑκατὸν, ὁ δὲ ἑξήκοντα, ὁ δὲ τριάκοντα.
23. *Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero tricesimum.*

24. Ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς λέγων· ὁμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ σπείροντι καλὸν σπέρμα ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτοῦ.
24. *Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.*

25. Ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους ἦλθεν αὐτοῦ ὁ ἐχθρὸς, καὶ ἔσπειρε ζιζάνια ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, καὶ ἀπῆλθεν.
25. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt.*

26. Ὅτε δὲ ἐβλάστησεν ὁ χόρτος, καὶ καρπὸν ἐποίησε, τότε ἐφάνη καὶ τὰ ζιζάνια.
26. *Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.*

27. Προσελθόντες δὲ οἱ δοῦλοι τοῦ οἰκοδεσπότου, εἶπον αὐτῷ· κύριε, οὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας ἐν τῷ σῷ ἀγρῷ; πόθεν οὖν ἔχει τὰ ζιζάνια;
27. *Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei, Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania?*

28. Ὁ δὲ ἔφη αὐτοῖς, ἐχθρὸς ἄνθρωπος τοῦτο ἐποίησεν· οἱ δὲ δοῦλοι εἶπεν αὐτῷ· θέλεις οὖν, ἀπελθόντες συλλέξωμεν αὐτά;
28. *Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus & colligimus ea?*

29. Ὁ δὲ ἔφη· οὔ, μήποτε συλλέγοντες τὰ ζιζάνια ἐκριζώσητε ἅμα αὐτοῖς τὸν σῖτον.
29. *Et ait: non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.*

30. Ἄφετε συναυξάνεσθαι ἀμφότερα, μέχρι τοῦ θερισμοῦ, καὶ ἐν τῷ καιρῷ τοῦ θερισμοῦ ἐρῶ τοῖς θερισταῖς· συλλέξατε πρῶτον τὰ ζιζάνια, καὶ δήσατε αὐτὰ εἰς δεσμὰς πρὸς τὸ κατακαῦσαι αὐτά· τὸν δὲ σῖτον συναγάγετε εἰς τὴν ἀποθήκην μου.
30. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite & primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregáte in horreum meum.*

31. Ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς λέγων· ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν κόκκῳ σινάπεως, ὃν λαβὼν ἄνθρωπος ἔσπειρεν ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτοῦ.
31. *Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo, seminauit in agro suo.*

32. Ὃ μικρότερον μέν ἐστι πάντων τῶν σπερμάτων· ὅταν δὲ αὐξηθῇ, μεῖζον πάντων τῶν λαχάνων ἐστὶ, καὶ γίνεται δένδρον, ὥστε κατελθεῖν τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ κατασκηνοῦν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ.
32. *Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.*

33. Ἄλλην παραβολὴν ἐλάλησεν αὐτοῖς· ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον.
33. *Aliam parabolam locutus est eis: Simile regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in satis tribus, donec fermentatum est totum.*

34. Ταῦτα πάντα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν παραβολαῖς τοῖς ὄχλοις, καὶ χωρὶς παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς·
34. *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur:*

35. Ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος, ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου, ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου·
35. *Vt impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, & eructabo abscondita à constitutione mundi.*

MARC. 4.

1. Καὶ πάλιν ἤρξατο διδάσκειν παρὰ τὴν θάλασσαν, καὶ συνήχθη πρὸς αὐτὸν ὄχλος πολὺς, ὥστε αὐτὸν ἐμβάντα εἰς τὸ πλοῖον, καθῆσθαι ἐν τῇ θαλάσσῃ, καὶ πᾶς ὁ ὄχλος πρὸς τὴν θάλασσαν ἐπὶ τῆς γῆς ἦν.
1. *Et iterum cœpit docere ad mare: & congregata est ad eum turba multa, ita vt nauim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat.*

2. Καὶ ἐδίδασκεν αὐτοὺς ἐν παραβολαῖς πολλὰ, καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ·
2. *Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua:*

3. Ἀκούετε. ἰδοὺ ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι.
3. *Audite: ecce, exijt seminans ad seminandum.*

4. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ σπείρειν, ὃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ ἦλθε τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ κατέφαγεν αὐτό.
4. *Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud.*

5. Ἄλλο δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὰ πετρώδη, ὅπου οὐκ εἶχε γῆν πολλὴν, καὶ εὐθέως ἐξανέτειλε, διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς.
5. *Aliud vero cecidit super petrosa, vbi non habuit terram multam: & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ.*

6. Ἡλίου δὲ ἀνατείλαντος, ἐκαυματίσθη, καὶ διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν, ἐξηράνθη.
6. *Et quando exortus est Sol, exæstuauit, & eò quòd non habebat radicem, exaruit.*

7. Καὶ

7. Καὶ ἄλλο ἔπεσεν εἰς τὰς ἀκάνθας, καὶ ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι, καὶ συνέπνιξαν αὐτὸ, καὶ καρπὸν οὐκ ἔδωκε.

8. Καὶ ἄλλο ἔπεσεν εἰς τὴν γῆν τὴν καλὴν, καὶ ἐδίδου καρπὸν ἀναβαίνοντα καὶ αὐξάνοντα, καὶ ἔφερεν ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατόν.

9. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

10. Ὅτε δὲ ἐγένετο καταμόνας, ἠρώτησαν αὐτὸν οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα τὴν παραβολήν.

11. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὸ μυστήριον τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ· ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξω ἐν παραβολαῖς τὰ πάντα γίνεται.

12. Ἵνα βλέποντες βλέπωσι, καὶ μὴ ἴδωσι· καὶ ἀκούοντες ἀκούωσι, καὶ μὴ συνιῶσι, μήποτε ἐπιστρέψωσι, καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς ἁμαρτήματα.

13. Καὶ λέγει αὐτοῖς· οὐκ οἴδατε τὴν παραβολὴν ταύτην, καὶ πῶς πάσας τὰς παραβολὰς γνώσεσθε;

14. Ὁ σπείρων, τὸν λόγον σπείρει.

15. Οὗτοι δέ εἰσιν οἱ παρὰ τὴν ὁδὸν, ὅπου σπείρεται ὁ λόγος, καὶ ὅταν ἀκούσωσιν, εὐθέως ἔρχεται ὁ σατανᾶς, καὶ αἴρει τὸν λόγον τὸν ἐσπαρμένον ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν.

16. Καὶ οὗτοί εἰσιν ὁμοίως οἱ ἐπὶ τὰ πετρώδη σπειρόμενοι, οἳ ὅταν ἀκούσωσι τὸν λόγον, εὐθέως μετὰ χαρᾶς λαμβάνουσιν αὐτόν.

17. Καὶ οὐκ ἔχουσι ῥίζαν ἐν ἑαυτοῖς, ἀλλὰ πρόσκαιροί εἰσιν. εἶτα γενομένης θλίψεως ἢ διωγμοῦ διὰ τὸν λόγον, εὐθέως σκανδαλίζονται.

18. Καὶ οὗτοί εἰσιν, οἱ εἰς τὰς ἀκάνθας σπειρόμενοι, οὗτοί εἰσιν οἱ τὸν λόγον ἀκούοντες.

19. Καὶ αἱ μέριμναι τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι εἰσπορευόμεναι συμπνίγουσι τὸν λόγον, καὶ ἄκαρπος γίνεται.

20. Καὶ οὗτοί εἰσιν οἱ ἐπὶ τὴν γῆν καλὴν σπαρέντες, οἵτινες ἀκούουσι τὸν λόγον, καὶ παραδέχονται, καὶ καρποφοροῦσιν, ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατόν.

21. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· μήτι ὁ λύχνος ἔρχεται, ἵνα ὑπὸ τὸν μόδιον τεθῇ, ἢ ὑπὸ τὴν κλίνην; οὐχ ἵνα ἐπὶ τὴν λυχνίαν ἐπιτεθῇ;

22. Οὐ γάρ ἐστι τὸ κρυπτὸν, ὃ ἐὰν μὴ φανερωθῇ, οὐδὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον, ἀλλ' ἵνα εἰς φανερὸν ἔλθῃ.

23. Εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

24. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· βλέπετε, τί ἀκούετε, ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν.

25. Ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ· καὶ ὃς οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ.

26. Καὶ ἔλεγεν, οὕτως ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, ὡς ἐὰν ἄνθρωπος βάλῃ τὸν σπόρον ἐπὶ τῆς γῆς.

27. Καὶ καθεύδῃ, καὶ ἐγείρηται νύκτα καὶ ἡμέραν, καὶ ὁ σπόρος βλαστάνῃ, καὶ μηκύνηται, ὡς οὐκ οἶδεν αὐτός.

28. Αὐτομάτη γὰρ ἡ γῆ καρποφορεῖ πρῶτον χόρτον, εἶτα στάχυν, εἶτα πλήρη σῖτον ἐν τῷ στάχυϊ.

29. Ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς, εὐθέως ἀποστέλλει τὸ δρέπανον, ὅτι παρέστηκεν ὁ θερισμός.

30. Καὶ ἔλεγε, τίνι ὁμοιώσωμεν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ; ἢ ἐν τίνι παραβολῇ παραβάλωμεν αὐτήν;

31. Ὡς κόκκον σινάπεως, ὃς ὅταν σπαρῇ ἐπὶ τῆς γῆς, μικρότερος πάντων τῶν σπερμάτων ἐστὶ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς.

32. Καὶ ὅταν σπαρῇ, ἀναβαίνει, καὶ γίνεται πάντων τῶν λαχάνων μείζων, καὶ ποιεῖ κλάδους μεγάλους, ὥστε δύνασθαι ὑπὸ τὴν σκιὰν αὐτοῦ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνοῦν.

33. Καὶ τοιαύταις παραβολαῖς πολλαῖς ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον, καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν.

34. Χωρὶς δὲ παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς, κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐπέλυε πάντα.

7. Et aliud cecidit in spinas, & ascenderunt spinæ, & suffocauerunt illud, & fructum non dedit.

8. Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem & crescentem, & afferebat vnum trigesimum, & vnum sexagesimum, & vnum centesimum.

9. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat.

10. Et cùm esset singularis, interrogauerunt eum hi, qui cum eo erant, duodecim parabolam.

11. Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt:

12. Vt videntes videant & non videant: & audientes audiant, & non intelligant: ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata.

13. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis?

14. Qui seminat, verbum seminat.

15. Hi autem sunt, qui circa viam, vbi seminatur verbum, & cùm audierint, statim venit Satanas, & aufert verbum, quod seminatũ est cordibus eorũ.

16. Et hi sunt similiter qui super petrosa seminantur, qui cùm audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud.

17. Et non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

18. Et alij sunt, qui in spinis seminantur, hi sunt, qui verbum audiunt.

19. Et ærumnæ seculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.

20. Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt: qui audiunt verbum, & suscipiunt, & fructificant, vnum trigesimum, vnum sexagesimum, & vnum centesimum.

21. Et dicebat illis: Nunquid venit lucerna, & sub modio, aut sub lecto? nonne vt super candelabrum ponatur?

22. Non enim aliquid absconditum, quod non manifestetur, nec factum est occultum, quod non veniat in palàm.

23. Si quis habet aures audiendi, audiat.

24. Et dicebat illis: Videte, quid audiatis, in qua mensura mensi fueritis, remetientur vobis, & adijcictur vobis.

25. Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.

26. Et dicebat: Sic est regnum Dei quemadmodum si homo iaciat sementem in terram.

27. Et dormiat & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille.

28. Vltro enim terra fructificat primùm herbam, deinde plenum frumentum in spica.

29. Et cùm produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

30. Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?

31. Sicut granum sinapis: quod cùm seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra.

32. Et cùm seminatum fuerit, ascendit, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita vt possint sub vmbra eius aues cœli habitare.

33. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.

34. Sine parabola autem non loquebatur eis: seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.

4. Συνιόντος δὲ ὄχλου πολλοῦ, καὶ τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτὸν, εἶπε διὰ παραβολῆς.
5. Ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι τὸν σπόρον αὐτοῦ, καὶ ἐν τῷ σπείρειν αὐτὸν, ὃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ κατεπατήθη, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατέφαγεν αὐτό.
6. Καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν πέτραν, καὶ φυὲν ἐξηράνθη, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα.
7. Καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν, καὶ συμφυεῖσαι αἱ ἄκανθαι, ἀπέπνιξαν αὐτό.
8. Καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν, καὶ φυὲν ἐποίησε καρπὸν ἑκατονταπλασίονα. Ταῦτα λέγων, ἐφώνει ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω.
9. Ἐπηρώτων δὲ αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες, τίς εἴη ἡ παραβολὴ αὕτη.
10. Ὁ δὲ εἶπεν· ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν.
11. Ἔστι δὲ αὕτη ἡ παραβολή· ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ.
12. Οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδὸν, εἰσὶν οἱ ἀκούοντες, εἶτα ἔρχεται ὁ διάβολος, καὶ αἴρει τὸν λόγον ἀπὸ τῆς καρδίας αὐτῶν, ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσιν.
13. Οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, οἳ ὅταν ἀκούσωσι, μετὰ χαρᾶς δέχονται τὸν λόγον· καὶ οὗτοι ῥίζαν οὐκ ἔχουσιν, οἳ πρὸς καιρὸν πιστεύουσι, καὶ ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται.
14. Τὸ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσὸν, οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκούσαντες, καὶ ὑπὸ μεριμνῶν, καὶ πλούτου καὶ ἡδονῶν τοῦ βίου πορευόμενοι συμπνίγονται, καὶ οὐ τελεσφοροῦσι.
15. Τὸ δὲ ἐν τῇ καλῇ γῇ, οὗτοί εἰσιν οἵτινες ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ ἀκούσαντες τὸν λόγον, κατέχουσι, καὶ καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ.
16. Οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας, καλύπτει αὐτὸν σκεύει, ἢ ὑποκάτω κλίνης τίθησιν, ἀλλ' ἐπὶ λυχνίας ἐπιτίθησιν, ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι βλέπωσι τὸ φῶς.
17. Οὐ γάρ ἐστι κρυπτὸν, ὃ οὐ φανερὸν γενήσεται· οὐδὲ ἀπόκρυφον, ὃ οὐ γνωσθήσεται, καὶ εἰς φανερὸν ἔλθῃ.
18. Βλέπετε οὖν, πῶς ἀκούετε. ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ, καὶ ὃς ἂν μὴ ἔχῃ, καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ.

4. *Cùm autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properaret ad eum, dixit per similitudinē.*
5. *Exijt, qui seminat, seminare semen suum, & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud.*
6. *Et aliud cecidit super petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.*
7. *Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.*
8. *Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.*
9. *Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola.*
10. *Quibus ipse dixit: Vobis est datum nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant.*
11. *Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei.*
12. *Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.*
13. *Qui autem supra petram, qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.*
14. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierūt, & à solicitudinibus, & diuitiis & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum.*
15. *Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.*
16. *Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed super candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen.*
17. *Non enim est occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat.*
18. *Videte ergo, quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & quicunque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.*

Ratio coagmentationis parabolicæ istius concionis.

QVomodo hæc concio ex tribus Euangelistis in vnum corpus concinnanda fuerit, de eo æquus lector dextre iudicabit, ex inspectione & collatione textus, qui per columnas coniunctim hîc est appositus. Impossibile fuit singula singulorum verba intra contextum referre. Non quod in sensu à se inuicem discreparent: sed tantùm quod diuersis vocabulis vsi fuissent, quæ sono differebant, non autem significatione. Vt quod Marcus dixit ἄλλο σπέρμα, id Lucas reddidit ἕτερον. Vtrumque tamen significat *aliud*, & distributionem innuit, qua in accommodatione ad auditores vtitur. Deinde etiam numeri diuersitas deprehenditur. In ipsa parabola Matthæus vtitur plurali numero, dicens *alia semina*, &c. quia plures conciones diuersimodè ab auditoribus excipiuntur. Marcus vero & Lucas tantùm singulari vtuntur. *Aliud quidem* &c. Quia omnes conciones ex vnico Dei verbo, quod vere & proprie est spirituale illud semen, desumuntur. Rursus in accommodatione ad auditores, quæ Marcus & Lucas pluraliter narrant, eadem Matthæus in singulari numero effert. Vult enim Christus applicationem fieri, non tantum in genere, sed & in indiuiduo: vt quisque pro se attendat, qualis sit auditor verbi. Vt enim iustus sua, non aliena, fide viuet: Habac. 2. v. 4. ita etiam ad consequendam illam fidem ex auditu verbi. Rom. 10. v. 17. quisque pro se strenue & fideliter laborare debet. Quanquam quædam de hac applicatione, quantum concinne fieri potuit, intra contextum sint assumta. Reliqua per se sunt plana.

HARMONIA ISTIVS CONCIONIS, EX trium Euangelistarum, Matt. 13 Mar. 4. & Luc. 8. descriptionibus in vnum corpus coagmentata.

a Ἐν δὲ τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, ἐξελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ τῆς οἰκίας, ἐκάθητο παρὰ τὴν θάλασσαν. c Συνιόντος δὲ τοῦ ὄχλου πολλοῦ, καὶ τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτὸν, b πάλιν ἤρξατο διδάσκειν παρὰ τὴν θάλασσαν. e καὶ συνήχθησαν πρὸς αὐτὸν ὄχλοι πολλοὶ, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον ἐμβάντα καθῆσθαι b ἐν τῇ θαλάσσῃ, e καὶ πᾶς ὁ ὄχλος a ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν εἱστήκει, b καὶ πρὸς τὴν θάλασσαν ἐπὶ τῆς γῆς ἦν. a Καὶ ἐλάλησεν αὐτοῖς, b καὶ ἐδίδασκεν αὐτοὺς f ἐν παρα-

a *In die verò illo egressus Iesus è domo, sedit iuxta mare.* c *Cùm autem turba plurima conueniret, & à singulis ciuitatibus properarent ad illum,* b *iterum cœpit docere, iuxta mare.* e *Et congregata sunt ad illum turba multa, adeo vt ipse nauim ingressus sederet* b *in mari,* e *& vniuersa turba* a *in littore stabat,* b *& iuxta mare in terra erat.* a *Ac dicebat illis,* b *& docebat eos* f *per*

ἐν παραβολαῖς πολλά, καὶ l ἔλεγεν b αὐτοῖς ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, c διὰ παραβολῆς. b Ἀκούετε, e ἰδοὺ l ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι c τὸν σπόρον αὐτοῦ. l Καὶ b ἐγένετο l ἐν τῷ σπείρειν c αὐτὸν, l ὃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν, c καὶ κατεπατήθη, l καὶ e ἦλθε l τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, b καὶ l κατέφαγεν αὐτό. Ἄλλο δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὰ πετρώδη, b ὅπου οὐκ εἶχε γῆν πολλὴν, καὶ εὐθέως ἐξανέτειλε, διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς. e ἡλίου δὲ ἀνατείλαντος, c φυὲν l ἐκαυματίσθη, c διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα, c καὶ διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν, ἐξηράνθη. l καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν, c e συμφυεῖσαι e αἱ ἄκανθαι l αἱ ἄκανθαι, καὶ συνέπνιξαν αὐτὸ, b καὶ καρπὸν οὐκ ἔδωκε. l καὶ ἄλλο ἔπεσεν εἰς τὴν γῆν τὴν καλὴν, c φυὲν l ἐδίδου καρπὸν b ἀναβαίνοντα καὶ αὐξάνοντα, καὶ ἔφερεν, c ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν b ἑκατόν. c Ταῦτα λέγων, ἐφώνει, b ἔλεγεν αὐτοῖς, l ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

b Ὅτε δὲ ἐγένετο καταμόνας, a προσελθόντες οἱ μαθηταὶ, εἶπον αὐτῷ, διὰ τί ἐν παραβολαῖς λαλεῖς αὐτοῖς; b ἠρώτων δὲ αὐτὸν c οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, b οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα, τὴν παραβολὴν. c λέγοντες, τίς εἴη ἡ παραβολὴ αὕτη; l ὁ δὲ a ἀποκριθεὶς l εἶπεν c αὐτοῖς, a ὅτι l ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· e ἐκείνοις δὲ c τοῖς λοιποῖς, b τοῖς ἔξω a οὐ δέδοται h ἀλλ' ἐν παραβολαῖς b τὰ πάντα γίνεται, h ἵνα βλέποντες b βλέπωσι, καὶ h μὴ ἴδωσι, καὶ ἀκούοντες h ἀκούωσι, καὶ h μὴ συνιῶσι, μήποτε ἐπιστρέψωσι, καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα. a ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ, καὶ περισσευθήσεται. ὅστις δὲ οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς αὐτοῖς λαλῶ, ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ συνιοῦσι. καὶ ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς ἡ προφητεία Ἡσαΐου ἡ λέγουσα, ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε καὶ οὐ μὴ ἴδητε, ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνιῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς. ὑμῶν δὲ μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ, ὅτι βλέπουσι, καὶ τὰ ὦτα ὑμῶν, ὅτι ἀκούει. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ δίκαιοι ἐπεθύμησαν ἰδεῖν ἃ βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδον, καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν.

b Καὶ λέγει αὐτοῖς, οὐκ οἴδατε τὴν παραβολὴν ταύτην; καὶ πῶς πάσας τὰς παραβολὰς γνώσεσθε; a ὑμεῖς οὖν ἀκούσατε τὴν παραβολὴν τοῦ σπείροντος. c ἔστι δὲ αὕτη ἡ παραβολή. b ὁ σπείρων τὸν λόγον σπείρει. c ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. h οὗτοι δὲ εἰσὶν οἱ παρὰ τὴν ὁδὸν, c οἱ ἀκούοντες b ὅπου σπείρεται ὁ λόγος, καὶ ὅταν ἀκούσωσιν, c εἶτα b εὐθέως h ἔρχεται ὁ Σατανᾶς, καὶ αἴρει τὸν λόγον, τὸν b ἐσπαρμένον ἐν καρδίαις αὐτῶν, c ἀπὸ τῆς καρδίας αὐτῶν, ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσι. a παντὸς ἀκούοντος τὸν λόγον τῆς βασιλείας, καὶ μὴ συνιέντος, ἔρχεται ὁ πονηρὸς, καὶ ἁρπάζει τὸ ἐσπαρμένον ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. οὗτός ἐστιν ὁ παρὰ τὴν ὁδὸν σπαρείς. c καὶ οὗτοί εἰσιν b ὁμοίως l οἱ ἐπὶ τὰ πετρώδη e σπειρόμενοι, l ὅταν ἀκούσωσι e τὸν λόγον, εὐθέως l μετὰ χαρᾶς λαμβάνουσιν e αὐτὸν c τὸν λόγον, l καὶ c οὗτοι l οὐκ ἔχουσι ῥίζαν e ἐν ἑαυτοῖς, ἀλλὰ πρόσκαιροί εἰσιν, c οἱ πρὸς καιρὸν πιστεύουσιν, b εἶτα e γινομένης θλίψεως, ἢ διωγμοῦ διὰ τὸν λόγον, εὐθέως σκανδαλίζονται, c καὶ ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται. l καὶ οὗτοί εἰσιν, οἱ εἰς τὰς ἀκάνθας σπειρόμενοι, οὗτοί εἰσιν οἱ τὸν λόγον ἀκούοντες, καὶ αἱ μέριμναι τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, b καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι εἰσπορευόμεναι συμπνίγουσι τὸν λόγον, c καὶ ἄκαρπος γίνεται, c καὶ οὐ τελεσφοροῦσι. l καὶ οὗτοί εἰσιν οἱ ἐπὶ τὴν γῆν καλὴν e σπαρέντες l οἵτινες e ἀκούουσι τὸν λόγον, b καὶ παραδέχονται, c καὶ ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ ἀκούσαντες τὸν λόγον, κατέχουσι καὶ a συνιοῦσι, l καὶ καρποφοροῦσιν c ἐν ὑπομονῇ, c ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατόν.

parabolas multa, & l dicebat b illis in doctrina sua c per similitudinem. b Audite, e ecce, l exibat seminator ad seminandum c semen suum, & b accidit l inter seminandum, aliud quidem cecidit secus viam, c & conculcatum est, l & b venerunt volucres cæli, b & l comederūt illud. Aliud verò cecidit super petrosa, b vbi non habuit terram multam, & statim exortum est, quod non haberet altitudinem terræ. e Sole autem exorto, e enatum l æstu affectum est, c quia non habebat humorem, e &, eò quòd non haberet radicem, exaruit. l Et aliud cecidit inter spinas, & c simul enatæ excreuerunt l spinæ, ac suffocauerunt illud, b & fructum non dedit. l Et aliud cecidit in terram bonam, & c enatum l dabat fructum b emergentem atque crescentem: & afferebat e vnum triginta, & vnum sexaginta, & vnum centum. c Hæc dicens clamabat b, ac dicebat illis, l Qui habet aures ad audiendum, audiat.

b Cum autem cœpisset esse solus, a adeuntes discipuli, dixerunt illi: Quare per parabolas loqueris illis? b Interrogabant autem illum c discipuli eius, b hi qui circa illum erant cum duodecim de parabola, e dicentes, quæ esset ista parabola? l At ille a respondens l dixit eis: Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: e illis verò c cæteris b qui foris sunt, a non est datum, h sed per parabolas omnia fiunt, h vt videntes b videant, & h nō cernant, & audientes b audiant, & h non intelligant, ne quando conuertantur, & remittantur eis peccata. a Quisquis enim habet, dabitur illi, & reddetur abundantior. Quisquis autem non habet, etiam illud quod habet, tolletur ab eo. Propterea per parabolas loquor illis. Quia videntes non vidēt, & audientes non audiunt, nec intelligunt. Et completur in illis prophetia Esaiæ, quæ dicit: Auribus audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non cernetis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos occluserunt, ne quando videant oculis & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem illos. Vestri verò beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt. Amen dico vobis, quòd multi prophetæ & iusti desiderauerunt videre quæ videtis, & non viderūt: & audire quæ auditis & nō audierunt.

b Et ait illis: nescitis parabolam hanc? Et quomodo omnes parabolas cognoscetis? a Vos igitur audite parabolam seminantis. c Est autem hæc parabola. b Seminator ille sermonem seminat. c Semen est sermo Dei. h Isti verò sunt, quorum alij iuxta viam dicuntur, c qui audiunt b vbi seminatur sermo, & cùm audierint, c deinde b confestim h venit Satanas, & aufert sermonem, qui seminatus est in cordibus ipsorum, c de corde eorum, ne credentes seruentur. a Cum quiuis audit sermonem regni, & non intelligit, venit ille malus, & rapit quod seminatum est in corde illius. Hic est, qui iuxta viam seminatus fuit. c Et alij sunt b similiter l qui in petrosa e semen excipiunt, l qui cùm audierint e sermonem, statim l cum gaudio accipiunt e illum c sermonem. l Et c hi l non habent radicem e in se, sed tēporarij sunt, c qui ad tempus credunt, b deinde e exorta afflictione aut persecutione propter sermonem, confestim offenduntur, c & in tempore tentationis recedunt. Et alij sunt, qui in spinas semen excipiunt: hi sunt, qui sermonem audiunt, & solicitudines seculi huius, ac deceptiones diuitiarum, h cæterarumque rerum cupiditates introeuntes suffocant sermonem, c ac redditur infructifer, c nec referunt fructum. l Et alij sunt, qui in terram bonam e semen exceperunt, l qui audiunt c sermonem, b & suscipiunt, c & in corde honesto ac bono audientes sermonem, retinent, a & intelligunt, l & fructum afferunt e per patientiam, c ita, vt alium granum afferat triginta, & aliud sexaginta, & aliud centum.

b Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, μήτι ὁ λύχνος ἔρχεται, ἵνα ὑπὸ τὸν μόδιον τεθῇ, ἢ ὑπὸ τὴν κλίνην; οὐχ ἵνα ἐπὶ τὴν λυχνίαν ἐπιτεθῇ; c οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας, καλύπτει αὐτὸν σκεύει, ἢ ὑποκάτω κλίνης τίθησιν, ἀλλ᾽ ἐπὶ λυχνίας ἐπιτίθησιν, ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι βλέπωσι τὸ φῶς. h οὐ γάρ ἐστι b τὶ h κρυπτὸν, ὃ b ἐὰν h μὴ φανερωθῇ. οὐδὲ b ἐγένετο h ἀπόκρυφον, c ὃ οὐ γνωσθήσεται, h καὶ εἰς φανερὸν ἔλθῃ. b εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· h βλέπετε c οὖν, b τί c πῶς h ἀκούετε, b ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν. h ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ· καὶ ὃς c ἂν h μὴ ἔχῃ, καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν, ἀρθήσεται ἀπ᾽ αὐτοῦ. b Καὶ ἔλεγεν, οὕτως ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, ὡς ἐὰν ἄνθρωπος βάλῃ τὸν σπόρον ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ καθεύδῃ, καὶ ἐγείρηται νύκτα καὶ ἡμέραν, καὶ ὁ σπόρος βλαστάνῃ, καὶ μηκύνηται, ὡς οὐκ οἶδεν αὐτός. αὐτομάτη γὰρ ἡ γῆ καρποφορεῖ, πρῶτον χόρτον, εἶτα στάχυν, εἶτα πλήρη σῖτον ἐν τῷ στάχυϊ. ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς, εὐθέως ἀποστέλλει τὸ δρέπανον, ὅτι παρέστηκεν ὁ θερισμός. a Ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς, λέγων· ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ σπείροντι καλὸν σπέρμα ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτοῦ. ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους ἦλθεν αὐτοῦ ὁ ἐχθρὸς, καὶ ἔσπειρε ζιζάνια ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, καὶ ἀπῆλθεν. ὅτε δὲ ἐβλάστησεν ὁ χόρτος, καὶ καρπὸν ἐποίησε, τότε ἐφάνη καὶ τὰ ζιζάνια. προσελθόντες δὲ οἱ δοῦλοι τοῦ οἰκοδεσπότου, εἶπον αὐτῷ· Κύριε, οὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας ἐν τῷ σῷ ἀγρῷ; πόθεν οὖν ἔχει τὰ ζιζάνια; ὁ δὲ ἔφη αὐτοῖς, ἐχθρὸς ἄνθρωπος τοῦτο ἐποίησεν. οἱ δὲ δοῦλοι εἶπεν αὐτῷ· Θέλεις οὖν, ἀπελθόντες συλλέξωμεν αὐτά; ὁ δὲ ἔφη· οὔ, μήποτε συλλέγοντες τὰ ζιζάνια, ἐκριζώσητε ἅμα αὐτοῖς τὸν σῖτον. ἄφετε συναυξάνεσθαι ἀμφότερα μέχρι τοῦ θερισμοῦ, καὶ ἐν τῷ καιρῷ τοῦ θερισμοῦ ἐρῶ τοῖς θερισταῖς· συλλέξατε πρῶτον τὰ ζιζάνια, καὶ δήσατε αὐτὰ εἰς δέσμας πρὸς τὸ κατακαῦσαι αὐτά· τὸν δὲ σῖτον συναγάγετε εἰς τὴν ἀποθήκην μου.

a Ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς, c καὶ ἔλεγεν, b τίνι ὁμοιώσωμεν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, ἢ ἐν τίνι παραβολῇ παραβάλωμεν αὐτήν; a ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν c κόκκῳ σινάπεως, c ὃν λαβὼν ἄνθρωπος, ἔσπειρεν ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτοῦ, c ὃς b ὅταν σπαρῇ ἐπὶ τῆς γῆς, c μικρότερος a μὲν c πάντων τῶν σπερμάτων ἐστὶ b τῶν ἐπὶ τῆς γῆς c ὅταν σπαρῇ, ἀναβαίνει· a ὅταν δὲ αὐξηθῇ, c μεῖζον b γὰρ πάντων τῶν λαχάνων, a καὶ γίνεται δένδρον, b καὶ ποιεῖ κλάδους μεγάλους, c ὥστε a ἐλθεῖν c τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, b καὶ δύνασθαι ὑπὸ τὴν σκιὰν αὐτοῦ c κατασκηνοῦν a ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ.

Ἄλλην παραβολὴν ἐλάλησεν αὐτοῖς· ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον.

Ταῦτα πάντα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν παραβολαῖς τοῖς ὄχλοις, b καὶ τοιαύταις παραβολαῖς πολλαῖς ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον, καθὼς ἐδύναντο ἀκούειν. χωρὶς δὲ παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς b κατ᾽ ἰδίαν δὲ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐπέλυε πάντα. a ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος, ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου, ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.

b *Et dicebat illis: Num lucerna incenditur, vt subter modium ponatur, aut subter lectum, nonne vt super candelabrum ponatur?* c *Nemo vero cùm lucernam accenderit, operit eam vase, aut subter lectum ponit, sed super candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen.* h *Non est enim* b *quicquam* h *occultum, quod non manifestetur. Neque* b *fuit* h *secretum,* c *quod non sit cognoscendum,* h *& in propatulum venturum.* b *Si quis habet aures ad audiendum, audiat. Et dicebat illis:* h *Videte* c *igitur,* b *quid* c *quomodo audiatis.* b *Qua mensura metimini eadem vobis fiet admensio, & adiicietur, vobis qui auditis.* h *Qui enim habet, dabitur illi. Et quicunque non habet, etiam quod putat habere, auferetur ab illo.* b *Et dicebat: sic est regnum Dei quemadmodum si homo iaciat semen in terram, ac dormiat, atque exurgat illud nocte ac die, segesque germinet, ac surgat in altum, dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Cum autem productus fuerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.* a *Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Assimilatum est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo, sed dormientibus hominibus, venit illius inimicus, & seminauit zizania inter triticum, abiitque. Cum autem germinasset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt illi: Domine, nonne bonum semen seminaueras in tuo agro? Vnde igitur habet zizania? Ille vero dixit illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt: Vis igitur abeamus, & colligamus ea? At ille dixit: Non, ne dum colligitis zizania, eradicetis simul cum illis & triticum. Sinite pariter crescere vtraque vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & colligite ea in fasciculos ad comburendum ea: triticum vero congregate in horreum meum.*

a *Aliam parabolam proposuit eis,* c *& dicebat:* b *Cui assimilabimus regnum Dei, aut qua collatione conferemus illud?* a *Simile est regnum cœlorum* c *grano sinapis, quod acceptum homo seminauit in agro suo:* c *quod* b *cum seminatum fuerit in terra,* c *minus* a *quidem* c *est omnibus seminibus,* b *qua sunt in terra. Et cum seminatum fuerit, exurgit:* a *vbi vero excreuerit,* c *maius* b *fit omnibus oleribus,* a *& fit arbor,* b *& facit ramos magnos,* c *ita* a *vt veniant* c *volucres cœli,* b *& possint sub vmbra eius* c *nidificare,* a *in ramis illius.*

Aliam parabolam dixit illis: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentaretur totum.

Hæc omnia locutus est Iesus per parabolis ad turbas. b *Et talibus multis parabolis loquetur eis sermonem, prout poterant audire.* a *Sine parabola vero non loquebatur eis:* b *Seorsim autem discipulis suis exponebat omnia.* a *Vt compleretur, quod dictum fuerat per prophetam, qui ait: Aperiam in parabolis os meum, Eructabo abscondita à constitutione mundi.*

Periocha huius concionis.

IN fine præcedentis concertationis Dominus Iesus Christus verbi sui Euangelici studium magnifice commendauit, tanquam vnicum medium, per quod ad spiritualem cum ipso coniunctionem perueniamus, ipsius fratres & sorores, adeoque matres efficiamur, vt ipse Christus in nobis formetur, Gal. 4. versic. 19. quo per fidem in cordibus nostris habitet, Ephe. 3. v. 17. Est enim incorruptibile illud semen Dei, 1. Pet. 1. v. 23. per quod fides in nobis excitatur, Rom. 10. v. 17. cuius virtute cōsequimur potestatem filiorum Dei, Ioh. 1. v. 12. adeoque diuinæ naturæ consortes efficimur, 2. Pet. 1. v. 4. quod alias neq; ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri consequi possumus, Ioh. 1. v. 13. Ne quis vero hunc diuinū effectum nudæ saltem & externæ auscultationi verbi tribuat, & putet sufficere, si auribus dūtaxat corporis percipiatur, qualicumque postea siue fides siue vita subsequatur, mox nunc subiungit aliquot parabolas, quibus eiusdem Euangelici verbi sta-

bi naturam, conditionē, virtutem & dignitatē consideranda proponit. Ostēdit itē, qui fiat, quod idem verbū non apud omnes eundē fructū proferat, & vnde scandala illa enascantur, quę fere eius prędicationem comitātur. Atque sic occurrit offendiculis multis, quæ tunc apud auditores suos, ob varia quę Christo accidebant, exoriebantur. Est itaque hic locus diligenti consideratione dignissimus, quia de multis vtilibus nos commonefaciet.

Præmittunt autem Euangelistæ breuem narratiunculam præfationis loco, dę occasione, quę Christū mouerit, vt de his omnibus dissereret, & ostendunt, quo tēpore, quo loco, quib. auditoribus, & quo doctrinæ genere proposuerit. I. De tēpore testatur Matthæus, *factū* id esse *eodē die*, quo acris illa cōcertatio præcesserat, quam in domo cū Scribis & Pharisæis, super miraculo eiecti dæmonij muti & cæci habuit, quo item ob turbas conueniente, ipsius doctrinam & curationē expetētes, ne cibū quidē capere poterat. Nā illo die, relicta domo, cōcessit ad mare, atque ibi consedit. At quemnam septimanæ diē hunc fuisse putabimus? Hoc inuestigare diligentia pia non indignum videtur. Et quidem diem Sabbati non fuisse facile coniicere possumus inde, quia non licuisset eo die in priuatis ædibus docere: neque Scribis & Pharisæis integrū fuisset, deserta Synagoga, in qua per singula Sabbata Moses legebatur, Act. 15. v. 21. in domum priuatam se conferre, ibique doctrinæ Christi attendere. Quin & ipse Christus tunc temporis, durantibus adhuc vmbris Mosaicis, in Sabbato solebat Synagogas ingredi, in iisque docendi & sanandi occasionem quærere. Denique non licuisset Sabbato turbis ex circumiacentibus ciuitatibus ad ipsum properare, si vel modicum remotæ essent, ob religionem Sabbati. Et tamen hoc factum esse Lucas diserte scribit. Cum ergo non fuerit dies Sabbati, alius septimanæ dies quærendus erit, quem Euangelistæ, si inter se conferantur, aperte nobis monstrabunt. Testatur enim Marcus in sequentibus c. 4. v. 35. hoc ipso die sub vesperam, cū serum diei factum esset, Iesum dixisse discipulis: *Transeamus in vlteriorem ripam.* Lucas autem c. 8. v. 22. dicit hoc factum esse ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν. Vulgata versio habet, *in vna dierum.* Erasmus & alij reddiderunt indefinite: *factum esse quodam die.* Qui autem attente legunt historiam Euangelicam, illi deprehendunt, passim per μίαν siue τῶν ἡμερῶν, siue τῶν σαββάτων, intelligi *primum diem septimanæ*, qui nobis est dies Dominicus. Sicut manifeste videre licet in historia resurrectionis Christi, Marc. 16. v. 2. Luc. 24. v. 1. Ioh. 20. 1. & 19. Act. 20. v. 7. 1. Cor. 16. ver. 2. Desumptum hoc est ex Mose qui Gen. 1. v. 5. scribit, quod postquam Deus creasset lucem, eamque à tenebris distinxisset, facta fuerit ἡμέρα μία, dies prima scil. septimanæ, quam nos nūc ex Apoc. 1. v. 10. diem Dominicam appellamus. qua die Creationis initium factum esse certissimum est. Hinc LXX. interpretes hoc obseruarunt, quod quoties primam diem siue mensis siue septimanę notare voluerunt, eā vocarunt τὴν μίαν. Exod. 40. v. 2. Luc. 23. ver. 24. Num. 1. versic. 1. Ezech. 26. vers. 1. Hagg. 1. vers. 1. Sic paulatim Christus discipulos suos ad obseruationem diei Dominicæ deducere atque simul docere voluit, quæ vera esset illius diei sanctificatio: nimirum quando ex verbo ipsius præcipua Dei opera, quæ illo ipso die diuersis temporibus in mundo ad salutem humani generis edidit, cōsideramus & de illis disserimus. Qualia sunt opus Creationis, cuius initium factum est hoc ipso die, Gen. 1. ver. 24. Opus redemptionis, quod hoc ipso die perfectum est, Iohan. 20. ver. 1. Opus sanctificationis, quod & ipsum hoc die, cœlitus misso Spiritu sancto, inchoatum est, Actor. 2. versic. 1. Deinde etiam quando falsa doctrina ex veris fundamentis taxatur; hostium virulentæ calumniæ retunduntur; securitas sectatorum verbi reprehenditur: vitia corriguntur, & pietas ex verbo Dei plantatur. Quando denique operibus charitatis, saluti proximi siue corporali siue spirituali consulitur. Hisce rebus dies Dominica vere sanctificatur: quibus etiam tanto studio, diligentia & fide incumbere debemus, vt si maxime propterea cibo atque potu abstinere cogeremur, non tamen opus Domini intermittere deberemus. Fecit hoc Christus in præsentia: qui etiam alibi dixit, hunc esse cibum suum, vt faciat voluntatem eius, qui misit ipsum, & vt perficiat opus eius, Ioh. 4. ver. 34. Hanc diligentiam & fidem fideles eius ministri imitentur.

II. Locum, in quo concio hæc habita fuerit, denotat, tam Marcus, quàm Matthæus, & dicunt *factum hoc esse ad mare Galilææ*, quod aliàs mare Genezareth dicitur, in cuius littore consederit. Ostendit sic Christus non tantum omne tempus, sed & omnem locum ad docendum esse commodum & conuenientem. Hinc ipse docet in templo, in synagogis, in priuatis ædibus, in vrbibus, in desertis, in montibus, ad fontes, ad littus maris, edens, cœnans, iter faciens, breuiter: Omnia loca ipsi idoneum præbent suggestum. Quo rubore igitur suam superstitionem defendent illi, qui non nisi in templis, nescio quibus nugis potius, quàm Christianis concionibus ab ipsis destinatis docendum esse arbitrantur? Equidem vbi templa haberi possunt, ordinis causa merito & lubenter vtimur illis. At ex his expulsi etiam sub dio vel in priuatis ædibus sacrosanctum Dei verbum tractare possumus. Quia mundis omnia munda. Quomodo item illi suam impietatem excusabunt, qui in templo quidem, & cathedra sacra, vtcunque pietatis doctores agunt, at extra templum, in congressibus priuatis, aut etiam conuiuiis publicis leuissimos scurras, & ebriosos commessatores referunt? Non ferunt hi leuitatem suam inultam, sed Deo ob sacri ministerij prophanationem grauissimas pœnas dabunt: Siquidem propter eiusmodi lurcones nomen & verbum Dei male audit apud eos, qui foris sunt, Ies. 52. v. 9.

Pertinet etiam ad loci notationem, quod Euangelistæ aiunt, Christum ad populum verba facturum, nauim ingressum esse, & in ea in mari fluctuante consedisse, atque inde docuisse populum, qui omnis in littore iuxta mare in terra steterit: ne quisquam, vt Chrysostomus annotat, à tergo Christi esset, sed omnes auditores faciem eius aspicerent. Adumbratur eo sors cathedræ Christi. Mundus hic est instar maris feruentis. Vt enim mare quiescere non potest, Iesa. 57. ver. 20. sed ventorum procellis agitatum semper fere æstuat, fluctus eiiciens in conculcationem & lutum: Ita mundus furit indomitum, partim ob ingenitam malitiam, partim quod leuicula occasione impietatis & tyrannidis obiecta facile turbatur, vt multas fœditates & impuritates eiiciat. At vero vtcunque mare furat & fremat, naues tamen admittit, quæ remis velisque reguntur, & ad syderum positum gubernatæ pericula omnia euadunt, & ad portum tandem saluæ deducuntur. Ita, vtut mundus turbatur, Christi tamen cathedra in eo alicubi locū inuenit, quæ verbo Dei, ceu vera cynosura gubernata, & ab vno Deo cœlestique ipsius auxilio dependens, tandem inter medios fluctus conseruatur. Sic igitur doctores Ecclesiæ in periculosiori sunt statu. Et quidem interdum auditores etiam nauiculam hanc ingrediuntur, atque turbas æstuantis huius maris vna cum doctoribus experiuntur, sicut alicubi tota Ecclesia naui confertur. Sed fere tamen eorum sors & conditio est tranquillior, quæ minus periculorum habet. Stant enim in firma terra: & licet interdum ebullientibus fluctibus aquis marinis & luto aspergantur: tamen statione securiore fruuntur, dum interim lupus gregem dominicum dispersurus, pastorem primo omnium aggreditur, Iohan. 10. v. 11.

III. Auditores quoque huius concionis describuntur, qui non tantum fuerunt ciues Capernaitici, Scribæ item & Pharisæi, qui cum ad mare egredientem sunt secuti: sed etiam *plurima turba, quæ ex singulis ciuitatibus ad ipsum properarunt, eumque conuenerunt.* Hic ergo locum habet illud Excitat auditor studium. Nam dubium non est, Christum, post exantlatos ante meridianos labores docendi, sanandi & disputandi cum hostibus virulentissimis, relaxandi animi gratia egressum esse ad mare. Sed postquam videt studium plebis, vndique ad auditum verbi concurrentis, is qui dat lasso virtutem, & his quæ non sunt, fortitudinem, Iesa. 40. v. 29. hic quoque nouas vires ipse assumit, & sibiipsi robur multiplicat, vt illis, qui cognoscendæ veritatis studio accensi essent, inseruiret. Quid ergo Scribæ & Pharisæi suis calumniis profecerunt? Sperarunt se iis Christum apud plebem in contemptum abducere, & lumen Euangelij accensum penitus extinguere posse. Verum turpiter falluntur. Nam quo acerbius antea contra disputarunt, eo plures nunc ad ipsum confluunt. Sicuti plerunque fieri solet, vt quanto magis Euangelij veritas oppugnatur, tanto plures eius cognoscendæ studio accendantur. Et hæc est quasi innata quædam humani ingenij curiositas, quod, quæ acerbe vituperantur, eorum maiori desiderio fore teneamur. Hac curiositate interdum Deus bene vtitur, vt nō raro eueniat, quod multi audire velint & videre concionatores, de quibus nefanda spargi audiuerunt, qui postea auditis ipsorum concionibus incipiunt melius de ipsis sentire. Itaque ad exemplum Domini Saluatoris, ministri ipsius munere suo diligenter & fideliter fungi discant, nihil addubitantes, Deum daturum, ne sine fructu labor ipsorum abeat, 1. Cor. 15. v. 58.

IV. Genus doctrinæ, quo Christus in hac concione vsus est, Euangelistæ omnes tres dicunt parabolicum fuisse. Significant autem *parabolæ* sententias & doctrinas similitudine aliqua aliarum rerum vestitas ac propositas. Varinus dicit: παραβολὴ παράδοσις ἐστι ὁμοιωματικὴ, δια σαφηνείας τῶν ὑποκειμένων. Item: παραβολή ἐστι, παράθεσις πραγμάτων παραδόσεως, ... Cicero παραβολὴν vertit collationem. Nam παραβάλλειν significat duas diuersas res simul collocare aut conferre. Apud septuaginta respondet vocabulo מָשָׁל, à verbo מָשַׁל quod dominari & cum imperio regere significat. Vt ita parabola denotet dominan-

tem sententiam κυρίαν γνώμην, celebrare aliquod & authenticum dictum, adeoque vitæ regulam. Nam hoc modo fere etiam in Veteri Testamento vsurpatur, de graui & serio aliquo sermone, Numer.23.v.7.& 18.& capit.24.v.3.& 15. Bileam dicitur assumsisse suam parabolam, id est, sermonem magni momenti, & diuinam prophetiam de rebus venturis longe maximis. Et Iob.27.versic.1. Addidit Iob assumere parabolam suam, hoc est, sermonem serium, & de rebus magni momenti. Psalm.49.ver.5. Inclinabo ad parabolam aurem meam, aperiam in psalterio ænigma meum, id est, proponam doctrinam longe grauissimam, quam & ipse simul audiam; seu, qua non tantum alios, sed & memetipsum erudiam. Parabolice loqui interdum etiam accipitur pro obscure loqui. Sicuti Ezechiel dicit cap.20.vers.vltimo, Ah, ah, ah, Domine Deus, ipsi dicunt de me: nunquid non per parabolas (id est, obscure) loquitur iste? Et cap.24.v.3. præcipit Deus prophetæ, inquiens: Paraboliza, aut vtere parabolico sermone ad domum rebellionis. In eo propheta obtemperat Domino, ac mox proposita similitudine ollæ, carnium in eam congestarum, & ignis succensi, depingit obsidionem Hierosolymæ. Eodem sensu etiam Apostoli dicunt in passione ad Christum, Iohann.16.versic.29. Nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Vtraque vocis huius vsurpatio præsenti loco conuenit. Nam doctrinas spirituales & res quidem graues & serias, externarum rerum similitudine pictas, Christus hic auditoribus suis proponit: ita vt aliud verba sonent & exprimant, aliud autem sub illis significetur & doceatur. Vnde etiam fit, vt hæc ipsa doctrina non tantum vulgaribus auditoribus, sed & ipsis Apostolis sit obscura & quasi ænigmatica, tantisper, donec Christus ipse explicationem afferat. Nam huiusmodi parabolas exponere, non est ἰδίας ἐπιλύσεως & priuatæ interpretationis, vt Petrus loquitur, 2. Petr. 1. versicul. 20. sed eiusdem Spiritus ductu, cuius instinctu prolatæ sunt, explicari debent. Vnde Christus semper hoc in parabolis obseruauit: quod vel ipse eas interpretatus est, vel ad minimũ, aut frontispicio parabolę aut in eiusdem fine, sententiam aliquam adiecit, quæ tanquam clauis est, ad aperiendum verum parabolæ sensum, vt inde genuina interpretatio desumi possit. Hic vero ad petitionem Apostolorum ipse harum parabolarum explicationem addidit.

Miretur autem quis non immerito, quî factum sit, quod Christus obscuro hoc docendi genere vsus est, cum certum sit eum in hunc finem à Patre in hunc mundum missum esse, vt mysteria regni Dei enarraret, & salutis viam nobis explanaret: quod simplici, perspicuo & omnibus intelligibili docendi genere fieri debuerat. Vnde & hactenus pœnitentiam diserte docuit, regnum Dei aperte prædicauit, veram beatitudinis consequendæ rationem perspicue tradidit, genuinum legis sensum & Christianæ vitæ officia sine ambagibus exposuit, aduersariorum calumnias solide & euidenter refutauit, contumacibus & ingratis meritas pœnas aperto ore denunciauit, omnes denique laborantes & oneratos perspicuis verbis ad se vocauit. Hoc Apostoli, & reliqui discipuli, qui circa Christum erant, perpendentes, ipsi quoque mirati sunt, ac proinde *cum Christus factus esset κατὰ μόνας, solus, eum de causis*, ob quas hoc docendi genere vteretur, *interrogarunt*. Potest autem illud ita intelligi, quasi Apostoli etiam huius parabolæ inuestigationem distulerint tantisper, donec Dominus domum rediisset: vel quasi Dominus proposita vna parabola, nauiculam parumper à ripa abduci curasset, sicut fecit Luc.5.v. 4. quò auditoribus hæc meditandi tempus concederet, & simul attenderet, vtrum & ipsi, sicut Apostoli, huius parabolæ explicationem petituri essent, antequam reliquas parabolas adderet. Interea autem discipuli occasione illa ita vtebantur, vt ipsi pro se germano parabolæ sensu inquirerent. Hoc verò faciendo Apostoli præ se ferunt imaginem bonorum discipulorum & auditorum verbi. Quos 1. non pudeat ignorantiam suam, qua omnes natura laboramus, 1. Cor.2.versicul.14. agnoscere, confiteri, & profectus causa inquirere. Nam, vt vulgo dicitur, non pudor est nescire aliquid: sed discere nolle, & pudor & scelus est. 2. Non autem in sacris apud quenquam alium proficere cupiant, quã apud Christum. Hic enim solus est Magister noster, Matth. 23.ver.8. qui nobis à Patre factus est sapientia, 1. Cor. 1.ver. 30. Est magnus Propheta, quem omnes audire debent, Deut. 18.v.15. Matth.17.ver.5. lux denique vera, Iohann.1.ver.9. quæ sola ignorantiæ & errorum tenebras discutere potest. 3. In eo etiam charitatem exerceant erga proximum: quod quemadmodum discipuli soliciti sunt de turbis, & prius de ipsis interrogant, quare Christus per parabolas eis loquatur, quàm quod sibi eas explicari petunt: ita vnusquisque non minus proximum suum proficere cupiat, quàm se ipsum. 4. Modestiæ tamen etiam obliuiscantur, ne instar Anabaptistarum in publico obloquantur, aut importunitate sua turbas dent, vel etiam aliis in publico intempestiuius aliquid agendi occasionem præbeant. Ideo etiam discipuli priuatam hâc quæstionem mouent: ipsisque satis est, simpliciter inquisiuisse, nihil addubitantes, Dominum, ceu fidum doctorem, sui facti iustas rationes redditurum. Hæ dotes sicubi in verbi auditore conueniunt, ibi verbum Dei absque fructu non abit, sicuti Isai.55.v.10. Deus ipse promittit, & exemplum Apostolorum iam nunc illud commonstrabit.

Nam Christus huius sui facti rationem redditurus, non proponit illud vulgare, quod Varinus habet, αἱ ἀφηγήσεις τριῶν ἕνεκεν γίνονται, αὐξήσεως, ἐνεργείας καὶ σαφηνείας. Sed eò deducit Apostolos, vt agnoscant ipsum ratione officij sui hoc fecisse, in eum finem, vt si humanæ mentis deprauatio id ferret, ipse omnes lucrifacere, atque ad salutem adducere, aut certe, si qui doctrinæ suæ locum dare nollent, eos conuincere posset, ipsos non Dei aut verbi sui, sed propria culpa perire. Etenim Deus initio genus humanum condidit, non in iram aut damnationem, sed in acquisitionem salutis, 1.Thess.5.versic. 9. Postquam autem Adamus per tristem suum lapsum salutem illam pro se & posteris omnibus amisit, Deus dedit nobis Redemtorem Iesum Christum, qui est Saluator omnium hominum, 1.Timoth.4 versic.10. Et vult Deus omnes homines saluos fieri: ita tamen si ad agnitionem veritatis veniant, 1.Timoth.2.versi.4. hac de caussa hactenus Christus in Euangelio regnum Dei indiscriminatim omnibus obtulit, & nuper omnes oneratos atque laborantes ad se vocauit, æternam refocillationem promittens, Matth.11.vers.28. Sed non omnes voluerunt oblatam gratiam recipere: *quidam cum* summa ingratitudine illam reiecerunt, quidam *conuitiis insuper* & blasphemiis eam persecuti sunt. Sicuti partim grauissimæ Christi querimoniæ, partim Scribarum calumniæ, quæ in superioribus audiuimus, apertissime id commonstrant. Hinc ergo resultant duo isti hominum ordines, in quos totum genus humanum in æternum dirimetur: Electorum vnus: alter reproborum. Quia tamen, sicuti Paulus Roman.1.vers.14. dicit se debitorem esse Græcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus: ita etiam Christus agnoscit, quia à Patre omnes gentes accepit hæreditatem suam, Psalm.2.v. 8. se ratione officij & ministerij sui debitorem esse tam reprobis quàm Electis: ideo vtrisque verbum suum obtulit, & hoc ipsum taliter proposuit, vt si reprobi illud recipere voluissent, non minus reprobationem illam euitare, *& in Electorum* numerum recipi, adeoque saluari potuissent, quàm Electi. Verum quia ipsi præfracte, contumaciter & perseueranter verbum prædicatum & in eo oblatam salutem contempserunt, & reiecerunt, denunciat hic Christus illud ipsum verbum illis tanto grauioris damnationis causam futuram, ipsosque inexcusabiles coram Deo redditurum. Quia autem aliqui hinc periculosas disputationes extruere conantur, dum ex Electorum parte aliquid libero hominis arbitrio tribuendum censent, vnde prouenit, quod illi verbum prædicatum recipiant: ex reproborum vero parte statuunt eos arcano aliquo Dei decreto impediri, quo minus verbum recipere, eique fidem habere possint; iccirco prodest verba Christi diligenter expendere, & quid tam de Electis, quàm de impiis & damnandis dicat, attente obseruare, tum sole meridiano clarius patebit, nec ex vna parte τὸ αὐτεξούσιον stabiliri, neque ex altera parte Deum, siue peccati siue damnationis reproborum, causam statui posse.

De Electis sub Apostolorum persona dicit: *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum*. Hoc *datum esse*, nec ex necessitate, nec casu factum est, vt recte annotauit Chrysostomus: sed aperit donum & gratiam Dei. Quid enim habes homo, quod non accepisti? 1.Cor.4.v.7. Sed quid ipsis est datum? In hac vita à Deo accipimus duplicia dona: dona naturæ & dona gratiæ. Ex natura ipsis datum erat, quod poterant audire, videre: ex gratia autem, quod audirent verbum Dei, viderent miracula Christi. Hæc Dei dona quoniam reuerenter excipiunt, & de audito verbo apud Christum humiliter atque modeste inquirunt, datur insuper ex gratia, *vt etiam possint mysteria regni nosse*. Hoc non potest percipere animalis homo, 1.Cor.2.vers.14. ex naturæ suæ viribus: sed datur per Spiritum Christi. *Nam quisquis habet, illi dabitur, vt redidatur abundantior.* Habere dicuntur, qui dona à Deo grata mente agnoscunt, & occasionibus ab ipso oblatis, quibus in pietatis studio proficere possunt, recte vtuntur. His Deus dona spiritus sui indies auget, & nouas quotidie occasiones offert, quibus tam ipsi magis magisque in fide confirmentur, quàm plures quoque alios Domino lucrifaciant; donec tandem etiam donis gloriæ exornentur, atque ad æternam felicitatem euehantur. Hanc esse huius dicti sententiam Christus ipse postea docebit, Matth.25.ver.14. in parabola talentorum, vbi eam repetit. Hoc enim sanctum illud & laudabile fœnus est, quo dona ab ipso data eidem in vsuram elocamus, vt noua quotidiana accessione

accessione abundantiores & ditiores in Domino reddamur. Et perpetuus hic Dei mos est, vt iis, qui dona ipsius humiliter agnoscunt, & iisdem strenue negotiantur, subinde plura addat. Quo itaq; quemadmodum diligentes & bono ingenio præditi scholastici, qui quotidie legendo, audiendo, meditando, scribendo se exercent, tandem eruditionis thesaurum sibi comparant, vt in viros excellenter doctos euadant, Ecclesiæ & Reipublicæ magno vsui esse queant: ita & hi, non tantum in cognitione diuinorum mysteriorum, verum etiam omnibus pietatis exercitiis proficiant, atque incrementa sumant. Hunc profectum in se omnes illi sentiunt, qui Dei donis diligenter vtuntur, atque sic se recte gratos Deo præbent. Hunc proficiendi conatum quoniam Christus hic in Apostolis suis, de parabola inquirentibus perspicit, non tantum parabolam ipsis explicat, sed vt insuper ad ardentius in vera pietate proficiendi studium excitet, de illis addit: *Vestri vero beati sunt oculi, quia cernunt: & aures vestra, quia audiunt. Amen enim dico vobis, multi Propheta & iusti desiderauerunt videre qua videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.* Duplicem hic à Christo institutam collationem attendere debemus, si hæc verba recte intelligere velimus: vnam Apostolorum cum coætaneis suis Iudæis, alteram eorundem cum piis suis Maioribus & Prophetis. Cum vtrisque enim aliquid commune; & ab vtriusque etiam diuersum quippiam habebant. Cum Iudæis, qui tunc temporis viuebant, hoc commune habebant, quod Christum Iesum externa visione, quæ corporis oculis fiebat, cernebant. Cum veteribus autem illis piis, & iustis hoc ipsis commune erat, quod Iesum spiritualiter videbant, eum mundi Seruatorem agnoscebant, eiusque cognitione coram Deo iustificabantur. A Iudæis autem differebant in eo, quod cum externa visione, qua etiam Pharisæi & Scribæ fruebantur, coniungebant etiam spiritualem, quæ fit fide, & qua sola Christus nobis salutifer redditur. Prophetas autem & iustos Veteris Testamenti superabant in eo, quod coram intuebantur eum, quem isti tot seculis cum desiderio expectarunt, & in quo Pater totum gratiæ suæ thesaurum humano generi aperuit. Et quidem externa illa & corporalis visio Christi in hac vita neminem beatum reddit. Siquidem hac ratione eundem vidit Caiphas, Pilatus, Herodes, eius aulici, & tota Iudæorum gens, de quorum tamen incurabili malitia Christus in præsenti conqueritur. Imo ipse Iudas Ischarioth non modo vidit eum, sed & familiarissime ipsi conuersatus est,: & tamen diabolus ipsius, Ioh. 6. v. 70. & filius perditionis, Iohan. 17. ver. 12. dicitur. Verumtamen, si cum externa & corporali visione spiritualis conueniat, non possunt non ambæ coniunctæ hominem beatissimum reddere. Magna enim hæc fuit istorum hominum felicitas, quod ipsorum vita in illud tempus incidisset, de quo olim Prophetæ tam lætam & felicē humani generis instaurationem prædixerant, vnde ex iis, quę quotidie videbant & audiebant, hunc Iesum vnigenitum & æternum Dei filium, adeoque promissum & diu expectatum humani generis redemptorē esse cognoscere poterāt. Et Prophetæ ipsi hoc semper & in votis habuerunt, vt prophetiæ suæ ab omnibus quàm clarissime intelligerentur. Verum vt fieri solet, quod citius illæ non recte intelligantur, quàm impleantur: ita eadem ratione euenit, vt ipsorum etiam conciones obscuriores essent. Singulare itaque hoc fuit priuilegium Apostolorum & reliquorum tunc temporis Christi discipulorum, quod tam fideli intuitu mentis (quo nec ipsi Patriarchæ destituebantur, Iohann. 8. v. 56.) quàm externis corporis oculis Christum videre, auribus suis audire, opera & miracula ipsius perspicere, adeoque verbum vitæ manibus suis cōtrectare poterant, 1. Iohan. 1. v. 1. Discamus ergo ex his omnibus, qua ratione & quibus mediis Deus electos ad æternam adducat beatitudinem. Non facit id raptu alio violento vel Enthusiastico: neque etiam summum illud salutis nostræ negotium liberi nostri arbitrij viribus concredidit. Sed in æternitate decretum fecit, se per & propter filiū Redemtorē lapsum genus humanū restituturum, & quotquot omnem fiduciam in illum collocaturi essent, in æternum saluaturum. Hoc decretum per verbum Euangelij reuelauit, & tum antiquitus per Prophetas, tum nouiuissime omnium per ipsum filium, omnibus annunciari curauit. Quam denunciationem nos homines loco summi thesauri, & doni à Deo dati merito habere debemus. Nam per hoc medium vnicum excitatur in nobis fides, Rom. 10. versicul. 18. Eos, qui hoc dono Dei reuerenter vtuntur, atque ex fide iustitiam esuriunt & sitiunt, Matt. 5. versic. 6. illis postea dat Deus, vt in sui scientia crescant, & impleantur cognitione voluntatis ipsius, in omni sapientia & intellectu spirituali, Coloss. 1. ver. 8. Dat insuper vt firmi sint & stabiles, abundantes in omni opere Domini semper, 1. Cor. 15. ver. 58. denique vt per fidem virtute ipsius custodiantur ad salutem, 1. Petr. 1. vers. 5. donec tandem finem fidei suæ, animarum salutem, reportent, versic. 9. sicque vera animi & corporis beatitudine fruantur, qua oculis suis in æternum visuri sunt filium Dei de facie ad faciem, 1. Cor. 13. vers. 12. sicuti est, 1. Iohan. 3. versic. 2. & auribus suis audituri sunt magnum illum Logothetam, & æternum oratorem Dei, summa illa mysteria diuinitatis & æternitatis enarrantem, quæ in hoc seculo nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis penetrarunt, quæ Deus præparauit iis, qui diligunt ipsum, Ies. 64. v. 4. & 1. Cor. 2. v. 9. Hæc de piis & discendi cupidis Electis dixit Dominus Iesus.

De impiis vero & reprobis, quos apud Lucam vocat *τοὺς λοιποὺς, cæteros*, & apud Marcum *τοὺς ἔξω eos qui foris sunt*, siue *exteros*, per quos non tantum intelligit eos, qui per omnem vitam à regno Dei prosus sunt alieni, quales sunt gentes feræ, immansuetæ & idololatriæ à pueris deditæ: sed & omnes eos, qui ad tempus fuere filij regni, sed impietate sua meruerunt, vt repudium ipsis daretur, vt de regno eijcerentur, Matt. 8. versic. 12. adeoque penitus reprobarentur. De his dicit: illis *non esse datum, nosse mysteria regni: sed omnia ipsis per parabolas fieri.* Hic diligenter attendendum, quid ipsis non sit datum, ne putemus illos arcano aliquo Dei decreto vel odio eius impediri, quo minus verbum salutis audire possint. Certe ipsis non minus ex dono naturæ aures datæ fuerant, quibus audire poterant, quàm ipsis Electis. Adhæc ex dono gratiæ ipsis datum fuerat, audire idem verbum Euangelij cum ipsis Electis. Pharisæis enim & Scribis Christus non minus denunciauit, vt agerent pœnitentiam, & crederent Euangelio, siquidem in propinquo sit regnum Dei, quàm Apostolis. Eos etiam, si quod onus animarum vel grauamen conscientiæ intra se sentirent, æque ad se vocauit, ac laborantes reliquos. Concessit insuper vt eorundem operum diuinorum & miraculorum editorum, vna cum Apostolis, spectatores essent. Cumque ex naturali & innata improbitate carnis diuina ipsius opera conuitiis proscindere inciperent, ipsi Beelzebub ea asscribentes, graui commonitione eos in viam reuocauit, addens seueram concionem de peccato in Spiritum sanctum, per quod ni resipiscerent, æternis seipsos mancipaturi essent gehennæ cruciatibus. Hæc certe omnia & prætera plura data fuerunt etiam hisce exteris, qui foris sunt reprobi: quæ ipsa ordinaria media sunt, per quæ Deus solet trahere eos, qui ad Christum veniunt, Ioh. 6. versicul. 44. solet fidem accendere, ex ignorantibus *θεοδιδάκτους*, ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes efficere. Et quid debuit Christus vltra ipsis facere? Iesa. 5. vers. 4. Ideo recte obseruauit Chrysostomus, quod Christus hic non simpliciter dixerit, eos nec videre nec audire: sed *videntes non videre, & audientes non audire*, hoc est, scientes & volentes obstinate oculos suos claudere, & aures obturare. Etenim si naturali visus & auditus facultate destituti fuissent; aures & oculi prius aperiendi fuissent, vt videre & audire possent. Nunc, quoniam oculis suis vident diuina virtute ipsum dæmonia eiicere, & tamen dicunt eum id præstare in Beelzebub dæmoniorum principe: quoniam audiunt, eū velle ipsos ad Deum adducere, & magnam eorum curam habere, ipsi vero è diuerso eum à Deo non esse contendunt: Ideo nunc dicit *Omnia ipsis in parabolis fieri*, hoc est, obscurius proponi, si forsan eo ipso adhuc excitari possent, ad inquirendum & inuestigandum verum huius doctrinæ reconditum sensum. At vero quia præfracte & quasi data opera volebant esse ex numero eorum, qui *non haberent*: hoc est, qui dona Dei in seipsis nō agnoscerent, occasiones proficiendi negligerent, imo iis etiam aduersarētur, & de suo otio atque securitate huius vitæ magis soliciti essent, quàm de gloria Dei aut propria sua salute. Qualis etiam fuit ignauus ille seruus, Matth. 25. v. 24. qui talentum suum in linteo absconditum humi defodit, nec vllum laborem in se recipere voluit, vt hero suo rem faceret. Iccirco minatur iusto Dei iudicio ab ipsis *auferendum etiam id quod habuerunt*, quodque prius à Deo acceperant, nimirum, ipsam audiendi facultatem, & cætera dona, quæ hactenus eis concessa fuerant: siquidem nihil vtilitatis inde ad ipsos perueniat, sed tantum ad aggrauandum peccatorum cumulum, ipsis conducat. Quemadmodum enim ignauis scholasticis euenire solet, vt quando relictis studiis se semel inertiæ dediderunt, in dies dediscant, obliuiscentes etiam eorum, quæ didicerant, donec tandem ingenium longa rubigine læsum marcescat, ipsique inhabiles etiam ad minima percipienda reddantur, nec ad quicquam amplius digni vel idonei sunt, quàm vt ad stiuam relegentur: Ita ingrati illi spiritualium Dei beneficiorum, quæ per Euangelij prædicationem illis offeruntur, contemtores, digni sunt, quos Deus iusto suo iudicio ita mulctet, vt & interea Spiritus gratia semel concessa rursus extinguatur, & simul externæ occasiones consequendæ salutis ab ipsis amittantur, quo sic subinde in peius proficiant,

donec tandẽ omnibus donis Dei exuti in extremã infelicitatem & æternam damnationem abiiciantur. Itaque Deus non tunc saltem auferre dicitur, quando indignis non præbet fauorem & patrocinium suum, sicut aliqui hanc phrasin explicant: sed & tunc, quando reipsa tollit id, quod prius concesserat. Et hoc ingratis Iudæis iusto Dei iudicio euenturum Christus non vno loco prædicit.

Ne vero ex odio aliquo aduersus illam gentem Christus hoc dicere videretur, adducit Prophetam Iesaiam in mediũ, ostensurus veterem hanc & auitam esse huius gentis malitiã, quod semper potius voluntaria ignorantia, & contumaci improbitate laborare, quàm Dei illuminationem & emendationem admittere maluerint. Nam Propheta Iesaias, cum capite sexto à Iehoua filio Dei, cuius gloriam tum videbat, Iohan. 12. v. 41. vocaretur, & mandatum acciperet, quid tum sui temporis Iudæis concionari, tum de subsecuturis vaticinari deberet, inter alia hoc in mandatis accepit. *Incrassa cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius oblino, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuersus sanetur.* Sonant hæc verba, ac si Iudæi ex ipsa Dei voluntate, nihil videre, nihil audire, nihil cognoscere, vel intelligere possint: Imo ipsi Prophetæ præcipitur, vt ipse corda eorum obstinata reddat, aures aggrauet, & oculos excæcet, atque oblinat. Vnde quis colligere posset, Deum huius contumacię authorem fuisse. Sed si quis rem ipsam, cum omnibus circũstantiis concionis Iesaiæ, diligentius expendat, deprehendet, Deum per Prophetam ipsis iustam pœnam denunciare, quã incurabili sua contumacia iampridem commeriti erant. Nimirum, quia Deum in verbo suo nullo modo audire, neque opera eius videre, adeoque nihil intelligere velint, ideo iusto iudicio eundem ipsos traditurum in mentem reprobam, vt tandem in hac sua contumacia scientes volentes pereant. Hunc sensum huius dicti animaduertentes LXX. verba Imperatiua, quæ in Hebræo apud Esaiam leguntur, per Præterita passiua tanquam Prophetiam de rebus futuris interpretati sunt: sicut & Matthæus hoc modo allegat. Sunt autem verba valde Emphatica: 1. *Cordi tribuit pinguedinẽ*, ἐπαχύνθη. Παχύνω significat crassum reddo, pinguefacio, pinguedine obduco, & respõdet Hebræo שמן, quando boues aut alia altilia magna diligentia nutriũtur, vt pinguiora & crassiora reddãtur. Hinc metaphorice refertur ad animum, ita vt παχύνος significet crassum hominem, stupido & pingui ingenio præditum; Siquidem qui quantum operam dant ventri, vt obesi sint & pingues, fere vel obstinati & recalcitrantes redduntur, sicuti Deuter. 32. v. 15. hoc sensu Moses illo vocabulo vtitur: vt redduntur hebetes & tardi ad intelligendum, sicut vulgo dicitur: Crassus venter non gignit sensum tenuem. Nam nimia pinguedine cor suffocatur, ne possit fungi suo officio. Hanc significationem etiam Plutarchus obseruat, qui asinum vocat παχύτατον & ἀμουσότατον. 2. *Auribus* attribuitur *grauedo*, vt βαρέως, difficulter audiant. Nam כבד, quo verbum in III. Coniugatione Propheta vtitur, significat quasi mole aliqua obturare, aut sordibus vel alia re aures ita opplere, vt nõ possint exaudire. 3. *Oculis* tribuitur clausura siue *compressio*. In Græco habetur ἐκάμμυσαν à καμμύω, quod æolica & poetica syncope vsurpatur pro καταμύω, quod significat oculos claudere, vel ad minimum iis nictare, quod fit, quando vel alterum vel vtrumque claudendo certum signum damus. In Hebræo respondet verbo שעע, quod significat virtutem visiuam diuertere, vt cum oculi vertuntur instar Epilepticorum, qui apertis oculis nihil vident. Si itaque verborum horum vis & ἐνέργεια recte expendatur, tum manifeste deprehenditur, neque Dei, neque Prophetæ, sed propria culpa factum esse, quod Iudæi in illam excæcationem, crassitiem & duritiem cordis inciderunt. Nam & aliàs Scriptura indurationem cordis diuersimode interdum hominibus, interdum diabolo, interdum Deo attribuit, sicuti de Pharaone in Exodo, manifeste obseruare conceditur. Diabolo quidem primariè & per se: qui tanquam Deus huius seculi excæcat mentes infidelium, vt non fulgeat ipsis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, 2. Cor. 4. ver. 4. Hominibus autem secundario, qui Diaboli suggestionibus locum concedunt, Spiritus sancti monitiones pias & salutares reiiciunt, & quando ipsis datur respiratio, instar Pharaonis, Exod. 8. versicul. 15. ipsi aggrauant cor suum. Denique Deo, ratione pœnæ, qui iusto iudicio punit, & diabolo & sibiipsis relinquit eos, qui beneficium salutis repudiarunt, sicut de eo Paulus loquitur, 2. Thess. 2. vers. 10. De omnibus hisce tribus modis, quod Iudæis sint euenturi, Christus in præsentia loquitur. Docebat enim Christus, & quidẽ cum authoritate, ita vt rude vulgus non potuerit non admirari, Matth. 7. vers. vltimo. Doctrinam item signis confirmabat, adeo euidentibus & stupendis, vt populo vices istas extorquerent: Christus cum venerit; num plura signa edet, quàm hic edidit? Ioh. 7. vers. 31. Et tamen Pharisæi, Scribæ atque Sacerdotes eum occisum cupiunt, vt existimationi & quæstui suo consulant: infelix autem populus in horum gratiam semen verbi iam cordibus conceptum rursus abiicit & conculcat. Quis ergo negabit eos dignos esse, qui excæcati pereant? Ita videmus, quam exquisite Propheta hanc cordis ipsorum contumaciam prædixerit, de qua Christus etiam in præsentia differit; ita tamen differit, vt viam conuersionis non præcludat, sed manifeste modum reconciliationis offerat, si modo eam acceptare velint. Propterea addit, *vt conuertantur & sanem eos.* Ostendit se verum ipsorum esse medicum & sanatorem, Exod. 15. versic. 26. & vtrumque possibile esse, & ipsorum conuersionem, & conuersorum salutem, quæ vtraque ipse serio quærat. Nisi enim voluisset eos conuerti & saluos fieri, tacuisset omnino, neque etiam in parabolis quicquam locutus fuisset. Nunc vero quia tenebris obfuscatur oratio, ad diligenter quærendum eos inuitat, quam diligentiam cùm ipsi intermittant, satis manifeste intrusam suam nequitiam, vt Chrysostomus nominat, produnt, & ostendunt ipsos se sponte sua vera intelligentia priuare.

Hoc modo ergo tractandi sunt hi difficiliores scripturæ loci, vt nec liberi arbitrij humani viribus quicquam in negotio salutis tribuatur: nec Deo vel minima damnationis humanæ causa adscribatur. Vt sic Scripturæ sacræ perpetuus suus consensus constet, quo testatur: perditionem nostram esse ex nobis ipsis: Salutem autem nostram tantummodo ex Deo, Ose. 13. ver. 9. Et vult, vt in vasis gratiæ diuinam bonitatem, in vasis iræ autem eiusdem iustitiam & seueritatẽ agnoscamus, Rom. 9. vers. 22. & 11. vers. 22. Licet enim Deus nullius sit debitor, sed gratis & ex mera gratia homines per verbum ad salutem adducere velit: Idem tamen verbum reuelat omnibus hominibus, & per illud eandem salutem indiscriminatim offert cunctis. Quod tamen illud ipsum verbum aliquibus sit odor mortis ad mortem, dum aliis est odor vitæ ad vitam, 2. Cor. 4. vers. 16. illud fit culpa hominum, in quibus sermo Christi non inuenit locum, Ioh. 8. versi. 37. & qui animali homini, qui non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. nimium tribuunt: qui denique gratia à Deo oblata grata mente non vtuntur. In eiusmodi enim hominibus Excæcatio est voluntariæ incredulitatis, & contumacis improbitatis pœna. Nec opus est, vt Deus in eiusmodi hominum cordibus, quando peccant, & peccando pereunt, nouam aliquam malitiam creet, cuius respectu siue peccati, siue damnationis causa reddatur, cùm ipsi sponte in omne scelus ruant, & ne propriæ quidem conscientiæ testimonio cedant, vt Deo & veritati locum tribuant. Itaque, si modo Deus Spiritum suum subtrahat, atque istiusmodi homines suo arbitrio relinquat, iam idem ipsis accidit, quod hic de Iudæis dicitur. Hinc recte Augustinus inquit, Epist. 105. Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam. Nam vt lippientes solis lucem fugiunt, eo quod illa oculos suos lædi sentiunt: ita Spiritus sancti operationi, qua animi facultates vitiosas in nobis instaurare conatur, locum concedamus, Verbi lucem natura nostra odio habemus, & extinctam cupimus. Cur autem Deus spiritum suum largiatur iis, qui propria, & vt dictum, intrusa malitia luctantur aduersus ipsum? Ergo sua culpa, & non ex Dei decreto pereunt, quotquot pereunt: sicuti Pharaonis, Saulis, Iudæ & aliorum excæcatorum exempla in Scriptura sacra sole meridiano clarius illud commonstrant. His omnibus in eum finem vtamur, vt quando Deus verbi sui facem inter nos accendit, & Spiritus sui suggestionibus sanctis animos nostros mouet, vt ne gratiam illam, quàm chara nobis est salus nostra, contemnamus, aut verbi semen in cordibus nostris suffocemus. Nam tales sunt similes terræ maledictæ, quæ licet imbribus rigetur cœlitus, non tamen irrigatur, vt fructum ferat, Heb. 6. vers. 7. Sed potius Christum in verbo suo nobis loquentem audiamus, singulari illo verbi & Sacramentorum dono cum gratiarum actione vtamur, vt eius Spiritu illuminati Deo viuamus in hoc seculo, & in altero vera beatitudine fruamur.

Parabola de semente, in quadruplicem terram cadente.

CHristus in magno populi concursu aliquid docturus, quod ipsius saluti seruire poterat, potius de Dei verbo, quàm de externo cultu, qui tunc temporis apud Pharisæos & Sacerdotes in magno precio erat, dicere voluit. Vt sic ostenderet, inter innumera Dei beneficia quibus quotidie mundũ adobruit, communicationem verbi facile primas tenere, sine quo nec Dei filij, nec hæredes vitæ æternæ fieri queamus. Etenim est illud cibus animarum, solatium miserorum, refocillatio afflictorum, robur infirmorum, exercitatio simpliciũ, sanctum & incorruptibile illud semen, per quod in filios Dei regeneramur, 1. Pet. 1. v. 23. denique lucerna, Psal. 119. ver. 105.

cuius

cuius ductu pedes nostri diriguntur in viam pacis ad vitam aeternam. Adeo, vt qui verbum Dei mortalibus adimat, is Solem è mundo sustulisse non immerito videatur. Hinc verbum in Scripturis tantae est aestimationis, vt etiam angelus è coelo Cornelio centurioni dixerit, Petrum ipsi locuturum verba, per quae tum ipse saluetur, tum vniuersa eius domus, Actor. 11. versic. 14. Est enim Euangelium potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16. Tale encomium nuspiam neque externo cultui, neque reliquis ritibus & ceremoniis, quas mundus magnifacere solet, tribuitur, corporalis siquidem exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem, quae in vera fide & verbi obedientia consistit, ad omnia vtilis est, promissionem habens vitae praesentis & futurae, 1. Tim. 4. v. 8. Ideo etiam Christus duntaxat eum cultum coelesti patri probari dicit, qui fit in spiritu & veritate, Iohan. 4. vers. 24. & Mariam pedibus suis assidentem & verbum audientem Marthae praefert, quae circa varia externa officia occupabatur, vt Christo inseruiret, Luc. 10. v. 41. Male itaque Ecclesiis consulunt, qui neglecto studio verbi diuini, per quod solum ad cognitionem Dei & Christi adducimur, circa externas ceremonias, vtcunque splendidas, occupantur, de quibus fere vsurpare possumus illud Christi, Matth. 15. v. 9. Frustra me colunt.

De re igitur hac maximi momenti verba facturus, Exordium praemittit, verbis quidem breue, at authoritate, graue, dicens: *Audite, ecce*. Homines peroraturi exordiis vtuntur saepe prolixis & longe petitis, quibus beneuolentiam captare, attentionem & docilitatem excitare conantur. Deus vnico verbo se expedire potest, quia loquitur ἐξουσίαν ἔχων, tanquam habens authoritatem, Matth. 7. ver. vlt. Cum enim sit Dominus omnis creaturae, quis detrectaret eum audire? Hinc Deut. 32. versic. 1. dicit: *Audite* coeli, quae loquor, audi terra verba oris mei. Et Psal. 50. versic. 7. *Audi* populus meus & loquar, Israel, & testificabor tibi: DEVS, Deus tuus ego sum. Iesa. 1. ver. 2. *Audite* coeli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Hic Dominus etiam in praesentia adest, & se audiri vult. Addit: *Ecce*. Hoc aduerbium demonstrandi, fere semper in scripturis excitat attentionem, & rem eximiam vel exoptatam monstrat. Interdum etiam rei exhibitionem vel praesentiam indicat. Gen. 29. v. 2. de Iacob: Et vidit, & *ecce* puteus erat. & ver. 24. Et fuit mane, & *ecce* Lea erat. Exod. 32. ver. 9. Vidi populum hunc, & *ecce* populus durae ceruicis est. Sic contra addita negatione absentiam rei indicat, Genes. 37. versic. 30. Ruben reuersus est ad cisternam, & *ecce* Ioseph non erat in cisterna. Ita haec particula hoc in loco tum attentioni inseruit, tum in rem praesentem adducit. Nam & circumstantia temporis ostendit, hanc concionem à Christo habitam fuisse secundo anno circa mensem Iunium, paulo amplius duobus mensibus ante exitum secundi anni ministerij sui, quo tempore in Palaestina facta fuit secunda sementis. Ita vt dubium non sit eo ipso die, quo Christus ad littus maris è nauigio hanc habuit concionem, in vicinis agris aliquot colonos sementé fecisse, quod tũ ipse ex nauigio, tum populus in littore stans videre potuerint, atque Christus ideo hanc parabolã proponendi occasioné sumserit. Hoc est exordium.

Propositio concionis est: *Exijt seminator ad seminandum semen suum.* Hanc propositionem in expositione parabolae ipsemet ita explicat: *Seminator ille sermonem seminat. Semen est verbum Dei.* Vtrumque considerandum, & σπόρος semen siue satio, & σπείρων seminator. *Semẽ est verbum Dei.* Hic ante omnia certo constituendum est, quid sit verbum Dei. Pontificij faciunt duplex verbum Dei, scriptum & non scriptum. Et illud quidem extenuant, vocãtes id literam mortuam, cereum nasum, materiam litis: hoc vero mirifice extollunt, idque in eum finem, vt traditiones suas humanas stabilire queant. Et sane inficias ire non possumus, initio verbum Dei tantum ore tenus traditum fuisse ab ipso Dei filio Patiarchis, & per hos ipsorum familiae atque liberis, atque hoc ipsum ad annos vsque bis mille quingentos. Sed postea sub Mose, cùm decresceret spacium vitae humanae, accresceret autem malitia & improbitas, ipse Deus illud scribi curauit, ne traditionibus hominum deciperemur. Ex eo tempore non fuit aliud verbum Dei praedicatum & aliud verbum Dei scriptum, sed vnum idemque. Nam Prophetae easdem conciones, quas coram populo multis verbis habuerunt, paucis contraxerunt, super tabulas explanarunt, easque ad voluas templi appenderunt, vt legeret, quicunque percurreret. Heb. 2. versic. 2. Et Ierem. cap. 36. ver. 2. in volumine scripsit omnia verba, quae Deus ipsi locutus fuerat per multos annos. Sic Euangelistae illud ipsum verbum, quod filius Dei ex sinu Patris afferens nobis narrauit, Iohan. 1. vers. 18. scriptis suis complexi sunt. Neque Apostoli aliud proposuerunt in suis concionibus, & aliud in Epistolis tractarunt, sed vtrobique iidem fuerunt, sicuti solenniter de eo protestatur Apostolus Paulus, 2. Cor. 1. vers. 13. Deus quoque ipse verbum suum nobis commendaturus, nõ ad verbum traditum, sed ad verbum scriptum remittit. Deut. 17. versic. 18. vult vt Rex volumen legis describat, sumens exemplar à Sacerdotibus, vt iuxta illud discat timere Dominum Deum suum omnibus diebus vitae suae. Et Deut. 12. versicul. 32. seuere praecipit, ne quicquam addat, néve minuat. Christus etiam, cum Scriba in Euangelio ab ipso nouisse vellet viam ad vitam aeternam, Luc. 10. vers. 26. non interrogat ipsum, quomodo sonent traditiones: sed, quid scriptum est in lege? quomodo legis? Denique Abrahamus in colloquio cũ Epulone, qui in illa erat opinione, si mortuus quispiam referret statum futurae vitae & damnationis, tum homines certatim poenitentiam facturos, ei de verbo scripto respondet, dicens: Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Si hos non audierint, neque credent, si quis ex mortuis resurrexerit, Luc. 16. v. 29. Itaque nos sciamus, hoc *semen verbum Dei*, de quo Christus in praesentia agit, esse, non aliquod dictamen rationis humanae, sed coelestem doctrinam Spiritus sancti, quam Deus vel immediate proprio ore, vel mediate per Patriarchas, Prophetas & Apostolos tradidit, & stupendis miraculis confirmauit, in qua voluntatem suam reuelauit, aeternae salutis viam aperuit, atque simul tradidit, quid tam sibi, quàm proximo praestare debeamus, vt & ipsi grata & nobis salutaria faciamus. Vno verbo sacra Biblia, & quaecunque ex illis fontibus Israelis desumuntur, proprie sunt illud verbum Dei. Hoc verbum Dauid mirifice commendat, Psal. 18. v 8. Et Christus testatur, nos in eo habere vitam aeternam, Iohan. 5. ver. 39.

Confertur autem hoc verbum Dei in hac concione à Christo *semini* varias ob causas. 1. Sicut semen ignotum, de quo nescias qualem fructum ferat, est res contemptibilis nulliusque precij: ita verbum Dei pro nihilo habetur. Vnde D. Paulus dicit, se praedicare Iesum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, 1. Corinth. 1. versic. 23. 2. Sicut semen in se habet virtutem crescendi, fructum ferendi & sui simile procreandi, (Nam & Varinus dicit semen Graece dictum σπέρμα, παρὰ τὸ συνεσπαρμένην ἔχειν ἐν ἑαυτῷ τὴν δύναμιν τῆς τελειότητος) quam virtutem in aliis rebus industria humana, vel ex preciosissimo auro fabrefactis non inuenimus: ita verbum Dei habet in se spiritualem & viuificam vim hominis regenerandi, ex caecis videntes, ex Idololatris Dei timentes, ex lurconibus, temperantes, ex otiosis negotiosos & in bonis operibus zelotas, ex terrenis spirituales efficiendi. Hoc aliàs neque auro neque argento perficis. 3. Sicut autem semen non fructificat cistae inclusum, aut in horreum reconditum, sed in terram proiectum: ita, nisi Dei verbum in aures & animos hominum disseminetur, sterile relinquitur, nec homines regenerat, nec fidei fructus profert. Sub Papatu admodum parci fuerunt in spargendo hoc semine, prodigi autem suarum traditionum, ac proinde etiam exiguum fructum, qui Deo gratus esse potuisset, protulerunt.

4. Sicut in seminando requiritur benedictio Dei, nisi semen frustrà abiecisse velimus: ita in praedicando verbo Dei, nihil est qui plantat, neque etiam qui rigat: sed Deus qui dat incrementum, 1. Cor. 3. v. 7. 5. Sicut denique in seminando ager praeparandus est, nisi operam & laborem cum semente perdere velimus: ita & cor ad audiendum verbum Dei praeparandum est. Cumque hoc ex propriis naturae nostrae viribus praestare non possimus, Deus diligenter orandus, tum ex parte concionatorum, tum auditorum, vt ipse det, illis quidem sermonem in apertione oris cum fiducia, Ephes. 6. ver. 19. notum facere mysterium Euangelij: his verò vt aperiat cor, quo attendant illis, quae à Doctoribus dicuntur, sicuti de Lydia purpuraria legimus, Act. 16. v. 14.

De *Seminatore* huius seminis ipse Dominus postea dicit in parabola zizaniorum, versic. 37. *Qui seminat bonum semen, est filius hominis*, intelligens semetipsum. Etenim phrasi Propheticis vsitata, sicut nunc aliquoties dictum est, Messias tum temporis hominis filius dicebatur. *Hic exijt.* Sed vnde exiit, inquit Chrysostomus, qui vbique praesens est? & qualiter nam exiit? Certe non loco, sed incarnationis dispensatione nobis propinquior factus est. Nam quia nos ad ipsum venire non poteramus, intermedio pariete peccatorum nos impediente, Ies. 59. ver. 2. ipse ad nos egreditur. Sed ad quid exiit è coelo à Patre & venit in mundum? Num vt terram vrticis & vepribus repletam perderet, & malos eius colonos puniret? Non. Sed *vt verbum suum spargeret*, sicque animos hominum, ceu arua & campos Deo frugiferos redderet. Nam multifariam & multis modis Deus olim locutus erat patribus per Prophetas: sed in nouissimis diebus nobis locutus est per filium, quem constituit haeredem vniuersorum, Heb. 1. ver. 1. Et quod hic parabolice dicit, illud Luc. 4. versic. 18. Nazarethi ex 61. cap. versic. 1. Isaiae disertis verbis dixerat: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me ad Euãgelizandũ, &c. Sic vero nobis suam humilitatem considerandam praebere

Nn 2

voluit, quæ non tantum in eo consistit, quod cœlesti suo Patri obediens fuit vsque ad mortẽ, mortem autem crucis, Phil. 2.ver.8. sed etiam in eo, quod non puduit ipsum in his terris fieri concionatorem & præconem verbi crucis. Perpende autem quanta vicissim sit superbia Pontificum, qui vicarij Christi in his terris haberi volunt, & laruatorum Episcoporum. Hi sibi ignominiosum esse putarent, si deberent prædicare verbum Dei. Malũt ergo gratiosi Domini subditorum, quàm fideles ministri verbi dici: malunt canes & equos quàm animas hominum curare. Sed tanto grauior erit ipsorum condemnatio: quod non filij quidem Dei exemplo se adduci patiuntur, vt ea, quæ proprie sunt ipsorum muneris, peragant. Certe hic vnicus Dei filius quàm diligentissime suo munere est defunctus. *Exijt* enim omnibus temporibus *ad seminandum.* Ipse in cor Adami in peccatum prolapsi seminauit promissionem benedicti seminis, Gen. 3. versicul. 15. qua viuam & solidam consolationem perterrefactæ ipsius conscientiæ communicauit. Ipse in cor Noachi seminauit verbum, quo arcam eum parare iussit, in qua semen Ecclesię pro secundario mundo asseruaretur, Gen. 6. v. 13. Ipse euocauit Abrahamum ad idola desidentem ex Chaldæa, & in corde eius sparsit promissionem de semine, in quo benedicendæ sint omnes gentes terræ, Gen. 12. ver. 3. Ipse cum Mose locutus est cunctos sermones suos, & præcepta quæ postea proponere debebat Israelitis, Exod. 20. vers. 10. Ipse est, qui Prophetis dixit, Ier. 1. versic. 10. Ergo posui verba mea in ore tuo, Ezech. 3. v. 16. Sumes de ore meo verbum & annunciabis eis ex me. Ipse sedens ad dextram Patris, adhuc hodie dat, alios quidem Apostolos, alios autem Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, Eph. 4. vers. 11. Inprimis autem spargendo verbo Dei diligens fuit in diebus carnis suæ, quibus indefesso studio vbique Ierosolymis, Capernaumi, Nazarethi, in Iudæa & Galilæa, in vrbibus, in campis, vbique verbum Dei prædicauit, nusquam autem missificauit aut alias ceremonias tractauit. Pontificij hoc totum inuertunt: vbique missificant, nusquam concionantur. Sed eo ipso male consulunt saluti hominum: siquidem per verbum, non per ceremonias, salus nostra & inchoatur & perficitur.

Porro attendendum quid Christus doceat, quod spirituali semini, quando à cœlesti seminatore seminatur, hoc est, verbo Dei quando prædicatur, accidat. Nimirum quod vix quarta pars eius fructum afferat, etiam in mentibus eorum, qui verbũ audiunt. Non quidem culpa verbi, vel eius præconum: sed culpa cordium humanorum. Etenim sicut semen, vt maxime sit omnium optimum, atque id à peritissimo colono spargatur, tamen si vel in viam, vel in loca petrosa, vel inter spinas cadat, nullum fructum profert, nisi alicubi bonã inueniat terram: ita quoque si Dei verbum etiam à doctissimo, pientissimo atque eloquentissimo proponatur, absque tamen fructu abit, nisi eiusmodi auditores sortiatur, qui bonæ terræ conferri possint. Constituit itaque Dominus quadruplices auditores, qui singuli, quales sint, considerandi sunt: 1. Primum genus auditorum est eorum, qui verbum Dei aliter non excipiunt, quàm si *semen cadat in viam.* Sunt hi istiusmodi homines, quorum corda vanis cogitationibus, variis superstitionibus & erroribus, prauis affectibus & omnis generis opinionibus, non aliter patent quam via aliqua publica, quæ quosuis discurrentes & obambulantes admittit. Quorum item corda longa praxi & consuetudine impietatis, errorum, spurciciei & aliorum vitiorum instar viæ tritæ sunt indurata. Tales homines veniunt quidem ad conciones, inter reliquos auditores assident, & audiunt verbum Dei pro more recepto, ne palam pro impiis habeantur, sicuti fecerunt Iudæi, Ezech. 33. v. 30. sed audiunt sine mente, sine intelligẽtia, sine vlla obseruatione, animo nimirũ à Diabolo aliò detorto: vnde impossibile est, vt quomodocũque moneãtur, naturam exuant, consuetudinem abiiciant, quin quales aduenerunt, tales rursus recedunt, nisi etiam deteriores reddantur. His perit semen verbi diuini, nec aliter est, quam si aduersum parietem sparsisses. Causa eius est, primum, quia sicut semen in via sparsum conculcatur, ita ipsi sanctum & venerandum verbum aspernantur, præ carnalibus suis cogitationibus respuunt, pro ludibrio & cantico musico habent. Et vt porci margaritas preciosas pedibus conculcant, Matt. 7. ver. 6. quisquiliis autem suis lætantur: ita his anilis aliqua fabula, stultiloquium & scurrilitas, Ephes. 5. versic. 4. gratior & iucundior est, quàm sanctum Dei verbum. Ad hæc, sicuti semen in viam sparsum ab auibus deuoratur, ne fructum ferat: ita Satanas *infernales* suas *volucres* (quæ sunt malæ suggestiones, hostium veritatis sophismata, praua hominum prophanorum colloquia, illusorum dicteria, qui ingerunt; Num tu omnia, quæ dicuntur, credis? Quid sibi vult iste spermologus? Act. 17. ver. 18. Num tu Pfaffi sermonibus moueberis?) immittit, quæ sermonem auditum ex cordibus hominum ita eximunt, vt ne memoria quidem eius maneat, nedum vt per illud ad fidem, ad pietatis exercitia & fructus ferendos excitentur. 2. Alterum genus auditorum, est eorum, qui per *loca petrosa*, in quæ semen cadit, adumbrantur. Sunt hi illi, qui verbum non tantum audiunt, sed & illud suscipiunt, idque non simpliciter, sed cum gaudio: dum scilicet aliorum superstitiones & impietates argui, non autem seipsos taxari audiunt. Dum ergo nihil ipsorum affectibus contrarium profertur, verbum prædicant, Euangelium commendant, de fide loquuntur & splendide fructum pollicentur. Sicuti fecerunt Iudæi illi, qui Christum tanta alacritate receperunt, vt ne quidem Romanorum potentiam formidantes, ipsum in regem eligere constituerint, Ioh. 6. vers. 13. Iidem vero sinunt verbum tantum in auribus & in lingua residere: non recipiunt illud intra cor durum ac petrinum, nec retinent cum vero intellectu, aut serio proposito vitam emendandi: sed tantum obiter & perfunctorie ostentationis potius, quàm syncera pietatis studio, de eo garriunt & hominum mentes occupant. Quid ergo fit? Vt semen inter medios lapides subito enatum, & profundiore radice destitutum, diu durare non potest, sed solis æstu aduritur, vt in ipsa herba intercidat: ita hi fiunt *πρόσκαιροι, temporarij*, qui partim tempori seruiunt, & seculi huius moribus se accommodant, partim ad tempus saltem credunt, & in proposito non diu perseuerant. Πρόσκαιρα dicuntur temporaria, caduca, fluxa: sicut vsurpatur 2. Cor. 4. v. 18. vbi opponitur τοῖς αἰωνίοις, & Heb. 11. versic. 25. vbi transitoria commoda huius vitæ significat. Sap. 4. ver. 4. impiorum soboles πρὸς καιρὸν, ad tempus saltem germinare dicitur, quæ tamen à vento & procellis mox disturbatur. Nazianzenus vtitur pro rebus huic seculo addictis, vt in Epitaph. fratris, τί γίνομαι πρόσκαιρος; cur inhæreo rebus caducis? *Temporarij* itaque à Christo intelliguntur & dicuntur omnes illi, qui tempore persecutionum & afflictionum ab audito verbo rursus deficiunt. Apostasias autem huius & defectionis causa non est æstus, hoc est, persecutio & afflictio per se. Etenim æstus iustas segetes non exurit, sed ad maturitatem adducit. Verum, quando segetes radice destituuntur, tunc hoc ipsis accidere solet. Ita quoque ipsi auditores vera radice, hoc est, necessario verbi intellectu, fundamentali veritatis cognitione, interiore & efficace Spiritus sancti obsignatione in conscientia destituuntur. Atque hinc fit, vt instar foliorum per gelu exustorum decidant, & vsque adeo nullos dignos fructus faciant, vt potius acerrimi hostes efficiantur, qui paulo ante maximi fidei Christianæ patroni videri volebant. 3. Tertium genus auditorum est eorum, qui verbi semen in spinas excipiunt. *Spinas* autem Christus ipse interpretatur *solicitudines huius seculi, deceptiones diuitiarum & cupiditates cæterarum rerum*, quibus inordinati amores, vana gloria & cætera huius seculi studia comprehenduntur. Hæc ipsa vero admodum apposite spinis conferuntur.

Nam sicuti illi, qui inter spinas ambulant, difficulter progrediuntur, vndequaque spinis ipsos detinentibus & retardantibus: ita qui vel curis victus implicantur, vel diuitiis inhiant, vel genio indulgent, facile detinentur, ne templum ingrediantur & conciones audiant. Vt enim magnes ferrum trahit: ita animus ipsorum per curas, ditescendi studium & illecebras carnis à diuinis ad mundana retrahitur. Imò si maxime verbum audiant, nihil tamen iuxta illud faciunt. Quando requirit beneficentiam erga proximum pauperem: Mammon instar spinarum ipsos retrahit, vt quisque cogitet seipsum proximum esse sibi. Quando Christus per verbum hortatur ad sobrietatem, prauæ cupiditates animum in diuersum trahunt, ne ad ista attendat néve exequatur. Adhæc vt spinæ foliis & floribus vestitæ viatores cum iucunditate alliciunt: at vero si incautius prensentur, & acutissime pungunt & grauissime lædunt: ita curæ huius seculi, deceptrices diuitiæ, voluptates atque aliarum rerum cupiditates, cum singulari iucunditate Sirenum instar nos blande inuitant: at si quis vel semel saltem animum illis addicat, grauissimas corporis & animæ punctiones atque læsiones persentiscit. Curæ seculi efficiunt, vt nec cibo nec somno quis quietè operam dare, nec de quacunque re vtili intentius cogitare possit. Eadem est diuitiarum conditio, vt si quis eas acquirere conetur, siue retinere cupiat, siue eas amittere cogatur, fere vbique acerbissimas læsiones experiatur. Qui volunt ditescere, incidunt in tẽtationem & laqueum, & desideria multa & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. 1. Timot. 6. vers. 9. Vbi vero ingens opum vis iam est acquisita, fere eam adscribimus non benedictioni Dei, sed nostræ industriæ, animum auertimus à Deo viuo, & fiduciam collocamus in incerto diuitiarum, 1. Tim. 6. ver. 17. reddimur Idololatræ, Col. 3. vers. 5. & luxui ac voluptatibus immersi, Dei & salutis nostrę obliuiscimur. Ideo Christus hic diuitiis solicitudines præmittit,

mitit, & voluptates subiungit. Nam vt habeantur opes, præcedunt curæ: obtentæ nos pertrahunt in voluptates, vt vtrinque anima & vulneretur & crucietur. Denique quando sunt deserendæ, inuiti ab ipsis abstrahimur, quidam etiam doloris impatientia superati, dira conuitia in Deum euomũt, quibus conscientiam lethaliter vulnerant, multi etiam pereunt. Quis ergo non videat eos recte spinis conferri? Nec melior sors est eorum, qui voluptatibus seruientes, postquam dedoluerunt, seipsos dedunt proteruiæ ad certatim patrandam omnem impuritatem, Ephes.4.versic.19. Quomodo illi postea tum corpora tum animas suas lædant, eius quotidiana exempla videmus in ebriosis helluonibus, libidinum sectatoribus, lusui deditis & consimilibus cupiditatum carnalium mancipiis. In his omnibus, quando spinæ simul enascuntur & excrescunt, tum salutiferum verbi semen suffocatur. Curæ & voluptates præualent, ne animos in meditationem rerum cœlestium eleuare queant: opes etiam animos ita perstringũt, vt non attẽdant iis, quæ nomine Christi præcipiuntur. Hinc fit, vt tandem obliuiscantur omnium, quæ ex verbo Dei in iuuentute sua didicerant, & qui magnos in regno Dei progressus fecisse visi fuerant, illi tandem nouissimi omnium reddantur. Recte autem Chrysostomus obseruauit, quod Christus hic non ipsas diuitias taxat, sed tantum *fraudem & deceptionem diuitiarum.* Nihil enim fere in ipsis, vt & in deliciis atque voluptatibus est, quàm deceptio: nomina sine re. Et quid sunt voluptas & gloria? quid ornatus & pompa præterquam inania phantasmata, nisi virtute & pietate tanquam re ipsa decorentur? Hactenus ergo habuimus tres ordines auditorum, qui sunt *ἄκαρποι*, nec fructum ferunt. 4. Quartum genus auditorum est eorum, qui conferuntur semini, quod *cecidit in bonam terram.* His tribuit Christus hasce dotes. 1. quod *verbum audiant*: Qui enim instar aspidum surdarum aures suas obturant, Psal.58.versic.5. & cum Iudæis non volunt audire sermonem, qui affertur ad ipsos in nomine Domini. Ier.44.ver.16. aut cum rege Achab Prophetas Domini oderunt, quia non loquuntur bonum, sed malum, 3. Reg.22.v.8. aut spirituales reuelationes exspectant illius Spiritus, qui se transfigurare potest in angelum lucis, 2. Cor. 11.ver.14. quid mirum, si tales decipiantur & seducantur? In hunc enim finem Christus Ecclesiæ ministerium perpetua lege sanciuit, Matt.28.versic.19. quia per verbi prędicationem sibi vult Ecclesiam colligere & conseruare. Et qui ex Deo est, verbum Dei audit, Ioh.8.v.47. Vnde & Christus hanc notam verorum Ecclesiæ membrorum ponit: Oues meæ vocem meam audiunt, Ioh.10.versic.27. atque per hunc verbi auditum, tanquam per ordinarium medium, Deus fidem concedere solet, Rom.10.versic.17. si nimirum reliqua, quæ nunc sequuntur, addantur.

Nam 2. apud Matthæum dicit: *Et intelligunt.* Hoc verbum egregie ob oculos ponit, quale studium esse debeat verbi diuini. Intelligere enim componitur ab inter & legere: vt significet intrinsecus in intellectu discernere, & penitius considerare atque curare siue lecta siue audita. Græce ponitur *συνιέντες*. De quo verbo Varinus testatur, quod *συνίημι* ponatur pro *γινώσκω* vel *συμβάλλω*, quod significat rem aliquam coniicere, coniectura assequi & cognoscere. Vis autem huius verbi manifestior erit, si quis obseruet, quomodo LXX. illo vsi sint, & quibus Hebræis vocabulis respondeat. Plerunque ponitur illis in locis, vbi habetur שכל cum sinisto sin, quod de operationibus, de quibus dicatur, insignem industriam, accuratam & gnauam considerationem, animúmque intentum & diligens studium importat. Sicuti de Dauide vsurpatur, 1.Sam.18.v.vlt.& apud Danielęm cap.1.ver.17.c.11.v. 35.c.12.v.3.& 10. vbi etiam accipitur de iis qui tantum cognitione sacrarum literarum profecerunt, vt etiam alios de iustitia erudire possint: Cumque illi, qui gnaui & strenui sunt, in rebus sibi diuinitus mandatis gerendis, ex Dei benedictione prosperos successus habeant, vsurpatur etiam pro feliciter, prospere & fortunate aliquid efficere. Iosu.1.versic.8. dicitur Iosuæ: si non patiatur, vt liber legis recedat ab ore suo, sed in eo meditetur die ac nocte, vt custodiat & faciat secũdũ id, quod in eo scriptum est, tunc secundabis vias tuas, *καὶ τότε συνήσεις*, & tunc intelliges seu prospere ages. Lutherus reddit, *VVirstu weißlich handeln können.* Ita etiã vsurpatur Deut. 29.ver.8. & 33.v.29. Respondet etiam vebum *συνίημι* plurimis in locis Hebręo בין sicut inprimis illustre dictum habetur Ies. 43.v.10. vbi Deus tria coniungit: vos scietis, & credetis mihi, & intelligetis, quia ego ipse sum. Significat autem illud verbum proprie intrinsecus in mente & intellectu, ordine & certa quadam dispositione distinctionéque & iudicio intendere, considerare, & curare qualis res aliqua sit, aut esse oporteat: non aliter quàm in achitectonica, domus vel ædificiũ intrinsecus certa arte in sua habitacula, regiones & partes proportionabiliter distingui solet, vt commode & ordine in ea habitetur. Cumque per auditum verbi & fidem, nos quoque ædificemus domum, quæ aduersus procellas & tempestates tentationum firma stabilisque esse queat, requirit Christus à nobis talem *σύνεσιν* & intelligentiam, qua res similes & dissimiles prudenter diiudicare, & vel discernere vel rite componere sciamus, vt & ipsi in fide crescamus, & alios simul ædificemus. Ad talem intellectum consequendum requiritur, vt quis legem Dei meditetur die & nocte, Psal.1.ver.2. Neque enim, vt Hilarius dicit, scripturæ sunt in legendo, sed in intelligendo. Et hac de causa plerique scripturarum loci adeo sunt planis & perspicuis verbis propositi, vt interpretatione nulla indigeant: sed ad eos, Augustino teste, accessus pateat tam indoctis, quàm doctis. Verus ergo & salutaris verbi Dei vsus consistit, non in verbis non intellectis, sed in vero sensu & intellectu, de quo percipiendo laborare debeamus. Hoc qui fecerit, ille etiam de die in diem proficiet, & intellectu bono abundabit. 3. Tribuit Christus hisce auditoribus, quod *verbum Dei suscipiant.* *παραδέχονται*, quo Marcus hic vtitur, Varinus ita explicat, quod *ὑποδέχονται ταῖς χερσὶν ἀμφοτέραις, καὶ δεξιοῦνται καὶ φιλοφρονοῦνται*. Eleganter hoc exprimit affectum diligentium & credulorum auditorum. Nam quod gratum est, illud vtrasque manu suscipere dicimur, & cupide, benigne, comiterque excipere, atque more candidatorum prehendere siue ambire, amanter complecti, atque singulari humanitate & comitate prosequi; non aliter, quàm si quis amicissimum & charissimum hospitem in domo suo suscipiat. Hæc omnia complectitur verbum suscipere: Et Lucas talem susceptionem describit in Berroensibus, Act.17.versic.11. qui sermonem receperint cum omni alacritate, quotidie scripturas scrutantes, an ita se haberent. Cumque hoc deprehendissent, sermonem illum auditum susceperunt, non tanquam verbum hominum, sed (sicut est vere) vt verbum Dei, 1. Thess.2. versic, 13. Hac autem susceptione, vna cum verbo ipsa sacrosancta Trinitas intra hospitium cordis admittitur & suscipitur, sicut Christus testatur, Iohan.14.ver.23. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. 4. Quia vero non satis est, semel verbum cum gaudio suscepisse, (Hoc enim ita faciunt *πρόσκαιροι* & temporarij) sed opus est, vt ad finem vsque quis perseueret, Matth.10.versic.22. Ideo quartæ dotis loco addit: *retinent in honesto ac puro corde.* Varinus testatur *τὸ κατέχειν* respondere *τῷ φυλάττειν*, atque idem esse quod diligenter custodire. Habet enim verbum Dei, tanquam preciosissimus thesaurus multos hostes, non tantùm mundum, hæreticos & infernales illas harpyias, de quibus supra dictum, sed & propriæ carnis & rationis concupiscentias. Qui hostes omnes certatim hoc quærunt, vt verbum semel susceptum cordi nostro rursus excutiant aut surripiant. Postquam ergo per verbum Dei auditum & creditum, corda nostra semel sunt purificata, Act.15.ver.9. tunc in honesto & puro corde semel percepta firma memoria sunt retinenda. Hinc Paulus 1.Thess.5.ver.21. præcipit: Omnia probate, quod autem bonum fuerit, *κατέχετε*, retinete. Et Christus Thyatirensibus dicit, Apoc.2.vers.25. quod habetis, tenete, quousque veniam. Nam si hoc fiet, sequetur salus, sicut Paulus Corinthiis suis scribit, 1.Corinth.15.versic.2. Per Euangelium, quod vobis euangelizaui, & quod suscepistis, seruamini: *εἰ κατέχετε* si retinetis, quo sermone euamgelizauerim. Gen. quoque 24. ver. 56. Eliezer Abrahami seruus hoc verbo vtitur, *μὴ κατέχετέ με*, ne detineatis me. Item Gen.39.ver.20. alibi vsurpatur de iis, qui in carcere & custodia detinentur. Nam Christus à nobis hospitio exceptus, interdum simulat, se rursus discessurum & thesaurum verbi simul ablaturum: ibi certe detinendus, manus ipsi iniiciendæ, vincula precum & supplicationem admouenda, atque rogandus vt nobiscum maneat, Luc.24.vers.29. Hæc vis Deo grata est. 5. Postremo de bonis auditoribus addit, *quòd fructum ferant.* Quid fructus nomine intelligendum sit, nemo rectius nobis explicare potest, quam Apostolus Paulus, qui Rom.6.ver.21. & 22. docet, quod quemadmodum fructus peccati sit, cuius nos pudere debeat: ita, si Deo seruierimus, habeamus fructum in sanctificationem, finem autem vitam æternam. Et Gal.5.versic 22. Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, patiẽtia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Quicunque enim per fidem regenerati & Dei filij facti sunt, illi in sanctis hisce operibus se exercent. Fides enim per charitatem operatur, Gal.5.ver.6. Ambulate vt filij lucis, probantes quid sit beneplacitum Deo. Fructus autem lucis est in omni bonitate, & iustitia & veritate, Eph. 5.versicul.9. Et hoc est, quod Iacobus requirit, cap.2.v.18. Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis. Nam omni studio opera danda est, vt fidei nostræ adiiciatur virtus, virtuti scientia, scientiæ temperantia, temperantiæ tolerantia, tolerantiæ pietas, pietati animus in fratres propensus, philadelphiæ aut

charitas. Hæc enim si adsint & exuberent, non efficient nos inertes, nec ἀκάρπους & infructuosos ad cognitionem Domini nostri Iesu Christi, 2. Pet. 1. ver. 5. Hi sunt fructus, qui per prædicationem verbi à nobis requiruntur, & quos industrij ac boni auditores proferunt. Sed in *patientia*, vt Christus ipse testatur. Nam vt segetes, priusquam maturescant, hyemis niues, pruinas imbres, grandines & alia mala sustinere coguntur: ita quoque ad verbi prædicationem variæ tentationes oriuntur, quæ partim extrinsecus ab apertis hostibus immittuntur, partim intrinsecus ab affectibus nostris corruptis originem trahunt. Hæ messem in herba suffocare conantur. Sed pij possident animas suas in patientia, Luc. 21. versicul. 19. & afflictionibus istis vsque adeo non turbantur, vt etiam tribulationibus glorientur: scientes quod tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio spem pariat: spes autem non confundat, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, Rom. 5. ver. 3. Testatur autem Christus, horum fructuum magnam esse diuersitatem, apud alios proferre *triginta*, apud alios *sexaginta*, apud alios *centum*. D. Hieronymus in Epistola ad Eustochium, pro custodienda virginitate, & libro 1. aduersus Iouinianum, & passim alibi, centesimum fructum ad virgines, sexagesimum ad viduas, & tricesimum ad maritatas refert: sed prorsus nullo fundamento. Neque enim Christi propositum est in præsentia istos tres status inter se conferre, sicut Paulus 1. Corint. 7. id facit. Sed hoc simpliciter Christus vult docere, quod quemadmodũ semen non vbiuis pari prouentu fructificat, sed pro soli ratione aliud alio fœcundius est, sicut Isaac Gen. 26. ver. 12. ex Dei benedictione centuplam messem inuenit: ita quoque inter bonos verbi diuini auditores, cuiuscunque illi sint conditionis, & ordinis, alij aliis maiores in pietatis studio progressus faciunt, atque hinc etiam quidam plus, quidam minus ad communem Ecclesiæ ædificationem conferunt. Ita extra dubium est apud omnes pios, Ecclesias Christi centuplo ministerij Paulini fructu (siquidem plus laborauit reliquis omnibus 1. Cor. 15. v. 10.) gauisas fuisse, cum alij respectu eius vix vicesimum fructum attulerint. Sic omnibus temporibus Dominus pro liberrima sua voluntate Spiritus sui dona in his terris diuersimode distribuit, prout intellexerit id facere ad ædificationẽ suæ Ecclesiæ. Sicut Christus, Matth. 25. v. 14. in parabola talentorum, & Paulus, 1. Cor. 12. versic. 4. prolixe illud explicant. In altera vero vita eadem illa sua dona in sanctis suis coronabit. Nec dubium est, quin sicuti stella à stella differt claritate, 1. Cor. 15. ver. 41. ita etiam tunc in resurrectione gradus futuros esse gloriæ, pro diuersitate multiplicis fructus, quam quisque in hac vita Ecclesiæ attulit. Interim tamen illi in hac vita, qui plus aliis profuisse & præstitisse videntur, non eo efferantur neque alios iuxta se contemnant, sed cum Paulo meram Dei gratiam humili mente agnoscant, 1. Cor. 15. ver. 10. Nam quid habes homo, quod non acceperis? quod si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Cor. 4. versic. 7. Illi vero, qui aliis inferiores esse videntur, propterea non concidant animo: sed ipsi quotidie ad maiorem fructum contendant, Deo confidentes, quod is, qui bonum opus in ipsis inchoauit, idem etiam perfecturus sit vsque ad diem Iesu Christi, Phil. 1. versic. 6. Vt enim agricola vel tandem totas segetes demetit, & ne tenuiores quidem aristas reiicit: ita nec cœlestis pater imperfectiores fastidiet, idque propter Christum, sed etiam illos qui in minimo fideles fuerunt, super plura constituet, Matthæi 25. versic. 23.

Hæc est parabola de semente in quadruplicem terram cadente, simplicissime explicata, cuius introductione quam doctrinam nobis Saluator proponere voluerit, ex iis quæ hactenus dicta sunt, satis euidenter apparet.

Paucis tamen eam perstringere libet. Deus verbum suum humano generi reuelauit, & per filium, qui ex sinu Patris progressus est, illud enarrauit, & adhuc hodie in Ecclesia cõseruat atque propagat, nullo alio fine, quàm vt in cordibus nostris excitet fructus pietatis, vt discamus bonis operibus præesse ad vsus necessarios, ne simus ἄκαρποι, infrugiferi, Tit. 3. v. 14. sed πολύκαρποι, fructum multum afferentes, & quidem talem, qui maneat, Iohan. 15. ver. 16. Quis enim agrum semine conserit, nisi in eum finem, vt inde se suosque alat? quis hortũ plantat, nisi vt honeste se in eo recreet? quis vineam colit, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? 1. Cor. 9. versic. 7. Nos Dei agricultura sumus. 1. Cor. 3. 9. nos ipsius Paradisus, ipsius vinea & Domini grex, quem verbo suo pascit, verbo plantat, verbo colit, verbo conserit. Fructum ergo vnice expectat. Et in eum finem mittit suos seruos vt fructum repetant, Matth. 21. v. 34. Vnde & fideles verbi ministri meminerint non postremam commissi muneris partem esse, vt fructus fidei, pietatem & bona opera ab auditoribus suis exigant. Sed quid fit? Proh dolor, in exactione illa deprehẽditur, vix quartam partem auditorum aliquid ex prædicatione verbi profecisse, vitamq; suã inde emẽdasse. Aut certè vix quartam partem concionum ab auditoribus ita exceptam fuisse, vt fructificet. Hic vero culpam non debemus reiicere in ipsum verbum prædicatum, sicuti fere fieri solet, vt de verbo & eius veritate homines ex profectu auditorum iudicare soleant: & quando vident paucos eius prædicatione emendari, protinus culpam in verbum ipsum coniiciunt. Tales tunc temporis fuerunt Scribæ & Pharisæi, qui cùm ipsi à Christo ob superstitiones, humanas traditiones & errores taxabantur, vicissim ipsius conciones & auditores obseruabant, intra se dicentes: attendamus, quinam fructus ex eius prædicatione prouenturus sit. Videamus an ipse omnes possit conuertere. Hodie idem faciunt Pontificij & alij, quando inter Euangelicos vident contemptorem verbi, blasphemum, furem, ebriosum, superbum, maledicum, libidinosum aut voluptuarium, protinus exclamant: hi sunt fructus noui Euangelij; & ipsum verbum Dei propter istiusmodi homines male audire cogitur. Christus ergo hac parabola verbi sui innocentiam tuetur, & hoc sibi semper per omnia constare, neque mutari, aut inefficax esse testatur: culpam autem esse cordium humanorum, quorum alia sanctum hoc & saluificum Dei semen ob duritiam suam non admittant, alia admissum æstu tentationum & tribulationum exuri patiantur, alia idem spinis voluptatum, curarum & fallaciis diuitiarum suffocent. Quisque ergo suo loco viderit, quomodo verbũ Dei audiat, sicuti Christus iterum nunc monebit, ne ipse suo indicio se prodat, quod non ex numero electorum, qui verbo prædicato credunt. Actorum 13. v. 48. sed reproborum sit, qui semper in peius proficiunt, 2. Tim. 3. v. 13.

Etenim Christus ipse huic parabolæ addit appendicem, qua finem & vsum eius Apostolis commendat, qui hic est: Cùm verbum Dei sit tam pretiosum semen, quo homines in filios Dei regenerentur, monere se velle, vt tam doctores quàm auditores attendant, quomodo illud tractent & audiant. Nam quoad Doctores, verbum illis propterea concreditur, vt illud exerceant, aliis præluceant, eoque animos auditorum illuminent. Auditoribus autem ideo communicatur, vt illis, qui aliquid de spiritualibus *donis habeant*, plus addatur. Illis vero, qui non habent, nec *recte donis* datis vtuntur, eadem rursus auferantur, *quò deficiendo deficiant*, donec consumantur. Coniunctim igitur & vnanimi studio, tam concionatores quàm auditores operam dare debent, quò sint bonæ terræ, & auditum verbum ita sibi applicent, quò fructificent, & in horreum Dei congregentur. Sed quærat quis: quomodo Ego bona terra fieri possem: cùm nemo bonus sit, nisi vnus Deus? Marc. 10. versi. 8. Nimium verum hoc est. Nam quidem Deus propter peccatum, terræ tribus vicibus maledictionem, Genes. 3. versic. 17. & 4. 11. & 8. ver. 21. imposuit, vt ex se ipsa non fruges, sed spinas & tribulos proferat: ita & corda humana propter inhærentem naturæ vitiositatem ab ineunte ætate ita corrupta sunt. Gen. 8. v. 21. vt ex seipsis, tanquam ex se ipsis, ne ad cogitandum quidem aliquid boni sint idonea, 2. Cor. 3. ver. 5. Nisi ergo area aliqua terræ prius à spinis & tribulis purgetur & ritè præparetur, non erit habilis & apta ad excipiendum semen: Ita nisi corda nostra singulari Dei gratia præparentur, per se non sunt bona & honesta, vt verbum Dei in ipsis fructificet. Hic verò diuersitas aliqua inter agricolationem Dei & hominum deprehenditur. Agricola mundanus semen suum prius in aream non spargit, quàm ea sit à sentibus & tribulis purgata. Aliàs enim semen ipsi periit. Cœlestis autem seminator, quando ad seminandum exit, tunc semen verbi spargit partim in viam, partim in petrosa, partim sub spinas. Nõ in eum finem, quod velit semen perire, pedibus conculcari vel suffocari: sed propterea, quia semen est vnicum illud ὄργανον & instrumentum, per quod impedimenta illa & obstacula, ob quæ corda nostra nullum fructum ferunt, remouentur. Verbum enim est illud medium, per quod corda nostra, quæ aliàs instar viæ trita & dura sunt, à Deo tanguntur, 1. Reg. 10. versic. 26. vt aperiantur, attendant iis, quæ dicuntur, & verbum recipiant, sicut de Lydia, Act. 16. v. 14. dicitur. Verbum Dei est instar ignis & mallei, per quem petræ ac saxa in cordibus nostris conteruntur, vt semen radices in profundum cordis mittere possit, Ier. 23. v. 29. Verbum Dei denique est quouis ancipite gladio penetrabilius, spinas illas deliciarum & curarum rescindens, & ad diuisionem animæ ac spiritus vsque pertingens, Heb. 4. versic. 12. Ac vulgo dicunt, terram animalium cruore rigatam, reddi fertiliorem in fructificando: ita quando ager cordis nostri sanguine agni Dei tingitur, tum redditur fertilior, vt vberiorẽ segetem ex verbo Dei audito proferre queat. Ita nihil nostræ siue industriæ siue meritis & viribus, sed omnia diuinę

uinæ gratiæ tribuere debemus. Quam tamen gratiam ipse non immediatè, per raptum aliquem Enthusiasticum alicuius angeli exerit, sed per medium Verbi & Sacramentorũ.

Quia verò, postquam homo semel accepit gratiam Spiritus sancti, Deus vult vt caueamus, ne in vacuum eam accepetimus, 2. Corinth. 6. v. 1. siquidem *habenti dabitur*. Ideo quãdo semel bona terra facti sunt, Doctores & auditores coniunctim eniti debent, vt bona terra maneant: & si quando Satanas vel viam in cordibus nostris complanare, vel lapides & petras iniicere, vel spinas & tribulos excitare conatus fuerit, bonos agricolas imitentur, & hisce malis legitimis mediis occurrant. 1. Agricola, quando animaduertit homines semitam aliquam velle conficere in agro, vnde semen vel conculcetur, vel ab auibus rapiatur, tum primum quidem sepem obducit, qua homines abigat: deinde tantò diligentius fodit, vt etiam illa pars terræ semen recipiat. Denique terriculamenta aliqua apponit ad abigendas aues. Ita si concionator animaduertat se habere tales auditores, quibus verbum auditum facile rursus effluat ob vagas cogitationes, aut impia illusorum dicteria, tum debet sepem obducere, auditores monere, ne prauorum colloquia admittant, vt domi suæ cogitationes prophanas relinquant, ne in præsentia suis cogitationibus extra auditorium euagentur: diligentius verbum inculcet, instet oportune, importune, 2. Tim. 4. versic. 2. eadem subinde repetat, ne ignorãtiam prætendere queant, atque sic quasi circa ficum fodiat, vt habet parabola, Luc. 13. v. 8. Denique terriculamenta apponat, auditoribus exponens, quàm horrendum sit auditu, quod Christus hîc testatur, Satanam interesse sacris concionibus, qui infernali suo rostro per aures & os in cor vsque penetret, & inde rursus semen proiectum rapiat: ne ergo locum dent Diabolo, Eph. 4. v. 27. Consimiliter auditor ipse attendat, ne tritam viam habeat in corde, quæ impediat, quominus verbum auditum admittat. Et si sentiat tale quid in cor introduci, ipse etiam sepem communiat, quod fit, quando ab auditum sacrarum concionum ita attendit, vt cogitet se venire in Dei scholam, & ibi assidere tanquam in conspectu Dei, ac proinde si quæ vagæ cogitationes inter audiendum obrepunt, mox illas rursus excutiat, memimerit illius Dauidici, Psal. 119. v. 20. Meditatio (imò auditus) verbi tui viuificat. Et si quas impiorum hominum voces audiat, quibus vel verbi auditi veritatem in dubium vocare, vel sarcasmis traducere conantur, mox cogitet adesse aues à malo Dæmone immissas, quas piis precibus fuget, & animum suum diligentiore meditatione minarum Dei communiet, ne tam citò & facile auditum verbum rursus effluat. 2. Agricola, quando in agro suo inuenit lapides, tum eos emollit, sicut margitas, vulgo *der Morgel*, per pluuiam dissoluitur, & quasi in cineres abit, vel eosdem ex agro exportat. Petricosos autem & lapidosos esse ostendit Christus eos, qui verbum quidem amant, & extrinsecus honesti atque sancti esse videntur, intrinsecus autem vel odiis, simultate, immisericordia & similibus vitiis erga proximum laborant; vel accedente cruce, tribulatione & persecutione, malunt confessioni valedicere, quam aduersa sustinere. Eodem modo concionator, quando incidit in eiusmodi auditores, eos vel sensim emollire vel duritiem elapidare conetur. Quod partim fit, quando ex verbo Dei proponuntur minæ, quibus Christus testatur, Patrem non dimissurũ nobis nostra peccata, nisi nos vicissim proximo de cordibus nostris dimittamus sua aduersus nos debita, Matth. 6. vers. 15. & 18, vers. 35. Item quando Christus dicit, Qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo cœlesti, Matth. 10. v. 33. Quod si vero tales homines ponant cor suum vt adamantem, ne audiant legem & verbum Dei exercituum, Zach. 7. vers. 12. quid tum faciendum? Vulgo dicunt, adamantem emolliri, si sanguine hircino inungatur. Talibus ergo adamantinis cordibus proponantur durissima tormenta, flagella, verbera, vulnera & mors crucis, quæ Christus ipsorum causa sustinuerit. Sunt hæc admirabilia vnguenta, quorum corda iis mollescere non possunt, vere illa misera sunt. Auditores quoque ipsi in se nihil desiderari patiantur: rogent Deum, vt auferat cor lapideum, odiis & amarulentia durum, & donet cor carneum, & molle, Ezech. 36. vers. 26. vt det ipsis, quò non solum Christum credant, sed & pro ipso patiantur. Orent, vt per ipsius gratiam radicati & confirmati in fide ita credant, sicut edocti sunt, Coloss. 2. vers. 7. vt & in charitate radicati & fundati valeant assequi cum omnibus sanctis, quæ sit illa latitudo, & lõgitudo, & profunditas & sublimitas, Ephes. 3. ver. 18. & vt cognoscant Christum diligere, superiorem esse omni cognitione. Persuadeant sibi, hoc suo bono fieri, vt interdum castigentur, & disciplina crucis coerceantur, Heb. 12. ver. 29. ad æternam salutem erudiantur. Animo suo proponant, omnes huius temporis passiones non esse condignas ad futurã gloriam, quæ reuelabitur, Romanorum 8. vers. 18. Nam quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, operatur in nobis, qui respicimus ad ea, quæ non videntur, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus, 2. Corinth. 4. v. 17. Quorum corda huiusmodi cogitationibus emolliri non possunt, vt cum Thessalonicensibus, 2. Thessal. 1. vers. 6. parati sint etiam pro Christo pati, vt æternam requiem pro tribulatione, in reuelatione eius de cœlo accipiant, ea quouis adamante duriora esse certum est. 3. Agricola denique, quando videt spinas, vepres & sentes in agro enasci, quibus semen possit suffocari, eas abscindit & extra agrum proiicit, aut etiam comburit. Spinas Christus ipse interpretatur curas huius seculi, deceptionem diuitiarum, vel deceptrices diuitias & voluptatum illecebras. Concionator ergo quando animaduertit se eiusmodi auditores habere, quorum corda aggrauantur cuius mundi, studio corradendarum opum & voluptatum, Luc. 21. versic. 34. acutissima verbi diuini bipenni, Hebr. 4. v. 12. eas ex cordibus illis excindat. Quoad curas huius seculi, informet eos, quomodo distinguere debeant inter curas vocationis à Deo demandatas, & inter curas superuacaneas & inanes. Quæ ad vocationem & officium nostrum pertinent, illa sunt sedulo, diligenter, studiose, adeoque solicitè exequenda. Maledictus enim, qui facit opus Domini fraudulenter, Ier. 48. v. 10. Sed vbi nos officium fecerimus, cætera commendemus Deo, cuius prouidentiæ omnia ita subiecta sunt, vt nostris curis & solicitudinibus ne vnum quidem capillum capitis nigrum facere, Matth. 5. ver. 36. nec vel latum digitum staturæ adiicere, cap. 6. v. 27. nedum maius quippiam præcauere possimus. Quoad opes, ostendant ipsis, quod quidem opes, quæ ex Dei benignitate obtingunt, non damnent, maxime si quis rectè iis vtatur. Verùm simul doceat, qualiter vulgus hominum opinione sua de diuitiis decipiatur. Opinantur plerique vitam & incolumitatem hominum in abundantia opum consistere. Sed hoc falsissimum esse, & Christus Luc. 12. v. 15. disertis verbis testatur, & ipsa experientia edocet. Vbi enim vitæ huius cursus ad metam suam peruenerit, ne ad horam quidem omnibus Crœsi & Crassi opibus vlterius extendi potest. Ad futuram autem vitam vsque adeo nihil prosunt, vt sæpenumero obsint. Sicuti ergo nudi egressi sumus ex vtero matris: ita etiam nudi reuertemur in terram, quæ omnium mater est, Iob. 1. v. 21. Itaque ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν, contenti præsentibus, Heb. 13. ver. 5. & habentes διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, alimenta & vestimenta, his contenti simus, 1. Tim. 6. v. 8. Quoad illecebras carnis & varias voluptates, in quibus multi summum bonum collocant, ostendant ipsis quàm breues illæ sint atque momentaneæ, & quomodo fere nihil aliud post se relinquant, quàm infamiam apud alios, acerbam sui memoriam apud nos ipsos, quæ perpetuis doloribus conscientiam excruciet. Vt rectè ab Augustino dictum sit: Voluptas transit, peccatum manet, præteriit quod delectabat, remansit quod pungat. Hoc intellexerunt gentium Philosophi, atque propterea voluptatum studia extreme detestati sunt. Hæc & similia fidelis Concionator auditoribus suis proponat, vt tribulos illos & spinas ex cordibus eradicet, sicque exequatur illud, quod Dominus præcipit, Ier. 4. v. 3. Notate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Et Ose. 10 v. 12. seminate vobis in iustitia, & metetis misericordiam, innouate vobis nouale. Auditores etiam, qui bona terra esse cupiunt, si se huiusmodi sentibus pungi sentiant, eas abiiciant, & bonis monitionibus obtẽperent. Superuacaneis curis non ipsi se macerent, memores illius vulgaris: Tu præsens cura, Domino committe futura. Vel potius illius Dauidis, iacta curam tuã in Dominum, Psalm 55. v. 23. quoniam ipsi cura est de nobis, 1. Pet. 5. v. 7. Et quia dilectio hisce nouissimis temporibus refriguit, Matth. 24. ver. 12. auaritiam exuant, & induant fraternam commiserationem, meditantes illud Christi: Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, Matth. 16. ver. 26. Denique dum in hac vita exulant, carnis quidem curam habeant, sed non ad explendas eius cupiditates, Rom. 13. versicul. vlt. & si quam fortunatam horam Deus concesserit, ea grata mente vtantur, nõ abutantur, quia præterit schema huius mundi, 1. Corint. 7. v. 31. nos vero ad cœlestis vitæ hæreditatem aspiremus. Hic verus vsus huius parabolæ: atque hoc fine se eam dixisse, ipse Dominus in appendice monstat. Vult nimirum vt Doctores & auditores coniunctim agrum Dei mundent: illi arguendo & corripiendo, hi obsequendo & annitendo: & curent, vt sanctum verbi Dei semen in cor honestum & purum immittatur, & in eo ita asseruetur, vt nec conculcationes illusorum, nec venti afflictionum, nec illecebræ voluptatum vel conterant, vel euellant vel suffocent: sed vt firmiter Christo adhæreant, & virtute spiritus eius in patientia fructum ferant ad vitam æternam. His ita præmissis, reliqua explicatio & accommodatio appendicis facilis erit.

1. Ad Doctores pertinet, quod de lucerna accensa dicitur

Nam & Matth.5.v.15.hanc similitudinem Apostolis applicat, quæ superius exposita est, cap.51.huius harmoniæ. *Lucerna*, Græcè λύχνος, teste Varino, dicitur παρὰ τὸ λύειν τὸ νύχος, τοῦτ᾽ ἔστι τὸ σκότος, ἀφ᾽ οὗ καὶ νὺξ καλεῖται, quod soluat & pellat tenebras. Huic in præsentia Christus confert verbum Dei, alludens ad illud Psalm.119.v.105. Apta est hæc similitudo. Vt enim lucerna tenebras pellit, oculis, vt officium præstare possint, seruit, quæ latebant manifestat, ipsos denique animos, ob tenebrarum caliginem contristatos exhilarat: ita verbum Dei mundum, qui profundis tenebris ignorantiæ, peccatorum & vmbræ mortis totus immersus est, illuminat, deinde etiam mentis, tanquam animę oculos illustrat, vt corruptionē innatam, errores & peccata agnoscere & perspicere queat, abditam item Dei voluntatem conspicuam reddit, & ipsius agnitionem manifestat, ipsas denique conscientias desperationis tenebris oppressas serenat & tranquillat, vt salutari & iucunda diuinæ gratiæ consolatione & fruitione recreentur & beentur. Cæterùm, si *Lucerna* hunc vsum hominibus præstare debeat, necesse est vt *accendatur*: ita etiam verbum Dei indiget prædicatione & interpretatione, si hominibus prodesse debeat. Non propterea, quasi verbum ipsum sit adeo obscurum. Nam si alicui lumen tenebræ fiunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? Matth.6.versic.23. Sed quia maior est hominum oscitantia, quàm vt ad ea, quæ verbum Dei ipsis proponit, attendant & sibi applicent, nisi per prædicationem, quasi per manuductionem aliquam impellantur. At vero in illa prædicatione, qua verbum accenditur & illustratur, duo cauenda sunt. 1. *Ne lucerna subter modium ponatur, vel vase operiatur.* Sub modium ponunt verbum Dei, qui rationem suam & intellectum, quem captiuare debebant in obsequiū Christi, 2.Corint.10.v.5. in rebus diuinis adhibent, & vel philosophica Thelogicis miscent, sicque ex duobus integris vnū corruptum faciunt, quod olim Sholasticis Theologis vsitatissimum fuit, vel vt politi & politici videantur, in tradendo Dei verbo ciuili sapientia vtuntur. Hi licèt verbi lucernam habeant: quia tamen eam dicto modo contegunt, nec ipsi quicquam solidi vident, nec alios erudire possunt. 2. *Nec Lucerna subter lectum ponatur.* Subter lectum ponunt verbum Dei, qui vel ipsi voluptatum studio & peccandi libidinibus sese dedunt, vnde fit vt & lumen verbi nemini prosit, & ipsi in periculum incidant æternæ conflagrationis, vel ex verbo Dei duntaxat, quæ mollia sunt, & hominibus abblandiuntur, eliciunt, vt ita sibi demereantur eos, qui à vero Christianismi studio prorsus sunt alieni. Quouis tempore inueniuntur homines, qui ita sunt affecti, sicut Iudæis tempore Iesaiæ, qui cap 30.versic.10. aperte dicunt: Nolite nobis aspicere ea quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Huic postulato populi Doctores sæpenumero locum dant, consuunt puluillos, vt Ezech.cap.13.v.18. loquitur, sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite omnis ętatis ad capiendas animas, hoc est, omittunt scelerum redargutiones, omittunt increpationes, hortationes & iudicij diuini comminationes, & duntaxat loquuntur, quæ etiam sceleratissimis & pœnitere nesciis probari possunt. Hoc Christus hîc vocat *lucernam sub lectum ponere*. Vt enim si lucerna subtus lectū ponatur, lectisternia facile flammam concipiunt, & igni perduntur: ita etiam verbum Dei huiusmodi hominibus concessum ad maiorem ipsorum perditionem verget, quia abusus medij, quod ad salutem ipsos perducere poterat, tantò grauius ipsos premet. Quid ergo faciendum? *Lucerna ponatur super candelabrum, vt omnes ingredientes videant.* Candelabri vsus est in domo, vt facem ferat, & ea accensa lucem præbeat. In sacris Leuiticis etiam Deus adhibuit candelabrum aureum, de quo prolixe agitur Exod.37.v.17. Leu.24. v.2. cuius hic vsus erat, vt septem lampades sustineret, quibus totum tabernaculum illuminaretur. Sacerdotibus vero cura harum lucernarum, quę ex igne cœlitus delapso semel accensæ fuerunt, quàm diligentissime commendata fuit, vt in iis, sicut & in altari, perpetuum ignem fouerent, siquidem alienū ignem coram Domino offerre capitale erat. Leuit.10.versic.2. Fuit hoc ipsum typus ministerij Euangelici, cui à Deo demandatum & concreditum est, vt lucem verbi, semel cœlitus per gratiam Spiritus S. accensam, inextinctā & incorruptam perpetuo conseruet. Et *proinde lucernam ponere debent in candelabro*, hoc est, fideliter & assidue populo proponere doctrinā fidei, vt ex ea singuli, qui per Baptismū, sacramentum initiationis, ingrediuntur in Dei domum, quæ est in Ecclesia, 1.Tim.3.ver.15. addiscant, quid ipsis tum in negotio fidei, tum in totius vitæ conuersatione ad institutionem seruire queat. Et vt istud tantò maiore fide faciant, nunquam obliuiscantur eius, quod filius hominis semper in medio candelabrorum obambulet, Apocal.1.v.13. non tantùm vt spectator, sed vt βραβευτὴς & remunerator omnium ipsorum actionum. Deniq; addit Christus: *Non est quicquam occultū, quod nō manifestetur.* Hæc verba dupliciter accipiuntur. Alij putant Christum per præoccupationem occurrere obiectioni eorum, qui dicunt: Quid opus est verbi ministros si omnia hominum facta ex tenebris eruere, & quasi in apertam lucem omnibus spectanda proponere? Esto, habere aliquos vagas in corde cogitationes, alios vero duriore corde preditos esse, alios vero diuitiis & voluptatibus inhiare, quid attinet ea in publico suggestu coram hominibus proclamare? Et talia esse hominum iudicia de concionibus legalibus, magis notum est, quam opus sit multis indicare. Ad hæc vero Christus respondet & dicit: Omnino necesse esse, vt aliquando omnia reuelentur, quando omnes manifestabimur ante tribunal Christi, vt vnusquisque referat propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum, 2.Cor.5.ver.10. Non ergo est, quod quisquam sanctorum suorum quærat latebras, nulla est hîc spes latendi. Si non reuelatur in hac vita per verbum ministerij, quod fieri potest cum fructu emendationis eius, qui peccauit, certe reuelabitur in altera vita, cū æterna confusione & interitu eius, qui per verbū ministerij argui noluit. Est hic sensus bonus, & Doctoribus, tum auditoribus conducent. Alij vero hæc verba ita accipiunt: quod Christus voluerit occurrere huic discipulorū obiectioni: Tu magister vis, vt verbum Dei ita tradetur, quò publice omnium institutioni inseruiat: quo si ita est, cur tuam doctrinam parabolis inuoluis? Cur non & ipse eam populo magis disertè proponis? Christum ergo respondere per distinctionem temporis, & docere NVNC, antequam per ipsius passionem via sanctorū esset propalata, adhuc priore tabernaculo habēte suū statum, Hebr.9.8. pro eius tēporis ratione aliqua obscurius prędicari: sed mox affore tēpus, quo omnia mundo euidentius sint proponēda, nec quicquam in toto humanæ salutis negotio adeo abstrusum esse & absconditum, quod non *tunc* omnium oculis exponi debeat. Est & hic sensus bonus, nec à præsenti materia alienus. Prudens lector pro ratione sui loci, temporis & auditorum eligat quemcunque voluerit, aut etiam vtrunque coniungat, non aberrabit à vero.

Præbent hæc omnia iucundissimam consolationem verbi ministris de ipsorum officio, quale illud sit, & qualiter eo fungi debeant. Est salutis nostræ ratio κρυπτόν τι, absconditum quid à ratione humana. Ideo etiam vocatur τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων, mysterium absconditum à seculis, Ephes.3.v.9 & Col.1.vers.26. Deus tamen, qui solus, vt *Daniel* loquitur c.2.ver.22. ἀποκαλύπτει βαθέα καὶ ἀπόκρυφα, reuelat profunda & abscondita, ex immensa misericordia nobis accendit lucernam verbi, cuius beneficio ex lege & Euangelio nobis manifestatur via emergēdi per pœnitentiā ex interitu, in quo natura ob peccatum hæremus, & perueniendi per veram fidē ad salutem, ad quam tendimus. Excitauit quoque omnibus temporibus inde à principio sua candelabra, quibus lucernam verbi imposuit & concredidit, nimirum fideles Doctores, Adamum, Sethum, Henochum, Noachum, Semum, Abrahamum, Mosen, Samuelem & vniuersum reliquum chorum Prophetarum, qui singuli suo seculo seruierunt, & tantum notitiæ fidelibus manifestarunt, quantum illis temporibus, quibus nox nondum præterierat, ad salutem cognitu erat necessarium. Postea exorto Sole iustitiæ, Malach.4.v.2. Iesu Christo, doctrina salutis adeo dilucide est tradita, & per Apostolos in vniuersum terrarum orbem diuulgata, vt nulla gens tam fera & barbara fuerit, in qua non nomen Christi, & ratio salutis per ipsum consequenda, fuerit prædicata. Ideo Paulus de se & collegis scribit, 1.Cor.2.ver.7. loquimur sapientiam τὴν ἀποκεκρυμμένην ἐν μυστηρίῳ, absconditam in mysterio, sed quam Deus suo tempore prædestinauerit manifestādam. Et de ea pronunciat, Coloss.1.vers.6. quod fructificet per totum mundum: Sicut ergo olim in Veteri Testamento sua Deus habuit candelabra: ita etiam postquam Apostoli cœlestis lucis veritatem, sanguinis sui effusione confirmarunt, dedit multos sanctos Patres, Irenæum, Iustinum, Cyprianum, Tertullianum, Basilium, Chrysostomum, Ambrosiū, Hieronymum, Augustinum, Nazianzenum & complures alios, qui in sustinenda hac lucerna & ad posteros transmittenda vtilem Ecclesiæ Dei nauarunt operam. Atque licèt postea sub regno Antichristi, per varias hæreses & superstitiones lucerna verbi tantopere obscurata fuerit, vt prorsus extincta videretur: tamen insigni Dei beneficio hisce nouissimis temporibus eadem candelabris rursus imposita ita lucet, vt nunquam ab initio clarius fulsisse æstimari possit. Ita vt indies omnes pij, qui studio verbi delectantur, in se impleri sentiant & experiantur veritatem huius dicti Christi: *nihil est occultum, quod non sit manifestandum.* Et si maxime alicubi sit quippiam magis secretū, quàm vt plene cognoscere possint, nouerint pij restare cœlestem scholam, in qua omnia perfecte patebunt, vbi ipsum Deum de facie ad faciem videbunt. 1. Cor.13.ver.12. & in illius conspectu omni gloria satiabuntur,

Psal.

Psal.17.vers.vltim. Interim illi, quorum ministerio & opera Deus in domo sua loco candelabri vtitur, attendant qualiter illi munere suo functi sint, qui olim hunc locum in Ecclesia cum laude sustinuerunt, vt & ipsi eorum vestigiis insistentes ita se gerant, quò aliquando ipsorum memoria sit in benedictione. Nimirum 1. quando viderunt aliquos vel versari in tenebris, vel se abdere in tenebras errorum & vitiorum, lucernam accensam non absconderunt, sed propius illis eam admouerunt, vt opera ipsorum mala manifestarentur, Eph.5. vers.13. arguerentur, Iohan.3.versi.20. & ipsi ex ἀποκρυφαῖς & latebris suis (sic enim vox illa, 2. Reg.22.vers.12. vsurpatur) protraherentur. Idem verbi ministri facere hodie satagant, & reliqua etiam diligenter expediant, quæ in ipsorum exemplis inuenient. Nimirum, 2. Lucernam adhibeant, vt iisdem ostendant, quomodo ex tenebris debeant conuerti ad lucem, Act. 26.vers.18. quomodo pedes suos dirigere debeant in viam pacis, Luc.1.vers.79. vt olim accipiant sortem sanctorum in lumine, Col.1.vers.12. 3. Tandem lucerna sua præmonstrent rationem, quomodo digne debeant conuersari Euangelio Christi, Phil.1.vers.27. digne ambulare Deo Col.1.versic.10. vt tanquam filij lucis ambulent ad beneplacitum Domini, Ephes.5.vers.8. Et in hisce præstandis nec modio nec lecto lucernam occultari patiantur, hoc est, nec mundi malitia & opprobriis absterreantur, nec metu aut pusillanimitate defatigentur: sed absque respectu personarum magna παῤῥησίᾳ, tanquam in illustri loco positi, munus demandatum exequantur, confidentes Deo, quod is qui lucernam ipsis in manus gratiose tradidit, eandem ne extinguatur sit potenter conseruaturus. Hæc & similia vtiliter à verbi ministris ex hoc loco cogitari possunt, nobis sufficit quasi intento digito tantùm summas rerum monstrasse.

2. Ad auditores pertinet, quod de aure audiente dicitur. Sicut enim sub finem Parabolæ Christus turbis dixit: *Qui habet aures ad audiendum, audiat*: ita nunc eandem prouerbialem sententiam, quid ea velit, hic Apostolis explicat. Sustinebant enim illi tunc quasi duplicem personam: vnam futurorum ministrorum Verbi, ac proinde præcedentia ipsis proponenda fuerunt: alteram auditorum, vt qui adhuc in schola Christi ad illud munus erudiendi atque instituendi essent, ac proinde etiam hæc exhortatio, qua ipsos ad serium verbi diuini studium excitat, accommodanda. Dicit ergo & ipsis: *qui habet aurem ad audiendum, audiat.* Quasi diceret: In creatione omnibus hominibus aures sunt datæ, & pauci sunt, qui ex singulari infortunio facultate audiendi destituuntur. Sed plerique gratia illa à Deo concessa abutuntur, vt tantùm nugas, turpiloquia & stultiloquia atque scurrilitates, quæ sanctos non decent, Eph.5.vers.4. audire cupiant. Sed hi in carne sua seminantes, aliquando de carne corruptionem metent, Gal.6.v 8. Vos ergo *videte quid & quomodo audiatis.* 1. *Quid*? Verbum Dei, in quo non agitur de re leuicula, sed de diuinis mysteriis, adeoque de re omnium maxima, per quam Deus æternam salutem vobis offert. 2. *Quomodo audiatis*? Diligenter expendite, quid Deus vicissim à vobis requirat, ne vestræ saluti ipsi desitis. Icirco verbum audientes, diligenter attendite, nihil aures vestras temerè præteruolet: sed singula diligenter excipite, excepta assidua meditatione, instar mundorum animalium, Leuit.11.vers.3. ruminate, atque eò dirigite, vt dignos in vobis fructus afferant. Ratio additur parabolica: *Qua enim mensura metimini, eadem fiet vobis admensio*: id est, qua ingenij, diligentiæ & industriæ mensura, in recipiendo hoc diuino beneficio vsi fueritis: eadem mensura Deus vobis fructum auditus & dona sancti sui Spiritus remetietur. Aperite ergo ora & aures vestras, & Dominus implebit illa, Psal.81.vers.11. Quod si animos cœlestium bonorum desiderio dilatatos attuleritis, & ea quæ per auditum verbi apud vos deposita fuerint fideliter custodieritis, subinde Deus plura superaddet, quæ æternam vestram salutem iuuare poterunt. Nam adiicietur vobis, qui auditis. Non enim adeo immitis est cœlestis pater, quin magno cum lucro piis fidelem suam operam compenset. Vberioris confirmationis & certitudinis causa, Christus hanc commonefactionem concludit repetitione sententiæ superius positæ: *Qui enim habet, dabitur illi*, &c. Vult dicere. Cœlestis meus pater idem solet facere, quod prudentes rei domesticæ administratores. Illi plura & maiora negotia solent concredere illis seruis, quos præ aliis gnauos, industrios & fidos deprehendunt. Ita quisquis habet, quicunque donis Dei collatis strenue negociatur, & illis ad illustrandum regnum eius gnauiter vtitur, ei dabitur & addetur amplius. *Quicunque verò non habet, etiam quod putat habere auferetur illi.* Non habere dicuntur, qui non agnoscunt dona gratiæ, & quasi nihil vnquam à Deo accepissent, illa secure negligunt: illis etiam quæ videbantur habere, iusto Dei iudicio eripiuntur. Hunc locum fideles verbi ministri auditoribus suis diligenter inculcabunt & exemplis illustrabunt, vt ad serium ac diligens verbi studium eos permoueant. Multi enim ignauia sua preciosissimo verbi thesauro seipsos & posteros suos spoliarunt, vt nunc careant illis, quæ ipsi soli habuisse videbantur. Exemplo sint nobis Iudæi: qui multum prærogatiuæ habuerunt præ omnibus gentibus, Rom.3.vers.2. Ipsis enim concredita fuerunt eloquia Dei. Ipsorum erat adoptio & gloria & testamenta, & legislatio, & cultus & promissiones: quorum & Patres, & ex quibus Christus secundùm carnem, Rom.9.v.4. Ipsis etiam oportebat primùm prædicari verbum Dei. Act. 13.versic.46. Verùm quia hanc gratiam Dei noluerunt grata mente agnoscere, verbum repulerunt, & seipsos indignos æterna vita iudicarunt, illa omnia bona, quæ habuerunt, ab ipsis sunt ablata, & patiuntur nunc horribilem illam verbi famem, Amos 8.versic.11. à qua in æternum non possunt liberari. Nam ira Dei venit super ipsos vsque in finem, 1.Thess.2. vers.16. Non multum melior sors est Ecclesiarum Græcarum, quæ ab ipsis Apostolis fuerunt plantatæ, & quæ lucernam verbi non minus accensam habuerunt, quàm nos. Verùm quia sinceriorem Euangelij doctrinam contemserunt, & nimis licentiose eam ad philosophicas suas rationes inflexerunt, quæ tamen sola fide percipi potest, nunc sub Turcica tyrannide gemunt, & ea ablata esse sentiunt, quibus antea gaudebant. Ne ergo nostris hominibus idem accidat, fide verbi præcones ipsis sedulò inculcabunt, vt videant, *quid & quomodo audiant*, ne nimis serò & cum perpetuo suo damno experiantur, ea ab ipsis ablata esse, quæ vera salutis ipsorum adminicula fuerant.

Parabola de semente, sponte sua ad copiosam messem exurgente.

HAnc parabolam ponit solus Marcus. Eam vero priori proxime subiicere, & reliquis præmittere volui propterea, quia non tantum plus cognationis habet cum præcedente, sed & vltimum membrum de semente in bonam terram cadente explicat. Dixerat enim Christus ibi, bonum semen afferre fructum ἀναβαίνοντα καὶ αὐξάνοντα, assurgentem ac crescentem. Qui fructus quomodo paulatim assurgat & crescat, in hac parabola exponitur. Et vult Christus illa rursus tam verbi ministrorum, quàm auditorum defectibus aliquibus occurrere. Ministrorum in eo, quod si fere fiunt remissiores, impatientiores & de deserendo officio atque Ecclesiis cogitant, si quando non vident protinus & absque mora apud auditores fructum labori suo respondere, sicuti volebant. His Christus in hac parabola monstrat, eandem esse rationem verbi prædicati, quæ sit seminis in agrum sparsi. Hoc non è vestigio exurgit & fructum fert, sed sæpenumero, satis diu sub glebis terræ delitescit, ita vt totum periisse videatur: & tamen vel tandem se exerit & reipsa commonstrat, se non frustra seminatum esse. Ita verbi minister faciat officium suum strenue, cætera Deo committat, non dubitans laborem suum in Domino non fore inanem, 1.Cor.15.v.vlt. Auditorum defectui consulit in eo, quod multi horum sunt in vana illa persuasione, quasi homini Christiano inanis Euangelij professio sufficiat, nec in id incumbunt, vt confessionem suam dignis fructibus exornent. At hoc vanum esse Christus hîc disertè testatur. Cœlestis enim pater spiritualem hanc agricolationem non eo fine instituit, quod sola aratione & satione ministrorum velit esse contentus, sed intentus etiam est colligendis fructibus ex auditoribus. Nisi ergo hi fidei obedientia, charitatis affectu & morum honestate Deo grata opera præstent, rei ipsi futuri sunt eius criminis, quod preciosissimum Dei semen in se perdi & corrumpi passi fuerint. Sed prodest ipsum Christum audire, qui in hac parabola tria nobis consideranda ob oculos statuit. 1. Vnde semen verbi illam virtutem αὐξητικὴν & vim crescendi habeat, nimirum non ab hominibus, sed à Deo. 2. Quomodo Deus eam sensim ad maturitatem promoueat. 3. Quid fiat, vbi fructus maturuerit.

1. Regni Dei, siue Ecclesiæ, in qua Deus in hoc mundo per verbum & Sacramenta gratiose regnat, eam rationem esse dicit, *ac si agricola terræ semen committat.* Is ea in parte nihil amplius conferre potest, quàm quod agrum arando, occando, stercorando, præparat & semina spargit: *postea abit, dormit*, & circa alias res est occupatus, spem autem messis in Deo positam habet, qui circa vlteriorem eius operam sua benedictione terræ adest, solem suum super eam oriri facit, & pluuia sua fœcundat, Matth.5.vers.45. promouet & conseruat, donec tandem fructus proueniat. Eadem est ratio verbi ministri. Is animos & corda auditorum suorum non habet in sua manu, vt ea flectat quò velit, nec quicquam amplius præstare potest, quàm quod docendo, monendo, rogando, hortando agrum cordis in auditoribus suis quasi parat & conserit, sed vt iidem homines illuminentur, regenerentur, innouentur & Deo gra-

tum fructuum proferant, id in ipsorum facultate non est positum, sed prouenit à solo Deo. Hunc sensum huius partis parabolæ exprimit D. Paulus, 1. Cor. 3. v. 6. Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus. Agnouerunt hoc omnes pij quouis tempore, vnde nunquam sibi suæve industriæ, omnia vero diuinæ benedictioni adscripserunt. Baptista, Matth. 3. vers. 11. dicit: Ego baptizo aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, ipse baptizabit in Spiritu sancto & in igne. Petrus & Iohannes, Act. 3. vers. 11. Quid miramini, aut quid in nos intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, & in fide nominis eius accepit hic integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. Paulus quoque & Barnabas, Actor. 14. vers. 7. Lystris lapidari maluerunt, quàm haberi pro iis, qui sua virtute quiduis in hominibus efficere possent. Eadem ratione Paulus, cùm 1. Cor. 15. vers. 10. scripsisset, se abundantius laborasse reliquis Apostolis, mox, ne quis latius id extenderet, quam vellet, per correctionem addit: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Interim tamen etiam hoc probe obseruandum est, quod licèt opera ministri & benedictio Dei distincta, non tamen disiuncta vel separata sint, vt quidam volunt, sed coniuncta. Etenim quemadmodum Deus per sudorem vultus nostri agrum coli, Gen. 3. vers. 19. & si officium nostrum facimus, per laborem nobis benedicere vult, Psalm. 128. 2. licèt labori nostro nihil adscribere queamus: ita etiam vult, verbi ministros diligenter officium facere, verbum prædicare, instare oportune, importune, arguere, increpare, exhortari, 2. Tim. 4. versi. 2. & licet si omnia fecerint, quæ præstare possunt, nihil tamen sibi attribuere debeant, tamen per illam externam prædicationem ipse interna operatione Spiritus S. perficere vult, quæ ad salutem sunt necessaria. Sic dum Ananias Paulo manus imponit, & per verbum ministerij cum ipso agit, decidunt ab eius oculis tanquam squamæ, & ipse illuminatur, Act. 9. vers. 18. Dum Paulus concionatur, Dominus aperit Lydiæ cor, vt intendat his, quæ ab ipso dicuntur, Act. 16. vers. 14. Dum Christus in via loquitur & scripturas explicat, ardet cor duobus euntibus in Emaus, Luc. 24. v. 32. Circumspecte itaque hac in parte agendum, vt ex vtraque parte extrema vitemus, ne vel ex vna parte ministerio plus tribuamus, quàm decet: néve ex altera parte illud superuacaneum & inefficax existimemus. Neque etiam distrahamus ea, quæ Deus coniuncta esse vult. Sicut etiam Paulus coniungit, dum scribit, 1. Timoth. 4. vers. 16. Attende tibi & doctrinæ. Hoc enim faciens, & teipsum saluabis, & eos qui te audiunt.

II. Alterum membrum est, quomodo Deus se mentem ad fructus maturitatem perducat. Dicit autem Christus ita illud *succrescere*, & successiue suis incrementis in altum exurgere. (Hoc enim demonstrat verbum μηκύνηται) vt ipse colonus ignoret ὡς quomodo id fiat. Syrus habet particulam כן, quæ significat inter alia, sic, ita. Ita enim *exurgit, vt ne colonus quidem sciat*. Et quotusquisque, non dico stupidorum agricolarum considerat diuinum hoc opus, verumetiam quis acutissimorum Philosophorum nobis enarrare potest, quomodo & qua ratione ex semine primùm prodeat gramen tenerrimum, quod sensim crescit & condensatur in culmum, ex quo postea prodit spica, in qua quasi lactea materia delitescit, quę paulatim Solis æstu ad maturitatem excoquitur, vt plenum frumentum tanquam fructus tandem inueniatur? Si quis de his acutius philosophari vellet, fortassis rideretur, non aliter ac si quis præsumeret seuelle audire, quomodo gramen crescat; vt Germani prouerbium habent. Eadem est ratio in prouehendis Electis ad iustam maturitatem, vt adolescant in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, Ephes. 4. vers. 13. Nam quando primùm verbum Dei in cor hominis conijcitur, citra sensum humanum in iis radices agit, & nobis quasi insciis nouos motus excitat, vt ad cœlestia aspirare incipiamus. De eo Christus ad Nicodemum dicit, Iohan. 3. vers. 8. Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quò vadat: Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Sed quando animi nostri sic semen verbi Dei perceperunt, non protinus perfecti reddimur, verùm primò tenerior quædam Dei & rerum cœlestium cognitio, ceu herba, in nobis oritur: mox eadem solidiore pietate in nobis confirmatur; donec multa patientia animi indurantur & confortantur ad quæuis aduersa patienda, in quibus fides nostra vincit & triumphat, 1. Iohan. 5. vers. 4. donem tandem finem fidei reportemus, qui est salus animarum, 1. Pet. 1. vers. 9. Ideo semper orandum cum illo viro in Euangelio, Marc. 9. vers. 24. Credo Domine, sed tu succurre incredulitati meæ. Et cum Apostolis, Luc. 17. vers. 5. Domine adauge nobis fidem. Exemplum huius habemus in Apostolis ipsis, qui certè in fide admodum teneri & infirmi fuerunt, antequam cœlitus in die Pentecostes confirmarentur. Prodest hoc obseruare in eum finem, ne temerè infirmos in fide abiiciamus. Inueniuntur enim morosiores quidam, qui nulla patientia sufferre & tolerare possunt eos, in quibus aliquid imperfectionis animaduertunt. Nec volunt imitari Dominum suum, qui à Propheta testimonium habet, quòd calamum quassatum non conterat, & linum fumigans non extinguat, Iesa. 42. versic. 3. Matt. 12. v. 20. Quàm tenera & tenuia fuerunt principia fidei in Nicodemo, cum Iohan. 3. versic. 2. nocte ad Iesum accederet, & de primis religionis Christianæ rudimentis adeo crasse philosopharetur, vt merito in reprehensionem Domini incurreret? Simul tamen semine verbi intra præcordia suscepto, eius diuina virtute paulatim in fide ita crescit & corroboratur, vt Iohan. 7. vers. 50. se toti concilio opponat, & dicat Iesum non esse damnandum priusquam audiatur. Denique in passione, cum Apostoli omnes, qui prius in fide firmissimi visi fuerant, diffugissent & latebras quæsiuissent, ipse prodit in publicum, & cum Iosepho ab Arimathæa Christū honorifica sepultura cohonestat, Iohan. 19. vers. 39. Nemo ergo alienum seruum in fide infirmum temerè contemnat vel condemnet. Potens enim est Deus eum stabilire, Rom. 14. versi. 4. Interim tamen illi ipsi infirmi sunt commonefaciendi, vt eo contendant, ne perpetuo tales maneant. Sed sicuti videmus segetes in herba non subsistere, sed ordinariis incrementis ad maturitatem contendere: ita & infirmi indies in fidei cognitione crescere, & in pietatis studio progredi, & subinde se ipsis meliores fieri, minime omnium autem in deterius relabi debent. Aliud enim est infirmitas, aliud socordia siue negligentia in fide. Ad hunc quotidianum progressum diuus Paulus Christianos exhortatur, proposito exemplo eorum qui in stadio currunt, 1. Corinth. 9. vers. 24. Et de Galatis conqueritur, quod initio quidem bene cucurrerint, sed passi fuerint cursum suum interpellari, vt non obedirent veritati, Galat. cap. 5. vers. 7. Quapropter vult, vt pij suo exemplo ita currant, quò metam apprehendant, Phil. 3. v. 12. vt cursum ita consumment, quo repositam iustitiæ coronam reportent, 2. Tim. 4. v. 7. Sic vna similitudo alterá, ad ædificationem & confirmationem piorum, vtiliter illustrari potest.

Cauendum autem, ne hac parte parabolæ abutamur ad stabiliendum τὸ αὐτεξούσιον, & prædicandas naturales liberi nostri arbitrij vires, quasi proprio marte, *ex nobis ipsis, tanquam* ex nobis ipsis, ad pietatem proficere possimus. Sed illud αὐτομάτη ἡ γῆ καρποφορεῖ, *terra sponte sua fructum fert*, accipiendum est secundùm ordinationem Dei. Debebat enim nunc post lapsum terra nobis sponte sua nihil proferre, præterquam spinas & tribulos, Gen. 3. v. 18. Verùm quia Saluator hanc maledictionem expiandam in se recepit, Matth. 27. vers. 29. ideo Deus vult, vt in labore vultus nostri terram colamus: & propter Messiæ intercessionem agricolarum laboribus benedicere solet, atque sic producit panem de terra, Psalm. 104. v. 14. Licet ergo semente semel facta, ex Dei benedictione terra primùm profert χόρτον, *herbam*: deinde σάχυν, *spicam*; postea in spica σῖτον, *frumenti grana*: & tandem καρπὸν, *fructum perfectum* & maturum: tamen omnino necesse est, vt agricola sementem faciat, & postea diuinæ benedictioni eam committat, orando & cum patientia messis tempus expectando. *Ita nos Dei agricultura sumus*, 1. Corinth. cap. 3. vers. 6. & licet verbi ministri corda hominum non habeant in manu sua, officium tamen suum facere, sermonem prædicare, tempestiue & intempestiue instare, arguere, increpare & exhortari debent 2. Tim. 4. versic. 2. nec dubitent, quin Deus per semen verbi sit fidem Rom. 10. vers. 17. & incrementum daturus. Absque eo si sit, cor hominis nullum fructum Deo afferet. Ac si cultura verbi instituatur, & auditores studiose ad eam rem se accommodent, ministri quoque ardentes preces addant, quibus auditorum salutem Deo commendent, tum ex institutione & ordinatione Dei, labor in Domino non est inanis, 1. Cor. 15. v. 58. sed suo tempore fructum Deo gratum affert.

III. Tertium membrum parabolæ est, quid fiat cum Electis, quando fructus verbi in ipsis maturuit. *Paterfamilias*, cui sunt agri, quando videt segetes in illis per varias tempestatum vices ad maturitatem peruenisse, tum *mittit messores*, qui illas falce resecatas *in horreum colligant*, quò laboribus suis cum fructu & gaudio fruantur. In spirituali Dei agro non omnes, qui semen verbi fideli corde excipiunt, simul maturescunt, sed sensim alij post alios. Vbi quidem maturitas vnius & alterius sæpe hominum oculos latet, solius autem Dei oculis patet. Is quando hanc viderit, statim mittit suam falcem, spicas maturas demetit, easque in horreum cœlestis sui regni colligit. Et quidem vniuersalis messis futura est in extremo iudicio nouissimi diei, sicuti non tantùm in sequenti parabola indicabitur, sed & Apo. 14. vers. 14. Christus vniuersalis viuorum & mortuorum Iudex falce sua armatus depingitur. Sed præcedit in

dit in hac vita particularis messis, qua singuli credentium, quando ad salutem maturi esse Deo videntur, præciduntur, & viri misericordiæ colliguntur à facie venturi mali, Ies. 57. vers. 1. Quorsum autem colligantur illi, qui hoc modo per acutam mortis falcem demetuntur, id Baptista Matth. 3. versf. 12. diserte indicat. Ostendens nimirum futuram segregationem piorum & impiorum. Vbi pij, instar boni tritici, colliguntur in horreum Dei, vt ipsorum animæ sint in manu Dei, Sap. 3. versic. 1. appareant coram conspectu eius in iustitia, Psalm. 17. versf. 15. fruantur delectationibus ad dextram eius vsque in finem, Psalm. 16. versf. vlt. atque sic finem fidei suæ reportant, salutem animarum. 1. Pet. 1. versf. 9. Impij verò tanquam paleæ dispergentur, & comburentur igne inextinguibili. Meditemur hæc, si quando videmus, quod excellentia & præcocia ingenia interdum opinione nostra citius & maturius præacuta mortis falce demetuntur. Mundus diuersa de eo habet iudicia. Vnde vetus illud & peruulgatum dicterium habetur: O di puerum præcoci sapientia. Sed Christus in hac parabola nos docet tales coram Deo iam maturuisse, ac proinde tempus esse, vt in horreum Dei colligantur. Huc respicit etiam liber Sapientiæ cap. 4. versf. 13. vbi loquitur de iustis qui morte præoccupantur, & dicit eos consummatos in breui expleuisse tempora multa, animas eorum placitas esse Deo, & propterea cum properasse educere eos de medio iniquitatum. Non prorsus hoc ignorasse videtur Cato, cum diceret, senilem iuuentam signum esse præmaturæ mortis. Et Quintilianus, qui statuit generosioris etiam arboris plantam cum fructu esse. Quando ergo videmus Deum generosiores plantulas, quæ præ aliis magnos in cognitione Dei & veritatis progressus fecerunt, ex Ecclesiastico suo agro decerpere, omnino statuamus, ita ipsas iam maturas à Deo collectas esse, vt olim in nouissimo illo vniuersalis messis die, easdem in magna gloria & venustate rursus nobis sit monstraturus, & vnà nobiscum cœlestibus bonis recreaturus. Vice versa interdum aliqui in malitia citò maturescunt, quos & ipsos Deus falce mortis cito resecat, ne plus turbarum & damni dent. Sicuti Psaltes dicit: Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos, Psalm. 55. versf. 23.

Hæc est simplicissima parabolæ explicatio. Si tamen aliqui pro qualitate suorum auditorum vel etiam temporum plus arrideret ostendere, quomodo Christus sub inuolucro huius parabolę, Euangelij sui Exordium, Progressum & Consummationem docere voluerit, is commodissime id facere, & ex præcedentibus aliqua huc transsumere potest. Etenim ipse Dominus initio per vniuersam Iudæam sermonem Euangelicum sparsit. Mox ea peracta in arbore crucis obdormiit: & licet tertia die à morte resurrexerit, mox tamen in æternam suam quietem ascendit, vbi incredulo mundo dormire videtur, dum tot turbis & tribulationibus Euangelij sectatores premi patitur. Interim tamen Euangelicum semen secretis auctibus, *die ac nocte*, prosperis pariter & aduersis temporibus surrexit & creuit, donec tandem vniuersum terrarum orbem occupauit. Et succrescet etiam deinceps inuito Diabolo & mundo, vsque dum vniuersa seges electorum filiorum Dei maturescat. Quod vbi factum & numerus Electorum completus fuerit, tum is idem, qui primum semen Euangelicum sparsit, ac postea in cœlum ascendit, rursus inde visibili forma rediturus est cum falce ineuitabilis sui iudicij, qua cœlum & terram & omnia quæ in iis sunt, demetet, purum autem triticum in horreum suum congregabit.

Parabola de zizaniis.

HAnc parabolam solus Matthæus habet. Differt autem à duabus præcedentibus in eo, quod in illis quidem bonum semen simpliciter accipitur pro verbo Dei, in hac verò semen (sicut ipse Christus exponit) denotat ipsos electos Dei filios, qui per illud Dei verbum tanquam per incorruptibile semen 1. Petr. 1. versf. 23. sunt regenerati. Et quemadmodum Saluator per primam parabolam remouit illud scandalum, quod multos offendit, quando vident non omnes ex audito verbo emendari & meliores effici, atque sic auditores verbi extimulauit, vt quisque attenderet, quomodo verbum audiat: ita per hanc tertiam parabolam medetur illi offendiculo, quod bonorum animos excruciat, quando in Ecclesia bonis malos intermixtos animaduertunt, ac proinde doctores verbi excitare vult, vt caueant ne ipsarum socordia & somnolentia thesaurus vitæ in quorundam cordibus pereat, sicque aliqui ex bono tritico in infelix lolium commutentur. Illic ergo hypocrisin auditorum taxauit: hic conciliabula hæreticorum, vt Chrysost. inquit, notat.

Etsi verò Saluator hanc parabolam demum exposuit ad petitionem Apostolorum tum, cum domum rediisset: nos tamen breuitatis studio coniungemus, & ordine ostendemus, quas potissimum doctrinas hac parabola complecti voluerit.

I. Primùm vult docere, licet Ecclesia vocetur domus Dei, columna atque firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. 15. adeoque ipsum regnum cœlorum, in quo gratia sui spiritus habitat, & in salutem credentium æterna ac cœlestia bona distribuit: tamen in ea semper, quamdiu militat in his terris, veris Christianis falsos, bonis malos, pietati impietatem, virtutibus vitia, adeoque filiis Dei filios Belial intermixtos fore. Quemadmodum in agro, in quo etiam si optimum triticum seminatum est: tamen si vel seminantis imprudentia, cum tritico simul arripiatur lolium, vel alterius malitia hoc tritici sementi inserspergatur, simul cum tritico zizania intercrescere videmus: ita quando Christus filius hominis vel per se, vel per suos ministros purum Euangelium in mundo disseminat, vnde pura doctrina, syncerus Dei cultus, adeoque fideles & obedientes Dei filij, atque in his fides, spes, charitas, castitas, humilitas & beneficentia, tanquam Deo gratissimi fructus, progerminare incipiunt: semper tamen etiam in medio Ecclesiæ inueniuntur increduli, impij, seductores, qui infidelitate, falsa doctrina, φιλοδοξίαις, rixis, odiis, impuritate Deum offendunt. Fidem huic doctrinæ faciunt ipsa Christi tempora. Nam dum adhuc ipse Christus seminator & Apostoli eius semen verbi diuini spargerent, & triticum succresceret, atque passim pij Dei filij inuenirentur, mox etiam zizania apparere cœperunt. Habuit ipse Christus inter domesticos discipulos Iudam proditorem & diabolum, Iohan. 6. versf. 70. Inter septem primos Ecclesiæ diaconos fuit Nicolaus, Act. 6. versf. 5. à quo turpis & Christo exosa Nicolaitarum secta originem duxit, Apoc. 2. versf. 15. Adiunxit se Apostolis Simon Magus, cuius cor non erat rectum coram Deo, quique positus erat in felle amarissimo, & nexu iniustitiæ, Act. 8 versic. 23. Exortæ sunt hæreses Ebionitarum, Cerinthi & aliorum, qui hostes fuerunt diuinitatis Christi. Turbarunt Ecclesiam Pharisæi, qui fidem in Christum & opera legis in vnum confuderunt, & per hæc coniunctim iustificari voluerunt, Act. 15. versf. 1. Non defuerunt etiam falsi fratres & hypocritæ, speciem quidem habentes pietatis, sed virtutem eius abnegantes, 2. Timoth. 3. versic. 5. Vnde etiam atrocia vitia irrepserunt in ipsam Ecclesiam Christi.

Nam præter Iudæ proditionem & Nicolai scortationem, legimus de Ananiæ atque Saphiræ auaritia, Actor. 5. versf. 3. de sectis & hæresibus apud Corinthios, de incestuoso, de abusu sacræ cœnæ Dominicæ, de abnegatione articuli de resurrectione mortuorum. Si quis etiam inspiciat Epistolas, quas Iohannes Apoc. 2. & 3. ad septem Ecclesias in Asiam misit, is deprehendet, quàm parum puri tritici, vicissim autem quàm multum zizaniorum in illis fuerit. Hæc cum inuenta fuerint in Ecclesia Christi & Apostolorum, quam iuxta rationis nostræ iudicium omnium purissimam esse oportebat, quid mirum, si non melior sors eiusdem Ecclesiæ fuerit subsequentibus seculis? Quorum zizania, contentiones, hæreses, vitia, scandala, si quis recensere velit, dicendi quidem initium, sed non facile finem inueniet. Neque hoc nouum quid vel insolens fuit, siquidem inde à prima rerum origine accidisse legimus. Primi hominis Ecclesia habuit suum Cainum, in fide peruersum & fratricidam, Gen. 4. versf. 5. Et licet hunc cum posteris suis Deus ab Ecclesia segregarit, non tamen diu separatio illa durauit, sed mox filij sanctorum patrum, per connubia sese Cainitis miscuerunt, vnde exorta est infelix illa propago grassatorum, ob quos Deus primum mundum diluuio deperdidit Gen. 6. 2. Post diluuium, cum vix ex arca progressi fuissent octo homines superstites, in suo numero habuerunt irrisorem Chamum, Gen. 9. versf. 22. Hunc secuti sunt ædificatores turris Babylonicæ, Gen. 11. versf. 4. Quomodo Abrahamus Ismaelem Empæctam, Isaacus Esauum hominem prophanum, Iacobus Simeonem & Leui homicidas, Iudam & Rubenum incestuosos, Dinam defloratam, & reliquos filios plagiarios in domestica sua Ecclesia tolerare coacti fuerint, Moses prolixe describit. Ipsius quoque Mosis tempore, cum is adhuc in inferenda lege diuina occupatus esset, zizania non tantum se prodiderunt cultu aurei vituli, Exod. 32. ver. 4. sed etiam agrum Dominicum ita occuparunt, vt ex sex centenis millibus virorum, qui ex Ægypto egressi fuerant, tantum duo, Iosua & Caleb, in terram promissam intrarint, Num. 26. versf. 64. Posteris temporibus non fuit melior sors Ecclesiæ in populo Dei, adeo vt Helias de regno Israelitico conqueratur, se solum derelictum esse, qui iusto zelo zelatus sit pro Domino Deo exercituum, & ipsos quærere eius animam, vt auferant eam, 3. Reg. 19. versf. 10. Et Iesaias pronunciet de regno Iudaico: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, in signum & portentum facti sumus Israel, à Domino exercituum, qui habitat in Sion. Ies. 8. v. 18. Qualis itaque Ecclesiæ facies semper fuit inde ab initio in V. Testamento, quod sem-

per bonis mali fuerunt admixti: talem etiam in N.T. ad finem vsque mundi mansuram, Christus hac parabola zizaniorum docet.

Prodest hoc membrum doctrinæ Christi de Ecclesia notare, propter Donatistas, Catharos, & Anabaptistas, qui omnes cœtus damnant, in quibus aliquid vitiorum vel scandalorum hærere animaduertunt. Se verò καθαρούς vocarunt, quod reliquis hominibus se vita moribusque puriores iudicarent. Abutuntur ad erroris sui defensionem authoritate Apostoli Pauli, qui Eph. 5. vers. 26. & Tit. 2. versic. 14. hoc verbo καθαρίζειν, purificare vtitur, & propterea se Purificatos & Mundificatos honesto & specioso nomine vendicant. In quibus vero cœtibus non meros angelos vident, illos veram Ecclesiam Christi esse negant. Etenim Paulum dicere: Christum purgasse Ecclesiam suam lauacro aquæ per verbum, vt sibi ipsi sisteret Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam huiusmodi, Ephes. 5. vers. 26. Sed attendendum, quod Paulus ipse se declarat, dum dicit Christum ita purificasse Ecclesiam, vt eam sisteret sibiipsi, non mundo & nobis, absque macula. Quod fit dupliciter. 1. In hac vita imputatiue & inchoatiue, vbi quicquid sanctitatis à nobis non præstatur, illud propter Christum remittitur. Sic Christus Apostolis dixit, Iohan. 13. vers. 10. Vos mundi estis, cum tamen Petrus, & reliqui Apostoli (excluso Iuda) quàm plurimas haberent maculas contentionis, fugæ, abnegationis. Sed hæ tegebantur innocentia & perfectione Christi. Ideo Psal. 45. versic. 15 testatur, omnem gloriam filiæ regis esse ab intus. 2. In altera vita consummatiue. Ibi enim, quia vetera omnia abierunt, sancti in perpetua puritate coram Deo comparebunt & lucebunt tanquam stellæ firmamenti. Licet ergo Electi etiam in hac vita coram Deo sint mundi: coguntur tamen in ipso sinu Ecclesiæ tolerare scorpiones, Ezech. 2. vers. 6. non aliter, quam sicut Rebecca in sinu suo fouit Esauum, qui Iacobum, à quo vera Ecclesia propagari debebat, totum oppressum cupiebat. Itaque nos non offendamur scandalis & impietatibus, quæ in vera Ecclesia sæpe inueniuntur. Nam etiam alibi Scriptura hoc doctrinæ membrum inculcauit, veluti Matth. 3. versic. 12. vbi Ecclesia assimilatur areæ, in qua triticum & palea sunt deposita. Matth. 13. vers. 7. similis dicitur verriculo, quod ex omni piscium genere capit & attrahit bonos & malos, & segregatio demum fit in littore. Matth. 25. v. 1. ad nuptias inuitatæ sunt virgines & prudentes & fatuæ. Ioh. 10. vers. 1. assimilatur ouili, in quo non sunt tantum oues, sed & hirci. Et licet Dominus iudicet inter arietes & hircos Ezec. 34. vers. 17. tamen segregatio demum futura est in nouissimo die, Matth. 25. & 31. Iohann. 15. vers. 1. Christus vtitur parabola vitis. Sicut autem in vite multi sunt palmites aridi & steriles: ita in corpore Ecclesiæ inueniuntur titulotenus Christiani, & reipsa toti infrugiferi. Ecclesia etiam confertur horto, in quo non tantum sunt arbores iustitiæ, Ies. 61. vers. 11. quæ plantatæ secus decursus aquarum, fructum suum dant tempore iusto, Psalm. 1. vers. 3. sed etiam sunt steriles, quibus Deus minatur succisionem Luc. 13. vers. 7. Imo vt sæpe vna arbor alios ramos habet virides & fructum ferentes, alios autem aridos: ita Ecclesia aliqua habet membra viridia, fructum ad gloriam Dei, proximi ædificationem & propriæ salutis promotionem ferentia, aliqua autem membra putida, vel etiam penitus emortua. Est denique Ecclesia magna domus Dei, 1. Tim. 3. v. 15. in magna autem domo, 2. Tim. 2. vers. 20. non solum sunt aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia: & alia quidem in honorem, alia autem ad ignominiam.

Cæterum prodest etiam hoc membrum doctrinę, non tantum ad refutandos illos hæreticos, & scismaticos, siue veteres siue recentiores, sed & ad nos ipsos excitandos, ne quis putet solam externam professionem & communionem cum Ecclesia sufficere ad salutem. Neque enim tantum triticum, sed & zizania in agro Dominico inueniuntur. Sic multi se Catholicos esse gloriantur, qui tamen reipsa nihil minus sunt. Vera Ecclesiæ membra interdum cruce & aduersitatibus, calumniis item & mendaciis ita conteguntur & premuntur, vt à nemine agnoscantur, splendentibus interim & pro optimis granis tritici se vendicantibus impiis. Sed Paulus dicit: Nouit Dominus qui sunt sui, & discedat, qui nominat nomen Domini, 2. Tim. 2. vers. 19. Et hoc est primum membrum doctrinæ, in hac parabola comprehensæ.

Apud hoc vero membrum etiam illud obseruandum est, quod Christus in explicatione sua dicit: *Ager est mundus*. Facit enim διάκρισιν inter Ecclesiam Veteris Testamenti & Noui. In illo enim Ecclesia inclusa erat angustis terminis promissæ terræ Canaan, & tamen non caruit suis zizaniis, sicut suprà est demonstratum. In Nouo autem Testamento Ecclesia est dispersa per totum terrarum orbem, & ad eam colliguntur credentes ex omnibus nationibus, sicut Christus iam suprà prædixit, Matth. 8. vers. 11. Multi venient ab Oriente & Occidente, & discumbent cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno cœlorum. Et post resurrectionem dicit Apostolis: Profecti in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, Marc. 16. vers. 15. & docete omnes gentes seruare quæ præcepi vobis, Matth. 28. vers. 19. Quod conuenit cum vaticinio Patriarchæ Iacobo facto, Gen. 28. vers. 14. dilataberis ad Orientem & Occidentem & Septentrionem & Meridiem: imò cum omnium Prophetarum oraculis, qui Christi regnum à mari ad mare extendi oportere prædixerunt, Psalm. 72. vers. 8. Zach. 9. vers. 10. Hoc obseruandum est, contra veterem errorem Donatistarum, qui Ecclesiam angusto Aphricæ termino contineri, & totum terrarum orbem in errore hærere contendebant. Quorum opinionem Anabaptistæ nostra ætate renouarunt: qui Ecclesiam tantum in Morauia & intra cœtus suæ societatis inueniri autumant. Nihilo melior est sententia Pontificiorum, qui Ecclesiam alligant sedi *Romanæ*, & de necessitate salutis esse dicunt, vt omnis anima Romano Pontifici sit subiecta. Cùm omni tempore plurimi populi & gentes in orbe fuerint, quibus vel nomen Pontificis ignotum fuerit, quas tamen à communione Dominici huius agri excludere non possumus.

II. Secundò, vult Christus etiam in hac parabola docere, vnde & scandala & eorum authores in Ecclesia proueniant. Omnibus temporibus mirantur filij Dei & offenduntur, quando vident malos inter bonos oriri. Laudabilis hic etiam est molestia domesticorum seruorum, qui zizaniorum prouentum non adscribunt patrifamilias. Siquidem interdum vitium est in agro, interdum etiam tritici quædam *corruptio*, vnde in solo minus fertili degenerare potest, interdum etiam seminantis aliqua imprudentia, pro bono tritici semine lolium arripientis. Inquiunt ergo hi serui: *nonne bonum semen seminasti in agro? Vnde ergo habet zizania?* Hac modestia sæpenumero serui cœlestis patrisfamilias non vtuntur, sed multi mox culpam in ipsum Deum conijciunt, quasi is esset author peccati. Refert Augustinus lib. de Hæresi, cap. 18. Cainorum hæreticorum errorem inter alios fuisse hunc: quod legem à Mose traditam damnarint, & Deum illius authorem, vel vt zizaniorum in mundo seminatorem oderint & detestati sint, adeoque affirmarint Iudam pro consilio Christum prodidisse, eo quod prouiderit humano generi æternam salutem afferri ex supplicio Christi. Ab hac hæresi quàm *procul distet*, pius lector considerare velit, quod *Caluinus scribit de occult. prouid.* Fateor lapsum Adæ non *fortuitum* fuisse, sed occulto Dei decreto ordinatum. Idem illud Bezæ in summa Christi. libr. 1. Aph. 1. sine Dei decreto nihil fit vspiam à quoquam neque vniuersaliter, neque specialiter, ne iis quidem exceptis, quæ mala sunt, ac proinde detestanda. Item cap. 3. Aph. 4. Fatendum est lapsum Adæ non contigisse fortuitò, vel nuda & otiosa permissione aliqua, quæ ab ipsius voluntate & decreto separetur. Et quidem naturaliter in omnium hominum animis hærere videtur hæc corruptela, quòd culpam peccati & malorum in ipsum Deum conijcere nituntur. Quamprimum peccatum in mundum per vnum hominem introijsset, protinus etiam translatio criminis inuenta est, qua Adamus in mulierem, hæc in serpentem, ambo tamen tacite in ipsum Deum culpam lapsus coniecerunt. Si enim *Deus serpentem* in paradisum non intromisisset, nec Euam *sociam vitæ dedisset*, Adamus iudicat se à peccato abstinere potuisse. Apparet idem in pueris, qui antequam ad verum rationis vsum perueniant, deprehensi in aliquo facto, statim vel negare, vel excusare, vel in alium crimen transferre norunt, etiam antequam vel Dialecticorum inficiationem, vel Rhetorum translationem discere potuerunt. Et apparet ex Syracide cap. 15. vers. 11. & 12. eius tempore fuisse eiusmodi homines inuentos *in populo Dei*, qui tales voces iactarint: Sapientia abest ab hominibus ἀπὸ Θεοῦ, propter Deum. Item: Ipse Deus me decepit. Item: Opus habet peccatore. Sicut adhuc hodie multi blaspheme disputant, Deum non potuisse edere specimen suæ iustitiæ, nisi Adæ lapsus, Deo non tam permittente quàm impellente factus fuisset. Ideo Syracides hasce voces reijcit, inquiens: Ne dixeris ista, quia omne execramentum erroris odit Dominus. Sicut etiam Iacobus cap. 1. vers. 13. reijcit errorem eorum, qui Apostolorum tempore ex doctrina de creatione extruxerunt hanc blasphemiam, quasi Deus effectiue operaretur peccatum, & impelleret voluntatem ad peccandum. Post Apostolorum tempora exorti sunt Marcionitæ & Manichæi, qui videntes non posse consistere, vt Deus, qui summe bonus, imò ipsa bonitas, dicatur author malorum, finxerunt etiam duo principia, seu duos Deos, à quibus in creatione omnia ortum suum acceperint, & postea etiam propagentur. Et quemadmodum à bono Deo creata sint omnia bona, ita quoque à Deo malo exortum esse quicquid in mundo fit mali, peccati & confusionis. Hasce disputationes omnes hic præscindit Christus, dum patremfamilias seruis suis hoc modo

modo respondentem introducit: *inimicus homo hoc fecit*, & postea ipse inimicum interpretatur esse *Diabolum*. Itaque zizania, quæ sunt filij *illius mali*, filij Belial, proueniunt, non à Seminatore Deo, sed ab interseminatore diabolo. Nam quando Deus seminat verum cultum, diabolus interseminat idolomanias & superstitiones: ille seminat virtutes, hic vitia: ille amorem Dei & proximi, hic eorundem odium: ille donat humilitatem, hic superbiam: ille liberalitatem, hic auaritiam: ille temperantiam, hic delectatur crapula. An non Deus seminarat in cor Adami bonum semen, suam imaginem, Gen. 1. v. 27. in veritate, iustitia, innocentia, sanctitate & immortalitate? sed proh dolor, diabolus interseminat zizania, imò totum ipsum peruertit, ex verace mendacem, ex iusto peccantem, ex innocente reum, ex sancto maledictum, ex angelico mortalem & terrenum reddidit. Idem fecit omnibus temporibus. Per Mosen Deus bonum semen legis seminauit: sed Satanas mox aspersit cultum vituli, Baalis & aliorum. Ideo Christus hic eum nominat ἐχθρὸν, *inimicum*. Quia inimicitiæ in paradiso positæ inter semen mulieris Christum, & serpentem seu diabolum, Genes. cap. 3. vers. 15. non desinent in omnem æternitatem. Quia verò hic inimicus non semper immediatè Ecclesiæ nocet, sed habet sua organa & instrumenta, per quæ in orbe idolomanias, hæreses, superstitiones & omnem impietatem disseminat, ideo vocat eum *inimicum hominem*. Eundē hominē πονηρὸν, *malum*, κατ' ἐξοχὴν, quia in veritate nō stetit, Ioh. 8. v. 44. & à Deo, qui solus bonus & omni boni fons est, excidit, non seruans principatū suum, Epist. Iud. *v. 6.* Malo denique gaudet & delectatur, ita vt ipse solus inter homines omnium scelerum & malorum author sit. Caueant itaque pij, ne culpam vllius mali Deo acceptam ferant. Nam quod aliqui obiiciunt dicta Scripturæ, in quibus aliquando Deus dicit: Ego indurabo cor Pharaonis, Exod. 4. vers. 21. Et Paulus affirmat: Deus dedit aliquot gentium in reprobum sensum, Rom. 1. ver. 28. Et Dauid de Semei pronuntiat, 2. Reg. 16. vers. 10. Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid: illa neminem moueant. Hinc enim fit, quod plerique hominum linguam Spiritus S. non rectè intelligunt, qua dextre explicata huiusmodi dicta nihil afferunt incommodi. Ex diligenti autem scripturarum lectione patet, (vt & superius indicatum est) in iis admirationem tribui, partim hominibus, partim Diabolo, partim Deo: sed diuersimodè. Hominibus tribuitur, quando Deus ipsis dat verbum, per quod eos vocat ad viam salutis, in quo segnes hortatur, inobedientibus minatur pœnam, quin & ostendit signa, ex quibus cognoscunt se certo puniendos, nisi conuertantur, tandem etiam punit: & tamen homines omnino ista non curant, nec quicquam emendantur, sed secure negligunt secundum duritiem cordis sui, Rom. 2. vers. 5. thesaurizant sibiipsis iram, in diem iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Diabolo verò tribuitur, tanquam veræ & primariæ causæ, quando ille intrat in cor hominis, illud occupat & occæcat, sicuti fecit Iudæ proditori, Iohan. 13. vers. 27. apud quem tot graues & piæ Christi admonitiones fuerunt irritæ & infructuosæ: quia Deus huius seculi excæcauerat mentem, 2. Cor. 4. vers. 4. & occluserat aures, ne attenderet iis, quæ à Saluatore dicebantur. Deo denique tribuitur induratio: non quasi ille daret cor impœnitens, aut quasi malitiam approbaret (siquidem ipse non est Deus volens iniquitatem, Psalm. 5. vers. 5.) sed quando homines ad emendationem vocauit, & satis diu expectauit, nihil autem efficit, tunc iusto iudicio permittit, vt magis magisque indurentur, qua induratione ipsorum improbitatem punit. Atque sic fiunt, vt Augustinus loquitur, peccata sequentia pœna præcedentium, causa verò futurorum peccatorum. Pro eo enim quod charitatem veritatis non recipiunt homines, vt salui fiant, Deus immittit illis operationem erroris, vt credant mendacio: sicque iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, 2. Thess. 2. vers. 10. Iccirco caueant omnes piæ mentes, ne Deum causam & authorem malarum actionum statuant in mundo. Præuidet quidem eas Deus & moderatur, atque ad finem bonum dirigit, sæpe etiam bonum inde elicit: nequaquam tamen ipsi placent, sed eas prohibet & punit. Zizaniorum itaque causa est diabolus.

Simul considerandum proponit Christus astutiam huius sui inimici, quem propterea διάβολον, criminatorem, calumniatorem & impostorem nominat, eo quod dolose agit, & hac ratione oblique per Ecclesiam ipsum caput, quod est Christus, petit. Primum, sicut cuculus oua sua ponit in alienum nidum: ita ipse semen suum malum spargit in alienum agrum. Mundus enim, siue Ecclesia, non sunt Diaboli, sed ipsius Dei, & quidem tam ratione Creationis, quàm redemptionis. Deinde zizania sua non aspergit, nisi semente prius facta. Nam iis diabolus vel maxime insidiatur, quibus Euangelium iam est prædicatum, & quorum cor ministerio Spiritus iam est præparatum, vt fit ager Dominicus, qui fructus professione sua dignos ferat. Sicuti in præcedenti concione antemeridiana Dominus de spiritu immundo, qui semel eiectus est, illud etiam docuerat. Totum genus humanum natura est corruptum: & dum illud in corruptione manet, Satanas non multum de eo laborat, sed quiescit: quamprimum autem sentit velle aliquos effugere ipsius tyrannidem, protinus de iis reducendis laborat. Præterea sedulo occasionem obseruat, quando animaduertit illos dormire, & in officio suo negligentes esse, quibus Dominus vel publice agri sui custodiam commisit, vel priuatim pro se vigilare vult, tum mox improbus adest, & submittit impostores, illusores, contemptores Dei & diuinorum omnium, malorum inuentores & fabricatores, qui & ipsi peccant, & suo exemplo alios ad peccandi societatem trahunt. Denique quando zizania sua disseminauit, tunc *abit*, hoc est, in priores suas tenebras redit, sese occultat, & quasi nullus affuisset, simulat. Sic nimirum se transformat in angelum lucis, 2. Corinth. cap. 11. versic. 14. & multos ista astutia sic decipit, vt nihil minus quàm à diabolo se seductos opinentur, sed quasi re bene gesta de læta sua segete glorientur. Excitare hæc debent omnes Christianos, inprimis autem fideles verbi ministros, quibus potissimum Christus Ecclesiæ suæ curam commisit, vt exclusa somnolentia assidue in excubiis sint, & diaboli artes, studia atque conatus obseruent, ne ipsorum negligentia damnum detur Ecclesiæ. Certe quamprimum Adamus dormire incepit, oblitus seueri mandati diuini, protinus diabolus mortem mundo aspersit. Somnus autem hic spiritualis homines inuadit non vno modo. Interdum quando piget eos inclamare lupum, conniuent ad vitia fidei suæ commissorum, concionatores non diligenter attendunt lectioni sacrarum literarum: auditores non orant, magistratus iudicium non exercent. Interdum, quando nauseam concipiunt auditores ex abundantia verbi, & fiunt prurientes auribus, aut à veritate auertunt auditum, eundemque conuertunt ad fabulas, 2. Timoth. 4. vers. 4. Interdum etiam quando fideles verbi ministri, aut etiam magistratus pio zelo dediti, per temporalem mortem abripiuntur, ibi tum fere doctrinæ puritas vitiatur, religionis studium intermoritur, bonæ leges labefactantur & effrenis morum licentia crescit, vnde zizania oppresso & suffocato tritico late se extendere incipiunt. Non aliter quàm sicut mortuo Iosua & senioribus, qui nouerat opera Dei, quæ fecerat cum Israel, Israelitæ deseruerunt Dominum, & seruierunt Baalim, Iud. 2. ver. 2. Hæc de causis zizaniorum.

Quod ipsum vero vocabulum attinet, celebres Græci testantur se illud non legisse, præterquam in Euangelistis & paucis Patribus, qui ex Euangelio eius mentionem faciunt. Varinus dicit ζιζάνια τὸ εἶδος ἀσθενὲς συμπεφυκὸς τῷ σίτῳ. Et dictum putat ζιζάνιον quasi σιτιζάνιον, παρὰ τὸ σίτῳ παραρρεῖν καὶ συναύξεσθαι, quia amat triticum, illud vt vmbra corpus sequitur, imitatur & simul accrescit, ac si esset de tritici genere. Quidam etiam putant dictum ζιζάνιον quasi σιτάνιον, παρὰ τὸ τὸν σῖτον σίνειν, seu βλάπτειν, quia tritico seu pestis nocet. Suidas dicit ζιζάνιον est ἡ ἐν τῷ σίτῳ αἶρα, lolium in tritico. Et non male competit hæc Etymologia. Nam αἶρα dicitur quasi φθαίρα corruptio: quia ἡ αἶρα ἐστὶ φθορά τις τοῦ σίτου. Pingit hoc aliquo modo ingenium hypocritarum & prophanorum diaboli filiorum. Vt enim infelix lolium lætis segetibus nocet, & si farinæ miscetur vertiginem & vomitum parit vescentibus: ita improbi, quantumuis Ecclesiæ socij haberi velint, tamen eius pestes sunt, & non tantum piis scandalum, sed & ipsi Christo nauseam pariunt, qui ipsis minatur, se eos ex ore suo euomere velle, Apoc. 3. v. 16.

III. Præterea vult Christus docere hac parabola, quid facere conueniat, quando talis confusio in Ecclesia oritur, vt hypocritæ & reprobi inter electos Dei filios & synceros cultores, & quidem non absque horum molestia & scandalo versantur. Quærunt serui, *an Zizania colligere debeant*? Respondet Paterfamilias, *Non*, sed vult vt crescere sinant ad messem vsque. Et addit rationem: *ne colligendo zizania simul eradicetis cum eis triticum*. Hic diligenter cauendum, ne Christi verba rapiantur in sensum ab instituto Christi alienum. Nam quid dicemus? Num hic Magistratui adimitur ius gladij, ne puniat sontes? Minime vero. Non enim is sine causa gladium portat. Dei minister est, vindex in iram ei qui malum agit, Rom. 13. vers. 4. Et ipse Christus ipse supra in solenni illa concione in monte habita, protestatus est, Matth. 5. versiculo 17. Nolite putare, quoniam veni soluere legem: non veni soluere, sed adimplere. Ideo etiam hoc in loco non dicit, Regna huius mundi sunt similia agro, in quo zizania tolerantur cum tritico, sed *regnum cælorum*. Ergo hæc pars parabolæ non est trahenda ad forum politicum & ad res, quæ extra Ecclesiam sunt peragendæ. Cum ergo ad Ecclesiam hæc pars parabolæ pertineat, num dicemus hic adimi ministris potestatem in Ecclesia arguendi peccata & impios censura Ecclesiastica

puniendi? Neque hoc. Nam infrà audiemus, quod ipse Christus eam instituat, Matth.18.versic.17. si quis nolit audire Ecclesiam, sit tibi Ethnicus & publicanus. Et de hæreticis monet Paulus, vt post vnam atque alteram correptionem eos vitemus, Tit.3.vers.10. Imo ipsemet Apostolus hanc Ecclesiasticam censuram exercuit, non tantum aduersus incestuosum Corinthium, 1.Cor.5.vers.5. sed & aduersus Alexandrum atque Himenæum, 1.Tim.1.vers.20. Et Iohannes vult, ne eos, qui Christi doctrinam non afferunt, recipiamus in ædes nostras, neue Aue ipsis dicamus, ne communicemus operibus eorum malis. Epist.2.10. Quid ergo Christus vult hac parte parabolæ? Vult frenare intempestiuum zelum, quem deprehendebat in animis Apostolorum. Hi valde acrem volebant exercere reformationem & excommunicationem in Ecclesia, Luc.9.vers.54. Petrus gladio vult defendere magistrum eiusque doctrinam. Cum ergo Apostoli constituti essent vniuersales doctores Ecclesiæ & reformatores mundi, ne putarent, se ore gladij homines ad Euangelium compellere, aut certe obtemperare nolentes occidere debere: sicut Samuel occidit Agagem Regem Amalecitarum, 1.Reg.15.vers.40. Christus hic zizania euellere vetat, & postea ipsis dicit: Sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Quo verò loco hi fuerunt? num omnes erant occidendi? Non, sed conuertendi. Nam de omnibus gentibus interficiendis, Iudæi nullum habebant Dei mandatum, sicut de Cananeis. Ideo Paulus dextre hoc explicat, Rom.16.vers.17. Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam didicistis faciunt, & declinate ab illis. Obseruandos eos dicit, & ab ipsis declinandum. Et 1.Corinth.5.vers.11. vult ne cum huiusmodi commisceantur, neve cum ipsis cibum capiant. Non ergo dicit Apostolus, Gladio eos percutite, ex arbore suspendite, rogo ipsos imponite, in pulueres redigite: sicuti facit Inquisitio Hispanica. Sed Christus dicit: *Sinite vtraque simul crescere, vsque ad messem: ne colligendo zizania, simul eradicetis cum eis triticum.* Si Christus Luc.9.54. permisisset, vt igne cœlitus demisso Apostoli perderent Samaritanos, non potuisset postea Act.8. versic.14. Samaria recipere verbum Dei. Et si tyrannis Hispanicæ Inquisitionis vsitata fuisset tempore Augustini, eximium illud & cumprimis fructuosum granum tritici euulsum & eradicatum fuisset, siquidem per nouem annos crassis hæreticis Manichæis adhæserat. Viderint ergo isti persecutores Euangelij, vnde tyrannicam suam Inquisitionem defendere velint: Certè ex Euangelio id non possunt facere. siquidem Christus non vult, vt sui quenquam ore gladij ad finem compellant, sed vt gladio oris seductos ad pœnitentiam reuocent. Rectè itaque Augustinus lib. cont. Epist. Manich. Fund. cap.1. scripsit: Quanquam Dominus per seruos subuertat regna erroris, ipsos tamen homines, inquantum homines sunt, emendandos potiùs esse, quàm perdendos iubet. Et D. Chrysostom. Parcendum est zizaniis quosque vna cum frumentis in agro sunt: quia possunt in frumenti statum commutari. Huius ergo Christus Apostolos suos commonefacere vult, vt si animaduerterint quempiam in aliquo delicto præoccupatum esse, ipsi eum instituant spiritu lenitatis, sedulò curantes, ne & ipsi tententur, Gal.6.vers.1. Ideo etiam Paulus 2.Timoth.2.vers.24. non vult seruum Domini litigare, sed mansuetum esse ad omnes, patientem & cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati: si quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui detinentur ad eius voluntatem.

Si quis verò interroget: Num ergo ministri Ecclesiarum & magistratus, qui sunt serui Dei, penitus debent stertere & tantum intueri quomodo zizania crescant, nec quicquam præterea soliciti esse? Ei ex parabola respondere possumus. 1. Concessum esse seruis, vt de zizaniorum malitia conquerantur, & contra eorum incrementa gemant, orent, aliosque exhortentur, vt sibi ab iis caueant, se ab illis auertant, ne & ipsi zizania fiant. Sicuti Dauid orat, Psalm.12.versic.1. Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctum, quoniam consumpti sunt fideles à filiis hominum. Elias conqueritur, se solum esse derelictum, & quæri animam suam vt auferatur, 3.Reg.19.ver.10. Iesaias cap.33.ver.7. prædicit: Videntes clamabunt foris: & angeli pacis amarè flebunt. Et quis sit ille clamor, ipse ostendit c.53.vers.1. Quis credit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Consimilem querimoniam effudit etiam Paulus 2.Cor.11.versic.29. Quis infirmatur, & Ego non infirmor? quis scandalizatur, & Ego non vror? Et huiusmodi comminationibus & querimoniis multi adhuc lucrifiunt, vt conuertantur, ne contristent Spiritum sanctum & pereant. 2. Dum dicit ἄφετε, *Sinite*, quod est verbum permissionis, ostendit paterfamilias, sibi quidem non probari, quod zizania succrescant, & malle se habere purum triticum: Verum si sua sponte zizania suppullulent, nec humana prouidentia id præcaueri queat, ferendum esse. Atque si vult innuere, suos Apostolos & Ecclesiæ doctores, licet summa diligentia in ministerio suo in id incubuerint, vt Ecclesiam quàm possunt optime plantent & ornent: nunquam tamen [illegible], vt omnia scandala auertant, & plene puram Ecclesiam habeant. Nam vt Salomon dicit: Curuum non potest fieri rectum: & defectus non possunt numerari, Eccles.1.vers.15. Itaque si fecerit verbi minister suum officium, ea fide & [illegible], quam scit se Domino Deo suo probare posse, & propter voluntatem & expectationem enormia incidunt [illegible] vitia, quæ ipse non potest auertere, illa Deo & tem[illegible], nec propterea nimium animo angatur, mittat [illegible] *Lutherus* dixit) sicuti vadit, quia non vult aliter [illegible] recordetur, quod semper in agro Dominico futura [illegible] zizania. Hoc modo permissiue vsurpatur verbum ἀφιέναι [illegible] X X. interpretibus, Exod.12.vers.23. Dominus cum [illegible] sanguinem in superliminari, οὐκ ἀφήσει, non permittet [illegible] ingredi domus vestras. Num.22.vers.13. dicit Bileam ad legatos Balac, regis Amorræorum: οὐκ ἀφίησί με renuit Dominus concedere mihi, vt eam vobiscum. In his locis respondet Hebræo verbo נתן. Ac 2.Sam.16.vers.11. significantius [illegible] de Simei maledicente Dauidi: ἄφετε αὐτὸν, finite illum, vt maledicat. Et respondet ibi verbo יניח, quod significat aliquid suo loco relinquere, conseruandi gratia: ita zizania relinquuntur in agro, si forsan ipsis Dominus det gratiam se conuertendi, Esd.6.vers.7. Mandat rex Darius illis, qui sunt trans flumen, vt discedant à Ierusalem, & addit: καὶ ἄφετε [illegible], dimittite, vt fiat domus Dei hæc. Ex his & similibus locis plenius aliquanto colligere licet, quæ sit mens Christi, quid fideles sui serui facere debeant, quando vident ingruere scandala. Contra ea orent & gemant: si verò impedire nequeant, dimittant ea. 3. Addit etiam: *Sinite συναυξάνεσθαι ἀμφότερα, simul crescere vtraque.* Ergo quando zizania volunt triticum crescendo superare, & quasi suffocare, ibi aliud remedium quærendum erit. Quodnam illud? Quia Deus in mundo distinctas habet hierarchias, Ecclesiasticam & Politicam. Et in Ecclesiastica quidem vsum gladij prohibuit, politicæ verò hierarchiæ eum concessit, & confirmauit, ibi possunt verbi ministri bona conscientia magistratus auxilium implorare, vt ille vigilet, ne triticum Domini damnum aliquod à zizaniis patiatur. Semper tamen memores sint Ecclesiasticæ mansuetudinis, maxime quoad hæreticos, vt ita ipsi castigentur citra mortis pœnam, vt resipiscere possint. Sicut huc respexit Augustinus in suis Epistolis, quas scripsit de corrigendis & cohercendis hæreticis, ad præsides Romanos, Epist.48. 68.127.158.159.160.167. Semper tamen hoc vrget: Corrigi eos cupimus, non necari. Item sic scribit Proconsuli Aphricæ: Sic eorum peccata compesce, vt sint, quos pœniteat peccasse. Et fatetur Augustinus se penitus in ea fuisse sententia, neminem ad vnitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hereticos noueramus. Sed eam sententiam se postea mutasse, siquidem experientia edoctus cognouerit, integras ciuitates imperialium legum authoritate fructuose eò deductas fuisse, vt quæ prius in noxia & pessima Donati hæresi hæserant, postea Deo gratias egerint, quod minis magistratus superioris eo compulsi fuerint, vt ad Ecclesiæ societatem & communionem redirent. Ergo cum triticum & zizania simul crescunt, ministri de eradicandis zizaniis non tractent. Sed si noxia zizania velint salutarem segetem Euangelij suffocare, ibi tum magistratus opem exorare licet, vt quantum absque tritici periculo & iactura fieri possit, zizania compescantur: ita tamen, vt Ecclesiasticæ moderationis non obliuiscantur. Hinc Chrysostomus rectè dicit: non prohibet Christus conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere: Verum interficere & trucidare vetat. Nos solemus dicere: Magistratum esse custodem vtriusque tabulæ, primæ & secundæ. 4. Denique addit: *vsque ad messem*, atque sic consolationem eis præbet, quod hæc confusio non sit in perpetuum duratura, sed tantum ad tempus messis vsque. Molestissime fuerunt pij, quando vident Ecclesias passim lolio & zizaniis compleri, quæ ipsarum segetibus obstant, ne possint in altum surgere, ad gloriam Dei & hominum salutem: quando audiunt passim veritatis doctrinam adulterari, horrenda scandala infirmioribus obiici, pios premi & perpetuis persecutionibus affligi, impios vero interea felicibus successibus gaudere, &, vt Psalm.10.vers.3. dicit: quando gloriatur peccator in desideriis animæ suæ, dum blasphemat Deum & seipsum benedicit. Hæc quando vident pij, tum indignissime ferunt, & cum Asapho dicunt: Inflammatum est cor meum, & compuncti sunt renes mei, Psam.73.vers.21. Et cum Prophetis exclamant: Quousque Domine? Qui fit, quòd via impiorum prosperatur? Ierem.12. vers.1. Hab.1.vers.2. His in præsentia respondet Christus & dicit:

dicit: *vsque ad messem.* Erit aliquando tempus, quod iam instat, quo tota mundi machina demetetur, & ibi tum cessabit effrenis licentia impiorum, & impunitas illa peccandi, quæ malos feroces reddit. Si hoc tempus nimis remotum tibi videtur, intuere spiritualia exempla iudicij diuini. Sicuti enim olim Pharaonem, Saulum, Achabum, Iezabelem, Herodem, Pilatum, Iulianum apostatam, & alios innumeros tyrannos, cum Simone Mago, Arrio, Manete & aliis blasphemis hæreticis, per cruentam mortis falcem resecuit, & Euangelicam semétem resectione istorum zizaniorum quasi respirare fecit: ita adhuc hodie huiusmodi carcinomata, quæ nimis superbe efferuntur, terribilibus iudicij sui exemplis è medio tollere solet, vt pij respirent. Et sunt hæc præludia alterius illius messis, quæ propediem subsequetur. Nam si oculos tollamus, iam vndique regiones ad messem illam albicare videbimus.

IV. In quarta huius parabolæ parte Christus docet, quæ tandem sit futura sors tum piorum, tum impiorum. In præsenti seculo impij piis permixti viuunt: & fere impiorum via plus prosperatur, quàm piorum, bene est his, qui male agunt, proficiunt & faciunt fructum, Ier. 12. vers. 1. sed sicut hic mundus non est perpetuo duraturus, siquidem etiam cœli tanquam vestimentum veterascent: Psalm. 101. v. 26. ita etiam confusio ista nô in æternum durabit. Verum sicut tempore messis, messores triticum à zizaniis & sentibus segregant, & zizania quidem igne comburuntur, triticum vero in horreum Dei congehitur: ita quoque *in consummatione huius seculi*, pij ad cœlestia & æterna gaudia deducentur, reiectis interim impiis in inextinguibilem ignem gehennæ. Proponit autem hoc Christus piis ad consolationem. Etenim quid est tota hæc vita nostra, etiam in optimo suo statu, præterquam labor & dolor? Ps. 90. vers. 10. Vt non immerito Dauid dixerit, nos transire per vallem lachrymarum. Psal. 84. vers. 7. in cuius ingressu dolor, progressu labor, egressu gemitus est. Ita si tantum in hac vita sperantes essemus, miserabiliores essemus omnibus hominibus, 1. Cor. 15. v. 19. Cum ergo pij multum ferre cogantur ab impiis, Deus statuit diem (qui futurus est in consummatione seculi) in quo iudicaturus est orbem in æquitate. Ad hunc vsque terminum Satanas ludit secure, deliciatur in mundo, immiscet se filiis Dei, videt suos florêtes in regno Christi, imo regnantes, & alios ex sedibus suis expellentes, interdum etiam triticum Dei opprimentes, vt vix in aliquo angulo agri Dominici hærere queant. Sed erit aliquando finis horum malorum. Vt enim æstatem sequitur messis: ita æstum tentationum sequetur aliquando lætus euentus, 1. Pet. 4. v. 12. Ideo Petrus dicit: Communicantes passionibus Christi, gaudete: vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Sed prodest singula membra, quæ Christus hic ponit, ordine considerare.

1. Indicat, quis sit messis futurus Dominus: *Filius hominis.* Intelligit autem seipsum, qui licet sit æternus Dei filius, propter nos tamen & nostram salutem carnem ex virgine Maria assumsit, atq; hominis filius factus est, vt sic noster גאל Goel propinquus sanguinis, vindex & Redemptor esse posset. Et vnde desumpta sit hæc appellatio Messiæ, itê quare Christus frequentius ea vsus sit in Euangeliis, quàm appellatione filij Dei, supra c. 28. explicatum est. Inprimis autem de futuro veluti iudicio agens, voluit hac appellatione vti, vt ostenderet, se in assumpta hominis forma visibiliter ad iudicium esse venturum: & in ea natura se iudicem futurum, in qua his terris sub iudice stetit. Nemo igitur vili hac ipsius specie offendatur, qua adhuc hodie in prædicatione Euangelij & in membris suis, filius hominis, hoc est, contemptissimus omnium iudicatur. Veniet satis gloriosus de cœlo cum angelis virtutis suæ, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum, 2. Thess. 1. v. 7. Sicuti hoc prædixit Synedrio Iudæorû, Matth. 26. versic. 64. Itaque in hunc vnum iudicem intenti simus, operam dantes, vt taliter in agro Dominico nos geramus, quo ipsi vni placeamus. At sic toti mundo displicebimus? Quid tum? Pater omne iudicium dedit filio, Iohan. 5. v. 22. Et hic Petro teste Act. 10. v. 42. præcepit testificari, quod ipse constitutus sit à Deo iudex viuorum & mortuorum. Hic iustus iudex futurus est, scrutans corda & renes, nec respiciens vllius personam: cuius etiam vultum impij nullo modo ferre poterunt, Apoc. 6. v. 16.

2. Iudices habent suos apparitores & ministros, per quos suo tribunali sistunt iudicandos. Hos Christus sibi iudici *angelos* affuturos dicit, quos hoc loco parabolice *messorum* titulo insignit. Daniel quoque cap. 7. v. 10. dicit se vidisse ad thronum antiqui dierum & filij hominis, cum iudicium fieret & libri aperirentur, adstare millia millium ministrantium ei, & decies millies centena millia assistentium ei. Cum ergo angeli sint administratorij Spiritus, facientes voluntatem Dei, Psalm. 103. vers. 21. patiuntur non tantum se emitti in ministerium eorum, qui accepturi sunt hæreditatem salutis, Hebr. 1. vers. vlt. per omnem ipsorum vitam: sed & quando illi secundum voluntatem Dei de falce mortis demetuntur, præsto sunt & animam deportant in sinum Abrahæ, Luc. 16. vers. 22. in nouissimo quoq; die congregabunt electos (etiam quoad corpora) à quatuor ventis, à summis cœlorum, vsque ad terminos eorum, Matth. 24. vers. 31. Sicuti ergo piis & filiis regni sponse sua ob Dei voluntatem ministeriis sua addicunt: ita si quis eos in vita sua siue impia doctrina siue prophanis moribus contristauit, non tantum in hac vita & in morte eum deserunt, atque Diabolis relinquunt, sed & in nouissimo die cû complicibus in fasciculos colligabunt, & facient vt boni & mali ab inuicem discernantur, & impij dignam factorum suorum mercedem reportent. Dicit ergo Christus in nouissimo die *angelos colllecturos omnia offendicula ex regno Dei*, hoc est, purgabunt Ecclesiam Christi, quæ in hac vita est regnum gratiæ ipsius, ab omnibus zizaniis doctrinæ & vitæ, ab omnibus etiam iis, quæ offendunt pios, qualia sunt hypocrisis impiorum, successus & prosperitas malorum, misera piorum sors, fames, bellum, mortis metus, & similia. Hæc enim piis sunt offendiculo. Deinde etiam tollent angeli ex regno Dei omnes eos qui faciunt iniquitatem, quales sunt omnes impij homines, reprobi & omnis impietatis author Diabolus, hic remouebitur, vt non amplius possit adesse inter filios Dei, Iob. 1. versic. 6. non amplius hærere inter sanctos, aut in angelum lucis se transfigurare: vt ita ager Dominicus totus purgetur, nec sit amplius communis tam improbo semini, quàm bono. Nec quis miretur, quod hæc angelis attribuantur: est ipsorum potentia admirabilis & immensa in executione diuinorum iudiciorum. Vnus angelus vna nocte totius Ægypti primogenita trucidare potuit, Exod. 12. v. 29. & in castris regis Assyriaci Sennacherib vnus angelus centena octoginta quinque millia vna nocte interfecit, 4. Reg. 19. vers. 35. Quomodo ergo omnes angeli non sufficerent ad tollenda ista scandala, vt Ecclesia ab illis liberetur: siquidem cum Michaele angeli ipsius adhuc præliantur cum dracone, & lætantur quando ille proiicitur in terram: quanto magis lætabuntur, quando proiicietur in abyssum? Apoc. 12. v. 7.

3. Vtriusque partis sors etiam additur. Nam quod zizania, siue *filios* illius *mali* reprobatos attinet, de iis dicit: *proijcient eos in fornacem ignis.* Intelligit autem infernum, cui Marc. 9. v. 43. adscribit ignem inextinguibilem. Cum enim nulla descriptio possit satis exprimere grauitatem diuinæ vltionis in damnatos, scriptura vt sese accommodaret ad nostrum captum, per res corporeas nobis malorum cruciatus præfigurare cupit. Sic Iesa. 30. v. 33. cum Propheta vaticinaretur de sempiternis pœnis regis Assyrij, dicit ab heri præparatam esse Tophet, præparatam esse ipsi etiam regi foueam profundam & dilatatam, cuius penetrale sit ignis, & vis lignorum multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendit eam. Hic certè impossibile est, quin cor humanum incredibili horrore concutiatur, quando audit impiis paratam esse gehennam profundam, tenebrarum caligine opacam, torrentibus ignitis formidabilem, cuius nutrimêtum sit ignis inextinguibilis, quem ira Dei perpetuo instar torrentis sulphurei succendat, vbi perpetuis doloribus, angoribus & cruciatibus lancinabuntur, & meditatione prioris felicitatis, qua in mundo fruebantur, ac desperatione veniæ quotidie conficientur, & in continuis horrendæ mortis angustiis perpetuo detinebuntur, ita, vt post innumera annorum millia semper cogitare cogantur, hoc ipsis tantum principium esse æternorum suppliciorum. De hac insigni anxietate impiorum loquuntur plurima testimonia scripturæ, Ies. 66. versic. 24. vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, Apoc. 6. vers. 16. præ horrenda desperatione dicent montibus & petris, cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ illius, & quis poterit stare? Apoc. 9. v. 6. quærent mortem & non inuenient, desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis, Apoc. 14. v. 11. non habebunt requiem die ac nocte, sed fumus tormenti eorum ascendet in seculorum secula. Quomodo vero intelligendum sit illud, quod dicitur, *illic erit fletus stridorque dentium*, explicatum est supra c. 53. huius harmoniæ.

De tritico, quod crescit in agro Dominico, dixit Baptista, Matth. 3. vers. 12. congregabit illud in horreum suum. Hic vero Christus explicaturus, inquit: *Tum iusti fulgebunt vt Sol in regno Patris sui* Quod Daniel cap. 12. v. 3. de doctoribus atque iis, qui alios erudiunt ad iustitiam, pronunciat, in hic Christus in genere ad omnes pios accommodat. His obtinget inenarrabilis gloria cum perpetua & incommutabili felicitate atque gaudio coniuncta, cuius immensam magnitudinem & infinitum pondus nullius hominis cogitatio in hac vita complecti potest. Sicut Propheta testatur: oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ Dominus præparauit diligentibus se, Ies. 64. v. 4. & 1. Corinth.

2.verſ.9. Nam corpus noſtrum humile, conforme reddet corpori ſuo glorioſo, Phil.3.verſ.21. Tunc apparebit quid erimus: ſimiles nimirum ipſi futuri ſumus, quoniam videbimus eū, ſicuti eſt, 1.Ioh.3.v.2. Et propriè hic obſeruādā eſt particula *TVNC*, quæ duplicem ponit ἀντίθεσιν. Vnam tēporis præſentis & futuri. Nam pij gemunt & premuntur, & in magno contemptu, tanquam obſcuriſſimi homines & ignoti, verſantur: ſed tunc abſtergentur omnes lachrymæ ab oculis ipſorum, Apoc.7.verſic.17. Nunc ſeminant in lachrymis: ſed tunc in exultatione metent. Nunc euntes eunt & flent, portantes ſemina ſua: tunc autem venientes venient cum exultatione portantes manipulos ſuos, Pſalm.126.verſ.5. Nunc ſunt in valle lachrymarum: ſed tunc habituri ſunt gratiſſimam lætiſſimamque meſſem, percepturi fructus fidei & pietatis ſuæ longe ampliſſimos. Qui enim in ſpiritu ſeminat, de ſpiritu metet vitam æternam, Gal.6.verſ.8. Altera antitheſis reſpicit ipſas perſonas piorum & impiorum. Nam tunc, hoc eſt, eodem momento, quo impij & ſcandalorum authores in fornacem gehennæ conijcientur, ſempiternis infernalium tormentorum cruciatibus mulctandi, pij & iuſti æternæ vitæ præmia percepturi ſunt, videntibus ipſum reprobis & damnatis. Et hoc ipſum grauitatem ſupplicij augebit, quod videbunt eos, quos in his terris tanquam quiſquilias contempſerunt & ludibrio habuerunt, in ſumma gloria & felicitate verſari, quibus ipſi iam viciſſim nauſea ſunt & faſtidium, ſicut Ieſa.66.verſic.24. loquitur. Sic infelix epulo, cum inter inferni flammas miſere æſtuaret, vidit Lazarum in ſinu Abrahæ, Luc.16.verſ.23. Et liber Sapientię etiam aliqua hac de re habet, c.4.& 5. Moneant hæc omnes & ſingulos, vt omni contentione in eo elaborent, ne in Eccleſia Chriſti ſint ex zizaniorum aceruo, ne olim mittantur in ignem hunc inextinguibilem. Attendant potius ſermoni Dei viuo, qui eſt ſemen bonum, quod poteſt animas noſtras regenerare ad ſpem vitæ æternæ, ſaluemur à generatione iſta praua, Actor.2.verſ.40. ſegregemus nos per conuerſionem & veram fidem à conſortio impiorum hominum, ne de plagis illorum participemus, Apoc.18.verſ.4. Non ducamus iugum cum infidelibus. Quæ enim eſt conuentio Chriſti cum Belial? & quæ pars fideli cum infideli? 2.Corint. 6.verſ.14. Et quando per verbum regeniti ſumus, vt iam gratia Dei in ſpiritu viuamus: Spiritu etiam ambulemus, Gal.5.verſ. 25. repleti fructibus iuſtitiæ per Ieſum Chriſtum, in gloriam & laudem Dei, Phil.1.verſic.11. Nec deficiamus bonum facientes: ſiquidem etiam ſuo tempore metemus, non deficientes, Gal.6.verſ.9. in illa nimirum meſſe æternitatis, quando hoc, quod ſeminatum eſt in corruptione reſurrexerit in corruptione, 1.Cor.15.42.

Huius parabolæ explicationem concludit Ieſus Epiphonemate illo, quo vti ſolet, quoties auditoribus ſuis ſiue arduum ſiue myſticum quid, quod ſumma diligentia conſiderare eos vult, propoſuit, dicens: *qui habet aures audiendi, audiat*, ſicuti hanc ſententiam ſupra cap.56. pericopa 1. explicuimus. Cum ergo hic tractarit de æterno præmio piorum & indeſinente pœna impiorum in gehenna, addit hanc ſententiam, omnes & ſingulos ad diligentem harum rerum meditationem excitaturus, q.d. Non ſunt hæc, quæ dico, ludus & iocus: ſed eſt res ſeria ex qua ſempiterna vel ſalus hominis vel eiuſdem interitus dependet. Si enim arbor ceciderit, ſiue ad auſtrum, ſiue ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit, Eccleſ.11.verſ.3. Sententia ſemel lata, ſiue contra reprobos, ſiue pro iis, erit in æternum rata & irreuocabilis. Itaque ſi cui facultas detur iſta audiendi, is occaſione oblata vtatur, & de tota cauſa diligenter cogitet. Simul tamen hoc dicendo etiam iſtud innuit: pleroſque propria culpa inter zizania hærere, & cum ipſis perire, qui ſi auditum ſuum applicarent verbo Dei, fidem concepturi eſſent, Rom.10.verſ.17. per quam in filios Dei regenerarentur, atque in æternum ſaluarentur. Idcirco medium auditus verbi diuini neminem debere negligere, & ſi quis per Domini gratiam bonum tritici granum factus fuerit, tum is carnis cupiditates reſtinguat, mundi illecebras à ſe repellat, conſtanter in pietatis ſtudio perſeueret, ſeque totum ad regnum cœlorum componat, in quo fructum pietatis percepturus eſt perpetuum.

Quarta parabola de grano Sinapis.

CHriſto propoſitum eſt, hac parabola idem docere, quod Paulus ſcripſit, Rom.1.verſ.16. Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Nimirum Euangelio, licet hominum iudicio vile & contemptum ſit, diuinam tamen quandam vim fructificandi ineſſe, quam mirifice ſit exerturum in vniuerſo terrarum orbe. Medetur autem hac parabola, vt Chryſoſtomus obſeruauit, infirmitati & ſolicitudini diſcipulorum. Nam quoniam docuerat in prima parabola, tres fere nobilis huius & generoſi ſeminis partes apiri, vix autem quartam conſeruari. Et hanc ſane, vt habet ſecunda parabola, admirabili Spiritus ſancti operatione in hominum animis germinare & fructum facere. Quæ tamen ipſa, vt docet parabole zizaniorum, plurima impedimenta in hoc mundo habeant, quæ electi partim extrinſecus, partim intrinſecus in ſe ipſis ſentiant & experiantur, quòd omnia Euangelio aduerſentur. Periculum itaque eſſe, ne violentia & pertinacia zizaniorum, hoc eſt, conſiliis & viribus eorum, qui in mundo ſumma authoritate præditi ſunt, Euangelium ipſum vel tandem cum interitu regni Chriſti totum opprimatur & extinguatur. Prædicit itaque in hac parabola, eius prædicationem propediem per vniuerſum terrarum orbem coruſcaturam. Et quod hic prædicit, illud feliciſſimo ſucceſſu, adhuc viuentibus Apoſtolis factum eſſe, tum Euangeliſta Lucas in Actis docet, tum Paulus Col.1.verſ.6. teſtatur, affirmans Euangelium in vniuerſo mundo creſcere & fructificare. Apparet autem Chriſtum hac ſimilitudine grani ſinapis comprimis delectatum fuiſſe, ſiquidem hoc in loco cum interrogatione admirationis plena eam proponit: *Cui aſſimilabimus regnum Dei? aut qua collatione conferemus illud?* Eſt oratio in doctrinalibus ſermonibus frequentiſſima, ad diligentem ſimilitudinis inquiſitionem oſtendendam, attentionem parandam, & memoriam confirmandam. q. d. Cum ea ſit Euangelij ſors, vt tam multa eius fructum impediant, & eidem Satanas tot modis inſidietur, vt vix fructus aliquis ſperari poſſit, quid de illo dicemus? poteritne in rerum natura aliquid inueniri, quod eius exilitatem excuſare, illudque à contemptu vindicare queat? Et mox proponit hanc parabolam. Poſtea vero *Luc.13. v.19.* eandem repetit, imo etiam aliàs bis, vna vice, *Matth.17.* verſ.20. & Luc.17.*v.6.* eam adhibet, dum de fidei vi & efficacia, quæ ſenſim ad miraculum vſque creſcat, diſſerit. Quæ figuratæ propoſitiones cum repetitionibus nos mouere debēt, vt hanc parabolam tanto diligentius excutiamus, & ſingulas eius particulas ponderemus, quod aliorum veſtigiis inſiſtentes pro virili faciemus.

I. Dicit Chriſtus: *Granum ſinapis inter omnia ſemina eſt minimum.* Hoc certe Euangelio recte competit, ſiquidem eo cum omnibus ſuis adiunctis in mundo nihil eſt vilius & contemptius. Primi præcones Euangelij fuerunt piſcatores & publicani: adhuc hodie miniſtri eiuſdem ſunt *homines* abiecti, plerumque multorum odiis & *ludibriis expoſiti*, adeoque *καθάρματα καὶ περίψημα* totius mundi, *1.Corint.4.v.13.* Argumentum autem Euangelij, *quod prædicant*, eſt *Chriſtus* crucifixus, qui eſt Iudæis quidem offendiculum, Græcis vero ſtultitia, 1.Cor.1.verſ.23. Cumque fere eorum oratio & prædicatio verſetur, non in perſuaſoriis verbis humanæ ſapientiæ, 1. Cor.2.verſ.4. aut in turgido & ventoſo ſeſquipedalium verborum ornatu, apud homines huius mundi, qui ſublimes Spiritus habent, tanto minus authoritatis obtinet. Crux denique eſt indiuulſus comes huius prædicationis, 2.Tim.3.v.12. adeo vt Chriſtus non immerito beatos pronunciet, qui non in vili hac ſpecie offendantur, Matth.11.v.6.

2. Natura ſinapis eſt, quod illud eſt calidum & ſiccum, ac proinde admodum acre, adeo vt ſi vel manibus vel dentibus teratur, & naribus adhibeatur, ſternutamenta cieat. Eadem natura eſt Euangelij, quod admodum *calidum* eſt & *ſiccum*, quod experiuntur illi, qui diligentius *illud tractant* & *aſſidua* quaſi meditatione terunt. Mox enim in intimas animi medullas penetrat, & homines inſolito Dei amore & ardenti zelo inflammat, vt dies noctesque nihil aliud ſtudeant, præterquam prouectionem gloriæ Dei & ſalutis hominum. Eſt quoque ſatis acre, quod obſeruare licet, ſi quando impiis illius prædicatio acuitur & inſtantius ingeritur. Hi enim, quia ſe argui nolunt, ideo ſi fiat, animi corporeque concutiuntur, & exaſperati atque ira accenſi ferociunt, ipſumque verbum Dei prædicatum extinctum cupiunt. Sed niſi ſinapi ſit infatuatum, ſicuti Matth.5.v.13. de Euangelico ſale loquitur, non poteſt natiuum illum ſuum acorem deponere.

3. In medicina habet ſinapi vim purgandi. Nam abundantem capitis pituitam elicit, tritum grauitati aurium & tinnitui cum fico impoſitum prodeſt: ſcorpionum quoque & ſerpentum morſibus venenatis farina ſeminis aceto ſubacta medetur. Sic etiam Euangelij verbum habet vim purgandi mirificam. Intellectum noſtrum à falſæ ſapientiæ opinione liberat, ſuperfluas carnis cupiditates eiicit, grauedini aurium, ſi cum dulciſſimis promiſſionibus de dulcedine vitæ æternæ proponatur, medetur: veteris denique ſerpentis morſum curat, dum nobis Chriſtum in æneo ſerpente, Num.21. verſic.9. & Iohann.3. verſic.14. præfiguratum proponit: qui in cruce ſuſpenſus peccatum omne expiauit, & à nobis fide apprehenſus reatum omnem tollit, vt peccatum non imputetur iis, quibus Chriſtus iam factus eſt iuſtitia & redemtio, 1.Corint.1.verſic.30. 4. Commendatur Sinapi à fœcunditate. Semel enim hortis implantatum

adeo feliciter prouenit, vt ipsum sibi & semen & sationem subministret. Idem fit, quoad Euangelium. Illud enim semel admissum subinde noua semina sibi ipsi subministrat, nec angusto loco potest contineri, sed latissime se extendit, integras regiones & regna penetrat. Seminatur autem docendo, excipitur credendo, dilatatur bonis exemplis, solidatur cruce, diffunditur persecutione. Nam omnium seculorum exempla testantur, quo magis omnes tyranni & hostes Euangelij Christi cognitionem extinctam cupiuerunt, eo minus proficere potuerunt. Ex vnius enim martyris sanguine, non aliter, quam ex foecundissimo semine, complures alij Christiani suppullularunt.

5. *Inter omnia olera*, quae terra nascuntur, Christus *sinapi omnium maximum* esse testatur, si excreuerit. Nec dubium est, quin in Orientalibus regionibus, in quibus omnia hortensia firmiora & validiora creuerunt, quam apud nos, res ita se habuerit, licet nostrum napi non ita excrescat, vt fiat arbor. At verò Euangelium etiam hac in parte sinapis naturam imitatur. Etenim inter omnia doctrinarum genera est omnium antiquissimum, firmissimum, ratione praestantiae, diuturnitatis & certitudinis est omnium maximum & summum. Primum eius granum proiectum est in paradiso in corda primorum nostrorum parentum: ab eo tempore nemo vnquam hominum in toto terrarum orbe, neque in Oriente, neque in Occidente, neque in Septentrione, saluatus est, qui non ad hanc arborem, ceu ad nouam arborem vitae confugisset. Ideo Christus dicit: *volucres cœli ad eam confugere, & sub eius vmbra nidificare.* Reuera homines mobiles & erronei, quando vel tandem experiuntur omnia mundana esse caduca, solum autem verbum Dei esse aeternum, Ies. 40. versic. 7. & suos cultores beatos reddere: tum demum, quando omne genus scriptorum euoluerunt, Philosophos cum Poetis satis diu manibus suis triuerunt, nec tamen firmam consolationem, in qua acquiescat animus, inueniunt, abiectis mundanis studiis, ad sacra, tanquam ad tutissimum portum, confugiunt. Hic vmbram quaerunt in rebus aduersis, hic nidulantur rebus secundis, & alios quoque erudiendo atque ad pietatem instituendo, quasi pullos educant, & faciunt vt veritas etiam ad posteros propagetur. 6. Denique fit ex huius seminis farina intinctus, quem sinapismum vocant, quo velut irritamento languescens ventriculus ad appetendum cibum excitatur. Eo enim velut igniculo palatum titillando, comedendi conciliatur auiditas. Sic quando noster appetitus languescit, ad bene operandum ad desiderium cœlestium bonorum: tum ex praecipuis Scripturae dictis, ceu ex farina vel potius medulla Euangelij, desumi possunt praestantissimae exhortationes & efficacissimae consolationes, quibus excitantur, vt agiles & prompti reddantur ad deuorandas omnes molestias huius vitae, etiam mortem ipsam, siquidem certi sumus, quod vna cum Euangelio nobis offeratur panis vitae, ex quo pane si quis manducauerit, viuet in aeternum, Iohan. 6. vers. 51. Haec potissimum membra haerent in hac parabola, quae ad doctrinam Euangelicam, quatenus ea complectitur ministerium Noui Testamenti, commode referri possunt. Si quis plura conuenienter meditãdo inuenerit, illa his adiicere potest.

Porro quia Christus hoc in loco Euangelium confert non simpliciter sinapi, sed grano siue semini sinapis. Seminis autem natura est, vt progressu temporis, vbi planta adoleuerit, sui simile progeneret, idcirco haec omnia non tantum ad ipsum Euangelium accommodari debent, vt inde admirabilem eius dignitatem & efficaciam discamus: sed etiam ad ipsos Euangelicos, vt hi inde discant, quid se facere deceat, si Euangelicorum titulo vere & cum honore gaudere velint. Imitentur nimirum & ipsi sinapis naturam & effectus, tum in fidei confessione, tum in vitae conuersatione. 1. Studeant humilitati, neque externo splendore & fastu, aut prodigiosae sapientiae ostentatione sese vendicent. Superbis enim Deus resistit, humilibus autem dat gratiam, 1. Petr. 4. vers. 5. Itaque non plus sapiant, quam oportet sapere, sed sapiant ad sobrietatem, Rom. 12. vers. 3. & in humilitate alios se superiores arbitrentur, Philip. 2. vers. 3.

2. In studio religionis & confessionis sint calidi, ferueant amore Deo & zelo fidei. De tepidis enim, qui neque calidi neque frigidi sunt, pronunciat ipse Christus, quod eos ex ore suo euomere velit, Apoc. 13. vers. 15. Nec nocet, si quos in religionis negotio segniores iusto deprehendant, si eos acrimonia salis Euangelici aliquanto mordeant. Debet enim sermo eorum semper in gratia sale conditus esse, vt sciant quomodo oporteat respondere vnicuique, Col. 4. vers. 6. 3. Ad purgationem etiam superfluorum humorum & peccatorum saepe remediis in Euangelio monstratis vtuntur: ablutione nimirum & sacra Domini coena. Ibi enim sanguis Iesu Christi nos mundat ab omni peccato, 1. Iohan. 5. vers. 7. Et qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, & totus mundus est, Iohan. 13. vers. 10. Caueant tamen singuli, ne à veteri serpente rursus mordeantur: cumque farina huius seminis aceto subacta & pota succurrat venenis fungorum, nos ipsi quoque carnem nostram austeritate vitae subigamus, corpus nostrum castigemus & in seruitutem redigamus, 1. Cor. 9. vers. 27. ne carni lasciuienti occasionem ad malum praebeamus. 4. Demus etiam operam vt per nos cursus Euangelij propagetur, arbor Euangelica feliciter crescat, ramos suos quàm latissime extendat, atque fructum vberem proferat. Et hoc fieri debet per omnes status hominum, in singulis vocationibus. Curent Doctores vt auditores, magistratus vt subditi, patresfamilias vt liberi & familiae sint in officio, & teneris etiam filiorum animis hoc salutare semen instillent, vt simul cum aetate accrescat. 5. Quia omnibus temporibus Satanas mundum haereticis & tyrannis diuexat, atque inde fit, vt alia quidem Ecclesiae membra haereticorum strophis turbata, in diuersas opiniones distracta, dubia & instabilia vagentur, nescia in qua sententia subsistere debeant: alia vero ex suis bonis excussa in certis sedibus vagentur: ibi veri Euangelici, quibus nidus aliquis sub hac arbore Euangelica concessus est, hanc charitatis & hospitalitatis Christianae beneficentiam exerceant, vt errantes quidem & infirmos in fide assumant, certitudine veritatis Euangelicae consolident, nec conscientias disputationum certaminibus turbent, Roman. 14. vers. 1. exulibus vero pro virili succurrant & laborent, si quo modo & ipsi nidum certum & sedem fixam sub arbore Euangelij habere possint. Vt aliquando grata mente hanc beneuolentiam praedicantes, cum Dauide cantant, ex Psalm 84. versic. 4. Etiam passer inuenit sibi domum, & turtur nidum suum, vbi reponat pullos suos. 6. Denique Etymologici dicunt Graece *sinapi* dici σίναπι, παρὰ τὸ σίνειν siue σινάζειν τὰ ὦπας, quod oculis noceat. Ita veri Euãgelici Christiani, quia saepe spectaculum sunt Diabolo & mundo, ita pie & honeste vitam suam instituant, vt quasi mordeat oculos liuidi illius & inuidi spiritus, qui diu noctuque nos apud Deum accusat, ne quid videre possit, quod in conspectum Dei deferat, ibique traducat. Haec & similia non inutiliter iuxta vsitatam huius parabolae explicationem cogitari, & cum fructu aliquo coram plebe tractari possunt. Quae verò sint aliorum quorundam de hac parabola cogitationes, reseruabimus ad 13. c. Lucae.

Quinta parabola de fermento.

IN hac parabola Christus eundem finem sibi habet propositum, quem in priore. Vult nimirum docere regnum cœlorum, quod per Euangelium in hac vita instituitur & propagatur, à paruis quidem initiis exurgere, paulatim crescere, postea late se extendere, multa loca occupare, ac tandem idololatriam, quae antea latissime grassabatur expugnare. Nec quenquam offendat, quod alias fermentum in Scriptura in deteriorem partem accipiatur, & tamen Christus hoc in loco parabolam inde deducat ad regnum Dei. Sunt enim plura in rerum natura, ex quibus similitudines in vtramque partem, & bonam & malam desumi possunt. Sic Leonis natura interdum tyrannis & Diabolo ipsi, 1. Pet. 5. vers. 8. vicissim autem Christo applicatur, Apocal. 5. vers. 5. Vicit leo de tribu Iuda. Quid nocentius serpente? & tamen parabolice Christus serpentinam prudentiam nobis commendat, Matth. 10. versi. 16. Duntaxat in eo multum situm est, vt dextre & apposite huiusmodi similitudines & exempla quis explicet & accommodet. Nos de vtroque pauca dicemus, afferentes ea quae ad illustrandam hanc parabolam conducere videntur.

1. Vsitatum est in sacris, vt parabolae & imagines sumantur ex physicis exemplis, quae etiam blandiores fiunt, quando à rebus domesticis & ex Oeconomia desumuntur. Ac 1. hic occurrit, quod haec imago opposita est persuasioni Pharisaicae & opinioni, quae etiam Apostolis inhaerebat, qua sibi finxerunt regnum Messiae fore imperium mundanum, simile regno Dauidis & Salomonis, aut etiam Cyri & Alexandri imperio. Hinc sibi stulta multitudo Iudaeorum pollicebatur partitionem multarum prouinciarum, ocium, opes, voluptates. Haec quia grata erant, mirabiliter fascinabant mentes hominum. Siquidem, vt Demosthenes dicit, quae volunt homines, libenter credunt. Christus ergo hic in parabola longe diuersam imaginem sui regni ostendit, & dicit: Ecclesia non reget imperia mundi, sed erit doctrix, & *vt materfamilias miscebit aliquot modiis farinae fermentum*, id est, animis & pectoribus auditorum inseret doctrinam, vt sensus ac motus animorum ad Deum flectantur. Mulieris autem hic mentionem facit: quia apud veteres mulierum erat opus panes coquere, sicut ex historia Sarae patet, Genes. 18. vers. 6. Et Plinius testatur

Romæ, per annos ab vrbe condita quingentos & octoginta, nullos pistores fuisse. 2. Considerandum quomodo *fermentum* conficiatur, & postea ad exerendam vim suam adhibeatur. Mulier vel pistor præparatus fermentum ante omnia cogitur ad manum habere farinam, quæ conficitur ex granis tritici, quæ prius in mola franguntur & conteruntur. Farinam illam aqua subactam seponit ad tres quatuorve dies quibus massa illa acidum saporem concipit, sicque in fermentum conuertitur. Postea vero huius fermenti vsus non hic est, vt in angulum aliquem sepositum asseruetur, nec vt sub paleas vel grana tritici integra recondatur, sed miscenda est farinæ, ex contritis tritici granis confectæ, & ad pinsendos panes destinatæ. In illa enim farina, cui admiscetur fermentum, suam virtutem & efficaciam exerit. Hæc si accommodentur ad negocium Euangelicum de regno cœlorum, videbimus, ceu in imagine, quale illud initium & progressum habuerit. Christus filius Dei & Dominus huius regni, desumsit ex tota Iudæorum turba duodecim viros, partim piscatores, partim publicanos, hos mola crucis & malleo legis fractos, atque per pœnitentiam contritos, aqua quoque sacri baptismatis aspersos, in quartum vsque annum secum detinuit, doctrina Euangelij imbuendo, & ad regnum cœlorum præparando. Quo tempore paulatim nouum quasi saporem concipere cœperunt, donec igne Spiritus sancti cœlitus baptizati, & virtute ipsius ex alto induti, toti in nouos homines adeoque in primitias regni cœlorum, commutati sunt: ex carnalibus facti sunt spirituales, & qui prius nihil nisi terrena sapiebant, mox mutatis affectibus & desiderijs cœlestia docebant, cœlestia prædicabant. Hi ipsi vero non in eum finem à Christo electi & vocati fuerunt, vt in angulo aliquo Iudææ, siue Hierosolymis, siue alibi delitescerent, sed vt ex Hierosolymis egressi, non tantum in Iudæa & Samaria, sed vsque ad vltimum terræ, Actor. 1. vers. 8. eiusdem farinæ hominibus admixti, negotium Euangelicum tractarent, adeoque regnum cœlorum propagarent. Dico autem eiusdem farinæ hominibus eos admisceri debuisse, intelligens homines vel crucis pondere vel legis asperitate prius contritos & fractos. Hi enim rapti ad regnum cœlorum esse videntur, siquidem pauperibus euangelizatur, Matth. 11. vers. 5. Reliqui homines quorum corda adhuc sunt dura, vel superbia turgida, vel etiam voluptatibus mundi diffluentia, minus idonei sunt ad accipiendum fermentum Euangelicum, & capessenda mysteria regni cœlorum. 3. Vis & effectus fermenti etiam à Christo indicatur, qui hic est: *si modicum fermenti in tria sata farinæ condatur*, hoc est, misceatur farinæ quæ decuplo vel trigecuplo & amplius quoad quantitatem fermentum superat: totam tamen massam penetrat & inflat. *Satum* fuit genus mensuræ aridorum apud Iudæos in Palæstina. Putat Hieronymus esse vocem Hebræam vel Syram. id fortassis ob cognationem literarum aliquo modo concedi posset. Proprie tamen Hebraice סאה & Syriace סאתא legitur. Sumserunt autem Hebræi initium omnium suarum mensurarum, tam aridorum quam liquidorum, à gallinæ ouo, eoque communi. Hoc diuiserunt in quinque partes tanquam quinque vnciolas. Post hoc initium, primum mensuræ genus in aridis, quod quidem in sacris occurrit, est קב *Kabus*. Continet autem *Kab* seminis & aridorum portionem, quantum XXIIII. oua capere possunt. Et diuidebatur Kabus rursus in partes quatuor: quarum singulæ partes continebant sex oua. Dimidium autem Kabum ad diurnum pastum hominis satis esse tradiderunt veteres: quandoquidem duodena oua ad binos pastus singulis diebus sufficiant. Et 4. Reg. 6. vers. 25. legimus in Samaria ciuibus bello fameque oppressis, quartam partem Kabi stercoris columbarum quinque argenteis venijsse. Iam vero sex KAB conficiunt vnum SEAH siue *satum*, hoc est, mensuram quorum 144. LXX. vocabulum סאה diuersimode reddiderunt, alias *μέτρον*, alias *γομόρ*, & semel in historia Abigail *οἰφί*. Est autem *Ephi* siue *Ephaph* mensura, quæ continet tria Seim, seu tria sata. Ea est hæc ipsa mensura quæ in hac parabola significatur. Latinus interpres Latinis & nouis verbis vti studens Ephah fere vertit modium. Sed Lutherus nomen sati vertit *ein Scheffel*, quia ratio mensuræ cum modio VVitebergensi conuenit: & vocabulum Epha passim retinuit, quæ mensura tria sata, siue integrum medimnum continet, tantum farinæ, quantum in mediocri familia vna vice pinsitur. Quia vero hic Christus *trium satorum* mentionem facit, putat Philippus Melanchthon, ob narrationis similitudinem Christum hic alludere ad illud conuiuium, quo ipse olim nondum incarnatus, cum duobus angelis, Genes. 18. versic. 6. ab Abrahamo exceptus fuerat, quando Abrahamus vitulum mactauit. Sara autem tria sata similæ miscuit, & panes subcinericios fecit, ipse autem filius Dei, qui semper adest Ecclesiæ suæ, mensæ assidens conuiuas sermone suo recreauit, & præcipuam promissionem de redemptione humani generis repetijt. In quo conuiuio adumbratum fuerit negotium Euangelicum, siquidem Abramus sacerdos mactarit vitulum, quod significarit venturam victimam: materfamilias autem Sara confecit panes, hoc est, Ecclesia doctrinam distribuit. Alij accommodant tria sata ad tria tempora: ad Ecclesiam ante Mosen: deinde ad sequentem ætatem, vsque ad Christum & Apostolos: denique post Apostolos ad collectionem Ecclesiæ ex gentibus & Iudæis. Alij per *tria sata*, tres mundi partes, Asiam, Africam & Europam, in quas totus orbis terrarum, secundum tres Noachi filios, distributus est, intelligunt: quæ partes omnes sunt adimpletæ doctrina Euangelij, & ad regnum cœlorum adductæ. Alij etiam per *tria sata*, intelligunt tres hierarchias, quibus Deus totum hunc mundum sustinet & conseruat, ordinem Ecclesiasticum, ordinem politicum, ordinem œconomicum: quos ordines Euangelium Christi nec tollit, nec abolet, sed sub iis conditur atque iisdem miscetur, ita vt omnes ordines per doctrinam Euangelij sanctificentur, atque homines in iis viuentes regni cœlorum ciues esse queant. Chrysostomus simpliciter tria pro multis accipit. Siquidem Scriptura consueuerit hoc numero pro multitudine abuti. Quocunque vero modo quis ea accipiat, eodem recidit sensus, qui per se planus est: nimirum vult Christus innuere, eam esse fermenti naturam, vt in exigua quantitate magnæ copiæ farinæ admixtum, illam massam totam peruadat. Et hoc proprie conuenit Euangelio, cuius doctrina semel admissa, etsi initio nullius authoritatis aut ponderis esse videatur, admirabili tamen successu latissime serpit, & continuo progressu indies ad alios propagatur, donec totas vrbes ac gentes peruadat. Est enim Lapis ille, qui sine manibus abscissus, percussit statuam quatuor Monarcharum & comminuit, ac factus est mons magnus, impleuitque vniuersam terram. Dan. 2. vers. 34. Hoc quomodo impletum sit, non opus est multum inquirere. Ipse enim rerum euentus commonstrauit, quàm ineffabilis fuerit virtus Euangelij Christi, ita vt instar fermenti sese omnium hominum multitudini immiscuerit, effeceritque, vt passim in omnibus tribus mundi partibus increduli fidei credentium adhæserint, adeoque regnum Christi omnia regna totius terrarum peruaserit, atque vbique sibi asseclas & subditos acquisiuerit. Itaque nemo de Euangelij profectu desperet. Est eius vis magna & incredibilis: & quod semel fermentatum est, efficitur idem etiam fermentum ad reliqua. *Huius parabolæ veritatem* etiam nostra ætate expertus est orbis terrarum. Quid enim initio contemptius fuit doctrina Euangelij, ministerio Lutheri repurgata? Quæ in vnico angulo VVitebergæ, vix à paucis recipiebatur & pro cœlesti veritate habebatur. Sed mox ita exeruit suam virtutem & efficaciam, vt nunc nullus fere mundi angulus extet, in quo non vel inuitis inferorum portis reperiantur, qui huic doctrinæ nomina sua dent, illamque accepterent. Ita vt ipsi Pontificij scriptores velint nolint, euidentia tamen rei conuicti, fateri cogantur, Lutherum doctrinæ suæ posuisse vestigium mansurum, quoad Christus ipso populum suum, culpa Rectorum (puta Pontificum Romanorū) dissectum, aduentum nouissimi diei collecturus sit, Polyd. Virg. lib. 8. de rerum Inuent. cap. 8. 4. Considerandum etiam, quæ sint vtilitates fermenti, & in pane conficiendo & in corpore hominis nutriendo. In pane quidem primò fermenti effectus sunt, inflare, rarefacere & attenuare: quæ omnia conducunt, vt in pane singulæ partes recte & æqualiter coqui possint. Deinde vero nostris corporibus vtilior est panis rarior, tenuior & æqualiter assatus. Facilius enim accipit natura nostri corporis partes attenuatas & rarefactas, & ipsa mixtura fermenti rarefactionem in ventriculo promouet. Denique etiam ipse sapor ex acido & salso mixtus concoctionem irritat & acuit: figit etiam & quasi glutinat nutrimentum. Cum ergo fermenti sint tantæ vtilitates, ita vt Galenus ipse aliquoties dicat, panes non fermentatos minime esse salubres: iam dextra quoque eius fiat accommodatio ad doctrinam Euangelij. Discutit ea primùm innatum squalorem cordis nostri: deinde exuscitat in pectoribus nouos flatus & motus, ac firmum præbet nutrimentum animabus: nouam vitam & lætitiam quasi nouum succum in ipsis gignens. Et in hac consideratione non displicet accommodatio trium satorum, quam facit Philippus, qui applicat ad tres præcipuas vires hominis *[illegible]* seu fiat applicatio ad tres ordines in vita humana. In *[illegible]* siue eo statu, qui agit de doctrina, multum est caliginis vitiorum. Non tantum apud Ethnicos Philosophos in gentes leguntur furores, quorum aliqui fuerunt *ἄθεοι*, aliqui terras de Deo finxerunt opiniones: vt Stoici, qui horribili contumelia Deum affecerunt, fingentes eum scelera velle & quidem necessario velle. Ita non tantum

tantum apud Mahometistas & Anabaptistas noxij sunt errores: quorum illi negant hunc esse verum Deum, qui se patefecit in filio: negant filium missum esse, vt fieret victima pro nobis: hi vero varias confusiones introducere conantur. Sed sunt & alij, qui licet Christi nomen retineant & profiteantur: ipsius tamen beneficium non agnoscunt, decurrunt ad idola, inuocant mortuos homines, manifestam exercent impietatem in ἀνθρωπολατρείᾳ; quidam etiam maiestatem ipsius & gloriam, qua à patre cohonestatus est, negant & nefarie traducunt. Tales tenebræ sunt in ἡγεμονικῷ, seu statu eorum, qui se Doctores mundi profitentur. In secundo verò & tertio gradu virium hominis, in θυμικῷ nimirum & ἐπιθυμητικῷ, vt & in politico atque œconomico statu, quanta siue incendia prauarum cupiditatum, ambitiones, æmulationes, odia, maleuolentiæ, liuores, vindictæ, dolores propter repulsam, auaritia, libidines, spurcitiæ, turpitudines & maiora mala, notius est quàm vt recensione indigeant. Vt non inepte à Platone dictum fuerit, hominem (siue etiam humanum genus. Nam ad totum etiam referri potest) esse Scyllæ similem. Cuius superior pars fœminam, varium & mutabile atque imbecillum animal, inferior partim leonem, partim canes referat. Aduersus hæc ingentia mala monstrat hic saluator noster ἀλεξιφάρμακον, non moly Homericum, sed fermentum Euangelicum. Nam per vocem Euangelij, quæ in Ecclesia sonat, in mente quidem & statu Ecclesiastico, depellit tenebras errorum & hæresium: in corde vero & politia praua incendia malorum affectuum, ambitiones, odia, cupiditates vindictæ: in appetitu denique & œconomia, errantes amores, obscœnas voluptates, insidiantes denique Diabolos ipsos. Quis cogitet tantam vim esse vtilitatem huius fermenti? Sed sciamus filium Dei ipsum adesse huic fermento: nec esse prædicationem Euangelij inanem sonitum & strepitum verborum, sed potentiam Dei, Roman.10.versic.16. qua non solum mala depelluntur: sed etiam te ipsa in nobis restituuntur, vita, sapientia, iustitia & lætitia æterna. Illucescit enim cum audita voce Euangelij vera Dei notitia; per verbum ipse Dei filius cum patre mansionem in nobis facit, Iohann.14 vers.23. Idem Spiritu suo lætitiam in corde accendit acquiescentem in Deo, quæ impellit nos, vt accedamus ad Deum, eumque inuocare ausimus. Hæ nouæ flammæ in corde reprimunt errantes impetus. Ita non tantum foris aspergitur hoc fermentum, sed sub farinam absconditur, farinæ miscetur & subigitur, vt penetret omnes vires. Christus hic vtitur verbo κρύπτειν quod significat *abscondere*: quia Euangelium in propagando regno cœlorum non aperte & sensibiliter, sed latenter & inuisibiliter vires suas exerit. Spiritus enim Domini vbi vult spirat, & nescimus vnde veniat, aut quo vadat, Iohan.3.vers.8. Abrahamus in sua historia vtitur significantiore vocabulo לוּשׁ quod significat subigere massam farinæ aqua conspersam, agitare pastam attrectando & commiscendo eam. LXX. reddiderunt per φυρᾶν, quod Varinus dicit idem esse, quod ἀναμιγνύειν, quia quæ subiguntur, illa etiam miscentur. Sic vero fides & diligentia Ecclesiæ eiusque ministrorum in doctrina Euangelij tractanda subindicatur. Fit enim hæc subactio quotidianis laboribus & ærumnis vocationis, quibus in suo quisque officio non sine sudore & gemitu exercetur. Ea vero omnia eo diriguntur, vt auditores fiant νέον φύραμα, noua conspersio vel massa, 1.Corinth.5.vers.7. & quidem talis massa, de qua vsurpare possimus illud, Rom.11.v.16. si primitiæ (scilicet spiritus Euangelij quem accepimus) sanctæ sunt, etiam τὸ φύραμα, ipsa massa sancta est. Hæc omnia nos, qui Euangelij doctrinam profitemur, officij nostri admonere debent. Quemadmodum enim fermentum inflat massam, eique suo acore saporem suauiorem & salubriorem conciliat, denique panes ad digerendum faciliores efficit, vt cor hominis corroborent, Psalm.104.versic.15. Ita doctrina Euangelij auditorum mentes à terrenis attollere debet, vt de cœlestibus cogitare incipiant. Coloss.3. vers.2. Quæ sursum sunt, sapite: non quæ super terram. Suo acore & salsuginea acrimonia peccati blanditias, & carnis cupiditates pellit, spirituali & occulta vi renatos per fidei obedientiam Christo subiicit, talesque efficit, vt fiant quasi noui panes propositionis, Deo grati & accepti, qui in monimentum oblationis Domini esse possint, Leu.24.vers.5. Vnde denique ipsi nouas animi vires concipiant, vt in sufferendo igne tribulationis & feruore crucis patientes & inuicti plene excoquantur, & aduersa omnia superent. Denique sicuti massa fermentata etiam aliam fermentat: ita quorum corda hoc nouo Euangelico fermento sunt imbuta, illis non satis est, se Deo reconciliatos esse, nisi eiusdem felicitatis etiam alios consortes efficiant. Idcirco hoc vnice studeant, vt Euangelij doctrina indies latius propagetur, & quam plurimi etiam alij Christo adducantur. Hæc & similia vtiliter de hoc Euangelico Christi fermento cogitari & tractari possunt.

II. Diximus etiam suprà fermentum parabolice in malam partem accipi posse. Id inde fit, quia Diabolus conatur esse simia & imitator operum Dei, in eum finem, vt tanto facilius homines circumuenire & decipere queat. Sicuti ergo in tertia parabola Christus nos docuit, Diabolum in agro dominico etiam seminatorem agere, qui bono semini à Deo seminato, zizania sua aspergat: ita etiam hic meminerimus eum in domo Domini pistorem agere velle, & habere suos quosdam incarnatos Pistorios, qui diabolicum fermentum, spiritualem faltum & superbiam, fidelibus admiscere conantur, quo eos & Deo infipiendos & hominibus molestos reddant. Paulus vocat *fermentum vetus*, 1. Corint.5.vers.7. quia iam post lapsum ex vetere Adamo nobis natura inhæret, & ad illud naturali inclinatione procliuiores sumus, quàm ad percipiendam doctrinam Euangelij, idque tantisper, donec Christus nostrum Pascha immolatus, fermentum illud expurgat imputatione & renouatione. Ostendit autem Christus in Euangelio, Marc 8 versic.15. hoc Diaboli fermentum duplex esse. Vnum vocat fermentum Pharisæorum, quod consistit in doctrina falsa. Vt enim fermentum massam conspersam inflat & efficit, vt se in altum attollat: ita etiam falsa doctrina hominem in altitudinem extollit, non tantum aduersus homines, sicuti Pharisæus Euangelicus eo nomine Deo gratias agit, quod non sit sicuti cæteri homines, Luc.18.vers.11. Sic falsa doctrina de viribus liberi humani arbitrij, & fiducia propriæ iustitiæ homines inflat aduersus gratiam Dei: qua superbia nihil magis Deo exosum, nec homini magis noxium esse potest. Et in genere nullum animal magis est inflatum & superbum, quàm sit hæreticus. Alterum Diaboli fermentum vocat Christus, fermentum Herodis, quod est manifesta impietas, prophanus Dei contemptus, effrenis licentia quiduis audiendi. Sicuti hoc nomine Paulus Corinthiacum incestuosum fermentum vocat, 1. Corinth.5.vers.7. Quemadmodum enim suprà de occulta fermenti virtute disseruimus, quod in exigua quantitate farinæ admixtum totam massam inficiat: eadem est ratio malorum morum & scelerum, quæ si impunita dimittantur, subinde latius serpunt, ac vel tandem integram vrbem vel etiam regionem peruagantur. Sicuti Paulus isthic loci grauiter conqueritur. Vt ergo prioris illius Euangelici fermenti, quod ob coniunctam suam acrimoniam salubre est, appetentes esse debemus: ita tum Ecclesiastici tum politici ordinis Antistites toti in eo esse debent, vt Diaboli fermentum expurgetur, & populus fidei suæ commissus ab eo arceatur, nisi aliquando loco Panum propositionis Deo offerendorum Satanicas placentas, olim in infernalibus prunis excoquendas reponere velint. Potest quidem Satanas suum fermentum mellea dulcedine inficere. Quid enim falsa doctrina suauius & amabilius? quid peccandi licentia & malis moribus blandius & iucundius? Sed vel tandem fructus vtriusque est amarissimus. Recte ergo Deus, Leuit.10.vers.12. hanc legem promulgauit: Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiat: nec quicquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio Dei. Et Exod.23. versi.18. Non immolabo super fermento sanguinem victimæ meæ. Amos quoque 4.vers.5. pro abominatione habetur, de fermento sacrificato.

Huic parabolicæ concioni, quam Christus ad mare ex naui habuit, duo Euangelistæ Matthæus, & Marcus conclusionem de suo attexunt: in qua non tantum testantur, Christum ea die *multa, eaque omnia per parabolas populo dixisse*, sed etiam quomodo parabolas illas adhibuerit. 1. Marcus dicit, eum ita locutum fuisse pòpulo *prout poterant audire*, hoc est, auditorū captui sese accommodauit, & res cœlestes mysteriaq; regni Dei verbis & similitudinibus vulgo bene notis, ac tali familiari & populari ratione docendi proposuit, vt etiam simplicissimi & maxime rudes illam percipere & assequi possent. Vult igitur Christus suo exemplo suos ministros docere μὴ ὑπερφρονεῖν, Rom.11.v.3. ne in docendo coram plebe nimium sapiant, & de rebus sublimibus atque abstrusis sesquipedalibus verbis differentes laudem singularis grandiloquentiæ venentur: sed vt humili orationis genere conentur res vtiles & ad salutem hominum concernentes, planis & perspicuis verbis ita proponere, vt institutio & ædificatio Ecclesiæ (quæ post gloriā Dei vnice spectanda est) promoueatur. Et certo statuamus illum verbi ministrum maxime laudabiliter coram Ecclesia disseruisse, ex cuius concione non tantum docti & nobiles, sed & indocti ac ignobiles, viri & fœminæ, pueri & senes, adeoque cerdones, nautæ & aurigæ, aut si quod vilius hominū genus est, plurimum ad pietatem profecerunt. Hinc Paulus dicit sermonem suum, suamq; prædicationē non fuisse in persuasilib. humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, 1.Cor.4.vers.20. Est tædiosum genus concionatorum, qui totis viribus in eo elaborant, vt reuelata cœlestis regni mysteria

phalerato sermonis ornatu, qui stylum curiæ sapiat, proponunt. Imitantur hi Cherubicos & Seraphicos illos regni Pontificij Doctores, qui sæpe proposuerunt ea, quæ ne ipsi quidem intelligebant, nedum vt auditores iis erudiri possent. Aliter Dominus omnium conciones suas instituit, qui ita docuit, *prout audire poterant*.

2. Si quæ videbantur difficiliora & abstrusiora, *seorsum discipulis suis exponebat omnia*: eadem etiam plebi expositurus, si hæc explicationem desiderasset. Nam hac ipsa de causa per parabolas cum populo locutus est, vt eam ad attentionem & & desiderium horum mysteriorum percipiendorum excitaret. Itaque Marcus non contradicit Christo, qui apud Matthæum à discipulis interrogatus, quare populo per parabolas loqueretur, in superioribus respondit, se ideò id facere, *vt auditores non intelligant*. Sed potius vtriusque loci collatio ostendit, Christum habuisse duplices auditores, alios pios & doctrinæ appetentes, alios præfractos & doctrinæ suæ contemptores. Hæc enim est parabolarum natura, vt per eas homines excitentur ad veritatis inquisitionem. Qui ergo pij & veræ doctrinæ amantes erant, illi quiescere non poterant, donec verum sensum assequerentur, quem inuentum amplexi sunt. Sicuti hic nominantur *μαθηταὶ, discipuli*, quo nomine tum temporis intelligebantur, non tantum Apostoli, sed omnes qui Christi doctrinam amplexi, eius fidem profitebantur. Cæteri quia apertam simplicitatem Euangelicæ doctrinæ negligebant, in his parabolis solum durum corticem voluebant & premebant, sine latentis nuclei siue simplicitatis profanatione. Pari ratione duplices auditores habituri sunt omnes Euangelici ministri. Alios quidem *γνησίους*, & germanos Christi discipulos, qui cum Berrhoensibus, Act. 17. vers. 11. diligenter in auditum verbum inquirunt, sicque ad veræ lucis communicationem, quæ aliàs ceu mysterium à seculis absconditum est, proueniunt. Alios vero præfractos, qui obstinata contumacia in tenebris suis hærere malunt, & voluntaria sua malitia merentur, vt quæ ad salutem conducere poterant, ipsis abscondita maneant, sicque reprobentur.

3. Causam autem cur per parabolas locutus sit, Matthæus addit, dicens hos factum, *vt compleretur quod dictum fuit per Prophetam, dicentem: Aperiam per parabolam os meum. eructabo abscondita à constitutione mundi*. Desumptum est hoc dictum ex Psalmo 78. in quo Asaphus hisce verbis proponit summam rerum, quas in eo Psalmo tractaturus erat. Dicit se expositurum parabolas & ænigmata: & tamen nihil commemorat, præterquam vetera Dei beneficia in patres, & eiusdem iustitiæ & iræ exempla in contumaces & murmuratores edita. Hæc vero vocat parabolas & ænigmata propterea: quia historiæ istæ suis Iudæis ob vetustatem quasi abstrusæ & incognitæ videbantur, eo quod eas obliuioni tradidissent, ita vt fere nulli de earum vsu cogitarent. Asaphus autem eadem eleganti & simplici dicendi genere ad institutionem & doctrinam populi composito ipsis enarrauit. Hoc Matthæus accommodat ad Christi institutum. ferebat is mysteria regni Dei in doctrina Euangelij comprehensa, quæ inde à constitutione mundi, mox post lapsum in paradiso, fuerant quidem promulgata, sed plerisque Iudæorum tum temporis erant parabolæ & ænigmata. Christus vero eadem, parabolis & similitudinibus vtens, ita familiariter exposuit, vt qui modo vellet, fructuose per eas ad regnum Dei institui posset. Dicit autem: *aperiam os meum*. Quæ phrasis vsurpatur partim de magnis viris, quorum cor est instar opulenti penu cœlestis sapientiæ, ex quo verba salutis per os proueniunt & promanant, partim quando aperte & cum fiducia aliquid docetur. Vt Ezech. 29. vers. 21. promittit Deus se daturum Prophetæ os apertum in medio domus Israel, hoc est, vt cum fiducia loquatur. Act. 8. vers. 35. Philippus Eunucho Euangelium predicat aperto ore. Et Paulus Ephes. 6. vers. 19. expetit Ephesiorum intercessionem ad Deum, vt detur ipsi sermo in apertione oris cum fiducia notum facere mysterium Euãgelij. Quis enim aliàs aliter quàm aperto ore loquitur? Dicit autem se aperturum os *per parabolas & ænigmata*. Quod Hebræi משלי, *parabolas* vocant argute & eleganter dicta supra est indicatum. Per חידות seu *ænigmata* intelligunt illa dicta, quorum sensus aliquanto abstrusior, nõ statim à quouis percipitur. Possunt ergo per ea vocabula intelligi graues sententiæ continentes salutarem doctrinam. At Asaphus ipse est optimus suus interpres, qui paulo post subiungit, se velle agere de lege & testimonio. In quibus duobus, tum Deut. 6. vers. 20. tum Ies. 8. vers. 20. tum alibi tota summa doctrinæ cœlestis comprehenditur. Addit autem à constitutione mundi, siue vt Hebræus textus habet, à principio: quia non velit noua & inaudita afferre, sed quæ etiam olim proposita, nunquam autem satis expensa fuerint. Atq; sic Diuus Matthæus hac conclusione suo loco, in persona Christi tanquam perfectissimi Concionatoris, omnibus verbi præconibus tres præcipuas dotes commendare voluit. Vna est, vt non pudeat ipsos populum sibi commissum aperto ore docere. Quidam Ecclesiæ antistites, officium concionandi tanquam nimis humile aspernantur, se sublimiores existimantes, quàm vt se eo vsque demittant. Alij verba mussitant, & sententiam suam inuolucris verborum ita tegunt, vt nemo certi quid inde desumere possit. Lutherus solet vocare *Mum mum*. Veritas luce gaudet, & amat apertum candorem. Iccirco verus concionator aperte confessionem suam edit: aperte hæreses & peccata taxat. Secunda dos concionatoris est, vt sit alligatus ad legem & ad testimonium. Si non dixerit iuxta verbũ hoc, non sit ipsi lux matutina. Ies. 8. vers. 20. Non ergo afferat Ecclesiæ fabulas vulgi, non placita Philosophorum, non Papæ decreta: sed sententias graues, continentes salutarem doctrinam, desumptam ex fontibus Israelis. Tertia est, vt Concionator non sit nouitatis studiosus. Sed sæpe secum reputet illud Pauli: Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium, Phil. 3. vers. 1. Nam fere qui superbiæ œstro conciti, præ aliis noui quid proferre conantur, præ aliis etiam fiunt hæretici. Et tales præcones verbi auditores vitare debent: sicut hoc nomine Irenæus commendat veteres Germanos, quòd, si intellexerint quempiam nouam doctrinam afferre, alienam ab ea, quam ex Apostolorum discipulis didicissent, ambas aures obturantes, quàm longissime retro aufugerunt. Nam verum manet illud Tertulliani: Antiquissimum, verissimum: nouum, adulterinum.

CAPVT LXII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DE CHRISTO A MARI domum reuerso.

MATTH. 13. v. 36.

RATIO ORDINIS.

HAnc historiarum consecutionem & hoc discrimen solus Matthæus exquisita ordinis notatione ostendit. Etenim diserte dixerat finito sermone ad Pharisæos blasphemantes, & responso de matre & fratribus volentibus Iesum videre, Dominum domo exiisse, & extra vrbem ad mare disseruisse de semine: vnde dimissis turbis domum redierit eodem die, & superiora petentibus discipulis explicauerit, atque nouas parabolas addiderit. Vnde apparet, quæ quo loco & tempore dicta sint. Domi se descendit accurata Apologia aduersus Pharisæos: domi fuit, cum quæreretur à matre & fratribus stãtibus foris. Egressus domo ad mare, disseruit de quadruplici semine. & illic mox, petentibus discipulis, eam parabolam explicauit, addens & aliam de semine, de zizaniis inter triticum, de grano sinapis & fermento. Postea, reuersus à mari domum, explicauit ad petitionem discipulorum parabolam de zizaniis: addens de thesauro abscondito in agro, margarita, & reti in mare iacto. Itaque bis rogatus à discipulis, bis addidit explicationes: sed diuersis locis, primũ ad mare, deinde domi.

EXPLICATIO PARABOLAE DE ZIZANIIS, & nouarum parabolarum additio.

MATTH. 13. v. 36.

36. Τότε ἀφεὶς τοὺς ὄχλους, ἦλθεν εἰς τὴν οἰκίαν ὁ Ἰησοῦς. καὶ προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες, φράσον ἡμῖν τὴν παραβολὴν τῶν ζιζανίων τοῦ ἀγροῦ.

37. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς, ὁ σπείρων τὸ καλὸν σπέρμα, ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

38. Ὁ δὲ ἀγρός ἐστιν ὁ κόσμος. τὸ δὲ καλὸν σπέρμα, οὗτοί εἰσιν οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας· τὰ δὲ ζιζάνιά εἰσιν υἱοὶ τοῦ πονηροῦ.

39. Ὁ δὲ ἐχθρὸς ὁ σπείρας αὐτά, ἐστιν ὁ διάβολος. ὁ δὲ θερισμὸς, συντέλεια τοῦ αἰῶνός ἐστιν· οἱ δὲ θερισταὶ ἄγγελοί εἰσιν.

40. Ὥσπερ οὖν συλλέγεται τὰ ζιζάνια, καὶ πυρὶ κατακαίεται, οὕτως ἔσται ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος τούτου.

41. Ἀποστελεῖ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ, καὶ συλλέξουσιν ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ πάντα τὰ σκάνδαλα καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν.

42. Καὶ βαλοῦσιν αὐτοὺς εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός. ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.

43. Τότε οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν ὡς ὁ ἥλιος ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρὸς αὐτῶν. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

44. Πάλιν ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν θησαυρῷ κεκρυμμένῳ ἐν τῷ ἀγρῷ, ὃν εὑρὼν ἄνθρωπος ἔκρυψε, καὶ ἀπὸ τῆς χαρᾶς αὐτοῦ ὑπάγει, καὶ πάντα ὅσα ἔχει, πωλεῖ, καὶ ἀγοράζει τὸν ἀγρὸν ἐκεῖνον.

45. Πάλιν ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ ἐμπόρῳ, ζητοῦντι καλοὺς μαργαρίτας·

46. Ὃς εὑρὼν ἕνα πολύτιμον μαργαρίτην, ἀπελθὼν πέπρακε πάντα ὅσα εἶχε, καὶ ἠγόρασεν αὐτόν.

47. Πάλιν ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν σαγήνῃ βληθείσῃ εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ ἐκ παντὸς γένους συναγαγούσῃ.

48. Ἣν ὅτε ἐπληρώθη ἀναβιβάσαντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλόν, καὶ καθίσαντες συνέλεξαν τὰ καλὰ εἰς ἄγγεια, τὰ δὲ σαπρὰ ἔξω ἔβαλον.

49. Οὕτως ἔσται ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος. ἐξελεύσονται οἱ ἄγγελοι, καὶ ἀφοριοῦσι τοὺς πονηροὺς ἐκ μέσου τῶν δικαίων.

50. Καὶ βαλοῦσιν αὐτοὺς εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός. ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.

51. Λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, συνήκατε ταῦτα πάντα; λέγουσιν αὐτῷ, ναὶ κύριε.

52. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, διὰ τοῦτο πᾶς γραμματεὺς μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐκβάλλει ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιά.

36. *Tunc dimissis turbis, uenit in domum IESVS. Et accesserunt ad illum discipuli eius, dicentes, explica nobis parabolam zizaniorum agri.*

37. *Et ille respondens, dixit illis, qui seminat bonum semen, est filius hominis.*

38. *Ager autem est mundus. Porrò bonum semen, hi sunt filij regni: zizania verò sunt filij illius mali.*

39. *Inimicus autem qui seminat ea, est Diabolus. Messis vero consummatio seculi est. Messores autem, Angeli sunt.*

40. *Sicuti igitur colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi huius.*

41. *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui patrant iniquitatem.*

42. *Ac mittent illos in caminum ignis. Ibi erit ploratus stridórque dentium.*

43. *Tunc iusti fulgebunt vt Sol in regno patris sui. Qui habet aures ad audiendum, audiat.*

44. *Rursum simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem repertum homo abscondit, & præ gaudio quod habet super eos abit, & omnia quæcunque habet, vendit, ac mercatur agrum illum.*

45. *Rursum simile est regnum cælorum homini negociatori, quærenti pulchras margaritas:*

46. *Qui cùm inuenisset vnam pretiosam margaritam, abiens vendidit omnia quæ possidebat, & mercatus est illam.*

47. *Rursum simile est regnum cælorum verriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti.*

48. *Quod cùm impletum fuisset, subduxerunt in littus, & sedentes collegerunt quæ bona sunt, in vasa, quæ verò mala, foras abiecerunt.*

49. *Sic futurum est in consummatione seculi. Venient Angeli, & segregabunt malos de medio iustorum.*

50. *Et mittent eos in caminum ignis. Illic erit ploratus, & stridor dentium.*

51. *Dicit illis IESVS: intellexistis hæc omnia? Dicunt illi, etiam Domine.*

52. *At ille dixit illis, propterea omnis scriba doctus ad regnum cælorum, similis est homini patrifamilias, qui depromit è thesauro suo noua & vetera.*

Periocha huius concionis.

EXplicatio parabolæ de zizaniis in precendenti capite tractata est, atque ea propter non opus vt hic repetatur, quin rectà ad reliquarum parabolarum expositionem accedamus.

Parabola de thesauro occultato.

IN præcedenti capite Christus duxit parabolas à rebus vulgo contemptibilibus: vtpote à semine, à semente, à tritico cui zizania sunt aspersa, à grano sinapis, & à fermento. Nunc, ne propterea prædicatio Euangelij, per quam ad participationem regni cœlorum adducimur, vilesceret, addit duas parabolas à rebus pretiosissimis desumptas, thesauro nimirum & margarita: quibus docet Euangelio nihil preciosius in mundo esse, ac proinde illud omnibus, quæ in mundo sunt charissima, præferri, adeóque hominem omnibus reliquis studiis renunciare debere, quo hoc thesauro, vel hac margarita potiatur. Singula autem membra diligentius sunt excutienda.

I. *Thesaurus* dicitur copia pecuniæ & aliarum rerum rararum atque pretiosarum, magno studio collecta, aucta, & ad certum vsum reposita, vt vel necessitati nostræ seruiat, vel dignitatem nostram ornet, vel gloriam & famam adaugeat, vel denique ad omnem fortunæ euentum in promptu sit nosque subleuet. Varinus dicit, [illegible]

ptio. Est autem reuera regnum cœlorum, quod per Euangelium proponitur, copia variarũ & pretiosissimarũ rerum, quarum dignitatem & præstantiam nec auris audiuit, nec oculus vidit, Iesa.64.versic.4. nec vllius rei comparatio illud æquare potest, quæ copia nostram indigentiam in æternum suffulcit, nostræ dignitati & gloriæ seruit, & aduersus æterni infortunij mala nos præseruare potest. Proponitur nobis in eo Christus, qui est panis vitæ, quem qui comedit, viuit in æternum, Ioh. 6.ver.51. est fons aquæ viuentis, ex qua aqua qui biberit, non sitiet in æternum, Iohan.4.ver.13. Imo flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, Iohan.7.versic.38. est lux mundi, quam qui sequitur non ambulat in tenebris, Ioh.8.v.12. est via, quę nos sola ducit ad vitam veram, Ioh.14.ver.6. est ostium, per quod intramus ad participationem regni cœlorum, Ioh.10.versic. 9. quod non est esca & potus: sed iustitia, & pax & gaudium in Spiritu sancto, Rom.14.ver.17. Ipse enim Christus nobis à patre factus est sapientia, iustitia, sanctificatio, redemptio, 1. Corinth.1.v.30. & in ipso absconditi sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ, Col.2.ver.3. Imo tota plenitudo Deitatis in ipso inhabitat corporaliter, versic. 9. Hæc cum ita sint, quis negabit nobis in Euangelio proponi inæstimabilem thesaurum? quem qui habet, confidenter cum Dauide dicere poterit: Dominus mihi pastor, nihil mihi deerit, Psalmo 23. versi.1.

II. Quia homines thesauros suos in pretio habent, fere eos abscondere, & vel domi intra firmissima conclauia custodire, seris & repagulis communire, vel etiam sub terram defodere solent. Ita Christus dicit etiam hunc thesaurum esse absconditum. Nondum enim apparuit quid erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, 1.Iohan. 3. versicul.2. Et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos cum ipso apparebimus in gloria. Col.3.ver.3. Vt ergo caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, 1. Cor.15. versic.50. Ita nemo corporalibus suis oculis gloriam regni cœlorum videre, neque etiam corde suo æstimare potest, quæ & quanta sint, quę Deus præparauerit iis, qui diligunt ipsum, 1.Cor.2 v 9.

Spe enim salui sumus Spes autem est eorum, quæ non videntur Rom.8.ver 24. Itaque per patientiam speremus & expectemus ea, quæ Deus nobis est pollicitus.

III. *Thesaurus hic est absconditus in agro.* In superioribus parabolis ager denotauit, aliàs cor hominis, aliàs Ecclesiam, aliàs mundum: sed hic denotare potest Scripturam sacram, in qua vera Christi cognitio & cœlestis illa sapientia perueniendi ad gloriam regni cœlorum, abscõdita est. Ideo Christus dicit Iudæis: Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quę testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis, Iohan 5.versic.39. Propterea etiam in hoc agro iste thesaurus absconditus dicitur, quia humani ingenij acumini mysteria regni cœlorum non patent. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia siquidem ei est, & nõ potest intelligere, 1.Cor.2.versi.14. Cumque τὸ φρόνημα, seu sapientia carnis, sit inimicitia aduersus Deum, Rom 8 v.7. omnino danda opera, vt si ad cognitionem absconditorum mysteriorum Dei peruenire velimus, νόημα nostrum & omnem intellectum captiuum ducamus in obsequium Christi, 2.Cor.10. ver.5. Neque enim caro & sanguis nobis Christum reuelant: Sed Pater qui in cœlo est, Matth.16.versic.17. Nam nemo nouit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui Filius voluit reuelare, Matt.11 v.21.

IV. Quia thesaurus absconditus nemini prodest, Christus testatur hunc thesaurum *inueniri.* Et quidem homines magno desiderio feruntur ad inquirendos thesauros, vnde quidam impostores simpliciores decipiunt, promittentes se in cellis & alibi effossuros thesauros, cùm tamen vix carbones inueniant. Quo ergo animo homines sunt affecti ad inueniendum thesaurum, eodem etiam ferātur ad quærendum regnum cœlorum. Sunt autem varij modi inueniendi thesaurum, qui tamen omnes ad duos potissimũ reduci possunt. Vnus est, quod aliqui thesaurum inueniunt, quem non quæsiuerunt, sicut interdum operarij ad altius agrum siue alia fodienda conducti, thesauros in visceribus terræ absconditos aperiunt. Hic quidem vulgus rem casu & fortuito factam arbitratur: verùm nos Christiani, qui scimus casum & fortunam esse ludibria gentilium, agnoscimus prouidam Dei curam, qui hoc modo miseris mortalibus interdum prospectum vult. Eadem ratione non raro hic thesaurus salutis aliquibus offertur, qui minime eum inquirebant. Hoc enim modo DEVS diuitias suæ bonitatis & gratuitæ misericordiæ hominibus spectatas reddere vult, quod eos ad cœlestis sui regni & æternæ salutis fruitionem vocat, cùm ipsi nihil minus quàm de eo cogitassent. Hinc dicitur apud Prophetam: Inuentus sum his, qui me non quærebant: & conspicuus factus sum iis, qui de me non interrogabant, Iesa.65.versic.1. Rom.10.ver.20. Hoc modo mulier Samaritana hunc thesaurum inuenit ad fontem, Iohan. 4.v.7. Eadem fuit fortuna omnium gentium. Cum enim mortui essemus in delictis, Deus (qui diues est in misericordia) nos conuiuificauit in Christo Iesu, Ephes. 2. versic.4. Alter modus inueniendi est, si quis thesaurum quæsitum inueniat. Hic vero reiicimus & damnamus illegitimos quærendi modos, quibus aliqui per incantationes, annulos, specula & Chrystallos adhibentes, vtuntur. *Legitimus* est, qui fit per fossiones & labores, qui tamen occulta quadam vi interdum per virgulam Mercurialem, qua metallici ex corylo vel fraxino vtuntur, regitur. Sicuti duo illi discipuli, Iohan.1.versic.38. item Nicodemus, Iohan.3.ver.2. quæsiuerunt Iesum. Itaque quibus aliquid de cœlesti hoc thesauro innotuit, illi in eodem amplius inquirendo indefessum suum studium indies adhibere debent. Reuera enim Scriptura est inexhaustus fons diuinorum mysteriorum, è quo quanto plus eruimus, tanto plus in eo latitare deprehendimus. Docet ergo nos, vt simus φιλόπονοι ἢ ζητητικοί, qui indifesso studio hunc thesaurum quærere debeamus, iuxta præceptum ipsius Domini: Quærite Dominum, viuetis, Amos 5.versic.6. Item: Quærite & inuenietis, Matth.7.versicul.7. Ad hanc diligentiam nos excitet nostra necessitas. Nam natura sumus egentes, miseri, pauperes & nudi, Apoc. 3.versic.17. Et sine hoc thesauro verbi & Christi, nec in hoc mundo commode viuere, nec ad cœlestis felicitatis fruitionẽ peruenire possumus. Excitent nos etiam exempla sanctorum, qui omnes (vt Petrus, 1.Epist.1.v.10 de Prophetis testatur) ἐξεζήτησαν ἢ ἐξηρεύνησαν, hoc est, summo studio exquisiuerunt & scrutati sunt de salute animarum.

V. Quid vero fit de thesauro inuento? 1. *Homo qui inuenit lætatur.* Si laborando eum inuenit, gaudet se fructum percipere, & finem consecutum esse laborum. Sin forte fortuna inuenit, tanto gratior est thesaurus, quanto minus de eo cogitauit, & quanto res magis accidit citra animi propositum. Certe vtrisque grata est Dei benignitas, & animus ardet studio & cura conseruandi. Eodem modo pij homines toto pectore lætantur & exultant, quando per Euangelij præconium adducuntur ad communionem regni cœlorum Luc.19.v.6. Zachæus Christũ excipit cum gaudio, quia illo die domui suæ salus facta est. Sic Act.8.versicul.8. fit magnum gaudium in ciuitate Samaria, quod per Philippi prædicationem regnum Dei ad ipsos peruenit. Nec minus lætatus est carceris custos Philippis, cum tota sua domo quod de vera in Deum fide instructus esset, Act.16.versi.34. Nec hoc tantum, sed etiam lætantur & gloriantur in tribulationibus, quas regni cœlorum causa sustinent. Scientes hasce in ipsis patientiam, probationem & spem eiusmodi operari, quæ non confundat, Rom.5. versicul. 3. Sicuti hoc aperte videmus in Apostolis, Act.5.versi.41. 2. Quicunque hoc modo thesaurum in alieno agro inuenit, ille eum inuentum rursus occultat, & re profunde dissimulata se subducit, atque consilium init de emendo agro, vt legitime thesauro, tanquam re ex proprio fundo eruta, potiatur. Tali cura in pietatis negotio etiam opus est, vt thesaurus inuentus contegatur, non quidem propter homines, sed contra Satanæ artes, ne is hunc nobis rapiat. Nam quoad homines, coram ipsis lux nostra lucere debet, Matth. 5. versicul. 16. nosque operam dare, vt etiam quamplurimi alij vna nobiscum ad viam veritatis conuertantur. Sicut Paulus exoptat, Actor.26. versicul.29. vt omnes qui ipsum audiunt, quoad cognitionem regni cœlorum tales sint, qualis ipse erat. Neque enim cuiquam homini quicquam de suo hoc cœlesti thesauro inuento decedit, si maxime complurimis aliis quid inde communicet. Nam quod ab Ennio propositum est vna in re, etiam ad hanc transferri potest:

Homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit
Vt nihilò minùs ipsi luceat, cùm illi accenderit.

Sed propter Diabolum rursus occultandus est hic thesaurus, qui variis modis eum nobis eripere, pro cœlesti gloria, inferni carbones reponere conatur. Nunc enim palam minis & persecutionibus tyrannorum, mox clam falsis expositionibus Scripturæ, quas hæretici & phanatici adducunt, rursus non raro blandimentis, honoribus, spe diuitiarum & dignitatum nos à via salutis auertere, & ad mundi studia reducere conatur. Aduersus huiusmodi molitiones animus constanti fide muniendus, insuper precibus atque assiduo verbi studio instandum, cauendum est, ne id quod semel inuenimus rursus ex manibus elabatur. 3. *Vendit omnia quæ habet, & emit agrum istum.* In negotio salutis priores possessiones iudicari possunt, partim naturæ dona, qualia sunt

sunt, ingenij bonitas & acumen, prudentia carnis, sapientia; partim corporis & fortunæ dona, vt sunt diuitiæ, honores, vxor, sanitas, pulchritudo corporis & simili. Talia debent vendi, hoc est, relinqui & in Christi gratiam deseri: ita vt omnibus facultatibus huius mundi, adeoque nostris desideriis renunciemus, modo regni coelorum participes reddi queamus. Etenim huius coelestis thesauri ea est dignitas & incomparabilis præstantia, vt siue reliquæ res fortunæ omnes, siue honores, siue vita, siue humana denique omnia exponenda sint, summo cum gaudio, magnáq; animi alacritate id facere debeamus. Siquidem huic vni omnia humana vtcunque admirabilia & delectabilia cedere & posthaberi debent, nec vnquam quicquam præstantius contingere potest, quàm Spiritus sancti diuitiæ & opes, quas regni coelorum ciues adipiscuntur. Recte autem annotatum est à quibusdam, Christum in parabola non dicere, quòd thesaurus, sed quod ager ematur. Etenim æterna salus & gloria regni coelorum, neque opibus neque operibus, neque vlla gaza humana emi potest. Gratia enim saluamur per fidem, & hoc nō ex nobis, quia Dei donum est. Ephes. 2. versic. 8. Et si quis cū Simone spiritualia bona nummis comparare velit eius pecunia cum ipso est in perditionem, Actor. 8. v. 20. Ipse vero ager, in quo thesaurus hic est absconditus, nimirum scriptura, emi potest. Quod fit non tantum tum, quando sacros bibliorum codices certo precio comparamus: sed & quando verbi Doctores & præcones, qui scripturis & regni coelorum mysteriis explicandis sunt occupati, certis impensis alimus & sustentamus. Quando item scholas aperimus, in quibus bonæ indolis adolescentes instituuntur & educantur, quorum opera olim Ecclesiæ vsui esse potest. Quando denique aliquid ad alimoniam pauperum conferimus, qui olim nostræ beneficentiæ testes esse, nosque in æterna tabernacula recipere possunt, Luc. 16. v. 9. Hæc est emptio agri, in quo thesaurus ille est absconditus.

Tota itaque hæc parabola, sicut apparet, eo est directa, quod Christus docere voluit, doctrinam Euangelij, in qua coelestis regni bona nobis aperiuntur & offeruntur, omnibus totius euanidi huius mundi opibus & thesauris longissime præferendam esse. Etenim quid profuturum esset homini, si maxime totius mundi opes lucraretur, & interim animæ iacturam faceret? Luc. 9. versicul. 25. Frater non redimendo iis redimet quenquam, nec dabit Deo placationem aut pretium redemtionis animæ suæ: omittet illud in æternum, Psalm. 49. versic. 8. Et quidem externis diuitiis si quis cor apponat, Psal. 62. ver. 11. ille facile cum opibus perit, 1. Tim. 6. v. 9. easque vel inuitus tandem deserere cogitur, ita vt nesciat cui accumularit illa bona, Luc. 12. ver. 20. Hic vero thesaurus qui in verbo Euangelio nobis proponitur, nos nunquam deserit, sed quādo deficimus, nos in æterna tabernacula recipit. Luc. 16. vers. 9. Et hac de causa etiam Dauid in Psalm. 19. & 119. Verbum Dei tantopere commendat, vt testimonia Dei desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum; & dulciora super mel & fauum testetur. Sed hac de re rursus differendi copia datur in sequenti parabola.

Parabola de Margarita.

HÆc similitudo ad eundem scopum cum priore collimat. Et quidem:

I. Sub nomine *Margaritæ* magni pretij, considerandam Christus proponit dignitatem & præstantiam prædicationis Euangelicæ. 1. *Margaritæ* vt plurimum in Oceano Indico inueniuntur, à certis quibusdam conchis progenitæ. Illæ vero non sunt omnes vnius generis, sed aliæ ignobiles, aliæ generosæ. Et inter has quidem præstantissimæ sunt vniones, quibus, Plinio teste lib. 9. cap. 35. Romanæ deliciæ propterea hoc nomen imposuerunt, quia nunquam duo aut plures indiscreti inueniantur, sed semper vnicus saltem in concha vetustate præcipua, quæ reliquis se ducem præbet, extat: ita Christus hic regni coelorum Margaritam vnicam, non plures, esse testatur, quæ in Euangelio, ceu viscosa concha, profundo huius mundi Oceano agitata, reperiatur. Est illa æternus & vnigenitus Dei Filius, cui proprio Vnionis vel Margaritæ nomen conuenit. Nam margaritas ex coelesti rore gigni tradūt, quem conchæ, quadam oscitatione se pandentes, certo anni tempore hauriant, atque inde grauidæ factæ suo tempore enitantur. Vnde etiam pro qualitate roris accepti inter se diuersæ generentur. Nam si purus influxerit, candorem conspici dicunt: si vero turbidus, & foetum sordescere, & eundem pallere coelo minante conceptum. Ita de Christo testificatur, Psalm. 110. ver. 3. De vtero ante auroram esse ipsi rorem natiuitatis suæ. Et quidem secundum diuinam naturam, ex purissima Patris essentia (quæ omnis puritatis fons) est genitus, secundum humanam vero naturam est conceptus de Spiritu sancto, in castæ virginis Mariæ vtero. Et quia hic vnus est, qua ratione nemo mortalium nec conceptus, nec natus est, gloriam etiam maiestatis suæ nemini communicat, Ies. 42. ver. 8. 2. Omnis margaritarum dos consistit in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere. Et quia admodum raræ sunt hæ margaritæ, quæ omnibus his dotibus coniunctim præstēt, non immerito illæ vniones dicuntur. Solus autem Christus hisce dotibus vere & proprie est præditus. Candore puritatis & læuore superat omnes homines: quia iniquitatem non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius, Iesa. 53. v. 9. Vnde etiam nulla ruga, neque macula ipsum vnquam dehonestauit inde ab æterno. Magnitudini eius & ponderi quid assimilabimus? vel vna gutta sanguinis Christi præponderat omnibus mundi peccatis: & si totus mundus seipsum magnitudine centies superaret, nondum tamen ipsius magnitudinem æquaret. Est enim infinitæ æstimationis, & soli sancti possunt comprehendere, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas, & profunditas ipsius, Eph. 3. v. 18. Cúmque ipse sedeat super gyrum terræ, omnes aquas pugillo mensurans, & coelos palmo ponderans, molemque terræ tribus digitis appendens, montes in pondere librans, & colles in statera, Ies. 40. v. 12. quis de ipsius orbe siue rotunditate dubitabit? 3. Porro margaritæ etiam in medicum vsum veniunt: quandoquidem scribunt eas ad cordis affectus præcipuam opem ferre: quin etiam collyriis admistas oculorum nubeculas detergere, & aquam eò defluentem absumere. Matthiolus in Dioscor. lib. 2. cap. 4. Vitales denique Spiritus confortare & vertiginem pellere. Hoc certe Christus præstat, siquidem trepida corda vere confortat, innatas menti tenebras extergit, & ceu oriens illucescens nostris cordibus, de tenebris nouam lucem splendescere facit ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, 2. Cor. 4. vers. 6. Idem Spiritu principali eos confirmat, Psal. 51. v. 14. ne incerto vertiginis spiritu agitemur, sed certi simus, nullam creaturam à charitate Dei nos separari posse: Rom. 8. vers. 39. 4. De margaritis etiam afferunt, quod aceto maceratæ in aquas resolui possint: sicuti dicunt Cleopatram Ægyptiam summi pretij vnionem, arte chymica dissolutam, Antonio suo vno haustu propinasse: sic qui amaro corde Christi verbum excipit, aut eidem in cruce constituto acetum propinat, sicut Iudæi fecerunt, Ioh. 19. v. 29. is vnionis huius præstantiam perdit, sibique ipsi vitam ad regnum coelorum præcludit. Cum ergo intelligamus solum Christum, qui in Euangelio nobis offertur, præstantissimam hanc margaritam esse, ipso etiam solo contenti simus, & si alij nobis proponantur, cum Petro dicamus: DOMINE ad quem ibimus? tu verba vitæ æternæ habes, Ioh. 6. ver. 68. Non enim est in alio aliquo salus, nec aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, quam hoc nomen IESV CHRISTI, Act. 4. v. 12.

II. Studium vero & desiderium nostrum, quod habere debemus, vt regni coelorum in hac vita atque olim coelestis vitæ participes reddamur, exprimitur vocabulo Negociatoris. ἔμπορος est *Mercator*, is potissimum qui mare traiicit, & mercimonia inde aduehit, aut emta, aut permutata suis quæ exportauit. Inde Plato lib. 2. de Repub. dicit, ἐμπόρους esse τοὺς πλανώντας ἐπὶ τὰς πόλεις, qui modò in hanc, modò in illam vrbem, mercium importandarum exportandarumve causa discurrunt. Et distinguit Varinus inter ἔμπορον & κάπηλον. ἔμποροι iidem fere sunt, qui αὐτοπῶλαι: his inferiores sunt κάπηλοι, quippe qui ab illis merces emant, quas reuendant. Eodem plane modo quo apud Germanos *ein Kauffman vnnd ein Kramer*. Negociatorum verò illorum & mercatorum indefessum studium in conquirendis mercibus notum est, imprimis autem gemmarij grauissimos labores in conquirendis gemmis ferunt, ingentes sumptus faciunt, ac periculosissimis peregrinationibus & nauigationibus se fatigant: sicut Horatius hoc ipsorum infatigabile studium duobus versibus expressit lib. 1. Epist. 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Hanc diligentiam atque indefessum studium imitari debent, quotquot æternæ salutis sunt appetentes. Si enim terreni mercatores non dubitant mille pericula & infinita rerum discrimina adire, terrestribus item & maritimis itineribus seipsos consumere, & ad vltimas oras atque insulas excurrere, tantum vt selectas margaritas comparent, quæ vtcunque pretiosæ sint, paulò pòst tamen interibunt: quis stupor est, hoc inæstimabile Clinodium æternæ salutis negligere & aspernari, neque eius causa quicquam laboris sustinere velle? cum vnum tantum sit necessarium, quod qui sectatur, is meliorem partem deligit, quæ nō auferetur ab illo, Luc. 10. v. 42. DEINDE verò fiunt gemmariis varia offeruntur. Nam incidunt interdum in impostores, qui adulterinas margaritas ex piscium ossibus factas & conglutinatas pro veris vendunt, quique interdum coloratis vitris ac si gemmæ essent fucum faciunt. Ar-

proinde prudens & circumspectus mercator, omnia quidem excutit, sed non omnia emit, verum multa repudiat. Ita ab homine salutis appetente, requirit hic Dominus iudicium eligendi inter doctrinas ad vitam beatam institutas. Nam diuersa ipsi offeruntur, alij Philosophiam, alij humana studia, alij externam religionem ceremoniarum magnificentia vestitam, alij ieiunia & opera, alij honores & voluptates obtrudunt, singuli tamen sua commendant ac si apex beatitudinis in illis consisteret. Itaque diligenter cauendum, ne à nugiuẽdis hominibus, quoniam multi sunt καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, 2. Cor. 2. v. 17. circumueniamur. Ex omnibus autem religionibus & doctrinis sola Euangelica illa est, quæ verum scopum attingit, quæ credita & legitime exercita regnum cœlorum vere indicat & tradit.

Tandem ergo quemadmodum mercator, inuenta margarita πολυτίμῳ & magni pretij in ea acquiescit, & vendens omnia quæ habet, illam emit: ita etiam homo salutis auidus, in doctrina Euangelica acquiescere debet, & si opus sit omnes possessiones, adeoque ipsam vitam potius deserere, quam hanc gemmam rursus ex manibus vel pectore dimittere debet. In hac enim inuenitur vera εἰρήνη, & habet conscientia, in quo acquiescat, contra stimulos peccati accusantis, nimirum in Christo Iesu, quem, cum non nouisset peccatum, cœlestis pater pro nobis peccatum fecit: vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso, 2. Cor. 5. v. 21. Talis mercator fuit Abrahã pater credentium, qui relictis patriis laribus & tota sua cognatione DEVM vocantem secutus est, Gen. 12. v. 1. Talis fuit Dauid, qui testatur se dilexisse legem Dei super aurum & topazion, Psalm. 119. vers. 127. Tales fuere Apostoli, qui relictis omnibus secuti sunt Christum, Matth. 4. vers. 22. Tales fuere pij martyres, qui corpora & sanguinem in amorem huius vnionis impenderunt. Tales & nos simus, atque cum Paulo omnia pro stercoribus habeamus, omnia detrimentum existimemus, vt Christum lucrifaciamus, & in ipso inueniamur, non habentes nostram iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide, Phil. 3. v. 8.

PARABOLA DE SAGENA Euangelica.

HVius parabolæ idem scopus & finis est, qui illius, quem superius habuimus de zizaniis: vult nimirum Christus docere in Ecclesia militante filios nequam esse veris filiis regni interspersos, quorum separatio demum futura sit in nouissimo die, in fine mundi. D. Chrysostomus tamen inter vtramque hanc diuersitatem ponit, quod putat parabola de zizaniis notari illos, qui ex hæresi & prauis dogmatibus pereant, quoniam bono semini & Euangelicæ prædicationi nullum locum dederint. Hac verò notari illos, qui veritatem quidem cognouerint, siquidem in verriculum piscatorum inciderint, sed tamẽ male viuendo pereant. In hisce autem parabolis omnibus Christus hãc obseruauit diuersitatem, quod alias quidem totas exposuit, vt illam de quadruplici semine & de zizaniis. Aliquibus vero prorsus nullam addidit expositionem: Vt parabolæ de sementi indies exsurgenti, de fermẽto, de grano sinapis, de thesauro abscondito, & de margarita pretiosa. Hic interpretis exercetur diligentia, vt afferat ἀπόδοσιν, & redditionem talem, quæ sit idonea & concinna, ne deuiet in μυθολογίας vel allegorias. In hac denique parabola ex piscatione desumta, vnicum saltem illudque postremum membrum explicat. Si tamen plenam parabolæ explicationem habere velimus, necesse erit singulas eius partes excutere.

1. Piscaturi dispiciunt de aquis: siquidẽ neque in terris, neque in aere, sed in aquis pisces capiũtur. Ideo Christus cõfert regnum cœlorum verriculo coniecto in mare. Per *mare* mundus apte & concinne præfiguratur, siquidem eadem ipsius natura est, quæ maris. Quemadmodum enim mare nunquam aut certe diu quiescit, quippe cum & proprio suo æstu, siue fluxu & refluxu, moueatur, & perpetuis ventorum ac tempestatum vicibus ita turbetur, vt non tantum in obiecta, sed etiam in seipsum sæuiat, & fluctus se mutuo comprimant. Itã mundus nunquã potest quiescere, quia maiori ex parte impiis constat, quibus nunquam est pax, Iesa 48. v. 22. ac proinde non tantum in pios conspirant, sed & in semetipsos furunt, atque ab inuicem diffident. Ideo Iesaias dicit cap. 57. v. 20. Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. DEINDE quemadmodum in mari omnis generis pisces & bestiæ cernuntur, adeoque quotidie fere noua monstra inueniuntur, sicut Psalmus 104. ver. 25. dicit, Hoc mare magnum & spaciosum vtique, illic reptilia, quorum non est numerus: animalia pusilla cum magnis: Leuiathan iste quem formasti, vt in eo ludat: Ita in hoc mundo diuersissimorum ingeniorum & motum homines inueniuntur, nec vlla siue in mari siue in terris est bestia adeò truculenta & crudelis, cuius ingenium & rabiem homo non imitari conetur, nisi disciplinę & legum freno inde à iuuentute coerceatur. Denique sicuti in mari maior piscis minorem deuorat: ita etiam inter homines fieri solet, vt qui viribus & armis sunt potentiores, quosuis inuadant, rapiant, occidant, & pro sua libidine omnia vertant, nec plus sibi ab ira Dei timeant, quàm si quis complures vermiculos vno pede contriuisset. Sicuti hac de re conqueritur Propheta Habacuc, cap. 1. v. 14.

2. Ad hoc mare mittit DEVS *piscatores*, qui homines à perditionis via extrahant, & ad bonam frugem parent. Inter piscatores primum locum obtinet Iesus Christus filius DEI, ad quẽ totum hoc negotiũ potissimùm pertinet, vtpote *sagenæ* comparatio & conseruatio, capturæ item lucrum & gloria. Idem vero inde ab initio semper vsus est suis ministris & seruis. Quorum primi fuerunt Patriarchæ, per quos DEVS primũ mundum inuitauit ad pœnitentiam: talis fuit Lothus inter Sodomitas, Abrahamus inter Cananæos, Iacobus & Iosephus inter Ægyptios. Ad hoc enim ipsorum peregrinationes profuerunt, vt promissio Euangelij de benedicto semine, pluribus innotesceret. Hos secuti sunt Prophetæ, qui non tantum legem Dei populo ipsius studiosissime proposuerunt, & simul de præmiis pietatis & pœnis vitiorum admonuerunt, sed & diligentissimi fuerunt in mysteriis Christi scrutandis & explicandis, 1. Pet. 1. vers. 10. ita vt omnes Prophetæ à Samuele & deinceps, qui loquuti sunt, conciones suas ad hunc finem direxerint, Actorum 3. versic. 24. His successerunt Apostoli, quos ipse Christus testatur se in hunc finem vocasse, vt fiant piscatores hominum, Matth. 4. v. 19. Et vt horum omniũ officium hoc fuit, vt hominum animos ad veritatem adducerent, veram iustitiæ rationem traderent, atque solidam pietatem plantarent: ita post ipsos excitauit constantes Martyres, Ecclesiasticos Patres, atque etiam hodie pios Ecclesiæ pastores & doctores, omnes in eum finem vt consumerent opus ministerij sanctorum, in ædificationem corporis Christi, vt omnes occurramus in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, Eph. 4. v. 11.

3. Hisce piscatoribus DEVS in manum dat instrumentum, quod hic *sagena* dicitur. Σαγήνη, Græcis est rete vel nassa, & vt quidã volunt proprie sinus in verriculo, in quem capti pisces illabuntur, ne possint euadere: quanquam Varinus ex Hesychio etiam dicat esse πλέγμα τι ἐκ σχοινίων ad capiendos pisces. Latine dicitur *verriculum*, quia profunde sub aquas pertingens ipsum fundum verrat. Verriculum hoc spirituale est prædicatio Euangelij. Vt enim verriculi vsus proprius est pisces prius temere & sine lege vagantes intercipere, suis finibus ne transiliant intercludere, sicque è mari extrahere: Sic prædicationis Euãgelicæ hic vnicus scopus & finis est, homines, qui in mundo secundùm desideria carnis vagantur, capere, eos per fidei obedientiam intra legis Dei cancellos concludere, in vnũ cœtum, & ad eãdem fidei professionem colligere. At verò pauci piscatores, multo minus vnicus, suo reti totũ mare non possunt occupare. Hinc plagas maris inter se distribuunt, & alij quidem in hac, alij in alia parte piscantur. ita vno eodemque tempore non possunt pauci ministri verbi totum mũdum personare, multo minus potest vnicus aliquis œcumenicus & vniuersalis piscator constitui. Sed vt duodecim Apostoli orbem terrarum inter se partiti, alij quidẽ versus orientem, alij verò versus occidentem, alij versus reliquas plagas mundi profecti sunt: ita adhuc hodie inter ministros operæ sunt distributæ, vt quisque in illa statione quæ ipsi concredita est, cum collegis opus Domini diligenter & fideliter vrgeat. Porro sicut verriculum varios pisces extrahit, tum squamosos, tum aspero corio tectos, tum serpentini generis, non solum viuos, sed etiam putres, adhæc quasuis obuias bestiolas & insecta, insuper conchas inanes, sarmenta, algam & sordes marinas, omnia denique occurrentia donec impleatur: Ita Euangelium sine discrimine colligit bonos & malos: continent Ecclesia & tolerat hæreticos, hypocritas, impostores, blasphemos, viperas cõtra Theologos, & in peccatis mortuos. Trahit enim multas sordes secũ: peccatum enim manet non tantum in impœnitentibus, sed etiam in piis. Accedunt denique multa parerga, non vitio doctrinæ, sed obiectorum. Vt enim rete turbat aquas, ita Euangelium turbat mundum, & vbicunque illud prædicatur, ibi excitantur iurgia, seditiones, bella, persecutiones, quæ quidem Euangelio imputantur, sed non ipsius culpa ista eueniunt, verum culpa turbidi maris. Ferenda tamen ista sunt tantisper, dum sagena in huius mundi aquis versatur. Nam qui præcipiti zelo abreptus, hypocritas omnes statim ex Ecclesię consortio eiicere velit, is non plus proficiet quàm piscator, qui sordes marinas ex verriculo expurgare velit, dum illud

adhuc

adhuc profunde in aquis est demersum. Talis ineptus piscator non tantum inani labore se macerabit, sed & scisso atque aperto reti totius prædæ iacturam faciet: ita qui ζιζανίων Ecclesiam ante tempus à Deo constitutum, ab omnibus sordibus repurgatam volunt, illi fere noxij schismatis authores sunt, temere ab Ecclesia secessionem facientes, seipsos æterna salute spoliant. Sicuti Anabaptistis euenisse scimus. Itaque quod in Ecclesia mutari nequit, ferendum est.

4. At verò hæc improborum & hypocritarum improbitas non perpetuo durabit. Sed sicut verriculum vel tandem in littus subducitur, vbi sagena repurgatur, & fit segregatio piscium, ita vt boni quidem in sua vasa colligantur, mali autem abiiciantur: ita idem fiet prædicatione Euangelij. *Littus* est finis mūdi & consummatio seculi huius, ubi tota hęc mūdi facies abolebitur: cœli magno fragore prætreibunt, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur, 2. Pet. 3. versicul. 10. Ibi tum oportebit omnes stare ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque corporis, prout gessit, siue bonum siue malum, 2. Cor. 5. versic. 10. Nec iudicabit tantum secundum externa facta, sed scrutabitur Ierusalem siue Ecclesiam suam in lucernis, & visitabit super viros defixos in fecibus suis, Soph. 1. ver. 12. illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, 1. Cor. 4. versic. 5. Postquam ergo ipse iusto iudicauerit & sententiam pronunciauerit irreuocabilem, mox succedent piscatores noui, Ierem. 16. v. 16. Angeli, quibus executio sententiæ demandabitur. Et sane angeli non immerito piscatores vocantur. Quia etiam in hac vita fidelibus verbi ministris, Euangelicam sagenam trahentibus, ex mandato Christi assunt, eos tuentur, solantur, & membra Ecclesiæ ex periculis eripiunt. Sicuti huius rei typos habemus in Patriarchis, Prophetis & Apostolis, quibus congressus angelorum familiaris fuit. In consummatione autem seculi hæc ipsorum erunt officia: venient prænuncij illius diei, 1. Cor. 15. versicul. 52. 1. Thes. 4. versic. 16. iudicio aderunt, Dan. 7. ver. 10. Apo. 5. v. 11. ἀφορισμὸν seu sequestrationem bonorum & malorum, quam Christus Matth. 25. ver. 32. sibi tribuit, adiuuabunt tanquam ministri, quia Christus per angelos eam exequetur. Denique pœnas & supplicia damnatorum procurabunt, eosque proiicient in caminum ignis infernalis, in quo erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, Malach. 4. ver. 1. Nam vtitur hic eadem [illegible], quam adhibuit in parabola de zizaniis. Caminus nimirum ignis, ploratus & stridor dentium, æternum conscientiarum tormentum & summum cruciatum exprimunt, vt formidinem in improbis, hypocritis & sceleratis tanto magis amplificet.

Hæc est parabola de versiculo, cuius quàm multiplex vsus sit, ex præcedentibus colligi potest: hic tamen præcipua membra recensere libet. 1. Tota hæc similitudo admonet nos, quodnam verbi sit ministrorum munus: nimirum strenue docere, frustra vt ut sæpe laborare videantur. Scimus non omnem sagenæ iactum felicem esse, sæpe piscatores frustra vigilant in mari, frigore, inedia, vigiliis, aliisque periculis sæpe conficiuntur: non tamen ab opere desistunt, licet ter quaterve verriculum omni præda vacuum trahant. Sicuti historia de Petro, totam noctem frustra piscando insumente illud docet Luc. 5. v. 5. qui tamen Christo iubente retia rursus ad capturam laxat. Ita verbi ministri, quoad vires & vita suppetunt, atque Dominus prædicandi occasiones præbet, à professione sua minime discedere, nec improborum odio aut hypocritarum malitia expugnari debent, quò minus opportune, importune instent, arguant, exhortentur, increpent in omni patientia & doctrina, 2. Timoth. 4. ver. 2. iuxta illud prophani Poetæ: semper tibi pendeat hamus: Quo minime credas gurgite piscis erit. 2. Ecclesiæ militantis forma & facies consideranda venit, quæ instar verriculi non est pura vel integra in his terris, sed semper malos bonis permixtos habet. Quod vnum sufficit confutandis furoribus Anabaptistarum, qui quoniam eam puritatem in his terris quærunt, quia nihil scandalorum vspiam inueniatur, ab Ecclesiis secessionem faciunt, schismata non necessaria introducunt, totas Ecclesias damnant, pacem publicam turbant, multorum conscientias vulnerant, Euangelij cursum impediunt, denique Dei iudicium aduersus se prouocant. Non ergo quæramus in hoc mundo cœtus prorsus puros. Tales enim non inueniemus: siquidem hostis, qui zizania spargit, & verriculo sordes admiscet, nec dormit, nec quiescit. Imò cœtus qui purissimi videntur, vel maxime nobis sint suspecti: quia natura in his terris non fert eiusmodi sinceritatem, & necessum est, nos iudicio nostro falli, cùm hypocritæ se tegant, magnum aliquod malum daturi. 3. Interim sciendum bonis & electis hypocritarum sordes nequaquam fraudi esse. Certe vt Sodomitarum scelerate facta iustam animam Lothi de die in diem cruciarunt, 2. Pet. 2. versic. 8. Ita adhuc hodie nihil magis molestum est iis, qui sincero pietatis & salutis studio ducuntur, quàm quando vident hypocritas in improbitate sua florere, & longe se meliores premere vel etiam opprimere. Sed hæc ipsorum sit consolatio, quod in hac quidem vita pij potissimum Deo sint curæ, & quod sordes etiam hoc paucis bonis piscibus debeant, quod attrahuntur: verùm enimuero tandem optata secutura est rerum catastrophe. Licet enim in hoc mundo maior sit improborum proteruia & licentia, quàm vt coerceri queat: tamen in fine mundi non fallent vindicem iusti iudicis oculum, qui grauioribus pœnis compensabit, quod in hoc seculo connivendo pepercisse videtur. 4. Addi potest & hæc commonefactio ad omnes qui Christiani dici volunt, vt sciant non sufficere externam fidei professionem: sed hoc requiri vt vita & mores illi respondeant. Nam sicut non sufficit in sagena esse, nisi etiam boni & viui pisces sint, qui palato sapiant: ita non sufficit in externo versari Ecclesiæ consortio, nisi etiam operibus se viua fide præditos esse commonstrent. Recte itaque Paulus dixit: discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini, 2. Timoth. 2. versic. 4. Alias enim iudicium Domini non tardat; sed nouit Dominus pios eripere de tentatione, iniquos vero in diem iudicij reseruare cruciandos, 2. Pet. 2. v. 9. Ibi tum videbimus quid sit inter iustum & impium: & inter seruientem Deo & non seruientem ei, vt inquit Propheta Malachias c. 3. v. vlt. Hæc omnia latius extendi possunt, sed sufficit summam doctrinarum indicasse.

Conclusio vtriusque concionis.

PRiori concioni ad mare habitæ, Matthæus & Marcus Euangelistæ conclusionem de suo addiderant: huic posteriori in domo propositæ, ipse Christus attexit conclusionem: Et quia vtraque ex meris constat parabolis, ideo etiam parabolicam addit conclusionem. Nam exemplo patrisfamilias siue œconomi vult proponere præcipuas aliquas dotes Doctoris Ecclesiastici, quas Apostoli in se obseruare, atque postea ad officium docendi admissi imitari debeant. Occasionem verò parabolicæ huic conclusioni præbuerunt ipsi Apostoli, qui semel atque iterum interrogando ostenderunt se hoc docendi genus non tantum admirari, sed etiam non per omnia assequi. Et licet ex redditione vnius atque alterius reliquarum intelligentia facilior esse possit; quia tamen Christus cum fructu suorum discipulorum docere voluit, interrogat vtrum omnia intellexerint, quo si adhuc obscuritatis quid subesset, etiam illud explicare posset. Quia verò Apostoli responderunt se omnia probe intellexisse, nec indigere vberiore expositione, ipse tandem addit: *Propterea omnis Scriba, edoctus ad regnum cœlorum, similis est patrifamilias, qui ex thesauro suo depromit noua & vetera.* Per *Scribam* intelligit, non amanuensem quempiā, vt Latinis ista vox sonat, sed peritum sacrarum literarū, & earum interpretem siue Doctorem, quem nos Theologum dicimus. Lutherus vbique reddit *ein Schrifftgelehrten.* Quia vero Iudæos duplices erant Scribæ, sicuti supra capit. 10. huius Harmoniæ illud est declaratum, alij politici, alij Ecclesiastici: ideo vt constaret Christum hic loqui de Scriba Ecclesiastico, qui nobis est Ecclesiæ Doctor siue præco Euangelij, addit, *edoctus ad regnum cælorum.* Scribarum autem titulus non male ipsis competit. Quia sicuti Scribæ publicarum tabularum custodes esse debent: ita olim penes istos, tanquam sequestres, legis libri fuerunt depositi, vtpote cuius interpretatio ipsis erat commissa. Initium suum cepit hic ordo post reditum ex captiuitate Babylonica, cum Prophetarum ordo apud Iudæos, vel iam desiisset, vel certe admodum rarus esse inciperet. Sic Esdras dicitur Sacerdos & Scriba legis Dei cœli. Esd. 7. versicul. 21. Et quia in Nouo Testamento sacræ literæ dicuntur ἱερὰ γράμματα, ideo Ecclesiastici scriptores paululum in [illegible] vocabulo, γραμματεῖς dicere possunt sacrarum literarum tractatores. Inter hos certe omnium præcipuus fuit, est & erit Saluator noster Iesus Christus. Quia tamen idem Apostolos suos dudum ad docendi munus elegerat & vocauerat, hoc nomen ipsis quoque accōmodat, & quid ipsorum officij sit edocet. Quales ergo esse debent? Debent esse *instar boni patrisfamilias.* Paterfamilias sedulus & industrius primo in suo penu reposita habet non tantum *noua*, id est, vnius anni fruges, sed quia prouentus annorum est dispar, & sæpe non tantum vnius, sed & plurium annorum spes nos fallit: iccirco in magna œconomia etiam *vetera*, id est, præteritorum annorum fruges asseruantur, vt sic familiæ etiam in annis sterilitatis sit prospectum, sicuti Iosephus fecit in Ægypto, Gen. 41. versicul. 47. Deinde bonus œconomus etiam adhibet iudicium in proferendis tum veteribus, tum nouis. Quia enim domesticorum & ætas & valetudo sæpe est dissimilis: atque alij

tibi pueris, alij adultioribus, alij Dominis & hospitibus, alij seruis & mercenariis conueniunt: ita pro diuersitate personarum & temporis diuersa quoque, singulis tamen salutaria & necessaria, depromit.

Hæc commodissime applicari possunt ad verbi ministros: quos etiam Matth. 24. ver. 45 Christus confert seruo constituto super familiam, vt det illis cibum in tempore. Et Paulus vult nos haberi pro dispensatoribus mysteriorum Dei, 1. Cor. 4. v. 1. Si quis tamen omnes dotes fidelis verbi ministri, quas hic textus monstrat, colligere velit, ille hasce inueniet. 1. Verbi minister sit *doctus*. Nam, quod quis nescit, nemo docere potest. Ideo etiam Paulus, 1. Tim. 3 vers. 2. requirit ab Episcopo, vt sit διδακτικὸς ad docendum aptus. Qualis autem doctrina requiratur, ostendit, dum dicit, *doctus ad regnum cœlorum*, hoc est, studia tractasse debet, non captandæ popularis gloriæ, aut curiositatis alicuius, aut humanæ commoditatis caussa, sed in eum finem vt homines veram pietatem ad salutem edoceat. Licet ergo nec in Iuris nec in Medicinæ studio quicquam profecerit, non incommodabit illud professioni ipsius: Philosophiæ etiam ignorantia non oberit, nisi quatenus artes dicendi & linguarum studiū Theologię studiū plurimum adiuuant & exornant. Itaque quia hæ artes ὄργανα sunt & instrumenta, quorum vsu verbi minister & sermonem veritatis ὀρθοτομεῖ, 2. Tim. 2. ver. 15. & contradicentes ἐλέγχειν seu refutare, Tit. 1. ver. 9. & per doctrinam sanam recte tenientes fortius παρακαλεῖν & exhortari potest, omnes ingenij sui neruos intendere debet, vt in iis feliciter proficiat, quo ad propagandum regnum cœlorum sit habilior. Quapropter in tantum inertes & indocti asini ad stiuam sunt relegandi, sed & illi acri reprehensione coercendi, qui nolunt ἀναζωπυρεῖν, 2. Tim. 1. v. 6. & exsuscitare donum Dei, quod vel natura in ipsis est, vel ipsi in iuuentute fideli institutione consecuti fuerant: sed conditionem adepti, quasi præbenda donati otio indulgent, venationibus & ludis vacant, mercaturam exercent, & circa alia occupantur, quæ ad regni cœlorum propagationem nihil faciunt. 2. Doctor Euangelicus in pietatis scientia siue doctrina abundare debet, vt eius magnam copiam collectam habeat. Debet enim industrij ministri pectus instar vberis thesauri, in omni pietatis negotio redundare: vt ex eius penu depromi possit solida scripturarum cognitio, vera & orthodoxa earundem interpretatio, locorum in speciem pugnantium conciliatio, & errorum confutatio, multiplex doctrina, ita vt ad omnis generis propositas quæstiones apte respondere queat. Hoc vocat Christus *noua & vetera*. Per *noua* quidam nouum Testamentum & Euangelium: & per *vetera*, Vetus Testamentum cum lege intelligunt, sicut Chrysostomus hinc infert, Vetus Testamentum à Christo non reiici, siquidem illud hic laudibus efferat & thesaurum nominet. Alij per *vetera* intelligunt simplex genus docendi, quod quia antiquissimum sit, merito vetus dicatur. Per *noua* autem intelligunt parabolas, quibus Christus ceu inuolucris nouis veterem veritatem proposuerit, vt ita τὰ κοινὰ καινῶς, καὶ κοινὰ καινῶς, vulgaria & vsitata nouo modo, noua autem populariter, & vulgari docendi genere tractentur, sicque auditori tanto gratiora reddantur. Vterque sensus bonus est: quia tamen in superioribus Christo applicatum est dictum Psalmi, in quo dicitur ipsum voluisse in parabolis proferre abscondita, à conditione mundi, nescio an per parabolas nouum docēdi genus hic intelligere possimus, cum certum sit, illud etiam veteribus Prophetis fuisse vsitatissimum. Quid si ergo hic sensus proprius ad scopum collimaret? In veteri Testamento, maxime in Leuitico sæpe fit mentio sementis, seminum, agrorum, margaritarum seu gemmarum, piscium mundorum & immundorum, de quibus Israelitis certa statuta data erant in veteri lege. Vult ergo innuere Christus, Scribam doctum in regno cœlorum, hoc est, verbi ministrum, qui tamen exercendæ & docendæ veritatis & pietatis causa studiorum viam ingressus est, debere ex diuiti doctrinæ thesauro, quem sibi ex assidua sacrarum literarū lectione, meditatione, precationibus atque exercitationibus comparauit, cum proferre docendi rationem, qua antiquas figuras similitudines ac sententias cum noui Testamenti mysteriis ita apte coniungat, vt nulla ex parte illa inter se pugnare, sed vnum alterum commode illustrare ostendat. Hoc vt præstet, magno studio & assidua lectione opus est, ad quā D. Paulus Timotheum exhortatur, 1. Tim. 4. v. 13. Licet 2. Tim. 3. v. 15. fateatur ipsum à pueris in sacris literis institutum esse. 3. Requiritur etiam in bono Theologo acre iudicium, vt pro temporis, loci & auditorum ratione ac diuersitate ea proponat, quæ necessaria & vtilia sunt, atque faciunt ad ædificationem. Neque enim singulis singula conducunt. Afflicti indigent consolatione, ad discendum auidi institutione, cessantes in officio admonitione, errantes emendatione: præfracti autem & impœnitentes sunt comminatione diuini iudicij vrgendi. Vt sic singulis cōpetentia dicantur, non aliter quam quemadmodum medicus diuersa pharmaca pro ægrotanti diuersitate parari curat. Hoc Paulus vocat ὀρθοτομεῖν, 2. Tim. 2. ver. 15. Et de se dicit, se factum esse omnibus omnia, vt omnes lucrifaceret, 1. Cor. 9. v. 22. Non quod verbi minister instabilis esse, & in omnes formas Protei instar sese mutare debeat: sed vt attendat illud, quod veteres verbi præconibus inculcarunt

Omnibus tenemini vestris prædicare:
Sed quid, quibus, qualiter vbi, quando, quare,
Debetis sollicite præconsiderare:
Ne quis in officio dicat vos errare.

4. Denique hoc etiam à bono Doctore requiritur, vt non tantum bene doceat, sed etiam cum fructu omnia dicere cupiat. Hinc Christus adeo solicitus est, vt discipulos interrogādo præueniat, inquiens num omnia recte perceperint, ne vel metu vel præpostero pudore in ignorantia vel errore hæreant. Huc respexit etiam Paulus, cum 1. Corinth. 14. versic. 19. scribit, se malle in Ecclesia quinque verba quæ intelligi possint loqui, vt alios instruat, quàm decem millia verborum in lingua, quam nemo intelligat. Sed bone DEVS, quàm procul ab hoc proposito absunt illi Ecclesiarum antistites, qui in templis peregrina lingua vtuntur, quam sæpe ne ipsi quidem intelligunt. Hæ sunt dotes verbi ministrorum, quæ ex præsenti loco addisci possunt.

5. Si quis etiam pro auditoribus velit aliquid notare, potest in discipulis monstrare exemplum docilitatis & attentionis. Docilitatis, quòd etiam illas parabolas, quibus nulla redditio fuit addita, intelligunt. Attentionis, quod ea, quæ dicta fuerunt, ad se pertinere agnoscunt. Nam qui instar Iudæorum apud Ezechielem capite 33. versiculo 31. sermones sacros ita audiunt, vt postea in canticum & fabulam conuertant, illi molesti & impij sunt auditores. Recte ergo veteres in auditore duas virtutes requisiuerunt, nimirum 1. προσέχειν τὸν νοῦν, compositos ad audiendum habere sensus: 2. ἀγχίνοιαν, solertiam & industriam intelligendi etiam obscuriora. Sed de his satis.

CAPVT LXIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM LEGISPERITI OFFERENTIS sese discipulum, & alterius cuiusdam volentis priùs sepelire patrem. Matth. 8.

RATIO ORDINIS.

SVprà in commonefactione ordinis, quæ præcessit 55. caput Harmoniæ, indicatum est, Marcum esse ducem & monstratorem ordinis, qui scribat Christum, vespere illius diei, quo habuit concionem parabolicam, instituisse cum Apostolis transfretationem in terram Gergesenorum. Et cum eo consentit Lucas, qui & ipse transnauigationem illam, parabolæ de semine quadruplici, & historiæ de matre & cognatis cupientibus cum Iesu colloqui, subiungit. Cumque Marcus, interiectis aliquot concionibus, demum deducat Dominum Iesum in patriam, quam historiam Matthæus recitationi parabolarum subiecit: non possumus hoc loco in Matthæo progredi, sed recurrendum erit ad superiora, quæ ipse per anticipationem scripsit, & quærenda ista transfretatio. Cui tamen præmittit historiam de duobus, cum quibus Christus

ctus in ipsa via egerit antequã nauim conscenderet. Vnus fuit Scriba, qui se offerebat discipulum, sed à Christo repulsam passus est. Alter fuit discipulus, qui à Christo digredi & patrem sepelire voluit: cui tamen Christus veniam dare noluit. Accuratè ergo considerantidi omnes circumstantias apparet, hoc ordine hæc omnia peracta esse.

Christus ad finem deducta prima concione, quam ad mare habuit, à se dimittit turbam, & domum concedit, quæsiturus dubio procul, tanquam verus homo, & humanis infirmitatibus subiectus, quietem, vt qui totum diem miracula edendo, cum acerrimis hostibus disputando & concionando consumpsisset. Domi autem, rogatus à discipulis, enarrat parabolam de zizaniis, atque ea occasione alias quasdam parabolas prioribus attexit. Interim turba dimissa rursus confluit ad ædes, in quibus morabatur Iesus. Christus ergo videns sibi quietem quæsitam minime concedi, mandatum dat discipulis de transfretando in ripam vlpam vlteriorē. Dumque aliis ex discipulis artis nauticæ periti præeunt, vt nauim parent atque Dominum venientem suscipiant, in via ipsum Scriba & vnus ex discipulis adeunt animi sui voluntatem ipsi proponentes, & quisque eorum seorsim suum responsum à Domino accipit.

Cæterum Lucas cap. 9. v. 57. consimilem commemorat historiam, de tribus Christum adeuntibus, & eam plerique in Harmonia cum hac coniungunt: quia prorsus eadem videtur. Sed facta sunt hæ duæ historiæ diuerso tempore & diuerso loco. Illa enim apud Lucam integro anno post accidit & quidem non ad mare, dum Christus cogitaret in terram Gergesenorum, sed in via, cum Christus completis diebus assumtionis suę faciē suam obfirmasset vt iret Hierosolymam. Et quia vtrobique non obscuræ sunt notationes obseruati ordinis, ideo dubium non est, ista bis esse dicta & facta, diuersis locis & temporibus. Atque proinde nos cuiuis historiæ suum locum in Harmonia attribuemus: si quis tamen omnino eas pro vna eademque habere voluerit, nos cum illo non altercabimur.

HISTORIA SCRIBÆ, MVNVS DISCIPVLI AMbientis, & alterius discipuli, abitum molientis.

Matth. 8. v. 18. & Marc. 4. v. 35.

53. Καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τὰς παραβολὰς ταύτας μετῆρεν ἐκεῖθεν.
35. c Καὶ λέγει αὐτοῖς (μαθηταῖς) ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ὀψίας γενομένης, διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν.
18. a Ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς πολλοὺς ὄχλους περὶ αὐτὸν, ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν εἰς τὸ πέραν.
19. Καὶ προσελθὼν εἷς γραμματεὺς, εἶπεν αὐτῷ· διδάσκαλε, ἀκολουθήσω σοι, ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ.
20. Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνώσεις· ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ.
21. Ἕτερος δὲ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἶπεν αὐτῷ· κύριε, ἐπίτρεψόν μοι πρῶτον ἀπελθεῖν, καὶ θάψαι τὸν πατέρα μου.
22. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, ἀκολούθει μοι, καὶ ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς.

53. *Et factum est, vt cum finisset Iesus sermones hos, digrederetur illinc.*
35. c *Et ait illis (discipulis) in die illo, cum facta esset vespera, Transeamus in vlteriorem ripam.*
18. a *Cum vidisset Iesus turbas multas circum sese, iussit vt abirent in vlteriorem ripam.*
19. *Et cum audisset vnus Scriba, dixit ei, Præceptor, sequar te, quocunque abieris.*
20. *Et dicit illi Iesus, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: at filius hominis non habet vbi caput inclinet.*
21. *Alius autem de numero discipulorum suorum dixit ei, Domine permitte mihi prius vt abeam, & sepeliam patrem meum.*
22. *At Iesus dixit illi, Sequere me, & sine vt mortui sepeliant mortuos suos.*

Periocha huius historiæ.

QVod circunstantias huius historiæ attinet, sunt illæ planæ & apertæ. Nam 1. de tempore Matthæus testatur, Christum, cum finiisset illos sermones parabolicos, ab eo loco, in quo erat, digressum esse. Et Marcus confirmat, dicens, in illo ipso die, quo populū & discipulos per parabolas instituerat, vespera facta, discipulis locutum esse de transfretatione. Apparet ergo Christum à mari se domum contulisse eo consilio, quasi illa nocte ibi esset mansurus. Verùm turbæ concursus ipsum ad nouum consilium compellit. Conuenerūt autem turbæ frequentiores, quia toto illo die non tantùm mane miracula eius viderant, sed & Scribas ac Pharisæos grauiter redarguentem, atque insuper varia docentem audierant. Veniunt igitur, alij quidem vt veritatem ab ipso discerent, alij, vt corporale bonum sanitatis, vel pro se, vel pro suis impetrarent: alij etiam nouitatis studio, vt viderent insolita & stupenda: alij denique, vt vel contradicerent, vel aliquid captarent, ex quo periculum ipsi creare possent. Constituit ergo ex ædibus illis abire. 2. Quò verò contendere voluerit, vterque & Matthæus & Marcus discerte indicant, *εἰς τὸ πέραν.* Dictum autem est in Prolegomenis, Euangelistas hoc nomine insignire illam terræ partem, quæ in Orientali ripa Iordanis sita esset. Licet Iosepho proprie Peræa sit illa terræ pars, quæ à Capernaumo aliquanto remotior olim fuit possessio tribus Iudæ. Hic ergo rectè versum est *in vlteriorem ripam*, quia tetenderunt à septentrionali occasu, in oppositam terram versus australem ortum. 3. Quibus autem præceperit, vt hanc transfretationem instituerent, apud Matthæum quidem locutio ambigua est, vt etiam ad turbas referri possit, sicuti Chrysostomus hoc mundo accepit. Sed tum circumstantiæ reliquæ docent, tum inprimis Marci oratio discerte ostendit, hoc mandatum ad solos Apostolos spectasse. Hos enim etiam aliàs ad loca solitaria, quietis causa deduxit. Interim auiditas audiendi & videndi Christum, multos ex plebe attraxit, vt in aliis nauigiis sese eis coniungerent, atque Christum sequerentur. 4. Cur autem hanc profectionem instituerit, eius hæ rationes esse possunt. Primùm, totum diem insumserat docēdo, disputando, miserias ægrotorum videndo & audiendo, miracula edendo, Diabolos expellendo, sicuti hactenus audiuimus. Cum ergo verus homo, ac proinde omnibus humanis infirmitatibus, solo peccato excepto, subiectus esset, sensit lassitudinem & defatigationem. Opus itaque habuit quiete, somno & virium refectione. Quæ cum sibi præ turba in domo ægre concedi posse animaduerteret, inde discedere voluit. Vnde factum audimus, quod nauim ingressus mox obdormierit, & quidem adeò profunde, vt ne à graui quidem nauis iactatione excitatus fuerit, vsque dum Apostoli cum clamore & impetu excitarent. Sic suo exemplo docuit, honestam quietem & virium refectionem cuiuis in sua vocatione à Deo concessam esse: siquidem quod caret alterna requie durabile non fit. Deinde ex superioribus patet, Scribas quosdam & Pharisæos Hierosolymis eò descendisse, vt ipsum obseruarent, & postea apud Pontifices deferrent. Quia ergo Pharisæi ante cum Herodianis aduersus ipsum conspirauerant: & illo ipso die etiam cognati eius consilia agitauerant de manibus in ipsum eiiciendis: Noluit sua præsentia ipsis ad deteriores conatus occasionem præbere. Nam si ipse intra vrbem mansisset, neque concursum illum populi impediisset, eum pestiferæ inuidiæ venenum Scribas, intempestiuus autem metus superiorum conatus impellere potuisset, vt ex vtraque parte aliquid damnosi contra Christum tentassent, quod per discessum euitare consultius fuit. Neque enim adhuc hora ipsius venerat, qua morte sua humani generis redemtionem procurare voluit. Sic, qui inuidiam hostium insidiantium declinat, ne ante tempus hostia cadat impiis, sed se melioribus temporibus seruet, is non peccat. Præterea animaduertebat Christus plerosque suo concursu tantum carnalia quærere, & nouitatis studio duci. Cum igitur ipse animarum potius saluti inuigilaret, hanc ipsorum curiositatem sua præsentia confirmare noluit: sed secessit vt ostenderet, se nihil per ostentationem facere, neque inanem

gloriam captare, sicuti dicit Iohann.8.v.54. Si ego ipse quæro gloriam meam, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me. Debent etiam in hoc verbi ministri Christum imitari, ne vulgi applausum quærant, neque gloriam ex hominibus venentur. Hi enim fere vt iusto iudicio destituuntur, ita pro affectuum varietate in horas mutantur. Denique Apostolis, ab eo tempore, quo à Christo electi fuerant, nihil aduersi acciderat: audierant tantum conciones grauissimas, & viderat miracula stupenda & gloriosa, non tantum in sanandis ægrotis, eiiciendis Dæmonibus, sed & in excitandis mortuis. Et tamen vocati ab ipso fuerant ad sustinendas tentationes & superandas grauissimas aduersitates. Vt ergo in iis ipsis exerceret & tentaret quantum in schola sua profecissent, cum ipsis ingreditur nauim, & mare vult traiicere. Vbi exoritur tempestas, in qua tanti fluctus excitantur, vt de vita periclitentur. Mox in terram ex mari descendentes excipiunt duo Dæmoniaci sæuissimi, quorum rabies hactenus fuerat tanta, vt nemo tutò per ista loca ambulare potuerit. Sic ipsorum fidem probauit, vt illi, qui hactenus ob secunda magnos animos sibi sumpserant, & nihil non sibi promiserant, agnoscerent, quantum adhuc sibi deesset, & quanta animi fiducia requireretur ab illis, qui Christum sequi & indiuidui professionis ipsius comites esse vellent. Quod Scriba hic, de quo nunc audituri sumus, non expenderat.

Nam dum Christus se ex ædibus suis conductitiis confert extra vrbem ad stationem nauium, vnde erat soluendum, in via inter eundum duo accedunt, quibus diuersa responsa contingunt. Vnus erat Scriba quispiam, qui sese offert, quod ipsum velit sequi quocunque abierit. Potest hic fuisse ex numero eorum, qui subornati fuerant ab Hierosolymitanis, vt Christi dicta & facta obseruarent, si primores populi aliquem contra ipsum prætextum habere possent. Is *vult ipsum sequi, quocunque abierit*, hoc est, non vult vulgaris auditor esse, sed inter Apostolos, qui perpetui comites erant, adoptari. Quid hunc Scribam ad hoc postulatum impulerit, in textu non exprimitur: sed partim ex Circumstantiis, partim ex responso Christi, qui ferè in respondendo non ad verborum sonum, sed mentem interrogantium respicere solet, desumi potest. Christus in conclusione præcedentis concionis, dotes fidelis Doctoris in nouo Testamento descripturus, dixerat: Scriba doctus ad regnum cœlorum noua & vetera proferre debet de thesauro suo. Hoc absque dubio hic Scriba audiuit, qui arripiens vocabulum Scribæ, siue persuasit, quandoquidem ipse hoc titulo gauderet, se præ omnibus aliis ad hoc munus aptissimum esse. Cùm tamen Christus non locutus fuerit de Scribis in Lege Mosis expeditis, genealogiarum & ceremoniarum peritis, atque annalium custodibus, quales erant Iudæorum Scribæ: sed de Scribis eruditis ad regnum cœlorum, quam eruditionem in schola Christi consecuturi erant. Hic vero Scriba doctrinam suam non ex schola Christi ablaturus, sed in eam importaturus erat. Potest tamen esse vt ipsum etiam mouerint, cùm grauitas miraculorum Christi, tum singularis virtus ipsius, quæ in docendo elucebat. Ea enim est efficacia verbi diuini, vt sæpe etiam obseruatores ad sui admirationem trahat, & non tantùm auersas, sed etiam aduersas hominum voluntates in diuersum flectat. Cùm ergo ipse quoque sibi, secundùm vulgarem Iudæorum opinionem, imaginatus sit temporale Messiæ regnum, sperauit se, si huius discipulus fieret, popularem auram, opes, otium & præsentis vitæ commoda consequi posse, ac proinde tam liberaliter se offert. Christus ergo qui est καρδιογνώστης, nec indiget, vt quis ipsi testimonium dicat de homine, siquidem ipse scit, quid sit in homine. Ioh.2.ver.25. animaduertens ipsum aliud spectare, quàm quod ad regni cœlorum amplificationem facit, non quidem ipsum repudiat, sed tantum conditiones functionis huiusmodi duræ & miseræ, in sua persona proponit, vt nimirum præmeditaretur, an illam subire vellet. Sicuti de huiusmodi præmeditatione prolixe agit Luc. 14.versic.28. Responsum tamen ita attemperat, vt non tam ipsum perstringat, quàm in sua persona ostendat, non inuenturum ipsum apud se, quod quærit. *Vulpes*, inquit, *sua habent lustra, & volucres suos nidos: sed filius hominis non habet, quò caput reclinet*. Vocat seipsum Ben Adam *filium hominis*, non propterea quod Mariæ filius esset, vt quidam interpretantur. Nam si huc respexisset, non se τῆς, sed τοῦ ἀνθρώπου filium dixisset. Sed quia semen mulieris verus homo factus fuisset, caro de carne nostra & os de ossibus nostris. Et quemadmodum propter nos nostram naturam induit, ita etiam omnes infirmitates humanas, quæ peccato non participant, sustinuit, quales sunt, esurire, sitire, frigore & æstu affici, contemtum & abiectum esse, paupertate premi. Et quidem hoc in loco testatur, se pauperiorem esse omnibus animalibus brutis: ac si non tantum ex Paradiso, tanquam Adam, verùm tanquam Adamo deterior, & eius filius, ex mundo expulsus esset. *Vulpes*, quæ hominibus inutiles & inuisæ sunt, tamen commoditatem cauernarum in agris obtinent. *Aues* quoque licèt ex peregrinis locis aduolent: tamen hospitia inter homines, etiam sub tectis nostris nanciscuntur. At Christus, benedictum illud mulieris semen, omnibus hominibus vilissimus, ad hæc vetus terræ Dominus: tamen ne tantum quidem priuatæ commoditatis inter homines inuenire potest, quantum satis sit capiti reclinando. Sic vero tacitè innuit, si eo animo discipuli munus apud se quærat, vt coram mundo vel ditior vel potentior euadat, tum alio ipsi Magistro opus esse: siquidem ipse met in extrema paupertate viuat, nedum vt suis sectatoribus istiusmodi terrena bona elargiatur. Iam verò si hic Scriba sincero animo Christum adiisset, nec ambitiosus terrena tantum commoda spectasset, facile respondere potuisset, se hasce conditiones acceptare & omnia pro damno & pro stercoribus habere velle, propter eminentiam cognitionis Christi, vt in ipso inueniatur, habere non suam iustitiam ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi, Phil.3.v.8. At vero bonus hic Scriba tacitus discedit, atque sic nihil respondendo prodit, Christum verum pectoris sui vlcus tetigisse.

Expedito hoc Scriba, accedit alius quispiam ex discipulis Iesu. Fuit ergo hic vnus vel ex Apostolis, vel ex eorum numero, qui postea inter LXX. sunt relati, & iam versabatur in illa vocatione, quam prior ille, Scriba, ambierat. Verisimile autē est eum, vel ex Capernaumo, vel ex vicinia illa oriundū fuisse, atque illo ipso die nuncium de patris obitu accepisse. Cùm igitur audiret Christum instituere nauigationem per mare Galilææ in regionem oppositam, ad quam antehac nunquam concessisset, non quidem officio discipuli renunciat, nec detrectat eum sequi, sed tantùm veniam petit prius domum abeundi, & extremum officium parenti præstandi. Et quidem laude dignum est, quod cùm certam vocationem haberet, & inter domesticos Christi numeraretur, non discedit insalutato Magistro. Quin & officium ipsum, quod parenti præstare cupit, per se honestum est. Nam pietas & reuerentia erga patrem à DEO ipso præcepta & naturæ implantata est. Illud tamen vitio non caret, quod in collatione officiorum minus præfert maiori. Etenim debemus quidem partem aliquam nostri parentibus, aliquam amicis, aliquam patriæ: sed Christo debemus omnia. Ob quem si quis non sit paratus deserere parentes, liberos, agros, domos, non est dignus qui ipsius discipulus habeatur, Matth.10.37. CHRISTVS tamen, quæ ipsius est bonitas erga infirmos, *ipsum non reiicit, nec etiam* acrius castigat, sed officii sui admonet ac dicit: *Sequere tu me*, quasi dicat: Habes certam vocationem, exequere ea, quæ ipsius sunt propria. Ego autem te vocaui, non vt discas quomodo mortui sepeliantur, sed quomodo mors extinguatur & vita æterna hominibus detur. Hanc vt discas, necesse est vt mecum maneas: vt continuus meorum dictorum & factorum auditor ac spectator sis. Interim tamen non deerunt qui parenti mortuo debitam sepulturam procurent. *Sine* ergo *vt mortui suos sepeliant mortuos*. Mortuos hîc vocat Christus, qui neglectæ vitæ cœlestis cura, carni & mundo militant, & circa huius mundi studia tantum occupantur, nec solliciti sunt, vt per Spiritum Dei regenerentur & viuificentur. Sicuti Paulus 1.Tim.5.v.6. de viduis luxuriantibus & in deliciis viuentibus, scribit, quod viuentes mortuæ sint. Et D.Chrysostomus super hunc textum egregium habet locum, de iis qui in peccatis viuunt, quod demortuis sint deteriores. Vnde etiam colligit, huius discipuli patrem à fide in Christum fuisse alienum, quia Christus ipsum non inter mortuos suos numerat. De quibus Apoc.14.versic.13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Non itaque damnat hîc Christus officium illud pietatis, quod filij superstites parentibus defunctis in sepeliendo præstant. Nam hoc nomine in scripturis commendantur Isaacus & Ismael, quod Abrahamum, Iacobus & Esau, quod Isaacum, Iosephus cum fratribus, quod Iacobum patrem cum publica honoris & doloris significatione tumularunt: Imo ipse Christus moriturus matrem virginem Iohannis curæ, fidei & tutelæ commendauit, Iohan.19.v.27. Dederunt etiam hac de re piis præcepta Syracides, Cap.38.v.16. & senior Tobias suo filio, Tob.4.v.3. Et inter summas pœnas, quibus DEVS minatur se velle punire impietatem Regis Ioachimi, Ier.22.ver.19. hæc est, quod debeat sepeliri sepultura asini, hoc est, insepultus abiici extra portas Hierusalem. Sed Christus hoc docere voluit, posse quidem ex secunda tabula honestos prætextus opponi, qui nos impediant, quo minus obtemperemus vocationi primæ tabulæ: quales sunt, adesse parenti senio confecto, vel eundem mortuum sepelire; sed eiusmodi prætextus non esse recipiendos. Eos enim qui talia prætexunt, ineptos esse ad regnum DEI.

Hæc gesta sunt in via, dum ex ædibus progrederetur ad mare. His tamen responsionibus non tantum Scribam & disci-

discipulum perstringere voluit: sed quia turmatim populus eum sequebatur, pauci tamen expendebant quàm duram subirent conditionem, nec tam cœlestia, quàm terrena apud ipsum quærebant. Itaque turbis quidem non loquebatur: hasce tamen ita perstringebat, vt omnium, quotquot audirent, conscientias purgaret, quò in se condescenderent, séque ipsos examinarent, quo animo Christum sequerentur.

Sunt tamen & alia quædam, ad quorum diligentiorem considerationem hæc historia nobis occasionem præbet.

Primò, sicut in superioribus Christus nobis monstrauit aliquot dotes & virtutes eorum, qui ad ministerium verbi volunt accedere: ita ex hac historia per ἀντίθεσιν possumus colligere, aliquot vitia, quæ efficiunt, vt homo quispiam minus sit aptus ad sacram istam functionem. 1. Si quis sit arrogans, & ipse sibi ob donorum excellentiam tribuat, se præ aliis dignũ esse, cui sacra hæc prouincia committatur, vnde se ingerit potius ad istam functionem, quàm vt vocationem expectet. Sicuti fecit hic Scriba, qui non vocatus appetit locum inter Apostolos, & propterea, quia Scribæ titulo ornatus erat, licèt in Christi schola minime institutus esset, tamen se præ aliis ad hoc munus aptum esse opinabatur. Tales arrogantes αὐτοκλήτοι, vt experientia testatur, ferè plus damni Ecclesiæ afferunt, quàm prosunt. Ideo Christus vel maxime amat humiles discipulos, qui agnoscunt se ex seipsis, tanquam ex seipsis non esse idoneos, ne ad cogitandum quidem: sed ἱκανότητα & sufficientiam suam esse ex Deo, 2. Cor. 3. ver. 5. 2. Si quis religionem sibi quæstum faciat, & sub eius prætextu tantũ quærat, quæ carnis sunt: interim autem non serio perpendat, quis ille sit cui seruire velit, & quid sit eius discipulum esse velle, is indignus est cui verbi ministerium credatur. Tales enim sunt πρόσκαιροι, Matth. 13. v. 21. dum vident Euangelij præcones in honore & precio esse, & affulgere aliquam spem dignitatum & externorum commodorum, ipsi quoque accurrunt læti, sponte sua se offerunt, & inter primos Christi discipulos esse cupiunt. Sed quando felix ille Euangelij cursus sese vertit, & crucis vel persecutionis æstus exoritur: mox ipsi quoque territi & superati deficiunt. Hoc currentes, & sese in munera Ecclesiastica prece & precio ingerentes, probe considerare debebant. Qui, si expendissent illud Iac. 3. v. 1. Nolite plures Magistri fieri: scientes quoniam qui in illo gradu sunt constituti, grauius iudicium subibunt, importunitatem suam deponerent, & agnoscerent Ecclesiam plus probare Expectãtes quàm Currentes. 3. Nec illi apti sunt ad verbi ministeriũ, qui vulpino præditi sunt ingenio. Nam perstringit Christus hac phrasi homines, qui non tam politici sunt, quam πολυτρόπους, qui carnis sapientia vel potius astutia instructi, causam religionis malo dolo agunt, & sub huius prætextu latibula sibi parant, in quæ se recipiant, si quid periculi religionis causa sustinere cogantur. Tales multi inueniũtur, qui quiduis simulare & dissimulare possunt, vt fauorem magnatum captent, quem maioris faciunt, quàm omnia sacra. Rectè autem vulpibus conferuntur. Vt enim *vulpeculæ* sunt astutæ, voraces, callidæ, item timidæ, & tamen non tantùm in desertis prædantur, sed & villas rusticorum ingrediuntur, & inde gallinas atque anseres rapiunt: ita istiusmodi doctores, qui tantùm sua quærunt, Phil. 2. vers. 21. mirabili astutia suas artes celant, insatiabili cupiditate rerum terrenarum flagrant, & licèt propriarum conscientiarum testimonio conuicti trepident, dolis tamen suis & magnatum fauore freti, Ecclesias inuadunt, & passim homines tentant, vt pecuniis ipsos emungere & censibus suos locupletare queant. 4. Quin nec illi idonei sunt, quibus munus in Ecclesia docendi committatur, qui sunt instar *volucrum*, hoc est, inconstantes & leues, qui tantum docent ad captandam auram popularem. Qui etiam, ne ex nidis suis excutiantur, subinde genus & formam doctrinę mutant. Hi non quærunt animas, quas Christo adducant: sed nidos in quibus vmbracula habeant, & ne fauore principum excidãt, potius instar Protei cuiusdam in mille formas se vertunt. 5. Denique nec illi Christo sunt grati discipuli, aut ad ministerium apti: qui non ita sunt affecti vt omnia humana postponenda putent iis, quæ ad propagandam religionẽ Christianam spectare videntur. Etenim qui DEO sunt in ministerio obstricti, illi coniunctissimorum potius, siue illi sint parentes, coniuges, liberi, siue principes, heri aut alij inuidiam & indignationem subire debent, quàm DEO suo infideles deprehendi. Et sanè si quid difficultatis in ministerio obiiciatur, varij prætextus quæruntur, ob quos nobis concessum arbitramur, vt molliori brachio mundum tractemus. Alius enim communem patriam in ore habet & attendendum dicit, ne illam in periculum non necessarium adducat. Alius magistratus reuerentiam allegat, & se diuino mandato obligari dicit, vt illi obtemperet & taceat. Sed his omnibus & singulis Christus dicit: *Sequere me*, hoc est, fac quæ tui sunt muneris, & mihi exitum rerum commenda. Si vero Christus discipulo suo concedere noluit, patrem defunctum tumulare, ne in negotio Euangelico impediretur: quando minus probabit illos ministros, qui cum incommodo Ecclesię perpotant, alea infami ludunt, otio indulgent, arma tractant, ius dicunt, aut aliis secularibus negotiis sese immiscent, vnde nihil gloriæ ad Christum, nihil emolumenti ad Ecclesiam, sed tantum scandala ad omnes redundant?

Secundò etiam Christi paupertas consideranda venit: de qua hîc dicit; *quòd non habeat, quò caput reclinet*. Est sane ille omnium ditissimus. Etenim secundùm diuinam naturam est ille Dominus, de quo Dauid canit in Psal. 24. v. 1. Cuius est terra, & omnis plenitudo eius. Et ipse de se apud Iob. 41. v. 2. ait: Omnia quę sub cœlo sunt, mea sunt. Secundùm humanam vero naturam, ex gratia vnionis per sessionem ad dexteram Dei accepit omnia: quia constitutus est super omnia opera manuum Dei. Psal. 8. ver. 7. Verùm hac sua abundantia & plenitudine sponte sua se abdicauit, & vt Paulus loquitur, in statu humiliationis ἐκένωσε seu exinaniuit, vt in tanta penuria & paupertate inuentus fuerit, vt omnibus hominibus miserior haberetur. Hinc natiuitate sua ad stabulum relegatus, & in præsepio iacens testatus est, se non habere, quò caput reclinet. In hac egestate omnem vitam transegit, & tandem etiam vestibus amissis nudus in cruce pependit, atque post mortem aliena syndone inuolutus, in alieno sepulchro tumulatus est. Causæ tamen simul expendendæ sunt, ob quas tantam inopiam sustinere voluerit: ne quis superstitiosus putet, eum certum quendam ordinem siue pauperum siue mendicantium, instituere voluisse. 1. Primam docet Paulus 2. Corinth. 8. versic. 9. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues: vt illius inopia vos ditesceritis. Quomodo hoc fiet, dicet aliquis, Non vidi per omnem meam ætatem, vt quis ex alterius inopia, sed vt ex alterius opibus ditesceret? Respondeo, fit hoc spiritualiter, Ipse in stabulo nasci voluit: vt nobis in cœli aula locum manentem pararet, Ioh. 14. vers. 2. Ipse in terris peregrinus fuit: vt nobis πολίτευμα & municipium in cœlis procuraret, Phil. 3. ver. vlt. Ipse in cruce nudus pependit: vt nos vestimentis salutis, & indumento iustitiæ vestiret, Ies. 61. v. 10. Curis denique, vigiliis & doloribus confectus, caput spinis coronatum in proprias scapulas inclinauit: vt nos haberemus, in cuius sinum nostras curas tutò conicere, & requiem conscientiarum & animarum inuenire possemus, Psalmo 55 ver. 23. 2. Paupertatem suo exemplo sanctificare, & omnibus huius seculi egenis solatium prębere voluit. Est sane egestas ex primo lapsu exorta, ac proinde peccati pœna. Credentibus tamen in Christum fit salutare fidei & patientiæ exercitium. Ne ergo pauperes putarent, se ob egestatem Deo esse exosos: ideo Christus etiam paupertatis onus subiit & sustinuit. Et quia is nihilominus dilectus mansit DEI filius, dubium est nullum, quin pij omnes, si in CHRISTO IESV inueniantur, DEO dilecti futuri sint, si maxime Iro pauperiores essent. Ideo D. Paulus dicit: Rom. 8. v. 35. Quis nos separabit à charitate Christi? an angustia? an fames? an nuditas? In his omnib. superamus propter eũ qui dilexit nos. 3. Voluit etiã suo exẽplo nos docere αὐτάρκειαν, vt forte nostra contenti, non affectemus aliena, nec luxum huius mundi appetamus. Est enim quæstus magnus ἡ εὐσέβεια μετὰ αὐταρκείας, pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus. Sed habentes alimenta & tegumenta his contenti simus, 1. Tim. 6. v. 6. Et Petrus dicit: Sint mores vestri alieni ab auaritia: ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν, contenti præsentibus. Hoc veteres dixerunt, τὸ ἀρκοῦν τῇ φύσει ἀρκεῖ. Et quia natura paucis est contenta, iidem rectè affirmarunt. Cui parum nõ est satis, ei nihil est satis. 4. Voluit etiam nobis pauperes cõmendare: vt quoties nobis inops vel egenus occurrit, in ipsius imagine Christum spectemus: nec dubitemus, si operibus misericordiæ ipsum iuuerimus, quin eius amplissimam remunerationem accepturi simus. Sicut Christus ipse pollicetur, Matth. 25. v. 40. 5. Denique voluit docere regnum suum non esse de hoc mundo. Si enim de hoc mundo esset, vtique etiam ostentatione mundanarum rerum superbiisset. At vero ob omni fastu adeo fuit alienus, vt etiam in regio suo in vrbem ingressu mutuatitiæ agnæ, iuxta Zachariæ vaticinium, insederit, Matth. 21. ver. 2. Et huius paupertatis etiam commonefacere voluit suos sectatores, dũ huic Scribæ de ea concionatur. Nimirum docere voluit opus esse, vt sui sectatores, se potius ad exilia, egestatem & aduersa pręparent, quàm vt huius mundi opes spectent. Hoc cùm ita sit, optarim nouisse cuius sectator esset iste triplici corona redimitus sacerdos, qui multo auro & gemmis splendens, se in templo DEI ostentat tanquam DEVM, 2. Thess. 2. v. 4. Et qui tam locuples patrimonium iactat, vt longe latéque per terras & mare se extendat. Certè si Petrus cum Domino suo,

qui hic dicit se non habere quò caput reclinet, domum, scapham, retia, vestes & omnia quæ habuerunt, vendidisset & in vsuras centesimas elocasset, non potuissent ista in tantam summam excrescere. Sed manifestum est cuius sit sectator: nimirum illius, qui Matth. 4. versic. 9. dicit: Hæc omnia tibi dabo.

Tertiò, Cumprimis iucundam considerationem præbet illud, quod discipulo negat triste quod petit, vt ipsi largiatur lætum quid, de quo non cogitarat. Nam idem etiamnum hodie Christianis facere solet in ipsorum petitionibus. Triste erat officium, ad quod discipulus dimitti petebat, nimirum vt adesset in extremo parentis officio, quod sine lachrymis & gemitu præstari nō potest, maxime quia, quando in rem præsentem ventum est, obiecta magis mouent sensus. Post sepulturam deueniendum fuisset ad Testamenti considerationem: hinc ad hæreditatis diuisionem. Ex quibus sæpenumero rixæ & contentiones exoriuntur, vnde quis ex vno in aliud quasi vndarum fluctibus iactatur, vt ad portum salutis vix peruenire queat. Ab hisce molestiis omnibus Christus hunc discipulum liberauit, quod ei discessum concedere noluit, sed secum manere iussit, sibique ita quasi afficit & coniunxit, vt animus in diuersa distrahi non posset. Huius vero loco secum deduxit in mare, vbi quidem initio obuenit procellosa tempestas, quæ ipsum non minus quàm reliquos Apostolos de vita quasi desperare coegit. Sed quamprimum Christus precibus suorum excitatur, videt omnia tranquilla reddita, & inde agnoscit Christum talem Dominum, qui cum potestate mari & ventis imperet. Mox in littore apud Gadarenos, eundem videt Dominum Diabolorum & mortis, qui cum imperio Diabolum in mare præcipitet. Sic ergo in hac profectione supra modum creuit in agnitione Christi, ad quam illustrem agnitionem Christi nunquam postea tam facile peruenisset, si Christus ipsius petitioni locum concessisset. Idem etiamnum hodie cum Christianis fieri certò statuere debemus. Sæpenumero DEVS nobis negat id quod petimus, non quod adeo sit ἄστοργος, & miseriis nostris non afficiatur: Sed quia ad tempus patientiam nostram probare, atque inde melius quid nobis elargiri vult. Hæc doctrina in πράξει consistit, quæ licèt sit difficilior, quàm quę in nuda θεωρίᾳ versatur, tamen si quis illam attentè obseruet, magnum eius vsum in tentationibus experietur.

Postremò, præbet Christus nobis ansam cogitandi & dicendi de spirituali morte, dum præcipit discipulo, vt sinat *mortuos suos mortuos sepelire*. Iam vero naturaliter mortui, neminem possunt sepelire. Ergo innuit, præter naturalem mortem esse etiam aliam: nimirum Spiritualem. Vt enim Scriptura vnicuique nostrum duplicem attribuit hominem, externū videlicet & internum, Rom. 7. v. 22. Ephes. 3. v. 16. & 4. v. 24. ita etiam innuit duplicem in nobis vitam esse, & duplicem mortem. Est enim vita externa corporis, quam cum brutis habemus communem. Est & vita interna animæ, quam angelis habemus similem: vitam nimirum spiritualem, vitam puram, vitam sanctam, ad quam de die in diem renouari debemus, 2. Cor. 4. ver. 16. Si quis vero vtriusque vitæ principium & causam inspiciatis deprehendet, quòd quemadmodum corporeæ vitæ principium est anima, quæ dat vitam corpori, qua sublata, moritur corpus: ita spiritualis vitæ principium Dominus est, qui in anima nostra residens & per fidem habitans, spiritualem illam & religiosam vitam inspirat. Iam ergo ex vtriusque vitæ principio, vtriusque etiam & vitæ & mortis distantiam intelligere licebit. Quantum enim anima corpori, & rursus animæ DEVS præstat: tantò etiam luctuosior est animæ mors quàm corporis, & tanto acerbior dolor esse debet quando DEVS ab anima, quàm quando anima à corpore separatur. Spiritualis autem hæc mors animæ, non nisi à peccato prouenit. Et quidem natura omnes sumus mortui in delictis & peccatis, Ephes. 2. ver. 1. Col. 2. v. 13. Qualis etiam fuit hic mortuus cum suis mortuis, qui ipsum sepeliebant. Sed DEVS, qui diues est misericordia, conuiuificauit nos in Christo Iesu, remittens nobis peccata & ea abluens per lauacrum aquæ in verbo. Si quis autem principium suæ substantiæ non retinet firmum ad finem vsque, Hebr. 3. versic. 14. sed à peccato superatur, tum homo per malitiam rursus occidit animam suam, Sap. 16. versic. 14. Sicuti de hac morte Christus loquitur in historia filij prodigi: Frater hic tuus mortuus erat, & reuixit, Luc. 15. ver. 32. perierat & inuentus est. Nemini itaque παράδοξον videatur, quando Theologi de animæ morte loquuntur. Non enim hoc volunt, quasi animæ essent mortales: sicuti quidam Romani Pontifices in illa hæresi hæserunt, atque propterea ab Ecclesia sunt damnati. Scimus DEI beneficio animam quo ad substantiam suam esse immortalem. Sicuti probatur ex Eccle. 12. v. 7. Et Sap. 2. v. 2. impiorum opinio, statuentium animam esse flatum euanescentem, granitur reiicitur. Christus quoque dicit, Matth. 10. ver. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed Theologi intelligunt spiritualem vitam. Quemadmodum enim Diabolus ita à Deo creatus est, vt in æternum duret, & tamen propter peccatum æterna morte moritur: ita inquit Augustinus de Trin. lib. 14. Anima suam habet mortē, quando beata vita caret, quæ sola vera vita est. De hac morte loquitur Paulus 1. Tim. 5. 6. quando dicit viduam in delitiis agentem, viuentem mortuam esse. Nam Spiritus est qui viuificat, Iohan. 6. v. 63. Et Iohannes scribit angelo Sardensi, in qua Ecclesia magnus luxus inueniebatur: nomen habes quod viuas: sed mortuus es, Apoc. 3. v. 1.

Posteaquam igitur iam patet, esse aliquam spiritualem mortem animæ, videamus etiam eius symptomata vel propria, vt tanto magis nobis ab ea caueamus. I. Morituri paulatim sensibus deficiunt, vt nec videant, nec audiant, nec quicquam percipiant, donec tandem extinctis sensibus omnibus ἀναισθησία seu insensibilitas sequatur, quæ defuncti corporis propria est: ita etiam anima per peccatum moritura, paulatim amittit omnem sensum: idque variis modis in moribundis istis obseruari potest.

Primò amittunt sensum visus, quod à DEO innumeris beneficiis præuenti & cumulati, tamen oculos in tantorum bonorum largitorem non attollunt. Mittamus alia beneficia, tantùm hoc quotidianum, quod bonis & malis commune est intueamur. Facit DEVS oriri solem suum super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos, Matth. 5. ver. 45. Iam si quis sponte sua agros tuos nullo precio, sed sola charitate inductus, aquis aliunde deriuatis quotannis irrigaret, an non vicissim illum amaturus, & pro hoc beneficio gratias ipsi acturus esses? At DEVS hoc facit omnibus hominibus ex mera bonitate & paterna cura, vt sit nobis frumentum & vinum, gregibus autē nostris pabula necessaria suppeditat. At quot in mundo inueniuntur, qui pro hoc beneficio DEO suo vsq; adeo non gratias agunt, vt vel inde occasionem sumant eum nouis sceleribus violandi & offendendi? Num credas tu hosce sensu visus preditos esse? Minime vero. Sed idem faciunt quod Israëlitæ in deserto fecerunt, Exod. 32. versi. 4. Qui, dum Dominus in monte leges dictat, quibus ipsos ad sempiternæ felicitatis gloriam dirigere voluit, ipsi in valle vitulum fabricant, quo eum ad summam iracundiam impiissime prouocarunt. Deinde amittunt etiam sensum auditus. Nam inuenies multos, qui quidem limina templorum frequentant, & quotidianas concionatorum voces *audiunt*, quibus disserunt de morte, de extremo iudicio, de cœlesti gloria, de pœnis reproborum, de igne inextinguibili & verme non moriente, de tetris illis & stridore dentium repletis tenebris, in quas sunt impœnitentes coniiciendi: sed surdis narratur apologus, nec plus iis sermonibus afficiuntur, quàm si vel eos non audiant, vel iidem ipsos non attingant.

Tertiò, amittit etiam corpus mortuum sensum tactus: ita vt si maxime virgis & flagellis percutiatur, nihil tamen sentiat. Ita anima spiritualiter mortua, plane insensibilis est ad plagas & verbera diuina, quibus Dominus eam ad pœnitentiam excitare conatur. Quid sunt tot hæreseon monstra, quæ nostra ætate in Ecclesia sunt exorta? Quid tot continue fames, tot inauditi noui morbi, tot pestes, tot bella, tot publicæ & priuatæ calamitates, nisi Dei flagella, quibus nos à lethifero somno excitare, & vt ad se redeamus compellere conatur? vt vere cum Propheta dicere cogamur: Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas, Iesa. 1. ver. 5. Et tamen quis est, qui ista sentiat? qui propterea doleat? Idem dicere possumus, quod Ieremias cap. 5. v. 3. Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas super petram, & noluerunt reuerti. Denique mortui sensu communi destituuntur, tam corporaliter quàm spiritualiter, vt anima propria peccatorum vulnera, quæ passim accipit, neque sentiat, neque lugeat. Sūt enim ἀπηλγηκότες, qui posteaquam dedoluerunt, semetipsos dedunt proteruiæ ad certatim patrandam omnem impuritatem, Eph. 4. v. 19. Anima, quæ per DEVM viuit, etiam leuissima peccata sentit & luget, atque de remedio per pœnitentiam quærendo cogitat. Sed anima mortua, etiamsi mortifera crimina admittat, non tamen quicquam sentit. Itaque non cogitat de remedio, sed cum impiis dicit: Prouerb. 23. v. 35. Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me, & Ego non sensi. Quare? Quia frons meretrici facta est eis: nolunt erubescere, Ier. 3. versic. 3. Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: quid feci? Ierem. 8. ver. 6. Hoc est vnum σύμπτωμα, siue proprium animæ per peccatum vel iam mortuæ vel certe mox morituræ. 2. Alterum mortuorum corporum proprium est, quod formam & decus omne amittunt, vt fere nihil adeo deforme in mundo monstrari possit, quàm quatriduani cadaueri insepulti tetra facies. Hinc etiam fit, vt nec mater dilectissimi filij, nec

vxor

vxor amantissimi mariti corpus, quando animam exhalauit, diu [illegible]um iacere sinat. Nam neque nares, neque oculi ferre po[illegible] tam triste spectaculũ, quod in deformi imagine defunct[illegible]aret. Ibi tota facies lucida, cutis rugosa, & si aliquos d[illegible]ere sinas, integra examina ebulliẽtium vermiũ, totum [illegible] lacerantium & exedentium cernas. Itaque maturè [illegible] corpus sub terra conditur, ne tristissima illa effigies & [illegible] odor spectantium oculos perterrefaciat, vel etiam [illegible]unem aërem inficiat atque pestilentem reddat. Imò si [illegible] mortuæ animæ terram faciem videre posset, longe plus deformitatis & miseriæ in ea spectaret. Nam mortuorum cadauera adhuc remoueri possunt, vt tandem rursus in terram & cineres resoluantur, sicque fœditas illa euanescat. At in horrenda peccati imagine, per quam anima moritur, videbis æternos Gehennæ cruciatus. Itaque vel saltem per istum ignem inextinguibilem, per vermem & tenebras, atque per horrendas Dæmonum laruas, teterrimam illam spiritualis mortis faciem contemplare. Sed hæc est Diaboli astutia, quod hanc peccati deformitatem studiosè tegit. Vt ergo impostores venena melle lita propinant, ita Satanas peccati deformitatem astu tegit, & pro re blandissima atque iucundissima offert, tantisper, donec peccatum sit perpetratum, tum demum antiquus serpens tanquam coluber incipit pungere, vt homo peccati atrocitatem & deformitatem percipere incipiat. Quanquam etiam rationis iudicium iis, qui non sunt traditi in reprobam mentem, illam peccati deformitatem dictat. Vnde enim fit, quod peccaturi latibula quærant, in tenebras sese abdant, nisi inde, quod conscientia ipsis inculcat, eam esse facti fœditatem & turpitudinem, vt merito honestorum hominum oculos deuitet. 3. Denique mors homines spoliat omnibus suis bonis. Sis licet alter Cyrus vel Alexander, aut totius mundi Dominus: tamen cùm ad mortem veneris, Iro atque Lazaro pauperior eris. Hîc enim verum est illud dictum: Mors sceptra ligonibus æquat. In morte deserunt nos opes, amici, famuli, omnia denique humana. Sic anima quæ per peccatum spiritualiter moritur, amittit DEVM, summum bonum, iacturam facit omnium suorum bonorum operum, omnium iustitiarum quas fecerat, non recordabuntur, Ezech. 18. ver. 24. amittit præmia, quæ DEVS bene operantibus promisit, amittit denique vitam æternam. Quibus bonis omnibus homo per spiritualẽ mortem spoliatus, nudus & inops relinquitur in omnem æternitatem. Huius rei illustre exemplum nobis spectandum præbet Christus, Luc. 16. v. 24. in diuite epulone. Quid prosunt ipsi splendidæ opes, quas in hoc mundo habuerat, cum iam in omnem æternitatem ne vnam quidem guttam habere queat, qua linguam ex flammæ ardentem refrigeret? Quid vero hac nuditate potest esse miserius? Quid calamitosius? Vnde rectè Augustinus dixit: Luges corpus, à quo anima recessit & non luges animam, à qua recessit DEVS? Nos vero harum consideratione adducamur ad peccati detestationem, siquidem illud solum hanc animæ mortem superinducit. Si vero videamus quempiam hac morte perire, non relinquamus eum inter sui similes mortuos, à quibus in infernum sepeliatur. Sed potius properemus cum eo ad Christum, qui est Dominus vitæ & mortis. Is Lazarum defunctum quatriduanum in vitam reuocauit, Ioh. 11. v. 44. Idem etiam nos à peccati morte liberabit, qui pro nobis mortem subire non erubuit. Sicuti de ea re alibi disserendi copia dabitur.

CAPVT LXIV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DE TRANSFRETATIONE Christi in terram Gersenorum. Matth. 8. Marc. 4. Luc. 8.

RATIO ORDINIS.

HIc sese offert non parua difficultas, in sequentibus historiis suo vero loco disponendis: & scrupuli obiiciuntur non contemnendi, vt non statim appareat, quis sit verus τῶν πραγμάτων [illegible]. Nam Matthæus Cap. 8. & 9. Marcus Cap. 4. & 5. Lucas Cap. 8. eodem quidem consecutionis ordine describit tres historias. 1. Transfretationẽ & magnum illũ motũ in mari. 2. Expulsionem dæmonum & porcorum suffocationẽ in mari. 3. Suscitationẽ mortuę filię primatis, & interim sanatã Hæmorrhousam. Sed ad descriptionem illarum historiarum, Matthæus mox accedit ab illa vespera, quãdo Dominus sanauit socrum Petri & alio infirmos Capernaumi: quod factum est anno primo ministerij Christi. Atque sic præmittit has historias longe ante legationẽ Baptistæ, sanationem Dæmoniaci, ante parabolas à Domino turbæ propositas. Marcus verò & Lucas tum demum ad descriptionem harum historiarum accedunt, quando Dominus legatis Baptistæ respondit, populo de Iohanne dixit, Dæmoniacum sanauit, atque multa per parabolas locutus est: quæ omnia in secundo anno ministerij Christi acciderunt. Atque hinc Andreas Osiander, vir alioquin acuti ingenij & magnæ eruditionis (& qui secuti eum sunt, Crellius, Codomanus, atque alij) vt tueatur illud suum ἀξίωμα, nullum Euangelistarum quicquam extra ordinem narrasse, & ne cogatur quicquam transponere, istas historias facit diuersas, quæ distinctis locis ac temporibus acciderint, easque in Harmonia sua ita ordinat, vt illæ, quas Matthæus descripsit, præcedant, & demum longo interuallo subsequantur Marci & Lucæ descriptiones. Et sane diuersitatem earum multis, iisque argutè conquisitis rationibus, probare nititur, sicuti videre est lib. 1. Harm. ipsius cap. 39.

Ante omnia itaque necesse est, vt diligenter expendatur, vtrum eædem sint, an verò diuersæ apud diuersos Euangelistas. Si diuersæ sunt, necesse erit ordinem ab Osiandro monstratum sequi. Sin fuerint eædem, tum ex antecedentibus, tum ex consequentibus patebit, hîc propriè ipsis suum locum in Harmonia attribui posse, & Matthæum per anticipationem eas recitasse. Nos tuebimur illam sententiam, quę easdem esse censet. Et quidem in sequentibus sigillatim plura videbimus nunc tantum generales quasdam monitiones pręmittemus, vnde appareat esse easdem.

I. In genere, hasce historias apud omnes tres Euangelistas pro iisdem habemus. 1. Quia tota erudita antiquitas iudicauit, esse prorsus easdem. Ab eius itaque iudicio communi, citra graues causas recedere temerarium & arrogans esse videtur. 2. Retinenda est generalis illa regula, quæ etiam cap. 5. Proleg. posita est, vt ne præter necessitatem historiæ distinguantur vel diuellantur, vbi præcipuæ circumstantiæ conueniunt, & easdem esse ostendunt. Quando enim diuersa sunt loca, tempora, personæ, occasiones & fines, tunc demum propter similitudinem ea, quę diuersis temporibus repetita sunt, non sunt cõfundenda, sed distinguenda. 3. Omnes autem circumstantiæ tam manifestè testantur, hasce historias apud omnes tres Euangelistas esse easdem, vt si quis eas diuersas facere velit, ipsa euidentia reclamet, & in aures atque animum insonet, easdem esse. Quanquam enim nemine dubitante Dominus plurima fecit, quæ scripta non sunt: multa item similia fecit iis, quæ scripta sunt: & apparet etiam apud vnum Euangelistam nonnulla recitari similia, vt quæ vere bis dicta factave sint: tamen non facile cuiquam sano credibile videbitur fieri posse, vt plurimæ res diuersissimæ eodem ordine, & illo quidem neque inuerso, neque interrupto, sed continuo, tanta constantia, tantaque euidentia & præcipuarum omnium circumstantiarum similitudine, vel potius identitate, sese mutuo consequatur aut consecutæ sint, vtut singulæ bis factæ esse statuantur, quemadmodum hic duodecim ista diuersissima & accidisse, & continuo rerum gestarum ordine, nec vllibi duorum vel trium, aut plurium ex iis inter se permixta, confusa, aut inuersa serie, sese mutuo consecuta esse dicuntur. 1. Transfretatio. 2. Motus maris non paruus. 3. Somnus Christi profundus. 4. Facta maris tranquillitas, mandante Domino ad preces discipulorum. 5. Trans mare expulsio Dæmonum. 6. Suffocatio porcorum proxime pascentium. 7. Fuga pastorum. 8. Obtestationes Dęmonum. 9. Christi reditus, mari traiecto. 10. Preces Iairi. 11. Intermedia sanatio hæmorrhousæ. Et demum, 12. Suscitatio puellæ.

Si itaque maxime statuatur hasce historias bis factas esse, tamen vix credi potest, singula bis eundem hunc suum ordinem tenuisse, atque sic omnia eodem ordine postea denuo facta esse, quo prius facta fuerant. Sed potius existimabitur, eorum vnum atque alterũ alibi, & alio eorũ ordine, sicque vel

ante vel post, vel certe alio loco vel tempore accidisse. Cùm verò omnes tres Euangelistæ ista tot diuersissima vno ore sic recitent, vt appareat vno eodemque rerum gestarum ordine & consecutione facta esse, nemo sanus negabit, esse etiam omnia eadem. Hæc ratio pium & attentum lectorem non parùm mouebit, vt certissimè credat, hasce historias easdem esse. Atque hæc generaliter monuisse sufficere possunt. Quæ autem ex circumstantiis colliguntur, tanquam rationes probandæ diuersitatis, illa in singulis historiis commodius excutiuntur.

II. Quod ergo primam historiā attinet de transfretatione, statuit quidem Andreas Osiāder eam, quæ apud Mattheū extat, diuersam esse ab illa, quam Marcus & Lucas describunt, propter sequentes rationes. 1. Quia apud Matthæum certum sit vnde soluerint: illud autem apud Marcum & Lucam non exprimatur. 2. Quia Matthæus suam historiā connectat cum illis miraculis, quæ primo anno prædicationis Christi facta sunt. Marcus vero & Lucas illam inter ea recensent, quæ secundo anno contigerunt. 3. Quia in Matthæo tantùm vnius nauis mentio fiat: apud reliquos pluriū. 4. Quia apud Matthæum discipuli leniùs, apud Marcum & Lucam seueriùs obiurgantur. 5. Quia apud Matthæum post traiectum in fines Gergesenorum venisse dicuntur: apud reliquos in regionem Gadarenorum. Sed hæ rationes omnes, excepta vltima, nequaquam sunt eius momenti, vt ostendant aut conuincant aliquam diuersitatem, & pro vna constituant duas distinctas transferationes. Nam 1. non tantùm ex Matthæo constat vnde Iesus soluerit: sed idem etiam ex reliquis colligi potest. Etenim Marci 3. v. 20. dicitur *Iesum venisse domum*. Atqui certum est ipsum nusquam habuisse domum conductitiam, præterquam Capernaumi, vbi ciuis erat. Domi itaque sanauit Dæmoniacum: domi eum quæsiuerunt cognati prehendere: domo egressus docuit ad mare per parabolas: à mari domum reuersus discipulis parabolas explicauit: & demum domo denuo egressus ad mare soluit. Quapropter patet Matthæum & Marcum inter se, quoad locum ex quo nauigatio facta est, consentire. Et velut solus Matthæus locum vnde Dominus soluerit, expressisset, non etiam Marcus & Lucas illud indicarint: tamen consentientibus omnium sanorum testimoniis, ex eo non consequetur esse eas duas diuersas historias, cùm luce meridiana clarius sit in historiis, quas Euangelistæ simul describunt, alium plures, alium pauciores circumstantias annotare, vt nihilominus maneant eædem historiæ. 2. Secunda ratio quoque nihil solidi habet. Nam ἀξίωμα illud probari non potest, quod Euangelistis hoc propositum fuerit, vt non nisi eo ordine & tempore recitent omnia, quo acciderunt. Nam hactenus adeo manifeste commonstratum est, eos multa recitare loco & tempore alieno, vt nemo inficias ire queat. Hoc cùm certum sit, concidit secunda ratiocinatio, & apparet Matthæum hasce historias per anticipationem descripsisse. 3. Quod tertiam rationem attinet, manifestum est ex inspectione textus, etiam Lucam non plurium, sed tantum vnius nauis meminisse: nemo tamē propterea dicet, narrationē Lucæ esse diuersam à Marci. Nec sequitur: apud hūc Euangelistā plures recitantur circumstātię, quàm apud istum: Ergo sunt diuersæ historiæ. Nec Matthæus sic meminit vnius nauis, vt dicat non nisi vnā solā fuisse, aut neget fuisse plures. Imo historiam hanc ita concludit, vt non obscure doceat plura nauigia affuisse. Dicit enim *homines miratos esse quod Iesus mari & ventis imperaret, & hi obediant.* Sed quinam fuere isti homines? Non certe illi, quos aliàs semper discipulorum nomine insignit, nec illi, qui in littore stabant. Nimis enim procul à terra abierant: sed qui in aliis nauigiis vnà nauigabant, & commune periculum sustinebant. Nihil ergo ista ratio probat. 4. Quantum valeat quarta ratio, docet ipsa lectio. Dominus enim apud omnes tres Euangelistas obiurgauit timiditatem & incredulitatem discipulorum, nec leniùs apud hunc, nec seuerius apud illum, sed apud omnes æque grauiter & æque placide. Et August. ostendit, omnia verba dicta esse à Domino, quæ diuersa diuersi annotarūt. 5. Sola quinta ratio diuersitatem probare videbitur, si certò constabit, regionem Gergesenorum non esse eandem, quæ Gadarenorum: aut non potuisse eum, qui venerit in fines Gergesenorum, dici simul etiam attigisse fines Gadarenorum. Osiāder quidem solicitè conatur euincere, fuisse duas diuersas regiones, vnā Gergesenorū, supra locū Genezaret ad ripā Iordanis Orientalem, versus Septentrionē: alterā Gadarenorum, infra eundem locum, versus Meridiem. Sic autem sudat, vt ipse sibi videatur istud non liquidò demonstrasse, nec audeat tuto istis suis disceptationibus niti. Et tamen ex illis tam solicitè comportatis ratiocinationibus, nihil plus efficitur, quàm si vel maximè sint duę diuersæ regiones, tamen terminis suis ita fuisse conjunctas, vt in vtriusque regionis conjunctis finibus istud de dæmoniaco accidere potuerit. Imprimis autem hoc notetur. Lucas cap. 8. versic. 26. testatur, *Gadarenorum regionem* fuisse ἀντιπέραν τῆς Γαλιλαίας oppositam vel *è regione Galilææ*.

Vnde apparet Galilæam & Gadarenam sub eodem parallelo sitas fuisse: illam quidem cis, hanc verò trans Iordanem. Talem enim situm Geographi solent oppositum siue è regione situm, appellare. At Benedictus Arias Montanus, in magno illo regiorum Bibliorum apparatu, in tabella chorographica, quam tractatui Chanaan, siue de 12. gentibus adiecit, & in ea descripsit terram Chanaan, qualis illa fuerit tempore Abraham, & antequam Israelitæ eam occupārant, in illum ipsum tractum reponit veteres populos Gergesæos à quibus regio ista nomen hoc sortita est, & in eum vsque diem quoque retinuit. Ibidem locorum posuit Iosephus, Hieronymus, Ptolomæus & alij reponunt Gadaram vrbem insignem & munitam, quæ dubio procul tanquam vrbs primaria toti regioni, quæ priùs erat Gergesenorum, nouum nomen indidit; vt etiam appellaretur regio Gadarenorum. Itaque dico diuersa nomina, vnum vetustum, alterum nouum vnius regionis, non efficient, vt propterea etiam ex vna actione duæ diuersæ confingantur. Sed tantum hoc sequetur, quòd Matthæus quidem Hebraice scribens vetustā appellatione vsus sit: reliqui duo Græcè scribētes, retinuerint modernam & vsitiorem appellationem. Consideretur consimile exemplum, quod in Euangelistis occurrit. Matth. 15. versic. vlt. cùm Dominus septem panibus satiâsset quatuor hominum millia, dicitur conscensa naui venisse in ὅρια, fines Magedam siue Magdala. Marcus autem c. 8. v. 10. dicit ipsum venisse in μέρη partes Dalmanutha, neque tamen isti sunt duo traiectus, sed vnus: neque duæ regiones, sed vna, vel ipso Osiandro teste. Itaque satis luculenter patet duas diuersas appellationes, non facere duas diuersas regiones. Vetus interpres hasce difficultates omnes eo deuitare voluit, quod tam in Matthæo, quàm in Marco & Luca posuit *Gerasenorum* nomen, loco Gergesenorum & Gadarenorum. Illud vero inde factum videtur, quia ex D. Hieronymo in Abdiam patet, illam regionem & vrbem tū temporis Gerasam dictam, atque sic nomē istud notius & cōmunius fuisse, quàm reliqua. Quin & illud non omittendum videtur, Christianum Adrichomium, in theatro terræ sanctæ, quod diligentissimè tam ex veterum, quàm ex neotericorum descriptionibus collegit, in tabula dimidiæ tribus Manasses, duas ponere vrbes *Gergasam & Gadaram*, ad duas horas ab inuicē dissitas, & cuius vrbi tribuitur, sua χώρα, regio seu territorium. Potest itaque in vtriusque finibus, & quidem eodem tempore percommode accidisse, quod de Dæmoniacis audiemus. Sed nos illud tenebimus, esse vnam eandemque regionem, quæ duobus nominibus appelletur. Sicut etiam Syrus in omnibus tribus Euangelistis vnica vtitur appellatione, & vocat eam regionem גדריא, Gadaræorum. Ac proinde concludimus, superioribus illis quinque rationibus non probari posse, duos esse diuersos Christi traiectus. Cum vero sit vna eademque transfretatio, sequitur porro ex superioribus illis, hunc locum ipsi assignandum esse in harmonia Euangelica.

HISTORIA TRAIECTVS CHRISTI, EX GALILæa in regionem Gergesenorum.

23. Καὶ ἐμβάντι αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον, ἠκολούθησαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

23. *Et cum esset ingressus nauim, secuti sunt eum discipuli sui.*

24. Καὶ ἰδοὺ σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσσῃ, ὥστε τὸ πλοῖον καλύπτεσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων, αὐτὸς δὲ ἐκάθευδε.

24. *Et ecce motus magnus factus est in mari, adeo vt nauis operiretur à fluctibus, ipse vero dormiebat.*

25. Καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἤγειραν αὐτὸν, λέγοντες, κύριε σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα.

25. *Et accedentes discipuli excitauerunt illum dicentes; Domine serua nos, perimus.*

26. Καὶ λέγει αὐτοῖς· τί δειλοί ἐστε ὀλιγόπιστοι; τότε

26. *Et dicit illis: quid timidi estis, exigua præditi fide.*

ἐγερθεὶς,

ἀνέμοις καὶ τῇ θαλάσσῃ, καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη.

27. Οἱ δὲ ἄνθρωποι ἐθαύμασαν λέγοντες, ποταπός ἐστιν οὗτος, ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ;

tis. Tunc excitatus increpauit ventos & mare, & facta est tranquillitas magna.

27. *Homines vero admirabantur dicentes, qualis est hic, quia venti quoque & mare obediunt illi?*

MARC. 4.

36. Καὶ ἀφέντες τὸν ὄχλον, παραλαμβάνουσιν αὐτὸν ὡς ἦν ἐν τῷ πλοίῳ. Καὶ ἄλλα δὲ πλοιάρια ἦν μετ᾽ αὐτοῦ.

37. Καὶ γίνεται λαῖλαψ ἀνέμου μεγάλη, τὰ δὲ κύματα ἐπέβαλλεν εἰς τὸ πλοῖον, ὥστε αὐτὸ ἤδη γεμίζεσθαι.

38. Καὶ ἦν αὐτὸς ἐπὶ τῇ πρύμνῃ ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον καθεύδων. Καὶ διεγείρουσιν αὐτὸν, καὶ λέγουσιν αὐτῷ, διδάσκαλε, οὐ μέλει σοι, ὅτι ἀπολλύμεθα;

39. Καὶ διεγερθεὶς ἐπετίμησε τῷ ἀνέμῳ, καὶ εἶπε τῇ θαλάσσῃ, σιώπα, πεφίμωσο. Καὶ ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος, καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη.

40. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· τί δειλοί ἐστε οὕτω; πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν;

41. Καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, καὶ ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους, τίς ἄρα οὗτός ἐστιν, ὅτι καὶ ὁ ἄνεμος καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ;

36. *Et dimissa turba, assumunt eum, ita vt erat in naui. Sed & alia nauicula erant cum illo.*

37. *Et oritur procella venti magna, & fluctus irruebat in nauim, ita vt illa iam impleretur.*

38. *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens, & excitant eum, dicuntque illi, Praeceptor non est tibi cura, quod perimus?*

39. *Et excitatus increpauit ventum, dixitque mari, Tace, obmutesce. Et conquieuit ventus, factaque est tranquillitas magna.*

40. *Et ait illis: quid timidi estis adeo? qui fit, vt non habeatis fiduciam?*

41. *Et timuerunt timore magno, dicebantque inter se, Quisnam hic est, quia ventus & mare obediunt ei?*

LVC. 8.

22. Καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, καὶ αὐτὸς ἀνέβη εἰς πλοῖον, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης. Καὶ ἀνήχθησαν.

23. Πλεόντων δὲ αὐτῶν ἀφύπνωσε, καὶ κατέβη λαῖλαψ ἀνέμου εἰς τὴν λίμνην, καὶ συνεπληροῦντο, καὶ ἐκινδύνευον.

24. Προσελθόντες δὲ διήγειραν αὐτὸν, λέγοντες, ἐπιστάτα, ἐπιστάτα, ἀπολλύμεθα. ὁ δὲ ἐγερθεὶς ἐπετίμησε τῷ ἀνέμῳ καὶ τῷ κλύδωνι τοῦ ὕδατος. Καὶ ἐπαύσαντο, καὶ ἐγένετο γαλήνη.

25. Εἶπε δὲ αὐτοῖς, ποῦ ἐστιν ἡ πίστις ὑμῶν; φοβηθέντες δὲ ἐθαύμαζον, λέγοντες πρὸς ἀλλήλους, τίς ἄρα οὗτός ἐστιν, ὅτι καὶ τοῖς ἀνέμοις ἐπιτάσσει καὶ τῷ ὕδατι, καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ;

22. *Factum est autem quodam die, & ipse ascendit in nauim, ac discipuli eius, & ait ad illos, Traijciamus in vlteriorem ripam stagni: ac soluerunt.*

23. *Caeterum nauigantibus illis, obdormiuit, & ingruit procella venti in stagnum, & complebantur, ac periclitabantur.*

24. *Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes: Praeceptor, Praeceptor, perimus. At ille experrectus, increpauit ventum ac tempestatem aquae, & cessauerunt, factaque est tranquillitas.*

25. *Dixit autem illis: Vbi est fides vestra? Timentes autem mirati sunt dicentes inter sese, Quis putas hic est, quia ventis quoque & aqua imperat, & obediunt ei?*

DE COAGMENTATIONE CIRCVMSTANtiarum huius historiae ex tribus Euangelistis.

Etsi ex inspectione textus, qui per columnas appositus est, manifestum esse possit, qualiter is sit in vnam harmoniam congerendus: tamen vt ratio eius tanto expeditior sit, pauca monenda videntur. Accidisse hanc historiam vespere illius diei, quo Christus habuit concionem parabolicam, ex Marco constat. Quis autem septimanae dies fuerit, Lucas indicare videtur, dum dicit factum esse, ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, *in vna dierum*; vbi vocabulum μιᾷ non indefinite accipio pro quodam die, sed pro primo die septimanae, sicuti vsurpatur Gen. 1. versic. 5. & alias saepissime in scriptura. Est is dies Solis, qui postea loco Sabbati totus consecratus est sacris ministerij exercitiis, & inde Dominicus dies dictus, Apoc. 1. vers. 10. Cuius mutationis Sabbati Iudaici in Dominicum diem Christianorum, praeludium aliquod fuit, quod Christus saepius primum diem septimanae, proximum à Sabbato, quàm alium docendo insumsit. Progressus itaque extra vrbem ad nauale vsque, *turbam*, quae turmatim sequebatur, *dimisit*: *ipsum vero discipuli, qui praeuerant, recipiunt, ita vt erat in naui.* Quod vel ita accipi potest, quod non sit facta magna praeparatio & importatio commeatus, aut aliarum rerum necessariarum: sed sicut ex domo sua accesserat, vt ita conueniat cum eo, quod modo Scribae dixerat, se non habere quò caput inclinet: vel quod ita se in nauim composuerit, ac si denuo ex ea concionaturus esset, sicut prius fecerat. At vero, quia satis dfei datum erat, loco concionis plebi valedixit, atque sic eam dimisit. Qua dimissa soluerunt à littore. Verum non omnes volunt discedere. Quem enim totum diem concionantem audierant, eidem silenti adhaerere cupiunt, vt vel ex solo conspectu, vel praesentia, consolationem aliquam & spirituale gaudium haurirent. Itaque quidam ipsorum alia nauigiola arripiunt, & in iis ipsum sequuntur. Orta tempestate, reliquae quidem nauiculae non fuerunt prorsus extra discrimen: procella tamen maxime incidit in nauim, in qua Christus cum discipulis vehebatur. Idcirco discipuli in tanto discrimine, vt fit, turbati, cum tumultu & impetu Dominum dormientem inclamant, vnusquisque iis verbis, quae terror & metus suppeditabant. Ac proinde omnium trium Euangelistarum verba retinenda fuerunt. Christus excitatus primum leniter ipsos obiurgat ob pusillanimitatem: sed sedata tempestate grauius increpat. Ideo repetenda fuit obiurgatio, & in medio interponendum, quibus verbis mare & ventos compescuerit, vnde exortus est non tantum apud discipulos timor & reuerentia maior erga Magistrum, sed & apud homines vna nauigantes admiratio, qua agnoscunt, non esse vulgarem hunc Prophetam: sed talem, qui etiam mutis elementis imperare possit.

HARMONIA HISTORIAE DE TRANSFRETAtione Christi, coagmentata ex trium Euangelistarum descriptione. Matt. 9. Marc. 4. & Luc. 8.

c Καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, καὶ αὐτὸς ἀνέβη εἰς πλοῖον· a Καὶ ἐμβάντι αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον, ἠκολούθησαν

c *Factum est autem in prima dierum, & ipse ascendit in nauim.* a *Et cum esset ingressus nauim, secuti sunt*

αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. b Καὶ ἀφέντες τὸν ὄχλον, παραλαμβάνουσιν αὐτὸν, ὡς ἦν ἐν τῷ πλοίῳ. c Καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης, καὶ ἀνήχθησαν. b Καὶ ἄλλα δὲ πλοιάρια ἦν μετ' αὐτοῦ. c Πλεόντων δὲ αὐτῶν ἀφύπνωσε. a Καὶ ἰδοὺ σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσσῃ. Καὶ κατέβη λαῖλαψ ἀνέμου b μεγάλη c εἰς τὴν λίμνην. b τὰ κύματα ἐπέβαλεν εἰς τὸ πλοῖον, a ὥστε τὸ πλοῖον καλύπτεσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων, b ὥστε αὐτὸ ἤδη γεμίζεσθαι. c Καὶ συνεπληροῦντο, καὶ ἐκινδύνευον. c καὶ ἦν αὐτὸς ἐπὶ τῇ πρύμνῃ, b ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον c καθεύδων. f καὶ προσελθόντες a οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ b ἤγειραν αὐτὸν, λέγοντες c αὐτῷ, ἐπιστάτα, ἐπιστάτα, ἀπολλύμεθα. b διδάσκαλε, οὐ μέλει σοι, ὅτι ἀπολλύμεθα; a κύριε σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα. Καὶ λέγει αὐτοῖς, τί δειλοί ἐστε, ὀλιγόπιστοι; b τότε ἐγερθεὶς, ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις καὶ τῇ θαλάσσῃ, c καὶ τῷ κλύδωνι τοῦ ὕδατος. b καὶ εἶπε τῇ θαλάσσῃ, σιώπα, πεφίμωσο. καὶ ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος, c καὶ ἐπαύσαντο, b καὶ ἐγένετο γαλήνη a μεγάλη. b Καὶ εἶπεν αὐτοῖς, b τί δειλοί ἐστε οὕτω; πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; c ποῦ ἐστιν ἡ πίστις ὑμῶν; b καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, a καὶ οἱ ἄνθρωποι f ἐθαύμασαν, b λέγοντες b πρὸς ἀλλήλους, τίς ἄρα a καὶ ποταπὸς b οὗτος ἐστὶν, ὅτι καὶ τοῖς ἀνέμοις ἐπιτάσσει καὶ τῷ ὕδατι, a καὶ οἱ ἄνεμοι, καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ;

eum discipuli sui. b *Et dimissa turba assumunt eum, ita vt erat in naui,* c *& ait ad illos: Traijciamus in vlteriorem ripam stagni, & soluerunt.* b *Sed & aliæ nauiculæ erant cum illo.* c *Cæterum nauigantibus illis, obdormiuit.* a *Et ecce motus magnus factus est in mari,* b *& ingruit procella venti* b *magna* c *in stagnum,* b *& fluctus inijciebat in nauim,* a *adeo vt nauis operiretur à fluctibus,* b *ita vt illa iam operiretur,* c *& complebantur, & periclitabantur.* c *Et erat ipse in puppi* b *super ceruical* c *dormiens.* f *Et accedentes* a *discipuli eius,* b *excitauerunt illum, dicentes* c *illi: Præceptor, Præceptor, perimus.* b *Magister, non est tibi cura, quod perimus?* a *Domine serua nos, perimus. Et dicit illis, quid timidi estis exigua præditi fiducia?* b *Tunc excitatus increpauit ventos & mare,* a *ac tempestatem aquæ,* b *dixitque mari, Tace, obmutesce.* b *Et conquieuit ventus,* c *& cessauerant, & facta est tranquillitas* a *magna.* b *Et ait illis:* b *Quid timidi estis adeo? quî fit vt non habeatis fiduciam?* c *vbi est fides vestra?* b *Et timuerant timore magno,* a *ac homines* f *admirabantur,* b *dicentes* b *inter sese: Quis putas* a *& qualis* b *hic est, quia ventis quoque & aquæ imperat,* a *& venti quoque & mare obediunt illi?*

Periocha huius historiæ.

ANte omnia consideretur in hac historia. quæ plurimas suppeditat doctrinas. quo fine Dominus Iesus hanc nauigationem instituerit. Fuit is, vt vno verbo dicam, hic: vt Apostoli discerent, quantum adhuc ipsis deesset ad perfectionem Apostolatus. Diximus enim supra cap. 52. generalem hanc esse obseruationem in tota Euangelica historia, quod post excellentem aliquam concionem, plerunque sequantur illustria miracula: non tantum vt certitudo doctrinæ iis confirmetur, sed & vt πρᾶξις atque vsus eius monstretur & applicetur. Eadem obseruatio etiam huc pertinet. Habuerat illo die Christus insignem concionem, qua rationes regni cœlorum variis parabolis, seminis, zizaniorum, grani sinapis, fermenti, margaritæ, thesauri, &c. illustrauit. Huius concionis quasi practicum quoddam examen iam instituit, non tantum in plebe, sed & in ipsis Apostolis. Et quidem quod plebem attinet, proponit ipsis vnam atque alteram parabolam, ac postea dimittit. Discedunt fere omnes, nec quisquam ex iis est, qui de vero parabolarum intellectu interrogaret. Atque sic reipsa ostendunt se nobile semen cœlestis verbi excepisse in corde patulo, quod doctrinam nolit capere & retinere, sed permittere vt rursus è memoria euolet, vel ab infernalibus auibus auferatur. Hi nullum ferent fructum ad vitam æternam. Discipuli tamen de vero sensu interrogant, & explicationem accipiunt, quam dubio procul etiam aliqui ex populo, qui Christum domum secuti fuerant, audierunt. Hi sunt reliquis meliores, quibus etiam Christus dicit; Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum. Ideoque etiam plures parabolas ipsis proponit. Postea producitur Scriba, qui ambit locum inter Apostolos, sicque præ se fert, ac si semen verbi in honesto corde suscepisset, & fructum allaturus esset. Sed postquam audit duras & difficiles huius functionis conditiones, retrocedit, eoque prodit vel zizania Iudaica simul sparsa esse in suo corde, vel certe semen in petrosa incidisse, ita vt ipse factus sit πρόσκαιρος, qui tantisper Christo adhærere cupiat, dum læta fortuna arridet, & apud populum in gratia est, atque authoritate: sin diuersum metuendum sit, se Christo carere posse. Tandem succedit vnus ex discipulis, in quo semen verbi ex conuersatione cum Christo incrementa sumserat: sed simul succreuerant spinæ, quæ spiritualem fructum verbi suffocare, eumque rursus ad terrena rapere cupiunt. Iccirco audita patris morte, missionem petit, vt hæreditatem adire queat. Christus ergo spinas eradicaturus & semen conseruaturus, veniam ipsi negat, eumque secum detinet. Hæc omnia Apostoli videntes atque obseruantes, secum cogitant se esse bonam terram, & poterant inde animos sumere atque superbire, quasi nihil de via, nihil de petra, nihil de spinis in ipsorum corde superesset, maxime quia interrogati à Christo, vtrum illa omnia quæ dixerat intelligerent, responderunt, vtique. Gaudebant itaque dubio procul in sinu suo, quod inuenissent thesaurum illum absconditum, & quod pretiosæ illius Margaritæ participes facti fuissent. Ne ergo nimium efferrentur, sed agnoscerent se nondum peruenisse ad perfectionem, siquidem adhuc petrosi & spinosi satis multum hæreat in ipsorum corde, deducit eos ad mare, tempestatem oriri patitur, atque permittit ipsos de vita periclitari, ibi demum in praxi sentiunt & reipsa experiuntur, adhuc admodum modicam esse suam fidem, siquidem verbum Dei nondum profundas radices in corde ipsorum egerit. Atque sic simul discũt, quomodo tractari debeat granum *sinapi, si velit crescere*, & fermentum, *si velit totam massam peruadere*. Nimirum granum sinapi, nisi mittatur in terram, non crescit: & fermentum nisi subigatur sub farinam, non fermentat. Quid vero sit sub terram mittere, & quid sit subigere, illud Christus in hac iactatione tempestatis discipulis vult ostendere. Sed prodest singulas historiæ partes, vel potius practicas doctrinas, quas Christus suis proponere voluit, diligentius inspicere.

I. Prima doctrina huius historiæ est, quod Christus voluit dicere, quam mirabiliter suos, quos ad participationem æternæ salutis vocauit, ducat, Psalm. 4. vers. 4. quod variis aduersitatibus obruantur, etiam quando Christus ipsis est proximus. Venerant Apostoli ad Iesum, pleni spe immensi gaudij & æternæ felicitatis. Ipse eos non tantum benigne suscepit, sed etiam non ita pridem in Apostolos & Ecclesiæ columnas elegit, vt mundi doctores fierent. Quis non hic angustissima quæuis expectaret? sed qualiter eos ducit? Non ad voluptates & iocos, sed ad meras miserias & angustias. Primo circumducit eos post vocationem, per varios vicos & ciuitates, ita vt exulum instar peregrinari cogantur: & quocunque locorum perueniunt, fere nihil inueniunt, præterquam leprosos, paralyticos, flentes & lugentes, mortuos, cæcos, claudos, surdos, mancos. Postea transeunt cum ipso per castella, ibi Magistro laborante & concionante, discipuli famem & paupertatem ferre coacti fuissent, nisi liberalitas quarundam religiosarum fœminarum ipsos subleuasset. Inde domum reuersi incidunt in graues disputationes & contentiones aduersariorum, & experiuntur insuper perfidiam cognatorum, Christum comprehendere cupientium, ne propter ipsum apud Scribas periclitari cogerentur. His non contentus, iam deducit eos in mare, vbi singulis momentis mors imminet, à qua non absunt remotius, quàm asseris crassities impedit. Posthæc tandem (vt omnibus Christianis constat) ducit eos ad martyrium & mortem. Num ergo spe sua decepti sunt? Minime vero. Etenim non ad temporalem felicitatem ipsos vocauerat: sed ad regnum cœlorum, de quo in vltima cœna dicit, Luc. 22. vers. 29. Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi pater meus. Sicut ergo ipsum oportuit pati, & sic intrare in gloriam suam, Luc. 24. vers. 26. Ita mature etiam hos discere oportuit: non esse discipulum supra magistrum, neque seruum supra Dominum, Matth. 10. vers. 24. Meliora nec nos in his terr

spere

speremus; sicut nobis id prædixerunt Apostoli, Act. 14. vers. 22. quod oporteat nos per multas tribulationes intrare in regnū Dei. Antichristus est, qui suos ducit ad diuitias, opimas præbendas & voluptates huius mundi: via per quam Christus suos ducit, arcta & angusta, & pauci inueniunt eam, Matth. 7. vers. 14. Sed nequaquam animo propterea concidamus, quia momentaneum & leue tribulationis huius, quod est in præsenti, operatur in nobis supra modum excellens æternum pondus gloriæ, 2. Corint. 4. versic. 1. Quapropter minime opus est, vt Christiani ipsi sibi crucem fabricent, quam humeris suis imponant: modo fideliter Christum sequantur, tum iam paratam inuenient. Sicut vero talia nequaquam discipulos absterruerunt, vt propterea Christum desererent, fides & amor Christi apud ipsos pericula vicerunt: sic & nos eum absque tergiuersatione sequamur. Prædixit hoc Scribæ, qui restitit, neque sequi voluit. Discipulus alter audiens duram conditionem filij hominis & eorum qui ipsum sequuntur, nihilominus tamen Christum vocantem secutus est. Quin & reliqui discipuli libentius domi mansissent: quia vespera iam facta erat & appetebat nox. Sed imperium Christi vocantis & iubentis detrectare non poterant.

Est vero consideratione digna aduersitas, quæ discipulis obtingit, dum sequuntur Christum. Neque enim leuicula illa fuit, sed cum extremo vitæ periculo coniuncta. Nam Christus ὀψίας γενομένης, *vespera facta*, quæ apud Iudæos hora nona, hoc est, post tertiam nostram pomeridianam, incipiebat, lassus ex labore diurno & seria concionandi contentione, in nauim receptus, super ceruical cubuit & dormire cœpit. Illi vero, qui in naui erant, cum prius iussi fuissent transire, eum ita dormientem traiicere cœperunt. Et initio quidem cum ex littore soluunt, mare placidū erat & tranquillū, nec quicquam mali minabatur: sed ex improuiso, quamprimum cum Christo in altum prouecti sunt, mare intumescit, & inexpectatum parturit tempestatem. Hoc enim Euangelista Matthæus voce ἰδοὺ, *ecce* indicare voluit: nimirum, malum hoc præter omnem expectationem accidisse. Nec fuit hæc tempestas vulgaris: sed inusitata & supra modum terribilis, ac si quidam terræ motus factus esset. Vnde etiam σεισμὸς dicitur, quæ vox talem concussionem & quassationem significat, qualis in terræ motu fieri solet. Varinus, σεισμὸς κίνησις γῆς ὑπὸ πνεύματος ἐν αὐτῇ ἐγκαταλειφθέντος, ἢ βρασμὸς γινόμενος διὰ τὸ κυκλοῦσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων. Neque hoc solum. Etsi enim hæc tempestas etiam reliquas nauiculas, quæ vna ibant, quassabat: Tamen inprimis hæc nauis, quæ Christum cum discipulis vehebat, periclitabatur. Nam ex aere descendit λαῖλαψ, *procella vehemens & turbo* impetuosus in stagnum, qui turbo nauim apprehendens raptauit & rotauit, quo periculo nullum aliud in aquis interitui potest esse propius. Aristoteles de Mundo λαίλαπα dicit esse πνεῦμα βίαιον καὶ εἰλούμενον κάτωθεν ἄνω, ventum violentum, qui inferne sursum versus repente conuoluitur. Varinus dicit, λαῖλαψ ἐστὶ ἀνέμου μετὰ ὑετοῦ συστροφὴ εἶναι. Hic procellosus ventus, fluctus maris tanta copia proiiciebat in nauim, vt ipsa à fluctibus operiretur, aquis marinis impleretur, non aliter quàm hydriæ in nuptiis Galilææ impletæ fuerunt. Iohan. 2. vers. 7. Quo verbo Euangelista illic loci etiam vsus est. Erant igitur discipuli in præsentissimo periculo vitæ, sicuti descriptio Euangelistarum inter se collata diserte illud testatur. Et in quanto periculo fuerint, vel inde colligere licet: quia Petrus & socij ante hæc tempora piscatoria arte vsi erant in hoc ipso stagno, ac proinde tempestatum non inexperti sciebant, si maxime fluctus semel atque iterum cymbam contegant, tamen posse peritos nautas eluctari, ita harum rerum gnari non facile terrebantur: sed hic desperant cuncti, & magno clamore ter ingeminant ἀπολλύμεθα, *perimus, perimus, perimus*. Syrus vtitur verbo אבד quod significat interire & perdi. Vnde Angelus ille abyssi, exterminans, Apoc. 9. versic. 11. Abaddon & Apollyon nomen suum habet. Vbi interea Christus? Non procul abest: sed iacet in puppi & dormit. Non quasi ignoraret Apostolos suos in huiusmodi difficultates coniectos iri: sed quod optimus palæstræ Magister, hosce suos discipulos, quos orbis athletas constituere decreuit, sic exercere voluit, ne postea terroribus in periculis vincerentur: neve magnum quid sibi arrogarent, propterea quod aliis dimissis ipsos secum retinuerit. Hinc ergo discamus, Christum adhuc hodie interdum amantissimos introducere in periculum: non quod eos in periculis perire velit, sed vt ad magna ipsos præparet. Sicut Paulus de se fatetur 2. Cor. 1. vers. 8. quod fuerit in maxima tribulatione, adeo vt apud seipsum responsum mortis habuerit: sed DEVM, qui etiam mortuos suscitare potest, se ex periculis eripuisse & consolatum esse, vt & ipse possit alios consolari, qui in omni pressura sunt, per consolationem qua DEVS consolatus sit ipsum. In huiusmodi autem periculis ratio hominis ipsa sibi persuadet Christum procul abesse, illa nec videre, nec nosse, alioquin non passurum esse, vt ita periclitemur. Sed solemur nos ipsos hac historia, in qua audimus Christum proxime affuisse discipulis: sed tamen dormiuisse. Sic & nobis adest, quemadmodum dicit in Psalm. 91. versic. 15. Ego sum cum ipso in tribulatione. Et Christus promittit. Matth. vlt. versic. vlt. Ego sum vobiscum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Et quemadmodum Marc. 6. ver. 48. vidit discipulos in remigando laborare: Ita etiam videt nostras aduersitates. Quomodo enim is qui oculum finxit, non videret? Psalm. 94. v. 9. Ideo iubet scribere angelo Ecclesiæ Smyrnensis, Apoc. 2. v. 9. Scio tribulationem tuam. Ecce missurus est Diabolus ex vobis aliquos in carcerem vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. (Ecce etiam tempus prædefinitum est, quousque aduersitas durare debeat) sed esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

II. Secunda doctrina est, quod Christus in hac historia monstrare voluit, ad quem in omnibus periculis & aduersitatibus confugere debeamus. Apud Ionam in graui tempestate quisque nautarum suum DEVM inuocat, Ion. 1. vers. 5. Versabantur enim miseri isti homines, lucerna verbi diuini destituti, in summis tenebris, & opinabantur, si vel Neptunum, vel alios Deos marinos inuocarent, se à periculis suis eripi posse: Sicuti eadem cæcitas postremis temporibus sub papatu in Ecclesiam Christi reuecta est: vbi docuerunt homines in periculo naufragij vel incendij, vel quouis alio Diuos cœlites inuocare. Hinc alij Mariam matrem virginem, alij Barbaram, alij Christophorum, alij Nicolaum, quibus administrationem aquarum commendatam esse hominibus persuaserunt, inclamarunt: alij viso eminus templo Diuum ne nomine quidem sibi notum. Ac discipuli sciuerunt, quod omnes Dij gentium essent Dæmonia, Psalm. 96. versic. 5. Ideo ab illa impietate prorsus erant alieni. Imo nec ad sanctos defunctos preces suas direxerunt: Sciebant Noachum olim, integrum annum inter sæuas diluuij aquas fluctuantem mirabiliter seruatum esse: non ignorabant Mosi nomen inditum fuisse inde, quod in aquis seruatus & ex iis extractus fuisset: nouerant etiam Ionam, in mare proiectum, & à balena exceptum, tertia die terris redditum fuisse. Nullum tamen horum inuocant. Sed rectà Christum recurrunt, illum inclamant, ab hoc se seruari petunt. Dicunt, *Præceptor, Magister, Domine serua nos.* Quibus titulis includunt rationes, cur ad hunc Iesum accurrant. 1. quia debeat, 2. quia possit seruare. Quod *debeat*, id inde eliciunt, quia sit διδάσκαλος & ἐπιστάτης. Quis præceptor colligit discipulos, vt eos pessum ducat? Et inprimis ἐπιστάτου nomen, quo apud Lucam (qui peculiariter hoc vocabulo delectatus est) geminato vtuntur, inculcant, quid ipsius sit muneris. Nam ἐπιστάτης, præterquam quod Præceptorem vel pædagogum designat, proprie significat curatorem alicuius rei, idem quod ἐπιμελητὴς, qui diligentem curam gerit: Sicut dicuntur ἐπιστάται ποιμνίων, gregis curatores, & γυμνασίου ἐπιστάτης, gymnasij curator. Sed & ij, qui Reipub. curam gerant, ἐπιστάται dicuntur, vt ex Suida constat. Et in acie ἐπιστάτης dicitur, qui alteri commilitoni est substitutus, vt ei succenturiatus succedat, *das er ihn entsetze*. Intelligunt ergo discipuli hunc Iesum à Deo sibi præfectum, seque ipsius curæ, commissos esse, vt salutem ipsorum procuret, cumque in reliquis adeo diligens & solicitus sit, non deserturum ipsos in hac summa necessitate. Ita etiam 4. Reg. vlt. versic. 19. respondet Hebraico verbo פקיד Pakid, quod significat eum, cui administratio aliqua commissa est. Itaque non potuit Christus discipulis suis denegare suum auxilium & protectionem. Quod vero *possit* auxiliari, id illo vocabulo insinuatur, quod ipsum vocant κύριε, *Dominum*. Quod quidem nomen fere respondet Tetragrammato Iehouæ, & designat omnipotentem Dominum, cuius imperio omnia sunt subiecta. Hoc in loco Syrus habet vocabulum מרא quod significat DOMINVM, sed cum appositione rei alicuius. Vt Amos 1. vers. 1. מרא נקין, Dominus pecorum. Et DEVS dicitur מרא דעלמא, Dominus mundi. Hic vero absolute ponitur: quia vere est absolute Dominus omnium, sicuti paulo post ipso facto ostendet. Docent ergo Apostoli recte, quidnam in omnibus nostris angustiis & necessitatibus facere debeamus. Furit mare huius mundi, procellosus turbo fluctus immanes excitat, hi inter se collisi nauim animæ nostræ corpus, & vitam qua vehimur, ita adobruunt atque implent, vt in singula momenta perituri videamur. Quonam confugimus? Ad hunc Iesum. Si enim tum secundum humanam naturam vere Dormiens, tamen secundum Deitatem pro Apostolis excubauit, & in mediis fluctibus eos conseruauit, quid nunc non facturus est, postquam hic sanctus Israelis vigil, nunquam amplius nec dormit nec dormitat? Psalm. 121. vers. 4. Sed semper oculi ipsius sunt aperti super iustos: & aures eius attentæ in preces eorum, Psal. 36. vers. 16. Simulat quidem interdum somnum: sed hoc facit, vt precandi ardorem in nobis accendat. Excite-

mus igitur ipsum piis precibus in omnibus nostris aduersitatibus, neque formidemus, ne nos tanquam nimium importunos reiiciat.

Simul & hoc obseruatione dignum est. Si Christus à naui abfuisset, tantus motus excitatus non fuisset: quia Diabolus ipsum potissimum petiit. Iam vero ob Christum præsentem hic motus oritur, & *ipse iacet ἐπὶ τῇ πρύμνῃ*, in posteriore parte nauis, *super puppi*, in illa ipsa parte, in qua Apostoli remigare debebant, & vbi erat clauus seu gubernaculum. Sic sæpe fit, quod turbæ oriuntur ob Christum, ob ipsius verbum, & sinceram eius confessionem: & non raro apparet, ac si vndiquaque pax & tranquillitas secutura esset, si modo Christus remoueretur, si ipsius verbum seponeretur, si in vnico articulo aliquid aduersariis largiremur. Ibi tum deliberationes instituuntur, de remouendo & seponendo Christo. Sed caueant pij, ne in eiusmodi consilia consentiant. Neque enim Christus ex naui eiiciendus est, vt Ionas, sed hic vnice retinendus: siquidem ipse solus rebus desperatis remedium afferre potest. Ergo piis precibus excitandus. Nam quicunque eum accedunt, illi illuminantur: & facies eorum non confundentur, Psal.34.versic.6.

III. At dicat aliquis: Cur vero Christus Apostolos tam grauiter reprehendit, si licet in omnibus aduersitatibus & periculis ad eum accurrere, & ipsum ad opitulandum excitare? Respondeo, Christus ipsos non reprehendit propterea, quod ipsum excitassent, ipsiusque opem implorassent. Vtrumque enim expetit & vult. Sed propterea obiurgat, *quod adeo modica essent fidei*, neque ex tot suis miraculis tantum profecissent, vt non tantopere in periculo hoc, satis licet graui, tumultuarentur. Atque sic non tantum Apostolos, sed in ipsorum exemplo etiam alios Christianos vult docere, quomodo fides, quæ in rebus secundis instar grandis alicuius arboris firma & constans esse videtur, in aduersis ita concidat, contrahatur & euanescat, vt vix instar grani sinapis esse deprehendatur. Nam consideret quisque intra se diligentius, quanta fuerit hæc Apostolorum infirmitas. Non fuit apud ipsos vulgaris metus, qui in repentino casu etiam in virum constantem cadere potest: sed in tali casu animosa fides contra terrorem luctatur, & paulatim rursus se erigit. Hic vero apud Apostolos fides adeo profunde mergitur, vt tota concidat. Nam si ipsorum clamores apud Euangelistas conferantur, non tantum conqueruntur de periculo in quo versentur & pereant: sed & cum Christo expostulant, dicentes: *non est tibi cura quod perimus?* Quasi dicerent: qualis tu es seruator, qui dormis in nostro periculo? Nos omnibus relictis te sequimur, apud te quærimus regnum Dei, & tu promisisti futurum, vt talibus omnia adiiciantur, Matth.6.versic.33. Quid nobis adiicitur? Alij sunt extra periculum, & nos perimus. Hanc plus quam muliebrem trepidationem & pusillanimitatem Christus in ipsis reprehendit, & innuit ipsos ex tot concionibus & miraculis, quorum spectatores fuerint, tantum proficere debuisse, vt cõsiderent, se ipso præsente ipsius præsidio aduersus omnes diaboli machinationes tutos esse posse, præsertim cum ad hoc munus sint delecti, vt post ipsum hanc fidem in toto terrarum orbe prædicarent. Ideo ipsis dicit: *Cur adeo timidi estis? qui fit, quod non habeatis fiduciam? vbi est fides vestra?* In his vero omnibus non tantum Apostolorum, sed & propria nostra infirmitas nobis ob oculos spectanda proponitur. Ea enim est ratio fidei nostræ, vt vel leuicula crux eam excutere possit, vt cum Asapho in Psalm.73.vers.13. querulemur: Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & castigatio mea mane adest? Aut cum Iobo 3.vers.3.& Ieremia, c.20.vers.14. maledicimus diei in qua nati sumus, & optamus vt pereat. Itaque nemo sit securus: nemo de firmitate fidei suæ glorietur: nemo verbi auditum aut Sacramentorum vsum, quæ sunt media confirmationis fidei nostræ, contemnat: sed, qui existimat se stare, videat ne cadat, 1.Cor.10.vers.12. Et cum Apostolis Luc.17.v.5. precemur: Domine, adauge nobis fidem. Nam si maxime possimus cum patre Lunatici dicere, Marc.9.vers.24. Credimus Domine; mox tamen adiicere cogimur: Sed adiuua incredulitatem nostram.

Hic vero noua exoritur tentatio in pectoribus vere piorum, quod Satanas obiicit: Didici ex sacris fidem debere esse ὑπόστασιν καὶ ἔλεγχον, substantiam & certum Argumentum, Hebr. 11.vers.1. παῤῥησίαν καὶ καύχημα τῆς ἐλπίδος, fiduciam & gloriationem spei nostræ, Hebr.3.vers.6. Ita vt accessus noster ad DEVM sit ἐν πεποιθήσει, Ephes.3.versic.12. cum persuasione fiduciæ, non cum tumultuatione. Insuper, cum Christus sæpenumero suis dicat, sicut Centurioni, Matth.8.vers.13. Fiat tibi sicuti credis, dictat nobis cor nostrum: quid tu accepturus es, cum non credas & πληροφορία illa fidei, quæ requiritur, destituaris? Hic ergo, quando cor proprium nos arguit & condemnat, 1.Iohan.3.vers.20. attendendum, quomodo hoc Apostolorum exemplo nos consolari & rursus erigere debeamus; & discendum quomodo fides debeat esse instar anchoræ tutæ, quæ ingrediatur vsque in ea, quæ sunt intra velum, Hebr.6.vers.19. Apostoli in anxietate cordis clamant & dicunt: *Perimus, perimus: an tibi non est curæ, quod perimus?* Hoc certe non est fidei, sed pusillanimitatis. Interim tamen accurrunt ad Christum, excitant eum, ingeminant illa verba: *Præceptor, præceptor*. Vel vt est in Syriaco textu: *Præceptor noster, præceptor noster*, magister *noster*. Et tertio addunt: *Domine noster*. Hic certe emicat radius fidei, quasi dicant: Tu es verus DEVS, nos tuus populus: tu nos vocasti ad ministerium regni cœlorum, nos tui discipuli. Itaque non deseres nos. Licet autem in his fides se erigat: tamen mox rursus concidit. Finis enim sermonis est: *perimus*. Sic sunt mixti affectus in tentatione: modò abiiciunt animum, mox resumunt: & tamen plus de pereundo sermocinantur, quàm de spe salutis. Ita & nos in nostris aduersitatibus fere quiritamur, sumus timidi, tumultuamur, sumus impatientes. Non semper possumus cum Dauide magnanime dicere: Dominus est lux mea, & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Psalm.27.vers.1. Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es, Psalm.23.vers.4. Non timebo multa millia populi circumdantis me, Psalm.4. vers.7. Nam Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo, Psalm.118. vers.6. Sed clamamus cum eodem: Saluum me fac DEVS, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est *substantia*, &c. Psalm.69.vers.1. Vsquequo ergo Domine obliuisceris mei in finem? Vsquequò auertis faciem tuam à me? Psal. 13.vers.1. Querulamur cum Sione: Dominus dereliquit me: & Dominus oblitus est mei, Iesa.49.vers.15. In hac fluctuatione fidei & infirmitatis, quid statuendum? num desperandum, quasi Christus nos abiecturus esset? Minime vero, sed erigamus & consolemur nos hoc exemplo Apostolorum. Debuisset quidem ipsorum quoque fides in hoc periculo lucere tanquam lampas & fax in loco caliginoso, sed venti procellarum eam propemodum extinxerant, vt esset instar lini fumigantis. Sed is, qui calamum quassatum non conterit, & linum fumigans non extinguit, Ies.42.versic.3. etiam hanc *ipsorum* infirmitatem suffert. Non quidem eam probat, *sed arguit*; non tamen eos propterea à se reiicit, sed *surgit, motos fluctus rursus* componit: Et his compositis, tum *demum* eos *seuerius* increpat & obiurgat, idque in eum finem, vt in posterum plus fiduciæ in ipso collocare discant. Ita ergo & nos, quando ipsi deprehendimus, nos in aduersitatibus magis fuisse pusillanimes, quàm deceat fidei nostræ professionem: tum sciamus sane *hoc* Christo displicere, agnoscamus infirmitatem fidei & dubitationem non esse virtutem: sed esse vnum ex peccatis, quod indiget remissione. Et agnoscamus gratiam saluatoris nostri Iesu Christi, qui id quod infirmum est non abiicit, sed consolidat: & qui quod confractum est, alligat. Ipsi pro hac benignitate gratias agamus, & bene speremus, quod etiam in nostra infirmitate virtus ipsius sit perficienda, 2.Corint.12.vers.9. Sic ergo non gloriemur in fortitudine *fidei nostræ*: sed in illo gloriemur, quod nouimus Dominum nostrum Iesum Christum, qui est Dominus faciens *misericordiam & iustitiam* in terra, Ier.9.v.23.

IV. Iam porro etiam videamus, *quis & quantus* sit *hic Dominus*, sicut homines in hac historia de eo inquirunt. Nos credimus & scimus, quod in vna indiuisa persona sit verus homo & verus DEVS. Illud etiam hæc historia aperte docet. Nam quod sit homo, eius rei documentum satis certum est, quod ex lassitudine laboris diurni dormit: quod sit *verus* DEVS, id eo confirmat, quia excitatus sedat tempestatem maris. Ostensurus nimirum se esse eum, de quo Asaph in Psal. 78.vers.65. Excitatus Dominus tanquam dormiens, tanquam crapulatus à vino, percussit inimicos suos. Vtuntur autem omnes tres Euangelistæ verbo *ἐπετίμησεν, obiurgauit*, quod respondet Hebræo גער, & significat increpare, multis verbis & clamore in aliquem inuehi. Atque tribuitur Gen.37. vers.9. Iacobo, qui obiurgauit filium Iosephum, ob narrata somnia. Item Rhut.2.v.16. Indicatur autem eo virtus verborum Christi, quæ tanta est, vt penetret etiam ipsius imperium in muta Elementa mundi, sicuti in superioribus Centurio Capernaiticus, Matth.8.v.9. talem fidem insigni oratione professus est. Etenim circumdedit quidem DEVS inde ab initio mare terminis suis, posuit ei vectem & ostia, Iob.38.ver.10. Ierem.5. v.22. sed interdum etiam ipse Dominus percutit mare, vt sæuiant ipsius fluctus, Ies.51.v.15. Ier.31.v.35. vt sonent & intumescant. Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos, adeo vt qui nauigant mare turbentur, moueantur sicut ebrij, & anima eorum in malis tabescat, vt habet Psalm.107. vers.26.

versic.16. Sed hic est Dominus, qui pro suo arbitrio turbidum mare vnico verbo tranquillum reddere, & composita tempestate gratam tranquillitatem reducere potest. Dirigit autem sermonem suum ad ipsas vndas maris & ad ventos, *Tace, obmutesce*: vt ostendat se illum esse Dominum, cui seruiant & militent omnes creaturæ. Qui in initio, cum aquæ starent super omnes montes, illas increpuerit, & à voce increpationis eius fugerint, atque à sonitu tonitrui eius formidarint, Psalm.104.vers.7. Sunt enim creaturæ lictores DEI, qui eius permissione hominem adoriuntur, & ob peccata puniunt: quod si vero velint modum excedere, tum eas increpat non aliter, quàm si pater filium pædagogo tradidisset castigandum, hic vero modum seruare non posset, tum à patre inclamaretur & reprehenderetur. Sic ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, faciunt verbum eius, Psal.148.vers.8. Quando ergo homines in hac historia quærunt, *τίς ἐστιν οὗτος, quis & qualis hic vir est?* Nam ποταπός, vt annotant Grecæ linguæ gnari, accipitur pro ποῖος, & est aliquanto significantius, quàm si diceretur τίς. Perinde enim est, ac si non simpliciter interrogaretur, qualis quis esset, sed simul etiam ex quali regione ortus. Quando ergo, inquam, homines hoc quærunt, tum nos ex scriptura sacra respondemus, Est ille ipse Dominus è cœlo, 1.Cor.15.v.47. de quo Exo.14.vers.21. scribitur, quod Israelitis tutum fecerit transitum per mare rubrum. Nam hic iuxta Psalm.106.vers.9. ἐπετίμησε τῇ θαλάσσῃ, increpuit mare rubrum, & exiccatum est: & deduxit Israelitas per abyssos, tanquam per desertum. Hic est, cuius iussu, Iol.3.v.16. steterunt aquæ Iordanis descendentes in vno loco instar montis intumescentes, reliquæ vero defluxerunt in mare mortuum, vt Israelitæ tutum haberent transitum in terram Canaan. Hic est, de quo Psalm.65. versic.8. qui compescit sonitum maris, sonitum fluctuum eius, & tumultum populi, & timebunt. Et Psalm.89. vers.10. qui dominatur superbiæ maris: tumultum fluctuum eius mitigat. Idem hic Dominus hoc in loco *increpauit mare, & facta est tranquillitas magna*. Γαλήνη significat non tantum tranquillitatem, sed & serenitatem, & deriuatur à γελάω, quod est rideo, quasi γελαλήνη, quando omnia vultu sereno rident. Talis serenitas etiam facta est, postquam Christus vento imperauit, vt flatum & impetum sisteret, & mari, vt fluctus suos tumentes componeret. Etenim sæpe accidit, vt fluctus semel moti, etiam quiescente vento non quiescant, nisi elapso aliquanto temporis spatio. Voluit igitur Iesus vt simul & ventus cessaret, & mare sæuum quiesceret: idque factum est cumprimum ille iussit, magna tranquillitate, vt non posset naturæ adscribi, sed miraculo. Discamus ergo efficaciam verbi illius agnoscere: vt si verbum promissionis eius habeamus, ei fidamus, si maxime tota rerum natura & ipsa experientia clamet actum esse, nosque periisse. Vnicum enim verbum ab ipso prolatum, est virtus illius dextræ Excelsi, de qua in Psalm.77.vers.11. dicitur, quod mutare possit omnia. Sic ergo creuerunt Apostoli in cognitione huius sui præceptoris: quod scilicet sit ille Dominus, qui fecit cœlum & terram, & mare, & faciat in eis quæcunque velit, Ps. 146.vers.6. Hic in mari & aëre finit oriri tempestatem, & eandem rursus sedat, prout vult. Superius in historia Centurionis consecutus est testimonium, quod terrenis creaturis & morbis etiam vtatur, pro suo arbitrio. Postea etiam de cœlo cognoscent Apostoli, quando post resurrectionem, & impletum Ionæ signum, Matth.12.v.39. ascendet in cœlum, & inde mittet paracletum. Sic ipsi in agnitione Iesu Christi profecerunt: eodem modo & nos proficiamus.

V. Effectus etiam additur huius miraculi, qui duplex hoc loco ab Euangelistis recensetur. 1. *Timuerunt timore magno*, & hoc secundum Euangelistarum contextum proprie refertur ad Apostolos. Vnde vero apud ipsos oritur timor, cum potius lætari debuissent de liberatione? Is inde oritur, quod memoria repetunt, quid antehac ex Christo audierint. Audierant autem in concione in monte, Matth.6.vers.30. ὀλιγόπιστοι & exigua fide præditos parum differre à gentibus, qui nesciant, quod cœlestis pater norit omnia quibus nos indigemus. Agnoscunt ergo se hac sua pusillanimitate non parum deuiasse à statu & conditione suæ vocationis. Dum ergo perpendunt huius sui magistri maiestatem, & infirmitatem suam, agnoscunt se indignos esse ipsius conuersatione, atque sibi metuunt, ne amplius eum offendant. Reuocant sibi in memoriam quanta fuerit fides Centurionis, qui publice professus fuerit, se credere, Christum omnes creaturas sic in sua potestate habere, vt si saltem verbum dicat, mox obtemperent. Cumque Iesus hoc nomine Centurionem commendaret, dicens, se tantam fidem in Israel non inuenisse, Matt. 8.versu.10. dubio procul tum male habuit Petrum & reliquos, sibi Ethnicum Centurionem præponi: sed iam reipsa experiuntur, Christum vera dixisse: seque adhuc procul ab illa fidei perfectione abesse: Metuunt ergo sibi, timentes, ne ipsis reiectis, Christus alios sibi surroget, cum ipsi adeo parum proficiant. 2. *Admirantur*. Hoc tum ad Apostolos, tum etiam ad reliquos *homines*, (vt Matthæus eos vocat) qui vna nauigabant, referri potest. Nam debuerunt Apostoli habere etiam alios homines testes huius miraculi. Et reuera fuit opus admiratione dignum, quod barbarum hoc & inhospitale Elementum, mare, venti insuper & fluctus huius hominis voci parent, & quod vnico momento, præter morem consuetum, subita tranquillitas reducitur, cum modo lacus totus insanis procellis æstuaret. Agnoscunt ergo in ipso virtutem humana maiorem, & dicunt: hic est vir, qui potest iuuare, ac propterea ipsum in omni vita reueriti sunt, eique obtemperarunt. Vterque effectus etiam nos in animis nostris locum concedere debemus. 1. Vt metuamus, si quando nimia pusillanimitate hunc benignum & propitium Dominum offendimus. Cogitemus quam miseri & imbecilli homines simus, collati ad diuinam omnipotentem ipsius maiestatem. Infirmitates ergo nostras deprecemur, & caueamus ne vlterius oculos maiestatis ipsius irritemus. 2. Admiremur etiam, agnoscamus & celebremus inexhaustam ipsius in iuuando & liberando vim atque virtutem: & inprimis illud, quod ventis quoque & aquæ imperat, atque hæc illi obediunt. Homines vero qui ad imaginem ipsius creati fuerant, & ratione præditi sunt, illud negligunt. Hoc considera tu homo, quisquis es, an non admiratione & stupore dignum sit, quod omnes etiam irrationales creaturæ creatori suo obedientiam præstant, solus autem homo id non facit? An non sanguineis guttis hoc deflendum erat? Instituit hac de re DEVS, Ier.5.vers.21. prolixam querelam: Audi popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis: & aures, & non auditis. Me ergo non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt: & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulum & exasperans, recesserunt & abierunt, & non dixerunt, metuamus Dominum DEVM nostrum, &c. Scribit Suidas, Corinthi fuisse familiam, quæ potuerit ventos sopire, vnde dicti fuerint ἀνεμοκοῖται, hoc est, Ventisopij. Hæc familia magnæ fuit authoritatis, potissimum apud nautas. Quanto maioris hic esse debet apud omnes homines, cui militant orbis & æther?

Hæc fuit proba fidei apud Apostolos, vt tanto magis Præceptori & Domino suo obligarentur, si in seipsis etiam ipsius omnipotentiam & beneficentiam experirentur. Videbant indies quam plurimos ex grauissimis morbis liberari, & hos Domino Iesu obstrictos esse agnoscebant. Cum vero ipsi nec claudi essent, nec cæci, nec alio morbo correpti, tempestatem fieri permisit, vt ab ea liberati, manifestiorem beneficiorum eius in se sensum haberent. Et quoniam post beneficium acceptum homines facile eius obliuio ex negligentia capit, (sicuti nullius rei citius obliuiscimur, quam beneficiorum) propterea periculum tanto maius fieri permisit, vt priusquam miraculum fieret, Apostoli de salute penitus desperarent, quo diuturnior eius memoria maneat. Nam ex periculorum sensu & confessione beneficij etiam magnitudo perdiscitur. Atque hac de caussa dormire voluit. Nam si ipso vigilante tempestas ingruisset, non tantopere timuissent, & maturius opem implorassent, quin & fluctuum sedationem non ipsi attribuissent. Nunc cum ipse dormit, & tantus est ipsorum metus, vt actum existiment: ipse vero excitatus vnico verbulo plus proficit, quam ipsi peritissimi nautæ omnibus suis remis & velis, becceselemo stupidiores fuissent, nisi ipsius hoc opus esse agnouissent.

Postremo, solent etiam docti ex hac nauicula Petri, qua Christus cum discipulis vehitur, desumere typum, in quo adumbratur conditio Ecclesiæ militantis in hoc mundo. 1. *Nauicula Petri* non fuit tanti pretij & æstimationis, quantæ solent esse naues onerariæ, quæ in mari inueniuntur: siquidem fuit nauis piscatoria, quam Petrus supra Matth.4. versic. 20. reliquit: ita tamen reliquit, vt non facta fuerit abalienatio proprietatis. Nam & hic ea vtitur, & postea rursus vtetur, quando Iohann.21.vers.3. collegis dicit: Vado piscari. Quia tamen eam deseruerat & raro vtebatur, absque dubio, vt fit, rimas agebat, hiabat, ventorum concussione, conuulsa videbatur. Hac naui Christus vtitur. Ita Ecclesia in mundo non videtur magni pretij, si conferatur ad regna huius mundi: sed est paupercula, derelicta, tempestate conuulsa & absque consolatione, sicut Ies.54.vers.11. prolixè describitur. Et tamen Christo grata est & accepta. 2. In hac naui Christus colligit dilectos suos discipulos, & relicto superbo Scriba & ingrata Capernaumo pergit cum ipsis ad vlteriorem ripam. Ita Christus in Ecclesia colligit pios & fideles, hi præceptorem suum per mare huius mundi sequuntur & comitantur,

relictis & reiectis omnibus superbis & ingratis mundi cultoribus, versus portum æternæ patriæ. 3. Habet mare suos æstus naturales, iuxta quorum vices fluit & refluit, atque sic per illud nauigantibus molestias ac discrimina obiicit. Hic vero accedit impulsor Satanas, qui habet potestatem aëris, Ephes. 2. vers. 2. is in Gadarenorum regione præsentit hunc Dominum aduentare, vt ipsum fortem armatum ex atrio suo expellat. Cumque mallet sua, semel occupata, in pace possidere, idcirco hic impetuosos ventos, & procellosum turbinem excitat, eoque mare ab imis sedibus turbat, si forte nauim euertere, & præceptorem vnà cum discipulis submergere possit. Ita in hoc mundo impij natura sua ad malum sunt procliues, & propriis affectibus impulsi aduersus se meliores facile tumultuantur, siquidem quasi mare feruens quiescere non possunt, Iesa. 57. v. 20. Ac fere hisce motibus se immiscet spiritus malignus, qui, quando videt Ecclesiam Christi in his terris propagari, & diuina Spiritus sancti aura, ceu ventis secundis, in altum prouehi, mox infelici suo afflatu furoris sui ventos emittit, partim crudeles tyrannos, partim impostores Sophistas excitat, qui vel malis artibus Ecclesiam in sectas distrahunt, vel vi & armis funditus opprimere conantur. 4. Inprimis vero hoc facere satagit, quando Christum in naui dormire animaduertit. Hoc est, tum temporis Diabolus cum suis satellitibus vel maxime furit, quando nulla manifesta exempla diuini iudicij aut vindicis eius manus aduersus impios extant, ita vt, quasi nulla Ecclesiæ suæ cura tangeretur, appareat. Ibi tum infernalis Leuiathan profundum maris feruescere facit, tanquam ollam, & ponit quasi cum vnguenta bulliunt, Iohann. 41. versic. 22. Exempla huiusmodi tempestatum omnibus seculis extiterunt. Iactata est Ecclesia instar nauis in originali mundo, cum impia Caini posteritas, & ex hac nati gigantes pios Dei filios infestarunt, & tandem in angustos arcæ Noachi parietes compulerunt. Post diluuium Nimrodi progenies non minus sanctos Patres variis modis exagitauit. Dehinc in Ægypto hæc nauis tantum non obruta fuit, vsque dum DEVS gemitibus & clamoribus populi sui expergefactus, eam per Mosen in pristinam libertatem asseruit. Postea in deserto, inter Cananæos, Amalecitas, Idumæos, Philistæos, & Ammonitas varie fluctuauit; donec tandem per Assyrios & Babylonios in vniuersum Orientem dispersa periisse videbatur. In Nouo Testamento post Christi in cœlos ascensum non fuit melior Ecclesiæ ipsius fortuna. Nam sub Iudæis & gentilibus, maxime sub Romanis Imperatoribus primis, per annos trecentos totos vsque ad Constantini Magni tempora, postea sub Mahumetico regno, & Pontificio, sub variis hæreticis & phanaticis persecutiones perpessa est sæuissimas, & tumultus sustinuit maximos. 5. Causa vero, ob quam Christus Ecclesiam suam ita tentari patiatur, inter alias potissimum hæc est, vt probatio fidei piorum multo pretiosior auro, (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam & honorem in reuelatione Iesu Christi, 1. Petr. 1. versic. 7. Quid enim infirmitatis etiam in vere credentibus lateat, ipsimet extra periculum constituti nec sciunt, nec agnoscunt. Nam in abundantia sua cum Dauide dicunt, in Psalm. 30. versic. 7. Non mouebor in æternum. At quando Dominus auertit faciem suam, tum conturbamur. Ideò idem Dauid de se fatetur, Psalm. 31. ver. 23. Ego dixi in excessu mentis meæ, Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Hinc etiam inter credentes, durantibus procellis persecutionum & turbis hæreticorum, oritur pusillanimitas, augetur formido & angustia, acuitur tentatio, & sæpenumero tragicæ illæ vociferationes audiuntur: Perimus, perimus. Num tibi, ô Christe, Ecclesia tua non amplius curæ est, quod eam perire finis? O bone Iesu, vides hæc & pateris? In huiusmodi tamen infirmitatibus recolligat se fides Christiani hominis, & ad ardentes confugiat preces, nihil dubitans, hasce plus apud Christum efficere, quàm querulosas illas voces. Nam preces & lacrymæ, in huiusmodi turbis, sunt arma Ecclesiæ. Et venuste admodum Tertullianus de sui temporis persecutionibus in suo Apologetico cap. 39. dixit: Coimus in cœtum & congregationem, vt DEVM, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis DEO grata est. 6. Christus autem fidelium precibus excitatus, turbas Ecclesiæ sistit, pacem & tranquillitatem reducit. Idque ipsi perfacile est, vel vnicò verbulo aut nutu efficere. Interdum tyrannum omnis mali autorem subito è medio tollit, vt Pharaonem, Exod. 14. vers. 25. Interdum circulum iniicit naribus eius, hoc est, alia negotia obiicit, vt viam illam redire cogatur, quam venerat, sicut Sennacheribo fecit, 4. Regum 19. vers. 28. Interdum alios aliis modis increpat, atque sic pacem Ecclesiæ restituit. Quæ sane ipsi multis de causis vtilis & necessaria est: partim, vt extet testimonium, Christum curare suam Ecclesiam, & quod possit atque velit eam liberare ex periculis: partim, vt boni occasionem habeant docendi & propagandi doctrinam Christi apud infirmos, instituendi iuuentutem, & alia honesta officia ordinandi: partim vt improbi habeant exempla iudicij diuini, cum videant subitos motus & tempestates ita componi, vt ipsimet obstupescant: partim denique, vt pij habeant prægustum aliquem gaudij & pacis cœlestis. 7. Liberati ex turbis & aduersitatibus Christum Dominum nostrum metuamus & stupenda ipsius opera miremur. Sicuti reuera non minimum miraculum est, Ecclesiam, quæ instar nauiculæ contemptæ & fatiscentis in huius mundi pelago fluctuat, & gregem pusillum credentium vehit, inter tot piratarum triremes, & in medio luporum, inter horribiles persecutionum motus, & contra hostium potentissimorum conspirationes, in hunc vsque diem seruatam esse, & adhuc seruari. Si quid vero à nobis durante concussione & cribratione bonorum, ex pusillanimitate in defectu fidei peccatum est, illud agnoscamus, apud Christum deprecemur, & cum Ezechia, qui & ipse in suo morbo nimis abiecto erat animo, dicamus: Recogitabo per omnes annos vitæ meæ, hanc amaritudinem animæ meæ, & erubescam, Ies. 38. vers. 15. Et ex liberatione semel facta etiam in posterum bene sperare incipiamus, atque cum Dauide dicamus, ex Psalm. 46. versic. 1. DEVS nobis refugium & robur est, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Fremant & limum agant omnes vndæ eius, contremiscant montes in eleuatione eius. Riui tamen fluminis lætificabunt ciuitatem DEI. Et cum Paulo Rom. 8. ver. 31. Si DEVS pro nobis, quis contra nos?

Pontificij etiam volunt videri, ac si hac imagine Ecclesiæ delectarentur: iccirco non tantum elegantibus *verbis*, verum etiam splendidis picturis hanc nauiculam exornare solent. In naui illa collocant Pontificem Romanum ad clauum, tanquam verum nauclerum: adduntur ipsi Cardinales & Episcopi, cum tota rasa & vncta cohorte, tanquam remiges. Nos, tanquam hæreticos & piratas; ex naui exturbant, vt in aquis natemus, & ibi quidem ad tempus nauiculam allatremus, sed tandem in mari pereamus. Sed quandoquidem sibiipsis in hac pictura tantopere placent, operæ pretium fecerint, si hæc tria nobis ad suam Ecclesiam applicent. 1. Qui fiat, cum nauis nulli certo loco sit alligata, vt quæ totam æstatem hinc inde vagetur, in hyeme autem iam *hic iam illic* suam stationem habeat, quod illi Ecclesiam *vrbi suæ Romanæ ita* præcise alligent, vt qui hanc *non Catholicam Ecclesiam* agnoscat, simpliciter pro hæretico ab ipsis habeatur. Non aliter quàm sicut olim Iudæi, Ier. 7. vers. 4. Ecclesiam alligarant ad suum templum. Certe si Ecclesia Christi est instar nauis, non potest perpetuo vni certo loco alligata esse: sicut nec vnquam fuit. Sed Christus cum sua Ecclesia modo versus Orientem, modo versus Meridiem, modo versus Occasum, & hisce postremis temporibus versus Septentrionem nauigauit. Nam Ecclesia est cœtus sanctorum, per totum orbem dispersus: qui tamen illic inuenitur, vbi Christus est, cum suis discipulis, cum suo Verbo & Sacramentis. Ad hæc enim & non ad certum locum Ecclesiam suam alligauit. Iohan. 10. versic. 27. Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me. Apoc. 14. vers. 4. sequuntur agnum, quocunque ierit. 2. Qui fiat, quod præterea sibi gratulentur, penes se esse Ecclesiam Christi, quia apud ipsos sit catholicus consensus, nullæ hæreses, nulla schismata, nullæ contentiones, sed omnes vnanimiter in Papam conspirent. Cum tamen hic nauicula Christi nobis ita ob oculos proponatur, quæ ventorum & fluctuum motibus varie infestetur, & procellosis turbinibus tantum non obruatur: Certe impossibile est, vt Ecclesia Christi, quamdiu in hoc mundo versatur, in tanta tranquillitate inueniatur, quantam Pontificij sibi suisque pollicentur. Nam Christus dicit Iohan. 15. versic. 19. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Si tranquillitas & consensus constituunt nauiculam Christi, æque apud Iudæos vel Turcas eam reperire liceret, ac apud Pontificios: quia etiam apud illos magna est tranquillitas, & summus inter ipsos consensus. Quod autem in vera Ecclesia facile turbæ exoriuntur, illud non fit culpa fidelium verbi ministrorum, vel ipsius Ecclesiæ, sed Diaboli & mundi, qui aduersus Christum & eius Ecclesiam inde ab initio conspirarunt. Equidem quamdiu remiges desident, otiantur, aut aliquid agunt (sicuti tempore Papatus factum fuit) mundus quiescit, & est aliqua tranquillitas: sed quamprimum incipiunt mare sulcare & mundum remis suis percutere, mox ille turbatur & feruet. Atque hinc sunt illæ turbæ tum contra Ecclesiam, tum in Ecclesia. 3. Qua conscientia possunt Christum, contra verbum promissionis suæ, Matth. vlt. versic. vlt. à nauicula sua remouere, ipsique alium nauclerum, Pontificem Romanum substituere? Prætendunt quidem

quidem hunc esse successorem Petri, cui à Christo demandatum fuerit, vt pascat oues suas, Ioh.21.v.17. huic traditas claues regni cœlorum, Matth.16.v.19. pro hoc Christum orasse, Luc. 22.v.31. super hunc Petri eum Ecclesiam suam ædificasse. Sed ô fatuitatis! Christus solus est naucleros huius nauiculæ: qui non tantum Petrum, sed & omnes Apostolos vocauit: nō tantum ipsi, sed omnibus Apostolis dedit potestatem ligandi & soluendi, Ioh.20.v.23. non tantum pro Petro, sed pro omnibus orauit, Ioh.17.v.20. & Ecclesiam suam non super personā Petri, sed super eius confessionem, & super doctrinam Apostolorum & Prophetarum, superædificauit, Ephes.2.v.20. & adhuc hodie de Ecclesia sua solicitus, dat fideles pastores ad cōsummationem sanctorum, in opus ministerij, Ephes.4.vers.12. Christus ergo est qui curat hanc suam nauiculam, Petrus vnus est ex remigibus: Idcirco vocat seipsum in 1. Epist.cap.5.v. 1. συμπρεσβύτερον, vnum ex reliquo presbyterorum numero, & ad Gal. 2.vers. 9. Paulo dextram dedit societatis in gentes, sicut ipse in circumcisionem. Magna ergo est temeritas statuere Christum deseruisse suam Ecclesiam: dormit is quidem, & nauiculam mergi patitur, sed non submergetur, quia potius euigilans, Antichristum percutiet spiritu oris sui, & destruet cum illustratione aduentus.2.Thess.2.v.8.

CAPVT LXV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS acta Christi in terra Gergesenorum.

MATTH. 8. MARC. 5. LVC. 8.

RATIO ORDINIS.

COnsentiunt omnes tres Euangelistæ vno ore, hanc historiam secutam esse mox post præcedentem transfretationem. Et quia in superioribus demonstratum est, transfretationem istam à tribus Euangelistis descriptam, esse vnam & eandem: iam quoque manifestum est, quis huic historiæ locus sit tribuendus in Harmonia. Sed hic denuo occurrendum est iis, qui conantur similiter probare, duas esse diuersas expulsiones dæmonum in porcos. Rationes sunt multæ: quarum eam, quę videtur vrgere grauissime, de diuersis scilicet regionibus Gergesenorum, vbi Matthæus dicit suos dæmoniacos sanatos, & Gadarenorum, vbi Marcus & Lucas dicunt sanatum suum, supra consideranimus. Quæ cum etiā iudicio Osiandri validissima, & tamen nihil probet, multo minus probabunt eæ, quas ipse & alij fatentur esse parui momenti, vbi præter tenues easque incertas coniecturas vix quicquam habent, quod diuersitatem probet.

Sed age, nihilominus tamen & eas paulum examinemus. 1. Matthæus dicit, Domino duos Dęmoniacos obuiam factos: reliqui dicunt, tantum vnum occurrisse. 2. Matthæi duo vsq; adeo sæui fuerunt, vt nemo per viam, quam infestabant, transire auderet: hic vnicus autem tantum seipsum nudasse & lapidibus concidisse fertur. 3. Illi duo libere vagabantur: hic vnicus vinculis cohercebatur, quæ tamen ita dirumpebat, vt nemo illum domare posset. 4. Apud Matthæum incertus numerus porcorum: apud reliquos, circiter bis mille suffocantur. 5. De duobus Matthæus nihil amplius narrat: vnicum suum Marcus & Lucas dicunt vestitum, sanæ mentis ad pedes Iesu sedisse, eumque sequi voluisse, sed ablegatum ad suos. 6. Nisi concedatur aliam esse historiam Matthæi, sequitur illum errasse, & obliuiosum fuisse, vt qui, quæ Christus fecerit, quo tēpore ipse discipulus eius fuerit, ea inter ista numeret, quæ facta sunt, cum ipse adhuc ad telonium sederet. Narrat autem ipse hanc historiam, antequam ad describendam suam vocationem accedat: Marcus autem & Lucas historiam sanati Dæmoniaci describunt, post vocationem Matthæi. Indicat ergo Osiander, Matthæum optime scire potuisse, quid se discipulo factū sit, quid oculis suis ipse viderit, vt, quia hoc narrat ante suum discipulatum, appareat istud etiam ante factum esse, itaque diuersum ab eo, quod Marcus & Lucas recensent factum, postquam Matthæus discipulus vocatus esset. 7. Quia credibile non sit, Marcum ausum de vno tantum Dæmoniaco narrare, cum Matthæus, qui prior scripserat, quemque ille in compendium redigere studebat, duos fuisse testatus esset, nisi diuersum miraculum recitaret, quod etiam alio tempore factum certissime sciret. 8. Quia similitudo omnino nihil valeat ad probandum, quod ea, quæ diuersis temporibus facta narrantur, sint eadem.

Hæ rationes, si tantum valerent, quanta solertia inuentæ, & quanta solicitudine comportatæ sunt, nihil esset certius, quam quod Osiander, cum aliis qui eum secuti sunt, initio posuit, esse diuersas expulsiones Dæmoniorum, diuersis factas temporibus. Sed earum prima plus pōderis habere videtur, quam reliquæ omnes, vnde eam Andreas Osiander non parum vehementibus verbis inculcat: si fuerunt reuera duo, cur de altero prorsus tacuerunt Marcus & Lucas, cum de vno tam multa commemorent propria? Cum alter sederet vestitus & sanæ mentis ad pedes Iesu, quid interea faciebat alter, si duo fuerunt? Si faciebat idem, cur non potius de duobus loquuntur, quàm de vno? Sin aliud agebat, expediebat diuersa exempla proponi. Cum vnus vellet Iesum sequi, nec permitteretur, quid tum præ se ferebat alter? Cum vnus iubeatur prædicare beneficia Dei, cur non & alter? An non ad omnes pertinet accepta Dei beneficia grato animo prædicare? Ista quidem in speciem probabiliter dicuntur; sed nondum certo euincunt, duas diuersas historias esse, quæ hic describuntur. Tacemus enim de ratione Augustini, quod Matthæus de duobus dæmoniacis scripserit, quia reuera duo fuerint: Marcus autem & Lucas de vno, quod alter ex eis fuerit insigniter notus. Tacemus etiam de eo, quod nullo modo probari possit, vllum ex omnibus Euangelistis sibi proposuisse, vt vnus omnes omnino circumstantias describeret, etiam eas, quas meminisset esse annotatas, vel aliquando annotari posse ab alio: cum suam scriptionem sic temperarint in adornanda historia Euangelica, vt mutuas operas alij aliis traderent, & aut adderent, quæ prætermisisset alius, aut præterirent, quæ alius iam narrasset. Hoc vero demum est omni exceptione maius Argumentum, quo probatur euidentissime, hic vnam eandemque historiam describi ab omnibus, quantumuis licet Matthæus duos dæmoniacos sanatos dicat, reliqui tantum vnum. Omnes Euangelistæ commemorant, Christum ante vltimum Pascha intrasse Ierosolymam vectum asino. Consentiunt autem tres, Marcus Lucas & Iohannes, qui non nisi de adducto pullo verba faciunt. Matthæus autem dicit, vnà cum pullo adductā etiam asinam. Exclamet hic, qui tantopere satagit distinctas historias constituere, vbi appæret aliqua in circumstantiis diuersitas: Istæ duæ sunt diuersæ vectiones, duo diuersi ingressus in vrbem, diuersis facti temporibus: aut si vna est & eadem vectio, & si reuera fuerunt pullus & asina, cur de hac reliqui prorsus tacuerunt, cum de pullo tam multa commemorent propria? Cum alteri superinijcerent Apostoli vestes, & Iesum super eo collocarent, quid interea faciebat asina? si faciebat idem, cur non potius de duobus loquuntur, quàm de vno pullo? Sin aliud agebat, expediebat diuersa exempla proponi. Cum Domini ipsorum quærerent, cur soluerent pullum discipuli, quare non etiam dicuntur quæsiuisse de asina, si reuera tunc quoque asina fuit alligata cum pullo? Demum concludat, ex tanta rerum & circumstantiarum dissimilitudine manifeste apparere, duas esse diuersas Christi vectiones; vnam, quam Matthæus describat, vbi adfuerit etiam asina: alteram, de qua referant cæteri, vbi solus pullus fuerit. At vero quis hic ita insaniret, vt credat propterea diuersas esse has historias? Quis enim non videt Matthæum circumstantias omnes diligentius annotasse, quam curarint annotare reliqui? Itaque vel ipso Osiandro hic teste certum est reuera cum pullo adductā fuisse quoque asinam; quamuis de ea reliqui tacuerint. Ex quo demum apparet manifestissime, reuera duos fuisse dæmoniacos, quemadmodūm commemorat Matthæus, etiamsi de vno reliqui commemorare non curarint, neque id aut Matthæum aut reliquos arguere obliuionis aut negligentiæ. Noteur item; si reliqui vterentur Numerali εἷς, ἑνα, vnus, vnum, tum demum intelligeretur, vnum non plures fuisse. Simpliciter autem dicunt, ἀνήρ τις, ἄνθρωπός τις, vir quidam, homo quidam, & cætera.

His expeditis reliqua sunt facilima. Nam de secunda & tertia ratione Marcus & Lucas cū Matthæo prolixe cōsentiunt, non negantes, quod ille dixerat, etiam addentes, quod ille prætermiserat. Neque enim dicunt, vnicum suum tantum se nudasse & lapidibus concidisse, propterea nihil fecisse nec quenquam infestasse: non negant suum libere vagatum, cum dicunt, vinculis quidem cohercitum, sed ea dirupisse, vt nemo

illum posset domare. Si quarta ratio debeat probare diuersitatem eius historiæ, quæ est apud Matthæum, & eius quæ apud Marcum & Lucam, probabit eodem modo, distinctas esse etiam Marci & Lucæ descriptiones. Nam apud Lucam similiter incertus est numerus porcorum, cum solus Marcus dicat, fuisse circiter bis mille. Quinta itidem nihil probat, testibus omnibus sanis. Neque enim sequitur: Apud Matthæum desunt nonnullæ circumstantiæ. Ergo describitur diuersa historia. Sexto. Verum quidem est, Matthæum de sanatis suis dæmoniacis narrare, antequam commemorat de sua vocatione: sed ex eo non sequitur, vocationem Matthæi propterea etiam subsecutam esse post hanc expulsionem: de qua videatur 44. caput huius Harmoniæ. Sunt enim duæ distinctæ historiæ, vocatio ipsius Matthæi, & ipsius conuiuium: vocatio accidit longe ante: conuiuium autem demum secutum est post hanc historiam, ad quod describendum cum ordo rerum Matthæum deduceret, per recapitulationem addidit etiam de sua vocatione, quam ante suo loco describere neglexerat. Itaque non sequitur: Matthæus ante descriptionem suæ vocationis commemorat de duobus dæmoniacis, Marcus & Lucas post eam de vno dæmoniaco: Ergo sunt diuersæ historiæ. De septima ratione idem dicatur, quod de prima: Non est credibile, Marcum ausum de vno solo pullo narrare, cum Matthæus, qui prior scripserat, & asinam ac pullum fuisse testatus esset, nisi diuersam vectionem recitaret, quam etiam alio tempore factam certissime sciret. Quantum hæc, tantundem & illa ratiocinatio valet. Sed neque octaua ratio quicquam probat pro diuersitate istarum historiarum, cum non ex sola similitudine extruatur de vna eademque historia, sed eam tanta earundem Circumstantiarum consensio manifestissime demonstret. Cum igitur constet, vnam & eandem historiam hic describi ab omnibus, sequitur porro ex superioribus, hic eam recte in Harmonia Euangelica collocari.

HISTORIA DE SANATIS DÆMONIACIS & suffocatis porcis.

MATTH. 8.

28. Καὶ ἐλθόντι αὐτῷ εἰς τὸ πέραν, εἰς τὴν χώραν τῶν Γαργεσηνῶν, ὑπήντησαν αὐτῷ δύο δαιμονιζόμενοι, ἐκ τῶν μνημείων ἐξερχόμενοι, χαλεποὶ λίαν, ὥστε μὴ ἰσχύειν τινὰ παρελθεῖν διὰ τῆς ὁδοῦ ἐκείνης.	28. *Et cùm venisset ad vlteriorem ripam, in regionem Gergesenorum, occurrerunt ei duo dæmoniaci, è monumentis egressi, erant autem sæui supra modum, adeò vt nemo posset transire per viam illam.*
29. Καὶ ἰδοὺ ἔκραξαν λέγοντες, τί ἡμῖν καὶ σοὶ Ἰησοῦ υἱὲ τοῦ θεοῦ; ἦλθες ὧδε πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς;	29. *Et ecce vociferabantur, dicentes, Quid rei nobis tecum est Iesu fili Dei? Venisti huc ad cruciandum nos ante tempus?*
30. Ἦν δὲ μακρὰν ἀπ᾽ αὐτῶν ἀγέλη χοίρων πολλῶν βοσκομένη.	30. *Erat autem procul ab illis grex multorum porcorum pascens.*
31. Οἱ δὲ δαίμονες παρεκάλουν αὐτὸν, λέγοντες, εἰ ἐκβάλλεις ἡμᾶς, ἐπίτρεψον ἡμῖν ἀπελθεῖν εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων.	31. *Dæmones verò rogabant eum, dicentes, Si eiicis nos, permitte nobis vt demigremus in gregem porcorum.*
32. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς, ὑπάγετε. οἱ δὲ ἐξελθόντες, ἀπῆλθον εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων. καὶ ἰδοὺ, ὥρμησε πᾶσα ἡ ἀγέλη τῶν χοίρων κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ ἀπέθανον ἐν τοῖς ὕδασιν.	32. *Et ait illis, abite. Illi verò egressi abierunt in gregem porcorum. Et ecce ferebatur totus grex porcorum per præceps in mare, & perierunt in aquis.*
33. Οἱ δὲ βόσκοντες ἔφυγον, καὶ ἀπελθόντες εἰς τὴν πόλιν, ἀπήγγειλαν πάντα, καὶ τὰ τῶν δαιμονιζομένων.	33. *Porrò qui pascebant aufugerunt, & digressi in ciuitatem, renunciauerunt omnia, & quid accidisset Dæmoniacis.*
34. Καὶ ἰδοὺ, πᾶσα ἡ πόλις ἐξῆλθεν εἰς συνάντησιν τῷ Ἰησοῦ, καὶ ἰδόντες αὐτὸν, παρεκάλεσαν ὅπως μεταβῇ ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν.	34. *Et ecce tota ciuitas exiuit in occursum Iesu. Et cùm vidissent illum, rogabant vt decederet è finibus ipsorum.*

MARC. 5.

1. Καὶ ἦλθον εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν.	1. *Et venerunt traiecto mari in regionem Gadarenorum.*
2. Καὶ ἐξελθόντι αὐτῷ ἐκ τοῦ πλοίου εὐθέως ἀπήντησεν αὐτῷ ἐκ τῶν μνημείων ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ,	2. *Egressóque eo de naui statim occurrit ei è monumentis homo spiritui obnoxius immundo,*
3. Ὃς τὴν κατοίκησιν εἶχεν ἐν τοῖς μνημείοις. Καὶ οὔτε ἁλύσεσιν οὐδεὶς ἠδύνατο αὐτὸν δῆσαι.	3. *Qui domicilium habebat in monumentis. Et neque catenis quisquam poterat eum ligare.*
4. Διὰ τὸ αὐτὸν πολλάκις πέδαις καὶ ἁλύσεσι δεδέσθαι, καὶ διεσπᾶσθαι ὑπ᾽ αὐτοῦ τὰς ἁλύσεις, καὶ τὰς πέδας συντετρῖφθαι, καὶ οὐδεὶς αὐτὸν ἴσχυε δαμάσαι.	4. *Propterea quòd cùm sæpe compedibus & catenis vinctus fuisset, discerpta essent & comminuta, neque quisquam valuisset eum domare.*
5. Καὶ διὰ παντὸς νυκτὸς, καὶ ἡμέρας, ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς μνήμασιν ἦν, κράζων καὶ κατακόπτων ἑαυτὸν λίθοις.	5. *Et semper, die ac nocte, in montibus ac monumentis erat clamans, & concidens seipsum lapidibus.*
6. Ἰδὼν δὲ τὸν Ἰησοῦν ἀπὸ μακρόθεν ἔδραμε, καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ.	6. *Cùm vidisset autem* IESVM *eminus, cucurrit, & adorauit eum.*
7. Καὶ κράξας φωνῇ μεγάλῃ, εἶπε, τί ἐμοὶ καὶ σοὶ Ἰησοῦ, υἱὲ τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου; ὁρκίζω σε τὸν θεὸν, μή με βασανίσῃς.	7. *Et clamans voce magna, dixit, Quid mihi tecum est Iesu, fili Dei altissimi? Adiuro te per* DEVM, *ne me torqueas.*
8. Ἔλεγε γὰρ αὐτῷ, ἔξελθε τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον ἐκ τοῦ ἀνθρώπου.	8. *Dicebat enim illi, Exi spiritus immunde ab homine.*
9. Καὶ ἐπηρώτα αὐτὸν, τί σοι ὄνομα; καὶ ἀπεκρίθη λέγων, Λεγεὼν ὄνομά μοι, ὅτι πολλοί ἐσμεν.	9. *Et interrogabat eũ, Quod tibi nomen est? & respondit, dicens, Legio mihi nomen est, quia multi sumus.*
10. Καὶ παρεκάλει αὐτὸν πολλὰ, ἵνα μὴ αὐτοὺς ἀποστείλῃ ἔξω τῆς χώρας.	10. *Et deprecabatur eum multum, ne se emitteret extra regionem.*

11. Ἦν δὲ ἐκεῖ πρὸς τὰ ὄρη ἀγέλη χοίρων μεγάλη βοσκομένη.

11. *Erat autem ibi iuxta montes grex porcorum magnus pascens.*

12. Καὶ παρεκάλεσαν αὐτὸν πάντες οἱ δαίμονες, λέγοντες, πέμψον ἡμᾶς εἰς τοὺς χοίρους, ἵνα εἰς αὐτοὺς εἰσέλθωμεν.

12. *Et deprecabantur eum omnes dæmones, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus.*

13. Καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς εὐθέως ὁ Ἰησοῦς. Καὶ ἐξελθόντα τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα, εἰσῆλθον εἰς τοὺς χοίρους, καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν θάλασσαν. (ἦσαν δὲ ὡς δισχίλιοι) καὶ ἐπνίγοντο ἐν τῇ θαλάσσῃ.

13. *Et permisit eis statim Iesus. Et egressi spiritus immundi, ingressi sunt in porcos, & ferebatur grex per praceps in mare. Erant autem ferme bis mille; & suffocati sunt in mari.*

14. Οἱ δὲ βόσκοντες τοὺς χοίρους, ἔφυγον, καὶ ἀνήγγειλαν εἰς τὴν πόλιν καὶ εἰς τοὺς ἀγρούς. Καὶ ἐξῆλθον ἰδεῖν, τί ἐστι τὸ γεγονός.

14. *Porrò qui pascebant porcos, fugerunt, & renunciauerunt in ciuitatem & in agros. Et egressi sunt ad videndum, quid esset, quod acciderat.*

15. Καὶ ἔρχονται πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ θεωροῦσι τὸν δαιμονιζόμενον, καθήμενον καὶ ἱματισμένον, καὶ σωφρονοῦντα τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα, καὶ ἐφοβήθησαν.

15. *Et veniunt ad Iesum, & vident illum, qui à Dæmonio vexabatur, sedentem ac vestitum, & sanæ mentis, qui habuerat legionem, & timuerunt.*

16. Καὶ διηγήσαντο αὐτοῖς οἱ ἰδόντες, πῶς ἐγένετο τῷ δαιμονιζομένῳ καὶ περὶ τῶν χοίρων.

16. *Et narrauerunt illis qui viderant, qualiter accidisset ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis.*

17. Καὶ ἤρξαντο παρακαλεῖν αὐτὸν ἀπελθεῖν ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν.

17. *Et rogare cœperunt eum, vt discederet de finibus ipsorum.*

18. Καὶ ἐμβάντος αὐτοῦ εἰς τὸ πλοῖον, παρεκάλει αὐτὸν ὁ δαιμονισθεὶς, ἵνα ᾖ μετ' αὐτοῦ.

18. *Et cùm ingressus esset nauim, rogabat illum, qui fuerat à Dæmonio correptus, vt cum eo esset.*

19. Ὁ δὲ Ἰησοῦς οὐκ ἀφῆκεν αὐτὸν, ἀλλὰ λέγει αὐτῷ, Ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου πρὸς τοὺς σοὺς, καὶ ἀνάγγειλον αὐτοῖς ὅσα σοι ὁ Κύριος ἐποίησε, καὶ ἠλέησέ σε.

19. *Iesus autem non permisit eum, sed dicens: Abi in domum tuam, ad tuos, & annuncia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.*

20. Καὶ ἀπῆλθε, καὶ ἤρξατο κηρύσσειν ἐν τῇ Δεκαπόλει, ὅσα ἐποίησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· καὶ πάντες ἐθαύμαζον.

20. *Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur.*

LVC. 8.

26. Καὶ κατέπλευσαν εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν, ἥτις ἐστὶν ἀντιπέραν τῆς Γαλιλαίας.

26. *Et nauigauerunt ad regionem Gadaneorum, quæ est contra Galilæam.*

27. Ἐξελθόντι δὲ αὐτῷ ἐπὶ τὴν γῆν, ὑπήντησεν αὐτῷ ἀνήρ τις ἐκ τῆς πόλεως, ὃς εἶχε δαιμόνια ἐκ χρόνων ἱκανῶν, καὶ ἱμάτιον οὐκ ἐνεδιδύσκετο, καὶ ἐν οἰκίᾳ οὐκ ἔμενεν, ἀλλ' ἐν τοῖς μνήμασιν.

27. *Et cùm de naui egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam è ciuitate, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.*

28. Ἰδὼν δὲ τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἀνακράξας προσέπεσεν αὐτῷ, καὶ φωνῇ μεγάλῃ εἶπε, τί ἐμοὶ καὶ σοὶ Ἰησοῦ, υἱὲ τοῦ θεοῦ ὑψίστου; δέομαί σου μή με βασανίσῃς.

28. *Videns verò Iesum & exclamans procidit ante illū, ac voce magna dixit, Quid mihi rei tecum est Iesu, fili Dei altissimi? Obsecro te ne me torqueas.*

29. Παρήγγελλε γὰρ τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ, ἐξελθεῖν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου. πολλοῖς γὰρ χρόνοις συνηρπάκει αὐτὸν, καὶ ἐδεσμεῖτο ἁλύσεσι καὶ πέδαις φυλασσόμενος, καὶ διαρρήσσων τὰ δεσμὰ, ἠλαύνετο ὑπὸ τοῦ δαίμονος εἰς τὰς ἐρήμους.

29. *Præcipiebat enim Spiritui immundo, vt exiret ab homine. Frequenter enim corripuerat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custodiebatur, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in desertum.*

30. Ἐπηρώτησε δὲ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς, λέγων, τί σοι ἐστὶν ὄνομα; ὁ δὲ εἶπε, Λεγεών. ὅτι δαιμόνια πολλὰ εἰσῆλθεν εἰς αὐτόν.

30. *Interrogauit autem illum Iesus, dicens: Quod tibi nomen est? at ille dixit, Legio. Quia intrauerunt multa dæmonia in illum.*

31. Καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα μὴ ἐπιτάξῃ αὐτοῖς εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν.

31. *Et rogauerunt illum, ne imperaret ipsis, vt in abyssum irent.*

32. Ἦν δὲ ἐκεῖ ἀγέλη χοίρων ἱκανῶν βοσκομένων ἐν τῷ ὄρει, καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα ἐπιτρέψῃ αὐτοῖς εἰς ἐκείνους εἰσελθεῖν. καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς.

32. *Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum, vt permitteret ipsis in illos ingredi. Et permisit illis.*

33. Ἐξελθόντα δὲ τὰ δαιμόνια ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, εἰσῆλθεν εἰς τοὺς χοίρους, καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν λίμνην, καὶ ἀπεπνίγη.

33. *Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, & impetu abijt grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.*

34. Ἰδόντες δὲ οἱ βόσκοντες τὸ γεγενημένον, ἔφυγον, καὶ ἀπελθόντες ἀπήγγειλαν εἰς τὴν πόλιν, καὶ εἰς τοὺς ἀγρούς.

34. *Porrò vt viderunt, quod acciderat, ij qui pascebant, fugerunt & renunciauerunt in ciuitatem ac villas.*

35. Ἐξῆλθον δὲ ἰδεῖν τὸ γεγονός, καὶ ἦλθον πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ εὗρον καθήμενον τὸν ἄνθρωπον, ἀφ' οὗ τὰ δαιμόνια ἐξεληλύθει, ἱματισμένον καὶ σωφρονοῦντα, παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἐφοβήθησαν.

35. *Exierunt autem, vt viderent quod factum erat, & venerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierunt, vestitum ac sana mente, ad pedes Iesu, & timuerunt.*

36. Ἀπήγγειλαν δὲ αὐτοῖς, καὶ οἱ ἰδόντες, πῶς ἐσώθη ὁ δαιμονισθείς.

36. *Nunciauerunt autem illis etiam qui viderant, quomodo sanus factus esset is, qui agitabatur à dæmonio.*

37. Καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν ἅπαν τὸ πλῆθος τῆς περιχώρου τῶν Γαδαρηνῶν, ἀπελθεῖν ἀπ' αὐτῶν, ὅτι φόβῳ μεγά-

37. *Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gadarenorum, vt discederet ab ipsis, quia magno*

ἦν συνεχόμενοι. αὐτὸς δὲ ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον, ὑπέστρεψεν.

38. Ἐδέετο δὲ αὐτοῦ ὁ ἀνὴρ, ἀφ' οὗ ἐξεληλύθει τὰ δαιμόνια, εἶναι σὺν αὐτῷ· ἀπέλυσε δὲ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς, λέγων·

39. Ὑπόστρεφε εἰς τὸν οἶκόν σου, καὶ διηγοῦ ὅσα ἐποίησέ σοι ὁ θεός. Καὶ ἀπῆλθε καθ' ὅλην τὴν πόλιν κηρύσσων ὅσα ἐποίησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς.

timore tenebantur. Ipse autem conscensa naui reuersus est.

38. *Rogauerat autem illum vir, à quo Dæmonia exierant, vt cum eo esset, sed ablegauit eum Iesus, dicens:*

39. *Redi in domum tuam, & narra quæcunque fecerit tibi* DEVS. *Et abijt per totam ciuitatem, prædicans quæcunque sibi fecisset Iesus.*

RATIO COAGMENTATIONIS HVIVS HIstoriæ ex tribus Euangelistis.

Cornelius Gansenius, Episcopus Gandauensis, licet hanc trium Euangelistarum recitationem pro vna historia habeat: in sua tamen Concordia Euangelica circumstātias historiæ ita coagmentat, vt ea, quæ Marcus & Lucas de vno narrauerunt, in vnum corpus colligat, cui postea seorsim subiungit quæ Matthæus de duobus scripsit, vt appareat quid diuersitatis inter Euāgelistarum recitationem interueniat. Verum quia hoc ex præmisso textu & per columnulas disposito cuiuis patet, non decet nos illam coagmentationem imitari. Itaque vt tanto magis pateat, quomodo Euangelistæ in describenda hac historia, sicut & reliquis mutuas operas tradiderint, nos historiam in vnum corpus ita componemus, vt, quia Matthęus prior scripsit, ea prœmittamus quę ipse de duobus dæmoniacis breuiter refert. Et quia reliqui duo, qui post ipsum scripserunt, reliquas circumstantias diligentius & fusius persequuntur, vbiuis locorum per ἐξηγητικὸν particulam *scil.* vel *inquam*, vel *scil.* vel *nimirum*, vel aliam, inseremus quæ reliqui duo de vno illo insigniter noto adiecerunt. Sic Euāgelistæ nusquam sibiipsis contradicent, sed ex omnibus vna continua historia apparebit.

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, DE DÆMONIACIS SAnatis in regione Gergesenorum, & porcis præcipitatis in mare, ex descriptionibus Matth. 8. Marc. 5. & Luc. 8. in vnum corpus coagmentatis.

c Καὶ κατέπλευσαν, b καὶ ἦλθον εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης b εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν, c ἥτις ἐστὶν ἀντιπέραν τῆς Γαλιλαίας. a Καὶ ἐλθόντι αὐτῷ εἰς τὸ πέραν, εἰς τὴν χώραν τῶν Γεργεσηνῶν. h Καὶ ἐξελθόντι αὐτῷ ἐκ τοῦ πλοίου, c ἐπὶ τὴν γῆν, a ὑπήντησαν αὐτῷ δύο δαιμονιζόμενοι, ἐκ τῶν μνημείων ἐξερχόμενοι, χαλεποὶ λίαν, ὥστε μὴ ἰσχύειν τινὰ παρελθεῖν διὰ τῆς ὁδοῦ ἐκείνης. Καὶ ἰδοὺ ἔκραξαν λέγοντες, τί ἡμῖν καὶ σοὶ Ἰησοῦ υἱὲ τοῦ θεοῦ; ἦλθες ὧδε πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς; b εὐθέως (λέγω) h ἀπήντησεν αὐτῷ b ἐκ τῶν μνημείων ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, c ἀνήρ τις ἐκ τῆς πόλεως, ὃς εἶχε δαιμόνια ἐκ χρόνων ἱκανῶν, καὶ ἱμάτιον οὐκ ἐνεδιδύσκετο, καὶ ἐν οἰκίᾳ οὐκ ἔμενεν, ἀλλ' b ὃς τὴν κατοίκησιν εἶχεν h ἐν τοῖς μνημείοις. h καὶ οὔτε ἁλύσεσιν οὐδεὶς ἠδύνατο αὐτὸν δῆσαι, διὰ τὸ αὐτὸν πολλάκις πέδαις καὶ ἁλύσεσι δεδέσθαι, καὶ διεσπάσθαι ὑπ' αὐτοῦ τὰς ἁλύσεις, καὶ τὰς πέδας συντετρῖφθαι, καὶ οὐδεὶς αὐτὸν ἴσχυε δαμάσαι. Καὶ διὰ παντὸς νυκτὸς καὶ ἡμέρας, ἐν τοῖς μνήμασιν ἦν κράζων καὶ κατακόπτων ἑαυτὸν λίθοις. h Ἰδὼν δὲ τὸν Ἰησοῦν b ἀπὸ μακρόθεν, ἔδραμε, καὶ h προσεκύνησεν αὐτῷ, καὶ κράξας φωνῇ μεγάλῃ, εἶπε, τί ἐμοὶ καὶ σοὶ Ἰησοῦ, υἱὲ τοῦ θεοῦ ὑψίστου; c δέομαί σου, b ὁρκίζω σε τὸν θεόν, b μή με βασανίσῃς. Παρήγγελλε γὰρ τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ, ἐξελθεῖν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου. b ἔλεγε γὰρ αὐτῷ, ἔξελθε τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον ἐκ τοῦ ἀνθρώπου. c Πολλοῖς γὰρ χρόνοις συνηρπάκει αὐτόν, καὶ ἐδεσμεῖτο ἁλύσεσι καὶ πέδαις φυλασσόμενος, καὶ διαρρήσσων τὰ δεσμὰ, ἠλαύνετο ὑπὸ τοῦ δαίμονος εἰς τὰς ἐρήμους. h ἐπηρώτησε δὲ αὐτὸν c ὁ Ἰησοῦς, λέγων, h τί σοι ἐστὶν ὄνομα, καὶ ἀπεκρίθη λέγων, λεγεὼν b ὄνομά μοι, ὅτι πολλοί ἐσμεν. c ὅτι δαιμόνια πολλὰ εἰσῆλθεν εἰς αὐτόν. h καὶ παρεκάλει αὐτὸν b πολλὰ, ἵνα μὴ αὐτοὺς ἀποστείλῃ ἔξω τῆς χώρας (καὶ) c ἵνα μὴ ἐπιτάξῃ αὐτοῖς εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν. ἦν δὲ a μακρὰν ἀπ' αὐτῶν b ἐκεῖ πρὸς τὰ ὄρη e ἀγέλη l χοίρων b μεγάλη f πολλῶν l βοσκομένη ἐν τῷ ὄρει. l καὶ παρεκάλεσαν αὐτὸν πάντες οἱ δαίμονες, λέγοντες, a εἰ ἐκβάλλεις ἡμᾶς. ἐπίτρεψον ἡμῖν ἀπελθεῖν εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων· b πέμψον ἡμᾶς εἰς τοὺς χοίρους, ἵνα εἰς αὐτοὺς εἰσέλθωμεν· h καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς εὐθέως ὁ Ἰησοῦς, a καὶ εἶπεν αὐτοῖς, ὑπάγετε. οἱ δὲ ἐξελθόντες c ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, h εἰσῆλθον εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων. l καὶ ἰδοὺ ὥρμησε πᾶσα ἡ ἀγέλη τῶν χοίρων κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν θάλασσαν, a καὶ ἀπέθανον ἐν τοῖς ὕδασι. b ἦσαν δὲ ὡς δισχίλιοι, h καὶ ἐπνίγοντο b ἐν τῇ θαλάσσῃ. l οἱ δὲ βόσκοντες

c *Et nauigauerunt,* b *& venerunt traiecto mari in regionem Gadarenorum,* c *quæ est contra Galilæam.* a *Et cum venisset ad vlteriorem ripam, in regionem Gergesenorum:* h *Et cùm de naui egressus esset* c *ad terram,* e *occurrerunt ei duo dæmoniaci, è monimentis egressi. Erant autem sæui supra modum, adeò vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce vociferabantur, dicentes; quid rei nobis tecum est Iesu Fili Dei? Venisti huc ad cruciandum nos ante tempus?* b *Statim* [inquam] h *occurrit ei* b *è monumentis homo spiritui obnoxius immundo,* c *vir quidam è ciuitate, qui habebat Dæmonium iam à diebus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed* b *qui domicilium habebat in monumentis. Et neque catenis quisquā poterat eum ligare, propterea quòd cùm sæpe compedibus & catenis vinctus fuisset, discerpta essent ab illo catenæ, & cōpedes essent comminutæ, neque quisquam valuisset eū domare. Et semper, die ac nocte in montibus & monumentis erat clamans, & concidens seipsum lapidibus.* b *Cùm vidisset autem Iesum eminus, cucurrit &* h *adorauit eū, & exclamans voce magna, dixit: quid mihi tecū est Iesu Fili Dei altissimi:* c *Obsecro te,* b *adiuro te per Deū,* h *ne me torqueas.* c *Præcipiebat enim Spiritui immundo, vt exiret ab homine.* b *Dicebat enim illi: exi Spiritus immunde ab homine.* c *Frequēter enim corripuerat illū, & vinciebatur catenis, & cōpedibus custodiebatur, & ruptis vinculis agebatur à Dæmonio in deserta.* h *Interrogauit autē illum* c *Iesus, dicēs:* h *quod tibi nomen est? Et respondit dicens: Legio* b *mihi nomē est, quia multi sumus.* c *Quia intrauerūt Dæmonia multa in eū.* h *Et deprecabatur eū* b *multùm, ne se emitteret extra regionē,* (&) c *ne imperaret ipsis, vt in abyssum irent.* l *Erat autem* a *procul ab illis* b *ibi iuxta montes* e *grex porcorū* b *magnus* f *multorum* l *pascētium in monte, & deprecabantur illū omnes Dæmones, dicētes:* a *Si eiicis nos, permitte nobis, vt demigremus in gregē porcorū,* b *Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus.* h *Et permisit eis statim Iesus:* a *& ait illis, abite.* l *Illi verò egressi,* c *ab homine* h *intrauerunt in porcos,* a *in gregem porcorum.* l *Et* a *ecce* l *ferebatur totus grex porcorum per præceps in mare, & perierunt in aquis.* b *Erāt autem fermè bis mille,* h *& suffocati sunt* b *in mari.* l *Porrò qui pascentes*

τοὺς χοίρους, c ἰδόντες τὸ γεγενημένον, l ἔφυγον, καὶ ἀπήγγειλαν h εἰς τὴν πόλιν καὶ τοὺς ἀγροὺς a πάντα, καὶ τὰ τῶν δαιμονιζομένων. καὶ ἰδοὺ πᾶσα ἡ πόλις ἐξῆλθεν εἰς συνάντησιν τῷ Ἰησοῦ. h Ἐξῆλθον δὲ ἰδεῖν, τί ἐστι τὸ γεγονός. Καὶ ἔρχονται πρὸς τὸν Ἰησοῦν, b καὶ θεωροῦσι τὸν δαιμονιζόμενον, καὶ εὗρον b καθήμενον c τὸν ἄνθρωπον, ἀφ᾽ οὗ τὰ δαιμόνια ἐξεληλύθει, b τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα, h ἱματισμένον b καὶ σωφρονοῦντα, c παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, h καὶ ἐφοβήθησαν. c Καὶ διηγήσαντο αὐτοῖς οἱ ἰδόντες, b πῶς ἐγένετο τῷ δαιμονιζομένῳ, c πῶς ἐσώθη, b καὶ περὶ τῶν χοίρων. l Καὶ ἰδόντες αὐτὸν, ἤρξαντο παρακαλεῖν αὐτὸν c ἅπαν τὸ πλῆθος τῆς περιχώρου τῶν Γαδαρηνῶν l ἀπελθεῖν ἀπὸ τῶν ὁρίων, c ὅτι φόβῳ μεγάλῳ συνείχοντο. αὐτὸς δὲ ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον, ὑπέστρεψεν. b Καὶ ἐμβάντος αὐτοῦ εἰς τὸ πλοῖον, παρεκάλει αὐτὸν ὁ δαιμονισθεὶς, c ὁ ἀνὴρ ἀφ᾽ οὗ ἐξεληλύθει τὰ δαιμόνια, h ἵνα ᾖ μετ᾽ αὐτοῦ. b ὁ δὲ Ἰησοῦς οὐκ ἀφῆκεν αὐτὸν, ἀλλὰ c ἀπέλυσε αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς, εἰπών, b ὕπαγε, c ὑπόστρεψον h εἰς τὸν οἶκόν σου h πρὸς τοὺς σοὺς, h καὶ ἀνάγγειλον αὐτοῖς, ὅσα σοι ὁ κύριος c ὁ θεὸς h πεποίηκε, b καὶ ἠλέησέ σε. h Καὶ ἀπῆλθε c καθ᾽ ὅλην τὴν πόλιν κηρύσσων, b καὶ ἤρξατο κηρύσσειν ἐν τῇ Δεκαπόλει, h ὅσα ἐποίησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, b καὶ πάντες ἐθαύμαζον.

bant porcos, c *vt viderũt quod acciderat,* l *fugerunt & renunciauerũt* h *in ciuitatẽ & in agros* a *omnia, & quid accidisset dæmoniacis.* *Et ecce tota ciuitas exiuit in occursum Iesu.* h *Exierũt autẽ, vt viderent quid esset, quod acciderat. Et veniunt ad Iesum,* b *& vident illum, qui à dæmonio vexabatur, & inuenerunt* b *sedentẽ* c *hominẽ, à quo Dæmonia exierunt,* b *qui habuerat Legionẽ,* h *vestitum ac sana mente,* c *ad pedes Iesu,* h *& timuerunt. Et narrauerunt illis qui viderant,* b *qualiter accidisset ei, qui dæmonium habuerat,* c *quomodo sanus factus esset,* b *& de porcis.* l *Et cùm vidissent illum, rogare cœperunt eum* c *omnis multitudo regionis Gadarenorũ,* l *vt discederet de finibus illorum,* c *quia magno timore tenebantur. Ipse autem conscensa naui, reuersus est.* b *Et cùm ingressus esset nauim, rogabat illum, qui fuerat à Dæmonio correptus,* c *vir à quo Dæmonia exierat,* h *vt cum eo esset. Iesus autem non permisit eum, sed* c *ablegauit eum, dicens:* b *abi,* c *redi* b *in domum tuam, ad tuos,* h *& annuncia illis, quanta tibi Dominus* c *Deus* h *fecerit,* b *& misertus sit tui.* h *Et abiit, per totam ciuitatem, prædicans:* b *& cœpit prædicare in Decapoli,* h *quanta sibi fecisset Iesus,* l *& omnes mirabantur.*

Periocha huius historiæ.

De regione *Gergesenorum*, vt Matthæus eam nominat, & *Gadarenorum*, vt in Marco & Luca legitur, eruditi disputant. primùm vtrum vna sit, an duæ diuersæ regiones, vtrum Iudæi, an verò gentiles in ea habitarint. Vulgata versio legit *Gerasenorum*, quod nomen irrepsit ex Hieronymo, qui in locis Hebraicis scribit Gadaram siue Gerasam esse vrbẽ trans Iordanem, versus Orientem in monte sitam, ad cuius radices aquæ calidæ erumpant. Hinc vulgo eiusdem oppidi nomina esse existimantur *Gerasa, Gadara, Gergesa.* Sed Ptolomæus distinguit, & Gadaræ quidem tribuit long. 68.15. lat. 32.10. Gerasæ siue Gergesæ long. 68.15 lat. 31.45. Vnde patet esse duas diuersas vrbes, non procul tamen ab inuicem sitas: ita vt iisdem finibus vterentur. Vtrum autem Iudæi vel gentes ibi habitarint, non est magni momenti quæstio. Verisimilius tamen est, hosce duos populos mixtos ibi habitasse. Gergesenorum gẽs orta est à Gergesæo, filio Chanaan nepote Cham, Gen. 10. v. 16. Et fuit vna ex septem illis populis, quos Deus internecioni adiudicauit, & eorum terram Israëlitis occupandam tradidit, Gen. 15. v. 21, Deut. 7. v. 1. Licèt autem in sacris legatur, quomodo reliqui sex populi sint extirpati, eorumque terra per sortem Israëlitis distributa: de Gergesæis tamen nuspiam disertè extat, quod sint extincti. Quin potius Ios. 13. v. 13. legimus: noluerunt disperdere filij Israël, Gessuri & Machari: & habitauerunt in medio Israël vsque in præsentem diem. Statuunt itaque docti Gessuritidas & Macharidas pertinuisse ad Gergesenos, & horum terminos circa illum locum cœpisse vsque ad Libanũ. Fuerunt ergo Gergesæi & Amorrhæi, inter quos Gadara sita est, confines. Nam & Hader Hebræis murum, sepem vel maceriam distinguentem significat. Sicut ergo ad Christi vsque tempora superfuerunt in Palæstina reliquiæ de Gentib. Cananæorum, quæ tamen deletæ fuerunt, cuius rei argumẽto est mulier Cananæa, Matt. 15 22. Ita quoque potuerunt superesse reliquiæ de gente Gergesenorum, (quæ non fuit deleta) quæ in illis locis habitarunt. Vnde & porcos nutriuerũt, vtpote gentes, quæ legem Mosis non quidem ignorabant, sed nunquam receperant. *Gadara* quoque potest antiquum fuisse oppidum. Nam Ios. 12. 13. legitur de rege Gader. Hic tamen rex à Iosua fuit occisus: vrbs vero & regio per sortem attributa est dimidiæ tribui Manassæ, & proinde à Iudæis habitata, sicut etiam ex 5. li. Ioseph. de bello Iud. vbi c. 3. dicit, Gadaram fuisse μητρόπολιν τῆς Περαίας καρτερὰν, transiamnanæ regionis metropolim validissimam. Est autem Peræa opposita Iudææ, & Peræa opposita Galilææ. Hic de posteriore intelligendũ est, sicut Lucas v. 26. illud ponit. Sed hæc non sunt magni momẽti. Colligi tamen inde potest, cur populi illi porcos aluerint: nec tamen ausi fuerint se Christo aperta vi opponere, postquam eo amiserunt. Propria siquidem cõscientia ipsos redarguebat, in lege Dei eorum esum esse prohibitum, ac proinde iustè ipsis eripi potuisse. Verùm ad rem.

Pergit Christus discipulos suos mirabiliter ita ducere, vt quasi practicum examen cum ipsis instituat concionis, quam præterito die habuerat. Et quod D. Augustinus alicubi à seruatore nostro Iesu Christo precatus est: da mihi, nosse me, nosse te. Id benignissimus dominus noster in hoc ipso, vt ita nominem, concionis suæ examine spectasse videtur. Dum enim cum ipsis intrat nauim, & inter nauigandum grauissimã tempestatem oriri patitur, eos introducit ad sui notitiam, vt agnoscant se pusilla etiamnum fide præditos esse, quæ tam exilis sit, tanquam granum sinapis, ac proinde quotidianis fomentis indigeat, quibus incrementa capere possit. Nunc superato vno periculo mox ingruere patitur alterum, per quod ipsos introducere vult ad ampliorem Christi notitiam. Vix dum enim è naui egressis, occurrit Diabolus cum tota legione malorum Spirituum. Sed ipse vel vnico verbulo eos domat: vt sic discipuli discant ipsum tam potentem esse dominum, vt non tantùm mare & venti, sed & Diaboli ipsi obtemperare cogantur. Sed prodest singulos locos enucleatim considerare.

Primus locus est de tyrannide, potentia & malitia Diaboli, quæ in eo describitur, quod hominem, qui ad imaginem Dei conditus erat, in eum finem, vt esset templum sacrosanctæ Trinitatis, in contumeliam Dei creatoris, & propriam perniciem ita superat, vt faciat eum vas & receptaculũ ingentis turbę Diabolorũ. Sed totus locus illustrior erit, si per ἀντίθεσιν cõferatur cum disputatione, quam Christus præcedenti die habuerat cum Pharisęis. Fuerunt primùm apud Iudęos Sadducęi, qui neq; Angelũ neq; Spiritũ crediderunt, Act. 23. 8. Quorum similes adhuc hodie multi inueniuntur, qui vt sibiipsis in sceleribus suis blandiantur, & caueant, ne illorum sensu conscientia sua torqueatur, inania terriculamenta esse iudicant cuncta, quæ de dæmonibus & eorum tyrannide dicuntur. Illi has historias meditentur, & consimilia exempla, quæ Deus interdum adhuc hodie accidere permittit, intueantur, vt vel tãdem Diabolos verè esse credant, & præterea ipsius ingenium & vires aliquo modo agnoscere discant. Deinde vero Pharisęi apud Iudęos, non quidem negarunt Diabolos esse, sed tamen eorundem potentiam & vires ridebant, & per contemtum δαιμονιάρχην seu principem Diabolorum *Beelzebub*, hoc est, muscarum regem vocabant, innuentes se tam facile illum, quam grãdiusculam aliquam muscam depellere posse. Christus ergo contra ipsos docuit, Diabolum non esse hostẽ adeo contemtibilem: sed esse fortem armatum, qui habeat regnum, possideat atrium, & in pàce sua gubernet, donec potèntior superueniat. Hanc Christi doctrinam vt discipuli veram esse agnoscant, atque eandem etiam aliis credendam proponant: hîc Christus viuam eius imaginem ipsis conspiciendam præbet. Nam ipsis vix dum egressis ex nauigio, statim occurrunt duo Dęmoniaci, vt habet Matthęus, inter quos vnus tãquam truculentior & sęuior, à Marco & Luca diligentius describitur. Quod vero Matthęus dicit fuisse δαιμονιζομένους, *Dæmoniacos:* id reliqui duo Euangelistę periphrastice explicant, dum Marcus scribit hominẽ fuisse *occupatum spiritu immundo,* Lucas vero eum *habuisse Dæmonia à multo tempore.* Et quęrunt aliqui differentiam inter Dęmones, Satanam & Diabolos. Satanã dicunt, quando corpora affliguntur, sicuti in Iobo nihil fuit sani à vertice capitis, vsque ad plãtam pedis, Iob. 2. v. 7. Et mulier illa:

quæ decem & octo annis erat contracta, ne se erigere posset, Luc.13.vers.11. Dæmones autem putant esse, quando mentes perturbant: sicut horum obsessorum mentes ita occupauerunt & abalienauerunt, vt iis sibi non constarent. Et tamen quod mirum est, postea liberati sciunt, quid secum sit actum. Itaque etiam Hieronymus existimat dæmones non ita malos esse, tanquam Diabolos, vtpote qui hîc Christum adorent & multum deprecentur. Hæc differentia locum habere potest in prophanis scriptoribus, vbi Dæmones interdum pro geniis siue bonis siue malis accipiuntur, & Dæmon dicitur quasi δαήμων, id est, peritus & gnarus, iuxta Platonem. Sed in scriptura sacra, Satanas, Dæmones & Dæmonia semper pro diabolis & malis spiritibus accipiuntur. Atque res ipsa hoc in loco testatur, hæc dæmonia cumprimis fuisse noxia & mala. Sic enim describuntur.

I. Quod sibiipsis nomen imposuerint Legionis. Nam interrogati à Iesu, quódnam ipsis nomen esset, responderunt λεγεών, quod vocabulum recentiores Græci mutuati sunt à Latino *Legio*. Fuit autem Legio apud Romanos agmen militare, constans Hesychio autore, viris sexies mille, sexcentis, sexaginta sex. Secundùm Suidam autem sunt ἑξακισχίλιοι στρατιῶται, sexies mille milites. Varro lib.4. de ling. Lat. testatur legionem diuidi in decem cohortes, cohortem in quinquaginta manipulos, vnumquemque autem manipulum habere viginti quinque milites. Ita vt Legio in summa constiterit duodecies millibus, quingentis militibus. Vtut autem numerentur milites veterum legionum apud Romanos, Diabolus hîc ipse rationem reddit nominis: *Quia multi sumus.* Syrus quoque idem nomen retinet לגיון. Quia enim tum temporis Romanæ Legiones, in Syria & Iudæa, hinc inde in præsidiis dispositæ, & omnibus nomen illud non tantùm notum, sed & formidabile erat: ideo illud ipse sibi assumsit. Atque inde apparet nimium arrogans & superbum diaboli ingenium, qui non tantùm homines ostentatione suæ potentiæ, per sublimes titulos & terribilia nomina territare, sed & diuinæ maiestati se opponere conatur. Cum enim Deus in scriptura vsitato titulo nominetur Dominus Zebaoth: Dominus virtutum siue exercituum: & inprimis hoc Epitheton Messiæ attributum fuerit in Veteri Testamento, Psal. 24. v.10. & Ies.6. ver.3. Eò quod omnes creaturæ, cœlestes, terrestres & infernales ipsi sint subiectæ, vt ipsum sanctificemus, & ipse sit pauor noster & terror noster, sicut habetur Iesa 8. vers.13. Diabolus filij Dei immortalis & capitalis inimicus, quoque sibi nomen militare assumit, vt innuat se ipsi nolle cedere, sed tanquam fortem armatum atrium suum communire, vt sua in pace possidere queat. Iccirco habere se exercitui, & legiones infernales cœlesti militiæ opponendos.

2. Quod tyrannidem suam in eo exercuerint, quod miseros hosce duos viros, quos semel subegerunt, primùm impulerint, vt omnes vestes, quibus induebantur, vel abiicerent, vel furiose dilacerarent, sicque nudi discurrerent. Quod fecit in contumeliam Dei, qui initio quidem protoplastos nudos creauerat, Genes.2.v.vlt. Quæ nuditas atque innocentia tum temporis summum ipsorum decus & ornamentum erat. Sed quia nunc post lapsum adultiores se inuicem nudos citra pudorem & pravos affectus intueri non possunt, Deus ipse ordinauit vestitum, Genes.3. v.21. quo deposito, pudor simul & verecundia deponuntur. Diabolus ergo sarcastice Deum irridet, dum miseros hosce homines impellit, vt nec pudore nec cœli iniuria moueantur, quominus vestes dilanient & abiiciant.

3. Insuper adeo indomitum furunt, vt nullis vinculis coërceri possint, catenas omnes disrumpant, manicas & pedicas abrumpant, nec contineri possint, quominus ex hominum consortio aufugiant, atque in montes & loca deserta se conferant. Fecit autem hoc Diabolus propterea, quia ipse natura hominum consociationem odit & fugit, & quærit requiem in locis inaquosis, Luc.11.v.24. Ne si inter homines versetur, vel prædicatione verbi diuini, vel hominum piis precibus defatigetur. Vtitur autem Lucas peculiari vocabulo ἠλαύνετο, à verbo ἐλαύνω, agito, impello, quod teste Varino vsurpatur ἐπὶ ἵππων καὶ νεῶν, de equis, curru & naui. Sic Iacob.3.v.4. Nauigia à sæuis ventis ἐλαυνόμενα agitata dicuntur. Et 2. Pet. 2.v.17. Impij doctores dicuntur nebulæ à turbine ἐλαυνόμεναι agitatæ. Sic eques dicitur ἐλαύνειν, stimulis agitare; equus vero ἐλαύνεσθαι. Zach.9.vers.8. ἐξελαύνων significat exactorem, & respondet Hebreo נגש à נגש quod significat vrgere & adigere aliquem ad præstandum aliquod seruitium, & ita quidem exigere, vt cum angustia & anxietate fiat. Probè hæc conueniunt huic loco. Est enim homo obsessus, quasi iumentum diaboli, à quo mente & corpore regitur atque agitatur, vt multa perpetret, à quibus abhorreret, nisi potentiorem vim haberet se impellentem. Germani solent dicere: *Der Teuffel reitet den.* Paulus etiam Eph.2.2. Diabolū vocat principem Spiritus τοῦ ἐνεργοῦντος agentis vel operantis in hominibus contumacibus. Hinc veteres sumserunt illud nomen, quod obsessos à Satana vocarunt ἐνεργουμένους. Quemadmodum enim quando peccatum non tantùm est in nobis, sed etiam liberum ei relinquitur dominium & regnum, dum dicitur illud à Paulo ἐνεργεῖν, Ro. 7.5. Ita quando diabolus liberam habet potestatem vexandi hominem pro arbitrio, tum dicitur homo ἐνεργούμενος vel ἐλαυνόμενος. Vnde id, quod istiusmodi obsessi perpetrant, non ipsis hominibus, sed diabolis, à quibus agitantur, ascribi potest: qui interdum ferreos compedes & catenas solis manibus ceu vincula stupea lacerant, carceres absque instrumentis mechanicis effringunt, & alia designant incredibilia. 4. Præterea Diabolus tyrannidem suam etiam in eo ostendit, quod miseros hos homines ex conciuium consortio expulsos impellit, vt in sepulchris habitationem suam quærant. *Disputatur autem quare obsessum ad monumenta impulerit.* Chrysostomus existimat id propterea factum, quia Diabolus voluerit hominibus ingerere perniciosam illam opinionem, quasi animæ, postquam emigrarunt ex corporibus, commutentur in dæmonas: & postea possint homines decipere atq; fingere, alius quidem dæmon, Ego sum huius anima: rursus alius, ego sum illius anima. Hanc Chrysostomi sententiam Pontificij probe notare debebant: quia & ipsi multum subsidij de religione sua in apparitionibus animarum collocatum habent. Quas tamen apparitiones idem Pater pronunciat esse verba temulẽtarum vetularum & puerorum terriculamenta: & simul grauibus rationibus confirmat, animas defunctorum in hisce terris nequaquam oberrare posse. Sed potest etiam alia subesse causa, quare hunc hominem ad inhabitanda sepulchra impulerit: nimirum voluit eum cruciare, perenni spectaculo mortis proposito: vt si maxime per interualla relaxationem haberet à dæmoniis obsidentibus, & parumper quasi respiraret, noctu tamen atque interdiu inter demortuos versans, perpetuo horrore concuteretur. Quin & ideo fecit, vt ostenderet, se hominibus insidiari, eosque persequi non tantùm in hac vita, sed etiam in morte, adeoque post mortem. 5. Denique diabolicæ potentiæ atque tyrannidis argumentum etiam est, quod hi duo viri continuo dies ac noctes clamant, quod lapidibus seipsos concidunt, & membra sua diabolo præbent arma & organa contra seipsos. Diabolus enim si hominem per seipsum perdere potest, illud non intentatum relinquit. Sicut Marc.9. vers. 22. miserum puerum frequenter in ignem & aquas misit, vt ipsum perderet. *Hic verò impulsu Satanæ hi duo adeò sæui sunt, vt nemo per illam viam transire potuerit.* Insederant enim ista loca duo illi, quasi publici latrones & prædones, omnia vastantes atque interimentes. Erant enim *χαλεποὶ λίαν, sæui admodum.* Nam χαλεπὸς, non tantùm significat difficilem: sed etiam perniciosum, noxium, grauem & infestum. A χαλέπτω, quod significat damno officio, labefacto, vel etiam euerto. Tales erant hi duo, qui quosuis obuios prosternebant & damnis afficiebant, vt via ista propter ipsos inuia redderetur. Quemadmodum etiam Actor. 19.v.16. legimus, quod dæmoniacus insiluerit in duos exorcistas, contra quos inualescens eos nudos & vulneratos expulerit ex ædibus. Atque hoc modo collatio inter Euangelistas instituta tyrannidem & potentiam diaboli, *hoc in loco tam euidenter, quàm nusquam aliàs in sacris literis, ob oculos ponit.* Ostendit enim quod adeo dirus & immanis sit hostis humani generis, vt si aliquot myriadibus singulos occupare, illos reliquis hominibus ludibrio exponere, vel ex hominum consortio expellere, corpore lacerare, animo coangustare, in mille pericula præcipitare, in omnibus denique nocere posset, nihil ipsi gratius accideret. Quod ingenium nocendi amplius aperit in eo, quod cùm occulta potentia diuinà ad Christum, tanquam ad tribunal, attraheretur, atque intelligerèt ipsum esse semen promissum, suumque iudicem, qui caput sit contriturus. Non tamen vult sponte sua cedere, sed quasi Christus iniuriam ipsi faceret, eum ante tempus expelleret, & iniusti iudicis partes expleret, multum tergiuersatur, & vtitur grauibus verbis: *Adiuro te per Deum,* qui iusto iudicio mihi hosce viros permisit ob peccatum: ne me torqueas, ne me ex hac regione expellas. Cogita quàm horrenda hæc sit malitia, quod se filio Dei ita opponit, adiurat ipsum per Deum, quasi alius sit Deus quàm hic ipse Iesus Christus viui Dei filius. Ægre nimirum migrat ex hoc suo palatio, quod hactenus in pace possederat. Sed postquam animaduertit omnino cedendum esse, petit, vt sibi concedatur migrare in porcos, vt si non hominibus ipsis, tamen iis quæ ad hominem pertinent nocere possit, atq; sic homines sollicitet ad peccatum per impatientiam, & contra Christum mundi seruatorem irritet ob damnum. Sicuti idem videmus in historia Iobi, quem quia Dominus ita circumuallauit, ne ipsius personæ Satanas nocere posset: tamen pecudes ipsius infestat, & liberos occidit, idque facit propter ipsum, vt sic eum ad impatientiam & maledicendum

maledicendum Deo impellat, Iob. capite primo, versu vndecimo.

Hanc Diaboli malitiam, nocendi libidinem, potentiam & tyrannidem primum opponamus Empæctarum ludibriis & irrisionibus, qui quando Satanæ potentia terrentur & à peccando absterrentur, per iocum respondere solent, nec diabolum adeo terrum, nec infernum adeo æstuantem esse, quam ille à verbi præconibus depingatur, & hic eorum clamoribus inflammetur. Sed intueantur isti miserandum hoc spectaculum duorum horum virorum, & risus ac iocus omnis procul abibit. Qui vero hoc facere nolunt, pauxilli temporis moram patienter ferant, mox cum æterno suo damno experientur, quæ & quanta sit diaboli tyrannis & malitia. Deinde verò hîc etiam consideremus, quàm miserabilis & infelix sit conditio eorum, in quorum animis diabolus spiritualiter imperium obtinet. Quid enim homo petulans, qui iam dedoluit, qui semetipsum proteruiæ dedidit, ad certatim patrandam omnem impuritatem, vt Paulus Ephes. 4. versicul. 19. loquitur, & qui se affectus suos atque carnales cupiditates ad effrenem scelerum licentiam abripere patitur, quid, inquam, talis homo ab hisce dæmoniacis differt? Abiiciunt tales primùm vestem innocentiæ, qua Christus etiam post lapsum in baptismo ipsos rursus vestiret, atque ornauerat. Obambulat ergo talis, amictus quidem corporeis vestibus, at veris vestimentis & conuenienti homini gloria destituitur. Vnde fit, qui mox omnem pudorem abiiciat, nec vllius flagitij ipsum pudeat, modò carni suæ adlubescat. Imo tandem eiusmodi homines eò impudentiæ deueniunt, vt sceleribus suis publice glorientur, & ex iis laudem quærant. Non aliter, ac si aliquot dæmoniorum agminibus obsessi ad stupra, intemperantiam, crapulam, vsuras, rapinas, cædes & consimilia flagitia impellerentur. DEINDE si quis eos arctiore disciplina in ordinem redigere & coërcere velit, mox, ceu furore perciti, omnia tam diuinarum quàm humanarum legum repagula perrumpunt. Nec Deo subiici, nec Christi legibus parere volunt, sed tanquam omnis disciplinæ osores, vocem illam ex Psal. 2. v. 3. audire finunt: disrumpamus vincula eorum, & lora eorum à nobis abiiciamus. Quis tales ligare potest? Certè vincula quibus circundati sunt, sunt iudicij timor, legum terror, vulgi condemnatio, amicorum exhortationes, parentum preces. Sed hæc vincula disrumpentes, omnia perturbant. Quod si præterea huiusmodi homines intra ciuitatem siue domum Dei, quæ est Ecclesia, retinere velis, vt in cœtibus Ecclesiasticis, in quibus verbum Dei prædicatur, & voces Deum celebrantium personant, piorum precibus subleuentur, & bonorum exemplis ad probitatem innitentur, si quomodo Deus ipsis det, vt ex diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, elapsi, mentis sanitatem recipiant. 2. Timoth. 2. vers. vltim. ipsi se detineri minime patiuntur, sed relicto Ecclesiæ gremio, & bonorum conuersatione, delectantur consuetudine illorum, qui iampridem in peccatis & delictis mortui, Ephes. 2. versicul. 1. corpora sua instar sepulchrorum fecerunt, in quibus viuentes mortui sunt, 1. Timoth. 5. v. 6. & infelices animæ tantùm non computrescunt atque fœtore scelerum enecantur. Hæc autem dum perpetrant, horrendum clamare, dies noctesque bacchando aliis molesti esse, impie contra Deum vociferari, eiusque sanctissimum nomen suis execrationibus & diris fœde prophanare solent. Adhæc, seipsos quasi lapidibus cædunt, dum fortunas & opes suas turpiter dilapidant, vires suas & corporis valetudinem petulanter circa omnem necessitatem destruunt, & quasi admoto gladio proprium pectus perfodiunt, atque insuper animas & conscientias suas miserabiliter grauant atque flagellant. Denique non satis ipsis est sua fit insania, nisi etiam aliis sint damnosi & noxij. Hinc quotidie nouos scelerum socios quærunt, quos vnà secum ad interitum abducant: alios vnà secum ad egestatem adducant: morbos, quos perpotandi & scortandi libidine sibiipsis accersiuerunt, aliis affricent, & quantum in ipsis est efficiant, vt alij vnà secum corpore & animo pereant. Sæpe etiam violenta temeritate ita aduersus omnes bonos grassantur, vt immanibus belluis occurrere tutius sit, quàm hisce hominibus. Et quod omnium maxime miserandum est: si quis ipsorum misertus, ipsos bonis & rectis monitionibus in viam reducere, atque ab hac spirituali phrenesi liberare cupiat, horrendum clamant, pios conuiciantur, varia diuerticula quærunt, & per Deum viuum adiurant, ne eos torqueat, ante tempus à flagitiosa ista vita ipsos auocando. Supplicium nimirum putant esse maximum non viuere in supplicio, maxime si ἐκ χρόνων ἱκανῶν, longo tempore à diabolo ita agitati fuerint, & in tetro eiusmodi aliquo vicio hæserint, illudque iam propter multi temporis consuetudinem quasi in naturam abierit. Hæc fideles verbi ministri, maxime in populosis vrbibus vbi plurima vitia & scelera publice & priuatim grassantur, occasione oblata, suis auditoribus proponere, diligenter inculcare, grauiter acuere, neruose explicare, & ad singula flagitia, siue auaritiæ, siue ebriositatis, siue libidinum & similium peccatorum accommodare debent. Vt omnes sibi à spirituali hac & diabolica mania quàm diligentissime caueant. Quantum enim anima nobilior est corpore, & quantum cœlestia & æterna præstant terrenis & temporariis: tantùm magis noxia & periculosa est hæc spiritualis obsessio quàm corporalis. Et quidem pro corporaliter obsessis parantur compedes, catenæ & carceres, ne seipsos vel alios lædant: sed spiritualiter obsessi, proh dolor, passim libere obambulant, imo interdum in pretio habentur, nec quisquam curat, quod non tantum sibiipsis, sed & multis aliis præsentissimum exitium afferunt.

Secundus locus est de potentia Christi. In hac enim historia satis dilucidè reipsa monstratur verum esse, non tantùm illud Iohannis, 1. epist. cap. 3. vers. 8. In hoc apparuit filius DEI, vt dissoluat opera diaboli. Item c. 4. v. 4. Fortior est qui in nobis est, quàm qui in mundo est: sed & id, quod Christus præcedenti die docuerat, se esse robustiorem, qui forti illi armato superueniens, eum vincat, liget, omnia arma, quibus confidebat, ei auferat, ipsum expellat, & spolia distribuat. Quia autem, vt dictum est, nullibi tam graphicè depingitur, & diaboli tyrannis, & opposita ei Christi potentia, omnes circumstantiæ rursus diligenter sunt expendendæ. Et primò quidem Marc. 1. v. 25. & aliàs, præsentibus turbis, Christus Satanæ silentium imposuit, nec passus est eum loqui, ne curiositatem populi aleret. Hîc verò, quia vt plurimum tantùm in comitatu suo habet discipulos, quibus mox, Matth. 10. v. 1. daturus est potestatem super omnes immundos spiritus, vt eos eiiciant, permittit non tantùm vt diabolus in obsessis secum loquatur, sed & ipse eum interrogat. Vt paulatim discipuli discant & videant, quomodo Satanas instar fulguris de cœlo sit deiectus, Luc. 10. v. 18. Instituit itaque hic colloquium cum diabolo, & *quærit quodnam ipsi nomen sit.* Quanto ergo arrogantius ipse sibi nomen sumsit ad ostentandam suam potentiam, tantò magis Christi potentiam & virtutem illustrauit. Vtut enim integra legione, & quasi aliquot millium exercitu atrium suum communiuit, vsque adeo tamen illud aduersus Christum non potest defendere, vt vel vnico verbulo eiiciatur, & imperium in hunc hominem relinquere cogatur, ita vt ne vnus quidem in veteri suo hospitio remanere queat. 2. Deinde Christi potentiam etiam illud extollit, quod hæc legio Diabolorum Christo occurrere, eumque supplex adorare cogitur. Videntur quidem quibusdam hi Dæmoniaci casu in Christum incidisse, quia aliàs diaboli, Christi aduentum præscientes, corpora subducturi fuissent ne expellerentur, siquidem ægre domicilia sua deserunt. Sed attrahuntur occulta potentia Dei, quasi ad tribunal iudicis. Vincti enim sunt σειραῖς ζόφου, tenebricosis & caliginosis catenis, 2. Pet. 2. versic. 4. quas nos corporeis oculis non possumus videre. Illas catenas Christus, cui à Patre omnia in manus tradita sunt, Ioh. 3. versicul. 35. in suis manibus tenet & occulta vi attrahit. Quam diuinam vim ipsi sentiunt, ac proinde ad pedes eius, aduersus quem antea nomine tenus se insolenter extulerant, procidunt, eumque supplices adorant, reipsa confitentes eum se longe superiorem esse. Absque qua diuina & occulta virtute si fuisset, quàm longissime à Christo aufugissent, & miseros istos potius in præcipitium abreptos miserè perdidissent. 3. Christi potentia etiam in eo elucescit, quod licet legio diabolica expostulabunda dicat: *quid mihi & tibi est fili Dei altissimi?* tamen eo ipso confirmat eam partem disputationis Christi, qua pridie Pharisæis dixerat, se non per Βεελζεβοὺλ & Principem diabolorum, sed spiritu Domini Diabolos expellere. Quomodo autem hæc phrasis, *quid mihi & tibi*, vsurpetur, suprà c. 26. Harm. est expositum. Et maxime omnium conuenit cum ea, quæ Iud. 11. ver. 12. legitur, cùm Gedeon ad regem Ammonitarum Iudæos bello petentem legatos cum huiusmodi mandatis mittit: Quid mihi & tibi, quod vastas terram meam? quasi dicat, Quid tibi iuris in nos sumis? aut quam causam habes, quod inuadis ditionem, quæ non ad te, sed ad me pertinet? Deus nobis Israelitis hanc terram habitandam dedit, cuius possessionem tranquillam vos Ammonitæ nequaquam turbare debetis. Eodem sensu etiam diaboli hîc dicunt: *Quid mihi & tibi est Iesu? Et multis ipsum deprecantur, ne eos cogat abire extra regionem, neve ipsis præcipiat abire in abyssum.* Sciunt nimirum superesse extremum iudicium, in quo cum impiis omnibus detrudentur in infernum, in æternum ignem, qui diabolo & angelis eius paratus est, Matt. 25. v. 41. Interim tamen innuit iusto Dei iudicio, propter peccata hominũ, singulis diabolis certum aliquem locum extra abyssum concessum esse. Alij enim in aëre habent potestatem tempestatum, vt patet ex Ephes. 2. v. 2. & 6. v. 12. Alij versantur in desertis locis, Luc. 11. v. 24. sicuti etiam de desertis Arabiæ Geographi mira narrãt. Ex

hoc loco colligitur, quod certi diaboli sint in certis regionibus. Apoc.20.vers.3.scribitur, quod diabolus sit religandus in abyssum per mille annos. Per *abyssum* autem intelligitur vel infernus, locus supplicij, quem hic deprecantur, vel profundum maris, vt Genes.1.v.2. Inde enim tempestates, & monstra marina, Leuiathan, de quo Iob.40.& 41.& alia multa. Quia vero scit Diabolus nondum adesse finem mundi, ideo cum Christo expostulat, cur ipsum adoriatur in suo regno? cur requiem ipsius turbet? cùm nondum adsit illud tempus iudicij, & ipse cupiat interim odium suum aduersus filium Dei exsaturare. De quo etiam Apoc.12.v.12. Væ terræ & mari; quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Non ergo recusant Diaboli trudi in infernum, quando tempus iudicij venerit: modò iam liberum ipsis sit, homines infestare & torquere. Atque sic ipsi agnoscunt & fatentur, se non tantum posse, quantum velint, sed tantum, quantum iusto Dei iudicio ipsis concedatur. Interim verum est, quod Diaboli hic dicunt: *quid nobis tecum* (scilicet commune) *est, Iesu fili Dei*? Nam reuera Christus & Diaboli differunt, natura, studiis & actionibus. Iesus Christus est verus Dei filius, & totius mundi creator: Diaboli sunt Dei creatura, atque ipsi subiecti. Christus Seruator venit in mundum, vt homines seruet: Diaboli autem in mundo circumeunt, tanquam Leones rugientes, quærentes quem deuorent & perdant, vnde & ἀπολλύων Satanas dicitur, Apoc.9.versic.11. Christus Iesus est ipsa veritas, bonitas & iustitia: Diaboli sunt mendaces, & omnis iniustitiæ atque scelerum authores. Et quod hæc sit Satanæ natura, sicuti à Christo describitur, Iohan.8.vers.44. id vel hoc ipso in loco prodit. Nam dum vere quidem dicit: *quid mihi tecum Iesu*? interim tamen splendide mentitur. Vult enim improbus quadruplatur Iesum iniustitię accusare, quasi præter ius & æquum aliena inuadat. Nam dudum dixerat Iesu, sed mendacissime; Hæc omnia mea sunt: monstrans ipsi omnia regna terræ, Luc. cap. 4.versicul.6. Sic etiam vult circumstantes statuere, illam regionem diabolis concessam esse, nec Iesum quicquam iuris, vel in ipsos, vel in regionem habere. Sed nos fallacias huius Spiritus mendacis nó ignoramus, & scimus, Iesu Nazareno datam esse omnem potestatem in cœlo & in terra, Matth.28.v.18. Nam & iam olim ab æterna generatione ipsi, secundùm Psal.2.v.8. dati sunt omnes termini terræ in possessionem. 4. At vero nos vlterius agnoscamus Christi potentiam omni diabolica superiorem. Nam quos hactenus nemo domare potuit, qui omnes compedes & catenas ferreas comminuerunt, illi iam supplici gestu & voce ad pedes Christi iacent. Quis eos tam fortiter vincivit, vt subsistant nec aufugiant? Quis eos flagellat, vt tam muliebriter clament, eiulent & deprecentur, ne torqueantur? *Obsecro te, adiuro te per* Devm, *ne me torqueas*. Nemo præterquam verbum Christi. Hic præcipiebat Spiritui immundo, vt exiret ab homine. Hic dicebat: *Exi Spiritus immunde ab homine*: Hæc verba filij Dei flagella sunt diabolo. Tortura enim ipsi est, quando non potest homines liberè cruciare. Et molestissimum ipsi est, quando cogitur cedere loco, & derelinquere illos, quos perditos vellet. Tanta igitur virtus est verbi Christi aduersus diabolos, vt verè in cantione Ecclesiastica canamus: *Ein wörtlein kan jhn fellen.* Vt tantò magis mirandum & prodigij instar sit, audere interdum homines adeò securè verbum Dei ridere atque negligere, ad quod etiam diabolicæ potestates tremunt & trepidant. 5. Postquam ergo diaboli animaduerterunt omnino frustraneum esse, quod moras nectunt, virtutem enim verborum Christi tantam esse, vt nolentes volentes cedere cogantur, vel tandem cedere volunt: rogant tamen sibi imperium dari in porcos, qui in vicinia pascebant. Maluissent quidem in homine manere, quem maioris æstimant, quàm multa millia porcorum, quia homo ad imaginem Dei creatus. Sed quia cedere coguntur, ipsi immundi spiritus petunt, se immitti in sibi conformem gregem porcorum. Atque eo ipso diaboli rursus suam impotentiam produnt, quod licèt eorum integra sit legio, non tamen vel vnicum porcum superare possunt, nisi venia ipsis concedatur à Christo. Quamprimum autem Christus vel vnicum verbulū protulit, dicendo: ὑπάγετε, *abite*, protinus vniuersa cohors diabolorum, ex miseris hominibus egrediens, ingreditur in gregem porcorum, eumque præcipitem agit in mare, vt omnes ad vnum in aquis pereant. Numerum autem exprimit Marcus, & dicit fuisse *bis mille*: cúmque diaboli essentialiter commigrarint in porcos: non possunt diaboli tantùm esse praui affectus hominum, sicut quidam opinantur: sed sunt essentiales spiritus. Ex his omnibus agnoscamus diuinam & tremendam maiestatem atque potentiam Seruatoris nostri Iesv Christi, quæ nobis consolationis plenissima esse potest, in iis quæ Satanas aduersus eos molitur. Verùm tumultuetur quantum potest & vult, nunquam tamen nos ex manu fidelis huius Pastoris rapere potest, Iohann. 10. versicul. 28. Quàm libenter voluisset diabolus, vt hi duo viri in æternum perirent: verùm nihil profecit, nec impedire potuit, quo minus vel ipso inuito ad Christum venirent, posteaquam hora salutaris ipsorum conuersionis aduenit. Imò ea est huius superbi Spiritui impotentia, vt ne in porcum quidem, contemptum animal, migrare potuerit, nisi id permittat Christus. Vt enim Devs omnia animalia, munda & immunda, noxia non minus quàm iumenta, creauit: ita eadem certo *prouidentiæ* suæ imperio regit, & quoad ipsi visum fuerit, tuetur, atque seruat. Non itaque nimium metuamus diabolum: sed pij simus, & Dominus Zebaoth sit terror & pauor noster. Ioh. 8.vers.13. Cúmque sine voluntate Dei ne capillus quidem de capite nostro cadere possit: quomodo diabolus *siue animabus*, siue corporibus nostris nocere posset, *si piis & fidis precibus* nos ipsius protectioni commendauerimus? Prodest etiam hæc consideratio iis, qui nimium sibi metuunt à sagis & veneficis, quod suis incantationibus & præstigiis homines fascinare, pecudes lædere, tempestates, grandines & ventos ciere, adeoque multis modis aliis nocere possint. Equidem non dixero omnia esse irridenda, quæ de ipsorum diabolicis machinationibus narrātur. Etenim potens est diabolus in filiis incredulitatis, Ephes. 2.v.2. & multa potest Devs diabolo permittere ob iustas causas, vel etiam vt suos probet, sicuti videre est in Iobo. Hoc tantùm omnibus seriò inculcandum est, vt se suáque omnia diligenter commendent Deo, tum certi sint, quod quemadmodum hîc Satanas, cum totâ suorum satellitum legione, ne vnum quidem porcum necare potest: sic nec ipsis vel pilum lædere queat, *sine voluntate* & permissione Dei. Vtut ergo sese terribilem *præbeat*, non tamen ipsum formidabimus, sed in Christo Iesu ipsum vincemus. Nam fides nostra in Christum est victoria nostra, 1.Ioh.5.versicul. 4. Adhæc vel ex hoc loco apparet in qualesnam homines Diabolus habeat potestatem. Angelus Raphael Tob.6.versic.17. dicit, dæmonium habere potestatem super eos, qui Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Hi rectè hîc præfigurantur per porcos. Quando nimirum homo non agnoscit dignitatem, ad quam est conditus, neque ratione & intellectu vtitur, sed tanquam bruta animalia cæcis carnis suæ affectibus se abripi patiuntur. *Tales* vere*ra* sunt, qui ventris ingluuiem sectantur, *dies noctesque* potando transigunt, nec interea opus *Domini* expendunt, Iesa. 5.v.12. Tales etiam sunt scortatores & adulteri, qui vagis libidinibus diffluunt, & corpora, quæ Spiritus S. templa esse debebant, scorti membra faciunt, vt Paulus loquitur, 1.Cor.6.v.15. Idem de omnibus vitiis intelligi potest, si homo nimia consuetudine, ex iis non tantum habitum acquirat, sed quasi in naturam suam transmutet. Hi peccatis suis merentur vt Devs Diabolo multum iuris in ipsos permittat. Quod ne fiat, cuiusque est vt conditionis suæ memor non instar porcorum se in volutabro peccatorum volutet, sed animos sursum in cœlum attollat, & Christo per veram pietatem adhæreat, tum tutus erit à Satanæ tyrannide.

Tertius locus est gratitudinis, quæ Christo Seruatori exhibetur ob præstitum hoc beneficium. *Gentiles, si quando à* monstris aut feris leonibus, apris, *vel tyrannis infestabantur*, & obtigisset ipsis heros magnanimus, qui ipsos liberaret, solebant in talium honorem columnas erigere, aras extruere, numismata cudere, cum eiusmodi aliqua inscriptione, Ioui σωτῆρι, Herculi σωτῆρι, Seruatori, adeoque ipsis diuinos honores exhibere. Iesus Christus hîc à Gadarenis remouit monstrum, quod longe fuit terribilius quouis Caco, tricipiti Cerbero vel etiam multis Centauris, nimirum Legionem diabolicam, atque vias illas, per quas antea nemo tutò iter facere poterat, rursus securas reddidit. Dignus itaque erat, tanquā verus Σωτὴρ, & conseruator Devs, cui ab omnibus incolis diuinus honor exhiberetur, quíq; publicis omnium gratulationibus exciperetur. Verùm euentus longe diuersum docet, atque hic quoque humani cordis prauitatem ostendit, quod vel adeo durum & tritum vel petrosum, vel etiam spinis & sentibus obsitum est, vt exigua hominum pars summis Dei beneficiis grato animo digne vtatur, sicuti hæc historia satis euidenter illud monstrabit.

1. Primum locum hic obtinent *Subulci*. Hi fuerunt αὐτόπται. Cùm enim in vrbe renunciarint, quid Dæmoniacis acciderit, non dubium quin spectatores fuerint non tantum interitus porcorum, sed & liberationis dæmoniacorum. Hi *fuga dilapsi*, tam in vrbe Gadara, quàm in pagis & agris Gergesenorum, diuulgauerunt *& renunciauerunt omnia quæ gesta sunt*. Et in eo sane non peccarunt. Vult enim Christus opera sua toti mundo innotescere, & passim in omnibus ciuitatibus, pagis, vicis & agris prædicari. Nec displicet ipsi hac in re ministerium etiam vilium & obscurorum hominum. Vsque adeo

non

non opus est dependere ex authoritate & existimatione personarum, quæ nobis opera & voluntatem DEI annunciant. Inprimis autem hoc munus spectat ad eos, quos Dominus ipse pastores sui gregis constituit. Hi bona fide annuncient omnia, quæcunque is pro suo grege fecit, atque omnes excitent quò digne ipsum excipiant. Ex circumstantiis tamen huius historiæ colligere licet quòd hi subulci non tantum quod factum est nunciarint, sed & insuper se excusarint, ne ciues ipsorum negligentia porcos periisse putent. Et absque dubio etiam querimonias contra Iesum miscuerunt, quòd ipsius culpa, ob hanc iacturam porcorum, ipsis quoque merces conducti sui laboris perierit. At verò hac ratione periit ipsis illud, quod longe est præstantius, nimirum fructus huius miraculi, quo ad salutarem Christi cognitionem adduci potuissent. Sunt autem hi pastores typus eiusmodi verbi præconum, qui auditores ventri & carni deditos saginant sua indulgentia, tantisper, quandiu læta fortuna ipsis affulget, & suis ipsi commoditatibus frui possunt. At quando DEVS sui iudicij rigorē profert, & porcos ipsorum saginatos ad pœnam trahit, ipsi manum DEI plectentis non agnoscunt, multo minus alios ad seriam pœnitentiam authores sunt: sed ignauo metu perculsi diffugiunt, & iniustis querimoniis Christo ipsiusque Euangelio inuidiam apud alios conflant. Huiusmodi infidi pastores, qui tantum sua commoda quærunt, non autem saluti fidei suæ commissorum consulunt, sunt vitandi, & eorum monitionibus attendendum, qui omnes à terrenis ad cœlestia, ad vnicum pastorem animarum reuocant, ad Iesum Christum, qui solus nos ab interitu seruare, & pedes nostros in viam salutis dirigere potest.

2. Secundum locum tenent *Gadareni*, vrbis incolæ, & qui circumquaque in Gergeseno agro habitabāt. Hi nuncio per pastores sparso excitati, simul omnes excurrunt, vt rem gestam intueantur. Et testantur Marcus atque Lucas multis verbis, qualem inuenerint illum, qui insigniter sæuus præ altero fuerat, & qui Legionem habuerat. Ita nimirum, vt qui ante hæc omnes vestes abiiciebat & nudus incedebat, iam fuerit vestitus. Qui ante indomitum furebat, iam erat sana mente præditus. Qui ante discurrebat & vlulabat, iam sedebat placidus: & quidem sedebat ad pedes Iesu, quæ phrasis in scriptura auditoribus tribuitur. Sic Maria Luc.10.v.39. sedens iuxta pedes Domini audiebat verbum illius. Et Paulus Act.22.v.3. ait, se ad pedes Gamalielis Hierosolymis eruditum esse. Nam Doctores vel stabant, vel in cathedra ac loco altiore sedebant: auditores autem circa pedes eorum circumfundebantur & sedebant. Hinc Deus Ezechieli dicit cap.33.vers.31. Veniunt ad te, & sedent coram te, sicut populus meus, & audiunt. Præbebat itaque hic vir à dæmonio liberatus, se auditorem *σωφρονοῦντα, sana mente preditum*. Nam Platone teste lib.1. de Repub. *σωφρονῶν*, sanæ mentis compos, & *μανείς*, inter se opponūtur. Sicut etiam diuus Paulus, 2.Cor.5.v.13. inter se opponit: siue *ἐξέστημεν*, insanimus, DEO: siue *σωφρονοῦμεν*, sana mente sumus, vobis. Quomodo autem verbum *ἐξίστασθαι*, vsurpatur, supra cap. 59. Ham. indicatum est. Debebat igitur vel hoc vnicum Gadarenos cum vicinis suis permouere ad gratiarum actionem erga Deum, quod non tantum miserabiles istæ duæ personæ, sed & tota ista regio, adeo feliciter à dæmoniorum tyrannide esset liberata: ita vt omnes rursus secure iter facere possent. Maxime quia illi, qui cum Domino Iesu aduenerant, & viderant, quomodo diuina potentia diabolos expulisset, omnia fideliter ipsis retulerunt, tum quomodo dæmoniaci sani facti essent, tum quid de porcis accidisset. Verum ipsi *Gadareni* primum quidem *timuerunt*. Fuit hic timor præposterus & seruilis, qualis solet esse eorum, qui Dei iudiciis solummodò percelluntur, nec de eorum causis inquirere, aut bonitatem & gratiam quæ illa subsequuntur considerare solent. Talis metus seruilis nobis omnibus ex Adamo inhæret: qui & ipse post lapsum præsentiam Dei sentiens, præ metu se abscondit post arbores paradisi, Gen.3.v.8 Oritur hic timor ex agnitione peccati, propria conscientia hominibus dictante, ipsos propter peccatum iræ diuinæ subiectos esse, & dignos, qui ad pœnam trahantur. Illud Gadarenis etiam accidisse manifestum est. Etsi enim etiam occulta causa esse posset, sicut apud Iobum, ob quam Christus diabolis porcos inuadere concesserit: Illa tamen manifesta est, quod porcos aluerunt in contemtum legis diuinæ, quæ Leu.11.v.7.& Deu.14.v.8. diserte esum & vsum carnis suillæ Iudæis prohibuit. Quia verò in vaticinia erant quercus Balan, ex quarum fructibus porcos commode alere potuerunt, licet ipsi hisce non vescerentur, vt tamen ex eorum venditione inter vicinas gentes quæstum facere possent, ipsos contra legem Dei aluerunt. Sic auaritia radix est omnium malorum, 1.Tim.6.v.10. Hunc contemptum legis diuinæ Diaboli non ignorarunt, ac propterea petierunt, vt in porcos migrare sibi concederetur. Horum omnium Gadareni intra conscientiam suam conuicti, non ausi fuerunt Christum vi expellere, propter amissos porcos: sed magni beneficij loco habent, si non plus damni ipsis inferat. Agnoscunt enim in ipso diuinam potentiam. *Orant* ergo *vt ex suis finibus discedat*. Hoc quidam ita interpretantur, vt huius petitionis idem sit sensus, qui illius Petri, procidentis ad genua Iesu, & dicentis: Exi à me, &c. Luc.5.v.8. Quod nimirum intellexerint se indignos esse, apud quos tam potens & sanctus Dominus maneret. Verum quia hic additur confessio indignitatis & humilitatis, qualem addidit Petrus, quia homo peccator sum Domine: Ideò tam benigne hanc ipsorum petitionē minime interpretari possumus. Quin potius hæc causa existimanda est, quod recenti damno commoti, maiora metuerunt, ne nimirum oues, boues & asinos etiam amitterent. Est hæc insignis ingratitudo, eaque tanto turpior, quia *omnis multitudo regionis Gadarenorum hoc petit*, & in tam ampla ciuitate atq; circumiacente agro, ne vnus quidem inuenitur, qui pro retinendo ipso interpellaret. O iniquos rerum æstimatores! Esto, amiserint suos porcos, interim ex dira Diaboli tyrannide liberati sunt duo ipsorum conciues, quorum salus multis myriadibus porcorum præferenda erat. Addo, quod via publica, quæ ab illis infestabatur, rursus tuta facta, & tota regio illa infamiæ nota purgata est. Sed præferunt hi Gadareni typum eorum apud quos nec diuini iudicij signa, nec verbum de DEI potentia & maiestate aperte prædicatum, tantum efficere possunt, vt de Christo recipiendo cogitent. Si lucri, honorum & voluptatum cupiditate accensi, Christum à se exulare, eiusque verbo ipsi carere malunt, quàm vel porcos amittere, vel principum gratia excidere, vel ventris voluptatibus valedicere. Quàm multi horum similes hodie inueniuntur in mundo? De quibus veteres Germani dixerunt: *ehe der Kohl solt mager vverden, ehe vvolten vvir des Euāgelij entraten*. Peiores his sunt, qui vt ebrietati, scortationibus, cædibus, vsuris, & aliis eiusmodi sceleribus vacare possint, Euangelij doctrinam procul à se relegatam cupiunt. Homines certe porcis similes, quorum consortium Satanas quærit & petit. Pessimi omnium hi sunt, qui non, vt Gadareni, precibus cum Christo agunt, sed præcones verbi conuitiis incessunt, ac verbi Euangelium vi atque armis persequuntur. Digni certe omnes, quos Christus deserat & in æternum abiiciat. Sed vtcunque magna sit hominum malitia, maior tamen est Christi bonitas. Nam & hosce Gadarenos non plane abiicit: sed præconem ipsis huius beneficij relinquit, non subulcos, quanquam melioribus non erant digni: sed hunc Dæmoniacum conuersum: imò ipse postea huc redibit, Marc.cap.7.vers.31. vt aliquos sibi ex isto numero lucrifaciat. Vsque adeo semper excubat & vigilat diuina bonitas pro salute hominum. Et tales erant Gadareni.

3. In *dæmoniaco* autem habituri sumus verum exemplum, qualiter recte vti debeamus hoc miraculo. De eo referunt Euangelistæ. 1. Quod *sederit ad pedes Iesu*, atque sic sedulum auditorem concionum ipsius se præbuerit. 2. quod sederit *vestitus*, hoc est, quòd ingenuum pudorem, quem prius furiæ diaboli absterserant, rursus induerit. 3. quod sederit *σωφρονῶν*, non tantum *sana mente preditus* & modeste se gerens, quæ vitatæ huius verbi sunt significationes: sed & recte & sane sentiens de doctrina & miraculis Christi. Nam hunc quoque huius verbi vsum esse ex Xenophonte patet, qui *σωφρονεῖν περὶ τῶν θεῶν*, ponit pro sane sentire de diis. 4. quod relicto patrio solo, & ingratis suis conciuibus, *voluerit cum Christo abire*, & indiuulsus ipsius esse comes. Est hæc vera gratitudo, qua homo se totum resignat in obsequium Christi: verùm ne quis putet esse necesse, vt omnes, qui volunt saluari, relicta domo & re domestica, aggregentur ad cœtum Apostolorum, & Christum hinc inde docentem comitentur, non vult Christus petitioni ipsius locum dare, sed eum domum remittit. Est enim diuersitas vocationum etiam inter credentes. Et Paulus vult vt vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, 1.Cor.7.20. Nam siue quis Princeps sit, siue priuatus, siue vir consularis, siue opifex, quisque potest beneficia Dei in se collata prædicare, atque homines ad Dei agnitionem adducere. Et est, vt iam dictum, specimen insignis bonitatis Christi, quod cum aliàs interdum interminatus sit, ne cui dicerent, hic apud ingratam & grauissimo supplicio dignam Gadarenorum gentem post se relinquit præconem suæ gratiæ. Et sicut ipse iussus est abire: sic huic mandat, vt passim prædicet. Tentat nimirum, vt etiam apud eos, à quibus est repulsus, aliquos possit lucrari. Cumque videret per suam personam, tanquam peregrini, id fieri non posse: relinquit ipsis conterraneum, qui apud ipsos natus, & à dæmonibus liberatus, magna *παρρησίᾳ* testari poterat de eo quod sibi accidisset. Ipse verò huic præcepto Christi obtemperans, per totam ciuitatem & in Decapoli prædicauit, quanta sibi fecisset Christus. Nec fructu caruit hæc ipsius prædicatio. In præsenti enim

dicitur, *omnes mirabantur*. Hæc admiratio primus fuit gradus ad veram fidem in Christum Iesum, quam aliqui in his regionibus postea consecuti sunt. Nam Marc.7.v.32. adducunt ex his finibus mutum & surdum. Et paulo ante, cùm Syrophœnissa veniret ad Iesum intercedens pro filia, quæ domi grauiter à dæmonio diuexabatur, vt ab illo liberaretur: quis quæso huic tantam fidem erga Iesum instillauit? Nisi quod ex hoc præconio dæmoniaci à legione liberati collegit: Si à legione dæmonum quempiam liberare potuit, poterit etiam ab vno dæmone meam filiam liberare. Nam *prædicauit* ipse *&c*, *quanta sibi fecisset Iesus*: in qua prædicatione omnes circumstantiæ fuerunt proponendæ simul & exaggerandæ, vt alij ad fidem in ipsum extimularentur. Ergo sicut hoc bonitatis Christi documentum est euidentissimum: ita dęmoniacus hic præbet omnibus Christianis exemplum, quales ipsi se erga Christum Dominum suum gerere debeant. Etenim licet non talis, Dei beneficio, nostra fuerit conditio, vt corporaliter à Diabolis obsessi fuerimus: æternus tamen Dei filius nos omnes ex tristi & funesto illo spirituali Satanæ seruitio vindicauit. Nostra ergo hæc sunt officia, vt verbum ipsius sedulò atque attente audiamus: ipsum per fidem induamus: mentis atque fidei sanitatem vitę & morum modestia probemus: per obedientiam nos totos ipsi submittamus: atque denique bonitatis ipsius prædicatione quamplurimos alios ipsi adducamus. Hoc qui non faciunt, manifeste produnt, se gratiam Dei non iuste æstimare. Illud vero etiam non oscitanter prætermittendum videtur: Quod cum Christus dæmoniaco iniungeret, vt annunciaret *quanta sibi fecerit Dominus Deus*, ipse prædicarit, *quanta sibi fecerit Iesus*. Neque in eo transgressus est fines mandati Christi. Etsi enim multi sunt, qui dicuntur Dij, tam in cœlo quàm in terra: Nobis tamen Christianis vnus est Deus Pater ex quo omnia & nos in illo: & vnus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum, 1. Cor.8. v.5. Hic Christus Iesus est super omnia Deus benedictus in secula, Rom. 8.v.5.

Cæterum, quia Dominus Iesus rogatus fuit, vt discederet à Gadarenis ipse, qui alibi docuit, margaritas non esse ante porcos proiiciendas, Matth.7.v.6. & qui mox discipulis dicet: Cum persecuti vos fuerint ex ciuitate vna, fugite in aliam, Matth.10.v.23. non vult ipsis inuitis & reluctantibus ibi hærere. Et reuera in hoc mundo non opus erat, vt aliqui adeò anxie, & tanta cum cura & solicitudine quærerent, quomodo à Christo & Euangelio ipsius liberari possint. Sponte sua ipse discedit ab ingratis. Sicuti hoc non tantum toti Iudæorum genti, cui illud minatus est, Matth.21. versicul.43. sed & multis Orientalibus regionibus accidit. Quæ quia Christum in verbo Euangelij ad salutem audire noluerunt, Turcam vastatorem admittere coactæ sunt. Quemadmodum verò Christus cessit Gadarenis relegantibus: ita verbi ministri non bene suæ famæ & vitæ consulunt, qui contra edicta & voluntatem magistratus alicubi hærere volunt. Hæc contumacia & inobedientia Euangelio maculam aspergit, & multos in præsentissimum exitium præcipitat.

Non omittendum hoc loco videtur, quod Strabo lib. 19. Geogr. scribit, esse in Gadaride regione stagnum aquæ pessimæ, qua degustata, pecora pilos, vngulas & cornua amittant. Hoc quidam interpretantur, quasi Christus à Gadarenis discedens μνημόσυνον aliquod & monumentum reliquerit suæ præsentiæ, quo memoriali simul etiam ipsorum ingratitudinem notarit. Illud an cum temporis ratione conueniat, eruditis considerandum relinquo. Etenim *Strabo vixit* tempore Augusti Cæsaris, cui etiam familiaris fuisse dicitur. Hæc vero acciderunt circa decimum septimum annum Tyberij. Cum ergo iam ante locus ille ob aquas pestilentes infamis fuerit, vix poterit huius memoriale esse: nisi Dæmones hi iam ante habitarint in abysso illius maris, & permissione Dei ad tempus inde egressi duos istos viros occuparint, per quos vias illas infestarint, atque sic tam terra, quam mari hominibus molesti esse voluerint. Ideo postea accedente Christo deprecantur, ne in abyssum remigrare cogantur. Quod cum impetrare non possent, vel saltem porcos secum eo abducere cupiunt, vt tanto magis hominibus noceant. Atque sic nihilominus fama huius miraculi hac occasione apud posteros conseruabatur. An vero hic lacus noxius aquis infamis, diuersus sit à lacu Genesaret, an verò huius portio aliqua, non facile est determinare. Putant aliqui non esse verisimile, Christum voluisse cum totius religionis incommodo, diabolis hospitium concedere in eo lacu, qui ex salubribus Iordanis aquis collectus esset. At verò Euangelistæ aquas, in quas porci à dæmonibus sunt præcipitati, bis vocant θάλασσαν, *mare*, quo nomine etiam lacus Genezaretanus pręcedenti capite insignitus fuit. Non itaque dubium vnum & eundem esse: maxime cum ex Geographis non constet plures lacus ibi fuisse. Et licet Hebræi quamuis aquarum collectionem ים mare nominent: in Nouo tamen Testamento non est vsitatum θάλασσα, maris nomen attribuere minoribus illis aquarum collectionibus. Nec miraculi magnitudo imminuitur, sed potius accrescit, si in medio aquarum salubrium quasi vna aliqua noxiarum aquarum scaturiat: sicut interdum thermę erumpunt ex medio aquarum frigidarum. Sed de his docti inter se conferre possunt.

CAPVT LXVI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DE REDITV CHRISTI, ET TRANSFRETATIONE, de conuiuio Matthæi, & disceptatione à Scribis ac Iohannitis ibidem mota.

MATTH. 9. MARC. 2. LVC. 5.

RATIO ORDINIS.

MAtthæus Christum ex transfretatione redeuntem deducit quidem Capernaum: sed subiungit de sanato paralytico. At vero hanc sanationem demum post illam transfretationem accidisse, reliquorum narrationes nequaquam concedunt. Marcus enim diserte dicit, consentiente etiam Luca, Iesum, post peragrationem Galilęę, ex secessu deserti redeuntem Capernaumum, sanasse paralyticum multo antequam trans mare nauigarat, quam tempestas oriretur, quam dæmoniaci liberarentur, quam denique Dominus ex transfretatione rediret. Vnde sanatio huius paralytici superius posita est, in 43. cap. Harmonię. Post sanationem autem istam Matthęus mox subiungit historiam de sua vocatione & conuiuio, vt & Marcus atque Lucas vocationem Matthęi ipsiusque conuiuium coniungunt: vt primo intuitu videantur vtraque eodem tempore facta: sed diligens circumstantiarum consideratio ostendit, esse diuersas historias vocationis & conuiuij, nec accidisse vno eodemque tempore, nec vtrumque simul ab aliquo vno Euangelista suo loco describi: sed vocationem factam esse illo tempore & historiarum ordine, sicut Marcus & Lucas rem describunt, conuiuium verò, sicut descriptio Matthęi illud ponit. Itaque Marcum & Lucam cum vocationem Matthęi suo loco, tempore & ordine describerent, ea occasione simul per anticipationem, atque ita extra suum verum locum, adiunxisse narrationem de ipsius conuiuio: Matthęum verò, cum suum conuiuium suo loco & tempore describeret, per Rememorationem addidisse de sua vocatione, quam multo ante factam suo loco recitare prętermiserat.

Quod autem hoc loco in Harmonia ponenda sit historia de conuiuio Matthæi, & quod hic ad ordinem accommodandæ sint reliquorum descriptiones de illo conuiuio, certissimum est ex eo, quod omnes Euangelistæ consentiunt, post sanatos dæmoniacos, & post reditum ex transfretatione, accidisse historiam Iairi. Matthæus autem eam suo conuiuio, & ex illo subsecutæ disputationi Domini cum Pharisæis & discipulis Iohannis, tam certa notatione temporis & ordinis subiungit, vt de τῆς ἀκολουθίας nihil omnino dubitari possit. Ait enim: *Hæc ipso loquente*, quæ scilicet disputauerat cum Pharisæis, *ecce venit primus*. Quia itaque in principio noni capitis, iuxta Augustini & reliquorum veterum sententiam,

riam loquitur de eo reditu in Capernaum, quando ex transfretatione rediit, non ad sanationem paralytici, sed ad conuiuium Matthæi, & mox inde ad Iairum, verba ista Matthæi ex initio capitis illius continue coniungenda sunt cum historia de conuiuio Matthæi, cum illæ historiæ, vt cap. 43. Harmoniæ ostensum est, antea acciderint. Et hinc apparet, inter expulsionem dæmonum in porcos, & resuscitationem filiæ Iairi, inserendam esse historiam de conuiuio Matthæi, & iis, quæ ibi acciderunt.

Nam quod duas disceptationes attinet, quarum primam mouerunt Scribæ & Pharisæi discipulis Christi, de eo quod ipse conuiuaretur cum publicanis: posteriorem verò Scribę & Iohannitæ mouent ipsi Christo, de ieiunio discipulorum, nō quidem existimandum est, quod Scribæ accesserint mensam in domo Matthæi, atque ibidem disputationem instituerint. Neque enim illi publicanorum ædes intrabant, ne contaminarentur. Sed post conuiuium, antequam Dominus intra vrbem rediret. Primò discipulos adorti sunt, qui postea quæstionem illam retulerunt ad Magistrum: vnde Scribæ quęstiones quæstionibus accumulantes, alteram etiam de ieiunio adiecerunt. Quia tamen hæc omnia occasione conuiuij à Matthęo instructi acciderunt, nos vno capite omnia comprehendemus. Nam & ipse Matthæus suam historiam ita connectit, vt in principio huius capitis introducat *Iesum ἀνακείμενον accumbentem in domo sua*. Iairi verò historiam ita subiungit, quod dicit: *καὶ ἐγερθεὶς & surgens Iesus*: quasi tum temporis primùm vere surrexerit, postquam e Iairo rogatus vrbem ingressus est.

Non igitur in præsentia Harmoniam ita connectemus, vt initio præmittamus ex tribus Euangelistis versus, qui de reditu Iesu ex regione Gadarena agunt, ac postea historiam conuiuij & disceptationum subiungamus.

HISTORIA REDITVS CAPERNAVMVM: conuiuium in ædibus Matthæi, & disceptationes ibidem motæ.

MATTH. 9.

1. Καὶ ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον, διεπέρασε, καὶ ἦλθεν εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν.	1. *Et ingressus nauem traiecit, ac venit in suam ciuitatem.*
10. Καὶ ἐγένετο αὐτοῦ ἀνακειμένου ἐν τῇ οἰκίᾳ.	10. *Et factum est vt ipse accumberet in ipsius Matthæi ædibus.*
11. Καὶ ἰδοὺ πολλοὶ τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοὶ ἐλθόντες, συνανέκειντο τῷ Ἰησοῦ καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ.	11. *Et ecce multi publicani & peccatores qui venerant, simul accubuerunt cum Iesu & discipulis illius.*
12. Καὶ ἰδόντες οἱ φαρισαῖοι, εἶπον τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, διατί μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίει ὁ διδάσκαλος ὑμῶν;	12. *Cumque id vidissent Pharisæi, dixerunt discipulis eius, Cur cum publicanis & peccatoribus sumit cibum præceptor vester?*
13. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀκούσας, εἶπεν αὐτοῖς, οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες.	13. *At Iesus vbi audiuit, dixit illis: Non opus habent hi qui validi sunt, medico: sed qui male habent.*
14. Πορευθέντες δὲ μάθετε, τί ἐστιν, ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν. οὐ γὰρ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλ' ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν.	14. *Quin potius ite, & discite, quid sit illud, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni ad vocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.*
15. Τότε προσέρχονται αὐτῷ οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου, λέγοντες: διατί ἡμεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι νηστεύομεν πολλά, οἱ δὲ μαθηταί σου οὐ νηστεύουσι;	15. *Tunc adeunt eum discipuli Iohannis, dicentes: Quam ob causam nos & Pharisæi ieiunamus plerunque, discipuli verò tui non ieiunant?*
16. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν, ἐφ' ὅσον μετ' αὐτῶν ἐστιν ὁ νυμφίος; ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, καὶ τότε νηστεύσουσιν.	16. *Et dixit illis Iesus, Num possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus: venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.*
17. Οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ. αἴρει γὰρ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἱματίου, καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται.	17. *Nullus autem immittit assumendum panni rudis in veste veteri. Aufert enim supplementum illius à vestimento, & peior ruptura fit.*
18. Οὐδὲ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς· εἰ δὲ μήγε ῥήγνυνται οἱ ἀσκοί, καὶ ὁ οἶνος ἐκχεῖται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται. ἀλλὰ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινούς, καὶ ἀμφότερα συντηροῦνται.	18. *Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioqui rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed mittunt vinum nouum in vtres nouos, & vtraque simul seruantur.*

MARC. 5.

21. Καὶ διαπεράσαντος τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ πλοίῳ πάλιν εἰς τὸ πέραν, συνήχθη ὄχλος πολὺς ἐπ' αὐτόν, καὶ ἦν παρὰ τὴν θάλασσαν.	21. *Et cum traiecisset Iesus naui rursus in vlteriorem ripam, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare.*

CAP. 2.

15. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ κατακεῖσθαι αὐτὸν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ, (τοῦ Ματθαίου) καὶ πολλοὶ τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοὶ συνανέκειντο τῷ Ἰησοῦ καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· ἦσαν γὰρ πολλοὶ καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ.	15. *Et factum est, cum accumberet in domo illius (Matthæi) multi etiam publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Erant enim multi, & secuti fuerant eum.*
16. Καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι ἰδόντες αὐτὸν ἐσθίοντα μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν, ἔλεγον τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, τί ὅτι μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίει καὶ πίνει;	16. *Et Scribæ ac Pharisæi, cum vidissent eum capientem cibum cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis eius, quid est, quod cum publicanis & peccatoribus edit, ac bibit?*
17. Καὶ ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς, οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες. οὐκ ἦλθον καλέσαι	17. *Hoc audito, Iesus ait illis: non opus habent, qui bene valent, medico, sed qui male habent. Non veni*

δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. | ad vocandũ iustos, sed peccatores ad pœnitentiã.

18. Καὶ ἦσαν οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου καὶ οἱ τῶν Φαρισαίων νηστεύοντες, καὶ ἔρχονται, καὶ λέγουσιν αὐτῷ, διατί οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου καὶ οἱ τῶν Φαρισαίων νηστεύουσιν, οἱ δὲ σοὶ μαθηταὶ οὐ νηστεύουσι; | 18. *Et discipuli Iohannis ac Pharisæorum ieiunabant, veniuntque, & dicunt illi: Quare discipuli Iohannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant?*

19. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ᾽ αὐτῶν ἐστι, νηστεύειν; ὅσον χρόνον μετ᾽ ἑαυτῶν ἔχουσι τὸν νυμφίον, οὐ δύνανται νηστεύειν. | 19. *Et ait illis Iesus, Num possunt filij thalami nuptialis, in quo cum illis sponsus est, ieiunare? Quandiu habent secum sponsum, non possunt ieiunare.*

20. Ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ᾽ αὐτῶν ὁ νυμφίος, καὶ τότε νηστεύσουσιν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. | 20. *Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus.*

21. Καὶ οὐδεὶς ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπιρράπτει ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ· εἰ δὲ μή, αἴρει τὸ πλήρωμα αὐτοῦ τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ, καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται. | 21. *Et nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri, alioquin aufert supplementum eius nouum à veteri, & peior scissura fit.*

22. Καὶ οὐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς, εἰ δὲ μή, ῥήσσει ὁ οἶνος νέος τοὺς ἀσκούς, καὶ ὁ οἶνος ἐκχεῖται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται. ἀλλὰ οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινοὺς βλητέον. | 22. *Et nemo mittit vinum mustum in vtres veteres, alioquin disrumpit vinũ mustum vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum mustum in vtres nouos mitti debet.*

LVC. 8.

40. Καὶ ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ὑποστρέψαι τὸν Ἰησοῦν, ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ὄχλος. ἦσαν γὰρ πάντες προσδοκῶντες αὐτόν. | 40. *Factum est autem, cum rediret Iesus, excepit illum turba. Nam omnes expectabant eum.*

CAP. 5.

29. Καὶ ἐποίησε δοχὴν μεγάλην ὁ Λευῒς αὐτῷ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. καὶ ἦν ὄχλος τελωνῶν πολύς, καὶ ἄλλων οἳ ἦσαν μετ᾽ αὐτῶν κατακείμενοι. | 29. *Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua. Et erat turba multa publicanorum & aliorum, qui cum illo accumbebant.*

30. Καὶ ἐγόγγυζον οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγοντες, διατί μετὰ τελωνῶν ἐσθίετε καὶ πίνετε; | 30. *Et murmurabant Scribæ & Pharisæi aduersus discipulos eius, dicentes: Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis?*

31. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπε πρὸς αὐτούς, οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ὑγιαίνοντες ἰατροῦ, ἀλλ᾽ οἱ κακῶς ἔχοντες. | 31. *Et respondens Iesus, dixit ad illos: Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent.*

32. Οὐκ ἐλήλυθα καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. | 32. *Non veni ad vocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.*

33. Οἱ δὲ εἶπον πρὸς αὐτόν· διατί οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου νηστεύουσι πυκνά, καὶ δεήσεις ποιοῦνται, ὁμοίως καὶ οἱ τῶν Φαρισαίων, οἱ δὲ σοὶ ἐσθίουσι καὶ πίνουσιν; | 33. *At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Iohannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciũt, similiter & Pharisæorum: tui verò edunt & bibunt?*

34. Ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτούς, μὴ δύνασθε τοὺς υἱοὺς τοῦ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ᾽ αὐτῶν ἐστι, ποιῆσαι νηστεύειν; | 34. *Quib. ipse ait, Num potestis facere vt filij thalami, dum cum illis est sponsus, ieiunent?*

35. Ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι, καὶ ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ᾽ αὐτῶν ὁ νυμφίος, τότε νηστεύσουσιν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. | 35. *Venient autem dies & cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.*

36. Ἔλεγε δὲ καὶ παραβολὴν πρὸς αὐτούς, ὅτι οὐδεὶς ἐπίβλημα ἱματίου καινοῦ ἐπιβάλλει ἐπὶ ἱμάτιον παλαιόν· εἰ δὲ μή γε, καὶ τὸ καινὸν σχίζει, καὶ τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνεῖ τὸ ἐπίβλημα τὸ ἀπὸ τοῦ καινοῦ. | 36. *Dicebat autem & similitudinem ad illos, Nemo immissuram noui vestimenti immittit in vestimentum vetus, alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit immissura ex nouo.*

37. Καὶ οὐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς, εἰ δὲ μή γε, ῥήξει ὁ νέος οἶνος τοὺς ἀσκούς, καὶ αὐτὸς ἐκχυθήσεται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται. | 37. *Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, alioqui rumpet vinum nouum vtres, & ipsum effundetur, & vtres peribunt.*

38. Ἀλλὰ οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινοὺς βλητέον, καὶ ἀμφότεροι συντηροῦνται. | 38. *Sed vinum mustum in vtres nouos mittendum est, & vtraque conseruantur.*

39. Καὶ οὐδεὶς πιὼν παλαιόν, εὐθέως θέλει νέον. λέγει γάρ, ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστιν. | 39. *Et nemo qui biberit vetus, statim vult nouum, dicit enim, vetus melius est.*

HARMONIA HVIVS CONVIVII ET DISCEPTATIONUM, EX TRIUM EUANGELISTARUM DESCRIPTIONIBUS IN VNUM CORPUS COAGMENTATA.

a Καὶ ἐμβὰς [ὁ Ἰησοῦς] εἰς τὸ πλοῖον, διεπέρασε, καὶ ἦλθεν εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. c Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ὑποστρέψαι τὸν Ἰησοῦν, ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ὄχλος. ἦσαν γὰρ πάντες προσδοκῶντες αὐτόν. b καὶ διαπεράσαντος τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ πλοίῳ πάλιν εἰς τὸ πέραν, συνήχθη ὄχλος πολὺς ἐπ᾽ αὐτόν, καὶ ἦν παρὰ τὴν θάλασσαν. c καὶ ἐποίησε δοχὴν μεγάλην ὁ Λευῒς αὐτῷ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. c καὶ ἐγένετο αὐτὸν ἀνακειμένου ἐν τῇ οἰκίᾳ b αὐτοῦ, a καὶ ἰδοὺ b πολλοὶ τελῶναι καὶ

a *Et ingressus Iesus nauem, traiecit, ac venit in suam ciuitatem.* c *Factum est autem, cum rediret Iesus, excepit illum turba. Nam omnes expectabant eum,* b *Et cum traiecisset Iesus naui rursus in vlteriorem ripam, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare.* c *Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua.* c *Et factum est cum accumberet in domo* b *illius,* a *& ecce* b *multi publicani & peccatores* *simul*

ἁμαρτωλοὶ a ἐλθόντες, l συνανέκειντο τῷ Ἰησοῦ καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. b ἦσαν γὰρ πολλοὶ, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ. l καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι ἰδόντες αὐτὸν b ἐσθίοντα μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν, c ἔλεγον τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, τί ὅτι μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίει καὶ πίνει a ὁ διδάσκαλος ὑμῶν; c καὶ ἐγόγγυζον οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγοντες, διατί μετὰ τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίετε καὶ πίνετε; l ὁ δὲ Ἰησοῦς e ἀκούσας c καὶ ἀποκριθεὶς, l εἶπεν αὐτοῖς, οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες (ἢ) c ὑγιαίνοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες. a πορευθέντες δὲ μάθετε, τί ἐστιν, ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν. l οὐ γὰρ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλ' ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν.

b καὶ ἦσαν οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου καὶ οἱ τῶν φαρισαίων νηστεύοντες, καὶ a τότε προσέρχονται αὐτῷ οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου, l λέγοντες, διατί ἡμεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι νηστεύομεν a πολλὰ (καὶ) c πύκνα, καὶ δεήσεις ποιούμεθα, l οἱ δὲ μαθηταί σου c οὐ νηστεύουσι, (ἀλλὰ) c ἐσθίουσι καὶ πίνουσιν; l καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος a πενθεῖν (καὶ) h νηστεύειν l ἐφ' ὅσον μετ' αὐτῶν ἐστιν ὁ νυμφίος; c μὴ δύνασθε τοὺς υἱοὺς τοῦ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ' αὐτῶν ἐστι, ποιῆσαι νηστεύειν. ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι c ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, l τότε νηστεύσουσιν h ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. c ἔλεγε δὲ καὶ παραβολὴν πρὸς αὐτοὺς, ὅτι οὐδεὶς ἐπίβλημα ἱματίου καινοῦ ἐπιβάλλει ἐπὶ ἱμάτιον παλαιὸν, εἰ δὲ μήγε, καὶ τὸ καινὸν σχίζει καὶ τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνεῖ τὸ ἐπίβλημα τὸ ἀπὸ τοῦ καινοῦ. e καὶ οὐδεὶς ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου b ἐπιρράπτει ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ, εἰ δὲ μὴ, αἴρει τὸ πλήρωμα αὐτοῦ τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ, καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται, l καὶ οὐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιοὺς, εἰ δὲ μὴ, ῥήσσει ὁ οἶνος ὁ νέος τοὺς ἀσκοὺς, καὶ ὁ οἶνος ἐκχεῖται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται, ἀλλὰ οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινοὺς βλητέον, f καὶ ἀμφότερα συντηροῦνται. c καὶ οὐδεὶς πιὼν παλαιὸν, εὐθέως θέλει νέον. λέγει γὰρ, ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστιν.

a qui venerant, l simul accubuerũt cum Iesu & discipulis illius. b Erant enim multi, & secuti fuerant illum. l Et Scribæ ac Pharisæi cum vidissent eum, b capientem cibum cum publicanis & peccatoribus, c dicebant discipulis eius: Quid est, quod cum publicanis ac peccatoribus edit b & bibit a preceptor vester? c Et murmurabant Scribæ & Pharisæi aduersus discipulos eius, dicentes, Quare cum publicanis & peccatoribus editis ac bibitis? l At Iesus e vbi audiuit c respondit, l & dixit illis, non opus habent hi qui validi (siue) c sani sunt, medico, sed qui male habent. a Quin potius ite & discite quid sit illud: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni ad vocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

b Et discipuli Ioannis ac Pharisæorum ieiunabant, & a tunc adeunt eum discipuli Iohannis, l dicentes, quam ob causam nos & Pharisæi ieiunamus a plerunque (&) frequenter, & deprecationes facimus: discipuli verò tui c non ieiunant, (sed) c edunt & bibunt? l Et dixit illis Iesus, Num possunt filij sponsi a lugere (&) h ieiunare quandiu cum illis est sponsus, c Non potestis facere vt filij thalami, dum cum illis est sponsus, ieiunent. e Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, c & cum ablatus fuerit ab illis sponsus, l tunc ieiunabunt h in illis diebus. c Dicebat autem & similitudinem ad illos. Nemo immissuram noui vestimenti immittit in vestimentum vetus, alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit immissura ex nouo. e Et nemo assumentum panni rudis b assuit vestimento veteri, alioquin aufert supplementum eius nouum à veteri, & peior scissura fit. l Et nemo mittit vinum mustum in vtres veteres, alioquin disrumpit vinum mustum vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt: sed vinum mustum in vtres nouos mitti debet, f & vtraque conseruantur. c Et nemo qui biberit vetus, statim vult nouum. Dicit enim, vetus melius est.

Periocha huius concionis:

EVangelistæ ante omnia locum notant, in quo sequens historia acciderit. Nam Matthæus testatur, quod Iesus cum repulsus esset à Gergesenis, ingressus, in nauigium traiecerit, & redierit *in suam ciuitatem*. Hieronymus intelligit Nazarethum, quæ dici possit ciuitas Christi, eò quod in ea sit educatus. Sicut Luc. 1. versic. 3. ἰδία πόλις, sua cuiusque ciuitas dicitur, ex qua qui est oriundus. Verum Augustinus, quia ex Marco colligit, hanc ciuitatem non fuisse Nazarethum, sed Capernaumum, mirifice se torquet, vt ostendat, quomodo Capernaum *Christi ciuitas* dici queat. Et statuit totam Galilæam dici posse ciuitatem Christi: sicuti vniuersalis Ecclesia dicatur ciuitas DEI, & vniuersum imperiũ, in tot ciuitatibus constitutũ dicatur ciuitas Romana. Et quid certum est, hoc in loco non Nazarethum intelligi, sed Capernaumum: eo quod omnes tres Euangelistæ in eo consentiant, Christum à Gadarenis in eodem loco rursus appulisse, à quo exierat. Nam *omnis populus ibi eum expectabat, & cum gaudio excipiebat.* Discesserat autem ex Capernaum, & transiit per mare ad Gadarenos. Ergo ab his rursus ad illam ciuitatem, metropolim Galilææ, rediit. Adhæc Marcus diserte dicit, fuisse ipsum *circa mare*. Nazaretha autem non circa mare sita erat, sed in mediterraneis. Errant itaque hoc in loco, Hieronymus, Benedictus Arias Montanus & alij, qui hoc sequuntur: & tamé non est opus, vt ita nos torqueamus, sicut facit Augustinus. Rectius enim Chrysostomus hunc nodum soluit, dum dicit: Capernaum propria ipsius ciuitas appellatur. Nam Bethlehem eum tulit, Nazareth eum educauit, Capernaum verò perpetuum ipsius habitaculum erat. Quia ergo mox postquam ministerium suum exorsus fuerat, habitationem suam eò transtulit, Iohan. 2. versi. 12. & Luc. 4. vers. 31. quia ibi domum habuit conductitiam, pro qua numerauit censum Matt. 17. v. 24 quia frequentiores ibi habuit conciones, & maxime stupenda ibidem edidit miracula, adeò vt Capernaumum in cœlum vsque exaltata dicatur, Matt. 11. v. 23. Ideo vere & recte ἰδία πόλις, *propria ciuitas* dicitur. Sicut etiam Iob. 2. v. 11. ἰδία χώρα, propria regio dicitur, in qua quisque amicorum Iob habitarat. Docet hoc, quomodo singulæ ciuitates, oppida & pagi efficere possint, vt sint Christi & proprie ad ipsum spectent. Nimirum si Euangelio hospitium præbeant, si Christum cum ministerio verbi & Sacramentorum admittant. Sicuti enim in veteri testamẽto Hierosolyma dicta est ciuitas Dei, ciuitas Domini virtutũ, Psalm. 48 v. 9. ciuitas magni regis, Matth. 5 v. 35. eo quod Deus ibi habuerit suum focum & ignem, Iesa. 31. v. vlt. hoc est, peragebatur ibi cultus diuinus, qui tum potissimum in offerendis sacrificiis constabat. Ita hodie in Nouo Testamẽto, Christi ἴδια & propria ciuitas est atque dicitur, quæ publico verbi & Sacramentorum ministerio gaudet. Non autem putemus esse vilem honorem, sic inter τὰ ἴδια Domini Iesu Christi referri. Vt enim τὰ ἴδια, propria opponũtur τοῖς κοινοῖς, communibus, ita vt hæc illis longe posthabeantur: sic etiam Christus maiorem curam habet eorum, quæ sunt ἴδια, propria & quasi peculiaria, ipsisque plus professionis ac defensionis præstat, quam quæ sunt δημόσια, popularia & aliis communia. Tantum dent operam eiusmodi loca, vt præsentiam Christi gratam habeant, ne idem ipsis obiici possit, quod Euangelista Ioh. 1. v. 11. conqueritur: In propria venit, sed sui eum non receperunt. Talem certe contemptum Christus non inultum dimittit, sed grauiter punit: vt in Capernaumo factum, quæ initio ad cœlos exaltata, postea vsque in infernum deiecta est, Matt. 11. v. 23. quia Christi conciones & miracula vilipendit.

Addũt Euãgelistę quomodo in hac ciuitate fuerit exceptus. Dubium non est, quin Capernaumi plures fuerint mali: maxime quia ibi multi Pharisæi & Legisperiti, non tantum ex vniuersa Galilæa conuenerant, sed & ex Hierosolymis descenderãt, vt obseruarẽt Iesum, sicubi ipsi periculũ aliquod creare possent. Christus tamẽ hãc maioris partis improbitatẽ & ingratitudinẽ, non patitur se permouere, quo minus vrbẽ illã pro sua agnoscat, & nauicula sua ad eã rursus appellat: paucorũ nimirum bonorũ salutẽ longè præferẽs multitudinis prauitati. Appulsus igitur, à populo, qui auide eũ expectarat, magno cum applausu exceptus est. Sic Christus omni loco & tempore inuenit qui eum recipiunt, licet maior pars hominum propria

malitia pereat. Hoc Christum permouet, vt in officio suo sit sedulus, nec vllam occasionem aliquos colligendi negligat, licet summam hominum ingratitudinem experiatur. Pharisæi non ita pridem vnà cum Scribis incurabili sua malitia & blasphemiis, quibus Christum per Beelzebub dæmonia eiicere calumniati erant, ipsum à se expulerunt, & vt Capernaumo discederet, permouerunt. Mox Gergeseni eundem ob porcos suos à se discedere iusserunt. Paulo post Scribæ & Iohannitæ nouis disceptationibus eum exagitabunt. Cuiusnam pectus, huiusmodi arietibus concussus, non permoueretur, vt cum Mose Num.11.11. se hoc onere leuari, aut cum Helia 3.Reg.19.4. animam suam nō tolli exoptaret? Sed quemadmodum Sol ortum suum non differt, etiamsi cæcorũ & lippientium sit magnus numerus, quibus omnibus ipse frustra oritur: ita hic iustitiæ Sol, etiamsi à multis reiiciatur, non tamen desinit cunctis gratiæ suæ radios offerre, vt si non omnium, aliquorum tamen mentes ad salutem illuminentur. Atque sic præbet nobis exemplum, vt ipsius facilitatē imitemur, neque à benefaciendo absterreamur, licet beneficia à multis contemni, ab aliquibus autem malam etiam gratiam nobis ob ea referri videamus. Hinc Paulus vult, ne benefaciendo segnescamus, Gal.6.9. Populi quoque studium nos excitet, vt quando videmus Iesum discedere à Gergesenis, qui porcos, hoc est, impuras voluptates & res mundanas cœlesti ipsius regno præferunt, nos ipsum verbo suo ad nos venientem, tanto maiori cum gaudio & vera fide excipiamus. Sic fiet vt salute certa & stabili in ipso fruamur.

Peculiare autem est quod de Matthæo hic refertur. Vocarat eum Iesus antea ad Apostolatum, sicuti supra cap.44. Harmoniæ id demonstratum est. Nunc vero posteaquam Christus rediit Capernaumum, ipse eum recipit in suas ædes, & suis sumptibus instituit conuiuium, quo Christum, discipulos eius, & magnam turbam tum publicanorum tum peccatorum excipit. Ideo Lucas vocat *δοχὴν μεγάλην, conuiuium magnū.* Δοχὴ autem habet nomen à capacitate: quia excipiendis conuiuis conuenit. Ergo fuit magnum, non tantum quia magnificentius & lautius eos tractauit, quàm pro more quotidiano epulari solebant, sed etiam propter numerum conuiuarum, qui erat satis amplus. Colligi autem potest ex hac historia, Matthæum ante vocationem fuisse vnum ex illis, qui Matthæi 17.vers.24. Capernaumi didrachma colligunt & exigunt. Habuit enim ibi domum, atque eam, vt hic apparet, prope mare, vt tanto commodius portorium, ab vltro citroque nauigantibus exigere posset. Christum enim circa mare versatum esse, antequam à Iairo intra vrbem vocaretur, Marcus diserte testatur. Vocatus itaque sic omnia reliquit, vt tamen bona sua non abiecerit, nec se eorum possessione abdicarit. Habet enim adhuc post vocationem propriam suam domum, & certos reditus, vt conuiuij satis magni sumptus sustinere potuerit. Eodem modo etiam reliqui Apostoli omnia reliquisse dicuntur, dum animum auerterunt ab omnibus negotiis, facultatibus, domibus, possessionibus, quæ ipsis in vocatione impedimento esse poterant. Interim proprietatem eorum retinuerunt, vt quando per vocationem liceret iis vti possent. Sicuti Petrus & reliqui Apostoli, Ioh.21.versic.3. vsi sunt sua piscatione. Ergo relinquere omnia, iuxta exemplum Apostolorum, non est abdicatio proprietatis, quasi prorsus nihil proprij habuissent, sed est fuga eorum, quæ quempiam in cursu vocationis suæ impedire possent. Tandem tamen cum post ascensionem Domini vocatio flagitaret, vt in omnem terram exirent ad prædicandum Euangelium Christi, ibi tum omnia in commune contulerunt, vt & ipsi expeditiores essent ad exequendum munus Apostolicum, & alij ex ipsorum bonis subleuarentur. Exemplum itaque Apostolorum prorsus nihil iuuat Anabaptistas, qui illud, quod in Apostolis fuit peculiare, eo trahunt, quasi ab omnibus fidelibus esset obseruandum. Neque otiosi Monachi hic habent suæ hypocriseos fundamentum, qui absque vocatione & absque omni necessitate verbotenus omnia relinquunt, & in claustra sua se abdunt, vbi specie voluntariæ paupertatis, otium & carnis voluptates quærunt, de alieno victitantes, atque interim vana ista persuasione sibiipsis imponentes, quasi ob hanc bonorum temporalium abiectionem, apud Deum longe meliori gradu essent quàm alij.

Sed principaliores personas huius conuiuij diligentius consideremus. I. Prima est *Matthæus hospes*, qui hac inuitatione sua eximium de se præbet exemplum, tum gratitudinis erga Christum, tum dilectionis erga proximum. Ipse à Christo ante hæc tempora inuitatus fuerat ad cœlestem cœnam, & particeps factus summorum beneficiorum, remissionis peccatorum, iustificationis & futuræ salutis, cuius gustum iam intra animum suum percipiebat, eo quod prioris vitæ, qua mundo huic totus addictus fuerat, pertæsus, omni studio ad cœlestia aspiraret. Cumque aliud non haberet, quo animum gratum erga suum hunc benefactorem declararet, honorario conuiuio ipsum eiusque discipulos excipere, & cum Christus multis aliis magnatibus inuisus esset, ipsius causa sumptus facere voluit. Idem postea fecerunt Martha, Luc.10.vers.38. Zachæus, Luc.19.versi.6. Lazarus, Iohann.12.versic.2. & erga Apostolos Carcerarius Philippensis, Act.16.versic.34. Grati itaque animi iudicium fuit publicum, hæc solennis inuitatio Christi, cuius cognitione ad salutem illuminatus erat. Charitatis vero erga proximum non simulatæ argumentum est, quod publicanos & alios minus honestę vitæ homines simul inuitat: vt quemadmodum hactenus auaritiæ, turpis lucri & aliorum peccatorum socij fuerant, ita etiam nunc salutis socij fiant. Et hæc est veræ atque viuificæ fidei natura, vt per charitatem operetur, Gal.5.vers.6. ita quidem, vt corda hominum primum rapiat in amorem Dei, deinde vero efficiat, vt propter Deum omnes homines etiam diligat, atque hos quantum fieri potest etiam ad Dei cognitionem & salutis participationem adducat. Alias nobis ex corrupta natura [illegible] vitium adhæret, vt nobis solis bene esse cupiamus & inuidia laboremus, si partem aliquam felicitatis etiam ad alios deriuari videamus. Sed charitas Christiana non æmulatur, non quærit quæ sua sunt, non inuidet, non cogitat malum, sed cōgaudet veritati, 1.Cor.13.v.4. Atque sic docet Matthæus suo exemplo quid deceat nos omnes, quos Christus per gratiam Euangelij ad se vocauit, atque in cœlesti suo regno salutis participes fecit. 1. Grata mente agnoscamus summum illud Dei beneficium, quod nos à potestate tenebrarum ereptos, transtulit in regnum suum, & nos dignos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, Col.1. versic.12. quæ præstantius & excellentius beneficium ne cogitari quidem potest. 2. Hospitium ipsi præbeamus in corde nostro, quod fit, sicut ipsemet testatur, Iohann.13.versic.23. quando verbum ipsius diligenter audimus, & per fidei obedientiam nos totos ipsi subijcimus. Tum enim per fidem habitat in cordibus nostris, Eph.3.vers.17. 3. Beneficentiæ & charitatis operibus proximum iuuemus, Heb.13.vers.16. Sibi enim factum esse in nouissimo die testabitur, quicquid vni ex minimis fratribus ipsius fecerimus, Matth.25. versic.45. 4. Denique operam demus, vt quantum in nobis est, etiam alios ad Christi cognitionem adducamus, sicque quamplurimos ipsi lucremur. *Hoc ipso* gloria Christi in terris propagatur, & *gaudium excitatur in* cœlis, Luc.15.vers.10. Huc respicit Iacobus *Apostolus, Epistolam* suam hoc dicto concludens: Frater, *si quis inter vos aberrauit* à veritate, & conuerterit eum quispiam, sciat eum qui auerterit peccatorem ab errore viæ suæ, seruaturum animam à morte, & obtecturum multitudinem peccatorum. Caueamus autem, si Matthæum hac in parte imitati fuerimus, ne erronea hac persuasione nos ipsos decipiamus, quasi huiusmodi operibus perfectiorem Iustificationem consequamur, aut aliquid de salute nostra promereamur. Sed quicquid horum omniũ fit, id fit totum in hunc finem, vt huiusmodi pietate, operibus & virtutibus, publice coram hominibus nostram gratitudinē declaremus, erga summum istum benefactorem, qui nos in gratiam recepit, atque gratis iustificauit, vtque hac ratione etiam alios ad veram pietatē excitemus. Nam quod Apoc.22. v.11. dicitur: Qui iustificatus est, iustificetur *adhuc, non hoc* sensu dicitur, quasi post iustificationem *fidei coram Deo indigeamus* vlteriore iustificatione operũ, vt quidam *male hoc* dictum peruertunt: sed vt coram hominibus se magis magisq; in pietate exerceant, atque sic foris operibus commonstrent, se intus in corde coram Deo peccatorum remissionem habere, atque in eius gratia viuere.

II. Secundæ personæ loco nobis in hoc conuiuio veniunt *publicani & peccatores*. Quinam *Publicani* tum temporis fuerint, explicatum est cap.16. huius Harmoniæ, in historia Baptistæ. Non fuerũt Ethnici, vt Tertullianus voluit. Alias enim Christus ipsis non fuisset conuersatus, qui fuit minister circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum, Rom.15.versic.8. Sed fuerunt Iudæi. Atque hoc ipso nomine Pharisæis tanto magis exosi: quia ipsi Iudæi ab Ethnico magistratu coemebant vectigalia, quæ postea viritim exigebant, fere etiam iniquis exactionibus populum grauabant: atque sic magistratum externum probabant, cum Pharisæi populum Iudaicum liberum esse, neque externo magistratui subesse volebant. *ἁμαρτωλοὶ* vero, & *peccatores* quinam tum temporis habiti fuerint, cap.57. Harm. exposuimus. Erant illi, qui non tantum sine rubore in traditiones maiorum, sed potissimũ in legem Dei peccabant. Hosce Matthæus tanquam olim eiusdem professionis & studij socios inuitat, vt simul & mutati vitæ generis si peterent, rationem redderet, & ipsos suo exemplo ad consimilem emendationem inuitaret, ne porro in exigendo vectigale populum inhumanius tractarent. Et apparet ipsos à via salutis non fuisse alienos. Alias enim scelerum complices, solent socios suos, si poeniten-

pœnitentiam agant; odisse & defectionis accusare. Hi vero minime illud faciunt, sed Matthæi mensam, qui non ita pridem relicto telonio secessionem ab ipsis fecerat, accedere dignantur. Vnde hoc? Marcus causam innuere videtur, quando hic dicit, *eos Christum secutos fuisse*. Ergo in Matthæi vocatione non ita pridem facta, diuinam virtutem agnouerunt, & cum admiratione experti sunt, eum, ex auaro populi expilatore, liberalem & beneficum hominum amatorem factum esse. Ac proinde ipsi quoque se sedulos concionum Christi auditores præbuerunt, ex quibus intra conscientias suas, peccatorum sensu compuncti, de salute sua soliciti, eiusdemque cupidi, omnes occasiones, quibus illa promoueri poterat, auide acceptandas putauerunt. Iccirco inuitati præsto sunt, vt vel in mensa aliquid audiant & addiscant, quod pedes eorum in viam pacis dirigere queat. Proponendum est hoc exemplum grauioribus peccatoribus, qui ex consuetudine peccandi habitum quendam contraxerunt, quales sunt ganeones, lurcones, comessatores, aleatores, libidinibus dediti & similes: hi, quando vnum ex suo sodalitio, relicto prioris vitæ tramite, in viam rediisse animaduertunt, ipsi cor suum non ita indurent, vt eos, quos vitam in melius commutasse conspiciunt, sannis excipiant, aut maledictis petant, sicuti vulgo id fieri videmus: sed potius eorum exemplo inuitati, ipsi quoque animum ad emendationem adiiciant, de salutis via ineunda cogitent, sicque gaudium in cœlis excitent.

III. Tertia persona huius conuiuij est *Christus cum discipulis*: qui ad beneuolam discipuli sui postulationem facilem se præbet: & non tantum in domo Matthæi accumbit, sed & omnes qui simul inuitati fuerant accumbere sinit, nullo rigidiore examine de ipsis præmisso, multo minus aliquo excluso, licet, tanquam omniscius Dominus, non ignorabat, qua calumnia Scribæ & Pharisæi hoc ipsius factum essent excepturi. Eo ipso autem consolationem præbet omnibus pœnitentibus peccatoribus, & ostendit, quod, si quem per peccatorum remissionem & iustificationem in gratiam recipiat, plane & perfecte omnium peccatorum memoriam aboleat, illa in profundum maris ita proiiciat, Mich. 7. versic. 19. vt peccatorum eorum amplius in æternum recordari nolit, Ies. 43. versic. 25. Apud homines fere aliquid rancoris remanet, etiam post reconciliationem: vt ab inimico reconciliato nobis cauere iubeant, & ab eorum conuictu abstineamus. Hoc Christus non facit, sed in testimonium omnimodæ reconciliationis, etiam grauissimos peccatores ad mensæ communionem admittit. Hinc Deus Ezech. 18. versiculo 28. dicit: quamprimum auerterit se impius ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita viuet, & nō morietur. Quemadmodum ergo hoc in loco pœnitentes publicanos & peccatores à mensa Matthæi minime repulit: ita adhuc hodie ad sacræ suæ mensæ communionem, in qua corpus & sanguinem, quibus salutem nobis acquisiuit, distribuit, omnes vere pœnitentes admittit. Canes quidem, quibus sanctum non est dandum, & porci, ante quos margaritæ non sunt abiiciendæ, Matth. 7. vers. 6. ab ista sacra mensa abigantur. At in quibus seriæ pœnitentiæ signa deprehenduntur, illi non diuturnis expiationum & satisfactionum remoris sunt detinendi, ne in grauiores conscientiarum terrores coniiciantur. Multi enim humanitate ad Christi societatem alliciuntur, qui satisfactionum austeritate ab illo absterrentur.

Nihil itaque nos in toto hoc Matthæi conuiuio inuenimus, quod reprehensionem mereatur, siue ipsum hospitem, siue eius conuiuas intueamur. Inuenit tamen Sycophantæ oculus quod carpat. Omnes enim tres Euangelistæ vno ore testantur, ab aliquibus hoc factum grauiter reprehensum fuisse. Nota autem, 1. quinam fuerint, qui hoc factum culparint: nimirum Scribæ & Pharisæi, qui tum temporis in populo Iudaico opinione singularis eruditionis, pietatis & sanctitatis omnibus aliis præferri volebant, tanquam Legis interpretes & totius religionis columnæ. At hi semper & vbique maxime Christo aduersabantur, dicta & facta eius carpebant, atque in omnibus acerbum & hostilem erga ipsum animum declarabant. Sicuti etiam aliàs nocentissimi sunt religionis hostes, qui eruditionis & pietatis speciem habent: virtutem autem eius abnegarunt, 2. Pet. 3. vers. 5. Rogemus itaque Dominum, vt doctrinam & eruditionem nostram moderetur & regat per Spiritum sanctum aliquo gustu veræ pietatis, ne reprobi efficiamur.

2. Attendendum quid reprehenderint. Non possunt reprehendere luxum in hospite, qui conuiuium adornarat, nec intemperantiam in conuiuis: siquidem omnia honeste, temperanter & decenter peragebantur. Tantum quia hoc primum est, quod Christus notorios peccatores in suam familiaritatem admittit, & communem cum ipsis mensam habet, Scribæ hoc arripiunt, & ita interpretantur, vt ipsius innocentiam & probitatem in dubium vocent. Apud se enim primo statuunt, nullum probum, honestum & iustum virum cum huiusmodi deploratis peccatoribus & publicanis commercium habere debere. Cumque Christus id faciat, vtique non adeo probū & iustum esse, qualis haberi velit. Deinde existimant magnam hāc esse Christi præsumptionem, quæ pugnet cum lege Mosis, cum traditionibus Patrum, & cum ipsa publica honestate, quod adeo facile cum peccatoribus in gratiam redit. Debere enim hos prius publica suæ pœnitentiæ edere specimina, peccata sacrificiis rite expiare, antequam vel in synagogæ communionem vel ad aliorum honestorum virorum conuersationem admittantur.

3. Expende etiam apud quos Christi accusationem instituerint. Non cum ipso Christo, qui facti sui rationem reddere poterat, agunt, sed cum discipulis, si forsan ipsos, tanquam minus confirmatos, à Christo possent abalienare, hoc prætextu, quod ille, quem hactenus ceu magistrum & præceptorem sint secuti, eiusmodi hominibus se socium adiungat & familiarem præbeat, quorum societas apud honestos omnes infamis habeatur. Discipulos itaque clam ad defectionem sollicitant, non dubitantes eam secuturam, si rem diligenter considerent. Quæstionem suam initio ita formant: *Quid est, quod præceptor vester cum publicanis & peccatoribus edit & bibit?* Præ se fert hæc quæstio speciem ingenuitatis & simplicitatis: sed reuera Christum suggilare volunt, vt qui rem persona & officio suo indignam committat. Verba enim illa vim continent huiusmodi argumenti: Qui vere studiosi sunt honestatis & pietatis, illi cum piis & honestis conuersantur, inhonestorum autem & infamium commercia vitant. At ipsi videtis vestrum præceptorem palam commessari cum publicanis, qui libertatis patriæ oppressores & Romanæ tyrannidis ministri sunt: adhæc cum peccatoribus, qui ob perpetratā scelera & fœde corruptos mores publice sunt infames. Quis ergo aliter iudicare potest, quàm nec ipsum esse virum probum & honestum, vt qui de publica honestate parum sit solicitus? Lucas dicit, Scribas & Pharisæos *murmurasse*, & discipulis quæstionem illam in hunc modum proposuisse: *Quare vos cum publicanis & peccatoribus comeditis & bibitis?* Apparet inde discipulos magistrum suum excusasse, & pro virili defendisse, vnde stomachati sint Scribæ & Pharisæi, & Christo quidem obiecerint, quod sit licentiæ Magister, ipsis vero quod Magistro suo nihilo meliores. γογγύζειν Varinus deriuat à γρύζω, quod grunnire significat, & explicat, γογγύζειν designare τὸ τῇ φωνῇ ὑποκλέπτειν, καὶ χαλᾶν, quod est simul & vocem dissimulare, seu submissa voce mussitare, & tamen petulanti linguæ frena laxare. In Veteri Testamento passim γογγύζειν respondet Hebræo לון, quod significat murmurando se alicui apponere, alicui resistere, sicut fecerunt Israelitæ Mosi & Aaroni. Vtcunque Scribis & Pharisæis hic recte conuenit: Nam Christo Domino sese opponunt: neque tamen aperte eum aggredi & in faciem arguere audent, sed subdole discipulos adoriuntur, aduersus hosce mussitant, captiosis quæstiunculis ipsis insidiantur, virus tamen linguæ apud ipsos liberius euomunt, quasi dicant: Videtis tandem, quàm male consulueritis vestræ existimationi, & quàm stulte feceritis, quod deserentes legitimos doctores, hunc præceptorem vobis elegeritis, qui socium se præbet perditissimorum hominum & hostem disciplinæ sanctioris. Quantum enim quæso apud ipsum profecistis? Tantum nimirum, vt & vos publicanorum & peccatorum socij habeamini, & tandem infames reddamini: Tales poteratis esse sine isto Iesu, nec opus erat propter ipsum periculosum schisma in religione mouere. Discamus hinc agnoscere ingenium & artes hostium veritatis. Hi 1. solent aggredi rudes & imperitos, præteritis illis, qui ad respondendum sunt parati. 2. Calumniari solent id, quod per se non est malum, vel certe commoda aliqua interpretatione mitigari potest. 3. Interim atrocia flagitia, quibus ipsi scatent, qualia in Pharisæis fuerunt, auaritia, ambitio, hypocrisis, Legis diuinæ prophanatio, imposturæ & alia, secure negligunt. Imitantur hac in parte verum suum Magistrum, Satanam, qui hoc stratagemate vsus est in inuehendo peccato in vniuersum terrarum orbem. Is 1. non virum, sed mulierem aggressus est, quam insidiis suis magis expositam esse animaduertebat. 2. Calumniatus est Dei præceptum, ac si illud ex inuidia aliqua erga genus humanum profectum esset. 3. Interim, quo odio ipse aduersus hominem flagrabat, studiose texit. Eædem hodie sunt artes astutissimorum seductorum, qui imperitos opifices & imbecilles mulierculas adoriuntur, multa in ministrorum verbi contumeliam dicunt, & captiosis quæstionibus rudiores intricare conantur. Tales vitare & fugere discamus.

Licet ergo ex his omnibus venenatum atque Satanicum Pharisæorum & Scribarum cor, aduersus Christum plus satis conspiciatur: Est tamen quæstio disquisitione digna, verum liceat conuersari cum eiusmodi hominibus, qui ob flagitiosam

vitam publica quasi infamia sunt notati, adeoque excommunicati. Certe in Veteri Testamento Leuit.10.versf.10. Deus non tantum à sacerdotibus requirit, vt habeant scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: sed vt iidem etiam doceant filios Israel. Et cur Deus tam solicite præscripsit differentiam mundorum animalium & immundorum, quid comedere & quid respuere debeant? præterquam vt sancti sint, sicut & ipse sanctus est, nec polluant animas suas: sicuti hanc rationem reddit ipse, Leuit.11.versf.44. Ideo Dominus etiam Psalm.50.versic.18. hoc nomine impios arguit, dicens: si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam habebas. Item in Psalmo 1.versf.1. beatus pronunciatur qui in peccatorum via non stetit, & in cathedra derisorum non sedit. Ideo etiam Ies.cap.52.versic.11. dicit: Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini. Nam, vt Syracides scribit capite 13. versiculo 1. Qui picem tangit, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Et inprimis Ierem 15.versf.19. inquit Deus: Si separaueris preciosum à vili, quasi os meum eris. Cum ergo Messias ipsum os Domini sit, quod omnino non præter rem Scribæ & Pharisæi murmurare videntur, quod Iesus Messiæ personam præ se ferens, viles & contemptos publicanos atque peccatores à pretiosis Legisperitis, Sacerdotibus & similibus non segregat. In Nouo Testamento nos consimiles habemus commonefactiones, de vitanda conuersatione flagitiosorum. 1.Corint.6.v.10. Paulus vult, vt ne cibum quidem capiamus cum eiusmodi. Idem docet, 2.Cor.6.versf.14. prolixe. Item, 2.Thess.3 v.14. scribit: si quis non obedit verbo nostro, hunc per Epistolam notate: & non commisceamini, vt confundatur. Iohannes Epist.2.versf.10. vult, vt si quis doctrinam sinceram non afferat, eum in domum non recipiamus, & ne aue quidem ipsi dixerimus. Idem de flagitiosa vita est intelligendum. Et quod Apoc.18.v.4. de tota Babylone dicitur, idem etiam de singulis eius membris accipi potest: exite de illa popule mi: vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Sed omnia hæc dicta facile & breuiter expediri possunt, si modò dextre explicetur, quatenus peccatoribus sit conuersandum. Duæ igitur potissimum causæ in illis dictis omnibus spectantur, quæ sunt obseruandæ. Vna est impulsiua: si vel auaritiæ, vel priuati commodi causa ipsis conuersemur, prout mundus facere solet, tum sane illud est culpabile: sin propterea id fiat, vt possimus ipsos Deo lucrifacere, quis bonorum hoc reprehendet? Deinde etiam finis siue scopus, ob quem sint vitandi, est obseruandus. Et quidem, si rem recte consideremus, idem est scopus, & vitandi eos, & recte cum ipsis congrediendi: vt scilicet in peccatis non perseuerent, sed pudore suffundantur & conuertantur. Quando ergo periculum est, ne modicum fermenti totam massam inficiat, aut ne peccatores interpretentur, quasi peccata ipsorum approbemus, vt ita in peccandi habitu & consuetudine confirmentur, tum peccamus. Nam qui ipsis adblandiuntur, aut ad scelera conniuent, illi communicant de alienis peccatis, vt Paulus loquitur, 1.Tim.5.versic.22. Qui vero ita conuersantur, vt moneant & arguant, quo serio peccata detestentur, & citius resipiscant, sicut Christus fecit: illi nullam reprehensionem merentur. Neque ipse Christus variis modis peccatores tractauit, alios docendo & arguendo, alios conniuendo & blande monendo conuertit. Sed satius fuerit ipsum Christum hac de re disserentem audire. Discipuli enim, cum Scribæ & Pharisæi acrius instarent, quæstionem ad ipsum Christum retulerunt. Qui inde occasionem sumsit pulcherrimæ doctrinæ, quam tribus dulcissimis sententiis complexus est.

I. Dicit: *Non opus habent hi, qui validi siue sani sunt, sed qui male habent.* Peccatores confert ægrotis, seipsum autem medico, vtrumque admodum concinne. Vt enim morbi intra corpus enati, illud de die in diem debilitant, omnes vires eius eneruant, donec tandem mortem ipsam afferant; ita peccatum, quod nobis natura inhæret, omnes animæ vires, siue intellectus, siue voluntatis, debilitat, bonorum operum actiones impedit, & facit, vt tandem spirituali morte moriamur. Sicuti Deus dicit Ezech. 18. versf. 4. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Deinde, quemadmodum illi, qui morbis sunt correpti, nec sibiipsis subuenire, nec seipsos à morte seruare possunt, sed indigent medico, qui consilio & ope ipsis assit, quasi salutari pharmaco propinato morbum pellat & vires corporis restituat: Ita nemo hominum est, qui ex propriis viribus quicquam ad suam salutem conferre, peccatorum damna depellere, aut æternæ mortis discrimen effugere possit. Medico nobis opus est, quem cœlestis pater dedit, Messiam, qui Exod.15.versiculo 26. inquit: Ego sum Dominus Deus, Medicus tuus. Hic medicus salutarem nobis medicinam parauit, dum in sacra passione percussus, contusus & maceratus, Patri suo pro nobis perfectissimam obedientiam præstitit, vsque ad ignominiosam mortem crucis, Philipp.2.versic.8. atque sic per oblationem immaculati sui corporis impetrauit, vt conscientiæ nostræ mundentur ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti, Hebr.9.versic. 14. Alium medicum & aliam medicinam non possumus inuenire. Neque enim in alio quoquam est salus, aut aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, Actor.4.versf.12. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accipiant per nomen eius, omnes qui credunt in ipsum, Act.10.versf.43. Nam sanguis Iesu Christi: filij Dei mundat nos ab omni peccato, 1.Iohan.1.v.7. Hæc est felix illa panacea, quæ omnis generis spirituales morbos pellit. In morbis autem corporis necesse est, vt pharmaca intra corpus recipiamus, quæ malos humores pellentes & expurgantes, corpori sanitatem restituunt. Sic etiam pharmacum mortis & meriti Christi nobis applicemus, quod non tantum fit, quando verbum Dei, quod est animarum medela, Sap.16.versic.12. diligenter audimus, intra cor recipimus, & in eo custodimus: sed & quando sacrosancto corpore & sanguine Christi in mystica cœna fruimur. Ibi enim manducamus, quod pependit in cruce, & bibimus, quod fluxit ex latere Christi, in remissionem peccatorum nostrorum. Hoc respicit Christus illo dicto, atque sic argumentum ducit à suo officio, quasi in hunc modum argumentaretur: Iniuste accusatur medicus, si se ægrotis familiarem præbeat, ipsis conuersetur, eorumque curam agat: hoc enim ipsius officium requirit. Ego in hunc mundum veni à Deo datus animarum medicus omnibus peccatoribus. Ergo iniuste à vobis accusor in eo, quod peccatoribus conuersor, ipsisque sum familiaris. Nos ergo omnes, quia peccati morbo sumus infecti, hunc animarum medicum agnoscamus, suscipiamus, consulamus. Etenim quæcunque à fido, perito & perfecto medico expectari solent, ea omnia ipse perfecte præstare potest. Medici est, 1. vt morbos agnoscat, & quibus mediis pelli possint intelligat. 2. vt ægrotos sibi cordi esse patiatur, ipsisque medicinam lubens volensque adhibeat. Vtrumque Christus habet: illud, quia pater omnia reposuit in manus ipsius, Iohan.3.versic.35. & vult vt de plenitudine ipsius accipiamus gratiam pro gratia, Iohann.1.versic.16. Itaque tanquam omniscius & omnipotens Dominus, potest id præstare: hoc, quia habemus in ipso talem pontificem, qui compati scit infirmitatibus nostris, eo quod & ipse sit tentatus per omnia in similitudine nostri, absque tamen peccato, Hebr.4. versf.15. Vult ergo Christus dicere Scribis: multi abhorrent à conspectu ægrotorum, nimirum metuentes ne ab illis inficiantur. Si medicus eodem modo esset affectus: & medicus officio suo non satisfaceret, & ægri perirent. Itaque agnoscite aliam esse medici & aliam reliquorum erga ægrotos rationem.

Caueamus autem sedulo & serio ne præter hunc VNICVM animæ medicum vllum alium quæramus. Nam si quippiam aliud, siue in cœlo, siue in terra ægris animabus medelam & salutem afferre potuisset, non opus fuisset hunc medicum de cœlo descendere, & tot gemitibus & doloribus, adeoque sudore sanguineo nobis medicinam parare. Sicuti ergo spes nulla restitutionis esse potest in iis, qui hunc lethalem animæ morbum in se non agnoscunt, prout cæci Scribæ & Pharisæi fecerunt: ita quoque illi pereunt, qui licet morbum agnoscant, alibi tamen quàm apud cœlestem hunc medicum, remedium quærunt. Quemadmodum enim in deserto, Israelitis, ab igneis serpentibus vulneratis, nullum aliud antidoton salutem afferre poterat, quàm intuitus ænei serpentis à Mose suspensi, Num.21.versf.8. ita quoque aduersus morsum infernalis serpentis nullum est remedium, quàm sanguineum meritum Iesu Christi, ex ligno crucis suspensi, hunc qui vera fide amplexus fuerit, non peribit, sed viuet in æternum, Iohann.3.versic.14. Ter miserum itaque est homines animæ suæ morbum agnoscentes & ad salutare pharmacum anxie anhelantes, ad missas, peregrinationes sanctorum, Purgatorium, bullas Papales, siue plumbeas, siue ferreas, & sexcentas alias nugas remittere, & ab vnico hoc fideli animarum Curatore abducere. Ipse Deus hanc miseriam in verbo suo deplorat, dum per Prophetam dicit: Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, prosperate, venite & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum, non in saturitate? Ies.55.versf.1. Omnes itaque ægri properent ad hunc Samaritanum, qui solus obligat vulnera nostra, atque infuso vino ac oleo nos sanat, Luc.10. versf.33. Illi autem, qui ὑγιαίνοντες καὶ ἰσχύοντες, sani & robusti sibi videntur, cum tamen reuera natura nemo hominum talis sit, illis occinamus illud

Apoc.

Apoc.3 verſ.17. paululum mutatis verbis: pro eo quod dicis, diues ſum, & ſanus, & nullius egeo, & neſcis quia tu miſer es & æger & cæcus: ſuadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, accipere à me ſalutare pharmacum, vt conforteris, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Quapropter quicunque contendit ad æternam ſalutem, is ante omnia morbum ſuum ſpiritualem agnoſcat, quæ agnitio non poteſt exiſtere, ſine veris & ſeriis motibus voluntatis, quibus homo ad pœnitentiam adigitur. Et hoc eſt initium, quod præcedere debet hominis iuſtificationem, quando conſcientia agnoſcit iram Dei aduerſus peccata, dolet propter illa & abiicit propoſitum perſeuerandi in illis. Sicut ergo ſenſus morbi, aut dolor vulneris, vrget & impellit ad deſiderandum, quærendum & ſuſcipiendum Medicum: ita etiam agnitio peccati & vera contritio impellit hominem ad quærendam iuſtificationem.

II. Addit Chriſtus, *quin potius ite & diſcite quid ſit illud: Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Tuetur ſe authoritate ſcripturæ ſacræ. Nam citato textu Oſ.6.verſic.6. oſtendit ſe nihil facere quod pugnet cum voluntate Dei. Proponit autem hanc ſententiam non ſine aliqua, & mordaci exprobratione ignorantiæ. Volebant Scribæ & Phariſæi ſoli videri Scripturarum ſcientiſſimi: & tamen in omnibus diſputationibus cum Chriſto, & quæſtionibus fidei, turpem ſuam ignorantiam prodebant. Sicuti hactenus ſæpenumero id videre licuit, in doctrina de regeneratione, de Sabbato, de legis interpretatione, & vero eius vſu. De his omnibus ſummi iſti legis Doctores minus ſolidi quid ſciebant, quàm pueri minorennes. Ita etiam de peccatorum remiſſione & iuſtificatione hominis erroneas habebant opiniones, putabant ſacrificiis peccata eſſe expianda, ac propterea Deum Leuit.4.5.& 7.c. ſacrificia pro peccatis & pro delictis mandaſſe, quaſi per ea peccata tollerentur, ſibique ſatisfieret, ſiue homo peccator pœniteret, ſiue non. Cum tamen ſacrificia illa omnia tantum fuerint typica, quæ peccati reatum coram Deo aliter non expiarent, niſi quatenus ea offerens fide reſpiceret in futurum expiatorium ſacrificium Chriſti. Ex hoc errore etiam exorta eſt intempeſtiua illa reprehenſio, qua Scribæ conuerſationem Chriſti cum peccatoribus carpunt, à qua ipſi tantiſper abſtinendum cenſuerunt, donec peccatores ſua ſacrificia coram ſacerdotibus obtuliſſent, ſicque rite expiati & ſynagogæ reconciliati eſſent. Remittit ergo Chriſtus ipſos ad ſacra Biblia, & vult vt ex Prophetarum doctrina, maxime autem ex citato loco Hoſeæ addiſcant qualiter Deus velit peccatores tractari: nimirum, non vt impellantur, quo magnis ſumptibus ſplendida ſacrificia & holocauſta ad templum adducant, ſed vt in Dei cognitione proficiant. Vera autem Dei cognitio eſt illa, qua homines tum ex lege monentur, quod Deus ſerio iraſcatur peccatis, & minetur mortem atque æternam damnationem peccatoribus, niſi fiat reconciliatio, tum ex Euangelio diſcunt, quod Deus propter filium Mediatorem velit gratis remittere peccata omnibus, qui plena fiducia ſuſcipiunt, & doctrinam eius ſequuntur. Et vt peccatores ad hanc Dei cognitionem adducantur: ideo dicit ſe eos dolare in Prophetis, & occidere verbis oris ſui. At certe qui peccatores dolare debet, qui verbis ſuis, monitis atque increpationibus tantum non enecare, is ab ipſorum conuerſatione non poteſt abſtinere, ſed neceſſarium eſt, vt continue cum ipſis conuerſetur, quo ipſos ad conuerſionem adducat. Et hoc ipſum opus Propheta ibi vocat חסד, *Miſericordiam.* Nam non tantum illud eſt opus miſericordiæ, quando quis in externis malis afflicto proximo ſuccurrit; ſed vel omnium maxime, ſi quis peccatorem, ſpiritualibus malis oppreſſum, de ira Dei doceat, à peccando abſtrahat, ad verum Dei timorem alliciat, ad Dei cognitionem adducat. Hoc opus cum ipſe Deus omnibus ſacrificiis longe præferat: quid ergo Sycophantæ iſti habent, quod iure carpant? Nam & alias Deus ſemper ſacrificia, adeoque ceremonias omnes reiecit, quando Iudæi iis vſi ſunt, abſque vera pœnitentia, aut eaſdem oppoſuerunt veræ fidei in Chriſtum, per quam ſolam homo peccator apprehendit gratiam & miſericordiam Dei: ſicuti videre licet in Pſalm.50. verſ.8. Ieſa.1. verſ.11.& 66. verſ.3. Ierem.7. verſ.21. & in aliis locis quamplurimis.

Eſt autem vtilis admodum & notatu digna regula, qua præcipitur, vt ſicubi in Nouo Teſtamento, præcipue à Chriſto, citantur & allegantur loci aliqui ex Veteri, integrum textum inſpiciamus. Tum enim circumſtantiæ illius, antecedentia item & conſequentia, multa monebunt, quæ verum loci ſenſum aperire poſſunt. Id ſi in præſenti loco fecerimus, videbimus quàm appoſite Chriſtus hoc Prophetæ dictum præcedenti ſuæ rationi ſubiunxerit. Dixerat, ſe non culpandum eſſe hoc nomine, quod peccatoribus conuerſetur: eo quod hi ægrotorum, ipſe vero medici rationem obtineat. Ad huius autem ſententiæ confirmationem quaſi facit hæc allegatio Hoſeæ. Loquitur enim ibi de Meſſia, & introducit decem tribus Iſraelis, & duos tribus Iuda inter ſe conferentes, quomodo Meſſiam ſuſcipere, & quid beneficij ab ipſo expectare velint, & teſtatur eos agentes pœnitentiam dicturos: Venite, reuertamur ad Dominum, ipſe enim percuſſit nos, ipſe etiam ſanabit nos. Imo non ſolum curabit nos, ſed & viuificabit poſt duos dies: & in tertio die reſurgens ab inferis, omne genus hominum ſuſcitabit. Cumque percuſſos curauerit, & curatos viuificauerit, & viuificatos ſuſcitauerit: tunc viuemus in conſpectu eius, qui prius ab illo abſente mortui iacebamus. Viuentes autem in conſpectu eius, ſciemus eum, & omni ſtudio ſectabimur, vt cognoſcamus Dominum, quo tertia die reſurgente, & nos ſurreximus. Et hoc opus miſericordiæ, quod in reducendis peccatoribus in viam impenditur, illud ſe omnibus ſacrificiis anteferre Deus teſtatur. Quibus quidem verbis Deus non ſimpliciter omnes ceremonias reiicit: ſed tantum nihil ad ſanitatem & vitam ſpiritualem conferre teſtatur. Quando vero iam per Chriſtum viuificati ſumus, tum debemus Deo offerre ſpirituales hoſtias, 1.Pet.2.verſic.5. Corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrum, Rom.12 verſ.1. hoſtiam quoque laudis, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius, Heb.13.verſ.15. ſeu vitulos labiorum noſtrorum, Hoſ.14.v.3. Hæc ſacrificia Deo non diſplicent, maxime ſi ex vera fide profluant, honori diuini nominis & proximi ædificationi ſeruiant.

III. Tertia ratio, qua Chriſtus factum ſuum tuetur, & Scribas calumniæ conuincit, deſumpta eſt à proprio officio Mediatoris: *non veni vocare iuſtos.* Iuſti ſecundum Scripturam non vno modo dici poſſunt: præſertim autem duo ſunt, qui huic loco conueniunt: 1. Quia omnis iuſtitiæ norma & regula eſt, mens & voluntas Dei, ſiue in prima creatione mentibus inſcripta, ſiue poſtea in lege repetita, Iuſti dici poſſunt, qui plene & perfecte cogitationibus, dictis & factis illam Dei voluntatem exprimunt. Tales fuerunt Adamus & Eua ante lapſum. Et ſi in illo ſtatu permanſiſſent, mediatore opus non habuiſſent, nec propter ipſos Meſſias in mundum venturus fuiſſet: ſed ipſi voluntatem Dei perfectiſſima iuſtitia expleuiſſent. Nunc vero, quia per inobedientiam iſtius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, Rom.5.verſ.19. Non eſt iuſtus quiſquam, Rom.3.verſic.10. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt omnes, Pſalm.14.verſ.2. & concluſit Deus omnia ſub peccato, Gal.3.verſ.22. Meſſias igitur proprie loquendo venit propter homines. Deus enim ſic mundum totum dilexit, vt filium ſuum vnigenitum daret, Iohann.3.v.16. Sed 2. in hoc ipſo cœtu peccatorum multi ſunt, qui reuera quidem coram Deo ſunt peccatores, ſibiipſis autem iuſti videntur, aut vt Luc.18.verſ.9. dicitur, in ſeipſos confidunt, tanquam iuſti. Horum cauſa quoque Chriſtus ſe non veniſſe teſtatur. Non quaſi hi arcano aliquo Dei decreto eſſent excluſi, ne ad pœnitentiam & ſalutem reuocarentur: ſed quia ipſi Chriſtum non ſuſcipiunt, eius ope & meditatione ſe non indigere opinantur. Tales erant Scribæ & Phariſæi, de quibus Paulus Roman.10.verſ.3. teſtatus eſt, quod dum quæſierint ſuam iuſtitiam ſtabilire, iuſtitiæ Dei non fuerint ſubiecti. Si cui igitur Chriſtus ad ſalutem prodeſſe debet, neceſſe eſt vt ante omnia agnoſcat ſe eſſe peccatorem: ſiue is ſit mas ſiue fœmina, ſiue herus ſiue ſeruus, ſiue Iudæus ſiue Græcus. Nam hic eſt fidus ille ſermo, & omni acceptione dignus, cui tuto aſſentiri debemus & poſſumus, quod Chriſtus Ieſus in mundum venit, peccatores ſaluos facere: 1.Timoth.1.verſ.15. Quomodo autem ſaluos velit facere, id vnico verbo hic comprehendit, dum dicit ſe veniſſe eos *vocare ad pœnitentiam.* Quid μετάνοια, & pœnitentia ſit atque complectatur, nimirum diſplicentiam & deteſtationem peccati, pauorem ex timore iræ Dei, mutationem mali propoſiti in bonum, cum fiducia miſericordiæ diuinæ propter meritum Meſſiæ, illud ſupra cap. 16. Harmon. prolixe demonſtratum & explicatum eſt. Chriſtus ergo peccatores non vocat, nec ad licentiam, nec ad ſatisfactionem, ſed ad emendationem. Et hac de cauſa miniſterium ſuum à prædicatione pœnitentiæ exorſus eſt, ſicut ſuperius cap.35. Harm. prolixe id vidimus. Imo vero ab initio hoc Mediatoris officium exercuit in primo homine, quem ſtatim poſt lapſum in paradiſo ad pœnitentiam vocauit, & promiſſione ſui aduentus erexit atque recreauit, Geneſ.3. verſ.9.

Cæterum, præterquam quod Chriſtus his verbis facti ſui rationem reddit, etiam plura iis docet. 1. Cauſam oſtendit, quare Scribæ & Phariſæi ipſum non recipiant. Nimirum quia ſeipſos pro iuſtis habeant, atque opinione propriæ iuſtitiæ ebrij, nolint agnoſcere ſe eſſe peccatores. Nam hæc Maxima eſt totius Chriſtianiſmi: ſi velimus frui gratia Chriſti, neceſſe eſt vt prius nos humiliemus coram ipſo agnitione peccatorum. Phariſæis ergo dicit: Vos murmuratis, quia

persuasionem habetis propriæ iustitiæ. Quam si deponere, & vos coram Deo non minus quàm alij homines peccatores esse cognoscere possetis, iam quoque ad me tanquam ad animarum Medicum accurreretis. 2. Reprehendit etiam eos, quod appellationem peccatoris corruperint. Ipsi pro ἁμαρτωλοὺς & peccatoribus habebant saltem illos, qui in manifestis & notoriis sceleribus deprehensi à synagoga erant excommunicati. In Ecclesia autem appellatio peccatorum non debet ita accipi. Sed quia non est homo, qui non peccet coram Deo, 3. Reg. 8. verſ. 46. & nemo potest dare mundum conceptum de immundo semine, Iob. 14. verſ. 4. Nec in conspectu Dei iustificatur omnis viuens, Psalm. 143. verſ. 2. Ideo iuxta sensum scripturæ coram facie Dei peccatores appellandi sunt omnes homines, quatenus sunt extra Christum. Quādo vero per & propter Christum peccata sunt tecta & remissa, Psalm. 31. verſ. 1. tum iusti sumus coram Deo, non quidem propria iustitia, sed imputata, vt vocatur Rom. 4. verſ. 5. Deus enim Christum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit: vt nos efficeremus iustitia Dei in ipso, 2. Cor. 5. verſ. 21. Nos ergo qui natura sumus peccatores, demus operam vt inueniamur in Christo, habentes non nostram iustitiam quæ ex lege est, sed iustitiam quæ est ex fide Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide, Phil. 3. verſic. 9. 3. Præterea & illud Christus in Scribis reprehendit, quod nullum discrimen faciunt inter peccatores pœnitentes & impœnitentes. Impœnitentes peccatores, qui præfracte & contumaciter in suis peccatis perseuerant & progrediuntur, sunt vitandi, vt pudefiant. Sicuti Paulus hoc Corinthiis suis præcipit contra incestuosum, 1. Cor. 5. verſic. 4. Quando vero iidem pœnitentiam agunt & conuertuntur, cum gaudio sunt recipiendi, ne si durius & inclementius tractentur, desperent, & abundantiore tristitia absorbeantur. Sicuti Paulus illud de eodem incestuoso docet, 2. Corint. 2. verſ. 7. Hoc animarum curatores probe notent, quo verbum veritatis recte secent, Legem & Euangelium apte cuiuis applicent: & nec securos nimia lenitate in peccatis confirment, nec consternatas conscientias nimia lenitate in peccatis confirment, nec consternatas conscientias nimia austeritate ad desperationis præcipitium adducant. Nam qui in peccatis progrediuntur, nec vnquam desistere cogitant, cum illis Christo nihil est rei. Nam Christus propter peccatores in mundum venit, non vt eos in malo confirmet, aut in ipsis foueat licentiam peccandi: sed vt ad emendationem inuitet. 4. Insuper insignis consolatio latet in his verbis, pro peccatoribus pœnitentibus, quod filius Dei ipsos ob commissa sua scelera nequaquam aspernetur, sicut fecerunt Pharisæi, sed venientes suscipiat, Iohan. 6. v. 37. Imo non venientes quærat, & ad pœnitentiam vocet. Reliqui ægroti medicos ad se accersunt, vt ab iis curentur: hic Medicus Christus, non tantum ægros curat, sed sua sponte eos accedit, vel certe ad se vocat. Vocat autem eos non ad pœnam peccatis suis commeritam, sed tantum ad peccatorum agnitionem & conuersionem. Et hoc est, quod Iohan. 3. verſ. 17. dicit: Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Quæ maior posset esse benignitas huius Domini, quod mundum vocat non ad satisfactionem, sed ad emendationem? Ipse pro satisfactione peccatorum nostrorum expendit suum sacrosanctum sanguinem, 1. Iohann. 2. verſ. 2. & 1. Pet. 1. verſ. 19. deposuit pro ipsis vitam seu animam suam, quam propterea vocat λύτρον ἀντὶ πολλῶν, redemtionis pretium pro multis, Matt. 20. verſ. 28. Quoad nos contentus est, si tantum humiliter agnoscamus, serio defleamus, absque simulatione confiteamur, demisse deprecemur, & cœlesti patri sincero cordis affectu dicamus: dimitte nobis debita nostra. Hoc si fecerimus, tum propter Christum remittuntur nobis peccata, abiiciuntur in profundum maris, delentur sanguine Iesu Christi, nec eorum memoria vnquam amplius ascendit coram Deo. Hinc agnoscamus quales illi sint quæstores & exactores, non autem Medici animarum, qui à pœnitentibus & credentibus nescio quas extorquent satisfactiones, tantum sui commodi & quæstus causa. Nam si nostris satisfactionibus peccata expiare, aut iram Dei tollere potuissemus, quid opus fuisset, hunc medicum de cœlo venire? Et experientia testatur, quod qui se ad huiusmodi satisfactiones proprias deducere patiuntur, in meris versentur dubitationibus de salute sua, nec vlla certitudine vitæ æternæ fruantur. Itaque sufficiat nobis, quod scimus, Christum venisse, vt nos vocet non ad satisfactionem, sed ad pœnitentiam, sicuti omnes tres Euangelistæ vno ore testantur. 5. Denique etiam hæc consolatio ex tota hac actione desumi potest: quod quemadmodum Christus hic discipulos suos aduersus cauillationes & reprehensiones Scribarum tuetur: ita adhuc hodie eodem officio in cœlis ad dextram Patris fungitur pro omnibus, qui vera fide ipsum sequuntur. Etenim antiquus serpens, Satanas, accusat nos in conspectum Dei nostri die ac nocte, Apoc. 12. verſ. 10. nec tantum peccata & defectus nostros isthuc defert, sed & recte facta atque pietatem, vnde & διάβολος dicitur, calumniator, sicuti fecit pio Iobo, cap. 1. v. 9. Et si per ipsum staret, singulis momentis Dei indignationem aduersus nos prouocaret. Sed hæc est consolatio nostra, quod apud Patrem habeamus fidelem aduocatum, Iesum Christum, 1. Iohann. 2. verſ. 1. Quis ergo nos condemnabit? Christus Iesus pro nobis mortuus est, imò & resurrexit, & est ad dexteram Dei, vt interpellet pro nobis. Et hæc de conuiuio Matthæi.

Quæstio discipulorum Iohannis & Pharisæorum de Ieiunio.

Pergunt Scribæ & Pharisæi, de quo etiam cap. 43. *Harm.* ex 9. cap. Matth. dictum est, ostendere, qua de causa frequenter vndique, non tantum ex Galilæa, verum etiam Hierosolymis, conuenerint Capernaumi: nimirum, vt cursum ministerij & doctrinæ Christi quoquo modo impedirent. Quia igitur illi in præcedenti disceptatione erant reiecti, at vero magna authoritas erat nominis Iohannis Baptistæ apud populum: nunc secundo discipulos eius sibi adiungunt, an fortassis authoritate Iohannis Christum prægrauare queant. Et quidem cum discipuli Iohannis hoc primo in consimili materia de purificatione tentarent atque Christo inuidiam conflare vellent, reprehensi sunt à suo Magistro, Iohann. 3. verſ. 25. sicuti prolixe hoc explicatum est, in 30. cap. Harmon. huius. Nunc vero, quia Iohannes est in carcere, neque eos coram compescere poterat, alia ratione idem tentant. *Disceptationis* autem status hic erat. Deus ipse in Lege *præscripserat* populo suo ieiunium, sed nullum amplius quàm vnius diei, mense septimo, decima die mensis, in ipso festo expiationis, quo die animas suas affligere & ab omni cibo & potu abstinere debebant, vsque ad vesperam, sicuti scribitur Leuit. 16. verſ. 29. & 23. verſ. 27. Erat autem Leuiticum ieiunium à Deo institutum in eum finem, Quia illo die tota Ecclesia conueniebat, & publica pœnitentia peccata sua confitebatur ac deplorabat, atque eorum remissionem propter futuram Messiæ expiationem ardentibus precibus à Deo petebat, *hic* ritus ieiunij adiectus fuit, vt intentio animi, in illo pœnitentiæ & orationis exercitio, excitaretur, augeretur, retineretur. Et ne alij alios in illa intentione turbarent, toti *populo hoc ieiunium* fuit iniunctum, sub pœna *exterminij ex suo populo.* Postea vero Iudæi plura ieiunia *ex seipsis* instituerunt, de quibus Iesaias prolixe agit, cap. 58. verſ. 3. Et habuerunt eorum quædam probabilia initia, vt patet ex Zach. 7. verſ. 5. & 8. verſ. 19. Quia enim Rex Babyloniæ cœperat oppugnare Hierosolymam mense decimo, & mense quarto ceperat ciuitatem, quam mense quinto desolarat, & mense septimo interfectus fuerat Godolias; vt igitur memoria harum calamitatum esset commonefactio de pœnitentia, singulis annis illis mensibus ieiunium seruarunt, quandiu durauit captiuitas Babylonica. Ita Ester 9. verſ. 31. Iudæi ex constitutione Mardochæi receperunt ieiunium duodecimi mensis, ob recordationem calamitatis, quam tunc ab Hamano *impendentem* Deus auerterat, sed cum post reditum *Iudæi interrogarent*, vtrum annua hæc ieiunia obseruare deberent, Deus per Prophetam ipsis respondit: eos, siquidem *ieiunia illa* ex traditione humana & opinione cultus susceperint, non sibi ieiunasse, imo testatur illa ieiunia in gaudium & iucundas solennitates commutandas esse, si modo veritatem & pacem diligant, Zach. 8. verſ. 19. Nihilominus tamen Pharisæi ex simulato pietatis studio, non tantum illa ieiunia reseruarunt, sed & plura addiderunt, ita, vt ille in Euangelio, Luc. 18. verſ. 12. gloriatus sit, se bis singulis hebdomadibus ieiunare, *idque* faciebant singulari cum solennitate, sicuti Christus Matth. 6. verſ. 16. pluribus de eo disseruit. Habebant igitur discipuli Iohannis, vt alios quosdam pædagogicos ritus, ita etiam ieiunia & precationes cum Pharisæis communes: siue illos ritus Baptista ob austeriorem suam vitam retinuerit, siue, quod Christi responsio velle videtur, ipsi κακοζηλίας eos adsciuerint, vt eo minus à Pharisæis dissentire viderentur. Coniunctim igitur Christum aggrediuntur, & obiecta ipsi authoritate, tum Pharisæorum tum præceptoris sui Baptistæ, hanc quæstionem proponunt. *Quam ob causam nos & Pharisæi ieiunamus crebro & plerunque, & deprecationes facimus: discipuli verò tui non ieiunant, sed edunt & bibunt?* Exprobrant Christo hac quæstione singularitatis studium, quod nec cum Pharisæis nec cum Iohannitis consentire velit, sed tantum dissentiendi studio ab vtrisque diuersum feratur. Adhæc, quod discipulos suos sine disciplina liberos vagari permittat, ex quo conijcere liceat, parum eos apud hunc Magistrum proficere. Imo non tantum ieiuniorum intermissionem, sed & gulæ atque crapulæ studium ipsis exprobrant.

Videmus

Videmus hic. 1. in Scribis ingenium hostium veritatis, qui semel atque iterum etiã cum ignominia repulsi, tamen veritati se opponere non desistunt, & subinde nouas occasiones eam oppugnandi quærunt. Sic illi à Christo ita solide refutati, vt ne contra quidem hiscere potuerint, nunc, vt contemptum apud plebem declinent, & ne soli Christo contradicere videantur, Iohannis Baptistæ, qui tamen Christo amicissimus erat, discipulos sibi adsciscunt, eosque contra Christum armant. 2. In discipulis Iohannis videmus, si qui non solidum fundamentum in religione habent, quid illis accidere soleat. Fluctuant illi instar paruulorum, & facile quouis vento doctrinæ circumferuntur in nequitia hominũ, ad circumuentionem erroris, Ephes.4.v.14. & permouentur, vt veritati se opponant. Maxime autem illud fit, quando animi ipsorum cęca aliqua æmulatione & inuidia aduersus sinceros Doctores sunt occupati. Sic Iohannitæ Christi æmuli erant, & indigne ferebant ipsum suo præceptori præferri: iccirco facile se permoueri patiuntur, vt ipsi se opponant. Quãquam merito ipsos absterrere debuisset, quod sciebant, Pharisæos quidem à Baptista damnatos, Iesum autem ab ipso tãquam Dei agnum digito monstratum & commendatũ fuisse. Sed quid non facit inuidia? Ex hac cæca æmulatione etiam Corinthi inter eos, qui solido religionis fundamento destituebantur, sectæ & schismata oriebantur, 1.Cor.1. ver.11.& 3. v.3. Sic in Actis cap.15.vers.1. quidam ex credentium numero, qui de doctrina Iustificationis non recte instituti erant, prodierunt, & Paulum nocentissimo illo dogmate, de necessitate Circumcisionis & reliquarum ceremoniarum Legis Mosis oppugnarunt. 3. In Christo verò Iesu videmus, quæ sit sors veritatis. Male alioquin inter se conuenit hostibus veritatis, qui ob diuersos animorum suorum affectus in diuersissima etiam studia trahuntur. Sed quando oppugnandus est Christus, tum arctissimus inter ipsos est consensus. Sic Marc.3. v.6. Pharisæi & Herodiani, qui alioquin capitali inter se dissidebant odio, aduersus Christum conspirarunt, sicut id explicatum est, cap.49. Harm. Sic Mat. vers.22. ver.34. Pharisæi succenturiati succedunt Sadducæis, cum de opprimendo Iesu ageretur. Denique Pilatus & Herodes, qui prius capitales inimici erant, subito amici facti sunt, cum occidendus esset Iesus, Luc.23.v.12. Ita hodie fere potentissimi reges, qui se inuicem indesinenter mutuis bellis diuexant, vnanimi studio in opprimenda doctrina Euangelij ducuntur. Sed nos propterea animo non deiiciamur. Vincit enim & triumphat vbique veritas, etiam quando hostes maxime sunt concordes: Quod præsens historia luculenter docebit.

Est ergo Christi responsio diligenter obseruanda. Nam adhuc hodie in Ecclesia agitatur illa quæstio: an non inter Christianos debeant esse certa tempora ieiuniorum. Maxime quia iam à mille annis & amplius, variæ Leges & opiniones de ieiuniis, quadragesimali & quatuor temporum, per Pontificum & Conciliorum decreta, sunt introductæ. Sed Christus sua respõsione diserte nos docebit, se in Nouo Testamento nihil huiusmodi statuere, neque tale quid discipulis & sectatoribus suis iniungere velle. Vestit autem suam responsionem similitudine nuptiarum ea de causa, vt Iohannitis in memoriam reuocet doctrinam sui Magistri, qua Ioh. 3.v.29. discipulos suos à se ad Iesum remisit, tanquam ad verum Messiam, cui soli Deus pater totam Electorum Ecclesiam desponsarit & coniunxerit. Tempus Noui Testamenti passim in Euangeliis nuptiis confertur. Matth.22.v.2.& 25.v.10. Luc. 12.v.36. eo quod Deus vel tandem promissiones suas exoluerit, & filium suum quem Iudæis & gentibus sponsum condixerat, in mundum miserit, qui in sanctissima sua carne Patri suo pro totius mundi peccatis satisfaciens, lauacrum aquæ in verbo parauit, per quod sponsa sua mundaretur & sanctificaretur, vt postea per ministerium verbi casta virgo adducta sibi in æternum desponderetur, 2.Corinth.11. vers.2. Os.2.vers. 19. Etsi ergo plena deductio sponsæ in domum sponsi, quæ deductio, Apoc.19. versic.7.& 9. nuptiæ agni dicitur, demum in nouissimo die futura est: totum tamen illud tempus, ex quo sponsus hic in mundum natus, ipse per ministerium verbi regni cœlorum initium fecit, atque redemptionis humanæ opus perfecit, tempus nuptiarum dicitur. Habent autem tam sponsus quàm sponsa in nuptiis suos amicos & inuitatos concines, qui hic vocantur υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, *filij thalami*, verius quam filij sponsi. Νυμφὼν enim significat thalamum sponsalem. Et intelliguntur illi, qui sponsis adeo sunt familiares, vt etiam intra thalamum sponsalem admittantur. Quales Christo sunt, non tantum discipuli, qui Iohan.3.v.29. amici sponsi dicuntur; sed & omnes verbi ministri, quorum opera Christus in colligenda Ecclesia Noui Testamenti vtitur. De his pronunciat Christus: Quemadmodum nuptiis, & iis qui vocati sunt ad nuptias, vt sponso & sponsæ ministrent, non conuenit, vt ieiunent & lugeant: Ita meis discipulis, & reliquis quoque quibus in mea adducenda sponsa vtor, ieiunium & luctus non conueniunt, quamdiu ergo præsens ipsis adsum, eos seruo, defendo, & ministerio ipsorum felicem successum largior. Coniungit autem Christus luctum & ieiunium propterea, quia ex sacris patet, quod veteres, in magnis calamitatibus vel præsentibus, & in luctu, adhibuerint ieiunia cum cæteris signis externis luctus, vt essent commonefactio, non tantum propter ipsas calamitates, quę nos premunt, dolẽdum esse, sed debere esse calamitates conciones Legis, admonentes nos de ira Dei aduersus peccata, vt tanto plus ad pœnitentiam compellamur. Dicit ergò filios nuptiarum certis legibus ad statos dies ieiuniorum non esse adigendos: Ideo valde emphatice apud dicit: *Non potestis facere, vt filij thalami, dum cum illis est sponsus, ieiunent*. Itaque hic Christus vno ictu prosternit omnia illa decreta, quæ per mille & plures annos Pontificij de ieiuniis & certo ciborum delectu accumularunt, & quæ iidem adhuc hodie mordicus retinent & tyrannice vrgent, quasi in iis magna pars pietatis & veri cultus diuini consistat. Nam quod Christus de filiis thalami, hoc est, verbi ministris dicit, illud etiam de tota communione credentium intelligendum est. Siquidem sponsæ multo minus conuenit in nuptiis lugere & ieiunare, quàm reliquis inuitatis: maxime huic sponsæ, quæ ex summis miseriis, cum in sanguinibus suis volutaretur, & iamiam peritura erat, erepta & sanguine spõsi sui abluta, ac Spiritu sancto, vero lætitiæ oleo, magnifice vncta, huic suo sponso iuncta & sociata est. Iccirco Psalmista non immerito ipsi dicit: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: & rex concupiscet decorem tuum. Adducantur regi virgines in lætitia & exultatione: adducatur in templum regis, Psal.45.v.11. Hoc respõso Christi Domini nostri nos tueamur aduersus obtrectationes & condemnationes Pontificiorum, qui veram pietatem, iuxta externam laruam metientes, iugum ieiuniorum adhuc hodie, contra Christi voluntatem, ceruicibus discipulorum imponere conantur.

Quid ergo? Num in Nouo Testamento crapulæ, ebrietati & comessationibus indulgendum, & penitus atque in vniuersum à ieiuniis abstinendum? Equidem deperdita nostra caro, quæ tantum ventri vult studere, hoc modo solet ad extrema deuiare, vt quando à dextris depulsa est à superstitiosa ieiuniorum obseruatione, mox à sinistris deflectit ad γαστριμαργίας, & luxuriæ vitium. Christus vero, dum superstitiosa illa & stata ieiunia reiicit, non prorsus omnia tollit, sed dicit: *Venient dies cùm auferetur ab eis sponsus, & cum ablatus fuerit ab eis sponsus, tum ieiunabunt in illis diebus*. Hanc sententiam Montanistæ ita interpretati sunt, vt ex Tertulliano, qui ad illam sectam desciuit, Eusebio & aliis patet, quasi post ascensionem Christi Pharisaica ieiunia in Ecclesiam Christi essent introducenda, eo quod sponsus iam esset ablatus. At vero Christus non ita ascendit in cœlum, vt sponsam suam deseruerit, cui dixit Matth.28.ver.vlt. ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Nisi ergo statuere velimus, dies nuptiarum Christi cum Ecclesia iam esse finitos, neque amplius Christo sponsam adduci, iungi, despondere, necesse est aliam verborum illorum esse sententiam. Ea, vt ex Circumstantiis colligere licet, hæc est, vt Christiani sese accommodent temporis conditioni, quam & qualem Deus immittit. Mundus non potest se recte accommodari tempori, & neque secundis, neque aduersis rebus recte secundum voluntatem Dei vti. Impij in nuptiis, hoc est, quando prospera sunt tempora, helluantur, ita vt insaniant: in aduersis autem animum despondent. Hypocritæ in nuptiis lugent, hoc est, non vtuntur bona hora, sed ipsi sibi crucem imponunt. Christus ergo vult, vt pij lætentur, quando Deus concedit nuptias, hoc est, læta tempora, iuxta illud: Tu quamcunque Deus tibi fortunauerit horam, grata sume manu. Postea quando aufertur sponsus, hoc est, quando obiiciuntur aduersitates, tum sint patientes, orent, Deum inuocent, & vt preces sint ardentiores ieiunia adiungant. Hic est simplicissimus horum verborum sensus: quem Paulus exprimere voluisse videtur, Rom.12. versic.11. cum scribit, vt pleraque exemplaria legunt: τῷ καιρῷ δουλεύοντες, tempori seruientes. Et Ephes.5. versic.16. ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Lutherus noster vtrobique recte reddidit. *Schicket euch in die zeit*. Quomodo autem illud sit faciendum, Paulus ipse suo exemplo monstrat, dum Phil.4. ver.11. scribit, se didicisse ἐν οἷς εἰμι αὐτάρκης εἶναι, probe contentum in omnibus in quibus sit, & quæcunque Deus immittat. Scio, inquit, & humiliari, scio & abundare: & satiari, & esurire: & abundare & penuriam pati: Christi itaque propositum non est, in Nouo Testamento inter Christianos ieiunia penitus tollere & prohibere. Quomodo enim sit ieiunandum, vt pater cœlestis videat & rependat, supra cap.51. Harm. pericop. 6. ex 6. cap. Matthæi docuit. Sed hoc tantum vult, ieiu-

nium non debere esse alligatum certis legibus, ad stata tempora opinione necessitatis & cultus. Crux vero, inquit, & negotiorum grauitas præbebunt occasionem & monstrabunt tempora ieiunandi. Quemadmodum ergo ex Veteri Testamento constat, sanctos & pios Dei homines ieiunasse, vel quando insignis aliqua calamitas accepta erat, vt Iud.20.v.36. in clade Israelitarum à Beniamitis, Ioel. 2. ver. 15.Neh.1.ver.4. quando magnum periculum imminebat, vt 3.Reg.21.versf.9. sub Achab, 2.Par.20.versic.3.sub Iosaphat,& Ion.3.ver.5.apud Niniuitas: vel in pœnitentia siue publica, siue priuata, vt 1. Reg.7.v.9. Israelitæ, 2. Reg.12.versf.16. Dauid,3. Reg.21.versf.27. Achab, vel quando in graui negotio ardenti intentione preces faciendæ erant, Dan.9.v.31. Esdr. 8.versf.21. Esth.4.v.16. vel in luctu, vt Dauid 2. Reg.3.ver.35. vel quãdo caro fuit coercenda,ne corporis repletio animi intentionem & actiones turbaret,vt Leu.11.versic.9.Sacerdotibus vini vsus interdictus fuit, quando ministerium suum peragebant in tabernaculo. In huiusmodi casibus, in Veteri Testamento, quando iustæ aderant causæ ieiunandi,tum fere vel publice indicebantur ieiunia, eaque vel à Prophetis,vt 1.Esd.8.ver.21. Iudith.4.v.8. vel à Magistratu, vt 2. Par.20 v.3. Ion.3.versf.5.Esther 4.ver.16. vel priuatim suscipiebantur,vt 2. Reg.12.ver.6.3.Reg.21.v.27. Dan.9.ver.3.& 10.ver.3. Cum igitur hæ sint iustæ causæ finales ieiuniorum, inde ab initio à Deo approbatæ. 1. Vt per subtractionem cibi & potus caro spiritui subiiciatur. 2. Vt animus ad serium pœnitentiæ exercitium excitetur. 3. Vt in luctu ac calamitatibus admoneamur de peccata, quod est causa omnium malorum. 4. Vt preces solennes eo ardentius à nobis peragantur. 5. Vt denique publici conuentus Ecclesiastici maiori cum animi deuotione peragantur. Christus hasce bonas & iustas ieiuniorum finales causas nequaquam in Nouo Testamento tollere, sed tãtum hoc cauere voluit,ne Christiani certis legibus & certo tempore ad ieiunia ista adigerentur: sed voluit ea esse liberæ obseruationibus, prout temporum, negotiorum & calamitatum necessitas illud tulerint. Et hanc esse Christi sententiam atque voluntatem, ipsi Apostoli suis exemplis commonstrarunt: qui nec ieiunia omnia respuerunt aut prohibuerunt, nec animos discipulorum certis legibus onerari permiserunt: sed pro re nata vel ieiunia indixerunt, vt Act.13.versic. 3.in ordinatione Pauli & Barnabæ, & Act.17.ver.22.in omnibus Ecclesiis: vel ipsi ea susceperunt, vt Paulus Act. 27.versic. 21. sicut etiam 2.Cor.6.versic.5.& 11.ver.27. de suis ieiuniis testatur, & 1.Cor.9. ver.vlt.castigo corpus meum,& in seruitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicauerim,ipse reprobus efficiar: vel ab aliis instituta approbarunt, 1. Cor.7. versic 5.

Porro illa omnia, quæ Christus de ieiunio, cui Apostoli & Christiani in Nouo Testamento non sint adstricti, disseruit, duabus similitudinibus tam probat quam illustrat. De quibus licet variæ sint variorum explicationes: sensus tamen simplex est & planus.

Prior similitudo, quæ desumpta est ex re vestiaria, hoc vult, non esse traditiones ieiuniorum, quæ introductæ sint, vel ex disciplina legali, vel ex constitutionibus maiorum, ac proinde ob antiquitatem interitui sint vicinæ, vt docet Epist. ad Hebr.cap.8.versf. vltim. assumendas nouitati Euangelicæ. Talem enim mixturam nihil prodesse, sed plurimum obesse. Sic enim etiam D. Hieronymus hanc similitudinem de vestimento veteri & assumento nouo interpretatur. ῥάκος ab ῥήγνυμι, amputo, significat partem aliquam panni. ῥάκος vero ἄγναφος vel ἄγναπτος est pannus, qui nondum expertus est γνάφεως, nondum curatus polituſque à fullone; vt panni vel noui adhuc & recens texti, vel etiam veteres, qui nondum sunt à sordibus repurgati nec interpolati. Marcus videtur τὸ πλήρωμα in nominatiuo casu posuisse, & τὸ πλήρωμα τὸ καινὸν, *supplementum nouum*, per appositionem grammaticam coniunxisse. Quando ergo dicit, *tollit supplementum nouum à veteri*, subaudiendum est, vel aliquid, vel partem aliquam *tollit à veteri*. Lutherus reddidit passiue vel neutraliter, *Es reisset ab*. Vult ergo Christus dicere: vt vestimento attrito & veteri non conuenit pannus nouus & rudis, hæc enim duo se mutuo ferre non possunt,& *fit scissura maior* ac deterior, ita patrum traditiones & antiquæ vestræ superstitiones non conueniunt doctrinæ meæ Euangelicæ, quas duas doctrinas si quis coniungere velit, nihil efficiet, quam vt turpem & deridendam diuersarum religionum confusionem introducat. Hanc Christi sententiam, qua & humanas traditiones laceræ vesti confert, & Euangelium suum cum traditionibus illis nequaquam coniungi posse asserit, probe notemus. Plurimis enim, quæ nobis ex Papatu obtrudi volunt, refutandis sufficit. Homo post lapsum iam coram Deo est nudus, & confusione plenus, sicuti non tantum Gen.3.versic.7. innuitur: sed & Ezech.16.versic.7. prolixe describitur, atque insuper Apoc.3.versic.18.monemur, vt vestimenta alba comparemus, ne confusio nuditatis nostræ appareat. Hic aliqui arripiunt veteres superstitiones & humanas traditiones, quibus seipsos vestire conantur. *Es ist aber eben als der sich mit alten Lumpen deckt.* Detrita enim vestis, nomen quidem habet vestis, sed rem ipsam non præstat, quando nec tegit, nec ornat, nec calefacit. Ita iustitia, quæ ex ieiuniis, peregrinationibus ad loca sancta & aliis externis traditionibus dependet, nomẽ quidem iustitiæ habet: sed reuera coram Deo nihil præstat eorum, quorum causa ista assumuntur, nam peccata nostra coram ipsius oculis, qui corda & renes scrutatur, non tegunt. Nos etiam coram ipso nequaquam ornare possunt; cum omnes iustitiæ nostræ sint instar panni menstruatæ, Iesa. 64. versic.6. Quis vero eiusmodi panno se ornaret? Denique etiam istiusmodi ceremoniæ omnes non possunt frigida nostra corda amore Dei inflammare, multo minus horrores conscientiæ sedare. Sed tantundem proficiunt huiusmodi assumenta centonum humanorum, quantum ficulnea perizomata Adami & Euæ, Gen.3.versic.7. Cum ergo nobis deberetur æterna confusio faciei, Dan.9.versf.7.eo quod turpitudinem nostram tegere non possemus: Deus pro nobis solicitus vestem parauit, qua induti coram ipsius facie absque rubore comparere possemus. Est illa obedientia Christi, eiusque meritum, quod firma fide apprehensum nobisque applicatum, ita nos vestit, vt inueniamur, non in iustitia nostra, quæ ex lege est, sed in iustitia fidei, quæ est ex Deo, Phil.3. versf.9. Hoc Iesaias cap.61.versf.10.vocat vestimentum salutis, & indumentum iustitiæ, quo Deus nos circundet & ornet, Christus Matth.22 versf.12.vocat vestem nuptialem, qua nos indutos esse vult, nisi ex cœlestibus nuptiis eiici velimus. Hoc vero vestimentum induunt, quotquot in Christo baptizantur, Gal 3.versic.27. Offertur ergo in Euangelio, in eius verbo & Sacramentis.

At vero interroget quis: Quare Christus in ceremoniis externis, qualia sunt ieiunia & eiusmodi alia, non quærit cõformitatem cum Pharisæis & Iohannitis? Sic enim plus proficeret. Ita quidem nobis videtur: sicuti sæpenumero Euangelicis obiicitur, quare non conformitatem aliquam in istis externis instituant cum Pontificis & aliis, sic enim eo plures Christo lucrifacerent? Sed Christus hic respondet, illud idem esse, ac si quis laceras & attritas vestes pannis nouis sarciret, quo ipso rupturæ maiores redduntur. Confirmat hoc Christi dictum ipsa rerum experiẽtia. Quid enim ex illa mixtura religionis Iudaicæ & gentilium, 4.Reg.17.versic.33. effectum est aliud, quàm abominandus *Samaritanismus? Et quid* profecit Iohannes eo, quod ad doctrinam Euangelicam sinceram, ob temporum iniquitatem, & quia vno momento non potuit omnes ritus abolere, assumsit & retinuit aliquas veterum traditiones, præterquam quod discipuli ipsius maiore cum difficultate & labore postea Christo adduci potuerunt, vt discerent, ipsum vnum nobis sufficere coram Deo ad iustitiam & salutem? Nemo ergò miretur, nos desperare de conciliatione inter superstitiones Pontificias & Euangelij. Quomodo enim inuocatio diuorum, sacra pro defunctis & alia eiusmodi coalescerent cum doctrina Euangelij, quæ vult vt vnum Deum inuocemus, & in solo sanguine Christi omnem spem salutis repositam quæramus? Cum ergo nulla sit consensio Christi & Belial: nulla societas lucis & tenebrarũ; nulla pars fideli cum infideli: 2.Cor.6.v.14. male feriatos eiusmodi conciliatores exsibilemus, procul à nobis abigamus. Stratum nimis est coangustatum, Iesa.28.versicul.20.vt angustiæ pectoris nostri non possint simul capere Christum & traditiones humanas. *Darumb so heist es: Allein mein: oder lass es gar sein.* Quanquam & hoc addi debet. Si in fundamento doctrinæ fidei sit concordia, diuersitatem obseruationum in huiusmodi ritibus vnitatem Ecclesiæ scindere non debere. Vnde veteres orthodoxi ex Irenæo memorabile habuerunt dictum, ad Victorem, Episcopum Romanum, Ieiuniorum dissonantia non rumpat fidei consonãtiam. Sed tamen ex his patet, facilime dissidium aliquod oboriri, sicubi in ceremoniis aliqua diuersitas animaduertimur. Siquidem hæc diuersitas in oculos incurrit, & simpliciores facile offendit. Sed de eo alibi pluribus.

Secunda parabola seu similitudo sumta est ex re vinaria, cuius quidem idem est sensus cum priore, præterquam quod damnum & iacturam, quæ ex mixtura veræ pietatis & adscititiorum cultuum prouenit, clarius demonstrat, & insuper rationem tradit, quare Christus nolit pleniùs cum discipulis Iohannis de libertate ieiunij disputare, eosque in suam sententiam protrahere. Nimirum, quia sint *vtres veteres, nondum purgati*, neque doctrinæ suæ Euãgelicæ capaces: ac proinde periculum subesse, ne & doctrina pereat, & ipsi ea abutentes deteriores efficiantur. Veteres vinum suum vtribus ex corio vel pellibus factis condebant, sicuti nos in doliis condere solemus. Iam vero vinum recens siue mustum, habet

bet innatum quendã & insitum calorẽ,cuius vi, dum seipsum à fecibus purgare vult, feruet & tumultuatur, vt vix vllis vasis contineri possit. Itaque veteres vtres sunt renouandi, & dolia pertusa atque vetustate corrupta reficienda, atque nouis circulis communienda, quando vinum nouum in ea recondere volumus: alioquin & vasa rumpunt, & vinum effunditur. Eadem est ratio doctrinæ Euangelicæ, quando incidit in animos vetustate consuetudinum & superstitionum præoccupatos & corruptos. Nam Euangelium per se recte vino confertur, non tantum propterea, quia sicut vinum, vt & alij terræ prouentus sunt Dei donum: ita etiam Euangelium ex singulari Dei gratia datur. Lex per Mosen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Ioh.1.v.17. Sed & hac de causa. Vinum, si rite bibas, lætificat cor hominis, Iud.9.v.13. Psalm.104.ver.15. & vires recreat: ita Euangelium, intra cordis recessus admissum conscientias læto salutis nuncio recreat, & animos ad firmum pietatis studium efficacissime excitat. Et quidem Euangelium hic dicitur, *vinum nouum* siue *mustum*, nõ quod sit noua doctrina, nuper introducta. Illud enim iam olim in Paradiso ab ipso Dei filio, statim post lapsum, primis parentibus est annunciatum, Gen.3.ver.15. Sed respectu veteris nostri Adami & corruptæ naturæ, cui hæc doctrina noua videtur, vtpote naturæ incognita, tanquam mysterium abscõditum à seculis, Col.1.vers.26. Hinc etiam fit, vt Euangelium, quando hominibus prædicatur, quorum animi non sunt per Spiritum Domini renouati & à veteribus superstitionibus expurgati, idem ei accidat, quod musto in dolia pertusa recondito. Mustum feruet, vasa perrumpit & effunditur, atque sic vtraque pereunt. Sic Euangelium feruore Spiritus corda hominum aggreditur, & illa tota etiam in Spiritum commutare conatur. At quando animi sunt carnales, tum non possunt capere quæ sunt spiritus, 1.Cor.2.v.14. Vnde duplex iactura oritur. Primo quidem *vinum effunditur*, quod fit, dum homines isti doctrinam Euangelij, quia cupiditatibus ipsorum aduersatur, & ipsi reiiciunt, & simul faciunt vt Euangeliũ propter ipsos etiam apud alios male audiat, sicque omnium ludibrio exponatur, & quantum quidem in ipsis est, pereat. Deinde vero *vtres disrumpuntur*, hoc est, homines isti pereũt, dum paulatim in Epicureismum deficiunt, omnis religionis manifesti hostes fiunt, & talem sibi Deum fingunt, qui religionum confusionem non curat. Qua opinione nulla perniciosior in genere humano esse potest.

Ex his vero omnibus Christus, vt Lucas annotauit, aliud simile infert, quo Iohannitas propius ferit, inquiens: *& nemo qui biberit vetus vinum statim vult nouum. Dicit enim, vetus melius est.* Vult dicere. Idem vobis, quoad meam doctrinam, accidit, quod iis qui vino veteri & leniori assueuerunt. Vt enim illi vinum nouum, etsi est generosius, minus ferunt, eo quod acorem quendam habeat, & gustum acutius penetret: Ita vos, qui assueuistis patrum traditionibus, & superstitionibus, quæ ad pompam & ostentationem coram hominibus sunt compositæ, meam doctrinam, quæ humilis quidem est & simplex, in hominum tamen animos ita penetrat, vt totius hominis innouationem requirat, admittere non potestis, quia vetera illa vobis longe magis allubescunt. Ideirco exuendus est ille vetus animus & inueteratæ consuetudini renunciandum, si in vera pietate proficere velitis.

Præbet hic locus nobis occasionem cogitandi de nostro seculo: vnde proueniat generalis illa corruptio morum apud plerosque, & quodnam remedium malo illi adhiberi queat. Regnarunt apud maiores nostros in Ecclesia Christi, inde à multis seculis traditiones humanæ, cum variis superstitionibus & ritibus à Pontificibus Romanis & eorum parastatis introductæ, quibus omnibus hominum animi, tantum ad superficiariam aliquam religionis speciem, quæ ad ostentationem comparata erat, & aliorum hominum oculis satisfaciebat, assuefacti fuerunt. Sed Deus ex singulari gratia mundo rursus largitus est mustum Euangelicum, sinceram doctrinã, quæ licet eadem sit cum Prophetarum oraculis & Apostolorum concionibus, tamen quia mundo per multos annos ignota fuit, passim nouitatis nomine traducitur. Hæc doctrina inter alios articulos nobis etiam concionatur de libertate Christiana, & docet nos coram Deo iustos fieri & saluari, non obseruatione ieiunij quadragesimalis, non per bona opera, Eleemosynas, peregrinationes, confessionem auricularem, & sexcenta alia, quæ tyrannis Pontificia in Ecclesiam Christi inuexit: sed ex sola gratia & misericordia Dei, quam Christus suo merito & indebita passione nobis acquisiuit, nosque firma fide apprehendimus. Nam Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum recipiant per nomen eius omnes qui credunt in eum, Act.10.ver. 43. Et per hunc annunciatur non tantum remissio peccatorum, sed & ab omnibus, quibus non potuimus iustificari in Lege Mosis. In hoc omnis qui credit iustificatur, Act.13.v.38. Hæc doctrina veram & solidam consolationem præbet cõscientiis sensu iræ Dei aduersus peccata grauatis, & corda hominum non tantum in omnibus aduersitatibus, sed & in media morte recreat, vt cum pace ex hac vita discedant, scientes, quod certo propter Christum habeant vitam æternam, nec veniant in iudicium, sed à morte transeant in vitam, Iohan.5. ver.24. Cum vice versa reliqui, qui traditionibus illis humanis inhærent, reuera omni consolatione destituantur, & si maxime non desperent, tandem tamen ita ex hoc mundo emigrant, vt incerti sint, vtrum in cœlum, an in infernum, an verò in fictitium purgatorium sint deuenturi. Quæ maior bonitas nobis à Deo obtingere potuisset? sed quid fit? Corda plerorumque, qui Euangelij doctrinam audiunt, sunt instar veterum vtrium vel doliorum, quæ vel Papistica superstitione adhuc sunt imbuta, vel ad effrenem peccandi libidinem propendent. Vnde euenit, vt alij quidem Papatum deserant, nõ amore sinceræ pietatis, sed tantum vt excutiant durum iugum tyrannidis, obseruationem ieiuniorum, largitionem Eleemosynarum, grauem disciplinam operum, sicque licentiosius viuant, genio indulgeant, neque disciplina Ecclesiastica amplius coerceantur. Hi libertatem Christianam conuertunt in licentiam carnis, habentes eam velamen malitiæ, quod tamẽ Petrus prohibuit, 1.Epist.c.2.v.16. Alij vero varias conciliationes doctrinæ sincerioris & Papisticæ instituunt, pannum hũc nouum centonibus suis attritis assuentes, & vinum recens in veteres vtres condentes, ne errores & superstitiones eorum acrius & iusto feruore Spiritus arguantur. *Das flickwerck taug nichts.* Nam vinum nouum feruescit, ebullit, & vtres rumpunt, ac vinum effunditur. Posteriora fiunt peiora primis. Homines degenerant in contemptum religionis, & nec Euangelium audire, nec nouas leges, quibus morum licentia frenetur, admittere volunt, sed in plusquam Cyclopum verbi Dei contemptum ruunt, quotidie in peius proficiunt, donec ex iusto Dei iudicio in reprobum sensum tradantur, atque sic passim Epicureismus introducatur. Quale vero remedium rebus hisce deprauatis adhiberi debeat, nos conuenientius non inueniemus, quam quod Christus hoc in loco monstrat, dicens: *vinum mustum in vtres nouos mitti debet, & vtrasque conseruantur,* Monet animos auditorum Euangelij ab affectibus carnalibus, vitiis, idolomania & omnibus superstitionibus purgandos & reformandos, atque Spiritu pœnitentiæ & seriæ conuersionis innouandos esse: tunc erunt capaces nouæ doctrinæ. Qua in parte diligenter operam nauabunt verbi administri & Ecclesiarum pastores. Hi non tantum cauebunt, ne ipsi aliquid superstitionum & humanorum dogmatum sacræ doctrinæ admisceant: sed & apud auditores instabunt, vt omnem vetustatem opinionum & carnis deponant. Proxima cura pertinet ad eos qui magistratum gerunt, vt à verbi ministris admoniti, è medio tollant omnia, quæcunque ab hominibus præter verbum, siue in doctrina, siue in moribus sunt inuecta. Qua in re sanctissimorum Regum, Ezechiæ, Iosiæ, ipsius etiam Iehu, exempla habent imitanda. Inprimis autem ex vtraque parte, qui aliis, siue in Ecclesiastico siue in politico ordine præsident diligenter rationem habeant iuuentutis. Nam qui in superstitionibus à pueris sunt enutriti, & in iis quasi inueterati, illi difficillime veritati locum dant. Vicissim autem tenelli & nouitij puerorum animi facile formari, & veritatis cognitione ita imbui possunt, vt ne in vltima quidẽ senecta quod recte perceperunt sibi erui patiantur. Quapropter illi pastores omnium maximam laudem merentur, qui Catecheticam doctrinam pueris diligenter inculcant: siquidem per omnem vitam, in Ecclesia, Repub. & œconomia, plurimum prodest, si iuuentus recte formetur & recens testa bono odore imbuatur.

Ita videmus valde memorabilem esse hanc Christi disceptationem cum discipulis Iohannis, quibus se Pharisæi coniunxerant. Vt enim præcaueret ad omnem posteritatem, ne in Nouo Testamento leges conderentur, vel de temporibus ieiuniorum, vel de qualitate cibi, & postea suis Christianis opinione necessitatis, meriti vel supererogationis obtruderentur: simpliciter discipulis suis imitationem exempli Iohannis noluit iniungere, sed potius ostendit illud pertinere ad vetustatem Veteris Testamenti, quæ non assuenda sit libertati noui Testamenti. Imo ipse Christus, propter hanc ipsam causam noluit rationem victus, à Baptista seruatam imitari: sed maluit in collatione ad Baptistam, homo vorax & potator vini à Pharisæis vocari, vt ostenderet, nec in abstinendo nec in manducando iustitiam Euangelij sitam esse, sicuti Augustini glossa tradit.

CAPVT LXVII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DE RESVSCITATA FILIOLA Iairi & sanata Hæmorrhousa. Matt. 9. Marc. 5. Luc. 8.

RATIO ORDINIS.

De hac consecutione nulla potest esse dubitatio. Etenim de eo consentiunt tres Euangelistæ, continuo ordine subsecuta tria ista, trāsfretationem, dæmonum expulsionem, & filiolæ Iairi resuscitationem: nisi quod Matthæus interserit de suo conuiuio, déque iis, quæ illic dicta sunt & facta, quæ etiam in medio cursu istarum historiarum acciderunt, sed à reliquis extra suum locum alibi recitata fuerant, ideoque ab illis in hoc ordine prætermissa sunt. In primis autem hunc ordinem confirmat Matthæus, qui disputationi Christi cum discipulis Iohannis hæc verba subiungit: *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus accessit*, quibus innuit, eodem loco & tempore factum esse, quod iam sit narraturus.

Tantum hoc difficultatem quandam obiicere videtur, quod quemadmodum quidam superiores historias distinguunt, ex vna facientes duas: ita dicunt etiam hanc vtranque de resuscitata puella & sanata Hæmorrhousa apud Matthæū, diuersissimam esse ab illa, quam Marcus & Lucas narrant, vt opera nobis danda sit, quo & hic probemus, vbique esse eandem. Primum Argumentum probandæ diuersitatis sumptum est à loco. Matthæus scribit, Primatem venisse ad Christum, discumbentem adhuc in conuiuio, aut certe ad minimum versantem in ædibus aut circa ædes Matthæi, & disputantem cum discipulis Iohannis, quod impossibile est Matthæum potuisse obliuisci. Marcus autem & Lucas dicunt Iairum venisse, cum is adhuc esset circa mare, quod tum recens traiecerat. In quo credibile est ipsos simul errasse, non profecto dissensuros à Matthæo, nisi reuera aliam historiam describendam sumsissent. Responsio, Certum est, Matthæum exquisita notatione ordinis subiungere suo conuiuio, quomodo ad Dominum illic adhuc versantem primas iste venerit: cui reliqui nihil contrarium nec ab eo diuersum dicunt. Marci enim verba sunt: *Cum Iesus rediret*, &c. *congregata est ad eum multa turba, & erat ad mare.* Matthæus autem illud explicat, vbi congregata sit, & quomodo fuerit ad mare congregata scilicet ad domum Matthæi, siue prope eius telonium, quod ad mare situm erat, vt Marc. 2. vers. 13. & 14. manifeste indicatur. Lucas vero etiam manifestius: *Turba excepit eum. Expectabat enim ipsum.* quod item Matthæus explicat, turbam publicanorum ipsum expectasse, & excepisse eum gaudio, domi scil. Matthæi; postea sensim reliqua turba etiam est aggregata.

Secundum argumentum est à diuerso tempore: quia Marcus & Lucas cum Matthæo de tempore vocationis ipsius consentiunt, & tamen Iairum longe post ad Christum venisse dicunt, cum Matthæus primatem suum sub ipsum conuiuij tempus affuisse tradat. Hæc ratio pro fundamento assumit hoc αἴτημα, quod Euangelistæ nihil extra suum locum & verum ordinem scripserint, nihil per anticipationem, nihil per Recapitulationem. Quod quam solidum sit, iam aliquoties est indicatum. Et obseruatio Circūstantiarum ostendit, Matthæum historiam sui conuiuij suo loco recitantem de vocatione sua rememorasse, quæ tamen cum conuiuio simul facta non est: vt & reliqui suo loco narrantes de vocatione Matthæi, mox subiungunt de ipsius conuiuio, quod neque ipsum simul factum est cum eius vocatione, sed longe post secutum, eo scilicet tempore, quod proxime præcessit resuscitationem filiæ Iairi: cui ordini non obstat, quod Marcus & Lucas alio loco conuiuium Matthæi recensent. Obseruanda enim sunt vocabula in Euangelistis, quæ certam tēporis & ordinis notationem continent, quæ sicubi extant apud aliquem Euangelistam, ad illius ordinem accommodandæ sunt descriptiones reliquorum, si videntur in ordine historiarum dissentire. Extat autem hic apud Matthæum exquisita (vt dictum est) ordinis notatio, quæ non item extat apud reliquos, quid proxime post ipsius conuiuium secutum sit, resuscitatio scil. filiolæ primatis. Extat item apud reliquos diserta notatio, quæ non extat apud Matthæum, quando is vocatus sit: vnde apparet, vocationem istam & conuiuium diuersis temporibus accidisse, nec vocationi subiungenda esse ea, quæ Matthæus ipse subiungit, nec cum conuiuio coniungenda ea, quæ continuo post addunt Marcus & Lucas: sed post vocationem collocanda ea, quæ mox subiungunt Marcus & Lucas: post conuiuium autem ea, quæ Matthæus post accidisse dicit.

Tertium argumentum est, quia diuersæ sint personæ: eo quod Matthæus agat *de Primate*, quem ἄρχοντα vocet, id est, Magistratum, gerendæ Reipub. præfectum: Marcus autem & Lucas agant *de Archisynagogo*, id est, Magistro ceremoniarum. Sed neque hoc est firmum. Est enim quidem vox ἄρχων, aliquando appellatio Magistratus politici, vt Gen. 12. v. 15. & 34. v. 2. 2. Reg. 10. v. 3. Sed & inter Leuitas ac Sacerdotes fuerunt ἄρχοντες, vt patet ex 1. Par. 15. v. 5. & aliis versibus. Quin & Nicodemus, qui certe non fuit princeps politicus, sed & Magister in Israel, vocatur ἄρχων, Iohan. 3. v. 1. & Luc. 14. v. 1. vocatur ἄρχων τῶν φαρισαίων, Iohann. 7. ver. 48. qui in Concilio congregati sunt Pōtifices & Pharisæi, vocantur ἄρχοντες, penes quos erat potestas iudicandi in negotiis religionis & excommunicationis, ius item prehensionis. Et quia Marcus & Lucas diserte dicunt, hunc Iairum non fuisse politicum principem, sed præfectum Synagogæ, intelligendum est etiam Matthæū de tali primate loqui, qui fuerit Magister ceremoniarū.

Quarto, quia res ipsa sit longe omnium diuersissima. Nam Primas apud Matthæum venit ad Christum, cum filia eius iam plene mortua esset, venit cum magna spe & fide singulari, rogans vt mortuam resuscitet: Iairus autem venit, cum filia eius adhuc viueret, infirmus in fide orans, vt morti vicinam sanet, & in vita conseruet, abiecta spe, territus audito nuncio de filiæ morte, nisi Dominus ipsum consolando erexisset. Respondet Augustinus, Matthæum breuitatis causa hoc potius dicere voluisse, rogatum esse Dominum, quod eum fecisse manifestum est, vt scilicet mortuam suscitaret: atque sic attendisse non verba patris de filia sua, sed quod potissimum est, voluntatem: & talia verba protulisse, qualis voluntas erat. Marcum itaque & Lucam posuisse, quid dixerit Iairus: Matthæum autem, quid voluerit & cogitarit: sed de hoc ipso commodium dicemus paulò post, in ordinatione textus Harmonici. Quanquam Lucas cum Matthæo satis probe consentiat, testificans puellam ita morti vicinam fuisse, cum pater pararet abire ad Iesum, vt interim, dū ipse iret, illa moreretur. Inquit enim: *καὶ αὐτὴ ἀπέθνησκεν, & ipsa moriebatur.*

Quinto conueniebat, vt Christus, qui duos è virili sexu à morte excitauit, duas item fœminei sexus personas è morte reuocaret, ne is sexus vlla in re apud ipsum deterioris conditionis esse videretur. Sed vel centum fœminas Dominus excitauerit, non tamen omnium sanorum iudicio ex eo sequetur, has esse duas diuersas historias. Potest enim sic existimari, ipsum reliquas aliis locis, aliis item temporibus excitasse, si quas excitarit. Et de duobus illis è sexu virili extant manifestissimæ diuersitates temporis, loci, personarum, quæ si hic quoque extarent, crederemus duas esse diuersas puellas. Non autem extant: Vna est ergo puella: nec id male conuenit sexui fœmineo. Non enim illi bene conuenit, quod nos conuenire putamus: sed quod Deus facit & docet. Manet igitur fixum, Marcum & Lucam non aliam describere historiam Archisynagogi, quàm Matthæum Primatis.

Sed & de Hæmorrhousa, quod interea accidit, nonnulli diuersum faciunt apud Matthæum, ab eo quod recensent Marcus & Lucas. 1. Quia nihil mirum sit vtrobique talem fœminam attactu vestium sanatam, cum potuerint eodē modo sanari innumeræ. Sed id nihil probat. Esto enim, sanatæ sint à Domino vel mille mulieres occulto vestium Christi attactu: tamen nemo sanus credet, inter istas omnes diuerso tempore, duabus aliquibus diuersis, ita potuisse similiter eodemque modo omnia euenire, quemadmodum his euenerunt, si sunt istæ duæ diuersæ fœminæ, vt scilicet Dominus commodùm fuerit vtroque tempore non in Synagoga, non in conuiuio, non in naui, sed in via, non cogitans alio, sed pergens ad excitandum quempiam mortuum, eumque non virum, non fœminam, non adolescentem, sed puellam annorum duodecim, non plurium, nec pauciorum, non orbam, sed filiam, non viduæ, non hominis vulgaris, sed gerētis magistratum, excitaturus non sua sponte, nec casu superueniens, sed rogatus, non ab aliis, sed ab ipso patre: Vt ipse itē duæ

duæ fœminæ duodecim annis, non pluribus nec paucioribus laborarint, non podagra, non paralysi, non cæcitate, sed profluuio sanguinis: vt intra se cogitarint, non de alio, sed de tangendis vestibus, easque attigerint non à latere, non à fronte, sed à tergo, Domino non discubente, sed ambulante, non alibi, sed in media turba, vnde mox perrexerit ad mortuam, inuenerit tibicines, dixerit puellam dormire, non mortuam esse, irrisus sit, excitarit, & si quæ sunt alia. Quæ si quis tam multa credat diuersis fœminis diuerso tempore potuisse accidere tam similia tamque prorsus eadem, vt propterea istæ sint diuersæ historiæ, credat eodem modo, solem matutinum diuersum esse à meridiano, & æstiuum ab hyberno.

Secundò, quæ præterea afferuntur diuersitates ex eo, quod Matthæus pauciores circumstantias annotauit, reliqui plures, ne quidem id argumentum probat, istas historias esse diuersas. Respondit enim Augustinus: Non interest ad rei veritatem, quod ab alio aliquid tacitum, ab alio dicitur: nec quod Marcus dicit, *Quis tetigit vestimenta mea*: & Lucas, *Quis me tetigit?* Alter enim dixit vsitate, alter proprie, eandem tamen vterque sententiam. Nam vsitatius dicimus, conscindis me, quàm conscindis vestimenta mea: cum tamen in aperto sit, quid velimus intelligi. Itaque quod Marcus & Lucas dicunt, Hæmorrhousam multa perpessam à compluribus medicis, insumsisse in eos omnem substantiam, nec potuisse ab vllo curari, & in maxima turba tetigisse Christum, vndique stipatum ac compressum, vt is humano more scire non potuerit, quis eum tetigisset, ideoque seueriter inquirens, eam ita terruerit, vt ad pedes eius prouoluta fateretur omnia, de quibus omnibus Matthæus tacuit: inde verò non sequitur, Matthæum propterea scribere diuersam historiam. Neque enim probari potest. Matthæum sibi proposuisse omnes omnium historiarum Circumstantias exactè annotare, vt nihil earum relinqueret annotandum reliquis, nisi volemus dicere, diuersam quoque esse passionem Christi, quam describit Matth. & quã describũt reliqui Euangelistæ. Sequitur ergo, etiam hanc historiã de Hæmorrhousa vbique esse eandem, non diuersam. Quod cum constet esse verum, manifestum est porrò, hîc esse verum eius & vnicum locum in ordinanda Harmonia Euangelica.

HISTORIA RESVSCITATÆ FILIOLÆ Iairi, & Hæmorrhousa sanata.

MATTH. 9.

18. Ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος αὐτοῖς, ἰδοὺ ἄρχων ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, λέγων, ὅτι ἡ θυγάτηρ μου ἄρτι ἐτελεύτησεν. ἀλλὰ ἐλθὼν ἐπίθες τὴν χεῖρά σου ἐπ' αὐτὴν, καὶ ζήσεται.	18. *Hæc cùm illis loqueretur, ecce primas quidam venit, & adorauit eum, dicens, Filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super illam, ac viuet.*
19. Καὶ ἐγερθεὶς ὁ Ἰησοῦς, ἠκολούθησεν αὐτῷ, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.	19. *Et surgens Iesus secutus est eum ac discipuli illius.*
20. Καὶ ἰδοὺ γυνὴ αἱμοῤῥοοῦσα δώδεκα ἔτη, προσελθοῦσα ὄπισθεν, ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ.	20. *Et ecce mulier, quæ sanguinis profluuio laborauerat duodecim annos, accedens à tergo, tetigit fimbriam vestimenti illius.*
21. Ἔλεγε γὰρ ἐν ἑαυτῇ, ἐὰν μόνον ἅψωμαι τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσομαι.	21. *Dicebat enim intra sese, Si tantùm tetigero vestimentum illius, ero salua.*
22. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐπιστραφεὶς, καὶ ἰδὼν αὐτὴν, εἶπε, θάρσει, θύγατερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. Καὶ ἐσώθη ἡ γυνὴ ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.	22. *At Iesus conuersus, vidit illam, ac dixit: Confide filia, fides tua saluam te fecit. Et salua facta fuit mulier à temporo illo:*
23. Καὶ ἐλθὼν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἄρχοντος, καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς καὶ τὸν ὄχλον θορυβούμενον, λέγει αὐτοῖς·	23. *Et cum venisset Iesus in ædes primatis vidissetque tibicines & turbam tumultuantem, dicit illis:*
24. Ἀναχωρεῖτε. οὐ γὰρ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, ἀλλὰ καθεύδει.	24. *Secedite: non enim mortua est adolescentula, sed dormit.*
25. Καὶ κατεγέλων αὐτοῦ. ὅτε δὲ ἐξεβλήθη ὁ ὄχλος, εἰσελθὼν ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτῆς, καὶ ἠγέρθη τὸ κοράσιον.	25. *Et deridebant illum. Cum autem fuisset eiecta turba, introgressus, tenuit manum illius, & surrexit adolescentula.*
26. Καὶ ἐξῆλθεν ἡ φήμη αὕτη εἰς ὅλην τὴν γῆν ἐκείνην.	36. *Et emanauit rumor hic in totam terram illam.*

MARC. 5.

22. Καὶ ἰδοὺ, ἔρχεται εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων, ὀνόματι Ἰάειρος, καὶ ἰδὼν αὐτὸν, πίπτει πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ.	22. *Ecce venit quidam principum Synagogæ, domine Iairus, & cum vidisset eum, procidit ad pedes eius,*
23. Καὶ παρεκάλει αὐτὸν πολλὰ, λέγων, ὅτι τὸ θυγάτριόν μου ἐσχάτως ἔχει, ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς αὐτῇ τὰς χεῖρας, ὅπως σωθῇ, καὶ ζήσεται.	23. *Et deprecabatur eum multum dicens: Filiola mea in extremis est, oro vt venias, & imponas illi manus, vt salua sit & viuet.*
24. Καὶ ἀπῆλθε μετ' αὐτοῦ, καὶ ἠκολούθει αὐτῷ ὄχλος πολὺς, καὶ συνέθλιβον αὐτόν.	24. *Et abyt cum illo, & sequebantur eum turba multa, & comprimebant eum.*
25. Καὶ γυνή τις οὖσα ἐν ῥύσει αἵματος ἔτη δώδεκα,	25. *Et mulier quædam, quæ fuerat obnoxia profluuio sanguinis annos duodecim,*
26. Καὶ πολλὰ παθοῦσα ὑπὸ πολλῶν ἰατρῶν, καὶ δαπανήσασα τὰ παρ' ἑαυτῆς πάντα, καὶ μηδὲν ὠφεληθεῖσα, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸ χεῖρον ἐλθοῦσα.	26. *Fueratque multa perpessa à compluribus medicis, & insumpserat omnia sua, neque quicquam adiumenti senserat, sed magis in deterius venerat.*
27. Ἀκούσασα περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἐλθοῦσα ἐν τῷ ὄχλῳ ὄπισθεν, ἥψατο τοῦ ἱματίου αὐτοῦ.	27. *Cum audisset de Iesu, venit in turba à tergo, & tetigit vestimentum eius.*
28. Ἔλεγε γὰρ, ὅτι κἂν τῶν ἱματίων αὐτοῦ ἅψωμαι, σωθήσομαι.	28. *Dicebat enim, si vel vestimenta eius tetigero, salua ero.*
29. Καὶ εὐθέως ἐξηράνθη ἡ πηγὴ τοῦ αἵματος αὐτῆς, καὶ ἔγνω τῷ σώματι, ὅτι ἴαται ἀπὸ τῆς μάστιγος.	29. *Et confestim siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore, quod sanata esset ab eo flagello.*
30. Καὶ εὐθέως ὁ Ἰησοῦς ἐπιγνοὺς ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν, ἐπιστραφεὶς ἐν τῷ ὄχλῳ, ἔλεγε, τίς μου ἥψατο τῶν ἱματίων;	30. *Et statim Iesus in semetipso ipso cognoscens virtutem ex sese prodiisse, conuersus in turba aiebat, Quis tetigit vestimenta mea?*

σοι θύγατερ. c ἰδοῦσα δὲ ἡ γυνὴ ὅτι οὐκ ἔλαθε, b φοβηθεῖσα καὶ h τρέμουσα, b εἰδυῖα ὃ γέγονεν ἐπ᾽ αὐτῇ, h ἦλθε, καὶ προσέπεσεν αὐτῷ, c δι᾽ ἣν αἰτίαν ἥψατο αὐτοῦ, ἀπήγγειλεν αὐτῷ ἐνώπιον παντὸς τοῦ λαοῦ b πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, c καὶ ὡς ἰάθη παραχρῆμα. h ὁ δὲ εἶπεν αὐτῇ, c θάρσει h θύγατερ, l ἡ πίστις σου σέσωκέ σε, h ὕπαγε εἰς εἰρήνην. h καὶ ἴσθι ὑγιὴς ἀπὸ τοῦ μάστιγός σου, a καὶ ἐσώθη ἡ γυνὴ ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.

h Ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἔρχονται ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου, λέγοντες, b ὅτι ἡ θυγάτηρ σου ἀπέθανε, τί ἔτι σκύλλεις τὸν διδάσκαλον; c τέθνηκεν ἡ θυγάτηρ σου, μὴ σκύλλε τὸν διδάσκαλον. h ὁ δὲ Ἰησοῦς b εὐθέως h ἀκούσας τὸν λόγον b λαλούμενον, λέγει b τῷ ἀρχισυναγώγῳ, h μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε, c καὶ σωθήσεται. h καὶ οὐκ ἀφῆκεν οὐδένα αὐτῷ συνακολουθῆσαι, εἰ μὴ Πέτρον, καὶ Ἰάκωβον, καὶ Ἰωάννην b τὸν ἀδελφὸν Ἰακώβου. καὶ ἔρχεται εἰς τὸν οἶκον τοῦ ἀρχισυναγώγου. c ἔκλαιον δὲ πάντες, καὶ ἐκόπτοντο αὐτήν. f καὶ ἐλθὼν a ὁ Ἰησοῦς f εἰς τὴν οἰκίαν a τοῦ ἄρχοντος, καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς, καὶ e τὸν ὄχλον θορυβούμενον, b καὶ κλαίοντας καὶ ἀλαλάζοντας πολλὰ, καὶ εἰσελθὼν l λέγει αὐτοῖς, b τί θορυβεῖσθε, καὶ κλαίετε, ἀναχωρεῖτε, c μὴ κλαίετε, l τὸ παιδίον οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει. καὶ κατεγέλων αὐτοῦ, c εἰδότες ὅτι ἀπέθανεν. h αὐτὸς δὲ ἐκβαλὼν πάντας ἔξω, a ὅτε δὲ ἐξεβλήθη ὁ ὄχλος, b παραλαμβάνει e τὸν πατέρα τοῦ παιδίου καὶ τὴν μητέρα, b καὶ τοὺς μετ᾽ αὐτοῦ, καὶ εἰσπορεύεται ὅπου ἦν τὸ παιδίον ἀνακείμενον. l καὶ κρατήσας τῆς χειρὸς τοῦ παιδίου c ἐφώνησε l λέγων, b Ταλιθὰ κοῦμι, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, e τὸ κοράσιον, b σοὶ λέγω, e ἔγειρε. c καὶ ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα αὐτῆς, l καὶ ἀνέστη παραχρῆμα e τὸ κοράσιον, b καὶ περιεπάτει, ἦν γὰρ ἐτῶν δώδεκα. f καὶ ἐξέστησαν b ἐκστάσει μεγάλῃ c οἱ γονεῖς αὐτῆς. f καὶ διεστείλατο αὐτοῖς b πολλὰ, ἵνα μηδεὶς γνῷ τοῦτο. καὶ c μηδενὶ εἰπεῖν τὸ γεγονός. f διέταξε δοθῆναι αὐτῇ φαγεῖν. a ἐξῆλθεν ἡ φήμη αὕτη εἰς ὅλην τὴν γῆν ἐκείνην.

illam, dicit, Confide filia. c *Videns autem* h *mulier* c *quod non latuisset,* b *timens* h *& tremens,* b *sciens, quod factum esset in se,* h *venit & procidit ante pedes eius,* c *& ob quam causam tetigisset eum, indicauit ei coram toto populo,* b *dixitque ei omnem veritatem,* c *& quemadmodum confestim sanata fuisset.* h *At ipse dixit ei,* c *Confide filia,* l *fides tua te seruauit,* h *vade cum pace,* b *& esto sana à flagello tuo,* a *& salua facta fuit mulier à tempore illo.* h *Adhuc eo loquente, veniunt à principe synagogæ, qui dicerent:* c *Filia tua mortua est, quid vltra vexas Magistrum? mortua est filia tua, noli vexare illum.* h *Iesus autem* b *protinus* h *audito sermone,* b *qui dicebatur,* h *ait* b *Archisynagogo:* h *Non time, crede tantum, & salua erit.* h *Et non permisit vt quisquam se sequeretur, præter Petrũ, & Iacobum, & Iohannem fratrem Iacobi. Et venit in domum Principis synagogæ.* c *Fiebant autem omnes, & plangebant illam.* f *Et cum venisset* a *Iesus* f *in domum* a *primatis, vidissetque tibicines &* a *turbam tumultuantem,* b *flentes ac eiulantes multum. Et ingressus* l *ait illis: Quid tumultuamini & ploratis? secedite,* c *nolite flere.* l *Non enim mortua est adolescentula, sed dormit. Et deridebant illum,* c *scientes quod mortua esset.* b *Ipse vero eiectis foras omnibus,* b *assumit* e *patrem & matrem puellæ, & eos qui cum eo erant, & ingreditur eò, vbi puella erat iacens.* l *Et apprehensa manu puellæ,* e *clamauit,* l *dicens,* b *Talitha cumi, quod est, si quis interpretetur,* e *puella tibi dico,* e *surge.* c *Et reuersus est spiritus eius,* l *& surrexit* h *confestim* e *puella, & ambulabat, erat enim annorum duodecim.* f *Et obstupuerunt* b *stupore magno parentes eius.* f *Et præcepit illis* b *vehementer, ne quisquam id sciret,* c *& ne cui dicerent quid factum erat. Et iussit, vt daretur illi quod ederet.* a *Et emanauit rumor hic in totam terram illam.*

Periocha huius historiæ.

OMnes tres Euangelistæ hanc historiam ordiuntur particula *Ecce*, quæ hoc in loco nõ tantùm est demonstrantium, sed potius admirantium, & singularem Dei prouidentiam ac bonitatem considerantium. Cum enim Pharisæi facta conspiratione cum discipulis Iohannis, Christum authoritate Baptistæ tantùm non opprimere cogitarent, Deus ipse mirabiliter Archisynagogum Christo adiungit, vt ita ad tempus impetus Pharisæorum retundatur, & Christi ministerio adhuc diutius Capernaumi sedes concedatur. Quemadmodum etiam superius, postquam Pharisæi cum Herodianis conspirassent contra Christum, ob sanatam manum aridam ipso die sabbati, ita vt Christus ad tempus secedere coactus fuerit, sicuti cap. Harm. 49. id tractatum est, mox cap. 53. Deus eidem Centurionem conciliat, cuius dilectum seruum decumbentem & morti vicinum, vnico verbo sanati restituit, vt ita Centurionis authoritate reliquorum malitia compesceretur. Habet itaque Iesus iam Capernaumi tres fautores & patronos ex tribus ordinibus. Vnum, ex regia familia Herodis: *regulum.* Alterum, ex Cæsarianis: *Centurionem.* Tertium, ex ipsis Iudæis: *Archisynagogum.* Hoc animum addat iis, qui vocationem suam sedulò obeunt, & propagandæ gloriæ Dei atque veritatis studio seriò tanguntur, ac propterea multorum odia in se suscipere atque persecutiones sustinere coguntur, vt Deo confidant, qui quouis loco & tempore, mirabili occasione, patronos excitare potest ipsis, quorum patrocinio tuti esse possunt tam diu, donec cursum ministerij sui à Deo prædefinitum perficiant. Vnde Salomon rectè dixit: Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem, Prouerb. 16. versicul. 7. Quod ipsum hoc exemplum non obscure docebit.

Nam persona, quę Christi opẽ hic implorat, ita describitur, quod ipsi nomen fuerit *Iairo*, quod significat illuminantem יאיר ab אור lumine: & fuit alias nomen inter Iudæos non insitatum, vt Deut. 3. ver. 14. Num. 32. v. 41. Iof. 13. ver. 30. Iud. 10. versi. 3. vbi est nomen iudicis, 3. Reg. 4. versic. 13. Græci nomini Hebræo adiecerunt suam terminationem os, vt pro *Iair, Iάειρος* dicatur. Dubium autẽ non est, hoc satis illustre nomẽ huic Archisynagogo spiritus & animũ addidisse. Nam & alio, quin Iudæi opinabãtur, se esse duces cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistros infantium, &c. sicut ipsis obiicit Paulus Roma. 2. ver. 19. Tribuũtur autem huic Iairo duo tituli ab Euangelistis. Nam 1. vocatur *ἄρχων*. Habuerunt enim & Leuitæ ac Sacerdotes, & singulæ familiæ suos ἄρχοντας & primates. Ac suprà cap. 18. Harm. monstratum est in Euangelio sic vocari eos, penes quos fuit potestas iudicandi in negotiis & ius prehensionis. Et proinde Erasmus hoc vocabulum latine *Primatem* reddere voluit, vt potestatem illam Ecclesiasticam cum politica mixtam exprimeret. Quo enim in loco apud Pontificios Primates habiti fuerint, non ignotum est. 2. Dicitur fuisse *vnus ex Archisynagogis.* Nam extra vrbem Hierosolymitanam singulis Synagogis præficiebantur, qui doctrinæ, morum & ceremoniarum essent magistri, quorum authoritate & præscripto omnia in Synagogis peragerentur ordine & decenter. Et apparet ex hoc loco in populosis atque celebrioribus ciuitatibus plures vna fuisse Archisynagogos. Nam & Luc. 14. ver. 1. dicitur, Christum venisse in domum τινὸς τῶν ἀρχόντων, vnius alicuius ex primoribus, Act. quoque 18. legimus de duobus Archisynagogis apud Corinthios, qui per Paulum sunt conuersi, v. 8. nominatur Crispus, quem Paulus cum tota suo domo baptizauit, versic. 17. nominatur Sosthenes, qui postea vna cum Paulo priorem Epistolam misit ad Corinthios, 1. Cor. 1. ver. 1. Vnde apparet magnam fuisse huius Iairi authoritatem apud Capernaitas, tanquam primatis & Archisynagogi. Constat autem huius ordinis homines vel maxime fuisse Christo infensos. Ideo Iohan. 7. ver. 48 dicunt: Num quis ἐκ τῶν ἀρχόντων, ex primoribus credit in eum? Et Ioh. 9. v. 22. & 12. v. 42. constituerunt, vt si quis Iesum confiteretur esse Christum, ex synagoga eiiceretur. Et tamen hic, cum videret filiolam in extremis versari, nec vlpiam aliud medium, quo iuuetur, restare, vel tandem ipse quoque confugit ad Iesum, & ab illo opem petit. Hactenus ergo securè Iesum neglexit. Iam verò lethalis filiæ dilectæ morbus, vel potius extrema iam moribundæ necessitas, eum ad Christum compellit. Ita videmus ad quid prosint aduersitates & calamitates. Quando homines sunt instar equi & muli, sine intellectu, qui nolũt approximare ad Dominum benefactorem suum, tum aduersitatibus, ceu cha-

ceu chamo & freno, constringit ipsorum maxillas, vt eos adducat, Psal.32.ver.9. Et hoc est quod Christus Luc.14.ver.23. vocat, compelle intrare. Ief.28.v.21. dicit Deus, se facere opus alienum, hoc est, castigare homines, vt possit proprium opus facere, hoc est, ipsis benefacere. Cum enim Deus velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, 1.Tim.2.vers.4. Magnates autem huius mundi in sua sublimitate sic sint suffocati, vt pauperem Christum non curent, necesse est vt Deus per afflictiones veternum istum excutiat, quò euigilent & sobrij fiant ab ipsis laqueis diaboli, 2.Tim.2. ver.26. Tum impletur illud Iesa.26.v.16. Domine, in angustia requisiuerunt te, effundunt orationem, quando correctio tua adest. Atque hoc modo Deus etiam aliquos ex diuitibus & potentibus conuertit, conuertit autem eos tãquam ex profundo maris, Psal.68.ver.23. Quia potentes huius mundi plus negotij facessunt Deo vt ad salutem adducantur, quàm pauperes. Itaque de nemine facile desperemus. Potest Deus, vltra quam nos credimus & speramus variis occasionibus, miris aduersitatibus, vel in ipso mortis agone, aliquos impellere, vt qui per omnem vitam in vera fide infantum instar titubarunt & fluctuarunt, furibunda tamen morte accedente, quæ simulationem & cunctationem non admittit, abiectis & spretis reliquis omnibus ad solum Christum confugiant. Nec dubium est, quin in Papatu sint multi boni, qui per omnem vitam plurimum tribuant, ieiuniorum & peregrinationum meritis, oblationibus item missarum, intercessionibus Diuorum, indulgentiis multo ære redemptis atque aliis meritoriis operibus, non minus fortassis quàm hic Primas extra crucem Leuiticis suis sacris tribuerat. sed quando αἰνοτίκετος ille παμδοτήριβις mors, omnes intimos consciẽtiæ sinus excutiens, accedit. tum demum sentiunt istis nugis eam non pacari posse, ac proinde reiectis illis omnibus ad vnum Christum Seruatorem & Mediatorem confugiunt, atque sic in sola gratuita misericordia Dei acquiescentes, in pace ex hac mortali vita emigrant. Hi saluantur, si pœnitentia sit seria: sed tamen quasi per ignem, 1.Corinth.3.v.15. per ignem, non purgatorium, sed tribulationis. Stipulæ enim illæ, fœnum & ligna humanorum operum & meritorum exuruntur: manet autem fundamentum, Christus, extra quem nullum aliud poni potest.

Sic ergo Iairus aduersitate compulsus, confugit ad Christum, quem securè neglecturus fuisset, si absque filiolæ morbo fuisset. Vnde vehementer dubito, vtrum de eius fide pronunciare ausim, quòd fuerit sincera: certe neque regij neque Centurionis fidem vlla ex parte æquauit. Sed videtur fuisse πρόσκαιρος & temporaria. *Multum deprecabatur Dominum vt veniret, & manum filiæ imponeret, quo sanaretur & viueret.* Nam hypocrisis est loquacula, verbis vult explere, quod sinceritati cordis deest. Fides autem non est verbosa. sed tria vel quatuor verba ex sinceritate cordis prolata, ei sufficiunt. Et infra Luc.cap.13.versic.14. audiemus, quod Archisynagogus indignatus fuerit, quod Christus Sabbato sanasset: qui si fuit hic Iairus, ipse Christus eum ibi hypocritam vocat. Apparet itaque hunc Iairum, non tam fide in Christum, quàm charitate erga filiolam impulsum, Christum accessisse. Erat enim hæc ei vnica *filia, duodecim fere annorum.* Quia vnica soboles semper magis diligitur, quam vbi quis plures vna habet: & quando à primis annis eo vsque sunt liberi educati, vt iam pubescere, seipsos curare, atque parentibus inseruire incipiãt, tum eorum iactura est tanto acerbior. Affectus quidem amoris per se non malus est: siquidem DEVS ipse στοργὰς naturales implantauit pectoribus parentum. Idque in eum finem, vt liberorum salutem inuigilent, eosque per eruditionem & correptionem Domini educent, Ephes.6.vers.4. ἀστόργους vero & charitatis expertes, Deus ipse in verbo suo damnat, Rom.1.v.31. & 2.Tim.3.v.3. Caueant tamen parentes, ne amoris affectu ducti, plus solicitudine fatigentur, vt liberos ad opes & honores prouehant, quam vt ad pietatem eos assuefaciant. Debebat quoque hic affectus charitatis inter parentes & liberos esse reciprocus. Sed proh dolor, verum est illud vsitatum: Amor descendit, non ascendit. Hinc sæpius in Euangelio legimus, parentes pro liberis morbo correptis ad Christum accurrisse, eiusque opem solicitasse: de vllo autem filio vel filia, quæ pro parentibus intercessissent, nuspiam legimus. Excepto eo, quod supra cap.38. Harm. de ægrotante socru Petri audiuimus, quod domestici pro ipsa intercesserint. Experientia etiam testatur multos liberos parentes senio confectos negligere, illorum morbis non contristari, imò eorundem mortem auide expectare, vt bona ipsorum laboribus & sudoribus acquisita dilapidare possint.

Qualiscunque autem fuerit hic Archisynagogus, Christus tamen ad ipsius petitionem se facilem præbet, *mox surgit*, siue id fuerit à conuiuio Matthæi, siue à disputatione cum discipulis Iohannis & Pharisæis. Nec exprobrat ei hostiles Pharisæorum & Scribarum animos. Sed, quia antehac dixerat, hunc esse suum cibum, vt faciat voluntatem eius, qui ipsum miserit, & vt opus eius perficiat, Iohan.4.ver.34. Et postea Iohan.6.v.37. promittat, se neminem velle foras eiicere, qui ad se veniat: iccirco etiam hunc Iairum venientem suscipit, atque imbecillem ipsius fidem, quantum in se est, fouet & confirmat. Hanc facilitatem imitentur omnes, quotquot sunt de familia Christi, vt consilio & auxilio prompte succurrant omnibus, quicunque eorum opem implorent, nec vel veteres iniurias exprobrent, vel alia proferant, quæ contra charitatis leges pugnare videntur. Cumque Christus adeo facilis fuerit, cum adhuc mortali carne indutus in his terris versaretur: qui fit, quod aliqui eum iam tam durum, difficilem & inexorabilem sibi imaginentur, vt nisi per Diuos cœlites intercessores exoretur, se nihil impetrare posse putent? Cum tamen Paulus de ipso in cœlis ad dexteram Dei regnante pronunciet: Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: cum ipse tentatus sit per omnia in similitudinem nostri, sed absque peccato, Heb.4.v.15.

Porro quia Christus, in vno quasi actu duo miracula coniungit, in quibus summam omnium suorum beneficiorum nobis ob oculos ponit, nos quoque ea in explicatione coniungemus, & ordine monstrare conabimur, quid potissimum nos docere voluerit.

Ante omnia autem nobis in memoriam reuocemus, quid non ita pridem Iesus, cum ex Naim rediret versus Capernaum, in via inter alia dixerit, Matth.11. versic.25. Nimirum: *Confiteor tibi pater, Domini cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: Etiam Pater, quoniam sic fuit placitum coram te.* Quibus verbis docuit, se suique regni mysteria & beneficia longe citius innotescere, manifestari & suscipi ab humilibus, abiectis & in mundo spretis hominibus quam à doctis, diuitibus & potentibus Eius dicti veritas in hac historia comprobatur, & viua exempla ante oculos statuuntur. Si enim duæ hæ personæ, Iairus & muliercula ægra inter se conferatur, *Iairus* quidem fuit vir maximæ authoritatis, primas inter doctos, illuminatus & rector Collegij Iudaici, qui legem Dei aliis proponebat & explicabat, seque Magistrum reliquorum profitebatur. *Mulier* autem fuit humilis & ignobilis conditionis, aliquando quidem diues, sed per morbi violentiam ad summam paupertatem redacta, nec ita in lege exercitata, sed quæ annos suos in œconomicis laboribus consumserat. Imò si Eusebio fidem habere velimus, fuit (vt ipse scribit lib.7.c.17. Ecclesiasticæ historiæ) fœmina gentilis, oriunda ex Cæsarea Philippi adeoque veri Dei ignara. Ita vt hæc mulier in collatione ad Iairum, ex sancto Abrahami semine oriundum, verè fuerit paruula, vna ex infantibus & lactentibus. Et tamen in vera agnitione Iesu Christi & firma in ipsum fide Iairum longè superat: ita vt in quo hunc docere debuerat, ipse ab ea discere cogatur. Nã etiam hac de causa Christus per diuinam suam prouidentiã totum hoc negotium ita dispensat, vt in media via hæc mulier ad Christum veniat, & ab ipso miraculosè sanetur, quò infirmus Iairus in sua fide confirmetur. Etenim Iairus magnificentiùs de Iesu tum non sensit, quàm quòd instar magni alicuius Prophetæ, quales fuerint Elias & Elisæus, mirabili dono sanandi homines à Deo fuerit ornatus: qui si manum ægro imponat, & ardentes ad Deum preces fundat, ab eo sanitatem amissam rursus impetrare queat. Hæc verò mulier, licèt ore illud non profiteatur, reipsa tamen & firma fide ostendit, se homine quid maius in hoc Iesu agnoscere: siue ex opinione gentilitia, ipsum pro Deo aliquo, siue ex institutione Iudaica pro Messia habuerit. Iairus quoque fide sua non vlterius progressus est, quàm quod Iesus sanare possit, si manus filiæ imponat, idque faciat antequam ea expiret. Nã quod etiam mortuam suscitare queat, id ipse nondum credidit. At hæc fœmina constanter & firmiter de ipso credit, quod non tantum vulgares, sed & inueteratos adeoque aliis hominibus incurabiles morbos sanare possit, quod nihil aliud est, quàm mortuos resuscitare: & quod hoc præstare possit, non tantum precibus impetrata virtute à Deo, sed propria sua & sibi indita virtute. Ideoque statuit, si tantum fimbriam vestimenti attingere possit, fore vt virtute eius sanetur.

Et licèt hæ personæ in eo conueniant, quòd neutra sponte, sed vtraque extremo & deplorato morbo, tanquam flagello quopiam, compulsa ad Christum accesserit: in eo tamen rursus est magnum discrimen, quod Iairus Iesum iam vltra annum Capernaumi commorantem, & in Synagoga ipsius aliquoties docentem, securè neglexit, neque vnquam eum aditurus fuisset, nisi sæuita morbi filiæ eum adegisset: hæc tamen mulier, cùm audisset de Iesu, cuius fama, per miracula excitata, ad Gentes quoque vsque emanabat, mox ve-

nit, & quidem è Cæsarea Philippi, Capernaum vsque per milliari sex vel plura, vt eius virtute restitueretur. Ita manifeste videmus, quomodo cœlestis Pater eligat ea, quæ coram Mundo sunt stulta, infirma & contemptibilia, 1. Cor. 1. v. 27. Et illis sæpe reuelat, quæ coram oculis sapientum sunt abscondita. Quæ cùm ita sint, qui fit, quod plerique hominum religionis veritatem inquirentes, oculos suos conijciunt in Iairos huius mundi, nolentes cuiusquam informationem admittere, quàm eorum Doctorum, qui hisce titulis gaudeant, quod sint illuminati, Seraphici & Cherubini? Quare respiciunt tantùm ad ea, quæ coram mundo sunt elata? Cur cœlestem doctrinam haurire cupiūt ex lacunis Philosophiæ humanæ? Verum sane est Deum etiam doctos & præclaros viros, cœlestis suæ doctrinæ radiis illuminare, & ad mysteriorum agnitionem admittere: sed tantùm, TANTVM ad eiusmodi summis titulis ornatos Doctores veritatē alligare velle, quasi nuspiā alibi inueniri queat, id sanè est erroneum, & ὁμολογίᾳ Christi contrarium. Et quis non malit cum supplici hac & abiecta muliercula in Christo veritatem sequi, quàm cum mille Iairis in hypocrisi & errore perire?

Quinam vero sunt illi articuli, qui tanquam mysteria regni Christi, ne sapientibus quidem natura patent, sed per Spiritum Christi, mediante verbo, tam sapientibus quàm insipientibus, reuelantur? Eos ordine, quos quidem hæc historia nobis in manus præbebit, videbimus.

I. Primus est, quod hæc historia considerandum proponit, non tantùm quæ & quantæ sint miseriæ humanæ vitæ in hoc mundo, sed & quæ vera earum causa. Et quidem quod ipsas miserias attinet, eas omnes homines cuiuscunque sane sint ætatis, ordinis, sexus & conditionis, experiuntur. Sunt iis subiecti, mares cum fœminis, diuites cum pauperibus, Ecclesiastici cum politicis, docti cum idiotis, senes cum iunioribus. Est hic Iairus vir doctus, Ecclesiastici ordinis, summæ inter Iudæos existimationis. Habetis ex benedictione Dei filiam vnicam, delitium animi sui: quæ, quia iam agebat annū duodecimum ætatis, secundùm morem Iudæorum propemodum nubilis erat. Vnde bonus ille vir sperat se propediem acquisiturum generum, habiturum nepotes, sicque mille intra animum concipit gaudia. Sed præter omnem expectationem accedit mors, quæ ipsam ei eripit, sicque lætam spem omnem in meram conuertit tristitiam. Nec dubium est, quin in illa consternatione constitutus iudicauerit, se omnium hominum esse miserrimum. Sed postquam domo egressus venit in turbam, deprehendit se non solum cruce premi, sed & alios itidem miseriis & calamitatibus oppressos esse. Inuenit enim ibi mulierem Hæmorrhousam, quæ ægrotarat, & quidem fœdo morbo, fluxu sanguinis, tot annos, quot filia ipsius nata erat. Quæ miseriā longe maior fuit, quàm vel ipsius, vel filiæ. Nam, Syracide teste, cita mors melior est, quàm amara vita: & requies æterna, quàm languor perseuerans, c. 30. vers. 17. Et quod de duabus hisce personis hîc audimus, illud de toto hominum genere statuendum est. In hac enim vita nemo, siue summus sit, siue infimus, à communi sorte miseriarum exemptus est. Disserit hac de re copiose Iob cap. 7. versic. 1. & sequentibus. Item cap. 14. versic. 1. Ita vt cap. 5. versic. 7. dicat: Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum. Et Syracides c. 40. ver. 1. testatur, graue iugum impositum esse omnibus filiis Adam, à die exitus de ventre matris, vsque ad diem sepulturæ in matrem omnium, tam in iis, qui resident in sede gloriosa, quàm in iis, qui humiliati sedent in terra & cinere: tam in eo, qui vestitur holoserico, & portat coronam, quàm in eo, qui operitur liuo crudo. Et quidem miserias atque calamitates senserunt & agnouerunt quoque Ethnici. Vnde tot & tantæ querelæ in ipsorum libris inueniuntur. Ipsam verò causam istarum miseriarum penitus ignorarunt. Coniecerunt quidem culpam alij in materiam, quæ semper sit fluxa & mutationibus obnoxia: alij in cæcam fortunam, quæ sic oberret, & in rebus humanis ludat: alij in aliud quid. Veram causam sola Scriptura nobis aperit, quæ docet, Deum creasse hominem inexterminabilem ad imaginem suæ similitudinis. Inuidia autem Diaboli mortem introiisse in orbem terrarum, Sap. 2. ver. 23. Et Paulus dicit ad Roman. 5. v. 12. Peccatum per vnum hominem intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Hoc Iairo Synagogæ præsidi non fuit ignotum. Ex Mose enim suo didicit, Genes. 2. ver. 17. Quocunque die de arbore prohibita comederis, morte morieris. Mortis autem nomine, non tantùm ipsam animæ & corporis separationem, sed & morbos, adeoq; omnes calamitates & afflictiones, præsertim grauiores, intelligendas esse, ipsi Iudæi ex Scripturæ phrasi nouerant. Agnoscebat itaque Iairus ex doctrina Legis, causam mortis filiolæ suæ peccatum, tum illud in quo concepta & nata fuit, iuxta Psalm. 51. ver. 7. tum reliqua, quæ ipsa in iuuentute commisisset, iuxta Psalm. 25. v. 7. Nam quando iniquitates nostras Deus ponit in conspectu suo, & ignorantias nostras in illuminatione vultus sui, tum deficiunt dies nostri, & nos ipsi in ira eius deficimus, Psal. 90. ver. 8. Quod vero fluxum sanguinis in muliere attinet, si fuit Ethnica, ignorauit veram eius causam & originem: sin fuit Iudæa, ex Mose itidem eam discere potuit. Nam profluuio sanguinis Deus sexum muliebrem mulctauit ob transgressionem Euæ, eo quod ipsa prior in præuaricatione fuisset, 1. Tim. 2. v. 14. & ipsum etiam virum suis persuasionibus seduxisset, Genes. 3. v. 6. Ideo etiam hic morbus hoc in loco vocatur μάστιξ-flagellum. Neque enim huiusmodi morbi & calamitates sponte vel temere veniunt, sicut homines de causis Physicis somniant: sed à Deo castigante, pios quidem vt sanet, impios vero vt perdat. Et Prouerb. 19. vers. vlt. μάστιγες & τιμωρίαι, flagella & supplicia coniunguntur, vt innuatur, propterea illa à Deo immitti, vt de peccatis commissis nos commonefaciant, & ad pœnitentiam agendam ceu flagro compellant. Hinc sæpe fit, vt iusto Dei iudicio in corporis perniciem conuertantur, quæ illi conseruando seruire debebant. Si hæc mulier ex fluxione sanguinis ægrotat, cùm aliàs naturalis eius fluxus purgationi salubriter inseruiat. Et in sanguine quidem, teste Scriptura, Leuit. 17. ver. 14. vita hominis consistit: sed quando Deus nos ob peccata nostra punire vult, tum etiam in nobis ipsis repetit arma, quibus carnis ferociam coerceat. Debuit itaque hic fluxus sanguinis commonefactio esse naturalis contaminationis, in qua omnes nascimur, & de qua Deus dicit Ezech. 16. v. 6. se transeuntem vidisse nos conculcatos in nostro sanguine. Et hac de causa Deus in lege sua sanxit, vt quę profluuio sanguinis laborarent, pro immundis haberentur, & à cœtibus Ecclesię atque sacris publicis excluderentur, sicut videre est Leuit. 15. ver. 19. & 20. vers. 18. Docens eo ipso ab æternæ salutis & regni Dei consortio arcendos esse eos, qui ab istis sanguinibus non liberantur, Psal. 51. vers. 16. Hac de causa etiam in Scriptura non tantum grauiora scelera, præsertim quæ in damnum proximi tendunt, sed etiam spiritualem mortem atque æternum exitium, per Metaphoram, sanguines vocantur, Iesa. 1. v. 15. & 59. v. 3. Manus vestræ pollutæ sunt sanguine. Esa. 4. 4. Cum lauerit Dominus sordes filiorum Sion, & abluerit sanguinem Ierusalem de medio eius. Æternum autem exitium denotat, cum Ezech. 3. v. 18. Deus dicit, se impœnitentium, si non moneantur, sanguinem requisiturū de manu Prophetæ. Huc alludit Paulus Act. 18. v. 6. cum Corinthi Iudæis contradicentibus diceret: Sanguis vester super caput vestrum, mundus ego; quasi dicat: Vosmet estis rei vestri exitij, Ego nullam culpam aut reatum sustineo spiritualis vestræ mortis, quam vos vobismet consciscitis, respuēdo Euangelium Christi. Item Act. 20. v. 26. Contestor ego hodie, quod mundus sum à sanguine vestro, hoc est, plane nullam culpam sustineo æterni vestri exitij, si quis vestrum peribit. Semper ergo in populo Dei fluxus sanguinis, & reliqui morbi ac flagella siue plagæ vna cum morte, reales, vt ita dicam, fuerunt conciones, commonefacientes primi lapsus Adæ & Euæ, ex quo profluit, quicquid peccatorum & malorum est in vniuerso mundo, ad vniusque mortem vsque.

Itaque Christus hunc articulum in suo regno diligenter vult inculcari, vt de vitæ humanæ breuitate ac perpetuis miseriis probe instructi, non tantum securitatem omnem excutiamus, qua mundani homines laborant, sed etiam tanto maiori cum auiditate de remediis horum malorum cogitemus & dispiciamus. Certe magna est miseria, & sanguineis lachrymis, si fieri posset, deploranda, quod ob peccati tyrannidem vita hominum omnibus calamitatibus ita est repleta, vt nulla dies plane earum expers prætereat. Ita vt regius Psaltes testetur, Psalm. 90. ver. 10. Optimum dierum nostrorum esse laborem & dolorem. Nam si maxime interdum lætior aliquis dies affulgeat, & fortuna adspiret mediocris: mox tamen magno aliquo infortunio vel luctu interturbatur. Quemadmodum Nabuchodonozor eadem hora, qua in aula sua triumphauit, dicens: Hæc est Babylon, ciuitas magna, eiectus est ab hominibus, & fœnum, vt bos, comedit, Dan. 4. v. 28. Vnde & vita nostra, Apocal. 4. ver. 6. mari vitreo confertur ob fragilitatem: quia quando maxime splendet, frangitur. Adeo, vt qui modò optime valent, & in mundo felicissimi videntur, sæpenumero subitò, quando vel maxime omnium viuere cupiunt, per mortem abripiuntur. Sicuti accidit Balthasari Babyloniorum regi, qui in conuiuio opprimitur, Dan. 5. v. 30. Hamano, qui ex conuiuio regio ad patibulum trahitur, Esther 7. v. 1. Diuiti Euangelio, Luc. 12. v. 20. Herodi, qui sedēs pro tribunali, percussus est ab angelo, & consumtus à vermibus expirauit, Actor. 12. v. 21. vt recte Syracides dixerit, c. 10. v. 12. Rex hodie est, cras morietur. Ideo etiam vita nostra ob fragilitatem confertur vmbræ, Iob. 14. versic. 2. vento celeriter transeunti, Psal. 78. v. 39. Vapori & ventis discusso, Iacob. 4. ver. 14. pruinæ ac nebulæ radiis solaribus consumtę, Sap. 2. v. 3. Floribus

3. Floribus pratorum & foliis arborum, Psal. 103. v. 15. bullis in aquis intumescentibus [& statim rursus euanescentibus, Hos. 10. v. 7. tuguriis pastorum ac textorum telis, Esa. 38. v. 12. vanissimis denique hominum somniis, Iob. 20. v 8. Psal 73. v. 20. Praeter hanc breuitatem & vanitatẽ vitae nostrae, sępe etiã meditari debebamus, quinam essent fructus nostri. Arbores proferunt fructus homini gratos & acceptos: itidem animalia, quorum alia lac, alia lanam, alia aliud conferunt ad hominis siue ornatum, siue sustentationem. At nos ex nobis afferimus id, cuius muliercula haec nos admonet, foeditatem, sanguinem, phlegmata, saniem & alia foeda, quae ab oculis hominum sunt remouẽda & solicitè abscondẽda. Et tandem quando mors accedit, non tantùm corpora nostra rigescunt, & decus ac formam omnem amittunt, sed & foetida cadauera fiunt, ita vt ad aspectum etiam charissimorum horreamus, nauseemus, ac propterea festinemus vt terra adobruantur, atque è conspectu hominum remoueantur. Mundorum animalium & piscium caro, quando mactantur, ab hominibus absumitur: sed hominum carnem, quando mors eos iugulauit, non nobilia animalia, sed omnium abiectissima, vermes, bufones & serpentes absumunt, sicut Iob. 17. v. 14. Syracid. 10. v. 13. de eo conqueruntur. Et Christus ipse Matth. 23. 27. inquit, sepulchra, quae foris hominibus videntur speciosa, intus esse plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Hoc mouit Salomonem, vt Eccl. 3. ver. 19. conquereretur, vnum esse interitum hominis & iumẽtorum, & aequam vtriusque conditionem? Similiter spirant omnia, & nihil habet iumento amplius homo. Hoc est nimirum ὀψώνιον & stipendium peccati, Rom. 6. versic. vlt. Hi sunt vermes enati ex iucundissimo illo Paradisi pomo, qui cor nostrum erodunt & vitam nostram absumunt.

II. Alter Articulus est, vt discamus, quaenam remedia aduersus hanc communem generis humani miseriam, & fonticas eius causas quaerere, & vbi ea inuenire debeamus. Ratio humana quando in miserias incidit, tum non in earũ causas, peccata nimirum, respicit, neque apud Deum, sine quo nullum malum est in ciuitate, Amos 3. vers. 6. malorum leuamen quaerit: sed tantum ad physica media recurrit, in natura & apud creaturas opem quaerens. Videmus hoc in muliercula hac, de qua Euangelistae testantur, ipsam omnes suas facultates & omnem substantiam in medicos insumsisse, sed frustra. Et quidem est medicina praeclarum Dei donum, quod Syracides c. 38. magnifice commendat, & confirmat Deum esse, qui tum plantis, tum aliis rebus innumeris salutares vires inseuerit, & Medicos ingenij acrimonia & dexteritate donarit, vt occultã & ingenitã creaturis vim indagare, atque ad vsum hominum accommodare possint. Vnde etiam à Paulo 1. Cor. 12. v. 6. inter χαρίσματα Spiritus sancti refertur. Sed haec eius est ratio, vt quemadmodum, Scriptura teste, nec res domestica augetur, Psal. 127. v. 1. nec agricultura incrementum sumit, 1. Cor. 3. vers. 7. ita nec medicina per se aliquid in bonum proficimus, nisi Deus benedictione sua remediis efficacitatem largiatur. Ideo de hac foemina testantur Euangelistae ordine haec quatuor: 1. Quod *multa perpessa sit à compluribus medicis*. Sic enim fieri solet, vt aegra, vndecunque fama aliqua de perito aliquo & excitato medico ad ipsos deferatur, protinus animis eò inclinent, & ab illo se iuuari posse sperẽt. Cùm tamẽ postea reipsa experiãtur, multos medicos accersere, aliud nihil esse quàm τὰ πτώματα accumulare: siquidem medicè viuere, est pessime viuere. 2. Quod *insumserit & impenderit omnem suam substantiam*. Nam omnino Medici debetur honor, Syr. 38. versic. 1. quod vocabulum etiam honestum honorarium complectitur, pro labore medendi. Cùm enim ex arte sua viuant, ad quam addiscendam multos sumptus facere coacti fuerũt, aequum est, vt pro beneficio valetudinis restitutę remunerationem iustã consequantur. 3. Quod *nihil adiumenti senserit*. Non enim est in medico semper releuetur vt aeger: Saepe nocens docta plus valet arte malum. 4. Quod subinde *in deterius profecerit*. Hoc fit, quando homines contra primum praeceptum plus fiduciae collocant in medico, quàm in ipso Deo, & quando peccata hominum merẽtur acriorem castigationem. Ibi tum nulla efficacia medicamentorum sentitur, donec tandem penitus expirant. Quod Asae, Iudaeorum Regi alioquin bono & pio accidisse, 2. Par. 16. v. 12. refertur. Ita mulierculae huius conatus hactenus videmus esse prorsus irritos.

Quid vero Iairus? Hic Archisynagogus & legis Doctor requieuit in lege, gloriatus est in Deo, & nouit voluntatem eius. Docuit ergo non tantum alios de circumcisione, de decimis, ieiuniis & sacrificiis: sed & ipse omnem fiduciam suam in iis collocauit. Verùm cùm mors tyrannide sua ingruit, atque ira Dei ipsum premit, re ipsa sentit & experitur, legem cum suis sacrificiis nec opitulari nec liberare posse à morte. Lex enim tantum iram operatur, Rom. 4. vers. 15. Et sunt lapideae tabulae legis nihil aliud quàm cos quaedam, ad quam mors stimulum suum acuit. Stimulus enim mortis, peccatum est: virtus vero peccati, lex, 1. Cor. 15. v. 56. Hinc fit, quod lex ob peccatum maledictionem intonet omnibus, quia non permãserunt in sermonibus eius, vt opere eos perficerent, Deut. 27. v. 26. Patet itaque ex vtriusque exemplo neque in natura rerum, neque in lege Dei praesidij quippiam inueniri, per quod siue ipsa miseria nostra, siue miseriarum causa auerti possit. Quaerendus itaque alius opitulator, quem nobis ambae hae personae monstrant.

Postquam enim mulier Medicos nihil posse praestare videt, ipsarum inscitia excitatur, vt ad Christum contendat, quem multis salutem contulisse ex celeberrima passim de ipso sparsa fama cognouerat. Itidem Iairus cùm intelligeret sacrificia & vota esse frustranea, & per legis maledictionem mortis violẽtiam esse maiorem, quàm quae decimis vel ablutionibus Leuiticis auerti possit, quoque ad Christum properat, vt quem hactenus ob personae exilitatem non magnopere curarat, nunc tempore necessitatis ipsius ope subleuetur. Diligenter autem attendendum, quid hae duae personae in quaerendo Christo fecerint. Sic enim & nobis viam monstrabunt, quam ingredi, & qualiter in ea ambulare debeamus, si ex miseriis liberationem quaerere velimus. Iuxta illud Pauli, Heb. 4. v. 16. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Inuenimus autem in his duabus personis tria: 1. Quod earum vtraque miseriam suam, & mulier quidẽ incurabilem suum morbum, Iairus vero inuincibilem mortem, serio agnouerit: atque de externis siue mediis siue remediis, tam in natura, quàm in ope hominum, vel ipsa lege Dei positis, penitus desperarit. 2. Quod consiliũ & auxiliũ quaesiuerint apud coelestem medicum Iesum Christum, in quem hanc fiduciam collocarint, quod tanquam mitis, bonus & misericors Dominus neminem repellat, qui ipsius ope indigeat, & quod tanquam omnipotens Dominus diuina & coelesti ope sit instructus, vt tum demum iuuare incipiat, quando humanum auxiliũ definit. Et licèt haec ipsa fides de Christo in Iairo longè sit infirmior, quã in muliercula: tamen etiã infirma fides est fides, & Christus eam diligenter fouet, atque succurrit imbecillitati Iairi, vt in fide confirmetur. 3. Ipsa quidem mulier firma fide attingit fimbriam vestimenti Christi, sicque sanatur. Iairus autem cum suis infirmior est, quàm vt manus extendat ad apprehendendum Christum. Ipse itaque Christus extendit manum suam, apprehendit manum puellae defunctae, eam vocat, sicque vitae restituit.

Haec imitanda sunt iis, qui ab innato morbo originalis peccati, quod indesinenter in corde nostro tumultuatur, & ex quo, tanquam ex mala fonte, non tantum omnia peccata actualia, sed & omnes calamitates, miseriae, morbi ac deniq; mors ipsa profluit, liberari cupiunt. Confugiendum est ad Christum Iesum, vnicum humani generis Auxiliatorem. Hic est fons ille, de quo Propheta dicit, Zach. 13. v. 1. Quod futurus sit fons patens domui Dauid & habitantibus Ierusalem: In ablutionem peccatoris & menstruatae. Apud hunc Deus pater deposuit omnem plenitudinem, vt ex ea nos omnes accipiamus gratiam pro gratia, Iohan. 1. v. 16. Ex ipso necesse est vt exeat virtus, quae nos sanet ac seruet. Sed attende, quomodo & nos ad imitationem horum Christum accedere debeamus. 1. Agnoscamus morbum nostrum & miserias, & quod ex illis, neque nos eripere, neque ab aliis eripi queamus. Et hic est primus gradus, qui ad quaerendam veram medelam nos impellit. Quamdiu enim curari volumus vel per nos ipsos, vel per alios, & impendimus argentum nostrum, vbi non iuuamur, & laborem nostrum vbi non satiamur, Iesa. 55. ver. 2. tamdiu nullum leuamen malorum sentimus, adeo vt subinde peius proficiamus, sicuti mulieri huic accidit. Hoc ita se habere fatebuntur illi, qui superiorum temporum acta, quibus Antichristianae tenebrae orbem occuparant, animo recolligunt. Ibi tum homines miserrimum naturae morbum intra conscientias suas senserunt, sibique remedio opus esse agnouerunt, illudque magnis laboribus & impensis quęsiuerunt. Hinc accumulatae sunt ceremoniae & traditiones humanae, & in Ecclesia excogitatae variae viae & rationes, quibus homines iustificentur & à peccatis liberentur. Alij peregrinationes instituerunt ad loca sancta sepulchri Dominici, Iacobaei, vel aliorum Diuorum: alij tentatae conscientiae leuationem quaesiuerunt in cucullis monasticis: alij quotidianas missas mercati sunt, cereos sanctis accenderunt, bullas indulgentiarum coëmerunt: alij ieiuniis, flagellationibus, humi cubationibus veterem Adamum domare voluerunt: alij in templorum, sacellorum & monasteriorum fundationibus multum fiduciae collocarunt: alij aliis modis conscientiam mille tentationibus exagitatam & oppressam pacatam reddere conati sunt, prout quisque in diuersos animae medicos in-

cidit. Sed quid profecerunt? Tantundem, quantum hæc fœmina, quæ expensa omni sua substantia in medicos nihil quicquam adiumenti sensit: ita ipsi, dum malè fidos animarum curatores, monachos, suis bonis ditarūt, séque ipsos cum suis in voluntariam paupertatem coniecerunt, nihil quicquā tamen consolationis intra conscientias suas senserunt, sed vel in dubitatione, vel sæpe etiam in desperatione vitam cum morte commutarunt, incerti vtrum in cœlum, an in purgatorium, an verò in infernum post exitum ex hac vita deuenturi essent. O miseriam! Quæ omnis inde prouenit, quod primum hunc gradum recuperandæ spiritualis sanitatis ignorarunt, quo agnoscere debuissent, hunc fontem & fluxum malorum, nullis humanis viribus, aut vllis ab hominibus excogitatis remediis depelli posse; nisi cœlestis medicus accedat. Quapropter 2. alterum gradum huic priori addamus, qui est, vt ad illum, qui Exod. 15. v. 26. Israëlitis dicit: Ego sum Dominus Deus sanator vel Medicus tuus, confugiamus. Huic enim Spiritus sanctus in scripturis testimonium præbet, quod non sit in alio quoquam salus, nec aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, Actor. 4. v. 12. Debet quidem lex omnibus pædagogus esse ad Christum, Gal. 3. v. 24. Quia vero plerique dum rebus secundis fruuntur, Christum securè negligunt, sicut fecit Iairus: ideo Deus immittit morbos, calamitates, denique mortem ipsam, iisque vtitur tāquam flagellis, quibus ad quærendum hunc animæ Medicum compellamur, siquidem alia ratione ad ipsum approximare nolumus, Psal. 32. ver. 9. Hic medicus salutare remedium aduersus lethalem nostrū morbum nobis parauit in ara crucis, quando vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, Esa. 53. v. 5. Ibi aperto ipsius latere, ex quo profluit sanguis & aqua, Ioh. 19. v. 34. fons patefactus est domui Dauid & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ, Zach. 13. vers. 1. Sanguis enim Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Ioh. 1. v. 7. Hoc remedium non magna pecunia redimitur, non multis impensis comparatur, sed gratis datur omnibus venientibus, datur absque argento, & absque vlla commutatione, Iesa. 55. v. 1. Apoc. 22. v. 17. Ideo supra Matth. 11. v. 28. amicissime inuitauit ad se omnes laborantes & oneratos, promittens se eos reficere velle. Hic ergo habemus Medicum, qui morbos animæ & conscientiarum plene & perfecte curare potest. Hunc quæramus, ad hunc properemus omnes. Nemo vlterius vtatur consilio istorum circumforaneorum, qui tantum nos emergunt pecunia, nec quicquam refectionis addunt. Huic medico adhæreamus, & quò tantò constantius illud fiat, intueamur exempla eorum, qui ipsius ope sanati sunt, (sicut Iairus vidit exemplum mulierculæ sanatæ) & non mediocriter confirmabimur. 3. Quando ergo iam didicimus, quis sit ille noster Medicus, tunc etiam ad eum accedendum, & *fimbria vestimenti ipsius attingenda*. At vbi eam inueniemus, vt tangamus? Num ascendendum in cœlum? Num eundum Compostellam? Aut ad vacuum sepulchrum? Aut ad alia loca, in quibus monstratur tunica Christi? Minime gentium: Hæ enim sunt deceptiones hominum. Sed accedendum ad verbū & Sacramenta: hisce sese alligauit & quasi circumuestiuit, ibi quæri, ibi inueniri vult. Huc respicit Paulus, cum Roman. 10. vers. 6. ex Deut. 30. v. 12. inquit. Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis reuocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus. In baptismo itaque inuenimus vestimentum salutis & indumentum iustitiæ, quod non tantum attingimus, sed quo ipse nos induit & circundat, vt sublata omni immunditia tanquam sponsus corona decoratus, & quasi sponsa monilibus suis ornata, coram cœlesti Patre compareamus mundi, sine omni ruga, macula aut quoquam eiusmodi, Iesa. 61. v. 10. Ephes. 5. vers. 27. In sacra autem ipsius cœna participes reddimur veri ipsius corporis & sanguinis, quibus ceu manu è cœlis protensa non tantùm nos attingit, sed & voce sua quasi è media morte euocat, dicens: Amen, amen dicò vobis, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die, Ioh. 6. v. 54. Participatione itaque corporis & sanguinis ipsius, ita cū ipso vnimur, vt communio nostra sit cum Patre, & cum filio, 1. Ioh. 1. v. 3. Et simus vbi ipse est, & videamus claritatem ipsius, quam dedit ipsi Pater, Ioh. 17. v. 24. Hic totus articulus rationi humanæ est ignotus: sed in schola Christi eum addiscimus, eiusque cognitione ex omnibus miseriis peccati, mortis & diaboli eripimur, atque ad æternam vitam adducimur. Hæc enim est vita æterna, vt cognoscamus Patrem verum Deum, & quē misit Iesum Christum, Ioh. 17. v. 3. III. Tertius articulus, est quidē cum præcedente coniunctus: sed tamen docendi gratia separatim tractari potest, vt discamus, qualiter fiat applicatio medicamenti, quod hic cœlestis medicus pro sanandis animabus nobis attulit. Dictum iam est, fieri eam contactu vestimentorum ipsius, hoc est, auditu verbi & vsu Sacramentorū, quibus Christus seipsum quasi inuoluit & circumuestiuit, vt in mysterio ipsius participes fieri queamus. At vero sicut in hac historia multi Christo appropinquant, eumque tangūt, adeoque ipsum (sicut Petrus dicit) *constringunt atq; affligunt*, & tamē nullam virtutem ex ipso sentiunt, sed sola fœmina, quæ humili fide prædita, eum attingit, ipsius beneficio sanatur. Ita quoque in Ecclesia multi Christo approximant, externis auribus verbum salutis excipiunt, ore suo Sacramentum corporis & sanguinis ipsius manducant & bibunt, verbis quoque se Christianos esse profitentur & gloriantur: nullam tamen efficaciam ex eo percipiunt, nec sentiunt fluxum illum peccatorum suorum sisti & exiccari. Vnde illud? Quia destituuntur vera fide, quæ sola ex hoc fonte haurit gratiam pro gratia. Qui ergo sine fide Christum adeunt, quales adueniunt, tales rursus discedunt, sine peccatorum remissione, sine consolatione, morbis suis adhuc obruti. Mundus semper vult gratiæ Dei particeps fieri per opera. At Christus hic opus nec requirit, nec respicit: sed tantùm fidem. Etenim quod adeo diligenter, & quidem iteratis vicibus inquirit, quis se tetigerit. Cumque Petrus affirmaret, mirari se, quod inquirat de contactu, cùm vndique turbæ comitantes eum constringant: Ipse tamen Dominus noluit desistere, donec eam quasi ex latebris protraheret, atque ad ingenuam confessionem adigeret. Id postquam factum non dicit; Confide filia, opus tuum, quo me secuta es, aut quo sine manu siue corpore me attigisti, sed *fides tua te seruauit*. Innuens solam fidem, dextram illam animæ manum esse, qua ipse ad salutem ab hominibus apprehendatur. Tu ergo, si & ipse salutis in Christo particeps fieri velis, Christum constanti & firma fide attinge: crede firmiter, ipsum propter te, vt & propter alios peccatores, in hūc mundum venisse; propter te ignominiosam crucis mortem subiisse. Et quòd morte sua non sibi, sed tibi peccatorum remissionem impetrarit: iram cœlestis Patris, quem tu peccando offenderas, sedarit, eumque tibi reconciliarit. Crede insuper firmiter & statue indubitanter, quod te ad se fugientem benignissime suscipere, te sua iustitia & obedientia contra rigorem iudicij diuini protegere, omnipotente sua *virtute* à Spirituali tuo morbo te sanare, atque *efficere velit, vt reipsa sentias* & experiaris, quòd propter *ipsius meritum iustus & innocens* Dei filius factus: hæres scribaris *vitæ æternæ*. *Itaque* verbum Dei audi, non obiter, neque carnalibus auribus, sed toto pectore & corde, illi constanter adhære, & in ipsum omnem tuam fiduciam colloca. Si hoc feceris, senties in anima & conscientia tua virtutem Dei, & quomodo per operationem Spiritus sancti, subinde proficias in vera pietate. Est enim Euangelium Dei virtus & potentia ad salutem omni credenti, Romanorum 1. v. 16.

Est ergo consideratione dignum: 1. Quomodo in hac historia describatur fides confugiens ad Christum, quærens in illo & inueniens remedium aduersus fontem sanguinis. 2. Quomodo eadem à Christo recipiatur, atque in ipso id quod quæsiuit assequatur. Hoc enim exemplum ad alia, præsertim ad illud peccatricis, quod supra cap. 57. tractauimus, collatum, doctrinam fidei egregie illustrabit. Etsi enim hic Saluator nobis miseris mortalibus à Deo datus est, non potissimum eo fine, vt à corporalibus malis nos liberet, sed vt spiritualia mala, qualia sunt peccatum, Diaboli tyrannis, maledictio legis & æterna damnatio, remoueat; tamen etiam temporalia mala vel mitigat vel tollit interdum, vt tanto rectius in spiritualibus ipsi confidere discamus. Primò itaque hæc fœmina tum demum ad Christum confugit, postquam de aliis mediis omnibus desperauit. Ita quoque quamdiu nos hæremus circa naturales vires, aut opera & merita, siue nostra siue sanctorum, tanquam imperitorum medicorum, & ex iis aliquid subsidij aduersus mortem & damnationē speramus, Christum securè negligimus, nec quicquam leuaminis sentimus. Itaque de istis omnibus desperandū, & animus à mundanis in vniuersum auellendus, atque ad solum Christum conuertendus est. Accessit autem hæc fœmina ex bona fiducia: quia fama de Christo sparsa testificata est, ipsum adeo benignum esse, vt omnibus se in iuuando facilem præberet, adeo potentem esse, vt nullus vnquam ab ipso discesserit, cuius malis non adhibuerit remedium. Hæc eadem fama de Christo per Euangelium etiam ad nos dimanauit, quæ in nobis fiduciam illam de bonitate & potētia ipsius excitare & confirmare debet. Ipse enim dixit: Neminem, venientem ad me, repellam, Iohan. cap. 6. versic. 37. Item: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Matth. 28. versic. 18. Hæc tamen fiducia non caret sua lucta. Sunt enim in animis eorum, qui Christum accedunt, mixti motus dubitationis & fidei. Etenim fidei, à Spiritu sancto per auditum verbi excitatæ,

relucta-

voluntate vero, subinde de sua impuritate & indignitate cogitans, ac metuens ne propter illam à benignissimo hoc Domino repellatur. Ideo haec foemina à tergo accedit, & clam vestimentum ipsius attingit, verecundia immunditiæ suæ deterrita, ne aperte apud Christum quæreret, quod ab ipso sperabat. Et hæc quidem faciebat foemina. Quid vero Christus? Ille omniscio diuinitatis suæ oculo omnia exactissime prospiciebat, quænam secum in animo hæc foemina agitabat, & quod clam moliebatur. Et Iairus quidem legis Doctor, si ipsi de ea constitisset, nequaquam hanc foeminam in turbam, nedum ad contactum admisisset: siquidem secundum legis præscriptum immundus reputabatur omnis, qui huiusmodi mulierem ex profluuio sanguinis laborantem attingebat, Leuit. 15. vers. 20. Sed Dominus Iesus non tantùm eam facile admisit, sed & è vestigio saluificam virtutem ipsi ex se communicauit, vnde fons sanguinis siccaretur, & ipsa à flagello suo sanaretur. Mox ne beneficium hoc lateret, inquirit de contactu. Et licèt hæc inquisitio discipulis ridicula videretur, eò quod à turba comprimeretur: tamen ipse inquirendo instat tamdiu, donec ipsa foemina quasi ex latebris protraheretur. Hoc vero non fecit, vt miseram confunderet, sed vt latentius fidei vim & efficaciam ignorantibus considerandam proponeret. Ipsa quidem timet ac tremit, metuens ne rursus eriperetur ipsi, quod indigna quasi clam surripuisset. Sed benignissimus Dominus illam consolatur, præsenti animo esse & bene confidere iubet, filiam insuper eam vocans. Quod ipsum fecit in eum finem, vt dubitationes carnis expellat, & fidem in pectore confirmet. Sic etiam Matth. 9. v. 2. paralyticum in fide infirmum confirmat. Et sæpe adhuc hodie, in fide titubantes ac trementes in lucem protrahit, quò intra conscientias suas exhilarati, publica salutis & gratiæ diuinæ sint exempla. Denique, certò vt constet nullum aliud esse medium applicationis, per quod gratiæ & salutis in Christo participes fiamus, quàm ipsa fides, disertè dicit: *Fides tua te seruauit, vade in pace.* Nec sunt pugnantes inter se duæ hæ propositiones. Virtus exiens ex Christo sanauit hanc mulierem. Et: fides mulieris eam sanam fecit. Vtrunque enim vere & recte dicitur. Virtus enim Christi hoc proprie facit, tanquam causa efficiens salutis nostræ. Siquidem extra Christum non est salus, Act. 4. v. 12. Fides autem id facit, tanquam causa instrumentalis. Neque enim alio instrumento Christum ad salutem apprehendere possumus. Sicuti hoc perpetuus scripturæ consensus testatur: quod omnis qui credit in filium, Ioh. 3. v. 16. non pereat, sed habeat vitam æternam, Iohan. 5. v. 24. non venit in iudicium, sed transit à morte in vitam, Actor. 13. v. 39. In Christo omnis qui credit iustificatur. Et Paulus Rom. 3. v. 28. post satis longam disputationem concludit, hominem iustificari gratis per fidem, absque operibus legis.

Habet quidem hic Articulus multas obiectiones, tum ex ratione, tum ex ædibus Archisynagogi & minus recto intellectu legis. Ratio enim oggannit & dicit: In morte alterius vanum est sperare salutem. Quomodo Christi mors meæ vitæ potest esse causa? Sed scriptura docet, Christum non tantum esse mortuum, sed & resurrexisse, & sedere ad dextram Dei, vnde per verbum & sacramenta, tanquam per carnales, virtus mortis Christi, quæ est vita æterna, Rom. 6. v. 23. ad nos deriuatur, quam nos firma fide excipimus. Vt ergo olim in deserto, illi, qui ab ignitis serpentibus lethaliter vulnerati erant, quando serpentem æneum aspiciebant, vitæ restituebantur: Num. 21. v. 9. ita quicunque spiritualibus oculis fidei Christum pro se crucifixum, mortuum & resuscitatum intuentur, non pereunt, sed habent vitam æternam, Ioh. 3. v. 15. At hîc insurgunt operum exactores, & contendunt, si fides ad spiritualem vitam & salutem sufficit, cur in Iairo virtus illa se nō exeruit, cùm & ipse fidem habuerit & notitiam veri Dei creatoris mundi, qui Israelem eduxerat ex Ægypto? sed apud veros Christianos responsio facilis est. Fides saluifica, de qua hîc agimus, non est tantum notitia historiæ, qualem habuit Iairus, & quam etiam Diabolos habere Iacobus testatur, cap. 2. v. 19. qui tamen contremiscunt: sed est fiducia bonitatis & fiduciæ Dei patris in Christo Iesu, cum applicatione ad suam personam, qualem in foemina hac vidimus. Qui ergo fidem aliam nullam nouerunt, quàm quæ sit nuda quædam & inanis opinio animo concepta, non est mirum illos nullam efficaciam persentiscere. At qui Christum talem complectuntur, qualem scriptura eum nobis proponere solet, tanquam eiusmodi Saluatorem, ex quo omnia quæ ad corporis & animæ salutem spectant hauriamus, illi mox intra conscientias, vim & virtutem humanis viribus maiorem experiuntur. Et quod Christus hîc mulieri dicit: *Vade in pace esto sana à flagello tuo*, atque, Matthæo teste, *ipsa salua facta est ab illo tempore.* Idem tales credentes intra animum suum sentiunt. Nam iustificati fide, pacem habent erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, Rom. 5. v. 1. quæ pax superat omnem sensum, Philip. 4. vers. 7. cuius virtute etiam satisfacti perseueremus in finem vsque, vt neque mors, neque vita, neque angeli, neque vlla creatura nos possit separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro, Rom. 8. vers. 38.

IV. Quartus Articulus hunc insequitur, & docet quid inde consequamur, si Christum hoc modo fide amplexi simus. Nimirum, quod scimus mortem credentibus in Christum non esse mortem, sed somnum. Hic articulus rationi prorsus est ridiculus & incredibilis: sed videamus quomodo Christus scholæ suæ sectatores de eo informet. Iairus in fide sua admodum erat infirmus, adeo, vt licet statueret Christum filiolam morti vicinam in vita conseruare posse: tamen nondum credebat eandem ipsam vita defunctam ex mortuis resuscitare posse. Adducta ergo fuit foemina in via, vt in fide cōfirmaretur. Sed ecce, dum Christus cum ea in via tractat, atque eandem rem omnem narrantem cum populo audit, insuper etiam fidem ipsius commendat, accurrunt nuncij ex ædibus Archisynagogi, qui ipsi dicunt: *Filia tua mortua est, quid vexas amplius Magistrum? quid ipsi molestus es?* Σκύλλειν enim significat molestiam exhibere, & fatigare aliquem. Præfigurant hi sermones, pugnas illas & terrores, 2. Corint. 7. 5. quibus obnoxij sunt illi, qui Christum sequuntur. His sæpe obiicitur, vel à mundo, vel à propria carne: quid tibiipsi simul & Christo molestus es ipsi adhærendo, ipsumque sequendo, cùm nihilo plus leuaminis inde experiaris in mundo, quàm alij habeant? Tamen tibi cuisque moriendum est, si maxime diu sis Christi sectator? Sed quid facit Christus? Is suos minime destituit consolatione, sed erigit suo verbo: quemadmodum hîc, quamprimùm audit illud nuncium, statim dicit Iairo: *Ne timeas: μόνον πίστευε, solummodò crede, & salua erit.* Ergo rursus videmus, solam fidem esse vnicum istud instrumentum, quo remedium aduersus omnia mala, quæ saluti nostræ officiunt, apprehendimus. Sicuti vice versa sola incredulitas nos ineptos facit, ad percipiendam Dei bonitatem. Ne ergo fides in nobis deficiat, Christus Iesus, qui per Spiritum suum bonum opus in nobis inchoauit, Philip. 1. versic. 6. idem etiam Spiritu consolationis illud fouet, sustentat & conseruat. Nec hoc tantùm fecit in via: sed & cùm in domum venisset, & videret flentes, adhæc tibicines & tumultuantes, vnde nouus terror in corde Iairi exoriebatur, ibi tum Christus noua consolatione eum erigit, plorare vetat, & testatur adolescentulam nequaquam mortuam esse, sed *dormire.* Hic est nouus articulus vniuersæ rationi ignotus, nec à quoquam receptus, nisi in Christi schola sit probe institutus & quasi enutritus. Hunc vt tantò rectius addiscamus, attendendum quid mors per se sit, qualem esse Christus nos doceat: & denique vnde illud habeat.

Mors verò in se & per se considerata, est truculentissimus hostis humani generis, & vt Aristoteles recte pronunciauit: *πάντων φοβερῶν φοβερώτατον*, inter omnia formidabilia maxime formidandum. Nequaquam ergo cum impiis mortem Christiani contemnant, sed agnoscant eam esse stipendium peccati, Romanorum 6. vers. vlt. Neque enim Deus hominem creauit morti obnoxium: sed ad suam imaginem, vt esset immortalis, qui in æternum cum Deo coniungeretur. Hinc sapiens dicit: Deus creauit hominem inexterminabilem: sed inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, Sap. 2. vers. 23. Aliter ergo moritur homo; & aliter bruta animalia moriuntur. Hæc enim creatura sunt corruptibilia, licèt non peccarint: hominis autem corpus mortuum est ob peccatum, Romanorum 8. vers. 10. Et iam post lapsum caro & sanguis non possunt possidere regnum Dei: nisi corruptibile hoc induat corruptionem, & mortale immortalitatem, 1. Corinth. 15. vers. 53. Nec est mors tantùm resolutio corporis & animæ, per quam anima quidem seu spiritus redit ad Deum, qui dedit eum, Ecclesi. 12. vers. 7. corpus autem seminatur in infirmitate, ignobilitate & corruptione, 1. Cor. 15. versic. 43. quando omnia repetentur ab homine, quæ à Deo acceperat, Luc. 12. vers. 20. sed post mortem superest iudicium, Heb. 9. vers. 27. vbi oportebit nos omnes comparere coram tribunali Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum, 2. Cor. 5. vers. 10. Ibi Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, 1. Cor. 4. v. 5. Ibi ratio reddenda erit de omni verbo otioso, quod locuti sunt homines, Matth. 12. vers. 36. Quod si ergo iudex cœperit contendere cum hominibus, non poterunt respondere vnum pro mille, Iob. 9. v. 3. Et postquam lata erit sententia cōtra eos, quorum peccata non sunt tecta, neque iniquitates remissæ, cum sol in meridie ipsis occidet, Amos 8. v. 9. confirmabitur chasma, vt nullus amplius sit pœnitentiæ locus, Luc. 16. 26. & ibunt in supplicium æternum, Matt. 25. v. 46. Hoc modo mors in se & per se est consideranda: & qui id facit, is facile intelligit eam non esse more Epicuræorum irridendam, sed maxime formidandam.

Et talis quidem est consideratio mortis per se & extra scho-

lam Christi, vnde etiam terretur Iairus nuncio mortis. Sed quando venimus ad Christum, tum is mortem nouo titulo insignit, & vocat somnum. Ideo de adolescentula hac dicit, *non mortua est, sed dormit*. Et quia Christus Iesus idem est, heri, hodie, & in secula, Hebr. 13. 8. Ideo hoc Epitheton non quidem veteribus ignotum fuit. Mosi dicit Deus, Deut. 31. 16. Ecce tu dormies cum patribus tuis. κοιμᾶσθαι est mori, vel dormitum ire in Cœmiterium. Daniel quoque c. 12. v. 2. dicit, Multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt. Et de Dauide 3. Reg. 2. v. 10. dicitur, quod dormierit cum patribus suis. In Nouo tamen Test. frequentior est hæc appellatio. Apposite autem hoc Epitheton accidentarios mortis effectus considerandos proponit: quos breuiter enumerabimus. 1. Homo in morte tanquam somno quiescit. Nam dies nostri, tanquam dies mercenarij: sicut ergo hic præstolatur finem operis, Iob. 7. 2. ita ægrotus vel maxime mortem appetit, vt liberetur à suis flagellis, quæ instar hæmorrhoiuæ sustinuit, vt requiescat à laboribus suis, Apoc. 14. 13. Quiescunt ergo mortui in cubilibus suis, & abscondunt se modicùm, donec pertranseant indignatio, Iesa. 26. 20. 2. Defatigati non tantùm in somno quiescunt, sed & per illum prostratas vires recolligunt & instaurant, vt homo post somnum quoad omnes vires alacrior ad munia vocationis suæ reuertatur. Ita per mortem quasi renouamur, quoad omnes vires corporis & animi, vt in nouissimo die, exoriente Sole iustitiæ, Iesu Christo, promptiores, paratiores & per omnia aptiores futuri simus ad peragenda illa opera, ad quæ initio creati fueramus, & postmodum à Christo redempti sumus. 3. In somno, quando corpus quiescit, anima interea non dormit, sed habet suas operationes, non tantum animales, sed etiam quoad mentem & sensus interiores. Hinc proueniunt insomnia, eademque interdum omnium iucundissima. Sic licet corpus quiescat & habitet in puluere terræ, Iesa. 26. vers. 19. Spiritus tamen redit ad Deum, qui dedit eum, Eccles. 12. vers. 7. vbi requiescit in manu Dei, nec tormentum mortis eum tangit, Sap. 3. vers. 1. est cum Christo in paradiso, Luc. 23. vers. 43. & in sinu Abrahæ consolatione fruitur, Luc. 16. versi. 25. 4. Homo dum dormit, non curat quid circum se agatur, an homines rideant vel fleant, an edant vel bibant, an saltent vel pugnent, an emāt vel vendant, nō curat an dies sit vel nox, an venti flent vel sol splendeat, vel quis sit cursus horologij, & hæc nihilo plus ipsum afficiunt, quàm vel parietem, donec euigilet. Eadem est ratio mortuorum ad nouissimum vsque diem, quod sine omni cura & solicitudine dormiunt, nihili curantes res mundanas: siue bella sint, siue pax; siue pestis homines affligat, siue fames: siue hæreses in Ecclesia oriantur, siue schismata regnent: siue tyranni piis molesti sint persecutionibus, siue iustitia vigeat: siue secundis posteri fruantur, siue aduersis. Hæc omnia & similia nihil molestiæ, nihil curarum vel solicitudinis ipsis afferunt. Nam Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos, Esa. 63. v. 16. 5. Somnus ita etiam obrepere solet & sensus hominum occupare, vt minutū illud quo obdormit homo, is nunquam obseruare queat: ita & in morte homines obdormiscere solent, vt anima fere emigret absque sensu, & homo prius mortuus sit, quàm vel ipse vel circumstantes ipsum mori animaduertant. Imo vt sæpenumero somnus hominem ex improuiso præoccupat, maxime quando quietus sedet: ita non raro mors subito ingruit, etiam tum quando homines sunt maxime securi. 6. Denique dormientes facile ex somno excitari possunt, si vel nomine proprio vocentur, vel arrepta manu concutiantur. Ita Christus in nouissimo die excitabit corpora etiam in morte putrefacta, quando ἐν κελεύσματι & voce tubæ venerit, ac dixerit: Surgite mortui, venite ad iudicium. Venit enim hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij, Ioh. 5. v. 28. Ibi tum quisque de terra surrecturus est, & rursus circundabitur pelle sua, & in carne sua videbit Deum, Iob. 19. v. 25 Hæc spes sit reposita in sinu nostro, vt sic non secundum carnis sensum, sed secundum verbum Dei de morte iudicare discamus.

Et quia hic incidimus in mentionem Nomenclaturæ, qua Christus mortem insignit, fortassis non abs re erit, si hac occasione colligamus plures appellationes, quibus & Christus & Spiritus S. alibi in scripturis mortem notare solent, 1. Iohan. 5. v. 24. vocatur μετάβασις, *transitus*. Cuius Epitheti ratio hæc esse potest. Nos homines quærimus bona: siquidem à Deo non ad malum sed in bonum creati sumus. Sed illa non inuenimus in hac vita, in qua meræ sunt miseriæ, & circumgestamus corpus mortis, Rom. 7. v. 24. cui obnoxij sumus propter peccatum. Superest itaque alia vita, in qua est Christus, vbi sunt delectationes vsque in finem, Psal. 16. v. vlt. Vita autem illa est abscōdita cum Christo in Deo, Col. 3. v. 3. & dum in hac vita viuimus, per fidem incedimus, non per aspectum, 2. Cor. 5. vers. 7. Certi autem sumus, quod, quando Christus vita nostra apparuerit, tunc & nos apparebimus cum eo in gloria. At vero adhuc magnum est interstitium inter hanc & illam vitam, nimirum mors, quę tanquam aheneus murus interposita est inter hanc & illam vitam, vt nobis hunc murum vel transcendere, vel per eum perrumpere sit impossibile. Sed Christus est verus פרץ perruptor, qui ante nos pandit iter, Mich. 2. vers. 13. Idem dux vitæ constitutus, Act. 3. versic. 15. per apertam illam siue portam siue ianuam transit, vt nos firma fide ipsi adhærentes, vna cum ipso per mortem transire, & in æternam vitā penetrare queamus. 2. Luc. 9. vers. 51. vocatur mors ἀνάληψις, *Assumptio*. Vocabulū sumptum est à patribus, quibus si quādo filij, qui diu domo absfuerunt, rursus offeruntur, & ipsi ex certis signis eos agnoscunt, tum eos pro suis suscipiunt. Sic nos filij degeneres, satis diu extra cœlestem patriam in hoc mundo exulauimus, & in æternum, tanquam acolæ, extra ædes paternas iure oberrare debebamus. Sed Christus præiuit in domum patris nobis paraturus locum, Iohan. 14. v. 2. & cum eum parauerit redidit, vt nos assumat ad seipsum. Interim in hoc mundo post se reliquit ministerium verbi & Sacramentorum, per quod nobis, si fide eum suscipiamus, dat potestatē filios Dei fieri, Iohann. 1. v. 12. Si ergo, postquam per mortem transierimus in alteram vitam, & vna nobiscum attulerimus στίγματα Domini nostri Iesu Christi, Galat. 6. versic. 17. tum cœlestis pater nos tanquam suos γνησίους filios assumet & suscipiet. Hinc proueniunt illæ preces sanctorum: Heliæ, 3. Reg. 19. v. 4. Sufficit mihi Domine, λάβε, tolle animam meam, Tobiæ senioris, Tob. 3. v. 6. & nunc Domine præcipe in pace ἀναληφθῆναι suscipi spiritum meum. Stephani, Act. 7. v. 59. Domine Iesu, suscipe spiritum meum. 3 Heb. 11. vers. 5. De Henocho, mors dicitur μετάθεσις, *Translatio*: Sumptum autem est vocabulum ab iis, qui res suas ex vna habitatione in alteram transferunt. Hinc mutatio interdum grauis & molesta est: si tamen quis mutet in melius, patienter id facit. Sic per mortem fit mutatio habitaculi. Nam tabernaculum terrenæ nostrę domus huius dissoluitur, vt accipiamus ædificium ex Deo, non domicilium manufactum, sed æternum in cœlis, 2. Cor. 5. v. 1. Sicut & D. Petrus 2. Epist. 1. versic. 14. suam mortem vocat ἀπόθεσιν depositionem sui tabernaculi. Quæ quidem non fit sine molestia & dolore: quia tamen in hoc mundo diabolus princeps est, qui pios supra modum duxerat, migramus autem ex hoc seculo in regionem viuorum, Ps. 116. vers. 9. merito molestiam migrationis huius patienter sustinere debemus. Huc alludit illud, νῦν ἀπολύεις Simeonis, Luc. 2. vers. 29. qui cum pace dimitti cupit. Et τὸ ἀναλῦσαι Pauli, Phil. 1. ver. 23. qui desiderat migrare & cum Christo esse. Quod idem Paulus 2. Cor. 5. v. 8. ita explicat, quod cupiat ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, migrare ex hoc corpore, & liberari à corpore mortis. Quia quandiu in hac vita viuimus, peregrinamur à Domino. 4. Luc. 9. versic. 31. mors Christi vocatur ἔξοδος αὐτοῦ, *exitus ipsius*. Sicuti etiam Petrus suam mortem 2. epist. 1. versic. 15. suum vocat exitum. Nam anima dum in corpore moratur, quasi Ægyptiacam sustinet seruitutem, nec bene cum ipsa agitur, siquidem periculum est ne seducatur. Sed quando exit ex corpore, tum liberatur, & Christo, fido curatori animarum nostrarum, 1. Pet. 2. v. vlt. commendatur, qui ei requiem præstat. Ideo ipsi tribuitur, Hebr. 4. versic 8. quod sit, qui καταπαύει, in requiem collocat animas nostras, tum requiescent ab operibus suis, Apo. 14. 13. Matth. 25. 13. & Hebr. 6. 11. vocatur τέλος, *finis*. Quia mors est vltima linea rerum, sc. nostrarum mundanarum. Vnde etiam Syrac. 7. v. vlt. inter τὰ ἔσχατα, nouissima recensentur. Quia post mortē, nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo properamus, Eccl. 9. v. 10. Ideo etiam Heb. 13. vers. 7. dicitur ἔκβασις τῆς ἀναστροφῆς, exitus conuersationis nostræ: vbi Deus lætum finem ponit malorum & miseriarum. Nam mors etiam est ἔκβασις ἐκ τοῦ πειρασμοῦ, euasio ex tentatione, 1. Cor. 10. v. 13. alias si absque ea esset, & perpetuo molestiis huius vitæ premi cogeremur, non possemus sufferre. Hæc & similia Epitheta mortis, à piis Christianis sunt colligenda & memoriæ mandanda, non inanis subtilitatis ergo: sed quia in his ipsis vocabulis exquisita doctrina & efficax latitat consolatio.

Hanc ergo mortis considerationem Christus opponit threnis, næniis & lamentationibus, quas inuenit in ædib. Archisynagogi, cuius filiola mortua erat, vt is tanquam verus Legisperitus diuersa legis dicta conciliare discat. Nam de mortuis dicitur in Psalm. 49. v. 15. quod in inferno sint positi, tanquam oues, vbi mors eos depascat. Danieli autem dicit angelus Domini, 12. v. 13. ipsum quieturum vsque ad finem dierum, quando staturus sit in sorte sua. Hæc Christus ita conciliat, vt & Iairo & aliis hominibus dupliciter considerandam proponat mortem: vna vice, qualis sit in se vel per se: altera vice, qualis sit in Christo. Per se sane mors est tanquam tyrannus, qui per peccatum Adami regnare cœpit in mundo, Ro. 5. v. 34. & regnauit super omnes homines, eo quod omnes peccauerunt.

Habet

Habet hic tyrannus suum stimulum, seu acutam hastam, legem, 1.Cor.15.v.56. ea homines accusat, & conscientias pungit. Diabolus ipsi auxiliatur, qui habet mortis imperium, & timore mortis homines per totam vitam obnoxios reddit seruituti, Heb.2.v.14. Sed Christus, qui est vita hominum, Ioh.1.v.4. duello congressus est cum morte & diabolo: & per mortē suam destruxit eum, qui mortis habebat imperium, Hebr.2.v.14. atque sic eos, qui in fide in ipsum inueniuntur, liberauit de manu mortis. Sicut in Propheta dicit: Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne, Hos.13.v.14. Nam solutis doloribus inferni, Act.2.vers.24. mortem ita exarmauit, vt in ipsum credentes minime detinere queat: sed dux vitæ factus, Act.3.v.15. mortem quidem destruxit, vitam autem & immortalitatē in lucem produxit per Euangelium, 2.Timoth.1.v.10. Promisit hoc Deus per Prophetam Iesaiam c.25.v.8. Absorbebit Dominus mortem in sempiternum & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet, de vniuersa terra, quia Dominus locutus est. Vtitur Propheta verbo בלע quod significat deglutire, deuorare & instar boli deglutire. *Christus hat den Todt mit haut vnd haar verschlungen.* Vt piis in ipsum credentibus non tantum non amplius nocere possit, sed ne quidem amplius sit terribilis. Nam deuicit mortem in propria persona, atque per resurrectionem comprobauit, se esse filium Dei, Rom.1.v.4. At vero quid hoc nobis prodesset, in quorum corpore adhuc mors regnat? Itaque cum muliere hac & Iairo ad Christum accedēdum, & ex ipso audiendum, quid de morte sentire debeamus. Is dicit eum esse somnum. Sed oggannit ratio: quid huic attendis? quid ipsi molestus es? Is est Deus & homo, ipsi quidem mors non nocet, Ego vero habeo carnem & sanguinem, & in carne mea sentio stimulum mortis, qui pungit vt doleat. Huiusmodi cogitationibus rursus occurrendum, quod sane Christus sit Deus & homo: sed ipsius nuda diuinitas nobis non succurrisset, neque iuxta eam mori potuisset. Participauit itaque de carne & sanguine, sicut nos, Heb.2.v.14. absque tamen peccato. Et hoc ipsum corpus, quod à peccato fuit immune, morti subiecit, vt ita in ipsius carne mors ius suum amitteret, atque vinceretur, sicque nos spem acciperemus, quod propter ipsum, qui sumus membra corporis ipsius, de carne eius & de ossibus eius, Eph.5.v.30. nec nobis mors nocere queat. Tantum in hoc situm est omne punctum, vt ipse nos tangat, sicut apprehendit manū puellæ: & vt voce sua nobis acclamet, sicuti vocauit puellam, *Talitha cumi*. Contingit autem & vocat nos, tum in verbo, tum in Sacramentis. Primus contractus fit in baptismo, vbi in mortem Christi baptizamur, vt quemadmodum ipse surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, Rom.6.vers.3. vbi etiam omnes qui in Christum baptizamur, Christum induimus, Gal.3.vers.27. Sed quia sæpe per peccatum ab ipso recedimus, sicq; fœdus bonæ conscientiæ violamus, atque variis peccatorum inquinamentis nobis morbos & mortem accersimus: idcirco per pœnitentiam ad ipsum reuertamur, vt accepta peccatorum nostrorum absolutione fœdus in baptismo initum, per vsurpationem sacrosancti corporis & sanguinis ipsius in cœna innouemus. In sacra enim illa cœna manducamus corpus vitæ, quod est efficacissimum antidotum contra mortem. De quo Christus ipse pronunciat, Ioh.6.v.54. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Hac de causa veteres sacram Domini cœnam ἐφόδιον & viaticum vocarunt, quod necessarium sit migraturis ex hac mortali vita. Nam & Irenæus & Chrysostomus spem resurrectionis suæ fundarunt in eo, quod in cœna participes facti sint eius corporis, cui mors vltra non dominabitur, Rom.6.v.9. Hęc de quarto articulo aliquanto fusius dicenda fuerunt: quia is non minus quàm præcedentes rationi humanæ naturæ est ignotus, addiscitur autem tantum in schola Christi.

V. Quinto etiam aliquid dicendum est de luctu & ceremoniis funebribus, quarum in hac historia fit mentio. Nam flere & lugere in obitu cognatorum vel amicorum, naturale quidem est: quia tamen gentes, quæ nullam spem resurrectionis habuerunt, 1.Thess.4.vers.13. modum in lugendo excesserunt, Deus in lege sua certa mandata præscripsit, quibus populo suo præcepit, ne gentilium morem hac in re imitarentur, Leuit.19.v.28. Super mortuo non incidetis carnes vestras, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis, Ego Dominus. Et Deut.14.v.1. *Filij* estote Domini Dei vestri: nō vos incidetis, nec facietis caluitium super mortuo: Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo: & te elegit vt sis ei in populum peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram. Scimus enim quàm intemperanter homines aduersus Deum ferātur, quando dolori suo habenas laxant. Hunc immodicum luctū Deus in populo suo corrigit, dum incisuram & caluitium super mortuo damnat. Quanquam incisuræ huius apud gentes etiam alius finis fuerit. Existimabant nimirum se mortuis suis iusta soluere, & feriales exequias quodam piaculi genere celebrare. Hos præposteros gestus Deus in populo suo prohibuit, & restatus est, eos, apud gentes quidem haberi pro testimoniis pietatis, in suo autem populo esse inquinamēta fidei. Vtut autem Deus ista prohibuerit, tamen in hac historia videmus, Ethnicos istos ritus non tantum vulgo in populo Dei receptos fuisse, sed & in Archisynagogi ædes irrepsisse: siquidem habuerunt suos *tibicines & turbam tumultuantem.* Αὐληταὶ fuerunt, qui in funere præcedebant, & næniam funebrem, defuncti laudes & virtutes continentem, præcinebant. Et erant illæ accommodatæ ad excitandum mœrorem apud spectatores, & auditores. ὄχλος θορυβούμενος, erant præficæ, quæ, vt luctui præessent, precio conduci solebant. Assuefecerant hæ oculos suos, vt ad carmen funebre immodice lamentarentur, vitam & mores defuncti laudarent, sicq; omnes ad flendū & lugendum inuitarent. Sed nos missis hisce ineptiis & nugis gentilium, seuere à Deo prohibitis, potius cōsideremus, quid apud fideles & pios quouis tempore in lugendis mortuis vsu receptum & probatum fuerit.

In populo itaque Dei inde ab initio semper vsitatum fuit, vt si quis pie hac vita defunctus fuisset, prima cura hæc susciperetur, quo honeste sepeliretur, atq; terræ, omnium nostrum matri, corpus mandaretur. Vt ita satisfieret sententiæ diuinitus latæ: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es. Quia puluis es, & in puluerem reuerteris, Gen.3.v.19. Quo etiam respicit Salomō, Eccl.12.v.7. Beluinum itaq; & caninū fuit, quod Scythæ defunctos suos ipsi deuorarunt, existimantes eos nullo honestiore loco recondi posse: quod Hircani canes sepulchrales aluerunt, quibus mortuos suos deuorandos obiecerunt: quod Parthi carnes volucribus exposuerunt, ossa autem sepelierunt: Lothophagi autem in mare suos proiecerunt, vt à piscibus absumerentur. Græci & Romani, tanquam humaniores gentes, mortuos suos rogis ardentibus imposuerunt, & in cineres redegerunt, quos postea mundis vasculis inclusos asseruarunt. Contra hosce ritus omnes Christianis cura sepulchri commendata esse debet. Sepulturam autem procurare soliciti fuerunt, cōiuges, parentes, liberi, cognati & proximi quiq; Gen.23.v.4. Abrahamus solicitus est de sepultura Saræ, Gen.35.v.19. Iacobus de Rachelis, Gen.50.v.1. Iosephus de Iacobi. Et quidem prolixe ibi describitur, quomodo patri mortuo oculos clauserit, eum osculatus sit, per medicos suos vnxerit, luxerit, & in terram Canaan ad locū sepulturæ deduxerit. Sic Luc.7.v.12. vidua Naimitica non abiicit curam suam de mortuo filio, sed sepulturām honestam ipsi procurat. Fecerunt autem hoc propterea: partim, quia sciuerunt illa corpora fuisse membra de corpore Christi, Eph.5.30. & templa Spiritus S.1.Cor.6.v.19. partim, quia firma fide crediderunt eadem ipsa corpora olim gloriose ex puluere terræ resurrectura. Ergo hoc officium sepulturæ, ex charitate, fide & spe Christiana profectū, suis præstiterūt. Et quia non ignorarunt mortem sanctorū pretiosam esse in conspectu Dei, Ps.116.v.15. qui omnia suorum ossa custodit, ne vnum ex illis conteratur, Ps.34.v.21. sui quoq; muneris existimarunt, istas sanctorū reliquias non dehonestare, sed depositum tabernaculum suorum, (2.Pet.1.v.14.) ita inuoluere, seponere & terræ custodiendum demandare, vt ipso facto commonstrarent, quid de eius reparatione, quæ in nouissimo die instituetur, pie crederent. Quanti quoq; hoc officium sepulturæ coram Deo fiat, docet Scriptura, quæ illud Ruth.1.v.8. & 2.Sam.2.v.5. misericordiam vocat, atq; Tob.12.v.12. testatur, angelos eius esse inspectores. Vnde Deus nō tantum Ioachimo regi Iudæ impio, Ier.22.v.19. sepulturam asini, tāquam pœnam minatur: sed & aliis regibus consimilem pœnam denuunciauit, quod cadauera ipsorum regiis sepulchris non sint inferenda. Sicuti legimus 3.Reg.14.v.11. de liberis Ieroboami, 2.Par.21.v.20. de Ioramo, & c.24.v.25. de Ioas. In primitiua Ecclesia gentiles Christianos occisos inhumatos abiecerunt vt esca essent feris & volatilibus cœli, sibiipsis ex Ethnica quadam superstitione persuadentes, ipsos etiam post mortem torqueri, si sepulturæ honore & officio destituantur. Sed Augustinus recte contra eos disputat, lib.1.de Ciuit.Dei, c.12.& docet, Christianorum corpora propterea ex cœlo non esse excludenda, licet terra non tegantur. Cum Deus norit, vnde resuscitare velit, quod creauit. Neque enim Christus monuisset, ne timeremus eos qui corpus occidunt, si futuræ beatæ vitæ obesset, quicquid tyranni de corporibus occisorum faciant. Est ergo mors sanctorum preciosa coram Deo, Psalm.116.v.15. vtcunque diri & feri homines dura aduersus corpora piorum peragenda suscipiant. Interim tamen, quia pompæ exequiarum, eodem Augustino teste, sunt solatia viuorum, non subsidia defunctorum, pium & Christianum est de honesta funerandi cura esse solicitum.

Quoad loca sepulturæ, in populo Dei magna inuenitur di-

..sitas. In Veteri Testamento sepulturæ non fuerunt con... circa templum, eo quod hominum, siue occisorum siue ... mortuorum, cadauera secundum legem Mosis immun... erant, vt patet, Num.19.v.14. Et qui mortui hominis taber...culum ingrediebantur, immundi habebantur septem die... ...circo sepulturæ locum sibi elegerunt in libero campo, ...t Abrahamus speluncam in agro emit, Gen 23.v.20. Debora sepelitur ad radices Bethel, subter quercum, Gen.35.v.3. Ibid.v.19 Rachel sepelitur in via, quæ ducit Ephratam. Interdum habuerunt sepulturæ locum in suis ciuitatibus & hæreditariis bonis. Vt Ioseph in Sichem, in parte agri, qui ipsi possessionis loco datus fuerat à patre Iacob. Ios.24.v.34. Ibid.v.33. Eleazar sacerdos in Gabaath Phinees, quæ ipsi data fuerat in hæreditatem. Et v.30. Iosua sepultus est in finibus suæ possessionis in Thamnathsare montis Ephraim. Dauid sepulturę locum habuit in ciuitate Dauid, 3.Reg.2.v.18. Cuius etiam sepulchrū in Ierusalem durauit vsq; post tempora Christi, Act. 2.v.29. Et postea coniunctim ibi pleriq; Reges sua habuerunt monumenta, in quæ etiam Ioiadas Pontifex illatus est, eo quod optime de Rege & toto Israele meritus fuisset. 2.Paral. 24.v.16. Quidam monumenta sua intra ædes construi curarunt: sicuti Samuel, 1.Reg.25.v.1. sepultus est in domo sua in Ramatha: vt sic consideratio mortis subinde ipsis ob oculos versaretur. Matth.8.v.28. Gergeseni monumenta sua habuerūt extra ciuitatem. Et Luc.7.v.12. Iuuenis Naimiticus extra portas ciuitatis efferebatur, vnde patet sepulturæ locum extra vrbem fuisse, fortassis in horto, sicut etiam Iosephus de Arimathæa monumentum suum in petra excisum in horto suo habebat, vt inter delicias etiam mortis non obliuisceretur, in quod Christum de cruce desumptum deponi curauit, Matth. 27.60 Iohan. quoq; 11.30. Lazari sepulchrum fuit extra castellum Bethaniæ. In Nouo Test. Christiani initio suos defunctos sepelierunt, vbicunque commodum locum inuenerunt. Act. 5.v.6.& 10. Ananias & Sapphira efferuntur à iuuenibus & sepeliuntur. Stephani quoque funus curatur Act.8.2. à viris timoratis. Postea ad sepulchra martyrum etiam alij ex hac vita decedentes sepeliri voluerunt, in testimonium eiusdem cum ipsis fidei. Et quia fere ibi inter sepeliendum addebantur cōmonefactiones de peccato causa mortis, de merito Christi mortem exarmante, de læta spe resurrectionis, de vita æterna. Hinc progressu temporis non tantum mos introductus est, vt credentes baptizarentur super mortuos, 1.Cor.15 29. sed etiā oratoria ædificata & sacella constructa ad tumbas martyrum. Nec fuit hæc consuetudo primum mala intentione introducta, siquidem eò respexerunt, vt pij intuentes exitum conuersationis suorum Doctorum imitarentur eorundem fidē, Heb. 13.7.& certi essent, quòd ne quidem morte ipsa segregarentur à sanctorum illa communione, quàm per fidem habent in Christo. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum Dominus esset, Rom.14.9. In eodem ergo Christo viuunt, in quo nos. Illi quidem vita cœlesti & spirituali: nos verò vita mundana & naturali. Conducebat etiam hæc consuetudo ad id, vt quoties Christiani templa siue ingrederentur, siue ex iis egrederentur, mortalitatis suæ admonerentur, sicq; ad continuam pœnitentiam excitarentur, quò ad mortem, quæ certissima est, licet hora eius incerta, semper sese præpararent. Postea secutæ sunt superstitiones: quasi terra cœmeterij ob reliquias martyrum sit præ aliis terræ locis sanctificata, vt defuncti placidius ibi quiescant: quasi missis, qui quotidie intra templū celebrantur, iuuentur mortui, vt tanto maturius ex purgatorio liberentur. Ad refutandas itaque hasce superstitiones & consimiles ineptias, & ad ostendendam libertatem Christianam, recte factum à nostris Maioribus, quod pluribus in locis sepulturæ conuenientem locum extra vrbes elegerunt. Modo veri & pij Christiani vbiuis dent operam, vt κοιμητήρια ista pura & mundana asseruentur, ne pie defunctorum ossa à canibus vel suibus dissipentur. Est enim ager Dei, in quem reconditur sanctum semen, quod in æstate nouissimi diei excrescet in vitam æternam.

Cæterum prodest & illud considerare, quid pij in populo Dei quouis tempore egerint, antequam demortuum suum ad sepulturam efferrent. Etsi enim ad veteres ceremonias nos Christiani non simpliciter sumus obligati: iucundum tamen est piæ menti nouisse, quid illi fecerint, & inde colligere quid & nos deceat. Hæc itaque potissimum obseruata sunt. 1. Cōuenerunt in domo illa, in qua defunctus iacebat. Sicuti hic videmus in domo Iairi, & Actor.9.v.30. in funere Dorcadis. Huc respicit Salomon. Eccl.7.vers.3. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorū admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurus sit. 2. Conuenerunt in habitu lugentium, quod inde colligere licet, quia Ezech.24.v.17. prophetæ à Deo ob certam significationem ad typum interdicitur, ne amictu lugentium ora sua velet. Aliæ enim vestes ornant euntes ad nuptias, aliæ euntes ad domum luctus. 3. Planctum instituerunt, Act.9.v.1. Viri timorati magnum planctum fecerunt super Stephanum. Hinc Syracides præcipit c.38.v.16. Fili, in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare: & fac luctum secundū dignitatem eius, vno die vel duobus, ne tibi detrahatur. Nam quo tristior fuit mors, eo maior fuit planctus. Ier.6.v.26. Iudęi iubentur facere planctum amarum, tanquam luctum vnigeniti. Iosephus quoque, Gen.50.v.10. ad aream Arad, planctu magno & vehementi prosecutus est exequias patris sui Iacobi per septem dies. 4. Planctus vero ille non fuit sonus incōditus, vel vlulatus insipiens. Sed, vt colligere licet ex historia Dauid 2.Reg.1.v.17.& c.3.v.33. Ier.22.v.18. Ezec.19.v.1.c.27.v.2. & 32.vers.2. recitarunt ibi historiam vitæ defuncti, si quid siue boni, siue mali fecisset, in eum finem, vt memoria iusti esset in benedictione, Ps.112.v.3. Syr.45.v.1. & vt, si quid boni fecisset, superstites virtutes imitentur: si quid vitiorum habuisset, posteri ab illis tanto diligentius sibi caueant. Admoniti etiam sunt superstites de suo fine, Eccl.7.v.3. Sic enim demortuus superstites alloquitur. Memor esto iudicij mei, sic erit & tuum, Mihi heri, & Tibi hodie, Syr.38.v.23. Considerata itaque doctrina de peccato, quisque cogitauit de præparatione ad mortem, de remedio contra mortem, quod consistit in passione & morte Christi, denique de consolatione contra mortem, quæ efficacissima desumpta est ex articulo resurrectionis. De qua Martha dicit, Ioh.11.v.24. scio, quia frater meus resurget in resurrectione, in nouissimo die. Ideo 5. peracto planctu, se mutuo consolati sunt & consolationem admiserunt. Gen.37. v.35. conueniunt filij Iacobi, vt lenirent dolorem miseri senis, quem inde conceperat, quod putaret Iosephum à fera discerptum esse. 2.Reg.12.v.20. Dauid à luctu surgit, faciem lauat, & postquam coram arca Domini adorasset, redit domum sibiq; cibum apponi iubet. Idem rex 1.Par.19.v.2. mittit legatos ad Hanonem, filium Naas, regem filiorum Ammon, qui eum consolarentur super morte patris sui. Et vt patet ex Ier.16.v.7. instituerunt honoraria conuiuia, in quibus fregerunt panem & dederunt potum calicis lugentibus, ad consolandum super mortuos. Ideo Tobias filio suo in præceptis dat, c.4.v.18. Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iustam constitue. Paulus quoque vult, 1.Thess.4.v.13. ne ita contristemur super dormientibus, sicut cæteri, qui spem non habent: sed vt nos mutuo consolemur doctrina de resurrectione ex mortuis & vita æterna. 6. De tempore, quandiu luctus durare debeat, nihil certi fuit definitum. Gen.50.v.3. Ioseph cum Ægyptiis defflet Iacobum septuaginta dies, 1.Reg.31.v.vlt. ciues in Iabes Galaad lugent Saulem septem diebus, Num.20.v.30.& Deut. 34 v.8. Israelitæ Mosen & Aaronem deflent triginta diebus. Ioh.11.v.31. Iudæi quarto die statuunt Mariam abire ad monumentum, vt ibi ploret. Syracides quoque c.22.v.13. ponit, luctus mortui fuit septem dies. Sed c.38.v.18. dicit, fac luctum vno die vel duobus. Ex his & similibus Patres in primitiua Ecclesia desumsere suas ceremonias funebres, quas initio pia & bona intentione, absque omni macula superstitionis obseruarunt. Vt, quod ad ædes defuncti venerunt verbi doctores, & lugentes ex verbo Dei consolati sunt, ostendentes, bene cum mortuo actum, illum liberatum ab omni malo, placide in Christo quiescere in spem resurrectionis. Ideo hortati sunt superstites ad patientiam & spem. Quando elatum est funus, omnes sunt secuti, & circa sepulchrum nouis Scripturæ sententiis fidem suam declararunt, ex Psal.4.v.9. In pace in idipsum dormiam & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Ex 23.v 4. Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Ex 116. v.8. Conuertere anima in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino in regione viuorum. Addiderunt etiam conciones Consolatorias, sicuti ex Cypriani sermone de mortalitate patet. Parato sepulchro presbyter, vt est in Tertulliano, funus in eo composuit: omnia in spem beatæ resurrectionis. Postea propinqui & amici tumularunt. Distributæ etiam sunt Eleemosynæ, vt ex Dionysio constat, gratitudinis ergo ad Deum, qui membra Ecclesiæ in vera fide & spe ad finem vitæ vsque conseruasset, ac proinde citra omne ambiguum in æternam beatitudinem transtulisset. Interdum etiam si qui adessent, qui eandē Christi fidem suscipere, in eadem viuere & mori vellent, baptismum administrabant, ad hæc sacram communionem instituebant, qua & memoriam passionis ac mortis Dominicæ recolebant, & propriam suam fidem de futura beata resurrectione confirmabant: Psalmos denique decantabant, quibus animi mœrorem mitigarent, seq; inuicem ad spiritualem deuotionem excitarent. Sicuti hisce de rebus piæ antiquitatis studiosi consulere possunt Dionysium, Cyprianum li.1. Epist. 9 & 10. Aug. de Ciuit. Dei lib.8.c.27. Chrysost. Hom.70. Et fuere istæ ceremoniæ illis temporibus, quibus Christiani adhuc

adhuc gentilibus intermixti habitabant, vtiles: tum vt ab incredulis gentibus etiam in ipsa morte disgregarentur, tum vt publice suam fidem de animarum immortalitate & corporum resurrectione, adeoque salutari Christi merito profiterentur. Neq; tum temporis habita sunt pro iouamentis mortuorum: sed fuerunt solatia viuorum, vt Augustinus loquitur. Sed postea sub Papatu, in quo omnia in superstitiones & idolomaniam degenerarunt, amisso vero vsu retinuerunt larvas: pro communione sacra massam prophanam, pro baptismo aquam lustralem, & pro Psalmodiis Vigilias, pro sportulis Eucharisticis Eleemosynas meritorias substituerunt. Eaque omnia in eum finem, quasi cederent in commodum mortuorum, qui tanto placidius quiescerent, citius ex igne purgatorio liberarentur, & ad cœlestia gaudia promouerentur. Nugæ hæ sunt, quas Euangelium Christi ignorat, imo, quas *Christus ex ædibus Archisynagogi expellit*. Quamprimum igitur in Ecclesia lugubres ceremoniæ ad Gentilismum degenerãt, Christus id ferre nequit. Pios enim mors non torquet, sed est ipsis somnus: & qui in Domino moriuntur, beati sunt ἀπάρτι mox ab illo momento migrationis suæ, Apoc.14.v.13. requiescunt ἐν κοιμητηρίῳ, in dormitorio & cubili suo, Ies.57.v.2. Vnde ergo figmentum illud ignis purgatorij, defunctos diu noctuq; torquentis, nisi à cæcis Gentilibus mutuatum? Itaq; recte factũ, quod in prima reformatione Euangelij, hæc turba, Christum & doctrinam eius ridens, ex Ecclesia est eiecta & explosa.

VI. Sextus Articulus, quem in schola Christi discere debemus, est, vt sciamus quis sit finis fidei nostræ in Christum, quem vel tandem ab eo reportamus: scilicet beata mortuorum resurrectio & vita æterna, 1.Pet.1.vers.9 Hic articulus humanæ rationi prorsus est incredibilis. Impossibile enim ipsi videtur, corpus mixtum, quod in simplicia Elementa adeoq; primam materiam (vt Philosophi disputant) dudum est resolutum, posse ex puluere terræ ceu ex nihilo resurgere, vita denuo donari, atque insuper æterna immortalitate ornari. Ideo non tantum Gentilium Philosophi apud Athenienses, Act.17. v.18. Apostolum Paulum irriserunt, & nouorum dæmoniorũ prædicatorem nominarunt, cum resurrectionem annunciaret: sed & inter ipsos Iudæos Sadducæi hoc diuinum mysterium negarunt, Matth.22.23.& Act.23.v.8. Hymenæus quoque & Philetus in Ecclesia Christi corporis resurrectionem transmutarunt in spiritualem resurrectionem animorum. Vnde & à Paulo Satanæ sunt traditi, 1.Tim.1.v.20.& 2.Tim 1.v.18. Et quot hodie, maxime sub regno Pontificio, hypocritas esse putabimus, qui intra sinum cordis sui hunc Articulum pro meris fabulis habent? At nobis, qui sincere in Christum Iesum credimus, hic articulus est persuasissimus ex natura, ex picturis, & inprimis ex Scripturis. 1. In natura Deus eum adumbrauit eo, quod singulis annis hyberno tempore totus terrarum orbis, cum arboribus, fruticibus, plantis, herbis & floribus emortuus esse videtur: sed in vere nouo, omnia reuirescere & reuiuiscere incipiũt. Sic muscæ, serpentes, vermes, hirundines & alia insecta hyberno tempore mortua inueniuntur: quamprimum autem calor solis ea rursus attingit, mox pristinam vitam resumunt. Si Deus hoc per naturam facit in istis rebus, quæ nullius pretij esse videntur, quid non ex diuina potentia facere posset in corpore hominis, qui ad imaginem ipsius erat conditus & ad eandem redemtus? 2. Picturas nobis Deus eximias de hoc articulo ob oculos posuit. Trãslationem Henoch, Gen 5.v.24.& Heliæ, 4.Reg 2.v.11. qui viuis corporibus in cœlum sunt assumti. Resuscitationem plurimorum à mortuis; vt, filij viduæ Sareptanæ, 3.Reg.17.v.22. filij Sunamitidis, 4.Reg.4.v.35. mortui illius, qui in sepulchrum Elisei coniectus fuerat, 4.Reg.13.v.21 hic filiolæ Iairi, Luc.7.v.15. filij viduæ in Naim. Ioh.11.v.44. Lazari, iam quartum in diem demortui & sepulti. Act.9 v.40. Tabeæ in Ioppe, Act.20.v.10. Eutychi in Troade: & in primis Seruatoris nostri Iesu Christi. De his omnibus vere possumus illud Augustini; Præterita confirmant fidẽ futurorum. Ad quas picturas etiam referri potest visio Ezechielis 37. & quod Iohannes Apocal.20.v.12. vidit, quod mare, mors & infernus dederunt suos mortuos magnos & pusillos, vt iudicaretur de ipsis secundum opera eorum. 3. Inprimis autem in scripturis hic articulus firmissime est constabilitus, Iob.19.v.25. De terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea. Ies.25.v.7. Remouebit Dominus superficiem operimenti, quo operti sunt omnes populi, & velum, quo velatæ sunt omnes gentes. Cap.26.v.19. Viuent mortui tui, & interfecti mei resurgent. Dan.12.v.2. Qui dormiunt in puluere terræ, euigilabunt, &c. Ose.6.versic.3. Viuificabit nos Dominus post duos dies & in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. His addantur illustria dicta Christi & Pauli, quæ extant Matt.22.vers.31. Luc.14 vers.14.& 20.vers 35. Ioh.5.vers.25. & 11.vers.25. Act.17.vers.31. Rom.14.vers.10. 1 Corinth 15. integrum caput, 1.Thess.4.v.14. Phil.3.v.21. & aliis in locis quamplurimis.

In his autem testimoniis omnibus, vt & in præsenti historia, cumprimis illud obseruandum venit, quod præcipuæ causæ nostræ resurrectionis nobis indicantur & monstrantur. 1. Efficiens causa est ipse Christus, qui hic lectulo puellæ adstans eam ex morte excitat. Ideo dicit Iohan 11.vers.25. Ego sum resurrectio & vita. Et licet ipse de se testificetur; est tamẽ, vt Apo.1.vers.5. dicitur, testis fidelis, qui nos minime fallit. Et cumprimis Apostolus Paulus resurrectionem Christi fundamentum ponit resurrectionis nostræ, Roman.6.vers.5. Si complantati facti sumus similitudini mortis Christi: simul & resurrectionis erimus, 1. Corinth.6. v.14. Deus dominum nostrum suscitauit: & nos suscitabit per virtutem suam. 2.Corint.4.v.14. Scimus quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, 1.Thess.4.versic.14. Si credimus, quod Iesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. 1.Corinth.15.vers.21. Quoniam per hominem mors: & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in CHRISTO omnes viuificabuntur. Ideo etiam in superioribus dixit, Iohann.5.vers.21. Sicut pater suscitat mortuos & viuificat: sic & filius quos vult viuificat. 2. Organica causa, est Christi contactus & ipsius vox. Nam textus dicit, *Christum apprehensa manu puellæ, clamasse Thalita cumi*. Ipse enim est æternus patris λόγος in quo est vita, Iohan.1.versic.4. & caro ipsius non tantum est panis vitæ, sed & qui datur pro vita mundi, Ioh.6.vers.51. Ac proinde Euangelista Marcus consulto retulit verba Iesu, eadem lingua, qua pronunciata sunt: nimirum Syra, quæ tum Iudæis erat vulgaris. Retulit autem ea, non hoc fine, vt quis iis abutatur ad incantationes vel diabolicam Magiam. Sicuti inueniuntur aliqua satanæ organa, homines qui susurris suis, inuocationibus cacodæmonum & obscuro murmuri, hæc & alia eiusmodi verba admiscent, sibiipsis & aliis persuadentes, se virtute eorum mira efficere posse. Sed hoc fine retulit, vt ipsius Christi verborum & non aliorum, efficacitas & virtus, quam in excitandis mortuis, & edendis aliis miraculis in se habebant, manifesta redderetur. Quam facile enim est mihi vel alteri, sano corpore dormientem, apprehensa manu, & addita voce, (v.g. Petre, surge) ex somno excitare: tam facile est ipsi Christo huiusmodi actione & oratione, mortuos propria virtute excitare. Ille enim mortuam, & sensibus imò anima carentem puellam, appellatam excitauit. Ita, quæ aliis mortua erat, ipsi Iesu dormiebat. Nec frustraneum est, quod Euangelista suam interpretationem addit, & eidem inserit (*tibi dico*.) Sic enim vult ostendere differentiam inter mortuorum suscitationem, quæ facta est à Christo, & eas, quæ à Prophetis vel Apostolis factæ leguntur. Hi non potuerunt quenquam propria authoritate ex morte reuocare, sed coacti fuerunt id precario à Deo impetrare: Christus autem cum authoritate illud perficit. Ideo inquit: *tibi dico*, id est, Ego, Dominus vitæ & mortis, tibi, quæ quanquam naturæ mortua es, mihi tamen tantum dormis, dico vt surgas, itaque Nam verbum *cumi* Syrum stare significat; qui situs est viuentium & valentium, oppositus situi iacendi, qui proprius est ægrorum & mortuorum. Et quod hoc loco de filiola Iairi audimus: idem cum filio viduæ in Naim, idem cum Lazaro factum esse legimus. Vt de diuina virtute vocis & verborum Christi plane nullum sit dubium. Nam, vt Augustinus recte scripsit, nemo tam facile in lecto, quam Christus excitat in sepulchro. Nos enim sæpe ter quaterve inclamare cogimur stertentem & profunde dormientem. Christi autem verba ad mortuos tantam habent efficacitatem, vt vox semel emissa non reuertatur vacua & inanis, sed efficiat id, cuius causa fuit emissa. 3. Causa materialis etiam monstratur. Quid enim Christus excitabit in nouissimo die? illum ipsum hominem, qui in hac vita vixerat & mortuus erat, & non alium. Quod & innuit vocabulum Resurrectionis. Si enim debeat esse resurrectio, necesse est vt illud surgat, quod prius ceciderat. Ita illa ipsa puellula Iairi restituta est vitæ. Hanc causam egregie illustrat ipse Iobus cap.19.versic.25. Initio nominat seipsum tota in personam, quod de terra sit surrecturus. Deinde meminit suæ cutis, quæ tum erat contusa & vlceribus erosa. Addit etiam de sua carne, licet illa in puluere terræ à vermibus sit erodenda & tota absumenda: tamen per Goelem suum & Redemtorem ex putredine vindicabitur. Denique nec oculorum obliuiscitur, quorum lux in morte extinguitur, vt teti concidant: tamen renouabuntur isti & restituentur. Hęc ergo est Iobi fides, quod cadauer suum emortuum, quod per mortem cecidit, ex morte sit resuscitandum. Et hæc eadem est Catholica fides. Ideo veteres hunc Symboli nostri Articulum ita enunciarunt, vt profiterentur se credere resurrectionem HVIVS carnis: δεικτικῶς se referentes ad sua corpora, vt, quæ in his terris tribulationes simul sustinuerunt, simul etiam in altera vita de gloria & felicitate participent.

Ideo etiam David probe tribulatus & divexatus, dicit in Psal. 27.v.13. Credo videre bona domini in terra viventium. 4. Forma resurrectionis etiam exprimitur: *& reversus est Spiritus eius.* Etenim in morte corpus redit in pulverem terræ, de quo sumtum fuerat: Spiritus autem redit ad Deum, qui ipsum dederat, Eccles. 12.v.7. Ibi sunt colligatæ in fasciculo viventium apud Dominum Deum suum, 1. Reg. 25. v. 29. in lumine ipsius vident lumen, Psal. 37.v.10. & placent Domino in regione viventium. Psal. 116.v.9. Quando ergo à Domino permittitur, vt talis anima remigret ad suum corpus, tum hoc denuo vivificatur & resurgit. Sicuti eadem forma sermonis Scriptura vtitur in resuscitatione filij Sareptanæ & filij Sunamitidis. Hanc formam resurrectionis Deus Ezechieli in visione proposuit cap. 37.v.7. Dum enim ipse prophetaret, facta est inter ossa arida commotio, & accesserunt vnumquodque ad iuncturā suam, & nervi ipsis sunt dati, succrevit etiam caro, & superextensa est in eis cutis: ac tandem ingressus est spiritus in ea, & vixerunt steteruntq; super pedes suos. Imaginem huius Deus nobis proponit in herba virente. Quemadmodum enim granum in terra proiectum, putrescit primum, postea autem germinat & excrescit in segetem: ita etiam ossa nostra quidem putrescunt in sinu terræ, sed rursus quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini servis eius, Iesa. 66.v.14. 5. Finis resurrectionis etiam considerandus, licet hic alius inveniatur, quàm futurus sit in novissimo die. Suscitavit enim Iesus puellam hanc, non tam vt gaudium aliquod Archisynagogo, eius coniugi & cognatis afferret, quàm vt eos ad fidem & amorem erga se & suam doctrinam invitaret. Ideo Marcus de ipsis parentibus dicit, ἐξέστησαν ἐκστάσει μεγάλῃ, *obstupuerunt stupore magno*, hoc est, rei novitate ita perculsi fuerunt, vt præ admiratione quasi in stuporem quēdam mentis coniecti fuerint. Fit enim hoc in casibus ex improviso inuenientibus. Sed hæc ipsa mentis concussio, iis, qui non corda sua adversus Deum induraverunt, occasio est, vt ad verbum & facta ipsius diligentius attendant, iisque facilius fidem habeant. Quod vero additur, Christum interdixisse, ne cuipiam hoc dicerent: nequaquam id factum est, quasi is impedire vellet fidem, quæ per famam de ipso, excitatur. Sed factum est partim, quia plena patefactio reservatur in statum vsque glorificationis, partim quia noverat hostiles animos reliquorum Scribarum & Pharisæorum, qui eiusmodi miraculis magis irritabantur. Ne ergo vel illi maioris impietatis occasionem quærerent, vel mobile vulgus immoderati quid tentaret, sanctæ humilitati & prudentiæ in hoc facto studere voluit, vt ad consimile virtutum studium nos excitaret. Finis autem vniversalis resurrectionis mortuorum in novissimo die hic erit, vt tum quisque vel finem fidei suæ consequatur, vitam æternam. 1. Pet. 1. vers. 9. tum quisque accipiat prout factis suis commeruit. De hoc fine Daniel loquitur cap. 12. vers. 2. Qui dormiunt in pulvere terræ, evigilabunt: alij in vitam æternam, alij in æternum opprobrium. Et Christus ipse, Ioh. 5. vers. 28. Qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Et Paulus 2. Cor. 5. v. 10. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Itaque in vniversali illa resurrectione resurget, tam Cain, quam Abel: tam Pharao quam Moses: tam Saul, Absolon, Achitophel, quam David, Natan, Gad: tam Herodes, quam Baptista: tam Iudas, Pilatus, Caiphas, quàm Petrus, Cornelius, Timotheus: tum boni, tum mali: sorte tamen inæquali. Illi enim ad vitam & gaudium æternum: hi autem ad mortem & cruciatus sempiternos. Vt enim Pharao vna cum Israelitis maris quidem rubri alveum ingressus est: ita tamen, vt ipse cum suis in eo perierit, Israelitis interim tuto ad liberationem suam tendentibus. Ita in novissimo die per vniversalem resurrectionem, electi Dei filij deducentur ad portum æternæ salutis, vbi adimplebuntur lætitia, & habebunt delectationes ad dextram Dei in æternum, Psal. 16. vers. 11. Impij autem cum æterna consternatione præcipitabuntur in stagnum ignis ardentis, Apoc. 19. v. 20. vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni, Esaiæ 66. v. 24. 6. Effectus huius resurrectionis, quia ea tantum facta erat ad hanc naturalem vitam, etiam fuit naturalis. *Surrexit* nimirum *& ambulavit, & esurijt*: vt nimirum ostenderet, se non modo vivere, sed etiam bene valere, & omnibus vitæ muniis recte vti. Nam pueri grandiores esurire solent, quādo valent: excitati etiam à somno cibum petunt, quem si non valent, recusant. Ideo etiam hoc à Marco est annotatum, vt omnibus modis ostenderet puellam non modo resuscitatam, sed & ad firmam valetudinem reductam fuisse. In novissimo vero die, quando resurgemus ad spiritualem & æternam vitam, longe excellentiores effectus subsequentur. De quibus potissimum Paulus agit 1. Cor. 15. vers. 42. & reliq. Quales sunt, immortalitas, spiritualitas, impassibilitas, subtilitas, agilitas, æterna claritas. Sicut etiam Daniel testatur cap. 12. vers. 3. fulgebunt quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et Christus, Matth. 13. v. 43. Iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Breviter, erimus ἰσάγγελοι Luc. 20. v. 36. tanquam angeli Dei in cœlo. Hæc consideratio firmam & solidam piis mentibus consolationem addere potest in omnibus adversitatibus, adeoque *in morte ipsa*. Absque quasi esset, nos Christiani miserrimi essemus omnium mortalium qui in terrarum orbe vivunt, 1. Cor. 15. v. 19.

Ita videmus multiplices doctrinas & varium vsum vtriusque huius miraculi, & quod de istiusmodi rebus in schola Christi informamur, de quibus naturalis homo non tantum nihil percipit, sed & ipsi stultitia sunt, 1. Cor. 2. vers. 14. Nobis autem sunt sapientia Dei ad salutem.

CAPVT LXVIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ CONTINENS HISTORIAM DE SANATIS DVOBVS cæcis. Matth. 9. vers. 27.

RATIO ORDINIS.

Hanc historiam solus Matthæus recitat, & resuscitationi filiæ primatis (de qua hactenus actum est) ita subiungit, vt dubitari non possit, mox insecutā esse. Ait enim: *Et cum Iesus inde digrederetur, secuti sunt, &c.* Nec extat quicquā apud reliquos quod interseri possit aut debeat. Apparet autē Capernaumi istam cæcorum illorum sanationem accidisse, in ipsius Christi contubernio. Cum enim Dominus resuscitata filia primatis domo ipsius egrederetur, & suam domum iret, eò venientem cæci secuti sunt, quos domi interrogavit, ibidem sanavit, & sanatos ex domo sua dimisit.

HISTORIA DVORVM CÆCORVM à Christo sanatorum. Matt. 9.

27. Καὶ παράγοντι ἐκεῖθεν τῷ Ἰησοῦ, ἠκολούθησαν αὐτῷ δύο τυφλοὶ κράζοντες καὶ λέγοντες, ἐλέησον ἡμᾶς υἱὲ Δαυίδ.
28. Ἐλθόντι δὲ εἰς τὴν οἰκίαν, προσῆλθον αὐτῷ οἱ τυφλοί, καὶ λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· πιστεύετε ὅτι δύναμαι τοῦτο ποιῆσαι; λέγουσιν αὐτῷ, ναὶ κύριε.
29. Τότε ἥψατο τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, λέγων κατὰ τὴν πίστιν ὑμῶν γενηθήτω ὑμῖν.
30. Καὶ ἀνεῴχθησαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί. Καὶ ἐνεβριμήσατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, λέγων· ὁρᾶτε μηδεὶς γινωσκέτω.

27. *Et cum discederet illinc Iesus, secuti sunt illum duo cæci, clamantes ac dicentes, Miserere nostri fili David.*
28. *At cùm venisset in ædes, adierunt illum cæci, & dicit illis Iesus, Creditis me hoc posse facere? Dicunt illi, etiam Domine.*
29. *Tunc tetigit oculos illorum, dicens, Iuxta fidem vestram fiat vobis.*
30. *Et aperti sunt illorum oculi. Et interminatus est illis Iesus, dicens, Videte ne quis sciat.*

31. Οἱ δὲ ἐξελθόντες διεφήμισαν αὐτὸν ἐν ὅλῃ τῇ γῇ ἐκείνῃ.

31. *At illi cum abiissent, diuulgarunt famam illius in tota terra illa.*

Periocha huius historiæ.

QVemadmodum Sol in cœlo nunquam quiescit, sed incessabili motu mouetur, quo omnia lucis & caloris ipsius beneficio frui eoque foueri queant: ita Christus, Sol iustitiæ, dum in his terris versatus est, nuspiam cessauit meando & remeando, quosuis obuios & in angustiis constitutos inuit, suaque beneficentia recreauit. Videmus hoc passim tum in reliqua Euangelica historia, tum maxime etiam in huius diei actis. Illo die Christus reuersus erat Capernaumum ex terra Gergesenorum, in qua duos homines à terribili diabolorum tyrannide liberarat. Capernaumi primum diuertit in ædes Matthæi, non tam conuiuij & corporis recreandi gratia, quam vt publicanos vna inuitatos ad peccatorum agnitionem, veram fidem & vitæ emendationem adduceret. Mox, quia discipuli Iohannis & Pharisæorum hoc Christi facto offendebantur & inquirebant, cur Christus suos discipulos non iuxta exemplum Iohannis & Pharisæorum ad ieiunia assuefaceret, ipsis respondit, & simul eos edocuit, qui fiat, quod ipsi suam doctrinam non curent, vt ita viam monstraret, quam ingredi debeant, si & ipsi salutis participes fieri cupiant. Nondum absoluto illo colloquio, venit Iairus primas Synagogæ, deque filiolæ suæ vnicæ graui morbo morti vicino conqueritur, eiusque opem implorat. Christus mox eum sequitur, sed inter eundum sanat mulierculam, sanguinis profluuium annos integros duodecim passam. Interim moritur Iairi filiola: sed Christus ipsum consolans & fidem eius corroborans domum ipsius ingreditur, atque puellam ex morte suscitat vitæque restituit. Nunc inde rursus egressus, domumque suam repetens, sequuntur ipsum duo cæci, quibus domi suæ visum restituit. Postea his digressis sanabit dæmoniacum. Sic totam diem benefaciendo consumsit, nobis exemplum præbens, qualiter & ipsi vitæ nostræ tempus impendere debeamus, vt nimirum indesinenter cunctas nostras actiones in Dei gloriam & proximi vtilitatem dirigamus. Semper enim gaudebis vespere, vbi diem expenderis fructuose. Nunc de sanatis duobus cæcis audiemus.

I. Considerandi sunt hi duo cæci. Fuerunt illi quoad corpus miserabiles personæ, priuati summo sensu, quo opera Dei spectare, atque ex visibilibus inuisibilem Deum cognoscere potuissent, Rom.1.vers.20. Vnde huiusmodi miseri homines, ne quidem per plateas inoffenso pede ambulare possunt, nisi aliorum ductu regantur. Quoad animam vero sunt feliciores Sacerdotibus Iudæorum, omnibus Scribis & Pharisæis. Hi enim visis multis præclaris & insignibus Iesu miraculis, noluerunt illum agnoscere, sed virulento odio & diabolicis calumniis ipsum persecuti sunt. Illi vero cæci ex publica fama signorum Christi, non tantum ipsum agnoscunt mundi Messiam, verum etiam firmam de ipso concipiunt fiduciam, quod ipsius ope visum possint recipere, quam fiduciam magno animo & pleno ore profitentur. Nam cum Iesus ex ædibus Iairi digressus ad proprias suas contenderet, sequuntur ipsum hi duo cæci. Et ne ex inani curiositate sequi viderentur, sicuti multi mirabilium operum effectores sectari solent, veram causam clamore suo indicant: *Miserere nostri fili Dauid.* Filium Dauidis nominando suam de ipso fidem publice profitentur. Hoc enim titulo insigniebant tum temporis Iudæi promissum humani generis seruatorem, ob promissiones Dauidi factas, 2.Sam.7.v.12. Psal.89.v.4.& 132.vers.11. Implorant autem huius misericordiam, quo ipso innuunt se nihil meritos, nec quicquam in se reperire cuius dignitatem prætendere possint, vt ipse ea motus visum restituat: sed tantum orant, vt pro ea bonitate, qua cæterorum miserias & calamitates hactenus subleuauit, etiam sibi auxilium gratuitum præstare dignetur.

Commonefaciunt nos hi duo cœci spiritualis nostræ cæcitatis, in qua omnes natura hæremus. Nam vt homo naturalis ex seipso nunquam percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor.2.vers.14. Ita subinde ex deprauato nostro intellectu exurgunt impuræ cogitationes & illicitæ cupiditates, quæ, si maxime aliqua cœlestis lucis scintilla per Spiritus gratiam in nobis oritur, mox eam rursus obscurant. Hæc spiritualis cæcitas nos bis miseros facit vt & in hac vita multipliciter erremus & hallucinemur in consiliis atque rebus agendis, & veram vitam ad beatam alteram vitam ducentem nequaquam ambulare queamus. Ab hac miseria si liberari velimus, ante omnia audiamus Euangelium de Iesu Christo, vt ex illo auditu verbi diuini fidem in ipsum concipiamus. Rom.10.versic.17. Hæc autem fides indubitata, certa & firma esse debet, quod nos illuminare & velit & possit. Potest, quia æternus & omnipotens Dei filius. Vult, quia Dauidis filius, hoc est, homo factus est, & propterea in hunc mundum venit, vt qui non vident, videant, Ioh.9.versic.39. Ipse est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioh.1.vers.9. Hanc fidem piis precibus ad filium Dei publice profiteamur: vt ita non tantum sit fides in corde latitans, sed & in ore sonans, quo & alij ad consimilem fiduciam erga Christum mundi seruatorem inflammentur & excitentur. Eadem fiducia debet etiam constans esse, vt si maxime Christus non statim precibus nostris annuat, non tamen ab ipso deficiamus, sed ipsum in domum vsque suam, siue illa sit gratiæ, hoc est, Ecclesia in hoc mundo, siue gloriæ, hoc est, cœlum in altero mundo, indefesso pede sequamur. Ipse enim dixit: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, Iohan.8.versic.12. Licet autem in hac vita aliquo modo illuminemur: illud tamen tantum ex parte fit. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, 1.Cor.13.v.9. & videmus nunc per speculum in ænigmate. Si vero in finem vsque apud Christum perseuerauerimus & per fidem omnia obstacula, quæ nobis ad Christum contendentibus obiiciuntur, perruperimus, tunc olim euacuabitur id, quod ex parte est, & succedet perfectum. Videbimus omnia de facie ad faciem: & vincenti dabitur, vt sedeat cum ipso in throno suo, sicut ipse vicit, & sedit cum Patre suo in throno eius, Apocal.3. vers.21.

II. Attendendum, quid Christus cum cæcis illis egerit. 1. Admissos intra ædes interrogat: *Creditis me quod hoc facere possim?* Interrogat non quod ipse ignoret, quæ eorum sit fides, sed propter circumstantes, vt his de cæcorum fide constet. Requirit enim Christus à suis sectatoribus fidem, non mussantem, sed sonantem. Et qui ipsum non confitentur coram hominibus, eos ipse vicissim negabit quando venerit in gloria patris, Matth.10.vers.32. 2. Cum affirmarent se credere, expetit huius documentum & probationem. Nam tangens ipsorum oculos, dicit: *Fiat vobis secundum fidem vestram.* Ipse verbum tactui coniungit, vt demonstret, suæ virtutis esse visum restituere. Et tamen hoc ipsum beneficium metitur secundum mensuram fidei ipsorum. Vnde certum est, si simulatam & hypocriticam habuissent fidem, quæ ore saltem professa esset foris se credere Iesum hoc præstare posse, intus autem in corde vel neglexisset, vel titubasset & dubitasset, nunquam beneficium illuminationis consecuti fuissent. Quia autem mox apertis oculis visum receperunt, vtique euentus ipse comprobauit, ipsis in corde suo firmiter persuasum fuisse, hunc Iesum vere hoc præstare posse, quod ab ipso petierunt. 3. Postquam oculos ipsorum aperuit, grauiter ipsis interminatur, ne hoc factum alij rescirent. Plerique existimant hoc factum esse modestiæ causa, vt suo exemplo alios doceret, quomodo inanis gloriæ studium fugere debeant. Et sane nullibi Christus fuit ambitiosus: & tamen alibi in publico edidit miracula, & vt illa prædicarentur, atque Deus inde glorificaretur, permisit. Hic vero ἐνεβριμήσατο, hoc est, *cum graui interminatione interdixit*, & quasi minaciter & cum ira prohibuit, ne quisquam hoc resciret. Hanc enim vim esse verbi ἐμβριμᾶσθαι, supra cap.42. in consimili casu explicatum est. Nam potuit habere Dominus etiam alias causas iustas & graues, ob quas tam seuerum præceptum & quidem cum austeritate ipsis proposuit: sicuti mox in sequenti membro indicabimus.

Obseruatione hic dignum est, cur Christus tam accuratam fidei explorationem in hisce cæcis instituat, Chrysostomus hanc rationem ponit, Christum id fecisse, vt ostenderet, nonnullam ad salutem suam ipsos quoq; partem contulisse. Sed reuera grauiter hallucinatur. Si emortuum & à vermibus erosum cadauer aliquid conferre potest ad sui viuificationem: & cæcus ad sui illuminationem: tum etiam naturalis homo aliquid conferet ad suam salutem. Nimirum oculi cæci sunt subiectum patiens, nihil quicquam agentes ad sui sanationem, sed tantum medicam manum admittentes: ita etiam hominis non renati intellectus & voluntas nihil faciunt ad sui conuersionem, sed tantum Spiritum Dei in se operantem admittunt. Verum huius explorationis alia est ratio. Nimirum fides passim per vniuersam Scripturam commendatur, quod sit vnicum illud instrumentum & medium, adeoque manus per quam Dei beneficia excipimus. Et si similí aliquo vulgari vti volumus, est instar haustri gratiæ cœlestis & salutis nostræ, quo ex inscrutabili & inexhausto diuinæ misericordiæ & bonitatis fonte, ad quē aliter penetrare nō possumus, haurimus & ad nos attrahimus quod nobis salutare

est. Haurimus autem secundum mensuram fidei nostræ, scilicet tantum quantum fides cuiusque capit. Et hinc fit, quod alij plus alij minus accipiunt cœlestium bonorum, eo quod in aliis fides sit firmior, in aliis imbecillior. Quod ergo interdum aliqui parum spiritualis gratiæ consequuntur, non fit vlla culpa Dei, qui æque largus est erga omnes, & paratior est ad dandum, quàm nos ad accipiendum. Sed sæpe fit vitio hominum, qui diuinæ bonitati non tantum fidunt, quantum debebant. Et quod hodie in terris Spiritus sancti dona sunt rariora, illud non aliunde prouenit, quàm inde, quia etiam fides in terris rara est, & plerique saltem hypocritica fide & inani fidei professione se hominibus venditant. Interim tamen neminem suæ fidei imbecillitas vel tenuitas terreat. Modo enim ea non sit fucata vel simulata, sed sincera, tum quantulacunque sit, ad Christum apprehendendum & attrahendum sufficit. Hic solus vera fide in cor receptus sarcire potest omnia, quæ nobis desunt: qui etiam per Spiritus sui gratiam, fidē, licet initio sit instar grani sinapis (sicut supra ex 13. cap. Matth. versic. 31. audiuimus) quotidianis augmentis crescere facit, & efficit vt credenti omnia sint possibilia, Marc. 9. v. 23. Quemadmodum enim si quis in profunda aqua periclitetur: is vero magnum Christophorum vel alium robustum gigantem baiulum sortiatur, secure & tuto se ipsi committere potest, quod siue sit firmis viribus prædius siue imbecillis, ipsum sustinere & per profundas aquas viuum transportare possit, modo se ipsis committat, & totus in eum recumbat: ita qui vni Christo fidit, siue fides illa sit firma, siue languida, tamen ipsius virtute conseruatur, & ex omnibus periculis corporis & animæ liberatur. Qui vero Seruatori suo Christo hunc cultum fiduciæ non vult tribuere, is extrema ipsum afficit iniuria, & indignus est, qui à Christo iuuetur, vt qui ipsius bonitatem & potentiam in dubium vocet.

III. Postremum huius historiæ membrum est, qui cæci fecerint, postquam visum receperunt. Euangelista dicit, ipsos *diuulgasse famam huius miraculi in tota illa regione.* Hoc factum aliqui excusare nituntur, existimantes aliquid dandum esse ipsorum lætitiæ. Et propterea leuius atque humanius peccasse, quia hoc ipsum subseruierit illustrandæ gloriæ Christi. Cumque aliàs omnes, qui ipsos nouerant, inquisituri fuerint, vnde beneficium visus acceperint, non potuisse ipsos rem illā commode celare. At vero hoc factum nullo modo excusationem admittit. Nam illa grauis Christi interminatio non ita temere ab ipsis fuerat negligenda. Præcepta enim Dei sunt stricti iuris, à quibus nec ad dextram nec ad sinistram est deflectendum: sed omnes cogitationes, sensus & actiones nostræ ipsius volūtati sunt subiiciendæ. Si interrogati respondissent, se hoc beneficium à Iesu accipisse, vtcunque excusationem admitteret hoc factum. At ipsi egressi *διεφήμισαν ipsum in tota illa regione.* Διαφημίζειν autem significat famam vbique per omnia loca spargere. Hoc vero tunc temporis Christo moleste accidit: quia hæc fama auxit inuidiam Scribarum & Pharisæorum, vt Christus mox altero die coactus fuerit rursus discedere Capernaumo. Vbi dubio procul libenter *diutius* delituisset, quia illo demum die in vrbem redierat. *Peccant* igitur, quod sibiipsis contra interdictum Christi arrogant munus, famam Christi propagandi ad alios, ad quod tamen non erant vocati. Neque enim vult Deus in Ecclesia omnes facere omnia. Peccatori certe dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Psalm. 50. vers. 16. Et in nouissimo die Christus multis, qui dicturi sunt se in ipsius nomine prophetasse, respondebit: Non noui eos. Matth. 7. vers. 22. quia nimirum citra legitimam vocationem id fecerunt.

Discamus ergo hinc Ecclesiam Christi esse instar domus, in qua ipse solus tanquam paterfamilias regnat. Recipit autem in eam omnes, qui ipsum sequuntur & fidem in ipsum profitentur. In hac domo inter ministros suos domesticam instituit εὐταξίαν, dum eos gradibus & ordinibus inter se distinguit, & cuiuis certam vocationem præscribit, iuxta quam promouendæ gloriæ Dei Christo suam operā locare debet. Iam qui hunc ordinem à Christo institutum turbat, & extra partes suæ vocationis temere in aliorum munus inuolat, is non leue crimen admittit. Ideo Petrus tam solicite omnes Christianos monet, ne quis patiatur tanquam ἀλλοτριοεπίσκοπος, vt alienarum rerum appetitor, 1. Petr. 4. versic. 15. Nam multi quando primum in Ecclesiam veniunt, insigni fide præditi esse possunt: sed si postea quid contra præcepta Domini vel vocationem ab ipso iniunctam faciant, ipsi displicere incipiunt, & in eius indignationem incurrere possunt.

CAPVT LXIX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DE SANATO DÆMONIACO MVTO. Matth. 9. v. 32.

RATIO ORDINIS.

Sed & hoc miraculum solus Matthæus describit, & cum præcedente narratione exquisita notatione & ordine ita coniungit, vt appareat mox istud accidisse, postquam Dominus modò istis duobus cæcis visum restituerat. Ait enim, *istis domo egredientibus, ecce adducunt, &c.* sicuti iam audiuimus.

HISTORIA SANATI DÆMONIACI MVTI.

MATTH. 9. v. 32.

32. Αὐτῶν δὲ ἐξερχομένων, ἰδοὺ προσήνεγκαν αὐτῷ ἄνθρωπον κωφὸν δαιμονιζόμενον.	32. *Illis autem egredientibus, ecce adduxerunt illi hominem mutum dæmoniacum.*
33. Καὶ ἐκβληθέντος τοῦ δαιμονίου, ἐλάλησεν ὁ κωφός· καὶ ἐθαύμασαν οἱ ὄχλοι, λέγοντες, ὅτι οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως ἐν τῷ Ἰσραήλ.	33. *Et eiecto dæmonio, locutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ, dicentes, Nunquam apparuit sic in Israel.*
34. Οἱ δὲ Φαρισαῖοι ἔλεγον, ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια.	34. *At Pharisæi dicebant, Per principem dæmoniorum eijcit dæmonia.*

Periocha huius historiæ.

Tota hæc historia nihil fere noui habet, quod non superius cap. 59. quoque sit explicatum. Ideoque breuiores in eius expositione esse volumus: siquidem pleraque, quæ ad vberiorem explicationem faciunt, inde desumi possunt.

Euangelista hanc historiam præcedenti indiuiduo nexu coniungens, vtitur particula ἰδοὺ: ECCE. Qua auditorem & lectorem non tantum ad attentionem excitat, innuens, vt quemadmodum alias in operibus Christi nihil vile est, nihil abiectum, sed omnia augusta & stupenda: sic etiam hic se adducturum historiam, quæ hominis rationem superet. Verum etiam simul bonitatem huius Domini considerandam proponit: nimirum in domo Christi gratiæ fores semel patefactas semper patere omnibus, qui illam expetant. Integram diem insumserat docendo, curando; & tempus erat, vt vel tandem multo labore fessus quietem quæreret. Sed ecce vix prioribus digressis, alij assunt, qui nouum negotium ipsi facessunt. Et hos ipsos non minore humanitate admittit, votique sui compotes facit, quàm priores: licet illi sese immorigeros erga præceptum ipsius exhibuissent.

Apparet autem ex hac historia, vt & ex aliis quamplurimis, quæ in Euangeliis leguntur, tum temporis cum filius Dei in carnem venisset, quamplurimos passim obsessos oberrasse in populo Dei, in Iudæa, in Galilæa, Gadarenorum regione & alibi. Cuius rei alia causa dari non potest, quàm Satanam intellexisse appropinquare tempus illud, quo filius Dei veniens opera ipsius dissoluturus, 1. Iohann. 3. vers. 15. & semen mulieris ipsi caput contriturum esset, Gen. 3. vers. 15. Vndiquaque itaque atrium suum obfirmare voluit, vt se aduersus ipsum defensaret, atque sic iram suam aduersus genus humanum virulentius effunderet. Sicuti Iohannes in sua Apocalypsi cap. 12. vers. 12. de nouissimis temporibus idem testatur, inquiens: Væ terræ & mari: quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Non inutile autem est expendere causas ob quas Deus dæmonibus & olim permisit, & adhuc hodie interdum permittit, vt homines non tantum obsideant, sed & grauiter vexent. Siquidem certum est, absque Dei permissione nihil eiusmodi accidere posse. Variæ autem à Theologis adducuntur rationes.

1. Cyprianus aduersus Demetrianum, & Lactantius Firmianus contra Gentes, sentiunt, hoc ipsum facere ad fidei nostræ confirmationem. Nam multi inueniuntur, qui cum Sadducæis & Epicuræis, Angelos & dæmones esse aut non credunt, aut certe languide credunt. Quando vero tales vident interdum etiam rudissimos homines à dæmonibus obsessos, Græce & Latine satis diserte & expedite loqui, adhæc in publicum proferre, quæ aliis abdita sunt & incognita: tum certe inde reipsa vident & colligunt adesse potestatem aliquam humana maiorem. Rursus, quando iidem non tantum ex Euangelio cognoscunt, Christum dæmones clamantes, eiulantes & reluctantes vel verbo coegisse, vt corpora quæ obsederant relinquerent: sed interdum etiam propria experientia addiscunt & vident, ad solam nominis Christi inuocationem, dæmonum potentiam cedere: & vel inuitam stationem quam occupauerat Satanas derelinquere: tum inde aperte cognoscunt vera esse, quæ de diuina virtute & potentia Domini nostri Iesu Christi fides nostra docet.

2. Chrysostomus scripsit tres libros de Prouidentia ad Stagirium monachum arrepticium, qui à Dæmone sub imagine porci acerrime cruciabatur, nec vllis sanctorum precibus abigi poterat. In illis libris inter alias etiam hanc rationem assignat: Dominum interdum permittere, vt etiam pientissimi à Satana occupentur, ad exercendam patientiam, & cumulanda cœlestis gloriæ præmia. Sæpe enim fit vt aliqui multis & variis incommodis affecti Deum quærant, quem integri & illæsi nunquam quæsiuissent. Cum enim natura iam adeo simus deprauati, vt ad mala cæco impetu præcipites rapiamur, ad bona autem vix vllis machinis nos pertrahi patiamur: magno Dei beneficio fit, vt is calamitatibus immissis, veluti stimulis quibusdam nos ad se reuocet. Vnde certum est, sæpenumero maius beneficium esse tribulationes immisisse, quàm ab iis liberasse. Siquidem hoc tantum ad corporis incolumitatem pertinet, illud ad animæ salutem spectat: quæ aduersitatibus impulsa oculos clausos aperit, Domini sui, cuius pene oblita fuerat, recordatur, illius opem ardentibus votis implorat: in eo solo sperare, ipsi vni fidere, atque sic cuncta mundi præsidia, quæ contra Satanam nihil opis conferre possent, contemnere discit. Sic ex magna Dei benignitate fit, vt quemadmodum Diabolus in hoc mundo per se est author malorum nostrorum: ita per accidens ministrat materiam coronarum & (vt vocant) aureolarum in altera vita nobis imponendarum.

3. Aliqui etiam hanc causam adducunt, quod Deus hac permissione incredulo modo speculum obiicere voluerit, ex quo aliquo modo coniiceret, quales olim futuri sint cruciatus in inferno, vbi damnati à Diabolis, tanquam à Dei carnificibus in æternum cruciabuntur. Si enim in hac vita, vbi diabolo præfixa est certa meta, vt ex Iobo cap. 2. vers. 6. patet, obsessi misere ab ipso cruciantur, Matth. 15. vers. 22. vt quando hominem apprehendit, eum allidat, vt spumet dentibus, strideat & arescat, eum in ignem & aquam coniiciat & perdat, ita denique discerpat, vt mortuo similis reddatur, sicuti historia Marc. 9. versic. 18. 22. & 26. docet: quid futurum putabimus in gehenna, quando impij plene in ipsius potestatem traditi fuerint? Quod horrendum spectaculum cunctos permouere debet, vt & fidem & vitam suam ita instituant, ne in truculentissimorum istorum tortorum manus incidant. Certe diues epulo Luc. 16. versic. 27. in ea est opinione, si Lazarus ad suos fratres mitteretur: qui tanquam oculatus testis apertissima narratione ipsis acerbitatem dolorum & pœnarum declararet, futurum vt vitam suam emendarent. Sed non opus est, vt vel inferi mortui ad nos ascendant, vel nos viuentes ad illos descendamus, vt intuitu pœnarum illarum à peccando absterreamur. Satis est inspicere labores & cruciatus obsessorum: imo tantum acerbos dolores podagræ, calculi, iliacæ passionis, pleuritidis & similium morborum considerare. Hi certe nos permouere debebant, vt solicite vitemus illa, quæ hominem deducunt in illum locum tormentorum.

4. Præcipua & fere communis causa, cur Deus permittat homines à dæmonibus obsideri, assignatur hæc: quod Deus hac ratione ostendere velit, quid diabolus spiritualiter operetur in anima per peccatum obsessa. Quemadmodum enim Satanas, quando corpus obsidet, alium quidem cæcum, alium surdum, alium mutum, alium omnis pene sensus expertem reddit: ita in quorum animabus iure peccati dominatur, eosdem ad omnia diuina spiritualiter cæcos, mutos, surdos & omnis spiritualis sensus expertes efficit. Et sicut diuinus spiritus, ministerio verbi per suam gratiam, homines pios ita à mundo hoc inferiore abstrahere conatur, vt ad omnes terrenas curas cæci, surdi & muti, tantum ad cœlestia aspirent: ita contrà infernalis spiritus, sua mancipia, quorum animas spiritualiter obsedit, ad omnia cœlestia, cæcos, mutos, & surdos efficit, vt sine omni conscientiæ mordentis stimulo se totos turpissimis cupiditatibus dedant, sicque in æternum pereant. Ita diabolus in hac historia hunc miserum hominem κωφὸν reddidit. Indicauimus autem supra cap. 59. κωφῶ nomine Græce & mutos & surdos exprimi. Vnde colligere liceret hunc hominem, & auditus & loquelæ beneficio per dæmonem priuatum fuisse. Quia tamen mox additur: *eiecto dæmonio locutus est mutus*, ideo tantum de ἀλαλίᾳ, & impotentia sermonis accipiemus. Et Euangelica historia passim testatur, nequissimum illum spiritum quamplurimos mutos effecisse. Vnde ingenium ipsius agnoscere discamus, quomodo is potissimum linguis nostris insidietur, vt ipse illas in suam potestatem redigat. Videt nimirum sermonis beneficium, quod homo articulatam vocem emittere potest, inter dona Dei facile esse primum. Nam datę sunt hominibus linguę, vt Deum inuocent, laudes ipsius decantent, & prædicent virtutes eius, qui ipsos è tenebris ignorantiæ euocauit in admirabilem suam lucem, 1. Pet. 2. vers. 9. Hoc sacrificium est Deo omnium gratissimum, vt testatur Psal. 69. vers. 32. & Hos. 14. ver. 3. Datæ item sunt linguæ, vt proximi commoditatibus inseruiamus ad ædificationem, ipsum instituamus, consolemur, consilio iuuemus, atque alij aliis animi sensus indicemus. Christiani itaque cum Dauide in Psal. 39. v. 1. prouide suarum linguarum curam habere debent, vt loquantur quæ vera sunt, quæ iusta, quæ honesta, quæ pudica, quæ amabilia, quæcunque bonæ famæ & laudabilia, Phil. 4. versic. 8. Sit sermo ipsorum in gratia sale conditus, Col. 4. vers. 6. adeoque omnia verba quasi in statera & bilance ponderent, Syr. 28. versic. 9. Cum reddituri sint rationem Deo de quouis otioso verbo, Matth. 12. v. 36. Nam, vt ex huiusmodi historiis patet, Satanas linguis nostris insidiatur, eas inuadit, multis vsum sermonis eripit, vt sic bona illa impediat, & vna illa eademque opera tam Dei gloriæ, quam nostræ saluti officiat. Et vt mille est artifex: ita homini non vno modo insidias struit. Quemadmodum in aliquos in spiritualibus totos reddit mutos & elingues: ita vicissim alios in blasphemiis, conuitiis, execrationibus, turpiloquiis & obscænitatibus nimium facit loquaces, vt satius foret ipsos mutos esse, quàm adeo promptam & paratam linguam gerere, ad serendas rixas, ad turbādam publicam tranquillitatem. Quid enim mali eiusmodi lingua efficiat, illud Dauid in Psalm. 52. & 120. Item Syr. capite 28. & Iacobus cap. 3. versic. 2. prolixè ostendunt. Tales omnes adducendi sunt ad Christum, vt ab ipso sanentur. Hoc fit, si pueri ab ineunte ætate, à parentibus & præceptoribus assuefiant, vt à teneris linguam suam frænent, nec temere eam vagari patiantur. Postea, si adultiores diligēter intersint cœtibus sacris, audiant Dei verbum, publicis cum Christianis precibus vtantur. Si qui sint intractabiles,

res, qui hisce mediis ad sanum linguæ vsum non possunt adduci, eos magistratus seueriori disciplina coerceat. Nam equi & muli, quibus non est intellectus, & qui non volunt approximare Domino, maxillæ sunt chamo & fræno constringendæ, Psal. 32.

Quod vero Euangelista hic dicit: *& locutus est mutus*, illud aliqui examinant, an non ἀσύστατον videatur, dicere cæcum videre, aut mutum loqui, & surdum audire? Verum Euangelistæ data opera sic loqui videntur, vt sic commendent Dei gratiã, refricatione memoriæ eius, quales olim fuerimus. Sic Luc. 7. verſ. 37. mulier dicitur peccatrix, cui dudum omnia peccata remissa erant, Matth. 10. verſ. 3. Matthæus dicitur publicanus, qui iam in numerũ Apostolorum cooptatus erat, Matt. 26. v. 6. Simon dicitur leprosus, qui à Christo dudum mundatus erat. Ita Paulum non puduit aliquoties, 1. Cor. 15. verſ. 9. 1. Tim. 1. verſ. 13. Act. 26. verſ. 10. confiteri, qualis fuerit ante conuersionem, vt beneficium Christi tanto magis illustraret. Ita 1. Cor. 6. verſ. 9. Corinthiis prolixe ob oculos ponit, quales fuerint: addit autem, Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Vtamur hisce ad nostri consolationem, vt si Satanas nobis intra conscientiam obiiciat, quales olim fuerimus, nos ipsi in faciem resistamus, confitentes nostrã lepram, surditatem, cæcitatem & peccata, sed prædicantes CHRISTI gratiam, cuius virtute iam alij simus, quam olim fuerimus.

Secunda pars huius historiæ agit de effectu huius miraculi apud alios homines. Et hic diuersa audimus iudicia. Populus miratur, & *nunquam sic in Israele apparuisse* fatetur. Pharisæi autem ad suum veterem coccysmum reuertuntur, cumque *dæmonia per dæmoniorum principem eijcere* calumniantur. Quemadmodum enim syderum influxus pro diuersitate materiæ diuersos etiam affectus in hoc mundo inferiore producunt: (dũ alia molliunt, alia durant: alia generant, alia corrumpunt) ita etiam diuinæ gratiæ auxilia, quæ Deus omnibus quidem ex æquo offert, homines varie pro variis ipsorum ingeniis afficiunt. Hinc fit, vt ipsum Euangelium Christi hominibus prædicatum, quod omnibus credentibus est virtus Dei ad salutẽ, Rom. 1. verſ. 16. incredulis fiat odor mortis ad mortem 2. Cor. 2. verſ. 15. Nimirum homines vitiis assueti, sanctissimorum Dei seruorum clamores, promissa, terrores, quibus ipsos ad pœnitentiam reuocare conantur, secure contemnunt, atque propterea tanto grauiorem Deo reddituri sunt rationem. Pari ratione salutiferũ corpus Christi, quod in sacra Domini Cœna sub pane manducatum, piis & credentibus est cibus vitæ, Ioh. 6. verſ. 55. in indignis tamen & incredulis potenter iudicium operatur, 1. Corinth. 11. verſ. 29. Ita videmus diuina frequenter beneficia, quibus ad salutem homines vti debebant, deprauatis mentibus & ad peccandum diu assuetis, adeo non prodesse, vt interdũ etiam maioris ruinæ occasio fiant. Omnia Christi miracula fuere efficacissima argumenta ad faciendã fidem personæ suæ & doctrinæ. Et tamen Pharisæi, qui habebant animos malis affectibus, ambitione, inuidia, auaritia, odio, liuore imbutos, adhæc potius sui honoris & commodi, quàm diuinæ gloriæ & publicæ salutis studiosos, in agnitione personæ Christi, & susceptione ipsius doctrinæ adeo nihil profecerunt, vt hinc maiorem occasionem ipsum opprimendi & occidendi arripuerint. Quotquot ergo seria salutis suæ cura ducitur, instanter Deum orent, ne ipsos in hanc cordis cæcitatem & prauitatem incidere patiatur. Aliàs periculum est, ne salutaria vitæ æternæ medicamẽta, ipsis in noxia interitus venena vertantur. Solicite simul caueamus, ne Dei opera & verba ad effectus nostros accommodemus: sed potius affectus nostros ad Dei verbum corrigamus. Aliàs fit, vt quemadmodum qui coloratis perspicillis vtuntur, omnia quæcunq; vident, eiusdem coloris esse putent, & quorum gustus acido sapore corruptus est, vt ipsis omnia arescant: ita hi veritatis verbum ad suum sensum regulantes, nihil quicquam dextre iudicent & pronuncient.

Porro, quomodo Diabolica hæc Pharisæorum calumnia grauiter refutari debeat & possit, supra cap. 59. copiose est pertractatum. Interim quod vulgus dicit: *nunquam apparuit tale quippiam in Israel*, ita est accipiendum, quod quidem non negant, signa magna & stupenda miracula etiam à Mose, Elia, Elisæo & aliis Prophetis esse edita. Sed si vel multitudinem, vel facilitatem edendi miracula intueearis, nunquam similia facta sunt. Prophetæ in edendis miraculis multa eaque satis longa habuerunt interualla: Christus integrum diem edendis miraculis consumit. Prophetæ interdum præmiserunt expiationes, variis vsi sunt mediis & instrumentis, vt miraculum aliquod perficerent: Christus tanta facilitate edit, vt nec baculũ ægris imponat, nec veste eos contegat, sed nudo & solo verbo omnia efficiat. Agnoscunt ergo hęc esse signa Messiæ propria, quæ ipsum facturum Esaias prædixerat, c. 35. v. 5. Atque sic huic populo τὸ θαυμάζειν fuit ἀρχὴ, non quidem, vt Socrates dicere solebat, τῆς φιλοσοφίας sed τῆς σωτηρίας. Ex hac enim admiratione deducti sunt paulatim ad pleniorem cognitionem & personæ & doctrinæ Christi, ex quibus oritur salus & vita æterna. Simul etiam videmus, non raro simplices homines rectius de dictis & factis Christi iudicare, quàm qui externa sanctitatis & pietatis larua commendari videntur. Nam perficit Deus sibi laudem ex ore infantium & lactentium, Psal. 8. v. 3. & diligit ferme quæ stulta, infirma, ignobilia & contemptibilia sunt mundi, vt destruat quæ magna videntur coram mundo, sicque quicunque gloriatur, non nisi in Domino glorietur, 1. Cor. 1. v. 27.

CAPVT LXX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM, QVOMODO IESVS SECVNDA vice venerit in patriam Nazaretham. Matth. 13. v. 54. & Marc. 6. v. 1.

RATIO ORDINIS.

MAtthæus à descriptione præcedentium historiarũ mox accedit ad narrandum, quomodo Dominus circuit in ciuitatibus & vicis docens, posteaque mittens Apostolos cum mandatis. Et consentit Lucas, qui post resuscitatam filiã Iairi, mox ipse quoque cap. 9. v. 1. recenset, quomodo Dominus Apostolos cõuocatos emiserit. Nec refragatur Marcus, qui ipse quoque non multo post historiam Iairi ista de emissione Apostolorũ describit, vt dubitari nõ possit, quin Dominus mox post resuscitatam filiolam Archisynagogi circuiuerit docens & emittens Apostolos: quod est initium tertij anni Ministerij Christi, vti cap. 4. Prolegomenon demõstratum est. Sed dispiciendum est, an ne extet aliquid in Euangelistis, quod ante istam peregrinationem, & emissionem Apostolorum sit inserendum. Et quidem apud Matthæum nihil extat, præter superiores illas historias, quas iam tractauimus. Apud Lucam item nihil. Restat ergo Marcus, qui cap. 6. v. 1. præmittit historiam, quomodo Dominus venerit in patriam Nazaretham, & ordinem consecutionis manifesta notatione temporis ostendit, indicans, eum Domini aduentum in patriam accidisse tùm, cùm Dominus resuscitasset filiam Archisynagogi. Sic tamen ordinem istum notat, vt facile appareat, eum voluisse subinnuere, intermedio tempore euenisse ea, quæ de duobus cæcis & dæmoniaco narrauit Matthæus, cap. 9. quæ inseri ante aduentum istum Domini possint. Ait enim *Dominum inde* (nimirum Capernaumo, vbi Archisynagogi filiam resuscitarat, cæcos item & dæmoniacum mutum sanarat) *egressum venisse in patriam*. Matthæus ipse quoque c. 13. verſ. 54. hunc aduentum Domini in patriam describit, sed sic, vt ex ipso non possit intelligi, quo tempore acciderit. Narrat enim eum demum post complura, de quibus in superioribus capitibus diximus, & narrat sine certa notatione ordinis. Neque tamen Marco contradicit, vbi ait Dominum abiisse & venisse in patriam, cùm finiisset illas varias parabolas, quas descripserat cap. 13. Consentit enim Marcus post istas parabolas accidisse quidem aduentum illum Domini in patriam, sed interiectis hisce omnibus, transfretatione in terram Genezareth, expulsione dæmonum in porcos, & resuscitatione filiolæ Iairi, quæ Matthæus ipse quoque supra multò ante per anticipationem commemorauerat. Itaque cap. 13. post descriptas illas parabolas, proxime ante narrationem de aduentu illo Domini in patriam prætermisit. Vt iam dubitari non possit, quin iste sit verus ὑστερολογίας, & quod hic Matthæus natiuum ordinem historiarum non seruarit. Lucas de hoc reditu Christi in patriam nihil habet. Quod enim cap. 4. verſ.

versiculo 16. describit; idque Augustinus & alij putarunt esse idem cum eo, quod recitat Matthæus capite 13. ostensum est cap. 34. Harmoniæ, illam non esse vnam & eandem historiam.

HISTORIA REDITVS CHRISTI Nazaretham.

MATTH. 13.

54 Καὶ ἐλθὼν εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ, ἐδίδασκεν αὐτοὺς ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν, ὥστε ἐκπλήττεσθαι αὐτοὺς, καὶ λέγειν, πόθεν τούτῳ ἡ σοφία αὕτη καὶ αἱ δυνάμεις;

55. Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός; οὐχὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ λέγεται Μαριὰμ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ἰάκωβος καὶ Ἰωσῆς καὶ Σίμων καὶ Ἰούδας;

56. Καὶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ οὐχὶ πᾶσαι πρὸς ἡμᾶς εἰσι;

57. Πόθεν οὖν τούτῳ ταῦτα πάντα, καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ.

58. Καὶ οὐκ ἐποίησεν ἐκεῖ δυνάμεις πολλὰς, διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν.

54. *Et cùm venisset in patriam suam, docuit eos in synagoga illorum, ita vt stuperent, ac dicerent, Vnde huic sapientia hæc & virtutes?*

55. *Nonne hic est ille fabri filius? Nonne mater eius vocatur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioses, & Simon & Iudas?*

56. *Et sorores illius nonne apud nos sunt? Vnde igitur huic hæc omnia?*

57. *Et offendebantur super eo, Iesus autem dixit illis: Non est Propheta expers honoris nisi in patria sua & domo sua.*

58. *Et non edidit illis virtutes multas propter incredulitatem illorum.*

MARC. 6.

1. Καὶ ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν, καὶ ἦλθεν εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθοῦσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

2. Καὶ γενομένου σαββάτου, ἤρξατο ἐν τῇ συναγωγῇ διδάσκειν, καὶ πολλοὶ ἀκούοντες ἐξεπλήσσοντο λέγοντες, πόθεν τούτῳ ταῦτα; καὶ τίς ἡ σοφία ἡ δοθεῖσα αὐτῷ; ὅτι καὶ δυνάμεις τοιαῦται διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ γίνονται;

3. Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς Μαρίας, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ, καὶ Ἰούδα καὶ Σίμωνος; καὶ οὐκ εἰσὶν αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ ὧδε πρὸς ἡμᾶς; καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ.

4. Ἔλεγε δὲ αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ὅτι οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς συγγενέσι, καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ.

5. Καὶ οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ οὐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι, εἰ μὴ ὀλίγοις ἀρρώστοις ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας, ἐθεράπευσε.

6. Καὶ ἐθαύμαζε διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν.

1. *Et ingressus est illinc, venitque in patriam suam, & sequuntur eum discipuli sui.*

2. *Cùmque adesset Sabbatum, cœpit in Synagoga docere, multique audientes obstupuerunt, dicentes, Vnde huic hæc? Et quæ est sapientia quæ data est illi? Et virtutes tales per manus eius efficiuntur?*

3. *Nonne hic est faber ille, filius Mariæ, frater verò Iacobi & Iosæ, & Iudæ & Simonis? Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? Et offendebantur per eum.*

4. *Dicebat autem illis Iesus, Non est Propheta contemptus, nisi in patria sua & inter cognatos & in familia sua.*

5. *Et non poterat ibi virtutem vllam edere, nisi quòd paucos infirmos impositis manibus sanauit.*

6. *Ac mirabatur propter incredulitatem eorum.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, DE REDITV Christi in suam patriam, ex descriptionibus Matth. 13. & Marc. 6. in vnum corpus coagmentata.

b Καὶ ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν, καὶ ἦλθεν εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθοῦσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, a καὶ ἐλθὼν εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ, b καὶ γενομένου σαββάτου, c ἤρξατο διδάσκειν a αὐτοὺς c ἐν τῇ συναγωγῇ a αὐτῶν, b καὶ πολλοὶ ἀκούοντες c ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες, πόθεν τούτῳ ταῦτα; a ἡ σοφία αὕτη καὶ δυνάμεις; b καὶ τίς ἡ σοφία ἡ δοθεῖσα αὐτῷ, ὅτι καὶ δυνάμεις τοιαῦται διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ γίνονται; c οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ b τέκτων, a τοῦ τέκτονος υἱὸς; b ὁ υἱὸς Μαρίας, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ, καὶ Ἰούδα καὶ Σίμωνος; a οὐχὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ λέγεται Μαριὰμ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ἰάκωβος, καὶ Ἰωσῆς, καὶ Σίμων, καὶ Ἰούδας, καὶ c αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ οὐχὶ a πᾶσαι b ὧδε c πρὸς ἡμᾶς εἰσι; a πόθεν οὖν τούτῳ ταῦτα ἅπαντα; c καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, b ὅτι c οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ, b καὶ οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ οὐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι, εἰ μὴ ὀλίγοις ἀρρώστοις ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας, ἐθεράπευσε a καὶ οὐκ ἐποίησεν ἐκεῖ δυνάμεις πολλὰς, διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν, b καὶ ἐθαύμασε διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν.

b *Et egressus est illinc, venitque in patriam suam, & sequuntur eum discipuli sui,* a *Et cùm venisset in patriam suam,* b *cùmque adesset sabbatum,* c *cœpit docere* a *eos* c *in synagoga* a *illorum,* b *multique audientes* c *obstupuerunt, dicentes, Vnde huic* b *hæc?* a *Sapientia hæc & virtutes?* b *Et quæ est sapientia quæ data est illi? Et virtutes tales per manus eius efficiuntur?* c *Nonne hic est* b *faber ille,* a *fabri filius?* b *filius Mariæ, frater verò Iacobi & Iosæ, & Iudæ & Simonis?* a *Nonne mater eius vocatur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioses, & Simon, & Iudas?* c *Et sorores illius nonne* a *omnes* b *hic apud nos sunt?* a *vnde igitur huic hæc* a *omnia?* c *Et offendebantur super eo. Iesus autem dixit illis: Non est Propheta expers honoris, nisi in patria sua,* b *& inter cognatos,* c *& in domo sua.* b *Et non poterat ibi virtutem vllam edere, nisi quòd paucos infirmos impositis manibus sanauit.* a *Et non edidit illic virtutes multas, propter incredulitatem ipsorum,* b *ac mirabatur propter incredulitatem eorum.*

Periocha huius historiæ.

SEcundum annum ministerij sui exorsus est Seruator noster Iesus Christus publica prædicatione Euangelij in Synagogis Galilææ, & maxime quidem in Synagoga Nazarethana, sicuti superius audiuimus in 34. cap. Harmon. huius Euangelicæ. Eundem hunc annum nunc concludit reditu ad suos sympatriotas Nazarethanos. Nam Capernaumo discedens, siquidem ibi ob inuidiam Scribarum non licebat tutò diu hærere, venit in patriā suā; quæ nulla alia fuit, quā Naza-

reth,in qua conceptus & educatus est,redditurus illi πατρίδα. Comites ipsius fuerunt *discipuli*, potissimum Apostoli,qui indiuulsi ipsius lateri adhærebant. Vnde patet, ipsum dimissa sub noctem turba,summo mane Capernaumo discessisse,antequam turba rursus ad ædes ipsius confluceret. In patria pro more suo *Sabbatis ingressus est Synagogam, vt ibi doceret*. Quia enim tum temporis,partim ex diuino mandato,partim boni ordinis ergo,certa tempora & loca in Repub.Israelitica constituta fuerant, quibus & Deo suus cultus præstabatur, & doctrina legalis atque Prophetica populo proponebatur. Christus autem ipse quoque ordine & non confusione delectabatur, vsitatum illum & constitutum ordinem nequaquam sibi negligendum esse indicauit. De quo ipso ordine prædicto capite fusiùs tractatum est. Admonet autem nos Christus suo reditu in patriam pietatis,quam singuli patriæ debemus. Huic enim, quia progenitoribus nostris hospitium præbuit, priusquam nos in mundum nati essemus, quia etiam nos in mundum venientes prima excepit,quia nos aluit,texit,& forsassis etiam aliis beneficiis affecit, ita obstricti sumus, vt post Deum & parentes meritò ipsi maximam gratiam rependere, & omnes conciues fratrum instar arctissima beneuolẽtia prosequi debeamus. Sic Moses,fratres suos Iudæos deliciis & opibus aulicis præferre voluit,Exod.2.v.11.Hebr.11.v.24. Et Paulus,licèt gentium Doctor constitutus, patriæ tamen & fratrũ gratia in maxima versabatur solicitudine,eorumque salutem Deo suo ardentissimis precibus commendauit, Rom.9.v.3. Sed quid opus est horum Exempla allegare? cùm gentium historiæ testentur,optimum quemque inter ipsos patriæ fuisse amantissimum. Deinde eodem reditu nobis exemplum proponit sui studij, quod impendit in promouenda salute humani generis. Obtulit suis sympatriotis suum Euangelium,& per illud Dei gratiam atq; æternam salutem, sub initium huius anni: sed pessime ab ipsis fuit exceptus & tractatus. Nam ipsum ad supercilium montis super quem ciuitas ædificata erat adductum,inde præcipitare voluerunt. Optimo itaq; iure ipsos in posterum negligere, & vt in malitia sua perirent dimittere potuisset. Verùm quia est ille Deus, qui apud Prophetam tota die expandit manus suas ad populum incredulum, Esa.65.v.3. & fidelis ille cultor vineæ,qui pro sterili ficu apud Dominum vineæ intercedit, ne eam exscindat, & diligentiorem culturam promittit, si forsan fructum ferre velit, Luc.13.v.6. Indefessus deniq; ille paterfamilias, qui à summo mane ad vltimam horam vsque exit, & operarios in spiritualem suam vineam quærit. Ideo ab hac sua fide & diligentia non patitur se dimoueri,hominum nec malitia nec ingratitudine. Non enim spectat,quid homines mereantur,sed quid sui sit officij,quò vbiuis locorum & semper se verè mundi Seruatorem esse ostendat. Quod si vero aliqui hanc tantã ipsius curam & solicitudinem pertinaci sua improbitate neglexerint & contempserint,perditionis suæ causam non Christo,sed sibi adscribere debent, Hos.13.v.9.Ipse verò eis in die illo magno occinet:Quoties Ego volui vos congregare,queadmodũ gallina cõgregat pullos suos sub alas,& noluistis? Matt.23.47.

Cæterùm vt in Christi facto habemus illustre documentũ bonitatis diuinæ inenarrandæ,pro salute humani generis sollicitè excubantis: ita vicissim in Nazarethanis exemplũ proponitur humanæ corruptionis & obstinatæ prauitatis,quę ne quidem tot diuinæ clementiæ argumentis expugnari, & ad suscipiendã hanc Dei sui gratiam permoueri potest. Nam de Nazarethanis testãtur Euangelistæ, quod ita perculsi fuerint, *vt ad concionem eius obstupescerent*. ἐκπλήττεσθαι Varino idem est, quod θαυμάζω,admiror. Sed proprietas vocabuli non vulgarẽ aliquam admirationem significat,verùm talem quæ cum stupore est coniuncta. Nam ἔκπληξις medicis est mentis alienatio, quæ ex repentina aliqua re forinsecus obiecta prouenit, vbi animus quasi attonitus,nec loquitur,nec quicquam agit, sed apertis oculis aliquantisper quietus manet, veluti nimia rerum obiectarum consideratione oppressus,donec sensim se recolligat.Indicare ergo volunt Euangelistę hoc verbo,Christum tãta seueritate & grauitate docuisse,vt sympatriotæ nec docendi methodum,nec sententiarum pondera, nec rerũ grauitatem satis mirari potuerint. Etenim hic erat Doctor ille,in cuius labiis diffusa erat gratia,Psal.45.v.3. & qui non tantùm inani verborum sono auditorũ aures feriebat, sed diuina virtute animos ipsos penetrabat,Matt.7.v.29. Dubium itaq, non est, Nazarethanos intra conscientiam suam conuictos fuisse, doctrinam huius Iesu plane esse cœlestem & saluificam. Et hoc ipsum sufficere poterat ad ipsorum conuersionem. Hîc enim is,qui habet clauem vitæ æternæ,adstitit ad ostiũ cordis ipsorum,& pulsauit.Si iam ipsi audiissent vocem ipsius, & ianuam pectoris aperuissent,intrasset ad illos,& ad cœlestẽ cœnam eos adduxisset,Apoc.3.v.20. Sed attende,quomodo humanum cor exinnata quadam prauitate,quasi obicem ponat & pessulum obiiciat, quò regi gratiæ & gloriæ aduentanti fores obstruat ne ingrediatur,neve animum occupet & cor cõuertat.Christus certè hîc ministerio sui verbi iam secunda vice animos eorum tentat, vt mentem & voluntatem ipsorum permoueat,& ad obsequium Dei adducat. Præuenit ergo illos sua gratia, & per Spiritum sanctum ministerio verbi in ipsis operatur, hoc vnicum quærens, vt conuertantur ad fidem & saluentur.Et iam in cordibus ipsorum exurgunt λογισμοὶ,vt eos Paulus nuncupat, Rom.2.v.15. Nam ipsorum conscientia intra cor eos conuincit, vt testimonium ipsi perhibere cogantur sapientiæ & virtutis plus quàm humanæ.Ideo dicunt: *Quæ hæc est sapientia*,quæ in ipsius doctrina elucet? *Et quæ hæc est virtus Dei*, quæ per ipsius miracula se exerit? Illæ igitur variationes sermonis apud Euangelistas, dum vnus dicit:*Vnde huic hæc*? Alter:*Vnde hæc sapientia & virtutes*? Tertius: *Quæ est sapientia,quæ data est illi*? Rursus alius: *Vnde tales virtutes, quæ per manus eius efficiuntur*? indicio sunt, vniuersam turbam in Synagoga in admirationem raptam ἀξίᾳ ipsius doctrinæ & operum,nec potuisse illius vim & efficacitatem negare. Iccirco quoad Deum hîc nihil obstat,quominus ad fidem adducantur & vere conuertantur.Sed manifestum est ex hoc exemplo, quomodo deprauata hominis ratio aliunde accersat obstacula simul & prætextus, quominus verbum oblatum acceptare cogatur. Dicunt enim, *An non hic est faber? An non hic est fabri Iosephi filius? An non Maria est eius mater? An non fratres eius sunt Iacobus, Ioses, Iudas, Simon? An non sorores eius omnes sunt apud nos? Et hac de causa scandalizabantur super eo*. Σκάνδαλον vel *offendiculum*,dicitur omne id,quod iter facientibus obiicitur, ad quod impingentes cadunt, vel saltem impingendi occasionem inueniunt. Dicitur à σκάζω, quod claudicare significat, quia obiectum offendiculũ cogit claudicare & ad ruinam tendere. Quidam etiam Grammatici dicunt σκανδάλην,esse lignum incuruum,quo decipula sustinetur, & in quod impingens animal ipsam tenticulam in se subita ruina euertit.Sic reuera Nazarethanis conuersatio Christi in iuuentute sua facta est petra scandali, 1.Pet.2.v.7. vt immorigeri postea offenderent ad sermonẽ ipsius. At vero hoc ipsum non fuit scandalum ipsis à Christo datum, sed ab ipsis acceptum.Quid enim hoc ipsos offendere poterat, quod Iesus in iuuentute,ob parentum inopiam præceptoribus destitutus, à quibus informari poterat,tamen adultus doctrina ad admirationem vsque pollet,atq; eandem miraculosis operibus confirmat?Nouúmne hoc erat in populo Dei?Vnde Mosi omniũ Prophetarum coryphæo,qui annos quadraginta in exilio vagatus est, sua qua polluit legis cognitio,& stupenda quæ edidit miracula? vnde quoque Dauid,qui in iuuentute sua oues pascebat,suam habuit non tam belligerandi & regendi,quàm Prophetandi & psallendi peritiam? Oblitine erant eius,quod Elisæus ab aratro, 3.Reg.19.v.19. & Amos ex pastorum consortio in chorum prophetarum fuerunt adoptati? Sed hi sunt perantiqui mundi mores, quod eiusmodi prætextus ipse sibi quærit,quos obtendat,ne verbo prædicato credat. Sic adhuc hodie huius seculi filij semper inueniunt, quod in ministris carpant.Vni generis obscuritatem & paupertatem obiiciunt; alterius cognationem paulo illustriorem suspectam habent. Vnius eruditionem præclaram carpunt: alterius simplicitatem & inscitiam rident. Si quis eloquentia valet,minus ipsi fidendum censent: alium,qui hoc dono destitutus est,ludibrio habent. Sic mundus ipse sibi semper nectit laqueos perditionis. Nec Deus,quacunque sane fide & diligentia salutem hominum quærat, sic media salutis ordinare potest,vt non improbi homines iis ad suam perniciem abutantur. Hoc obseruare debebant infelices illi liberi arbitrij & τῆς συνεργίας patroni,vt inde agnoscerent,quid homo ex propriis suis viribus cõferre possit ad sui conuersionem & salutem. Nimirum vsque adeo nihil boni, vt etiam bonis mediis à Deo oblatis abutatur,& ex illis sibi ipsi obicem & scandalum ponat,per quæ in via salutis impingat & sibiipsi ruinam paret.

Ex hac autem historia etiam obiter colligi potest, quæ fuerit Christi educatio in iuuentute, & quæ priuata ipsius vita ante inchoationem ministerij: qualis item ipsius cognatio,partim Nazarethi, partim in vicinia habitãs. Quod vitam priuatam attinet,manifestum hinc est,eam ad 30.vsque ætatis annum,nullis miraculis clarã fuisse, vtut otiosi Monachi sub Papatu multa de miraculis Iesu in iuuentute editis nugati sint.Aliàs enim Nazarethani nequaquam tanta admiratione ipsius virtutes spectassent. Interim tamen nec ignauo otio torpuit,sed patri suo Iosepho fabro lignario ab ineunte ætate subditus,Luc.2.v.51.eandem cũ ipso artem exercuit. Ideo dicunt: *Nónne hic est faber ille*? τέκτων quidem Hesychio & Suidæ significat quemlibet artificem seu opificem, tam eum qui ligna operi aptare nouit,quàm eum,qui lapides, denique quicunque aliquid fabricatur. Ex Plutarcho tamen in Pericle, ex He-

ex Herodoto, ex Xenoph. item Pæd. 3. & 5. denique ex Hom. Iliad. ζ. & Od. τ. patet, τέκτονα propriè notare fabrum lignarium, seu materiarium. Vt ipsis τέκτων sit τεχνίτης ἀσφαλὴς καὶ κατεργαζόμενος τὴν ὕλην. Atque hoc modo hunc locum intellexerunt veteres. Iustinus Martyr, Scriptor vetustissimus, in Dialogo, cùm Tryphone contra Iudæos testatur Christum iuga & aratra fabricauisse. D. Basilius autem lib. de vita solit. cap. 5. statuit, eum assiduo corporalium laborum exercitio victum sibi necessarium vnà cum parentibus pauperibus comparasse. Eodem sensu pædagogus Antiochenus cùm à Libanio Sophista per irrisionem interrogaretur, Quid faceret fabri filius? prophetico spiritu indutus respondit, concinnat sandapilam pro Imperatore tuo. Cuius responsi veritatem euentus intra paucos dies comprobauit. Theod. lib. 4. c. 23. Dubium ergo est nullum, Christum in iuuentute sua fabrilem artem exercuisse, atque opere manuario sibi ac matri victum honeste quæsiuisse. Sic suo exemplo docens omnes homines, potissimùm iuniores, ipsos otium, tanquam Diaboli puluinar, fugere debere. Dei enim voluntas est, vt iam post lapsum in sudore vultus nostri panem nostrum edamus, Genes. 3. vers. 17. & Dauid beatos pronunciat, qui labores manuum manducant, Psal. 128. v. 2. Ideo etiam Apostoli, antequam ad diuinum Apostolatus munus vocarentur, labore suo victitarunt, Matth. 4. ver. 18. Imo Paulus iam Apostolus factus, sæpenumero manuum suarum ministerio se sustentauit, ne Ecclesiis oneri esset, Act. 20. v. 34. Ipse enim passim in nomine Domini denunciauit, quod si quis nolit operari, vt nec manducet, 2. Thess. 3. vers. 10. Tales quoque ignauos fucos furum loco habuit, Eph. 4. ver. 28. quibus præcipit, vt non amplius furentur, sed magis laborent operando manibus suis, vt habeant vnde tribuant necessitatem patienti. Neminem itaque pudeat, ad exemplum filij Dei totius mundi fabricatoris, honestam aliquam artem addiscere, qua sibi suisque victum paret. Plerique otium appetunt, & in eo magnam felicitatis partem collocant: sed tandem magno suo suorumque malo experiuntur, se grauiter errasse.

Quod cognationem Christi attinet, certum est Christum esse ex patribus secundùm carnem, Rom. 9. vers. 5. ac proinde inter progenitores suos habuisse Patriarchas sanctissimos, Reges potentissimos & Duces clarissimos: sicuti Matth. c. 1. & Luc. cap. 3. in genealogia ipsius prolixe demonstrant. Sed quemadmodum aliàs in rebus humanis nihil est perenne vel stabile, sed omnia sunt caduca: ita etiam familiarum sunt certa initia & incrementa, quæ si ad ἀκμὴν peruenerint, sensim rursus decrescunt, donec penitus intereant. Idem accidit regiæ familiæ Dauidis: quæ olim quidem clarissima & honoratissima, sed post captiuitatem Babylonicam odio diaboli tantas persecutiones & oppressiones sustinuit, vt circa tempora Herodis propemodum ad nihilum redacta fuerit. Hinc factum est, vt intemerata virgo Maria, Deipara, fabro lignario Iosepho, in ignobili oppido Nazareth, manuarium suum opificium exercenti, desponsata fuerit. Et hoc est, quod Esaias prædixit cap. 11. v. 11. surculum illum benedictum, tum ex radice Isai exoriturum, quando arbor cognationis ad stipitem vsque exaruisse videbitur. Cæterùm, quod Nazarethani de cognatione Iesu loquentes, dicunt: *Nonne Iacobus & Ioses, & Simon, & Iudas, fratres eius?* illud variis disputationibus occasiones præbuit. Heluidius hæreticus, partim ex hoc, partim ex aliis locis, oppugnauit perpetuam Mariæ virginitatem, & statuit eam post Christum natum fuisse viro commixtam, atque sic plures ipsius tam fratres, quàm sorores peperisse, vnde & eius sectatores Antidicomaritæ dicti sunt: sicut August. refert hæres. 58. & 84. sed hæc hæresis tum ab Epiphanio Episcopo Cyprii in Oriente, tum ab Ambrosio Episcopo Mediolanensi, & Hieronymo Stridonensi, presbytero Romano in Occidente, repressa conticuit, & cumprimis illud pugnat cum probatis historiis Egesippi & Eusebij, si quis putet Iacobum, Iosem, & reliquos esse ex Maria genitos post Christum, cùm ipsorum testimonio *Simeon*, qui hîc inter postremos numeratur, vndecim annis Christo maior natu affirmetur. Epiphanius, vt huic loco satisfaciat, censet Iosephum octogenarium fuisse, cùm Mariam sibi desponderet, & prius ex alia coniuge plures liberos suscepisse, qui fratres & sorores Christi dici potuerint. Sed & hoc caret testimonio probatorum autorum. Sub Papatu, in quo virginitate Mariæ, quam nos ipsi quoque statuimus, tanquam pro aris & focis pugnarunt, aliam quandam excogitarunt rationem ostendendi, quinam fratres & sorores Domini essent. Vulgata enim tunc erat opinio, Annam matrem Mariæ virginis tres habuisse maritos, Ioachimum, Cleopham & Salomen (quod tamen non viri, sed mulieris nomen est) & ex his genuisse totidem filias, Marias. Primam nupsisse Iosepho, alteram Alphæo, tertiam Zebedæo. Atque hinc Christi fratres dici eos, qui ex his progeniti fuerunt, fundamenti loco habuerunt imperitum hoc & rude & indoctum carmen:

Anna solet dici tres concepisse Marias:
Quas genuere viri, Ioachim, Cleophas, Saloméque.
Has duxere viri Ioseph, Alphaus, Zebedaus.
Prima parit Christum, Iacobúmque secunda minorem,
Et Ioseph Iustum peperit, cum Simone Iudam,
Tertia maiorem Iacobum volucremque Iohannem.

Contra hanc vulgatam opinionem eruditè & prolixè disputat Iacobus Faber Stapulensis, in suo tractatu de vna Maria ex tribus. Vbi demonstrat Annam matrem virginis Mariæ non habuisse tres maritos, sed vnicum Ioachimum. Consimiliter Mariam virginem nullas habuisse sorores, neque germanas neque vterinas. Insuper pernegat, nec ex Euangelica historia commonstrari posse contendit, quod Iacobus & Iohannes filij Zebedæi ex Salome Christum sanguinis propinquitate attingant. Quod autem Maria Cleophæ Iohan. 19. vers. 25. dicitur soror matris Iesu, illud non factum esse eo sensu, quasi hæc Maria etiam fuerit filia Annæ: sed ex consuetudine, qua fratrum vxores se mutuò sorores vocant. Nam ex Egesippo, prout eum Eusebius citat lib. Eccles. hist. 3. cap. 10. patet, Cleopham fuisse fratrem Iosephi, cui Maria virgo Deipara fuit desponsata. Cùm ergo Maria semper virgo, & Maria Cleophæ fratrum vxores fuerint, rectè dicuntur sorores. Et rursus, quia ex Maria sua Cleophæ peperit Iacobum, Iosen, Iudam & Simonem, ob hanc cognationis affinitatem, tanquam consobrini & duarum sororum filij, *fratres Iesu* dicuntur. *Iacobus*, qui hîc primo loco nominatur, à Christo ad Apostolatus dignitatem vocatus est, Matth. 10. vers. 3. & Luc. 6. ver. 15. Is, vt testatur Egesippus & Eusebius, primus fuit Episcopus Hierosolymitanus. Quem fratrem Domini se Hierosolymis vidisse testatur Paulus ad Galat. 1. versic. 19. Nec dubium est, quin propterea Actorum 15. versic. 13. huic Iacobo præ reliquis in Concilio Apostolorum præcipuum votum, de agitata controuersia suam sententiam interponendi, concessum fuerit, quia tum ipsi *Primum* illius Ecclesiæ commissa fuerat. Quod vero idem hic Iacobus Marc. 15. versic. 40. dicitur *Iacobus minor*, illud non intelligendum est ratione ætatis vel annorum, quasi reliquis fratribus iunior fuerit: sed ratione corporis. Nam in Græco est vocabulum μικρός. Cùm enim duo Iacobi, vnus filius Zebedæi, alter filius Cleophæ, essent in conuictu Christi inter Apostolos adsciti, prior autem ille corpore procerior, hic breuior: ideo ad doctrinam ex habitudine corporis, ille maior, hic vero paruus vel minor dicebatur. *Ioses*, hic solus ex his quatuor fratribus in numerum Apostolorum à Christo non est receptus. Quod vt consideratione dignum est: ita eius rationem nemo nobis perscrutabitur. Equidem quòd Christus ex consobrinis adsciuit sibi Apostolos, qui Euangelium de se vna cum aliis in toto terrarum orbe ad salutē credentium prædicarent, eo ipso docuit, per se non esse impium, nec Deo aduersum, si quis cognatorum habeat rationem, eosque promoueat ad officia honesta, modo ad ea peragenda sint idonei. Rursum, si quis negligatur, non despondeat animum, nec propterea se à Deo reiectum existimet. Possent enim aliæ causæ esse, iustæ quidem, sed occultæ, ob quas interdum alicui promotio contingere nequeat. Sicuti nec hic Ioses adeo impius & dignitate Apostolica indignus fuit. Nam Act. 1. v. 23. dicitur quod Iosephum, qui vocabatur Barsabas & cognominabatur *Iustus*, vnà cum Matthia statuerint Apostoli corā Domino, & forte explorarint voluntatem Domini, vtrum eorum vellet eligi in Apostolum loco Iudę proditoris. Ergo Apostoli eū dignū hoc officio censuerunt. Neque alius fuit Ιωσήφ, quàm Ιωσῆς, sed vnus idéque, sicuti hę literę φ & ς in nominib. propriis facile permutantur. Et constat ex Iosepho, Egesippo, Eusebio, atque omnibus antiquis, Iacobum filium Cleophæ, & fratrem eius Iosephum, Iustos fuisse cognominatos. Dubium itaque non est, vnum eundemque esse Iosen & Iosephum. Et tamen sors non Iosen, sed Matthiam notauit. Neque tamen hunc Iustum propter fidem in Christum & pietatem Deo minus gratum & acceptum fuisse statuendum est. *Iudas*, tertius frater Domini hîc nominatur, cuius etiam Epistola extat in sacris, vbi seipsum nominat fratrem Iacobi. Is etiam inter Apostolos allectus fuit, & partim *Lebbai*, partim *Taddai* nomine insignitur, de quo pluribus actum est superius in 50. cap. huius Harmon. Quartus est *Simon*, siue *Simeon*. Idem enim nomen est vtrumque, illud per κρᾶσιν, figurā Gręcis vsitatissimā, enūciatur, quod patet ex nomine Petri, qui passim in Euangelio Simon Petrus dicitur. Ipsa autem posteriorem suam Epistolam his verbis orditur: Συμεὼν Πέτρος, Simeon Petrus, seruus & Apostolus Iesu Christi. Fuit hic secundus Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, fratri Iacobo minori succedens, qui & in Euangelio *Zelotes* dicitur. Hic licèt Christo annis vndecim superior fuerit, vixit tamen, vt ex Ecclesiastica historia manifestum est, vsque ad annum Impe-

ratoris Traiani decimum, qui fuit annus Christi 109. quo anno ipse 120. annos natus crucis supplicium pro Christo pertulit, atque sic huius vitæ miserias cum æternæ felicitatis gaudiis permutauit. Atque hi fuere fratres Christi. Quod vero de sororibus additur: *Et sorores illius nónne omnes hic apud nos sunt?* non potest intelligi de aliis Iesu Christo propioribus, quàm de filiabus Cleophæ, quotquot sane illarum fuerint. Et harum quidem nomina in scriptura sacra non sunt expressa: annotata autem sunt in libro vitæ, qui liber vbi aperietur, eas videbimus & cognoscemus.

Quid Christus ad hæc omnia? 1. Occurit huic offendiculo conterraneorum suorum vsitata gnome: *Non est Propheta expers honoris, nisi in patria sua, & inter cognatos, & in domo sua.* Prophetam hîc vocat Christus ministrum veritatis & doctorem iustitiæ. Loquitur enim pro more suæ gentis, in qua doctores sincerioris doctrinæ, religionis & professionis Prophetæ dicebantur. Sicuti de Iohanne Baptista, Matth. 14. versic.5. dicitur, quod populus eum pro Propheta habuerit. *ἄτιμον* & *honoris expertem* vocat, non eum cui non magni honores externi exhibentur: sed qui non auditur: huius doctrina nō admittitur. Hic enim est magnus verbi ministri honor & gloria, quando auditores doctrinę ipsius locum dāt, vitam emēdant, fidem concipiunt, & vera pietate Deum colūt. Hoc modo & Deus & minister eius honoratur. Sic Paulus de suis Thessalonicensibus dicit: vos estis gloria nostra, & gaudium, 1.Thess.2.v.20. Vice versa vbi doctrina non admittitur, fides ei non habetur, mores non emendantur, Deus non colitur: ibi ministerium est *ἄτιμον*, inhonoratum & spernitur. De quo Christus pronūciat, Luc.10.v.16. Qui vos spernit, me spernit. Qui me spernit, spernit eum qui misit me. Prophetam ergo Christus *ἄτιμον* dicit, in patria, inter cognatos, & in domo sua. Etenim commune omniū ferè hominum vitium hoc est, quod à notis & familiaribus doceri nolint, multo minus admoneri & corripi velint. Exterorum & peregrinorum admonitiones facilius admittunt, quàm domesticorum. Putant enim hoc vergere ad ipsorum ignominiam, si ab indigenis reprehendantur. Vt ergo familiaritas contemptum parit: ita etiam præsentia minuit authoritatem. Voluit autem Christus hac communi sententia auertere, ne hoc scandalum Nazarethanorum vlterius serperet, illique suo exemplo etiam alios inficerent: Neque enim sequitur: Christum contemnunt sui conterranei: Ergo non est propheta, aut certè malus Propheta. Quid enim vsitatius fuit apud Iudæos, quorum terra fuit communis patria omnium Prophetarum, etiam quod Prophetas suos occiderunt, alios lapidibus, alios serra, alios gladio, alios aliis instrumentis è medio tollendo. Iccirco ex odio & contemptu hominum non est iudicandum de persona Prophetarum, vel Doctorum: sed ex ipsa doctrina & fidelitate in officio. Hinc consolationem hauriant fideles doctores Ecclesiæ, quando officium quidem diligenter faciunt: & tamen ab omnibus contemnuntur, & cum Ieremia cap.15. versic.10. pro viris rixarum & discordiarum ab omnibus habentur. Est quidem magna beatitudo, vt Syracides cap.25. vers.12. prædicat, si quis enarret iustitiam auri audienti. Si tamen cui Deus hoc infortunium immittit, maxime in sua patria, vt nemo sit qui audiat, licèt rectè doceat: committat illud Deo, & se soletur exemplo Christi, ac cogitet sortem discipuli non debere meliorem esse, quàm fuerit Magistri. Interim tamen omnium locorum auditores, inprimis vero eorum, quibus contigit Doctor inquilinus, hinc discant à contemptu suorum verbi ministrorum abstinere. Etenim insignis peruersitatis argumentum est, si quis gratiam Dei in illis vel contemnat vel odio prosequatur, in quibus eam ob gentis cognationem & propinquitatem potius suscipere & magnifacere debebant.

2. Additur effectum illius contemptus, quod est, quod vtroque Euangelista teste, *Christus paucas admodum edidit virtutes.* Quid autem per *δυνάμεις* & *virtutes* Christi sit intelligendum, Marcus hoc loco scitè indicat, nimirum eiusmodi miracula, quibus *ἀῤῥώστοις* seu infirmis sanitas confertur. Sic Luc.8. 45. Christus testatur *δύναμιν* seu virtutem à se exiisse, qua sanata sit mulier duodecim annos profluuium sanguinis passa. Ergo quod Nazarethani inquirunt: *Vnde huic virtutes tales?* intelligendum est, vel de miraculis, quæ alibi edidit: & quorum fama ad ipsos perlata est: vel de his paucis quæ edidit, antequam suum proderent contemptum. Et Marcus dicit, illum *non potuisse virtutem vllam edere*: quod non de absoluta, sed ordinata impotentia intelligendum est, sicuti Matthæus explicat: *propter ἀπιστίαν & incredulitatem ipsorum.* Ita enim Deus ordinauit, vt quotquot ipsius gratia & beneficiis ad salutem frui velint, fide illa suscipiant. Fides siquidem est verum *ὄργανον*, & instrumentum, adeoque, vt non ita pridem dictum est, vnicum haustrum, quo omnia bona ex infinito diuinæ bonitatis fonte haurimus, & ad nos attrahimus. Nec obstat huic sententiæ, quod Paulus scribit Rom.3.ver.3. Num incredulitas hominum fidem Dei irritam faciet? Absit. Loquitur enim Apostolus ibi de veritate Dei, & docet, quod omnia, quæ Deus in verbo suo promisit, constantissime seruentur & verissime eueniant, siue credant id homines, siue non credant. Interim tamen hoc simul verum est, quod virtus illorum operum Dei infrugifera redditur incredulis. *ἀπιστία* enim ipsos homines inutiles & ineptos efficit, ad percipienda illa, quæ *πίστις τοῦ θεοῦ*, fides Dei operatur. Applicetur hoc ad doctrinam de sacra Domini Cœna. In ea in æternum verum manet, quod Christus promisit, HOC EST CORPVS MEVM, & sistit ibi Christus sacrum suum corpus in benedicto pane, quem frangimus, siue homines id credant, siue non. Postea verò quoad fructum manducationis, ibi discrimen sese aperit. Credentes enim fruuntur corpore Christi ad remissionem peccatorum, confirmationem fidei suæ, ad vitam & salutem. Increduli autem, quia indigne edunt & bibunt, sumunt sibi ad iudicium, eò quod non discernant corpus Domini, 1.Corinth.11. versic. 29. Hæc nos moneat, vt incredulitatem, tanquam primogenitam Satanæ filiam, fugiamus, nisi ipsi nos omnibus Dei beneficiis spoliare velimus. Interim tamen consolatione plenum est, quod multorum incredulitas non fraudi fuit fidei paucorum infirmorum, qui quoniam obicem illum non posuerunt, non obstante aliorum infidelitate, beneficij Christi participes sunt facti. Itaque quisque pro se operam det, vt ipse vera fide Christum amplectatur, séque eius verbo cum obsequio subiiciat, tum si vel totus mundus incredulitate laboraret, illud ipsum ei nequaquam fraudi erit.

Quod à Matthæo additur: *& mirabatur propter incredulitatem eorum*, de eo non scrupulose disputetur, quomodo admiratio cadat in Christum Deum omniscium: cùm ea sit tantum rerum insolitarum, ignotarum, nobísque præter omnem expectationem euenientium. Sed simpliciter ita accipiatur, quod Christus tanquam verus homo de hac incredulitate locutus sit cum suis Apostolis. Et quemadmodum superius cap.53. dicitur admiratus esse fidem Centurionis, eam prædicando & celebrando coram vniuersa plebe: sic hîc admiratus est conterraneorum suorum incredulitatem, tristes querelas de ea fundendo, quod iam intra anni spacium secunda vice eos visitando, & ad conuersionem quærendo denuo ab illis repellatur. Quæ obstinata malitia, vti admirationem excitat in hominibus: ita coram Deo iustam abiectionem meretur. Quis enim non miretur, miseram creaturam ineffabili bonitati Creatoris sui ita pertinaciter se opponere? Et quis negabit Deum iusto iudicio in posterum negligere eos, qui aliquoties benigne oblatam gratiam superbe respuunt & aspernantur?

Finis & ἀνακεφαλαίωσις Actorum secundi anni ministerij Christi.

LVbet etiam sub finem huius tertij libri adiicere Recapitulationem præcipuorum Actorum Christi in secundo anno ministerij ipsius, iuxta seriem superius præmonstratam, quò attentus & diligens Lector huius quoque anni 1. peregrinationes, 2. Conciones. 3. Miracula. 4. Sectatores. 5. Aduersarios & hostes Christi ceu in tabula quadam compendiose oculis suis propositos, vno intuitu complecti queat.

I. Peregrinationes Seruatoris nostri Iesu Christi, quas hoc secundo anno Ministerij sui instituit, & quæ ab Euangelistis sunt annotatæ, præcipue sunt octo. Monstrabit hæc obseruatio, Christum sementem doctrinæ suæ superiore anno sparsam, hoc anno fluentis gratiosæ suæ Visitationis rigasse, vt eò facilius ad bonam frugem excrescat. Primæ profectioni occasionem præbuerunt ingrati sympatriotæ Nazarethani. Quibus cùm primùm in Synagoga ipsorum publice ex Iesa.61. ver.1. denunciaret annum placabilem à Domino, atque offerret cœlestis sui Patris gratiā: Illi vero sciebant, ipsum nec ex Sacerdotali tribu oriundum, nec in Scribarum vel Pharisæorum ordinem receptum esse, neque pro Propheta agnoscebant (quibus solis apud Iudæos in scholis docendi potestas concessa erat) ideo eum ex vrbe ad præcipitium montis eductum, inde præcipitem dare voluerunt. Ipse vero per medium illorum transiens, discessit ab ipsis, suumque domiciliū Capernaumum trāstulit, sicque eam ciuitatem sibi propriam fecit. Ex hac ciuitate secundam peregrinationem suscepit in Galilæam, quam totam breui temporis spacio peragrauit, docens in Synagogis & miracula edens, quorum fama in Decapolin, Syriam & circumiacentes regiones, etiam Gentilium vsque dimanauit. Capernaumum reuersus non diu ibi subsistit, sed mox post vocationem Matthæi Hierosolymam contendit ad festum Paschatis. Verùm quia Iudæi acrem ibidem concertationem mouent, aduersus ipsum, ob ægrum ad piscinam

piscinam probaticam ab ipso in die Sabbati sanatum, nec ibi diu hæret, sex mox finito festo Capernaumum cum discipulis redit:& hæc fuit tertia profectio. Ad quartam suscipiendam eum impellunt Pharisæi cum Herodianis conspirantes, eò quod Sabbatum Iudaicum discipuli quidem illo die euellendo & confricando spicas, Christus verò alio Sabbato sanando manum aridam, profanasse viderentur. Furori itaque ipsorum Christus ad tempus cedit. Interim tamen, quia Dei benedictione turba auditorum crescit, duodecim Apostolos eligit, quos post absolutum cursum sui ministerij totius orbis Doctores constituturus erat. Ex secessu Capernaumum reuersus,vix tamdiu ibi moratur,vt famulum Centurionis,ex paralysi ad mortem decumbentem, sanaret: sed mox occidentem versus iter facit in Naim,filium viduæ ibi excitaturus. Breui pòst redit quidem in Capernaum,vbi etiam à Simone Pharisæo inuitatur:sed denuo discedens peragrat cum comitatu Apostolorum & mulierum quarundam totam Galilæam,secundum ciuitates & castella, sicque sextam peregrinationem perficit. Septimò rursus Capernaumo discedit, eò quod non tantum Pharisæi suis calumniis & blasphemiis eū expellerent, sed & mater cum fratribus,de ipso capiendo & priuatæ custodiæ mancipando,consilia agitarent. Traiicit ergo in regionem Gergesenorum, à quibus tamen mox repellitur, quia dæmonibus porcos in mare demergendi potestatem fecerat. Domum ergo reuersus,cum publicanis & peccatoribus conuiuatur apud Matthæum,& Iairo Archisynagogo resuscitatione filiolæ sibi conciliato, sine mora octauam & vltimam profectionem instituit versus patriam Nazarethum, denuo illis cœlestis suæ gratiæ rorem immittens,si qua ratione eos ad pœnitentiam flectere, & cœlesti suo Patri lucrifacere posset. Sic cœlestis hic iustitiæ Sol, licet Capernaumi habitationis suæ domicilium constituerit, ex eo tamen loco, versus omnes mundi plagas sese inclinando etiam hoc anno cursum suum ita confecit,vt vere quæsierit quod perierat, & tanquam verus animarum Medicus omnibus ægris opem suā obtulerit. Peregrinationibus longe diuersissimis ab illis quas immortalis ille mortalium hostis Diabolus instituit, qui etiā perambulat loca inaquosa, Luc.11.v.24. circuit terram, Iob.c.1. v.7. non vt ἀγγέλλων, sed vt leo rugiens, 1.Petr.5.vers.8. quærens principiò vt homines adducat ad malum culpæ, hoc est, ad peccatum sollicitet, postea malo pœnæ opprimat, atque sic deuoret.

II. Conciones Christi hoc anno fuerunt præclaræ & frequentes. Quamdiu enim Iohannes publice docebat, ipse Christus se quasi cohibuit, ne rudis plebecula in partes scinderetur. Posteaquam autem Iohannes carceri inclusus est, ipse publice prædicare incepit. Et primo quidem, quia honorem docendi sibi sumere nemo potest, nisi sit à Deo vocatus, Heb.5.4. ideo Nazarethi in patria reddit rationem suæ vocationis, & ex Propheta Iesaia demonstrat, sed ad hoc munus & à Deo Patre suo vocatum, & à Spiritu sancto vnctum esse. Mox in Galilæa breuem quandam synopsin doctrinæ suæ, quatuor capitibus comprehensam, proponit. Testatur 1. Adesse tempus abrogationis vmbratum Veteris Testamenti. 2. Messiæ regnum, quo nos ex potestate Satanæ & æternæ mortis sit erepturus, iam esse inchoandum. 3. Si quis beneficiorum huius regni particeps fieri velit, illum debere agnitione peccati & sensu iræ diuinæ quasi præparari, & eò impelli, vt peccatum fugiat, & omnem fiduciam in misericordiam Dei, merito Christi, partam, collocet. 4. Vnde hoc cōsequetur, vt ingrediatur regnum cœlorum, in quo datur gratia Dei, remissio peccatorum, adoptio in filios Dei, salus & vita æterna. Hæc fuit summa concionum Christi, cui postea alij Articuli, singula membra plenius elucidātes, sunt additi. Nam mox Hierosolymis aduersus Iudæos tractat Articulum de sua persona, quamplurimis grauissimis argumentis, maxime vero ex opere creationis, sustentationis & administrationis totius mundi demonstrans, se non esse ψιλὸν ἄνθρωπον, & nudum hominem, sed verum & æternum Dei filium. Inde etiam agit de abrogratione sabbati Iudaici, cuius ipse sit Dominus: ostendens quibus modis prophanetur, quibus verò non violetur sanctitas sabbati. Et quoniam hinc aliqui ex auditoribus Christi colligebant, Legem Mosis penitus tollendam & eliminandam esse, vnde Pharisæi doctrinam Christi calumniabantur, quidem autem petulantiam carnis quærebant: Ideo Christus etiam insignem habet concionem de Lege, in qua ostendit discrimen legum ceremonialium, forensium & moralium: ac diserte docet, sublatis ceremonialibus & forensibus partibus Legis Mosaicæ, legem Moralem, siue doctrinam Decalogi debere in Ecclesia perpetuò remanere, & omnibus ipsius membris, ex Iudæis & gentibus collectis, siue illi sint renati, siue non renati, proponi. Et vt Apostolis ostenderet veram methodum, quomodo doctrinam Legis à traditionibus humanis purgatam tradere debeant, ipse verum eius intellectum & vsum, cum in exemplis quinti & sexti præcepti, tum in doctrina de eleemosynis, de oratione, de ieiunio, de auaritia, de solicitudine, & similibus capitibus doctrinæ Christianę ostendit. His omnibus addit etiam vtiles commonefactiones, in ministerio verbi obseruandas, de officio Ministrorum, de correptione fraterna, de non dando sanctum canibus, de arcta via & angusta porta, de cauendis Pseudoprophetis, de vitanda hypocrisi, & plantando sincero ac solido studio pietatis. Doctrinam insuper de remissione peccatorum etiam ab hominibus in ministerio aliis, & quidem in priuata Absolutione, impertienda, illustri miraculo confirmauit. Hæc sunt præcipua membra doctrinæ à Christo hoc anno propositæ, quę occasione oblata postea & exemplis illustrauit, & elegātissimis parabolis condecorauit. Et quia animaduertit fructum in discendo apud auditores suæ in docendo diligentiæ minus respondere, subiecit interdum præter exhortationes graues querelas, quibus horrendum Væ denunciat ciuitatibus & earum inhabitatoribus, qui gratiam Dei in doctrina Euangelij benignissime oblatam repudiant. Interim omnes peccati onere grauatos & oppressos humanissime ad se vocat, & quomodo venientes ad se refocillare velit, exemplo peccatricis conuersæ ostendit. Præter hæc in concertatione cum Pharisæis, tractat locum de diuersitate verorum seu diuinorū miraculorum, & eorum quæ arte Magica, ex collusione cum Diabolo, eduntur. Notatione quoque digna est illa doctrina, quam in disceptatione cum Scribis & discipulis Iohannis attingit, qua docet, quomodo corda eorum, qui phanatica aliqua opinione sunt præoccupati, prius sint innouanda & repurganda, antequam veram Euāngelij doctrinam capere possint. Ex qua breui enumeratione patet, Christum Iesum vniuersalem Ecclesiæ doctorem, hoc vnico anno fere integrum σωμάτιον & corpus doctrinæ cœlestis tradidisse, vt propemodum nihil occurrat docendum, quod non ipse suo quodam modo hoc anno aut tractarit aut saltem attigerit.

III. Tertium caput Recapitulationis est, quænam fint miracula huius secundi anni. Sunt autem ea illustria atque prorsus stupenda. Initio anni vocationem quatuor Apostolorum, Petri & Andreæ, Iacobi & Iohannis, miraculosa captura piscium illustrauit. Sic se Dominum maris omniūque aquatilium creaturarum esse demonstrans. Mox Capernaumi, quo & domicilium & suggestum suum transtulerat, verbo & doctrinæ suæ authoritatem conciliaturus, adhuc in Synagoga subsistens, immundum Spiritum verbo expellit: ex Synagoga domum reuertens, atque apud Simonem Petrum diuertens, socrum eius febricitantem sanat: sub vesperam denique variis ægrotis sanitatem per nudam manuum impositionem restituit. Singularem autem admirationem meretur, quod Hierosolymis hominem triginta octo annos continue & grauiter decumbentem, quique ipsum ne nouerat quidem, vnico verbo ad firmam valetudinem reduxit. Postea prætérquam quod in Synagoga verbo sanat manum aridam, tactu mundat leprosum, absens seruulum Centurionis liberat à paralysi, mortuum insuper iuuenem ad vitam reuocat, sic se vitę & mortis dominium in manu sua habere ostendens. Multa, imò pene innumera miracula, in cæcis, mutis, surdis, leprosis, debilibus, mancis & aliis ægris edita, quasi silentio prætereūtur. Insigniora sunt illa quatuor, quorum vnum in sanando dæmoniaco cæco & muto Capernaumi, alterum in sedanda tempestate maris & vi ventorum, tertium in expellenda legione dæmonum in terra Gergesenorum, quartum in resuscitanda duodecim annorum filiola Iairi, operatus est. His enim manifestum reddidit, se esse illum, cui pater tale nomen dederit, vt in nomine Iesu flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium & inferorum, Phil.2.v.10. seque esse eum Dominum, qui cœlum, terram, mare & omnia quæ in eis sunt, fecerit & regat, Psal.146.v.6. & qui habeat claues mortis & inferni, Apoc.1.v.18. quibus aperiat se & nemo claudat: & vicissim claudat atque nemo aperiat, Apoc.3.v.7. Hæc enim miracula omnia, numero (vt dictum est) quamplurima, pondere prorsus stupenda non alieno nomine, sicuti Prophetæ & Apostoli, sed propria virtute effecit atque [illegible]

IV. Si etiam nouisse cupiamus, quos [illegible] Christus hoc secundo anno habuerit, deprehē[illegible] Ecclesiam ipsius non mediocria incrementa sumpsisse. Vnde mox postquā Capernaumum commigrauit, vocat quatuor discipulos, quos ex reliquorum numero familiarius sibi conuersari voluit, vt omnium & factorum & dictorum αὐτόπται oculati & auriti testes essent, sicque paulatim ad ministerium Ecclesiæ informarentur. Hisce paulo post adiungit Matthæum, cuius vocatio eo plus admirationis meretur, quia ipse prius nec Iohannis nec Christi auditor fuerat, sed ad telonium desederat. Christi autem verbum cor ipsius ita mutat, vt deposito priori vitę suę statu, è vestigio Christo vocanti obtemperarit. Inde turba di-

scipulorum & auditorum in tantum excrescit, vt non ausus fuerit aperte ciuitates & oppida ingredi, nec extra ea quietis causa commode latitare potuerit. Hoc Christum permouit, vt Apostolorum numerum ad duodecim vsque personas extenderet & secundùm numerum 12. Patriarcharum, & duodecim tribuum Israeliticarum, quorum ministerio & opera ipse postea in Ecclesia Catholica ex Iudæis & gentibus colligenda vteretur & subleuaretur. Et cogita quale hoc fuerit spectaculum, quocunque Iesus siue terra siue mari tendebat, vbique secum traxit magnam cateruam virorum & mulierum ipsum comitantium. Vt verè Rex Israelis videri potuerit, non quidem ob splendorem & pompam, sed ob numerositatem & copiam vndiquaque ad ipsum confluentium. Nam & discipuli Iohannis, licet nondum plene Christo manus dederint, tamen hoc secundo anno ipsi æquiores facti, præceptori suo opera Christi in carcere narrarunt. Denique ex optimatibus quoque aliquos ad se traxit, inter quos primas tenet Centurio Capernauntinus, qui adeo splendidam de Iesu Christo fidei edidit confessionem, vt Christus palam contestatus sit, se in vniuerso populo Israelitico talem fidem non inuenisse. Huic adiungi posset Archisynagogus siue Primas Iudæorum, Iairus, nisi extrema demum necessitate filiolæ animam iam agentis compulsus Christum adiisset. Quanquam dubium quoque sit an constans in fide permanserit. Præferri itaque ipsi merito debet Gergesenus, qui à Diaboli potestate liberatus, cum Christus illum se sequi nollet, præco gratiæ eius factus est, in vniuersa Decapoli.

V. Dum Christus in colligenda Ecclesia docendo & miracula edendo assidue laborat, interim nec diabolus in excitandis aduersariis ociatur. Primi sunt ipsius conterranei Nazarethani, qui Diabolo deteriores, eum de supercilio montis præcipitare cupiunt, quem diabolus de pinnaculo templi non ausus fuit detrudere. Hisce succedunt Hierosolymitani Scribæ & Pharisæi, qui Capernaumum, quo Christus sedem suæ mansionis transtulerat, descenderunt, vt eum obseruarent, ecquid in ipso deprehendere possent, quod ad [illegible] vel superiores deferrent. Postea cum Iesus in festo Paschatis virum triginta octo annos decumbentem Hierosolymis sanasset, Iudæi tantopere in ipsum exardescunt, vt occidere eum cupiant. Vnde statim finito festo Hierosolymam discedit, & redit in Galilæam, Capernaumum, sed & inde protinus rursus expellitur: quia Pharisæi & Herodiani qui alias capitalibus odiis inter se dissidebant, aduersus ipsum conspirarant. Licet vero dubium non sit, horum sanguinaria consilia repressa aliquantum fuisse authoritate Centurionis, qui se Christo aperta confessione adiunxit: nihil tamen tuti ibi Christus sibi polliceri ausus est, maxime cum etiam cognati de ipso comprehendendo, & priuatæ custodiæ includendo consilia agitarint. Quin & Gergeseni è numero hostium Christi non sunt excludendi, cum summum hunc suum benefactorem, qui vias & regionem ipsorum à violentia grassantis Legionis liberarat, protinus rursus ex ditione sua recedere iusserunt. Verum ipse in medio hostium & inimicorum suorum dominatus est, sicuti suo loco audiemus.

FINIS LIBRI TERTII.

QVARTVS

QVARTVS LIBER HARMONIAE EVANGELICAE,

A CELEBERRIMO QVONDAM THEOLOGO, DOMINO DOCTORE MARTINO CHEMNITIO, superintendente Brunsuicensi, incoatæ,

PER D. POLYCARPVM LYSERVM, ELECTORIS Saxoniÿ Theologum, elaboratus, & in lucem editus.

SERENISSIMO SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHALLO ET ELECTORI, DN. DN. CHRISTIANO II. Saxoniæ Duci, Thuringiæ Lantgrauio, Misniæ Marchioni, Magdeburgensium Burggrauio, &c. Domino suo clementissimo, & optime de se merito, humilitatis, & grati animi ergo consecrat, dicat, offert,

Polycarpus Lyserus D.

Lectori beneuolo salutem.

EXHIBEO, *Christiane Lector, candido tuo iudicio & censura, rursus partem aliquam Harmoniæ Euangelicæ, dudum incoatæ & promissæ. Tardiuscule in ea progredior, fateor. Sed cuius rei culpa id fiat, optime nouerunt illi, quibus crebræ & molestæ meæ peregrinationes non sunt ignotæ. Vere cum Patriarcha Iacobo dicere possum: Dies peregrinationis vitæ meæ sunt pauci & mali, & non peruenerunt usque ad dies Patrum meorum. Sed hoc Deo committo, cuius est, cuiusuis vitæ cursum pro suo beneplacito dirigere. Tu vero veniam tarditati & moræ dabis. Si vnius saltem atque alterius mensis otium iustum haberem, mox altera huius libri subsequeretur. Interim tamen hoc, quicquid est elaboratum, diligentiæ tuæ legendum, & candori iudicandum offero.*

Tu, si existimaueris opera pretium me fecisse, & laborem hunc esse, qui cum vtilitate in Ecclesia legi possit, tuo fauore me persequeris, & precibus apud Deum adiuuabis, quo is sancti sui Spiritus gratiam, & tantillum quieti temporis clementer mihi largiri dignetur (quod & facturum ipsum confido) vt huic operi propediem colophonem feliciter imponere queam. Non opto iners otium, non quæro diem humanum, (vt Propheta loquitur) sed quietem honestam talem, quæ citra interruptionem in cœpto opere progredi, illudque secundum votum multorum bonorum absoluere possim. Bene vale in Christo. Scriptum Coldiziÿ, 19. Augusti, Anno 1608.

Polycarpus Lyserus D.

IN REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI, DOMINI POLYCARPI LYSERI, S.S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, & in Electorali aula Dresdensi Concionatoris, &c. continuationem Harmoniæ Euangelicæ,

EPIGRAMMA.

ANDREÆ OSIANDRI DOCTORIS, ET TVM TEMPORIS abbatis Adelbergensis: nunc vero Præpositi Ecclesiæ, & Cancellarij Academiæ Tubingensis: Fratris, natiuitate vterini: at amore & synceritate germani.

ERrat, & in censu non est sapientis habendus,
Sanctorum nomen qui omen habere negat.
Hoc Scriptura docet: monet experientia: quin &
Communis sensus testificatur idem.
Tale tibi diuina dedit Sapientia nomen,
Quando vix natus, moxque renatus eras.
Tunc etenim dictus POLYCARPI *nomine dulci,*
Spem multi fructus, *frater amande, dabas.*
Nos ea spes nulla ratione huc vsque fefellit:
Cum fructu plenus *conspiciare bonos.*
Dum præter reliquos multos magnosque labores,
Quos digne, officio pro grauiore, geris.
Chemnitiÿ sequeris vestigia docta beati,
Docte Euangelicum conciliando chorum.
Nam licet occurrant vere contraria nulla,
Apparens tamen hic antilogia datur.
In symphoniaco velut & certamine vocum
Sunt, rudis, harmonicum quæ neget esse sonum.

At si iudicio quis prædatus audiat, an non
Hac ait, artificis sunt documenta boni?
Sic Euangelij Scriptores multa notarunt,
Quæ prima prorsus dissona fronte putes.
Nil tamen inuenies contrarietatis in illis:
Dummodo contextum pressius inspicias.
Sed quia non quiuis valet ista dexteritate,
Vt quosuis nodos soluere rite queat:
Egregiam præstant operam, qui talia promunt,
Cum magna populi commoditate sacri.
Et si iucundum est magnorum gesta virorum
Ordine prudentem cognita habere bono?
Cur Seruatoris non iucundissima res sit,
Vitam & res gestas ordine nosse suo?
Nec solum suaue est: sed & hæc industria multum
Eximia, credas, vtilitatis habet.
Nam minus impingit, tractanda volumina sacra
Cui nota est ratio temporis atque loci:
Qui nouit, quod consilium dicendo secutus,
Quemque sibi Christus fixerit ipse scopum:
Quo ordine, qua methodo tractauerit hocce vel illud:
Quæ personarum conditio fuerit.
Ergo præclarus ceu Commentarius hic est
Harmonicus, iunctim qui tenet ista, liber.
Iamque patet, cur te quasi mortis faucibus imis
Extractum porro viuere Ioua velit.
Quorsum igitur? morbos vt plures experiare?
Vel plura vt videas pignora cara mori?
Absit vt hoc metuam: (cum tu sis ante probatus)
Sed magis vt celebres iudicium Domini.
Inde, fauente Deo (cuius certissima spes est)
Qui πολύκλαυτος eras, nunc πολύκαρπος eris.
Et qui subtraxit generum, qui pignora cara,
Te quoque vestibulum mortis adire iubens,
Is tibi post nebulas facit illucescere Solem,
Pro gemitu risum substituendo merum.
Atque hunc post luctum præstat patientia fructum,
Nubilum vt excipiant iubila læta diem.
Vt Domino Messis magno sis semper honori:
Eius & vt pergas exhilarare gregem.
Sed cesso: fratrem ne fratri obtrudere palpum;
Forsan more crepet, lingua maligna, suo.
Certe hæc non scripsi, quod opus tibi laude sit ista:
(Cum, qui sis, clament curia, templa, scholæ:)
Sed magis, vt constet coniunctos corde manere,
Corpore coniunctos quos facit officium:
Quin etiam qui rite suo gerit omnia nutu,
Nos insperata iungere sorte potest.
Quod si præsenti forsan non fiat in æuo,
Viuere nos iunctim vita futura dabit.
Interea Domini benedictio larga labores
Fortunare velit, mi POLYCARPE, tuos.
Fertilis vt grauida semper tibi surgat arista,
Culmus: fertilior sitque subinde seges.
Et Dominus messis Calebi te seruet in annos:
Tempore quo longo sis πολύκαρπος. Amen.

ADSIT VOCATVS IESVS.

Liber Quartus

HARMONIÆ EVANGELICÆ: CONTINENS HISTORIAS, SEV ACTA, TERTII ANNI ministerij Christi.

CAPVT LXXI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM GENERALIS VISITATIONIS à Christo in Galilæa institutæ, Matth. 9. v. 35. & Mar. 6. v. 6.

RATIO CONTINVATIONIS SIVE ORDINIS.

MARCVS, abbreuiator Matthæi simul & præmonstratur ordinis, superiori historiæ, qua Christus sub finem secundi anni ministerij sui denuo patriæ suæ regnum Dei annuntiauit, eiusque gratiam ipsi obtulit, continua & indiuulsa serie, imo in vna periodo hæc verba connectit: *& circuibat castella in circuitu docens.* Quibus mox subiungit ablegationem duodecim Apostolorum in Galilæam, qui passim docendo, & doctrinam suam miraculis confirmando, omnibus denuntiant, regnum illud Dei, iam olim per Prophetas promissum & ab omnibus piis exspectatum, adesse, modo illud vera fide & grato animo suscipiant, seque eo dignos præstent. Sicque ipse ostendit, huc referendam esse illam historiam, quam Euangelista Matthæus quatuor postremis versibus capitis noni refert, quod Christus ciuitates & castella circuiuerit, prædicans Euangelium regni, & sanans omnem morbum. In qua visitatione, cum videret pastores Iudæorum gregem Dominicum prorsus negligere, occasionem inde sumpsit, Apostolos ceu nouos Doctores emittendi. Cum ergo nec in reliquis Euangelistis, nec in Matthæo, quicquam inueniatur, quod interuenerit inter tria postrema illa miracula, quæ nuper Capernaumi edita fuerant, & à nobis in tribus capitibus 67. 68. 69. exposita sunt, abunde satis manifestum est, hunc & non alium in Harmonia locum huic historiæ tribuendum esse.

HISTORIA GENERALIS VISITATIONIS in Galilæa institutæ. Matth. 9.

35. Καὶ περιῆγεν ὁ Ἰησοῦς τὰς πόλεις πάσας, καὶ τὰς κώμας, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, καὶ θεραπεύων πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ.

36. Ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους, ἐσπλαγχνίσθη περὶ αὐτῶν, ὅτι ἦσαν ἐκλελυμένοι καὶ ἐρριμμένοι ὡσεὶ πρόβατα, μὴ ἔχοντα ποιμένα.

35. *Et circumibat Iesus ciuitates omnes, ac vicos, docens in Synagogis illorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem morbum, & omnem languorem in populo.*

36. *Cum vidisset autem turbas, affectu misericordiæ tactus est erga illos, quod essent destituti ac dispersi velut oues, non habentes pastorem.*

37. Τότε

37. Τότε λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι.

38. Δεήθητε οὖν τοῦ κυρίου τοῦ θερισμοῦ, ὅπως ἐκβάλλῃ ἐργάτας εἰς τὸν θερισμὸν αὐτοῦ.

37. *Tunc dicit discipulis, Ipsa quidem messis copiosa, caeterum operarij pauci.*

38. *Rogate igitur dominum messis, vt extrudat operarios in messem suam.*

MARC. 6.

6. Καὶ περιῆγε τὰς κώμας κύκλῳ, διδάσκων.

6. *Et obambulabat per vicos vndique circumiacentes, docens.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ est per se plana.

c Καὶ περιῆγεν a ὁ Ἰησοῦς τὰς πόλεις πάσας, καὶ c τὰς κώμας b κύκλῳ c διδάσκων ἐν a ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, καὶ θεραπεύων πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ. Ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους, ἐσπλαγχνίσθη περὶ αὐτῶν, ὅτι ἦσαν ἐκλελυμένοι καὶ ἐρριμμένοι ὡσεὶ πρόβατα, μὴ ἔχοντα ποιμένα. Τότε λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι. Δεήθητε οὖν τοῦ κυρίου τοῦ θερισμοῦ, ὅπως ἐκβάλλῃ ἐργάτας εἰς τὸν θερισμὸν αὐτοῦ.

c *Et circumibat* a *Iesus ciuitates omnes, ac* c *vicos* b *vndique circumiacentes,* c *docens* a *in Synagogis illorum, & praedicans Euangelium regni, & sanans omnem morbum,& omnem languorem in populo. Cum vidisset autem turbas, affectu misericordiae tactus est erga illos, quod essent destituti ac dispersi velut oues, non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis, Ipsa quidem messis copiosa, caeterũ operarij pauci. Rogate igitur dominum messis, vt extrudat operarios in messem suam.*

Periocha huius historiæ.

NAZARETHANI contemtu Christi nemini nocuerunt, præterquam sibiipsis. Si diligentes Prophetarum lectores fuissent, ex Isaiæ 11.v.1. exinanitionem stirpis Messiæ cognoscere, sicque scandalo, quod ipsi acceperunt, mederi potuissent. Is enim vaticinatus fuerat, ex radice demum Iesse, virgultum illud benedictum exsurgere debere. Verum quia ipsi negligenter Prophetas legebant, factum est, vt Prophetarum principem contemtim haberent, & ipsi vicissim ab eo contemnerentur & negligerentur. Nam *Iesus* à Sympatriotis discedens, *circuiuit omnes ciuitates & vicos*, siue castella, ministerio suo vitam & salutem passim omnibus offerens. Neq; enim propterea Christo homines desunt, qui ipsum recipiant & audiant, si maxime vno in loco contemnatur. Imo hic est persecutionum fructus, quod ministri Euangelij ex vno loco reiecti, occasionem inueniunt in compluribus aliis locis illud propagandi & plantandi, etiam in illis ad quæ nunquam peruenissent, si absque persecutione fuisset. Sic Act.8. versic.1. persecutio, quæ post Stephani cædem Hierosolymis exorta est, occasionem præbuit, vt credentes dispersi passim per regiones Iudææ & Samariæ, Euangelium de Iesu Christo disseminarent. Hoc nimirum modo Deus deludit, & irritum reddit immanissimum Diaboli conatum, quo regnum Messiæ opprimere & exscindere cupit. Vt scilicet illud ipsum ad eius propagationem faciat, quod Satanas ad eius euersionem molitur.

Instituit itaque Christus generalem visitationem in Galilæa, obseruaturus, num etiam semen verbi, quod præcedenti anno in agrum Euangelicum sparserat, fructum tulerit. Nisi enim identidem in Ecclesiis attendatur, quo omnia ordine ac decenter fiant, non tantum exiguus fructus Euangelicæ prædicationis deprehenditur, sed & facile sectæ ac dissensiones, cum improba vita, in eas irruere possunt. Sic Samuel per singulos annos circumiens Bethel, & Balgala & Masphath iudicauit Israel, 1.Reg.7.ver.16. Elias item & Elisæus visitabant filios Prophetarum (seminarium suæ Ecclesiæ) in Galgalis, Bethel & Iericho 3. Reg.2.ver.2. & 4 ver.8. Et Iosaphat misit Sacerdotes atque Leuitas habentes secum librum legis, hi circumibant cunctas vrbes Iuda, & populum erudiebant, 2. Paral. 17. versic. 9. In nouo denique Testamento Paulus & Barnabas sæpius ad Ecclesias à se plantatas redierunt, eas visitarunt, animas discipulorum confirmarunt, exhortantes vt permanerent in fide semel accepta, Act.14.v.20.& 15.v.36.& 16.v.4.& 18.v.23.

Cæterum Euangelista primum indicat, quid Christus in hac sua visitatione docuerit & fecerit. I. *Docuit Euangelium regni*, quo ipso tantum titulus seu inscriptio omnium concionum Christi denotatur. Quarum summam hisce quatuor mẽbris comprehensam fuisse supra cap.35. huius Harmoniæ indicatum est. Quod nimirum ex oraculis Prophetarum commonstrarit, adesse tempus, quo 1. Vetus Testamentum cum suis typis & figuris sit abrogandum. 2. Vicissim autem regnum Messiæ sit erigendum, cuius beneficio ex potestate Diaboli, à peccato & morte æterna simus liberandi. 3. Ac proinde vera animi pœnitentia, abiecta prioris vitæ improbitate, veraque fide doctrinam Euangelij amplectendam, atque vitæ integritate cohonestandam esse. Sic 4. futurum, vt ipsi regnum cœlorum ingrediantur, beneficiorum Christi, qualia sunt gratia Dei, remissio peccatorum, iustitia, adoptio, vita & salus æterna, fruantur. Ita manifestum fit, Christum Seruatorem hoc tertio ministerij sui anno nihil docuisse, sed id, quod Baptista Ioannes primo anno proposuerat, & Christus ipse secundo anno repetierat, hoc tertio diligentius inculcasse. Quod notare decet contra Magistros, qui habent prurientes linguas, & contra discipulos, qui sunt prurientes auribus, 2. Tim.4.ver.3. similes Atheniensibus, qui ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicerent aut audirent aliquid noui, Act.17.v.21. Contra curiosum hoc studium nouitatis Paulus veros Christianos aliter informauit, Phil.3.v.1. scribens: Eadẽ nobis scribere me quidem non piget, vobis autem tutum est.

Proposuit autem Christus hanc suam doctrinam non in angulis, aut priuatis domibus, aut in occulto. Iohan.18.v.20. Sed *in Synagogis eorum*. Etenim quia Iudæi tantum ter annuatim Hierosolymis ad templum Domini ex mandato Dei cõueniebant, atque ciuitates Leuitarum, qui populi Doctores antiquitus constituti erant, post reditum ex Babylone interciderant: ideo ne populus necessaria institutione interim destitueretur, oppidatim Synagogæ erant, in quibus Moyses & Prophetæ per singula Sabbata prælegebantur. Act.15.versic.21. Quia ergo in Ecclesia Dei omnia debent decenter fieri & secundũ ordinẽ. 1.Cor.14.v.vltimo, idcirco nec Christus hunc ordinem turbare voluit. Huic ergo profectioni Christi & visitationi Ecclesiarum aliquantum temporis tribuendum erit, vt dubium sit nullum, ipsum vna cum Apostolis, quos capite sequenti ad docẽdum emittet, aliquot mẽses insumpsisse, antequã hanc visitationem per omnes ciuitates & vicos absoluerit. 2. Doctrinam suam Christus miraculis obsignauit & confirmauit, adeo vt passim omnia maiestate miraculorum suorum repleuerit ac illustrarit. Dicit enim Matthæus, *sanasse eum πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν, omnem morbũ & omnem languorem*. Quæ duo vocabula quomodo secũdum magis & minus inter se differant, supra cap.41. est expositum. Breuiter vult dicere, nullam infirmitatem tam tenacem, nullum morbum tam vehementem, vel humanæ industriæ incurabilem fuisse, quem non omnipotenti virtute verbi sui depulerit. Sic Christus aliorum improbitate non commoueturi, vt propterea docendi & benefaciendi munus deponat: quin potius illa ipsa ingratitudine bene vtitur, vt luce verbi diuini tanto plures illustrentur.

II. Deinde indicat Euangelista, qualem statum Ecclesiæ Iudaicæ Christus in illa sua visitatione inuenerit. Et quidem vidit singulas Synagogas sub Põtificum & Sacerdotum Hierosolymitanorum hierarchia, Scribis, Pharisæis, Senioribus & Archisynagogis speciose institutas, ipsorum vero *populum misere dissipatum & disiectum*. Audiebat enim, quam frigide scholarum præsides Moysis & Prophetarum oracula tractarent: quomodo præter nudam lectionem textus nihil quicquam solidæ & salutaris doctrinæ attingerent: de pœnitentia, de iustificatione fidei, altum erat silentium: interim crepabant traditiones Maiorum, friuolas & inanes superstitiones de lauandis manibus ante sumendum cibum, de decimatione menthæ, anethi, cumini, & de consimilibus nugis. Non aliter quam qualis status maiorum nostrorum tempore fuit sub Papatu. Ibi quoque hierarchia Ecclesiastica speciose erat constituta, sub Pontifice Romano, tanquam capite, per Patriarchas Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Suffraganeos, Abbates, Præpositos, presbyteros & Diaconos: nihilominus tamen *populus* miserabiliter erat *dissolutus & destitutus*. Textus quidẽ Euangelij per singulas Dominicas prælegebatur, loco autem explicationis afferebantur nugæ & fabulæ ex Legendis Sanctorum: loco syncerioris cultus diuini

dominabatur multiplex Idolomania, superstitiones horrendæ, hypocrysis intolerabilis, cum meris traditionibus humanis. De vero vsu legis, de officio Christi, de fide viuificante, de gratuita remissione peccatorum pisce magis muti erant: vicissim in commendandis meritis sanctorum, operibus Monachorum, dominatione Papæ, & consimilibus confictis rebus Sisiphiis ranis loquaciores. Si cui luberet hæc exaggerare, demonstrare poterat, vix ouum ouo similius esse, quam fuerint tempora Antichristi Romani simillima temporibus Pontificum Iudaicorum. Quod ergo Salomon dixit Prouerb. 29. versic. 18. Cum defecerit Prophetia dissipatur populus, illud Christum in hac sua visitatione verum inuenisse testatur Matthæus. Dicit enim, *populum fuisse destitutum ac dispersum tanquam oues non habentes pastorem.* Quod ad res ipsas attinet, non est dubium, ipsum alludere ad 34. Ezechielis, vbi visitatio hæc per Messiam, filium Dauidis, seruum Dei, instituta describitur. Et si hæc ad caput illud conferatur, non parum lucis tractationi accedet.

Vtitur autem hic Euangelista significantibus vocabulis. Primo nominat nos τὰς ὄχλους turbas. Ὄχλος significat confusaneam hominum multitudinem, & Ammonio teste, hanc propriam habet significationem, quod denotet molestiam. Admonet ergo nos hæc vox naturalis miseriæ, ἀταξίας, confusionis, ignorantiæ, caliginis, tenebrarum & inconstantiæ, quæ insunt generi humano. Hebræis כית vel כחות turba dicitur, & nomen habet à contusione, percussione seu sanioso affectu, morbidam nostram naturam arguens. Hæc omnia Christus intuitus est & considerauit. Accessit autem ad naturalem hanc miseriam, ὅτι ἦσαν ἐκλελυμένοι, *deserti, desolati, destituti bonis pastoribus & institutoribus.* Possunt enim naturæ vitia recta institutione interdum corrigi: quemadmodum multos gentilium, & inter hos ipsum Socratem, salubribus Philosophiæ præceptis, laudabiliter emendatos esse scimus. Et sane Deus legis ministerium instituerat, vt esset παιδαγωγὸς ad Christum, Galat. 3. ver. 24. & Sacerdotes ordinarat, vt fideli παιδείᾳ & institutione populum Dei adducerent ad agnitionem Christi. Sed lex tum perierat à Sacerdote, & consilium à Senioribus, Ezech. 7. versic. 26. Iam enim Sacerdotium venale, & totus Dei cultus in turpem quæstum conuersus erat. Et quidem Scribæ ac Pharisæi profitebantur, se esse duces cœcorum, lumē eorum qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistros infantum, Roman. 2. v. 19. Sed reipsa nihil minus præstabant, phylacteria ad ostentationem dilatabant, verum legis sensum corrumpebant, inanibus ceremoniis populum fatigabant, prætextu longarum præcationum domus viduarum & orphanorum deuorabant: interim in veræ pietatis institutione populus negligebatur, vt recte visus fuerit ἐκλελυμένος. Quidam interpretantur *dissolutus, luxatus*, qui non iusto ordine constitutus ingrediatur. Nam ἐκλύεσθαι Græcis significat exsoluere, dissoluere, destituere: inprimis autem debilitari, satiscere, lassescere, languescere, & deficere, sicut etiam Aristoteles vtitur in Problematibus, διὰ τί οἱ ἀφροδισιάζοντες καὶ οἱ νήστεις ἐκλυτοι γίνονται, deficiunt viribus & languescunt. LXXII. vsi sunt hoc verbo, quando scriptura loquitur de dissolutione manuum, sicut inuenitur 2. Samuel. 4. versicul. 1. Esaiæ 13. versiculo 4. Esdræ 4. versiculo 4. & respondet Hebræo רפה, quod significat remissum fieri, torpendo inclinari, & deorsum demergi. Item de dissolutione pedum, sicuti Deus Ieremiæ dicit capite 12. versiculo 5. Si cum peditibus cucurristi, καὶ ἐκλύουσί σε, & defatigarunt te, vbi correspondet verbo לאה. quod etiam significat languere, ægre ferre, dissolui viribus, & omni virtute corporis deficere. Vsurpatur etiam de mollitie cordis, quæ ex externo terrore accidit, Deuteron. 20. versic. 3. ad eos, qui in aciem producuntur, dicitur, μὴ ἐκλυέσθω, ne mollescat cor vestrum, vt timeatis, & ne expauescatis, vbi habetur verbum רכך quod significat, mollem fieri instar ceræ, quæ ad ignem vel Solem posita statim liquescit & diffluit. Ostenditur itaque hoc vocabulo, in populo ingens fuisse salutis desiderium, vt nullis laboribus nec sumptibus parsuri fuissent, si modo bonorum Doctorum copia ipsis concessa fuisset. Verum quia partim inscitia, partim prauitate suorum præsidum per deuia ducebantur ad ceremonias & traditiones humanas, in quibus mera defatigatio, & inutilis labor exstitit, paulatim manus & pedes lassabantur in officiis pietatis, & ipsum cor lāguescebat, non aliter, quam quemadmodum subtracto necessario alimēto hominis vires deficiunt, & tandem in periculosum animi deliquium incidat. Hinc Matthæi 15. versicul. 32. hoc verbum vsurpatur de illis, qui triduum commorati fuerant apud Christum, & periculum erat, ne si ieiuni dimitterentur, in via deficerent. Quapropter Lutherus recte Germanice reddidit, *Sie VVaren verschmach.* Ezech. cap. 34. neutro verbo vtitur, versic. tamen 16. dicit, τὸ ἐκλεῖπον ἐνισχύσω, infirmum consolidabo. Quod in sensu cum verbo coincidit. Addit Euangelista, quod non tantum fuerint ἐκλελυμένοι, sed etiam ἐῤῥιμμένοι, *dispersi velut oues, non habentes Pastorem.* In ouibus mira quædam simplicitas inuenitur, quæ fortassis laudem mereretur, nisi accederet stupiditas, socordia, improuida securitas, subitanea trepidatio in periculis, fuga præceps, & quod seipsas fere passim lupis atque feris in prædam obiiciunt. Eadem est conditio hominum, etiam eorum, qui optimi videri volunt. Nam quo magis absunt à nocendi studio, eo minus sunt prouidi & circumspecti: securi itaque quiduis admittunt, & vbi in pericula ex improuiso incidunt, animo ita consternantur, vt incerti fluctuent, & ex vno errore in alium incidāt, donec tandem infernali lupo, immortali mortalium hosti, præda fiant, & in interitum præcipitentur. Agnouit hoc in seipso Dauid, vnde in Psal. 119. v. 176. dicit, Errauit sicut ouis, quæ periit. Et Esaiæ c. 53. v. 6. de omnibus pronuntiat: Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit. Quemadmodum ergo ouibus Pastores adducuntur, qui eas colligant, collectas ducant & pascant, pedo suo coerceant & tueantur, denique bene pastas in stabula reducant. Sic Deus in populo suo Israelitico ordinauit Sacerdotes & Leuitas, qui verbo suo populi pedes dirigerent in via Domini, eiusdē pabulo animas eorum pascerent, eodem ceu baculo vel pedo impostores & lupos arceret, disciplina denique seueriori ceu virga carnis petulantiam coercerent. Labia enim Sacerdotis custodire debent scientiam & legem, quæ est virga Dei & baculus eius, Ps. 23. v. 4. requirent ex ore eius Mal. 2. v. 7. At vero Iudaicos Pastores Christus Seruator tales inueniebat, quales Ezechiel c. 34. prolixe descripserat, qui pascebant semetipsos, lac ouium comedebant, lanis earum operiebantur: quod pingue, occidebant: quod infirmum, non consolidabāt: quod ægrotum, non sanabant: quod confractum, non alligabant: quod abiectum, non reducebant: quod perierat, non quærebant: & cum austeritate atque potentia imperabant iis. Vere igitur dicit Euangelista, fuisse τὰς ὄχλους ἐῤῥιμμένους, *populum dispersum, instar ouium, pastorem non habentium.* 3. Reg. 13 ver. 24. 25. & 26. vsurpatur hoc vocabulum de cadauere Prophetę illius, quem leo occiderat, in viam proiecto, quod nondum curatū, neque honeste compositum erat. Sic Ierem. 36. v. 30. Deus de Iehoiacimo Rege Iuda pronunciat, Erit cadauer ipsius ἐῤῥιμμένον proiectum ad æstum, in die, & ad gelu in nocte. Et c. 14. v. 16. de populo dicit: erunt ἐῤῥιμμένοι proiecti in viis Ierusalē, præ fame & gladio, & non erit, qui sepeliet. Hoc modo LXX. Interpretes hoc vocabulum vsurparunt. Eo tamen miseria populi Iudaici hoc loco denotatur. Nemo eos curabat, neque quisquam intra stabula colligebat, quod si ouibus accidat, vel tandem occumbit. Ita Iudæi incerti de vero Dei cultu vagabantur, errabundi de Dei gratia dubitabant, secundū carnis desideria viuebant, in tenebris & mortis caligine oberrabant. Hinc reperti sunt inter ipsos, qui angelos bonos negabant, summam felicitatem in huius vitæ voluptatibus statuebant, nullam resurrectionem superesse opinabantur, & nec impiis post hanc vitam pœnas, nec piis præmia exspectāda contendebant. Hāc miserrimam populi miseriā Dominus videns, & immitem illam miserorum expilationem, simpliciorum seductionem, seductorum spiritualem iugulationem penitus considerans, totis misericordiæ visceribus commouetur. Singularem enim emphasin esse verbi σπλαγχνίζεσθαι, quo Euangelista hic vtitur, etiam supra cap. 24. Harm. dictum est. Neque enim saltem simplicem aliquam commiserationem denotat, sed talem, qualis fuit illius matris, cuius filium Salomon viuum diuidere, & inter duas mulieres partiri iussit, 3. Reg. 3. v. 26.

III. Porro quia Deus apud Ezechielem c. 3. v. 15. promisit, quod ipse velit pascere, & accubare facere oues suas: quod perierat, requirere: quod abiectum erat, reducere: quod confractum fuerat, alligare: quod infirmum, consolidare: quod pingue & forte, custodire, & insuper suscitare super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum suū Dauid, qui est Christus Iesus, ideo Euangelista hic ostendit, quomodo & quanto studio hic ἀρχιποιμὴν de salutaribus huic malo remediis adhibēdis cogitarit. Initium facit à precatione. Et quidem Luc. 6. v. 12. cum duodecim Apostolos electurus esset, quoque orauit, vbi integram noctem insomnem traduxit, & in oratione perseuerauit: Sed tamen solus orauit. Hic vero *discipulis*, qui eum in hac visitatione comitabātur, *dicit, Orate*, atque sic publicas preces quasi indicit. Etenim cōstituit electos suos Apostolos emittere in vniuersam Iudæorū terrā, qui, ceu συνεργοὶ ipsius, miseri, desolati & dispersi populi salutē procurare iuuent. Atque sic suo exemplo ostendit, quāta sollicitudine & cura Ecclesia in vocandis & eligendis verbi præconibus versari debeat. Certe Actor. 1. v. 24. legimus, quam sollicite Apostoli orarint, cum in locum Iudæ alium successorē eligere vellēt. Et cap. 13. versic. 2. scribitur, quod Antiocheni præter publicam & seriam diuini nominis inuocationem ieiunium instituerint.

rint, cum Paulum & Barnabam ad constituendas Ecclesias gentium emissuri essent. Singulari itaque commendatione dignus est mos ille, quo celebriores aliquæ Ecclesiæ, si quando verbi ministro destituuntur, per aliquot septimanas, singulis concionibus publicas preces subiiciunt, quibus à Deo petunt, vt pium, fidelem, synceræ confessioni addictum, vero zelo secundum scientiam præditum, & honesta vita pollentẽ Pastorem ipsis largiatur. Tales preces sunt summæ necessariæ. Alias enim vel iudicio facile aberratur: vel priuatis affectibus nimium tribuitur: vnde Deus offenditur, vt etiam idoneis personis suam gratiam subtrahat, nec ipsorum laboribus felicem successum largiatur. Et quam putabimus aliam subesse caussam, ob quam sæpenumero animorum coniunctio, quæ inter Doctores & Auditores vigere debet, tam cito & tam facile dissoluatur, etiam inter eos, qui in primo congressu coniunctissimi futuri videbantur. Præterquam, quod neglectis precibus, cæleste illud gluten, quo animi firmissime iunguntur & conglutinantur à Spiritu Domini non impetrarunt.

Verum prodest audire, quibus verbis Christus hasce preces indixerit. *Ipsa quidem messis copiosa*, inquit, *operarij vero pauci.* Vt *messis* metaphora Christus hoc loco vteretur, permouit eum circumstantia temporis. Tum temporis enim, cum Christus hanc Apostolorum ablegationem in vniuersam Iudæorum terram meditabatur, apud ipsos secunda messis erat, paulo ante festum tabernaculorum. Cæterum per *messis* vocabulum Christus hic metaphorice intelligit non consummationem seculi, sicuti in parabola de Zizaniis, Matth. 13. v. 39. sed homines veræ religionis cupidos, & ad conuersionem maturos. Eodem modo, quo Christus hac metaphora etiam vsus est, Iohann. 4. vers. 35. Monere ergo voluit Christus suos discipulos, iam magna vtilitate Euangelium doceri posse, siquidem plurimi frequenter & certatim id amplexuri essent, non secus ac si quis in maturam segetem falcem immittat. Animi enim Iudæorum scriptis Prophetarum & prædicatione Ioannis ita erant præparati, vt auidissime Messiam venturum exspectarent. Sic ergo tempus erat, vt ipsi prædicatione Euangelij in horreum seu Ecclesiam Messiæ colligerentur. Et obseruandum venit, Deum omnibus seculis & ætatibus suas quasi concedere messes. Nam etiam hodie homines passim, maxime vbi iugo Pontificio premuntur, auide veritatem sitiunt, libros Euangelicos legunt, de negotio religionis conferunt etiam idiotæ. Hoc sicubi Doctores obseruant, occasionem promouendi salutem hominum non debent negligere, ne futuro tempore calua ipsis ea reddatur. Etenim sicuti post messem rigida hyems subsequi solet: ita fere, quando eiusmodi occasiones præterierunt, insignes subsequuntur commutationes, vt tanta felicitate vel non docere, vel non audire verbum Dei amplius liceat. Exempla ætatum id declarant. Prophetarum messem in Israele excepit mox captiuitas, & Assyriaca & Babylonia. Messem Christi, miseranda calamitas populi Israelitici, per Romanos dissipati, venundati, occisi. Apostolorum & Sanctorum Patrum messem, Antichristi vtriusque, tam Orientalis quam Occidentalis, tyrannis plus quam Satanica. Nostri itaque seculi messem gratis animis agnoscamus, occasionibus præsentibus vtamur, doceamus intrepide, verbum audiamus & discamus ardenter, in hac serenitate radiantis Solis metamus diligenter, manipulos colligamus mature, quis scit quãdo hyems sit secutura? Hoc dictum sit tam auditoribus quam ministris; tam segetibus, quam operariis. Quorum tempore Christi fuerunt pauci, ob caussam prius indicatam. Nunc fere inuersus est rerum ordo. Messis enim aliquibus in locis apparet rarior, tenuior, parcior: operarij autem multi. Quia plurimi inueniuntur, qui operam suam offerunt Ecclesiæ, cui docendo libenter inseruire vellent, difficulter autem locum inueniunt, in quo falcem doctrinæ mittere, segetem demetere, & in horreum Christi inuehere possunt. Quanquam multi etiam inueniantur operarij mali Philip. 3. v. 2. & δόλιοι seu dolosi, qui se transformãt in Apostolos Christi. 2. Cor. 11. v. 13. Quapropter *rogandus Dominus messis, vt ipse extrudat operarios in messem suam.*

Dominus messis non est alius, quam Christus, qui sedens ad dextram Patris dona dat hominibus, & alios quidem dat Apostolos, alios vero Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, Eccles. 4. versiculo 11. Ab hoc piis precibus efflagitemus, vt bonos, fidos & ἀνεπαισχύντους operarios, qui non erubescant, sed recte sermonem veritatis secent, 2. Timoth. 2. v. 15. extrudat in suam messem. Etsi enim hic Dominus nunquam curam pro Ecclesia sua deponat, pro omnibus tamen suis donis exorari vult. Et quia hoc est præcipuum donum, habere occasiones salutis siue docendæ, siue discendæ, pro eo præcipue vult exorari. Et hoc iniungit potissimum suis discipulis, hoc est, piis, qui grauitatem huius negotij agnoscunt & perpendunt. Hi ergo piis precibus Dominum sollicitent, vt fideles operarios mittat: vt Spiritum & virtutem suam ad prædicationem Verbi largiatur: vt ostium sermonis aperiat. Coloss. 4. v. 3. vt virtutem voci suæ largiatur: Psalm. 68. v. 34. quo fructificet semen verbi. Marc. 4. v. 26. sermo Dei currat & glorificetur. 2. Thess. 3. v. 1. atque quam plurimi Christo lucrifiant & saluentur. Cumque assidua iusti deprecatio coram Deo multum valeat. Iacob. 5. versicul. 16. non est dubium, quin à benignissimo messis Domino exaudiatur.

Vocabulum ἐργάτης *Operarij* fideles verbi ministros admonet, qualem sit ipsorum munus, & qualiter in eo versari debeant. Vocantur operarij in messem, non ad otium, desidiam, voluptates, dignitates, sed ad laborandum & opus Domini sui faciendum. Hi ergo ante omnia exspectent legitimam vocationem, nec se Ecclesiis contra earum voluntatem obtrudant, ne ipsis aliquando Dominus messis obiiciat illud Ieremiæ 23. versic. 21. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? Roman. 10. versic. 15. Deinde in munere commisso sollicite versentur. Nam res aliena ipsis est concredita, de qua aliquando Domino suo rationem reddent. Sicut ergo frugi agricola occasiones tempestatum diligenter attendit: ita quoque opportunitatem metendi & animos flectendi non negligant. Et si maxime Deus successum felicem in ministerio concesserit, non tamen animo efferantur, sed humilitati studeant. Siquidem totus prouentus & fructus non ipsorum est, sed Domini messis, cui soli desudatur, & omnis opera impenditur. Interdum etiam in media messe oriuntur tempestates, rotantur turbines ventorum, decidunt improuisæ pluuiæ grandine mixtæ: & si maxime tranquilla sint omnia, ipsum tamen metendi opus per se laboriosum est, coguntur messores sustinere æstum Solis & onus totius diei, quæ omnia efflagitant hominem industrium, non vmbræ & otio assuetum. Sic munus docendi in Ecclesia non minores sustinet labores: hi subiecti sunt cruci & afflictionibus: obiecti tyrannidi & persecutionibus: sustinent intus terrores, foris pugnas: & si maxime tranquilla sint omnia, quotidiana tamen sollicitudo pro Ecclesia non mediocriter exercet fidelem Doctorem. Vide Paulum 2. Cor. 11. v. 11. Hanc muneris grauitatem & vitium suarum imbecillitatem quidam perpendentes, effugia quæsierunt, nec manum operi admouere voluerunt, sicuti de Moyse Exod. 4. ver. 10. & de Iona cap. 1. v. 3. legimus. Ieremias cap. 20. versic. 7. libentius manum semel admotam retraxisset, Luc. 9. vers. 62. Et quia tales intellecta muneris difficultate abstinere mallent, ideo Christus hic vtitur vocabulo ἐκβάλλειν *extrudere*, cuius vera emphasis notanda est. Sæpe quidem vsurpatur de violenta expulsione: vt quando Christus dicitur eiecisse dæmonium, Lucæ 11. v. 14. aut ementes & vendentes eiecisse ex templo: Matth. 21. vers. 12. Sic vinitores eiecerunt filium occisum extra vineam, Matth. 21. vers. 39. Sic etiam vsurpatur de repudio, Leuit. 21. versic. 7. & Esdræ 10. versic. 3. quanquam hic quædam exemplaria habeant verbum ἐξαγαγεῖν. Item de exsulibus, 1. Reg. 26. versic. 19. & 3. Reg. 2. vers. 27. Et hactenus significatio non quadrat. Nam Paulus dicit 1. Cor. 9. vers. 17. Si volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Sed sequentia exempla congruunt. Sicut Exod. 12. vers. 33. Pharao & Ægyptij vrserunt & coegerunt Israelitas, vt festinanter exirent ex Ægypto. Moyses, Ionas, Amos, Ieremias, maluissent à ministerio abstinuisse: ideo etiam se excusarunt. Sed Dominus extrusit eos. Sic caro sæpenumero multa nobis obiicit, ob quæ libentius disputationem cum Deo vocante institueremus: sed Deus fortior est, & præualet arcana sua vi, Ierem. 20. v. 7. vt posthabitis omnibus rationibus Deo vocanti obtemperemus. In huiusmodi significatione Scriptura hoc verbum vsurpat Mar. 1. versic. 12. Spiritus ἐκβάλλει expellit Iesum in desertum. Luc. 8. versic. 54. Christus in ædibus Iairi eiecit omnes, ἐκβάλλων, non turbulenter, sed verbis persuasoriis commouens, *Er hieß sie hinaus gehen.* Ioann. 10. vers. 4. Pastor oues suas ἐκβάλλει, emittit, vnamquamque in ordine suo. Matth. 12. vers. 35. Bonus homo ex bono thesauro cordis ἐκβάλλει profert bona. Hæc & similia exempla non violentam eiectionem indicant, & huic loco pulcre conueniunt, dum ostendunt, Deum suos operarios necessariis donis instruere, postea Spiritus impetu donare, vt quisque suo loco & ordine proferat ea, quæ ad promouendam messem dominicam, & implendum cœleste Dei horreum facere videntur. Sic metaphora messis hoc loco multa vtiliter monet. Et si quis prolixitati studere vellet, posset hic introducere & docere, quomodo tota Ecclesia esset γεώργιον Θεοῦ, aruum & agricolatio Dei. 1. Cor. 3. versicul. 9. quomodo vnus ex operariis aratro proscinderet, alius ingenio fimo, solum fertile & pingue faceret, tertius plantaret, quartus rigaret, quintus in labores aliorum falcem mitteret

& segetes demeteret, sextus collectas fruges in horreum Dei conueheret & recenderet, quæ omnia & singula recte accommodata non infructuose explicari possunt. Sed nobis sufficit digitum ad summam rei intendisse.

CAPVT LXXII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS EMISSIONEM DVODECIM APOSTOLORVM, vt denuntient adesse Messiam, illudque suum præconium miraculis confirment. Matth. 10. v. 1. Marc. 6. vers. 7. & Luc. 9. v. 1.

RATIO ORDINIS.

De ordine hic nullum dubium esse potest. Etenim postquam Christus in generali illa sua visitatione miserrimum populi Iudaici statum vidisset, quod nimirum animi plerorumque lectione Prophetarum, & prædicatione Ioannis ad excipiendum Messiam essent quidem excitati, & maturi qui in Ecclesiam Messiæ ceu in ipsius horreum colligerentur. Verum Sacerdotes, Scribæ & Pharisæi altum stertebant, de ventre suo alendo, non autem de Messia inquirendo soliciti: Vnde ipse commiseratione populi ductus discipulos ad publicas preces exhortatus est: mox ipse manum operi admouet, & duodecim Apostolos, quos iam biennium eam ad rem instituerat, ad prædicandum regnum Dei emittit. Ministerium ergo, quod Iudaici illi pastores non recte curabant, aufertur ab istis, & datur Apostolis, sicut prædictum fuerat, Ier. 23. ver. 33. Proiiciam quippe vos, dicit Dominus, & dabo vos in opprobrium sempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur. Et Ezech. 34. v. 10. Audite Pastores verbum Domini, ego requiram gregem meum de manu vestra, & cessare faciam vos, vt vltra non pascatis gregem meum, nec pascatis amplius vosmetipsos. Quia vero hæc emissio fuit peculiaris, certi temporis & loci: ideo etiam certa quædam & peculiaria ipsis præscribit mandata, quæ ad vniuersalem illam emissionem post passionem factam, vbi ad perpetuum Apostolatum mittuntur, nihil faciūt. Ideo obseruare decet, quod ea, quæ paragraphum illum: *Ecce ego mitto vos sicut oues, &c.* sequuntur, non ad primam hanc missionem, sed ad illam, quæ post resurrectionem facta est, pertinens. Hac vero occasione à Christo hac vice adiecta videntur. Quia successus huius primæ missionis futurus erat placidus, sicut etiam Luc. c. 10. ver. 17. septuaginta cum gaudio reuertuntur. Ne itaque Apostoli existimarent, cursum ministerij semper fore talem, addidit etiam ea de persecutionibus, quæ tamen pertinebant ad futuram vltimam emissionem, vt sic mature ipsis ista prædicerentur, ipsique paulatim ad duriora illa tempora præpararentur. Aut certe, si hæc illo tempore non fuerunt dicta, sicuti Lucas pleraque alibi repetit, tamen à Matthæo studiose hic in vnum locum sunt collecta, vt sic Lector coniunctim consideraret ea, quæ Christus Apostolis suis vniuersim, diuersis locis & temporibus, instructionis loco præscripserat. Nos quoque Matthæum secuti vno capite ista omnia complectemur, lectorem in iis, quæ alibi repetuntur, & hic sunt explicata, ad hunc locum remissuri.

HISTORIA PRIMÆ MISSIONIS DVODECIM Apostolorum ad Euangelizandum.

MATTH. 10.

1.	Καὶ προσκαλεσάμενος τοὺς δώδεκα μαθητὰς αὐτοῦ, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν κατὰ πνευμάτων ἀκαθάρτων, ὥστε ἐκβάλλειν αὐτά, καὶ θεραπεύειν πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν	1.	*Et accersitis duodecim discipulis, dedit eis potestatem aduersus spiritus immundos, vt eiicerent eos, & sanarent quemuis morbum & quemuis languorem.*
2.	Τῶν δὲ δώδεκα Ἀποστόλων τὰ ὀνόματά ἐστι ταῦτα· πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος, καὶ Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ. Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ.	2.	*Porro duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui vocatur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus filius Zebedæi, & Ioannes frater eius.*
3.	Φίλιππος καὶ Βαρτολομαῖος, Θωμᾶς καὶ Ματθαῖος ὁ τελώνης, Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ἀλφαίου, καὶ Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος.	3.	*Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus, qui fuerat publicanus, Iacobus filius Alphæi, & Lebbæus cognomento Thaddæus.*
4.	Σίμων ὁ Κανανίτης, καὶ Ἰούδας Ἰσκαριώτης, ὁ καὶ παραδοὺς αὐτόν.	4.	*Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui prodidit illum.*
5.	Τούτους τοὺς δώδεκα ἀπέστειλεν ὁ Ἰησοῦς, παραγγείλας αὐτοῖς, λέγων· εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε, καὶ εἰς πόλιν Σαμαριτῶν μὴ εἰσέλθητε.	5.	*Hos numero duodecim emisit Iesus, quibus præceperat dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini.*
6.	Πορεύεσθε δὲ μᾶλλον πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ.	6.	*Sed ite potius ad oues perditas domus Israel.*
7.	Πορευόμενοι δὲ κηρύσσετε λέγοντες, ὅτι ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.	7.	*Profecti autem prædicate, dicentes: Appropinquauit regnum cœlorum.*
8.	Ἀσθενοῦντας θεραπεύετε, λεπροὺς καθαρίζετε, νεκροὺς ἐγείρετε, δαιμόνια ἐκβάλλετε· δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε.	8.	*Infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscitate, dæmonia eiicite: gratuito accepistis, gratuito date.*
9.	Μὴ κτήσησθε χρυσὸν μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν.	9.	*Ne possideatis aurum, neque argentum, neque æs in crumenis vestris:*
10.	Μὴ πήραν εἰς ὁδόν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. Ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστιν.	10.	*Neque peram ad iter neque binas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Nam dignus est operarius cibo suo.*
11.	Εἰς ἣν δ' ἂν πόλιν ἢ κώμην εἰσέλθητε, ἐξετάσατε, τίς ἐν αὐτῇ ἄξιός ἐστι, κἀκεῖ μείνατε, ἕως ἂν ἐξέλθητε.	11.	*Sed in quamcunque ciuitatem aut vicum fueritis ingressi, exquirite, quis in ea sit dignus, atque illic manete, donec exeatis.*

12. Εἰσερχόμενοι δὲ εἰς τὴν οἰκίαν, ἀσπάσασθε αὐτήν.
13. Καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἡ οἰκία ἀξία, ἐλθέτω ἡ εἰρήνη ὑμῶν ἐπ' αὐτήν. Ἐὰν δὲ μὴ ᾖ ἀξία, ἡ εἰρήνη ὑμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐπιστραφήτω.
14. Καὶ ὃς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκούσῃ τοὺς λόγους ὑμῶν, ἐξερχόμενοι τῆς οἰκίας ἢ τῆς πόλεως ἐκείνης, ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν ὑμῶν.
15. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται γῇ Σοδόμων καὶ Γομόρρων ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ.

12. *Cum autem intrabitis domum, salutate illam.*
13. *Et si quidem fuerit domus digna, veniet pax vestra super illam: Sin minus fuerit digna, pax vestra ad vos reuertetur.*
14. *Et quicunque non exceperit vos neque audierit sermones vestros, exeuntes ex ædibus aut ciuitate illa, excutite puluerem pedum vestrorum.*
15. *Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhæorũ in die iudicij, quã ciuitati illi.*

MARC. 6.

7. Καὶ προσκαλεῖται τοὺς δώδεκα, καὶ ἤρξατο αὐτοὺς ἀποστέλλειν, δύο δύο, καὶ ἐδίδου αὐτοῖς ἐξουσίαν τῶν πνευμάτων τῶν ἀκαθάρτων.
8. Καὶ παρήγγειλεν αὐτοῖς, ἵνα μηδὲν αἴρωσιν εἰς ὁδὸν εἰ μὴ ῥάβδον μόνον, μὴ πήραν, μὴ ἄρτον, μὴ εἰς τὴν ζώνην χαλκόν, ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια, καὶ μὴ ἐνδύσασθε δύο χιτῶνας.
9. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, ὅπου ἐὰν εἰσέλθητε εἰς οἰκίαν, ἐκεῖ μένετε, ἕως ἂν ἐξέλθητε ἐκεῖθεν.
10. Καὶ ὅσοι ἐὰν μὴ δέξωνται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκούσωσιν ὑμῶν, ἐκπορευόμενοι ἐκεῖθεν, ἐκτινάξατε τὸν χοῦν τὸν ὑποκάτω τῶν ποδῶν ὑμῶν, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς.
11. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται Σοδόμοις ἢ Γομόρροις ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ.

7. *Et accersit duodecim, cœpitque eos emittere binos, ac dabat illis potestatem aduersus spiritus immundos.*
8. *Et præcepit illis, ne quid tollerent in viam, nisi virgam tantum, non peram, non panem, non in zona æs, sed calcearentur sandaliis, & ne induerentur binis tunicis.*
9. *Et dicebat eis, vbicunque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis illinc.*
10. *Et quicunque non receperint vos, neque audierint vos, exeuntes illinc, excutite puluerem, qui est sub pedibus vestris, in testimonium illis.*
11. *Amen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in die iudicij, quam ciuitati illi.*

LVC. 9.

1. Συγκαλεσάμενος δὲ τοὺς δώδεκα μαθητὰς αὐτοῦ, ἔδωκεν αὐτοῖς δύναμιν καὶ ἐξουσίαν ἐπὶ πάντα τὰ δαιμόνια, καὶ νόσους θεραπεύειν.
2. Καὶ ἀπέστειλεν αὐτοὺς κηρύσσειν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ ἰᾶσθαι τοὺς ἀσθενοῦντας.
3. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς, μηδὲν αἴρετε εἰς τὴν ὁδόν, μήτε ῥάβδον, μήτε πήραν, μήτε ἄρτον, μήτε ἀργύριον, μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν.
4. Καὶ εἰς ἣν ἂν οἰκίαν εἰσέλθητε, ἐκεῖ μένετε, καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε.
5. Καὶ ὅσοι ἐὰν μὴ δέξωνται ὑμᾶς, ἐξερχόμενοι ἀπὸ τῆς πόλεως ἐκείνης, καὶ τὸν κονιορτὸν ἀπὸ τῶν ποδῶν ὑμῶν ἀποτινάξατε εἰς μαρτύριον ἐπ' αὐτούς.

1. *Conuocatis autem Iesus discipulis suis, dedit illis potestatem & auctoritatem super omnia dæmonia, & vt morbos sanarent.*
2. *Et misit illos, vt prædicarent regnum Dei, & sanarent infirmos.*
3. *Et ait ad illos, ne quid tuleritis in viam, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque binas tunicas habeatis.*
4. *Et in quamcunque domum intraueritis, illic manete & illinc exeatis.*
5. *Et quicunque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem è pedibus vestris excutite in testimonium aduersus illos.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, QVA Christus duodecim Apostolos emittit, vt doceant & miracula edant, ex trium Euangelistarum descriptionibus in vnum corpus concinnata. Matth.10. Marc.6. Luc.9.

b Καὶ προσκαλεῖται τοὺς δώδεκα, καὶ ἤρξατο αὐτοὺς ἀποστέλλειν, δύο δύο. f συγκαλεσάμενος δὲ τοὺς δώδεκα μαθητὰς αὐτοῦ, b ἔδωκεν αὐτοῖς δύναμιν καὶ ἐξουσίαν κατὰ πνευμάτων ἀκαθάρτων [καὶ] ἐπὶ πάντα τὰ δαιμόνια, ὥστε ἐκβάλλειν αὐτά, καὶ θεραπεύειν πᾶσαν νόσον, a καὶ πᾶσαν μαλακίαν. Τῶν δὲ δώδεκα ἀποστόλων τὰ ὀνόματά ἐστι ταῦτα. Πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος, καὶ Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ. Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, Φίλιππος καὶ Βαρθολομαῖος, Θωμᾶς καὶ Ματθαῖος ὁ τελώνης, Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ἀλφαίου, καὶ Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, Σίμων ὁ Κανανίτης, καὶ Ἰούδας Ἰσκαριώτης, ὁ καὶ παραδοὺς αὐτόν. Τούτους τοὺς δώδεκα ἀπέστειλεν ὁ Ἰησοῦς· καὶ παρήγγειλεν αὐτοῖς, ἵνα h μηδὲν αἴρωσιν b εἰς ὁδὸν εἰ μὴ ῥάβδον μόνον, μὴ πήραν, μὴ ἄρτον, μὴ εἰς τὴν ζώνην χαλκόν, ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια. καὶ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. c Καὶ ἀπέστειλεν αὐτοὺς κηρύσσειν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ ἰᾶσθαι τοὺς ἀσθενοῦντας. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς, a παραγγείλας αὐτοῖς, λέγων, εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθη-

b *Et accersit duodecim, cœpitque eos emittere binos.* f *Conuocatis autem duodecim discipulis suis,* b *dedit illis* c *potestatẽ &* b *auctoritatem* a *aduersus spiritus immundos, [&]* c *super omnia dæmonia,* a *vt eiicerent ea,* f *& sanarent quemuis morbum,* a *& quemuis languorem. Porro duodecim Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui vocatur Petrus, & Andreas frater eius. Iacobus filius Zebedæi, & Ioannes frater eius. Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus, qui fuerat publicanus, Iacobus filius Alphæi, & Lebbæus cognomento Thaddæus, Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui & prodidit illum. Hos numero duodecim emisit Iesus.* b *Et præcepit illis,* h *ne quid tollerent in viam,* b *nisi virgam tantum, non peram, non panem, non in zona æs, sed calcearentur sandaliis & ne induerentur binis tunicis.* c *Et misit illos, vt prædicarent regnum Dei, & sanarent infirmos. Et ait ad illos,* a *præcipiens ac dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingredia-*

τε, καὶ εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε. Πορεύεσθε δὲ μᾶλλον πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ. Πορευόμενοι δὲ κηρύσσετε, λέγοντες, ὅτι ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Ἀσθενοῦντας θεραπεύετε, λεπροὺς καθαρίζετε, νεκροὺς ἐγείρετε, δαιμόνια ἐκβάλλετε· δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε. a Μὴ κτήσησθε χρυσόν, μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν, f μὴ πήραν a εἰς ὁδόν, c μήτε ἄρτον, μήτε ἄργυρον, μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. Ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστιν. Εἰς ἣν δ᾽ ἂν πόλιν ἢ κώμην εἰσέλθητε, ἐξετάσατε, τίς ἐν αὐτῇ ἄξιός ἐστι· καὶ εἰς ἣν ἂν οἰκίαν εἰσέλθητε, ἐκεῖ μένετε, ἕως ἂν ἐξέλθητε ἐκεῖθεν, εἰσερχόμενοι δὲ εἰς τὴν οἰκίαν ἀσπάσασθε αὐτήν. Καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἡ οἰκία ἀξία, ἐλθέτω ἡ εἰρήνη ὑμῶν ἐπ᾽ αὐτήν· ἐὰν δὲ μὴ ᾖ ἀξία, ἡ εἰρήνη ὑμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐπιστραφήτω. Καὶ ὅσοι ἐὰν μὴ δέξωνται ὑμᾶς μηδὲ ἀκούσωσι τοὺς λόγους ὑμῶν, b ἐκπορευόμενοι ἐκεῖθεν καὶ f ἐξερχόμενοι τῆς οἰκίας ἢ τῆς πόλεως ἐκείνης ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν τὸν ὑποκάτω ποδῶν ὑμῶν, εἰς μαρτύριον ἐπ᾽ αὐτοῖς. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται γῇ Σοδόμων, καὶ Γομόρρων ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ.

mini. Sed ite potius ad oues perditas domus Israel. Profecti autem prædicate, dicentes: Appropinquauit regnum cælorum. Infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscitate, dæmonia eiicite: gratuito accepistis, gratuito date. a *Ne possideatis aurum, neque argentum, neque æs in crumenis vestris;* f *neque peram* a *ad iter* c *neque panem, neque pecuniam, neque* f *binas tunicas habueritis,* a *neque calceamenta, neque virgam. Nam dignus est operarius cibo suo. Sed in quamcunque ciuitatem aut vicum fueritis ingressi, exquirite, quis in ea sit dignus.* h *Et in quamcunque intraueritis domum,* l *illic manete, donec exeatis* b *inde.* a *Cum autem intrabitis domum, salutate illam: & si quidem fuerit domus digna, veniet pax vestra super illam: Sin minus fuerit digna, pax vestra ad vos reuertetur.* l *Et quicunque non receperint vos, neque audierint* a *sermones vestros,* b *abeuntes illinc,* f *exite ex ædibus aut ciuitate illa, excutite puluerem,* b *qui est sub pedibus vestris* h *in testimonium, aduersus illos.* c *Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quam ciuitati illi.*

Periocha huius historiæ.

INstituerat Saluator Christus in præcedentibus publicas preces ad Dominum messis, vt ipse operarios in messem extruderet. Iam vero vt ostendat, se esse illum messis Dominum, qui æqualem cum patre potestatem habeat: se esse eum, qui Sioni dicat: Ego Ierusalem Euangelistas dabo, Ies. 41. versic. 27. & cuius Spiritu acti sancti Dei homines locuti fuerint, 2. Petr. 1. versic. 21. ad se vocat duodecim Apostolos, eosque plenis ad hanc legationem mandatis instruit. Hos enim iam ante annum in hunc finem elegerat, & hactenus in schola sua instituerat, vt eosdem aliquando ad docendum emitteret. Et hactenus sane eos baptizasse quidem, Ioan. 4. versic. 2. legimus, sed prædicasse aut miracula edidisse, etiam post electioné, nó legimus. Ideo Marcus dicit: *cœpit eos emittere.*

Cæterum Monarchæ, Reges, atque Principes huius seculi, quando legatos suos emittunt, solent iis multa addere, quę auctoritatem & beneuolentiam ipsis concilient apud eos, ad quos mittuntur: vtpote copias militum & ministrorum, vim auri, machinas bellicas, & similia. Eleazarus Abrahami legatus ex omnibus bonis sui heri secum sumsit donaria, cum mitteretur in Mesopotamiam. Gen. 24. versicul. 10. Christus autem suos legatos instruxit dono miraculorum, quod ipsis loco testimonij publici, seu (vt vulgo loquuntur) loco literarum credentiæ fuit. *Dedit enim ipsis potestatem & auctoritatem aduersus dæmonia, & aduersus omnes Spiritus immundos,* vt hos ex obsessis eiicerent, & omnem morbum atque languorem sanarent. Potuisset eos terribilibus signis instruere, quæ impios terrore & metu constringerent, vt Euangelio obtemperarent. Verum quia Deus ipsum tum temporis non miserat iudicare mundum, sed saluare, Ioan. 3. v. 17. quia item in hoc apparuerat, vt dissolueret opera Satanæ, 1. Ioan. 3. v. 8. ideo talibus signis eos ornare voluit, ex quibus colligere liceret, adesse salutiferum illud tempus, quo infernale virus peccati, quod antiquus serpens humano generi per primum lapsum inspirauerat, expurgari, & spiritualis languor corruptæ naturæ, humana arte incurabilis, diuina vi curari debeat. Conducebat etiam hoc donum miraculorum ad id, ne hi Apostoli propter obscuritatem & ignobilitatem suarum personarum contemnerentur. Etsi enim Scribas & Pharisæos humana sapientia & doctrina non æquabant, his tamen miraculis instructi multis parasangis illos superabant.

Quod vero catalogum attinet duodecim Apostolorum, quibus Dominus amplissimam hanc functionem crediturus erat, est is supra c. 50. Harm. prolixe expositus, pauca quædam specialiora hic notabimus.

1. Quod mittuntur *δύο δύο, bini & bini,* sicut etiam Luc. 10. ver. 1. septuaginta discipuli bini mittuntur, hoc facit ad commendationem fraternæ caritatis inter verbi ministros, ad mutuam custodiam operum & doctrinæ, ad consolationem item & mutuum auxilium in aduersis. Salomon dicit: Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma Prou. 18. v. 19. Vicissim autem: Væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se. Eccles. 4. v. 10. Facit denique ad maiorem veritatis contestationem, quoad verbum prædicatum. In duorum enim aut trium testium ore constat omne verbum Deut. 17. v. 6. Quod vero Iesuitæ hinc morem suum desumunt, quo & ipsi semper bini per plateas deambulant, hypocrisis est. Sin plures eorum simul prodeant, mysticum est. Iuxta illud: Iesuitæ semper sunt bini: si vero sunt trini, tertius est generis fœminini.

2. Quod Christus dicitur hic dedisse Apostolis vocatis & emittendis *δύναμιν καὶ ἐξουσίαν potestatem & auctoritatem,* id si quis referat ad ordinationem sacram, cum eo non est litigandum. Etenim in ordinatione conceditur iis, qui probatæ doctrinæ & inculpatæ vitæ in præeunte scrutinio deprehensi sunt, potestas & auctoritas in Ecclesia docendi, Sacramenta administrandi, peccata remittendi. Reliquis non item. Etsi enim omnes Christiani dicantur Sacerdotes 1. Pet. 2. v. 9. & Apoc. 1. v. 6. eo quod Spirituales hostias *Deo offerant,* & per se domi suæ verbum Dei docere ausint & debeant. *Deut. 6.* versicul. 7. 1. Cor. 14. vers. 15. Non tamen quiuis Christianus publicum verbi & Sacramentorum ministerium sibi sumere & arrogare debet. Non enim omnes sunt Apostoli, nec omnes Doctores, 1. Cor. 12. v. 29. sed qui peculiari & legitima vocatione à Deo ad hoc ministerium segregati sunt. Act. 13. v. 2. Ier. 23. v. 21. Rom. 10. v. 15. siue id fiat immediate, siue mediate. Christus ergo vocatis dedit potestatem & auctoritatem prædicandi regnum Dei, docendi Euangelium, infirmos sanandi, & dæmonia eiiciendi. Et quam hac in parte miraculorum potestatem Apostolis corporaliter aduersus dæmonia & morbos concessit, eandem potestatem reliquis verbi ministris spiritualiter contra peccata & Satanæ regnum largitus est. Est autem hæc ministerij potestas, diuinitus concessa, non indefinita, sed certis limitibus *circumscripta:* scilicet prædicare verbum Dei, errantes docere, *peccantes corripere,* segnes hortari, anxios consolari, infirmos erigere, contradicentibus resistere, falsam doctrinam taxare & damnare, vitia morum arguere, Sacramenta diuinitus instituta dispensare, peccata remittere & retinere, esse exemplar gregis, orare pro Ecclesia tam priuatim quam publice, precibus Ecclesiæ præire, pauperum curam agere, contumaces publice excommunicare, resipiscentes recipere & Ecclesiæ reconciliare, verbi ministros instituere, cum consensu Ecclesiæ ritus ministerio seruientes, & cum verbo Dei non pugnantes, nec conscientias onerantes, constituere. Hæc enim fere sunt, quæ ad duo illa capita *potestatem ordinis, & ἐξουσίαν,* seu *auctoritatem iurisdictionis* Ecclesiasticæ referre solent. Habent autem verbi ministri hanc virtutem & potestatem, non ex Chrismate aliquo vel vnctione, qua Pontificij ministerio initiandos perungere solent, nec ex charactere aliquo indelebili: sed ex præsentia Christi, qui semper ministerio suo præsens est, & vbique ei cooperatur, Marc. 16. vers. 20. Ideo etiam Apostolis in vniuersum & terrarum orbem abituris hanc promissionem addit: Matth. 28. vers. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Imo etiam ante resurrectionem pronunciat, Matth. 18. v. 20. Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio ipsorũ. Sciendum ergo, quod ministerium nostrum omnem suam *ἐνέργειαν,* virtutem & efficaciam inde habeat, quia Christus ipsi inseparabiliter adest, sicut Paulus loquitur 2. Cor. 5. ver. 18. Deus est, qui reconciliat nos sibi per Christum, non imputãs

nobis

nobis peccata. Apostolis autem dedit διακονίαν, ministerium reconciliationis. Quomodo vero hoc? Posuit, inquit, in nobis verbum reconciliationis. Nos igitur pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo: Reconciliemini Deo. His ita consideratis, manifestum euadit, quam necessaria sit ordinatio in Ecclesiis Christi. Ea enim si remoueretur, nec ministri de potestate sibi data, nec auditores de virtute & efficacia verbi prædicati, certi esse possent. Si vero rite ordinati audiantur, & ad munia ministerialia adhibeantur, tum non debent dubitare, idem Christus, qui in Apostolis efficax fuit ad expulsionem dæmoniorum, & depulsionem morborum, etiam in istis ministris efficax erit ad remissionem peccatorum, liberationem ex regno Satanæ, & æternam salutem. Ad hanc potestatem à Christo datam, quæ etiam ipso efficaciter operante exercetur, respicit Paulus, quando Corinthiis scribit 2. Cor. 13. versic. 10. Agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. Et vers. 3. An experimentum quæritis in me loquentis Christi, qui erga vos non est infirmus, sed potens est in vobis? Hæc & consimilia considerans magnus noster Lutherus, ritum Ordinationis collapsum VViteberge instaurauit Anno 1525. Dominica Cantate, 14. Maij. Et recte faciunt, qui eum quasi iure postliminij in illis locis, in quibus desiit, in Ecclesiam reducunt.

Cæterum in præsentia huic Apostolorum Ordinationi Christus nullum adhibuit externum ritum. Noluit enim Ecclesiam externis illis alligare vel onerare. Postea tamen Apostoli, propter certas causas, ex V. T. assumserunt ritum χειροθεσίας manuum impositionis, quam precibus coniunxerunt, vt eo insinuaretur, hasce personas ordinatas Deo consecratas esse: vtq; ministri suo officio tanto maiori cura & sollicitudine, tanquam coram Dei oculis, defungerentur. Sic enim Paulus Timotheo suo scribit: Admoneo te, exsuscites donū Dei, quod in te est, per impositionem manuum mearum. 2. Tim. 1. vers. 8.

3. Quod Simon Petrus non tantum primo loco recensetur, sed etiam eidē vocabulum πρῶτος *primus* additur, ex eo Pontificij primatum & excellentiam Petri præ reliquis Apostolis extorquere conantur, & contendunt, non multum referre, siue quis sciat reliquorum Apostolorum ordinem, siue nesciat: ad Christianam autem religionem attinere, scire primatum Petri. Atque huic primatui Petri postea superstruunt primatū Pontificis Romani. Pro hoc ergo quoniam Pontificij tanquam pro aris & focis ex hoc potissimum loco dimicant, paucis videndum, quam firmum sit hoc fundamentum. Et primo quidem non tantum ex collatione locorum Scripturæ, sed etiam ex communi vsu omnium linguarum constat, vocabulum πρῶτος, *primus* vt plurimum vsurpari ordinis caussa: vt, quando plures personæ sunt enumerandæ, tum qui primo loco occurrit, illi Primi nomen additur, licet reliquis non sit præferendus. Vt: quando in Ecclesia Corinthiaca plures ex ordine scripturam explicabant, Paulus dicit 1. Cor. 14. v. 30. Si sedenti reuelatum fuerit, ὁ πρῶτος, primus, seu prior taceat. Et ratione ordinis, tum Petrum inter Apostolos, tum alium inter quosdam verbi ministros πρῶτον seu Primum dici posse nō negamus. Et talem vsum etiam vocabuli πρῶτος, Primus, citra concessionem alicuius prærogatiuæ, ostendit locus Iohan. 1. vers. 42. Vbi Andreas frater Petri πρῶτος prior dicitur, qui inuenerit fratrem suum, eumque ad Christum adduxerit.

Deinde vero vsurpatur etiam vocabulum πρῶτος, primus, de primariis qui aliis præferuntur, maxime addito articulo ὁ. Sic 4. Reg. 25. vers. 18. Seraias כהן הראש Pontifex, caput, seu magnus inter Iudæos, vocatur Sacerdos ὁ πρῶτος. Marc. 6. vers. 21. Herodes in suo natali parauit conuiuium Principibus, tribunis, & τοῖς πρώτοις primariis viris Galilææ. Act. 28. versic. 17. Paulus Romæ conuocauit τοὺς πρώτους primarios Iudæorum. Et in hoc sensu Petrum etiam πρῶτον primarium dici posse, non negamus; siquidem ratione zeli, & quia plus Iesum dilexit cæteris, Iohannis 21. vers. 15. non immerito primarius nuncupatur. Sicuti non est dubium, Petrum tum inter Apostolos, tum inter alios Doctores Ecclesiæ maximæ fuisse auctoritatis, ac proinde primarium. Vnde Paulus Gal. 1. versic. 18. ascendit Hierosolymam videre Petrum. Et tamen Gal. 2. vers. 9. cum recensentur columnæ Ecclesiæ, Iacobus & Iohannes Petro adiunguntur: Imo Iacobus Cephæ præponitur. Quod facere non licuisset, si Petrus simpliciter πρῶτος seu primus fuisset. Sicuti etiam Act. 15. versic. 13. Iacobus, & non Petrus, in Concilio Hierosolymitano decretum fecit, illudq; tanquam loci illius Episcopus & Concilij præses pronuntiauit. Et in hoc sensu adhuc hodie inter Verbi ministros, ratione donorum, doctrinæ, laborum & meritorum in Ecclesiam alij aliis præferuntur, eorumque quidam πρῶτοι siue primarij dicuntur. Vtroque igitur sensu primatus quidam seu titulus πρώτης Primi, Petro citra præiudicium reliquorum Apostolorum attribuitur.

Nihil vero hoc facit ad stabiliendum primatum Pontificis Romani, qualem ipse quidem postulat, & adulatores ipsius approbant atque confirmant. Quod scilicet Papa Romanus omnia iura habeat in scrinio pectoris sui, etiamsi sit idiota, & immemor sui nominis: quod si propriæ fraternæque salutis immemor, quotidie innumeras animas cateruatim secum abducat in infernum æternum vapulaturas, nemo tamen præsumat dicere: Quid aut cur facis? quod ipsius potestas sit suprema & absoluta, præcipiendi quod velit: quod ipsius potestas sit maior, quam omnium Sanctorum, vt possit facere omnia, quæ Deus facit: qui omnia possit contra ius, supra ius, & extra ius: quod potestas ipsius se extendat ad cœlestia, terrestria & infernalia, vnde etiam mandet Angelis Paradisi, vt morientes in peregrinatione Romam versus in Paradisi gloriam introducant: quod habeat cœleste arbitrium & voluntatem pro ratione in his, quæ vult: quod possit aliquid de nihilo facere, de iniustitia iustitiam, corrigendo iura & mutando: quod possit secundum plenitudinem potestatis de iure supra ius dispensare: quod potestas ipsius maior sit quam Moysis: quia Paulo maior, & Petro par, in administratione: quod non possit errare in his quæ sunt fidei, & quæ ad salutem humanam sunt necessaria: quod solus sine Concilio possit deponere Imperatorem: quod super omnia concilia potestatem habeat: quòd à Papa ne quidem ad Deum appellari possit: quod ius vtriusque gladij à Christo acceperit: quod superioritatem ad imperium sine dubio habeat, & vacante imperio Imperatori succedat: sicuti hæc & huiusmodi plura abominanda & detestanda Pontifex Romanus & ipsius Creaturæ, in iure Canonico & eius glossis, Christiano orbi sub titulo Primatus obtrudunt. De quibus omnibus Papa Romanus ne minimum quidem ex verbo Dei probare potest: neque Christus Petro concessit, neque Petrus vnquam, dum in his terris vixit, vsurpauit. Cum Petrus etiam, post acceptam hanc potestatem & auctoritatem, in doctrina de passione Dominica hallucinaretur, cum indignatione ceu Satanas à Christo reiectus est, Matth. 16. vers. 23. Et Antiochiæ, cum non recte ambularet ad veritatem Euangelij, coram omnibus reprehensus est à Paulo, hanc prioritatem nihil attendente. Et quomodo ipse Petrus talem potestatem ad dominium sibi arrogasset, qui non tantum in Paulina Epistola Galat. 2. vers. 8. legit, eundem Christum, qui cum Petro operatus est in Apostolatu circumcisionis, cum Paulo operatum esse inter gentes: Sed etiam in propria sua epistola, tanquam compresbyter fraterve, & non cum dominio, siue facta humilitate, allocutus est reliquos presbyteros? 1. Petr. 5. versiculo 1.

Concesso denique (quod tamen in æternum nunquam ex Scriptura probari potest:) talem primatum à Christo Petro concessum fuisse, nondum tamen sequitur, eundem ad Pontificem Romanum iure hereditario deuenisse. Etenim Pontificij nunquam ex idoneis historiis probare possunt, Petrum XXV. annos Romæ sedisse, ibidemque Romanum sedem erexisse. Nunquam probare possunt, quod D. Petri sedes quenquam, reiecta doctrina sancta (quod Papa facit) sanctum faciat. Nam, vt ipsi Pontifices ex Chrysostomo Dist. 40. monet: Videndum, quomodo quis sedeat super Cathedram: Quia non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed locum homo. Qui bene igitur sederit super cathedram, honorem accipit cathedræ: qui male, iniuriam facit cathedræ. Nihil itaque hæc vocula πρῶτος facit ad primatum Papæ.

4. Matthæus in describenda sua persona humilitatem & candorem seruat. Humilitatem in eo, quod cum alij Euangelistæ ipsum, in recensendo suo iugo seu pari, Thomæ præferant, ipse eidem sese modestiæ causa postponat. Huic virtuti omnes Christiani studere debent, cum primis verbi ministri. Quantum enim ambitio & superbia Ecclesiæ damni dederint, exempla Arrij & aliorum docuerunt. Hinc Paulus nobis verbi ministris recte præcepit: Phil. 2. vers. 3. Nihil gerite per contentionem, aut per inanem gloriam, sed ex modestia alium quisque se præstantiorem existimet. Certum enim est, summam Theologi virtutem esse humilitatem, & summum ipsius vitium esse superbiam. Beatus itaque, cuius vita est excelsa, & Spiritus humilis. Candoris deinde est, quod pristinæ suæ peccatricis conditionis mentionem facit, & *publicanum* se fuisse fatetur. Neque enim ignominiosum, sed grati animi, & liberæ conscientiæ, quæ de remissione certa, indicium est, ingenue confiteri, qualis olim ante conuersionem quis fuerit. Sic Paulus de Corinthiis: Quondam fuistis fornicarij, idolis seruientes, molles, adulteri, fures, ebriosi, maledici, raptores: Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in

Spiritu Dei nostri, 1. Corinth. 6. vers. 10. 11.

5. Quod Iudas tam hic quam alibi Apostolis annumeratur, nos non tantum communis illius sortis Ecclesiæ in hisce terris militantis admonet, quæ nunquam plane pura & munda est, sed malos bonis semper immixtos habet. Vnde etiam agro tam Zizania quam bonas segetes proferenti, & reti non tantum bonos, sed etiam putres pisces & sordes attrahenti, à Christo confertur, Matt. 13. vers. 24. & 47. Verum etiam docet, ministerium quoque suos habere hypocritas: qui tamen vera doceant, & per quorum ministerium Christus sit in piis efficax ad salutem. De Iuda enim minime dubitandum est, quin vna cum reliquis in hac legatione Euangelium docuerit, homines ad resipiscentiam excitarit, & miracula ediderit. Neque quicquam siue Euangelio, siue Sacramentis, ab ipso administratis, decessit. Siquidem virtus & efficacia ministerij, non ex dignitate & sanctitate personæ ministrantis (vt Donatistæ olim asseruerunt, & Anabaptistæ hodie docent) dependet, sed ex ordinatione Domini instituentis. Sunt huiusmodi hypocritæ & mali ministri instar statuarum Mercurialium, quæ aliis viam monstrant, quam ipsi non ingrediuntur: & similes fabris Noachi, qui huic arcam exstruxerunt, in qua ipse cum filiis & seminario secundi mundi seruaretur: Ipsi vero arcam non ingressi in diluuio perierunt. Quisque ergo in sublimi hoc dignitatis gradu constitutus sibi ipsi prouiderit, eximiis à Deo concessis donis non abutatur, sed in humilitate Dei gratiam imploret, vt ipsius potenti manu sustentetur & regatur, ne cum Iuda in exitium ruat. Ideo Paulus ipse de se dicit: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar, 1. Cor. 9. vers. 27. Aliis vero dicit 1. Cor. 10. vers. 12. Qui existimat se stare, videat ne cadat.

6. Neque putemus temere à Christo factum, quod in toto hoc Apostolorum catalogo, nullos genere illustres, aut ambitiosis titulis claros, sed tantum obscuros & ignobiles piscatores inuenimus: Et tamen horum ministerio, quorum nullus erat splendor, nullæ vires, nulla apud homines auctoritas, totum mundum subegit, & in suum obsequium pertraxit. Voluit nimirum docere, suum regnum non esse de hoc mundo, Ioh. 18. v. 36. alioquin more mundano magnificos ministros sibi adiunxisset. Neque vult ministerium suum magnificis titulis huius mundi, sed constantia & fide in munere exornari. Hinc enim aliqui Apostolorum nouos titulos & Epitheta illustria sunt consecuti. Hinc Simon dictus est *Petrus*, ob constantem fidei confessionem: hinc Iacobus & Ioannes dicti sunt *Boanerges* filij tonitrui, ob indefessum docendi & exhortandi studium: hinc alter Simon dictus est Cananæus siue *Zelotes*, ob singularē zelum pro Christi gloria & Ecclesiæ ipsius ædificatione. Maior itaque laus est, si quis ex munere fideliter administrato honestum nomen adipiscatur, quam si arrogantes titulos ex maiorum suorum prosapia sibiipse assumat, & in ministerium inferre velit. In politicis nobilitas generis & splendor familiæ merito spectantur, laudantur, & in admiratione sunt. Igniculi quoque virtutum in talibus generosis naturis fere deprehenduntur. At in Ecclesiasticis maioris facio, si quis nobilitatem nominis ex munere laudabiliter administrato acquirat, quam si ob nobilitatem generis sui fastuose se in ministerio efferat.

7. Quoad numerum duodenarium, non quidem argute est philosophandum: & tamen Dominum hunc numerum tam firmum & fixum habere voluisse videmus, vt cum Iudas Iscarioth per proditionem suam & tristem interitum inde remulsus fuisset, Spiritus sanctus alium ipsi surrogandum censuerit, Actor. 1. versic. 15. quo numerus ille completus maneret. Putant igitur aliqui, Christum respexisse typos quosdam, qui in Veteri Testamento præcesserint, nec male ad Apostolos referri queant. Fuerunt duodecim Patriarchæ, per quos ædificata est domus Israel, Gen. 35. vers. 22. In rationali super pectus Aaronis inserti erant XII. lapides pretiosi. Exod. 28. vers. 21. Super mensam quoque sacram XII. panes propositionis collocabantur, solis Sacerdotibus deputati, Leuit. 24. vers. 5. In dedicatione altaris, duodecim Principes offerunt sua munera, Num. 7. vers. 12. Israelitæ errantes in deserto inueniunt duodecim fontes salubres in Heleni, ex quibus reficiuntur: Exod. 15. vers. 27. Et Moyses mittit in terram Canaan duodecim exploratores. Num. 13. vers. 6. Erant quoque in templo duodecim boues ex ære portantes mare æneum, 3. Reg. 7. ver. 25. Ezechiel item in ciuitate sancta videt duodecim portas, Ezech. 48. v. 31. Sicut etiam Ioannes in sua reuelatione videt duodecim portas in cœlesti Ierusalem, Apoc. 21. v. 12. Et in corona sponsæ sunt duodecim stellæ, Apoc. 12. v. 1. Hæc & similia ostendunt, sacras literas numero duodenario potissimum delectari, nec inutilem possunt hæc, si quis Allegoriis delectetur, habere collationem, & cum numero, & cum munere Apostolorum.

II. Nunc secundo loco sequuntur præcepta, quæ hisce suis Apostolis, siue legatis, ad obeundam hanc primam legationē Christus dedit. Et licet vnus Euangelista plura aliis recenseat, Lucas quoque nonnulla ad missionem L X X. discipulorum referuet: tamen si Euangelistæ inter se conferantur, nouem potissimum præcepta, quæ ipsis tradidit, inueniuntur. Propterea autem ipsos conuocatos, & in vnum collectos præceptis necessariis instruit, ne quid ipsi, ab vno eodemque præceptore iussi, inter se disceptarent. Nos singula præcepta ordine videbimus.

Primum Præceptum agit de commeatu: Etenim qui profectionem ad exteros instituunt, illi de commeatu, interdum etiam de armis, quibus pro sui defensione vtātur, ante omnia sibi prospicere solent. Et inprimis, qui à Regibus & magnis Dominis mittuntur, non contenti necessariis, superflua quoq; adiicere solent, vt Superiorum suorum maiestatē aliquo modo ostentent. At Christus suis hisce Apostolis præcipit, *ne quid tollant secum ad iter, nisi virgam tantum, non peram, non panem, non in Zona æs, sed vt calcearentur sandaliis, & ne induerentur binis tunicis.* Duo permittit: 1. Virgam siue baculum, qui sustentando corpori inseruiret, & qui paupertatis esset signum. Ditiores enim, qui equis, mulis, vel lecticis vehuntur, baculo non indigent. Tali vsus est Iacobus fugiens in Mesopotamiam, Gen. 32. v. 10. Moyses rediens in Ægyptum, Ex. 4. v. 20. Iudæi comedentes agnum paschalem, Ex. 12. v. 11. Propheta Elisæus, 4. Reg. 4. v. 29. & alij. 2. *Sandalia*, ad pedum munitionem. Hoc enim genere calceamentorum vtebantur veteres, ne prorsus nudi & discalceati incederent, vt patet ex Isa. 20. v. 2. Angelus quoque Petro in carcere præcipit, Act. 12. v. 8. vt subliget sandalia sua, seq; sequatur. Prohibet autem vicissim quatuor: 1. *Peram*, per quam intelligit manticas, in quas peregre proficiscentes commeatum aut pretiosiores vestes recondere solent. 2. *Panem*, per quem more Hebræorum intelligit omnem cibum, & quicquid ad victum facit. 3. *Æs in Zona*: hic intelligit pecuniā, quæ tum tēporis maxime æreis nummis, Budæo teste, constabat, & in zonis loculorum vice ponebatur. 4. *Binas tunicas*, seu vestes mutatorias. Vult enim illos contentos esse iis vestibus, quibus iam induti erant, ne plures assumerent. Notandū autem, quod hoc præceptum tantum pertineat ad hanc Apostolorum profectionem. Quia enim ad hoc mittebantur, vt non, sicut Baptista, Messiam mox venturū nunciarent, sed iam propius adesse testarentur: Ideo non vult illos instrui sarcinis viatoriis, quasi ad longinquum iter & diuturnam legationem: Sed vt festinantes, non diu in vno loco commorentur, verum postquam indicarūt Messiā iam venisse, protinus alio se cōferāt. Atq; sic breuissimo tēporis spatio, absque omnib. impedimētis, hoc tam necessarium & salutare legationis munus absoluant. Alias enim ipsis concessum fuerat, secum portare panes, quod tum alibi, tum etiam Marc. 8. v. 5. ex historia Euangelica patet. Vsos etiam ipsos esse vestibus ad peregrinationē aptis, ex 2. Timot. 4. versic. 13. colligere licet. Imo & Christus in suo commeatu habuit loculos & pecuniam, Iohan. 12. v. 6. & 13. v. 29. Vt hinc nec Franciscani, quibus religio est pecuniam contrectare, aut aliis calceis præterquam fenestratis vti, superstitionis suæ, nec etiam Ministerij osores suarum calumniarū integumentum desumere possint, quibus sudes in oculis est, si videant Verbi ministros pecuniam possidere, & vel ex stipendiis, vel ex hereditate honeste se suosque alere. Temporarium enim hoc erat, & tantum ad præsentem legationem pertinebat, in qua volebat Christus suos Apostolos hoc quasi tyrocinio ad futuros labores & pericula præparare, ne postea vel famis, vel nuditatis, vel egestatis metu ab officio cessarent, sed imperterriti munus suum obirent, cum reipsa experti fint, quod illis, qui in Christi vocatione ambulant, nihil desit rerum necessariarum. Et hunc finem huius præcepti fuisse ipse Christus iā vltima cœna monstrat, vbi inquit Luc. 22. vers. 35. Quando misi vos absque sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Et ipsi nihil sibi defuisse fatentur. Voluit simul confirmare illud Ioan. 18. v. 36. regnum suum non esse de hoc mundo. Mundani Principes externum splendorem in instruendis & dimittendis suis legatis quærunt, neque immerito. Prodest eum ipsorum magnificentiam & potentiam passim innotescere. At Christus in peragendo salutis nostræ opere mundi fastum non curat, sufficit ipsi, quod non ipse tantum in extrema humilitate suum populum à superbi Diaboli tyrannide liberauit: Sed etiam per hosce humiles suos ministros, omni mundano fastu destitutos, omnem ipsius potentiam per totum terrarum orbem deuicit, & in ipsorum exemplo fideles Verbi sui ministros docuit, nihil rerum necessariarum ipsis in hac vita defuturum, si modo fideliter munere suo fungantur.

Secundum præceptum est de iis, ad quos Apostoli hac vice ablegantur: *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini. Sed ite potius ad oues perditas domus Israelis.*

Iſraelis. Duo membra complectitur hoc præceptum. Vnum monet, à quibus abſtinere debeant: alterum docet, quibus prædicare debeant. Inhibentur primum, ne abeant *in viam gentium*, hoc eſt, ne hac vice fines Iudææ exeant ad prædicandum gentibus. Hæ enim adhuc hoſtes erat populi Dei, & à vera Dei agnitione prorſus alieni, nec dum maceries illa medij parietis erat ſoluta. Eph.2.verſ.14. Deinde quoad *Samaritanos*, vrbes eorum ingredi vetat. Etſi enim verum Deum profitebantur, Moyſe item & patribus gloriabantur: mixtam tamen religionem habebant, & plurimum de gentibus etiam participabant. Itaque vrbes eorum ingredi, & apud ipſos Euāgelium prædicare prohibet, vias autem prohibere non potuit, quia, vt ex Ioan.4.v.4. manifeſtum eſt, Samaria inter Iudæam & Galilæam intermedia iacebat, vt ex vna in alteram proficiſci non potuerint, niſi Samariam tranſirent. Iubet autem eos abire *ad oues perditas domus Iſraelis*, & per haſce oues intelligit tribum Iuda, Beniamin & Leui, quæ tres tribus Iſraelis poſt transmigrationem Babylonicam in terram benedictam reductæ fuerunt, quibus tamen multi etiam ex reliquis tribubus ſe adiunxerant, & in terram patribus promiſſam reuerſi fuerant. Has *oues* vocat, quia ipſorum fuit adoptio, teſtamenta, legiſlatio, cultus, promiſſiones, Patres, & ex ipſis erat Chriſtus ſecundum carnem, Rom.9.verſ.4. *Perditas* autem dicit, quia deſtituebantur bonis paſtoribus & doctoribus, per quos ab erroribus ſuis, & vanis hominum traditionibus ad veram Meſſiæ Seruatoris ſui agnitionem, fidem, & cultum adducerentur. Fuit autem & hoc præceptum tantum temporarium. Cum enim Chriſtus fuerit miniſter circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones patrum, Rom.15.verſ.8. vtique voluit, vt Iudæis, tanquam filiis regni, toto illo tempore, quo ipſe miniſterio in his terris fungebatur, primo gratia Dei offerretur. Et cum alioquin Iudæi ipſum Samaritanum eſſe calumniarentur, Ioan.8.verſ.48. noluit confirmandæ calumniæ occaſionem præbere, ſi Apoſtoli cum ipſis familiarius verſarentur. Sicque conſtantem ſuam & plus quam paternam pro populo ſuo curam demonſtrare voluit. Elegerat eos iam olim ex omnibus terræ gentibus, vt inter illos ſui verbi & cultus ſedem conſtitueret: & licet hanc gratiam ſæpius contempſerint, ſæpius etiam cultum verum prophanarint, vt vel centies cum templo & vrbe abdicari meruerint: ſemper tamen, pacti memor, reliquias aliquas conſeruauit, quas non ſolum per Prophetas, ſed etiam iam ipſe viſitat, & in eum finem hic Apoſtolos ſuos emittit, vt ipſos diſperſos colligat, & ad cœleſte ſuum regnum præparet. Vt rectiſſime ipſis obiicere potuerit: Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? Iſa.5.verſ.4. Poſtquam autem incurabili contumacia pertinaciſſime aduerſus ipſum luctati ſunt, & tandem ipſum publice coram Romano Præſide abnegarunt, ipſe eos viciſſim abiecit, ne eſſent populus: vrbem & templum per Romanos miſerandum in modum exſcindi paſſus eſt, & regnum Dei ab ipſis ablatum in gentes transtulit. Vnde poſt reſurrectionem Apoſtolis aliud præceptum dedit, mandans, vt exirent & docerent omnes gentes, Matth.28. verſ.19. & prædicarent Euangelium omni creaturæ: Marc.16. verſic.15. ſuique teſtes eſſent in Ieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ, Actor.1.verſic.8. Interim tamen etiam hoc temporarium præceptum fideles verbi miniſtros admonet, vt ſinguli ſe intra metas legitimæ ſuæ vocationis ad paſcendum illum Dei gregem, qui ipſis commiſſus eſt, 1.Petr.5.v.2. contineant, nec latius euagentur, aut falcem ſuam in alterius paſtoris meſſem, niſi ſpeciali conceſſione, vel vocatione, mittant.

Tertium præceptum inſtruit Apoſtolos de genere doctrinæ, quid docere debeant, & ad quid potiſſimum ablegentur. *Euntes prædicate dicentes: Appropinquauit regnum cælorum.* His verbis ſumma & caput totius prædicationis inſinuatur. Expectabant Iudæi regnum carnale & temporale, in quod Meſſias ipſos, pulſis Romanis & aliis hoſtibus, collocaturus eſſet. Chriſtus ergo Apoſtolis diſerte iniungit, vt apertis verbis omnibus denuntiarent, adeſſe illud tempus, quo Deus promiſſum humani generis Seruatorem miſerit, qui deſtructo Diaboli regno, illud à Daniele cap.2.v.44. promiſſum cœlorum regnum erecturus eſſet, in quo iuſtitia & ſalus dominaretur. Neceſſe itaque eſſe, ſi modo propriæ ſalutis cura tangantur, vt ſepoſitis omnibus vitiis & peccatis, abiectis omnibus mundanarum rerum ſtudiis, quibus à cœlorum regno homines impediuntur, maxima cum alacritate & diligentia ad oblatam gratiam ſe per pœnitentiam præparent, ipſumque Meſſiam cum regno ſuo aduenientem totis animis & firma fide amplexentur. Nam quod Apoſtoli hoc modo regnum cœlorum annuntiarint, abunde ſatis id conteſtatur Marcus, qui hanc hiſtoriam ita concludit: quod Apoſtoli prędicarunt, vt *homines reſipiſcerent.* Conuenit hoc cum illo, quod Chriſtus poſt reſurrectionem Apoſtolis iniunxit, vt regnum cœlorum hoc modo annuntiarent, vt in ſuo nomine prædicarent pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Luc.24 verſ.47. Et quot præcipue membra hæc prædicatio regni cœlorum complectatur, iam aliquoties in hiſtoria Baptiſtæ & ipſius Chriſti, vt & capite præcedenti, indicatum eſt. Quæ vtile fuerit huc transferre. Neque enim putabimus ipſos duntaxat haſce voces ingeminaſſe: *Appropinquauit regnum Dei: appropinquauit regnum cælorum.* Sed potius, quęcunque tum ex Baptiſtæ concionibus, tum in Chriſti ſchola, de Meſſiæ aduentu, de abrogatione typorum veteris Teſtamenti, de vera pœnitentia, de beneficiis Meſſiæ, de vera fide, qua beneficia illa applicantur, de gratuita peccatorum remiſſione, de æterna vita & ſalute didicerant, illa fideliter aliis quoque communicarunt, ſicque eorum animos ad hunc Ieſum, pro vero mundi Meſſia ſuſcipiendo, præpararunt.

Cæterum hoc præceptum non fuit temporarium, vt præcedentia duo, ſed adhuc hodie durat, & ad finem vſque mundi durabit. Quid enim adhuc hodie nos verbi præcones maiori cum fructu noſtrorum auditorum tractare poterimus, quam vt denuntiemus, adeſſe præ foribus illud tempus, quo cœli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent, 2.Pet.3.v.12. atque ſic æternum cœlorum regnum appropinquaſſe? Quæcunque enim & oculis & auribus noſtris obiiciuntur, illa quaſi Stentorea voce clamant, adeſſe mundi finem. Teſtantur hoc continua illa bella & bellorum rumores, ſeditiones, terræ motus, annonæ caritas, peſtiferæ lues, cum aliis prodigiis, quæ Chriſtus nouiſſimis temporibus aduentura præmonuit. Et ipſa mundi machina laborare videtur, terræ fœcunditas dudum defecit, deficiunt piſces in aquis, volucres in aëre, fidi homines in mundo, partium anni vices mutantur, vt iam æſtatem in hyeme, & hyemem ſæpe in media æſtate experiamur, ſyluæ & nemora minuuntur, & paulatim terræ theſaurus ita exhauritur, vt multis in regionibus terra vix alendis ſuis colonis ſufficiat. Et tamen hominum animos à nimio fluxi huius & caduci mundi amore non poſſumus abducere, & ad ſtudium regni gloriæ ſue cœlorum excitare. Itaque omnes noſtræ conciones merito nihil aliud ſonare debent, quam, *appropinquauit regnum cælorum, agite pœnitentiam, credite Euangelio*, non diligite mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, quia mundus cum ſchemate ſuo tranſit, 1.Iohann.2. verſ.15.

Quartum Præceptum fuit de miraculis, quæ addita fuere doctrinæ, ad eius confirmationem. *Infirmos ſanate leproſos mundate, mortuos ſuſcitate, dæmonia eiicite.* Fuit hoc non tam nudum præceptum, quam efficax traditio facultatis ędendi hęc miracula. Vt enim Deus olim Moyſen ex deſerto in Ægyptum ablegans ad Iſraelitas, vt illos collectos ex Ægyptiaca ſeruitute educeret, ſignis inſtruxit, quibus verbis ſuis fidem adſtrueret, atque ſe vere à Iehoua miſſum eſſe comprobaret. Exod.4.verſ.1. Sicut etiam poſtea legem traditam ſtupendis miraculis confirmauit, vt Hebræi certo diuinam doctrinam eſſe crederent. Ita quoque Chriſtus hoſce ſuos Apoſtolos, homines illiteratos, ad perditas Iſraelis oues ablegans, ſignis & miraculis inſtruit, quibus Iudæos, populum ſignis aſſuetum, & difficillime legem Moſaicam deſerturum inducerent, vt Meſſiam, de cuius miraculis Propheta Ieſ.cap.35.verſ.5. prædixerat, adeſſe crederent, ipſiuſque Euangelicam doctrinam amplecterentur. Et quidem Moyſi, ob contumaciam Ægyptiorum, & cordis duritiem Iudæorum, data fuerunt ſigna, quæ terrorem incuterent: Apoſtolis autem conceſſit poteſtatem eiuſmodi miracula edendi, quibus corporalis ſalus & incolumitas hominum promoueretur, vt per ea doctrina Euangelica nō tantum admirabilis, ſed etiam grata & accepta redderetur. Efficacia autem horum ſignorum, quoad ſpiritualem hominum ſalutem, non cum Apoſtolis deſiit, ſed in miniſterio Eccleſiaſtico adhuc hodie durat. Nam omnium verbi miniſtrorum eſt, vt ſpiritualiter *infirmos ſanent*, hoc eſt, in renatis virtute Spiritus & verbi diuini vires inſtaurent, quibus in nouitate vitæ ambulent: vt peccatum, *ſpiritualem lepram* quod tenaciſſime nobis inhæret, Hebr.12.v.1. virtute Sacramentorum abſtergant & homines adducant, quo vitæ ſanctimoniam ſectentur: vt in peccatis *mortuos*, Epheſ.2.ver.1. per pœnitentiam reuiuiſcere faciant, Luc.15. verſ.32. vt denique *diabolos pellant*, hoc eſt, homines permoueant, quo excuſſo Satanæ iugo eundem ſub pedibus ſuis conterant, Rom.16.v.20. ſicque in ſpiritus libertate Chriſto redemtori ſuo ſeruiant.

Quintum Præceptum facit ad reprimendam; tum turpem auaritiam, tum deteſtandam ſuperbiam. *Gratis accepiſtis, gratis date.* Magna ſunt, quæ Chriſtus iubet Apoſtolos Iudæis offerre: regnum nimirum Dei & dona ſanationum. Ampliſſima itaque offerebat ſe occaſio, & animum efferendi & quæſtum faciendi. Præuidit quoque Chriſtus in Iudæ animo, quid ſacra auri fames facturα eſſet. Cumque ſemina mali omnium cordibus inhæreant, omnibus quoque hoc dicit, *gratis*,

te accepistis. Ergo, nolite superbire. *Gratuito date*, ergo nolite turpis lucri cupidi esse. Cæterum quia duo membra præcedunt, vnum de prædicatione, alterum de donis sanationum, quærunt docti, vtrum hoc præceptum ad vtrumque membrum, an vero saltem ad posterius sit referendum. At vero circumstantiæ ostendunt, illud tantum ad χαρίσματα Spiritus referendum esse. Nam quoad prædicationem Euangelij Christus mox ipse docebit, & Apostolos & alios, qui Ecclesiis seruiunt & ministrant, ex ministerio illo honestum victum habere debere. Vult ergo saltem vetare, ne ex miraculis, quæ in suo nomine facerent, quæstum priuatum captarent. Sicuti nec Elisæus Propheta à Naamano Syro, à lepra mundato, munera accipere voluit, licet is quasi per vim obtruderet, 4. Reg. 5. vers. 16. Cumque postea famulus ipsius Gihezi, inscio Propheta, eadem exigeret, ipse lepra punitus est vers. 27. Et vigore huius præcepti Petrus, cum Simon Magus pecuniam offerret, vt & ipse acciperet potestatem conferendi Spiritus sancti dona, eidem dicit; Pecunia tua tecum sit in perditionem, Act. 8. vers. 20. Rationes autem huius præcepti sunt planæ & manifestæ. 1. Res spirituales non possunt terreno aliquo pretio compensari: atque idcirco vendi non debent. 2. Illud solum vendi potest, cuius quis est Dominus. At Apostoli horum donorum non Domini, sed tantum dispensatores sunt, 1. Cor. 4. vers. 1. Cui ergo de alieno quæstum priuatum facerent? 3. Quia hæc dona ex gratuita sui Domini liberalitate acceperant. At turpissimum scelus est, si legatus ex gratia, quam Principis sui nomine subditis offerre debet, lucrum venetur, & miseros eo ipso grauet, ex quo illi refectionem percipere debebant. 4. Denique in conferendis illis donis à muneribus abstinere debebant, ne gratia Dei vilesceret: sed vt ex gratuita Dei beneficentia, & contemtu munerum, homines tanto magis prouocarentur ad admirationem horum χαρισμάτων, ad glorificandum Deum, & acceptandam doctrinam, quam prædicabant. Solent enim homines ea beneficia minus admirari, & magnifacere, quæ putant se aliquo modo compensare posse. Nec quicquam efficacius auditores pertrahit, quam quando vident Doctores nihil præterquam ipsorum salutem, non ipsorum bona, sed ipsos quærere, 2. Cor. 12. vers. 14.

Taxatur ergo hoc præcepto non tantum Simonia Pontificiorum, apud quos venales sunt ordines Ecclesiastici, imo omnia sunt venalia, administratio Sacramentorum, remissio peccatorum, indulgentiæ, cœlum & nihil non, iuxta versiculos Mantuani:

——Venalia nobis
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignes, thura, preces, cælum est venale, Deusque.

Contra quam Simoniam ipsi agunt in iure suo Canonico, maxime Caus. 1. Quæst. 1. quod tamen non obseruant. Sed & omnibus Euangelicis ministris inculcandum, vt attendant illud Pauli, 1. Timoth. 3. vers. 3. Episcopus non sit αἰσχροκερδής, turpis lucri cupidus: Ne ipsis obiici possit, quod Deus Iudæorum sacerdotibus, Mal. 1. vers. 10. obiicit: quis est in nobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Detestandũ quoque est, si Collegis de summa doctrinæ Christianæ laudabiliter conueniat: de Accidentibus autem (vt vocant) turpiter inter se digladientur. Et experientia testatur, eos, qui hac ratione leuiculam aliquam occasionem in re familiari ex accidentibus sumunt, summam interim iacturam existimationis suæ inter auditores facere. Sunt hi valde ὀλιγόπιστοι, qui Domino suo Iesu Christo, cui seruiunt, parum fidunt. Alioquin non dubitarent, eundem ipsis, si fidem in ministerio suo ipsi præstant, de necessariis ita prospecturum, vt corui potius ipsis alimenta afferre cogerentur, sicut Eliæ, 3. Reg 17. v. 4. quam esurirent.

Interim hanc particulam *δωρεὰν gratis* maxime in doctrina iustificationis nostræ obseruemus, qua voce Apostolus vti solet, vt ostendat, nobis iustitiam conferri; nõ ex operibus legis, sed ex mera Dei gratia, quam Christus suo merito nobis parauit. Vnde apud Prophetam clamat: Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento & absque vlla commutatione vinum & lac. Ies. 55. v. 1. Et rursus; Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos; Matt. 11. versic. 28.

Sextum præceptum eos instruit, qualiter in ipsa hac peregrinatione se gerere debeant, & cum primo coincidit. Emisit enim ipsos absque omni commeatu, partim vt annueret, hãc profectionem non fore diuturnam, partim vt ad fiduciam erga Deum eos assuefaceret, vt discerent, nihil defuturum iis, qui in vocatione diuina ambularent, & fideliter, quæ muneris sui essent, exsequerentur. Iam iisdem de causis prohibet, ne in ipso itinere pluribus sese onerent, *Ne possideatis aurum, neque argentum, neque æs in crumenis vestris, neque peram ad iter, neque panem, neque pecuniam, neque binas tunicas habueritis: neque calceamenta, neque virgam.* Vult autem vt Deo suo fidant, & toti ab ipsius prouidentia pendeant, præsertim in hac legatione, quę vltra exiguum temporis spatium esset finienda. Cumque cœlestis pater norit, nos victu & amictu ad huius vitæ sustẽtationem indigere, nec velit regnum ipsius quærentibus quicquã deesse: Matth. 6. v. 32. vult ipsos certo statuere, se in hac peregrinatione nõ neglectos iri, si maxime, sicuti sine commeatu ab ipso discesserunt, sic nec in ipso itinere de eo instituendo soliciti essent. Vnde etiã in hoc præcepto prohibet, quæ *in primo* præcepto concesserat, qualia sunt *calceamenta & virga*, *siue baculus.* Hic misere se torquet Augustinus & alij, vt Marcũ cum Matthæo concilient. Ille enim *sandalia & baculum* Apostolis à Christo ad iter concessa, hic vero *eadem* prohibita esse perhibet. Quidam putant alterutrum Euangelistarum memoria lapsum, negare id, quod alter affirmarit. At si hoc in vno loco concesserimus, periculum est, ne totum Euangelium nobis incertum reddatur. Idcirco August. ad mysticũ sensum confugit, & *virgam* aliter apud Marcum, itemque aliter apud Matth. accipiendam statuit. In Matthæo proprie, in Marco autem figurate vel mystice, pro potestate à Domino accepta, accipiendi quæ ad victum & vestitum essent necessaria. Sic quod Matth. *calceamenta* prohibita dicit, illud simpliciter & proprie accipiendũ putat. Quod autem Marc. *Sandalia* cõcedit, intelligit, per genus illud calceamenti quod pedem desuper non tegit, sed tantum plantam, significatum Euangelium non esse occultandũ, nec terrenis commodis innitẽdum. Sed vt ad huiusmodi figuratas explicationes cõfugiamus, *minime* est opus. Neque Euangelistæ inter se cõtraria, sed diuersa scribunt, quæ vtraque Christus suis Apostolis, quoad hanc legationem, in mandatis dedit. Vnum est, quod iter ingredientib. concessit, vt sandaliis pedes munirent, & baculum, quo se sustentarent, assumerent. Alterum est, quod iter ingressis interdicit, ne calceamenta mutatoria sibi compararẽt, neve virgas defensionis, seu baculos armatos secum portarent. Nam huiusmodi duplici *calceamenti* genere Iudæos vsos esse, vel vnicus ille locus Ios. 9. v. 5. de Iabaonitis ostendere potest, vbi ὑποδήματα & σανδάλια coniunguntur, *Alß VV ein einer Schuch vnd Pantoffel vbereinander anzuche.* Et in historia Baptistæ, quia Ioh. 1. v. 27. dicitur: Ego non sum dignus *Messiæ* soluere corrigiam calceamẽti: Matt. vero 3. v. 11. Ego non *sum dignus Messiæ* calceamenta portare, subinnuitur, *interdum viatores vel* iter facientes duplici calceamentorum genere vsos esse, vno in via, altero, quod discipuli vel ministri portarent, vt eo se induerent, postquã locum, ad quem tendebant, attigissent. Prius calceamenti genus Christus in primo præcepto concedit, posterius vero in hoc sexto præcepto prohibet. Eadem ratio est *virgæ*, seu *baculi*. Nã baculi apud Iudæos non erant vnius generis. Etenim Exod 21. v. 19. legimus de baculo, super quo quis ambulat, & v. 20. de virga, qua quis seruum vel ancillam percutiat, vt moriantur. Item Psal. 2. v. 9. de virga ferrea. In historia quoq; Absolonis 2. Reg. 18. v. 15. legitur, quod Ioab acceperit tres virgas, id est, lanceas ex virgis factas, easque in cor ipsius adegerit: שבט enim virgam, baculum, sceptrum & lanceam significat. Christus ergo apud Marcum tales virgas seu baculos concedit, quibus viatores sustentationis causa indigent. Apud Matthæum prohibet baculos, quibus loco armorum vti poterant; sicut Monachi tales habent baculos, intra quos gladij, vel etiam bombardæ sunt reconditæ. Et ex Luca patet cap. 22. v. 38. item ex Ioan. 18. v. 10. Petrum & reliquos Apostolos interdum gladios secum habuisse. Hoc Christus in præsenti profectione prohibet. Pacis enim, non autem offensionis legati futuri erant. Sic ergo videmus, Euangelistas non contradictoria referre, sed ea dextre describere, quæ Christus Apostolis in mandatis dederat.]

Cæterum ne Apostoli iudicarent, sibi ex mendicato viuendum esse, sicut faciunt Capucini & alij Monachi mendicantes, eo quod velit ipsos gratis homines docere & sanare, & prohibeat, ne quicquam in via deferant, vnde nutriantur, & vestiantur, addit: *Nam dignus est operarius alimento suo.* Quibus verbis indicat, vnde ipsi Apostoli, & alij verbi ministri vitæ necessaria sperare & petere debeant. Nimirum, quia sint operarij in messe dominica, qui germanos Dei filios collecturi sint in Ecclesiam Messiæ, & horreum cœleste. Naturæ autem lex doceat, operarium mercede & cibo suo dignum esse. Ideo spem facit Christus, γνησίους Dei filios & æternæ salutis heredes sponte sua ipsis oblaturos, quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt. Ex hoc Christus loco, sicut etiam ex repetitione eiusdem quæ legitur Luc. 10. versic. 7. Paulus desumsit suam doctrinam de stipendiis ministrorum Ecclesiæ, quando ad Corinthios 1. Corinth. 9. versic. 14. scribit, Dominum ordinasse iis, qui Euangelium annuntiant, vt de Euangelio viuant. Et addit rationem aliam ex Veteri Testamento sumtam, in quo ex Dei ordinatione illa fuit Sacerdotum conditio,

tio, vt, qui sacris operabantur, quæ de sacrario erant comederent: & qui altari deseruiebant, de altari etiam participarent. Omni tempore, inde ab initio, mundus semper prodigus fuit in idololatriam, & erga falsos impiosque Doctores, sordide vero parcus erga synceros verbi ministros. Iezabel vltra octingentos falsos Prophetas Beal de regia sua mensa cibauit, 3. Reg. 18. vers. 19. dum Prophetæ Domini centum, in speluncis abditi, pane & aqua sustentabantur, vers. 13. Sic adhuc hodie plerique, quorum Maiores sub Papatu ad alendos ventrichosorum Monachorum greges ad prodigalitatem vsque fuere liberales, illi nunc erga synceros puri Euangelij præcones sunt sordide parci. Prætendunt, verbi præcones esse otiosos & ignauos fucos, qui ex aliorum labore & sudore victitare cupiant. Debere eos imitari Paulum, qui sibiipsi manuum labore victum pararit, vt Corinthiis gratis Euangelium prædicare posset. Contra huiusmodi rigidos, & iniquos rerum censores, Christus ministros suos hac sententia tuetur, vocans eos *Operarios*. Licet enim non manu laborent & operentur, si tamen muneris sui partes diligenter & fideliter exsequantur lectioni sacræ assidue incumbendo, pro grege fidei suæ commisso excubando & precando, singulos docendo, monendo, corripiendo, consolando, nemo eos iuste ignaui otij insimulare poterit. Cum ergo naturæ ius doceat operariis reddere, quod pro labore ipsis debetur, Deus quoque hanc legem ita antiquitus corroborarit, vt talem mercedem apud nos pernoctare nolit: Leu. cap. decimo nono, versic. 13. Deut. 24 vers. 15. Scriptura insuper inter clamantia peccata referat, Iacob. 5. versic. 4. quod peccatum Deus ipse punire velit. Malach. 3. vers. 5. Christus recte hic concludit, dignos esse eos *cibo suo*, seu vt habetur Luc. 10. vers. 7. *mercede sua*. Neque Apostoli Pauli exemplum trahendum est in præiudicium aliis verbi ministris. Nam quod Paulus à Corinthiis nihil accepit, sed manuum suarum labore victum sibi acquisiuit, illud fuit peculiare, & faciebat ad redargutionem ipsorum ingratitudinis erga ipsius Ministerium. Quia enim is ex diuina reuelatione didicerat, Christum multum populum in illa ciuitate habere: Actor. cap. 18. versic. 10. non poterat bona cum conscientia inde abire. Cum ergo illi minus liberaliter ipsum tractarent, coactus est aliam victus rationem inire, atque ex arte sua manuaria eum comparare. Vsque adeo igitur suo exemplo aliis nihil præscribit, vt potius eo ipso Corinthiis illiberalem suam morositatem & tenacitatem exprobret. Quæ vero alias ipsius fuerit sententia de ministrorum Ecclesiæ stipendiis, id in epistolis ad Galat. 6. versic. 6. 1. Timoth. 5. vers. 17. inprimis autem 1. Corinth. 9. vers. 7. & multis sequentibus versibus ostendit. Ex quo loco Augustinus inprimis vocabulum ὀψωνίου seu *stipendij*, (quo adhuc hodie de salariis verbi ministrorum loquentes vtimur) vrget. Sumtum illud est ex re militari. Boni milites pro patria, pro Republica, & pro imperij salute militant, & hunc vnum finem nec alium, sibi propositum habent: accipiunt tamen etiam stipendium, non tanquam militiæ mercedem, sed tantum vt inde vitæ necessaria parent, & in militia perdurare queant. Nam si stipendium mercedis loco accipiant, næ rem magnam vili pretio vendunt: vitam nimirum suam pro exigua pecuniola venalem exponentes. Et tamen, proh dolor, multi inueniuntur, qui non propter salutem Reipubl. sed tantum propter ea, quæ accipiunt, vel etiam rapiunt, militant. Sic quoad Ecclesiasticos operarios, debent illi Deo militare, propter Ecclesiæ salutem, non propter temporalia. Temporalia autem, hoc est, victum & amictum debent accipere tantum eum in finem, vt in sancto opere persistere queant. Hoc qui attendit, is videt, quomodo inter operarium & mercenarium distingui possit. *Mercenarij* in Ecclesia Christi male audiunt, Ioann. 10. vers. 12. qui nimirum propter annonam & mercedem Ecclesiæ suam operam locant, honoris Christi, & salutis Ecclesiæ perexiguam curam habentes. *Operarij* autem non male audiunt: quia mercede & alimento suo sunt digni. Mouet autem simul hæc breuis sententia hæc tria. 1. Si *operarij sunt digni*: Ergo Ecclesiasticis stipendiis indigni sunt, qui non operantur pro fidelium salute. 2. Quia *digni sunt τῆς τροφῆς αὐτοῦ cibo suo*: Ergo studium ditescendi & thesauros accumulandi ex operis Ecclesiasticis (qualiter patrimonium Petri iam est auctum) operarium Euangelicum non decet: sed habentes διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. 1. Timoth. 6. vers. 8. 3. Vnde vero accipere debent, Christus quidem non exprimit: sed lex naturæ docet, merito illos alimenta præbere debere, quibus quis operatur. Si tamen hi ipsi vel indigentiores, vel etiam inhumaniores essent, liceret etiam aliunde subsidia sumere. Sicuti Paulus à Macedonibus subsidium accepit, dum Corinthi in Euangelio laboraret. 2. Corinth. 11. vers. 9.

Disputant hic quidam, an in hoc Christi præceptum peccetur, si quis verbi minister ex proprio ære viuere, nec vllum stipendium accipere velit? Sed res per se plana est. Si quis luculentioris fortunæ minister gratis Euangelium docere velit, is contra hoc Christi præceptum minime peccat. Neque enim ita præcise præcipitur, vt Doctores alimenta ab auditoribus accipiant, quia ob certas & iustas caussas quis suo iuri hic renunciare & alimentorum exactionem suspendere possit. Sicuti Paulus apud Corinthios id fecit. Sed si quis hoc ea opinione faciat, quasi coram Deo plus mereatur, & in perfectiore gradu constituatur, quasi etiam Ioannes Baptista hoc nomine perfectior fuerit quam Christus, eo quod hic pecunias acceperit, ille vero non, is errat. Laudem tamen suam meretur & commendationem eiusmodi ministerium gratuitum, quod in vita quoque æterna sua destituetur remuneratione.

Septimum præceptum de eligendo & retinendo hospitio agit. *In quamcunque ciuitatem aut vicum fueritis ingressi, exquirite quis in ea sit dignus. Et in quamcunque intraueritis domum, illic manete, donec exeatis inde.* His verbis Christus duo præcipit. 1. Vt in deligendo hospite sint circumspecti, ne sine discretione ad quosuis, etiam malos, indignos, aut scelere aliquo infames diuertendo, sacrosanctæ huic legationi labem aliquam adspergant. Vult ergo, vt ingressi in ciuitatem vel vicum ante omnia inquirant, ecquis eo loco sit dignus, ad quem citra offensionem siue sui, siue suæ doctrinæ, diuertere possint. At vero quem dignum dicemus? cum natura omnes æque simus peccatores, & egeamus gloria Dei, Rom. 3. v. 23. & ne ad cogitandum quidē aliquid boni simus idonei, 2. Cor. 3. v. 5. Ac proinde, quando cœlestium bonorum præcones ad nos accedunt, dicere cogimur: Domine non sum dignus, vt intres sub tectū meum, Matth. 8. v. 8. Aut cum Petro, Exi à me Domine, quia homo peccator sum, Luc. 5. v. 8. Dignos ergo Christus hic dicit, non eos, qui cœlestia bona sua virtute & operibus mereantur: Sed qui propriæ suæ indignitatis sibi conscij, serio tamen cœlestis veritatis desiderio teneantur, redemtionem Israelis exspectent ac proinde Euāgelij doctrinæ faueant: quales fuerunt Zachæus, Luc. 19. v. 3. & alij publicani, qui nulla propriæ iustitiæ opinione turgidi, Dei iustitiam esuriebant & sitiebāt, Matth. 5. vers. 6. Dignitas ergo hæc non ex nostro merito, sed potius ex indigentia nostra æstimanda est, perinde ac si quis operario inualido mercedem numerari curet, non pro ratione operis, sed pro ratione ipsius inopiæ. Mittebantur enim Apostoli tanquam spirituales Medici ad ægrotos, tanquam iustitiæ præcones ad peccatores, & tanquam principis Pastorū serui ad oues dispersas. Cumque ex Christi abundantia illorum defectui mederi deberent, omnis illorum dignitas ex indigentia & indigentiæ agnitione metienda est.

Deinde præcipit Christus, ne Apostoli hospitium, in quod diuerterunt, temere mutent: quod morosi & delicatuli facere solent: neve de domo in domum transeant, vel per oppida impudenter discurrant, & in abdita hominū cubicula penetrent. Faciunt hoc aliqui ea spe, vt hominum animos tanto magis sibi deuinciant. Et sane simpliciores hoc modo innescari possunt, sicuti Paulus 2. Tim. 3. vers. 6. mulierculas sic captiuas duci fatetur. Sed reuera huiusmodi discursationes vagæ indicium sunt animi impudentis, & insatiabilis, & qui illis student, fere plurimum odij & inuidiæ ipsi sibi attrahunt, propterea quod multis sese immisceant, quæ nihil ad ipsos pertinent. Malam quoque gratiam referunt suis hospitibus, quos in suspicionem coniiciunt, quasi sua inhumanitate eos, quos semel intra ædes suas susceperunt, eiicerent. Vult ergo Christus, vt Apostoli sui in domum aliquam ingressi, in ea mansionis suæ sedem firmam figant, donec expedito suo munere inde rursus discedant. Sicque reipsa commonstrent, se esse frugales, modestos, & αὐτάρκεις, seu sua sorte contentos: ne hinc inde discurrendo seipsos in contemtum simul & suspicionem adducant, quasi priuati commodi potius quam regni Dei amore ducantur.

Hoc Christi præceptum est omnium temporum & locorum, hac ratione, quod Verbi ministri in tota sua vita sibi diligenter à prophanorum hominum consortio cauere debent. Etenim quis credet illi Ecclesiæ ministro verum Dei cultum, temperantiam, sanctitatem, iustitiam, pudicitiam, castitatem, beneficentiam, & alias huiusmodi virtutes cordi esse, qui quotidie superstitiosorum, ebriosorum prophanorum, libidinosorum auarorum, vsurariorum, impudentium comessatorum atque helluonum consortio gaudet, cumque ipsis absque omni discrimine conuersatur, comessatur, ludit & perpotat. Si enim Christus non vult suos in talium priuatas ædes necessarij victus causa diuertere, multo minus feret, si per publicas popinas & tabernacula cum illis discurrere velint. Hoc qui faciūt, sibi imputent, si contemnantur postea ab iis, à quibus in pretio & honore haberentur, si munere suo diligentius fungerentur.

Octauum præceptum monet, quo indicio deprehendere

debeant, quis hospes sit dignus, & quid in domum eiusmodi ingressi facere debeant. *Cum intrabitis domum salutate illam.* Salutandi verbo preces & vota complectitur, quibus felicia & fausta quæuis hominibus à Deo precentur. Quanam autem salutandi formula vti debeant, Luc.10.5. exprimit, & iniungit vt dicant, *Pax huic domui.* Et quidem apud Iudæos vsitata hęc fuit salutandi formula antiquitus: שלום לך Pax tibi. Vbi *pacis* nomine omnia prospera, tranquilla & læta intelligunt. Hanc antiquam salutandi formulam non totam immutat, sicut Christus in eiusmodi externis nunquam ambitiose nouitatis studiosus fuit. Leuiter tamen aliquo modo inflectit, iubens dicere, non pax tibi, sed *pax huic domui*, vt nimirum mox ex ipsa formula tota familia intelligeret, rem nouam hic agi, & esse felicissimum illud dudum promissæ & diu exspectatæ salutis siue pacis tempus. Hanc salutationem non fore otiosam, sed efficacem & benedictionibus grauidam, si credula mente eam excipiant, satis perspicue docet, inquiens: *Si domus fuerit digna, pax vestra veniet super illam.* Pax Apostolorum dicitur ratione ministerij, quæ proprie fuit pax Christi. Sicut ipse dicit, Iohan.14.vers.27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: Etenim natura omnes sumus propter peccatum filij iræ, Ephes.2.vers.3.& inimici Dei, Rom.5.v.10. At filius Dei peccata nostra omnia in se transtulit, iisdemque mortis suæ merito expiatis, per sanguinem crucis suæ pacificauit omnia, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis sunt, Coloss.1. vers.20. Hinc dicitur Princeps pacis, Esaiæ 9.vers.6. Et Angeli in natali eius cecinerunt, pax in terra, Lucæ 2.vers.14. Hinc enim est filius ille dilectus, in quo pater est placatus, Matth.3.v.17. Hanc pacem merito sanguinis Messiæ partam, quoniam Apostoli prædicaturi erant, iuxta illud Esaiæ 52.versic.7. quam speciosi sunt pedes euangelizantium pacem, prædicantium bona: ideo ratione ministerij *ipsorum pax* dicitur, quæ alioquin est pax Dei exsuperans omnem sensum, Philipp.4.vers.7. Hac pace digni iudicantur illi, qui miseriæ suæ conscij, pacis nuntium grato animo & fideli pectore suscipiunt. De his spondet Dominus futurum, vt *pax requiescat super illos*, hoc est, vt coram Deo ratum sit, quicquid illi domui precentur, vt larga Dei benedictio super eos veniat, eiusque fauor se euidentibus signis & indiciis exerat. Christianæ itaque mentes faustas piorum, præsertim Verbi ministrorum, comprecationes non contemptim habeant, sed magni faciant: statuentes in cœlis firmum fixumque esse, quicquid ipsi in terris sibi mutuo comprecantur. Si quis vero benedictionem huiusmodi Apostolicam respuat, quid tum futurum? Ipsis quidem bene comprecantibus nihil peribit: siquidem *pax eorum reuertetur ad ipsos*, & ipsismet Apostolis euenient salutaria illa, quę indignis & ingratis optauerant. Redeunte autem hac pace ad precantes, indigni isti à maledictione non erunt immunes, eo quod pacis nuntios recipere detrectarint: sicuti mox præcepto sequenti indicabitur.

Interim hoc præcepto Christus innuit, quis sit finis institutæ prædicationis Euangelicæ, vt nimirum per illam nobis pax, hoc est, corporis & animæ incolumitas offeratur. Hac pace cum natura destituamur, Christum precemur, vt ipse nos dignos faciat in partem sortis sanctorum in lumine, Coloss.1. versic.12. Quod fiet, si verbum oblatum audiamus, & grata mente suscipiamus. Qui enim ex Deo est, verbum Dei audit. Iohann.8. versic.47. Et oues Christi vocem ipsius audiunt, Iohan.10.vers.3. Quam si fide firma suscipimus, tum fide iustificati pacem habemus erga Deum: Rom.5.vers.1. neque vllis conscientiæ terroribus amplius turbamur. Hæc pax omnem mundi intellectum superat, Philipp.4.vers.7. cum nullis tentationibus expugnari possit, & in mediis etiam afflictionibus durat.

Nonum præceptum statuit, quid Apostoli facere debeant, si in ciuitatem vel domum aliquam ingressi non recipiantur. *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, abeuntes illinc, excutite puluerem pedum vestrorum.* Christus Euangelium suum non vult inuitis & reluctantibus obtrudi. Quia vero hoc loco Verbi ministri facile præcipiti iudicio errare possunt, sicut quidam mox discedere volunt ab illis auditoribus, à quibus non tanta beneuolentia tractantur, nec tanta liberalitate aluntur, quanta cupiunt: nec tanto honore honorantur, quanto seipsos dignos æstimant: Ideo attente verba Christi sunt ponderanda, ne temere in ipsius præceptum peccemus. Notat autem is duo vitia. Vnum ingratitudinis, si pacis & salutis nuntium recipere nolint: alterum contumaciæ, si eos ne audire quidem dignentur. Distinguendum ergo est inter contumaces & infirmos. Ab illis est recedendum: hi vero sunt ferendi, tolerandi & rectius instituendi. Sicut Paulus monet: 2.Timoth.2.vers.24. Seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse erga omnes, placidum, patientem, qui cum lenitate etiam illos corripiat, qui veritati resistunt, si quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem. Et hoc debent facere exemplo Christi, qui & ipse linum fumigans non exstinxit, & calamum conquassatum non confregit, Esa.42.vers.3. Matth.12.vers.20. Quamdiu ergo verbi minister auditur, stationem suam deserere non debet, sed potius iuxta Pauli exemplum omnia fieri omnibus, vt quam plurimos lucrifaciat, 1.Corinth.9.vers.22. Si vero alicubi homines adeo sint præfracti, vt verbi præcones nec hospitio dignari, nec sermones eorum audire velint, tum illis repugnantibus non vult Christus suum Euangelium vlterius obtrudi. Reipsa enim testantur se regno Dei indignos, inque reprobam mentem datos esse, ac proinde verbi ministrum operam & oleum in ipsis sanandis perditurum. Hoc enim est Æthiopen lauare, & pardi varietates mutare, Iere.13.v.23.

Quid autem in discessu suo facere Apostoli debeant, hoc Christus etiam docet. *Egressi excutite puluerem pedum.* Nō vult vt clam se subducant. Hoc enim faciunt, qui male sibi sunt conscij. Sicuti nec Paulus & Silas Actor.16.vers.37. clam Philippis discedere, sed à magistratu deduci voluere. Ideo postea Luc.10.vers.10. LXX. dicit *exeuntes in plateas dicite.* Voluit ergo vt ista fierent cum publica protestatione: *Etiam puluerem, qui adhæsit pedibus nostris, extergimus in vos.* Pulueris excussio multa monebat. 1. Ostendebant laborem itineris se pro illis quidem suscepisse, & prædicationem Euangelicam etiam ad illos peruenisse: sed sine fructu. 2. Ea protestabantur, quod non caussa terreni alicuius commodi ad ipsos accesserint, cum ne puluisculi quidem pretium ab ipsis habere cupiant. 3. Indicabant, se in nullo cum illis communicare velle ob maledictionem & condemnationem, quæ ipsos maneret, siquidem etiā puluis eorum sibi abominationi esset. 4. Adumbrabat quoque pœnam, quod tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ, horribili Dei iudicio dissipandi & disjiciendi essent, Psal.1.v.4.

5. Testimonij denique loco erat, ne quando ignorantiam prætexere, & Euangelium sibi prædicatum esse negare possent. Ideo dicitur, *in testimonium ipsis*, seu, vt Lucas habet, *in testimonium contra illos.* Hic enim Dei mos est, vt neminem etiam ad commeritam pœnam trahat, nisi prius eam reis denuntiet, quo omnem excusationem ipsis auferat. Postquam autem ipsis denuntiata est, mature ab *ipsis discedendum*, vt agnoscant, hanc denuntiationem non esse *ludum & iocum*, sed rem seriam. Ne ergo pij cum *improbis pœnæ Dei implicentur*, sed vt illi animas saluent, *non sunt moræ nectendæ*, sed cum Lotho absque cunctatione à Sodomitis, pœnitere nolentibus, discedendum, Gen.c.19.vers.17. Hac etiam ratione illi, qui nondum omnem veri & boni sensum exuerunt, permouentur, vt eo citius peccatum suum agnoscant, non sibi blandiantur, sed de agenda pœnitentia solliciti sint. Huic præcepto Christi obtemperarunt Paulus & Barnabas, Actor. cap.13 versic.46. cum Antiochiæ Pisidiæ obstinati Iudæi Euangelium salutis audire nollent. Nobis quoque, in quos fines seculorum peruenerunt, Spiritus Domini idem præcipit, Apoc.cap.18.versic.4 qui vult vt exeamus de Babylone spirituali. Cui præcepto vtinam locum darent omnes illi, quibus lux Euangelij in Pontificiis tenebris benigniter affulsit. Sic enim & seipsos & alios multis molestiis liberarent, & animarum suarum saluti rectius consulerent.

Ne vero quis putet hunc excussi pulueris ritum inanem & otiosam esse ceremoniam, sed vt omnes sciant eum præsentissimum effectum habere coniunctum, ideo Christus obiicit: *Amen dico vobis: Tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quam ciuitati illi.* Assumit exemplum pœnæ Iudæi notissimum ob vicinitatem loci. Et manifeste testatur, hosce ingratos Iudæos in die iudicij grauiorem pœnam habituros, quam sustinuerint Pentapoleos incolæ, vtcunque extreme flagitiosi. Potest autem hoc intelligi tum de temporalibus pœnis, tum de æternis. Nam & ille est *dies iudicij*, quando Deus in furore arguit peccatores, & in ira eos corripit, Ps. 6.1. qui & vindictæ dies dici potest. Prou.6.33. Et reuera Iudęi atrociores pœnas experti videntur sub Imperatoribus Romanis: siquidem Sodomitę subito sunt absumti, Iudæi autem sensim deleti diu in pœnis perdurarunt. Infamia quoque Iudæorum longe notior facta est toti terrarum orbi, quam Sodomitarum. In primis autem per *iudicij diem* intelligitur extremus ille orbis dies vniuersali hominum iudicio destinatus. In illo die Iudæis Euangelium Christi repellentibus grauiores pœnæ adiudicabuntur in inferno in æternum perferendæ, quam Sodomitis. Erunt enim gradus in inferno, vt ibi quidē alij leuiùs, alij grauiùs sint puniendi pro diuersitate impietatis. Quia autem illi, qui etiam leuissime in inferno punientur, tantos cruciatus sustinebunt, vt omnes totius mundi calamitates, ærumnæ, tribulationes, angustiæ, pressuræ & tormenta ad illos nullo modo comparari possint: debet certe hoc omnes permouere, ne Euangelio Christi se opponant, neve illud contemtim habeant. Quod enim Christus hic Iudæis dicit, illud

illud omnibus dictum putabimus. Nam contemtus, vel conculcatio potius Euangelicæ prædicationis omnium peccatorum longe maximum & grauissimum est, quod Deus non tantum in hac vita euersione ciuitatum & Rerumpub. sed & in æterna infernalibus gehennæ flammis & punitur. Dum vice versa omnium ætatum historiæ testantur, illas prouincias & regna floruisse, quæ Christo regum regi portas aperuerunt, Psalm 24. v. 7. Quanta fuerit Imperatoris Constantini gloria, qui Euangelij Christi iugum in se recepit, & Ecclesiis pacem donauit, notius est, quàm vt hic opus sit referre. Quotquot pij Principes ipsum imitantur, illi & ipsi habent, quod à Christo exspectent. Dum interim de contemptoribus Euangelij verè manet illud Ies. 60. v. 12. Gens & regnum, quod non seruierit Messiæ peribit, & gentes solitudine vastabuntur.

MATTH. 10.

16. Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων. γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί.

17. Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων. παραδώσουσι γὰρ ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς.

18. Καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δὲ καὶ βασιλεῖς ἀχθήσεσθε ἕνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν.

19. Ὅταν δὲ παραδιδῶσιν ὑμᾶς, μὴ μεριμνήσητε, πῶς ἢ τί λαλήσητε. δοθήσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, τί λαλήσητε.

20. Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ὑμῖν.

21. Παραδώσει δὲ ἀδελφὸς ἀδελφὸν εἰς θάνατον, καὶ πατὴρ τέκνον. καὶ ἐπαναστήσονται τέκνα ἐπὶ γονεῖς, καὶ θανατώσουσιν αὐτούς.

22. Καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου. ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται.

23. Ὅταν δὲ διώκωσιν ὑμᾶς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραήλ, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

24. Οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, οὔτε δοῦλος ὑπὲρ τὸν κύριον αὐτοῦ.

25. Ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, καὶ ὁ δοῦλος ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ. εἰ τὸν οἰκοδεσπότην βεελζεβοὺλ ἐκάλεσαν, πόσῳ μᾶλλον τοὺς οἰκιακοὺς αὐτοῦ;

26. Μὴ οὖν φοβηθῆτε αὐτούς. Οὐδὲν γάρ ἐστι κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται· καὶ κρυπτόν, ὃ οὐ γνωσθήσεται.

27. Ὃ λέγω ὑμῖν ἐν τῇ σκοτίᾳ, εἴπατε ἐν τῷ φωτί. καὶ ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων.

28. Καὶ μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι· φοβήθητε δὲ μᾶλλον τὸν δυνάμενον καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ.

29. Οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται; καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν, ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν.

30. Ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσί.

31. Μὴ οὖν φοβηθῆτε. πολλῶν στρουθίων διαφέρετε ὑμεῖς.

32. Πᾶς οὖν ὅστις ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὁμολογήσω κἀγὼ ἐν αὐτῷ ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

33. Ὅστις δ' ἂν ἀρνήσηταί με ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγὼ ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου, τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

34. Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην ἐπὶ τὴν γῆν. οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχαιραν.

35. Ἦλθον γὰρ διχάσαι ἄνθρωπον κατὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ θυγατέρα κατὰ τῆς μητρὸς αὐτῆς, καὶ νύμφην κατὰ τῆς πενθερᾶς αὐτῆς.

36. Καὶ ἐχθροὶ τοῦ ἀνθρώπου, οἱ οἰκιακοὶ αὐτοῦ.

37. Ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμέ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος· καὶ ὁ φιλῶν υἱὸν ἢ θυγατέρα ὑπὲρ ἐμὲ οὐκ ἔστι

16. *Ecce ego mitto vos velut oues in medio luporum. Estote igitur prudentes veluti serpentes, & simplices sicut columbæ.*

17. *Cauete autem ab illis hominibus. Tradent enim vos in concilia, & in conciliabulis suis flagris cædent vos.*

18. *Quin & ad Principes ac Reges ducemini propter me, in testimonium ipsis ac gentibus.*

19. *At cum tradiderint vos, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.*

20. *Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.*

21. *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium. Et insurgent filij aduersus parentes, & morte afficient eos.*

22. *Et eritis odio habiti ab omnibus, propter nomen meum. Verum qui sustinuerit vsque ad finem, hic saluus fiet.*

23. *Cum autem persecuti vos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam. Amen enim dico vobis, non perambulaueritis omnes ciuitates Israeliticas, quin iam venerit filius hominis.*

24. *Non est discipulus supra præceptorem, neque seruus supra dominum suum.*

25. *Sufficit discipulo, vt sit sicut præceptor ipsius, & seruus sit sicut dominus ipsius. Si ipsum patremfamilias vocauerunt Beelzebul, quanto magis domesticos illius.*

26. *Ne igitur metuatis eos. Nihil enim est tectum, quod non sit retegendum, & nihil occultum, quin futurum sit, vt sciatur.*

27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce. Et quod in aurem auditis, prædicate in tectis,*

28. *Et ne metuatis vobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: Sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.*

29. *Nonne duo passerculi minuto asse veneunt? & vnus ex illis non cadet in terram sine patre vestro.*

30. *Vestri etiam pili capitis omnes numerati sunt.*

31. *Ne igitur metuatis. Vos pluris estis, quam multi passerculi.*

32. *Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, qui est in cœlis.*

33. *Porro quisquis negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo, qui est in cœlis.*

34. *Ne arbitremini, quod venerim ad mittendum pacem in terram: Non veni, vt mitterem pacem sed gladium.*

35. *Nam veni, vt dissidere faciam hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & sponsam aduersus socrum suam.*

36. *Et inimici hominis erunt in ijs, qui sunt domestici ipsius.*

37. *Qui amauerit patrem aut matrem suam supra me, non est me dignus. Et qui amauerit filium aut fi-*

μου ἄξιος.

38. Καὶ ὃς οὐ λαμβάνει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, οὐκ ἔστι μου ἄξιος.

39. Ὁ εὑρὼν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, ἀπολέσει αὐτήν, καὶ ὁ ἀπολέσας τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, εὑρήσει αὐτήν.

40. Ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται· καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος, δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με.

41. Ὁ δεχόμενος προφήτην εἰς ὄνομα προφήτου, μισθὸν προφήτου λήψεται. Καὶ ὁ δεχόμενος δίκαιον εἰς ὄνομα δικαίου, μισθὸν δικαίου λήψεται.

42. Καὶ ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ μόνον εἰς ὄνομα μαθητοῦ, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ.

liam supra me, non est me dignus.

38. *Et qui non accipit crucem suam, ac sequitur me, non est me dignus.*

39. *Qui inuenerit animam suam, perditurus est eam. Et qui perdiderit animam suam mea caussa, inueniet eam.*

40. *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui misit me.*

41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.*

42. *Et quicunque ad bibendum dederit vni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ, tantum nomine discipuli, amen dico vobis, non perditurus est mercedem suam.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ

Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων· γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων. παραδώσουσι γὰρ ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς. Καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δὲ καὶ βασιλεῖς ἀχθήσεσθε ἕνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν. Ὅταν δὲ παραδιδῶσιν ὑμᾶς, μὴ μεριμνήσητε, πῶς ἢ τί λαλήσητε. δοθήσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, τί λαλήσητε. Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν. Παραδώσει δὲ ἀδελφὸς ἀδελφὸν εἰς θάνατον, καὶ πατὴρ τέκνον. καὶ ἐπαναστήσονται τέκνα ἐπὶ γονεῖς, καὶ θανατώσουσιν αὐτούς. Καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου. Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται. Ὅταν δὲ διώκωσιν ὑμᾶς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραήλ, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, οὔτε δοῦλος ὑπὲρ τὸν κύριον αὐτοῦ. Ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, καὶ ὁ δοῦλος ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ. Εἰ τὸν οἰκοδεσπότην βεελζεβοὺλ ἐκάλεσαν, πόσῳ μᾶλλον τοὺς οἰκιακοὺς αὐτοῦ; Μὴ οὖν φοβηθῆτε αὐτούς. Οὐδὲν γάρ ἐστι κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται· καὶ κρυπτόν, ὃ οὐ γνωσθήσεται. Ὃ λέγω ὑμῖν ἐν τῇ σκοτίᾳ, εἴπατε ἐν τῷ φωτί. καὶ ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων. Καὶ μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι· φοβήθητε δὲ μᾶλλον τὸν δυνάμενον καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ. Οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται; καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν, ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν. Ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσί· Μὴ οὖν φοβηθῆτε. πολλῶν στρουθίων διαφέρετε ὑμεῖς. Πᾶς οὖν ὅστις ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὁμολογήσω κἀγὼ ἐν αὐτῷ ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Ὅστις δ' ἂν ἀρνήσηταί με ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγὼ ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου, τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην ἐπὶ τὴν γῆν· οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχαιραν. Ἦλθον γὰρ διχάσαι ἄνθρωπον κατὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ θυγατέρα κατὰ τῆς μητρὸς αὐτῆς, καὶ νύμφην κατὰ τῆς πενθερᾶς αὐτῆς. Καὶ ἐχθροὶ τοῦ ἀνθρώπου, οἱ οἰκιακοὶ αὐτοῦ. Ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμέ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος· καὶ ὁ φιλῶν υἱὸν ἢ θυγατέρα ὑπὲρ ἐμὲ οὐκ ἔστι μου ἄξιος. Καὶ ὃς οὐ λαμβάνει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, οὐκ ἔστι μου ἄξιος. Ὁ εὑρὼν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, ἀπολέσει αὐτήν, καὶ ὁ ἀπολέσας τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, εὑρήσει αὐτήν. Ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται· καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος, δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με. Ὁ δεχόμενος προφήτην εἰς ὄνομα προφήτου, μισθὸν προφήτου λήψεται. Καὶ ὁ δεχόμενος δίκαιον εἰς ὄνομα

Ecce ego mitto vos velut oues in medio luporum. Estote igitur prudentes veluti serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab illis hominibus. Tradent enim vos in concilia, & in conciliabulis suis flagris cædent vos. Quin & ad Principes ac Reges ducemini propter me, in testimonium ipsis ac gentibus. At cum tradiderint vos, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis illi loquẽtes, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium. Et insurgent filij aduersus parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio habiti ab omnibus, propter nomen meum. Verum qui sustinuerit vsque ad finem, hic saluus fiet. Cum autem persecuti vos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam. Amen enim dico vobis, non perambulaueritis omnes ciuitates Israeliticas, quin iam venerit filius hominis. Non est discipulus supra præceptorem, neque seruus supra dominum suum. Sufficit discipulo, vt sit sicut præceptor ipsius, & seruus sit sicut dominus ipsius. Si ipsum patremfamilias vocauerunt Beelzebul, quanto magis domesticos illius? Ne igitur metuatis eos. Nihil enim est tectum, quod non sit retegendum, & nihil occultum, quin futurum sit, vt sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce. Et quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Et ne metuatis vobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: Sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Nonne duo passerculi minuto asse veneunt? & vnus ex illis non cadet in terram sine patre vestro. Vestri etiam pili capitis omnes numerati sunt. Ne igitur metuatis. Vos pluris estis, quam multi passerculi. Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, qui est in cœlis. Porro quisquis negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo, qui est in cœlis. Ne arbitremini, quod venerim ad mittendum pacem in terram: Non veni, vt mitterem pacem, sed gladium. Nam veni, vt dissidere faciam hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & sponsam aduersus socrum suam. Et inimici hominis erunt in ijs, qui sunt domestici ipsius. Qui amauerit patrem aut matrem supra me, non est me dignus. Et qui amauerit filium aut filiam supra me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam ac sequitur me, non est me dignus. Qui inuenerit animam suam, perditurus est eam. Et qui perdiderit animam suam mea caussa, inueniet eam. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui misit me. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, merce-

dem su-

δικαίου μισθὸν δικαίου λήψεται. Καὶ ὃς ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ μόνον εἰς ὄνομα μαθητοῦ, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ.

dem iusti accipiet. Et quicunque ad bibendum dederit vni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ, tantum nomine discipuli, amen dico vobis, non perditurus est mercedem suam.

Periocha huius historiæ.

QVæ sequuntur ad finem vsque capitis, de persecutionibus & aduersitatibus, quas sustinere debeant Apostoli, non pertinent ad primam hanc ipsorum legationem, sed ad munus ipsorum, quod post ascensionem Dominicam in vniuerso orbe administraturi erant. Etenim primæ missionis successus futurus erat placidus, siquidem filij sponsi non possunt lugere, quamdiu cum ipsis est sponsus. Matth. 9. vers. 15. Et ipsi in postrema cœna fatentur neque in hac, neque in aliis legationibus quicquam sibi defuisse. Luc. 22. vers. 35. Septuaginta quoque Luc. 10. vers. 17. cum gaudio ex sua legatione reuertuntur. Nec ergo existimarent, cursum ministerij sui perpetuo talem futurum, vel ipse Christus hic addidit concionem, continentem prædictionem de persecutionibus, quæ ipsis obuenturæ essent, in vniuersali illa missione post resurrectionem instituenda: vel certe Euangelista Matth. (vt & supra indicatum) occasione huius legationis & instructionis, in vnum corpus collegit ea, quæ Christus sparsim, diuersis temporibus & locis, Apostolis de futura aspera sua sorte præsignificauit. Idem fere etiam aliis verbi ministris accidere solet, vt prima principia ministerij ipsorum se satis bene habeant, quæ postea acerbiores insultus & luctæ excipiunt, donec tandem multis laboribus, iniuriis, & molestiis fracti cursum suum consumment. Sic nimirum tyrones sensim ad duriora, sufferenda sunt assuefaciendi.

Lucem autem vniuersæ tractationi afferre posse videtur, si ea in certa membra distribuatur, & συνόψει quidem vna vice exponantur: ἐπεξηγήσει vero singula suum in locum asseruentur. Membra sunt quatuor. 1. Pericula & persecutionum grauitatem Christus Apostolis ob oculos ponit. 2. Nouis Præceptis eos instruit, vt sciant, qualiter sese in illis persecutionibus gerere debeant, ne Deum, neve suam conscientiam offendat. 3. Consolationes insuper addit suauissimas & efficacissimas, quibus se illis persecutionibus erigere, & sustentare debeant. 4. Plenius ipsos de ratione & conditionibus regni sui instituit. Singula ordine videbimus.

I. De periculis dicit: 1. *Ecce ego mitto vos vt oues in medio luporum.* Vtitur particula demonstrandi *Ecce*, qua & attentionem excitat, & rem notatu dignam se indicaturum innuit. *Ecce mitto vos sicut oues.* Christus Apostolis & verbi præconibus ouium naturam tribuit, quæ in tribus potissimum consistit: quod ouium ingenium non est versutum vel callidum, sed simplex adeo, vt ad stupiditatem propemodum declinet: quod oues hominibus in omnibus, lana, lacte, carne, fimo, vsui & commodo sunt, sibi solis minime omnium prospicere norunt: quod denique ouis animal est inerme, placidum, mansuetum, & omnium iniuriæ expositum, nisi à pastore suo defendatur. Sic verbi ministri non vafro aut subdolo, sed simplici animo præditi, non suis commodis prospicere, sed proximi saluti consulere: nulli denique iniuriam inferre, aut referre, sed se totos Christo Domino & ἀρχιποίμενι suo committere debent, vindictam ipsi relinquentes. Hasce oues se mittere dicit, non ad lupos. Neque enim hi se in melius conuerti patiuntur, & ad oues perditas se ipsos mittere in superioribus dicit: *sed inter lupos*, seu *ἐν μέσῳ λύκων, in medio luporum.* Per lupos autem intelligit hostes veritatis, quales quidem tum temporis fuerūt Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi & seniores, qui primatum in populo Iudaico tenebant: Assimilantur autem hostes veritatis *lupis*, partim propter rapacitatem, quam sub prætextu religionis exercent, qua etiam viduarum & orphanorum domus deuorare solent: Matt. 23. v. 14. partim propter indomitam & insatiabilem rabiem, vt qui nullis rationibus vel beneficiis cicurari possint, vt se piis Christi sectatoribus æquiores præbeant. Nec miremur, Christum hic suos & veritatis hostes lupos nominare. Sicut etiam iidem Psalm. 80. versic. 14. apri syluestres, Prou. 18. 15. leones rugientes, & vrsi esurientes, Matt. 3. 7. progenies viperarum vocantur, & Luc. 13. 32. Herodes vulpes dicitur. Posteaquam enim homo per lapsum semel defecit à Deo ad Satanam, ea ipsius est deprauatio, vt nulla bestia tam nocens, tam crudelis, tam indomita sit, quam homo, qui in iræ rabiem exarsit, & odij sui libidinem explere in animum suum induxit. Vt ergo veteres hominem homini lupum dixerunt: ita homo homini, hoc est, pio Christi seruo rabiosus Iesuita vel alius quispiam veritatis hostis, leo, vrsus, tigris, serpens, vultures, draco, & sibi ipsi porcus, canis, pestis & interitus dici potest. Sicut etiam Dauid conqueritur: Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum, gladius acutus, Psalm. 57. vers. 5. Sed Deus conterit dentes eorum, in ore ipsorum: molas leonum confringit Dominus. Psalm. 58. versic. 7.

Indicat etiam, quid lupi isti sint facturi, & tria enumerat. 1. *Tradent vos εἰς συνέδρια in concilia vel consessus.* Synedrij nomine (vt supra etiam capite 51. pericopa 3. explicatum est) intelligitur supremus Iudæorum Senatus, quem ipsi Sanhedrin dixerunt, ex Sacerdotibus, legisperitis, & senioribus ad septuaginta vsque viros collectus, in quo de rebus grauioribus ad Ecclesiam & Rempub. pertinentibus consultabatur, in quo etiam pœnæ grauiores & atrociores sontibus, pro diuersitate & qualitate delictorum, decernebantur. In tali synedrio & concessu ipse Seruator noster condemnatus est, Matth. 26. 59. Dicit ergo Christus, hostes veritatis talem actionem aduersus Apostolos instituturos, qua eos de hæresi simul & seditione, tanquam publicos Ecclesiæ & Reipub. perturbatores, accusaturi sint.

2. *Flagellabunt vos in Synagogis.* Synagogæ Iudæorum fuerunt loca, in quibus ipsi publicos suos cœtus docendi causa cogebant. In tali igitur congregatione virorum & mulierum, iuuenum & virginum, ipsorum denique puerorum, ipsos publica infamia notandos, & tanquam excommunicatione dignos, flagellis discutiendos fore testatur.

3. His non contenti addit: *ducemini ad præsides* prouinciarum, *& Reges*, vt mortis sententiam in Synedrio contra vos latam exsequantur, & de vobis, tanquam publicis humani generis pestibus, supplicium sumant. Hæc verò, vt modò dictum est, Apostolis in prima hac missione non acciderunt. Nam ex ea salui & illæsi ad Christum redierunt. At post gloriosam ipsius in cœlos ascensionem experti sunt, Magistrum nimis vere hæc prædixisse. Nam Actorum 4. versic. 5. primum in carcerem coniecti, mox in Senatum producti sunt, vt fidei & doctrinæ rationem redderent. Postea Actor. 5. versic. 40. flagellatis interdixerunt, ne porro in nomine Iesu prædicarent. Tandem ad Romanos præsides & ipsorum milites prouectum est, quibus Apostoli traditi sunt, vt ab illis interficerentur. Sed hos ipsos sibi æquiores, quam Iudæorum Pontifices deprehenderunt, vt patet ex historia Pauli, Actorum 22. 23. 24. 25 & 26. capitibus. Verumenimuero, quæ olim Christus Apostolis prædixit, eadem adhuc hodie sub regno Pontificio synceris & fidelibus Euangelij confessoribus eueniunt. Habent nimirum Pontifices, & ipsorum Episcopi, suos hæreticæ prauitatis Inquisitores, qui ob astutiam suam dolosam & crudelitatem insatiabilem vere vulpes & lupi dici possunt. Hi si cognorint aliquos à Cacolyca ipsorum religione & superstitionibus prophanis recessisse, atque Euangelio nomen suum dedisse, protinus Synedrium & Consistorium pro imperio citant, eum hæreseos simul & perduellionis reum agunt: ibique non tantum Actores, sed & Testes, adeoque Iudices exsistunt. Quo in loco, quando suis iniquis præiudiciis Christi cultores damnarunt, mox eos infamia notant, & quibus cum mitissime agunt, eos excommunicant, carceri includunt, tanquam seditiosos relegant, bonis spoliant, & flagris cedunt. Tandem etiam illos, quos pro contumacibus & incurabilibus hæreticis habent, politico magistratui, cuius potestate pro sua libidine ceu carnificibus abutuntur, tradunt, atque sic ferro flammaque è medio tollunt. Huius rei exemplum non tantum olim præbuit Constantiense Concilium, quod Iohannem Hussum constantem Christi Martyrem vstulauit: sed etiam hodie Styria, Carinthia, Carniola, & quorundam Episcoporum & bicornium Abbatum regiones (de Austria enim & Hungaria dicere non libet) innumera propemodum exempla suppeditant.

Ad exaggeranda hæc pericula facit, huiusmodi iniurias & inimicitias ferendas esse non tantum ab exteris, quorum odia nonnunquam non magnifacimus: sed sustinendas etiam ab iis, quos natura, ob cognationis vinculum, nobis coniunctissimos esse volebat. Quales sunt fratres, sorores, parentes, liberi. Et reuera experientia testis est, solam religionem esse, quæ diuersarum etiam nationum animos in fidei vnitate tam arcte religat & vincit, vt vix morte ipsa à se inuicem diuelli possint. Vicissim autem diuersa religio & fides

facit, vt etiam propinquissimi consanguinei nullam neque pietatis, neque naturalis caritatis rationem habeant, quo minus acerbissimo odio se inuicem persequantur. Exemplo est ipse Christus, cuius cognati & fratres non credebant in ipsum, Iohan.7.versic.5. & Iudæi tanto odio in ipsum exarserunt, vt Barrabam latronem ipsi anteposuerint, Matth.26.vers. 20. Ante Christum autem ob religionem Abelum occidit Cainus frater: Isaacum Ismael, & Iacobum Esauus persecuti sunt: Iosephum quoque fratres vendiderunt. Quomodo etiam Alphonsus Diazius Hispanus fratrem Ioannem ob Euangelij confessionem trucidarit, prolixe legitur apud Sleidanum lib.17. Quid multis? Tribus verbis enunciat Christus: *Exosi eritis omnibus.* Vbi vniuersalis particula indefinite accipi debet pro *omnibus*, qui mundo addicti Christum non receperunt, nec per eius Spiritus gratiam renati sunt. Omnes igitur, siue Iudæi, siue gentes, siue nobiles, siue plebeij, siue sapientes, siue idiotæ, siue consanguinei, siue externi, siue senes, siue iuuenes, qui non sunt ad Christum conuersi, eius seruos & cultores odio prosequuntur. Quam vero ob caussam? Num Christi sectatores sunt homines adeo scelerati & peruersi, vt omnium odio digni habeantur? Minime vero. Sed Christus ipse in præsenti caussam diserte exprimit, dum iterata vice dicit, *propter me, & propter nomen meum*, hoc est, quia mei discipuli estis, meumque Euangelium vel prædicatis, vel profitemini. Prima huius odij origo ex paradiso profluit, vbi ipse Dei filius dixit, Genes.3.versic.15. Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius: ipse conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Ab eo tempore Diabolus filium Dei in omnibus suis membri, etiam in Veteri Testamento, maxime autem post euulgationem Euangelij, persecutus est. Male nimirum ipsum habuit, Christi, semini mulieris, prædicatione fictitiorum Deorum cultum aboleri, oraculis silentium imponi, superstitiosos ritus in religione corrigi, seueriorem morum disciplinam vrgeri, vniuersum denique ipsius regnum vastari. Et Augustinus annotauit, gentiles propterea maxime contra Christianos tumultuatos esse, quia ex Euangelio audierint, Iesum Christum solum vt verum Deum coli velle. Ipsis vero absurdum visum est, propter hunc reliquos Deos omnes, quorum cultus multorum seculorum auctoritate, & multis gloriosis victoriis confirmatus esset, abiicere. Hinc clamabant, non tantum religionem, sed & Rempub. ipsam turbari: Deos nimium offendi, qui sui contemptum ex Euangelij prædicatione ortum, peste fame, bellis & aliis plagis vlciscantur. Hæc vnica & sola caussa est Vatiniani illius odij, quo Euangelij hostes etiamnum hodie eius præcones & confessores persequuntur. Quæ enim caussa est, ob quam Iesuitæ & eorum patroni hodie ex Styria & coniunctis prouinciis Euangelicos magno numero expellunt. Negent vtut velint, se hoc non facere *propter Christum*, vtpote cuius nomen ipsi quoque (sed sicut impij Psal.50.vers. 10. fœdus Dei) in ore suo gestent: tamen res ipsa loquitur, hoc propter solum Christum fieri. Cum enim Euangelici profiteantur, solum Christum, non autem Pontificem Romanum, Ecclesiæ caput esse: solum ipsius sacrificium in ara crucis immolatum, non autem sacrificium missæ satisfactionem pro nostris peccatis esse: solum Christum, non autem sanctos cœlites, esse Mediatorem & intercessorem inter Deum & homines: solius Christi merito fide apprehenso, non autem indulgentiis Papalibus, aut hominum meritis & operibus, nos coram Deo iustificari: solo Christi sanguine, non autem fatuo & conficto inde Purgatorio, nos ab omnibus peccatis mundari, & sine labe ac macula cœlesti patri sisti, siquidem non sit aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, quàm in nomine Iesu, Actor.4.versic.12. mox pro hæreticis proclamantur, & solum vertere iubentur. Eant autem Iesuitæ & negent, se nos nostrosque persequi non nisi *propter nomen Christi*. Nulla superstitio tam absurda, nullum scelus tam atrox, nulla malitia tam effrenis, quæ non excusationem apud ipsos inueniat: sola professio fidei in Christum iustificantem & saluantem flagitium est adeo enorme, vt nullam veniam mereatur. Aleatoribus, scortatoribus, periuris, cynædis, *ἀρσενοκοίταις*, plagiariis, Iudæis & Tartaris apud ipsos locus est: soli Euangelici nullam apud ipsos mansionem habere possunt.

Sed hoc Deus fieri patitur, vt hic Christus inquit: *in testimonium ipsis & gentibus*, seu vt habetur Luc.21 vers.13. *in testimonium vobis*. Quæ *ἀντιπελαργία* & permutatio, quod persecutiones cedant in testimonium tam impiis, quam piis, non est otiosa. Duobus enim hoc fit modis. 1. Cedunt in testimonium *Iudæis & gentibus*, vt sint inexcusabiles, quia per illas manifestum fit, ipsos suo vitio perire, vt qui tot beneficiis, tot miraculis, tam obuia doctrina, & tanta lenitate præconum prouocati, oblatam salutem tam odiose à se reiecerint. Et si sanguis Abelis ad Deum clamat, testimonium ferens de improbitate Caini, quam putabimus vim futuram suspiriorum, precum & lamentationum, quas carceribus inclusi, inter dira tormenta, ad Deum per nubes innocentes martyres Christi transmiserint? Certe tu Deus Opt. Maxim. qui numeras fugas tuorum, & lacrymas eorum ponis in vtrem tuorum, (Nonne hæc sunt in numerato tibi? Psalm.56. vers.10.) numerabis etiam fugas tuorum Euangelicorum exsulum, & colliges guttas sanguinis, quas propter nomen tuum effundunt, in testimonium Iesuitis, quod prædicatum Verbum salutis reiecerint, & proinde æternis inferorum suppliciis mulctari probe meruerint. 2. Cedunt etiam *in testimonium Apostolis*, & omnibus Verbi præconibus, quod Domino suo Iesu Christo, cuius legatione functi sunt, fideles fuerint. Quemadmodum enim vulnera, & ex his contractæ cicatrices testantur de constantia, fortitudine & fide militum, quam Imperatori suo seruarunt: ita concilia, carceres, flagella, tribunalia præsidum, tormenta & effusus sanguis, quibus pij propter Christum excruciantur & trucidantur, fidei quoque ipsorum & constantiæ testimonium ferunt. Hinc factum est, vt illi, qui talia propter Christum sustinuerunt, antiquitus *κατ' ἐξοχὴν μάρτυρες*, id est, testes dicti fuerint. Atque hæc de periculis, de quibus Christus suos præmonet. Prædicit enim Deus suis ministris mundi malitiam & obstinaciam, ne ea offendantur, & vult, vt nihilominus mundo veritatem annuncient, in testimonium contra ipsos. Moysi & Aaroni Pharaonis indurationem prædixit: & tamen eum adire iussit, Exod.7.vers.3. Iesaiæ prædicitur, quod *populus videntibus oculis non sit visurus*, & audientibus auribus non sit auditurus, & tamen illi populo prædicare iubetur, Ies.6.vers. 9. Ieremiæ de suis auditoribus dicitur, bellabunt aduersum te: Ier.1.vers.19. & tamen officium facere iubetur, quia non præualebunt. Sic nobis nouissimi seculi præconibus, Spiritus Sanctus manifeste dicit, periculosissima futura tempora, in quibus homines attendent spiritibus erroris & doctrinæ dæmoniorum, erunt superbi, elati, blasphemi, habebunt aures prurientes, sibique ipsi coaceruabunt magistros ad sua desideria, 1.Tim.4.versic.1. 2.Tim.3.versic.1. 2.Tim.4.vers.3 non tamen propterea in officio faciendo segnes deprehendamur, quin potius vel inuitis & reluctantibus præconium salutis offeramus *in testimonium contra illos*. Et licet lupis nostris semper aquam turbemus, eodem modo, vt ouis Æsopica, tamen vocationi non desimus, quia cum Apostolis in medium luporum abire iussi sumus.

II. Audiamus etiam præcepta siue consilia, quę Dominus & Apostolis suis, & simul nobis quoque suggerit, vt ea in istis aduersitatibus obseruemus. 1. Primum præceptum est, *Estote prudentes vt serpentes, & simplices, vt columbæ.* Quia Apostoli mittendi erãt inter lupos, *prudentiam* requirit, non vulpinam, quæ versipellis est & subdola, nec columbinam simplicitatem admittit: sed *serpentinam*. Huic prudentiæ coniungit *simplicitatem*, nõ asininam, quæ stupiditatem affert: sed *columbinam*. Vult igitur prudentiam conuenienti simplicitate temperatam esse. Seu, vno verbo, requirit prudentem simplicitatem. De serpentina prudentia etiam Patres multum disputant, & varie. Alij enim ad serpentem naturalem, alij ad mysticum eam accommodant. Nos simplicitati studentes, & scientes in eiusmodi similibus non omnia & singula apte accommodari posse, omissis non necessariis, tamen ea adducemus, quæ principaliora esse videntur. Primum omnes Physici serpentum astutiam in eo consistere testantur, vt in periculo caput, in quo vita est, tueantur, ac proinde illud vel foueæ immergunt, vel corpori inuoluunt, ac potius totum corpus ictibus persequentium obiiciunt, quam caput lædi sinant. Capite enim saluo reliquæ partes rursus coeunt, & plagas suas sanant. Sic Verbi ministri omnem suam curam in tuendo capite repositam habere debent. Caput nostrum Christus est, ex quo totum corpus apte compactum & connexum incrementum capit, pro mensura vniuscuiusque membri, in ædificationẽ sui, Ephes.4.v.16. Huic per fidem semel insiti, ab ipso diuelli caueamus, quin potius indiuulso vinculo ipsi adhærescentes, non sit graue propter ipsum omnes fortunas amittere, imo corpus quoq; & sanguinem profundere, dummodo in Christo Iesu inueniamur, habentes non iustitiã nostram, quæ est ex lege, sed illam, quæ ex fide est Christi. Philip.3.v.9. Hac fide si constanter ipsi adhæserimus, ipse caput nostrum omnes plagas, etiam mortis, sanabit, & efficiet, vt omnes vnum simus, sicut ipse in Patre, & Pater in ipso, vt sic etiam nos in ipsis vnum simus, Ioh.17.vers.21. Deinde serpens venenum totius corporis colligit in gutture, ibiq; naturæ ductu prudenter seruare studet, vt, cum necesse est, in promptu habeat, vnde se defendere possit, nec se vi aut palam de hostibus suis vlciscitur, sed clanculum oportunitate accepta. Sic Euangelij præco, veritatis doctrinam semper in promptu habere debet, vt eam tanquam salutare quoddam

venenum

venenum (quod cor hominis occupans efficit, vt is & sibi & mundo salutariter moriatur) diffundat in eos, qui prius veritatis hostes erant: faciat autem hoc non violentia aliqua, aut clamoribus ipsos superando, sed cum oportunum fuerit arte eos conuincendo. Adhæc serpentes in vitandis incantatorum præstigiis diligentissimos esse, Dauid Psal.58.versic.5.testatur: ideo aures suas validissime obturant, ne suauitate carminum ex cauernis suis educantur. Ita fideles verbi præcones aures suas ad vanas sapientum huius mundi fabulas, ad omnes hæreticorum persuasiones, ad cuncta mundi promissa, ad omnia assentatorum præconia, obstruant: ne vllis suasionibus, siue mellitis promissionibus eas condiant, siue minis ipsos terrere studeant, se auelli patiantur à semel agnita fide & doctrina veritatis, in qua velut in latibulo quodam tuto delitescunt. Denique serpens veterem pellem depositurus per angustias rimarum, in cauernis, vel in arboribus se coarctat, & sic à capite ad caudam vsque cutem detrahens, senectam deponit, seque ipsam quasi innouat, vt habet Aristot.lib.8. c.17. de natura animalium. Sic etiam non tantum verbi præcones, sed & in genere omnes Christiani, veterem Adamum deponere, nouum hominem induere, sicque Spiritu mentis suæ renouari debent, vt ingrediantur per angustam portam regni cœlorum. Hanc accommodationem ponit August. in libr. quæst. ex Matthæo.

Serpentinæ prudentiæ Christus adiungit *columbinam* siue *simplicitatem*, siue integritatem & innocentiam. Nam in Græco est vox ἀκέραιοι, quam deriuant ἀπὸ τοῦ κέρατος à cornu, quod scilicet Christus nolit suos esse cornupetas, qui cornu feriant, hoc est, qui vindictam siue vi siue dolo meditentur. Vnde non immerito tales columbis conferuntur. Etenim inter omnia animantia nullum columba candidius, nullum simplicius, quod nulli insidiatur, nulli dolos struit, caret omni felle amaritudinis, nemini se opponit, & ne eos quidem, qui iniuriam inferunt, & pullos surripiunt, insequitur. Omnes suas vires in pernicitate alarum positas habet, qua miluorum & reliquarum rapacium auium virulentiam effugit. Si quid grauius & cum dolore iunctum accidat, nec rostrum acuit, nec vngues ad lædendum promit, sed tristi murmure & gemitu dolorem suum contestatur & patienter fert, quod mutare nequit. Tales Euangelici Doctores quoque esse debent: integritati & innocentiæ studeant, nihil malo dolo agant, à vindictæ cupiditate abstineant. Ipsis deniq; iuxta versiculos probatos,

Hic scopus vnus erit: cunctis prodesse, nocere
Nemini: amare bonos, & tolerare malos.

Si milui & accipitres tyrannorum vitæ ipsorum; & famæ insidientur, acceptis alis precum confugiant ad Deum suum, vt is ipsos saluet ex omnibus persequentibus & liberet, Psal.7. v.1. Si tristius quid ipsis accidat, non questibus & eiulatibus totum orbem compleant & omnia turbent, sed tacitis gemitibus Deo res suas committant, & iniuriam apud ipsum deponant, is vindex erit & vltor. Inprimis autem sibi caueant, ne fiant vultures voraces, aut accipitres rapaces, aut etiam superbi pauones, vel turpes corui crocitantes, sed ingenuam columbarum mansuetudinem, se vel maxime decere & ornare statuant. Quia vero hæc non sunt humanarum virium, verum vt diuinitus dentur opus est, ideo diligenter Deum inuocent, vt is Spiritus sui, qui Matt.3.v.16. in specie columbæ super Christum descendit, gratia ipsos instruere dignetur, quo memores cuius Spiritus filij sint, Luc.9.55. columbinam suam mansuetudinem & modestiam notam faciant omnibus hominibus. Phil.4.5. Hoc est primum præceptum, quod Christus à suis ministris *prudentem simplicitatem* requirit. Prudentiam quidem, quia eos mittit inter lupos: Simplicitatem vero, quia eos mittit tanquam oues. D. Paulus hoc præceptum Rom.16.19. omnibus Christianis his verbis accommodat: θέλω ὑμᾶς σοφοὺς μὲν εἶναι εἰς τὸ ἀγαθὸν, ἀκεραίους δὲ εἰς τὸ κακόν. Quam applicationem concionatores in suis homiliis ad plebem imitari possunt.

Secundum præceptum, *Cauete autem ab hominibus*. Hoc præcepto explicat Christus, quales *lupos* intelligat, in quorum medium suos Apostolos ableget: nimirum non syluestres, sed vrbanos, qui sub specie humana lupinam vitiositatem naturæ suæ tegant, nec se verbo Dei cicurari aut corrigi patiantur, sed aduersus verbi ministros hostiliter insurgant. Ne autem quis putet, Christum hic docere μισανθρωπίαν, quæ non tantum cum caritate Christiana, sed etiam cum natura ipsa pugnat, sciendum hic, per *homines* intelligi filios huius seculi, qui nondum ex semine verbi renati sunt, & proinde habent oculos hominis (vt Dan.7.v.20. de paruulo cornu blasphemias loquente dicitur) hoc est, sunt astuti & subdoli, qui, quem ex legis denunciatione & peccatorum redargutione dolorem cœperunt, tamdiu alto corde premere norunt, donec nocendi occasiones venentur. Hos *cauere* iubet Christus. Vtitur verbo προσέχετε, quod significat attentum, cautum, prouidum & circumspectum esse, ne periculo vel damno non necessario quis se obiiciat. Equidem verbi ministri huiusmodi lupos, siue homines deprauatos non penitus vitare possunt. Etenim à Christo ablegantur, non in eum finem, vt instar Eremitarum solitariam vitam degant, sed vt in medio luporum versentur. Concredidit quoque ipsis verbum salutis, quod est illud medium, per quod Deus vitiosam & corruptam hominum naturam corrigere, lupinum cor auferre, & per salutarem παλιγγενεσίαν nouum & mundum cor creare vult, Psal.51.v.12. Et sane huic medio aliqui sese accommodant, illud simplici fide suscipiunt: his datur potestas filios Dei fieri, quia credunt in nomen Christi, & ex Deo renascuntur, Iohan.1.v.12. Alij vero audito verbo magis indurantur, sicut Act.7.v.54. Iudæi, qui audientes verba Stephani dissecabantur cordibus suis, & dentibus stridebant in ipsum. Cum vero verbi ministri ignorent, apud quos verbum fidei fructificare queat, quibus vero sit odor mortis ad mortem, 2.Cor.2.v.16. ideo caute semper agant, & cum modestia etiam corripiant eos, qui resistunt veritati, si quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem, 2.Tim.2.v.25. Proinde interim caueentes, ne nimium ipsis fidant, & ab ipsis circumueniantur. Christus ipse Iohan.2.v.24. non se credidit Iudæis, eo quod ipsos nosset, nec firma fide Euangelium suum amplexos sciret. Et hæc cautela quoque pars est serpentinæ prudentiæ, de qua in præcedenti præcepto monuit. Nouerunt serpentes, naturæ instinctu à Deo sancitam esse perpetuam simultatem inter ipsos & homines, propter quã homini horrori sunt, ideoque hominum consortia studiose deuitant. Eodem modo cum sciant sancti Dei serui, inimicitias positas esse inter semen mulieris & Diabolum, qui semper illius calcaneo insidietur, ideo cum ipso omnia eius mancipia caueãt & fugiant, ne ex imprudentia ab ipsis circumueniantur.

Tertium præceptum tolerantiam simul & perseuerantiam requirit: *Qui perseuerauerit vsque ad finem, saluus erit.* In Græco est verbum ὑπομένειν, quod sustinere, sufferre, perferre & tolerare significat. Septuaginta vsi sunt eo vt responderet interdum verbo חכה quod significat exspectare inhiando ad rem aliquam, item vehementer aliquid & summo nisu appetere: interdum verbo יחל, quod significat anxia spe potiendi voto rem aliquam exspectare, præstolari cum animi dolore, & ægre ferre protractionem rei exspectatæ, & Mal.3.vers.2. habetur, vbi Propheta dicit, Quis potest sustinere diem aduentus eius? Duo ergo Seruator hic præcipit. Primum est tolerantia in aduersitatibus, licet earum finem anxia spe exspectemus. Omnes enim, qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur, 2.Tim.3.v.12. Et sic constitutum est, vt per multas tribulationes nos oporteat ingredi in regnum Dei, Actorum 14.ver.22. Alterum est perseuerantia vsque ad finem. Neque enim inchoantibus, sed perficientibus, præmium tribuitur: nec cœpisse, sed perfecisse virtutis est, vt inquit D. Hieronymus, sicuti Paulus idem docet exemplis currentium, 1. Corinth.9.versic.24.& certantium, 2.Tim.2.vers.5. Quid enim mihi prosunt, inquit Eusebius Emissenus, sata viridantia, si hodie spem messis ostendant, & me sub ipso falcis tempore, subita vel aëris temperie, vel pluuiarum inundatione decipiãt? Quid mihi proderit, si vinea spem omnem in flore promittat, & vel ferarum incursio, vel vastitas grandinis spem omnem in consummatione subducat? Hom.5.ad mona. Recte ergo D.Greg. lib.1.moral. In cassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur: quia frustra velociter currit, qui priusquam ad metas venerit, deficit. Neque enim in Christianis initia quæruntur, sed finis, vt scribit D.Hieron. ad Furiam: Paulus male cœpit, sed bene finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Memores simus vxoris Loth, quæ Sodomorum terram egressa, nimio flammarum crepitantium metu territa, corporis & mentis oculos retrorsum flexit, & interitum, quem diuino beneficio effugere cœperat, incurrit, Gen.19.vers.26. Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Luc.9.vers. 62. Conferuntur tales homines cancris, qui Leuit.11.vers.12. inter immundos pisces referuntur, & quia modo ante, modo retro gradiuntur, facile capi possunt: sic anima, non constanter in cursu pietatis progrediens, facile à Diabolo capitur.

Quartum Præceptum. Quia multum interest inter perseuerantiam & confidentiam vel temeritatem, ideo ne Apostoli & Euangelij præcones temere se periculis non necessariis obiicerent, in quibus cum detrimento Ecclesiæ perirent, addit Christus etiam hoc præceptum, vel, vt aliqui appellant, hanc licentiam & permissionem. *Dum persequentur vos ex vna vrbe, fugite in aliam.* De fuga omni tempore varie disputatum est. Tertullianus, qui proxime accessit ad tempora Apostolorum, & Scriptor fuit alias non contemnendus, peculiarem scripsit librum de fuga in persecutione, in quo contendit

non esse fugiendum, sed fortiter pro Christo moriendum, omnem fugam turpe & seruile præsidium vocans. Existimauit nimirum Tertullianus, hoc Præceptum temporale fuisse, quod ad Apostolos pertinuerit, tantum in prima legatione, in qua missi erant ad perditas oues Israelis. Sed supra commonstrauimus, hæc verba non ad primam legationem pertinere, licet Diuus Chrysostomus & Diuus Hieronymus in hoc cum Tertulliano concordent. Mirum autem, Tertullianum omnem fugam adeo præcise damnasse, cum ex sacris constet, quamplurimos Dei cultores, quorum fides & pietas ab ipso Spiritu sancto commendatur, tyrannorum impetum fuga declinasse. Moyses, qui fidelis fuit in omni domo Dei, profugit ex Ægypto, Exod. 2. versic. 15. cum intelligeret, Pharaonem capiti suo insidiari. Dauid, quo nemo fuit fortior, sæpe fugit insidias Saulis, & hasce suas fugas Deum numerasse minime dubitat. Psalm. 56. vers. 9. Elias fugit minas Iezabelis. 1. Reg. 19. vers. 3. Oriente persecutione Hierosolymis, fideles fuga dispersi sunt per Iudæam & vicina loca. Actorum 8. versic. 1. Paulus vt effugeret crudeles manus regis Aretæ, sporta ex muro demissus, fugit. Actorum 9. vers. 25. & 2. Corinthiorum 11. vers. 32. De Diuo Athanasio Ecclesiastica historia testatur, ipsum aliquoties in longinquas regiones, & in Germaniam vsque fugisse, vt melioribus se seruaret temporibus. Quid? Quod Christus ipse non semel se subduxit & occultauit, declinans hostium insidias, quia hora sua non venisset. Luc. 4. vers. 30. Iohan. 4. vers. 3. & 8. vers. 59. Recte ergo Diuus Hieronymus in Catal. Ecclesiast. scriptorum Tertulliani opera recensens, illum librum de fuga aduersus Ecclesiam scriptum esse testatur. Verumtamen, quia Christus Iohan. 10. vers. 12. notam mercenarij facit, si quis videns lupum venientem fugiat; ideo Diuus Augustinus in Epistol. 180. quæ est ad Honoratum, & in aliis suis opusculis distincte de fuga nos loqui docet, & testatur, aliam quidem fugam esse licitam & laudabilem, aliam vero illicitam & culpandam. Etsi vero difficile sit in his generalem regulam tradere, quando fugere liceat, quando vero minus: in omni tamen fuga ad hæc quatuor, ad Ecclesiam, ad hostes, ad seipsum, ad finem denique, ob quem fugit, verbi minister respicere debet. Ad Ecclesiam ita, vt tum fugere liceat, si nulla spes sit, cœtum Ecclesiæ congregatum, per præsentiam ministri, prædicatione verbi & Sacramentorum administratione conseruari posse, nec affulgeat vlla occasio regnum Dei vlterius propagandi, aut plures Christo lucrifaciendi. Quis enim auctor esset Doctori Euangelico, vt vitam & sanguinem profunderet illic loci, vbi nulla vtilitas ad Ecclesiam rediret? 2. Ad hostes ita: si hic sic sint exasperati, vt ex præsentia ministri nil nisi occasionem grauius peccandi, & acerbius in Ecclesiam sæuiendi accipiant. 3. Ad seipsum, si nimirum solus pastor petatur, cui hostes veritatis ob suas quasdam certas caussas magis sunt infensi, atque sic huius secessio Ecclesiæ pacem & tranquillitatem rursus conciliet. Et reuera peccat verbi minister aduersus regulas caritatis, si animaduertat suam personam potissimum peti, Ecclesiam autem pace frui posse, & adesse alios, qui eius ædificationem etiam se absente promouere possint, ipse vero pertinaciter cedere nolit, modo ne exsilij molestias sustinere cogatur. 4. Inprimis autem finis fugæ est respiciendus, qui non esse debet, vt quis se in latebras abdat, & postea otio atque ignauiæ suæ consulat, sed vt Christus hic dicit, *fugiat in vrbem aliam*, hoc est, non abiiciat ministerium, sed aliis locis & temporibus talentum suum Domino suo in vsuram exponat. Vt enim bonus Imperator interdum hostibus cedit, ne patriæ salutem in discrimen adducat, quando se ad resistendum imparem animaduertit: idem tamen mox redit, & alio in loco maiori animo hostem aggreditur, & patriæ suæ res magno commodo promouet. Ita innuit Christus, fideles suos ministros etiam in fuga de regno suo propagando cogitare, & de Ecclesiæ incolumitate promouenda solicitos esse debere. Sic Athanasius improbitate suorum hostium ex statione sua eiectus, mox ad eandem, quamprimum licuit, rediit. Hæc qui in fuga attendit, non facile peccabit. Si quis vero animaduertat, se citra scandalum infirmorum ab Ecclesia sibi concredita discedere non posse; aut ex suo discessu veritatis præconium intercidere, quod conseruari posset se præsente; aut ipsum Dominum eum ad certamen cum hostibus sustinendum vocare, tum nequaquam fugiat, sed confirmato animo luctam ingrediatur, de præsidio & assistentia Spiritus sancti nihil diffidens. Sicuti ex Euangelio scimus, Christum, cum sciret horam à Patre destinatam adesse, sponte morti obuiam iuisse: Iohan. 18. vers. 4. & Paulum, ne lacrymis quidem fidelium se detineri passum fuisse, cum intelligeret vincula sua ad illustrationem regni Christi facere posse, Actorum 21. vers. 12.

5. Ne quis concessione illa & licentia fugæ data abutatur, addit quintum Præceptum de aperta & ingenua nominis sui & fidei confessione, etiam in extremis persecutionibus præstanda. Extra periculum enim multi vel ex consuetudine vel priuati commodi caussâ Christi nomen & religionem profitentur: in persecutionibus autem eandem vel aperte negant, vel subdole dissimulant, vel cum hostibus paciscuntur, atque sic turpiter deficiunt. Vt ergo in aduersis veri amici à falsis dignoscuntur: ita in concussione Ecclesiarum & tribulationibus manifestum euadit, quinam sint γνήσιοι Iesu *Christi discipuli*, & qui sint hypocritæ. Hoc vero Præceptum Christus ita ponit, vt illud nolit Apostolis & horum Successoribus *priuatim* datum: Sed omnibus Christianis commune esse velit. Dicit enim, *πᾶς οὖν ὅστις ὁμολογήσει, omnis ergo qui confitebitur*. In Christo Iesu non est differentia inter herum & seruum, inter marem & fœminam, inter diuitem & pauperem, inter doctum & idiotam. Galat. c. 3. vers. 28. & Coloss. 3. vers. 11. Ideo etiam Paulus Romanorum 10. versic 10. de omnibus credentibus dicit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Errant itaque illi, qui fidei confessionem tantum verbi ministris necessario incumbere opinantur: reliquis autem eam *ἀδιάφορον* esse putant. Particula *οὖν*, *Ergo*, hic non illationem sed continuationem denotat. In vera autem Christi confessione requiritur primùm vera Christi agnitio secundum scripturam, tam quoad personam, quam quoad officium & maiestatem. Quoad personam, quod ea ex duabus & in duabus naturis, diuina & humana, personaliter seu *ὑποστατικῶς* & quidem, iuxta Chalcedonensis Synodi Canonem, *ἀχωρίστως, ἀδιασπάστως καὶ ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀναλλοιώτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀδιαστάτως* vnitis constet. Quoad officium, quod sit *vnicus Mediator* inter Deum & homines, mundi Redemtor & Saluator, qui, diræ suæ passionis & innocentis mortis merito, peccata hominum expiarit, iram Patris sedarit, mortis & Diaboli tyrannidem debellarit, infernum credentibus vastarit, & sublata maledictione æternam benedictionem reduxerit. Quoad Maiestatem, quod iam deposita serui forma sedeat in throno Maiestatis diuinæ ad dextram cœlestis Patris, vbi salutationis nostræ opus plene peragat, pro nobis apud Patrem intercedat, nos contra Diaboli tyrannidem tegat & tueatur, atque vna cum Patre & Spiritu sancto ipse ὁ λόγος in, cum, & *per humanam naturam suam personali vnione assumtam, omnia in* vniuerso mundo præsenter & potenter gubernet, & *singula* ad finem sibi gloriosum & credentibus *salutarem dirigat*, donec olim rediturus ad *iudicium omnibus* tam piis quam impiis iuxta fidem & opera retribuat. Deinde vero in confessione requiritur, vt hæc omnia, quæ quis ex verbo Dei de Christo addidicit, & vera esse agnouit, etiam libero ore & disertis verbis, aduersus omnes hæreses, siue illæ vnicam Christi personam distrahant, siue alterutram naturam negent, siue earum proprietates confundant, siue alios Mediatores ipsi adiungant, siue Maiestatem ipsius & omnipræsens dominium calumnientur, *confiteantur coram hominibus*. Per *homines* hic intelligit Christus eos, qui pios persequuntur, qui eos occisos cupiunt, & à quibus cauendum supra monuit. Sic enim Marc. 8. vers. 38. ipse interpretatur, quando inquit: *qui me confessus fuerit in generatione ista adultera & peccatrice*. Itaque non tantum coram amicis, & in cœtu credentium, atque Christiano nomini fauentium: sed etiam coram incredulis, & diris Christi hostibus, qui ingenuos Christi Confessores nefarie trucidare, & miris tormentis excarnificare cupiunt, ingenuam fidei confessionem edere decet. Denique in fidei confessione etiam requiritur, vt id, quod verbis & ore profitemur, factis quoque & opere exprimamus: sicuti Iacobus dicit cap. 1. v. 18. Ostende mihi fidem tuam operibus. Ergo ingenuam fidei confessionem etiam eo edamus, vt *illos* cœtus sacros, in quibus syncerum Dei verbum annunciatur, adeamus, reliquos declinemus: Sacramentorum vsum apud illos participemus, quos nobis in confessione fidei ὁμοψύχους esse scimus, reliquos deuitemus: preces nostras tam priuatas quam publicas cum syncera fidei sociis coniungamus: vitam quoque totam sic instituamus, vt omnes eius actiones Christum spirent, Christum loquantur, Christum exprimant, vt sic cœlestis pater per Christum in nobis glorificetur: denique si opus sit, omnem hanc fidei nostræ confessionem etiam sanguine nostro obsignemus, & mortem potius oppetere velimus, quam vt quicquam fidei nostræ contrarium committamus. Exempla huiusmodi confessionis vel confessorum si quis habere cupiat, is intueatur tres socios Danielis, Daniel. 3. v. 12. Danielem ipsum, Daniel. 6. v. 10. Maccabæos, qui tempore Antiochi excruciati sunt, & totum illum chorum piorum Martyrum, quos Ludouicus Rabus duobus voluminibus descripsit. His confessoribus Christus amplissimum præmium constituit, dum inquit: *Eum & ego confitebor coram patre meo, qui est in cælis*. Attende autem, quod Christus his verbis non pares vices, sed longe excellentiores nobis pollicetur. Si enim nos Christum coram hominibus confiteamur, quantula hæc

hæc ipsius est gloria? Si vero ipse nos olim in glorioso suo aduentu coram patre suo cœlesti, & omnibus sanctis angelis sit collaudaturus, quod fideles & constantes fuerimus in ipsius confessione, & quod nos ipsos pro nominis ipsius gloria periculo mortis exposuerimus, tum certe illud æternæ nostræ beatitudinis caussa futura est. Non autem omnem hanc remunerationem in nouissimum tantum diem vsque reiicit, sed interim quoque suis confessoribus in his terris adest, eos luctantes & pugnantes spectat, periclitantes tuetur, labascentes erigit, animas morientium suscipit, & tandem ex mortui resuscitatos in æternum beabit.

Cæterum, vt Christus tanto vehementius omnes moueat, & inprimis turpem metum ignauis excutiat, è contrario grauissimam comminationem, quam abnegatores exspectare cogantur, adiicit: *Qui autem negauerit me coram hominibus, eundem & ego negabo coram Patre meo, qui in cœlis est.* Christum negant, 1. qui eum non talem Seruatorem agnoscere volunt, qualis in Euangelio & Scripturis prædicatur. 2. Qui nolunt esse parati ad satisfactionem omni poscenti rationem de illa, quæ in ipsis est, spe. 1.Pet.3. v.15. Sicuti hodie multi summam sapientiam esse existimant, si ambiguis responsis omnes de fide quæstiones eludāt, nec quisquam certo nouisse queat, cui ipsi religioni sint addicti. 3. Qui splendidis verbis multa de religione garriunt, factis autem virtutem eius abnegant. 2. Tim.3.v.5. 4. Qui à veritate semel agnita rursus deficiunt, humanarum traditionum figmenta amplectuntur, & post vanissimas superstitiones declinant. De his inquit Petrus, quod Dominum negent, qui ipsos mercatus est. 2. Pet.2.versic.1. & quod posteriora eorum deteriora fiant primis, v.20. Horum abnegatorum Christus hanc pœnam futuram testatur, quod vicissim *ipsos negaturus sit coram patre suo, qui in cœlis est.* At quos ille suos esse negauerit, illi in libro vitæ non reperientur, iidem à consortio regni cœlorum in æternum excludentur. Consideret ergo quisque secum, quantum hoc damnum sit futurum. Etenim si quis coram hominibus Christum non laudet, sed neget, ipse Christus propterea nihilo minor erit. Sed quem Christus negauerit coram Patre suo, de eo actum erit in sempiternum. Ideo in Marco dicit, se negaturum *in aduentu suo, cū venerit in gloria Patris cum sanctis angelis.* Nec mirum. Christum enim summum suum benefactorem, Creatorem & Redemtorem coram hominibus negare, summum scelus est, cum extrema impietate coniunctum, quod nonnisi vltricibus flammis infernalibus expiari potest.

III. Consideremus enim consolationes, quibus Christus suos in istis persecutionibus & aduersitatibus erigit. Et 1. non improbo illorum sententiam, qui expendunt Emphasin, quę latet in Pronomine EGO. Dum dicit: *Ecce* EGO *mitto vos.* Cum enim durū sit & periculosum inter medios lupos mitti, vult illos consideratione personæ mittentis seipsos consolari. Nam quis est ille *Ego*, qui mittit? Est vnigenitus & æternus Dei filius, humana carne vestitus, Dominus non tantum spiritualis huius messis, sed etiam cœli & terræ, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra: Matth.28.vers.18. cuius pedibus omnia sunt subiecta: Psalm.8.v.8. qui constitutus est ad dextram Patris, supra omnem principatum & potestatem, & virtutem & dominationem: Epes.1.v.21. qui pugillo metitur aquas, cœlos palmo ponderat, & molem terræ tribus digitis appendit. Iesai 40. v.12. Coram quo omnes gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt, omnes insulæ quasi puluis exiguus: imo omnes gentes quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei, ibidem versicul.17. Est denique ille Dominus, qui omnipotens & omniscius, suam omnipræsentiam suis omnibus diebus vsque ad consummationem seculi pollicitus est, Matth.28.vers.20. Vult ergo dicere: EGO, cuius caritatem erga vos cuius potentiam in omnes, hactenus experti estis, vos mitto: qui nunquam vos missurus essem, nisi hoc ita & vobis & aliis expediret, & nisi mea potentia efficere vellem, vt nihil mali etiam inter medios lupos sustineatis: imo diuina mea potenti efficiam, vt multos adducere possitis, qui deposita lupina feritate vna vobiscum in posterum oues fient. Quando mundani Principes legatos emittunt, hi non tantum se omnium gentium iure inuiolabiles, atque ab omni iniuria tutos & securos esse debere statuunt: sed etiam pro qualitate suorum Dominorum, à quibus ablegantur, sibi pollicentur, se multum fauoris, gratiæ & honoris à quibusuis, propter suos Principes, consecuturos Sin à quoquam lædantur, futurum, vt ipsorum honos & existimatio digne vindicetur. Quemadmodum Dauid iniuriam suis legatis ab Ammonitis illatam, seuerissime vltus est, Samuel. 10.v.5. Cur non ergo summi Dei legati, se vel ab omni iniuria tutos, vel si violentur, plus satis acriter vltos fore sperarent? Hic *Ego* Moysen & Aaronem in Ægypto, aduersus tyrannum Pharaonem, in deserto, aduersus rebelles Israelitas tutatus est. Idem Danielem in lacu leonum, socios eius in fornace ardenti, Petrum ex carcere liberauit: Paulo quoque astitit, cum staret ad tribunal Neronis, cumque corroborauit atque eripuit ex ore leonis. 2.Tim. 4.v.17.

2. Altera consolatio consistit in illis verbis: *Cum vos tradiderint, ne sitis soliciti, quomodo aut quid loquamini.* Solatur ipsos aduersus metum insantiæ. Erant Apostoli Christi homines illiterati, nec vllo rerum vsu instructi. Metuebant ergò, ne, quando in Conciliis aut coram Regibus sisterentur, non haberent, quod pro se dicerent. Idem metus etiamnum hodie multos excruciat & solicitos reddit metuentes, ne ipsorum imperitia caussæ Euangelicæ apud astutos & versipelles hostes officiat. Certe hic metus Moysen permouit, Exo.4.v.10. & Ierem. c.1.v.6. vt detrectarent vocationem diuinitus oblatam, & alium suo loco mitti peterent. Aduersus hunc metum Christus suos solatur, rationem addens: *Dabitur enim vobis illa hora, quid loquamini. Hora* meminit, quia in persecutionibus singulis horis, singulis momentis noui quid, de quo nunquam cogitaremus, incidere potest. Nescit enim præsens (vt habet versiculus) quid ferat hora sequens. Quis ergo in nouis istis emergentibus malis subitaneum consilium subministrabit? Respondet Christus: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri is est, qui loquitur in vobis.* Vult dicere: Caussa Euangelij non est vestra, sed cœlestis Patris: is iustus, verax, potens, & gloriæ suæ vindex acerrimus, caussam suam non negliget, sed per Spiritum suum, qui in Prophetis locutus est, etiam vestra corda, linguas & labia ita gubernabit, vobisque eiusmodi sapientiam & differendi facultatem dabit, vt non possint vobis resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Luc.21, versic.15. Veritatem huius promissionis non tantum Actorum liber cum vniuersa historia Martyrum testatur, verumetiam multi eorum, quibus serio cum hostibus Euangelij confligendum fuit, experientia teste didicerunt, sibi in summis angustiis constitutis talem ex tempore differendi facultatem diuinitus datam fuisse, vt si maxime satis amplum præmeditandi tempus concessum fuisset, nunquam tamen etiam adhibita summa diligentia pari felicitate idem consequi potuissent. Ideo tempore confessionis in necessitate constituti, serio ad Christum suspirent, dicentes: Caussa tua est caussam Christe tuere tuam; & salutarem effectum suarum precum sentient. Interim nequaquam hinc verbi ministri suæ ignauiæ vel torpori patrocinium quærāt, quasi non opus sit diligenti lectioni & meditationi Scripturarum incūbere: siquidem futurum sit, vt in illa hora ipsis detur, quid sit loquendum. Christus enim non simpliciter omnem cogitationem & meditationem, quæ de veritate siue docenda siue defendenda suscipi potest (sicuti vulgata versio hic habet: *nolite cogitare*) sed tantum solicitam illam anxiam & trepidantem curam, cum diffidentia aliqua diuini auxilij coniunctam, & quæ ipsos ab officio reuocare poterat, prohibet. Hæc enim est vis verbi, quo Christus in præsentia vtitur (μὴ μεριμνήσητε *nolite soliciti esse,*) sicuti id cap.51.peric.7. huius Harmoniæ explicatum est. Interim fixum manet illud Pauli: 1. Tim.4.vers.13. Attende lectioni: & illud Dauidis, Pius dies noctesque in lege Dei meditatur. Psal.1.ver.2. Christus ergo suis hac consolatione eximere voluit, non fidelem veritatis meditationem, sed diffidentem pusillanimitatis solicitudinem.

3. Tertia consolatio habetur in suis verbis: *Amen dico vobis: nequaquam obieritis vrbes Israelis, quin iam venerit filius hominis.* Quæ verba, licet ab Interpretibus varie accipiantur, ob nimiam suam obscuritatem, plerique tamen & præcipui in eo conueniunt, quod Dominus iis huic metui Apostolorum præoccurrat, quod cum Christus de fuga dixerit, & concesserit, vt si ex vno loco reiicerentur, in hac vero prima missione tantum ablegati essent ad perditas oues Israelis, periculum sit, ne breui nullus locus amplius supersit, in quem se recipere possint. Christum ergo præoccupare & dicere, hanc ipsorum functionem, & proinde etiam persecutionem in ea, non fore diuturnam. Etenim futurum, vt antequam Palæstinam seu ciuitates Israelis circuirent & peragrarent omnes, ipse adesset & sua præsentia eos tueatur. Hic sensus est Diui Chrysostomi, quem non pauci sequuntur. Cæterum quia hæc prima Apostolorum missio abiit sine persecutione; ideo hæc verba aliqui extendunt ad secundam missionem, qua post Domini ascensionem in cœlos Apostoli iussi sunt abire in vniuersum orbem terrarum, & prædicare Euangelium non tantum Hierosolymis, in Iudæa, & in Samaria, sed & omni creaturæ ad vltimas terras. Marc.16.v.15. Act.1.v.8. Quam missionem protinus eodem adhuc anno post cædem Stephani excepit magna & grauis persecutio, Actor.8.v.1. quæ pios & credentes per regiones Iudææ & Samariæ dispersit. Putant ergo illi, Christum hac consolatione ipsorum animos præmunire voluisse, atque promittere, se iustum iudicem & vindicem sanguinis ipsorum affuturum, etiam antequam omnes vrbes Israelis obiuissent. Huic sensui fauet historia illius tem-

poris. Nam antequam Christiani circa 40. post ascensionem Dominicam annum penitus ex Iudæa Pellam vsque expellerentur, iam quinto anno sub Nerone initium factum fuit belli Iudaici, in quo filius hominis venit, & iusto iudicio vindictam sumsit de Iudæis, qui Euangelium & eius præcones in vrbibus suis ferre noluerunt. Eodem modo adhuc hodie, filium hominis venit in iudicio, & est testis velox Malach.3.versic.5. aduersus eos, qui Euangelium Christi audire detrectant, & modis omnibus persequuntur. Et hic est secundus sensus illius dicti Christi. Porro D.Augustinus libr.2.aduersus secundam Epistolam Gaudentij cap. 12. hanc sententiam Christi ita accipit, quod Dominus promiserit synceris Euangelij Doctoribus & eorum sectatoribus, nunquam ad finem seculi vsque defutura loca, ad quæ securitatis ergo possint confugere. Cum enim in vniuerso orbe prædicandum sit Euangelium, & nusquam nec vnquam desint, qui illud persequantur, innuere Seruatorem, omnibus itidem temporibus alicubi futuros aliquos, qui grato animo præconium salutis, per filium hominis partæ, suscepturi, & ob receptam illam fidem etiam eius præconibus nidum concessuri sint, in quem tuto ac secure se recipere queant. Ergo quod Dominus hic dicit de *ciuitatibus Israelis*, illud iuxta hunc sensum Augustini accipi debet non de carnali Israële, sed de spirituali, de quo Paulus Rom 6.v.6.& Gal.6.v.17. Sicut etiam in Psalm. 69.v.36. per ciuitates Iudæ, quas tempore Messiæ ædificandas prædicit Dauid, intelliguntur ciuitates fidelium Christianorum, qui spirituales sunt Iudæi, Christum confitentes. Quo sensu etiam Iesaias dixit c.19.ver.18.in Ægypto futuras quinque ciuitates, loquentes lingua Chanaan, & iurantes per Dominum exercituum. D. Hilarius aliam habet intelligentiam huius sententiæ, quæ tamen coarctior videtur. Is enim Græcum verbum μὴ τελέσητε *non finietis*, accipit pro *non perficietis*, non consummabitis, vt sensus sit: Vestra doctrina non reddetis perfectas omnes ciuitates Israël, nec eas omnes ad fidem conuertetis, nisi postquam intrauerit plenitudo gentium, & iam adsit tempus secundi aduentus Domini. Hi sunt diuersi sensus Interpretum, quoad hanc Christi sententiam. Sed quocunque sane sensu quis eam accipiat, eo tamen recurrit summa rei, Christum suis polliceri, etiam in ipsis persecutionibus nunquam eis defutura loca tutiora, in quæ securitatis ergo se recipere possint. Huic promissioni etiam nos fidamus.

4. Quarto solatur suos aduersus metum ignominiæ & contumeliarum, quæ in munere docendi siue Ecclesiastico erant sustinendæ. Vix quicquam est, quod generosos animos grauius vrat, quam conuitia & calumniæ. Calumnia, inquit Salomon, conturbat sapientem, & perdit robur cordis ipsius, Eccles.7.v.8. At vero fere semper hostes veritatis fideles Christi seruos nimbis conuitiorum & mendaciorum obruunt, quibus ipsos vulgo suspectos reddunt, quasi indigni sint, quos terra ferat. Huic malo Dominus occursurus ipsos duplici argumento confirmat. Primum sumtum est à proprio Christi exemplo. *Non est discipulus*, inquit, *supra præceptorem, neque seruus supra Dominum suum, &c.* Ex vulgo desumta est hæc sententia. Nam vel minimo ex plebe iudice turpe fuerit, si Dux belli pedes incedat, & gregarij milites, vel equis, vel curribus vehi velint. Ita sufficiat discipulis non male gratis & seruis fidelibus, si eadem sorte & conditione cum præceptoribus & heris suis fruantur. Intolerabilis enim & odio digna est illa animi siue superbia, siue mollities, qua quis supra Præceptorem vel Dominum suum ita se effert, vt sibi melius quàm illis esse velit. Hinc ergo infert Christus: *Si ipsum patremfamilias Beelzebul vocarunt, quanto magis domesticos illius?* Non vocat seipsum Magistrum, nec etiam Dominum, sed *patremfamilias*. Eo respiciens, quod Ecclesia sit domus Dei, 1.Timoth. 3.v.15. in qua Christus credentibus, tanquã pater familię suæ, præsidet, ad quam ipse suos colligit, & in qua gratiæ suæ thesauros dilectis & electis suis dispensat, donec ipsos in æternũ gloriæ regnum assumat. In hac domo credentes sunt οἰκεῖοι, conciues sanctorũ, & domestici Dei, Ephes.2.v.19. ac proinde ad ipsos pertinet vsusfructus omnium cœlestium bonorum, quos hic Paterfamilias, æternus Dei filius, immaculati sui sanguinis pretio peperit & domesticis suis distribuit. Est hæc dignitas infinitis vicibus maior & præstantior, quam si potentissimi Regis aulici vel familiares essemus. Hinc enim, quia domestici facti sumus Dei, sumus etiam filij Dei, & eius hæredes, cohæredes autem Christi: Si tamen compatimur, vt & glorificemur. Romanorum 8.v.17. Quod si ergo Patremfamilias spiritualis huius domus, Dominum Iesum Christum, *Beelzebul vocarunt*, (id quomodo sit factum, & quid hoc conuitio Iudęi intellexerint, superius capite 59. huius Harmoniæ prolixe est explicatum) quid mirum idem etiã credentibus, & inter hos potissimum verbi Doctoribus, accidere? Male quidem habuit Ieremiam, cap.15.vers.10. quod vir rixarum & discordiæ dictus est in vniuersa terra. Paulus quoque in suis Epistolis, præsertim in vtraque ad Corinthios, prolixas Apologias instituit; quibus se aduersus æmulorum suorum calumnias tutatus est. Nec à Deo etiam verbi ministro prohibitum est, vt quis legitimo modo se contra calumnias & iniurias maleuolorum defendat. Sed si quis contumelias omnes auertere nequeat, non propterea animo nimium discrucietur, neque se iustam conuitiandi causam habere arbitretur, sed animam in patientia commendet cœlesti & spirituali huic patrifamilias, qui & ipse publice pro impostore, seductore, cultus diuini prophanatore, legis diuinę violatore, pacis publicæ turbatore, Samaritano, dæmonum seruo, & qui virtute Beelzebuli dæmonia eiiciat, passim in Euangelio, sed mendaciter, proclamatus & diffamatus est. Hic domesticorum suorum (quod & alias boni & honesti viri facere solent) famam, existimationem & honorem non negliget, sed suo tempore vindicabit. Ipse enim apud Prophetã dixit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, vel, vt alij iuxta Hebræum textum legunt, oculi sui. Zach.2.v.8.

Hic vero aliqui excipiunt. Facile sane nobis foret calumnias & conuitia improborum contemnere, si modo de nostra innocentia aliis cõstaret. Iam vero hoc intolerabile videtur, quod innocenter aliis suspecti reddimur, nec vlli defensioni locus datur. Huic querimoniæ alterũ argumentũ opponit à natura Veritatis, inquiens: *Ne timueritis vos. Nihil enim est apertum, quod non sit reuelandum: & nihil occultum, quod non sit cognoscendum.* Hanc parœmiam Christus etiam mutuatus est à vulgo, qui statuit, omnia etiam occultissima suo tempore esse reuelanda. Vnde etiam gentium sapientes veritatem temporis filiam esse dixerunt: & eandem finxerunt esse nudam, quam tempus ex obscuris terræ cauernis in lucem extrahat. De hac temporis natura etiam Sophocles eleganter inquit; ἅπανθ᾽ ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος φύει τ᾽ ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται. Potest hæc generalis sententia variis modis accommodari. Sicut etiam de hac sententia superius capit.61. sub finem parabolæ de semente in quadruplicem terram cadente, aliquid dictum est. Quod tamen præsentem locum concernit, monet is primum omnes homines, ne spe impunitatis peccent. Est enim ea peccatorum fœditas, vt etiam improbissimos eorum pudeat: qui tamen ab iis non abstinent, vbi ea celari posse arbitrantur. Vnde omnes, qui male faciunt, fugiunt lucem, Iohann.3. versiculo 20. Sed turpiter falluntur. Nam & Deus, qui ἄγρυπνον ὄμμα habet, & apud quem nox sicut dies illuminatur, Psalm.139. versiculo 12. hoc videt, & suo tempore miris modis in lucem protrahet. Cain fratrem Abelum clam occiderat: sed sanguis eius etiam terra obrutus ad Deum pro vindicta clamauit, & exauditus est, Genes. 4. versiculo 8. Dauid Vriæ vxorem in occulto constuprauit, & mariti cædem subdole procurauit: Sed Dominus & vidit, & grauiter per Prophetam corripuit, 2.Sam.11. versi.4. Iezabel iniustam Nabothi cædem publici iudicij authoritate texit, sed Deus eam Eliæ manifestauit, &, vt hoc nomine Regem Achabum grauiter redargueret, instruxit, 1. Reg.21.versic.17. Nemo ergo spe impunitatis siue mentiatur, siue mœchetur, siue furetur, siue imposturas exerceat, vel innocentem sanguinem fundat. Discurrunt enim oculi Domini in vniuersam terram Zach. 4. versiculo 10. & abditissima quæuis ex latebris occultis eruunt, suoque tempore puniunt. Deinde vero, vt propius ad rem accedamus, seruit hæc parœmia consolationi, vt ad ferendas contumelias & iniurias patientes simus. Vtcunque enim innocentia & integritas nostra ad tempus hominibus incognita & occulta est: suo tamen tempore, ex Dei dispensatione, vel in præsenti seculo, vel certe in nouissimo die, omnibus erit patefacienda, & ab omnibus collaudanda. Sicuti hoc commonstrant exempla Iosephi calumniis impudicæ heræ oppressi, Dauidis contra Saulem, Susannæ contra duos seniores, Apostolorum item & Martyrum, quos hodie diuinis honoribus prosequitur mundus, qui olim eos hac lue indignos iudicauit. Iccirco parati simus Christum Dominum sequi, per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famã: vt seductores & tamen veraces, 2. Corinth.6.v.8. non dubitantes Christum suorum innocentiã tempore grauiter asserturum, & effecturum, vt memoria iusti sit æterna. Psalm.112.versic. 7. & laudem habeat, Prou. 10.versiculo 7. nunquam intermorituram. Ideoque verbi ministri mundi calumniis & peruerso eius iudicio nihil moueantur, sed intrepidi in officio suo, cui à Christo destinati sunt, pergant, nec in gratiam infelicis mundi ea celent, quę Deus grauiter & in aperta luce argui vult. Sicut Christus ipse hoc argumentum hisce verbis concludit: *Quod dico vobis in tenebris, hoc dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate super tecta. In tenebris & in aurem dicta* metaphorice intelliguntur ea, quæ priuatim & secreto dicta sunt: *in lumine* autem, &

tem,& *super tecta* ædium dicuntur ædia, quæ palam & omnibus prædicantur. Loquitur autem secundum morem prouinciæ Palæstinæ in qua tecta non fuerunt acuminata, sed plana, vt in iis residere & colloqui potuerint. Peccant ergo in hanc Christi doctrinam, quicunque mundi superstitiones,& vitia aperire argui & corripi nolunt,& verbi ministros sic suo munere fungi volunt, ne quem offendant. Sicuti olim Iudæi Prophetis dixerunt: Nolite nobis aspicere ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores, recedite à via, declinate à semita, & cesset à facie nostra sanctus Israel, Iesa.30.versic.10. Item:ne Prophetetis, Amos 2.v.12.ne stilletis, non comprehendet nos confusio Mich.7.vers.6. Et hodie multi sunt, qui prurientes auribus, verbi ministris, imo ipsi Spiritui Sancto leges dictare audent, qualiter munere suo in Ecclesia fungi debeant. Sed audiant illi potius, qui suis per Prophetam dicit: clama, ne cessas, quasi tuba exalta vocem tuam,& annuntia populo meo scelera eorum, Iesa.58.versi.1. Quis fidelis Medicus mollitiei sui ægri tantum indulget, vt sibi præscribi patiatur, qualiter & quomodo vlcera morbida tangere debeat? Et animæ Medicus illud ferret?

5. Postremo solatur suos aduersus metum occisionis & mortis periculum, in quo pij tota die versantur, æstimati sicut oues occisionis, Psalm.144.versic.23. Rom.8.versi.36. Aduersus hunc metum ipsos animat duplici argumento. Primum comparatione constat. Confert enim inter se corpus & animam, vitam item hanc caducam & æternam, hostes denique quos in terris habemus,& ipsum Deum. Hostibus in his terris tribuit, quod corpus trucidare, nosque vita hac mortali priuare possint. Deo autem tribuit, quod postquam corpus perdiderit, nosque vita hac mortali mulctarit, corpus simul & animam cœlesti vita priuare,& æternis gehennæ cruciatibus adiudicare possit. Ac proinde vult, vt vel saltem communis sensus iudicio vsi, magis de animæ, quam de corporis salute solliciti simus, potiorem illius quam huius seruandi rationem habeamus, atque ea propter magis Deum quam tyrannos metuamus. Horum enim crudelitas vlterius non quam in corpus sæuire potest, quo exstincto, iam desæuiit ipsorum tyrannis. Bene autem etiam post temporalem hanc vitam, animam & corpus eo abiicere potest, vbi vermis eorum nõ morietur,& ignis eorum non exstinguetur Ies.66.vers.24. Ex his patet, 1. post hanc mortalem vitam superesse adhuc aliam, in qua totus homo, corpore & anima, vel in æternum gaudebit, vel in æternum cruciabitur. 2. Vitæ illius arbitrium esse penes solum Deum, qui in sua potestate habet homines vel in cœlestem vitam assumendi, vel ad inferos eosdem detrudendi. Ipse, & non Pontifex Romanus cum sua excommunicatione, habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit, Apocal.3.v.7. 3. Animæ quoque immortalitas ex hisce manifeste demonstratur. Quicquid autem de animæ occisione dicitur, illud spiritualiter est accipiendum. Nam triplex animæ vita statuitur. Vna ipsius naturæ, secundum quã est immortalis & incorruptibilis. Altera gratiæ: quia viuit in Christo: quam homo ipse sibi per peccatum auferre potest. Tertia gloriæ & æternæ felicitatis, quam vt solus Deus confert, ita idem solus aufert iis, qui in peccatis contra conscientiam perseuerant & moriuntur. Interim & hoc obseruãdum, quod Christus hic dicit, non timendos illos, *qui potestatem habent trucidandi corpus*, non absolute, sed & ipsum ex comparatione dictum esse. Nimirum cauendum, ne homines plus timeamus quam Deum, adeoque propter homines aliquid faciamus præter officium, quo Deus offendi posset. Etenim etiam magistratui timor debetur, vt & Paulus dicit Rom.13.v.7. Reddite timorem, cui timorem. Hic tamen timor ita ipsis reddendus est, vt ne quid contra Deum committamus. Alias Petrus dicit, Act.5.v.29. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Timor enim Domini initium sapientiæ. Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi, Psal.111.v.10.

Alterum argumentum, quo Christus suos aduersus mortis metum confirmat, desumtum est à prouidentia Dei & paterna ipsius cura erga fideles. Estque hoc argumentum præcedenti firmius, quia docet, tyrannos & hostes nostros, quantumuis crudeles & potentes, ne illam quidem potestatem mortalem hanc vitam nobis eripiendi, absolute habere, sed tantum ex permissione Dei, qui sua prouidentia nostram vitam sibi commendatam habeat. *Duo passerculi assario veneunt, & vnus ex illis non cadit in terram sine Patre vestro.* Emphasis verborum, quibus describit prouidentiam Dei, obseruanda est. Sumit in manus contemtissimam auem, *passerem*, Nam Plinius lib.10. cap. 36. inquit: Passeri minimum vitæ, mares negantur anno diutius viuere, ob salacitatem. Alij dicunt, passeres leprã & morbũ caducum sæpius incurrere. Hæc tam vilis, contemta,& omnibus exosa auis, *passer*, vt vnus non dignus æstimetur minimo & vilissimo pretio (*ἀσσάριον* enim est diminutiuũ ab asse, & minutissimam monetam denotat, dimidiatum nummum vel obolum) sed duo sint coniungendi, si quis vendere & obolum lucrari velit. Apud Lucam cap 12.versic.6. adhuc maior est auxesis: *Quinque passeres venduntur dipondio*, siue duobus assariis, q.d. Nemo libenter exponit *ἀσσάριον* pro duobus passeribus si maxime auceps velit vendere, sed pro vno nũmo emit quinque passeres, vt vnus passer in lucrum cedat: *Sondern er muss einen in kauff geben.* Et tamen *vnus ex illis*, licet hominibus contemtissimi habeantur, *non cadit in terram*, hoc est, non capiuntur, nec necantur, sine nutu & voluntate Dei, qui Deus vester, non autem passerculorum, pater est. *Imo & capilli capitis vestri numerati sunt.* Quod vilius vel etiam contemtius est in toto corpore nostro quam sint capilli, qui non sunt membra, sed potius excrementa & superfluitates? Et tamen ego affirmo, dicit Christus, cœlestem patrem vsque adeo nihil vestri vel ignorare, vel negligere, vt non solum capitis vestri curam habeat, sed etiam omnes eiusdem capillos numeratos teneat, eorum multitudinem exacte sciens ac custodiens, veluti quæ sub certo numero alicui asseruanda committuntur. Cum ergo tanta illius erga vos sit prouidentia & cura, nolite existimare, sine ipsius præscientia quicquam vobis accidere. Cumque idem paterna vos prosequatur caritate, & pro salute vestra cõtinenter excubet, persuasissimum vobis sit nequaquam mala esse posse, quęcunque vobis, ipso sciẽte, volente,& permittente, accidunt, nec vnquam ipsum passurum esse vos occidi, nisi cum maxime vos mori expediat. Ne ergo vobis terrori sit hostium rabies & potentia, *vos multis passeribus digniores & præstantiores estis* coram Deo, qui hostium malitiam prouidentię suæ freno coërcere potest. Præbet sane hic locus insignem consolationem, si quis vera fide eum perpendat. Cur enim non reiicimus omnes nostras curas in eum, qui etiam aues, pisces, & pecora campi pascit propter nos, propter quos ista omnia creauit? Qui etiam, cum sit indulgentissimus, idem & sapientissimus Pater, longe rectius nouit, quid nobis vtile & salutare sit, quam ipsi nouisse possimus. Ostendit quoque hic Christus simul, quod prouidentia Dei suos habeat gradus. Nam licet illa se extendat ad omnes creaturas: præcipue tamen commẽdatur ea in gubernando genere humano. Vnde Christus hic dicit *vos multis passeribus pluris estis*. Et in ipso quoque genere humano, peculiaris & specialis est ratio diuitiæ erga illos, qui sunt mẽbra Ecclesię. Sicut Paulus dicit, 1 Tim. 4.v.10. Deus est Seruator omnium hominum, maxime autem credentium. Psalmus quoque 100.v.3. dicit: Ipse fecit nos, & non ipsi nos, id est, totum genus humanum: Nos autem (scilic. in Ecclesia) sumus populus eius,& oues pascuæ eius. Si quis ergo contra hũc locum de passerculis obiicere vellet locum Pauli, 1. Cor.9.vers.9. Nunquid de bobus Deo cura est? Illi secundum hosce gradus prouidentiæ respondendum, aut cum Ambrosio dicendum esset: Non curat Deus de pecoribus propter hæc ipsa, sed propter nos, quorum caussa creauit: & ideo de nobis præcipue curat. Quod vero aliqui ex Hieronymo in Habacuc citant, quod scripserit: Absurdum esse ad hoc deducere Dei maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot culices nascantur, quotve moriantur, quota pulicum & muscarum sit multitudo, quotve pisces natent in aquis. Non sumus tam fatui adulatores Dei, vt dum prouidentiam eius ad ima extrudimus, in nos ipsos iniuriosi simus, eandem irrationabilium & rationabilium prouidentiam esse dicentes. Illud sane etiam secundum distinctos gradus prouidentiæ intelligendum erit: aut certe dicemus, D. Hieronymum humanæ rationis speculationibus nimium indulsisse. Nos in eminentiori dignitatis gradu collocati, vilia & contemta non curamus, idem etiam nobis de Deo imaginamur. Sed scriptura dicit Sap.6.v.8.& 12.v.13. Pusillũ & magnũ ipse fecit,& æqualiter illi cura est de omnibus.

IV. Nunc sub finem huius instructionis Christus rationem sui regni Apostolis plenius exponit. Prophetæ enim olim valde magnifica de regno Messiæ prædixerant. Quod sit futurus Rex à Deo constitutus super Sion montem sanctum, Psal.2.v.6. qui sit dominaturus à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Psal.72.vers.8. cui etiam omnes gentes & populi sint subiiciendi, quos ipse sit iudicaturus, Ies.2.ver.2. Adeo vt gens & regnum, quod ipsi seruire nolit, sit exscindendum, Ies.60.v.12. Siquidem Deus ipsi dixerit: sede à dextris meis, donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum, Psal.110.vers.1. Hinc Iudæi omnes sibi imaginabantur eiusmodi Messiam, qui instar Dauidis vel Salomonis Hierosolymis regiam suam esset habiturus, & inde suos non tantum ex tyrannide Romanorum liberaturus, verum etiam totius orbis imperium aditurus, sicque securam tranquillitatem Iudęis præstiturus. Propterea enim ipsum vocari Principem pacis, Ies.9.v.6. quia in ipsius regno tam stabilis & firma animorum consensio sit futura, vt lupus

cum agno; & pardus cum hœdo possint cohabitare. Ies.11.v.6. Hoc tam iucundum de mundano Messiæ regno somnium etiam Apostoli ipsi imbiberant, eoque ebrij, tot ineptas interdum quæstiones de regno Christi, qualis fuit illa, Act. 1. v.6. contentiones item & altercationes de primatu.Matth.18. v.1.& 20.vers.20.Luc.22.ver.24. mouerunt. Quia vero hic error Apostolos in prædicatione Euangelij,ad quam à Christo destinati erant, etiam emittebantur, plurimum retardaturus erat, ideo eum funditus ipsis eximit, & longe aliam sui regni rationem futuram testatur, quam ipsi sibi imaginarentur. *Nolite arbitrari*, inquit, *quod venerim pacem mittere in terram: nō veni pacem mittere, sed gladium*. Hic ante omnia attendendū, quo sensu Christus dicat, se non venisse, vt mittat pacem, ne & Prophetis & sibi ipsi contradicere videatur. Nam non tantum Iesaias testatur, cap.9.vers.7. sub Messia non fore pacis finem: sed & Christus in hac ipsa instructione Apostolis iniunxit, vt in quamcunque domum diuertant, pacem præcentur inhabitantibus, quæ sit super eos requietura, si in illis sint filij pacis. Explicationem autem Christus ipse nobis in manus præbet, dum dicit, *se non mittere pacem in terram*: nimirum significat, se loqui de pace terrena, qualem filij huius seculi & quærunt & colunt, quæ fere mala est & perniciosa, atque homines à Deo abducit, ipsique inimicos facit. Qualis est pax & concordia eorum, qui aduersus Christum & ipsius Euangeliū conspirant, vt iugum eius excutiant, & veritatis doctrinam exstinguant, Psal.2.v.3. Qualis etiam est prædonum, furum, & latronum inter se, qui coniunctis studiis & viribus alios opprimere, expilare & deprædari solent. Qualis denique est scortatorum, aleatorum & similiū, qui vnanimi studio scelerum licentiam sequūtur. Licet autem hæc pax proprie & corā Deo pax dici non mereatur, sicuti Dominus apud Prophetam dicit, Non est pax impiis, Ies.48.v.22. & 57. vers.21. tamen quia terreni & mundani homines tales conspirationes pacis nomine insigniunt, Christus etiam hic humano more loquitur, seque talem pacem minime in terram mittere fatetur. *Pax* vero *Christi*, quæ Phil.4.v.7. pax Dei, quæ exsuperet omnem sensum, dicitur, & de qua ipse dicit, Ioan.14.v.27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, longe est alia pax. Nimirum ipse nos primum cum Deo reconciliat: deinde expiatis peccatis nos aduersus Satanæ accusationes tutos præstat: insuper conscientiam pacatam & tranquillam reddit, vt in mediis tentationibus & tribulationibus stemus & gloriemur: denique homines pios & vere fideles vinculo pacis & concordiæ, ceu vero Spiritus sancti glutine coniungit, & sub vno capite connectit, vt in ipso idem velint, sentiant, & fateantur. Non ergo à scopo genuino aberrant, qui illud Pauli, Eph.2.v.14. Ipse est pax nostra, sic explicant, vt dicant, Christum suo aduentu *pacem* acquisiuisse: 1. *supra nos*. Quia ipse perfecta sua obediētia cœlestis patris iram sedauit, eumque permouit, vt non amplius velit nobiscum condescendere in iudicium, sed iam cogitat de nobis cogitationes pacis & non afflictionis, Ierem.29.vers 11. quia in ipso filio est placatus, Matth.3.ver.17. & licet quotidie ex imbecillitate carnis labamur, in cœlis tamen habemus fidum aduocatum Iesum Christum, qui sedet ad dextram patris & interpellat pro nobis, Rom.8.34.1. Ioan.2.v.2. 2. Acquisiuit eandem *infra nos*. Quia iam damnationis in iis, qui sunt in Christo Iesu, Rom. 8.v.1. Terrere quidem nos potest infernus hiante suo rictu: sed ipsi ex vera fide in Christum lætum ἐπινίκιον cantare possunt, vbi mors est victoria tua? Vbi est inferne stimulus tuus? Mors absorpta est in victoriam, Os. 13.v.14. 1.Cor.15.ver.55. 3. Acquisiuit pacem intra nos. Nam iustificati fide pacem habemus, Rom.5.ver.1. Idcirco, licet in omnibus tribulationem patiamur, non tamen angustiamur: hæsitamus, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed in ea non deserimur: deiicimur, at non perimus 2.Cor.4.v.8. Hoc inde fit, quia scimus, nos propter Christū etiam in mediis persecutionibus esse in gratia Dei; ideo magno animo dicimus, si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8.ver.31. 4. Denique acquisiuit etiam pacem *circa nos*. Nam qui Christum attinent, illi, quantum in ipsis est, pacem habent cum omnibus hominibus: Rom.18.v.18. adeo vt etiam pro persequentibus & calumniantibus orent, Mat.5.v.44. non reddunt malum pro malo, sed bonum pro malo, vt sic prunas congregent super capita inimicorum suorum, Prou.20.v.22. & 25.v.22. Ex his intelligimus, quomodo Christus sit pax nostra: & tamen hic dicat, quod non venerit mittere pacem in terram.

Postmodum etiam perpendendum est, quomodo Christus venerit *mittere gladium*, per quem & persecutionem aduersus pios, & separationem fidelium atque infidelium, seu electorum atque reproborum intelligere possumus. Euangeliū enim seu sermo Dei est penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, & in intimos cordis recessus penetrat, Heb.4.vers.12. Vbi ergo Euangelium prædicatur, & Christus per illud verum Dei cultum atque synceram pietatem ab omnibus superstitionibus defecatam docet, suadet & vrget: ibi Satanas etiam regnare vult, & domicilium suum tueri, cui quando Christus non vult cedere, inde oriuntur iræ, odia, rixæ, hostiles conatus & insultus. Et hic est ille gladius, de quo Christus hic loquitur. Hoc autem nec Christus nec Euangelium faciunt per se, sed per accidens. Per se Christus est princeps pacis, Ies.9.v.6. per se Euangelium est verbum reconciliationis, 2.Cor.5.v.18. per se electi & fideles sunt pacis & concordiæ studiosi, nec mundum lædunt, aut auctores sunt seditionum & tumultuum, qui sermone & exemplo pietatem propagant. Sed per accidens fit, nimirū Satanæ malitia, & mundi vitio, quod ad Euāgelij Christi prædicationem dissidia, contētiones, *lites, turbæ*, & graues motus oriuntur: quia nimirū totus mūdus est in malo positus, 1.Ioh.5.19 nec ferre vult superstitiones suas argui, scelera corrigi, operum iustitiam annihilari, seque prędicatione Euāgelij in ordinem redigi. Quando ergo fideles & electi Christi pastoris sui vocem audiunt, eumque sequuntur, sicque iuxta verbum Domini, Iesaiæ capite 52. versiculo 11. & 2. Corinth. 6. versicul.17. exeunt è medio impiorum, seque separant ab ipsis, vt irreprehensi & inculpati viuant in medio nationis prauæ ac peruersæ, in mundo splendentes vel luminaria: Philip. cap.2. versiculo 15. tum impij hanc secessionem pro intolerabili iniuria interpretantur, irascuntur, fremunt, imo furere incipiunt aduersus credentes, atque sic gladium arripiunt, de quo hic Christus loquitur, vt eos, quos studiis & *moribus* suis contrariam viam ingredi vident, ferro, flamma, fune persequantur. Estque huius dissidij vis tanta, vt ne ij quidem, quos alioquin naturæ vinculum arctissime constrinxit, parcant. Sicuti experientia edocet, acerbiores & implacabiliores inimicitias nullas esse, quàm quæ ex dissensionibus de religione enascuntur. Sicuti hic Christus tria paria cognatorum & affinium, in vna domo dissidentium, recenset, *patris & filij, matris & filiæ, socrus & nurus*. Mutuatus est Christus hæc verba ex Prophetis Ieremia cap.9.ver.4.& Michæa cap.7.ver. 5. Differunt illi in istis verbis de effusa & proiecta suorum hominum malitia. Ea Christus ad suum institutum accommodat, vt & ipse declaret, quæ & quantæ dissensiones ob professionem doctrinæ Euangelicæ sint exorituræ, vt nec filius patri, nec matri filia, nec nurui socrus parcere velit, aut vice versa. Huius rei exempla plurima vidit nostra ætas: quando sæpe accidit, vt filius crederet Christo, patre impio manente: aut contra, filij reprobi manserunt, conuersis parentibus. Id si fiat, semper reprobi ad arma insurgunt contra fideles, & necem contra illos moliuntur, fidelibus interea quiescentibus & patientibus. Ex omnibus discamus agnoscere prauitatem ingenij humani, quod Satanas sua malitia eo impellit, vt inde maioris impietatis occasionem arripiat, vnde ad fidei obedientiam induci debebat. Hinc Christus, qui positus est in resurrectionem in Israel, multis cedit in ruinam. Lucæ capite 2. versic.34. Et Euangelium, quod omnibus debebat esse odor vitæ ad vitam, fit aliis odor mortis ad mortem. 2.Cor.2.ver.16. Corpus quoque Christi in pane cœnæ, qui debet esse panis vitæ, Iohan.6.ver.48. multi manducant ad iudicium, eo quod non diiudicent corpus Domini. 1.Cor. 11.vers.29. Et quid mirum? Si Sol calore suo ceram mollio:em reddit, lutum autem indurat: quod etiam Sol iustitiæ Christus Euangelij sui radiis electos emolliat, impios autem & reprobos præfractiores reddat. Modo attendamus, ne culpam malitiæ in Christum vel ipsius Euangelium reiiciamus, sed improbo mundo adscribamus. Et hæc de sorte regni sui Christus: ex quibus patet, illud non modo terrenum, secundum vulgarem Iudæorum opinionem, futurum, siquidem eius subditi non ad inferendas, sed ad ferendas iniurias parati esse debebant.

2. Si quis vero solicitus inquirat, quid in hac mundi malitia, in qua etiam domestici sui inimici sint futuri, ipse & facere debeat, ei Christus in sequentibus respondet, & dicit, *Qui patrem & matrem amat supra me non est me dignus, &c.* Summa verborum Christi eo redit: γνησίους suos discipulos, omnia quæ in hoc mundo carissima habere possunt, Christi gloriæ postponere debere, ita vt extrema quæuis potius ferant, quam se à fide & obedientia Christi abstrahi patiantur. Consentit cum hoc Christi consilio id, quod Micheas, postquam de corruptissimi sui seculi moribus disseruisset, subiicit cap.7. versicul.7. Ego vero ad Dominum respiciam, & exspectabo Deum salutis meæ, Deus meus me exaudiet. Sed videamus verba Christi, qui quasi per gradus progreditur, & ostendit, nihil cari in hoc mundo sibi anteponendum esse. Primus gradus amoris est erga *parentes*, à quibus post Deum corpus & animam, opes & vitam accipimus. Si quis horum monitis, exemplis, & factis, se à Christo auellere patiatur, vt eius fidem & obedientiam abneget, is *Christo non est* *dignus*,

ignus, id est, indignus est; qui Christianus dicatur, quique artem aliquam habeat in ipsius regno siue gratiæ siue gloriæ. Sub *patris & matris* nomine etiam magistratum, præceptores & alios in eminentia vel auctoritate constitutos intelligere debemus, ne hos Christo & ipsius verbo præferamus, licet sapientissimi vel potentissimi videantur, si ipsi contraria præcipiant. Huc enim pertinet illud Christi Matth.22.ver.21. Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo. Et illud Apostolorum, Actor.4.v.19. Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate. Interim his verbis Christus non probat Anabaptistarum & Monachorum in parentes impietatem, qui contra eorum voluntatem aliud vitæ genus suscipiunt, aut percalcatis ipsis ad monasteria, ab infernali Dracone fundata, pergunt. Nam obedientiam erga parentes ipse suo exemplo confirmauit, Luc.2.v.51. Pharisæos quoque reprehendit, Matt.15.v.3. quod suis traditionibus trāsgressionem quarti præcepti introducerent. Ipse denique moriturus matris curam habuit, eamque Ioanni discipulo commendauit. Ioh.19.v.27.

Secundus gradus amoris est erga *liberos* & nepotes, quos omnes tenerius amamus, quam res alias, quia amor, vt vulgo dicitur, descendit & non ascendit. Sub *filij* autem & *filiæ* nomine omnes res dilectissimæ & propinquissimæ intelligi possunt, quales sunt cognati, affines, amici, & eorum bona, patrum item opes, honores, dignitates, & quicquid in orbe gratum vel pretiosum est. Incomparabiliter satius est illa, quam Christum abnegare: quandoquidem hac ratione homo se indignum reddit Christo, & exsortem omnium ipsius beneficiorum. Interim & hoc obseruandum, Christum minime docere ἀστοργίαν, nec velle vt naturalibus illis affectionibus renunciemus, & impij efficiamur erga eos, quos naturæ lex nobis commendat. Nam loquitur per comparationum, qui illa *amat plus quam me*, hoc est, qui inordinato affectu illa Christo præfert. Alias fixum manet illud Pauli: Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet: fidem negauit, & iste infideli deterior. 1.Tim.5.v.8. Qui etiam 2.Tim.3.ver.3. ἀστόργους refert inter pestes nouissimi seculi.

Tertium gradum amoris ponit φιλαυτίαν, amorem sui ipsius, suæ famæ & existimationis, quem itidem ibi cedere vult, dum subiicit: *Et qui non accipit crucem suam &c.* σταυρὸς, vt habet Hesychius, sunt defixi stipites, valli, & omnia ligna recta, stantia, dicti [illegible], vel ab eo quod stent, vel quod ad auram consistant. Lucianus in Dialog. ingeniose & apposite ad rem σταυρὸν, crucem, deriuat, à litera *Tau*, quæ figura crucem præfert. Nam inquit: [illegible] ab ista etiam, instrumento pessimo (cruci) pessimum nomen venisse. Latini ergo malam crucem, infelicem arborem, infamem stipitem, damnatum lignum appellant, quod Græci σταυρὸν dicunt. Fuisse nomen crucis suspendium vile, infame & ignominiosum, adeoque vbique fere gentium receptum supplicium, etiam ex sacris patet. Genes.40.versicul.22. Præfectus pistorum à Pharaone Ægyptio rege in cruce suspenditur, iuxta prædictionem Iosephi. Num.25.vers.4. ad mandatum Dei Moyses omnes Principes populi Israelitici suspendit contra Solem in patibulis. Iosua cap.8.ver.9. suspendit regem Hai in patibulo vsque ad vesperam. 2.Sam.21.vers.9. Septem viri de posteritate Saulis suspensi sunt de cruce à Gabaonitis. Esther 7.vers.10. suspensus est Haman in patibulo, quod parauerat Mardochæo. Ex prophanis etiam historiis patet, cruces apud Syros, Afros & Græcos fuisse vsitatas. Maxime autem apud Romanos fuit hoc supplicium seruorum, aut Iudæorum, qui proximi iuxta seruos. Vbi etiam vsitatum fuit illis furcam imponere, & ob culpam aliquam ostentui & ad risum circumducere. Et patet ex Etymologicis σταυροφόρον & [illegible], Cruciferum & Furciferum pro iisdem habitos, de quibus Glossa vetus; qui peccauerant, pro pœna furcam in collo habentes circuibant, per vrbem vndique ducti. Plutarchus quoque in Coriolano notat, & dicit: Erat apud priscos dominos magna castigatio serui delinquentis, si lignum currus, quo temonem sustentant (Nota, quod Plutarchus hic τὸν ῥυμὸν Temonem vocat, id Hesychius ζυγὸν τῆς ἁμάξης currus iugum appellat: vnde patet iugum Christi Matth. 11. versicul.19. & crucem, de qua hic agit, non procul ab inuicem dissidere) tollens & ferens exiret circa viciniam. Id enim passus & sic conspectus, non vltra fidem habebat, & vocabatur Furcifer. Habebant autem veteres duplicem crucem vel furcam, vnam ignominiosam, alteram pœnalem, quam plerumque mors est secuta. Nam in leuioribus criminibus, ignominiæ magis quam supplicij caussa serui furcam circumgestabant, suum peccatum prædicantes, & cæteros ne quid simile peccarent monentes. Qui vero grauius deliquerant, illi insuper virgis & flagris cædebantur, & postea cum furca cruci affigebantur, in qua vel feris bestiis obiiciebantur, vel vstulabantur, vel alio modo necabantur, nisi sponte exspirarent. Hunc antiquum morem ignominiose tractandi seruos & sceleratos videtur Christus hic allegare, vt suos sectatores moneat in suo regno vsque adeo mundanum splendorem & dominatum ab ipsis quærendum non esse, vt potius parati esse debeant, omnis generis sannas, ludibria & irrisiones ferre & sustinere, ita & furca, *crux*, & lignum infame sint exspectanda, quibus ceu facinorosi & furciferi omnium aliorum ignominiæ tantisper sint exponendi, donec aliquando sub cruce succumbant & moriantur. Verba autem aliquanto diligentius sunt expendenda. Σταυρὸν seu *Crucem* vocat, non communes illas afflictiones, quarum vita humana plena est, & quæ per peccatum in mundum introierunt: sed singulares illas, quæ piis & credentibus sunt propriæ, quas ab impio mundo, qui ipsos odit, sustinent ob fidei in Christum professionem & Euangelij lucem. Hæ afflictiones crucis nomine à Christo insigniuntur, vt sic nos ad crucem suam remittat, quo illius consideratione ob societatem & communionem passionum cum ipso, nobis dulcescāt. Vult autem vt quisque accipiat *suam crucem*, non eam quam ipse sibi fecit vel fabricauit, sed quam Deus, arbiter est rerum humanarum, cuique propriam destinauit. Singuli, quibus à Deo onus aliquod imponitur, in alios respiciunt, & vicini crucem leuiorem & tolerabiliorem sua iudicant. Sed falsa hęc est opinio, qua homines seipsos decipiunt. Nam certum est, si omnium hominum aduersitates in vnum aceruum coniectæ essent, & Deus singulis optionem relinqueret, quam vellent, inde desumendi, quisque tamen suam crucem rursus electurus esset. Quia nota mala, mala optima. Quodcumque ergo Deus, qui optime scit, quid cuiuis conueniat, imponit, id quisque prompte gestandum suscipiat. Ideo Christus vtitur verbo λαμβάνειν *accipiendi*, quo voluntariam obedientiam in cruce inuenit, qua neque aduersus Deum fremamus, neque hominibus, quos malorum illorum auctores esse iudicamus, irascamur. Cur enim irasceremur illis, qui faciunt, vt conformes simus imagini Christi? Rom.8.v.29. Fidelis enim sermo, si commortui fuerimus, etiam conuiuemus: si sustinebimus, etiam conregnabimus 2.Tim.2.ver.11. Tantum operam demus, vt in ferenda cruce Christi vestigiis insistamus, sicuti Petrus monet. 1.Epist.c.2.v.21. Neque enim satis est, ferre crucē, nisi etiam rite feramus. Ideo dicit Christus, *sequatur ὀπίσω μου*, *me à tergo*. Vt quemadmodum ipse in cruce nobis prætulit exemplum obedientiæ, innocentiæ, caritatis, patientiæ & constantiæ: ita nos ipsum imitemur. Certi, quod tam acerbum, vel triste, aut ignominiosum accidere nobis queat, quod non ipse prior sit perpessus. Si ergo hic tertius gradus, quod nec famam, nec existimationem nostram tanti facere debemus, quin Christum & eius confessionem maioris faciamus. Nam qui aduersitates ob professionem Christi immissas, non æquo tolerat animo, non est dignus, qui vocetur Christianus.

Quartus & supremus gradus amoris est vita siue *anima*. Nam vt Satanas Iob.2.ver.4. Deo dicit: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. De eo Christus dicit: *Qui inuenit animam suam, perdet eam. Animam inuenire* hic est, rationes, viam & modum reperire, quo sese quis possit explicare, ne propter professionem Christi incurrat in periculum mortis. Exempli gratia Petrus Matth.26.versic.70. existimauit, se expeditam inuenisse viam declinandi omne periculum, si negaret se nosse Iesum Nazarenum. Sed quod Christus hic dicit, talis perdet eam, illud protinus est expertus. Nam reuera omnis vita ipsi amara visa est, donec cum Christo reconciliaretur: & nisi cum ipso reconciliatus fuisset, animo ipsius non ingressa fuisset vitam æternam, sed damnata. Hoc obseruare debebant illi, qui hodie variis artibus eludere volunt pericula persecutionum. Euangelici sunt, sed vsque ad pericula. Viderint ergo, ne dum terrenam hanc & caducam vitam nimis temere amant, à cœlesti beata vita perpetuo exsulare cogantur. Dum econtra, *qui perdiderint animam suam Christi caussa*, hoc est, qui mori malunt, quam Euangelij aut veritatis professionem abnegare: illi *inuenient eam*, hoc est, recepturi sunt vitam in resurrectione mortuorum, & inde consecuturi finem fidei suæ, quæ est salus animarum, 1. Petr.1.v.9. Est reuera hæc sententia efficacissima non tantum ad inducendam tolerantiam passionum, sed etiam ad persuadendum contemtum huius vitæ *propter nomen Christi*. Nam quid ardentius tam in hac vita, quam in omnem æternitatem diligere debemus, quam animam nostram & eius salutem. At vero rectius hanc procurare non possumus, quam si propter Christum eam in hoc seculo perdamus. Sic enim salutem animæ recte consequemur, custodientes eam in vitam æternam.

Instruxit hactenus Iesus Christus prolixe suos Apostolos, qualiter ministerio suo, cui ipsos destinarat, fungi debeant.

monuit etiam de periculis & persecutionibus, quas eo nomine sint experturi: addidit salutaria præcepta, qualiter inoffenso pede se in illis gerere possint: consolationibus insuper gravissimis eos animauit, ne sub persecutionibus deficerent: de ratione denique regni sui disseruit, ostendens: quod illud non futurum sit mundanum, in quo opes, gloriam, honores & dignitates huius sæculi consectari queant: Sed quod futurum sit regnum Crucis, in quo non solum ignotos & alienigenas, sed arctissima cognatione iunctos adeoque domesticos hostes sint habituri. Vnde proxime conclusit, neminem se dignũ discipulum esse, nisi carissimis sui causa renunciet, ignominiam crucis patienter sustineat, & mori malit, quam Christũ vel eius fidem abnegare. His auditis, potuissent Apostoli cogitare: Si hæc est ratio regni Messiæ, vt etiam illi, cum quibus antehac coniunctissime viximus, odio nos sint habituri, satius foret ab eius prædicatione abstinere. Quis enim nos recipiet? quis prædicationi nostræ locum dabit? Huic ergo solicitudini vt Dominus occurrat, commode sub finem subiicit locum nõ tantum de dignitate ministerij Ecclesiastici, sed etiam addit promissiones amplissimas de larga compensatione beneficiorum, quæ in Apostolos & reliquos Christi discipulos conferantur. Vnde simul innuit, nunquam vel nusquam defuturos homines fideles, qui sub tectum suum ipsos sint recepturi, ipsisque hospitium præbituri. Quapropter magno & imperterrito animo ipsos munus demandatum suscipere & vrgere debere. Atque sic totam tractationem de hac Apostolorum missione concludit.

Equidem fuerunt Apostoli Iesu Christi homines, si externam ipsorum personam, & huius mundi conditionem spectes, contemtibiles, idiotæ, atque illiterati. Sicuti etiamnum hodie fere externa verba ministrorum species nullum præ se fert splendorem vel auctoritatem. Vt minus vere ab Apostolo Paulo de omnibus verbi ministris dictum videatur, 1. Cor. 4. v. 9. Puto quod Deus nos omnium mortalium nouissimos designarit, tanquam morti destinatos, tanquam καθάρματα καὶ περίψημα, purgamenta & reiectamenta mundi. Interim tamen nec ipsi sua carent auctoritate, quia Christus aliunde ipsis dignitatem & maiestatem circumdat, nimirum à ministerio verbi, quod ipsis concreditum est. Verbum enim quod prædicant, non est hominum, sed Dei verbum. 1. Thess. 2. v. 13. At Dei verbum hominum splendore vel magnificentia minime indiget, siquidem non tantum ex seipso auctoritatem habet, sed etiam maiestatem quandam addit illis, qui illud prædicant. Ideo Christus hic dicit: *Qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui misit me.* Intelligit his verbis cœlestem suum patrem: de quo Ioan. 20. v. 21. testatur, quod se miserit. Desumit autem argumentum ex communi iure gentium: quod receptum est, vt omnes legati propter eos, à quibus mittuntur, in honore sint & pretio. Vsus huius argumenti duplex est: vnus quoad Apostolos, quibus conducit ad consolationem, ne detrectent quosuis labores & pericula adire, consideratione suæ dignitatis & reputationis apud Deum, apud quem ipsi in pretio sint & magna existimatione, tãquam ipsius legati, & ex reliquis seruis intimi, vtcunque ab impiis sint despecti, derisi & afflicti. Hinc videmus Apostolos semper in maximis certaminibus huc respexisse, suamque vocationem, legationem & missionem allegasse, atque inde consolationem & confirmationem hausisse. Pro Christo legatione fungimur, scribit Paulus Corinthiis 2. cap. 5. vers. 20. An experimentum quæritis per me loquentis Christi? 2. Cor. 13. v. 3. Nolite errare: Deus non irridetur. Gal. 6. ver. 7. Alter vsus illius argumenti est quoad auditores, vt hi eò paratiores sint locum concedendi Euangelij præconibus. Etenim qui Regum huius seculi legatos honorifice excipiunt, illi apud Reges ipsos magnam gratiam ineunt, atque honoris, quem legatis ipsorum exhibuerunt, amplam remunerationem exspectant. Ita quoque dubium non est, cœlestem patrem nunquam permissurum, vt honor vel beneficentia suis ministris & legatis exhibita, absque compensatione aliqua abeat.

Et de hac compensatione iam Christus pluribus agit, atque per gradus quasi descendendo enumerat, quomodo Deus remunerationem sit instituturus. Primo loco ponit *Apostolos qui hos recipit*, illum Deum recipere affirmat. Qui autem Deum recipit, is recipit felicitatem & beatitudinem æternam. Sicut etiam hæc ipsa vita æterna est, si quis cognoscat verum Deum & quem misit Iesum Christum. Iohan. 17. v. 3. Nam Christus vult, vt vbi ipse est, illi secum sint, quos pater ipsi dedit. v. 24. 2. Apostolis subiungit *Prophetas*, per hos intelligere possumus Ecclesiæ Doctores, Apostolis inferiores, qui tamen ob interpretationem Scripturarum eximiis donis sunt præditi, cæteris cognitione rerum sacrarum & prudentia excellentiores, loquentes ad consolationem, exhortationem & ædificationem, quorum aliqui etiam dono prophetiæ instructi sunt. Hos qui recipit, mercedem Prophetæ accipit. *Merces Prophetæ* in hac vita est, interpretatio arcanæ Dei voluntatis, veritatis cognitio, cum multiplicibus etiam temporalibus bonis, sicut tum in Sareptana vidua, 1. Reg. 17. v. 15. tum in Sunamitide fœmina, 2. Reg. 4. v. 8. videre est, tandem vero etiam vita æterna. 3. Prophetis subiungit Christus *iustos*. Et quidem si homines spectemus, quales natura sunt, nullus eorum iustus dici meretur. Omnes enim in peccatis sunt concepti & nati: Psalm. 51. ver. 7. & figmentum cordis humani prauum est ab adolescẽtia sua. Gen. 8. v. 21. Iustificamur autem per fidem in Christum sine operibus legis, Roman. 3. v. 28. Iusti ergo dicuntur, qui in doctrina Euangelij eos fecere progressus, vt Christum vera fide amplexi, per ipsum sint iustificati: & quod nunc viuunt, non viuunt in carne, sed in fide filij Dei, qui semetipsum tradidit pro ipsis. Galat. 2. ver. 20. Qui hos recipit, *mercedem iusti accipiet*. Merces iusti alia dici nequit, quam de qua Propheta: Iustus fide sua viuit. Hab. 2. v. 5. Et Christus passim in Euangelio: Fides tua te seruauit. Luc. 7. v. 50. Nam ab hoc iusto & ipse piam institutionem, consolationem, exhortationem, vitę denique formulam accipiet, quam ita possit sequi, vt & ipse fidei & iustificationis per fidem præmium, vitam æternam consequi queat. 4. Postremo loco nominat *discipulos*, per quos intelligit eos, qui quidem Christo nomen dederunt, sed recens accesserunt, & proinde nondum ad perfectionem peruenerunt, verum quotidie proficiunt. Hi licet adhuc infirmi sint, & infantium instar vacillent, non tamen eos negligi vel fastidiri vult Christus, sed pollicetur, quod ne minimum quidem humanitatis officium irremuneratum dimittere velit. Quodnam enim magis leuiculũ officium præstari potest homini, quam sitienti porrigere *poculum aquæ frigidæ*? Frigidæ aquæ, secundum D. Hieronymum, meminit, ne in calida aqua quis sumtum lignorum caussari queat. Et tamen hunc quoque mercedem non perdidisse affirmat. Vtque asseuerationi tanto maius pondus insit, sub forma iuramenti eam proponit: *Amen dico vobis.* Sicuti Rebecca, cum Eleasarum seruum Abrahami ad fontem potaret, Gen. 24. v. 17. amplam remunerationem suæ promptitudinis adepta est: sic etiam illi retributione sua non frustrabuntur. Elucet ex his omnibus Dei bonitas, qui tam amplam remunerationem pollicetur nobis, si non tantum summos illos Dei viros, Apostolos & Prophetas, sed etiam alios iustos, imo minimos ipsius fratros, amemus, honoremus, recipiamus, foueamus, subleuemus & confirmemus. Non peribit nobis hoc propensi animi officium. Notemus autem, 1. quod hæc merces non aliter, quam de liberali & veluti gratuito præmio sit accipienda. Ne quis hoc ad meritum bonorum operum trahat. Quis enim pro leui hoc opere, si porrigat sitienti aquam frigidam, se vitam æternam promereri posse statueret? 2. Notemus etiam, quod recipere non tantum significet hospitio suscipere, & officia humanitatis externa tanquam ex opere operato præstare: sicut Pharisæi, Luc. 7. v. 36. & 14. v. 1. Christum in suas ædes deduxerunt & mensæ suæ adhibuerunt. Sed significat doctrinam ministrorum verbi audire, eamque vera fide suscipere. Quemadmodum Paulus testatur Gal. 4. vers. 14. se sicut Angelum Dei, sicut Iesum Christum à Galatis exceptũ fuisse. Idem etiam de Thessalonicensibus testatur. 1. Thess. 2. v. 13. 3. Denique notemus etiam abusum huius γνώμης vel sententiæ, qua interdum Impostores, quales hodie sunt Anabaptistæ, Sectarij Iesuitæ quoque, & qui se sub Apostolorum nomine venditant, hoc prætextu vbique receptum quærunt, simplicioribus persuadentes, quod in ipsis Christum, imo Deum ipsum suscipiant. Sed attendant, quod Ch. istud non frustra ter inculcet, tales recipiendos, *in nomine Prophetæ, in nomine iusti, in nomine discipuli.* Ergo ante omnia demonstrẽt, se germanos esse Christi discipulos: demonstrent, se veram & ordinariam habere à Christo vocationem, seque ab ipso missos esse: demonstrent denique, se non hominum commenta, sed Christi Euangelium prædicare. Tum ipsi quoque dicemus, eos audiendos esse, vt Christus est audiendus. Absque hoc si sit, Ioan. nobis dicit, Epist. 2. v. 10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis. Qui enim dicit illi AVE: communicat operibus eius malignis. Et hæc de missione Apostolorum dixisse sufficiant.

CAPVT

CAPVT LXXIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, REFERENS, QVID IESVS ABSENTIBVS APOSTOLIS EGERIT, & quomodo Apostoli demandato munere defuncti fuerint. Matth. 11.ver.1. Marc.6. ver.12. Luc.9.v.6.

RATIO ORDINIS.

Εἱρμὸς ἀκολουθίας, seu nexus historiarum hoc loco planus & apertus est. Postquam enim capite præcedenti expositum est, quomodo Dominus noster Iesus Christus Apostolos suos ad prædicandum emiserit, & eosdem mandatis diligenter instruxerit, quid & quomodo prædicare, & quales se inter pericula, quæ subituri sint, gerere debeant, non potest commodius vlla alia historia subtexi, quam hæc, qua narratur, partim quid Christus ipse fecerit, postquam Apostoli ab ipso digressi per Iudæam & Galilæam Euangelium de ipso prædicarunt, partim quomodo Apostoli legationem à Christo demandatam obierint. Et illud quidem Matthæus, hoc vero Marcus & Lucas præcedentibus è vestigio subiungunt: vt dubium nullum sit, illis hunc locum in Harmonia attribui debere.

HISTORIA DE PRÆDICATIONE Christi & Apostolorum in prima eorum legatione.

MATTH. 11.

1. Καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς διατάσσων τοῖς δώδεκα μαθηταῖς αὐτοῦ, μετέβη ἐκεῖθεν τοῦ διδάσκειν καὶ κηρύσσειν ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν.	1. *Et factum est, cum finem fecisset Iesus mandandi duodecim discipulis suis, progressus est illinc, vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus illorum.*

MARC. 6.

12. Καὶ ἐξελθόντες ἐκήρυσσον, ἵνα μετανοήσωσι.	12. *Et egressi prædicabant, vt resipiscerent.*
13. Καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλον, καὶ ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀρρώστους, καὶ ἐθεράπευον.	13. *Et dæmonia multa eyciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabant.*

LVC. 9.

6. Ἐξερχόμενοι δὲ διήρχοντο κατὰ τὰς κώμας, εὐαγγελιζόμενοι καὶ θεραπεύοντες πανταχοῦ.	6. *Egressi autem circumibant per castella, euangelizantes, & curantes vbique.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ.

Qvia particula illa, *in ciuitatibus illorum*, dupliciter accipi potest, vno modo, vt relatiuum *eorum*, referatur ad Iudæos, quod Christus etiam prædicarit in ciuitatibus Iudaicis, sicut Apostolis iniunxerat, vt saltem in illis docerent: altero modo, vt referatur ad Apostolos, quod Christus eos subsecutus sit, vt prædicationem ipsorum confirmet: & si quid omissum esset, sarciat. Ideo etiam Harmonia, maxime si posteriore modo illa particula accipiatur, sic ordinari posset, vt quæ de egressis Apostolis Marcus & Lucas referunt, præmitterentur: Matthæi autem narratio de Christo postponeretur. Sed quia Matthæi verba distrahenda fuissent, sicque sensus ipse intricatior redditus fuisset, in natiuo suo ordine, sicut Matthæus prior scripserat, & reliqui duo Euangelistæ eum secuti sunt, singula relinquere volui.

a Καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς διατάσσων, τοῖς δώδεκα μαθηταῖς αὐτοῦ, μετέβη ἐκεῖθεν τοῦ διδάσκειν καὶ κηρύσσειν ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν. h Ἐξερχόμενοι δὲ διήρχοντο κατὰ τὰς κώμας, b εὐαγγελιζόμενοι, ἵνα μετανοήσωσι, καὶ θεραπεύοντες πανταχοῦ, καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλον, καὶ ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀρρώστους, καὶ ἐθεράπευον.	a *Et factum est, cum finem fecisset Iesus mandandi duodecim discipulis suis, progressus est illinc, vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus illorum.* h *Egressi autem circumibant per castella,* b *& prædicabant, euangelizantes, vt resipiscerent, & curantes vbique. Et dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabant.*

Periocha huius historiæ.

IN hoc capite duo referuntur. Vnum de Christo, quid is fecerit digressis Apostolis ad Euangelizandum. Alterum de Apostolis, quomodo illi à Christo demandatum docendi munus executi sint. Vtrumque seorsim expendendum.

1. In Christo habemus exemplum indefessi studij promouendi ea, quæ ad salutem humani generis spectant. Iam ante doctrina sua compleuerat tam Iudæam quam Galilæam. Nunc quoque duodecim Apostolos sibi substituit, vt idem, quod ille prior docuerat, amplius inculcent. Ipse tamen propterea non in officio suo cessat, sed vt fidelis Dux illos insequitur, quo vrget, quod illi plantarunt, vel potius incrementum ipsis det, 1.Cor.3.versic.7. Ratio subest: quia nouit, hominibus dormientibus, inimicum zizania sua bono semini adspergere, Matth.13.versic.45. nouit Satanam se interdum transfigurare in angelum lucis 2.Cor.11.vers.14. vt sic simpliciores & incautos fallat; & à simplicitate verbi abducat. Custos igitur hic Israelis nec dormit, nec dormitur, Psal.121.ver.4. Sed vigilat, & passim attendit, vt in Ecclesia sua bene constituta sint omnia, & veritatis atque salutis doctrina in domo Dei maneat incorrupta. Docet hoc exemplum Christi omnes verbi Dei ministros & Ecclesiarum Pastores, præsertim vero eos, qui in eminentiore dignitatis gradu constituti, aliorum Inspectores sunt, qua cura & sollicitudine munus suum obire debeant. Væ ergo illis Pastoribus, qui in officio suo desides sunt & negligentes: qui potiorem curam habent rei familiaris, quam Ecclesiæ: qui genio & vino indulgent, qui sæpius chartas lusorias, quam folia Biblica vertunt. Tales infideles seruos Dominus, quando venerit ad iudicium, dissecabit, & partem eorum ponet cum hypocritis, Matth. 24.ver.51.

2. Per διατάσσων autem Euangelista præmittit, Christum ad docendum progressum esse, *postquam finem fecisset mandandi duodecim Apostolis.* Διατάσσειν significat ordinare, disponere, instruere. Varinus sic explicat: ὅταν ὁ βασιλεὺς διατάττῃ τοῖς ὑφ' ἑαυτῷ ὑπηκόοις φυλακὰς ἔχειν. Vere Christus est Rex & Imperator noster, qui Apostolos suos, & Verbi ministros disposuit, ad custodiam gregis Dominici. His ergo in præcedentibus præscripsit, quales se in suo munere gerere debeant. Ita vt vere præcedens caput ex hoc Euangelistæ verbo διάταγμα, siue ἡ τοῦ βασιλέως ἡμῶν διαταγή, cœlestis nostri Regis instructio dici possit. Repetit autem hoc Euangelista, vt ostendat, Apostolos non sponte sua ad prædicandum excurris-

se: nec nisi ordinatos & certis mandatis instructos hoc tantum munus suscepisse. Perpetuum enim hoc est, quod Dominus in Ecclesia non vult habere temere currentes, sed legitime missos, Ierem.23.v.21. & quod vult, vt in Ecclesia omnia fiant ordine & decenter, 1.Cor.14.v.40.

3. Quid fecerit Christus, diserte indicat. *Progressus est*, inquit, *ἐδίδασκεν καὶ ἐκήρυσσεν*, *vt doceret & prædicaret*. Docere dicitur inter eruditos in Synagogis, vbi causas sui aduentus explicauit, rationem nouæ suæ doctrinæ exposuit, & de mysteriis regni Dei sectatores suos accuratius instituit. Prædicare autem dicitur, cum reliquam turbam docet, cum in publicis cœtibus populi, qui literas non nouit, versatur, vbi sermonibus suis consolationes, admonitiones, obiurgationes & redargutiones, (prout opus fuit) aspersit. Hanc autem differentiam esse inter *docere & prædicare* eruditiores non inepte existimant. Ideo non debet temere improbari illa sententia, qua aliqui in loco Paulino Ephes.4. versic. 11. (vbi agit de illo beneficio Filij Dei quo assidue Ecclesiæ suæ de piis & salutaribus Antistitibus prospicit, & eorum aliquot ordines, Apostolorum nimirum, Prophetarum, Euangelistarum, Pastorum & Doctorum ordines ita distinguunt: quod per Pastores intelligendi sint ij, quibus cura pascendi gregem Domini ministerio Verbi & Sacramentorum publice commissa est: per Doctores autem præcipue eos, qui in Scholis docent, & veritatis cœlestis professores agunt. Vterque certe ordo hoc in loco Christi exemplo quasi consecratur, & auctoritatem suam accipit. In oculis sapientum huius seculi abiectum sane & vile munus habetur, siue in Ecclesia siue in Scholis docere. Quia tamen ipsum Dei filium non puduit, dum in his terris versatus est, vtroque munere fungi, incomparabiliter pluris faciamus hoc exemplum filij Dei, quam iudicium peruersi mundi. Et sufficiat nobis officium hoc docendi & prædicandi, *καλὸν ἔργον*, præclarum & honestum opus esse, 1. Timoth.3. versicul.1. in oculis Domini, in conspectu sanctorum angelorum, & electæ Ecclesiæ Iesu Christi, vtcunque mundanis hominibus dicamur *homines de schola, vel, homines de templo*. Nam certum est, non casu fieri, sed speciali Dei prouidentia res Ecclesiæ ita gubernari, vt semper sint in Ecclesiis & Scholis, qui hoc officium sustinent, vt sonent doctrinam diuinitus reuelatam, quique sua cura in id inuigilant, vt depositum verbi sartum tectum ad posteros transmittatur, & vel ipsi Pastores animarũ & ouicularum Christi in templis agunt, vel alios ad hoc sacrosanctum munus sua informatione & institutione in scholis præparant. Ideoque tales fideles *ἐργάται* à Deo dati cum gratiarum actione sunt suscipiendi, in honore & reuerentia habendi, ne Deus ob ingratitudinem nostram dona sua rursus à nobis auferat. De miraculis, quibus Christus doctrinam suam confirmarit, hoc loco nihil additur. Theophylactus putat, Dominum studiose à faciendis miraculis abstinuisse, quamdiu Apostoli prædicabant, & ad edenda miracula emissi fuerant, vt tanto maior esset illorum auctoritas. Neque enim semper & perpetuo miracula sunt sigilla, synceram doctrinam consequentia, vt illam confirment. Sed quando doctrina iam est confirmata, non amplius opus est miraculis. Vt enim donum linguarum, ita etiam reliqua miracula, signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus, 1.Corinth.14. versicul.22. Qua de causa etiam hodie minime opus est, vt doctrina Euangelij miraculis confirmetur, quia mysterium hoc pietatis iam creditum est in mundo, 1.Tim.3.ver.16.

4. Annotatur etiam, vbi docuerit & prædicarit, *in ciuitatibus eorum*. Hoc bifariam, & de Iudæorum ciuitatibus, & de iis, in quibus Apostoli priores prædicarint, intelligi posse, iam ante dictum est. Sed nescio quomodo hic posterior sensus magis mihi arrideat. Maxime quia etiam Luc.10. versicul.1. vbi septuaginta emisit, eos binos misit ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo ipse venturus erat. Ostendit ergo Christus primum, se esse Visitatorem, qui operas suorum inspiciat, laboribus ipsorum benedicat, & sicubi quid omissum sit, ipse sarciat. Hæc cura in Ecclesia etiam summe est necessaria. Vt nimirum ordinariæ earum Visitationes instituantur, in quibus doctrina fidei amplius confirmetur in cordibus eorum, qui iam crediderunt. Hinc non tantum in Veteri Testamento Elias & Elisæus quotannis visitarunt scholas fidei suæ commissas: sed etiam in Nouo, Paulus & Barnabas visitarunt Ecclesias, in quibus prius prædicauerant verbum Domini. Actor.14. versic.20. & 15. versicul. 36. Reliqui Apostoli, quod corpore præstare non poterant, missis peculiaribus Epistolis id sarciuerunt. Quas etiam propterea Catholicas seu vniuersales inscripsere, quia inseruirent institutioni omnium. Nam experientia docet, quam facili momento res etiam bene traditæ & susceptæ corrumpantur, & in sinistrum sensum trahantur. Possetne vlla Ecclesia rectius institui & ordinari, quam à Paulo informatæ erant Ecclesiæ Corinthiorum & Galatarum? Et tamen quam graues & enormes lapsus atque errores in illas irrepserint, Pauli Epistolæ docent. Eos nisi Apostolus sua fide & diligentia correxisset, mature de illorum salute actum fuisset. Nemo ergo vllam curam vel sollicitudinem hac in parte superuacaneam iudicet (sicuti interdum ob exiguas expensas Ecclesiarum visitationes suspenduntur) cum ipsi etiam fideles quotidiana instauratione & confirmatione opus habeant. Vt ergo olim prudentiores gentes in Rebuspubl. bene constitutis habuerunt suos *ἐργοδιώκτας*, quorum *officium fuit aliorum* operas inspicere & vrgere, vt singuli operi *sibi commisso* instent, quales apud Athenienses *Νομοφύλακας*, apud Spartanos *Ἐφόρους*, apud Romanos Censores fuerint: ita reuera prodest in Ecclesia ordinis causa retinere & *Inspectores* siue (vt Apostoli nominarunt) *ἐπισκόπους*, quos hodie Superintendentes vocant, & Visitatores, quorum aliqua sit auctoritas & potestas in inferiores. Alias *ἀναρχία* in Ecclesia orietur, quę illam licentiam parit, de qua Iud.21.v.24. legitur, quod faciat vnusquisque, quod sibi rectum videtur, qua nihil est perniciosius, nihil exitiosius.

Deinde quod Christus Apostolos suos insecutus est, etiam veritatem ostendit eius, quod modo dixerat: *qui vos recipit, me recipit*. Et quod tum fecit, id semper ipsum facere statuendum est. Hic enim consuetus Dei mos est, vt prius nos per suos seruos & cooperarios conueniant, à quibus verbum Dei audire, & voluntatem ipsius addiscere debemus. Postea ipse Christus se vlterius per Spiritum suum manifestat, & ad ipsos cum toto gratiæ diuinæ thesauro diuertit, & facit, vt in fide & vniuersis cœlestibus donis abundent. Nam habenti dabitur, Matth.13. versic.12. De hoc Dei more loquitur Ioan.14. versicul.23. Moueat hoc omnes pios, vt verbi auditũ magni faciant, nec eius præcones vel scurriliter rideat, vel hostiliter persequantur. Sicuti, proh dolor, hoc apud quam plurimos hodie vsitatum est. Quid ergo mirum, quod Dominus non venit ad ipsos, sed potius, simul secum sublata omni sua benedictione, procul ab ipsis recedit, & graui sua ira ipsos premit? Nos potius audiamus pium Regem Iosaphatum, ciuibus Hierosolymitanis dicentem: Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite Prophetas eius, & cuncta prospere euenient, 2.Paral.20.v.20.

II. In Apostolis habemus exemplum, quomodo ij, qui ordinaria legitima vocatione ad eiusmodi *functione* gerendas requiruntur, vt siue Ecclesiastico siue *Scholastico* docendi muneri præficiantur, iussioni filij Dei (*Nam* non humano consilio, vel auctoritate, sed *diuino* nutu ista fiunt) parere, & alacri mente officia iniuncta adire, inque iis fidelitatem pro posse præstare debeant. Multa fuerunt, quæ Apostolos absterrere potuerant, quo minus legationem illam obirent. Non ignota erat Pontificum Iudaicorum improbitas, non crudelis Pharisæorum & Scribarum furor, non totius populi vacillans inconstantia. Iniquum quoque videri poterat, ex tam magno auditorum cœtu, duodecim solos tantis laboribus atque periculis obiici: imo saltem binos atque binos mitti, vt sic quasi diuisa acies tanto facilius ab hoste obteri possit. Atqui nihil horum *ipsi in quæstionem* vocant: sed voluntatem suam ita in *obsequium Christi* captiuant, vt quodcunque ipse iussit & imperauit, ipsi promte exsequantur. Nam, vt dicit *Lucas, circuibant euangelizantes*, hoc Marcus ita exprimit, *prædicabant vt resipiscerent*. Hisce enim verbis, vt iam aliquoties dictum est, argumentum & summa doctrinę Christi in Nouo Testamento innuitur. Nam Euangelium generatim, & pro tota doctrina Christi, *acceptum*, est prædicatione pœnitentiæ & remissionis *peccatorum*. Neque enim ex Euangelio addiscere possumus, nos in Christo esse benedicendos, nisi per antithesin, vt Lutherus loquitur, simul agnoscamus, nos per legem esse maledictos. *Meminerit* item & prædicatio pœnitentiæ, sine agnitionis peccatorum necessario præmitti debet, si fides de reconciliatione locum habere debeat. Vterque ergo horum Euangelistarum *συνεκδοχικῶς* loquitur, vnam partem nominans, & totam doctrinæ summam intelligens. Sicut etiam Christus ipsis iniunxerat, *vt prædicarent, regnum Dei appropinquasse*. At vero regnum Dei ingredi non possumus, nisi præteritorum peccatorum pœnitentiam agamus, & Euangelio de IESVS CHRISTO fidem habentes, eorum remissionem propter ipsum consequamur. Hoc ergo modo Euangelistæ inter se coniuncti, se mutuo explicant, & doctrinam Ecclesiæ illustrant.

Additur etiam, quo successu docuerint. Nimirum miracula coniuncta fuerunt doctrinæ, quibus hæc confirmaretur. Inter miracula autem præcipue nominatur hoc, *dæmonia multa eijciebant*, vt sic constet, tum de auctoritate Christi, qui Apostolis potestatem supra dæmones dederat, tum quod per pœnitentiæ doctrinam Satanæ regnum euertatur. Christus

us enim est, qui antiqui serpentis caput conterit, Genes.3. ers.15. & in hoc non tantum olim apparuit, sed etiamnum erbum Euangelij passim prædicari curat, vt dissoluat opera Diaboli,1.Ioan.3.vers.8. Dæmoniorum eiectioni addunt donum sanationis,& testantur Euangelistæ, quod πανταχοῦ vbique, vbi nimirum ægros inuenerunt, qui ipsorum ope leuari cupiuerunt, ipsos *sanarint*. Vnde rursus efficacia verbi Christi manifesta euadit, siquidem Apostoli alioquin miseri & infirmi, Christo iubente, illa δυνάμει θεραπευτικῇ & potestate sanandi pollent.

Cæterum quod Marcus dicit, *ungebant oleo multos ægros & sanabant*, ex eo Papistæ extremam suam vnctionem stabiliri contendunt. Quam tradunt tale esse Sacramentum Ecclesiæ, quod à Christo hic in Marco sit insinuatum, (Côcil. Tridentin.cap.1.de extre.vnct.) per Iacobum autem Apostolum,ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum, qui sacro oleo ab Episcopo certo anni die & certis exorcismis consecrato,ægri moribundi membra & organa quinque sensuum,certis & conceptis verbis in nomine sanctæ Trinitatis inunguntur, in hunc finem & vsum, vt hoc tanquam firmissimo præsidio, moriturus in fine vitæ munitus sit aduersus peccata,mortem & Diabolum, sicque per hanc vnctionem plenam peccatorum remissionem accipiat. Et sane si Christus tale præsidium nobis in exitu vitæ, imminente morte,constituisset,certe sacrilegi essent,qui cœtum fidelium hoc tam salutari præsidio priuarent, & extremam illam vnctionem reiicerent. Verum si omnes huius historiæ circumstantias diligentissime excutiamus, nihil eorum, quæ Papistæ fictitio suo Sacramento attribuunt,hic inueniemus. Nam 1. Euangelista non dicit, Apostolos eos, qui in agone mortis erant,vnxisse,hac opinione,vt in illa vnctione haberent vltimum & firmissimum præsidium contra peccata,diabolum & mortem: sed tantum describit donum sanationis,cuius facultatem se ipsis ad illam legationem concedere, capite præcedente Dominus dixerat. 2. Euangelista non præscribit, quod talis inunctio olei,in vniuersa Ecclesia Noui Testamenti,omnibus temporibus, vsque ad consummationem seculi, fieri & seruari debeat: Sed,vt dictum, describit donum sanationis, quod, sicut etiam alia miraculorum dona, temporale fuit, & post propagatum per totum orbem Euangelium desiit. 3. Non leguntur Apostoli vnxisse eos, de quibus probabiliter præsumebant, quod mox essent morituri: sed sua vnctione illos ægros sanabant, ne tunc illa infirmitate morerentur. 4. Non dicit Marcus, Christum Apostolis materiam illam olei, quasi in omnibus sanationibus infirmorum necessario adhibendam præscripsisse: Sed hoc tantum innuit,ipsos virtute sanandi à Christo concessa vsuros, olei vnctionem tanquam externum symbolum adhibuisse. Vnde Apostoli postea libera obseruatione in curationibus etiam alia externa symbola adhibuerunt: qualia fuerunt externus contactus & vmbra, Actor.5.versic.15. sudaria & semicinctia, Actor.19.versic.12. manuum item impositio, de qua Marcus 16. versic.18. 5. Nihil etiam hic legimus de mandato Christi vel etiam de facto Apostolorum, quod oleum illius vnctionis debeat prius conceptis verbis esse consecratum & exorcizatum. 6. Neque etiam vel à Christo mandatum, vel ab Apostolis factum legimus, quod organa quinque sensuum inunxerint. 7. Nulla quoque litera vel syllaba habetur de certa forma verborum, qualis in Papatu vsitata est. 8. Finem denique & effectum huius vnctionis Marcus non dicit fuisse, vt per eam peccata delerentur, & insidiæ diaboli in morituris reprimerentur: sed vt hoc externo symbolo, quod tum temporis inter Orientales vsitatum erat, donum corporalis sanationis administraretur. Ex quibus omnibus Sole meridiano magis clarum est, Christum hoc in loco tale Sacramentum, pro illis, qui in exitu vitæ constituti sunt, quale Pontificij Ecclesiis obtrudunt, nec instituisse, nec (vt Tridentini Patres loquuntur) insinuasse. Et hoc vsque adeo manifestum est, vt aliqui Pontificij Scriptores, & inter hos etiam Cornelius Iansenius, euidentia rei moti, scribant: verisimilius esse, hanc Apostolorum vnctionem non fuisse eãdem cum Pontificia Sacramentali, quia Apostolorum vnctio potissimum facta sit propter sanitatem corporalem, cum Ecclesiastica vnctio potissimum fiat pro remissione venialium peccatorum,& mentis alleuatione. Quemadmodum autem Ecclesiastica illa vnctio nullum fundamentum habet in hoc Marci textu: ita nihilo plus Pontificios iuuat dictum Iacobi cap.5.versic.14. Illius enim loci hæc vera est sententia. Cum multi in primitiua Ecclesia essent, qui dono sanationis, quod tunc exstabat,vel abuterentur,vel non recte vterentur, Iacobus præscribit modum & formam,quomodo pie,salutariter & ad ædificationem dono illo vtendum sit. Ne scilicet vsurpetur tanquam chirurgicum aut medicum aliquod artificium, sed vt extraordinarium beneficium Dei ob filium concessum: Ideo infirmum ante omnia debere agnoscere peccata, quæ essent causa morbi: hæc vero peccata tolli & remitti propter fidem in Christum: tum institui etiam debere preces publicas, quibus infirmus etiam suas adiungat, si pro se efficaces eas esse velit: denique vnctionem addi debere, quæ sit Symbolũ illius miraculosæ sanationis. In his omnibus nihil auditur, quod cum superstitiosa illa Pontificia vnctione, quæ peccatorum remissionem procuret, conueniat. Nam remissio peccatorum, cuius hic mentio fit, non adscribitur vnctioni, sed diserte tribuitur orationi fidei, quæ etiam citra vnctionem fieri potest. Iudicent ergo omnes sani & sancti, quæ hæc sit audacia, anathema dicere omnibus, qui negent extremam vnctionem esse vere & proprie Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à beato Apostolo Iacobo promulgatum, vt faciunt Tridentini Concilij Patres: cum tamen ne litera quidem de eo hic inueniatur.

Sed Dominus ista videt & iudicat.

CAPVT LXXIV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DECOLLATIONIS BAPTISTÆ,

Matth.14.vers.6. Marc.6.versic.21.

RATIO ORDINIS.

DVas distinctas esse historias, historiam decollationis Baptistæ, & famam de Iesu apud Herodem sparsam, quæ etiam diuersis temporibus, & quidem ita acciderint, vt decollatio præcesserit, opinio autem diuinitatis de Ioanne subsecuta sit, quiuis facile videt & intelligit. Ordine enim naturæ præcedit mors, & sequitur opinio post mortem. Qua de causa & nos ea in Harmonia separabimus, & quidem eo ordine collocabimus, licet Euangelistę relationem de fama Iesu præponant, quia nimirum fama illa ex prædicatione Apostolorum, quam plurimis miraculis confirmarunt, orta erat. Licet autem nõ desint, qui putet decollationem Baptistę diu ante emissionem Apostolorum factam esse, & Euangelistas hac occasione, quod ad Herodem fama de miraculis Christi delata fuit, simul historiam de morte Baptistæ per Rememorationem & Recapitulationem referre; (sicuti Luc. c.3. v.19. simili occasione incarcerationem non suo loco narrat.) Matth. tamen certa notatione ordinem huius historiæ monstrat. Dicit enim discipulos Baptistæ persoluto officio sepulturæ venisse ad Christum, & nuntiasse ea, quæ acciderunt circa Iohannem. Eodem vero tempore, sicut Marcus & Lucas annotarunt, Apostoli ex legatione sua quoque redierunt, & quæ docuerint atque fecerint, retulerunt. Inde mox Christus secessit in desertum, vbi edidit miraculum de quinque panibus.

Tempus vero Ioannes notauit, *fuisse* scilicet *prope Pascha festum Iudæorum*, Ioan.6.versic.4. Ergo hæc non nimium procul à se inuicem sunt remouenda. Ex hoc etiam fundamento constitui potest supputatio historiæ Baptistæ. Coniectus enim fuit in carcerem quatuor mensibus ante messem (vt demonstratum est cap.31. huius Armoniæ) hoc est, tribus mensibus ante secundum Pascha ministerij Christi. Ioan. 4. v. 35. Et cum prope esset tertiũ Pascha ministerij Christi, Ioan.6 versic.4. interficitur. Detentus igitur fuit in carcere per integrum annum & duos fere menses. Nam mensem fortassis ante Pascha, sub medium nostrum Martium, Ioannem decollatum esse inde colligimus: quia post decollationem veniunt discipuli, sepeliunt eum in Sebaste, inde accedũt Christum, cum quo postea discedunt in desertum. Hisce omnibus tribuendæ erunt ad minimum duæ septimanæ. Cum in deserto essent, Ioannes dicit *prope* fuisse *Pascha*. Huic tempori quoque duas septimanas tribuamus, quia Ioan.11.ver.55. consimilem habemus tempori notationem, vbi duæ septimanæ comme-

dissime intelliguntur. Ergo mensem vnum ante Pascha Ioannes occubuit. Iam porro si Ioannes Baptista suum ministerium incoauit mense Septem. prout supra 16.c.Harm. indicatum est: tum sequitur, eum liberum & saluum in ministerio suo versatum annum vnum & menses quatuor, vsque ad Ianuarium scilicet anni sequentis. Sicut ergo cum Christo in ministerio versatus est, priusquam in carcerem conijceretur, annum integrum & duos menses (si Christus baptizatus statuatur in mense Nouembri, iuxta Epiphanij annotationem) ita etiam annum integrum & duos menses in vinculis testimonium de ipso perhibuit. Adeoque totus cursus ministerij Baptistæ vsque ad mortem eius erit duorum annorum & sex mensium, quem terminum etiam Nicephor. lib. I. Eccl. hist. c. 19. ipsi tribuit. Nec quenquam turbet quod in Martyrologio & Ephemeridibus festum decollationis Ioannis Baptistæ refertur ad 29. diem mensis Augusti. Nam Lombardica historia testatur, hoc festum quatuor de causis institutum esse. 1. propter Baptistæ decollationem. 2. propter ossium ipsius collectionem & concremationem. 3. propter capitis ipsius inuentionem. 4. propter digiti translationem & Ecclesiæ dedicationem. Et diserte fatetur, decollationem non illo die, sed circa diem azymorum anno præcedente passionem Christi accidisse, illo vero die ossium concremationem & templi dedicationem factam esse, vnde etiam ab aliis non decollationis, sed Concremationis & Dedicationis festum appelletur. Certum itaque tempus huius historiæ non ex Martyrologiis, sed ex Euangelistarum scriptis, & superius notatis circumstantiis est desumendum.

HISTORIA DECOLLATIONIS Ioannis Baptistæ.

MATTH. 14.

6. Γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ Ἡρώδου, ὠρχήσατο ἡ θυγάτηρ τῆς Ἡρωδιάδος ἐν τῷ μέσῳ, καὶ ἤρεσε τῷ Ἡρώδῃ.
7. ὅθεν μεθ' ὅρκου ὡμολόγησεν αὐτῇ δοῦναι, ὃ ἐὰν αἰτήσηται.
8. Ἡ δὲ προβιβασθεῖσα ὑπὸ τῆς μητρὸς αὐτῆς, Δός μοι, φησίν, ὧδε ἐπὶ πίνακι τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ.
9. Καὶ ἐλυπήθη ὁ βασιλεύς, διὰ δὲ τοὺς ὅρκους καὶ τοὺς συνανακειμένους ἐκέλευσε δοθῆναι αὐτῇ.
10. Καὶ πέμψας ἀπεκεφάλισε τὸν Ἰωάννην ἐν τῇ φυλακῇ.
11. Καὶ ἠνέχθη ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ ἐπὶ πίνακι, καὶ ἐδόθη τῷ κορασίῳ, καὶ ἤνεγκε τῇ μητρὶ αὐτῆς.
12. Καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἦραν τὸ σῶμα, καὶ ἔθαψαν αὐτό, καὶ ἐλθόντες ἀπήγγειλαν τῷ Ἰησοῦ.

6. *Cum autem celebraretur natalis Herodis, saltabat filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.*
7. *Vnde cum iureiurando pollicitus est, se daturum illi, quicquid peteret.*
8. *At illa prius instructa à matre sua: Da mihi, inquit, hic in patina caput Ioannis Baptistæ.*
9. *Et indoluit Rex, attamen propter iusiurandum, & eos qui simul accumbebant, iussit ei dari.*
10. *Et missis carnificibus amputauit caput Ioannis in carcere.*
11. *Et allatum est caput eius in patina, datumque est puellæ, atque illa obtulit matri suæ.*
12. *Et accesserunt discipuli eius, & sustulerunt corpus, ac sepelierunt illud, abieruntque & renuntiarent Iesu.*

MARC. 6.

21. Καὶ γενομένης ἡμέρας εὐκαίρου, ὅτε Ἡρώδης τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίει τοῖς μεγιστᾶσι, καὶ τοῖς χιλιάρχοις, καὶ τοῖς πρώτοις τῆς Γαλιλαίας·
22. Καὶ εἰσελθούσης τῆς θυγατρὸς αὐτῆς τῆς Ἡρωδιάδος, καὶ ὀρχησαμένης, καὶ ἀρεσάσης τῷ Ἡρώδῃ, καὶ τοῖς συνανακειμένοις, εἶπεν ὁ βασιλεὺς τῷ κορασίῳ· Αἴτησόν με, ὃ ἐὰν θέλῃς, καὶ δώσω σοι.
23. Καὶ ὤμοσεν αὐτῇ· ὅτι ὃ ἐάν με αἰτήσῃς, δώσω σοι, ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου.
24. Ἡ δὲ ἐξελθοῦσα εἶπε τῇ μητρὶ αὐτῆς, Τί αἰτήσομαι; ἡ δὲ εἶπε, τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ.
25. Καὶ εἰσελθοῦσα εὐθέως μετὰ σπουδῆς πρὸς τὸν βασιλέα, ᾐτήσατο λέγουσα· Θέλω, ἵνα μοι δῷς ἐξαυτῆς ἐπὶ πίνακι τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ.
26. Καὶ περίλυπος γενόμενος ὁ βασιλεύς, διὰ τοὺς ὅρκους, καὶ τοὺς συνανακειμένους, οὐκ ἠθέλησεν αὐτὴν ἀθετῆσαι.
27. Καὶ εὐθέως ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα, ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. Ὁ δὲ ἀπελθὼν ἀπεκεφάλισεν αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ.
28. Καὶ ἤνεγκε τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἐπὶ πίνακι, καὶ ἔδωκεν αὐτὴν τῷ κορασίῳ, καὶ τὸ κοράσιον ἔδωκεν αὐτὴν τῇ μητρὶ αὐτῆς.
29. Καὶ ἀκούσαντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἦλθον, καὶ ἦραν τὸ πτῶμα αὐτοῦ, καὶ ἔθηκαν αὐτὸ ἐν μνημείῳ.

21. *Et cum dies opportunus accidisset, cum Herodes in natalitiis suis cœnam faceret primatibus ac tribunis & primoribus* Galilææ:
22. *Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, ac saltasset, placuissetque Herodi, ac simul accumbentibus, rex ait puellæ, pete à me quod vis, & dabo tibi.*
23. *Et iurauit illi, quicquid à me petieris, dabo tibi, vsque ad dimidium regni mei.*
24. *Et illa egressa dixit matri suæ, quid petam? Illa vero dixit, caput Ioannis Baptistæ.*
25. *Et ingressa statim cum festinatione ad regem, petiuit dicens: volo, vt protinus des mihi in lance caput Ioannis Baptistæ.*
26. *Et dolore affectus rex propter iusiurandum, eosque qui simul accumbebant, noluit eam reiicere.*
27. *Et confestim rex misso spiculatore, iussit inferri caput eius. At ille abiit, ac decollauit eum in carcere.*
28. *Et attulit caput eius in lance, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ.*
29. *Quo audito, discipuli eius venerunt, & sustulerunt cadauer eius, posueruntque illud in monumento.*

DE COAGMENTATIONE CIRCVMstantiarum huius historiæ.

Videtur sane hæc historia arctius contrahi posse, ne vnum idemque bis repetatur, quale est illud de saltatione filiæ Herodiadis, & de eiusdem petitione. Sed eruditiores ipsi vident, versiones quidem ita institui posse, vt in vnum contextum omnia verba contrahi possint, sed in Græca lingua ab Euangelistis historiam ita esse descriptam, vt Syntaxis non permittat verba in vnum complexum redigere. Quod ergo ab vno simpliciter narratur, id ab altero repeti, & quasi per ἀνάληψιν amplius inculcari, vsque adeo absurdum non est, vt interdum vnus idemque scriptor vnam eandemque rem paululum

paululum mutatis verbis bis referre soleat. Neque incredibile est, scortillum istud bis in scenam illam intrasse; suamque saltationem iterasse, maxime cum Herodi & conuiuis illud placere semel animaduertisset. Petitionem autem omnino ipsi Euangelistæ ita proponunt, vt iteratam fuisse colligere liceat. Nam Rex ad primam petitionem quasi obstupuit: sed meretricula ex matris informatione impudentius & importunius instat, vt postulatum suum extorqueat. Euangelistæ itaque inter se collati descriptionem ita instituunt, vt totam actionem planiorem reddant. Reliqua per se sunt aperta.

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, EX DEscriptionibus Matth. 14. & Marc. 6. in vnum corpus concinnata.

b Καὶ γενομένης ἡμέρας εὐκαίρου, ὅτε ἡρώδης τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίει τοῖς μεγιστᾶσι, καὶ τοῖς χιλιάρχοις, καὶ τοῖς πρώτοις τῆς γαλιλαίας. a Γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ ἡρώδου, ὠρχήσατο ἡ θυγάτηρ τῆς ἡρωδιάδος ἐν τῷ μέσῳ, καὶ ἤρεσε τῷ ἡρώδῃ, ὅθεν μεθ' ὅρκου ὡμολόγησεν αὐτῇ δοῦναι ὃ ἐὰν αἰτήσηται. b Καὶ εἰσελθούσης τῆς θυγατρὸς αὐτῆς τῆς ἡρωδιάδος, καὶ ὀρχησαμένης, καὶ ἀρεσάσης τῷ ἡρώδῃ, καὶ τοῖς συνανακειμένοις, εἶπεν ὁ βασιλεὺς τῷ κορασίῳ· αἴτησόν με ὃ ἐὰν θέλῃς, καὶ δώσω σοι, ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου. Ἡ δὲ ἐξελθοῦσα εἶπε τῇ μητρὶ αὐτῆς, τί αἰτήσομαι; ἡ δὲ εἶπε· τὴν κεφαλὴν ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ. Καὶ εἰσελθοῦσα εὐθέως μετὰ σπουδῆς πρὸς τὸν βασιλέα, ᾐτήσατο λέγουσα, θέλω, ἵνα μοι δῷς ἐξαυτῆς ἐπὶ πίνακι τὴν κεφαλὴν ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ. Καὶ περίλυπος γενόμενος ὁ βασιλεὺς. Ἡ δὲ προβιβασθεῖσα ὑπὸ τῆς μητρὸς αὐτῆς, δός μοι, φησίν, ὧδε ἐπὶ πίνακι τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ. Καὶ ἐλυπήθη ὁ βασιλεύς. e διὰ δὲ τοὺς ὅρκους, καὶ τοὺς συνανακειμένους, b οὐκ ἠθέλησεν. a Καὶ ἐκέλευσε δοθῆναι αὐτῇ. b Καὶ εὐθέως ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα, ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. Ὁ δὲ ἀπελθὼν e ἀπεκεφάλισεν αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ. Καὶ ἠνέχθη ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ ἐπὶ πίνακι, καὶ ἐδόθη τῷ κορασίῳ, b καὶ τὸ κοράσιον a ἤνεγκε καὶ b ἔδωκεν αὐτὴν e τῇ μητρὶ αὐτῆς. b Καὶ ἀκούσαντες a καὶ προσελθόντες e οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἦλθον, καὶ ἦραν a τὸ σῶμα, b τὸ πτῶμα αὐτοῦ, καὶ ἔθηκαν αὐτὸ ἐν μνημείῳ. a καὶ ἔθαψαν αὐτό, καὶ ἐλθόντες ἀπήγγειλαν τῷ Ἰησοῦ.

b *Et cum dies opportunus accidisset, cum Herodes in natalitiis suis cœnam faceret primatibus ac tribunis & primoribus Galilææ.* a *Cum autem celebraretur natalis Herodis, saltabat filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iureiurando pollicitus est, se daturum illi quicquid peteret.* b *Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, ac saltasset, placuissetque Herodi, ac simul accumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit illi, quicquid à me petieris, dabo tibi, vsque ad dimidium regni mei. Et illa egressa dixit matri suæ, quid petam? Illa vero dixit, caput Ioannis Baptistæ. Et ingressa statim cum festinatione ad regem, petiuit dicens: volo, vt protinus des mihi in lance caput Ioannis Baptistæ. Et dolore affectus rex.* a *At illa prius instructa à matre sua: Da mihi, inquit, hic in patina caput Ioannis Baptistæ. Et indoluit Rex,* e *attamen propter iusiurandum, & eos qui simul accumbebant,* b *noluit eam reiicere,* a *sed iussit ei dari.* b *Et confestim rex misso spiculatore, iussit inferri caput eius. At ille abiit,* e *ac amputauit Ioannis in carcere. Et allatum est caput eius in patina, datumque est puellæ,* b *& puella* a *obtulit* b *& dedit illud* e *matri suæ.* b *Quo audito,* a *accesserunt* e *discipuli eius,* b *venerunt, &* e *sustulerunt* a *corpus,* b *cadauer eius, posueruntque illud in monumento, ac* a *sepelierunt illud; abieruntque & renuntiauerunt Iesu.*

Periocha huius historiæ.

SVPERIVS cap. 31. huius Harmoniæ indicatum est, quomodo Herodias adultera & incestuosa Iohanni Baptistæ ob concionem pœnitentiæ infesta fuerit, eum occisum voluerit, & quotidianis criminationibus apud Herodem institerit, vt eum è medio tolleret. Quomodo item Herodes initio, cum sciret se recte & merito argui, & Iohannem esse virum sanctum, conscientiæ propriæ testimonio adductus, in cædem illam consentire noluerit: sed postea quotidianis stimulis adulteræ impulsus, eum occidere voluerit, dummodo à plebo nulla seditio propter Iohannem esset metuenda. Nobile itaque hoc par incestuosorum ante occasionem quærit, quomodo sub honesto aliquo prætextu Iohannem è medio tollere possit. Non ergo est dubium, quin tota hæc res ex composito sit facta, quodque prius secreto inter se cōdixerint, vt Herodes natalis sui diem coram primoribus Galilææ celebraret: vt puellæ saltanti quicquid petierit se daturum iuramento promitteret: vt denique ipsa caput Iohannis peteret, Herodesque vigore iuramenti ipsi tribuere quasi cogeretur. Nam talem versutiam & simulationem in hac Tragœdia Herodem adhibuisse, etiam Hieronymus in glossa innuit, dicens: Ideo forte iurauit, vt occasionem inueniret occidendi. Nam si illa patris interitum postulasset, Herodes vtique non consensisset. Historia quoque Scholastica inquit: Credibile est, quod Herodes cum vxore de nece Iohannis sub tali occasione facienda prius secreto tractauerit. Quis enim technas, & arcanos recessus cordis humani, præsertim aulicæ alicuius istiusmodi vulpeculæ, quę offensa est, vindictam meditatur, enarrabit? Ideo etiam Euangelista Marcus diem natalem Herodis vocat ἡμέραν εὔκαιρον, *opportunum diem*, non respectu Dei, cui ita decorum visum fuerit, impij regis natalem sanctissimi viri morte funestū reddere, & aulicas delicias atque luxum abstinentissimi hominis cæde inquinare: sed respectu ipsius Herodis & Herodiadis, qui oportunius tempus cædem, dudum intra animū conceptam & agitatam, in actum traducendi non inuenerunt.

Et quidē hac de caussa natalis diei celebratio à multis vehementer exagitatur, qui illū morem ex gentilismo in populū Dei introductum asserunt: nec aliorum quàm duorum Regū, Pharaonis, & Herodis, Natales in sacris annotatos contendunt: denique Deū ipsum hoc nomine Israëlitas grauiter reprehendisse affirmant, quod Reges sua malitia exhilararint & clamarint, Dies est Regis nostri: interim Principes suos ægrotare faciant vtre vini, & Rex simul manum suam iungat cum illusorib. Hos. 7. v. 5. Sed sciēdum morem illum, quo tū Principes, tum etiam alij Natalem suum celebrant, vsque adeo non esse reprehendendum, vt non tantum tolerabilis, sed etiā vtilis esse videatur, si rite peragatur. Nam occasionem præbet iste mos, 1. Deo gratias agēdi, quod cum in abdito lateremus, & ne vnicum quidem officulum nostri mundo pateret, ipse primum quidem spiraculum vitæ ipsius, ceu factoris ab ore creatæ, immisit: postmodū vero nos ex vtero matris extractos luce hac clarissima frui concessit. Cum tamen meliora meriti non fuissemus, quam qui vel abortiui proiecti sunt ab vtero, vel intra materna viscera suffocati, pœnæ videntur concepti non vitæ. Quod deinde hac benignitate non contentus, cum ob primorum parentum lapsum & naturalem peccati labem, horribilibus ignorantiæ tenebris immersi & sanguinibus cōtaminati eramus, ipse per Sacramentum Baptismi ab omni spirituali immunditie nos lauit, per verbum nos illuminauit, & pro corrupto spiritu mundum nobis spiritum, planeque nouum tribuit, vt in Christo noua omnino creatura effecti fuerimus. Quod insuper ætatem nostram omnem tam paterne imo plus quam paterne, curat, ac singulorum annorum labores officia & ærumnas sic moderatur, vt semper felicem exitum sortiantur. 2. Occasionem etiam præbet dies natalis considerandi, quàm inutiliter plurimum temporis, quod omne in honorem Dei & proximi vtilitatem impendendum erat, consumserimus: Quoties etiam per integrum

annum delinquendo Deum offenderimus, nobisque ipsis periculum mortis attraxerimus: vt talia deprecemur, & vitæ emendationem meditemur. 3. Occasionem denique præbet diligenter orandi, vt Deus dilatet cor nostrum, illud in considerationem diuinorum suorum beneficiorum inducat, quo dignas tanta munificentia gratias ipsi habeamus. Vt quoque porro nobis sua gratia adesse, corpus & animam pro sanctissima sua voluntatē regere, viuum robur & sanctos motus illis instillare: omnia, quæ nocere possunt, qualia plurima singulis diebus nobis imminere scimus, clementer auertere dignetur. Rugit Diabolus, furit mundus, obstrepit caro, languescit mole calamitatum fractus Spiritus: vt hunc Deus quotannis innouet & instauret, ardentibus votis precemur. Qui hoc modo Natalem suum celebrant, & diem illum lætum cum amicis transigit, is in Deum minime peccabit. Habebit de quo Deo gratias agat: habebit de quo pœniteat: habebit abunde, quod precetur & optet. Neque enim à gentilibus, sed Deo auctore ex sacris ipsius literis didicimus, articulum Creationis magni esse faciendum: & abhorremus ab illa barbarie, qua quædam gentes natiuitatis diem lacrymis, mortis autem diem risu & lætitia sunt prosecutæ. Prophetæ quoque mortem illum natalem celebrandi non simpliciter damnant, sed tantum abusum reprehendunt, eo quod plerique inde intemperantiæ & impietatis occasionem arripiant, cum potius ille dies ipsos officij sui commonefacere deberet. Et hac de caussa etiam Herodis natalis male audit, quia ibi nulla fit Dei mētio, nullę gratiarū actiones audiuntur, nullæ preces vel publicæ vel priuatę instituuntur: sed potādo, saltando, & Dei nomē temerariis iuramentis abutendo tempus omne teritur, imo Iohanni, qui tanquam aulicus concionator mensam precibus suis consecrare debuisset, non tantum os occluditur, verum caput totum abscinditur, vt audiemus.

Nam primo *Herodes in natalitiis suis fecit cœnam.* Conuiuium instituere per se non est impium, aut à Deo prohibitū. Nam in Veteri Testamento multi pro conuiuia celebrarunt splendida, & in Nouo Christus ipse accessit conuiuium nuptiale, Iohan. 2. vers. 1. Matthæus quoque in honorem Christi magnum cōuiuium in sua domo instituit, ad quod inuitauit publicanos, Matth. 9. v. 10. Fideles item in Bethania Christo fecere cœnam magnam, Iohan. 12. v. 2. quod is non improbauit, sicque se conuiuia tolerare posse docuit. Sed & hic omnis intemperantia & luxus est vitandus. Alias enim, quando conuiuæ largius bibunt, tum nimia hilaritate abrepti, ebrij talia loquuntur, pollicentur, faciunt, de quibus sobrij vix cogitare ausi fuissent. Hoc factum est in hoc conuiuio Herodis, quis igitur intemperantiam & crapulam inde absuisse dicet? Agnouit hoc Iobus, qui propterea, quoties filij sui conuiuia agitarant, sacrificare solebat, vt sic veniam à Deo precaretur, si filij excessu aliquo peccassent, Iob. 1. ver. 5. Ah vtinam hanc pietatem & nos nostra hac ætate adhiberemus, quia proh dolor, res eo deuenit, vt nihil auspicatum esse mundus opinetur, nisi vino quasi inauguretur. Nulla sponsalia fiunt, nullæ nuptiæ celebrantur, nisi plerique conuiuæ omnes bene poti madeant. Si infantes baptizantur, si contractus firmantur, si funerationes instituuntur, simul symposia parantur. Sic commessando introducimur in mundum, commessando traducimus æuum, commessando finimus vitam. Si quando comitia vel conuentus solemniores instituuntur, in quibus merito seriæ deliberationes de emendanda intemperantia & reducenda sobrietate institui debebant, ibi tum vel maxime poculis certatur, vt ipsas mensas & scamna vino innatare videantur. Et est hoc malum adeo vsitatum & inueteratum, vt prorsus immedicabile videatur. Deus nostri misereatur.

Sed inest huic conuiuio Herodis etiam aliud, quod vituperationem meretur: *fecit cœnam Principibus, tribunis & primoribus Galilææ*, de populo vel vulgo ne vnus quidem adest contra legem Moysis qui Deut. 14. ver. 29. & 16. v. 11. in epulis solemnioribus Leuitæ, pauperum, viduarum & pupillorum quoque rationem haberi vult, & contra doctrinam Christi, qui dicit; Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos & cœcos; & beatus eris, quia non habent, quod tibi retribuant: retribuetur autem tibi in resurrectionę iustorum, Luc. 14. v. 13. Sed hic est antiquus mos mundi, quod pauperes dant diuitibus, diuites dant diuitibus, & ad pauperes redit nihil. Sunt diuites instar fluuiorum, qui omnem suam aquam in mare deferunt & immittunt, vbi iam antę magna est eius abundantia: ripas autem, iuxta quas defluunt, aridas sterilesque relinquunt. Esto autem, non esse vsitatum, vt Regum & Principum mensis plebeij homines aut pauperes adhibeātur. Nam & Ahasuerus, Esth. 1. c. 3. & 2. vers. 18. & Balsasar, Daniel. 5. v. 1. tantum pro Principibus, inclytis & optimatibus conuiuia instituerūt. Et sufficiat pauperibus, si ipsis de micis ex orbibus & patinis decidentibus participare liceat. Hoc potissimum, hic desiderandum quod Rex ad conuiuium adhibet eos, qui iniusti belli, quod cum Areta Arabum rege, cuius filiam in gratiam Herodiadis repudiarat, circa illud tempus gerebat, quo quidem bello subditi grauiter expilabantur, & misere trucidabantur, hi autem combibones vel auctores, vel suasores, vel certe eius continuatores & administri erant. Sicuti fere fieri solet, vt sub iniquis Regibus & Principibus miser populus magnis exactionibus oneretur & exhauriatur, postea autem collectam pecuniam eiusmodi σπόγγοι & Centauri vno hiatu emendicare aut in Principum mensis abligurire atque per iugulum transmittere solent.

In medium conuiuium inter medios Principes, satrapas, consiliarios & officiales, vbi omnia personant gaudio & lætitia ingreditur filia Herodiadis, quàm impura mater, Aristobuli filia, maioris Agrippæ soror, ex marito Philippo Herodis fratre, cui prius nupta fuerat, susceperat. Mali corui, malum ouum. Euangelistæ vocant illam κοράσιον, quod Pollux dicit vocabulum ἀτελές, nullius pretij, vel impensæ. Re vera hæc filia Herodiadis loue fuit prostibulum, & proinde recte dicitur κοράσιον, seu puella de tribu Leui. Hæc in ludo improbitatis & malitiæ à matre probe instituta, nouerat scite admodū & cōcinne ad numeros saltare, seque his & aliis ad lasciuiam comparatis modis viris approbare. Pudoris ergo virginalis oblita, saltat in corona omnium hospitum. Ex hoc loco aliqui occasionem sumunt inueniendi in choreas & saltationes, easque omnes in solidum ac vniuersim damnandi. Et sane non negauero, sæpenumero in choreis, maxime *vulgi* & plebeiorum, multas leuitates, scurrilitates & *obscœnitates*, quæ inter Christianos ne nominari quidem *debent*, Eph. 5. ver. 4. incidere. Sæpe per choreas inflammatur concupiscentia igne libidinis, quia interueniūt lasciui sermones, accedunt interdum inconsideratę promissiones, animantium mutuæ obtestationes, ex quibus non raro arripitur occasio scortandi, & mœchandi, frequenter etiam rixę & pugnę incidunt, quas non etiam nunquam miserabiles cędes comitantur. Hæc mala pios & Christianos magistratus merito moueāt, vt inordinatas, tumultuarias & lasciuas saltationes publicis edictis prohibeant. Sed propterea omnes saltationes reiicere, nimirum est: siquidem mala ista à multis etiam extra choreas, & in iis locis, vbi omnibus saltare interdictum est, committuntur. Nam oportet, præsertim iuuentuti, concedere aliqua liberalia corporis exercitia: *modo illa non inuehant* malos mores, pudicitiam non *lædant, scandalum non præbeant.*

Accommodant quidem huc exempla sacra, qualia sunt Mariæ sororis Moysis: Exod. 15. vers. 20. quæ submerso Pharaone organis ludit, & choreas agit cum mulieribus. Item mulierum saltantium occiso Goliatho, 1. Sam. 18. v. 6. Dauidis quoque 2. Sam. 6. v. 14. qui cinctus Ephod lineo totis viribus saltabat coram Domino. Sed alij existimant, hæc exempla nihil facere ad nostras saltationes, quæ mixtim seu confuse vtroque sexu masculino & fœmineo fiant, cum apud veteres viri seorsim, itidem fœminæ saltarint. Et si hæc segregatio sexus obseruetur, istiusmodi saltationes vtcunque ferri *posse* illi existimant. At verò si hoc ipsum saltationes tolerabiles redderet, etiam huius iuuenculæ saltatio excusari posset, quia ipsa sola saltabat, & à nullo viro neque prehensabatur, neque trahebatur, neque contrectabatur, neque in gyrum agebatur, qui excessus in choreis non laudantur: & tamen improba fuit hęc saltatio, quia petulanti & lasciuo motu agilitatem sui corporis coram Rege & eius conuiuis ostentare voluit. Non immerito ergo huic saltationi iniquior fuit D. Chrysostomus, qui etiam eleganter dicit, caput Iohannis factum esse μισθὸν πορνικῆς ὀρχήσεως, mercedem *fornicariæ* saltationis. Sed absint eiusmodi vitia à saltationibus, & honeste, decenter, modeste, ac temperanter eæ peragantur, tum inter pios tolerari possunt. Est enim tempus plangendi: est tempus saltandi, Eccles. 3. v. 4. Neque vspiam in sacris legi, quod Deus suo populo liberale gaudium & honestam recreationem, præsertim tempestiue & modeste vsurpatam, prohibuerit.

Sed audiamus, quid hæc puella ludicra & lubrica sua saltatiuncula impetrarit. Referunt enim Euangelistæ, Regem temulentum & insanum huius puellæ impudentia tantopere delectatum fuisse, vt non vulgari præmio dignam iudicarit, sed puellę liberum reliquerit petendi quodcunque collibuisset. Et vt maiorem fiduciam petendi adderet, superbum & arrogans promissum iureiurando confirmauit, atque se *dimidium regni* petendi dare paratum esse affirmauit. O vesanum caput! Nam primum Pater ipsius Herodes Magnus, vix magno labore, multa iniustitia, & non modico sanguine crudeliter effuso, rem eo adduxit, vt sibi, & suis posteris, inter Iudæos regnum acquireret. Et vt illud stabiliret, nulli honori, nulli ætati, & ne quidem sacerdotali dignitati pepercit, ita vt etiam totum synedrium, Senatum illum, qui LXXII. senioribus

ribus constabat, nefarie necarit, & è medio sustulerit. Nunc ipsius filium, vt ostendat se patre nihilo meliorem esse, non pudet dimidium regni, tam multo sanguine parti, puellæ saltatriculæ, ob ineptas gesticulationes temere polliceri. Sic sæpenumero tum inter priuatos, tum magnates euenire solet, vt, quæ parentes multo labore & sudore conquisiuerunt & compararunt, hæredes degeneres rursus dissipent, luxu & comessationibus turpissime deperdant. Nam plerumque stultitiam pariuntur opes. Quapropter, ô parentes, nolite in liberorum gratiam, vt his magnas opes relinquatis, iustitiam violare, caritatis & beneficentiæ Christianæ leges negligere, conscientiam onerare, cum ignoretis, vt Sapiens inquit, Ecclesiast. 2. versic. 19. vtrum hæres, quem quisque habiturus est, sapiens an stultus sit futurus, & an non potius materiam suppeditetis, qua anima & corpore perire possit, quam qua ipsi prositis. 2. Obliuiscitur etiam Herodes sui muneris: ipsius erat, tanquam Regis & Magistratus, publicam vitæ & morum honestatem tueri. Sed hic Rex non tantum permittit in suo & suorum procerum conspectu lasciuam saltationem impune institui, sed & illustri præmio illam remuneratur. Si talis est Rex, qualem gregem fuisse putabimus? Ideo nimis vere Salomon pronunciat: Væ terræ, cuius Rex puer est, & cuius Principes mane comessantur, Ecclesiast. 10. v. 16. 3. Nimium quoque temerarius est, quod largam suam pollicitationem nulla restrictione limitauit. Dicere debuisset, quod dare velit, si bona cum conscientia, si saluo officio, si integra pietate dare possit, si postulatum non pugnet cum honestate, cum bonis moribus, cum lege Dei, cum ipso Deo. Sed hæc omnia Rex vino & libidine ebrius, sicque bis insanus, nec considerat, nec perpendit. 4. Et quod caput rei est, prophanum suum cor eo prodit, quod absque omni graui caussa iuramento suam conscientiam obstringit, nisi saltatriculæ huic præstet, quod postularit. Atqui Regibus & omnibus, qui in potestate constituti sunt, iurisiurandi religio sacrosancta esse debet, non tantum ea de caussa, quia alias Dei nomen facile in vanum assumitur, quod Deus impunitum non dimittit, Exod. 20. v. 7. Sed etiam quia iuramenta legitima vinculum sunt Reipubl. sine quo hæc consistere nequit. Iuramentum finis esse debet controuersiæ ad confirmationem, Hebr. 6. v. 16. Hic initium est maiorum turbarum inde subsecutarum. Nam studiose & ex composito sic se iuramento obstrinxit, vt postea prætextum haberet non resiliendi à proposito, quo constitutum erat, vt in hoc natalitio conuiuio Ioannes vitam amitteret.

Cæterum *κοράσιον* audita magnifica Regis promissione, non ex suo arbitrio petit quod ipsi potissimum placere poterat, sed matris consilio sibi vtendum putat. Icciрco ex conuiuio egressa, matri renunciat, quam liberaliter Rex se quiduis, ad regni medietatem vsque daturum promiserit, & quid petere debeat ex illa interrogat. Recte hoc, nisi subdole aliã fabulam lusissent, à puella factum fuisset. Et discant procacis huius puellæ exemplo omnes ingenui liberi, ne quid inconsultis suis parentibus temere faciant. Inprimis autem hoc obseruent in rebus grauioris momenti, vt quando vel de coniuge eligenda, vel de vitæ genere mutando agitur, meminerint quarti præcepti, in quo honor erga parentes exigitur. Hic vero honor potissimum in obseruantia voluntatis parentum & obedientia erga illam consistit. Hoc nomine Isaacus & Iacobus commendantur, quod ad parentum nutum atq; arbitrium res suas matrimoniales instituerunt, Gen. 24. v. 3. & 28. v. 21. Econtra impietas Esaui taxatur, quod inconsultis parentibus tales coniuges sibi associauit, quæ Isaaci & Rebeccæ animos offenderunt. Gen. 26. v. 34. Pij itaque filij sæpe sibiipsis ingeminent illud Salomonis, Prouerb. 6. v. 20. Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuę. Atque iterum c. 10. v. 1. Filius sapiens lætificat patrem: filius vero stultus mœstitia est matris suæ. Vide etiam c. 30. v. 17.

Quid mater? Debuisset ea bonis præceptis filiam instruere, & bono exemplo præire: sed neutrum facit. Nam hactenus lasciue saltare, & petulanter lenocinium eam facere docuit: nunc consilium ei suggerit, quod neque ætatem neque sexum decebat. Dudum libenter Iohannem, eo quod impudicos ipsius mores taxaret, è medio sustulisset. Sed diabolicum suum odium sub diro & tetro suo pectore clam pressit, quia nulla aderat optata occasio illud perficiendi. Nec ausa fuit astuta fœmina animi sui propositum propriæ filiæ antehac aperire. Nunc postquam Regis fidem iuramento obstrictam audit, vel tandem animum suum aperit, & filiam suam instruit, vt *Iohannis Baptistæ caput petat*. Hunc enim acerbis suis concionib. coniugium suum cum Herode rege traducere: & periculum esse, nisi hic litigator & taxator remoueatur, ne Rex Herodes adducatur, vt se quoq; repudiet. Quod si Iohannes suis concionibus efficiat, nihil profuturum, si maxime dimidium regni petat, sed in exsilium abeundum fore. Quapropter clamosi illius Iohannis caput, omnib. clinodiis, thesauris, opib. & diuitiis regni præferendum esse. Instruit quoque eam, quomodo suam petitionem Regi proponere debeat, vbi singula verba sunt attendenda. Neque enim frustra Matthæus annotauit, quod à matre fuerit *προβιβασθεῖσα instructa*. Nam vt Græci scriptores annotant, cliens & litigator patroni caussam acturi os faciens atque instruens *αὐτὸ προβιβάζειν* dicitur. Herodiadi lis erat cum Iohanne, illius caussæ patrocinium hic filia suscipere debet, litigatrix ergo fœmina eam instruit, ipsique verba in os ponit. Quæ instructa mox rursus in tantum & tam illustrem conuiuarum consessum irrumpens, ex matris informatione inquit, *Volo*: satis pro imperio: *ἐξαυτῆς protinus*, statim, è vestigio. Metuens ne feruor animi Regij refrigescat, ne sobrius factus, aut remotis testibus iuramenti, à promissione resiliat. *Des mihi in lance caput Iohannis Baptistæ*. O impudentiam cum crudelitate coniunctam! Mulieres alias natura abhorrẽt ab aspectu sanguinis & vulnerum. Hoc scortillum, nondum nubile, caput cruentum & recens abscissum sibi dari petit, vt illud in patina instar lautissimi ferculi ad matrem deferat. Nec pudet illam hoc petere in consessu tot Principum & magnatum, de quibus ipsa statuere poterat, quod quotquot inter eos essent boni & cordati, apud illos omnis honoris & existimationis suæ iacturam factura esset. Sed hoc ista non curat: quin cum Rex dolore affectus hæsitare videretur. Nam conscientia dictabat, Iohannem, licet eum odisset, esse virum sanctum & innocentem. Illa procacior instat: *Da mihi hic in patina caput Iohannis Baptistæ*. *ὧδε*, *hic, præsentem* ponit: & modum præscribit, quo sanctissimum virum capite plecti, & ipsum caput in locum conuiuij inferri voluit. Apparet quod Herodias ne ipsi quidem Regi fidere voluerit. Nam quia, vt habetur Marc. 6. vers. 20. Herodes Iohannem libenter audiebat, & multa iuxta doctrinam eius faciebat, metuit crudelis fœmina, ne Herodes occisum mentiatur, interim vero eum occultaret, & docentem vlterius audiret. Vt ergo secura esse possit (quia canis mortuus non amplius mordet) vult caput ipsius ad se transmitti, quo eius morte gaudere possit.

Disce autem ex hoc exemplo, quam dirum & acerbum odium sit, odium Veritatis: non potest illud satiari, nisi sanguine humano eoque innocenter effuso. Exemplo sit Cain contra fratrem Abelem, Gen. 4. vers. 8. Iezabel contra Eliam, 1. Reg. 19. vers. 2. Haman contra Mardochæum, Esth. 5. versic. 14. Aulici Zedechiæ contra Ieremiam, Ierem. 37. vers. 15. Iudæi aduersus Christum, Iohann. 19. vers. 15. Hoc eodem odio adhuc hodie flagrant Iesuitæ & ipsorum Creaturæ fallo nominati Catholici, vnde Euangelicos tribus F. fune, flamma, ferro persequuntur, ita vt recte Iohannes in sua Apocalypsi meretricem Babylonicam, bestiam Romanam, ebriam viderit sanguine sanctorum, Apoc. 17. v. 6.

Rex contentiosam hanc & satis impudicam expostulationem audiens, *indoluit*, vel vt Marcus habet, *περίλυπος factus est*, hoc est, tanto dolore contristatus & consternatus, vt omnes assidentes id obseruare potuerint. Sed ô versipellem vulpeculam, vt ipsum vocat Christus, Luc. 13. ver. 32. Tristitiam simulat in fronte, dum interim lætitiam gerit in mente. Præ se fert, quasi inopinatum quid ipsi & contra omnem exspectationem acciderit: cum tamen satis diu vna cum Herodiade hanc occasionem captarit, & intra sinum suum nunc lætetur, vel tandem adesse illum diem, quo acerbum illum sui adulterij & incestus censorem atque taxatorem, sub honesto aliquo prætextu è medio remouere possit. Qui nunquam in aulis vixerunt, & ex probitate atque simplicitate sui cordis alios æstimant, illi non credunt, quantæ fraudes, imposturæ & falsitates ibi dominentur. Quiduis ibi homines vafri simulare, quiduis dissimulare solent. Aliud ore præ se ferunt, aliud tacito pectore premunt. Non omnes in aulis sunt Iosephi, Dauides, Obadiæ, Ebedmeleches vel Danieles, qui pie & candide res suas agunt: nec omnes sunt Doeges, qui apertis calumniis & manifesta vi pios oppugnant. Sed inuenitur ibi Saul, qui Dauidi filiam offert in coniugium, & interim dicit: non mea manus, sed Philistinorum sit super ipsum, 1. Sam. 18 vers. 17. Inuenitur Ioab, qui osculo salutat Abnerum & Amasam, & vtrumque gladio confodit, 2. Samuel 3. vers. 17 & 20. vers. 9. Inuenitur Absolon, qui conuiuium instruit & Ammonem ad illud vocat, sed temulentum interficit, 2. Sam. 13. vers. 28. qui item furatur corda virorum Israel, 2. Sam. 15. vers. 6. qui denique sub illa specie, quasi Deo votum suum exsoluturus esset, seditionem mouet aduersus patrem, 2. Sam. 15. 6. Sunt ibi Iezabeles, quæ Nabothum crimine læsæ maiestatis reum egit, vt rex ipsius vineam occupare possit, 1. Reg. 21. v. 9. Sunt ibi similes satrapis Persarum, qui mellitis verbis Regi decretum suggerunt, per quod Danielem præcipitant in lacum leonum. Daniel 6. vers. 6. Sunt quidam vt Sanaballat & Gossem, qui Nehemiæ offerunt fœdus, vt tanto rectius decipere possint. Nehem. 6. vers. 2. Sunt quidam vt Herodes, qui promittit se velle adorare nouum Regem Iudæorum, dum interim eius

necem meditatur. Breuiter. Quis enim omnes recensere posset? sicut decipula plena est auibus, sic corda plerorumque aulicorum plena sunt dolo, ideo magnificantur & ditantur. Hoc expertus est peritus ille aulicus Dauid, ideo toties in suis Psalmis de eo conqueritur, Psal.55.vers.22. Blandiores sunt ore suo, quam butyrum: & sermones molliores oleo, & tamen sunt gladij acuti, Psalm.28.3. loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Psalm.57.vers.5. Iaceo in medio leonum, gladij fulgentes sunt. Filij hominum, dentes eorum hastæ & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus. De illis etiam Salomon, Prou.23.7. Comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non est tecum. Aulicum itaque adagium fit F.V.C. V.S. Fide, Vide Cui: Varij Sodales, iuxta illud Ierem.9.4. Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Apud ipsos nimirum valet vsitatus rhythmus: Mel in ore: Fel in corde: Verba lactis: Fraus in factis. His malis omnibus etiam illud accedit, quod Principes raro eos fauore suo complectuntur, qui merentur: Sed illos magis, qui scurras agunt aut ardeliones, quique bonorum odio potius quàm amore digni sunt. Iuxta Germanorum prouerbium: Eandem, imo interdum maiorem gratiam reportare eum, qui sterquilinium in medium palatiũ ingerit, quam alterum, qui illud expurgare conatur. Exeat ergo aula, non tantum qui pius esse vult, sed & qui animi tranquillitatem quærit. Qui vero ratione vocationis & functionis ab aulis abesse nequit: is norit, se in medio laqueorum ingredi, & super pinnas vrbium ambulare: Syr.9.20. statuat, se in medio scorpionum habitare, Ezech.2.6. Ac proinde circumspecte agat, & diligenter oret, vt Christus ipsum dirigat in via bona. Caueat ne confidat in principibus hominum, in quib. non est salus, Psalm.146.3. Quia gratia aularum est lubrica: beneficia tarda, iniuriæ præcipites. Sed ponat spem suam in Deum viuum, qui nouit suos defendere, & ex malis eripere.

Quia ergo Rex Herodes nihil minus videri vult, quam quasi ipsi Iohannis Baptistæ cædes grata sit: iccirco quærit prætextum. Prætexit duas caussas. 1. Τὸν ὅρκον, *Iuramentum*. 2. Τοὺς συνανακειμένους, *simul accumbentes*. Sed pij & cordati intelligunt, quid intersit inter *πρόφασιν* & *αἰτίαν*, prætextum fictum & veram caussam. Est quidem iusiurandum legitime præstitum religiose seruandum in omnibus rebus, quæ bona conscientia præstari possunt, etsi id fiat cum nostro damno. Quia est sacra contestatio, quæ per veri Dei nomen fit, cum seria eiusdem inuocatione, vt nos vera dicentes seruet, fallentes autem & mentientes seuere puniat. Hac de caussa etiam non temere, nec in rebus iniquis, aut iis, quæ non sunt in nostra potestate, iurandum: sed tantum quando Dei gloria aut proximi vtilitas id requirit. Si tamen quis, vel deceptus, vel præcipiti affectu abreptus, aliquid iuret, quod pugnet cum pietate, & Dei lege, tum peccatum, quod temere iurando commissum, est agnoscendum, & coram Deo deprecandum, sed iuramentum non seruandum. Nam qui temere & impie iurat, peccat: qui illud seruat, bis peccat. Dauid temere iurauit Nabali & omnibus eius domesticis excidium, sed ab Abigaele monitus, iuramentum retractauit & rescidit, 1.Sam.25.versic.32. Idem Herodes facere debuisset. Hinc Iureconsulti etiam suas habent regulas: In male promissis rescinde fidem. Item: iuramẽta non debent vincula iniquitatis. Et in Vet. Testamento, Leuit.9.v.3. Deus sacrificium peculiare instituit, quo periurium, vel iuramentum temere & falso enuntiatũ rursus expiari posset. Idem obseruandum est in votis. Iephthe temere vouerat Domino, se immolaturum quodcunq; primo de foribus domus suæ sibi occurreret: & ecce prima ei occurrit filia vnigenita, Iud.11.v.31. Sed rectius fecisset, si filiæ pepercisset, quia Deus victimis humanis non delectatur. Sic non peccant, qui votum de cœlibatu temere initum, quod se bona conscientia seruare non posse sentiunt, rescindũt, & matrimonium ineunt. Apud Herodem autem fuit fucus hypocriticus, quod iuramẽtum prætendit. Quanti enim ipse religionem alias iurisiurandi fecerit, eo commonstrauit, quod sacrosanctum coniugij vinculum dissoluit, fidem vxori datam fefellit, & fratri coniugem abducendo omnia tam diuina quàm humana iura nequiter violauit.

Altera caussa vel prætextus potius fuere *simul accumbentes, coram quibus Herodes* regiam *puellam* saltatriculam *voluit confundere*. Quod Salomon Bersabeæ dicit, 1.Reg.2.versic.20. pete mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam, illud hic dicitur, *noluit eam reijcere* vel confundere. Quasi vero non longe plus & seipsum & conuiuas confuderit, quòd ebrius inter pocula sententiam fert de capite innocentissimi & sanctissimi viri: & conuiuæ omnes suo silentio id probant. Refert D. Hieronym. quod cum Flaminius Dux Romanorum accubanti iuxtà meretriculæ, quæ nunquam se hominem decollatum vidisse aiebat, assensus esset, vt reus quidam capitis in conuiuio truncaretur, à Censoribus curia pulsus fuerit, quod epulas sanguini commiscuerit, & mortem quamuis noxij hominis in alterius delitias præstiterit. Tam acres Censores hi Galilææ Principes, licet lege diuina instructi esse debuissent, non fuerunt. Omnes enim silentiarios egerunt. Nullus Regi adeo fidus vel amicus fuit, vt interpellaret: nullus qui tristitiam præ se tulisset. Sed hi sunt mores aulici, quod Reges & Principes frequenter multa nefaria audent, loquuntur, patrant, propterea quia talib. stipati sunt conuictoribus, qui vel reprehendenda non audent reprehendere, vel ipsi crudelitati & iniustitiæ fauent. Cum ergo in aulis silentiariorum, assentatorum & Gnathonum semper copia sit maxima, qui illud Aristotelis ad Calisthenem didicerit, qui monuit, cum tyrannis aut pauca aut iucunda loquendum: quid mirum in iisdem omnia adeo esse corrupta? Assentatores & Placentini ad arcana admittũtur, mensis assident, ad lusiones adhibentur, in precio habentur: fidi monitores odiũ sustinent, diris excipiuntur, exsulatum mittuntur, in vinculis tenentur, sæpe etiam morte fidelitatis pœnas luunt. Probo itaque Carneadis iudicium, qui dicebat filios Principum in aulis nihil recte discere, præterquam equitare, propterea, quòd his omnes adulentur, solus equus non curans, nobilene gestet an rusticum, tergo excutit, quisquis equitandi fuerit imperitus. Vtinam ergo in aulis hoc Adagium valeret: Assentatio deforme est vitium: turpe illi qui dicit, perniciosum ei qui audit.

Quid multis? Herodi iam ante constitutum fuit, quod hoc die suo natali Ioannes mori deberet. Hoc enim fuit opportunum illud tempus, quod magno cum desiderio aliquandiu exspectauit. *Misso igitur spiculatore Iohannem decollauit in carcere*. Primum Herodes ipse Ioannem dicitur decollasse. Quia nimirum huius facinoris primarius fuit auctor. Sicut Pilatus Christum crucifixisse dicitur: quia Iudæis eum crucifigendum tradidit, qui alias huius rei potestatem non habuissent. Nam cuius iussu & mandato aliquid fit, is ipse illud fecisse iudicatur. Hoc probe perpendant Iudices & Scabini, sententiam mortis in caussis criminalib. ferentes: ne quicquam vel errore, vel in gratiam aliorum, vel ex priuato affectu temere pronuntient. Vt enim si morte dignos occidere iubeant, sanguis facinorosorum super ipsos esse dicitur: Leu.20.9. plectentes autem sunt extra culpam, 1.Reg.2.33. ita si insontem damnant, sanguis illorum super ipsos iudices redundat, eundemque Deus ab ipsis requiret.

Deinde caussa organica exprimitur, per quem id fecerit: *Misso spiculatore. Spiculatores* dicuntur Regum satellites & corporum custodes, à spiculis, quæ gestant. Græci vocant ξυστοφόρου. Sed Marcus hic Romanum vocabulum retinuit. Apud veteres igitur, quo tempore nondum certi Carnifices conducti erant, vsitatum fuit, vt Regum ministri, vel milites supplicium de sontibus sumerent. Deus enim magistratib. gladium in manus dedit, quo sceleratos & maleficos coerceant, eosq; si opus sit è medio tollant. Cuicunque ergo magistratus vicissim gladiũ in manus præbet, vt eo vltore exsequatur id, quod iustum est, is eo loco non tantum magistratus, sed etiam Dei minister est vindex in iram ei, qui malum agit, Rom.13 4. Nisi ergo Carnifices seipsos aliis sceleribus infames reddiderint, propter illud ministerium, quod magistratui in executione iustitiæ præstant, ab hominibus auersari non debent. Sic Dauid proximum ex ministris euocauit, qui Amalecitam trucidaret, eo quod gloriatus fuisset, se Regem Saulem interfecisse, 2. Sam.1.15. Et Salomon vsus est ministerio Benaiæ *filij* Ioiadæ, præsidis militiæ, in occidendis Adonia, 1.Reg.2.v.25. Ioabo vers.34. & Semei. vers.46. Hic tamen spiculator, cuius ministerio Herodes vsus est, nefarie egit: quod hominem trucidat, cuius caussa nec cognita, nec legitime iudicata erat. Nequaquam itaq; ipsum à culpa liberat, quod à Rege iussus id fecit. Nam in gratiam nullius hominis quis facere debet id, quod Deus in quinto præcepto prohibuit. Sic licet Absolon seruis suis dixerit: Percutite eum (Ammonem) & interficite: nolite timere: ego enim sum, qui præcipio vobis: roboramini & estote viri fortes. 2.Sam.13.v.28. Vicissim conscientia dictat & inclamat: noli occidere, quem Deus vult viuere, hic sanguinem iniustum vlciscetur. Quapropter Carnifices, si conscientiam grauare nolint, neminem iugulare debent, nisi prius sententia Iuri conformis ipsis præmonstretur.

Tertio locus etiam indicatur, in quo Iohannes supplicio est affectus, nimirum *in carcere*. Cur eum non produxit in publicum, sicut Herodes Agrippa Act.12.v.4. Petrum post Pascha producere voluit? Hoc non visum est Regi consultum, ne seditio in populo moueretur, qui Iohannem habebat pro Propheta. Voluit ergo ipsius necem celare, quantum potuit. Conscientia siquidem ei dictabat, Iohannẽ esse innocentem, nec

nec citra ipsius contumeliam huius sanctissimi cædem aliis referre. Sic N. quærit A. & mundus odit lucem, quia male agit, ne arguantur ipsius opera. Ioann.3.vers.20. Sed nemo sibi impunitatem in sceleribus clam perpetratis polliceatur. Qui sanguinem Abelis audiuit ex terra: Gen.4.vers.10. qui manifestauit Vriæ necem: 2.Sam.12.v.1. idem etiam Herodis indignam cædem reuelauit, tantamque fœditatem propterea Herodi aspersit, quantam nulla secula abstergere poterunt. Quod vero ex conuiuio Spiculator in carcerem est ablegatus, vt Iohanni caput præcideret, qui & mox id effectum dedit, ita vt caput tabo & sanguine conspersum in conuiuium intulerit, atque puellæ tradiderit, illud me mouet, vt vix Iosepho fidem habere possim, qui affirmat, Herodem Iohan. captiuum tenuisse in Macherunt. lib.18.antiq.c.12. Fuit autem Macherus castrum munitissimum in confinio Iudææ & Arabiæ Petrææ nō procul à mari mortuo. At vero quia Herodes ad conuiuium suum natalitium adhibuit Principes, tribunos & primores Galilææ, dubium non est, conuiuium etiam in Galilæa instructum fuisse. Ac proinde impossibile fuit Spiculatorem inde à Macherunte, quod castrū ad quindecim milliaria distabat à Galilæa, caput Iohannis afferre potuisse. Nisi quis dicere velit, Herodem tum ipsum in isto confinio fuisse ob bellum, cui contra Aretam Regem Arabiæ, socerum suū, implicitus erat. At huic sententiæ reluctatur id, quod postea de secessu Christi dicetur, qui in Galilæa prope mare Tyberiadis factus est, & quidem ob vicinitatem Herodis, ne ipsius tyrannis latius serperet. Iohannem igitur tam alibi, quàm in Macherunte, in carcere detentum fuisse non dubito. Et quia Tiberias vrbs ad mare Galilææ sita, regia & metropolis erat, fortassis ibi detentus fuit. Nam caput sanctissimi viri è vestigio in conuiuium in patina illatum & datum est in manus puellæ: quę digna erat, vt ex Carnificis manu præmiū lasciuiæ suæ acciperet, sed aliud quam huius viri caput, quo sanctius & maius in nullius viri, qui ex mulierib. natus fuisset, scapulis exstitit. Matth.11.11. Tale caput, quod à Deo promissum, ab angelo nunciatum, miraculose conceptum, cum gaudio multorum natum erat in quo erat lingua, quæ pio præconio mundi Saluatorem natum esse denuntiabat. Hoc caput Deo carum adhuc cruore madens postquam in conuiuio spectandi gratia (*alß ein Schawessen*) circumgestatū fuit, lasciua puella ad matrem horum malorum artificem & fontem, cui certe pretiosius donum & munus dimidio regno carius erat, detulit, quæ eo ceu bellariis post epulas iratum suū stomachum sedauit, prauoque suo appetitui satisfecit. Videns nimirum, illi linguę perpetuum silentium impositum esse, quæ adulterium & incestum ipsius reprehendere ausa fuisset. Atq; hic est exitus sacrilegi istius conuiuij vel Pancketi (si barbare loqui liceret) Herodis, quod insignibus hisce vitiis & sceleribus, contemtu verbi diuini, luxu ac intemperantia, lasciuia, profusione bonorum, periurio, hypocrisi, assentatione, tyrannide & innocentis sanguinis effusione, tanquā distinctis ferculis & missib. exornatum ac refertum fuit. Sed hic fere est finis, quem solemniora conuiuia prępotentum & festiuitates ipsorum seculares sortiri solent, vt nimirum tragicis casib. & funestis spectaculis fœdentur. Cum Pharao natalem suum diem celebraret, pistor regius de patibulo suspensus est. Gen.40.22. Cum Ahasuerus regale epulum præberet Principibus & Satrapis Persicis, de regiæ maiestatis fastigio deturbata est Vasthi Esth.1.19. Cum Benadad rex Syriæ cum triginta regibus, qui auxiliandi caussa aduenerant, in vmbraculo suo temulentus biberet, mox exercitum perdidit, & vix turpi fuga vitam redemit.1.Reg.20.16. Cum Belsazer in aula Babylonica luxuriosum conuiuium instituisset, & omnia tripudiis perstreperent, ecce ex improuiso manus cœlitus missa ipsi scriptura ad parietem apposita interitum minatur, qui & illa nocte secutus est. Dan.5.1. Quando ergo in aulicis magnæ festiuitates instituuntur, pij non tātum recordentur illius Eccl.c.1.v.1. Vanitas vanitatum & omnia vanitas: sed & diligenter orent, vt Deus clementer auertat, ne tristis aliquis & lugubris casus gaudia solemnia interturbet. Nam quando delirant Reges, tum plectuntur Achiui. Denique in omni hilaritate modum teneamus, & gaudentes simus tanquam non gaudentes, nec mundo hoc abutamur: quia præterit figura huius mundi.1.Cor.7.v.30.

Quid vero ad hæc omnia Deus? Num is serui sui fidelissimi necem fœdissimam, indignissimam, iniustissimam, ita inultam abire finit? Siccine curat animas seruorum suorum, vt eorum capita in luxurioso conuiuio, inter scorta, scurras & assentatores spectaculi vice circumgestari patiatur? Sed est hæc ipsa historia mortis Iohannis non tantum exemplum constantis Confessoris, qui sanguinem potius profundere, quam veritatem dissimulare maluit. Sed simul etiam illustre testimoniū, post hanc vitam superesse aliam, eo quod Deus hunc tantum virum, quo maior inter natos mulierum non surrexit, & meretriculæ & saltatriculæ libidini quasi per contemtū donauit.

Itaque dubium non est, animam ipsius corporis vinculis solutam, placide in manus Dei receptam fuisse, vbi nullum tormentum mortis eam tangit: Sap.3.v.1. sed in æternum coram Deo viuit, & perennibus gaudiis perfruens læta exsultat: corpus autem suo tempore in resurrectione iustorum subsequatur. Interim tamen vltio diuina non quieuit. Nam & ipse Herodes cum Herodiade exsilio mulctatus, & saltatricula puella ipsa quoque misere periit. De Herodis interitu ex Iosepho, Nicephoro & historia Scholastica hæc colligere licet. Herodias cognoscens fratrem suum Herodem Agrippam, virum strenuum, sed priuatum & pauperem, à Romano Imperatore Caio ex singulari fauore, duas Tetrarchias, Lysaniæ & Abilinæ, accepisse, atque insuper Regem in Iudæam imposito diademate missum esse, & ipsa regium titulum atque honorem affectans marito Herodi Antipę molesta fuit, vt & ipse Romam abiens, regium nomen sibi compararet. Herodes vero cùm aliàs multis diuitiis abundaret, magisque otium honestum, quàm honorem laboriosum diligeret, initio precib. vxoris locum dare noluit. Tandem vero iis victus, cum ea Romam perrexit. Quod Agrippa intelligens, præmittit literas ad Cæsarem, quibus Herodem Antipam accusat, quod amicitiā cum Rege Parthorum firmarit, & Romano imperio rebellare voluerit. Et in eius rei argumentum significauit, quod in ciuitatib. suis arma haberet, quę septuaginta millib. armatorum sufficerent. Caius lecta epistola quasi aliunde incipiens Herodem de suo statu interrogauit, & inter cætera, vtrum tanta copia esset in ipsius vrbibus, quantam audiuisset, inquisiuit. Quod ipse minime negauit. Imperator ergo verum esse credens, quod Agrippa scripserat, ipsum in exsilium relegauit. Herodiadi autem, quia soror erat Herodis Agrippę, quem maxime diligebat, potestatem tribuit, vt in terram suam rediret. Sed illa maritum comitari maluit, dicens: quod nolit derelinquere in aduersis, cum quo communicauerit in secundis. Lugdunū itaq; Galliæ deportati sunt, vbi ambo vitā miserabiliter finiuerunt. At de saltatricula refert Nicephor. lib.1. cap.20. Eundum ipsi fuisse brumali quodam tempore, & fluuium traiiciendum, qui cum glacie constrictus coagmentatusque esset, pedibus eum transisse: glacie autem rupta, idque non sine Dei numine, demersam illam statim capite tenus, & inferioribus corporis partibus lasciuientem molliusque se mouentem saltasse, non in terra, sed in vndis: caput vero scelestum, frigore & glacie concretum, deinde etiam conuulneratum, & à reliquo corpore non ferro, sed glaciei crustis resectum, in glacie ipsa lethalem saltationem exhibuisse, spectaculoque eius omnibus præbito, in memoriam ea quæ fecerat spectatoribus reuocasse. Sic ergo videmus Deum sanctos suos nequaquam negligere.

Superest officium pietatis, quod discipulos suo præceptori Iohanni exhibuisse Euangelistæ testantur, illud tribus hisce constat. 1. *Σῶμα Corpus* capite suo destitutum, quod propterea Marcus *πτῶμα* à *πίπτω*, seu *cadauer* à cadendo, dicere maluit, *sustulerunt*. Nimirum truncum illum, à spiculatore contemptum in carcere relictum, ne qua maiore ignominia afficeretur, abstulerunt, & aliò deportarunt. Equidem Fretellus quidam, vt habet Adrichomius, refert, Ioannem sepultum esse in ipso castro Macherunte. Sed probabilior mihi ob hocipsum verbum *ἦραν, sustulerunt*, videtur D.Hieronymi sententia, qui de locis Hebr. vt & alij, testatur, illum sepultum esse Sebastæ (quę est Samaria, postea in honorem Augusti Sebaste dicta) iuxta Elisæum & Obadiam Prophetas. Ratio huius translationis trunci hæc esse videtur. Herodias (si veteribus credere licet) etiam in defuncti Ioannis caput sæuiit, ipsius verisoquam linguam acu discriminali perforans, non aliter, quam vt de M. Antonij coniuge Fuluia refertur, quod idem cum Ciceronis capite fecerit. Illud etiam postea in abstrusiore regiæ loco, remotis arbitris, sepeliendum curauit, metuens ne si cum reliquo corpore coniungeretur, a mortuis resurgeret, & priores reprehensiones repeteret. Discipuli ergo metuentes, ne etiam in truncum sæuiret, illum extra Herodis ditionem aliò transferendum duxerunt, nimirum Samariam, quę tum cum Iudęa in prouincia redacta, per Romanos Præsides administrabatur. 2. *Corpus sublatum posuerunt in monumento*, seu sepelierunt, iuxta vsitatum morem in populo Dei, non tantum patrum exemplo, sed etiam ex Dei verbo introductum. Deus enim Adamo in peccatum prolapso dixit: Terra es, & in terram reuerteris, Gen.3.versic.19. Quod vero aliquot regum cadauera concremata sunt, illud gentilismum sapit. Nihil autem hic audimus de ineptis & superstitiosis exequiis, quales postea sub Papatu sunt introductæ, quibus defunctorum salutem promoueri hominibus persuadere conantur. Nos nouimus beatos esse qui Domino moriuntur. Apoc.14.vers.13. Credimus quoque, quod ij qui in Christum credunt habeant vitam æternam, & in iudicium non veniant, sed transeant à morte in vitam, Iohann.5.versic.24. licet istiusmodi nugis destituantur

Nam, vt recte Augustinus de Ciuitate Dei lib. 1. cap. 12. scribit: Curatio funeris, conditio sepulturæ, & pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quam mortuorum subsidia. 3. Indignam sui præceptoris cædem *Christo nuntiant*. Nam adhuc ipsos Ioannes in vita sua miserat, hunc veram lucem esse docuerat, ipsius denique prænuntius fuit. Voluerunt ergo Dominum absque dubio de periculo præmonere, vt sibi ab isto tyranno caueret. Præbent hi laudabile exemplum pietatis omnibus discipulis erga suos præceptores. Hos non tantum viuos colere & obseruare debemus: sed etiam ne mortuorum quidem nos pudere decet. Ignominiosum est iugulum carnifici præbere feriendum, quod Ioanni accidit: quia tamen discipulos fideliter instituerat in via salutis, ne mortuum quidem deserunt, sed intrepide ipsius cadauer auferunt. Idem fecerunt Iosephus Arimathæus & Nicodemus, Matth. 27. vers. 57. & Iohan. 19. vers. 38. Idem officium pietatis primitiua Ecclesia Stephano protomartyri præstitit, nihil curans insanam Iudæorum rabiem. Actor. 8. vers. 2. Vt iam taceamus exempla veterum, quæ leguntur, Gen. 23. 25. 35. & 50. cap. Si quæ etiam nobis aduersa eueniunt, ad amicos confugiamus, tristitiam nostram in ipsorum sinum effundamus, vt ab ipsis vicissim consolationem accipiamus. Inprimis autem ad Christum Dominum recurramus, qui se miserorum, pupillorum & afflictorum patrem futurum in verbo suo pollicitus est. *Ei curas nostras commendemus, ipse nobis prospiciet, nosque reficiet.* Matth. 11. vers. 28.

CAPVT LXXV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DE FAMA IESV AD HERODEM sparsa, Matt. 14. ver. 1. Marc. 6. v. 14. Luc. 9. v. 7.

RATIO ORDINIS.

QVando hæc historia acciderit, Matthæus indefinite designauit *in illo*, inquiens, *tempore*. At ex Marco & Luca aperte intelligi potest, eam vna cum Ioannis decollatione incidisse in id tempus, quo Christus duodecim discipulos ad docendum emiserat, data potestate edendi miracula. Cum enim Apostoli hoc Christi mandatum passim per vniuersam illam regionem exsequerentur, rumor ille de Christo in omnibus locis ita percrebuit, vt post mortem Baptistæ etiam in aula Herodis multus & varius de doctrina & miraculis eius sermo fuerit. Vnde Herodes expetiuit Christum videre. Quod postquam ad Christum perlatum est, tanto plus ipsum mouit, vt cum Apostolis secederet. Vt ita dubium non sit, huic historiæ hunc locum in Harmonia deberi, nec posse eam post secessum Christi reiici. Verum non desunt, qui putant tres Euangelistas inter se dissentire in censenda Herodis opinione de Christo. Matthæus enim & Marcus faciunt eum certo asserentem, quod Iohannes surrexerit à mortuis. Lucas autem inducit eum hæsitantem. Hoc vero nos ita interpretamur: quod Herodes initio stimulis malæ suæ conscientiæ agitatus reuera statuerit Iohannem à mortuis surrexisse, & quod illum angorem animi *seruis suis* familiaribus, quibus Principes confidentius sensus aperiunt, priuatim indicauerit. Postea autem cum serui illum metum, alias opiniones proponendo, ipsi excuterent, ipse aliquo modo de sua sententia cessit, & in publico erga alios præ se tulit, quasi non tantùm hæsitaret, quis ille esset, verum etiam floccipenderet, quicunque sane esset. Idcirco nos in Harmonia sic vtramque sententiam posuimus, vt Matthæi & Marci verba integra præmitteremus, Lucæ autem itidem integra subiungeremus. Neque enim nouum aut inusitatum est hypocritis, inter quos Herodes facile primas obtinuit, quod metum, quem in pectore circumgestant, syncere familiaribus indicant, erga reliquos autem longe aliud præ se ferunt. Sed hæc in ipsa explicatione planiora reddentur.

IVDICIVM HERODIS ET AVLICORVM de concionibus & miraculis Christi.

MATTH. 14.

1. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἤκουσεν Ἡρώδης ὁ τετράρχης τὴν ἀκοὴν Ἰησοῦ.	1. *In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu.*
2. Καὶ εἶπε τοῖς παισὶν αὐτοῦ, οὗτός ἐστιν Ἰωάννης ὁ βαπτιστής, αὐτὸς ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, καὶ διὰ τοῦτο αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ.	2. *Et dixit famulis suis, Hic est Ioannes Baptista, is surrexit à mortuis, & ideo virtutes agunt in illo.*

MARC. 6.

14. Καὶ ἤκουσεν ὁ βασιλεὺς Ἡρώδης (φανερὸν ἐγένετο τὸ ὄνομα αὐτοῦ) καὶ ἔλεγεν, ὅτι Ἰωάννης ὁ βαπτίζων ἐκ νεκρῶν ἠγέρθη, καὶ διὰ τοῦτο ἐνεργοῦσιν αἱ δυνάμεις ἐν αὐτῷ.	14. *Et audiuit Rex Herodes (innotuerat enim nomen eius) dicebatque, Ioannes ille, qui baptizabat, resurrexit à mortuis, & propterea virtutes agunt in illo.*
15. Ἄλλοι ἔλεγον, ὅτι Ἠλίας ἐστίν· ἄλλοι ἔλεγον, ὅτι προφήτης ἐστίν, ἢ ὡς εἷς τῶν προφητῶν.	15. *Alij dicebant, Elias est: alij vero dicebant, quod propheta est, vel vt vnus ex prophetis.*
16. Ἀκούσας δὲ Ἡρώδης, εἶπεν, ὅτι ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα Ἰωάννην, οὗτός ἐστιν, αὐτὸς ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν.	16. *Cum audisset autem Herodes, ait, Cui ego præcidi caput, Ioannes, iste est, ipse surrexit è mortuis.*

LVC. 9.

7. Ἤκουσε δὲ Ἡρώδης ὁ τετράρχης τὰ γινόμενα ὑπ' αὐτοῦ πάντα, καὶ διηπόρει, διὰ τὸ λέγεσθαι ὑπό τινων, ὅτι Ἰωάννης ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν.	7. *Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæsitabat, eo quod diceretur à quibusdam, quod Ioannes surrexisset à mortuis.*
8. ὑπό τινων δὲ ὅτι Ἠλίας ἐφάνη. Ἄλλων δέ, ὅτι προφήτης εἷς τῶν ἀρχαίων ἀνέστη.	8. *A quibusdam vero, quod Elias apparuisset: ab aliis autem, quod propheta quispiam ex antiquis surrexisset.*
9. Καὶ εἶπεν ὁ Ἡρώδης, Ἰωάννην ἐγὼ ἀπεκεφάλισα, τίς δέ ἐστιν οὗτος, περὶ οὗ ἐγὼ ἀκούω τοιαῦτα. Καὶ ἐζήτει ἰδεῖν αὐτόν.	9. *Et ait Herodes, Ioannem ego decollaui, quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ de fama Christi, ex tribus Euangelistis coagmentata.

h Καὶ a ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ b ἤκουσεν l Ἡρώδης b ὁ βασιλεὺς f ὁ τετράρχης a τὴν ἀκοὴν Ἰησοῦ καὶ τὰ γινόμενα ὑπ᾽ αὐτοῦ πάντα, b (φανερὸν γὰρ ἐγένετο τὸ ὄνομα αὐτοῦ a) καὶ εἶπε τοῖς παισὶν αὐτοῦ, οὗτός ἐστιν Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς, c αὐτὸς ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, καὶ διὰ τοῦτο αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ. b Ἄλλοι δὲ ἔλεγον, ὅτι Ἠλίας ἐστίν· ἄλλοι δὲ ἔλεγον ὅτι προφήτης ἐστὶν, ἢ ὡς εἷς τῶν προφητῶν. Ἀκούσας δὲ ὁ Ἡρώδης, εἶπεν, ὅτι ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα Ἰωάννην, οὗτός ἐστιν, αὐτὸς ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν. c Καὶ διηπόρει, διὰ τὸ λέγεσθαι ὑπό τινων, ὅτι Ἰωάννης ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν· ὑπό τινων δὲ ὅτι Ἠλίας ἐφάνη· ἄλλων δὲ, ὅτι προφήτης εἷς τῶν ἀρχαίων ἀνέστη. Καὶ εἶπεν ὁ Ἡρώδης, Ἰωάννην ἐγὼ ἀπεκεφάλισα, τίς δὲ ἐστιν οὗτος, περὶ οὗ ἐγὼ ἀκούω τοιαῦτα; Καὶ ἐζήτει ἰδεῖν αὐτόν.

h *Et* a *in illo tempore* b *audiuit* b *Rex* l *Herodes* f *Tetrarcha* a *famam Iesu*, c *& omnia quæ fiebant ab eo, (innotuerat enim nomen eius)* a *& dixit famulis suis: Hic est Ioannes Baptista, is surrexit à mortuis*, c *ideo virtutes agunt in illo.* b *Alij dicebant, Elias est: alij vero dicebant, quod Propheta est, vel vt vnus ex prophetis. Cum audisset autem Herodes, ait: Cui ego præcidi caput, Ioannes iste est, ipse surrexit è mortuis.* c *Et hæsitabat, eo quod diceretur à quibusdam, quod Ioannes surrexisset à mortuis: à quibusdam vero, quod Elias apparuisset: ab aliis autem, quod Propheta quispiam ex mortuis surrexisset. Et ait Herodes, Ioannem ego decollaui; quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.*

Periocha huius historiæ.

IEsu Christi Seruatoris cognitionem in his terris omnibus rebus anteferendam esse, apud omnes pios extra cõtrouersiam est. De eo enim iam olim Propheta Esaias pronunciauit cap.53.v.11. Seruus meus ipse iustus cognitione sui iustificabit multos. Et Christus ipse in precatione sua paulo ante agonem Iohan.17.v.3.dixit: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hinc etiam scitum illud & valde pium D. Augustini votum quotidiana nostra precatio esse debebat: Da bone Iesu, nosse te, nosse me. Quia & propterea Messiæ aduentus inde à principio mundi denuntiatus, legalibus typis illustratus, & per Prophetas passim inculcatus fuit: quia cœlestis pater ex insigni bonitate Seruatorem hunc omnibus innotescere voluit, ne quisquam Dei culpa periisse videretur. Inprimis autem, postquam aduenisset plenitudo temporis, & promissus mũdi Seruator ex muliere homo natus esset, nõ diu latuit, sed vix dum natus, omnis ordinis hominibus suam præsentiam annuntiari voluit, sicut historia natiuitatis illud plenius commonstrat. Postea vero cum ipse munus docendi aggrederetur, celebritate sui nominis, doctrinæ & miraculorum sic omnia collustrauit, vt hic etiam penetrarit in aulam & cubiculum Regis impij, adulteri, incestuosi, parricidæ. Et adhuc hodie Christus innotescit etiam iis, qui eum non recipiunt, in hoc, vt sint inexcusabiles. Vt ergo Sol, postquam supra Horizontem emicuit, suis radiis totum hemisphærium sic illustrat, vt etiam in abditissimos angulos sua luce penetret: Ita etiam Sol iustitiæ Christus, postquam ex alto veniens mundum visitauit, lucem Euangelij sui per vniuersum terrarum orbem ita diffudit, vt etiam potẽtissimorum Regum & Principum aulis se insinuarit: & sæpe adhuc hodie illustrat corda illorum, qui à secretis sunt iis Principibus, qui propositis seuerissimis edictis cursum Euangelij impedire conantur.

Obseruatione autem dignum est; circa quod tempus fama de Iesu Christo ad aures Herodis peruenerit. Reges & Principes primi esse debebant, quibus Christus innotesceret, quo per ipsos, qui debebant esse nutritij Ecclesiæ, Es.49.v.23. complures etiam alij, ipsorum subditi, ad notitiam salutis adducerentur. Debebat enim, vt habet Psalm.47.v.10. Deus Abrahã valde exaltatus esse apud clypeos terræ. Ideo Dauid ipsos alloquitur, & dicit: Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore. Ps.2.v.10. Sed hæc fere est sors Regum atque Principum in terris, vt de iis quę ad salutem ipsorum faciunt, postremi omnium commonefiant. Aulici & familiares Principum citius nugas, vanitates & ioculares nouitates ad ipsos deferũt, quam vt de religione verba faciant, aut suggerãt, quæ faciunt ad amplificandum regnum Dei. Gen.12.ver.15. Pharao rex Ægypti maturius ex aulicis suis cognoscit, quod Abraham peregrinus præstantis formæ fœminam secum circumducat, quam cuius fidei & religionis ipse esset. Sic dubium non est, in aula Herodis plurimos fuisse, qui fomenta luxus & libidinis suggesserunt: quam vero salutarem Christi cognitionem traderet, nullus comparuit. Imo etiam alias fieri solet, vt præco verbi diuini citius omnem plebem permoueat, quam vox eius ad aures magnatum perueniat. Ionas prius celebrem illam Niniuem concione sua compleuerat, quam sermo Dei ad aures Regis perueniret. Ion.3.v.5. Supra quidem cap.49 huius Harmoniæ audiuimus, Herodianos cum Pharisæis conspiratione iniisse contra Iesum, quomodo eum perderent. Si tum Herodiani prius ad regem suum retulerunt, quam cum Pharisæis contra Iesum conspirarẽt: supina & asinina hæc est Regis oscitantia, quod in interitum viri sanctissimi consentit, & tamen postea intra annum obliuiscitur, quis fuerit. Sin vero aulici absq; Regis sui præscitu interitum Christo machinati sunt, vt ex hac historia liquet, cogitate quæso omnes boni, quã multa in aulis sub titulo & nomine principum fiat, de quibus tamen ne minimum quidem ad ipsos relatum est. Docuit ergo Iesus annum integrum & amplius publice (Nam ante Baptistæ captiuitatem publice docere noluit, ne plebs in diuersa studia scinderetur) in Iudæa, & vniuersa Galilæa, suamq; doctrinam stupendis miraculis confirmauit: sed de eo Herodes nihil inaudiuit. Nunc demũ postquam duodecim Apostolos ad prędicandum emiserat, & virtute edendi miracula instruxerat, atque hi omnes angulos regionis pręconio de Iesu Christo cõplerant, vel tandem etiam aliquid de eo ad aures regis peruenit. O Reges & Principes discite maiore vigilantia attendere ad illa, quæ vestræ & subditorum vestrorum saluti sunt conducibilia. Matth. & Lucas Herodem *Tetrarcham* appellant. Et quæ sit ratio huius tituli, c.16. huius Harm. explicatũ est. Quia vero Herodes, vt cap. præcedenti est indicatum, instinctu Herodiadis, affectauit tit. Regis, ipse quoque vulgo sic nominatus est, eo quod Regis Herodis Ascalonitæ filius esset. Marc. ergo vulgarem illum titulum retinuit, eumq; *Regem Herodem* nominauit.

Sed audiamus Herodis de Iesu iudicium. Quamprimũ audiuit famam de Christo, protinus dixit famulis suis: *Hic est Ioannes Baptista, is surrexit à mortuis.* Conscientiæ suæ vulnus aperit τοῖς παισὶν, *famulis suis*, qui semper ad latus erant, quib. Reges & Principes secretiora concredere solent. Dico autem ipsum conscientiæ vulnus ministris familiarib. aperuisse, quia illa mille testis est, quæ non tantum scientiam & recordationem perpetrati sceleris maleficis ob oculos ponit, sed etiam dolorem & anxietatem comitem habet, quæ plerunq; impendentis grauis pœnæ formidine cor exagitat. De Theodorico Gothorũ Rege refert Procopius lib.1. belli Goth. eum Symmachum & Boetium iniuste ex delatione aliorum occidisse. Sed paucis post diebus, cum cœnanti miræ magnitudinis piscis caput apponeretur, Symmachi nuper occisi caput illi est visum, præfixis & exstantibus in inferiore labro dentibus, & torue intuentib. oculis furibunde & acerbius sibi comminari. Vnde monstri nouitate territus, tremebundus & membris rigens in cubiculũ secessit, ex lecto decubuit, & non ita longe post mortuus est. Tale quid etiam Herodi tyranno accidisse verisimile est. Occiderat is, vt capite præcedenti prolixe tractatũ est, Ioannẽ Baptistam, virũ propriæ conscientiæ testimonio sanctũ & innocẽtem: occideratq; eum in gratiã Herodiadis, incestuosæ fœminæ, tantum quia veritatẽ ipsi dixerat, & de æterno animæ periculo eum monuerat: occiderat deniq; inter pocula, prætextu iurisiurandi, in præsentia primorũ totius Galilææ: & hic conscientia eius quiesceret? Cum Alexander Magnus Clitum familiarem recta monẽtem inter pocula occidisset, propriæ conscientiæ furiis ita exagitatus est, vt primũ manus violentas ipse sibi inferre, postea inedia seipsum conficere voluerit, nisi exercitus diu multumq; reluctantem precibus peruicisset, vt cibum caperet. Consimiliter Herodem conscientiæ stimulis, ob decollatum Iohannem, grauissime

exagitatum fuisse, ita vt vbiuis locorū Iohannes animo ipsius obuersatus fuerit; & vigilans etiam Ioannem somniarit, dubium non est. Quapropter postquam famam de Iesu audit, intra conscientiam suam aliter statuere non potest, quam iusto Dei iudicio Iohannem rursus ex mortuis resuscitatum adesse, qui velit vltionem sumere de sanguine suo petulanter & perfide effuso. Caueant ergo singuli, quam grata ipsis est tranquillas cordis sui, ne conscientiam suam grauioribus delictis lædant, neve scientes & volentes scelera perpetrent. Conscientia enim læsa etiam tutissima quæuis metuit, & vel ad cadentis folij strepitum expauescit. Leuit.26.versic.36. Imo impius fugit, nemine persequente, Prou.28.v.1. Sunt enim impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus meus, Iesa.57.vers.21. Vnde etiam Eliphas apud Iobum dicit cap.15.vers.20. Cunctis diebus suis impius timet: sonitus terroris semper est in auribus eius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Si quis tamen à tranquillitate conscientiæ per peccata grauiora deiectus esset, is petat illa sibi à Deo propter Christum remitti, qui solus vulneratis conscientiis mederi, & ipsis solidam requiem restituere potest, Matth.11.v.29. Nam iustificati ex fide pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, Roman.5.vers.1. Ideo Dauid post perpetratum adulterium & homicidium Deum precatur, inquiens: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me, Psalm.51. vers.14.

Verumenimuero sapit quoque hoc iudicium Herodis aliquid de gentilismo. Pythagoræ enim & Platoni tribuunt, quod statuerint talem παλιγγενεσίαν & μετεμψύχωσιν, id est, iteratam regenerationem & transanimationem, qua vna anima migret in aliud corpus. Sic lib.10.poli. narrat, Orpheum odio mulierum transisse in cygnum, Thamyrum in lusciniam, Cygnum iterum in hominem, Aiacem in leonem, Agamemnonem in aquilam, Atalantem in pugilem, Epeum in mulierem formosam, Thersitem in simiam, Vlyssem in virum plebeium. In Timæo affirmat, iniustos viros transire in mulieres: Speculatores, qui toti in contemplatione hærent, mutari in aues: contemtores Philosophiæ in pecudes: homines terrenis deditos in pisces, vt qui halitu & pedibus indigni sint. Idem tractat in Phædro, & statuit animas sordidas de cœlo cadere, & subinde post mortem redire de corpore in corpus: post decem millia autem annorum absolui totum cursum, & tum bonas animas redire ad cœlos, malas autem ad pœnas infernales. Hanc opinionem Pythagoræ Ouidius amplexus est, quod ex sequentibus versibus patet:

Morte carent animæ, semperque priore relicta
Sede, nouis domibus viuunt habitantque receptæ.
Ipse ego nam memini Troiani tempore belli
Phantoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in aduerso grauis hasta minoris Atridæ,
Cognoui clypeum, leuæ gestamina nostræ,
Nuper Abanteis templo Iunonis in Argis, &c.

Augustinus quoque libro 22. de Ciuitate Dei cap.28. ex libris Varronis, & Lactantius lib 7. ex Chrysippi Stoici libro de Prouidentia, eandem sententiam de μετεμψυχώσει referunt. Licet autem non desint Platonis amatores, qui hanc ipsius dissertationem & opinionem concinna interpretatione mollire conantur: ex Iosepho tamen libro de bello Iudaico, capite 7. patet, quod Pharisæi inter alias sententias Græcorum etiam hanc imbiberint, quod animam quidem incorruptam esse dixerunt, bonorum autem animas transire in alia corpora, improborum autem interminabili supplicio cruciari. Idem etiam testatur, Essæos secundum Græcorum sententias pronunciasse, animas bonas vltra Oceanum degere, vbi eis reposita sit perfruitio. Malis autem animabus procellosa loca deputata esse, plena gemitibus. Ex quibus colligere licet, Herodem in illa fuisse opinione, Iohannem non quidem eo modo resurrexisse à mortuis, quo nos credimus futuram mortuorum resurrectionem in eodem corpore, quod terris est mandatum: Sed quia anima ipsius aliud corpus esset ingressa. Credidit insuper ipsum, qui prius nullum miraculum ediderat, iam quasi diuiniorem effectum, & propter sanctitatem prioris vitæ edere opera, quæ vires humanas superarent.

Ex hoc iudicio Herodis colligere licet, 1. Quam corruptus fuerit status religionis inter Iudæos tempore Christi. Nempe post reditum ex Babylone sordere Iudæis cœpit simplicitas verbi Dei in Moyse & Prophetis proposita, & magis illis arriserunt Philosophorum placita. Ex Philosophia itaque male diluta & Verbo Dei talem mixturam Pharisæi confecerunt, quæ sinceriori religioni interitum attraxit, donec Christus doctrina sui Euangelij eam repurgauit, & ad pristinam simplicitatem reduxit. Consimilis mixtura Theologiæ & Philosophiæ sub Papatu in Ecclesiam Christi introducta est, per scholasticos Doctores. Quam postquam Deus ministerio Lutheri etiam repurgauit, nobisque genuinam Euangelij puritatem, à sordibus Pontificum, à placitis Philosophorum, & à nugis Scotistarum expurgatam restituit: per Deum immortalem bonum depositum tueamur, & ne consimilis mixtura postliminio reducatur caueamus. Propheta qui habet somnium, narret somnium: & qui habet sermonem Dei, loquatur sermonem Dei vere, (syncere, pure) quid paleis cum tritico dicit Dominus? Ier.23.vers.28. Et verbi ministris dicit Petrus: Si quis loquitur, loquatur eloquia Dei, 1. Pet.4.vers.11. 2. Videmus, quam misere decipi possint, qui in caussa fidei, & religionis à Principum auctoritate dependere volunt, & tunc saluti suæ probe se consuluisse putant, quando iuxta Principum vel exempla vel edicta suam confessionem instituunt. Qui vero decipi non vult, ille Dei verbo nitatur, & iuxta illius præscriptum suam fidem & cultum Dei instituat. Nam & ipsi magistratus iuxta Dei verbum religionem in suis regionibus regulare debent. Ad legem & ad testimonium, quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis lux matutina, Iesa.8. vers.20. 3. Videmus præterea veritatem dicti illius, Prouerb. 21.vers.30. Non est sapientia, non est prudentia, non est cōsilium contra Dominum. Sperauit Herodes, remoto Iohanne Baptista, seuero & austero isto vitiorum taxatore, neminem amplius futurum, quem metuere cogatur, quo minus secure postea libidini suæ indulgere possit. Sed Iohannem sequitur Christus, cuius fama mox animo Herodis nouos terrores concitat. Imo Christo nondum remoto, adsunt iam duodecim Apostoli, qui ipsius vestigiis insistentes eandem doctrinam vrgent. Idem etiam olim factum est tempore Prophetarum. Achab noluit auite Eliam, vnde hic ad tempus latitate coactus est: Sed mox redit animosior, & igne cœlitus euocato, non tantum Achabum terret, sed & omnes Baalitas interficit, 1. Reg.18.vers.40. Eo nusquam comparente, venit Michæas, & Achabo iudicium Dei denuntiat, 1. Reg.22.vers.19. Tandem etiam Elisæus succedit, qui non minori zelo Dei negotium promouet. Non ergo desperemus si maxime aliquot verbi ministri vel à tyrannis opprimantur, vel præmatura morte nobis eripiātur: conseruabit Christus suam Ecclesiam, & vel ex lapidibus excitabit non tantum filios Abrahæ, sed & Doctores Ecclesiæ, quia vobiscum esse vult vsque ad consummationem seculi, Matt.28.versic.20.4. *Risu digna est quorundam Postillatorum Pontificiorum ruditas, qui illa verba* Herodis, *ideo virtutes operantur in illo*, ita exponunt, quod præcedentia Iohannis merita & bona opera sint caussa efficiens, ob quam nunc Iohanni datum sit, tanta miracula facere. Sic insulsi isti homines vndequaque corradunt, vt meritum bonorum operum aduersus gratuitam iustificationem fidei stabiliant. Sed inepti homines non attendunt, in Græco non haberi ἀρετάς, sed δυνάμεις, quæ vox virtutes, sed infirmitatibus oppositas, significat. Et valde vsitatum est, quod vocabulo *virtutis* intelliguntur præpotentes operationes & eximia miracula, quæ eduntur, Matth.7.vers.22. per nomen tuum multas *virtutes* fecimus. 1. Corinth.12.versic.10. alij facultates *virtutum*. Interdum tamen etiam vocabulum *virtus* pro caussa efficaci & potente sumitur, Act.1.versic.8. *Accipietis virtutem* superuenientem in vos, Act.3.vers.12. *quasi nostra virtute* aut pietate hunc claudum sanassemus. Vtroque modo hoc vocabulum in præsenti loco accipi potest: neuter tamen Pontificiis patrocinatur.

Cum igitur Herodis animus commissi sceleris conscientia dirum in modum æstuaret, serui ipsius hac occasione vti, eumque ad veram ac seriam animi pœnitudinem adducere debuissent. Sed in aula plura sunt fraudulenta oscula odientium, quam vulnera salutem Principis amantium, Prouerb. 27.vers.6. Nempe (ibi) gulam Domini debet habere cocus: ac proinde omnia ad palatum Domini sunt accommodanda. Tales erant *famuli Herodis*, improbi Domini, improbi serui. Nam vt principi suo conceptum timorem ex animo eximerent, vetera illa Iudæorum deliramenta, de quibus etiam superius cap.21. Harmoniæ actum est, producunt. Volunt dicere: Non est quod tibi metuas à Iohanne Baptista, is tam cito ex mortuis non redibit. Sed per vetusta, vt nosti, nostrorum Maiorum ex Mal.4.versic.5. traditio est, quod Elias Thesbytes ante magnum illum & terribilem Domini diem in terras sit rediturus.

Hic ergo erit, de cuius aduentu potius nobis gratulabimur, quam nos ipsos mœrore afficiemus, siquidem mox subsecuturus est Messias, qui Romanos ex nostris regionibus expellet, nosque Iudæos totius terræ Dominos constituet. Alij alium *quendam Prophetam*, aut saltem horum similem ex mortuis reuixisse suggerebant. Quare volunt, vt deponat turpem metum, Regi ignominiosum, & quiduis potius statuat & credat, quam Iohannem Baptistam resurrexisse. At vero Herodes tam cito non cessit. Conscientia enim est αὐτοκατήγορος, & semel

mel turbata non facile rursus pacatur. Ideo instat, & dicit, Quicquid vos occinatis & prætendatis, *cui ego præcidi caput, Ioannes ille est, ipse surrexit è mortuis*. Perstat in sua sententia, nec patitur aliud sibi persuaderi. Postquam verò postea etiam alij, qui extra aulam vixerūt, (sic enim ego accipio illud quod Lucas refert. *A quibusdam dictum, Ioannem resurrexisse: à quibusdam, Eliam apparuisse*, &c.) superuenerunt, & diuersa sua iudicia de Iesu Christo proposuerunt, tandem *hæsitare* cœpit. διηπόρει enim significat, animi dubius sum: ad angustias, ex quibus me explicare nequeo, redactus hæsito: quo me vertam nescio. Hæc itaque hæsitatio timorem, quem Herodes intra animum concepit, aluit & conseruauit, ipsumque suæ conscientia plus satis arguit. Et tamen metum illum, vt versipellia ingenia solent, erga alios, qui ipsi non tam familiares erant ac serui, dissimulare conatur. Atque ea propter de Ioanne à se occiso quasi gloriabundus inquit: *Ioannem ego decollaui*. Sed animus misere anxius & fluctuans se prodidit. Nam mox admirabundus & trepidus subiecit: *Quis est autem iste de quo talia audio?* Licet autem conscientia hoc modo ipsum intra præcordia pungat & mordeat, tamen vt animosus videatur, *cupit eum videre*, vel vt cognoscat, an vere Ioannes sit, quem prius nouerat, aut alius: vel vt hunc quoque interficiat: vel vt ex curiositate aliqua miracula ab illo videat. Sicuti postea facturus est in passione, Lucæ 23. ver. 8.

Multa hic consideranda veniunt. 1. Diaboli odium aduersus Iesum Nazarenum, qui quiduis potius hominib. de ipso persuadet, quā vt credant ipsum esse Christū, mundi seruatorem, qui rebus humani generis afflictissimis consulat. Promiserat hunc Deus primis parentibus tempus quoque aduentus ipsius per Patriarcham Iacobum, Gen. 49. v. 10. & Prophetā Danielem c. 9. v. 24. satis euidenter indicarat: miracula insuper notas certissimas ipsi addiderat, Ies. 35. v. 5. exstabant denique infinita oracula, quę cum huius Iesu doctrina & factis conueniebant, & euidentissime demonstrabant, ipsum humani generis Redemptorem esse. Et tamen Iudæi ipsum talem agnoscere nolunt, qualis reuera est, & qualem Deus promiserat atque præscripserat, sed qualem ipsi sibi fingunt. 2. Ignorantia Herodianorū aulicorū in rebus Theologicis. Non fuerunt isti, qui in aula Regis Herodis versabantur, alioquin homines vulgares, sed eiusmodi, qui negotia regni tractabant, quique summam sapientiæ, virtutis, religionis & experientiæ rerum opinionem apud omnes sustinebant, & tamen in negotio religionis seu fidei plus quam pueri fuerunt. Siue enim in gratiam sui Regis & ad sedandam ipsius conscientiam, aniles illas fabulas Iudæorum adduxerint, siue serio ita senserint, reipsa tamen commonstrant, sententiam veram de regno cœlorum non ex hominum auctoritate desumendam esse. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Corinth. 2. versic. 14. 3. Peruersitas etiam Iudæorum inde agnoscatur, quod Ioannem, qui nullis miraculis claruit, præter omnem rationem facile credunt reuixisse, quia Herodi Regi ita videtur: Iesum autem virum virtutibus atque signis à Deo approbatum, cuius resurrectionem Angeli, Apostoli, fœminæ, viri, mulieres testabantur, de mortuis resurrexisse, pertinacissime negant. 4. In Herode videmus, quid sit cor pœnitere nescii. Fatetur se Iohannem decollasse: opinatur eum ex mortuis reuixisse: fatetur nunc demum plus ipsum valere, quam prius valuerat: de nulla tamen pœnitentia, quod innocentem occiderat, cogitat. Sed tantum carnali curiositate ipsum videre desiderat. Nam si serio ipsum videre cupiuisset, quid impedisset, quo minus voti sui compos factus fuisset? Certe Iesus fere nusquam nisi in Galilæa obambulauit: ipse vero Galilææ Tetrarcha erat. Minimo igitur labore & facilimo negotio ipsum inuenire & videre potuisset, cum sui congressum Dominus per omnem vitam nemini vnquam denegarit. Zachæus quoque quæsiuit videre Iesum Luc. 19. ver. 3. non ex curiositate, sed vt per conuersionem bonus efficeretur: inuenit ergo illum, & salus domui ipsius facta est. Qui ergo Christum quærere voluerit, faciat id non ex curiositate, sed studio pœnitendi, iuxta illud Ier. 26. v. 13. Quæretis me & inuenietis: cum quæsieritis me in toto corde vestro.

Porro hæc omnia, quæ de fama Iesu in aula Herodis sparsa audiuimus, ipsi Iesu addere possunt auctoritatem: quia illa ipsa tam falsi quam veri nuntia, nihil tamen mali de eo disseminare potuit, sed illud testari coacta est, eum doctrina & factis Ioannem, qui tamen vir iustus & sanctus habitus fuit, superasse. Vult idem etiam suos ministros non impostorum more latitare, sed ipsos tum doctrina tum operibus omnibus commendabiles reddere, sic coronam vitæ consequi poterunt.

CAPVT LXXVI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS historiam Christi secessus & miraculi, quo quinque panibus quinque hominum millia pauit. Matth. 14. vers. 13. Marc. 6. ver. 32. Luc. 9. ver. 10. & Ioan. 6. v. 1.

RATIO ORDINIS.

Hanc historiam iusto & recto ordine priores duas sequi, ex multis circumstantiis, quas Euangelistæ referunt, manifestum euadit. Et Matthæus quidem hunc secessum mox subiungit historiæ decollationis Ioannis, referens ipsius discipulos, postquam præceptori officium sepulturæ præstitissent, venisse ac nuntiasse Iesu cædem Magistri sui. *Quod audiens Iesus secessit.* Ita tamen hæc illis annectit, vt non neget Iesum etiam præter Ioannis cędem alia audiuisse. Marcus vero & Lucas ostendunt circa hęc tempora etiam Apostolos ex sua legatione ad Dominum rediisse, & qualiter eam confecerint retulisse, quibus auditis Iesus secessum hunc instituerit, vt refocillationem aliquam discipuli haberent à tantis laboribus & itineris & prædicationis. Quibus omnibus & hoc accedit, quod post decollationem Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolis passim prædicantibus in Galilæa, rumor de Iesu Christo longe lateque sparsus, tandem etiam penetrauit in aulam Herodis, vnde varia iudicia de Iesu tam inter aulicos, quam in plebe sunt orta. Herodes autem ex remorsu conscientiæ statuit, Ioannem ex mortuis reuixisse, sibique ab vltione metuens cupiditate accenditur videndi Iesum. Iesus autem hoc ipsum quoque audiens & rescisceens secessit, partim quia noluit ipsius curiositati satisfacere, partim quia sciuit tyranno humanum sanguinem sitienti non esse fidendum. Quemadmodum enim truculentæ bestiæ, quando semel humanum sanguinem degustarunt, ex eo truculentiores redduntur, vt postea in obuios quosque irruant: ita quoque tyrannis, quando semel vel vnum saltem martyrem neci dare ausi sunt, postea ludus & iocus est plures Deo sacrificare. Impij namque ex conscientiæ terroribus non fiunt mitiores, sed potius nouos furores in animo concipiunt, & ex desperatione in rabiem aguntur, vt ipsi Deo bellum inferre non extimescant. Ex collatione ergo Euangelistarū patet, tres concurrere causas secessus Christi trans mare Tiberiadis, ad desertum Bethsaidæ. Vna fuit, vt Apostolos peregrinatione defatigatos refocillaret. Altera, vt eosdem simul & Ioannis discipulos, qui vt infirmi terreri poterant tam tristi nuntio cædis summi Prophetæ, confirmaret. Tertia, quia tum temporis ab Herode videri noluit, qui visione hac indignus erat, siquidem ex mera curiositate eam fieri volebat. Et hæc omnia circa Pascha accidisse Ioannes refert. Emiserat enim Christus duodecim discipulos circa principium tertij anni sui ministerij, nimirum sub finem Nouembr. Huic peregrinationi, siquidem vniuersam Galilæam peragrare debebant, aliquot menses sunt tribuendi. Interea Iohannes decollatur, quod vulgo innotescit, vnde quidam dicunt, Ioannem è mortuis resurrexisse. Quæ omnia vna cum fama de Iesu ad Herodem deferuntur, quibus quoque aliquid temporis tribuendum est, vt sic Pascha appropinquarit, circa quod tempus Christus secessit, vt Ioannes diserte indicat. Itaque particula illa μετὰ ταῦτα *post hæc*, quam Ioannes apponit, respicit totum complexum historiarum quæ à tempore satis bene longo acciderant. In illo autem secessu editur miraculum quinque panum, quod Ioannes præter morem suum etiam describit, absque dubio hoc fine, vt eo commodius præclarum illum sermonem occasione huius miraculi habitum, annectere possit. Est itaque hoc loco ordo historiæ satis planus & expeditus.

HISTORIA SECESSVS CHRISTI ET MIRAculum de quinque panibus, quibus quinque millia hominum satiantur.

MATTH. 14.

13. Καὶ ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς, ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν ἐν πλοίῳ εἰς ἔρημον τόπον κατ' ἰδίαν. Καὶ ἀκούσαντες οἱ ὄχλοι, ἠκολούθησαν αὐτῷ πεζῇ ἀπὸ τῶν πόλεων.
14. Καὶ ἐξελθὼν ὁ Ἰησοῦς, εἶδε πολὺν ὄχλον, καὶ ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοῖς, καὶ ἐθεράπευσε τοὺς ἀρρώστους αὐτῶν.
15. Ὀψίας δὲ γενομένης, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες, ἔρημός ἐστιν ὁ τόπος, καὶ ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθεν, ἀπόλυσον τοὺς ὄχλους, ἵνα ἀπελθόντες εἰς τὰς κώμας, ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς βρώματα.
16. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, οὐ χρείαν ἔχουσιν ἀπελθεῖν, δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν.
17. Οἱ δὲ λέγουσιν αὐτῷ, οὐκ ἔχομεν ὧδε, εἰ μὴ πέντε ἄρτους καὶ δύο ἰχθύας.
18. Ὁ δὲ εἶπε· φέρετέ μοι αὐτοὺς ὧδε.
19. Καὶ κελεύσας τοὺς ὄχλους ἀνακλιθῆναι ἐπὶ τοὺς χόρτους, λαβὼν τοὺς πέντε ἄρτους, καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐλόγησε, καὶ κλάσας ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς τοὺς ἄρτους, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ὄχλοις.
20. Καὶ ἔφαγον πάντες, καὶ ἐχορτάσθησαν. Καὶ ἦραν τὸ περισσεῦον τῶν κλασμάτων, δώδεκα κοφίνους πλήρεις.
21. Οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν ἄνδρες, ὡσεὶ πεντακισχίλιοι, χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων.
22. Καὶ εὐθέως ἠνάγκασεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ προάγειν αὐτὸν εἰς τὸ πέραν, ἕως οὗ ἀπολύσῃ τοὺς ὄχλους.
23. Καὶ ἀπολύσας τοὺς ὄχλους, ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος κατ' ἰδίαν προσεύξασθαι.

13. *Id cum audisset Iesus, secessit illinc in naui ad desertum locum seorsim. Et cum audissent turbæ, secutæ sunt illum itinere pedestri ab urbibus.*
14. *Et egressus Iesus vidit multam turbam, & tactus est affectu misericordiæ erga illos, sanauitque ægrotos illorum.*
15. *Porro cum appetijsset vespera adierunt ipsum discipuli eius dicentes: Desertus est locus, & hora iam præterijt, dimitte turbas, vt abeant in vicos, & emant sibi cibaria.*
16. *At Iesus dixit illis. Non est illis necesse vt abeant, date illis vos, quod edant.*
17. *At illi dicunt ei, non habemus hic, nisi quinque panes & duos pisces.*
18. *Ille vero dixit, afferte mihi illos huc.*
19. *Et iussis turbis discumbere super gramina, sumptisque quinque panibus, ac duobus piscibus, sublatis in cœlum oculis, benedixit. Et cum fregisset, dedit discipulis panes, discipuli vero turbis.*
20. *Et comederant omnes & saturati sunt. Et sustulerunt quod superfuerat de fragmentis duodecim cophinos plenos.*
21. *Porro qui comederant, fuere viri ferme quinquies mille præter mulieres ac pueros.*
22. *Et statim compulit Iesus discipulos suos, vt conscenderent nauim & præcederent se in ripam vlteriorem, dum dimisisset turbas.*
23. *Ac dimissis turbis ascendit in montem solus ad orandum.*

MARC. 6.

30. Καὶ συνάγονται οἱ ἀπόστολοι πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἀπήγγειλαν αὐτῷ πάντα, καὶ ὅσα ἐποίησαν, καὶ ὅσα ἐδίδαξαν.
31. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς, δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ κατ' ἰδίαν εἰς ἔρημον τόπον, καὶ ἀναπαύεσθε ὀλίγον. ἦσαν γὰρ οἱ ἐρχόμενοι καὶ οἱ ὑπάγοντες πολλοὶ, καὶ οὐδὲ φαγεῖν ηὐκαίρουν.
32. Καὶ ἀπῆλθον εἰς ἔρημον τόπον τῷ πλοίῳ κατ' ἰδίαν.
33. Καὶ εἶδον αὐτοὺς ὑπάγοντας οἱ ὄχλοι, καὶ πεζῇ ἀπὸ πασῶν τῶν πόλεων συνέδραμον ἐκεῖ, καὶ προῆλθον αὐτοὺς, καὶ συνῆλθον πρὸς αὐτόν.
34. Καὶ ἐξελθὼν εἶδεν ὁ Ἰησοῦς πολὺν ὄχλον, καὶ ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοῖς, ὅτι ἦσαν ὡς πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα· καὶ ἤρξατο διδάσκειν αὐτοὺς πολλά.
35. Καὶ ἤδη ὥρας πολλῆς γενομένης, προσελθόντες αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγουσιν, ὅτι ἔρημός ἐστιν ὁ τόπος, καὶ ἤδη ὥρα πολλή.
36. Ἀπόλυσον αὐτοὺς, ἵνα ἀπελθόντες εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγροὺς καὶ κώμας ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς ἄρτους. τί γὰρ φάγωσιν, οὐκ ἔχουσιν.
37. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς, Δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν. Καὶ λέγουσιν αὐτῷ, ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν διακοσίων δηναρίων ἄρτους, καὶ δῶμεν αὐτοῖς φαγεῖν.
38. Ὁ δὲ λέγει αὐτοῖς, πόσους ἄρτους ἔχετε; ὑπάγετε καὶ ἴδετε. καὶ γνόντες λέγουσι, πέντε, καὶ δύο ἰχθύας.
39. Καὶ ἐπέταξεν αὐτοῖς ἀνακλῖναι πάντας συμπόσια ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ.
40. Καὶ ἀνέπεσον πρασιαὶ ἀνὰ ἑκατὸν, καὶ ἀνὰ πεντήκοντα.

30. *Et congregantur Apostoli ad Iesum, ac renuntiauerunt ei omnia, & quæ egissent, quæque docuissent.*
31. *Et ait illis: venite vos soli seorsim in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui venirent, & abirent multi: ac ne cibum quidem capere vacabat.*
32. *Et abierunt in desertum locum nauigio seorsim.*
33. *Et viderunt eos abeuntes turbæ, agnouerunt eũ multi, & itinere pedestri ex omnibus ciuitatibus cõcurrerunt illuc, & præuenerunt eos, conuenerunt que ad illum.*
34. *Et egressus vidit multam turbam Iesus, & affectu misericordiæ tactus est erga eos, quia erant velut oues non habentes pastorem. Et cœpit illos docere multa.*
35. *Et cum iam diei multum præteriisset, accesserunt ad illum discipuli eius, dicentes, desertus est locus, & iam multum temporis effluxit.*
36. *Dimitte illos, vt abeant in circumiacentes villas ac vicos, emantque sibi panes: nam quod edant, non habent.*
37. *At ille respõdens, ait illis: Date illis vos, quod edant. Et dixerunt ei, abeuntes emamus ducentis denarijs panes, & demus illis quod edant.*
38. *Et ille dicit eis, quot panes habetis? Ite & videte. Et cum cognouissent, dicunt: quinque & duos pisces.*
39. *Et præcepit illis, vt accumbere facerent omnes, distributis conuiuiis in viridi gramine.*
40. *Et discubuerunt diuisi per areolas partim centeni, & partim quinquageni.*

41. Καὶ λαβὼν τοὺς πέντε ἄρτους καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐλόγησε, καὶ κατέκλασε τοὺς ἄρτους, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα παραθῶσιν αὐτοῖς, καὶ τοὺς δύο ἰχθύας ἐμέρισε πᾶσι.

41. *Et cum accepisset quinque illos panes ac duos pisces sublatis in cœlum oculis, benedixit ac fregit panes, deditque discipulis suis, vt apponerent illis; & duos pisces diuisit omnibus.*

42. Καὶ ἔφαγον πάντες, καὶ ἐχορτάσθησαν.

42. *Et comederunt omnes, & saturati sunt.*

43. Καὶ ἦραν κλασμάτων δώδεκα κοφίνους πλήρεις, καὶ ἀπὸ τῶν ἰχθύων.

43. *Et sustulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus.*

44. Καὶ ἦσαν οἱ φαγόντες τοὺς ἄρτους ὡσεὶ πεντακισχίλιοι ἄνδρες.

44. *Erant autem qui comederant circiter quinque millia virorum.*

45. Καὶ εὐθέως ἠνάγκασε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ προάγειν εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν, ἕως αὐτὸς ἀπολύσῃ τὸν ὄχλον.

45. *Et statim coegit discipulos suos conscendere nauim, vt praecederet transmisso mari Bethsaidam, dum ipse dimitteret turbam.*

46. Καὶ ἀποταξάμενος αὐτοῖς, ἀπῆλθεν εἰς τὸ ὄρος προσεύξασθαι.

46. *Et cum dimisisset eos, abijt in montem ad orandum.*

LVC. 9.

10. Καὶ ὑποστρέψαντες οἱ ἀπόστολοι, διηγήσαντο αὐτῷ ὅσα ἐποίησαν. καὶ παραλαβὼν αὐτοὺς ὑπεχώρησε κατ' ἰδίαν εἰς τόπον ἔρημον πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά.

10. *Et reuersi Apostoli narrauerunt illi quaecunque fecerant. Et assumtis illis secessit seorsim in locum desertum ciuitatis quae vocatur Bethsaida.*

11. Οἱ δὲ ὄχλοι γνόντες ἠκολούθησαν αὐτῷ, καὶ δεξάμενος αὐτοὺς ἐλάλει αὐτοῖς περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς χρείαν ἔχοντας θεραπείας ἰᾶτο.

11. *Quod cum cognouissent turbae, secutae sunt illum, & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui curatione indigebant, sanabat.*

12. Ἡ δὲ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν. προσελθόντες δὲ οἱ δώδεκα εἶπον αὐτῷ, Ἀπόλυσον τὸν ὄχλον, ἵνα ἀπελθόντες εἰς τὰς κύκλῳ κώμας, καὶ τοὺς ἀγροὺς, καταλύσωσι, καὶ εὕρωσιν ἐπισιτισμόν, ὅτι ὧδε ἐν ἐρήμῳ τόπῳ ἐσμέν.

12. *Dies autem cœperat declinare, & accedentes duodecim, dixerunt illi, dimitte turbas, vt euntes in castella villasque vicinas diuertant & inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus.*

13. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτούς, Δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν. οἱ δὲ εἶπον, οὐκ εἰσὶν ἡμῖν πλεῖον ἢ πέντε ἄρτοι, καὶ δύο ἰχθύες, εἰ μήτι πορευθέντες ἀγοράσωμεν εἰς πάντα τὸν λαὸν τοῦτον βρώματα.

13. *Ait autem ad illos, vos date illis, quod edant. At illi dixerunt, non sunt nobis pluros quam quinque panes, & duo pisces, nisi nos eamus & emamus in omnem hunc populum escas.*

14. Ἦσαν γὰρ ὡσεὶ ἄνδρες πεντακισχίλιοι. Εἶπε δὲ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, Κατακλίνατε αὐτοὺς κλισίας ἀνὰ πεντήκοντα.

14. *Erant autem fere viri quinquies mille. Ait autem ad discipulos suos, facite discumbere in singula quoque discubitu quinquagenos.*

15. Καὶ ἐποίησαν οὕτω, καὶ ἀνέκλιναν ἅπαντας.

15. *Atque ita fecerunt & fecerunt omnes discumbere.*

16. Λαβὼν δὲ τοὺς πέντε ἄρτους, καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανόν, εὐλόγησεν αὐτούς, καὶ κατέκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς παρατιθέναι τῷ ὄχλῳ.

16. *Acceptis autem quinque panibus & duobus piscibus, sublatis in cœlum oculis, benedixit illis, & fregit, distribuitque discipulis, vt apponerent turbae.*

17. Καὶ ἔφαγον, καὶ ἐχορτάσθησαν πάντες, καὶ ἤρθη τὸ περισσεῦσαν αὐτοῖς κλασμάτων κόφινοι δώδεκα.

17. *Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est, quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim.*

IOHAN. 6.

1. Μετὰ ταῦτα ἀπῆλθεν ὁ Ἰησοῦς πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας τῆς Τιβεριάδος.

1. *Post haec abijt Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis.*

2. Καὶ ἠκολούθει αὐτῷ ὄχλος πολύς, ὅτι ἑώρων αὐτοῦ τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων.

2. *Et sequebatur eum turba multa, quia videbant eius signa, quae faciebat super his qui infirmabantur.*

3. Ἀνῆλθε δὲ εἰς τὸ ὄρος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐκεῖ ἐκάθητο μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ.

3. *Subijt autem in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.*

4. Ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων.

4. *Instabat autem Pascha dies festus Iudaeorum.*

5. Ἐπάρας οὖν ὁ Ἰησοῦς τοὺς ὀφθαλμούς, καὶ θεασάμενος, ὅτι πολὺς ὄχλος ἔρχεται πρὸς αὐτὸν, λέγει πρὸς τὸν Φίλιππον, Πόθεν ἀγοράσομεν ἄρτους, ἵνα φάγωσιν οὗτοι;

5. *Cum ergo sustulisset oculos Iesus, & audisset quod multa turba venisset ad se, dicit ad Philippum, Vnde ememus panes vt edant isti?*

6. Τοῦτο δὲ ἔλεγε πειράζων αὐτόν, αὐτὸς γὰρ ᾔδει τί ἔμελλε ποιεῖν.

6. *Hoc autem dicebat, tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.*

7. Ἀπεκρίθη αὐτῷ Φίλιππος, Διακοσίων δηναρίων ἄρτοι οὐκ ἀρκοῦσιν αὐτοῖς, ἵνα ἕκαστος αὐτῶν βραχύ τι λάβῃ.

7. *Respondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque pusillum quippiam accipiat.*

8. Λέγει αὐτῷ εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρου.

8. *Dicit ei vnus ex discipulis ipsius, Andreas frater Simonis Petri.*

9. Ἔστι παιδάριον ἓν ὧδε, ὃ ἔχει πέντε ἄρτους κριθίνους, καὶ δύο ὀψάρια, ἀλλὰ ταῦτα τί ἐστιν εἰς τοσούτους;

9. *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed haec quid sunt inter tam multos?*

10. Εἶπε δὲ ὁ Ἰησοῦς, Ποιήσατε τοὺς ἀνθρώπους ἀναπεσεῖν. ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ. ἀνέπεσον οὖν οἱ ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν ὡσεὶ πεντακισχίλιοι.

10. *Dixit autem Iesus, facite vt homines discumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergo viri numero ferme quinquies mille.*

11. Ἔλαβε δὲ τοὺς ἄρτους ὁ Ἰησοῦς, καὶ εὐχαριστήσας διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις.

11. *Accepit autem panes Iesus, & cumque gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli vero discumben-*

ὁμοίως καὶ ἐκ τῶν ὀψαρίων, ὅσον ἤθελον.

12. Ὡς δὲ ἐνεπλήσθησαν, λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα κλάσματα, ἵνα μή τι ἀπόληται.

13. Συνήγαγον οὖν καὶ ἐγέμισαν δώδεκα κοφίνους κλασμάτων ἐκ τῶν πέντε ἄρτων τῶν κριθίνων, ἃ ἐπερίσσευσε τοῖς βεβρωκόσιν.

14. Οἱ οὖν ἄνθρωποι ἰδόντες ὃ ἐποίησε σημεῖον ὁ Ἰησοῦς, ἔλεγον, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον.

15. Ἰησοῦς οὖν γνοὺς ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι, καὶ ἁρπάζειν αὐτὸν, ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα, ἀνεχώρησε πάλιν εἰς τὸ ὄρος αὐτὸς μόνος.

tibus. Similiter & ex piscibus quantum volebant.

12. *Vt autem impleti sunt, dicit discipulis suis: Colligite quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat.*

13. *Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerant his qui comederant.*

14. *Illi ergo homines, cum vidissent, quod Iesus fecerat, signum, dicebant: Hic est vere Propheta ille, qui venturus est in mundum.*

15. *Iesus ergo cum cognouisset, quod venturi essent ac recepturi ipsum, vt facerent ipsum regem, secessit iterum in montem ipse solus.*

Quæ sit commodissima ratio hanc historiam ex quatuor Euangelistarum descriptionibus, secundum omnes Circumstantias, apte concinnandi, postea ex explicatione rectius patebit. Nunc ne idem bis dicere cogamur, simpliciter coagmentationem illam subiiciemus.

HARMONIA HISTORIÆ SECESSVS ET miraculi quinque panum, quibus quinque millia virorum cibantur, ex quatuor Euangelistarum descriptionibus in vnum corpus congesta. Matth. 14. & Marc. 6. Luc. 9. Iohan. 6.

c Καὶ ὑποστρέψαντες h οἱ ἀπόστολοι b συνάγονται πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἀπήγγειλαν h αὐτῷ b πάντα καὶ h ὅσα ἐποίησαν, b καὶ ὅσα ἐδίδαξαν. a Καὶ ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς b εἶπεν αὐτοῖς, δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ κατ᾽ ἰδίαν εἰς ἔρημον τόπον, ἀναπαύεσθε ὀλίγον. ἦσαν γὰρ οἱ ἐρχόμενοι καὶ οἱ ὑπάγοντες πολλοὶ, καὶ οὐδὲ φαγεῖν ηὐκαίρουν. Καὶ d μετὰ ταῦτα c παραλαβὼν αὐτοὺς f ἀνεχώρησεν a ἐκεῖθεν, d καὶ ἀπῆλθεν ὁ Ἰησοῦς e ἐν πλοίῳ πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας τῆς Τιβεριάδος, κατ᾽ ἰδίαν εἰς τόπον ἔρημον c πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά. b Καὶ εἶδον αὐτοὺς ὑπάγοντες οἱ ὄχλοι, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτὸν πολλοί. a Καὶ ἀκούσαντες f οἱ ὄχλοι (Καὶ) γνόντες f ἠκολούθησαν αὐτῷ. d Καὶ ἠκολούθει αὐτῷ ὄχλος πολὺς ὅτι ἑώρων αὐτοῦ τὰ σημεῖα, ἃ ἐποίει ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων, e καὶ πεζῇ ἀπὸ πασῶν τῶν πόλεων b συνέδραμον ἐκεῖ, καὶ προσῆλθον αὐτοὺς, καὶ συνῆλθον πρὸς αὐτόν. e Καὶ ἐξελθὼν εἶδεν ὁ Ἰησοῦς πολὺν ὄχλον. b καὶ ἐσπλαγχνίσθη ἐπὶ αὐτοῖς, ὅτι ἦσαν ὡς πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα. d Ἀνῆλθε δὲ εἰς τὸ ὄρος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐκεῖ ἐκάθητο μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα, ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων. c Καὶ δεξάμενος αὐτοὺς, ἐλάλει αὐτοῖς περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, b καὶ ἤρξατο αὐτοὺς διδάσκειν πολλά c καὶ τοὺς χρείαν ἔχοντας θεραπείας ἰᾶτο, a καὶ ἐθεράπευσε τοὺς ἀρρώστους αὐτῶν, c ἡ δὲ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν. b Καὶ ἤδη ὥρας πολλῆς a καὶ ὀψίας c γινομένης l προσελθόντες αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ c δώδεκα, l εἶπον αὐτῷ· e Ἔρημός ἐστιν ὁ τόπος, καὶ ἡ ὥρα ἤδη b πολλὴ a παρῆλθεν, l ἀπόλυσον τοὺς ὄχλους, ἵνα ἀπελθόντες εἰς τὰς κύκλῳ κώμας καὶ τοὺς ἀγροὺς, c καταλύσωσι καὶ ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς b ἄρτους, a βρώματα, c καὶ εὕρωσιν ἐπισιτισμόν. b Τί γὰρ φάγωσιν οὐκ ἔχουσιν c ὅτι ὧδε ἐν ἐρήμῳ τόπῳ ἐσμέν. a Ὁ δὲ Ἰησοῦς b ἀποκριθεὶς l εἶπεν αὐτοῖς· a οὐ χρείαν ἔχουσιν ἀπελθεῖν, l δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν. b Καὶ λέγουσιν αὐτῷ, ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν διακοσίων δηναρίων ἄρτους, καὶ δῶμεν αὐτοῖς φαγεῖν; d Ἐπάρας οὖν ὁ Ἰησοῦς τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ θεασάμενος, ὅτι πολὺς ὄχλος ἔρχεται πρὸς αὐτὸν, λέγει πρὸς τὸν Φίλιππον, πόθεν ἀγοράσωμεν ἄρτους, ἵνα φάγωσιν οὗτοι; Τοῦτο δὲ ἔλεγε πειράζων αὐτὸν, αὐτὸς γὰρ ᾔδει, τί ἔμελλε ποιεῖν. Ἀπεκρίθη αὐτῷ Φίλιππος i διακοσίων ἄρτοι οὐκ ἀρκοῦσιν αὐτοῖς, ἵνα ἕκαστος αὐτῶν βραχύ τι λάβῃ. b Ὁ δὲ λέγει αὐτοῖς, πόσους ἄρτους ἔχετε; ὑπάγετε καὶ ἴδετε. Καὶ γνόντες,

c *Et reuersi* h *Apostoli* b *congregati sunt ad Iesum, & renuntiauerunt* h *ei* b *omnia,* h *& quæ egissent,* b *quæque docuissent.* a *Id cum audisset Iesus* b *ait illis: Venite vos soli seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui venirent, & abirent multi, ac ne quidem cibum capere vacabat. Et* d *post hæc* c *assumptis illis* f *secessit* a *illinc,* d *& abijt Iesus* e *nauigio* d *trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis,* l *seorsim in locum desertum* c *ciuitatis, quæ vocatur Bethsaida.* b *Et viderunt eos abeuntes turba, & agnouerunt eum multi.* a *Et cum audissent,* f *atque cognouissent turba, secuta sunt eum.* d *Et sequebatur eum turba multa, quia videbant eius signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* e *Et itinere pedestri ex omnibus vrbibus* b *concurrerunt illuc, & præuenerunt eos, conueneruntque ad illum.* e *Et egressus vidit turbam multam Iesus,* b *& affectu misericordiæ tactus est erga eos, quia erant velut oues non habentes pastorem.* d *Subijt autem in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Instabat autem Pascha, dies festus Iudæorum.* c *Et excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei,* b *& cœpit illos docere multa,* c *& eos, qui curatione indigebant, sanabat;* a *Sanauitque ex illis, qui male valebant.* c *Dies autem cœperat declinare.* b *Et cum iam diei multum præteriisset,* a *atque appetisset vespera,* l *adierunt ipsum discipuli eius* c *duodecim dicentes ei:* e *Desertus est locus, & hora iam multa* a *præterijt,* l *dimitte turbas, vt abeuntes in circumiacentes villas & castella* c *diuertant,* e *emantque sibi panes,* a *cibaria,* c *& inueniant escas.* b *Nam quod edant non habent,* c *quia hic in loco deserto sumus.* a *At Iesus* b *respondens* l *dixit eis.* a *Non est illis necesse vt abeant,* l *date illis vos quod edant.* b *Et dixerunt ei abeuntes emamus ducentis denarijs panes, & demus illis quod edant?* d *Cum ergo Iesus sustulisset oculos, & vidisset quod multa turba veniret ad se, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt edant isti? hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat, quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque pusillum quid accipiat.* b *At ille dixit eis: Quot panes habetis? Ite & videte. Et cum cognouissent;* d *dicit ei vnus ex discipulis, Andreas, frater*

d λέγει

c

d λέγει αὐτῷ εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρου, ἔστι παιδάριον ἓν ὧδε, ὃ ἔχει πέντε ἄρτους κριθίνους, καὶ δύο ὀψάρια, ἀλλὰ ταῦτα τί ἐστιν εἰς τοσούτους; a Καὶ λέγουσιν αὐτῷ, οὐκ ἔχομεν ὧδε c ἡμῖν πλεῖον εἰ μὴ πέντε ἄρτους, c καὶ δύο ἰχθύας, c εἰ μήτι πορευθέντες ἡμεῖς ἀγοράσωμεν εἰς πάντα τὸν λαὸν τοῦτον βρώματα. ἦσαν γὰρ ὡσεὶ ἄνδρες πεντακισχίλιοι. a ὁ δὲ εἶπε, φέρετέ μοι αὐτοὺς ὧδε. Καὶ ἐπέταξεν αὐτοῖς ἀνακλῖναι πάντας συμπόσια ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ. Εἶπε δὲ ὁ Ἰησοῦς d πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, d ποιήσατε τοὺς ἀνθρώπους ἀναπεσεῖν, (καὶ) c κατακλίνατε αὐτοὺς κλισίας ἀνὰ πεντήκοντα. καὶ ἐποίησαν οὕτω. d ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ. c Καὶ ἀνέκλιναν ἅπαντας. b Καὶ ἀνέπεσον πρασιαὶ, ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα. d οἱ ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν ὡσεὶ πεντακισχίλιοι. a Καὶ κελεύσας τοὺς ὄχλους ἀνακλιθῆναι ἐπὶ τοὺς χόρτους, p λαβὼν τοὺς πέντε ἄρτους, καὶ τοὺς δύο ἰχθύας ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐλόγησεν, c αὐτοὺς, o καὶ d εὐχαριστήσας h κατέκλασε b τοὺς ἄρτους, καὶ κλάσας p δίδωκε τοῖς μαθηταῖς b αὐτοῦ a τοὺς ἄρτους παρατιθέναι τῷ ὄχλῳ. g Οἱ δὲ μαθηταὶ a τοῖς ὄχλοις d ἀνακειμένοις, ὁμοίως καὶ ἐκ τῶν ὀψαρίων, ὅσον ἤθελον, b καὶ τοὺς δύο ἰχθύας ἐμέρισε πᾶσι, l καὶ ἔφαγον e πάντες, l καὶ ἐχορτάσθησαν c πάντες. d ὡς δὲ ἐνεπλήσθησαν, λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα κλάσματα, ἵνα μή τι ἀπόληται. Συνήγαγον οὖν καὶ ἐγέμισαν δώδεκα κοφίνους κλασμάτων ἐκ τῶν πέντε ἄρτων τῶν κριθίνων, ἃ ἐπερίσσευσε τοῖς βεβρωκόσιν. l Καὶ ἦραν f τὸ περισσεῦσαν c αὐτοῖς l τῶν κλασμάτων δώδεκα κοφίνους e πλήρεις, b καὶ ἀπὸ τῶν ἰχθύων. e οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι, a χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων. d οἱ δὲ ἄνθρωποι ἰδόντες ὃ ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς σημεῖον ἔλεγον, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον. e Καὶ d Ἰησοῦς οὖν γνοὺς, ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι, καὶ ἁρπάζειν αὐτὸν, ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα. e εὐθέως ἠνάγκασεν a ὁ Ἰησοῦς e τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ προάγειν a αὐτὸν e εἰς τὸ πέραν b πρὸς Βηθσαϊδὰν ἕως a οὗ b αὐτὸς e ἀπολύσῃ τοὺς ὄχλους. b καὶ ἀποταξάμενος αὐτοῖς, d ἀνεχώρησε πάλιν, a καὶ ἀνέβη εἰς m τὸ ὄρος κατ' a ἰδίαν e προσεύξασθαι.

Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tam multos? a Dicunt ei (discipuli) Non habemus hic plures quam l *quinque panes & duo pisces,* c *nisi nos eamus & emamus in omnem hunc populum escas. Erant enim fere viri quinquies mille.* a *Ille vero dixit: Afferte mihi illos huc.* b *Et præcepit illis, vt accumbere facerent omnes, distributis conuiuiis in viridi gramine.* c *At autem* d *Iesus* e *ad discipulos suos:* d *Facite vt homines discumbant,* c *& facite illos discumbere in singulo quoque discubitu quinquagenos. Atque ita fecerunt.* d *Erat autem gramen multum in eo loco.* c *Et fecerunt omnes discumbere.* b *Et discubuerunt diuisi in viridaria, centeni, & quinquageni* d *viri numero ferme quinquies mille.* a *Et iussis turbis discumbere super gramina* p *sumpsit quinque panes, & duos pisces, sublatis in cœlum oculis, benedixit* c *illis,* o *&* d *cum gratias egisset,* h *fregit* b *panes,* a *& cum fregisset* p *dedit discipulis* b *suis* a *panes,* h *vt apponerent turbæ.* g *Discipuli vero* a *turbis* d *discumbentibus, similiter & ex piscibus, quantum volebant,* b *& duos pisces diuisit omnibus.* l *Et comederunt* e *omnes,* l *& saturati sunt* c *omnes.* d *Vt autem impleti sunt, dicit discipulis suis: Colligite quæ superfuerūt fragmenta, ne quid pereat. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, qui superfuerant his qui comederant.* l *Et sustulerunt* f *quod superfuerat* c *ipsis* l *de fragmentis duodecim cophinos* e *plenos,* b *& de piscibus.* e *Porro qui comederant, fuere viri ferme quinquies mille,* a *præter mulieres & pueros.* d *Illi ergo homines, cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Hic est vere Propheta ille, qui venturus est in mundum.* e *Iesus ergo cum cognouisset, quod venturi essent & rapturi ipsum, vt facerent ipsum regem,* e *statim compulit Iesus discipulos suos, vt conscenderent nauim, & præcederent* a *se* e *in ripam vlteriorem, transmisso mari* b *in Bethsaidam,* e *dum ipse dimitteret turbam.* a *Et cum dimisisset eos,* d *secessit iterum* a *& ascendit* m *in montem* a *ipse solus* e *ad orandum.*

Periocha huius historiæ.

Apostoli, qui non ita pridem à Christo bini & bini ad prædicandum Euangelium emissi fuerant, feliciter peracto curriculo ad Christum reuertuntur, ad ipsum congregantur, eidemque renuntiant qualiter hæc missio processerit. Nec dubium est, ipsos explicate Christo recensuisse, quomodo negotium Euangelicum passim proposuerint: quomodo item ab auditoribus excepti, tractati & dimissi fuerint; qualiter denique miraculis doctrinam fidei confirmarint. Nam Lucas vtitur verbo διηγήσαντο, quo postea Græci Theologi vsi sunt, quando pleniorem alicuius rei expositionem vel commemorationem attulerunt. Et Marcus dicit, ipsos retulisse *omnia, & quæ fecerint, & quæ docuerint*, audituri, an Christus eadem approbaturus esset. Docuit Apostolis hoc suo exemplo verbi ministros, vt quando à Christo legitime ad verbi ministerium sunt vocati & emissi, non incerti vagentur, sed à Christo commissa & credita ita prædicent, vt ad ipsum aliquando ἐργάται ἀνεπαίσχυντοι, operarij qui non erubescant, 2. Timoth. 2. versiculo 14. redeant, & functionis à se administratæ imperterrite rationem reddant. Hac de caussa Paulus testatur, se, cum iam quatuordecim annos Euangelium docuisset, Hierosolymam ascendisse, & cum reliquis Apostolis contulisse, ne εἰς κενὸν in vanum curreat. Galat. 2. versiculo 2. Verbi enim minister, sicut Christum sui officij auctorem habet: ita ad eundem omnem suæ prædicationis fructum & effectum referre, ipsius vnius gloriam spectare, & ab ipso approbationem suæ doctrinæ & operum quærere debet. Probe autem meminerint verbi ministri, quod duo hæc membra sint attendenda atque coniungenda, *& quæ fecerint, & quæ docuerint.* Olim, cum Christo iusto iudici ratio erit reddenda, non sufficiet, si quis bene docuerit, & male vixerit: Sed honesta vita sanæ doctrinæ est coniungenda. Alias qui bene docuerit, & male vixerit, is bene docendo Christum instituit, quo modo male viuentem punire debeat. Adhæc cum omnia ad Christum sint referenda, grauiter peccant illi, qui priuatæ gloriæ cupidi, suam eruditionem, suos labores, sua opera, & merita, coram hominibus superbe iactant, vt sic gloriam aliquam coram hominibus venentur. Discant isti ex Paulo, quam parcus is fuerit in deprecandis suis in Ecclesiam Christi meritis, largus autem in extollenda gratia Dei. Licet enim abundantius laborarit, quam reliqui Apostoli: tamen illud non sibi, sed gratiæ Dei adscribit, 1. Cor. 15. vers. 10. Et cum aliquando suos labores atque sudores, quos in Apostolatu suo sustinuisset, Pseudoapostolorū impulsu prædicare coactus fuisset, quasi per correctionem mox subiicit: Factus sum insipiens; vos me coegistis, 2. Cor. 12. v. 11. Christo enim omnis gloria debetur, nobis confusio faciei, Dan. 6. v. 7.

Incidit autem hic Apostolorum reditus in illud ipsum tempus, quo non ita multo ante Herodes Iohannem Baptistam è medio sustulerat, & indignam huius cædem discipuli eius quoque Christo annuntiatant, diuersa denique hominum iudicia de Iesu longe lateque dimanarant, & in aulam vsque regiam penetrarant. Licet autem dubium non sit, Herodis tyrannidem multorum animos, qui verbum Dei suscipiebant, non leuiter terruisse: tamen hic ipse felix successus legationis Apostolorum vicissim ipsis animū addere potuit;

vt bene de Euangelio Christi, & eius præconio sperarent: Siquidem in locum vnius Confessoris decollati, duodecim præcones vegeti successuri essent. Et reuera nos inter minima miracula Christi hoc etiam est referendum, quod licet Pharisæi, Sacerdotes & principes populi iam Iesum odissent, ipsius tamen discipuli totam illam terram tuto circuire, & in Euangelium de Christo seu Messia iam præsente prædicare potuerint. Sicut adhuc hodie idem Christus Euangelium suum in Germania tuetur, vel inuitis Pontificibus, Regibus & Principibus male Catholicis.

Quia tamen Apostoli ex itinere & labore prædicandi fessi domum reuersi sunt, nec Christus suis quietem inuidet, ideo dicit illis: *Venite seorsum, & requiescite pusillum*. Neque enim Deus vult, vt sui seipsos immodicis laboribus enecent; sed honestam recreationem probat. Nam quod caret alterna requie durabile non est. Et arcus nimium intensus facile rumpitur. Hac de caussa etiam Deus, ne corpus nimis laboribus exhauriatur, Sabbatum instituit Exo. 20. v. 10. & vult, vt sepositis laboribus corporis eo die animi cultu Dei & consideratione beneficiorum eius recreentur. Contra hoc præceptum hodie ex vtraque parte peccatur, dum alij auaritia fascinati se suosque immodicis laboribus fatigant, alij Sabbati quiete ad voluptates & carnis licentiam abutuntur, sicque ex vtraque parte non Deo, sed Diabolo, illa die seruiunt. Vt vero Christus hoc in loco Apostolos ad quietem inuitat, ita sciamus ipsum adhuc hodie tam paternum erga suos habere affectum, vt neminem supra vires tentet, sed cum tentatione faciat prouentum, vt possimus sustinere, 1. Cor. 10. v. 13. Hinc in morbis, persecutionibus, & aliis aduersitatibus vices largitur, & facit, vt interdum læta tristibus succedant, ne sub pondere crucis succumbamus, sed vt respirare possimus.

Addit autem Christus huic recreationi Apostolorum duas circumstantias, vnam loci, *seorsim in locum desertum*: alteram temporis, *pusillum*. Non deduxit eos ad choreas & comessationes, sicuti quidam malæ fidei Pastores recreationes suas conuiuiis & lusibus indulgendo quærunt. Sed Christus suos ad eiusmodi quietem inuitauit, qua ab externis laboribus concionandi vacantes piis precibus & priuata meditatione operum Dei seipsos recrearent, sicque animum ad nouos labores innouarent. Talem secessum & requiem fideles verbi ministri, maxime ij, qui grauioribus curis & molestiis grauantur, quoque bona conscientia quærere possunt, sed non in medio turbæ, non inter voluptates carnis, verum in locis solitariis, vbi precibus & meditationibus piis vacare liceat. (Sed, ô Domine, quo ibimus?) Huc respicere videtur Paulus, dum non simpliciter prohibet curam habere carnis, sed tantum ne id fiat ad desideria. Rom. 13. ver. 14. Temporis quoque habenda est ratio, ne otio & quieti nimium indulgeamus, sed vbi animus vegetior redditus est, mox ad consuetos labores videamus. Ideo Christus dicit, *pusillum*. Et vere *pusillum* fuit otium, quod Christo & Apostolis eius ex hoc secessu obtigit. Vt enim Marcus testatur eorum *qui venirent & abirent, adeo multi fuerunt, vt ne cibum quidem capere vacarit*: ita mox audiemus, populum vndequaque concurrisse, & ne quidem in eremo Christo quietem concessisse. Sic fere illis, quibus solicitudo Ecclesiarum, 2. Cor. 11. vers. 28 imposita est, in hoc mundo nulla vnquam requies conceditur. Vtut tamen sit illud Spiritus in Apoc. 14. ver. 13. post mortem interuerti nequit, requiescent à laboribus suis, & opera eorum sequuntur illos.

Quod vero huius secessus caussas inter alias etiam has fuisse diximus, quia relatum fuerit ad Iesum, & quomodo Herodes Iohannem decollarit, & quomodo Iesum videre is desiderarit: Christus suo exemplo docet, Ecclesiæ Doctoribus licere, vt furori impiorum cedant, quando id salua gloria Dei & sua vocatione facere possunt. Sic enim iam ante Apostolis in mandatis dederat, Matt. 10. v. 23. Cum vos persecuti fuerint in ciuitate vna, fugite in aliam. Et Paulus, cum Damasci ad mortem quæreretur, in sporta per murum submissus, seipsum melioribus temporibus seruauit. Act. 9. v. 25.

De loco autem in quem Christus secessit, in quo etiam miraculum quinq; panum edidit, duo dubia incidunt. Vnum est, quod Iohannes testatur Christum abiisse πέραν τῆς θαλάσσης, *trans mare Galilææ*, & Lucas asserit, fuisse *desertum ciuitatis Bethsaidæ*. At vero Bethsaida sita fuit cis mare Galilææ, in ripa Occidentali. Loca vero, quæ πέραν *trans mare Galilææ* sita dicuntur, illa versus Ortum mari & Iordani adiacebant. Alterum dubium est, *si trans mare* fuit locus, in quem Christus secessit, & in quo miraculum edidit, ad quem etiam Christus non nisi *nauigio* vectus peruenire potuit, quomodo *turba pedestri itinere ipsum præuenire* valuerit? Nam non potest intelligi turba illius regionis ad quam Christus modo perueniebat, sed turba illius ripæ, in qua Christus fere continuo diuersabatur. Et hæc dubia facile remoueri possunt, si quis Euangelistas & eorum descriptionem diligenter inspiciat, situmque locorum recte perpendat. *Tiberias* fuit insignis vrbs, Galilæarum maxima regionis metropolis, Decapoleos & inferioris Galilææ versus Orientem ad mare terminus, vnde & mare illud cognomen accepit, quod *mare Tiberiadis* dictum est. Olim dicebatur Cenereth, sed ab Herode Tetrarcha, in honorem Cæsaris Tiberij, multis splendidis ædificiis exornata, & Tiberias dicta est, in optimo Galilææ agro. Ideo dubium non est, in ea fuisse regiam Herodis, in qua & conuiuium suum natalitium celebrarit, ibidemque Iohannem decollarit. Vnde ipsius corpus Sebastam, quæ vnius atque alterius diei itinere inde distabat, à discipulis delatum fuit. A Tiberiade autem Bethsaida non admodũ procul aberat, in eodem maris littore sita: in qua & Christus, vt ex Euangelistis patet, libenter versabatur, nec dubium est, ipsum ibidem discipulos suos *post peractam legationem* rursus congregasse: quo & *Iohannis discipuli* deuenerunt, vti etiam ex vicina metropoli cognoscere potuit, quænam tum regis, tum aulicorum ipsius de eo essent iudicia? E regione autem vrbis Bethsaidæ trans mare situm est desertum, quod olim sub ditione oppidi Bethsaidæ erat, vbi & vicum habebant, quem Philippus, Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis regionis, in honorem Iuliæ, filiæ Augusti, muro cinctum, atque splendidis ædificiis exornatum, insuper opibus & habitatorum frequentia auctum mutato nomine Iuliada vocari voluit. Circa illam ciuitatem fuit desertum, quod vetustum nomen retinuit, & *desertum ciuitatis Bethsaida* dictum est. Secessit ergo Christus cum Apostolis ex ditione Herodis, ad regionem, quæ Philippi Tetrarchiæ erat subiecta: sicut & ante fecerat, cum Iohannes captus fuerat, vt sic furori tyranni parumper cederet. Nam Philippus perpetuo fuit vir molestus, quietis amator, & qui semper in sua ditione degebat, suorum subditorum caussas ipse audiebat, & iusto iudicio sontes damnabat, innocentes autem absoluebat. Quod autem Christus ex eadem regione tam cito reuersus est in Capernaum, vt audiemus, hinc factum putabimus, quia tum *instabat Pascha, dies festus Iudæorum*, quo tempore Herodes Hierosolymam ad festum abire solebat, Luc. 23. versicul. 7. Vnde Christus plus securitatis in ipsius absentia sibi concessum esse sciuit, ac proinde tuto rediit. Nihilominus tamen paulo post finito festo, postquam Pharisæi & Scribæ Hierosolymis aduenerunt, rursus ad fines Tyri & Sydonis secedet, vt suo loco audiemus: quia tyrannis non est fidendum, maxime si flabella Iesuidarum ad ipsos accedant.

Quod alterum dubium attinet, ex *inspectione Tabularum* chirographicarum patet, turbam *lacum illum* Genezareth circuire, & *pedestri itinere* ad idem desertum Bethsaidæ penetrare potuisse, ita tamen vt Iordanem vel per pontem aliquem transierint, vel eius aquas transuadarint, quod tum in superiore parte, antequam is mare Tiberiadis illabitur, tum in inferiore parte, vbi idem rursus egreditur, fieri potuit. Est autem iudicium magnæ auiditatis & Zeli, quod non tantum domos suas relinquunt, & Christum sequuntur, sed & tanta celeritate festinant, vt Christum & Apostolos *præueniant*, & quidem tam longinquo itinere. Nam, vt habet Iosephus lib. 3. belli Iud. cap. 18. mare Genezareth patet quadraginta stadiis, in latitudine, & in longitudine extenditur centum stadiis. Vndecunque ergo Christus naui soluerit, turbæ ad decem milliaria terrestri itinere conficere coactæ fuerunt. Hoc tamen vsque adeo laudabile non est, quod plerique eum non tam doctrinæ & æternæ salutis ergo, quam *propter signa, quæ faciebat super his qui informabantur*, secuti sunt. Vnde etiam postea audiemus, quod multi ex ipsis defecerint, offensi concione illa, quam Christus habuit in Capernaum. Præferunt ergo hi typum illorum, qui etiam nostro seculo Euangelij amore flagrare videntur, tantisper dum se illo ingentes opes, & insignes honores, aut licentiam quiduis agendi, consequi posse sperant. Qua spe sua vbi excidunt, turpiter rursus ab eo deficiunt. Hæc tamen populi alacritas vere pios excitare debet, vt quoniam infallibilem cœlestium bonorum spem in Christo repositam habent, pari studio nullum laborem, nullum periculum subterfugiant, dummodo bonorum illorum promissorum participes reddi queant.

Et quidem turba hæc, quia adhuc in Christo carnalia magis quam spiritualia quærebat, digna fuisset, quæ à Christo repelleretur. Verum quia Iesaias de ipso prædixerat, cap. 42. v. 3. quod calamum conquassatum non sit contriturus, ideo quemadmodum olim ἐτροποφόρησεν, & veterum Iudæorum mores in deserto pertulit. Actor. 13. vers. 18. ita idem etiam hic præstat. Nam 1. *egressus* siue ex naui, qua per mare vectus fuerat, siue ex loco quietis, quam cum Apostolis quæsiuerat *excipit eos* amice & benigne. Est hoc miræ facilitatis argumentum, quod non inhumaniter reiicit illos, qui ipsius & suorum quietem interturbant. 2. *Misericordia affectu tactus est erga ipsos.* Quam ardentem cum miserationis affectum verbum σπλαγχνίζω denotet, c. 42. Harm. explicatum est. Ratio huius affe-

ctionis indicatur: *quia erant velut oues non habentes pastorem.* Etenim vt ouis natura stolida, nisi habeat pastorem ducentem & defendentem, facilime ab ouili aberrat, & tandem lupis dilanianda obiicitur: ita hominis natura non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, ac proinde à via salutis aberrat, & nisi fidum doctorem & ductorem nanciscatur, in Diaboli casses incidit. Et quidem Deus populo suo sacerdotes præfecerat, qui in Iudæa passim cum Scribis & Pharisæis oberrabant, sed illi neglecta sana doctrina, & puriore Dei cultu, seipsos pascebant, adhæc populum in diuersas partes trahebant. Populi itaque misera Christus commouetur, eo quod cogebantur domos relinquere, & in deserto quærere verbum Dei, cum tamen passim prostarent Synagogæ, & *prope esset Pascha,* quo tempore Hierosolymis à sacerdotibus de vero Paschate informari debuissent. Sed illi humanas traditiones crepantes de salutifero Dei verbo magis muti erant quam pisces. Qua de re cap. 71. huius Harm. plura. Ideo *subiens in montem ibi cum discipulis sedit:* Olim enim docentes, auctoritatis ergo, sedebant. Apostolos autem sibi assidere fecit, quia nuper illos quoque ad docendum emiserat. Atque sic *incepit eos docere multa, & locutus est de regno Dei.* Cuius doctrinæ, nimirum doctrinæ de regno Dei, quænam præcipua capita sint, alibi expositum est. Quod ergo Salomon dixit, Prou. 29. ver. 18. Deficiente prophetia, dissipatur populus, illud Christus hic experitur. Quapropter vt dispersum & dissipatum gregem aliquo modo colligeret, ipsis *loquebatur de regno Dei.* Vtque tanto maiorem amorem diuini verbi in ipsis excitaret, 4. *eos qui curatione indigebant, sanabat.* Nimirum externis hisce beneficiis eos adducere voluit ad desiderium & admirationem spiritualium atque æternorum bonorum. Docet sic Christus omnes Euangelicos Doctores 1. Debere ipsos promtos esse, sine cessatione & morositate 2. ad promouendum Euangelicum negotium, quoties adest occasio. 2. Debere illos hoc facere ἑκουσίως, ex syncero cordis affectu, vel vt Petrus inquit, 1. Epist. c. 5. v. 2. non coacte, sed ἑκουσίως sua sponte: non turpis lucri studio, sed προθύμως, promto animo. 3. Proponant autem populo, non placita Platonis vel Aristotelis, non subtilitates Thomistarum, non decreta Pontificum, non traditiones Conciliorum, nec aliorum hominum nugas: *Sed sermonem de regno Dei.*

Vnus apex verbi ratione valentior omni est:
Milleque Decretis Conciliisque prior.

Qui ergo loquitur, loquatur λόγια Θεοῦ, eloquia Dei. 1. Pet. 4. v. 11. 4. Licet autem donum miraculorum & donum sanādi apud nos, post receptum & creditum Euangelium, desierit, precibus tamen suorum auditorum salutem & incolumitatem Deo commendent, atque simul doctrinam à se propositam proprio exemplo & vitæ sanctimonia confirment. Præcipuam autem curam habeant infirmorum & curatione indigentium. Hoc qui præstiterint, illos Christus pro fidelibus & bonis seruis, vbi ad audiendas rationes suorum reuersus fuerit, agnoscet. An vero hæc ille, qui se Christi vicarium in his terris esse profitetur, cum suis Creaturis, cū raso & vncto suo clero præstet, & per aliquot secula præstiterit, id res ipsa loquitur & testatur: Seipsos pascunt, gregem autem Domini negligunt, sicuti id à nostris ad tædium vsque demonstratum est.

Cæterum hac occasione, & in hoc secessu illustre illud miraculum de quinque panibus factum est: cuius circumstantias omnes quatuor Euangelistæ diligenter descripserunt, & expendendas proposuerunt. Totus quidem mundus, & præcipue Ecclesia, plena est quotidianis multis & magnis miraculis Dei. Sed quia illa, vt D. Augustinus vere dixit, vilescunt non facilitate, sed assiduitate; nec obseruantur. Ideo quædam, præter vsitatum naturæ cursum & ordinem Deus sibi seruauit, non vt maiora, sed vt insolita: vnde ea videntes stuperent, quibus quotidiana viluerunt. Gubernatio totius mundi vere maius miraculum est, quam saturatio quinque millium quinque panibus: & tamen illud nemo miratur, hoc mirantur homines: non quia maius, sed quia rarum est. Quia igitur hoc miraculum Christus volebat conspicuum esse omnibus, vt non tantum populi, verum etiam discipulorum animi confirmarentur in ipsa illa persecutione, atque discerent, quod etiamsi destituantur omnibus præsidiis mundanis, tamen non defutura esse necessaria, quærentibus regnum Dei: ideo multas circumstantias accurate præmittit & ordinat, quæ omnes miraculum illustrant, & quasi ob oculos adhuc hodie conspiciendum proponunt. Nam si ex improuiso hæc hominum quinque millia saturasset, ab ipsis saturatis miraculi nulla ratio habita fuisset, nedum ab aliis, qui illud vel legissent, vel audiissent. Circumstantias itaque singulas diligenter excutiemus: & vt ordine illud fiat iusto, totam descriptionem in tria membra partiemur, considerantes 1. τὰ προηγούμενα quæ miraculum præcesserunt. 2. τὰ [illegible] miraculum ipsum. 3. τὰ ἑπόμενα, quæ miraculum consecuta sunt.

1. Ad προηγούμενα & antecedentia miraculum referri possunt ea, quæ hactenus de Christi secessu & populo ipsum sequenter dicta sunt. Cum ergo Christus per integram diem populum ieiunum docuisset, & miraculis totus intentus fuisset; videtur discipulis quasi Magister in corporalibus negligentior esset: idcirco, die iam ad vesperam declinante, ipsum admonent, vt quoniam locus esset desertus, & iam satis eo animo ac corpore curasset, eos dimittat, quo possint ipsi sibi in vicinis vicis, pagis & castellis hospitia atque commeatum quærere. Christus respondet: Quia hi homines nos in hac persecutione sectantur, æquum est, vt nos ipsis demus, quod edant. Sic enim postea firmius nobis adhærebunt. Dicunt discipuli: Ergo nobis eundum erit, vt emamus cibaria pro vniuerso hoc populo, quia locus desertus est? Et quidem in parato habemus *ducentos denarios.* Num hos vna vice exponemus ac profundemus? Et si maxime emamus panes, vnde nos eos apportare poterimus? Aliquot plaustris opus foret, quibus commeatum pro hac tanta turba adueheremus? *Denarius* est nummus argenteus Romanus, quatuor sestertios valens; ita dictus, quod pro decem assibus in solutionem cedebat. Si eum ad rationes nostræ monetæ reducamus, erit octaua pars Vallensis Ioachimici, valens tres grossos Misnicos. *Ducenti* ergo *denarij* conficient summam viginti quinque Ioachimicorum, siue iuxta æstimationem Budæi, viginti Coronatorum. Si vero Denarius vulgaris intelligatur, sicuti nos decem crucigeros, *die zehen Creutzer* (quos alicubi *Schreckenberger,* à loco in quo primum moneta illa cusa est, aliqui etiam *Engelgroschen* ab imagine impressa vocant,) Denarios nominare solemus, tum conficient triginta vnum florenos cum quatuor denariis. Secundum discipulorum itaque æstimationem, omnis pecunia in hanc plebem insumenda fuerat. Mox vero Christus Philippo, qui Ioan. 1. v. 43. inter primos discipulos fuit, dicit: *Vnde ememus panes, vt edant ij?* Erant enim quinquies mille, exceptis fœminis & pueris. Sic vero interrogabat, *tentans eum: ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Philippus idem respondet, quod collegæ dixerant: Si omnem nostram pecuniam, ducentos denarios, erogemus, non sufficiet, *vt vnusquisque pusillum quid accipiat.* Nam si denarij in summa æstimatione accipiantur, tamen in singula capita vix duorum nummorum panes distribuendi erunt. At Christus dicit: *Abite & videte, quot panes habeatis.* Existimant quidam Veterum Apostolos quinque illos panes & duos pisces pro se & Christo secum sumsisse. Sed circumstantiæ ostendunt, ipsos pro se nihil panum tum temporis habuisse, sed postquam totam turbam perscrutati fuissent, & solicite quæsiuissent, & quid alimenti homines isti secum haberent, nihil inuentum est, præterquam quod solus *Andreas* in tota turba inuenit *puerum vnum,* qui habebat *quinque panes hordeaceos & duos pisces.* Distinguitur ab Hebræis & in sacris hæ duæ species frumentorum, Triticum & Hordeum. Triticum illis dicitur חטה à protrudendo, quia ex aristis & folliculis grana protrudit: ex huius farina paratur panis pro delicatioribus. Hordeum ipsis dicitur שערה a שער horruit: quia hirsutum, pilosum, & horridum est; huius vsus erat pro egentioribus. Hæ species coniunguntur Exod. 9. v. 31. hordeum læsum fuit, quia erat virens: triticum autem & far non fuere læsa, quia erant serotina. Deut. 8. versic. 8. Terra Canaan commendatur, quod sit terra tritici & hordei, 2. Sam. 17. vers. 28. Berzellai Dauidi in Mahaniam affert triticum & hordeum. Ioel. 1. versicul. 11. Vlularunt vinitores super tritico & hordeo, quia periit messis agri. Fuere ergo hi panes vulgares, pro egentioribus parati. *Pisces* à Iohanne vocantur ὀψάρια. Et quidem ὀψάριον alias accipitur pro opsonio seu condimento, & quouis cibo qui pani adiicitur, vt habet Athen. li. 8. Sed vt patet ex c. 21. ver. 9. Ioannes vtitur pro piscibus assatis. Aiunt igitur ὀψάρια pisciculos dici παρὰ τὸ ὀπτᾶν, ab assando. Inuenti ergo sunt in vniuersa turba, *quinque panes hordeacei & duos pisciculi* assati, & hoc Christo renunciat Andreas. Instant itaque Apostoli apud Dominum & rogant denuo, vt turbam dimittat. Nam diserte repetunt & dicunt: *non habemus hic plures, quam quinque panes & duos pisces: nisi nos eamus & emamus in omnem hunc populum escas.* Quasi dicerent: quid tentas? Num tu vis, vt populus hic viride gramen comedat instar boum? Sed Christus hæc nō attendit, quin potius iubet hosce quinque panes & duos pisciculos sibi afferri, & simul Apostolis dat in mandatis, vt populum faciant discumbere. Licet autem Apostoli in corde suo statuant, quod hi panes & pisces populo satiando nequaquam sufficiant: Domino tamen diutius non reluctantur, sed populo, vt quasi cœnaturi discumbant, iniungunt, etsi tantum quinque panes præsto esse scirent, & locus esset desertus. Et quidem Christus ipse præscribit rationem, quomodo Apostoli discubitus debeant ordinare: scilicet sicut in *symposiis,* (hoc enim nomine vtitur Marcus) lecticæ circa mensam ordinantur, vt certus numerus conuiuarum certo numero ex opposito collocatus conspiciatur, & qui à

regione sedent in eodem symposio, facies sibi obuertant. Certum autem numerum discumbentium in singulis symposiis exprimit, nimirum *quinquagenos*, vt duo ordines in vno quoque symposio sedeant, quorum singuli contineant quinquaginta viros. Et quando hoc modo per talia symposia quinquies mille viri discumbunt: tum erunt centum ordines, & quinquaginta symposia. Nos possemus nuncupare tabulas longiores, quales interdum in principum conuentibus constituuntur, vbi ex latere cuiusuis tabulæ sederent quinquaginta viri, integra autem tabula centum viros complecteretur. Hoc est quod Marcus dicit, quod *discubuerint diuisi in viridaria centeni & quinquageni.* Tota autem illa multitudo discumbentium, hoc modo disposita, præbet speciem hortensium areolarum, in quas semina sunt conicienda. Ideo Christus apud Marcum hoc vocabulo vtitur, & dicit κλισίας illas, & discumbentium classes, sic ordinandos esse, vt sint πρασιαὶ πρασιαί. Dicuntur autem in hortis proprie πρασιαὶ areolæ quadratæ, in quibus olera seruntur. Varinus inquit, πρασιὰ δὲ σχῆμα γεωργικόν. Et Hesychius vult πρασιὰς dictas quasi φρασιὰς διὰ τὸ ἐπὶ πέρατι τῶν κήπων. Nec dubium est, Christum vsum fuisse hoc vocabulo partim ob locum, quia sedebant in gramine, partim quia κλάσματα illa & fragmenta debebant esse, vt etiam Augustinus loquitur, quasi semen, non in terram, sed in manus tam discipulorum quam discumbentium proiectum. Vt enim semen in optimam terram proiectum profert fructum centuplum, Luc. 8 vers. 8. ita idem hic fit, vel etiam amplius. Nam si vnum panem diuidamus in decem fragmenta, vnumquodque fragmentum rursus in centum viros diuidendum fuit, vt vniuersæ summæ satisfieret. Sed de eo postea pluribus. Hosce vero discubitus Christus propterea tam accurate ordinauit, vt quisque alterum respiciens, & Apostoli ordine per medium illorum symposiorum incedentes illustrius redderent totum miraculum.

Atque hæc quidem pertinent ad τὰ πρὸ γινόμενα & antecedentia huius miraculi. Vbi ex parte Apostolorum inuenimus magnam simul & arrogantiam & fidei imbecillitatem. Arrogantiam, quod Christo monitore opus esse putant, cui, quid quoad populum facere debeat, præscribere audent. Fidei imbecillitatem in eo, quod populum hunc aliter ali & pasci non posse statuunt, nisi aut ipse populus se ad circumiacentes vicos conferat, aut Apostoli commeatum inde afferri curent. Hæc est vetus illa cantilena incredulorum Iudæorum, Psalm. 78 versic. 19. Num potest Dominus mensam hisce parare in deserto? Adeo turpiter obliti sunt eius, quod Christus nuper admodum ipsos in vniuersam regionem sine omni commeatu, sine pera & pecunia ablegauit, Matth. 10. vers. 9. & tamen nihil rerum necessariarum ipsis defuit Luc. 22. versic. 36. Tales infirmitates & defectus singuli in se agnoscant. Ex parte Christi audimus, quomodo ille Philippum *tentarit*, hoc est, diffidentiam illam, qua ipse cum Collegis laborauit, ob oculos statuerit, vt in posterum in fide confirmatiores essent. Nam, vt Iacobus inquit, cap. 1. ver. 13. Deus neminem tentat ad malum. Ad bonum autem tentat, vt probatio fidei nostræ ipso auro pretiosior inueniatur in laudem & gloriam Christi. 1. Pet. 1. vers. 7. Sciendum itaque quadruplicem numerari tentationem, vnam Diaboli, aliam carnis nostræ, tertiam mundi, quartam Dei suos in fide, spe & caritate probantis. 1. Diabolus proprie ὁ πειράζων, Tentator dicitur Matth. 4. vers. 3. & 1. Thessalon. 3. vers. 5. dum homines impellit ad libidinem peccandi. Eosque non tantum impios, qualiter tentauit Saulem, 1. Samuel 19. versicul. 9. vt lancea interficeret Dauidem: Iudam, Ioan. 13. ver. 2. vt traderet Iesum: Ananiam, Actor. 5. vers. 3. vt aliquid fraudaret de pretio agri: Sed etiam pios, qualiter tentauit Dauidem 1. Paral. 21. versic. 1. vt numeraret populum: Apostolos, Luc. 22. vers. 24. vt de primatu litigarent: Augustinum, vt pœnitentiam suam procrastinaret. Imo adeo impudens est Spiritus, vt ausus fuerit ipsum Christum tentare tribus modis in deserto, Matth. 4. vers. 3. Hanc ad rem vtitur interdum externis mediis, sicut Euam tentauit per serpentem Genes. 3. ver. 4. Iobem per vxorem, Iob. 2. vers. 9. Iosaphatum & Achabum per Pseudoprophetas 1. Reg. 22. versic. 21. Christum per Petrum, Matth. 16. v. 22. interdum id facit per suas peruersas suggestiones, quibus homines inducit, alios ad ebrietatem, alios ad auaritiam, alios ad superbiam, alios ad ludendi desideria. Hinc dicitur πνεῦμα ἐνεργοῦν, Spiritus efficaciter operans in filiis incredulitatis. Ephes. 2. vers. 2. Et tales tentationes Deus permittit in piis, partim vt suæ infirmitatis memores humilitatem sectentur & superbiam fugiant, Sicut Paulus 2. Corinth. 12. vers. 7. fatetur, se ab angelo Satanæ colaphis cæsum esse, ne supra modum efferretur. Partim vt aliis testata reddatur ipsorum fides & integritas. Sicut Susannæ castitas, Dan. 13. versicul. 21. Partim vt animi nostri ad vltimum agonem sustinendum præparentur. Huic autem tentatori Diabolo firmiter resistamus in fide. 1. Pet. 5. vers. 9. & fugiet à nobis. Iacob. 4. versicul. 7. 2. Tentat nos quoque propria nostra Caro. Sicuti de ea Iacobus dicit cap. 1. versicul. 14. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Nec est vllum vitium, siue inuidiæ, siue ebrietatis, siue πλεονεξίας & auaritiæ, siue libidinum, siue vllius alterius impietatis, ad quod non propria caro nos inducere possit, nisi per Spiritus Sancti gratiam præseruemur. Etsi enim per aquam & Spiritum renati sumus, quia tamen prima nostra origo terrestris est, iccirco quamdiu terram gerimus, & terram terimus, tamdiu terrena quærimus & meditamur, vsque dum in terram conuertamur. Huic tentationi resistendum est piis precibus, lectione verbi diuini, & meditatione pœnarum, in quas incurrerunt illi, qui in hac tentatione succubuerunt. 3 Mundus quoque pios tentat, tum verbis, tum factis, vt eos vel ad iracundiam & contentiones, vel ad impatientiam & vindictæ cupiditatem permoueat. Experti hoc sunt Noachus præco iustitiæ primo mundo, & Lothus Sodomitis interitum denuntiantes, quorum vterque suis delirus senex habitus fuit. 2. Pet. 2 v. 5. Gen. 19. v. 14. Elias Achabo fuit turbator Israelis. 1. Reg. 18. vers. 17. Elisæus à pueris in Bethel per ludibrium vocatur recaluaster. 2. Reg. 2. ver. 23. Ieremias à suis dicitur vir rixæ & discordiæ in vniuersa terra, Ier. 15. v. 10. Ezechiel quoque suis auditoribus fuit quasi carmen Musicum, quod suaui dulcique sono canitur. Ezech. 33. vers. 32. Et quid mirum? Cum Christum Iesum Dei filium, *ipsum patremfamilias*, Beelzebub, Luc. 11. vers. 15. & Samaritanum, Ioan. 8. v. 48. vocarint? Malorum enim (vt D. Hieron. in epist. ad Turiam scribit) solatium est, bonos carpere: dum peccantium multitudine putant minui peccatorum culpam. Idem etiam accidit piis politicis. Quoties Israelitæ Moysis patientiam tentarunt: Exod. 5. vers. 21. & 16. versic. 2. Num. 16. versic. 3. Intuere exemplum Dauidis in calumniis Absolonis, 2. Sam. 15. vers. 3. & Semei. 2. Sam. 16. vers. 7. Adeo vt ne à domesticis quidem semper sint immunes. Sic Moyses suæ Ziporæ fuit sponsus sanguinum, Exod. 4. versic. 25. & Dauid à sua Michole pro scurra habetur, 2. Sam. 6. v. 20. Hac tentatione (vt sic eam nuncupem) Verbali impij in mundo non sunt contenti, sed ad Realem, seu ad ipsa *facta progrediuntur*. Nam vt Iudæi in sua disputatione cum Christo Ioan. 8. *ver. 59* & cum Stephano, Act 7. vers. 58. à verbis *ad lapides & verbera* progressi sunt: ita semper fideles ab *infidelibus & pseudochristianis* non modo calumniis proscinduntur, sed etiam in vitæ & fortunarum discrimen apud illos incurrunt. Aduersus hanc tentationem discamus illud Epicteti: ἀνέχου καὶ ἀπέχου, sustine & abstine. Etsi enim defensio aduersus calumniatores est licita, sicuti Act. 2. versic. 15. Apostoli sese aduersus obtrectationem ebrietatis defendunt, & Paulus se in post. Epist. ad Corinth. contra calumnias Pseudoapostolorum tuetur: Tamen cauendum, ne conuitia conuitiis compensemus. Nam τὸ ἀντιλοιδορεῖν Christianis est prohibitum: 1. Pet. 2. vers. 23. quin potius Deo, (qui Deuter. 32. vers. 35. dicit: Mea est vltio) & magistratui causam nostram commendemus: sic non peccabimus. De his tribus tentationum speciebus in præsentia non agitur, sed tantum de tentatione diuina. Sicut enim pater filium doctrina aliquali præditum tentat interrogando, in iis quæ didicit, non quod de eius eruditione dubitet, sed vt ea aliis etiam innotescat: Ita Deus pater filios suos in fide, spe, & dilectione tentat, non quasi ignoret quid sit in ipsis, sed vt eam & ipsis & aliis patefaciat. Tentat autem Deus suos non tantum penuria rerum necessariarum & aliis afflictionibus, vt hoc loco factum est, sed etiam signis seu miraculis per falsos Prophetas Deuter. 13. vers. 3. item grauibus mandatis, vt Abrahamum, Genes. 22. vers. 1. iubens eum immolare filium vnicum: Gideonem Iud. 7. vers. 8. vt 300. militibus Midianitas innumera multitudine Israelitas obruentes aggrediatur: Nahamanum 2. Reg. 5. v. 10. vt septies se in Iordane lauet. Denique dilatione sui auxilij, sicuti mulierem Cananæam, Matt. 15. v. 23. quæ tentationum fere omnium est grauissima. De qua Dauid conqueritur. Psalm. 13. vers. 1. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? vsque quo auertis faciem tuam à me? &c. Hanc Ieremias, cum ab hominibus persecutionem pateretur, deprecatur cap. 17. v. 17. & inquit, Domine, tu modo non sis mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. In hac tentatione tantum operam demus, vt firma fide verbo Dei reuelato & nobis manifestato adhæreamus, & obfirmato animo auxilium diuinum exspectemus. Ideo Psalm. 27. v. 14. dixit: Exspecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Hab. 2. vers. 3. si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Hoc qui fecerit, de eo pronuntiat Iacobus c. 1. vers. 12. Beatus vir, qui

vir,qui suffert tentationem:quoniam cum probatus fuerit,accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Hæc de tentatione.

Inquirunt etiam aliqui Patres, Quare Dominus Iesus *Philippum* præ cæteris *tentarit* & eius fidem explorarit? Et videntur Chrysostomus atque Cyrillus hanc rationem dare: quia libenter didicerit, & præ reliquis sæpius Dominum interrogarit: simplicior tamen fuerit: ita vt altiora non facile fuerit assecutus. Vt ergo Christus rudiorem excitaret, & ad sublimiora meditanda corroboraret; ipsum potissimum interrogauit. Sic simpliciores ad fidem sunt excitandi: & ipsi quoque fint φιλομαθεῖς,tum erunt πολυμαθεῖς.

Commendatione quoque & imitatione digna est obedientia plebis, quæ iussa à Christo & eius Apostolis discumbere,absque mora id facit; licet, vnde conuiuium instrui possit,nō videat.Et hæc est vera obedientia, iudicio D.Bernhardi,quæ non attendit, quale sit, quod præcipitur, sed eo solo est contenta, quod à Deo præcipitur. In statu innocentiæ summa salutis nostræ constituta fuit in sola obedientia, dum Deus certæ arboris fructum parentibus nostris interdixit,non quod noxius ille esset, sed vt ipsi intelligerent,se habere Dominum, quem præcepto eius obtemperando demereri debeant. Iam proh dolor, omnes fere sumus refractarij, quod raro in iis,quæ Deus præcipit,obedimus, sed plerumque tantum facimus,quod nobis bonum videtur. At vero quia obedientia est fructus fidei,ideo secundum præceptum Pauli omnem nostrum intellectum captiuemus in obsequium Christi: siquidem Christus in promptu habet, etiam in ministerio vlciscendi omnem inobediētiam, cum impleta fuerit Christianorum obedientia. 2.Cor.10.v.5. Dum etiam Christus adeo accurate hosce suos conuiuas in certa sodalitia distribuit, eo non tantum testatum facit,se esse Deum ordinis,& non confusionis:1.Cor.14.v.33. sed etiam ostendit, seruatum ordinem medium esse,per quod velit laboribus nostris benedicere, victum & leuem annonam nobis procurare. Et hoc experientia testatur, quod quando magistratus honestas constitutiones promulgat,certumque ordinem præscribit, iuxta quem in victu & amictu singuli se gerere debeant, quando etiam patresfamilias in œconomia curanda singula iusto tempore & modo ordine peragunt,tum etiam paruæ res crescunt, & singuli suum demensum habere possunt:dum vice versa, vbi inordinate, confuse & cum tumultu omnia fiunt, ibi etiam magnæ opes dissipantur & euanescunt.

II. Τὸ θαῦμα seu miraculum ipsum ab Euangelistis hoc modo describitur. Cum populus discubuisset,Christus in illius conspectu, & sub oculis discumbentium. 1. *Sumsit panes illos & pisces*, quos solos adesse omnes sciebant, in manus suas. Hæ enim sunt benedictæ illæ manus, in quas Pater reposuit omnia,Ioan.3.versic.35. & ex quarum plenitudine nos singuli nostra accipimus. Sunt illæ manus de quibus Dauid in Psalm.145. ver.16.Aperis tu manum tuam,& imples omne animal benedictione. 2. *Oculos sustulit in cœlum*, vt ipso gestu populum ad considerationem miraculi excitaret,atque simul demonstraret, vnde potestatem haberet huius miraculi. 3. *Benedixit illis*, non vulgari modo,sicuti nos precibus mensæ benedicere solemus;de quo ritu Paulus dicit, 1.Tim.4.ver. 4.quod omnis creatura Dei bona sit, nec quicquam reiiciēdum,si cum gratiarum actione percipiatur, siquidem sanctificatur per verbum Dei & orationem. Sed fuit specialis εὐλογία & benedictiō, quæ effecit miraculosam illam multiplicationem tam panum, quam piscium. Nam qualis hæc fuerit multiplicatio, quod Christus quinque panibus cibauit hominum fere quinque millia, inde colligere licet, quod 2. Reg.4.versic.42. pro magno miraculo habetur,quod Elisa viginti panibus hordeaceis cibauit centum viros. Sicut εὐλογία seu benedictio in Eucharistia fuit peculiare quippiam, qua effecit Christus, vt panis esset corpus suum ἐν μυστηρίῳ; & quemadmodum prima benedictio, qua homini dixit,vt multiplicaretur, & repleret terram, adhuc hodie effectum, natura ad generationem operante; ita hæc Christi benedictio efficiens causa fuit miraculosæ illius multiplicationis, de quo iam audiemus. 4. *Gratias egit*, tum pro illis panibus & piscibus ad cibum conditis, atque in præsentia comessis, tum pro accepta potestate miraculum hoc operandi. Ioan.11.vers.41.dicit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam,quia semper me audis,sed propter populum, qui circumstat, vt credant, quia tu me misisti. 5. Tandem cœpit frangere,& fragmenta dedit discipulis,qui illa, (vt ex illis, quæ sub finem historiæ referuntur,colligere licet)in cophinos suscipientes,& singuli per singula sympofia incedentes, populo distribuerunt, tantisper,donec omnes satiarentur. Quemadmodum enim farina in hydria Sareptanæ non deficiebat,nec lecythus olei minuebatur, ad verbum Eliæ, donec per pluuiam terra rursus fœcundabatur, 1. Reg. 17.v.14. Et quemadmodum alterius viduæ oleum in vasculo non defecit, quamdiu supererant vasa,in quæ effundere poterat.2.Reg.4.v.6. ita etiam, quamdiu aderant, qui esurirent & comederent, tamdiu non defuerant fragmenta distribuenda. Nam, vt eleganter Hilarius dixit; Fragmentis fragmenta succedunt, & fallunt semper præfracta frangentes. Idem Hilarius disputat, an multiplicatio facta sit in manibus Christi frangentis, vel discipulorum distribuentium, vel turbæ sumentis. Sed verisimile est, in omnibus tribus accidisse. Christus frangendo ita multiplicauit fragmenta, vt tam Apostoli, quam turbæ in ipsius manibus viderint, & postea suis manibus palparint Dei virtutem. Hinc Christus, Mar.8. v.19.sibi hoc tribuit,dū Apostolis dicit:Nō recordamini,quādo quinque panes fregi in quinque millia? Et modum Marcus ostendere videtur, dum inquit: *duos pisces diuisit omnibus*, q.d. ex duobus piscibus tot factas esse particulas, vt suffecerint omnibus. Deinde vero de Apostolis distribuentibus, Ioannes dicit, quod distribuerint, *quantum volebant*:vt sensus possit esse,Apostolos ex prima particula à Christo accepta etiam potuisse distribuere, quot conuiuis & quantum singulis vellent. Ita Apostoli cum suis cophinis transierunt per quinquaginta illa sympofia, & singulis distribuebant, *quantum volebant*. Lutherus legit in singulari numero, *quantum volebat*, quasi Christus pro suo beneplacito distribuisset, quantum ipse voluerit.Et hinc quidam desumunt illam doctrinam, voluisse ipsum monere,vt contenti simus ipsius donis,qualiacunque illa sint. Est enim quæstus magnus pietas:cum animo sorte sua contento:1. Tim.6.v.6. Ideo cum paulo discamus contenti esse, in quibuscunque simus,siue esurimus, siue satiemur:siue abundemus, siue penuriam patiamur.Phil 4.v. 11. Nam etiam Prophetæ olim sub Achabo pane & aqua contenti esse cogebantur. 1. Reg.18.ver.13. Sed exemplaria nostra Græca non habent ἤθελε volebat,seu ἤθελον *volebant*. Et potest non tantum de Apostolis distribuentibus,sed etiam de viris accipientibus intelligi, vt tanto magis Christi liberalitas suos alentis exprimatur, siquidem ipsis dari curauit, *quantum volebant*. Porro Ioannes dicit, discubuisse *viros numero ferme quinquies mille*, & Matth. habet *præter mulieres ac pueros*. Ergo mulieres ac paruuli, qui infra vigesimum ætatis annum erant (nam in populo Dei,vt patet Num.1.v.3. tantū illi inter viros numerabantur, qui vigesimum ætatis annum superarant:) quorum quoque non exilis fuit numerus, viris adstiterunt,& adstantibus quisque de suo fragmento etiam dedit,vt sic in Christi, Apostolorum & manducantium manibus panes creuisse & multiplicatos, colligere liceat. Dicit autem historia, & *edisse omnes*, & *saturatos esse omnes*, quod facit ad asserendam signi veritatem. Si enim plerique ieiunassent,& à cibo abstinuissent,non tantum esset miraculum. Sed ex integri diei ieiunio omnes erāt famelici, *omnes* itaque comederunt, & *omnes* saturati sunt. Et vt nullum hic sit dubium, duobus vtuntur verbis, *saturati sunt & impleti sunt*. Ergo ad satietatem vsque cibati sunt, ex quinque illis panibus, in quinquies mille viros fractis:quos si singulos in singula millia fragmenta distribuas, obsecro, quam minuta particula vnicuique cedet? Nimirum huic Domino nihil est impossibile.

Voluit autem hoc miraculo Christus toti mundo notum facere,quis sit ille Dominus,qui genus humanū quotannis cibat & alit. Videlicet ipsum Dei filium, qui sementi in terram iactæ benedicit: inebriat terræ sulcos & multiplicat germina eius, vt sic paret nobis cibum, & coronet integrum annum benignitate sua: sicut iucundum admodum hac de re disserit Dauid, Psal. 65.versic. 10. Huius benignissimi Domini liberalem & beneficam manum agnoscere & absque intermissione celebrare debebamus. Certe non minus, sed longe maius miraculum est,quod Deus totum mundum homines & iumenta quotidie cibat & alit,quam quod Christus hic quinquies mille homines quinque panibus cibauit. Sed vt August.inquit: Miracula Dei quotidiana vilescunt assiduitate. Ergo reseruauit sibi filius Dei quædam præter vsitatum cursum ordinemque naturæ, non vt maiora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerunt. Referunt historiæ de Friderico III. Imperatore, quod is in comitiis Coloniensibus, quo infinita hominum multitudo ex omnibus nationibus confluxerat, ipseque dubitabat,an omnes etiam cibari possint,iusserit & homines & panes in vrbe coctos numerare, cumque hominum longe maiorem numerum quam panum deprehenderet, metuit ne multi fame perirent. Sed altero mox die deprehensum esse, non tantum neminem fame periisse, & non tantum omnes cibatos atque saturatos fuisse, sed etiam copiam panis adhuc satis magnam superfuisse.Hoc fit tota die in toto mundo.

Non desunt viri docti & prudentes, qui putant plures homines in orbe terrarum viuere, quam quotannis manipuli frugum crescant & numerentur in agris. Neque hoc vero est-

ab simile: maxime si inspiciantur vrbes maritimæ, quæ quidem sunt populosissimæ, & interdum ne minimū quidem agri possident, ex quo frumenta sumant. Vnde vero hi homines omnes aluntur, vt comedant, & supersit iuxta verbum Domini 2. Reg. 4. vers. 44. Ex hac benedictione filij Dei, qua facit, vt non tantum semina in agris, sed etiam frumentum in horreis, in granariis, quin & farina in vasculo, panis in furno, & mensa, in ore & ventriculo manducantium mirabiliter & inuisibiliter crescat & augeatur. Econtra quando benedictionem suam, Scriptura vocat baculum seu robur panis, Leuit. 26. versic. 26. Ezech. 4. ver. 16. & 5. ver. 16. aufert, tum oritur fames & indigentia, comedunt homines, nec saturantur, vsque dum demum deficiant. Et hoc modo fere Deus homines punire solet, quando vel ex impietate, vel ex diffidentia Deū tentant, quasi non tot millia hominum in mundo alere possit, sicut fecere Israelitæ, Exod. 16. ver. 3. quando se in Ægypto mortuos optarunt, quia Deus in deserto panem dare aut mensam parare non possit. Psal. 78. v. 20. Et Satrapa ille regis Achab, qui Elisæo respondens impossibile esse dixit, vt tanta annonæ vilitas fieret, quantam Propheta prædixerat, si Deus etiam fenestras cœli aperiret, & frumentum deplueret. 2. Reg. 7. ver. 2. Quapropter nos omnipotentiæ & bonitati huius Domini fidamus, qui iustum nunquam derelinquet, neque permittet, vt semen eius quærat panem Psal. 37. ver. 25. quique cumulare potest facere, vltra quam petimus, aut intelligimus. Eph. 3. v. 20.

Simul etiam monstrat Christus, quibus mediis benedictionem Dei obtinere debeamus, precatione nimirum & gratiarum actione. Hæc enim ad id conducunt, vt quemadmodum Deum bonorum nostrorum auctorem, nosque eius œconomos esse agnoscimus: sic donis eius, neque ad luxum, neque ad intemperantiam, abutamur. Hæc tanta diligentia olim pij obseruarunt, vt solemnia conuiuia non ordirentur, nisi illis vel Sacerdos, vel alius quispiam primariæ dignitatis vir benedixisset. Sicuti id manifestum est ex historia Samuelis, 1. Sam. 9. v. 13. Christus quoque ab vltima cœna non recessit, antequam hymnum cum Apostolis dixisset, Matth. 26. ver. 30. Tertullian. item tam pie quàm eleganter de sui seculi Christianis scripsit: Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. *darumb wirdt die Speise gecredentzet*, & æque oratio conuiuium dirimit. Iusta itaque reprehensione digni sunt, qui diuinæ beneficentiæ parum memores, instar porcorum, ad mensam accedunt, & nec principium suorum conuiuiorum diuini nominis inuocatione, nec eorum finem gratiarum actione consecrant. Vnde etiam medium illorum impuris sermonibus, obtrectationibus, lasciuis cantilenis, vel tympanorum, cytharatum, tubarum, & aliorum eius generis organorum insano strepitu personant. Discant ergo Christiani à Deo victum petere, cum honesto labore acquirere, acquisito sobrie & temperanter vti, denique pro acceptis beneficiis gratias agere. Si enim ipse Dei filius pro hordeaceis panibus Patri suo cœlesti gratias egit, quando magis nos decet Deo pro nostris lauiticiis & abundantia gratias agere?

Distributio denique nos admonet beneficentiæ & Christianæ caritatis, Heb. 13. v. 16. qua illi, qui splendidioris fortunæ sunt, egentioribus etiam aliquid de bonis suis communicant. Frange esurienti panem tuum, dicit Esa. c. 58. vers. 7. Et in Veteri Testamento Deus voluit, vt in solemnioribus sacrificiorum epulis opulentiores pauperibus intra portas suas donaria mitterent, Deut. 12. v. 18. & 14. v. 27. & 15. vers. 11. & 16. versicul. 11. In nouo quoque Testamento, Luc. 12. versic. 42. & 16. v. 1. Christus diuites confert dispensatoribus, quos sibi credita bona ita dispensare iubet, vt olim dispensationis suæ rationem reddere possint.

III. Τὰ ἑπόμενα & ea quæ miracula consecuta sunt, etiam sunt consideranda. Inter quæ primum est. 1. *Collectio fragmentorum.* Postquam enim conuiuæ saturati erant, iussit Iesus Apostolos rursus ire per singula symposia, vt quod cuique superarat, siue de panibus, siue de piscibus, quod saturatus comedere non poterat, colligerent. Collegerunt itaque fragmenta, quæ super fuerant, *duodecim cophinos plenos.* Idque fecit propterea, ne quis putaret, cibationem hanc fuisse fascinum, sed vt reliquiæ etiam absentibus testarentur de veritate miraculi. Notandum autem est, quod in altero miraculo, quod describitur Mat. 15. vers. 37. fiat mentio σπυρίδων: hic vero τῶν κοφίνων. Et arbitror, hoc ideo factum esse, vt de quantitate seu multitudine fragmentorum relictorum cogitari possit. Κόφινος est ἀγγεῖον πλεκτόν, è vimine, proprie, sed vt Pollux annotat, est mensura Bœotica, & aridorum & liquidorum. Et in liquidis quidem κόφινος δυνάμενος τρεῖς χόας, seu tres congios χωρῶν. Congius autem continet sex sextarios, ex quibus circumstantiis amplitudo & capacitas Kophini vtcunque colligi, ad arida etiam accommodari potest. Hac vero fragmentorum collectione & asseruatione Christus nos frugalitatis admonet, ne lurcando & prodigendo bona à Deo concessa vno impetu perdamus, sed quæ supersunt religiose colligamus, seponamus, & futuram necessitatem asseruemus. Est enim parsimonia optimum vectigal. Et debent etiam parentes solliciti esse pro liberis ac posteris, vt his thesaurizent, 2. Cor. 12. v. 14. Huius parsimoniæ exemplum habemus in Iosepho, Gen. 41. ver. 33. Imo exemplum formicarum, Prou. 6. ver. 6. nos eius admonere debet. Peccant ergo, qui à colligendo initium faciunt, nondum exsaturatis iis, quos diuina benignitas pascere iubet: & qui non contenti edisse & bibisse omnia dissipant, ac instar exsaturatorum iuuencorum omnia pedibus conculcant, sicque multis esuriendi occasionem præbent, quorum necessitati istorum abundantia succurrere poterat.

Alterum consequens miraculi est, quod Iudæi hoc cibo saturati, ex eo coniiciunt, Iesum esse illum Prophetam à Deo per Moysen promissum, Deut. 18. vers. 18. hoc est, iudicant, ipsum esse mundi Messiam: Illud enim Moysis vaticinium de Messia cum temporis vulgo intellectum fuisse, colligere licet ex Philippi sermone Ioan. 1. vers. 45. ex Petri concione, Act. 3. ver. 22. & ex Stephani protomartyris oratione, Actor. 7. v. 37. Et in hoc neque errant, neque peccant. Est enim Iesus *vere ille Propheta, qui venturus erat in mundum.* Non quod nihil Propheta excellentius vel sublimius in Iesu fuerit: sed quod Deus ostendere voluerit, doctrinæ ipsius, qua cœlestis regni mysteria expositurus esset, post opus redemptionis præcipuam rationem nos habere debere. Nam sic Deo *placuit*, vt vtrumque Testamentum, tam Vetus quam Nouum, *primarium* suum haberet Prophetam, ad cuius doctrinam, ceu ad Lydium lapidem, omnium reliquorum doctrina examinari posset. In Veteri Testamento magnus ille Propheta fuit Moyses, qui præter mundi exordium, & primas promissiones datas, Legem etiam Dei, ipsius ministerio promulgatam, ex ipsius Dei colloquio protulit, & eiusdem populo seruandam commendauit. Huius vestigia reliqui Prophetæ secuti sunt, nec quicquam docuerunt, quod non ad capita doctrinæ à Moyse traditæ referri posset. Et hanc doctrinam ad Iohannem vsque extendi, testatur ipse Christus, Mat. 11. versic. 13. In Nouo vero Testamento magnus ille Propheta fuit Iesus Christus, Dei filius carne manifestatus, *de quo* Pater ipse cœlitus pronunciauit, Matt. 17. v. 5. hunc audite. *Hic ex arcano sinu cœlestis Patris prodiens, reuelauit nobis per Euangelium suum mysterium æternis temporibus tacitū*, quo docuit, per obeditionem fidei, Rom. 16. v. 25. in nomine suo nobis annunciari remissionem peccatorū, & iustificationem ab omnibus, à quibus per legem Moysis non potuimus iustificari, Act. 13. ver. 38. Est ergo Iesus Christus *vere Propheta ille*, Moysi quidem similis, quo ad typum: at eodem multo sublimior & excellentior, quoad personam & officium. Quia ipse est Dominus è cœlo, reipsa præstans ea, quæ Moyses suis typis adumbrauerat: sicuti Epistola ad Hebræos prolixe illud explicat. His duobus Prophetis nos contenti simus, & non tantum non tertium illum Prophetam, quem Turci venditant, Mahometem, sed nec Monachorum Prophetas, à quibus illi *nouum* vitæ institutum accipiunt, admittamus.

3. Cæterum vt recte faciunt, quod ex hoc miraculo ipsum Messiam agnoscunt: ita in illo errant, quod mox, ex praua Pharisæorum institutione, suas de terreno regno phantasias assuunt. Est quidem Christus ita Ecclesiæ Propheta, vt eiusdem simul & Rex & Sacerdos, adeoque totius humani generis Redemtor sit: qualem Moyses & Prophetæ multoties prædixere. Sed non est mundanus Rex, qualem Iudæi exspectabant, qui eos ex Romana potestate esset liberaturus: verum est Rex veritatis, qui spiritualiter populū suum *redemturus* esset ex regno Diaboli, mortis & peccati, quod est regnum mendacij & æterni interitus. Quod ergo hi quinquies mille viri Iesum volunt *rapere Regem*, hoc est, vel inuitum violento impetu regem declarare, per quem sine labore victum & amictum acquirere possint, illud zelus est, cui absque dubio stimulos addidit impatientia, quam sub duro Romanæ tyrannidis iugo dudum in animis suis conceperant. Sed quia hic non fuit zelus secundum scientiam, ideo Christus, priusquam illud tentant, media quærit illos dimittendi. Neque enim doctrinæ suæ vult inuri maculam seditionis: sed vult abstinere ab omni etiam specie mala, 1. Thessal. 5. v. 22. Hinc tamen vulgi ingenium circa religionem æstimare & colligere licet, quod prima & præcipua eius cura sit, ventri suo prospicere. Vt nimis vere Paulus dixerit, Deum eorum ventrem esse. Phil. 3. v. 19. Christus hactenus multa illustria & insignia miracula edidit, quibus doctrinam suam confirmauit. Nullum tamen tanti fuit æstimationis, vt illum Messiam agnoscerent, & regium honorem ipsi deferrent. Nunc postquam gratuito epulo ipsos excepit, magno zelo

zelo id [illegible] & non sine præsentissimo sui suorumque periculo consilia de ipso in regem cooptando agitant. Sed ô cæci [illegible] non cogitant de Pilato, non de Herode, qui hosce [illegible] magna cæde vlturi fuissent, eodem modo, sicut Theudam [illegible] Iudam Galilæum ipsorumque complicibus euertisse [illegible] Lucas in Actis cap. 5. vers. 36. sed etiam Iosephus [illegible] de bello Iuda testatur. Hic est vulgi mos, nisi [illegible] informetur, quod magna ex parte religionem [illegible] colit. Sicuti hoc videre est in Israelitis, qui toties [illegible] Moysen murmurarunt, quoties ventri suo alimoniam deesse animaduerterunt. Hoc corruptum vulgi ingenium [illegible] notat Propheta Micheas, cap. 2. vers. 11. dum inquit: Si essem vir gradiens vento & mendacium docens, & stillarem tibi ad vinum & ad siceram, tum essem stillator pro hoc populo. Sed non tantum plebs hoc animi morbo laborat: quin etiam Principes viri sæpenumero apud Christum potius quærunt regionem, quam religionem; aut etiam animo Euangelij doctrinam suscipiunt, quod ex Ecclesiasticorum bonorum direptione se ditescere, aut immunitatem à decimis impetrare posse sperant. In summa verum est, quod Augustinus dixit: Vix quæritur Iesus propter Iesum, sed propter aliud. Quod autem Christus seditioso populi consilio minime consentit, ne doctrinam suam suspectam reddat, eo communem regulam tradit, non tantum verbi sui ministris, sed etiam omnibus qui nomen eius profitentur, ne turbulentis improborum consiliis se admisceant, neve vllam confessionem fidei calumniandi occasionem præbeant. Nec vlla diligentia hic est superflua, siquidem calumnias omnes nemo auertere potest. Vt [illegible] enim Christus hic honorem regium subterfugit, non tamen vitare potuit, quo minus Luc. 23. vers. 2. per calumniam coram Pilato accusaretur, quasi seipsum Christum Regem dixerit. Pertinet huc aurea Salomonis regula, Prou. 24. v. 21. Time Dominum, fili mi, & Regem: & cum inquietis (sine seditiosis) non commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nouit? Patet quoque ex hoc Christi facto, nequaquam ipsius successores esse illos, qui sub religionis prætextu regna huius mundi inuadunt, quod Pontifices & Episcopos Romanæ Ecclesiæ facere magis notum est, quam vt opus sit id probare. Sed his omnibus Christus dixit, Luc. 22. versic. 25. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur: Vos autem non sic. Recte ergo Cyrillus: Mundi honor & gloria illis fugienda, qui Dei gloriam consequi volunt.

4. Christus ergo simplicitate huius populi nequaquam abutitur ad regnum aliquod mundanum stabiliendum, sicut nec quenquam bonum illud facere decet: Sed *populum dimittit. Apostolos* vero, *compulit, vt nauim conscenderent*. Nimirum [illegible] discipulos & ipsos Pharisæorum opinionibus imbutos, cogitationes carnales circumferre, de terreno Messiæ regno. Ne ergo populi consilia vel roborarent, vel promouerent, compulit eos, vt nauigio præcederent in alteram ripam, vbi sita erat Bethsaida. Non quidem libenter patiebantur discipuli se à Magistro suo diuelli, quidem nox imminebat, & Magister mansurus erat in deserto loco, interposito lacu: Metuebant ergo illi. Sed serio imperio ipsis Christus iniungit, vt præcedant Bethsaidam. Voluit nimirum illos assuefacere, vt simpliciter obtemperent, vbi habent mandatum Dei, nec suas rationes in contrarium opponant. Sicuti in hac ipsa historia habuimus exemplum obedientiæ in populo, qui ad iussum Christi discubuit in viridi gramine, licet ignorarint adhuc, quo cibo latrantem ventriculum sedare velint. Fortassis ipse Petrus talem obedientiam Christo non præstitisset, sed contra ipsius mandatum excepisset, quæcunque ratio suggessisset. Discamus itaque & nos simplici obsequio Dei mandatis parere, neque illa sub rationis nostræ examen reuocare. Sic Abrahamus pater omnium credentium, è patria egredi iussus, paret, licet, quonam iturus esset, ignoraret, Genes. 12. versic. 1. Idem iussus offerre filium Isaacum, paret Genes. 22. vers. 2. Gedeon iubetur cum trecentis viris pugnare aduersus innumerabiles copias Madianitarum, obtemperat, eosque vincit, Iud. 7. versic. 7. Ministri in nuptiis Canæ iubentur haurire aquam, vt defectum vini apud conuiuas expleant: non multum disceptant, sed obtemperant, & euentum Christo committunt, qui generosum vinum sponso donat, Ioan. 2. vers. 7. Naaman septies iubetur immergi aquis Iordanis recuperandæ sanitatis causa, parum abfuit, quin ex impatientia id intermisisset, sed coniunctum id fuisset cum iactura valetudinis, quam parendo recuperat. 2. Reg. 5. vers. 10. Moyses & Aaron iussi ferire petram, vt aquam pro populo elicerent, remisse & languide obtemperant: Sed propterea ita à Deo puniuntur, vt neutri illorum concessus fuerit ingressus in terram Canaan, Num. 20. vers. 11. Pareamus itaque mandatis Dei, licet illorum ratio nobis non constet. Sufficit enim eas ipsi constare, nos commendat obedientia, quæ in oculis Dei melior est, quam victima, 1. Sam. 15. vers. 22.

Ablegatis ergo Apostolis, populus tamen nondum discessit. Illum ergo Iesus dimittit amice & blandis verbis, eo contentus, quod in præsenti eorum illicitum conatum repressisset. Marcus vtitur in hac populi dimissione verbo ἀποτάξασθαι, quod vsurpatur de iis, qui valedicunt alicui, cum eum à se dimittunt, vel simpliciter ei valedicentes, vel mandata insuper addentes. Sic vsurpatur Act. 18. ver. 18. & ver. 21. Sed vtut Christus populum dimiserit, ille tamen, etiam postquam Apostoli discesserant, remansit, & ripam maris, vt ex sequentibus apparet, obsedit.

Christus ergo ne sua præsentia aliquam repetendi sui consilij occasionem præberet, siquidem zelus eorum nondum deferbuerat, *secedit iterum in montem solus ad orandum*. Quia *iterum ascendit in montem*, in quo docuerat, argumento est, ipsum finita concione de monte descendisse in planiciem, vbi edidit miraculum, & populum cibauit. Sub noctem vero se in montem recepit *solus* (discipuli enim iam discesserant) *ad orandum*. Secedit ostensurus adminicula, quibus mentes ad precandum expeditæ redduntur, non esse negligenda. Ipse Christus non laborauit illo vitio, vt auocamentis vel impediretur, vel languesceret illius oratio, sicut nos: & tamen nobis in exemplum secessum quærit. Non quasi lex inde sit sancienda. Paulus enim vult 1. Tim. 2. v. 8. vt viri orent in omni loco, modo puras manus leuent. Et passim nobis commendantur preces publicæ, quæ certe non fiunt in secessu. Imo, si quis locum ad orandum eligat, quasi is gratiam orationi conciliet, is errat. In cubiculum tamen Christus nos secedere iubet, Matth. 6. ver. 6. vt ardentiore zelo preces peragere queamus, nec ostentatione quid homines quærere videamur. Sic Christus secedit in montē, in quo magnā partē noctis precando trāsigit.

Hic vero optarim nouisse argumentum precum. Quis illud nobis referet? Paulus 1. Corinth. 2. ver. 10. scribit, Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Scrutemur ergo etiam nos hasce filij Dei preces, quarum summam ex circumstantiis facile colligere licet. Ipse, tanquam Messias & Sacerdos, interponit se medium inter Deum & homines. Et inter homines quidem videt Christus 1. Herodem, ipsius aulicos, & eorum similes, qui regnum suum oppugnant. Præcursorem suum trucidant, coram quibus ipse cum Apostolis fugere cogitur. Hic orat Christus, vt Pater & pusillum suum gregem tueatur, neque eum tyrannide mundi aut malitia Satanæ opprimi patiatur. 2. Videt Apostolos, se quidem sequentes, & Euangelium regni diligentes, sed multa adhuc imperfectione laborantes. Intercedit ergo pro ipsis apud Patrem, rogans vt ipsius Spiritu confirmati de die in diem proficiant. 3. Videt populum zelum quidem habentem, sed sine scientia. Orat igitur vt Pater etiam hos Spiritu suo illuminet, importuna ipsorum consilia refrænet: cor ipsorum mutet, & largiatur, vt in posterum non quæ carnis sunt, sed quæ ad Dei gloriam & æternam animorum salutem faciunt, quærant. 4. Præuidit etiam futuram tempestatem, eam non præuenit sua omnipotentia, sed se conuertit ad preces pro suis, & precatur, ne intempestuoso mari pereant, neve ipsorum fides, quæ tempestate illa probanda erat, deficiat. Sic videmus Christo materiam precandi non defuisse. Sicut nec hodie ipsi deest, dum sedens ad dextram patris interpellat pro nobis. Rom. 8. v. 34. nostrumque aduocatum agit, 1. Ioann. 2. v. 1. Interim hoc Christi exemplo etiam nos permoueamur, vt oculos in mundo circumferentes, ex iis angustiis, quas vndequaque nos circumuallare videmus, ansam capiamus & materiam desumamus piis precibus cum Deo colloquendi.

Solent quoque aliqui ex hoc miraculo ἀλληγορεῖν. Ne quid ergo iis, qui Allegoriis delectantur, desit, paucis quædam attingamus. Verbi ministri, quæ plebem pabulo Euangelici sermonis pascere debent, quantumuis sint multa lectione & meditatione ex sacris instructi: agnoscant tamen, quam exilis ipsis sit commeatus, & quod eum ipsum, quem habent, quantus quantus est, soli Christo debeant. Illum ergo huic humiliter offerant, vt ipsius benedictione & fractione multiplicatus populo proponatur, nō quasi suus, sed tanquam Domini cibus. Quinque ergo panes, sint quinque libri Moysis, cum scriptis Prophetarum, qui omnia sua ex Moyse desumpserunt, & ad eundem reduxerunt. Duo pisces, sint piscatorum scripta, Euangelium & Epistolæ. Hæc scripta omnia Christum referunt, de Christo testantur, Ioann. 5. ver. 39. qui est panis vitæ. Hic panis frangitur & distribuitur, quando scripturæ exponuntur, & per doctrinam, exhortationem, consolationem & elenchum ad vsum accommodantur. Hæc vero non peraguntur sine precibus & gratiarum actione, quia sine Spiritus sancti operatione nostro studio & labore nihil proficitur, 1. Corinth. 3. vers. 7. Illi etiam, qui hoc cœlesti pane cibari volunt, sublatis in cœlum animis Christum vera fide suscipiant. Hic enim de susceptis

animas saturas, hoc est, de salute sua certas reddit, & facit, vt post Christum nihil amplius esuriant neque sitiant. Hoc est Euangelicum conuiuium, quo semper alij post alios saturantur, & tamen saturatis omnibus panes non deficiunt. Christus enim nunquam deficit, sed vnus idemque est heri, hodie & in secula, Hebr. 13. versicul. 8. & sufficit omnibus saluandis. Fragmenta autem sunt colligenda & asseruanda, id est, mysteria, quæ vulgus non intelligit, nec assequitur, à doctoribus sunt colligenda, & fidis hominibus idoneisque discipulis tradenda. Vel, curandum est piis Christi seruis, vt fragmenta doctrinæ etiam pro posteris asseruentur, ne hi nostra negligentia Christi cognitione aliquando destituantur. Et huc pertinet cura scholarum, sunt enim artes & disciplinæ quasi cophini seu corbes, in quibus panis vitæ cómodius portari, & ornatius hominibus proponi potest. Harum cura magistratibus & iis, qui in eminentia positi sunt, propterea sit commendatior, quia alioquin ipsi sunt tãquam fœnum, & omnis ipsorum gloria, tanquam flos agri, Esa. 40. versic. 6. fœnum exsiccatur & flos decidit, hoc est, ipsi cum magnificentia sua intereunt. Fama autem, quam in libris, ob conseruata literarum studia, consequuntur, & præmium, quod ob Christum fide susceptum reportant, manet in æternum. Hæc de miraculo quinque panum dixisse sufficiat.

CAPVT LXXVII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS historiam quomodo Christus super mare ambularit, Petrum ad se vocarit, & in terram Genezareth cum Apostolis appulerit, Matth. 14. versic. 3. Marc. 6. vers. 47. Ioann. 6. versic. 16.

RATIO ORDINIS.

De ordine, quæ scil. historia proxime post miraculum quinque panum subiicienda sit, nulla est controuersia. Euangelistæ enim consentiunt, & *vespere* eiusdem diei, atque nocte insequenti hanc historiam accidisse, vnanimiter testantur. Vt autem antea aliquoties obseruauimus, considerationem ordinis historiarum ostendere, quomodo Christus quãdo vt præclaram aliquam concionem habuit, vel singulare miraculum edidit, mox ipse variis modis monstrarit, tum verum eius intellectum, tum salutarem vsum: Ita idem hoc loco facit. Cum enim homines ex miraculo quinque panum agnoscerent quidem, ipsum esse Messiam, sed ex peruersa persuasione, quam de externo ipsius regno ex falsa Pharisæorum doctrina conceperant, ipsum rapere & regem facere vellent: mox compellit discipulos, vt traiiciant in vlteriorem ripam, & ipse dimissa turba secedit, si ne tanta multitudo quinque millium, in loco deserto tale quid tentaret, aduersarij vel saltem specie aliqua, seditionis maculam ministerio ipsius aspergere possent. Et turbis quidem altero die in vrbe Capernaum insigni concione præbet veram explicationem illius miraculi. Cum Apostolis vero, qui videbantur sibi rectius intelligere hoc miraculum mox ipsa nocte, post aliquot horas, immissa terribili tempestate, instituit examen, experimentum sumptum, an verum vsum miraculi non tantum intelligant, sed etiam in seriis fidei exercitiis teneant, & in rebus aduersis præstare queant. Vt scilicet in quibuscunque aduersitatibus & difficultatibus omnem fiduciam in ipso solo collocatam habeant, nihil addubitantes, si ipsius nomen inuocarint, quod salui sint futuri. Sed Marcus tristem naturæ deprauationem, quæ in Apostolis etiam renatis hæserit, quæque adhuc hodie impediat, quo minus recte percipiatur & vsurpetur doctrina cœlestis, etiam quando clarissime proponitur, describit hac sententia: *Non intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.* Quomodo vero filius Dei hanc cordis nostri cæcitatem seriis exercitiis fidei in aduersitatibus corrigat, illud hæc historia docet. Et inprimis in Petro monstrat causam, quare in aduersitatibus sæpe mergamur: quia nimirum fides nostra nimis est languida. In qua tamen languida fide magis nos apprehendimur à Christo, quam quod nos ipsum apprehendamus. Monent ergo circumstantiæ huius & sequentis, Christum duplici vti methodo, quando nobis vsum suæ doctrinæ vult tradere. Vna est διδακτικὴ seu θεωρητικὴ, qua vsurus est in sequenti concione. Altera est πρακτικὴ, quam in hac historia & periculosa nauigatione erga Apostolos adhibet.

De loco, à quo & in quem Apostoli transfretarint, difficultas aliqua exoritur, siquidem Euangelistæ inter se discrepare videntur. Mattheus enim dicit, ipsos venisse *in terram Genesar.* Marcus refert, Christum iussisse *vt præcederent se trans fretum in Bethsaidam*, sed tempestate iactos appulisse *in terram Genezareth.* Ioannes dicit, ipsos venisse *in Capernaum.* Lucas verò facit maximam difficultatem, quia testatur, miraculum quinq; panum factum esse *in solitudine Bethsaidæ.* Quod desertum Caluinus, & qui ipsum sequuntur, ponunt in eodem littore maris, occidentali nimirum, cum ipsa vrbe Bethsaida. Et statuũt, ab Euangelistis dici, Christum *trans mare* Apostolos ire iussisse, nõ quod reuera in aduersam ripã nauigandum ipsis fuerit, sed quod sinus quidã maris fuerit, quẽ dũ pernauigarent, trans mare ire dicti fuerint. Christũ enim fugientẽ insidias Herodis longius in Galilæam descendisse per sinus, in quos mare illud prouectum erat. Et sane tabulæ chorographicæ ostendunt, in eodem littore, quod Galilæam alluit, sitas fuisse tres hasce vrbes, Capernaũ in superiore parte, vbi Iordanis influit in mare, Tiberiadem in inferiore, vbi idẽ ferè rursus effluit, & Bethsaida quasi in medio inter vtramque. *Sed eędẽ nullos eiusmodi sinus tradunt.* Adhæc textus aperte *huic sententiæ refragatur.* Ioannes enim dicit v. 1. *Christum abiisse* πέραν τῆς θαλάσσης, trans mare. Mare nominat, non sinus maris. Testatur item v. 19. Apostolos quasi stadia viginti quinque, aut triginta in mare prouectos, quæ dimidia latitudo fuit totius stagni, non autem alicuius sinus. Sic etiam Mattheus 14. 22. & Marcus 6. 45. testantur, Christum Apostolos compulisse in nauigium, vt irẽt *εἰς τὸ πέραν*, quod nunquam ab Euãgelistis vsurpatur, nisi quãdo lacus totus fuit transmittendus. Turba denique Ioan. 6. v. 22. & 25. altero die miratur, quomodo Iesus Capernaum venisset, cum vna saltem nauicula fuerit in illo loco, in quo miraculum quinque panum editum fuit. Qua admiratione minime opus fuisset, si in vno eodemque littore ista omnia facta fuissent, cum facile sit pedestri itinere per ambages *sinus* circuire, & in eundem locum peruenire. Dubium ergo nullum est, sicut etiam sæpius annotauimus, miraculum illud factum fuisse in Peræa, in ditione Philippi Regis, quo Christus securitatis ergo ad tempus concessit. Et ibi fuere solitudines, dum in citeriore parte omnia essent cultissima. Desertum autem Bethsaidæ etiam dici potest, sicut Act. 8. 26. Gaza deserta, quia olim habitata fuerit à viris, qui iurisdictioni ciuitatis Bethsaidæ erant subiecti, Postea autem, cum Bethsaida venisset in potestatem Philippi, ab illis incolis deserta fuit. *Ex hoc loco* iussit Christus Marc. *6*. v. 45. Apostolos pręire in Bethsaidã. Sed tẽpestate iactati, venerunt in terram Genesar, Matt. 14. v. 34. vel quod idem est, vt ca. 36. huius Harmoniæ demonstratum est, in terram Genezareth. Mar. *6*. v. 53. Quia vero Christus hic nõ substitit, sed recta Capernaum versus perrexit, ideo Iohannes mox à principio historiæ indicaturus, non quorsum iter suum instituissent, sed quo delati fuissent, eos trans mare in Capernaum venisse testatur. Atque sic conciliantur Euangelistæ.

Breuiter nauigant Apostoli per mare: Christus autem ambulat super mare, idem facit Petrus ad Domini iussionem, & veniunt in terram Genezareth.

MATTH. 14.

23. Ὀψίας δὲ γενομένης, μόνος ἦν ἐκεῖ.

24. Τὸ δὲ πλοῖον ἤδη μέσον τῆς θαλάσσης ἦν, βασανιζόμενον ὑπὸ τῶν κυμάτων. ἦν γὰρ ἐναντίος ὁ ἄνεμος.

23. *Cum autem aduenisset vespera, solus erat illic.*

24. *Nauis vero iam in medio maris erat, & affligebatur ab vndis, nam ventus erat aduersus.*

25. Τετάρτῃ

25. Τετάρτῃ δὲ φυλακῇ τῆς νυκτὸς ἀπῆλθε πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης.

25. Quarta autem noctis vigilia abiit ad illos Iesus, ambulans super mare.

26. Καὶ ἰδόντες αὐτὸν οἱ μαθηταὶ ἐπὶ τὴν θάλασσαν περιπατοῦντα, ἐταράχθησαν λέγοντες, ὅτι φάντασμά ἐστι, καὶ ἀπὸ τοῦ φόβου ἔκραξαν.

26. Et vbi vidissent eum discipuli super mare ambulantem, turbati sunt dicentes: spectrum est: ac præ metu exclamarunt.

27. Εὐθέως δὲ ἐλάλησεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, λέγων, θαρσεῖτε, ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε.

27. Sed statim loquutus est illis Iesus dicens: Bono animo estote, ego sum, ne terreamini.

28. Ἀποκριθεὶς δὲ αὐτῷ ὁ Πέτρος, εἶπε, κύριε, εἰ σὺ εἶ, κέλευσόν με πρός σε ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ὕδατα.

28. Respondens autem illi Petrus, dixit, Domine, si tu es, iubeto me ad te venire super aquas.

29. Ὁ δὲ εἶπεν, ἐλθέ. καὶ καταβὰς ἀπὸ τοῦ πλοίου ὁ Πέτρος, περιεπάτησεν ἐπὶ τὰ ὕδατα, ἐλθεῖν πρὸς τὸν Ἰησοῦν.

29. At ille dixit: Veni. Et cum descendisset naui Petrus, ambulabat super aquas, vt iret ad Iesum.

30. Βλέπων δὲ τὸν ἄνεμον ἰσχυρὸν, ἐφοβήθη, καὶ ἀρξάμενος καταποντίζεσθαι, ἔκραξε λέγων, κύριε σῶσόν με.

30. Cæterum cum videret ventum validum, territus est. Et cum cœpisset demergi, clamauit dicens, Domine, serua me.

31. Εὐθέως δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἐπελάβετο αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτῷ, ὀλιγόπιστε, εἰς τί ἐδίστασας;

31. Continuo autem Iesus extensa manu apprehendit eum, & dixit illi: exigua fiducia prædite, cur hæsitabas?

32. Καὶ ἐμβάντων αὐτῶν εἰς τὸ πλοῖον ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος.

32. Et cum essent ingressi nauim, conquieuit ventus.

33. Οἱ δὲ ἐν τῷ πλοίῳ ἐλθόντες, προσεκύνησαν αὐτῷ, λέγοντες, ἀληθῶς θεοῦ υἱὸς εἶ.

33. Porro qui erant in naui, accesserunt, & adorauerunt eum dicentes: Vere Dei filius es.

34. Καὶ διαπεράσαντες ἦλθον εἰς τὴν γῆν Γεννησαρέτ.

34. Et cum traiecissent, venerunt in Genesareth.

35. Καὶ ἐπιγνόντες αὐτὸν οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου ἐκείνου, ἀπέστειλαν εἰς ὅλην τὴν περίχωρον ἐκείνην, καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας.

35. Et cum agnouissent illum viri loci illius, emiserunt nuntios, in totam vndique finitimam regionem illam, & obtulerunt illi omnes male habentes.

36. Καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα μόνον ἅψωνται τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, καὶ ὅσοι ἥψαντο, διεσώθησαν.

36. Et obsecrabant eum, vt tantum tangerent fimbriam vestimenti ipsius: & quotquot tetigissent, salui facti sunt.

MARC. 6.

47. Καὶ ὀψίας γενομένης ἦν τὸ πλοῖον ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης, καὶ αὐτὸς μόνος ἐπὶ τῆς γῆς.

47. Et cum vespera aduentasset, erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra.

48. Καὶ εἶδεν αὐτοὺς βασανιζομένους ἐν τῷ ἐλαύνειν. (ἦν γὰρ ὁ ἄνεμος ἐναντίος αὐτοῖς) καὶ περὶ τετάρτην φυλακὴν τῆς νυκτὸς ἔρχεται πρὸς αὐτοὺς περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης, καὶ ἤθελε παρελθεῖν αὐτούς.

48. Viditque eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) ac circa quartam vigiliam noctis venit ad eos super mare, volebatque præterire eos.

49. Οἱ δὲ ἰδόντες αὐτὸν περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης, ἔδοξαν φάντασμα εἶναι, καὶ ἀνέκραξαν.

49. At illi vt viderunt eum ambulantem super mare, putauerunt spectrum esse, & exclamauerunt.

50. Πάντες γὰρ αὐτὸν εἶδον, καὶ ἐταράχθησαν. Καὶ εὐθέως ἐλάλησε μετ' αὐτῶν, καὶ λέγει αὐτοῖς. θαρσεῖτε, ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε.

50. Omnes enim videbant eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est eis, dixitque eis: Confidite, ego sum, ne terreamini.

51. Καὶ ἀνέβη πρὸς αὐτοὺς εἰς τὸ πλοῖον, καὶ ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος. καὶ λίαν ἐκ περισσοῦ ἐν ἑαυτοῖς ἐξίσταντο καὶ ἐθαύμαζον.

51. Et ascendit ad illos in nauim, & conquieuit ventus, & vehementer supra modum intra sese stupebant & admirabantur.

52. Οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις· ἦν γὰρ αὐτῶν ἡ καρδία πεπωρωμένη.

52. Non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

53. Καὶ διαπεράσαντες, ἦλθον ἐπὶ τὴν γῆν Γεννησαρὲθ, καὶ προσωρμίσθησαν.

53. Et cum traiecissent, venerunt in terram Genesareth, & applicuerunt in portum.

54. Καὶ ἐξελθόντων αὐτῶν ἐκ τοῦ πλοίου εὐθέως ἐπιγνόντες αὐτὸν,

54. Cumque egressi essent de naui, continuo agnouerunt eum:

55. Περιδραμόντες εἰς ὅλην τὴν περίχωρον ἐκείνην, ἤρξαντο ἐπὶ τοῖς κραββάτοις τοὺς κακῶς ἔχοντας περιφέρειν, ὅπου ἤκουον, ὅτι ἐκεῖ ἐστι.

55. Ac percurrentes in totam vndique regionem illam, cœperunt in grabbatis eos, qui male habebant, circumferre, cum audissent eum illic esse.

56. Καὶ ὅπου ἂν εἰσεπορεύετο εἰς κώμας ἢ πόλεις, ἢ ἀγροὺς, ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐτίθουν τοὺς ἀσθενοῦντας, καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα κἂν τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ ἅψωνται. Καὶ ὅσοι ἂν ἥπτοντο αὐτοῦ, ἐσώζοντο.

56. Et quocunque introisset in vicos, aut in ciuitates, aut in villas, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quotquot tangebant eum, salui fiebant.

IOHAN. 6.

16. Ὡς δὲ ὀψία ἐγένετο κατέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπὶ τὴν θάλασσαν.

16. At vbi iam vespera esset, descendunt discipuli eius ad mare.

17. Καὶ ἐμβάντες εἰς τὸ πλοῖον, ἤρχοντο πέραν τῆς θαλάσσης εἰς Καπερναούμ. Καὶ σκοτία ἤδη ἐγεγόνει, καὶ οὐκ ἐληλύθει πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς.

17. Et conscensa naui venerunt traiecto mari ad oppidum Capernaum. Iamque tenebræ erant, nec venerat ad eos Iesus.

18. Ἡ δὲ θάλασσα ἀνέμου μεγάλου πνέοντος διηγείρετο.

18. Mare autem vento magno flante, intumescebat.

19. Ἐληλακότες οὖν ὡς σταδίους εἴκοσι πέντε ἢ τριάκοντα, θεωροῦσι τὸν Ἰησοῦν περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης,

19. Cum remigassent ergo ferme stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambulantem su-

καὶ ἐγγὺς τοῦ πλοίου γινόμενον, καὶ ἐφοβήθησαν.

20. Ὁ δὲ λέγει αὐτοῖς, ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε.

21. Ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον, καὶ εὐθέως τὸ πλοῖον ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς, εἰς ἣν ὑπῆγον.

per mare, & appropinquantem naui, ac timuerunt.

20. *Ille autem dicit eis, ego sum, ne timete.*

21. *Voluerunt ergo recipere eum in nauim, & illico nauis erat in terra, ad quam ibant.*

HARMONIA HVIVS NAVIGATIONIS, ET eorum, quæ simul acciderunt, ex Matth.14. Marc.6. & Iohan.6. cap. in vnum corpus coagmentata.

d Ὡς δὲ ὀψία ἐγένετο, κατέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπὶ τὴν θάλασσαν. Καὶ ἐμβάντες εἰς τὸ πλοῖον, ἤρχοντο πέραν τῆς θαλάσσης εἰς καπερναούμ. Καὶ σκοτία ἤδη ἐγεγόνει, καὶ οὐκ ἐληλύθει πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς. ἥ δὲ θάλασσα ἀνέμου μεγάλου πνέοντος διηγείρετο. e Καὶ ὀψίας γενομένης b ἦν τὸ πλοῖον ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης, καὶ αὐτὸς e μόνος a ἦν ἐκεῖ b ἐπὶ τῆς γῆς. a Τὸ δὲ πλοῖον ἤδη μέσον τῆς θαλάσσης ἦν βασανιζόμενον ὑπὸ τῶν κυμάτων. b Καὶ εἶδεν αὐτοὺς βασανιζομένους ἐν τῷ ἐλαύνειν (e ἦν γὰρ ὁ ἄνεμος ἐναντίος αὐτοῖς. e καὶ περὶ τετάρτην φυλακὴν τῆς νυκτὸς a ἀπῆλθε καὶ b ἔρχεται e πρὸς αὐτοὺς a ὁ Ἰησοῦς, e περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης. d Ἐληλακότες οὖν ὡς σταδίους εἴκοσι πέντε ἢ τριάκοντα, θεωροῦσι τὸν Ἰησοῦν ἐπὶ τῆς θαλάσσης, καὶ ἐγγὺς τοῦ πλοίου γινόμενον, b καὶ ἤθελε παρελθεῖν αὐτούς.

a Οἱ δὲ a μαθηταὶ e ἰδόντες αὐτὸν περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης, b ἔδοξαν φάντασμα εἶναι, d ἐφοβήθησαν, b καὶ ἀνέκραξαν. Πάντες γὰρ αὐτὸν εἶδον, e καὶ ἐταράχθησαν, a λέγοντες, ὅτι φάντασμά ἐστι, καὶ ἀπὸ τοῦ φόβου ἔκραξαν. e Εὐθέως δὲ ἐλάλησε μετ' αὐτῶν a Ἰησοῦς. e Καὶ λέγει αὐτοῖς, θαρσεῖτε, m ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε. a Ἀποκριθεὶς δὲ αὐτῷ ὁ Πέτρος εἶπε, Κύριε, εἰ σὺ εἶ, κέλευσόν με πρὸς σε ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ὕδατα. Ὁ δὲ εἶπεν, ἐλθέ, καὶ καταβὰς ἀπὸ τοῦ πλοίου ὁ Πέτρος, περιεπάτησεν ἐπὶ τὰ ὕδατα, ἐλθεῖν πρὸς τὸν Ἰησοῦν. Βλέπων δὲ τὸν ἄνεμον ἰσχυρὸν, ἐφοβήθη. Καὶ ἀρξάμενος καταποντίζεσθαι, ἔκραξε λέγων, κύριε σῶσόν με. Εὐθέως δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἐπελάβετο αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτῷ, ὀλιγόπιστε, εἰς τί ἐδίστασας. d ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον. b Καὶ ἀνέβη πρὸς αὐτοὺς εἰς τὸ πλοῖον, a καὶ ἐμβάντων αὐτῶν εἰς τὸ πλοῖον e ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος. d Καὶ εὐθέως τὸ πλοῖον ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς, εἰς ἣν ὑπῆγον. a Οἱ δὲ ἐν τῷ πλοίῳ ἐλθόντες προσεκύνησαν αὐτῷ, λέγοντες, ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς εἶ. b Καὶ λίαν ἐκ περισσοῦ ἐν ἑαυτοῖς ἐξίσταντο καὶ ἐθαύμαζον. Οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις, ἦν γὰρ αὐτῶν ἡ καρδία πεπωρωμένη. e Καὶ διαπεράσαντες, ἦλθον εἰς τὴν γῆν γεννησαρέθ. b καὶ προσωρμίσθησαν, καὶ ἐξελθόντων αὐτῶν ἐκ τοῦ πλοίου εὐθέως ἐπιγνόντες αὐτὸν. a Καὶ ἐπιγνόντες αὐτὸν οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου ἐκείνου ἀπέστειλαν περιδραμόντες εἰς ὅλην τὴν περίχωρον ἐκείνην, ἤρξαντο ἐπὶ τοῖς κραββάτοις τοὺς κακῶς ἔχοντας περιφέρειν, ὅπου ἤκουον, ὅτι ἐκεῖ ἐστι. Καὶ ὅπου ἂν εἰσεπορεύετο εἰς κώμας ἢ πόλεις ἢ ἀγροὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐτίθουν τοὺς ἀσθενοῦντας. a Καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα b κἂν a μόνον e ἅψωνται τοῦ ἱματίου αὐτοῦ. Καὶ ὅσοι ἂν e ἥψαντο b αὐτοῦ, e διεσώθησαν.

d *At vbi iam vespera esset, descendunt discipuli eius ad mare, & conscensa naui, venerunt traiecto mari ad oppidum Capernaum. Iamque tenebræ erant, nec venerat ad eos Iesus. Mare autem, vento magno flante, intumescebat.* e *Et cum vespera aduentasset,* b *erat nauis in medio mari,* e *& ipse* e *solus* a *erat illic* b *in terra.* a *Cæterum nauis iam in medio maris erat, & affligebatur ab vndis.* b *Viditque eos laborantes in remigando (* e *erat enim ventus contrarius eis.)* e *Ac circa quartam vigiliam noctis* a *abit [&]* b *venit* e *ad eos* a *Iesus* e *ambulans super mare.* d *Cum remigassent ergo fere stadia viginti quinque aut triginta, viderunt Iesum ambulantem super mare, & appropinquantem naui,* b *& volebat præterire eos.*

e *At illi* a *discipuli* e *vt viderunt eum ambulantem super mare,* b *putabant spectrum esse,* d *ac timuerunt,* b *& exclamauerunt. Omnes enim viderunt eum,* e *& turbati sunt,* a *dicentes: Spectrum est, ac præ metu exclamauerunt.* e *Sed statim locutus est cum illis* a *Iesus,* e *& dixit illis: Bono animo estote.* m *ego sum, ne terreamini.* a *Respondens autem illis Petrus, dixit, Domine, si tu es, iubeto me ad te venire super aquas. At ille dixit: Veni. Et cum descendisset è naui Petrus, ambulabat super aquas vt iret ad Iesum. Cæterum cum videret ventum validum, territus est. Et cum cœpisset demergi, clamauit dicens, Domine, serua me. Continuo autem Iesus extensa manu apprehendit eum, & dixit illi: exigua fiducia prædite, cur hæsitabas?* d *Voluerunt ergo recipere eum in nauim.* b *Et ascendit ad illos in nauim.* a *Et cum essent ingressi nauim,* e *conquieuit ventus,* d *& illico nauis erat in terra ad quam ibant.* a *Porro qui erant in naui, accesserunt, & adorauerunt eum dicentes: Vere Dei filius es.* b *Et vehementer supra modum intra sese stupebant & admirabantur. Non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.* e *Et cum traiecissent, venerunt in terram Genesareth,* b *& applicuerunt in portum. Cumque egressi essent de naui, continuo agnouerunt eum.* a *Et cum agnouissent illum viri loci illius, emiserunt nuntios* b *percurrentes* e *in totam vndique finitimam regionem illam, & cœperunt in grabbatis eos, qui male habebant, circumferre, cum audissent eum illic esse. Et quocunque introisset, in vicos, aut in ciuitates, aut in villas in plateis ponebant infirmos. Et obtulerunt illi omnes male habentes,* e *& obsecrabant eum, vt* b *vel* a *tantum* e *tangerent fimbriam vestimenti ipsius: & quotquot* b *tetigerunt ipsum,* e *sani facti sunt.*

Periocha huius historiæ.

NEminem offendat, quod Iohannes dicit, *cum vespera esset*, discipulos ad mare descendisse, Marcus autem testatur, *cum vespera aduentasset*, nauim in medio maris fuisse, vt putet, Euangelistas inter se discrepare, aut sibi inuicem contradicere. Notum enim est ex loco Exod.12. versi.6. Hebræos duas vesperas numerare: vnam quando sol iam occidit, & absorbetur

orberet sub terram. Quodcunque ergo est intra istud tempus, illud ab ipsis vespera dicitur. Quapropter sic sentientium, Discipulos inclinante sole, circa horam tertiam nostri horologij, Christo impellente, descendisse ad mare, postea vero post occasum solis, dum adhuc aliqua eius irradiatio erat in nubibus, quod durat ad integram horam & tertiam partem horæ, atque sic intra quatuor horarum spatium, dum adhuc duraret vespera, peruenisse in medium maris.

I. In hac vero historia primo & ante omnia considerandi sunt Apostoli, qui in grauissimum periculum mortis incidebant. Matth. 8. vers. 24. quoque vsi sunt aduersa & periculosa nauigatione: sed tum præsens erat Christus, hic vero absens: illic quoq; erat dies, hic vero noctis tenebræ periculum adaugebant. Descendunt ergo Apostoli soli ad mare, Christo interim in montem se recipiente, orandi caussa. Descendunt autem non ex curiositate aliqua, aut recitationis ergo: sed iussi à Christo Domino, sicq; expressum habent verbum vocationis. Et initio quidem sic satis feliciter procedit nauigatio, ita vt trium vel quatuor horarum spatio medium maris attigerint. Cum autem *in medio maris* nauigaret, ibi tum incipit illud intumescere, ob *ventum ipsis contrarium*. Si maturius ventus contrarius exortus fuisset, mox se ad portum recipere potuissent. Nunc vndequaq; mari ita sunt circumsepti, vt nihil quā pontus & æter spectanda supersint. Et ventus ille contrarius ideo fuit vehemens, vt *nauis à fluctibus affligeretur*, & iactaretur. Qualis autem sit istiusmodi iactatio & fluctatio, describit Psalm. 107. v. 26. Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescit. Turbantur & mouentur tanquam ebrij: & omnis sapientia eorum deuorata est. Vtuntur autem Euangelistæ, Matthæus & Marcus, vehementi vocabulo βασανίζεσθαι, quod est, cruciari & torqueri, & respondet id, 1. Sam. 5. v. 6. Hebræo שמם, quod significat, propter reatum aut pœnam aliquem ad subitam desolationem & extremam deuastationem torquere, ita vt obnoxius sit afflatui vel desperationi. Matt. 4. v. 24. vsurpatur de vehementioribus morbis. Matth. c. 18. v. 35. βασανισταὶ dicuntur terrores, quibus traditur seruus nequam. Luc. 16. v. 23. diues in flamma dicitur ὑπάρχων ἐν βασάνοις. Apoc. 12. v. 2. Ecclesia parturiens dicitur βασανιζομένη τεκεῖν, cruciari vt pareret, & Apoc. 14. vers. 10. item 20. v. 10. accipitur de pœnis inferorū. Ex vnico itaq; hoc verbo colligere licet, cum quantis difficultatibus Apostoli tū conflictati fuerint & in quantis periculis hæserint. Quibus etiam accessit duratio tempestatis, & diuturnitas fluctuationis. Iam *cum vespera aduenisset*, fuit nauis in medio maris, & ibi cœpit ipsis ventus esse contrarius, *circa quartam* autem demum *vigiliam noctis* aduenit Christus assertor & Seruator: ita vt ad octo, plus minusve, horas in ista colluctatione laborarint. Soliti enim sunt veteres noctem in quatuor vigilias partiri, & singulis tres horas (maxime tempore verno seu æquinoctij) attribuere, vt ibi quartam vigiliam paucis horis, antequam aurora illucesceret, exorsi fuerint. Vnde patet, discipulos fere integram noctem inter ventorum & fluctuum procellas de vita periclitatos fuisse. Et in hac fluctuatione *fere stadia viginti quinque vel triginta remigasse* Iohannes testatur. Maximum vero omnium ad augendum periculum fecit, quod videntes Iesum ambulantem super mare, *putant esse spectrum*, sicq; iam sibi non tam vento & fluctibus tantum, sed etiam cum malo dæmone rem fore arbitrati sunt. Quo ipsi adeo terrentur, vt præ metu exclamarint.

Exhibent hæc omnia nobis typum, tum totius Ecclesiæ, tum vitæ singulorum fidelium. Tota Ecclesia est instar nauiculæ, quæ in medio maris ventorum turbinibus & fluctuum procellis iactatur. Vt enim mare nunquam quiescit, ita mundus, qui maxima ex parte ex impiis constat, semper feruet, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Esa. 57. v. Hinc fit, vt Ecclesia quotidie nouis motibus oppugnetur. Eadem etiam est singulorum piorū sors in hoc mundo. Vnde piorum vita in Psalm. 55. v. 23. admodum apposite מוט σάλος, fluctuatio vel iactatio nuncupatur. Neq; huic iactationi tantum subiecti sunt, quando exorbitant: sicuti Dauid adulterio & homicidio magnā tempestatem ipse sibi accersiuit, sed etiā tum quando ambulant in viis suæ vocationis: Interdū quidem breues induciæ piis conceduntur, sicut Apostoli hic ad paucas horas tuto in mari nauigant: sed breuis temporis securitatem mox ingentes & tristes aduersitates excipiunt. Neque enim leuia sunt, quę piis accidūt, sed talia aduersa, qua *βασάνοις* acutissimis doloribus conferri possunt. Sensit hoc Iacobus Patriarcha, non tantum cum Rachaelem cōiugem carissimā in partu amitteret, Gen. 35. v. 18. sed etiam cum filio dilectissimo Iosepho spoliaretur, Gen. 37. v. 35. Vnde ipse dies peregrinationis suæ paucos & malos fuisse fatetur, Gen. 47. v. 9. Hac de causa etiam Iobus vitā hominis pij confert militiæ, & dies eius diebus mercenarij. Iob. 7. v. 1. Semper enim foris sunt pugnæ, intus terrores. 2. Cor. 7. v. 5. Et Moyses testatur, optimum in vita nostra esse κόπον καὶ πόνον, laborem & dolorem, Psal. 90. v. 10. Has vero molestias maxime auget, quod Christum fere nō tantùm ab Ecclesia sua procul abesse, sed etiam nostri curam omnem deposuisse iudicamus. Vnde laboramus, gementes, & animas nostras sæpe vitæ suæ tædet. Imò sæpenumero nobis Christus in spectrum commutatur, aut, vt Iob dicit c. 30. v. 21. mutatur nobis in crudelem, & in duritia manus suæ aduersatur nobis. Sed patientes simus, & anima nostra sustineat se in verbo Dei: & si maxime duret à custodia matutina vsq; ad noctem, tamen anima nostra speret in Domino. Quare præparemus nos ad pericula & labores, & in iis imitemur Apostolos, quos nec aduersus Deum murmurasse, nec Christum, qui ipsos à se dimiserit, accusasse: nec opprobriis vel conuitiis inter se certasse: sed in remigando strenuos & diligentes fuisse audimus.

II. Quid vero Christus in hac discipulorum suorum necessitate? Proponit hoc membrum nobis, quid de Christo Seruatore nostro in extremis aduersitatibus sperare debeamus. Is, vt diximus, præuidens hanc tempestatem, eam non auertit, sed primum ad precationē conuersus, pro discipulis, vt in hac fidei probatione perdurarent, apud Patrem intercessit. Sic nō semper impedit aduersa, de quibus nouit futurum, vt ingruāt & nos premant: sed permittit illa, tanquam exercitia fidei & pietatis. Interim tamē pro nobis orat, ne deficiat fides nostra, Luc. 22. v. 32. Siquidem ipse ad dextram Patris semper interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34. Secundo in littore consistens, per medias tenebras *ipsos videt* in medio maris *laborantes in remigando*. Sic nequaquam dubitemus, ipsius oculos super nos intentos esse, si iusti simus, Psalm. 34. v. 16. Etenim oculi ipsius aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, vt reddat vnicuique secundum vias suas, Ier. 32. v. 19. Vidit is afflictiones Israelitarum in Ægypto, & misit liberatorem, Exod. 3. v. 7. Numerauit fugas Dauidis, & omnes eius lacrymas in conspectu suo posuit, Ps. 56. versic. 9. Eum ergo prouidentiæ suæ oculo omnia, quæcunq; nobis accidūt, videre minime dubitemus. Qui enim oculum finxit, quomodo non consideret? Psalm. 94. v. 9. Tertio, non autem tantum videt miserias suorum Christus, sicuti laborantes in palæstra omnes, qui in theatro assident, conspicantur: sed etiam ad liberandum suos se accingit. Ideo hic additur: *abit & venit ad eos*. Minus enim quam mater filij veteri sui obliuiscitur, hic Dominus nostri obliuisci potest, Esa. 49. vers. 15. Et licet moram faciat, ad *quartam* vsque *vigiliam*: tamen veniens venit, & non tardat, Habac. 2. v. 3. Habet enim certum saluandi tempus. Horam autem & momenta ipsius relinquamus potestati, Act. 1. versic. 7. Est enim adiutor in opportunitatibus in tribulatione, Psalm. 9. v. 10. Interim humilis & obediens diuini auxilij exspectatio necessaria est. Qua qui destituuntur, fere reluctando nil efficiunt, quam quod cruciatus sibi ipsis adaugent, & tandem impatientia superati ad illicita media confugiunt, quibus iram Dei magis incendunt.

III. Modus etiam, quo Christus suos ex angustiis & tribulationibus eripere possit & soleat, est considerandus. Primum, *ambulat super mare*, atque sic demonstrat, diuina & omnipotenti virtute se suos seruare posse. Est enim ipse is Dominus, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. 28. vers. 18. Ac proinde omnia, quæ vult, facit. Psalm. 115. v. 3. Ipse Israelitis per mare rubrum, Exod. 14. v. 22. & per Iordanem, Ios. 3. vers. 15. sicut & Eliæ & Elisæo per eundem, 4. Reg. 2. 8. aquas diuidens, tutum transitum præbuit. Hic vero aquas diuidere noluit, sed corpore suo eas tanquam pauimentum firmū calcauit, vt sic ostenderet, conditiones corporis sui cum æterno Dei filio τῷ λόγῳ personaliter vniti, longe esse alias, quam nostrorum corporum, quæ hanc virtutem super aquas ambulandi nequaquam habent. Est sanè Christi corpus, si essentiam spectes, nostris corporibus conforme. Siquidem per omnia nobis similis factus est, sed absque peccato, Hebr. 2. v. 17. Sed si conditiones ipsius gloriosas & maiestatis plenas consideremus, nostrorum corporum sortem innumeris parasangis supergreditur. Siquidem est corpus filij Dei proprium, quod cum æterno illo λόγῳ & altissimo Dei filio in vnum ὑφιστάμενον coiit, & in vnam personam coaluit. Quemadmodum ergo corpus, quod animæ rationali vnitum est, ex vnione illa longe alias operationes acquirit, quam habeat corpus brutum vel inanimatum: sic etiam corpus filio Dei personaliter vnitum, ex transcœlesti illa vnione, longe alia attributa consequitur, quum alia corpora solummodo animata habeant. Hinc corpus hoc non tantum præter rerum & naturæ seriem è Spiritu Sancto conceptum, & per intemeratam virginem, illæsis claustris virginitatis, in hunc mundum natum est: verum etiam ex sepulcro, nondum remoto lapide, resurgens exiit, & clausis ianuis ad discipulos ingressum est, Ioan. 20. versic. 19. Sacramentarij malunt miraculum transferre in mare, quam corpori Christi honorem illum tribuere, quę

ex vnione personali supernaturalibus conditionibus sit ornatum. Et adducunt ad sententiæ suæ confirmationem exemplum Petri, de quo mox audiemus, quod & ipse super aquas maris ambularit, qui tamen filio Dei nequaquam sit vnitus. Sed diuersitas inter Christum & Petrum est manifestissima. Christus propria virtute super aquas ambulauit: quia Corpus filij Dei legibus naturæ non est subiectum, nisi ex dispensatione. Et quid mirum, dicit Augustinus, si conditori suo creatura famulatur? Petrus autem super aquas ambulauit virtute aliena, nimirum virtute verborum Christi. Et miraculum editum est in Petro, non in aquis maris. Adeo diuus Augustinus introducit Petrum sic loquentem: Scio Domine, quod corpus humanum lege naturæ non finitur in fluctibus liquidis habere sua vestigia: sed accedat donum gratiæ, & paululum cesset ista lex naturæ: Tu Deus es: Ego homo sum: Tu voluisti de meo habere infirmitatem in carne, quam portas: habeam & ego de tuo potestatem, vt vnda me portet. Sermone decimoquarto, de verb. Dom. Quamdiu ergo Petrus firma fide innixus fuit verbis omnipotentis Christi vocantis, tamdiu & ipse aquas calcauit. Quamprimum autem fide vacillauit, mox mergi cœpit: sicque reipsa ostendit, aquas naturam suam non immutasse, sed molles & fluidas per se mansisse, iter autem tutum præbuisse, non tantum illi corpori, in quo habitat tota plenitudo Deitatis σωματικῶς, Coloss. cap. 2. vers. 9. sed etiam corpori Petri, ob iussionem illius, qui quæ dicit etiam facit, Psalm. 148. vers. 5. Nusquam igitur magnitudine periculorum territi de huius auxilio desperemus. Siquidem nihil ipsi est impossibile. Is vt olim ignis vim cohibuit, ne Danielis socios læderet, Daniel. cap. 3. vers. 94. & leonum fauces constrinxit, ne Danieli nocerent: Daniel. 6. vers. 23. sic adhuc hodie suos eripere potest ex omnibus malis, quantacunque illa sint.

Secundò ad modum liberationis etiam hoc pertinet, quod *præterire voluit*, sicut Marcus annotauit. Non enim semper diuinam suam maiestatem & potentiam exerit, sed interdum, vt tanto plus fidem nostram exerceat, se peregrinum erga nos simulat. Fit hoc, quando alios quidem iuuat, ex periculis liberat, ad dignitates euehit, nos vero interim penitus negligere & præterire videtur. Aut etiam quando appropinquante liberatione pericula augentur. Sicuti hic accidit Apostolis, qui Christum pro spectro habent, & iam non modo cum vento & fluctibus maris, sed etiam cum malo dæmone sibi rem fore arbitrantur. Vehementer igitur metuebant, & omnes exclamabant, dicentes, *φάντασμά ἐστι spectrum est*. Iob. capite vigesimo, versic. 8. vocatur φάσμα νυκτερινὸν visio vel res aliqua perambulans in tenebris, quæ terret homines. Vnde verò hic terror & metus in cordibus Apostolorum exortus sit, Marcus annotauit: *non intellexerunt de panibus: Erat enim cor eorum obcæcatum*. Πώρωσιν vertunt excæcationem. Sicut etiam Iob. capite 17. versic. 7 de suffusione oculorum, siue de oculis caligantibus accipitur. Iohan. cap. 12. versiculo 40. coniunguntur ex Esa. cap. 6. vers. 6. duo hæc verba: τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμούς, καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν, excæcauit oculos, & obdurauit corda, vers. 10. additur ἐπαχύνθη ἡ καρδία, impinguatum & incrassatum est cor. Sicuti pars corporis, quæ callum obduxit, licet tangatur aut feriatur, nihil tamen sentit, nec quicquam percipit: talis naturalis ἀναισθησία est cordis humani, nisi auferatur cor lapideum, & detur cor molle. Consentit significatio vocabuli in communi lingua: *Ihr hertz war verstarret oder verstockt*. Πῶρος enim seu lapidosa durities articulorum, quæ callus dicitur, Aristotele libro 3. de histor. animal. cap. 19. teste, tum fit, quando sanguis vertitur in pus, postea pure concallescente constituit πῶρον, callum vel tophum, & reddit talem duritiem, vt homo nihil in illa parte corporis sentire queat. Hæc ἀναισθησία per Metaphoram transfertur ad cor & animum, quando Deus variis signis, operibus & beneficiis demonstrat, se in omnibus aduersitatibus non tantum nobis præsto esse, sed etiam nos iuuare posse & velle: nos verò obiecto qualicunque phantasmate vel terriculamento nouo, protinus omnem fidem abiicimus, nullum amplius beneficium liberationis expectamus, sed de nobis penitus actum arbitramur. Talis fuit hæc πώρωσις & cordis excæcatio in Apostolis: qui ex miraculo quinque panum conijcere potuerant, Iesum non esse purum hominem, sed omnipotentem Dominum, qui in quibusuis necessitatibus suis succurrere queat. Sed periculi magnitudo omnes hasce cogitationes, & omnem hanc fiduciam ex animo ipsorum excussit: ita vt nihil præter interitum cogitare possent. Contra hanc innatam cordis cæcitatem, discamus Dei morem & modum liberationis: quod tum demum ipsius auxilium incipiat, quando omne humanum defecit: & quod quo propior est salus, eo magis pericula crescere finat. Sic olim Israelitas tum demum ex Pharaonis tyrannide plene liberauit, dum intra angustias maris rubri, montium & exercitus Regij circumquaque inclusi erant. Sic Moyses prius in exilium eiici debuit, quam liberator Israelitis daretur. Ezechiæ quoque tum demum affuit angelus Saluator, cum artissima obsidione presso, nulla in humanis salutis spes reliqua erat. In vere Christianis ergo crescat amor fidei, quantum ipsa pericula crescunt. Quia quando ad ἀκμὴν peruentum, tum Christus Seruator adest: & quando aduersitas summa fuerit, tum sciamus salutem adesse proximam.

Tertio, ad modum liberationis etiam hoc pertinet, quod Christus terrore correptos & metu pene exanimatos blande compellat, & verbis humanissime consolatur, *Confidite, inquit, Ego sum, nolite timere. θαρσεῖτε, confidite*. Ante omnia fidem requirit. Hac enim opus est iis, qui Dei opem & auxilium exspectant. Credere oportet ad Deum accedentem, Heb. 11. v. 6. Exigit autem hæc fides, non tantum notitiam & agnitionem Christi talem, qualem Scripturæ ipsum proponunt, verum etiam firmam animi fiduciam, qua statuamus Deum in quouis periculo nos iuuare posse & velle. Hæc enim est emphasis verbi θαρσεῖτε iuxta vulgarem versic. θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον. Fidendum est, fiducia habenda est. Vt autem sciamus, cui fidendum sit, addit: *Ego sum*. Huius particulæ vis atque δεινότης diligenter est expendenda. Et Christus eam ipsam sæpiuscule vsurpat, maxime in grauissima illa disputatione cum Iudæis, Ioannis 8. ver. 12. *Ego sum* lux mundi, ver. 18. *Ego sum* qui testimonium perhibeo de me ipso, vers. 23. *Ego sum* de supernis. Et: *Ego* non *sum* de hoc mundo, versic. 58. Antequam Abraham fieret, *Ego sum*, Iohannis 14. vers. 6. *Ego sum* via, veritas & vita. Respicit autem hæc formula loquendi in vetus Testamentum, Exod. 3. vers. 14. vbi Moyses detrectat legationem in Ægyptum, & mallet ipsum Messiam mitti, qui populum Dei ex Ægyptia pariter & spirituali seruitute liberaret. Ibi filius Dei Moysen solatur & aliquoties dicit אהיה אשר אהיה *Ego ero* tecum. Et אהיה *Ero* misit me. Testantur autem Hebræi, אהיה tale esse verbum, quod trium temporum differentias in se contineat, præteriti, præsentis & futuri, fui, sum & ero: asseruatque eo innui summam, omnimodam & sempiternam Dei stabilitatem, qui semper fuit, est, & erit. Est Deus semper, qui nunquam cœpit, nec vnquam desinit, sed transcendit omnem temporis rationem: qui est omnis essentiæ fons ac plenitudo: à quo omnia, quæ sunt, habent suum esse, quod sunt. Et quia filius Dei inde ab initio semper affuit suæ Ecclesiæ: Ipse enim est heri, hodie, & in secula, Hebræor. 13. versic. 8. Ipse est agnus, qui occisus est ab origine mundi, Apocal. 13. vers. 8. Ideo solus vere se nominare potest אהיה *Ego fui, sum & ero*. Hoc nomen Christi Iohannes Græce expressit, Apoc. 1. vers. 4. dicens: ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, id est, ab eo qui est, qui erat, & qui erit. Et ipse Christus mox de seipso idem ibi explicat, dum vers. 8. addit: *Ego sum* α & ω principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens. Habet autem hæc ipsa formula loquendi à Christo, *Ego sum*, duplicem effectum. Vnum plenum consolationis apud credentes: alterum plenum terroris apud incredulos. Priorem videmus in hac historia. Quamprimum enim Christus dicit: *Ego sum*, è vestigio non tantum Apostoli omnem conceptum metum deponunt: sed etiam Petrus tam firmum animum concipit, vt nauim relinquens, super aquas Christo obuiam progrediatur. Hoc enim vnicum fundamentum est omnis consolationis in periculis & angustiis, tam publicis quàm priuatis, statuere Christum sibi adesse. Hanc consolationem dedit populo suo per Esaiam, cap. 43. vers. 1. cum inquit: Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu: Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te: Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel saluator tuus. Et in eodem capite ter, vtpote versic. 11. 15. & 25. repetit hanc formulam loquendi: *Ego sum Ego sum* ipse Dominus Saluator. Si quis exempla desideret, quomodo hic Seruator, *Ego sum*, suos per aquas & ignem traduxerit & seruarit, is intueatur Israelitas, Exod. 14. vers. 22. in mari rubro, & Ios. 3. vers. 17. in Iordane, Ionam in maris abysso: & ventre ceti: Ionæ 1. v. 15. & vers. 11. Danielis item socios, Dan. 3. vers. 94. Post resurrectionem etiam Christus Apostolos consternatos, eo quod putarent, se videre spectrum, hac formula loquendi erigit, *Ego sum*, nolite timere, Luc. 24. vers. 36. Posterioris effectus, quomodo nimirum incredulos hac formula *Ego sum*, terreat, illustre exemplum habemus in passione, quando Ioh. 18. ver. 5. post superatum mortis agonem ex horto egressus Iudæis ipsum quærentibus dicit *Ego sum*, ibi virtute huius verbi omnes, quotquot astabant, in terram prostrauit, non aliter, quàm si fulmine cœlitus emisso ipsos prostrauisset. Eandem virtutem & efficaciam huius verbi expertus est Saulus, Actorum 9.

rum.9.verf.5.vbi ipfi dixit: *Ego fum* Iefus quem tu perfequeris. Hoc quoque verbum in nouiffimo die, tanquam tonitru percellet, & in infernum vfque præcipitabit impios, quando dicet: *Ego fum*, quem efurientem non cibaftis, fitientem non potaftis, nudum non veftiuiftis, &c. Matt.25.verfic.44. *Ego fum*, quem confixiftis, Zachar.12.verf.10. Sic vnum idemque Chrifti verbum, & credentibus eft falutiferum, & incredulis vergit ad damnationem: & vnum idemque Euangelium, aliis quidem eft odor mortis in mortem, aliis vero odor vitæ in vitam, 2.Corint.2.verfic.16. Poteft hoc etiam ad doctrinam de facra Domini cœna accommodari: vbi idem corpus Chrifti pro diuerfitate fumentium diuerfos etiam operatur effectus: in credentibus quidem operatur vitam & falutem: in incredulis vero efficaciter operatur iudicium. Iuxta hymnum veterem: Sumunt boni, fumunt mali, forte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Mors eft malis, vita bonis. Vide, paris fumtionis, quam fit d ifpar exitus? Sed hæc alibi plenius exponuntur: hic obiter monuiffe fufficiat.

Quarto ad modum liberationis pertinet, quod Chriftus non tantum verbis folatur, fed etiam reipfa fuos ex periculis eripit. Nam quamprimum Chriftus ingreffus eft nauim, *conquieuit ventus, & illico nauis erat in terra, ad quam ibant.* Geminum hoc eft miraculum. 1. Quod ventus & fluctus quiefcunt, quamprimum in nauim receptus eft is, qui maris, terræ, aëris & cœli Dominus eft. 2. Quod mox nauis appellit in littore, ad quod ibant: licet ab illo antea adhuc ad quindecim ftadia abfuerit. His duobus miraculis, fi priora duo, nimirum primum, quod Chriftus fuper mare ambulauit: Secundo, quod Petrum quoq; in eodem ambulantem fecerit, adiunxerimus, tum quadruplicatum miraculum in hac vnica hiftoria habebimus. Vnde omnipotentiam huius Domini tanto magis agnofcamus, ad cuius nutum mare obmutefcit, venti conficefcunt, fluctus fubfidunt, & horribilis omnium elementorum confufio in infperatam quietem & tranquillitatem conuertitur, ficut etiam Matth.8.verf.26. vidimus. Scrupulum hic aliquibus mouet id, quod à Iohanne dicitur: *volebant ergo illum recipere in nauim*, quafi Chriftus non fuerit receptus ab Apoftolis in nauim, quod tamen factum effe Matthæus & Marcus difette referunt. Et hoc mouit D. Chryfoftomum, vt putarit, Iohannem aliud miraculum defcripfiffe, diuerfum ab eo, quod reliqui duo narrarant. Verum non eft opus, ob hanc in fpeciem apparentem diuerfitatem ex vna hiftoria duas diuerfas facere: cum hæc ipfa diffonans narratio, non tantum facile conciliari poffit, fed etiam hiftoriæ circumftantias illuftret. Oftendit nimirum collata inter fe Euangeliftarum narratio, Apoftolos, cum nauis adhuc procul à terra abeffet, voluiffe Chriftum intra nauim recipere, vt folito modo cum ipfis nauigaret, donec littus attingerent: non tamen illud neceffe fuiffe, fiquidem mox, cum Chriftus Petrum in aquis fubfidentem erexiffet, & fecum in nauim duxiffet, ficque ambo pariter nauim ingreffi effent, ea nouo miraculo fubito fuerit in terra, ad quam nauigabant. Sicq; norunt, folum hûc Iefum Chriftum eum effe, qui Ecclefiam inter huius feculi vndas fluctuantem conferuare & tueri poffit: qui item confcientiæ titubantis æftus folus tranquillos reddere queat. Ad ipfum ergo piis precibus & vera fide confugiamus. Hic enim folus nos patri cõciliat, folus confcientiis pacem confert, folus aduerfa omnia vel pacat, vel efficit, vt nobis in bonum cooperentur, Rom.8.verf.28.

IV. Effectus etiam miraculi eft attendendus, qui quafi duplex ob oculos ponitur. Vnus eorum, qui ad pedes Iefu aduoluti, eum adorauerunt, dicentes: *vere Dei Filius es.* Etfi enim præcedentis diei vefpera illuftre admodum miraculum fuis oculis in cibando populo afpexerant: præfens tamen hoc miraculum præconceptam exiftimationem de Iefu longiffime fuperabat, cuius incredibili maieftate perculfi liquido agnofcunt, ipfum plane diuina potentia dominari vento, mari, fluctibus, tempeftatibus, adeoque omnibus elementis. Iccirco religiofo adorationis cultu ipfum venerantur, & præter humanam naturam, quam externo oculorum fenfu confpicabãtur, interiore fidei afpectu diuinam naturam in ipfo agnofcunt, adeoque credunt ipfum naturalem Dei filium effe (hoc enim innuit illud ἀληθῶς *vere*) in carne manifeftatum. Alter effectus eft eorum, qui *vehementer, fupra modum, intra fefe ftupebant, & admirabantur.* Nam, præter Apoftolos, etiam alij fuerunt in naui, qui imperfectiores etfi opus hoc plus quàm humanum viderent: ingenito tamen ftupore impediti, ipfum Dei filium nondum agnofcunt, fed tantum admirantur. Quę tamen admiratio initium effe poteft fidei fubfecuturæ: ficut fupra aliquoties de ifto ftupore & admiratione populi dictum eft. Nos hinc etiam difcamus, quod in hac hiftoria pręcipuum, Iefum Chriftum æternum Dei filium effe, qui noftrę falutis cauffa in mundum venerit, & homo factus fit, vt nos à peccatis & horum pœnis redimeret. Qui etiam in manu fua habeat omnes creaturas, qui dominetur in medio inimicorum fuorum. Ipfum in omnibus periculis inuocemus, nec de eius ope dubitemus, qui vt omnes laborantes ad fe vocat, fic neminem venientem afpernatur. Nam & in hac ipfa hiftoria bonitatem fuam confpiciendam præbet, dum imperfectionem horum patienter fert, nec ipfos importune à fe abigit, fed paterne fouet, donec proficiant. D. Auguftinus elegantem ex hac hiftoria defumit Allegoriam fermon.14. de verbis Domin. cuius fummam hoc loco lubet adfcribere. Chriftus in montem afcenfurus ad orandum, Apoftolis in mandatis dat, vt nauiculam ingreffi mare transfretent. Sic poft afcenfionem ipfius in cœlum, ex ipfius præcepto Euangelium deferendum fuit per mare huius feculi. Nauicula autem, in qua vehuntur Chrifti Apoftoli, grauem patitur tempeftatem: Sic Ecclefia fuftinet perfecutionum fluctus & variis flabris hæreticorum ventorum impugnatur. Difcipuli non protinus nauem deferunt, fed remigando laborant: fic confeffio fidei non eft abiicienda, fed Ecclefiæ Doctores & viua voce & fcriptis inter aduerfantes feculi vndas & tumultuantium hæreticorum flatus munere fuo fideliter defungantur. Erigatur antenna, & Chriftus crucifixus refpiciatur, nec ab eo deficiamus, fed ipfius veftigiis infiftentes, per paffionem & mortem ad æternam gloriam contendamus. Antennæ etiam vela munda, hoc eft, pura & fimplex conuerfatio, apprehendantur. Cæterum quantumlibet mare fæuiat, ventus incumbat, & fluctus tumultuentur, ita vt nauicula turbetur, & quafi mergatur: non tamen fubmergitur, fed ad portum currit: ita Ecclefia premi quidem poteft, fed opprimi nunquam poterit. Nam Chriftus orat in excelfo, & videt fuos inter ventos Euangelio aduerfos ftrenue laborare. Intercedit igitur pro ipfis: ne fides eorum deficiat, fed vt omnibus gentibus nobiles illas, fed humanæ rationi peregrinas merces aduehant, quod per fidem in Chriftum remiffio peccatorum & regnum cœlorum gratis offeratur, omnibus ferio pœnitentiam agentibus, & vitam emendantibus. Porro nauicula hæc turbabitur & fluctuabit, vfque dum rurfus ad eam veniat Dominus, qui folus folidam carnem fuper liquidi Elementi terga fufpendere poteft. Quod futurum eft circa quartam vigiliam noctis, hoc eft, in fine feculi, nocte huius mundi pene finita. Interim tamen vtcunque fremens pelagus fub Domini veftigiis murmurarit, tamen eum volens-nolens portare coactum fuit: fic quantumlibet tumores feculi poteftatefque confurgant, premit tamen eorum caput noftrum caput. Cum vero Chriftus appropinquat nauiculæ, priufquam à fuis clare confpiciatur & agnofcatur, eos nouo terrore percellit, vt phantafma quoddam fe videre opinentur. Nam in caligine huius feculi huius Domini opera non recte perfpicere poffumus. Verum difcuffa illa caligine, & tempeftate omni fedata, recte & plane eum agnofcemus, ac tanquam verum Dei filium Redemtorem & Seruatorem noftrum adorabimus. Nos vero, qui circa quartam illam vigiliam viuimus, & in quos fines feculorum inciderunt, 1. Cor.10.verfic.11. viderimus, ne ex improuifo aduentu nouiffimi diei adobruamur. Vt enim hic Chriftus vno momento & impetu nauiculam ad portum adduxit: ita antequam nos circumfpicimus, nofque ipfos verfamus, etiam æternitas aderit. Nam propter electos breuiabuntur dies illi, Matth.24. verfic.22.

V. Matthæus folus interferit hiftoriolam de Petro, quomodo is in occurfum iuerit Chrifto Domino, & ipfe quoque inambulauerit fuper aquas. Quæ obferuatione digna eft propterea, quia quemadmodum prius Apoftoli omnes, & vna cum ipfis Petrus, pufillanimitate peccarunt: ita nunc idem Petrus præfumtione peccat, & propterea incipit mergi. Tam triftis eft naturæ noftræ deprauatio etiam in renatis. Sed filius Dei eft Mediator in vtramque partem, qui præfentia atque auxilio fuo vtrobique nobis medetur, & exceffus & defectus noftros corrigens. Petrus ergo audiens Iefum loquentem & fuos confolantem, mox dicit: *Domine, fi tu es, iubeto me ad te venire fuper aquas.* Plerique adfcribunt hæc verba feruori fidei & caritatis erga Chriftum. Et fane Petrum Iefum fuum Dominum impenfe amaffe, fide quoque in eum præditum fuiffe, ex tota Euangelica hiftoria patet. Sicut etiam Iohan.21.verf.7. cum Iefum in littore ftantem, ex infolita captura pifcium, & Iohannis fuggeftione, agnouiffet, omnis moræ impatiens amiculum fuccinxit, feque in aquas abiiciens ad Dominum fuum feftinauit. Hic tamen ex inconfiderato zelo menfuram fidei fupergreditur, & ex carnali confidentia hanc poftulationem fufcipit: ficut Chriftus ipfo facto merfionis ipfum coarguit. Quæ enim eft hæc inconfiderata petitio? *Domine fi tu es, iubes me venire ad te.* Quafi vero phantafma vel fpectrum, fi quod fuiffet, quemadmodum ipfi putabant, non quoque loqui, Petrum ad fe vocare, ficque ipfum egregie deludere atque decipere potuiffet. Maxime

cum Diabolus versipellis ad fallendos homines omnes ingenij sui neruos intendere soleat. Hoc itaque Petri exemplum nequaquam ad imitationem est trahendum, & cauendum, ne temeraria præsumtione nos ipsos in periculum præcipitemus. Qui enim illud amat, facile in illo peribit. Syr.3.v.27. Quin potius zelum, quem in Petro fuisse non negamus, secundum scientiam considerato regulemus. Rom.10.v.2.

Atqui dicat quis, Christus tamen hoc Petri postulatum approbasse videtur, siquidem ipsi dixit, *Veni*. Respon. Deus multa permittit fieri, quæ licet non probet: tamen vsque adeo benignus est, vt mala illa non permitteret, nisi boni quid inde elicere posset. Ita permisit Christus, vt Petrus ex præsumtione aliquousque super mare inambularet, quod aliquid boni inde eliceret. Nimirum primo, vt posteris prospiceret, & mature obuiam iret hæresi Marcionitarum, Manichæorum, & consimilium phanaticorum, qui Christum vero naturali corpore destitutum fuisse, & phantasma corporis tantum habuisse commenti sunt. Quod suum commentum hac historia stabilire voluerunt, quasi corpus Christi æreum esset, quia super molles aquas ambulasset. At vero Christus potentia verbi sui idem præstitit in corpore Petri, de cuius corporis veritate nemo vnquam propterea dubitauit. Hinc recte dicit D. Hieronym. qui corpus Domini ideo non putant esse verum, quia super molles aquas quasi molle & æreum incesserit, respondeant, quomodo ambularit Petrus, quem vtique verum hominem non negabunt. Si vero veritati corporis Christi nihil decessit, licet præter naturæ seriem miraculose super aquas incessit: vtique eiusdem veritati nihil decedet, licet præter naturæ modum mystice in pane cœnæ nobis comedendum præbeatur. Secundo, permisit Christus, vt mature Petrum, immoderatum suum zelum & confidentiam frenare, adeoque modestius de seipso sentire doceret. Et hac de caussa permisit, vt in periculum mersionis incideret, suámque opem implorare cogeretur, quo cognita sua infirmitate, moderate res suas agere, & totus ex Christi gubernatione pendere disceret. Sed Petrus huius immemor postea in passione ad eundem lapidem denuo impegit. Nam reliquis Apostolis se præferens, ex temeraria confidentia atrium Pontificis ingressus, reliquis seruulis se miscuit: vbi mox ancillæ cuiusdam quæstione, tanquam vehementioris venti aura impulsus, ita confessione sua vacillare, & per abnegationem sui Domini mergi cœpit, vt nisi eiusdem benignissimo intuitu apprehensus & erectus fuisset, in profundissimam abyssum æternæ damnationis submersus periisset. Vnde etiam tam Theophylactus in Matthæum, quam Hilarius putant, hanc historiam typum fuisse, promtitudinis Petri ad commoriendum Christo, & mox secutæ negationis ex metu. Omnes itaque, qui interdum immoderatiori zelo se abripi sentiunt, exemplo Petri moniti, vehementiam illam cohibere discant. Memores non tantum illius vulgaris: Moderata durant, sed potius illius Paulini Nemo plus sapiat, quam oporteat sapere, sed quisque sapiat ad sobrietatem, prout Deus diuisit mensuram fidei, Rom.12.v.3.

Memorabile tamen in hac historia illud est, quod vtcunque Petrus iusto se confidentius gessit: tamen quamdiu Christum præ oculis habebat, & in hunc vnum respiciebat, tamdiu pulcre ambulabat, ipsique fluxum & instabile elementum absque omni periculo seruiebat. Verum quamprimum oculos à Christo auertit, & ventorum vehementiam atque fluctuum tumultum circumspicere, propriamque imbecillitatem considerare cœpit, mox timore perculsus se demergi sensit. Vt sic documento sit omnibus Christianis, quorsum in periculis constituti, si per illa inoffenso pede transire velint, fidei suæ oculos dirigere debeant. Non in sanctos defunctos: in mortales homines, quia homo mendax: sed in solum Iesum Christum, qui est asylum omnibus periclitantibus. Leuent oculos suos in montes, vnde venit auxilium. Auxilium nostrum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Psal.121.vers.1. Hinc etiam patet, qui fiat, quod heroicis ingeniis interdum aliqua, quæ satis temerarie cœpisse videntur, ad exoptatum euentum ab ipsis deducantur. Nimirum Christum sibi vnice propositum habent, quem dum immota fide non sunt præditi, talia heroica facta non imitentur, ne in medio opere submersionem experiantur. Lutherus noster multa heroice suscepit & perfecit, quæ si alius imitari vellet, periret.

Porro Petrus periculum ex diffidentia enatum, fideli precatione corrigit, dicens: *Domine serua me.* Hæc precatio veræ fidei dotes habet, tribuens Christo honorem potentiæ & bonitatis, quod & possit & velit seruare. Christus ergo vt se verum Seruatorem ostenderet, extensa manu ipsum apprehendit, & saluum rursus intra nauim reduxit. Vere tamen fidei imbecillitatem, quam in media illa confidentia prodidit, verbis corripit: *O exiguæ fidei prædite, quid dubitasti?* διστάζω verbum, quo Euangelista hic vtitur, significat dubito seu hæsito, [illegible] dicit Etym. Proprie autem significat, quando lances staderæ suo pondere nutant, nunc in hanc, nunc in illam partem: & quando lucta est in mente, eaque in duas diuersas sententias trahitur, διστάζειν dicitur. Ita quoque quando animus affectibus nunc huc nunc illuc impellitur, vt non maneat in vna sententia, tum διστάζειν dicitur. Maioris vero est verbum διακρίνεσθαι, quod Budæus inde dictum [illegible], quod illi, qui hæsitant, secum ipsi alternantibus [illegible] quasi litigant & disceptant. Proponit autem nobis [illegible] considerandam qualitatem fidei, cum [illegible] extremis, excessu pariter & defectu. Fides debet esse [illegible] & certa subsistentia, sicut habet Epistola ad Hebr. [illegible], vt nimirum lingula stateræ habeat suam *colon* [illegible], sed in vnum Iesum Christum Seruatorem [illegible]. Iam vero venit Satanas, cui vetus noster Adamus [illegible], & vel vnam lancem eleuat per temerariam præsumtionem ac nimiam confidentiam, vel alteram deprimit per diffidentiam & pusillanimitatem. Vtrum iam horum accidat, illud fidem nostram non iustam nec rectam esse [illegible] conuincit. Petrus hoc loco in vtroque peccauit, adeoque [illegible] à Christo reprehenditur, & tanquam διστάζων [illegible] excessu, quam in defectu exorbitans, in viam reducitur. Et eleuationi quidem mentis præsens periculum mersionis opponit, vt sic superbia deprimatur. Depressioni autem eiusdem manum & verbum suum, *ô exiguæ fide prædite, quid dubitas?* supponit, vt sic rursus eleuetur, & ad suam *colon* [illegible] reducatur. Vera enim fides in neutram partem nutat, sed Christo solide innixa stat firmiter. Atque si hoc modo [illegible] nostræ firmam ad finem vsque tenuerimus, tum Christi participes facti sumus. Hebr.3. vers.14. Vsus ergo huius historiæ sit, vt naturæ nostræ deprauationem agnoscentes nihil temere, quod vires nostras superet, tentemus. Si tamen habemus Christi verbum, sicut Petrus habuit, siquidem Christus ei dixerat, *veni*, cum huic vni firma fide innitamur. Alioquin quamprimum oculos ab illo auerterimus, & humana siue consilia siue auxilia circumspexerimus, protinus in periculum mersionis incidemus. Id tamen si fiat, *tum in* omni tempestate vel afflictionum vel *perturbationum animi*, ad solum Iesum confugiamus, eum ardenti pectore inuocemus, continuo is nobis porriget *manum auxiliatricem*, nosque ex periculis extrahet. Quod *autem* Petrus vndas maris calcauit, quod maius est, & à minori, nimirum venti impulsu, turbatur & superatur: Discamus, nostris viribus nihil, omnia autem soli gratiæ Dei adscribenda esse. Sic sæpenumero euenire solet, vt in maioribus periculis nos recte & laudabiliter geramus: & tamen postea in minoribus succumbamus. Idcirco nemo de quacunque re glorietur, nisi de misericordia, iustitia & iudicio Domini. Ier.9.vers.23. 1.Cor.1.v.31. In huius Domini fide, dilectione & gratiarum actione de die in diem crescamus & proficiamus.

VI. His omnibus annectitur historia de Genezarethanis, ad quos Seruator noster Iesus Christus post hanc tempestatem appulit, & apud quos diuinam suam potentiam pariter & bonitatem amplius demonstrauit, atque ostendit, quod passim & docendo & miracula edendo omnibus ad salutem innotescere atque prodesse cupiat. Quæ historia licet à priori auelli, & in peculiare caput reiici potuisset: tamen numerus capitum nimium excresceret, cum priore coniunctim eam exponere volui. Fuit autem *terra Genesar*, sicut Matthæus & Lucas secundum Chaldæum idioma eam nuncupant, siue *Genezareth*, prout Græce appellatur, *regio sita* ad lacum Cenereth siue Tiberiadis, versus occasum: *regio*, si Iosepho & Egesippo credamus, vbertate simul & pulcritudine adeo admirabilis, vt natura omnem suam magnificentiam ibi effudisse videatur. Ea enim ipsius est temperies, vt omnium, quæ terra profert, diuersitati conueniat: ita vt tam quæ frigore aluntur, quam quæ æstu fouentur, multipliciter ibi effundant. Nunc Christus hoc hortum regium (sic enim *Genezareth* interpretatur) quoque visitat, & præter naturalia illa bona, etiam cœlesti sua gratia atque influentia sui verbi irrigat & fœcundat, vt vere sit paradisus Domini. Dicit autem primo Marcus, quod quamprimum Christus ex naui egressus fuerit, *continuo ipsum agnouerint.* Vnde vero hæc cognitio Christi? Non certe aliunde, nisi ex prædicatione verbi & fama miraculorum, quibus doctrinam suam confirmauit. Dubium ergo non est, quando Iesus Capernaumi, Tiberiadis, Betsaidæ, & in finitimis locis concionatus est, quin Genezarethani diligentes concionum ipsius auditores fuerint, vnde ipse eis non tantum de facie innotuit, sed etiam fiduciam quandam erga ipsius bonitatem & potentiam conceperunt. Monstrant hi nobis, qua via insistere debeamus, si & ipsi ad veram Christi cognitionem & fidem peruenire cupiamus,

piamus. Nimirum Euangelij prædicationem admittamus. Ex huius enim auditu fides enascitur. Rom. 10. v. 17. Qui vero Euangelium audire detrectant, illi ad veram fidem nunquam peruenire poterunt.

Secundo, qualis autem hæc est Genezarethanorum cognitio & fides? Manca sane & imperfecta: siquidem in Christo non nisi externa saltem & corporalia beneficia, ceu in excellenti aliquo medico siue chirurgo, quærunt. Quia tamen fides suos gradus & incrementa, adhæc, licet debilis sit, suas tamen veræ fidei notas habet: ideo Christus hæc principia fidei nõ aspernatur, sed ipsis se accõmodat, vt fidem in ipsis augeat & promoueat. Ipse enim est, qui calamũ quassatum nõ conterit, & linum fumigans non exstinguit. Esai. 42. v. 3. Notæ autem illæ, siue qualitates fidei commendatione & imitatione dignæ, hæ sunt. Vna, quod occasionem fruendi Christo non negligunt, sed properant, vt, dum cum ipsis versatur, eius ope fruantur. Quærite Dominum, dum inueniri potest, dicit Propheta Isaias, cap. 55. v. 6. inuocate eum, dum prope est. Hanc occasionem Gadareni, Matth. 8. 34. & alij magno cum suo detrimento corporis & animæ neglexerunt. Altera nota est, quod non tantum suos ægrotos ad Christum deferunt, sed etiam *nuntios mittunt* in totam *finitimam regionem*, & efficiunt, vt & alij suos male affectos in grabbatis collocatos apportent. Hæc enim est veræ fidei nota, quod per caritatem est efficax: Gal. 5. v. 6. & quisque exoptat, proximum tam Christi seruatoris beneficiis frui, quam ipse fruitur, sicuti Paulus de se ad Agrippam regem testatur Actor. 26. 29. Exemplo itaque horum Genezarethanorum discamus primum, in vno Iesu Christo spem salutis ponere: secundo, Occasionem ipso fruendi non negligere. Tertio, omnes nostros vna nobiscum ad Christum adducere. Qua in re cumprimis magistratus, verbi ministros, & patresfamilias diligentes esse decet. Quarto, officiis caritatis proximo inseruire. Sic fides nostra incrementa sumet, & in Christo salutem inueniet.

Tertio, quod vero petunt, *vt vel tantum fimbriam vestimenti ipsius tangere* liceat, id ego nequaquam (vt quidam faciunt) fidei infirmitatem fuisse interpretor. Neque enim hoc ex superstitione fecerunt, quasi fimbriæ vestimenti illius, quod postea militibus in passione cessit, virtutem aliquam hominis sanandi attribuerint. Sed quia audiuerant, non ita pridem Luc. 8. vers. 44. (sicuti cap. 67. huius Harmoniæ explicuimus) mulierem hæmorrhousam attactu fimbriæ sanatã fuisse, hoc medio contenti esse voluerunt, ne Magister, alia media sanationis quærendo, nimia molestia afficeretur. Sicuti etiam Act. 19. vers. 12. fideles Ephesini contenti erant, vt sudaria semicinctia de Pauli corpore super languidos suos deferrentur, quo languores & spiritus nequam ab ipsis recederent. Etenim vere fidelis homo nullum medium salutis à Christo ordinatum aspernari aut contemtim habere debet, si vel saltem fimbria siue lacinia vestimenti ipsius esset. Quo nomine contemtores Sacramentorum tanto grauius iudicium sustinebunt, quia media, per quæ Christus ipsorum salutem promouere instituit, negligunt & blasphemant. Qualiter faciunt Anabaptistæ, qui Baptismum, aquæ lauacrum in verbo, quo regeneramur, & ab omni peccati labe abluimur, Ephes. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. maioris non faciunt, quam si canis aqua ablueretur. Item Sacramentarij, qui sacræ cœnæ vsum non nisi externum symbolum nostræ professionis & fidei in Christum esse autumãt, cum hæc sint media & quasi canales, per quos Christus gratiam & salutem in nos deriuare dignatur, vt ex ipsius plenitudine omnes accipiamus gratiam pro gratia. Ioh. 1. v. 16. Nos grata mente hæc bonitatis ipsius symbola suscipimus & lætamur, seruatorem nostrum adeo benignum & beneficum erga nos esse, vt non tantum in verbo se nobis audiendum, sed etiam in sacramentis quasi videndum & palpandum præbere dignetur.

Quarto videamus etiam, qualem Christus se erga hosce præbeat. Ipse, qui Matth. 9. vers. 12. dixerat: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus: hic non tantum infirmitatem fidei tolerat, sed potius ægros sanando eandem fidei imbecillitatem tollere conatur. Cum enim Esaias 35. v. 5. prædixerit Messiam quasuis infirmitates populi miraculose sanaturum, iccirco vt ipsos ad hanc veram & saluificam sui cognitionem adducat, efficit, *vt, quotquot ipsum tetigerunt, sani facti sint.* Sic nimirum suam omnipotentiam ipsis luculenter commonstrauit, quod nimirum non tantum omnem creaturæ, vt modo in compescendo mari & sedandis ventis vidimus, ipsi obediant: sed etiam morbi & quæcunque mala nos infestant, cedere cogantur, nec nobis amplius nocere possint, si ipse præsto sit. Sanauit autem hic promiscue omnes, absq; censura vitæ & morum, modo de ipso bene confidant, quod sanare possit & velit: quia fuit dies salutis, & tempus beneplaciti, Esa. 49. 8. & non venerat, vt mundum iudicet, sed vt mũdus per ipsum saluetur, Iohannes 3. vers. 17. Nunc enim donec dies adhuc Hodie cognominatur, Heb. 3. v. 13. etiam erga nos eandem bonitatem exercet. Nam si ipse nobiscum in iudicium descendat, & non tantum iniquitates, sed etiam infirmitates nostras obseruet, quis sustinebit? Psalm. 130. vers. 3. & 143. vers. 2. Quando autem venturus est dies vltionis & annus retributionum iudicij Sion: Esa. 43. vers. 8. Tum, qui bonitate & longanimitate ipsius abusus est, sibique ipsi iram Dei in diem iræ thesaurizauit, Rom. 2. v. 4. eiusdem seueritatem experietur. Interim nos Christi facilitatem imitari discamus, ne rigidiorem censuram exerceamus in eos, qui auxilio potius nostro & commiseratione, quam seuera correptione, indigent. Quemadmodum vero Christus Genezarethanos hisce miraculis in fide sua imbecilliore confirmauit: sic & nos iisdem ad nostræ fidei confirmationem & incrementum vtamur. Neque enim nouis miraculis nos indigemus: siquidem vetera illa propter nos, Iohanne teste, c. 20. ver. 31. scripta sunt. Et omnium miraculorum summum est, quod fides in Christum & huius fidei doctrina à mundi exordio in hunc vsque diem, inter persecutiones grauissimas, & hæreses odiosissimas, incolumis durauit. Si gentium religiones spectemus, nemo illas vnquam armis opprimere conatus est, & tamen omnes ad nudam Euangelij prædicationem conciderunt, ita vt plerorumque Deorum, quos olim coluerunt, vix nuda nomina exstent. At religio de benedicto semine mulieris, Gen. 3. v. 15. & seruatore nostro Christo vel inuitis inferorum portis propagata & conseruata est. Et licet interdum tantas persecutiones sustinuerit, vt iam oppressa & penitus exstincta visa fuerit: tamen subinde rursus non absque stupore hostium emersit. In hunc ergo Iesum Seruatorem, Victorem & Triumphatorem, omnem nostram fiduciam collocemus,

tum per ipsum æternum

seruabimur.

CAPVT LXXVIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS CONCIONEM CHRISTI DE MANDVCANDO pane cœlesti, Iohan. 6. v. 22.

RATIO ORDINIS.

QVIA Iohannes Euangelista historiam præcedentem continuat, deducens eam ad illustrem illam Christi concionem de pane cœlesti, cuius caussa hanc ipsam historiam præter suum morem vna cum reliquis Euangelistis narrauerat: iccirco nullum est dubium, quin recto ordine hæc se inuicem consequantur. Atque ea propter dicit, τῇ ἐπαύριον *altera die* hæc accidisse. Pridie enim cum Christus quinque hominum millia miraculose pauisset, turba exacte obseruarat, vnicam saltem illam nauem, in quam solos Apostolos ingressos fuisse viderant, in illo littore affuisse. Quia ergo Christum regem rapere volebant, noctu ripam obsederunt, existimantes nusquam ipsum elabi posse. Sed cum nec altero die Christum in vicinis illis locis inuenirent, cogitarunt id, quod res erat, ipsum noctu Apostolos subsecutum fuisse. Aliis igitur nauiculis, quæ à Tiberiade superuenerant, traiecerunt ad Capernaũ, quam eius ciuitatẽ esse nouerant. Matth. 9. v. 1. Recte hoc ab ipsis factum. Christus enim omnino quærendus est. Sed vbi? Non est alligandus ad certum aliquem locum, in quo vel heri vel olim signum aliquod edidit. Sed quærendus est in sua ciuitate, quæ est Ecclesia: vbi se verbo & sacramentis suis alligauit, addita hac promissione: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Matth. 28. vers. 20. Notanda etiam hæc est phrasis, quam ponit Euangelista, vbi dicit, populum pridie *comedisse panem*, εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου, *gratias agente Domino.* Pontificij enim vbicunque legunt Christum benedixisse panem, statim inde elicere

conantur, Christum & Apostolos ibi sacram cœnam seu Eucharistiam, eamque sub altera saltem specie celebrasse. Sicut Luc.24.v.30. λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησε, sumto pane benedixit, & fractum dedit illis. Idem Act.2.v.46. Apostoli frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exsultatione. Ex his & similibus scripturæ locis communionem sub vna extorquere cupiunt. Cur non idem faciunt ex hoc miraculo quinque panum: maxime cum εὐχαριστήσαντος Domino illos comederint? Verum hæc benedictio nullam Eucharistiam cœnæ efficit: siquidem loquitur tantum de ea, de qua D. Paulus 1.Tim.4.v.4. disserit: Omnis creatura bona est, si μετὰ εὐχαριστίας cum gratiarum actione sumatur. Non debemus ne vulgarem quidem cibum capere, nisi præeunte oratione, & subsequente gratiarum actione. Hisce enim sacris exercitiis ex Dei benignitate is benedicitur, vt non tantum fi nobis salubris, sed etiam nostris multiplicetur.

Cæterum cum turba Christum inuenisset, statim de miraculo, quomodo sine naui in alteram ripam venisset, interrogat. Etsi enim dicunt ***Rabbi, quando huc venisti?*** quam quæstionem Cyrillus tanquam puerilem & inutilem reiicit, cum grauiora & magis necessaria ex Christo quærere & discere debuissent: tamen illa particula, ***quando*** subseruiebat, vt ex tempore colligere liceret, quomodo, vtrum pedes an naui vectus Capernaum peruenerit? Christus vero ad quæstionem illam nihil respondet: sed quia nuper animaduerterat, ipsos sanam doctrinam & verum miraculi vsum nō recte intellexisse, & ne nunc quidem ipsum ita quærere, vti decebat: ideo prauas ipsorum opiniones refutat, & veram se quærendi rationem ostendit. Nam nimis vere ab Augustino dictum est, vix quæritur Iesus, propter Iesum. Hoc est, pauci in Iesu tantum æternam salutem, plerique aliud quid, apud ipsum quærunt. Alius opes, alius potentiam, alius mundanas voluptates, alius ex curiositate eum quærit & per inuidiam. Phil.1.v.15. Idem hisce Capernaitanis accidit.

Instituit autem Christus hac occasione pulcerrimam concionem, de esu suæ carnis & potu sui sanguinis, qua vniuersam nostræ salutis rationem diligenter & absolute tradit. Et videtur, non continua esse, nec vno die habita concio. ***In Synagoga*** enim posterior eius pars absoluta est, in qua Sabbatis tantum docebatur. Neque Iudæis licuisset Sabbato traiicere. Ergo non eodem die, quo venerunt, sed alio concio est habita. Atque hoc modo rem euenisse coniicere licet. ***Altera die*** mane populus quæsiuit Iesum eo in loco, ***in quo*** miraculum editum erat. Cumque eum nō inueniret, ***superuenerunt*** adhuc antemeridiano tempore ***aliæ naues a Tiberiade,*** quibus subuectus est populus in Capernaum. Distat autem desertum Bethsaidæ à Capernaum ***tria milliaria nautica,*** vt sex propemodum horas ad traiectum insumserint. Ergo à meridie demum, circa vesperam, Capernaum venerunt, atque fortassis nō eo, sed postero primum die, vt in maioribus vrbibus fieri solet, Iesum inuenerunt. Interim ipse Iesus cum Apostolis pedestri itinere Genezarethanorum regiunculam peragrans, quoque Capernaum peruenit. Illi ergo, qui miraculo interfuerant, cum primi Iesum inuenissent, eum cum præfatione honoris interrogant, ***Rabbi quando huc venisti?*** Nō omnes faciunt hoc ex assentatione, sed quia nuper dixerant, ***hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum,*** omnino honorifice de ipso senserunt: quanquam in illo cœtu non defuerint hypocritæ. Mox vero fama miraculi per vrbem sparsa, etiam alij Iudæi postea conuenerunt, ac tandem in Synagoga quæstionem mouerunt de illis, quæ Iesus pridie dixerat.

Hæc est cohærentia historiarum & huius concionis, nec quicquam in Euangelistis inuenitur, quod interponi possit. Iccirco nullum dubium, hunc locum huic concioni in Harmonia deberi. Nos vna explicatione integram concionem, licet duabus vicibus habitam, persequemur.

CONCIO IESV DE SPIRITVALI MANDVcatione ipsius carnis, & bibitione ipsius sanguinis, Iohannis 6. vers. 22.

22. Τῇ ἐπαύριον ὁ ὄχλος ὁ ἑστηκὼς πέραν τῆς θαλάσσης, ἰδὼν ὅτι πλοιάριον ἄλλο οὐκ ἦν ἐκεῖ, εἰ μὴ ἓν ἐκεῖνο, εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ὅτι οὐ συνεισῆλθε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ πλοιάριον, ἀλλὰ μόνοι οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἀπῆλθον.	22. *Postero die turba, quæ stabat trans mare, vt vidit, quod nauicula alia non esset ibi, nisi vna illa, in quam ingressi fuerant discipuli eius, & quod non introisset cum discipulis suis Iesus in nauiculam, sed soli discipuli eius abiissent.*
23. Ἄλλα δὲ ἦλθε πλοιάρια ἐκ Τιβεριάδος ἐγγὺς τοῦ τόπου, ὅπου ἔφαγον τὸν ἄρτον, εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου.	23. *Alia vero superuenerunt nauiculæ à Tiberiade, iuxta locum, vbi comederant panem, postea quam gratias egisset Dominus.*
24. Ὅτε οὖν εἶδεν ὁ ὄχλος, ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ἐκεῖ, οὐδὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἐνέβησαν καὶ αὐτοὶ εἰς τὰ πλοιάρια, καὶ ἦλθον εἰς Καπερναοὺμ ζητοῦντες τὸν Ἰησοῦν.	24. *Cum ergo vidisset turba, quod Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt & ipsi in nauiculas & venerunt Capernaum quærentes Iesum.*
25. Καὶ εὑρόντες αὐτὸν πέραν τῆς θαλάσσης, εἶπον αὐτῷ, ῥαββὶ πότε ὧδε γέγονας;	25. *Et cum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei, Rabbi, quando huc venisti?*
26. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν, ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ζητεῖτέ με, οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα, ἀλλ' ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων καὶ ἐχορτάσθητε.	26. *Respondit eis Iesus & dixit, Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia edistis de panibus, & saturati estis.*
27. Ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην, ἀλλὰ τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον, ἣν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑμῖν δώσει. Τοῦτον γὰρ ὁ πατὴρ ἐσφράγισεν ὁ Θεός.	27. *Operemini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis, hunc enim pater consignauit Deus.*
28. Εἶπον οὖν πρὸς αὐτόν, τί ποιοῦμεν, ἵνα ἐργαζώμεθα τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ;	28. *Dixerunt ergo ad eum, Quid facimus, vt operemur opera Dei?*
29. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύσητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος.	29. *Respondit Iesus & dixit eis: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.*
30. Εἶπον οὖν αὐτῷ, τί οὖν ποιεῖς σὺ σημεῖον, ἵνα ἴδωμεν, καὶ πιστεύσωμέν σοι; τί ἐργάζῃ;	30. *Dixerunt igitur ei, Quod ergo facis tu signum, vt videamus, & credamus tibi? Quid operaris?*
31. Οἱ πατέρες ὑμῶν τὸ μάννα ἔφαγον ἐν τῇ ἐρήμῳ, καθώς ἐστι γεγραμμένον ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς φαγεῖν.	31. *Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis ad edendum.*
32. Εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἀλλ' ὁ πατήρ μου δίδωσιν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὸν ἀληθινόν.	32. *Dixit ergo Iesus, Amen, Amen dico vobis, non Moyses dedit vobis illum panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum.*
33. Ὁ γὰρ ἄρτος τοῦ Θεοῦ ἐστιν ὁ καταβαίνων ἐκ τοῦ οὐ-	33. *Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam*

ρανοῦ καὶ ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ.

34. Εἶπον οὖν πρὸς αὐτὸν, κύριε, πάντοτε δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον.

35. Εἶπε δὲ αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς. Ὁ ἐρχόμενος πρός με, οὐ μὴ πεινάσῃ· καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε.

36. Ἀλλ' εἶπον ὑμῖν ὅτι καὶ ἑωράκατέ με, καὶ οὐ πιστεύετε.

37. Πᾶν ὃ δίδωσί μοι ὁ πατὴρ, πρὸς ἐμὲ ἥξει. Καὶ τὸν ἐρχόμενον πρός με, οὐ μὴ ἐκβάλλω ἔξω.

38. Ὅτι καταβέβηκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, οὐχ ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με.

39. Τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με πατρὸς, ἵνα πᾶν ὃ δέδωκέ μοι, μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ, ἀλλὰ ἀναστήσω αὐτὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.

40. Τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, ἵνα πᾶς ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν καὶ πιστεύων εἰς αὐτὸν, ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον, καὶ ἀναστήσω αὐτὸν ἐγὼ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.

41. Ἐγόγγυζον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι περὶ αὐτοῦ, ὅτι εἶπεν, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ.

42. Καὶ ἔλεγον, οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ Ἰησοῦς ὁ υἱὸς Ἰωσὴφ, οὗ ἡμεῖς οἴδαμεν τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα; πῶς οὖν λέγει οὗτος, ὅτι ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβέβηκα;

43. Ἀπεκρίθη οὖν ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, μὴ γογγύζετε μετ' ἀλλήλων.

44. Οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με ἑλκύσῃ αὐτὸν, καὶ ἐγὼ ἀναστήσω αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.

45. Ἔστι γεγραμμένον ἐν τοῖς προφήταις, καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ θεοῦ. Πᾶς οὖν ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ μαθὼν, ἔρχεται πρός με.

46. Οὐχ ὅτι τὸν πατέρα τὶς ἑώρακεν, εἰ μὴ ὁ ὢν παρὰ τοῦ θεοῦ, οὗτος ἑώρακε τὸν πατέρα.

47. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ ἔχει ζωὴν αἰώνιον.

48. Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς.

49. Οἱ πατέρες ὑμῶν ἔφαγον τὸ μάννα ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ ἀπέθανον.

50. Οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων, ἵνα τὶς ἐξ αὐτοῦ φάγῃ, καὶ μὴ ἀποθάνῃ.

51. Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς. Ἐάν τις φάγῃ ἐκ τούτου τοῦ ἄρτου, ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα. Καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω ἡ σάρξ μού ἐστιν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς.

52. Ἐμάχοντο οὖν πρὸς ἀλλήλους οἱ Ἰουδαῖοι, λέγοντες· πῶς δύναται οὗτος ἡμῖν δοῦναι τὴν σάρκα φαγεῖν;

53. Εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς.

54. Ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον, καὶ ἀναστήσω αὐτὸν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.

55. Ἡ γὰρ σάρξ μου ἀληθῶς ἐστι βρῶσις, καὶ τὸ αἷμά μου ἀληθῶς ἐστι πόσις.

56. Ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ.

57. Καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν πατὴρ, κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα. Καὶ ὁ τρώγων με, κἀκεῖνος ζήσεται δι' ἐμέ.

58. Οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς, οὐ καθὼς ἔφαγον οἱ πατέρες ὑμῶν τὸ μάννα καὶ ἀπέθανον. Ὁ τρώγων τοῦτον τὸν ἄρτον, ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα.

59. Ταῦτα εἶπεν ἐν συναγωγῇ διδάσκων ἐν Καπερναούμ.

60. Πολλοὶ οὖν ἀκούσαντες ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἶπον, σκληρός ἐστιν οὗτος ὁ λόγος, τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν;

dat vitam mundo.

34. *Dixerunt ergo ad eum, Domine semper da nobis panem istum.*

35. *Dixit autem eis Iesus, Ego sum panis ille vitæ. Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam.*

36. *Sed dixi vobis, quod etiam vidistis me, & non creditis.*

37. *Omne, quod dat mihi pater, ad me veniet. Et eum, qui venit ad me, non eiicio foras.*

38. *Quia descendi de cœlo, vt faciam, non quod ego volo, sed quod vult is, qui misit me.*

39. *Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, patris, ne quid perdam ex omnibus, quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die.*

40. *Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, vt omnis, qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

41. *Murmurabant ergo Iudæi de illo, quod dixisset, Ego sum panis ille, qui de cœlo descendi.*

42. *Et dicebant, nonne hic est Iesus, filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, de cœlo descendi?*

43. *Respondit ergo Iesus & dixit eis: Nolite murmurare inter vos.*

44. *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum, & ego suscitabo eum in nouissimo die.*

45. *Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me.*

46. *Non quod patrem viderit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit patrem.*

47. *Amen amen dico vobis, qui confidit mihi, habet vitam æternam.*

48. *Ego sum panis ille vitæ.*

49. *Patres vestri comederunt manna in deserto, & mortui sunt.*

50. *Hic est panis ille de cœlo descendens, vt ex ipso edat aliquis, & non moriatur.*

51. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.*

52. *Decertabant ergo Iudæi inter se, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem illam suam dare ad edendum?*

53. *Dixit ergo eis Iesus: amen amen dico vobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis.*

54. *Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die.*

55. *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.*

56. *Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

57. *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: ita & qui ederit me, viuet ipse quoque propter me.*

58. *Hic est panis ille, qui è cœlo descendit, non sicut comederunt patres vestri manna & mortui sunt. Qui ederit hunc panem, viuet & in æternum.*

59. *Hæc dixit in Synagoga, docens in Capernaum.*

60. *Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire?*

61. Εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐν ἑαυτῷ, ὅτι γογγύζουσι περὶ τούτου οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς· Τοῦτο ὑμᾶς σκανδαλίζει.

62. Ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα, ὅπου ἦν τὸ πρότερον;

63. Τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν. τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, πνεῦμά ἐστι καὶ ζωή ἐστιν.

64. Ἀλλ' εἰσὶν ἐξ ὑμῶν τινες, οἳ οὐ πιστεύουσιν. ᾔδει γὰρ ἐξ ἀρχῆς ὁ Ἰησοῦς, τίνες εἰσὶν οἱ μὴ πιστεύοντες, καὶ τίς ἐστιν ὁ παραδώσων αὐτόν.

65. Καὶ ἔλεγε, διὰ τοῦτο εἴρηκα ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ πατρός μου.

66. Ἐκ τούτου πολλοὶ ἀπῆλθον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ οὐκ ἔτι μετ' αὐτοῦ περιεπάτουν.

67. Εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς τοῖς δώδεκα, μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε ὑπάγειν;

68. Ἀπεκρίθη οὖν αὐτῷ Σίμων πέτρος, κύριε, πρὸς τίνα ἀπελευσόμεθα; ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις.

69. Καὶ ὑμεῖς πεπιστεύκαμεν καὶ ἐγνώκαμεν, ὅτι σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος.

70. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, οὐκ ἐγὼ ὑμᾶς τοὺς δώδεκα ἐξελεξάμην, καὶ ἐξ ὑμῶν εἷς Διάβολός ἐστι.

71. Ἔλεγε δὲ πρὸς τὸν Ἰούδαν σίμωνος, ἰσκαριώτην. οὗτος γὰρ ἤμελλεν αὐτὸν παραδιδόναι, εἷς ὢν ἐκ τῶν δώδεκα.

61. *Sciens autem Iesus apud semetipsum, quod murmurarent de hoc discipuli ipsius, dixit eis: Hoc vos offendit.*

62. *Quid igitur si videritis filium hominis ascendentem eo, vbi erat prius?*

63. *Spiritus est qui viuificat, Caro non prodest quicquam. Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita sunt.*

64. *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Nouerat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & qui proditurus esset ipsum.*

65. *Et dicebat, propterea dixi vobis, quod nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.*

66. *Ex eo tempore multi abierunt discipulorum eius retrò, nec amplius cum illo ambulabant.*

67. *Dixit ergo Iesus ad duodecim, Num & vos vultis abire?*

68. *Respondit ergo ei Simon Petrus, Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.*

69. *Et nos credimus, & cognouimus, quod tu es Christus filius Dei viui.*

70. *Respondit ei Iesus, Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus est?*

71. *Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariota. Hic enim erat proditurus eum, cum esset vnus ex duodecim.*

Periocha huius historiæ.

CHristus Seruator noster insigniores suas conciones Hierosolymis in solemnibus totius populi Iudaici conuentibus habere solitus fuit. Sed quia hoc anno ob causam, quã sequenti capite Euangelista indicabit, ad festum Paschatis non ascendit, verum in Galilæa mansit, iccirco vel tum temporis durante festo, vel certe cum Iudæi peracto festo domum rediissent, hunc sermonem celeberrimum habuit. Variis autem disputationibus hæc prorsus aurea & gemmea concio, non tam illustrata, quam obscurata est, dum multi per vim ipsam ad doctrinam de sacramento Cœnæ accommodarunt, & minus idoneis interpretationibus accumularunt. Ne igitur idem nobis eueniat, Nos enarrationem nostram in certa Capita distribuemus, & primum verum scopum huius concionis per sua membra in genere & summatim demonstrabimus. Secundo ostendemus, quod & quatenus doctrina de sacramento Cœnæ ab hac concione Christi differat, licet in quibusdam ad eam accommodari queat. Tertio denique specialiora huius concionis & disputationis membra enucleabimus.

Primum, si verum huius concionis sensum nouisse velimus, ante omnia sciendum, quod Christus ex mentione manducationis quinque panum, quam Iudæi intulerant, perpetuam illam Metaphoram mutuetur, quę per totam concionẽ beneficium tum reconciliationis cum Deo, tum remissionis peccatorum, donationem item vitæ æternæ & modum applicationis eius describit. Quia sub his metaphoris prædicta beneficia continentur, non possunt membra concionis simplicius & rectius intelligi, quam si obseruetur, quænam sit in aliis scripturæ locis metaphorica significatio verborum esurire, sitire, siue vocabulorum fames, sitis, panis, mensæ, cibi, potus, manducationis, & bibitionis. Ita enim membra concionis recte distribui poterunt, nec difficilis erit diiudicatio, quænam membra, quomodo & quatenus ad doctrinam de cœna Dominica exempla veterum dextre accommodari possint.

Sciendum ergo ante omnia, Scripturam spiritualem miseriam, cui homo propter peccatum subiacet, maledictionem nimirum legis & iram Dei ad æternam damnationem, describere sub Metaphora famis & sitis. Quemadmodum enim homo, qui cibo & potu destituitur, inedia ita conficitur, vt sensim fiat cõtractio & corrugatio omnium membrorum, tam interiorum, quam externorum, donec totus homo exhaustus miserandum in modum concidat & intereat. Sic æstu iræ diuinæ in tentatione conscientiæ omnes vires animæ & corporis exsurgit, vt homo incedat inclinatus & incuruatus valde, vt lumbi impleantur tenuitate, & non sit sanitas in carne ipsius. Psal. 38. v. 7. Hanc famem minatur Deus impiis, Amos 8. v. 11. non famem, panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini, & non inuenient, hoc est, solida & efficaci cõsolatione destituentur. Qui sicut canes, qui ex fame in rabiem cõuertuntur, famem patiuntur, & circuibũt ciuitatem. Ipsi dispergentur ad manducandum: *si vero non* fuerint saturati, murmurabunt, *dicit Dauid Psal. 59. ver. 15.* hoc est, in desperationem *incident, & in ea peribunt.* Hanc vero famen spiritualem & *miseriam* longe miserrimam patientur non tantum pauperes siue plebij: Sed & diuites huius mundi, magnates & potentes ipsi quoque eguerũt & esurierunt, Psal. 34. v. 11. Luc. v. 55. Cęterum naturaliter fames & sitis ad id cõducunt, vt homo cibi potusque atque sic nutricationis suę sit appetens. Et indicium est corporis languescentis & male dispositi, si quis neq; famem neque sitim sentiat. Ita animę periculose adeoque lethaliter languentis indicium est, si neq; esuriat neq; sitiat iustitiam. Matt. 5. v. 6. Nam esurientes Deus implet bonis. Ipse est, qui dicit Ierem. 31. v. 25. Animam lassam inebriaui, & omnem animam esuriẽtem saturaui, *hinc* somnus meus dulcis mihi. Ideo Dauid dicit Psal. 42. v. 1. Quẽadmodum ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Et rursus, Psal. 63. v. 2. Sitiuit in tę anima mea in terra deserta & inuia, & in aquosa, vt videam virtutem tuam & gloriam tuam. Deus etiã tales esurientes & sitientes blandissime inuitat Esa. 55. ver. 1. Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argẽtum, properate. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitatẽ? Hãc Metaphoram Deus ipse ibidem explicat, dum addit: Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in pinguedine anima vestra. Inclinate autem vestram & venite ad me: audite & viuet anima vestra, & faciam vobiscum pactum sempiternũ. Ecce testem populis & Ducem gentibus dedi te. Sic alibi pollicetur sitientibus refectionem Ies. 44. vers. 3. Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. De hac fame & siti etiam Syracides loquitur c. 24. v. 26. Transite ad me, sapientia dicit, omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur. Ieremias quoque dicit cap. 15. v. 16. Inuenti sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei. Prophetæ item Ezechieli dixit Deus c. 3. vers. 1. Comede volumen istud, & aperui os meum, dicit Propheta, & cibauit me volumine illo. Et comedi illud, & factum est in ore meo, sicut mel dulce. Sic ergo is Metaphoris doctrina noui Testamenti apud

apud Prophetas describitur, & notum erat Iudæis Dauidem in Psal.23.vers.5. dixisse, Deum parasse mensam in conspectu suo, aduersus eos, qui ipsum tribularent & calicem suum inebriantem præclarum esse. Nimirum, quia filij hominum in tegmine alarum Dei sperant. Inebriabuntur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis suę potabit eos. Quoniam apud ipsum est fons vitæ. Psal.35.v.9.

Hac consideratione præmissa, iam membra Concionis distribuantur & facilis erit, accõmodatio. 1. Quia ventris caussa Iudæi Iesum sequebantur, & propterea ipsum rapere, atque regem facere volebant, vt mensam sine labore paratam semper haberent, ideo hoc prauum ipsorum propositum reprehendit, & generalẽ Propositionẽ Concionis suæ sic informat, vt & ventris studiũ in ipsis reprehendat, & simul doceat, quid facere debeant, si saluari velint. De ventris studio sic dicit: *Amen amẽ dico vobis, quæritis me, nõ quia vidistis signa, sed quia edistis & saturati estis.* Vult dicere: Vos me *Rabbi* vocatis, & vultis doctrinę meæ sectatores videri, non quia hactenus multis stupendis miraculis diuinam meam virtutem manifestaui, sicque me verum Dei filium, adeoque mundi Messiam esse commonstraui: sed tantum propterea, quia nudius quartus vos sine vestris impensis ad saturitatem vsque alui, sicque speratis, vos in posterum apud me desidem & ignauiam vitam traducere posse. His ergo verbis animi ipsorum morbum detegit, & ostendit, verum esse quod Ioannes c. 2. versic. 25. de ipso testatus fuerat, quod nosset omnes, & sciret quid esset in homine. Quia etiam adeo libere reprehendit eos, qui ipsum *Rabbi* salutarant, monet suos ministros, ne fraudulenta hypocritarum assentatione se decipi patiantur, sed diserte arguant eos, quos vanis persuasionibus in doctrina salutis errare deprehendunt. Reprehensioni, vt dixi, subiungit doctrinam, sed eam metaphoricis locutionibus, ex re præsenti petitis, vestitam. *Operemini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Vult eos ἐργάζεσθαι, *operari*, hoc est, omne suum studium & omnes conatus eo cõferre, vt habeant *non cibum, qui perit*, hoc est, externa & corruptibilia huius mundi bona. Quibus verbis nequaquam legitimum laborem, qui in comparando victu adhibendus est, prohibet. Nequaquam enim legem, à seipso in paradyso Genes.3.ver.19. latam, tollit: quia vult, vt quisque in sudore vultus sui vescatur pane suo. Per hoc enim medium Deus benedicit suis, vt labores manuum, suarum manducent. Psal.128.vers.2. Et Paulus vult, Ephes.4.v.28. vt quisque κοπιάτω ἐργαζόμενος laboret operando manibus, quod bonum est, vt habeat quod det indigenti. Rursus 2. Thess.3.versic.10. dicit, si quis nolit ἐργάζεσθαι siue operari, vt is nec manducet. Nemo ergo his verbis ad excusandam suam pigritiam & desidiam abutatur: siquidem Christus non laborem, sed hoc prohibet, ne quis sub prætextu fidei & religionis externa bona quærat. Nam sub vna specie *cibi* omnia etiã reliqua carnalia intelligit, qualia sunt honores, opes, voluptates & consimilia, quibus omnibus filij huius seculi plus sunt deditu, quam studio satis animarum. Ratio, cur hic cibus non sit quærendus, hæc est, quia is *perit*. Nã omne, quod in os intrat, in ventrem abit, & in secessum emittitur. Matth.15.ver.17. Esca siquidem ventri, & venter escis. Deus autem & hunc & hanc destruet. 1. Cor.6.v.13. Sic etiam honores, diuitiæ, & voluptates huius mundi sunt fluxæ, caducæ, instabiles. quid ergo prodest inani studio & labore seipsum macerare, vt ista breui peritura bona quis comparet? Quin potius studia & conatus vestros omnes huc conferte, vt habeatis *cibum, qui* non ipse tantum *permanet*, sed etiam affert *vitam æternam*, & conseruat vos in ea. Est quidam animæ cibus, qui ipsam quidem recreat, qualis est scientia humana, laus hominum, memoria præclare gestorum: sed is non permanet in vitam æternam. Vos ergo studete acquirere illud, quod possit animæ peccatis mortuæ vitam restituere, conscientiæ turbatæ pacem & tranquillitatem afferre, ideoque vos totos in vitam æternam conseruare. Et hunc cibum vult nos ἐργάζεσθαι *operari*, vt quemadmodum operarius, laborat manibus pedibusque, & in sudore vultus sui, vt victum acquirat, quo se suosque honeste alat: sic nobis hominibus hic vnus finis & scopus propositus esse debet, vt spretis temporariis & caducis rebus, ad cœlestia adspiremus. Ad hoc enim creati sumus: propter hoc etiam Christus nos redemit: in hũc denique finem accepimus Spiritum sanctificationis. Sed ô deplorandam & culpandam nostram stupiditatem: qui fere nos totos terrenis & perituris rebus immergimus, æterna autem & cœlestia bona secure negligimus. Hæc est Propositio doctrinæ, quam in concione fusius tractabit: Vult nimirum, vt omnes studeant habere illum cibum, qui animam alat ad vitam æternam.

Simul autem ostendit, quis hunc animæ cibum dare possit: *quem filius hominis dabit vobis.* Per *filium hominis* intelligit Messiam, titulo Iudæis ex Dan.7.v.13. noto. Hoc modo peruersam Pharisæorum opinionem castigans: qui Messiã expectabant tantum in eum finem, vt temporalia bona Iudæis afferret, eosque ex Romanorum potestate liberaret. Sed Christus hic ostendit Messiæ officium longe sublimius esse, vt scilicet de spiritualibus & æternis bonis nobis acquirendis laboret. Non autem statim in principio Sermonis dicit: quem Ego dabo vobis: Sed indefinite dicit: *quem filius hominis dabit*, vt sic modeste & sensim implantet cordibus ipsorum salutificam sui notitiam. Vnde etiam notã addit, ex qua possint cognoscere, quis sit ille *hominis filius*, qui hũc cibum sit daturus. *Hunc enim Pater consignauit Deus.* Hoc est, cœlestis pater Messiæ certas notas ceu signa vel sigilla addidit, ex quibus præ reliquis filiis hominum cognosci possit. Quæ est autem illa sigillatio, vel signatura? Patres non vniformiter eam accipiunt, Cyrillus intelligit, quod filius signatus sit ad immutabilem Dei identitatem. Et Hilarius lib.8. de Trinitate dicit *Signauit pater*, quia filius omnem in se paternæ formæ plenitudinem signantis Dei continet. Vere hoc dicitur. Nam quemadmodũ signaculum simile est sigillo imprimenti: sic filius est veluti signaculum æterni patris: est splẽdor gloriæ & character substantiæ ipsius, Heb.1.ver.3. Augustinus autem intelligit, quod *Pater signarit*, hoc est, apposito aliquo signo à reliquis separarit. Cuicunque enim rei signum additur, illud fit in eum finem, vt etiam cum aliis confusa, tamen dignosci possit. Et arbitratur hoc intelligendum esse de Spiritu sancto, quo Deus pater filium suum vnxerit præ consortibus suis, Psal.45.vers.8. Hoc quoque non perperam dictum est, sicut etiam hanc sententiã acceptat Lutherus, vt patet ex scholio marginali huic textui in Bibliis apposito. Verum Chrysostomi sententia simplicior & ad præsentem materiam accommodatior videtur, qui illud *consignauit* accipit pro reuelauit pro testimonium miraculorum. Miracula enim sunt illud sigillum, quo Deus iam antiquitus Esa.35. v.5. signauit Messiam, vt ex iis homines eum agnoscere discerent. Ideo postea Christus ipse Iudęis dicit, Iohan.10.v.37. Si non facio opera Patris mei: nolite credere mihi. Si autem facio, & si non vultis mihi credere, operibus credite. Vt enim Reges & Principes, quando legatos suos aliquo mittunt, eos literis Credentię instruunt, quas sigillo proprio obsignant, & communiunt: ita orbis Monarcha Deus filium, quem ad nos miseros mortales ablegauit, miraculis inauditis, ceu literis Credentiæ instruxit, quæ hoc nomine Signetum Dei appellare liceret. Vult ergo Iesus, vt Iudæi tum ex aliis miraculis, tum potissimum ex illo quinque panum miraculo discant agnoscere, quod ipse sit Messias, habens signaculum à Deo patre impressum, quod nec ipsi nec infernalis dæmon auellere queant. Ac proinde debere Iudæos apud ipsum quærere nõ cibum perituriũ, sed verũ illum animæ cibum, qui ipsos adducere possit ad vitam æternam. Hic enim est vniuersalis vsus miraculorum, quem etiam nos adhuc hodie tenere debemus, vt credamus, quia Iesus est Christus filius DEI, & vt credentes vitam habeamus in nomine eius. Ioan.20.v.31. Missos ergo facimus omnes illos Pistores & Coquos, qui extra Christum animæ fercula parare satagunt. Nõ saturare illa possunt animas famelicas, sed tantum æternam nauseam ipsis creant. Et hæc est Propositio huius Concionis.

2. Iã debuissent Iudæi quærere, quis esset ille cibus, & quomodo comparari possit? Sed ipsi, fascinati, Pharisaicis opinionibus ex deprauatione diuinæ legis putant, se operibus legis vitam æternam acquirere, sicque famem & sitim illam spiritualem restinguere posse. Proinde interrogant: *quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Recte obseruauit Cyrillus, quod quærat non bono animo, nec discendi cupiditate, sed ex arrogãtia, & vt oblique Iesum taxent. Quasi dicerent: Verumautem nos opera habemus, nõ tantum electitia & à Maioribus tradita, sed etiã *opera Dei*, hoc est, talia opera, quæ ab ipso Deo sunt præcepta, & qui ipsi probantur, vt ita tam ratione caussæ efficiẽtis, quam ratione caussę finalis merito *Dei opera* dicantur, quibus nos etiã nobis Deum propitiũ reddemus: qualia sunt circumcisio, sacrificia, & reliqua tam ceremonialia, quam moralia à Deo præcepta opera. An igitur tu alia habes opera, quæ nobis præscribes, vt ea operando vitam æternã cõsequi queamus? Est autẽ hic non tantũ Iudæorum, verũ communis omnium hominum error, quod cõscientiam peccatorum onere grauatam operũ meritis releuare, & iram Dei accẽsam bonis operibus auertere satagũt. Quid dignũ offeram Domino, inquit Iudęus apud Mich.6.v.6. curuabo genu Deo excelso? nũquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos? nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? nunquid dabo primogenitum meũ pro scelere meo, fructũ ventris mei pro peccato animæ meæ? Sic iuuenis ille Euangelicus quærit: Quid operando consequar vitam æternam? Matt.19.16. Sic olim Philosophi, hodie Turcæ, & cum his etiam Pontificij per bona ope-

ra æternam famem & sitim subterfugere & in cœlum conscendere satagunt. Qua in re Pontificij Iudęis adhuc sunt deteriores. Hi enim hic *opera Dei* prætendunt: illi autem vrgent *opera hominum* siue humanarum traditionum, qualia sunt peregrinationes, vota monastica, frigidæ cæremoniæ, exsequiæ funebres, anniuersaria, & consimiles sexcentæ nugæ, quibus suorum sitim & æstum in fictitio suo purgatorio igne exstinguere conantur. Error ille hinc prouenit: quod isti homines nec legis diuinæ perfectionem, nec operum suorum imperfectionem, nec æternæ vitæ excellentiam, nec infernalis ignis vehementiam digne æstimant.

Christus ergo hoc in loco illum errorem funditus exstirpat & reiicit, atque testatur, cibum illum cœlestem, quem hominis filius daturus sit ad vitam æternam, nullis operibus legis, multo minus electitiis hominum operibus, sed solummodo credendo accipi posse. *Hoc est, inquit, opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* Notetur hæc antithesis, loquuntur Iudæi de operibus legis, & horum meritis se salutem consequi posse arbitrantur. Sed Christus testatur solam fidem apprehendentem misericordiam Dei gratuitam in Messiæ obedientia fundatam, hoc præstare. Diserte igitur ab acquisitione cœlestis cibi remouet omnia opera Legis simul & traditionum electitiarum, qualia tum temporis in vsu erant: & tribuit hoc vni & soli fidei, quæ apprehendit Christum, quatenus missus est. Ideo enim dicit *vt credatis in eum, quem misit ille*, non tantum modestiæ caussa se non nominat, sed vult rationem veræ & saluificæ fidei indicare, quod nimirum eatenus saluet, quatenus omnem fiduciam collocat in Christum mundi seruatorem à patre missum. Super hoc fundamentum Apostolus Paulus superstruxit suas assertiones in vtraque epistola, tam ea quam ad Romanos, quam illa, quam Galatas scripsit, quas etiam nos tuemur, quod homo peccator coram Deo sola fide absque operibus legis iustificetur. Probe itaque hanc Christi maximam teneamus, quod in salutis negotio, sola fides Christum à patre missum apprehendens sufficiat, neque hæc gloria vllis operibus, quatumuis speciosis & splendidis, sit tribuenda. Non autem opus est, operose hic disputare, an & quomodo, & quatenus fides sit opus, cum Christus illam *opus Dei* vocet. Facit id per Mimesin, qua phrasin legalem ex ipsorum sermone arripit, & postea latius declarat. Sicut etiam à Paulo ἔργον τῆς πίστεως opus fidei, nominatur 1. Thess. 1. vers. 3. & 2. Thess. 1. vers. 11. Sed attende, quale nam sit opus fidei, non tale, quo multum mereamur, sed quo multum accipiamus. Fides enim coram Deo nihil operatur, nec opera sua ostentat, sed offert Deo animam vacuam, esurientem & sitientem, ac saturari cupit. Non superbit fides sua dignitate, sed tantum petit gratis sibi donari illum cibum à filio hominis. Ideo propheta dicit Esa. 53. v. 1. Emitte absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Et Christus dicit Apoc. 21. v. 6. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ *gratis*. Rursus c. 22. ver. 17. Qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ *gratis*.

Cæterum Iudæi non tam cito nec tam facile à præconcepta sua opinione cedunt. Male enim ipsos habet, quod dominus Iesus operum fiduciam reiicit. Ideo ipsi dicunt: *quod ergo tu facis signum, vt videamus & credamus tibi? quid operaris?* q. d. Vis nos à doctrina Moysis & obseruatione legis ipsius abstrahere: derogas operibus, quæ iuxta ipsius præscriptum facimus, virtutem & efficaciam nos ad salutem adducendi, nosque remittis ad quempiam, quem Deus miserit, siue tu ille sis, siue alius. Monstra igitur nobis tu illa speciosa signa, quæ videamus & tibi fidem habeamus. Quasi vero Moyses non etiam à Deo missus, eiusque doctrina & ministerium stupendis miraculis confirmatum fuerit. Mors ergo Moysis factum allegant, illudque Christi miraculo opponunt. Pauisti quidem semel quinque millia hominum quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus. Quid vero Moyses? Ille sexies centena millia patrum nostrûm, exceptis mulieribus & paruulis, totos quadraginta annos aluit: idque non vulgari pane hordeaceo, sicut tu, sed pane cœlesti Psalm. 78. v. 24. esca angelorum, Sap. 16. ver. 26. Simile tu nondum fecisti. Iccirco merito Moyses apud nos in pretio est: nec dubium, si ad normam præceptorum ipsius vitam instituerimus, quin in cœlum, vnde Manna illud depluit, peruenturi simus. Sic vero reipsa gulositatem suam produnt, & quod tantum ventris caussa Christum, sicuti ipsis obiecit, quæsierint. Et patet alios Iudæos hic superuenisse, qui se Christo opposuerint, qui non ipsius conuiuæ, nec illi fuerint, qui supra viso miraculo dixerunt: *hic est vere Propheta*. A gulositatis autem vitio Christiani abstineant: quia quorum Deus venter est, eorum gloria est in confusione, Phil. 3. vers. 19. licet Patres crepent, licet scripturas quanquam mutilatas allegent, sicut hi Iudæi fecerunt.

Ad hanc obiectionem Iudæorum Christus ita respondet, vt primum graui asseueratione dicat: *Amen amen dico vobis, Moyses non dedit vobis illum panem de cælo.* Tria negat in Iudæorum obiectione. 1. negat, quod Moyses Manna dederit: qui Exod. 16. v. 4. Deus ad Moysen dicit: Ego pluam vobis panes de cœlo. 2. negat, quod Manna vere & proprie ex cœlo deuenerit: quia ex nubibus descendit Psalm. 78. versicul. 23. 3. negat quod Manna fuerit ille cibus vitæ, de quo ipse disserat, & quem ipsos operari atque quærere iubeat. Nam Manna ipsum computruit, & vermibus scatere cœpit, si ad mane vsque seruaretur, Exod. 16. v. 20. Quomodo ergo aliis vitam æternam præstare posset? Adhæc patres, qui Manna comederunt, omnes mortui sunt, dum adhuc esca in ore ipsorum erat, ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum; & electos Israelis prostrauit, canit Asaph in prædicto Psal. v. 31. Ratio ibi additur: Irritauerunt Dominum, tentauerunt Deum, & exacerbauerunt sanctum Israelis, dicentes: Nunquid potest parare mensam Dominus in deserto? Sic Christus locum Psalmi, quem Iudæi mutilate citarant, plene inducendo, monstrat, tum etiam Deum fidē à patribus ipsorum requisiuisse, cui dum locum dare noluerunt, perierunt: debere igitur ipsos desistere à gulositate sua, quæ etiam patribus ipsorum noxia fuerit, & potius quærere ac operari illum cibum, qui permanet in vitam æternam. Vtque ipsos propius ad rem ipsam adducat, addit: *pater meus dat nobis panem de cælo verum. Panis enim DEI est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Vult eos deducere agnitionem veri panis cœlestis, cuius beneficio æternam famem sedent, eique tres conditiones attribuit, in quibus à Manna, & reliquis cibis multum differt. Vnam quod *de cælo descendit*. Manna autem proprie non ex cœlo, sed ex nubibus decidit. Alteram, quod *dat vitam* absolute: Manna autem, & quilibet cibus alius non dat vitam absolute. Sed tantum habentibus vitam conseruat eam ad tempus: nec perditam potest restituere, multo minus ab æterna morte præseruare. Tertiam, quod dat etiam *mundo*, id est, omnibus cuiuscunque loci vel gentis hominibus. *Mundi* enim vocabulum hic non accipitur eo modo, quo Iohan. 15. vers. 19. mundus odit vos: vel Iohann. 17. ver. 9. non pro mūdo rogo. In quibus & similibus locis *mundus* accipitur pro mundanis & impiis hominibus. Non etiam accipitur *mundi* vocabulum pro electis, vt quidam interpretantur. Electi siquidem nusquam in scriptura sunt *mundus*: sed accipitur pro vniuersa hominum multitudine in toto mundo, sicut Iohan. 3. versic. 16. Sic Deus dilexit *mundum*. Nam hic *cælestis panis dat*, parat & offert *vitam toti mundo*. Quod vero non omnes accipiunt, nec vitæ participes sunt, culpa & defectus non est in pane, sed in hominibus, qui panem vitæ oblatum fide accipere nolunt. Manna autem non dedit vitam toti mundo, sed solis patribus Israelitarum alimentum præbuit, idque tantum per quadraginta annos in deserto vagantibus. Idcirco Manna non est ὁ ἄρτος ὁ ἀληθινός, *Panis ille verus de cælo*, sed est tantum figuratus & vmbratilis, vt Diuus Augustinus nuncupat, qui non præstitit vitam Israelitis, sed tantum Christum, qui *verus ille panis* est, præfigurauit: eo modo petra, de qua biberunt, præfigurauit Christum, qui vera est petra salutis. 1. Cor. 10. v. 4.

3. Quia satis diserte hactenus Christus docuit, se de longe excellentiori cibo loqui, quam vel Manna, vel panes hordeacei sint, quem Iudæi quærere debeant, si æternæ vitæ participes reddi velint: proximum iam erat, vt Iudæi, si se dociles discipulos præbere voluissent, inquirerent: quinam ille *panis cælestis* esset? Sed ipsi omissa quæstione vtili & necessaria, ludunt in re seria, & per Ironiam dicunt: *Domine semper nobis da panem istum*, prorsus eodem sensu, quo supra Ioh. 4. ver. 15. Samaritana dixerat: Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam: neque veniam huc haurire. Sic isti: Domine, da nobis panem illum, vt non opus sit subinde magno labore & impensis victum parare. Hi tamen Samaritana sunt deteriores: quia hæc à Christo reprehensa, mox resipuit, & Christi facta postea aliis predicauit. Iudæi vero è Christo admoniti, non tantum in improbitate sua persistunt, sed subinde deteriores facti, aduersus eum murmurant & tandem penitus deficiunt. Attende igitur, quodnam gulositas & ventris studium homines adducat. Initio satis bene affecti esse & salutis negotium serio agere videntur. At vbi doctrina prauis ipsorum desideriis non seruire vult, protinus fiunt Empectæ & illusores, qui Christi promissiones scurriliter rident & dicunt: Vos præcones verbi multum garritis per circulum anni de Dei gratia, de pace & æterna felicitate. Vbi est illa vestra pax, quam toties polliciti estis? Egregius vero Dei fauor, quotidianis afflictionibus exerceri, exsulare, egere, esurire. Egregia felicitas, perpetuo inter media pericula versari, & mortē quasi semper secum circumferre. Discamus itaque mature apud Christum non nisi cœlestia quærere, & prauos ventris affectus compescere,

compescere, ne nos tandem in exitium illi præcipitent. Potest tamen hæc Iudæorum obiectio, *Domine, da semper nobis panem istum*, etiam sic accipi, quod velint innuere, Christum nimis facilem viam ad vitam æternam sternere: si ad illam fidem saltem peruenire liceat. Si non ex operibus dependet: Ergo omnes promiscue illius cibi participes reddentur. Ad hanc obiectionem Christus postea respondebit.

Nunc ipse, sannas Iudæorum nihil moratus, in suo proposito pergit, & tertium membrum concionis suæ ponit, atque aperte explicat quis sit ille cibus, qui hanc virtutem habeat, vt vitam æternam largiatur, si ipsi credamus. Ne forsan eam fidei tanquam operi, vel eius dignitati tribuamus. Dicit ergo: *Ego sum panis vitæ*. Hanc propositionem postea in hac ipsa Concione aliquoties repetit, & cum illa commutat *Caro mea vere est cibus*. Dilucide, sed modeste afferens, se eum esse, qui spiritualem famem & sitim restinguat, atque æternam vitam communicet. Quia vero antea diximus, tres esse conditiones veri illius & cœlestis panis: ideo easdem in Christo quæramus. Prima est, vt sit è cœlo. Etenim vera vita non est in hoc mundo, in quem per peccatum mors introiit. Rom. 5. v. 12. sed est in cœlo apud Deum. Ipsius enim sunt viæ vitæ, & delectationes ad dexteram ipsius vsque in sempiternum, Ps. 16. v. 11. Nobis vero cœlum nimis est sublime & altum: nos mundana hæc transcendere, & ex cœlestibus vitam adducere nequimus. Sed filius Dei ad nos descendit, sicut dicit: *Ego descendi de cœlo*. Æternus igitur Dei filius propter nos homines & nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est, vt canit Symbolum Nicænum, quo fieret panis vitæ. Deinde vero datne quoque hic panis seu caro Christi vitam, quæ altera est proprietas? Vterq; Per se quidem & natura caro hominis est sedes mortis. Sed filius Dei, in quo vita erat, & quidem illa vita, quæ est lux hominum, Ioh. 1. v. 4. personaliter vnitus carni, facit illā suam carnem quoque viuificam per communicationem diuinę suę maiestatis. Imo non tantum vult ipsam esse viuificam, vitam in se perfecte & absolute continentem, sed etiam viuificantem, hoc est, aliis vitam communicantem, vt de ipsius plenitudine nos omnes accipiamus gratia pro gratia, Ioh. 1. v. 16. Et hæc est tertia proprietas, quod verus panis *dat vitam mundo*. Nemo enim hominum à beneficio redemtionis ad vitam æternam, quod Christus perfecit, exclusus est. Hanc ergo Christi propositionem probe notemus. Hoc enim vnū est ex præcipuis fidei nostræ Christianæ principiis, quod scimus & statuimus nos in vno & solo Iesu Christo reposita habere omnia, quæ nobis ad salutem & vitam æternam sunt necessaria. Ideo vere subiunxit: *qui ad me venit, non esuriet. & qui credit in me, non sitiet vnquam*. Nemo putet hæc hyperbolikōs dicta esse. Vere enim solus Christus totam omnium desideriorū nostrorum tam in hac quam in illa vita sistit. Ipse dat pacē conscientiis, vt nullis peccatorum terroribus consternamur. Quia ipse delet iniquitates nostras, & peccatorum nostrorum non amplius recordatur. Ies. 43. v. 25. Ipse efficit, vt nullis aduersis moueamur, sed potius in afflictionibus gloriemur, Rom. 5. v. 3. quia scimus, eas non ab irato, sed salutis nostræ cupidissimo Deo immitti. Quin nec mortem reformidamus, quia vita nostra Christus, & mori lucrum, Phil. 1. v. 21. & nec gladius, nec persecutio, nec mors separant nos à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu, Rom. 8. v. 35. Et hæc quidem à Christo habemus in hac vita. In altera autem vita, quando apparebimus in iustitia conspectui ipsius, & cum apparuerit gloria eius, ibi tum recte satiabimur, Ps. 17. v. 15. Nemo ergo negare potest, vere Christum dixisse, eos *nec esurire nec sitire vnquā*, qui ipsius participes fiant. De eo etiam Dauid dixit: Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? Deficiat sane caro mea & cor meum: petra cordis mei & pars mea Deus in æternum. Ps. 73. v. 25. Miseros ergo & infelices omnes eos, qui relicto hoc pane vitæ magnis impensis alia salutis adminicula, siue in hoc mūdo, siue extra eum, quærunt, quæ tamen nec famem nec sitim animarum sedare possunt. Sicut Salomon etiam in Ecclesiaste suo fatetur: siquidem omnia sunt vanitas vanitatum. & plus quam vanitas. Solus autem Christus est, qui animam esurientem satiat bonis, Psal. 107. v. 9. Ipse est, qui his, qui in tenebris sunt, dicit: Reuelamini: in omnibus collibus pascua eorum: nō esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & Sol, Ies. 49. vers. 16. Et Ier. 31. v. 26. Ego inebriaui animam lassam, & omnem animam esurientem saturaui.

Cæterum, hic simul considerandum, quod tamen Christus ipse postea plenius explicabit, quomodo hic panis paretur, vt fiat mundo panis vitæ. Frumentum commolitur in farinā, farina subigitur aqua, & inde massa aliqua conficitur, quę postea torretur, & pinsitur, vt panis inde coquatur. Sic cū Christus seipsum & carnem suam tradidit pro nobis in mortem, hoc granum frumenti, Ioan. 12. v. 24. commolitum est in pistrino passionis, & accurate tostum igne iræ diuinæ in clibano crucis, vt mundo fieret panis vitæ. Hinc paulo post dicit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est quam ego dabo pro mundi vita*. Bis ponit verbum δώσω *dabo*: quia vere duplici ratione caro Christi datur pro mundi vita. Vna, ratione acquisitionis, quādo caro Christi in cruce traditur in mortem pro totius mundi, ne vno quidem homine excepto, vita. Altera, ratione applicationis & distributionis, qua in prædicatione Euangelij hæc vita itidem omnibus in mundo offertur. De quo iam pluribus agemus.

4. Nam quartum huius concionis membrum est, de modo applicationis, seu de medio operandi hunc cibum. Hunc cibum non acquirimus nostris operibus vel meritis; Sed *pater dat* gratis, mittendo filium in mundum: *filius* quoque *dat*, parando & sollicite curādo, ne quos pater dedit pereant: Spiritus denique sanctus *dat*, offerendo in verbo & efficiendo, vt *omnes sint θεοδίδακτοι à Deo docti*. Sicut mox pluribus docebit. Et hoc est medium applicationis quoad Deum, totum gratuitum. Medium quoad nos, quo oblatum panem vitæ acceptamus, est fides. Illam vero partim simplicibus, partim metaphoricis verbis Christus hic describit. Vocat primum ὁρᾷν *videre*. Secundo γνῶναι *cognoscere*. Tertio, πιστεύειν *credere*. Quarto φαγεῖν vel τρώγειν καὶ πίνειν *edere* vel *manducare & bibere*. Vtitur autem distinctis hisce verbis, vt diuersos quasi gradus, & certa quædam membra, quæ ad fidem iustificantem requiruntur, demonstret. Sicut & nos in scholis nostris docemus, in fide vera seu iustificante quatuor hæc requiri. 1. Notitiam. 2. Assensum. 3. Fiduciam. 4. Applicationem. Et licet Iesuitæ hanc fidei descriptionem false rideant, atque odiose exagitent: in hoc tamen membro concionis Christi, in quo de applicatione agit, apertissime quatuor illos gradus videmus. Nā primum de Iudæis dicit: ἑωράκατέ με *vidistis me*, & mea miracula, *& non credidistis*. Hic est primus gradus fidei, quo Iudæi *viderunt* miracula Christi, ea vere facta esse sciuerunt, eorumque notitiam habuerunt, sed *non crediderunt*, quia nullam inde fiduciam in personam Iesu conceperunt. Atque hic gradus vsitate vocatur fides historica, quia constat simplici notitia, qualis solet esse historiarum. Sic Agrippa Rex credidit Prophetis. Actor. 26. v. 27. & tamen non factus est Christianus. Iacob. 2. v. 19. Dæmones sic credere dicuntur: iidem tamen contremiscunt. Matt. 13. vers. 21. vocatur fides πρόσκαιρος temporaria, quando quis obiectorum euidentia & miraculorum maiestate conuincitur, vt non possit contradicere, sed cogitur statuere verum esse, quod vel videt vel audit. Quando vero fides non altius assurgit, tum hic gradus non prodest ad salutem: licet omnino fides iustificans etiam hanc generalem fidem præsupponat & inclusam teneat, qua quis omnia, quæ verbo Dei patefacta sunt, certa persuasione verissima esse statuit, non aliter, quam si propriis oculis eadem *vidisset*. 2. Sequitur alter gradus, vbi Christus explicat voluntatem Patris sui, quæ sit, vt πᾶς ὁ θεωρῶν, *omnis, qui videt filium*. Hoc *videre* aliud est, quam illud prius. θεωρεῖν enim est perspicere, & ea quę audimus, vel videmus, perpendere, quasi τὰ θεῖα ὁρᾷν, diuina videre. Sunt ergo duo diuersi gradus, prior ille & hic. Vt & Varinus dicit: ὁρῶ μὲν τῷ σώματι, θεωρῶ δὲ τῇ ψυχῇ. Designat ergo Christus hoc vocabulo assensionem, qua quis non auersatur, nec persequitur, aut murmurat contra ea, quæ vidit & audiuit, nec iis repugnat, vt fecere Iudæi, sed doctrinam propositam amplectitur, eamque sequitur. In hoc autem gradu includit Messiam: dum dicit, *omnis qui videt filium*. Etsi enim vera fides assentiri debet omni verbo Dei, tamen si debeat esse viuificans fides, tum respicit potissimum ad scopum totius Scripturæ, qui est Christus. Luc. 14. v. 27. & 44. Iohan. 5. v. 39. & 46. Roman. 10. v. 4. Psalm. 40. ver. 8. In hoc autem respicit promissionem gratię & oblatam remissionem peccatorum. Hinc etiam Diuus Augustinus libr. 2. de Trinitat. fidem Christianam à fide Dæmoniorum discernit per vltimos Symboli articulos: Credo remissionem peccatorum, corporum resurrectionem & vitam æternam. 3. His accedit tertius gradus, Fiducia, quam Christus exprimit, quoties dicit: qui videt filium, *& credit in eum*. Ideo Erasmus vers. 47. ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, recte vertit, *qui confidit mihi*. Nam ex notitia & assensione, quæ est in mente, cor seu voluntas operatione Spiritus sancti concipit desiderium: & quia homo sentit se oneratum esse peccatis & ira Dei, serio vult, expetit & quærit sibi donari remissionem, vitam, salutem, adeoque omnia beneficia, quæ Christus panis cœlestis cœlitus secum detulit. Et hæc est spiritualis illa fames seu *esuritio*, quæ in nobis excitat appetentiam *panis vitæ*. Hic quando homo corde, mente & voluntate se auertit à conspectu suorum peccatorum, & à sensu iræ Dei, seque totum conuertit ad Agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi, & à tribunali damnatorio confugit ad thronum gratiæ, ibi opus est hominem cum fiducia accedere, & firma persuasione ex promissionibus verbi diuini statuere,

Deum propter filium offerre, donare & communicare beneficia promissionis gratiæ, recipere ad iustitiam, salutem & vitam æternam. Et hoc est *credere in filium*, hoc est, in ipsum solum, eiusque meritum omnem suam fiduciam collocare. Licet autem hæc fiducia luctetur in tentatione cum dubitatione, cum pauoribus trepidantis conscientiæ, imo cum peccato, morte, diabolo, adeoque ipsis inferis: tamen eluctatur. Atque hæc est victoria, qua vincimus mundum & Diabolum, fides nostra 1. Iohan. 5. v. 4. 4. Quartus gradus est applicatio, qua quis non in genere tantum credit, esse aliquos, quibus Deus velit remittere peccata, & donare vitam ac salutem in Christo: sed vnusquisque sibi applicat, & statuit omnia beneficia Filij Dei in toto officio Mediatoris, in incarnatione, cruce, resurrectione, ascensione & sessione ad dexteram patris, quæ omnia latissime patent, ad se pertinere, atque sic sibi applicat. Sic quisque fidelis statuere debet, Christum sibi natum, Christum propter se passum, Christum proprio sanguine sua peccata deleuisse. Hæc enim est vera, viua, imo viuificans & saluans fides. Cauillantur quidem Pontificij nos à Stoicis mutuari κατάληψιν, quam Cicero comprehensionem vocat. At vero Scriptura ipsa hisce significantissimis verbis vtitur, Ioan. 1. v. 5 Filius Dei venit in mundum, sed tenebræ ipsum οὐ κατέλαβον, non apprehenderunt, & v. 11. & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius, Coloss. 2. versic. 6. Sicuti παρελάβετε accepistis Iesum Christum. Est ergo hic gradus fidei, Applicatio, in Scriptura firmiter fundatus. Hoc vero in loco Christus eum exprimit verbo *manducandi & bibendi*. Ne enim quis putet, fidem esse otiosam cogitationem, vel frigidam imaginationem, vocat eum *manducationem*. Et ne quis putet esse manducationem visibilium panum, qualis facta est in miraculo: Ideo postea dicet: *Verba quæ loquor, Spiritus & vita sunt*. Nimirum indicat, se loqui de spirituali manducatione, quam Spiritus sanctus operatur, & quæ fit fide. Quæ fides sic nos Christo inserit, vt fiamus ipsi σύσσωμοι concorpores συμμέτοχοι participes promissionum, & συγκληρονόμοι coheredes, sicut Paulus ad Ephes. 3. ver. 6. valde emphatice hac de re loquitur. Hanc incorporationem, quæ fide fit, Christus hic respicit vocabulo *manducationis*. Vt enim cibi, quos manducamus, non tantum alimentum corporibus nostris præbent, & vitam nostram conseruant: sed etiam per arcanam vim naturæ insitam in substantiam corporis nostri mutantur, vt corpus ex ipsis crescat, & adolescat. Sic diuina quadam virtute per fidem Christo inserimur, vt simus membra corporis eius, de carne eius, & de ossibus ipsius, Eph. 5. v. 30. Talis enim fit complexus Christi & nostri per fidem, vt Christus sit in nobis & nos in ipso, Ioan. 17. ver. 21. Hinc Christus Eph. 3. ver. 17. dicitur per fidem habitare in nostris cordibus. Vt quemadmodum Christum misit viuens pater, & filius viuit propter patrẽ: sic nos qui manducamus Christum, viuamus propter ipsum, sicuti hoc ipsum Christus infra vers. 57. plenius explicabit. Hæc est verissima explicatio Metaphoræ huius manducationis, quam ipsa verba Christi præbent. Vt ita Christus per mãducationem nihil aliud intelligat, quam quartum & supremum gradum fidei iustificantis, qui consistit in applicatione beneficiorum Christi. Quem gradum etiam expressit in parabola nuptiarum, Luc. 14. ver. 16. vbi vult nos ad nuptias vocatos non tantum comparere, & accumbere, verum etiam gustare cœnam paratam.

5. Quintum membrum concionis Christi est, quod concionatur de fructu, vtilitate & necessitate huius spiritualis manducationis. Variis autem verbis hunc fructum & necessitatem per integrum propemodum hoc Caput exprimit. Ad hoc membrum concionis pertinet, quod dicit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam Ego dabo pro mundi vita*. Ergo testatur, totum mundum in peccatis esse mortuum, sicut & Paulus docet Eph. 2. ver. 1. & Col. 2. ver. 13. Vbi enim vita abest, ibi mors regnat. Ac proinde tanta cum asseueratione pronuntiat: *Amen, amen dico vobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis*. Cum Paulo enim omnes scire debemus, quod in carne nostra non habitet bonum, Rom. 7. ver. 18. Et hac de causa Paulus ibid. ver. 24. carnem nostram vocat corpus mortis: & Rom. 8. v. 10. affirmat, corpus mortuum propter peccatum. Et hoc sensu Christus ipse in sua concione dicit: *Caro non prodest quicquam*. Vbi vocabulum *caro*, non sine blasphemia de carne Christi à quibusdam accipitur: quæ certe prodest plurimum, quia *dat mundo vitam*. Sed *caro* quando opponitur *spiritui*, qualis est nostra caro natura, Ioan. 3. v. 6. tum *nihil prodest*, non conducit quicquam ad vitam æternam. Caro enim & sanguis regnum Dei possidere nequeunt: neque corruptio incorruptibilitatem possidebit, 1. Cor. 15. ver. 50. Nam ὠφελεῖν *prodesse* hoc loco idem significat quod proficere, vt & in aliis Scripturæ locis. Sic Pharisæi dicunt Pontificibus Hierosolymitanis Ioan. 12. v. 19. Videtis, ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν, quod nihil proficitis. Et Paulus 1. Cor. 14. v. 6. dicit, Si veniam ad vos fratres linguis loquens, τί ὑμᾶς ὠφελήσω, quid vobis prodero? Psalm. 89. vers. 23. habet hoc verbum peculiarem significationem, quæ ad hunc locum non inepte accommodari potest, vbi loquitur de Messia filio Dauid, & dicit: inimicus οὐκ ὠφελήσει non proficiet aduersus eum, nec filius iniquitatis opprimet eum. Sic caro οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν, non proficit quicquam in via salutis, non potest opprimere mortem. Sed caro Christi *est vere cibus, & sanguis eius vere est potus*: nec est alia via vitam adipiscendi, nisi ex hac Christi carne. In ea enim, vt absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, Coloss. 2. ver. 3. Ita etiam in eadem deposita est vita totius mundi, vt ex eius plenitudine omnes desumamus. Eam qui manducauerit, ille 1. *nunquam esuriet, nec sitiet*, quia habet accessum ad Deum per Christum, Ephes. 3. vers. 12. habet pacem conscientiæ, Rom. 5. vers. 1. habet iustitiam, quam opponat suis peccatis: habet satietatem, quam opponat omni egestati mundanæ. 2. *Non morietur*, id est, cor sentit nouam vitam & lætitiam in Deo, vt suauiter acquiescat in promissione gratiæ, etiam in media cruce, in persecutionibus, in ipsa denique morte. Habet enim indubitatam spem gloriæ Dei, Rom. 5. versic. 2. 3. Et si quis maxime corporaliter mortuus fuerit: tamen promittit hic Christus, *Ego eum resuscitabo in nouissimo die*. Hoc quater in hac Concione iisdem verbis repetit, vt de hac spe certi simus, de qua Paulus 1. Thessal. 4. ver. 14. scribit: Si credimus, quod Iesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Et hoc veteres ad Eucharistiam accommodarũt, docentes, quod in ea Christus carne sua Christianos cibet, inter alia etiam in hunc finem, vt quemadmodum ipse Caput nostrum in morte non mansit, sed ea resurrexit, sic etiam nos membra ipsius ex morte resurrecturi simus. Atque tum 4. qui spiritualiter manducauit hanc carnem, *viuet in æternum*. Nam in hunc finem commendati sumus filio à Patre, vt quemadmodum ipsi viuunt, ita & nos viuamus. Magnam hæc addunt consolationem, quod scimus, in tuto collocatam esse vitam nostram, siquidem ea non asseruatur in manibus nostris, ex quibus facilius, quam olim in paradiso ex Adamo manibus rapi posset: sed sita est in manibus omnipotentis filij Dei. Vt ita magno animo cum Paulo dicere possimus, Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem, 2. Tim. 1. vers. 12. Nam fructus huius spiritualis manducationis ad vtramque vitam pertingit: ad hanc, quod in ea de salute sumus certi, ad illam, quod etiam corporibus nostris olim an cara sumus resurrecturi.

6. Sextum & vltimum membrum Concionis Christi est, quo occurrit obiectioni Iudæorum, qua opinabantur, viam ad salutem nimis facilem reddi, si soli fidei absque legis operibus ea attribuatur. Sic nimirum futurum, vt promiscue omnes saluentur cum promiscue omnes de fide gloriari, atque sic cibum illum cœlestem operari queant. Respondet Christus, nequaquam saluificam fidem rem adeo facilem esse, vt ipsi sibi imaginentur, sed esse illam donum Dei, quod is per certa media largiatur illis, qui in ipso vitam æternam sint hæreditaturi. *Nemo*, inquit, *potest ad me venire*. *Ad Christum venire* dicuntur illi, qui serio salutis suæ desiderio accensi ad veram Christi cognitionem adspirant, illum firma fide amplectuntur, sicque in ipso saluantur. Hoc *nemo potest* facere ex naturalibus liberi sui arbitrij viribus, prout olim Pelagiani & hodie quotquot τῷ αὐτεξουσίῳ patrocinantur, contendunt. Etsi enim D. Augustinus alicubi dicit: Credere est gratiæ, posse autem credere est naturæ: illo ipso tamen *posse* non intelligit talem naturalem δύναμιν, vim, efficaciam & facultatem, qua homo spirituales actiones incoare, & fidem in seipso excitare queat. Sed tantum distinguit inter naturam hominis & brutorum, quæ talis est, vt ad nullam fidem induci possit. Interim nihilominus in ipsis hominibus non renatis manet ἀδυναμία & impotentia credendi, vt ex seipsis non possint credere. Sicuti hoc videre licuit in gentium Philosophis, qui cum in reliquis rebus acutissimi fuerint, in Dei tamen & mysteriorum salutis cognitione ἐματαιώθησαν vani facti sunt, Rom. 1. v. 21. & plusquam pueri atque infantes fuerunt. Hinc homines non renati in Scriptura vocantur tenebræ, quæ lucem non apprehendunt. Ioan. 1. versic. 5. & 3. vers. 19. Ephes. 5. vers. 8. vocantur in peccatis non tantum ægroti & infirmi, sed mortui, Eph. 2. versic. 1. Col. 2. ver. 13. Et hæc diserte alibi explicantur de carentia facultatis ad motus & actiones spirituales, 1. Corinth. 2. ver. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus, 2. Cor. 3. vers. 5. Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis ipsis, tanquam ex nobis ipsis, 1. Cor. 1. vers. 21. Mundus per suam sapientiam Deum non cognouit, Matth. 16. vers. 17. Caro & sanguis non reuelauit tibi. Rom. 8. v. 7. Sapientia carnis non

nis non subiicitur legi Dei. Ioan. 15. v. 5. Sine me non potestis quicquam. Quid vero multis testimoniis opus? Tota Scriptura cum auctore Scripturæ consentit: *Nemo potest ad me venire*, scilicet ex naturæ suæ viribus.

Vnde ergo fides in Christum? Est donum Dei, Ephes. 2. v. 8. Ideo Christus hic addit: *nisi pater traxerit eum*. Hæc est causa efficiens fidei, quod Deus, qui ex tenebris dixit lucem splendescere, ille illuxit cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, 2. Cor. 4. ver. 6. Is aufert cor lapideum, & dat cor nouum, Ezech. 11. ver. 19 & 36. versic. 20. Sufficientia enim nostra, & quod idonei sumus, est ex Deo, 2. Cor. 3. ve. 5. Omne enim donum bonum & donum perfectum est desursum, à patre luminum: Iacob. 1. v. 17. Deus ergo est qui operatur in nobis velle & perficere, vt aliqua ipsi grata fiant, Phil. 2. v. 13. Deo itaque adscribenda est regeneratio & renascentia nostra, ita etiam fides, qua Christum ad vitam æternam apprehendimus. Ne quis autem per hoc *trahere* Dei violentos raptus sibi imaginetur, sicuti olim Manichæi docuerunt, & hodie Enthusiastæ ita tradunt: simul instrumentales causæ fidei sunt considerandæ, quarum Christus hic quoque facit mentionem. Deus enim vtitur mediis, quibus sese nostræ naturæ & ingenio accommodat: nimirum verbi prædicatione & Sacramentorum administratione in legitimo Ecclesiæ ministerio. Per hoc Deus est efficax, ita vt sonus verbi prædicati non tantum aures feriat: sed per illud Deus cor aperiat, Act. 16. ver. 14. illuminet 2. Cor. 4. v. 6. emolliat, 2. Paral. 34. v. 27. & efficaciter trahat, vt ex nolentibus volentes fiant, & insolito cœlestium bonorum desiderio inflammati, à terrenis abhorreant, & totis animis ad Christum adspirent. Vt ergo fabulæ de Hercule Gallico referunt, illum agrestes homines oratione sua ex cauernis terræ protraxisse, & suis persuasionibus effecisse, vt in vnam ciuitatem coirent: ita multo efficacius Deus doctrina Euangelij mentes hominum trahit, vt cupidissime Christum Seruatorem amplectantur, in quo æternam felicitatem sitam esse cognoscunt. Hunc Dei tractum D. Augustinus pulcre explicat, dum dicit: Si poetæ dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas: non necessitas, sed voluptas: non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus trahi homines ad Christum, qui delectantur veritate, delectantur beatitudine, delectantur iustitia, delectantur sempiterna vita, quod totum Christus est? Et paulo post: Ramum ostendis oui, & trahis illam. Nuces pueri demonstrantur; & trahitur. Si ergo ista, quæ inter delitias corporales & voluptates terrenas amentibus reuelantur, trahunt, quoniam verum est, Trahit sua quemque voluptas: quomodo non traheret reuelatus Christus à Patre? Ergo tractio illa non fit violenter, sed mediate per ministerium verbi, dum ex repugnantibus Deus facit consentientes, ex nolentibus volentes.

Ideo addit Christus: *omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me.* Auditus requiritur: Quia, vt solus Deus veri Doctoris titulum meretur: sic qui huic se auditorem exhibere non vult, nihil in negotio salutis proficiet. *A patre* autem audire & discere dicimur, non quasi Deus ex cœlo descensurus, & humano more, ac visibiliter nobiscum collocuturus esset: quemadmodum olim Poetæ Minoa Iouis ὀαριστὴν seu collocutorem finxerunt. Sed quia Deus per verbum prædicatum efficax est. Nam nec qui plantat est aliquid, nec qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus, 1. Cor. 3. versic. 7. Ideo etiam Christus dicit: *non quod Patrem viderit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit patrem.* Hic vt vidit Patrem & voluntatem eius nouit: ita de cœlo ex sinu Patris descendit, vt nobis eam reuelaret, Ioan. 1. vers. 18. Hanc ergo prærogatiuam ipse filius solus habet. Hunc nos vicissim audire iubemur, Matt. 17. v. 5. Et quicunque verbum ab ipso nobis datum audit atque discit, apud eum Deus pater per verbum efficax est, & fidem atque salutem in ipso operatur. Ad hanc instrumentalem causam nos etiam Paulus remittit, quando Rom. 10. ver. 14. scribit: Quomodo credent ei, quem non audiuerunt? Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Quicunque ergo in Christo vitæ æternæ participes fieri cupiunt, illi prædicationem verbi, vsum Sacramentorum, preces & alia pietatis exercitia non negligant. Hisce enim mediis Deus ipsos trahit ad Christum, & per Christum ad vitam æternam. Hi enim qui sunt auditores & factores verbi, Iacob. 1. vers. 22. *Pater dat filio, & hæc est voluntas patris, ne quid perdat ex omnibus, quæ dedit ipsi, sed resuscitet in nouissimo die.* Quicquid graue & terrenum est, id tendit deorsum, nisi sursum trahatur. Notemus ergo hanc auream catenam, qua nos terrestres homines, ob peccati molem natura ad infernum tendentes, sursum in cœlum trahimur. Si quis vero contendat: quare Deus non omnes trahit? Is meminerit, culpam non esse in Deo, sed in hominibus: quia non omnes audiunt verbum, multi illud aspernantur, plures persequuntur media, per quæ Deus trahere volebat. Et quomodo Deus tales traheret? D. Augustinus quoque vt ab hac curiositate scrupulosius in arcanam Dei voluntatem inquirendi abstineamus, scite admodum monet, dum dicit: Quare Deus hunc trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Non traheris, ora vt traharis. Vult dicere sanctus Pater: applica te ad media, per quæ Deus fidem operatur, & effectum senties. Ad confirmationem huius membri Christus allegat Scripturas: *Scriptum est in Prophetis: Et erunt omnes docti à Deo.* En quanta sit auctoritas & dignitas Scripturæ, vt ipse Dei filius suam doctrinam eius testimoniis confirmet. Et hodie Iesuitæ eius auctoritatem, potissimum in controuersiis religionis impie & blaspheme eleuare audent? *In Prophetis* autem scriptum esse dicit: quia non tantum Iesaiæ 54. vers. 13. sed etiam Ier. 31. v. 33. consimilis sententia legitur. Agunt Prophetæ de Ecclesiæ instauratione in Nouo Testamento, & fidei eiusdem per omnes gentes propagatione. Huius auctorem faciunt Deum, qui per verbum virtute Spiritus sancti vndequaque adducturus sit, qui Christum accedant, & Ecclesiæ filij efficiantur. Hos *omnes*, qui nimirum Deum in verbo vocantem audiunt, *à Deo doctos* fore testantur. Non quod hac ratione tollendum sit ministerium: sed quod Deus ipse per verbum docere velit. Sicut Paulus hoc modo de Thessalonicensibus scribit: αὐτοὶ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε, vos ipsi diuinitus docti estis, scilicet per ministerium Apostoli Pauli, 1. Thess. 4. vers. 9. Atque hæc sunt Capita huius Concionis, quæ, si quis vellet, plenius diduci possent. Nobis summam rerum in præsentia commonstrasse sufficiat.

II. Iam porro etiam considerandum, an & quatenus doctrina huius Concionis etiam accommodari possit ad doctrinam de sacrosancto Cœnæ Sacramento. Rectissime autem omnium docent, qui statuunt, quæuis Ecclesiæ dogmata, & singulos fidei Articulos habere propriam suam quasi sedem in certis quibusdam scripturæ locis: & ibi ex professo tam tradi quam explicari debere, si modo veram & natiuam doctrinæ cœlestis sententiam consequi velimus. Hoc si etiam in præsenti negotio faciemus, Sole meridiano clarius euadet, eos, qui hoc sextum caput ad doctrinam de Cœna proprie & per se pertinere contendunt, grauissime hallucinari. Etenim hæc Concio habita est in Capernaum tertio anno ministerij Christi, cum vicissim sacra Cœna sequenti demum quarto anno Hierosolymis, in ea nocte, in qua Christus traditus est, Paulo teste, 1. Cor. 11. v. 23. instituta sit. Et tamen negari non potest, vtrobique agi de manducatione corporis Christi, & bibitione ipsius sanguinis. Quid ergo? Dicemus quod res est. Hic agitur de manducatione corporis Christi spirituali, quæ fit fide, sine externis symbolis: in sacra vero Cœna agitur de manducatione corporis Christi sacramentali, quæ fit ore corporis, sub consecrato pane. Et sciamus, duas hasce manducationes latissime à se inuicem esse distinguendas, licet vtraque à Christo salutis nostræ promouendæ causa sit instituta. Habet autem vtraque suam peculiarem sedem. Spiritualis manducatio in hoc capite Ioannis: Sacramentalis autē manducatio, in verbis institutionis. Quod si etiam pulcerrima illa D. Hilarij regula de interpretanda scriptura apud nos valeat, qua monet, quod ille optimus sit Scripturarum lector, qui dictorum intelligentiam exspectet potius ex dictis, quam imponat, & referat magis quam afferat, neque cogat hoc videri dictis contineri quod ante lectionem præsumserat intelligendum: nosque verba præsentis Concionis, quam diligentissime discusserimus, reipsa deprehendemus, plurimum inter spiritualem manducationem, quæ hic traditur, & Sacramentalem, quæ fit in Cœna, interesse. Nos vt pium & docilem lectorem iuuemus, nouem euidentissimas earum differentias adducemus. Quas qui diligenter obseruauerit, non facile in controuersia Sacramentaria turbabitur.

1. Differunt genere. Etenim manducatio corporis Christi, quæ fit in Sacramento Cœnæ, est ceremonia, quæ incurrit in oculos & sensus externos, vbi ore corporis cum pane Christi corpus excipitur & manducatur, licet ipsum Christi corpus neque videatur, neque sentiatur, neque dentibus teratur, neque deglutiatur. Quicquid tamen pani Cœnæ euenit, idem etiam Christi corpori, propter sacramentalem vnionem, non quidem Physice, sed ἐν μυστηρίῳ, attribuitur. Spiritualis autem manducatio non est ceremonia, nec in oculos hominum incurrit, sed fit in Spiritu, vbi anima per fidem, carne Christi pro se tradita, & sanguine pro se effuso, saturatur, indeque refectionem & consolationem, peccatorum remissionem & vitam æternam haurit. Quantum ergo inter se differunt externa ceremonia operis & interior fides cordis, tanta etiam est differentia inter vtramque manducationem.

2. Differunt prædicatis. Nam quando Christus in hac concione loquitur de sua carne & suo sanguine, tum omnes

BB 2

Interpretes, tam Veteres quam Neoterici, tam Lutherani quam Caluiniani, adeoque Pontificij, per illa verba intelligunt ipsam personam Christi, cum omnibus suis beneficiis & meritis, quibus nobis à patre factus est sapientia, iustitia, sanctificatio & redemtio, 1. Corint. 1. vers. 30. Et hoc ipse Christus in hac concione ostendit, non tantum quando dicit: *Ego sum panis ille vitæ, Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Quę verba diserte personam denotant. Verum etiam quando expressè addit: *qui ederit ME* (nota totam personam) *viuet propter me.* In sacra autem Domini Cœna, per distincta illa prædicata, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, neutiquam persona Christi intelligitur: sed simpliciter vti verba sonant, ita etiam de distinctis distributionibus corporis & sanguinis Christi accipimus. Nam quod Pontificij de Concomitantia nugantur, qua contendunt, sub quauis specie Cœnæ, vt loquuntur, siue sub pane, siue sub vino totum Christum sumi, siquidem corpus non sit exsangue, & vbi corpus Christi sit, ibi etiam esse ipsius animam & diuinitatem: illud tanquam Philosophicas speculationes, extra sacram scripturam exstructas, ipsis relinquimus. Patet ergo, vocabula *carnis & sanguinis* ratione prædicati aliter in hoc capite accipi, & aliter in doctrina Cœnæ.

3. Differunt subiectis. Quando Christus in hac Concione loquitur de pane, tum non intelligit eum, qui à pistore in clibano coactus est, sed de *Manna*, quam Iudæorum patres in deserto comederint: & hanc testatur sui fuisse typum & figuram, qua ipse fuerit designatus, quod de cœlo sit descensurus, & seipsum pro mundi vita traditurus, vt sic sit *viuus panis cælestis*, quem qui comedit, non esuriet in æternum. In sacra vero Cœna nullus figuris & typis locus datur, nulla Mannæ fit mentio. Sed Christus sumsit illum panem, qualis tum erat in mensa, & de eo pronuntiat: *hoc est corpus meum*, sumsit vinum ex vuis expressum, quale erat in calice, & de eo pronuntiat: *hic est sanguis meus noui Testamenti.* Ob hanc itaque diuersitatem subiectorum in vtraque Propositione, omnino etiam diuersitas doctrinæ, quæ vtrobique tractatur, colligenda est.

4. Differunt modo exhibitionis. In sacra Domini cœna Christi corpus seu caro nobis exhibetur in pane, sanguis vero in vino, nec alio modo distribuuntur, aut distribui possunt, eo quod ipse Christus panem & vinum media huius exhibitionis ordinarit. Ipse vero Christus cum suis beneficiis nobis & fidei nostræ fruendus exhibetur per verbum Euangelij, quandocunque, vbicunque & quomodocunque illud prædicatur, siue coniunctim cum sacramento, siue seorsim extra vsum Sacramenti. Quia enim in vera administratione sacræ Cœnæ Dominicæ etiam mors Domini annuntiatur, 1. Cor. 11. vers. 26. iccirco in eiusdem vsu præter sacramentalem exhibitionem, etiam fit exhibitio spiritualis per denunciatum verbum non minus quam in alia prædicatione Euangelij. Et qui his verbis in vera pœnitentia fidem habet, siue id in vsu Sacramenti, siue extra vsum fiat, is exhibitum Christum cum suis beneficiis spiritualiter participat. Et hoc ipsum etiam facit discrimen inter dignos & indignos conuiuas sacri illius conuiuij. Iccirco hic diuersus exhibendi modus diligenter est attendendus.

5. Differunt etiam diuersis modis accipiendi id, quod exhibitum est. Quando Christus cum suis beneficiis nobis spiritualiter per verbum offertur, tum eum NON apprehendimur ORE corporis. Vt recte Augustinus dixerit: Iudæe, ad quid paras dentes & ventrem? Sed FIDE tum Christus suscipitur, sicuti ipse in hac Concione id explicat: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Fide enim cum Christo vnimur, vt ipse sit in nobis, & nos in ipso, vtque participemus de omnibus beneficiis, quæ nobis acquisiuit, qualia sunt reconciliatio, peccatorum remissio, iustitia, vita & salus, sicque communio nostra sit cum Patre & Filio, 1. Ioan. 1. vers. 3. Quando vero in sacra Cœna corpus & sanguis Christi cum benedicto pane & vino distribuuntur, tum quisque Communicantium, siue is dignus sit, siue indignus, siue fide præditus siue non, ORE corporis comedit & bibit. Neque enim Sacramentalis vnio ita solui potest, vt in Communione sacra ori detur panis sine corpore Christi, & fidei detur corpus Christi sine pane: sed integrum Sacramentum ore accipitur. At vero panis sine corpore Christi non est sacramentum, sicut nec vicissim corpus Christi sine pane sacramentum est. Sed ille panis, qui per verbum Institutionis cum corpore Christi vnitur, est sacramentum, quod integrum ore corporis sumitur. Quantum ergo discrimen est inter Os & FIDEM, tantum etiam discrimen est inter spiritualem & sacramentalem manducationem, ratione sumtionis. Ac proinde etiam tanto discrimine hæc Concio Ioannes 6. ab institutione Cœnæ discernenda.

6. Differunt etiam ratione durationis, Spiritualis manducatio corporis & sanguinis Christi eiusmodi est, vt quis illam ante vsum Cœnæ habere, atque sic secum ad Cœnam afferre possit. Quia enim illa manducatio fide fit, ideo tam diu durat, quamdiu homo fide præditus est: neque prius desinit, quam homo omnem fidem abiiciat. Ideoque etiam hęc spiritualis manducatio crescit & decrescit, prout fides hæc vel firma vel languida deprehenditur. Et quacunque hora Christianus hac spirituali manducatione destitutus deprehenditur, iam actum est de ipsius salute, & damnationis immersus inuenitur. Qua de causa etiam omnes, qui sacra Domini cœna digne ad salutem vti cupiunt, hanc spiritualem manducationem ad cœnam vna secum afferre debent, alias indigne sacra Cœna vtuntur, sibique ipsis iudicium manducant & bibunt. 1. Corinth. 11. vers. 29. Etenim reconciliatio cum Deo, remissio peccatorum, iustitia, vita & salus non apprehenduntur orali manducatione, sed fide in verba Christi: *quod pro vobis traditur & effunditur in remissionem peccatorum.* Sacramentalem autem manducationem & bibitionem corporis & sanguinis Christi non afferimus ad vsum Cœnæ, sed ibi demum inuenimus aut auferimus, in eum finem, vt fides de merito Christi in nobis confirmetur. Cum ergo hæc tanta sit differentia inter vtramque manducationem, spiritualem & sacramentalem, nemo sibi persuadere patiatur, ac si prorsus eadem esset doctrina, & quæ in hoc 6. cap. Ioannis traditur, & quæ postea in vltima Cœna instituetur.

7. Differunt causa finali. Nam manducatio carnis & bibitio sanguinis Christi, de qua ipse agit in hac Concione, hoc fine fit, vt *panis ille cælestis, quem dedit pro mundi vita, in nobis operetur vitam*, id est, reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, iustitiam & salutem, ne esuriamus in æternum. Finem autem, ob quem manducatio in Cœna instituta est, Christus his verbis exprimit: *hoc facite in mei commemorationem:* vel vt Paulus, *annuntiate mortem Domini*, in quam se pro vestra vita tradidit, *donec veniat.* Nisi ergo concedamus, aliam esse manducationem hic, & aliam in institutione Cœnæ tradi, omnino sequitur, vnum idemque sui ipsius finem esse, quod est absurdum.

8. Cum hoc coincidit Analogia, quæ & ipsa diuersitatem demonstrat. Nam per spiritualem manducationem, quę fide fit, Christo quasi incorporamur, vt ipse nostrum Caput sit, nos vero ipsius membra, sicque omnium ipsius cœlestium bonorum & thesaurorum participes, adeoque coheredes reddamur, vt supra de fructu huius manducationis pluribus actum est. Hanc communionem omnium bonorum cum Christo confirmat & obsignat manducatio sacramentalis, vt quisque intra cor suum de ea tam certus sit, quam vere & certo visibile Sacramentum oculis suis intuetur, & ore suo vsurpat. Vt ergo res illa, quæ obsignatur, & altera quæ obsignat seu confirmat, inter se diuersa sunt, licet inter ipsa sit quædam analogia & relatio: Ita quoque inter vtramque manducationem, spiritualem & sacramentalem, diuersitas est statuenda. Vbi simul notet lector, quidnam statuere velit Sacramentum seu sigillum illud esse, quo Christus confirmat communionem illam, quam cum ipso habemus, per passionem & mortem suam partam? Num putet merum panem & vinum, quæ tantum nomen habeant corporis & sanguinis Christi, illud esse, an vero corpus & sanguinem eius? Certe panis & vinum nos non certos reddent de remissione peccatorum: sed statuendum est, Christum regale suum sacerdotium, quod nos sumus, 1. Petr. 2. versicul. 9. de eodem sacrificio cibare, quod ipse in cruce pro peccatis mundi obtulit. Sic enim soliti sunt sacerdotes de sacrificiis oblatis manducare. Cum ergo in cruce obtulerit, non panem & vinum, sed verum suum & substantiale corpus & sanguinem, vtique nos etiam eorundem virtute verborum suorum in Cœna participes reddet, eoque confirmabit & obsignabit, quod per fidem & Spiritum vnum cum ipso simus facti. Vnde rursus manifestum euadit, quod eodem modo, quo sigillum & signatum inter se differunt, sic etiam hæ duæ manducationes differant.

9. Denique discrimen non contemnendum hinc desumi potest, quod carnem Christi spiritualiter nemo indigne manducare, neque sanguinem ipsius spiritualiter quisquam indigne bibere possit. Sed semper & vbiuis Christus fide, etiam languida, apprehensus, morbos animæ sanat, peccata pellit, remissionem eorum largitur, iustificat, viuificat, saluat. In cœna autem sacra, sicuti Paulus 1. Cor. 11. vers. 27. diserte & pluribus testatur, corpus Christi indigne manducare, & sanguinem ipsius indigne bibere, adeoque corporis & sanguinis, non quidem spreti, (vt Bezæ glossema voluit) sed indigne sumti & comesti, reus quis fieri potest. Quam efficaciter enim Christus per carnem suam & sanguinem suum vitam & salutem operetur in pœnitentibus & vere credentibus, tam efficaciter etiam per eadem iudicium operatur in impœni-

impœnitentibus & incredulis. Ipsi enim à Patre omne iudicium traditum est. Iohan. 5. vers. 22.

Ex his omnibus perspicuum euadit, Christum in Euangelio nos docere duplicem sui corporis manducationem & sanguinis sui bibitionem. Vnam spiritualem, in hac Concione Capernaitica: alteram sacramentalem, in vltima Cœna. Vtramque ergo etiam credamus & suo loco exsequamur. Neque quod phanatici facere solent, prætextu vnius alteram oppugnemus. Est enim Scriptura, vt loquuntur, vna Copulatiua, vt non liceat nobis vnum credere, & de altero dubitare, vnum recipere, alterum reiicere: sed quæcunque illa vno Spiritu, spiritu veritatis & vitæ tradit, eadem etiam nos vna humili & credula fide suscipere decet. Perantiquus hic est, sed peruersus hæreticorum mos, quod vnam particulam Scripturæ recipientes, aliam per eam oppugnant. Sic Arriani testimoniis, quæ loquuntur de humanitate Christi, oppugnant eiusdem diuinitatem: cum vtraque & diuinitas & humanitas eius, sit credenda. Vice versa Marcionitæ, vbicunque in Scriptura inuenere testimonia de diuinitate Christi, iis abusi sunt ad oppugnandam veritatem corporis Christi: sed & hi impie fecerunt. Pari ratione Sacramentarij, quando in Scripturis legunt de spirituali nostra communione cum Christo, quæ fit per solam fidem, & à solis fidelibus perficitur, atque hic spiritualis manducatio vocatur, tum ea arripiunt & accommodant ad oppugnandam manducationem Sacramentalem, quæ fit ore corporis, à dignis pariter & indignis. Cum rectius facturi sint, si vtramque iuxta doctrinam Scripturæ credant & admittant. Quemadmodum enim ille grauiter erraret, qui ea, quæ Christus Ioan. 4. disputat de spirituali aqua, vellet interpretari de elementari, aut propter illam abrogare baptismum, quia spiritualis aqua etiam à peccato abluere possit. Ita quoque inepte faciunt, qui hanc spiritualem manducationem transferunt ad eam, quæ fit sub elementis panis & vini, cum vtraque suum habeat locum.

Si quis vero quærat, quare patres hanc Concionem ad Cœnam accommodarint, ei respondemus, præcipue ipsos hoc fecisse, quando de vsufructu Cœnæ tractarunt. Ibi enim ostenderunt, cum nostra caro sit caro peccati, ideo dari ei carnem Christi, in qua est vita, vt sic & nos viuificemur, & sciamus, quod habeamus vitam in nobis, vel potius in arrhabonem vitæ, corpus & sanguinem Christi. Atque hac ratione non inepte accommodatur. Sunt enim hæ duæ manducationes non inter se contrariæ, sed quasi subalternæ. Voluerunt etiam auditores suos hac ratione excitare ad frequentem salutis huius Sacramenti perceptionem. Et denique aliqui iudicarunt, Dominum propterea lubentius hac metaphora manducationis vsum esse, quia aliquando corpus & sanguinem suum in cœna realiter manducandum & bibendum traditurus esset. Vt sic quasi prophetico spiritu ad illam manducationem sub finem vitæ instituendam sibi viam præpararit.

III. Nunc porro audiemus, quomodo hæc doctrina Christi à Iudæis siue Capernaitis sit suscepta. *Iudæi* enim absque dubio hic appellantur, quia Hierosolymis ex Iudæa in Capernaum Galilææ descenderant, ibi Christum obseruaturi. Considerationem autem merentur certi quidam gradus, quibus in improbitate sua profecerunt, atque subinde seipsis deteriores facti sunt. 1. In præcedentibus per Ironiam dixerunt: *Domine da nobis semper istum panem.* Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia ipsi sunt, & non potest intelligere. 1. Corinth. 2. ver. 14. Et quidem si naturalem hanc nostram ἀδυναμίαν, qua Dei verbum capere non possumus, agnosceremus, ferendum hoc esset & corrigendum. Omnino enim nos θεοδιδάκτους fieri, & à Domini spiritu regi atque illuminari oportet, si in spiritualibus aliquid intelligere debeamus. Nam ex Adamo & eius tristi lapsu hæc impotentia prouenit. Sed si quis doctrinam non intellectam mox rideat, illud prouenit non ex Adamo, sed ex Diabolo. Hoc faciunt hi Capernaitæ. Christus loquitur de seipso, seque & suam carnem vocat *panem.* Quia sicut panis corpori nouas vires sufficit, illud alit, vegetat, & sustentat: ita Christus animam nostram maioribus quam humanis viribus instruit, quibus peccato & Diabolo resistere, ad cœlestia aspirare, atque opera Deo grata operari possit: alit præterea eandem & confirmat, ne inter pericula huius vitæ succumbat, sed cœlestis vitæ spe sustentetur. Quin & corpus conseruat, vt illud in terram & puluerem reuersum non tamen pereat in æternum, sed in nouissimo die ad æternæ vitæ hereditatem resurgat. Hunc panem se daturum Iudæis pollicetur. Hoc mysterium de *pane cælesti* crassi & carnales isti Capernaitæ non assequuntur, sed de externo victu intelligunt, & hunc sibi assidue, sine ipsorum labore & impensis dari deposcunt. Quod cum Christum minime præstare posse statuant, ipsius promissionem hac sua petitione salse derident. Hic ergo est primus gradus impietatis in mundanis hominibus. Quia enim nos prædicamus Iesum Christum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, 1. Corinth. 1. v. 23. semper leuia & prophana ingenia inueniuntur, quæ vafris & scurrilibus dicteriis & impie detortis expositionibus doctrinam pietatis exagitant aliisque ludibrio exponunt. Imo etiam ex iis, qui non mali esse volunt, inueniuntur, qui ea, quæ de fauore Dei, pace & æterna vita audiunt, vna cum hisce Capernaitis, de externa felicitate interpretentur, quę si non mox sequatur, rident, & cum sibilo reiiciunt, quæcunque siue de superis, siue de inferis dicuntur.

2. Irrisioni adduot murmur. Hæc enim, vt Cyrillus dixit, quasi paterna huius gentis hereditas fuit, quod leuissima occasione oblata, aduersus Deum & fidos ipsius seruos murmurarunt. Sic hi *murmurabant de illo, quod dixisset: Ego sum panis ille, qui de cælo descendit.* Γογγύζειν *murmurare* quid proprie significet, supra cap. 66 exposuimus: significat se alicui opponere, sed non aperte aut in faciem eum arguere; sed clam seu mussitando, & tamen interim frena petulanti linguæ laxando. Hoc probe conuenit huic loco. Male habebat hosce Capernaitas, qui ventris & gulæ studio ducebantur, quod de spe sua perpetuum victum consequendi deiecti essent, & dum corporis cibum venantur, de cœlesti pane audiunt. Remissius tamen agunt, nec manifeste adhuc ipsi contradicunt, quia plerique adhuc ipsum ob miraculum recens editum venerabantur. Hoc tantum ipsos turbat, quod se è cœlo descendisse affirmaret, quem inde à prima pueritia plerique nouerant, & ex Maria in Nazareth natum esse sciebant. Ideo dicunt: *Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Iesum,* nomine proprio appellando, quasi per contemtum vocant, eumque arrogantiæ, inter se tamen mussitando, insimulant, qui cum homo plebeius sit, adeo magnifica inter suos gentiles & notos de se polliceri ausit. Cum tamen ex tot stupendis miraculis ab ipso editis credere debuissent, ipsum plus quam hominem esse: aut saltem adeo veracem, qui nequaquam falsa ipsis dixerit, licet verba, quomodo suscipienda sint, non intelligant. Hic est alter improbitatis gradus. quod plerique ad imitationem Capernaitarum mundana apud Christum ipsiusque Euangelium quærunt: quando vero postea talia eueniunt, quæ ipsorum desideriis non conueniunt, tum incipiunt murmurare, vel etiam conuitia in veritatis doctores conijcere. Multi dicunt: quomodo hic (*filius Ioseph*) nobis ostendet bona? Psal. 4. v. 6. Alij, ne indocti iudicentur, pro falso & noxio reiiciunt, quicquid non intelligunt. Alij offenduntur ignobili & contemtibili specie professorum Euangelij. Alij cruce offenduntur, & stultum iudicant esse eum, qui religionis causa periclitari velit. Breuiter, passim fere plura murmura, quam preces ad Deum vel gratiarum actiones pro ipsius beneficiis audiuntur.

3. Vt prius murmurarunt, cum audissent, ipsum de cœlo descendisse, quem nudum hominem & Iosephi filium esse arbitrati sunt: ita postea magis exacerbati, litigabant & pugnabant inter se, quod dixisset, carnem suam esse panem illum cœlestem, quo nos ad vitam æternam ali oporteat. Quia autem Iudæi *inter se* decertasse dicuntur: apparet aliquos adhuc ex partibus Iesu stetisse, & doctrinæ ipsius locum dedisse: alios vero humili ipsius specie offensos, pertinaciter & contentiose ipsi contradixisse. At vero altercationes hæ facile sedari potuissent, si diuinis ipsius miraculis moti, ei hunc honorem detulissent, vt ab ipso ceu cœlesti Doctore verum & genuinum dictorum ipsius sensum humiliter & studiose petere voluissent: Sed ipsi superbi & obstinati, non ab ipso, qui solus docere poterat, discere cupiunt: sed *inter se disceptabant, dicentes: quomodo hic potest nobis suam carnem edendam dare?* Quia ergo cœcus cœcum ducit, quid mirum si ambo in foueam cadant? Et hæc hodie adhuc fere vnica est causa rixarum & contentionum in causa religionis, quod plerique non accedunt os Domini, nec ex eo veritatem addiscunt, sed inter se litigant, non studio veritatis, sed τῆς φιλονεικίας. Vnde etiam sæpe inter partes nimium litigando ipsa veritas amittitur. Maxime quando illud Iudaicum *quomodo*, in caussis fidei & mysteriis religionis proferimus, & perscrutari conamur ea, quæ diuina maiestas suæ potentiæ reseruauit. Recte ergo Cyrillus dixit: A peccatis aliorum nos profectum faciamus, & firmam fidem mysteriis adhibentes nunquam in tam sublimibus rebus illud *quomodo* aut cogitemus aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum & extremi supplicij causa est. Aliorum igitur, vt diximus, culpa perdocti, cum Deus operatur, non quæramus *quomodo*, sed operis sui viam atque scientiam illi soli concedamus. Huic consilio Cyrilli si locum concederent omnes, pleræque controuersiæ Ecclesiasticæ iam sopitæ essent. Quando enim ex Scripturis tractamus doctrinam de maiestate Christi, omnia vbique non tantum qua Deus, sed etiam qua homo est, potenter & præsenter gubernatis: an nō hostes veritatis & maiestatis hominis, Chri-

sti subinde illud *quomodo* crepant? *Quomodo* potest vnus homo omnibus Christianis vbique locorum in toto terrarum orbe dispersis adesse? Consimiliter etiam in doctrina de Cœna *quomodo* illud ingeminant. *Quomodo* potest corpus Christi in cœlis ad dexteram patris sedere, & in his terris sub pane consecrato in altari aut mensa Domini adesse & distribui? In sacris ergo seponamus quæstionem de modo, non habituram modum: & quando Dei verbum de re aliqua habemus, simpliciter credamus, modum omnipotentiæ illius, qui dixit & facta sunt, commendantes. Interim tamen non inepte etiam hoc dici posset, quod propterea Iudæi *inter se disceptarint*, quia aliqui Christi doctrinam de manducatione suæ carnis crasse & Capernaitico modo acceperint: alij autem Metaphoram, maxime quia Christus eam explicauerat, *qui credit in me*, & *qui venit ad me, non esuriet*, intellexerint. Tantum autem in eo offensi fuerint, quod carni suæ illam vim viuificandi, & ab æterna morte liberandi tribuerat. Ideo dicunt, *quomodo dabit*? Et Christi responsio ostendit, hanc quæstionem non fuisse de modo manducationis: sed quod huic Iesu impossibile esse statuerint, præstare ea, quæ promittat. Ideo de *ascensione* respõdet, & docet, se non semper in illa infirmitate mansurum. Vt ita diuersæ *inter Iudæos* de hac Christi doctrina fuerint sententiæ, de quibus litigarint.

4. Non hic subsistit improbitas & malitia Iudæorum, sed Paulus quod de hæreticis dicit, sermo eorum vt cancer serpit. 2. Tim. 2. vers. 17. idem etiam hic euenit. Hactenus *Iudæi*, id est, Christi hostes & aduersarij, vel certe qui saltem ventris causa ipsum sectati fuerant, se ipsi opposuerunt. Iam etiam *multi ex discipulis*, hoc est, ex illis, qui non vulgares eius auditores fuerant, sed in comitatum ipsius assumti nomen ipsi dederant. Horum multi ista *audientes dixerunt: σκληρός durus est hic sermo.* Hoc vocabulo septuaginta Interpretes in Veteri Testamento reddiderunt verbum קשה, quod significat durus, difficilis & perplexus fuit, siue natura, siue arte. Genes. 42. vers. 7. & 30. Iosephus locutus est fratribus σκληρά dura. Genes. 35. ver. 16. peperit Raphael σκληρῶς difficulter, ita vt animam efflarit. Exod. 1. ver. 14. Ægyptij Israelitarum vitam amaram effecerunt ἔργοις τοῖς σκληροῖς, seruitute dura. Dauid 2. Sam. 3. ver. vltim. de filiis Zeruia dicit, σκληροί μοι εἰσίν, sunt mihi duri & intolerabiles. Iudas quoque in sua Epistola vers. 15. dicit, Dominum facturum iudicium, contra omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris (περὶ τῶν σκληρῶν) quæ locuti sunt contra Dominum peccatores impij. Ex harum ergo sententiarum collatione apparet, hunc esse illorum verborum sensum: esse blasphemum, intolerabile & morte piandum, dicere, carnem huius Iesu esse mundi vitam. *Quis potest eum audire?* Quis sustineat blasphemias has audire? Cuius aures ferant hanc doctrinam? Est autem hoc ipsum à discipulis Iesu obseruatione dignissimum. Hactenus, dum Scribarum errores, Pharisæorum hypocrisin, desidiam Sacerdotum, mores Sadducæorum taxauit, doctrinam eius admiserunt, & ipsum secuti sunt. Dum item Legem interpretatus est, eamque à Phariseorum traditionibus repurgauit, cum admiratione eum audiuerunt Matth. 7. v. 28. Alias etiam sæpe cateruatim ad ipsum confluxere, quando mysteria regni Dei in parabolis proposuit, & doctrinam suam miraculis confirmauit, neque vnquam aduersus ipsum murmurarunt. Nunc autem, postquam animos ipsorum à terrenis auellere, & ad cœlestia euehere conatur, atque in se vno omnem salutem quærere, sibique per fidem inseri debere docet, vt in se æternum viuant; ibi demum offensi murmurant, & doctrinam ipsius blasphemiæ insimulant. Eadem sors hodie Euangelij professionem premit. Dum ex Dei verbo Pontificum Romanorum fraudes detegimus, dum Episcoporum tyrannidem manifestamus, Sacrificulorum impietatem accusamus, Monachorum corruptissimos mores traducimus, Iesuitarum sanguinarias practicas arguimus, multi magno cum applausu Euangelij doctrinam non tantum suscipiunt, sed etiam concionatorum *παρρησίαν* & zelum magnopere laudant. Quin & illas conciones vtcunque ferunt, audiunt, amplectuntur, quibus mysteria regni cœlorum, de gratuito Dei fauore, de peccatorum remissione, de mortuorum resurrectione, & vita æterna panduntur. Sed quando de arctiore aliqua disciplina Ecclesiastica instituenda, aut de effreni morum licentia coercenda agitur, quando palam flagitiosi coram omnibus arguuntur. 1. Tim. 5. v. 20. vt cæteri timorem habeant, tunc *sermo durus* is esse videtur, quem aures ipsorum sustinere nequeunt. Consimilis, aut etiam maior, est improbitas eorum, qui doctrinam Euangelij blasphemiæ & hæreseos insimulant, tantum eo nomine, quia in vno Iesu Christo mundi seruatore omnia monstrat, quæ ad salutem nostram sint necessaria. Hinc dicunt, nos Diuos cœlites ignominia afficere; quia eos ab officio mediationis remoueamus. Dicunt nos bona opera prohibere, & omni nequitiæ fores fenestrasque aperire: quia per illa nos saluari negamus. *Durus* itaque ipsis *sermo* est, doctrina ab ipso Christo & Apostolis eius passim tradita & inculcata. Sic Caluinianis *durus* & intolerabilis *sermo* est, quem blasphemiæ & impietatis insimulant, doctrina de maiestate Iesu Christi omnia præsenter gubernantis: doctrina de vera & reali præsentia corporis & sanguinis eius in Cœna. Nimirum, quicquid vel carnali sensui & appetitui vel humanæ rationi [illegible] aduersatur, illud istiusmodi hominibus ex Dei verbo [illegible] & omittendum videtur.

5. Ex his sequitur tandem vltimus impietatis [illegible], ἀποστασία & defectio à doctrina pietatis, quibus [illegible] doctrinam iustitiæ nunquam cognouisse. *[illegible] Nam ex eo tempore multi discipulorum abierunt retro*, id est, [illegible] defecerunt, *nec amplius cum ipso ambulabant.* Non [illegible] Augustini sententiam, qui dicit, *abierunt εἰς τὰ ὀπίσω* [illegible] Satanam, sicuti 1. Timot. 5. viduæ luxuriantes post Satanam deflectere dicuntur. Qui enim à Christo recedit, [illegible] nullum alium sequitur, quàm Satanam. Abiere ergo hi, [illegible] vino fonte gratiæ, ad cisternas non habentes aquas: [illegible] 2. v. 13. abiere à vita ad mortem, à salute ad perditionem, [illegible] vno Deo ad ipsissimum Diabolum. Fuit autem hoc [illegible] impietatis & ingratitudinis argumentum, quod nulla [illegible] affecti, secessionem faciunt ab eo, à quo multa beneficia doctrinæ & miraculorum acceperant: & qui ipsis hac ipsa doctrina vitam & salutem offerebat, si modo dextram explicationem admittere voluissent. Cum ergo euenerit Christo Domino, qui spiritum absque mensura præ consortibus acceperit, & doctrinam suam infinitis miraculis confirmarat, vt aliqui [illegible] doctrina offensi secessionem ab ipso fecerint, nemo [illegible], si idem etiam hodie interdum nobis ipsius indignis ministris & seruis accidat, si homines carnales etiam [illegible] occasione ex doctrina accepta, pedem referant, & à [illegible] nostra deficiant. A nobis abeunt, sed ex nobis non fuerunt. Nam si ex nobis fuissent, permansissent vtique nobiscum. 1. Ioh. 2. v. 19. Si vero tale quid interdum contingat, [illegible] ministri fere nimiopere contristantur, metuentes ne ipsorum culpa id euenerit. Et quidem annitendum est, ne nos temere quempiam offendamus. Sed quis verbum Dei sine prophanorum animorum offensione prædicare poterit? Ideo eleganter Aug. hoc loco scribit: Hoc factum est ad consolationem nostram, quoniam aliquando contingit, vt dicat homo verum, & quod dicit non capiatur, atque illi qui audiunt scandalizentur & discedant. Pœnitet autem hominem dixisse, quod verum est. Dicit enim apud se homo: Non debui sic dicere, non hoc dicere debui. Ecce Domino contigit. Dixit & perdidit multos, remansit ad paucos. Sed non turbatur ipse, quia ab initio nouerat, & qui credentes essent, & qui non essent credentes: nos si nobis contingat, perturbamur. Solatium in Domino inueniamus, & tamen caute verba dicamus, ea quæ ille ad paucos, qui remanserant. Hactenus Augustinus.

Sic videmus, quomodo illi, qui nõ syncero animo ad Christi doctrinam accedunt, subinde per certos gradus in peius proficiant, donec tandem deficiant. Hi Capernaitæ 1. Christū rident, cum audiunt se à ventris studio ad æterna auocari. 2. Mox humili ipsius specie offensi, aduersus doctrinam eius murmurant. 3. Inde ad apertas rixas & contentiones progrediuntur. 4. Rixas aperta conuitia sequuntur, quibus ipsius doctrinam blasphemiæ insimulant. 5. Tandem defectio accedit, quæ illis interitus caussa fuit. Carnis itaque corruptæ desideria compescat, quicunque in Christo [illegible] viam serio appetit.

IV. Singularem considerationem meretur persona Christi, vt sciamus, & obseruemus, qualem is se in hac Capernaitarum [illegible] gesserit. Ad id enim prodest, vt quando ex Dei permissione similia verbi ministris in officio ipsorum accidunt, norint, quales sese gerere debeant.

1. Cum Christus animaduerteret, Capernaitas nimis asequi sensum verborum suorum de spirituali manducatione, eamque carnaliter instituendam intelligere, mysterium doctrinæ à se traditæ magis disertis verbis & [illegible] explicat, & dicit: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Ipse Christus hic explicat, *edere* in hoc mysterio nihil aliud esse, quàm *credere*. Nemo autem [illegible] [illegible], quod tanta cum grauitate & adhibito iureiurando, *amen amen*, hanc doctrinam proponit. Nam hæc est totius prædicationis Euangelicæ summa: quod qui credit in Christum, obtineat illum panem vitæ, quo satiatus æternum viuat. Hanc summam Hierosolymis proposuit Nicodemo, Iohan. 3. versicul. 16. eandem proposuit Samaritanæ, Iohan. 4. vers. 13. eandem discipulis commendauit, cum eos salutis doctores in orbem vniuersum emitteret, Marc. 16. vers. 16. Eandem Apostoli passim inculcarunt, Actorum 4. versicul. 12. & 10. vers. 43. & 15. versic. 11. Tam graui autem asseueratione vtitur, non tantum

tum ne quicquam fingere iudicetur: sed etiam quia hoc mysterium omnem rationis captum longe superat, vt fidem apud ipsos obtineat: & vt ostendat, fidem in Christum à Deo donatam excellentiorem esse, quàm omnia opera, quæ homines suis viribus præstare possunt. Proponit autem Christus hanc sententiam hoc loco indefinite, *qui credit in me*, vt non modo vnius gentis atque ætatis, sed simul omnium gentium, & omnis loci ac ordinis homines comprehendat, aduersus Stoicum illud dogma, de fatali quorundam hominum ad æternam damnationem prædestinatione & creatione. Dicit autem *habet* in præsenti, non in futuro *habebit*: quia credens per fidem habet in corde suo habitantem Christum, qui est vita. Sicut ipse dixit: Ego sum via, veritas, & vita, Ioh. 14 vers. 6. Hinc Paulus: Vita mea Christus, Phil. 1. v. 21. & cum Christus vita nostra apparuerit, tunc & vos apparebitis cum ipso, Col. 3. v. 4. Quin etiam, quod æternam illam felicitatem & fruitionem cœlestium bonorum attinet, credens eo sensu omnino habet vitam æternam: quia nimirum habet (vt sic cum veteribus loquar) in radice, in semine, & in certa spe. Spe salui facti sumus, Rom. 8. v. 24. Habemus ergo fide in Christum vitam æternam incoatam, non absolutam: Habemus eam adhuc occultatam, nondum manifestatam. Scimus autem cum apparuerit filius Dei, similes ipsi erimus, 1. Ioan. 3. v. 2. Sicut enim fœtum adhuc in vtero materno delitescentem, sed animatum, dicemus habere vitam humanam, quanquam adhuc imperfectam: ita quibus contingit talis Christi seruatoris cognitio, vt viua fide seu fiducia in ipsum foueantur & animentur, illos vtique vitam æternam & vere beatam habere dicere possumus: quæ licet in Spiritu tantum sit incoata, suo tamen tempore in Spiritu & corpore perfectionem suam sortietur, quia habemus arrhabonem à Deo datum, non tantum Spiritum, Rom. 8. vers. 15. sed etiam corpus & sanguinem Christi: vt ita ex Dei parte nihil omnino sit ambigendum. Hæc enim est vita æterna, vt te solum verum Deum agnoscant, & quem misisti Iesum Christum, Ioh. 17. v. 3.

Hanc propositionem per se planam & perspicuam, adeoque cum vniuersa scriptura consentientem, nunc porro in hypothesi, antithesi & thesi ad præcedentem concionem accommodat, ne quicquam desit, quod ad plenam institutionem huius obstinati populi seruiat. Τασις est, quod dicit: *Ego sum panis ille vitæ*. Et mox repetit: *Ego sum panis vitæ*. *Panem* se vocat similitudine aptissima, quia omnes conditiones panis perfectissime implet. Panis famem tollit, satiat, alit, & vitam prorogat. Christus ardenti & serio salutis desiderio, ceu spirituali fame, haustus, & assidua meditatione beneficiorum suorum quasi masticatus & ruminatus, sicque in viscera animæ, intellectum, voluntatem & motus cordis traiectus, nobis quasi incorporatur, & spirituali modo vnitur, vt in cordibus nostris habitet, atque sic sua præsentia spiritualem esuriem & sitim pellat, inopiam necessariorum ad salutem auferat, nos alat, & in æternum viuificet. Dicit autem, quod sit ὁ ἄρτος ὁ ζῶν *panis viuus*, vel potius vt Patres Ephesini Concilij pie intellexerunt, ὁ ζωοποιός viuificus. Omnes enim reliqui cibi, quando manducantur, iam vita carent, & tamen efecti vitam hominis conseruant. Hic vero cibus vnus & solus viuus manducatur, & proinde non tantum vitam conseruat, sed & amissam reparat. Sic ergo in hypothesi sibi applicat, quæcunque hactenus in hac concione de virtute viuificandi, & de quærendo cibo, qui salutem operetur, docuit.

Antithesis est, quod *Mannæ* virtutem illam viuificandi aufert & denegat. Sæpe autem hactenus dictum est, Hebræorum hunc esse morem, quod remotione vnius speciei totum genus removeant. Sic per *Mannam* Christus intelligit legales ceremonias & totam Moysis disciplinam. Hac Iudæi nitebantur & confidebant, existimantes nefas esse, si à Moyse secessionem faciant, maxime cum Patrum sub Moyse tam felix fuerit conditio. Christus ergo diserte dicit, Moysen æternæ vitæ alimentum minime Iudæis subministrasse. *Patres vestri comederunt Mannam in deserto, & mortui sunt*. Loquitur de morte non tantum corporali, quam omnes, qui viginti annis maiores Ægypto egressi fuerant, duobus exceptis, ex æquo sustinuerunt: sed potius de morte spirituali, qua plerique Deo irato in deserto prostrati sunt, nec promissam terram, quæ æternæ vitæ typum gerebat, ingressi sunt, eo quod illi nulla vera fide in Messiam venturum præditi erant. Etenim vt panis ex corruptibilibus mundi elementis constans, siue ille Manna fit, siue alius, cœlestem & supernaturalem vitam præstare non potest: ita nec alia, quæ Moyses præscripsit, nos ad beatam immortalitatem adducere possunt.

Quidnam igitur in orbe terrarum id præstat? Hoc iam per thesin docet, & dicit, ad id opus esse, 1. vt *de cœlo descendat*. In cœlo enim est vera vita, non in terra. At nos iam sumus ex cœlo extorres, nec vllam communionem habemus cum vita, quæ in Deo est reposita, eo quod propter peccatum filij iræ simus. Nec nostris viribus in cœlum ascendere possumus, Ioh. 3. 13. Dei ergo filius ad nos descendit, & homo factus est, vt sic fieret scala Iacob. Gen. 28. 12. in qua nos viciſſim in cœlum ascendere, atque sic ad vitam æternam pasci aliquem possemus. Ne autem quis putet, Christum sola diuinitate sua nos ad cœlestem vitam subuehere, sed vt sciremus, eum etiam quoad humanitatem esse nostrum Saluatorem, ideo 2. addit *panis, quem ego dabo, caro mea est*: Carnis meminit, non quod caro humana in se & per se habeat vim viuificandi, sed quod sibi æterno Dei filio τῷ λόγῳ personaliter vnita vim viuificandi acceperit. Sicuti D. Cyrillus hac de re multas insignes habet sententias, Lib. 3. in Ioh. cap. 37. Viuificat corpus Christi, quia ipsius vitæ corpus est, virtutem verbi incarnati retinens, & plenum potestate illius, quo vniuersa sunt & viuunt. Idem li. 4. c. 14. Quoniam Saluatoris caro coniuncta est verbo Dei, quod naturaliter vita est, effecta est & viuifica. Et c. 18. Corpus meum vita repleui, mortalem carnẽ assumsi, sed quia naturaliter vita existens habito in ipsa, totam ad vitam meam reformaui. Cap. 24. Natura carnis ipsa per se viuificare non potest, nec sola esse in Christo intelligitur, sed habet filium Dei sibi coniunctum, qui substantialiter vita est. Quando ergo viuificã Christus carnem suam appellat, non ita illi, vt sibi siue proprio spiritui vim viuificandi attribuit. Nam per seipsum Spiritus viuificat, ad cuius virtutem Caro per coniunctionem conscendit. Quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio ac firma fide id suscipimus. Hæc Cyrilli dicta, si recte attendantur, tũ docent, quomodo Christi caro nos viuificet, vt interim tamen non sit opus, vt quicquam Capernaiticum animo nostro concipiamus. 3. Neque hæc caro nobis est prius viuifica, quam *det eam pro mundi vita*. Ergo quatenus mortis suæ merito peccata mundi expiauit, nos cum Patre in gratiam reduxit, & veram iustitiam acquisiuit, eatenus est nostra vita & salus. Nec friuolum est, quod quidam vrgent, verbum *dabo* non frustra bis hic poni. Nam ratione meriti, Christus semel corpus suum in mortem dedit pro nostra salute in cruce. Ratione vero applicationis, quotidie se nobis dat & offert per verbum & sacramenta, vt sic suo merito & spiritu nobis vnitus, nos regni sui cœlestis hæredes & æternæ beatitudinis consortes efficiat. Hæc doctrina à Christo adeo dilucide repetita & explicata, ingeniis non contentiosis satisfacere poterat. Sed Iudæi fuerunt populus ריב contentionis & rixarum, vt vocatur à Dauid, Psalm. 18. v. 44. Idcirco etiam his audiendis, quæ pie & dextre exposita fuerant, nihilominus *litigabant inter se*. 2. Quid ergo Christus, num propter Iudæorum rixas & contentiones genus doctrinæ mutat? Minime vero. Sed is, qui alias suorum infirmitatem ferre nouit, hic pertinacibus non cedit, verum eo fortius sanam, synceram & salutarem doctrinam vrget atque inculcat. Atque hoc ipso verbi ministros docet, ne cedant proteruiæ aduersariorum, neve in ipsorum gratiam quicquam in doctrina veritatis immutent. Inueniuntur enim, qui sibi probe sapere videntur, & se valde multos lucrifacere posse autumant, si cothurnos fingant, & ambiguis locutionibus vtrique parti sese accommodare conentur. Sed experientia docuit, tales ferre nouis iisque acerbioribus contentionibus ansam præbere. Longe aliter Christus, qui cum salutis doctrinam satis luculenter tradidisset, & Iudæos ea partim offendi, partim contra eam murmurare, partim etiam propter eam litigare audiret: non tamen quicquam mutat, sed sanam doctrinam tanto constantius vrget. Idque facit *in Synagoga docens*: Vt sic doceat, hanc doctrinam omnes concernere, siquidem absque eius cognitione hominum salus non constet. Voluit etiam reipsa comprobare, se hæc proponendo non esse ex impostorum numero, qui domos penetrant, & captiuas ducunt mulierculas, 2. Tim. 3. vers. 6. aut imperitos suis sophismatis irretiunt, vt seducantur.

Sed audiamus Christum. Is primum graui contestatione asseuerat, ea, quæ hactenus docuerit, non tantum non absurda, nec impossibilia, sed omnino necessaria esse. *Amen amen dico vobis, nisi ederitis carnem filij hominis* (hoc vero nomine Messias intelligitur, qui ipse erat) *& biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis*. Grauis hæc contestatio tum olim temporis Cypriani & Augustini Christianos in Aphrica, tum nostro seculo Picardas in Bohemia permouit, vt paruulorum quoque & infantum communionem instituerent. Quemadmodum enim ex illo dicto Iohan. 3. ver. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei, infantum baptismus vrgeri recte existimarunt: ex hoc dicto, *nisi manducaueritis carnem filij hominis*, inferri Eucharistiæ perceptionem paruulis quoque esse necessariam, nisi damnari debeant. At vero quia in superioribus satis perspicue demonstratum est, hic non agi de sacramentali manducatione, sed de spirituali, quæ fide fit extra vsum Cœnæ, imo ad Cœ-

nam affertur ab iis, qui annos discretionis sunt consecuti, icirco hæc de paruulorum communione disputatio hoc in loco prorsus est superuacanea. Quo minus autem paruulos ad Eucharistiæ vsum admittamus, facit, quia seipsos iuxta Pauli doctrinam, 1. Cor. 11. v. 28. non possunt probare. Baptismi autem Sacramentum nullam probationem requirit. Ad hæc Apostoli integras familias, atque sic etiam infantes baptizarunt, quod autem integras familias, adeoque paruulos etiam ad Eucharistiæ perceptionem admiserint, non legimus.

2. Deinde vero, quia aliquem offendere poterat, quod Christus dixit, patres qui Manna manducarunt, mortuos esse, se autem dare vitam æternam: cum tamen etiam credentes in ipsum mori cogantur: Christus sane hoc non diffitetur: excellentiorem tamen effectum manducatæ suæ carnis ostendit, qui est, quod manducantes *habent vitam æternam*, & licet corporaliter moriantur, ipse tamen suos sit *suscitaturus in nouissimo die*, quo illorum corpora eiusdem beatæ vitæ consortium habeant, in quam animæ prius transiuerunt. Loquitur ergo de beata sanctorum resurrectione, quæ sola vere est resurrectio: sicut & eorum vita beata, est vere beata. Dum interim incredulorum animæ abeunt in carcerē mortis, 1. Pet. 3. vers. 19. in quem etiam corpora post resurrectionem subsequentur, vt sic de morte in mortem transeant. Hunc effectum manducatæ carnis Christi Patres, in primis Irenæus, respicientes tradiderunt nostram carnem conditionem quandam immortalitatis accipere ex communione vera carnis Christi immortalis in vsu Eucharistiæ perceptæ, atque inde refutat illos, qui carnis resurrectionem negabant. Sic scribens lib. 4. c. 34. Quomodo dicunt carnem in corruptionem deuenire & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? Quemadmodum enim qui est à terra panis percipiēs vocationem Dei, iam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Et lib. 5. Quando & mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia. Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita nostra, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum eius est, quemadmodum & Apostolus ait, quoniam membra sumus corporis eius, de carne ipsius, & ossibus eius.

Tertio, rationem Christus addit, cur caro sua manducata & sanguis potus hunc effectum habeant, cibandi & alendi, adeoque suscitandi hominem ad vitam æternam. Nimirum, quia *vere sit cibus, & vere sit potus*. Item, inquit, quia qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, *in me manet, & Ego in illo*. Quod prius illud attinet, quod caro ipsius sit ἀληθινὸς *verus cibus*, eo istuc respicit, quod etiam alia quædam inueniuntur, quibus hominis mens & anima alitur & confirmatur. Sicut Syracides de sapientia inquit, c. 15. v. 3. Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Sic Dauid Psalm. 42. v. 4. loquitur de pane piarum lacrymarum & deuotarum orationum. Aliis gloria & honores cibus sunt & deliciæ. Aliis aliud quippiam. Hæc vero omnia non vere satiant esurientem animam, sed pertinent in Catalogum earum rerum, de quibus Salomon dicit Eccles. 1. v. 1. Vanitas vanitatum & omnia vanitas, nisi accedat fides in Christum. Hæc enim sola facit, vt satiemur, quando ipse apparuerit in gloria. Psal. 17. v. 15. Quod vero addit, qui manducat, *manet in me, & Ego in eo*, eo ipso caussam huius vitæ monstrat, similitudine ex alimenti ratione desumta. Solent enim cibus & potus corporibus nostris vniri, & virtute digestionis, ita per singula membra diffundi, vt hæc non modo alimentum ex illis sentiant, sed etiam substantia hominis augmentetur, & incrementa sumat. Ita caro Christi pro mundi vita tradita, & sanguis in peccatorum remissionem effusus, si per fidem apprehenduntur, homini quasi vniuntur, vt Christus non tantum per fidem in eiusmodi homine habitet, Ephes. 3. v. 17. sed virtute spiritus sui totum ipsum immutet, & quasi trāsformet, vt Christum in omnibus suis actionibus referat, & Spiritus Christi in se habitantis euidentissima indicia præbeat. Vnde etiam Veteres de pane Eucharistiæ dixerunt: Nō me mutabis, sed tu mutaberis in me. Et quia per fidem ita intime & indiuise Christo coniungimur, ipseque nobis, hinc consequitur ex istiusmodi manducatione & potatione vita, non transitoria, qualis ex corporalis cibi manducatione sequitur, sed permanens & æterna. Fidei enim compressu Christus & homo fidelis ita se mutuo tenent, vt nec mors nec alia mala ipsos inuicem separare queant, Rom. 8 versic. 38. Per fidem enim Christus in nobis manet, quia nos sumus eius membra, ipse vero Caput Ephes. 1. vers. 22. Fide efficimur templa, quæ ipse spiritu suo inhabitat, 1. Corinth. 6. v. 19. Huc respiciens Paulus dixit: Viuo iam non Ego, sed viuit in me Christus: Quod autem nunc viuo in carne: in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, Galat. 2. versic. 20. Notandum autem, quod Christus subinde non dicit, qui manducabit, sed *qui manducat*. Vult nimirum significare, non satis esse, si quis semel siue spiritualiter fide Dominum, siue sacramentaliter corpus & sanguinem Domini ore apprehenderit, sed opus esse, vt continue illum edamus, renouato subinde fidei actu, & identidem repetito Cœnæ vsu cum fide, qua beneficium Domini frequenter digne expendamus, & veluti animalia munda cibum reuocatum ruminemus, quo ipse Christus nos absolutos reddat, stabiliat, roboret, fundet, 1. Petr. 5. versic. 10. Vt enim ignis in altari Domini quotidie nouis lignis fouendus fuit, ne deficeret: ita fides nostra quotidianis fomentis indiget, ne deficiat, sicut Christus de Petri fide dixit, Luc. 22. versicul. 32. Quin & illud notandum, quod Christus hic adscribit manducationi suæ carnis, *manet in me, & Ego in illo*, id Iohannes in sua Catholica Epistola, cap. 3. vers. 24. obseruationi mandatorum Dei, & cap. 4. versicul. 16. caritati attribuit. Non tamen putandum, quod Apostolus suo Domino contradicat: sed intellexit mentem sui Domini, quod nimirum Christus in manducatione spirituali requirat viuam fidem, quæ sit per caritatem efficax, Galat. 5. versic. 6. Vera enim fides non languide de Christo cogitat, sed impense eum amat, omnia bona in illo quærit, sperat, desiderat, atque sic nos per spiritum Christo vnitos, quasi diuinæ naturæ consortes efficit, 2. Petr. 1. vers. 4. Ex hoc enim, vt idem Iohannes dicit cap. 4. vers. 13. cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Hoc membrum etiam Patres ad sacram Eucharistiam accommodarunt, & docuerunt, quod Christus singulariter in illis maneat, qui corpus ipsius sub pane manducant, & sanguinem sub vino bibunt. Hinc Hilarius: Christus manet in nobis, non tantum quia Spiritu suo præsens, & nostro Spiritui vnitus est: sed quia & corpore suo corpori nostro ineffabili modo coniunctus.

4. Quarto tandem aperit verum fontem, vnde caro sua habeat vim viuificandi. Iudæi nihil sublimius de Christo animo suo concipiebant, quam quod esset nudus homo, *Filius Ioseph*, vt nuper dixerunt, aut quando honorificentissime de eo senserunt, dixerint: Est Iesus Propheta, à Nazareth Galilææ, Matth. 21. v. 11. Si fide sua eo vsque ascendere potuissent, vt cum Simone Petro credidissent, ipsum esse Christum filium Dei, vers. 69. tum iam sopita fuisset omnis controuersia inter Christum & Iudæos. Vt ergo ipsos ad fidem veram inducat, dicit: *Sicut me misit pater, & Ego viuo propter patrem: ita & qui ederit me, viuet propter me*. Sublime hæc verba continent mysterium. Facit enim tres distinctos siue gradus siue modos viuendi, Patris, Filij & Fidelium. Viuunt hi omnes tres, sed distincto ordine Pater viuit à nullo, quia non habet vitam aliunde sibi communicatam: sed viuit à se & per se, vt qui habeat vitæ fontem in seipso. Filius viuit quidem per se, quia habet & ipse in se totum illum & vniuersum vitæ fontem, non minus quam Pater, vt qui & ipse sit natura Deus: sed non viuit à se, quia illum vitæ fontem, qua Deus, habet à Patre æterna generatione communicatum: qua homo, habet illam vitam Dei in se per hypostaticam vnionem. Fideles viuunt, neque à se, neque per se, sed à Patre per Filium: quia habent vitam illam veram, spiritualem & beatam à Patre per Filium communicatam. Filius enim est is, cui Pater dedit omnia in manu eius, Ioh. 3. v. 35. Idem postea plenus gratia & vera vita, est carnalis, per quem ad nos vera vita & gratia profluunt, & ex cuius plenitudine nos omnes accipimus gratiam pro gratia, Ioh. 1. v. 16. Quam certo ergo æternus Filius viuit, per viuentem æternum Patrem: tam certo etiam Fideles (hi enim *edunt Christum* spiritualiter) viuunt æterna vita per æternum Filium. Est autem iam hæc vita nostra cum Christo abscondita in Deo: verum quando Christus vita nostra apparuerit, & nos apparebimus cum ipso in gloria, Coloss. 3. v. 3. Iam quidem cruci, tribulationibus, morti & vanitati subiecti sumus, sicut etiam vniuersa creatura, quæ reuelationem filiorum Dei exspectat. Viuimus autem in spe gloriæ filiorū Dei, Roma. 8. v. 19. & scimus, quod spes hæc non confundit, Rom. 5. v. 5. Et hoc est quod Paulus dixit, Galat. 2. v. 20. Vitam quam nunc viuo in carne, viuo per fidem filij Dei. Qui hoc modo intuetur hoc dictum, is non turbabitur disputationibus Arianorum, qui contendebant, Filium minorem esse Patre, eo quod vitam ex hoc habeat, & non ex semetipso. Etenim, præterquam quod characteristicæ distinctiones Personarum in sacrosanctæ Trinitatis mysterio, secundum fidem Catholicam, sunt tenendæ, etiam hoc accedit, quod Christus in præsenti loco agit de officio Mediatoris, quod Filius sponte sua in se recepit. Ideo facit mentionem *Patris mittentis*, & in hac œconomia siue dispensatione Redemtionis nostræ, ostendit nobis fontem vitæ in Patre: se tamen Mediatorem esse docet.

docet, per quem vita illa ad nos dimanet, qua nos fruemur, si ipsum vera fide apprehendamus. Iugulantur ergo hoc dicto omnes omnium temporum & omnium hominum superstitiones, qui nobis alias vias salutis extra hunc Christum monstrant. Nisi enim nobis Sole meridiano clarius commonstretur, Deum ipsum hanc viam vitæ & salutis in aliam commutasse, nos ab ea non recedemus. Scimus enim, quod Christus hanc suam gloriam alteri non dabit, Esa. 42. v. 8. Vnde etiam apud eundem Prophetam dicit: Ego sum, Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Iesa. 43. v. 25. His consentiunt Apostoli, Act. 4. v. 12. qui vna voce exclamant: Non est in alio quoquam extra Iesum salus. Nec est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

Hæc cum ita sint Christus hanc concionem disertis verbis concludit dicens: *Hic* scilicet filius hominis à Patre constitutus Mediator, *est panis ille, qui de cœlo descendit: Qui ederit hunc panem, non morietur sicut patres, qui comederunt Manna & mortui sunt. sed viuet in æternum.* Conclusionem hanc antithesi siue dissimili Mannæ illustrat. Quibus mens per Dei gratiam ita illustrata est, vt gloriam & subtilitatem rerum cœlestium aliquo modo perspiciant, illi, quoties de iis loquuntur, toties iuxta illas res terrestres, quas homines maximi faciunt, collocare solent, vt sic ex collatione, tam harum vanitas, quam illarum gloria appareat. Sic Christus hoc in loco repetit id, quod Iudæi initio ipsi de Manna opposuerant, quo ostendere conabantur, se non posse Moysis doctrinam tot miraculis confirmatam deserere, & hanc nouellam ipsius, qua omnem salutis rationem in se vnico monstret, recipere: hoc, inquam. Christus repetit, & aperte testatur, vtcunque illi miraculum Mannæ, & simul etiam ceremonias à Moyse traditas maximi faciant: non tamen posse ipsos in iis habere vitam æternam. sed mori ipsos potius. Lex enim non vitæ, sed mortis est ministerium, 2. Corint. 3. v. 7. Lex non gratiam, sed iram operatur. Roman. 4. v. 15. Lex non tollit peccatum, sed facit, vt fiat supra modum peccans peccatum, Roman. 7. v. 13. Nisi ergo alius Mediator, quam Moyses cum suis mandatis & ceremoniis nobis succurrat, qui peccatum deleat, qui Patris iram sedet, qui vitam nobis restituat, quod solus & vnicus Dei filius, homo factus, nobis præstat, actum erit de nobis in æternum.

Et hæc est altera Christi concio, de eadem doctrina, habita *in Synagogâ, in Capernaum.* Etenim antiquitus lex Moysis in singulis ciuitatibus, in Synagogis per singula sabbatha lecta fuit. Act. 15. v. 21. Instituit hunc morem Esdras post reditum populi ex captiuitate Babylonica. Coniunxit autem is cum lectione Moysis, etiam lectionem Prophetarum: ita vt singulæ lectiones materia & numero ibi inuicem responderent. Incepta est hæc lectio in festo tabernaculorum, & absoluto decurso anno. Singulis autem sabbathis, absoluta ordinaria lectione Moysis & Prophetarum in more positum fuit, vt præfecti Synagogæ, si viderent adesse viros, in quibus esset sermo exhortationis, illis facultatem offerrent publice ad populum aliquid dicendi. Act. 13 v. 15. Hæc consuetudo, vt est laude digna (debent enim in Ecclesia omnia fieri ordine & decenter. 1. Cor. 14. 40.) ita Christus eandem obseruauit. Et hac occasione priorem illum suum sermonem, quem mox post aduentum transmarinum in Capernaum ad populum habuerat, & contra quem Iudæi murmurarant, publice *in Synagoga docens repetiit.* Et fecit hoc tum in testimonium veritatis doctrinæ suæ, ostensurus quod illa talis sit, quæ populi & præfectorum Synagogæ lucem ferre queat: tum in argumentũ suæ innocentiæ, vt qui in publicum prodeat; dum interim, qui male agunt, lucem fugiunt, nec in eam veniunt, ne mala ipsorum opera arguantur. Ioh. 13. v. 20.

V. Euangelista etiam describit, quid insignem hanc in Synagoga Capernaitica iteratam concionem secutum sit. Nam quia Christus duplices se auditores habuisse animaduertit: alios quidem, quos spes noui regni attraxerat, qui doctrina eius offendebantur, & iam defectionem meditabantur, siquidem carnalia, quæ quærebant, non inueniebant: spirituali autem doctrina non afficiebãtur: alios vero, qui syncero animo & studio doctrinam ipsius amplectebantur, eumque sequebantur. Cum vtrisque ergo prius peculiarem actionem instituit, antequam vel illos dimittat, vel cum his discedat.

Quod priores attinet, de illis dicit Ioannes: *Sciens Iesus apud semetipsum, quod murmurarent discipuli ipsius de hoc*, nimirum quod dixerat, se panem illum vitæ esse, qui de cœlo descenderit: & quod, nisi carnem suam manducarent, vitam æternam ipsi non essent habituri. Sciuit autem hoc Christus non ex relatione aliorum, sed ἐν ἑαυτῷ *apud semetipsum*. Ex personali enim vnione diuinitatis τοῦ λόγου cum assumta humana natura, & propter eam vnionem etiam humanus Christi Spiritus sciebat quid esset in homine, nec opus ei erat, vt quis testimonium perhiberet de homine, Ioan. 2. 25. Vnde etiam hic sciebat non tantum, de quo esset controuersia, sed etiam quod tum *Iudæi*, qui palam ipsius hostes erant, tum *discipuli* ex numero murmurantium essent. Agnoscamus ergo, qualem Dominum habeamus, qui non tantum norit blasphemias, sacrilegia, furta, rapinas, cædes, & cætera pessima tum dicta tum facta mundanorum hominum, sed etiam secretissimos cordis motus. Hypocritæ putant se & Deum & homines fallere atque celare posse, si quid in occulto perpetrent. Sed sciamus hunc diuinæ cognitionis oculum etiam in abstrusissimos pectoris nostri abyssus penetrare, & occulta illa hominum in magno illo suo die in apricum producturum & iudicaturum, nisi in hoc mundo ex gratia remittantur.

Dicit ergo illis Iesus, *Hoc vos offendit?* quod dixi, me è cœlo deuenisse, & carnem meam manducandam esse, vt quis viuat in æternum. *Si ergo videritis filium hominis ascendentem eo, vbi erat prius*, quid tum dicetis? An tum etiam videbor mihi plus quam par est arrogasse? An non tunc reipsa vel inuiti agnoscetis me de cœlo descendisse? Non ergo Christus hæc dicens carnis suæ esum in Sacramento negare, & omnia saltem spiritualia atque mystica post ascensionem in cœlos futura docere voluit, (sicut Sacramentarij hunc locum interpretantur) sed veritatem suorum dictorum hoc modo vult asserere, sicut etiam alias solitus est suos hostes, dictis suis fidem subtrahentes, ad resurrectionem, ascensionem, & glorificationem remittere, quibus veritatem dictorum fit comprobatus. Ioh. 2. v. 19. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Iohan. 3. v. 13. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Filius hominis, qui est in cœlo. Iohan. 8. v. 28. Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia Ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. Matt. 26. v. 64. Dico vobis, à modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Hoc modo solet Deus per euentum subsequentium comprobare veritatem præmissorum. Verbi gratia. Exod. 3. vers. 12. cum Moysen in Ægyptum mitteret, ad educandos Israelitas ex domo seruitutis, ipse vero de perficiendo hoc opere hæsitaret, ipsi hoc signum, quo fidem eius confirmauit, dedit: cum eduxeris populum meum de AEgypto, immolabis Deo super montem istum. Sic hoc loco vult Christus dicere, se reditu in cœlum velle demonstrare, & se verum esse Deum ex cœlo, & quæ de efficacia carnis suæ dixerit, vera esse. Qui enim potest suam carnem, contra carnis naturam cœlestem facere: idem etiam eam cibum hominum viuificum efficere potest.

Notandus autem est modus loquendi; *filius hominis ascendet eo, vbi erat prius.* Hinc Apollinaris & alij voluerunt euincere, carnem Christi cœlitus esse deductam, quod pugnat cum articulo Symboli Apostolici, quo fatemur Christum ex Maria natum, & cum verbis Angeli, qui Luc. 1. vers. 35. Mariæ dicit, sanctum, quod ex te nascetur: & simul offert nobis omnem consolationem, quam inde habemus, quod caro Christi nostræ est ὁμοούσιος & consubstantialis. Patres igitur aliter hoc sunt interpretati: August. Vt Deus in cœlo prius fuit, non vt homo. Cyrillus: prius vt Deus illic fuit. Theophylactus: eo ascendit homo, vbi prius erat vt Deus. Propter vnitatem tamen personæ, in quam diuina & humana natura coierunt, de *filio hominis* hoc pronuntiat Christus per communicationem idiomatum. In primo enim genere communicationis idiomatum, hæc est ratio propositionum, quod proprietas vnius naturæ tribuitur personæ in concreto, licet personæ conueniat tantum secundum alteram naturam. Sic ab æterno esse in cœlo apud patrem, conuenit Christo secundum diuinam naturam. Hæc proprietas diuinæ naturæ personæ, quæ tota incarnata est, tribuitur in concreto vocabulo *filij hominis*; Et hæc est communicatio idiomatum proprie sic dicta. Alia autem est ratio illarum propositionum vel prædicationum, quando ad ἀποτελέσματα personalia, in actionibus officij Christi, vtraque natura agit cum communicatione alterius, quod cuiusque proprium est. Quæ enim in hoc genere prædicantur, tribuuntur & conueniunt personæ, non secundum vnam tantum. sed secundum vtramque naturam. Sicuti Petrus postea dicet: *Tu es Christus.* Certe Iesus est *Christus*, Rex noster & Sacerdos, iuxta vtramque naturam, tam diuinam quàm humanam. Rursus est alia ratio illarum Propositionum, quando de assumta humana natura in Christo, non tantum essentialia ipsius idiomata, & physicæ proprietates prædicantur: sed insuper explicatur, quid humanæ naturæ in Christo (diuinæ enim naturæ nihil accedit, nec decedit) præter & supra naturales proprietates accesserit, donatum & communicatum sit ex hypostatica cum diuinitate τοῦ λόγου vnione, & ex glorificatione siue exaltatione. Talis est propositio illa, quę per vniuersam hanc Concionem tractata est: *Caro mea est viuifica.* Etenim non persona tan-

tum Christi in concreto enunciata viuificat: sed etiam Caro Christi, seu humana eius natura ἐν τῷ λόγῳ euecta est ad illam dignitatem, vt habeat virtutem viuificandi, non natura sua & ex se, sed ex gratia vnionis. Accepit enim eam à Patre in personali illa vnione cum λόγῳ, sicut Patres id explicarunt. Athanasius apud Theodoretum Dialog. primo inquit: Quando Christus dicit, Pater dedit Filio vitam, intelligendum est, Carni datam vitam. Cyrillus lib. 4. Thes. cap. 23. Filius accipere vitam à Patre dicitur, non in quantum Verbum, sed in quantum homo factus est. Addit enim quia Filius est: Ita tota Trinitas vitam Filio vt homini præstat. Idem in Iohann. lib. 2. cap. 114. Cum dixisset datam vitam, addit: quia Filius hominis est, vt intelligamus, omnia sibi data fuisse, vt homini: qui cum Creatura sit, nihil habet à seipso. Vnigenitus vero Filius, non vitæ particeps, sed vita naturaliter, vt Pater est. Sic in Iohann. lib. 4. cap. 14. 15. 18. 22. & aliis quamplurimis locis Cyrillus semper intelligit, carni Christi datam esse vitam non simpliciter viuentem, sed viuificantem alios. Hæc diuersitas prædicationũ & Propositionum de Christo probe attendenda est, vt in doctrina de ipsius Persona caute vtrunque scopulum, tũ ad dexteram Nestorianismum, tum ad læuam Eutychianismum, euitemus. Hinc illud, quod in præcedentibus dictum est, *Iesus sciuit apud semetipsum*, non tantum de diuinitate, sed etiam de humana natura intelligẽdum esse diximus. Iuxta illam enim est omniscius naturam: iuxta hanc vero ex gratia vnionis. quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Col. 2. v. 3. Ideo recte Origenes de Princ. lib. 2. c. 6. scripsit: Ad omnes sanctos calor aliquis λόγου putandus est peruenisse. In Christi autem anima, ipse ignis diuinus substãtialiter requieuisse credendus est, ex quo ad cæteros calor aliquis peruenerit. Theodoretus etiam in c. de Antichristo dicit: λόγος homo factus non particularem gratiam contulit assumtę naturę, sed totam plenitudinem diuinitatis cõplacuit in ipso inhabitare.

Quæ porro verba Christi sequuntur, diuersas ab Interpretibus sortiuntur explicationes. Cinglius cum suis, in principio controuersiæ Sacramentariæ, hæc verba allegauit ad oppugnandam veram præsentiam & manducationem corporis siue carnis Christi in Sacramento, in sacra Domini cœna: siquidem Christus ipse dixerit; *Caro non prodest quicquam.* Sicque hoc de carne Christi interpretati sunt, quasi illa in Sacramento comesta nihil prodesset. Verum tum Lutheri tum aliorum synecerorum Ecclesiæ Doctorum opera hoc dictum ita excussum est ex eorum manibus, vt in scenam cum illo iam redire non ausint. Quis enim Christianorum negabit, Christi carnem & vtilem esse & valde necessariam, cum sine ea salutis nostræ ratio constare non possit? Illam enim pro nobis in mortem tradi oportuit, vt victima fieret, pro peccatis nostris satisfaciens: eandem ex mortuis resuscitari necesse fuit, vt mortis imperium destructum esse ostenderet: quin & in cœlum ascendit, vt tanquam pandeas iter Mich. 2. versic. 13. viam nobis aperiret, ibidemque coram Deo pignoris loco adesset, quo de carne nostra olim eodem subuehenda certiores efficeremur. Cyrillus hunc locum ita explicat, vt existimet, Christum rationem reddere, vnde caro sua vim habeat viuificandi. Videl. Spiritum solum esse, qui vitam æternam præstare possit: carnem autem solam & per sese cõsideratam nihil quicquam ad vitam æternam præstandam prodesse. Augustinus existimat, carnalem & Capernaiticam illam opinionem, physice manducandi corpus Christi, nihil prodesse ad vitam æternam. Vnde sic dicit: O Domine Magister bone; quomodo caro non prodest quicquam, cum tu dixeris: Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quicquam? & propter quid sumus, quod sumus, nisi vt habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid est ergo, non prodest quicquam? Caro non prodest quicquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo Spiritu vegetatur, &c. Vterque sensus & Cyrilli & Augustini non est impius: Chrysostomus tamen & Theophylactus propius ad scopum collimare videntur, qui per *Spiritum* spiritualem, & per *Carnem* carnalem intelligentiam dictorum Christi accipiunt. Vt nimirum verba Christi ad dilucidiorem intelligentiam sic sint ordinanda & accipienda. *Verba quæ Ego loquor vobis, Spiritus sunt & vita*, id est, doctrina mea, quam ego vobis propono, spiritualis est, ac proinde etiam spirituales homines requirit, qui per ministerium Spiritus in nouos homines sint regeniti. At vos estis carnales, & *sunt quidam ex vobis, qui non credunt*, qui Euangelium meum, quod est ministerium vitæ & spiritus, 2. Cor. 3. v. 6. non admittunt. Et hoc ipsum est, quod iam ante testatus sum, quod fides sit donum Dei, & *quod nemo possit venire ad me* (nimirum corde credulo, non autem præsentia corporis) *nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Quomodo autem Pater fidem det, id in superioribus explicatum est, nimirum, per ministerium verbi, quod quoniam Capernaitæ respuunt, *caro* apud ipsos *non prodest*, non proficit *quicquam*, sed ipsi in incredulitate sua manent & pereunt. Sic ergo Christus ostendit, Capernaitas non habere iustam caussam à se deficiendi: ipsosque olim in fine mundi graues luituros pœnas, nisi per veram animi pœnitentiam ad ipsum reuertantur. Siquidem caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. 1. Cor. 15. v. 50. Nisi ergo per Spiritum Christi renouentur, actum erit de ipsis. Monstrat hic Christi locus, quo agit contra Apostatas Capernaitas, quomodo occurrendum sit illis, qui culpam suæ siue infidelitatis siue impœnitentiæ coniiciunt vel in verbum prædicatum, vel in eius ministros. Nimis vulgare & vsitatum est, si homines ob improbitatem suam arguantur, vt aliqui responsent, & dicant, *durus est sermo*, qui in Ecclesia nobis proponitur, *quis potest capere eum?* Et sane fieri potest, vt ministri aliqui non recte secent sermonem veritatis: quod ne fiat, singuli quã diligentissime cauere debent. Hoc tamen longe certius est, si qui non cum fructu audiunt verbum prædicatum, quod id magis sibi cordisque sui duritiei imputare debeant, quam vel verbo vel eius ministro. Cumque ex liberi nostri arbitrij viribus & facultate nihil omnino proficere queamus, nisi Deus gratia sua nos præueniat, & cor ad assensionem flectat, quisq; ardentes preces & prædicationi & auditui verbi præmittere debet, vt Deus cor aperire & illuminare mentem suam, ad cœlestium desideria erigere, sicque voci suæ vocem virtutis dare dignetur. Ps. 68. v. 34. Vere enim diuus Gregorius in Pastorali suo dixit: Cum verbi boni auditores esuriunt, pro reficiendis eis maiora doctoribus intelligentiæ dona tribuuntur. *Sæpe* enim Doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris: nõnunquam autem propter auditoris culpam subtrahitur sermo Doctoris. Et hæc quidem Christus ad deficientes.

Posteriores quod attinet, Christus conuersus ad duodecim ipsis dixit: *Num & vos vultis abire?* Quærit non quasi ignoraret illorum voluntatem & bonum propositum: sed partim vt ostenderet, se illorum defectione nulla ignominia affici, cum damnum plus illi sint sensuri, quam ipse, partim vt significaret, se nullius sequela indigere, quasi duodecim ipsum magno beneficio afficerent, quod aliis deficientibus ipsi apud eum perseuerarent. Sunt ergo illa verba & bonitatis & maiestatis diuinæ plena. Vt enim neminem inhumaniter à se repellit, ita nec cuiquam seruiliter supplex fit, vt quasi inuitum aliquẽ precibus apud se detinere cogatur. *Es heist alhier: Las fahren, wer nicht bleiben will.* Qui sordet, sordescat amplius. Apocal. 22. vers. 11. Christus nullius indiget, vt quasi precario aliorum assistentia cælum suum replere cogatur. Qui non voluntarium Christo obsequium præstiterit, is olim magno cum suo damno experietur, cui sua incredulitate maxime omnium nocuerit. Nemo ergo opinetur, se bene de Deo meritum esse, si ipsi præbeat externum cultum, si veniat ad cœtum sanctorum, & certis statisque temporibus audiat verbum. Sed sciant singuli, Deum ipsos inuitos non detenturos, si non grati agnoscant, magis è re sua, quàm Dei, esse, quod ipsi inseruiant. Interim tamen illos, qui per vim homines ad fidem cogere nituntur, perpendere velim, quomodo ipsorum factum cum hac Christi quæstione conueniat. Vult Deus habere populum spontaneum. Psalm. 110. v. 3. Et licet hæc voluntas Deo inseruiendi non sit ex nobis ipsis (natura siquidem nostra vero Dei cultui plane contraria est) tamen eadem voluntas illa, qua sponte & libere Deum colimus, ab ipso Deo datur. Iubet enim Deus, quod vult: & dat, quod iubet, vt sic fiant aliqua ipsi grata & nobis salutaria.

Petrus, non quod primatum inter Apostolos affectaret, sed quia corde feruidus, lingua promtus erat, loco reliquorum omnium respondet, *Domine, ad quem ibimus?* 1. Remouet suspicionem defectionis. Deficiant sane aliqui: hæc tamen leuitas nunquam pectus nostrum feriet, vt præter te alium salutis Magistrum quæramus. Dum ibimus ad Pharisæos? Atqui hi humanas traditiones loco mandatorum Dei proponunt. Num ibimus ad gentium Philosophos? Atqui hi & cœci sunt, & sententiis à se inuicem discrepant. Num ibimus ad Moysen? Atqui iugum ipsius neque patres nostri, neque nos portare potuimus. Actor. 15. v. 10. Nos ad te perseuerabimus: ad te remisit nos Moyses ipse, Deuter. 18. v. 15. Ad te remisit nos cœlestis pater, Matth. 3. versic. 17. *Tu habes verba vitæ æternæ.* Tuum Euangelium potentia Dei est ad salutem omni credenti, Rom. 1. 16. Patet ex hac prima parte responsionis Petrinæ, quod sit discrimen inter credentes & incredulos. Increduli & reprobi ob verba Christi non intellecta offenduntur, murmurant, contra disputant, & tandem penitus deficiunt. Credentes & electi, verba etiam non intellecta humiliter suscipiunt, iisq; assensum præbent. Capernaitæ verba Christi, quæ de manducanda sua carne & de bibẽte suo sanguine protulit,

non

non intellexere: quin nec Petrus cum collegis eadem intellexit, quia mysterium crucis adhuc ignorauit. Et tamen certissime credidit vera esse, quæ Christus concionatus fuerat. Tali fide vt & nos præditi simus, operam demus. Domini enim oculi fidem, non intelligentiam, respiciunt. Ierem. 5. ver. 3. Et in præcedentibus Christus dixit: *sunt quidam ex vobis, qui non credunt*. Non dixit: sunt quidam ex vobis, qui me non intelligũt. Fidem ergo afferamus ad auditum verbi diuini, tum fidem ipse intellectus & cognitio sequetur. Sicuti Petrus in altera parte suæ responsionis indicat, dum inquit: *Nos credimus & cognouimus*. Fidem præmittit, cognitionem subiungit, contra Axioma illud Caluinisticum. Nihil est in mea fide, quod non prius fit in meo intellectu. Etenim vt Cyrillus recte inquit: nisi absque vlla dubitatione fidei ieceris fundamenta, nõ poteris paulatim cognitionem, quæ in Christo est, superædificare, ac ita in virum spiritualem euadere. 2. Sed quid Petrus cum suis credidit & cognouit? *Quod Iesus est Christus, filius Dei viui*. Est vere Apostolica fidei confessio, quam postea Matth. 16. v. 16. repetit, quam etiam nos addiscere decet, quia in ea salutaris cognitio, tam quoad personam, quam quoad officium, continetur. Quoad personam, vocat eum *filium Dei viui*, vt ipsum verum & vnigenitum Dei filium, adeoque patri ὁμόουσιον & consubstantialem esse testetur, sicque ipsum distinguat ab illis, qui ex gratia per adoptionem filij dicuntur. Et quia hoc profitetur de Iesu, quem ex Maria virgine verum hominem natum esse nouerat, aperte in vna eademque persona Deum & hominem agnoscit. Quoad officium dicit: *tu es Christus*, vnctum eum vocat. Vngebantur autẽ olim & Sacerdotes & Reges oleo sacro. Hic vero vnctus est vero oleo lætitiæ, Spiritu sancto, præ consortibus suis, Psalm. 45. versic. 8. Christus ergo est Sacerdos noster, iuxta Dei voluntatem, Psalm. 110. versic. 4. expressam: qui de Patris sui voluntate & olim nos edocuit, & adhuc quotidie per verbum edocet: qui peccata nostra sui corporis sacrificio expiauit: qui pro nobis apud patrem intercedit: qui nos cum ipso reconciliatos omni spirituali & corporali benedictione beatos reddit. Hæc enim vere sacerdotalia sunt officia. Idem est rex noster iuxta Psalm. 2. ver. 6. qui nos ex immortalis illius mortalium hostis Diaboli tyrannide asseruit: assertos legibus instruit sanctissimis: ipsius legibus obedientes thesauris regni sui cœlestis & donis spiritus sancti ditat liberalissime, & denique aduersus omnes hostes, tam corporales quam spirituales tuetur fortissime. Hæc enim regalia sunt officia. Hæc est fides vere Apostolica, Catholica & orthodoxa, qua ostendit Petrus, se & suos Symmistas habitam concionem tam de persona, *quod de cœlo descenderit*, quam de officio Christi, *quod det vitam mundo*, probare. Hanc fidem si & nos constanter ad finem vitæ vsque tutati fuerimus, per eam saluabimur. Qui vero ab hac fide recesserit, & alium siue regem siue Sacerdotem, siue eius Vicarium quæsierit, is viderit, quonam post exitum ex hac vita peruenire velit. Siquidem in nullo alio est salus, nec est aliud nomen hominibus sub cœlo datum, in quo eos oporteat saluos fieri, Actor. 4. versic. 12.

Breuius hæc perstringuntur, quia passim extant nostræ Confessiones, in quibus singula hæc membra plenius explicantur. Tantum quisque viderit, vt in vera & ingenua hac confessione ad finem vsque constanter immoto pede perseueret. Nam etiam Christus, qui hoc loco Petri confessionem tacite approbat, nec reprehendit, quod ex caritate de reliquis collegis suis idem speret, quod de se magna πληροφορία enunciat, tamen de periculo admonet, quod ipsis immineat: *Nonne ego vos duodecim elegi*, & ex reliquo discipulorum numero segregaui, vt Euangelium meum per vniuersum terrarum orbem disseminaretis, *& vnus ex vobis Diabolus est*? Hoc de Iuda intelligendum esse ipse Ioannes indicat. Sed Christus ipsum hic non nominat: quia oportebat ipsum inter domesticos Christi permanere, si fortassis cor ipsius induratum, beneficiis Christi emolliri posset. Sed quia subinde in peius proficit, oraculum Prophetarum impletum est, vt Christus à domesticis proderetur. Sicque exemplum præbet verbi ministris, ne auditores suos nominatim traducant, quamdiu spes emendationis superest. Prædicit tamen Iudæ apostasian, vt mature suorum animos aduersus illud scandalum præmuniat. Quis enim dubitabit, ex vnius Iudæ apostasia grauius scandalum inter Apostolos ortum esse quam ex totius huius multitudinis defectione? Vocat autem eum *Diabolum*, quia diabolo locum dedit, qui per auaritiam deceptum ex Christi consortio abripuit. Potest quoque hæc dictio in Latinam resolui, vt calumniatorem sonet. Vere enim Iudas apud Pontifices διάβολος seu calumniator fuit operum Christi, deferens eum ad principes Iudæorum, tanquam mollem & effœminatum, eo quod intra triduum vix passus fuisset pretioso vnguento se inungi. Syrus habet vocem *Satan*, quæ simpliciter aduersarium significat. Quia autem LXX. interpretes semper pro Satan Diabolum verterunt, Ioannes eandem dictionem hic assumpsit. Multa hic obseruanda veniunt, quæ singula paucis notasse sufficiat. 1. Nemo in salutis negotio fiat securus: sed quisque cum timore ac tremore suam salutem operetur, Philip. 2. ver. 12. Circuit enim Diabolus aduersarius noster tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret. 1. Pet. 5. vers. 8. Qui cum Iudam Christi discipulum & domesticum, imo facultatum dispensatorem circumuenerit, vt beneficiorum Magistri prorsus immemor, Diabolus effectus fuerit, quæ cura & diligentia ad carnales ipsius fraudes superflua esse poterit? Quapropter qui existimat se stare, videat ne cadat. 1. Cor. 10. v. 12. Sed quisque satagat vocationem & electionem suam firmam reddere. 2. Pet. 1. v. 10. Virtute autem Dei per fidem custodimur & stabilimur ad salutem, paratam reuelari in nouissimo tempore. 1. Pet. 1. 5. 2. Videmus, nullum hominum ordinem tam sanctum, nullum Collegium tam purum & perfectum esse, in quo Satanas non aliquem inueniat, cuius opera abutatur ad turbandos pios. Sic Adamus suum Cainum, Noachus suum Chamum, Iacobus suum Rubenum, Simeonem, Leui, Dauid suum Absolonem, Christus suum Iudam, singuli suum Satanam colophizantem habuere. Temerarij itaque sunt, qui totas Ecclesias damnant, propterea quod in numeroso cœtu interdum aliqui inueniuntur, qui præter officium multa faciunt. Magis improbi sunt, qui propter paucorum verbi ministrorum dissolutiorem vitam vniuersum ordinem Ecclesiasticum exagitant. Quasi vero aliorum improbitas fraudi esse debeat iis, qui officium suum strenue & fideliter exequuntur. 3. Notandus etiam est diuersus vsus verbi *eligere*. Hoc loco dicit Christus: *Nonne Ego vos duodecim elegi*? Inferius autem capite 13. versiculo 18. ad hosce duodecim dicit: *Non de omnibus vobis dico: Ego scio quos elegerim*. Hic duo scripturæ loci non pugnant inter se, quia de diuersa electione in iis Christus agit. In priori loco loquitur Christus de electione ad Apostolatum in posteriore loco de electione ad salutem, ad consortium sanctorum, & ad regnum cœlorum. Ex priore electione Iudas excidit, & Episcopatum ipsius accipit alter, Actor. 1. ver. 20. de posteriore dicit Christus Matth. 24. v. 24. non posse fieri, vt electi in errorem educantur. Iudam ergo ex electorum Apostolorum, nunquam autem ex electorum saluandorum numero fuisse certum est. Stat enim Dei fundamentum firmum, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus, qui sunt eius. 2. Tim. 2. v. 18. Disputant quidam Patres, vtrum Iudas bonus an malus fuerit, cum à Christo in Apostolum eligeretur. Et possunt rationes in vtramque partem adduci. Cyrillus putat ipsum initio bonum fuisse, & postea à Diabolo per auaritiam seductum. Augustinus & Beda putant ipsum iam tum fuisse malum. Vtut sit, ex hoc tamen loco apparet, ipsum multo tempore ante passionem fuisse Diabolum. Vt vero insigne est exemplum mansuetudinis in Christo, quod hostem in suo consortio non tantum tolerat, sed etiam notatione manifesta ipsum ad resipiscentiam prouocare conatur: sic in Iuda habemus exemplum insignis hypocritæ, qui notatus & male sibi conscius, tamen audet perfrictam suam frontem & oculos attollere in conspectu eius Domini, cui intelligit etiam occulta sui cordis nota esse. Dubium enim est nullum, Iudam ad hanc vocem Christi acerrimos sensisse stimulos inter suam conscientiam, qui eum ad pœnitentiam flectere debuissent. Sed ipse secundum duritiem suam & impœnitens cor, thesaurizauit sibi ipse iram in diem iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Rom. 2. ver. 5. Tam desperati itaque & infidelis hypocritæ damnatio iusta est. 4. Monemur etiam, ne offendamur, si quãdo viderimus eos, qui optimi videbantur, à puritate religionis deficere, & ipsas stellas quasi de cœlo decidere. Neque enim propter illos interibit Ecclesia Christi. Defecit hic primum turba. Secundo multi discipuli. Tertio, vnus Diabolus ex Apostolis: tamen Christi Ecclesia post ascensionem eius illustria incrementa sumsit. Abeant ergo ad Iesuitas & Caluinianos, qui manere nolunt. Grana tritici nihilo peius habebunt, si maxime à Zizaniis liberentur. 5. Quin & huius nos admonet exemplum Iudæ, non sufficere ad salutem, si quis sanctum aliquod munus sustineat, nisi etiam professioni suæ respondeat. Iudas Matth. 5. v. 14. vna cum reliquis Apostolis vocatus est lux mundi: Matt. 10. v. 14. vna cum reliquis emissus est ad docendum Euangelium: idem in Christi nomine miracula edidit, & alios in doctrina fidei confirmauit: quia tamen postea non militauit bonam militiam, nec fidem seruauit, & tandem Magistrum prodidit, merito hic Diabolus vocatur. Sic non negamus, olim Ecclesiæ Romanæ fidem deprædicatam esse in vniuerso orbe, Rom. 1. v. 8. & primos eius Ecclesiæ Episcopos sanguinis sui testimonio doctrinam Euangelij corroborasse. Sed quid hoc subleuat modernos eius loci Pontifices, qui ab Antecessorum suorum integritate, doctrina, moribus, & pietate plus deuiarunt, quam Iudas à seipso? Edant specimina priscæ illius & Apostolicæ doctrinæ, fidei, sanctimoniæ,

& integritatis, atque pro Apostolicis ipsos agnoscemus. Nunc quoniam auaritia, impietate, sacrorum nundinatione & implacabili veritatis odio Iudam, non Petrum, referunt, desinãt sese inanibus Maiorum titulis venditare apud eos, qui omnem salutis fiduciam in vno Iesu Christo collocatam habẽt.

6. Dum Ioannes verba Christi, quibus perditionem Iudæ notauit, postquam ea impleta sunt, expresse & diserte *de Iuda* declarat & interpretatur, ostendit in Ecclesia Christi licere hæreses & damnatos errores non tantum in Thesi & Antithesi, sed etiam in Hypothesi taxare & traducere, vt hæreseon autores agnoscantur & vitentur. Aduersus eos, qui nec Caluiniani, nec Bezaistæ dici volunt, cum tamen reipsa confessione tales sint, tantum vt sub generali nomine Christianorum tanto tutius latitare & astutius alios decipere possint.

CAPVT LXXIX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS disputationem Christi cum Pharisæis de traditionibus seniorum. Matth. 15. v. 1. Marc. 7. v. 7.

RATIO ORDINIS.

ORdinem historiæ tertij anni ministerij Christi à missione Apostolorum deduximus vsque ad festum Paschatis, quod non ita multo post superiorem concionem hoc anno celebratum est. Dixit enim Ioannes cap. 6. v. 4. *proximum erat Pascha, dies festus Iudæorum.* Dubium autem incidit, vtrum Iesus ad festum illud ascenderit. Et quidem periculosum esse videtur illud negare: siquidem Lex Moysis pluribus in locis præcepit, vt omne masculinum quotannis hunc diem festum visitaret. Christus autem legis paternæ omni tempore fuit obseruantissimus. Putant ergo aliqui hæc verba Ioannis, quę habentur in principio cap. 7. *Et versabatur post hac Iesus in Galilaa. Non enim volebat in Iudaa versari, quia quærebant eum Iudæi interficere*, subindicare, Christum Hierosolymis in tertio festo Paschatis sic se doctrina & miraculis manifestasse, vt Iudæi iam non simpliciter, vt antea, irritarentur, sed ad machinandam cædem se conuerterent. Vnde Christus coactus fuerit statim peracto festo redire in Galilæam. Ego vero fateor, me propendere ad eorum sententiam, qui existimant, Iesum ad hoc tertium festum Hierosolymam non profectum esse. Nam Ioan. 7. v. 3. fratres ipsum reprehendunt, quod non amplius ad festa Hierosolymam ascendat. Potest ergo illa *ἀκολουθία* etiam hunc sensum habere. Antea Christus per vices, modo in Iudæam ambulabat ad festa, modo in Galilæa conuersabatur & docebat. Nunc vero continue in Galilæa versatus est, quia Iudæi voluerunt eum interficere, nec dum tempus ipsius venerat. Ergo per integrum ferme annum se continuit in Galilæa. Ad hæc Ioannis 5. ver. 21. dicit Christus Iudæis Hierosolymis in Scenopegia: *Vnum opus feci, & omnes miramini: & quæritis me interficere.* Respicit autem his verbis ad illud miraculum, quod in festo Paschatis Ioan. 5. v. 9. ad piscinam Bethesda in secundo anno ministerij sui ediderat. Videtur ergo ipse Christus disertis verbis innuere, se ab eo tempore nulla vlterius miracula Hierosolymis fecisse. Adde, quod ex tota historia Euangelica colligere licet, Christum præstantissimas conciones & miracula maxime stupenda fere in solennioribus festis Hierosolymis habuisse & edidisse. Non ergo verisimile est, si idem in hoc tertio festo Paschatis factum fuisset, quod Ioannes silentio illud fuisset præteriturus. Itaque statuo Christum ad hoc festum non ascendisse, sed illius loco Capernaumi celeberrimam illam concionem habuisse. Et quia instabat tempus, quo ceremoniæ Mosaicæ omnes erant abrogandæ, Christus sensim viam ad illam abrogationem parare voluit. Vtut autem sit, & quamcunque sententiam Lector sequi velit: certum est, de illo tertio festo Paschatis nihil ab Euangelistis annotatum esse. Quia tamen hæc Ioannis verba Continuationem quandam historiæ indicare videntur & digitum intendere ad ea, quę in Galilęa gesta sunt, nec à Ioanne describuntur: Iccirco necessario illa verba Iohannis hic in Harmonia sunt inserenda, & reliquis, quę ab Euangelistis narrabuntur, præmittenda.

Iam vero porro inuestigandum est, qua ratione deprehendi possit ordo historiarum, quæ post tertium illud festum Paschatis acciderunt. Ostensum autem est hactenus in hac harmonia aliquoties Ioannem, qui postremus omnium Euangelistarum scripsit, hanc potissimum rationem secutum esse, vt annotaret ea, quæ à reliquis erant prætermissa. Quia ergo hic statim transit, à Paschate ad Scenopegiam (hoc est, historiam sex mensium, à Martio ad Septembrem vsque præterit) significat, illam ipsam historiam à reliquis Euangelistis, ordine iusto, & quantum satis est, descriptam esse. Hoc si præsupponamus, deprehendemus, historias tertij anni ministerij Christi, à festo Paschatis mensis Martij, vsque ad festum Scenopegiæ in Septembri, illas esse quæ descriptæ exstant à 15. Cap. Matthæi vsque ad Caput 19. & à 7. Marci, vsque ad Caput 10. & quæ Lucas cap. 9. recenset vsque ad profectionem Hierosolymitanam. Ioannes postea continuat à Septembri vsque ad Decembrem: ita tamen, vt ex Luca quædam commode interponi possint. A Decembri ad Februarium vsque Lucas historiam pertexit. Denique postremam profectionem reliqui omnes rursus coniunctim describunt.

Ordo igitur & contextus historiarum hic est. Quandoquidem Iesus Iudæam vitabat, eo quod *Iudæi Hierosolymis consilia agitabant de ipso occidendo: sicut Iohann. 7. v. 20.* Christus aperte id ipsis obiicit, & *ver. 25.* quidam Hierosolymitani illud confirmant. Iudæi in Galilæam submiserunt Scribas & Pharisæos, non vulgares illos, quales in singulis Galilææ Synagogis habebantur: Sed qui Hierosolymis erant præcipui, qui eruditione, solertia, & autoritate, addo etiam malitia, reliquos superabant. Sicuti etiam Ioannis 1. vers. 19. legati ad Ioannem in desertum missi fuerunt Pharisæi Hierosolymitani. Submiserunt autem eos in hunc finem, vt cum Iesu disputationibus de doctrina congrederentur, (Hoc enim modo verbum *προσέρχεσθαι accesserunt* Matth. 9. versic. 14. de discipulis Iohannis quoque vsurpatur) vt in sermone eius aliquid *captarent*, quod plausibili specie cædi prætendere possent. Accidit autem cum turba multa congregata esset, quod quidam ex discipulis Christi panem gustarent, non lotis prius manibus, sicuti apud Iudæos ex traditione seniorum consuetudo requirebat. Inde Scribæ occasionem arripiunt, & cum Christo disputationem de traditionibus Seniorum instituunt. Sciebãt enim illa externa, quæ in oculos incurrunt, plus mouere homines, quam dogma Scripturæ. Christus vicissim hac occasione locum communem de traditionibus humanis copiosius tractat & explicat. Cumque hæc historia prima in Galilæa acciderit, nec alia prior annotata sit, quæ eam præcesserit, recte ipsi hic locus in Harmonia attribuitur.

DISPVTATIO CHRISTI CVM SCRIBIS ET PHArisæis Hierosolymitanis de traditionibus Seniorum, Matt. 15. vers. 1. Marc. 7. vers. 1. Ioannis 7.

1. Καὶ περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς μετὰ ταῦτα ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, οὐ γὰρ ἤθελεν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ περιπατεῖν, ὅτι ἐζήτουν αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι ἀποκτεῖναι.

1. *Et versabatur Iesus post hac in Galilaa. Non enim volebat in Iudaa versari, quia quærebant eum Iudai interficere.*

MATTH. 15.

1. Τότε προσέρχονται τῷ Ἰησοῦ οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι λέγοντες·

1. *Tunc accedunt ad Iesum qui ab Hierosolymis venerant, Scriba & Pharisai, dicentes:*

2. Διατί

2. Διατί οἱ μαθηταί σου παραβαίνουσι τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων; οὐ γὰρ νίπτονται τὰς χεῖρας αὐτῶν, ὅταν ἄρτον ἐσθίωσιν.

2. *Quare discipuli tui ingrediuntur traditiones seniorum? non enim abluunt manus suas cum edunt panem.*

3. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς· Διατί καὶ ὑμεῖς παραβαίνετε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ διὰ τὴν παράδοσιν ὑμῶν;

3. *At ille respondens dixit eis: Quare & vos transgredimini preceptum Dei propter traditionem vestram?*

4. Ὁ γὰρ Θεὸς ἐνετείλατο, λέγων· τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα. Καὶ ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα, θανάτῳ τελευτάτω.

4. *Nam Deus precepit, dicens: Honora patrem & matrem. Et qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.*

5. Ὑμεῖς δὲ λέγετε, ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρί, δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς.

5. *Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri aut matri, quicquid doni à me profectum erat, id in tuum vertitur commodum.*

6. Καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ, ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ. Καὶ ἠκυρώσατε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ διὰ τὴν παράδοσιν ὑμῶν.

6. *Et non honorabit patrem suum aut matrem suam, & irritum fecistis preceptum Dei propter traditionem vestram.*

7. Ὑποκριταὶ, καλῶς προεφήτευσε περὶ ὑμῶν ὁ Ἡσαΐας, λέγων·

7. *Hypocritæ, recte de vobis prædixit Esaias, dicens:*

8. Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόῤῥω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ.

8. *Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat, cæterum cor eorum procul abest à me.*

9. Μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων.

9. *Sed frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.*

10. Καὶ προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον εἶπεν αὐτοῖς, ἀκούετε καὶ συνίετε.

10. *Et aduocatis ad se turbis, dixit eis: audite & intelligite.*

11. Οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα, κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

11. *Non quod ingreditur in os, impurat hominem, sed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem.*

12. Τότε προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, εἶπεν αὐτῷ· οἶδας ὅτι οἱ Φαρισαῖοι ἀκούσαντες τὸν λόγον, ἐσκανδαλίσθησαν.

12. *Tunc accedentes discipuli eius dixerunt illi: Nostri Phariseos audito sermone isto offensos fuisse.*

13. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε· πᾶσα φυτεία, ἣν οὐκ ἐφύτευσεν ὁ πατήρ μου ὁ οὐράνιος, ἐκριζωθήσεται.

13. *At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur.*

14. Ἄφετε αὐτούς· ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν. Τυφλὸς δὲ τυφλὸν ἐὰν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται.

14. *Omittite illos: duces sunt cæci cæcorum. Porro si cæcus cæco dux fuerit, ambo in foueam cadent.*

15. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Πέτρος εἶπεν αὐτῷ· φράσον ἡμῖν τὴν παραβολὴν ταύτην.

15. *Respondens autem Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.*

16. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν· ἀκμὴν καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε;

16. *Iesus autem dixit: adhuc & vos intelligentia caretis?*

17. Οὔπω νοεῖτε, ὅτι πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα, εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται;

17. *Nondum intelligitis, quod quicquid ingreditur in os, in aluum abit, & in secessum eiicitur?*

18. Τὰ δὲ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ στόματος, ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχεται, κἀκεῖνα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

18. *At ea quæ proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem.*

19. Ἐκ γὰρ τῆς καρδίας ἐξέρχονται διαλογισμοὶ πονηροὶ, φόνοι, μοιχεῖαι, πορνεῖαι, κλοπαὶ, ψευδομαρτυρίαι, βλασφημίαι.

19. *Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuitia.*

20. Ταῦτά ἐστι τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον. Τὸ δὲ ἀνίπτοις χερσὶ φαγεῖν οὐ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

20. *Hæc sunt, quæ impurum reddant hominem. Cæterum illotis manibus capere cibum, non coinquinat hominem.*

MARC. 6.

1. Καὶ συνάγονται πρὸς αὐτὸν οἱ Φαρισαῖοι, καί τινες τῶν γραμματέων ἐλθόντες ἀπὸ Ἱεροσολύμων.

1. *Et conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis, qui venerant Hierosolymis.*

2. Καὶ ἰδόντες τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ κοιναῖς χερσὶ, τοῦτ' ἔστιν, ἀνίπτοις, ἐσθίοντας ἄρτους, ἐμέμψαντο.

2. *Et cum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est, illotis, edere panes, incusabant.*

3. Οἱ γὰρ Φαρισαῖοι καὶ πάντες οἱ Ἰουδαῖοι, ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψονται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι, κρατοῦντες τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων.

3. *Nam Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non capiunt cibum, tenentes instituta maiorum.*

4. Καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι. Καὶ ἄλλα πολλά ἐστιν, ἃ παρέλαβον κρατεῖν· βαπτισμοὺς ποτηρίων, καὶ ξεστῶν, καὶ χαλκίων, καὶ κλινῶν.

4. *Et à foro venientes, nisi loti fuerint, non comedunt. Et alia multa sunt, quæ susceperunt seruanda, nempe lotiones poculorum & vrceorum, & æramentorum & lectorum.*

5. Ἔπειτα ἐπερωτῶσιν αὐτὸν οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ γραμματεῖς. Διατί οἱ μαθηταί σου οὐ περιπατοῦσι κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, ἀλλὰ ἀνίπτοις χερσὶν ἐσθίουσι τὸν ἄρτον;

5. *Deinde interrogabant eum Pharisæi & Scribæ: Quare discipuli tui non ambulant iuxta ritum traditum à maioribus, sed illotis manibus edunt panem?*

6. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· ὅτι καλῶς προεφήτευσεν Ἡσαΐας περὶ ὑμῶν τῶν ὑποκριτῶν, ὡς γέγραπται, οὗτος ὁ λαὸς τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόῤῥω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ.

7. Μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων.

8. Ἀφέντες γὰρ τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, κρατεῖτε τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, βαπτισμοὺς ξεστῶν καὶ ποτηρίων, καὶ ἄλλα παρόμοια τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε.

9. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· καλῶς ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, ἵνα τὴν παράδοσιν ὑμῶν τηρήσητε.

10. Μωσῆς γὰρ εἶπε· τίμα τὸν πατέρα σου, καὶ τὴν μητέρα σου. Καὶ ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα, θανάτῳ τελευτάτω.

11. Ὑμεῖς δὲ λέγετε, ἐὰν εἴπῃ ἄνθρωπος τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ, κορβᾶν, ὅ ἐστι, δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς.

12. Καὶ οὐκ ἔτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἢ τῇ μητρὶ αὐτοῦ.

13. Ἀκυροῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τῇ παραδόσει ὑμῶν, ᾗ παρεδώκατε. Καὶ παρόμοια τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε.

14. Καὶ προσκαλεσάμενος πάντα τὸν ὄχλον, ἔλεγεν αὐτοῖς, ἀκούετέ μου πάντες, καὶ συνίετε.

15. Οὐδέν ἐστιν ἔξωθεν τοῦ ἀνθρώπου εἰσπορευόμενον εἰς αὐτὸν ὃ δύναται αὐτὸν κοινῶσαι, ἀλλὰ τὰ ἐκπορευόμενα ἀπ' αὐτοῦ, ἐκεῖνά ἐστι τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον.

16. Εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

17. Καὶ ὅτε εἰσῆλθεν εἰς οἶκον ἀπὸ τοῦ ὄχλου ἐπηρώτων αὐτὸν οἱ μαθηταὶ περὶ τῆς παραβολῆς.

18. Καὶ λέγει αὐτοῖς· οὕτω καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε· οὔπω νοεῖτε, ὅτι πᾶν τὸ ἔξωθεν εἰσπορευόμενον εἰς τὸν ἄνθρωπον, οὐ δύναται αὐτὸν κοινῶσαι.

19. Ὅτι οὐκ εἰσπορεύεται αὐτοῦ εἰς τὴν καρδίαν, ἀλλ' εἰς τὴν κοιλίαν καὶ εἰς τὸν ἀφεδρῶνα ἐκπορεύεται, ἐκκαθαρίζων πάντα τὰ βρώματα.

20. Ἔλεγε δὲ, ὅτι τὸ ἐκ τοῦ ἀνθρώπου ἐκπορευόμενον ἐκεῖνο κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

21. Ἔσωθεν γὰρ ἐκ τῆς καρδίας τῶν ἀνθρώπων οἱ διαλογισμοὶ κακοὶ ἐκπορεύονται, μοιχεῖαι, πορνεῖαι, φόνοι,

22. Κλοπαὶ, πλεονεξίαι, πονηρίαι, δόλος, ἀσέλγεια, ὀφθαλμὸς πονηρὸς, βλασφημίαι, ὑπερηφανία, ἀφροσύνη.

23. Πάντα ταῦτα τὰ πονηρὰ ἔσωθεν ἐκπορεύεται, καὶ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

6. *At ille respondens, dixit eis: Bene vaticinatus est Esaias de vobis hypocritis, vt scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.*

7. *In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, precepta hominum.*

8. *Nam omisso precepto Dei tenetis constitutionem hominum, ablutiones vrceorum & poculorum, aliaque similia his facitis multa.*

9. *Et dicebat illis: bene reiicitis preceptum Dei, vt constitutionem vestram seruetis.*

10. *Moyses enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam. Et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.*

11. *Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri vel matri corban, quod est donum quodcunque ex me in tuum cedet commodum.*

12. *Et preterea non sinitis eum quicquam facere patri suo aut matri suæ.*

13. *Et irritum facitis verbum Dei per constitutionem vestram. Et similia huiusmodi multa facitis.*

14. *Et cum aduocasset ad se totam turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.*

15. *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum inquinare. Sed quæ de homine procedunt, illa sunt, inquinant hominem.*

16. *Si quis habet aures ad audiendum, audiat.*

17. *Et cum introiisset in domum semotus à turba, interrogabant eum discipuli eius de similitudine.*

18. *Et ait illis: Adeo & vos intelligentia caretis? nondum intelligitis, quod omne foris introiens in hominem, non potest eum inquinare?*

19. *Quia non intrat in eius cor, sed in ventrem, & in secessum exit, repurgans omnes escas.*

20. *Dicebat autem: quod ab homine exit, illud inquinat hominem.*

21. *Ab interioribus enim de corde hominum mala cogitationes procedunt, adulteria, stupra homicidia,*

22. *Furta, auaritia, fraudes, dolus, impudicitia, oculus malus, conuitia, superbia, stultitia.*

23. *Omnia hæc mala ab internis procedunt, & inquinant hominem.*

RATIO COAGMENTATIONIS.

HÆc per se plana est & expedita. Etsi enim diuersa apud Euangelistas verba inueniuntur: sensus tamen idem est apertus. Cumque tota historia tribus membris constet: in quorum primo refutat aduersarios Pharisæos: in altero instituit turbas dociles: in tertio priuatim docet discipulos, iuxta hæc tria menbra coagmentatio totius Capitis institui debet. Vnicum dictum Iesaiæ allegatum difficultatem parere videtur. Marcus enim mox circa pricipium disputationem cum Pharisæis eo claudit. Et posset sane Matthæi allegatio ad Marci intra vnum contextum reduci: verum vt cuique Euangelistæ sua scriptio constet, malui illud bis ponere. Ne Christo temere excidisse videatur. Nec nouum est aut insolens, sed vulgatissimum & efficassimum argumētandi genus, si quod docere vis, primum proponas, deinde, si in dubium vocetur, idoneis argumentis probes, tum denique probatum repetas, & animis auditorum penitus infigas. Quod Christus hoc loco quoque fecit. Sic in exponendis iis, quę hominem coinquinant, vtriusque Euangelistæ verba retinuimus. Vsitatum enim est apud idiotas, rem eandem bis terue inculcare.

HARMONIA ISTIVS DISPVTATIONIS Matth. 15. & Marc. 7. descriptione in vnum corpus compacta.

b Καὶ περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς μετὰ ταῦτα ἐν τῇ γαλιλαίᾳ, οὐ γὰρ ἤθελεν ἐν ἰουδαίᾳ περιπατεῖν, ὅτι ἐζήτουν αὐτὸν οἱ ἰουδαῖοι ἀποκτεῖναι. b Καὶ a τότε c προσέρχονται τῷ Ἰησοῦ οἱ φαρισαῖοι, b καὶ τίνες c τῶν γραμματέων ἐλθόντες ἀπὸ ἱεροσολύμων. b Καὶ ἰδόντές τινας τῶν μαθητῶν αὐτοῦ κοιναῖς χερσὶ, τοῦτ' ἔστιν, ἀνίπτοις, ἐσθίοντας ἄρτους, ἐμέμψαντο. Οἱ γὰρ φαρισαῖοι καὶ πάντες οἱ ἰουδαῖοι, ἐὰν μὴ πυγμὴ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι, κρατοῦντες τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων. Καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ

b *Et versabatur Iesus post hæc in Galilæa. Non enim volebat in Iudæa versari, quia quærebant eum Iudæi interficere.* b *Et* a *tunc* c *accedunt ad Iesum Pharisæi,* b *& quidam* c *de Scribis, qui venerant Hierosolymis.* b *Et cum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est, illotis, edere panes, incusabant.* 3. *Nam Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non capiunt cibum, tenentes instituta maiorum. Et à foro venientes, nisi loti fuerint, non comedunt. Et*

ἐσθίουσι.

ἐσθίουσι. c ἄλλα πολλά ἐστιν, ἃ παρέλαβον κρατεῖν. βαπτισμοὺς ποτηρίων, καὶ ξεστῶν, καὶ χαλκίων, c κλινῶν. Ἔπειτα ἐπερωτῶσιν αὐτὸν οἱ φαρισαῖοι καὶ οἱ γραμματεῖς. a λέγοντες, c Διατί οἱ μαθηταί σου b οὐ περιπατοῦσι κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, (ἀλλὰ) a παραβαίνουσι τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων; οὐ γὰρ νίπτονται τὰς χεῖρας αὐτῶν, ὅταν ἄρτον ἐσθίωσιν. b ἀλλὰ ἀνίπτοις χερσὶν ἐσθίουσι τὸν ἄρτον; c Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· Διατί καὶ ὑμεῖς παραβαίνετε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ διὰ τὴν παράθεσιν ὑμῶν; ὅτι καλῶς προεφήτευσεν Ἡσαΐας περὶ ὑμῶν τῶν ὑποκριτῶν, ὡς γέγραπται, οὗτος ὁ λαὸς τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ. Μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων. Ἀφέντες γὰρ τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, κρατεῖτε τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, βαπτισμοὺς ξεστῶν καὶ ποτηρίων, καὶ ἄλλα παρόμοια τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, καλῶς ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, ἵνα τὴν παράδοσιν ὑμῶν τηρήσητε. a Ὁ γὰρ Θεὸς ἐνετείλατο, λέγων· (Μωσῆς γὰρ εἶπε) c τίμα τὸν πατέρα σου, c τὴν μητέρα b σου. c Καὶ ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα, θανάτῳ τελευτάτω· Ὑμεῖς δὲ λέγετε, ἐὰν εἴπῃ ἄνθρωπος τῷ πατρὶ; b ἢ τῇ μητρὶ, κορβᾶν, ὅ ἐστι, δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. b Καὶ οὐκ ἔτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἢ τῇ μητρὶ αὐτοῦ, a καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ, ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ. c Καὶ ἠκυρώσατε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ τῇ παραδόσει ὑμῶν, b ᾗ παρεδώκατε. Καὶ παρόμοια τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε. a Ὑποκριταὶ, καλῶς προεφήτευσε περὶ ὑμῶν ὁ Ἡσαΐας, λέγων· Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ. μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων. c Καὶ προσκαλεσάμενος b πάντα τὸν ὄχλον, ἔλεγεν αὐτοῖς, ἀκούετε b μου πάντες, καὶ συνίετε. a οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα, κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. b Οὐδέν ἐστιν ἔξωθεν τοῦ ἀνθρώπου εἰσπορευόμενον εἰς αὐτὸν ὃ δύναται αὐτὸν κοινῶσαι, ἀλλὰ τὰ ἐκπορευόμενα ἀπ' αὐτοῦ, ἐκεῖνά ἐστι τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον. b Εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. a Τότε προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, εἶπεν αὐτῷ· οἶδας ὅτι οἱ φαρισαῖοι ἀκούσαντες τὸν λόγον ἐσκανδαλίσθησαν. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε· πᾶσα φυτεία ἣν οὐκ ἐφύτευσεν ὁ πατήρ μου ὁ οὐράνιος, ἐκριζωθήσεται. Ἄφετε αὐτοὺς· ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν. Τυφλὸς δὲ τυφλὸν ἐὰν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ πέτρος εἶπεν αὐτῷ· φράσον ἡμῖν τὴν παραβολὴν ταύτην. b Καὶ ὅτε εἰσῆλθεν εἰς οἶκον ἀπὸ τοῦ ὄχλου ἐπηρώτων αὐτὸν οἱ μαθηταὶ περὶ τῆς παραβολῆς. a Ὁ δὲ Ἰησοῦς c εἶπεν b αὐτοῖς· οὕτως a ἀκμὴν c καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε; οὔπω νοεῖτε, ὅτι πᾶν τὸ b ἔξωθεν c εἰσπορευόμενον εἰς τὸν ἄνθρωπον, οὐ δύναται αὐτὸν κοινῶσαι. ὅτι οὐκ εἰσπορεύεται αὐτοῦ εἰς τὴν καρδίαν, ἀλλ' c εἰς τὴν κοιλίαν a χωρεῖ, καὶ εἰς τὸν ἀφεδρῶνα ἐκπορεύεται, b καθαρίζων πάντα τὰ βρώματα. ἔλεγε δὲ, ὅτι τὸ ἐκ τοῦ ἀνθρώπου ἐκπορευόμενον ἐκεῖνο κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. Τὰ δὲ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ στόματος, ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχεται, κἀκεῖνα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. b Ἔσωθεν c γὰρ ἐκ τῆς καρδίας b τῶν ἀνθρώπων οἱ c διαλογισμοὶ b οἱ κακοὶ ἐκπορεύονται, μοιχεῖαι, πορνεῖαι, φόνοι, κλοπαὶ, πλεονεξίαι, πονηρίαι, δόλος, ἀσέλγεια, ὀφθαλμὸς πονηρὸς, c βλασφημίαι, b ὑπερηφανία, ἀφροσύνη, πάντα c ταῦτα b τὰ πονηρὰ ἔσωθεν ἐκπορεύεται, καὶ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. a Τὸ δὲ ἀνίπτοις χερσὶ φαγεῖν οὐ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

non comedunt. Et alia multa sunt, quæ susceperunt seruanda, nempe lotiones poculorum & vrceorum, & aramentorum & lectorum. Deinde interrogabant eum Pharisæi & Scribæ: a *dicentes:* c *Quare discipuli tui* b *non ambulant iuxta ritum traditum à maioribus, (Sed)* a *transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim abluunt manus suas cum edunt panem,* b *sed illotis manibus edunt panem.* c *At ille respondens, dixit ei:* a *Quare & vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram?* b *Bene vaticinatus est Esaias de vobis hypocritis, vt scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Nam omisso præcepto Dei tenetis constitutionem hominum, ablutiones vrceorum & poculorum, aliaque similia his facitis multa. Et dicebat illis: bene reiicitis præceptum Dei, vt constitutionem vestram seruetis. Nam Deus præcepit, dicens:* b *(Moyses enim dixit:)* c *Honora patrem tuum & matrem* b *tuam. Et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri vel matri,* b *corban, quod est,* c *donum quodcunque ex me, in tuum cedet commodum.* b *Et præterea non sinitis eum quicquam facere patri suo aut matri suæ,* a *& non honorabit patrem suum aut matrem suam.* c *Et irritum facitis verbum Dei per constitutionem vestram,* b *quam tradidistis. Et similia huiusmodi multa facitis.* a *Hypocritæ, recte de vobis prædixit Esaias, dicens: Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat, cæterum cor eorum procul abest à me. Sed frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.* c *Et cum aduocasset ad se* b *totam* c *turbam, dicebat illis: Audite* b *me omnes* c *& intelligite.* a *Non quod ingreditur in os, impurat hominem, sed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem.* b *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum inquinare. Sed quæ de homine procedunt,* b *illa sunt, quæ inquinant hominem. Si quis habet aures ad audiendum, audiat. Tunc accedentes discipuli eius dixerunt illi: Nosti Pharisæos audito sermone isto ostensos fuisse? At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Omittite illos: duces sunt cæci cæcorum. Porro si cæcus cæco dux fuerit, ambo in foueam cadent. Respondens autem Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.* b *Et cum introiisset in domum semotus à turba, interrogabant eum discipuli eius de similitudine. Iesus autem* c *dixit* b *illis: Adeo* a *adhuc & vos intelligentia caretis? Nondum intelligitis, quod omne* b *foris* c *introiens in homine,* b *non potest eum inquinare: quia non intrat in eius cor, sed* c *in ventrem* a *abit,* c *& in secessum eiicitur,* b *repurgans omnes escas? Dicebat autem: quod ab homine exit, illud inquinat hominem.* a *At ea quæ proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem.* b *Ab interioribus* c *enim de corde* b *hominum* c *malæ cogitationes procedunt, adulteria, stupra homicidia, furta, auaritia,* a *falsa testimonia,* b *fraudes, dolus, impudicitia, oculus malus,* c *conuitia,* b *superbia, stultitia. Omnia* c *hæc mala ab internis procedunt,* c *& sunt, quæ impurum reddunt hominem. Cæterum illotis manibus capere cibum, non coinquinat hominem.*

Periocha huius Disputationis.

VT ea, quæ hoc capite explicanda veniunt, clariora & dilucidiora euadant, quædam aliquanto altius repetenda videntur. Regimen Ecclesiasticum inter Iudæos antiquitus optimo ordine erat cōstitutum. Præsidebat inter ipsos, ex

Dei instituto, vnus ex familia Aaronis summus religionis Antistes, super cuius caput fusum fuit sacrum oleum vnctionis, & cuius manus in sacerdotio consecratæ erant, ornatus vestibus sanctis. Huius officium inter alia erat pro lege Domini excubare, & attendere ne sincerus Dei cultus & purum ipsius verbum detrimenti quid aliunde acciperet. Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est, Matth. 2.7. Quia vero vnus homo tantæ multitudini, vt nec Moyses in deserto minime sufficiebat: Ideo Deus Num. 11. versicul. 25. Moysi adiunxit septuaginta Seniores, ætate graues, & scientia probatos, qui ipsius in regimine administrando coadiutores essent. Hoc postea in populo Dei semper in vsu mansit, vt summo Pontifici 70. adiuncti Sanhedrim siue συνέδριον aut Senatum magnum 71. personarum, incluso nimirum Pontifice magno, constituerent. Ad quos pertinebat omnes legis ac fidei difficultates seu dubia declarare ac definire, & in rebus grauibus atque arduis causis pronunciare. Habebant quidem Sanhedrim siue Iudices illi ordinarij etiam in aliis ciuitatibus suos subdelegatos: verum si quando iudicium ibi fuit ambiguum vel difficile, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, tum recurrendum ipsis fuit ad Sanhedrim Hierosolytanum, eiusque iudicio standum, nisi mortis periculum quis incurrere vellet, vt 17. 8. pluribus inculcatur. Dicebantur autem illi Iudices quoque Galatino teste libro 4., capite 5. מחוקקים *Mehokekim* id est, *Scribæ* seu Legumlatores, eo quod quicquid tradebant & scribebant, tanquam lex scripta ab aliis habebatur. Horum etiam fuit maleficiis & incantationibus confidentes, item Pseudoprophetas conuincere, & postea occidere. Quoties ergo controuersia aliqua in religione exoriebatur, mox domus iudicij, septuaginta vnius Iudicum, sedens in Consistorio *Gazith*, id est, dolato, eam dirimebat. Synedrio itaque Hierosolymitano hæc cura incumbebat, vt pro pura religione vigilaret, & caueret, ne noua aliqua fides, & religio inueheretur, neve populus Iudæorum in sectas scinderetur. Hinc Ioh. 1. ver. 19. legimus, quod cum Baptista in deserto suum munus exorsus esset, eadem de caussa legatos ad illum miserint, & rationem suscepti muneris docendi & baptizandi exegerint. Cum ergo Iesum pro pseudopropheta habere cœpissent, eo quod paralyticum in festo paschatis superiori anno sanasset, sicque, ipsorum opinione, Sabbatum violasset: omnino etiam ipsum obseruandum, & in eum ratione officij animaduertendum iudicarunt. Quia vero ipsum in Galilæa manere videbant, omnino aliquos ex suo ordine summittendos censuerunt, qui eum obseruarent, & si quid contra legem Moysis committere deprehenderent eundem vel compescerent, vel inuitum Hierosolymam retraherent. Quemadmodum ergo Act. 9. vers. 1. Saulus epistolas & potestatem accepit à Pontifice Iudæorum ex Damasco vinctos reducendi viros & mulieres si quos Christiana religione imbutos ibi inueniret: Ita hi ab eodem potestatem acceperunt sine epistolis Chistum in ordinem redigendi. Hinc addisce, nihil noui nec insolens esse, vt illi, qui primatum sibi in Ecclesia vendicant, primi etiam sint, qui de opprimendo Christo & eius Euangelio consilia agitent. Fit autem hoc, quando (vt audiemus) neglecto Dei verbo traditiones humanas vrgent, suumque priuatum commodum atque honorem Dei gloriæ & hominum saluti anteponunt. Si hoc Iudæorum Pontifex cum suis assessoribus fecit, qui de iure diuino, propter typum Christi, quem tum temporis in V. T. ipse gerebat, caput fuit reliquorum sacerdotum, quid mirum idem facere Pontificem Romanum cum suis Cardinalibus, qui nec de diuino nec de humano iure, sed propria auctoritate, sibi primatum Ecclesiæ arrogauit, seque ipsum eius Caput constituit? Hic certe in Imperatoris Romani & omnium Regum aulis suos à latere legatos habet, qui sanguinolentis consiliis & insidiosis conatibus veritatem oppugnent, & cursum Euangelij impediant. Sæpe autem Iesuitæ suos emittunt, ad hoc conductos & instinctos, vt nostras Ecclesias earumque Doctores obseruent, an quid ex ipsorum dictis & factis arripere queant, quod in vulgus spargant, & coram hominibus carpant. Agnoscamus inde, hos esse graues illos lupos, qui ex Episcoporum numero progressi, gregem Domini deuastant. Act. 29. ver. 29 Ipsorum vero Primipilarem esse hominem illum peccati & filium perditionis, qui in templo Dei sedens, ostentat se tanquam sit Deus. 2. Thes. 2. v. 3.

Cumprimis autem hoc obseruatione dignum est: cum emissarij hi *Pharisæi*, qui piè aliis iustitiæ & sanctitatis opinione inflati erant, *& quidam de Scribis Hierosolymitanis*, penes quos fuit iudiciaria potestas, in Galilæam peruenissent, ibique tam Iesum, quam ipsius discipulos quam accuratissime (absque dubio per dies aliquot) obseruassent, quod tamen nihil aduersus Decalogum vel legem Dei pugnans en ipso eiusque sectatoribus deprehendere potuerint, nullum videre signum idololatriæ vel superstitionis, nullas audiuere blasphemias in Deum, vel exsecrationes in proximum, nullum animaduertere contemtum verbi diuini, nullas obseruare contentiones, rixas, comessationes, dolos, fraudes, nec alia vitia, siue contra primam siue contra secundam tabulam legis diuinæ. Talis quoque hodie debebat esse conuersatio omnium Christianorum, vt si vel Iesuitarum emissarij vel Caluiniani obtrectatores accuratius in nostram vitam inquirerent, non inuenirent, quod traducerent. Quia vero impossibile videtur in numeroso aliquo cœtu omnes sic intra cancellos arctioris disciplinæ cohibere, vel saltem verbi ministri studiose vitam suam ita instituere debent, vt habentes bonam conscientiam, in eo, quod detrahunt ipsis, confundantur, qui calumniantur bonam ipsorum in Christo conuersationem 1. Pet. 3. v. 16. Cum ergo hi emissarij vndequaque calumniandi occasionem quærerent, nec iusta aliqua suppeteret, arripiunt forte fortuna oblatam ab externis quibusdam obseruationibus instituto Maiorum introductis, iisque talibus, ex quibus nulla nec pietas in Deum, nec vtilitas ad proximum proueniebat. Nam cum vidissent aliquos ex discipulis Christi *communibus, id est, illotis manibus* panem manducare, illud reprehenderũt eodẽ modo, quo Matt. 12. v. 1. vituperarãt, quod in Sabbato spicas vellerent, & eas manducarẽt. *Commune* autem Iudæis idem dicebatur, quod immundum vel impurum, vt ex Actor. 10. ver. 14. patet. Rationem huius D. Hieronymus hanc reddit, quod populus Iudæorum, se peculium *Dei* iactitans, seque longe sanctiorem iudicans, quam sint prophane gentes, sanctitatem omnem in externis ritib. consistere putauit. Ac proinde cõmunes cibos vocauit, quibus omnes homines vtuntur. Verbi gratia; carnem suillam, lepores & huiusmodi. Commune denique vocabant, quicquid pro immundo habebant, eo quod cæteris etiam hominibus pateret, & non parte Dei esset. Posset fortasse huius appellationis etiam hæc ratio reddi, quod Num. 19. v. 9. aqua lustrationis siue aspersionis, quæ ex cineribus vaccæ rufæ conficiebatur, & qua immundi aspersi rursus mundabantur, etiam aqua separationis diceretur. In ea ergo fuerunt Iudæi sententia, nisi manus per lotionem rursus à vulgaribus vsibus separarentur, tum illas esse communes seu *immundas. Et occasione* huius Marcus recẽset aliquot *obseruationes ablutionum,* quas Seniores tradidissent, *populus autem eas tenendas & obseruandas suscepisset.*

Hic vero considerandum videtur, vnde traditiones illæ originem suam traxerint, quæ consideratio multa non inutilia mouebit. Tradunt Iudæi Deum quadraginta illis diebus & noctibus, quibus Moyses ipsi conuersatus est in monte Sinai, non tantum scriptam legem Moysi exhibuisse, sed præter illam oretenus quoque ipsum instituisse & docuisse, quomodo populo Israelitico scriptam legem pluribus circumstantiis explicare debeat. Huc accommodant dictum illud Deuter. 4. ver. 14. Mundauit mihi in illo tempore Deus, vt docerem vos ceremonias & iudicia, quæ facere debetis in terra, quam possessuri estis. De die igitur aiunt Moysen ἐγγράφως & scriptam legem didicisse: nocte autem ipsi (qui fortassis lucerna carebat) ἀγράφως legem & explicationes illas traditas fuisse. Sic ergo Iudæi statuunt Legem Dei scriptam, quam vocant *Sepher thorah*, per se esse imperfectam: perfici autem per *Simanim* seu orales traditiones, quibus omnes circumstantiæ legis magis enucleate explicentur. Addunt etiam rationem, quare Deus hasce traditiones Moysi, non scripto exhibere, sed tantum viua voce tradere voluerit. Ne nimirum Gojim siue gentes maledictæ eas describerent & peruerterent, prout scriptam legem peruertissent. Et in nouissimo die hanc futuram probam inter γνησίους Dei filios, & inter adulterinos: quod hi etiam scriptam legem ad tribunal Dei allaturi essent, Israelitæ autem habituri sunt *Simanim*, hoc est, constitutiones ore traditas, quibus perfecti fuerint redditi. Perpendat hic Christianus lector, an non Pontificiorum doctrina cum Rabinorũ cõmẽtis per omnia cõueniat? Accusant hi quoque scripturam imperfectionis: & addunt huic Consilia sua atque traditiones non scriptas, sed ore traditas à Patribus & ex Conciliis acceptas. His se ad perfectionem adduci, sibiipsis & suis persuadent. Cæterum, si quis Iudæos interroget, quomodo illæ ἄγραφοι & Traditiones, inde à Moysis temporibus per tot secula, ad ipsos & hæc nouissima vsque tempora asseruatæ sint & peruenerint. Respondent: Iosuam ita fuisse edoctũ à Moyse, à Iosua Seniores, à Senioribus Prophetas; Prophetis successisse Synagogam magnam, cui præfuerint Esdras, Nehemias, Mardochæus, Zorobabel, Iosue. Et Esdram quidẽ, qui fuerit Concilij illius & Synagogæ magnæ

Nota-

Notarius siue Scriba, non tantum collegisse libros veteres scriptos & constituisse Canonem: verum etiam Cabbalam, hoc est, doctrinam ore traditam, collegisse, & 72. libris mandasse. Hosce libros & constitutiones in ea traditas, Synagogam, & in ea Hillenem, Simeonem Iustum. Gamalielem & alios ad excidium vsque Hierosolymitanum asseruasse. Postquam vero Iudæi in vniuersum terrarum orbem dispersi sunt, metuerunt Rabini, ne sancta hæ traditiones interirent. Rabbi ego Iudas Simonis filius, qui ob probitatis & doctrinæ excellentiam Hakadesch. sanctus denominabatur, cœpit totius Synodi Iudaicæ sapientum decreto, legis prophetarūque explanationes, adeoque totam Cabbalam, & quicquid fuit legalium traditionū tam ante, quā post Christū oretenus traditarum, quas *Thorah Schebealpeh* nominarunt, colligere, & in vnum librum conscribere, quem *Misna* (id est, *Deuterosin*, vel iteratam & secundam legem) appellauit. Et hoc factum est cētum viginti circiter annis post vastatum templum. Anno vero ab eiusdem templi vastatione circiter trecentesimo Rabbi Iohannan adscitis sibi quibusdam Collegis ipsum *Misna* reassumens, & plura scripta quæ habere potuit, addens, volumen maius confecit. Quod in Iudæorum Synagogis lectum, approbatum, receptum, ac tandem publice euulgatum *Thalmud*, id est, Doctrinale *Hierosolymitanum* nuncupatum est. Ad horum imitationem cæteri Iudæi, qui in Babylone remanserunt, itidem suas traditiones à Patribus acceptas comportarunt, & centum annis post beneficio R. Asse & filij eius R. Mar euulgarunt *Thalmud Babylonicum*, atque sic toti operi Traditionum Iudaicarum suum complementū dederunt. Iuxta hoc Thalmud tota Iudæorum Synagoga regitur. Nam in eo sunt comportatæ omnes leges, aphorismi, conclusiones determinatæ, statuta ac constitutiones, cum multis historiis ac fabellis, quibus traditiones suas propemodum infinitas hominibus commendabiles reddere conantur. Diuiditur autem totum Thalmud in sex primarias partes siue ordines, quorū ordinum singuli suas rursus habēt diuisiones. Primus ordo est seminum: secundus, festorum: tertius, mulierum: quartus, dānorum: quintus, sanctificationum: sextus, purificationum. Hæc sexta pars continet duodecim libros, & singuli libri vinginti vel triginta capita, in quibus tractatur de purificatione vasorum cuiuscunque generis ac materiæ, pannorum, indumentorum, habitationum, corporum humanorum & singulorum propemodum membrorum in corpore humano, & quis nugas illas omnes recensere posset? Obiter tamen perstrinxisse ad id conducit, vt videamus, verum esse id, quod Marcus hoc loco scripsit *Pharisæos & omnes Iudæos non capere cibum, nisi crebro manus lauent.* De vocula πυγμῇ, qua hic Marcus vtitur, disputāt, quomodo ea sit reddēda. Vulgata versio habet *crebro*, quam voculā etiam Erasmus retinuit, & Lutherus reddidit *manchma*: vt πυκνῇ legisse videantur. Syrus quoque habet vocabulum à טפל deductum, quod significat studiose, accurate, diligenter. Et hoc cum traditionibus Iudæorum conuenit. Tradunt enim tribus vicibus aquam fundendam super manus, & quidem ex aqua limpida ac pura, quæ nullis aliis vsibus fuerit adhibita: item in prima fusione digitos esse sursum lauandos, in posterioribus autem demittendos, ne aqua immunda retro in manus resultet, sicq; ea rursus immundas reddat. Insuper manus simul lauandas, non vnam post alteram. Denique manus post ablutionem diligenter esse tergendas, ita vt sinistra tanquam famula dextræ subseruiat. Hæc perpendens deprehēdet, Syrum non male reddidisse *curiose*. Et quia hoc vocabulum πυγμῇ Exod. 21. v. 18. quoque legitur, ibique pro pugno accipitur, cur non hic quoque ita reddi posset? Quia illi, qui accurate manus lauant, manū manui affricare & pugnum alterius manus palmæ atterere solent, vt sic eo mundiores illas efficiant. Quanquam Theophylactus illud vocabulum πυγμῇ explicat, ἄχει τοῦ ἀγκῶνος, id est, ad cubitum vsque. Nā πυγμὴ Græcis & pugnum & cubitum significat, à πτύσσω plico quia non tātum digiti in pugnum complicari possunt, sed etiam brachium circa cubitum est complicabile. Et qui Turcis conuersari sunt, illi norunt, ipsos mane preces suas non prius recitare, quam manus cubito tenus lauarint. Hoc à Iudæis mutuati sunt.

Fuerunt ergo Pharisæi & Scribæ ad superstitionem vsque curiosi in seruandis lotionibus. *A foro*, vbi sæpe cum peccatoribus conuersari contingit: vbi, sicut in medio compaginis palus figitur, sic & inter mediū venditionis & emtionis angustiatur peccatis Syr. 27. ver. 2. *domum redeuntes, nisi loti fuissent, non comederunt.* Manus quoque abluentes, cauebant, ne annulum in digitis retinerent, ne quid sordium sub eo lateret, vnde omnis ablutio inanis redderetur. Sic putabant, *pocula* esse prophana, nisi prius eluerentur: fieri enim potuisse, vt vel musca mortua illa contaminarit. Si quis ascendit *lectum* non aspersum aqua, putabat illum esse prophanum: siquidē fieri potuerit, vt in illo pulex occideretur, ex quo mortuo fuerit contaminatus. Desumta autem erant illa omnia ex Num. 19. v. 20. vbi aqua lustrationis ordinatur, si quis ex contactu cadaueris immundus redderetur. Item ex Leuit. 14. vers. 7. & 16. ver. 19. vbi de aspersione eorum, qui mundandi erant, in lege Moysis agitur. Huic legi Pharisæi hasce traditiones addiderunt, seu cautiones, quibus caueretur, ne præcepta Dei ex improuiso violaretur. Postea accessit opinio cultus, vt lotio illa manuum, poculorum, vrceorum & aliarum rerum non fuerit siue politica siue domestica disciplina, sed constituebant Iudæi in ea puritatem coram Deo: & factæ sunt illæ traditiones laquei conscientiarum, vt qui eas non obseruaret, coram Deo peccatum commisisse putaretur. Ad illas Iudæorum lotiones etiam hoc pertinet, quod illi in vno conuiuio non coniunctim carnes & pisces apponunt. Quia asinorum & taurorum cibus est, commistum migma comedere. Es. 30. v. 24. Cumque prohibitum sit, agrum diuerso semine serere. Leuit. 19. vers. 19. vtique etiam non licitum esse opinantur, diuersissimarum specierum cibos, carnes & pisces, in vno prandio in os ingerere. Sin autem omnino contingat, vt post carnem pisces etiam apponantur, aut vice versa, tum omnino diligenter prius & manus abluendas, & ora eluenda, adeoque diligentissime curandum tradiderunt, ne quid carnium inter dentes adhærescat, sed illud omne prius remoueatur, quam pisces ori ingerantur.

Nunc porro attendendum, quomodo Christus hisce subuentitiis Pharisæis, disputationem de Traditionibus Seniorum mouentibus, occurrerit. Sic enim patebit, quid & nos de traditionibus Ecclesiasticis, quæ interdum etiam Adiaphororū nomine veniunt, tuto statuere & tenere debeamus. Ante omnia autem hoc obseruandum, quod Christus hic cum Pharisæis non agat de eiusmodi ceremoniis & traditionibus, quæ expresse & ex diametro pugnant cum verbo Dei, aut de prophanis ineptiis, sicuti Pontificij ad tuendas suas traditiones hunc locum explicant. Nam istiusmodi ceremoniæ simpliciter sunt prohibitæ & damnatæ: & si hæ tales fuissent, Christus absolute eas reiecisset. Sed hic agitur de talibus ceremoniis, quæ originem suam trahunt ex verbo Dei, & finguntur ad cultum Dei esse necessariæ: quas Christus alias, modo non accederet opinio cultus & meriti, suo loco reliquit, hic autem reiecit. Ioannis 2. versic. 6. in nuptiis Galilææ aderant sex hydriæ positæ secundum purificationem Iudæorum: eas Christus nequaquam remoueri curauit, quia ad politicam quandam munditiem faciebant: Et originem suam habuit illa purificatio ex lege Dei, in qua ipse Iudæis multoties iniunxit: Sanctificamini, & estote sancti, quia Ego sum Dominus Deus vester, Leuit. 20. v. 7. Item Iesa. 1. ver. 16. Lauamini, mundi estote. Ita *Corban* siue munus & donarium conferre ad ædificationem templi, & conseruationem ministerij, originem suam habet ex lege Moysis, vbi Exod. 35. vers. 29 ex iussione Moysis viri & mulieres obtulerūt donaria ad exstructionem tabernaculi. Iosias quoque 2. Reg. 22. v. 4. eiusmodi gazophylacium seu arcam instituit, in qua donaria ad templi reædificationem oblata colligerentur. Et Christus Marc. 13. v. 43. laudat viduam, duo minuta in gazophylacium inferentem, quod nunquam fecisset, si hæ ceremoniæ, à maioribus traditæ & introductæ, simpliciter essent malæ, aut legi Dei contrariæ. Quid ergo à Christo in his ceremoniis reprehēditur? Hoc ex ipsius respōsione per certa membra colligere licet. Primum est, quod Iudæi, has externas lotionum ceremonias, obseruantes opinabātur se coram Deo esse mundos, neglecta interim cordis sanctitate, cum tamen Deus cor intueatur. Secundum fuit, quod discedentes à regula verbi Dei, cultus ab hominibus traditos exercent, sicque externas hasce nænias ablutionem pro cultu Dei, aut certe pro aliqua parte cultus diuini venditabant. Contra vtrumque allegat dictum Iosa. 29. v. 13. qui locus admodum illustris est, & Pharisæos conuincit, non esse hunc nouum, sed peruetustum Iudæorum errorem, quo traditiones suas, quæ tamen à Deo sint reiectæ & improbatæ, vrgeant. Loquitur ibi Propheta de spirituali pœna & interna cæcitate, qua Deus ipsos sit afflicturus: eam variis epithetis describit, vocans Iudæos attonitos, cæcos, ebrios, dormientes, habentes vigilantiū ἐνύπνια & librū clausum. Caussas autem illius tam seueræ sententiæ addit præter alias etiam has duas. Vnam, quod essent hypocritæ: alteram, quod non veris rationibus, sed cultibus humanis studeāt se Domino approbare. Vtraque recte huic negotio de traditionibus accommodatur. Nam primo in humana societate solemus eos, qui artificio simulationis sunt instructi, vt aliud lingua præ se ferant, & aliud in corde latitans alant. Et Deus, qui inspicit penetralia cordis nostri, & omnes eius recessus scrutatur, patiēter ferret. *si quis ore ipsi appropinquaret & labiis eū*

honoraret, corde autem longissime ab ipso abesset, hoc est, artificio ὑποκρίσεως & simulationis aduersus Deum vti vellet? Hoc vero faciebant Pharisæi istis suis lotionibus. Vitæ puritatem in manibus, poculis, lectisterniis, patinis & aliis præ se ferebant: penetralia autem cordium nihil præter barbaricum peccatorum cœnum continebant. Munditiem & nitorem in externis corporis membris profitebantur: intrinsecus autem cor impuris cogitationibus & flammis iræ, odij & inuidiæ aduersus Christum ipsiusque discipulos ardebat. An non tales *hypocritæ* Deum irrident? An non Deo imponere student? Ac si duntaxat externorum operum, non autem cordium spectator esset. Et hoc vnum est, quod in istiusmodi ceremoniis Christus reprehendit: si externo opere Deum coli fingamus, neglecta interim cordis sanctitate.

Alterum, quod Deus ferre nequit est, quando diuini cultus de hominum ingenio confinguntur. Ipse enim vult coli rationibus à se præscriptis reliquos cultus omnes, vt alienos damnat & detestatur. Neque enim frustra Deut. 4. v. 2. & 12. v. 33. tam disertis verbis præcipit: quod Ego præcipio tibi, hoc tantum facito: nec addas quicquam, nec minuas. Nimirum, nos homines adstrinxit ad sua mandata, quibus obseruandis operam dare debeamus, exclusis omnibus, quæ extra verbum bona intentione suscipiuntur. Christus autem sua citatione Iesaiæ locum non modicum illustrat. Isaias dixerat: *fit timor eorum ex præcepto, quod ab hominibus docetur.* Vbi Propheta per *timorem* nihil aliud intelligit, quam Dei cultum. Recte ergo Christus interpretatur: *Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum*, hoc est, Deo non probantur ea, quæcunque extra verbum, de consilio hominum, in sacris constituũtur. Μάτην, *in vanum*, siue *frustra Deum colere* dicuntur: siue quia finem & fructum cultus diuini non assequuntur: siue quia cultus ipse per se vanus & friuolus est. Nemo autem miretur, eiusmodi cultum, qui per traditiones hominum præstatur, Deo ingratum esse. Odit enim ille superbiam humanarum mentium, qua elatæ sibi ipsis persuadent, se rectius nouisse, quibus rationibus & modus sit colendus, quam ipse præscribere possit. Prouenit hoc ex primogenita illa à primis parentibus accepta naturæ nostræ deprauatione, qua Diabolus ipsis persuaserat, Dei mandatum esse negligendum, & noua quadam ratione seu via, ad nescio quam diuinitatem esse adspirandum. Hac nostra naturali imbecillitate Diabolus adhuc hodie abutitur, & in fœdissimos errores nos cõiicere studet, quamprimum à Dei verbo discesserimus. Itaque clementissimus cœlestis pater omnem sui cultum in verbo suo præscripsit: eoque nos ceu filo, aut digito, ducit, ne exorbitemus. A quo præscripto vbi recesserimus, mox Diaboli ludibrio nos ipsos exponemus. Vnde factum est, quod Ethnici, homines aliàs sapientissimi, in tam crassos & perniciosos errores prolapsi sunt, vt πολυθεΐαν & infinitam Deorum multitudinem fingerent, vt humano sanguine sæpius litarent, vt liberos per ignem traducerent, vt Floram meretricem nefandis cultibus prosequerentur? Non aliunde, quam quod suæ sapientiæ confisi spreto Dei verbo, in ratione cultus diuini, sine certo duce, versabãtur. Itaque iusto Dei iudicio in tam tetras & abominandas circa Dei cultum tenebras inciderunt. Nam qui Dei magisterium & dictum contemnunt, digni sunt, vt *frustra ipsum colant*, & vero sine cultus destituantur.

Obseruent autem hic iuniores, non absque diuina prouidentia factum esse, Iudæorum Thalmud & doctrinale, in quo omnes suas illas ceremonias & traditiones Maiorum, de quibus Christo hic sermo est, comprehensas habent, nomen suũ ex hoc ipso Iesaiæ loco sortitum esse. Sic enim Iesaias hunc locum concludit: *timor eorum fuit mandatum hominum* מלמדה *doctum*. Hic abiiciatur seruilis litera מ & eius loco ponatur ת, cum habemus Iudaicum Thalmud, de quo quid Deus sentiat, ex hoc loco disci potest.

Sic ergo duo habemus, quæ Christus in Traditionibus Iudaicis reprehendit. Primum est, quod externam munditiem Deo loco puritatis cordis obtrudebant. Alterum est, ex humanis suis traditiunculis Dei cultum faciebant. Iam sequitur tertium, quod humanas suas traditiones diuinis præceptis præferebant, sicque suis traditionibus occupati, diuina mandata negligebant, imo prorsus irrita faciebãt. Christus enim Pharisæis obiicit, quod *Dei præceptum reiiciant, vt suas traditiones seruent.* Nam verbum ἀθετεῖν, quo Marcus initio vtitur, significat reprobare, repellere, Psalm. 15. v. 4. & 132. v. 11. vsurpatur de iuramentis, quæ nemo ἀθετεῖν seu irrita facere debeat. Ἀκυροῦν autem, quo postea ambo Euangelistæ vtuntur, significat infirmare, robore suo priuare & inualidum reddere, Genes. 23. versiculo 20. cum Abrahamo emtio agri in possessionem sepulturæ confirmaretur, habetur verbum ἐκυρώθη, confirmatus est ager. Ergo ἀκυροῦν significat id, quod confirmatum erat, infirmare. Vtrumque verbum apposite præsenti negotio conuenit. Pharisæi enim non quidem aperte & plane præcepta Dei abrogabant: Sed, tamen secure patiebantur officia diuinitus præcepta omitti, dummodo populus traditiones seruaret. Hoc probat Christus exemplo quarti præcepti. Nam, inquit Christus, *Deus præcepit*, & *Moyses dixit*. Recte coniungit Dominum & ministerium. Minister enim auctoritatem suam accepit à Domino: & Dominus in hac vita non vult nobiscum agere immediate, sed mediante ministerio verbi. Deus ergo per Moysen Exod. 20. versiculo 12. & Deut. 5. versiculo 16. hoc præceptum dedit: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Et quid *honoris* vocabulo Deus intellectum velit, explicat hoc loco Christus, nimirum non tantum reuerentiam illam, quæ in verbis & externo gestu consistit: sed etiam vt filij de parentibus, vtpote à quibus *vitæ principium* recepissent, honorifice & præclare sentiant: *vt ipsorum vitam*, honorem, dignitatem omnibus *viribus defendant*: vt denique in periculis, in egestate, in senio, in aduersa valetudine, quibuscunque possunt consiliis, opibus, consolationibus & remediis ipsis subueniant. Hoc subsidium Scriptura Christo interprete, *honoris* nomine intelligit. Nam, vt recte D. Hieronymus dixit, Honor in Scriptura nõ in salutationibus, sed in deferendis officiis consistit. Hoc subsidiũ si quis parentibus negat, dicit Paulus eum fidem negasse, & infideli deteriorem esse, 1. Tim. 5. ver. 8. Illud ipse Christus hoc loco confirmat, dum illi Dei præcepto alterum adiungit ex Leuit. 20. versiculo 9. *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Innuens, coram Deo nõ minus inaeuitabilem mortis pœnam incidere eos, qui honorem illum & subsidiũ parentibus subtrahunt, quam qui contumeliosis verbis aut maledictis parentes afficiunt. Hoc ergo Dei præceptum quomodo infirmarunt, & eneruarunt Pharisæi? Illud Marcus hisce verbis explicat. *Vos autem dicitis, si dixerit homo patri aut matri, Corban, hoc est, donum quodcunque ex me, in tuum cedet commodum.* Est oratio Ecliptica, & propterea aliquibus obscurior visa: sed facile expleri potest. Vt nimirum sensus sit, si quis dixerit *Corban*, is recte facit, & iam probe defunctus est officio pietatis erga parentes, nec reus est peccati contra quartum præceptum, *nec finitis eum quicquam vlterius facere patri suo aut matri suæ.* Hæc vero hoc modo sunt intelligenda. Traditio fuit (sicut & supra monuimus) vt quisque aliquid ad ædificationem templi contribueret. Hanc traditionem Christus suo loco relinquit, nec per se improbat. Sed sæpenumero accidit, prout casus humani sunt varij, vt parentes senio confecti, vel ob morbum aliquem, vel ob aliud infortunium, in egestatem inciderent, filij autem in re lauta essent. Ibi cum parentes filiorum opem implorarunt, quemadmodum ipsi eos infantia enutriuissent, sic ipsi vicissim eorum senectam subleuarent. Hic sæpenumero filij parentibus opem suam non denegassent, nisi obstitissent vel votum vel propositum, quod illam partem pecuniæ seu redituum; qua parentes inopes subleuari potuissent, in Corbonam mittere velit. Hic merito cedere debuisset hominũ traditio præcepto diuino, vt donaria illa sacra in alimoniam parentum, ob reuerentiã diuini mandati, conuerterentur. Sed auaritia Sacerdotum, qui plerique etiam Pharisæi & Scribæ fuerunt, ita creuerat, vt docerent, melius & sanctius esse Corban dare, vel ad templi structuram aliquid impendere, quam parentibus succurrere. Corbam enim pertinere ad primam tabulam: honorem autem parentum ad secundam. (De qua tamen Christus pronunciat Matth. 22. ver. 39. secundum præceptum simile esse primo) item pecuniam templo datam, simul etiam prodesse parentibus ad salutem animæ, impetrare, nimirum remissionem peccatorum, & augere cumulum meritorum corã Deo. Hoc modo se excusabãt liberi. Res illa quando delata fuit ad Pharisæos, hi pro liberis pronunciarunt, eosque absoluerunt, si modo id quod parentibus dandum fuerat, ad templum contulissent, sicque Sacerdotum auxissent. Hoc vocat Christus *irritum facere præceptum Dei, per constitutionem Pharisæorum, quam tradiderunt.* Hæc si quis accomodet ad Romanensium ceremonias, traditiones, & totum cultum diuinum, in quo summam omnis pietatis & sanctitatis collocatam habent, nõ ouum ouo similius esse animaduertet, quam sint ipsorum næniæ cum fatuitatibus Pharisæorum collatæ. Nam primum quemadmodum Pharisæi omnem suam puritatem collocarunt in externa ablutione, interim cordis sanctitatem negligentes: ita Pontificij habent suam aquam lustralem, crucis significationes, exorcismos ciborum, chameunias, diuersa vestium genera, candelas seu cereos benedictos, rosaria, quæ coram imaginibus Diuorum demurmurant, genu flexiones, humicubationes, & sexcenta alia extrena, quæ in oculos hominum incurrunt, & quibus ore ac labiis ad Dominum appropinquant, in his omnem suam sanctitatem collocant. Interim vero vitæ innocentiam, caritatis officia, & fidem in Christum, qua tamen sola corda purificari Apostoli tradunt, Actor. 15. versiculo 6. secure negligunt. Secundo, quemadmodum Pharisæi

Pharisæi in suis traditionibus cultum Dei constituerunt: ita habent etiam Papicolæ suas ἐθελοθρησκείας & electitios cultus, quos Deo obtrudunt, licet ab eo non sint præcepti, sed vel in Cardinalium conciliabulo fabrefacti, vel in Monachorum senatu reperti, vel ex caliginoso fumo sine scrinio pectoris pontificij prolati. Quales sunt ordines Monachorum & eorum regulæ, Missarum nundinationes, ieiunia hypocritica, abstinentia à certo genere ciborum, peregrinationes ad sacella, ad reliquias & ad statuas Diuorum, adeoque consimilia multa, quæ auaritia sacrificulorum introduxit, superstitio hominum confirmauit, & iam fere sub titulo traditionum Apostolicarum siue Ecclesiæ venundantur. Sic ergo Traditionis titulus est vere Pandoræ pyxis, cuius operculo omne genus corruptelarum, abusuum & superstitionum in Ecclesiam est inuectum. Tertio, quemadmodum denique Pharisæis piaculum fuit, constitutiunculas Seniorum negligere, contra vero Dei præcepta violare leuiculum visum est: Ita consimilium exemplorum plenus est Papatus Romanus. Si quis tempore quadragesimæ carnes aliosve cibos à Romana sede prohibitos comederit, is longe grauius peccasse videtur, atrocius etiam punietur, quam si vel peierasset, vel patrem calcibus feriisset, vel virginem constuprasset, vel quoduis aliud peccatum contra Decalogum commisisset. Si Sacerdos vel verbi minister legitimum coniugium cum honesta virgine contrahat, quod Paulus 1. Timoth. 3. versic. 2. diserte approbauit, maius peccatum commisisse putatur, quam si scorta aliquot domi suæ alat. Talia multa adduci possent, nisi breuitati studeremus. Nemo ergo miretur, quod interdum ad exemplum Christi hypocritis illis laruam detrahimus, ipsorum impietatem publice, libere & aperte arguimus, ne rudes & imperitos suis χρηστολογίαις & deceptionibus amplius seducant.

II. Secunda pars huius Tractatus de Traditionibus est, quod Christus relictis Pharisæis & Scribis, quos ob propriæ iustitiæ & sapientię confidentiam & priuatæ gloriæ studium, sanioris doctrinæ minus capaces esse sciebat, turbas dociles aduocat, illisque veram doctrinam de immunditie hominum & purificatione eorundem proponit. Vt enim boni Pastoris est, & oues pascere, & lupos abigere: ita boni Doctoris est, tam aduersarios refutare, quam dociles instruere. Quia vero hic demum *turbas aduocat*, eas instituturus, putant aliqui Christum priorem illam suorum discipulorum defensionem, & in Pharisæos retorsionem, priuatim ac seorsim, non audiente populo, proposuisse: sicque ipsorum, tanquam Præsulum honori, consuluisse. Illos enim non publice increpandos, sed priuatim monendos censent. Sed Marcus ponens hic particulam *πάντα ὄχλον totam turbam*: illam non omnem à priori disseratione excludit, licet hic plures affuisse testetur. Cur enim Christus parceret honori laruatorum istorum Præsulum, qui & Dei & Messię ipsius honorem pedibus conculcabant? Turbæ vero ad se vocatæ dicit: *Audite me omnes & intelligite.* Est exordium breue concionis futuræ, in quo, quoniam dogma à consueta Pharisæorum docendi ratione, alienum propositurus erat, attentionem requirit: sic turbas audire iubens, vt simul, quæ dicentur, intelligant, & in cor intromittant, ne forte quæ vtrunque de traditionibus Seniorum disputata fuerant, secus, quam oportet, accipiant. Nec emphasi carent duæ illæ voculæ, quod dicit: Audite *me*, potius quam Pharisæos, *omnes*, quia locutus sum de re omnibus vtili. Hoc vero breui exordio Christus docet, quid à suis sectatoribus requirat. 1. *Audiant* verbum ipsius. Nam qui ex Deo est, verba Dei audit, Iohann 8. vers. 47. Audiri autem debet, non instar fabulæ, aut cantilenæ, sicut fecere Iudæi, Ezech. 33. vers. 31. aut quasi aliud agendo, sed discendi & obsequendi studio: quo nisi animi flagrent, nullus ex audito verbo fructus ad ipsos redibit. 2. Audita etiam *intelligant*. Qui intellectus diligentem meditationem auditorum requirit, qua verum genuinum dictorum sensum percipiant. Hinc David beatum pronuntiat illum, cuius voluntas est in lege Domini, quique eam meditatur die ac nocte, Psalm. 1. vers. 2. Cumque Christus hoc à turbis requirat, hinc iudicemus, quid sentiendum sit de illis, qui rudem plebeculam simpliciter credere volunt, quæ Ecclesia credit, siue illa intelligat, siue non. Imo ne inquirere quidem ipsis licet, qualis sit illa fides Ecclesiæ: quin potius studiose illam celant: Scripturam sacram in vernacula lingua legere prohibent: in templis cantiones & lectiones in peregrino idiomate proponunt: domi quoque precationes eiusmodi non intellectas recitare curant, duntaxat vt Laici nihil intelligant, sicque ipsi lusci inter cœcos ignorantiæ regnum obtinere queant. Quam longe diuersum ab his D. Apostolus Paulus sensit? qui maluit quinque verba in ecclesia cum intelligentia loqui, vt alios instituat, quam decem millia verborum in lingua, quam nemo intelligat, 1. Corinth. 14. vers. 19.

Quid ergo est, quod audire & intelligere debeamus? *Quod in os hominis ingreditur, non inquinat hominem: Sed quod ex ore egreditur, hoc impurum reddit hominem.* Respicit Christus finem, quo Pharisæi & Scribæ illam traditionem de ablutione manuum, antequam quis cibum caperet, vrgebant: nimirum, quia putabant religiosæ sanctitatis coram Deo proram & puppim in hac ablutione consistere. Nam publice tradebãt, si quis forte manibus pollutum quid contigisset, inde mox manus contaminari: ex illa vero immunditie manuum, nisi prius abluantur, cibos etiam immundos reddi: & consequenter ex ciborum impuritate contaminari ipsos homines. Hinc conscientiis hominum scrupulos iniiciebant, & lethiferos aculeos infigebant, vt se cum animarum periculo & damno peccare crederent, si illotis manibus cibum caperent. Hanc superstitionem & conscientiarum carnificinam Christus generali argumento refutat. *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum inquinare,* &c. Est argumentum, & ab origine peccati & ab eiusdem effectu sumtum. Ab origine peccati sic argumentatur. Peccatum non extra hominem nascitur, nec aliunde in eum ingreditur: sed intra hominem, & quidem in corde ipsius concipitur, conceptum ibi sedem inuenit, & inde sese in os, manus, pedes, ac reliqua membra diffundit, sicque hominem polluit. Nam homo in peccatis est conceptus & natus, Psalm. 51. versic. 7. & in carne sua non habet habitans bonum, Rom. 7. vers. 18. ac proinde à propria sua concupiscentia abstractus & illectus tentatur, Iacob. 1. versic. 14. At cibi qualescunque sint, extra hominem sunt, & siue lotis siue illotis manibus comedantur, aliunde in eum ingrediuntur. Ergo illotis manibus edere, per se hominem non inquinat. Ab effectu peccati sic argumentatur: Omne peccatum sic polluit hominem, vt Deo displiceat. At illotis manibus cibum sumere, non hominem alienum facit à Deo. Ergo illotis manibus edere non est peccatum. Hæc per se clara & manifesta sunt: postea tamen Christus in expositione sua ad Apostolos pluribus explicabit.

Hic vero aliqui Christo litem mouent, inquirentes, quomodo dicere potuerit: *omne quod in os ingreditur, non coinquinat hominem*? Certe Moyses Leuit. 11. cap. multa animalia, pisces, aues, & reptilia enumerat, quæ si quis Iudæorum comedisset, immundum ipsum reddidissent. Si Iudæus carnes suillas mãducasset, si de sanguine & suffocato comedisset, an vero non se polluisset? Item. Num Nabal, dum 1. Sam. 25. vers. 36. plus vini quam ferre poterat, ingurgitauit, non seipsum polluit? Quomodo ergo verum manet illud: *nihil introiens in hominem, potest eum inquinare*? Respond. 1. Verba sunt intelligenda secundum subiectam materiam. Christi autem materia de qua in præsentia hic agit, non proprie sunt cibi in se & per se considerati, sed eorum vsurpatio, vtrum ea fieri debeat lotis, an vero illotis manibus. Deinde loquitur hic Christus non de Leuitica impuritate: sed de munditie coram Deo, quæ inter se sunt diuersissima. Leuitica enim impuritas talis erat, vt iuxta illam etiam fidei sanctitas stare potuerit. Verbi gratia: Qui procurabat funus fratris Leuitice immundus habebatur, & absolutione indigebat: dum interim, si firma fide in Messiam præditus fuit, cor eius coram Deo minime immundum fuit: imo ex fraterna caritate funus procurando bonum opus fecit. Cordis ergo munditiem Christus requirit, sine qua nemo Deum videbit, Matth. 5. v. 8. Tertio, vinum autem, quod Nabal bibit, ipsum per se hominem non inquinauit: sed effrenis cupiditas donis Dei abutens. Ideo D. Paulus dextre hoc Christi explicauit ad Tit. 1. v. 15. scribens: Mundis omnia munda: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt ipsorum & mens & conscientia. Quod ergo ebriosi & crapulæ dediti se creaturis coram Deo polluunt, illud non ex eo prouenit, quod per os illæ intrant, sed ex prauis cupiditatibus, quæ in corde hominis latitantes eum impellunt, vt bonarum illarum creaturarum siue abusu siue nimio vsu Deum offendant. Sic etiam Idolothyta, Act. 15. vers. 29. 1. Corinth. 30. vers. 20. si contra Apostolorum interdictum comedantur, inquinarunt: quia cor adhuc inuocationi idolorum vel potius dæmonum deditum erat. Denique quia præ foribus erat tempus, quo Leuitica illa omnia erant abroganda: ideo Christus, vt illi abrogationi viam pararet, hic generalius loquitur, & pronuntiat, *omnia* quæ per os ingrediuntur, & ad sustentationem corporis conducunt, esse licita, & coram Deo hominem non inquinare. Hoc cum ita sit, agnoscamus errare eos, nec secundum veritatem Euangelij incedere, qui hodie quoque ciborum discrimina constituunt, & nouas ieiuniorum regulas tradunt, quibus conscientias irretiũt, & homines iis pollui contendunt, nisi abstineant. Hinc apud Pontificios ieiunia quatuor temporum, profestorum, feriæ sextæ & Sabbati, adeoque Quadragesimæ non minus stricte obseruandæ vrgentur, quam si ab ipso Deo in Decalogo precepta fuissent. Contra hasce præceptiunculas Papistarum teneamus & vrgeamus hoc Christi: *nihil quod per os ingredi-*

tur coinquinat hominem, Luc.10.v.7. Intrantes in domum manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Item hæc dicta Apostoli: Rom.14 ver.17 Regnum Dei non est esca & potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto, 1.Cor.8.vers. 8. Esca nos non commendat Deo. Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus Paulus quoque 1.Tim.4.vers.3. dæmoniorum doctrinam vocat, præcipere, vt quis abstineat à cibis, quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus. Sed excipiunt illi: se non religionis, sed disciplinæ Ecclesiasticæ caussa instituere, vt facilius caro coerceatur, quæ cibis delicatioribus nutrita magis ferocire soleat. Hoc si serio dicant, & hunc vnum finem spectent, facilius conueniemus. Simul tamen etiam hæc membra obseruanda erunt: ne ieiunium in sola carnis abstinentia definiant: ne præceptiunculis suis conscientias grauent: ne earum transgressores mox pro hæreticis habeant: ne igne & ferro eos persequantur: ne certo tempori ieiunium alligent: sed tunc singulos illud sibi imponere permittant, quando vel carni lasciuienti freno opus esse intelligunt, vel publicas calamitates nos ad ardentius resipiscentiæ, pietatis & precum studium reuocare sentiunt. Cum etiam D. Augustinus scripserit Epist.60. Ego in Euangelicis & Apostolicis literis video præceptum esse ieiunium: quibus autem diebus ieiunare oporteat, vel non oporteat, non inuenio definitum.

Hanc concionem popularem Christus vsitato Epiphonemate, quod cap.61. huius Harm. exposuimus, concludit. *Qui habet aures ad audiendum audiat*: attentionem & expensionem eorum, quæ dixerat, non minus sub finem, quam sub initium requirens, & simul Cōcionatoribus exemplum præbens, hanc diligentiam in ministerio Ecclesiastico adhibendam & curandam esse, ne dicta aures præteruolent, sed vt auditorum animis penitius insideant, sicq; in ipsorum cordibus fructum multum ad salutem afferant.

III. Tertia pars huius Tractatus de Traditionibus Seniorum continet priuatum Christi & Apostolorum de hac controuersia colloquium: Absoluitur autem illud duobus membris. Vnum est, quod Apostoli animaduertentes Pharisæos & Scribas asperiori responsione offensos esse, oblique Christo obiiciunt doctrinam de cauendis scandalis: sicque ipsi occasionem præbent tradendi vtilissimam illam distinctionem de scandalo Pharisaico, & de scandalo infirmorum. Alterum est, quod ad petitionem Apostolorum priorem suum sermonem plenius explicat, & nō tantum ostendit, quænam sit vera immunditíes, vndeq; illa, quæ hominem coram Deo abominabilem facit, contrahatur; sed etiam simul in antithesi monstrat, quænam sit vera sanctitas. Est enim sanctitas, mundari ab illis inquinamentis. Nos vtrumque membrum breuiter inspiciemus.

I. Dubium non est, Pharisæos & scribas, audita reprehensione simul & concione Christi, offensionem & indignationem suam celare non potuisse, sed externis signis eam prodidisse. Vnde enim alias discipulis de ea constaret? Nisi statuere velimus ipsos etiam Apostolos hoc sermone Christi offensos esse, vt qui in speciem in legem Moysis de discrimine ciborum, item in prohibitionem sanguinis, impingeret. Vt igitur hic scrupulus ipsis quoque eximeretur, prætexunt Pharisæos & dicunt: *Nosti Pharisæos audito sermone isto scandalizatos esse?* quasi dicant: Mi præceptor, concio ista tua nupera non prospere successit. Inde enim orta sunt scandala apud Pharisæos, qui hac occasione facti sunt alienatores à veritate, & tuæ personæ infestiores. Cur ergo non tacuisti, aut aliquanto mitius locutus es, præsertim in præsentia illorum, qui ex collegio Hierosolymitano adsunt, vnde tibi & nobis maximum infortunium creare possunt? Hac oratione Apostoli non tam suam solicitudinem & curam, quæ sane laude digna est, quam animi sui morbum, quo etiam alij laborant, produnt. Plerique enim existimant, doctrinam pietatis & veritatis sic esse inflectendam, ne ea animi hominum offendantur. Hoc igitur etiam Apostoli innuere volunt, vt præceptor asperius dicta corrigat, & offensos animos lenire studeat. Atque hæc est sors veritatis in hoc mundo: vt ea hypocritæ irritentur, quia ipsis luce sua fucum abstergit, germanis autem eius discipulis iusto acerbior videtur. Quid vero Christus? Respondet: *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur.* Vult dicere: Debebant quidem Pharisæi & Scribæ esse arbores iustitiæ, & plantatio Domini ad gloriam eius, Iesa.61.ver. 3. & quia Hierosolymis veniunt, vobis simplicioribus videntur esse cedri Libani, plantati in domo Domini, & tanquam palmæ, quæ in atriis domus Dei nostri florent. Psalm.92.vers. 13. sed erratis. Quia enim non sunt per veram fidem insiti in veram oleam, Rom.11 versic.17. in arborem vitæ: nec sunt plantati secus decursus aquarum verbi Dei, Psalm.1.versic.3. non sunt plantatio patris mei cœlestis. Sed sciatis, quod Satanas etiam suas habeat plantationes, quales sunt Zizania. Matth.13.vers.25. Hæc interdum succrescunt, vt erigantur sicut laurus viridis, Psalm.37.versi.35. sed dicto citius *eradicabuntur*: vix transibitis, & ecce non erunt; quæretis eorum locum, & non inuenietis. Antequam enim harum spinæ sentient rhamnum: sic viuidas illas adhuc ita violenter euellet. Psalm. 58.ver.10. Monet ergo Christus Apostolos, illos Pharisæorum nullam rationem habere, neque eorum scandalo moueri debere. Deum enim obiecto verbo ipsis occasionem præbere, vt illud blasphemando eo citius eradicentur. Quidam, vt etiam inter veteres Hilarius, Chrysostomus & Theophylactus per *plantationem non à cœlesti patre plantatam* intelligunt falsam doctrinam, quales fuere illæ traditiones *humanitus* introductæ, & per superstitionem hominibus commendatæ, non autem à cœlesti agricola plantatæ, & has plantationes falce Euangelica demetendas, vel potius instar zizaniorum euellendas & exstirpandas esse. Non est mala hæc interpretatio. Nam siue de dogmatibus, siue de dogmatistis intelligamus, vtraque sunt eradicanda. Hæc tamen interpretatio Manichæis occasionem præbuit, quod legem criminati sunt, quasi non fuerit ex Deo, quia per Christum in Nouo Testamento sit abrogata. Christianos autem hæc Manichæorum calumnia nihil mouet: quia norunt, quomodo, qua de caussa, quo fine, & quatenus lex Mosaica, tum ceremonialis, tum iudicialis, tum moralis, sit abrogata. Quanquam etiam Theophylactus non ineleganter dixerit: Lex, vt est plantatio Dei, non est eradicata. Manet enim eius radix, Spiritus qui in occulto est: folia autem, hoc est apparens litera, defluunt. Nos de personis Pharisæorum hunc Christi locum accipimus. Ideo Christus subiungit: *omitte illos*, id est, si à nobis secedant, vsque adeo non curate, vt potius vos ipsi eo fugere debeatis. Hinc desumsit Paulus suum illud Tit. 3.vers.10. Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem deuita: sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit quasi proprio iudicio condemnatus. Rationem addit: *Duces sunt cæci cæcorum.* *Cæcos* vocat, & tales se esse ipsi commonstrant, quia apertam veritatis lucem conspicere non poterant. Quemadmodum ergo cœci in ipsa die facile impingunt, non ex lucis defectu, sed ex proprio vitio: ita Pharisæi quoque obiecta luce veritatis scandalizantur. Et sane si tantum cœci fuissent, & cœcitatem suam agnoscentes Christum adiissent, sicuti Apostoli fecerunt, tum sanari potuissent. At illi non tantum putarunt se *videre*, Ioan.9.vers.41. sed etiam se *Duces cæcorum* & lumen eorum, qui in tenebris sunt, professi sunt. Roman.2.vers.19. dum omnes conantur adigere ad sua placita. Volunt etiam sectatores habere *cæcos*, qui oculos claudant, nec quicquam in verbo siue religionis negotio considerent. Quid ergo aliud sequi potest, quam vt seipsos & suos sectatores *in foueam*, tum externæ perditionis, tum æternæ damnationis præcipitent? Scite enim D. Bernardus dixit: Speculator cœcus, præcursor claudus, præco mutus, doctor inscius, omnes quatuor nemini quicquam prosunt. Et quantum hi cœci duces misero Iudæorum populo obfuerint, ex historia Euangelica notum est. Persuaserunt sibiipsis & plebi, vrbem & gentem non posse saluam esse, nisi Iesus pro populo moriatur. Ioannis 11 vers 48. Persuaserunt Pilato, non esse ipsum amicum Cæsaris, nisi Iesum interficiat. Ioannis 19 versic.12. Sed eo ipso, quo gentis suæ felicitatem cœci hi *Duces* quæsiuerunt, Dei iram irritarunt, vt ipse misso Romanorum exercitu vrbem euerteret, templum destrueret, totam terram vastaret, reliquias populi in vniuersum orbem terrarum dispergeret, sicque eos radicitus exscinderet, tandem vna cum ducibus in sempiternæ damnationis barathrum præcipitandos. Non immerito itaque Christus suos monuit, vt hosce cœcos cœcorum Duces vitarent, nisi cum illis perire velint. Nec valebit illa excusatio, qua multi vtuntur. Illi, qui in officio sunt, viderint, an recte doceant: Ipsi enim rationem reddent, si me seduxerint. Imo *ambo in foueam cadent.* Hoc tamen dictum (quod Pharisæi *duces cæci* suos sectatores *in foueam* præcipitent) Christus proferre non fuisset ausus, si nostræ ætatis Iesuitas audiuisset, qui diserte asserere audent, Papam etiam cœcum alios illuminare posse. In Colloquiis Ratisp. pagin.56. Simul tamen Christus nos docet, in gratiam hypocritarum & calumniantium doctrinam veritatis non esse mutandum, sed per media scandala esse fideli Doctori progrediendum. Prædicamus enim eum, qui est petra scandali, Iesa.8. vers.14. qui Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia: nobis vero credentibus virtus: Dei ad salutem, 1.Corinth. 1. versic.23. Et huc conducit distinctio inter scandalum datum & scandalum acceptum. Scandalum datum est, aliquid dicere vel facere, quo alius in via pietatis & veritatis, vel impeditur vel perturbatur, vel auocatur, vel alienior redditur. Quod fit vel falsa doctrina, vel impia vita

pia vita

pia vita. Scandalum acceptum est, quando sana doctrina, quæ necessario est proponenda, aut factum aliquod, quod omnino fieri debuit, non ab infirmis, sed à maleuolis ita excipitur, vt ipsis fiat occasio, vnde alienentur à pietate, & infestiores fiant veritati. Ob tale scandalum non est omittenda doctrina necessaria, sed prædicanda: neque intermittenda sunt opera à Deo mandata, sed facienda, & euentus Deo committendus. Si offendantur infirmi, eo quod rem non satis intelligant, sunt illi erudiendi. Sin impij offendantur, non turbemur, sed eos omittamus: nemini suo scandalo accepto nocebunt, præterquam sibiipsis. Dum enim nolunt esse Dei agricultura, 1. Corinth. 3. versic. 9. & per ministerium nostrum nec plantari, nec rigari volunt, Deus quoque nullum dabit incrementum, sed ipsos eradicabit. Non fingamus nobis maiorem moderationem, quam Christus in suo ministerio adhibuit. Studendum sane, ne ex docendi ratione offensio enascatur. Sed si nos doceamus, quæ vera, quæ pia, quæ verbo Dei consentanea sunt, & hypocritæ eo offendantur, illud Deo commendemus. At, dicat quis, nos debemus omnes auditores lucrari. Respondeo. Non possumus: quia quos cœlestis pater non plantauit, illi non succrescent, vtcunque ipsis blandiaris, sed eradicabuntur. Pharisæi non plantati fuissent, si maxime Christus ad submonitionem Apostolorum asperius dicta mitigasset & correxisset: sed palinodiam esse interpretati fuissent. Et simul notandum, quod quando hypocritæ prætextu scandali à Christo abalienantur, & nos in ipsorum gratiam doctrinam inflectere volumus, vsque adeo ipsos non lucramur, vt illi nos secus in exitium abripiant. Perinde enim est, ac si quis videns, sciens & volens, in gratiam cœci oculos claudere vellet, vt vna cum ipso in præcipitium adduceretur. Et hoc est vnum membrum: videamus etiam alterum.

II. Apostoli postquam intellexerunt, Pharisæorum scandalizantium nullam habendam esse rationem, sui curam habent, & quia ipsi quoque Christi concionem non erat assecuti, eam apertius sibi exponi petunt. Matthæus dicit *Petrum*, Marcus *discipulos* rogasse, vt hanc parabolam edissereret. Vel igitur Petrus nomine reliquorum hoc petiit: vel primum Petrus, postea in domo reliqui etiam discipuli Christum interrogarunt. Videmus hic, quæ & quanta sit tarditas & ignorantia humani ingenij in rebus spiritualibus, quæ natura omnibus est ingenita, 1. Corinth. 10. versic. 14. & vix diligenti institutione emendari potest. Vnde Christus eam in discipulis suis satis acriter corripit his verbis: *Adeo adhuc & vos intelligentia caretis?* Quæ vocabula ἔτι ἀκμὴν *adeo adhuc* respectu Apostolorum admodum emphatice ponuntur: quasi diceret: Vosne, quos ego tanto tempore mecum habui, quibus lucem doctrinæ meæ familiarius communicaui, quos omnium arcanorum, quæ à Patre accepi, conscios feci, quos totius orbis Doctores constitui, & dudum sæpiuscule institui, in quibus vera hominis puritas consisteret, vt merito præ aliis sermonem meum intelligere deberetis, adeo tamen adhuc rudes & imperiti estis, vt etiam simplicissime dicta non intelligatis? Nec ineptiunt illi, qui putant, Christum propterea discipulos acrius reprehendisse & austerius excepisse, quia nudum & simplicem sermonem pro *parabola* habuerint. Neque enim quicquam Christus grauius ferre potest, quam si simplicia ipsius verba in peregrinum sensum commutemus, aut sepósito τὸ ῥητὸν diuini verbi humanam διάνοιαν quæramus. Exspectent itaque Sacramentarij, quomodo eos Christus olim sit excepturus, quod verba ipsius nuda & aperta in Sacramenti institutione prolata, & postea repetita, parabolice, metaphorice, metonymice, & plurimis modis figurate contra ipsius mentē & voluntatem, exponere conantur. Simplex verborum Christi sensus & intellectus, nisi ipse alibi alium monstret, vbique retineatur. Licet autem hæc Apostolorum stupiditas reprehensionem promeruerit, ingenuitas tamen illa laude digna est, qua Petrus & reliqui discipuli hac sua petitione inscitiam fateri, quam veritatis cognitionis carere, maluerunt. Multi enim inueniuntur, qui, ne quid nescire videantur, omnia se probe intelligere simulant, & postea ex suo sensu interpretationes fingunt, quas semel animo conceptas mordicus tenent, nec ab illis vnquam se auelli patiuntur, imo etiam aliis eas obtrudere conantur. Hoc genus hominum Ecclesiæ est perniciosissimum. Omnes ergo Petrum & ipsius condiscipulos imitari malint, qui in re dubia ad illum recurrunt, qui nobis à Patre factus est sapientia. 1. Cor. 1. versi. 30. Christus enim quanquam initio Apostolos duriuscule exceperit, mox tamen in instituendo est promtus & facilis.

Nos Christi informationem in certa membra digeremus. Primo fontem mali & omnium inquinamentorum ostendit *Cor*. Hoc vt est fons vitę, ita etiam fons est omnium prauarum cogitationum. Diabolus adiutor, & incensor esse potest malarum cogitationum: non autem earum auctor. Quod si ergo illæ in corde primum exoriantur, quisque culpam non in alium transferat, sed sibiipsi adscribat. Ex Adami enim transgressione cor omnium hominum est corruptum & deprauatum. Hinc Iob. 14. vers. 4. Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? Et Salomon Prou. 20. vers. 9. Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Et recte D. Iacobus dixit cap. 1. vers. 14. Vnusquisque tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem. Secundo, ex hoc fonte ebullire dicit Christus omnis generis mala, quæ totum hominem & omnia ipsius membra coram Deo immunda reddunt. Malorum autem, quæ hominem inquinant, facit certos gradus. Exeunt enim illa sese in cogitationibus, in verbis, & in factis. Figmentum enim cordis humani tantum malum est, ab ineunte ætate. Genes. 6. vers. 5. & 8. versic. 21. Et vt res omnis sit illustrior, longum catalogum recenset eorum, quæ hominem prophanum atque immundum reddunt, de singulis præceptis Decalogi aliqua recensens, eoque ipso ostendens, verum Dei cultum non in externis illis iudiciis & ineptiis traditiunculis Iudæorum, sed in præceptis Dei consistere. Contra primum præceptum pugnant *superbia* & *stultitia*: quibus homo deceptus, veri Dei immemor, sibiipsi Deum fingit & statuit, quem ex superbia cordis sui non secundum præscriptum verbi ipsius, sed secundum mentis suæ vanitatem colere vult. Hinc Deus sæpe in Prophetis Idolomaniam stultitiæ nomine accusat. Iesa. 9. vers. 17. Ierem. 19. vers. 23. Ose. 2. vers. 10. Thren. 2. vers. 14. Prophetæ tui viderunt tibi μάταια καὶ ἀφροσύνην vanitatem & stultitiam. Contra secundum & tertium præceptum adducit *βλασφημίας blasphemias*, quibus homines ad nomen vel verbum Dei, ex quorum vtroque salus nostra & vita æterna profluit, conuitiis proscindunt, & suggillant. Talem se Paulus fuisse fatetur 1. Timoth. 1. vers. 13. imo etiam alios ad blasphemandum Christum & ipsius Euangelium coegisse. Actor. 26. versic. 11. De peccatis contra quartum præceptum egit in præcedentibus, vbi Pharisæos coarguit, quod propter suas traditiunculas liberos hoc præceptum transgredi faciant. Contra quintum præceptum sunt φόνοι & πονηρίαι *homicidia* & *fraudes*, sub quibus omnis innocentis sanguinis effusio intelligitur, siue ea aperta vi fiat, siue fraudulentis consiliis perpetretur. Contra sextum præceptum sunt *adulteria, stupra*, sub quibus omnes libidinis vetitæ species comprehenduntur: vnde etiam hic ponitur ἀσέλγεια, *impudicitia*, quæ etiam alias, vt Rom. 13. vers. 13. 2. Corinth. 12. versic. 21. Gal. 5. vers. 19. peccatis contra sextum præceptum iungitur. Huc etiam reduci potest peccatum ἀφροσύνης *stultitiæ*, quo nomine insignitur Sodomia Gabaonitarum. Iud. 19. vers. 23. & 2. Sam. 13. incestus Ammonis. Inprimis autem huc pertinet *malus oculus*, de quo Dauid Psalm. 119. versic. 37. auerte oculos, ne videant vanitatem. Quanquam *malus* & liuidus *oculus* contra plura præcepta impingere possit. Contra septimum præceptum sunt κλοπαὶ & πλεονεξίαι, *furta* & *auaritia*, ad quam rapinæ, vsuræ & omnes ex alieno ditescendi artes referri possunt. Contra octauum est *dolus*, cui merito omnia falsa testimonia annumerantur, quibus proximo sub iuris prętextu iniuria fit. Contra nonum & decimum præceptum sunt διαλογισμοὶ κακοὶ *malæ cogitationes* siue illas homo, cupiditatibus suis indulgendo, in actum producat: siue eas intra angustias pectoris sui compescat. *Hæc sunt*, inquit Christus, *quæ ex ipso corde egrediuntur & hominem immundum reddunt. Illotis autem manibus cibum capere non coinquinat hominem.* At tertio non satis est vitiositatem naturæ nostræ ex hac recensione agnoscere, sed opus est medicum & Seruatorem quærere, qui naturam corruptam instauret, quique cor ipsum regeneret. Hoc facit solus Deus, sicuti Dauid id ab ipso petit, Psalm. 51. versic. 12. Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Et Deus ipse hoc pollicetur, Ezec. 36. versic. 26 Dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Quia vero Deus agit per media, medium etiam est inquirendum, per quod Deus cor immutet & mundet, hoc putarunt Pharisæi esse mundos & puros cibos: sed Christus illam opinionem, ceu vanam, reiicit. Addens hanc rationem, quia cibi *non intrant in cor*. Ergo necesse est, vt aliquid sit, quod in cor hominis ingrediatur, illudque immutet. Hoc est ipsum Dei verbum: hoc est semen Dei, quod in agrum cordis nostri mittitur, vt in eo fructum ferat, Matthæi 13. vers. 23. est incorruptibile illud semen Dei viuentis & in æternum permanentis, quo renascimur, 1. Petr. 1. vers. 23. Ideoque toties illa phrasis in Prophetis repetitur, quæ etiam Ies. 40. vers. 2. habetur: loquimini ad cor Ierusalem. Et dum Actor. 16. vers. 14. Lydia purpuraria attendit his, quæ dicebantur à Paulo, Dominus eius cor aperuit, vt verbis Pauli fidem haberet. Fide autem pacificantur corda

Actor.15.verſ.9. Quemadmodum autem ſana verbi diuini doctrina cor mundum reddit, propterea quia illud intrat & ſanat: ſicut ſermo Dei ſanat omnia. Sap.16.verſ.12. Ita vice verſa, quando falſa & hæretica doctrina cor per ſe malum intrat & occupat, ibi duplicate illud prauum reddit. Sicuti Chriſtus Matthæi 23. verſic.15. Phariſæis obiicit, quod mare & aridam circumeant, vt faciant vnum proſelytum: & ſi factus fuerit, faciant eum filium gehennæ duplo quàm ſe. Si cui liberet in locos communes euagari, ampliſſimam hic habiturus eſſet materiam de his omnibus plenius diſſerendi. Sed nobis ſufficiat ſummas rei demonſtraſſe.

Quod porro Chriſtus de cibo addit, quod is *in ventrem abeat, & in ſeceſſum eijciatur, expurgans omnes eſcas*, illud aliqui calumniati ſunt, quaſi Chriſtus Phyſices eſſet ignarus, cum non omnia per ſeceſſum eiiciantur, ſed multa in venas abeant, quæ poſtea per poros exſpirent, multa etiam conuertantur in corporis aliti naturam. Sed appage cum iſtis næniis. Num creator creaturæ ſuæ proprietates ignoraret? Vult dicere, naturam habere inſitam hanc vim, vt ipſa cibos ſuos expurget, & ea, quæ minus ad alimoniam, ſuſtentationem aut augmentationem corporis conducunt, ſegreget, quo *εἰς ἀφεδρῶνα in ſeceſſum eijciantur*. Græcis ἕδρα non tantum ſella dicitur, quæ honoris cauſa alicui collocatur: ſed etiam Medicis ſignificat inferiorem meatum ventris, continendis tranſmittendiſque excrementis deſtinatum, ſicut etiam 1. Samuel 5. verſ.9. & 12. vſurpatur. Hinc ἀφεδρών, *ſeceſſus*, Græcis à ſeorſim ſedendo dicitur; ſicut etiam Latinis latrina, vel à lauando vel à latitando. Alio nomine ἀφοδος quaſi diuerticulum dicitur. Hoc loco natura expurgat reſiduum ciborum, quod corpori non conducit. Sed hoc nihil facit ad Spiritualem purificationem, de qua Paulus 2. Tim.2.verſ.21. Si quis ſeipſum ab iſtis (intellige ea, quæ Chriſtus paulo ſuperius enumerauit) emundauerit: erit vas in honorem ſanctificatum & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. *Id* quomodo fieri debeat, Chriſtus hactenus fideliter nos edocuit. Faceſſant quoque Sacramentarij cum turpi, pudenda, & prophana ſua diſputatione, quam ex hoc loco captant contra ſalutarem præſentiam & manducationem corporis Chriſti in ſacra cœna, quod ea non proſit, *quia intret in os*, nec poſſit hominem ſanctificare, cum etiam in ſeceſſum emittatur. Diſcant elati hi Spiritus prius diſtinguere inter Sacramentalem, ſpiritualem & phyſicam manducationes, & poſtea in timore Domini de ſacroſanctis hiſce myſteriis diſſerant. In ſacra cœna non ventris cibum quærimus, ſed de eo ſoliciti ſumus, quomodo totus homo anima & corpore ad vitam æternam alatur. Si quis eſurit, domi manducet, 1. Corinth.11. verſ.34.

CAPVT LXXX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM CHANANÆÆ, CVIVS FILIA à Diabolo erat obſeſſa. Matth.15.verſ.21. Marc.7.verſ.24.

RATIO ORDINIS.

QVod Seruator noſter Ieſus Chriſtus in præcedenti concertatione Apoſtolis ſuis de Phariſæis verbis dixit, *omittite illos*: illud nunc ipſe facto implet. Illorum enim doctrina, qua priuati commodi ſuique honoris cauſa Maiorum ſuorum traditiones verbo Dei præferebant, offenſus ſecedit in illas partes, vbi Palæſtina terminatur, incipiunt fines Syriæ, *in partes Tyri & Sidonis*, quæ duæ vrbes à multis ſeculis erant opulentiſſima & celeberrima emporia, quod ob alluens mare merces vndequaque commodiſſime importari & exportari poſſent. Frequens etiam de his vrbibus fit mentio apud Prophetas, ſicut hoc potiſſimum videre eſt apud Ieſaiam 23. & Ezechiel 27. Elias quoque, 1.Reg.17. verſic.9. ſeceſſit in illas partes, cum Baalitica idolomania Achabi & Iſraelitici populi offenſus, ab ipſis diſcederet, & ſimul omnem pluuiam & rorem, hoc eſt, benedictionem Dei, ex terra illa, ſecum auferret. Fuit hic diſceſſus Chriſti præludium repudij Iudæorum, quo indicauit, futurum, vt ob ipſorum contumaciam & incredulitatem regnum Dei à Iudæis ad gentes transferatur. Sicut Deus iam olim id ipſis minatus fuerat per Moyſen, Deut.32.verſ.21. per Ieſaiam cap.65. verſ.1. per Oſeam cap.1.verſ.6.& 2.verſ.17. Et Chriſtus ipſe Matth.21.verſ.43. diſertis verbis idem ipſis denuntiat. Sicque ſuo exemplo Apoſtolos docet, quid ipſi poſt ſuam ex mortuis reſurrectionem, reſiſtentibus Iudæis Euangelio, facere debeant: nimirum debere ipſos ſeſe conuertere ad gentes, ſicut Paulus & Barnabas fecerunt, Actor.13.verſ.47. Cum primis autem Chriſtus tum cedit, quando hominum figmenta & traditiones diuinis myſteriis miſcentur. Deus enim verbum ſuum purum vult habere nec iſtiuſmodi commixtiones ferre poteſt. Quid enim paleis ad triticum? dicit Dominus Ier.23.verſ.28. Diuina quoque ſapientia cum humana non plus coit, quam commiſſura panni rudis cum veſtimento veteri, vt habet parabola Matthæi 9.verſ.16. aut vinum nouum cum vtribus veteribus, verſ.17. Debebant hoc obſeruare Phariſæi noſtri temporis, Ieſuitæ, qui hominum traditiones in tam clara Euangelij luce mordicus tuentur, perſuadentes ſibi ipſis & aliis, Chriſtum ſuam Eccleſiam nequaquam deſerere poſſe. Quin & hoc notabile eſt, quod ſicut Chriſto, poſtquam docuiſſet, nihil eorum, quæ ingrediuntur os, per ſe conſcientiam hominum inquinare, ſtatim ſecedit ad fines gentium: ita poſtea Actor. 10. verſic.11. cum Petrus mittendus eſſet ad gentes, prius in viſione de abrogatione diſcriminis ciborum edocetur. Ex quibus omnibus manifeſtum euadit, hanc hiſtoriam arctiſſimo vinculo priori annexam eſſe, ſicut etiam Matthæus & Marcus in hac continuatione hiſtoriæ conſentiunt: nec quicquam in reliquis Euangeliſtis inuenitur, quod huic hiſtoriæ præmittendum eſſet. Ac proinde hic ipſe locus in Harmonia *huic hiſtoriæ* debetur. Toto inſuper hoc ſemeſtri, à Martio ad Septembrem vſque, ſæpius Chriſtum ad fines *gentium excurriſſe*, audiemus.

Verum, quia Chriſtus *Ieſus* fuit miniſter circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum, Rom.15. verſ.8. iccirco *domum* aliquam *ingreſſus, neminem ſe* adeſſe *ſcire voluit*. Vt auerteret calumnias Iudæorum, qui hinc occaſionem ſumere poterant, quaſi iuſte ipſum non reciperent, vt qui cum prophanis gentibus commercium haberet. Sicuti etiam hac ipſa de cauſa Apoſtolis, Matth.10.v.5. interdixit, ne, tum in illa legatione, in viam gentium abirent. Sed Chriſtus hic *non potuit latere*. Nominis enim ipſius celebritas effecerat, vt quocunque accederet, fama & admiratio hominum ipſius aduentum anteuerteret. Quemadmodum enim Sol exoriens luce ſua ſeipſum prodit, vt ne nubes quidem eum omnino occultare poſſint: ita, quocunque Ieſus Chriſtus, Sol Iuſtitiæ, cum ſuo Euangelio peruenit, ibi hominibus facile innoteſcit, vt ad minimum aliqui ſaluifica ipſius virtute fruantur. Quod autem dicit Euangeliſta, *voluit* Chriſtus latere, ſed *non potuit*, illud non de abſoluta voluntate & potentia, qua vt Deus omnia quæcunque vult facit. Pſalm. 115.verſic.3. ſed de οἰκονομίᾳ τῆς διακονίας diſpenſatione miniſterij ipſius intelligendum eſt. Virtutis enim ea eſt efficacia, vt licet latibula quærat, tamen latere nequeat. Maxime autem apud Tyrios & Sidonios Chriſtus latere non potuit: quia iam ante Marc.3.verſ.8. Luc.17. in celebri illa concione in monte, multi ex illis locis Chriſtum conuenerunt, conciones eius audiuerunt, miracula viderunt, ita vt dubium non ſit, eum aliquibus etiam de facie notum fuiſſe.

Hæc omnia nos docent, quid eos maneat, qui veritati Euangelicæ doctrinæ hoſtiliter ſeſe opponunt, vt hominum traditiones & ſuperſtitioſos cultus tueantur. Nimirum Chriſtus eos deſerit, Euangelium, verbum, Sacramenta, & omnia ſpiritualia beneficia ab ipſis aufert. Si enim naturalibus ramis Deus non pepercit, multo minus aliis parcet, qui in priorum locum inſiti eorum contumaciam imitantur, Roman. 11.verſic.21. O infelicem ciuitatem: ô infelicem regionem, ex qua Chriſtus cum Euangelio & beneficiis ſuis emigrat. Contigit illud ſuperioribus ſeculis toti fere mundo, quando ſub Pontifice Romano & ipſius creaturis humanæ traditiones, oppreſſo ſyncero Dei verbo, longe lateque dominium obti-

obtinuerunt. Non ergo releuat Iesuitas, quod clamant: Ecclesia est ciuitas supra montem posita, quæ abscondi non potest: & lucerna non ponitur sub modio, sed super candelabrum, Matt. 5. ver. 14. Monstrate ergo nobis vos Euangelici & Lutherani vbi locorum tum temporis fuerit Ecclesia, si non apud nos Catholicos fuit? sub quo scamno, vel in quo angulo tum latitauit lux Euangelij vestri? Si quis Saracenorum vel Iudæorum tum ad veram Ecclesiam accedere voluisset, vbinam illam quærere vel inuestigare debuisset? Respondeo ingenue & aperte. Omnino vos Pontificij vestris nugis & traditionibus mundanis, tum temporis Christum cum suo Euangelio ex Catholico orbe expulistis, non minus, quam olim Pharisæi suis traditionibus eum ex Palæstina expulerant. Verum ex finibus Catholici orbis non penitus excessit: sed in priuatis domibus latuit aliquandiu: non tamen prorsus potuit latere, quia semper assertores purioris doctrinæ Euangelicæ & accusatores vanæ superstitionis Pontificiæ excitauit, sicuti Catalogus testium veritatis illud manifestissime commonstrat. Hos licet purpurata bestia Romana ferro, flamma, fune ita persecuta fuerit, vt ebria apparuerit coram oculis Dei de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu, Apocal. 17. vers. 6. tandem tamen Christus rursus in publicum prodiit, & lucem Euangelij sui de nouo in totum terrarum orbem dispersit, vt iam non sint loquelæ neque sermones, in quibus non audiatur vox Euangelij Christi, Psalm. 19. vers. 4. Hæc hoc loco præmittere libuit, vt postea historiæ explicatio continuata serie tanto commodius proponi possit.

HISTORIA SANATÆ FILIÆ MVlieris Chananææ.

MATTH. 15.

21. Καὶ ἐξελθὼν ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη τύρου καὶ σιδῶνος.	21. *Et digressus illinc Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis.*
22. Καὶ ἰδοὺ γυνὴ χαναναία ἀπὸ τῶν ὁρίων ἐκείνων ἐξελθοῦσα, ἐκραύγασεν αὐτῷ, λέγουσα, ἐλέησόν με κύριε υἱὲ Δαβίδ, ἡ θυγάτηρ μου κακῶς δαιμονίζεται.	22. *Et ecce mulier Chananæa, quæ à finibus illis venerat, clamabat ad illum, dicens: Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea misere à dæmonio agitatur.*
23. Ὁ δὲ οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῇ λόγον. Καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἠρώτων αὐτὸν, λέγοντες· ἀπόλυσον αὐτήν, ὅτι κράζει ὄπισθεν ἡμῶν.	23. *Ille vero non respondit ei quicquam. Et accedentes discipuli eius rogabant illum, dicentes: dimitte illam, nam clamat post nos.*
24. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, οὐκ ἀπεστάλην, εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ.	24. *At ille respondens dixit: non sum missus nisi ad oues perditas domus Israeliticæ.*
25. Ἡ δὲ ἐλθοῦσα προσεκύνει αὐτῷ, λέγουσα, κύριε, βοήθει μοι.	25. *Illa vero venit & adorauit eum, dicens, Domine succurre mihi.*
26. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν, οὐκ ἔστι καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων, καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις.	26. *At ille respondens, dixit, non est honestum sumere panem filiorum & obijcere catellis.*
27. Ἡ δὲ εἶπε, ναὶ κύριε· καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν.	27. *Hæc autem respondit: Certe domine: Etenim castelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.*
28. Τότε ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτῇ, ὦ γύναι, μεγάλη σου ἡ πίστις, γενηθήτω σοι ὡς θέλεις. Καὶ ἰάθη ἡ θυγάτηρ αὐτῆς ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.	28. *Tunc respondens Iesus dixit illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata fuit filia eius ex eo tempore.*

MARC. 7.

24. Καὶ ἐκεῖθεν ἀναστὰς ἀπῆλθεν εἰς τὰ μεθόρια τύρου καὶ Σιδῶνος. Καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν οὐδένα ἤθελε γνῶναι, καὶ οὐκ ἠδυνήθη λαθεῖν.	24 *Et inde surgens abijt in confinia Tyri & Sidonis. Et ingressus domum, neminem voluit scire, nec potuit latere.*
25. Ἀκούσασα γὰρ γυνὴ περὶ αὐτοῦ, ἧς εἶχε τὸ θυγάτριον αὐτῆς πνεῦμα ἀκάθαρτον, ἐλθοῦσα προσέπεσε πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ.	25. *Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filiola habebat spiritum immundum, venit & accidit ad pedes eius.*
26. Ἦν δὲ ἡ γυνὴ ἑλληνὶς συροφοίνισσα τῷ γένει. Καὶ ἠρώτα αὐτὸν, ἵνα τὸ δαιμόνιον ἐκβάλλῃ ἐκ τῆς θυγατρὸς αὐτῆς.	26. *Erat enim mulier Græca Syrophœnissa genere. Et rogabat eum, vt dæmonium eijceret de filia sua.*
27. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῇ, ἄφες πρῶτον χορτασθῆναι τὰ τέκνα. οὐ γὰρ καλόν ἐστι λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων, καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις.	27. *Iesus autem dixit illi, Sine prius saturari filios. Non est enim honestum sumere panem filiorum & proijcere catellis.*
28. Ἡ δὲ ἀπεκρίθη καὶ λέγει αὐτῷ· ναὶ κύριε, καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ὑποκάτω τῆς τραπέζης ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν παιδίων.	28. *At illa respondit, & dicit illi: Etiam Domine, nam catelli quoque comedunt, sub mensa de micis filiorum.*
29. Διὰ τοῦτον τὸν λόγον ὕπαγε, ἐξελήλυθε τὸ δαιμόνιον ἐκ τῆς θυγατρός σου.	29. *Et ait illi, propter istum sermonem vade, exijt dæmonium à filia tua.*

RATIO COAGMENTATIONIS HVIVS Historiæ ex duobus Euangelistis.

Augustinus, quem hoc loco sequemur, ordinem historiæ ita contexit. In domo, ad quam Christus ex itinere diuerterat, Chananæa primum ad ipsum venit, orans, iuxta Marci descriptionem. Ea vero quæ Matthæus scribit, inter eundum gesta sunt. Colligitur ergo, post primam petitionem Chananææ, quæ in domo facta est, Christum, non dato responso, statim discessisse, & tergum mulierculæ obuertisse. Et hac occasione fides Chananææ ita accensa est, vt in itinere non oret, sed clamet post Christum, & ibi discipuli pro ea intercedunt. In iis vero quæ sequuntur, ordo historiæ manifestus est in descriptione Matthæi. Hæc obseruatio ordinis illustrat historiam, sicuti postea in explicatione textus pluribus audiemus.

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, QVOMODO filia Chananææ à Diaboli obſeſſione fuerit liberata, in vnum corpus contracta ex Matth. 15. & Marc. 7. deſcriptionibus.

b Καὶ ἐκεῖθεν ἀναστάς, a καὶ ἐξελθὼν ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς ἀνεχώρησεν. καὶ, b ἀπῆλθεν e εἰς τὰ μεθόρια Τύρου καὶ Σιδῶνος. b Καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν οὐδένα ἤθελε γνῶναι, καὶ οὐκ ἠδυνήθη λαθεῖν. a ἰδοὺ b γὰρ ἀκούσασα c γυνὴ a χαναναία ἀπὸ τῶν ὁρίων ἐκείνων ἐξελθοῦσα, b περὶ αὐτοῦ, ἧς εἶχε τὸ θυγάτριον αὐτῆς πνεῦμα ἀκάθαρτον. ἦν δὲ ἡ γυνὴ ἑλληνὶς συροφοίνισσα τῷ γένει. Καὶ ἠρώτα αὐτόν, ἵνα τὸ δαιμόνιον ἐκβάλλῃ ἐκ τῆς θυγατρὸς αὐτῆς. a Ἐκραύγασε (δὲ) αὐτῷ, λέγουσα, ἐλέησόν με κύριε, υἱὲ Δαβίδ, ἡ θυγάτηρ μου κακῶς δαιμονίζεται. Ὁ δὲ οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῇ λόγον. Καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἠρώτων αὐτόν, λέγοντες· ἀπόλυσον αὐτήν, ὅτι κράζει ὄπισθεν ἡμῶν. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, οὐκ ἀπεστάλην, εἰ μὴ εἰς πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ. ἡ δὲ ἐλθοῦσα προσεκύνει αὐτῷ, λέγουσα, κύριε, βοήθει μοι. e Ὁ δὲ a ἀποκριθείς, e εἶπεν, b αὐτῇ, ἄφες πρῶτον χορτασθῆναι τὰ τέκνα. e οὐ b γὰρ καλόν ἐστι λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων, καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις. Ἡ δὲ b ἀπεκρίθη, καὶ e λέγει b αὐτῷ· καὶ κύριε, καὶ γὰρ τὰ κυνάρια b ὑποκάτω τῆς τραπέζης e ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων b τῶν παιδίων, a τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν. Τότε ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς e εἶπεν αὐτῇ, a ὦ γύναι, μεγάλη σου ἡ πίστις, γενηθήτω σοι ὡς θέλεις. b διὰ τοῦτον τὸν λόγον ὕπαγε, ἐξελήλυθε τὸ δαιμόνιον ἐκ τῆς θυγατρός σου. a Καὶ ἰάθη ἡ θυγάτηρ αὐτῆς ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης. b Καὶ ἀπελθοῦσα εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς, εὗρε τὸ δαιμόνιον ἐξεληλυθός, καὶ τὴν θυγατέρα βεβλημένην ἐπὶ τῆς κλίνης.

b *Et inde ſurgens*, a *& digreſſus illinc Ieſus ſeceſſit* (*&*) b *abyt* e *in confinia Tyri & Sidonis.* b *Et ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, nec potuit latere.* a *Ecce* b *enim* e *mulier* a *Chananæa, quæ à finibus illis venerat*, b *vt audiuit de illo, cuius filiola habebat ſpiritum immundum, venit & accidit ad pedes eius. Erat autem mulier Græca Syrophœniſſa genere. Et rogabat eum, vt dæmonium eyceret de filia ſua.* a *Clamabat (autem) ad illum, dicens, Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea male à Dæmonio agitatur. Ille vero non reſpondit ei quicquam. Et accedentes diſcipuli eius rogabant illum, dicentes: dimitte illam, quia clamat poſt nos. At ille reſpondens dixit: non ſum miſſus niſi ad oues perditas domus Iſraeliticæ. Illa vero venit & adorauit eum, dicens, Domine ſuccurre mihi.* e *Ille vero* a *reſpondens* e *dixit* b *illi: Sine prius ſaturari filios.* e *Non eſt* b *enim* e *honeſtum ſumere panem filiorum & proycere catellis. At illa* b *reſpondit*, *&* e *dixit* b *illi.* e *Etiam Domine, nam catelli quoque* b *ſub menſa* e *comedunt de micis* b *filiorum*, a *quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Tunc reſpondens Ieſus* e *dixit illi:* a *O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.* b *Propter iſtum ſermonem vade, exyt dæmonium à filia tua.* a *Et ſanata fuit filia eius ex eo tempore.* b *Et cum abyſſet in domum ſuam, reperit dæmonium exyſſe, & filiam iacentem ſuper lectum.*

Periocha huius hiſtoriæ.

QVia Chriſtus tempore ſui miniſterij nunquam antehac ad fines gentium acceſſit, idque hic primo omnium fit, vtique hæc hiſtoria digna eſt, quæ diligentiſſime à nobis, tanquam à gentibus oriundis, expendatur. Ante omnia autem conuenit deſcriptionem huius mulierculæ recte conſiderare. Generali appellatione vocatur ἑλληνὶς Græca. Ita enim tum temporis omnes gentes, quæ alienæ erant à politia Iſraelis, nominabantur, vt patet ex multis locis Pauli, Rom. 1. verſic. 16. & 2. verſ. 10. & 10. verſic. 12. 1. Corinth. 1. v. 22. Gal. 3. verſ. 28. Coloſſ. 3. verſ. 11. quanquam in hoc poſteriori loco Paulus vlterius diſtinguat Græcos in barbaros & Scythas. Abſque dubio autem apud Iudæos hæc diſtinctio inde originem ſuam traxit: quia ante illa tempora Monarchia orbis fuerat penes Græcos. Hinc Iudæi omnes populos Græcorum nomine indigitarunt. *Syrophœniſſa* autem appellatur: quia natione non erat ex Græcia, ſed ex Phœnicia, quæ eſt pars Syriæ. Syrophœnicia autem dicitur proprie illa pars phœniciæ, quæ Tyro & Sidoni contermina, coniungitur Syriæ potiori. Et ob hoc confinium duarum illarum regionum etiam dictio eſt compoſita, vt habitatores eius Syrophœnices dicerentur. Genere vero fuit *Chananea.* Quod quidam intelligunt de Cana maiori, in tribu Aſer, cuius termini, Ioſ. 19. verſic. 28. vſque ad Tyrum & Sidonem pertingunt. Sed huic hiſtoriæ melius conuenit, ſi accipiatur, illam fuiſſe ex reliquiis maledictarum illarum gentium Chananæarum, quas Deus Iud. 2. verſ. 3. noluit delere, vt Iſraelitæ haberent hoſtes, quibus exercerentur. Et huic ſententiæ etiam ratio orthographiæ ſuffragatur. Cana enim Hebraice ſcribitur per ק. Græce per κ. Chanaan autem ſcribitur Hebraice per כ. Græce per χ. Geneſ. quoque 10. verſ. 15. legimus primogenitum Chanaan fuiſſe Sidonem, qui antiquiſſimæ & celeberrimæ ciuitati nomen dedit, ex cuius finibus hæc mulier progreſſa dicitur. Licet autem hæc fœmina ex gentibus fuerit oriunda: non tamen penitus ignara fuit veri Dei Iſraelis. Sed quia in illo confinio Iudæi & Græci mixti habitant, ex illis addidicerat, quæ eſſet Iudæorum ſpes de Meſſia. Cognouerat etiam ex vicinis ſuis, qui antehac ad audiendum & videndum hunc Ieſum in Galilæam excurrerant, adueniſſe iam magnum illum Domini Prophetam, qui illuſtribus miraculis, ſe promiſſum Meſſiam eſſe, comprobarit. Niſi enim de his omnibus ſigillatim ipſi conſtitiſſet, vnde tam ſubito inſignem illam de Chriſto notitiam, vt audiemus, haurire potuiſſet?

Licet autem hæc muliercula iſta norit, tamen dum ipſa & filia commoda fruuntur valetudine, dum omnia neceſſaria ipſi ſuppetunt, nec cruce aliqua premitur, Chriſtum non curat, ſecure ipſum negligit, neque in ipſius vel eiuſdem Euangelij gratiam pedem domo extulit. Deus ergo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, 1. Tim. 2. verſ. 4. hanc etiam ad filium ſuum adducere ſatagit. Quo vero vtitur medio? Immittit illi crucem, eamque acerbiſſimam. Nam non permittit Satanæ, vt inuadat ipſius pecudes, non vaſtat agrum grandine, non domum perdit incendio, non immittit damnum rei familiaris: imo ne quidem ipſam, ſed eius filiam adoritur. Generoſiores enim naturæ acerbius ferunt mala, quæ in liberis conſpiciunt, quam quæ in proprio corpore ſuſtinent: ob στοργὰς illas naturales, quas Deus ardentiſſimas cordibus ipſorum inſculpſit. Huius vero mulieris *filiolam* teneram, non vulgaris aliquis morbus corripit, ſed Diabolus corporaliter ipſam obſidet, & inſuper *miſere eam agitat* atque diuexat. Quæ certe miſeria longe horribilior & triſtior eſt, quam vt quiſquam eam verbis ſufficienter exprimere poſſit. Solet enim Satanas eorum, quos ita corripit, membris miſerabilem in modum abuti. Ora eorum circumagit, Spiritum intercludit, linguas ex faucibus procul eiicit, vt à faucibus auulſæ videantur, colla contorquet, oculos extra caput protrudit, aut in capite toruum verſat, totum denique corpus conuoluit, & inſtar pilæ agitat & circumrotat. O quoties miſera hæc mater exoptauit, hanc ſuam filiam longe miſeriorem vel dudum ex viuis exceſſiſſe, vel etiamnum placida morte exſtingui: modo harum miſeriarum ſpectatrix non eſſe cogeretur. Cur vero Deus tam graui cruce eam premit? num eam opprimere vel totam perdere cupit? Nihil minus. Sed vult in ipſa ἀναζωπυρεῖν & excitare fidem, quæ vt ignis cineribus tectus delitescit, ita in ipſius corde ſecuritate ſopita quaſi dormiebat. Diſcamus hinc, ad quid etiam nobis profit crux & tentatio. Nimirum, Deus nos hoc medio compellit, vt ſpirituales ipſius nuptias intremus, Luc. 14. verſ. 23. Extra crucem in abundantia omnium bonorum

ſecuri

securi reddimur; nec Deum, nec ipsius verbum curamus. Deus ergo, vt nobis excutiat somnum, & vt agnoscamus, nos præter huius mundi bona, etiam indigere ipsius gratia, remissione peccatorum & defensione aduersus Satanam, nobis crucem & tentationes immittit. Ibi locum inuenit illud Iesai 26. vers. 16. Domine in angustia requisierunt te, & quando eos castigas, sollicitè clamant. Exemplis passim Scriptura abundat, inter quæ maximè illustria sunt Manassis, 2. Paralip. 33. versic. 12. regij, Iohann. 4. vers. 46. acolasti, Luc. 15. versiculo 17. dextri latronis in cruce, Luc. 23. versiculo 40. quos omnes Dominus corripuit, ne cum immundo hoc mundo damnarentur, 1. Corinth. 11. versic. 32. Hi omnes cum Dauide in Psalm. 119. versiculo 71. canere potuerunt, Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Atque sic his, qui Deum diligunt, omnia cooperantur in bonum, Romanorum 8. vers. 28. II. Videndum etiam, qualis fuerit illa fides Chananææ, quam Deus hac cruce excitauit. Habuerunt alioquin gentiles suos exorcismos & peculiares adiurationes, quibus dæmonia fugare soliti sunt: habuerunt etiam alias artes, & media non licita. Sed nihil horum tentat hæc muliercula: imo, quod magnum est, ne ad patrios quidem Deos confugit. Verum, quia fama ad ipsam perlatum fuerat, hunc Iesum aliquando exclamasse: Venite ad me omnes, qui laborati & onerati estis: Ego reficiam vos, Matth. 11. versic. 28. ipsa vero supra modum onerata esset, omnino Christo vocanti obtemperat & venit. Illud vero maius est quod in precatione, qua Christi opem implorat, adeo luculentam de ipso confessionem edit, inquiens: *Miserere mei, Domine fili Dauid, filia mea misere à Dæmonio agitatur.* Operæ pretium fuerit, singula verba expendere. Dum ipsum *Dominum* vocat, fatetur eum Iehouam, Deum cœli & Terræ. Talem enim ex operibus, quæ ipsum edidisse audierat, eum agnoscebat. Deinde, quod ipsum nominat, *filium Dauid:* fatetur eum esse promissum generis humani Seruatorem, semen benedictum, Messiam diu exoptatum: qui quoniam ex Dauidis prosapia exspectabatur, hac circumlocutione tum temporis describebatur. Addit: *Miserere mei.* Nullum suum meritum nec allegat, nec promittit, sed eius gratuitam misericordiam implorat. Ergo ipsum misericordem & beneficum agnoscit. Sed in quo? *Filia mea grauiter affligitur à dæmonio.* Atqui hominem à dæmonio liberare omnibus hominibus impossibile est, nisi aut dæmon dæmonem pellat, aut superior vis superueniat, Luc. 11. versic. 21. Ergo agnoscit ipsum omnipotentem. Num vero mirabilius quid accidere potuisset, quam hoc ipsum? Christus promissus fuerat Iudæis. Venit ad propria, sed sui ipsum non receperunt, Ioann. 1. vers. 11. Conuertit ergo se ad gentem, quæ ipsum non quæsierat, & hæc inuenit ipsum Iesa. 65. versic. 1. Iudæi ipsum expellunt: gentes recipiunt. Pharisæi non agnoscunt: simplex fœmina magnifice confitetur. Acutissimi Scribæ contra ipsum disputant, eiusque sermonibus offenduntur: mulier, quæ pro cane habetur, beneficentiam ipsius deprædicat. Hæc sunt mirabilia Dei iudicia: de quibus ipse Christus dicit, Iohann. 9. versic. 39. In iudicium Ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident cœci fiant. Nos hinc discamus: Si quando nos premit aduersitas, vt & ipsi opem quæramus, non apud Diabolum, nec tantum apud homines: (Hi enim vel non possunt, vel non volunt iuuare) sed apud Deum misericordem & omnipotentem. Sicuti Dauid fecit, & dixit: Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam, Psalm. 25. versic. 1. Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Psalm. 17. versic. 1. Leuaui oculos meos ad montes, vnde venit auxilium. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Psalm. 121. versiculo 1. Vbi vero ad hunc Dominum venerimus, attendamus etiam qualiter ipsum de auxilio solicitare debeamus. Hic vero fœmina hæc facem præfert. Primum agnoscamus, quod possit nos iuuare, quia est *Dominus.* Est is, qui potest caput Satanæ conterere, Genes. 3. versiculo 15. qui propterea apparuit, vt dissoluat opera Diaboli, 1. Iohann. 3. vers. 8. Ipse est Deus, Deus saluos faciendi: & Dominus, Dominus, cuius sunt exitus mortis, Psalm. 68. vers. 20. Apud hunc Dominum est misericordia & copiosa redemptio, Psalm. 130. v. 7. Deinde agnoscamus etiam quod velit nos iuuare: quia est *filius Dauid.* Non confunditur nos fratres suos nominare, Hebr. 2. versic. 11. Quia sumus caro de carne ipsius, & os de ossibus eius, Ephes. 5. versic. 30. non potest nos negare. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit. Et quia tentatus est per omnia, pro similitudine absque peccato, omnino potest compati infirmitatibus nostris, Hebr 4 ver. 15. Tertio in precibus nostris nos humiliemus, nec nitamur nostra dignitate vel meritis: sed dicamus *Miserere.* Sic Dauid: Delicta iuuentutis & ignorantias meas ne memineris. Secundum misericordiam tuam memento mei, propter bonitatem tuam Domine. Psalm. 25. vers. 7. Item: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Psalm. 51. vers. 1. Et Daniel: neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Dan. 9. vers. 18. Quarto denique nostram necessitatem ipsi proponamus, nec quicquam ei præscribamus: sicut hæc fœmina simpliciter dicit: *filia mea misere agitatur.* Et quod hæc mulier conqueritur, illud proponendum omnibus, sed diuerso modo, accidit. Diabolus nos *misere affligit* in Ecclesia, falsis dogmatibus, hæresibus, dissensionibus: in politia, bellis, seditionibus, oppressionibus miserorum, rebellione in œconomia, inobedientia liberorum, infidelitate familiæ, damnis variis, infortunio, turbis & similibus. Sic singulos etiam *misere agitat.* Filios Iacobi, vt fratrem Iosephum vendant, Genes. 37. versiculo 27. Dauidem, vt populum numeret, & Deum offendat, 1. Paralipom. 21. versiculo 1. Petrum, vt Christum abneget. Luc. 22. versiculo 31. Et quis modos illos omnes, quibus Satanas hominum filios *misere agitare* solet, annumerare potest? Vt semper ad beneficum hunc Dominum sit clamandum: *miserere,* auerte mala, mitiga mala, aufer mala, aut da euentum, 1. Corin. 10. versi. 13.

III. Simul autem in hac iucundissima historia monstratur, & pulcerrime describitur, quomodo fides illa non tantum à diabolo impugnetur, verum etiam cum ipso Deo in tentatione luctetur. Sicut ostendit figura luctantis Iacobi, Gen. 32. ver. 26. Tria autem genera difficillimarum tentationum, quibus fides duriter exercetur, hic describuntur. Primum, quando Deus ad nostras orationes penitus silet. Secundum, quando respondet, sed nimis dure, & obiicitur nobis argumentum particularitatis ex doctrina prædestinationis. Tertium, quando indignitas nostra ex collatione aliorum exaggeratur. Commonstratur tamen simul, quibus armis fides in his certaminibus se sustentare, & ex illis tentationibus eluctari possit. Singulas tentationes in huius mulierculæ exemplo inspiciamus.

Prima tentatio est, quod fœmina venit in domum, & preces suas humillimis gestibus Christo offert. (*Procidit enim ad pedes eius.*) Christus autem *non respondit ei quicquam:* perinde facit, ac si huius fœminæ crux nihil quicquam ipsum attingeret. Hoc vero in ipso insolens est. Nam aliàs homines ad se vocat. Matth. capite 11. versiculo 28. sicut etiam Ioann. cap. 4. versiculo 7. Samaritidem ad colloquendum ipse inuitat, & Matth. cap. 8. vers. 7. vltro se offert, quod Centurionem Capernaitanum accedere velit. Hæc vero fœmina nihil molestiæ ipsi vult parere, non petit vt ad filiam descendat, sed tantùm dicit: *miserere mei,* & tamen nullum responsum obtinere potest. Hic est primus insultus aduersus fidem, vbi caro huius fœminæ absque dubio suggessit. Hiccine est Iudæorum Messias, de quo tam Prophetæ olim, quàm hodie alij multa præclara prædicarunt, quàm benignus sit hic Dominus & propensus ad iuuandos omnes? Ego talem non experior: me miseram nullo responso dignatur. Hoc ipsum silentium interpretor esse responsum negatiuum. Ergo ipso relicto aliò me conferam. Est enim nobis innatus impatientiæ morbus, quo auxilium differri nolumus. Hinc querelæ illæ in Psalmis. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? Vsquequo Domine auertis faciem tuam à me? Psalm. 13. versiculo 1. Et istiusmodi precationes: Domine ad adiuuandum me festina. Psalmo 70. versiculo 2 Item illud Iesaiæ capite 51. versiculo 9. Consurge, consurge Domine, induere robur brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus seculorum, &c. Aduersus tamen hanc impatientiam carnis docet nos huius mulierculæ exemplum: semper orandum, & in oratione non deficiendum. Lucæ capite 18. versiculo 1. Frequenter orare efficit, vt tandem Deum exoremus: sicut exemplum iniqui iudicis illud commonstrat, versiculo secundo. Mundani quidem Principes ægre ferunt, & facile ad indignationem permouentur, si sæpius petendo & solicitando interpellentur. Aulæ cœlestis alia est ratio, illius ianua semper patet: & quo sæpius illam precibus pulsamus, eo vis ista, vt Tertullianus loquitur, Deo gratior est. Idem ergo etiam hæc fœmina facit: cogitat, magna quercus vno ictu non prosternitur: ita nec Dominus vna precatiuncula permouetur. Instandum est. Dudum benignissimus hic Dominus me & alios ad se vocauit, & satis diu meum aduentum, sed frustra, expectauit, siquidem venire distuli. Iam ergo moram auxilij etiam patienter feram. Hæc est vna tentatio, quæ constantia & perseuerantia in precando vincitur.

Altera tentatio sequitur. Dum enim ipsa orando instanter pergit, & ipsos etiam Apostolos, siue illud ex commiseratione & condolentia, siue ex impatientia clamoris fecerint, ad intercessionem permouet, responsum quidem extorquet, sed illud admodum durum & austerum. Dicit enim Dominus: *Non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israeliticæ,*

Bone Iesu, quid dicis? Quomodo hoc conuenit cum perpetuis illis promissionibus, quæ omnes sunt vniuersales? An non Abrahamo, Genes. 22. vers. 18. Isaaco, Gen. 26. vers. 4. Iacobo, Genes. 28. vers. 14. diserte à Deo promissum, quod in ipsorum semine sint benedicendæ OMNES gentes? An non Messias Genes. 49. versic. 10. gentium expectatio dicitur? An non, in Psalm. 2. versic. 8. Deus Messiæ dicit: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? An non Ies. 49. versic. 6. Deus quoque ad Messiam dicit: Parum est, vt sis mihi seruus, ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ? An non Haggæus cap. 2. vers. 8. Messiam vocat desideratum CVNCTIS gentibus? Quid ergo hic respondebimus? Quomodo hanc repugnantiam, qua Christus vniuersalitatem promissionum Scripturæ, hac particularitate *ouium perditarum domus Israeliticæ*, tollere videtur, conciliabimus? Responsio triplex dari solet. Prima responsio desumitur ex verbis: *non sum missus*, quibus verbis Christus nos remittit ad considerationem suæ legationis, cuius caussa in hunc mundum venerit. Illius vero legationis duæ partes constituuntur: vna vocatur *διακονία* & ministerium verbi: altera *ἀπολύτρωσις*, officium redemtionis. Hæc posterior pars officij Christi est vniuersalis, & pertinet ex æquo ad omnes homines Iudæos pariter & gentes. Nam Christus dedit carnem suam pro mundi vita. Ioann. 6. vers. 51. Et Iohannes dicit 1. Epistol. capit. 2. vers. 2. Christus est propitiatio non tantum pro nostris peccatis, sed etiam pro totius mundi. Prior autem pars officij, fuit partialis. Christus enim non missus fuit, vt Euangelium prædicaret gentibus, sed minister fuit circumcisionis. Romanor. 15. vers. 8. Præconium autem Euangelij inter gentes reseruatum fuit Apostolis, post Christi resurrectionem. Matth. 28. versicul. 19. Voluit itaque Christus sese continere intra limites suæ missionis & legationis: sicuti etiam decet, vt quisque verbi minister fines suæ vocationis non excedat, ne illud Ierem. 23. versicul. 21. vlla ex parte ipsi obiici possit. Secunda responsio desumitur ex verbis: *ad oues perditas domus Israelis*. Oues errantes & perditæ sunt omnes homines, Iesa. 53. versic. 6. Sicuti etiam Dauid de se fatetur, Psalm. 119. versiculo vltimo. Et inter hasce oues perditas etiam hæc fœmina sese includere potuit. At, dicis, hæc non fuit ouis *domus Israeliticæ*? Respon. Fateor, hoc verum est secundum carnem, secundum quam hæc fœmina non fuit oriunda ex Israelitis: secundum mysticum autem sensum vere fuit ex Israeliticis, quoniam contra Deum fortis fuit. Genes. 32. vers. 28. Cum ergo hi sint verus Israel Dei, Galat. 6. vers. 16. qui secundum regulam fidei incedunt, hæc vero fœmina illud fecerit, omnino non potest ab illa domo excludi. Nam & Christus dixit, Iohan. 10. versic. 16. Habeo etiam alias oues, quæ non sunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile & vnus pastor. Tertia responsio sumitur ex proprietate linguæ sanctæ: quæ duas res diuersas inter se conferens, sic vnam alteri præferre solet, ac si eam penitus reiiceret: cum tamen id non sic sit intelligendum, sed tantum ex collatione posterius priori postponendum. Verbi gratia: Oseæ capite sexto, versiculo sexto dicit Deus: Misericordiam volui, & non sacrificium. Quod dictum non sic est accipiendum, quasi Deus tum temporis sacrificia prorsus habere noluerit: cum omnino, antequam lex abrogaretur, tanquam typi & figuræ Christi manere debuerint. Sed significauit Deus, quo ordine misericordia & sacrificia se inuicem consequi debeant, quod nimirum illa his sit præferenda. Hunc ordinem Christus etiam inter oues perditas seruandum indicauit, vt Iudæis primum, & deinde Græcis (sicuti Paulus loqui solitus est) Christi ministerium seruiat. Nam ipse Christus mox dicet: *Sine prius filios saturari*, innuens, gentiles non in vniuersum ab ipsius beneficiis exclusos esse. Hæc quidem omnia pie dicuntur: sed eadem sublimiora sunt, quam vt tum temporis vel ipsi Apostoli nedū fœmina hæc Chananæa illa consequi potuerit. Ipsa vero alio artificio vtitur. Nam ista verba Christi quasi surdis auribus præterit, & in sua fiducia de bonitate Christi firmiter perstans, *venit ac* flexis genibus *adorauit eum, dicens: Domine, succurre mihi*: quasi dicat: Domine, Ego misera muliercula non possum tecum disputare. Nam non possum tibi vnum pro mille respondere. Iob. capite nono, versiculo tertio. Hoc vnum tibi dico, me tuo auxilio indigere, quo, antequam mihi subuenias, abs te non discedam. Hæc tua vox terreat eos, qui te non quærunt. Ego tibi tenacissime adhæreo. Tu es meum asylum: siue *ouis* sim, siue aliud animal, certe *perdita* sum. Et quia propter perditos homines venisti, omnino etiam propter me missus es. Et licet hæc celes in corde tuo, scio tamen, quia vniuersorum meministi. Iob. capite decimo, versiculo 13. Proinde abs te non recedo, & quo vehementius me abs te remoueris, eo propius ad te accedam, vsque dum auxiliatrice manu succurreris mihi. Hanc Dialecticam huius fœminæ nos quoque discamus, vt solutionem teneamus, si quando fides nostra ob particularitatem electorum tentatur. Nam etiam hanc repugnantiam non omnes possunt conciliare, quod promissiones quidem sunt vniuersales: veluti Matth. 11. vers. 28. Venite ad me OMNES. Ioan. cap. 3. versic. 16. Sic Deus dilexit mundum, vt OMNIS, &c. Ioan. 6. vers. 40. Hæc est voluntas Patris, vt OMNIS qui videt filium, &c. 1. Timoth. 2. vers. 4. Deus vult OMNES homines saluos fieri, 2. Petr. 3. vers. 9. Deus non vult quenquam perire, sed OMNES ad pœnitentiam reuerti. Et tamen sub hac vniuersali Christus bis subsumit particulariter, Matth. 20. vers. 16. & cap. 22. vers. 14. Multi sunt vocati, pauci vero electi. Huius in speciem contrarietatis conciliationem multi perperam quærunt in eo, quod dicunt, Omnes homines esse electos. Sed hæc propositio non habet *ἀποστόλων συγκατάθεσιν λόγων*, ac proinde reiicienda est. Alij caussam particularitatis illius quærunt in arcano & absoluto Dei decreto, non sine blasphemiis in paternam Dei bonitatem, & in omni sufficiens meritum Christi. Alij autem, & quidem recte, monstrant caussam huius particularitatis in hominibus. Quia enim Deus quidem vult omnes saluos fieri, verum non absolute, sed ordinate: non autem omnes huic voluntati & ordini Dei se accommodant: non omnes Christum quærunt, non omnes audiunt, non pœnitentiam agunt, non fide amplectuntur, in cruce non perstant, non omnes ad finem vsque perseuerant: hinc fit, vt ex omnibus illis, quos Deus ad salutem vocauit, pauci sint electi, & pauci saluentur. Sed quia hanc solutionem etiam non omnes assequuntur, ideo simpliciores hanc mulierem imitentur & dicant: O bone Iesu, ego in illam abyssum disputationis de Prædestinatione & electione non descendo, ne in vorticibus eius subsidam vel peream: hosce apices religionis doctoribus ego relinquo, & fateor, me ista mysteria non assequi. Hoc autem noui, me miserum esse peccatorem, & coram Deo Seruatore me indigere, teque Iesum propter peccatores in mundum venisse, & ipsos vocare ac saluare velle. Ego peccator miser & perditus ad te venio, nec abs te recedam, donec benedixeris mihi omni benedictione spirituali in cœlestibus. Ephes. 1. vers. 3. Hoc modo etiam secunda tentatio superatur.

Tertia tentatio subsequitur, quæ desumta est ex indignitate ipsius. Dicit enim Christus: *Sine prius saturari filios*. Respexit Christus his verbis ad prærogatiuam Iudæorum, qua pollent præ gentibus. Ipsis enim concredita fuerunt eloquia Dei, Rom. 3. vers. 2. ipsorum fuit adoptio filiorum, & gloria, & testamenta, & legislatio, & obsequium, & promissa, & patres, & ex quibus est Christus secundum carnem. Romanorum 9. versic. 4. Gentes autem tum erant longe sine Christo, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Ephes. 2. vers. 12. Respectu huius prærogatiuæ vult Christus, vt fœmina gentilis tantisper à fruitione beneficiorum ipsius abstineat, donec Iudæi tanquam *filij satientur*. Antecellebant autem Iudæi non suo merito, sed fœderis beneficio. Ideo addit: *Non est honestum sumere panem filiorum, & proiicere catellis*. *Canis* vocabulum in scriptura partim contumaciæ, partim extremam abiectionem agnoscentis est, atque sic indignitatem denotat. Deuter. 23. versiculo 18. prohibentur Iudæi inferre pretium canis in domum Domini. Iob. 30. versiculo 1. conqueritur dicens: Nunc derident me iuniores, quorum patres non dignabar ponere cum canibus gregis mei. 1. Sam. 17. versic. 43. dicit Goliath ad Dauid: Nunquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Summam exinanitionem denotat, 1. Sam. 24. vers. 15. vbi Dauid dicit regi: canem mortuum persequeris. Et Mephiboseth, 2. Samuel. 9. versic. 8. respexisti super canem mortuum similem mihi. Et cap. 16. versic. 9. Abisai Simei Dauidi maledicentem vocat canem mortuum. Abner. 2. Samuel. 3. vers. 8. dicit Isboseth o: Nunquid caput canis Ego sum aduersum Iudam? 2. Reg. 8. vers. 13. dicit Hazael Elisæo. Quid? num Ego canis sum, vt faciam rem tantam? Matth. capite 7. dicit Christus discipulis suis: Nolite sanctum dare canibus. Apocal. 22. versicul. 15. canes non minus quam venefici excluduntur ex cœlesti Ierusalem. Ex his locis manifestum euadit, quare extranei & alieni politia Israelis canes fuerint dicti. Vult ergo Christus mulieri dicere. Tu rem indignam & iniustam petis. Panis ille viuificus, quem Ego cœlitus detuli, & cuius etiam dispensator sum, Iudæis debetur. Hi enim sunt filius Dei primogenitus. Exod. 4. versiculo 22. Tu & aliæ gentes canes estis, & indigni, qui de familia Dei censeamini. Facesse ergo, nec vlterius vel mihi vel filiis obstrepe. Quid adhæc mulier? Num impatiens redditur, & indignabunda discedit? Num vicissim obiicit & oggannit? Ego non sum canis. Tu mihi conuitium dicis, quæ ex honestis parentibus sum oriunda. Si non

mih

mihi vis benefacere, vel saltem non iniuriosis verbis me prosequere. Nihil horum ipsa: Sed patienter & humiliter hæc omnia excipit, & tanquam ingeniosa ac prudentissima fœmina per artificiosam concessionem Christum in suis verbis illaqueat: & inde argumentum impetrandi nectit, vnde Christus eam abigendi occasionem sumpserat. *Etiam Domine*, inquit, sum catella: non nego. Atqui tua sum catella, neque alterius Domini canis esse volo. Ac proinde ita subsequor, sicuti canes suos dominos comitari solent. Neque etiam inuideo Iudæis, quod liberorum loco habentur. Sed, ô Domine, liceat mihi per te, quod aliis canibus conceditur. *Comedunt illi de micis filiorum, quæ de mensa dominorum suorum cadunt.* Non discupio cum filiis ad mensam sedere. Sed sicut canes sub mensa & scamnis repunt, & ossa vel micas decidentes colligunt: ita concede hoc beneficium mihi, quod Iudæi vix pro mica tam multorum & stupendorum tuorum apud ipsos editorum miraculorum sunt habituri. Nec poterunt illi mihi indignari, quod mihi esurienti catellæ tantillum obiicis, quod ipsi cæteroquin non magnopere curant. Atque hoc modo fœmina hæc tertiam tentationem superauit: ita vt Christus vlterius reluctari nequeat, sed se mulieri victum dedat, sicut audiemus. Hæc indignitas nobis quoque sæpenumero ob peccata nostra obiicitur. Quando proprium cor nos accusat & dicit: Ecce Iesus te in filium adoptauit, peccata condonauit, multis beneficiis te affecit. Sed qualem tu te gessisti? Vt canis reuersus est ad vomitum suum, & sus lota ad volutabrum luti, 2. Petr. capite 2. versiculo 22. sic tu peccatis tuis te indignum Dei misericordia reddidisti. Desine ergo in posterum benignissimo huic patri solicitando molestus esse, laborauit sustinens, Iesaiæ capite primo, versiculo decimoquarto. Quid in tali tentatione faciendum? Culpa agnoscenda, deprecanda, atque sic pœnitentia agenda. Dicamus: Equidem negare non possum, me esse gratia Dei indignum: propria enim mens hoc mihi dictitat. Sed licet cor proprium me condemnet: Deus tamen maior est corde meo. 1. Iohannis capite tertio, versiculo vigesimo. Ab hoc Deo meo non recedam. Si me in posterum non vult habere filij loco, agnoscat mercenarium: Lucæ capite decimoquinto, versiculo 19. Si nec mercenarium vult habere, sim ipsi canis modò micis gratiæ ipsius recreet. Si in regno Dei non licebit cum Abramo, Isaaco, & Iacobo sedere in mensa cœlestis regis, Matth. capite 8. ver. 11. repam cum hac fœmina sub mensa. Mihi adhærere Deo bonum est. Psalm. 73. vers. 28. Elegi cum Dauide abiectus esse in domo Dei mei, & ad limen eius sedere. Psalm. 84. vers. 11. modo non prorsus excludar ex regno cœlorum.

IV. Hanc fidem Chananææ huius mulierculæ Christus insigniter commendat, eo quod in modica quasi scintilla agnitionis Christi ex difficillimis tentationibus eluctata sit. Reuera fuit hæc fides initio instar grani sinapis: sed mox excreuit in arborem tanti roboris, vt in grauissimis tentationibus se sustentarit. Proinde Christus exclamat, & dicit: *O mulier, magna est fides tua.* Examinemus ergo denuo fidem hanc, vt videamus, quomodo ea *magna* fuerit, quo & nos similem fidem habeamus. Si enim fides nostra vera, viua, iustificans, & viuificans fides esse debeat, huius fœminæ fidem imitari debet. In libellis vero didacticis quatuor membra fidei iustificantis, vt & supra capite quadragesimo octauo indicatum est, requiruntur. 1. Notitia. 2. Assensus. 3. Fiducia. 4. Applicatio. In omnibus hisce quatuor mulierculæ huius fides fuit *magna*. 1. Quoad notitiam: vixit illa quidem inter gentes cœcas, & veri Dei ignaras: & tamen exquisitam habuit de Christo notitiam, quod sit *Dominus* & verus Deus: quod sit *filius David*, & verus homo: quod sit *misericors* & beneficus: quod possit *Diabolum pellere*, ipsiusque potentiam conterere: Hæc inquam, tam exquisite nouit, ac si omnes dies vitæ suo in medio populi Dei contriuisset. Hoc vere *magnum* fuit. 2. Quoad assensum? vixit ea inter eiusmodi contribules, quorum alij Deam Syriam, alij Herculem, alij Beelzebub, coluerunt: quorum alij rursus in consimili infortunio ad inanes ligaturas, alij ad exorcismos, alij ad idolorum cultus confugissent. Hæc vero relictis & reiectis illis omnibus, suum assensum nemini præbuit, præterquam iis, qui retulerant, Iesum Nazarenum esse magnum illum Domini Prophetam, qui omnia mala & aduersa pellere possit. Hoc rursus *magnum* fuit. 3. Quoad fiduciam: tanta fiducia ad hunc thronum gratiæ accessit, vt nec silentio, nec duriore responso discipulis dato, nec conuitio denique canis, se absterreri vel abigere passa fuerit, donec misericordiam consequeretur, & gratiam inueniret in auxilio oportuno. Hebr. 4. versic. 16. Magnis profecto arietibus oppugnata fuit ipsius fides, & sustinuit ictus validissimos, sed instar muri ahenei aut Marpesiæ rupis constitit firma & immota, & tandem victrix euasit: per ignem tribulationis & tentationum probata, deprehensa est multo auro pretiosior, in honorem Dei: 1. Petr. 2. versic. 7. An non hoc rursus *magnum* fuit? 4. Quoad applicationem denique, non postulauit, vt Christus in domum suam secum abiret, non petiit vt manus filiæ imponeret, sed firmiter credidit, si saltem verbum diceret, vel nutu consentiret, id omne tantæ efficaciæ futurum, vt filia protinus à dæmonis potestate liberetur: credidit vnicam *micam* gratiæ ipsius tantæ virtutis esse, vt & ipsa & filia plene recreari possint. Vtique & hoc *magnum* fuit. Non immerito ergo Christus fidem ipsius deprædicauit, seque, vt audiemus, totum ipsius voluntati resignauit.

Huius fidei in singulis membris imitatores esse debemus. Etenim 1. est aliquid, quando scio, quæcunque in scriptura sacra de Deo referuntur: quando noui, quod sit essentia bona, iusta, potens, verax, benefica, casta, misericors: & quod ex amore humani generis filium dederit in mortem. Sed hæc notitia non est saluifica fides. Quia etiam Dæmones hoc credunt, sed contremiscunt. Iacob. 2. versic. 19. 2. Est & illud aliquid, quando assensum præbeo illis omnibus, quæ ex Dei verbo mihi proponuntur: nec de illis hæsito: non contra disputo: non cum Luciano aut aliis empectis rideo. Sed nec hæc est vera viuifica fides. Idem enim faciunt πρόσκαιροι, qui ad tempus credunt, sed orta persecutione rursus deficiunt. Matth. 13. vers. 21. Verum requiritur 3. firma fiducia, atque 4. dextra applicatio: quibus tamen intra animum meum concipio spem, quod licet. Ego miser sim peccator, atque ob peccata reus mortis & æternæ damnationis: certo tamen statuam, quod Deus propter filium Mei miserere velit, vt pater: quod Christus seipsum pro Me (Galat. 2. vers. 20.) tradiderit in mortem, in Mei gratiam infernum adicerit, & Diaboli potestatem fregerit: quod dederit Mihi χάριτας & gratiam Spiritus sancti, in quo ausim clamare, Abba pater, Romanorum 8. versiculo 15. & quod huic caritati Dei in Christo Iesu Domino meo sic sim inclusus, vt nulla crux, nulla aduersitas, neque præsentia, neque futura, neque vlla creatura me inde separare possit. vers. 39. Hæc est vera iustificans fides. Talem fiduciam nec diaboli, nec infideles, nec temporarij, nec carnales homines habent, sed soli fideles. Neque etiam prouenit ea ex naturæ nostræ viribus, sed est donum Dei, à Spiritu sancto plantatum in cordibus nostris, per auditum verbi, Rom. 10. v. 17. Per hanc fidem in virtute Dei custodimur ad salutem, paratam reuelari in nouissimo tempore, 1. Petr. 1. v. 5. Hanc fidem nos ex verbo Dei tradimus, docemus & requirimus, atque ea homines coram Deo iustificari profitemur.

Hic vero aduersarij nostri Iesuitę exclamant, Lutherani reiiciunt bona opera, dum Sola fide iustificari volunt. At vero illud falsum est. Nam ex hac fide vere bona opera enascũtur & quod non ex fide fit, peccatum est, Roman. cap. 14. vers. 23. Hoc ex Chananææ huius exemplo manifestum euadit. Videmus enim, quod ipsius fides fœta fuerit (vt Lutherus locutus est) multis præstantissimis operibus. Nam 1. quodnam est summum bonum opus? Nonne illud primi præcepti? quo iubemur Deum super omnia timere & diligere, ipsique soli fidere? Hoc fecit hæc fœmina: non fugit ad incantatores, non ad idola, non ad Diuos cœlites, Abrahamum, Isaacum, Iacobum. Sed ad vnicum hunc Iesum Christum humani generis Seruatorem: huic vni fidit, hunc solũ amat & quærit. 2. Quodnam est proximum bonum opus? Nonne dilectio proximi? Secundum est simile primo, Matthæi cap. 22. vers. 39. Hoc opus ostendit hæc fœmina in dilectione filiæ. Hanc amat vt seipsam. Clamat: *Miserere mei*. Non dicit, filiæ meæ, sed *mei*. Quod enim filiæ feceris, mihi factum putabo. Sic ergo flet cum flentibus, Romanor. cap. 12. vers. 15. 3. Annon precationes etiam sunt bonum opus? Vide ergo quàm anxie, quam ardenter ex vera fide hæc precetur. Non patitur quemcunque ventum etiam vehementissimum se à constantia precum dimouere. 4. Quid dicemus de ipsius humilitate & patientia? qua se bis ad pedes Iesu abiicit, & canis etiam appellata non tamen indignatur. 5. De bono ipsius proposito, & quod per omnem vitam pia esse, & huic suo Deo seruire velit, in sequenti membro audiemus. Hæc vere sunt bona opera, quæ ex iustificante fide, quam nos vrgemus, prodeunt. Monstrent nobis vicissim Papicolæ sua opera. Egregia sane opera, cereos accendere, imagunculas vestire, missas emere, à carnibus abstinere & piscibus suffarcinari, peregrinari ad Diuos, albis indui, certas stationes seruare, & sexcenta alia. Precationes fingunt, sed sine pœnitentia: egenos negligunt, simulacra colunt: Deum otiosum reddunt, sanctos ipsi substituunt. Valeant ergo cum suis operibus, quibus cœlum promereri cupiunt: viuat & vigeat vera fides in Christum, in quo & nos viuemus & vigebimus.

V. Christus non tantum mulierculæ fidem commendauit à magnitudine, sed etiam liberaliter largitus est ei, quod petierat. Non Christus dicit: *Vade propter sermonem istum, exiit dæmonium à filia tua.* Christus se victum præbet, & se *sermone* mulieris sic oblectatum profitetur, vt nihil ipsi amplius negare possit. Dicit ergo *fiat tibi sicuti vis.* Nec defuit effectus verbis Christi. Nam filia sanata fuit ab eo momento, ita vt domum reuersa *reppererit dæmonium exijsse, & filiam iacentem super lectum.* Hic decubitus non factus est ex infirmitate. Quos enim Christus sanauit, eos plene & perfecte restituit. Sed opponitur ei, quod in superioribus dictum fuit, eam *misere à dæmonio agitatam* fuisse. Hic non amplius agitatur, sed sedate decumbit. Quæ hæc gaudia matris & filiæ fuisse cogitabimus? Hic inquisiuit primum mater, quando à dæmone nequam fuerit liberata. Mox intelligens eadem hora factum, qua Christus dixerat, *Vade*, sensit effectum verbi ipsius. Filiæ ergo recensuit, quanto labore sibi constiterit, vt hunc Dominum exoraret. Monuit eam, vt omnem fiduciam in vnico hoc mundi Messia in posterum positam haberet: vt denique in tota vita, pie, caste, & honeste viueret, ne spurco huic hospiti reditum quærenti, domum scopis mundatam & ornatam relinqueret. Et quemadmodum in filiæ institutione fidelis ac diligens fuit: ita absque dubio hoc Christi beneficium etiam aliis retulit, fidem in aliorum cordibus accendit, atque sic Apostolis post Christi ascensionem eodem redituris viam ad plantandam Christo Ecclesiam parauit. Vnde Paulus Actorum 21. vers. 4. Tyri discipulos inuenit, cum quibus septimanam vnam ipse commoratus est. Ex his non tantum amplius patet, quomodo fides non sit otiosa, sed in bonis operibus admodum negotiosa: sed etiam quod illa plerunque plus impetret à Deo, quam petierit. Sicuti hoc etiam commonstrat exemplum Salomonis 1. Reg. 3. versic. 11. qui cor docile petens, impetrauit insuper sapientiam & opes, præ omnibus regibus terræ. Recte ergo Paulus pronunciauit, Christum esse eiusmodi Dominum, qui potens sit omnia facere superabundanter, vltra quam petimus aut intelligimus. Ephes. 3. versiculo 20. Nam etiam tum, quando nos nescimus, quod oremus, sicut oportet, Spiritus sanctus pro nobis intercedit gemitibus inenarrabilibus, Romanor. 8. vers. 26.

Hactenus præcipua huius præstantissimæ historiæ membra discussimus: & cumprimis vidimus, quomodo vera fides Christianorum & pugnet, & vincat & triumphet. Nunc etiam particulares aliquas doctrinas, quæ præterea in ea latitant, obiter indicemus. Primum, exemplo Cananææ docentur parentes, quid liberis ex se natis potissimum debeant: nimirum vt præter στοργὰς & naturales illas affectiones, quas Deus omnium cordibus insculpsit, hæc præcipua ipsorum cura sit, quo ex Diaboli potestate liberentur. Fit hoc primum, quando paruulos suos Christo per baptismum offerunt. Sunt enim hi natura filij iræ & damnationis ob peccatum, in quo concipiuntur & nascuntur. Sed quando Christo qui Diaboli caput conculcauit, offeruntur, Marc. 10. versiculo 14. tum eorum est regnum Dei, & erepti ex potestate tenebrarum transferuntur in regnum suæ dilectionis. Coloss. 1. versic. 15. Quia vero figmentum cordis humani ad malum pronum est à iuuente sua, Genes. 8. versicul. 21. ideo deinde cum ætate accedit institutio in lege Dei & vera fide. Hinc Moyses vult legem suam filiis acui, Deuteronom. 6. vers. 7. Et Paulus vult liberos educari in disciplina & monitis Domini. Ephes. 6. vers. 4. Hæc si negligantur, tum parentes sibi adscribant, si liberi adultiores facti misere à Diabolo exagitentur. Secundo, intercessio Apostolorum monet, vt ex sincera συμπαθείᾳ publicis precibus vicinos in necessitate constitutos iuuemus: sicque necessitatibus sanctorum communicemus. Romanor. 12. vers. 13. Vnde & Iacobus dicit: orate pro inuicem, vt saluemini. Iacob. 5. vers. 16. Nihil autem patrocinatur hoc exemplum inuocationi Diuorum. Canaæa enim nullum ex mortuis inuocat, sed discipulorum in terris viuentium intercessione vtitur. Nec tamen plus impetrat, quam Maria in nuptiis Cananaicis, Ioannis 2. vers. 4. Posito etiam, sed non concesso quod Diui cœlites pro Ecclesia militante orent: nos tamen nec exemplum nec mandatum habemus, quo ipsos inuocare iubemur: sed vnum aduocatum in cœlis habemus apud patrem, Christum Iesum 1. Iohannis 2. versic. 1. quem etiam sancti inuocarunt. Tertia, verba Christi, *non est honestum sumere panem filiorum, & proijcere catellis*, commonefaciunt animarum curatores, vt caueant, ne ad sacrum cœnæ dominicæ panem admittant indignos, hoc est, eos, qui nulla signa seriæ pœnitentiæ & veræ fidei præ se ferunt. Hoc enim esset sanctum dare canibus, quod Christus prohibet Matth. 7. vers. 6. & tales manducant sibi iudicium 1. Corinth. 11. vers. 29. Recte ergo canit Ecclesia: Ecce panis angelorum, Factus cibus viatorum, vere panis filiorum, Non mittendus canibus. Simul tamen etiam attendant, ne temere pro canibus habeant, qui filiorum loco esse possunt. In hoc enim mundo zizania non eradicantur. Matth. 13. vers. 30. Ex cœlesti autem Ierusalem excludentur canes, venefici & omnes, qui amant & faciunt mendacium, Apocal. 22. versic. 15. Quarto, videmus, quomodo interdum magno cum nostro commodo & vtilitate exauditio precum nostrarum differatur: Vt nimirum nos tanto magis ad precandum inflammemur, deuotionis ardor in nobis excitetur, & tanto plus exhilaremur, atque ad gratiarum actionem impellamur, vbi vel tandem voti & desiderij nostri participes facti sumus. Ex infinitis desume exempli loco Abrahamum, cui centesimo demum ætatis anno filius Isaacus, satis diu promissus & expectatus natus est. Genes. 21. versiculo 5. Et Hannam, quæ post largas lacrymas & ardentissimas preces Samuelem filium pientissimum & insignem Domini Prophetam concepit & peperit. 1. Samuel. 1. versic. 20. Quinto, quidam hanc historiam allegorice explicant, dicentes, per Cananæam hanc mulierem designari Ecclesiam ex gentibus ad Christum congregandam, quæ maiori fidei feruore Christum sit quæsitura, & humiliori indignitatis suæ agnitione eidem sit adhæsura, vbi Christus, relictis Iudæis, ad ipsos gentiles declinauerit, quam Iudæi id fecerint. Et hic certe mira rerum conuersio facta est, vt qui hic dicuntur canes, facti postea sint filij: Iudæi autem, qui hic dicebantur filij, facti sint canes, iuxta illud Psalm. 22. versic. 17. circumdederunt me canes multi: Et Psal. 59. versic. 7. famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem. Item, dicunt alij, hac muliere designari quamuis animam peccatricem, cuius filia, caro, à dæmonio vexetur, & ad varia peccata etiam repugnante spiritu incitetur. *Huius sanitatem*, apud Christum quærendam esse, ita vt egrediatur ex suis finibus, hoc est, prioris conuersationis vitia relinquat, & velut catella, præeunte seria indignitatis confessione, micis verbi & sacramentorum satiari studeat. Si quis igitur Allegoriis delectatur, hæc breuia membra monstrata aliquanto accuratius expendere & latius extendere poterit. Nos ad sequentia progredimur.

CAPVT LXXXI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM REDITVS CHRISTI EX FINIbus Tyri & Sydonis, ad mare Galilææ, vbi sanauit multos ægros & inter hos potissimum surdum & mutum, Matth. 15. vers. 29. Marc. 7. vers. 31.

RATIO ORDINIS.

QVia seruator noster Iesus Christus fuit (vt iam aliquoties dictum) minister circumcisionis, Romanorum 15. vers. 8. & Palæstina propterea Iudæis antiquitus à Deo habitanda concessa fuerat, vt esset certa sedes, in qua Messias officium redemtionis esset peracturus: ideo non diu mansit in illis finibus gentium, multo minus vlterius progressus est in viam gentium, sed statim reuersus est ad mare Galilææ. Non autem eodem itinere rediit, quo secesserat: sed *per medios fines Decapolis.* Quis vero fuerit situs Decapoleos, supra cap. 6. θεωρημάτων copiose & diligenter descriptum est. Nimirum ex finibus Tyri & Sydonis, quæ ciuitates fuere τῆς Φοινίκης, vt Iosephus nominat, hoc est, ad littus maris magni

magni sitæ. Ex his finibus Phœniciæ maritimæ transiit circa montem Libanum & Carmelum trans Iordanem, in Cœlesyriam circa Philadelphiam, Pellam, Scythopolin, donec tractu satis bene longo ad Gadarenos & Gerasenos in Peræa perueniret. Has enim plures & huiusmodi ciuitates ἑλληνικὰς, hoc est, Græcanici instituti & gentilitiæ religionis, ad Decapolitanam regionem pertinuisse, ex Iosepho, Strabone, & Plinio manifestum est. Hæc vero tam accurata Decapoleos descriptio ad id prodest, vt intelligamus, sedem ministerij Christi per dimidiam fere tertij anni partem fuisse in finibus gentium. Nam omnino multa obseruatione dignum est attendere, vbinam singulis annis fuerit sedes ministerij Christi. In primo anno potissimum docuit in Iudæa. Nam in propria venire voluit. Ioannis 1. versic. 11. Sed quia sui ipsum non receperunt: relicta Iudæa abiit in Galilæam, Iohan. 4. versi. 3. ibique sedem docendi & miracula edendi delegit secundo ministerij sui anno. Verum quia Scribæ & Pharisæi Hierosolymitani ipsum in Galilæam vsque persequebantur, tertio anno secessit εἰς μεθόρια, ad confinia Tyri & Sydonis. Vtitur autem Marcus vocabulo μεθορίων, propterea, vt innuat, diuersas ibi gentium regiones committi, & Tyrum conterminam esse non vni nationi inter gentes. Ex his finibus iam reducit Iesum *ἀνὰ μέσον per medios fines* gentium, ἀνὰ dicit non διὰ, vt aliquam durationem subinnuat, atque inde colligere possimus, Christum dimidia ferme anni parte, si non inter gentes, tamen in finibus gentium fuisse. Illud vero maxime omnium hic considerationem meretur, quod Iesus ad regionem Decapolitanam, ex qua Marc. 5. versi. 18. satis ignominiose pulsus fuerat, redit, cum alias Sol non sit retrogradus: quærit nimirum fructum prædicationis illius dæmoniaci, quem post liberationem illic reliquerat, & quanta sibi Dominus fecerit, prædicare iusserat. Et sane illius prædicatio hoc effecit, quod iam ipsi adducunt mutum & surdum. Vnde colligere licet, verbi prædicationem nunquam sine fructu abire, sed instar salutaris pluuiæ & niuis fœcundare terram, Ies. 55. v. 10. & efficere vt fructum aliquem ferat.

Ordo autem historiæ, quam Matthæus & Marcus describunt, sic se habet. In ipso itinere, dum Iesus per fines Decapolis transit, adducitur, vt Marcus annotauit, surdus & impeditæ linguæ homo, in cuius sanatione multos & peculiares ritus adhibuit: qui quomodo sint expendendi, postea indicabimus. Post huius sanationem ascendit in montem iuxta mare Galilææ, sicut Matthæus scribit. Interea vero turba, quæ priori miraculo interfuerat, famam illam, licet Christus prohibuisset, per totam regionem spargebat, qua excitata toto multitudo, quoscunque male affectos habebat, ad montem illum deferebat, eorumque sanationem quærebat. Turbæ autem videntes tam stupenda miracula eodem tempore fieri, stupebant, dicentes: *bene fecit omnia*. Quæ vox sine dubio opposita fuit calumniis Gadarenorum, qui miraculum Iesu Matthæi 8. versic. 34. in Decapoli deformauerant. Iam vero glorificant *Deum Israelis*, hoc est, licet gentes essent, propter viciniam tamen doctrina de venturo Messia, qui futurus erat gloria plebis suæ Israel, Luc. 2. versic. 33. non penitus ignota fuit. Hunc ergo talem agnoscunt, ad ipsum conuertuntur, & verum Deum celebrant. Sic habemus ordinem historiæ Euangelicæ, vt sciamus, & quænam historia ad priorem proxime sequatur, & quomodo duo Euangelistæ Matthæus & Marcus in suis descriptionibus ad vnum scopum colliment.

HISTORIA REDITVS IESV AD mare Galilææ, & sanato surdi & muti cum multis aliis agris.

MATTH. 15.

29. Καὶ μεταβὰς ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς ἦλθε παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἀναβὰς εἰς τὸ ὄρος, ἐκάθητο ἐκεῖ.

30. Καὶ προσῆλθον αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, ἔχοντες μεθ' ἑαυτῶν χωλούς, τυφλούς, κωφούς, κυλλούς, καὶ ἑτέρους πολλούς, καὶ ἔρριψαν αὐτοὺς παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτούς.

31. Ὥστε τοὺς ὄχλους θαυμάσαι, βλέποντας κωφοὺς λαλοῦντας, κυλλοὺς ὑγιεῖς, χωλοὺς περιπατοῦντας, καὶ τυφλοὺς βλέποντας, καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεὸν Ἰσραήλ.

29. *Et progressus illinc Iesus venit iuxta mare Galilææ & conscenso monte sedebat illic.*

30. *Et accesserunt ad eum turbæ multæ, ducentes secum claudos, cæcos, mutos, mutilos, & alios multos, & abiecerunt eos ad pedes Iesu, & sanauit eos.*

31. *Adeo vt turba mirata sint, cum viderent mutos loqui, mutilos esse sanos, claudos ambulare, cæcos videre, & glorificabant Deum Israel.*

MARC. 7.

31. Καὶ πάλιν ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος, ἦλθε πρὸς τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως.

32. Καὶ φέρουσιν αὐτῷ κωφὸν μογιλάλον, καὶ παρακαλοῦσιν αὐτόν, ἵνα ἐπιθῇ αὐτῷ τὴν χεῖρα.

33. Καὶ ἀπολαβόμενος αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ὄχλου κατ' ἰδίαν, ἔβαλε τοὺς δακτύλους αὐτοῦ εἰς τὰ ὦτα αὐτοῦ, καὶ πτύσας ἥψατο τῆς γλώσσης αὐτοῦ.

34. Καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανόν, ἐστέναξε, καὶ λέγει αὐτῷ, ἐφφαθά, ὅ ἐστι, διανοίχθητι.

35. Καὶ εὐθέως διηνοίχθησαν αὐτοῦ αἱ ἀκοαί, καὶ ἐλύθη ὁ δεσμὸς τῆς γλώσσης αὐτοῦ, καὶ ἐλάλει ὀρθῶς.

36. Καὶ διεστείλατο αὐτοῖς ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν, ὅσον δὲ αὐτὸς αὐτοῖς διεστέλλετο, μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον.

37. Καὶ ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες, καλῶς πάντα πεποίηκε, καὶ τοὺς κωφοὺς ποιεῖ ἀκούειν, καὶ τοὺς ἀλάλους λαλεῖν.

31. *Et rursum egressus de finibus Tyri ac Sidonis, venit ad mare Galilææ per medios fines Decapolis.*

32. *Et adducunt ei surdum impeditæque linguæ, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.*

33. *Et cum apprehendisset eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas eius, & sputo emisso tetigit linguam eius.*

34. *Et suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi: Ephata, quod est, aperire.*

35. *Et statim apertæ sunt eius aures, & solutum est vinculum linguæ eius, ac loquebatur recte.*

36. *Ac præcepit illis, ne cui dicerent. Sed quo magis ille eis præceperat, hoc potius amplius prædicabant.*

37. *Et supra modum stupebant, dicentes: Bene omnia fecit & surdos facit audire, & mutos loqui.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, EX Matthæi & Marci descriptionibus in vnum corpus coaptata.

a Καὶ μεταβὰς ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς, b καὶ πάλιν ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος, c ἦλθε πρὸς τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, b ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως. Καὶ φέρουσιν αὐτῷ κωφὸν μογιλάλον, καὶ παρακαλοῦσιν αὐτόν, ἵνα ἐπιθῇ

a *Et progressus illinc Iesus* b *& rursum egressus de finibus Tyri & Sidonis*, c *venit ad mare Galilææ* b *per medios fines Decapolis. Et adducunt ei surdum, impeditaque lingua, & deprecabantur eum, vt imponat illi*

αὐτῷ τὴν χεῖρα. Καὶ ἀπολαβόμενος αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ὄχλου κατ' ἰδίαν, ἔβαλε τοὺς δακτύλους αὐτοῦ εἰς τὰ ὦτα αὐτοῦ, καὶ πτύσας ἥψατο τῆς γλώσσης αὐτοῦ, καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἐστέναξε, καὶ λέγει αὐτῷ, ἐφφαθὰ, ὅ ἐστι, διανοίχθητι. Καὶ εὐθέως διηνοίχθησαν αὐτοῦ αἱ ἀκοαὶ, καὶ ἐλύθη ὁ δεσμὸς τῆς γλώσσης αὐτοῦ, καὶ ἐλάλει ὀρθῶς. Καὶ διεστείλατο αὐτοῖς, ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν. Ὅσον δὲ αὐτὸς αὐτοῖς διεστέλλετο, μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον. a Καὶ ἀναβὰς εἰς τὸ ὄρος, ἐκάθητο ἐκεῖ. Καὶ προσῆλθον αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ, ἔχοντες μεθ' ἑαυτῶν χωλοὺς, τυφλοὺς, κωφοὺς, κυλλοὺς, καὶ ἑτέρους πολλοὺς, καὶ ἔρριψαν αὐτοὺς παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς, ὥστε τοὺς ὄχλους θαυμάσαι, βλέποντες κωφοὺς λαλοῦντας, κυλλοὺς ὑγιεῖς, χωλοὺς περιπατοῦντας, καὶ τυφλοὺς βλέποντας. b Καὶ ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο λέγοντες, καλῶς πάντα πεποίηκε, καὶ τοὺς κωφοὺς ποιεῖ ἀκούειν, καὶ τοὺς ἀλάλους λαλεῖν. a Καὶ ἐδόξαζον τὸν Θεὸν Ἰσραήλ.

manum. Et cum apprehendisset eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas eius, & sputo emisso, tetigit linguam eius, ac suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi, Ephata, hoc est, aperire. Et statim apertæ sunt eius aures, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur recte. Ac præcepit illis, ne cui dicerent. Sed quo magis ille eis præceperat, hoc potius amplius prædicabant. a *Et conscenso monte, sedebat illic. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, ducentes secum claudos, cæcos, mutos, mutilos, & alios multos, & abiecerunt eos ad pedes Iesu, & sanauit eos, adeo vt turbæ miratæ sint, cum viderent mutos loqui, mutilos esse sanos, claudos ambulare, cæcos videre.* b *Et supra modum stupebant, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos facit audire, & mutos loqui.* a *Et glorificabant Deum Israel.*

Periocha huius historiæ.

I. IN hac historia ante omnia consideranda est persona ægra, quæ ad Christum adducitur. Illa ab Euangelista Marco dicitur fuisse κωφὸς μογιλάλος. Κωφὸς hic *surdum* significat: μογιλάλος autem eum *qui impeditæ est linguæ*. Aliud enim est esse ἄλαλον, qui prorsus fari non potest, vt infantes: & postea Marc.9.v.17. adduceretur ad Apostolos puer habens spiritum ἄλαλον mutum: & aliud μογιλάλον, qui difficulter loqui potest. Κωφοὶ autem dicuntur, quibus omnibus nulla est vox. Apparet ergo, hunc surdum, non plane fuisse mutum, sed qui edere potuerit sonum, illum vero admodum confusum, ita vt non potuerit intelligi. Vnde vero hoc ipsi vitium? Num Deus ita hominem creauit? vt sicut vna arbor est frugifera, altera sterilis à Deo sic creata, vt vna herba gratum odorem spargens, altera vero graue olens: sic etiam alius homo à Deo sit cœcus, alius videns, alius surdus, alius audiens, & sic deinceps, creatus? Nequaquam. Ab initio non erat sic. Nam vt Moyses testatur: vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Gen.cap.1.v.31. Ergo etiam homo valde bonus fuit creatus, in quo non inueniebatur macula siue defectus; siquidem creatus erat ad imaginem Dei, imperfecta bonitate & sanctitate, cuius voluntas Dei voluntati ita conformis erat, vt nihil præterquam Creatorem suum auribus audire, & ore suo celebrare, imo corde suo templum Conditoris sui esse discuperet. Vnde ergo hoc malum? Ex inuidia Satanæ, Sap.2.vers.24. is est homicida ab initio. Iohan.cap.8.versi.44. & postquam per peccatum mors introiit in mundum, Satanas hanc potentiam in homines acquisiuit, vt possit oculum, quem Deus videntem creauit, excœcare, aurem audientem obturare, linguam recte loquentem ligare, adeoque omnia hominis membra corrumpere. Sed dicat quis: quî ergo fit, quod non omnes homines sint surdi & muti, cum omnes ex æquo sint peccatores? Certe quicunque hominum sine peccato est, is primus mittat lapidem in hunc surdum, Ioh.c.8.vers.7. Respondeo, quod non omnes cœci, surdi, muti nascimur, id non acceptũ feramus bonitati Satanæ, quę nulla est: sed solius Christi. Diabolus circuit terram, & obambulat eam vniuersam, Iob.1.v.7. & expetit cribrare omnes, sicut triticum. Luc.cap.22.versic.31. Prætendit etiam coram Deo suum ius, quod in nos tanquam peccatores habeat. Percupit igitur nobis numerare stipendium peccati, quod sunt varij defectus & debilitates corporis, ac denique ipsa mors. Romanor. 6.vers.23. Sed filius Dei, sedens ad dextram Patris & pro nobis intercedens, seruat nos ab ira, is habet suos angelos, qui castra metantur in circuitu timentium se, eosque custodiunt Psal.34.vers.8. ne Diabolus ipsis pro libitu nocere queat. Quia vero summum hoc Seruatoris nostri Iesu Christi beneficium non attendimus, peccati magnitudinem non agnoscimus, iræ Dei grauitatem non curamus, in securitate nostra stertimus, adeoque salutem omnem, nisi à somno isto excitemur, perderemus: Ideo Deus istiusmodi debiles personas, licet pauciores, exempli loco reliquis ob oculos ponit, qui sua miseria illis ostendere debent, quid sit peccatum, qui ira Dei, quanta potentia Diaboli, ne securi reddantur, sed vt orando & pie viuendo vigilent. Et hoc est, quod Christus postea hunc surdum & mutum *seorsim ducit de turba*, eumque populo spectandum proponit: quasi diceret: Videtisne, quodnam sit stipendium peccati, quanta sit ira Dei, quæ sit tyrannis Diaboli? Idem hoc vos omnes meriti estis: & Diabolus expetiuit, vt vos singulos consimiliter tractaret: Sed ego rogaui pro vobis. Verumtamen quia rebus saluis huius mei beneficij obliuiscimini, nec hanc meam erga vos beneficentiam agnoscitis, ideo hunc intuemini, in eo habetis speculum, ex quo perspicere potestis, quid Ego vos præseruando præstiterim.

Simul tamen miser hic homo nobis typum præbet naturalis nostræ deprauationis, quæ omnibus ac singulis quoad animam inhæret: quod nimirum spiritualiter omnes sumus surdi atque impeditæ linguæ. Surditatem in eo demonstramus, quod Deus dedit nobis legem suam, per eam vult peccata argui, iram suam aduersus illa denuntiari, damnationem proponi, sicq; nos ad pœnitentiam adigi. Addidit Euangeliũ, quo Medicus ostenditur, qui malis hisce omnibus medelam afferre possit. Hæc vero vtraque Legem & Euangelium, non lapidibus, qui non habent aures audiendi, sed hominibus prędicari vult. At vero natura homines neutrum audire, nec ex Lege vitam emendare, nec secundum Euangelium gratiam Dei acceptare volunt. Sunt instar aspidis surdæ obturantis aures suas. Psal.58.vers.5. sunt incircumcisis cordibus & auribus, sicut Iudæi, Actor.7.vers.51. Et sane ipsorum aures sic sunt aggrauatæ, vt Moyses Deuteron.32.vers.1. & Iesaias c.1.vers.2. sic incipiant: Audite cœli, & auribus percipe terra; quasi dicant illi Prophetæ: Quid prodest hunc populum diu inclamare, cum nemo audiat? citius terra & cœli nostram vocem exauditturi essent, quam hic populus. Hoc malum contraximus ex lapsu Adæ. Cum enim ille aures suas semel auertisset à verbo Dei ad nugas & mendacia Satanæ, postea genuit liberos, non ad Dei, sed ad suam imaginem: Gen.5.versic.3. qui & ipsi aures potius ad fabulas, quàm ad verbum Dei conuertunt. Sic etiam Satanas reuinxit linguas hominum, vt omnes sint impeditæ linguæ, ad prædicandam Dei misericordiam ac bonitatem, & ad confitendum proprias culpas: verum ad stulti loquia, maledicentiam, obtrectationes, & id genus alias nugas, proh dolor, nimis expeditas plerique habent linguas. Hanc miseriam ex imagine huius viri agnoscamus.

II. Considerandi etiam sunt vicini, qui hunc surdum & mutum Christo adducunt. In his 1. deprehenditur fides in Christum, qua si destituti fuissent, nunquam ad Christum accessissent. Nam accedentem ad Deum, oportet credere. Heb. 11.vers.6. Vnde vero hæc fides? Ex verbo Dei. Rom.10.ver.17. fama siquidem concionum & miraculorum Iesu vndequaque iam dimanarat. Inprimis autem illa, quæ ciuis Gerasenus Marc.5.versic.20. in Decapoli de Iesu prædicarat, & miraculum, quod Iesus nuper in finibus Tyri & Sidonis ediderat, ipsos excitauit, vt etiam hunc ægrum eidem adducerent. 2. Adducunt eum non ad Petrum, Iohannem aut reliquos Apostolos; pater enim ille qui Marc.9.v.17. filium suum ad Apostolos adduxerat, fatetur, ipsos non potuisse eum sanare. Itaque homines miseri & Diaboli potestati subiecti non ad creaturas, nec ad sanctos sunt ablegandi: quin potius leuemus oculos ad eum, qui fecit cœlum & terram, Psalm.121.v.1. & ille nobis auxiliabitur. Qui autem Deum & verum hunc fontem aquæ viuæ derelinquunt, sibiq; ipsi cisternas fodiunt, Ier.2.v.13. illi vicissim deserentur à Deo. 3. Fides vera efficax est per caritatem Gal.5.v.6. Hanc vicini isti fidei suæ coniunctam se habere eo demonstrat, quod calamitatem huius miserati, eum ad Dominum adducunt, & pro illo *eum deprecabantur*, quo impositione manuum duo ista mala auferat. Sic ergo non tantum iuxta Paulum flent cum flentibus, Romanorum 12.vers.15. sed etiam illud Iacobi obseruant, cap.5.vers. 16. orate pro inuicem, vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua. Ergo si quis in cruce & aduersitatibus sit infir-

sit infirmior, quam vt solus se aliquid à Deo impetrare posse confidat, is iustorum deprecationem exoret. Per tales enim plus impetrabit. Sicut Lothus Gen. 19. v. 21. oppidulum Segor seruauit, ne cœlitus igne vastaretur. Et Actorum 27. v. 24. Deus Apostolo Paulo donauit omnes, qui cum ipso nauigarunt. 4. Quia vero alias quæritur, an aliena fides etiam prosit in cœlestibus & spiritualibus: hæc historia monstrat, quousque illa prosit. Nimirum, vt propriam fidē homini impetret. Etenim hic surdus, cum ad Christum adduceretur, nullam habuit fidem: quia beneficio auditus destituebatur. Ideo etiam ex propria fide non venit ad Christum. Alij autem, qui ex miraculo tam Geraseni viri, quam Cananææ mulieris fidem conceperant, eum adducunt, pro eo deprecantur, & hoc impetrant, vt aures ipsi aperiantur, & ipse audiat, sicque propriam fidem consequatur. Eodem modo parentes pro liberis orare possunt & debent, maxime quando eos ad lacrum baptismi fontem deferunt. Sic Monica mater diligentissime deprecata est pro filio Augustino, qui postea tam insigne Ecclesiæ lumen factus est, de quo etiam D. Ambrosius pronuntiarat, impossibile esse tot lacrymarum filium perire. Hoc modo etiam pro errantibus, imo pro inimicis oremus, vt det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem. 2. Tim. 2. vers. 25. Sed quod Sophistæ & Iesuitæ hinc disputant, posse quempiam ad salutem adduci aliena fide, licet propria careat: hoc falsum est, si maxime fides esset, non modo sanctissimi hominis, sed etiam alicuius Angeli. Nam sicut nemo aliter, quam propria sanitate valet: ita quoque iustus non aliena, sed sua fide viuet, Hab. 2. ver. 4. Magna itaque est deceptio, qua Sophistæ multum de Carbonaria siue implicita fide nugantur, vbi quisque idem credere debeat, quod Catholica Ecclesia credit: & quod Cœnobitæ aliis sua merita vendunt, ipsisque ea ad salutem prodesse persuadent. Qua ratione quidem ipsi opes mundi colligunt, sed interim aliorum ruditatem confirmante, & infinitas animas ad orcum transmittunt.

III. Christi persona quoque est consideranda. Nuper dixerat Ioannis 6. ver. 37. Omne quod dat mihi pater, veniet ad me, & eum qui venit ad me, nō repellam. Illud hoc in loco reipsa commonstrat. Neque enim miserum hunc hominē cum adducentibus morose reiicit, sed benignissime suscipit, auxiliatricemque manum ipsis præbet. Et ipsi quidem tantum petunt manum impositionem. Nam alias saltem impositis manibus infirmos curare solebat, vt videre est Marc. 6. v. 5. & Luc. 4. vers. 40. Hic vero varias adhibet ceremonias, easque septemplices, quæ non sunt inanes & ludicræ gesticulationes, sed seriæ actiones, quibus spectatores illos, & nos hodie historiæ huius auditores, permouere voluit, vt accuratius cōsideraremus, quæ & quāta sit deprauatio humanæ naturæ, quæ nullo medio, nulla ratione curari queat, nisi ipse Dei filius manum medicam admoueat. Nos has ceremonias diligentius examinabimus. Alias enim miracula obiter saltem inspecta & perfunctorie considerata non magnifiunt. 1. Primum ergo est, quod miserum hunc hominem *seorsim ducit κατ' ἰδίαν*. Hoc aliqui ita exponunt, ac si eum seorsim duxisset, sicut postea Marc. 8. ver. 23. cæcum educit extra vicum. Nolebat enim tum palam reuelari. Et sane hæc vox κατ' ἰδίαν interdum talem solitariam actionem denotat, vt Matth. 14. v. 23. & 17. ver. 1. Sed hic turbæ spectarunt miraculum, audierunt Christi vocem. Ergo non de eiusmodi solitaria seductione est hæc particula accipienda, sed, vt iam exposuimus, Christus hunc miserum hominem ex reliqua turba seorsim collocauit, vt è regione reliquorum staret, sicque reliquis omnibus ac singulis in conspectu esset. Stant ergo hic duæ personæ, Christus & surdus, eiusdem naturæ & substantiæ, sed diuersissimæ conditionis & qualitatum. Ille quidem fons omnis felicitatis: hic vero receptaculum omnium miseriarū. Christus vero hunc miserū hominem cōtuens, 2. *suscipit in cœlum*, recordatus primæ creationis, qua Deus hominē crearat ad imaginem & similitudinem suam, Genes. 1. vers. 26. in iustitia & sanctitate veritatis, Ephes. 4. ver. 24. Cogitauit itaque: ah bone Pater, tuæ manus fecerunt hominem, & fecerunt eum totum in circuitu, Iob. 10. ver. 8. vt auribus suis verbum tuum audiens, & lingua gloriam tuam deprædicans, cœli incola esset, & æterna frueretur beatitudine. Hic vero iam captiuatus est à Satana, aures eius obturatæ sunt, lingua ligata, & nisi cœlitus auxilium deueniat, cum ipso actum erit in omnem æternitatem. Hinc 3. *ingemiscit*. Ipse enim carnem nostram humanā assumsit, vt posset infirmitatibus nostris compati. Heb. 4. v. 15. Et quia videt opus suū sic deformatū, fremit spiritu & turbat seipsum, Iohan. 11. v. 33. paratus ferre huic misero opem, si cœlestis Pater annuat. Venit enim ipse propterea in hunc mundum, vt dissoluat opera Diaboli. 1. Iohan. 3. v. 8. Et quidē Pater semper eum audit, & vult vt hęc exerceat opera. Vt autem mundus agnoscat & credat, quod ipse sit Mediator à Patre missus, Iohannis 11. v. 42. ideo sic ingemiscit. Suntque hi gemitus pars intercessionis pro genere humano. Nam quando Pater cœlitus prospicit super terram, videt omnem carnem corrupisse viam suam, & omnes factos esse abominabiles, ita vt non sit, qui faciat bonum, non sit vsque ad vnum, Psalm. 14. ver. 1. Propterea pœnitet ipsum, quod creauit hominem. Genes. 6. vers. 6. Sed Filius vice versa suspiciens in cœlum ingemiscit, intercedens pro nostra miseria, quasi dicat: Ah Pater miserere harum infirmitatum, sicut pater miseretur filiorum. Psalm. 103. v. 13. Sunt enim tua creatura: sunt opus manuum tuarum. Ipsi homines iam non intelligunt, nec sentiunt, quale sint figmentum. Ego vero intelligo, in qua miseria hæreant: & quanto magis intelligo, tanto magis pro ipsis gemo, quia ipsorum sum Aduocatus, 1. Iohannis 2. v. 1. 4. cum alias fere solo verbo sanare solitus fuerit, hic manum adhibet, & *digitos in auriculas immittit*. Hæ enim sunt benedictæ illæ manus, in quas Pater omnia reposuit, Matth. 11. v. 27. vt nos ex plenitudine ipsarum acciperemus gratiam pro gratia. Iohan. 1. ver. 16. insuper autem *sputum emittit*, siue, quod sputo in digitis accepto aures & linguam tetigerit: siue quod lutum ex sputo faciens illa membra eo inunxerit, sicut Ioh. 9. ver. 6. natum cœcum tali luto sanauit. Habet hoc pulcram imaginem nostræ restitutionis: sicuti Irenæus iucundas hac de re habet cogitationes. Deus hominem conditurus, non solo verbo creauit, vt bruta, dicendo: Producat terra animam viuentum. Sed limum terræ sumsit in manus, & formauit primum corpus, postea inspirauit spiraculum vitæ in faciem eius, & sic factus est homo in animam viuentem, Gen. 2. ver. 7. & in imaginem atque similitudinem Dei. Iam filius Dei imaginem amissam in nobis instauraturus, inserit digitum in aures, & exspuens facit lutum, vt ostendat, non posse hominem aliter restitui, quam vt illæ ipsæ omnipotentis Dei manus, quæ initio eum crearunt, eundem reforment. Ideo etiam 6. manu sua *tangit linguam*. Nam fortis armatus custodit atrium suum, Luc. 11. ver. 21. Sed Christus tangendo perrumpit, eum vincit, & spolia distribuit. Ostendit nimirum, vt Cyrillus diligenter annotauit, carnem suam esse viuificatricem, nec quicquam ipsum in se continere, quod non sit salutiferum: adeo vt vel ipsum sputum nobis vitam adferre possit, si velit. Quis ergo animum despondeat, cum talem & tantum naturæ nostræ instauratorem habeamus? Ipse enim æternus Deus, qui per filium nos creauit; idem per eundem nos redemit: per eundem nos regenerat: & quando corpora nostra post mortem in puluerem terræ redacta fuerint, nihil obstante corruptione eadem ad vitam resuscitabit, vbi noua creatura sumus futuri in oculis ipsius. 7. Tandem addit verbum, inquiens: *Ephphata*. Euangelista retinuit vocem Syriacam, vt ostenderet, quam facile fuerit Christo hunc miserum hominem sanare, vt qui saltem familiari ac vsitato verbo vtens, ipsum restituerit in integrum. Est autem Imperatiuus, *aperire*. Nam ad huius Domini imperium, quæuis fiunt. Sic vero ostendere voluit, quomodo vita & salus ad nos perueniant, nimirum per verbum. Christus enim salutem acquisiuit, eamque in se habet: sed per verbum distribuit. Ita dicendo nos initio creauit: dicendo nos adhuc hodie recreat. Vita enim & salus per verbum & Sacramenta ad nos veniunt, quibus Christus quasi nos tangit, sicque nos à spirituali nostra miseria sanat, quemadmodum hunc sanauit, vt statim *vinculum linguæ solutum sit, & ipse recte sit locutus*. Hæ sunt ceremoniæ, quibus Christus in curando hoc surdo & muto vsus est. Et quia nos homines natura sumus spiritualiter surdi & muti, quæ vitia per sacrosancta Sacramenta à nobis tolluntur: ideo Pontificij easdem ceremonias in baptismo assumunt, & baptizandi aures atque nares sputo digitis imposito contingunt, dicentes Ephatha. Dicunt enim idem baptismo fieri pro salute Spiritus, quod Christus hic fecerit pro curatione corporis, ac proinde ipsum imitandum esse. Quapropter quamprimum Susceptores apportant infantem, & pro ipso intercedunt, vt per verbum Dei, sacram ablutionem, & sacerdotalem benedictionem regeneretur, sicque spiritualiter audiens & loquens efficiatur: Mox extra turbam in angulo aliquo templi seorsim cum infante & susceptoribus agunt, & hasce ceremonias adhibent. Sed facilis est huius rei decisio. Si Christus nos iussisset imitari hasce ceremonias, tum merito id faceremus. De baptismo habemus mandatum, vt abluamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Matth. 28. v. 19. De Cœna, vt edamus, bibamus, & mortem Domini annuntiemus, donec veniat, 1. Corinth. 11. v. 26. Hoc ergo, quod Christus iussit, facimus. Si de his ceremoniis consimile mandatum haberemus, easdem obseruaremus. Quia vero mandato destituimur, eas omittimus. Quin & Apostoli, qui eas viderunt atque audierunt: tamen non sunt imitati. Cur ergo nos eas adhiberemus? Et sane res mira vel potius peruersa est, quod Pontificij in vsu Sacramentorum ea facere volunt, quæ Christus mi-

nime præcepit: quando vero in Sacramento Cœnæ dixit, bibite ex hoc calice OMNES, illud secure negligunt. Oremus ergo Dominum, vt liberemur ab importunis & peruersis istiusmodi hominibus. 2.Thessal.2.versicul.2. Christus autem hoc loco varias hasce ceremonias adhibere voluit, partim vt hac mora probaret fidem adducentium, ficuti Eliseus Naamanum ad Iordanem remittens, eius obedientiam probauit. 2. Reg.5.versicul.10. partim vt ostenderet, se nulli certo ordini in sanando esse alligatum. Magi etiam conantur mirabilia efficere, ope Diaboli: sed alligati sunt ad certas preculas. Christus variis modis, iam hoc, iam illo, homines sanauit: quia vbique quouis tempore, & quouis modo ipsius potentia prompta est & parata.

IV. Expendendum etiam, quid sibi velit illud: *Et præcepit illis, ne cui dicerent.* At qui, arcanum regis abscondere, bonum est: opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum est. Tob.12.versic.7. Certe Pater cœlestis Filio dedit hæc opera, vt ex hisce miraculis verus agnosceretur Messias. Iesa.35.v.5. Et postea Christus ipse dicet Iudæis. Ioh.10.ver.37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si non vultis mihi credere, operibus credite. Et cap.15.vers.12. ipsis Apostolis dicit: propter ipsa opera credite, quia Ego in Patre, & Pater in me est. Cur ergo hic vult Christus miraculum hoc celari? Num non vult etiam alios ad sui agnitionem venire? Absit. Nam Paulus testatur. 1.Tim.2.v.4. quod ipse velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Ideo necesse est subesse aliam caussam: eam ex Circumstantiis oportet inuestigare. Et quidem Marc.1.v.44. leproso interdicit, ne sanationē propalet, sed sacerdotibus se ostēdat, in testimoniū ipsis. De qua prohibitione actū est cap.42. Harmon. Matt.9.v.30. duos cœcos illuminans, prohibet, ne cui dicerent: quia diutius in domo latitare volebat. De quo in 68. cap. Harmon. Iohan.6.vers.15. cum eum in regem rapere vellent fugit, quia non recte vtebantur miraculo. Matth.12.v.15. cum curaret multos, præcepit, ne si manifestum facerent: & additur ratio ex Iesa.42. donec ad victoriam eiiciat iudicium. Sic Matth.17.v.9. præcipit, ne tres Apostoli suam transfigurationem cuiquam dicerent, donec à mortuis resurrexisset. Sic ergo quouis in loco Christus suas habuit rationes prohibitionis, quas qui neglexerunt, certe peccarunt. Hic vero Euangelista vtitur peculiari verbo διεστείλατο. διαστέλλεσθαι non proprie significat prohibere, sed certis mandatis aliquem informare. Sicuti Nehem.8.versic.8. vsurpatur pro distincte & explanate legere. 1.Samuel.3. versicul.1. accipitur pro visione aperta & prophetia manifesta, quæ publice innotesceret. Hebræorum 12.versic.20. lex nuncupatur τὸ διαστελλόμενον, quod ex præscripto certorum Articulorum imperabatur. Leuit. autem 5.versic.4. ponitur, vt respondeat verbo Hebræo בטא quod significat temere effutire, inconsiderate loqui, & inepte blaterare. Hæc significat verbi si conferantur, & circumstantiæ huius historiæ singulæ diligentius expendantur, apparet Christum isthuc respexisse, quod plerique de ipsius miraculis inconsiderate sint locuti, tanquam de nouitatibus, quæ certis personis acciderint, ex quibus tamen ad alios nulla redundet vtilitas. Non aliter quàm si præstans aliquis medicus alicubi exsurrexisset, qui claudos, cœcos, surdos, & mutos curare posset. Hic illi, qui sani fuerunt, cogitarunt, hæc sunt bona noua pro miseris & ægris hominibus. Ego vero, qui corpore valeo, medici huius ope non indigeo. Imo etiam illi, qui corpore ægrotabant, plerique non nisi terrena bona & corporalem sanationem apud ipsum quærebant, de anima parum aut nihil soliciti. Sicut nomen illi leprosi, Luc.17.vers.14. Quia vero hic non erat verus miraculorum eius vsus: Venerat enim ipse in hunc mundum, vt totum hominem (corpore & anima) sanum faceret, Iohan.6.versic.23. Ideo vult se talem Messiam agnosci, qui non tantum mutos, surdos & cœcos sanet, sed qui Seruator totius humani generis esse velit. Et si quando quis ita futiliter & in vanum loquatur aut sentiat de Christi miraculis, ac si illa nihil ad se pertinerent, sed tantum illis personis profuissent, quæ per illum sanatæ sunt: tum sciat talis homo, etiam sub Christum dicere: *Nemini dicas*, id est, tu non tenes verum vsum meorum miraculorum, ideo satius est te tacere, quàm ita temere proloqui. Nam illam futilitatem linguæ Ego ferre nequeo. Quomodo autem de miraculis Christi sit loquendum, mox sub finem huius historiæ sequetur. Nam cum viderent Iesum plures surdos, mutos, cœcos, claudos mutilos, & cōsimiles debiles personas solo verbo aut contactu sanare, *stupebant supra modum*, & dicebant: *Bene omnia fecit.* Hoc Christus non taxat, nec prohibet, quia mandatum est in secundo præcepto, vt nomen Dei prædicetur & glorificetur. Ideo additur: *glorificabant Deum Israelis.* Erant hi homines congregati gentiles, ex Decapolitana regione concurrentes: ideo hic maiorem virtutem Messiæ deprehendentes, quam omnium Deorum gentilium, Israelitarū Deum pro vero & vnico Deo agnouerunt & deprædicarunt. Ergo non tantum surdorū & mutorum personas respexerunt, sed in genere læti sunt, & Deo gratias egerunt, qui talem Seruatorem populo suo dederit. Hoc præconium Christus non improbat nec reiicit: sed tantum si quis nouitatum loco ista propaget, illud non ferre potest.

Interim dictum huius plebeculæ; *bene* Christus *fecit* OMNIA, diligentius est expendendum. Post creationem hoc primum fuit Spiritus sancti oraculum, quod Deus viderit OMNIA, quæ fecerat, & erant valde bona. Genes.1.versic.31. Vere bona fuerunt tunc omnia, siue essentialem, siue materialem, siue formalem, siue finalem caussam respicias. Inprimis vero HOMO fuit bonus. Sed irrepsit in paradisum Satanas ὁ Ἀπολλύων Apocal.9.v.11. qui omnia perdidit. Hic ex peccatis laqueos & ligamenta confecit, quibus hominem constringit externe, interne, æterne. 1. Externe variis morbis & ægritudinibus, quas Christus ipse, Luc.13.v.16. vincula vocat, quibus Satanas homines vinciat, Marc.3.versic.10. appellat μάστιγας flagella, ex loris & funibus contexta. 2. Interne, vbi ligat oculos, ne videant: Iesa.6.vers.9. obstruit aures & aggrauat eas, vt vel non audiant: Psal.58.v.5. & Act.28. ver.27. vel hominibus pruriant, quo eas à veritatis auditu auertant: 2.Timoth.4.v.3. linguas exacuit, vt sint gladius acutus, & dentes sint arma atque sagittæ. Psal.57. vers.5. vt lingua eorum sit sagitta vulnerans, loquens dolum. In ore suo pacem loquens amico, sed in corde ponens insidias, Ierem.9.v.8. facit vt lingua eorum sit ἀκατάσχετον κακόν, malum quod nemo coercere possit, & mundus iniquitatis: Iacob.3. versic.6. & vt sit venenum aspidum sub labiis eorum. Romanorum 3.v.13. Intellectum auertit, vt ipsi sint stultitia, quæ sunt spiritus Dei. 1. Cor. 2.v.14. Voluntatē, vt sit inimicitia aduersus Deum. Romanorum 8.v.7. vt ne bonum, quod videt, faciat. Roman.7. vers.19. Cor auertit, vt eius sensus & cogitatio in malum sint prona ab adolescentia. Genes.8.versic.21. omnia denique membra eo impellit, vt sint arma iniquitatis, & seruiant immunditiæ ad iniquitatem. Rom.6.v.19. 3. Æterne denique, nisi fiat liberatio: vt quemadmodum Lazarus Ioh.11. v.44. ex sepulcro prodiit ligatus manibus pedibusque, sic homo ad iudicium Dei, constrictus vinculis caliginis à Satana, tanquam à lictore, sit deducendus.

Sed filius Dei ad hoc apparuit, vt dissolueret hæc opera Diaboli. 1.Iohan.3.v.8. Ideo idem rursus *bene fecit omnia*: cuius egregium specimen edidit in hac historia. Sed obseruandum tum initium, tum medium, tum denique finis, quibus is *bene facit* OMNIA. 1. Nos bonum illud opus non incipimus, nec sponte nostra apud ipsum quærimus sanationem & liberationem. Sed ipse nos præuenit sua gratia, non tantum nos in seipso ad salutem eligendo, antequam mundi fundamenta iacta essent: Ephes.1.v.4. sed etiam vicinos & amicos ordinando, qui nos, cum per ætatem nec audiremus, nec loqueremur, nec quicquam intelligeremus, ipsi per ministerium verbi adduxerunt, vt ipsi tanquam vni viro, virgo casta desponderemur. 2.Corinth.11.versic.2. Ipse quoque non tantum blandis verbis nos inuitat, Matth.11.v.28. sed etiam venientes benigne suscipit, & quasi in sinu suo fouet. Iohan.6.v.37. *Ipse* enim est φιλάνθρωπος ille Dominus, qui Iohan.12.ver.32. dixit: Ego, si exaltatus fuero, omnes traham ad me ipsum. O beatos homines, quibus ita inter brachia Seruatoris sui Iesu Christi viuere & mori contingit. 2. Vt vero ipse in nobis incipit bonum opus, ita idem etiam ipse perficit. Phil.1.v.6. Nam primum nos euocat ex turba malorum in Ecclesiam suam, non aliter, quàm sicut Abrahamum Genes.12.v.1. ex domo idolatrica, aut Lothum ex Sodomis, Gen.19.v.12. Exite, inquit, de medio eorum, & separamini, & immundum non tetigeritis: & ego recipiam vos. Ies.52.ver.11. & 2.Corinth.6. versic.17. Sed nos vel libenter inter praua sodalitia desidemus: vel rursus ex domo Dei, sicuti Agar ex domo Abrahæ, Genes.16.ver.6. profugimus: Ibi ipse *suspicit & ingemiscit*. Ipse enim sedens ad dextram patris, non minus interpellat pro nobis, Romanorū 8.versic.34. quam cum in cruce clamaret: Pater, ignosce illis, non enim sciunt, quid faciunt, Luc.23.v.34. Addit postea, non *sputum*, sed pretiosum sanguinem 1.Petr.1.vers.19. Quia enim magno pretio emti sumus, 1. Corinth.6.v.20. nollet sanguinem suum frustra pro nobis fusum esse. Ideo per verbum & Sacramenta, sanguine suo tincta, est efficax & aperit aures, vt ipsum quasi magistrum nostrum audiamus, nec contradicamus, aut retrorsum abeamus, Ies.50.vers.4. quemadmodum Lydiæ purpuratiæ aperuit cor, vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo. Soluit etiam *vinculum linguæ*, & non tantum verbi sui ministris dat apertum os in medio populi. Ezech.29. versic.1. vt in apertione oris cum fiducia notum faciant mysterium Euangelij, Ephes.6.v.19. sed etiam auditorium labia aperit, vt os ipsorum, cum hoc populo, laudem Dei annunciet, & lingua ipsorum exsultet in iustitia, Psalm.51.versic.17.

3. Sed

3. Sed nondum est finis omnium eorum, quæ Christus *bene facit*. Super est, vt in fine mundi sepulcris etiam nostris dicat: *Ephphata*, quod est, *aperire*. Vt quemadmodum Lucæ 7. versicul. 14. filium viduæ in Naim euocauit ex loculo, & Iohan. 11. versicul. 43. Lazarum ex sepulcro: sic & nos ex cœmiterio nostro euocet, primæ perfectioni restituat. Sicut ipse promisit & prædixit, Ioan. 5. versicul. 28. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. In illo die absorbebit Deus faciem vinculi colligati & superficiem operimenti, quo operti sunt omnes populi, & velum, quo velatæ sunt omnes gentes. Et absorbebit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra, Iesa. 25. versicul. 7. Hoc vbi hic perruptor noster, Mich. 2. versicul. 13. Christus Iesus præstiterit, sicque in seipso, qui est caput omnium, instaurarit & recapitularit omnia, tum quæ in cœlis, tum quæ in terra sunt, Ephes. 1. v. 10. ibi tum res eo reducetur, vt primum Spiritus sancti elogium rursus valeat: Videt Deus cuncta quæ fecit, & ecce bona sunt valde.

Cum ergo plebis huius præconium, Christus *bene facit omnia*, verum sit: certe blasphemia est dicere, Deum auctorem esse peccati: Deum voluisse peccatum Adæ: Deum maiorem partem hominum creasse & prædestinasse ad interitum: Christum non pro omnibus mortuum esse: nec velle, vt omnes per verbum conuertantur, aut per vsum Sacramentorum ad salutis viam adducantur. Sicuti huiusmodi Propositiones Caluiniani plenis buccis in Ecclesiam Christi euomunt. Cum etiam Christus *omnia bene faciat*, caueamus, ne ipsum in dictis aut factis ipsius iustificemus. Quod faciunt Pontificij, quando dicunt, Christum tantum pro originali peccato satisfecisse: nos autem actualia peccata exstinguere debere: quando item alteram speciem Sacramenti pro Laicis remouent. Faciunt Anabaptistæ, quando sacrum baptismatis fontem rident, nec eo peccata ablui posse blaterant. Faciunt Schwenkfeldiani, quando verbi prædicationem annihilant, nec concedunt, verbum Euangelij esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Faciunt Sacramentarij, quoties dilucidis & perspicuis Christi verbis ῥητοῖς & glossam, ex humanę rationis commento depromtam, assuunt. Cum denique sciamus, quod Christus *omnia bene faciat*, solemur nos ipsos sub cruce, nec dubitemus, quin ipse pro sua bonitate, sapientia & potentia facere possit, vt omnia etiam aduersa nobis cooperentur in bonum, Romanorum 8. versiculo 28. Si ergo bona de manu huius Domini suscepimus, mala quare non sustineamus? Iob. 2. versic. 10. Præsertim cum adeo benignus sit, vt malum nobis euenire non permitteret, nisi bonum inde elicere nosset. Ita videmus, quàm plena sint omnia doctrinæ & institutionis in Euangelio, si paululum diligentius singula excutiamus. V. Postremum huius historiæ membrum est, quod Euangelista Matthæus testatur, illos viros, qui surdum & mutum ad Christum adduxerant, suo præconio magnam turbam in Decapolitana regione concitasse, vt domi relictis omnibus ad Christum, qui interim *in montem ascenderit*, turmatim accurrerint, & vna secum *claudos, cæcos, mutos, mutilos, & alios multos*, siue adduxerint, siue gestando apportarint: quod sine magno labore, molestia & sumtu fieri non potuit. Qui hic *mutili* dicuntur, in Græco vocantur κυλλοί. Vulgata versio habet *debiles*. Sed non est generale nomen debilitatis, verum potius vnius cuiusdam certę infirmitatis: vt quemadmodũ χωλὸς claudus dicitur, qui vno pede claudicat: ita κυλλὸς dicatur, qui vnam manum habet debilem. Apud Homerum Vulcanus dicitur κυλλοποδίων, eo, quod crura pedum ei introrsum curuata fuerint. Sed Matthæus cap. 18. versicul. 8. diserte de manibus exponitur. Lutherus vertit *Krüpel*. Est autem magnæ fidei argumentum, quod eos *abiecerunt ad pedes Iesu*, persuasi, hoc sufficere ad ipsorum restitutionem, si illos in Christi conspectum adducere possint. *Et sanauit eos omnes*, vel contactu, vel solo verbo, vel diuina virtute, quæ ex illo exibat: ita *vt turba mirata sint*, quia perfecte illos sanauit, vt nulla vestigia morbi remanserint. Hoc vero non primum est, quod ita diuersissimarum infirmitatum homines secum habuit, eosque omnes indiscriminatim sanauit. Idem factũ esse legimus, Matth. capitul. 4. versic. 24. & 8. versic. 16. & 11. versicul. 5. & 12. versicul. 15. & 14. versicul. 35. vt ita ad minimum sexta vice hic idem repetatur. Vt hinc satis manifeste appareat, qualem Mediatorem habeamus in Christo Iesu, qui omnibus succurrere & velit & possit. Paulus Hebr. 4. versi. 16. Christum vocat thronum gratiæ, & vult vt cum fiducia ad eum accedamus, quo misericordiam consequamur & gratiam inueniamus, in auxilio oportuno. Hic est enim iste Dominus, de quo Psalm. 34. versicul. 6. pronuntiat, quod qui ad eum confluunt & accedunt, eorum facies non confundantur. Est enim Dominus omnium, & diues in omnes, qui inuocant illum, Romanorum 10. versicul. 12. Si ergo quis recte Christum pingere velit, pingat eum stantem, ad cuius pedes iaceant cœci, claudi, mutili, surdi, muti, à dæmonio obsessi, peccatis onerati, & ita Dei oppressi, quibus omnibus ipse manus auxiliatrices præbeat, eosque ab infirmitatibus suis erigat. Eodem modo, qua caritas pingitur, quod ex ipsius collo, manibus & amplexibus quamplurimi infantes dependeant. Est enim hic Deus ipsa caritas, 1. Iohan. 4. versic. 16. est commune asylum omnium tentatorum & afflictorum. At Romanenses nostri sunt mali pictores, qui hunc gratiæ thronum suis sectatoribus ita pingunt & proponunt, ac si nemo ad eum accedere ausit, nisi habeat multos intercessores. Hic Maria mater, hic Petrus vel Iohannes, vel alius quispiam Diuorum (iuxta ipsorum nugamenta) nobis viam præparare cogitur. Et quidem conantur hoc suum dogma ex præsenti historia probare. Sicuti hi vicini surdum & mutum Christo adduxerunt, & pro eo deprecati sunt: sic dicunt idem fieri in cœlis per sanctos. Sed quisque cogitet, quam elumbis sit hæc probatio, ducta à viuis ad mortuos. Quod viui pro viuis intercesserint, & intercedere debeant, eius habemus & exempla & præcepta: sed quod mortui pro viuis intercedant, eius nec testimonium nec exemplum habemus. Imo Iesaias dicit cap. 64. v. 16. Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. Adeant ergo isti Sanctos, quoscunque voluerint, nos Iesum Christum vnicum Mediatorem inter Deum & homines, 1. Timot. 2. v. 5. accedemus, qui quanto miserationis & dilectionis affectu homines, præ Diuis quibuscunque complectatur, hæc sequens historia liquide ostendet.

CAPVT LXXXII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS MIRACVLVM, QVO IESVS SEPTEM PANIBVS cibauit septem millia hominum, Matth. 15. vers. 32. Marc. 8. vers. 1.

RATIO ORDINIS.

Hoc in loco ratio ordinis adeo manifesta est, vt vel puer videat, hanc historiam cibationis recte ad priorem illam sequi. Accidit enim in eodem loco, tertio die, postquam Christus ad illum montem venerat. Tantum de eo est quæstio, vbi situs fuerit ille mons Galilææ, in quo ægri illi sanati sunt. Ex circumstantiis autem patet, hanc cibationem factam esse in vicinia illius loci, in quo etiam prior facta fuerat. Vtraque enim facta est trans mare, in orientali plaga. Eo enim vsque & vlterius extendebat sese Decapolitana Regio, cuius aliquot ciuitates sitæ erant in Galilæa gentium. Nec impedit illud, quod post editum miraculum Christus dicitur nauigatione peruenisse ad fines Magdala & Dalmanutha. Siquidem Euangelistæ non dicunt ipsum transfretasse per mare, siue in oppositum littus peruenisse: sed intelligendum, quod in eodem littore maris, tantum orientalem illam oram circumlegerit. Sicut autem ordinis ratio per se plana est: ita etiam Harmoniæ coagmentatio nihil habet difficultatis. Quocirca in re expedita non opus est multum verborum perdere, quin potius vtrumque recta subiungamus.

HISTORIA SEPTEM PANVM INTER quatuor millia distributorum.

MATTH. 15.

32. Ὁ δὲ Ἰησοῦς προσκαλεσάμενος τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ εἶπε· σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον, ὅτι ἤδη ἡμέρας τρεῖς προσμένουσί μοι, καὶ οὐκ ἔχουσι τί φάγωσι· καὶ ἀπολῦσαι αὐτοὺς νήστεις οὐ θέλω, μήποτε ἐκλυθῶσιν ἐν τῇ ὁδῷ.

33. Καὶ λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· πόθεν ἡμῖν ἐν ἐρημίᾳ ἄρτοι τοσοῦτοι, ὥστε χορτάσαι ὄχλον τοσοῦτον;

34. Καὶ λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, πόσους ἄρτους ἔχετε; οἱ δὲ εἶπον, ἑπτά, καὶ ὀλίγα ἰχθύδια.

35. Καὶ ἐκέλευσε τοῖς ὄχλοις ἀναπεσεῖν ἐπὶ τὴν γῆν.

36. Καὶ λαβὼν τοὺς ἑπτὰ ἄρτους καὶ τοὺς ἰχθύας, εὐχαριστήσας ἔκλασε, καὶ ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, οἱ δὲ μαθηταὶ τῷ ὄχλῳ.

37. Καὶ ἔφαγον πάντες, καὶ ἐχορτάσθησαν, καὶ ἦραν τὸ περισσεῦον τῶν κλασμάτων ἑπτὰ σπυρίδας πλήρεις.

38. Οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν τετρακισχίλιοι ἄνδρες, χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων.

39. Καὶ ἀπολύσας τοὺς ὄχλους, ἀνέβη εἰς τὸ πλοῖον, καὶ ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλά.

32. *Iesus autem vocatis ad se discipulis suis, dixit: miseret me turba, propterea quod iam triduum perseuerant apud me, & non habent quod edant, & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.*

33. *Et dicunt ei discipuli eius: vnde nobis in solitudine panes tam multi, vt saturemus turbam tantam?*

34. *Et dicit illis Iesus: quot panes habetis? at illi dicunt, septem, & paucos pisciculos.*

35. *Et iussit turbas discumbere in terra.*

36. *Et sumpsit septem panes ac pisces, & postquam gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis, discipuli vero turbæ.*

37. *Comederuntque omnes, & saturati sunt: & sustulerunt quod supererat fragmentorum septem sportulas plenas.*

38. *At ij qui comederant, erant quater mille viri, præter mulieres & pueros.*

39. *Et dimissis turbis, conscendit nauim, venitque in fines Magdala.*

MARC. 8.

1. Ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, παμπόλλου ὄχλου ὄντος, καὶ μὴ ἐχόντων τί φάγωσι, προσκαλεσάμενος ὁ Ἰησοῦς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγει αὐτοῖς·

2. Σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον, ὅτι ἤδη ἡμέρας τρεῖς προσμένουσί μοι, καὶ οὐκ ἔχουσι τί φάγωσι.

3. Καὶ ἐὰν ἀπολύσω αὐτοὺς νήστεις εἰς οἶκον αὐτῶν, ἐκλυθήσονται ἐν τῇ ὁδῷ. Τινὲς γὰρ αὐτῶν μακρόθεν ἥκουσι.

4. Καὶ ἀπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· πόθεν τούτους δυνήσεταί τις ὧδε χορτάσαι ἄρτον ἐπ᾽ ἐρημίας;

5. Καὶ ἐπηρώτα αὐτούς, πόσους ἔχετε ἄρτους; οἱ δὲ εἶπον, ἑπτά.

6. Καὶ παρήγγειλε τῷ ὄχλῳ ἀναπεσεῖν ἐπὶ τῆς γῆς. Καὶ λαβὼν τοὺς ἑπτὰ ἄρτους, εὐχαριστήσας ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα παραθῶσι. Καὶ παρέθηκαν τῷ ὄχλῳ.

7. Καὶ εἶχον ἰχθύδια ὀλίγα, καὶ εὐλογήσας, εἶπε παραθεῖναι καὶ αὐτά.

8. Ἔφαγον δὲ καὶ ἐχορτάσθησαν, καὶ ἦραν περισσεύματα κλασμάτων ἑπτὰ σπυρίδας.

9. Ἦσαν δὲ οἱ φαγόντες ὡς τετρακισχίλιοι, καὶ ἀπέλυσεν αὐτούς.

10. Καὶ εὐθέως ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ἦλθεν εἰς μέρη Δαλμανουθά.

1. *In diebus illis, cum turba admodum multa esset, nec haberent quod manducarent, accersitis ad se Iesus discipulis suis, ait illis:*

2. *Misericordia tangor erga turbam, quia iam triduo manent apud me, nec habent quod edant.*

3. *Et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via, quidam enim ex eis à longinquo venerunt.*

4. *Et responderunt ei discipuli sui: vnde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine?*

5. *Et interrogauit eos: quot panes habetis? Illi vero dixerunt, septem.*

6. *Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et acceptis septem panibus discipulis suis, vt apponerent, fregit, deditque discipulis suis, vt apponerent. Et apposuerunt turbæ.*

7. *Et habebant pisciculos paucos, & cum benedixisset, iussit apponi & hos.*

8. *Comederunt autem, & saturati sunt, & sustulerunt quæ super fuerant fragmentorum septem sportas.*

9. *Erant autem, qui comederant ferme quater mille, & dimisit illos.*

10. *Et mox ingressus in nauem cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, EX duobus Euangelistis Matthæo & Marco in vnum corpus coagmentata.

b Ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, παμπόλλου ὄχλου ὄντος, καὶ μὴ ἐχόντων τί φάγωσι, c προσκαλεσάμενος ὁ Ἰησοῦς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγει b αὐτοῖς· σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον, ὅτι ἤδη ἡμέρας τρεῖς προσμένουσί μοι, καὶ οὐκ ἔχουσι τί φάγωσι. a Καὶ ἀπολῦσαι αὐτοὺς νήστεις οὐ θέλω, μήποτε ἐκλυθῶσιν ἐν τῇ ὁδῷ. Καὶ γὰρ ἐὰν ἀπολύσω αὐτοὺς νήστεις εἰς οἶκον αὐτῶν, ἐκλυθήσονται ἐν τῇ ὁδῷ. Τινὲς γὰρ αὐτῶν μακρόθεν ἥκουσι. Καὶ ἀπεκρίθησαν a καὶ λέγουσιν c αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. b πόθεν τούτους δυνήσεταί τις ὧδε χορτάσαι ἄρτον ἐπ᾽ ἐρημίας; a πόθεν ἡμῖν ἐν ἐρημίᾳ ἄρτοι τοσοῦτοι, ὥστε χορτάσαι ὄχλον τοσοῦτον; b καὶ ἐπη-

b *In diebus illis, cum turba admodum multa esset, nec haberent quod manducarent, accersitis ad se Iesus discipulis suis, ait* b *illis: Misericordia tangor erga turbam, quia iam triduo manent apud me, nec habent quod edant.* a *& dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.* b *Et (enim) si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via, quidam enim ex eis à longinquo venerunt. Et responderunt* a *& dicunt* c *ei discipuli eius: vnde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine?* a *Vnde nobis in solitudine panes tam multi, vt saturemus turbam tantam?* b *Et interrogauit eos:* a *&*

poste-

[illegible] αὐτοὺς, a καὶ λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, e πόσους ἄρτους ἔχετε; οἱ δὲ εἶπον, ἑπτὰ, καὶ ὀλίγα ἰχθύδια. e καὶ ἐκέλευσε τοῖς ὄχλοις ἀναπεσεῖν ἐπὶ τὴν γῆν. Καὶ λαβὼν τοὺς ἑπτὰ ἄρτους καὶ τοὺς ἰχθύας, εὐχαριστήσας ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, b ἵνα παραθῶσι. Καὶ παρέθηκαν e οἱ μαθηταὶ τῷ ὄχλῳ. b Καὶ εἶχον ἰχθύδια ὀλίγα, καὶ εὐλογήσας, εἶπε παραθεῖναι καὶ αὐτά. e Καὶ ἔφαγον a πάντες, e καὶ ἐχορτάσθησαν καὶ ἦραν τὸ περισσεῦον τῶν κλασμάτων ἑπτὰ σπυρίδας πλήρεις. e οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν b ὡς τετρακισχίλιοι ἄνδρες, χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων. b Καὶ ἀπέλυσεν αὐτούς. Καὶ a ἀπολύσας τοὺς ὄχλους b εὐθέως e ἐνέβη εἰς τὸ πλοῖον, μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, a καὶ e ἦλθεν a εἰς τὰ ὅρια μαγδαλά, b εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά.

dicit illis Iesus : e quot panes habetis? at illi dicunt, septem, a & paucos pisciculos. e Et sumsit septem panes a ac pisces, & postquam gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis, b vt apponerent. Et apposuerunt e discipuli turba. b Et habebant pisciculos paucos, & cum benedixisset, iussit apponi & hos, e Comederuntque a omnes, e & saturati sunt : & sustulerunt quod supererat fragmentorum septem sportas a plenas. e At hi qui comederant, erant b ferme e quater mille a viri, præter mulieres & pueros. b Et dimisit illos. a Et mox dimissis turbis, e conscendit nauim, b cum discipulis suis, a & e venit a in fines Magdala, b in partes Dalmanutha.

Periocha huius historiæ.

CONuenit hoc miraculum & doctrina & plerisque circumstantiis cum eo, quod supra cap.75. huius Harmoniæ explicatum est. Paucis ergo nos expediemus, & fere tantum ea, quæ huius historiæ propria sunt & peculiaria, annotabimus.

I. Occasio miraculi si consideretur, eadem quidem est cum superiori. Caussæ enim huius cibationis ab Euangelistis recensentur. 1. populi vndequaque concurrentis frequentia. 2. Eiusdem in audiendis Christi concionibus diligentia & perseuerantia in tertium vsque diem. 3. Populi indigentia. Nihil enim secum sumserant, vt qui sibi non proposuerant tamdiu cum Christo manere a sed ipsius doctrina & miraculis detenti, triduanum ieiunium sustinuisse videntur. 4. Quia periculum erat, ne deficerent: maxime, cum dubio procul multis pecunia etiam defuerit, qua in vicinis oppidis & vicis sibi cibaria necessaria emere potuissent. Hoc tamen hic peculiare videtur, quod in superiori miraculo soli Iudæi collecti fuerunt, ad hoc vero sunt congregati, qui ex Decapoli, adeoque ex finibus Tyri & Sidonis Dominum secuti erant. Idem ergo miraculum exhibet gentibus, quod Iudæis: vt sic commonstret, non Iudæorum saltem, sed etiam gentium se Seruatorem, Rom.3.v.29. eodem item se animo erga gentes, quo erga Iudæos præditum esse. Paulus 1. Cor.2. vers.16. hanc proponit quæstionem: Quis mentem Domini cognouit? & ipse sibi respondet: Nos autem in mentem Christi habemus. Vnde vero eam habemus? Ex hac & consimilibus historiis, in quibus se humanissimum & beneuolentissimum erga quosuis exhibuit. Emphatica enim & consolationis dulcissimæ plena sunt hæc verba, quæ Christus hic profert: *σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον, misericordia tangor erga populum.* Triduum integrum insumserat, & populum omnem partim docendo, partim à variis morbis liberando, plus satis laboris atque molestiæ sustinuerat: ita vt officio suo satis defunctus fuerit, & si non remunerationem vel saltem quietem meruerit. Verum indulgentissimus hic pater, quasi nihil adhuc præstitisset, curas suas vlterius extendit, & de eo cogitat, quomodo egentibus prospici queat, ne in via deficiant. Vnde discamus & agnoscamus, quæ sit mens Christi erga nos: certe non alia iam in cœlis, quam qualis tum erat erga hunc populum. Et qualis est mens Christi, talis est etiam cœlestis Patris. Ipse enim Christus est imago inuisibilis Dei, Coloss.1. versicul.15. & qui Christum videt, videt & Patrem, Iohan.14. v.9. Inprimis autem de eo sollicitus est: *ne deficiamus in via.* Εκλύειν passim in Scripturis, vt etiam Ierem.12. versiculo 5. & 38. versicul.4. respondet verbis Hebraicis, quæ significant defatigari, debilitari, dissolui manus alicuius siue pedes, aut etiam pati deliquium animi. Vita hæc, quasi via est ad æternam patriam. In ea ne deficiamus, neque corporaliter, neque spiritualiter, Christus Dominus noster sollicitus est. Quoad corpus enim tribuit victui nostro necessaria. Prou.30. vers.8. nec finit animam iusti fame affligi, Prou.10. ver.3. Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, Psal.34. vers.11. Attende ipse, & obserua, an vnquam videris iustum derelictum, aut semẽ eius quęrens panem, Psal. 37. versic.25. Quoad animam, multo minus patitur, vt quisquam supra vires tentetur, sed cum tentatione facit prouentum, vt sustinere possimus, 1. Cor.6. versic.20. nimirum non auro aut argento, sed pretioso ipsius sanguine, 1. Pet.1.19. Ideo licet quis labatur, supponit tamen manum suam, ne collidatur, Psalm.37. vers.24. Hic enim est Dominus, qui soluit compeditos, & erigit elisos, Psal.146. ver.8. qui dat lasso virtutem, & his, qui non habent fortitudinem, robur multiplicat, Ies. 46. versic.29. Hoc autem facit Christus ex officio. Ipse enim Matth.3. ver.17. publice proclamatus est Episcopus animarum, in quo solo cœlesti Patri complaceat. Vult ergo non tantum titulum & nomen gerere, sed etiam officium Episcopi facere. Non est occupatus in suis commodis quærendis, sed ex feruenti caritate solicitus est pro salute suarum ouicularum. Et licet à Pontificibus Iudæorum pro schismatico haberetur: tamen hic suas oues docet, si nõ in templo, certe in deserto. Quia successio non subselliis alligata est, sed doctrinæ. In deserto itaque viuifica pabula verbi diuini suis auditoribus primum proponit: postea eosdem sana doctrina instructos corporali cibo reficit, ne in via deficiant.

Doceat illustre hoc Christi exemplum omnes eos, qui aliis sunt prępositi, quales se gerere debeant erga illos, quorum salus ipsorum fidei est concredita. Verbi ministri & animarum Episcopi non tantum sana doctrina suos instruant: sed etiã firmis consolationibus aduersus futuras conscientiæ tentationes præmuniant, ne forte ignitis Diaboli telis succumbant. Hoc qui perpendunt, deprehendent Pontificios Episcopos titulum habere, sine re. Neque enim animas ouicularum Dei verbo pascunt: sed seipsos opimis redditibus subditorum saginant. Interim egenos & famelicos humanis traditionibus, quibus nec reficiuntur nec satiantur, circumducunt, miseros longinquis peregrinationibus & quadraginta dierum ieiuniis onerant, & efficiunt, multi non tantum facultatum inutilem iacturam faciant, sicque deficiant, sed etiam domi vxorum pudicitiã, & foris propriam vitam in discrimen adducant. Magistratus quoque, & qui ad Respubl. gubernacula sedent, sibi quoque subditos commendatos esse patiantur, & caueant, ne sui *deficiant.* Certe Iosephus Gen. 41. ver.33. in medium consuluit, quomodo Ægypto sit prospiciendum, ne subditi tempore famis deficerent. Experientia testatur comessatores, lusores, intemperantiæ & luxui deditos, vel tandem perire & ad egestatem redigi: vulgus item à voracibus fœneratoribus exsugi, monopoliis grauari, & nimiis exactionibus deglubi. His ergo modus statuendus: illi vero fræno coercendi erunt: ne plebis gemitus & suspiria aliquando in apertam seditionem erumpant. Patres quoque familias domesticorum suorum curam habeant, ne fidem negasse, & infidelibus deteriores facti esse videantur, 1. Tim. 5. vers.8. Natura volucribus & bestiis hunc sensum inseuit, vt pullos & catulos suos fideliter aiãt: quid ergo de dissolutis istis hominibus sentiendum, qui comessando, lurcando & ludendo sua in popinis inutiliter prodigunt, dum interim vxores & liberi domi strenue esuriunt, & tandem deficientes fame pereunt? In summa omnes Christi exemplo discant egentium misereri, & pro virili illorum inopiæ succurrere. Nam si quis habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum egere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? 1. Iohann.3. versiculo 17. Iacobus quoque cap.2. ver.14. grauiter inuehitur in eos, qui de fide gloriantur, indigenti autem non subueniunt. Horum fidem vanam & mortuam esse asserit, vtcunque de ea glorientur. Simul tamen nec illud oscitanter prætereundum est. Si quis bonitate Christi frui velit, quod populi huius zelum & pietatem imitari debeat. Vera ergo animi pœnitentia properet ad Christum: auditione verbi & eiusdem approbatione animam suam languentem sanari patiatur: in aduersis etiam apud Christum perseueret, tum citius Christus seipsum negaturus, quam istiusmodi hominem deserturus esset.

II. Christus animi sui propositum communicat cum Apostolis. Vult etiam animos ipsorum pręparare, vt misericordiæ affectui erga pauperes assuescant. Inde Paulus Gal.2. v. 10. sibi ab Apostolis iniunctum fuisse testatur, vt pauperum essent. Et Act.6. versicul.5. Licet Apostoli orationi & doctrinæ intenti esse vellent, alios tamen sibi substituerunt, qui

mensis ministrarent, & pauperum rationem haberent. Quid vero Apstoli hic faciunt? Merito paternam Domini sui bonitatem exosculari, totumque negotium ipsius potentiæ committere & cum leproso illo Matth.8.v.2. respondere debuissent: Domine si vis potes eos cibare. Sed quasi indignabundi regerunt: *Vnde quis istos poterit satiare in solicitudine? Vnde nobis panes tam multi, vt saturemus turbam tantam?* Quid sibi volunt hæ exceptiones? Atqui Christus non dixerat, vt ipsi conuiuium instruerent: sed tantum dixerat, *Ego eos ieiunos demittere nolo.* Verum Apostoli contra allegant 1. porportionis inæqualitatem. Habemus *septem panes*: virorum autem sunt 4000. Vnus panis in 550. particulas dissecandus esset. Vnde vix ad fabæ magnitudinem alicui portiuncula contingeret, ex qua satiari non poterit. 2. Loci incommoditatẽ. Si Hierosolymis essemus aut in Tyro, vbi panes magno numero venales proponuntur, tum fortassis tale quid instituere posses. Hic sumus *in deserto*, vbi nihil nascitur, & vbi plures lapides inuenias, quam panes. 3. Inediæ diuturnitatem. Perseuerauerunt apud te *triduum*, vnde fames in immensum creuit, vt fortassis integer panis vix vni viro sufficeret, si ei daretur. Est hoc apertum indicium magnæ infirmitatis & incredulitatis in corde Apostolorum, qua Christo honorem diuinæ omnipotentiæ derogant: sibique ipsis, dum sua infantia diuinam sapientiam informare satagunt, egregie sapere videntur. Miretur autem quis non immerito, qui factum, quod non sint recordati miraculi quinque panum, quod fere in eodem loco editum erat. Et licet quis ipsos excusare vellet, quod prius miraculum factum sit erga Israelitas, quibus etiam olim Deus Manna cœlitus communicauit, vnde non poterit ipsis in mentem venire, quod Christus erga gentes idem esset facturus: non tamen magna hæc ipsorum tarditas vllam excusationem admittit. Quin potius agnoscamus & deploremus communem hanc humanæ naturæ corruptionem: quod in mundanis quidem, siue quis nobis benefaciat, siue nos offendat, satis acrem habeamus memoriam. At in diuinis, siue benefaciat Deus nobis, siue nos puniat, facilime obliuiscimur. In benefactis exemplo nobis sit Moyses, qui Exo. 17 versicul.6. ad mandatum Domini petram percussit in deserto, & aquæ largiter eruperunt: tamen cùm Num. 20. versi. 10. idem secunda vice facere iuberetur, dicit: Num de petra hac vobis poterimus aquam elicere? Sic licet quotidie videret Manna cœlitus descendere: tamen Num.11.v.22. non potest credere, quod Deus tantam multitudinem carnibus possit cibare. In pœnis, nobis exemplo sint Israelitæ, de quibus Deus pronunciat, Num.14.v.22. Tentauerunt me iam per decem vices. Quamprimum enim Dei pœna sublata erat, protinus quoque eiusdem memoria euanuit. Sic in lib. Iudicum deprehendimus, ipsos decies liberatos, vix paucos annos Deo seruiisse, & mox ad ingenium reuersos esse. Excitet nos hæc consideratio, vt tanto diligentius indesinenter verbo Dei studeamus, quando vix vlla diligentia sufficere potest. Etsi enim multa legimus, multa audimus, multa videmus: tamen quando tentationes incidunt, difficulter ea in memoriam nobis reuocare possumus, quorum exactissimam memoriam habere debebamus.

Agnoscamus simul etiam nostram diffidentiam, quæ in re familiari nos exercere solet: si quando Deus plures donat liberos, aut numerosiorem concedit familiam alendam. Ibi fere etiam huiusmodi audiuntur voces: *Vnde mihi panes tam multi, vt saturem hanc turbam?* Vnde mihi nummi, vnde mihi opes, vt in hoc tam difficili statu me meosque alam? Sed fide tu Deo, qui dat iumentis escam ipsorum: & pullis coruorum inuocantibus eum. Psal.146.v.9. idem te quoque alet. Alloquere cor tuum: cur te inani maceras solicitudine? Deus est tuus creator: is corpus & animam tibi dedit, idem etiam victum addet. Pauit filios Israel in deserto, dedit ipsis manna de cœlo, aquam ex petra, coturnices ex aere: & te non aleret in terra fertili & fœcunda? Sæpe consimilis diffidentia diuexat eos, qui vel Ecclesias, vel Respub. gubernare debent temporibus difficilioribus. Dicunt hi, vnde mihi vires suppetent? Vnde ego præsidia conquiram, vt sustinendis hisce persecutionibus vel bellis sufficiam? Sæpe cum Moyse dicunt Num.14.ver.12. Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt quasi in sinu meo portare debeam? At in huiusmodi perturbationibus semper in Deum respiciendum, & cogitandum, quod ipsius negotium agatur, ipse suæ caussæ nunquam deerit.

III. Miraculum ipsum per singulas Circumstantias propterea diligentius describitur, vt nobis tanto firmius de eius veritate constet. Eodem tamen fere modo describitur, quo nos vulgariter cõuiuia nostra instituere solemus. Vulgo enim si conuiuium instituatur, primo dispicitur de commeatu, inde conuiuæ collocantur ad mensam: præterea cibus precibus benedicitur: postea editur ad saturitatem: denique residua reconduntur. Ità Christus primum inquirit de commeatu, quẽ discipuli habeant. Illi respondent, se habere *septem panes & paucos pisciculos*. De hoc omnino initio constare debet, nisi miraculum ex oculis euanescere velimus. Quid enim septem panes naturaliter sufficient ad satiendos 4000. viros? 2. Iubet *turbas discumbere in terra*. Origenes hinc elicit, in hyeme hoc miraculum factum esse, quia non super gramen, vt Iohan.6.v.10. sed super terram discumbere iussi fuerint. Sed non opus est propterea in hyemem hanc historiam reiicere. Quia in Palæstina fœnisecíũ mox post Paschatis festũ institutum est. Postea ob æstum solis, maxime in locis desertis, parũ graminis rursus eodem anno succreuit. Voluit autẽ Christus discubitu illo populum modestiæ & humilitatis commonefacere, quarum virtutum studiosi esse debẽant, qui Christi conuiuæ esse volunt. 3. Panes & pisces *sumit in manus* partim vt omnes viderent, præter hæc cibaria nihil amplius in promtu esse: partim vt tam illi quàm nos agnosceremus, has esse benedictas illas manus, in quas cœlestis Pater omnia reposuerit, & ex quarum plenitudine nos omnia nostra accipere debeamus. 4. *Gratias egit*, quia omnis creatura bona est, si cum gratiarum actione percipiatur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem, 1.Tim.4.v.4. Caue ergo ne panẽ tuum quotidianũ aut reliquas opes, tuę que industrię, siue laboribus, sed omnia diuinæ benedictioni adscribas. Hoc si feceris, Deo gratias ages, quoties aliquid de tuo depróṕseris. Gratias autem Deo age non minus pro modico, quod nequaquam sufficere posse videtur, quã pro magna copia. Vt enim gratitudo Deum permouet ad dandum plura: ita ingratitudo eundem commouet, vt omnem benedictionem subtrahat. Ideo Catechismus noster non tantum pauperes, sed etiam diuites docet, vt discant, cum gratiarum actione suuum accipere panem quotidianum. Et vnde fit, quod sæpenumero diuitum opes sub manibus ipsis euanescunt, quam quod Deo pro datis nullam gratiam reponunt? 5. *Fregit*, in eum finem, vt panes simul & pisces ad distributionem essent apti: & simul vt in manibus frangentis multiplicarentur. 6. *Dedit discipulis, vt populo apponerent.* Horum ministerio vt voluit, vt proprio testimonio conuincerentur, Dominum illud confecisse, quod ipsi factu impossibile existimarant. Disce autem & tu panem tuum frangere esurientibus. Iesaiæ cap.58.versic.7. Nam si cui Deus largius dedit patrimonium, norit id non propter se factum esse, sed propter alios, qui vnà cum ipso precati sunt, vt etiam his aliquid communicet. Horum igitur abundantia aliorum suppleat inopiam. 2. Corinth.8.v.14. Alioquin auari olim grauem sunt audituri sententiam in nouissimo iudicio. Matth.25.v.42. 7. *Comederunt omnes & saturati sunt.* Saturitas hæc testimoniũ est, Christum non per deceptionem, vt præstigiatores multa facere videntur, quæ reuera non fiunt, homines cibasse. Quod vero tantùm comederunt *panes & pisces*, id Pótificios, hinc ciborũ delectum elicere conantes, nihil subleuat. Christus enim ea, quæ præ manibus erant, distribui curauit: si carnes præsentes fuissent, etiam illas distribuisset. Sicuti etiam cum Apostolis agnum Paschalem assatũ comedit. Luc.22.ver.15. Certe quod Christus nuspiam Pontificium ieiunium instituerit, vel argumento esse potest, Matth.9.versicul.15. discipulis Iohannis dixit: quod filij sponsi lugere aut ieiunare non possint, quamdiu cum illis est sponsus. Paulus autem scribit Col.2. versic. 16. Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu. 8. *Sustulerunt septem sportas plenas fragmentorum*, sicque plus sustulerunt, quam initio habuerant. Quia vero ipse rerum Dominus qui verbulo vnico nouum ex nihilo creare potest, reliquias non abiicit, quanto minus nos id facere debemus? Discamus ergo donis Dei tum pro nobis, tum pro proximo frugaliter, cum moderamine & absque prodigalitate vti: atque si quid superest, τὸ περισσεῦον siue residuũ tollere, ob futuram necessitatem. Neque enim vult Deus, vt instar brutorum ea, quibus abundamus, pedibus conculcemus. Fere autem homines vel in excessu vel in defectu peccant: vt vel auari nemini quicquam communicent, imo ne ipsi quidem à Deo datis vtantur fruantur: vel prodigi omnia dissipare & per gulam traiicere velint. Sed ira Dei venit super vtrosque: imo etiam propter ipsos super alios. Quibus enim rerũ omnium caritatem, quam sentimus, acceptam feramus, prætérquam his duobus hominum ordinibus, auaris & prodigis, qui Deo pariter & hominibus sunt exosi? Et in his circumstantiis omnibus hoc miraculum cum priore magna ex parte conuenit.

Hoc autem etiam est peculiare, quod in priori miraculo maior erat hominum multitudo, & pauciores panes; hic vero plures sunt panes & pisces (dicunt enim Euangelistæ, Apostolos habuisse *paucos pisciculos*) sporta reliquarum colliguntur. Docemur ergo, virtutem Dei non esse siue numero, siue caussis secundis alligatam, nec metiendam esse mediis & adminiculis præsentibus: sed omnia cum pro arbitrio agere, & tam in

tam in paucis, quam in multis seruare posse. Sicuti etiam Ionathan dixit armigero suo, 1. Sam. 14. versic. 6. Non est difficile Domino saluare vel in multis vel in paucis. Et pius rex Asa. 2. Par. 14. versic. 11. Domine, non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, an in pluribus. Hæc quoque inæqualitas reliquiarum monet: Benedictionem externam non semper esse æqualem, etiam vbi misericordia Christi ardentior est. Hic enim dicit σπλαγχνίζομαι, *intimo cordis affectu tangor* erga populum. Os. 11. versic. 8. conuersum est in me cor meum. Quod verbum in præcedenti historia non legitur. Quanquam non desint, qui existiment huius conuiuij reliquias prioris vel exæquasse, vel etiam superasse. Putant enim σπυρίδα *sportam* fuisse mensuram duplo maiorem, quam sit κόφινος *cophinus*. Quia Actor. 9. versicul. 25. Paulus legatur per murum submissum ἐν σπυρίδι in sporta. Sporta igitur erit vas maius, in quo adultus sedere queat. Et quidem non tantum Euangelistæ, sed & Christus ipse in sequenti historia accurate distinguet inter cophinos & sportas. Matth. 16. v. 9. & 10. Sed fateor, me non potuisse deprehendere exactam differentiã. Hoc igitur & doctioribus & diligentioribus excutiendum relinquam. Genes. quidem 40. v. 16. vt & Exod. 29. v. 23. & Iud. 6. v. 19. inuenitur vocabulum סל, sed Græci reddiderunt κανοῦν canistrum. Ita vt nihil certe inde colligere liceat. Si quis vero quærat: vnde Apostolis in deserto loco cophini & sportæ? Ei respondebimus: in tã numerosa turba facile eos inueniri potuisse. Neque enim rustici facile iter faciunt, nisi sportulas suas secum portent. Sin nullas habuerunt, Apostolos tamen tot reliquias sustulisse, quæ mensuris illis duodecies vel septies replendis suffecissent.

Principalis etiam huius vt & superioris miraculi scopus est considerandus, qui est, vt admoneamur, nihil defore iis, qui sancto regni Dei studio inflammati, Christum sectantur, ipsumque fideliter colunt. Nam hoc beneficentiæ & benignitatis diuinæ studium ad omnes pios Christi cultores pertinere, generales verbi diuini promissiones docent. A Moyse Leuit. 26. & Deut. 28. felicitas & omnium rerum copia promittitur iis, qui Dei præceptis obtemperant. Quæ Dei præcepta omnia, 1. Ioh. 3. versic. 23. in hanc summam contrahuntur, vt credamus in Christum, & nos mutuo diligamus. Dauid quoque & Prophetæ passim Dei prouidentiam commendant, qua is suos cultores prosequatur. Psalm. 34. v. 10. Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum. Et 37. v. 25. Iunior fui & senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Christus in Euangelio idem hoc argumentum tractat, vt Paulus pronuntiet, 1. Timoth. 6. v. 6. est quæstus magnus pietas cum animo sorte sua contento. Nec exempla desunt. Vt enim Patriarchæ inter peregrinos Israelitæ in deserto, Elias apud Sareptanam viduam, Apostoli inter medios hostes, vitæ necessaria inuenerunt: ita sæpe experientia teste edocemur, vel ex remotissimis locis, præter omnem spem & exspectationem, ex Dei benignitate, vitæ subsidia nobis prius obuenire, quam necessitati succũbamus. Si quis obiiciat: Atqui fere etiã Christi cultores cũ egestate & fame confligantur. Ei respondebo. Talem crucem primum esse δοκιμαστικὸν, qua Deus fidem, patientiam & caritatem nostram cum aliis virtutibus probet. Deinde esse τιμωρίαν, qua nostra peccata paterne visitet. Nam quando Deus nobis rerum abundantiam concedit, tum alij luxu peccant, alij Deo parum grati sunt, alij immites erga pauperes, alij auaritia excæcati abundantiam ægre ferunt, maius lucrum ex annonæ caritate, quam ex Christiana caritate sperantes. Quid ergo mirum Deum nobis pabulum rursus subducere? Et si in nos ipsos descenderimus, qualesque simus considerauerimus, mox ipsi fatebimur, nobis non fieri iniuriam.

IV. Postea quum Christus ægros sanauerat, rudes docuerat, & fame periclitantes pauerat, mox *turbas dimittit*, & ipse quoque discedit. Facit hoc, ne gratiam aliquam à populo exspectare videretur: neve ille ad priores cogitationes relaberetur, quibus ipsum in regem eligere voluerant Iohann. 6. ver 15. Est autem etiam hæc ipsa amica dimissio singularis φιλοστοργίας argumentum. Multi enim sic sunt affecti, vt initio in contrahendis amicitiis sint facilimi: sed mox amicorum pertæsi, eosdem nõ sine abalienati animi significatione repellunt. Talis non est Seruator noster: qui cum dilexisset suos, qui in mundo erant, in finem dilexit eos, Iohan. 13. versiculo 1. Discedens autem ex hoc loco diuertit non in celebrem aliquam ciuitatem, sed in loca obscuriora: *in fines Magdala*: quæ siue ciuitas siue regiuncula sita fuit ad Orientalem ripam maris Galilææ: vnde oriunda fuit Maria illa, vulgo Magdalena nũcupata, cuius adeo frequens est apud Euangelistas mentio. Eo autem concessit non otiandi caussa, verum vt nouas quæreret occasiones hominibus benefaciendi. Quia enim vniuersalis totius humani generis Seruator constitutus erat, noluit diutius in vno loco hærere, sed perpetuis quasi peregrinationibus vacans, subinde alios atque alios conuertendi occasiones quæsiuit, sicut & hic factum esse audiemus. Marcus dicit Christum venisse *in partes Dalmanutha*. Et Augustinus existimat eundem locum diuersas appellationes habuisse. Sed vicina fuerunt loca, non procul à Gerasa, vt D. Hieronymus testatur. Et quia *in fines venit*, vterque locus nominatur.

CAPVT LXXXIIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM QVA PHARISÆI SIGNVM PETVNT, sed à Christo reiiciuntur, & eorum fermentum cauendum docetur. Matth. 16. ver. 1. Marc. 8. ver. 11.

RATIO ORDINIS.

De ἀκολουθίᾳ & consequentia huius historiæ ad præcedentem nequaquam dubitare licet, cum ambo Euangelistæ, Matthæus & Marcus inter se exacte consentiant. Sicut autem semper hactenus post insigne aliquod miraculum Christus ipse verum sensum & vsum tradidit: ita quæ hic sequuntur historiæ, eo pertinent, vt ex Antithesi ostendat, quam facile & varie in vero vsu aberretur. Turbas enim (vt modo dictum est) statim dimittit: ne sequatur ille abusus, de quo Ioan. 6. versic. 15. Mox vero cum fama repetiti miraculi totam Galilæam peruagaretur, Pharisæi & Sadducæi, licet intra conscientiam conuicti essent, esse hoc, tale miraculum, quod non nisi ex diuina potentia prouenire possit: tamen, vt haberent, quod exciperent apud populum, petunt signum ex cœlo. Iesus vero tristem querelam & grauem refutationem opponit, & relictis illis tanta festinatione ad vlteriorem ripam, ad loca deserta in ripa discedit, vt discipuli obliuiscerentur panes secum sumere. Inde vero Christus sumit occasionem examinandi discipulos, quid ipsi de vero vsu miraculi teneant. Facit autem hoc ita, vt admonitionem de fugiendis corruptelis in doctrina Scribarum similitudine fermenti ipsis proponat. Et ita triplex oritur differentia eorum, qui in vero vsu huius miraculi aberrant. Turbæ errant ex ignorantia: Pharisæi & Sadducæi contra conscientiam id, quod intelligunt, deprauant, & ex mera petulantia oculos in clarissima luce claudunt. Apostoli vero, cum sensum teneant, tamen ex infirmitate, quando necessitas doctrinæ vsum flagitat, hallucinantur & trepidant. Christus vero & hoc reprehendit. Quia non satis est doctrinam & eius sensum tenere, sed præcipuum est, vt ad vsum transferatur. Sic ergo ipsi videmus hasce historias optimo & conuenientissimo ordine ita se inuicem sequi, vt simul se mutuo illustrent, & vna alterius vsum commonstret.

DISPVTATIO PHARISÆORVM CVM IESV de signo è cœlo: & admonitio de fugiendo fermento Pharisæorum.

MATTH. 16.

1. Καὶ προσελθόντες οἱ Φαρισαῖοι καὶ Σαδδουκαῖοι, πειράζοντες, ἐπηρώτησαν αὐτὸν, σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐπιδεῖξαι αὐτοῖς.
2. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς, ὀψίας γενομένης, λέγετε· εὐδία, πυῤῥάζει γὰρ ὁ οὐρανός.
3. Καὶ πρωῒ, σήμερον χειμὼν, πυῤῥάζει γὰρ στυγνάζων ὁ οὐρανός. ὑποκριταὶ, τὸ μὲν πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ γινώσκετε διακρίνειν, τὰ δὲ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε;
4. Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου. Καὶ καταλιπὼν αὐτοὺς ἀπῆλθε.
5. Καὶ ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸ πέραν, ἐπελάθοντο ἄρτους λαβεῖν.
6. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, ὁρᾶτε καὶ προσέχετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων.
7. Οἱ δὲ διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς, λέγοντες, ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβομεν.
8. Γνοὺς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, τί διαλογίζεσθε ἐν ἑαυτοῖς ὀλιγόπιστοι, ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβετε.
9. Οὔπω νοεῖτε, οὐδὲ μνημονεύετε τοὺς πέντε ἄρτους τῶν πεντακισχιλίων, καὶ πόσους κοφίνους ἐλάβετε;
10. Οὐδὲ τοὺς ἑπτὰ ἄρτους τῶν τετρακισχιλίων, καὶ πόσας σπυρίδας ἐλάβετε;
11. Πῶς οὐ νοεῖτε, ὅτι οὐ περὶ ἄρτου εἶπον ὑμῖν προσέχειν ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων;
12. Τότε συνῆκαν ὅτι οὐκ εἶπε προσέχειν ἀπὸ τῆς ζύμης τοῦ ἄρτου ἀλλ' ἀπὸ τῆς διδαχῆς τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων.

1. *Et egressi Pharisæi vna cum Sadducæis tentantes, rogabant eum, vt signum è cœlo ostenderet sibi.*
2. *At ille respondens, dixit eis: Cum aduesperascit, dicitis, serenitas erit, nam rubet cælum.*
3. *Et mane, hodie tempestas, rubet enim cælum triste. Hypocritæ, faciem cœli scitis iudicare, signa vero temporum non potestis?*
4. *Natio praua & adultera signum requirit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ: & relictis illis abiit.*
5. *Et cum venissent discipuli eius in vlteriorem ripam, per obliuionem non sumserant panes.*
6. *Iesus autem dixit illis: Videte & cauete à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum.*
7. *At illi reputabant intra se, dicentes: panes non sumsimus.*
8. *Quod vbi cognouit Iesus, dixit illis: quid cogitatis intra vos ipsos, ô parum fidentes, quod panes non sumseritis?*
9. *Nondum intelligitis, neque memoria tenetis, quinque illos panes, cum homines essent quinquies mille, & quot cophinos sustuleritis?*
10. *Neque septem illos panes, cum homines essent quater mille, & quot sportas acceperitis?*
11. *Quî fit vt non intelligatis me non de pane dixisse vobis illud, vt caueretis à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum?*
12. *Tunc intellexerunt, quod non iussisset cauere à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum.*

MARC. 8.

11. Καὶ ἐξῆλθον οἱ Φαρισαῖοι, καὶ ἤρξαντο συζητεῖν αὐτῷ. Ζητοῦντες παρ' αὐτοῦ σημεῖον ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, πειράζοντες αὐτόν.
12. Καὶ ἀναστενάξας τῷ πνεύματι αὐτοῦ, λέγει· τί ἡ γενεὰ αὕτη σημεῖον ἐπιζητεῖ; ἀμὴν λέγω ὑμῖν, εἰ δοθήσεται τῇ γενεᾷ ταύτῃ σημεῖον.
13. Καὶ ἀφεὶς αὐτοὺς, ἐμβὰς πάλιν εἰς τὸ πλοῖον, ἀπῆλθεν εἰς τὸ πέραν.
14. Καὶ ἐπελάθοντο λαβεῖν ἄρτους, καὶ εἰ μὴ ἕνα ἄρτον οὐκ εἶχον μεθ' ἑαυτῶν ἐν τῷ πλοίῳ.
15. Καὶ διεστέλλετο αὐτοῖς λέγων· ὁρᾶτε, βλέπετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων, καὶ τῆς ζύμης Ἡρῴδου.
16. Καὶ διελογίζοντο πρὸς ἀλλήλους, λέγοντες, ὅτι ἄρτους οὐκ ἔχομεν.
17. Καὶ γνοὺς ὁ Ἰησοῦς, λέγει αὐτοῖς· τί διαλογίζεσθε, ὅτι ἄρτους οὐκ ἔχετε; οὔπω νοεῖτε, οὐδὲ συνίετε, ἔτι πεπωρωμένην ἔχετε τὴν καρδίαν ὑμῶν;
18. Ὀφθαλμοὺς ἔχοντες οὐ βλέπετε; καὶ ὦτα ἔχοντες οὐκ ἀκούετε, καὶ οὐ μνημονεύετε,
19. Ὅτε τοὺς πέντε ἄρτους ἔκλασα εἰς τοὺς πεντακισχιλίους, πόσους κοφίνους πλήρεις κλασμάτων ἤρατε; λέγουσιν αὐτῷ, δώδεκα.
20. Ὅτε δὲ τοὺς ἑπτὰ εἰς τοὺς τετρακισχιλίους, πόσων σπυρίδων πληρώματα κλασμάτων ἤρατε; οἱ δὲ εἶπον, ἑπτά.
21. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, πῶς οὐ νοεῖτε;

11. *Et egressi sunt Pharisæi, cœperuntque disputare cum illo, quærentes ab eo signum è cœlo, tentantes eum.*
12. *Et cum ingemuisset Spiritu suo, dicit: cur generatio hæc signum quærit? amen dico vobis, si dabitur generationi huic signum.*
13. *Et relictis illis, ingressus rursus nauim, abiit traiecto lacu.*
14. *Et obliti fuerant sumere panes, nec præter vnum panem habebant secum in naui.*
15. *Et præcepit illis, dicens: Videte, cauete à fermento Pharisæorum & à fermento Herodis.*
16. *Et disputabant inter sese dicentes, panes non habemus.*
17. *Et eo cognito, Iesus dicit illis: quid disputatis, quod panes non habetis? nondum animaduertitis, nec intelligitis? adhuc occæcatum habetis cor vestrum?*
18. *Oculos habentes non cernitis, & aures habentes non auditis, & non meministis,*
19. *Cum quinque panes fregissem in hominum quinque millia, quot cophinos fragmentis plenos sustulistis? Dicunt ei: duodecim.*
20. *Cum autem septem in quatuor millia, quot sportas ex reliquis fragmentorum tulistis? Illi vero dixerunt, septem.*
21. *Et dixit illis, Quî fit vt non intelligatis?*

b Καὶ ἐξῆλθον οἱ φαρισαῖοι, καὶ ἤρξαντο συζητεῖν αὐτῷ, ζητοῦντες παρ' αὐτοῦ σημεῖον ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ. a Καὶ προσελθόντες οἱ φαρισαῖοι καὶ σαδδουκαῖοι, c πειράζοντες, a ἐπηρώτησαν c αὐτὸν, a σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐπιδεῖξαι αὐτοῖς. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς, ὀψίας γενομένης, λέγετε, εὐδία, πυῤῥάζει γὰρ ὁ οὐρανός. Καὶ πρωῒ, σήμερον χειμὼν, πυῤῥάζει γὰρ στυγνάζων ὁ οὐρανὸς. ὑποκριταὶ, τὸ μὲν πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ γινώσκετε διακρίνειν, τὰ δὲ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε; b Καὶ ἀναστενάξας τῷ πνεύματι αὐτοῦ; λέγει· τί ἡ γενεὰ αὕτη σημεῖον ἐπιζητεῖ; a Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ. b ἀμὴν λέγω ὑμῖν, εἰ δοθήσεται τῇ γενεᾷ ταύτῃ σημεῖον, a εἰ μὴ τὸ σημεῖον ἰωνᾶ, τοῦ προφήτου. c Καὶ καταλιπὼν αὐτοὺς, b ἐμβὰς πάλιν εἰς τὸ πλοῖον, c ἀπῆλθεν, b εἰς τὸ πέραν. a Καὶ ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸ πέραν, c ἐπελάθοντο ἄρτους λαβεῖν. b καὶ εἰ μὴ ἕνα ἄρτον οὐκ εἶχον μεθ' ἑαυτῶν ἐν τῷ πλοίῳ. a Ὁ δὲ Ἰησοῦς b διεστέλλετο c αὐτοῖς λέγων; ὁρᾶτε, b βλέπετε a καὶ προσέχετε c ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν φαρισαίων, a καὶ σαδδουκαίων, b καὶ τῆς ζύμης ἡρώδου. c Οἱ δὲ διελογίζοντο a ἐν ἑαυτοῖς, b πρὸς ἀλλήλους, c λέγοντες, ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβομεν. Γνοὺς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, τί διαλογίζεσθε a ἐν ἑαυτοῖς ὀλιγόπιστοι, c ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβετε; οὔπω νοεῖτε, b οὐδὲ συνίετε, ἔτι πεπωρωμένην ἔχετε τὴν καρδίαν ὑμῶν. Ὀφθαλμοὺς ἔχοντες οὐ βλέπετε; καὶ ὦτα ἔχοντες, οὐκ ἀκούετε; c καὶ οὐ μνημονεύετε a τοὺς πέντε ἄρτους τῶν πεντακισχιλίων, καὶ πόσους κοφίνους ἐλάβετε; οὐδὲ τοὺς ἑπτὰ ἄρτους τῶν τετρακισχιλίων, καὶ πόσας σπυρίδας ἐλάβετε; b Ὅτε τοὺς πέντε ἄρτους ἔκλασα εἰς τοὺς πεντακισχιλίους, πόσους κοφίνους πλήρεις κλασμάτων ἤρατε; λέγουσιν αὐτῷ, δώδεκα. Ὅτε δὲ τοὺς ἑπτὰ εἰς τοὺς τετρακισχιλίους πόσων σπυρίδων πληρώματα κλασμάτων ἤρατε; οἱ δὲ εἶπον, ἑπτά. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, c πῶς οὐ νοεῖτε; a ὅτι οὐ περὶ ἄρτου εἶπον ὑμῖν, προσέχειν ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν φαρισαίων καὶ σαδδουκαίων. Τότε συνῆκαν, ὅτι οὐκ εἶπε προσέχειν ἀπὸ τῆς ζύμης τοῦ ἄρτου, ἀλλ' ἀπὸ τῆς διδαχῆς τῶν φαρισαίων καὶ σαδδουκαίων.

b *Et egressi sunt Pharisæi, cœperuntque disputare cum illo, quærentes ab eo signum è cœlo.* a *& aggressi Pharisæi vna cum Sadducæis* c *tentantes*, a *rogabant* c *eum*, a *vt signum è cœlo ostenderet ipsis. At ille respondens, dixit eis: Cum cœperit esse vespera, dicitis, serenitas erit, nam rubet cœlum. Et mane, hodie tempestas, rubet enim cœlum triste. Hypocritæ, faciem cœli scitis diiudicare, signa vero temporum non potestis?* b *Et cum ingemuisset Spiritu suo, dicit: cur generatio hæc signum quærit? Natio praua & adultera signum requirit, & signum non dabitur ei.* b *amen dico vobis, si dabitur generationi huic signum,* a *nisi signum Ionæ Prophetæ.* c *Et relictis illis,* b *ingressus rursus nauim,* c *abiit traiecto lacu.* a *Et cum venissent discipuli eius in vlteriorem ripam,* b *obliti fuerant sumere panes, nec præter vnum panem habebant secum in naui.* c *Iesus autem* b *præcepit* c *illis, dicens: Videte,* b *obseruate* a *& cauete à fermento Pharisæorum,* a *& Sadducæorum,* b *& à fermento Herodis.* c *At illi reputabant* a *intra sese,* b *alius ad alium dicentes: panes non sumsimus. Quod vbi cognouit Iesus, dixit illis: quid cogitatis* a *intra vos ipsos, ô parum fidentes,* c *quod panes non sumseritis? Nondum animaduertitis, nec intelligitis? adhuc occæcatum habetis cor vestrum? Oculos habentes non cernitis, & aures habentes non auditis,* c *& non meministis,* a *quinque illos panes, cum homines essent quinquies mille, & quot cophinos sustuleritis? Neque septem illos panes, cum homines essent quater mille, & quot sportas acceperitis?* b *Cum quinque panes fregissem in hominum quinque millia, quot cophinos fragmentis plenos sustulistis? Dicunt ei: duodecim. Cum autem septem in quatuor millia, quot sportas ex reliquis fragmentorum tulistis? Illi vero dixerunt: septem. Et dixit illis,* c *qui fit vt non intelligatis?* a *me non de pane dixisse vobis illud, vt caueretis à fermento Pharisæorum ac Sadducæorũ. Tunc intellexerunt, quod nõ iussisset cauere à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorũ & Sadducæorũ.*

Periocha huius historiæ.

FAma repititi miraculi illius insignis, quo Christus, postquam inualidos multos curauerat, paucis panibus aliquot chiliades hominum pauerat, statim cum reliquas vicinas regiones, cũ totam Galilæam peruasit: ita vt *Pharisæi* timerent, ne Iesus ab omnibus pro Messia agnosceretur & reciperetur. *Egressi* igitur ex celebrioribus *ciuitatibus*, vbi Synagogæ erant, accesserunt ad IESVM, & *cœperunt cum eo disputare*, vt inquit Marcus. Hos enim solos ille nominat, eo quod totius huius negotij ipsi auctores & quasi Duces fuerint. Quia autem reipsa senserunt se longe infirmiores esse, quam vt huic, qui ipsissima est veritas, resistere possent, ideo in auxilium accersunt *Sadducæos*, qui vna cum ipsis Christum aggrediuntur: Cogita hic Christiane lector, quam dispares inter se fuerint religionis hi Christi aduersarij. Pharisæi salutem & felicem in externa legis obseruatione & morum honestate collocabant. Sadducæi hæc nihili faciebant: siquidem Spiritus tam bonos, quam malos, animarum item immortalitatem, corporum resurrectionem, quæ omnis religionis principia sunt, negarunt. Et tamen aduersus Christum hæ duæ aduersus inuicem pugnantes sectæ in vnum conspirarunt. Sicuti adhuc hodie sæpenumero vsu venire solet, vt illi, qui alias inter se acerrime pugnant, si tamen contra Christum & ipsius Euangelium agendum sit, inter se coeant. Exempli loco sint Iesuitæ & Caluiniani, qui licet alias hostiliter inter se dissentiant, aduersus tamen Euangelicos se coniungunt. Et Christi autem sermone ad discipulos colligere licet, etiam Herodianos sese hisce adiunxisse. Habuerunt enim Herodiani aulicam quandam Theologiam, quam tempori accommodabant, sicque & Pharisæis & Sadducæis sese probabant. Herodes enim cum Pharisæis externam Iudaismi professionem retinebat: intus vero & in cute cum Sadducæis omnem religionem ridebat, & tantum mundanam potentiam, opes & dignitates quærebat. Quales hodie etiam multi inueniuntur, qui singularem quandam & politicam dexteritatem vel industriam esse arbitrantur; si latam illam & late vagantem religionem colant, qua externa & blanda conuersatione sese omnibus probare student, interim synceriorem animi pietatem rident, atque fidem in Christum omnem spernunt, præstabilius esse existimantes, vt ita vitæ suæ rationes instituant, quo huius mundi bonis frui ipsis liceat, quàm vt de futuræ vitæ felicitate, de qua dubitant, cum quoquam litigent. Pharisæi itaque, Herodiani, & Sadducæi facile inter se consentiunt & conueniunt, si Christum oppugnare debeant. Christus vero solus illis omnibus resistit. Nam & ipse solus relictus sibi soli sufficit. Vrgent subinde Caluiniani, & in eo sæpenumero ipsis adstipulantur quidam politici, vt nos Lutherani ipsis contra Pontificios nos coniungamus. Sic enim nos cum illis coniunctos hisce terribiliores futuros. Et quidem quod politicam coniunctionem attinet, eam suo loco relinquimus. Si tamen, quod res est, dicere velimus: Satius est, nos solo ab omnibus derelictos, Christo & ipsius veritati adhærere, quàm alterutri parti contra alteram adstipulantes nostræ Confessioni eam notam inurere, quasi Christus circa Belialis patrocinium consistere nequeat. Per nos autem Iesuitæ & Caluiniani, cum Anabaptistis & Schuenckfeldianis, in vnum coeant contra nos, quandocunque & quomodocunque voluerint. Indicium enim hoc est, eos Pharisæorum, Sadducæorum, & Herodianorum vestigiis insistere, nos vero cum Christo ipsorum telis & machinationibus obiectos esse.

Cæterum operæpretium est inquirere, quodnam fuerit thema συζητήσεως & disputationis inter Pharisæos & Christum. Testantur autem ambo Euangelistæ, ipsos *petiisse signum de cœlo*, hoc est quæstionem fuisse *de signis*, de tempore atque persona Messiæ. Et hanc quæstionem ipsos non mouisse discendi, sed *tentandi* studio: nimirum vt in tanta luce miraculorum Christi, quæ etiam ipsorum oculos perstringebat, haberent, quod specie aliqua prætendere possent: vt & ipsi ter-

giuersarentur, & apud reliquos auctoritatem illorum miraculorum, à Christo editorum, eleuarent. *Tentantes* ergo *petebant signum.* Nec dubium est, quin speciose verbis malitiam suam & animi virulentiam texerint. Dixerunt: Magister bone, prædixerunt sanè Prophetæ, Deum Messiæ daturum signa, quibus se mundo manifestet, nec negamus nos, te hactenus aliqua signa in sanandis ægris & cibandis famelicis edidisse. Sed eadem quibusdam adhuc humiliora esse videntur, quam vt iis permoueantur, quo assensum tibi præbeant, & propter illa te Messiam esse, credant. Possunt enim aliqui, vt ipse nouisti, dicere, te illa edere virtute Beelzebub. Non ergo ægre feras, si abs te petamus, vt edas sublimius *signum è cælo.* Si enim Deus patienter tulit, nec iratus est, quod Gedeon Iud. 6. ver. 38. duabus vicibus ab ipso signum petiit, quo confirmaretur, quod certo Midianitas superaturus esset. Si item Deus 2. Reg. 20. v. 11. in gratiam Ezechiæ vmbra reduxit decem gradibus in horologio Achaz, quo is certus esset de sanitate recuperanda. Cur indigne ferres, si etiam nos petamus signum de cœlo, quo Dei voluntatem de tua persona & officio nobis comprobes? Etenim Moysis doctrinam cœlitus accepimus, nosque custodes eius constituti sumus: ratione itaque officij nos obstricti sumus, vt vigilemus, ne & populus fidei nostræ commissus, & nos cum ipso temere seducamur. Quod autem Pharisæi *signum è cœlo petentes, Christum tentasse* dicuntur, ex eo patet, quod omnes, qui non sunt verbo Dei contenti, sed insuper cœlestia signa postulant: quod item illi, qui à verbo Dei deficiunt, quando vel nō datur, vel non ita datur, quod libido ipsorum postulat, Deum tentent. Sicuti etiam Israelitæ, Psal. 78. v. 56. Deum tentasse, & à serpentibus, Num. 21. versicul. 6. periisse dicuntur. Hoc obseruare debebant illi, qui etiam hodie ab Euangelicis signa postulant, quibus veritatem doctrinæ Euangelicæ comprobent. Obiiciunt nobis, nos ne ægrum quidem canem sanum facere posse: ac proinde doctrinæ nostræ merito fidem derogari. Respondeo: si nouam doctrinam afferremus, iure quodam signa à nobis postularent. Verum quia nihil aliud docemus, quam quod cum Scriptura diuinitus inspirata, adeoque cum primis Christianæ religionis principiis, vtpote cum Decalogo, Symbolo Apostolico, Oratione Dominica, Sacramentis Baptismi & cœnæ Dominicæ, denique cum doctrina clauium regni cœlorum, quæ Christi & Apostolorum miraculis, Martyrum vero sanguine abunde confirmata sunt, exactissime conueniunt, certi sumus, quod, quicunque his non contenti insuper signa petunt, Deum tentent, & à Christo non minus repulsam laturi sint, quam hoc loco Pharisæi & Sadducæi.

Videamus etiam, quid & qualiter Christus Pharisæis in hac disputatione respondeat. Tria autem diligentius considerand obueniunt. Nam Christus videns innatam illam malitiam, quod homo, cum diuina lux oculos ipsius illustrat, ipse petulanter eos claudat, & sollicite prætextum quærat, vt in media luce cœcutire possit, *ingemiscit Spiritu,* & facit antithesin. In externis tanta est solertia, & diligentia humani ingenij, vt etiam in mutatione aeris, qua nihil est instabilius, deprehendat signa serenitatis & tempestatis: in spiritualibus, cum Deus dato peculiari verbo voluntatem suam patefacit, multi non curant, quidam contumaciter repugnant, ne ad agnitionem perueniant: ac proinde primum ostendit, eos præter necessitatem & iustam causam signum cœleste petere. Secundo, duriter eos increpat, atque cum indignatione reiicit, vocans generationem adulteram & hypocritas, vt qui non ex ignorantia, sed destinata malitia errarent, & tamen prætenderent, se signa quærere, ne temere amplecterentur: quare se tale signum, quale ipsi petant, daturum negat. Tertio mox relictis ipsis discedit in vlteriorem ripam. Singula diligētius excutiamus. Causam iustam petendi signum cœleste ipsos habere propterea negat: quia adeo industrij essent, vt acumine sui ingenij ex naturalibus signis aeris, iisque incertis & instabilibus nossent colligere dierum siue serenitatem siue pluuias: & ex certis atque indubitatis illis signis, quæ Scriptura sacra de Messiæ aduentu præscripserit, & quę impleta esse quotidie oculis suis contuerentur, nollent agnoscere, quis Ipse esset. Nam ipsos alloquens dicit: *si vesperi cælum rubeat, dicitis, serenitas erit:* Illa enim rubedo nubium raritatem & aeris puritatem significat. Hebræus Mattheus habet hoc loco vocabulum טוהר *Thohar.* quod exstat Exod. 24. v. 10. & à septuaginta redditum est ὥσπερ εἶδος στερεώματος τοῦ οὐρανοῦ τῇ καθαριότητι, sicut aspectus cœli in serenitate, & significat talem serenitatem, munditiē & puritatem cœli, quæ simul & nitet & lucet. Quando autem *mane cælum rubet, dicitis, erit tempestas:* eo quod nubes sint densiores, quam quas Sol interdiu consumere vel discutere possit. Dicitur autem *cælum* στυγνάζων *triste*, vel quia dispositione sua tristitiam hominibus affert: vel potius respicit hoc vocabulo ad Psalm. 18. in quo Dauid multis verbis tempestatem describit, & indicat, quomodo Deus in ea iratus toruum videat, ita vt fumus ascendat in ira eius, & ignis à facie ipsius exardescat. Quanquam septuaginta hoc vocabulo non sint vsi. Marci tamen 10. versic. 22. στυγνάζων vsurpatur de iuuene tristi, & iungitur ei λυπούμενος. Dicit ergo Christus: *Hypocritæ,* in rebus exterioribus & Physicis prudentes estis, quippe qui ex aspectu cœli potestis diiudicare serenitatem aeris & tempestatem: at in rebus Dei nec potestis nec vultis cognoscere *signa* salutis & tempus visitationis vestræ atque præsentiæ Christi. Etenim Deus in verbo suo, *signa temporum,* hoc est, ex quibus cognosci possit, nouissimos dies, quibus Messias aduenturus esset, præ foribus adesse, satis luculenter expresserat. Etenim prædictum fuit Genes. 49. versiculo 10. sceptrum auferendum à Iuda, Daniel 9. versiculo 26. post hebdomadas 62. Christum occidendum, Iesa. 11. versiculo 1. domum Regis Dauidis ad eam egestatem redactam iri, vt aridus truncus Isai & radix exsiccata videatur, Iesa. 35. versiculo 5. cœcorum oculos aperiendos, surdorum aures reserendas esse futurum item, vt claudi exsiliant tanquam cerui, & mutorum lingua laudes Deo iubilet. Atqui hæc omnia vel impleta esse, vel quotidie impleri, Pharisæi oculis suis cernebant. Sentiebat iugum Romani imperij, cui sensum exsoluere cogebantur: ex supputatione cognoscere poterant hebdomadas illas, ab instaurata vrbe constitutas, esse euolutas: Dauidis posteros de regno & principatu deiectos & in summa miseria viuere sciebant: miraculosas denique sanationes vndequaque fieri audiebant: & tamen cernentib. oculis cœci esse volebant. Vnde merito à Christo *hypocritæ* dicuntur: quia simulabāt se veritatem inquirere, quam tamen ostensam cernere nolebant. Imo, hanc ipsorum malitiam & contumaciam diligenter expendens, *ingemuit Spiritu,* id est, non carnali affectu nec externo tantum gestu, sed intimo cordis affectu: condolens ipsos ingenij acumine in instabili aëre aliquid certi deprehendere posse: quæ autem in certo Dei verbo sunt reuelata, propria malitia agnoscere & suscipere nolle. Ergo Christus hoc loco non damnat Astronomiam, vt quidam volunt: cuius Pharisæos studiosos fuisse Nicolaus de Lyra asseruit. Sed opponit inter se Physica & spiritualia: & dicit, in Physicis quidem ipsos naturæ abscondita sagacitate ingenij sui deprehendere posse: in spiritualibus autem, quicquid habeant ingenij & industriæ, id eo conferre, vt lucem diuinitus accensam obscurent. Vtinam vero nos non idem de nostrorum hominum peruersitate iure optimo conqueri cogeremur: quod nimirum in iis, quæ corpori seruiunt, sint satis industrij & perspicaces: quæ vero ad animę salutem pertinent, & signa sunt imminentis, & iam præ foribus adstantis nouissimi aduentus Christi, in iis talpis sunt cæciores. Nam *temporum,* hoc est, vtriusque aduentus (sicuti in Daniele sæpe de temporibus legitur) *signa* probe obseruanda esse, non inepte Chrysostomus & Augustinus ex hoc loco monuerunt. Vt autem aliud signum est serenitatis, aliud tempestatis: ita aliud signum fuit primi aduentus, nimirum *signum Ionæ,* seu passionis, vt audiemus: aliud signum secundi aduentus, vbi virtutes cœlorum mouebuntur. Et nos, qui in fines seculorum incidimus, hæc signa attendere debebamus. Sed hic se aperit socordia & oscitantia humani ingenij, quod in externis indagandis solertiam suam conspiciendam præbet, in iis vero quæ ad sempiternam salutem faciunt, supina desidia & socordia laborat. Agricolæ ex motu Lunæ exactissime obseruant commoda tempora orationis, sationis, messis. Sagacissime explorant venatores lustra ferarum, aucupes volatum auium, piscatores profunditatem lacuum & fluuiorum, vt prædam aliquam auferant. Mercatores, monopolæ, nummularij, mirifica solertia artes suas vsurarias exercent, vt multum pecuniæ corradant. Nautæ, hominum genus barbarum & agreste, tanta industria positum stellarum, situm insularum, ventorum & tempestatum prognostica obseruant, vt excellentissimos Astronomos illarum rerum peritia superent, & magna cum admiratione totum terrarum orbem circumnauigent. Sed quotusquisque est, qui ex signis, quotidie in oculos nostros incidentibus, agnoscat, imminere magnum illum Domini diem, quo Christus in gloria Patris venturus est iudicare viuos & mortuos, ex illa agnitione vitam suam emendet? In Ecclesia reuelatus est homo peccati & filius perditionis, qui per multos annos sedit in templo Dei, præ se ferens, se esse Deum, 2. Thessal. 2. versic. 3. Doctrinæ dæmoniorum, quibus coniugium & libertas ciborum prohibita fuerunt, ex Dei verbo refutatæ sunt, 1. Timoth. 4. versiculo 3. Surgunt passim Pseudoprophetæ & phanatici homines, qui graues errores, noxia schismata & dissensiones acres in religione pariunt, Matth. 24. versiculo 24. In politia omnia bellorum rumoribus perstrepunt, horrendi motus, seditiones, intestina & externa bella in omnibus fere gentibus feruent: nulla fides in contractibus: & iustitia passim exsulant: iuramentis

mentis homines ludunt, tanquam pueri astragalis: subditi passim exsuguntur: nec tamen ea defensio, quæ iure naturæ ipsis debetur, præstatur. In œconomia, omnium rerum caritas crescit: sylux lignis, atque piscibus, aer volatilibus, vrbes probis ciuibus, pagi fidelibus colonis destituuntur: fides etiam inter sanguine iunctos rara, dilectio autem fere tota exstincta est: ἀστοργία dominatur inter parentes & liberos, testamenta etiam officiosissime confecta rescinduntur, aliena bona appetuntur, propria dissipantur, ex rapto viuitur, nec hospes ab hospite tutus. Accedunt his grauissima prodigia certissimæ iræ Dei prænuntia, quibus quasi cœlum ardere, armatas acies concurrere, eiaculationes globorum cernere videmur. Adhæc mutato naturæ & temporum ordine, hyemem in æstate, æstatē in media hyeme fere habemus: vnde vel hyems humidior sata perdit: vel æstas frigidior fruges ad maturitatem excoquere nequit: fructus vero arborum vel pruina adusti, vel venenosa pluuia corrupti, vel à vermibus erosi pereunt. Denique tota mundi machina laborare, & sub graui pondere peccatorum gemere, atque ruinam minitari videtur. Hæc nouissimi aduentus signa certissima esse, Christus, Paulus, & Petrus apertissime prædixerunt. Et tamen passim non tantum in aulis Principum, sed etiam in curiis Senatorum & pagis rusticorum ita editur, bibitur, saltatur, luditur, ac si in ipso gratioso Dei sinu recubaremus. & per multa secula à fine mundi adhuc abessemus. Sed & hanc ipsam securitatem Christus Lucæ 17. vers. 26. prædixit. Verum cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus superueniet eis interitus, 1. Thes. 5. vers. 3. Quare expergiscimini, expergiscimini, ô vos pastores animarum, nolite esse speculatores cæci, nec canes muti, sed auditores vestros inclamate, extollite ceu tubam vocem vestram, & annunciate nouissimi seculi hominibus scelera eorum & singulis peccata eorum, & operam date, si forsan veternum, si non ex omnium, tamen ex aliquorum oculis excutere possitis. Et si maxime surdo mundo fabulam narremus, tamen officium strenue faciamus: labor non erit omnis irritus in Domino: & si maxime plus non proficiamus, nostras tamen animas liberabimus.

Postquam autem Iesus ostendit, Pharisæos & Sadducæos absque vlla iusta causa cœleste signum petere, quandoquidem Scripturæ signa abunde ipsis supperant: iam secundo disserte negat se ipsis signum è cœlo daturum. *Natio hac praua & adultera signum requirit, & signum non dabitur ei.* Quare Pharisæi, imo & Iudæi in genere, natio praua & adultera dicatur, licet à sanctissimis patribus Abrahamo, Isaaco & Iacobo descenderint, supra cap. 59. Harmoniæ copiose exposuimus. Nimirum degeneres, & quasi ex adulteriis primogeniti, à sanctorum Patriarcharum fide & pietate toto cœlo discrepabāt. Ideo præ indignatione interposito iuramento asseuerat, ipsis tale signum, quale petebant, non esse dandum. *Amen dico vobis, si dabitur generationi huic signum.* Est ἀποσιώπησις & reticentia Hebræis in iuramentis vsitata. Completur autem oratio, si subiungatur id, quod iurantes sibiipsis imprecari solēt, nisi id, quod iurant ita se habeat, sicuti iurant. Hæc vero reticentia Spiritus sanctus nos modestiæ in iurando admonet, ne nos ipsos temere deuoueamus. Addit tamen tribus verbis: *nisi signum Ionæ* q. d. tale signū vobis dabitur, quod nisi pœnitentiam agatis, præsentissimum exitium vobis afferet. Et quidē supra capite 59. Harm. etiam ostendimus, quomodo Ionas tū passionis, tum resurrectionis Christi typus & signum fuerit. Quia vero hic *Ionam Prophetam* simpliciter adducit, eo vult innuere, vt totam historiam consideremus, eamque tum nobis tum Iudæis accommodemus, tum intelligemus, quomodo *Ionas* Iudæis fuerit *signum*. 1. Ionas à nautis, quibus se concredidit, in mare eiicitur, & quantum in ipsis neci datur: Christus à Iudæis, quibus peculiariter promissus erat, & ad quos tanquam ad peculium suum venerat, ex vrbe sancta exturbatur & occiditur. 2. Ionas mortis periculum volens adiit, vt nauim & in ea nauigantes seruaret: Christus occisus est, quia voluit, vt Ecclesia & in ea credentes seruarentur. 3. Ionas in mare eiectus tempestatem sedauit: Christus mortis suæ merito iram Patris sedauit, nobisque tranquillitatē conscientiæ reduxit. 4. Ionas post triduum ex balenæ ventre reiectus Niniuitis pœnitentiam prædicauit; & resipiscentibus salutem attulit: Christus tertia die rediuiuus per Apostolos tam Iudæis quam gentibus pœnitentiam prædicauit, & plurimi etiā ex Iudæis resipiscentes seruati sunt. 5. Niniuitæ licet non statim quadragesimo die post prædicationem Ionæ interierint, tamen quia in priora scelera relapsi sunt, paulo post perierunt, vt ex Propheta Nahum colligitur: ita Iudæi quadragesimo post resurrectionem Christi anno, quia Christum reiecerunt, Euangelij doctrinam spreuerunt, & in malitia sua perseuerarunt, funditus à Romanis sunt excisi. Sic omnino *Ionas propheta* Iudæis fuit *signum*. Monere hæc nos debent, vt conciones pœnitentiæ fidelibus & obsequentibus auribus suscipiamus: alias nobis nō tantum Ionæ, sed & omnium Prophetarum atque Apostolorum signum dabitur: hoc est, experiemur reipsa & in veritate impleri illa omnia, quæcunque illi impœnitentibus sunt comminati. Imo Christus ipse, omnium Prophetarum Coryphæus & Princeps, morte sua nobis signum erit. Si enim in viridi ligno ista acciderunt: quid in arido fiet? Luc. 23. v. 31. Et si pios Christi cultores, qui neminem offenderunt, & quibus mundus non est dignus, Heb. 11. v. 38. egere, esurire, exsulare, in sollicitudinibus errare, affligi & occidi videmus: quid putabimus restare iis, qui nullum neque peccandi finem, neque resipiscentiæ initium inuenire possunt? Talia mundo, pœnitere nescio, acriter sunt inculcanda.

Denique Christus *relictis illis discedit*, indignos illos iudicans, quibus cum ipse diutius versetur. Recte enim D. Hilarius obseruauit: Christum hic non, vt alias, & in præcedenti historia factum est, dimissis turbis abiisse, sed quia infidelitatis error insolentiū animos obtinebat, eos reliquisse. Καταλιπὼν enim & ἀφεὶς hic dicitur, non ἀπολύσας. Et vt satis procul ab ipsis abeat, *nauim ingressus lacum traiicit*. Non autem est dubium, quin Pharisæi & Sadducæi sibiipsis gratulati sint, quod suis disputationibus Christum à se remouerint, & quasi cedere coegerint. Sed nimium infausta est istiusmodi gratulatio, quando Christus pellitur. Sicuti Iesuitæ in Austria, Styria, Carinthia & Carniola sibi gratulantur, quando Euangelicos expellunt. Quantum vero proficiant, incolæ illarum regionum, magno cum suo suorumque detrimento, experiuntur. Loco enim Euangelicorum Christianorum irrumpunt ad ipsos immanes Turci, qui omnia vi occupant, & miserabiliter vastant. Vbi enim Christus recedit, ibi regnum Dei & cum eo iustitiam, pacem & gaudium in Spiritu sancto, Rom. 14. versic. 17. simul aufert: in quorum locum succedunt ira Dei, maledictio, dolor, & conscientiæ inquietudo, quam fere desperatio cum interitu externo, interno & æterno sequuntur. Hæc Pharisæis cum tota Iudæorum multitudine accidisse, iisque miseriis adhuc hodie ipsos hærere scimus. Ipsorum[illegible]que exemplo edocti filium Dei in hac vltima mundi senecta cum Euangelio suo nobiscum retinere discamus, vt in eo, & cum eo perpetuam felicitatem consequamur.

II. Sequitur altera pars historiæ. Nam Christus, postquam Pharisæos cum indignatione reliquisset, & cum suis nauim transfretaturus ascendisset, ab ipsis Pharisæis cum quibus ipsi negotium fuerat, occasionem sumit suos instruendi. Ostenditur igitur discrimen inter infirmos & contumaces. Pharisæi nolunt admittere miracula Iesu, doctrinam nolunt intelligere, sed deprauant. Apostoli miracula suscipiunt, doctrinam admirantur, sed in vsu hallucinantur, & est infirmitas: quam ipsam tamen Christus reprehendit & emendat. Primo autem, vt ostendat, se iustam habuisse causam Pharisæis & Sadducæis indignandi, eosque reiiciendi dicit: *Videte, obseruate & cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum, & à fermento Herodis.* Est hic sermo Metaphoricus, sicut eum Euangelista Matthæus ipse interpretatur, inquiens, Christum iussisse *cauere à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum.* Sicuti enim Ioann. 6. Christus ex miraculo quinque panum occasionem sumsit docendi de pane cœlesti, qui vitam affert mundo: ita hic ex miraculo septem panum nuper edito & eorum fermētatione occasionem sumit Apostolos instituendi de fermento Pharisæorum & Sadducæorum, quo illi synceram doctrinam verbi diuini, quod est panis vitæ, corrumpunt. Fermenti nomine significatur id, quod late serpit, & alia quoque ad se trahit. Vnde interdum in bonam partem accipitur, vt Matth. 13. versic. 33. in parabola de tribus satis. Plerunque autem accipitur in malam partem, vt 1. Corinth. 5. versic. 6. & Gal. 5. vers. 8. & hic: vbi denotat id, quo natiua rei puritas inficitur, & opponitur puro ac simplici Dei verbo. Hic igitur diligenter considerandum & exacte constituendum est, quid Christus per *fermentum* proprio intellectum & reiectum velit. Illud vero hoc modo simplicissime deprehendemus. Plus vno non est verum. Verum autem hoc est verbum Dei. Sermo tuus, ô Pater, (inquit Christus Ioan. 17. v. 17) est veritas. Hoc verbum Deus per Moysen & Prophetas dederat Iudæis, & quousque hoc verbum scriptum scrutabantur, eousque habebant in eo vitam æternam. Ioan. 5. vers. 39. Ideo Christus de Scribis & Pharisæis populo dicit Matth. 23. vers. 2. sedent illi super cathedram Moysis: omnia ergo quæcunque dixerint (scilicet ex Moyse & Prophetis) seruate & facite. Iam vero multa sunt deuia, quæ à simplici via veritatis in verbo Dei comprehensa alios quidem ad dextram, alios vero ad sinistram abducunt. Et quidem ad dextram declinabant Pharisæi. Hi legi Moysis scriptæ assuebant suas traditiones & ceremonias, quarum obseruatione homines coram Deo iustos & sanctos effici aliis persuadebant, vt neque Dei gratia neque Messiæ merito indigerent. Hæc fiducia propriæ iustitiæ fuit instar fermenti, quod Iudæi turgidi & inflati, dum propriam iusti-

tiam statuere nituntur, iustitiæ Dei non fuerunt subiecti. Rom. 10. v. 3. Ad sinistram autem declinabant Sadducæi, qui omnem religionis sensum excusserant, & dum animarum immortalitatem atque corporum resurrectionem in dubium vocarunt, carni ad effrænem peccandi licentiam viam aperuerunt. Epicuræa hæc opinio non immerito quoque fermento confertur: quia vbi semel illi locus datur, ibi totam vitam ita peruadit, vt omnes eius mores fœdissimis sceleribus, Paulo teste, 1. Cor. 15. versic. 33. corrumpat, & tales homines efficiat, qui Dei contemtores atque proximi oppressores apertissime euadant. Nemo ergo miretur, Christum hic duo hominum genera, quæ alias δὶς διὰ πασῶν inter se discordant, combinare, quia fere hæc Diaboli est astutia, vt homines calcariam fugientes, in carbonariam inducat, hoc est, efficiant, vt in alterutrum veritati oppositorum extremum, siue in Scyllam, siue in Charybdim, incidentes, fidei naufragium patiantur. Quin & tertios Christus his duobus adiungit, *Herodianos*, qui ex duobus non integris, sed corruptis, tertium conficiebant magis corruptum: nimirum mixturam quandam religionis, ex Pharisaismo pariter & Sadducæismo conflatam. Ex vtraque enim secta receperunt ea, quæ ad stabiliendam dominationem commodissima videbantur, vt sic populum in regis sui partes traherent. Quia enim vaticinia Prophetarum omnia fuerant impleta, nec vllus alius appareret Rex, Herodiani Doctores, vel assentatores potius, ipsum Herodem Messiam esse contendebant. Iam ergo assequimur, quid Christus hic per *fermentum* intelligat. Nimirum corruptelam syncere Dei verbo ex hominum siue traditionibus siue ratione superadditam. Et non inepte *fermento* confertur. *Fermentum* enim videtur res non magni momenti; sed tamen intra conspersionem admissa, totam massam acidam reddit. Sic leuiculum & nullius momenti esse videtur hoc vel illud doctrinæ addere. Quodnam enim periculum ex additiuncula aliqua enasceretur? Sed corruptela etiam minima semel recepta, serpit vt cancer, 2. Timoth. 2. versi. 17. totum hominem occupat, mentem eius aduersus Deum & ipsius verbum inflat atque extollit, sicque ipsum Deo exosum & insipidum reddit. Hinc recte D. Hieronymus dixit, Fermentum farinæ mixtum, quod parum videbatur, crescit in maius, & ad saporem suum totam conspersionem trahit: ita hæresis. Quod si vero Iesus Scribas & Pharisæos, qui in ordinaria fuerunt successione, taxauit, eosque caueri voluit, eo quod Dei verbo sua commenta adderent: quid non laruatis nostris Episcopis facturus fuisset? Gloriatur Pontifex Romanus, se sedere in cathedra Petri: quod tamen nunquam probare potest. Sed esto, sedeat: Cathedra non facit successionem, sed doctrina. Sic ergo Christus nobis dicturus esset: Sedent super cathedram Petri Apostoli Papæ Romani & eius Episcopi: omnia ergo, quæcunque dixerint (scilicet ex Prophetarum & Apostolorum scriptis, cui vnico fundamento superstructi estis, ipso summo angulari lapide Iesu Christo, Ephes. 2. versic. 20.) seruate & facite. Hoc etiam facimus. Nam ex medio Papatu accepimus sacrum codicem Bibliorum, scripta Prophetarum & Apostolorum, & vna cum eis Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Baptismi & Cœnæ sacræ institutionem, cum potestate clauium. Hæc mordicus retinemus & vrgemus. Quod vero Pontificij ex vna parte puriorem doctrinam suis traditionibus & additionibus adulterant, nouis ceremoniis diuinum cultum onerant, & sine Dei mandato speciosum reddere cupiunt, simplicem fidei iustificationem negant, opera vero & vires humanas extollunt. Caluiniani vero ex altera parte mysteria diuina ad rationis suæ trutinam examinant, maiestatem Christi homines negant. Sacramentorum vim, & ἐνέργειαν eneruant, nec plus credere volunt, quam intellectus ipsorum humanus capit. Quod denique quidam, siue aulici, siue politici, omnem religionem ludibrio habent, & eousque eam fouent, quousque ad stabiliendum mundanum dominium conducere videtur, interim ita viuunt, vt eos Empectas esse, 2. Pet. 3. versi. 3. & neque Deum neque Satanam, neque cœlum neque inferos credere manifeste appareat. Hæc & similia tanquam *fermentum* à Satana saniori doctrinæ & alimento à Deo ad vitam nobis concesso, aspersum fugimus & detestamur.

Porro verba, quibus Christus nos fermentum cauere præcepit, diligentius sunt expendenda. Non dicit, occidite, suspēdite tales, ad rogum cum ipsis properate, comburite hæreticos. Vt Iesuitarum flabella Reges & Principes ad huiusmodi immanitatem impellunt. Sed dicit, ὁρᾶτε, βλέπετε καὶ προσέχετε, *videte attendite, & cauete*. Tribus verbis vtitur, quo Apostoli & reliqui omnes intelligant, rem illam, à qua ipsos tam sancte & serio dehortatur, esse modis omnibus detestandam. Deus enim etiam leuissimas puriorís suæ doctrinæ corruptelas nullo modo ferre potest. I. *Videte*, vult vt sui discipuli & Christiani non instar cœcorū mox cuiuis spirituali applaudant, sed spiritus probent, & videant, an ex Deo sint. 1. Ioannis 4. versi. 1. II. *Obseruate*, vult, vt diligenter examinent, quod docetur, & singula expendant: ne quouis vento doctrinæ se circumferri sinant. Eph. 4. versi. 14. Ideo Paulus dicit 1. Thess. 5. v. 21. omnia probate, & quod bonum est tenete. Quodcunque vero malum fuerit, de eo Christus hic dicit 3. *Cauete*. Vult deuitari & reiici falsa dogmata, quæ à veritate abducūt, absque omni personarum respectu, siue sint Pharisæi, hoc est, doctissimi, siue Sadducæi, qui tum fere Pontificatum administrabant, siue Herodiani, qui regali dignitate superbiebant. Fides enim nostra non ex hominibus, sed ex Deo ipsiusque verbo dependere debet.

Hanc Christi adeo necessariam commonefactionem discipuli prorsus non intelligunt. Nam quoniam Iudæi non habebant communem victum cum Samaritanis, eo quod hi excommunicati essent: putabāt Apostoli Christum, quoad Pharisæos, Sadducæos & Herodem item velle, vt habeant nimirum eos pro excommunicatis, à quorum victu per omnia abstineant. Et quoniam tantum vnum panem secum sumserant, nec aliunde, nisi ab illis, qui istarum trium sectarum vni addicti essent, panem acquirere poterant, soliciti redduntur, vnde in posterum victui necessaria acquirere velint. Disputant ergo inter se: hoc notat & arguit Dominus, quod *panes non sumserint*. Sic vero loquentes produnt, quod duplici ignorantia siue oscitantia laborent, quarum neutra excusari potest. Vna, quod nuper admodum ex Christo audiuissent, hominem non inquinari ab iis, quæ per os eius ingrediuntur. Vnde hactenus viderant Christum ad Pharisæorum mensas accedere, neque ab ipsorum panibus abhorrere. Siquidem cibus etiam ab excommunicatis emtus neminem coram Deo immundum reddit. Altera, quod intra breue temporis spatium duo miracula vidissent, quibus Christus paucis panibus magnam hominum multitudinem satiauit. Iam vero adeo pusillanimes redduntur, ac si manus ipsius esse decurtata, nec eadem virtute etiam ipsos vnico illo pane sustentare posset. Nos autem hic non de discipulis tantum cogitemus, quin potius in iis etiam nostram adeoque communem humanę mentis infirmitatem & cœcitatem agnoscamus. Quæ tanta est, vt tantum præsentibus intenti, sicubi media nos deficiunt, mox de salute nostra in vniuersum actum putemus: nec animo recolimus priora Dei beneficia, quorum consideratione fides & spes in nobis ali poterant. Fecerunt id olim Israelitę in deserto, qui licet stupenda Dei opera in Ægypto vidissent, vnde colligere potuissent, nunquam Deum ipsis defuturum, si modo ipsum sequerentur, ipsiusque regnum serio quærerent: tamen quoties vel panis, vel aqua, vel carnes deficiant, toties suam diffidentiam murmure aduersus Deum prodebant. Iidem postea tempore Iudicum & Regum, si quando ab hostibus premebantur, miraculose à Deo liberati sunt: Vnde colligere potuissent, ipsum solum esse Regem & protectorem sui populi, nec aliunde auxilia esse conquirenda. Et tamen subinde ad confœderationes cum vicinis gentibus respexerunt, quasi ipsorum incolumitati aliter consuli non posset. Eadem stupiditate & nos laboramus, tam priuatim, quam publice. Quoties Deus mirabiliter & nos & Ecclesiam aluit, seruauit, erexit? Quoties reipsa experti sumus, quam potens ipsius dextera sit ad iuuandum? Et tamen si quando difficultas aliqua incidit, nec ad manū sit auxilium aliquod euidens & illustre protinus trepidare & Dei potentia atque bonitate dubitare incipimus. Hanc stupiditatem nostram agnoscamus, & corrigamus.

Nam Christus, qui alias suorum infirmitates patienter tulit, nec discipulos reprehendit, cum nuper in deserto dicerent, *vnde sumemus panes*? Hic tamen ipsorum diffidentia offensus, adeo acriter ipsos corripit, vt nūquam acrius omnes simul reprehendisse legatur. Ideo longum dialogismum cum ipsis instituit, in quo ipsos examinat, quid ex duobus illis miraculis, non ita pridem editis, adhuc meminissent. Iccirco etiam vtriusque Euangelistæ verba in Harmonia integra retinere volui, vt tanto rectius huius Sermocinationis vim & sensum perciperemus. Nam vnum idemque bis terve inculcando, tanto pressius ipsos vrgere voluit. Dicit primum, *Quid disceptatis, quod panes non sumseritis*, cum toties iam experti sitis, quod illis non sit opus? Secundo, *Nondum animum aduertitis, nec intelligitis*? Stultitiæ & stupiditatis eos accusat, eo quod ex tot miraculis non didicissent, quod diuina potentia præditus esset. Tertio, *Occæcatum habetis cor? oculos habentes non cernitis? aures habentes non auditis*? Grauissimum crimen ipsis obiicit, quod alias scriptura Ies. 6. ver. 9. & Rom. 1. ver. 21. reprobis attribuit, & habetur pro pœna, qua Deus contumaciam hominum aduersus ipsius verbum punire solet. Quarto: *Non meministis*? Obliuionē exprobrat: & bina illa miracula,

racula, quinque & septem panum, bis repetens, ex proprio ipsorum ore confessionem elicit, qua ipsos conuincat, quod citra omnem causam anxij & soliciti sint de pane & victu, dum ipsum sequuntur. Ex his discamus, quantopere Deus offendatur, non tantum nostra diffidentia, sed etiam, quando verbum auditum non ad vsum transferimus. Apostoli audiebant doctrinam Christi, & opera eius cum admiratione intuebantur: sed quoties necessitas vsum flagitat, toties hallucinabantur & trepidabant. Hoc Christus reprehendit. Quia nō satis est doctrinam & eius sensum tenere; sed præcipuum est, vt ad vsum transferatur. Simul ergo in hac sua reprehensione tradit pulcerrimam regulam, quomodo fides doctrinam auditam & opera Dei visa ad vsum transferre debeat: vt scilicet ea diligenti animaduersione cordi ita imprimantur, quo sequatur cogitatio de praxi seu vsu: cor quoque memoriam præteritorum beneficiorum sic conseruet, vt & in præsenti & in futura necessitate inde concipiat fiduciam, futurum, vt nūquam à Christo, cui firma fide inhæreat, deseratur. Ponit autem Christus quatuor vocabula νοεῖτε, *animaduertite*, συνίετε *intelligite* μνημονεύειν *meminisse debetis*, ὀλιγόπιστοι *exigua fide præditi*. Horum vocabulorum emphasis si recte consideretur, tunc illa hanc regulam & tradunt & illustrant. 1. νοῦ refertur ad mentem: & designat animum ita ad rem aliquam intendere, ne illa oculos, aures & mentem præterfluat: Matth. 24 versi. 15. & Ephes. 3. versic. 4. iungitur cum legere, vbi indicatur, quod attente lecta sint consideranda. Nam legere & non intelligere, est negligere. 1. Sam. 4. versic. 20. vsurpatur de nuru Heli, cui dicebant mulieres: ne timeas, filium peperisti: ipsa vero nihil respondit, καὶ οὐκ ἐνόησεν ἡ καρδία αὐτῆς, non mouebatur muliercularum ipsam consolantium verbis, nec animum iis intendebat. Ideo Paulus Timotheo scripsit 2. ad Timoth. 2. ver. 7. νόει ἃ λέγω. Animum intende his, quæ dico. Ita si verbum Dei audiamus, vel opera eius sentiamus, decet animum ad ea intendere, sicuti Lydia Act. 16. versi. 14. animum intendit his, quæ à Paulo dicebantur. Quanquam ibi sit verbum προσέχειν. 2. Συνίημι non significat simplicem agnitionem, sed quæ cum deliberatione est coniuncta: vt cum architectus vel faber de ædificando domo consultat. Sicut Exod. 36. v. 1. artificibus tribuitur, qui erant gnari συνιέναι ποιεῖν πάντα τὰ ἔργα, vt scirent fabre operari, quæ in vsum sanctuarij necessaria erant. Complectitur ergo συνίημι intellectum practicum, & significat industriam diligentiamq; adhibere in rebus agendis, atque opponitur incogitantiæ seu socordiæ. Ideo Ios. 1. v. 7. de Iosua, 1. Sam. 18. v. 14. de Dauide. 2. Reg. 18. de Hiskia vsurpatur, & redditum est, prospere agebant in omnibus, ad quæ pergebant. Et respondet Hebræo שכל *Schekal*, quod proprie significat intelligere. Quoniam autem qui sapiunt, feliciter res suas administrant, & assequuntur vota: ob id prospere agere significat. Psalm. 82. v. 7. respondet Hebr. בין, quod significat intrinsecus in mente & intellectu, certo quodam ordine & distinctione disponere, & considerare, qualis res aliqua sit aut esse debeat: sicuti architectus ædificium in certa habitacula distribuit, vt quis commode habitet. Apud prophanos νοεῖν plus est, quam συνιέναι. Potest ergo, si quis velit, inuerso ordine explicari. 3. Μνημονεύειν respondet Hebræo זכר *Zokar*, quod significat id, quod in corde reseruatum, reuoluere, sicque ea reminiscentia ad pietatem & timorem Dei seipsum excitare. Exod. 13. versi. 3. Μνημονεύετε mementote huius diei, qua egressi estis ex Ægypto, vt huius beneficij obliuio nunquam vos capiat, sed DEVM timeatis & colatis. Thobias 1. v. 13. Non comedi polluta: quia ἐμεμνήμην, memor fui Dei mei in toto corde meo. Quo verbo amorem suum erga veram religionem indicare voluit. Amor enim facit, ne rei alicuius facile obliuiscamur. Ex horum vocabulorum consideratione manifestum euadit, vnde ὀλιγοπιστία & diffidentia oriatur in Christi sectatoribus. Nimirum quando doctrinam Christi audientes, & opera eius spectantes, primùm animum non aduertunt, sed præter aures auolare ea patiuntur, & oculis cæcutientibus vident: Quando deinde intra animum non perpendunt, nec ad praxin traducere nituntur: quando denique eorum, quæ vel audierunt vel viderunt, penitus obliuiscuntur. Ex hoc oritur occæcatio cordis, vt inde facilis sit prolapsus in reprobam mentem, nisi Christus graui correptione & increpatione nos in viam reducat.

Interim in hac historia illud consolatione plenum est, quod Christus, licet discipulos hæsitantes grauissime corripiat: non tamen eos abiicit, sed clementer sustinet & instituit. Quia nimirum nec ipsi ab eo deficiebāt, sed eum sequebantur, & apud ipsum proficere cupiebant. Eandem benignitatem etiam erga nos exercet in nostris infirmitatibus. Væ nobis, si Deus secundum firmitatem fidei nostræ vobiscum agere vellet, dudum iustam caussam nos omnes abiiciendi habuisset. Sed nouit quale figmentum simus. Ideo sicut pater miseretur filiorum: ita Dominus miseretur nostri. Psalm. 103. v. 13. Habemus enim Pontificem, qui possit nostris infirmitatibus compati. Heb. 4. v. 15. nec vult calamum quassatum conterere, aut linum fumigans exstingere. Esa. 42. versi. 3. modo paternas correptiones admittamus. Huius nostri capitis exemplo admoniti, & ipsi discamus infirmum in fide assumere: Rom. 14. versi. 1. & præoccupatos in delicto spiritu lenitatis instruere. Gal. 6. versi. 1.

At vero effectus huius correptionis non est oscitanter prætereundus, de quo Matthæus dicit: *tunc intellexerunt, quod iussisset cauere, non à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum.* Non tantum propterea, vt animaduertamus liberiorem verbi prædicationem hominibus veternum excutere, vt in posterum maiori attentione verbum Dei expendant, & rectius illud intelligere incipiant. Vnde Paulus suis Corinthiis dixit 1. Cor. 4. versi. vlt. Quid vultis? vt virga veniam ad vos: an in caritate & spiritu mansuetudinis? Pastoralis enim correptio, est instar spiritualis ferulæ, de qua illud Salomonis Prouerb. 22. versi. 15. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. Sed etiam propter hanc caussam, vt hinc addiscamus Christi morem, qui quando sermones suos non ad literam intelligi voluit, discipulos autem in litera hærere & errare animaduertit, mox λύσιν ipse addit, vt sic eos ab errore reuocet, atque ad verum sensum & intellectum adducat. Hinc obseruare licet, quod vbiq; Christus, quando parabolas vel παροιμίας populo proposuit, quæ aliter intelligi debent, quam littera sonat, eas vel ipse postea discipulis exposuerit, vel certe aut in principio aut in fine sententiam aliquam adiecerit, ex qua sensus totius parabolici, metaphorici vel figurati sermonis percipi queat. Conducit hæc obseruatio, vt in controuersia Sacramentaria eo facilius & felicius nos expedire possimus. Contendunt Caluiniani: propositionem hanc: (Fermentum Pharisæorum est hypocrisis vel falsa doctrina) esse figuratam. Atque hinc inferunt: Ergo etiam illa propositio (panis est corpus Christi) est figurata. Et quidem illam priorem vel per tropum Metaphoræ, vel per tropum Metonymiæ (vbi copula est pro significat ponatur) esse explicandam. Ergo etiam posteriorem Propositionem vel Metaphorice vel Metonymice esse exponendam. Hic nos respondemus. In neutra Propositione vllam Metonymiam locum habere: quia nusquam eiusmodi Metonymicæ Propositiones inueniuntur, quibus signum de signato enunctietur per copulam est. Metaphoræ autem tropo locum concedimus in priore Propositione: quia Christus ipse sua correptione monstrat in vocula *fermenti* tropum esse, qui aliter sit exponendus, quam litera præ se ferat. At vero hinc inferre velle: Ergo in doctrina Sacramenti, Propositio (panis est corpus meum) etiam est figurata, hoc vero absurdissimum, & Christi ingenio prorsus contrarium est. Nam si vel subiectum Propositionis (nimirum voculam panis) vel eius prædicatum (corpus meum) figurate intelligi voluisset, & Apostolos, quod in literali sensu hærerent, errare vidisset, omnino pro more suo eos monuisset, & alicubi commonstrasset, verba sua aliter quam vt sonant, esse accipienda. Quia vero Christus nullibi λύσιν monstrauit, sed non tantum Matthæus, Marcus & Lucas eadem verba in descriptione Cœnæ retinent, verumetiam Paulus 1. Cor. 11. versi. 23. iisdem literis ea repetit, & se à Domino illud, cum in gloria esset, accepisse testatur. Meritissime nobis piaculum est à verborum sensu proprio recedere. Os enim Domini locutum hoc est, quod panis Cœnæ sit eius corpus. Panis autem hic verum & natiuum panem denotat: corporis quoque vox verum & naturale filij Dei corpus, quod pro nobis traditum est denotat. Quid ergo opus est tropum fingere, vbi nullus habetur. Nos in simplicitate litteræ simpliciter acquiescimus: modum autem, quomodo panis sit corpus Christi, potentiæ eius, qui hoc dixit, relinquimus.

CAPVT LXXXIV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM SANATI COECI IN Bethsaida. Marc. 8. v. 22.

RATIO ORDINIS.

IN ordine sequitur miraculum, quod solus Marcus describit, de cœco, cui Christus non confestim in momento, sed sensim & quasi per gradus visum restituit. Quod pulcerrime ad ea, quæ præcesserunt, conuenit. Cum enim modo Apostolis suis Dominus dixisset, quod *excæcatum adhuc cor haberent, & oculos non cernentes*: sicque eos ad desiderium spiritualis visionis excitasset. Hic iam ad oculum (vt dicitur) ipsis ostendit, spiritualem illam visionis restitutionem, quæ ad salutem conducit, non nisi à Deo per Messiam Mediatorem communicari. Sicut Moyses Israëlitis suis dixit, Deuter. 29. vers. 4. Dominus non dedit vobis cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possint audire vsque in præsentem diem. Quin & illud commonstrat, quod gratia illa visionis non ita detur, vt statim sit absoluta & numeris omnibus perfecta: sed habere illam suos quasi gradus, quibus augeatur, crescat & confirmetur, si acceptis initiis exerceatur & excolatur. Vbi tamen inter ipsa incrementa semper opus sit oratione, manu Christi, & operatione Spiritus sancti. Sicuti pluribus illud postea declarabimus.

HISTORIA COECI IN BETSAIDA sensim sanati. Marci 8.

22. Καὶ ἔρχεται εἰς Βηθσαϊδάν, καὶ φέρουσιν αὐτῷ τυφλόν, καὶ παρακαλοῦσιν αὐτόν, ἵνα αὐτοῦ ἅψηται.
23. Καὶ ἐπιλαβόμενος τῆς χειρὸς τοῦ τυφλοῦ, ἐξήγαγεν αὐτὸν ἔξω τῆς κώμης, καὶ πτύσας εἰς τὰ ὄμματα αὐτοῦ, καὶ ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ, ἐπηρώτα αὐτόν, εἴ τι βλέπει.
24. Καὶ ἀναβλέψας ἔλεγε, βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ περιπατοῦντας.
25. Εἶτα πάλιν ἐπέθηκε τὰς χεῖρας ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι, καὶ ἀποκατεστάθη, καὶ ἐνέβλεψε τηλαυγῶς ἅπαντας.
26. Καὶ ἀπέστειλεν αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, λέγων· μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ.

22. *Et venit in Bethsaidam, & adducunt illi cæcum, & obsecrant eum, vt illum tangeret.*
23. *Et apprehensa manu cæci eduxit illum extra vicum, & cum exspuisset in oculos illius, imposuissetque illi manus, interrogauit eum, si quid videret.*
24. *Et recepto visu dicebat, Video homines, quoniam velut arbores cerno ambulantes.*
25. *Deinde rursum imposuit manus super oculos illius, & fecit vt visum reciperet, & restitutus est, ac denuo videbat dilucide omnes.*
26. *Et dimisit illum in domum suam, dicens: neque in vicum ingrediaris, neque dixeris cuiquam in vico.*

Periocha huius historiæ.

CHristus perfecta nauigatione, qua à Pharisæis & Sadducæis discesserat, *venit Bethsaidam*. Fuit hæc ciuitas Galilææ, & vna ex ciuitatibus ad Decapolitanam regionem pertinentibus, sita in occidentali ripa maris Galilææ, in angulo, vbi se mare ab Aquilone ad Austrum flectit. Ex ciuitate hac oriundus fuit Philippus, vt Ioh. 1. v. 44. & 12. v. 21. diserte iudicatur. Vocatur etiã ciuitas Andreæ & Petri, Ioh. 1. v. 44. vel quia & ipsi inde orti fuerunt, vel, vt quidam opinantur, quia sua ibi domicilia habuerũt. Quanquam Petri domum in Capernaũ fuisse ex 37. & 38. huius Harm. Capp. pateat. Quia ergo Bethsaida fuit vrbs clara, existimant aliqui, Christum ciuitatem nõ fuisse ingressum, eo quod iam antea Matth. 11. vers. 21. ipsi cum Corozaim Væ denunciauerit, sed vel in suburbio substitisse, vel ad eius villas deflexisse. Siquidem in hac historia bis ponitur vocula *κώμη*, quæ vicum potius quam ciuitatem significat, & 1. Sam. 6. v. 18. opponitur ciuitati muratæ: item 2. Parap. 13. v. 19. ponuntur *πόλεις* ciuitates & *κῶμαι* villæ seu filiæ ipsarum. Cúmque Bethsaida quoque villas multas habuerit, in talem aliquẽ Christum venisse verisimile est. Cùm ergo Christus ciuitatem, cui Væ denuntiauit hic vitarit, caueant sibi vrbes populosæ, ne illum offendant, irritent, aut à se repellant. Alias periculum est, ipsum in posterum eas vitaturum. Neque enim Sol retrogradus est. Si tamen in viciniam redeat, & ciuitatum vicos gratiæ suæ radiis rursus collustret, obuiis manibus excipiendus, & vt nobiscum maneat rogandus est. Vienna Austriæ Christus cum Euangelio suo ante triginta propemodum annos est expulsus Hactenus in eius vicis hæsit, suamque gratiam ipsis obtulit. Sed nunc etiam inde pelli dicitur. Quid ergo felicitatis ibi sperandum?

In illo vico *adducunt* Iesu *cæcum*. Non fuit hic cœcus ciuis vel incola vrbis Bethsaidæ. Huic enim iam Christus suam gratiam subtraxerat. Sed vel aliunde adductus est: quia eum postea *domum suam remittit*, & prohibet ne vicum ingrediatur: vel mendicauit in Bethsaida. Hunc autem cœcum ante excæcationem vidisse inde apparet: quia postea *homines* agnoscit, & *arbores* nominat. Illi autem qui cœcum hunc adduxerunt, petierunt *vt illum tangeret*. Hactenus enim viderunt, Christum manuum suarum impositione quosuis defectus curasse. Est ergo fidei indicium, & laudem meretur, quod Christo hanc potentiam attribuunt, quod attactu cœcos sanare possit: infirmitatis autem est, quod modum quasi ipsi præscribunt, quẽ liberrimæ ipsius voluntati reliquisse debuissent. Præbent hi omnibus Christianis exemplum, quod imitari debent: vt nimirum eos, qui spirituali cœcitate laborant, & errorum vel improbitatis tenebris sunt irretiti, ad Christum adducant, & hunc pro illuminatione eorum deprecentur. Est hoc insigne caritatis Christianæ opus: quo gloria Dei illustratur, regnum Christi amplificatur, & hominũ salus promouetur. Huic bono operi potissimum studere debent illi, qui in Ecclesia, politia & œconomia aliis sunt præfecti: sed non hi tantum, verum in genere omnes, quibus Christi honor cordi est. Singuli enim studere debent, vt & admonitionibus & honesto vitæ exemplo proximum Christo lucrifaciant. Væ autem illis, qui vel falsa doctrina videntes excæcant, vel scurrilibus dictis & prauis exemplis innocuos offendunt. Hoc est offendiculum ponere cœco: Leu. 19. v. 14. de quo Deu. 27. v. 18. Maledictus qui errare facit cœcum in itinere, & dicet omnis populus, Amen.

Sicuti autem Cap. 8. Harmon. de surdo audiuimus, quod Christus peculiares quasdam ceremonias in eo sanando vsurparit: ita Euangelista idem de hoc cœco testatur, quem Iesus non subito, sed sensim & quasi cum apparatu quodam sanat. Et hic inquiruntur causæ, quare Christus tot ceremonias adhibuerit, vt quasi difficilius sanasse videatur leuiores morbos & defectus quam grauissima mala. Nequaquam autem hoc impotentiæ, sed liberæ voluntatis fuisse sciamus. Qui enim vnico verbo mortuos suscitauit, quomodo non etiam vnico verbo cœco visum restituere potuisset? Quia vero voluntatis hoc est, non impium fuerit in hanc ipsius voluntatem inquirere. Sentit ergo Chrysostomus, caussam huius dilationis in ope ferenda fuisse imperfectionem fidei in cœco. Nec nihil est, quod is dicit. Nam de aliis cœcis legimus, quod ipsi Dominum rogarint, vt ipsos sanet: hic vero non legitur ipse pro se orasse, sed alij Dominum rogarunt pro ipso. Ideo Christus imperfecte credenti, imperfectum etiam visum tribuit: vt ita accenso in ipsius animo desiderio, & per desiderium atque orationem firmiore fide, ipse etiam perfectiorem visum

visum tribueret. Sit ergo hæc vna caussa. Altera vero & quidem præcipua hæc est, quod Dominus ostendere voluit, sibi non esse præscribendum modum gratiæ & auxilij: siquidem ipse non sit alligatus ad vnum modum iuuandi, sed libere possit iuuare, quocunque modo velit. Vsus huius commonefactionis est amplissimus. Omnes enim experimur, magnas interdum in animis nostris oboriri tragœdias ob exempla de modo: quod sic cogitamus, Deus hunc & illum hoc vel illo modo iuuit; & inde concludimus: Ergo necesse est, vt eodem modo & nos iuuet. Id si non fiat, protinus animum abiicimus. Sed monet hoc exemplum, ne propterea desperemus, si maxime Deus nos non iuuet illo modo, quo alios: quin ipsi committamus modum, nec quicquam præscribamus: siquidem ipse plures, imo infinitos nos iuuandi modos habet. Hæc præcipua caussa est.

Alias plures caussas circumstantiæ textus nobis suppeditabunt. Nam Christus hunc cœcum sanaturus 1. *apprehensa manu cæci eduxit illum extra vicum.* Cum enim ciues vrbis Bethsaidæ, ob inuincibilem contumaciam & incredulitatem, iam ab ipso quasi excommunicati essent, Matth.11.vers.21. indignos illos censuit, qui plura sua signa viderent. Sic Matth.7. vers.6. suis ministris præcepit, ne sanctum darent canibus, neve margaritas suas mitterent ante porcos. 2. *Exspuit in eius oculos.* Sputum inter excrementa hominis reputatur: quæ in aliis quidem hominibus non tantum ad nihil conducunt, verumetiam nauseam cient, ac proinde solicite absconduntur. At in Christo nihil non est viuificum. Ideo D. Hieronymus dicit, sputum seu spumam Christi esse diuinam ipsius sapientiam: quæ quia per flatum Christi, cui coniunctus est Spiritus viuificus, in huius oculos eiicitur, non mirum, eos mox restitutos esse. Nam 3. *imponit ei manus, & interrogat num quid videret.* Manus imponit, vt ostendat carnem suam esse instrumentum, per quod & cum quo ipse ἐνεργ æternus omnia opera viuificationis perficiat. Hac vero manuum impositione Dominus tantum effecit, vt hic cœcus palpebras mouere, & res obiectas aliquo modo cernere, sed non vere discernere potuerit. Dicit enim, se *homines velut arbores ambulantes videre.* Videt nimirum aliquid moueri, & illud esse solidum atque erectum, sed formam non potest assequi. Sicut qui eminus aliquid aspicit, confuse agnoscit esse solidum quid: sed propius accedens distincte noscit. Et sic solet Deus interdum nobis petentibus bona sua dare, non ilico omnia, sed pedetentim aliqua: vt sic desiderium, quod alioquin in nobis languet, plus accendat. Hic enim cœcus, nisi prorsus stipes fuerit, postquam aliqualem visum à Christo recepit, & Christi virtutem in oculorum sensu animaduertit, absque dubio & voto cordis, & suspiriis pectoris, & voce oris petiit, vt Dominus bonum, quod cœpisset, etiam perficeret. Nam propterea etiam Dominus interrogasse videtur, *si quid videret?* vt ea interrogatione innueret, se nondum hoc fine oculos ipsius tetigisse, vt omnia perfecte videret, sed tantum vt *aliquid* videret. Ideoque excitato desiderio & fide accensa *rursum imponit manus,* & efficit, vt visum integre recipiat. Vtitur autem Marcus duobus emphaticis vocabulis, quibus visus restitutionem in cœco exprimit. Nam primo dicit, καὶ ἀποκατεστάθη, *& restitutus est:* Denotat autem hoc verbum eiusmodi restitutionem, quæ priori integritate non sit inferior. Sic enim vsurpatur Exod. 4.vers.7. de manu Moysis, quæ prius lepra infecta, sed in sinum reducta mox pristinum colorem reliquæ carnis recuperauit. Genes.29.vers.3. de lapide, qui super os putei reductus est. Genes.40.vers.21. de pincerna, qui in pristinum suum officium restitutus est. Ierem.15.versic.19. & 50.versic.19. loquitur Deus de pœnitentibus, ipsisque hoc vocabulo promittit, quod in priorem locum eos reducere, & coram se stare facere velit. In his locis omnibus respondet Hebr. שוב, quod vsurpatur de motu ad locum, qui fit in reditu. Hinc etiam Act. 3.versic.21. dies nouissimus dicitur dies ἀποκαταστάσεως restitutionis omnium. Tunc enim restituetur noua facies mundi. Erunt tunc cœli noui & noua terra, Ies.65.versic.17. in quibus iustitia inhabitabit. 2.Pet.3.vers.13. Apocalyp.21.vers.1. Restituentur eodem die corpora, qualicunque modo fuerunt corrupta, Apoc.20.vers.13. Omnes gibbi dedolabuntur, omnes nerui extendentur, omnes lusci, surdi & loripedes in integrum restituentur. Restituetur læta & felix mundi conditio, mundi machina, quæ nunc sub corruptionis pondere ingemiscit, liberabitur, Romanorum 8.versic.21. & in eam integritatem restituetur, in qua fuerat, antequam ob hominis peccatum maledictione feriretur. Et vbi Christus omnem principatum aboleuerit, & patri regnum tradiderit, vt Deus sit omnia in omnibus. 1.Corinth.cap.15 v.28. tunc talis erit restitutio omnium, quam modo nec verbis explicare, nec ratione humana complecti possumus. Iucundum itaque est, in emphasi huius voculæ considerare, qualiter Christus Seruator noster sit Restitutor omnium, cum in hac, tum in altera vita. In hac vita est restitutor, quo Iob.5.versiculo 18. dicit: Dominus ἀποκαθίστησι, medetur, & more boni chirurgi ceu vulnus alligat. In altera autem vita eo modo, quomodo Psalm.16. versic.5. dicitur: Dominus ἀποκαθιστῶν restituens mihi hæreditatem meam. In cœlis enim nobis restituetur ea hæreditas, vel etiam præstantior, quam Adamus peccando amisit. Futuri enim sumus hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Romanorum 8.vers.17. Alterum vocabulum est, quod Euangelista dicit, cœcum post restitutionem vidisse τηλαυγῶς *dilucide omnes.* Componitur autem hoc vocabulum à τῆλε, quod significat μακρὰν καὶ πόῤῥω procul & longe, & ab αὐγή, quod lucem ac splendorem denotat. Innuere ergo Marcus voluit, ipsum longe lateque omnia clarissime perspicere potuisse. Quos enim Christus in integrum restituit, eos plene & perfecte restituit.

Postremo Christus hunc hominem, postquam visum ei restituit, domum remittit, & diserte ipsi dicit, *nec in vicum ingrediaris, nec in vico cuiquam dixeris.* Quod hoc in loco Christus non tantum fecit humilitatis caussa, & ad vitandam humanam laudem: cuius modestiæ etiam veri Christi ministri studiosi esse debent, ne ex suis donis priuatam suam laudem, sed Dei gloriam quærant. Sed potissimum, propterea fecit, quia ciues in Bethsaida Christi miraculis non vtebantur ad sui conuersionem. Horrendum hoc est & graue Dei iudicium, quando Deus aliquos nec verbi sui nec operum suorum cognitione amplius dignatur. Cum enim salus hominum & æterna eorum vita ex illis duobus mediis dependeat, Iohan.17.vers.3. certissimum est eiusmodi homines ob præcedentia sua peccata, inter quæ contemtus verbi primas tenet, iusto Dei iudicio iam æternę damnationi mancipatos esse. A contemtu igitur verbi Dei, tanquam à peccato omnium maximo, solicite nobis caueamus.

Præ se fert autem hic cœcus, vt diximus, typum humani generis, & ostendit, quomodo illud natura spirituali cœcitate laboret, & qua ratione illi, qui Christo adducuntur, ab ea liberentur, ipsiusque beneficio in integrum restituantur. 1. Vt hic cœcus initio vidit, postea autem ex accidente visu suo priuatus & cœcus factus est: ita Deus hominem initio corpore & animo videntem & perspicacem creauit, ita vt non tantum Deum Creatorem suum, sed & omnia ipsius opera plene atque perfecte cognouerit, sicque viam ad æternam suam salutem examussim perspexerit. Huius acuminis & perspicaciæ specimen edidit Adamus Genes.2.vers.19. cum Deus omnia animantia terræ & volatilia cœli ad ipsum adduceret, vt ea videret, & singulis sua nomina imponeret: quod etiam tanto iudicio secundum singularum naturarum proprietates fecit, vt eo ipso, se plena & perfecta omnium cognitione, quantum quidem ipsi ad salutem necessarium fuit, præditum fuisse, abunde satis testatum fecerit. Postquam autem Adamus ex instinctu antiqui serpentis oculos tam corporis, quàm mentis suæ auertit, ab obedientia verbi diuini, iusto Dei iudicio factum est, vt homo aciem visionis suæ amiserit, & iam, Nos ipsius posteri, natura habeamus intellectum tenebris obscuratum, vt simus propter cœcitatem cordis nostri abalienati à vita Dei per ignorantiam, quæ in nobis est, Ephesiorum 4. vers.18. Exemplum huius spiritualis cœcitatis modo habuimus in Apostolis, quibus Christus obiecit cordis cœcitatem, eo quod ex binis miraculis non hoc didicissent, quod Christus, etiamsi parum commeatus ad manum haberet, tamen pro diuina sua omnipotentia suos alere possit. Sæpius eandem cœcitatem & cordis tarditatem etiam alias in ipsis deprehendimus; vt quando Christum, de passione & resurrectione sua vel sexta vice concionantem, audierunt quidem, sed nihil eorum intellexerunt, & verbum absconditum fuit ab ipsis, Luc.18.vers.34. aut, quando eundem post vltimam Cœnam de suo post modicum abitu verba facientem audierunt: Modicum vero illud nullo modo intelligere potuerunt. Iohann.16. vers.17. Hæc naturalis cœcitas tanta est, vt sæpe etiam in politicis & œconomicis non assequamur ea, quæ cum emolumento nostro sunt coniuncta. Sic Achab & Iosaphat 1.Reg.22.versic.19. non necessarium bellum, etiam contra præmonitionem Prophetæ Michææ ex mera cœcitate cordis sui susceperunt aduersus Syros. Eodem modo Iosias, rex alioquin pius & sanctus, ex cœcitate cordis sui petrexit 2. Paral.35.versic.22. in Mageddo, vt dimicaret contra Nechao regem Ægypti, in quo bello etiam periit. Quemadmodum enim Deus 2. Reg.6.versi.18 exercitum regis Syriæ percussit cœcitate, vt ipsimet non animaduerterent se venire in medium Samariæ, inter medios suos hostes: ita vt ex naturali mentis nostræ impotentia fere non assequimur, quod in medio interitus versamur, donec nobiscum actum est. Magna itaque & deploranda est cœcitas eorum, qui siue Philosophi, siue Pelagiani, siue Pontificij, siue Cingliani dicantur, lumini naturæ tantas vires tantasque facultates ad-

scribunt, quasi eius beneficio homo viam salutis ingredi, sicque sempiternam felicitatem consequi possit. Scholastici certe sub Papatu pluribus contenderunt, hominem ex puris suis naturalibus sese ad Deum conuertere, ipsumque super omnia diligere posse. Cinglius vero in postrema sua confessione statuit, probos, doctos, & sapienter gentiles, quales fuerint Aristoteles, Plato, Socrates, Aristides, Numa Pompilius, & cõsimiles, ex lumine naturæ cœli incolas factos fuisse. Hi omnes naturalem hanc humani generis cœcitatem non agnouerunt, eoque grauiter peccauerunt. Nos cum tota sancta Ecclesia ad Deum canimus: Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

2. Quemadmodum hic cœcus, vt visum reciperet, Christo adductus est: ita quicunque post tristem illum peccati lapsum spirituali visione rursus donari cupit, ad Christum se conferat. Hic enim est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioh. 1. v. 9. Vnde Simeon de eo pronuntiat, Luc. 2. vers. 32. quod sit paratum lumen ad reuelationem gentium. Ipse etiam Christus dicit Ioh. 8. vers. 12. Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Christus autem illuminandos primum *ducit seorsim & extra vicum* Nam à pristinis vitiis recedere, nec amplius in multitudine hærere, vt eius exempla sequatur, oportet eum, qui Christo se aggregare velit, sed hunc vnum, & eius fideles doctores duces sequi debet, si ad salutem peruenire cupiat. Secundo, *exspuit in oculos, & imponit manus*, hoc est, vtitur certis suis organis & mediis. Verum & proprium medium est verbum Dei. Hoc est quasi *sputum* Christi, & collyrium illud Apocal. 3. vers. 18. quo oculi nostri inuncti vim videndi recipiunt. Nam qui doctrinam & institutionem verbi diuini admittunt, illi in cœlestibus rursus notitiam aliquam consequuntur. Verbum enim Dei est lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris Psalm. 119. versic. 105. Huic si attendamus, dirigentur pedes nostri in viam pacis. Luc. 1. vers. 9. Hoc vero sputum necesse est, vt flatu seu Spiritu in Christi in oculos nostros eiiciatur. Si enim hanc vnctionem acceperimus à Christo, tum illa docebit nos de omnibus. 1. Iohann. 2. versic. 27. Hoc modo Dominus Actorum 16. vers. 14. Philippis Lydiæ purpurariæ cor aperuit, per concionem Pauli, vt fidelis facta fuerit. Caueamus ergo, ne apud quenquam alium spiritualis huius visus restitutionem quæramus, quam apud hunc animarum nostrarum Medicum, Iesum Christum. Tertio, quemadmodum Christus huic cœco non momento vno facultatem videndi perfecte & plene restituit, sed pedetentim & quasi per gradus id effecit, atque sic in ipso desiderium perfectionis excitauit: Sic quoque nobis spiritualem illam videndi vim non vno momento præbet, sed per gradus nos ad perfectionem deducit. Quod ipsum in Apostolis videmus, in quibus illuminandis Christus laborauit in quartum vsque annum: sed quàm parum in ipsis profecerit, ipsi varia sua ignorantia in vltima cœna prodiderunt. Eatenus ergo ipsis tantum manum imposuit, *vt aliquid viderent*. Sed post gloriosam suam resurrectionem, quasi secunda vice manum imposuit, quando Luca teste cap. 24. versicul. 45. sensum ipsis aperuit, vt intelligerent Scripturas. Inprimis autem visum eorum acuit, postquam in festo Pentecostes ipsos sancto suo Spiritu repleuit, totius orbis Doctores constituit, & effecit, vt variis linguis magnalia Dei eloquerentur. Actorum 2. versic. 11. Eodem modo etiam in nobis cognitionem rerum spiritualium sensim promouet, non vno momento nos perfectos reddit, sed dona sua in nobis de die in diem auget & locupletat. Quisque ergo in se initia spiritualis illius illuminationis obseruet, & Spiritum sanctum in se operantem reuerenter habeat, Deumque cum Paulo roget, vt impleatur agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia & intellectu spirituali. Coloss. 1. vers. 9. Omni enim habenti (& dona Dei agnoscenti) dabitur & abundabit: ei autem qui non habet (qui non agnoscit dona, quæ Deus in ipsum contulit, nec eorum defectio eorum incrementum à Deo postulat) etiam quod videtur habere, auferetur ab eo. Matthæus 25. vers. 19. Sed proh dolor, multi inueniuntur, in quibus Deus naturalem illam cæcitatem mentis, lumine verbi sui, corrigere vult, sed ex Diabolica malitia tenebras plus diligunt, quàm lucem: quia opera ipsorum sunt mala. Iohannis 3. versic. 19. In his Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat ipsis illuminatio Euangelij gloriæ Christi. 2. Corinth. 4. versic. 4. Illi, si postea corpore animaque pereunt, quid mirum, cum salus *ipsa tales* homines, qui scientes volentes in exitium ruunt, *saluare non possit*? Exemplum talium præfracte cœcorum *habemus in* Iudæis, quibus splendidissima lux concionum & *miraculorum* Christi affulsit, vna cum plurimis Circumstantiis & signis à Prophetis prædictis, ex quibus si non videre voluissent, certe manibus palpare potuissent, Iesum esse illum antiquitus promissum humani generis Messiam. Sed obstinate quasi oculos clauserunt, vt ne ex cæcitate sua liberarentur. Vnde merito Christus ipsis dixit, Ioh. 9. vers. 41. Si cœci essetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis, Quia videmus, peccatum vestrum manet. His non absimiles sunt nostra ætate Pontificij, & inter hos cumprimis Iesuitæ, qui in clarissima luce Euangelij adhuc cœcutiunt, & palpabiles errores, quos superiorum seculorum tenebræ inuexerunt, mordicus tueri & retinere conantur: quales sunt idolatrica inuocatio Sanctorum, sacrificium Missæ, communio sub vna specie, peregrinationes ad Diuos, indulgentiæ Papales, prohibitio ciborum & coniugij, purgatorius ignis, & consimilia multa, de quibus puer septennis ex verbo Dei informari potest, quod sint commenta hominum otiosorum. Pro his tamen Iesuitæ non aliter quam pro aris & focis dimicant. Vnde vero? Non aliunde, nisi quia cœci sunt occulis, auribus, mente. Si cum illo cœco Luc. 18. vers. 41. orarent: Da Domine, vt videam: vtique per ipsius gratiam illuminarentur. Nunc quoniam cum Pharisæis Iohann. 9 versic. 40. dicunt: Nunquid & nos cœci sumus? Vel potius cum angelo Laodicensis Ecclesiæ, Apoc. 3. versic. 17. quia diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nesciunt, quia sunt miseri, pauperes, cœci & nudi. Ideo ipsorum peccatum manet. Imo iusto Dei iudicio magis magisque excœcantur. Ies. 6. vers. 10. Et iuxta Paulum 2. Thes. 2. vers. 10. *eo quod caritatem veritatis non receperunt, vt salui fierent: ideo mittit illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

Quarto plena autem restitutio spiritualis huius visionis demum futura est in nouissimo die, qui propterea Actorum 3. vers. 21. dicitur dies ἀποκαταστάσεως πάντων, restitutionis omnium. Quia tum nulla caligo amplius nostros molestabit oculos. Nunc videmus per speculum in ænigmate: tunc autem videbimus facie ad faciem. Nunc cognoscimus ex parte: tunc autem cognoscemus, sicut & cogniti sumus. 1. Cor. 13. vers. 12. Tunc in carne nostra videbimus Deum, & in Deo possessuri sumus omnia. Videbimus Redemtorum nostrum, qui est ancora, prora & puppis salutis nostræ: eum visuri sumus nos *ipsi*, & oculi nostri eum conspecturi sunt. Iob. cap. 19. versicul. 26. Tunc simul cum illis, qui ex mortuis resurrexerunt, in nubibus obuiam rapiemur Christo in aëre, & sic semper cum Domino erimus. 1. Thess. cap. 4. vers. 17. Interim qui iam illuminatus est, *non debet redire in vicum*, hoc est, ad pristinos suos sodales; alias hi ipsum aut irridebunt, aut ad priores cœcitatis tenebras ipsum rursus præcipitabunt. Sed abeat *in domum suam*, hoc est, ingrediatur penetrale cordis sui, & diligenter ipse secum expendat, qualis antea fuerit per naturam, qualis nunc sit per Dei gratiam: & quonam sit relapsurus, nisi per Dei gratiam conseruetur. Sic semper apud seipsum habiturus est ansam & gratias Deo agendi pro bonis præstitis, & eundem precandi pro donis vlterius præstandis.

CAPVT LXXXV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM EXITVS CHRISTI AD CÆSAREAM Philippi & confessionem Petri, nomine Apostolorum. Matth. 16. v. 13. Marc. 8. v. 27. & Luc. 9. v. 15.

RATIO ORDINIS.

EVangelista Matthæus, mox post disputationem cum Pharisæis & Sadducæis habitam, deducit Iesum per fretum ad Cæsaream Philippi. Nec dissentit Marcus, præterquam quod interserit historiam de cœco sanato in Bethsaida, quod miraculum

miraculum in itinere factum est. Ideo merito Lucas ad horum descriptionem accommodandus. Iesus enim Pharisæorum ineptis disputationibus serio offensus, cum in vlteriorem ripam venisset, rursus egressus est ad fines gentium. Et cum per vicos, qui ad vrbem Cæsaream pertinebant, solis Apostolis comitatus iter faceret, alicubi orandi gratia substitit. Cumque rursus pergeret, accidit memorabile illud colloquium, quod cum Apostolis instituit, de variis hominum opinionibus, de persona & officio Christi, & de Apostolorum confessione, quam Christus ponit fundamentum ministerij atque Ecclesiæ. Multa autem capita complectitur hæc historia, quæ quia singula digna sunt accurata obseruatione, diligentius etiam tractabimus.

HISTORIA PETRI CONFITENTIS Iesum esse Christum, & propterea collaudari.

MATTH. 16.

13.	Ἐλθὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς εἰς τὰ μέρη Καισαρείας τῆς Φιλίππου ἠρώτα τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγων· τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου;	13.	*Cum venisset autem Iesus in partes Cæsareæ eius, quæ cognominatur Philippi, interrogauit discipulos suos, dicens: quem me dicunt homines esse, filium illum hominis?*
14.	Οἱ δὲ εἶπον, οἱ μὲν Ἰωάννην τὸν βαπτιστήν, ἄλλοι δὲ Ἠλίαν, ἕτεροι δὲ Ἱερεμίαν, ἢ ἕνα τῶν προφητῶν.	14.	*Illi vero dicebant: alij quidem Iohannem Baptistam, alij vero Eliam, alij vero Ieremiam, aut vnum de numero Prophetarum.*
15.	Λέγει αὐτοῖς, ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι;	15.	*Dicit illis: At vos quem me dicitis esse?*
16.	Ἀποκριθεὶς δὲ Σίμων Πέτρος εἶπε· σὺ εἶ ὁ Χριστός, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος.	16.	*Respondens autem Simon Petrus dixit: Tu es Christus ille filius Dei viuentis.*
17.	Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτῷ, μακάριος εἶ Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ' ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.	17.	*Respondens Iesus dixit illi: Beatus Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis.*
18.	Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.	18.	*At ego vicissim tibi dico, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam, & portæ inferorum non valebunt aduersus illam.*
19.	Καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.	19.	*Et dabo tibi claues regni cœlorum: Et quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis.*
20.	Τότε διεστείλατο τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν, ὅτι αὐτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός.	20.	*Tunc edixit discipulis suis, ne cui dicerent, quod ipse esset Iesus Christus.*

MARC. 8.

27.	Καὶ ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὰς κώμας Καισαρείας τῆς Φιλίππου, καὶ ἐν τῇ ὁδῷ ἐπηρώτα τοὺς μαθητὰς, λέγων αὐτοῖς· τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι;	27.	*Et egressus est Iesus & discipuli illius in vicos Cæsareæ, quæ cognominatur Philippi. Et in via interrogauit discipulos suos, dicens illis: quem me dicunt homines esse?*
28.	Οἱ δὲ ἀπεκρίθησαν, Ἰωάννην τὸν βαπτιστήν, καὶ ἄλλοι Ἠλίαν, ἄλλοι δὲ ἕνα τῶν προφητῶν.	28.	*Illi vero responderunt: Iohannem Baptistam, & alij Eliam, alij rursus vnum de numero Prophetarum.*
29.	Καὶ αὐτὸς λέγει αὐτοῖς, ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι; ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Πέτρος, λέγει αὐτῷ, σὺ εἶ ὁ Χριστός.	29.	*Et ipse dicit illis: At vos quem me dicitis esse? Respondens autem Petrus, dicit illi, Tu es ille Christus.*
30.	Καὶ ἐπετίμησεν αὐτοῖς, ἵνα μηδενὶ λέγωσι περὶ αὐτοῦ.	30.	*Et interminatus est eis, ne cui dicerent de se.*

LVC. 9.

18.	Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον καταμόνας, συνῆσαν αὐτῷ οἱ μαθηταί, καὶ ἐπηρώτησεν αὐτούς, λέγων· Τίνα με λέγουσιν οἱ ὄχλοι εἶναι;	18.	*Et factum est, cum solus esset ipse orans, erant cum eo discipuli, interrogauitque illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ?*
19.	Οἱ δὲ ἀποκριθέντες εἶπον, Ἰωάννην τὸν βαπτιστήν, ἄλλοι δὲ Ἠλίαν, ἄλλοι δέ, ὅτι προφήτης τις τῶν ἀρχαίων ἀνέστη.	19.	*At illi respondentes dixerunt, Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero, quod Propheta quispiam de antiquis surrexit.*
20.	Εἶπε δὲ αὐτοῖς, Ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι; ἀποκριθεὶς δὲ Πέτρος εἶπε, Τὸν Χριστὸν τοῦ Θεοῦ.	20.	*Dixit autem illis, Vos autem quem me dicitis esse? Respondens autem Petrus dixit: Christum Dei.*
21.	Ὁ δὲ ἐπιτιμήσας αὐτοῖς, παρήγγειλε μηδενὶ εἰπεῖν τοῦτο.	21.	*At ille comminatus illis præcepit, ne cui dicerent hoc.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, EX trium Euangelistarum descriptionibus coagmentata.

c Καὶ ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς, b καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, a εἰς τὰ μέρη, b εἰς τὰς κώμας c Καισαρείας τῆς Φιλίππου. c Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον καταμόνας,	c *Et egressus est Iesus,* b *& discipuli eius,* a *in partes,* b *in vicos* c *Cæsareæ, quæ cognominatur Philippi.* c *Et factum est, cum solus esset ipse orans, erant cum*

σιωπῶσαν αὐτῷ οἱ μαθηταί. h Καὶ b ἐν τῇ ὁδῷ l ἐπηρώτα αὐτοὺς b τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, l λέγων b αὐτοῖς· τίνα με λέγουσιν c οἱ ἄνθρωποι c οἱ ὄχλοι l εἶναι, a τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; l οἱ δὲ h ἀποκριθέντες f εἶπον, a οἱ μὲν l Ἰωάννην τὸν βαπτιστήν, ἄλλοι δὲ Ἡλίαν, a ἕτεροι δὲ Ἱερεμίαν, b ἄλλοι δὲ e ἕνα τῶν προφητῶν, c ὅτι προφήτης τὶς τῶν ἀρχαίων ἀνέστη. b Καὶ αὐτὸς λέγει αὐτοῖς, Ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι; Ἀποκριθεὶς δὲ a Σίμων b ὁ l Πέτρος εἶπεν b αὐτῷ, c τὸν χριστὸν τοῦ Θεοῦ. e σὺ γὰρ εἶ ὁ χριστός, a ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτῷ, Μακάριος εἶ Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ᾽ ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Τότε διεστείλατο τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, h καὶ ἐπιτιμήσας e παρήγγειλεν h αὐτοῖς, e ἵνα l μηδενὶ εἴπωσιν e τοῦτο b περὶ αὐτοῦ, a ὅτι αὐτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ χριστός.

eo discipuli. h *Et* b *in* l *via interrogauit ipsos* b *discipulos suos,* l *dicens* b *illis:* l *Quem me dicunt ho-mines* c *turba* l *esse* a *filium illum hominis?* l *Illi vero* b *respondentes* f *dixerunt,* a *alij quidem* l *Iohannem Baptistam, alij vero Eliam,* a *alij vero Ieremiam,* b *alij vero,* e *vnum de numero Prophetarum:* c *quod Propheta quispiam de antiquis surrexit.* b *Et ipse dicit illis; At vos quem me dicitis esse? Respondens autem* a *Simon* l *Petrus dixit* b *illi,* c *Christum Dei.* e *Tu [enim] es Christus ille* a *filius Dei viuentis. Et respondens Iesus dixit illi: Beatus Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis. Et ego vicissim tibi dico, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam, & portæ inferorum non valebunt aduersus illam. Et dabo tibi claues regni cœlorum. Et quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Tunc edixit discipulis suis,* h *&* *interminatus* c *præcepit* h *illis,* e *ne* l *cui dicerent* e *hoc* b *de ipso,* a *quod ipse esset Iesus Christus.*

Periocha huius historiæ.

Ante omnia locus indicatur, in quo hoc colloquium institutum, insignisque illa confessio edita est. Nominatur autem *Cæsaria Philippi.* Hæc ciuitas sita fuit in confinio Phœniciæ, ad radices montis Libani, in loco, vbi fontes Ior & Dan commiscentur, in agro compascuo & fœcundo, ac omnis generis fructibus affluenti. Antiquitus dicta fuit Lesem: Iosu. 19. vers. 47. vel etiam Lais Iud. 18. versic. 7. At postea cum quidam ex filiis Dan ob incursiones Chananæorum sedem suam mutare cogitarent, missisque exploratoribus, & deprehensis incolis eius securis, vt illam occupassent, mox eandem reparantes, coniunctis duabus dictionibus Lesem Dan eam vocarunt, secundum nomen Dan patris sui. Fuit locus omni tempore idolatriæ nomine celebris. Nam mox initio Danitæ ibi considentes, argenteum idolum sibi erexerunt, quod vna cum Ephod & sacerdote & domo Michæ in monte Ephraim habitantis, violenter abripuerant. Postea Ieroboam idolomaniam hanc adauxit, erigendo in eodem loco vitulo aureo, quem Israelitæ loco veri Dei ex regis præscripto colebant, ne Ierosolymam vsque adscendere cogerentur. 1. Reg. 12. versic. 29. Contra quam idolomaniam omnes fere Prophetæ pugnarunt, donec Israelitæ à Teglatphalassar & Salmanassar captiui in Assyrios sunt abducti. 1. Reg. 17. vers. 6. Tandem cum hæc vrbs Romanæ pareret potestati, tam à Græcis quam Latinis historiographis Paneas appellata est, à Paneade fonte, qui eam alluit. Quo tempore etiam hic honor ei accessit, vt non solum in numero ciuitatum Decapoleos censeretur, sed etiam Ituræ à Traconitidis regionum metropolis esset. Hanc ciuitatem Philippus, Herodis maioris filius, & frater illius qui Iohannem Baptistam decollauit, in tetrarchiæ suæ sedem eligens, amplius ac nouis ædificiis instaurauit: vtque glorioso nomine eam illustraret, in Tiberij Cæsaris honorem, & ad perpetuam nominis ipsius celebrationem, *Cæsaream* nominari voluit. Quia autem Herodes maior in Iudæa iuxta mare quoque ciuitatem magnis sumptibus honorem Cæsaris Augusti exstruxerat, in eo loco, qui prius dicebatur turris Stratonis, vt scribit Iosephus libr. Antiquit. 15. capit. 12. & illam ipsam quoque Cæsaream appellarat: hæc ad illius differentiam dicta est *Cæsarea Philippi.* Post Christi autem tempora, Agrippa rex, cum Cæsareæ pomœria amplius dilataret, in honorem Imperatoris Neronis, eam Neronianam siue Nerodiada appellauit, teste eodem Iosepho lib. Antiq. 20. cap. 16. Sed neque hoc nomen diu retinuit: cum D. Hieronymus eam suo tempore prisco nomine Paneadem rursus appellatam scribat. Quod etiam nomen apud Ptolomæum & alios Scriptores inuenitur. Ita enim illud nomen vsitatum fuit, vt etiam adiacens regio inde Paneas fuerit cognominata. Sita igitur fuit hæc ciuitas in confinio gentium & Iudæorum, atque promiscue habitata, tam à Syris, quam à Iudæis. In hoc confinio voluit Christus sonare confessionem Petri, quam ipse nomine reliquorum Apostolorum edidit, vt innueret Ecclesiam veram esse ædificandam in medio Iudæorum & gentium. Etsi enim ipse fuit minister circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrū, Rom. 15. v. 8. subinde tamen prælusit gentium vocationi, quasi gestiens se ipsis quoque offerre, vt apud quas firmiorem sedem quam apud contumaces Iudæos esset habiturus. Ipse enim est, qui vtraque fecit vnum, medium parietem maceriæ soluens. Ephes. 2. vers. 14. Christus autem vrbem ipsam ingredi noluit. Sed factum hoc est, cum venisset *in partes*, seu, vt Marcus exprimit, *εἰς κώμας, in vicos* vrbis. LXX. enim Interpretes vocabulum בנות, quod Latini interpretati sunt filias, reddiderunt κώμας. 2. Paralip. 13. vers. 19. 2. Paralip. 28. vers. 18 & alibi. Significant autem κώμας, villas vel pagos, qui ex metropoli ceu Coloniæ sunt deducti & exstructi. Et vt filiæ ad matrem pertinēt, ita tales villæ ad vrbem. *VVie die Dörffer, die zu einem Ampt gehœren.* Et hæc circumstantia loci diligenter est notanda. Quis enim putabit, casu vel temere factum esse, quod Christus in illo confinio potius quàm alibi examen fidei Apostolorum instituit? At verò quia Pontificij Ecclesiæ successionem perpetuam certo loco alligatam esse volunt, dicant hic nobis, quid caussæ sit, quod Romæ illam potius, quàm Cæsareæ, vbi Apostolica hæc confessio sonuit, & suam commendationem à Christo accepit, constituant? Dicant, inquam, caussam, quare petra hæc, super quam Ecclesia est fundata, in monte Tarpeio potius quàm Cæsareæ sit quærenda. Scio, nihil solida habituri sunt, quod respondeant: quia Ecclesia Christi in Nouo Testamento nulli certo loco alligata, sed inter Iudæos & gentes extructa est. Ibi ergo eam quæramus, vbi confessio Petri sonat.

II. Seruator in via considerans malitiam Pharisæorum & Sadducæorum, quæ ipsum ex Iudæa expulerant: vulgi item vana iudicia, quod licet magnifice de ipso sentiret, à vero tamen aberrabat: discipulorum denique imbecillitatem, qua laborabant: sese conuertit ad preces. Quibus absque dubio à Patre serio contendit, vt ex vulgo quidem eos, qui adhuc sanabiles essent, ab erroribus liberaret, his vero fidei lumen adaugeret. Hoc modo exemplum nobis præbens, vt res grauiores, maxime autem Ecclesiæ vel religionis negotia tractaturi, ea à precibus auspicemur.

Mox peractis precibus instituit examen inter discipulos de fide ipsorum & futura eius prædicatione inter Iudæos & gentes, inquirens: *Quem me dicunt homines turba esse filium illum hominis?* Origenes dicit: Nos semper scrutari debere, qualis sit opinio hominum de nobis: vt si quid mali de nobis dicitur, occasiones eius præcidamus: sin quid boni audiamus, eius occasiones augeamus. Et recte quidem illud cæteris hominibus, inprimis autem illis, qui aliis præsunt, dicitur. Vt nimirum verbi ministri, principes item viri, etiam mutato habitu, interdum plebeijs conuersentur, & horum de se iudicia audiāt, quo cognoscant quid in seipsis & ministris corrigere debeant. φιλαυτίας enim vitium omnibus inhæret, vt nisi ex aliis vitia nostra audiamus, non facile illa deponamus. Hoc modo Apelles operam dedit, vt ex vulgi iudiciis intelligeret, nunquid vitij suis picturis inesset. At Christus hoc fine inquisitionem illam non instituit. Neque enim ipse testimonium accipiebat ab homine, Ioan. 5. versic. 34. Adhæc, non opus ei erat, vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine. Ioan. 2. vers. vlt. Sed hoc omne fecit in eum finem, vt remotis erroribus & scandalis, quæ ex diuersis hominum de ipso sententiis nascebantur, discipulos

in vera

in vera & certa fide confirmaret,ne & ipsi incertis opinionibus se abripi paterentur.Idem adhuc hodie facit: vt si quando Articulus ad salutem necessarius vel desidia Pastorum obscuratur, vel contentionibus absurdorum hominum contorquetur, tum occasionem præbet quæstionibus & disputationibus, quo diligenti ventilatione Scripturarum dubia tollantur,& veritas in apricum proferatur. Interrogat autem, non quid Pharisæi vel Scribæ de ipso sentirent. Horum enim inuidia,liuor & odium iam erant nota,vt Apostoli ipsorum iudicia merito non admitterent. Inuidia enim excœcati,Christum modo Samaritanum,modo vini potorem,modo publicanorum amicum, modo peccatorum & excommunicatorum patronum esse,modo dæmonio agitari, dicebant. Hos igitur tanquam cœcos & duces cœcorum vitandos esse, dudum docuit.Sed interrogat,quid *homines*,seu,vt Lucas eos nũcupat *turbæ*,quę passim eum sequebantur,& honestius de ipso iudicabant,sentirent. Sibi autem ipsi tribuit Epitheton *filij hominis*, quod vsitato scripturæ typo vulgarem hominem denotat: & Prophetæ Ezechielis quasi proprium nomen fuit,quo Deus eum humilitatis admonere voluit,ne sese efferret ob donum prophetiæ & cœlestes visiones,vtiq; sibi diffisus totus potentiæ & gratiæ eius, qui eum ad Prophetarum munus vocarat,nitetur, Dan.8.v.17. Danieli ex regio stemmate oriundo, eadem de caussa hoc nomen attribuitur.Alias autem,vt Psal. 8.v.5.item Dan.7.vers.13.& 10.vers.6.tribuitur venturo Messię. Paulus enim illud hoc modo exponit,Ephes.1.v.2.& Hebr.2. vers.6.Examen ergo fidei Christus ita instituit,quod non tantum quærit,quid ipsi sentiant: sed prius explorat, quam varia sint aliorum iudicia: & quam diuersæ sententiæ vulgi de fide. Et hæc ratio examinis hæc potissimum monet. 1. Opus esse, vt fides ita conformetur, vt non tantum quis pro se recte sentiat:sed etiam seiungat se ab omnibus aliis opinionibus à vera fide discrepantibus. 2. Fidem non debere perturbari,propter exorientes varias hominum opiniones, & diuersa vulgi iudicia. Semper enim in Ecclesia fuerunt dissensiones,& futuræ sunt ad nouissimum vsque diem. Quia sic manifestati fiunt probati, 1.Corinth.11.vers.19. Et hoc facit ad fidei commendationem, quando illa sepositis omnium hominum opinionibus,vni & soli Dei verbo reuelato ac scripto firmiter inhæret. 3. Etiam eos,qui bonam intentionem habent (vt vulgo loquuntur) in fide errare posse, si fundamentum non teneant. Illi enim, de quibus Christus & Apostoli hoc loco loquuntur, non fuerunt Christi hostes, non pro seductore vel seditioso(vt Pharisæi)ipsum habuerunt,sed admodum honorifice de Christo sentire voluerunt:& tamen errarunt.

III. Apostoli ingenue & libere respondent: quod nimirum illæ sententiæ passim in vulgus emanarint,de quibus supra cap.75. Huius Harmoniæ audiuimus,quod in aula Regis Herodis ventilatæ fuerint. Nimirum quod *alij eum Ioannem Baptistam, alij Heliam, alij Ieremiam* esse iudicarunt. Ex quo videmus, homines potissimum dupliciter errare circa agnitionem Christi. Vel enim errant de persona eius: quod putant, aliquem ex antiquis Prophetis rediisse: hoc est, statuunt quidem ipsum esse hominem sanctum à Deo missum, ad eximium officium segregatum & deputatum: purum tamen & nudum putant esse hominem. In hunc scopulum antiquitus impegerunt Ebion,Cerinthus,Samosatenus,Photinus,Aetius,Eunomius,Arius,Mahomet, nostra ætate Seruetus,& multi alij, qui diuinitatem Christi negarunt, & adhuc negant. vel errant de officio ipsius, putantes eum esse vel *Heliam*: quia is gladio interfecit Baalitas & Pseudoprophetas, 1.Reg.18.versic.40.vel *Ieremiam*, quia Deus ei dixit, Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes. Sic Iudæi olim existimarunt Messiam mundanum regnum instituturum, & Romanos ex Palæstina eiecturum.Hodie Pontifex Romanus consimiliter ex Christi regno siue Ecclesia, facit politiam mundanam, in qua ipse tanquam Rex regum præsidet: Cardinales autem, Episcopi suffraganei,& reliqui de Clero rasi vndique sacerdotes, tam cucullati, quam excullati, instar Electorum,Principum, Comitum & nobilium longe lateque inter Christianos dominantur, & tantum non politicam iurisdictionem exercent.

Sed operæ pretium est simul attendere, vnde hæ erroneæ sententiæ apud Iudæos prouenerint. Nam ex iisdem fontibus etiamnum hodie hæreses & sectæ in Ecclesiam Christi promanare solent.Primus fons horum errorum fuit Philosophia male diluta, quam suæ religioni impie Iudæi admiscuerunt. Post Alexandri enim tempora,vt gentibus & præsertim Græcis vterentur clementioribus,tum in aliis sese ipsis accommodarunt, tum gymnasium Hierosolymis exstruxerunt, secundum leges nationum, 1.Maccab.1. vers.15. In illo Philosophiam gentilium tractarunt, ex qua tum alios religionis suæ articulos, tum imprimis illum περὶ παλιγγενεσίας de spirituali Regeneratione, ita corruperunt,vt vel Pythagoricam μετεμψύχωσιν, de qua supra cap.75.copiosius statuerint, vel crassam aliquam renascentiam sibi imaginati sint, qualem Nicodemus prodit Ioan.3.vers.4. Non immerito itaque Paulus omnes Christianos monet,Coloss.2.vers.8.vt sibi caueant,ne decipiantur per Philosophiam & inanem fallaciam. Et Tertullianus lib. aduersus Hermog.cap.8. Philosophos vocat Patriarchas Hæreticorum. Quod ipsum tamen nemo sic accipiat,ac si Philosophiam insolidum reiiciamus. Hoc enim esset extinguere lumen rationis. Sed si Philosophia ancilletur Theologiæ: & si lumen rationis secundum lumen gratiæ siue verbi diuini reguletur,tum acutius talem cernere statuo,non aliter quam si quis hebetiorem visum vsu perspicillorum acuat.

Alter fons est,quem Paulus Coloss.2.vers.8. vocat παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, Traditionem hominum. Habuerunt enim tum temporis Iudæi non minus suas traditiones, quæ antiquitatis nomine venditabantur, quam hodie in Papatu traditiones Apostolicæ habentur, quibus multi seducuntur. Inter alios habuerunt quendam Iosephum nomine,filium Gorionis,qui Hebraice historiam Iudaicarum rerum descripsit à tempore captiuitatis Babylonicæ ad Pilatum vsque. Is ponit in libr.1. capit.18.Ieremiam, cum arcam templi abscondisset (de quo 2.Maccab 2.versic.5 scribitur)dixisse: Non faciet homo, neque cognoscetur locus, donec venero Ego & Helias Propheta famulus Domini:tunc restituemus arcam in locum suum intra sancta sanctorum. Quisque igitur apud se probe expendat, quid Traditionibus extra scripturam tribuendum sit. Tertius fons horum errorum fuit verbum Dei non dextre susceptum & explicatum. Quia enim Deus per Malachiam cap.4.versic.5.dixit: Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, ideo ipsi illud de persona Heliæ intellexerunt, quasi is ex paradiso rediturus esset: cum tamen illud angelo teste, Luc.1.versic.17. intelligendum sit de eiusmodi persona, quæ Messiam in Spiritu & virtute Eliæ præcessura esset.Hanc peruersam interpretationem adauxit illud,quod 2.Par.21.vers.12. scribitur, allatas esse literas ab Helia Propheta ad regem Ioram,in quibus ipsum reprehenderit ob idolomaniam. Atqui Helias aliquot annis ante in cœlum translatus fuerat, quam Ioram regnare inciperet. Finxerunt ergo Heliam illam epistolam ex paradiso misisse: & sic vltro citroque commeandi facultatem ipsi datam esse statuerunt. Quasi vero non aut alius hic Helias à Thesbite fuerit: aut is ipse Thesbites ex prophetico spiritu literas, dum adhuc in terris versaretur,scribere & post se relinquere potuerit,quę postea demum ad Ioram allatæ fuerint.Non frustra ergo Paulus Rom.12.vers.6.monet, vt Prophetia siue interpretatio Scripturæ analogia sit fidei. Nec parum interest,vt probatos habeamus & fidos Scripturarum interpretes. Neque enim omnes sunt Theologi,qui sacerdotali veste induti sunt, & paucula quædam ex scriptura adferre possunt:sed necesse est,vt quis sit δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, potens in Scripturis, Actor.18.v.24. qui totum corpus doctrinæ cœlestis animo complectatur,illudque dextre ad gloriam Dei & hominum ædificationem accommodare possit. Quia igitur purum verbum habemus, non fiamus securi nec desides, quasi Deus illud nobis seruare cogatur, qualitercunque illud tractemus. Sed studeamus & oremus,vt Deus sanum eius intellectum nobis largiatur. Cum enim Scriptura non sit priuatæ interpretationis,1.Pet.1.v.20.multo labore genuinus eius sensus est seruandus & inquirendus. Hosce ergo fontes errorum probe notemus. Nam etiamnum hodie plurimum erroneæ sententiæ partim ex Philosophia male diluta,partim ex Traditionum persuasione,partim ex falsa Scripturarum interpretatione profluit.

IV. Cæterum, Christus hac Apostolorum responsione, qua aliorum saltem sententias retulerunt,noluit esse contentus. Neque enim in caussa fidei aliorum saltem sententia stare debemus.Sed iustus fide sua viuet.Hab.2.v.5. Et vnusquisque in animo vel sensu suo πληροφορείσθω, plane certus esse debet.Romanor.14.versi.5. Ideo mox addit: *quem vero vos me esse dicitis*? Hic particula *vos* emphatice posita est, qua eos à turbis segregat. *Vos*, qui tamdiu mecum fuistis: qui doctrinam meam indesinenter audistis:quem *me*, qui reliquis vilesco ob humilem meam speciem, *esse dicitis*?Hic vero Petrus reliquorum suorum collegarum nomine prodit, & insignem edit confessionem. Vbi diligenter obseruandum est, quæ sint capita eius Confessionis. Hæc enim est vera Apostolica & Catholica fides, cui ipse Dei filius hoc loco beatitudinem tribuit.Et quia Ioann.17.vers.3.Christus inquit: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et Ies.53.v.11.pater dicit: Seruus meus iustus cognitione sui iustificabit multos. Ideo videre licet,quod Apostolica confessio vtrumque articulum comprehendat, & articulum Trinitatis, & articulum agnitionis Christi. Articu-

lus Trinitatis hoc modo positus est in hac confessione: vt primo nominetur *Deus viuens*, qui est Deus pater, solus verus Deus, qui & in semetipso vitam habet, & idem solus omnia viuificat. Dum Dij gentilium vel inanimata idola sunt, hominũ manibus facta, vel homines iam demortui. Deinde nominatur *filius Dei*: & vt non adoptiuus (quales nos sumus) sed naturalis filius intelligatur, qui Patri ab æterno est consubstantialis, & ipse quoque vitam in se habet, eandemque omnibus in se credentibus de suo confert, Iohan. 5. versic. 26. adduntur in Græco textu singulis dictionibus articuli, quod non otiose, sed emphaseos caussa factum est, vt sic à reliquis hominibus omnibus distingueretur: ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. Denique quia Iesus est Christus, hoc est, vnctus. Non autem est vnctus oleo vel sacerdotali, Exod. 30. versi. 23. vel Regio, 1. Reg. 3. ver. 39. sed spiritu Sancto, Psalm. 45. versi. 8. Luc. 4. versic. 18. Iesa. 61. versi. 1. Ideo Spiritus sancti persona hic diserte quoque innuitur. Atque sic omnes tres personas distinctè in hac confessione positas habemus. Quæ est vna pars fidei Apostolicæ, quæ per omnia conuenit cum veteri Patriarchali fide, prout illud in expositione quadragesimi octaui capitis Geneseos commonstrauimus.

Articulus autem cognitionis Christi, duo capita habet in hac confessione. Vnum de persona, alterum de officio. De persona confitetur eum esse verum Deum & verum hominem. Ideo Petrus dicit, *tu*: quasi dicat, *Tu*, qui modò professus esses, te esse *filium hominis*, vt & reuera homo es ex Maria virgine natus, nobis quoad humanam naturam per omnia ὁμοιος, & propterea à multis despectus, adeoque nouissimus virorum, & vir dolorum, Iesa. 53. ver. 3. Idem tamen simul es *filius Dei viuentis*. Agnoscit ergo Petrus Iesum in vna indiuisa persona Deum & hominem. Quod caput confessionis Petrinæ D. Athanasius eleganter in suo symbolo his verbis reddidit: Dominus noster Iesus Christus Dei filius & homo est. Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens, &c. De officio confitetur, quod sit *Christus Domini*. Quæ appellatio complectitur omnia quæ ad sacerdotium & ad regnũ Christi pertinent. Sacerdotis officium peragit docendo, dum non tãtùm ipse, quamdiu in his terris vixit, Dei patris voluntatem nobis fideliter tradidit, sed etiamnum ministros Ecclesiæ suæ surrogat, per quos ea doceatur: sacrificando, dum semetipsum hostiam pro nostris peccatis fecit, cuius meritum durat in æternum, vt in ipso peccatorum remissionem inueniant omnes qui vera fide eum apprehendunt: orando, quia non tantùm in diebus carnis suæ preces & supplicationes pro nobis cum valido clamore & lacrymis obtulit, Hebr. 5. versiculo 7. sed etiamnum sedens ad dexteram Patris intercedit pro nobis, Roman. cap. 8. versiculo 34. benedicendo denique, quia ipse est benedictum semen, in quo benedicendæ omnes gentes terræ, in omni benedictione spirituali in cœlestibus, Ephes. 1. versiculo 3. Hæc ad officium Sacerdotale pertinent. Regem autem fortem & fidelem se præstitit, dum in domum fortis illius, diaboli, ingressus, illum deuicit, & suos ex ipsius tyrannide liberauit: in libertatem assertos tuetur, ne quis ipsos ex sua manu rapere possit: eosdem sceptro verbi sui regit, & quia verba vitæ æternæ habet, salutiferis præceptis ad vitam instruit: olim etiam ad iudicium venturus, iustitiam & iudiciũ administrabit omnibus, & vnicuique retribuet in corpore suo, prout bonum vel malum fecerit, 2. Corinth. 5. versi. 10. denique in regno gloriæ suæ omnium cœlestium suorum bonorum thesauros inter ipsos distribuet. Hæc ad officium regale pertinent.

Et hæc omnia complectitur breuis hæc confessio Apostolica, quæ si mediocri explicatione euoluantur, tunc rectius intelliguntur. Sed quia passim nunc prostant Didactici libelli, in quibus hæc omnia plene & dextre tractantur, sufficit hoc loco summa rerum fastigia attigisse & monstrasse.

Vsus tamen huius confessionis & eiusdem repetitionis etiam notetur. Primus sit διδακτικός, vt hæc vestigia synceræ fidei à Petro in hac confessione monstrata studiose sequamur & tueamur, contra Iudæos, Turcas, Arianos, & alios phanaticos, qui hanc fidem vel nunquam susceperunt, vel dudum secessionem rursus ab ea fecerunt. Hæc enim est illa fides, quam ex Patris reuelatione ortam esse Christus ipse testatur, quam Apostoli postea omnes tradiderunt, Martyres roborarunt, Conciliorum veterum canones stabiliuerunt, & Christianorum Imperatorum leges Ecclesiæ commendarunt. Eandem in nostris Ecclesiis & Scholis retineamus, auditoribus & inprimis iuuentuti constanter proponamus, sic eos ad æternam salutem adducemus. Secundus vsus sit ἐλεγκτικός, vt non tantum reiiciamus, refutemus, & damnemus omnes hæreses cum hac confessione pugnantes, siue illæ sint nouæ, siue veteres. Quales sunt Samosatenianorum, Noetianorum, Patrispassianorum, Anti-Trinitariorum, Tritheitarum, Serueti & aliorum, qui Trinitatis articulum impugnarunt. Item Arianorum, Apollinaris, Marcionitarum, Manichæorum, Nestorianorum, Eutychianorum & aliorum, qui in doctrina de persona Christi errarunt, & vel diuinitatem vel humanitatem eius negarunt, vel personam distraxerunt, vel naturas confuderunt: adeoque sonora voce nos ab ipsis omnibus seiungamus. Sed etiam reipsa & facto conuitiatores nostros falsi conuincamus. Cum enim hanc D. Petri fidem, quam is omnium discipulorum nomine confessus est, Nos Euangelici fideliter custodiamus, & sancte retineamus, quæ hæc est ὕβρις & malitia Iesuitarum, quod nos Hæreticorum nomine traducunt? Hæc certe vnica & sola est vera Catholica fides, quam quia nos toto pectore amplectimur, vtique etiam Catholici erimus. Tertius sit παραμυθητικός & consolatorius aduersus omnes tentationes, siue interiores, siue exteriores. Interiores oriuntur ex sensu peccatorum, & grauant conscientiam. Vbi Diabolus grauioribus peccatoribus persuadere conatur, Deum nunquam fore ipsis propitium. Hisce tentationibus opponendum est Sacerdotium Christi, qui fidelis est Pontifex, & vna die omnem iniquitatem terræ abstulit, Zachar. 3. versi. 9. Non ergo peccemus. Sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum: ipse est propitiatio pro peccatis nostris, 1. Ioann. 2. versi. 1. Hic etiam omnes laborantes & peccatis oneratos in Euangelio ad se vocat, dulcissimis verbis refocillationem promittens. Externæ tentationes ex cruce & variis tribulationibus, quales sunt, morbi, egestas, fames, persecutiones, bella, exsilia & consimilia mala, quę nos pusillanimes reddunt, nascuntur.

His opponamus Christum regem cum sua omnipotentia: Siquidem ipsi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Ideo ipse morbis mederi, egenos ditare, suos in fame alere, bella sedare, omnia inimica depellere, & exsulibus in cœlesti patria firmas sedes attribuere potest, quas nulla aduersaria potestas ipsis eripiet. Qui hæc meditatur, ille magno animo cum Asapho dicere potest: Modo te habeam Domine Iesu protectorem & Regem, nihil mihi cum cœlo & terra. Deficiat sane caro mea & cor meum: tu Deus es petra cordis mei, & pars mea in æternum, Psal. 73. versi. 25. Quartus vsus sit παιδευτικός. Vt hanc fidem non modo ore & verbis profiteamur, sed etiam in tota vita omni obseruantiæ studio testemur. Antiquitus Deus ipse & Sacerdotibus & Regibus summam auctoritatem circumdedit, vt qui obedientiam ipsis detractarent, mortis supplicio mulctarentur, Deuteron. 17. versic. 12. & Romanorum 13. versi. 2. Quanto magis ergo huic Pontifici obsequium in verbo ipsius præstabimus? De quo Pater cœlitus dixit: hunc audite, Matth. 17. versi. 5. Et apud Moysen: Qui verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, Ego vltor exsistam, Deuter. 18. versic. 19. Hic quoque rex ille Sionis est, de quo apud Prophetam: Gens & regnum, quod non seruierit tibi, peribit: & gentes solitudine vastabuntur, Iesa. 60. versi. 12. Quid multis? Pater diligit hunc filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem ἀπειθῶν non paret filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum Ioann. 3. versic. vltim.

V. Præcipue autem considerandum est, quid ipse Dei filius de hac Apostolica confessione prædicet. Illa vero non sunt vniusmodi. Quædam enim pertinent ad priuatam credentium salutem: vt quod inquit, *Beatus es*. Ostendens homines aliàs perditos, fide huius confessionis saluari: & eius fidei caussam efficientem non esse *carnem & sanguinem*, hoc est, sapientiam & industriam humani ingenij, sed illuminationem *Patris* per Spiritum in ministerio. Quædam vero pertinent ad publicum ministerium. Vt cum inquit: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quasi diceret: Huius doctrinæ & fidei confessio, licet nunc videatur ignobilis & obscura: tamen erit ea fundamentum Ecclesiæ per totum terrarum orbem ædificandæ. Quæ Ecclesia quia comprehendit Christum, tanquam annulus gemmam, contra omnes non mundi tantum & carnis, verum etiam inferorum portas consistet. Quia vero dixerat, *Pater meus reuelauit*: Item: *Ego ædificabo*: Ne Enthusiastæ somniarent, sine medio aliquo ipsum hoc facturum, addit de ministerio Apostolorum, & eorum successorum, quod suauissimis metaphoris soluendi & ligandi describit.

Hæc est summa magnificæ illius cõmendationis, qua Christus Petri confessionem excepit. Quia tamen eadem vniuersam quoq; salutis & beatitudinis nostræ rationem continet, singula eius membra diligentius sunt excutienda: maxime quia locus hic plus quam aureus & gemmeus à Romanensibus miris modis fuit deprauatus. Operam autem dabimus, vt quantum per Dei gratiam fieri potest, methodo perspicua & facili in illustrando hoc loco vtamur.

Primum

Primum manifestum est, Christum hic in confinio Iudæorum & gentilium constitutum, loqui de *Ecclesia*, quam propediem ex vtroque populo colligere & Catholicam facere velit. Et hoc facit ad consolationem discipulorum, qui tum, tanquam pusillus grex, terreri poterant potentia & multitudine suorum aduersariorum, Pontificum, Sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum, Herodianorum, Sadducæorum. Confert autem in tota hac oratione Ecclesiam illam siue domo, siue ciuitati: idque vtrumque secundum phrases Scripturæ ac Prophetarum. Est enim Ecclesia domus Dei viui, 1. Tim. 3. versic. 15. Præfigurata per domum Domini, quam ædificauit rex Salomon, 1. Reg. 6. vers. 1. De qua tam Esaias cap. 2. vers. 1. quam Micheas cap. 4. versic. 1. dixerunt: quod in nouissimis diebus mons domus Domini sit futurus præparatus in vertice montium, & eleuatus super colles, ad quem fluent omnes populi. Est quoque Ecclesia ciuitas Dei, de qua dicta sunt gloriosa, Psalm. 87. versic. 3. cuius fundamenta sunt in montibus sanctis. Hæc est ciuitas illa Domini, cuius fluminis impetus lætificat sanctas habitationes altissimi, Psalm. 46. vers. 5. Quam videntes Reges terræ admirati, conturbati & commoti sunt: sicut audiuimus & vidimus in ciuitate Domini exercituum, in ciuitate Dei nostri, Psalm. 48. vers. 5. Hæc vero Ecclesia solius Christi est, qui propterea hic dicit *meam*. Vt occurrat ambitioni eorū, quos nouissimis temporibus sibi dominium in Ecclesiam vsurpaturos non ignorauit. Certe maximum sacrilegium est sibi imperium sumere in eam Ecclesiam, quam Christus sanguinis sui pretio acquisiuit.

Deinde vero hæc siue ciuitas, siue domus, non sponte sua exstitit, sed architecto indiget, à quo constituatur. Ille architectus est tota Trinitas, omnipotens Deus. Sic enim Dauid in Psalm. 87. versic. 5. Nunquid non dicetur de Sion, ipse altissimus fundauit eam? Huc Paulus respicit, 1. Corinth. 3. v. 9. Dei ædificatio estis. Etsi enim ibidem se quoque architectum dicit, non tamen hoc aliter intellectum vult, quam ratione ministerij. Deus enim hominibus administris vtitur in hoc spirituali ædificio perficiendo. Ne tamen hi quicquam suæ industriæ & dexteritati tribuant, Christus hic diserte dicit: *Pater meus reuelauit*. Item: *Ego ædificabo*. De Spiritu autem sancto dicit Paulus: Transformamur à Domini Spiritu à claritate in claritatem, 2. Corinth. 3. versiculo vltimo. Cum ergo tota Trinitas huius domus architectus sit, gloriam hanc hominibus non cedet, nisi quatenus hi se συνεργοὺς & ministros profiteantur. De his enim Paulus dicit, Ephes. 4. vers. 11. quod opus ministerij perficiatur per Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores ad consummationem sanctorū, in ædificationem corporis Christi. In Veteri Testamento Sacerdotes Iudaici quoq; fuerunt architecti vel ædificantes: sed hi peruersi reprobarunt pretiosum lapidem, qui factus est in caput anguli, Psalm. 118. vers. 22. Illis reiectis Christus in Nouo Testamento alios ædificantes vocauit, iuxta Prophetiam Zachar. 6. versic. 15. qui procul sunt venient, & ædificabunt in templo Domini.

Tertio videamus etiam fundamentum huius domus siue ciuitatis. De eo dicit Christus: *super hanc petram*. Hic vero grandis oritur controuersia inter Nos & Romanenses, super eo, quisnam sit *petra*. Romanenses strenue contendunt, per petram intelligendum esse Petrum: atque inde postea eliciunt primatum non tantum Petri, sed etiam omnium Romanensium successorum, quem hereditario iure à Petro obtinuerint. Quod nimirum virtute horum verborum Petrus constitutus sit Papa, qui Romæ viginti quinque annis sederit, qui suos successores sibi potestate pares fecerit: qui maiestate sua non tantum Principes & Reges, sed etiam Imperatores & Cæsares superet: cuius voluntas & potestas sit libera & absoluta decernendi, sanciendi & faciendi quicquid velit, non tantum secundum ius, sed etiam supra, extra, vltra & contra ius: adeo vt si innumerabiles populos cateruatim vna secum in gehennam in æternum vapulaturos deducat, nemo tamen huius culpas redarguere præsumat, nec quisquam ei dicere ausit, quid vel cur ita facis? Dist. 40. cap. Si Papa. Et lib. 1. Decret. cap. 3. Nos vero hæc omnia διαῤῥήδην negamus, & dicimus Petrum Romæ nec tamdiu nec vnquam ita sedisse, vt talem ac tam opulentam cathedram suis successoribus relinqueret: sed esse certissimum perditissimi Antichristi σημεῖον & signum, quod ipse se effert supra omne quod dicitur Deus, (sicut Deorum titulus magistratibus politicis tribuitur, Psalm. 82. vers. 1.) & sedet in templo Dei, ostentans se, quasi esset Deus, qui haberet potestatem mandandi, etiam ipsis angelis in cœlo.

Cum ergo controuersia hæc sit maximi momenti, accurate inquirendum est, quid per *petram* hic sit intelligendum. Et initio non negauero, si Patres inspiciamus, ipsos *petram* diuersimode interpretari. Multi inueniuntur, qui per *petram* Petrum intelligunt, quod is sit fundamentum Ecclesiæ: inter quos sunt Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Basilius, Ambrosius. Rursus sunt alij, non contemnendæ auctoritatis Patres, vtpote Hilarius, Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, imo etiam Ambrosius in Epistol. ad Ephes. capit. 2. qui per *petram*, non Petri personam, sed fidem ipsam, quam in Christum professus fuit, intelligere malunt, super quam sit ædificanda Ecclesia, vt contra omnes aduersarias potestates firma consistere possit. Quid vero nos hic dicemus? Vtram partem sequemur? Hic certi quid nos statuere oportet. Nam in Scripturæ explicatione non decet ἐπαμφοτερίζειν, fluctuare, vacillare, aut in vtrunque latus claudicare, vt liberum sit vel hoc vel alio modo eam intelligere, vel hunc vel illum sensum eligere, sed oportet animum in negotio religionis firma πληροφορίᾳ & fidei certitudine instructum & munitum esse, vt Scripturarum interpretatio non sit vaga, instabilis, ambigua, sed concinna, solida, certa, constans. Dico igitur, cum ipse Apostolus Petrus nos moneat, in 2. Epist. c. 1. v. 20. prophetiam seu Scripturæ interpretationem non esse ἰδίας ἐπιλύσεως, propriæ explicationis: ideo hic non attendendum esse, quid hic vel ille dicat, nec laborandum in variorum Patrum expositionibus conciliandis, & vel aliis probandis vel improbandis aliis. Sed Scripturam cum Scripturis, rem cum re, caussam cum caussa conferendam, vt ita ex ipsius sacræ Scripturæ compage & κατὰ περίστασιν verum, genuinum, geminum, & germanum huius loci sensum eruamus.

Age igitur spiritualia spiritualibus comparantes, locos cum locis conferentes, iuxta analogiam fidei hunc locum interpretemur. Fundamentum quærimus Ecclesiæ Christi. At D. Paulus interpres omni exceptione maior, 1. Corinth. 3. vers. 11. dicit: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est: quod est CHRISTVS IESVS. Et rursus, Eph. 2. versic. 20. Superædificati estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide IESV CHRISTO. Cum Paulo consentit D. Petrus, quo nemo hunc Christi locum rectius intellexit, qui 1. Epist. cap. 2. versic. 6. ex 28. capit. Iesaiæ testatur, IESVM CHRISTVM esse viuum, summum, angularem, electum & pretiosum illum lapidem, fundamentum in Zion: in quem qui credit, non pudefiet. In ore duorum horum testium, quorum ipsi etiam Patres discipuli fuerunt, consistat veritas huius expositionis, maxime quia cum ipso contextu consentit. Cum enim Christus ἐμφατικῶς dicat, se *super hanc petram* ædificaturum Ecclesiam, quam petram intelligemus aliam, præterquam Iesum quem confessus fuerat & filium Dei & verum Messiam esse? Qui antiquitus etiam *petra* populi Dei dictus est. Deut. 32. vers. 18. *Petram*, quæ te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Psalm. 18. vers. 3. Dominus *petra* mea, & refugium meum, & liberator meus. Psal. 31. v. 3. Iehoua esto mihi vt *petra* fortis, & vt domus munita, vt serues me. Hæc certa sunt & indubitata, ita vt eorum euidentia Augustinus motus, cum prius in Epistola quadam contra Donatum Episcopum Carthaginensem scripsisset, quod in Petro, tanquam in petra, fundata sit Ecclesia: libr. tamen Retract. 1. cap. 21. testetur, se sæpius sic exposuisse, vt super hunc ædificata intelligeretur, quem confessus esset Petrus dicens: Tu es filius Dei viui: ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hunc petram ædificatur, & accepit claues regni cœlorum. Non enim dictum est illi, Tu es petra: sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Et super Ioan. Tractat. vlt. sic scribit: Ecclesia fundata est super petram, vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro, petra, sed Petrus à petra: Sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quia dixerat Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui*. Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus, supra quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Hinc patet, Augustinum (vt nec reliquos Patres, Hilarium, Chrysostomum, Cyrillum, Ambrosium) nequaquam Petrum pro fundamento Ecclesiæ habuisse. Et quomodo Petrus sui ipsius fundamentum esse potuisset? cum ipse indiguerit fundamento, nimirum Domino Iesu Christo ipsiusque inuicto verbo, cui ipse fuit superstructus.

Sed largiamur paulisper Pontificiis, Petrum ipsum, nimirum respectu personæ suæ, non respectu doctrinæ seu confessionis, esse fundamentum Ecclesiæ. Dicant ergo nobis propter Christum, quam firmum fuerit hoc Ecclesiæ fundamentum contra portas inferorum? Nam mox sequenti capite audiemus, quod hic idem Petrus, qui propter confessionem de Christo filio Dei viuentis hic laudatur, mox propter immaturam suæ rationis sapientiam à Christo audierit: *Abi post*

me Satana, obstaculo es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ sunt hominum. Quis autem dicet, Satanam Ecclesiæ fundamentum esse, nisi ipse Satanas? Vbi vero mansit Ecclesiæ fundamentum, quando in passione Dominica Petrus, arrepto gladio, contra verbum & voluntatem Christi, aperta vi impletionem Scripturarum impedire voluit? Aut, cum cœpit exsecrari seipsum & iurare, quod non nosset hominem? Aut, vbi etiam tum mansit, quando Paulus videns, quod multi non recto pede incederent ad veritatem Euangelij, dixit Petro coram omnibus: Si tu, cum sis Iudæus, gentiliter agis ac non Iudaice, quare gentes cogis Iudaizare? Galat.2.versf.14. Denique quando Petrus senuit, extenditque manus suas, & alius eum cinxit, ac duxit *quo non volebat*, Iohann.21.versic.18. quodnam tum fuit Ecclesiæ fundamentum? Num Petro suspenso & occiso, etiam Ecclesiæ fundamentum suspensum & excisum fuit? Desinant ergo Romanenses in hac tam clara Euangelij luce Petrum loco Christi pro fundamento Ecclesiæ venditare.

Sicut autem Petrus non est fundamentum Ecclesiæ, sic etiam nullum in ea habuit primatum: quem ipse etiam nunquam nec agnouit, nec sibi arrogauit, qualem Pontificij illi affingunt. Etsi enim reliqui Apostoli fere semper (vt & hic factum est) Petro, vel propter ætatem grandiorem, vel propter rerum experientiam, vel propter animi magnitudinem & heroicum feruorem, hoc detulerunt, vt reliquos sermone præiret, vt referendo, vel monendo, vel hortando: Fuit tamen illa eminentia potius ordinis, quam potestatis, principatus vel dominij, quod nunquam sibi in reliquos sumpsit. Percurrat quis totam Actorum Apostolicorum historiam, & conquirat quicquid vsquam de munere potestatéque Petri exstat: nihil aliud reperiet, quam ipsum fuisse vnum ex numero duodecim, parem reliquis, Collegam & socium, non Dominum. Actor.2. versf.14. Extollit quidem in die pentecostes vocem suam, & habet concionem, sed adstant illi ad latus reliqui vndecim. Actor.4. versic.8. dicit causam in Synedrio Hierosolymitano, sed eandem vna cum Ioanne perorat. Actor.8. versicul.14. iussus à Collegis ire Samariam, non detrectat, sed paret, & commissæ legationis munus fideliter exsequitur. Cum Actor.11.versf.4. accusaretur, quod ad gentes ingressus fuisset, licet præter culpam argueretur, respondet tamen, & sese purgat. Non allegat capitulum, si Papa, &c. Actorum 15. versi.7. ipse quidem admonet in Concilio, quid facto opus sit: sed alios etiam audit: & non tantùm locum concedit dicendæ sententiæ, sed arbitrium illis permittit: vbi statuerunt, sequitur & obtemperat. Cum ad Pastores seu Presbyteros scribit, 1.Petr.5.versic.1. non mandat ex imperio, tanquam superior: sed collegas suos & compresbyteros facit, atque comiter hortatur, vt inter æquales fieri solet. Ex quibus omnibus palam fit, aut ἰσοτιμίαν & æqualitatem fuisse inter Petrum & reliquos Apostolos, aut certe nihilo plus potestatis fuisse Petro in reliquos, quam ipsi in illum habuerunt. Desinant ergo Papæ Romani suam allegare Superioritatem & primatum, quem habeant hæreditario iure à Petro propter Successionem: cùm hæc ipsa successio adeo incerta sit, vt nihil supra. Etsi enim ego negare nolim Petrum Romæ crucifixum esse, cum id vetustissimi Scriptores vnanimi fere consensu testentur: tamen eum Episcopum ibi fuisse, & iuxta Eusebij relationem viginti quinque annis ibi sedisse, illud Iesuitæ idoneis rationibus ex Scriptura & probatis auctoribus petitis, nunquam nobis probabunt. Etenim ex primo & secundo capite ad Galatas constat, Petrum circiter viginti annos à morte Christi fuisse Hierosolymis. Inde venit Antiochiam. Ibidem quamdiu fuerit, incertum est. Atqui à morte Christi vsque ad finem imperij Neronis, sub quo Petrus martyrio coronatus scribitur, reperiuntur tantum triginta septem anni. Ab his si viginti detrahas, quibus Petrum Hierosolymis habitasse Paulus testatur, non remanebunt tot anni sessionis in Roma, quot Romanenses ponunt. Quid dicemus de eo quod Paulus scribit 2. Timoth.4 versic.14. In prima mea defensione (quæ sub Nerone facta est, quando & morte fidem suam testatus occubuit) nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Vbi tunc Petrus, si Romanus fuit Episcopus? Num dicemus illum, vt olim abnegator fuit Christi, sic tum fuisse desertorem Pauli? Absit, vt hoc de ipso cogitemus, qui conuersus confirmauit fratres suos. Luc.22.v. 32. Tamen hinc elicitur, eum tum sedem Romanam non tenuisse: quomodo ergo Romanenses tam audacter de sede illa & suorum Successione in ea gloriari possunt? Sed esto: successerit Gregorius XIV. (& reliqui Pontifices Romani) Petro quid inde euincent? Num propterea successit eidem in pietate & officio? Num prædicat Euangelium omni creaturæ? Num hominum piscator est, an vero pecuniæ? Num est sal terræ? Num lux mundi? Num gregem pascit, non seipsum? Num in clerum & populum Domini dominium non exercet? Num lucrum turpe non affectat? Num exemplar est gregis? Num aliis potius ministrare, quam sibi ministrari cupit? Num omnes Episcopos & presbyteros socios & sympresbyteros suos esse putat? Num subiectus est regi tanquam præcellenti? Num Principibus tanquam à Deo & rege missis? Num fraternitatem diligit, Deum timet, Regem honorat? Num hoc facit? an vero his omnibus contraria facit? Ergò Petri successor est, vt Herodes Dauidis: vt Caiphas Aaronis: vt idolum abominationis, quod stetit in templo area: vt ἀντικείμενος ille, in templo sedens Dei. Si vult Petri successor esse, audiat memorabile Bernhardi vocem ad Eugenium: Verus successor Pauli dicet cum Paulo: non quod dominemur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij. Petri hæres audiat Petrum dicentem: neque vt dominantes in clerum, sed forma facti gregis. Superabundanter itaque demonstratum est, Petrum non esse fundamentum Ecclesiæ, multo minus illos, qui de successione eius gloriantur: sed Christum.

Quarto considerandum etiam, quinam super hoc fundamentum superstruantur. Hoc Christus indicat, dum inquit: *Tu es Petrus*. Reuocat ei in mentem, quod ipsi Iohann.1.versf. 42. sub initium suæ vocationis dixerat, Tu vocaberis Cephas, quod declaratur Petrus. Nunc ergo cognomen illud ipsi confirmat, occasione ex eo arrepta, quod ipsum, qui spiritualis est petra, cui Ecclesia ceu solido & inconcusso fundamento innititur, tam libere confessus erat. Quasi Christus diceret: quia tu spretis & abiectis aliorum sententiis, credis me esse æternum & vnigenitum Dei filium, & promissum generis humani Messiam, qui caput sim & fundamentum Ecclesiæ veræ, ex quo omnis salus promanet. Ego vicissim te propter constantem hanc fidem & intrepidam eius confessionem pro tali agnosco, & talem declaro, qui in spirituali hac mea domo siue Ecclesia lapis viuus & solidus esse debeas, fundamento huic superstructus ad nominis mei gloriam, & multorum aliorum ædificationem. Quod D. Petrus ipse hoc dictum Christi ita & non aliter intellexerit atque ad alios accommodarit, id testatur 1.Epist. cap.2. versf.3. cum ita scribit: siquidem gustastis, quod benignus sit Dominus. Ad quem accedentes, qui lapis est viuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum vero electus & pretiosus. Ipsi quoque veluti viui lapides ædificemini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendas spirituales hostias Deo per Iesum Christum. Docet nimirum hic Petrus, verbi ministerium à Christo in hunc finem esse institutum, vt eius doctrina homines ad Christum, ceu solidum & vnicum fundamentum Ecclesiæ, adducantur ad lapidem angularem verum & viuificum: quo & ipsi fiant lapides viuificati, sicque tandem coniuncti fiant spirituale templum Deo. Alludit enim ad typicum & lapideum illud templum Iudæorum, ac si diceret: illud templum non tam fuit verum habitaculum Dei, quam typus habitaculi templique spiritualis. Sicut autem illic fuit lapideum fundamentum omnia sustinens, fuerunt etiam lapides adiuncti & superstructi, & denique etiam sacerdotium Deo seruiens: ita & in hoc spirituali templo, est fundamentum lapis angularis omnia sustinens Iesus Christus, cui vos superstructi estis, vt sitis tum templum, tum sacerdotium Deo seruiens. Qui autem vult hoc modo viuus fieri lapis huius spiritualis domus, eum oportet ad Christum προσέρχεσθαι accedere vel venire, vt Petrus loquitur: hoc est, debet eum agnoscere, in eum credere, intrepide confiteri, sicut modo Petrus fecerat. Sic enim fiet ipsius membrum. Christus ergo dicitur lapis viuus, aut petra viua, non tantum passiue, quod in se vitam habeat: sed etiam actiue, quia nos mortuos viuificat, idque tum spiritualiter iustificando, regenerando, & vitam æternam donando, tum corporaliter in hac vita creando, & olim nos ad æternam vitam resuscitando. Petrus autem & fideles omnes etiam dicuntur lapides viui, non tantum ad discrimen materialium lapidum templi Iudaici, sed præcipue, quia viuificantur à Christo, vero illo omnis vitæ fonte.

Si quis autem quærat: Num vero nihil honoris vel prærogatiuæ Petro accessisse putabis ex eo, quod Christus ipsi dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam?* Ei respondeo, omnino multum accessit. Nam ob hanc fidei alacritatem & confessionis constantiam, Christus ipsi tribuit honorem primarij lapidis, & præcipui membri Ecclesiæ, qui sane honor non est contemnendus. Sed quod talem primatum ei tribuerit, qui complectatur Iurisdictionem in omnes, qualem Romani Pontificis assertores ipsi tribuunt: id vero fabulosum est. Aliud autem est ordinis caussa inter æquales primum esse: & aliud ratione dominij & potestatis supra reliquos eminere. Illud Petrum obtinuisse non negamus: hoc Pontifices Romani contra Scripturæ auctoritatem sibiipsis arrogare affirmamus. Quando ergo de primatu Pontificis Romani hodie disputatur, tum talis eminentia intelligitur, qua ipse

ipse habeat vniuersalem potestatem imperandi omnibus, etiam Regibus & Cæsaribus: De quali primatu nec Apostolis, nec Patribus quicquam constitit. Quando autem de primatu Petri agitur, nihil aliud per eum intelligitur, quam ipsum primarium lapidem fuisse in spirituali hoc ædificio Ecclesiastico, qui sua doctrina & exemplo alios etiam super hoc fundamentum (cuius honor soli Christo manet) ædificarit. Et in hoc habemus sanctos Patres idem nobiscum sentientes. Diuus Gregorius Magnus, cum Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus Iurisdictionem suam super omnes Ecclesias extendere vellet, sic ad ipsum scripsit. Epistol. libro 4. capit. 82. Certe Petrus Apostolus primum membrum (nota hoc pie lector, *primum membrum*) sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quam singularium plebium sunt capita? Et tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ. Et vt cuncta breui cingulo locutionis adstringam: sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se vnquam vniuersalem (qui nimirum Iurisdictionem teneret in omnes) vocare voluit. Vestra autem sanctitas agnoscat, quantum apud se tumescat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit. Et Diuus Cyprianus de simpli. Prælatorum ita scribit: Hoc erant vtique Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur. Hic certe Cyprianus diserte testatur, Petrum cum reliquis Apostolis eiusdem auctoritatis fuisse: Ergo si quid præ aliis gessit, id non fecit tanquam reliquorum Dominus, aut imperium in ipsos tenens, sed ordinis caussa: denique id fecit non suo, sed ipsorum nomine, tanquam ab ipsis iussus vel rogatus. Sed esto: sit Petrus hisce verbis reliquis Apostolis per Christum & eminentia & dignitate & potestate prælatus: quid tamen hoc facit ad primatum Pontificis Romani? O lepidam argumentationem: Petrus fuit Princeps duodecim Apostolorum: Ergo Pontifex Romanus tenet Iurisdictionem in vniuersam Ecclesiam Christi. Illud fuit possibile. Hoc ne ipsi quidem Petro possibile est. Et si maxime possibile esset: vnde tamen & quomodo hæc dignitas, quæ vni Petro dicta est, sine determinatione aliorum, transijt ad Pontifices Romanos? Vbi est eius fundatio? Vbi priuilegium concessum? Atqui clamitant, Cathedra Petri fuit Romæ. Ergo & successio & dignitas. Respon. Non Cathedra facit successionem, sed doctrina. Sedebant etiam Pharisæi & Scribæ super Cathedram Moysis & Aaronis, & erant in ordinaria successione: nihilominus tamen Christus hic eos reiicit, & Apostolos suos, piscatores & idiotas in viuos lapides spiritualis sui templi & veræ Ecclesiæ assumit. Quid ergo iuuat Pontificem Romanum, si maxime super cathedram Petri sedeat, nisi etiam eius doctrinam seruet? Quis vnquam in Scripturis vel Patribus legit, quod ille sit optimus Petri successor, qui reliquos presbyteros omnes, imo ipsos Principes & Reges opibus, superbia, luxu superet? Quis etiam credat, Petri successorem esse eum, qui malit veteres Romanorum Imperatores magnificentia, quam D. Petrum laboribus & passionibus imitari? Petrus magistratibus fuit obediés, & pro Christi nomine mortuus est. Pontifex autem Romanus contra Christi verbum etiam magistratibus imperat, ac dominatur. Apage ergo cum illa tua successione.

Quinto considerandum, quid viuis hisce lapidibus seu fidelibus accedat, si sese ministerio verbi & Sacramentorum super hoc fundamentum Ecclesiæ CHRISTVM IESVM superstrui patiantur. Illud Christus hic disertis verbis indicat. Si enim Petrus, quæ Augustini est sententia, vt in superioribus audiuimus, in hac actione Ecclesiæ personam figurauit: vtique quæ Christus de Petro dixit, ad singula vera Ecclesiæ membra erunt referenda. Dicit autem: *Beatus es Simon Bar Iona.* Non frustra tum prænomen, tum patris nomen, quod fuit Ioanna, siue per contractionem *Iona*, adducit. Sic enim beatitudinem, quæ ipsi accessit, per antithesin illustrat. Quasi diceret: Hactenus, dum simpliciter fuisti carnalis filius Ionæ, simpliciter fuisti *Simon* & hominis filius. Nunc autem, postquam meus factus es discipulus, & apud me eam didicisti fidem, quam neque à carne & sanguine, neque à quoquam hominum discere potuisses, & per eam fidem ædificatus es super petram in viuum lapidem, non tantum diceris *Petrus*, verum etiam eris *beatus*, particeps futurus æternæ salutis, ad quam nemo peruenire potest, nisi & ipse eadem fide super hanc petram ædificatus fuerit. Perinde ergo est, ac si rex quispiam homini plebeio, in regiam suam aulam adscito, & in singulari gratia posito, dicat: O te felicem: Es tu quidem rustici huius vel illius filius, sed quoniam regiæ meæ familiæ adscriptus es, egoque singulari fauore te prosequor, posthac regni Cancellarius vel Mareschallus eris. Sic certe proprij nominis & plebei parentis commemoratio felicitatem eiusmodi apertius indicaret. Eodem ergo modo, quo hic Petro, cuiuis Christiano in nouissimo die à Christo dicetur: Verbi gratia: Tu Polycarpe, natura quidem es *bar*, id est, filius Caspari, sed quia per ministerium factus es *Petrus*, seu viuus lapis Ecclesiæ meæ, & ingenue ac intrepide nomen meum coram hominibus confessus es, iam eris *beatus*, ego quoque tuum nomen coram Patre meo cœlesti confitebor. Sic ergo vera Ecclesiæ membra vere sunt beata. Atque hac ratione verum est illud dictum: Extra Ecclesiam non est salus. Nisi enim quis tanquam viuus lapis ædificio huic Ecclesiastico inseratur, nunquam veram beatitudinem consequi poterit.

Addit Christus ad confirmationem certitudinis felicitatis, Ecclesiam contra potentiam Satanæ inuictam futuram, quia Christus, quem apprehendit, & cui superstructa est, inconcussus stat. *Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.* Potest hoc intelligi, & de toto corpore Ecclesiæ, & de singulis membris, quod nimirum etiam illi, qui semel vera fide Christum apprehenderunt, ad finem vsque sint perseueraturi. Significat ergo Christus, Ecclesiæ statum non fore quietum, sed insultibus Satanæ expositum. Et quemadmodum suam Ecclesiam domo vel ciuitati contulit, in qua ipse, quem Petrus confessus fuerat, tanquam Rex & Sacerdos esset, dominantur: ita nunc Satanæ regnum contrariæ ciuitati confert, in qua Diabolus sit regnaturus. Et quia olim in portis suas munitiones habebant, atque iudicia exercebant, ideo CHRISTVS per *portas inferni* Satanæ consilia & potentiam intelligit, quibus Ecclesiam & veram fidem in illa sit oppugnaturus. Id quod facit modo per hæreticorum falsa dogmata, modo per tyrannorum persecutiones, modo per blandimenta voluptatum & amorem rerum huius seculi. Sed Christus testatur, Satanam cum omnibus suis armis atque machinis non præualiturum. Κατισχύω est vocabulum bellicum & sumitur de hostibus, quando inter se luctantur, ac dimicant tamdiu, donec vna pars sit superior. In Veteri Testamento interdum respondet verbo חזק quod significat, inualuit prævalidus vel etiam obstinatus fuit. Exod. 7. vers. 13. accipitur de obfirmatione & induratione cordis Pharaonis. Interdum autem, & quidem sæpius, respondet verbo גבר superauit, prædominatus est aliis fortitudine, potentia & auctoritate superior fuit. Sicut Exod. 17. vers. 11. Quando Moyses attollebat manus, κατίσχυε superabat Israel: & quando demittebat manus, κατίσχυε præualebat Amalec. Certaminibus ergo assuefiant veri Christiani. Nam quamprimum Seruator noster Iesus Christus in suo cœtu examen instituit de sua persona atque officio, & curat, vt vera de se fides tradatur, prædicetur ac sonet. Protinus Satanas, princeps tenebrarum, in suo regno etiam classicum canit, in suis membris expedit omne armorum genus, & partim aperta vi, partim calumniis atque obtrectationibus veritatem illius confessionis oppugnat. Quia enim ipse iam olim ad sempiternos infernalium tormentorum cruciatus damnatus est, & iam sub caligine æternis vinculis asseruatur ad iudicium magni diei, Epist. Iud. vers. 6. ideo semper in hoc vnice intentus est, vt plurimos exitij atque pœnæ suæ socios habeat. Hinc exoritur pugna. Pij & electi fidem, quam ex Dei verbo didicerunt, tuentur, profitentur, & propagare student. Impij à Diabolo exagitati etiam mendaciis & calumniis oppugnant. Et licet interdum veritatis lux sic sese in oculos eorum ingerat, vt Dei manum & cœlestem ἰσχὺν sentiant: tamen cum Pharaone cor obfirmant, & non tantum proditoria consilia proferunt, sed ne à cædibus quidem & innocentis sanguinis effusione abstinent. Huius Christus hoc in loco suos admonet. Et huius sententiæ euentum rerum experientia nobis hisce postremis mundi temporibus ipso facto commonstrauit. Quamprimum enim superiori seculo singulari Dei beneficio Martinus Lutherus hanc Petri confessionem, altissimis Papatus tenebris oppressam, ex verbo Dei rursus in apricum protulit, & pluribus scriptis cum Collegis suis collustrauit: protinus Satanas pugnam lacessit, & ex vna parte per Pontificios doctrinam de officio, ex altera parte per Caluinianos doctrinam de persona Christi oppugnauit. Duratque hæc pugna iam vltra octoginta annos: Inprimis autem Iesuitæ, Antichristi promachi, tanta calliditate, vehementia & impudentia pugnam instaurant, vt & sibi ipsis & aliis persuadeant, propediem de Euangelio actum fore. Sed viuit in excelsis Christus, & in hoc textu suos aduersus istiusmodi machinationes consolatur, atque dicit: *portæ inferorum non præualebunt.* Nulli conatus, nullæ insidiæ, nullæ calumniæ, nulla potentia, nullæ vires tantæ erunt, vt Ecclesiam & vera eius membra expugnare possint. Confidite, Ego vici mundum, Ioan. 16. v. vlt. Eundem & vos vincetis: Quoniam omne quod natum est ex Deo, vicit mundum. Et hæc est victoria,

quæ vincit mundum:fides vestra, 1.Iohann.5.vers.4. In me enim, qui vos confortat, omnia potestis, Philipp.4.versic.13. Quia Ego viuo, & vos viuetis, Ioann.14.vers.19. Quapropter magno animo canite illud *ἐπινίκιον* cum Paulo. Quis nos separabit à caritate Christi?tribulatio?an angustia?&c. in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, Roman.8. vers.35.

Ex hac Christi sententia Pontificij eliciunt suum illud axioma, *Ecclesia non potest errare*. Et huic Axiomati postea superstruunt omnes suas traditiones, decreta, canones, qui quoniam ab Ecclesia sint dictati & traditi, omnino seruari debeant. Ecclesia enim, dicunt, errare non potest. Sed sciant iuniores, hoc dictum nullo modo simpliciter recipi aut probari posse. Etenim affirmare, quod Ecclesia omnino non erret, est ex Ecclesia Deum facere, qui solus errare nequit: cum tamen Ecclesia ex hominibus constet, de quibus Psalm.116. vers.11. Omnis homo mendax. Ex Esa.53.versiculo 6. Omnes nos quasi oues errauimus Sic ergo statuendum. Ecclesia, quatenus Christi Ecclesia est, & quatenus à Spiritu sancto se gubernari patitur, in articulis fidei non penitus tota errare potest. Semper enim aliqui inueniuntur, qui fundamentum tenent, & errores agnoscunt. Sed quia carnem quoque gestat, quæ non tota mutatur in Spiritum, ea propter etiam errare potest, & errat, vel minus recte intelligendo, vel minus firmiter credendo, quæ à Deo præscripta sunt: non tamen ita errat, vt in errore persistat & pereat: sed admonita & edocta melius, errores non defendit pertinaciter, sed culpam agnoscens confugit ad misericordiam Dei in Christo promissam ac præstitam, atque ita illustratur ac saluatur. Vult quis huius rei habere exempla? Audiat pauca. 1. Certe in deserto Aaron Pontifex cum Israelitis veri Dei fuit Ecclesia. Sed quam turpiter omnes illi errauere, Exod.32.versic.1. cum absente Moyse vitulum aureum erexerunt, eidemque festum instituerunt? 2. Audi Iesaiam de Ecclesia sui temporis, cap. 42.versi.18.loquentem. Surdi audite, intuemini cœci ad videndum. Quis est cœcus, nisi seruus (Iacob vel Israel) meus? & quis est surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? Quis cœcus, nisi qui venundatus est? & quis surdus, nisi seruus Domini? 3. Quid vero dicit Daniel de Ecclesia sui temporis, Daniel. 9. versic. 11. Omnis Israel præuaricati sunt legem tuam, & declinauerunt, ne audirent vocem tuam. Et versic.6. Non obediuimus seruis tuis Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo Regibus nostris, Principibus nostris, Patribus nostris, omnique populo terræ. Ergo hæc cum vera sint, necesse est, vt vel quis dicat, omnem Ecclesiam in Israele tum periisse, vel Ecclesiam errare posse. 4. Adhæc, quis negabit tempore Apostoli Pauli apud Corinthios, apud Galatas veram Christi Ecclesiam fuisse? Et tamen quam sollicite eos monet: Ne decipiamini: Euigilate iuste, & nolite peccare, 1. Corinth.15.versic.34. Credit quod inter ipsos sint schismata, cap.11.vers.18. Reprehendit ipsorum *ἀταξίας*. Metuit de ipsis, ne qua fiat, vt quemadmodum serpens Euam decepit versutia sua, ita corrumpantur sensus eorum à simplicitate erga Christum, 2.Corinth.11.vers.3. Galatas insensatos seu stultos vocat, atque ita fascinatos, vt non credant veritati, Galat. 3.versic.1.& metuit ne frustra inter ipsos laborarit, cap.4 v.11. Quorsum autem illæ admonitiones, exhortationes, reprehensiones, quorsum sollicitus ille metus, si Ecclesia errare non possit? Ergo meminerimus, Christum hic non dixisse Ecclesia non errabit, sed portæ inferorum aduersus eam non præualebunt. Nam quemadmodum in pugna Israelitarum & Amalecitarum, modo hi modo illi præualuerunt, donec tandem Moyses continuis suis precationibus victoriam pro Israelitis à Deo obtinuit: Exod.17.versic.11. sic etiam quamdiu hic mundus stabit, concertationes erunt inter veram Christi Ecclesiam, & Ecclesiam malignantium, & partes ancipiti quasi Marte hæc Domini bella decertabunt. Sæpe apparebit, ac si Amalecitæ vicissent, sicuti tempore Papatus talis forma ac status erat Ecclesiæ, ac si tota succubuisset. Sed Deus precibus & gemitibus suorum excitatus, his nouissimis temporibus filium perditionis reuelauit, & iuxta Psalm.12.versi.6. posuit salutare, vt iam fiducialiter prædicetur. Vtut autem antiquus hostis in squamis suis propterea ringatur, & dentibus frendat, nihil tamen proficit. Instemus precibus, & constanti fide Christum confiteamur, is populo suo dabit victoriam, & Satanam hostem propediem conteret sub pedibus nostris, Rom.16.v.20.

Quod vero hactenus de tota Ecclesia dictum est, idem etiam de singulis fidelibus intelligi debet. Petrus, qui vnà cum Apostolis primus lapis est, superstructus super hoc fundamentum Ecclesiæ, quatenus fundamento huic adhæsit, eatenus errare non potuit, eatenus portæ inferorum ei non præualuerunt. Christus enim fundamentum eius, fuit & mansit firmus atque inconcussus. Quatenus autem homo fuit, quatenus carnem & sanguinem audiuit, eatenus errare potuit, & aliquoties etiam errauit, vt in superioribus demonstratum est. Atque si in errore permansisset, anathema ipsi vt Iudæ, dixissemus, iuxta regulam Pauli ad Galatas cap.1.versic.8. nihil obstante eo, quod Apostolus Domini fuit. Et quod in Petro, primario Ecclesiæ membro, verum est, quod errare potuerit, idem in aliis Ecclesiæ membris omnibus, cuiuscunque sint eruditionis, sapientiæ, dignitatis, eminentiæ, locum habebit. Vt sit verum maneat quod Dauid dixit: Pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus: Psalm.32.vers.6. neque quisquam eximatur ab orationis dominicæ particula illa, & dimitte nobis debita nostra. Quam Apostoli ipsi, Ecclesiæ lumina & columina non minus à Christo orare sunt edocti, quam alij homines. Quæ cum ita sint, cogitent pij, quam scelerata sit impudentia Iesuitarum, qui in Colloquio Ratisponensi Pontificem Romanum, loco S.S. Ecclesiæ obtrudere voluerunt, pro iudice omnium controuersiarum, eo quod Papa summus Pontifex errare non possit. Egregios vero Iudices, ac ab erroribus alienos! Quorum alij fuerunt dæmoniaci, magi & incantatores: vt Alex.VI. Paulus III. Syluester II. Benedict. IX. Ioan XIII. Clemens IIX. Postquam reliqui omnes ad Gregor. vsque VII. hominem sceleratissimum, famosi fuere incantatores, Magos Ægyptios maleficiis longe superantes. Alij extreme ambitiosi. Quales fuere Ioannes XXII. & XXIV. Bonifacius III. Martinus V. Bonifacius IIX. Hadrianus IV. Alexander III. Stephanus II. Damasus II. Constantinus I. Benedictus III. Leo IV. & plures. Alij prorsus *ἄθεοι*. Vt Alexander VI. Syluester II. Paulus III. Gregorius VII. Necromanticus, Leo X. Alij bellatores & carnifices, vt Innocentius II. Iulius II. Gregorius IX. Clemens IV. & VI. Innocentius III. Paulus III. Alij fuere sacrilegi, vt Bonifacius VII. Clemēs VIII. Alij lenones, vt Paulus III. Sixtus IV. Iulius III. Clemēs VIII. Alij adulteri, vt Sergius III. Lando I. Ioannes II. Ioannes XII. & XIII. Alexander VI. Ioannes XIV. XIX. XXI. & XXIV. & alij multi. Alij scortatores: vt Ioannes XI. Christophorus I. Ioannes XIII. Alij Sodomitæ, vt Iulius II. & III. Leo X. Sixtus IV. Alexander VI. Ioan. XXIV. Clemens VIII. Alij incesti: vt Paulus III. Alexander VI. Benedictus I. Ioannes XIII. Alij meretricum alumni: vt Victor III. Vrbanus II. Ioannes XI. Paulus III. Sixtus IV. Lucius III. Ioannes VIII. & XIII. Alij rabidi & tyranni: vt Ioannes XIII. Bonifacius VII. Paschalis II. Ioannes XIV. Gregorius IX. Vrbanus VI. Bonifacius VIII. Innocentius IV. & VII. Clemens VI. Stephanus VI. Sergius III. Et quis fœtidissimam illam Vaticani montis cloacam omnem expurgaret? Lege Platinam, Auentinum, Petrum de vineis, & alios probatos Scriptores veteres, & iurabis, vix nequiores homines vspiam in toto terrarum orbe vixisse, quam illi fuerint, qui sedem Romanam occuparunt. Et hos nos iudices admittemus in Ecclesia Christi? Hos nos fundamentum Ecclesiæ esse, & primatum in ea obtinere credemus? Ad orcum ergo relegentur Iesuitæ cum suo illo Iudice. Nos probamus illam sententiam, quam Philippus in Locis posuit: Quando dissensio oritur de sententia Scripturæ, tum ipsum Dei verbum est Iudex, & accedit confessio veræ Ecclesiæ. Semper enim sequuntur verbum tanquam Iudicem aliqui pij, & confessione firmorum adiuuantur infirmi, vt Christus inquit: Et tu conuersus, confirma fratres tuos.

Sed tempus est, vt sextum & vltimum membrum approbationis huius etiam expendamus, vbi Christus dicit: *Et dabo tibi claues regni cælorum. Et quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cælu: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cælis.* Illustris hic & consolatione plenissimus locus, quoque turpissime à Pontificis Scriptoribus deprauatur: quocirca genuinus & verus eius sensus diligenter est inuestigandus, & corruptelæ grauiter taxandæ atque reiiciendæ.

1. Inquirendum ante omnia, quid per *claues regni cælorum*, quas Christus hic pollicetur, sit intelligendum. Meminimus autem, Christum in hoc suo cum Apostolis instituto colloquio Ecclesiam suam contulisse, siue ciuitati siue domui, quam ipse ædificet. Etenim vera Ecclesia Christi est ipsius ciuitas, in qua colligit regni sui ciues ac subditos: & ipsius domus, in quam reposuit omnia sua bona atq; thesauros, quales sunt gratia Dei, remissio peccatorum, iustitia, salus, vita æterna & consimilia. Hæc vero bona omnia, vna cum ipsa domo, nobis natura sunt occlusa. Quamprimum enim primi nostri parentes non contenti ea, in quam collocati erant, dignitate, claues querebant, quibus ad summam Dei maiestatem conscenderent, Deoque pares fierent, protinus omnem, quam ex imagine Dei concreata excellentiam habebant, amiserunt, ex paradiso eiecti sunt, & ne reditum in eum pararent, occluso ostio Cherubin ante illum collocati sunt, cum gladio flammeo & versatili, ad custodiendam viam ligni

ligni vitæ, Genes. 3. ver. 24. Hanc occlusam regni cœlorum portam nemo hominum recludere vel aperire potuit. Nostra enim peccata sunt quasi feræ & repagula, quibus omne os obstruitur, & totus mundus *ὑπόδικος*, id est, condemnationi obnoxius fit Deo, Rom. 3. ver. 19. Et licet Deus legem dederit, vt per viam mandatorum non ad salutem reduceret: tamen, quia lex quidem sancta, & mandatum iustum ac bonum fuit, nos autem sub peccato venundati sumus, lex cœli ianuam vsque adeo non aperit, vt eandem longe arctius occludat, in nobis mortem operetur, & peccatum supra modum peccans efficiat, Rom. 7. v. 13. Quod ergo impossibile fuit legi, in quo infirmabatur per carnem, hoc præstitit Deus misso filio, Rom. 8. v. 3. hic propter peccata nostra moriens, & propter iustificationem nostram resurgēs, cœlorum portas rursus aperuit. Ipse est perruptor pandens iter ante nos, Mich. 2. v. 13. Hic est qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit, Apoc. 3. v. 7. Ideo recte dicit ipse ad Nicodemū, Ioh. 3. ver. 13. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. Et ad Apostolos Ioh. 14. v. 6. Nemo venit ad patrem, nisi per me.

Cæterum licet hæc cœli porta per Iesum Christum sit aperta omnibus hominibus. Ipsius enim sanguis propitiatio est pro totius mundi peccatis, 1. Iohan. 2. v. 2. Et hac de caussa recte Iesaias dixit cap. 60. v. 11. Aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur: tamen, quia quisque suis peccatis, maxime vero impœnitentia, eandem rursus sibi occludit, & tamen Christus mundum saluatum cupit, ideo dedit nobis ministerium reconciliationis, nos sibi reconcilians, nō reputans peccata nostra, 2. Cor. 5. v. 19. Et hoc officium vocatur hoc loco *claues regni cœlorum*. Vt quemadmodum Christus habet clauem Dauid, hoc est, plenariam, supremam, omnimodam, & absolutam potestatem in regno Patris sui: ita hic Apostoli & reliqui, qui eorundem officio funguntur partem aliquam administrationis in eodem regno consequantur. Nam. Ies. 22. ver. 22. cùm Deus Sobnæ, qui supremus aulæ Regiæ moderator erat, per Prophetam deiectionem minaretur, & vicissim Eliacim ei substituere vellet, descripturus eius administrationem, dicit: dabo clauem domus Dauid super humerum eius. Quod perinde est, ac si dixisset: Ego tradam ipsi summam potestatem in aula Regia Ezechiæ, & in ciuitate Hierusalem. Est enim traditio clauium antiquitus symbolum concreditæ & commissæ certæ alicuius potestatis: Nam qui claues habet, ille ad omnia penetrare potest. Vt: quando maritus vxori claues tradit, testatur, se eam pro consorte agnoscere, & idem curam administrandæ domus imponere. Consimiliter œconomis & dispensatoribus claues à Dominis committuntur, quibus simul potestas traditur in conclauia, cellas, arcas, & ea, quæ in iis sunt recondita. Ad eundem modum principibus, quando intra ciuitates admittuntur, offerunt claues à ciuibus, quod indicium est, ipsorum imperio se submittere, & agnoscere penes ipsos esse potestatem aliquem in vrbem intromittendi, vel etiam excludendi. Hanc Metaphoram Christus in præsenti transfert ad Ecclesiam, cuius claues Petro & Collegis pollicetur, quo ipso docet, se eos dispensatores & œconomos suos constituere velle, vt dignis quidem thesauros aperiant, eosque ad possessionem & vsumfructum eorum admittant, indignis vero & prophanis occludant, eosque procul à regno Dei arceant. Hinc Paulus dicit 1. Cor. 4. v. 1. Si nos æstimet homo, vt ministros Christi, & dispēsatores mysteriorum Dei. Complectitur ergo vocabulum *Clauis regni cœlorum* illam functionem, potestatem & auctoritatem, qua perficiuntur omnia, quæ sunt necessaria regno Christi, siue gubernandi Ecclesiæ. Quod ipsum commodius exponi non potest, quam per hanc clauium similitudinem. Nam quemadmodum qui à Rege aliquo claues ciuitatis cōsecutus est, eius muneris est, si regi suo fidelis esse velit: ciues intra mœnia recipere: ciuibus non sua, sed Regis sui mandata proponere: curare vt ciues habeant victum & amictum: illos, qui secundum leges Reipub. viuere nolunt, ex ciuitate rursus eiicere: & si ipse solus omnibus administrandis sufficere non possit, alios subordinare, qui vrbi secum rite ciuitatem gubernent. In his fere capitibus etiam potestas *clauium regni cœlorum* comprehensa deprehenditur. Nam ministrorum est, primum per baptismum, tanquam per Sacramentum initiationis, intra Ecclesiam recipere tum infantes, tum adultos, quotquot sese offerunt, quod Iesum suum Dominum, Regem & Redemtorem agnoscere velint. Deinde eorundem est, iam receptis proponere & inculcare, non humana somnia, non Philosophorum placita, non Conciliabulorum decreta, sed Christi doctrinam, iuxta ipsius mandatum, Matth. 28. v. 20. Docete eos seruare omnia, quæ Ego præcepi vobis. Tertio dent etiam operam, vt vere fideles vsu mensæ Dominicæ cibentur & potentur viuifica alimonia noui hominis: & vt vera fide ceu nuptiali veste induti, simul bonis operibus sese ornent. Quarto si qui vero pacem Ecclesiæ turbant, & vel erroneā doctrina, vel impia vita aliis scandalo sunt, nec vllam admonitionem admittere volunt, eos à communione sanctorum excludant, & ex Ecclesia eiiciant: si tamen per pœnitentiam reuertantur, & scandalum deprecati fuerint, eosdem ad communionem rursus admittant. Denique quia vnicus minister populosæ alicui nationi, vel etiam ciuitati sufficere nequit, ministerij etiam est, alios siue diaconos, siue pastores, siue collegas assumere, ordinare & constituere, inter quos sit suus ordo & certi sint gradus, quo omnia fiant ordine & decenter, ad promouendam salutem fidelium, & stabiliendum regnum Christi.

Ex his intelligi potest, quid per *claues regni cœlorum* intelligi debeat, & quæ sit earum potestas. Bene autem notandum est, quod *regni cœlorum* claues dicuntur, & non regni terrarū, vt diserte innuatur, hanc potestatem sese non ad temporalia & mundana, sed ad spiritualia tantum extendere. Vnde sacrilega improbitas Pontificum Romanorum apparet, qui singulari astu & sagaci versutia, sub titulo clauium, OMNIA, & cœlestia & terrestria, & spiritualia & temporalia suis pedibus subiecerunt. Et adhuc hodie Papa (qui Euangelium docere debebat, si Iesu Christi, cuius Vicarium se esse gloriatur, vestigia sequi vellet) possidere atque armata manu detinere nititur, Iurisdictionem in terris, ciuitatibus, villis & locis, quę iure diuino & naturali certis suis magistratibus sunt subiecta. Recte ergo & secundum Dei voluntatem faciunt superiores Magistratus, qui se huic Pontificis potestati opponunt, eique gladium Pauli, quem temere arripuit, cum Petri claues dudū abiecerit, merito ex manibus rursus excutiunt. Quia Petro à Christo dictum est: Omnes qui gladium acceperunt, gladio peribunt, Matth. 26. v. 52. Se enim clauam potius, quam *clauē* vsurpare velle, reipsa ostendit. Cumque *regni cœlorum* claues dicantur, manifestum est, magnam esse impudentiam, quod Romanenses nugantur suum Pontificem etiam potestatem habere, non tantum in pœnam purgatorij, sed etiam in pœnam æternam gehennæ, saltem consequenter & indirecte (prout contendit Bellarm. lib. 1. c. 7.) Quasi is etiam *inferni claues* accepisset. Ex hoc sane illo sensu verissimum esse credo, quod nullus Pontificum Romanorum, (aut certe perpauci) per multa secula regnum cœlorum sit ingressus, sed omnes ad infernum perrexerint.

Dicat quis: Quid ergo sentis de Episcopis Germanis, qui & ipsi habent Iurisdictionem & potestatem in temporalibus: num & his ea est excutienda? Respond. Debebant quidem Episcopi, iuxta doctrinam Christi & Apostolorum, ipsi docere Euangelicum & administrare Sacramenta, vel saltem idoneas personas conducere, quæ ipsorum loco id facerent, & mundana siue politica negotia politicis demandare. Sed quandoquidem vsus iam à multis seculis in Romano Imperio obtinuit, vt Episcopi Principum dignitatem & potestatem consecuti sint, ea illa vtantur & fruantur secundum leges & statuta. Tantum agnoscant, se hanc eminentiam habere, non ex potestate clauium regni cœlorum, nec ex successione Apostolica, multo minus à Pontifice Romano: sed ex singulari indulgentia Romanorum Imperatoris, tanquam summi totius orbis Monarchæ in tēporalibus. Vt enim ex Dei & Christi ordinatione Apostoli, eorumque Successores accepere in Ecclesia ius clauium in spiritualibus: ita orbis Monarchæ, ex Dei & Christi ordinatione in mundo acceperunt ius gladij in temporalibus. De Dei ordinatione dicit Daniel cap. 2. ver. 37. Regi Nabuchodonosori: Tibi dedit Deus cœli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam: & omnia in quibus habitant filij hominum & bestiæ agri: volucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua constituit vniuersa. Hoc ius Imperatoris Romani cōfirmauit Christus sua voce, Matt. 22. versic. 21. inquiens: Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Dum ergo Episcopi Imperatori suo sunt fideles, & hūc in temporalibus pro suo Superiori agnoscunt, non video, quomodo temporalia iusto titulo ipsis eripi possint. Perinde enim sicut syncerus Euangelij minister, si prædium à suo Principe dono acciperet, in eodem temporalia tractare possit: ita quoque Episcopus in suo districtu temporalia exercere potest. Vtrique tamen, & Episcopus & verbi minister, meminisse debent illius Christi: hoc licet facere, illud autem (nimirum Euangelium docere) non debetis omittere, Matth. 23. vers. 3.

Considerandum secundo loco, cuinam claues regni cœlorum sint concreditæ. Quia enim Christus hic dicit Petro: *tibi dabo*: ideo Pontificij etiam hinc Petri primatum, quē acceperit in omnes, in ipsos quoque Apostolos, elicere cupiunt: cui postea superstruunt primatum omnium eorum, qui ipsius sunt Successores in sede Romana. At vero hic vt certū, verum & indubitatum sensum habeamus, totius historiæ cōtextus est attendendus. Christus omnes Apostolos interro-

garat, quemnam ipsum esse dicerent? Petrus omnium nomine respondit, & communis fidei confessionem edidit. Quod ergo Christus vicissim ei dicit, illud quoque communiter ad omnes referri debet. Imo mox Matth. 18. ver. 18. quod hic soli Petro dixit, non tantum Apostolis, sed toti Ecclesiæ accommodabit. Adhæc in ipsa exhibitione eius, quod pollicetur, aperte ostendit, quem intellectum velit, cui claues commiserit, dum Ioan. 20. v. 22. omnes Apostolos insufflans, omnibus hanc potestatem tradidit. Et hunc esse verum atque catholicum huius loci intellectum, illud veterrimi Catholici Scriptores contestantur. Cyprianum superius citauimus ex lib. de Simpl. Prælatorum aduersus Nouatium, vbi inquit: Dominus his verbis Apostolis omnibus parem potestatem tribuit, vt hoc fuerint Apostoli, quod Petrus, pari consortio honoris & dignitatis prædici. D. Augustin. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 18. Has claues dedit Ecclesiæ suæ, vt quæ solueret in terra, soluta essent in cœlo: & quæ ligaret in terra, ligata essent in cœlo. Item in Ioan. Tract. vltimo scribit: Petrus Apostolus, propter Apostolatus primatum, generalitate figurata gerebat personam Ecclesiæ. Quod enim ad ipsum pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus idemque primus Apostolus. Sed quando ei dictum est: *Tibi dabo claues regni cælorum, &c.* vniuersam significabat Ecclesiam, quæ in hoc seculo diuersis tentationibus, velut imbribus, fulminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram: vnde & Petrus nomen accepit. Origenes quoque Homil. 1. in Matth. scribit: Vere ad Petrum dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt ei, & tamen omnibus Apostolis & omnibus quibusque perfectis fidelibus dictum videtur, quoniam omnes sunt Petrus & petræ, & in omnibus ædificata est Ecclesia Christi, & aduersus nullum eorum, qui tales sunt, portæ præualent inferorum. Audis igitur Catholicam huius loci expositionem, ex ore trium Catholicorum Doctorum probatam. Sed veterrimos hosce Catholicos nouitij Catholici reiiciunt, & pro adstruendo suo primatu, soli Petro claues traditas perfricta fronte contendunt. Quod tamen falsum esse iam intelleximus.

Cæterum ipsa etiam vsurpatio clauium ostendit, Petrum, quoad illas, nullam prærogatiuam præ reliquis Apostolis habuisse, sed reliquis ἰσοτίμου fuisse. Nam in superioribus audiuimus, quid potestate clauium sit accipiendum. Iam ergo membra illa singulo Petro & Apostolis accommodemus. 1. Petrus non solus baptizauit, & credentes in ciuitatem Dei admisit: sed idem fecere etiam reliqui Apostoli. Philippus nō tantum Samaritanos. Act. 8. v. 12. sed etiam vers. 38. Eunuchum reginæ Candacis ex Æthiopia aduenientem baptizauit, & inter ciues regni Christi retulit. 2. Petrus docuit Euangelium de Christo: idem fecere etiam reliqui & inprimis Philippus Diaconus pertransiens euangelizauit cunctis ciuitatibus: donec veniret Cæsaream. Actor. 8. versi. vlt. 3. Petrus cum fidelibus seruauit communicationem fractionis, quod plerique de sacra Domini cœna intelligunt. Act. 2. v. 42. Eandem instituit Paulus apud Corinthios, 1. Cor. 11. v. 21. 4. Petrus pœna excommunicationis & claue ligante punit Ananiam & Saphyram Spiritui sancto mentientes. Actor. 5. v. 3. Eandem pœnam exercuit Paulus aduersus Elymam Magum. Act. 13. v. 10. & incestuosum Corinthium. 1. Cor. 5. v. 4. 5. Cum status Ecclesiæ postularet, vt Diaconi eligerentur, qui præessent pauperibus, non solus Petrus eos elegit & ordinauit: sed Ecclesia eos statuit in conspectum Apostolorum, & hi coniunctim (non autem Petrus tanquam primas) super eos orarunt, eisque manus imposuerunt. Sic Paulo & Barnabæ, segregatis ad ministerium gentium, non Petrus ordinationis caussa manus imposuit, sed Doctores Ecclesiæ Antiochenæ Actor. 13. versic. 3. Paulus quoque Titum hoc fine in insula Creta reliquit, vt oppidatim ordinaret & constitueret presbyteros. Tit. 1. vers. 5. Πράξις itaque Apostolica commonstrat, vsum clauium regni cœlorum fuisse Apostolis, & eorum in ministerio Ecclesiastico successoribus, communem, nec vllam in vlla parte muneris Ecclesiastici prærogatiuam Petrum habuisse. Ex hoc fundamento recte in Schmalcaldicis Articulis non tantum hoc scriptum est: antiquitus nullum fuisse discrimen inter presbyteros & Episcopos, posterioribus autem temporibus solam ordinationem fecisse inter illos discrimen: sed etiam illud, quod Ecclesiæ habeant ius eligendi, vocandi, & audiendi ministros, quando nimirum Episcopi vel sunt hæretici, vel idoneos ordinare recusant. Ecclesiæ enim Christus claues regni cœlorum post se reliquit. Matth. 18. versicul. 18. Nec nos hic curamus sannas & irrisiones Iesuitarum, qui clamitant: Ergo apud vos Euangelicos habent & exercent ius clauium sutores & sartores, omnes coci, cerdones, & sartores: sicque vos ipsam Babylonem exstruitis, & omnium rerum confusionem introducitis? Respon. Quis negabit in casu necessitatis quemuis fidelem alterum fidelē baptizare, docere, à peccatis absoluere, sicque ipsi aditum ad cœlestem ciuitatem, quasi adhibitis clauibus, patefacere posse? Et hunc casum necessitatis Ecclesia semper excepit: vt testatur Hieronymus aduersus Luciferianos, & Augustinus ad Fortunatū. Sed extra casum necessitatis nihil horum cuiquam permittitur, nisi sit legitime vocatus & constitutus Ecclesiæ minister. Hoc enim pugnaret contra regulam diuinam: Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint? Rom. 10. versic. 15. Item: Currebant & non mittebam. Ier. 23. vers. 21. Nihilominus tamen interim singulis fidelium, etiam minimis, suum ius, quod in claues ex concessione Christi habent, manet integrum. Quemadmodum enim ciues liberæ alicuius ciuitatis omnes, quotquot vrbem illam incolunt, commune ius habent, & parem libertatem, quod Rempubl. attinet: & tamen ordinis causa eligunt Senatores, hisque præficiunt Consulem, cui claues vrbis & statuta tradunt, quo illa communi omnium nomine tueatur, atque iuxta illa Remp. administret: Ita quoque faciunt ciues ciuitatis Dei. Habent hi quidem communionem omnium sanctorum, & omnia ipsorum sunt, siue Paulus, siue Petrus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura. 1. Cor. 3. v. 21. omnia possident sub vno capite Christo, qui omnia ad salutem necessaria suæ Ecclesiæ, & in ea sigillatim vnicuiuis membro, etiam minimo, sanguinis sui merito acquisiuit: & tamen ordinis causa eligunt certas personas, quibus demandant administrationem clauium regni cœlorum, quales sunt apud nos Diaconi, Pastores, Doctores, Episcopi, siue Superintendentes & consimiles, vt ita iuxta doctrinam Pauli apud nos omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν decenter & ordine fiant. 1. Cor. 14. v. vltim.

Hic vero exclamabunt Iesuitæ. Bene! bene! Hoc ipsum exemplum confirmat primum Papæ, qui cum Senatu Cardinalium supereminet in tota Christi Ecclesia, quemadmodum Consul & Senatores in vrbe aliqua. At vero hoc exemplum adeo Papam nihil subleuat, vt totam ipsius tyrannidem euertat. Consul enim ciuitatis, non est Dominus, neque Senatus, neque ciuium, sed est eorūdem conciuis, tantum ordinis causa reliquis prælatus: nec quicquam facere audet proprio arbitrio, multo minus contra libertatem ciuium; sed omnia facere tenetur secundum leges & senatusconsultum. De Papa autem Canonistæ, ipsiusque adulatores, *olim iactitarunt*, nec adhuc hodie Iesuitæ id recantant: Quod Papæ potestas sit talis ac tanta, vt *nemo hominum ei dicere ausit*: Cur ita facis? Dist. 40. *cap.* Si Papa. Certum est, si libera aliqua Respubl. talem Consulem sortiretur, ciues ipsum, tanquam tyrannum, ante Solis occasum vrbe exacturi essent: & Alastor iste Ecclesiam Christi iam vltra octo secula, inde à Phocæ temporibus, grauauit ac pressit. Ad hæc vnus Consul cum suo Senatu non potest pluribus, quam vni vrbi sub vno Principe aut Rege præesse: at Iesuitæ suum Romanum Præsulem omnibus ciuitatibus, principatibus, prouinciis & regnis, adeoque toto orbi præesse volunt, quod vt D. Petrus nunquam fecit, ita vni homini impossibile est. Habent enim singulæ particulares Ecclesiæ suos pastores & Doctores, sub vno capite Iesu Christo, prout docet Paulus *Eph. 4. ver. 11.* Hæc dicenda fuerunt ad explicationem eius *membri, cui* datę & promissę sint claues regni cœlorum. Vt constet inter Apostolos æqualem fuisse potestatem, nec Petro prę reliquis primatum datum esse.

Sed posito, non tamen concesso, quod Petro soli promissæ sint & datæ claues regni cœlorum, & quod ipse Primatum habuerit suo tempore in vniuersa Ecclesia Christi. Quid tamen hoc ad Pontificem Romanorum? Vbi enim est testamentum Petri, quo Papæ Romano hasce claues legarit? Vbi Scriptura Christi, qua illos Petri in hac potestate Successores fecerit? Vbi per sex secula integra testimonia Patrum, quibus agnouerunt auctoritatem illam ad Pontificem Romanum se extendere? Nam adhuc post sexcentesimū Seruatoris annum Gregorius ille Magnus, qui & ipse sedem Romanam obtinuit, & de quo vulgo versiculus habet:

Gregorius vitam finit Apostolicam,

tres Epistolas scripsit ad Imperatores & Patriarcham Constātinopolitanum lib. 4. Epist. 76. 80. & 81. quibus grauissime & magna seueritate asserit, temerarium & fastuosum esse, Oecumenici vel vniuersalis Episcopi titulum assumere, siue de primatu gloriari. Hęc adeo certa, firma & manifesta sunt, vt in hac tam clara Euangelij luce Pontificij ipsi, qui adhuc fronte præditi sunt, fateantur, probationem, quod Primatus Petri ad Romanam Ecclesiam pertineat, non ex Scriptura haberi posse, sed ex Traditionibus desumendam esse. Quid vero nos Christiani Traditionibus tribuere debeamus passim ex Scriptura constat. Certe Paulus Coloss. 2. versicul. 8. monet vt videamus, ne quis nos decipiat iuxta Traditionem hominum. Magis ergo ad legem & ad testimonium ablegamur,

ablegamur. Ies. 8. v. 20. Vnde & Berrhoenses commendatur, quod quotidie in Scripturis scrutati sint, an ea, quæ audierant, ita se haberent. Act. 17. v. 11. Christus quoque in Euangelio, quando quæstiones ipsi sunt propositæ, nunquã ad Traditiones, sed semper ad Scripturas interrogantes remisit, dicens: Quomodo legis? An non legistis? Nunquam ne legistis? Quomodo scriptum est? Erratis, nescientes Scripturas. Ex Scripturis ergo hi summi Articuli, qui in Ecclesia valere debent, ostendendi & probandi sunt. Quod vero sine Scripturis dicitur, id eadem facilitate reiicitur, qua affertur. Ex Clemente quidem hanc Traditionem probare nituntur, qui ad fratrem Domini de Petri excessu scribens, testatur, sibi à Petro eandem ligandi & soluendi potestatem traditam esse, quam ipse à Christo acceperit. Sed nos iudicium Schmaldicorum Articulorum approbamus, in quibus scriptum est: Liber Clementis falso titulo prostat, & longe post Clementem ab homine malo scriptus est.

3. Etiam addendum est, *quomodo* hæ claues sint vsurpandæ. Illud quidem Christus in præsentia non expressit. Sed postquam post resurrectionem hanc promissionem exsoluit, atque hasce claues Apostolis exhibuit, ibi dixit Ioann. 20. v. 21. *Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos.* Verba hæc recte sunt expendenda. Filius missus est à Patre, vt sit Mediator inter Deum & homines. Mediationis autem officium duas partes complectitur. Vnam ἀπολύτρωσιν, Redemtionē, Matt. 20. v. 21. Alteram διακονίαν, Ministerium, quo redemtio annuntiatur. Hac de causa & ἀρχιερεὺς & ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, Pontifex & Apostolus professionis nostrę, Heb. 3. ver. 1. dicitur. Vtraque pars inseruit saluti hominum. Quod vero primam attinet, in ea Christus gloriam suam alteri non tradit. Ies. 42. vers. 8. Ipse enim est ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς, Dux & perfector fidei nostræ. Heb. 12. v. 2. Et quidem tum, cum hæc verba diceret, opus redemtionis iam passione & morte sua perfecerat. Ergo tantum loquitur de διακονίᾳ & Ministerio in quo Apostoli & alij Doctores ipsi in Ecclesia successuri, & in eo tum seipsos, tum alios, qui ipsos audient, saluos facturi erant, 1. Tim. 4. ver. vltim. Secundum subiectam ergo hanc materiam vult Christus dicere: Sicut ego missus fui, vt facerem non meam, sed Patris voluntatem, Ioan. 6. versic. 38. & vt proponerem non meam, sed illius doctrinam, qui misit me. Ioan. 7. vers. 16. Ita vos Apostoli, & quibuscunque committeretur clauium ministerium, non debetis prædicare vestra placita, aut hominum commenta: sed toti pendere ex meo ore, tanquam vestri Magistri, qui vobis iniungam, vt doceatis seruare, quæ præcepi vobis. Matth. 28. ver. 20. Quod iam de doctrina dictum, idem de potestate clauium intelligendum est. Est illa ministris tradita, non absoluta, vt pro sua libidine cœlum claudant vel aperiant, cui ipsi velint. Sed quemadmodum Christus publicanis & peccatoribus, quanticunque illi fuerint, si modo pœnitentiam egissent, peccata gratis, absque vlla satisfactione, aut taxæ pœnitentiariæ solutione, remisit: ita idem faciant fideles verbi ministri. Et econtra sicuti Christus impœnitentibus, citra personarum respectum, siue Herodes, siue Pontifices, Scribæ & Pharisæi, siue integræ ciuitates ij fuerint, quibus Euangelium absque profectu & salutari pœnitentia prædicatum est, tremendum Væ denuntiauit & cœlum clausit: ita etiam verbi ministri ipsius exemplum imitari debent. Hic rursus redarguitur Pontifex Romanus, qui sub prætextu clauium suam facit voluntatem, vt nimis vere de eo vaticinatus est Daniel cap. 11. v. 36. Tantam enim licentiam sibi sumsit, vt Canonistæ, ipsius assentatores, de ipso scripserint: Quod Papæ potestas sit absoluta, & eam habeat, vt velit: quod habeat voluntatem pro ratione, in his quæ velit: quod supra ius & extra ius omnia possit: quod possit dispensare contra quatuor prima Concilia: item contra verba Euangelij, licet non contra mentem: quod contra Epistolas Pauli possit statuere. Quantam quoque Simoniam cum his clauibus exercuerit, quas tamen Christus & Apostoli gratis adhibuerunt, id testatur taxa pœnitentiaria à curia Romana ante hæc tempora euulgata: sed Deo sit laus, nunc passim reprobata.

Additur quarto efficacia harum clauium: *Quicquid alligaueris in terra, alligatum erit in cœlis: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis.* Sunt hæc desumta ex vsu fori. Ibi rei vincti sistuntur Iudici. Quos vero is absoluit & innocentes pronuntiat, eos à vinculis soluere, & solutos libere abire iubet. Qui vero condemnantur, illi arctioribus vinculis adstringuntur, & manibus atque corpore ligati ad locum supplicij abducuntur. Peccata nostra sunt linum & cannabis, ex quibus nō tantum impij homines sibi ipsis funiculos consuunt, vt trahant iniquitatem vanitatis, & plaustrum peccatorum. Ies. 5. versic. 18. sed etiam Diabolus laqueos conficit, quibus ipsos captiuos ducat ad suam voluntatem. 2. Timoth. 2. versic. vlt. donec eos vel tandem sistat Iudici viuentium & mortuorum. Et qui in hac vita ab hisce noxiis vinculis peccatorum non solutus fuerit, ille obnoxius erit æternæ condemnationi: ille ligatis manibus pedibusque mittetur in tenebras exteriores. Matth. 22. versi. 13. Et quidem Dauid in Psal. 146. vers. 8. Deo æterno hoc testimonium perhibet, quod is soluat compeditos. Atque inprimis Iesaias 42. vers. 7. & 49. versic. 9. & 61. vers. 1. hoc nomine Messiam commendat, quod vinctos sit soluturus, & de conclusione educturus. Zacharias quoque de eodem dixit, cap. 9. vers. 11. emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Quis vero nobis ascendet ad hunc Deum & ad hunc Messiam in cœlos vbi nunc habitat, vt inde solutionem à peccatis nobis afferat? Hic ergo Christus nobis respōdet cum Moyse Deut. 30. vers. 12. & Paulo Roman. 10. versic. 8. Non dicas, quis valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos? Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Nimirum Christus in ministerio post se reliquit *claues regni cælorum*, addita hac pollicitatione simul & comminatione, quod cuicunque per ministros aperiantur fores regni cœlorum in terra, eidem etiam apertæ sint in cœlo. Et econtra, cuicunque per ministros occlusum fuerit cœlum in terra, eidem etiam occlusum manebit in cœlo. Nam potentia hæc bimembris est, quia Chistus respicit ex vna parte diffidentiam, ex altera securitatem hominum. In multorum cordibus oritur diffidentia ob vilem speciem ministrorum Ecclesiæ, vt cogitent, quomodo hic mihi dimittere potest peccata, si Deus è cœlo mihi diceret, vt paralytico, Matth. 9. ver. 2. Confide fili, remissa tibi sunt peccata tua, tum sane bono animo essem? Sed Christus huiusmodi diffidenti homini respondet: Noli exspectare nouam reuelationem è cœlo, sed si à peccatis liber fieri velis, accede ministrum, & ab ipso absolutionem & applicationem clauis regni cœlorum pete. Si ille te pœnitentem absoluerit, tam firma fide illam solutionem suscipe, ac si ego ipse manu è cœlo exserta te à peccatis absoluissem, & cœlum tibi apertum esse contestatus fuissem. Addo, si spiritualibus oculis præditus esses, tum videres peccatorum vincula, quibus hactenus impœnitens constrictus fuisti, de manibus pedibusque tuis, adeoque omnibus membris non aliter decidere, quam Act. 12. versic. 7. catenæ ceciderunt de manibus Petri, cum Angelus in carcere latus ipsius percuteret. Econtra multi sunt præfracti & petulantes verbi atque omnis pietatis contemtores, qui, quando ob nequitiam suam arguuntur, & sub æternarum pœnarum dispendio ad fidem ac pietatem commonentur, comminationes omnes rident, correptiones ferre nolunt, disciplinam omnem oderunt, & exclamant: quid ego Pfafforum curo minas? Nihilominus mihi cibus potusque sapiunt, & satis molliter somnum capio, vtut ipsi de inferni pœnis multum garriant. His Christus dicit: *Quicquid alligatum erit in terra, ligatum etiam erit in cœlis.* Quasi diceret, licet iam talis impœnitens peccator non sentiat, in quantis hæreat miseriis, in illo tamen magno & terribili Domini die experietur, peccata sua super caput ipsi imposita, eumque vinctum ad seueri Iudicis tribunal abductum esse, vt ibi condemnatus, & æternis vinculis constrictus in gehennam ignis & stagnum sulphuris abiiciatur, vbi vermis non moritur, & ignis non extinguetur.

Cæterum circa hanc ligandi & soluendi potestatem dupliciter erratur. Ex vna parte Pontificij hanc potestatem adscribunt Charactéri Episcopali, qui in susceptione Ordinum personæ ordinatæ imprimatur. Cum tamen Scriptura eiusmodi characterem penitus ignoret, nec vllius alterius mentionem faciat, quam quem Antichristus suis creaturis sit impressurus, de quo Apoc. 13. versic. 17. & 14. vers. 9. & 16. vers. 2. & 19. vers. 20. & 20. versic. 4. Sicque existimant, sacrificulum posse, ex plenitudine potestatis sibi ab Episcopo datæ, peccata & dimittere & retinere, cui velit. Ex altera vero parte Caluiniani existimant, ministros Ecclesiæ nimium sibi arrogare, quando ipsi peccata remittunt, cum tantum pœnitentibus remissionem peccatorum in cœlis à Deo factam & datam, ipsi in terris denuntiare debeant. Quemadmodum enim in Veteri Testamento Sacerdotes leprosos non à lepra sanabant, sed iam ante diuinitus mundatos, mundos esse tantum pronuntiabant: sic putant in Nouo Testamento verbi ministros peccatoribus non peccata dimittere, sed iam ante dimissa tantum denuntiare. Cum tamen Christus non dicat, cuicunque annuntiaueritis peccatorum remissionem, sed *cuicunque remiseritis peccata* Ergo ipse minister vel remittit, vel retinet peccata: non tamen vt Dominus, verum vt minister. Vterque autem error hinc prouenit, quod isti non attendunt, vnde dependeat virtus & efficacia siue clauium siue ministerij. Nimirum non ab hominibus ministrantibus, sed à Christo instituente. Qui Dominus à ministerio suo non procul abest segregatus, sed cum eo præsens efficaciter operatur id quod vel per manus ministrorum expedit, vel per os ipsorum pronuntiat. Pro Christo enim legatione fungimur, tanquā Deo

exhortante per nos:obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo; dicit Paul.2.Cor.5.ver.20. Et rursus versic.18. Omnia ex Deo,qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quemadmodum ergo Petrus de Christo dixit ad Cornelium, Act.10.ver.38. Iesus sanauit omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo: ita nos dicere possumus de verbi ministris, liberant hi à laqueis Satanæ,quia Christus est cum ipsis in ministerio, in tractatione verbi & Sacramentorum. Tres enim sunt qui testimonium dant in terra,spiritus,aqua, (seu ministerium. Pars enim ponitur pro toto)& sanguis(id est meritum Christi) & hi tres vnum sunt. Ergo Christus non abest à ministerio, sed præsentissimus Spiritu & efficacia operatur, quod verbis promittit.Hinc Paulus Corinthium ab excommunicatione absoluens & ad communionem recipiens, dicit 2.Cor.2.versic: 10.in personam Christi (nota, in Christi persona) propter vos donaui,quod donaui, vt non circumueniamur à Satana. Quemadmodum enim legatus Principis, quicquid secundum instructionem datam in nomine principis facit, in persona eius fecisse putatur: ita quicquid minister secundum instructionem à Christo datam facit, quia in Christi nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicare iussus est, Luc.24.versic.47. recte in persona Christi id fecisse dicetur.

Aliqui cum Origene hom.6. in Matth. singulares argutias in eo quærit, quod hic dictum est Petro:quicquid solueris *in cœlis*. Postea vero Matth.18.v.18.reliquis Apostolis tantũ dicitur,quicquid solueritis *in cælo*. Inde colligit differentiam esse inter Petrum & reliquos Apostolos. His enim potestatem tribui tantum in vno *cælo* remittendi peccata: Petro autem in omnibus *cœlis*.Vt ita magna sit huius præeminentia præ reliquis. Verum enimuero quis adeo excors est, vt super tam fluidum fundamentum,tantum fidei Christianæ Articulum superstruere velit? In Scriptura enim passim vocabula *cælum* & *cæli* in singulari & plurali numero, indifferenter sumuntur. Inspiciat quis orationem Dominicam, qua nihil inter Christianos est magis vulgare, deprehendet in ea Matth. 6.versic.9.Patrem compellari Dominum ἐν τοῖς οὐρανοῖς *in cœlis*: mox autem ver.11 peti,vt huius Patris voluntas fiat ἐν οὐρανῷ *in cælo*, sicut in terra.Idem videre est Luc.11.v.2.& 3. Quis vero vnquam hinc conclusit,Dei Patris voluntatem non in omnibus cœlis,sed in vno tantum,fieri debere?Sed huiusmodi nugas & ineptias Iesuitæ ambabus manibus amplectuntur, & mordicus tenent,tantum vt quoquo modo Pontificis sui Romani primatum obtinere queant.

Sed nos missis hisce nugis breuem ἀνακεφαλαίωσιν membrorum, quæ hactenus copiose à nobis tractata sunt, instituamus.Primum fuit,quod ex Apostolorum relatione intelleximus,semper diuersas hominum in fidei & religionis negotio opiniones esse.Ea diuersitate nos non offendamur. Impossibile enim est,vt homines, quorum intellectus natura corruptus est,nec quicquam rerum diuinarum assequitur,nisi cœlestis Patris gratia illuminaretur, idem recte de Deo sentiunt. Alterum est,vt persuasum nobis habeamus, esse tantum vnã veram & synceram Catholicam atque Apostolicam fidem, cuius summam Petrus in sua confessione proposuerit. Tertiũ est,vt sciamus, per hanc fidem singulos credentes seu viuos lapides superstrui Christo solido fundamento, in spiritualem domum Deo,quæ Ecclesia vocatur. Quartum est,quod per hanc fidem consequamur veram beatitudinem, qua natura caremus, Christus autem nobis eam acquisiuit, & in Ecclesiã reposuit,vt inde nos thesaurum illum accipiamus. Quintum est, quod hunc thesaurum Apostoli & verbi ministri distribuere debeant. His enim Christus claues ad hanc suam domum & singula ipsius conclauia concredidit,vt inde per verbum & Sacramenta pœnitentibus proferant remissionem peccatorum, & cum ea iustitiam,vitam & salutem æternam? impœnitentibus autem peccata retineant, & æternæ mortis condemnationem denuntient.

Hæc vero membra omnia inter se collata nobis monstrant,quænam sit vera Ecclesia Christi in his terris. Pontificij Ecclesiam definire solent eiusmodi cœtum, qui Romanũ Pontificem agnoscat caput, & reliquæ hierarchiæ Ecclesiasticæ subiectus, probet ac seruet omnia, quæcunque ab illis sunt tradita, instituta & præcepta. Verum quia Ecclesia ex Scripturarum traditione tantum vnum agnoscit caput Ecclesiæ, IESVM CHRISTVM, qui omnia in omnibus adimplet, Ephes.1.v.22. Ideo ex præsenti loco nos Ecclesiam definimus esse cœtum eiusmodi hominũ, qui ingenua confessione à reliquo mundo separatus, vera fide per ministerium verbi tanquam viui lapides superstruuntur vnico fundamento Iesu Christo,filio viuentis Dei,per quem regenerantur & viuificantur ad æternam beatitudinem: ita vt ne quidem portæ inferorum eã preualere queant. Hinc & Ecclesia dicitur in Symbolo Apostolico *Catholica*, non eo sensu, quo Pontificij volunt: quibus Catholicum idem est quod *Romanum*: & vice versa. Sed primum hoc respectu, quia in Veteri Testamento Ecclesia alligata erat tantum ad vnum aliquem populum, scil. Israeliticum, sicque tantum ad vnum certum locum. De quo Psal.76.ver.1.& 147.ver.19. In Nouo autem Testamento sine discrimine locorum, nationum, linguarum, populorum & personarum Christus per Euangeliũ *collegit* Ecclesiã καθ' ὅλον τὸν κόσμον, per totum mundum.Matt.28.ver.19. Mar.16.v.15. Luc.14.v.47. Act.1.v.8. Deinde etiam hoc respectu, quia multæ sunt in orbe particulares Ecclesiæ: *qualis* fuit Romæ domestica Ecclesia Aquilæ.Rom.16.v.5.1.Cor.16. v.19. Item Ecclesiæ Asiæ: 1. Cor.16.ver.18. Ecclesia Hierosolymitana.Act.11.ver.22.Ecclesia Antiochena, Actor.13.ver. 1.Hæ vero Ecclesiæ omnes in vnum corpus ad Christum sunt aggregandæ,vt omnes coædificentur in vnum habitaculum Dei in Spiritu sancto: ideo ad differentiam particularium cœtuum,tota Ecclesia in vnum collecta dicitur *Catholica*. Deniq; *Catholicum* in vera significatione Theologica opponitur ei, quod est *Hæreticum*. Sicut manifeste apparet ex Codice Imperatoris Iustiniani de fide Catholica. L.cunctos populos. Vnde etiam Patres Symboli Niceni illum Articulum: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sic interpretati sunt: Credo vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiã. Vt nimirum nihil sit Catholicum, quod nõ etiam sit Apostolicum. Et vicissim omne Apostolicum sit Catholicum. Sicut etiam Athanasius in suo Symbolo illam ipsam confessionem Petri, quam in superioribus tractauimus, nuncupat τὴν καθολικὴν πίστιν, Catholicam fidem. Iesuitæ pro suo Pontifice Romano, & pro ipsius Ecclesia corrigant testimonia ex Iaponia & Lappia, vt ostẽdant,illum sibi adhęrentem habere Catholicã Ecclesiam,quia in extremis finibus orbis terrarum inueniantur, qui Papam Romanum pro capite Ecclesiæ agnoscant. Nos Lutheranos vero de Catholica Ecclesia gloriari nõ posse, siquidem inter angustos Germanię & paucarum aliarum gentium terminos conclusi simus.

At vero quemadmodum in hac historia Christus non Iudæorum Sacerdotes, Scribas & Pharisæos pro vera Ecclesia agnoscit,licet fuerint in ordinaria successione Aaronis, licet magnis titulis superbierint, licet omnes angulos Iudææ Galilææ suis traditionibus replerint, eo quod destituerentur vera Messiæ agnitione & fide: Ita adhuc hodie Christus Papam coronatum, Cardinales galeratos, Episcopos infulatos, Abbates bicornes, & vniuersam vnctam atque rasam Antichristi cohortem non pro vera catholica Ecclesia habet,licet per iurata sua mancipia Iesuitas, humanas suas traditiones, & Conciliorum suorum Canones in regnum China & ad vltimam Thule vsque deportari curet, iisque vniuersum terrarum orbem dementer atque compleat. Et quemadmodum vicissim Iesus Christus hic Petrum atque reliquos Apostolos pro Catholicis & pro sua Ecclesia agnoscit, eosque beatos & regni cœlorum heredes pronunciat, aduersus quos ne inferorum quidem portæ præualere possint, licet fuerint pusillus grex: idque facit propterea, quia illam fidem profitentur, quam Deus Pater reuelauit, quam Scriptura sacra annotauit, quam Prophetæ prænuntiarunt, quam Christus approbauit. Ita certi sumus, quod & nostra Ecclesia, quæ eandem hanc fidem sequitur & sonat, quam omnes Patriarchæ, Prophetę, Apostoli, Martyres & Confessores ex verbo Dei amplexi sunt & tradiderunt, sic vere Catholica Ecclesia, & quod à Christo capite suo pro tali agnoscatur & habeatur,licet angustis terminis coarctetur, & quoad externam speciem Romanæ pompæ nulla ex parte comparari possit. Clament iam Iesuitæ, nos esse hæreticos,nos esse schismaticos: denegent nobis titulum Catholicorum.Quid nos grunnitus istorum porcorũ, quid clamores rudentium asinorum curamus? Quasi vero Petrus magnopere curauit, se ab Hanna & Caipha pro hæretico, suos collegas pro schismaticis habitos, eo quod inconsulto Synedrio Hierosolymitano Iesum verum Messiam & mundi Saluatorem esse professi sunt. *Beatus* prędicatus est à fonte omnis beatitatis: sic Catholici & Apostolici Christiani nos coram Deo sumus propter Catholicam & Apostolicam fidem, quam profitemur. Licet hodie circa finem mundi hæc fides apud pauciores, quam superstitiones & nugæ Pontificiæ, locum inueniunt. Nam & Christus ipse prenuntiauit, Lucæ 18.versicul.8. Putas quod filius hominis, quando venerit, inueniet fidem in terra? Quemadmodum enim temporibus antediluuianis nec Noachus propterea hæreticus fuit, licet ipsius Ecclesia intra octo animarum angustias conclusa fuerit, nec reliqui Catholici fuerunt, licet vniuersa caro corruperit viam suam super terra, Gen.6.v.12. Ita nec hisce nouissimis temporibus Papa cum triplici corona, & Iesuitæ cum quadratis suis pileolis propterea Catholici sunt,licet omnem terram sua superstitione perreptarint, & in omni-

& in omnibus nationibus fortalitia sua, siue Collegia, erexerint: nec nos propterea hæretici erimus, licet ne dimidiata quidem Germania, nedum exteræ nationes, Euangelium vnquam susciperent, modo nos Apostolicam illam Confessionem de Trinitate, persona & officio Christi aduersus Pontificios, Caluinianos & reliquos hæreticos fortiter ac constanter tueamur, atque verum vsum clauium firmiter retineamus. Quanquam nondum spem omnem abiecerimus, quasi Christus pomœria suæ Ecclesiæ non vlterius etiam ante nouissimum diem propagaturus esset.

VI. Post commendatam & comprobatam Petri confessionem, Dominus suis & quidem *cum interminatione* prohibet, *ne cui dicant se esse Christum*, & mox subiicit prædictionem de sua passione & resurrectione. Vt sic ostendat, quare & quamdiu hoc de se Encomium taceri velit. Fuit enim temporarium interdictum, & non perpetuum. Voluit nimirum taceri hoc mysterium ad tempus vsque suæ glorificationis: ne dum illi, plurimum inter se diuersi status, humiliationis & exaltationis confunderentur. Sed placet huius interdicti causas aliquanto considerare.

Prima fuit, quod Apostoli ipsi nondum satis erant instructi ad prædicandum: nondum mysteria regni Christi plene tenebant: terrenum regnum vna cum Pharisæis sibi imaginabantur, de quo aliquoties inter se altercabantur: nondum intelligentiam Scripturarum consecuti fuerant: nondum virtutem Spiritus sancti ex alto superuenientis acceperant, qua instructi aduersariis mascule resistere possent. Altera fuit ex parte populi, apud quem quoque adhuc multa obstabant, ob quæ nondum prædicari poterat, Iesum esse Christum. Nam & hic sibi Messiæ regnum mundanum somniabat. Cumque instaret tempus mortis, hæc confessio ludibrio fuisset, propter infirmitatem fidei. Si enim Apostoli Iesum prædicassent filium Dei viui, postea autem idem occideretur, sicut factum est, tum id minime cum concione conuenire visum fuisset. Adhæc scandalum crucis tanto grauius futurum erat, quanto magis populus in spem libertatis erectus fuisset. Itaque omnino consultius fuit tantisper plenam huius doctrinæ prædicationem differri, donec Iesus, virtute resurrectionis ex mortuis, reipsa commonstraret, se Dei filium esse, Act.13. vers.33. Roman.1. ver.4. sicque offendiculum, quod ex crucis morte exortum erat, per gloriam resurrectionis rursus tolleretur. Atqui instet quis, Apostoli iam ante Matt.10. versic.5. emissi fuerant ad prædicandum? Respondeo. Omnino emissi fuerunt: non tamen vt docerent, Iesum esse filium Dei & Messiam promissum: sed vt animos hominum excitarent, & quasi præpararent ad ipsum Christum audiendum. Verba enim instructionis erant, vt prædicarent: *quia appropinquasset regnum cælorum*. Ex his videmus prouidam Dei dispensationem in reuelandis iis, quæ ad perfectam veritatis & salutis cognitionem faciunt. Iesum Christum agnoscere est vita æterna: & salutis humanæ Deus adeo est cupidus, vt filium suum pro hominibus crucifigendum in mundum miserit: veruntamen hæc singula quæuis suo tempore & ordine ita prædicari voluit, ne vnum ab altero euerteretur, sed vt singula membra se mutuo confirmarent. Interim illud, quod nondum reuelatum fuit, Electis non fuit fraudi. Siquidem quod à Deo nondum reuelatum erat, illud citra iacturam salutis ignorabant. Nos ergo quoque fidem nostram iuxta reuelatum Dei verbum dirigamus, & à salutis via non aberrabimus.

Nemo autem hoc temporario Christi præcepto abutatur, quasi liceat tempore persecutionis quoad confessionem aliqua reticere. Neque enim hic agit Christus de Confessione edenda coram persecutoribus. De qua loquitur dictum Matth.10. versicul.32. Sed agit de prædicatione Euangelij publica, quæ suo tempore ministerio Apostolorum per vniuersum orbem terrarum spargenda erat. Et quoad illam Christus hoc suo præcepto verbi ministris duas regulas præscribit in sacro suo ministerio obseruandas. 1. Ne nimis mature ad docendum prosiliant: sed primum solide se in sacris institui patiantur, & deinde recte instituti legitimam vocationem exspectent. Inuenias præcocis ingenij iuuenes, qui quando tenuem aliquem gustum rerum diuinarum perceperunt, protinus ad docendi munus prouolant, seque sublimibus disputationibus immiscent, in quibus postea turpiter & ipsi suam infantiam produnt, & aduersariis religionis doctrinam deridendam propinant. Apostoli non tantum hic reprimuntur, ne ante tempus ad docendi munus publicum adspirent, sed etiam post resurrectionem, cum iam per dies quadraginta Christus ipsis locutus esset de regno Dei, tamen tamdiu Hierosolymis exspectare iussi fuerunt, donec promissum à Patre Spiritum accepissent, sicque in vocatione legitima confirmati essent. Ad confirmationem huius regulæ facit, quod Iacobus scribit, cap.3. ver.1. Nolite plures Magistri fieri fratres mei, quoniam maius iudicium sumetis. In multis enim offendimus omnes. Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir. Linguæ lapsus vbiuis locorum noxius est, maxime autem in docendo. Ibi enim errans erroris causa est omnibus, qui ipsum audiunt, vt erroneam doctrinam suscipiant. Hæc si in perditionem homines præcipitet, tum errans Doctor reus est omnium animarum, quæ pereunt. Quocirca nemo, nisi probe institutus, officium docendi in Ecclesia suscipiat. 2. Altera regula est, vt ordinarij & legitimi verbi ministri diligentem rationem loci, temporis & personarum habeant: nec quiduis vbiuis inter omnes proponant: sed attendant, quid absque scandalo dici possit, quidque ad ædificationem faciat. D. Paulus 2. Tim.2. versic.15. vult, vt minister verbi recte secet sermonem veritatis: sumto vocabulo ex Leuitico ministerio, vbi Sacerdotes in mactandis victimis sanctum à prophano discernere, atque insuper partes in sacrificiis recte distribuere tenebantur, vt scirent quæ Deo, quæ sacerdotibus, quæ sacrificantibus debebantur. Sic verbi minister prudenter circumspiciat, quibus rationibus quisque moueri possit, vt pro diuersitate ingeniorum, alios quidem leniore institutione, alios vero acriori correptione Christo lucrifaciat. Et hoc etiam requirit Christus, quando Matth.24. v.45. vult, vt fidelis & prudens seruus familiæ cibum det in tempore. Sic Paulus alios quidem auditores mitius, alios seuerius tractauit, prout intellexit, vnumquemque in doctrina fidei institui, retineri & corroborari posse.

CAPVT LXXXVI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM IN QVO CHRISTVS DISCIPVLOS instituere incipit de futura sua passione, & hortatur ad suscipiendam crucem, Matth.16. ver.21. Marc.8. ver.31. & Luc.9. vers.22.

RATIO ORDINIS.

HAnc Concionem Christi præcedens colloquium cum Apostolis immediate sequi omnes tres Euãgelistæ vnanimi consensu testantur. Ita enim præcedentibus hæc connectunt, vt ab aliquibus intra complexum vnius capitis assumantur. Quos nos secuti essemus, nisi Matthæus & Marcus diserte testarentur, Christum hic *cæpisse* de passione & morte sua docere. Et quia hoc principium notatione dignum est, peculiari etiam capite hunc locum merito dignati sumus. *Cæpit* autem *docere & hunc sermonem loqui παῤῥησίᾳ aperte* siue *palam*. Quia ante hæc tempora recte & latenter passionem & resurrectionem quoque insinuarat. Ioan.2. vers.19. Destruite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ioan.3. versi. 14. Sicut Moyses in deserto exaltauit serpentem: ita exaltari oportet filium hominis. Iohan.6. vers.51. Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Matt.12. versi.40. Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus. Quod ipsum repetitur à Christo, Mat.16. ver.4. Hæc vero quasi ænigmatica erant. Iam vero disertis verbis passionem per Circumstantias discipulis aperit.

Vtilis autem est obseruatio, si attendatur, qua ratione hæc sequentia membra cum præcedenti doctrina cohæreant. Est enim ordo pulcerrimus. Petrus splendidam ediderat Confessionem, tam de persona, quam de officio Christi. Ratione personæ dixerat, esse eum Deum & hominem: ratione officij

dixerat esse ipsum Messiam, id est, regẽ & Sacerdotẽ, suos subditos redimentem, viuificantem & sanctificantem. Hisce iam subiungit ipse Christus concionem de passione sua & morte, ostendens, fidem nõn debere tantum in genere credere. Christum esse redemtorem, propitiatorem & viuificatorem. Sed hoc potissimum pertinet ad fidem iustificantem, vt sciat & statuat, quomodo & qua ratione Christus sit redemtor, propitiator & vita, per mortem scil. & passionem suam. Et hoc membrum adeo est necessarium, vt discipulis, cum illud non recte tenerent, interdicat, ne de præcedente confessione quicquam prædicent. Vt recte Origenes dixerit: Inutile est Iesum prædicare, & crucem tacere. Et quidem Petrum, qui à priore confessione non recedebat, cum articulum passionis Christi (vt audiemus) repudiaret, licet bona hoc faceret intentione: tamen non beatum pronuntiat, sed *Satanam* appellat, & à se repellit, si perseueret. Eadem ratione etiam illud, quod dixerat, *Beatus es Simon*, explicat, idque non solis Apostolis, sed *conuocata turba*, vt sciamus, hanc doctrinam non ad solos Apostolos, sed ad omnes, qui Christum sequuntur, pertinere. In eius erga præsentia, disserit 1. de abnegatione sui 2. de tolerantia crucis. 3. de sequela Christi. Nouum autem nomen *crucis* afflictionibus Ecclesiæ imponit, multas ob causas, vt exponemus. Maxime, vt indicet crucem immissam non esse signum iræ diuinæ, sed iudicium salutis Phil. 1. versic. 28. Et quod fiat sacrificium Deo placens, si feratur in fide crucis Christi, sicut Origenes dicit. Imo, Christus in illis aduersitatibus nos iuuat: ita vt ipse quidem grauiorem & ponderosiorem, nos autem cum Simone Cyrenæo leuiorem partem crucis feramus, Matth. 27. ver. 32. Ne vero videretur Christus suis, quos statim, vbi beatos eos pronuntiauit, cruce onerat, illudere, exponit eius causam, quod scilicet hæc sit via ad veram & æternam vitam, & mentionem subiicit gloriosi sui aduentus ad iudicium, vt ostendat, beatitudinem, de qua Euangelium concionatur, non sitam esse in deliciis & commoditatibus huius vitæ, sed pertinere ad futurum seculum. Ibi enim vita nostra manifestabitur. Col. 3. vers. 4. Non ergo ludunt operam, qui propter confessionem nominis Christi huius vitæ commoditatibus renunciant. Addit denique futurum, vt mox quibusdam ex Apostolis in hac vita gustus quidam gloriæ regni Christi ostendatur. Sicuti hæc omnia pluribus audiemus.

CHRISTVS INCIPIT CONCIONARI de sua passione, suosque ad crucis tolerantiam hortatur.

MATTH. 16.

21. Ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς δεικνύειν μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀπελθεῖν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ πολλὰ παθεῖν ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων καὶ ἀρχιερέων καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκτανθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι.

21. *Ex eo tempore cœpit Iesus indicare discipulis suis, quod oporteret ipsum abire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & principibus sacerdotum, & scribis, & occidi, & tertia die resuscitari.*

22. Καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν ὁ Πέτρος, ἤρξατο ἐπιτιμᾶν αὐτῷ, λέγων, ἵλεώς σοι κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο.

22. *Et cum abduxisset eum Petrus, cœpit illum increpare, dicens, Propitius tibi sis Domine, nequaquam erit tibi hoc.*

23. Ὁ δὲ στραφεὶς, εἶπε τῷ Πέτρῳ, ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, σκάνδαλόν μου εἶ, ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων.

23. *At ille conuersus dixit Petro, Abi post me Satana, obstaculo es mihi, quia non sapis ea, quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum.*

24. Τότε ὁ Ἰησοῦς εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· εἴ τις θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθείτω μοι.

24. *Tunc Iesus dixit discipulis suis: si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me.*

25. Ὃς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· ὃς δ᾽ ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, εὑρήσει αὐτήν.

25. *Qui enim voluerit animam suam seruare, perdet eam: Rursus qui perdiderit animam suam mea causa, inueniet eam.*

26. Τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος, ἐὰν τὸν κόσμον ὅλον κερδήσῃ, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ; ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ;

26. *Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ vero suæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam suam?*

27. Μέλλει γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ. Καὶ τότε ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ.

27. *Futurum est enim vt filius hominis veniat in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique iuxta facta ipsius.*

28. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστηκότων, οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ.

28. *Amen dico vobis, sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec viderint filium hominis venientem in regno suo.*

MARC. 8.

31. Καὶ ἤρξατο διδάσκειν αὐτοὺς, ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου πολλὰ παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ ἀρχιερέων, καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκτανθῆναι, καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι. Καὶ παρρησίᾳ τὸν λόγον ἐλάλει.

31. *Et cœpit docere eos, quod oporteret filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus summisque sacerdotibus ac scribis, & occidi, & post tres dies resurgere. Et aperte sermonem loquebatur.*

32. Καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν ὁ Πέτρος, ἤρξατο ἐπιτιμᾶν αὐτῷ.

32. *Et apprehendit illum Petrus, cœpitque increpare eum.*

33. Ὁ δὲ ἐπιστραφεὶς καὶ ἰδὼν τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, ἐπετίμησε τῷ Πέτρῳ, ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων.

33. *At ille conuersus & intuitus discipulos suos increpauit Petrũ dicẽs: Abi post me Satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.*

34. Καὶ προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ εἶπεν αὐτοῖς, ὅστις θέλει ὀπίσω μου ἀκολουθεῖν, ἀπαρνησάσθω τὸν ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθείτω μοι.

34. *Et cum ad se vocasset turbam vna cum discipulis suis, dixit illis: Quicunque vult sequi me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me.*

35. Ὃς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, καὶ τοῦ εὐαγγελίου, οὗτος σώσει αὐτήν.

36. Τί γὰρ ὠφελήσει ἄνθρωπον, ἐὰν κερδήσῃ τὸν κόσμον ὅλον, καὶ ζημιωθῇ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ;

37. Ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ;

38. Ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους, ἐν τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ μοιχαλίδι καὶ ἁμαρτωλῷ, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται αὐτὸν, ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀγγέλων τῶν ἁγίων.

39. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστηκότων, οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει.

35. *Nam quisquis voluerit animam suam seruare, perdet eam: Quisquis autem perdiderit animã suam causa mea & Euangelij, hic seruabit eam.*

36. *Quid enim profuerit homini, si lucratus fuerit mundum totum, & anima sua iacturam fecerit?*

37. *Aut quid daturus est homo, quo repenset animam suam?*

38. *Quemcunque enim puduerit mei ac meorum sermonum, in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & filium hominis, vbi venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.*

39. *Et dicebat ipsis: Amen dico vobis, sunt quidem inter eos, qui hic stant, qui non gustabunt mortem, donec viderint regnum Dei venisse cum virtute.*

L V C. 9.

22. Εἰπὼν, ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου πολλὰ παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων καὶ ἀρχιερέων καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκτανθῆναι καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι.

23. Ἔλεγε δὲ πρὸς πάντας, εἴ τις θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καθ' ἡμέραν, καὶ ἀκολουθείτω μοι.

24. Ὃς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, οὗτος σώσει αὐτήν.

25. Τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος κερδήσας τὸν κόσμον ὅλον, ἑαυτὸν δὲ ἀπολέσας, ἢ ζημιωθείς;

26. Ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους, τοῦτον ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται, ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων.

27. Λέγω δὲ ὑμῖν ἀληθῶς, εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστηκότων, οἳ οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

22. *Dicens: oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus & principibus sacerdotum & scribis, & occidi, & tertia die resurgere.*

23. *Dicebat autem ad omnes: si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.*

24. *Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam. Qui vero perdiderit animam suam propter me, is saluam faciet illam.*

25. *Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, aut iacturam sui ipsius faciat?*

26. *Nam quem mei meorumque sermonum puduerit, huius & filium hominis pudebit, cum venerit in maiestate sua, & patris, sanctorumque Angelorum.*

27. *Dico autem vobis vere, sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.*

HARMONIA HVIVS CONCIONIS EX TRIBVS Euangelistis ordine collecta.

a Ἀπὸ τότε c ἤρξατο a ὁ Ἰησοῦς δεικνύειν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, b καὶ διδάσκειν αὐτοὺς, c εἰπὼν l ὅτι δεῖ αὐτὸν τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀπελθεῖν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ l πολλὰ παθεῖν, b καὶ ἀποδοκιμασθῆναι l ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ ἀρχιερέων καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκτανθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι. b Καὶ παρρησίᾳ τὸν λόγον ἐλάλει. c καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν ὁ Πέτρος, ἤρξατο ἐπιτιμᾶν αὐτῷ, a λέγων, ἵλεώς σοι κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο. c ὁ δὲ ἐπιστραφεὶς, b καὶ ἰδὼν τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, ἐπετίμησε c τῷ Πέτρῳ, λέγων, ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, a σκάνδαλόν μου εἶ, c ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων. b Καὶ a τότε ὁ Ἰησοῦς b προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς, τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. l ἔλεγε δὲ πρὸς πάντας· εἴ τις θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καθ' ἡμέραν. l καὶ ἀκολουθείτω μοι. ὃς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, ἕνεκεν ἐμοῦ, b καὶ τοῦ εὐαγγελίου, l οὗτος εὑρήσει καὶ σώσει αὐτήν. τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος ἐὰν τὸν κόσμον ὅλον κερδήσῃ, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ; c ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ; h ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους, b ἐν τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ μοιχαλίδι καὶ ἁμαρτωλῷ, h καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται αὐτὸν, ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ c αὐτοῦ h καὶ τοῦ πα-

a *Ex eo tempore* c *cœpit* a *Iesus indicare discipulis suis,* b *& docere eos,* c *dicens:* l *quod oporteret Iesum filium hominis* a *abire Hierosolymam, &* l *multa pati,* h *& reprobari* l *à senioribus, & principibus sacerdotum scribis, & occidi, & tertia die resuscitari.* b *Et aperte sermonem loquebatur.* c *Et cum abduxisset eum Petrus, cœpit illum increpare,* a *dicens: Propitius tibi sis Domine, nequaquam tibi erit hoc.* c *At ille conuersus,* b *& intuitus discipulos suos, increpauit* c *Petrum dicens: Abi post me Satana,* a *obstaculo es mihi,* c *quia non sapis ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum.* b *Et* a *tunc Iesus* b *cum ad se vocasset turbam vna cum discipulis suis.* l *Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam* c *quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illã. Qui vero perdiderit animam suam caussa mea* b *& Euangelij,* l *hic inueniet & seruabit eam. Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, anima vero sua iacturam fecerit?* c *Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam suam?* h *Quemcunque enim puduerit mei ac meorum sermonum* b *in generatione hac adultera & peccatrice,* h *pudebit illius & filium hominis, vbi venerit in gloria* c *sua, &* h *patris*

πρὸς b μετὰ h τῶν ἀγγέλων τῶν ἁγίων. a Μέλλει γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ. Καὶ τότε ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ. b Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, e ἀμὴν λέγω δὲ ὑμῖν c ἀληθῶς, l εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστηκότων, οἵ τινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι h τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει (καὶ) a τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ.

b sui, e sanctorumque angelorum. a Futurum est enim, vt filius hominis veniat in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum facta ipsius. b Et dicebat illis: e Amen l dico autem vobis c vere: l Sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec viderint h regnum Dei b venisse cum virtute, (&) a filium hominis venientem in regno suo.

Periocha huius concionis.

INter omnes vere credentes in confesso est, præcipuam partem operis Redemptionis nostræ consistere in passione, morte & resurrectione Seruatoris nostri Iesu Christi. Cum ergo hic primus locus sit, in quo Seruator noster *aperte* de iis concionari incipit, merito attente is est considerandus. Etsi enim illud generaliter adhuc faciat, necdum species passionum suarum exprimat: tamen hic locus cum reliquis sequentibus collatus, totam doctrinam illam mirifice illustrat. Obseruauit enim Christus Iesus etiam in hoc doctrinæ genere naturalem institutionis ordinem, quo à generalioribus exorsi gradatim ad specialia progredimur. Neque mihi superuacanea videtur notatio Origenis, qua vrget Emphasin verbi δεικνύειν, quo Matthæus vtitur. Nam quando is dicit, *cæpit Iesus δεικνύειν ostendere discipulis suis*, cum verba illa quasi titulus sunt tum eorum quæ hic de passione Christi dicuntur, tum illorum quæ postea sequentur. Nam ita diserte, clare & aperte ipsis singula de passione sua prædixit, vt quasi oculis obiecta monstrarit. Δεικνύω enim, Varino teste, idem est quod φαίνω, ἐμφανίζω, δηλῶ, σημαίνω. Et in Veteri Testamento LXX. Interpretes sæpe hoc vocabulo vsi sunt, quando Deus hominibus rem aliquam ita dilucide manifestauit, vt quasi ob oculos picta fuerit. Sic Gen. 41. ver. 25. dicit Iosephus, Deum Pharaoni in somniis *ostendisse* quid facturus sit. Dauid etiam 2. Samuel. 15. vers. 25. dicit: Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & *ostēdet* mihi arcam & tabernaculū suum, 2. Regum 8. v. 13. dicit Propheta Elisæus, Deum sibi *ostendisse*, quod Hasael futurus sit rex Syriæ. Cum ergo hic coniungantur duo vocabula, quod Christus cœperit *docere & ostendere*, quod multa passurus sit, citra omne dubium, Christum tanta ἐναργείᾳ & perspicuitate hanc doctrinam proposuisse, non aliter ac si discipuli coram id fieri cernerent. Eadem ergo diligentia fideles verbi ministri hunc articulum de passione & morte Seruatoris coram suis auditoribus tractare debent. Sicuti Paulus de se testatur, quod Christum Galatis suis adeo perspicue prædicarit, vt ante oculos eorum quasi depictus, & inter ipsos crucifixus fuerit. Galat. 3. v. 1. Nam & inter Corinthios nihil se scire iudicauit, quam Iesum Christum, & hunc crucifixum. 1. Corinth. 2. v. 2. Circumstantias ergo huius loci diligenter excutiemus.

Primo indicat, *Quis* sit passurus. Nominat enim *se ipsum filium hominis*, quem Petrus modo viui Dei filium esse confessus fuerat. Hæc ergo persona, quæ est Deus & homo, pro nobis passa est. Quia enim homo peccauerat, vtique etiam homo λύτρον peccati exsoluere tenebatur. Impossibile enim fuit sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Hebr. 10 v. 4. Humano sanguine rursus litandum fuit. Non eo modo, quo barbaræ quædam gentes homines quosdam reliquorum loco pro piaculis ordinarunt, & superstitiose magna cū crudelitate postea mactarunt. Sed cum Deus prædixit: Veniet ergo promissum semen mulieris: huic Dominus imposuit omnium nostrûm iniquitatem: Ies. 53. vers. 6. & ipsum Deus pro nobis peccatum siue victimam pro peccato fecit. 2. Corint. 5. v. 21. Iure autem suo potuit nostram caussam in se recipere, quia est consanguineus noster, atque sic Goel noster, Iob. 18. v. 25. seu vindex sanguinis factus. Sicut hoc in lege elegantibus aliquot typis præfiguratum fuit, Leuit. 25. v. 25. in eo qui possessionem sui consanguinei, qui ad egestatem redactus fuerat, redimere poterat. Sic Adamus possessionem Paradisi per intemperantiam perdiderat. Christus consanguineus æternam hæreditatem nobis redemit. Numer. 35. v. 19. in propinquo occisi, qui homicidam occidere poterat, vbi eum apprehendisset. Diabolus fuit latro, qui Adamum cum posteris neci dedit. Christus Goel noster nos vindicat, & Diabolum vicissim in æternam mortem præcipitat. Deut. 25. ver. 5. in fratre superstite, qui fratri sine liberis defuncto semen suscitare debebat. Adamus, qui Dei erat Luc. 3. v. 38. peccato mortuus est, nec Deo liberos genuit. Christus ergo vicissim mortuus est, vt nos viuificaret, atque sic semen fratri defuncto resuscitaret. Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes in vita regnabimus per vnum Iesum Christum. Roman. 5. v. 17. Hoc tamen opus redemptionis peregit non ψιλὸς ἄνθρωπος nudus homo. Tali enim impossibile fuisset immensum onus peccati portare, infinitam Dei iram extinguere, mortem abolere, Diabolum superare, infernum desolari, & æternam iustitiam cum vita beata reducere. Æternus ergo Dei filius homo natus passus est in carne, atque sic factus est Iehoua iustitia nostra. Ierem. 23. v. 6. & 33. v. 16. Passio ergo huius personæ non est saltem hominis passio, siue ille rex siue Cæsar æstimetur, sed ipsius Dei. Deus enim suo sanguine sibi Ecclesiam acquisiuit, Act. 20. v. 28. Et quod hæc persona patiens non minus verus Deus quam verus homo fuerit, illud in ipsa passione multis miraculis comprobauit. Pontificum satellites ad vnicum eius verbum, tanquam fulmine icti, concidunt: aurem Malchi abscissam tactu restituit: terram mouit: sepulchra aperuit, aliaq; eiusmodi miracula edidit, ex quibus Centurio homo gentilis agnouit, vere ipsum filium Dei esse. Marc. 15. v. 39. Et quia hæc persona patiens fuit Deus & homo, ideo etiam pretium sanguinis ipsius pro peccatis mundi, non tantū est æquiualens, sed etiam superabundans.

2. *Quid* sit passus filius hominis In hac circumstantia tribus vtitur vocabulis. 1. Oportet filium hominis *reprobari*: Desumtum hoc est Psalm. 118. ver. 22. & perpulcre quadrat ad præcedentem historiam. In ea Christus confessionem Petri de sua persona & officio vocauit lapidem seu petram, super quam ædificaturus sit ipse Christus suam Ecclesiam. Et reuera Iesus Christus fuit lapis ille probatus, angularis, pretiosus, quem Deus posuit in fundamentis Sion. Ies. 28. versic. 16. Hunc lapidem ab omnibus honorandum existimarunt Apostoli, sicut & postea id scripsit Petrus 1. Epist. cap. 2. versi. 7. Et hac de caussa idem Petrus hic indigne fert, quod Christus de sua morte vaticinatur. Sed Deus iam ante per os Dauidis prædixerat, futurum, vt hic lapis ab ædificantibus *reprobetur*. Ad istud vaticinium Christus hic respicit, & in se adimplendum esse testatur. Sicut & Petrus postea illud agnouit. Non autem tantum reprobari oportebat filium hominis, sed etiam 2. *multa pati*. Vere *multa* passus est Christus noster caussa, tam interius quam exterius. In corpore *multa* passus est: quia tanquam facinorosus captus, vinculis constrictus, à nefariis Pontificum seruulis consputus, colaphizatus, à militibus prophanis virgis cæsus, spinis coronatus, in crucem suffixus, felle & aceto potatus, ac tandem lancea perfossus est; In anima quoque *multa* passus est, quia à domestico discipulo proditus, in Concilio tanquam schismaticus examinatus & condemnatus, coram Præside Romano affectati regni & motæ seditionis accusatus ab Herode delusus, Barrabæ latroni & seditioso postpositus, in cruce ceu seductor traductus, atque omnis generis contumeliis & opprobriis obrutus est. Adeo vt hæc omnia spiritu præcognoscens Apostolis dixerit: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et id cruce tandē exclamarit: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? Hæc omnia tam dira & tam multa passa est illa persona, quæ est Deus & homo. Etsi enim diuinitas in sese & per sese pati non possit, ac proinde Veteres recte dixerint, Christum passum esse quiescente λόγῳ: non tamen statuendum est, Deum ab hac passione fuisse immunem. Nam reuera quando Iudæi Christum irridentes clamarunt: Si es filius Dei, descende de cruce, tum hæc ignominia redundauit in ipsam diuinitatem τοῦ λόγου. Sed ὁ λόγος quieuit, vires suas non exeruit: quia tā profunde se exinanierat, vt ne angelicis quidem linguis hoc mysterium enarrari possit. 3. Denique oportuit etiam filium homini *occidi*. Etsi enim vita ipsa per vim occidi nequeat, & ipse Christus solus potestatem habuerit ponendi animam suam, Ioan. 10. 18. tanta tamen fuit truculentia & virulentia hostium Iesu, vt merito ipsi eum occidisse dicantur. Sicuti Petrus & Ioannes hoc Iudæorum Pontificibus obiiciunt: Auctorem vitæ interfecistis. Act. 3. 15.

3. Tertia circumstantia est, vbi sit passurus. *Oportet abire Hierosolymam*. Hierosolyma tum temporis fuit caput gentis Iudaicæ & sedes cultus diuini. In hac ergo vrbe filius Dei immo-

immolari voluit, vt sic typi & vmbræ Veteris Testamenti implerentur. Hæc vrbs initio dicta fuit Salem. Postea cum Genes. 22. 8. Abrahamus filio Isaaco, de victima in monte offerenda, diceret, אלהים יראה Dominus prouidebit: ex eo dicto auctum est nomē loci, & pro Salem dictus *Ierusalem*. Et quia Isaacus fuit typus immolandi filij Dei, ipse quoque ibidem loci victima pro humano genere fieri voluit. Postea quoque omnia sacrificia, tam publica quàm priuata, nullibi prætterquam *Hierosolymis* offerre licebat. Quoniam Dominus elegit Sion: elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies ipsius in seculum seculi: hic habitare voluit, quia elegerat eam sibi, Psal. 132. v. 13. Postea vero ciuitas hæc degenerauit, & cæde Prophetarum atque reliquorum fidelium Dei seruorum nobilitata est. Ideo debebat mensuram peccatorum suorum implere etiam indigna cæde filij Dei, vt omnis iustus sanguis super ipsos veniret, qui effusus est à sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariæ, Matt. 23. 35. Denique etiam in illa vrbe, in qua quotannis Iudæi ter ex vniuerso orbe conueniebant, mori voluit, vt mors ipsius eo citius & facilius per totũ terrarum orbem diuulgaretur. Sicut etiã Cosmographi *Hierosolymam* eum in terris locum occupare statuunt, qui quasi medius est in toto habitabili orbe. Si vero hæc vrbs, quæ vulgo ciuitas sancta dicebatur, Matt. 27. v. 53. & à Christo Mat. 5. v. 35. nominatur ciuitas magni Regis, nimirum ipsius Dei, quæ deni que vetustate, potentia, victoriis, diuini cultus & religionis maiestate nulli vrbi in toto terrarum orbe cessit, ita degenerauit, vt ob Prophetarum & ipsius filij Dei cædem æternum excidium cum perpetua nominis infamia meruerit: quanta quæso stultitia est religionem & æternam salutem certo alicui loco vel verbi (qualis Roma est) alligare velle? Cum tamen Roma Hierosolymam nulla alia in re felicius imitata sit, quam quod & ipsa sanguine Apostolorum, Petri & Pauli, atque infinitorum Martyrum maduit, consimili denique cum Hierosolymitanis impietate Christi honorem & doctrinam persequitur.

4. Quarta Circumstantia est, *à quibus* Christus sit passurus. Nominat autem hic tres ordines. 1 *Seniores*, per quos intelligere possumus eos, qui auctoritate sua Rempubl. Iudæorum gubernabant, & non tam ratione annorum, quam auctoritatis *Seniores* dicebantur. 2. *Pontifices* & Antistites sacrorum. Licet enim videbant Iesum facere signa, qualia nemo hominum poterat: inuidia tamen eorum oculos occæcarat, vt quia statuebant Christum ipsorum quæstui officere, illum è medio tollendum statuerent. 3. *Scribas*. Hi cum Pharisæis sibi præ aliis legis scientiam arrogabant, & propterea apud populum sanctitatis & eruditionis existimationem maximam sustinebant. His tribus ordinibus passim in Euangelio tribuitur, quod Christum ad crucem & mortem adegerint, non quod hi soli passionis Christi rei fuerint, sed quod negotij totius Duces fuerint. Vere quidē & proprie loquendo Christus passus, & ad mortem adactus est ab omnibus hominibus: quia omnes homines peccatores sunt, & caussa mortis Christi: Sed tum temporis, cum Christus in his terris ageret, isti tres ordines Iudæorum auctores fuerunt necis Christi. Nā ipsi extremo odio Iesum persequuti sunt: ipsi Iudam conduxerunt, vt eum proderet: ipsi ministros miserunt, qui eum caperent: ipsi in Concilio falsos testes subornarunt, vt condemnare eum possent: ipsi eum illudendum seruulis tradiderunt: ipsi coram Romano Præside eum seditionis accusarunt: ipsi populo persuaserunt, vt reiecto Iesu Barrabam latronem eligerent: ipsi insanis suis clamoribus Pilatum adegerunt, vt inuitus capitalem sententiam in ipsum ferret. Recte ergo hic ipsis tribuitur, quod passionis & mortis Christi auctores fuerint. Hisce enim architectis, qui pretiosum illum lapidem reprobarunt, Ps. 118. v. 22. merito acceptum refertur, quicquid etiam alij fecerunt.

5. Considerandum etiam *cur* passus fuerit. Hæc vero Circumstantia latet in verbo *oportet*. Quod non ita accipi debet, quasi ipse nolens & inuitus, aut ab hostibus suis vi coactus ista tulerit. Nam oblatus est, quia ipse voluit, Ies. 53. v. 7. Et ipse dixit Ioan. 10. v. 18. Nemo tollit animam meam à me: sed ego pono eam à meipso. Tota quoque Euangelica historia testatur, passionem ipsius fuisse voluntariam. Volens & sponte profectus est Hierosolymam, cum nihil eorum ignoraret, quæ ipsi obuentura essent: sponte & volens exiuit in hortum, in quo se capiendum sciebat, neque vllis Apostolorum armis defendi voluit. Ergo *oportuit pati*, non ob vim hostilem, sed ob decretum æterni patris, ob Scripturarum prædictionem, ob salutem humani generis. Et ex eo ineffabilem Christi amorem erga nos agnoscamus. De quo ipse loquitur Ioan. 15. v. 13. Maiorem hâc dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Christus autem, cum adhuc inimici & peccatores essemus, pro nobis mortuus est, Rom. 5. v. 8. Deus initio hominem crearat ad suam imaginem, rectum, iustum, pium, & qui principatum inter omnes creaturas tenere debebat. In quo statu si permansisset, Deus sine mortis acerbitate ipsum in cœlum æterna beatitate fruiturum, transtulisset. Sed postquam Adamus præceptum Dei ex inobedientia transgressus est incidit in iram Dei, quæ est ignis consumens, Deuter. 4. v. 24 atque sic anima & corpore periit. Nec potuit homo se ipsum ex interitu erigere: quia intellectus, voluntas atque reliquæ vires omnes deprauatæ erant, adeo, vt homo naturaliter viuus, spiritualiter tamē mortuus, & ita corruptus sit, vt coram Deo viuum cadauer æstimetur. Quia tamen homo non sponte sua se à Deo auertat, sed à Diabolo seductus peccarat: Deus ex immensa misericordia ipsius miseratus est: ita tamen, vt iustitiæ suæ exactissimæ simul satisfieret. Hoc ergo mirabile temperamentum inter iustitiam & misericordiam in arcano diuinitatis consilio inuenit, vt æternus Dei filius homo factus, iustus pro peccatoribus pateretur & moreretur: atque sic districtę Dei iustitię pro miseris mortalibus satisfaceret, quo omnes qui fiduciam suam in ipsum collocarent, propter ipsum remissionem peccatorum consequerentur. Hoc est illud, *oportet filium hominis pati*: vt nimirum ipsius liuore sanemur, Ies. 53. v. 5. Venit enim filius hominis ministrare, & dare animam suam redemtionē pro multis, Matth. 20. v. 28. Et propter delicta nostra traditus est, Rom. 4. v. 45. Hic enim est fidus ille sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere, 1. Tim. 1. v. 15.

6. Ad temporis Circumstantiam referri potest, quod addit: *& tertia die resuscitari*. Resurrectionis mentionem facit, vt discipulorum animos communiat aduersus scandalum crucis. Nec debet Resurrectionis Articulus ab Articulo Passionis vspiam separari. Sicut enim ignominiosa sua morte peccata nostra expiauit: ita gloriosa sua Resurrectione pœnam peccati, Mortem, sustulit. Et nunc instar victoriosi Regis deuictis omnibus & suis & nostris hostibus, peccato, morte, Diabolo, inferno, triumphans sedet in cœlis ad dexteram Patris, & nobis quoque mansionem ibi parauit, vt eo transferamur, quando ipse redierit iudex viuorum & mortuorum. Et licet nobis adhuc moriendum sit: Mors tamen non amplius est pœna peccati. Quia Christus resurrectione sua eam exarmauit, & stimulo suo priuauit, 1. Corinth. 15. versicul. 56. Sed est felix transitus ex hac lacrymarum valle in vitam æternam. Quod autem resurrectio non vltra tertium diem differtur, facit ad nostri consolationem: quod crucis professio non sit futura diuturna. Sed sicut mors Christum triduum integrum detinere non potuit: ita qui firma fide super inuictam hanc petram, Iesum Christum, exstructi sunt, eos nulla aduersaria vis destruere aut euertere poterit. Viuit Christus, & nos viuemus, Ioan. 14. vers. 19. Regnat Christus, & nos regnabimus, 2. Tim. 2. v. 12. Viuificabit enim nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, Os. 6. versicul. 3.

Hic vero incidit Grammatica quæstio, quam paucis attingam, vt iuniores in exemplis conspiciant vsum linguarum, & quam necessarium sit, vt studium linguarum in Academiis conseruetur. Vbi enim Matthæus dicit, oportet filium hominis *tertia die resuscitari*. ibi Marcus ponit, μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι, *post tres dies resurgere*. Hic varie se torquent Interpretes, quare Marcus dixerit *post tres*, maxime quia historia resurrectionis ostendit, non posse illam vltra tertium diem extendi. Plerique igitur ponunt Synecdochen: sed hæc scrupulum non remouet. De sensu enim non est dubium, quem non tantum Matthæus & Lucas diserte ponunt, sed etiam Ioannes cap. 2. versicul. 19. ἐν τρισὶν ἡμέραις, tribus diebus. Quin & ipsi Pharisæi hanc phrasin aliter non intellexerunt. Nam cum Matth. 27. vers. 63. à Pilato sepulchrum peterent, quia ipse superstes dixerit, μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι: tamen saltem ἕως τῆς τρίτης ἡμέρας, vsque in tertium diem sepulcrum custodia muniri petierunt. Ergo iudicarunt ipsum intra triduum resurrecturum. Quæstio itaque est non de sensu, sed de phrasi: an nimirum μετὰ tantum *post*, & non aliud significet. Et Stapulensis quidem adducit exemplum, quod μετὰ χεῖρας ἔχειν ponatur pro ἐν χερσί, & significet, in manibus habere. Sed hoc non quadrare videtur, quia exempla de tempore quæruntur, in quibus μετὰ non *post*, sed intra significat, & non consequens, sed interiectum, & adhuc vigens tempus denotat. Inuenitur autem tale exemplum, Deuteronom. 14. versic. 28. μετὰ τρία ἔτη, vbi non post tres annos, sed quouis tertio anno significat, in quo peculiaris decima fuit colligenda. Sicut hoc patet ex loco Deuteron. 26. v. 12. vbi explicatius dicitur ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ, anno tertio. Cōuenit ergo cum Hebraico מקצה *Mikkezeh*, quod iuxta Rabinos denotat extremitatem siue initij siue finis. Exstant similia exempla in prophanis literis. Lucianus μετὰ τὸν βίον, tēpore vitæ. Euripides μεθ' ἡμέραν, interdiu. Homerus Odyss. Ξ. μετὰ δαῖτα inter prandendum. Ex quibus

omnibus patet, Marcum cum reliquis Euangelistis sensu non discordare, licet diuersa phrasi vtatur.

II. Subiungunt Euangelistæ, quomodo Apostoli hanc Christi concionem susceperint. Etsi enim solus Petrus hic introducitur loquens, tamen eandem fuisse mentem omnium vel ex eo patet, quod Marcus testatur, Christum *discipulos suos intuitum increpasse Petrum.* Communis enim hic fuit omnium error, quod mundanum regnum Messiæ somniabant, & sibiipsis omnem huius seculi felicitatem pollicebantur. Idcirco grauiter offendebantur eo, quod ipse Christus se occidendum affirmaret. Petrus ergo προσλαβόμενος αὐτὸν, *apprehendit eum.* Etenim familiarius aliquê corrigendi caussa monituri, apprehendimus eius manum, & paululum abducimus, vt eo liberius cum ipso loqui possimus. Sic Petrus ignorans adhuc necessitatem crucis, putauit dedecori futurum Messiæ, quem ipse modo Dei filium esse professus fuisset, si is sacerdotibus subiiceretur, & ab ipsis interficeretur. Proinde *cœpit eum increpare.* Ἐπιτιμᾶν autem est verbum, quo significatur aliquid cum interminatione & indignatione vel præcipere vel prohibere. Petrus ergo abduxit quidem Iesum, sed impetuosius cum ipso locutus est, vt etiam reliqui discipuli audire potuerint. Dixit autem ad Iesum, ἵλεώς σοι κύριε, quod proprie significat, *propitius sis Domine,* scilicet, tibi Deus. Et vsurpatur de re, quæ necessariam habeat propitiationem. Lutherus reddit sensum: *Schone dein selbst.* Verus interpres: *absit à te.* Sed ex communi lingua Græca verus sensus non animaduertitur. Hebræi habent vocem חלילך *Calilach,* quando aliquid quasi abominandum & detestabile per modum deprecationis auersantur. Hoc vocabulum Græci reddiderunt per ἵλεως *Absit,* hoc auertat vel prohibeat Deus: *Das sey ferne.* Hoc modo redditum est, 1. Samuel. 14. v. 45. cum Saul Ionathan occidere vellet, eo quod gustasset fauum mellis. Ibi dicit populus חלילה *Absit* vulgo. *Das sey ferne.* 2. Samuel. 20. v. 20. quoque habetur חלילה sed redditum est, ἵλεώς μοι γένοιτο, absit hoc à me. 2. Sam. 23. ver. 17. cum Dauidi offerretur aqua de cisterna Bethlehem, dicit חלילה ἵλεώς μοι κύριε ποιῆσαι τοῦτο. *Absit mihi,* ô Iehoua, vt hoc faciam: Inuenitur etiam hæc vox, Genes. 18. ver. 25. in colloquio Abrahami cum Deo. Et Gen. 44. ver. 17. vtitur ea dispensator Iosephi. Genes. autem 43. vers. 3. etiã inuenitur: ἵλεως ὑμῖν, pax vobis, *gebt euch zu frieden* confidite, nolite timere. Ex præcedentibus autem exemplis patet, Petrum Christum acerbe & non sine indignatione reprehendisse, quod ipse, qui hactenus omnibus morbis, & ipsis etiam Spiritibus immundis imperasset, Senioribus tamen & Pontificibus tantum in se iuris permittere, nec maiorem sui rationem habere vellet, quam vt tam dira & indigna ab ipsis pateretur. Ideo tandem addit: *Nequaquam erit tibi hoc.* Quasi diceret: Si maxime tu velis tuam existimationem & salutem negligere, nos tamen nostro muneri non defuturi sumus, sed satis mascule nos ipsorum furori opponemus.

Hæc Petrus. Nec est dubium, ipsum, dum hæc protulit, quasi re bene gesta sibi ipsi probe complacuisse. Cum enim Iesum hominem innocentissimum esse sciret: ipsum quotidie innumerabilibus beneficiis alios sibi deuincire videret: adhæc Messiam, qui regnum Dei inter homines instauraturus esset, crederet: denique filium Dei viuentis professus fuisset: non vidit, qua ratione mors quicquam iuris in ipsum habere posset. Vnde etiam plerique, maxime autem Pontificij scriptores, Petrum hoc nomine excusant, & dicunt, ipsum hoc sermone ardorem amoris sui erga Christum declarasse, non minus quam præcedenti sermone ardorem fidei commonstrarit. Sed quid opus est operosa Petri excusatione, cum & Christi acris increpatio & res ipsa testentur, Petrum grauiter hic peccasse? Nimirum Petrus homo fuit, peccatis obnoxius, pro quorum remissione ad Deum orare coactus fuit tempore oportuno, non minus quam alij sancti. Psalm. 32. v. 6. Peccauit autem confidentia, quod apprehensum scorsim abduxit eum, in quem nullum ius vel imperium habebat. Peccauit etiam temeritate, quod non tantum monuit, sed etiam increpauit, & corripuit eum, à quo ipse discere debebat. Peccauit denique impietate, quod impedire cupiuit illud, quod ita fieri *oportere* audiuerat. At dicunt: Petrum ex bona intentione hoc fecisse. Esto. Hinc tamen colligere licet: bonam intentionem Deo non probari. Siquidem is non vult nos secundùm bonam nostram intentionem, sed secundùm verbum præscriptum res nostras instituere. Non facietis singuli, dicit Dominus, quod vobis rectum videtur, Deut. 12. versic. 8. Sed quod ego tibi præcipio, hoc tantum facito Domino, v. 32. Sed bona intentio ita est affecta, vt quicquid ipsi non placet, illud absurdum ei esse videtur, & vult insuper illud etiam à Deo nec dici nec fieri. Ita, quia Petro absurdum videtur, auctorem vitæ crucifigi, & occidi eum, qui mundo daturus est vitam, præcipue autem à senioribus, qui sunt capita populi: Ideo vult ne quidem mentionem huius in posterum à Christo fieri.

2. Sed audiamus etiam Christi responsionem, qui asperius Petro occurrit, quàm vnquam antehac in illis vitiis fecerit. Est enim sapientia carnis belua ferocissima, quæ aspere retundenda est. Fures, latrones & alij facinorosi se excusant: at bona intentio semper defenditur. Proinde maiori asperitate reiicienda. *Conuersus autem & intuitus discipulos,* vbi videt eos idem sentire, acriter Petrum coram omnibus obiurgat, dicens: *Abi post me, Satana.* Dura hæc sunt verba, & quidem eadem, quæ Lucæ 4. versicul. 8. ipsi Diabolo sunt dicta, quibus simpliciter Christus eum à se repulit. Innuit ergo ipsum etiam Petrum à suo consortio repellendum esse, nisi pœnitentiam agat. Non vocat eum Petrum, *non Simonem,* sed *Satanam,* hoc est, aduersarium. Sunt qui putent, Satanam hasce cogitationes Petro instillasse, eique hoc consilium suggessisse: vt sic Christum in carne passurum turbaret. Et quia Christus ratione diuinitatis talibus oculis præditus sit, qui etiam Satanam ea suggerentem videre potuerit: Ideo ipsum Satanam eum his verbis increpuisse. Et quidem dubium non est, à Satana hanc suggestionem profectam esse. Sed Christus hic non cum Diabolo, sed cum ipso Petro in oculis discipulorum loquitur, & eum *Satanam* appellat, quod sua adhortatione obstaret & aduersaretur ei, quod à cœlesti Patre decretum erat, atque sic ipsius Satanæ partes obiret. Addit autem rationes, tum quare ita aspere Petrum repellat, tum quare Petrus tam grauiter erret. Reprehensionis caussa est: *Quia mihi scandalo es:* id est, vocationi meæ te opponis, eiusque cursum abrumpere vis & impedire conaris, quo minus genus humanum redimatur. Hoc reuera grande est peccatum, & dignum quod tanta asperitate retundatur. Quæritur autem, qua ratione Petrus Christo potuerit esse scandalo: cum scandalum patiantur tantummodo vel imperfecti vel maligni Christus autem omni ex parte est, perfectus & bonus? Sed loquitur Christus humano more, tanquam verus homo. Et in ipsa passione, licet Spiritus fuerit promptus, caro tamen fuit infirma: Matth. 26. ver. 41. Et proinde ex Petri suggestione caro ipsius turbari potuisset, vt imminentem passionem horreret. Erroneæ opinionis in Petro caussa est: *quia non sapis ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum.* Non enim cogitationes meæ, sunt cogitationes *vestræ:* neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Sed quantum *exaltantur cœli à terra,* tantum exaltatæ sunt *viæ meæ à viis vestris,* & *cogitationes* meæ à cogitationibus *vestris.* Iesa. v. 8. Est ergo duplex sapientia: alia hominum, alia Dei. Hominum sapientia est, curare vt sibi bene sit, pericula declinare, mortem fugere, non se aliis subiicere, sed quærere honores, opes, voluptates, longam & ab omnibus incommodis hoc seculo liberam vitam. Hæc sapiebat Petrus, ac proinde Iesum quoque vt mortem vitaret, inducere conabatur. Dei autem sapientia est, quæ solum voluntatem & verbum ipsius respicit, & Spiritu Domini se duci patitur, siue per crucem, siue per mortem id fiat, dummodo Dei gloria illustretur, & proximi salus promoueatur. Hanc Christus sibi præfixam habuit, ac proinde *in ea per* Petrum aut suos discipulos turbari noluit.

Hæc acris Christi obiurgatio diuersa monet. 1. Quod sapientia carnis sit Satan, si opponatur reuelato Dei verbo. Hinc enim Paulus suam sumsit sententiam, Romanor. 8. ver. 6. Τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς intelligentia carnis inimicitia est aduersus Deum. Intelligit autem per illud τὸ φρόνημα omne quod homo non renatus ex seipso sapit, nouit, intelligit, vult, cupit, illud omne reluctatur & hostiliter aduersatur Deo. Nam animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere. 1. Corinth. 2. vers. 14. Ideo vult Paulus 2. Corinth. 10. vers. 5. vt πᾶν νόημα omnem rationem captiuam ducamus in obsequium Christi. Et hoc est, de quo sæpiuscule monemur, debere Philosophiam non dominari, sed ancillare Theologiæ, nisi per eam decipi velimus. Coloss. capite 2. versicul. 8. Alias, si id fiat, Philosophi dicuntur hæreticorum Patriarchæ. 2. Monet etiam hic locus: Amicitiam eorum esse fugiendam, qui nobis suadent, vt nobis parcamus, & ab obedientia Dei recedamus ex iudicio rationis. Nam & Christus Petrum à societate sua repellit, si in hac sententia perseueret. Paulus certe Actor. 21. versicul. 13. noluit audire eos, qui eum monebant, ne Hierosolymam adscenderet, eo quod vincula ibi ipsi parata essent. Ipse vero paratus fuit etiam mori propter nomen Iesu. 3. In Petri exemplo etiam obseruari debet communis infirmitas hominum, quæ etiam Sanctis inhæret propter legem peccati, quam in carne circumferunt. Petrus, qui modo beatus pronuntiatus fuit, & cui promissæ erant claues regni cœlorum, iam Satanas vocatur, quo nihil est abominabilius. Cur verò Deus permisit, vt Petrus in hanc tantam infirmitatem prolaberetur? Permisit, vt tam ipse quam alij discerent, quantum intersit inter hominem diuina gratia

adiutum

adiutum,& hominem sibiipsi relictum. Vt item disceremus, non sufficere,gratiam Dei semel percepisse, sed opus esse,vt in eadem quis perseueret. Qui ergo existimat se stare,videat ne cadat,1.Corint.cap.10.v.12. Oret autem Deum,qui potẽs est ipsum stabilire,Rom.14.ver.3. 4. Denique monendi etiam hic sunt Pontificij, quid ipsis videatur de fundamento suæ Ecclesiæ, quod ipsi statuunt esse Petrum. Si hoc verum esset, certe admodum fragile & ruinosum illud foret. Cum Christus hic Petrum Satanam appellet, de fundamento autem Ecclesiæ suæ dicat,ne portas quidem inferorum aduersus illud præualere posse.Nos ergo,vt in superioribus demõstrandum est,non Petrum,sed Christum, quem Petrus confessus est,fundamentum Ecclesiæ credimus.

III. Porro,non satis est Christo,Petrum carnalia sapientem,ipsumque à crucis & mortis infamia auocantem redarguisse: verum iam pergit, & communem legem siue Regulam statuit omnibus fidelibus,vt si quis ipsius discipulus esse velit,eius exemplum in patienter ferenda cruce & morte sequatur.Cumque hæc regula siue hic canon sit Moderator & director totius vitæ Christianæ, vtique æquum est,vt quàm diligentissime eum consideremus. Habent suas regulas Augustiniani,Ambrosiani,Benedictini,Bernhardini,Carmelitę, Franciscani, Ioannitæ,& quotquot sunt Monachorum siue sectæ, siue ordines, ad nouissimum Diaboli fœtum Iesuitas vsque.Et in iis regulis magnam partem perfectionis non humanæ,sed transcœlestis vitæ ponunt. Sed miseri non vident, se frustra colere Christum,obseruantes præcepta hominum, Matth.15.v.9. & licet sint liberti Domini, fieri tamen rursus seruos hominum.1.Cor.7.vers.23.Quotquot ergo ab æterna veritate aberrare nolunt,attendant ad hanc regulam Christi hic traditam,quam *conuocata omni turba ad omnes dixit*. Hæc enim est illa regula, de qua Apostolus gentium Paulus pronuntiauit: Quicunque secundùm hanc regulam incedent, pax super illos & misericordia,& super Israelem Dei.Galat. 6.vers.16. Hi enim sunt veri Israelitæ, quos Christus pro suis agnoscit,quod in ipsis nullus sit dolus. Ioan.1.47. Antequam tamen Canonem ipsum seu Regulam examinemus, attendenda est hæc vniuersalitas,qua Christus in genere dicit: *Si quis vult post me venire.* Neminem cogit,vt contra suam voluntatem se sequatur. *Si quis* enim meliorem salutis rationem inuenire cupiat,per Christum licet. *Si quis* tamen ipsius discipulus fieri,per ipsum seruari,& æternæ beatitudinis,quam ipse comparauit, consors fieri cupiat, hanc Regulam seruet. Nullum hic ordinis, nullum personarum discrimen ipsi immunitatem afferet,quominus ad obseruationem huius regulæ sit obstrictus. Qui quoque ab hac regula & disciplina Christi solutus vitam degit, is Christiano nomine est indignus. Etenim non sufficit Christianum nominari,in Christi nomine baptizatum esse, externas Christianæ genti vsitatas ceremonias obseruare:sed multo magis omnis cogitatio:cura, opera, tempus,labor ponenda & consumenda sunt, in tenenda & fideliter obseruanda hac Christianæ vitæ regula, vt sic reipsa veri & Deo grati Christiani exsistamus. Nam non omnis qui dicit,Domine Domine, introibit in regnũ cœlorũ:sed qui facit voluntatem Patris,qui in cœlis est.Mat.7.v.21.

Sunt autem regulæ huius,vitam Christianorum moderãtis,partes tres.Prima præcipit *abnegationem suiipsius*.Secunda, *quotidianam crucis sublationem*. Tertia, *sequelam & imitationem virtutum Christi Magistri*. Singulas ordine videamus.

1. *Abnegare* aliquid quis dicitur,cum alicui rei ex animo renuntiat,eam prorsus aspernatur,vsque adeo, vt licet in potestate ipsius sit,illam tamen neque nosse,neque illa vti,neq; vllam consuetudinem cum ea habere velit. Sic pater dicitur abnegare filium,quem non amplius pro suo agnoscere,nullis beneficiis afficere, nec vlla paterna beneuolentia prosequi velit. Honestus maritus abnegat vxorem adulteram, ob perfidiam & libidinem non amplius pro coniuge agnoscẽs. *Abnegare semetipsum* est suo arbitrio, suæ voluntati & omnibus propriis animi sui motibus placitisque renuntiare, proprios affectus negligere, suggestiones ac suasiones eorum comprimere & repellere,atque posthac non sibiipsi,sed illi deditum esse,quem in Dominum ac Magistrum delegit. Sic hoc verbum Christus in sua persona declarat, quando dicit, Iohan.5. vers. 30. Non quæro voluntatem meam,sed voluntatem eius,qui misit me. Et Luc.22.ver.42. Pater non mea voluntas,sed tua fiat. *Abnegat* ergo Christianus *seipsum*, quãdo diffisus humanæ suæ sapientiæ, rationem suam contemnens,consilia sua abiiciens, arbitrium suum nihil æstimans, & affectibus cupiditatibusque suis prorsus non indulgens, contra rationem, intelligentiam, voluntatem, consilia,affectus,appetitiones omnes, se totum Deo & verbo eius per fidei obedientiam subiicit,regendumque exhibet,quo soli illius sanctæ maiestati probetur, qualescunque alias euentus in hac vita sortiatur.

Cæterum, est etiam hæc *abnegatio* secundum subiectas partes, in quibus ea occupatur & exercetur, consideranda, tum res omnis fiet illustrior. Christianus enim homo abnegare debet omnes animæ vires,tam superiores quam inferiores,vt sic se totum hostiam tradat Deo. Quoad superiores, abneganda est omnis Intelligentia carnalis,abneganda omnis Voluntas carnalis. *Intellectus* hominis perpetuus quidẽm infinitarum cognitionum fons est,quas incidentes memoria suscipit, & interdum apud se depositas conseruat. Hæ vero carnis cogitationes, aliæ sunt otiosæ, aliæ curiosæ, aliæ violentæ,aliæ à spiritu immundo suggestæ,fœtidæ,omnes denique corruptæ.Hæ sunt repurgandę,iuxta fidei doctrinam reformandæ,imo prorsus mortificandæ,& cogitationes Christiani hominis ad gloriam Dei, ad proximi ædificationem, & ad sui salutem conuertendæ. Et quia sensus nostri sunt intellectus ministri atque satellites,idcirco & ipsi forti abnegatione sunt purgandi, vt Dei obsequio sese dedant. Oculi sunt auertendi, ne videant vanitatem: aures claudendæ, ne audiant impia vel obscœna: manus & pedes constringendi, ne contrectent aliena,vel ambulent viam iniquitatis: Phantasia compescenda, ne variarum imaginum turbam menti offerat, quarum copia intellectus obrui possit. Deniq; à ratione & iudicio, à cogitatione & sensu omnis malitia arcenda est,vt omnia diuinæ sanctimoniæ virtute in nobis imbuta deprehendantur.Deinde etiam *voluntas* propria est abnegãda.Hæc enim voluntati Dei prorsus est contraria,nec se subiicit diuinæ,sed hanc potius ad se flectere,& sua coniungere conatur:vt modo in Petro vidimus. Quærit saltem quæ sua sunt,seipsa delectatur,& neglectis aliis omnib.amore sui quasi capta tota intenta est in proprium commodum. Huic suæ voluntati si quis indulgeat, reducit eum ipsa in seruitutem Diaboli.Ergo intellectus Christiani hominis verbi diuini luce illustratus, vbi intellexerit, quæ sit sancta & iusta Dei voluntas,suam etiam propriam voluntatem impellat,vt fortiter se abneget,tota à Dei voluntate pendeat,eamque ceu Magistram suam in tota vita sequatur.Et hæc est *abnegatio* superiorum virium,Rationis & Voluntatis.

Inferiorum virium *abnegatio* est crucifixio omnium prauorum affectuum & cupiditatum,adhęc malorum habituum inde enatorum. Hos malos affectus si ordine recensere velimus. 1. Primum locum obtinet *praua concupiscentia*, quæ est omnium malorum fomes,quo homo ad peccatum incitatur, & nullo negotio ad illud perpetrandum deuoluitur,nisi per Dei gratiam impediatur. Vnusquisque enim tentatur à propria concupiscentia abstractus & illectus.Iacob.1.v.14. Verus ergo Christianus prudenter attendit, quales habeat naturales inclinationes ad malum, & quando eas agnoscit atque deprehendit, mox tanquam pessimos suos hostes, quibus Diabolus ceu administris ad se perdendum vti velit, studio abnegationis iugulat,& per Dei gratiam remouet. 2. Concupiscentiam,seu fomitem,sequuntur *vitiosi affectus* & prauæ animi commotiones. Ad has ne excrescant, securim abnegationis admouere debet Christianus. Magnas & efficaces ad præpedienda peccata vires habet abnegatio, si praui animi affectus primo statim initio coerceantur. Caueat ergo Christianus,ne otio torpeat. Animus bonis cogitationibus occupetur,ne malis motibus obruatur. 3. *Philautia* quoque & *amor proprius* per abnegationem abiiciendus. Vbi enim hic affectus dominatur, ibi omnem intentionem inquinat,peruertit, & facit, vt homo non Deum, sed seipsum intueatur, nec quicquam aliud in suo proposito quam seipsum solum quærat. Idcirco hic affectus ex toto pectore euellendus est. Periit homo amando se: Ergo in viam salutis restituatur abnegando se. Et reuera si homo attente consideret, quot & quantæ corruptelæ & prauæ propensiones ex seipso oriantur,non potest non incipere seipsum odisse,nauseare,contẽnere, sibi indignari,& propria dedecora exprobrare. Vnde pium sui ipsius odium:vicissim autem sanctus Dei amor exoritur. 4. *Luxuria vitium* potissimum iuuentuti insidiatur, & hominem mox à pubertatis tempore incipit oppugnare.Hic ergo caro seuere est domanda,cor,ne impuris & sordidis cogitationibus incendatur,diligenter custodiendũ,omnes prauæ appetitiones,quamprimum excitantur,statim expellẽdę, omnis libido acriter coercẽda, & metu sempiterni supplicij, quod iis imminet, qui in hoc affectu non viriliter contra seipsos decertant, caro ad verã continentiam est adigenda. 5. Vice versa *auaritia* prouectioris ætatis homines potissimum occupat, vt nullis diuitiis,nulla copia satiari queant:sed quo minus superest viæ,eo plus requirant viatici.At auaritia radix est multorum malorũ.1.Tim.6.v.10.Hæc ergo radix mala ex corde est resecanda. Qui enim volunt ditescere, incidunt in tentationes & laqueos Diaboli. Et quid prodesset homini, si vniuersum mundũ lucraretur,animæ vero suæ detrimentum pateretur? Quin ergo simus *αὐτάρκεις* & sorte nostra contenti:

aut si affluant divitiæ, cor non apponamus. Psalm.62.v.11. sed tanto magis liberalitatem exerceamus. 6. Intermediam ætatem vt plurimum diuexat *iracundia*, quæ parit rixas, contumelias, verbera, cædes: & hominem ex filio Dei in Diaboli mancipium transmutat. Hic ergo proprij cordis impulsus sunt compescendi & abnegandi, & animus in tranquillum statum reducendus. Neque enim ira viri iustitiam Dei operatur. Iacob.1.v.20. Quapropter etiam illatas iniurias patienter toleremus: & spiritu mansuetudinis aliorum contumelias superemus: cogitantes probra redemtoris nostri, qui, cum malediceretur, non vicissim maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti iuste. 1. Pet.2. vers. 23.7. *Gula* quoque *vitium* multis est valde familiare. Qui tamen veri Christi discipuli sunt, illud abnegant, & serio ab ipso abhorrent, quia grauat cor, & impedit, quo minus quis iusta vigilantia exspectet diem Domini. Luc.21.v.34. Ac proinde potius à necessariis abstinent, quam vt edendo bibendoque intemperantiæ fræna laxent. 8. Insuper multos diuexat proximi prosperitas, & optatus rerum successus. Hic abneganda omnis *inuidia*. Et cur Satanico huic malo locum concedamus, cum in Christo omnes simus vnius corporis membra? Bene ergo & velimus & faciamus nobis inuicem, donec ad communem illam hæreditatem perueniamus, quã cohæredum numerus non angustabit. 9. *Lingua incontinentia* quoque in mundo dominatur, vnde blasphemiæ in Deum & obtrectationes in homines profluunt. Hoc vitium quoque Christiano abnegandum est, custodia ori ponenda, & sedulo cauendum, ne in lingua nostra delinquamus. Psalm.39.v.2. Est enim lingua nostra modicum quidem membrum: sed multum turbarum concitare potest. Iac.3.v.5. Verus itaque Christianus parce & vtiliter loquitur, & accurate præponderat, quid, cui, quando, qualiter & quantum sit loquendum. 10. Denique quia *Superbia* initium est omnium peccatorum, & adhuc hodie subinde sese etiam piorum cordibus insinuat, sicque omnia etiam recte facta ipsorum inquinat, hæc quoque tota est abneganda. Deus enim resistit superbis: humilibus autem dat gratiam. 1. Pet.5. v.5. Verus itaq; Christianus nihil faciat per cõtentionem, nihil per inanem gloriam, omnia per humilitatem, ad ædificationem Ecclesiæ, & honorem Dei, Phil.2.v.3.

Ex hac breui enumeratione manifestum est, quam late pateat prima hæc pars regulæ Christianismi, quæ agit de abnegatione sui. Nunc inspiciamus etiam alteram regulæ partem, quæ his verbis comprehenditur, *& tollat crucem suam quotidie.*

1. *Crucis* nomine Christus omne genus afflictionum, quæ cum ignominia coniunctæ sunt, & homini accidere possunt, intelligit. Afflictionibus autem hoc nomen imponit, ad similitudinem suæ crucis quam ipse & acerbissimam & probrosissimam ad mortem vsque nostri caussa sustinuit. Vultque hac voce nos commonefacere. 1. quod afflictiones Ecclesiæ & piorum non leues aut vulgares, sed in summo & extremo gradu sint futuræ. 2. Quod cum externa ignominia, tanquam crucis supplicium, sint coniunctæ. 3. Quod passiones credentium sint sanctificatæ cruce Christi, ne sint signa iræ, sed indicium salutis. Philip.1. versic.28. Fiunt enim sacrificia Deo placentia, si fiant in fide crucis Christi. 4. Inprimis autem vult nos commonefacere salutaris illius communionis, quam cum ipso hoc nomine habemus, quando ceu mẽbra ipsius, ob nomen ipsius, aduersa subimus atque perferimus. Sic enim & nos adimplemus, in carne nostra, reliquias afflictionum Christi, pro corpore ipsius. Col.1.v.24. Quia vero afflictiones homini Christiano sunt perferendæ, sciendum, eas non esse vnius generis. Aliæ enim sunt communes humani generis calamitates, quibus omnes homines, cuiusque fidei vel religionis sint, secundum communem naturæ cursum sunt expositi, eo quod omnes etiam peccato originis sint obnoxij. Hinc homini multa incommoda & molesta accidunt, mox à partu, per omnes totius vitæ ætates. Quis recensere potest dolores, quos inferunt frigus, æstus, fames, sitis, tum multiplicibus morbis, qui vnicuique ætati & parti corporis insidiantur? Partus noster, incunabula, infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, virilis ætas, & senectus infinitis scatent molestiis. Vt nimis vere dixerint, Iacobus Patriarcha, Genes.47. versic.9. Dies peregrinationis vitæ nostræ pauci & mali: Moyses Psalm.90.v.10. optimum in vita nostra est labor & dolor: Et Syrach. c.40.v.1. Iugum graue est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium, &c. Aliæ vero afflictiones sunt Christianis peculiares, quæ ipsis ob confessionem nominis Christi obueniunt. Dum enim ipsius verbo syncera fide adhærent, impiis huius seculi filiis displicent, qui ipsorum studia minime probare possunt. Ex hac displicentia nascitur odium, de quo ipse Christus dicit, Matth.10. vers.22. Odio eritis omnibus propter nomen meum. Ex odio oritur distractio & separatio etiam coniunctissimorum: sic vt liberi à parentibus, coniunx à coniuge, frater à fratre, amicus ab amico, vicinus à vicino separentur. Si enim vlla in re, certe in religionis caussa, vel maxime mundani homines, conuersationem & societatem auersantur piorum. Hanc separationem comitantur probra, conuitia, & multæ obtrectationes, vbi veri Christiani hæreseos, seditionis & aliorum falsorum criminum insimulantur, maledictis proscinduntur. Ad quæ omnia interdum apud aliquos sequuntur carceres, *vincula*, verbera, condemnationes, exsilium, gladius, *ignis*, *perditio*. Vt sic vel tandem impleatur illud, quod Paulus *dixit*: Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur, 2. Tim.3.v.12. Hæc omnia & longe plura, qualia etiam sunt paupertas, viduitas, contemtus hominum, & denique amara mors, *crucis* nomine intelligenda veniunt.

2. Deinde docet Christus, quam quisque Christianus crucem gestare debeat. *Tollat*, inquit, *suam crucem*. *Sua crux* homini Christiano dicitur illa, non quam quisque ipse sibi eligit, fabricat, vel attrahit: sed quam Deus, qui solus pro sua sapientia & bonitate nouit, quid cuiuis vtile vel necessarium sit, singulis imponit. Genuinus ergo Christi discipulus non sibi præsumit scrupulose Deo præscribendi, quid & quantum sibi imponere, aut quomodo secum agere debeat. Neque etiam sub cruce constitutus, oculos curiose ad alios conuertit, & cum Petro, Iohan.21.v.21. dicit; Domine quid autem hic? Multo minus impatienter quiritantur, quasi Deus aliis leuiora, sibi autem grauiora & difficiliora portanda imposuerit. Sed in bona Dei voluntate patienter acquiescit, *certus*, Deum omnium optime nouisse, quid ipsi ad refrænandam carnem lasciuientem sit maxime conducibile. Vt enim ferox equus sessorem non libenter admittit, sed si potest excutit, nisi fræno dometur: ita crux instar fræni est, quo caro nostra domatur, vt tanto facilius se à Domini Spiritu regi patiatur. Interim tamen dum Christianus *suam crucem* tolerat, aliorum calamitates non secure negligit: sed flet cum flentibus, Rom. 12. versicul. 15. vt sic ex caritate etiam aliorum onera portet, Galat.6.v.2.

3. Emphasis verbi *tollendi* etiam est expendenda. Neque enim omnis, qui fert crucem, Deo acceptus est. *Quia multi* inuito & impatiente animo eam ferunt. *Sed tantum is*, qui *tollit crucem suam*. Requirit autem hoc *verbum alacritatem*, *vt* quis aduersa à Deo sibi destinata, *volens* & *lubens* suscipiat: nec contra Deum, nec contra homines, quos mali sui auctores esse suscipiatur, fremat: sed potius cum Apostolis, Actorum 5.v.41. lætetur, quod dignus æstimatus sit, qui propter Christum aliquid patiatur. Sciunt enim pij, quod huius temporis passiones non sint condignæ, ad futuram gloriam, quæ in ipsis reuelabitur, Roman.8.v.18. Confidunt etiam Deo, quod sit fidelis, qui non patiatur suos tentari supra & vltra vires, sed vna cum afflictione etiam prouentum largiatur, 1. Corinth.10.v.13 Proinde *veri* Christiani non nimium reformidant crucem, non illegitimis mediis illam excutere nituntur: sed potius gloriantur in tribulationibus, Rom.5.v.3. & gaudent, quod communicant passionibus Christi, *vt in reuelatione* gloriæ eius rursus gaudeant exsultantes, 1. Pet.4.v.13. In *tollendo* tamen etiam prudentia requiritur, *vt quis attendat*, quid Deus ipsi imponat aut det ad ferendum. In vitis Patrum legimus exempla, quod aliqui Sancti alienam ignominiam & turpitudinem in se susceperint ferendam. Hos Ego nunquam laudauero. Quia non sustulerunt id, ad quod Deus ipsos vocauit, sed quod propria temeritate sibi accersiuerunt. Et si sub illa cruce perierunt, sibi non aliis imputent.

4. Tandem vult Christus in sua regula, vt quisque *Christianorum* crucem suam tollat *quotidie*. Cum enim quæuis dies habeat suam *κακίαν*, Matth.6.v.34. suas cruces, labores & afflictiones: imo cum duodecim sint horæ diei, quarum singulæ, Deo permittente (vt Iob.1.v.14. factum est) suas miserias immittere possunt, non potest sibi Christianus vacationem à cruce promittere, quamdiu in mortali viuit corpore. Perseuerantia itaque in malis, & animi constantia in cruce ferenda requiritur: ne quis retro respiciat, neve animo deficiat, sed ad finem vsque perseueret, bonam militiam militet, fidem & bonam conscientiam seruet, vt olim coronam iustitiæ, in vita æterna repositam, accipiat. Nam certum est, qui in lacrymis seminant, in exsultatione metent, Psalm.126. v.5. Bona igitur faciendo, & aduersa patiendo non deficiamus. Tempore enim suo metemus, etiam non deficientes, Galat.6.v.9. Hæc est altera pars regulæ Christi.

Sequitur tertia, quæ est de sequela & imitatione Christi. Dicit enim Seruator noster: *& sequatur me.* Quibus verbis vult, vt nos Christiani nos totos ad ipsius, ceu Magistri nostri, exemplum componamus, & vestigiis virtutum ipsius insistamus, donec

mus, donec eo perueniamus, vbi ipse nunc est in gloria Patris. Non vult vt diuinæ ipsius virtutis opera, quæ sunt miracula, imitemur. Hæc enim Pater dedit filio, vt testimonium de ipso perhiberent, quod Pater miserit ipsum, Ioh.5.v.36. Et nobis imitatu ista sunt impossibilia. Sed hoc requirit, vt quoniam ipse seipsum salutis nostræ caussa abnegauit, quoniam quotidie crucem suam sustulit, quoniam perfectissimum obedientiæ erga Deum, innocentiæ, iustitiæ, humilitatis, caritatis erga proximum, adeoque omnium virtutum exemplar nobis prætulit, in illis ipsum imitemur & sequamur. Nihil à nobis requirit, quod non ipse Dominus & Magister noster prior fecisset. Turpe ergo fuerit, si nos serui & discipuli hanc regulæ partem exsequi nolimus. Quis enim bonus miles recusat aggredi id, quod Ducem suum facere videt? Dumque præcipit, vt se *sequamur*, innuit, se nostrum Ducem & auxiliatorem futurum, vt metam præfixam consequi queamus. Etenim ipse doctrina sua nobis viam salutis aperit & monstrat. Idem, vbi via difficilis videtur, exemplo suo præit. Si quando nos ex carnis imbecillitate languidi reddimur, ille salutaribus monitionibus & dulcibus consolationibus nos rursus excitat, nouis viribus nos instruit, & Spiritu suo sancto tantisper nos confirmat, donec ex omnibus angustiis eductos nos æternæ salutis participes reddat.

Cæterum si quis hanc partem regulæ Christi, quæ agit de sequela eiusdem, recte intelligere velit, ille ad tria attendere debet. Vnum est: vt cognoscat viam salutis, eamque per fidem ingrediatur. Alterum: vt in eadem via per sanctimoniam vitæ progrediatur. Tertium: vt ad metam vitæ & gloriæ cœlestis contendat.

1. Ante omnia vera via ad vitam & salutem magna diligentia est cognoscenda. Est enim etiam alia via, eaque spatiosa, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per illam, Matth.7.v.13. Veriorem autem & certiorem viam ad vitam inuenire non poterimus, quam eam, quam cœlestis Pater nobis parauit. Neque enim nos homines nobis ipsis viam ad salutem eligere, siue possumus, siue debemus. Sed à Deo electam & probatam diligere atque apprehendere debemus. Iccirco quoque Christianus cum Dauide dicit, ex Psalmo vigesimo quinto, v.4. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Illa vero via est Christus, qui de seipso in Euangelio dicit: Ego sum via, veritas, & vita, hoc est, Ego sum vera via ad vitam æternam: Nemo venit ad Patrem, nisi per me, Ioh.14.v.9. Hanc viam magno desiderio quærere, & inuẽtam maiori studio addiscere debemus: quod fit vsu verbi diuini, dum illius auditione, lectione & meditatione Christum vera fide apprehendimus, & in ipsius agnitione de die in diem crescimus. Hac de caussa ipse nos iubet Scripturas scrutari: siquidem in illis vitam æternam habeamus, & illæ sint, quæ testimonium perhibeant de ipso, Ioh.5.v.39. Hanc ergo viam salutis ingredimur omnes, quando per baptismum Christo nomen damus, & cœlestem doctrinam ab ipso traditam amplectimur.

At vero omnibus notum est, quod sola viæ notitia nemo ad eius metam perueniat, nisi illam etiam ambulet. Iccirco secundo opus est, vt quisque Christianus hanc viam vero studio pietatis ambulet, hoc modo, vt quotidie magis ac magis, à seipso, à Satana, à mundo longius recedat, & propius ad Deum accedat. Et hæc ambulatio est vera sequela Christi, quam is hoc loco requirit: vt omnem vitæ suę conuersationem ad ipsius exemplum componat. Siquidẽ nouit Christum Magistrum dixisse: Exemplum prębui vobis, vt sicut Ego feci, ita & vos faciatis, Iohan.13.v.15. Hoc exemplum si Christianus recte imitari velit, necesse est, vt ad tria respiciat: ad Deum, ad proximum, ad seipsum. Vt iuxta Pauli dictum, Tit. 2.v.12. εὐσεβῶς pie erga Deum, δικαίως iuste erga proximum: σωφρόνως temperãter erga seipsum viuat. Hæc enim tria Christus in sua vita perfecte exsecutus est. 1. Erga cœlestem suum Patrem se pium exhibuit, ipsum glorificando, eum inuocando, ipsi constanter obediendo, & erga eum se sancte humiliando. In his Christianus Christum Ducem & Magistrum imitetur, vt primo in omnibus suis actionibus quærat Dei gloriam: & omne, quod cogitat, quod molitur, quod agit, spiret Dei gloriam, iuxta Apostoli dictum: Quicquid facitis, omnia in gloriam Dei facite, 1. Corint.10.v.31. Vt ita vere olim mundo valedicturus cum Christo dicere possit, Ioh.17.v.4. Ego te glorificaui Pater super terrã. Deinde in omnibus necessitatib. Deum assidue & deuote inuocet. Sic enim Christus ipse docuit, Luc.18.v.1. quoniam oportet semper orare: suoque exemplo nobis præiuit. Quoties magni quid instituere voluit, prius orauit, Luc.6.v.12. electurus Apostolos, pernoctauit in oratione. Sæpe secessit in desertum locum, aut in montem, vt ibi oraret, Iohan.17. v. 1. subleuatis in cœlum oculis ardentissime precatus est in præsentia Apostolorum, Marc.14.vers. 35. procidit super terram, & orauit. Denique in cruce cum valido clamore & lacrymis preces & supplicationes suas obtulit ei, qui potuit ipsum à morte saluum facere, & exauditus est pro sua reuerentia, Hebr.5.v.7. Nam tertio in Christo eluxit exemplar perfectissimæ obedientiæ erga Patrem, quod ipse Paulus Philip. 2.v.8. eximie deprædicat. Ita enim obediens fuit, vt D. Bernhardus recte de ipso dixerit: Vitam perdidit, ne obedientiam perderet. Ita verus Christianus totus subiectus sit Deo: cum Christo dicat, Luc.22.ver.42. non mea voluntas, sed tua fiat. Mea enim voluntas semper est peruersa: Tua autem voluntas nunquam non est iusta, recta & bona. Det ergo Christianus operam: vt quamprimũ diuinæ voluntatis sententiam percipit, ei prompte, libenter, simpliciter, hilariter, velociter, viriliter, humiliter & indesinenter obtemperet. Mandatum Dei lui non procrastinat: sed quamprimum aures voluntatem Dei perceperunt, è vestigio manus operi, pedes itineri adaptat, vt intemperantis mandatum exsequatur. Et hæc omnia denique faciat admiranda humilitate, sicuti Christus ea nobis præiuit. Qui cum esset in forma Dei, non tamen rapinam arbitratus est, parem esse Deo, sed seipsum exinaniuit & humiliauit, forma serui assumta, Phil.2. versic.6. Ideo dicit nobis Matth.11.v.29. discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Pudeat nos elationis & superbiæ: quia humilia Deus respicit in cœlo & in terra, Psal.113.v.6. Omnes igitur inuicem humilitatem insinuemus, vt dicit Petrus 1. Epist.5.versic. 5. maxime autem erga Deum: ita vt si omnia fecerimus, quæ nobis præcepta sunt, tamen dicamus: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus, Luc.17. versic.10.

2. Erga proximum siue homines se [illegible] & probum exhibuit caritate syncera, beneficentia perfecta, mansuetudine incredibili, & iustitia absoluta. Hasce virtutes etiam alij Christiani in vita sua erga proximos imitari debent. 1. Caritas Christi perfecta fuit: quia maiorem caritatem nemo habet, quam qui animam pro amico ponat, Ioh.15.v.13. Hanc autem Christus erga omnes homines habuit: vt qui pro nobis mortuus sit, cum adhuc peccatores & inimici ipsius essemus. Rom.5.v.8. Ergo & nos Christiani consimilem caritatem exerceamus erga alios. Nam hoc nouum mãdatum nobis dedit, Iohan.13.v.34. vt sicut ipse dilexit nos, nos inuicem diligamus. Dilectio autem hæc esse debet sine fuco, sine simulatione & dolo, vt non verbo, neque lingua, sed opere & veritate nos inuicem diligamus, 1. Iohan.3.vers.18. Caueant Christiani, ne sint æra sonantia, & cymbala tinnientia, caritatem non habentia, 1. Corinth.13.v.1. si viam vitæ dextre decurrere velint: sed vt ignem sancti & casti amoris intra præcordia conceptum habeant, quo proximum suum prosequãtur. 2. Caritati annexa est beneficẽtia, qua Christus omnibus exemplo præluxit: quia pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, Actor. 10. v.38. Vnde populus Marc.7.v.37. hoc præconio ipsum ornauit: Omnia bene fecit. Vere omnia bene fecit: esurientes cibauit, sitientes potauit, omnem languorem & infirmitatem in populo sanauit: corporibus sanitatem restituit, animabus salutem peperit: hostium denique conuersionem quæsiuit. Huius beneficentiæ & communionis nullus Christianus obliuisci debet: quia talibus victimis delectatur Deus, Heb.13.v.16. Bene mereri itaque studeamus de omnibus: siquidem, Christo teste, dare semper beatius est, quam accipere, Actor.20.v.35. 3. Mansuetudinis quoque Christianus in communi vita non debet obliuisci. Omnes enim erramus multoties in omnibus. Quapropter si quando proximus nos offendit, iræ impetum moderemur, & mala æquo animo tolerare discamus: proximus etiam nostras infirmitates eo patientius ferre discet. Christus dixit: discite à me, quia mitis sum, Matth.11.vers.29. Vere mitis fuit, qui discipulorum suorum innumeras infirmitates æquanimiter tulit: Iudam proditorem magna patientia diu sustinuit: Malchum vincula ipsa parantem, à Petro sauciatum, sanauit: denique pro crucifigentibus se Patrem rogauit. Hæc & similia imitemur, inimicos diligamus, benefaciamus his, qui oderunt nos: oremus pro persequentibus & calumniantibus. Sic opere commonstrabimus, nos filios esse Patris, qui in cœlis est, Matth. 5. v.44. 4. Denique diximus, Christum etiam in vita communi iustitiæ obseruantem fuisse, & in eo quoque nobis exemplum prætulisse. Magistratui enim, tanquam verus homo, subditus fuit: didrachma pro se & pro Petro soluit: de tributo interrogatus, Cæsari, quæ Cesaris sunt, dare iussit: ad regnum quæsitus, se [illegible] neque vnquam rem alienam appetiit aut sibi [illegible] exemplum imitemur: omni ordinationi diuinæ sub[illegible]mus: honorem cui honorem, tributum cui tributum, timorem cui timorem, reddamus: iusti simus in operibus, in verbis, in literis, in contractibus: exerceamus officia humanitatis, & studiosi simus conseruandæ societatis humanæ, deque æquitate & iustitia commonefacti, caueamus Deum vel

homines offendere.

3. Qua parte Christianus in vitæ conuersatione seipsum spectare & operam dare debet, vt ἀμέμπτως viuat: ibi animaduertit, sibi sanctimoniam vitæ Christi imitandam esse, quæ certe tanta fuit, vt, Propheta teste, nihil falsi, nihil fraudulenti vnquam in ore eius inuentum sit. Vnde ipse in medio acerrimorum hostium dixit: Ecquis vestrûm arguet me de peccato? Iohan. 8. versic. 46. Licet autem in tali vitę innocentia Christum nunquam consequi possimus coram Deo: coram hominibus tamen ita viuendum est, vt vita nostra culpa vacet, & criminis suspicione careat. Verus itaque Christianus omnes suos sensus, gestus, sermonem, motum & habitum, quantum ipsi possibile est, ita gubernat, vt quasi Christum exprimat. Oculos cum Christo auertit à vanitate mundi, & conuertit ad vidēdas miserias proximorum, vt illis subueniat. Aures circumcidit, vt pie & prudenter iis illud tantum hauriat, quo cor emendetur in honorem Dei & proximi cōmodum. In sermone Domini mira fuit suauitas, singularis humilitas, admirabilis prudentia, syncera simplicitas, neruosa grauitas, ingens caritatis incendium, interdum etiam iusta zeli vehementia. Has sermonis virtutes æmulari studeamus, vt os nostrum non resoluamus, nisi in laudem Dei, & proximi ædificationem. Christi etiam peregrinationes exemplum dedere religionis & pietatis. Iter fecit ad templum: inter eūdum sermocinatus est cum discipulis de rebus cœlestibus: castella, vicos, & ciuitates perlustrans hominibus salutem corporis & animæ attulit: integras denique prouincias perambulauit, & in priuatas domos multorum penetrauit, vt passim omnibus benefaceret, Act. 10. versic. 38. Sic nos quoque Christiani non debemus domi insidere, ignauo otio torpere, sicque Diabolo puluinar parare, sed pedes nostros debemus conuertere ad semitam mandatorum Dei, fidei & virtutum. Omnes gressus nostri directi esse debent, ad gloriam Dei & hominum vtilitatem. Christus denique non fuit μονότροπος: sed familiariter conuersatus est cum hominibus: venit ad nuptias: discubuit in conuiuiis Pharisæorum & Publicanorum: nemini tamen vspiam offendiculum præbuit, sed passim vel peccatores conuertit, vel hospitibus recte viuendi præcepta tradidit. Sic etiam Christianus discumbendo, vescendo, colloquendo, hoc vnice quærat, vt Dei gloria propagetur, veritatis doctrina prouehatur, & salus proximorum promoueatur.

Hactenus de via salutis actum est, per quam nos Christiani Christum salutis τὸν ἀρχηγὸν Hebr. 2. vers. 10. sequimur. Superest, vt etiam aliquid de meta viæ seu fine dicamus, ad quē Duce Christo tendimus. Nemo enim sanus vnquam alium secutus est, si ignoraret, quo eum perductus esset. Meta autem est cœlestis patria, beata vita, æterna salus. Quemadmodum enim Christus tandem sub finem vitæ per crucem, passionem, & mortem intrauit in suam gloriam, Luc. 24. v. 26. ita & nos, si cōstanti fide ipsum secuti fuerimus, ad eandem gloriam adducet, vt finem fidei nostræ, animarum salutem, reportemus, 1. Petr. 1. v. 9. Sic enim ipse promisit, Ioh. 17. v. 26. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum Ego, illic & minister meus erit, Iohan. 14. v. 2. In domo Patris mei parabo vobis locum, & rursus veniam, atque assumam vos ad meipsum, vt vbi sum Ego, & vos sitis, Iohan. 17. v. 24. Pater quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum Ego, & illi sint mecum, vt videāt claritatem meam, quam dedisti mihi. Paulus Philip. 3. ver. 14. hanc Christi consectationem vocat, διώκειν κατὰ σκοπὸν, scopum versus ferri ad βραβεῖον & palmam supernæ vocationis DEI, in CHRISTO IESV. Et fiducia illarum promissionum Christi, ibidem v. 20. dicit: πολίτευμα, municipium & conuersatio nostra est in cœlis, vnde etiam Saluatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transformabit corpus nostrum, vt conforme reddatur corpori ipsius glorioso. Hanc metam vbi consecuti fuerimus, ibi perfuncti omni labore viæ, requiescemus à laboribus nostris, Apocal. 14. v. 13. ibi Dominus absterget omnem lacrymam ab oculis nostris, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, Apocal. 21. v. 4. Ibi restituetur nobis imago Dei, per lapsum amissa: vt quemadmodum in hac vita portauimus imaginem terreni Adami, sic in illa portemus imaginem cœlestis; 1. Corint. 15. v. 49 Ibi veniet perfectum, & euacuabitur imperfectum: ibi cognoscemus, sicut nunc cogniti sumus, 1. Corinth. 13. v. 10. & 12. Ibi veri Christiani fulgebunt, vt Sol in regno Patris, Matth. 13. v. 43. & qui multos ad iustitiam erudierunt, quasi stellæ in perpetuas æternitates, Dan. 12. v. 3. Ibi aggregabuntur sancto angelorum concilio, & omnium Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, adeoque sanctorum fidelium consortio, qui conscripti sunt in cœlis, Hebr. 12. vers. 23. imo erunt ἰσάγγελοι καὶ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, angelis pares & filij Dei, Luc. 20. v. 36. Ibi iucundissima fruentur consuetudine, cum Deo suo Creatore, Conseruatore, Redemtore, Sanctificatore, Saluatore, quem de facie in faciem intuentes, æterna perfruentur lætitia. Quia Deus erit omnia in omnibus, 1. Corinth. 15. v. 28. & ipsi similes ei erunt, 1. Iohan. 3. ver. 3. Quis hic effabitur, quanto gaudio animi Christianorum perfundentur? Ibi exsultabimus gaudio ineffabili & glorioso, 1. Pet. 1. v. 8. Nam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis penetrauit id, quod Deus præparauit diligentibus se, Ies. 64. v. 4. 1. Cor. 2. v. 9. O quando veniam (vt cum Aug. Soliloq. c. 35. dicam) & apparebo Domine ante faciem tuā? O dies præclara & pulcra, nesciens vesperum, non habens occasum, in qua audiam vocem laudis, vocem exsultationis & cōfessionis: In qua audiam, intra in gaudium Domini tui: intra in gaudium sempiternum, in domum Domini Dei tui, vbi sunt magna & inscrutabilia mirabilia, quorū non est numerus: intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam lætitiam, vbi erit omne bonum, & non erit aliquod malum: vbi erit quicquid voles, & non erit quicquid noles. O gaudium super gaudium: gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium.

Hæc aliquanto prolixius in auream illam regulam, quam Christus Seruator sectatoribus suis præscribit, commentari libuit. Nunc ad reliqua progrediemur.

IV. Docuit hactenus Iesus, quænam sint iis facienda, qui ipsum sequi velint. Quia vero ipse sciebat, quid esset in homine, Iohan. 2. versic. vlt. & quod caro nostra à cruce atque aduersis abhorreat: eo quod quisque bene sibi esse cupiat. Et experientia docet, quod quemadmodum tres sunt partes regulæ, quam Christus suis sectatoribus præscripsit: sic etiam tria impedimenta carni corruptæ obstent, quo minus doctrinæ Christi locum concedat. Primo enim alij vitæ suæ metuentes, Christum potius quam se abnegant: deinde alij opes & reliqua vitæ commoda amittere nolentes, crucem subterfugiunt: alij denique de honore suo dignitatibus & potentum fauore ob Christi nomen periclitari nolentes, eiusdem sequelam & imitationem intermittunt. Hęc impedimenta Christus, sub finem sui sermonis, validissimis rationibus refutat.

1. Vitæ huius mundanæ cupiditas, quæ natura omnibus inhæret, & mortis (quam Aristoteles fatetur φοβερῶν φοβερώτατον) metus multos retrahit, quo minus constantes in confessione Christi maneant. Prætendunt enim, vita nihil esse pretiosius, quæ etiam semel amissa nunquam recuperari possit. Sed Christus testatur, neminem vitę suę peius consulere, quā eos ipsos, qui illam cum abnegatione Christi & ipsius Euangelij conseruare student. Nam qui amore corporalis vitæ, Christum fontem vitæ, & Euangelium ipsius verbum æternę vitæ abnegant, illis nihilominus suo tempore moriendum est, vt ita corporalem vitam post aliquantum temporis amittant, atque insuper æterna etiam vita priuentur. Qui vero hanc vitam amore Christi negligunt, vel, vt Ioan. 12. vers. 25. dicitur, oderunt, illi, quia Christum, qui est vita hominum, Ioan. 1. v. 4. & auctor vitæ, Act. 3. v. 15. retinent, in ipso etiam æternam vitam inueniunt. Vt autem huic sententię nos Christiani tanto firmius fidem habeamus, considerandum, quid & qualis sit mors nostra, seu amissio vitę corporalis. Statutum est hominibus semel mori. Heb. 9. v. 27. Neq; mortem quisquam hominum effugiet, si maxime millies Christum cum Euangelio suo abnegaret. Nam per Adami peccatum in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Rom. 5. v. 12. Gratia autem regnat per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum. v. 21. Quotquot ergo firma fide Christum apprehendunt, illi in Christo vitam inueniunt. Teste Apostolo Paulo, Gal. 3. v. 3. Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem Christus apparuerit, vita nostra: tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria. Etenim etiam quod nunc viuimus, viuimus in fide filij Dei. Imo, nō nos iam viuimus, sed viuit in nobis Christus. Gal. 2. v. 20. Cum ergo æterna vita à Christiano per Christum in hac mortali vita sit inchoata, cur graue esset illam per mortem aut exitum ex hac caduca vita continuare? Cum sciat animam è vestigio per angelos in cœlum transferri: corpus autem in sepulcro sub spe lętę resurrectionis placide requiescere. Et hac de caussa Christiano dies mortis melior est, quam dies natiuitatis, Eccl. 7. v. 2. Quia dies natalis est accessus ad omne dolorum & miseriarum genus: emortualis autem, si in fide filij Dei claudatur, introitus est ad beatam ęternamque vitā. Adhęc, in morte non homo, sed miseria hominis moritur. Dum Christianus in hac vita commoratur, seruitutem seruit corruptioni originali, atque ortis inde reliquiis. Vnde per omnem vitam diuexant nos dubitationes, ignorantia, ἄγνοια, inuidia, auaritia, odium, libido, ambitio, & consimilia mala. O benedicta ergo dies, quę finem hisce malis imponit! quę ab hostibus hisce liberat! Hoc facit dies mortis, quę vere piis est annus Iubilęus, annus remissionis & manumissionis. Hęc qui considerat,

considerat, is nunquam dubitauit pro Christo & cum Christo mortem adire. Desiderabit dissolui,& cum Christo esse. Philippens.1.versic.23.Quia scit,mortem suam pretiosam esse in conspectu Dei.Psalm.116.v.15.esse collectionem ad patres.Gen.25.v.8.pacificum abitum,Gen.15.v.15. dimissionem in pace,Luc.2.v.29.requiem in cubiculo.Iesa.57.v.2.quietem à laboribus,Apocal.14.ver.13.somnum, Matth. 9. v.24.depositionem tabernaculi, 2.Pet.1.v.14. emigrationem ex hospitio corporis,2.Cor.5.v.2.portum denique quietis,ianuam vitæ,portam gloriæ Dei. Præferat Christo mortalem suam vitam,quicunque voluerit, experietur tempore iudicij se plus perdidisse quam seruarit.

2. Audiamus etiam,quid Christus illis dicat,qui opes & fortunas huius seculi ipsi præferunt. Recte Matth.13.v.22.diuitiæ spinis conferuntur. Vt enim spinæ improuide attrectantes non tantum lacerant, & mordent, sed etiam semel irretitos & implicitos sic detinent,vt difficulter ex iis eluctari possint:ita diuitiarum eadem est conditio.Nam qui iis acquirendis student, illis multi labores curæ & pericula sunt subeunda, & Satanas illis tendit tentationum laqueos, vt fidei in Deum,caritatis autem & iustitiæ erga proximum immemores,ad interitum trahat. 1.Tim.6.v.9. Vbi vero ingentes opes sunt acquisitæ, tum filij huius seculi cor apponunt, iisque sic adhærent,vt in opum abundantia omnem felicitatem consistere sibi persuadeant. Vnde quando de religione agitur,aut leuiter cum ea ludunt, aut tepide quiduis simulāt & dissimulant:aut aperte eam abnegant.His Christus hic dicit: *Quid prodest homini si totum mundum lucratus fuerit, animæ vero suæ iacturam fecerit?* Ostendit, quam inutile sit lucrum temporalium bonorum cum perditione animæ coniunctum, & quam irreparabile damnum sit perditio animæ.Est autem sententia sumta ex vulgi etiam approbatione. Quasi diceret: Nemo adeo stultus est, vt velit cum iactura vitæ huius temporalis, si possibile esset, vniuersum mundum lucrifacere. Etenim vita perdita nullus vsus est omnium totius mundi rerum. Siquidem in hunc mundum nudi ingredimur:nudi ex hoc mundo rursus abimus, nec quicquam nobiscum efferimus.Iob,1.vers.21. 1.Timoth.6.versic.7. Adhæc vitam hanc corporalem semel perditam, nulla re homo recuperare potest. Quanto plus ergo stultus est, qui cum æterna iactura post hanc vitam , pauxillum bonorum temporalium corradit & retinet : cum possessio rerum in hoc seculo obtentarum nihil ipsi post hoc seculum prodesse, neque animam semel perditam terrenis bonis redimere possit? Ideo addit: *Aut quid dabit homo, cuius permutatione animam suam redimat?* Ἀντάλλαγμα est vocabulum, quo Græci in contractibus vtuntur. Ruth. 4. ver. 7. cessio & exhibitio calceamenti,quo Boozo à propinquo Ruthæ ius cognationis & emtionis agri Elimelechi coram senioribus tradebatur, ἀντάλλαγμα dicitur, 1.Reg.21.vers.2. cum Achab rex Nabothi vineam emere vellet,offert ei ἀργύριον ἄλλαγμα ἀντὶ τοῦ ἀμπελῶνός, argenti pretium, quantum vinea digna erat. Psalm. 44. ver.13.conqueruntur pij,quod Deus ipsos vendiderit gentibus , non tamen ἐν τοῖς ἀλλάγμασι, eo quod non crebra licitatione pretium eorum auxerit.Ex quibus locis vsus vocabuli patet.Vult ergo Christus dicere , totius mundi opes non conducere nec sufficere ad redimendam vnicam animulam deperditam. Equidem omnes animæ hominum redemtæ sunt pretio sanguinis Christi.Hoc enim est ἀντίλυτρον & precium redemtionis.Matt. 20.ver. 28. Sed quando homo ex hac mortali vita discedit, neque prius ἀντίλυτρον illud pretiosi sanguinis Christi per fidem sibi applicauit, tum animæ ipsius nulla relinquitur hostia pro peccatis. Hebr. 10. vers. 26. Hinc etiam Psalm. 49. versicul.7. docet, vanum esse, si quis confidat in opibus suis, & in multitudine diuitiarum glorietur. Siquidem frater redimendo non redimat quenquam , nec Deo placationem suam , aut pretium redemtionis animæ suæ: omittet illud in æternum. Notent hoc Papicolæ, qui suis hominibus pollicentur,quod per sacra pro defunctis expiare possint peccata mortuorum. Quibus inanibus pollicitationibus multi confidentiores redditi,tum aliis vitiis securi indulgent,tum opes per fas per nefas,tam vsuris quam rapinis congerunt,sperantes hæc peccata per sacrificulos expiari posse,si hæredes sufficientem pecuniam ipsis annumerent.Sed Dominus diserte hic negat , quicquam dari posse pro animarum compensatione. Sunt enim illæ eo loco , vt vel sacris iuuari non possint,vel iis non opus habeant. Sicut etiam in Veteri Testamento multa quidem sacrificiorum genera , pro diuersis casibus fuerunt instituta : pro defunctis tamen nullum institutum legimus. Et recte Catholica Ecclesia in Symbolo Apostolico canit : *Die gantze Christenheit auff Erden, helt in einem Sinn gar eben, hier alle Sünde vergeben werden.* In hoc seculo est tempus gratiæ , quo peccata remittuntur : in altero est tempus iustitiæ , quo quisque pro meritis suis est vel præmia vel pœnas accepturus. Nugiuendos itaque istos sacrificulos fugiamus.

3. Superest tertium agmen eorum, qui pudore,non rustico & agresti,sed impio & præpostero suffusi , Christum & eius Euangelium siue *sermones* confiteri erubescunt. Et sane honestis animis graue accidit, quando ob Euangelij professionem à lictoribus capiuntur,in vincula coniiciuntur,carceribus includuntur, ad tribunalia iudicum rapiuntur, tanquam malefici accusantur,damnantur, ceu catharmata ex patria eiiciuntur,bonis omnibus spoliantur,vestibus exuuntur,carnificum manibus tractantur, nudi rogis imponuntur,& tanquam piacula è medio tolluntur. Hæc vere talia ac tanta sunt, vt bonum & honestum virum eorum non possit non pudere.At vero pudeat eum rum,si patiatur vt homicida,aut fur,aut maledicus, aut alienorum appetitor. Sed si patiatur vt Christianus,non erubescat,glorificet autem Deum in isto nomine. 1. Pet.4. v. 15. Christus enim hic profitetur,quod, quos puduerit sui suorumque sermonum in hoc seculo,illorum vicissim pudere velit in sua gloria.Vice versa autem,qui contemto hominum rubore ipsum honorifice confessi fuerint: quod illos in gloria patris coram angelis etiam honorare velit.

Notanda autem est ἀντίθεσις inter præsens seculum & futuram gloriam. Præsentis seculi homines mundanos vocat *generationem adulteram & peccatricem* ob ingenitam naturę corruptionem,qua factum,vt qui ad Dei imaginem cōditi fuerant,vt Dei filij essent,à dignitate sua exciderint, & degeneres facti , ceu adulteri idolis & creaturis loco veri Dei adhæreant,sicque coram Deo sint peccatores,donec per Christū regenerentur & reconcilientur.Hi non sunt digni,si maxime Christi & Euāgelij ipsius sectatores irrideant aut ignominia afficiant , vt fidelis Christi seruus propterea erubescat. Nam ab illaudatis rideri,magis honorificum est,quam pudendum. Si quis vero horum irrisione & sannis se absterreri patitur ab ingenua Christi confessione & sequela, *illius & filium hominis pudebit* , hoc est , dedignabitur eum inter suos connumerare,quasi pudore afficiendus,si talem inter suos agnosceret. Addit autem, *vbi venerit in gloria sua* , quam gloriam non tantum opponit turpi generationi adulterę,sed etiam humilitati primi sui aduentus,ob quā multi in hac vita erubescunt ipsum confiteri,vel etiam sequi. Vult ergo Christus dicere: Quicunque me iam à perdito mundo abiectum habitum erubescit:eius me vicissim pudebit, quando gloriosus toti mūdo apparuero. Quem hodie pudet me sequi coram peccatoribus,quorum iudicium contemni & irrideri debet : hunc ego cras negligam coram sanctis angelis,apud quos pudefieri extremæ est ignominię & infelicitatis.Et deniq; qui,ne perdat honorem & existimationem suam apud peccatores , veretur me in humilitate mea sequi : hic æternum honorem perdet in mea gloria,coram sanctis angelis. Itaque quisque viderit,à quibus malit honorari , an à generatione praua, adultera & peccatrice,an à Christo glorioso & beatis angelis.

Hoc dictum Christi etiam illi obseruare debebant,quibus professio Theologica , qua *Christum eiusque sermones* confitemur & aliis prædicamus,ita sordet,vt quiduis potius fieri malint,quam verbi ministri esse. Olim & adhuc hodie sub Papatu,illustres & nobiles familiæ honorificum sibi esse existimarunt,si ex suis familiis aliquos haberent, quas Ecclesiasticis officiis manciparent.Et licet plerique eorum tantum Ecclesiasticis bonis, opibus & dignitatibus , quarum participes se fieri posse sperarunt, inhiarint : multi tamen simplici studio id fecerunt , non tantum honorificum, sed etiam proficuum sibi futurum existimantes,si ex cognatis haberent, qui tanquam serui Dei ipsorum salutem Deo impensius commendarent.Hodie vero homines nostri seculi *Christi eiusque sermonum ita pudet*,vt si quis ex nobilitate aut generosiore familia oriundus, tacito quodam Spiritus sancti instinctu ad Theologiæ studium feratur , eum reliqui cognati quasi pro degenere & alastore habeant. Sic quicunque in re lauta sunt,illos pudet,si ipsorum filij verbi ministri , seu (vt vulgo vocant) Pfaffi fiant.Malunt eos habere Iurisperitos & Medicos,vel etiam Mercatores & milites , sperantes plus honoris ab his,quam à Christi seruis ad ipsos redundaturum. Quid? quod ipsos etiam Theologorum filios fere pudet,vt eandem professionem cum patribus suis subeant. Vnde plerique si qualicunque ingenio præ aliis se præditos sentiant , mox animum potius aliud studium , ex quo diuites,opulenti,& in dignitate aut eminentia constituti euadere queant,quam ad Theologiam applicant. Hi non cum Moyse improperium Christi,maiores diuitias æstimant thesauris mundi.Heb.11.v. 26. Ratio huius est: quia stulti & insensati non respiciunt in remunerationem, quam habituri sunt in altera vita. Quam honorificum futurum putabimus Reuerendissimo Principi ac Domino,Domino Georg. Principi Anhaldinorum il-

lustrissimo (quem Christi & Euangelij ipsius non puduit, quo minus sermones Euangelicos publice coram populo haberet ex suggestu, imo etiam Euangelicos publicis scriptis defendit) quando *Christus veniens in gloria*, publice coram angelis & sanctis omnibus ipsius pietatem, fidem, diligentiam, industriam, operas & labores pro Euangelio exantlantos deprædicabit, & in cœlestis vitæ consortium ipsum suscipiet? Ibi tum fulgebit quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates. Daniel.12.v.3. Hæc iuniores moueant, *ne ipsos pudeat Christi eiusque sermonum*. Si enim tempore pacis professionem doctrinę Christi subterfugiunt: quid facturi sunt tempore persecutionum? Hęc non eo dico, quasi velim omnes ex professo fieri Theologiæ studiosos. Scio enim apud multos legitimas & honestas subesse rationes, ob quas aliud studij genus eligant. Sed tantùm loquor de illis, qui ceu delicati martyres à verbi ministerio propterea abhorrent, quia *ab adultera & peccatrice generatione* rideantur, vel non satis ab iis honorantur. Hi in nouissimo demum die experientur, quid fecerint.

Atqui quia Christus præsciuit, multos fore, qui nunquam talem nouissimum diem aut iudicium extremum futurum existimaturi sint. Sicuti Petrus etiam eiusmodi Empectas & illusores nouissimis temporibus plurimos futuros prædicit, 2.Pet.cap.3.versicul.3. Ideo magna cum grauitate dicit: *Futurum est enim, vt filius hominis veniat in gloria Patris sui, cum angelis suis*. Filium hominis se nominat, ob vilem illam & cõtemptibilem speciem, in qua tum conuersabatur, ob quam multi putabant, ipsum non dignum esse, ob quem de opibus & honoribus, nedum de vita periclitarentur. Hunc autem hominis filium *in gloria Patris* cœlestis venturum asserit, vel vt præmiserat, *in gloria sua & Patris sui*. Vt innuat, se, licet iam in serui forma adsit: eiusdem tamen virtutis, maiestatis & potentiæ esse cum Patre. Addit denique, *cum angelis suis*, quorum multæ myriades ipsi ministrant, teste Daniele cap. 7. vers.10.& Apocal. 5. versic.12. De hoc glorioso Iesu Christi aduentu cum angelis virtutis eius agit etiam Paulus 2.Thess. 1.v.7.& Henoch quoque septimus ab Adam, de eo prophetauit, teste Iuda in Epist. sua v.14. Quid autem faciet filius hominis in glorioso suo illo aduentu? *Tunc reddet vnicuique iuxta facta ipsius*. His quidem, qui posthabitis huius mundi honoribus & fortunis, adeoque etiam vita sua in discrimen adducta, Christum & ipsius Euangelium constanter ac syncere confessi sunt, reddet (quanquam ex gratia) gloriam ineffabilem & vitam æternam. Illis vero, qui vitam hanc caducam, emolumenta huius mundi, & honorem peccatricis generationis, Christo eiusque Euangelio prætulerunt, soluet mercedem impietati ipsorum debitam, sempiternum nimirum exitium & dedecus.

Hic vero Pontificij se palmarium reperisse opinantur, quo probare possint, nos non ex gratia, per fidem in Christum, vitam æternam accipere, sed bonis operibus eam promereri debere. Hinc coaceruant locos Scripturæ, in quibus eadem hæc verba leguntur, vtpote Psalm.62. v.vlt.Rom.2.v. 6.1.Cor.3.v.8.2.Cor.5.v.18. In quibus omnibus merces nobis secundum opera adscribitur. At non attendunt inepti se committere fallaciam secundum plures interrogationes. Alia enim quæstio est: quare nos perditi mortales consequamur vitam æternam? Alia: an bona opera sua quoque habeant præmia? Et rursus alia: an Deus in nouissimo die secũdum fidem, an secundum opera sit pronuntiaturus? Scriptura autem nos distincte de singulis hisce quæstionibus erudit. 1. Quando quæritur, quomodo nos miseri mortales consequamur vitam æternam? Tum Scriptura eam simpliciter operibus etiam renatorum adimit, & soli misericordiæ Dei propter meritum Christi tribuit. Testimonia manifesta sunt, Roman.4.vers.5.& 6.Gal.5.v.4.Ephes.2.versicul.8.2.Timoth. 1.versiculo 9. Tit. 3. versic. 5. 1. Iohann.2.versiculo 2. Quid multis? Roman. 6. vers. vlt. Donum Dei vita æterna est per Christum Iesum Dominum nostrum. Hæc adeo clara sunt, vt prodigio simile sit, quod Pontificij in tanta luce Euangelij ista neque videre neque audire volunt. Sicuti nec blasphemia caret in sanguinem Christi, quod Iesuitæ audent statuere, opera iustorum esse expiationes peccatorum, seu propitiationes pro peccatis admissis. Vbi manet dictum Christi? Filius hominis dabit animam suam pretium redemtionis pro omnibus. Matt.20.v.28. Vbi dictum Ioannis? Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab OMNI peccato. 1. Ioan.1.v.7. Et Paulus Rom.8.v.33. in quæstione: Quis accusabit? quis condemnabit? non interponit merita suorum operum, sed Christum, qui mortuus sit: imo qui & resuscitatus sit, & intercedat pro nobis. Et quid frequentius legitur in Iohanne, quam hæc sententia? quod Deus miserit filium suum vnigenitum, vt omnis qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat vitam æternam. Vita itaque æterna nullo modo nostris operibus, sed meritó Seruatoris nostri Iesu Christi vnico fide apprehenso, adscribenda est. 2. Quando vero de præmiis bonorum operum agitur: tum docet Scriptura & nos ex ea, omnino facienda esse bona opera, quia habeant sua præmia. Præmium autem illud non est ipsa vita æterna: sed vt Christus loquitur: in cœlis erit merces vestra copiosa. Matth. 5. versiculo 12. Et Paulus 1. Timoth. 4. versicul. 8. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ præsentis & futuræ. Hoc tamen Scriptura ita explicat, vt præmia hæc dentur non ratione meriti, sed ex gratuita dignatione paternæ erga filios, quos Deus gratis propter Christum adoptauit, clementiæ. Rationes huius sunt. 1. Quia ex nobis ipsis tanquam ex nobis ipsis non sumus idonei, aliquid boni operandi. 2. Corinthiorum 3. versicul. 5. Sed Deus operatur in nobis & velle & perficere, si quæ grata ipsi fieri debeant. Philip. 2. versiculo 13. Si ergo à Deo accepimus, quare gloriamur, quasi non acceperimus? 1. Corinth. 4. versiculo 7. Non ergo est meritum nostrum, sed Dei misericordia, qui sua dona in nobis coronat. 2. Propter legem peccati magna in nobis est imperfectio. Roman.7.versic.18. ita vt etiam vniuersæ iustitiæ nostræ sint quasi pannus menstruatæ. Iesa.64. versiculo 6. & quæcunque fecimus, sint pro detrimento & stercoribus habenda, respectu eminentis scientiæ Christi, Philip.3.versic. 8. Quis vero tam absurdus erit vt fœdo panno & stercoribus vitam æternam ex merito deberi affirmare velit? 3. Christus Luc.17.v.7. longa parabola ostendit, Dominum ex debito non esse obligatum, vt gratiam habeat seruo, quia fecerit quæ ipsi imperata fuerant. Et addit: *Sic & vos cum omnia feceritis, dicite: Serui inutiles sumus*. 4. Et quid multis opus? D. Paulus diserte affirmat, omnes huius seculi passiones non esse condignas, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, Rom.8.vers.18.

3. Num vero iudicium illud extremum instituetur secundum fidem, an secundum opera? Respond. Quoad Christum, qui est καρδιογνώστης, & qui iudicabit tum occulta hominum, instituetur iudicium secundum Euangelium, quod fidem requirit. Romanor. 2.v.16. Qui credit in Christum, non iudicatur, sed habet vitam æternam: qui autem non credit, iam iudicatus est, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Iohann. 3. versiculo 18. & 36. Hic enim est ille Dominus, de quo Ieremias dicit, cap.5.v.3. Domine, oculi tui respiciunt fidem. Quia tamen iudicium hoc instituetur coram hominibus, qui occultam fidem cordis videre nequeunt, ideo iudex ex fructibus de arbore pronuntiabit. Hinc etiam Matth. 25. versiculo 35. Christus ipse in processu nouissimi iudicij non fidem, sed opera misericordiæ allegat, iuxta quæ sententiam pronuntiaturus sit. Interim tamen, quemadmodum fructus arborem nec faciunt nec tollunt, sed tantum de eius siue bonitate siue prauitate testantur: ita quoque opera non operantur fidem, quæ vitam æternam in Christo Iesu apprehendit, sed tantum de ea testantur. Vbicunque enim vera fides est, ibi illa efficax est per caritatem Gal.5.v.6. Hæc cum ita sint, veri Christiani hanc sententiam, *filius hominis reddet vnicuique secundum πρᾶξιν suam*, quam diligentissime notare, & πρᾶξεως Euangelicæ studiosi esse debent, quo olim in iudicio subsistere queant. Neque enim nuda professio fidei, aut mortua fides, quæ est æs tinniens & cymbalum sonans, est illa πρᾶξις, quę laudẽ iudicis merebitur. Sed audient illi Christum sibi dicentem: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlo est. Vos autem nunquam noui: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatẽ, Mat.7. v.21. Vera autem πρᾶξις Euangelica, iuxta quam æternæ vitæ participationem separare quis potest, hæc est, quam in hoc capite descriptam hactenus audiuimus. Vt nimirum primum pura & syncera fide Christum amplectamur, verum Deum & hominem, & vnicum totius humani generis Redemtorem. Postea nos & nostros affectus abnegantes, & patienter quotidie crucem nostram tollentes, constanter ipsum sequamur, donec ex hac miseriarum valle liberati in beatam gloriam transferamur. Si hæc sit nostra πρᾶξις in hoc seculo, tum de bonitate sententiæ in nouissimo die nihil dubitemus.

Sub finem Seruator, maioris confirmationis suæ doctrinę ergo, & vt Apostolos tanto magis contra imminens crucis scandalum communiret, pollicetur, se certum specimen & experimentum exhibiturum, quo discant, se certo in cœlis regnaturum & olim iudicem venturum, qui suos remuneretur; incredulos autem & contumaces puniat. Proponit autem hanc pollicitationem magna asseueratione. *Amen dico vobis* (vel vt Lucas habet, λέγω ὑμῖν ἀληθῶς, *dico vobis vere*) *sunt quidam inter eos, qui hic stãt, qui non gustabũt mortẽ, donec videant regnum Dei venisse cum virtute*. Quatuor potissimum hæc sententia sortita est interpretationes. 1. Aliqui sunt, qui hãc sententiam

tentiam accommodant ad Ioannem Apostolum & Euangelistam, quasi Christus innuat, ipsum non moriturum esse, ad nouissimum vsque diem. Vnde etiam Lombardica historia fingit, ipsum non mortuum, sed viuum sepulcrum suum ingressum esse, quod apertum fuerit iuxta altare illius templi, quod in honorem ipsius ædificatum fuerat. Sed fabulosam hanc sententiam Iohannes ipse refutabit, Iohan. 21. v. 23. Adhæc ineptum est illud, quod Christus in plurali numero dixit, *de quibusdam inter eos, qui ibi stabant*, in singulari numero ad vnicum Ioannem referre. 2. D. Gregorius, & qui eum sequuntur, intelligit hanc sententiam dictam esse de regno Christi, quo ipse cœpit per Euangelij prædicationem gloriosus aduenire in toto terrarum orbe, & vbique cum mira virtute agnosci & coli tanquam mundi Saluator. Hæc sententia non inepta est nec impia. Nam circa vicesimum à passione Christi annum Paulus ad Romanos testatus est, se vnum omnia Euangelio Christi repleuisse in circuitu à Ierusalem ad Illyricum vsque, cap. 16. v. 19. Et ad Coloss. 1. vers. 6. scribit Euangelium fructificare & crescere in vniuerso mundo. Cumque dubium sit nullum, aliquos Apostolorum, vtpote Petrum, Ioannem, Iacobum minorem, & quosdam reliquorum *ibi stantium*, tum temporis adhuc vixisse, non inepte hæc sententia eo accommodari potest. 3. Alij Christi vaticinium interpretantur, de illa gloria, qua ab Apostolis suis & aliis quibusdam fidelibus videndus esset post suam resurrectionem, & in ipsa ascensione. Tunc enim deuicta morte ingressus erat in gloriam suam, & apparebat discipulis suis, Spirituali, impassibili & glorioso suo corpore, quo & per clausas ianuas penetrabat, & quoties voluit disparebat, Ioan. 20. v. 19. & Luc. 24. v. 31. Tunc bibit cum discipulis vinum nouum in regno Patris sui, Matth. 26. v. 29. & ipse testatus est, sibi iam datam omnem potestatem in cœlo & in terra, Matth. 28. v. 18. Hic certe *quidam ex iis, qui hic steterunt* viderunt *filium hominis venientem in regno suo*. Quanquam Christus, licet tum ingressus fuerit in gloriam, Apostolis tamen clarificationem non ostendit. 4. Plerique igitur omnes, & quidem rectissime intelligunt hæc verba de sequenti gloriosa Transformatione & Clarificatione Domini in monte. Nam tres Euangelistæ immediate eam subiungunt, tanquam complementum eius, quod Dominus hoc in loco promisit. Quod nimirum *quidam* sint futuri, vtpote Petrus, Iacobus & Ioannes, qui *filium hominis viderint in regno suo*, hoc est, in illa gloria, in qua venturus esset iudicare mundum, & cum sanctis in æternum regnare. Certe hoc viderunt tres illi Apostoli, & simul virtutes venturi seculi ita gustauerunt, vt in monte manere maluissent: agnouerunt denique, se non arte compositas fabulas, sed cœlestem veritatem secutos esse, dum Iesu Christi Messiæ virtutem & aduentum susceperunt, siquidem *inspectores* fuerint, & oculis suis adspexerint ipsius maiestatem, 2. Pet. 1. v. 16. O bone Iesu, dulcissimum cordis nostri solatium & desiderium, largire, vt & nos diuinæ huius tuæ maiestatis olim speculatores simus. Amen.

CAPVT LXXXVII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS historiam qua Christus coram tribus suis discipulis transfiguratur, Matth. 17. versic. 1. Marc. 9. versic. 1. Luc. 9. versiculo 28.

RATIO ORDINIS.

Hanc historiam immediate præcedentem Christi concionem sequi, non tantum Lucas innuit, qui *post hosce sermones* illam accidisse testatur: sed etiam reliqui duo Euangelistæ, qui continuo ordine illi hanc subiiciunt. Et obseruatio ordinis multum lucis toti historiæ addit. Monstrat enim & causam & vsum glorificationis Christi. Etenim Apostoli, prædictione de passione Christi perturbati & offensi erant. Siquidem nondum intelligebant neque assequebantur, quomodo passione incorruptio, & quomodo morte vita restitui possit. Idem enim ratio in Apostolis tum iudicabat, quod postea Pontifices vociferabantur: quomodo Seruator mundi esse potest, qui seipsum non potest seruare à morte? qui sputa, flagra, crucem non potest à se amoliri? Mox igitur post prædictionem passionis clarificatione ostendit, in illa sua carne, quæ passioni & morti exponetur, gloriam, vitam & potentiam diuinam inhabitare corporaliter. Patitur igitur, non quod passionem amoliri non possit, sed vt iuxta Moysis & Eliæ, hoc est, Legis & Prophetarum vaticinia Patri præstet obedientiam, & ita mundum redimat à morte. Quod ideo fit, quia in illa carne, quæ laceratur, vita inhabitat corporaliter. Ex hac sola ordinis obseruatione vsus huius historiæ rectissime intelligi potest.

HSTORIA TRANSFORMATIONIS Christi in monte.

MATTH. 17.

1. Καὶ μεθ' ἡμέρας ἓξ παραλαμβάνει ὁ Ἰησοῦς τὸν Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, καὶ ἀναφέρει αὐτοὺς εἰς ὄρος ὑψηλὸν κατ' ἰδίαν.

1. *Et post dies sex assumit Petrum ac Iacobum & Ioannem fratrem eius, & subducit illos in montem excelsum seorsim.*

2. Καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν, καὶ ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος, τὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο λευκὰ ὡς τὸ φῶς.

2. *Transformatusque est coram illis, & splenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem illius facta sunt candida sicut lumen.*

3. Καὶ ἰδοὺ ὤφθησαν αὐτοῖς Μωσῆς καὶ Ἠλίας, μετ' αὐτοῦ συλλαλοῦντες.

3. *Et ecce conspecti sunt illis Moyses & Helias cum illo colloquentes.*

4. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Πέτρος, εἶπε τῷ Ἰησοῦ, κύριε, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι. Εἰ θέλεις, ποιήσωμεν ὧδε τρεῖς σκηνάς, σοὶ μίαν, καὶ Μωσῇ μίαν, καὶ μίαν Ἠλίᾳ.

4. *Respondens autem Petrus, dixit Iesus: Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciemus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Heliæ vnum.*

5. Ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἰδοὺ νεφέλη φωτεινὴ ἐπεσκίασεν αὐτούς. καὶ ἰδοὺ φωνὴ ἐκ τῆς νεφέλης, λέγουσα, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα, αὐτοῦ ἀκούετε.

5. *Autem eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit illos. Et ecce vox è nube, qua diceret: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, ipsum audite.*

6. Καὶ ἀκούσαντες οἱ μαθηταί, ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν, καὶ ἐφοβήθησαν σφόδρα.

6. *Et cum hæc audissent discipuli, prociderunt in faciem suam, & territi sunt vehementer.*

7. Καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἥψατο αὐτῶν, καὶ εἶπεν· ἐγέρθητε, καὶ μὴ φοβεῖσθε.

7. *Et accedens Iesus, tetigit illos, dixitque: Surgite & ne timeatis.*

8. Ἐπάραντες δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, οὐδένα εἶδον, εἰ μὴ τὸν Ἰησοῦν μόνον.

8. *Vbi vero sustulissent oculos suos neminem videbant nisi Iesum solum.*

MARC. 9.

1. Καὶ μεθ' ἡμέρας ἓξ παραλαμβάνει ὁ Ἰησοῦς τὸν Πέτρον, καὶ τὸν Ἰάκωβον, καὶ τὸν Ἰωάννην, καὶ ἀναφέρει αὐτοὺς εἰς ὄρος ὑψηλὸν, κατ' ἰδίαν μόνους, καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν.

1. *Ac post dies sex assumit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem, & subducit eos in montem excelsum seorsim solos. Et transformatus fuit coram illis.*

2. Καὶ τὰ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο στίλβοντα, λευκὰ λίαν ὡς χιὼν, οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι.

2. *Et vestimenta illius facta sunt splendida, candida valde, veluti nix, quam candida facere non potest fullo super terram.*

3. Καὶ ὤφθη αὐτοῖς Ἠλίας σὺν Μωσεῖ, καὶ ἦσαν συλλαλοῦντες τῷ Ἰησοῦ.

3. *Et conspectus est illis Helias cum Moyse, colloquebanturque cum Iesu.*

4. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Πέτρος, λέγει τῷ Ἰησοῦ, ῥαββὶ, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι, καὶ ποιήσωμεν σκηνὰς τρεῖς, σοὶ μίαν, καὶ Μωσεῖ μίαν, καὶ Ἠλίᾳ μίαν.

4. *Et respondens Petrus, dicit Iesu, Rabbi, bonum est nos hic esse, vt faciamus tabernacula tria, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum.*

5. Οὐ γὰρ ᾔδει, τί λαλήσῃ, ἦσαν γὰρ ἔκφοβοι.

5. *Non enim nouerat, quid loqueretur, erant enim expauefacti.*

6. Καὶ ἐγένετο νεφέλη ἐπισκιάζουσα αὐτοῖς, καὶ ἦλθε φωνὴ ἐκ τῆς νεφέλης, λέγουσα, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, αὐτοῦ ἀκούετε.

6. *Et facta est nubes, quæ obumbrabat illos. Et venit vox è nube dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.*

7. Καὶ ἐξάπινα περιβλεψάμενοι, οὐκ ἔτι οὐδένα εἶδον, ἀλλὰ τὸν Ἰησοῦν μόνον μεθ' ἑαυτῶν.

7. *Et repente cum circumspexissent, non amplius viderunt quenquam, sed solum Iesum esse secum.*

LVC. 9.

28. Ἐγένετο δὲ μετὰ τοὺς λόγους τούτους, ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ, καὶ παραλαβὼν τὸν Πέτρον, καὶ Ἰωάννην, καὶ Ἰάκωβον, ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος προσεύξασθαι.

28. *Factum est autem post sermones istos fere diebus octo, & assumens Ioannem & Iacobum, ascendit in montem, vt oraret.*

29. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ προσεύχεσθαι αὐτὸν, τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον, καὶ ὁ ἱματισμὸς αὐτοῦ λευκὸς ἐξαστράπτων.

29. *Et facta est, dum oraret, species vultus eius alia, & vestitus eius candidus, ac refulgens.*

30. Καὶ ἰδοὺ ἄνδρες δύο συνελάλουν αὐτῷ, οἵτινες ἦσαν Μωσῆς καὶ Ἠλίας.

30. *Et ecce duo viri loquebantur cum illo, qui erant Moyses & Helias.*

31. Οἳ ὀφθέντες ἐν δόξῃ, ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ, ἣν ἔμελλε πληροῦν ἐν Ἱερουσαλήμ.

31. *Qui visi in maiestate, dicebant excessum eius, quem completurus erat Hierosolymis.*

32. Ὁ δὲ Πέτρος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἦσαν βεβαρημένοι ὕπνῳ. διαγρηγορήσαντες δὲ εἶδον τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ τοὺς δύο ἄνδρας τοὺς συνεστῶτας αὐτῷ.

32. *Petrus vero, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Experrecti autem viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo.*

33. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ διαχωρίζεσθαι αὐτοὺς ἀπ' αὐτοῦ, εἶπεν ὁ Πέτρος πρὸς τὸν Ἰησοῦν, ἐπιστάτα, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι. Καὶ ποιήσωμεν σκηνὰς τρεῖς, μίαν σοὶ καὶ Μωσεῖ μίαν, καὶ μίαν Ἠλίᾳ, μὴ εἰδὼς ὃ λέγει.

33. *Et factum est cum discederet ab illo, ait Petrus ad Iesum, Præceptor, bonum est nos hic esse. Et faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Mosi, & vnum Eliæ, nesciens quid diceret.*

34. Ταῦτα δὲ αὐτοῦ λέγοντος, ἐγένετο νεφέλη, καὶ ἐπεσκίασεν αὐτούς. ἐφοβήθησαν δὲ ἐν τῷ ἐκείνους εἰσελθεῖν εἰς τὴν νεφέλην.

34. *Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbrauit eos. Timuerunt autem intrantibus illis in nubem.*

35. Καὶ φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῆς νεφέλης, λέγουσα, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, αὐτοῦ ἀκούετε.

35. *Et vox facta est de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.*

36. Καὶ ἐν τῷ γενέσθαι τὴν φωνὴν, εὑρέθη ὁ Ἰησοῦς μόνος.

36. *Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus.*

HARMONIA HISTORIÆ CLARIFICAtionis Christi coagmentata ex descriptione trium Euangelistarum Matthæi 17. Marc. 9. Luc. 9.

c Καὶ μεθ' ἡμέρας ἓξ παραλαμβάνει ὁ Ἰησοῦς τὸν Πέτρον καὶ τὸν Ἰάκωβον, καὶ τὸν Ἰωάννην a τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, καὶ ἀναφέρει αὐτοὺς εἰς ὄρος ὑψηλὸν κατ' ἰδίαν b μόνους. c Ἐγένετο δὲ μετὰ τοὺς λόγους τούτους, ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ, καὶ παραλαβὼν τὸν Πέτρον καὶ Ἰωάννην, καὶ Ἰάκωβον ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος προσεύξασθαι. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ προσεύχεσθαι αὐτὸν, τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον, c καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν, a καὶ ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος, c τὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο b στίλβοντα λευκὰ λίαν a ὡς τὸ φῶς, b ὡς χιὼν, ἐξαστράπτον, b οἷα ἐπὶ τῆς

c *Et post dies sex assumit Iesus Petrum ac Iacobum & Ioannem* a *fratrem eius,* c *& subducit eos in montem excelsum seorsim* b *solos.* c *Factum est autem post sermones istos fere diebus octo, & assumens Petrum & Ioannem & Iacobum, ascendit in montem, vt oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus eius alia,* c *transformatusque est coram illis,* a *& splenduit facies eius sicut Sol,* c *vestimenta autem illius facta sunt* b *splendida,* l *candida* b *valde,* a *sicut lumen,* b *veluti nix,* c *refulgens,* b *quam candida non potest facere fullo*

γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι. l Καὶ f ἰδοὺ e ὤφθησαν αὐτοῖς e ἄνδρες δύο, οἵτινες ἦσαν l μωσῆς καὶ ἠλίας, b καὶ ἦσαν συλλαλοῦντες τῷ Ἰησοῦ. c οἳ ὀφθέντες ἐν δόξῃ, ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ, ἣν ἔμελλε πληροῦν ἐν ἱερουσαλήμ.

Ὁ δὲ Πέτρος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἦσαν βεβαρημένοι ὕπνῳ. Διαγρηγορήσαντες δὲ εἶδον τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ τοὺς δύο ἄνδρας τοὺς συνεστῶτας αὐτῷ. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ διαχωρίζεσθαι αὐτοὺς ἀπ᾽ αὐτοῦ ἀποκριθεὶς ὁ l Πέτρος λέγει τῷ Ἰησοῦ· b Ῥαββὶ, a κύριε, c ἐπιστάτα, l καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι, b καὶ l ποιήσωμεν a ὧδε l τρεῖς σκηνὰς, σοὶ μίαν, καὶ Μωσεῖ μίαν, καὶ Ἠλίᾳ μίαν, h οὐ γὰρ ᾔδει, τί λαλήσῃ, b ἦσαν γὰρ ἔκφοβοι. c Ταῦτα δὲ a ἔτι f αὐτοῦ λαλοῦντος, a ἰδοὺ h ἐγένετο l νεφέλη a φωτεινὴ b ἐπισκιάζουσα, c καὶ f ἐπεσκίασεν αὐτούς. c Ἐφοβήθησαν δὲ ἐν τῷ ἐκείνους εἰσελθεῖν εἰς τὴν νεφέλην. l Καὶ ἰδοὺ l φωνὴ h ἐγένετο l ἐκ τῆς νεφέλης, λέγουσα, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, a ἐν ᾧ εὐδόκησα, l αὐτοῦ ἀκούετε. a Καὶ ἀκούσαντες οἱ μαθηταὶ, ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν, καὶ ἐφοβήθησαν σφόδρα. c Καὶ ἐν τῷ γενέσθαι τὴν φωνὴν, εὑρέθη ὁ Ἰησοῦς μόνος. a Καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς, ἥψατο αὐτῶν, καὶ εἶπεν· ἐγέρθητε, καὶ μὴ φοβεῖσθε. ἐπάραντες δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, b καὶ ἐξάπινα περιβλεψάμενοι, οὐκ ἔτι c οὐδένα εἶδον, εἰ μὴ τὸν Ἰησοῦν μόνον b μεθ᾽ ἑαυτῶν.

super terram. l *Et* f *ecce* e *conspecti sunt illis* c *duo viri, qui erant* l *Moyses & Elias*, b *& colloquebantur cum Iesu*, e *qui visi in maiestate dicebant excessum eius, quem completurus erat Hierosolymis.*

Petrus vero & qui cum illo erant, grauati erant somno. Experrecti autem viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo. Et factum est, cum discederent ab illo e *& respondens* l *Petrus dicit Iesu* , b *Rabbi*, a *Domine*, c *Praceptor*, l *bonum est nos hic esse*, b *&* l *faciamus* a *hic* l *tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Helia vnum* h *non enim nouerat, quid loqueretur*, b *erant enim expauefacti.* e *Hac autem* a *adhuc* f *eo loquente*, a *ecce* h *facta est* l *nubes* a *lucida* b *obumbrans*, c *&* f *obumbrauit illos.* c *Timuerunt autem intrantibus illis in nubem.* l *Et* a *ecce* l *vox* h *facta est* l *ex nube, dicens: Hic est filius meus dilectus*, a *in quo mihi bene complacitum est*, l *hunc audite.* a *Et cum has audissent discipuli, prociderunt in faciem suam, & territi sunt vehementer.* c *Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus.* a *Et accedens Iesus tetigit illos, dixitque: Surgite & ne timeatis. Vbi vero sustulissent oculos*, b *& repente eum circumspexissent, non amplius* e *viderunt quenquam, nisi Iesum solum* b *esse secum.*

Periocha huius historiæ.

QVia hæc est talis historia, cuius similis non extat in tota Scriptura sacra, in terris ostendens specimen glorificationis carnis Christi, ex hypostatica vnione cũ diuinitate, & simul gustum præbens cœlestis gloriæ, quam sancti habituri sunt in suis corporibus: ideo Circumstantiæ eius eo diligentius sunt expendendæ & notandæ.

Primo indicatur Circumstantia temporis. Matthæus enim & Marcus numerant *sex*, Lucas *octo dies*. Neque vero hæc inter se discordant. Lucas enim dies hosce ita numerat, vt primum ponat eum, quo hæc prædicta fuerunt, & addat octauum, quo facta est clarificatio. Matthæus autem & Marcus dicunt *post dies sex*, respicientes tantum ad dies intermedios complectos. Neque illud absurdũ est, si quis sic cogitet, *post dies sex*, hoc est, die septima Christus Petrum, Iacobum & Iohannem à cœtu Apostolorum seuocatos sibi adiixit: & octaua die ipsis comitatus in montem ascendit, orauit, & coram ipsis transfiguratus est: ideo Lucas dicit, *fere diebus octo*. Commonstrat autem hoc facto Iesus veritatem suarum promissionum. Prædixerat discipulis, se ipsis præbiturum specimem gloriæ cœlestis sui regni. Quia ergo erat res magni momenti, non diu eam differre voluit; sed dum discipuli promissionem adhuc in recenti memoria tenent, mox eã reipsa complet. Idem etiam de reliquis Dei promissionibus, statuamus quæ omnes in Christo Iesu sunt etiam & Amen. 2. Corinth. 1. versiculo 20. Complebit enim omnes suas promissiones; pœnitentes recipiet in gratiam: credentibus remittet peccata gratis: oues spiritu suo reget, ne à salute excidant: Ecclesiæ suæ aderit ad consummationem seculi vsque: mortuos resuscitabit: electos suos sibi aggregabit, & glorificatos in æternum beabit. Cuius rei iucundam hic habemus Allegoriam in numero dierum. *Sex dies* intermedij designant sex millia annorum, quibus hic mundus stabit, & Christus ministerio verbi sui Ecclesiam sibi colliget. *Septima* dies erit dies iudicij, qua Christus sibi aggregabit eos, qui in hoc mundo vere in ipsum crediderunt, fidemque suam bonis operibus testatam fecerunt. *Octaua* die, ipse glorificatus, in mõte illo æternæ beatitudinis, humile nostrum corpus conforme reddet corpori suo glorioso, Phil. 3. v. 21. & sic semper cum ipso erimus. 1. Thessal. 4. ver. 17. consule de hac Allegoria Chrysostomum, Theophilactum, Hilarium, Ambrosium, Bedam. Videtur autem hæc transfiguratio facta circa festum Pentecostes, & sic conuenit typo. Moses fuit in monte quadraginta dies: sed ipse non potuit verus esse Mediator inter Deum & populum. Ideo Deus promisit, se suscitaturum alium Prophetam de medio fratrum suorum, Deut. 18. v. 18. De illo iam hic pronuntiat, *hunc audite*. Hęc de tempore.

II. Deinde indicantur etiam testes & spectatores huius Transfigurationis. Et sane, quia nondum erat tempus plenæ glorificationis, Dominus Iesus etiam gloriam suam non omnibus Apostolis exhibuit: sed selegit ex ordine Apostolico tres antesignanos, qui sufficientes & satis idonei testes conspectæ Christi gloriæ apud alios esse poterant: *Petrum, Iacobum & Iohannem fratrem eius*. Illi ipsi nimirum, qui postea in monte Olіueti futuri erant spectatores infimæ humilitatis: Matth. 26. versiculo 37. hic prius in monte Thabor summæ maiestatis contemplatores esse debebant. Caussæ, cur hos potissimum adhibuerit, sunt variæ. 1. Vt ἀξιόπιστοι tres testes omni exceptione maiores intuerentur & confirmarent. In ore enim duorum vel trium testium consistit omne verbum, Deuteron. 19. vers. 15. 2. Vt audito ineffabili cœlestis Patris erga vnigenitum amore, & visa diuina Iesu maiestate agnoscerent, illum nec Patris indignatione ad supplicium traditum, nec virium imbecillitate coactum, sed liberrima voluntate, nostræque miseriæ commiseratione adductum mortem obire voluisse, vt genus humanum ab æterna morte redimat. 3. Singulariter autem hos tres assumsit. Petrum quidem, vt tanto fortius ipsum ab errore suo, in quem ob auditam passionem CHRISTI inciderat, reuocaret. Iacobum vero: quia primus pro CHRISTO sanguinem fundere debuit, Actor. 12. versi. 2. Theophylactus certe scribit, eum ex hac Theophania factum esse μεγαλοφανέστατον καὶ δημηγορικώτατον, adeoque molestum Iudæis fuisse, vt cum Herodes ipsis facturus esset rem gratissimam, ipsum iugulauerit. Denique Iohannem: quia ipse diuinam eius maiestatem aduersus Ebionis & Cerinthi blasphemias defensurus erat. Ipsius ergo αὐτοψία informari debuit. Profecto, quæ hic Euangelista in primo capite sui Euangelij scripta reliquit, in iis interpretem agit paternæ contestationis, quam in Thaborinis hisce comitiis audiuit. Ibidem quoque testatur, se vidisse gloriam Iesu tanquam vnigeniti à Patre.

III. Locus etiam indicatur, vbi isti facta sint. Et quidem Euangelistæ solummodo meminerunt *montis*, eumque ὑψηλὸν *excelsum* fuisse dicunt. Sed non tantum D. Hieronymus, verum etiam plerique interpretes omnes statuunt esse montem Thabor. Etenim hæc in Galilæa gesta esse, & antecedentes & consequentes historiæ aperte testantur. Thabor autem est altissimus Galilæę mons, & quasi vmbilicus in medio eius campo, sublimis mira rotunditate. Et Iosephus testatur lib. 4. de bell. Iuda. cap. 2. eius altitudinem ad tricesimum vsque stadium assurgere: in vertice autem viginti stadiorum planitiem habere, quam ipse 40. dierum spatio muro circumdederit, vt in eo monte Iudæi se contra Romanos defendere possent. Ex septentrionali enim plaga erat inaccessus. Petrus nominat eum *montem* ἅγιον *sanctum*, 2. Pet. 1. versiculo 18. non ex superstitione aliqua, quasi huic mõti maior sanctitas inesset, quam aliis: Sed quia sacrosancta Trinitas in eo apparuit: item sanctus ille sanctorum ab æterno Patre ibi gloriam & honorem accepit: quia denique sancti Prophetæ & Apostoli de sanctissimis rebus in hoc monte sunt collocuti. Nobilitarunt hunc montem in Veteri Testamento Barach & Debora, Iud. 4. v. 14. cum insignem victoriam de Sissera Chananæorũ duce reportarent. In *monte* ergo hæc Christi clarificatio facta est: quia, iuxta Tertullianum, nouum Testamentum in simili suggestu (nimirum in monte) consignari debuit, in quali dictatum fuerat vetus.

IV. Lucas memorat, Dominum *ascendisse in montem*, vt

oraret,& inter orandum transformatum esse. Precatus est autem Iesus in diebus carnis suæ, Heb.5.vers.7. non tam sui quā nostri causa,vt Pater nos sanctificet in veritate, Ioh.17. v.17. Reliquit autem nobis exemplum , vt ardui quid suscepturi, auspicemur id ab inuocatione diuini Numinis. Oraturi autem *ascendamus in montem*, hoc est, animos à terrenis cogitationibus ad cœlos attollamus,leuemus oculos in montes,vnde nobis auxilium venit, neque carnis vel mundi suggestiones audiamus. Docemur quoque nos serio & sedulo orantes quasi transformari: sicuti Mosis facies ex consortio sermonis cum Domino mutata,singularem splendorem consecuta est, Exod. 34. versiculo 29. Hoc nos mouere poterat, vt tanto libentius & frequentius cum Deo per preces colloqueremur.

V. Sequitur ipsa clarificatio, in cuius descriptione vocabulorum proprietates diligenter sunt considerandæ , ne eorum inconsiderata vsurpatione in errores incidamus.Ita enim intelligi poterit, quomodo diuinitas corporaliter habitet in carne Christi , non autem tantum gratiose, vt in aliis sanctis:Item,quid sit exinanitio,de qua Paulus Phil.2.vers.7. quod non sit euacuatio vel carentia diuinitatis: sed voluntaria occultatio tempore οἰκονομίας seu dispensationis, vt Græci Patres sunt locuti. Matthæus ergo & Marcus vtuntur verbo μετεμορφώθη,*transformatus est coram illis* , quod alias de substantiali transmutatione accipitur. Nam Varino μορφὴ, φύσις & οὐσία idem sunt. Et μεταμόρφωσιν Ammonius exponit,quod sit μεταχαρακτηρισμὸς ἢ μετατύπωσις σώματ☉ εἰς ἕτερον χαρακτῆρα, mutatio corporis in aliam formam. Sic Ouidio est Metamorphosis,quando

Iuppiter aut in aues aut se transformat in aurum.

Talem transmutationem hic nemo sibi imaginetur. Hæc enim est summa spes nostra, quod caro nostra, eiusdem nobiscum substantiæ , iam sedet in Christo ad dexteram Dei, capax diuinæ maiestatis & gloriæ. Et vt nos credimus resurrectionem HVIVS carnis, vbi rursus pelle nostra circumdabimur,& in carne nostra Deum videbimus.Iob.19.ver.26. ita scimus,quod σύμμορφοι futuri simus Christo.Rom.8.v.29.Phil. 3.v.21.retinentes substantiam,gloriæ autem similitudinem assumentes. Verum itaque modum transformationis Lucas explicat,dum ait,*species vultus eius alia facta est*:τὸ εἶδος τοῦ προσώπου ἕτερον, speciem vultus alteratam, non naturam abolitam,aut naturæ idiomata & proprietates transsubstantiatas affirmat. Cui consentit,quod reliqui duo dicunt , hoc factum esse ἔμπροσθεν αὐτῶν, nimirum Christum non sibi, non æterno Patri, sed *coram discipulis* transformatum esse. Qui tamen ipsi discipuli glorificatam ipsius faciem adhuc nouerunt. Vnde colligere licet , non substantiæ , sed gloriæ mutationem factam. Sicuti Theophilactus scriptum reliquit, οὐχ ἡ οὐσία, ἀλλ᾽ ἡ ἐπιφάνεια,hoc est,interprete D.Hieronymo, non substantia tollitur,sed gloria commutatur. Et Anshelmus dicit. Christum transfiguratum esse , non substantiam carnis amittendo , sed gloriam futuræ resurrectionis ostendendo. Eamque claritatem non demum carni Christi collatam,sed in conspectu discipulorum prolatam.

Cæterum , si quis quærat, qualis illa gloria fuerit,quam Dominus Iesus in hoc actu protulerit & exeruerit ? Ei dicimus,Euangelistas,qui historiam texunt,ea solummodo commemorare, quæ in discipulorum oculos incurrerunt. Quorum duo referunt. Primum,*faciem eius splenduisse sicut Solem.* Non quod sol iustitiæ.Malach.4.vers.2. Solis splendorem nō longissime superet: sed quia nobis in hoc mundo nihil sole splendidius est cognitum. Nam etiam sancti post resurrectionem in vita æterna fulgebunt vt Sol.Matt.13.ver.44. Sed hac vice Apostolorum oculi maiorem lucem ferre non poterant,donec in æterna vita videbimus gloriā,quam Pater dedit filio ante constitutionem mundi.Ioh.17.ver.24. Alterum, *vestimenta ipsius* non tantum facta esse *candida valde* (qui tamen nō fuit natiuus ipsorum color) sed & στίλβοντα *nitida*, *fulgentia*. Στίλβειν dicitur de rebus splendidis & micantibus. Στίλβειν, inquit Varinus, ἐπὶ τῶν λαμπρῶν, ἢ λείων, ἢ οἷον ἀκτῖνας τῆς λαμπρότητος ἀφιέντων. Vnde etiam τὸ στίλβειν stellis micātibus tribuitur Psal.7.v.13 vsurpatur de gladio micante. Lucas vtitur vocabulo ἐξαστράπτων, quasi *vestitus* fuerit *refulgens*:quales fulgurantes vestes Luc.24.v.4.tribuuntur angelis, & consimilis facies Matt.28. v.3. alteri angelo describitur in resurrectione Christi.In orientalibus regionibus in vsu habuerunt,vt vestes conficerent ex candidissima bysso.Eam vero fullones arte sic poliebant,vt quasi splendorem emitterent. Et in Græco *fullo* γναφεὺς nomen habet à verbo γνάπτω vel γνάφω,quod significat carpendo & vellicando vestes expolire. Γνάφ☉ etiam dicitur ἄκανθα illa,quæ γνάφουσι τὰ ἱμάτια, pectines fullonici, seu cardui, quibus fullones pannum pectunt, & lanam expoliunt. *Die Karten vnd Kratzen*,vt vocant. Tales γναφεῖς siue *fullones* Iudæi quoque habuerunt, vt patet ex 2. Regum 18.versic.17. vbi Lutherus reddidit, *VValck muller*,& Esa.cap.7.versiculo 3.item 36.versic. 2.vbi reddidit *Ierber*,In Hebræo כובס à כבס, quod significat lauare aliquid demergendo in aquas ad albicandum , aut lauando aliquid candidare instar lanæ natiuæ. Christi autem vestes hic in monte ita fuerunt candidæ & nitentes , *sicut nix*,aut *sicut lux*,*vt nullus fullo super terram* similem nitorem iis inducere potuisset. Nam præter candorem insuper etiam splenduerunt & rutilarunt. Sed vnde hoc? Non aliunde nisi à claritate corporis Christi. Ea enim splendore suo vestes penetrauit, perinde vt Sol per fenestras lumen infundit,aut ignis per crystallum lucem traiicit. Candor aut nitor vestium,quem Christus hic habet, & in quo etiam Angeli apparere soliti sunt, designat puritatem,sanctitatem,gloriam,iucunditatem , & lætitiam cœlestis conuersationis. Luce enim nihil purius: adhuc lux exhilarat homines, & fouet omnia viuentia. Econtra locus damnatorum dicuntur exteriores tenebræ , ob horrorem & tristitiam, in quo illi sunt victuri. Cumque Deus inhabitet lucem inaccessibilem.1.Timoth.6.versic.16.angeli quoque,qui ab ipso procedunt,lucidas vestes gestant. Non quod angeli in cœlo sint albis vestiti : sed quod iis cœlestis splendor & claritas repræsentatur , & quod nos aliter non possumus capere,qualis sit illa gloria. Si quoque nos olim velimus habere partem sortis sanctorum in lumine,Coloss.1.versu 12. & Deo placere in lumine viuentium,Psal.56.vers.14. tum necesse est, vt adhuc in hac vita incipiamus vestiri in albis. Vnde toties Deus in Veteri Testamento,Exod.cap.19.v.10. & alibi, populo suo iniunxit,vt lauaret vestimenta sua.Sed *nullus fullo supra terram*; sic vestimenta nostra *candida facere potest*, vt coram facie Dei in cœlesti gloria comparere ausimus. Vnde Ieremias dixit populo suo cap.2.vers.22.Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith. (*Borith* autem interpretantur saponem, smigma vel herbam fullonum , qua vtuntur ad eluendas sordes vestium)tamen maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.Sed Christus est , de quo Propheta Malachias c.3.v.2.dicit,quod ipse saponem & herbam fullonum accepturus sit,& filios Leui , (imo omnes credentes)purgaturus & emundaturus. Vnde Apocal.c.7.ver.14. ante thronum Dei sunt, qui lauerunt stolas suas, & dealbarunt eas in sanguine Agni. Quapropter quicunque corpore & anima peccatis sunt fœdati , illi vera pœnitentia per fidem fugiant ad hunc Christum Iesum, cuius vestes propria virtute hic in monte tantopere splendent, eiusque mortem ac meritum per verbi ministerium & Sacramentorum vsum sibi applicent. Sanguis enim Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato, 1.Ioh.1.v.7. & si peccata nostra essent vt coccinum,quasi nix dealbarentur,& si rubra essent,quasi vermiculus , velut lana alba erunt,Ies.cap.1.versic. decimooctauo. Hanc diligentiam quicunque in vita sua adhibent, illi vocati sunt ad nuptias Agni,& dabitur eis,vt cooperiant de byssino splendenti & candido. Byssinum autem iustificationes sunt sanctorum,Apoc.19.v.8.

Et hanc quidem lucem Apostoli viderunt in facie & vestibus Christi corporeis oculis. Sed D.Petrus testatur 2.*Epist.* 1.vers.16.se αὐτόπτην & spectatorem fuisse τῆς μεγαλειότητος,magnificentiæ & maiestatis Christi , quam certe intelligit diuinam.Iohannes enim dicit : Vidimus gloriam vnigeniti à Patre;Iohan.1.versic.14.Hinc Damascenus infert,θεϊκὰς τῆς θεότητος,radios diuinitatis , ἐν σαρκὶ è carne illius emicuisse : Dominumque carnem suam θεολαμποῦσαν , diuinitate lucentem, vel vt Athanasius loquitur , ταῖς θεϊκαῖς ἐνεργείαις χρηματίζουσαν, diuinis operationibus coruscantem exhibuisse. Quod enim hæc claritas, quæ in carne Christi residet, minime finita,sed infinita adeoque Dei propria sit , id non tantum Iohannes disertis verbis testatur, dum vnigeniti gloriam vocat,sed etiam inde patet , quia Apostolorum oculos vsque adeo perstringit, vt ad intolerabilem eius fulgorem exanimes concidant, vsque dum Christus eos collapsos restituit & prioribus viribus reddidit:Ac nisi caro Christi diuinæ infinitæ maiestatis veræ particeps esset, Pater de visibili hoc nomine dicere non potuisset,*hic est Filius meus*,sed dicendum fuisset , in hoc visibili homine est filius meus , sicut rectissime Cyrillus de recta fide ad Theodosium regem ratiocinatur. Diuus Apostolus Paulus 2.Cor.3.vers.7. instituit collationem inter claritatem Legis & Euangelij , item inter claritatem Christi & Mosis. Quæ collatio aliquid lucis huic historiæ addet. Claritas faciei Mosis extrinsecus aduenit ex colloquio cum Deo, Exod. cap.34. versic. vigesimonono. Claritas autem faciei Christi fuit ex innato diuinæ gloriæ fulgore , ex hypostatica huius carnis cum λόγῳ æterno Dei filio vnione. Nam ab initio conceptionis habuit in se inhabitantem diuinitatem corporaliter:sed ea gloria se exinaniuit. Phil.2.vers.7. Exinaniuit autem se,non deponendo diuinitatem, sed eius apparentiam reprimēdo. Hic vero & in hoc actu trāsfigurationis permisit, vt ad

vt ad tempus illa gloria per faciem & corpus diffunderetur: quo Apostoli agnoscerent, veram diuinitatem sub hac vili corporis forma latitare. Deinde Moses habuit talem claritatem faciei, quæ apposito velamine tegi potuit, vt non trāsparetet. At Christus in suo corpore tantam habuit claritatem, vt vestes eam contegere non potuerint, sed ita transparuit, vt vestimenta visa fuerint candida, *sicut nix*, & lucida atque fulgentia, *sicut lux*. Interim tamen certum est, hunc quantumuis illustrem carnis Christi splendorem fuisse temporarium: & imaginem, non speciem: similitudinem, nō substantiam: partem, non plenitudinem, eius transformationis, quę in statu gloriæ olim exprimetur, vt Cyprianus sensit.

Hæc est prima pars huius historiæ. Et qua Caluiniani nobis contra Maiestatem & omni præsentem gubernationem (quam sub portentoso vbiquitatis titulo flagellant) hominis Christi hoc obiiciunt. Apud vos, inquiunt, in confesso est, quod Christus in monte statum glorię suę manifestauerit. Atqui iam certum est, quod Apostolis, nec ibi nec alibi manifestauerit & ostenderit corpus suum simul in cœlo & in terra, in quam diuersis regionibus, in Germania, Iudæa, vel in omnibus locis præsens. Resp. 1. Sunt Caluinistæ homines plus quam inepti & insulsi, qui nullam παντοπαρουσίαν & omnipræsentiam credere aut sibi imaginari possunt, quàm quæ crasso & sensibili modo fiat, vbi per infinita spacia locorum aliquid diffundatur & extendatur. Talis imaginatio in rebus corporalibus locum habere potest. At quando de Deo sermo est, cuius diuina natura immensa & infinita est, non localitate nec quantitate, habente partem extra partem, sed virtute essentiali & αὐτουσίᾳ, tum cum Hilario & Syrmiensi Synodo dicimus: Si quis substantiam Dei dilatari aut contrahi dicat, anathema sit. Deus enim in seipso illocaliter omnipræsens est, sine habitu omnia continens, sine quantitate infinitus, sine qualitate bonus. Audiant Augustinum ad Dardanum cap. 4. sic scribentem. In eo, quo Deus dicitur vbique diffusus, naturali resistendum est cogitationi, & mens à corporeis sensibus auocanda, ne quasi spaciosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi: sicut fumus aut humor, aut aer aut lux ista diffunditur. Omnis enim huiusmodi magnitudo, minor est in sui parte, quam in tota. Sed ita potius. Sicut est magna sapientia, etiam in homine, cuius corpus est paruum, & duo si sint sapientes, quorum sit alter corpore grandior: non est illa in maiore maior, & in minore minor, aut in vno, quàm in duobus, sed tanta in hoc, quanta in illo, & tanta in vnoquoque, quanta in vtroque. Hæc Augustinus. Et ne quis ipsi obiiciat: Hæc esse exempla qualitatum, quæ illocaliter possint esse magnæ: aliam autem rationem esse diuinitatis, quæ substantia sit, non qualitas: huic obiectioni occurrit, his verbis concludens: Absit igitur, vt quod potest in corpore qualitas creati corporis, non possit in seipsa substantia Creatoris. Ergo fixum & indubitatum manet, Deum non localiter, non corporaliter, non per extensionem, vel expansionem, sed spiritualiter esse immensum, infinitum, & vbique præsentem. Iam vero quia ὁ λόγος etiam incarnatus est verus Deus, idem etiam de ipsius omni præsentia statuendum est. Cumque in hac clarificatione Apostolis suis commonstrarit, assumptam suam humanam naturam totius diuinæ glorię capacem esse, in qua, cum qua, & per quam diuinitatis suæ opera perficere velit: sufficit nobis hoc, vt inde colligamus, quod etiā maiestatem omnia pręsenter gubernandi acceperit. Siquidem idiomata diuinitatis eiusmodi sunt, vt separationem non admittant. Si caro Christi particeps est diuinæ μεγαλειότητος & magnificentię in vno, in reliquis ab ea secludi non potuit. At diuinæ gloriæ & maiestatis eam participem esse, hoc specimen transfigurationis commonstrat. Ergo, &c. 2. Deinde defectus, quòd Christus Apostolis non manifestauit & commonstrauit omnia in Iudæa, Galilæa, Germania; non fuit in Christo, sed in Apostolis, quorū oculi non fuere capaces tantæ maiestatis. Et si ipsi non minus quàm Christus cum temporis omnia præsentia habere debuissent, necesse fuisset, ipsos quoq; Deo hypostatice vnitos, & simul transfiguratos fuisse. 3. Deniq; Christus nobis in hoc ipso specimine & similitudine gloriæ suę vtiq; cōmonstrat, quomodo simul omnia, & ea quæ in cœlis, & ea quæ in terris sunt, præsentia habeat. Moses certe & Elias ipsi affuere ex cœlesti triumphante, Apostoli vero ex terrestri & militante Ecclesia: cœlum profecto & terra ipsi tum fuere præsentissima, quæ tamen Caluiniani per infinitam fere locorum intercapedinem ab inuicem seiungunt. Dicant ergo nobis Caluiniani, quot diebus, septimanis vel mensibus Mosi & Eliæ opus fuerit, vt profectionem illam ex summo illo cœlo, quod vltra stellarum hoc cœlum cœllocāt, & in eo Dei regiam constituunt, ad verticem montis Thabor vsque conficerent? Hanc supputationem si vel instituere non possunt, vel superuacaneam existimant, desinant in posterum diuinam maiestatem humanæ suæ rationis cancellis circumscribere.

II. In secunda huius historiæ parte describitur, quomodo Apostolis in monte visi sint apud Iesum *Moses & Elias* in glorificatis corporibus *colloquentes cum Iesu*. Hi enim duo inter omnes veteres Prophetas, ob insignia facta & miracula, apud populum Dei semper in maxima fuerunt auctoritate. Ambo quoque ieiunarunt quadraginta diebus in deserto: vterque vidit Dominum in monte Sinai, Moses Exod. 34. versic 6. Elias 1. Regum 19. v. 9. Malachias etiam cap. 4. versicul. 4. in conclusione Veteris Testamenti duorum horum meminit, tanquam duorum præcipuorum in tota sacra Scriptura. Moses enim fuit Doctor Legis: Elias autem Coryphæus Prophetarum. Sed vnde hi duo venerunt in montem Thabor? Sunt qui putēt, eos non ex sede beatorum illuc accessisse: sed ad tempus circumposito corpore, & inprimis Mosen nō proprio, apparuisse. Caluinus quoque statuit, hos duos Dei arbitrio ad tempus in vitam restitutos fuisse, vt cum Christo in monte colloquerentur. Nos vero firmiter statuimus, eos ex cœlesti Academia & beata sanctorum vita huc aduenisse. Eliam enim Dominus, 2. Reg. 2. v. 11. corpore & anima curru igneo leuauit in cœlum. Mosis vero corpus Deus ipse sepelisse dicitur, vt sepulchrum eius nemo cognouerit, Deut. 34. versic. 6. Sed quia Iudas in sua Epistola versic. 9. Michaelem Archangelum cum Diabolo de corpore Mosis altercatum esse asserit: ideo plerique inde colligūt, Mosis corpus de sepulchro etiam sublatum & in cœleste gaudium translatum fuisse. Quod à Deo Chrysostomus & alij ideo factum existimant, vt ne à Iudæis superstitioni plus nimio addictis idololatricus cultus ipsi exhiberetur. Cum ergo duo hi *visi sint ἐν δόξῃ in maiestate*, non dubium est, peculiari Dei operatione, duorum horum corpora ad hunc actum reseruata esse. Vt sic in hisce duobus sanctis cœlitibus, qui gloriosi cum Christo glorioso comparebant, haberemus propositam imaginem immortalitatis, æternæ beatitudinis, gloriæque, quæ electis Dei filiis in cœlo parata est. Vnde Diuus Paulus infirma nostra corpora glorioso ipsius corpori σύμμορφα & conformia futura testatur, Philip. 3. v. 21.

Ob quas causas autem beati hi cœlites huc descenderint, non est vanum inquirere. Chrysostomus & alij, complures earum ponunt: quarum aliquæ ex textu sunt desumptæ, aliquæ aliunde adductæ. Nos aliquot recensebimus. 1. Apostolorum confessio, nuper apud Cæsaream Philippi edita docet, Iesum vulgo pro Helia aut aliquo alio Prophetarum habitum fuisse. Id ergo Patris voce hic refellitur, Eliæque ac Mosis, tum apparitione, tum discessu, & manifesta separatione, dum Christus à Patre dilectus filius proclamatur, validissime redarguitur. 2. Iudæi Iesum, alias ἀντίθεον, Dei hostem, alias ἀντίνομον, & legis transgressorem esse, criminabantur: eius conuitij vanitatem, duorum horum Dei & legis zelotarum, amica conuersatio, manifeste ostendit. 3. Quia videmus, Iesum sibi ius vendicare conuocandi Synodum ex cœlesti pariter & terrestri Ecclesia, inde agnoscamus, ipsum cœli terræque Dominum esse.

4. Apparent etiam, vt discrimē monstretur inter glorificationem Christi & reliquorum sanctorum. Apostoli enim vident Christum in maiestate, Moses & Elias quoque apparent in gloria: sed magnum est discrimen. Vt enim Sol multis modis stellas splendore & claritate superat: sic etiam Christus. Ipse enim debet esse πρωτεύων & primas tenere in omnibus, Coloss. 1. versic. 18. Et in ipso diuinitas habitat corporaliter, Coloss. 2. versic. 9. vt per hanc carnem, ceu per proprium corpus radios suos emitteret: cæteri autem sancti tantum diuinæ naturæ consortes facti sunt, 2. Petri 1. v. 4. 5. Vt Apostoli in suo ministerio duos illos imitari discerent, si eiusdem cum ipsis gloriæ participes fieri vellent. 6. Denique hinc videmus omnes Prophetas Christo testimonium perhibere, & arctissimam esse in ipso triumphantis & militantis Ecclesiæ coniunctionem. In ipso enim, ceu in capite, in vnum colliguntur, quæcunque in cœlis sunt & in terra, Ephes. 1. versicul. 10. Coloss. 1. vers. 20. Hic videmus arcam fœderis vtrinque adstantium Cherubinorum, Prophetarum nimirum & Apostolorum, alis contectam. Exod. 25. versicul. 18. Videmus denique scalam Iacobi, in qua sancti Angeli, Moses item & Elias ἰσάγγελοι, descendunt, & nobis vicissim ascendendi viam commonstrant. Voluit itaque gloriæ Dominus colloqui cum iis, à quibus pro eo est agnitus: & eisdem quoque suam gloriam communicare dignatus est. O sublimem hanc & diuinam politiam! vt Damascenus exclamauit, in qua Deus Deorum & Dominus dominantium adstitit in medio Deorum! O dulcem, ô admirabilem eorum, qui se nūquam antea conspexerunt, coniunctionem, doctrinæque consensionem! Fac ô æterne Deus, vt quemadmodum consensum doctrinæ cum Prophetis & Apostolis alimus, sic olim cœle-

stis illius synedrij assessores quoque simus. Hæ causæ nec absurdæ sunt, neque à textu prorsus alienæ. Absonum autem & ineptum est, quod aliqui censuere, Mosen & Eliam ad Thaborinum hoc Collegium propterea aduenisse, vt illinc profecti, Euangelium prædicarent iis, qui postea cum Christo resurrexerunt. Aut: Quod Origenes opinatus est, vt ibi demum in monte ad Euangelium Christi conuerterentur. Hoc enim falsum esse iam nunc audiemus.

Nam duo hi cœlites non κατὰ fuerunt παρόντες, sed *colloquebantur cum Iesu*. Bone Deus, si quis esset, qui nobis referret summam sermonum ipsorum! Num collocuti sunt de choris angelorum? num de thronis & dominationibus? num de vigiliis & missis? num de purgatorio igne? num de limbo puerorum & Patriarcharum, cuius dubio procul meminissent, si eius incolæ fuissent? Nihil horum. Et quidem reliqui Euangelistæ, quale colloquium hoc fuerit, non describunt. Lucas vero paucis verbis annotat, quæ fuerit summa colloquij. *De exitu*, scilicet, *quem completurus erat Hierosolymis*. Institutum itaque fuit colloquium de illo ipso Articulo, quo Apostoli paulo ante offensi fuerant: nimirum de passione & morte Seruatoris nostri Iesu Christi. Hic enim vnicus finis & scopus est Legis, Prophetarum & Apostolorum, sicuti Paulus testatur, 1. Corinth. 2. versic. 2. Non existimaui me quicquam scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Vocant autem eius passionem & mortem ἔξοδον, *exitum*: quo vocabulo in Veteri Testamento non est appellata. Quia autem hic adest ille heros, de quo Dauid dixit Psalm. 68. vers. 21. quod eius sint exitus mortis: ideo hic eo vocabulo vtuntur. Et hinc Christus sumpsisse videtur suam phrasin, qua in passione vtitur, quando dicit, se abire ad eum, qui ipsum miserit. Alludunt autem absque dubio hoc vocabulo ad exitum ex Ægypto, & innuunt, eum neque per Mosen neque per Iosuam plene esse impletum, sicuti etiam Epist. ad Hebr. cap. 4. prolixe de eo differit. Sed *implendum* demum *Hierosolymis*: sicuti ibi omnes typi, figuræ & vaticinia implebantur. Et fuit procul dubio hoc prolixum, atque suauissimum colloquium, in quo Moses repetiit omnia, quæ in suo ministerio, tum quo ad promissiones, tum quoad typos populo suo proposuerat: & lætatus est, felicem illum diem mundo exortum esse, quo Deus alium Prophetam suo loco excitarit. Elias quoque repetiit, quæ ipse & reliqui Prophetæ vaticinati fuerant. Quis etiam dubitabit, eos collationem instituisse, & mysterium hoc considerasse, quod iam vident faciem Christi in gloria splendentem instar Solis, & loquuntur de eius excessu, quod illa ipsa facies sit conspuenda, & ita dehonestanda, vt verum euadat, quod Iesaias de Messia prædixit, cap. 53. vers. 2. non est ei species neque decor: vidimus eum despectum & nouissimum virorum. Paucis itaque colloquium hoc est descriptum: quia nihil noui, nec aliud adduxerunt, quam quod scriptum erat. Hinc ergo videmus, quænam olim nostra futura sint colloquia in altera vita, in gloria. Nimirum de iis, quæ de redemptione humani generis per ministerium nobis patefacta sunt in hac vita. Imò videmus beatos cœlites vna cum sanctis Angelis etiam hodie in celebratione beneficiorum Christi occupatos esse, & idem studiorum genus ipsos cũ piis Christianis tractare nullum est dubium. Nam gloriantur nulla in re, quam in cruce Domini nostri Iesu Christi, Galat. 6. versic. 14. & qua armatura ipsi per mortem transierunt ad vitam, eandem nobis commendant. Nam aduersus mortem & omnes hostes nos Christiani nullum habemus præsidium, nisi *exitum* & crucem Domini nostri Iesu Christi.

III. Tertia pars historiæ narrat de tribus Apostolis, qui spectatores fuerunt huius magnificentiæ, quomodo illi fuerint affecti. Videbimus autem in ipsis, partim infirmitates humanas, quæ omnibus adhærent, dum in hac vita degunt: partim sensum diuinæ gratiæ, qua Deus sanctos suos etiam in hoc mundo interdum dignatur. 1. Lucas dicit, illos *grauatos fuisse somno*. Quod simpliciter ita intelligi potest: fuisse tempus nocturnum, & orante Christo Apostolos dormiisse. Sicut postea tempore passionis in horto noctu dormiuerunt, orante Christo, Matth. 26. vers. 43. Chrysostomus vero sic interpretatur, ex illa visione diuinæ & cœlestis gloriæ, quam caro & sanguis in hac vita sustinere non potest, factam fuisse in Apostolis resolutionem omnium vitium & sensuum, vt quasi somno grauati, *nescirent quid loquerentur*. Primum enim vident: mox excellentia visionis territi, irruit sopor supra ipsos, & quasi stupor quidam ipsos obruit: deinde redeunte animo & viribus, rursus viderunt. & hasce vices intelligunt Euangelistæ dicentes: *Experrecti viderunt maiestatem eius*. Et hæc interpretatio licet ab aliquibus reiiciatur, tamen probe conuenit cum aliis Scripturæ locis. Gen. 15. versic. 12. Deus apparet Abrahamo in visione, ibi sopor irruit super eum, & horror magnus ac tenebricosus inuasit eum. Esaias Propheta quoque fatetur, cap. 6. versic. 5. se regem Dominum Zebaoth non absque terrore vidisse: ac proinde exclamat: Væ mihi. Consimiliter Ezechiel Propheta fatetur, cap. 2. vers. 1. se quasi exanimem procidisse in faciem suam, cum vidisset visionem in primo capite descriptam, nec prius pedibus suis institisse, quam audiret Dominum sibi loquentem. Inprimis vero Daniel, cap. 10. versic. 8. prolixe describit, cum quanto horrore & stupore viderit visionem angeli, cuius corpus erat quasi chrysolithus, & facies eius velut species fulguris, & oculi vt lampas ardens. Ibi certe dicit, non relictam fuisse in se virtutem formam suam immutatam fuisse, nec quicquam superfuisse virium, vertebras & coxendices luxatas fuisse, & quasi sopore oppressum procidisse facie sua in terram, donec angelus manu sua eum tangeret. Iohannes denique in Apoc. cap. 1. vers. 17. de seipso contestatur, quod cum vidisset filium hominis, Dominum suum Iesum, in insolita gloria, ceciderit ad pedes eius tanquam mortuus. Hoc accidit sanctus istis viris in visionibus, quæ ipsis obtigerunt. At vero huius visionis magnificentia longe fuit maior. Quid ergo mirum, si maxime consimile quid ipsis accidit? *Erant enim*, inquit Marcus, ἔκφοβοι *expauefacti*. Vsurpatur hoc vocabulum de tali pauore, vbi quis se subducit ad conspectum seu præsentiam alicuius personæ, cuius conuersatione se indignum agnoscit. Sicuti Moses Deut. 9. versicul. 19. de seipso dicit, ἔκφοβός εἰμι, scilicet, coram Deo, ob grande Israelitarum peccatum. Ad Hebr. 12. ver. 21. vsurpatur de terribili visione, quam Deus ostenderat in monte Sinai. Ex his colligere licet, quis olim terror, pauor & horror irruiturus sit in impœnitentes & damnatos ex *visione* diuinæ maiestatis, qua in ira sua cum ipsis loquetur. Psalm. 2. versic. 5. Ideo clamant Apoc. 6. ver. 16. ad montes & petras: cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare? Ibi tum Deus impiis miscebit Spiritum soporis, Iesa. 26. versic. 10. vt oculos suos claudant in æternum.

II. Vt præcedens membrum fuit infirmitatis humanæ: sic hoc sequens alterum est gratiæ diuinæ. Nam *Petrus, & qui cum ipso erant, videntes Mosen & Eliam in gloria*, eos nouerunt, licet prius illos nunquam viderint. Vnde vero hoc? Non certe ex imaginibus & statuis, quibus vti Iudæis *non fuit* concessum: nec ex notitiis naturalibus, quæ *in rebus cœlestibus penitus sunt cæcæ*: Sed ex sola *gratia Dei*, quæ *incredibilem* hanc *sapientiæ* & *cognitionis lucem animis* Apostolorum infudit. Vt ergo Samuel ex *Dei inspiratione* Saulem agnouit, nunquam antea visum: 1. Sam. 9. vers. 17. & quemadmodum Iohannes in vtero intra aluum B. Virginis, Christum Dominum suum agnouit: ita Spiritus sancti radiis horum etiã mentes fuerunt illustratæ. Recte hinc colligitur, nos in vita æterna, depositis omnibus ignorantiæ & cæcitatis nebulis, etiam nos inuicem, & omnes sanctos, quos nunquam vidimus, agnituros. Si enim Adamus, virtutis imaginis diuinæ concreatæ, Euam de corpore suo sumptam, cum è somno euigilasset, illicò agnouit: quomodo nos non etiam, secundum eandem imaginem transmutati de gloria in gloriam, à Domini Spiritu, sanctos & beatos eiusdem corporis membra agnosceremus? Tũ enim omnes, vt Nazianzenus habet, καθαρᾷ ἐλλάμψει τῆς ἁγίας τριάδος, pura illuminatione sanctæ Trinitatis fulgebimus, erimusque θεοδίδακτοι, iuxta promissionem seruatoris. Iohan. 6. ver. 45.

III. Consimiliter insignis gratiæ diuinæ donum fuit, incredibile illud gaudium, quo Apostoli perfunduntur, dum in hac visione, & in mediis erroribus gustum quendam percipiunt vitæ æternæ. Petrus certe dulcedine visionis & colloquij illius captus, cum videret Mosen & Eliam discedere, exclamat: *Bonum est, Domine, nos hic esse*. Fuit Petrus cum duobus illis suis collegis, tum ante hanc Theophaniam, tum post illam, in multis amœnissimis locis, audiuit plurimas cœlestes conciones, diuina miracula vidit: nullibi tamẽ hęc vox, *bonum est hic esse*, ab ipso audita fuit. Nec vim in Cananensibus nuptiis ex aqua facti præstantia, nec balsami, cum Hierichuntinos hortos transirent, fragrantia, nec templi Hierosolymitani magnificentia, nec patriæ Galilææ dulcedo, nec piscium, quos in mari Tiberiados ceperant, multitudo, eos hactenus ita oblectare aut allicere potuit, vt ibi manere desiderarent: sed relictis omnibus Dominum Iesum secuti sunt. Iam vero patriæ, domorum, agrorum, vxorum, liberorum & totius mundi penitus obliti, domicilium in monte figere cupiunt. Vnde hoc? Ah, vesane, quid quæris? Percipiunt prægustum æternæ lætitiæ. Supra se vident cœlos reseratos, & audiunt filium Dei vna cum omnibus beneficiis & meritis ipsius sibi à cœlesti Patre donari. Intra se sentiunt flammam Spiritus sancti, qui dat testimonium spiritui ipsorum, quòd sint filij Dei. Infra se à tergo recordantur relictas es-

sein-

se insidiis Pharisæorum cum vniverso immundo mundo. Iuxta se conspiciunt candidissima pectora, Moysen & Eliam. Circa se denique habent omnia cœlesti lumine splendentia, nitida, corrusca. Quis, quæso, in hac tam iucunda oculorum & aurium panegyri non cum Petro exclamaret, *ô Rabbi, Domine, Præceptor, hic est bonum esse*? Quandoquidem autem Apostoli de exili gustu æternæ beatitudinis, tantopere triumphant, quid futurum existimabimus? cum momentaneum afflictionis nostræ iam pepererit illud supra omnem modum ingens, inæstimabile & æternum gloriæ pondus. 2. Cor. 4. versicul. 17. cum omnes lachrymæ à facie nostra abstersæ fuerint. Esa. 25. versic. 8. Apoc. 7. versic. 17. cum tristitia nostra conuersa fuerit in gaudium, & quidem gaudium tale, quod nemo tollet à nobis. Ioh. 16. versic. 22. cum obliuioni tradentur angustiæ priores, cum dolor & gemitus fugient, nec audietur vlterius vox fletus & clamoris: quando Domino in nube obuiam rapiemur per aerem, & sic semper cum ipso erimus: 1. Thess. 4. versic. 17. quando ab ipso accipiemus immarcessibilem iustitię coronam: 2. Timoth. 4. v. 8. quando denique Deus erit omnia in omnibus. 1. Cor. 15. v. 28. Hæc enim Apostolorũ lętitia exiguum momẽtum durauit, & dicto citius hæc maiestas ex Petri oculis rursus euanuit: illa vero durabit in perpetuas æternitates.

IV. Rursus denique humanæ imbecillitatis & terrenæ ignorantiæ indicium est, quod Petrus addit: *Faciamus tria tabernacula tibi*, Domine, *vnum, & Mosi vnum, & Eliæ vnum.* Et hanc vocem ex carnali inscitia profectam esse! Marcus & Lucas testantur: *Non enim nouerat, quid loqueretur*, vere non nouerat: quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit iis, qui diligunt ipsum, Esa. 64. ver. 4. & 1. Cor. 2. ver. 9. Fuit hæc vox puerilis, & multis modis indigna tanto Apostolo. Errat enim Petrus. 1. Quod ex terreno festo tabernaculorum Iudaicorum metitur ęternam felicitatem. 2. Errat, quod CHRISTO adiungit collegas, quasi non in solo CHRISTO habeamus omnia, sed discedentibus illis dulcedo visionis minueretur. 3. Errat, quod visionem istam in illo monte manere optat. Cum hęc visio non fuerit monstrata, vt esset perpetua: sed tantum vt esset specimen & prægustus venturæ ęternæ visionis. 4. Errat denique, quod Christum, quem propediem Hierosolymis passurum ex Mose & Elia audiuerat in monte detinere, & Mosis atque Eliæ præsidio tueri vellet. Dum ergo sic Petrus inepte terrena cœlestibus miscet, *Moses & Elias ingrediuntur nubem*, sicque eos Deus recipit, in tabernaculum ἀχειροποίητον. Nos vero consimiliter nouimus, quando terrena nostra, domus tabernaculi huius dissoluta fuerit, quod habeamus ædificium ex Deo, domum non manu factam, æternam in cœlis. 2. Corinth. 5. vers. 1. vbi nos ad se recipiet, quo & nos simus, vbi ipse est. Iohan. 14. versic. 3. Debebant hæc etiam in nobis excitare desiderium cœlestis illius domus inhabitandæ. Quam iucũda enim sunt tabernacula tua Domine Deus Zebaoth? deficit anima mea præ desiderio palatij tui. Cor meum & caro mea gestiunt in Deo viuente. Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Psal. 84. v. 1. Hoc rectius postea Petrus in Apostolatu suo intellexit, quàm hic in monte: ideo post depositionem terreni sui tabernaculi anhelauit ad τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον. Et Paulus toto pectore dissolui cupiuit, vt esset cũ Christo. Phil. 1. v. 23. Nos quoque cum Monica Augustini matre dicamus: Quid hic facimus? cur non ocyus migramus? cur non hinc auolamus? Aut cum ipso Augustino: Mori desidero, vt videam Christum salutare meum. Viuere renuo, vt viuam cum Christo.

IV. Vltima pars historiæ est præcipua: qui ibi loquitur & Pater & filius Mediator. Cum enim Apostoli nec sustinere, nec satis intelligere possent rationem gloriæ cœlestis, quæ futura est in altera vita, Deus nube quadam ipsos obumbrat. Sicuti etiam in Veteri Testamento, in reuelatione gloriæ & maiestatis suæ, plerunque vmbraculum nubis adhibuit. Hoc vero loco id fecit potissimum duas ob causas. 1. Vt aliquo modo ferre possent diuinam maiestatem. 2. Vt interposita nube intelligerent, se reuocari & retrahi à scrutatione maiestatis. Et cum Petrus de construendis tabernaculis loqueretur, duo illi, *Moyses & Elias ingressi sunt nubem* illam, ex qua vox Patris mox auditur. Vt sic reipsa ostenderetur, ipsos non indigere tabernaculis humana manu factis: sed iam frui clara Dei visione, & possidere partem sortis sanctorum in lumine, Coloss. 1. v. 12. Nubes autem hæc, nõ fuit tenebrosa & densa, qualis fuit Exod. 19. v. 16. in monte Sinai, cum daretur lex, in quam etiam Moses ingressus dicitur, Exod. 24. v. vlt. sed fuit *lucida*. Deus enim inhabitat lucem inaccessibilem. 1. Tim. 6. v. 16. Ac proinde etiam Apostoli *timuerunt, illis intrantibus in nubem*. Siquidem lux illa carni & sanguini humano est inaccessibilis. Illis autem intra nubem receptis, prodiit illa vox, quæ Iesum Dei filium mundi Mediatorem proclamauit. Et recte D. Hieronymus sentit, Mosen & Eliam propterea discessisse, & in nubem receptos fuisse, vt certum esset, quem vox illa Patris designaret.

Vox autem hæc Patris rectius considerari non potest, quam si conferatur ad 20. c. Exod. & 18. Deut. Vtrobique enim est vox, vtrobique nubes, vtrobique Moses: sed magno cum discrimine. In Veteri Testamento vox Dei in monte è nube audita est. Sed quia is cum peccatoribus, sine intercessione filij Mediatoris, agebat, nubes erat horribilis, & vox talis, vt Moses ipse cum toto populo cohorresceret, vt habetur Deut. 5. versic. 25. Vtitur quidem ibi populus Mose loco Mediatoris: verum Moses ipse fuit ἔμφοβος & expauefactus, vt ipse fatetur, Deuter. 9. ver. 19. Cumque natura peccatrix non possit ferre Deum iratum, promisit Deus Deuter. 18. versic. 15. se alium Prophetam suscitaturum, in cuius ore positurus sit aliam vocem, verbum placabile, quod nos sustinere possimus. Et de eius suscitatione omnes Prophetæ post Mosen vaticinati sunt. Ideo iam Deus Pater in præsentia Mosis & Eliæ illum Prophetam renunciat ex nube lucida. Non quod voluntas Dei sit mutata, quæ in Sina fuerat promulgata: sed quia super Christum sit beneplacitum Patris. Extra Christum Deus est offensus, vt in monte Sina: per Christum autem Deus est placatus & nobis reconciliatus, vt hic in monte Thabor se declarat. Et propter hanc causam vox Patris contexta est ex Mose & Prophetis, Psal. 2. vers. 7. 2. Sam. 7. versic. 14. Ies. 42. v. 2. Deut. 18. v. 15. Quæ complectitur illustrem descriptionem Personæ & officij Christi Mediatoris, quod sit Filius Dei, noster Doctor & Redemtor. Sicut hæc cœlestis Patris vox supra Cap. 17. huius Harmoniæ in historia baptismatis Christi plene & sufficienter est declarata. Paucula tamen hic adijciemus.

I. Ante omnia hic disquiritur, qua ratione Christo sublime nomen dilecti Filij Dei à Patre assignetur. Eunomius, cuius deliria Anabaptistæ & Schwenckfeldiani hodie ab orco reuocant, contendit, Christum non esse Filium æterni Patris, sed vocis istius quæ ex nube audita fuit. Hos vero Petrus diserte refutat, asseuerans Epist. 2. cap. 1. v. 17. Christum à Patre, non autem à voce ista honorem & gloriam accepisse. Vocem autem delapsam esse à magnifica gloria æterni Patris, dicentis: Hic est filius meus dilectus. Vox itaque hęc nõ generat Christum, sed ex substantia æterni Patris genitum esse patefecit. Vox enim hæc non propter Christum quam propter nos facta est, vt Christus ipse in consimili casu Iohan. 12. versic. 30. testatur. Cæterum Christus à patre nequaquam eo modo *Filius* appellatur, quo credentes, quos Deus in vnigenito sibi adoptauit. Et hac de causa hæc vox non prius audita est, quàm, Mose & Elia in nubem digressis, Iesus in monte solus conspiciebatur. Ideo etiam in Psalmo, ex quo hæc verba desumpta sunt, testatur, hunc filium *hodie*, hoc est, ab omni æternitate à se genitum esse. In Psalmo autem 110. vers. 3. Dauid affirmat, natiuitatem Christi ex vero æterni Luciferi, Dei nimirum Patris, esse. Vterus autem Dei τὸ γεννητικὸν τῆς ὑποστάσεως, vim generatricem diuinæ hypostaseos significat: sicuti istam αὐτογεννητικὴν Athanasius in Dialog. 1. contra Arrianos exponit. Iohannes hanc vocem ita intellexit, vt cap. 1. v. 14. hunc dilectum filium μονογενῆ & vnigenitum esse asseruerit. Si est vnigenitus, certe ipse vnicus à consortio plurium adoptiuorum est separatus. Cum Damasceno itaque dicimus: Christus non θέσει constitutione & adoptione, sed φύσει καὶ οὐσίᾳ natura & essentia, Dei filius declaratur. Et cum Cypriano: Contestatus est Pater de cœlo, Hic est filius meus dilectus: Filius dicit, Ego & Pater vnum sumus. Quis est, qui inter has Patris & Filij voces medium se discussorem interserat, & Deitatem diuidat, affectum separet, substantiam rumpat, spiritum secet, neget esse verum, quod veritas dicit?

II. Quod hic additur: *hunc audite*, illud additum est, non tantum ad corrigendum votum Petri: sed etiam, vt tum Apostoli, tum omnes homines nouissent, hunc à Deo catholicum & vniuersalem Doctorẽ humani generis constitutũ esse. Neque enim Christus ipse sibi hunc honorem sumsit, sed à Deo enim accepit. Hebr. 5. vers. 5. Petrus dolebat Mosen & Eliam abire. Vult ergo cœlestis Pater dicere: non est quod doleatis, siquidem in hoc vnico filio meo, magistro vestro, omnes thesauros cœlestis sapientię & scientię recõditos habetis, *ipsum audite*, nihil erit, quod non ipse plenius & clarius vos edocebit, quàm vel ipse Moses vel Prophetæ. Hi vaticinati sunt de hoc Iesu, quem cum præsentem habeatis, quid prodest requirere eos, qui venturum pollicebantur? quin potius ipsum præsentem audite ex me loquentem. Nemo loquitur certiora; nemo diuiniora. Quicquid ab huius doctrina dissonat, reiiciendum erit. Apostoli etiam reliqui cum

Pharisæis & populo hactenus ex Christo audierant multa, quæ ipsi quasi in speciem cum Mose & Prophetis pugnantia susceperant: aut quæ carni ipsorum aduersa videbantur, quale fuit illud, quod modo docuerat, de cruce tollenda. Hic rursus cœlestis Pater dicit, *hunc audite*, eius doctrinæ fidem & obedientiam præstate. (Hoc enim verbum *audire* in Scriptura etiam significat) vtcunque rationi vestræ absurda docere videatur. Hunc enim si audieritis, per eum dilectum efficiemini & vos dilecti: & per eum gloriosum etiam vos diuinę gloriæ consortes efficiemini. Sic ergo Christus Doctor totius humani generis constitutus est, sicut apud Esaiam ipse profitetur, cap.50. versicul. 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam cum lassis opportuno tempore loqui. Quin & Nicodemus tam suo quam reliquorum Pharisæorum nomine fatetur, Ioh. 3. versiculo 2. Rabbi, scimus, quia à Deo venisti Magister. Proinde non absque causam discipulis suis confirmat, se vnicum Doctorem, Matth.23. versic.10. Magister vester vnus est, Christus. Hinc fluxit illa Cypriani regula in Epistol. ad Cæcilianum: Christum solum esse audiendum, & proinde non attendendum, quid alius ante nos faciendum putauerit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Est quoque, vt dictum, Catholicus Doctor; quia absque omni discretione hominum, statuum, nationum & populorum dicitur, *hunc audite*. Per Mosen enim Deut.18. versic.19. minatur Deus, se vltorem futurum, si quis eum audire noluerit: hoc est, temporales & æternas pœnas minatur, si quis hunc magnum Doctorem contemnat. Ideo Psalm.2.v.10. regibus principibus & iudicibus terrę præcipit, hunc filiũ osculentur, & amplectantur, nisi vt de via perire velint. Hinc Christus Marc.16. versic.15. præcipit, vt Euangelium suum prædicetur omni creaturę. Quia post datum hunc Doctorẽ omnibus hominibus Deus annũciauit, vbique pœnitentiam agerent, Actor.17. vers.30. quandoquidem vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, 1. Timoth.2.v.4. nec vult quenquam perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti 2. Pet.3.v.9.

Denique & hoc obseruandum est, quod Matthæus annotauit, quod audita illa voce maiestatis diuinæ, licet ea non vox iræ, sed vox gratię fuerit: tamẽ Apostoli *terriri vehementer, prociderint in faciem*. Filius vero Mediator, assumpta rursus exinanitione, tetigerit, & allocutus sit ipsos, dicens: *Surgite, & ne timeatis*. Qui contactus & quod alloquium non fuit inefficax. Mox enim resumptis viribus leuarunt oculos, & circumspexerunt, Iesumque solum secum esse viderunt. Quæ historiæ huius particula duo monet. Vnum est, quod homines peccatores, siue Mediatore, cum nuda diuina maiestate agere non possint, etiamsi non vox iræ, sed vox gratiæ audiatur. Ideoque Deus Deut.18. vers.18. promittit, se verba sua non ipsum pronuntiaturũ, sed positurum in ore Prophetæ huius. Sic enim per Christum habemus accessum ad Patrem. Eph.2. ver.18. Alterum hoc est, si Filius Dei mediator gloriam suam in officio suo sine exinanitione exercuisset, ne ipsum quidem natura nostra corrupta ferre potuisset. Nam hoc loco Christus Apostolos consternatos erecturus, non facit id in statu gloriæ, sed in statu exinationis. Et hinc intelligitur, quæ causa, quæ ratio, & quis exinanitionis fuerit.

Inuenitur autem *Iesus solus*, & cum vox illa fieret, cum Apostoli ex diutina illa consternatione atque terrore eluctati essent. Apostoli enim volebant, vt Moses & Elias secum manerent. Sed Pater hic ostendit. 1. Nos in Christo omnia habere. 2. Legem & Prophetas nos deducere ad Christum, vt ipse *solus* fungatur officio mediationis. 3. Denique vmbras Legis & figuras Prophetarum cedere, orto sole iustitiæ. Ideo Hebr. 1. v.1. dicitur, quod nunc nouissimis temporibus nobis Deus non locutus sit, nisi per filium.

Hæc est simplex expositio perillustris huius historiæ, de Clarificatione Iesus: cuius vsus, vt ex præcedentibus apparet, latissime patet. 1. Conducit ad confirmationem fidei nostræ in Iesum Christum. Omnia quidem ipsius dicta & facta demonstrant, ipsum esse Dei filium mundi Doctorẽ & Redemtorem. Hic vero accedunt maxime perspicua documenta, quibus fides nostra plurimum roboratur. Iesus ipse diuinam suam Maiestatem, quæ in humana sua carne lateat, insolita claritate manifestat. Accedũt Moses & Elias, duo testes omnium grauissimi, qui, quod morte sua humanam salutem procurare debeat, cum eo colloquuntur. Denique Pater ipse se præsentem declarans, filio huic suo omnium maximum testimonium præbet, quod per ipsum placatus esse velit omnibus, qui ipsum audiant.

2. Conducit ad refutationem Empectarum, de quibus 2. Pet.3. vers.3. Apostolus dicit, quod nouissimis temporibus, non tantum certitudinem aduentus Christi, sed & spem vitæ æternæ explosuri sint. Cuius æternæ vitæ certitudo nobis in hac Visione luce meridiana clarior ob oculos ponitur. Adest hic filius Dei, qui ab æterno viuo Patre egressus, salutis nostræ causa in hanc mortis regionem descendit. Sed non perpetuo in ea mansit, verum per *exitum suum in Ierusalem* ad Patrem rediit, & apud eum nobis locum parauit, vt olim reuersus nos ad se sumat Iohan.14. versic.2. Adsunt hic duo cœlites, æternæ illius patrię & beatæ vitæ incolæ, qui corpore & anima glorificati, nobis spem faciunt eiusdem gloriæ participandæ. Adest ipse viuus Pater, fons vitæ, qui ex arcana sua sede prodiens nobis Filium suum donat, vt per eum & in eo æternum viuamus. Est autem hæc æterna vita non in hac valle lachrymarum, sed in cœlis reposita: quo Christus Perruptor noster prę iuit, iter nobis aperiens, vt & nos per portã illam ingrediamur. Mich.2. vers.13. Hoc vero demum fiet in nouissimo die, quando per vocem Archangeli ex morte reuocabimur, & in occursum Domini rapiemur in nubibus in aere, vt cum ipso semper simus. 1. Thess.4. vers.19. Id vbi factũ fuerit, conuersatio nostra erit cum sanctis cælitibus, & colloquia habebimus iucundissima de illis ipsis mysteriis, in quæ ipsi angeli desiderant prospicere, 1. Pet.1. versic.12. Ipse enim Dei filius erit Doctor & Magister noster: & scientia nostra non amplius Abstracta, sed Intuitiua erit, ex qua tantum gaudium concipietur, vt priores angustiæ omnes obliuioni sint tradendæ. Esa.65. versicul.16. 3. Iucunde quoque & scite in hac historia præfiguratur, quo modo nos ad vitam æternam perueniamus. Primas hic tenet Christus, qui Apostolos suos *subduxit in montem*: nobis autem *idem via* & ianua est ad vitam. Iohan.14. vers.6. Ipse est spiritualis noster Ionathan, qui prior verticem hunc cœlestis montis adscendendo occupauit: nos autem ipsius armigeri, vestigia ipsius legentes, tandem eodem peruenimus. 1. Sam.14. versicul.1. Christus autem viam nobis complanauit per suum *exitum in Ierusalem*. Ibi enim non tantum sanguine suo nos cœlesti Patri reconciliauit, verum etiam de eodem super vtrumque postem & superliminare cordis credentium aliquid ponit, vt eo muniti per tenebricosam vallem mortis ambulantes, secure ad vitam transeant, nec ab angelo percussore lædantur. Hoc autem omne Christus non præstat immediate, sed ea in re vtitur medio verbi & Sacramentorum. Idcirco cœlestis Pater hic dixit: *Hunc audite*. Verbi siquidem ministerium est spiritualis ille currus, Ezech.1. vers.4. quo Christus initio nos secum deuehit in atria templi sui in *hac vita*, donec postea per mortem nos introducat in Sancta Sanctorum, in quæ ipse per proprium sanguinem præiuit, æterna redemtione inuenta. 4. Denique conducere nobis debet hæc historia ad consolationem, vt aduersa & mala miseræ huius vitæ exemplo Christi patienter toleremus, spe futuræ gloriæ, quę in credentibus reuelabitur. Imo æternæ felicitatis meditatio in nobis excitare debet desiderium migrandi ex hac vita. Vt quemadmodum Iacobus magna alacritate migrauit in Ægyptum, vt ibi videret gloriam Iosephi: Gen.45. vers.28. sic nos ad cœlum properemus, vt ibi videamus gloriam Christi. Et cum Iobe dicamus: Etiamsi occiderit me, tamen sperabo in eum: quia hic meus Goël ex puluere terræ me suscitaturus est, vt videam gloriam ipsius in æternum, Iob.13. versic.15. & 19. versic.25.

CAPVT

CAPVT LXXXVIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DESCENSVS CHRISTI DE monte,& reditus ad Apostolos. Matt.17.verſ.9.Marc.9. verſ.9.& Luc.9.verſ.36.

RATIO ORDINIS.

VT hic de ordine multum diſquiratur opus non eſt. Euangeliſtæ enim coniunctim teſtantur, Ieſum abſoluta hanc Transfiguratione & Viſione non diu in monte ſubſtitiſſe, ſed mox rurſus aſſumptis tribus Apoſtolis ad reliquos diſcipulos rediiſſe. Neque enim in monte ſacellum conſtruxit, vt alij deuotionis, vel potius ſuperſtitionis ergo illuc peregrinarentur: ſed ad diſcipulos rediens, curſum miniſterij ſui continuauit. Vt ita nullum ſit dubium, inter hanc, vt & ſequentem hiſtoriam, nihil aliud interueniſſe.

CHRISTVS RVRSVS DE MONTE deſcendit,& ad Apoſtolos redit.

MATTH. 17.

9. Καὶ καταβαινόντων αὐτῶν ἐκ τοῦ ὄρους, ἐνετείλατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, λέγων, μηδενὶ εἴπητε τὸ ὅραμα, ἕως οὗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ.

10. Καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες· τί οὖν οἱ γραμματεῖς λέγουσι, ὅτι Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον;

11. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα.

12. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι Ἠλίας ἤδη ἦλθε, καὶ οὐκ ἐπέγνωσαν αὐτὸν, ἀλλ' ἐποίησαν ἐν αὐτῷ, ὅσα ἠθέλησαν. οὕτω καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου μέλλει πάσχειν ὑπ' αὐτῶν.

13. Τότε συνῆκαν οἱ μαθηταὶ, ὅτι περὶ Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ εἶπεν αὐτοῖς.

9. *Et cum deſcenderent de monte, præcepit illis Ieſus, dicens: Ne cui dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.*

10. *Et interrogauerunt eum diſcipuli ſui, dicentes: Cur igitur Scribæ dicunt, quod Heliam oporteat venire prius?*

11. *Ieſus autem reſpondens, dixit illis: Helias quidem veniet prius, & reſtituet omnia.*

12. *Cæterum dico vobis, Heliam iam veniſſe, & non agnouerunt eum, ſed fecerunt in eo, quæcunque voluerunt. Sic & filius hominis paſſurus eſt ab illis.*

13. *Tunc intellexerunt diſcipuli, quòd de Iohanne Baptiſta dixiſſet ipſis.*

MARC. 9.

9. Καταβαινόντων δὲ αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ὄρους διεστείλατο αὐτοῖς, ἵνα μηδενὶ διηγήσωνται, ἃ εἶδον, εἰ μὴ ὅταν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ.

10. Καὶ τὸν λόγον ἐκράτησαν πρὸς ἑαυτοὺς, συζητοῦντες, τί ἐστι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι;

11. Καὶ ἐπηρώτων αὐτὸν λέγοντες, ὅτι λέγουσι οἱ γραμματεῖς ὅτι Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον.

12. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς· Ἠλίας μὲν ἐλθὼν πρῶτον ἀποκαθιστᾷ πάντα, καὶ πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πολλὰ πάθῃ καὶ ἐξουδενωθῇ.

13. Ἀλλὰ λέγω ὑμῖν, ὅτι καὶ Ἠλίας ἐλήλυθε, καὶ ἐποίησαν αὐτῷ, ὅσα ἠθέλησαν, καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν.

9. *Porrò cum deſcenderent de monte, præcepit illis, ne cui dicerent ea, quæ viderant, niſi cum filius hominis à mortuis reſurrexiſſet.*

10. *Ac verbum hoc tenuerunt apud ſe, inter ſe diſputantes, quid eſſet hoc, quod dixerat, à mortuis reſurgere?*

11. *Et interrogabant illum dicentes, quid eſt quod Scribæ dicunt, Eliam oportere venire primum.*

12. *Ille verè reſpondens dixit illis: Elias quidem vbi venerit, primum reſtituet omnia, & quemadmodum ſcriptum eſt de filio hominis, vt multa patiatur & contemnatur.*

13. *Verum dico vobis, Eliam veniſſe, & fecerunt illi, quæcunque voluerunt, ſicut ſcriptum erat de illo.*

LVC. 9.

36. Καὶ αὐτοὶ ἐσίγησαν, καὶ οὐδενὶ ἀπήγγειλαν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐδὲν, ὧν ἑωράκασιν.

36. *Et ipſi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quæ viderant.*

HARMONIA HVIVS REDITVS EX tribus Euangeliſtis in vnum corpus concinnata.

e Καὶ καταβαινόντων d αὐτῶν ἐκ τοῦ ὄρους, ἐνετείλατο αὐτοῖς a ὁ Ἰησοῦς, b ἵνα μηδενὶ διηγήσωνται, ἃ εἶδον, εἰ μὴ ὅταν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ· a λέγων, μηδενὶ εἴπητε τὸ ὅραμα, ἕως ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ. c Καὶ αὐτοὶ ἐσίγησαν, b καὶ τὸν λόγον ἐκράτησαν πρὸς ἑαυτοὺς, συζητοῦντες, τί ἐστι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι. c Καὶ οὐδενὶ ἀπήγγειλαν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐδὲν, ὧν ἑωράκασιν. c Καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν a οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, e λέγοντες· τί a οὖν e οἱ γραμματεῖς λέγουσι, ὅτι Ἠλίαν

e *Et cum deſcenderent de monte præcepit illis* a *Ieſus,* b *ne cui dicerent ea, quæ viderant, niſi cum filius hominis à mortuis reſurrexiſſet:* a *dicens: Ne cui dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.* c *Et ipſi tacuerunt,* b *ac verbum hoc tenuerunt apud ſeſe, inter ſe diſputantes, quid eſſet hoc, quod dixerat: à mortuis reſurgere?* c *Et nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quæ viderant.* e *Et interrogauerunt eum* a *diſcipuli ſui,* e *dicentes: Cur* a *igi-*

δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον; Ὁ δὲ a Ἰησοῦς e ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς, a Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, b καὶ ἐλθὼν πρῶτον, e ἀποκαταστήσει πάντα, b καὶ πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πολλὰ πάθῃ, καὶ ἐξουδενωθῇ. c λέγω δὲ ὑμῖν ὅτι Ἠλίας ἤδη ἦλθε, καὶ a οὐκ ἐπέγνωσαν αὐτὸν, ἀλλὰ e ἐποίησαν a ἐν e αὐτῷ ὅσα ἠθέλησαν, b καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν. a οὕτω καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου μέλλει πάσχειν ὑπ' αὐτῶν. Τότε συνῆκαν οἱ μαθηταὶ, ὅτι περὶ Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ εἶπεν αὐτοῖς.

tur e Scribæ dicunt, quod Heliam oporteat venire prius? a Iesus autem e respondens, dixit illis: a Helias quidem veniet prius: b & vbi venerit primum e restituet omnia, b & quemadmodum scriptum est de filio hominis, vt multa patiatur & contemnatur. c Cæterum dico vobis Heliam iam venisse, & a non agnouerunt eum, sed e fecerunt a in e eo quæcunque voluerunt, b sicut scriptum erat de illo. a Sic & filius hominis passurus est ab illis. Tunc intellexerunt discipuli, quod de Iohanne Baptista dixisset ipsis.

Periocha huius historiæ.

EVangelistæ in hoc Christi descensu de monte, priusquam rediret ad turbas, tria facta esse narrant, quæ singula sunt consideranda.

I. Christus prohibuit, ne tres hi Apostoli cuiquam narrarent visionem illam glorificationis. Non autem simpliciter & absolute prohibuit. Alias enim peccassent Petrus, qui eam 2. Petr. 1. versic. 16. retulit, & Iohannes, qui cap. 1. versic. 14. scribit: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Sed quia ipsi Apostoli non satis intelligebant adhuc hoc mysterium, nec eius finem vel vsum: Ideo satius iudicauit ipsos tunc tacere. Ludibrio quoque habita fuisset talis narratio de glorificatione, cum mox visuri essent ipsum in summa humilitate pati. Mandat igitur, vt expectent tempus resurrectionis suæ. Tunc enim cum fructu vtiliter prædicari poterit. Accedit, quòd tum erat tempus exinanitionis & humiliationis. Nolebat igitur illa prædicari, quæ diuinam & cœlestem gloriam referebant manifestius: ne duo illi status exinanitionis & exaltationis confunderentur. Respexit denique Christus absque dubio humani ingenij confidentiam, quod facile efferri & superbire, aliosque præ se contemnere solet, si quando se in sublimibus mysteriis præ aliis aliquid cognouisse intelligit. Et hinc intelligi potest; quare Christus sæpius prohibuerit diuulgationem miraculorum: cum maximam nominis celebritatem inde consequi potuisset. Sed Christus hanc nunquam respexit, sed illud considerauit, quod pro ratione sui ministerij sibi peragendum sciuit.

Præbet hic Dominus suo exemplo suis ministris hanc doctrinam, vt discant ὀρθοτομεῖν & rectè secare sermonem veritatis. 2. Tim. 2. v. 15. vt auditorum suorum rationem habeant, & non quiduis quouis loco vel tempore proferant, sed instar boni patrisfamilias, ex thesauro suo pro diuersitate suorum auditorum proferant, quicquid ad ædificationem seruire intellexerint. Sunt enim in Ecclesia incipientes: sunt progredientes: sunt perfecti. Si infirmioribus sublimiora mysteria tradantur, quorum ipsi nondum sunt capaces, tum facile offenduntur. Ideo D. Petrus vult modo genitos infantes (hoc est, Christianos nouitios) rationabile sine dolo lac appetere, vt in eo crescant in salutem 1. Petr. 2. v. 2. Quodnam autem rationabile illud lac sit, Paulus exponit Hebr. 6. v. 1. nimirum doctrina pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum, impositionis manuum, resurrectionis mortuorum & æterni iudicij. Hoc est, ipsa doctrina Catechetica, qua Ecclesia Christi nunquam carere potest. Subinde enim in hoc horto Domini succrescunt nouellæ plantulæ, quibus lacte opus est, non solido cibo, Hebr. 5. v. 12 Rectè igitur & laudabiliter faciunt bene constitutæ Ecclesiæ, quod Catecheticam doctrinam indesinenter & fideliter vrgent. Perfectorum autem est solidus cibus eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali. Hac itaque ratione fideles verbi ministri, nec quicquam dissimulare iubentur, quo minus cum Paulo annuncient omne consilium Dei. Actor. 20. v. 27. & tamen prudentiam requiri audiunt, vt intelligant diligentem rationem habendam esse, & suæ tenuitatis & captus auditorum. Lucas quoque testatur, hos tres Apostolos Christo obedientiam præstitisse, *& nemini quicquam illis diebus dixisse de his, quæ viderant.* Hæc obedientia & Christo magis grata, & in Apostolis laudabilior fuit, quam quando alij contra interdictum Christi multum de ipsius miraculis sparserunt. Hic enim est ille Dominus, qui obedientiam vult, & non victimas. 1. Samuel. 15. ver. 22. Suo autem tempore postea reuelarunt. Quia omnia habent suum tempus. Sicuti etiam Paulus suum raptum tacuit quatuordecim annos, postea demum eum reuelauit. 2. Corinth. 12. v. 2.

II. Describitur infirmitas Apostolorum, etiam illorum, qui ad summum illud, diuinum & cœleste spectaculum & colloquium admissi fuerant. In via enim inter se conquirunt, quid sit, quod oporteat *filium hominis tertia die à mortuis resurgere*, in quo tamen omnem plenitudinem diuinæ gloriæ habitare modo viderant & audierant. Articulus de vniuersali resurrectione Apostolis non fuit incognitus. Christi tamen resurrectionem de hac generali non intelligendam esse, inde colligebant, quia post resurrectionem prædicanda erat hæc generosa visio. Quamdiu ergo mundanum Christi regnum somniarunt: tamdiu nec quid sit pati & mori, nec quid resurgere sit, intellexerunt. Hinc ergo patet, Articulum hunc omnium difficilimum esse: quod sicut Christi, ita etiam filiorum Dei gloria in hoc mundo cruce est tecta & sepulta: & quod per crucem cum Christo ad gloriam tendimus. Quia vero hęc est sapientia sanctorum, quæ ex sola scriptura addiscitur: ideo hanc diligenter tractemus, vt ex ea discamus Christiano animo omnia mala tolerare, omnes iniurias, ignominias, contemtus, cruciatus patienter ferre. Omnes mundanas affectiones exsuamus, & recto cursu per medias aduersitates ad Christum in cœlum contendamus. Ac proinde in afflictionibus nostris gloriari discamus, scientes, quod tribulatio operetur patientiam, patientia probationem, probatio spem: spes autem non confundat, Romanorum 5. versi. 3. Et hæc est angusta illa porta, per quam intrare debemus: quia per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei, Actorum 14. versic. 21.

III. In illo etiam itinere Apostoli *mouent hanc* quæstionem. Cum multas Traditiones Scribarum *Christus reiiciat* & damnet, an talis sit etiam illa traditio, quod Eliam *oporteat* prius venire & Messiam præcedere. *Laudem meretur* hæc Apostolorum ingenuitas, quod ignorantiam suam non dissimulant. Sicut interdum faciunt ambitiosa ingenia, quæ in errore hærere malunt, quam aliquid ignorasse videri. Inprimis autem illud laude dignum est, quod dubij sui solutionem apud nullum, quam apud Christum, quærunt, sicque cœlesti voci in monte auditæ obtemperant, quę dixerat: *Hunc audite.* Ad hunc ergo & nos recurramus, vt audiamus, non quid Traditiones patrum, vel commenta hominum dicant: sed quid os Domini in Scripturis locutum sit. Sic autem formant suam quæstionem, ac si dicerent: Ex hac illustri visione intelligimus, te verum esse Messiam. Sed vbi manet illa traditio, *quod* Elias prius debeat venire, & omnia restituere? *Hic certe nondum te præcessit.*

Iesus ergo Apostolis respondet. Hanc Traditionem Scribarum non esse plane commentitiam, quales alias multas habeant: sed esse ex Scriptura desumtam, licet à Scribis deprauatam. Nam Mal. 4. versi. 5. diserte prædixit, se missurum Heliam Prophetam, antequam veniat dies Domini. Hoc Scribæ ita sunt interpretati: Heliam Thesbiten hac de caussa curru igneo in paradisum raptum esse, ibique viuum asseruari, vt Messiam præcedat, & *omnia restituat*, hoc est, omnes incredulos, Iudæos ad veram fidem conuertat. Hoc quoque illa ætate nondum factum fuerat, habebant Scribæ, sua opinione, speciosum argumentum, quo probarent, Iesum Nazarenum non esse verum Messiam, eo quod ipsum Helias non præcessisset secundum formam suæ Traditionis. Cum ergo Apostoli eadem opinione fascinati essent, imaginantes sibi ipsis, Heliam in gloria venturum, sicuti iam eum in monte viderant: Christus respondet: Malachiæ vaticinium non de persona Heliæ Thesbitæ, nec de glorioso aduentu, qualem nunc in monte viderant, intelligendum esse: sed iam impletum esse illud vaticinium in Ioanne Baptista. Atque sic eandem Prophetæ Malachiæ explicationem tradit, quam Archangelus Gabriel, Luc. 1. versi. 17. Zachariæ sacerdoti in templo proposuerat. Zacharias quoque in suo cantico, versi 76. eiusdem capitis, magna cum exsultatione prædixit, ipsum paraturũ viam Domini ante faciem eius. Et vt hæc tum temporis Apostolis adhuc ignota fuerint: ipsis tamen in mentem reuocare voluit, quod Baptista ipse Iohan. 1. versic. 23. legatis Hierosolymitanis respondit, se esse vocem clamantis in deserto: Parate viam Domini.

Domini. Imo eius vult Apostolos commonefacere, quod ipse Matth. 11. v. 14. populo post discessum legatorum Iohannis dixerat: si vultis recipere, ipse (Iohannes) est Helias, qui venturus est. Ac proinde hic concludit: *Heliam iam venisse.* Sed addit: *non agnouerunt eum, sed fecerunt in eo, quacunque voluerunt.* Quibus verbis tum socordiam Iudæorum, tum ipsorum tyrannidem aduersus Baptistam accusat. Magna fuit socordia Iudæorum, quod licet historia Zachariæ & pueri Iohānis passim nota esset omnibus, vtpote, quæ diuulgata fuerit super omnia montana Iudææ, Luc. 1. vers. 65. licet quoque in adulta ætate habitus, mores, & certamina accesserint, quibus reuera Heliam agebat: tamen eum pro Helia agnoscere noluerint. Quoad tyrannidem, multi Iudæos excusant, ac si illi ab ipsius cæde immunes essent, quam Herodias procurarit, Herodes perfecerit. Sed Christus vere dixit, *fecerunt in eo, quacunque voluerunt.* An non enim mox in principio functionis Inquisitores ad ipsum emiserunt, qui insidiosis quæstionibus ipsum fatigarunt, & magno supercilio de functione sua deiicere voluerunt? Ioann. 1. vers. 19. Deinde postquam seipsum manifestauerat, eum penitus neglexerunt, & consilium Dei in baptismo ipsius spreuerunt, Luc. 7. v. 30. Denique iniuste vinculis ipsum detineri, & tandem ab impio Rege occidi passi sunt, nulla intercessione ipsum liberare cupiētes, imo ipsum ob austeram vitam calumniantes, quasi dæmonium haberet, Luc. 7. v. 33. Vere ergo dicit Christus, *fecerunt in eo, quacunque voluerunt.*

Sed quæritur: Vbinam scriptum sit de Iohanne Baptista, quod instar Heliæ passurus sit. Et quia hæc Scriptura nusquam exstare videtur: ideo aliqui textum ita ordinant, quod *Helias venerit, sicut scriptum est de illo.* Alij vero, qui hoc, *sicut scriptum est*, cum posteriori membro, *& fecerunt in eo, quacunque voluerunt*, coniungunt, illi dicunt, passiones Iohannis in Helia præfiguratas fuisse. Helias certe 1. Reg. 19. vers. 10. conqueritur, dicens: quærunt animam meam, vt auferant eam. Idem Baptista de se dicere potuit. Et quemadmodum Heliam regina Iezabel persecuta est, tantum ob seuerius vindicatam religionem: ita Baptistam regina Herodias persecuta est, eo quod liberius turpes ipsius amores taxasset. Tandem addit Christus, *sic & filius hominis passurus est ab illis.* Respiciens ad historiam Transfigurationis, quod illa non obstante, tamen breui passurus sit indignissima, prout illud in nupera concione prædixerit. Ac proinde discipulos animos suos aduersus scandalum crucis obfirmare debere.

Hic vero rursus quæritur: Quomodo Christus dicat, filium hominis passurum *ab illis*: scilicet, à quibus Iohannes passus sit, cum non ab eisdem, sed à gentibus passus esse videatur. Sed responsio per se plana est. Etsi enim à gentibus Iesus passus est, Iudæi tamen inde non fuere innoxij. Pharisæi enim & Scribæ, vt Iohannis mortem non impediuerunt, ita Christi mortem procurarunt. Herodes quoque, qui Iohannem decollauit, Christo illusit, sicque in mortem ipsius consensit: Vnde recte Iohannes & Iesus *ab eisdem* passi esse dici possunt.

Hæc Christus Apostolis ad propositam quæstionem respondit. Vnde ipsi intellexerunt, Malachiæ dictum non de Helia Thesbite, sed *de Iohanne Baptista* intelligendum esse. Christus enim est Doctor ille veritatis, qui in rebus dubiis animos nostros illuminat. Cæterum hac responsione Christus nobis præbet hanc doctrinam: Traditiones examinandas esse ad Scripturam, etsi cum huius vero & genuino sensu conueniant, iuxta illum recipi posse. Sin à Scripturis discrepent, reiiciendas esse. Sic apud Matthæum c. 5. reiicit omnes illas Traditiones, de quibus *dictum est antiquis.* Illæ enim extra Scripturam à Pharisæis afferebantur. Hanc vero Traditionem de Helia, quia ex Scripturis originem habet, non simpliciter reiicit, sed ad verum & genuinum Scripturæ sensum corrigit. Quemadmodum autem olim Iudæi ante primum Christi aduentum corruptam suam habuerunt Traditionem de aduentu Heliæ: sic hodie Pontificij corruptam habent Traditionem de aduentu Henoch & Heliæ ante aduentum Antichristi & nouissimum diem. Hosce enim duos sanctos in paradiso, in corporibus suis adhuc viuos conseruari, in eum finem, vt suo tempore Antichristo occurrant. Huc accommodant non tantum Mal. 4. v. 5. sed etiam Ecclesi. 44. v. 16. de Henoch. Inprimis autem Apoc. 11. vers. 3. vbi mira fabulantur de igne, qui ex ore eorum progressurus, & inimicos deuoraturus sit. Nec negauero posse Pontificios ad confirmationem huius suæ Traditionis allegare plerosque Patres. Irenæum lib. 5. contra hæreses: Tertullianum libro aduersus Iudæos. August. lib. 9. de Genesi ad literam, c. 6. Item lib. 2. de peccato Originali, c. 23. Gregorium lib. 9. Moralium c. 4. Inprimis autem D. Chrysostom. in hunc locum. Nos tamen hoc Christi exemplum imitemur, & hanc Traditionem iuxta verum Scripturæ sensum examinemus, tum deprehendemus, quid fundamenti ipsi tribuere possimus. Et quidem D. Chrysostomus & Pontificij scriptores eam ex Scriptura palliare conantur. Dicunt 1. Christus loquitur in futuro *veniet*, Helias, non in præterito *venit.* Ergo non de primo, sed de secundo suo aduentu loquitur, quo Helias in persona rediturus est. 2. Dicit Christus *restituet omnia*, id est, nullus Iudæus incredulus manebit. Hoc vero de primo aduentu intelligi non potest. Ergo necessario de secundo explicandum. 3. Loquitur Malachias de *die magno & horribili*, quod etiam de secundo aduentu accipiendum dicunt: quia primus aduentus fuit dies salutis & tempus acceptabile. 4. Addit denique, *ne veniam & percutiam terram anathemate.* Atqui de primo suo aduentu Christus diserte testatur, se non venisse vt iudicet mundum, sed vt mundus per ipsum saluetur, Iohan. 3. versic. 17. Respond. Quid nobis certiorem vaticinij Malachiæ expositionem tradet, quam Christus ipse, os veritatis? Qui vna cum angelo, Luc. 1. versic. 16. huius vaticinij impletionem in Iohanne Baptista, non autem in nouissimo aduentu monstrat. Quod autem 1. in futuro loquitur, ibi attendendum, quod Christus μιμητικῶς recitat verba Prophetæ. Postea autem de suo in præterito addit: *Cæterum dico vobis, Heliam iam venisse.* Ideo etiam 2. verbum ἀποκαταστήσει *restituet omnia*, quod L X X. interpretes in Græco textu posuerunt, non intelligendum est iuxta Chrysostomi vel aliorum somnium, qui sibi somniant omnium Iudæorum conuersionem, quę in hac vita nunquam fiet: sed iuxta angeli expositionem, quæ diserte habetur, Luc. 1. v. 16. 3. Licet quoque primus aduentus Christi Iudæis non fuerit horribilis: in se tamen fuit dies valde magnus & terribilis, quo Deus abstulit peccata terræ vna die, Zachar. 3. vers. 9. eaque transtulit in filium, qui sub isto pondere sanguinem sudauit, & tandem cum terræ motu & petrarum scissione animam Patri suo tradidit, Matth. 27. v. 51. quod certe omnibus spectatoribus satis terribile fuit. 4. Denique an non terra Iudæa à Christo anathemate percussa est? Cum ergo Malachiæ vaticinium per omnia impletum audiamus, cur nouam eius impletionem exspectemus? Ecclesiastici dictum quod attinet, scimus huius Scriptoris auctoritatem in Ecclesia non esse tantam, vt dogmata contra Scripturam reliquam sancire possit. Adhæc, quod in vulgata versione plus additum sit, quam in Græco habeatur. Huius ergo dictum suo loco relinquimus. In Apocalypsi autem neque Henochi neque Heliæ mentio fit vel verbulo: sed est purum putum figmentum Pontificiorum. Quod autem Apocal. 11. dicitur de duobus testibus Dei, qui etiam grassante idolomania Antichristi siue Papatus non conticescent, illud intelligendum est de duobus Veteris & Noui Testamenti codicibus, testimonium veræ doctrinæ Christianę perhibentibus. Hi omni tempore in Ecclesia sonuerunt & auditi sunt, veruntamen saccis amicti. Sacci sunt pericula, aduersitates & afflictiones, quibus ipsa Scriptura & eius Doctores inuoluuntur & quasi amiciuntur. Aduersus hos duos testes, hoc est, Scripturam & eius defensores, Antichristus Romanus immanem persecutionem dudum excitauit, & ipsam Scripturam cum omnibus eius assertoribus tantum non exstinctam cupit. Sed Deus hosce duos testes rursus viuificat, hoc est, gratiam largitur, vt quo plus Papa fremit & tumultuatur, eo plus Scriptura & viua voce & commentariis illustretur, in plures regiones dissemenetur, sicque de Antichristo ipso tantum non triumphet. Ex his patet, quantum Traditioni illi Pontificiorum tribuendum sit, vtcunque ea Patrum auctoritate sit firmata. Pontificiis interim hæc Traditio tantum prodest, quantum Iudæis ipsa proderat. Nimirum facit ad alendam securitatem in hominibus, de secundo aduentu Christi & nouissimo die. Vt enim Scribæ caussati sunt, Iesum non esse pro Messia recipiendum, quia Helias Thesbites nondum venerat: Sic Pontificij excipere possunt, nondum instare nouissimum diem: siquidem Henoch & Helias nondum comparuerint. Sed quando dixerint pax & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus,

1. Thes. 5. v. 3.

CAPVT LXXXIX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM SANATI LVNATICI, QVEM discipuli non poterant sanare. Matth. 17. vers. 14. Marc. 9. v. 41. Luc. 9. v. 37.

RATIO ORDINIS.

ORdo hic quoque manifestus est. Postquam enim præcedentia in itinere gesta erant, mox ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ sequenti die, post Transfigurationem Christi in monte, facta est historia de sanato Lunatico, & quæ illi annexa sunt. Pulcre autem ordo cohæret. Hactenus enim aliquoties audiuimus, quod semper post concionem vel historiam aliquam insignem ea, quæ sequuntur, sint explicatio præcedentium. Sic in Transfiguratione Christus ostendit, totam plenitudinem diuinitatis & omnes thesauros cœlestium bonorum in se habitare. Sed in quem finem? Non vt ea se coram hominibus inaniter ostentet, sed vt ea abscondita, humano generi, quod à Diabolo oppressum erat, nec seipsum liberare poterat (vt in Lunatico apparet) succurreret. Simul etiam in hac historia ostenditur caussa: qui fiat, quod ex illa plenitudine quidam parum, quidam nihil accipiant, & tantum aliqui ea fruantur ad salutem. Nimirum ex diuersitate fidei & incredulitatis. Credentibus nihil est impossibile: increduli autem sibiipsis ponunt obicem, ne quicquam beneficiorum Christi ad ipsos deriuetur. Rideant ergo Pontificij nos Lutheranos, propterea quod fidem tantopere celebremus, quamdiu voluerint: certe Christus in hac historia fidei omnia, incredulitati nihil, tribuit.

CHRISTVS DÆMONIVM E LVNATICO eiicit, quod Apostoli eiicere non poterant.

MATTH. 17.

14. Καὶ ἐλθόντων αὐτῶν πρὸς τὸν ὄχλον, προσῆλθεν αὐτῷ ἄνθρωπος τις γονυπετῶν αὐτῷ,

14. *Et cum venissent ad turbam accessit ad eum homo quidam, flectens genua illi,*

15. Καὶ λέγων· κύριε ἐλέησόν μου τὸν υἱόν, ὅτι σεληνιάζεται, καὶ κακῶς πάσχει. Πολλάκις γὰρ πίπτει εἰς τὸ πῦρ, καὶ πολλάκις εἰς τὸ ὕδωρ.

15. *Dicensque: Domine, miserere filij mei, quoniam lunaticus est, & misere affligitur: nam sæpe cadit in ignem, & sæpe in aquam.*

16. Καὶ προσήνεγκα αὐτὸν τοῖς μαθηταῖς σου, καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν αὐτὸν θεραπεῦσαι.

16. *Et obtuli eum discipulis tuis, nec potuerunt eum sanare.*

17. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν· ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη ἕως πότε ἔσομαι μεθ' ὑμῶν; ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν; φέρετέ μοι αὐτὸν ὧδε.

17. *Respondens autem Iesus dixit: O natio incredula & distorta, quousque tandem ero vobiscum? vsquequo patiar vos? Adducite illum huc.*

18. Καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ τὸ δαιμόνιον, καὶ ἐθεραπεύθη ὁ παῖς ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.

18. *Et increpauit illud Iesus, & exijt ab eo dæmonium, & sanatus est puer à tempore illo.*

19. Τότε προσελθόντες οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ κατ' ἰδίαν, εἶπον· διατί ἡμεῖς οὐκ ἠδυνήθημεν ἐκβαλεῖν αὐτό;

19. *Tunc accedentes discipuli ad Iesum seorsim, dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illud?*

20. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, διὰ τὴν ἀπιστίαν ὑμῶν. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἐὰν ἔχητε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ, μετάβηθι ἐντεῦθεν ἐκεῖ, καὶ μεταβήσεται. Καὶ οὐδὲν ἀδυνατήσει ὑμῖν.

20. *Iesus autem dixit illis: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabit, nec quicquam impossibile erit vobis.*

21. Τοῦτο τὸ γένος οὐκ ἐκπορεύεται, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ.

21. *Sed hoc genus non egreditur nisi per deprecationem & ieiunium.*

MARC. 9.

14. Καὶ ἐλθὼν πρὸς τοὺς μαθητὰς, εἶδεν ὄχλον πολὺν περὶ αὐτοὺς, καὶ γραμματεῖς συζητοῦντας αὐτοῖς.

14. *Et cum venisset ad discipulos suos, vidit turbam multam circũ illos, & Scribas disputantes cum eis.*

15. Καὶ εὐθέως πᾶς ὁ ὄχλος ἰδὼν αὐτὸν, ἐξεθαμβήθη, καὶ προστρέχοντες ἠσπάζοντο αὐτόν.

15. *Et protinus vniuersa turba cum vidissent eum, obstupuit, & accurrentes salutauerunt eum.*

16. Καὶ ἐπηρώτησε τοὺς γραμματεῖς· τί συζητεῖτε πρὸς αὐτούς;

16. *Et interrogauit Scribas, quid disputatis inter vos?*

17. Καὶ ἀποκριθεὶς εἷς ἐκ τοῦ ὄχλου, εἶπε· διδάσκαλε, ἤνεγκα τὸν υἱόν μου πρὸς σε, ἔχοντα πνεῦμα ἄλαλον.

17. *Et respondens vnus è turba, dixit: Præceptor, adduxi filium meum ad te, habentem spiritum mutum.*

18. Καὶ ὅπου ἂν αὐτὸν καταλάβῃ, ῥήσσει αὐτὸν, καὶ ἀφρίζει, καὶ τρίζει τοὺς ὀδόντας αὐτοῦ, καὶ ξηραίνεται. Καὶ εἶπον τοῖς μαθηταῖς σου, ἵνα αὐτὸ ἐκβάλωσι, καὶ οὐκ ἴσχυσαν.

18. *Et quandocunque eum corripuerit, lacerat eum, atque ille spumat, ac stridet dentibus suis, & arescit: & dixi discipulis tuis, vt eijcerent & non potuerunt.*

19. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς αὐτῷ λέγει· ὦ γενεὰ ἄπιστος, ἕως πότε πρὸς ὑμᾶς ἔσομαι; ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν; φέρετε αὐτὸν πρός με.

19. *At ille respondens ei, dicit: O natio incredula, quousque apud vos ero? quousque patiar vos? Adducite illum ad me.*

20. Καὶ ἤνεγκαν αὐτὸν πρὸς αὐτόν. Καὶ ἰδὼν αὐτὸν, εὐθέως τὸ πνεῦμα ἐσπάραξεν αὐτόν. Καὶ πεσὼν ἐπὶ τῆς

20. *Et adduxerunt illum ad eum. At viso illo, continuo spiritus discerpebat eum, & prolapsus in terram*

γῆς, ἐκυλίετο ἀφρίζων.

21. Καὶ ἐπηρώτησε τὸν πατέρα αὐτοῦ, πόσος χρόνος ἐστὶν, ὡς τοῦτο γέγονεν αὐτῷ; ὁ δὲ εἶπε, παιδιόθεν.

22. Καὶ πολλάκις αὐτὸν καὶ εἰς πῦρ ἔβαλε καὶ εἰς ὕδατα, ἵνα ἀπολέσῃ αὐτόν· ἀλλ' εἴ τι δύνασαι, βοήθησον ἡμῖν σπλαγχνισθεὶς ἐφ' ἡμᾶς.

23. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· τὸ εἰ δύνασαι πιστεῦσαι, πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι.

24. Καὶ εὐθέως κράξας ὁ πατὴρ τοῦ παιδίου, μετὰ δακρύων ἔλεγε, πιστεύω, κύριε, βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ.

25. Ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς, ὅτι ἐπισυντρέχει ὄχλος, ἐπετίμησε τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ, λέγων αὐτῷ· τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον καὶ κωφὸν, ἐγώ σοι ἐπιτάσσω, ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ, καὶ μηκέτι εἰσέλθῃς εἰς αὐτόν.

26. Καὶ κράξαν, καὶ πολλὰ σπαράξαν αὐτὸν, ἐξῆλθε. Καὶ ἐγένετο ὡσεὶ νεκρὸς, ὥστε πολλοὺς λέγειν, ὅτι ἀπέθανεν.

27. Ὁ δὲ Ἰησοῦς κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτοῦ, ἤγειρεν αὐτὸν, καὶ ἀνέστη.

28. Καὶ εἰσελθόντα αὐτὸν εἰς οἶκον, οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπηρώτων αὐτὸν κατ' ἰδίαν, ὅτι ἡμεῖς οὐκ ἠδυνήθημεν ἐκβαλεῖν αὐτό;

29. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· τοῦτο τὸ γένος ἐν οὐδενὶ δύναται ἐξελθεῖν, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ.

ra, voluebatur spumans.

21. *Et interrogauit patrem illius: quantum temporis est, quod hoc accidit ei? At ille dicit: à puero.*

22. *Et frequenter illum & in ignem abiecit, & in aquas, quo perderet eum. Age si quid potes, subueni nobis, misertus nostri.*

23. *Iesus autem dixit ei: Illud si potes credere, omnia possibilia credenti.*

24. *Et confestim exclamans pater pueri, cum lacrymis dixit, Credo Domine, succurre incredulitati meæ.*

25. *Cum vidisset autem Iesus, quod turba simul accurreret, increpauit spiritum immundum, dicens illi, Spiritus mute & surde, ego tibi impero, exi ab eo, & ne posthac ingrediaris in illum.*

26. *Et cum clamasset, multumque discerpsisset eum, exiuit, & factus est tanquam mortuus, adeo vt multi dicerent, mortuus est.*

27. *At Iesus correpta manu illius, erexit eum, & surrexit.*

28. *Et cum esset ingressus domum, discipuli illius interrogabant eum seorsim, Cur nos non quiuimus eiicere illum?*

29. *Et dicit illis: Hoc genus nulla re potest exire nisi per deprecationem & ieiunium.*

L V C. 9.

37. Ἐγένετο δὲ ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ, κατελθόντων αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ὄρους, συνήντησεν αὐτῷ ὄχλος πολύς.

38. Καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ ἀπὸ τοῦ ὄχλου ἀνεβόησε, λέγων· διδάσκαλε, δέομαί σου, ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν υἱόν μου, ὅτι μονογενής ἐστί μοι.

39. Καὶ ἰδοὺ πνεῦμα λαμβάνει αὐτὸν, καὶ ἐξαίφνης κράζει, καὶ σπαράσσει αὐτὸν μετὰ ἀφροῦ, καὶ μόγις ἀποχωρεῖ ἀπ' αὐτοῦ, συντρῖβον αὐτόν.

40. Καὶ ἐδεήθην τῶν μαθητῶν σου, ἵνα ἐκβάλλωσιν αὐτὸ, καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν.

41. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν, ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη, ἕως πότε ἔσομαι πρὸς ὑμᾶς, καὶ ἀνέξομαι ὑμῶν; προσάγαγε ὧδε τὸν υἱόν σου.

42. Ἔτι δὲ προσερχομένου αὐτοῦ ἔρρηξεν αὐτὸν τὸ δαιμόνιον, καὶ συνεσπάραξεν. Ἐπετίμησε δὲ ὁ Ἰησοῦς τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ, καὶ ἰάσατο τὸν παῖδα, καὶ ἀπέδωκεν αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ.

43. Ἐξεπλήσσοντο δὲ πάντες ἐπὶ τῇ μεγαλειότητι τοῦ Θεοῦ.

37. *Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illi turba multa.*

38. *Et ecce vir de turba exclamauit dicens, Magister, obsecro te, respice ad filium meum, quia vnicus est mihi.*

39. *Et ecce Spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & discerpit eum cum spuma, & vix credidit ab eo, dilanians eum.*

40. *Et rogaui discipulos tuos, vt eiicerent illum, & non potuerunt.*

41. *Respondens autem Iesus, dixit: O natio infidelis & peruersa, vsque-quo ero apud vos, ac patiar vos? Adduc huc filium tuum.*

42. *Cum adhuc autem accederet, laniauit illum dæmonium, & dissipauit. Increpauit autem Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri suo.*

43. *Stupebant autem omnes super magnificentia Dei.*

HARMONIA HISTORIÆ SANATI LVnatici, ex narratione trium Euangelistarum. Matth 17. Marc. 9. Luc. 9.

c Ἐγένετο δὲ ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ, κατελθόντων αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ὄρους, b καὶ ἐλθὼν πρὸς τοὺς μαθητὰς, εἶδεν ὄχλον πολὺν περὶ αὐτοὺς, καὶ γραμματεῖς συζητοῦντας αὐτοῖς. Καὶ εὐθέως πᾶς ὁ ὄχλος ἰδὼν αὐτὸν, ἐξεθαμβήθη, καὶ c συνήντησεν αὐτῷ ὄχλος πολὺς καὶ προστρέχοντες ἠσπάζοντο αὐτόν. a Καὶ ἐλθόντων αὐτῶν πρὸς τὸν ὄχλον, b ἐπηρώτησε τοὺς γραμματεῖς· τί συζητεῖτε πρὸς αὐτούς; h Καὶ c ἰδοὺ a προσῆλθεν αὐτῷ ἄνθρωπος, τὶς b ἀπὸ τοῦ ὄχλου, a γονυπετῶν αὐτῷ, b ἀποκριθεὶς, c ἀνεβόησε, f λέγων a κύριε, b διδάσκαλε, ἤνεγκα τὸν υἱόν μου πρός σε, ἔχοντα πνεῦμα ἄλαλον. c Διδάσκαλε δέομαί σου, ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν υἱόν ὅτι σεληνιάζεται, καὶ κακῶς πάσχει. Πολλάκις γὰρ πίπτει εἰς τὸ πῦρ, καὶ πολλάκις εἰς τὸ ὕδωρ. c Καὶ ἰδοὺ πνεῦμα λαμβάνει αὐτὸν, b καὶ ὅπου ἂν αὐτὸν καταλάβῃ, ῥήσσει αὐτὸν, b καὶ ἐξαίφνης κράζει, καὶ σπαράσσει αὐτὸν μετὰ ἀφροῦ, b καὶ ἀφρίζει, καὶ τρίζει τοὺς ὀδόντας αὐτοῦ, καὶ ξηραίνεται. c καὶ μόγις ἀποχωρεῖ ἀπ'

c *Factum est autem in sequenti die, cum descendissent de monte,* b *& cum venisset ad discipulos suos, vidit turbam multam circum illos, & Scribas disputantes cum eis. Et protinus vniuersa turba cum vidisset eum, obstupuit,* [*&*] *occurrit illi turba multa,* b *& accurrentes salutauerunt eum.* a *Et cum venissent ad turbam,* h *interrogauit Scribas, quid disputatis inter vos?* h *Et* c *ecce* a *accessit ad eum homo quidam,* h *de turba* a *flectens genua illi,* b *respondens* c *exclamauit* f *dicens,* a *Domine* b *Præceptor, adduxi filium meum ad te, habentem spiritum mutum.* c *Magister, obsecro te, respice ad filium meum, quia vnicus est mihi:* a *miserere filij mei, quia lunaticus est, & misere affligitur. Nam sæpe cadit in ignem, & sæpe in aquam,* c *& ecce Spiritus apprehendit eum,* b *& quandocunque eum corripuerit, lacerat eum,* c *& subito clamat, & discerpit eum cum spuma,* b *atque ille spu-*

αὐτῷ, σπαράσσει αὐτόν. a Καὶ προσήνεγκα αὐτὸν τοῖς μαθηταῖς σου, c καὶ ἐδεήθην τῶν μαθητῶν σου, b καὶ εἶπον τοῖς μαθηταῖς σου, h ἵνα αὐτὸ ἐκβάλωσι, b καὶ οὐκ ἴσχυσαν. f καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν a αὐτὸν θεραπεῦσαι. l Ἀποκριθεὶς δὲ b αὐτῷ f ὁ Ἰησοῦς l εἶπεν, ὦ γενεὰ ἄπιστος f καὶ διεστραμμένη, ἕως πότε ἔσομαι μεθ' ὑμῶν; c ἕως πότε l ἀνέξομαι ὑμῶν; φέρετε a μοὶ c αὐτὸν c τὸν υἱόν σου a ὧδε πρός με. Καὶ ἤνεγκαν αὐτὸν πρὸς αὐτόν. c Ἔτι δὲ προσερχομένου αὐτοῦ b καὶ ἰδὼν αὐτόν, εὐθέως c ἔρρηξεν αὐτὸν τὸ δαιμόνιον, καὶ b συνεσπάραξεν. b αὐτὸν δὲ πεσὼν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐκυλίετο ἀφρίζων. Καὶ ἐπηρώτησε τὸν πατέρα αὐτοῦ, πόσος χρόνος ἐστίν, ὡς τοῦτο γέγονεν αὐτῷ; ὁ δὲ εἶπε· παιδιόθεν, καὶ πολλάκις αὐτὸν καὶ εἰς πῦρ ἔβαλε καὶ εἰς ὕδατα, ἵνα ἀπολέσῃ αὐτόν. Ἀλλ' εἴ τι δύνασαι, βοήθησον ἡμῖν σπλαγχνισθεὶς ἐφ' ἡμᾶς. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· τὸ εἰ δύνασαι πιστεῦσαι, πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι. Καὶ εὐθέως κράξας ὁ πατὴρ τοῦ παιδίου, μετὰ δακρύων ἔλεγε, πιστεύω, κύριε, βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ. Ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς, ὅτι ἐπισυντρέχει ὄχλος, l ἐπετίμησεν f ὁ Ἰησοῦς l τῷ πνεύματι ἀκαθάρτῳ, b λέγων αὐτῷ, τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον καὶ κωφόν, ἐγώ σοι ἐπιτάσσω, ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ, καὶ μηκέτι εἰσέλθῃς εἰς αὐτόν. Καὶ κράξαν, καὶ πολλὰ σπαράξαν αὐτόν, b ἐξῆλθεν c ἀπ' αὐτοῦ τὸ δαιμόνιον, l καὶ ἐγένετο ὡσεὶ νεκρός, ὥστε πολλοὺς λέγειν, ὅτι ἀπέθανεν. Ὁ δὲ Ἰησοῦς κρατήσας αὐτὸν τῆς χειρὸς αὐτοῦ, ἤγειρεν αὐτόν, c καὶ ἰάσατο τὸν παῖδα, b ἀνέστη, c καὶ ἐθεραπεύθη ὁ παῖς c ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης. καὶ ἀπέδωκεν αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ. Ἐξεπλήσσοντο δὲ πάντες ἐπὶ τῇ μεγαλειότητι τοῦ Θεοῦ. b Καὶ εἰσελθόντα αὐτὸν εἰς οἶκον, a Τότε προσελθόντες c οἱ μαθηταὶ b αὐτοῦ τῷ Ἰησοῦ b ἐπηρώτων αὐτὸν c κατ' ἰδίαν, καὶ a εἶπον c διατί ἡμεῖς οὐκ ἠδυνήθημεν ἐκβαλεῖν αὐτό; a Ὁ δὲ Ἰησοῦς c εἶπεν αὐτοῖς, διὰ τὴν ἀπιστίαν ὑμῶν. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἐὰν ἔχητε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ, μετάβηθι ἐντεῦθεν ἐκεῖ, καὶ μεταβήσεται. Καὶ οὐδὲν ἀδυνατήσει ὑμῖν. c Τοῦτο a δὲ c τὸ γένος ἐν οὐδενὶ δύναται ἐξελθεῖν, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ.

mat, ac stridet dentibus suis, & arescit. c *Et vix discedit ab illo, dilanians eum.* a *Et obtuli eum discipulis tuis,* c *& rogaui discipulos tuos,* b *& dixi discipulis tuis,* h *vt eycerent & non valuerunt* f *nec potuerunt* a *eum sanare. Respondens autem* b *ei* f *Iesus dixit: O natio incredula* f *& distorta, quousque tandem ero vobiscum,* c *& e vsque quo patiar vos? Adducite* c *illum* c *filium tuum* a *huc ad me. Et adduxerunt illum.* c *Cum adhuc autem accederet,* b *viso illo continuo* c *lacerauit illum dæmonium, &* b *discerpebat illum, & prolapsus in terra, volutabatur spumans. Et interrogauit patrem illius: quantum temporis est, quod hoc accidit ei? At ille dicit: à puero. Et frequenter illum & in ignem abiecit, & in aquas, quo perderet eum. At age si quid potes, subueni nobis, misertus nostri. Iesus autem dixit ei: Illud si potes credere, omnia possibilia credenti. Et confestim exclamans pater pueri, cum lacrymis dixit, Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Cum vidisset autem Iesus, quod turba simul accurreret,* l *increpauit* f *Iesus* l *spiritum immundum,* b *dicens ei, Spiritus mute & surde, ego tibi impero, exi ab eo, & ne posthac ingrediaris in illum. Et cum clamasset, multumque discerpsisset eum, exiuit* c *ex illo dæmonium,* b *& factus est tanquam mortuus, adeo vt multi dicerent, mortuus est. At Iesus correpta manu illius, erexit eum,* c *& sanauit puerum,* b *& surrexit,* a *& sanatus est puer in tempore illo.* c *Et reddidit illum patri suo. Stupebant autem omnes super magnificentia Dei.* b *Et cum esset ingressus domum,* a *tunc accedentes* c *discipuli* b *eius* a *ad Iesum interrogabant eum* c *seorsim, [&] dixerunt:* c *Quare nos non potuimus eycere illud?* a *Iesus autem* c *dixit illis:* a *Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabit. Nec quicquam impossibile erit vobis.* c *Hoc* a *autem* c *genus nulla re potest exire, nisi per deprecationem & ieiunium.*

Periocha huius historiæ.

DOminus Iesus biduum vel triduum à reliquo discipulorum cœtu & à turba abfuit. Quia tamen rudibus se Doctorem datum nouit, sicut etiam cœlestis vox modo proclamauerat, *hunc audite*: iccirco citra vlteriorem moram ad suos redit, vbi noua occasio sese offert exerendi diuinam suam potentiam & maiestatem, dum sanat Lunaticum, quem discipuli in ipsius absentia curare non poterant. Potest autem tota hæc historia commode in tres principaliores partes diuidi.

I. Prima principalis huius historiæ pars, est descriptio Lunatici & sanationis eius. In qua Grammatici & Græcæ linguæ studiosi illustre possunt habere exercitium. Etenim peculiaribus vocabulis vtuntur Euangelistæ in illa descriptione, quæ multa monent, si recte explicentur. Nos quædam, quæ ad institutum nostrum faciunt, delibabimus. 1. Pater ipse de hoc suo filio dicit, *σεληνιάζεται, est Lunaticus.* Lunatici autem medicis dicuntur illi, qui morbo comitiali siue caduco laborant. Sic vero dicuntur, quia existimant, eos qui interlunio nascuntur, potissimum hoc morbo diuexari: vel etiam quod ad motum lunæ morbus vel accedat vel recedat, prout virtute Lunæ humores cerebri vel augentur vel minuuntur. 2. Hic vero accedit alterum malum, quod hic puer insuper habuit *πνεῦμα ἄλαλον, spiritum mutum.* Satanas enim illa corporis infirmitate abusus est, eidem suam miscens tyrannidem. Quando enim puer correptus fuit morbo comitiali, tum Satanas ipsum inuasit, & quidem adhuc in tenera ætate. Huiusmodi siue syderum siue naturalium rerum vicissitudines Satanas astute obseruat, vt dum illis calamitates nostras adscribimus, ipsius malitiam non caueamus, sed externis remediis intenti, preces & Dei auxilium negligamus. 3. Addit pater, *καὶ κακῶς πάσχει, misere affligitur.* Nam reuera hæc magna fuit miseria, quod quando parentes hunc suum filii remoto custode solum reliquerunt, mox diabolus *eum abiecit in ignem, & in aquas, quo perderet eum.* Magna hæc est Satanæ sæuitia erga miserum hominem: maior tamen est Dei bonitas, qui licet iusto suo iudicio interdum Satanæ aliquid permittat, fræno tamen suæ potentiæ eundem coercet, ne vlterius, quam bonitati diuinæ visum sit, sæuiat. 4. Quando spiritus ipsum corripuit, tum *ῥήσσει αὐτόν.* Hoc ego ita accipio, quod eum illiserit terræ. Nam *ῥήσσοντες*, Eustathio & Varino, sunt illi, *οἱ σφοδρῶς τύπτοντες τὴν γῆν τοῖς ποσὶ πεζεύοντες*, qui terram pedibus vehementius concutiunt, vt Orchestæ. Et sane videmus in illis qui comitiali morbo laborant, quam misere interdum caput & alia membra terræ illidant, ita vt nisi præuenirent, non raro cerebrum excuterent. Quid ergo Satanam hic fecisse putabimus? Matth. cap. 7. vers. 6. tribuitur hoc verbum canibus aliquid lacerantibus. Solent autem canes, si quæ lacerare velint, ea ore apprehendere, atque quaqua versum terræ illidere, an sponte sua disrumpere velit. Idem Satanas huic puero fecit. Tribuitur hoc verbum etiam fluctibus, qui littoribus illiduntur cum sonitu. 5. *Subito clamat* puer, quod non mirum est, ex illa concussione. Vnde quidam colligunt, hunc puerum non semper fuisse mutum: sed tantùm certis temporibus, inuadente eum Spiritu. Quo tamen tempore clamorem vel sonum edere potuerit, sed non articulatum. 6. *σπαράσσει αὐτόν, discerpit eum.* Quidam hæc duo verba *ῥήσσειν* & *σπαράττειν* inter se permutant, tanquam eiusdem significationis. Sed ego prius illud de proiectione in terram, violenta, & concussione, hoc vero de vehementiore cõuulsione, quæ etiam spumam elicit, accipio. Vsurpatur enim etiam de fluctibus maris, quæ ad scopulos frequentius allisi spumant, 1. Reg. 1. v. 40. terra clamore concussa dicitur, vt findi vel disrumpi videretur: Sic miser hic puer à Satana disruptus est, *Er hette bersten mægen*, 2. Reg. 22. vers. 8. & Psalm. 16. vers. 8. vsurpatur, cum dicitur, quod fundamenta montium commota sint & concussa. 7. *ἀφρίζει, spumat.* Hic est effectus præcedentis illisionis & conuulsionis. In vehe-

vehementi enim membrorum corporis agitatione sudor elicitur: at quando spuma accedit, indicium est magnæ efferuescentiæ omnium honorum in corpore. 8. καὶ τρίζει τοὺς ὀδόντας, *& strides dentibus suis*. Non loquitur de vulgari stridore dentium. Ibi enim Græci aliud habent verbum. Sed τρίζειν significat ὀδυρμὸν καὶ οἰμωγῆς dolorosam & cruciantem vocem emittere, sicuti pulli hirundinum. Homerus vtitur hoc verbo de animabus siue spectris nocturnis, quæ triste quippiam instar vlularum murmurant. 9. καὶ ξηραίνεται, *& arescit*, id est, sine sensu efficitur, impos factus omnium suorum membrorum, ex huiusmodi vexatione totus contabescens, 1. Reg. 13. vers. 4. exaruit manus regis Ieroboami, quam extenderat iubens apprehendere Prophetam Domini. Sicuti palmes arescit, quando à vite sua auellitur. Ioann. 15. versic. 6. 10. Tandem mali huius continuam durationem insinuans dicit: *Vix discedit ab ipso, dilanians eum*, συντρῖβον αὐτόν. Vsurpaturi hoc verbum interdum in comminutione alicuius rei, quæ frustillatim fit, sicut Moyses Exod. 32. vers. 19. συνέτριψε duas tabulas legis ad radicem montis. Sæpius tamen de contritione, quæ fit sine vulneratione vel fractione, vt Matth. 12. vers. 20. agitur de arundine conquassata. Et Ies. 38. versi. 13. rex Ezechias de morbo suo pronuntiat: quasi leo συνέτριψε contriuit omnia ossa mea, 1. Regum 13. vers. 26. leo inuenit Prophetam verbo Dei inobedientem, & συνέτριψεν αὐτὸν, interfecit eum. Vt autem nunc Diabolus interdum homines conterit & diuexat: sic Deus vicissim Satanam συντρίψει conteret sub pedes nostros cito, Rom. 16. v. 20.

Ex hac nuda vocabulorum enumeratione potius quam enarratione apparet, quæ & quanta fuerit tum huius dæmonij furor ac sæuitia, tum pueri miseria. Qualia exempla Deus interdum nobis ob oculos statuit, vt nobis monstret gratias suas priuatiuas, vt Veteres vocarunt, hoc est illa beneficia, quibus nos ab aduersitatibus & miseriis præseruat. Qua enim in re Deus noster debitor est præ puero isto, qui licet circumcisus, tamen *à puero* huic infortunio subiectus fuit? Vnde patet, hunc puerum non enormibus aliquibus sceleribus, quæ in teneram illam ætatem non cadunt, commeruisse, vt sic Diaboli tyrannidi subiaceret: Sed originali peccato corruptus fuit, sicut nos omnes, proh dolor, sumus. Quod ergo Deus Satanæ furori non permittit, vt in omnes & singulos consimili ratione sæuiat, illud diuinæ bonitati acceptum feramus. Interim agnoscamus, natura ob peccatum originis eandem nostri omnium esse conditionem spiritualiter, quæ huius pueri fuit corporaliter. Etenim spiritualiter pari modo grassatur in omnes, qui peccatis adhuc immersi Christum liberatorem nondum senserunt. Vt igitur huic puero infestus fuit Satanas ab infantia: ita imperium suum in illis inde à natiuitate exercet, vt figmenta cordis ipsorum praua sint ab ineunte ætate. Facit quoque, vt ad audiendum verbum Dei sint surdi: ad preces autem fundendas plus quam muti, adeo, vt ne ad cogitandum quidem aliquid boni sint idonei. Porro, qui huic hosti obambulanti in cordibus suis paulum plus loci dant, illos mox peccatorum laqueis irretitos hinc inde lacerat, miserabili seruitute premit, furiosis similes reddit, vt ea etiam impudentissime designent, quæ cum naturæ legibus & sensu communi pugnant. Spumant intra animos suos libidinibus pessimarum cogitationum: stridunt & fremunt affectus improbi, qui manus, pedes, & omnia membra impellunt, vt ad omne scelus præcipites ferantur. In his omnibus autem hostis hic noster finem hunc vnicum sibi propositum habet, vt nos perdat, quo arescamus, & tanquam inutilia ligna in ignem inextinguibilem coniiciamur.

Sed non satis est miserias pueri obseruasse, quin magis operæ pretium præstat, qui notat methodum huic malo medendi. Hic rursus ordine singula expendamus. 1. Pater dicit Christo: *Magister, adduxi filium meum ad te*, hoc est, eo animo veni, vt filium hunc meum, à malo Spiritu obsessum, abs te curandum adducerem. Sed in tua absentia *obtuli illum discipulis tuis, & non valuerunt*. O bone Iesu, quot spiritualiter obsessi offeruntur sanctis, remoto Christo: sed quales adducuntur, tales rursus abducuntur. Certum est, absente Iesu nihil à quoquam feliciter perfici posse. Hic enim solus est, qui Dei gratiam nobis impetrat: solus Diabolum arcet & fugat: solus Spiritu sancto & necessariis viribus nos instruit. Abest autem Christus (vt ex hac ipsa historia colligere licet) quando vel propria socordia, vel peccandi licentia fidei lucem in nobis exstinguimus. Quisque ergo viderit, vt omnia sua negotia, siue illa sint Ecclesiastica, siue politica, siue œconomica, præsente Christo per fidem auspicetur. 2. Deinde pater Christum præsentem humili ardentissimaque oratione compellat. Humilitatem in eo ostendit, quod *in genua procidens, eum Dominum & Præceptorem* appellat. Ardorem in eo quod *exclamauit*, & filij sui calamitatem in suam miseriam redundantem tam copiose & diligenter exposuit. Inprimis vero misericordissimum Domini animum eo ad commiserationem flectere studuit, quod filius hic, pro quo deprecaretur, & qui tristissimo hoc malo affligeretur, *vnicus esset*. Hoc ergo est alterum medium, quo malis nostris remedium quærere debemus, seria & ardens precatio. Sed proh dolor, fere preces nostræ sunt frigidæ, nisi vrgens aliqua necessitas nos premat, sicut hunc patrem iuxta illud Ies. 26. vers. 16. Domine, in angustia requisiuerunt te: & quando corrigit eos, effuderunt orationem suam. 3. Quid ergo Christus rogatus facit? Iubet puerum *ad se adducere*. Non quasi absentem non curare potuisset, nec vt hominum applausum captaret: (nam postea accurrente turba mox eum sanauit) sed vt mali magnitudo adstantibus melius innotesceret, & simul cognosceretur, quanta inter Christum & dæmones esset contrarietas. Scribæ enim & Pharisæi semper Iesum calumniabantur, quasi ex commercio cum Beelzebub dæmonia expelleret. Hic vero coram visuri erant, Christum & dæmones extreme sibi inuicem aduersari, & proinde dæmonia non ex collusione, sed plane inuita recedere, si quando à Christo pellantur. Nam quamprimum puer in Christi conspectum productus fuit, protinus Satanas crudelius & immanius furere cœpit, illum quasi discerpere volens, vt in terram prostratus fœde spumans *volueretur*. Magna hæc est Satanæ nequitia, quod quando Christum, se fortiorem, adesse intelligit, tunc maxime insanit. Sed nos hoc Satanæ ingenium notemus, vt quo violentior in nos is insurgit, tanto certius signum habeamus præsentiæ gratiæ Christi. Obiiciunt nobis aduersarij nostri contentiones, turbas, bella & alia mala, quæ nostro seculo, post exortum Euangelium, mundum premant: pacem autem, quæ sub Papatu floruerit, magnificæ deprædicant. Non intelligunt miseri homines, tunc fortem armatum quietum sua possedisse, nec opus fuisse, dum nemo illum inuadebat, vt multum tumultuaretur, Luc. 11. vers. 21. Postquam autem ipsius idolomania & errores per verbum Dei in Euangelio oppugnari cœperunt, ibi demum omnes vires ad sui defensionem exseruit, sicque totum terrarum orbem turbauit. 4. Porro, quid Christus ad illam tantam Satanæ proteruiam, qui etiam in oculis ipsius miserum affligere non desinit? An non statim ipsi succurrit? Non. Sed prius cum patre colloquium instituit, interrogans quanto tempore miseria hæc durarit. Pater respondet paucis: sed quia intempestiuum ipsi videtur iam de eo multum velle sermocinari, & interim opem, quæ summe necessaria sit, differre, colloquium abrumpit & exclamat: *At age, si quid potes, subueni nobis, nostri misertus*. Pater putauit, Christum, vt & Prophetas, finitam habere facultatem iuuandi: maxime, quia modo viderat, Apostolos dæmonium hoc eiicere non potuisse. Cumque hoc malum inueteratum esset, & videret, Diabolum in conspectu Christi immitius furere: quomodo credere potuit, Christum à Diabolo metui? Ideo dicit: *Si quid potes*. Nos vero hunc Christi morem notare discamus, qui interdum, quãdo iam iam manum operi admouere, nosque iuuare vult: tamen interdum quasi nouum colloquium instituit, & remoram aliquam obiicit, qua opem suam adhuc aliquantisper differt. Ibi nos cum Dauide clamare incipimus, Psalm. 70. vers. 2. Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Item Psalm. 13. versic. 2. Vsque quo Domine obliuisceris me in finem? vsque quo auertis faciem tuam à me? Sed sciamus, Dominum nostri non obliuisci: sed tantum ad tempus differre opem, vt ea fiat illustrior. Est enim auxiliator in oportunitatibus, in tribulatione, Psal. 9. v. 10. 5. Quid ergo? Num ad hanc patris interpellationem statim Christus opem exerit? Neque adhuc. Hic enim est ille Dominus cuius oculi fidem respiciunt: cumque in hoc pueri patre exiguam adhuc deprehenderet, eam excitare voluit, antequam ope sua ipsum dignaretur. Ideo ipsi dicit: *Illud si potes credere*. Quasi diceret: Ego quidem possem filium tuum sanare: si modo tu afferres fidem huius beneficij capacem. Plus tamen quasi fidei patris, quam suæ potentiæ tribuit. *Omnia* enim *possibilia credenti*. In Christo est plenitudo salutis nostræ tam corporalis quam spiritualis: modo afferamus nos fidei manum, qua beneficia illa accepturus. Et sæpenumero fidei angustiæ in nobis obstant, quo minus abunde in nos gratia Dei descendat. Ideo dicit Psalm. 81. versic. 11. Dilata os tuum, & implebo illud. Ad hoc Christi interrogatum mox cum lacrymis respondet pater pueri: *Credo Domine, succurre incredulitati meæ*. Magnæ ingenuitatis est: quod luctam fidei & diffidentiæ in se non dissimulat. Inuenisses, qui in tali casu pleno ore fidem professuri fuissent, qua tamen destituerentur, quasi diuinam sapientiam mendacibus verbis fallere possent. Sed hic ingenue agit. Quia sentit se infirmiorem esse quam par sit, preces eo ardentius intendit, suam imperfectam fidem diserte confitetur, & Christi opem, vt huic medeatur,

implorat. *Credo*, inquit, non ex arrogantia, nec falso: sed quia fidei scintillas aliquas in se gliscentes sentit, quæ de beneficia Christi voluntate & diuina virtute bene sperare iubebant. Interim diffidentiæ malum, quo infestabatur, & quod Scribæ suis disputationibus in ipso excitarant, non dissimulat, sed Christum, vt sibi subueniat, inuocat: *Succurre incredulitati meæ.* Incredulitatem vocat: quia in infirma fide semper aliquid incredulitatis inest. Optat itaque Dominum sua bonitate & potentia supplere, quod suæ fidei desit, vt nihilominus voti sui compos fiat. Hanc ingenuitatem & nos imitemur. Nullus enim nostrûm ea fidei perfectione præditus est, qua debebat: omnes magna infirmitate laboramus. Tantum eam agnoscamus, contra diffidentiam luctemur, ad Christum medicum confugiamus: & ipse ignoscet, nosque iuuabit. Nam quod benignissimus hic Dominus etiam imperfectam fidem non reiiciat, illud iam ex hac historia patebit. Etenim 6. postquam fidei confessionem ex hoc homine elicuit, non diutius eum suspensum tenuit, ne supra vires tentaretur: sed magna cum auctoritate rem aggreditur, & quidem tanta, vt vix maiori vnquam vsum legamus. Nam primo cum turba vndequaque conflueret, vt in re noua fieri solet, ipse *dæmonium increpauit*: vt se eius hostem ostenderet. Et quid hoc verbum ἐπιτιμάω complectatur, supra cap. Harm. 38. vbi de socru Petri febricitante agitur, expositum est. Et his duobus verbis ἐπιτιμάω & ἐπιτιμᾶν in eiectione dæmoniorum Christum potissimum vsurpasse, ex Euangelistis notum est. Cum indignatione ergo ipsi dicit: *Spiritus mute & surde*: sic eum vocat ab effectis. Hunc enim puerum mutum & surdum effecerat. Ac proinde ipsi indignabatur, vtpote ei, qui creaturas ipsius perderet. Quomodo enim Christus non posset non irasci communi humani generis hosti, & durius cum ipso agere: cum propterea in mundum venerit, vt nos ex ipsius potestate vindicaret? Tandem ergo dicit: *Ego impero.* Ergo propria auctoritate ipsum oppugnat, vt sic se promissum mulieris semen esse, quod Diabolo caput contriturum esset, commonstraret. Quid vero imperat? *Exi ab eo, & posthac ne ingrediaris in illum.* Duo ipsi præcipit. Vnum vt exeat: alterum, vt ne amplius in eum reuertatur, sicut antehac per interualla fecerat. Vult enim Christus suum beneficium non esse temporarium, sed perpetuum. Atque sic plus præstat, quam pater pueri postularat. Ita enim puero succurrit, vt nullum in posterum diabolo imperium in puerum relinquat. Sic solet Christus credentibus maiora dona dare, quam ipsi petere ausint. 7. Quid vero Diabolus ad hanc Christi increpationem? Vt reipsa ostenderet, quod inuitus ex suo hospitio cedat, & quod mallet puerum cruciare, quam Christo imperanti obtemperare, prius horrendum *exclamauit, & multum puerum discerpsit*, adeo vt pro mortuo puer haberetur, antequam ex eo exiret. Cedere tamen coactus fuit. Quam ægre autem hinc discessit, tam ægre & difficulter ipsum abigi posse sciamus, si quando inueteratis prauis cupiditatibus mentem alicuius occupauit. Iccirco etiam in istiusmodi casibus verbi ministri acribus increpationibus vti debent. Sicuti Paulus præcipit 2. Timoth. 4. vers. 2. Prædica sermonem, insta tempestiue, intempestiue, argue, ἐπιτίμησον, obiurga, exhortare cum omni lenitate & doctrina. 8. Cæterum, Christus permisit, vt Diabolus hanc sæuitiam exerceret, non tam vt omnibus palam fieret, quæ Diaboli malitia, & quodnam nocendi studium in ipso esset, quam vt ipse contra suam potentiam & bonitatem, qua ab omni dæmonum malo suos liberare possit, declaret. Nam *manu correptum ipsum erexit*, sicque eum, de quo iam desperatum erat, *sanauit*, vt non sensim viribus restitueretur, sed subito conualesceret, ac si nihil vnquam nocumenti à Diabolo tulisset. Et licet puerum hunc in posterum suo seruitio iure optimo adiicere potuisset: tamen id non fecit, sed *patri suo reddidit.* Vere *reddidit patri*: quia Diabolus eum hactenus suo patri subtraxerat, suumque quasi mancipium fecerat. Iam vero demum rursus fit patris filius. 9. Effectus denique miraculi additur: *Stupebant omnes super magnificentia Dei.* Agnoscunt nimirum in Christo virtutem humana maiorem: & vocant *magnificentiam Dei*, quod malum tam firmum & diuturnum tam cito, sola increpatione & contactu perfecte sublatum esset. Particula autem *omnes* etiam Scribas complectitur, qui modo discipulis insultarant, & lætabantur, sibi plausibilem occasionem oblatam esse, qua miracula Christi contemnerent. Iam vero *stupent* & ipsi, nec diuinam virtutem negare possunt in eo, quem modo pro impostore proclamarant. Sic Christo facile est, vt subito hostes suos confundat, qui sibi nihil ad plenam victoriam deesse arbitrati erant.

In hisce vero omnibus nobis spiritualis nostræ liberationis ex regno Satanæ typus luculenter adumbratur. Vt enim hic huius patris filius à puero à Satana infestatus fuit: ita nos Adami filij in peccatis conceptos & natos, atque inde ab ineunte ætate in regno Satanæ esse, non ignoramus. Et hoc si liberari velimus, ante omnia necesse est, vt ad Christum adducamur. Hic enim vnicus est totius humani generis vindex. Adducimur autem ad eum, non corporaliter aut mundano modo, sed quando in Ecclesia ipsi, siue ad auditum verbi, siue ad vsurpationem sacramentorum sistimur. Viderimus autem, ne sistamur Ecclesiæ vel eius ministris absente Christo: quod non tantum fit, quando propria socordia vel incredulitate Christo operaturo obicem ponimus: sed etiam, quando loco veræ Ecclesiæ Christi, apostaticam vel malignantium Ecclesiam adimus. Quis credet, Christum Pontificiæ Ecclesiæ adesse, cum hæc ipsum à se relegarit, ipsiusque loco Vicarium Pontificem substituerit? Quis autem credet Caluinianæ Ecclesiæ adesse, cum mordicus contendant, Christum tam procul abesse, quam procul absit summum cœlum ab ima terra? Ipsum enim cœlo capi oportere, Actor. 3. vers. 21. vbi ad dexteram Patris, in certo aliquo loco, vel cœlestibus gaudiis fruatur, vel cum multis sanctorum millibus spatietur. Ad hos se deduci patiatur, quicunque voluerit. Nos scimus & credimus, Christum Iesum nostro Verbi & Sacramentorum ministerio adesse omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Matth. 28. vers. 20. In eo non tantum nostri miseretur: verum etiam hosti huic nostro indignatur. Et quemadmodum olim passione sua atque mortis merito regnum ipsius subuertit: ita quotidie illum adhuc in verbo suo increpat, & ne iterum regnum in nobis obtinere possit, obstat. Non libenter quidem cedit hic hostis, sed reluctatur: verum Christus vel inuitum pellit: & si quas inter cedendum turbas mouet, illas diuina sua virtute rursus sedat atque componit. Tantum nos viderimus, ne, postquam semel cessit, ignauo otio torpeamus, vnde ille in hospitium suum redire possit. Ex quo nouissima peiora fierent primis, Luc. 11. vers. 26. sed semper vigilemus, precibus & pietatis studio viam ipsi præcludamus & sicubi nos imbecilliores esse sentimus, Christi opem imploremus, maxime omnium autem operam demus, vt carne sua, (quod fit in Sacramento altaris) nos attingat. Cum enim caro ipsius vere viuifica sit, nobis etiam vitam communicabit, & Satanam mox sub pedibus nostris conteret, Rom. 16. v. 20. Amen.

II. In secunda parte huius historiæ obseruanda venit insidiosa Scribarum disputatio. Nam quoties antehac cum Christo congressi erant, semper confusi fuerunt. Nunc ergo in absentia Christi, Apostolos rudiores suis disputationibus adoriuntur, sperantes se occasionem nactos, Christi & Apostolorum ministerium traducendi. Et Circumstantiæ ostendunt, quænam materia disputationis fuerit. Cùm enim Apostoli tentarent expellere dæmonium, nec ipsis succederet, cœperunt in præsentia turbæ suggillare miracula Christi & Apostolorum: & per suggillationem miraculorum ipsam doctrinā Christi suspectam facere contenderunt. Obiecerunt: Miracula vestra non fiunt diuina virtute. Diuina enim virtus nunquam impediri potest: semper se exerit. Cum ergo hic impediatur, non est diuina. Sed sicut nostri exorcistæ dæmonia eiiciunt virtute Beelzebub: ita vos illis similes estis. A *miraculis* postea progressi sunt ad doctrinam. Sunt enim *miracula sigilla & testimonia doctrinæ.* Cumque miracula diabolica esse assererent, idem de doctrina pronuntiarunt. Sic ergo Apostoli quasi ludibrio habiti sunt à Scribis: qui hoc vnicum quæsiuerunt, vt Christum populo suspectum & inuisum redderet, sicque omnes ab illo alienarent. Vnde Christus postea tam aspere in eos inuehitur: *O natio incredula & distorta*: Præ se ferunt hi Scribæ imaginem impiorum alastorum, qui quouis tempore veritatem cœlestis doctrinę oppugnant. Quando veritatem aperte & directe negare non possunt, tunc aliunde aliquid conquirunt, quo illam vulgo suspectam & inuisam reddant. Scribæ veritatem Euangelij Iesu Christi ex Scripturis refutare non poterant. Nunc ergo arripiunt, quod vident Apostolos destitui virtute miraculorum, qua antea instructi erant, & ex eo Euangelium Christi annihilare nituntur. Praui quoq; hi homines suis suggillationibus & calumniis, ad tempus plus proficiunt, quàm prosit. Dico autem, ad tempus: quia quamprimum Christus interuenit, mox nebulæ illæ calumniarum dispellūtur, sicuti ex hac historia manifestum euadit. Diabolo certe hæc Scribarum disputatio valde fuit grata, & iucundissimum ipsi spectaculum præbuit, hac siquidem ratione regnum suum in hoc puero retinuit, tamdiu donec Christus vi ipsum expelleret, & momentaneum hoc ipsius gaudiū vastaret. Deinde Scribæ in Apostolis fidem infirmarunt: ob quam incredulitatem ipsi dæmonium eiicere non potuerunt. Quin & patris pueri fides hisce disputationib. non leuiter fuit concussa. Populus deniq; omnis quasi attonitus adstitit, rei euentum expectans. Nec legitur de quoquam ex illis qui Apostolorū caussam tuendā suscepisset: fortassis omnes Apostolos negle-

neglexissent,nisi Christus improuisus interuenisset. Eiusmodi ergo calumniatores, qui per indirectum veritatem adoriuntur,fugiamus. Eiusdem artificij pergnari sunt Iesuitæ,qui vel ministrorum Euangelij lapsus odiose carpunt,vel auditorum flagitiosam vitam nobis exprobrant, quasi hi fructus essent nostræ doctrinæ. Sed quando talia audimus, horum Scribarum meminerimus, qui sua protervia Apostolis Domini aliquantisper negotium facesserunt, sed mox confusi conticuerunt:sic nec nos dubitemus, quin Iesuitæ eandem cum his Scribis mercedem, nisi resipuerint, à Christo sint accepturi.

Interim populi mobilitas & inconstantia obiter notanda. Dum Christus abest, facile permittunt, vt Apostoli à Scribis exagitentur & vexentur. Quamprimùm verò Christus improuisus suis adest,initio quidem *obstupescunt*,conscientia ipsis dictante,quod Apostolos in illo certamine perperam deseruissent. Mox autem postquam animos recollegerunt, *occurrunt & salutant eum*,in reuerentiæ testimonium.Est hoc mundi ingenium, & eorum, qui in religionis negotio mundana potius commoda, quam Dei gloriam, vel animæ suæ salutem quærunt. Si videant,synceros verbi ministros vndique ab impiis peti & superiorum ope vel defensione destitutos esse, & ipsi eos negligunt, & vel neutrales euentum rei exspectant, vel etiam,vt hostibus gratificentur,improbe ipsis insultant. Si vero Deus ipsis rursus propitius affulget, protinus & ipsi vela ad ventorum flatum mutant,initio quidem ad subitam mutationem stupent: mox autem seruiliter rursus adulantur illis, quibus prius hostiliter insultauerant: Nimis vere ergo Phocyllides dixit:

Ne populo fidas:populus mutatur in horas. Et alius:
Fallitur & fallit,vulgi qui pendet ab ore.
Hei nihil infida fas quenquam fidere turba.

Nullus enim Euripus tam varias agitationes habet,quanta vulgi instabilis voluntas.

III. Tertia principalis pars huius historiæ est, quod disputantibus Scribis,gemente patre Lunatici,& Apostolis mirantibus,quod hoc dæmonium eiicere non possent,Christus vno verbo ostendit,eius caussam esse infidelitatem. Hanc autem triplicem facit. Alia est enim infidelitas contumaciæ, vt in Scribis:alia est infirmitatis,vt in patre Lunatici: alia est securitatis & oscitantiæ,vt in Apostolis, quorum fides vera quidem erat,sed securior & frigidior,nec ardens & excitata. Et iucundum est,obseruare, quomodo hæc genera infidelitatis describantur: quæ remedia singulis opponantur: quibusque adminiculis fides, siue infirma, siue otiosa, excitanda doceatur. Aliter enim Christus in hac historia tractat Scribas obstinatos: aliter patrem rudem & infirmum: aliter discipulos securos quidem, sed tamen dociles. In genere igitur incredulitas Apostolorum,patris,turbæ, Scribarum obstitit,ne miraculum hoc edi posset. Quemadmodum etiam Nazarethanorum incredulitas obstitit, Matth.13.verf.58. quo minus Christus apud ipsos multas virtutes ederet. Ex hac vero parte generatim hoc discamus.Ex ἀπιστίᾳ siue incredulitate & diffidentia duplicia ad nos redundare mala. Primo enim per diffidentiam regnum Diaboli vel maxime stabilitur:deinde eadem nobis in rebus nostris maximam remoram iniicit, vt minus proficiamus,nec optatum successum habeamus.Si qui ergo se parum in vocatione sua proficere sentiant,de hac doctrina Christi cogitent,in seipsos descendant, & considerent, vtrum etiam bona & iusta fide agant. Vt enim fides nos Deo coniungit, & in Christo fortes reddit,vt in ipso cum Paulo omnia possimus,Philippenf.4.verf.13.ita incredulitas à Christo plane abstrahit,illius spiritu nos priuat,sicque Satanæ insidiis nos totos expositos reddit, vt siue res secundæ fluant, siue aduersæ nos premant,in neutro verum scopum contingere queamus.Late patet hæc doctrina, & singulis ordinibus hominum,imo singulis hominibus,hodie accommodari potest. Queruntur verbi ministri, se parum apud auditores proficere docendo, monendo, hortando: queruntur etiam Rerumpublic.gubernatores,se parum apud subditos proficere, leges honestas promulgando, scelera prohibendo, vitæ honestatem plantando: queruntur denique patresfamilias,se parum proficere, liberos & familiam instituendo, victum procurando,rem familiarem promouendo. Sed nullum est dubium, quin singuli penitius in seipsos condescenderent, deprehensuri essent, se non ea fide in officio suo versari, qua debebant. Et in aliquibus non tantùm Theologica, sed & politica fides deficit. Quid ergo mirum Deum suam benedictionem subtrahere, & tales optato successu destitui? Fideles sint singuli in sua vocatione Deo & hominibus, & Deus prosperum successum largietur. Sed audiamus etiam, quomodo Christus in hac historia singulos ob diffidentiam suam tractet.

1. Scribis ex contumacia peccantibus,suisque disputationibus fidem tam in seipsis, quàm in aliis extinguentibus, dicit: *O natio incredula & distorta, quo vsque tandem ero vobiscum, & vsque quo patiar vos?* Dura profectò & aspera vox eius, qui propter peccatores in mundum venerat, ad quam reuera Scribæ contremiscere debuissent, quod tædium suum inter illos versandi diserte protestatur.Necesse profectò est,vt magnum quid sit,quod ipsum permouerit, vt ab ipsis discedere exoptet, & veterem illam suam querimoniam, Ies.43. verf.24. laboraui sustinens,repetat. Caussam ipse exprimit, dum vocat *nationem incredulam & distortam*, apud quam nihil proficiat, vtcunque diu inter ipsos maneat. 1. Est *incredula*, quæ neque doctrina neque signis expugnari aut corrigi possit, vt fidem cócipiat.2.Est *distorta* & peruersa,quæ nullis legibus se in ordinem redigi patiatur. Desumtum hoc est ex Deuter. 32.verf.20. vbi Moyses hæc epitheta tribuit Israelitis,qui per quadraginta annos integros, nec lege Dei,nec stupendis miraculis adduci potuere, vt secundùm voluntatem Dei vitam suam instituerent. In Hebræo est verbum עקש, quod significat anteriorem partem in posteriorem, vel imam superiorem vertere. *Ein Ding gantz verkehren, wie ein gehofelt Holtz, das sich einen ilft, vnd zu nichts nutz ist.* Et hoc quidem modo Christus in præsentia cum Scribis agit. Postea Matth.23. diutius cum ipsis aget,vbi horrendum Væ ipsis denuntiabit: donec tandem totos illos deserat,& Diabolo,cui seruierunt,tradat. Sic ergo Christus suo exemplo nos docet, cum illis qui contumaciter fidem oppugnant, aut ei reluctantur, nequaquam leniter agendum esse. Neque enim lenitate quicquam apud eos proficitur:& eorum exemplo etiam alij inficiuntur, vt nisi his seuere resistatur,ipsi quoque in fide vacillare incipiant.

2. Pater Lunatici quoque laborat incredulitate, sed non ex malitia,verùm infirmitate:quia Scribæ fidem,quam de Iesu potentia & bonitate ex fama conceperant,suis disputationibus turbarant. Ideo Christus non adeo aspere ipsum excipit: sed blandis verbis ad fidem inuitat: *si tu potes hoc credere. Omnia enim fieri possunt credenti.* Christus fidei tantundem tribuit,quantum suæ potentiæ, idque ea de caussa, vt sic fidem in corde huius hominis plantet. Fides enim est ex auditu, Rom.10.verf.17. Sic ergo infirmi in fide sunt assumendi,non autem disceptationibus cogitationum turbandi,Rom.14.v.1. Nec frustra Christus toties fidem in Euangelio commendat, quod ægris dicit,Fides tua te saluum fecit: sed facit id hoc fine, vt tanto felicius eam in corde nostro plantet. Ita dicit Marc.cap.11.verfic.24. Omnia quæcunque orantes petitis, CREDITE,quia accipietis,& euenient vobis.Hæc autem virtus fidei non dependet ex eius dignitate, sed ex veritate promittentis. Quis enim princeps præcepit seruo suo,vt aliquid abs se peteret,& non impetrauit?Quomodo ergo immutabilis Dei veritas quicquam promitteret, quod non præstaret? Ideo Iacobus dicit cap.1.verf.6. Qui orat,postulet in fide,nihil hæsitans. Qui enim hæsitat,similis est fluctui maris,qui à vento mouetur & circumfertur:non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.Media ergo,quibus infirma fides roboratur, sunt ex parte ministrorum exhortationes & commonefactiones,vt homines sint fortes in fide,vt aliorum exempla,qui Dei opem senserunt,intueantur:ex parte autem afflictorum sunt pij gemitus & suspiria ad Deum, vt ipse succurrat nostræ infirmitati.

3. Supersunt Apostoli, qui mirantur, quod ipsi dæmonium ex Lunatico puero expellere non potuerint, cum tamen Dominus ipsis antehac Matth.10.verfic.1. potestatem in immundos spiritus & omnis generis morbos dederit. Priuatim itaque Dominum in domo adeunt,&quid obstitisset inquirunt. In sese enim rei illius culpam minime hærere putant, siquidem in fide se sufficienter instructos esse sibi persuadent.Est hic communis omnium hominum morbus,quam inde ex primis parentibus hauserunt, quod quando in re aliqua deficiunt,mox Translatione culpæ vtuntur: caussas mali non in seipsis,sed in aliis quærentes. At vero Christus ipse differre ipsis respondet: *propter incredulitatem vestram* non potuistis. Nam vos ipsi,qui tanto tempore mecum fuistis, in fide non tantum profecistis,quantum debebatis. Hic vero quæritur,an Christus loquatur de fide iustificante, quæ communis est omnibus vere Christianis:an vero de fide miraculosa?Respond. Rectè quidem alias hæ duæ species fidei distinguuntur: sicut ipse Paulus id facit.1.Corinth.13.v.2.& 13.Sed hic de vtraque coniunctim accipi potest. Nam & Apostoli vtraque fide à Christo donati fuerant. Verum in hoc certamine cum Scribis perfunctorie fide sua vsi videntur. Christus autem vult,quando Deus plusculum permittit Satanæ, tum non superficiali fide, sed ardente, cum ipso congrediendum esse.

Hic vero poterat quispiam in fide infirmior obiicere:Quis ergo quoad fidem vnquam poterit Deo satisfacere, si etiam

Apostoli incredulitatis arguuntur? Hi certe, omnibus relictis, Christum secuti sunt: cum eo in omnib. tentationibus ipsius permanserunt: & nuper adeo splendidam fidei Confessioné ediderunt, vt Christus Petrum eo nomine beatum pronunciarit. His Apostolis fortassis ego nunquam similis euadam. Ergo & ipse incredulitatis insimulabor? Contra hanc obiectionem attendamus nunc Christi responsionem, qui dicit: *Amen dico vobis, si habeatis fidem sicut granum sinapis*. In *grano sinapis* vtrunque, & quantitas & qualitas est consideranda. Quoad quantitatem, inter omnia semina ipsum est minimum. At quoad qualitatem, habet vehementem acrimoniam & feruentem efficaciam: in terram etiam proiectum ex se magnam producit arborem. Sic quoad fidem, Deus non est adeo morosus, vt quantitate magnam & ingentem fidem requirat. Nouit enim quale figmentum simus, Psalm. 103. versic. 14. & quod dum in carne viuimus, imperfectioni sumus obnoxij. Contentus itaque est modica fide, modo illa sit vera, viuax, acris, feruens instar grani sinapis, nec sit frigida aut mortua. Si talem fidem habeant Apostoli, dicit ipsis Christus, tum *dicetis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabit*. Hic disputant interpretes, quãdo & vbi Apostoli montes transposuerint? Et alij quidem putant id nunquam factum esse: alij vero factum id, sed non annotatum esse: alij allegant ex Eusebij histor. Eccles. lib. 7. c. 25. exemplum Gregorij Episcopi Neocæsariensis. Sed sciendum, Christum hæc non eo dixisse, vt stultis carnis nostræ votis frena laxaret, quasi quicquid in mente conceperimus, protinus actu compleri debeat, si modo fidem instar grani sinapis habeamus. Sicuti furiosus Munzerus miseris rusticis persuasit, se monti imperare posse, vt ad se accedat. Cum autem satis diu otiosus desedisset, nec ad ipsius imperium mons aduenire vellet, mutato proposito rusticis dixit: Agite, quãdoquidem non venit, humiliemus nos nosipsos, & ad montem accedamus. Hisce nugis nequaquam Christus ansam dare voluit. Sed quia fides est ex auditu: ideo habet ea regulam verbi. Et quæ iuxta verbum ex fide fiunt, illa perficiuntur. Christus ergo more Hebræorum vnum impossibile factum, nimirum montium transpositionem, exempli loco allegat, & ex eo concludere vult, fidem veram non tantum præsentibus mediis res suas aggredi: sed etiam, vbi media desunt, progredi. Ideo addit: *nec quicquam impossibile erit vobis*. In Græco est verbum ἀδυνατήσει, cuius verus intellectus ex vsurpatione LXX. interpretum in Veteri Testamento desumi potest. Vsurpatur autem communiter de miraculis, quæ rationem superant, & supra communem naturæ ordinem fiunt, nec vlla arte vel facultate humana fieri possunt. Sic Genes. 18. versic. 14. de Deo dicitur, quod ipsi non sit impossibile sterilem anum, Saram, fœcūdam reddere. 2. Par. 14. vers. 11. Asa rex dicit, Deo non est impossibile, siue in pluribus, siue in paucis auxiliari. Deut. 17. versi. 8. accipitur de caussa difficili & obscura, quam inferiores iudices non dirimere possunt. Hinc recte intelligitur, quomodo *credenti omnia sint possibilia*, & *nihil impossibile*. Nimirum, nõ quod curiositati humanæ sit indulgendum: sed quod, quæ ardua sunt & supra possibilitatem humanam posita, Deus credentibus sit largiturus.

Denique quærat quis, cur illa sententia sit adiecta: *hoc autem genus nulla re potest exire, nisi per deprecationem & ieiunium*. Posset enim quis existimare Christum sibiipsi contradicere, ac proinde obiicere: Si fidei omnia possibilia: Ad quid ergo requiruntur preces & ieiunium? Sed si attendamus cum quibus Christus hic agat, tum res erit plana. Agit nimirum cum Apostolis, qui non caruerunt omni fide: & tamen dæmonium eiicere non poterant. Ratio fuit: quia tunc fides ipsorum torpebat. Dicit ergo Christus, *hoc genus* Dæmoniorum. Quodnam est illud genus? Numme dæmonia lunatica, vt aliqui opinantur? Aut: An dæmonia contumaciora & ferociora? vt alij volunt. Equidem alia dæmonia aliis nequiora & deteriora esse, ipse Christus testatur Luc. 11. v. 26. Sed hic intelligit, quãdo Satanas inualuit diuina possessione, & ex Dei permissione atrocius grassatur, tum non sufficere perfunctoriam fidem, sed opus esse fide viua, ardente, efficace. Hanc vero, vt talis sit, excitandam esse *precatione*. Oratio enim flabellum est fidei. Rursus ne oratio sit frigida, eam excitandam esse *ieiunio*. Ieiunium ergo per se nihil facit ad expulsionem Satanæ: sicuti hypocritæ & impij sua ieiunia coram Deo iactarunt, vt Ies. 58. versic. 3. & alibi. Sed Christus talem gradationem tradit: quia ieiunium excitat orationem, oratio acuit fidem, fides autem virtute Christi dæmonia expellit. Christus itaque hoc in loco erudit Exorcistas Iesuitas, quomodo dæmonia expellere debeant. Qui certas suas habent preculas, & Exorcismos, cum superstitiosis ieiuniis, quæ certo ciborum delectu constant. Sed omnes Christianos docet, quænam sint legitima media, quibus fides torpens, languida, & tantum non dormiens sit excitanda. Ex hac Christi commonefactione Apostoli didicerunt, vt postea Luc. 17. versi. 5. ipsi quoq; precarentur: Domine adauge nobis fidem. Et in Actis ieiunarunt atq; orarunt, vt sic fidem in seipsis excitarent. Interim si qui ratione officij ad dæmoniacos vocentur, caueant, ne multum cum Diabolo disputent, sed grauiter ex verbo Dei eum increpent, precibus indesinẽter instent, donec virtute Dei pellatur. Et merito hic probamus Origenis sententiam, qui sic scribit. *Hoc genus* nõ eiicitur nisi in ieiuniis & orationibus: & si aliquando oportuerit nos circa curationem tale quid patientium permanere, non adiuremus, neque interrogemus, neque loquamur, quasi audienti spiritui immundo, sed permanentes in orationibus & ieiuniis impetremus patienti salutem à Deo, & abigamus ieiuniis & orationibus nostris malignos spiritus.

Habent hic aliqui Allegoriam, quæ quia satis venusta & pia est, eam etiam apponemus. Lunaticus hic dæmoniacus repræsentat nobis eiusmodi hominem, qui peccatis vel à teneris vel à multis annis assueuit, & in horarum momenta ad vitia abripitur. Talis, si maxime interdum propositum bonorum operum ei obrepat, ita vt sanus esse videatur: tamen mox quasi abreptione spiritus rursus ab animi passionibus comprehenditur, & misere diuexatur. Vnde de statu bono, in quo stare videbatur, cadit, modo in ignem, modo in aquam, hoc est, in plane contraria vitia. De his Syracides dixisse videtur cap. 27. vers. 13. Stultus vt Luna mutatur. Tales etiam plerunque sunt surdi, vt cœlestem doctrinam, quæ ad meliora eos reuocare poterat, non audiant: sunt etiam muti, vt Dei opem nullis precibus implorent. De his Scribæ dubitare & disputare poterant, vtrum etiam Apostoli seu verbi ministri eos sanare queant. Sed, vt vt sit, piorum ministerio & opera sunt adducendi ad Christum, cui nullum quantumuis graue & in naturam versum malum est immedicabile. Ad Christum autem adducti, conturbari & dilaniari incipient, exorta nimirum lucta inter spiritum & carnem illo resipiscere cupiente, hac ad solita vitia ipsum reuocante. Verum hac lucta nihil moti, apud Christum perdurent, fide, precationibus & ieiunio cum vitiis certent, omnipotenti Christi manu sic curabuntur, vt peccato & mundo mortui ad nouitatem vitæ resurgant: Christi autem manu erecti ipsi quoque surgant, hoc est, iustitiæ viuere incipiant, & caueant, ne gratiam Dei in vanum receperint. 2. Corinth. 6. vers. 1.

CAPVT XC.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM, QVOMODO IESVS LATENTER Galilæam transierit, & de passione sua concionatus sit. Matth. 17. vers. 22. Marc. 9. v. 30. & Luc. 9. v. 43.

RATIO ORDINIS.

De ordine horum ad præcedentia nulla potest esse quæstio, cum omnes tres Euangelistæ in ordine consentiãt. Post sanationem enim Lunatici turbæ ad memoriam sibi reuocantes omnia Christi miracula, cœperunt gloriosius de ipso prædicare. Sed Christus relictis turbis, cum solis Apostolis, per Galilææ loca celeriter, latenter, & quasi in cursu (ea est enim emphasis verbi παρεπορεύοντο) Capernaum vsque transibat. Appropinquante enim tempore passionis, hoc est, summæ exinanitionis, externam celebritatem fugit, vt sic omnia ad exinanitionem conuenirent. Illum etiam secessum ideo delegit, vt Apostolos in eo mature de passione instituere posset, quos illo vulgi applausu delectari videbat. Proinde ipsis rursus de passione sua concionatur.

HISTO-

HISTORIA TRANSITVS PER GALIlæam, & concio de passione Christi.

MATTH. 17.

22. Ἀναστρεφομένων δὲ αὐτῶν ἐν τῇ γαλιλαίᾳ, εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· μέλλει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοσθαι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων.

23. Καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτόν, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθήσεται. Καὶ ἐλυπήθησαν σφόδρα.

22. *Cum autem versarentur in Galilæa dixit illis Iesus: Futurum est, vt filius hominis tradatur in manus hominum.*

23. *Et occident eum ac tertio die resurget. Et mœrore affecti sunt vehementer.*

MARC. 9.

30. Καὶ ἐκεῖθεν ἐξελθόντες παρεπορεύοντο διὰ τῆς γαλιλαίας, καὶ οὐκ ἤθελεν ἵνα τις γνῷ.

31. Ἐδίδασκε γὰρ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτόν, καὶ ἀποκτανθεὶς τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.

32. Οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα, καὶ ἐφοβοῦντο αὐτὸν ἐπερωτῆσαι.

33. Καὶ ἦλθεν εἰς καπερναούμ.

30. *Et illuc digressi iter fecerunt per Galilaeam; nec volebat, vt quisquam sciret.*

31. *Docebat enim discipulos suos, & dicebat illis; filius hominis traditur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertio die resurget.*

32. *At illi ignorabant verbum, quod dixerat, & timebant eum interrogare.*

33. *Et venit in Capernaum.*

LVC. 9.

43. Πάντων δὲ θαυμαζόντων ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἐποίησεν, εἶπε πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ·

44. Θέσθε ὑμεῖς εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν τοὺς λόγους τούτους, ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου μέλλει παραδίδοσθαι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων.

45. Οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα τοῦτο, καὶ ἦν παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν, ἵνα μὴ αἴσθωνται αὐτό. Καὶ ἐφοβοῦντο ἐρωτῆσαι αὐτὸν περὶ τοῦ ῥήματος τούτου.

43. *Sed omnibus mirantibus super omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos:*

44. *Ponite vos in auribus vestris sermones istos. Filius enim hominis futurum est, vt tradatur in manus hominum.*

45. *At illi ignorabant verbum istud & erat absconditum ab illis, vt non intelligerent illud. Et timebant eum interrogare de hoc verbo.*

HARMONIA HVIVS HISTORIÆ, EX tribus Euangelistis concinnata.

b Καὶ ἐκεῖθεν ἐξελθόντες παρεπορεύοντο διὰ τῆς γαλιλαίας, καὶ οὐκ ἤθελεν, ἵνα τις γνῷ. ἐδίδασκε γὰρ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ. a ἀναστρεφομένων δὲ αὐτῶν ἐν τῇ γαλιλαίᾳ, c καὶ πάντων θαυμαζόντων ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἐποίησεν, l εἶπε πρὸς μαθητὰς αὐτοῦ a ὁ Ἰησοῦς, c θέσθε ὑμεῖς εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν τοὺς λόγους τούτους. l ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου μέλλει παραδίδοσθαι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, c καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτόν, b καὶ ἀποκτανθεὶς c τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται. h οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα c τοῦτο, καὶ ἦν παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν, ἵνα μὴ αἴσθωνται αὐτό. h Καὶ ἐφοβοῦντο, ἐπερωτῆσαι αὐτὸν c περὶ τοῦ ῥήματος τούτου. a Καὶ ἐλυπήθησαν σφόδρα. b Καὶ ἦλθεν εἰς καπερναούμ.

b *Et illinc digressi iter fecerunt per Galilaeam, nec volebat vt quisquam sciret. Docebat enim discipulos suos* a *Versantibus autem illis in Galilæa,* c *& omnibus mirantibus super omnibus, quæ faciebat,* l *dixit ad discipulos suos* a *Iesus:* c *Ponite vos in auribus vestris sermones istos:* l *Filius enim hominis futurum est, vt tradatur in manus hominum,* c *& occident eum,* b *& occisus* c *tertio die resurget.* h *At illi ignorabant verbum* c *illud, & erat absconditum ab illis, vt non intelligerent istud.* h *Et timebant eum interrogare* c *de hoc verbo.* a *Et mœrore affecti sunt vehementer.* b *Et venit in Capernaum.*

Periocha huius historiæ.

APparet ex circumstantiis, quod Christus aliquantisper voluerit in Galilæla versari, vt sic occasionem haberet rectius discipulos instituendi, & monendi de passione & morte, antequam ad eam sustinendam abiret Hierosolymam, vbi semestre integrum agitabuntur consilia de ipso occidendo. Sed postquam turbæ incipiunt magnificentius de ipso prædicare, ipse inde digressus cum Apostolis per Galilæam latenter iter facit versus Capernaum. Quasi reipsa dicere vellet: Iam quidem omnes mirantur & summis me laudibus vehunt: sed mox postulabunt me ad crucem. Fidat ergo turbæ, qui decipi vult. Vos vero ne turbemini, nec cum illis deficiatis, percipite hosce sermones, quos de passione, morte & resurrectione denuo vobis inculco. Eos *ponite in auribus vestris*, hoc est, diligenter auscultate, memori mente retinete, vt aliquando per aures in cor vsque penetrent. Illis cogitationibus potius intendite, quam vt mobilis turbæ præconio attendatis. Parate itaque vos ad crucis humiliationem. Non enim ista instabilis vulgi admiratio solida nostra gloria est: sed alia, & ea quidem per crucem adeunda. Hæc cogitatio vos præseruabit à scandalo. Sic vero Christus docet, quando animus titillatur vulgi admiratione, tum ei opponendam esse eiusdem infidam instabilitatem, & potius in auribus ponendam esse meditationem doctrinæ de cruce. Multi verbi ministri inueniuntur, qui omnia sua dicta & facta eo dirigunt, vt vulgi applausum obtineant. Hoc si destituantur, animo anguntur, & omnem ministerij sui fructum periisse autumant. Alij, quando turbæ fauorem obtinuerunt, tum se solide beatos esse opinantur. Vtrique errant. Illi qudem, quod habet Gal. 1. vers. 10. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Hi vero, quod ne quidem mundanorum hominum iudicia de instabili populari aura obseruarunt. Poeta dixit:

Fallitur & fallit, vulgi qui pendet ab ore.
Hei nihil infida, fas quenquam fidere turba.

Et alius:

Si turbare velis tibi quietem,
Turbam consule, turba turbulenta est.
Inturbata sit vt quies, studete
Turba cedere multitudinique.

Faciat verbi minister officium suum fideliter & diligenter, docendo, monendo, arguendo, consolando, exhortando, & vnice studeat gloriæ Dei, & Ecclesiæ ædificationi, tum Deus ipse bonorum fauorem ipsi conciliauit, ne in mundo sine amicis viuat. Crucis autem & aduersorum meditatio in mediis fauoribus hominum prodest, ne animis efferamur. Christus hic iam tertia vice, de passione & resurrectione sua concionatur. Fecit id primum post editam à Petro fidei confessionem. Deinde cùm ex monte descendens, discipulis interdiceret, ne clarificationem diuulgarent ante resurrectionem.

Nunc tertiò idem repetit, non tantum propter se, vt crebra passionis & mortis suæ meditatione seipsum ad patientiam exerceat: sed potissimum propter Apostolos, qui quoties vulgi applausum ex Christi miraculis oriri videbant, toties statim carnale regnum sibi imaginabantur, seque in hoc mundo dominaturos sperabant. Ab his mundanis cogitationibus, vt Christus ipsos abstraheret de passione & morte sua frequenter concionatus est. Vt quemadmodum mortis meditatio eos intra metas modestiæ cohiberet, ne ob vulgi applausum animo efferrentur: Sic spes resurrectionis eos animaret, ne ob aduersa animum desponderent. Hoc nos imitari discamus. Quando Ecclesia floret, & lætis successibus omnia nobis arrident, tum meminerimus eorum, quæ de persecutionibus & cruce piorum in Scripturis sunt prædicta. Rursus inter aduersa & tribulationes nobis in memoriam reuocemus promissiones, quæ Deum perpetuam Ecclesiæ suæ curam habere docent. Sic fiet, vt nec in prosperis rebus efferamur, nec in aduersis desperemus: sed in omnem euentum paratis Deo res nostras committamus, eique firma fide adhæreamus.

II. Admirationem non immeritò nobis præbent Apostoli suo stupore, quod verba, quibus Christus passionem suam prædicebat, & quæ clarissima erant, non intelligebant. Nominat *filium hominis*, & quod per eum suam ipsius personam denotaret, non ignorabant. Hunc *occidendum* testatur: & quid esset occidere non nouisse non poterant. *Occisum* autem *tertio die resurrecturum*, atque sic ad vitam rediturum dicit: quod quid esset, vel septennis puer intelligeret. Et tamen *verbum hoc absconditum erat ab* Apostolis, qui orbis Doctores esse debebant. Ratio huius ignorantiæ nulla alia, quam hæc, fuit, quod hæc verba præconcepta ipsorum opinioni repugnarent. Apostoli ex peruersa Pharisæorum traditione mundanum Messiæ regnum sibi imaginabantur, in quo ipsi tanquam fidissimi Messiæ comites & parastatæ primas obtenturi essent. Sicuti mox in hoc ipso itinere de primatu disputare incipiunt. Quando ergo Iesus suam ipsis passionem & mortem inculcauit, ingrata fuit concio, & non tantum non intelligebant, sed etiam *vehementer mœrore afficiebantur*. Nimirum, quia vno ictu omnes ipsorum magnæ spes de dominandi dignitate & auctoritate abscindebantur. Sicuti Lucæ 24. versic. 21. duo euntes in Emmaus hunc animi mœrorem fassi sunt, dicentes: at nos sperabamus ipsum Israel redempturum. Si autem crucis mysterium intellexissent, potius lætitia quam mœrore affecti fuissent. Sicuti Ioann. 14. versic. 28. ipsis dicit: Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. Nam expedit vobis. Si enim Ego non abiero, paracletus non veniet ad vos, Ioh. 16. vers. 7. Idem hodie fit in multis doctrinæ Christianæ articulis, in quibus interdum ob præconceptas opiniones caecutiunt etiam magni viri, qui tamen ob sui euidentiam ab idiotis planissime intelliguntur. Idem talibus accidere solet in sacris, quod accidit in communi vita iis, qui coloratis vtuntur conspiciliis. Quæcunque per illa intuentur, ea omnia eundem colorem induisse videntur, quo colore imbuta sunt conspicilia. Euenit hoc non tantum Pontificiis & Caluinianis, in illis Articulis, qui inter nos & ipsos sunt controuersi: sed etiam nostratibus quibusdam. Quicunque de libertate Christiana carnalem opinionem fouent, sibique apud Euangelij professionem omnia læta pollicentur: illi, quicquid ipsis prædicaueris de mortificatione carnis, de hominis innouatione, de cruce & afflictionibus piorum, tantundem intelligunt, quantum Apostoli hic concionem de passione Christi. Rectè itaque D. Hilarius lib. 4. de Trinit. hanc regulam tradidit. Optimus lector & auditor verbi diuini est, qui dictorum intelligentiam exspectat potius, quam imponat: & retulerit magis quam attulerit. Neque cogit id videri dictum contineri, quod ante lectionem præsumserat intelligendum.

III. Præter crassam hanc Apostolorum ignorantiam, notemus etiam supinum illum & reprehensione dignum ipsorum torporem, quo, cum sermones Præceptoris nostri non intelligerent, ipsum interrogare *timerent*, quem tamen totum in eo esse animaduertebant, vt plena veritatis cognitione ipsos institueret. Atqui alias sæpenumero inquisiuerunt de rebus nihil ad se pertinentibus; & hic præpostero quodam pudore & metu præpediti, non interrogant de illis rebus, in quibus prora puppisque salutis ipsorum consistebat. Nimirum exemplo Petri (quod superius habuimus) territi, metuerunt, ne acrius corriperentur. Est enim hoc peruersum carnis nostræ ingenium, quod errare aut in ignorantia versari mauult, quàm iustas correptiones admittere. Quas tamen in hoc ipso negotio Apostoli non euitarunt, vt videre est Marc. 16. versi. 14. & Luc. 24. versic. 25. Nos, quamdiu in vita huius tenebris moramur, non pudeat quotidie filium Dei in Scripturis nobis loquentem adire, eumque audire. Etsi enim maxime interdum ob tarditatem nostram nos acriter corripiat: tamen cum Dauide dicamus ex Psalm. 141. vers. 5. Corripiat me iustus placide, & obiurget me, hoc erit oleum ad caput meum. Sic Dominus per Spiritum suum nos ad omnis veritatis cognitionem inducet.

IV. Denique & illud obseruatione dignum est, quod verba illa *in auribus* Apostolorum conseruata, licet tunc non intelligebantur: suo tamen tempore fructum attulerunt. Auctor vulgatæ versionis, quia iudicauit verba *in auribus* nihil prodesse, vertit, *ponite in cordibus vestris*. Sed non opus est Christi verba corrigere. Studiose Christus noluit dicere in cordibus: quia vidit tum temporis Apostolos ista non intelligere. *In auribus* tamen ipsorum personare voluit. Quia quæcunque fidelibus traduntur auribus, & memoria mente retinentur: suo tamen tempore se exerunt, & fructum edunt. Sicut enim semen in terram iactum, non statim enascitur, neque è vestigio fructum affert, sed sensim fructificat, primum herbam, deinde spicam, & denique plenum frumentum profert, Marc. 4. versic. 28. ita verbum Dei instar seminis intra sinus aurium susceptum, sensim in cor penetrat, & in eo asseruatum suo tempore fructum fert, ad Dei gloriam, & proximi vtilitatem.

CAPVT XCI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, DESCRIBENS, QVOMODO IESVS CAPERNAVMI CENsum pro se & Petro soluerit, Matth. 17. vers. 24.

RATIO ORDINIS.

Post illam Galilææ peragrationem, appropinquante festo tabernaculorum, reuersus est Iesus Capernaum. Et in itinere illo agitata fuit inter Apostolos quæstio de primatu: de qua capite sequenti. Cum vero ingrederetur Capernaum, quia per dimidium fere annum non multum ibi fuerat, exactores census, ipsum quidem Christum reuerentiæ caussa non audent interpellare, Petrum tamen qui ciuis erat Capernaiticus, seorsim compellant. Petrus ita respondet, vt colligi inde possit, etiam antea solitum fuisse, Christum didrachma soluere. Cæterum, quia videri poterat cum spe redemtionis per Messiam futuræ pugnare, si censum illum, qui quasi professio erat seruitutis, persolueret, statim cum in domum diuertisset, præuenit Christus Petrum, & per modum inductionis ostendit, se vt filium æterni Regis, cuius magistratus minister est, iure non obligatum esse ad subiectionem hanc præstandam. Et mox stupendo miraculo ostendit, se illius Regis filium esse: sed quia serui formam assumserit, ideo sponte ac minanitione se iure & potestate illa abstinere. Hæc est consequentia & summa huius historiæ.

HISTORIA

HISTORIA SOLVTI CENSVS PRO Christo & Petro in Capernaum.

MATTH. 17.

24. Ἐλθόντων δὲ αὐτῶν εἰς καπερναούμ, προσῆλθον οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες τῷ πέτρῳ, καὶ εἶπον, ὁ διδάσκαλος ὑμῶν οὐ τελεῖ τὸ δίδραχμα.

24. *Cum autem venissent in oppidum Capernaum, accesserunt qui didrachma solent accipere, ad Petrum, dixeruntque, Praeceptor vester non soluit didrachma?*

25. Λέγει ναί. καὶ ὅτε εἰσῆλθεν εἰς τὴν οἰκίαν, προέφθασεν αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς, λέγων, τί σοι δοκεῖ σίμων; οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη ἢ κῆνσον; ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῶν, ἢ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων;

25. *Dicit: etiam. Et cum ingressus fuisset in domum, praeuenit illum Iesus, dicens; quid tibi videtur Simon? Reges terrae à quibus accipiunt tributa aut censum? a filiis suis, an ab alienis?*

26. Λέγει αὐτῷ ὁ πέτρος, ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων. ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἄραγε ἐλεύθεροί εἰσιν οἱ υἱοί.

26. *Dixit illi Petrus: ab alienis. Ait illi Iesus: Ergo liberi sunt filij.*

27. Ἵνα δὲ μὴ σκανδαλίσωμεν αὐτοὺς πορευθεὶς εἰς τὴν θάλασσαν, βάλλε ἄγκιστρον, καὶ τὸν ἀναβάντα πρῶτον ἰχθὺν ἆρον, καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ, εὑρήσεις στατῆρα· ἐκεῖνον λαβὼν, δὸς αὐτοῖς ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ.

27. *Verum ne simus illis offendiculo, profectus ad mare, mitte hamum, & eum piscem qui prodierit primus, tolle, & aperto ore illius, inuenies staterem: acceptum eum da illis pro me & te.*

Periocha huius historiae.

Ante omnia constituendum, de qualinam tributo hic agatur. Non fuit autem portorium, vel vectigal traiectus, quod etiam Capernaum persoluere solebant, qui lacum traiiciebant. Nec etiam fuit pecunia pro redimendis primogenitis, Numer. 18. ver. 16. deputata, sicuti arbitratur D. Chrysostomus. Nam solutio, pro redimendo primogenito, non erant didrachma, sed quinque sicli. Adhaec persoluebatur tantum semel in vita, exacto mense à tempore natiuitatis. Hoc vero tributum fuit annuum in singula capita. De eo sic tenendum. Erant Iudaei antiquitus liber populus, nullum alium regem quam Deum agnoscens, cuius erant peculium, qui se etiam peculiariter ipsi obstrinxerat, & proinde etiam Sanctus Israelis dicebatur. Huic suo Domino, in recognitionem ipsius dominij, quotannis singuli Iudaei, quando in annum vigesimum quintum transierant, ex praescripto Exod. 30. v. 13. dimidium sicli, hoc est, didrachma, seu monetam duas drachmas valentem, pendebat. Et hic fuit census templi, quo eius sarta tecta cum reliquo externo cultu conseruabantur. Hunc sacrum censum Iudaei ab exitu ex Aegypto, per multas annorum centurias, propemodum ad Christi vsque tempora ceu peculium suum conseruarunt. Postquam autem, post Maccabaeorum tempora, Iudaicorum (vt hodie Romanorum) Pontificum ambitio creuit, ita vt sacerdotio regiam dignitatem coniungerent, factum est, vt duo fratres, Hircanus & Aristobulus, inter se de sacerdotali hoc regno hostiliter pugnantes, populum quoque in partes traherent, sicque ciuilis bellis auctores essent. Hoc ciuile bellum eo vsque exarsit, vt vtraque pars externa auxilia, inprimis autem Romanorum quaesierit. Qua occasione Pompeius magnus, circa annum mundi 3887. Hierosolymam cepit, templum spoliauit, tota Iudaea potitus est, atque tandem, vt Iosephus scribit libro Antiquit. Iud. 14. cap. 8. τὰ ἱεροσόλυμα ὑποτελῆ φόρου Ῥωμαίοις ἐποίησεν, hoc est, Hierosolymam Romanis tributo obnoxiam fecit. Etsi autem ibi non exprimitur, quale tributum tum Iudaeis impositum fuerit, ex omnibus tamen circumstantiis colligere licet, dimidium illum siclum seu didrachmum, annuatim templo destinatum, huic ereptū, & fisco Romano attributū fuisse. Qua de causa Iudaei passim in Euangelio tam inique tulerūt, quod templo sui reditus per censum Caesaris interuerterentur. Putant autē aliqui, Iudaeis duplex tributum impositum fuisse, vnum soli, alterum capitationis. Et propterea ab Augusto Imperatore Quirinū Praesidem missum fuisse, qui primus ἀπογραφὴν seu descriptionem capitum, Iudaeam inhabitantium, fecerit. Hic vero tantum de censu Capitum agitur, qui fuit didrachma. Postea, vt idem Iosephus testatur, lib. de bello Iudaico 7. cap. 26. Vespasianus, cui (vt Suetonius scribit) dulcis odor lucri fuit ex re qualibet, Iudaeis vbicunque degerent, annuatim indixit duas drachmas, quas in Capitolium deferrent, sicut antea ad templum. Qua lege Vespasianus Iudaeis non nouum tributum imposuit, sed quod iam à multis annis Iudaeis Iudaeam inhabitantibus impositum fuerat, etiam iis, qui extra Iudaeam viuerent, iniunctum fuit. Vnde Appianus in Syriacis auctor est Iudaeos praeter facultatum tributum, quod etiā Syris atque Cilicibus imperatū fuit, grauius capitis tributum dependisse. Verba eius sunt: διὰ τοῦτ' ἐστιν Ἰουδαίοις ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας. Sic ergo, vt vno verbo dicam, quod tributum templum Dei vltra mille quadringentos annos acceperat, id sexaginta fere annis ante natum Christum ad se rapuit fiscus Romanus. Hoc vero non absque Dei nutu & voluntate factum est. Sic nimirum testari voluit, se populum hunc abdicasse, nec amplius pro suo populo agnoscere, sicuti minatus est Deuter. 32. ver. 21. & Hos. 1. v. 9. Si quis vero nouisse cupiat, quantum nostrae monetae vnusquisque in hac capitatione numerare coactus fuerit, nunc, Dei beneficio in tam clara omnium artium luce, per se planum est. In fine huius historiae praecipit Christus Petro, vt pro Domino & pro se exactoribus det *Staterem*. Est autem στατὴρ pondus quatuor drachmarum: eiusdem apud Graecos valoris, cuius Siclus apud Iudaeos. Vnde & Simul τετράδραχμον dicitur: quia quatuor drachmas habet, nostrae monetae dimidium Vallensem, seu duodecim, (vel potius quatuordecim) grossos Misnicos. Στατὴρ autem dicitur ἀπὸ τοῦ ἱστάναι, ad appendendo: quia antiquitus iusta moneta ex iusto pondere aestimata est. Cum ergo Stater siue Siclus integer datus fuerit pro duabus personis: inde sequitur, singulos pro se numerasse dimidium sicli, vt habetur Exod. 30. v. 13 *didrachma*, aut duos denarios, sicut numisma census Matt. c. 22. v. 19. nominatur, hoc est, nostrates grossos sex siue septem. Vt sic denarius nostrę monetae, quae etiā Romana est, correspondeat. Et licet hoc tributum satis leue esse videatur, siquidem plus non exigatur, quam operarius intra biduum laborando lucrari possit: (est enim denarius diurna merces operarij Matth. 20. vers. 12.) tamen quia quotannis petitum est, dubium non est, immensam opum vim exactoribus, in tam populosa gente, importasse.

Cum ergo, vt dictum est, Iesus Capernaum ingrederetur, Exactores tributi Petrum, qui ciuis fuit Capernaiticus, & apud quem Iesus diuertere solebat, adeunt, eique hanc quaestionem proponunt: *Num praeceptor soluit didrachma*. Chrysostomus putat exactores probrose & insidiose inquisiuisse: quasi Christus, qui nullam haberet certam sedem, se a communi onere subduceret: & quod experiri vellent, vtrum voluntati Caesaris contradicturus esset. Verum quia Euangelistae nihil huiusmodi subindicant, sicuti inferius fiet, Matt. cap. 22. v. 18. statuamus potius, simplici animo quaesiuisse, vel quia ipsi nuper ad hoc officium adhibiti fuerint, vel quia dubitarint, an forsan Christus in patria Nazareth, aut alibi censum iam persoluisset. Est autem horum publicorū ministrorum integritas simul & humanitas laude digna. Integritatis est quod nulli parcere volunt ex priuato arbitrio. Sed sicuti magistratus hunc censum viritim exigi voluit: ita ipsi ne Christum quidem praetermittunt.

Humanitatis autem & modestiae est, quod non insolenter Christum ipsum adoriuntur, sed ex reuerentia erga ipsum, ceu doctorem, prius inquirunt, vtrum communi lege teneatur. Hasce virtutes publici magistratus ministri imitari discant, ne tot querimoniae de ipsorum ferocia audiantur. Potest etiam alia causa esse huius quaestionis. Fuerunt Romani homines benefici & humani, qui plerunque magnos viros immunitatibus donarunt. Quemadmodum ergo rex Pharao, Gen. cap. 47. ver. 22. terram sacerdotalem in Aegypto, liberam fecit ab oneribus illis, quibus reliquum regnum premebatur: ita fieri potuit, vt Scribae, Pharisaei, aut certe Leuitae & Docto-

res exempti fuerint à communi censu. Iaque inquirunt, quid Christus hac in parte facere soleat.

Petrus nihil dissimulat, nec tergiuersatur, sed ingenue respondet etiam. Omnino præceptor meus debitum magistratui exoluit. Sicque Christus suo exemplo confirmat id, quod postea Paulus tradidit, Roman.13 versiculo septimo. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Vult ergo omnes Christianos suis magistratibus bona fide persoluere, quæcunque ipsis debentur. Est hoc ius regis, qui imperat, vt Deus, 1.Samuel.cap.8.versiculo 11. per Prophetam suum populum instruxit. Cum enim impossibile sit Rempub. sine magnis impensis gubernari & seruari: tributa, vectigalia, census, & quæcunque eius sunt generis, sunt quasi nerui, quibus ea conseruatur. Quicunque ergo hac in parte infidelis est, is cōmune bonum defraudat, Rempublic. iniuria afficit, & seipsum crimine peculatus, quod apud omnes gentes pro grauissimo habitum est, polluit. Grata potius mente quisque cōsiderare debet, quantum magistratui debeat, qui omnes subditos custodit; qui officiarios varios alit, vt singulis ius & iustitiam administret: qui cauet ne prædones & latrones grassentur: qui pacem publicam, qua nihil est angustius & sanctius, conseruat. Cum denique magistratus à Deo sit constitutus, tanquam suus minister, Roman.13.versiculo 4. qui iudiciorum ipsius custos & vindex esse debeat, certe in reum redundat iniuria, & à specie sacrilegij parum distat, si quis magistratum hac in re defraudet, Deuter.24.versiculo 15. præcipit Deus, vt cuius operario merces ante occasum solis numeretur: quanto æquius est, vt illi, qui ob publicum bonum laborant & operantur, iusto tempore suum salarium accipiāt? Magnæ autem hic audiuntur querelæ subditorum, quod magistratus tributa intendant, & interim ignaui officium non faciant: sed subditorum sudorem & sanguinem luxu, lusu perdant. Nec sunt hæc querelæ vbique de nihilo. Verum peccata subditorum sæpenumero durius imperium merentur. Hęc subditi agnoscere, emendare & Deum pro mitigatione inuocare debebant, tunc omnia tolerabiliora redderentur. Experientia quoque testatur, Deum illis subditis, qui magistratibus suis, licet æquo durioribus fideles & obsequentes sunt, ita benedicere, vt non minus commode viuere, & liberos suos honeste educare possint, quam alij qui ab eiusmodi exactionibus & oneribus liberi, tamen dolo vtuntur in persoluendis iis, quæ iure Rei suæ publicæ persoluere debebant. Sic Deus obedientiam erga magistratum benedictione remuneratur, contumaciam maledictione punit.

II. Petrus absque dubio apud tributi exactores in se recepit, se domi Præceptorem de censu moniturum. Verum Christus, cui discipulorum morbus qui mundanum regnum sibi imaginabantur, non erat ignotus, quod nimirum absurdum censerent Messiam, mundi redemptorem, censum illū, qui seruitutis indicium esset, persoluere. Quod certe Maccabæi vindices libertatis Iudaicæ nunquam fecissent. Et Iesa.9. v.4. de Messia prædicitur, quod virgam exactoris confringere debeat. Ideo voluit & verbis & miraculis ostendere, se non iure vel necessitate, sed voluntaria subiectione, ob exinanitionem, permittere, vt censeatur, sicut vulgus, licet sit maris, piscium & pecuniæ Dominus, ac proinde immunitate & priuilegiis gaudeat. Iccirco domi Petrum, submonere eum volentem, anteuertit sua quæstione, dicens: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributa aut censum? A filiis suis, an ab alienis?* Petrus respondit quod res est *Ab alienis*, & alienorum nomine non tantum extraneos, sed & subditos intelligit. Nam absurdum & rationi contrarium esset, si reges sibi sanguine iunctos tributo grauare vellent. Infert itaque Christus: *Ergo filij sunt liberi.* Vult autem Christus huius sui argumenti hunc sensum esse. In quouis regno filij illorum regum sunt immunes & liberi à tributis & censu, eo quod sint hæredes. Ego sum filius æterni regis, & ab ipso constitutus rex super Sion sanctum montem eius, Psalm.2. versiculo 6. cui etiam omnes gentes in hæreditatem datæ sunt, & in possessionem omnes termini orbis. Ergo iure meo immunis sum, ab omnibus oneribus tributorum: neque enim subiectus sum seruituti regum, quorum ego sum Dominus. Quod vero ego tempore exinanitionis sponte subeo illam seruitutem, in eo regno meo nihil decedit, quia illud non est de hoc mundo, Ioh.18.v.36.

Hanc Christi sententiam aliqui ita accipiunt & exponūt, vt dicant Christianos ita liberos esse, vt nullo iure, sed libera sua voluntate se subiiciant communi politiæ, quia aliter humana societas consistere non possit, cum iure non debeant. Anabaptistæ quoque hoc prætextu labefactant politicum ordinem, & magistratui subesse nolunt, quia sint filij Dei & proinde liberi. Rasa quoque & vncta inter Pontificios colonia, & inprimis Iesuitæ, se omnibus tributis eximere conantur. Absurdū enim & iniquum esse dicūt, quod spirituales & clerici secularibus siue laicis tributū soluere debeant. Sed si quis hoc attendat, quod Christus hic non disserat de communi fidelium iure, sed de proprio suo iure, quod ipse tāquam filius æterni regis habeat, tum omnes illis prætextus sponte sua concidunt. Quin & illud obseruent Iesuitæ ipsorumque similes. Filius regis Gallorum non est immunis in regno Hispaniæ, sed tantum in regno paterno, ob regnorum diuersitatem. Ita aliud est regnum Dei, aliud Cæsaris. Non igitur quisquam sub titulo spiritualium filiorum Dei, corporalem & mundanam immunitatem sibi polliceatur. *Dictum est quidem* piis, quod hæreditabunt terram. Psalm.37.versicul.vndecimo. Et de credentibus dicit *Paulus, 1, Corint. 3.versic. 21.* Omnia vestra sunt: ac propterea omnino debebant esse immunes ab oneribus exactionum. Impij enim sunt, vt *alieni*, pij autem vt *liberi*. Sed vsque ad plenam reuelationem filiorum Dei non vtentur hac libertate. Interim tamen ex hoc Christi sermone colligere licet, quinam in hoc mundo immunitatibus & priuilegiis, quoad tributa, exactiones & onera ciuilia, bona conscientia frui possint: nimirum *filij regni*, siue regnum. At vero Matth.cap.19.versiculo 15. & alibi *filij sponsi* vel *thalami* dicuntur, qui in adornandis rebus nuptialibus sunt occupati, ac proinde gaudio illo & delitiis fruuntur. Sic ergo hoc in loco *filij regum* vel *regni* dici possunt, qui occupati sunt in regno gubernando & administrando. Hoc reges & principes immunitatibus & priuilegiis, vt à communibus oneribus exemti sint, donare possunt. Cum enim alias propter promouendum bonum publicum laborare cogantur, quid iniqui committitur, si ex publico rursus subleuentur? Et hac de causa etiam plerique pij & Christiani Principes Ecclesiasticas personas aliquibus immunitatibus & priuilegiis gaudere patiuntur, vt tanto commodius ministerio suo defungi possint. Quod si vero iidem secularibus negotiis se immiscere, & bona temporalia coaceruare studeant, atque de illa etiam immunitates eiusmodi extendere velint: aut si alij, qui publici boni causa parum præstant, iisdem immunitatibus frui cupiant, illi *offendiculo sunt* aliis: quod Christus diligenter cauit, & proinde etiam à licitis abstinuit.

Nam III loco dicit hic Christus, *ne offendiculo simus illis*. Mirantur hic Patres, qui factum sit, quod exactores tributi scandalizare noluit, & Matth. 15.versic.13. contemnit scandalum Pharisæorum. Sed dici potest 1.futurum hoc fuisse scandalum non acceptum, verum datum, à quo Christiani omnino abstinere debent. Exactores enim isti non nouisse poterant, eum esse filium æterni regis. Si enim Principes huius mundi Dominum gloriæ cognouissent, non eum cruci affixissent, 1. Corinth.2.vers.8. Cauit itaque ne suspicionem ipsis præberet seditionis, vel rebellionis, quasi turbandi regni cum discipulis author esse vellet: sicuti postea Luc.23.ver.2 accusatur. 2. Gregorij tamen sententia quoque bona est, qua dicit: Quando sine peccato possumus vitare scandala proximorum, facere id debemus. Sicut Paulus 1.Cor.8.ver.13. se id facere testatur. Si autem de veritate scandalum sumitur, vtilius est permittere scandalum enasci, quam veritatem relinquere. Sicut Matt.15. v.13. factum.

Quid ergo facere debet Petrus, ne ipsi scandalizent exactores? Debet hamum immittere in vicinum mare, & primi piscis os aperire, in quo inuenturus esset *staterem*, siue geminū didrachma, quod pro ambobus sufficeret. Res mira. Cur non ex loculis desumsit, cum Iohan.6.versic.7. ducentos denarios, hoc est, centum didrachmata habuerit? Aut cur non accepit à mulierculis. Luc 8.ver.3? Alij Patrum putarūt, Christum tum temporis nihil omnino habuisse in loculis. Alij existimant ipsum tantum imaginem Cæsaris non habuisse in suis loculis: cum tamen census non nisi Cæsareo numismate persolui potuit. Alij dicunt, ipsum res pauperum noluisse in suos conuertere vsus. Cur ergo non de nouo pecuniam creauit? Resp. Nihil horum facere placuit: sed sic voluit cogitationes suorum Apostolorum deducere ad considerationem Psalm.8 in quo non tantum de exinanitione filij hominis legerent, sed simul etiam audirent omnia in terra, aere & mari ipsi subiecta esse. Nam vnde hic piscis, qui staterem deglutierat, sic directe primus in hamum Petri insiliit? cum teste Habacuc cap.1.versic.14. pisces in mari sine duce & principe ferantur. Nimirum Christus Iesus ipso facto demonstrare voluit, se superni & æterni illius regis filium esse, cui omnes creaturæ obedire cogantur, & qui vere in censu atque tributo immunis sit. Discant hic Caluiniani, nisi ad discendum dudum deperditi sint, quid de Christi hominis omniscientia & omnipotentia secundum Scripturam credere debeant. Ipse enim adhuc in statu exinanitionis constitutus, sciuit ea, quæ ab omni humana scientia fuerunt abditissima. Præuenit Petrum, cum eo disserens de illis, de quibus ipsum monere voluerat. Sciuit staterem inesse in ore piscis, eumque ad hamum Petri

Petri duxit, quod alias omnium hominum notitiam longissime effugiebat. Consimilia exempla omniscientiæ Christi plurima in in Euangelio habemus. Sed præter omniscientiæ testimonium etiam omnipotentiæ argumentum hic habemus. Ostendit enim se cœli, terræ, & maris, omniumque quæ in eo sunt, Dominum esse. Sicut etiam alias ventis & mari interminatur, sicque exortam tempestatem vno verbo sedat. Si vero hæc & similia præstitit in exinanitionis statu, quanto minus ipsi omniscientiæ & omnipotentiæ laudem nunc derogare debemus, postquam per statum exaltationis ingressus est in gloriam suam, & nunc plenus Dominus constitutus est super omnia opera manuum Dei, & omnia subiecta sunt pedibus ipsius? Psal. 8. v. 7.

Quod postremo Christus Petro dixit: da staterem loco tributi *pro me & te*. Ex eo Pontificij Petri prærogatiuam & primatum stabilire conantur: quia Christus ipsum non tantum miraculi executorem, sed etiam sui iuris participem fecerit. Sed valde infirma est hæc ratiocinatio. Nam CHRISTVS Capernaumi solitus est in Petri ædes diuertere. Hospitem ergo suum donatione tributi remunerare voluit. Si apud Andream diuertisset, qui & ipse Capernaumi ædes habuit, idem absque dubio is beneficium ab ipso accepisset. Petrum denique multas prærogatiuas habuisse vltro fatemur: quod vero ex illis talis Primatus enascatur, qualem Baptistæ comminiscuntur, id nunquam probare possunt.

CAPVT XCII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS CHRISTI CONCIONEM CONTRA PRIMATVM PRO humilitate, de cauendo scandalo pusillorum, deque fratre corripiendo: cui interponitur historia, quomodo Apostoli cuidam, qui Christum non sequebatur, interdixerint, ne Diabolos in Christo nomine expelleret. Matth. 18. vers. 1. Marc. 9. vers. 33. Luc. 9. vers. 46.

RATIO ORDINIS.

Post solutionem didrachmorum *in eadem domo*, vt Marcus habet, & *eadem hora*, vt Matthæus testatur, facta est explicatio quæstionis de primatu. Quę disputatio in itinere initium sumserat. Christus autem primatus ambitum tam seuere reiicit, vt talibus ne infimum quidem locum in regno Dei deberi testetur. Suis autem vice versa humilitatem commendat, non tantum proposito exemplo puelli, quem amplexatus est, vt ostenderet, quam sibi grata esset humilis infirmitas suorum, sed etiam additis aliquot argumentis. Quibus animos suorum Apostolorum ita perculit, vt Iohannes sermonem eius interruperit, & quæstionem propoluerit de quodam, qui cum publice Christum non sectaretur, & tamen in nomine ipsius dæmonia eiiceret, an talis esset prohibendus, prout ipsi fecerant? Nimirum propria conscientia ipsi dictabat, interdictum illud ex ambitione prodiisse: & intelligebat, Christum in sua concione non potissimum de illis, qui ætate, sed qui infirmitate pueri essent, loqui. Qua de causa etiam Christus pronunciat, hunc potius recipiendum, fouendum, atque ad se adducendum, quàm absterrendum fuisse. Ab hac vero hypothesi transit ad thesin, & in genere de scandalo grauissime concionatur, ostendens, scandala noxia esse, non tantum illis, qui ea præbent, sed etiam qui patiuntur. Monens simul, quando velimus scandala vitare, vt non tantum ad alios homines respiciamus, sed caueamus, ne proprij oculi, manus & pedes nobis offendiculum præbeant. Rursus ne sub prætextu offendiculi, quod pusilli capere possent, putet quis, omnem correptionem à Christo sublatam esse, huius etiam verum modum tradit & ostendit. Cum ergo, vt patet, hæc omnia inter se cohæreant, vno etiam Capite ea expedire studebimus.

CONCIO CHRISTI DE HVMILITATE CONTRA primatum, de vitando scandalo, & de fratre corripiendo.

MATTH. 18.

1.	Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ, λέγοντες, τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν;	1.	*In illo tempore accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis maximus est in regno cœlorum?*
2.	Καὶ προσκαλεσάμενος ὁ Ἰησοῦς παιδίον, ἔστησεν αὐτὸ ἐν μέσῳ αὐτῶν·	2.	*Et accersitum ad se puerum Iesus statuit in medio illorum.*
3.	Καὶ εἶπεν· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.	3.	*Et dixit: Amen, dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puelli, non ingrediemini in regnum cœlorum.*
4.	Ὅστις οὖν ταπεινώσῃ ἑαυτὸν ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, οὗτός ἐστιν ὁ μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.	4.	*Quisquis igitur demiserit semetipsũ, sicut est puellus iste, hic est ille maximus in regno cœlorum.*
5.	Καὶ ὃς ἐὰν δέξηται παιδίον τοιοῦτον ἓν ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται.	5.	*Et qui receperit vnum puellum talem in nomine meo, me recipit.*
6.	Ὃς δ' ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων, εἰς ἐμὲ συμφέρει αὐτῷ, ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης.	6.	*Qui vero offenderit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris.*
7.	Οὐαὶ τῷ κόσμῳ ἀπὸ τῶν σκανδάλων· ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα. Πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται.	7.	*Væ mundo ab offendiculis: necesse est enim vt veniat offendicula. Veruntamen væ homini, per quem offendiculum venit.*
8.	Εἰ δὲ ἡ χείρ σου, ἢ ὁ πούς σου σκανδαλίζει σε, ἔκκοψον αὐτὰ, καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ. καλόν σοί ἐστιν εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν ἢ κυλλὸν, ἢ δύο χεῖρας ἢ δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.	8.	*Quod si manus tua vel pes tuus obstaculo est tibi, abscinde eum & proyce abs te. Bonum est tibi ad vitam ingredi claudum aut mutilum potius, quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum.*

9. Καὶ εἰ ὁ ὀφθαλμός σου σκανδαλίζει σε, ἔξελε αὐτὸν, καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ. καλόν σοι ἐστὶ μονόφθαλμον εἰς τὴν ζωὴν εἰσελθεῖν, ἢ δύο ὀφθαλμοὺς ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός.

9. *Et si oculus tuus offendit te, erue eum & proijce abs te. Bonum est tibi, vt luscus intres in vitam, potius quam vt duos oculos habens, mittaris in gehennam ignis*

10. Ὁρᾶτε μὴ καταφρονήσητε ἑνὸς τῶν μικρῶν τούτων. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οἱ ἄγγελοι αὐτῶν ἐν οὐρανοῖς διαπαντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

10. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quod angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.*

11. Ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός.

11. *Venit enim filius hominis seruare quod perierat.*

12. Τί ὑμῖν δοκεῖ; ἐὰν γένηταί τινι ἀνθρώπῳ ἑκατὸν πρόβατα, καὶ πλανηθῇ ἓν ἐξ αὐτῶν, οὐχὶ ἀφεὶς τὰ ἐννενήκοντα ἐννέα ἐπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς ζητεῖ τὸ πλανώμενον;

12. *Quid vobis videtur? Si fuerint alicui homini centum oues, & errauerit vna ex eis, nonne relictis nonaginta nouem in montibus vadit, & quærit eam quæ errauerat?*

13. Καὶ ἐὰν γένηται εὑρεῖν αὐτὸ, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι χαίρει ἐπ᾽ αὐτῷ μᾶλλον, ἢ ἐπὶ τοῖς ἐννενήκοντα ἐννέα τοῖς μὴ πεπλανημένοις.

13. *Et si contigerit, vt inueniat eam, Amen dico vobis, gaudet super ea magis, quàm super nonaginta nouem, quæ non errauerunt.*

14. Οὕτως οὐκ ἔστι θέλημα ἔμπροσθεν τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς, ἵνα ἀπόληται εἷς τῶν μικρῶν τούτων.

14. *Si non est voluntas coram patre vestro qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis.*

15. Ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σου, ὕπαγε, καὶ ἔλεγξον αὐτὸν μεταξὺ σοῦ καὶ αὐτοῦ μόνου. Ἐάν σου ἀκούσῃ, ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν σου.

15. *Porrò si peccauerit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.*

16. Ἐὰν δὲ μὴ ἀκούσῃ, παράλαβε μετὰ σοῦ ἔτι ἕνα ἢ δύο, ἵνα ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν σταθῇ πᾶν ῥῆμα.

16. *Si vero te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum aut duos, vt in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum.*

17. Ἐὰν δὲ παρακούσῃ αὐτῶν, εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ· ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς, καὶ ὁ τελώνης.

17. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus.*

18. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. Καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ.

18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo: quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cœlo.*

19. Πάλιν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν δύο ὑμῶν συμφωνήσωσιν ἐπὶ τῆς γῆς περὶ παντὸς πράγματος, οὗ ἐὰν αἰτήσωνται γενήσεται αὐτοῖς παρὰ τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

19 *Rursum dico vob s, quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint fiet illis à patre meo, qui in cœlis est.*

20. Οὗ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν.

20. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

MARC. 9.

33. Καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος, ἐπηρώτα αὐτοὺς, τί ἐν τῇ ὁδῷ πρὸς ἑαυτοὺς διελογίζεσθε;

33. *Et cum venisset in domum, interrogauit illos: quid in itinere inter vos disputastis?*

34. Οἱ δὲ ἐσιώπων· πρὸς ἀλλήλους γὰρ διελέχθησαν ἐν τῇ ὁδῷ, τίς μείζων.

34. *At illi siluerunt. Inter se enim disputauerant, in via, quis esset maior.*

35. Καὶ καθίσας, ἐφώνησε τοὺς δώδεκα, καὶ λέγει αὐτοῖς, εἴ τις θέλει πρῶτος εἶναι, ἔσται πάντων ἔσχατος, καὶ πάντων διάκονος.

35. *Et cum consedisset, accersiuit duodecim, & dicit illis, Si quis vult primus esse, is erit omnium postremus, & omnium minister.*

36. Καὶ λαβὼν παιδίον ἔστησεν ἐν μέσῳ αὐτῶν, καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὸ, εἶπεν αὐτοῖς·

36. *Atque arreptum puerum statuit in medio illorum, & cum cepisset illum in vlnas suas, dixit illis:*

37. Ὃς ἐὰν ἓν τῶν τοιούτων παιδίων δέξηται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται. Καὶ ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, οὐκ ἐμὲ δέχεται, ἀλλὰ τὸν ἀποστείλαντά με.

37. *Quisquis vnum ex talibus pueris receperit nomine meo, me recipit. Et quicunque me recipit, non me recipit, sed eum qui misit me.*

38. Ἀπεκρίθη δὲ ὁ Ἰωάννης, λέγων, διδάσκαλε, εἴδομέν τινα ἐν τῷ ὀνόματί σου ἐκβάλλοντα δαιμόνια, ὃς οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν, καὶ ἐκωλύσαμεν αὐτὸν, ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ ὑμῖν.

38. *Respondit autem ei Iohannes: dicens, Præceptor, vidimus quendam nomine tuo eiicere dæmonia, nec sequitur nos, & prohibuimus illi, propterea quòd non sequitur nos.*

39. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπε, μὴ κωλύετε αὐτόν. οὐδεὶς γάρ ἐστιν, ὃς ποιήσει δύναμιν ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, καὶ δυνήσεται ταχὺ κακολογῆσαί με.

39. *At Iesus ait, Ne prohibeatis illum. Nullus enim est, qui fecerit virtutem per nomen meum & possit citò malè loqui de me.*

40. Ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ᾽ ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐστιν.

40. *Qui enim non est aduersus nos, pro nobis est.*

41. Ὃς ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς ποτήριον ὕδατος ἐν τῷ ὀνόματί μου, ὅτι Χριστοῦ ἐστε, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ.

41. *Quisquis enim ad bibendum dederit vobis calicem aquæ nomine meo, quòd sitis Christi, amen dico vobis, nequaquam perditurus est mercedem suam.*

42. Καὶ ὃς ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, καλόν ἐστιν αὐτῷ μᾶλλον, εἰ περίκειται λίθος μυλικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ βέβληται εἰς τὴν θάλασσαν.

42. *Et quisquis offenderit vnum ex pusillis, qui confidunt in me, melius foret illi, si circumdaretur saxum molare circa ceruicem eius, & abiiceretur in mare.*

43. Καὶ ἐὰν σκανδαλίζῃ σε ἡ χείρ σου, ἀπόκοψον αὐτήν. καλόν σοι ἐστὶ, κυλλὸν εἰς τὴν ζωὴν εἰσελθεῖν, ἢ τὰς

43. *Et si fuerit tibi obstaculo manus tua, amputa illã. Bonum tibi est, mutilum ad vitam ingredi, quam* δύο

δύο χεῖρας ἔχοντα ἀπελθεῖν εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον·

44. Ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται.

45. Καὶ ἐὰν ὁ πούς σου σκανδαλίζῃ σε, ἀπόκοψον αὐτόν. καλόν ἐστί σοι εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν, ἢ τοὺς δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον·

46. Ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται.

47. Καὶ ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σου σκανδαλίζῃ σε, ἔκβαλε αὐτόν. Καλόν σοι ἐστι μονόφθαλμον εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, ἢ δύο ὀφθαλμοὺς ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός·

48. Ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται.

49. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται.

50. Καλὸν τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας, καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις.

duas manus habentem abire in gehennam in ignem inextinguibilem:

44. *Vbi vermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

45. *Et si pes tuus fuerit tibi obstaculo, amputa illum. Bonũ est tibi, vti ingrediaris ad vitam claudus, quam duos pedes habens mittaris in gehennam, in ignem inextinguibilem:*

46. *Vbi vermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

47. *Et si oculus tuus tibi obstaculo est, erue illum. Bonum tibi est vt luscus introeas in regnum Dei, quam vt duos oculos habens mittaris in gehennam ignis:*

48. *Vbi vermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

49. *Nam omnis homo igne salietur, & omnis victima sale salietur.*

50. *Bona res est sal: cæterum si sal insulsus fuerit, in quo ipsum condietis? Habete in vobisipsis salem, & pacem habete inter vos inuicem.*

LVC. 9.

46. Εἰσῆλθε δὲ διαλογισμὸς ἐν αὐτοῖς, τὸ, τίς ἂν εἴη μείζων αὐτῶν.

47. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἰδὼν τὸν διαλογισμὸν τῆς καρδίας αὐτῶν, ἐπιλαβόμενος παιδίου, ἔστησεν αὐτὸ παρ' ἑαυτῷ·

48. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· ὃς ἐὰν δέξηται τὸ παιδίον ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται. Καὶ ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με. Ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, οὗτος ἔσται μέγας.

49. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰωάννης εἶπεν ἐπιστάτα, εἴδομέν τινα ἐπὶ τῷ ὀνόματί σου ἐκβάλλοντα τὰ δαιμόνια, καὶ ἐκωλύσαμεν αὐτὸν, ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ μεθ' ἡμῶν.

50. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς, μὴ κωλύετε. ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐστιν.

46. *Intrauit autem cogitatio inter eos, quis eorum maior esset.*

47. *At Iesus videns cogitationem cordis illorum, apprehendens puerum statuit illum iuxta se:*

48. *Et ait illis: Quicunque receperit puerum hunc nomine meo, me recepit. Et quicunque me receperit, recepit eum qui misit me. Nam qui minor est inter vos omnes, hic erit magnus.*

49. *Respondens autem Iohannes dixit, Præceptor, vidimus quendam sub nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.*

50. *Et ait ad illum Iesus, Nolite prohibere. Qui enim non est aduersum nos, pro nobis est.*

HARMONIA CONCIONIS CHRISTI DE humilitate, de cauendo scandalo, de correptione fraterna, & interiectæ historiolæ, ex descriptionibus trium Euangelistarum in vnum corpus coagmentata.

c Εἰσῆλθε δὲ διαλογισμὸς ἐν αὐτοῖς, τὸ, τίς ἂν εἴη μείζων αὐτῶν. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἰδὼν τὸν διαλογισμὸν τῆς καρδίας αὐτῶν, b καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος, ἐπηρώτα αὐτοὺς, τί ἐν τῇ ὁδῷ πρὸς ἑαυτοὺς διελογίζεσθε; Οἱ δὲ ἐσιώπων. πρὸς ἀλλήλους γὰρ διελέχθησαν ἐν τῇ ὁδῷ, τίς μείζων. Καὶ καθίσας, ἐφώνησε τοὺς δώδεκα. a Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ, λέγοντες, τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν; b καὶ λέγει αὐτοῖς, εἴ τις θέλει πρῶτος εἶναι, ἔσται πάντων ἔσχατος, καὶ πάντων διάκονος. a Καὶ προσκαλεσάμενος ὁ Ἰησοῦς παιδίον, b καὶ h ἐπιλαβόμενος παιδίου, l ἔστησεν αὐτὸ c παρ' ἑαυτῷ ἐν μέσῳ αὐτῶν.

b Καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὸ, l εἶπεν h αὐτοῖς a Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

Ὅστις οὖν ταπεινώσῃ ἑαυτὸν ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, οὗτός ἐστιν ὁ μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. Καὶ l ὃς ἐὰν δέξηται c τοῦτο τὸ παιδίον (ἢ) ἓν τῶν τοιούτων παιδίων l ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται. h Καὶ ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, b οὐκ ἐμὲ h δέχεται, b ἀλλὰ h τὸν ἀποστείλαντά με. c Ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, οὗτος ἔσται μέγας.

h Ἀπεκρίθη δὲ b αὐτῷ h ὁ Ἰωάννης, λέγων, διδάσκαλε,

c *Intrauit autem cogitatio inter eos, quis eorum maior esset. At Iesus videns cogitationem cordis illorum,* b *& cum in domum venisset, interrogauit illos: Quid in itinere inter vos disputastis? At illi siluerunt. Inter se enim disputauerunt in via, quis esset maior. Et cum consedisset, accersiuit duodecim.* a *In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis maximus est in regno cœlorum?* b *Et dicit illis: Si quis vult primus esse, is erit omnium postremus, & omnium minister.* a *Et accersitum ad se puerum Iesus statuit* b *&* h *apprehendit puerum,* l *statuit illum* c *iuxta se* e *in medio illorum.*

b *Et cum cepisset illum in vlnas suas,* l *dixit* h *illis:* a *Amen, dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueli, non ingrediemini in regnum cœlorum.*

Quisquis igitur demiserit semetipsum, sicut est puellus iste, hic est ille maximus in regno cœlorum. a *Et* l *quicunque receperit* c *puerum hunc (aut* h *vnum ex talibus pueris* l *in nomine meo, me recipit.* h *Et quicunque me recipit,* b *non me* h *recipit,* b *sed* h *eum qui misit me.* c *Nam qui minor est inter omnes, hic erit magnus.*

h *Respondit autem* b *ei* h *Iohannes: dicens, Præce-*

εἴδομέν τινα ἐν τῷ ὀνόματί σου ἐκβάλλοντα δαιμόνια, b ὃς οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν, h καὶ ἐκωλύσαμεν αὐτὸν, ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ μεθ' ὑμῶν. c Καὶ h ὁ Ἰησοῦς εἶπε c πρὸς αὐτὸν· h μὴ κωλύετε b αὐτόν. οὐδεὶς γάρ ἐστιν, ὃς ποιήσει δύναμιν ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, καὶ δυνήσεται ταχὺ κακολογῆσαί με. h Ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν ἐστιν. b Ὃς ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς ποτήριον ὕδατος ἐν τῷ ὀνόματί μου, ὅτι Χριστοῦ ἐστε, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ.

b Καὶ ὃς ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν a τούτων, c τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, καλόν ἐστι (καὶ) a συμφέρει c αὐτῷ b μᾶλλον, c ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, b καὶ βέβληται a καὶ καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης.

a Οὐαὶ τῷ κόσμῳ ἀπὸ τῶν σκανδάλων· ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα. Πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται. c Καὶ ἐὰν σκανδαλίζῃ σε ἡ χείρ σου, ἀπόκοψον αὐτὴν, a καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ. καλόν ἐστι, κυλλὸν εἰς τὴν ζωὴν εἰσελθεῖν, ἢ b τὰς c δύο χεῖρας ἔχοντα b ἀπελθεῖν (καὶ) a βληθῆναι b εἰς τὴν γέενναν, c εἰς τὸ πῦρ a αἰώνιον b τὸ ἄσβεστον· Ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται. c Καὶ ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σου σκανδαλίζῃ σε, ἀπόκοψον αὐτὸν, a καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ. c καλόν σοι εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν, ἢ τοὺς δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι b εἰς τὴν γέενναν c εἰς τὸ πῦρ a τὸ αἰώνιον, b τὸ ἄσβεστον· ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται. c Καὶ ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σου σκανδαλίζῃ σε, ἔξελε αὐτόν. a καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ. c καλόν σοι ἐστι μονόφθαλμον εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, ἢ δύο ὀφθαλμοὺς ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός· b ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. Καλὸν τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας, καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις.

a Ὁρᾶτε μὴ καταφρονήσητε ἑνὸς τῶν μικρῶν τούτων. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οἱ ἄγγελοι αὐτῶν ἐν οὐρανοῖς διὰ παντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός. Τί ὑμῖν δοκεῖ; ἐὰν γένηταί τινι ἀνθρώπῳ ἑκατὸν πρόβατα, καὶ πλανηθῇ ἓν ἐξ αὐτῶν, οὐχὶ ἀφεὶς τὰ ἐννενήκοντα ἐννέα ἐπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς ζητεῖ τὸ πλανώμενον; καὶ ἐὰν γένηται εὑρεῖν αὐτὸ, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι χαίρει ἐπ' αὐτῷ μᾶλλον, ἢ ἐπὶ τοῖς ἐννενήκοντα ἐννέα τοῖς μὴ πεπλανημένοις. Οὕτως οὐκ ἔστι θέλημα ἔμπροσθεν τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς, ἵνα ἀπόληται εἷς τῶν μικρῶν τούτων. Ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σου, ὕπαγε, καὶ ἔλεγξον αὐτὸν μεταξὺ σοῦ, καὶ αὐτοῦ μόνου. Ἐάν σου ἀκούσῃ, ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν σου. Ἐὰν δὲ μὴ ἀκούσῃ, παράλαβε μετὰ σοῦ ἔτι ἕνα ἢ δύο, ἵνα ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν σταθῇ πᾶν ῥῆμα. Ἐὰν δὲ παρακούσῃ αὐτῶν, εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ· ἐὰν δὲ καὶ ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς, καὶ ὁ τελώνης. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. Καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. Πάλιν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν δύο ὑμῶν συμφωνήσωσιν ἐπὶ τῆς γῆς περὶ παντὸς πράγματος, οὗ ἐὰν αἰτήσωνται γενήσεται αὐτοῖς παρὰ τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Οὗ γὰρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμὶ ἐν μέσῳ αὐτῶν.

ptor, vidimus quendam nomine tuo eiicere dæmonia, b nec sequitur nos, h & prohibuimus illum, propterea quòd non sequitur nos.

c Et ait c ad illum h Iesus: Ne prohibeatis b illum. Nullus enim est, qui fecerit virtutem per nomen meum, & possit citò malè loqui de me. h Qui enim non est aduersus nos, pro nobis est. b Quisquis enim ad bibendum dederit vobis calicem aquæ nomine meo, quòd sitis Christi, amen dico vobis, nequaquam perditurus est mercedem suam.

b Et quisquis offenderit vnum ex pusillis a istis, c qui in me credunt, b melius foret (&) a expediret c illi, vt suspendatur mola asinaria in collum eius, b & abiiceretur a & demergeretur c in profundum maris.

a Væ mundo ab offendiculis: necesse est enim vt veniāt scandala. Veruntatem væ homini, per quem scandalum venit. c Et si scandalizat te manus tua, amputa eam, b & proiice abs te. c Bonum tibi est, mutilum ad vitam ingredi, quam duas manus habentem b abire (&) a mitti b in gehennam c in ignem a æternum b & inextinguibilem: Vbi vermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur. c Et si pes tuus te scandalizauerit, amputa illum, a & proiice abs te. c Bonum est tibi, vt ingrediaris ad vitam claudus, quam duos pedes habens mittaris b in gehennam, in c ignem a æternum b & inextinguibilem: Vbi vermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur. c Et si oculus tuus te scandalizauerit, erue eum, a & proiice abs te. c Bonum est tibi, vt luscus introeas in regnum Dei, potius quam vt duos oculos habens, mittaris in gehennam ignis: b Vbi vermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur. Nam omnis homo igne salietur, & omnis victima sale salietur. Bona res est sal: cæterum si sal insulsus fuerit, in quo ipsum condietis? habete in vobisipsis salem, & pacem habete inter vos inuicem.

a Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quòd angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. Venit enim filius hominis seruare quod perierat. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui homini centum oues, & errauerit vna ex eis, nonne relictis nonaginta nouem in montibus vadit, & quærit eam quæ errauerat? Et si contigerit, vt inueniat eam, Amen dico vobis, gaudet super ea magis, quàm super nonaginta nouem, quæ non errauerunt. Sic non est voluntas coram patre vestro qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Porrò si peccauerit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si vero te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum aut duos, vt in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cœlo. Rursum dico vobis, quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Periocha concionis de humilitate contra primatum.

ANte omnia considerandum est, quid hic inter Apostolos in disputationem venerit. Et ipsi quidem Apostoli apud Matthæum quæstionem sic proponunt: *Quis maximus est in regno cælorum?* Hæc quæstio defendi posse videtur. Quia satius est de *regno cælorum* inquirere, quàm mundana tractare. Sed sciendum, Apostolos per *regnum cælorum* hic non intellexisse

lexisse futuri seculi beatitudinem: neque etiam Ecclesiam, quæ interdum regnum Messiæ vel *regnum cœlorum* dicitur. Verum, quia Christus in præcedentibus dixerat de morte sua & resurrectione: illi eius occasione vel de eo disputarunt, quis regnum administraturus esset, vbi ipse discessisset: vel, quia cato fugit molestiam crucis, illi omissa morte arripuerunt illud, quòd de resurrectione dictum fuit, sibique ipsis finxerunt terrenum, in quo mox post tertium diem ad carnalem felicitatem progressuri essent. In hoc regno quisque ipsorum primas tenere voluit. Nec tacitis tantum cogitationibus, sed διαλογισμοῖς verbis hæc quæstio vltro citroque agitata fuit, singulis suis allegantibus prærogatiuis. Nam 1. quidam Apostoli erant Christi cognati, hi sanguini aliquid deberi existimarunt. 2. Alij ab initio fuerunt cum Christo, nec hoc negligendum videtur. 3. Aliqui maiora habebant dona: sicuti Iacobus & Iohannes propterea filij tonitrui dicti sunt. Marc.3. versicul. 17. 4. Petrus adhibebatur ad plura: nuper ipsi promissæ sunt claues regni cœlorum. Matth.16. versic.19. & modo tributum pro ipso solutum est, vnde multum prærogatiuæ præ reliquis ipsum habere singuli intellexerunt. Hanc ergo quæstionem mouerunt non pietatis studio, nec æternæ salutis desiderio, sed ex curiositate & ambitionis morbo. Vt ita duo grauissima vitia apud ipsos concurrant. 1. quod triumphum agunt ante militiam. 2. Quod nullus eorum alterum honore prouenit, sed quisque ex ambitionis æstro sibi honorem præ aliis rapit. O rem pudendam! Satanam inter Christi discipulos rem eo adduxisse, vt de euanido mundi honore inter se altercarentur. Si Alexandri illius Magni, orbis dominatoris, sectatores hoc fecissent, minus mirum esset. Sed discamus hinc, neminem debere hac in parte securum esse: quia diabolus omnibus statibus, inferioribus æque ac superioribus, quoad ambitionis vitium insidiatur. Multi putant, tantum in principum aulis nutriri hoc vitium: sed etiam locum inuenit in monasteriis & scholis: imò in pagos & ad agricolas vsque euagatur. Apostoli sunt præcipua Ecclesiæ membra, adhæc pauperes & simplici tunica amiciebantur: ter tamen Satanas eos hoc peccato tentauit. Primum hic: Deinde Matthæi 20. versicul. 24. cum Iacobus & Iohannes ad dexteram & sinistram sedere cuperent: denique Lucas 22. ver.24. in postrema cœna. Nisi enim corda per Spiritus sancti gratiam probè sint defecata à carnalibus affectibus, facili momento in hoc vitium præcipitantur. Omnes itaque sibi caueant ab hoc vitio: maxime autem Theologi, quia per hoc vitium multæ hæreses & contentiones in Ecclesiam sunt inuectæ. Quanquam nec illud negari possit, etiam multos politicos si videant alicubi Theologos in eminentia constitutos esse, ambitione & inuidia propterea vti.

Hic vero denuo diuina Christi omniscientia nobis considerãda venit: qui *vidit cogitationes cordis* Apostolorum, quod solius Dei proprium est. Nemo autem hanc omniscientiam sibi talem imaginetur, quod sola diuinitas cogitationes viderit, & postea humanitati eas manifestarit: sed *Iesus* tota persona, Deus & homo *vidit eas*. Vnde colligimus, eum nunc in gloria multo magis omnium hominum cogitationes & acta nouisse atque videre. Conducat nobis hæc doctrina 1. ad vitam pie instituendam. Cum enim plerique hominum oculos ita vereamur, vt in ipsorum conspectu multa intermittamus, quæ alioquin faceremus: quanto plura intermitteremus, si semper hoc meditaremur, quod omnia nostra pateant oculis Christi Iudicis viuorum & mortuorum? 2. Ad consolationem, ne hostium nostrorum conatus & consilia nimium metuamus. Sunt illa quidem plerumque astuta & virulenta, ac proinde nobis formidabilia. Sed Christus ea omniscientia sua videt, & omnipotentia sua facili momento dissipat. Sin furori ipsorum aliquid permittat: tamen etiam videt gemitus, lachrymas & fugas piorum, & harum se vindicem atque vltorem futurum in verbo suo promisit.

Illud tamen in discipulis laude dignum est, quod vel tandem *accesserunt ad Iesum*, & animi sui morbum ipsi aperuerunt. Sic & nos properemus ad Christum, eidem stultitias nostras detegamus, vt corrigantur. Inprimis autem in rebus dubiis & difficilibus ad ipsum confugiamus ipsum deprecantes, vt nos illuminet atque erudiat. Nam Ies.30. v.2. Hebræi grauiter reprehenduntur, quod os Domini non interrogarunt. Os autem Domini interrogare dicimur, quando ab ipso datos Doctores adimus & audimus.

II. Quid adhæc Christus? Potuisset respondere, & directe dicere: Ego sum maximus in regno cœlorum. Nam omnino ipsi nomen datum est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, Philip.2. vers.9. Si quoque Christus primatum in Ecclesia stabilire voluisset, qualem Pontificij sibi imaginantur, tribus verbis respondere potuisset, *Petrus erit primas*. Verum nihil horum facit: quin magna seueritate primatum ingerentes Apostolos compescit, & vt serio se agere omnes intelligerent, singulari grauitate hanc causam agit. Nam 1. *consedit*, vt qui peculiare quid agere intenderet. 2. *duodecim conuocauit* omnes, eo quod doctrinę huius cognitio ad vniuersos & singulos pertineat. 3. Paucis sed disertis verbis summam rei proponit, & dicit: *Si quis vult primus esse, sit omnium postremus, & omnium minister.* Hæc sententia monet, eos, qui in Ecclesia eminentiam appetunt supra fratres, non assequi eam ambitione, sed sola humilitate, quæ exaltet. Nam in Ecclesia vnus & solus Christus debet esse πρωτεύων, Colos.1. v.18. qui in omnibus primas teneat. Nam vere ipse factus est nouissimus virorum, Ies.53. versic.3. *& minister omnium.* Vt qui se ministrum omnibus exhibuerit, qui omnibus, quantum in se fuit, prodesse cupierit, non propter proprium suum commodum, sed propter vtilitatem illorum, & qui autoritate, qua fungebatur, & honore, quo afficiebatur, non ad propriam elationem & gloriam, sed ad proximi vtilitatem retulerit. Hoc certe Christus fecit: qui adeo nihil seruilis officij, quod ad salutem nostram facere posset, subterfugit, vt etiam acerbissima crucis morte vitam nobis pararit. Merito ergo ipsi soli primatus in Ecclesia debetur: & quicunque eundem sibi arrogant, atque Ecclesiam potius opprimunt, quàm eidem seruiunt, Antichristi titulum merentur. Interim Christus hac sententia dignitatum gradus in Ecclesia non tollit: vt nimirum quos Deus illustribus donis præ aliis instruxit, illi etiam ratione ordinis inter alios emineant. Modo donis à Deo acceptis non superbiant, iisque quamplurimis inseruire studeant.

Nam vt alias in rebus humanis illæ res aliis præstantiores habentur, quarum vsus ad plures redundat: ita inter homines merito illorum dignitas maior habetur, qui pluribus hominibus prosunt. Quicunque vero pluribus prodesse cupiunt, illi etiam pluribus seruire coguntur. Sic Pastor Diacono, Superintendens Pastori, Generalis speciali præfertur, non quod illi per se primas teneant: sed quod pluribus se ministros præbeant. Si vero ob illam eminentiam sese animo efferant, neque sese aliis seruiendo submittant, grauiter coram Deo & hominibus peccant. 4. Verbis non contentus, quia res hæc magni momenti est, & externa species oculis obiecta magis mouet, typum humilitatis in puero proponit. Prophetis valde vsitatum fuit, vt inter docendum huiusmodi χρῄσεις (vt docti vocant) vterentur. Nam *puerulum accersit*, eum adductum *in medio sistit*, tandem *in vlnas suscipit*, & amplexatur, vt ostendat quam grata & chara sibi sit humilitas, & quomodo infirmos ac paruulos ipse subleuet. Simulque grauissimis verbis asseuerat: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pusilli, non ingrediemini in regnum cœlorum.* Vult dicere: Appetitis singuli vel primum vel secundum locum in regno cœlorum. Ego vero dico vobis, nisi obliti eminentiæ vos ipsos humiliaueritis, prorsus nullum, & ne infimum quidem locum in eo habebitis. Ideo dicit: *nisi conuersi fueritis*, id est, iam ferimini iuxta communes mundi mores, & vt video Euangelium meum tantum propterea sectamini, vt in hoc mundo magni & potentes efficiamini. Sed si vultis in regnum cœlorum ingredi, cursus retro flectendus est. Nam *qui seipsum demiserit sicut puellus iste, maximus est in regno cœlorum.* Hoc addit, ne putemus nobis aliquid decedere, vbi aliis cedimus. In mundo fortassis aliquid decedit, sed non in regno cœlorum.

Considerandum autem quomodo & quatenus hæc similitudo pueri sit intelligenda. Habent enim etiam pueri sua vitia, quæ Christus nequaquam nos imitari vult. Et figmentum cordis ipsorum quoque prauum est ab ineūte ætate. Gen. 8. versic.21. Vnde Paulus dicit 1. Corinth.14. versic.20. Nolite fieri pueri sensibus, sed malitia. Et Ephes.4. versic.14. Non simus paruuli fluctuantes, nec circunferamur ab omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Sed Matth.11. versic.25. 1. Corinth.3. vers.1. & 1. Pet.2. versicul.1. paruuli, aliter describuntur. Ex quorum locorum collatione recte intelligi potest, quid proprie Christus paruulorum similitudine intellectum velit. Superest nimirum in pueris priscæ innocentiæ vestigium quoppiam, quod præsenti negotio conuenit. Nimirum 1. nihil sibi arrogant, nullum dominatum ambiunt, vtpote qui ignorent, quid dominatus sit: sed sua sorte contenti viuunt. 2. Licet hæc simplicitas ipsis quasi propria sit: non tamen de illa gloriantur, nec præ aliis sese efferunt, aut alios præ se despiciunt. 3. Sunt insuper disciplinæ patientes, monitores ferunt, & dictis facile in meliorem partem flecti possunt. 4. Si quid aduersi patiantur, ad parentes suos confugiūt: iniuria affecti, facile recōciliantur, nō vindictam meditantur, contenti complexu & amore suorum pa-

rentum. Hæ sunt præcipue virtutes puerorum vel pusillorum, ad quas Christus in præsentia respicit. Ex quibus colligi potest, in quibusnam rebus vera humilitas, cuius Christiani & cumprimis verbi ministri studiosi esse debent, consistat. Non consistit ea in vilibus vestibus & externis gestibus: quibus plerunque Monachi & hypocritæ, inprimis autem Capucini, magnam coram hominibus humilitatem venditāt, dum interim sublimi spiritu non tantum supra homines, sed etiam supra Deum sese efferunt. Sed consistit in vera cordis simplicitate. Et vere humilis est is, qui 1. coram Deo nihil sibi arrogat, ne magnifice de seipso sentit. 2. qui fratres quoque non despicit, nec superior ipsis videri affectat. 3. Qui donis suis diuinitus datis non superbit, sed quamplurimis iis inseruire cupit. 4. Qui offensas facile remittit, sibique satis esse censet, se membrum esse Christi, eiusque complexu frui: quærens tantum, vt caput excellat. 5. Qui denique mundum nihili faciat, seque ab illo contemni contemnat. Hi sunt *pusilli* illi, quos Christus hoc loco nobis commendat, nosque imitari vult. Exempla si quis habere cupiat, intueatur Abrahamum, patrem omnium credentium. Fuit is in fœdere cum Deo: conscius factus est decreti contra Sodomitas: & tamen se cinerem & puluerem esse fatetur, atque indignum, qui cum Deo loquatur. Gen. 19. vers. 27. Idem Dauidem, qui in throno regio sedens, non tamen obliuiscitur, se ex caulis ouium extractum esse. 2. Sam. 7. vers. 18. Denique Paulum: qui in tertium cœlum raptus, licet plus laborasset, quam reliqui Apostoli omnes: omnia tamen gratiæ diuinæ adscripsit; se miserum peccatorem esse agnouit: nullum contemsit, non tantum superiores Apostolos, sed ne discipulos quidem, Timotheum, Titum: totus mundus fuit ipsi crucifixus. Gal. 6. vers. 14. se ab hominibus contemni non curauit. 1. Cor. 4. ver. 3. 1. Cor. 15. v. 10. 1. Timoth. 1. vers. 13. Sic ergo etiam summi viri inter infantes sedere, nec donis suis efferri discant. Et cur propter dona efferremur, quæ non sunt nostra, sed Dei, & ab eodem quouis momento repeti possunt? Cur quoque proximum propterea contemneremus, cum eo plus ipsi debeamus, quo plus à Deo accepimus? 5. Denique Christus, vt tanto magis Apostolos ad imitationem puerilis humilitatis permoueat: pueros sibi quasi substituit, & se in ipsis suscipi testatur. *Qui*, inquit, *suscipit puerum istum*. Ne vero quis putet, in illo puero peculiare quid fuisse, cuius causa Christus eum Apostolis commēdarit. Sicuti Pontificij dicunt, hunc puerum fuisse Martialem, qui postea Petri discipulus factus, ab eo missus fuerit in Germaniam, vt in ea prædicaret Euangelium. Ideo Marcus ponit hæc verba, *aut vnum ex talibus pueris*, vt sic indicet, Christum qualitatem puerilem respexisse, non indiuiduum. De his pronunciat, quod si quod beneficij genus in ipsos conferatur, (Hoc enim significat *recipere*) ipse sibi impensum reputare, ac proinde remunerare velit. Hoc attendant mundani homines, qui omnes verbis gloriantur, se libenter Christum suscepturos & audituros esse, si modo in terris is conuersaretur. Sed hic Christus sibi *pusillos* & humiles substituit, seque imo Patrem suum cœlestem in ipsis suscipi testatur. Si quis autem superbos, arrogantes, aut ambitiosos suscipit: is simul Diabolum, omnis superbiæ magistrum, recipit. Ideo eadem sententia concludit orationem, qua eam exorsus fuerat. *Qui minor est inter omnes vos*, nimirum, qui maxime omnium abest à superbia & ambitione, & qui cordis humilitate reliquos omnes præit: *hic erit magnus* coram Patre meo cœlesti, qui donis ipsius benedicet, & efficiet, vt multum fructum afferat in Ecclesia Christi, & olim honestum locum obtineat in regno cœlorum.

Interim dum Christus *puerulos* siue *pusillos* nobis suo loco Magistros proponit, simul nos admonet, ne quisquam veritatis & salutis doctrinam contemnendam putet, ob vilem & ignobilē speciem eius, qui ipsam proponit. Solet enim Deus ignobilia & contemptibilia huius mundi eligere, vt destruat ea quæ sunt. 1. Cor. 1. v. 28. Et experientia plerunque testatur, minus fructuosi effici in Ecclesia Dei, per elatos illos Superlatiuos, quos mundus magnifacit, quam per humiles Positiuos, qui in humilitate cordis iuxta gratiam, quam Deus largitur, afferunt πληροφορίαν recte aliquid in Ecclesia faciendi. Sic Dei verbo sua authoritas ex semetipso constat, ne ab hominum dignitate vel excellentia eam pendere putemus.

Historiola de ignoto, qui in nomine Iesu dæmonia eiiciebat, & ab Apostolis prohibebatur.

QVod Deus Esa. 55. vers. 10. dicit: quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & illic vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud: hoc euidentissime in hac Christi concione euenisse videmus. Erat Dominus adhuc in cursu sermonis, quo ambitionem & æmulationem peruersam taxabat: & ecce Iohānem proprium cor arguebat, quod contra hanc doctrinam Christi, de humilitate sequenda & suscipiendis pusillis, per arrogantiam ipse & Collegæ peccassent, prohibendo quendam, qui cum Christum non sequeretur, ipsius tamen nomine dæmonia eiiciebat. Intellexit nimirum, Magistrum non tam loqui de illis, qui ætate, sed qui infirmitate fidei pueri essent: hos esse suscipiendos, non offendendos. Interrumpens ergo Domini sermonem inquisiuit, an ipse & reliqui Apostoli prohibendo recte fecissent.

I. Hic primo considerari debet ille, qui in nomine Iesu dæmonia eiecit. Non potest certo statui, vtrum recte vsus sit nomine Christi, an verò illo abusus. Theophylactus existimat, incredulos, videntes per nomen Iesu dæmonia pelli, idem abusu illius nominis tentasse. Sed vtut sit, hoc tamen certum est, solos Apostolos à Christo accepisse hanc potestatem. Matth. 10. v. 1. Ergo sine vocatione legitima hic homo id fecit. Et tamen, sicut Deus per ministerium, quod non est legitimum, sæpe operatur: ita placuit Christo nomen suum etiam per hunc illustrare. Hinc patet, non semper miracula esse perfectionis, siue in fide, siue in sanctitate, certa testimonia. Nam & imperfecti, vt hic, & hypocritæ atque palam impij, vt Matth. 7. versi. 22. miracula edere possunt, & tamen sanctitatis nullum habent testimonium. Esto ergo, quod Benno Misnensis, qui apud nos pro Mago habetur, iam Monachi miracula edant, nunquam tamen ex iis ipsius syncera fides & sanctitas probabitur. Diabolus sub defunctorum titulo & nomine homines variè ludificare potest.

II. Apostoli existimarunt priuiligium edendi miracula in nomine IESV sibi solis datum esse, & proinde, ne maiestas Apostolica prostitueretur, illud sibi solis vindicandum putarunt, & hunc prohibuerunt. Nunc verò audientes Christi concionem, nesciunt an rectè fecerint, eaque de causa Domini requirunt iudicium. Peccarunt autem Apostoli hoc facto, partim ignorantia, partim ambitione. 1. Ignorātia peccarunt, quod putarūt Christi virtutem sic arctè esse constrictā, vt per neminem operetur, nisi *qui ipsos sequatur*, hoc est, eiusdem cum ipsis esset ordinis. Hanc enim vnicam facti sui rationem allegant. Atque sic occultum suum errorem produnt, quod neminem iudicarunt verum Christi esse sectatorem, nisi qui ad ipsum exemplum relictis omnibus diu noctuque Christum sequeretur. Atqui nec Nicodemus, nec Iosephus, imo nec Lazarus ipse cum sororibus facultates suas deseruere, & tamen γνήσιοι Christi fuerunt discipuli, qui etiam à Christo syncere fuerunt adamati. Hodie ad eundem lapidem grauius impingunt, tam Monachi, quàm Anabaptistæ, qui & ipsi sequelam Christi certis quibusdam institutis sui regulis includunt, à quibus qui vel latum vnguem recedunt, eum Christi sectatorem esse negant. 2. Ambitione & æmulatione peccarunt, quod metuerunt, ne suæ existimationi aliquid decederet, si etiā alij per nomen Christi miracula ederent. Sicuti Num. 11. v. 28. Iosue Mosen monuit, vt Eldadum & Medadum in castris prophetantis prohiberet: quia Mosis authoritati aliquid inde derogaretur. Et hic est ille ipse morbus, quem Christus in præcedenti in concione correxit. Hinc discamus, ad quid correptiones in Ecclesia prosint, vt nimirū latentes animi morbi in apricum producantur, sicque corrigantur. Iohannes nunquam de hoc facto, quod ipse & Apostoli prohibendo perperam fecissent, cogitasset, nisi Christi concio conscientiæ vlcus tetigisset. Non ergo odio habeamus, sed amemus corripientem in porta. Amos 5. versicul. 10. quia huiusmodi correptionibus ex errore in rectam viam reuocamur.

III. Christi responsionem etiam expendamus. Christus non probat illius factum, non vult prohiberi: quia hac occasione gloria nominis ipsius propagabatur. Sicuti etiam Paulus Phil. 1. versic. 15. non probabat, quod aliqui ex æmulatione & contentione, tantū vt ægre facerent vinculis Pauli, Euangelium Christi prædicabant: & tamen gaudebat, quod quoquo modo Christus annunciaretur. Sicque nominis Christi propagationem longe suis affectibus præferendam existimauit. Christus ergo sua responsione, nec tollit legitimam vocationem, qua Apostoli gaudebant, nec probat neutralitatem, si hic perperam suo nomine abuteretur: sed docet, ipsum tanquam infirmum recipiendum, fouendum atque ad Christum adducendum esse, siquidem non sit aduersarius, sed sanabilis. Hic est status huius historiæ, qui simul nobis post eiusdem vsum commonstrat. Est alicubi verbi minister, qui mea opinione nō legitima vocatione in Ecclesiam intrauit, vel quia Antecessor illius illegitime fuit eiectus, in cuius

in cuius locum ipse suam operam conduci passus est: vel quia aliud quid in ipsius vocatione deest. Vrit me & male habet inordinatus processus, qui præcessit. Quid hic faciam? Num debeo ministrum prohibere, ne concionetur, neve Sacramenta administret, sicque nomine Christi vtatur? Aut: si minister mihi obtemperare nolit, debeone Ecclesiæ membris interdicere, ne ipsius conciones audiant, neve ipsius Sacramentis vtantur? Neutrum horum, iuxta hanc Christi doctrinam. Etsi enim ea, quæ præter legitimam rationem in illa vocatione euenerunt, probare non possum: non tamen ministerium illud, maxime si verbum Dei syncere doceat, & Sacramenta rite iuxta Christi institutionem administret, irritum pronunciare debeo. Quia Deus sæpenumero etiam per ministerium, quod non est legitimum, operatur. Et cur ego hic diuinæ operationi modum & metam præscribam? Quin potius eiusmodi ministrum spiritu mansuetudinis suscipiam, quæ in ipso desiderio, ex verbo Dei corrigam, sicque plene ad Christum adducam. Vt quemadmodum Act. 18. versiculo 26. Apollos vir λόγιος & spiritu feruens, per Priscillam & Aquilam dilegẽtius institutus est in via Domini: sic etiam tales Christo plane lucrifiant, aut etiam lucrifacti nobis & Ecclesiæ concilientur.

Sed audiamus etiam rationes, quibus Christus responsum suum confirmat. Earum tres adducit. 1. *Nullus est, qui fecerit virtutem per nomen meum, & cito possit male loqui de me.* Sumptum hoc est ex communi sensu. Nam si talis, qui in nomine Iesu dæmonia eiicit, postea inciperet male loqui de ipso, protinus ipsi diceretur: qua frõte maledicis nomini, quod tam efficax esse expertus es? Sic quidẽ Christus hic argumentatur: sed quo hodie inueniuntur, qui per nomen Iesu & Euangelij prædicationem ex Diaboli potestate liberari cupiunt & sperant, & tamen Euangelio Christi maledicunt, insuper nullum non conuitij genus aduersus eius ministros euomunt. Iesuitæ nomine Iesu plurimum superbiunt, & tamen de Euangelio Iesu pessime loquuntur. Hoc cum hac ratione Christi non conuenit. 2. Addit: *qui non est aduersum nos, pro nobis est.* Non fauet Christus hoc dicto ambidextris & neutralibus, multo minus suis hostibus, de quibus Matth. 12. v. 30. dixit, Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, dispergit. Sed agit hic de infirmis, qui nomen Iesu profitentur, etsi multa adhuc ipsis desunt. Et vult Christus dicere: Hic homo, quia idem per nomen meum facit, quod vos, non est nobis contrarius, sed illustrat nomen meum, alios prouocat ad fidem, & ipse quoque inducitur, vt melior fiat. Rectè ergò Beda monet: Nemo à bono, quod ex parte habet, est arcendus. Augustinus duo illa dicta: Qui non est mecum, contra me est: Et, qui non est aduersus nos, pro nobis est, sic conciliat, vt dicat, duplicem esse neutralitatem, vnam Epicuræam, alteram ex infirmitate. Hæc non male dicuntur. 3. Denique dicit Christus: *Quisquis ad bibendum dederit vobis calicem aqua nomine meo, quod sitis Christi, amen dico vobis, nequaquam perditurus est mercedem suam.* Est ratio sumpta à comparatis, qua Christus vult dicere: Quidquid, etiam exiguum, in meo nomine, & à quocunque factum, adeo mihi est gratum, vt non sit cariturum sua mercede. Si ergo vos aliis ex loco Matth. 10. ver. 42. remunerationem pollicemini iis, qui vobis calicem aquæ frigidæ proponant, non ob humanam aliquam gratiam, sed propter nomen meum, quia mei discipuli estis: Quanto magis huic non prohibitio, sed remuneratio debebatur, propterea, quod per & propter nomen meum homines liberauit à tyrannide Diaboli, quod plus est, quàm dare calicem aquæ? Ex his omnibus nos generalem hanc doctrinam desumamus, quanta curâ & diligentia infirmiora in Ecclesia mẽbra sint tractanda, ne illa temere abiiciamus, sed magna fide foueamus & confirmemus. Imitemur hac in parte Christum, qui hoc nomine à Propheta celebratur, quod arundinem quassatam non sit confracturus, nec linum fumigans extincturus, Esa. 42. v. 3. Matth. 12. v. 20. Paulus quoque nos grauiter admonet, vt infirmos in fide assumamus. Rom. 14. v. 1. Cũ enim Christus etiam pro infirmis mortuus sit, nos libertate nostra non ita vtamur, vt infirmus, pro quo Christus mortuus est, pereat. v. 15. De quo in sequentibus plura.

Periocha concionis, de cauendo scandalo.

POST Iohannis interpellationem, redit IESVS ad interruptam concionis suæ seriem, illamque continuat. Commendauerat autem in illa sua concione humilitatem, aduersus ambitionem & arrogantiam primatus. Inuenitur autem in Ecclesia duplex humilitas. 1. Sunt infirmi, miseri, abiecti, hi per se humiles sunt, & hos suscipiendos atque fouendos esse docet. 2. Sunt, qui donis sublimes, seipsos humiliant, & aliis ministrant: atque tales vult Christus esse eos, qui præ aliis à Deo donis sunt ornati. Hic vero cato oggannit, molestum esse seipsum deiicere, eminentiam non appetere, aut ab aliis despici. Subiungit ergo hic: *Quisque offenderit vnum ex pusillis istis, qui confidunt in me, &c.* Atque sic ostendit primatus affectationem coniunctam esse cum contemptu, offensione & scandalo infirmorum, qua occasione ingreditur tractatum de scandalis, cuius singula membra diligentius sunt enucleanda.

I. *Scandalum* quid sit & significet attendendum. Σκάνδαλον dicitur Græcis à σκάζω, id est, claudico, quod obiectum offendiculum cogat claudicare, & ad ruinam tendere. Grammatici quidam dicunt, σκάνδαλον vel σκανδάληθρον esse in decipula incuruum lignum, quo tendicula substinetur, & in quod impingens animal, ipsam tendiculam in se subita ruina euertit. Cumque vitæ humanæ conuersatio in Scriptura via vocetur, metaphorice *scandalum* dicitur omne id, quod in Dei præceptis aut salutis via ambulantibus, obstaculo est, aut peccandi causam præbet. Estque vocabulum maxima ex parte Ecclesiæ propriũ, quod in prophanis Scriptoribus fere nusquam occurrit. In veteri tamen Testamento vt plurimum tantum damnum vel calimitatem quamuis denotat. Exod. 10. versicul. 7. dicunt serui Pharaonis: Quousque patimur hoc *scandalum*? hoc est, hæc damna, has plagàs & calamitates. 1. Sam. 18. v. 21. dicit Saul: dabo Dauid filiam meam Michol, vt fiat illi in *scandalum*, hoc est, sic causa perniciei & exitij. 1. Sam. 25. versicul. 31. Abigail ad Dauidem dicit: Ne sit tibi *in offendiculum* & scrupulum cordis, quod effuderis sanguinem, hoc est, ne sit hæc cędes grauissima læsio conscientiæ & famę tuę. Psalm. 119. v. 165. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis *scandalum*, id est, nulla calamitas eos premit. Ezech. 7. v. 19. *Scandalum* iniquitatis ipsorũ factum est, id est, in has calamitates & pœnas inciderunt ob suas iniquitates. Sic ergo in veteri Testamento *scandalum* damnum vel calamitatem denotat. In nouo autem Testamento *scandali* aliter accipitur, pro occasione spiritualis lapsus aut ruinæ, qua quis quoquo modo sit deterior, aut in vera pietate languidior: quod fieri potest, vel dicto, vel facto, siue exemplo in moribus. Et in hac significatione in hac concione de scandalo disseritur.

Est autem duplex *scandalum*: aliud est *datum*, seu imbecillum, contra quod Christus hic agit: aliud est *acceptum*, siue Pharisaicum quod Christus Matth. 15. ver. 14. indicantibus Apostolis contemnendum esse ostendit. In hac vsurpatione, ipse Christus & eius Euangelium sunt petra *scandali*, Esa. 8. v. 14. Rom. 9. v. 32. 1. Pet. 2. v. 6. Sic Paulus scribit 1. Corinth. 1. ver. 23. Nos prædicamus Christum crucifixum. Iudæis quidem *scandalum* Gentibus autem stultitiam. Quia enim tum species personæ, tum ratio doctrinæ & religionis Iesu Christi Iudæis minus fuit plausibilis: ideo facti sunt ab eo alieniores, & prorsus ipsius hostes. Culpa autem non fuit in Iesu, vtpote qui in ipso facto se talem Messiam esse commonstrauit, qualem Deus in Scriptura prædixerat: sed in ipsis Iudæis, qui Messiam non secundum Scripturas, sed secundum rationis suæ cerebrum habere cupiebant. De hoc accepto scandalo Christus hic non agit, sed de scandalo dato.

Porrò *scandalum* duobus modis dari potest, vel dicto, vel facto. 1. Ad dicta pertinent, doctrina siue falsa, siue mixta & scrupulosa: quæ vel auditores in doctrina salutis incertos facit, vel iisdem occasionem præbet, vt verbum Dei odio & cõtemptui habeamus, vel apertas superstitiones & illicitos cultus inuehit. Item praua colloquia, quæ bonos mores corrumpunt, 1. Cor. 15. v. 33. obscœnitas, stultiloquium, εὐτραπελία, Ephes. 5. v. 4. turpes facetiæ, scurrilia, dicteria, cantilenæ obscœnæ & impuri ioci. Quò etiam pertinent sinistri sermones, qui vel de mortuis vel de absentibus sparguntur, vnde semina simultatum, odiorum & rixarum oriuntur. 2. Ad facta pertinẽt, si quis vel palã faciat ea, quæ sunt illicita, & legibus Dei aduersantur, vnde alij exemplo inducuntur, vt illud factum imitentur, sicque peccent. Vt enim qui cum claudo habitat, subclaudicare discit: ita qui multum conuersatur palàm impiis, blasphemis, concionum contemptoribus, ab illis scandalizatur, & eadem vitia induit. Vel, si quis in iis, quæ per se non sunt mala, verum licita, imprudenter & indiscrete versatur, vt ea actione infirmioribus scandalum præbeat. Sic Paulus Rom. 14. & 1. Corinth. 8. & 9. multum disputat de libertate Christiana, quomodo ea in esu Idolothytorum & aliorum ciborum lege prohibitorum non sit abutendum, ad scandalum infirmiorum. Eodem modo idem Paulus Galat. 2. versic. 11. Petrum reprehendit, quod facto scandalizaret Græcos, subducendo se ipsorum conuersationi, eo quod submissi venissẽt fratres à Iacobo. Et quãdo sic scandalum, siue dicto siue facto, datur, tum Scriptura vocat facere peccare, Exod. 23. v. 33. inducere peccatum super aliquem, Exod. 32. ver. 21. delinquere facere. Leuit. 4. ver. 3. Sic

Ieroboam, sic Achab & alij Reges peccare fecerunt Israelem, sicuti passim in libris regum illud legitur.

II. Super his scandalis Christus hoc in loco grauem instituit querelam. *Væ mundo ob scandala Væ* hoc dolentis est: ac si Medicus dicat, væ isti homini ab hac ægrotatione. Sic Christus dicit, *væ mundo*, quia scandala in eo futura sunt valde vulgaria & vsitata. Et si oculos parum per in orbe terrarum circumferamus, videbimus vbiuis per omnes generis ordines plena plaustra scandalorum in eum inuehi. In Ecclesiastico ordine, quot passim inueniuntur, qui superstitiones seminant, idolomaniam fouent, phanaticas opiniones propagant? & qui in doctrina synceri sunt, aliter tamen viuunt quàm docet, quorum alij superbia, alij ebrietate, alij leuitate, alij aliis vitiis scandalum præbent? In politico ordine Magistratus scandalizat subditos, quando ipse bonas leges violat, iustitiam nō colit, exactionibus subditos præter fas & necessitatem opprimit, scortationi, lusionibus, aut aliis vitiis est subiectus. Scandalizant parentes liberos, si domi preces negligant, nomen Dei blasphement, otiosi vagentur, lusui & luxui sint dediti. Tunc enim liberi idem sibi licere opinantur. Scandalizant diuites egenos, eosque ad impatientiam prouocant, quando his esurientibus ipsi luxuriantur: & vicissim pauperes diuitibus sunt scandalo, quando eleemosynis datis improbe abutuntur, suaque petulantia ipsos in largiendo tenaciores efficiunt. Mulieres & puellæ scandalum præbent viris & iuuenibus, & hi illis vicissim, quando sibi inuicem vel gestu, vel nutu, vel dicteriis atque vestitu, mutua libidinis irritamenta subministrant. Atque hæc & his longe atrociora fiunt in mundo tota die. Ideo non immerito Christus hic dicit: *Væ mundo propter scandala.*

Dicat autem quis, cur Dominus hic addit: *Necesse enim est vt veniant scandala?* Si est necesse, omnino sic à Deo erit ordinatum, & quis hominum potest id præcauere? Ergo qui alios scandalizat, ex necessitate id facit, ac proinde non peccare videtur? Respond. Hoc loco phrasis *necesse est* recte est accipienda. In scholis enim docetur, duplicem esse necessitatem: vnam absolutam, quæ impediri nequit. Vt quod Deus est bonus, iustus, æternus, &c. illud est absoluta necessitate. Alteram hypotheticam, quando ex præsuppositione certarum causarum necessariò aliquid sequitur. Vt quando Medicus ex inordinata diæta ægri alicuius concludit, necessario ipsum mori. Hoc sequitur, non ex necessitate fatali, sed ex necessitate conditionata. Sic quod Christus hic dicit, *necesse est venire scandala*, non sic est accipiendum, quasi fatali necessitate & vi diuini alicuius decreti istud fiat: aut quasi Deus cuicunque hominum necessitatem imponat, vt alios scandalizet. Nam Deus noster non est Deus volens iniquitatem, Psalm. 5. versicul. 5. Et mox Christus ipse denuntiatione pœnæ contestabitur, sibi scandala omnia vel maxime esse aduersa. Itaque vocabulo *necesse* Christus non respicit Patris sui ordinationem, qui mallet nulla in terris oriri scandala. Sed intuetur Diabolum, & impietatis ipsius administros in mundo. Hi non poterunt quiescere, sed indefesso studio hoc vnicum agēt, vt quamplurimos per scandala à via simplicitatis deturbatos abripiant in latam viam exitij & interitus. Vult ergo Christus omnes Christianos monitos esse, ne sint in cauendis scandalis ignaui, siquidem nihil magis sit metuēdum in cursu pietatis, quàm ne scandalis ab eo retrahantur. Nam Satanas varia obiicit scandala: ea mundus adauget, & peccatum, quod in electis etiam hæret, illa apprehendit. Deus autem permittit Satanæ, vt electi probentur. 2. vt in Ecclesia quisquiliæ excutiantur à tritico. Quod autem Deus permittit & præuidet scandala, ex eo nullam necessitatem ex parte Dei statuere possumus. Neque enim propterea, quia Deus præscit, scandala eueniunt: sed quia hæc euētura erant, Deus præuidet. Sicuti Eclipsis, siue solis siue lunæ, non propterea fit, quia Mathematicus eam prædicit: sed quia certò illa futura erat, ideo Astronomus prædicere potuit.

III. Vt tanto plus Dominus commonstret, se à scandalis omnibus prorsus esse alienum, grauem pœnam minatur authoribus scandalorum. *Væ homini*, inquiens, *per quem venit scandalum. Væ* hoc indignantis est & pœnam denuntiantis. Cuius pœnæ atrocitatem per comparationem ob oculos ponit: *melius illi esset, vt mola asinaria suspensa de collo, submergeretur in profundum maris.* Et cur non? Si enim Deut. 27. versicul. 18. maledicitur is, qui cæcum errare aut impingere facit itinere: quanto magis is, qui hominem anima & corpore auertit à via pietatis? Inter quatuor suppliciorum genera apud Iudæos vsitata, Rabini hoc atrocissimum numerant. Quia illi, qui lapide molari ex collo suspenso in maris abyssum demergebantur, indigni iudicabantur, qui vnquam vel solis aspectu vel aeris beneficio rursus fruerentur. Sicuti 2. Macchab. cap. 12. versic. 3. Ioppitæ Iudæos scaphis impositos in mari submerserunt, non minus ducentos. D. Hieronymus hæc Christi verba sic intelligit, quasi dicere voluisset, ei qui scandalum dedit, vtile esse, pro expiatione sui delicti, hoc grauissimum supplicij genus subire, quo æternum supplicium, quod commeruerit, euadat. *Expedit* enim, inquit, ei, quia multo melius est pro culpa breuem recipere pœnam, quam æternis seruari cruciatibus. Non enim puniet Deus bis, *in id ipsum.* Hoc posterius certo falsum est: quia certe Deus sceleratos, nisi pœnitentiam agant, & hic & illic temporaliter & æternaliter puniet. Non ergo est sensus: si quis post datum scandalum demergatur, tum eum defunctum sua pœna. Sed satius esse, vt prius demergatur, & quiduis potius patiatur, quam vt det scandalum. Quia qui scandalizauerit pusillos, is atrociores subiturus est pœnas, quàm si saxo collo ipsius alligato, in profundum maris demergeretur. Impij enim in abyssum inferni mittentur, non aliter, quam sicut Apoc. c. 18. v. 21. fortis angelus lapidem molarem magnum in mare misit. Et quando in nouissimo die ministro, vel magistratui, vel parenti dicetur: tu in illa tua vita scandalum præbuisti auditoribus, subditis, liberis, & in eo Satanæ es assimilatus, qui scandalizauit primos parentes. Iam ergo mansio tua erit cum ipso. An non putas talem optaturum esse, vt in hoc mundo submersus fuisset, antequam alios scandalizaret, ne in æternum damnari cogeretur? *Mola* autem *asinaria* dicitur ad differentiam molæ trusatilis.

Habebant enim Iudæi duplices molas: aliæ leuiores hominum manibus, (de quibus Matth. 24. vers. 41. duæ molentes in mola) aliæ grauiores à iumentis circumagebantur. Et de tali grauiore Christo hic est sermo. In molis etiam superior lapis, Deuter. 24. ver. 6. dicitur ἐπιμύλιον, inferior autem lapis, qui substernitur, dicitur vel τράπεζα, quia alter ei tanquam mensæ superimponitur, vel ὄνος, quia instar asini alterum, qui circumagitur, sustinere cogitur. Quanquam aliqui velint ipsum sic dici ab ὀνέω, quod significat moueo vel circumago: quia circa hunc lapidem superior mola vertatur. Christus ergo ex pœnæ atrocitate culpæ magnitudinem ostendere voluit. Talis enim proiiciendus erat *in pelagum maris*, in medium mare, vbi illud profundius est.

Quod autem Christus dicit, qui scandalizauerit *vnum ex pusillis istis, qui in me credunt*: illud non est ita accipiendum, ac si impune liceret scandalizare alios, qui non essent pusilli, aut qui non crederent in Christum. Christiani enim ita viuere debent, vt nemini sint scandalo, neque doctrina neq; vita, siue illi sint creduli. 1. Corinth. 10. v. 32. Sine offensione estote Iudæis & gentibus, & Ecclesiæ Dei. Et 2. Corinth. 6. versicul. 3. nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Sed Christus ita loquitur, vt medeatur vitio superbiæ nostræ, quod fere nos ad scandalum perpetrandum impellit: dum nimirum *pusillos* non tanti faciendos arbitramur, vt propter illos quicquam vel fieri vel omitti debeat. De *pueris* etiam disputant quidam, quomodo *credere* possint. Et putant fuisse puerum adultiorem, quales fuerint Matth. 21. v. 15. qui Christo Hosianna cecinerunt: vel tales, quibus Iohannes 1. Epist. 2. v. 4. scripserit. Sed circumstantiæ commonstrant, fuisse hunc puerulum admodum infantem & tenellum. Aliàs enim Christus eum non *in vlnas suas suscepisset*: vt iam taceam, quod pueri vel paululum saltem adulti, ad ambitionis vitium etiam sint proni. Ex verbis itaque Christi recte colligimus, etiam infantes Christianorum in Christum credere. Dicis: quomodo credere possunt, cum verbum Dei non audiant: & tamen fides est ex auditu? Rom. 10. v. 17. Resp. Omnino fides est ex auditu, sed non ex eo solo. Christus enim operatur per verbum & Sacramenta. Infantes itaque Christianorum licet fidem non habeant ex auditu: habent tamen illam ex Sacramento initiationis, apud cuius administrationem & verbum Dei recitatur, & ardentes preces ad Deum pro infantis regeneratione funduntur. Virtute ergo promissionis Christi accipiunt Spiritum sanctum & saluantur. Et hac de causa improbitas & perfidia Anabaptistarum est tanto maior, quod infantes Sacramento baptismi priuant, sub hoc prætextu, quasi à fide essent alieni. Esto ergo, quod infantes natura fide careant: ea ipsa tamen de causa per baptismum Christo offerendi sunt, hicque precandus est, vt eos fide donet. Quæ preces Ecclesiæ, ex fide factæ, non sunt inanes, sed exaudiuntur. Et quod infantes fide donari possint, id commonstrantur exemplo Iohannis Baptistæ: qui in vtero matris Spiritu sancto repletus est, vt ad salutationem Mariæ & aduentum Christi Domini sui subsilierit, quod certe sine fidei motu nequaquam factum est. Et quod in Iohanne extraordinarie factum est, illud hodie Dominus ordinarie operatur, per baptismum, qui est lauacrum regenerationis, Ephes. 5. vers. 26. in quo Spiritus regenerationis & renouationis in nos effunditur opulenter, Tit. 3. v. 5. Quod si autē infantes in baptismo regenerantur

nerantur, omnino necesse est, ipsos ex increduli factos esse fideles.

IV. Docet etiam modum, quomodo scandala sint cauenda. Desumit autem simile à Chirurgis, qui, si quando vident, vnum membrum adeo esse corruptum & putridum, vt nisi resecetur, totum corpus pereat, tum adhibent hunc versum:

Ense resecandum, ne pars syncera trahatur:

Ideo dicit: *Si scandalizat te manus tua, abscinde eam.* Idem mox de *pede* & *oculo* etiam faciendum monet. Origenis error, quo is hæc verba secundùm literam intelligenda censuit, crassior est, quam vt refutationem mereatur. Nos verum sensum breuiter indicemus. Vult Christus dicere, nihil adeo charum, nihil adeo gratum nobis esse debet, quin illud abiiciamus & rescindamus, si per scandalum nobis occasionem præbere velit, à lege Dei recedendi, Deúmque offendendi. Satius enim est in hac vita omnibus oblectationibus & adminiculis destitui, quàm æterna beatitudine priuari. Debet autem hoc fieri dupliciter, tum quoad nos, tum quoad proximum. 1. Quoad nos sunt hæc membra abscindenda, vel vt Paulus Coloss. 3. v. 5. loquitur, mortificâda. Quia vnicuique sui *oculi* possunt præbere scandalum, vt respiciat ad mundi fastum, illecebras, leuitatem. *Hic eruat*, vel potius, vt Dauid dicit Psal. 119. v. 37. auertat oculos suos qui id sentit, ne videant vanitatem. Sic alteri *manus* potest esse scandalo, vt eam extendat ad illicita, & contrectare cupiat ea, quę iuxta legem Dei sunt prohibita. Hic *amputa* eam, reprime & cohibe cupiditatem habendi. Satius est Irum & Lazarum in hac vita esse, olim autem cœlestiû thesaurorum participẽ fieri, quàm totum mundum lucrari & animæ iacturam facere. Aliis *pedes* scandalo sunt, quod eos deportant vel ad comessationes, vel ad lusus, vel ad alias leuitates. Etsi autem tibi iucûdum esset inebriari, etsi vtile foret aliquid lusu lucrari: quia tamen paruulos offendis, quia propriæ animæ scandalum ponis ad interitû, *abscinde pedem*, abstine ab illicitis istis: satius est ad breue tempus eiusmodi voluptate huius mundi carere, quam cœlesti gaudio priuari, & in nouissimo die æternis cruciatibus adiudicari. Sic ergo transeundum est per omnes affectus, & attendendum, quomodo illi nos seducant à Deo: sique istud fiat, sunt ex corde eradicandi. Sic in Papatu sunt multiplices modi emergendi: si accedas ad Missam, si tonsuram accipias, amplam potes obtinere Præbendam. Sed caueas à scandalo, quod & propriæ animæ, & proximo tuo infirmo ponis, & proinde prauas illas cordis appetitiones exscinde. Friuolum ergo est hic disputare: Quare Dominus tantum illa membra hic nominarit, quæ in corpore nostro bina habemus: quia nimirum nihilominus viuere possimus, si maxime vno oculo, vna manu, & vno pede careamus: Non autem viuere queamus, si caput abscindatur, & cor eruatur. Atque sic Dominum tantum possibiles & tolerabiles abdicationes præcipere. Imo Dominus vult totam carnem frenari, & dominari desideria membrorum, cum affectibus & concupiscentiis, & cauere à cupiditatibus, quæ aduersus animam militant, ne si deprauatæ carni frenum laxemus, gratia Dei excidamus & *in gehennam* agamur. Ideo rectè D. Hieronymus dicit: Omnis truncetur affectus, vt omnis propinquitas amputetur.

2. Quoad proximum hæc verba ita sunt accipienda. Si quis tibi tam coniunctus, tam vtilis, tam necessarius esset, ac manus dextra, pes oculi, & tibi scandalum præberet, cuius obiectu à pietatis cursu deflecteres, segrega te ab istius hominis consortio. Satius est ipsius conuersationem in hac vita etiam cum molestia & damno carere, quàm illa fruendo in æternum damnari. Exempli gratia. Est in aula cuiusdam siue principis siue comitis alius quispiam iuuenis siue princeps siue comes, in politicis consilio perspicax, in bellicis manu promptus, in conuersatione pedibus agilis: sed qui parum timeat Deum, preces negligat, blasphemias crepet, verbi ministerium contemnat, conciones aspernetur, bonis ore detrahat, pudicitiæ virginum & matronarum insidietur, suoque exemplo etiam alios inficiat, atque periculum sit, ne scandalum hoc longe lateque serpat. Ibi Christus præcipit, *abscinde eum*, remoue eum à tuo consortio, & ex tua aula: satius est te splendorem aulę tuę minuere, quàm cum sodali tuo in ignem ęternum abiiri. Sic Chrysostomus nunc locum non de membris corporalibus, sed de amicis, quos vt necessaria membra habemus, accipit. Origenes Sacerdotes per *oculos* intelligit, per *manus* magistratum & dimicantes, per *pedes* plebem. Possunt etiam per *manus* intelligi cognati, tanquã collaterales, per *pedes* ministri, per *oculos* Doctores, Magistri, Consiliarij. Quisque item sibi ista applicet, pro qualitate locorum & personarum.

Porro locum, in quo alios scandalizantes supplicium suum sustinere debeant, exprimit *gehennam*, ipsorum infernũ per illam intelligens. Fuit autem vallis in suburbio Hierosolymæ, versus Orientem & Meridiem, admodum fertilis & amœna, quæ antiquitus dicebatur *vallis Ben* siue filiorum *Ennon*, Iof. 18. 16. in hac posterioribus temporibus reges Iudæorum erexerunt Moloch idolum Ammonitarum, vbi Iudæi idololatræ liberos suos paruulos Cacodæmoni exurebant. 2. Par. 28. 3. Dicebatur etiam vallis Tophet propter strepitum tympanorum, quæ adhibebant sacrifici, ne parentes eiulationem filiorum conflagrantium exaudirent. Christus hoc nomen ad infernum apposite transtulit, quia etiam in eo animę damnatorum vlulabuntur *igne æterno & inextinguibili*: Diaboli autem sarcasmis & tripudio tantos tumultus excitabunt, vt damnatorum eiulatus & lachrymæ in æternum exaudiri non possint. Ideo Marcus ex Ies. 66. v. vlt. ter addit: *vbi vermis illorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Quibus verbis metaphorice duplex in inferno pœna, vno corporis, altera animæ, denotari existimatur. Per *vermem* indicatur continuus conscientiæ remorsus, & assidua peccatorum perpetratorum ruminatio in anima: per *ignem* verò sensibilis pœna & exquisitissimi cruciatus in corpore. Apud Iesaiam autem additur: Egredientur & videbunt cadauera virorum qui præuaricati sunt in me. Est simile desumptum à victoribus, qui strage peracta, & hoste ex campo fugato, progrediuntur ad contéplandos cæsos. Sic in nouissimo die, diabolo cum impiis ex hoc mundo eiecto, prodibunt pij cum rege suo triumphante Iesu Christo, vt videant impios, iusto Dei iudicio æternæ morti addictos. Et quidem ex cadaueribus in prælio cæsis & tabo diffluentibus vermes ob putrefactionem enascuntur, qui cadauera occisorum consumunt: At impiorum cadauera non consumentur, *vermis eorum non moritur*: quærent mortem, sed non inuenient eam: desiderabunt mori, & mors fugiet ab ipsis, Apoc. 9. v. 6. quin fumus tormentorum illorum ascendet in secula seculorum, Apoc. 14. v. 11.

V. His quæ hactenus contra scandalum à Christo dicta sunt, subiicit Marcus sententiam, quam plerique dure cum præcedentibus cohærere autumant: sed, si contextus recte attendatur, sensus satis planus erit. Alludens enim Christus ad pœnas ignis infernalis, cuius modo mentionem fecit, hac sententia docere vult, satius esse, nos in hac vita spirituali igne verbi, Spiritus ac crucis condiri, Deoque offerri, sicuti omnes victimæ condiantur, & postea Deo offerantur, quàm illo æterno & inextinguibili igne perdi. *Ignis* vocabulum in Scriptura plura habet significata, inprimis autem tria, quæ præsenti loco conueniunt. 1. Ponitur nonnunquam pro verbo Dei, quia illud exurat opera Diaboli, nempe idololatras, & veterem Adamum cum suis fructibus: & denique quia etiam mundum ipsum oppugnet. Ierem. 5. versic. 14. Ecce pono verba mea in ore tuo, in ignem, & cap. 23. ver. 29. Nunquid non verba me sunt quasi ignis: qui scilicet omnia consumit? Lucas quoque capite 12. versic. 49. Christus Euangelium suum vocat ignem, quia à paruis initiis exortum totum mundum reformauit & repurgauit. Et Malach. 3. versicul. 2. Christus docens igitur quasi ignis conflans, Apoc. 1. ver. 5. dicitur, quod ignis exeat de ore duorum testium Dei, & deuoret inimicos eorum, quod de ipsorum doctrina intelligendum est. 2. *Ignis* etiam interdum Spiritum sanctum notat, quia viuam & ardentem quandam Zeli flammam in pectore piorum accendat, & omnes prauas ac impuras Satanæ, mundi & veteris Adami sordes in homine reliquas adurat & consumat. Sic Matth. 3. v. 11. Baptista dicit, Christum baptizaturum in Spiritu sancto, & igni, hoc est, ardentibus motibus charitatis & zeli in corde excitatis. 3. *Ignis* etiam crucem significat. 1. Corinth. 3. v. 15. Seruabitur sic tanquam per ignem: Crux enim & tentationes hominem ad veram pietatem excitant, & veteris Adami corruptionem atque prauas concupiscentias exurunt. Eadem est ratio vocabuli *Salis*, qui & ipse in Scripturis tam doctrinam quam crucem denotat. Doctrinam, quia quemadmodum *Sal* carnibus aut aliis eiusmodi rebus appositum, absumendo nimias & noxias humiditates, & veluti constringendo natiuam rerum virtutem eas à corruptione præseruat: sic etiam doctrina verbi spiritualiter animas & pietatem cordis seruat, consumendo prauos humores carnis seu veteris Adami, cum suis motibus ac cupiditatibus. Quemadmodum enim *Sal* cibis additum, condimentum ipsis affert, prohibet ne cibus in ventriculo prius putrescat, quam coquatur, & calorem denique ventriculi atque appetitum excitat: ita doctrina verbi Dei suscitat nouum hominem, Spiritum eiusque dona, armatque & munit contra Satanæ tela & mundi machinationes, quæ putredinem homini afferre possent. Crucem etiam *sal* denotat, ob mordacitatem. Nihil enim magis veterem hominem mordet, arrodit atque molestat, ac crucis grauitas. Alludit ergo hic Christus ad locũ Leuit. 2. v. 13. vbi à Deo præcipitur, vt omnes hostiæ sale condiantur, & postea per ignem Deo offerantur, & vult innue-

re eam esse humanæ naturæ corruptionem, vt nisi spirituali hoc sale homines condiantur, instar cadauerum (quorum modo ex Esa.66. mentio facta est) aut putrefactæ carnis coram Deo fœteant, ac proinde ad nihil prosint, quàm vt in æternum illum & inextinguibilem gehennæ ignem abiiciantur. Quapropter hoc spirituali igne & hoc sale homines condiendos esse, si gratam & viuentem hostiam, Rom.12. vers.1. se Deo sistere velint. Agnoscamus ergo hinc naturalem nostri ipsius corruptionem, qua ad putredinem spiritualem & corporalem propendemus, nisi nobis subueniatur.

Cæterum quomodo hæc ignis & salis conditura adhibeatur, illud indicat, dum dicit: *Sal bonus est*. Eo enim ipsis in memoriam reuocat, quod Matth.5.v.13. dixerat, eos esse salem terræ, ratione sui ministerij. Vt enim in ædibus carnes non sibiipsis salem aspergunt, ne putrescant, sed paterfamilias id per ministros suos facit: ita homines non natura & sponte sua ad hunc ignem & salem, quo condiantur, properant, sed Deus ipse in Ecclesia ministerium instituit, & huic verbum suum concredidit, atque vult vt ministri in hoc igne & sale aspergendo nulli operæ, nullæ fidei parcant, sed assidui & seduli disciplinæ & salutis publicæ custodes sint: sicque quantum in ipsis est, præcaueant, ne scandala in mundo longe lateque serpant. Hinc Iesaiæ dixit, cap.58. versicul. 1. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, &c. Ierem. capit.1. versicul.10. Ecce dedi verba mea in os tuum, & constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices & plantes. Ezech. cap.3. versic. 17. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, &c. Christus Luc.24. versicul.47. iubet in suo nomine prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, quod sine correptione seria & seuera fieri non poterit. Paulus quoque Timotheo suo scribit, 2. cap.4. versicul. 2. Prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Hoc modo ministri homines igne & sale condire debent. Et si ipsi ministerio suo minus fructuose ob putridam hominum prauitatem defungi possint, Magistratus pius ipsis opem ferat, sicque re ipsa commonstret, se Ecclesiæ nutritium esse, Iesa.49. versiculo vigesimo tertio.

Si autem sal insulsus fuerit, in quo condietis? Ah hoc nimis verum est. Quando enim alicubi verbi ministri in suo officio sunt negligentes: aut ipsi praua doctrina vel malo vitæ exemplo autoritatem suam prostituunt, tum omnis disciplina eorum corruit, passim scandala enascuntur, ita vt publica vitia nullius authoritate corrigi, nullius imperio coerceri possint. Si quis huius rei exemplum habere velit, intueatur Maiorum nostrorum ætatem. Cum sub Papatu *sal insulsus* factus esset, ita vt extincta verbi diuini luce solæ hominum traditiones dominarentur, ibi tantum superstitionum & vitiorum chaos in Ecclesiam inuectum est, vt per satis bene multa secula, nulla Imperatorum & Regum potentia, nulla Conciliorum auctoritas, nullæ Ecclesiæ preces illud corrigere potuerint. Addit igitur grauem parænesin, quæ non tantum Apostolis, sed etiam omnibus verbi ministris, adeoque toti Ecclesiæ dicta esse debet. *Habete in vobis ipsis salem, & pacem habete inter vos inuicem*. Vult, vt tum singuli, tum tota Ecclesia, & in hac præcipua verbi ministri, habeant in se salem sapientiæ, nempe sinceræ doctrinæ, Spiritus ac disciplinæ: ac simul sint pacis ac mutuæ concordiæ studiosi. Hæc enim sunt duo principalia ornamenta, & cum primis salutaria Ecclesiæ bona. De quibus etiam apud Zachariam Dominus agit, cap.8. ver.19. Veritatem tantum & pacem diligite. Et qui hæc duo Ecclesiæ bona promouere studet, ille non ambitiose & stulte de primatu in Ecclesia altercabitur, vt modo Apostoli fecerant, cui morbo Christus hoc præcepto mederi cupit. Est ergo notatione dignũ, quod videmus, Christum hic *salem & pacem* coniungere. Plurimi enim opinantur, concordiam in Ecclesia tolli, & contra charitatis regulas peccari, si sal verbi diuini ita spargatur, vt omnes corruptelæ & phanaticæ opiniones taxentur, aut vt publica morum disciplina stricte vrgeatur. Tum enim odia, rixas, contentiones & inimicitias oriri putant. Sed Christus hoc diserte negat, & *salem cum pacis* studio coniungẽs, docet, tum potissimũ Ecclesiæ suam pacem constituturam, si verbi ministri salem constanter ita spargant, vt nihil præterquam Dei gloriam & hominum salutem quærant: quæcunque autem cũ his pugnant, ea mordacitate sui salis condiant. Hac enim ratione multi improbi corriguntur, vt ad rectam viuendi viam redeant, & cum recte credentibus, quos prius auersati fuerant, rursus pacem colant. Nam quando Domino placuerint viæ viri, etiam inimici eius vertentur ad pacem. Prou.16.v.7. Qui vero in improbitate sua persistunt, eos Deus coercebit, & cauebit, ne ipsorum malitia pacem Ecclesiæ euertat.

VI. Addit conclusionem præcedentium duorum concionis membrorum. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis*. Per *pusillos* autem rursus intelligit non tantum ætate paruulos: sed etiam qui paruulorum similes ab vno Christo dependent, ac propterea mundo contemptui sunt, qui putat parum referre quid cum ipsis fiat. Et quia hic contemptus generat audaciam scandalizandi: ideo dicit, *ne contemnatis*, & addit, *videte*: innuens, multa cura & solicitudine hic opus esse. Non frustra autem Christus vtrumque membrum in hac conclusione coniungit: quia vnum ex altero dependet. Nam si neminem contemnamus, ambitio facile extinguetur, & singuli modestia & submissione inter se certabunt. Hoc si fiat, iam etiam omnia scandalorum fomenta sunt sublata. Poterant hoc Apostoli in seipsis deprehendere. Vnde enim hæc ipsorum de primatu disceptatio exorta est, nisi quod alij alios præ se contempserunt, seque ipsis præstare sibi persuaserint? Vnde item prouenit, quod non sequẽti Christũ interdixerunt, ne in nomine eius amplius dæmonia eiiceret, nisi quod ipsum præ se contempserunt? Ex his vero multiplicia scandala enata fuissent, nisi Christus mature suis monitionibus occurrisset. Quare autem *paruuli non sint contemnendi*, nec scãdalizandi, quantumuis abiecti & humiles, duas addit rationes.

I. Prima ratio desumpta est à custodia & ministerio angelorum. *Dico vobis, quod Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est*. Vult dicere: Si angelos non pudet se submittere ad mandatum Dei etiam minimis: cur id vos puderet? Si item vident vestra facta, & simul faciem Patris cœlestis: cauete ne quenquam scandalizetis, Angeli enim, si peccaueritis, id in cœlis referent. Hic est sensus rationis Christi. Potest eadem hoc argumento comprehendi. Qui potentes & robustos habent defensores, illi non temere debent contemni. Paruuli, vtcunque coram mundo sunt abiecti, Angelos habent tutores & custodes, eosque non vulgares, sed qui sunt in continuo seruitio cœlestis Patris, de quibus illud Esa.63.v.9. vsurpari potest, angelus faciei eius saluauit eos. Ergo paruuli non sunt contemnendi.

Ex verbis *Angeli eorum* desumitur doctrina consolatione plenissima, de custodia Angelorum. Disputatum autem est à Patribus, & primum ab Origene, quando nobis angeli custodes addantur, an illud fiat statim in natiuitate, an demum post regenerationem. Item: an vnusquique hominum habeat peculiarem angelum, an vero pluribus vnus custos sit additus: vel etiam, an vni homini plures angeli custodes sint adhibiti, prout Iacobus Genes.32. versic.2. vidi castra Dei: & Elisæus 2. Reg.6. ver.17. vidit montem plenum equorum & curruum ignearum in circuitu sui. Item, disputatum est, an soli pij habeant angelos adiunctos, an singuli homines. Denique aliqui asseruerunt, cuius homini ab infantia duos angelos, bonum & malum, esse additos. In his disputationibus singuli caueant, ne ingenio suo nimium indulgeant, & temerariis assertionibus præsumant aliquid certi statuere de eo, de quo nemo hominum certus esse potest, donec veniat in regionem angelorum, & fiat ἰσάγγελος. Sufficiat nobis in hac regione mortalium hoc ex Scriptura nouisse, quod non tantum regionibus & populis, angeli à Deo sunt custodes & tutatores constituti, vt patet Exod.23. versi.10. Dan.10. vers.13. sed etiam pij de præsidio angelorum, siue vnius siue plurium, certi esse possunt. Nam Psalm.34.v.8. angelus Domini castra metatur in circuitu timentium eum, Psalm.91.v.11. angelis suis mandauit, vt custodiant pios in viis suis, Hebr.1.v.14. Angelis dicuntur λειτουργικὰ πνεύματα administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis. Non ergo tantum Abrahamus dicere potuit Genes.24.v.7. Dominus Deus cœli mittet angelum suum coram te. Non tantum Iacobus dicere potuit, Genes.48.v.16. angelus qui eruit me de cunctis malis, (quanquam hic locus proprie de filio Dei intelligi debeat.) Non tantum Tobias iunior de comitatu angeli gloriari potuit: Nec tantum Petrus Act.12. versiculo.11. dicere potuit, Dominus misit angelum suum, qui eripuit me: sed etiam singuli credentes de seipsis confidenter statuant, angelorum ministerium ipsis à Deo additũ esse. Sicuti antiquitus in populo Dei semper hęc sententia in prætio fuit. Vnde Act.12.v.15. fideles congregati audientes Rhoden ancillam denũtiare Petri præsentiam, ei dicunt: Insanis, angelus ipsius est. Et singuli experimur, multoties nos ex grauissimis, etiã ignorãtes & contra animi volũtatem, angelorum ministerio subduci. Maxime autem quoad infantes res ipsa testatur, illos tot & tantis periculis obnoxios esse, vt nulla parentum solicitudo, nulla famulorum cura ipsis seruandis sufficere posset, nisi angeli custodes adessent.

Prodest hæc consideratio 1. vt bonitatem Dei agnoscamus, eique propterea gratias agamus, quod non tantum terrestres creaturas in nostri ministerium deputauit, sed etiam angelos illos, virtute potentes, faciẽtes verbũ illius, Psal.103. v.20.

vers.10. superaddidit, vt tanto minus de ipsius bonitate dubitemus. 4. Addat eadem nobis consolationem, & confirmet nostram fiduciam, vt eo minus metuamus Diaboli incursus & illusiones: quia angelus Domini nobiscum est, ne Diabolus vllum ius in nos reperiat. 5. Moueat nos, vt solicite caueamus, ne vel sermonibus obscœnis, vel vitæ impuritate hosce sanctos custodes à nobis abigamus, sicque nos ipsos necessario ipsorum præsidio spoliemus. Si enim Paulus 1. Cor. 11. v. 10. voluit mulieres in templo habere velamen super caput propter angelos: quanto magis nobis cauendum, ne coram his custodibus dicamus vel faciamus, quorum nos coram hominibus honestis pudere posset.

Licet autem angelorum custodia certa sit & nobis salutaris: caueamus tamen, ne seducti, eos colere vel adorare velimus. Factum hoc est tempore Apostolorum. Vnde Paulus Coloss. 2. versic. 18. monet, ne θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων decipiamur. Theodoretus quoque testatur, licet Synodus Laodicena hãc superstitionem damnasset; suo tamen adhuc tempore in Phrygia & finitimis locis oratoria sancti Michaelis visa fuisse. In Papatu quoque certas habent preculas ad angelum custodem directas. Lubet vnam ex hort. ani. adscribere. Obsecro te angelice spiritus, cui ego indignus peccator ad prouidendum commissus sum, vt me, vbicunque fuero, vigilantem, dormientem, indesinenter protegas, defendas, munias ab omni incursu Diaboli. Repelle à me per virtutem S. Crucis † omnem tentationem Satanæ. Et quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtineat apud altissimum Iudicem, vt nihil in me loci habeat. Et hæc quidem Pontificij precantes recte se facere opinantur. At nos audiamus sanctum illum angelum, qui Iohanni reuelationem Christi monstrauit, & tamen eidem ad pedes eius, vt ipsum adoraret, prostrato bis dixit, Apoc. 19. versi. 10. & 22. versi. 9. Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum, habentium testimonium IESV. Deum adora.

Obseruatio hæc quoque non est contemnenda, quod angeli, qui pusillis ministrant, eos custodiunt, in manibus gerunt, & circa ipsos castrametantur, hæc officia omnia in terris expediunt; & nihilominus *faciem Patris in cælis videre* dicuntur. Vnde manifestissimum est, cœlum, in quo Deus, cum maiestate sua residet, non per tot myriadas milliarium vltra supremum hoc aspectabile cœlum abesse, sicut Caluiniani de eo nugantur. Alioquin enim angeli, quia non possunt simul in pluribus locis esse, non possent & in terris infantibus ancillari, & in cœlo Deo sua seruitia præstare. Cœlum itaque, terra & infernus non locorum intercapedinibus, sed beatitudinis & infelicitatis respectu distinguuntur. Vt Augustinus de triplici habitaculo, Bernhardus in libr. de anima. ca. 38. & alij Doctores Ecclesiastici pluribus docent.

II. Secundam rationem, qua Christus conclusionem hanc confirmat, desumit à proprio suo exemplo & fine, ob quem ipse in hunc mundum aduenerit. Respicit hæc ratio excusationem mundanorum hominum, quam prætendere solent, si quando paruulos contemnunt. Dicunt hoc mereri ipsorum infirmitates, quæ contemptum illum generent. Hic vult Christus nos cogitare, ob quam causam filius hominis in hunc mundum venerit: certe non ob firmos, & excellentibus donis præditos: sed venit *filius hominis seruare quod perierat*. Vult à suo exemplo argumentari. Si ego, veni vt saluem quod perierat: certe quicunque meus esse volet cauere debet, ne rursus perdat, quod ego saluum esse volui. Dum ergo dicit, venit filius hominis *seruare quod perierat*, & postea addit, non est voluntas Patris, *vt pereat vnus de pusillis istis*, innuit duplicem esse perditionem: vnam Adami, in qua omnes natura hæremus, neque eam iam præcauere possumus. Altera est, qua illi, qui per Christi meritum & mortem, eiusque applicationem in verbo & Sacramentis, ex perditione erepti sunt, denuò per infidelitatem, ad quam per scandalizationem inducuntur, in eandem recidunt. Id enim si fiat, tum Christo Luc. 11. versic. 26. & Petro 2. cap. 2. versic. 20. testibus, posteriora fiunt peiora primis. Et hac de causa Paulus Rom. 14. vers. 15. & 1. Corinth. 8. versic. 11. tam grauiter monet, ne libertate nostra abutentes scandalizemus, atque sic perdamus eos, pro quibus Christus mortuus est.

Argumentum hoc Christus egregia parabola, à bonis pastoribus & frugi patribusfamilias desumpta illustrat. Et dicit Apostolis suis, *Quid vobis videtur*? Quasi dicat: Vos ipsos iudices appello, an non in re familiari vsu venire soleat, vt si quis rem perditam vel amissam (vtpote ouem) rursus inueniat, magis gaudeat, quàm super reliquis omnibus, quæ non amiserat. Etsi enim maior ille numerus ouium, quæ non amissæ erant, patrifamilias etiam gratus & acceptus sit: dolor tamen & anxietas, quæ ex amissione oborta fuerant, ex recuperatione acceptum gaudium augere possunt. Hanc parabolam ipse ita accommodat: *sic non est voluntas coram Patre vestro in cælis, vt pereat vnus de pusillis istis*. Vult dicere: Quemadmodum, si quis centum habeat oues, & vna tantum ex eis aberrauerit, non sinit eam esse perditam, sed vtcunque non magni pretij vna est ad reliquas collata, tamen maiori cura amissam quærit, quam reliquas seruat, & rursus, ea inuenta maiori de ea gaudio afficitur, quam de reliquis saluis: ita Pater meus non vult, vt vnus suarum ouium, siue electorum, quantumuis pusillus & abiectus videatur, pereat, sed potius singulari cura eum quærit, & reliquis electis adiungere satagit: cumque is repertus atque ab interitu reuocatus fuerit, tum eximio gaudio afficitur. Hæc vero dicens Christus: quasi per gradationem has duas suæ Concionis partes concludit. Nemo pusillos, vel abiectos, siue scandalizare, siue contemnere debet, non tantum, quia *angeli* eorum sunt ministri, nec tantum, quia *filius hominis* venit, vt ipsos perditos quæreret; sed etiam, quia *Pater in cælis* singulare gaudium ex eorum inuentione & salute accipit. Ad Christi itaque monitionem superbiæ cristas omnes deponant, nemo proximum suum contemnat, sed vnusquisque se aliis debitorem esse agnoscat, atque alij alios iuuent, vt omnes vera fide & indefesso pietatis studio dignitatem filiorum Dei retinere, & in Christo Iesu æternam salutem consequi valeamus.

Luc. 15. hæc parabola de oue perdita repetitur, sed diuerso sensu, & alio fine, vbi iuuante Domino, plenius eam explicabimus.

Periocha concionis de correptione fraterna.

HActenus nobis Christus primùm commendauit humilitatem: deinde à scandalo pusillorum nos deterruit grauibus rationibus: nunc docebit modum corrigendi fratrem peccantem. Neque enim Dominus, quia fratrem offendi non vult, propterea sustulit obiurgationem fraternam: neque etiam statim humilis esse desinit, qui fratrem peccantem obiurgat. Necesse igitur est, scire modum, quo frater peccans pie & fructuose emendari possit. Hunc in præsentia describit triplici gradu distinctum: quem si peccans admittere nolit, testatur Christus, coram Deo tamen sententiam ab Ecclesia latam pondus habituram. Occasio autem nouæ huius & tertiæ doctrinæ fluit ex præcedenti secunda. Quia enim Christus pusillorum causam adeo studiose egit, vt illos nulla ratione offendi velit: Hinc illi facile quiduis in offensam rapere poterant, ita vt nec admonitionem, nec inprecationem æquo animo laturi, sed mox elato supercilio excepturi essent. Tu me offendis & scandalizas: vide quid facias. Ego sum ouicula Christi, quam ipse errantem suis humeris ad ouile reportauit. Habeo angelum, in conspectu Dei te accusaturum, si diutius mecum agas. Contra hanc præposteram pusillorum exceptionem, Christus hanc partem concionis attexit, & docet, pusillum si peccarit, & iure obiurgetur, errorem corrigere debere. Sin præter meritum corripiatur, vtatur ipse quoque hac formula à Christo præscripta. Sic ergo Christus neminẽ eximit à correctione. Infirmi ea indigent: quia facile labuntur. Firmiores eam non aspernentur: quia etiam iustus in die septies cadere potest. Prou. 24. v. 16.

Attendendum autem 1. ad quos hæc doctrina pertineat. Illud Christus indicat, dum dicit, si peccauerit in te *frater*. Ergo de fratribus ipsi est sermo, qui eiusdem sunt fidei, & Ecclesiæ membra. Quid enim illi, qui foris sunt, ad nos? Nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit. 1. Corinth. 5. versic. 12. Et si talis, si non admittat trinundinam correptionem, tum demum debeat esse *sicut Ethnicus & publicanus*, vtique ante illum contemtum admonitionum erit eiusdem confessionis socius. Simul autem admonet Christus, totum hoc negotium fraterno animo peragi debere. Qui enim hostili & amaro corde censuram fert, is nunquam animaduersionem suam cum fructu perficit. Ideo Paulus dicit 2. Thessal. 3. versiculo 15. Nolito quasi inimicum existimare, sed corripe vt fratrem.

2. Attendendum etiam, in quali casu hæc doctrina valeat. Id indicat Dominus, dum dicit: ἐὰν ἁμαρτήσῃ εἰς σε, *si peccauerit in te*. Sunt enim quædam vitia hominum quasi naturalia, nec magni momenti: ibi non necesse est, vt semper querelæ ingeminentur. Quædam silentio sunt inuoluenda, & pallio caritatis contegenda. Iuxta vulgare dictum: Amici vitia noueris, non oderis. Pueriles enim offensæ, & humanæ infirmitates in hunc censum venire non videntur. Sed ἁμαρτήματα, talia *peccata*, dicta vel facta, quibus vel honor Dei, vel dilectio proximi læditur, & in quibus homo perire posset, nisi corrigeretur.

3. Quin & illud attendendum, an priuatis tantum hæc detur doctrina, an iis, qui in publico versantur officio. Equidem nihil hic dicitur, quod non ex æquo ad omnes pertineat Christianos. Et quia dicit, si peccauerit *in te* frater, omnino

priuatas iniurias, quæ singulis inferuntur, & quarum remissio in nostra potestate est, intelligit. Et in his non vult nos cupiditati vindictæ indulgere, sed vt potius eos, qui legem charitatis contra nos violarunt, lucrifacere quam vlcisci vel diffamare studeamus. Interim tamen nihil impedit, quo minus hanc ipsam doctrinam etiam ad publicam Ecclesiæ disciplinam transferamus, sicut illud & ab Apostolis & à Patribus factum esse nouimus. Nam illud, si peccauerit *in te*, omnino etiam ita accipi potest, ac si Christus dixisset, si peccauerit *coram te*, te conscio, vidente & præsente. Vt si maxime peccatum aliquod non sit priuatum & directe in te admissum, & tamen eo aut Dei honor violetur, aut proximus offendatur, tum ad remouendum scandalum & fratrem in viam reducendum, hic à Domino præscriptus processus est obseruandus.

II. Quid igitur faciendum in tali casu? Christus totam admonitionem fraternam tribus gradibus includit: quorum primus sit priuatus, alter in testes, tertius publicus. Nos singulos videamus.

1. Dicit: *Vade & argue illum inter te & ipsum solum.* Par sane erat & æquum, vt qui in alterum peccauit, tanquam pars lædens, prior piæ reconciliationis initium faceret. Sed tales plerunque sunt cessatores. Nam φιλαυτίας vitio excæcati, vel iniurias non obseruant, quas aliis fecerunt: vel alios non animaduertere arbitrantur: vel non tanti referre existimant, vt de resarcienda concordia sint soliciti. Vult ergo Christus, vt pars læsa prior de componenda offensa & lucrando fratre cogitet. Conuenit hoc cum exemplo boni pastoris, quod Christus modo ad imitandum proposuit: & quod ipse Genes. 3. vers. 8. cum Adamus ipsum peccando offendisset, primus effectum dedit: adhuc quotidiana praxi in nostris peccatis exercet. Nemo ergo vereatur, ne suæ existimationi aliquid decedat, si ipse læsus de componendo cum fratre dissidio cogitet. Ne tamen lædens contumacior reddatur, sibique in nequitia sua blandiatur, addit: *argue illum*, hoc est, peccati grauitatem ei ob oculos pone, & quam indigne fecerit commonstra, imo ad Dei tribunal eum cita, & exempla deprome, quomodo Deus consimilia delicta iam ante in aliis punierit. Hoc enim vult verbum ἐλέγχειν, *arguere*, vt talis intra conscientiam suam conuincatur, se peccasse. Hunc autem primum gradum redargutionis vult institui *inter te & illum solum*, hoc est, priuatim, vt intelligat lædens, non suam ignominiam & infamiam, sed emendationem & salutem quæri. Huic redargutioni priuatæ si lædens locum concesserit, fructum huius admonitionis indicat, *lucratus es fratrem tuum*. Magnum reuera lucrum. Nam lucratus es eum primum tibi: vt qui tibi ex offensione ista hostis factus fuisset, & fortassis implacabiles atque acerrimas iras aduersus te gessisset, iam factus tibi sit amicus. De quo sperare possis illud Salomonis Prou. 18. v. 19. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Et vers. 24. Verus amicus tenacius adhæret, quam frater. Lucratus deinde ipsum es Deo, qui quantopere hominum conuersione & salute lætetur, modo Christus in parabola expressit. Huic vero periisset talis frater peccans, nisi medio admonitionis & correptionis in viam reduceretur.

2. Cæterum *si te non audierit* lædens, si facti sui culpam nolit agnoscere, sed potius in suo peccato perseuerare velit, imo, vt rusticorum fert natura, si redargutione illa exasperetur, & præfractior reddatur: nondum tamen vult Dominus illum negligendum, sed omnem lapidem mouendum, vt à peccato & interitu suo reuocetur. Proinde dicit Christus: *adhibe tecum vnum aut duos*, si forsan horum auctoritate motus se mitiorem & placabiliorem præberet. Testes duos adsciscì vult Seruator, iuxta legis præscriptum Deut. 19. versic. 15. Tales testes in huiusmodi redargutione plurimum prodesse possunt. Vt peccantem, qua par est, grauitate moueant: vt quasi arbitri sint inter partes litigantes, lædentem & læsam: vt sint totius actionis testes, qui testari possint, quam æquo iure cum lædente sit actum, & quomodo is sit conuictus, atque iniurius in suum proximum inuentus, quique nullo modo adigi possit, vt dissidij inter se & proximum exorti caussam amoliatur.

3. Porro si nec hosce testes & arbitros reuereatur, vt eorum fraternas admonitiones admittat, *dic Ecclesiæ*. Quid per Ecclesiam Christus intellectum velit, facile quisque assequitur. Non vniuersam Ecclesiam catholicam in toto terrarum orbe dispersam, sed cœtum fidelium, in certo aliquo loco, sub suo Pastore constitutum. Sicuti Paulus testatur, se scribere Ecclesiæ Thessalonicensium, 1. Thess. 1. & versic. 1. & Ioannes, se scribere septem Ecclesiis Asiæ, Apocal. 1. vers. 20. Ecclesiæ autem talis indicari, aut, vt loquuntur, denuntiari debet, non vt in multitudine diffametur, sed vt totius communitatis auctoritate sanetur. Sic Paulus 1. Corinth. 5. versic. 1. incestuosum iudicauit & denuntiauit Corinthijs, & voluit, vt ipsis in nomine Iesu Christi congregatis & suo Spiritu, cum virtute Domini Iesu talem tradant Satanæ in interitum carnis, vt saluus sit Spiritus in die Domini nostri Iesu Christi. Et hanc correptionem vocat D. Paulus 2. Cor. 2. 6. ἐπιτιμίαν ὑπὸ τῶν πλειόνων, increpationem à pluribus factam. Ad quam cum incestuosus iste resipuisset, Paulus eum ex vinculis excommunicationis rursus exemit. In primitiua quoque Ecclesia, cum magistratus adhuc gentilis esset, nec delinquentes Christiani absq; damno Ecclesiæ ad ipsum deferri poterant, valde vsitatum fuit, vt peccatores, iuxta hanc doctrinam Christi, post vnam aut alteram correptionem, denuntiarentur toti Ecclesiæ alicuius loci, id est, Christianis legitime cum suo Pastore congregatis, ibique si impœnitentes persisterent, cum omnium consensu & approbatione ab Episcopo excommunicarentur.

Nam sic Christus hic præcipit. Si Ecclesiam non audierit: *Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, hoc est, excommunicetur, vt vulgo loquuntur, excludatur à communi consortio Christianorum; non admittatur ad absolutionem, non ad communionem Sacramentorum, siue baptismi siue cœnæ dominicæ, ne cibus quidem cum ipso sumatur, 1. Corinth. 5. vers. 11. eodem loco habeatur, quo Ethnici, penitus ab Ecclesiæ societate segregati, aut perditissimæ improbitatis homines. Ad auditum verbi tamen admitti possunt, an Deus per illud operari velit, vt sese emendent: alias toti permittantur Dei iudicio, qui tantam contumaciam non inultam dimittet.

Ex his manifestum euadit, Christum hanc doctrinam suis Apostolis communicasse, non tantum vt priuatis, sed potius vt eos instrueret, qualiter olim in suo munere, quoad fraternam correptionem, se gerere debeant. Nam verbi ministri, inprimis autem illi, qui feruentioris sunt ingenij, sæpenumero hac in parte peccant. Si quis auditorum apud ipsos de peccato deferatur, protinus in suggestum conuolant, & nulla à præeunte priuata admonitione, licet delinquentem non nominent, sic tamen verbis depingunt, vt ab omnibus digitis monstrari & dici possit, hic est. Aut si quis ipsos offendit, isque postea ad confessionem accedit, indignis modis ab ipsis excipitur, & sæpenumero ob caprinam lanam ab Absolutione & Communione sæpenumero arcetur, nullo præeunte arbitrorum iudicio, nulla superiorum cognitione. Tales pastores olim grauem Deo reddituri sunt rationem. Neque enim ipsi Domini sunt Sacramentorum, sed ministri: & claues regni cœlorum, tam ligans, quam soluens, ita sunt ipsis concreditæ, non vt pro suo arbitrio iis abutantur, sed vt iuxta præscriptum Christi singulis eas applicent.

Sed vt auditores nostri, quandoquidem ex Dei verbo addidicerunt, tres gradus admonitionum esse seruandos, redargutionum omnium facti sunt impatientes, & mallent omnibus suis Pastoribus ora obturare. Priuatas admonitiones non admittunt: publicas multo minus audire volunt, prætendentes gradus admonitionum non esse seruatos. At nouisse debent, duplices esse lapsus peccantium, alij sunt priuati, de quibus hic agitur, si peccauerit frater *in te*: & hi priuatis hisce admonitionum gradibus sanari possunt. Alij vero sunt publici, si quis in Deum & Ecclesiam notorie peccat. Hi lapsus gradus hosce excludunt, & medicinam magis promtam atque expeditam requirūt. Hinc Paulus Timotheo suo scribit, 1. Timoth. 5. vers. 20. Peccantes (scilicet publice & notorie) coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Paulus quoque Galat. 2. vers. 11. Petrum palam reprehendit, nullis præmissis gradibus admonitionum. Imo Act. 5 vers. 3. Petrus Ananiam & Sapphiram publice arguit, sine secreta admonitione, licet eorum peccatum adhuc occultum fuerit. Et hoc fecit ex Dei reuelatione. Sunt enim quædam peccata adeo atrocia, Dei honorem lædentia, & sua contagione Ecclesiæ noxia, vt moram admonitionum non admittant, sed subitaneam mali abscissionem requirant. Eadem est sententia D. Augustini, sicuti eam lib. de verbis Dom. serm. 16. prolixe prodit. Summa hæc est. Apostolus dicit: Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Num discipulus suo Magistro contradicit? Non. Aliquando ergo scies corripiendum esse fratrem solum, aliquando autem coram omnibus. Quid autem ante facere debeamus, intendite & videte. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Quare? Quia in te peccauit, tu scis, quia peccauit? Quid est, in te peccauit? Quia enim secretum fuit quando in te peccauit, secretum quære, cum corrigis, quæ peccauit. Nam si solus nosti quia in te peccauit, & eum vis coram omnibus arguere; non es corrector, sed proditor. Si autem multis audientibus fecit tibi iniuriam, & in illos peccauit, quos testes suæ iniquitatis effecit. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus quæ peccantur coram omnibus. Ipsa vero corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. Distribuite tempora,

pora,& concordat scriptura. Hæc ille.

Assuefaciant itaque se tam Pastores quam auditores,vt illi peccantes fraterne monendo, hi admonitiones patienter ferendo,huic doctrinæ Christi sese accommodent.Est enim illa & æqua & salutaris & commoda. Quid enim æquius est, quam fratrem fratris damnum arcessere? Quid etiam salutarius,quam fratrem à morte præseruare? Qui vero fratrem corripiendo lucrifacit, is eum eripit à morte non corporali, sed spirituali & æterna,in quam per peccatum inciderat? Quid denique commodius ad fratrem reducendum tradi posset, quàm vt primum salutis suæ priuatim admoneatur, & quidem ab eo qui ab ipso læsus & offensus est,quique cum ipso de iniuria expostulare posset? Quod si hac ratione non permouetur,proximum est,vt duo vel tres testes adhibeantur, quo vel mediocri pudore corrigatur, qui nondum ad infamiam vsque progressus est. Quod si nec hæc ratio succedit, tum demum ad extremum remedium deueniendum est, vt res ad Ecclesiam deferatur.Et licet hoc ipsum cum infamia peccantis coniunctum videatur:æterna tamen eius salus quæritur,quæ temporali infamiæ multum præponderat. Sic ergo Christus fideles verbi ministros prudentes medicos imitari docet,qui morbum aliquem curaturi,non statim extrema remedia adhibent, quæ naturæ vim illatura videntur: sed prius tentant talibus pharmacis mederi, quæ naturæ quam minimum obsint. Si vero leuioribus se nihil proficere sentiant,tum demum ad vehementiora illa transitum faciunt. Idem faciat verbi minister. Vbi tamen remedium non est fustigatio, lapidatio, suspensio,aut aliud capitale supplicium, sed *sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, à cuius consortio per omnia abstineas, si forte vel hac ratione confusus corrigi possit.

III. Multa inueniuntur leuia ingenia, quæ omnem etiam fraternam correptionem rident,excommunicationem autem vel exclusionem à consortio Ecclesiæ scurrilibus sanis eludunt,sibique nihilominus vinum cibumque sapere asseuerát, licet sint segregati: imo opinantur sibi iam maiorem licentiam concessam esse quiduis perpetrandi. Contra horum proteruiam tam seuere Christus agit, & graui asseueratione confirmat, sententiam contra eiusmodi impœnitentem ab hominibus latam,etiam apud Deum ratam esse. *Amen dico vobis,quæcunque alligaueritis super terram,erunt ligata in cælo: & quæcunque solueritis super terram,erunt soluta in cælo.* Theophilactus hanc sententiam ad omnes tres gradus admonitionum accommodat: neque id inepte:Nam si mox in prima admonitione frater fratrem lucretur, vt culpam agnoscat & deprecetur, & cum læso in gratiam redeat, illud Deo est gratum, qui de conuersione peccatoris lætatur, & in cœlis ratam habet remissionem offensæ & iniuriæ, quæ inter priuatos est acta & transacta. Sin admonitio ista est frustranea & lædens redditur pertinacior,læsus certe gemit,& querelas suas in sinum Dei effundit, qui tanquam iustus iudex, iniurias præter meritum aliis factas,non inultas dimittit. Quod enim Syracides dicit c.35.versic.18. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt,& exclamatio eius est super deducentem eas? Oratio afflicti nubes penetrabit,& non quiescet, donec propinquet ad Altissimum, & non discedet, donec Altissimus aspiciat: illud hic quoque locum habet. Dubium ergo est nullum,apud Deum in cœlo ratum esse, quicquid, quoad correptionem fraternam, secundum præscriptum ipsius verbi in communi vita à Christianis peragitur. Recte itaque dixit Theophilactus:Si offensus,habes eum,qui te iniuria affecit,sicut Ethnicum & publicanum,erit in cœlo talis. Si autem solueris eum,hoc est,ignoueris, erit ei & in cœlo condonatum. Non enim solum, quæ soluunt Sacerdotes, sunt soluta, sed quæcunque & nos iniuria affecti vel ligamus vel soluimus, & ipsa erunt ligata vel soluta. Hęc Theophilactus dicendo,propterea non confudit ordinariam Ministerij potestatem peccata soluendi ac ligandi, cum hac extraordinaria, quæ fit inter partes litigantes. Neque hoc sequitur: quilibet Christianus offensus,si arguerit fratrem, & hic audiens se emendarit, potest ei offensam condonare,& condonatio illa in cœlis est rata. Ergo quilibet etiam Christianus habet potestatem in Ecclesia ministerialiter peccata soluendi & ligandi. Sunt enim hi duo disparati casus: sicut rursus alius casus est, quanto tempore necessitatis pius & pœnitens Christianus ordinario ministro siue sacerdote destituitur, & alteri Christiano fratri suo peccata confitetur,atque ab ipso Absolutionem petit. In tali necessitatis casu quiuis Christianus vere pœnitentem à peccatis absoluere potest, & quicquid ipse soluit in terra, illud etiam solutum est in cœlo. Ratio est: Quia Christus Iesus nos credentes fecit Patri suo reges & Sacerdotes, in gloriam ipsius & imperium sempiternum. Apoc.1.versi.6. Vt ergo publicum ministerium Ecclesiæ ordinarie tantum pertinet ad personas ab Ecclesia legitime vocatas,qui nomine Dei & Ecclesiæ potestatem ligandi & soluendi habent erga suos auditores:ita in casu necessitatis, eadem potestas recidit ad proximum Christianum quemuis.Potestas enim ligandi & soluendi,vt Matth.16.versi.19.promissa est Petro,& Iohann.20.versi. 23.tradita est omnibus Apostolis: sic hoc in loco traditur à Christo Ecclesiæ,quæ hanc potestatem ordinarie deferre potest personis legitime ad id vocatis, extraordinarie autem & in casu necessitatis vnumquodlibet verum Ecclesiæ membrum idem ius habet,eoque ad gloriam Dei & proximi salutem vti potest.

Quemadmodum autem coram Deo ratum est, quicquid in primo admonitionis gradu tractatur & transigitur: ita etiam & multo magis in secundo gradu, qui per arbitros instituitur.Si enim lædens per hos sibi persuaderi patiatur, vt cum eo,quem offendit,in gratiam redeat,& culpam admissam deprecetur:tum non saltem arbitris illis obsequium, sed & Deo opus gratum præstat, qui similiter in cœlo ratum habebit, quicquid illi in terra pacis & concordiæ causa statuerunt. Si vero ille contumacior & implacabilior,ne hos quidem audire voluerit, tum Deum grauiter is offendit,qui in cœlo ratam habebit sententiam, quam ipsi huic contumaci & irarum tenaci homini denuntiarunt.

Maxime omnium autem coram Deo ratum est, quod in tertio admonitionis gradu decernetur. Si enim quis tam præfracti sit ingenij,vt etiam Ecclesiæ censuram & iudicium contemnat, is facto ipso prodit se indignum esse, cui vlterius locus in communione populi Dei concedatur. Quod si ergo ita exclusus, impœnitens ad finem vsque perseuerauerit, sicque mortuus fuerit, nemo dubitet, quin in altera vita pars ipsius futura sit cum aliis Ethnicis & publicanis in stagno igni ardente & sulphure, quæ est mors secunda. Nam Deus non deerit suæ Ecclesiæ,neque sententiam ab ipsa legitime latam perpetuo contemni patietur, sed viam inueniet, qua huiusmodi contumacior homo puniatur,si non in hoc,certe in futuro seculo.

Cæterum si quis miretur, & scire aueat, vnde proueniat, quod sententia illa aduersus contumacem vel ab Ecclesia vel arbitris lata,apud Deum in cœlo tantum pondus habeat, vt ipse ratificet quæcunque in terris ab ipsis ad frangendam illam contumaciam constituta sunt, ei Christus hic duas rationes indicat. Vna desumta est ab efficacia precum,quibus Deus nihil denegare possit. Altera à præsentia Christi, qui non procul absit ab eiusmodi actione, sed illi intersit, imo præsit, & proinde firmum ac ratum efficiat quicquid in suo nomine peragetur. Hac de caussa in Excommunicationis sententia ferenda non præcipitanter est agendum,nec temere à quoquam Pastorum,nisi præeunte matura deliberatione superiorum,prouolandum,ne nomine Christi,qui interest, abuti videatur. Ideo 1.Corinth.5.vers.4. incestuosum excommunicaturus dicit: In nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo Spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu. Et cum eundem postea rursus ex Excommunicatione eximere vellet. 2.Corinth.2.vers.10.scribit: Cui vos donastis, & ego. Nam & ego quod donaui,si quid donaui,propter vos in persona Christi. In primitiua Ecclesia Episcopi consentiente & approbante tota fidelium multitudine,hanc excommunicationis potestatem exercuerunt. Apud Euangelicos Pastores, si quos habent contumaciores, aduersus quos rigidior disciplina vel censura Ecclesiastica exercenda est, querelam suam deferunt ad Superintendētes,& per hos ad Consistoria, quæ ponderatis omnibus circumstantiis præscribunt formam,iuxta quam cum contumacioribus sit agendum. Et quia hæc omnia sine precibus non peraguntur, merito Christus his primas tribuit,quas cœlestis Pater exaudiat,& ipsarum acta rata habeat.

Porro,quod in prima ratione Christus dicit: *si duo consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint,fiet illis.* Hoc accipiendum est,iuxta illud 1.Iohan.5.vers.14. Quodcunque petierimus secundum voluntatem eius, audit. Ideo etiam non simpliciter dicit,si duo consenserint, sed *si duo ex vobis*, veris Christianis & fidelibus, qui non mundana affectione quiduis sibi fieri exoptant, sed secundum Spiritum & voluntatem Dei sua vota instituunt. Monet autem nos hæc sententia,qua pietate & quo studio in caussis nostris tractandis versari, & quomodo omnia nostra præuia seria precatione ad Deum incoare debeamus. Hic agit Christus de vnico homine, qui præfractior & difficilior, quam par sit, ab altero in viam reduci nequit & non contentus monuisse,vt in suo nomine actio omnis instituatur,addit insuper,vt inter se conueniant, quid & qualiter felicem successum à Deo coniunctis suis precibus impetrare velint. Inprimis autem hic effectus communium vel publicarum precum nobis commendatur, quæ coram Deo,si ex concordi animo profluant,maioris efficaciæ sunt,quam si quisque solitarius pro se tantum precatur. Ideo vtitur verbo *συμφωνεῖν*, innuens communes preces

coram Deo esse iucundissimam *symphoniam*, quæ in auribus Dei melius sonet, quam Musicus concentus.

Debet quidem vnusquisque pro se orare: verum multi sunt casus tam in necessitate, quam extra necessitatem, in quibus quis proximum de assistentia in precando interpellare possit. Hinc semper preces publicæ in Ecclesia tam Veteris quam Noui Testamenti fuerunt vsitatæ, sicut hoc patet ex Ioel.2. versic.16. in publica calamitate, Actor.4.versic.24. in persecutione contra hostes: Actor.13.vers.2. in ordinatione Pauli & Barnabæ: 1.Timoth.2.vers.1. pro magistratu: Iacob.5.versi.14. in morbo grauiori. Paulus quoque passim in suis Epistolis publicis Ecclesiarum precibus sua vincula, suas persecutiones, suam personam & officium commendat. Et videtur Christus ipse in oratione Dominica nos ad publicarum precum consensum remisisse, quando nos non docuit, quomodo singuli suam modo necessitatem pro se, sed quomodo coniunctim etiam fratrum necessitatem Deo proponere debeant. Pater *noster*. Remitte *nobis nostra* peccata. Qua autem forma preces publicæ sint habitæ, facile colligere licet. In Veteri Testamento Pontifex exponebat augustias populi, & interim populus etiam orabat, vt Luc.1.vers.10. in historia Zachariæ apparet. 2.Par.20.versic.12. dicit Iosaphatus: Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros ad te Domine dirigamus. Omnis vero Iuda stabat coram Domino cum paruulis & vxoribus & liberis suis. Multi quoque Psalmi ad publicas preces sunt accommodati. Hanc eandem formam etiam in Nouo Testamento Apostoli retinuerunt. Nam ex 1.Cor.14.vers.15. patet, ministrum precibus in nota & vsitata lingua præiuisse, Ecclesiam autem suos gemitus & singultus adiecisse, & tandem totam præcationem vocula *Amen* conclusisse atque confirmasse. Prodest autem considerare caussas, ob quas publicas preces, de quibus Christus hic testatur, quod pater eas clementer exaudiat, amare debeamus. Sunt autem hæ. 1. Quia Deus vult nos esse fratres & membra per caritatis Spiritum in vnum corpus colligata, Iohann.17.vers.21. orat Christus, vt omnes vnum sint, sicut Pater in se, & ipse in Patre, vt ita nos in ipsis vnum simus. Nihil ergo Deo gratius accidere potest, quam si singuli in oratione in illo vinculo caritatis inueniantur. Ideo Paulus Ephes.4.vers.3. vult, vt studeamus seruare vnitatem Spiritus ἐν τῷ συνδέσμῳ per vinculum pacis. In corpore, si vnum membrum laxetur vel frangatur, tum ad reliqua membra per certa ligamenta reuincitur, atque sic ad sanitatem reducitur: ita si quis sentiat se infirmius esse Ecclesiæ membrum, vel ob nimiam tristitiam, vel ob alias aduersitates vel calamitates per publicas preces in caritate se ad reliquum corpus alligari curet, sic maiorem relaxationem sentiet. 2. Non est dubium, si in publico preces instituantur, quin ibi ardor precandi crescat. Nam in Ecclesia adest Spiritus gratiæ & precum, Zach. 12.versi.10. qui vna nobiscum clamat, Abba Pater, & intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Rom.8.vers.26. In precibus requirit Christus fidem, Marc.11.versic.24. iam autem mensura fidei inæqualis est, teste Paulo, Rom.12.versi.6. Qui autem imbecillis est fide, is non multum impetrabit in precatione, Iacob.1.vers.7. talis ergo properet ad Ecclesiam, & ibi suas preces publicis Ecclesiæ precibus adiungat. In Ecclesia est vna fides, Eph.4.vers.5. aut vt habetur Tit.1.versic.4. κοινὴ πίστις communis fides. Si ergo tibi obstat infirmitas tuæ fidei, vide vt preces tuæ in communi illa vna fide ante faciem Dei veniant, tum etiam illæ ipsi gratæ erunt. Et huc respicere videtur Christus vocabulo συμφωνίας. Si enim in magno templo, congregata tota multitudine, vnus forte puer in hoc angulo & duo senes in altero canant, tum cantus omnem amittit gratiam. Illos quoque qui voce suaui destituuntur, suppuderet, si soli in templo canere deberent. At quando totus cœtus exaltat vocem suam, ibi quidem magnum est discrimen: alius enim clara, alius submissa, alius alta, alius pressa, alius forti, alius infirma voce canit: Sed hoc nemo attendit, totus concentus iucundissimam præbet συμφωνίαν. Sic quoad preces, si maxime quis infirmus sit precando, si tamen suam orationem reliquorum precibus addat, tum vna cum illis ascendit ad Deum, penetrat nubes, suauis est concentus in auribus Dei, nec quicquam ei negari potest. 3. Præcipua autem caussa est, quam Christus in posteriore sententia subiungit. Quia vbi est corpus, ibi etiam est caput: vbi Ecclesia præsens est, ibi etiam Christus adest in medio suorum. Hinc ergo proprie publicæ preces vocantur, non propter membra, nec propter publicas calamitates: sed quia totius Corporis oratio est inclusa. *Ego sum in medio illorum*, inquit. Quid ibi Christus facit? Non est otiosus, nec tantum intuetur ora & corda suorum: sed vna orat, interpellat pro nobis, Hebr.9.versic.24. est aduocatus noster, 1 Iohan.2.vers.1. Offert ergo simul & preces nostras, & eas Patri acceptas facit. Nos orantes procul stamus, vt Publicanus, Luc.18.versic.13. sed Christus audet propius accedere, & compareat coram facie Dei, & ita vna cum ipso atque per ipsum in toto corpore nobis quoque patet accessus ad Deum, Eph.2.v.18.

Posteriore sententia Christus testatam facit nobis perpetuam suam præsentiam apud Ecclesiam & singula ipsius membra in cunctis necessitatibus & angustiis. Consimilem sententiam habet Matth.28. v.vlt. Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. *Hæc promissio* adeo clara est, vt ne Caluiniani quidem *ipsi eam negare possint*: tantum hac ratione eludere conantur, *quod* hæc promissio de nuda & sola Deitate Christi extra & citra humanam eius naturam intelligenda sit. *Sed hac ratione* soluunt Christum, duosque eos statuunt: *vnum qui certo aliquo* loco præsens sit, Deus & homo vnitus: alterum, qui in sola deitate, humanitate sequestrata, vbique præsens sit per orbem. Hoc falsum est. Scriptura tantum vnum docet Christum, incarnatum illum Dei filium, qui ad dexteram omnipotentis & omnipræsentis exaltatus, ad eandem secum euexit humanam assumtam naturam, in qua tota plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter, vt iam ipsa quoque in λόγῳ præsens sit, non tantum suæ Ecclesiæ, sed etiam omnibus creaturis. Christus enim totus, Deus & homo, omnibus dominatur, non ex longinquo & immenso interuallo absens, aut per vicariam administrationem, sicut Reges, quando ipsorum imperium per multas prouincias late extenditur, facere solent. Sed quemadmodū humana natura in λόγῳ existit: ita quatenus τῷ λόγῳ personaliter vnita est, eatenus etiam in eo omnia coram se præsentia habet, & omnibus præsens dominatur ἐν τῷ λόγῳ. Apponatur argumentum, quod Caluiniani reiicere non poterunt. Quicquid æterno Dei λόγῳ per nexum hypostaticum omnipræsenter vnitur, hoc & creaturis (quæ in Deo λόγῳ illocaliter existunt) omnibus, mediante hoc nexu, illocaliter adest. Humana Christi natura Deo λόγῳ omnipræsenter hypostatico nexu vnitur. Ergo & creaturis omnibus in Deo λόγῳ illocaliter existentibus illocaliter adest. Maior exemplo animæ & corporis, quo simili Patres vsi sunt, illustrari potest. Calumnia itaque est, quod Caluiniani nobis portentosam expansionem & diffusionem carnis Christi per cœlum & terram affingunt. Atqui diuinitas ipsa omnia *præsentia* habet sine extensione: quid ergo opus est *coextensione carnis*? Caro non in seipsa vel localiter *præsens* est, *neque Ecclesiæ* neque reliquis Creaturis, *sed illocaliter* ἐν τῷ λόγῳ, totaliter in ipsa habitante, *omnes creaturas præsens* videt & ipsis adest.

Obseruent autem Theologiæ studiosi, diuersos esse gradus præsentiæ Christi διαφόρως, apud suos in Ecclesia (de quo gradu in hac sententia agitur) & apud omnes creaturas. Vt enim vulgo in scholis quatuor gradus præsentiæ Dei, & quidem recte, numerant: ita iidem quatuor gradus etiam humanæ Christi naturæ accommodari possunt. Nam 1. humana natura præsens est τῷ λόγῳ filio Dei *personaliter*, cui vnita est ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, inconfuse, inconuertibiliter, indiuulse, & inseparabiliter, & proinde in æternum ab eo diuelli nequit. Quod enim filius Dei semel *assumsit*, in æternum amplius non deponit. 2. Eadem *humana* natura ἐν λόγῳ præsens adest sanctis angelis & beatis animabus in cœlo *gloriose*: vt indefinenter nunc videant claritatem eius, quam dedit ipsi pater, Iohan.17.vers.24. 3. Eadem humana assumta natura adest ἐν λόγῳ Ecclesiæ suæ *gratiose*: Ecclesiam suam gubernans, eius ministerio benedicens, per baptismum homines regenerans, in sacra Cœna corpore & sanguine suo suos pascens, piorum preces exaudiens, hostes coercens, & tandem fideles ab omni malo liberans. 4. Eadem humana assumta natura præsens adest ἐν λόγῳ, & non in loco, omnibus creaturis *vniuersaliter*, eas creando, conseruando, ad destinatum finem dirigendo, intra limites à Deo ordinatos continendo, & tandem etiam, vbi finem suum consecutæ sunt, destruendo. Sic ergo humana Christi assumta natura ἐν λόγῳ collocata est in thronum diuinæ maiestatis, non vt ibi otiosa desideat, aut interdum cum sanctis dispatietur: sed vt adhibeatur gubernationi totius Vniuersi, ita vt iuxta Athanasium filius Dei IN assumta hac sua humana natura, CVM ea, & PER eam, omnia diuinitatis suæ opera exerceat & exsequatur.

Quin & hoc obseruandum. Quia Christus hic in statu exinanitionis dicit: *Vbi duo vel tres in nomine meo sunt congregati, ibi sum in medio eorum*, quod veritas eius dicti sit credenda: ita vt etiam tum, quando duodecim Apostolos emisit binos, Marc.6.vers.7. & postea rursus septuaginta binos & binos, Luc.10.vers.1. ipse præsens sua gratia ipsis affuerit: Item quando Hierosolymis Nicodemus & Iosephus de Arimathea, aut Capernaumi centurio, Regius & Iairus in nomine Christi conuenerunt, ipse *in medio eorum* fuerit. Quanto magis ergo nunc, postquam assumtus est in gloriam, vbique suis adest coope-

cooperans & sermonem prædicatum confirmans? Marc.16. versic.vltim. Ipse enim est filius ille hominis, qui ambulat in medio candelabrorum aureorum, hoc est, particularium Ecclesiarum in orbe dispersarum, & in manu sua habet stellas, hoc est, non tantum Doctores, sed etiam veros fideles, qui in medio peruersæ & prauæ nationis lucent tanquam luminaria in mundo, Apoc.1. v.13. Philip. 2.versi.15.

CAPVT XCIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS COLLOQVIVM PETRI CVM CHRISTO DE offensa fratri remittenda, Matth.18.v.21.

RATIO ORDINIS.

Præterquam quod particula continuatiua τότε *tunc*, quam Matthæus ponit, nos certiores reddit, sequens hoc colloquium præcedentem concionem recta insecutum esse, etiam ipsæ Circumstantiæ idem commonstrant. Quia enim Christus in extrema parte concionis suæ docuerat, fratri, si redargutionem audiat & admittat, ignoscendum esse. Sicuti Luc. 17.vers.3. Christus in repetitione huius Concionis diserte addit: *Si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Placuit Petro hanc quæstionem Christo proponere, quot vicibus ei ignoscendum sit: ad quam Christus eleganti parabola respondet, qua primo quidem doctrinam suam, hactenus in Galilæa propositam, quasi in vnam summam contrahit: monens omnia eò directa esse, vt discamus Deo rationem reddendam esse de vita nostra: & quia in iudicio consistere minime possimus, operam dandam, vt gratuitam peccatorum remissionem à Deo impetremus: qua impetrata cauendum esse, ne eam denuò amittamus, sed vt constanter eam ad finem vsque retineamus. Et quia hæc amitti possit per immisericordiam inter fratres: iccirco reconciliationi cum proximo identidem studendum esse.

COLLOQVIVM PETRI CVM CHRISTO super quæstione, quoties fratri sit ignoscendum.

MATTH. 18.

21.	Τότε προσελθὼν αὐτῷ ὁ Πέτρος, εἶπε· Κύριε, ποσάκις ἁμαρτήσει εἰς ἐμὲ ὁ ἀδελφός μου, καὶ ἀφήσω αὐτῷ; ἕως ἑπτάκις;	21.	*Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? num vsque septies?*
22.	Λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· οὐ λέγω σοι ἕως ἑπτάκις, ἀλλ᾽ ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά.	22.	*Dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.*
23.	Διὰ τοῦτο ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, ὃς ἠθέλησε συνᾶραι λόγον μετὰ τῶν δούλων αὐτοῦ.	23.	*Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit conferre rationem cum seruis suis.*
24.	Ἀρχομένου δὲ αὐτοῦ συναίρειν, προσηνέχθη αὐτῷ εἷς ὀφειλέτης μυρίων ταλάντων.	24.	*Et cum cœpisset conferre, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talentorum.*
25.	Μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι ἐκέλευσεν αὐτὸν ὁ κύριος αὐτοῦ πραθῆναι, καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ τὰ τέκνα, καὶ πάντα ὅσα εἶχε, καὶ ἀποδοθῆναι.	25.	*Cæterum cum is non esset soluendo, iussit eum dominus eius venundari, & vxorem eius & liberos, & omnia quæ habebat, ac fieri solutionem.*
26.	Πεσὼν οὖν ὁ δοῦλος, προσεκύνει αὐτῷ λέγων, κύριε, μακροθύμησον ἐπ᾽ ἐμοὶ, καὶ πάντα σοι ἀποδώσω.	26.	*Procidens autem seruus ille adorabat eum, dicens: Domine esto patiens erga me, & omnia tibi reddam.*
27.	Σπλαγχνισθεὶς ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου, ἀπέλυσεν αὐτὸν, καὶ τὸ δάνειον ἀφῆκεν αὐτῷ.	27.	*Misertus autem Dominus serui illius, absoluit eum, & æs alienum remisit ei.*
28.	Ἐξελθὼν δὲ ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, εὗρεν ἕνα τῶν συνδούλων αὐτοῦ, ὃς ὤφειλεν αὐτῷ ἑκατὸν δηνάρια· καὶ κρατήσας αὐτὸν, ἔπνιγε, λέγων, ἀπόδος μοι ὅτι ὀφείλεις.	28.	*Egressus vero seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat sibi centum denarios: & iniecta in eum manu obtorto collo trahebat, dicens, solue quod debes.*
29.	Πεσὼν οὖν ὁ σύνδουλος αὐτοῦ εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ, παρεκάλει αὐτὸν, λέγων, μακροθύμησον ἐπ᾽ ἐμοὶ, καὶ πάντα ἀποδώσω σοι.	29.	*Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens, esto patiens erga me, & omnia reddam tibi.*
30.	Ὁ δὲ οὐκ ἤθελεν, ἀλλ᾽ ἀπελθὼν ἔβαλεν αὐτὸν εἰς φυλακὴν, ἕως οὗ ἀποδῷ τὸ ὀφειλόμενον.	30.	*At ille nolebat, sed abijt, & coniecit eum in carcerem, donec redderet debitum.*
31.	Ἰδόντες δὲ οἱ σύνδουλοι αὐτοῦ τὰ γενόμενα, ἐλυπήθησαν σφόδρα, καὶ ἐλθόντες διεσάφησαν τῷ κυρίῳ αὐτῶν πάντα τὰ γενόμενα.	31.	*Porro cum vidissent conserui eius, quæ fiebant, indoluerunt valde, & venerunt, aperueruntque domino suo omnia, quæ facta fuerant.*
32.	Τότε προσκαλεσάμενος αὐτὸν ὁ κύριος αὐτοῦ, λέγει αὐτῷ, δοῦλε πονηρὲ, πᾶσαν τὴν ὀφειλὴν ἐκείνην ἀφῆκά σοι, ἐπεὶ παρεκάλεσάς με·	32.	*Tunc accersiuit illum Dominus suus, & ait illi: Serue scelleste, totum debitum illud remisi tibi, cum obsecrasses me:*
33.	Οὐκ ἔδει καὶ σὲ ἐλεῆσαι τὸν σύνδουλόν σου, ὡς καὶ ἐγώ σε ἠλέησα;	33.	*Nonne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus eram?*
34.	Καὶ ὀργισθεὶς ὁ κύριος αὐτοῦ παρέδωκεν αὐτὸν τοῖς βασανισταῖς, ἕως οὗ ἀποδῷ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον αὐτῷ.	34.	*Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet totum, quod debebatur sibi.*
35.	Οὕτω καὶ ὁ πατήρ μου ὁ ἐπουράνιος ποιήσει ὑμῖν, ἐὰν μὴ ἀφῆτε ἕκαστος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ἀπὸ τῶν καρδιῶν ὑμῶν τὰ παραπτώματα αὐτῶν.	35.	*Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris delicta illorum.*

Periocha huius Colloquij.

Petrus occasionem proponendæ suæ quæstionis inde desumsisse videtur, quod Christus in tertia parte præcedentis concionis, in qua tractauit de fraterna admonitione in priuatis læsionibus, tantum docuit, quomodo tractari debeat ille frater, qui contumacior iniuriam illatam non vult agnoscere: esse nimirum illum prima, secunda & tertia vice redarguendum, si quo modo lucrifieri possit: Sin omnis labor sit irritus, ipsum tanquam Ethnicum & publicanum esse deuitandum. Est autem & aliud genus nos offendentium, qui vel non admoniti, vel certe admoniti mox erratum agnoscunt & deprecantur. De his quidem Christus in repetitione huius concionis, Luc. 17. vers. 3. dicet: *si pœnitentiam egerit, remitte illi*: non autem exprimit numerum, quoties sit remittendum. Petrus ergo incidit in illas cogitationes: sicuti certus numerus expressus est in correptione fraterna, eodem modo etiam certum numerum exprimendum esse in remissione & reconciliatione. Et quia in redargutione sufficit, si tertia vice ea repetatur: interrogat Petrus, an non sufficiat, si in remissione offensæ hic numerus duplicetur, aut etiam adhuc vnitas auctarij vice adiiciatur. *Domine*, inquit, *quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei?* Eo respicit Petrus, quod quidam homines adeo fallacis sunt ingenij, vt reconciliationem quidem cum fratre quærant, vel commodi sui caussa, vel vt offensas tanto crebrius iterent, sicque proximo tanto ægrius faciant. Existimat itaque Petrus, indulgentiam istam restringendam esse, ne aliqui ista condonandi facilitate ferociores facti, in nimiam licentiam effundantur. Quærit igitur, *num* sufficiat *vsque septies*. Absque dubio respexit Petrus ad illud Salomonis Prou. 24. vers. 16. Septies in die cadit iustus, & resurget. Prodit autem Petrus hac sua quæstione communem morbum, quo plerique omnes laboramus. Nam etiam piis interdum & iis, qui natura sunt placabiles, bilem mouet, si videant alios eorum æquanimitate abuti, & subinde priores offensas repetere. Vnde quotidianis offensionibus defatigati, condonationem in posterum suspendendam existimant.

Sed hi cum Petro audiant Christum, qui discipuli præiudicium corrigens testatur, nequaquam illum boni Christiani officio defunctum esse, qui tantum *septies* fratri lædenti offensam condonare velit: sed Christianæ caritatis legem requirere, vt *septuagies septies* remittat. D. August. hunc numerum ita accipit, quasi significet tantum septuaginta septem: vt ita posterior numerus non inferat multiplicationem cum priore, sed tantum sit adiectio minoris numeri ad maiorem, quasi Christus dixisset, *septuagies & septies*. Sed reliqui Patres, & fere interpretes omnes accipiunt ita, vt septenarius numerus sit septuagies multiplicandus, quo conficiat numerum 490. Sed quocunque modo accipiatur, sciendum est, hic à Christo poni numerum certum pro incerto. Et hunc eius dicti sensum esse: Non posse nec debere remissionem offensarum inter Christianos certo numero adstringi, sed quotiescunque illa petatur, toties eam facile & prompte indulgendam esse: Sicuti id mox parabola & exemplo cœlestis sui Patris docebit.

Interim hic attendendum. 1. De qualibus offensis & iniuriis Christus hic loquatur: nimirum de priuatis, quæ incidunt inter fratres, & quarum remissio sita est in nostra potestate, ex quibus, si condonentur, nullum damnum redundat in alios. Non ergo patrocinatur hæc doctrina Christi sceleratis, facinorosis, furibus, raptoribus, adulteris, homicidis, & consimilis nequitiæ hominibus, qui interdum adeo perfrictæ frontis sunt, vt licet contra leges publicas peccarint, tamen aduersus Magistratum allegare audent Christi doctrinam, quæ præceperit toties & toties fratri peccanti condonandum esse. Sed sciendum est, quod quantam laudem merentur Christiani, si priuatim offensi alij aliis culpam deprecantibus, facile ignoscant: tanto vicissim vituperio digni sint illi, qui ad gubernacula Rerumpub. sedent, si malefacta, iniurias & petulantiam in publicas leges commissam, non dignis suppliciis vindicent. Exercet enim Magistratus non hominis, sed Domini iudicium, & quodcunque iudicauerit in ipsum redundabit. 2. Par. 19. vers. 6. Est Dei vicarius & minister. Roman. 13. vers. 3. Quod si ergo Deus impio dicat, morte morieris, & magistratus ei vitam donare velit: quomodo hoc coram Deo iustificabit? Ab altari meo auelles eum, dicit Dominus. Exod. 21. versic. 14. Et Salomon Prou. 17. versic. 15. testatur: Deo vtrumque abominabilem esse, & qui iustificet impium, & qui condemnet iustum. Itaque Christus tantùm de priuatorum offensis & iniuriis hic agit. 2. Simul tamen etiam considerandæ sunt rationes, ob quas Christianus ad condonandas iniurias facilem se præbere debeat. Prima sit, quia Deus id à nobis requirit, quod ipsemet quotidie erga nos exercet: cuius misericordiæ & condonationis erga nos nullus finis est, nec modus, vt ex sequenti parabola patebit. Secunda sit, quia eiusmodi iniuriæ sæpenumero nobis prosunt. Vitia enim nostra ipsimet non agnoscimus: amici quoque plerunque ea erga nos dissimulant. Deus ergo interdum permittit, vt hostium linguæ in nos acuantur, quo discamus in nobis ipsis ea agnoscere, quæ sunt corrigenda. In talibus ergo non homines respiciamus, qui nos offendunt: sed Deum, qui id permittit. Id si fecerimus, tam facile vindictam seponemus, quam facile Dauid id fecit aduersus Semei. 2. Sam. 16 vers. 10. Tertia sit, quod ipsa necessitas talem quotidianam condonationem postulat, nisi nobis ipsis vitam hanc insuauem reddere, eiusque cursum ante tempus ipsi abrumpere velimus. Vita enim hæc nostra ita comparata est, vt sit iniuriarum plena, & non semper scientes & volentes, sed multoties ignorantes & nolentes nos mutuo offendimus. Qui iam affectibus indulgent, nec reconciliationi locum dare volunt, illi perpetua ira & odio æstuent necesse est, vnde vitam sibi ipsis insuauem reddunt, cor proprium exedunt, & valetudini suæ plurimum incommodant. Sed beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram, Matth. 5. v. 4. Quarta ratio sit, quod nisi proximo iniurias remittamus, nos ipsos Deo exosos reddimus, & cœlestis regni hæreditatem amittemus: sicuti in sequentis parabolæ applicatione Christus diserte testatur.

Parabola decies mille talentorum.

Seruator noster Iesus Christus hunc morem & hanc consuetudinem in ministerio suo obseruauit, vt quando doctrinam aliquam profunde cordibus suorum auditorum imprimere voluit, eam non nudis & simplicibus verbis proponeret, sed parabola aliqua vestiret, quam auditores memoriæ mandare, se ad illam examinare, & vsum doctrinæ notare possent ne verbum Domini frustra audiuissent. Idem etiam in præsentia facit. Docuerat hactenus sesquiannum integrum continue in Galilæa. Et doctrinæ suæ summam *his* tribus capitibus mox initio Matth. 4. versic. 17. & *Marc. 1. vers. 15.* comprehendit. 1. Agite pœnitentiam. 2. *Credite Euangelio.* 3. Afferte fructus pœnitentia dignos. *Iam ergo Galilææ valedicturus*, & Hierosolymam ad *passionem*, quæ intra septimestre imminebat, abiturus, *eiusdem doctrinæ* summam in parabolam colligit, & ita proponit. Scitis constitutum esse magnum iudicij diem, Actor. 17. vers. 31. Rom. 14. v. 10. 2. Corin. 5. vers. 10. ibi proferentur libri, Dan. 7. ver. 10. & cuiusque chirographum, quod est propria conscientia, & cogitationes se mutuo accusantes ac defendentes, Rom. 2. vers. 15. Ibi nemo poterit subsistere. Nam pro mille non poterit vnum respondere, Iob 9. vers. 3. & si Dominus velit iniquitates obseruare, quis sustinebit? Psalm. 130. v. 3. Ideo omnes cum Dauide dicere cogemini: non intres Domine in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, *Psal.* 143. v. 2. Quapropter magni beneficij loco habere debetis, quod Deus per concionem legis vos ad pœnitentiam inuitat, vt peccata vestra agnoscatis, de iis doleatis, & de medio cogitetis, quomodo iudicium illud Dei effugere possitis. Hoc discitis ex meo Euangelio, quod vos monet, vt ad misericordiam Dei confugiatis, qui gratuito vobis, ob Messiæ intercessionem, peccata vestra remittet. Tantum videritis, quales vos, impetrata peccatorum remissione, geratis, vt nimirum commiseratione ducamini erga conseruos vestros, & reliquam etiam vitam professione vestra dignam agatis, alioquin cœlestis meus Pater vos retrahet ad pœnam, & vetera delicta cum nouis vlciscetur. Est ergo principalis quidem Christi scopus, quod hac parabola vult docere, esse cœlestem Patrem quidem misericordissimum erga peccatores pœnitentes: eundem tamen esse etiam seuerissimum erga eosdem, si nolint vicissim erga peccantes fratres benigni esse. Sed simul etiam summam doctrinæ suæ valedictionis loco (vt dixi) complecti voluit. Et quia Matth. 11. versic. 23. Capernaumo minatur, quod quæ ad cœlum vsque exaltata fuerit, ob doctrinæ in ea traditæ fulgorem, ad infernum vsque præcipitanda sit, eo quod doctrinæ locum non dederit: Ideo, quia nos eandem doctrinam habemus, maiori reuerentia illi obtemperemus. Nos singulas parabolæ partes seorsim examinemus.

I. In prima parte Christus monstrat, quomodo Deus nos omnes & singulos ad peccati cognitionem adducat. 1. Dicit nos non nostri esse iuris, sed *seruos Dei*, tanquam magni *Regis*. Et huius Regis serui sumus triplici ratione. Ratione creationis. Nam ipse fecit nos. Psalm. 100. vers. 3. Ideo Iesa. 44. ver. 21. Israeli Deus dicit: Seruus meus es, seruaui te. Ratione redemtionis.

nis. Nam magno pretio emti sumus. 1. Corinth 6. vers. vlt. a Christus Iesus dedit seipsum redemptionem pro omni- . Ratione sanctificationis. Spiritus enim sanctus nos in vi- am Domini seu Ecclesiam Christi vocauit, non vt in ea sta- nus otiosi, multo minus, vt aliquid destrueremus: sed vt la- oraremus, pondus & aestum diei portaremus. Matt. 20. vers. 1. a triplici ratione obligati sumus, vt voluntati huius Domi- seruiamus, plus quam reliquae Creaturae. Vt sicut oculi ser- orum sunt in manibus dominorum suorum, & sicut oculi ncillae in manibus Dominae suae: ita oculi nostri sint ad ominum Deum nostrum. Psalm. 123. versic. 2. Nec quisquam ominum adeo impudens est, vt hoc ita se habere negare isit. Et tamen quotusquisque est, qui huic summo Domi- o sua seruitia fideliter praestet? Si quid Deus praecipit, nos il- d omittimus: si quid is prohibet, nos illud facimus. Sumas manus Decalogum, & iuxta eum vitam tuam examines, eprehendes proh dolor nimis verum esse, quod Iacobus A- ostolus dixit: in multis labimur omnes Iac. 3 vers. 2. Et quia on citò profertur contra malos sententia, absque timore vl- o filij hominum perpetrant mala. Eccles. 8. vers. 11. Sed num oc perpetuo durabit? Non. Si enim Deus nos ita securos in eccatis progredi pateretur, tum periremus.

Ideo II. *Simile est regnum coelorum regi homini, qui rationem vult conferre cum seruis suis.* Quasi diceret Christus. In Ecclesia mea in hac vita non est idem status, qualis superius in coelo, nec qualis inferius in inferno. In coelo enim sunt meri sancti angeli, & pij in sanctitate ac bonitate confirmati: in inferno sunt meri Diaboli & impij damnati. In terra autem & hac vita, sunt peccatores saluandi. Hos vult coelestis meus Pater ad salutem adducere. Qua vero ratione id facit? Non sinit eos peccatis suis indormire, sed citat ad rationes reddendas. Nemo hominum est, qui sponte sua se sistat Deo, vt debitum peccatorum suorum dissoluat: sed vel fugiunt cum Adamo, vel negant cum Caino, vel cum Eua foliis ficuum se exor- nant. Ideo Deus eos ad rationes citat. Nec differt hoc exa- men ad mortem vsque, aut nouissimum iudicium. Tum enim non erit amplius tempus miserendi, sed puniendi. Sed in *re- gno coelorum*, hoc est, in Ecclesia rationes exigit. Instituit enim verbi ministerium, vt per illud Spiritus sanctus mundum de peccato arguat. Iohan. 16. versic. 8. Et quando Concionato- res nos propter peccata nostra reprehendunt, non est otio- res litigium, sed citatio ad regem nostrum, vt mature de ra- tionibus ipsi reddendis simus soliciti. Sic citatus est Dauid per Prophetam Nathanem. 2. Sam. 12. v. 7. Sic citati sunt Nini- uitae per Ionam, Ioh. 3. v. 4.

III. Sed qui securiores sunt, hi hanc citationem negligunt vel contemnunt, tum Rex hic rem eo deducit, vt *serui sibi offe- rantur*, nimirum per crucem, tentationes & terrores conscien- tiae excitat in hominibus agnitionem huius debiti, vt quasi coram tribunali Dei consistentes, seipsos accusent, & cum D. Bernhardo exclament: Ah, perdite vixi. Quemadmodum enim in humanis iudiciis, si quis contumacior ad primam ci- tationem nolit comparere, tum iudex mittit apparitores & ministros, qui reum vi ad subsellia Iudicum pertrahant: ita si quis in Ecclesia nolit audire Mosen, tum habet Deus mor- bos, pestem, bella, & alias calamitates, quibus cor hominis tangitur, vt ad agnitionem sui debiti & iustae irae Dei descen- dat. Sicuti Dauid in Psal. 39. v. 12. conqueritur: A fortitudine manus tuae ego defeci: in increpationibus propter iniquita- tem corripuisti hominem: & tabescere fecisti sicut araneam animam eius.

Ibi tum enim IV. incipit homo agnoscere, quod debeat Deo suo *decem millia talentorum*, hoc est, tantam summam, cui soluendo ipse in aeternum non sufficiat. Talentum enim At- ticum, iuxta Budaei & vulgarem aestimationem, valet 600. co- ronatos. Hi per *decem millia* multiplicati, conficiunt summam sexagies centenorum millium coronatorum: seu, vt vulgo lo- quuntur, sex milliones auri, quae summa vltra sexaginta auri thonnas excurrit. Vt autem nulli seruo possibile est, vt tan- tam summam hero suo soluat, vtpote qui iam ante seipsum & sua omnia ipsi debeat: ita Christus hac forma loquendi vti- tur, vt agnoscamus debitum peccatorum nostrorum aduersus Decalogum nobis à Deo praescriptum longe maius esse, quam vt nos illud dissoluere queamus. Multis enim & variis, adeoque grauibus modis omnes delinquimus in Decalo- gum, modo cogitationibus occultis, mox verbis apertis, tum grauibus factis, denique turpi omissione & neglectu eorum, quae erant facienda. Sic omnes nobis thesaurizamus iram in diem irae & reuelationis iusti iudicij Dei, Rom. 2. versic. 5. Ita- que per *decem millia* multitudo, per *talenta*, magnitudo no- strorum peccatorum, & in legem Dei commissorum designa- tur. Vt tanto turpior & magis execranda sit prophana Mo- nachorum & Monialium superbia, qui se tantum bonorum operum thesaurum & cumulum habere profitentur, vt ex eo non tantum ipsi sempiternae beatitudinis haereditatem se adi- re posse sperent, sed etiam aliis supererogare, & aliquid ad impetrandam peccatorum remissionem elargiri. Vere sunt Supereructationis opera, quibus coeci isti homines, qui sicca ebrietate sua errant, suos ructus & vomitus, quibus omnes mensas Ecclesiae suillis suis sordibus repleuerunt, Esa. 28. ver. 8. coram Deo tanquam bona opera venditare audent, ipsi cum Achabo tantum venundati, vt faciant malum in conspectu Domini, 1. Reg. 21. ver. 20.

Porro 5. quando tanta debiti summa inuenitur, non pro- tinus dicit Rex: Dimitte miserum homuncionem. Non e- nim est soluendo. Sed iubet Dominus *ipsum venundari, & vxorem eius, & liberos, & omnia, quae habebat, ac fieri solutionem.* Loquitur iuxta morem tum temporis vsitatum, quo debito- res, qui non erant soluendo, vel vendebantur, vel in carce- rem mittebantur, vel etiam, si pluribus debebant, in partes secabantur, & cuius Creditori vna tradebatur. Iuxta illud, Qui non habet in aere, luat corpore. Sic Deus suos debitores non statim manumittit, sed cum ipsis agit iuxta illud Pauli Rom. 2. ver. 9. Ira & indignatio: tribulatio & angustia in om- nem animam hominis operantis malum, Iudaei primùm & Graeci. *Vendit* ergo eos, hoc est, quasi à se alienatos reiicit, pe- nitus in alienam potestatem tradit, vt, quemadmodum man- cipia cum venduntur, in alienum ius & arbitrium prorsus tra- duntur: ita qui Dei serui esse debebant, postea Satanae man- cipia fiant, à quo immensum tribulantur, donec ad veram sui mali agnitionem deducantur. Huius venditionis seu traditio- nis in Scriptura exempla habemus, tum de corporali, tum de spirituali vita. Deuteron. 32. versic. 30. Quomodo persequitur vnus hostis mille Israelitas, & duo fugant decem millia ipso- rum? Nonne ideo, quia Deus eorum *vendidit* eos, & Dominus conclusit seu tradidit illos? Iud. 2. v. 14. & 3. v. 8. Iratus Domi- nus *vendidit* populum suum hostibus per circuitum. Psal. 44. v. 13. conqueritur Ecclesia: *vendidisti* populum tuum sine pre- tio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Esa. 50. v. 1. Ecce propter iniquitates vestras *venditi estis*, & propter scelera abiecta est mater vestra. Sic quo ad spiritualem vitam audiuimus modò de Achabo, quomodo venundatus fuerit sub peccatum. Et vers. 25. additur: Non fuit talis alter, sicut A- chab, qui *venundatus est* vt faceret malum in conspectu Domi- ni. Et ipse Paulus Rom. 7. vers. 14. conqueritur, se *venundatum esse* sub peccatum originale, vt cogatur ea mala facere, quae non vult. Est reuera *haec venditio* piis tam dura & acerba, vt quoti- die ingemiscat liberari ab hac seruitute corruptionis, & trans- ferri in libertatem gloriae filiorum Dei. Rom. 8. 21. Et haec est prima pars parabolae, qua Christus docet, quomodo coelestis Pater nos deducat ad agnitionem nostrorum peccatorum, vt seria μετάνοια sequatur.

Ex hac prima parte etiam haec sequentia membra elicere possumus. 1. Non licere cuiuis in Ecclesia pro suo libitu vi- uere: sed velle Deum, vt quisque suam vitã iuxta praescriptam regulam Decalogi instituat, ne contra eam peccando graue debitum coram Deo contrahat. Ideo Deus habet in commu- ni vita primum parentes, qui liberos & familiam in oecono- mia regere debent: deinde magistratũ, qui idem faciat in po- litia erga subditos: denique verbi ministros, qui in Ecclesia ex verbo Dei omnibus peccata sua consideranda proponere debent. Male autem viuitur, quando liberi parentibus, subdi- ti magistratui, auditores concionatoribus repugnant. 2. Inpri- mis autem hinc discamus, quod in Ecclesia tam non possimus carere illa parte muneris Ecclesiastici, quae arguit peccata, quàm in oeconomia non possumus carere pane quotidiano. Qui peccata sua argui nolit, is exeat ex *regno coelorum* in mun- do, & transeat in regnum coelorum alterius seculi, hoc est, ex coelo tam naturae quam gratiae, in coelum gloriae. In hoc mun- do nemo fere sponte sua agnoscit peccata: imo vix aliorum admonitionibus ad eorum agnitionem adigi possumus. Ideo Deus ordinauit ministerium, & in eo coniunxit inde ab ini- tio Legem & Euangelium, tum scripto, tum [illegible]. Et magni beneficij loco aestimemus, quod peccatorum redargutionem Deus non differt vsque ad magnũ diem iudicij. Ibi enim nul- lus amplius misericordiae erit locus. 3. Denique etiam vide- mus, vnde eueniat, quod Deus interdum aliquos duriter tra- ctet, quoad corpus, coniugem, liberos. Deus per verbum nobis proponit agnitionem peccati. Eam quidem vtcunq; appre- hendimus: sed, bone Deus, quam frigidè! Quotidie sane dici- mus in oratione Dominica: Remitte nobis debita nostra. Sed quoties os verba haec loquitur, corde interim cogitationibus peregrinãte? Venit ergo Deus, & immittit crucem, vel in pro- prio corpore, vel in iis, qui sunt nobis chariores nobis ipsis. Ibi flebiliter clamamus ad Dominum, Esa. 26. v. 16. *offerimus* nos ipsos, nos vitam emendaturos, nos *omnia soluturos*. Quan-

do igitur talia aduersa ingruunt, agnoscimus ex iis, nos *regni cælorum*, vel Ecclesiæ, esse membra, & hæc nobis immitti ad nostri emendationem. Alias enim peccatum nostrum in nobis dormit, vt in Caino, Gen. 4. versi. 7. imo Paulo teste Rom. 7. ver. 8. peccatum sine lege in nobis mortuum est. Vt ergo reuiuiscat, & nos agnoscamus nos peccasse, Deus per crucem excitat.

II. In secunda parte docet nos Christus, quomodo ab agnitis peccatis liberari possimus. 1. Seruus de debito admonitus, non iocum esse ducit hanc exactionem: sed terretur, humiliat se, *procidit & adorat Dominum*, agnoscens iuste ipsum sibi irasci, & debitum exigere. Quid enim faceret? Negare debitum non ausus est, siquidem rationibus productis ad oculum conuinci potuit. Sic ergo & nos de peccatis admoniti, non rideamus, non iocemur. Nemo in eo erret: Deus non irridetur. Gal. 7. versiculo septimo: sed legis citationem admittamus, nos Deo per seriam agnitionem sistamus, lapsos nostros non negemus, non excusemus, sed ingenue fateamur, & cum Dauide dicamus: 2. Sam. 12. v. 13. Peccaui Domino. Et cum filio prodigo Luc. 15. v. 18. Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Quid enim negemus? Si nos ipsos in ratiocinatio Dei & speculo Legis diligentius contemplati fuerimus, mox ipsi agnoscemus, quam deperditi homines simus. Chirographum legis est nobis contrarium. Coloss. 2. versi. 14. Hinc Dauid fatetur in Psal. 32. v. 3. quod cum taceret, & peccatum suum celare vellet, inueterata sint ossa ipsius, & manus Dei die ac nocte grauata fuerit super ipsum. Proinde se delictum suum Deo cognitum fecisse, nec iniustitiam suam abscondisse. Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. Ergo ingenua peccatorum agnitio atque confessio requiritur, si ab ipsis liberari velimus.

2. Addit seruus: *esto patiens, omnia tibi reddam*. Hæc est vulgaris obæratorum leuitas, quod non putet eos polliceri, quæ se nunquam præstituros esse ipsi sciunt. Idem error natura nobis omnibus inhæret, quod volumus stabilire nostram iustitiam, & iustitiæ Dei nolumus subiici. Rom. 10. versic. 3. Quærimus nostris operibus Deo satisfacere pro peccatis. Nec sufficit nobis in eo Decalogus: offerimus nos ipsos ad maiora. Pollicitis diuites sumus, sicuti Iudæi Exod. 19. versiculo 8. Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus. Sed ô nos miseros, qui multum promittimus, & nihil præstare possumus. Nam in angustia nescimus, quid & quomodo orare debeamus, sicut oportet Roman. 8. versicul. 26. Si vero Domini Spiritus nos informet, tum nos docet, vt cum Dauide & omnibus sanctis sic oremus: Domine, delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Psalm. 25. versiculo septimo. Nam si tu Domine iniquitates obseruaueris, Domine quis sustinebit? Psalm. 130. versiculo 3. Quapropter mi Domine, non intres in iudicium tuum cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Psalm. 143. versiculo 2. Hæc est vera προσκυνησις, qua coram Deo procidere, cumque adorare debemus. Nam si quis in ea opinione perseuerat, quod ipse velit debitum suum dissoluere, & pro suis peccatis satisfacere, is perit in æternum. Nam quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, Galat. 3. versiculo 4. Et si quis totam legem seruasset, in vno autem offenderet, is omnium factus est reus, Iacob. 2. ver. 10. Atqui in multis offendimus omnes, Iacob. 3. ver. 2. Quomodo ergo nos solutionem offerre possumus?

3. Sed Christus hoc loco aliam viam ostendit, qua à peccatis liberari possimus, non viam nostræ solutionis, sed gratuitæ remissionis. Nam dicit: *Misertus Dominus serui, absoluit eum, & æs alienum remisit ei*. Duplex beneficium. Quia enim iam vinctus erat, abducendus ad venditionem, omnino absolutione & dimissione ipsi opus erat. Rursus, vt illa dimissio ipsum securum redderet, remissione debiti opus erat. Eodem modo Deus nobiscum agit, qui nobis remittit iniquitates nostras, & duplicia retribuit pro peccatis nostris. Iesa. 40. versiculo 2. Nam 1. nos vinculis peccati & corruptæ naturæ in spirituali vita (vt in primo membro diximus) constrictos dimittit, & libertate donat. 2. Peccata ipsa liberaliter dimittit & condonat, ne eorum conscientia constricti per omnem vitam anxij & incerti detineamur. Gratia ergo saluamur & à peccatis liberamur, per fidem, non ex operibus, ne quis glorietur. Ephes. 2. versic. 8. Nam ei qui non operatur, credit autem in eum qui iustificat impium, illi fides reputatur ad iustitiam. Rom. 4. vers. 5. Gratia autem, vt recte Augustinus ex Rom. 11. versic. 6. monet, non esset gratia vllo modo, si non esset gratuita omni modo. Ne tamen quis cum veteribus hæreticis, Cerdone & aliis, qui circa annum Christi 150. Ecclesiam turbarunt, statuat Deum animum suum mutasse, vt qui in Veteri Testamento, in diluuio, Sodomis, Beniamitis, & aliis iratus fuerit: nunc vero in Nouo Testamento adeo lenis sit, vt peccata non curet, nec irascatur, sed quemque secundum suam voluntatem viuere permittat: sciendum, respectu quidem nostri gratuitam esse remissionem: respectu vero Christi esse magno pretio comparatam redemtionem. Neque enim Deus legem suam abiicere, aut debitum remittere potuit, nisi prius vltimus apex legis adimpletus & persolutus esset. Matth. 5. vers. 17. Nobis ergo est gratuitum & precarium, quod Redemtorem nostrum, filium Dei chare constitit. Is enim animam suam redemtionem dedit pro multis: Matth. c. 20. versic. 28. ipse disciplinam pacis in se recepit, Iesa. 53. vers. 5 & chirographum legis, quod nobis contrarium erat, de medio sustulit, affigens illud cruci: Coloss. 2. versic. 14. sicque sanguinis & mortis suæ merito pro peccatis nostris satisfecit.

Ex hac secunda parabolæ parte addiscimus veram iustificandi rationem. Ex talis est, vt in ipsa concurrant omnes tres Symboli nostri Apostolici articuli. Pater peccata remittit ex misericordia: Filius pro peccatis satisfecit suo λύτρῳ & merito: Spiritus sanctus per verbum nobis peccatorum remissionem annunciat, & per Sacramenta eam applicat. Hic nullæ aliæ nostræ partes, quam quod filium Dei seruire facimus in peccatis nostris, & laborare in iniquitatibus nostris. Ipse autem, ipse delet iniquitates nostras propter se, & non recordatur peccatorum nostrorum. Ies. 43. vers. 24. Hæc adeo plana sunt, vt prodigij instar sit, Iesuitas cum Tridentino suo Concilio noua effugia quærere: & concedere quidem, partem aliquam peccatorum gratis remitti, partem autem reliquam satisfactionibus abolere debere. Quasi vero non hic Rex dicat: πᾶσαν τὴν ὀφειλὴν, *totum debitum remisi tibi*. Si totum dimisit, quid ergo nobis restat persoluendum? Et in Veteri Testamento Messias diserte dixit, Ies. 63. vers. 3. Torcular ego calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Vt igitur totam hanc doctrinam in vnam summam contrahamus, sciendum in Scriptura, & præsertim etiam in hac parabola, triplicem iustitiam, inueniri. Vnam *affectatam* Pharisæorum, Monachorū & Iusticiariorum, qui cum hoc seruo profitentur, se pro omnibus satisfacturos. Alteram *imputatam*, vt cum hic Rex gratis seruo dimittit *totum debitum*. Gratis quidem respectu serui, sed pretiosum respectu eius, qui suo merito impetrauit, vt in se credentibus peccata remittentur. Tertiam *inchoatam*, vt si hic seruus patientiam habuisset, prout Christianos decet, erga suum conseruum, tum iustus fuisset: Quia ergo triplex est iustitia, quæritur, quænam valeat coram Deo? Resp. Prima corā Deo est abominatio, quia quod hominib. altū est, abominatio est ante Deum. Luc. 16. v. 15. Et nisi abundauerit iustitia nostra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabimus in regnum cœlorū. Matt. 5. v. 20. Postrema iustitia necessario quidē requiritur, sed quia tantum est inchoata, nec quicquam in ea perfecti, etiam non valet coram Deo. Nā quasi pannus menstruatæ sunt omnes iustitiæ nostræ. Ies. 64. v. 6. Itaque media tantum valet, quæ singulis credentibus in absolutione applicatur, quando minister loco Dei aliquem absoluit à peccato. Et quicquid is soluit in terris, id etiam solutum est *in cœlis*, Matt. 18. v. 18. Quisque igitur absolutionem peccatorum à ministro petiturus tanta formidine & trepidatione eum accedere debebat, ac si ante Dei tribunal staret auditurus, an absoluendus, an condemnandus esset. Sed nimiū frigide hoc quoque à nobis peragitur, cum tamen ad auertendos gehennæ dolores magno serio res sit peragenda. Si integri anni dolores, siue calculi, siue podagræ, tibi Medici minitarentur, bone Deus, quam solicitus esses, quomodo eos auertere posses! Ac vnus dies gehennæ, nisi per hanc Iustificationis doctrinam ex ea eximaris, intolerabilior erit, quàm si centum annis integris in feruenti oleo sudare, & omnes cruciatus sustinere cogereris. Discamus ergo misericordiam cœlestis Patris, meritum Filij, & gratiam Spiritus sancti, qua ab intolerabili illo malo præseruamur, magni facere.

III. In tertia parte Christus communem hominum malitiam arguit, qua sese erga suos conseruos immites præbent, sicque gratia semel adepta rursus excidunt. Videamus hunc seruum. 1. *Egreditur à suo Domino*, absque dubio lætissimus, quod gratiam adeo insperatam consecutus fuisset: nec fuit eius propositum, quod regem suum denuo offendere velit. Eadem est nostri ratio. Si singuli statim post acceptam peccatorum remissionem moreremur, vere beati essemus. Sed quando *egredimur à Domino*, facilime fieri potest, vt denuo labamur. *Egredimur* autem bifariam. Vna vice, quando corpore conuersamur cum hominibus: altera, quando animo diuertimus à Deo. Quando corpore ad conuersationem hominum egredimur, operam dare debemus, vt semper animo & cogitationibus in Deum simus intenti, vt consideratione eius bonitatis erga nos, vicissim induamus, sicuti electi Dei, sancti & dilecti, viscera & misericordiæ, benignitatem, humili-

humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem & donantes nobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam. Sicut & Dominus donauit nobis ita & nos. Col.3. vers.14. Quando vero huius obliti, etiam animo eximus à Deo, nec ipsum per verbum nobis loquentem nos in officio continere patimur, tum actum est de nobis. Omnis enim mali causa est, quando *egredimur* à Deo, nec cum ipso manemus, Ioh.13. vers.30. Iudas accepta buccella à Christo, exiuit continuo. Exiuit, nec vnquam rediit, factus proditor, dux latronū, & proprij corporis homicida. Maneamus itaq; apud Deum, & in ipsius domo, Ecclesia, sic multas peccandi occasiones deuitabimus. 2. Egrediens itaque hic seruus, incidit in quendam suum conseruum, *qui debebat ei centum denarios*. Egregia vero summa ad priorem collata. *Centum denarij*, si ad calculum nostræ monetæ reuocentur, conficiunt summam paulo maiorem, quam sedecim florenorum nostratium. Quid vero sedecim floreni ad sexagies mille coronatos? Hic ergo seruus ille, qui in posterum in ardentissima gratitudine erga suum herum, & amore erga conseruos viuere debuisset, incidens in hunc suum debitorem, inhumanissime eum tractat, & absque omni misericordia solutionem confestim & sine mora fieri postulat. Nam 1. ex improuiso illum adorsus, duriter compellat, *solue quod debes*. 2. Ipse *manum inijcit* in suum conseruum, quod herus ipsi non fecerat, sed per alios vendi iusserat. 3. Male tractat, *obtorto collo trahens*. Nam πνίγειν est suffocare aliquem. Transgulauit itaque ipsius collum, quod extremæ inhumanitatis signum est. 4. Deprecantem, & quidem iisdem verbis, quibus ipse ad herum suum vsus fuerat, non audit, sed spernit. Quod indicio est, ipsum iam oblitum esse angustiæ, in qua paulo ante constitutus fuerat. 5. Vinculis mancipat conseruum, vt non inde egrediatur, *donec reddat debitum*. Sic vero inuadit bona sui domini, in quæ ipsi nullum ius concessum erat. Et licet id per magistratum fecerit: (ipse enim non proprium carcerem habuit, sed à magistratu eam impetrauit) tamen contra regem tanquam superiorem peccauit, absque cuius consensu tantam inhumanitatem nequaquam exercere debuisset.

In hac vero parabolæ parte, tanquam in imagine nobis Christus adumbrare voluit, quid etiam in Ecclesia fieri soleat, si homines affectibus carnis indulgeant. 1. Primo obliti gratiæ Dei, quam quotidie sentiunt, inhumaniter, imo hostiliter tractant, quos tanquam conseruos vel fratres amare debebant. 2. Surdi simul fiunt & cæci: quia neque audiunt proximum deprecantem, neque vident, quid secum futurum sit, si Deus pari iure cum ipsis agere velit. 3. Iniuriosi insuper sunt in talium coniuges & liberos: adde, quod quidam iracundiæ nimium tenaces, etiam in posteris vlciscuntur iniuriam ab aliis acceptam. Christus ergo vult, vt inhumanitatem omnem libenter deponamus, acceptas etiam iniurias libenter condonemus. Quid enim sunt iniuriæ, quas homines interdum nobis faciunt? Si multum nos lædant, damnum afferunt vel opibus, vel existimationi, vel corpori nostro, quod damnum facile resarciri potest. At nos quotidie in Deum ea designamus, quæ non nisi sanguine & morte filij Dei expiari potuerunt.

Hanc doctrinam Anabaptistæ nimium extendunt, & dicunt, iudicia hic à Christo tolli. Si vero hoc ipsis concederetur, mox confusio omnium rerum, imo euersio mundi sequeretur. Quin & multi boni hac doctrina turbantur, qui non libenter coram Iudice litigant: & tamen ob importunitatem aduersarij supersedere non possunt. Hi subinde metuunt, ne litigando remissionem peccatorum amittant. Hic ergo inquirendum, an Christus iudicia damnet? an prohibeat, ne quis coram mundano iudice ius suum exequatur? Hic respondeo. Minime: Nam agit Christus hic de *regno cælorum*, non autem de ordine Magistratus. Et proinde huius leges & iudicia non tollit. Sed de eo hic conqueritur Christus, quod in iudiciis sæpenumero charitas violetur, non tantum quando iniuste agimus, sed etiam quando quisiure suo vtitur, sed nimium stricte & sine omni ἐπιεικείᾳ & misericordia. Iureconsulti quidem in suo foro dicunt: Qui suo iure vtitur, nemini facit iniuriam. Sed Christus in Ecclesia dicit: Misericordia abundet super iudicium. Iudicium enim sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam. Iacob.2. versicul.13. Vulgo etiam dicitur, & quidem vere: Summum ius, summa iniuria. Potest ergo Christianus vti iudiciis, & possunt iudicia recte pronunciare. Sed ille, pro quo est pronunciatum, viderit, vt iure suo recte vtatur, non nimis rigide, sed cum charitate & misericordia. Hinc desumsit Paulus suam regulam, 1. Corinth. 6. vers.7. Christianorum esse potius iniuriam ferre, & damnum accipere, quam charitatem lædere. Si quis malitiose te diuexet, & in ius trahat, magistratus autem pro te pronuntiet, cum iure tuo vtere. Sed si reus deprecetur, roget patientiam, polliceatur restitutionem, offerat tolerabiliora media, tum auctor non nimis rigide ius suum vrgeat: Ciuiliter quidem nemo eo nomine culpatur. Sed in Ecclesia dicit Christus, veniunt conserui, & rem deferunt ad Dominum. Hic quidem seruus potest prætendere ius suum: atqui tamen debet mihi *centum denarios*? Verum quid Dominus? Si ego, dicit, ita rigide tecum egissem, quid tibi accidisset? Quia ergo contristas Spiritum, & charitatem violas, amittis etiam fidem & priorem peccatorum remissionem: sicut mox audiemus. Et in his omnibus sæpenumero Aduocati & Procuratores multum boni præstare possent, si vellent. Ipsorum enim officij est, vt partibus litigantibus mature indicent, quid sit iuris; & ne nimis procul litigando abeant. Et pij causarum patroni hoc faciunt. Si qui autem tantum priuati sui commodi causa lites ex litibus serunt, & partes ad contentiones instigant: Væ illis litigatoribus. Tales litigantes conferri possunt cum mendicis cæcis, quos canis ducit. Canis videt os, ad illud properat, vt illud rodat: interim ad præcipitium adducit cæcum. Sic isti canes curiæ quærunt, quod rodant, & quo suam culinam suumque focum lucidiorem reddant: interim partes litigantes adducuntur ad præcipitium animæ suæ. Quapropter si omnino læsus es à proximo, vt ille factus sit tuus debitor, non nimis profundas radices iræ intromitte in cor tuum: sed quando ille te rogat, ad te mittit, culpam deprecatur, tum condona propter Deum, & recordare, quod Deus tibi longe plura donarit, caue ne donum illud rursus excutias, sicut iam dicetur.

IV. In quarta parabolæ parte docet Christus, quomodo illi, qui misericordia Dei abutuntur, nec consimilem misericordiam erga proximum delinquentem exercent, gratia Dei excidere, & remissionem peccatorum rursus amittere possint. Dicit enim Christus, 1. *Cum vidissent conserui quæ fiebant, indoluerunt valde, venerunt & aperuerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant.* Hæc ἀνθρωποπαθῶς de Deo dicuntur. Ipse enim non indiget nunciis, vt mundani reges, qui ad ipsum referant, quæ in terris inter homines fiunt. Oculi enim Domini discurrunt vniuersam terram, Zachar.4. versiculo 10. ita vt omnia ipse præsens videat & norit. Et tamen nihilominus inhumani isti multos habent aduersarios, qui ipsos coram Deo ob inhumanitatem istam accusant. Quinam sunt illi *conserui*? Aliqui interpretantur Angelos. Hi enim ipsi Apoc.19. versiculo 10. se conseruos nostros nominant. Nec dubium: quia hi quotidie vident faciem cœlestis Patris, prout Christus in præcedenti concione docuit, quin ibi referant, quid in terris viderint. Sicut Satanas, Iob.1. versiculo 9. in cœlis refert, quid in terris fiat cum Iobo. Sed possumus etiam intelligere alios homines, qui videntes immanem duritiem aliorum, de ea gemunt, eamque coram Deo & hominibus culpant. Sed hic excipiunt aliqui: Quid ad alios, quod ego facio? Ego persequor ius meum, quod alius mihi non interuertet. Hic respondet Christus. Tu homo: quisquis es, nouisse debes, publicas preces, & publicam maledictionem hominum vtrumque magnæ esse efficaciæ coram Deo. Et experientia docet, talem communem hominum maledictionem nunquam in vanum cadere. Quando enim homo reus eius est oblitus, tum demum euigilat Dei vltio. Quin & per conseruos intelligere possumus illorum clamores & gemitus, qui læsi sunt, hos reuera Deus exaudit, & propter illos vindictam parat, vt patet Syr.35. v.16. Cum enim Deus sit charitas, 1. Ioh. 4. versic. 16. quomodo non irasceretur, si quos iniuste affligi videat?

2. Sed quid porro factum? Rex secunda vice *accersiuit seruum istum*, & grauissime cum eo expostulauit: *Serue scelest*e: Ego bonæ frugis seruum te esse volebam, & propterea maximum illud debitum, cui non eras soluendo, etsi tu cum vxore & liberis omnibus fuisses venundatus, tibi remisi. Sed video te esse seruum nequam, qui noluisti *misereri conserui tui, sicut ego misertus eram tui*. An non enim hæc est magna prauitas, quod me inscio tam dura statuere ausus fuisti in conseruum tuum? Potius meæ misericordiæ exemplum imitari, quàm tuæ iniquissimæ cupiditati indulgere debuisses. Tribuit ergo hic herus huic suo seruo Epitheton, quod in Scriptura sceleratis tribui solet. δοῦλε πονηρὲ, *serue nequam*. Gen.28. v.8. Idololatricæ filiæ Chanaan dicuntur πονηραὶ in oculis Isaac, quæ ipsi molesti essent, & quas videre non poterat. Ioab quoque 2. Sam.3. v. vlt. cum occidisset Abnerum à Dauide dicitur fecisse πονηρά. Psal. 5. v.5. πονηρευόμενος correspondet Hebræo רע, quod malum per omnia significat. Ies.35. vers. pen. πονηρὰ θηρία dicuntur nocentes bestiæ, quæ violentiam in alias exercent, & respondet Hebræo פריץ, quod significat raptorem & latronē. Talis רע פריץ peruersus & malus latro fuit hic seruus nequam.

Cumque recte dixerit Dauid, ἀποδώσει κύριος τῷ ποιοῦντι τὰ πονηρὰ κατὰ τὴν κακίαν αὐτοῦ, retribuet Dominus facienti malum

iuxta malitiam suam. Ideo iam Rex 3. sententiam profert, & iubet eum *tradi tortoribus*. Βασανισαὶ, dicuntur exploratores, qui per tormenta veritatem eliciunt ex maleficis: inde transfertur ad omnes tortores. *Tortores* autem isti sunt diaboli, quorum ministerio Deus vtitur in inferno, in puniendis suis hostibus, pœnitere nescijs. His traditus est, *quoadusque redderet totum debitum*. Quod non ita accipiendum est, quasi peccata nostra certis pœnis expiari possent, quibus exactis postea damnati liberarentur. Sicuti Pontificij huic & similibus locis fictitium suum Purgatorium superstruunt: quem fingunt esse carcerem, in quo defunctorum animæ ad certum tempus pro peccatis commissis satisfaciant, quo superato tandem ad beatæ immortalitatis sedes transferantur. Sed falsum hoc est. Peccati pœna est æterna mors, quæ est perpetua abalienatio totius hominis à Deo & regno ipsius: vbi peccator eiicietur in tenebras exteriores, in quibus est fletus & stridor dentium. Matt.24.versi.51. & 25.versi.30. Vult ergo Christus simpliciter dicere: Eos, qui fratribus roganib. offensas remittere nolint, sempiternis inferorum tormentis excruciandos fore. Vide etiam de hac phrasi Har. cap.5. peric.3.

Tandem subiicit Seruator ipse conclusionem & applicationem parabolæ: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris delicta illorum*. In hac breui conclusione multa sunt comprehensa, quæ ad præsentem hanc materiam faciunt. 1. Docet, quisnam debeat iniurias sibi factas remittere, *vnusquisque*, omnes & singuli, qui se Christi discipulos esse profitentur. Magnates semper quærunt priuilegium, sibique ipsi persuadent, quod plebeios pro libitu vexare ausint: & si quando ipsi sint læsi, quòd nemini offensam remittere debeant. Sed Christus dicit *quisque*, hoc est, cuiuscunque ordinis vel conditionis, siue nobilis, siue plebeius, siue herus, siue seruus, siue diues, siue pauper. 2. Cui remittere debet? Quisque *fratri suo*. Iuxta parabolam dixisse debuisset, *conseruo suo*, sed fortius vrgere vult illo titulo, quia fratres sumus eiusdem cœlestis Patris. Quia ergo cœlestis Patris æternus filius nos miseros & humiles non fastidiuit, quo minus nos sibi fratres adsisceret: neque nos illos fratres contemnere debemus, quo minus in fraterna charitate cum ipsis viuamus. 3. Quid ergo remittere debemus? *Delicta eorum*, Παραπτώματα. Distinguere volunt quidam inter παραπτώματα & ἁμαρτίας, sicut & ipse Hieronymus facit in 2. cap. Ephes. Et παραπτώματα statuit quasi quædam initia peccatorum, cum cogitatio tacita subrepit, & aliqua parte conniuentibus nobis nos ad ruinam impellit. Ἁμαρτίας autem esse, cum quid opere consummatum peruenit ad finem. Sed hac distinctione hoc in loco opus non est. Siquidem in prima propositione Petrus ponit verbum ἁμαρτήσει, & Christus hic in conclusione vocabulum παραπτώματα. Indefinite itaque Christus hoc intelligit, & fratri condonari vult omne id, quocunque is nos offendit. Qualecunque enim illud sit, nullo tamen modo conferri potest cum eo, quo nos Deum offendimus: multo minus, quam centum denarij cum decem millibus talentis. 4. Quo modo remissio fieri debet? *Ex cordibus vestris*, non verbis, non simulato animo. Sed vt nos inuicem diligere debemus non verbo, neque lingua, sed opere & veritate, 1. Iohan.3. vers.18. ita etiam vere & serio reconciliari debemus cum iis, qui nos verbo vel facto offenderant. Arguenda est itaque istorum duritiес, qui diu multumque rogari vel tandem animum suum ita declarant, quod offendenti velint offensam remittere, sed iniuriæ acceptæ per omnem vitam non obliuisci, nec eum, à quo offensi sunt, in suum conspectum admittere. Hoc cum Christi doctrina nullo modo conuenit. Is inter suos, quando post acceptam offensam reconciliantur, perpetuam ἀμνηστίαν sanciri vult. Quemadmodum enim Deus, quando nos per pœnitentiam ipsi reconciliamur, ita nostri miseretur, vt deponat iniquitates nostras, & proiiciat omnia peccata nostra in profundum maris: Mich.7. vers.19. ita nos cum fratre consimili modo in gratiam redire debemus, vt nulla cicatrix rancoris in residuo maneat. Valde enim turpe est, vt Syracides prolixe de eo disserit cap.28. vers.1. & deinceps si homo homini iram reseruet, & à Deo misericordiam quærat.

Ex hac quarta parabolæ parte discimus, errare illos, qui statuunt gratiam Dei non amplius amitti posse, vtcunque homo contra conscientiam peccet. Esse enim dona Dei, iuxta Pauli doctrinam, Rom.11. versi.29. ἀμεταμέλητα, hoc est, talia, quorum ipsum pœnitere queat. Verum hoc est, si in fide & pœnitentia perseueremus, aut vt Paulus dicit 1. Timoth.1. versic.19. si bonam militiam militemus, fidem & bonam conscientiam retineamus. Sin hæc excutiamus, videmus in hac parabola, hunc seruum 1. accusari à conseruis. 2. Citari à Domino. 3. vocari seruum nequam. 4. Dominum ipsi irasci. 5. iudicium de eo ferri sine misericordia. 6. tandem tortoribus tradi ad æternam internecionem. Ergo non potest tantum quis amittere Dei gratiam, sed etiam iuxta Christi verbum, Luc.11. vers.26. & Petri 2. Epist. c.2. versi.20. posteriora deteriora fiunt prioribus. Sicuti id præsenti exemplo ad oculum videmus. Prius tantum poscebatur seruus ad rationem: nunc Dominus ipsi iratus est. Prius iubebatur vendi: nunc traditur tortoribus. Ergo non patiemur nos à vera sententia abduci illorum disputationibus, qui dicunt, *semel* vocatos, regeneratos, iustificatos, non amplius posse excidere gratia Dei, aut non vere à Deo vocatos, iustificatos, vel regeneratos fuisse. Et hoc faciunt tantum in eum finem, vt falsam & impiam suam de electione doctrinam tueantur. Sed nos sciamus, hanc doctrinam etiam in aliis Scripturæ locis fundatam esse. Luc.8. vers.12. diabolus aufert verbum de corde ipsorum. Luc.11. vers.26. Satanas redit, & assumit septem spiritus se nequiores, & ingressi habitant ibi. Rom.11. versic.19. noli gloriari & dicere: fracti sunt rami, vt ego inserar. Illi propter incredulitatem fracti sunt: tu autem fide stas: vide ne Deus, qui naturalibus ramis non pepercit, forte nec tibi parcat. 2. Corinth.6. versic.14. Nolite iugum ducere cum infidelibus: quæ enim conuentio Christi ad Belial? Philipp.2. versic.12. Charissimi, cum metu & tremore vestram salutem operemini. Hebr.10. vers.26. Voluntarie peccantibus, non relinquitur hostia pro peccatis, sed terribilis expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Constat itaque ex his, peccatorum remissionem semel acceptam, rursus amitti posse.

Simul tamen etiam illud attendendum, per quæ peccata quis remissionem peccatorum acceptam rursus amittere possit. Christus Hebræorum more ponit vnam speciem, & sub ea totum genus omnium peccatorum contra conscientiam militantium intelligi vult. Vulgo quatuor huiusmodi peccatorum genera ponunt, ob quæ pristina culpa renitet, & absolutio peccatorum data reuocari soleat. Illa memoriæ causa huic disticho sunt inclusa.

Fratres odit, Apostata fit, Spernitque fateri:
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

Et quidem, quod per hæresin & abnegationem primæ fidei quis Dei gratiam amittere possit, Paulus 1. Timoth.1. vers. 20. exemplo Hymenæi & Alexandri docet. De securitate & coinquinationibus huius mundi Petrus agit, 2. Epist.2. versi. 20. Sed Paulus adscribit hoc in genere peccatis contra conscientiam. Rom.8. vers.13. dicit Romanis, iam conuersis & iustificatis: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Idem Galatis dicit, cap.5. versic.21. quod si operibus carnis indulgeant, regnum Dei non sint consecuturi. Hic aliqui excipiunt. Ergo salus nostra posita est in nostris manibus, vt eam per nostra bona opera conseruemus? Nec desunt, qui peruersam hanc opinionem fouent & statuunt. Eidem quidem initio remissionem peccatorum accipere, sed vt ad finem perseueremus, illud nostris operibus acceptum ferri debere. Atque sic inter fidem & opera nostram salutem partiuntur. Sed errant hi. Nam Paulus Roman.5. ver. vlt. diserte dicit: Gratia Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. Et D. Petrus alter Apostolorum princeps 1. Epist.1. vers.5. qui virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in nouissimo tempore. Fides ergo, vt apprehendit salutem: ita eandem, si vera fides est, retinet: sin eam amittit, tum emoritur. Per fidem ergo viuam & veram salus apprehenditur: eadem si emoriatur, eam amittit. Nam vera fides, si consideret, Deum tot talentorum millia sibi remittere, omnino ita cogitare debet, si cœlestis Pater adeo indulgens est erga me, omnino ego tanquam filius, eius exemplum imitando, non minus indulgens esse debeo erga meum confratrem. Hoc quando fides non cogitat, tum vel est amissa vel mortua. Ergo si veram, viuam & iustificantem fidem habere velimus, tum illa per charitatem operetur. Galat.5. versiculo 6. Aut, vt Petrus dicit 2. Epist.1. versic.5. in fide nostra ministremus virtutem: in virtute scientiam, in scientia abstinentiam: in abstinentia patientiam: in patientia pietatem; in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem. Hæc si nobis assint & superent: non vacuos nec sine fructu nos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.

Dicat quis: Hæc terrorem incutiunt miseris peccatoribus, si Deus peccatorum remissionem semel datam reuocat, talesque nihilominus damnat. Num ergo concedemus in partes Nouatianorum, qui semel lapsos in solidum damnant, nec vnquam amplius in gratiam suscipiunt? Resp. Nequaquam. Nam dum adhuc viuimus, per singulos dies, dum adhuc hodie cognominatur Hebr.3. versic.13. valet hæc parabola, & reassumendum est id, quod ab initio dictum est, *non septies, sed septuagies septies* condonandum esse. Num enim

putabi-

putabimus, Deum à nobis hominibus misericordia, bonitate, & gratuita peccatorum remissione superari velle? Miserationes enim eius supereminent super omnia opera ipsius. Psalm. 145. vers. 9. Et apud Prophetam dicit: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ezech. 18. vers. 23. & 33. vers. 11. Ergo vita nostra perpetua debet esse pœnitentia. Neque enim iustificatio nostra in hac vita talis est, quæ penitus auferat peccata: sed manet corpus mortis, & peccatum, quod in eo habitat, Rom. 7. vers. 24. remittuntur autem peccata: & tecta illa non imputantur. Psalm. 32. v. 1. Si quando autem Christus eo, quod nos recidiuam patiamur, operculum istud (quod est ipsius meritum & gratuita remissio) tollat, tum nil nisi culpa sumus. Ergo si tale quid quis, nouæ obedientiæ oblitus, committat, is etiam de hoc pœnitentiam agat, apud Deum deprecetur, tum veniæ adhuc est locus. Et in hoc sensu D. Chrysostomus recte dicit: χιλιάκις μετανοήσας εἴσελθε, hoc est, etiam millies resipiscens ingredere. Deus enim misericors est, qui gremium Ecclesiæ nunquam claudit redeunti, modo pœnitentia sit seria, & non nimis sera.

Sic in hac parabola Christus complexus est summam doctrinæ suæ, quam per sesquiannum Capernaumi & in Galilæa tractauit. 1. Omnes homines agnoscant se esse peccatores, & in ære Dei, nec esse soluendo. 2. Supplices confugiant ad thronum gratiæ, qui ipsis erectus est in Christo Iesu filio Dei, & credant firmiter, ipsius sanguine sua peccata deleta esse, si constanter per fidem ipsi adhæreant. 3. Caueant, ne gratiam semel acceptam & peccatorum remissionem tanto pretio emtam siue irreconciliabili odio erga fratres, siue alias nouis lapsibus rursus amittant: sed tanquam filij Dei bonitatem cœlestis nostri Patris imitentur, proximum fraterno amore complectantur: & si quando ab eo offenduntur, mox reconcilientur. Sic se cœlestis Patris filios, & Iesu Christi germanos fratres esse reipsa testabuntur, atque per ipsius gratiam suo tempore ad cœlestem conuersationem transferentur. Amen.

Nunc hic subsistemus, & huic parti finem imponemus. Superest enim postremum Ministerij Christi in his terris Semestre, siue Septimestre, quod peculiarem eamque accuratam Tractationem requirit. Quam, Domino vitam viresque suppeditante, etiam pertexere conabor. Si vero illa defecerint, Deus alium excitabit, quem Spiritus sui donis instruet, vt diuinum hoc opus (sic enim plurimi boni ob primum, eius authorem, diuino certe ingenio & iudicij acrimonia præditum, id in suis ad me literis nuncupare solent) plene & dextre absoluatur. Quod ipsemet vnice opto. Interim æquum & beneuolum lectorem maximopere precor, vt si quam beneuolentiam mihi præstare velit, me candide moneat, sicubi me operi non satisfecisse intellexerit. Percutiat me iustus placide, & obiurget me, hoc erit oleum, vt impinguet caput meum. Christus nos suo regat Spiritu. Scriptum Dresdæ Dominica Iubilate, Anno 1607. cum ex trimestrali morbo satis graui, Dei beneficio, rursus eluctatus essem.

FINIS.

ALTERA PARS LIBRI IIII.

HARMONIAE EVANGELICAE

INCHOATÆ A CELEBERRIMO THEOLOGO, Doctore MARTINO CHEMNITIO, & continuatæ à D. POLYCARPO LYSERO Theologo Saxonico.

SERENISSIMO, POTENTISSIMO ET ILLVstrissimo Principi ac Domino, Domino Christiano II. Saxoniæ duci, sacri Romani Imperij Archimarscallo & Lectori, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, & Burggrauio Magdeburgensi, &c.

Principi suo clementissimo, & benefactori meritissimo, humilime dedicat Polycarpus Lyserus D. Ecclesiastes aulicus.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ

AD REVERENDVM ATQVE CLARISSIMVM VIRVM D. Doctorem Polycarpum Lyserum, serenissimi electoris Saxonici CHRISTIANI II. &c. Theologum principem, vt V. librum Harmoniæ Euangelicæ edat.

EDe, LYSERE, foras; quid commoda nostra moraris?
Quintum Euangelicam codicē ad Harmoniam?
En vt inexpleto desiderio bonus omnis.
DIVINI exoptet puncta suprema OPERIS!
Namque hoc nil melius, nil & magis vsibus aptum
Vidimus: hoc quiuis vidit vt, expetiit,
O sanctus labor & liber! ô quo carmine tollam
Tam sanctum immensa commoditatis opus?
Tu mihi, sancte liber, libris præ mille legendus,
In te, quæ vix in mille aliis, habeo.
Ergo, LYSERE, operi finem votisque bonorum
Impone: integre prodeat Harmonia.
Hoc omnes Te Theosophi, hoc Te Ecclesia poscit,
Hocque Euangelici sancta quadriga chori.
Annue: nos hac proprietate laboreque grati
Spondemus grates. cætera IOVA dabit:
Nempe dies Calebi; vegetam Mosisque senectam,
Ac maiestatem, caste Iosephe, tuam.
Tandem illā immarcescentem, POLYCARPE, coronā,
Qua non vel maius quit dare ve melius.
Hæc tibi vt hac det pro pietate operaque Iehoua,
Quisque pius mecum vota precesque facit.

M. Caspar Hœflerus, pastor Langen-Leubanus.

ADSIT VOCATVS IESVS.

POSTREMVM SEMESTRE MINISTERII CHRISTI.

Generalis inuestigatio ordinis historiarum, quæ ad hoc semestre pertinent.

HActenvs à tertio Paschate ministerij Christi ordinem historiæ Euangelicæ facili progressu contexuimus. Tres enim Euangelistæ manifeste in ordine historiarum consentiunt. In illis vero quæ nunc ad historiam passionis vsque sequuntur, difficilius videtur, aliquid certi de ordine constituere. Magna enim apud illos, qui Harmonias conscripserunt, diuersitas est: adeo vt ne vnus quidem cum altero consentiat. Sed si mediocris adhibeatur circumstantiarum consideratio, deprehendi poterit, Euangelistas in hoc postremo semestri ministerij Christi, diligentiorem & certiorem seruasse rationem temporis & ordinis historiarum, quam in præcedentibus. Illud vero hoc modo deprehendi poterit. Post tertium festum Paschatis, cuius mentio fit Iohan. 6. vers. 4. certum est Christum ab eo tempore ad hoc vsque nunquam profectum esse in Iudæam, sed semper in Galilæa fuisse conuersatum, vt Iohan. 7. vers. 1. dicitur, vsque ad festum tabernaculorum, eo quod Iudæi ipsum interficere quærebant. Historia vero illius temporis Iohannes non annotauit; quia vidit eas à reliquis Euangelistis satis diligenter fuisse descriptas. Quæcunque igitur in Matthæo, Marco & Luca post miraculum de quinque panibus in Galilæa facta esse scribuntur, pertinent ad illam modo citatam pericopen septimi capitis Iohannis. Eo ordine progrediuntur historiæ vsque ad contentionem de primatu, ad historiam de eo, qui cum non esset discipulus Christi, ipsius tamen nomine vtebatur ad eiicienda dæmonia, & deniq; ad concionem de scandalo vitando, atque redargutione fraterna. Cui continuo contextu cohæret Petri colloquium cum Christo, de condonanda offensa fratribus, & de parabola adiecta, sicuti vidimus. Post hanc historiam Matthæus cap. 19. vers. 1. statim transit ad ea, quæ trans Iordanem, non diu ante postremum Pascha acciderunt. Idem facit Marcus capite 10. versic. 1. Lucas vero à cap. 9. vsque ad caput 18. multa interserit, antequam Christus trans Iordanem profectus est, & statim post indicationem eius, qui in nomine Christi dæmonia eiiciebat, nec tamen ipsum sequebatur, subiungit Christi profectionem Hierosolymam versus. Iohannes quoque cap. 7. versic. 10. diserte dicit, inter ea, quæ in Galilæa facta esse hactenus annotauimus, & illam mansionem circa Iordanem, Christum Hierosolymam ad festum tabernaculorum profectum esse; atque inde trans Iordanem rediisse. Nequaquam ergo hinc statim cum Christo ad Iordanem migrare possumus: sed prius cum ipso ad festum tabernaculorum adscendere cogimur. Nec est dubium, quin quemadmodum illa, quæ hactenus ex Matthæo, Marco & Luca contexuimus, facta sunt à tertio festo Paschatis vsque ad festum tabernaculorum: Ita quia reliqui Euangelistæ huius festi historiam prætermiserunt, Iohannes eam contexere voluerit. Ac proinde festum tabernaculorum intermedium inter illa interponendum sit.

At vero quæstio est; an profectiones illæ versus Hierosolymam cuius vnius mentionem fecit Iohannes cap. 7. vers. 10. & alterius Lucas cap. 9. versic. 51. sint vna & eadem, an vero diuersæ. Et quidem non desunt qui Lucæ profectionem propterea propius ad postremum Pascha collocant, quia Euangelista rationem illius profectionis hanc allegat, *quod complerentur dies assumptionis eius*. Hinc putant necesse esse, vt hæc profectio vix vno aut altero mense passionem eius præcesserit. Sed hoc me non mouet: quia Euangelista non dicit dies illos iam completos fuisse, sed ponit eos in actu, *dum complerentur*, tanquam complendos. Reuera autem & Christo & Apostolis iam illi in actu erant; siquidem iam aliquoties Christus Apostolis prædixerat de suo exitu, quem ipse Hierosolymis *completurus* esset. Luc. 9. vers. 31. Cum ergo & Lucas testetur Iesvm è Galilæa Hierosolymam profectum esse: & Iohannes idem confirmet, nec commode commonstrari possit, quomodo hæ profectiones diuersis temporibus è Galilæa institutæ fuerint: omnino eas pro vna habendas esse censeo. Maxime quia illa, quæ Lucas à Nono cap. vsque ad vltimum Pascha describit, non commode trium mensium spatio omnia facta esse monstrari potest. Vnde quidam illa acta Christi sic coarctant, vt nihil eorum iusto ordine aut loco collocari possit. Nam omnino missio septuaginta *discipulorum, eorum* reditus, & tot ac tam diuersæ Christi conciones iustam aliquam temporis moram requirunt. Cum ergo postea Lucas capite 10. vers. 34. & 13. vers. 22. aliarum quoque Christi profectionum mentionem facturus sit, illas ita accipiendas iudico, quod Christus inter duo illa festa, tabernaculorum & encœniorum, de quibus Iohannes agit, non continue Hierosolymis manserit, sed intermedio tempore in agrum & vicinas regiones, ob periculum in quo Hierosolymis versabatur, excurrerit, ibique docilibus Euangelium regni proposuerit, postea vero in vrbem redierit. In priori itaque profectione, quam Lucas annotauit, exacto festo tabernaculorum abiit Hierosolyma: in posteriore autem eodem rediit ad festum Encœniorum, vnde dicitur: *ibat per ciuitates & castella, docens, & iter faciens Hierosolymam*. Hæc considerantibus ordo fit clarior; sicuti in singulis capitibus magis euidenter illa monstrari possunt.

Multi etiam sunt, qui putant Lucam in his capitibus à 9. vsq; ad finem 18. *non continuam* texere historiam, sed scribere miscellanea, & congerere ea, quæ in præcedentibus narrationibus ipse omiserat, à reliquis autem Euangelistis annotata essent. Sed si quis recte attendat, deprehendet Christum hoc vltimo semestri instituisse quasi generalem quandam visitationem, per omnia loca, per Iudæam, mediam Samariam, Galilæam & Peræam; in quibus hactenus per triennium docuerat, valedicturus suis auditoribus. Ad quam visitationem legitime denunciandam, præmisit septuaginta *discipulos*. Et reuera iucunda est obseruatio, quod Christus in *valedictione* sua studiose instituit repetitionem totius fere *doctrinæ*, quam per triennium tradiderat. Vnde etiam factum, quod Lucas multas conciones Christi refert ad vltimum semestre, quas reliqui Euangelistæ describunt in primis annis ministerij eiusdem. Eadem enim de iisdem dicere non turpe est: nec verbi ministro ignominiosum erit, summam doctrinæ à se propositæ aliquando repetere, vt memoriæ auditorum eo firmius imprimatur. Tantum caueat ne in eadem subinde aberret chorda. Ea enim est sacrarum literarum vbertas, vt, licet eadem de iisdem dicantur, tamen & κοινὰ καινῶς & καινὰ κοινῶς dici possunt. Peccatur ergo ex vtraque parte, & quando ambitiosa ingenia, ad ostentationem suæ eruditionis subinde noui quid comminiscuntur, ne quicquam commune cum aliis habere videantur: & quando pigri dromones ex mera socordia, ne cogantur scripturas accuratius scrutari, omnibus annis idem repetunt; quod priori docuerant. Sed de eo alibi commodius. His ita præmissis, nunc ad continuationem capitum Harmoniæ accedamus.

CAPVT

CAPVT XCIIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, COGNATI IESVM HORTANTVR, VT HIEROSOLYMAM adſcendat, ad feſtum Scenopegiæ: Iohan. 7. v. 2.

POſtea igitur, quæ Capernaumi geſta eſſe diximus, cœpit appropinquare feſtum tabernaculorum, cuius hiſtoriam Iohannes diligentiſſime deſcripſit. Quæſtio enim hæc: An hic Ieſus Nazarenus ſit Meſſias, hactenus Hieroſolymis nunquam tanta animorum contentione in vtramque partem agitata fuit, quanta in hoc feſto, in maxima hominum frequentia ab omnibus id factitatum eſſe audiemus. Tempus enim manifeſtationis appropinquabat. Paraſceue autem ad illam manifeſtationem eſt diſputatio fratrum Chriſti, quæ ideo præmittitur, vt oſtendatur, manifeſtationem longe aliam futuram, quam ratio ſibi fingat. Quia igitur Chriſtus per ſatis longum temporis ſpatium, nimirum ſeſquiannum, non fuerat nec in Iudæa, nec Hieroſolymis: cognati eius, quibus hæc ratio, qua Ieſus vtebatur, declaraturus ſe eſſe Meſſiam, non probabatur, vel ſuas cogitationes, vel certe vulgi ſermones ad ipſum deferunt, monentes: ſi velit Meſſias eſſe, non debere ipſum ita inglorium in obſcuro Galilææ loco inter paucos ignorabiles verſari: ſed pretendam eſſe Hieroſolymā, præſertim in feſto, vt ibi manifeſtatus, & toto applaudente ac ſuffragante Meſſias ſuſcipiatur. Hæc vero ſiue cunctatione ſiue licitatione etiam illos, qui ante in Iudæa facti fuerant ipſius diſcipuli, languidiores reddi. Sed Chriſtus reſpondet, illis quidem, qui mundi gloriam quærunt, (prout filiis huius ſeculi vſitatum ſit) occaſione temporis vtendum eſſe: tempus vero ſuæ manifeſtationis nondum veniſſe: imo etiam cum venerit, non fore talem manifeſtationem, qualem ipſi ſibi ſomnient, vt ſcilicet toto mundo applaudente & ſuffragante Meſſias recipiatur. Quia, inquit *mundus me non amat, ſed odit*: ideo quia miniſterium meum teſtatur de mundo, quod omnia ipſius opera ſint mala: ideo me non eſt ſuſcepturus. Vos itaque, quandocunque aſcendere volueritis, abire poteſtis: Ego vobiſcum non aſcendo. Atque, ſic tum cognatis ſuis, tum reliquis Iudæis ad feſtum adſcendentibus, ipſe Ieſus in Galilæa manſit. Mox tamen poſtea & ipſe aſcendet, vt audiemus.

COGNATI IEVM HORTANTVR, VT Hieroſolymam adſcendat ad feſtum tabernaculorum. Iohan. 7. verſic. 2.

2. Ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων ἡ σκηνοπηγία.	2. *Erat autem in propinquo dies feſtus Iudæorum Scenopegia.*
3. Εἶπον οὖν πρὸς αὐτὸν οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ· μετάβηθι ἐντεῦθεν, καὶ ὕπαγε εἰς τὴν Ἰουδαίαν, ἵνα καὶ οἱ μαθηταί σου θεωρήσωσι τὰ ἔργα σου, ἃ ποιεῖς.	3. *Dixerunt igitur ad eum fratres eius: Tranſi hinc, & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera tua quæ facis.*
4. Οὐδεὶς γὰρ ἐν κρυπτῷ τι ποιεῖ, καὶ ζητεῖ αὐτὸς ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι.	4. *Nemo quippe in occulto facit aliquid, & quærit ipſe palam eſſe.*
5. Εἰ ταῦτα ποιεῖς, φανέρωσον σεαυτὸν τῷ κόσμῳ. οὐδὲ γὰρ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐπίστευον εἰς αὐτόν.	5. *Si hæc facis, declara teipſum mundo. Nam ne fratres quidem eius credebant in eum.*
6. Λέγει οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πάρεστιν, ὁ δὲ καιρὸς ὁ ὑμέτερος πάντοτέ ἐστιν ἕτοιμος.	6. *Dicit ergo eis Ieſus, Tempus meum nondum adeſt, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.*
7. Οὐ δύναται ὁ κόσμος μισεῖν ὑμᾶς· ἐμὲ δὲ μισεῖ, ὅτι ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ αὐτοῦ, ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρά ἐστιν.	7. *Non poteſt mundus odiſſe vos: me autem odit, quia ego teſtimonium fero de illo, quod opera eius mala ſint.*
8. Ὑμεῖς ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην. ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην· ὅτι ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πεπλήρωται.	8. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc. Ego non aſcendo ad feſtum hoc, quia meum tempus nondum impletum eſt.*
9. Ταῦτα δὲ εἰπὼν αὐτοῖς, ἔμεινεν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ.	9. *Hæc autem cum dixiſſet illis, manſit in Galilæa.*

Periocha huius hiſtoriæ.

PIe à Syracide dictum eſt cap. 33. verſic. 8. Domini ſapientia diſcernit dies: ipſe Dominus feſtos dies alias totius anni feſtiuitates ordinauit atque diſpoſuit. Et quoſdam dies ad peculiare exercitiū cultus diuine legit & ſanctificauit. Hęc ille. Neque enim voluit Deus hominem in mundo inſtar brutorum ſine temporum diſcretione viuere: ſed quoſdam dies ſegregauit, hunc finem, vt iis religioni (qua potiſſimum à brutis nos homines diſcernimur) ſtudeamus. Hinc mox ab initio Gen. 2. ver. 3. benedixit diei ſeptimo, eumque ſanctificauit, vt cultui ipſius eo die vacantes beneficium creationis & conſeruationis rerum celebraremus. Poſtea apud Iudæos, Num. 28. ver. 11. inſtituit feſtum Neomeniarum, vbi in calendis ſingulorum menſium, per circuitum anni, certas victimas Deo offerebant, ſicque ſeipſos ad ardentes preces excitabant, quibus à Deo fœlicem ingreſſum & exitum menſis petebant: grata inſuper mente agnoſcentes, Deum eſſe, qui tempora mundi gubernet & faciat, ne vnquam dies & nox, ſementis meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems deficiant. Gen. 8. v. vlt. Cæterum Calendis ſeptimi menſis præter Neomeniæ feſtum, celebrabant etiam feſtum turbarum. Leuit. 23. verſiculo 24. & Num. 29. ver. 1. Et fuit hoc feſtum typus vocis clamantis in deſerto, Ieſ. 40 ver. 3. Mal. 2. v. 1. quæ Meſſiam præambulare, ipſique viam parare debebat. Simul etiam gratias agebant Deo in illo feſto, pro inſtitutione miniſterij, quod turbæ confertur Ieſa. 58. verſ. 1. Et Ier. 6. verſic. 17. dicit Dominus: Conſtitui ſuper vos ſpeculatores. Audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus. Porro decima die eiuſdem menſis celebrabatur feſtum Propitiationis, ad quod Iſraelitæ ſe ieiunio integri diei, & peccatorum ſuorum confeſſione præparabant. Summus ſacerdos autem cum ſanguine ingrediebatur in ſanctum ſanctorum; peccata populi expiabat, & adductis duobus hircis ad tabernaculum Domini, vnum pro populi peccato immolabat: alterū, poſtquam populi peccata impoſuiſſet, per certum hominem in deſertum mittebat. Et hæc omnia iſto fine fiebant, vt hiſce ceremoniis præfiguraretur propitiatio peccatorum, quæ per Meſſiam, in ara crucis perficienda erat: vbi ingreſſus eſt per proprium ſanguinem in ſancta, æterna redemtione inuenta Heb. 9. verſic. 12. Præter haſce ferias autem tria principaliora feſta apud Iudæos erant inſtituta, in quibus ex Dei præcepto, omne maſculinum coram Domino comparere tenebatur. Exod. 23. ver. 17. & Deut. 16. verſ. 16. I. Feſtum Paſchatis, quod celebratum eſt 14. die primi menſis, quo immolabant Phaſe & ſeptem diebus azymis veſcebantur, in gratam recordationem eductionis ex Ægypto: & vt eſſe typus ſpiritualis noſtræ liberationis ex regno ſatanæ, per Meſſiam in poſtremo Paſchate

perficiendæ. II. Festum Pentecostes, quod exactis septem septimanis à Paschate celebratū est, in quo etiā offerebāt panes primitiarū, quos sacerdos eleuabat corā Domino. Institutum autē fuerat hoc festum, in memoriam latæ legis, quæ 50. die post exitū ex Ægypto in mōte Sinai Israelitis dictata est. Et fuit typus quod Messias peracto opere redemptionis, quinquagesimo die effundere velit spiritum suum, qui legem Dei tabulis cordis nostri inscribat, vt secundum eius voluntatem viuamus. Ezech. 36. versic. 26. III. Festum tabernaculorum quod celebratum est 15. die septimi mensis, septem diebus continuis, quibus Iudæi extra suas ædes in tentoriis & tabernaculis, ex ramis palmarum & arborum confectis, atque pulcherrimis arborum fructibus exornatis, habitabant. Sicuti Leuit. 23. vers. 25. Num. 29. versic. 12. & Deuter. 16 v. 13. prolixe eius institutio describitur. Institutum autem fuit hoc festum in hunc finem. I. vt esset solennis admonitio miseræ & calamitosæ vitæ, quam maiores eorum in deserto duxerant, in quo incertis sedibus errarunt exules, sine domo, sine agro, inter gentes inimicissimas. II. Vt præsentem suam felicitatem conferrent cum præterita illa miseria: cum iam possideant tot regna in terra Chanaan, qui prius in tuguriis necesse habuerint habitare, eademque subinde mutare: nunc autem habeant magnificas ædes & munitissimas ciuitates. III. Vt insuper etiam gratiarum actio institueretur, pro frugibus, quibus Deus illo anno ipsis benedixisset. Deut. 16. v. 15. Vnde etiam Exod. 34. v. 22. festum collectionis dicitur in reuolutione anni. Quia mense Septembri omnia bona terræ collecta condebantur. IIII. Vt denique esset commonefactio omnium hominum vitam in his terris esse peregrinationem, in qua nō habeamus manentem ciuitatem, sed futuram inquiramus. Heb. 13. v. 14. vnde & ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes, 2. Cor. 5. ver. 2. Hac de causa etiam Deus Zach. 14. ver. 16. prædicit futurum, vt in nouo Testamento vniuersæ gentes adscendant Hierosolymam, ibique celebrent festiuitatem tabernaculorum: agnoscentes nimirum, se in terris peregrinari, patriam autem in cœlis habere. Atque ea propter relictis studiis terrenis ad cœlestia properare.

In præsentia agitur de hac vltima festiuitate Iudæorum, quæ Iohanni Euangelistæ ἡ σκηνοπηγία, *Scenopegia* ex Deut. 16. v. 16. dicitur. Alias Leuit. 23. v. 34. & Deut. 16. v. 13. dicitur ἑορτὴ τῶν σκηνῶν. Habet autem hæc festiuitas in vtraque lingua suum nomen à struendis & extendendis tabernaculis. In Hebræo verbum vsurpatur נטה *Nathah* Gen. 25. v. 25. & 2. Par. 1. vers. 4. quod significat extendere vel distendere. Vnde etiam venit in nomen סכה lectus seu reclinatorium, super quo homo se extendit. In Græco πηγνύω vel πήγνυμι, quod significat struere, figere vel compingere.

Fratres itaque *Christi* (sic autem nominantur more Hebræorum ipsius consanguinei & propinqui, siue illi Mariæ virginis consobrini, siue Iosephi ex priore vxore filij fuerint) cum vident, quod in obscura & ignobili Galilææ parte latens, lucem & celebritatem fugiat. Ipsi enim ambitiosi volunt Christum inclarescere, vt ad ipsos etiam fructus eius redeat. Ideo occasione festi, ipsum hortantur, vt *in Iudæam transeat*. Rationes addunt aliquot: quæ singulæ sunt expendendæ. Nam satis indigna Christo obiiciunt. 1. *Vt & discipuli tui videant opera quæ facis*. Per discipulos intelligunt eos, quos in Iudæa acquisierat, cum superiori biennio ibi docuisset, vt patet ex Iohan. 2. versicul. 23. inter quos Nicodemus Iohan. 3. versicul. 1. facile primas obtinebat. Sic vero loquendo, Christum suum cognatum tantum non perfidię insimulant, vt qui discipulos, qui in Iudæa ipsi nomen dederant, turpiter negligeret. 2. *Nemo in occulto facit aliquid, & quærit ipse palam esse*. His verbis ipsi exprobrant stultitiam & timiditatem, qui cum velit Messias esse, non tamen ausit in hominum prudentia & authoritate præstātium conspectum prodire, sed imperitam & rudem plebeculam secum trahat. *In occulto esse* & ἐν παῤῥησίᾳ, inter se opponuntur. Volunt dicere: vis parrhesiasticus videri: & tamen latitas. Hæc duo non rectè inter se conueniunt. Phrasis ἐν παῤῥησίᾳ, in scripturis satis est vsitata. Leuit 26. versicul. 13. Eduxi vos, vt incederetis μετὰ παῤῥησίας erecta facie: *die den Kopff auff heben*, sicut illi faciunt, qui sunt hilares, non vt fugitiui. Psal. 94. versicul. 1. vsurpatur verbum παῤῥησιάζειν, de Deo vltionum, quando ille se exerit, & per vltionem seipsum conspicuum facit. Prouer. 1. versicul. 20. Sapientia in plateis παῤῥησίαν ἄγει, dat vocem suam: opponitur hoc angulis. Prouerb. 13. versicul. 5. de impio dicitur οὐχ ἕξει παῤῥησίαν, confundetur, vbi in Hebræo est חפר *chapar*, quod significat se occultare, quærere latibula, fugere aliorum conspectum, vel pudore vel timore. Esther 16. versicul. 19. permittitur Iudæis vti suis legibus μετὰ παῤῥησίας, libere. Coloss. quoque 2. versic. 15. Christus dicitur Potestates & Principatus exspoliatos ἐν παῤῥησίᾳ palam ostentasse. Ex his locis satis intelligitur, quid consanguinei Christi velint, quando dicunt ἐν παῤῥησίᾳ aliquem *palam esse*. 3. Dicunt, *si hæc facis, manifesta teipsum mundo*. Quibus verbis ipsum imposturæ & fraudis insimulant, quasi imperito vulgo fucum faciat. Volunt dicere. Messias toti mundo debet innotescere: si ergo vere hæc facis, quæ de te dicuntur, & quæ facere vis videri, *declara teipsum mundo*. *Mundum* opponunt promiscuæ plebi, & paucis sectatoribus, inter quos inglorius cum suis miraculis degat, cum talia faciens possit summam celebritatem nominis sibi comparare. Ita videmus, quam acerbe & amarulenter Christum proprij consanguinei tractent. Sicuti fere fratres & propinqui filiis Dei plus negotij & molestiæ exhibent, quam extranei. Iuxta illud: Inimici hominis domestici eius. Mich. 7. versicul. 6. Matth. 10. versicul. 36. Tales enim quia à puero cum cognatis sunt versati, plus sibi ob familiaritatem in illos licere opinantur. Sed hac etiam alia causa huius tantæ arrogantiæ cognatorum Christi annotatur: *Nam ne fratres quidem eius credebant in ipsum*. Hoc est, non cognouerunt nec crediderunt ipsum esse Messiam, & filium Dei viuentis: sed putabant ipsum hominem duntaxat sui similem. Et ex suo ingenio ipsum æstimabant, quasi miraculosis suis operibus tantum mundanam gloriam quærere deberet. Cúmque ex ipsius gloria nihil hactenus commodi ad ipsos redierit, prauis affectibus abrepti ipsum spernunt, vel potius totum extinctum esse cupiunt, ne propter ipsum alius exosi reddantur.

Hoc exemplum fratrum Christi docet. I. Quale sit iudicium rationis de regno Christi in hoc mundo. *Fere omnes* cupiunt regnum Dei in hoc mundo venire μετὰ παρατηρήσεως. Luc. 17. versicul. 20. cum obseruatione, vel externis illustribus pompis, quibus conspici possit: sin illud non fiat, aspernari illud vel etiam odisse incipiunt. Sed sciendum regnum Christi in hac vita per exinanitionem cruce tectum esse. Christus enim iam verbo saltem & Sacramentis inter nos vult adesse: intus etiam Spiritus sancti efficacia viget latenter. Discamus ergo nos acnommodare ad illum modum regni Christi, quem ipse nobis largitur. Siquidem nunc ambulamus per fidem, non autem per speciem. 2. Corinth. 5. versicul. 7. Spe salui sumus, non re. Romanorum 8. versicul. 24. Versamur nunc in regno gratiæ: magnificentia autem illa, quam nos desideramus, reseruatur in regnum gloriæ. 2. *Videmus* etiam carnis prærogatiuam in negotio salutis *nihil prodesse*. Si enim Christi cognati non omnes fuerunt pij, quanto minus id de aliis præsumere licet? Nam gratia Dei non est hæreditaria, ita vt necesse sit eum, qui sanguine & natura iunctus est, pio alicui viro, statim etiam particeps fiat gratiæ & doni, quod in pio isto viro deprehenditur. 3. Discamus ergo quæ sit vera cognatio & coniunctio cum Christo: non ea quæ est ex sanguinibus. Iohan. 1. versicul. 13. sed ea, quæ est ex sanguinibus. Iohan. 1. versicul. 13. sed ea, quæ est in fide & per fidem in ipsum. Ideo dicit ipse Matth. 12. versicul. 50. Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est: ipse meus frater, soror & mater est. Et Paulus dicit 2. Corinth. 5. versic. 17. Si quis in Christo est, noua creatura est. *Sed audiamus etiam Christi responsionem.*

II. Etsi consanguinei Christi satis imperiose & acerbe ipsum officij sui admonuerint: Iesus tamē pro solita sua mansuetudine leniter respondet, & prauum ipsorum iudicium corrigit, significans se in eo, quod salutis humanæ causa in terris peragat, non vanam mundi gloriam quærere, sed omnia sua facta iuxta cœlestis patris voluntatem moderanda esse. *Tempus meum*, inquit, *nondum adest*. Non opus est hic vel cum Augustino disputare de tempore glorificationis, aut cum Chrysostomo, de tempore crucis & mortis: quia loquitur de tempore profectionis Hierosolymam. Non ergo præcise negat se eo venturum; sed innuit, se singula illis temporibus facere, quibus nouit, & Patrem ea sibi præscribere, & eadem facere, vel ad gloriam Dei illustrandam, vel ad profectum Euangelij promouendum. Si vero cognati obiicere vellent: Atqui vides nos, & nostros vicinos nos parare, vt ascendamus Hierosolymam ad festum. Temporis itaque ratio postulat, vt ipse te quoque itineri accingas, & vna nobiscum adscendas. Ibi respondet Christus: *tempus vestrum semper paratum est*. Rationem autem addit: *Non potest mundus vos odisse*. Quare? Quia moribus similes estis: nec arguitis opera tenebrarum infrugifera. *Me autem odit*. Ostendit ergo aliam sui & aliam fratrum esse rationem. Ipsis semper licere tuto ad Iudæos ascendere: Christo non item. Qui sic? Quia hunc oderunt. Atque sic ipsis in memoriam reuocat, quid Ioh. 5. versicul. 16. ipsi Hierosolymis in festo Paschatis acciderit, vbi eum Iudæi persecuti fuerant, eo quod in Sabbato hominem sanasset. Quare vero mundus odit Christum? Quia testatur *opera eius esse mala*. Habet autem mundus, hoc est, non renati, opera non vnius generis: sed partim aperte vitiosa: par-

sa: partim adiaphora: partim in specie bona: quæ tamẽ, quia non ex fide fiunt, Deo non probantur. Hæc omnia per Euangelium arguuntur: ibi enim Spiritus sanctus mundum arguit de incredulitate. Ioh. 16. v. 9. Qua redargutione, quia mundus irritatur, impossibile est Euangelium prædicari sine odio mundi. Sed per Dei gratiam fere fit conuersio non volentium.

Christus ergo suos cognatos dimittit, vt ad festum ascendant: ipse vero in Galilæa manet, quia *tempus nondum impletum erat*, quo, non ad præscriptum cognatorum, sed secundum voluntatem Patris ascendere volebat.

Christus hic verbi sui ministris suo exemplo aliquot commonefactiones præbet. 1. Ostendit, non obsequendum esse stultis quibusuis aliorum, etiam cognatorum, monitionibus. Sunt qui nos Euangelicos moneant, vt ad concilia Papistica abeamus, ibi Euangelium Christi proponamus, & confessionem fidei nostræ propugnemus. Sed Christus suo exemplo nos hic monet, non temere vitam in periculum adducendam esse, quin potius cauendum ne incauti circumueniamur. Licet enim ipsi timiditas obiiciatur: non tamen Deum tentare vult. Et hæc quoque pars est exinanitionis eius. Rursus alij nos monent, vt modeste agamus, neminem seueriore increpatione offendamus, concordiæ studeamus, res denique nostras ita instituamus, vt omnium hominum fauorem & amicitiam retinere queamus: sic futurum, vt apud omnes in precio habeamur. Sed tales Sirenum cantus fideles verbi ministri non audiant, quin potius in Dei verbum respiciant, & iuxta illius præscriptũ muneris sui functionem instituant, nec in cuiusquam hominis gratiam vel latum vnguem inde recedant. Meminerint sibi olim ad tribunal Christi rationem reddendam fore, vbi nullius hominis authoritas ipsos tuebitur, si quid contra ipsius præscriptum commiserint. 2. Docet item verbi ministros, vt quiduis suo tempore & loco facere studeant: ne intempestiue & imprudenter agendo religionis negocio officiant. Hæc de causa Matth. 10. v. 16. prudentiam in suis Apostolis requirit. Nec hoc solis verbi ministris dictum sit, sed & omnibus, qui prudentiæ laudem venantur. Omnia enim sua habent tempus. Eccl. 3. v. 1. Vt ergo in rerum natura, alio tempore seritur, alio fructus crescunt, alio iidem colliguntur: sic hominum negotiis Deum tempora distribuit, vt aliud sit tempus ædificandi, aliud destruendi, aliud saltandi, aliud lugendi. Quisque ergo operam det, vt singula iusto tempore circumspecte expediat. 3. Denique suo exemplo eos etiam officij sui admonet, quod est, vt & ipsi de *mundo testentur, quod opera eius sint mala. Testis* autem est, ingenue effari quod verum esse nouit, nec in cuiusquam hominis siue gratiam siue odium quicquam committere, quod veritati aduersari possit. Qua ergo libertate Christi meritum omnibus prædicant, eadem etiam peccata arguant: & non tantum manifesta crimina accusent, sed etiam latentem animi corruptionem in apertum protrahant, & luculentis verbi Dei testimoniis conuincant. Neque est, quod mundi odium metuant. Impossibile enim est, vt eius amicitiam tueantur, nisi malis eius operibus consentire velint. Non ergo mundi amicitiam spectent, sed illud, quod Dei gloria, & publica mundi salus requirunt, faciant. Siquidem malorum operum redargutione, multi ad peccatorum suorum agnitionem, atque per consequens etiam ad thronum gratiæ adducuntur, qui alias in vitiis suis perirent.

Obiter hic etiam impij mundi ingenium agnoscere discamus, qui odisse solet eos, qui ipsius salutem procurare cupiunt: vicissim autem summo amore complectitur illos, qui ipsius interitus autores & promotores sunt. Indicium huius peruersi ingenij hoc est, quod multis in locis adulteriis, scortatoribus, vsurariis, Iudæis, homicidiis & aperte flagitiosis, absque periculo versari licet: soli autem Euangelij Doctores, & qui iuxta eorum institutionem vni Christo in vera fide & inuocatione iuxta ipsius verbi præscriptum seruire, sicque & doctrina & exemplis mundi salutem prouehere volunt, inde exulare coguntur. Verum huius suæ peruersitatis suo tempore iustas pœnas persoluet.

CAPVT XCV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, DESCRIBENS PROFECTIONEM CHISTI HIEROSOLYMAM ad festum tabernaculorum. Luc. 9. ver. 51. & Iohan. 7. v. 10.

RATIO ORDINIS.

DOminum Iesum mox fratres suos Hierosolymam proficiscendo insecutum esse, Iohannes disertis verbis testatur. Modum autem profectionis vnico quasi verbo exprimit, dicens: *non manifeste, sed velut in occulto* adscendit, hoc est, non trahens secum, pro more suo, magnum comitatum turbæ, nec iter miraculis aut concionibus celebre reddens. Et hoc fecit propterea, ne cognatorum carnale consilium sequi videretur: quod ipsum etiam pars aliqua exinanitionis ipsius fuit. Modum autem profectionis, & reliqua quæ in ea acciderunt, Lucas pluribus describit. Et quod duo hi Euangelistæ vnam eandemque profectionem, Hierosolymam versus ad festum scenopegiæ describere putem, inter alia etiam hoc me mouet. Samaritani vtcunque odio aduersus Iudæos flagrabant, non tamen quouis tempore ipsis transitum vel hospitium denegarunt, sicuti id superius vidimus Ioh. 4. 40. vbi Samaritani Iesum rogarunt, vt aliquantisper secum maneret. Sed quando Iudæi religionis & adorationis causa in solennioribus festiuitatibus Hierosolymã contendebãt: ibi tũ difficiliores erãt. Male enim ipsos habebat, quod suum templum, quod in monte Garizin, à Sanaballach præfecto Darij, in gratiam generi ipsius Manassis, sacerdotio Hierosolymis pulsi, extructum erat, negligeretur. In quo templo ipsi adorandum esse contendebant, & non in Hierosolymitano. Vnde sæpenumero seditiones & cædes inter Iudæos & Samaritanos sunt exortæ, vt in Iosepho scriptum reperitur. Dubium ergo est nullum Lucam hoc in loco eiusmodi profectionem Iesu Hierosolymam describere, qua ad festiuitatem aliquam adscenderit. Iam vero non potest illa esse Paschalis, quæ adhuc aliquot menses abfuit, vt omnes circumstantiæ id commonstrant. Relinquitur itaque festum tabernaculorum, ad quod Christum ascendisse Iohannes diserte testatur. Nec quenquam mouet id, quod Lucas dicit, *factum hoc esse, dum complerentur dies assumptionis eius*, vt propterea terminum breuiorem ab hac profectione ad passionem vsque statuendum putet, quam festum scenopegiæ, quod adhuc semestri integro abfuit. Nam non dicit Lucas *dies illos iam impletos esse*, sed *dum complerentur*, innuens illos esse in progressu, & eorum adhuc complures esse, ideo dicit *τὰς ἡμέρας dies* in plurali numero, licet non vsque adeo procul à præfinito termino absint. Si quis tamen hanc profectionem in duas distrahere velit, per nos sane id faciat: duntaxat firmiores rationes nobis monstret.

HISTORIA PROFECTIONIS CHRISTI Hierosolymam, ad festum scenopagias.

LVC. 9.

51. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσαλήμ.

52. Καὶ ἀπέστειλεν ἀγγέλους πρὸ προσώπου αὐτοῦ· καὶ πορευθέντες εἰσῆλθον εἰς κώμην Σαμαρειτῶν, ὥστε ἑτοιμάσαι αὐτῷ.

51. *Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam obfirmauerat vt iret Hierosolymam.*

52. *Et misit nuncios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi.*

53. Καὶ οὐκ ἐδέξαντο αὐτὸν, ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς Ἱερουσαλήμ.

54. Ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης, εἶπον, Κύριε, θέλεις, εἴπωμεν πῦρ καταβῆναι ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ καὶ ἀναλῶσαι αὐτοὺς, ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησε;

55. Στραφεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐπετίμησεν αὐτοῖς, καὶ εἶπεν, οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς.

56. Ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε ψυχὰς ἀνθρώπων ἀπολέσαι, ἀλλὰ σῶσαι. καὶ ἐπορεύθησαν εἰς ἑτέραν κώμην.

53. *Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis Hierosolymam.*

54. *Cum vidissent autem discipuli eius, Iacobus & Iohannes, dixerunt, Domine, vis dicamus, vt ignis descendat è cœlo, & consumat illos, quemadmodum & Elias fecit?*

55. *Conuersus autem Iesus, increpauit illos, & dixit, Nescitis cuius spiritus estis vos.*

56. *Filius enim hominis non venit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. Et abierunt in aliud castellum.*

IOHAN. 7.

10. Ὡς δὲ ἀνέβησαν οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, τότε καὶ αὐτὸς ἀνέβη εἰς τὴν ἑορτὴν, οὐ φανερῶς, ἀλλ' ὡς ἐν κρυπτῷ.

10. *Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad festum, sed manifeste, sed velut in occulto.*

Periocha huius historiæ.

I. ANte omnia hic non oscitanter expendendum est, quod Lucas dicit, Iesum *obfirmasse faciem suam vt iret Hierosolymam dum complerentur dies assumptionis eius*. Inde enim colligere licet, Iesum, post discessum cognatorum, non fuisse mutum ad discipulos, sed (licet id nō sit annotatū) repetiisse ea: quæ iā tertia vice de passione & morte sua ipsis proposuerat. Et simul rationem reddidisse, quare hactenus sesquiannum integrum abfuerit Hierosolyma: nimirum, quia Iudæi mortem ipsius meditarentur, tempus autem à Patre præfinitum nondum hactenus adfuisset. Iccirco se libidini Iudæorum nihil concedere voluisse. Nunc vero sensim appropinquare illud à Deo constitutum tempus, quapropter se diutius Hierosolymis abesse nolle: sic tamen omnia moderaturum esse, vt nec maturius nec serius occumbat, quam in cōsilio Trinitatis sit decretum. Et in hac commemoratione, dubium est nullū, ipsum mortis metu territum fuisse. Sicuti etiam Ioh. 12. v. 27. cum in monte oliueti staret, vbi postea sanguinem sudauit, grauissime fuit affectus, ita vt diceret: Nunc anima mea turbata est, quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora. Fuit enim verus homo, & omnibus infirmitatibus subiectus, Heb. 5. ver. 2. sed absque peccato. Hebr. 4. v. 15. Ideo hic Capernaumi vehementem sustinuit luctam, dum, quę mala Hierosolymis se manerent perpenderet. Perspiciebat enim in mortis suæ cōsideratione iram Dei, magnitudinem & multitudinem peccatorum humani generis, potentiam satanæ & tyrannidem mortis, quę omnia suis humeris tanquam futuræ victimæ essent imponenda. Quod certe vel fortissimum permouere posset, vt pedem retro ferret. Sed Domini Iesus eluctatus est fortiter per hæc obstacula omnia, & *obfirmauit faciem suam*, hoc est animo suo firmiter & constanter proposuit, *vt iret Hierosolymam*. Vicit enim obedientia, quam se Patri debere sciebat. Vicit amor salutis nostræ, quam nulla alia ratione quam mortis suæ merito parari posse nouerat. Στηρίζειν τὸ πρόσωπον, *obfirmare animum*, est omnem metum & horrorem mortis deponere, & animo suo cōstituere, hāc mortem esse ferendam, vtut dura & horrēda omnia sese in ea præbeant. LXXII. interpretes hanc Græcam phrasin ponunt Ier. 21. v. 10. vbi Deus dicit: ἐστήριξα τὸ πρόσωπόν μου, posui faciē meā super ciuitatē hāc in malū, & non in bonū, in manu regis Babylonis dabitur, & exuret eam igne. Ezech. 6. 2. Fili hominis στήριξον τὸ πρόσωπόν σου, pone faciem tuam ad montes Israelis, & prophetabis ad eos. Vbi respondet Hebręo שׂים quod significat singulari studio, arte, cura & diligentia aliquid ponere & disponere, præsertim in animo & corde suo, vt firmum illud sit, nec temere mutetur. Sic ergo phrasi *firmandi faciem* Euangelista vtrumque innuere voluit, & grauem luctam quæ præcessit, & admirandam Domini fortitudinem, animique promptitudinem, qua ad mortis supplicium quasi properauit, quod secutum est. Hanc alacritatem Marcus infra cap. 10. versiculo 32. apertius designabit, quando dicet: Erant in via ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos, & stupebant, & sequentes timebant. Stupebant discipuli, quod Iesum præcedere viderent, timebant, ob pericula quæ Hierosolymis & ipsi & sibi imminere audierant. Metuerunt ergo illi humana formidine; Christus autem animum suum obfirmauit consideratione diuinæ voluntatis. Sic vero animi sui feruorem & alacritatem, qua salutis nostræ sacrificium consummatum sit, commonstrare voluit. Et quidem taliter affectus esse debuit salutis nostræ author & consummator: si enim non sponte, sed vi coactus mortem adiisset, nobis promeruisset.

Cæterum animaritudinem mortis Christus hoc loco noui Epitheti dulcedine emollit. Vocat enim Lucas *dies τῆς ἀναλήψεως, Assumptionis*. Nec est dubium Apostolos tum temporis ex Christo hanc vocem audiuisse, licet nondum intellexerint. Habet autem verbum ἀναλαμβάνειν complura significata: inter reliqua tamē præsenti loco illud maxime quadrare videntur, quod attribuitur parentibus qui filios suos recipiunt & rursus assumunt, quos ad tempus certas ad causas à se dimiserant, & quasi abdicarant. Sic apud Lucianum dicitur ἀναληφθεὶς υἱὸς πρότερον ἀποκηρυττόμενος, filius prius abdicatus, in domum receptus: quemadmodum etiam ἀναλαμβανόμενος εἰς τὸ γένος dicitur, qui est à patre agnitus & in domum deductus. Vsitata quoque Græcorum phrasis est, ἀναλαμβάνειν παῖδα, quæ vsurpabatur, quando quis puerum penes se adsciscebat, & quasi filium agnoscebat. Hoc admodum concinne ad Christum accommodari potest. Filius enim Dei, per intercessionem Mediator humani generis factus & constitutus, à cœlo ex domo paterna dimissus, in exilium & desertum huius mundi, vt in eos homines viam ad salutem edoceret, & opus redemtionis perageret. Cum igitur mandatis Patri plene & rite perfunctus esset, ibi tum ab eodem domum accersitus, reuocatus & rursus assumptus est. Fuit autem hoc operosum & magni laboris: quia tamen Christus recte perfecit omnia, talem ἀνάληψιν commeruit. Hoc vocabulum in hunc modum ipse Christus explicare videtur, dum inquit: Ioh. 16. vers. 28. Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Vt ergo filius bene moratus & obediens, qui ad tempus patria extorris inter peregrinos multa aspera & aduersa tulit, lætatur, se vel tandem domum ad patrem redire, ibique quiete & honoribus frui: sic etiam Christus transitum ad Patrem, per mortis ærumnas, sibi tolerabiliorem reddidit illa meditatione, quod sciret se hoc medio reuerti ad patrem in cœlū, vbi æterna gloria, honore & gaudiis fruiturus, adeoque regnum cœlorum suscepturus esset. Vsurpatur hæc ratio loquendi 2. Reg. 2. vers. 11. de Elia, qui in curru igneo ascendi in cœlum. Vbi LXXII. interpretes Hebræum verbum non à radice עלה quod significat ascendit, sed à יעל quod significat expediisse, vel commodo fuisse, deriuasse videntur. Quæ duo verba inter se cognationem habent: quia quod ascendit in augmentum, illud vtile & cōmodum dicitur. Postea Euangelistæ & Apostoli hoc verbo sæpius de Christo vsi sunt: vt Marc. 16. v. 19. ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, assumptus est in cœlum, & consedit à dextris Dei. Petrus Actorum 1. vers. 22. duos terminos Ministerij Christi ponit, à Baptismo Iohannis ad eum vsque diem ἕως ἀνελήφθη quo assumptus est à nobis. Et Paulus 1. Timoth. tertio, versicul. decimosexto inter membra magni mysterij pietatis etiam hoc ponit: quod Iesus ἀνελήφθη ἐν δόξῃ, assumptus est in gloria. Ergo Christus post mortem non simpliciter ascēdit in cœlum: sed quia legationem à patre iniunctam probe & laudabiliter expedierat, receptus est in gloriam, & maiestatem ad dexteram virtutis Dei, vbi Christus συνδιοικεῖ cum Patre & sancto Spiritu omnia gubernat in cœlo & in terra. De tali ἀναλήψει & assumptione hic sermo est.

Hoc Christi exemplum nos moueat, vt & ipsi, si quando grauius, siue à Satana, siue à mundo, siue à propria carne tentamur, quo minus Deo debitum obsequium præstemus, *faciem obfirmemus*, hoc est, diligenti officij nostri consideratione animum ita armemus, vt aduersus omnia obstacula eluctemur. Quid enim in hoc seculo tam graue & asperum esse potest, quod non ob promissam gratiam & fauorem Dei, atque spem

que spem æternæ salutis fortiter superare cupiamus? Inprimis autem mortis, quæ omnium φοβερῶν φοβερώτατον ab Aristotele nimis vere dicitur, horrorem, hac meditatione pellamus: quod scimus mortem esse *assumptionem*, seu profectionem ex hac lachrymarum valle in cœlestem patriã; & quod à Deo certum tempus sit præfinitum, quod antequam plene impleatur, hostium machinationes contra nos proficere possit. Quanquam nos interim cauere debemus, ne temere nos periculis obiiciamus: sicuti Seruator sesquiannum Iudæa abstinuit, ne Iudæis ante tempus in ipsum sæuiendi occasionem præberet. Plura mortis Epitheta, quæ ad pellendum mortis horrorem faciunt supra capitul. 67. Harmoniæ posuimus. Sufficiat nobis, quod ex miserabili hoc mundo per mortem in beatis æternæ immortalitatis sedes euehimur.

II. Fortuna etiam referatur, qua Christus in hac profectione vsus est. 1. Quia Samaria media interiacebat inter Iudæam & Galilæam, necessario illa Christo, Capernaumo Hierosolymam tendenti, transeunda fuit: sicuti Iohannes, capitul. 4. versicul. 4. annotauit. Licet autem in hac profectione Christus promiscuam turbam nequaquam secum traheret, ob caussam supra indicatam: habuit tamen secum præter duodecim Apostolos, adhuc septuaginta discipulos (quos mox à se ablegabit) vna cum mulieribus aliquot, quæ ipsum secutæ sunt à Galilea, ministrantes ei. Luc. 8. v. 2. & Matthæi 26. ver. 55. atque sic habuit, inquam, comitatum satis amplum. Iccirco postquam ingressus erat fines Samariæ præmisit legatos *in quendam vicum Samaritanorum*, per quem transeundum erat, qui necessarium hospitium ipsi pararent. Noluit enim ipsos ex improuiso & imparatos, cum tanto comitatu, centum fere personarum, obruere: maxime quia non ignorabat, Samaritanos erga Iudæos iam alias male affectos esse. Præbuit hic Christus peregrinantibus exemplum ciuilis modestiæ, vt caueant, ne illis, cum quibus conuersandum est, molestiam aliquam exhibeant. Eiusdem modestiæ non pauca exempla habemus in vitis Patriarcharum.

2. Quid vero Samaritani? Si agnouissent gratiam Dei in Christo omnibus hominibus paratam esse, siue illi sint Iudæi, siue Græci aut Samaritani, Romanorum 10. v. 12. & Gal. 3. vers. 28. summa cum gratitudine & reuerentia eum excepturi fuissent. Sicuti Ioh. 4. versic. 40. metropolitani illud fecerunt. Hi vero veteris aduersus Iudæos odij memoria accensi *eum non receperunt*, atque sic hospitium negarunt illi, qui absque maleficio, imo cum magno salutis ipsorum beneficio, transiturus erat. Et quia hi fuerunt adeo disparis ingenij cum illis Iohan. 4. Iccirco quod hic accidit, non de ciuibus Samariæ metropolis, sed de vico aliquo (in Græco enim vox κώμη, non autem πόλις habetur) intelligo. Ratio autem, cur eum recipere noluerint, additur: *quia facies* (πρόσωπον etiam habitum corporis denotare potest) *eius erat euntis Hierosolymam*. Qui hoc ita accipiunt, quod Samaritani omnes illos detestati sint, & hospitio suo indignos censuerint, qui propter sacra & dies festos ad templum Hierosolymitanum ascendebant, illi non errant. Quia enim Samaritani (vt modo etiam dictum est) contendebant in monte illo Garizim adorandum esse, & non Hierosolymis. Iohan. 4. ver. 20. omnino hunc despectum sui templi vindicandum iudicarunt. Potest tamen hoc etiam ita accipi, quod Samaritani, qui antea Iesu transitum præbuerāt, propterea nunc eum repulerint, quia intellexerint ipsum vt Messiam Hierosolymam ire, ad auspicandum suum regnum. Quod quia ipsi quoque terrenum sibi imaginati sunt, & à Iudæis hostibus sibi metuerunt, eum hospitio excluserunt.

Hic primo Samaritanorum, & in ipsis etiam aliorum, inhospitalitas taxanda venit, maxime si exerceatur in eos qui Christum exulem sequuntur. Eam Deus nunquam impunitam dimittit. Sodomitæ hospites angelos violare voluerunt: sed vix iis ex vrbe digressis, ipsi sulphure & igne cœlitus demissis miserabiliter perierunt. Gen. 19. v. 5. Pharao rex Ægypti Israelitas peregrinos & hospites inhumaniter tractauit, & cum tota sua gente exscindere conatus fuit: sed ipse cum toto suo exercitu in mari rubro horribiliter interiit. Exod. 14. v. 24. Sic cum hic Samaritani Christum benefactorem hospitio suscipere nollent: mox diabolus ad ipsos misit Simonem Magum, qui misere ipsorum gentem seduxit. Actor. 8. v. 9. Apostolum itaque audiamus dicentem, Heb. 13. v. 2. Hospitalitatis ne sitis immemores, per hanc enim quidam inscientes angelos hospitio exceperunt. Vel potius Christum audiamus, Matth. 25. v. 35. Hospes eram, & collegistis me. Videmus deinde etiam in Samaritanis acerbissima odia in genere humano fere ex religionis dissensione nasci: adeo vt fere ad sanguinem vsque sæuiatur ab iis, quorum animi falsa religione sunt imbuti. Exemplum habemus in Caino aduersus Abelem: in Idumæis aduersus Israelitas: in Iudæis & gentibus aduersus Christianos: in Iesuitis aduersus veros Euangelicos. Christus nihil hostile molitur aduersus Samaritanos: quin se vltro ipsis offert, & apud ipsos diuertere cupit: sed ab his contumeliose reiicitur. Sic qui Christi doctrinam & Euangelium sectantur, quantum in ipsis est, pacem habere cupiunt cum omnibus hominibus. Rom. 12. v. 18. sed quorum animi falsa religione sunt imbuti, eosdem diabolus, qui nō tantum est mendax, verumetiam homicida ab initio Ioh. 8. ver. 44. impellit, vt deposito omnis humanitatis sensu in rabiem agantur, & arbitrentur se Deo obsequium præstare, si diuersæ religionis homines interficiant. Ioh. 16. v. 2. Quin & illud hic obseruatione dignum est. Christum, licet non ignoraret qui Samaritani facturi essent, tamen πρόσωπον, faciem, vultum & habitum euntis Hierosolymam non mutasse. Quod notare decet, aduersus Vertunnos illos & Ecebolos, qui in religionis negocio quiduis simulare & dissimulare audeant. Hæc leuitas Deo non probatur. Etsi enim non suadeamus, vt temere quis se in periculum immergat: vbiuis tamen locorum illa D. Pauli regula vellet: Corde creditur ad iustitiam: ore fit confessio ad salutem. Rom. 10. v. 10. Quin & Iesuitæ quoque sibi probe cauerunt, quod ex claustris suis prodituri, ad reges gentium, vt eos ad pugnam promoueant contra sanctos Dei, tum habitum suum deponunt, & secularem assumunt, vt tanto facilius Euangelicorum loca transeuntes, cuncta explorare possint. Denique ex hoc facto Samaritanorum, Iudæorum erga Christum ingratitudo maior quam illorum deprehenditur. Dominus Iesus à Samaritanis eiicitur & exterminatur, quia ad visitandos & honestandos Iudæos proficiscebatur. Æquum itaque fuisset, vt Iudæi summo gaudio, lætitia & gratiarū actione ipsum excepissent. Sed impij hi & scelerati sunt præcipui carnifices, qui proterue se Christo opponunt. Peccant Samaritani, quod Iesum hospitio excipere noluntur: sed quanto plus peccarunt Iudęi, qui ipsi, ex ciuitate sua eiecto, scelerate vitam ademerunt? Vt recte de ipsis Iesaias dixerit, c. 1. v. 4. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israelis, abalienati sunt retrorsum. Caueamus ergo nos Euangelici, ne Christum, quem hostes dehonestare conantur, eo quod nos multiplicibus beneficiis afficit, ab animę nostrę domicilio repellamus, aut impia & perdita vita rursus cruci affigamus.

III. Audiamus etiam quales Apostoli Christus sese in hoc casu præstiterint. 1. *Iacobus & Iohannes* magna indignatione commouentur, ob hanc Samaritanorum inhumanitatẽ. Et plerique existimant hos ipsos legatos à Christo missos fuisse. Fieri quoque potuit, vt Samaritani contumeliose & non sine conuitiis ipsos reiecerint, vnde animi ipsorum vehementius commoti Christo dicunt: *Domine, vis dicamus vt ignis descendat de cœlo & consumat illos, quemadmodum & Elias fecit?* Nuper hi duo Apostoli fuerunt in monte Thabor cum Christo, ibique viderant Eliam legis & honoris diuini zelatorem acerrimum. Sibi igitur in memoriam reuocant, quid is Regis Ochoziæ nunciis, 2. Reg. 1. versic. 9. fecerit: quod duos quinquagenarios præfectos, cum suis militibus igne cœlitus immisso, occiderit. Hunc illi imitari cupiunt, iusto (vt arbitrantur) zelo Magistri sui honorem vindicaturi. Sed vt hoc ipsorum propositum rectius æstimamus, audiemus & Christum ipsis respondentem. Is *increpauit eos*, ἐπετίμησεν αὐτοῖς. Quod verbum, vt hactenus sæpius audiuimus, seriam increpationem indicat. Nam reuera Christo hic præposterus ipsorum zelus serio displicuit. 1. Quia vindictæ cupiditas, qua malum malo refertur, nequaquam ipsius doctrinæ conuenit. Hi vero non tantum par pari referre cupiunt, sed Samaritanis inhumaniores & crudeliores, omnes loci incolas, qui tantum hospitium denegarant, saluos autem dimiserant, cum coniugibus & liberis extinctos cupiunt. 2. Adhæc authoritate scripturæ abutuntur, & Eliæ exemplum in se transferunt, cum quo tamen, vt iam audiemus, consimilem vocationem non habuerunt. Proinde Christus duobus argumentis ipsos reiicit. Primum desumit ab ipsorum Apostolorum persona & vocatione, à qua aliena esse debeat tam acerba vindictæ cupiditas, siquidem ea spiritu Christi quo ipsi induendi sint ex alto, non conueniat: qui sit Spiritus mansuetudinis, lenitatis & patientiæ. *Nescitis*, inquit, *cuius spiritus estis vos*. Vult dicere: Dona Spiritus, quæ hactenus in vos contuli, non debent inseruire furori & vindictæ priuatæ Spiritus ille sanctior & melior est, quàm vt priuatis cupiditatibus inseruiat. Hoc *ignorantes* & non considerantes, contra officij & vocationis vestræ rationem grauiter peccatis. Alterum argumentum desumit à sua persona & officio: *Filius hominis non venit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum.* Est hæc vna ex primariis totius Euangelij sententiis, & vt Paulus 1. Timoth. 1. versic. 15 loquitur, πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, fidus sermo & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus

in mundum venit, non vt perderet, sed vt saluos faceret peccatores. Hoc tamen accipiendum est de primo ipsius aduentu, quo assumpta carne pro nobis hostia factus est, vt nos à peccatis & morte redimeret. De hoc etiam Iohan. 3. ver. 17. dicit: Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum: sed vt saluetur mundus per ipsum. Et hæc causa est, ob quam Christus in illo primo suo aduentu, ab omni vindicandi spiritu fuerit alienissimus. Luc. 19. versic. 41. Iudæos largis lachrymis prosequitur, quod eos à perditione reuocare non potuit. Luc. 22. versic. 51. non tantum gladio non vult defendi, sed etiam hostem vulneratum sanat. Luc. 23. ver. 34. orat pro persequentibus & crucifigentibus ipsum. At in altero aduentu, quo venturus est ad iudicandum viuos & mortuos, ibi in flamma ignis vltionem dabit iis, qui non nouerunt Deum, & non obedierunt Euangelio ipsius. 2. Thess. 1. vers. 8. Ibi tum omnes manifestabuntur ante tribunal ipsius, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum. Vt ergo prioris aduentus consideratio dulcissimam nobis consolationem affert: ita posterior nos in officio continere debet, maxime ne ob prosperos impiorum successus offendamur. Cur enim illis tantilli temporis gaudium inuidebimus, qui æternis suppliciis eius dulcedinem non expiabunt? Dum interim Christus suis æterna præmia redditurus est.

Sic ergo ex Christi institutione 1. agnoscimus, *Iacobum & Iohannem* Apostolos, præcipiti & præpostero zelo, dum Samaritanos peccantes delere cupiunt, grauiter peccasse. Sed videmus nos, ne ad eundem lapidem & ipsi impingamus. Hoc enim fit tota die, quod aliis peccantibus statim necem optamus, & peccatores omnes obire discupimus, non attendentes, nos ipsos quotidie quoque in quamplurimis errare. Velles-ne, ô homo Deum simile in te supplicium exercere, & quoties peccas cœlestem ignem super te immittere, qui te absumeret? Quod ergo tibi fieri non vis, nec alteri feceris. Sed omnes, ex deprauato carnis nostræ ingenio, nobis ipsis misericordiam Dei optamus: iustitiam vero eius aliis euenire desideramus. Corrigendi sunt hi affectus. 2. Admonet etiam hic locus, verum esse illud, quod vulgo dicitur: Duo cum faciunt idem, non est idem. Elias ignem cœlitus euocauit, & milites Ochoziæ perdidit, nec eo nomine reprehenditur: quia zelus eius ex suggestione Spiritus sancti, fuit iustus pro gloria Dei aduersus impios, qui procaciter Dei ministrum captiuum ad impium suum regem abducere volebant. Hic Apostoli quoque ignem cœlitus euocare volunt, sed à Christo reprehenduntur. Vidit enim Christus inter Samaritanos futuros aliquos, qui pœnitentia ducti ad ipsum suo tempore conuertantur. Non ergo simpliciter & in omnibus aliorum exempla sunt imitanda: sed duo in illis attendenda. 1. An illi, quos imitari cupimus, recte fecerint. 2. An etiam nostri officij sit, illos imitari. Tutius tamen faciunt, qui hanc regulam obseruant: Legibus standum, non exemplis. 3. Ex hac Christi obiurgatione D. Paulus sumpsit hanc suam regulam. 2. Corinth. 13. versicul. 10. dedit mihi Dominus potestatem ad ædificationem, & non in destructionem. Ædificatur autem Ecclesia, quando homines, qui prius à Deo alieni erant, ad Christum adducuntur, vt super hunc, qui vnicum salutis fundamentum est, tanquam viui lapides extructi, in spiritualem domum coalescant, quam Deus suo Spiritu inhabitet. Talis ædificatio per perditionem Samaritanorum impedita fuisset. Nam Ecclesia destruitur, quando homines vel prius perduntur, quam ad Christum adducuntur, vel semel adducti, siue falsa doctrina siue impia vita, rursus abducuntur, vt in æternum pereant. Talem destructionem Christi ministri cauere debent. Interim tamen vt illa destruant, quæ spirituali ædificationi incommodant, vel veræ fidei atque diuino cultui officiunt, non prohibentur. Sic Petrus Actorum 5. versicul. 5. verbo occidit Ananiam & Sapphiram, Spiritui sancto mentientes, & Ecclesiam fraude decipientes. Et Paulus Actorum 13. versicul. 11. Elymam Magum cæcitate percussit, quia Paulum Sergium Proconsulem ab auditu verbi auertere conabatur. Et hoc est quod Paulus 2. Corinth. 10 versic. 6. dicit, se habere potestatem vlciscendi (non proprias iniurias, sed) omnem inobedientiam. Vnde in eodem sensu Deus Ieremiæ dicit, capitul. 1. versic. 10. se illum constituisse, vt euellat, & destruat, & disperdat, & dissipet (non ipsos homines, sed omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, ipsos autem homines) ædificet & plantet.

IV. Christus Seruator hominum, hac inhumanitate Samaritanorum nihil ad iracundiam commotus, iuit cum suo comitatu *in aliud castellum*. Illud an Samaritanum quoque, an Iudaicum fuerit, non constat. Quale quale autem fuerit, ex his tamen videmus, nunquam defuturum Christo locum, in quo cum sua Ecclesia in his terris exulante hospitium inueniat. Ipsius enim est terra & omnis plenitudo eius. Psalm. 24. versiculo 1. Ipse etiam omnium hominum corda in sua manu tenet, eaque facile ad beneuolentiam & beneficentiam erga suos cultores inclinare potest, si velit, & si suæ gloriæ atque suorum saluti conducibile esse sciat. 2. Deinde etiã Christus lenitate & mansuetudine sua suis Apostolis exemplum præbere voluit, ne indigne ferrent, si postea orbem terrarum prædicandi Euangelij causa peragraturi, à quibusdam repellentur. Ibi tum enim illam suam regulam obseruandam esse, quam Matth. 10. versiculo 13. dedit: *Cum persecuti vos fuerint in ciuitate vna, fugite in aliam.* Non ergo sunt iurgia miscenda cum repellentibus nos: sed cedendum. Seruum enim Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse erga omnes. 2. Timoth. 2. versic. 24. 3. Denique hæc quoque Domini lenitas obseruanda venit, quod non punit Samaritanos in se peccantes: sed abit & dissimulat hoc ipsorum peccatum, nec cogit eos ad hospitandum contra suam voluntatem. Hac enim sua longanimitate & benignitate eos ad pœnitentiam adducere vult. Romanorum 2. versicul. 4. Quod etiam mox post ipsius in cœlos ascensionem & Spiritus sancti missionem factum est. Et quomodo Iohannes Actorum 8. v. 14. vna cum Petro Samariam, ad confirmandos ipsos in doctrina Euangelij ablegari potuisset, si Christus hic ipsius & fratris petitioni annuisset? *Et hoc est illud*, quod Paulus Actorum 17. versicul. 30. dicit, quod Deus sit ὑπεριδὼν χρόνους τῆς ἀγνοίας, qui dissimulat tempora ignorantiæ. Nam vt pater filiorum miseretur, sic miseretur Dominus nostri: scit enim quale figmentum simus, & nouit quod puluis simus. Psal. 103. versi. 13. Si Deus mox Paulum morte mulctasset, cum Ecclesiam Christi persequeretur, Act. 9. ver. 1. quomodo nos gentes tanto Apostolo frueremur, quomodo diuinis ipsius Epistolis delectaremur? Agnoscamus ergo grata mente, si quando adhuc hodie Christus transit peccatum reliquiarum hæreditatis suæ, Mich. 7. v. 18. & facit, ac si non videat vel sciat peccata nostra, ne iuxta demeritorum exigentiam nos punire cogatur, sed vt pœnitentiam nostram exspectare possit. Si enim Deus peccatores puniret, nec eorum pœnitentiam exspectaret, quis saluaretur? Nos non tantam habemus patientiam cum peccatoribus, quia nobis animæ hominum non tanti constiterunt, quanti Christo. Is peccatorum causa è cœlo in terras descendit, & sanguinem suum pro ipsis effudit: idcirco magna patientia eos expectat & suffert, orans & rogans eos vt conuertantur. 2. Cor. 5. v. 20. Imò ipsos potius ad exactam vsque ætatem & postremam senectutem præstolatur, atque si tum redeant, expensis brachiis vltima canitie eos recepit. Quo etiã applicari potest illud Ies. 46. v. 4. vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram: ego portabo & saluabo.

CAPVT XCVI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM DE TRIBVS, QVI CHRISTVM SEquivolebant, quibus singulis aliquid defuit. Luc. 9. ver. 57.

RATIO ORDINIS.

SVpra capite LXIII. huius Harmoniæ diximus, posse hanc historiam, si quis velit, cum illa, quæ Matth. 8. v. 18. legitur, combinari. Nam fere per omnia inter se conueniunt, præterquam quod illis tantum duo referuntur, qui Christum sequi volebant: hic autem tertius additur. Et quod illi Christum in via ad mare, hi vero eundem in via Hierosolymam euntem adorti esse narrantur. Sed facile fieri potuit, vt apud Christum eadem, aut saltem ad speciem consimilia, diuersis

diuersis temporibus & locis bis terve acciderint. Ideirco etiam nos pro diuersis in Harmonia ponemus, nemini litem moturi, si quis eam cum priore coniunxerit. Nam horũ trium vnum verum esse necesse est: vel quod tãtum duo Christum accesserint eo tempore & loco, quo Matthæus retulit: vel quod tres eundem accesserint eo tempore & loco, quo Lucas scribit: vel quod vnus saltem, & ille quidem tertius, hoc loco venerit, vt Lucas per Rememorationem, & ob argumẽti similitudinem, priores duos huic postremo adiunxerit. Vtut sit, illi qui Harmoniam Euangelicam populo explicãdam proponunt, peccare non possunt, si maxime vtrobique eandem materiam tractent. Prodest enim Christianos auditores sæpius commonefacere, vt attendant quo animo & qua mẽte Christum sectentur: siquidem is non omnia suorum sectatorum placita probat. Hic enim tres inducuntur plurimum inter se discrepantes. Primus sponte se offert, cùm Christo sit comes minus idoneus: ac proinde reiicitur. Alter vocatus cunctatur: & hunc Christus quasi ad sequelam compellere videtur. Tertius offert se quidem, sed cum conditione quadam, quæ & ipsa à Christo improbatur.

HISTORIA TRIVM DIVERSORVM Christi sectatorum.

LVC. 9.

57. Ἐγένετο δὲ πορευομένων αὐτῶν ἐν τῇ ὁδῷ, εἶπέ τις πρὸς αὐτόν· Ἀκολουθήσω σοι ὅπου ἂν ἀπέρχῃ, κύριε.

58. Καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνώσεις· ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ.

59. Εἶπε δὲ πρὸς ἕτερον, Ἀκολούθει μοι. ὁ δὲ εἶπε, κύριε, ἐπίτρεψόν μοι ἀπελθόντι πρῶτον θάψαι τὸν πατέρα μου.

60. Εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς· σὺ δὲ ἀπελθὼν, διάγγελλε τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.

61. Εἶπε δὲ καὶ ἕτερος, ἀκολουθήσω σοι, κύριε, πρῶτον δὲ ἐπίτρεψόν μοι ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου.

62. Εἶπε πρὸς αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς· οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπ' ἄροτρον, καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω, εὔθετός ἐστιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.

57. *Factum est autem ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum, sequar te quocunque ieris, Domine.*

58. *Et dixit illi Iesus, vulpes cauernas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.*

59. *Ait autem ad alterum, sequere me. Ille autem dixit, Domine, permitte mihi, vt prius abeam, ac sepeliam patrem meum.*

60. *Dixit autem ei Iesus, Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu vero vade, & annuncia regnum Dei.*

61. *Et ait alius, sequar te Domine, sed permitte mihi prius, vt dicam vale iis, qui sunt domi meæ.*

62. *Ait ad illum Iesus, nemo qui manu sua admota aratro, respexit a tergo, aptus est regno Dei.*

Periocha huius historiæ.

Breuitati in huius capitis expositione studebimus: quia pleraque quæ dici possunt cap. 63. supra sunt adducta. De singulis tamen ex his tribus aliquid dicemus.

Primum quod attinet, si verba ipsius spectemus, sunt illa admodum bona & honesta. Primo Iesum *vocat*, cum Pharisæi, Scribæ & Sacerdotes vix hominis nomine eum dignari sint. Deinde addit: *sequar te quocunque ieris*, offert sese promptum & paratum ad omnes labores, pericula & casus, sine vlla exceptione. Sed aliud in corde habebat. Nimirum volebat Iesum sequi eadem intentione, qua Simon Magus Act. 8. ver. 19. desiderabat habere potestatem distribuendi Spiritum sanctum, vt scilicet diuitias lucraretur: ideo venit eo tempore, quo omnia extra Christum in tuto constituta erant, quo is propter miracula omnium ore prædicabatur, quo nobiliores fœminæ quædam ipsum alebant, ne quid rerum necessariarum ipsi deesset: quod deniq; Hierosolymam ipsum abire intelligebat, ad occupandum suum regnum, quod ipse mundanum sibi imaginabatur. Est hic typus eorũ, qui apud Christum opes, honores & voluptates huius mũdi quærunt. Quales quamplurimi in regno Pontificio inueniuntur, qui sacris se initiari patiuntur, & Ecclesiasticos ordines quærunt, non vt Deo seruiant, nec vt tanto ardentius pietati studeant: sed vt diuitias sibi parent, amplas præbendas capiant, splendidos Canonicatus adipiscantur, aut etiam ad Episcopalem dignitatem aliquando adscendant. Sperant ergo se splendidiorẽ & abundantiorem victum habituros per Ecclesiam, quã per seculum. Hi eodem affectu ducuntur, quo olim Hemor & Sichem, Gen. 34. 22. qui ciuibus persuaserunt, si circumcisionem admitterent, omnem substantiam Iacobi, omnia eius pecora, & cuncta quæ possideret, sua futura. Sic hi Christo inseruiunt, vt Ecclesiastica bona ipsorum fiant. Magi orientales, qui ad quærendum Iesum natum Bethlehemum vsque accesserunt, longe aliter fuerunt affecti. Hi non vt ipsi diuites fierent à Christo, sed vt Iesum pauperem ditarent, venerunt ideo apertis suis thesauris munera ei obtulerunt. Dicat quis: atqui vos verbi præcones etiam non gratis Euangelio inseruitis? Vtique. Neque tamen Christum ob parandas diuitias tantum sequimur. Nam Christus ipse ordinauit, vt qui Euangelio seruiunt, etiam de Euangelio viuant. 1. Cor. 9. ver. 14. Contenti autem nostro stipendio viuimus. Et quemadmodum honestus miles, non propterea principaliter militat, vt stipendium acquirat, sed vt patriam defendat: interim tamen stipendium accipit, vt victum, amictum, arma, equos & cætera, sibi paret, absque quibus patriam defendere non potest: ita nos non propterea Ecclesię principaliter inseruimus, vt eius bonis fruamur, sed vt Ecclesiam salutari doctrina ædificemus: stipendium tamen ex bonis Ecclesiasticis accipimus, quia si [illegible] esset, nec victum, nec amictum, nec liberos, nec alia [illegible] quibus in exequendo ministerio carere non [illegible] comparere valeremus.

Quid ergo Christus huic sponte sua currenti respondet? Ioh. 6. 37 dicit: Eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Huic tamen tale responsum impertit, vt facile intelligat, Christum ipsum discipulum habere nolle. Syracides enim dicit cap. 1. v. 36. ne accesseris ad Deum duplici corde. Hoc vero præsens hic fecit. Licet enim corpore veniret: animus tamen ipsius magis ad opes honores & felicitatem huius seculi, quàm ad Christum adspirabat. Ideirco Christus non tam ad verba quàm animum ipsius respiciens, respondit: *Vulpes cauernas habent, & volucres cœli nidos Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* q. d. Quid me sequi vis, vt diues fias? Me, inquam, hominem pauperem & nudum, adeoque inopem, ac rebus omnibus destitutum, vt nec domum propriam habeam, aut alium locum vbi caput reclinem? Quibus tamen nec vulpes, animal inuisum, nec auiculę destituuntur. Erras itaque si hac intentione me vis sequi: quia meis discipulis non momentanea huius mundi bona largiri soleo, sed æternorum & cœlestium mediator sum. Hæc autem, quæ Christus dicit si vera sunt, vt sane verissima, vnde quæso Papæ & ipsius sectatoribus, tot & tantæ proueniunt diuitiæ? quibus oppida, arces, prouincias, ducatus, regna integra, adeoque terras longe lateque patentes possidet. Aut vnde Petrus tam amplum habuit patrimonium, vt vel cum potentissimis etiam regibus eo nomine certare possit? Christus certe opes huius mundi nunquam nec quæsiuit, nec habuit: quia regnum ipsius non est de hoc mundo Ioh. 18. v. 36. De Antichristo autem vaticinatur Propheta Daniel cap. 11. v. 43 Dominabitur thesauris auri, & argenti, & in omnibus preciosis Ægypti. Iam ergo quisque Papam habeat quo loco velit, certe Christi successor vel Vicarius esse nequit, ob summam eius paupertatem. Cui in natiuitate defuit domus, ideo in stabulo natus est, & in præsepi iacuit. Cum exiguo viatico in Ægyptum delatus, ibique à pauperculis parentibus cum inopia nutritus est. Nihil in mũdo (cuius tamen ipse opifex & gubernator erat) pos-

fidens,de eleemosynis viuebat oblatis. Et eo ipso die, quo Hierosolymis cum ramis oliuarum tãquam rex exceptus est, in vrbe quæsiuit hospitium: sed quia nullum inuenit,reuersus Bethaniam,ibi tanquam pauper peregrinus receptus est. Tanta denique inopia laborauit,vt cœnaculum,in quo cum Apostolis agnum paschalem manducaret, quasi mendicare coactus fuerit: quia propriam domum non habuit. Sed de paupertate Christi cap.63.sufficienter dictum est.

II. Alterum Christus ipse vocat, eique dicit:*Sequere me.* Magna hæc est dignatio. Nam ad diuinum ministerium nemo seipsum ingerere debet, nisi à Deo per Ieremiam reiici velit,cap.23.v.21.& 27.v.16. Nemo ergo sibi sumat hunc honorem:sed qui vocatur à Deo,tanquam Aaron,Hebr.5.v.4.is grata mente suscipiat. Cæterum hunc honorem à Christo oblatum, hic discipulus non quidem reiicit, verumtamen moras nectit, prætexens pietatem in parentes. *Domine,* inquit *permitte mihi vt primum abeam,ac sepeliam patrem meum.* Pater ipsius adhuc viuebat,sed petebat iste,vt Christus tantisper expectaret, donec pater vita defungeretur, atque ipse eum sepeliisset. Nam si pater iam mortuus esset, sepulturæ officium non ita multum temporis requisiuisset.Sed quia multum temporis petebat(quis enim nouisse potuit, vtrum pater intra annum vel amplius diem suum obiturus esset?)ideo prohibitus est abire. Gerit hic discipulus typum eorum Christianorum, qui gustum aliquem habent doctrinæ Euangelicæ, & sentiunt diuinitus se vocari, vt veram fidei professionem amplectantur, & si maxime ad exteros abeundum sit, eum sequantur:sed laboribus & molestiis peregrinandi pertæsi, periculis item propositis perterriti, vndequaque causas cunctandi conquirunt,& pietatis officia prætexunt. Alij prætendunt parentes grandæuos & veteri superstitioni addictos,horum infirmitati aliquid indulgendũ censent,donec vel & ipsi animum mutent,aut peracto curriculo vitam cum morte commutent. Alij autem prætendunt,magistratum quidem illum, qui nunc rerum habenas gubernet,esse aliquo modo morosiorem,sed spem esse si ipse oculos claudat,vt alius mitior succedat,quo rerum potiente tutius futurum sit Euangelij fidem confiteri. Alij prætendunt vicinos,quibus nec possint nec debeant scandalo esse. Etenim illos mutationem eiusmodi religionis & loci sinistre interpretari posse, vnde facile turbæ oriantur in Republica, ob quas seditiosi nomen & titulus alicui tribui possit. Alij tantisper sibi expectandum existimant, donec bona sua absque damno aut rerum suarum detrimento commode distrahere possint. Alios amplæ hæreditates, quas iam spe deuorarunt,detinent:suique muneris esse censent, vt domesticorum suorum curam habeant. 1.Timoth.5.versiculo 8. Et quis prætextus illos omnes recenseat, cum caro nostra valde ingeniosa sit, ad fingendos prætextus, quibus vel ignauiam suam, vel etiam apertam Veritatis abnegationem excuset? Abraham pater omnium credentium talis non fuit,quin potius vocationi diuinitus acceptæ protinus obtemperauit, & ex patrio solo egressus est, quemadmodum ipsi præceperat Dominus, Gen.12.4. Paulus quoque accepta diuina vocatione,vt euangelizaret Iesum Christum in gentibus,non acquieuit carni & sanguini,vt moras necteret,sed continuo solicitus fuit, quomodo diuinæ voci obedientiam præstaret. Gal.1.vers.16.

Christus ergo videns hunc cunctatorem affectibus suæ carnis nimium indulgere, hoc ipsi responsum dat: *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu vero vade & annuncia regnum Dei.* Non improbat pietatem erga parentes, quam ipse in quarto præcepto præcepit,& moribundus quoque obseruauit,cum Iohan.19. vers.26. in cruce matrem Iohanni dilecto filio quam diligentissime commendauit. Nec etiam improbat pium illud & Christianæ misericordiæ opus,quo mortui honeste sepeliuntur,quod etiam angelus in Tobia commendauit.Tob.12.ver.12. Sed tantum commonstrat spiritualia opera, temporalibus longe esse anteferenda. Et verisimile est Christum huius discipuli opera vti voluisse, in illa legatione, quæ iam sequenti capite instituetur. Ad hanc ipsam relictis aliis rebus omnibus accingi eum vult, ideo dicit: *Tu annuncia regnum Dei.* q. d. Mortuos sepelire est quidem humanitatis opus:sed hoc *mortui*,hoc est,inferioris conditionis homines,& illi etiam,qui circa res mundanas occupantur,ac proinde Deo *mortui* sunt,præstare possunt. Tu vero, διάγγελλε τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, destinatus es, vt sis angelus Domini exercituum,Mal.2.vers.7. siue angelus pacis,Ies.33.v.7. qui prædicet Euangelium de verbo Dei, per quod non mortui sepeliuntur, sed in peccatis mortuis vita restituitur. Notandum hic verbum διαγγέλλειν,quo Christus vtitur.LXXII.interpretes hoc verbum posuerunt. Leuit.25. 9. vbi igitur de anno Iubilæo, qui per clangorem tubæ siue buccinæ Iudæis indicandus erat. Quia ergo in hoc ipso festo tabernaculorum, inchoabatur verus Iubilæus & annus libertatis, quem Christus sua passione nobis comparaturus erat, (Nam non desunt, qui existiment Christum Seruatorem anno mundi 4000. pro peccatis humani generis satisfecisse. Quod si cum supputatione temporis conueniat, hic annus esset 80. Iubilæus mundi, 30. vero Mosis) Christus ergo ablegatione 70.discipulorum,& eorum prædicatione, quasi tuba & buccina spirituali (vt Ies.58.v.1.præcones verbi nominantur) annum illum intonare & intimare voluit.Et ad hoc officium se huius discipuli opera vti velle indicat. Psalm. 2. v.7. filius Dei ipse sibi tribuit,quod sit διαγγέλλων τὸ πρόσταγμα κυρίου,prædicans præceptum Domini. Ex quo verbo patet,quales Christus suos discipulos esse velit:qui nimirum sint angeli siue nuncij regni Dei, κήρυκες siue præcones Euangelij, qui viuentium habeant curam, & operam dent, quo per fidem in Christum viuant,vitæ etiam Christianæ officia præstent,ac denique ad æternæ vitæ hæreditatem aspirent: *mortuos* autem *mortuis* relinquant.Hoc si ita est:vnde ergo proueniunt sacrificuli Pontificij, quorum omnis ferè labor est, vt neglectis viuis circa mortuorum curam occupentur? Non enim contenti mortuos sepeliisse (quod tamẽ si rite fiat) improbari nequit:quia Dei vox est,in terram reuerteris, Gen.3.v.19. etiam sacra pro mortuis faciunt, eadem die tricesimo repetunt, imo annua sacrificia addunt, quæ interdum perpetuo pro salute defunctorum ex certa fundatione fieri necesse est.Sic habent certa sua sacra & Missas,quas quotidie pro certa mercede canunt, vt animas defunctorum in fictitio suo purgatorio iuuẽt, quo ipsarum pœnæ breuiores aut saltem tolerabiliores fiant. Ars profecto Pontificiis quæstuosissima, qua omnes *Chymicos* longe superant. Hi enim falsis promissis se aurum & argentum ex cupro,stanno & consimilibus vilioribus metallis cõficere posse hominib. persuadent:at Pontificij sacrificuli ex nihilo,nimirum ex vanissimo commẽto sui purgatorij ignis, aurum,argentum,palatia,prædia,annuos reditus & maximos thesauros,vel Crœsi opes superantes, conflauerunt. Hos sacrificos à Deo vel Christo institutos esse dicere non possumus. Nam in Veteri Testamento Deus sacerdotes in mortibus suorum ciuium contaminari noluit. Leuit.21.v.1.hic vero Christus discipulo huic dicit:*mortui sepeliant mortuos.* Sequitur ergo irrefragabiliter sacrificulos istos ab ipsissimo Antichristo introductos esse.

Monet etiam hic locus, diuinæ vocationi omnia mundana postponenda esse: Multum debemus patriæ, plus magistratui,plurimum parentibus,coniugibus & liberis.Si tamen hi nos impedire vellent in negotiis fidei vel religionis, tum nullo modo nos eorum siue amore siue obseruantia auocari patiamur, sed Christo vocanti obtemperemus. Memores illorum dictorum.2.Maccab.7.v.30.non obedio precepto regis,sed præcepto legis. Actor.5. v.29. Obedire oportet Deo magis,quam hominibus.Matt.10. v.37. Qui amat patrem vel matrem plus quam me, filium aut filiam super me, non est me dignus. Iacob. 4. v. 4. Amicitia huius mundi inimica est Dei.Vnde Paulus recte dixit,Gal.1.v.10.Si adhuc hominibus placerem,Christi seruus non essem.

III. Superest tertius,qui & ipse Christum sponte adiit, & dixit:*Sequar te Domine,sed permitte mihi primum, vt dicam vale iis qui sunt domi meæ.* 1 Reg.19.v.20.legimus,cum Elias Elisæum ex diuino mandato ab aratro auocasset,vt se sequeretur,petiit hic:osculer quæso patrem meum & matrem meam,& sic sequar te.Ibi Elias assensus est postulationi:quia congruebat ea præcepto de venerandis parentibus. Addit tamen conditionem: vade, & reuertere: quod enim meum erat,feci tibi. Proinde si Elisæus non reuersus fuisset,grauissime peccasset. Hic vero non loquitur de parentibus, sed de *iis, qui sunt domi suæ*,intelligens dispositionem totius rei domesticæ, imprimis autem vt cum bona gratia & venia suorum ipsum sequatur. At vero quando Christus qui est Dominus vniuersi, quempiam ad suum ministerium vocat, ibi non est cum carne & sanguine conferendum,Galat.1.versicul.16.sed illud Psal.45. ver.11.attendendum:obliuiscere populum tuum, & domum patris tui,sic rex concupiscet decorem tuum. Hic vero simul & Christi discipulus esse,& res terrenas tractare voluit: quod Christus nunquam probauit. Typum ergo hic gerit eorum, qui Euangelium Christi eatenus suscipere volunt, quatenus mundanos homines non offendant. Tales multi inueniuntur in Papisticorum principum aulis, qui synceriorem doctrinam non ignorant, & interdum de ea cum verbi ministris conferunt:aperte tamen eam profiteri nolunt,quia cum bona suorum Principum gratia id facere non possint, nisi conditione sua excidere velint. Tales quoque sunt quidam verbi ministri, qui Euangelium Christi ita prædicare cupiunt, vt nec Iesuitas, nec alios ἑτεροδιδασκάλους offendant, sed omnium auditorum gratiam habere queant. Nihilo meliores, si modo non peiores, sunt illi, qui Christum ita sequuntur,

quuntur, vt tamen liceat simul Baccho & Veneri etiam seruire, hoc est, comessationibus, libidini & aliis vitiis indulgere. Alij etiam eatenus saltem Christum ipsiusque Euangelium profiteri volunt, quatenus id fiat sine iactura rerum suarum, aut vt ita sibi prospicere liceat, ne olim egere cogatur. Talis erat Iudas fur, surripiens ex loculis eleemosynas: Ioh. 12.v.6. Et Ananias atque Saphira, Actor.5.v.2. qui Ecclesiam fraudarunt pecunia, vt si forte tempora periculosa inciderent, suis commodis iam ante prospexissent.

Quid vero Christus de huiusmodi ambidextris? *Nemo*, inquit, *qui manu sua admota aratro respexerit à tergo, aptus est regno Dei.* Innuit tales non esse idoneos regni sui consortes vel suos discipulos, qui simul animum suum rebus secularibus implicare velint. Christianismus talis status est, qui totum requirit hominem: vt quis in eo statu versans non possit duobus dominis, Christo & huic seculo, seruire. Matt.6.24. Non quidem vult Christus penitus prohibere rei domesticæ curā, cum Paulus tales Ethnicis deteriores esse testetur 1.Tim.5. 8. sed talem curam, quæ cum diffidentia est coniuncta, & facit vt fidei oculos auertamus à Deo, & conuertamus ad temporalia, Christus reprehendit. Vtque intelligamus ipsum non absque causa de eo monere, adducit simile à re rustica. Omnis arans, qui manu quidem stiuam tenet, sed oculos cōuertit ad ea quæ à tergo sunt, aut tortuosos ducit sulcos, aut bouium arantium vestigia vulnerat. Ita qui apprehenso spirituali vomere vitia mundana persultans recto tramite incedit versus Dei regnum, sed mox aspectum & desiderium suū ad eadem vitia rursus conuertit, aut vanitate mundi, quam à tergo relinquere debemus, delectatur, aut huius seculi curis se rursus implicat: ille & animam suam vulnerabit, & delirabit, nec rectos sulcos ducet. Nam quicūque à bono inchoato retrospicit, ille mente ad secularia redit. Itaque perseuerantia in bono opus est. Non decet, vt qui cum Loto ex Sodomis egressus est, malorum consortium & societatem ad Dei præceptum deuitans, cum vxore ipsius respiciat, nisi in salis statuam mutari, aut aliàs à Deo puniri velit. Genes.cap. 19.vers.26. Sic filij Israel postquam egressi erant de Ægypto, corde & mente eodem respexerunt, optantes ollas carnium, cucumeres, pepones, cæpe & allia. Numer.cap.11.versicul.5. sed nullus eorum ingressus est in terram promissionis, verum omnes in deserto perierunt. Et Paulus conqueritur 2. Timoth.cap.4.v.10. Demas me dereliquit, amplexus præsens seculum, & profectus est Thessalonicam. Dolenda profecto est inconstantia multorum, & lachrymis deploranda, quod ad quemuis fortunæ siue prosperæ siue aduersæ flatum, rectam & bonam viam deserunt, & ad mundi exemplum deflectunt. De Chamæleonte referunt, cum colorem mutare secundum omnes species quibus admouetur: sic quidam omnibus huius seculi filiis sese accommodare norunt, vt iuxta illorum nutum bonum animi propositum mutent, & quocunque illi volunt, se impellere ac transfugos agere patiantur. Et sicut de Chamæleonte referunt, eum quoslibet alios colores, præterquam album, recipere: ita eiusmodi homines in formas sese transmutant, tantum verum animi candorem nunquam recipiunt. Oportet ergo in bono proposito perseuerare, & instar arantis progredi, hoc est, semper de bono in melius tendere atque proficere. Sicuti Ezech.cap.1.v.9. de quatuor suis animalibus, Euangelium Christi currum trahentibus, dicit: non reuertebantur, cum incedebant: sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur. Et Paulus de seipso, Phil.3.v.13. Quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea quæ sunt priora extendo me ipsum, ad brauium supernę vocationis Dei in Christo Iesu.

Hæc de tribus istis Christi sectatoribus dixisse sufficiat. Quorum primus fuit hypocrita, alter cunctator, tertius ambidexter. In primo nos Christus monet, ne nostra, sed quæ ipsius sunt, quæramus. In secundo, vt nos ipsos & omnia nostra ipsius causa abnegemus. In tertio, vt postquam semel ipsi nomen dedimus, constanter cum ipso ad finem vsque perseueremus. Qui plura de ipsis audire cupit, consulat 63. caput Harmoniæ nostræ.

CAPVT XCVII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS EMISSIONEM SEPTVAGINTA DISCIPVLORVM,

Luc. 10. versic. 1.

RATIO ORDINIS.

NOn est dubium Lucam Euangelistam hanc historiam iusto loco & ordine posuisse. Quod non tantum ex illa particula μετὰ ταῦτα, *post hæc*, postquam nimirum relictum Capernaum Hierosolymam tendebat, & animum ad moriendū confirmarat: sed potius etiam inde colligimus. Dixerat Iohannes cap.7.v.10. Christum Hierosolymam ad festum tabernaculorum ascendisse, *nō manifeste, sed velut in occulto.* Iam vero quia secum ducebat tantum numerum discipulorum, non potuisset occulte in vrbem ingredi. In finibus itaq; Samariæ adhuc constitutus maiorem eorum partem à se ablegat, nec vllos præterquam duodecim Apostolos secum retinet. Et quia Lucas prius dixerat, *dies assumptionis eius impleri*, ne quis putet eum iam è vestigio Hierosolymis mansurum, ibique statim moriturum, iccirco hos emittit *in omnem ciuitatem & locum, quo ipse erat venturus*, innuens, se adhuc ante mortem semel ex Hierosolymis in omnes plagas excursurū, & ibi repetitionem suæ doctrinæ cum visitatione auditorum instituturum. Quia ergo hic versabatur in finibus Samariæ, quasi in medio Palestinæ, dimisit eos circumquaque in Galilæam, Iudæam, Samariam & Peræam, vt sic commode loca illa permearent, ac postea Hierosolymis ad Dominum redirent. Cumque hunc annum 80. Iubilæum mundi, Mosis autem 30. probabiliter fuisse modò dixerimus, horum discipulorum præconio, ceu tubæ cantu placabilem illum annum Domini, Ies.cap.61.versic.2. proclamari voluit. Huic ergo legationi hanc sedem in Harmonia attribuemus. Si quis excipiat & dicat: Atqui etiam hi 70. Hierosolymis in festo comparere debuerunt, iuxta legem Dei. Deuteron.cap.16.v.16. & proinde hoc tempore non potuerunt ablegari: ei respondemus, præsente Messia iam aduenisse finem illarum ceremoniarum Mosaicarum, ac proinde Christum tanquam Dominum legis, hic legi non obstrictum fuisse.

Historia missionis septuaginta discipulorum.

L V C. 10.

1. Μετὰ δὲ ταῦτα ἀνέδειξεν ὁ κύριος ἑτέρους ἑβδομήκοντα, καὶ ἀπέστειλεν αὐτοὺς ἀνὰ δύο πρὸ προσώπου αὐτοῦ, εἰς πᾶσαν πόλιν καὶ τόπον οὗ ἔμελλεν αὐτὸς ἔρχεσθαι.

1. *Post hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta, misitque illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo ipse erat venturus.*

2. Ἔλεγεν οὖν πρὸς αὐτούς, ὁ μὲν θερισμὸς πολύς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι. δεήθητε οὖν τοῦ κυρίου τοῦ θερισμοῦ ὅπως ἐκβάλλῃ ἐργάτας εἰς τὸν θερισμὸν αὐτοῦ.

2. *Dicebat autem illis, Messis quidem multa, sed operarij pauci. Rogate igitur Dominum messis, vt extrudat operarios in messem suam.*

3. Ὑπάγετε, ἰδού, ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς ἄρνας ἐν μέσῳ λύκων.

3. *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.*

4. Μὴ βαστάζετε βαλάντιον, μὴ πήραν, μηδὲ ὑποδήματα, καὶ μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε.

4. *Nolite portare sacculum, non peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis.*

5. Εἰς ἣν δ' ἂν οἰκίαν εἰσέρχησθε, πρῶτον λέγετε, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ.

6. Καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἐκεῖ ὁ υἱὸς εἰρήνης, ἐπαναπαύσεται ἐπ' αὐτὸν ἡ εἰρήνη ὑμῶν· εἰ δὲ μήγε, ἐφ' ὑμᾶς ἀνακάμψει.

7. Ἐν αὐτῇ τῇ οἰκίᾳ μένετε, ἐσθίοντες καὶ πίνοντες τὰ παρ' αὐτῶν. ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ ἐστι. μὴ μεταβαίνετε ἐξ οἰκίας εἰς οἰκίαν.

8. Καὶ εἰς ἣν δ' ἂν πόλιν εἰσέρχησθε, καὶ δέχωνται ὑμᾶς, ἐσθίετε τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν.

9. Καὶ θεραπεύετε τοὺς ἐν αὐτῇ ἀσθενεῖς, καὶ λέγετε αὐτοῖς, ἤγγικεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.

10. Εἰς ἣν δ' ἂν πόλιν εἰσέρχησθε, καὶ μὴ δέχωνται ὑμᾶς, ἐξελθόντες εἰς τὰς πλατείας αὐτῆς, εἴπατε·

11. Καὶ τὸν κονιορτὸν τὸν κολληθέντα ἡμῖν ἐκ τῆς πόλεως ὑμῶν ἀπομασσόμεθα ὑμῖν. πλὴν τοῦτο γινώσκετε, ὅτι ἤγγικεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.

12. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι Σοδόμοις ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀνεκτότερον ἔσται ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ.

13. Οὐαί σοι χωραζίν, οὐαί σοι Βηθσαϊδά, ὅτι εἰ ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἐγένοντο αἱ δυνάμεις αἱ γενόμεναι ἐν ὑμῖν, πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ καθήμεναι μετενόησαν.

14. Πλὴν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἀνεκτότερον ἔσται ἐν τῇ κρίσει ἢ ὑμῖν.

15. Καὶ σὺ Καπερναοὺμ ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ.

16. Ὁ ἀκούων ὑμῶν, ἐμοῦ ἀκούει· καὶ ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς, ἐμὲ ἀθετεῖ· ὁ δὲ ἐμὲ ἀθετῶν, ἀθετεῖ τὸν ἀποστείλαντά με.

5. *In quamcunque domum intraueritis, primum dicite, pax huic domui.*

6. *Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin minus, ad vos reuertetur.*

7. *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ dantur ab illis. Dignus est enim operarius mercede sua. Ne transite è domo in domum.*

8. *Et in quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, edite quæ apponuntur vobis.*

9. *Et sanate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis, Appropinquauit regnum Dei.*

10. *In quamcunque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite:*

11. *Etiam puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos. Tamen hoc scitote, quod appropinquauit in vos regnum Dei.*

12. *Dico vobis, quod Sodomis in die illo remissius erit, quam illi ciuitati.*

13. *Va tibi Chorazin, va tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes scelerum suorum egissent pœnitentiam.*

14. *Verum Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio quam vobis.*

15. *Et tu Capernaum, quæ vsque ad cælum elata es, vsque ad infernum deprimeris.*

16. *Qui vos audit, me audit. Et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.*

Periocha huius historiæ.

ETiam in huius capitis expositione breuitati studebimus: quia pleraque, quæ hic ponuntur, cap. 72. Harmoniæ huius in legatione Apostolorum exposuimus. Ne ergo cum tædio lectoris eadem bis ponamus, tantum notabimus illa, quę vel diuersitatis quid habere videntur, vel superius omissa fuerunt. Totus autem locus duo præcipua membra complectitur. Vnum exponit circumstantias huius missionis: Alterum instructionem, qua munit emittendos. Quibus quasi tertio loco subiungit denunciationem pœnarum aduersus contemptores huius legationis. I. Quod circumstantias huius loci concernit, hæ sunt. 1. Indicat tempus, quando hæc sint facta: *Post hæc.* Significat ergo Euangelista diserte, hæc tempora superioribus esse posteriora, & tum demum facta, cum iam Christus viam esset ingressus, & faciem suam contra metum mortis obfirmasset. Vt ergo alias suas profectiones & concionibus & miraculis illustrauit: ita hanc missionē LXX. celebrem facere voluit, vt sic vbiuis locorum humani generis vtilitatem procuraret.

2. Quot numero doctores designarit. *Alios septuaginta,* præter duodecim Apostolos, quos sub initium huius anni emiserat. Hic controuersia aliqua, sed non magni momenti, oritur. Cum enim vulgata versio adiecerit voculam *duos:* quidam non 70. sed 72. discipulos emissos esse contendunt. Nos Græcum textum sequimur: cum quo non tantum Chaldæus, sed etiam Patres, Tertullianus lib. 4. contra Marcion. Hieronymus libr. mans. ad Fabiolan. Ambrosius, Theophilactus, vterque in expositione super hunc locum, & Eusebius in primo volumine Ecclesiasticæ historiæ consentiunt. Hoc ipsum vero fecit Christus, vt sic Noui Testamenti veritas vmbræ Veteris corresponderet. Quemadmodum ergo in veteri populo fuerunt 12. Patriarchæ, ex quibus duodecim tribus sunt propagatæ, & quos tota Iudæorum gens pro suis progenitoribus agnouit: sic etiam Christus 12. Apostolos esse voluit, qui Iudæos simul & Gentes ex immortalis diuinique verbi semine in filios Dei regenerarent, & quos tota Christiana gens pro suis Patriarchis agnosceret. Deinde, quemadmodum Iacobus cum 70. animabus in Ægyptum descendit, Gen. 46. v. 27. quibus Deus ibi ita benedixit, vt toti Ægypto formidabiles sint facti. Et quemadmodum Exod. 15. v. vlt. filij Israel inuenerunt in Eline 12. fontes aquarum, & 70. palmas, quibus fuerunt recreati. Quemadmodum item Num. 11. versic. 16. cum Moses de onere regendi populi quereretur, Deus 70. viros de senib. Israel segregari iussit, quibus de Spiritu Mosis communicauit, eique ipsos adiunxit, vt in ferendo onere eum adiuuarent. Vnde & postea mansit hæc consuetudo inter Iudæos, vt in Ierusalem semper essent 70. veluti Senatores, qui cum principe Sacerdotum populum iudicarent, & gubernarent: quorum etiam mentio fit Ezechiel 8. v. 11. & ipsorū Senatus Sanhedrim siue συνέδριον dicebatur. Hos vero omnes Herodes, vt regnum suum stabiliret, interfici curauit, sicque senatum illum aboleuit, quod certe absq; totius populi dissipatione fieri non potuit. Christus ergo vt ostenderet, quę forib. esse lætam noui populi, seu Ecclesiæ instaurationem, quæ initio inter Iudęos eligi cœpta, mox per vniuersum orbē terrarum maximis incrementis propagaretur: vbi animę piorum doctrina tam Apostolorum quam 70. nouellorum horum Doctorum non minus refocillandę essent, quam olim Israelitę fluentis fontium & fructibus palmarum: qui denique magnum illum Prophetam Mosis loco nobis datum, in labore colligendi Ecclesiam, tanquam fideles ministri, adiuturi erant, peropportune Christus hunc numerum 70. prę aliis vsurpauit. Quinam autem 70. hi discipuli fuerint, nusquam in sacris literis exprimitur. Veteres quidem conātur eos nominatim indicare, inprimis Epiphanius lib. 1. Tom. 1. contra hæreses, sub finem. Et ex eorum numero scribit fuisse Matthiam, qui Actorum 1. v. 23. in locum Iudæ Apostoli successit. Item septem Diaconos, qui Actorum sexto, ver. 5. ab Apostolis eliguntur, vt præsint mensæ & viduis. Præterea Lucas & Marcus Euangelistæ, Iustus, Barnabas, Apollo, Rufus, Niger, &c. ex hoc numero recensentur. Siue autem hi, siue alij fuerint, discant hinc verbi ministri, non semper ipsorum gloriam in eo sitam esse, vt eorum nomina singulari aliqua celebritate per ora omnium hominum volitent. Sint ipsi in officio fideles & pij, & lætentur de eo, quod, vt Christus postea v. 20. hisce 70. dicet, nomina ipsorum scripta sunt in cœlis: ibi cognoscemus certo, quinam hi 70. fuerint.

Vtitur autem Euangelista verbo ἀνέδειξε, *designauit*, quod vsurpatur, si quis ad publicum officium destinatur. Ἀναδείκνυμι enim & demonstrare & creare significat: Nam Magistratus tum quando creati renunciantur, designantur ἀναδεικνύμενοι dicuntur. Sic 2. Machabæor. 9. vers. 25. Antiochus Epiphanes Iudæis scribit, Filium meum Antiochum ἀνέδειξα βασιλέα, designa-

designauit regem. Vnde colligere licet Christum hosce 70. discipulos, non tantum rite elegisse, Apostolis suis, quod ad hãc legationem obeundam ipsos idoneos censeat, eos demonstrasse, sed etiam certis ceremoniis ad hoc officium ordinasse. Illud enim Græcum verbum *designare* hoc loco indicat.

Cæterum nec illud mihi displicet, quod aliqui ex hac duplici duodecim Apostolorem & 70. discipulorum ablegatione, etiam duplicem ordinem ministrorum Christi colligunt. Non quod vnius officium alterius fit magis efficax: sed quod ratione ordinis, alter alterius quasi ἐπίσκοπος inspector & gubernator constituatur. Missi sunt quidem à Christo etiam hi septuaginta discipuli: & tamen nusquam Apostoli vocantur. Apostolorum igitur dignitas quasi maior & sublimior fuit, qui nobis repræsentant Episcopos, siue quod idem latine sonat & est, Superintendentes. Discipuli autem septuaginta repræsentant reliquos verbi ministros, qui ex antiquo vocabulo πρεσβύτεροι presbyteri, *Priester* (non ab annis semper, multo minus à sacrificando, sed ex recepta consuetudine septuaginta seniorum in Ismaele) nominantur. Sic Matthias Actorum 1. v. 23. ex inferiore ordine ad superiorem prouectus est, cum in Collegium Apostolorum adscisceretur. Talis ordo in Ecclesia nihil turbat, sed ad promouendos ministerij ratione prodest. Nam & Paulus Titum Episcopum reliquit Cretæ, vt is oppidatim constitueret presbyteros. Tit. 1. versiculo 4.

3. Quomodo eos miserit. *Misit eos binos.* Quomodo hæc duorum coniunctim instituta missio faciat, ad commendādam fraternam coniunctionem, ad consolationem in aduersis, ad maiorem veritatis contestationem, c. 72. indicatum est. Quibus adde hoc, eo significatum, tale hoc negocium esse, ad quod vnus non sufficiat: sed semper duos oculos plus videre quam vnum. Quod si Iesuitæ hinc mutuati sunt illum suum morem, quo & ipsi semper bini incedere solent, tum caueant, ne ex ipsis fiant interdum trini, & tertius fit generis fœminini. Sicuti Viennæ Anno 1575. factum meminimus.

4. Quonam mittat. *Ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus.* Christus constituit ipse secum, quod adhuc semel ante passionem & mortem visitationem Ecclesiarum à se plantatarum instituere velit. Vt igitur passim homines parati essent, cupidius ipsum exciperent, attentius audirent, firmius ei crederent, & ipse quoq; commodius miracula edere posset, hosce legatos præmittere voluit, vt vbique homines de aduentu eius admonerentur. Si vero Christus docere voluit, præparatione animorum apud auditores esse, si ipse apud eos diuertere, suorumque beneficiorū capaces reddere debeat. Hæc præparatio verbi ministris est commendata. Hi enim eodem officio cum Iohanne Baptista desunt, vt parent viam Domino, & rectas faciant semitas Dei nostri in solitudine. Iesa. 40. v. 3. Et vt præparent viam ante faciem Dei, quo ipse Dominator veniat in cor, tāquam ad templum suum. Mal. 3. v. 1. Per auditionem enim verbi acquirimus fidem. Roman. 10. versicul. 17. per fidem autem habitat Christus in cordibus nostris Ephes. 3. versiculo 17. Inuisibiliter ergo & spiritualiter subsequitur Christus ministros suos: & quando hi locum ipsi præpararunt, tum ipse animas credentium visitat. Quando autem ministri recte *ante faciem* Christi ambulare, eique occasionem præbere volunt, vt ipse sequatur, omnino necesse est, vt prædicandi initium faciant à pœnitentia, & hominibus commonstrent, quod ob innatam naturæ vitiositatem æterna morte digni sint. Deinde animos ipsorum erigant fiducia gratiæ & misericordiæ Dei, quam Christus passionis & mortis suæ merito nobis acquisiuit, & per verbum atque sacramenta credentibus applicat. Qua applicatione facta, sponte sua fructus pœnitentia digni sequuntur, vt sic reipsa conuersi commonstrent, sanctissimum hunc hospitem domicilium cordis ipsorum occupasse, suoque eos spiritu regere.

Obserua autem, quod dum ipse Dominus *post eos venturus est*, quasi stimulum ipsis ponat, vt eo diligētius officium suum exequantur, scientes Magistrum subsecuturum, & quidem subsecuturum in *omnem ciuitatem & locum*, hoc est, præparare debuerant, non tantum maiores cœtus, quales sunt in vrbibus amplis & castellis, sed minores quoque per pagos & villas. Vult enim Christus hanc peregrinationem omnibus esse fructuosissimam. Vt ergo agricolæ maiori cura & diligentia operantur, si sciant herum, qui artem agrum colendi ipse quoque probe callet, subsecuturum, & de laboribus iudicaturum: ita sane in hac spirituali agricultura, cuius artem cœlestis noster Magister omnium optime callet, omnes & singuli ipsum inspectorem & iudicem habent, qui fideliter laborantes magnificis præmiis ornaturus, infideles autem seuere puniturus est. Imo singuli Christianorum sciant, se Christum Dominum omnium suarum operationum Inspectorem habere. Cuius oculus omnia cernit, & cuius iustitia omnia opera, verba & minimas quoque cogitationes nostras in die iudicij manifestabit atque examinabit, & cuiuis dignam operibus mercedem vel pœnam retribuet, nisi in hac vita per omnia cum ipso in gratiam redierit. Præterea quod Christus suos discipulos sequitur, obseruaturus qualiter illi officium executuri sint, & correcturus si alicubi aberrassent, hoc Episcopos & Superintendentes, seu illos verbi ministros, qui aliis ordinis causa sunt præpositi, monet, vt & ipsi reliquorum suæ inspectioni commissorum labores & rationem docendi diligenter inspiciant, & attendāt, vtrum munere suo ita fungantur, vt Christo illud probare possint. Vere bonus Pastor & Episcopus animarum nostrarum, (vt eum Petrus nominat, 1. Epist. 2. v. vlt.) est Christus, qui discipulos suos emisit, non ad colligendas decimas, non ad implendum suum marsupium, sed vt Euangelium hominibus prædicent, & animas eorum ad se conuertant: nec eo contentus, quod sanctos & innocuos verbi sui præcones miserat, ipse quoque sequitur, vt confirmet, quod ipsi operati fuerant. Quid faciunt nostri Episcopi Pontificij? Quidam Romæ vel alibi laute & delicate viuunt: de ouili suo, quod interdum ad centum milliaria abest, nihil aut parum solliciti. Quidam suos habent cursores per Episcopatus, sed tantum hoc fine, vt vniuersam substantiam subditorum exhauriant, ac tandem etiam omnem sanguinem ebibant: animæ salutem nihil curantes. Alij ad diœceseos suæ auditores quidem exeunt, sed miseris ouibus satius fuisset, eos nunquam ad ipsos peruenisse. Nam ad nullum oppidum perueniunt, cui non vel graues censuras & excommunicationes imponant, vel pomposo quidem comitatu illud ita grauant, vt omnem adipem & pinguedinem ouium exhauriant, siquidem ex ipsorum substantia ipsi delitiis & voluptatibus affluere volunt. Quid vero olim Christus Archiepiscopus hisce male fidis Subepiscopis dicturus sit, illud suo loco ex Ioh. 10. cap. audiemus.

5. Causam huius sui instituti etiam Christus Apostolis indicat. Etsi enim eam ex prioribus colligere possimus: nimirum voluisse Christum, vt sibi quasi hospitium pararent, quo maiori cum fructu ipse vbique transiret: eleganti tamen Metaphora ipse plenius illam exponere voluit. *Messis quidē multa, sed operarij pauci.* Vis sermonis hæc est. Magna messis requirit multos operarios. Doctrina Euangelij hactenus à me in tota Palæstina proposita, habet rationem magnæ messis. Ergo requirit multos ministros. Atque hoc dicit Christus in consolationem horum suorum legatorum, quo bene sperent. Cursus enim huius ipsorum ministerij nequaquam suo fructu cariturum testatur. Passim enim iam hominum animos esse excitatos, ad auide percipiendam veritatem, modo eius fideles Doctores habere possint. Vt ergo eo alacriores ad peragendum hoc officium progrediantur, de messe ipsis dicit, non de semente. Sicut etiam fecit Iohan. 4. versic. 35. Cui imponitur labor seminandi, illi res tristis iniungitur: quia lōgo tempore & magna patientia opus est, donec fruges maturescant. Sæpe etiam segetes in hyeme pruinis & frigoribus, in æstate autem pluuiis aut grandine sic perduntur, vt qui seminauit parum de eo lætetur. Qui vero metit, ille lætatur, vt Iesaias c. 9. v. 3. testatur: quia percipit fructum laborum. Ita gaudium esse debet Euangelij præconi, si prædicationem suam fructum afferre videat in cordibus fidelium. Fructus enim prædicationis verbi non debet esse, vt ministri venentur laudes hominum, honores aut dignitates, aut vt populo sint grati & accepti, aut vt saltem nominis sui & famæ celebritatem quærant: sed vt Christus à multis agnoscatur, recipiatur, vera fide colatur, sicque multum tritici ad cœleste horreum Dei aduehatur.

Est autem accurata consideratione digna metaphora *Messis*, cui collectio Ecclesiæ non tantum hoc in loco, sed etiam alibi frequenter in Scripturis, confertur. Sicut enim in messe, non nuda grana, sed etiam paleæ atque stramina in aream conuehuntur, vbi postmodum per triturationem & cribrationem ab inuicem separantur: sic per Euangelij prædicationem in Ecclesiam Christi adducuntur tam boni quam mali, sed per tentationem ab inuicem distinguuntur. Porro quemadmodum in ventilatione tritici, quando illud in area mundatur, grana vtpote ponderosa ad mundantis pedes cadunt, paleæ autem rapido vento feruntur: Psalm. 1. v. 4. ita recti & iusti in tentatione ad Deum per pœnitentiam & preces accedunt, mali autem fugiunt & recedunt ab eo. Exempla huius postulas? Bonorum exempla sint Iob in sua tribulatione: Iob. 1. v. 21. Dauid ad Aream Areuna Iebusæi. 2. Sam. 24. v. 17. Iosaphat in periculo contra filios Ammon, Moab & Esau. 2. Par. 20. v. 12. Ezechias in suo morbo. Ies. 38. vers. 8. Ionas in ventre cœti. Iohan. 2. v. 2. Ipse Seruator in monte oliueti, totus suo cruore madidus, cecidit ad pedes Patris super faciem suam, orans. Lucæ 22. v. 41. Malorum, qui instar palearum disperguntur, & procul à Deo proiiciuntur, exempla

fuit Saul, qui cum in angustia Deum inuocare deberet, consuluit pythonissam. 1. Samuel. 28. v. 7. Asa. 2. Par. 16. v. 12. qui in infirmitate sua non quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est. Et consimiles plures. Licet autem nunc in Ecclesia paleæ mixtæ sint tritico: non tamen illud in æternum durabit. In nouissimo die mali à bonis separabuntur. Matth. 13 v. 30. Obserua simul, quod licet paleæ non seruiant vsibus hominum: tamen propter triticum seruantur. Paleæ enim grana conseruant & defendunt, ne tam facile aeris intemperie lædantur, neve ventorum vi excutiantur. Sic mali in mundo conseruantur propter bonos: & mali bonis per accidens in eo prosunt, quod per ipsos hi exercentur in pietate, & patientia, vt Aug. testatur in Psalm. 63. Denique in agro vna spica est procera & sublimis, altera humilis: sed quando messor accedit, eas omnes ex æquo resecat & in humum prosternit, vt non sit facile cognitu, quænam præ aliis eminuerit, quę minus. Sic in Tragœdia huius mundi, alij sunt potentes & sublimes, alij humiles & abiecti: alij diuitiis affluentes, alij inopia laborantes: alij docti, alij idiotæ: alij excellentes, alij abiecti, quorum memoria adhuc viuo corpore est sepulta. Sed quando vel tandem mors, cum facile sua acutissima accesserit, atque filum humanæ huius vitæ resecarit, tum omnes, sublato omni discrimine, æquales reddentur. Aperias defunctorum sepulchra, aut polyandrion adeas, & mihi aliive monstres, quis pulcher vel deformis, quis diues vel pauper, quis potens vel abiectus fuerit. Vtique mors sæua omnia æquat.

Miretur autem quis, Christum hic, vt & in superioribus conqueri de eo, quod sint *pauci operarij*, cum tamen Iudæis de his quam optime & opulenter prospectum fuisse videatur. Habuerunt magnum suum Sacerdotem & Præsidem sacrorum, cui suberant reliqui Sacerdotes Aaronici generis, qui ob eminentiam & dignitatem in Euangelio etiam principes sacerdotum dicuntur, qui clauem scientiæ se habere gloriabantur, & magno cum supercilio Mosis cathedram sibi vendicabant. Leuitarum autem ingens erat numerus, qui Mosis tempore, Num. 3. v. 29. & 26. v. 62. ad viginti tria millia recensiti fuerunt. Hi per omnes Synagogas regionis dispersi, docendi munus sibi vsurpabant. Inter hos autem primores erant Scribæ, legisperiti, Pharisæi, qui præter eruditionem etiam sanctitatis laudem sibi arrogabant. Quomodo ergo in tam copioso numero Christus *paucos operarios* fuisse, dicere potest? Sed responsio est facilis. Christus non loquitur de operariis iniquitatis, Matt. 7. v. 23. aut malis, Phil. 3. v. 2. quorum semper magnus est numerus: sed de fidis, laboriosis & industriis, quibus Dei gloria & hominum salus cordi est, & qui hoc vnicum curant, vt populum in veritatis cognitione instituãt, eumque Christo, in quo vnico salus & vita nostra consistit, adducant. Horum certe tum temporis apud Iudæos erant pauci. Accommodemus hæc ad nostra tempora, vt & hic agnoscamus, non esse omnes fidos Christi operarios in messe spirituali, qui se eo nomine in Ecclesia venditant. Viuit inter Christianos Pontifex Romanus, qui vult esse ἀρχιποιμὴν & vicarius Christi. Habet is sub se senatum Cardinalium, qui columnæ Ecclesiæ videri volunt. Passim in regnis, prouinciis & regionibus distributi sunt Archiepiscopi, Episcopi cum suis suffraganeis qui Apostolorum & Inspectorum vices sua opinione subeunt. Hos sequuntur Canonici in templis cathedralibus, cum parochis & plebanis qui omnes ex Ecclesiæ bonis victitant. Vt iam taceam ordines minores, quales sunt Lectores, Exorcistæ, Acoluti & alij, cum quamplurimis Monachorum gregibus. Hi omnes, quia ex annuis Ecclesiarum reditibus ditantur, merito eiusdem salutem docendo promouere debebant. Sed quid faciant, qualesque se gerant, res ipsa loquitur, vt non immerito cum Christo de locis illis, in quibus ipsi dominantur, conqueramur: *Messis ibi quidem copiosa, sed operarij pauci.*

Quid igitur in hac inopia fidorum operariorum faciendum? Id Christus docet, inquiens, *Rogate Dominum messis, vt extrudat operarios in messem suam.* Hæc quidem Cap. LXXI. huius Harmoniæ quoque sunt explicata: lubet tamen verba vel obiter saltem percurrere: *Dominus messis* est ipse Iesus Christus Seruator: cuius peculium & agricultura sumus, tum ratione creationis, tum ratione Redemptionis. Hic sponte quidem sua paratus est prospicere suæ Ecclesiæ, quam sanguine suo acquisiuit: nihilominus tamen rogari vult, vt sic commonstremus, nos grata mente agnoscere ingens ipsius esse beneficium conseruationem ministerij. Neq; enim supplicium magis acerbum populo siue nationi alicui infligi potest, nisi quando Deus ab ipsis verbi sui prædicationẽ remouet. Sicuti Israelitis minatur Amos 8. v. 11. quod ipsis immittere velit famem audiendi verbum suum. Vult ergo rogari, *vt extrudat operarios*, hoc est, Doctores & Prædicatores, qui nõ ocium quærant, sed cum labore & molestia Ecclesiæ ædificationem promoueant. Et quia multi laborem subterfugiunt, alij vero imbecillitatem suam cum muneris difficultate conferentes tergiuersantur: sicuti Moses & Ieremias fecerũt: ideo *extrudi* vult. Nam qui sponte sua currunt, aut qui malis artibus vocationes suas procurant, Deo non probantur. Ier. 23. v. 21. Paulus quoque dicit Rom. 10. v. 15. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Mitti autem debent in *messem suam*, hoc est Domini, non ad temporalia. Vt ministri hic nihil sui quęrant, sed tantum ea quæ sunt Domini. Huic & Paulus dicit 2. Cor. 12. v. 14. non quæro quæ vestra sunt, sed vos. Vides igitur quam laudabiliter illæ Ecclesiæ faciant, quæ si quando functio aliqua apud ipsos vacat, publicas preces ad Deum instituunt, vt is eiusmodi ministrum rursum largiatur & concedat, cui gloria Dei & Ecclesiæ ædificatio curæ sit: qui item sincere doctrinæ cum zelo addictus, sit insuper inculpatę vitæ: ne quod vna manu ædificat, altera rursus destruat. Hę preces quoniam à multis negliguntur, quid mirum apud eos ministrorum vocationem male cedere?

6. Fortunam etiam nouæ functionis indicat. Nam ne omnia læta & tuta sibi promittendo nimium confidentes & securi essent, dicit: *Ecce mitto vos sicut agnos in medio luporum.* Hic non scrupulose philosophandum est, quare supra Apostolos *oues* vocarit, hic autem discipulos *agnos* nominet. Sensus enim vtrobique idem est. Admonet autem hoc nomine discipulos, castitatis, simplicitatis & publici commodi. *Agnus*, à Græco ἁγνὸς deriuatur, quod castum significat. *Agnus* etiam natura innatam habet simplicitatem. Reipsa denique *Agnus*, quantus quantus est, hero suo vtilis est. Caro & lac, cibo inseruiunt: vellus & lana indumento: stercus, medicinæ & fœcundandis agris. Tales etiam fideles ministros Christo & Ecclesiæ esse decet. Hostes autem Euangelij sui, quales tum erant Sacerdotes & Pharisæi, Christus non simpliciter pro malis habet, sed *lupos* vocat, partim propter rabiem, qua contra Christum & ipsius Apostolos ardebant, partim propter potentiam, qua ad nocendum erant instructi. Quod vero Christus hic discipulis suis dicit, illud omnes fideles verbi ministri sibi accommodare possunt. Vt enim Deus Ezechieli dicit, c. 2. v. 6. fili hominis, tu cum scorpionibus habitas: ita omnes egregij concionatores inter lupos ambulant. Ideo quotquot mittuntur, ad martyrium parati esse debent. Si melioris fiant conditionis, propterea Deo gratias agant. Ideo etiam non dicit, misi vos, sed *mitto* de præsenti, vt sciamus ipsum esse, qui nunquam Ecclesiæ suæ obliuiscatur, sed semper & omni tempore ei fideles operarios mittat. Nam hac de causa etiam ad cœlos ascendit, & ad dexteram Patris consedit, vt Paulus explicat Eph. 4. vers. 11. vt Ecclesiæ suę ministros det.

Vtcunque autem Christus hisce suis discipulis pericula prædicit: tamen ire iubet, & quidem vno verbo ὑπάγετε. *Ite.* Sic omnem tentandi & tergiuersandi occasionem præscindit. *Ite*, nec quiescatis: quia messor semper procedit & ambulat. Ne ergo sitis in Dei itinere tardi, vel pigri. *Ite*, inquam. Sed nunquid ad venandum? nunquid ad piscandum? ludendum? ad comessandum? Ad hæc Christus suos ministros nunquam emisit: nisi venationem spiritualem intelligas, quod scilicet Christus venaturus lupos, agnos emittat. Sæpius enim factum est, vt huiusmodi agni à Christo emissi dum verbum Dei fideliter & diligenter populo proposuerunt, simul etiam lupos allicerent, qui deposita feritate, Christo manus darent: atque sic lupus habitaret cum agno, & pardus cum hœdo accubaret. Ies. 11. ver. 6. Certe Saulus fuit lupus rapax Actor. 9. vers. 17. qui mane prædam venatus est, dum passim Christi discipulos Damascum vsque persecutus est. Actor. 9. ver. 1. sed vespere diuisit spolia, & quouis agno mansuetior Apostolis cohabitauit.

Proinde consolationis loco addit: *Ecce ego mitto vos.* Magnam emphasin habent hæc verba. Potuissent enim discipuli Christo dicere, quî fit quod nos inermes aduersus mundi potentiam emittis? Perinde facis, ac si leporem inter canes venaticos proiiceres. Quæ nobis arma tribuis? quas vires, vt hisce resistere possimus? Ibi Christus respondet & dicit: *Ecce ego mitto vos.* Perpendite quis sit ille, qui vos mittit: *Ego sum, Ego sum*, qui draconem illum magnum cum suis angelis, è supernis sedibus eieci: Apoc. 12. vers. 9. qui primum mundum aquis diluuij deleui, Gen. 7. versic. 23. qui Sodomam & Gomorrham igne cœlitus demisso combussi. Genes. 19. v. 24. qui Mosen & Aaronem aduersus Pharaonis iram defendi, & eundem impium illum regem (postquam regnum ipsius decem durissimis plagis affeci) in mari rubro demersi. Exod. 14. v. 28. *Ego*, qui deleui Amorræos, Iebusæos, Heuæos, Chananæos: qui terræ præcepi, vt Core, Dathan, & Abiron viuos deglutiret: Num. 16. vers. 32. qui serpentes ignitos in desertum misi, vt populum contumacem interficerent: Num. 21. vers. 6. *Ego sum*, qui muros Hiericho solo æquaui, Ios. 6. vers. 20. qui super

Ochozias

Ochoziæ regis milites, Heliam capturos, ignem de cælo deieci, vt ipsos deuoraret. 2. Reg. 1. v. 10. qui potentissimum exercitum regis Sennacherib vna nocte potenti manu superaui. 2. Reg. 19. v. 35. Quid multis? *Ego sum* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Psalm. 24. v. 8. Si ergo mei discipuli, oculis fidei intueamini potentiam eius, qui vos mittit, qui sua virtute vos defensurus est, nihil timebitis. Hæc omnia verissima esse, vel vnius Apostoli Pauli exemplum diligentius consideratum, comprobat. Quomodo enim is ex tot periculis fluminum, latronum, Iudæorum, Gentilium & falsorum fratrum, ex tot periculis in vrbibus, in desertis, in mari, ex tot vinculis & carceribus, etiam inter grandines lapidum, saluus & incolumis euasisset, prout ipse 2. Cor. 11. v. 23. prolixe recenset, nisi hæc inuicta Christi potentia eum tutata esset? Hæc ergo de primo membro huius legationis repetenda visa sunt.

II. Instructionis quoque capita singula breuiter inspiciamus. 1. Primum admonet de viatico, seu commeatu. *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamentum.* Hoc etiam primum fuit præceptum in missione Apostolorū: quod tamen in textu ibidem aliquo modo repetitum est. Emittit discipulos suos pauperes & egenos, nec vlla rerum necessariarum copia instructos. Facit autem hoc non tantum propterea, vt eos commonefaciat, ipsos in hac profectione expeditos esse debere, quo mature ad se reuertantur: sed etiam vt diuinam suam omnipotentiam commonstret, quod nihilominus ipsis & aliis omnibus legitimam vocationem sectantibus possit prospicere, licet sine sacculo, sine pera, sine calceamentis exeant. Imo quod maius est, per huiusmodi pauperes Apostolos postea vniuersum terrarum orbem in obedientiam fidei suæ pertraxit. In Veteri Testamento Deus legis suæ obseruatoribus multa temporalia bona promisit, terram lacte & melle fluentem, victorias contra inimicos, longæuam vitam & consimilia. Et viderunt gentes magnalia Dei, quę in populo suo Israelitico operabatur. Paucissimi tamen tum inuenti sunt, qui abiecta idololatria legem Mosis recepissent. Rahab Hierichuntina id fecit. Ios. 2. v. 9. Hanc secuti sunt Gibeonitæ. Ios. 9. v. 3. Item Ruth Moabitis, Ruth. 1. v. 16. Naaman Syrus, 2. Regum 5. v. 17. Achior in libro Iudith. c. 14. v. 6. cum paucis aliis, qui nomina sua dederunt Deo Israelis. Mirabile autem dictu, quod Christus, qui suis nihil magnifici dedit, sed tanquam agnos inter lupos deuorandos emisit, & prædicanda commisit ea, à quibus caro natura sua abhorret, vt crederent in Iesum crucifixum, & morti adiudicatum, vt item admitterent paupertatem, vincula, tribulationes & multa aduersa. Et tamen omnes fines orbis terræ crediderunt Iesum crucifixum esse filium Dei, & ad ipsum sunt conuersi. Potentissimi principes, spernentes diuitias, crucem Christi amplexi sunt: tenerrimæ virgines & matronæ flagellis, scorpionibus, igni & gladio se exposuerunt, & pro fide Christi certarunt. Quis hoc fecit? Solus Deus, qui potens est gratia superare naturam. Ideo Paulus recte & vere dixit *ὁμολογουμένως* magnum esse pietatis mysterium, quod filius Dei manifestatus est in carne, prædicatus est gentibus, & creditus in mundo. 1. Timoth. 3. v. 16.

2. Alterum est de via, quales se in ea gerere debeant. *Neminem in via salutaueritis.* Non hæc est Christi mens, vt discipuli sui sint agrestes & inciuiles. Nam & Maria mater Iesu salutauit Elizabetham: & hæc salutationis fructum mox sensit. Luc. 1. v. 39. Christus etiam post resurrectionem, occurrens mulierculis, illas salutauit, dicens: Auete. Matth. 28. v. 9. Sed festinationis Christus eos admonere voluit. Quia enim ex salutationibus fere prolixiores confabulationes, & beneuolentium detentiones, oriuntur, Christus autem omnem moram, qua in prædicatione hac demandata impediri possent, abrumpi vult, ideo salutationem prohibet. Eodem ergo sensu Christus hoc loco salutationem prohibet, quo Propheta Elisæus famulo suo Giezi, cum eius opera in suscitando filio Sunamitis vti voluit 2. Reg. 4. v. 29. Præbet autem hoc præceptum generalem regulam: in negotiis pietatis, & aliis etiam, quæ Dei causa sunt efficienda, non esse cunctandum, sed festinanter ea esse expedienda. Ne vllo prætextu, quantumuis in speciem bono & honesto, prætermittamus ea, quæ nostri sunt officij. Mundani principes non facile ferunt ministros segnes & procrastinatores. Vnde Salomon dicit: Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. Prouerb. 22. vers. 29. Et rex regnum, Deus, ferret, si quis in ipsius operibus expediendis esset cunctator? Sic pœnitentia, quam Deus requirit ab omnibus, non est procrastinanda: sed hodie si vocem Dei audieris, noli obdurare cor tuum. Psalm. 95. v. 8.

3. Tertium caput Instructionis agit de moribus in hospitio seruandis. Voluit enim eos taliter formatos esse, vt ex conuersatione eorum sancta homines etiam de doctrina iudicium facere possent. Primum familiam honeste salutare iussit, *Dicite, Pax huic domui.* Hanc formulam ipsis præscribit, qua non tantùm domesticis incolumitatem corporis precarentur: sed simul etiam statim in limine indicarent, cuius causa aduenissent, vt nimirum denunciarent & prædicarent illam pacem, quam Messias, princeps pacis inter Deum & homines erecturus erat. Peccata nostra nos & nostrū Deum ab inuicem diuiserant, Iesa. 59. vers. 2. Venit Christus, qui est pax nostra, ille rursus fecit vtraque vnum. Ephes. 2. versic. 14. Vtque filius Dei totum mundum edoceret, se huius pacis causa incarnatum esse, in ingressu suo in mundum, angelos cantare fecit: Pax in terra, Luc. 2. vers. 14. & rursus in egressu ex mundo Apostolis suis dixit: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. Ioh. 14. v. 27. Imo post resurrectionem à mortuis ex paradiso rediens, semper ingeminauit illud: Pax vobis, pax vobis. Iohan. 20. v. 19. & 21. Hæc est illa pax Dei exuperans omnem sensum. Philip. capite 4. versic. 7. Hanc pacem Christus per Euangelium nobis denunciari curat, vt fide iustificati pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, Roman. cap. 5. versiculo 1. Admodum blande igitur Christus cum mundo, cum expurgaturus, agit. Eodem modo, quo Deuteronom. 20. vers. 10. præscripsit, vt populus Israeliticus ciuitatem aliquam expugnaturus, primùm pacem ei offerret. Sic Christus *pacem* offerri vult singulis domibus. *Et si filius pacis in ea fuerit, requiescet pax vestra super illum. Filium pacis* vocat illum, qui doctrinam pacis, seu ipsum Euangelium, non fastidit, illud attente audit, & fideli corde suscipit. Si talis in illa domo est, ille prompte hospitio vos excipiet: ipse tamen etiam fructum & effectum salutationis vestræ sentiet. Nam Deus ratum habebit, & facto explebit, quod vos verbis precamini. Solet enim Deus largissime remunerare, quod in ministros ipsius hospitio eos suscipiendo impenditur: & semper longe plus reddit, quàm accipit. Abrahamus filio Dei apud se hospitanti mactauit vitulum: sed recepit *αὐτόδωρον* filium dilectissimum suum Isaacum, hæredem domus & promissionis. Gen. 18. v. 7. Loth angelis præbuit cœnam: sed ipsi eum liberarunt, ne cum Sodomitis periret. Genes. 19. v. 3. Rahab exploratores hospitio suscepit: sed ipsa cum tota domo patris sui liberatur ab interitu. Ios. 6. v. 25. Sareptana pusillum panis concessit Heliæ prophetæ cum hospitio: sed hoc recepit, ne farina & oleum deficerent toto tempore famis, 1. Reg. 17. v. 14. Sunamitis Elisæum excipiebat in domo sua, sed donatur filio: cumque is mortuus esset, à Propheta resuscitatur. 2. Reg. 4. versiculo 35. Sic Deus *filios pacis* liberalissime & magnifice remuneratur, si se beneficos erga Christi ministros peregrinantes, ob Christi amorem, exhibeant.

Quod si vero illarum ædium incolæ contumaces sint, & pacis nuncium aspernentur, dicit Christus: *pax vestra reuertetur ad vos.* Quod non eo sensu à Christo dicitur, quasi discipuli alias ita inflammati impatientiæ signa edituri essent (sicut nuper in Iacobo & Iohanne aduersus Samaritanos vidimus) nisi pax ad eosdem reuerteretur, quę ipsorum corda ad patientiam permoueret. Sed vult Christus dicere, ipsis nihil perisse de suo officio, ob istorum incredulitatem. Pacis enim denunciationem ipsis saluam futuram, vt ea ad alios vti possint, qui illam digne sint excepturi. Hoc magnam consolationem præbet illis verbi ministris, qui apud ingratos & Euangelio quasi indignos auditores laborare coguntur. Hi semper metuunt, ne fidelitas sua pereat, ipsique frustra tantos labores & curas sustineant. Sed bono animo sint, prudens æstimator nostrorum laborum Christus Iesus ipsorum fidelitatem videt, eius etiam liberalis & fidelis futurus est remunerator. Etsi nihil aliud remunerationis ad fidelem ministrum rediret, quam illud Ezech. 3. v. 19. tu animam tuam liberasti, tum illud sufficere poterat.

Monet etiam hic locus, quæ sit præcipua causa tot turbarum & malorum, quæ passim infelicem mundum premunt. Nimirum Christus princeps pacis, mittit præcones Euangelij sui, qui mundo pacem denuncient & offerant. Sed ingratus mundus, hosce angelos pacis, non tantum non suscipit, sed etiam ita tractat, vt amarè fleant. Ies. 33. vers. 7. imo ipsos pro seditiosis & turbarum authoribus habet, ac proinde procul à se repellit. Cum ergo passim tam pauci *filij pacis* inueniantur, quid mirum etiam pacem ex mundo exulare? Simus *filij pacis*, & pacata erunt omnia.

Deinde ad mores etiam pertinet, quod dicit, *in eadem domo manete*, & quod mox addit, *nolite transire de domo in domum.* Non vult vt temere hospitia mutent, quod vel animi inconstantis & mutabilis indicium est: vel est coniunctum cum contumelia primi hospitis, quasi is sua inhumanitate vel sordibus peregrinum hospitem abegerit: vel etiam occasionem præbet contentionibus & dissidiis, inter eos, qui hospites gratos ab aliis dipertere conantur. Vt ergo D. Paulus impro-

bat vetulas, quæ otiosæ, verbosæ & curiosæ discunt circuire domos, 1. Tim. 5. v. 13. ita multo minus hoc vitium Christus in suis legatis ferre vult. Si autem discipuli constantes in vna domo permaneant, cum tanto rectius & clarius ipsorum sanctitas & integritas spectata reddi potest. Vbi enim species tantum est pietatis, ibi per breue tempus quis eam simulare potest, per longum non item. Vera autem pietas elucescit per diutinam conuersationem. In genere autem hoc Christi dictum monet, vt de animi stabilitate iudicium sumamus, ex stabilitate loci. Vir, qui subinde de loco in locum migrat, eo ipso animi sui ægritudinem prodit, quod parum firmi in animo suo habeat, atque sic quasi propriam vmbram fugiat. Talis locum mutat, non animum, quem vbique vagum & instabilem inuenit. Itaque infirmitatem & onus animi deponat, sic tranquillus & quietus esse poterit: Siquidem mutabilitate sua nemini plus quam sibi ipsi nocet, sicuti planta sæpius translata, profundas radices non agit.

Denique ad mores etiam pertinet, quod dicit: *edentes & bibentes quæ apposita fuerint.* Vult eos στέργειν τὰ παρόντα, Hebr. 13. ver. 5. vt boni consulant præsentem fortunam, & contenti sint viuendi ratione, qualis in illa familia ad quam diuerterunt, esse soleat. Est enim intolerabile vitium, si quis peregrinus aliena fruatur liberalitate, & tamen morosior fastidiat aut carpat omnia quæ apponuntur. Cumque verbi ministri continentiæ, temperantiæ & frugalitatis exemplar esse debeant, ab illo vitio alienissimi sint, necesse est. Et caueant illi in tota sua conuersatione, ne sint ex illorum numero, quibus nihil satis est. Arguit enim hoc animos ipsorum insatiabili auaritia occupatos: & vicissim aliorum animos ab ipsis alienat: denique eos suspectos reddit, quasi facillimo momento permoueri possint, vt ob qualemcunque pinguiorē fortunam Ecclesiam fidei suæ commissam deserturi essent. Discant ergo illud Pauli 1. Tim. 6. vers. 6. Est quæstus magnus pietas cum animo sorte sua contento. Quod vero dicit: *edentes & bibentes:* Innuit necessarium victum nequaquam ipsis defuturum, licet sine sacculo & pera ipsos emittat. Se enim filios pacis excitaturum, vt pro prædicatione Euangelij ipsis liberaliter communicet necessaria. Verbū enim Christi, quod discipuli mox in salutatione filiis pacis proposuerūt, eius esse efficaciæ, vt propter Christum illis hi nihil denegare possint. Vt enim verbum Christi effecit Matt. 21. v. 23. vt Domini asinam & pullum sine omni morositate dimitterent, & Luc. 22. v. 11. vt paterfamilias cœnaculum absque omni impedimento cōcederet: sic etiam Christi verbum, *pax huic domui* effecit, vt paterfamilias discipulis eius haud grauatim victum concederent. Etsi Dominus Israelitis gratiam dedit corā Ægyptiis, vt vasa aurea & argentea ipsis commodarent, Exo. 12. v. 36. quomodo non etiam hac gratiam dedisset suis discipulis apud suos hospites, vt eos ad breue tempus alerent? *Dignus est enim operarius mercede sua.* Hoc dictum fundatio sine fundamentum est stipendiorum Ecclesiasticorum. Nam *mercedis* nomine intelliguntur omnia, quæ ad huius vitæ vsum sunt necessaria. Et ex hoc Christi dicto Paulus prolixā illam doctrinam, quam 1. Cor. 9. de ministrorum sustētatione proponit, item sententias illas, Gal. 6. v. 6. 1. Tim. 5 v. 17. desūpsit. Et hanc *mercedem* olim verbi prçcones à suis auditoribus, qui ad illorum sustentationem liberaliter contribuebant, accipiebant. Hodie fere tolerabilior est ratio, quando Ecclesiæ principum & magnatum liberalitate ditatæ, certos reditus habent, ex quibus verbi ministri aluntur. Sed & hic varie peccatur: alij infideliter hęc bona dispensant: alij in prophanos vsus ea rursus conuertunt: alij etiā inuident verbi ministris, quod citra ipsorum dispendium accipiunt ex liberalitate Maiorum. Verum tales sui vlciscentur mores: interim verbi ministri se in fidelitate sua turbari nequaquam permittant.

Potest hoc dictum etiam vlterius extendi: ne nimirum magnates & alij ditiores, qui aliorum opera & ministerio vtuntur, quenquam sua mercede fraudent, Leuit. 19. vers. 13. dicit Deus: non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane. Moses etiam Deuter. 24. ver. 15. & Iacobus c. 5. v. 4. inter clamantia peccata referunt, si merces eorum, qui manuum labore victum quærunt, detineatur. Syracides quoque dicit, c. 34. v. 26. qui fraudem facit mercenario, quasi qui effundit sanguinem: & qui aufert in sudore panem quasi qui cecidit proximum suum: Mal. denique 3. vers. 5. Christus minatur, se ex Ecclesia sua eiicere velle eos, qui calumniantur mercedem mercenarij. Quid ergo mirum, mille infortunia mundum exercere, cum passim audiantur gemitus operariorum & opificum manuariorum, quibus partim merces laborum debita non redditur, partim violenter abripitur, quod duro labore comparescunt? Deus mundo saniorem largiatur mentem.

4. Quartum caput instructionis huius agit de officio apud bonos & fideles auditores præstando, quo ipso status huius legationis indicatur. Duo ipsis demandat. Vnum quod verbis prædicent: alterum, quod facto peragant. 1. Verbis prædicare debent: *appropinquauit regnum Dei.* Iudæi quidem expectabant illud tempus, quo Messias temporaliter regnaturus, & ipsi omnibus suis hostibus dominaturi, sicque omnium regum imperium per vniuersum orbem habituri essent. Sic nimirum intellexerunt regnum Messiæ ipsi discipuli, Luc. 24. ver. 21. & Actor. 1. versic. 6. Dominus autem discipulorum animos à terrenis abstrahere, & ad cœlestia attollere volens, aliud *regnum* non terræ, sed *Dei* seu cœli prædicare iubet. *Instat*, inquit, *regnum Dei*, in quo rex cœlestis, leges cœlestes, ciues cœlestes, opes cœlestes inueniuntur. Volt ergo dicere. Dominium hactenus in orbe mors obtinuit ab Adamo ad mea vsque tempora, in omnes homines, Iudæos pariter & gentiles. Et dominium illud se extendit non ad corpora saltem, sed etiam ad animas, propter peccatum. Prædicate ergo adesse salutiferum illud tempus, quo peccatum expiabitur, iniquitas delebitur, præuaricatio finem accipiet, & adducetur sempiterna iustitia. Daniel 9. versic. 24. Tempus, quo per mortem destruetur is, qui mortis habet imperium, id est, diabolus. Et liberabuntur illi, qui timore mortis per omnem vitam obnoxij sunt seruituti. Hebr. 2. versic. 14. Prædicate autem, & dicite: regnum Dei *appropinquauit ad vos.* Regnum Dei nimis sublime & in cœlis positum est, vt vos non possitis eo adscendere, & inde ad vos deducere. Ergo ipsum venit *ad vos.* Non opus est, vt magno labore aut sumptibus illud acquiratis. Nam venit, non ex operibus iustitiæ, quæ vos faciatis: sed secundum suam misericordiam Deus vos saluos faciet. Tit. 3. v. 5. Agnoscant hinc ergo verbi ministri finem suæ prædicationis: qui hic est, vt *regnum Dei* in hominibus instauretur, peccatum destruatur, & homines se totos Deo per fidei obedientiam consecrent.

2. Alterum, quod facto peragere iubet, hoc est: *sanate ægrotos, qui in ciuitate illa fuerint.* Miracula doctrinæ addit, vt siue præcedant, siue eam sequantur, confirmationi illius seruiant. Miracula autem eiusmodi concedit, non quæ ad curiositatem vel ostentationem sunt composita, sed quæ auditoribus sunt salutaria, & prædicationi respondent. Nam constat morbos vna cum morte ex peccato originem trahere, propter quod interdum etiam Satanas potestatem accipit in homines sæuiendi. Dum ergo discipuli *hi* in nomine Iesu morbos profligant, eo ipso confirmant id quod verbis docuerunt, adesse nimirum salutiferum illud tempus, quo peccatum expiari & diaboli potentia infringi debeat. Hoc notandum propter illos, qui miraculosum vsum non ad Christiagnitionem, sed diuorum cœlitum cultum, vel idolomaniam potius, abutuntur. Interim dū miracula illa desierunt, discant verbi ministri, hoc præcepto infirmorum curam sibi demandatam esse. Huc pertinet doctrina Iacobi c. 5. v. 14. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum. Confirmauit Christus hoc suo exemplo. Marc. 1. v. 30. egressus ex Synagoga, visitauit socrū Petri febricitantem. Ioh. 5. v. 6. cum Hierosolymam ad festum Paschatis ascendisset, visitauit ægrotos ad piscinam Probaticam in Bethesda, vbi & triginta octo annorum infirmitate laborantem sanauit. Vt merito Syracidæ doctrina sit obseruanda c. 7. v. 39. nō te pigeat visitare infirmum: Ex his enim in dilectione firmaberis. Et Christus Matt. 25. v. 36. inter opera misericordię ponit, visitare infirmos. Merito ergo taxandus est peruersus illarum Ecclesiarum mos, quæ verbi ministros ab ægrotorum visitatione liberos relinquunt, nec permittere volunt, vt domi per vsum sacramenti in fide confirmentur. Certe si vnquam per omnem vitam consolatione indiguimus, tum vel maxime illa adhibenda ęst, quando mortis violentia arcem vitæ cor oppugnat. Illa vero ratione qua ægri deseruntur, securitati quidem ministrorum consulitur, præsertim grassante lue aliqua epidemia & pestifera: verum quid Christo olim responsuri sint, mature præmeditari velint, qui dicet: infirmus fui, & me non visitastis. Quicquid enim non fecistis vni ex minimis meis fratribus, mihi non fecistis. Matth. 25. v. 43.

5. Postremum huius instructionis caput docet quid agendum sit cum contumacibus, qui Christi legatos nec admittere nec audire volunt. Hic dicit: 1. *Si vos non receperint egressi in plateas.* Permittit Christus, vt à malorum consortio recedant. Sicuti Moses Israelitis dicit Num. 16. v. 26. Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad illos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Et Esaias capite 52. versic. 11. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius. Angelus etiam Apoc. 18. vers. 4. de spirituali Babylone: Exite de illa populus meus: vt ne participes sitis delictorum eius & de plagis eius non accipiatis. Sic Christus suos abire iubet à consortio illorum, qui eos audire dedignantur. Et hoc facit ad discipulorum consolationem, ne se cogi opinentur, vt sese quibusuis periculis offerant.

rant. In hac tamen discessione prudentia & circumspectione opus est, ne verbi ministri temere & præcipitanter deserant Ecclesias, in quibus adhuc multæ germanæ Christi oues inueniuntur. Sed tantum ab illis discedendum est, quorum deplorata improbitas, contumacia & incredulitas publice est nota. Aut certe ante discessum piis & morigeris sic est prospiciendum, ne illi deserantur. Et *in plateas exire* iubet: vt omnia aperte fiant, nec quicquam dissimulanter agatur. 2. Deinde in plateis iubet *excutere puluerem pedum*. Quo symbolo Iudæi testabantur, istiusmodi homines, in quos puluerem excutiebant, sibi adeo execrabiles esse, vt ne pulueri quidem communicare velint. Sicut cap 72. Harmon. in præcepto nono pluribus exposuimus. Hic quisque ipse secum cogitet, quot ciuitates, quot pagi in Europa inueniantur, qui puluerem contra se excuti mererentur: vtpote, qui non solum non audiunt verbum, sed illud semper irrident & persequuntur. Verum talis improbitas inulta non abibit. Sic enim Dauid 2. Sam. 10. versicul. 7. magna seueritate vindicauit contumeliam, qua Hanon rex Ammon legatos ipsius affecit: quomodo cœlestis noster Dauid non puniret irrisiones suorum nunciorum? Simul tamen hæc *pulueris excussio* nos admonere debet, ne quicquam commune habeamus cum impiis, ita vt nec puluis eorum nobis adhæreat. Sic Abrahamus pater fidelium, Gen. 14. versic. 22. ne minimum quidem donum à rege Sodomorum voluit accipere. Iosua quoque noluit Israelitas ditari ex spoliis Hiericho. Iof. 6. vers. 18. Et cum Saul, contra præceptum Domini multa asseruaret de gregibus & preciosis rebus Amalecitarum, commeruit vt regno priuaretur. 1. Sam. 15. versicul. 9. Sint ergo impiorum κοινωνία omnis, nobis ἀνάθεμα. 3. Repeti debet concio oblatæ gratiæ: *hoc tamen scitote, appropinquasse ad vos regnum Dei.* Vult vt publice protestentur, damnationis eorum causam esse aliam nullam, præterquam propriam malitiam. Regnum enim Dei & vera salus intra ædes ipsorum ipsis oblata est, sed eam noluerunt recipere. Volunt ergo dicere: In die Iudicij hoc vobis ad maiorem damnationem seruiet, quod Euangelium vobis est prædicatum, sed vos illud reiecistis. Nam nos ipsi tum contra vos surgemus, & testes præfractæ huius vestræ contumaciæ erimus. Vident itaque verbi præcones, Euangelium etiam iis prædicandum esse, apud quos nihil proficit. Faciet enim hoc ad tanto maiorem ipsorum damnationem. 4. Ne quis pulueris excussionem, quæ ab hominibus exteris & vagis (vt videbantur) fiebat, ceu rem leuiculam rideret, Christus seriam grauissimæ pœnæ comminationem infert, & dicit; *Sodomis tolerabilius futurum in illo die quam ciuitati illi.* Nā quo maior gratia offertur, tanto maius peccatum committitur, si ea spernatur: tantoque acerbiores pœnas eiusmodi cōtemptores merentur. Sed hæc cap. 73. plenius sunt exposita. Per collationem autem hinc colligere licet, coram Deo grauius aut atrocius peccatum nullum æstimari, quam sit contemptus Euangelij. Cum enim Sodomæorum scelera fuerint omnium maxima, & tamen Christus testetur, illorum iudicium mitius futurum, quam contemptorum verbi: omnino sequitur, hunc contemptum coram Deo esse maximum peccatum. Ratio huius manifesta est & euidens. Vbi enim prædicationi verbi diuini suus conceditur locus, ibi multa adhuc vitia, peccata & scelera impediuntur, aut certe homines ad agendum de iis pœnitentiam permouentur. Vbi autem verbo Dei omne exercitium est interclusum, ibi plenis velis homines ad omnis generis flagitia perpetranda inuehuntur. Vt vere Salomon dixerit: Cum defecerit prophetia, dissipabitur populus. Prou. 28. v. 18.

III. Quia sub finem instructionis Saluator mentionem fecit grauissimæ pœnæ, in quam incurrant ciuitates, quæ nūcios pacis Euangelicæ non suscipiant: eadem occasione sibi in memoriam reuocat contumaciam quorundam ciuitatum Galilææ, quæ complures ipsius conciones audierant, & miracula stupenda viderant, sed nihilo meliores facti fuerant, nec pœnitudine prauæ vitæ suam ad Deum conuersionem testatam fecerant. His, quia iam valedixerat, nec vlterius ipsos præterquam adhuc semel quasi in transcursu inuisurus erat, horrendum *væ* denunciat & nisi adhuc pœnitentiam agant, & præsentis & futuri seculi pœnas indicat. Quia vero hæc Christi querela superius capite LVI. huius Harmoniæ, ex vndecimo cap. Matthæi explicata est, non opus esse arbitror, vt pluribus eadem hic repetantur. Summa hæc est. Præcipua gloria ciuitatum, populorum, Principum est, si Christo & ipsius Ecclesiæ hospicium præbeant, & ipsi quoque eius pars aliqua fiant. Hoc ad tempus fuerunt *Chorazim, Bethsaida*, (quæ quinque Apostolorum, Petri, Andreæ, Philippi. Iohan. 1. vers. 44. Iacobi & Iohannis patria fuisse indicatur) *& Capernaum*, vbi Christus præter illustres conciones quamplurimas, tot virtutes edidit, vt Sympatriotæ ipsius Nazarethani ipsi Luc. 4. v. 23. obiecerint: quanta audiuimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua. Sanauit ibi seruum Centurionis verbo, Matthæi 8. versiculo 13. filium Reguli Iohann. 4. versiculo 51. paralyticum in lecto per tecti tegulas demissum, Matth. 9. versiculo 7. mulierem fluxu mēstruorum totos annos duodecim laborantem, versic. 22. filiam Iairi ex mortuis suscitauit. v. 25 vt iam multa alia miracula taceamus. Hisce concionibus & virtutibus vrbis illius incolæ, *in cælos vsque exaltati sunt*, hoc est regni cœlestis, precio sanguinis filij Dei acquisiti, ciues fieri poterant; adhæc nobilitate & rerum copia inter reliquas Galilææ ciuitates excellebant. Verum quia hanc suam dignitatem non agnouerunt, nec fructus Euangelio dignos attulerunt, *Væ* ipsis nūc Christus denunciat, & *ad infernum vsque demergendos* minatur. Obseruandum autem est, hanc ipsam denunciationem à Christo factam esse, non optando multo minus malum tūc temporis inferendo, sed tantum futura annunciando: idque omnino in hunc finem. 1. Vt talia audientes, vitam in melius cōuerterent. 2. In exemplum nobis & aliis hæc audientibus, ne in consimilem ingratitudinem incidamus. 3. Ex commiseratione, vt sit *væ* dolentis. 4. Vt ostenderet se futura præscire. Nam in deuastatione Iudææ & Hierosolymorum, prima calamitas Galilæam, & in ea has ipsas vrbes pressit. Sicuti Iosephus in lib. 2. bell. Iud. prolixe describit. Nec dubium tunc temporis adhuc quosdam harum prædictionum Christi memores, pœnam Dei agnouisse, & seria pœnitentia ad Christū conuersos, æternam pœnam euitasse, licet temporaliter cum reliquis incredulis Iudæis interierint.

Cæterum, dum Christus Capernaumo tanto maiorem pœnam minatur, quanto maiora dona à Deo acceperat, sed per superbiam & ingratitudinem iis abusa fuerat: eo ipso docet atrocius plectendos, qui maiora beneficia acceperunt, si in ingratitudinis nota fuerint reperti. Si qui ergo cæteros antecellunt ingenio, litteris, scientia, dignitate, diligenter ipsi secum expendant, quantum Deo sint obligati ad seruiendū, terribile Dei iudicium sensuri, si dona sua non bene in Dei gloriam & Ecclesiæ ædificationem locent. Nam, iuxta D. Gregorium, quanto magis dona collata crescunt, tanto magis etiam rationes donorum crescunt. Adhæc, si quis donis illis collatis multum effecerit, si omnium scientiarum penetralia transcenderit, si propterea dignitate, honore, nomine & fama ad sidera vsque euectus fuerit, non animo suo efferatur, nec arroganter de se glorietur: ne si operibus donis nō responderit, aut humilitatis donum in ipso non splenduerit, instar Capernaumi ex amplissima dignitate in maximum opprobrium deiiciatur.

Tandem concludit Christus totum hunc locum generali sententia qua authoritatem ministerij adstruit, illudque aduersus omnem contemptum vindicat. 1. *Qui vos audit me audit.* Quia Christus per suos discipulos & ministros ipse nobiscum loquitur, illique sunt quasi ipsius vicarij, qui eius personam sustinent: ideo etiam tanquam ipse in propria persona adesset, audiri vult. Itaque verbum Dei ob ministerij vilitatem non debet in contemptum trahi. Non debemus ministrum vt nudum hominem aspicere, sed in ipso Christum, qui per eum loquitur, considerare. Cape huius rei exemplum. 1. Sam. 3. versic. 11. ablegat Deus Samuelem iuuenem & ministrum, ad suum herum Heli, cum certis mandatis, quæ minus erant grata & iucunda auditu: & tamen Heli ea humiliter suscipit, atque dicit: Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. Hoc vsque adeo certum esse debet, vt si maxime minister per se sit malus: si tamen verbum Dei pure prædicet, sit audiendus. Accommodant huc aliqui historiam, quæ Heliæ accidit. 1. Reg. 17. vers. 6. Deus tempore famis præcepit coruis, vt pascerent Prophetam. Corui ergo mane & vesperi ei attulerunt panem & carnes: Cur Deus hasce partes non mundioribus auibus demandauit? Mysterium hæc habere videntur. Multoties Deus per homines impios & malos suo populo bonam doctrinam solet proponere, & spiritualem animorum cibum præbere. Tu ergo comede, & accipe quasi è manu Dei, quodcunque ille mittit: sicut Elias faciebat: nec scruteris, an qui ministrat sit coruus vel columba, dummodo doctrinæ cibus sanus sit, & à Deo proueniat. Officium enim sanctum est, & honore dignissimum, etiamsi ministri sint peccatores. 2. Addit è diuerso: *qui vos spernit, me spernit: qui me spernit, spernit eum qui misit me.* Cum Christus testetur, seipsum in suis legatis & præconibus loqui, ipse vero & pater eiusdem sunt essentiæ & maiestatis: omnino persona ministri sperni non potest, quin contemptus redundet in ipsum Deum Patrem. Quia vero Pontificij hoc loco turpiter abutuntur, ad amoliendum contemptum sui Pontificis & ipsius cleri, quos per omnia & in omnibus audiri volunt: Ideo sciendum, hic tantum illos commendari, qui à Christo missi, ipsius verbum pure annunciant. Id si non fiat, Paulus nec se Apostolum, nec angelum è cœlis audien-

dum esse disertè asserit. Gal. 1. vers. 8. Cum ergo Pontifex Romanus cum suis creaturis non euangelizet, sed Euangelium Christi persequatur: interim autem nil nisi humanas traditiones, Conciliorum decreta, & proprij cerebri figmenta crepet: quis nobis vitio vertet, quod istis nugis reiectis, puro puto Euangelio Christi aures præbemus? Prædicent autem ipsi Euangelij doctrinam, & homines omnes ad solum Christum remittant, Dei gratiam & Christi meritum magnifaciant, tum libenter eos audiemus. Neque enim nobis ignota sunt illa Apostolorum dicta. 1. Timoth. 5. versic. 17. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt: maximè qui laborant in verbo & doctrina. Item Hebr. 13. vers. 17. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Demonstrent ergo ipso opere, se vigiles & pastores animarum esse, & omni honore ipsos prosequemur. Dum autem se lupos esse ipso facto commonstrant, ipsorum vlulatum nihili facimus. Oues enim Christi, ipsius vocem audiunt. Alienum autem non audiunt, sed fugiunt ab eo. Iohann. 10. vers. 6.

CAPVT XCVIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM, QVOMODO CHRISTVS HIEROSOLYMAM in festo Scenopegiæ, & in templo docuerit. Iohan. 7. vers. 11.

RATIO ORDINIS.

POstquam Dominus Iesus septuaginta discipulos in confinio Samariæ & Iudææ abs se ablegasset, sicque magna ex parte omni suo comitatu se exonerasset, cum duodecim Apostolis residuum itineris Hierosolymam vsque sic confecit, vt circa medium festiuitatis eo deueneri. Magna prudentia Christus totam hanc profectionem instituit. Noluit statim initio vna cum fratribus ascendere, ne stultæ ipsorum cupiditati, quæ ad captandam vanam gloriam directa erat, assentiri videretur. Noluit item, tanto cum comitatu fratrum, Apostolorum & discipulorum Hierosolymam tendere, ne Iudæos magis irritaret, quasi regnum affectaret. Et quia Hierosolymis sibi insidias strui non ignorabat, noluit iter ingredi, dum adhuc omnes viæ frequenti Iudæorum eodem proficiscentium multitudine repletæ erant, ne aliorum iudicio proderetur. Ne tamen officio suo, quod à Patre ipsi demandatum erat, deesse videretur, fratres ex interuallo subsecutus est, ita vt circa medium festi Hierosolymam veniret. Interim hac ipsa sua mora animos populi expectatione sui magis accendit, vt sic maiore cum fructu suo tempore in publicum prodire posset. Dubium ergo est nullum, festo Scenopegiæ, & iis, quæ in eo peracta sunt, hunc ipsum locum in Harmonia deberi: siquidem nuspiam in Euangelistis quicquam occurrit, quod inserei possit.

CHRISTVS IN SCENOPEGIÆ FEsto docet Hierosolymis in templo Iohann. 7.

11. Οἱ οὖν ἰουδαῖοι ἐζήτουν αὐτὸν ἐν τῇ ἑορτῇ, καὶ ἔλεγον, ποῦ ἐστιν ἐκεῖνος;	11. *Iudæi ergo quærebant eum in festo, & dicebant, vbi est ille?*
12. Καὶ γογγυσμὸς πολὺς περὶ αὐτοῦ ἦν ἐν τοῖς ὄχλοις. οἱ μὲν ἔλεγον, ὅτι ἀγαθός ἐστιν· ἄλλοι δὲ ἔλεγον, οὔ· ἀλλὰ πλανᾷ τὸν ὄχλον.	12. *Et murmur multum erat in turbis de eo. Quidam enim dicebant, Bonus est. Alij autem dicebant, Non, sed seducit turbam.*
13. Οὐδεὶς μὲν τῇ παῤῥησίᾳ ἐλάλει περὶ αὐτοῦ, διὰ τὸν φόβον τῶν ἰουδαίων.	13. *Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.*
14. Ἤδη δὲ τῆς ἑορτῆς μεσούσης, ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερὸν, καὶ ἐδίδασκε.	14. *Cum autem iam dimidium festi peractum esset, ascendit Iesus in templum, ac docebat.*
15. Καὶ ἐθαύμαζον οἱ Ἰουδαῖοι, λέγοντες, πῶς οὗτος γράμματα οἶδε, μὴ μεμαθηκώς;	15. *Et mirabantur Iudæi, dicentes, quomodo hic literas scit, cum non didicerit?*
16. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν, Ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔστιν ἐμὴ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με.	16. *Respondit eis Iesus, & dixit, mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.*
17. Ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν, γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς πότερον ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστιν, ἢ ἐγὼ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ λαλῶ.	17. *Si quis voluerit voluntati eius obtemperare, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.*
18. Ὁ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ λαλῶν, τὴν δόξαν τὴν ἰδίαν ζητεῖ. ὁ δὲ ζητῶν τὴν δόξαν τοῦ πέμψαντος αὐτὸν, οὗτος ἀληθής ἐστι, καὶ ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν.	18. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam eius, qui misit ipsum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.*
19. Οὐ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν νόμον, καὶ οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ποιεῖ τὸν νόμον; τί με ζητεῖτε ἀποκτεῖναι;	19. *Nonne Moses dedit vobis legem, & tamen nemo ex vobis factis præstat legem? quid me quæritis interficere?*
20. Ἀπεκρίθη ὁ ὄχλος, καὶ εἶπε, Δαιμόνιον ἔχεις, τίς σε ζητεῖ ἀποκτεῖναι;	20. *Respondit turba, & dixit, dæmonium habes, quis te quærit interficere?*
21. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Ἓν ἔργον ἐποίησα, καὶ πάντες θαυμάζετε.	21. *Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini.*
22. Διὰ τοῦτο Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὴν περιτομὴν, οὐχ ὅτι ἐκ τοῦ Μωσέως ἐστὶν, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν πατέρων, καὶ ἐν σαββάτῳ περιτέμνετε ἄνθρωπον.	22. *Propterea Moses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Mose sit, sed quia ex patribus, & in Sabbato circumciditis hominem.*

23. Et

23. Εἰ περιτομὴν λαμβάνει ἄνθρωπος ἐν σαββάτῳ, ἵνα μὴ λυθῇ ὁ νόμος Μωσέως, ἐμοὶ χολᾶτε, ὅτι ὅλον ἄνθρωπον ὑγιῆ ἐποίησα ἐν σαββάτῳ.

24. Μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε.

25. Ἔλεγον οὖν τινες ἐκ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν, Οὐχ οὗτός ἐστιν ὃν ζητοῦσιν ἀποκτεῖναι;

26. Καὶ ἴδε παῤῥησίᾳ λαλεῖ, καὶ οὐδὲν αὐτῷ λέγουσι. μήποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ χριστός;

27. Ἀλλὰ τοῦτον οἴδαμεν πόθεν ἐστίν. ὁ δὲ χριστὸς ὅταν ἔρχηται, οὐδεὶς γινώσκει πόθεν ἐστίν.

28. Ἔκραξεν οὖν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ ἱερῷ διδάσκων, καὶ λέγων· κἀμὲ οἴδατε, καὶ οἴδατε πόθεν εἰμί, καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλήλυθα, ἀλλ' ἔστιν ἀληθινὸς ὁ πέμψας με, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε.

29. Ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτόν, ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι, κἀκεῖνός με ἀπέστειλεν.

30. Ἐζήτουν οὖν αὐτὸν πιάσαι, καὶ οὐδεὶς ἐπέβαλεν ἐπ' αὐτὸν τὴν χεῖρα, ὅτι οὔπω ἐληλύθει ἡ ὥρα αὐτοῦ.

31. Πολλοὶ δὲ ἐκ τοῦ ὄχλου ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν, καὶ ἔλεγον, ὅτι ὁ χριστὸς ὅταν ἔλθῃ, μήτι πλείονα σημεῖα ποιήσει, ὧν τούτων ἐποίησεν;

32. Ἤκουσαν οἱ Φαρισαῖοι τοῦ ὄχλου γογγύζοντος περὶ αὐτοῦ ταῦτα, καὶ ἀπέστειλαν οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ ἀρχιερεῖς ὑπηρέτας, ἵνα πιάσωσιν αὐτόν.

33. Εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἔτι μικρὸν χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι, καὶ ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με.

34. Ζητήσετέ με, καὶ οὐχ εὑρήσετε, καὶ ὅπου εἰμὶ ἐγώ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν.

35. Εἶπον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι πρὸς ἑαυτούς, Ποῦ οὗτος μέλλει πορεύεσθαι, ὅτι ἡμεῖς οὐχ εὑρήσομεν αὐτόν; μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι, καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας;

36. Τίς ἐστιν οὗτος ὁ λόγος ὃν εἶπε, ζητήσετέ με, καὶ οὐχ εὑρήσετε· καὶ ὅπου εἰμὶ ἐγώ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν;

23. *Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, vt non soluatur lex Mosis, mihi indignamini, quod totum hominem sanum fecerim in Sabbato?*

24. *Nolite iudicare secundum aspectum, sed iusto iudicio iudicate.*

25. *Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitanis, Nonne hic est, quem quærunt interficere?*

26. *Et vide palam loquitur, & nihil ei dicunt. Num vere cognouerunt principes, hunc esse vere Christum?*

27. *Sed hunc nouimus, vnde sit. Christus cum venerit, nemo scit, vnde sit.*

28. *Clamabat ergo Iesus in templo, docens, ac dicens: Et me nostis, & vnde sim, nostis. Et à meipso non veni, sed est verax, qui misit me, quem vos non nostis.*

29. *Ego vero noui eum, quia ab ipso sum, & ille me misit.*

30. *Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.*

31. *Multi autem è turba crediderunt in eum, & dicebant, Christus cum venerit, num signa plura edet his, quæ hic edidit?*

32. *Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc, & miserunt Pharisæi & principes sacerdotum ministros, vt apprehenderent eum.*

33. *Dixit ergo eis Iesus, adhuc pusillum temporis vobiscum sum, & abeo ad eum, qui me misit.*

34. *Quæritis me, nec inuenietis: Et vbi ego sum, vos non potestis venire.*

35. *Dixerunt ergo Iudæi inter sese, quo hic iturus est, quod nos non inueniemus eum? Num in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?*

36. *Quis est hic sermo, quem dixit, quæretis me, & non inuenietis: Et vbi ego sum, vos non potestis venire?*

Periocha huius historiæ.

QVandoquidem Christus cum cognatis Hierosolymam ad festum Scenopegiæ adscendere recusauit, & illi ipsi non credebant in ipsum, qua de causa etiam Dominus tali sodalitio, quod ipsum Pontificibus prodere poterat, se adiungere noluit: dubium est nullum, ipsos mox Hierosolymis sparsisse, quomodo ipsum hortati fuerint, vt religionis ergo secum eo adscenderet, sed nihil efficere potuisse. Inde *Iudæi*, hoc est, primores Iudæorum (opponuntur enim postea turbis) existimabant, se hac ratione ministerium ipsius suspectum reddere posse turbis, quod hominum conspectum fugeret, quasi causæ suæ non fidens. Mouent igitur & contumeliose spargunt inter turbas hanc quæstionem: *Vbi nunc est ille? ἐκεῖνος ille* dicitur, cuius nomen ex odio & per contemptum exprimere noluerunt. Sicut etiam Matth. 27. versic. 63. dicunt: Recordati sumus, quod ἐκεῖνος ὁ πλάνος impostor *ille* dixit. Sed Deus, qui suis omnia conuertit in bonum, idem etiam hic facit. Nam hac occasione excitata fuerunt studia populi, quibusdam probantibus, aliis improbantibus ipsum. Sed illorum, qui Christo æquiores erant, & partes ipsius defendebant, vix tenues susurri erant, *propter metum Iudæorum*, cum hostes aperte & clara voce contra ipsum clamarent. Quod Iohannes dicit, *γογγυσμὸς πολὺς, multum murmur erat in turbis de illo*: sciendum Hebræos duo habere vocabula, quæ huic Græco respondent: vnum לון, quod est alicui se opponere, obloqui & cum querimonia alicui resistere. Sicut Iudæi διεγόγγυσαν cum murmure se opposuerunt Mosi & Aaroni. Exod. 16. versiculo 2. & 7. & alibi. Alterum est רגן quod significat clam & per susurros aliquid loqui. Sicuti vsurpatur Deuter. 1. vers. 27. & Psalm. 106. vers. 25. Vtrumque ergo hic intelligi potest: & quod aliqui aperte se Christi honori & doctrinæ, de quibus sermo erat, opposuerint, dicentes, *seducit turbam*: & quod alij, qui *bonum* ipsum esse censuerunt, vix leuiter inter se de ipso mussitare ausi fuerint.

Attende hic 1. quæ sit species & forma Ecclesiæ. Omnes Iudæi expetebant & expectabant Messiam. Iam autem per triennium integrum, inde ab initio prædicationis Iohannis Baptistæ audiuerunt adesse Messiam, & appropinquasse regnum cœlorum. Sed quis credidit auditui ipsorum? & cui Domini brachium fuit reuelatum? Ies. 53. vers. 1. Tyrannis sacerdotum & Pontificum aperte se opposuit veritati, & tantopere pressit sua iniquitate multitudinem, vt vix clancularij sermones tuto de Christo fierent. Interim dissensiones fuerunt in turba, & diuersa de Iesu iudicia: aliis Iesum bonum esse affirmantibus, aliis seductorem calumniantibus. Et tamen in hac ipsa confusione aliqua fuere vera Ecclesiæ membra. Non itaque turbemur dissensionibus & concertationibus, quas in veritatis doctrina passim oriri cernimus: & si experiamur alicubi vix tenues susurros de veritate audiri, vbi tamen mendacium & falsa doctrina plenis buccis & sonora voce proferuntur. Hæc eadem fuit ipsius Christi fortuna, dum in his terris agebat: qua nos meliorem non expectemus.

Cæterum hic quærere lubet: cum Iesuitæ semper vrgeant visibilem notam Ecclesiæ, si quis Gentilium tum temporis sese veræ Ecclesiæ adiungere voluisset, quamnam habuisset notam in tanta confusione Iudaicæ Ecclesiæ, cui parti se adiungere debuisset? Hic certe Iesuita, iuxta notas Papisticas, mihi responsurus esset: ad Pontifices, Sacerdotes & Clerum. Hi enim fuerunt columnæ Ecclesiæ: his

gubernatio eiusdem à Deo ipso fuit commissa. Ergo debuisset talis gentilis cum *Iudæis* primoribus à veritate aberrasse, Christum deseruisse, & impietati eorum adhæsisse? Pudeat vel tandem Pontificios suarum notarum, quibus quis in infernum seduci potest. Nos pendemus ex ipsius Dei verbo: vbi illud syncere in Ecclesia sonat (imo si non sonet, sed tantum tenues de eo susurri audiantur) & syncero sacramentorum vsu iuxta Christi institutionem confirmatur, ibi veram Ecclesiam esse certius nouimus, quam si illi nobis Pontificem triplici corona redimitum, cum mille laruatis Episcopis & toto ventricoso clero commonstrent. 2. Obseruemus, vnde hæ dissensiones oriantur. Non aliunde, quam quia ψυχικὸς ἄνθρωπος & naturalis homo nod percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. 1. Corinth. 2. versicul. 14. In eo Iudæi omnes erunt consentientes, quod miseriis oppressi expectabant Messiam liberatorem. Postquam vero is, ex Dei decreto se illis obtulit, plerique eum reiecerunt: hac de causa, quia tam humilem & in speciem abiectum recipere noluerunt. Reliqui tamen; qui φρόνημα carnis captiuabant in obsequium Dei cum non sunt aspernati, sed fide, vtcunque adhuc infirma, susceperunt. Discamus ergo non tantum vindicem salutis nostræ appetere, quod natura omnes faciunt: sed etiam in illo liberatore, quem & qualem Deus offert, acquiescere. Hoc si hodie Pontificij facerent, & salutem merito Christi partam, nobisque per fidem gratuito imputatam gratis animis acceptarent, nec operum suorum iustitiam stabilire niterentur, Roman. 10. versiculo 3. iam inter nos & ipsos sopita esset controuersia omnis. 3. Videmus denique quantum licentia impiorum crescat, quando intelligunt magnates saniori doctrinæ esse iniquiores: Hic plerique omnes in turba de Christo disputant, est impostor, *seducit plebem*; cum tamen nos sciamus Iesu factam esse atrocissimam iniuriam. Vnde vero hæc insimulatio? nisi quia Christus superstitiones Iudæorum & humanas traditiones patrum taxauit, & viam Dei in veritate docuit, sicut ipsi confessi sunt, Matth. 22. versic. 16. Ita nostra ætate tum Lutherus tum omnes synceri verbi diuini præcones, tanquam impostores & seductores traduntur, nulla alia de causa, quam quia (vt nimis vere Erasmus dixit) Lutherus tetigit coronam Papæ & monachorum ventres. Et quod cumprimis dolendum est, sicuti in præsenti loco Christo palam conuitiari licuit, eiusdem vero innocentiam defendere non satis tutum fuit: ita & hodie veritatis ministros maledictis lacessere cuiuis permittitur: at eorundem patrocinium suscipere ignominiosum videtur. Sed patienter cum Christo eandem hanc sortem patiamur. Nam si vna sufferimus, etiam conregnabimus. 2. Tim. 2. vers. 12.

Cæterum quarta die festi, occupationibus ceremoniarum, quæ festi propriæ erant, vt Theophilactus existimat, absolutis, Christus ex improuiso adscendit in templum, ibidemque publice docuit. Verba quidem concionis non describuntur: testatur tamen Iohannes, ita ipsum docuisse, vt mirarentur Iudæi, & dicerent: *Quomodo hic literas scit cum non didicerit?* Sciebant quomodo Iesus fuisset educatus, & quod artem fabrilem cum putatitio patre suo Iosepho tractarit, ad tricesimum vsque annum: vnde & faber à sympatriotis dictus est. Marc. 6. vers. 3. Vulgus quoque post reditum ex Babylone, prout colligere licet ex Nehem. 13. vers. 24. non nouerat loqui Iudaice, sed loquebatur vel Azotice vel Syriace, vel Græce, ob commixtionem cum gentibus. Quia vero illi, qui Scripturas explicaturi, Hebrææ linguæ notitiam habere cogebantur: Ideo post reditum ex captiuitate Scholæ sunt institutæ, in quibus τὰ γράμματα *literas* tractarunt: sicuti Daniel cum sociis, Dan. 1. vers. 4. in schola Babylonica literas & linguam Chaldæorum addidicit. Quemadmodum ergo olim ▭ ספרים γραμματεῖς pro eruditis & literatis sunt habiti: ita postea ▭ ספרים *literas* pro studiis cœperunt vsurpare. Prout accipitur. Actor. 26. v. 24. τὰ πολλὰ γράμματα multæ literæ te ad insaniam conuertunt. Et 2. Tim. 3. v. 15. à puero τὰ ἱερὰ γράμματα sacras literas didicisti. Quia vero hoc Iesum à puero non fecisse Iudæi nouerant, inde hæc quæstio oritur, *quomodo hic literas nouit?* Quæ ipsa tamen quæstio, quia non omnes similiter erga Iesum fuerunt affecti, diuersimode accipi potest. Illi enim qui minus mali erant, mirabantur: quod cum literas non didicisset, tam erudite tamen doceret, Scripturam citaret, eiusque veram intelligentiam dextre proponeret. Iudæi vero, hoc est, Scribæ & Pharisæi, cum ex hoc ipso, quod sine magistro literas didicisset, diuinam eius scientiam & authoritatem colligere debuissent, pro sua inuidia hoc in calumniam trahunt, & dicunt: quid potest ille præclari vel boni dicere, qui literas non didicit? Ergo ex Magia ista profert, & doctrina ipsius est dæmoniaca. Inde vero Iesus occasionem sumpsit disserendi de sua doctrina, persona & ministerio, vt audiemus.

Quod Dominus Iesus, quamprimum Hierosolymam venit, statim ad templum diuertit, ibique *docet*, eo ipso suis successoribus & ministris exemplum præbet, tum quod nusquam frequentius aut libentius, quam in templis versari debeant, tum quodnam præcipuum eorum exercitium in iisdem esse debeat. Nimirum, vt studeant *docere* populum. Dum enim alij vacabant ceremoniis & sacrificiis, interim *Christus docebat populum.* Non quod ceremoniæ in templis prorsus sint negligendæ, præsertim quæ faciunt ad honorem Dei, & ad excitandam animorum deuotionem: quales sunt decantatio hymnorum, recitatio precum, lectio certarum sectionum ex sacris Bibliis, & imprimis sacramentorum syncera tractatio. Sed quod doctrina verbi faciem reliquis omnibus præferre debeat. In Psalm. 93. versic. vltim. dicit Dauid: Sanctitudo decus est domus tuæ, Domine, in longitudine dierum. Vnde autem illa sanctitas? nisi ex auditu verbi Dei, vt post conceptam fidem omnes obedientiæ studeant. Vnde Christus precatur: Sanctifica eos Pater, in veritate: sermo tuus veritas est. Iohan. 17. versiculo 17. Deinde in Iudæis videmus, quomodo inuidiæ vitium hominum oculos excæcet, vt laudanda non tantum non laudent: sed insuper per calumniam ceu diabolica carpant & reiiciant. *Mirabantur Iudæi*, quod Christus doceret, *qui literas non didicisset.* Hoc ipsum causam præbere debuisset, vt diuinam virtutem in ipso agnoscerent, aut saltem serio & maiori cum diligentia inquirerent, vnde hoc proueniret. Sed ipsi *inuidiæ vitio* laborantes, à malo dæmone hoc profectum iudicant. Omnes igitur hoc vitium, ceu animi tineam & cogitationum tabem fugiant. Est enim fœcunda pernicies, radix omnium malorum, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum: vt eleganter Cyprianus in Serm. de inuidia scripsit.

Nunc Christi responsionem etiam audiamus. Annotauit autem Iohannes saltem capita disputationis Christi cum Iudæis. Ita vt non conscripserit continuam eius orationem, seu integram concionem: sed tantum præcipua membra doctrinæ, quæ vsque ad vltimum festi diem tractauit, contraxerit. Illorum sunt quinque: quæ ordine considerabimus. I. Primo reddit Iesus rationē, quare noluerit in Scribarum scholis institui, educari & literas discere: nimirum propterea, vt quando sine literis excellentissimus Doctor prodiret, illud ipsum testimonium esset, doctrinam suam non in terra ab hominibus excogitatam, sed è cœlo ex sinu patris allatam esse. Ideo quasi per concessionem ipsis respondet: *Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me.* Hoc non ita exponendum est, sicuti quidam faciunt, quasi humana natura aliud doceret, quam diuina, ex quo dissidium naturarum sequeretur. Sed intelligendum est de officio legationis, quo fungebatur: quod ea, quæ in legatione iniuncta essent, doceret. Vult ergo dicere: Vos me nudum & contemptibilem hominem, imo seductorem esse arbitramini, & cum admiratione me docentem auditis, inter vos disputantes, vnde prouenerat, quod tanta docendi facultate sim præditus. Sed si vobis ipsis in memoriam reuocaretis, quid olim Deus de magno Propheta Messia in mundum mittendo Deut. 18. v. 18. per Mosen dixisset: Ego ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad vos omnia quæ præcepero illi: tum facile colligere possetis, vnde mihi facultas docendi data sit, & quis Ego sim: nimirum legatus Dei ad vos & vniuersum genus humanū, vt vos erudiam dè ipsius voluntate, & vera via ad salutē. Et quia sic apposite ad clancularios ipsorum sermones, quos tacito murmure inter se mussitabant, respondebat, vel ex illo vnico intelligere poterant, Dominum etiam arcanorum conscium, ac proinde aliquid homine maius esse. Hoc est primum membrum doctrinæ huius festi.

Ex quo nos illud 1. discamus, qui factum sit, quod Christus ad munus Apostolicum idiotas & piscatores, omnium litterarum & disciplinarum ignaros, vocarit & promouerit: cum ex filiis Sacerdotum, qui in scholis Scribarum instituti fuerant, eligere potuisset. Imo non semel, sed aliquoties (vt etiam Matth. 8. versic. 19.) Scribæ sese obtulerunt, sed ipse eos reiecit. Nimirum hoc fecit eo fine, vt sic reipsa doceret negotium Euangelij non esse humanum, sed diuinum. Solus enim Deus derepente talem sacræ Scripturæ cognitionem hominibus infundere potest, qualem Apostoli habuerunt. Vnde etiam Synedrium Hierosolymitanum Act. 4. vers. 13. audit, videt & miratur παρρησίαν Petri & Iohannis, quod, cum illiterati & idiotæ essent, tanta tamen dexteritate Scripturas tractarent, vt ipse eis minime resistere possent. Eodem argumento iam olim vsus fuerat Propheta Amos, aduersus Amasiam sacerdotem idololatram, qui eum ex territorio Israelis abire

abire inferat, cum ei respondgret: Ego non solum Propheta, nec filius Prophetæ, sed armentarius & vellicans sycomoros. Dominus autem tulit me, cum sequerer gregem, & dixit: vade propheta ad populum meum Israel. Amos 7. ver. decimoquarto. Hodie tamen, postquam miraculosa illa χαρίσματα & dona Spiritus sancti desierunt, alia est ratio. Non est verbi ministerium sartoribus, sutoribus & consimilis farinæ idiotis commendandum. Hi enim non sint potentes, vt vel in doctrina sana adhortetur, vel contradicentes arguant, Tit. 1. versicul. 9. Sed, quantum fieri potest, eligendi sunt tales, qui ab infantia sacras literas didicerunt, 2. Tim. 3. vers. 15. vt possint sermonem veritatis ὀρθοτομοῦντα, & depositum sanę doctrinæ custodire, quod idiotæ difficulter sunt facturi. 2. Ex hoc membro etiam illud discamus, in Ecclesia Dei nullam doctrinam sonare debere, præter eam, de qua certo pronunciare & confirmare possimus, eam cœlestris Patris doctrinam esse. Cum enim Ecclesia sit Dei domus, æquum est vt in ea nullius prę terquam ipsius Patrisfamilias vox audiatur. Si quis autem porro quærat, quænam sit illa cœlestis doctrina? Ei respondemus: Illam, quæ Scripturæ est consona, in libris Veteris & Noui Testamenti continetur, atque est analoga fidei. Hæc enim habet testimonium, quod sit θεόπνευστος, à Deo inspirata. 2. Tim. 3. v. 16. Hanc publice in Ecclesia sonare, hanc priuatim scrutari decet. Hominum autem traditionibus se frustra coli. Christus Matt. 15. v. 9. ex Iesaia docet. Ideo Petrus grauiter monet 1. Epist. c. 4. ver. 11. Si quis loquitur, loquatur eloquia Dei. Et Act. 17 ver. 11. Berrhoenses hoc nomine commendantur, quod quotidie domi in scripturis scrutati sint, vtrum ea quæ ex Paulo & Sila publice audiebant, quoque ita se haberent. Si vero in Ecclesia hæc sua doctrina, quæ Dei Patris in Scriptura est, valere & vigere debet: vnde ergo merita Sanctorum? vnde meritum congrui & condigni? vnde purgatorius ignis? vnde indulgentiæ papales? vnde flagellationes corporum? vnde sexcenta alia, quæ in Pontificia Ecclesia videntur & audiuntur? de quibus in ęternū nunquam dicere possunt, esse eam doctrinam cœlestis Patris. 3. Denique præbet Christus hic etiam exemplum omnibus verbi ministris, mansuetudinis & modestiæ. Mansuetudinis in eo, quod diram illam suspicionem, qua insimulabantur, quasi facultatem docendi à diabolo didicisset, eo quod in iuuentute literarum studiis non fuisset institutus, adeo leniter remouet. Remouet tamen. Ita patienter non feramus, debita tamen grauitate simul refutemus calumniam illam, quam Iesuitæ plenis buccis in Ecclesiam Christi euomunt, quasi Lutherus Satanam Magistrum habuerit, à quo doctrinam Euangelicam sit edoctus. Si patremfamilias Beelzebub vocarunt: quanto magis domesticos eius? Matth. 10. v. 25. Modestiæ, quod cum vere affirmare potuisset, illam doctrinā non minus esse suā, quam patris, eo quod Pater & ipse vnum sint, Iohann. 10. versic. 30. tamen propter assumptam humanitatem, & officium Redemtionis se humiliat, omnemque illam laudem vel gloriam soli Patri adscribit. Hoc imitentur omnes pręstantioribus donis à Deo instructi, vt non sibi, sed Deo omnem gloriam tribuant, & cum Paulo dicant: Gratia Dei sum quicquid sum, & gratia eius in me non fuit vacua. 1. Cor. 15. v. 10.

II. Secundum membrum doctrinæ Christi in festo Tabernaculorum hoc fuit: quod docuit, nemini sine exceptione credendum, sed vniuscuiusque, ac proinde etiam suam doctrinam examinandam esse, vt constet, an sit ex Deo, an vero quis ex semetipso loquatur. Et tria ponit κριτήρια in hac inquisitione. Sed audiamus verba Christi. *Si quis voluerit voluntati eius*, qui misit me, *obtemperare, cognoscet de doctrina, vtrum ex ex Deo sit, an ego à meipso loquar.* His verbis Christus nequaquā adstruit liberi nostri arbitrij vires, quasi in cuiusque propria naturali voluntate consistat; vt intelligat, vtrum doctrina Christi sit ex Deo, an ab hominibus. Sicuti Pontificij Doctores hæc verba eo modo accipiunt. Sed tantum hoc vult dicere. Si quis serium habeat propositum, quod velit tantum Dei voluntati obsequi, nec sit addictus affectibus gratię vel odij, quo Iudęi tum aduersus Christum, occupati erant: sed habeat hoc studium, quod velit suum intellectum & voluntatē Deo in obsequium addicere. Qui denique in timore Dei, tali proposito veritatis doctrinam inquirat, vt quam Dei voluntatem esse agnouerit, eam amplecti & sequi sit paratus: illi non defuturum Spiritum sanctum, sed per suam gratiam in veritatis viam eum deducturum. Tale autem propositum non habet animalis homo, ex liberi sui arbitrij viribus: verum necesse est, vt iam à Spiritu sancto regeneratus. Sicuti in illo ipso cœtu etiam nonnulli erant, & licet languide, suo tamen modo pro mensura fidei concessa in Christum credebant. De his vsurpare possumus, illud Pauli: Spiritualis homo diiudicat omnia. 1. Cor. 2. v. 15. dum interim animalis homo nihil percipit eorum, quæ sunt Spiritus Dei.

Porro κριτήρια quę Iesus ponit, iuxta quę Doctor quispiam vna cum sua doctrina examinari & diiudicari potest, sunt hęc tria. 1. Vt sit *missus à Deo*, hoc est, legitimam habeat vocationem. Qui enim sponte sua currunt, non missi. Ier. 23. versic. 21. vt faciunt phanatici, illi non sunt audiendi. Ierem. 27. versic. 16. Est autem vocatio duplex. Alij enim non ab hominibus neque per homines, sed immediate ab ipso Deo, & per ipsum Deum vocantur & mittuntur ad ministerium. Sicuti hoc modo Deus olim, nullo intercedente humano medio vocauit Patriarchas, Prophetas & Apostolos. Et qui hoc modo vocant, habent testimonium miraculorum, ceu literas credentiæ. Sic Moses Exod. 4. ver. 30. vocationem suam coram Israelitis miraculis & signis comprobauit. Et Christus Matth. 10. versicul. 1. Apostolis dedit potestatem immundorum spirituum, vt eos eiicerent, & vt omnem languorem curarent. Paulus denique 2. Cor. 12. v. 12. testimonia Apostolatus sui ponit signa, prodigia, virtutes. Quapropter phanaticis, qui occurrunt, & iactant Deum sibi apparuisse, Dominum sibi locutum esse, Patrem hæc vel illa mandasse, à spiritu se excitatos esse, non statim credendum est. Monstrent prius literas Credentiæ, & testimonia suæ missionis. Hodie enim immediata illa vocatio desiit: & Deus alia ratione per Ecclesiam, legitimo tamen modo, personas certas vocat & constituit ad ministeria Ecclesiastica. Timotheus certe Ephesinæ Ecclesiæ Episcopus, non immediate à Deo, sed per Paulum vocatus est ad presbyterium. 1. Tim. 4. v. 14. Idem habuit potestatem alios constituendi presbyteros. 1. Tim. 3. v. 1. Sicuti etiam Tito in mandatis dedit, Tit. 1. v. 5. vt in insula Creta oppidatim constitueret ministros: adhæc formam præscripsit, quomodo talis vocatio ordine, rite & legitime fieri debeat. Illi autem, qui hoc mundo mediate, sed legitime tamen vocantur, etiam à Deo mittitur. Sicuti Act. 20. v. 28. de ministris Ecclesiæ Ephesinæ dicitur: quod Spiritus sanctus eos posuerit Episcopos. Et Paulus 2. Cor. 5. ver. 18. non minus de Timotheo quam de se scribit: Deus dedit ministerium reconciliationis & posuit verbum reconciliationis in nobis. Nomine igitur Christi legatione fungimur, Deo exhortante per nos. Hæc est prima nota veri Doctoris, vt certa & legitima vocatione sit instructus. Per tales enim Deus vult esse efficax, vt, si non negligant gratiam Dei, quæ data est cum impositione manuum ministerij, sed attendant doctrinæ, & seipsos saluos faciant, & eos qui ipsos audiunt. 1. Tim. 4. vers. vlt.

Alterum κριτήριον est, *vt non loquantur à semetipsis*, sed afferant doctrinam à Deo acceptam & commissam. Hinc Deus Iesaiæ dixit, cap. 51. vers. 16. Posui verba mea in ore tuo. Idem Ieremiæ dictum est. cap. 1. v. 9. Et Ezechieli cap. 3. v. 17. Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Vnde etiam vsitata illa phrasis apud Prophetas prouenit: Os Domini locutum est. Item & dixit Dominus. Hinc illi, qui immediate vocantur, habent testimonium Spiritus, quod in doctrina non errent: quia eam hauserunt ex ore Domini. Reliqui vero ministri, qui mediate vocati sunt, doctrinam ab illis accipere debent: & quatenus doctrinam suam ex fontibus Israelis hauriunt, eamque Propheticorum & Apostolicorum scriptorum testimoniis probare possunt, eatenus *non ex seipsis loquuntur*, sed loquuntur ὡς λόγια θεοῦ, tanquam eloquia Dei. 1. Pet. 4. versi. 11. Si quid vero proponant extra vel contra scripturam, illud non audiendum vel suscipiendum, quia destituitur vero κριτηρίῳ, quod doctrina veritatis habere debebat. Nam & ipsa missio seu legatio, cuius munere funguntur, istud postulat. Boni & fidi legati est, bona fide proponere id, quod à principe suo in mandatis accipit: nihil de suo affingere, nec quicquam omittere, ne se fines mandati excessisse argui possit. Sic boni & fidi ministri est, Dei verbum pure & fideliter proponere, nihil in cuiusquam gratiam dissimulare, nihil in cuiusquam odium liberalius proloqui. Et hoc adeo stricte obseruandum est, vt Paulus & sibiipsi & angelo è cœlis anathema dicat, si aliud Euangelium prædicet, quam ipse proposuerit. Gal. 1. ver. 8.

3. Tertium κριτήριον est, Doctrina, quæ *Dei gloriam* illustrat, est diuina: & illius doctor *est verax*, quia loquitur quæ Dei sunt, vt mentiri nequit, *& iniustitia non est in illo*, quoniam alienum honorem non vsurpat, nec gloriam, quæ Deo debetur, sibi arrogat. Qui vero *propriam gloriam quærit*, aut cuius doctrina hominum ambitioni & libidini seruit, illius doctrina ad Deum authorem referri non potest. Quemadmodum enim perfidus legatus est, qui principis sui nomine ad res suas priuatas conficiendas abutitur: sic in Ecclesia Dei perfidi seductores sunt, qui sub prætextu diuini nominis priuatum suū commodum & gloriam quærunt.

His vero tribus κριτηρίοις & notis Seruator non tantum veritatem & diuinitatem suæ doctrinæ asserere: sed simul etiam Pharisæorum atque Scribarum, adeoque *Iudæorum* doctrinam falsitatis redarguere voluit. Ipsi enim 1. *non à Deo*

missi erant: siquidem Pharisæorum ordo ab hominibus introductus est. Et licet sacerdotes de ordinaria successione gloriarentur: non tamen quæstio erat de successione loci vel familiæ, sed de successione doctrinæ & cultus diuini: vtrum Leuitæ, sicut ipsis iniunctum erat, vt essent inspectores doctrinæ, custodierint eloquiū Dei, & pactum eius seruauerint. Deut. 33. versicul. 9. 2. Pleraque *loquebantur à semetipsis*, docentes doctrinas & mandata hominum Matth. 15. ver. 9. 3. Denique per suam doctrinam non Dei, sed *suam* apud homines *quærebant gloriam*. Sic ergo calumniam à Iudæis contra se prolatam, in eosdem retorquet, sed tacite & cum modestia nec seipsum laudans, nec illos aperte insectans, sed in tertia persona loquens.

Ex hoc autem secundo membro concionis Christi hæ potissimum doctrinæ sunt notandæ. 1. Nullius Ecclesiastici Doctoris authoritatem apud nos tantum esse debere, quin in eius doctrinam inquiramus, eamque examinemus, an ex Deo sit, an minus. Hinc Christus vult, vt oues inter pastoris & alieni vocem discernant: illum sequantur, hunc fugiant. Iohann. 10. versicul. 5. Et Matth. 7. versicul. 15. vult in nobis caueamus à falsis prophetis, qui in vestimentis ouium veniunt. Quomodo autem cauebimus, nisi doctrinam examinemus, & de ea iudicemus? Ideo etiam Iohannes monet, 1. Ioh. 4. versic. 1. ne cuiuis spiritui facile credamus: sed vt spiritus, an ex Deo sint, probemus. Hoc notandum aduersus illorum tyrannidem, qui contra Apostoli præceptum, 2. Cor. 1. ver. vlt. fidei nostræ dominari, & noua dogmata nobis obtrudere conantur, quæ citra omne diligentius examen recipere cogamur. Hoc Apostoli Christi nunquam postularunt, & id hominibus ignotæ fidei concederemus? Paulus 1. Corinth. 10. 15. scribit: Vt prudentibus loquor: vos ipsi iudicate quod dico. Si hoc tantus Apostolus fecit, alios non pudeat ipsius exemplum imitari: Et hic expendat pium cor, quam intolerabilis & plane diabolicus sit fastus Pontificis Romani, qui vult omnes iudicare solus, & ipse iudicari à nemine. Ipse Dei filius hoc loco non tantum liberum facit omnibus, vt in suam doctrinam inquirant, sed etiam hortatur, vt diligenter istud faciant: & putidum istud OS PORCI in Ecclesia Christi grunnire audet, si innumerabiles animas cateruatim secum in gehennam abducat, neminem tamen hominum præsumere debere, vt dicat, Domine Papa quid facis? dist. 40. cap. 51. Papa.

2. Deinde monet hic locus, quo animo quisque conciones sacras adire, & in iis verbum Dei audire debeat. Nimirum eo, vt sibi toto animo proponat, quod *velit obtemperare voluntati eius*, qui secum in verbo loquitur. Apud tales Spiritus sanctus non est ociosus: sed sicut Lydiæ purpurariæ olim aperuit cor, vt intenderet his quæ dicebantur à Paulo, & fidelis fieret cum tota sua domo: Act. 16. vers. 14. sic etiamnum hodie operatur fidem per auditum verbi Christi. Rom. 10. versi. 17. Et tales credunt, quia sunt τεταγμένοι ordinati ad vitam æternam. Act. 13. vers. 48. hoc est, τάξιν illam & ordinem seruant, quem Deus in verbo præscripsit: vt scilicet verbum audiant, ei credant, voluntatem Dei faciant, & huic fidei constanter inhærentes tandem salui fiant. Qui vero isto fine conciones sacras adeunt, vt tantum criticos agant, & censores sint aliorum sermonum, ac si quid audiant, quod ipsorum palato non sapit, mox illud suggillent, aut verbi ministrum, qui ipsorum vitia attigisse & taxasse videtur, in ius trahant: illi ad examen doctrinæ non sunt idonei, illi quoque obicem ponunt Spiritui sancto, vt non possit quicquam in ipsis fructuose operari ad illorum salutem. Vnde etiam plerunque posteriora eiusmodi hominis fiunt deteriora primis. Et quod multi in clara luce Euangelij cæcutiunt, illud inde fit, quod non parati sunt facere Dei voluntatem, sed volunt tueri id, quod ipsi præsumpserunt.

3. Denique discant singuli examen illorum trium κριτηρίων vel notarum doctrinæ accommodare ad articulos in Ecclesia controuersos. Verbi gratia. Lis nobis est cum Iesuitis super Pontifice Romano, eius clero & doctrina, quam in Ecclesia disseminarunt. His si nos fidem habere velint, probent 1. Pontificem *à Deo missum, esse* Vicarium Christi: cum Christus passim Iohan. 14. ver. 26. & 16. vers. 13. & alibi de paracleto, spiritu sancto, non autem de Pontifice, tanquam Vicario suo, loquatur. Ex Scripturis commonstrent, Deo iam probari illum Primatum, quem Pontifex affectat: cum Christus eum toties in Euangelio reiecerit, & in Apostolis reprehenderit. Euincant Christum in N. T. nouum ordinem sacrificulorum qui pro peccatis viuorum & mortuorum sacrificia Deo offerant, instituisse: cum Christus nuspiam suos Apostolos sacrificos, sed suo testes esse voluerit vsque ad vltimum terræ. Itaque Pontifex cum suis sacerdotibus *non à Deo missus*, sed à Diabolo, ceu filius perditionis Ecclesiæ obtrusus est. 2. Thessal. 2. v. 3. Nam successio illa Apostolica, de qua tantopere gloriatur, tantundem ipsum releuat, quantum Iudæorum sacerdotes successio Aaronica. Quia non cathedra, sed doctrina facit successorē. Quis vero misit Lollardos? quis Beguttas? Quis Loiolitas? Quis Capucinos? Quis tot Monachorum & Monialium examina? Diabolus exonerans nigram suam Cappam, hæc monstra nobis prosemninauit. 2. Deinde, si doctrinam ipsorum & ceremonias examinemus, pleraque extra scripturam, *ex semetipsis* locuti sunt. Ex quo enim scripto Dei verbo, siue Prophetarum, siue Apostolorum, volunt probare suas indulgentias papales, inuocationem sanctorum, ordines monasticos, fictitias reliquias sanctorum, purgatorium ignem, *vigilias*, sacra pro defunctis, processiones & peregrinationes, satisfactiones, fraternitates, & sexcenta consimilia *alia*, de quibus omnibus in sacra scriptura ne Iota quidem extat? 3. Addatur denique an doctrina illa faciat *ad gloriam Dei*, an vero ad augendum quæstum & splendorem Pontificum. Certe, qui in inuocatione homines ad diuos mortuos remittunt, & non ad Deum: qui iustificationem coram Deo in propriis operibus quærunt, & non in solo merito Christi: qui ad salutem admitti cupiunt, non ex gratia Dei, sed vel ob merita sanctorum, vel per proprias satisfactiones: illos Dei gloriam illustrare, nemo sanus vnquam dixerit.

Lis item nobis est cum Caluinianis, tum in re sacramentaria, tum quoad alios articulos. Hic nobis dicant 1. à quo *missus fuerit* ille Spiritus, qui in somniis Cinglio adstitit, & de quo ipsemet dubitauit, ater an albus fuerit, ipsique suggessit, vt voculam EST interpretaretur pro significat? 2. Monstrent nobis, quomodo vndecim illæ diuersæ explicationes verborum Cœnæ, quæ à diuersis autoribus, Cinglio, Carolostadio, Oecolampadio, Caluino, Beza & aliis proferuntur, conueniant verbis Christi, & quod authores ipsi non *ex semetipsis locuti* sint. 3. Doceant denique nos, quomodo faciat ad *Dei gloriam*, si vnus ipsorum doceat, Deo cum omni sua omnipotentia impossibile esse, vt vnum corpus vno eodemque tempore in pluribus locis sistat: alter, Deum maiorem partem hominem ad interitum & æternam damnationē creasse & prædestinasse: tertius, Christum pro maiori parte hominum nunquam mortuum esse, nec pro ipsorum peccatis satisfecisse: quartus, oportere Christum cœlo capi, nec militanti suæ Ecclesiæ in terris eum adesse, nisi tantum secundum *diuinitatē*: quintus, Spiritum sanctum offerre quidem *in verbo* salutem omnibus, iuxta voluntatem *signi*, sed iuxta voluntatem beneplaciti, non velle omnes eius participes fieri, sed tantum illos, qui arcano Dei decreto, ad salutem sint electi. Talia & huiusmodi quamplurima plenis buccis euomunt Caluiniani, qui soli pro Orthodoxis haberi volunt: & tamen fraternitatem se nobiscum colere velle simulant.

Si quis porrò vrgeat, quomodo nos Lutherani (vt nos vocant) κριτήρια illa in nostris Ecclesiis commonstrare possimus, ei respondemus. 1. Lutherum suam missionem & vocationem non vendicasse pro immediata, sed mediate à Deo factam professum esse: & quidem per ipsos Pontificios Doctores, qui in promotione doctorali ipsi iniunxerunt, adeoq; mediante iuramento imposuerunt, vt doceret Euangelium Iesu Christi. Itaque ab illis ipsis ad sustinendam *hanc* prouinciam, & ad purgandum ouile Christi ab Indulgentiis pōtificiis, missus & vocatus est Hodie quoq; nulli in nostris Ecclesiis publice & ordinarie docendi, & sacramenta administrandi potestas conceditur, nisi vocationis, missionis, ordinationis & confirmationis legitimæ testimonium ab Ecclesia communicatum præmonstrare possit. 2. *Ex semetipso* Lutherus nihil credendum proposuit: sed verbum Dei scriptum & Euangelium ab Apostolis prædicatum vrsit, humanas autem traditiones, ceu Diaboli virus, ex Ecclesia eliminandas esse contendit. Nosque adhuc hodie protestamur, nihil in Ecclesia Christi, etiam à quocunque doctore prolatum, fidē inuenire debere, quod vel latum vnguem à scripto Dei verbo recedat. 3. Lutheri denique finis, vt & scripta & acta eius euincunt, hic vnicus fuit, vt *gloria Dei* illustraretur: meritum Christi Seruatoris magni fieret: & spiritus sancti gratia, gratis omnibus oblata, grata etiam exciperetur. Non quæsiuit suum nomen, vel suum commodum vllo modo: sed optauit martyrio affici propter nomen Iesu. Eadem mens & idem animus adhuc hodie est omnibus syncetis verbi ministris. Hæc omnia late diduci possent: sed paucis summam rei monstrasse sufficiat.

III. Porro factum suum Dominus Iesus, quod Iohan. 5. versic. 8. paralyticum Hierosolymis in die Sabbati, durante festo Paschatis, ad piscinam probaticam sanasset, & grabbatum gestare iussisset, ita defendit: vt simul ostendat, quare præter legem opus sit doctrina & promissione Euangelij: quia scilicet *nemo* ex Iudæis *seruat legem*. Docet quoque circumcisione, *qua ex patribus est*, & sæpe incidebat in Sabbatū, ostensum esse, legem operum cedere iustitiæ fidei, & per hanc illā impleri.

npleri. Videamus etiam huius membri verba, quæ hac summa obseruata, iam planiora erunt. 1. Dicit: *Nonne Moses dit vobis legem, & nemo ex vobis factis præstat legem?* Quasi per concessionem loquitur, dicens: Vos gloriamini de eo, quod Moses *vobis* dederit legem. Hoc ego totum vobis concedo, & ldo: quod reuera magna hæc sit gloria & prærogatiua ve:i. Nam vbi est alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, staque iudicia, & vniuersam legem, qualis proposita fuit paibus vestris? Deut. 4. versi. 8. Hęc fuit ipsorum sapientia, & intellectus coram populis, vt illi audientes præcepta legis, dixent: En populus sapiens, & intelligens, gens magna. versic. 6. eus enim Iacob annunciabit verbum suum: iustitias & iucia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua on manifestauit eis Psalm. 147. versi. 19. In hac autem lege eus *vobis* simul proposuit vitam & mortem, benedictionem maledictionem Deut. 30. versicu. 19. Vitam, si voci Dei obmperetis, illi ex toto corde adhæreatis, & iudicia sua custoatis. Hæc enim homo faciens viuet in eis. Leuit. 18. versic. 5. ortem, si legis datæ transgressores deprehendamini. Nam aledictus omnis, qui non permanet in sermonibus legis, ec eos opere complet, & dicet omnis populus, Amen, Deut. 7. versi. vlt. Atque *nemo ex vobis legem seruat.* Hanc minorem Christus prolixe comprobare potuisset: maxime si ipsorum eligionem, vitam & mores, iuxta primam & secundam tabuim legis Mosaicæ, & iuxta verum sensum legis, quem ipse latth. 5. tradiderat, examinasset. Sed in præsentia contentus it vnicum exemplum ab attentatis aduersus suam persoam adducere, eoque ipsos transgressionis legis conuinere. Hic enim Hebræorum mos est, vt hactenus aliquoties dimus, quod ex vna specie totum genus colligant. Et potisimum in lege Dei illud Iacobi cap. 2. versic. 10. locum habet: Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno: le factum est omnium reus. Exemplum autem illud hoc t: *quid me*, hominem innocentem, *quæritis interficere?* Prætetis quidem zelum legis, quod ob violationem Sabbati ild facere velitis. Sed ego me Sabbatum violasse pernego, ludque reipsa commonstrabo. Vos autem in maioribus lem non curatis. Itaque quod prætenditis est integumenm malitiæ, non zelus legis. Sed simul etiam (vt dixi) hoc icendo ostendit, quare opus sit doctrina & promissione Engelij præter legem: quia nimirum nemo impleat legem. rgo nemo etiam per illam viuet. Vos contenditis me non e missum à Deo, quia legem Sabbati violem. Ego vero vos confirmo: me propterea missum à Patre, quia vos totam gem prophanatis, vt illam Ego mea obedientia complem, sicque vobis gratuitam iustitiam per fidem applicandam npetrem.

Antequam autem Iesus sermonem suum pertexat, turba onsiliorum pontificiorum ignara, putat Iesum istud fingere, uod ipsum interficere velint, ac proinde dicit: *dæmonium has: quis te quærit interficere?* Magnum hoc est & audax conuium, quo grauissime in ipsum Dei filium peccant. Sed quis ubitabit, Pharisæos turbis mixtos auscultasse, & audientes Iem palam & aperte traducere id, quod ipsi cum sacerdotius & primoribus populi clam in suis conuenticulis hacteus tractarant, hoc spiritui Pythonico, quem Christus habet, tribuisse? Sicuti Germani interdum dicere solent: *Welcher teuffel hat dem das gesagt, vnd ist doch erst gestern herkommen?* am ab istis hoc conuitium profectum esse, satis aperte comonstrant, quando capite sequenti, v. 48. illud repetunt, dicés: annon recte dicimus, quod dæmonium habes? Itaque ipsi rbis mixti, hoc tacite mussitarunt, non habet hoc hic Iesus vllo homine: habebit itaque spiritum vatidicum, qui hoc i revelauit. Turbæ autem instabiles, & ad quemuis venti ctum mobiles, mox ad primorum suorum insusurrationes eno ore proclamant, *dæmonium habes.* Sic filius Dei, qui in oc apparuit, vt destrueret opera diaboli, 1. Iohan. 3. v. 8. hanc alumniam ferre coactus fuit, vt dæmoniacus diceretur, non ntùm ab hostibus suis Pharisæis, sed etiam à vulgo, qui eum tàs magnifaciebat. Verum enim est illud Quintiliani: Nihil uicquam facilius, quàm in quemlibet affectum mutare poulum. Nullum fretum, nullus Euripus tot motus, tantas tamue varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbatioes & quantos æstus habet ratio multitudinis. Item illud Taiti: Plebi nec iudicium nec veritas. Cicero quoque inquit: t in multitudine est varietas, & crebra tanquam tempestaum, sic sententiarum commutatio. Fidat ergo mobili vulgo, uicunque decipi voluerit.

Christus turbarum interpellationem nihil moratus, doctrinam inchoatam pertexit. *Vnum opus feci & omnes miramini.* Quasi diceret: Nullum aliud crimen potestis mihi obiicere, uam vnicum illud opus, quod paralyticum sanauit: cum vos ingulis Sabbatis multa opera faciatis, nec tamen Sabbai violatores videri velitis. Nam vt taceam iam crebras illas mactationes, lotiones & combustiones sacrificiorum in templo, quæ sine manuum labore confici nequeunt: vel vnicum circumcisionis Sacramentum considerate. Circumcisio patribus vestris diuinitus est iniuncta, vt masculus octauo die circumcidatur. Id nisi fiat, delenda est anima ipsius ex populo Dei, qui irritum fecit pactum Dei. Gen. 17. versi. 12. Quoties vero accidit, vt in ipso sabbato (quando nimirum is est octauus natiuitatis dies) pueros circumcidatis: Tamen διὰ τοῦτο *propterea quia Moses dedit* & præscripsit illam ceremoniam circumcisionis, illam etiam in sabbato seruatis, nec per eam sabbatum violari statuitis. Iam conferte inter se circumcisionem & sanationem paralytici. Vtrumque certe est diuinum opus: sed tamen magnum inter vtrumque discrimen. Circumcisio fit cum acutissimo dolore infantis: Ego vero à paralytico vnico verbo omnem dolorem remoui. Refectio etiam præputij non fit sine labore, cui mox medicina adhibenda, & vulnus ligamẽtis curandum est: Ego vero in paralytici curatione tantum verbum non pharmacum adhibui. *Iusto ergo iudicio iudicate*, sicuti vobis Moses vester Deut. 1. v. 16. præcepit, & *non iudicate* κατ' ὄψιν *iuxta aspectum.* Et cur non idẽ iudicatis de sanatione paralytici, quod de circumcisione? Maxime, quia Ego *totum hominem sanum feci*: Vos autem in circumcisione hominem vulneratis, ex quo vulnere multi moriuntur. Cum ergo gloria & gratia Dei in sanatione paralytici magis eluceat, quam in circũsione: cur in me damnatis, quod in vobis ipsis absoluitis? Nimirum, præiudicium contra meam personam præceptum vos impedit. Cur accedit illud, quod non attenditis legem operum à Mose traditam, cedere doctrinæ fidei à Deo reuelatam. Quod inde colligere possetis. Circumcisio non primitus à Mose est introducta, sed iam olim *Patribus* data, à quibus Moses eam accepit. Iam vero circumcisio non pertinet ad legem operum, sed est signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio. Rom. 4. v. 11. Postquam enim Abrahamus credidit Deo, illudque ipsi imputatum est ad iustitiam, Genes. 15. ver. 6. mox Deus erexit cum ipso fœdus, Gen. 17. v. 2. & huic fœderi, cuius Abrahamus per fidem particeps factus fuerat, loco sigilli confirmationis ergo appendit circumsionem. Vt sic in carne sua pactum Dei secum circumferret & ipse & posteri in fœdus æternum. v. 13. Ergo circumcisio omnino pertinet ad promissionem Euangelij. Et tamẽ Moses, qui alias tam seuerus exactor est sabbati & legis operum, circumcisionem, *quæ ex Patribus est*, non impedit: ostensurus nimirum, legem operum cedere religioni fidei. Absque hac enim si esset, non salua fieret omnis caro. Quia nemo seruat legem: Ego vero propterea veni, vt ea replecta & remota, credentes per iustitiam fidei salutem habere possint.

Præbet etiam hoc membrum aliquot doctrinas, quæ annotandæ videntur. 1. Christus suo exemplo verbi sui ministros docet, non satis esse, si vera doceant, & doctrinæ suæ rationem quibusuis reddere possint, nisi etiam suam innocentiam tueantur aduersus eos, qui falsis criminibus doctrinam veritatis apud plebem exosam reddere conantur. Iudæi Iesum passim ceu legis violatorem traduxerunt: illud hic solide refutat, cum non ad soluendam, sed ad implendam legem venerit. Matth. 5. versicul. 17. Qualiter autem talis Apologia & defensio institui debeat, quoque suo exemplo commonstrat. Dum nimirum spes est, quod homines adhuc sint sanabiles, placide & tranquille ostendit respondendum esse. Ipse certe, dum hic dæmoniacus dicitur, non maledictum maledicto refert: nec conuitium regerit aut comminatur: sed iuste iudicanti vindictam tradit, 1. Pet. 2. versic. 23. interim ad salutarem doctrinam se confert, docens, falsa crimina, si obiiciantur, patiẽter toleranda, nec vera, si maxime possemus, regerenda, sed potius salutaria docẽda esse. Reuera enim Iudęi à malo dæmone agitabantur, dum Christum dæmoniacum esse falso dictitarent. Non itaque facile acerbe, multo minus contumeliose contra aduersarios agendum, si nobis falsa crimina obiectent, nisi deprehendamus ipsos prorsus deploratæ spei esse: sicuti capite 8. Iohannis de eo audiemus. 4. Obiiciendo Iudæis, quod legem Mosis accepissent quidem, sed factis eam præstarent, docet: Non sufficere, legem à Deo accipere, audire, legere, aut in ore habere, nisi eidem obtemperemus, eamque factis impleamus. Ideo Paulus dicit, Romanor. 2. versic. 13. Non auditores iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur. Et in genere de verbo Dei Iacobus capite 1. versiculo vigesimosecundo: Estote factores verbi, & non auditores tantum: fallentes vosmetipsos. Nam etiam Saluator ipse dixit in vltima cœna, Iohan. 13. versiculo decimoseptimo: Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis eadem. Et Matthæi septimo, versiculo vigesimotertio, testatur multos gloriaturos in nouissimo, die non tantum de notitia sui nominis, sed etiam de miraculis quę in ipsius nomine ediderint, verum quia voluntatem Patris sui non fecerint, sed in-

quitatis operarij fuerint, se illos abs se reiecturos. Imo ille seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, nec tamen fecit eam, vapulabit multis. Lucæ duodecimo, versicul. 47. 3. Quin & illud Iesus hic monet: vt alios iudicare volunt, ipsi prius omni labe careant. Damnabant Iudæi in Christo, quod ipsi tota die committebant. Iesus insimulabatur, quod sit prophanator sabbati, quia paralyticũ sabbato sanasset, & Iudæi singulis sabbatis circumcisionem administrabant. Æquum itaque est, vt iis tantùm de alterius errore iudicet, qui non habet in semetipso, quod condemnet: ne, dum in alio aliquid condemnat, de seipso sententiam ferat. Inprimis autem Iudices, & qui sunt in officio magistratus hoc attendere debent, vt ipsis illud poetæ exploratum sit:

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cum Iudex, alios quod monet, ipse facit.

4. Ex hoc Christi loco, quo distinguit inter circumcisionem à Patribus acceptam, & inter legem à Mose datam, quæ iustitiæ fidei cedat, videtur Apostolus Paulus desumpsisse sua argumẽta, quibus confirmat gratuitam iustificationem fidei, contra iustitiam operũm, quam Pharisæi ipsius tempore vrgebant. Vt ad Rom. 4. versic. 3. vbi Abrahamum adducit, qui Deo crediderit, & cui fides imputata sit ad iustitiam, antequam operibus se Deo commendabilem reddidisset. Aliàs enim non gratiam futuram fuisse, sed mercedem secundùm debitum. Inprimis autem ad Gal. 3. versic. 16. vbi asserit Abrahamo promissionem hæreditatis datam esse in promisso benedicto semine, quadringentis & triginta anni priusquam lex promulgaretur. Et inde ex temporis circumstantia eodem modo, quo hic Christus, colligit, posse aliquem fide ob benedictum semen iustificari, sine additamẽto operum legis. Neque enim lex successit ad euacuandam promissionem. Concionatores itaque in tractatione huius loci commodam occasionem habent, ex libellis didacticis desumendi & auditoribus suis explicandi hanc doctrinam: quare necesse fuerit præter doctrinam legis, etiam reuelare promissionem Euangelij. Absque hac enim si esset, omnes homines legem damnarentur. 5. Denique notanda sunt duo hæc verba in vsurpatione sacramentorum, quę hic ponuntur: *Mosis δέδωκε dedit circumcisionem*, & *homo λαμβάνει accipit circũcisionem.* Hæc enim duo in sacramentis sibi inuicem correspondere debent. Deus per sacramenta offert nobis hominibus suam gratiam, remissionem peccatorum, vitam & salutem. Si iam nemo sit, qui accipiat, tum Deus conqueritur per Prophetam: Expãdi manus meas tota die ad populum inobediẽtem, & gradientem in via non bona post cogitationes suas. Ies. 65. versic. 2. Ex quo etiam sequitur, sacramenta sine vsu & applicatione nihil prodesse. Sacramentum cœnæ Dominicæ si in monstrantia spectandum exhibeatur, aut circumgestetur, nihil prodest, nisi *accipiatur*, hoc est, comedatur & bibatur. Eadem est ratio verbi, quod quãdo prædicatur sine auditoribus, nullus ipsius est fructus: Si autem credula mente accipiatur, tum operatur salutem.

Hic oritur quæstio, à nullo, quod Ego sciam, satis explicata: quomodo Christus inter se opponat *circumcisionem*, & quod ipse *totum hominem* sanarit. Et de paralytico quidem manifestum est, quomodo id factum sit. Corpus eius ita sanauit Iesus, vt lectum quo prius ipse portatus fuerat, suis viribus portare, potuerit: animam autem sanauit, quia ipsi dixit: Noli amplius peccare. Iohan. 5. ver. 14. Et quod Iesum Messiam agnouerit, inde colligitur: quia mox suam coram Iudæis de ipso edidit confessionem. De circumcisione autem idem dici posse videtur. Nam etiam hæc totum hominem saluum fecit. Eo quod non fuerit tantum corporalis actio: sed signaculum iustitiæ fidei, Romanorum 4. versi. 11. Et de eo qui non circumcidebatur, dicit Deus: eradicabitur anima ipsius de populo suo. Genes. decimoseptimo, versi. 14. Deus etiam, quando extrema minitatus est, tum futurum prædixit, vt quis moriatur morte circumcisorum Ezech. 28. versicul. 10. Excipiunt quidam: Iudæos transformasse circumcisionem in externam actionem: vt circumcisionem habuerint non spiritus, sed literæ, Roman. 2. versic. 29. cumque circumcisio nihil prosit, nisi quis vniuersam legem obseruet, Roman. 2. versicul. 25. & Galat. 5. versicul. 3 ideo circumcisionem talibus nihil profuisse. Vnde Stephanus Iudæis obiicit, Actor. 7. versic. 51. quod sint incircumcisi cordibus & auribus. Vt ita Antithesis hæc sit: Vos Iudæi ex circumcisione tollitis quod spirituale est, & tantum carnale opus ex circumcisione facitis: & tamen in sabbato, quo die talia opera, quæ non sunt spiritualia, Deus prohibuit, eam peragitis. Ego autem totum hominem sanaui: atque sic spirituale opus cum corporali sanatione coniunxi. Et sic quidem antithesis sibi constare videtur. Sed obstat: quod actiones sacramentorum non ex abusu siue accipientium siue administrantium sunt iudicandæ: sed ex Dei institutione & ordinatione. Item loquitur hic Christus de infantibus octo dierum, qui accipiunt circumcisionem: & hæc valet, non iuxta corruptelas administrantium, nec quomodo infans adultus factus ea vel recte vsurus vel abusurus sit: sed iuxta ordinationem Dei. Sicut nos quoque docemus, baptismum etiam à pontificiis administratum valere, propter ordinationem & institutionem Dei: licet complures corruptelæ ab ipsis admisceantur. Hæc cum etiam in circumcisione valeat, non immerito quæritur, quomodo sanatio totius hominis opponatur circumcisioni? Eo ergo respiciendum videtur: quod circumcisio, quatenus fuit spiritualis actio, eatenus sanauit hominem: interim tamen etiam fuit cruenta actio, corpus sancians & ingentem dolorem circumciso afferens. Hac ergo ratione hominem sanare non dici potest, quia eodem ipso die, etiam Cyrillo teste, medicinalis cura de circumciso habenda fuit. Vnde etiam sæpenumero factum, vt aliqui ex circumcisione mortui fuerint. Et quod hanc externam corporis sauciationẽ Christus respexerit, innuere videntur illa verba, quod *totum hominem ὑγιῆ sanum fecerit*: vtens tali vocabulo, quod corporis sanitatem, non animę salutem, indicat. Atque sic *αὐτόθεν* constabit, quæ soli Christo hanc laudem attribuit, quod *totum hominem* sanare possit.

IV. Iudæi & doctrina & miraculis conuicti, cum aliud non possent, opponunt, magnificis descriptionibus Messiæ, quæ in Prophetis extent, Iesum non respondere. Ponit ergo ipse descriptionem suæ personæ. Non tantum sum, quod vos nostis, hoc est homo: sed sum à Deo missus. Et quidem ideo missus ab ipso, vt quoniam nemo nouit Patrem, *nisi filius, Ego* veram Dei agnitionem, non legalem, sed salutiferam, patefaciam omnibus hominibus.

Vulgus, quod ex peregrinis locis Hierosolymam ad festum venerat, ignorabat machinationes primorum populi, & quod consilia de interficiendo Iesu agitarent: ac proinde in superioribus dixerunt: *quis te quærit interficere?* At iam alij introducuntur, ciues nimirum *Hierosolymitani*, quibus superiorum suorum propositum non erat ignotum. Hi quod nouissent impotens odium Pontificum, & interim audirent Iesum ita libere docere, mirantur, & miraculo simile ipsis est, quod Pontifices animi decreta non in actum traducant. Ideo dicunt: *Num cognouerunt Principes, hunc vere esse Christum?* Forsitan cõuicti in conscientia sua, agnoscũt ipsum mundi esse Messiam, & propterea consilium occisionis mutarunt. Sed *quid vos* Hierosolymitani ciues quæritis? *Num ergo si principes vestri* Iesum Messiam recepissent, *vos eundem recepturi essetis?* Non. Nam *nouimus hunc vnde sit: Christus autem cum venerit, nemo sit vnde sit.* Falsum hic habent Hierosolymitani ciues præsuppositum: dicunt, Messiæ originem plane esse ignotam, quod fuit falsissimum. Nam quis illum ceu mundi Saluatorem suscepturus esset, de quo nemini constaret, quis aut vnde esset? ideo Deus, vt omnibus constaret, quem Messiam suscipere deberent, primum stirpem notauit per Patriarcham Iacobum Genes. 49. versic. 12. ex qua esset oriundus: deinde familiam, ex semine Dauid, 2. Sam. 7. versic. 10. postea per Danielem, tempus aduentus, Daniel. 9. versic. 26. denique locum natalem per Michæam indicauit. cap. 5. ver. 2. Quanquam verum sit Scripturam etiam alterum addidisse, ipsum fore sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, Psalm. 110. versic. 4. hoc est, vt Epistola ad Hebræos capit. 6. versicul. 3. explicat *ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, καὶ ἀγενεαλόγητος*, ignoti patris, ignotæ matris & ignoti generis, nec initium dierum, neque vitæ finem habentem. Item Mich. 5. v. 2. egressum eius fore ab initio, & à diebus æternitatis. Cum ergo scriptura vtrumque de Messia prædixerit, populus autem prætextum ex scriptura quærat, ciues Hierosolymitani arripiunt illud, quod de æterna & occulta ipsius generatione prædictum est, eique de suo, sed falso, assumunt, ipsum esse Iosephi filium, natum in Nazareth, cuius fratres, sorores & tota cognatio Iudæis esset nota. Cumque hæc omnia norint, inde concludunt: Ergo hic Iesus non est Messias.

Christus apud se cognoscens & videns hosce malitiose & deuoto studio errare, ne errori suo ignorantiam prætexere possent, plenam doctrinam de sua persona proponit. Neque id facit priuatim alicubi in angulo per tacitam mussitationem, sed publice *clamabat in templo docens*, hoc est, libere, aperte, intrepide & solito clariore voce docebat, vt tum calumniatores, tum Pharisæi, qui fortassis remotiores stabant, ipsum percipere possent. Quia enim non tantum de suo honore, sed potissimum de ipsorum salute agebatur, vocis eleuatione commonstrare voluit, quam serio salutem ipsorum quæreret. Dixit ergo: *Et me nostis, & vnde sim nostis.* Hæc verba diuersimode explicantur. 1. Augustinus & alij plerique sic accipiunt, quasi Dominus dixisset: & nostis vnde sim, & non nostis. Nam ex vna parte scitis me esse hominem, & progeniẽ meam carnalem non ignoratis: ex altera autem parte nescitis

me verum

me verum esse Deum, & à cœlesti Patre missum. 2. Alij sic interpretantur, quasi Christus dixisset: omnino scitis qui sim. Nam intra conscientiam vestram, per miracula & opera mea coniuncti estis, quod non sim nudus homo, sed à Deo missus. Quomodo Iohan. 3. v. 2. Nicodemus princeps Iudæorum dixit? Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Vos ipsi mox dicetis, v. 31. Christus cum venerit, nũquid plura signa faciet, quam quę hic facit? Quid dicunt vestri Pharisæi? Matth. 23. v. 16. Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Hęc nouistis: & tamen contumaciter incredulitatem in corde vestro fouetis. Cogitate ipsi, quæ hæc vestra sit priuatas, quæ voluntaria cœcitas? 3. Denique quidam hęc verba Ironice dicta accipiũt, quasi dixisset: Vos quidem gloriamini, quasi me nouissetis, & quis sim, & vnde sim, sed nihil minus quam hoc nouistis. Etsi enim videmini nouisse me quoad externam humiliationem: tamen turpiter erratis, quod me Iosephi fabri filiũ esse putatis, cũ sim cõceptus ex Spiritu sancto. Matt. 1. v. 20. Luc. 1. v. 35. Me item Nazaretanum origine existimatis, cum sim Bethlehemita. Luc. 1. ver. 6. inprimis autem illud ignoratis, aut non nouisse vultis, quod sum ipsius Dei μονογενὴς filius, quem ab ęterno genuit, Psal. 2. versic. 7. & quem humanæ salutis causa in mundum misit. Ideo *non veni à meipso, sed verax misit me.* Patri suo cœlesti tribuit epitheton *veracis*, propterea, quia iuxta promissiones patribus datas Messiam miserit, licet Iudæi mille modis se eo indignos reddiderint. Et sicuti *verax* promissiones mittendo impleuit: ita etiam reliqua, quæ ad ipsius officium, liberandi genus humanum ex tyrannide Satanę, pertinent, implebit. Licet vos denuo, me repudiãdo, vos Messias indignos reddatis. Ipse enim qui me misit, fidelis manet, negare seipsum nõ potest. 2. Tim. 1. v. 13. Cæterum vnde proueniat, quod Iudęi adeo turpiter quoad ipsius personam errent, simul indicat, quia *vos non nouistis eum*, qui misit me. Sic vero loquendo Iudęis derogat veram veri Dei notitiã. De se autem dicit, *Ego noui eum, quia ab ipso sum, & ille misit me*, atq; simul innuit, se in eum finem missum esse, vt ipsi ab eo veram Dei cognitionem discant. Deum enim nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Iohan. 1. v. 18.

Hoc quartum membrum Concionis sequentes præbet potissimum obseruationes. 1. Ob oculos ponitur admiranda Dei prouidentia, qua impiorum conatus ita infringere, manus ita vincire, & ora ita obturare potest, vt ne quidem cõtra Deum hiscere possint. Iudæi Iesum absentem quærebant interficere: nunc ipse præsens palam & aperte contra ipsos concionatur, sed ipsi nihil contra mutire audent, adeo vt proprij ciues eo nomine mirentur. Vnde vero illud? Nimirum Deus eos vinctos detinet, ne contra suam voluntatem in filium sęuiant. Quemadmodum enim si quis prædam in conspectum leonis proferat, quem tamen ipse vinculis constrictum teneat, ne in prædã illam innolet: ita sæpenumero Ecclesia numero exigua & robore infirma, obiicitur oculis tyrannorũ, qui tamen Dei manu & occulta ipsius potentia ita refrenantur, vt eam opprimere non ausint. Dicat ergo nunc Israel, Nisi quia Dominus erat in nobis, nisi quia Dominus erat nobiscum, cum exurgerent homines in nos, forte viuos deglutiissent nos. Psalm. 144. v. 1. 2. In ciuibus Hierosolymitanis videmus, quomodo caro humana ingeniosa sit in excogitandis rationibus, quibus seipsam in sua impietate & cœcitate confirmet. Hi primum Iesum contemptum habebant: quia principes eorum non credebant in ipsum. Et reuera principum authoritas magnum momentum habet apud vulgus hominum in re quauis, maxime autem in religione. Vt si illi hanc spernant vulgus hominum pleno impetu ad omnem prophanitatem proruat. Saul primus rex Israelis fuit rex impius, verum Dei cultum ex prophano corde negligens: inde factum est, vt cunctis diebus Saulis nemo arcam Domini requisierit. 1. Par. 13. v. 3. Maxime autem si principes suis edictis veritatis professionem prohibeant, tum è vulgo plerique iustam se excusationem habere opinantur, si eam non amplectantur. At vero sæpenumero etiam remoto hoc impedimento, ita vt per Principes facile liceat veritatem amplecti: tamen hanc ex obstinata quadam malitia & cœcitate respuunt. Sicuti hic Hierosolymitanos suis principibus hoc nomine indignari videmus, quod opinentur, eos mutato animo occidẽdi Iesum, iam eum pro Messia habere incipere. Sic nostra ætate multi, ipsorum Episcopis & Præsulibus veritatem Euangelij agnoscentibus & amplectentibus, nihilominus pertinaciter superstitionibus pontificiis adhæserunt. Tales ergo iusto Dei iudicio in reprobam mentem dantur: & quia charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent: Ideo Deus illis immittit operationem erroris, vt credant mendacio, & in omni seductione iniquitatis pereant, 2. Thessal. 2. v. 10. 3. Christus suo exemplo docet suos ministros, quomodo constanti fide suo officio defungi debeant. Nunquam ipsis defuturi sunt aduersarij, qui vel clandestinis artibus, vel aperta vi ipsos impugnare velint. Hic ipsi veritatis doctrinam nequaquam deserere, neque turpi silentio eam prodere debent. Sed potius contra audentiores eant: rudes & imperitos sana doctrina erudiant: contradicentes arguant: falsa argumenta confutent: apertis hostibus iudicium Dei denuncient: pusillanimes confirment, & afflictos piis consolationibus erigant. Sic sua prædicatione Dei gloriam illustrabunt, & ad minimum aliquorum pedes ad viam salutis dirigent, qui aliàs toti in interitu ruituri essent. 4. Illud vero cumprimis obseruatione dignum est, quod Christus Hierosolymitanis omnem veram veri Dei notitiam adimit: cum tamen hi præ aliis de eius notitia gloriarentur. Asaphus olim cecinit, Psalm. 76. v. 1. Notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius. Tabernaculum eius in Salem: & habitatio eius in Sion. Iam vero, vt ex præsenti loco patet, Deus ipsis adeò ineptus est, vt admodum inepte & pueriliter deblaterent, *Christus cum venerit nemo sciet vnde sit.* Ergo hinc agnoscamus veritatis cognitionem nulli certo loco alligatam esse. Hoc adeo certum & manifestum est, vt omnes fateri cogamur, hodie Alexandriæ, Antiochiæ, Corinthi, Ephesi, Thessalonicæ & aliis multis in locis, in quibus Apostoli ipsi Ecclesias Christi plantarunt, Turcicam impietatem dominari. Quid ergo prærogatiuæ sibi arrogat Roma, quasi Spiritus Sanctus ipsorum Vaticano sic sit alligatus, vt Papa Romanus errare non possit? De Hierosolyma olim dictum fuit, Psalm. 132. vers. 13. Elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Et tamen hic Christus Sionis incolis aperte obiicit, *non nouistis eum, qui misit me.* Tam splendidas promissiones Roma nuspiam habet, & fieri in ea non posset, vt lex periret à sacerdote, & consilium à senioribus? Ezech. 7. versic. 26. Miretur autem quis, quomodo Christus hoc loco Iudæis Dei cognitionem adimat, cum tamen Paulus eam Gentibus incredulis tribuat, Rom. 1. v. 19. At vero quot Iudæorum fuerunt prærogatiuæ? Illis concredita erant eloquia Dei: habebant legem scriptam: abominabantur innumerabilem illam Deorum gentiliũ turbam: & de vero Dei cultu præ aliis populis omnibus gloriabantur. Quomodo ergo Deum non nossent? Resp. Duplex est Dei agnitio. Vna est generalis & legalis: quæ ex creaturis, operibus Dei & legis doctrina agnoscimus quod sit Deus, & ille quidem potens, iustus ac beneficus. Sed hæc notitia, sine & extra Christum nihil prodest ad salutem. Altera est Euangelica, qua Deum agnoscimus patrem, per & propter Christum, & quod credentibus in hunc gratis peccata remittat. Hæc est salutifera Dei notitia, de qua Christus dicit Iohann. 17. v. 3. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. De hac speciali & salutifera Dei cognitione supra ex Matth. 11. ver. 27. audiuimus: Nemo nouit patrem, nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. Et recte Iohannes scribit, 1. cap. 2. ver. 23. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui autem confitetur filium, & Patrem habet. 5. Ex hoc quoque membro concionis Christi tractari potest doctrina de persona Christi. Quod non sit ψιλὸς ἄνθρωπος, nudus homo: sed Deus & homo in vna indiuisa persona, sicque geminæ substantiæ gigas. Inprimis autem hic vrgeri potest phrasis Græca, ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι, quæ non tantum verti potest, *quia ab ipso sum*, sed etiã, quia *ex ipso sum.* Nã παρὰ cũ Genitiuo significat & *ab* & *ex.* Vt ita essentiæ identitatem, & æternam ex Patre generationem innuat. Sicut etiam Psal. 72. v. 17. inquit: Erit nomen eius in secula, ante solem permanet (in Hebræo est ינון quod verti potest, est filiatum, aut per filiationem deriuatum) nomen eius. Hoc est, Sol, Luna & reliqua luminaria à Deo sunt creata, vt sint in tempora, dies & annos. Sed nomen Messiæ filiatum est ante solem. Ergo indicat Psalmus, id ante omne tempus, atque sic ab æterno, factũ esse. Sed plenior tractatio petenda est ex libellis methodicis. 6. Quod denique Christus toties hic inculcat, *à Patre missum sum*, eo verbi sui ministros admonet, vt & ipsi in suo munere vocationis & missionis suæ certi sint. Absque quo si sit, nunquam iusta seueritate & libertate hominum peccata arguere poterunt. Sic videmus passim Prophetam suam vocationem à Deo factam prætendere. Ies. 6. v. 9. Ier. 1. v. 7. Ezech. 2. v. 3. Amos 7. ver. 15. In primis vero Paulus suam vocationem vbique in Epistolis suis inculcat. Huius vocationis diuinæ fiducia, cum παῤῥησίᾳ quis suum officium facere potest. Qui vero vel prece vel precio Ecclesiasticas suas functiones redemerunt, illis facile est os obligare.

V. Cum adessent missi à Pharisæis & Principibus sacerdotum, comprehensuri Iesum, ipse de morte sua concionatur. Qua ne credentes offenderentur, adiungit doctrinam de glorificatione sua, quam secutura sit abiectio Iudæorum.

Etsi Dominus Iesus hactenus summa animi moderatione

publice in templo Iudæis rationem reddidit tum suæ doctrinæ, tum suæ personæ: hypocritarum tamen animi nequaquam emolliri potuerunt, quin *quærebant eum comprehendere*, & prehensum trucidare. Sic nimirum compensant Christo, propensum ipsius erga se animum, quo se modo ipsis ducem & lucem ad veram Dei cognitionem obtulit. Nimirum perpetuo ignorantiæ mentis comites sunt, obstinatio cordis & violentia manuum. Sed hic additur: Licet voluntas ad cædem perpetrandam propensa fuerit: *nemo* tamen *misit manus in illum*, nec quicquam violenti aduersus illum tentauit. Vnde hoc? Num Christus seipsum & causam suam armis & externa defensione tutatus est? Minime vero. Sed *quia nondum venerat hora eius*. Quod non intelligendum est de fato aliquo Stoico, aut quasi vna aliqua hora sit inauspicatior quàm reliquæ: sed quemadmodum in aliis Christus definito consilio & præscientia Dei traditus est in manus iniquorum, iuxta Petri doctrinam, Actor.2.v.23. ita etiam diuina voluntate certum tempus præstitutum fuit, quo Messias mori debebat. Voluit enim mori non in festo tabernaculorum, sed in festo Paschatis: ita archetypus suæ figuræ & vmbræ corresponderet. Nam ad crucem abreptus est non ex infirmitate, sed Patris decreto, tanquam victima destinata ad sacrificium pro mundo. Antequam itaque tempus illud diuina voluntate præfinitum adueniret, potenti Dei protectione tutus fuit, vt hostilis furor vtcunque arderet, tamen nihil aduersus ipsum posset, etsi ipse omni humano auxilior destituebatur. Indicatur etiam quinam illi fuerint, qui hanc Christi prehensionem procurarunt. Primi authores fuerunt Pharisæi, qui & eruditionis & sanctimoniæ nomine præ aliis celebres esse volebant. Et hi Christo præ aliis infensi erant, quia doctrina sua, qua gratuitam peccatorum remissionem prædicabat, ipsorum operum iustitiam euertebat, cuius fiducia illi vel maxime nitebantur. Hi ergo, ceu speculatores & exploratores, turbis mixti, auscultabant & Christi & aliorum sermones, & obseruabãt omnes occasiones, quibus Christo nocere possent. Cumque audirent multos ex turba dicere: *Christus cum venerit, num plura signa edet his, quæ hic edidit?* indeque colligerent populum Christo adhærere, protinus rem detulerunt *ad Pontifices*, seu principes sacerdotum, quibus adiunctum fuit συνέδριον. Solis enim Pharisæis potestas illa non cõcessa erat, vt aliquid violenti in religione contra quenquam tẽtare auderent. Põtificibus autẽ αὐτονομία religionis à Romanis fuerat promissa. Iccirco hi cum Pharisæis, quasi coniunctis copiis, ipsum capere & occidere sunt conati, & *miserunt ministros*, apparitores & lictores, *qui eum prehenderent*.

Cæterum iam missis ministris, in præsentia populi Iesus de ipsorum conatibus concionatur. *Adhuc pusillum temporis vobiscũ sum, & abeo ad eum, qui misit me.* Vult dicere: Meminisse debebatis, quod Patriarcha vester Iacobus, benedicẽs filiis Ioseph, Gen.48.ver.16. Messiã vocauit מלאך ἄγγελον seu legatũ Dei, ab officio, cuius causa in hunc mundũ à Deo patre missus venire debeat. Hic legatus Dei & Immanuel missus ego sum. Nec opus erat, vt tãto studio & peruicacia me ad mortẽ quæreretis. Nã ipse nõ diu vobiscũ manebo, sed expedita mea legatione redibo *ad eum qui misit me*. Ipse autẽ *redeo*: quia vos vitæ & necis meæ nullam potestatem habetis. Et nisi sponte Ego animam meam depositurus essem, nunquam vos eam erepturi mihi essetis. Verum enimuero sciatis velim, me morte non extingui: sed perfecta legatione, & deposita infirmitate redire ad Patrem. Est tunc post mortem status meus longe excellentior futurus est, quam non sit. Iam me quæritis ad mortem, nec meam præsentiam ferre potestis ad modicum tempus. Sed veniet, quo *quæretis me, neque inuenietis*. Nam siue ad bonum siue ad malum me quæratis, *non potestis eo venire, vbi Ego sum*. Hunc sermonem ludibrio aduersarij ipsius excipiunt dicentes: *Quis hic sermo? Num abiturus est in dispersionem Græcorum, vt eos doceat?* Iudæi per contemptum omnes gẽtes *Græcorum* titulo indigetarunt. Ideo Paulus etiam in suis Epistolis hac diuisione vtitur, quod totum genus humanum in Iudæos & Græcos dispescit, & *Græcorum* titulo omnes gentes incircumcisas intelligit. Ridẽt ergo Iesum, an ad vltramarinas gẽtes abiturus sit, vt ibi sit Messias, qui in terra promissionis nec quæri, nec inueniri velit. Sed loquitur Christus hic proprie nõ de gentibus, verum de cœlesti gloria, ad quam per mortẽ sit euehendus, vbi tanquã gloriosus victor ac triumphator sit regnaturus. Etsi me quæsituri estis ad malum, licet tanquam famelici canes vlulaturi, & ciuitatem circuituri sitis, Psalm.59.v.15. tamen frustra vagabimini ad cibum, nec me inuenietis: quia sublimior, quam vos credatis, factus, & ad dexteram Dei exaltatus, à vobis nullo modo lædi potero. Sin me ad bonum & vestram salutem quæratis, sciatis, quamdiu carnalem Messiam quæritis, tamdiu vos me, verum Messiam, non inuenturos. Sic vterque sensus est coniungendus. Alioquin frustra disputant docti, quo modo Christus eadem hæc verba Iohann.13.v.33. etiam discipulis dixerit. Nam diuerso respectu diuersum etiam sensum hæc verba requirunt. Iudæi Matth.27.v.64. quæsiuerunt Iesum, vt in sepulchro eum detinerent: sed frustranea erat illa quæstio, nihil effecerunt. Iesus enim vel inuitis inferorum portis gloriosus resurrexit. Petrus cum Ioanne, Ioh.20. ver.4. etiam quæsiuerunt Iesum in sepulchro in sui consolationem: sed nec ipsi eum inuenerunt. Postea tamen Christus se ipsis manifestauit: verumtamen etiam postquam eum inuenerunt, non potuerunt tum temporis eo venire, quo ille abiit, donec suo tempore rediret, eosque ad se reciperet. Ioh. 14.v.3. Ita dubium non est, in calamitatibus suæ terræ & Iudæos & discipulos desiderasse videre vnum diem filij hominis, vt ipsius doctrina & consolatione fruerentur: sed non viderunt. Luc.17.v.22. Nam postquam semel visibilem suam præsentiam ex hoc mũdo subduxit, de cætero non amplius in hoc mũdo videri & audiri vult corporali modo, donec in nouissimo die veniat ad iudicium. Act.1.v.12.

Præbet nobis hoc postremum membrum concionis Christi quoque aliquot doctrinas. 1. In Iudæis consideremus, vnde proueniat obturata illa & peruicax ipsorum malitia, quod Iesum placide docentem non audire volunt, sed potius prehendere cupiunt. Nimirum vt Dominus antea ipsis obiecerat, ex ignorantia Dei, ipsius voluntatis & veritatis. Est autem duplex ignorantia: alia simplex, alia crassa & affectata. Simplex coram Deo excusationem inuenit: sicuti Petrus Act.2.versi.15. Iudæis dicit: Authorem vitæ interfecistis: & nũc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis. Paulus quoque de se fatetur, 1.Tim.1.v.13. quod blasphemus, & persecutor & cõtumeliosus fuerit: sed misericordiã Dei consecutus sit, quia ignorans fecerit in incredulitate. Crassa autem & affectata, quando Deus lucem verbi mittit, sed homines illam suscipere nolunt, non excusat. Qualis hæc est Iudæorum: vbi Christus, qui nouit Deum, se offert, quod eius notitia & ipsos imbuere velit. Ipsi vero hanc eius gratiam carcere & cæde compensare volunt. Horum ergo damnatio iusta. Roman.2.3.v.8. Nam hoc est iudicium: quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quam lucem. Iohan.3.v.19. De hac ignorantia agit Paulus Ephes.4.v.18. tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, *quæ est in illis*, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ. 2. Quod de *hora* Christi dicitur, *qua nondum venerit*, illud quiuis Christianus, inprimis autem verbi ministri, qui in periculosis locis, siue ratione persecutionum, siue ratione pestis, Deo seruiunt, sibi applicare debent. Quisque animo suo ipse secum statuat, Deum certum vitæ terminum ipsi præfixisse, qui si nondum sit præter lapsus, non posse ipsi aduersariam vim nocere: sin assit, non posse se vlla fuga mortem auertere. Iob dicit c.14.v.5. Breues sunt dies hominis, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et Dauid Psalm. 139.v.16. In libro tuo Domine, scripti erant omnes dies mei, qui futuri erant, & nondum vnus extabat ex illis. Sint ergo animosi concionatores tempore pestis. Si enim ne *passerculus* quidem in obliuione est coram Deo, & si ne *capillus* quidem de capite defluit citra voluntatem *Dei*, quomodo integer homo periret, nisi tempus à Deo prædefinitum adesset? Angelis enim suis mandauit de talibus, vt ipsos custodiant in omnibus viis eorum. In manibus eos portabũt: ne forte pedem offendant ad lapidem. Psalm.91.v.11. Animosos autem ipsos esse iubeo, nõ audaces, qui citra necessitatem seipsos siue persecutioni siue pesti obiiciant. Nam qui amat periculum, peribit in illo. Syr.3.v.27. Et tales terminum à Deo constitutum anticipare possunt, vnde vulgaris versus:

Decurtare (dies) tuum est, sed prolongare Tonantis:

Timor Domini, non audacia, apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur. Prouerb.10.v.27. 3. Monstrat hic locus, vt & plures alij in Euãgelio, quinã quouis tẽpore sint infensissimi Christi & ipsius Euangelij hostes. 1. *Pharisæi*, qui, elegantioris literaturæ, operum suorum meritis confidunt. 2. *Pontifices*, qui potentia armati, quæstum sibi interuerti ægre ferũt. Hoc cum tempore Christi factum sit, quid miramur nostra ætate Iesuitas, Capucinos, Monachos, & reliquos hæreticæ prauitatis Inquisitores, passim Euangelicis multum negocij facessere, eos ad Pontifices & Magistratus deferre, & hosce tũ animare tum armare contra illos? Diabolus semper hanc fabulam lusit in mundo inde ab initio, & ludet eandem ad finem vsque. Sed in inferno cum suis pœnas dabit. Nam & hic 4. pœna horum persecutorum indicatur, quæ hac gradatione infligitur, quod 1. externis miseriis inuoluuntur, in quibus indigni sunt, vt vllum gratiæ diuinæ gustum sentiant: quia Christum mediatorem reiecerunt. 2. Verbi luce priuantur, quod solũ ipsos consolari poterat. Proinde discurrunt à mari vs-

ri vsque ad mare, tanquam famelici canes quærentes panem verbi, sed non inuenientes. Amos 8. verſ. 12. 3. E regno Dei eiecti ſempiternis inferorum cruciatibus addicuntur. Matth. 8. verſ. 12. 4. Viciſſim pro piis, qui in mundo cum Chriſto premuntur, ex hoc loco illa conſolatio emergit. 1. quod *puſillum temporis* cum mundo ſunt: poſtea per mortem in æternum ab eo ſegregabuntur. 2. Mors, quæ natura ſua eſt pœna peccati, ipſis ex gratia in Chriſto fit *tranſitus ad Patrem*. 3. In cœlis tuti futuri ſunt, vbi neque Diabolus, neque ipſius ſquamæ eos amplius infeſtare poterunt. 6. Denique hic videmus impleri illud Salomonis: quod impius timet, hoc veniet ſuper ipſum. Prouerb. 10. verſic. 24. Iudæi vel per ſarcaſmum vel per inuidiam dicunt Chriſtum abiturum *ad diſperſionem Græcorum*. Ex innata ſuperbia omnes gentes contemptim diſperſas vocant, quaſi ipſi ſoli eſſent populus cum Deo vnitus, reliquis gentibus omnibus in diuerſas ſectas diſperſis. Non aliter quam ſicuti hodie Ieſuitæ gloriantur, ſe tum Pontifice, Imperatore, Cardinalibus, Epiſcopis & reliquo pontificio clero vnum conficere corpus Eccleſiaſticum: Euangelicos vero cum ſuis principibus & auditoribus non poſſe in vnum corpus coaleſcere. Sed omnino quod Iudæi metuerunt, hoc ipſis euenit. Nam Chriſtus propterea mortuus eſt, vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Ioh. 11. verſic. 52. Poſtea omnino per Apoſtolos ſuos ad gentes abiit, eaſque Euangelij doctrina illuſtrauit. Sicut Auguſtinus dixit: Iturus erat Dominus relictis Iudæis ad docendum gentes, non præſentia corporis ſui, ſed tantum pedibus ſuis, hoc eſt, per membra ſua. Et hæ ipſæ gentes in vnum corpus collectæ ſunt cum Chriſto, vt iam ſint ciues ſanctorum & domeſtici Dei. Eph. 2. v. 19. dum vice verſa Iudæi ex ſua terra ſunt eiecti, & inter omnes gentes diſperſi.

Hæc ſunt capita concionis, quam Ieſus Hieroſolymis in templo habuit durante feſto tabernaculorum. Quæ ipſum diuerſis diebus auditoribus ſuis propoſuiſſe nullum eſt dubium. Quid autem quouis die docuerit, nemo certo affirmare poteſt, cum Euangeliſta de eo tacuerit. Ideoque vnicuique arbitrarium eſto, quomodo hæc membra doctrinæ inter dies diſtribuere velit. Præter tamen illa capita concionis etiam hoc notandum eſt, quanta fuerit diſſimilitudo auditorum ipſius. Quidam mirantur: quidam rident: quidam calumniantur: quidam maledicunt, & dæmonium habere affirmant: quidam perſequuntur, & prehendere cupiunt: & tamen in tam triſti colluuie Chriſtus ſuam habet Eccleſiam. *Multi enim de turba crediderunt in eum*. Quę fides tum temporis adhuc valde infirma fuit agnitio, & languida fiducia: & tamen ſpiritus ſanctus eam hic dignatur appellatione fidei.

Hæc notatio 1. docet, Euangelium Chriſti nunquam ſine fructu prædicari, licet multi contra fremant, & extrema quæque moliantur. Hoc docuit etiam Propheta Ieſaias per parabolam pluuiæ & niuis. Ieſ. 55. verſ. 10. Quinam autem illi ſint, qui facillime omnium Euangelio manus dent, ſimul indicatur, quando dicitur: *multi de turba crediderunt in eum*. Neque enim multi ſapientes, potentes & nobiles à Deo ſunt electi: ſed quod ſtultum, infirmum, contemptibile eſt, hoc elegit Deus. 1. Corinth. 1. verſic. 25. Non itaque ægre ferant veſtri miniſtri, ſi & ipſi à potentioribus contemptim habeantur: Deo agant gratias, ſi modo quoad plebem labor ipſorum non inanis eſt in Domino. 1. Corinth. 15. verſ. vlt. 2. At ſimul obſeruandum, qua ratione hi ad fidem ſint inducti. Nimirum *ſigna quæ Ieſus edidit* attenderunt, ea ad prædictiones Prophetarum, inprimis autem Ieſ. 35. verſ. 5. contulerunt: & quia hæc inter ſe conuenire vident, inde argumentantes, *Chriſtus cum venerit, plura non edet*, concluſerunt: Ergo hic Ieſus eſt Meſſias. Sic ergo, quando ſigna & verbum Dei coniunguntur, tum recte & in cognitione Chriſti & fide in ipſum informari poſſumus. Huic etiam Paulus reſpexiſſe videtur 1. Corinth. 14. verſi. 22. quando dicit: Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus, prophetia autem (hoc eſt, ſacræ ſcripturæ interpretatio) non infidelibus, ſed fidelibus. Signa itaque ad verbum Dei ſunt examinanda: quia etiam Antichriſtus venit in ſignis, & prodigiis, ſed mendacibus ad omnem ſeductionem iniquitatis. 2. Theſſ. 2. verſ. 9. De eo Deus præmonuit etiam Deut. 13. verſ. 1. ſi propheta ſurgat, & ſignum vel portentum prædicat, homines autem à verbo Dei & vero cultu in eo comprehenſo abducere velit: tum talem prophetam non eſſe audiendum. Si Antichriſti Romani ſigna, dicta & facta, hoc modo ab omnibus diligenter ad normam ſacræ ſcripturæ examinarentur, longe firmius eum, quam hæc turba Chriſtum agnituri eſſent. Nam 4. qualis fuit hæc fides? Profecto valde infirma. Etenim neque ipſius perſonæ, neque officij eiuſdem veram & ſolidam cognitionem habuerint. Addit hoc magnam conſolationem infirmioribus, quod Chriſtus hos ob infirmitatem illam non abiecit. Hoc enim Ieſaias de ipſo prædixit: calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Ieſ. 42. verſ. 3. Prima itaque fidei initia & rudimenta per ſpiritus ſui gratiam, quotidianis incrementis auctiora reddit, & facit, vt ſemen hoc ſinapis excreſcat in magnam arborem. Luc. 13. verſic. 19. Temerarij itaque & ipſo Chriſto ſeueriores iudices atque cenſores ſunt illi, qui omnium fidem contemnunt, & quaſi nihili faciunt, niſi cum aduerſariis ſuper ea contendere, eamque aduerſus contradicentes omnes defendere poſſint. Interim tamen hi ipſi infirmi in Iudæorum turba, fidem ſuam publice profeſſi ſunt, licet Phariſæorum & Pontificum odium, quo Ieſum extinctum cupiebant, non ignorarant. Hanc enim veram fidei notam Paulus ponit: vt quis ea quæ corde credit, etiam ore confiteatur. Rom. 10. verſ. 9. Hoc cum Sacramentarij non faciant, ſed plerique fidei ſuæ confeſſionem accommodent ad nutum illorum hominum, quibus conuerſantur: vel hoc vnicum indicium eſſe debet, ipſos de fide ſua non plane certos eſſe.

CAPVT XCIX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS ACTIONES VLTIMI DIEI, IN FESTO tabernaculorum. Iohan. 7. v. 37.

RATIO ORDINIS.

De ratione ἀκολουθίας & conſequentiæ prorſus nulla hic poteſt eſſe dubitatio, proinde textus mox apponatur.

HISTORIA ACTIONVM VLTIMI DIEI, in feſto Scenopegiæ.

37. Ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς εἱστήκει ὁ Ἰησοῦς καὶ ἔκραξε, λέγων, ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με, καὶ πινέτω.	37. *In nouiſſimo autem die magno feſti ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens: ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat.*
38. Ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος.	38. *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*
39. Τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη.	39. *Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant, credentes in ipſum. Nondum erat ſpiritus ſanctus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.*
40. Πολλοὶ οὖν ἐκ τοῦ ὄχλου ἀκούσαντες τὸν λόγον, ἔλεγον, οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης.	40. *Multi ergo de turba cum audiſſent hunc ſermonem dicebant: Hic eſt vere Propheta.*
41. Ἄλλοι ἔλεγον, οὗτός ἐστιν ὁ χριστός· ἄλλοι δὲ ἔλεγον, μὴ γὰρ ἐκ τῆς γαλιλαίας ὁ χριστὸς ἔρχεται;	41. *Alij dicebant, hic eſt Chriſtus. Quidam autem dicebant, num à Galilæa Chriſtus venit?*

42. Οὐχὶ ἡ γραφὴ εἶπεν, ὅτι ἐκ τοῦ σπέρματος Δαβίδ, καὶ ἀπὸ Βηθλεὲμ, τῆς κώμης ὅπου ἦν Δαβὶδ, ὁ χριστὸς ἔρχεται;

43. Σχίσμα οὖν ἐν τῷ ὄχλῳ ἐγένετο δι' αὐτόν.

44. Τινὲς δὲ ἤθελον ἐξ αὐτῶν πιάσαι αὐτὸν, ἀλλ' οὐδεὶς ἐπέβαλεν ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας.

45. Ἦλθον οὖν οἱ ὑπηρέται πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ φαρισαίους, καὶ εἶπον αὐτοῖς ἐκεῖνοι, διὰ τί οὐκ ἠγάγετε αὐτόν;

46. Ἀπεκρίθησαν οἱ ὑπηρέται, οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος, ὡς οὗτος ὁ ἄνθρωπος.

47. Ἀπεκρίθησαν οὖν αὐτοῖς οἱ φαρισαῖοι, μὴ καὶ ὑμεῖς πεπλάνησθε;

48. Μή τις ἐκ τῶν ἀρχόντων ἐπίστευσεν εἰς αὐτὸν, ἢ ἐκ τῶν φαρισαίων;

49. Ἀλλ' ὁ ὄχλος οὗτος ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον ἐπικατάρατοί εἰσι.

50. Λέγει Νικόδημος πρὸς αὐτοὺς, ὁ ἐλθὼν νυκτὸς πρὸς αὐτὸν, εἷς ὢν ἐξ αὐτῶν·

51. Μὴ ὁ νόμος ἡμῶν κρίνει τὸν ἄνθρωπον, ἐὰν μὴ ἀκούσῃ παρ' αὐτοῦ πρότερον, καὶ γνῷ, τί ποιεῖ;

52. Ἀπεκρίθησαν καὶ εἶπον αὐτῷ, μὴ καὶ σὺ ἐκ τῆς Γαλιλαίας εἶ; ἐρεύνησον καὶ ἴδε, ὅτι προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται.

53. Καὶ ἐπορεύθη ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.

42. *Nonne scriptura dicit, quod ex semine David, & de Bethlehem castello, vbi erat David, Christus venit?*

43. *Dissensio itaque orta est in turba propter eum.*

44. *Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum, sed nemo coniecit in eum manum.*

45. *Venerunt ergo ministri ad pontifices & Pharisaeos, & dixerunt eis illi, Quare non adduxistis illum?*

46. *Responderunt ministri, nunquam sic loquutus est homo, sicut hic homo.*

47. *Responderunt ergo eis Pharisaei, num & vos seducti estis?*

48. *Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex Pharisaeis?*

49. *Sed turba haec quae non nouit legem, execrabiles sunt.*

50. *Dicit Nicodemus ad eos, is qui venerat ad eum nocte, qui vnus erat de numero eorum:*

51. *Num lex nostra iudicat hominem, nisi prius ab ipso audierit, & cognouerit, quid faciat?*

52. *Responderunt & dixerunt ei, num & tu Galilaeus es? Scrutare, & vide, quod à Galilaea propheta non surrexit.*

53. *Et profectus est vnusquisque in domum suam.*

Periocha huius historiæ.

TAbernaculorum festum ex Dei mandato Leu.23. versic. 34. septem diebus continuis celebrabatur. Primus dies fuit celeberrimus & sanctissimus: octauus itidē, qui & עצרת, id est, dies retentionis & congregatio valida dicebatur: quia eo die populus prohibebatur à labore, & congregari iubebatur ad celebrandum festum Domino. Sex igitur intermediis diebus populus etiam negotiis huius mundi & voluptatibus vacabat. In primo autem & octauo necesse erat, vt congregarentur in templo, interessent sacris, audirent legem à Scribis prælegi, & sacrificia, quæ adduxerant, offerrent. Hic vero videbimus, quomodo in sanctissimo illo die, in loco sancto inter se decertent, Christus & diabolus, veritas & mendacium, Dux vitæ & spiritus homicidij. Christus enim suo loco hanc occasionem captauit, vt eo tempore, quo cœtus auditorum esset numerosissimus: quo item omnes de reditu cogitabant, vt vltimum hunc & eximium festi diem eximio etiam sermone terminaret, sicque iter ingressuris salutare viaticum Euangelicæ doctrinæ communicaret. Econtra vero Diabolus sua membra instigauit, vt nulla sanctitatis festi habita ratione, de perpetranda cæde Iesu consilia agitarent. Publici enim ministri vltimo festi die iam plane se operari accinxerant, Iesum comprehensuri. Principes quoque Iudæorum & Pharisæi in Synedrio congregati erant, expectantes vt adduceretur, ne finito festo elaberetur. Sed ecce, sola concione Christi, cum quidem tum temporis nullum ederet signū, impetus ille in ministris ita fractus est, vt reuersi agnoscerent & confiterentur, se sensu diuinæ efficaciæ verbi Christi fractos fuisse, vt comprehendere eum non potuerint. Et ita quidem tunc Christus solo verbo horribiles conatus aduersariorum discussit.

Duas tamen circumstantias de modo, quo Christus hanc concionem habuerit, Euangelista adiicit. 1. *Stabat Iesus*, cum alias mos illius seculi ferret, vt docentes sederent: sicuti ipse etiam passim id fecit. Hic vero stetit: vt magno serio se docendi munere fungi velle innueret. 2. *Clamabat*, tum propter turbæ multitudinem, vt ab omnibus audiretur: tum vt declararet se de iis dicturum, quæ referret omnes audire & scire: tum denique, vt intrepidi & imperterriti animi signum ederet, & ostenderet se neminem formidare. Nam qui sibi metuunt, paucula aliquibus submissa voce in aurem insusurrare solent, ne ab aliis prodantur. Sed Christus alta voce *clamat*, vt omnes eum audire possint. Sic ergo suos ministros suo exemplo instruit, qua fide, integritate & constantia suo munere fungi debeant. 1. Captent & obseruent omnes occasiones, quibus verbum Dei auditoribus cum fructu proponere possint. Si enim agricolæ studiose obseruant tempus sationis & messis: si piscatores & venatores omnes commoditates quærunt pisces & feras venandi: Quanto magis verbi ministri nullas occasiones negligere debent, animas hominum in regnum Dei adducendi? Ideo Seruator suos ministros Luc.12.vers.42. confert prudenti dispensatori, qui familiæ suæ in tempore suum cibum depromat. Et Paulus iubet verbum prædicare, ac simul instare opportune, importune. 2. Tim.4. vers.2. Inprimis autem à se discessuros fidis admonitionibus instruant, quas memori mente teneant, ne alibi à syncera religione se abduci patiantur. 2. Veritatem animose defendant & tueantur, nec vlla pericula se absterrere patiantur, quo minus constanter & intrepide synceram doctrinam proponant. Qui enim Dominum Iesum Hierosolymis in templo aduersus Pontifices & Pharisæos, acerbissimos eius hostes, defendit, idem adhuc viuit, & suos in necessitatibus non deseret. Sed vt furenti Oceano leuem arenam opposuit, vt intumescentes suos fluctus deponat: ita interdum miseram plebeculam fastuosis Theologomastygibus opponit, vt in actum transferre non ausint, quod cogitant. Iccirco state firmi & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor ipsorum in Domino non sit inanis futurus. 1. Corinth.15. versic.58. Et clament ex guttare, quasi tuba exaltent vocem suam, vt peccata auditorum arguant. Ies.58. vers.1.

Qualis autem fuit concio illa, quam Christus nouissimo demum festi die proposuit, Iohannes more suo tantum capita breuiter annotauit: quæ ideo diligentius sunt consideranda, quia etiam hostes eius efficaciam senserunt. Summa autem hæc est. In Christo Iesu est fons viuus, seu plenitudo omnium quæ ad salutem sunt necessaria. Quod autem non omnes ex plenitudine eius accipiunt, inde fit: quia non omnes eum quærunt & recte sitiunt, hoc est pauci sensu peccati & damnationis tanguntur. Qui vero sitit, non alibi quærat leuationem, quam apud Christum: ex huius plenitudine tantum accepturus est, vt in se habeat fontem aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Nos singula membra aliquanto diligentius enodabimus.

I. Christus Metaphora sitis nobis considerandam proponit miseram nostram naturam & conditionem. Sumus omnes natura instar terræ arentis & siticulosæ, steriles nimirum, & qui nullos Deo dignos fructus ferre possumus. Quid enim boni proferant ij, qui natura sunt filij iræ, Ephes.2. versicul.3. in peccatis concepti & nati, Psal.51. versiculo 7. qui ex seipsis ne idonei quidem sunt vt aliquid boni cogitent, tanquam ex seipsis, 2. Corinth.3. versiculo 5. quorum tandem cordium figmentum tantum prauum est ab ineunte ætate? Gen.8. vers. 21. Caremus ergo natura gloria Dei, Rom.3. versi.23. & omnis boni sumus indigi. Et hanc indigentiam intra nos ipsi sentimus. Hinc cor vestrum & anima tot desideriis æstuat, vt modo hoc, modo illud appetat, quo animi sui sitim explere possit. Nam vt siti nihil est molestius, nihil intolerabilius, sicuti illud in ardenti febre laborantibus hominibus videmus: ita nulla

nulla requies est in animis hominum variis desideriis & appetitionibus laborantium. Sitim ne ipse quidem Samson, hominum robustissimus, ferre potuit, & nisi Deus nouum fontem ipsi aperuisset, viribus etiam post superatos Philisteos defecisset, Iud.15.versi.18. ita vel tandem omnes deficiunt, & æstu iræ Dei consumuntur, in quibus praua illa cordis desideria non extinguuntur. Nam vel tandem in corde exoritur sensus peccatorum, quibus se æternam damnationem commeruisse agnoscunt, vnde animæ acutius & maiori cum molestia excruciantur, quam si in fornacem ardentis ignis coniecti essent. Ibi enim in furore Dei ignis accenditur, qui ardet vsque ad inferni nouissima. Deuter.32.vers.22. In qua flamma impij cum diuite epulone cruciantur, vt ne guttam quidem aquæ, qua linguam suam refrigerent, impetrare possint. Luc.16.v.24 Cæterum, quemadmodum graui siti laborantes, ex quauis obuia lacuna eam restinguere cupiunt, & sæpe cum Dario Medo ex pugna profugo, ex turbidissima aqua admodum iucunde bibunt, identidem tamen siti priore recurrente: ita etiam homines cordis atque conscientiæ suæ æstum, per quæuis externa sibi occurrentia bona restinguere conantur, quales sunt honores, diuitiæ, voluptates. Sed in his omnibus idem fieri deprehendimus, quod habet vsitatus versiculus de siticulosis hydropicis:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Salomon rex omnium & fœlicissimus & sapientissimus, admodum eleganter de hac siti, & quam variis modis homines eam restinguere cupiant, in Ecclesiaste suo agit. Vbi in sua ipsius persona ostendit, quibus modis desideria æstuantis sui cordis sedare conatus fuerit. Fatetur se plantasse vineas: se ædificasse domos: se conseuisse hortos & pomaria: se piscinas parasse: se magnam familiam aluisse: se aurum & argentum coaceruasse: se cantorum & cantatricum modulis seipsum oblectasse: se ad miscenda vina scyphos & vrceos parauisse: se nihil negasse oculis suis: nec cor prohibuisse, quo minus frueretur omni voluptate. Quid vero hisce omnibus profecit? Nihil. Nam vidit vanitatem esse & afflictionem animi in omnibus quæ sub sole sunt. Ergo supra solem adscendendum erit, & transcœlestis fons quærendus, ex quo huic nostræ indigentiæ & siti succurratur. Hunc fontem nobis Christus iam in concione sua monstrabit.

2. Nam dicit: *Si quis sitit, veniat ad me.* Particula, *si quis*, significat, se nec volentem quenquam velle reiicere, nec nolentem quempiam velle compellere: sed paratum esse quemuis volentem suscipere. Modo *sitiat*, hoc est, animum afferat, ardenter salutarem doctrinam & veram salutem desiderantem. Talibus dicit: *ad me veniant & bibant.* Sitientes non in incertum hinc inde vagari iubet: sed quemadmodum Genes.21. versicul.19. angelus Domini Hagari, in inaquoso deserto vaganti, puteum aquæ monstrauit, ex quo Ismaelem siti alias periturum reficeret: ita Christus hic verum fontem vitæ & salutis, tam Iudæis quam Gentibus monstrat, ex quo se contra æstuantem iram Dei & feruentes carbones inferni sustentare possint. De hoc fonte vaticinati sunt olim Prophetæ. Ioel dicit c.3.versiculo 18. In illa die (quando Messias venerit) egredietur fons de domo Domini, & irrigabit torrentem spinarum. Ezech.47.versiculo 1. Conuertit me Dominus ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem. Zach.14.versiculo 18. Et erit in die illa, exibunt aquæ viuæ de Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouissimum: in æstate & in hyeme erũt. Hæc & consimilia dicta Christum in templo allegasse, & sibi applicuisse dubium non est. Clamauit ex Ies.55. versiculo 1. Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite absque argento, & absque omni commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Quibus verbis reprehendit Christus, si quis siti suæ aliunde satisfieri velit, quam ex se. Gentium Philosophi quoque multum disputarunt de summo bono & fœlicitate, & alij quidem hominibus persuaserunt, quod exercitiis virtutum, alij quod voluptatibus, alij quod studio sapientiæ sitim explere velint. Consimiliter Pharisæi suos auditores opinione propriæ iustitiæ inebriarunt, ipsisque persuaserunt, quod meritis suorum operum sitim suam restinguere possint. Sed Christus hic testatur, quod omnium istorum doctrina sit dilutior, quam vt animi sitim in terroribus conscientię sedare & hominem reficere possit. Homo enim etiam honestissimæ vitæ in perpetua relinquitur dubitatione, an vnquam exactissimæ iustitiæ diuinæ satisfecerit: maxime cum omnes iustitiæ nostræ sint coram Domino tanquam pannus menstruatæ. Ies.64.versic.6. Hic vere homines omne argentum & laborem suum expendunt, sed non in saturitate. Christus ergo hic omnes, qui festum celebrarant, qui sacris interfuerant, qui sacrificia obtulerant, ad se vocat: quia tota lex debebat esse pædagogus ad Christum. Gal.3. versic.24. Et vult dicere: hisce ceremoniis & sacris, quæ peregistis, omnibus, saluti vestræ nondum est satisfactum, nisi eam apud me quæratis: qui vobis à Patre factus sum sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. 1. Corinth.1.vers.30. Scitis Dauidem vestrum cecinisse in Psalm.36. vers.10. Apud te Deus est, fons vitæ, & in tuo lumine videbimus lumen. Hic fons vitæ Ego sum, à Deo Patre ad vos in terram demissus, vt ex mea plenitudine omnes acciperetis. Venite ergo & haurite, inebriamini ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis meæ. Ego potabo vos. Scitis Salomonem dixisse. Sapientiam ædificasse sibi domum, immolasse victimas suas, vinum, & proposuisse mensam suam. Prouerb.9.versic.1. Hæc cœlestis Patris sapientia Ego sum. Venite ergo, ò amici mei, bibite & inebriamini charissimi. Cant.5.vers.1. Calix enim hic meus vere inebrians est. Psalm.23.versiculo 5. Haurite aquas de fontibus saluatoris cum gaudio. Ies.12.vers.3. & anima vestra deliciis æternis fruetur atque abundabit. Hic enim est fons ille patens domui Dauid & habitantibus Ierusalem: in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Zach.13. versic.1. Hæc omnia verbi ministri probe attendant, vt homines salutis siti accensos, non remittant ad sua somnia, nec hominum commenta ipsis propinent. Hisce enim sitis non restinguitur, sed acuitur & augetur. Simpliciter ad Christum salutis fontem remittant, si iis in æternum consultum velint.

3. Videmus etiam quomodo ad Christum veniamus, & quodnam is præmium venientibus polliceatur. Nam Christus, quod metaphoricis verbis initio ex Prophetis proposuit, mox planis verbis ipse explicat, de fide & spiritu sancto. Venire ergo ad hunc fontem & bibere, est in Christum credere. Ideo non dicit, *si quis* venit & bibit, sed si quis *credit in me.* Eo ipso autem veram veræ fidei proprietatem exprimit, quæ non obiter aliquid de Christo percipit, & vtcunq; verbis de ipsius notitia gloriatur: sed Christum intra animum suum sic recipit, vt eum retineat, & eius fiducia aduersus omnes tentationes recreetur. Vt enim fons per se quidem profluit, & largam aquam præbet, sitibundis autem non prodest, si aquam saltem intueantur, aut eius prælabentis susurrum auribus hauriant, sed si aquam haustam & potam intra se recipiant, vt ea recreentur. Sic non satis est, nos conciones de Christo audire, opera & miracula eius in verbo intueri, & qualemcunque iis assensum præbere, aut de eorum notitia gloriari: sed necesse est, vt Christum cordi nostro includamus, firmo amore retineamus, & syncera fiducia ipsi innitamur, tum ipsius virtute & spiritu irrigabimur, recreabimur, & in æternum sustentabimur. Ideo addit: *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ:* Qua sententia innuit, in se credentes hunc fructum consecuturos, quod non tantum illorum siti satisfiet: sed etiam tanta vbertate spiritus sancti replẽdi sint ex potatione huius fontis, vt ex ipsis sint flumina profluxura, eaque aquæ viuæ & perpetuo currentis, ad irrigandum & reficiendum etiam alios. Nam copiosa deriuatio ad exteriores, est indicium abundantiæ interioris: Ideo etiam Iohan.4.vers.14. ipse Christus dicit: aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Effectum huius promissi Christi non tantum primitiua vidit Ecclesia, sed etiam adhuc hodie nos eundem sentimus, quando Apostoli, tum alij credentes, Spiritu sancto largissime sunt donati, ita vt & docendo & scribendo aliis fidei saluificæ duces fuerint, insuper honesto exemplo sanctæ vitæ alios ad Christum adduxerint, qui prius eius odio flagrabant. Moueat hoc non tantum ipsos Ecclesiæ Doctores, sed etiam in genere omnes Christianos, vt si de Christo fonte vitæ & salutis se bibisse verbis glorientur, tales se etiam vita & opere commonstrent, vt riuuli tam fidei quam operum, tam pietatis quam charitatis, tam doctrinę quam beneficentiæ ex ipsis dimanent, vnde etiam alij in Christum credendi, Deum glorificandi, & ad salutem contendendi occasionem sumant. Deriuent fontes suos foras, & in plateis aquas diuidant. Prou.5.versic.16. nihilominus Domini suę cisternæ manebunt. Qui vero tam lingua quam vitæ exemplo hunc fontem salutis inficiunt, sicque occasionem præbent, vt homines ad Stygiam paludem, pice & sulphure stagnantem, deueniant, illi suum iudicium portabunt.

Hic vero oritur quæstio apud interpretes: quandoquidem Christus hoc loco Scripturam allegat, loquens de effectu fidei in se, & inquit *sicut scriptura dicit*, vbi scriptura illa legatur? Et quia multi putant talem scripturam nuspiam extare: ideo Chrysostomus & Theophilactus hanc sententiam hoc modo legunt & distinguunt, ac si ita sonaret: *qui credunt in me sicut scriptura dicit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quasi Christus non tantum vellet indicare, scripturam æque fidem in se requirere, atque ipse eam postulat: sed etiam simul demonstrare modum fidei, si ea efficax esse debeat. Quod nimirum non satis sit, quouis modo in Christum credere: sed opus sit vt ita

quisque credat, quemadmodum scriptura modum fidei præscribit. Hic sensus valde pius est, & præbet nobis regulam obseruatu dignissimam. Nimirum nemini concessum esse, vt pro suo arbitrio sibi Messiam fingat, qualem velit: sed talem credat & apprehendat, qualem scripturæ sacræ nobis proponunt. Olim Iudæi magno desiderio Messiam expectabant. Verum, quia illum non talem, qualem scripturæ præscribunt, recipere volebant, sed mundanum regem desiderabant, salutari eius vsu priuati sunt. Sic fere hæretici omnes de Iesu Christo gloriati sunt. Sed quia alij eius diuinitatem, alij humanitatem eiusdem negarunt: alij naturas confuderunt, alij personam distraxerunt, sicque Christum, non iuxta scripturarum descriptionem: sed iuxta proprij cerebri somnia crediderunt, circa fidem naufragium fecerunt. Turcæ quoque Iesum Mariæ filium magnifaciunt, eique Deum animam suam propriam tribuisse, (Azoara.4.) & prophetarum summum constituisse profitentur. Verum quia eundem verum Dei filium esse & opus redemptionis generis humani peregisse, contra scripturam negant, fides ipsorum vana est & inanis. De Papistis idem pronunciare possumus: quod Christum longe alium sibi imaginentur, quam qualem scripturæ describunt. Dicunt ipsum opus habere in terris vicario Pontifice: in cœlis iuxta se admittere sanctos intercessores: non solum pro peccatis mundi satisfecisse, sed etiam nostras satisfactiones requirere: sicque fructum redemtionis eius euacuant. Et hac de causa etiam eorum fidem in Christum falsam esse dicimus. Est ergo hæc regula admodum necessaria, quæ secundum lectionem Chrysostomi ex hac sententia desumitur. Sed si etiam vsitatam lectionem seruamus, & quis quærat, vbinam scriptura testetur, quod flumina viuentis aquæ fluitura sint ex illorum ventre, qui in Christum credant? Et respondemus scripturæ locos supra à nobis allegatos esse, quibus etiam hi addi possunt. Ies.41.vers.18. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Ies.43. vers.19. Ecce ego facio noua: ponam in deserto viam, & in inuio flumina. Ezech.36.versic.25. Effundam super vos aquam mundam. Hæc dicta sufficiant, ad probationem eius, quod Christus hic ex scripturis adducit. Neque enim vbique locorum scripturæ ad litteram, & de verbo ad verbum citantur: sed interdum tantum secundum sensum allegantur, vt in Matthæo videmus.

4. Huic concioni Christi ipse Euangelista subiungit explicationem his verbis: ***Hoc dicit Iesus de spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Nondum erat spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*** Hoc dicto abusi sunt, non tantum veteres hæretici, Sabellius, Macedonius, Eunomius, Eudoxus & in genere πνευματομάχοι, sed etiam parentum nostrorum ætate renouata est hæc secta per Campanum & Anabaptistas, qui negarunt spiritum sanctum esse tertiam personam Trinitatis, eiusdem cum Patre essentiæ & maiestatis: sed esse tantum motus infidelium creatos & propter meritum Christi missos. Quia Iohannes hic dicat: ***spiritus sanctus nondum erat.*** Sed cogitet hic pia mens, si horum argumentatio valeret, quanta absurda secutura essent. Sequeretur enim non tantum pios patres & Prophetas in V.T. & Apostolos in N.T. ante Pentecosten, sed etiam Christum ipsum caruisse Spiritu sancto: imo sequeretur etiam nos hodie, postquam miraculosa illa dona desierunt, eodem carere. Et hoc ipsum quærit diabolus, vt sic omnem consolationem nobis eripiat. Contra hanc ergo hæresin nota sint dicta Genes.1. versic.2. in creatione spiritus Domini ferebatur super aquas. Quod Dauid Psalm.33. vers.6. sic explicat: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Idem Dauid 2.Sam.23.vers.2. testatur, spiritum Domini per se locutum esse, & sermonem eius per linguam ipsius. Item Psalm.143. versic.16. spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam. Et Petrus 1.Epist.c.1.vers.11. item 2.cap.1.v.vlt. testatur de omnibus Prophetis, quod per spiritum scrutati sint Christi passiones & glorias; & quod Spiritu S. inspirati locuti sint. Non ergo loquitur hic Iohannes de existentia vel substantia Spiritus S. sed de miraculosa eius missione in festo Pentecostes, & de publica illa reuelatione Euangelij, per quod plantata est fides in toto terrarum orbe, quod ipsius Spiritus S. opus fuit. Alioquin Iohannes ipse sibi turpiter contradixisset: vtpote qui cap.1. versiculo 32. iam scripserat Baptistam vidisse Spiritum S quasi columbam descendentem de cœlo, & manentem super Christum. Item Iohan.3. versi.6. quod natum est ex spiritu, est Spiritus. Item Iohan.4. versi.23. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Ergo ***Spiritus sanctus*** sic ***nondum erat***, vt nondum fluerent flumina de ventre credentium. Habuit quidem Christus in se fontem vitæ, adeoque ipsum Spiritum S. qui ab ipso & Patre procedit: sed hactenus se continuit in Iudæa, & ad paucos effluxit, sed post ***Christi glorificationem*** per publicam prædicationem Euangelij emanauit in vniuersam terram. Et hic est verus intellectus huius interpretationis Iohannis. Qua ipsa nos docet, scripturam sacram pia expositione declarari debere. Etsi enim ea, quæ in scriptura de fide & salute traduntur, per se plana sunt & aperta: tamen, quia ea multi ex oscitantia non attendunt, aut, si quæ obscuriora sunt, rudiores non assequuntur, ideo Scriptura interpretatione indiget. Quam olim etiam prophetiam appellarunt. In qua tamen cauendum est, ne sit ἰδίας ἐπιλύσεως priuatæ & propriæ interpretationis. 2.Petr.1. versic.20. quin opera danda, vt sit analoga fidei. Rom.12. versic.6. Non importemus in scripturam sensus nostros, vt cogatur illa quasi id docere, quod nos volumus: sed verum sensum ex scriptura desumamus, obscuriora per apertiora declaremus, & scripturas per scripturas interpretantes, non facile ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ πρὸς διάνοιαν, à literali sensu ad allegoricum vel figuratum deflectamus, nisi manifesta absurda in articulos fidei impingentia nos id facere cogant.

II. Videamus etiam fructum & efficaciam huius concionis Christi, eam autem Euangelista diuersam, pro diuersitate ingeniorum vulgi, fuisse testatur. 1. ***Multi de turba audientes hunc sermonem***, plenum cœlesti doctrina: commoti tam verborum celsitudine, quam dicentis efficacia, dixerunt, ***hic est vere Propheta.*** Hi aut vulgarem prophetam esse arbitrati sunt: aut, quia in Græco additur articulus ὁ, respiciunt ad locum Mosis Deuter.18 vers.18. 2. Alij dixerunt: ***hic est Christus***, promissus nimirum ille populi sui vindex & redemptor. Quid vero inter has duas opiniones interest? In fundamento nihil: præterquam quod Iudæi ex crassa ignorantia non intelligebant, à Mose obscurioribus illis temporibus Prophetam dictum fuisse eundem, qui postea à Dauide & aliis Prophetis, cum propius ad exortum Solis iustitiæ accederent, Messias dictus est. 3. His rursus alij contradicebant: ***num à Galilæa Christus veniet? an non veniet ex Bethlehem vbi Dauid erat?*** Offenduntur hi, quod putet Iesum esse Nazarenum Galilæum, & huic opponunt, quod Mich.5 vers.1. ex Bethlehem dux populi exiturus prædictus est. Sed si veritatis amore ipsi ducti fuissent, facile animis ipsorum hic scrupulus exemptus fuisset. Nam & à Christo ipso, & ab eius familiaribus cognoscere potuissent, ipsum non Nazarethi, sed Bethlehemi natum fuisse. Cognoscere potuissent, ipsum ex familia & domo Dauidis esse oriundum. Sed hi veritatem non deposcunt, verum prætextus quærunt, cur in hunc Iesum credere nolint. Nathanael Iohan.1. vers.46. quoque fuit offensus eo, quod audit Iesum esse à Nazareth: sed motus signis accedit, inquirit, & ad fidem in Christum pertractus est. Si etiam hi veritatis studiosi fuissent, & Christum eius inquirendæ causa adiissent, Christus ipsis non defuisset. Sed 4. his fuerunt peiores illi, qui ***ipsum volebant apprehendere.*** Hi sunt verissima Satanæ organa, qui si verbis & mendaciis veros doctores refutare nequeunt, manifesta vi carceribus & suppliciis eos extinguere nituntur. Sed non semper possunt, quod volunt. Nam & hic diuina virtute ipsorum conatus est repressus: adeo vt satellites re infecta ad suos dominos redierint. Nam ***nemo coniecit in eum manus.***

Monstrant nobis hæc, quæ sit sors Euangelij prædicati: nimirum, quod ***schisma seu dissidium*** oritur inter auditores: aliis illud approbantibus, aliis reprobantibus: aliis firma fide apprehendentibus, aliis simul suas superstitiones fouentibus. Et hic fere culpa conijcitur in ipsum Euangelium, quasi illud schismata plantet: cum illud ab hac culpa sit alienissimum, vtpote quod passim fidei vnitatem & charitatis studium inculcet. Primaria itaque causa dissidiorum est ipse Diabolus, qui hac in parte abutitur improbitate ingeniorum humanorum, vt hæc ab inuicem ex vitiosa naturæ inclinatione dissidentia, Euangelij occasione abutantur, ad virus animi sui euomendum. Sic ergo Euangelium per accidens potest esse causa schismatum. Quemadmodum enim pharmacum aliquod generosum & salubre, in corpore humano non gignit vitiosos humores, sed illos iam ante collectos eiicit, ne progressu temporis interitum toti corpori attrahant: ita Euangelium occasionem præbet, vt praua ingenia, quæ in cœtu aliquo latitant, maturius dissimulatam animi improbitatem produnt, suo tumultu Ecclesiæ corpus concutiant, & interiora eius lancinent, totum illud ad interitum adducturi, nisi mature à nobis exirent, qui nunquam vere fuerunt ex nobis. 1.Ioh.2.vers.19. Causæ adiuuantes schismatum sunt, partim turpis ignauia malorum antistitum, partim ignorantia populi, partim scelerata malitia perditorum hominum. Has causas omnes hic textus oculis nostris spectandas exhibet. Ex ignauia Pontificum & Leuitarum prouenit, quod populus distinguit inter magnum illum prophetam & Messiam. Si sacerdotes, quorum labia scientiam custodire, & os eorum legem Domini enarrare debebat, Mal.2.vers.7. sacram scripturam in manus

manus sumpsissent, & ex ea ordine populo monstrassent, quomodo paulatim Messiæ promissiones clariores atque clariores editæ fuissent: quomodo subinde aliis atque aliis nominibus ipsius multiplicia beneficia inculcata fuissent, nunquam tanta inscitia is laborasset. Nam qui initio dicebatur semen mulieris & semen Abrahæ, is à Iacobo dictus est Goel redemptor, angelus & legatus Domini, Genes.48. vers.16. Schiloh Gen.49. vers.10. à Mose Propheta magnus Deuter. 18.versi.18.à Dauide Messias, Psalm.2.versic.2.Rex.versi.16.ab Iesaia, Immanuel, Ies.7.versic.8.à Ieremia, Iehoua, iustitia nostra. Ier.23.vers.6.& 33.vers.14. & sic deinceps. Neque enim nobis propositum est, in præsentia omnia Messiæ epitheta persequi. Hoc tamen certum est, vt dixi, si sacerdotes hæc saltem epitheta dextra explicatione populo proposuissent, non is in tam insulsas disceptationes de Messia incidisset. Deinde ex hac supina Antistitum socordia, sequitur in populo crassa ignorantia, vt nihil eorum intelligant, quæ fundamenta religionis concernunt. Hæc vbi dominatur, facillime populus in diuersas opiniones scinditur: vt, quot capita sunt, tot etiam sensus reperiantur. Hoc etiam Maiorum nostrorum temporibus sub Papatu accidit. Quod quemadmodum hic Iudæi pueriliter delirant, in præcipuo religionis articulo, qui omnibus notissimus esse debebat: ita sub Papatu paucissimos reperire licuit, qui verum sensum Decalogi, vel Symboli Apostolici, vel orationis Dominicæ tenuissent. Quid ergo mirum, quod inter tales dissidia & partium studia oriuntur, quando per prædicationem Euangelij ipsis de religione disserendi occasio præbetur? His denique accedit, quod quidam scripturis male detortis abutuntur. Arripiunt alicubi particulam aliquam inepte intellectam, & illam contra sanam doctrinam detorquent: non attendunt, quibus in locis vera sedes cuiusque articuli inueniatur: nec obseruant, quod scriptura est vna Copulatiua, nec vnus articulus ab altero dirimi, aut contra alterum produci debeat. Sic Iesuitæ multum de iustificatione disputant, sepositis epistolis Pauli ad Romanos, & ad Galatas, in quibus tamen hic Articulus solidissime est tractatus. Ita Sacramentarij, de sacra Domini cœna disputant, partim ex V.T. partim ex 6.cap.Iohannis, neglectis interea verbis Institutionis, quæ ipsissimâ & propria sunt sedes huius materiæ. Verbi itaque præcones in docendo sint seduli, auditores in discendo assidui, & singuli verum Scripturæ sensum ex fundamentis solide percipere discant: tum Domini Spiritus largietur, vt coniunctim in vnitate fidei crescant, idem sentiant, eadem mente & sententia sint præditi, nec inter ipsos sint schismata.1.Corinth.1.v.10.

III. Sed concilium, quod Pontifices & Pharisæi eodem die Hierosolymis contra Iesum coegerant, quoque est inspiciendum. 1. Et primo quidem satellites seu *ministros* consideremus, qui *ad Pontifices & Pharisæos venerunt* in Concilium. Dignum profecto patella operculum. Sanguinarij Pontifices Iesum Dei filium in templo audire fastidiunt: digni ergo sunt, qui in Concilio suo apparitores & lictores, qui sontes ad vincula trahunt, audiant. Sicuti Romanenses Episcopi in suis conciliabulis sæpenumero plures lictores & carnifices, quam viros bonos, habuerunt. Veluti factum est in Obstantiensi concilio, in quo Iohannem Hussum & Hieronymum Pragensem, duos viros toto Concilio præstantiores exusserunt. Cum his suis fidelibus dilectis quid Iudæorum pontifices egerunt? Expostulant cum ipsis, inquirentes: *quare non adduxistis illum*? Dubium non est hosce ministros per singulos dies emissos fuisse, vt occasiones obseruarent, quando commodissime in vincula Iesum trahere possent. Et quod reliquos dies ministri frustra abire passi sunt, illud pontifices vtcunque patienter tulerunt, ob festi sanctitatem. At quod iam finito festo illum non adducunt, inique ferunt, metuentes ne cum reliquis peregrinis discedens ex manibus suis elaberetur. Sed ministri se excusantes respondent: *Nunquam homo sic locutus est, vt hic homo*: Prætendunt doctrinæ ipsius, cuius etiam reliquis diebus auditores sine dubio fuerunt, gratiam & grauitatem, ob quam iniquum esse iudicauerint, vt contumeliosi quid pateretur. Voluerunt ergo dicere: Audiuimus etiam antehac Scribas legem tractantes, sed tanta gratia non fuit diffusa in ipsorum labiis, quanta in huius. Docuit hic quasi habens autoritatem, Matt.7.vers.vlt. vnde tanta efficacia perculit nostros animos, vt nihil hostile in ipsum tentare potuerimus. Quod ergo imperata non fecimus, illud non intermisimus vel metu multitudinis, vel alia aliqua de causa, sed tantum quia reluctantibus animis tanto Doctori manus inijcere non potuimus. Obserua hic virtutem & efficaciam verbi diuini, quæ tanta est vt eius ministerio hic satellites, immite hominum genus, & ad omne facinus mercenarium, non tantum animos suos mutent, sed etiam non vereantur Christo Iesu coram suis Dominis gloriosum testimonium doctrinæ præbere. An non hæc est mutatio dextræ Excelsi? Ps.77. vers.11. Nam qui ad capiendum Christum egressi fuerant, ab ipsa grauitate doctrinæ capiuntur. Sic Saulus Damascum ad vastandam Ecclesiam Christi missus: eiusdem virtute in Apostolum commutatus redit. Act.9.versic.6. In eo tamen hi ministri peccarunt, quod in illorum seruitio manserunt, quos Iesum, quem ipsi cum admiratione docentem audiuerunt, hostiliter persequi nossent. Sed absque dubio, si quis hoc in ipsis reprehendisset, prætendisset, se nullam aliam, quam apud hosce Pontifices commodam viuendi rationem habere posse. Horum similes sunt apud pontificios illi, quorum oculis quidem purior Euangelij lux affulsit, sed ne rei domesticæ damnum patiantur, priuati commodi & ventris causa apud ollas Pontificias desident: vbi multa audire, multa dissimulare, ad multa tacere coguntur, quæ cum conscientia sua pugnare, negare non possunt.

2. Pontifices & Pharisæi, licet hoc satellitum responso grauissime fuerint offensi: animi tamen furorem, ne illos prorsus à se alienent, dissimulant, & ministris mitius respondent; dicentes: Quid vobis accidit? *Num & vos seducti estis? Num quis ex principibus aut pharisæis credidit in eum*? VOS, qui nobis familiares estis, & ex quotidiana conuersatione nobiscum præ aliis proficere debebatis, nouistis, Deum iudicium de doctrina non effreni multitudini, sed Deut.17.vers.9. sacerdotibus, doctoribus, atque sic literatoribus commisisse. Apud vos igitur perpendere debebatis, quod nullus principum vel pharisæorum, apud quos est legis cognitio, in ipsum credit: certe in ipsum credituri, nisi persuasum haberent ipsius doctrinam cum lege Mosaica pugnare. Hos ergo tanquam doctos & sanctos potius sequi debebatis, quam turbam, quæ legis ignara, *execrabilis est* & maledicta. Sic choleram suam in turbas effundunt, quam ergo ministros, ne eos alieniores redderent, celant, & turbis ob legis ignorantiam maledicunt. Si vero hę propterea Deo execrabiles sunt, quæso per Deum cuius culpa id fuit? An non ipsorum Pontificum & Sacerdotum? quorum labia scientiam custodire debebant, vt populus legem Domini ex ore ipsorum requireret. Mal.2.vers.7. Quia vero hi canes fuerunt muti, ipsorum culpa plebs minus nouit de lege Domini, quam salus ipsius postulabat. Ex his ergo animaduertamus quantus sit fastus eorum, qui ipsi sibi placent de sapientia & sanctitate: vt omnes præ se fastidiose contemnant, veluti rudes & maledictos, ac solum suum institutum sacrosanctum esse velint: illud sufficere existimantes, vt iustum & rectum habeatur id, quod ipsi sic haberi velint. Et quod hic Concilium ministris obiicit, *num quis ex principibus credit in Iesum*? idem nobis Pontificij obiiciunt. Volunt vt inter se conferamus Euangelij sectatores, & pseudocatholicos. An non ex nostris partibus, inquiunt, stant Imperatores, reges, principes, pontifices, Cardinales, Episcopi, homines doctrina, sapientia, dignitate, sanctimoniæ existimatione illustres? Hos ne pro stipitibus habetis? Anne eos nulla salutis cura affici putatis? sic quid solidi subesset vestro Euangelio, ipsi præ aliis illud suscepturi essent. At cerdones, sutores, sartores, agricolæ vestro Euangelio adhærent: & si qui nobiles aut principes ei se adiungunt, vel id propterea faciunt, quia obærati student inuolare in bona Ecclesiastica & iis ditari, aut Baccho & Veneri studere cupientes, apud vos liberiorem auram quærunt. Idem etiam Caluiniani nobis obiicere didicerunt. Vos Lutherani, dicunt, exiguum angulum occupatis in Saxonia & Sueuia, & paucos adstipulatores habetis. Nostræ vero doctrinæ subscribunt Gallicæ, Polonicæ, Hungaricæ, Anglicanæ, Scoticæ, Helueticæ, Belgicæ & aliæ Ecclesiæ, quarum doctores, neque eruditionis neque sanctimoniæ nomine vobis Lutheranis cedunt Sed ô bone Iesu, quot boni viri in illis Ecclesiis inueniuntur, qui si citra calumnias nostræ doctrinæ explicationem audirent, nequaquam eam damnaturi, sed benigne amplexuri essent. Sed esto, illos omnes nostram doctrinam reiicere: nos tamen scimus in religionis negotio nullam hominum authoritatem valere, nisi Dei verbo ea confirmetur. Ac proinde thrasonicis vtriusque partis gloriationibus opponimus dictum Christi Matth.11.vers.25. Gratias ago tibi Pater, Domine cœli & terræ, quod hæc absconderis sapientibus & intelligentibus, & reuelaris ea paruulis.

3. Et toto tamen Concilij cœtu surgit vnicus *Nicodemus*, qui quidem non aperte & directe Christum defendit, sed politica tantum ratione vtitur, qua cuiuis etiam scelerato patrocinari potuisset: ea tamen tantum efficit, vt totum Concilium non sine confusione disturbetur. Hic Nicodemus Iohan.3. versic.1. à Christo fuit institutus de negotio redemptionis & regenerationis hominum, atque sic semina quædam fidei acceperit. Sed hæc occulta & quasi sepulta mansere, ob timiditatem, donec post passionem erumperent, Ioh 19.versiculo 39. quando fugientibus & occultantibus se magnis Apostolis, hic Nicodemus in publicum prodiit, & Iesum crucifixum honeste sepeliendo fidem suam omnibus conspicuam reddidit.

Quia ergo Nicodemus à Christo recte institutus, & agnoscens Iesum esse Magistrum à Deo missum, tamen mansit in Synedrio Iudæorum: quæritur, an hoc ipsius factum sit imitandum? Et hic in vtramque partem probabilia argumenta afferri possunt: aliis ipsius factum, tanquam cum Christi doctrina Matthæi 10.vers.32.pugnans,improbantibus: aliis vero, tanquam quod Christo multum hic profuerit, probantibus. Et horum ipso facto satis amplus est numerus,vt peculiarem sectam Nicodemitarum constituant. Ego iudico difficile esse ex hoc vnico exemplo generalem regulam ponere, quæ singulis indiuiduis accommodari possit.Vt enim vnicus calceus minime omnium pedibus adaptari potest: ita nec talia exempla. Deus suos diuersimode ducit. 1. Qui verum gustum cognitionis Christi perceperunt, illi rectissime faciunt, si ab hostibus veritatis recta prorsus recedant, iuxta præceptum Domini Ies.52.versi.11.& Apocal.18.versic.4. sic vna molestia discessus superata à multis molestiis aliis liberantur,quas quotidie deuorare coguntur, dum desident inter illos, qui dies noctesque contra Christum consulant. 2. Hic vero interdum aliquibus omnes occasiones exeundi sunt præclusæ, vt quasi compedibus irretiti contra animi voluntatem apud eos desidere cogantur, de quibus cum Dauide dicere possent ex Psalm.120.versi.5. Heu mihi quod incolatus meus prolongatus est in Mesech & Cedar: multum incola fuit anima mea, cum his qui oderunt pacem. Erga tales patientia est habenda,& Deus rogandus,vt ipsos vel tandem liberet. 3. Interim hi caueant, ne quicquam vel loquantur vel faciant contra veritatem, quo conscientiam suam grauare possent. Ea enim ratione non infirmi Nicodemitæ,sed turpes Christi abnegatores futuri essent. 4. Dent denique operam, ne perpetuo clam latitent, sed vel tandem cum Nicodemo prodeant, & publicæ suæ fidei confessionem edant, in gloriam Dei & aliorum confirmationem. Si tales se gesserint,tum tales Nicodemi ad tempus tolerari possunt: & Deus illorum timiditate suo tempore bene vti potest, sicuti hic cum Nicodemo fecit. Nam quod talis euentus secutus sit, illud non Nicodemi timiditati, sed Dei bonitati adscribendum est.

Quid ergo Nicodemus fecit? Dixit: *num lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit, quid faciat?* Quasi dicat. Nos legem profitemur, & vos de eius singulari cognitione gloriamini, turbam ob legis ignorantiam execrantes. Verum attendite ipsi, num legi quam profitemur conueniat, quod Iesum nec auditum, nec conuictum ad interitum quæritis. Hæc certe causas omnes quam diligentissime cognoscere, tam paruum quam magnum audire, nec quenquam inaudita causa damnare iubet. Hæc dicendo Nicodemus respexit ad locum Exod.23.versic.1.Vocem mendacij non suscipies.Leuit.19.vers.15. Non facies quod iniquum est,nec iniuste iudicabis: non consideres personam pauperis, neque vultum potentis.Deut.17.versiculo 4. iubet diligenter inquirere,vt verum possint reperire.Hæc fuit Nicodemi sententia Concilij iniustis conatibus opposita.

Ex his vero videmus, Deum vbique habere suos, in turba, in aulis inter ministros Pontificum,in hostili Conciliabulo. In aula Pharaonis habuit Mosen: in aula Achabis Obadiam: in Monarchia Babylonica Danielem & socios. Hic inter Iudæos Nicodemum & postea Iosephum de Arimathia. Phil. 4.versiculo 22.sanctos in ipsa domo Neronis. Et sic deinceps. Agnoscamus ex his Dei bonitatem, & bene speremus,si maxime quam plurimi in excidium Ecclesiæ conspirasse videantur. Deus mox inter medios hostes nobis patronos excitare potest. 2. Videmus etiam verbum Dei sensim fructificare, vt habet parabola Marc.4.versiculo 27. In Nicodemo semen verbi diuini in quartum vsque annum delituit, antequam plene fructificaret.Non ergo mox desperemus de iis qui non protinus in omnibus verbum auditum exequuntur.Etsi enim ipsorum tarditas nequaquam laudem meretur: suo tamen tempore Deus ita ipsos excitare potest, vt tarditas illa postea fidei feruore compensetur. 3. Videmus etiam vnum hominem toti Concilio sese opponere posse: si ipse Dei verbo sit instructus, illi autem ab eo recedant. Nam quod hic Nicodemus fecit, idem fecit Helias, 1.Regum 18.versic.20. propheta Michæas,1.Reg.22.versicul.13.Paphnutius Diaconus in Concilio Niceno contra legem impuri cœlibatus. Athanasius contra Arrianos & omnes eorum patronos. 4. Iudices etiam hic sui officij à Nicodemo admonentur: cuius admonitionis tria membra ex hoc loco desumi possunt. 1. Vt non tantum accusatores,sed etiam reos audiant. Iuxta illud Græcorum ἀμφοῖν ἀκούειν: & Alexandri Magni exemplum,qui in iudicio alteram aurem obturare solebat, vt eam reo integram reseruaret.Qui vero à delatoribus præiudiciis se præoccupari patiuntur, illi facile & turpiter decipiuntur. Quod multoties in aulis fieri solet. 2. Causam cum omnibus suis circumstantiis diligenter expendant. Si enim festinatio vspiam,certe in iudiciis & consiliis vel maxime perniciosa est. Vbi sæpenumero vel cum ingenti suo dedecore latam sententiam retractare, vel contra conscientiam & ius innocentem personam grauare coguntur. 3. Tandem talis sententia feratur,quæ legum authoritate & rectitudine nitatur. Qui enim extra & præter leges iuxta cerebri sui sensa pronunciare solet, is potius intolerabilis tyranni, quam legitimi magistratus vel iudicis personam sustinet. 5. Denique hæc phrasis notanda est, *num lex nostra iudicat hominem non auditum?* Vbi lex iudicare,audire & cognoscere dicitur, quando homo secundum eam iudicat,audit & cognoscit. Hinc iudicent piæ mentes, quæ peruersitas, nequitia & petulantia innominati cuiusdam Iesuitæ (cuius nomen in Orco adscriptum est) in Ratisponensi Colloquio fuerit, quod ἀναφανδὸν affirmare ausus fuit, Spiritum sanctum iudicis sententiam pronunciare non posse, licet secundum Scripturam à Doctoribus iudicium instituatur.Hic multis sarcasmis non homines,sed ipsum Spiritum sanctum explosit. Sed iudicent,quicunque iudicare possunt, si legi inanimatæ iudiciaria potestas adscribitur, quo iure eadem Spiritui sancto,tertiæ personæ sacrosanctæ Trinitatis,quæ præsens tractationi sacri verbi interest,adimi possit. Hæc omnia latius extendi possent: sed breuiter ea monuisse sufficiat.

4. Quomodo vero Nicodemus cum admonitione sua à collegis Concilio exceptus fuit?Non aperte Christum defenderat,sed tantum politica ratione eos sui muneris commonefecerat: ipsi vero excandescentes conuitio eum excipiunt, quasi non ex pio zelo erga legem,sed ex nimis benigno erga Iesum affectu hæc dixerit. *Num & tu Galilæus es?* inquiunt. Quia Galilæa passim contemta & infamis erat, omnes Iesu sectatores *Galilæorum* nomine diffamare cœperunt. In quo Iulianus Apostata eos imitatus est, Dominum Iesum Christum non nisi *Galilæi* nomine appellans: quem tamen vel inuitus tandem victorem agnoscere coactus est. Pharisæi autem,ne citra iustam causam Galilæam traduxisse viderentur, addunt: *scrutare, & vide,quod à Galilæa propheta non surrexit.* O elumbe Argumentum: Esto,quod ante ista tempora nullus Propheta ex Galilæa prodierit: num vero Dei manus decurtata fuit, quod nec tum, nec posterioribus temporib. Prophetam ex Galilæa dare potuerit? *Sed æquum est,vt talibus* turpibus paralogismis seipsos confundant,qui veritati bellum indixerunt. Hinc discamus. 1. proteruum esse, hominem alioquin pium & bonum patriæ suæ nomine exagitare.Sicuti quidam aliis obiiciunt, quod hic sit Sueuus, ille Bohemus, tertius Belga, quartus Anglus vel Scotus, quintus Belga vel Gallus,& sic deinceps.Habent quidem fere singulæ nationes certa sua & quasi innata vitia.Sed si quis sit Christianus & vir bonus, à vitiis abstinens, quid opus est ei patriam obiicere? Cum iuxta Paulum, nec Iudæus sit, nec gentilis, nec seruus, nec liber,nec Sueuus,nec Anglus.Sed in Christo Iesu omnes sint vnum. Gal.3.v.27.& Colos.3.v.11. 2. Interim Nicodemitæ hinc etiam discant, se parum proficere, quod fidei suæ confessionem studiose tegunt. Nam si vel saltem *leuem* aliquam de se suspicionem præbeant, fere in maiori sunt periculo inter hostes, quam si publica professione se ab ipsis seiungerent.

5. Postremo ridiculus huius Concilij exitus tribus verbis describitur: *& profectus est vnusquisque in domum suam.* Parturiunt montes,nascetur ridiculus mus. Concilium nihil aliud præterquam minas & sanguinem aduersus Iesum spirabat. Sed ecce,vnius hominis eiusque dissimulatoris æqua & ciuili oratione sic percelluntur,vt totum Concilium disturbetur,& singuli non sine magna animi ægritudine domum infecta re redierint. Illustre hoc est exemplum,quod docet,verum esse illud Salomonis Prou.21.v.30. non est consilium,non prudentia,nec sapientia aduersus Dominum. Aut enim in vanum conueniunt eiusmodi veritatis hostes, aduersus Dominum & aduersus Christum eius: Psalm.2.v.2.aut si maxime quid concludant,tamen Deus impedit ne executioni detur.Iuxta illud Ies.8.v.10.Inite consilium,& dissipabitur:loquimini verbum, & non fiet:quia hic Immanuel. Quoties Tridentinum Conciliabulum vel peste,vel rumoribus belli fuit dissipatum? Et licet vel tandem Canones & Decreta sua confecerint & publicarint:iis tamen ipsis pudendam Romanæ suæ Thaidis turpitudinem conspiciendam præbuerunt,& ne hodie quidem, licet magno conatu id tentarint, sua decreta executioni dare potuerunt. Permoueat hoc nos,vt de rebus Ecclesiæ non facile desperemus. Etsi enim hostium dignitas, authoritas,potentia & vis magna est: maior tamen est Christi Domini maiestas,qui sedens ad dexteram Patris,vnico flatu omnia ipsorum consilia & conatus dissipare potest.

CAPVT

CAPVT C.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM ADVLTERÆ AD CHRISTVM à Pharisæis adductæ. Iohan. 8. v. 1.

RATIO ORDINIS.

QVia Dominus Iesus Luc. 9. versic. 51. faciem suam firmauerat, vt iret Hierosolymam, noluit statim finito festo tabernaculorum cum reliquis peregrinis discedere. Sed partim Hierosolymis, partim in eius vicinia, in terra Iudæa hæsit, vsque ad festum Encœniorum. Quodam igitur die post festum tabernaculorum, cum doceret populum, facta est in templo historia de adducta ad Christum adultera, in ipso facinore deprehensa. Quam historiam Latina Ecclesia semper recepit. Est enim analogia fidei, & pulcherrimam doctrinam continet, si statum disputationis inter Christum & Pharisæos recte consideremus. Pharisæi enim ęgre ferebant, quod Christus peccatores pœnitentes, quos lex damnabat, susciperet. Adulteram ergo in ipso facinore deprehensam adducunt: vt si etiam hanc reciperet, infami hoc exemplo apud populum euincere possent, eum legis esse aduersarium. Christus vero peculiari ratione ostendit, legem accusare & damnare non tantum hanc adulteram, sed ipsos etiam Pharisæos. Et Messię officium in Euangelio esse, non damnare pœnitentiam agentes, sed saluare. Vt autem simul & hoc ostendat, se non probare peccata, addit commonefactionem de non amplius peccando. Hac consideratione status adhibita, historia plana erit, quam per singulas partes videbimus.

HISTORIA ADVLTERÆ AD IESVM adductæ. Iohan. 8. cap.

1. Ἰησοῦς δὲ ἐπορεύθη εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν.	1. *Iesus autem perrexit in montem Oliuarum.*
2. Ὄρθρου δὲ πάλιν παρεγένετο εἰς τὸ ἱερὸν, καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἤρχετο πρὸς αὐτὸν, καὶ καθίσας ἐδίδασκεν αὐτούς.	2. *Et diluculo iterum venit in templum, cunctusque populus venit ad eum, & sedens docebat eos,*
3. Ἄγουσι δὲ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι πρὸς αὐτὸν γυναῖκα ἐν μοιχείᾳ κατειλημμένην. καὶ στήσαντες αὐτὴν ἐν μέσῳ,	3. *Adducunt autem ad eum Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam. Et statuentes eam in medio.*
4. Λέγουσιν αὐτῷ, Διδάσκαλε, αὕτη ἡ γυνὴ κατειλήφθη ἐπ' αὐτοφόρῳ μοιχευομένη.	4. *Dicunt ei, Magister, hæc mulier deprehensa est in ipso adulterio.*
5. Ἐν δὲ τῷ νόμῳ Μωσῆς ἡμῖν ἐνετείλατο τὰς τοιαύτας λιθοβολεῖσθαι. σὺ οὖν τί λέγεις;	5. *In lege autem Moses præcepit nobis, vt huiusmodi lapidarentur. Tu ergo quid dicis?*
6. Τοῦτο δὲ ἔλεγον πειράζοντες αὐτὸν, ἵνα ἔχωσι κατηγορεῖν αὐτοῦ. Ὁ δὲ Ἰησοῦς κάτω κύψας τῷ δακτύλῳ ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν.	6. *Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. Iesus autem inclinatus se deorsim digito scribebat in terra.*
7. Ὡς δὲ ἐπέμενον ἐρωτῶντες αὐτὸν, καὶ ἀνακύψας εἶπε πρὸς αὐτοὺς, Ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν, πρῶτος τὸν λίθον ἐπ' αὐτῇ βαλέτω.	7. *Cum autem perseuerarent interrogare, erexit se, & dixit eis, Quis vestrum immunis est à peccato, primus in illam lapidem iaciat.*
8. Καὶ πάλιν κάτω κύψας, ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν.	8. *Et iterum se inclinans, scribebat in terra.*
9. Οἱ δὲ ἀκούσαντες, ἐξήρχοντο καθ' εἷς, ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων· καὶ κατελείφθη μόνος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἡ γυνὴ ἐν μέσῳ ἑστῶσα.	9. *Audientes autem hæc singulatim, alius post alium exibant, initio facto à senioribus: & relictus est solus Iesus, ac mulier in medio stans.*
10. Ἀνακύψας δὲ ὁ Ἰησοῦς, καὶ μηδένα θεασάμενος, πλὴν τῆς γυναικὸς, εἶπεν, Ἡ γυνὴ, ποῦ εἰσιν ἐκεῖνοι οἱ κατήγοροί σου; οὐδείς σε κατέκρινεν;	10. *Cum autem erexisset se Iesus, & neminem videret præter mulierem, dixit ei, Mulier, vbi sunt illi tui accusatores? Nemo te condemnauit?*
11. Ἡ δὲ εἶπεν, οὐδεὶς Κύριε. Εἶπε δὲ αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω· πορεύου, καὶ μηκέτι ἁμάρτανε.	11. *Quæ dixit, Nemo Domine. Dixit autem Iesus, Nec ego te condemno, vade, & posthac ne peccaueris.*

Periocha huius historiæ.

GRæci hanc historiam non legerunt. Chrysostomus & Theophilactus integros in hunc Euangelistam scripsere commentarios, sed hanc historiam non explicarunt. Cyrillus & Nonius eam quoque omiserunt. Hieronymus lib. 2. cōtra Pelagianos testatur hanc historiam quoq; non in omnibus Latinis codicibus extare. Quin & in Syriaca noui Testamenti editione non habetur. Eusebius lib. 3. Ecclesiasticæ historiæ sub finem affirmat, hanc historiam à Papia Iohannis discipulo conscriptam, & ex Euangelio quod secundum Hebræos dicitur allatam esse. Quæ nos omnia suo relinquimus loco, cum, quod vulgo dicitur, præsente viso, non opus sit inuestigare vestigia. Tota historia est mirifice consolatoria afflictis conscientiis: siquidem videt, ne infamem quidem adulteram à Christo reiici, modo agat pœnitentiam. Nos singulas partes diligentius expendamus.

I. Ante omnia Euangelista ponit *μετάβασιν* & transitum ostendens se continuationem historiæ scribere. Cum igitur, vt in præcedentibus audiuimus, non tantum ministri Christum non prehendissent, sed etiam Iudaicum Concilium dilapsum esset, noluit Christus in ingrata & sanguinaria vrbe pernoctare. Sciuit enim se tutum hospitium in ea habere non posse. Nec vnquam posthac Hierosolymis pernoctauit, excepta nocte passionis: quod mysterio non caret. Proinde vesperi *perrexit in montem oliuarum.* Sita erat ad radicem huius montis Bethania, quo Matth. 21. vers. 17. & Marc. 11. vers. 11. abiisse dicitur: fuit etiam ibi Bethphage, & Gethsemane, vbi diuerti potuit. Luc. 21. versic. 37. dicitur, quod in ipso monte moratus sit. Vnde Luc. 22. versicul. 39. dicitur, quod secundum consuetudinem suam egressus sit in montem oliuarum. Hunc secessum quæsiuit, partim vt necessaria quiete, membra diurno docendi labore defatigata recrearet, partim vt precationibus eo liberius vacare posset. Mox autem *diluculo iterum venit in templum.* Etsi enim ciues Hierosolymitani adeo ingrati erant, vt propter metum principum nemo eum in domum suam recipere auderet: ipse tamen à benefaciendo cessare non vult, Pharisæorum etiam conspirationes nihili faciens, modo populi salutem promouere possit. *Populus* vero *cunctus*, suauitate doctrinę Iesu, quam in elapso tabernaculorum festo ex ipso audierat, pellectus *venit ad eum.* Quemadmodum enim pueri, postquam semel mellis dulcedinem delibarunt, illud iterum atque iterum degustare ardētius optant: ita etiam hi, postquam gustarunt & viderunt quam suauis sit Dominus, ab eius ore diuelli se non patiuntur. Dominus populi ardorem videns, cum pio suo desiderię

fraudari noluit, sed *sedens docebat eos*, & salutari pabulo verbi diuini esurientes ipsorum animas recreabat.

Hoc Christi exemplum diligenti consideratione dignum est. Christus noctem precationibus & meditationibus, diem doctrinæ consecrauit. Hoc imitentur verbi ministri, quo horas omnes bene locent. Ora & labora, sic breuis erit omnis hora, dixere veteres. Quando à labore docendi in Ecclesia liberati sunt, non se protinus inerti ocio dedant, sed secessus etiam suos piis & sacris meditationibus consecrent. 2. Sicuti autem Christus tam orans quam docens non sibi laborauit. Eius enim gloriæ & regno æterno nihil accedere potuit. Sed omnia eo direxit, vt publica populi salus promoueretur. Ita tam verbi ministri, quam populi magistratus, imo etiam patresfamilias, hunc scopum sibi præfixum habere debent, ne vllam occasionem intermittant, qua Ecclesiæ & populi vel familiæ suæ salutem promouere, & de singulis bene mereri possint. Hac in parte vt singuli diligentes sint, ipsos permouere debet, cum officij sui dignitas, quæ non vulgaris est, quod ipse Deus aliis eos præfecit, quos in infimo loco relinquere potuisset, tum graue periculum quod Satanas quotidie fidei ipsorum commissis struit. Qui tanquam leo rugiens indesinenter obambulat, quærens quos deuoret, 1. Pet. 5. versi. 8. Cum ergo Ecclesiarum ouiculæ, Rerumpublicarum subditi, singularum ædium pueri, simpliciores sint, quam qui illi resistere queant, eorum præfecti pro salute ipsorum vigilent. Si vero hi pro aliis vigilare debent, quanto magis & æquum & necessarium est, vt singuli sibiipsis quoque prospiciant, ne vel Satanæ dolis, vel mundi exemplo, vel propriæ carnis affectibus à salutis suæ via se abstrahi patiantur. 3. Populi quoque feruor & studium commendatione dignum est. Norant principes suos sanguinaria consilia aduersus Iesum tractare: non tamen hæc se permouere patiuntur, quo minus eum audiant. Neque hic eos absterret contemptibilis Iesu Christi persona, quem omnes fabri saltem filium putabant, dum interim Rabini magnificis titulis seipsos ornarent, & de perpetua Leuitici ordinis successione gloriarentur. Hæc populus non spectat, sufficit ipsi, quod singuli sentiunt se ex hoc Iesu audire doctrinam æternæ salutis, ac proinde summo mane, dum Rabbini fortassis ceremoniis intenti fuerunt, ad audiendum Iesum confluunt. Horum, vt & Maiorum nostrorum feruor, quem circa principium orientis Euangelij habuerunt, nostrorum hominum languorem condemnabit, qui mille excusationes excogitare norunt, ob quas conciones verbi negligunt. Periculum itaque est, ne iusto Dei iudicio ob hominum nostrorum negligentiam Euangelij puritatem amittamus. Non quod quisquam Euangelium nobis rapere velit, sed quod ipsi propria negligentia illud ex manibus excidere patiamur. 4. Facies quoque Ecclesiæ Christi hic adumbratur, ad quam mere plebei & nullius in hoc mundo authoritatis homines aggregantur. Neque enim Euangelista principum, vel sacerdotum vel scribarum, sed tantum *populi* mentionem facit. Non quod diuites & potentia illustres omnes simpliciter ex consortio regni Christi excludantur. Nam etiam ex diuitibus vult Deus aliquos conuerti, & conuertit eos tanquam ex profundo maris. Psalm. 60. vers. 13. Ex quorum numero fuerunt Abrahamus, Moses, Dauid, Nicodemus, Paulus, Sergius & alij. Sed quod tales plura salutis impedimenta habeant: & quod intra Ecclesiæ consortium admissi, fere plus sibi quam aliis licere arbitrantur, vnde sæpe tranquillitatem Ecclesiæ turbant. Idcirco ignobilis vulgi ad Christum aggregatio neminem offendat, neque etiam magnatum accessio licentiam aliquam Ecclesiæ inuehat.

II. Domino itaque Iesu docendo, & populo audiendo, ex vtraque parte occupatis, *scribæ & pharisæi* importuni irrumpunt, & insidiose Domino quæstionem mouent, occasionem captantes, vtrum aliquid deprehendere possint, de quo ipsum iure accusent. Deprehensa nimirum fuerat fœmina adultera, eademque & *scribis pharisæis ac presbyteris* (hi enim hic nominantur, vt publico Consistorij nomine id factum intelligamus) tradita, vt iuxta αὐτονομίαν, ipsis à Romanis concessam, eam punirent. Et quia singularis fuit casus, vtpote quæ ἐπ' αὐτοφώρῳ *in ipso adulterij actu* deprehensa fuerat, eam ad Christum adducunt, & *in medio statuunt* ante oculos Iesus, eius sententiam sciscitaturi, quasi ea stare vellent. Iustitiæ itaque studium simulantes, ficto ore & venenato animo talia verba proponunt: *Magister, hæc mulier deprehensa est in adulterio. Et Moses præcepit vt huiusmodi lapidarentur. Tu ergo quid dicis?* Vocant eum *Magistrum*, cuius tamen discipuli esse nolebant, & quem præcedenti capite versic. 47. seductorem dixerant. Sed turpi adulatione ei blandiuntur, sperantes eo facilius se ipsum decipere posse. Qui alios veneno necare student, illud melle circumlitum & temperatum porrigunt, vt veneni pestifera vis mellis dulcedini mixta facilius lateat. Ita hi verborum blanditiis & sermonis lenocinio suæ malitiæ virus abscondere satagunt, si forsan tanto facilius fraudum laqueis Dominum implicare possent. Proponunt itaque criminis & magnitudinem & certitudinem. *Hæc mulier deprehensa est in adulterio* ἐπ' αὐτοφώρῳ. Vsurpatur hoc vocabulum de iis qui in ipso furto sunt deprehensi, habentes in manibus τὰ φώρια, quæ furati sunt à seipsis αὐτοφωρίᾳ proditi. Transfertur postea etiam ad alia facinora & scelera, in quibus quis deprehenditur. *VVann man einem die Handt im Sack ergreifft.* Suidas habet ἐπ' αὐτοφώρῳ, ἐπ' αὐτοφώρῳ, ἐπ' ἐφθαλμοῖς, ἐπ' αὐτολήμματι αὐτῷ. Cum ergo hæc fœmina in ipso actu fornicationis deprehensa sit, vt negare non possit, nec opus sit testibus. Et Moses Leu. 20. vers. 10. item Deut. 22. vers. 22. in lege sua sanxerit tam adulteros quam adulteras lapidibus obruendas esse, quærunt quænam ipsius hac in re sit sententia. Non autem id faciunt discendi studio, sed *tentantes eum, vt eum accusarent.* Videbant enim quod peccatores reciperet, cum eis manducaret, ipsos à peccatis absolueret, & Pharisæis illud reprehendentibus illud Os. 6. vers. 6. obiiceret: Misericordiam volo, & non sacrificium. Matth. 9. vers. 10. Luc. 7. vers. 48. Tentabant igitur eum, sperantes futurum, vt siue eam absolueret, siue damnaret, ipsi haberent, quod speciose aduersus ipsum coram populo proferre possent. Nam si eam absolueret, in tam manifeste infami exemplo ostendere volebant ipsum legis esse hostem. Sin damnaret, dicturi erant, nec ipsum misericordiæ esse studiosum, quam tamen à Pharisæis requireret: sicque populo inuisum & exosum reddere conabantur. Et quocunque sese verteret, sperabant eum captum iri, vt oborto tumultu ipse pro adultera, vel vna cum ipsa lapidibus obrueretur.

Sycophantarum ingenium ceu in tabella depictum, hic nobis spectandum proponitur. Blanda verba depromunt ex amaro corde. Melliti sunt sermones eorum super oleum: & ipsi sunt iacula. Psalm. 55. versiculo 22. Ore suo benedicunt, corde autem maledicunt. Psalm. 62. versic. 5. Hoc vero faciunt vero fine, quod quærunt materiam, qua accusent pios. Quam sæpe aucupantur saltem ex verbulo aliquo, siue illud incautius loquenti sponte excidat, siue ab ipsis extorqueatur, ansam calumniandi? Sed vt Scribæ & Pharisæi non Christo, verum sibi ipsis vel maxime nocuerunt: ita & tales Sycophantæ ac calumniatores à Deo confundentur. 2. Si quis velit hic tractare locum communem de Adulterio, habet exoptatam occasionem in illud grauissimum peccatum inuehendi. Verum doctrina illa desumi potest ex libellis methodicis.

III. Quid ergo Iesus ad captiosam hanc quæstionem? Euangelista dicit ipsum *inclinatum deorsum scripsisse in terra.* Quid Iesus scripserit & quare, non exprimitur. Ideo Augustinus & alij quidam multum se torquent, vt causam & materiam huius scriptionis explicent. Augustinus putauit Christum ostendisse, ipsorum accusatorum nomina in terra, non in cœlis, vt Apostolorum Luc. 10. vers. 20. adscribenda esse. Beda existimauit, allusisse eum ad legem in tabulis lapideis scriptam, quæ si conscientias percellat, non scribi eam in lapides, sed in mollem terram. Verum pauimentum templi quoque fuit lapideum: ideo hæc allusio lusus videtur. Alibi censet Augustinus, Christum idem illud in terra scripsisse, quod postea voce pronunciauit. Sicuti sententia ferenda primo scribitur, postea ex scripto recitatur. Vnde scripto iudiciariam sententiam significat. Ita enim scriptura loquitur. Ies. 10. vers. 1. Væ qui leges iniquas condunt: & scribentes, iniusta scribunt. Ierem. 17. vers. 1. peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, & vngue adamantino. Ierem. 22. v. 30. de Iechonia dicit diuina sententia: Scribe istum virum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Daniel. 5. v. 5. manus scribens in pariete denunciat regi Balthasari interitum. Dan. 6. versi. 25. Darius rex scripsit decreta. Et hæc sententia de scriptione Iesu non est inepta. D. Hieronymus in epistola putat eum scripsisse: Terra absorbe viros istos abdicatos. D. Ambrosius: Terra terram accusat iudicium autem meum est. Quidam censent ipsum scripsisse figuras in terra, ex quibus singuli viderent & legerent sua peccata diuina virtute. Sed quicquid tandē scripserit & pinxerit, hoc totum aliter non est accipiendū, quam quod sit χρεία seu Apophthegma, quibus vtimur, quando acute dictis certos gestus aut factum aliquod addimus, qualia Ezechieli multa à Deo iniuncta fuisse legimus. Hoc ergo gestu Dominus Iesus commonstrare voluit, se horum delatione offendi, atq; indignos ipsos iudicare quibus respondeat, cum omnia malitiose & fraudulenter agant: & in puniendo celeres esse velint, cum in recte agendo sint tardi.

Docet Dominus Iesus hoc suo exemplo, non semper ad omnes impiorum & veritatis illusorum quæstiones respondendum esse. Maxime si sint illæ curiosæ & superuacaneæ, quæ lites tantum generent, ac proinde deuitandæ sunt, prout Paulus

Paulus monet, 2.Tim.2.verſ.23.Si vero ad ineptas quæſtiones non ſemper eſt reſpondendum, multo minus ad omnia hoſtium conuicia id faciendum erit. Hinc Salomon recte Prou. 26.verſ.4. Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam,ne efficiaris ei ſimilis. Quærat autem quis: Quare Salomon mox verſic.5. addit? Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam,ne ſibi ſapiens eſſe videatur. Reſpond. Hæc poſterior Salomonis ſententia valet, quando à contentioſis & malitioſis hominibus ea in diſputationem trahuntur, ſine quibus ſalutis ratio conſiſtere nequit. Tum certe reſpondendum eſt,ne ſilentio noſtro veritatem prodidiſſe videamur,vnde ipſi inſolentiores reddantur. Theologi itaque magna cum circumſpectione in polemicis ſcriptis verſentur, ne carpendi ſtudio iuſto longius abeant, quo & aduerſariis calumniandi & infirmis ſcandali materiam præbeant. Inprimis vero neceſſaria certamina à non neceſſariis diſtinguant, ne ob lanam quod aiunt caprinam, aut aſini vmbram cum quibuſuis certare velle videantur.

IV. Scribæ & Phariſæi ſilentio Ieſu audaciores facti, *perſeuerarunt interrogare*, hoc eſt,vehementius inſtiterunt & vrſerunt, vt ſuam de propoſita quæſtione ſententiam ediſſeret. Nec dubium certum illos ſibi victoriam pollicitos fuiſſe, putantes Ieſum non habere quod reſpondeat. Improbat igitur illorum poſtulatione adactus Ieſus, quaſi inuitus ad præſentis cauſæ deciſionem acceſſit. Ita tamen pro diuina ſua ſapientia reſponſum temperauit, vt omnem ipſorum expectationem eluſerit. Ipſi putarunt,ſe inueniſſe rationem,qua Ieſum vel vt legis hoſtem accuſare poſſent, ſi nimirum adulteram contra legem abſolueret:vel ſi eandem iuxta legem condemnaret,eiuſdem manſuetudinem & officium carpere poſſent,cum alias dixerit,ſe non ad condemnandum,ſed ſaluandum homines in mundum veniſſe. Exiſtimarunt itaque ſe Dominum retibus vndique ita concluſiſſe,vt nullus euadendi locus eſſet: niſi ex vna parte in iuſtitiam legis,aut ex altera parte in miſericordiam à ſe prædicatam peccaret. Sed Dominus inuenit mediam viam, qua non tantum cauit,ne ab ipſis caperetur,quin potius ipſe eos caperet. Nam dum occaſionem venantur Dominum tanquam tranſgreſſorem legis accuſandi,ipſe viciſſim demonſtrat eos omnes eſſe legis tranſgreſſores & peccato adſtrictos. Dicit enim: *qui veſtrum immunis eſt à peccato, primus in illam lapidem iaciat.* ἀναμάρτητος & ἀνέγκλητος ſunt vocabula vicinæ, ſed tamen diſtinctæ, ſignificationis. Ἀνέγκλητος enim ſeu ἀνεπίληπτος dicitur is,qui eſt ſine notoria labe flagitij. Et tales vult Paulus eſſe Epiſcopos. 1.Tim.3.verſ.2. & Tit.1.verſiculo 6. Ἀναμάρτητος autem dicitur is, qui nihil habet vel in natura vel in vita contra legem. In hoc enim data eſt legis diſciplina, πρὸς τὸ ἀναμάρτητον εἶναι vt peccata compeſcantur, & homo ſine labe peccati inueniatur. Chriſtus ergo dicit: *Quicunque inter vos nunquam legis tranſgreſſor inuentus eſt,is primus lapidem in eam coniiciat.* Vult nimirum vt in ſeipſos deſcendant,vitam anteactam & mores ſuos examinent, & conſcientiæ ſuæ ſcrinia ſcrutentur: tum ipſos tam multa inuenturos, quæ eos de propria ſalute ſolicitos eſſe iubeant,vt aliorum facile ſint obliti.

Hæc vero ſententia Chriſtus omnes homines docet,qualibus oculis aliorum lapſus & crimina intueri debeant. Non lætentur aliorum triſtibus lapſibus:qualiter faciunt illi, qui crudelibus ſpectaculis, vtpote eorum,qui vel ſuſpendio pereunt, vel capite plectuntur,vel exuruntur,vel quorum membra rota franguntur,oculos ſuos paſcere exoptant. Sed potius in eiuſmodi facinoroſis communem & nimis profundam humani generis corruptionem deplorent: pia commiſeratione delinquentium tangantur: aliorum exemplo & lapſibus moniti cautius viuere diſcant: & vulgarem illum verſiculum conſiderent:

Aut ſumus,aut fuimus,aut poſſumus eſſe quod hic eſt.

Neque enim vllum tam tetrum facinus aut horrendum ſcelus excogitari poteſt, in quod homo non incidere queat, niſi Deus ſua gratia eum ſuſtentet & caueat ne prolabatur. Auguſtinus multum hic diſputat,quod peccator non debeat alterum peccatorem accuſare vel punire. Et Iudicibus dicit: prius ipſi iuſti ſitis: poſtea reum puniatis. Quidam longius progrediuntur,& impudenter iudicia damnant, niſi ea exerceantur ab illis,qui nulli ſunt legum præuaricatores. Et quia nullus magiſtratus inuenitur ſine peccato:ſiquidem ſcriptura concluſit omnes ſub peccatum,Gal.3.verſ.22. Itaque omnia iudicia ſuſpendenda & intermittenda eſſe contendunt. Sed hæ diſputationes inde oriuntur, quod verus ſtatus huius loci non obſeruatur. Chriſtus loquitur moraliter, non politice. Moraliter,nec verbi miniſter confidenter arguere poteſt peccata, nec magiſtratus ſcelera punire, ſi iiſdem peccatis & ſceleribus ipſi ſint immerſi. Ergo aut ipſi prius ab illis abſtineant, aut pœnitentiam agant,alioquin occinetur ipſis illud vulgare:

Turpe eſt Doctori cum culpa redarguit ipſum.

Nam alios arguendo & puniendo ſibiipſis in eodem luto hærentibus iuſtam pœnam dictant. Politice autem loquendo, magiſtratus peccatores iure etiam ſecundum legem punit: quia eſt executor alienæ iuſtitiæ. Deus in lege peccatoribus ſuas pœnas dictauit: haſce dum magiſtratus exequitur, alieni officij partes tractat. Neque enim ſine cauſa gladium portat. Dei miniſter eſt: vindex in iram ei qui malum agit. Rom.13.verſic.4. Itaque quando Magiſtratus peccatores punit, facit id non ex dignitate ſuæ perſonæ, ſed ex dignitate officij.

Verus ergo ſtatus hic eſt. Adduxerunt Phariſæi & Scribæ adulteram, oſtenſuri, quod ipſi non eſſent vt cæteri hominum,Luc.18.verſic.11.Simul autem occaſionem quæſiuerunt, Ieſum carpendi,quaſi non recte de lege ſentiret. Ibi Dominus reſpondet: Si quæratis, qui ego ex lege de peccato doceam,tum dico omnes eos reos eſſe coram Deo,qui non ſunt ſine peccato. Neque enim ſolum adulterium peccatum eſt: ſed inſuper adhuc plurima. Quia ſcriptum eſt,Maledictus qui non permanſerit in omnibus.Deut.27.v.vlt. Concludo ergo non tantum hanc adulteram eſſe peccatricem; ſed etiam vos eſſe peccatores, & in eos vos remitto ad ſcrinium propriæ conſcientiæ.

V. Audiamus etiam, quæ fuerit efficacia huius ſententiæ Chriſti. Nemo ei ſe opponere auſus eſt: nemo præſumpſit oſtendere ſe eſſe ἀναμάρτητον & immunem à peccato: ſed mox peccatorum ſuorum conſcientia percuſſi, & metuentes, ne Ieſus, cui etiam occulta cognita eſſe videbant, ipſorum facinora in publicum proderet, *ſingulatim alij poſt alios exierunt: initio facto à ſenioribus vſque ad vltimos.* Ecce, quemadmodum Dauid ſua funda & lapide Goliathum Philiſtæum ſemianimum proſtrauit,& omnibus viribus deſtitutum obtruncauit:1.Sam.17.verſ.49.ita Chriſtus hac ſeuera ſententia ceu duro lapide animi Phariſaici perfrictam frontem adeo fortiter percuſſit, vt ſinguli propriæ culpæ conſcij, pudore ſimul & metu perfunderentur, ac proinde è templo ſeſe ſubducerent, εἷς καθ᾽ εἷς, *vnus poſt alium.* Legitur etiam Mar.14.verſ.19. Sed Maccab.3.in vnam dictionem côtrahitur, εἷς καθεῖς τῶν φίλων vnuſquiſque amicorum. Nam Græci offenſi ſolœciſmo vnam dictionem fecerunt, cum iudicarent dicendum εἷς καθ᾽ ἕνα, *vnus poſt alium.* Poteſt autem eſſe κατὰ aduerbium ſimilitudinis, vt Iob.34.verſ.11. καθ᾽ ἑκάστου αὐτῶν τρίβον iuxta vias ſingulorum facit: vt ſic εἷς καθ᾽ εἷς, quaſi vnus iuxta vnum, *einer ſo wol als der ander* Et ſic nullus erit ſolœciſmus. Exiuerunt autem *initio facto à ſenioribus.* Vel, quia iuniores honoris ergo primum exeundi locum ſenioribus deferebant: vel quia ſeniores plurium & grauiorum ſcelerum ſibi conſcij erant. Iuxta illud Daniel.13.verſ.5. Egreſſa eſt iniquitas à ſenioribus iudicibus. Et vt eo liberiorem exeundi fiduciam præberet Chriſtus, *rurſus ſeipſum inclinauit, & ſcripſit in terram.* Neque enim tum ad iudicium mundi venerat,ſed vt locum daret pœnitentiæ. Declinat etiam oculos,vt Anſhelmus dixit:ne nimium terreat & confundat peccatricem. Digreſſis autem illis, *relictus eſt Ieſus ſolus*, ſcilicet reſpectu accuſatorum & delatorum, *& mulier in medio ſtans.* Aderant enim adhuc diſcipuli, & populus,quem Ieſus docebat.

Hic rurſus 1. habemus exemplum eius, quod nuper etiam ex Prou.21.v.30.adduximus:non eſt ſapientia,non eſt prudentia,non eſt conſilium contra Dominum. Ipſe enim apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium prauorum diſſipat.Iob.5.v.13. Nuper diſſipauit ipſorum conſilium contra ſe initum Iohan.7.v.vlt. Iam redeunt inſidioſa quæſtione inſtructi,qua ſe eum circumuenire & conſtringere poſſe ſperarunt. Sed vnica Chriſti ſententia ipſi ita capiuntur, vt pudore confuſi, non ſine publica ignominia diſcedant, ſuoque diſceſſu ſe adultera nihilo meliores eſſe teſtari cogantur. Eodem modo etiam inferius ipſos aliquoties confundet, quando de vita æterna, de cenſu Cæſari dando, de reſurrectione mortuorum,& aliis fidei Chriſtianæ articulis quæſtiones proponent. Hæc potentia Chriſti adhuc hodie ſæpenumero ſe exerit: quando aſtutiſſimi veteratores confunduntur reſponſis eorum, quos ob infantilem ſimplicitatem prius contemnebant. 2. Videmus in Phariſæis & Scribis, quanta ſit vis Conſcientiæ etiam apud impios, ſi illa prius quiete dormiens, Gen.4.verſic.7. vel parumper ſaltem excitetur. Dominus Ieſus hic vnicum breue dictum ipſis proponit, ſed eo tantopere percelluntur, vt ne conſpectum quidem eius amplius ferre poſſint. Eſt autem conſcientia, vt Auguſtinus dicit, codex in quo quotidiana tam peccata quam recte facta conſcribuntur. Non enim homo quicquam facere poteſt, de quo cordi ipſius non conſtet. Sicuti Paulus dicit: 1.Corinth.2. verſiculo 11. Quis hominum ſcit,quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Ergo eſt in homine ſcientia quædam eorum, quæ ipſe fecit & perpetrauit,

Et vtcunque os hominis simulet, fingat, iuret: cordis tamen testimonium pingi & refringi non potest. Conscientia siquidem mille testis. Dicitur autem συνείδησις, Conscientia. Quia non solus homo nouit quid fecerit, sed & alij id sciunt. 1. Scit id ipse Deus, qui est καρδιογνώστης. Ideo Iob dicit cap. 16. versic. 20. Conscius meus est in excelsis. Et Paulus quoties conscientiam allegat, simul etiam ad Deum prouocat. Rom. 9. versi. 1. & alibi. 2. Scit etiam Diabolus, qui homines ad patranda scelera irritat & inducit, atque postea eosdem accusat. Apoc. 12. vers. 10. 3. Sciunt idem angeli, qui nobis vigiles & custodes adduntur; Matt. 18. versic. 10. Inde Paulus 1. Tim. 5. v. 21. non minus coram electis angelis quam coram Deo discipulum exhortatur, vt præcepta sua custodiat. 4. Denique sciunt idem homines, cum quibus vel contra quos quis peccauit. Sic Ananias conscia vxore peccauit: Actor. 5. vers. 2. sic adulter conscia adultera peccat. Hæc ergo siue scientia cordis siue conscientia non fallit, sed tangit animam hominis, & excitat cogitationes aut accusantes, aut defendentes. Accusantium exempla habemus in primis parentibus. Gen. 3. v. 8. in Caino, Gen. 4. v. 13. In Dauide. 2. Sam. 12. v. 3. In Iona Propheta. Ion. 1. v. 10. In Petro Matt. 26. vers. vlt. Excusantium. In Iosepho captiuo. Gen. 40. vers. 15. In Dauide contra Saulem. 1. Sam. 26. v. 19. In Mardochæo contra Hamanum. Esther. 3. v. 4. In Iohanne Baptista. Mar. 6. vers. 18. In Paulo. Act. 24. vers. 16. Et hanc conscientiam ipse Deus cordibus hominum inseuit, vt eius suggestione practicum syllogismum conficerent, ex quo vel de Dei erga se gratia & fauore, vel de eiusdem iusta in se ira singuli iudicium facere possent. Hic enim practicus syllogismus nunquam fallit, si quis peccans apud se ita argumentetur. Paulus dicit Rom. 2. versic. 9. Ira, indignatio & tribulatio, in omnem animam hominis operantis malum. Ego malum operor. Ergo, &c. Vicissim nec hic fallit. Dauid dicit Psal. 37. versic. 39. Salus iustorum à Domino, & ipse protector eorum in tempore tribulationis: & eruet à peccatoribus, atque saluabit. Ego pietati toto pectore per Dei gratiam sum studiosus. Ergo &c. Vsus huius considerationis hic sit, vt quisque operam det, quo bonam militiam militet, fidem retineat, bonam conscientiam seruet. 1. Tim. 1. versiculo 19. Id quomodo fit? Natura nullus habet bonam conscientiam: quia omnes sumus in peccatis concepti & nati. Nullus potest dicere: Mundum est cor meum purus sum à peccato. Prouerb. 20. vers 9. Sed quando Deus delet iniquitates nostras. Ies. 43. versic. 21. quando Christus delet chirographum peccati, quod nobis est contrarium. Coloss. 2. versic. 14. quando per verbum & sacramenta cor nostrum in fide purificat: Act. 15. versicul. 9. tum conscientia nostra libera redditur, inde Spiritus sanctus nos impellit, vt in sanctitate & iustitia viuamus, atque sic bonam conscientiam retineamus. Hic vero postea quisque caueat, ne quid mali contra propriam conscientiam committat. Teipsum, dixere veteres, time sine teste. Est enim hominis animus adeo irritabilis, vt non tam facile leonem vel tigridem, quam illum contra teipsum concitaueris. Quod si semel factum sit, vix vnquam rursus sedari potest. Est enim ille vermis perpetuo rodens, qui nunquam moritur. Ies. 66. vers. 24. Et qui ita cauteriatam conscientiam, vt eam Paulus 1. Tim. 4. vers. 2. vocat, ipse secum circumgestat, atque in ea moritur, is tandem cum omnibus damnatis montes & petras inclamabit, dicens, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni. Apoc. 6. vers. 16. 3. Deniq; obseruatione dignum est, quod dilabentibus accusatoribus, mulier adultera substitit coram Iesu. Non quæsiuit latebras, ne iterum comprehensa in periculum rediret. Sed mansit apud Christum fontem gratiæ, cuius bonitatem iam gustare cœpit, ex illo dicto, quo eius delatores abs se abegit. Mansit peccatrix cum iustitia, vt eius imputatione iustificaretur. Mansit ouicula cum pastore, qui perditam inuenit, sauciam obligauit, errabundam ad ouile suum reduxit, & debilitatam nobis viribus instruxit. Recte ergo de hoc loco Augustinus dicit: Relicta sunt duo: miseria & misericordia. Et merito miseria mansit cum misericordia: quia miseriæ necessaria est misericordia. Ad hunc fontem misericordiæ etiam nos in nostris miseriis cum corporalibus tum spiritualibus confugiamus, & eius auxilio ipsi quoque subleuabimur.

VI. Hoc autem omne magis erit manifestum, si postremum actum huius historiæ paulo diligentius intueamur. Adstitit enim mulier, inter spem & metum anxia. Et haud dubie ipsa quoque trepidauit, ex conscientiæ suæ dictamine metuens, ne ipsa à Domino, qui fuit ἀναμάρτητος, puniretur: Sed ipse benignissimus Dominus tandem erectus, & miram illam solitudinem videns, blandis verbis mulierem compellat, dicens: *Mulier, vbi sunt illi tui accusatores?* Interrogat, non quod ignoret, quoniam abierint, euperint, euaserint: sed vt occasionem quærat etiam mulierem dimittendi. Addit ergo etiam alterum interrogatum: *Nemo te condemnauit?* Si enim à legitimo magistratu secundum legem condemnata fuisset, nunquam Christus eam pœnæ eripuisset. Muliere autem ipsa confitente, quod à nemine sit condemnata, nec quoque hominum contrarium proferente, merito locus conceditur absolutoriæ ipsius sententiæ, & simul omnibus constat, Christum citra præiudicium aliorum ipsam absoluisse. Quapropter, cum mulier responderet: *Nemo, Domine*, me condemnauit. Ibi Christus infert: *Nec ego te condemno.* Vult dicere: Quia illi magni legis zelotæ te indemnatam reliquerunt, nec ego ipsis inclementior sum futurus. Neque enim à Patre in mundo missus sum, vt iudicet mundum, sed vt mundus per me saluetur. Iohan. 3. versi. 17. *Vade* ergo. Abire ipsam iubet quo velit, remissa omni & culpa & pœna, tam quoad corpus, quam quoad animam. Cæterum ne quis Dominum culpare posset, quasi peccatis faueret, & peccandi licentiam concederet: ideo subiicit, *ne amplius pecces.* Quibus verbis, vt & antehac commissa peccata studiose vitet, eam grauiter hortatur, & simul innocentiæ studium serio ipsi commendat.

Ex hoc loco I. quidam Epicuræi nugantur, Christum seueritatem pœnæ, quæ in lege mosis adulteris erat imposita, in Nouo Testamento abrogasse. Sed hoc falsum est: tantum vult distingui inter partes officij sui, cuius causa à patre in mundum missus sit: & inter officium magistratus. Non fuit ipsius officij, vt pœnas legales, siue irrogaret, siue abrogaret, sed vt officium redemptionis, prout illud Ies. 61. versic. 1. describitur, perageret. Hac de causa etiam Luc. 12. versic. 14. cuidam hæreditatis diuisionem petenti respondit: quis constituit me iudicem inter te & fratrem? Quemadmodum autem hinc non licet inferre: Christus noluit esse arbiter in diuisione hæreditaria inter fratres: Ergo nullæ hæreditatum diuisiones sunt instituendæ: Ita nec ex præsenti loco inferre concessum est: Christus non condemnauit adulteram. Ergo adulterij pœna est sublata. Itaque magistratus adulteros seuere punire debet. Qui si sit negligens, Deus adulteros punit in corpore, in anima, in bonis, in honoribus, in ingenio, in vita, in posteris. Fornicatores enim & adulteros Deus iudicabit. Hebr. 13. versiculo 4. 2. Hoc vero suo facto Iesus exemplum præbere voluit Euangelij sui ministris, qua mansuetudine & lenitate vti debeant etiam erga maleficos. Si maleficus incidat in manus magistratus, hic officium suum exequatur, nec verbi minister eum interpellet: nisi graui de causa humilem intercessionem interponat. Christus in passione latroni pœnitentiam agenti culpam dimittit: pœnam tamen magistratus non adimit. Luc. 23. versic. 43. Quando vero maleficus quispiam euadit manus magistratus, non à ministris Euangelij retrahendus est ad supplicium. Aut, si quis pœnitudine ductus scelera sua per confessionem deponat in sinum verbi ministri, ab hoc ille non est ad magistratum deferendus, neque prodendus. Atque talis minister non putet se eo suam grauare conscientiam, quasi non satisfaciat iustitiæ diuinæ: sed pœnitentem peccatorem reconciliet Deo, & vt se emendet grauiter hortetur. Sic satisfacit exemplo Christi, qui & ipse dixit: si alias nemo te condemnat, *nec ego te condemno.* 3. Denique docet Christus his verbis, quænam sit vera satisfactio peccatorum, post eorum remissionem. Nimirum *ne posthac peccemus*: hoc est, vt relictis anteactæ vitæ prauis studiis imposterum innocentiæ & sanctitati studeamus. Germani studeant: *Nicht mehr thun ist die beste Busz.* Paulus docet Rom. 6. vers. 19. vt quemadmodum prius membra exhibueramus ad seruitutem immunditiæ & iniquitatis: sic eadem postea exhibeamus arma iustitiæ. Ex hac autem satisfactione nullum colligi debet meritum: siquidem eo necessarium Deo præstamus obsequium & officium. Toto enim pectore execrari & damnare debemus, Simonis Magi, Basilidis, Gnosticorum, Aëtij, Eunomij & consimilium blasphemias, qui dixerunt, hominibus per fidem saluatis quiduis licere. Item: salutem à Christo partam esse liberationem à seruitute præceptorum Dei. Absint à nobis huiusmodi prophanæ voces, quæ licentiam peccatorum inuehunt. Quin potius pietati studeamus, in honorem Dei, proximo in exemplum, & nobis in confirmationem, ne ad vomitum redeuntes naufragium patiamur fidei & salutis. Christus enim non tantum huic adulteræ, sed etiam paralytico Ioh. 5. v. 14. dixit: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius quid tibi accidat.

Denique sub finem huius historiæ, in qua adultera per Christum liberatur, lubet duplicem typum subiicere. 1. Quidam dicunt, hanc mulierem gessisse typum Ecclesiæ ex gentibus congregandæ. Gentes relicto vero Deo fornicatæ sunt cum diis suis falsis. Hæ à synagoga Iudæorum accusatæ & ad iustam vltionem petitæ sunt. Sed Christus Iudæorum synagogam non minus quam gentes sub peccato conclusam esse ostendit, ac proinde eam ceu execrandam ex templo suo eiecit: Gentes autem ad communionem Ecclesiæ suæ vocauit,

vocauit, per Spiritum sanctificauit, à peccatis absoluit, & æternæ salutis participes reddere vult. Ipsi sit laus & gloria, in sempiterna secula. Amen. 2. Alij etiam volunt hanc mulierem gessisse typum nostræ iustificationis. Nec male conueniunt singula membra. 1. Natura omnes sumus peccatores & singuli quotidie, imo singulis horis quasi ἐπ' αὐτοφώρῳ in peccatis deprehendimur, quæ nobis vel consentientibus, vel negligentius agentibus, vel etiam reluctantibus surrepunt, & faciunt vt fidem Deo datam violemus. 2. Hic venit Satan, qui nos ad tribunal Dei rapit, accusat, Apoc. 12. v. 11. testes producit nostram conscientiam: profert tabulas condemnationis legem, quę mortem & maledictionem omnibus transgressoribus minatur. Deut. 27. vers. vlt. Nec vera saltem obiicit crimina, sed etiam falsa fingit, vt tanto fortius nos premat. 3. Et quidem nobis causa cadendum esset. Sed Christus sese humiliando & in terras hasce veniendo, se Mediatorem interposuit, mortis suæ merito nostra peccata expiauit, chirographum legis cruci affixit, mortem absorpsit, diabolum deuicit, resque nostras eo deduxit, vt Diabolus nihil iuris habeat in nos, qui Christum vera fide amplectuntur. 4. Hoc Iudæos & hypocritas iustitiarios male habet: ideo Christi templum & Ecclesiam deserunt, sed suo tempore & ipsi volentes nolentes ad tribunal Iesu attrahentur, vbi ob sua peccata condemnatoriam sententiam sunt audituri. 5. Qui vero fide iustificati iam pacem habent cum Deo, illi dent operam, vt in posterum non amplius secundum carnem viuant, sed vt spiritu opera carnis mortificent. Rom. 8. vers. 13. vt tanto benefactori suo seruiant, in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ suæ. Luc. 1. vers. 75. Hoc si fecerimus, atque si in hac fide constanter mortui fuerimus, in nouissimo die quando satanas & omnes nostri accusatores ex mundo exturbati & in stagnum sulphure & pice ardentem proiecti fuerint, lætam illam Christi vocem audiemus: *vbi sunt vestri accusatores? Nemo te vos condemnauit?* Quis enim accusabit aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis ille qui condemnet? Christus Iesus pro nobis mortuus est, qui & resurrexit, qui etiam est ad dexteram Dei, & qui interpellat pro nobis. Rom. 8. vers. 3. Huic sit laus & gloria. Amen.

CAPVT CI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS CHRISTI CONCIONEM, DE SVA PERSONA & officio, habitam in gazophylacio templi. Iohannis 8. versic. 12.

RATIO ORDINIS.

QVod hæc concio superiora sequatur, neque quicquam in reliquis Euangelistis inueniatur, quod interponi possit, per se planum & manifestum est, si tantum hoc obseruetur, quod illa quæ Iohan. 8. describuntur, non omnia continuo eodem die, sed successiuis diebus facta sint. Discesserant enim Scribæ & Pharisæi ante adulteræ absolutionem: hic vero cum iisdem præsentibus disputat. Ergo particula *πάλιν rursus*, significat, quod alio tempore, post absolutionem adulteræ, cœperit populo & Pharisæis concionari de sua persona, quod habeat patrem Deum, & quod sit vnius cum Deo essentiæ? & tamen sit distincta persona, ita vt duo sint, Pater mittens, & Filius missus: & quod qui nouit Patrem, norit etiam filium. Ergo sunt ὁμοούσιοι. Ita vt hic locus plurimum valeat, contra errores Sabellij & Arianorum: quorum ille personarum pluralitatem, hi earundem æqualitatem negarunt. Concionatur quoque de suo officio, quod sit missus à Patre vt sit lux mundi, qui totus in tenebris iaceat, cui etiam testetur de veritate, & quod testimonium suum verum sit. Qui denique redeat ad patrem, & quando ipse constitutus, orbis iudex sit iudicaturus, tum etiam suum iudicium verum futurum. Est itaque hic locus consideratione dignissimus, quia compendiose totam Christi cognitionem complectitur. Et hæc acta sunt circa templum *in gazophylacio.*

CONCIO CHRISTI DE SVA PERSONA & officio. Iohan. 8.

12. Πάλιν οὖν ὁ Ἰησοῦς αὐτοῖς ἐλάλησε, λέγων, Ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου. ὁ ἀκολουθῶν ἐμοί, οὐ μὴ περιπατήσῃ ἐν τῇ σκοτίᾳ, ἀλλ' ἕξει τὸ φῶς τῆς ζωῆς.

12. *Iterum ergo Iesus locutus est eis, dicens, Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitæ.*

13. Εἶπον οὖν αὐτῷ οἱ φαρισαῖοι, Σὺ περὶ σεαυτοῦ μαρτυρεῖς, ἡ μαρτυρία σου οὐκ ἔστιν ἀληθής.

13. *Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de te ipso testificaris, testimonium tuum non est verum.*

14. Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς, κἂν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία μου· ὅτι οἶδα πόθεν ἦλθον, καὶ ποῦ ὑπάγω. ὑμεῖς δὲ οὐκ οἴδατε πόθεν ἔρχομαι, καὶ ποῦ ὑπάγω.

14. *Respondit Iesus & dixit eis, Etsi ego testimonium perhibeam de meipso, verum est testimonium meum, quia noui vnde veni, & quo vado. Vos autem nescitis vnde venio, & quo vado.*

15. Ὑμεῖς κατὰ τὴν σάρκα κρίνετε, ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα.

15. *Vos secundum carnem iudicatis, Ego non iudico quenquam.*

16. Καὶ ἐὰν κρίνω δὲ ἐγώ, ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ ἀληθής ἐστιν· ὅτι μόνος οὐκ εἰμί, ἀλλ' ἐγὼ καὶ ὁ πέμψας με πατήρ.

16. *Et si iudicem ego, iudicium meum verum est. Quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater.*

17. Καὶ ἐν τῷ νόμῳ δὲ τῷ ὑμετέρῳ γέγραπται, ὅτι δύο ἀνθρώπων ἡ μαρτυρία ἀληθής ἐστιν.

17. *Quin & in lege vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum est.*

18. Ἐγώ εἰμι ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμαυτοῦ, καὶ μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ ὁ πέμψας με πατήρ.

18. *Ego sum qui testimonium fero de meipso, & testimonium fert de me, qui misit me, pater.*

19. Ἔλεγον οὖν αὐτῷ, Ποῦ ἐστιν ὁ πατήρ σου; Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, Οὔτε ἐμὲ οἴδατε, οὔτε τὸν πατέρα μου. εἰ ἐμὲ ᾔδειτε, καὶ τὸν πατέρα μου ᾔδειτε ἄν.

19. *Dicebant ergo ei, Vbi est Pater tuus? Respondit Iesus, Neque me nostis neque Patrem meum. Si me nouissetis, & Patrem meum nouissetis.*

20. Ταῦτα τὰ ῥήματα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ, διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ· καὶ οὐδεὶς ἐπίασεν αὐτόν, ὅτι οὔπω ἐληλύθει ἡ ὥρα αὐτοῦ.

20. *Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo. Et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius.*

Periocha huius historiæ.

CHristum Seruatorem iustas ad populum habuisse côciones, dubium est nullum. Euangelistæ breues tantummearum summas annotarunt: ac proinde decet singula ipsarum membra tanto accuratius euoluere, enodare, expendere & ad iustam explicationẽ aliis proponere. Quod etiam pro virili facere hoc loco tentabimus: ita tamen ne superflua afferamus.

I. Doctrinam de officio suo Christus ipse his verbis proponit: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* 1. Occasio huius concionis hæc fuisse videtur. Quia nuper Nicodemus Iohann.7. vers.51. in Concilio Pontifices & Pharisæos monuerat, legem non iudicare hominem, nisi prius ipsum audierit, & cognouerit quid faciat: Ideo Pharisæi sequentibus diebus ipsi in templo eius concionibus interesse & attendere voluerunt, an aliquid captare possent, de quo ipsum postea in synedrio accusarent. Christus ergo qui alias obseruauit, quo animo auditores se sequerentur & conuenirent, hac concione eos informare voluit, & quis esset, & quid agere in mundo vellet. Cumque more suo summo diluculo, Ioh.8.v.2. aut mane admodum Matt. 21.v.18. in templo ad docendum adesse soleret, oriente luce, inde occasionem sumsit de vera *luce* ipsos instituendi. Sic enim solitus est ex re præsenti occasiones captare, suosque auditores, à mundanarum rerum obiectis, ad spiritualium considerationes per parabolas deducere. Ita Ioh.4.v.13. occasione aquæ fontanæ, differit de vera aqua vitæ. Ioh.6.v.33. occasione mannæ disputat de pane cœlesti Matth.13.v.4. occasione sementis, quæ tum in Palæstina fiebat, docet de diuerso fructu prædicati verbi. Simili occasione *lucis* orientis, hic de se, vera *luce*, differit. Prodest ergo etiam alios verbi ministros hunc Christi morem imitari, vt sic fidei suæ creditos auditores à temporalibus rebus abstrahant, eorumque cogitationes ad spiritualia dirigant.

2. Si autem *lucis* huius necessitatem simul & vtilitatem agnoscere velimus, ante omnia squalorem & horrorem *tenebrarum*, in quibus homines natura hærent, considerare decet. Scriptura autem per *tenebras* intelligit. 1. Ignorantiam Dei & varios errores. Ies.9. vers.2. 2. Omnigenam impietatem & peccata. Ideo Paulus Eph.5.v.11. vult ne Christiani communicent infrugiferis operibus tenebrarum. 3. Varias calamitates & aduersa, in quæ homines ob tenebrarum opera incidunt. Psal.112.v.4. Oritur in tenebris lumen rectis. 4. Loca inferorum & æterna tormenta, quæ etiam Ethnici obscura statuerunt. Matth 8.versi.12. Filij regni eiicientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Matth.22.versic. 13.& 25.versic.30. Sic nimirum nobis ob oculos ponitur naturalis nostra miseria, in qua ob peccatum omnes hæremus. Quamprimum enim Adamus per lapsum à dignitate sua excidit, protinus imaginem Dei in qua creatus fuerat, & cum ea diuinam illam animæ suæ lucem, qua ipsum Deus donarat amisit: & qualis ipse fuit, tales etiam posteros genuit. Genes.5.ver.3. Vnde iam naturalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. 1.Cor.2.ver.14. Circumfert autem in membris suis legem peccati, Rom.7.ver.23. quæ per prauas concupiscentias ipsum abripit, vt quantus quantus est peccati seruus fiat. Peccatis vero suis Deum offendit, vt is omnis generis aduersitatibus, & tandem ipsa morte hominem puniat. Stipendium enim peccati mors est. Rom.6. versiculo 23. Et nisi fiat liberatio, tandem Principi tenebrarum. Ephes.6.versic.12. Diabolo hominem adiudicat, vt ab illo perpetuis tormentis crucietur. Hanc miseriam humani generis qui non agnoscit, intueatur miseras gentes, & perpendat, in quam teros & abominandos errores de Deo ex eius ignorantiam inciderint: quam horrenda & nefanda facinora, sicut Paulus etiam Rom.1.versic.26. recenset, perpetrarint: quantæ quoque strages eas receperint, & quam horribiles plerarumque, tum Chananæarum tum aliarum, fuerint interitus, donec tandem æterno interitui fuerint adiudicatæ. Vt recte de iis Apostolus Paulus pronunciarit, Eph.4. versi.17. Gentes ambularunt in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cœcitatem cordis illorum, qui desperantes dediderût semetipsos impudicitiæ, in operatione omnis immunditiæ. Hanc tenebrarum miseriam qui vere agnoscit, ei *lucis* fruitio cumprimus grata erit.

3. Ex his tenebrarum miseriis nemo nos liberare potuit, præterquam vnicus Dei filius, Seruator noster Iesus, qui hoc loco de seipso dicit *Ego sum lux.* Et vere ipse *lux* est ab æterno: quia verus Deus. Deus enim lux est: & tenebræ in eo non sunt vllæ. 1 Iohan.1. ver.5 Ipse est imago Dei inconspicui. Col.1.versic.15 splendor gloriæ & character substantiæ eius. Hebr.1 versi.3. Nisi hic æternus Dei filius occultis suis radiis hominum mentes perstringat, per Spiritum suum suggerens, quæ iusta sunt & salutaria, omnes in tenebris suis pereunt. Ideo Iohannes de eo scripsit Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Iohan. 1.v.9. Idem Dei filius de cœlo descendês humanam naturam induit, vt etiam in ea lux nostra esset tum verbo tum exemplo. Sic igitur Christus *lux* est secundum vtramque naturam, diuinam & humanam: qui 1. cœlesti sua doctrina mentium caliginem & ignorantiæ nebulas abstergit, nosque salutari cognitione Dei & eorum quæ ad salutem sunt necessaria instruit. 2. Spiritu suo quoque non tantum peccatorum fœditatem ob oculos ponit, verum etiam eiusdem gratia nos permouet, vt peccatum fugere & odisse incipiamus. 3. Idem fit per intercessionem ipsius cum cœlesti Patre reconciliati sumus, conscientiæ terrores à nobis fugat, nostrasque mentes singulari sensu & gustu gratiæ diuinæ mirifice recreat. Vt quemadmodum γλυκὺ φῶς, & dulce est solis lumen intueri: sic lux iustorum lætificat. Prouerb.13.vers.9. Vnde etiam pij Christi gratia illuminati gloriantur in suis tribulationibus. Roman.8.vers.28. 4. Denique per obedientiam & meritum suum deducit nos ad inaccessibilem illã lucem, in qua Deus habitat, 1.Tim.6.versic.16. ad beatam illam immortalitatem, in qua participatione Dei æterna gloria & felicitate fruemur. Hoc modo Christus vere est *lux* nostra. Quo respexit Paulus dum nos hortatur Coloss.1.vers.12. vt gratias agamus Deo & Patri, qui dignos nos fecerit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuerit nos de potestate tenebrarum, & transtulerit in regnum filij sui dilecti, quod est regnum lucis. Habet autem Christus etiam alias proprietates lucis, qua de causa vere de seipso prædicare potuit se esse *lucem*. 1. Lux est adeo pura, vt nunquam ipsa polluatur, licet fœdissima loca permeet: ita Dei filius, licet in mundum venerit, humanam carnem induerit, peccatoribus conuersatus, imo inter latrones in monte caluariæ suspensus fuerit, tamen sanctissimus & purissimus mansit. Hebr.7. versic.26. 2. Vt lux exoriens non modo ipsa cernitur, sed etiam facit, vt reliqua omnia cernantur: ita, si Christus à quoquam videtur & agnoscitur, facit is, vt in ipsius etiam lumine videat lumen. Psalm.37. vers.10. 3. Lucem nemo odit, nisi fures, adulteri, scortatores & facinorosi, quia opera eorum sunt mala. Ioh.3.versic.20. ita Christum nemo odit præterquam idololatræ, superstitiosi, phanatici, hæresiarchæ, & quotquot noxiis peccatorum morbis ita sunt dediti, vt ab eorum fœditate desistere nolint.

4. Est autem Christus *lux mundi*, hoc est, non Iudæorum tantum, sed omnium omnis temporis, loci, ordinis & conditionis hominum. De eo Deus ipse dixit, Ies.42.versic.6. Dedi te in fœdus populi, & in *lucem gentium*. Et 49.vers.6. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitãdas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Ecce, dedi te in *lucem gentium*, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. *Zacharias* quoque in suo Cantico cecinit, Luc.1.vers.78. ipsum esse Orientem ex alto, vt illuminet eos qui sedent in tenebris, & in vmbra mortis. Simeon autem magis diserte in ipso templo cecinit, Lucæ 2. vers.32. quod puer Iesus sit paratum lumen ad reuelationem gentium. Magnum ergo est discrimen, inter Mosen cum Prophetis & Christum. Illi paruam mundi portionem suis concionibus illuminarunt, ideo à Petro lucernæ conferuntur, splendenti in obscuro loco, donec dies illucescat, 2.Pet.1.versic.19. Christus autem est ipse φωσφόρος, imo sol iustitiæ. Mal.4.vers.2. Ex quo 1. patet Christum vnicum & solum esse veram *lucem*, neque quenquam alium præter ipsum quicquam lucis mundo dare. Quemadmodum enim vnus sol vniuerso *mundo* sufficit, & omnis lucis quasi vnicus fons est: ita *Christus Iesus* cœlestis & spiritualis lucis vnicus author est, neque quenquam alium ad huius honoris societatem *admittit*. Ies.42.v.8. Quod vero Apostoli Matth.5.v.14. etiam lux mundi dicuntur, illud tantum participatione luminis ipsius intelligi debet. 2. Quia etiam Christus *totius mundi lux est*, conducit illud ad retundendam fatalem illam particularitatem, quasi certa hominum pars peculiari & occulto quodam Dei decreto ad æternam damnationem esset creata & prædestinata, siquidem Deus alia ratione iustitiam suam exercere non potuisset. Hæc est perniciosa sententia, miseras peccatorum conscientias ad desperationis barathrum facile impellens. Hisce cum desperatione luctantibus ex hoc loco inculcandum est, nullius hominis conditionem siue propter peccata siue propter calamitates immissas adeo miserandam esse, vt propterea à Christi consortio se exclusum esse arbitretur. Vt enim in domo aliqua lucerna accenditur propter tenebras, & accensa candelabro imponitur, quo omnibus in domo, infimis cum summis luceat: Ita Christus *vera lux* in hunc mundum venit, ad dissipandum regnum tenebrarum, & in Ecclesiæ, candelabro ministerij impositus, omnibus ex æquo inseruit, quicunque lucis & salutis desiderio tenentur.

5. Interim tamen non negligendum est, quod simul additur & quo Christus monet, quid illos facere conueniat, qui hac luce ad salutem frui velint: *qui sequitur me*, inquit, *non ambulat in tenebris.* Hoc membro applicatio ad salutem continetur. Vt enim visibilis hic mundi sol, sufficiens quidem est vt præbeat lumen omnibus hominibus: Interim tamen nec cœcos, nec oculos claudentes illuminat. Ita quoque Christus non

non præbet lucem illis, qui obstinate & peruicaciter oculos occludunt, & tenebras plus amant, quam lucem, sed iis, qui ipsum *sequuntur*, & post ipsum ambulant. *Sequi* autem *Christum*, non est pedibus eum sequi, vt turbæ & multi impij illud olim fecerunt, & Iohannes quoque Mar. 9. versic. 38 sequelam Christi ita intellexit. Sed est eius doctrinam suscipere, ipsum pro vero mundi Messia agnoscere, colere & inuocare. Veram igitur fidem, charitatem & obedientiam sequela Christi complectitur. Sicuti Christus ipse explicat, Ioh. 12. versi. 36 Dum lucem habetis, *credite in lucem*, vt filij lucis sitis. Et rursus vers. 46. Ego *lux* in mundum veni: vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Ergo qui Christum non sequitur, nec in eum credit, in peccatis suis manet & perit, neque perditionis suæ culpam in quemquam alium, præterquã in seipsum conferre potest. Deus enim Pater *lucem* hanc dedit toti mundo. Filius sufficiẽs *lux mundi* est pro omnibus hominibus. Spiritus sanctus salutiferam huius lucis cognitionem omnibus nationibus offerri curauit, & ne vnum quidem hominem exclusit. Quicunque ergo hac luce non fruuntur, ipsi seipsos excludunt, eo quod oblatum lucis beneficium propria malitia excutiunt, sicque in tenebris suis miseri pereunt. Confutat ergo hoc Puccianismum, qui multorum hominum animis inhæret, dum putant vnumquemque in sua religione saluum fieri posse, dummodo animi ipsius intentio bona sit & sancta. Et hi omnium hominum commodissimi videri volunt, eo quod neminem temere damnent. Verũ dum hominibus parcunt, in ipsum Deum iniurij & contumeliosi fiunt. Scripturis vim faciunt, omnem religionem cõculcant, & sanctos Christi martyres ridẽt, quod pro fide Christi sanguinem fundere voluerunt, cum etiam in alia religione salui fieri potuissent.

6. Vltimo, etiam fructus diuinæ huius *lucis* considerandus venit, quem duplicem Christus ponit. Primum, *Non ambulabit in tenebris*. Hic fructus iam in primo membro huius concionis expositus est. Alterum, *Habebit lumen vitæ*. Intelligit non tantum viuificam veri Dei & salutis cognitionem, sed etiam, vt Augustinus vult, continuationem eiusdem ad vitam vsque æternam. Vt sic per Christi gratiam non tantum in hac vita anima per cordis illuminationem spiritualiter viuere incipiat, sed etiam continuis actibus deducatur iis, qui post Christum ambulat, ad sempiternam salutem. Alia enim ratio est cœlestis huius lucis, & alia lucis mundanæ. Solis lux, qua tamen nulla est clarior, per nubes hebetari, per noctem tota sepeliri potest, vt iam taceam lucem cãdelarum, quã pluuiæ & venti extinguere possunt: at Christi lux à nemine impediri potest, illa in tenebris, in aduersitatibus, in media morte credentes non destituit, sed ad felicem perpetuitatem comitatur. Est hic effectus admodum magnus & salutaris. Gentiũ Philosophi intellexere aliquo modo, quod mens humana in magna in caligine ignorantiæ versetur, ac proinde studio Philosophiæ lucem aliquam succendere conati sunt. Et licet aliquo vsque sint progressi: non tamen *lumen vitæ* cuiquam communicare potuerunt. *Lumen naturæ* aliquo modo iuuarunt, & in eo *lumen intelligentiæ* atque sapiẽtiæ aliquatenus accenderunt, at *lumen vitæ* nullus eorum habere potuit. Pharisæi quoque ipsi multum sibi tribuerunt, quasi spirituales tenebras fugare potuissent. Sed reuera tenebras potius suis sectatoribus offuderunt, quam lumen communicarunt, vt iam audiemus.

II. Sequitur aliud membrum notatu dignum. In præcedẽti septimo capite Pharisæi quidem & turbæ varia de Christi concione iudicia habuerunt: non tamen aperte concionẽ interturbarunt. In hoc vero capite Iohannes eosdem introducit aperte Christo interloquẽtes, quod absque dubio fecerunt, Nicodemi sermone irritati, quod nemo sit condemnandus, nisi prius auditus & conuictus fuisset. Ioh. 7. versic. 51. Tãta enim vis tenebrarum in ipsis fuit, vt malitiose sese huic cœlesti luci opponere conati fuerint. Desumunt autem argumentum ex *lumine naturæ*. Vulgo dicitur: Propria laus sordet. Et Salomon idem confirmat, inquiens: Prouerb. 27. v. 2. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. Hinc Pharisæi ita argumentantur: *Tu de teipso testificaris*. At nulli de seipso testificanti fides habetur: ob falsitatis suspicionem, quod testimonium illud ex φιλαυτία profectum videatur. Ergo *testimonium tuum non est verum*. Magna hæc fuit Pharisæorum petulantia & temeritas, quod Iesum, qui hactenus innocuam inter ipsos transegerat vitam, & in cuius ore nullus dolus inuentus fuit, Ies. 53. ver. 9. falsitatis & mendacij insimulare audent. Fieri enim potest, vt etiam is, qui seipsum laudat, vera dicat. Eandem impudentiam hodie Iesuitæ multoties imitantur: quando nimirum synceram Euangelij doctrinam nouitatis, obscuritatis, insufficientiæ & falsitatis accusant. Quod tamen tam vere Euangelio obiiciunt, quam vere Pharisæi hic falsitatis suspicionem Christo. Cuius proinde responsionem audiamus.

Refutat autem Pharisæorum obiectionem tribus rationibus. 1. Primam rationem desumit à sua legatione, qua in præsentia fungatur. Proponit autem eam per concessionem κατ', *Etsi Ego testimonium perhibeo de meipso, verum tamen est testimonium meum*. Ratio: *quia noui, vnde veni, & quo vado. Vos autẽ nescitis*. Vis huius argumenti dependet à conditione legatorum, quibus concessum est de seipsis testari apud peregrinos. Quia ipsis solis constat, à quo sint missi, & quousque finis legationis ipsorũ se extendat. Perinde igitur loquitur, ac si quis à Cęsare ad rebelles ipsius subditos ablegatus diceret: Ego noui vnde venerim: quid in mandatis acceperim: & quo expedito legationis munere rediturus sim. Cęsaris ago legatũ: ab hoc in mandatis accepi, quęcunque vobis proposui: ad eũdem redibo, & gestę legationis rationẽ suum redditurus. Testificor itaque vera esse omnia, quęcũque nomine Cęsaris vobis proposui. Est autẽ in hac prima Christi ratione probe notandum, quod Christus, licet potuisset aliunde testimonia adducere, quibus se veram lucem esse probaret, tamen id facere noluit, vt sic commonstraret, se suipsius & suæ doctrinæ satis idoneum sufficientem testem esse. Quod notandum est contra Iesuitas, qui Scripturam sacram & Euangelij doctrinam non ex seipsa explicari & probari, sed aliunde vel ex Ecclesiæ authoritate, vel Patrum & Canonum testimoniis confirmari debere volunt. Quasi vero sol sibiipsi suo splendore non sufficiens testis sit, nisi illata aliunde alia luce quasi illuminetur, & hominibus innotescat. Sic Euangelium sibiipsi est αὐτόπιστον, & Christo doctrina ipsa se ad vitam æternam declarat, vt alio testimonio non indigeat.

2. Secundam rationem, ob quam Pharisæorum argumentum Christus reiicit, desumit ab iniquitate iudicij ipsorum. *Vos secundum carnem iudicatis*. Vult dicere: Quicunque *secundum carnem*, hoc est, ex carnali & humano affectu *iudicat*, eius iudicium non est attendendum. Sunt enim talia præcocepta iudicia semper corrupta & peruersa: quia ex affectu fiunt. Vos de mea concione ex tali carnali præiudicio pronunciatis. Cum enim *secundum carnem* plus in me non cernatis, quam ψιλὸν ἄνθρωπον & paruum me esse hominem: ideo iudicatis me non posse *mundi lucem* esse: verum ad diiudicãdum hoc negocium, non caro, cui vos toti addicti estis, sed Spiritus, quo vos caretis, est adhibendus. Ex hac ratione patet, vnde proueniat omnis ignorantia & error, de Christi tum persona tum doctrina: nimirum ex iudicio carnis, quæ stulta & cœca est in rebus diuinis. Ideo Paulus recte dicit: Stultitia ipsi est, quicquid de Deo dicitur, non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia. 1. Corinth. 2. vers. 14. Sic *secundum carnem* iudicant Iesuitæ, quando agitur de Christi regno vel Ecclesia, quam mundano quodã splendore & eminentia præ reliquis mundi regni nobis cõmendabilem esse debere opinantur. Et quia apud nos Euangelicos ille splendor dominationis, successionis ordinarię, applausus totius mundi non inuenitur: Ideo veram Ecclesiam apud nos non esse iudicant. Sed *secundum carnem* iudicant, non minus quam Pharisæi.

Poterant autem hi ipsi Christo obiicere: Tu in tuis concionibus etiam nos iudicas, & traditiones nostras reiicis. Ad obiectionem illam Christus sic respondet: *Ego non iudico quẽquam. Et si iudicem ego, iudicium meum verum est. Quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater*. Vis huius responsionis omnis latet in diuerso sensu atque vsurpatione verbi *iudicare*. Pharisæi & Pontifices Iudæorum *iudicabant* politice, hoc est, emittebant ministros, qui Iesum captum adducerent, quo vinculis mancipatum occiderent. Idque faciebant *secundum carnem*, ex carnali affectu & odio aduersus ipsius personam. Hoc sensu vere dicit Iesus: *Ego non iudico quenquam*. Neque enim tum venerat ad iudicandum mundum: sed vt mundus per ipsum saluaretur. Iohan. 3. ver. 17. Interim tamen nihilominus Iesus quoque *iudicabat* Pharisæorum doctrinam, traditiones & mandata hominum: sed Theologice siue Ecclesiastice, non *secundum carnem*, non ex odio ipsarum personarum, sed ex cõmiseratione erga seductos: nec in eum finem, vt ipsi vinculis constringerentur, in carcerem conijcerentur, & tandem trucidarentur: sed vt agnitis erroribus, ad Deum conuerterentur & saluarentur. Hoc *iudicium verum* & iustum *est: quia Iesus non solus est, sed & Pater, qui misit eum*: hoc est, in hoc iudicio Iesus adhibet seu Regulam voluntatem sui Patris, qui antiquitus per Mosen & Prophetas syncerum suum cultum pręscripsit, quem quia Iudæi adulterarant, Pater misit filium, vt reduceret filios Israel & conuerteret ad Dominum Deum suum, vt de Iohanne Angelus dixit, Lucæ versiculo 17. Hanc diuersam rationem *iudicandi* siue condemnandi probe notare debemus, ne in praxi Theologica aberremus, aut fines legitimos excedamus. Etenim damnamus & nos in nostris Ecclesiis quosuis errores & hæreses, siue Manichæ-

mus, siue Synergismus, siue Caluinismus nuncupentur, siue alio nomine veniant. Non autem damnamus *politice*, quasi errantes propter errores suos proscribi, in carceres compingi, carnifici tradi, excruciari, comburi & occidi deberent. Hoc modo Iesuitæ & Antichristi Ecclesia *iudicat & condemnat*. Christus autem & ipsius Ecclesia hoc modo *non iudicat aut condemnat quenquam*. Sed si quem illa condemnet, facit id *Theologice*, hoc est, errorem ex verbo Dei commonstrat, refutat, eumque refutatum vitandum docet, ne plures seducantur, sed potius vt ipsi etiam errantes in viam reducantur atq; saluentur. Et hoc *iudicium verum est*: quia fit iuxta normam & regulam verbi diuini, quod ipse *Pater* tradidit.

3. Tertia ratio, qua Christus Pharisæos refutat, desumitur ex ipsorum lege. Deus cum in lege sua, quam vos Iudæi suscepistis (& hac de causa *lex vestra* dicitur) formam legitimi iudicij constitueret. Deut. 17. v. 6. & 19. v. 15. ordinauit, vt si duę personæ de vna eademque re vniformiter deponerent, eorũ testimonium pro vero & legitimo haberetur. Cum ergo in hac causa, quod *Ego sim lux mundi*, non tantum Ego tester, sed etiam Pater meus, cum verbo Ies. 49. vers. 6. tum operibus. Iohan. 10. v. 37. Æquum est vt testimonium hoc pro *vero*, legitimo & sufficienti suscipiatis. Huius rationis firmitas quoque est attendenda. Posset enim eo bifariam ab hominibus *dubiis* oppugnari. Nam primum, non semper duorum testimonium verum & legitimum esse deprehenditur: siquidem 1. Regum 21. v. 10. duo testes fuere producti contra Naboth. Dan. 13. ver. 36. duo seniores testificati sunt contra Susannam. Matth. 26. v. 60. prodiere duo testes aduersus Iesum: & tamen hæc testimonia omnia non fuerunt legitima. Deinde leges ciuiles neminem admittunt testem in propria causa, imo nec patri aut cuiquam alteri in propinquiori gradu consanguinitatis testandi potestatem faciunt. Et Christus hic in propria causa Patrem suum allegat. Sed latum discrimen ponendum est inter Christum de seipso testificantem, qui est verus Deus, & inter homines. Debet ergo hæc ratio à Christianis ita suscipi, quod sit argumentum à minori ad maius. Si secundum legem testimonium duorum hominum, qui & falli & fallere possent, legitimum tamen habetur, & pro vero recipitur: quanto magis duarum diuinarum personarum, in quas nulla erroris vel falsitatis ne suspicio quidem cadere potest? Notari ergo debet hic locus & contra Sabellianos siue Patris passianos & cõtra Arrianos. Contra illos: qui audimus quod licet Deus vnus sit essentia, tamen in illa vnitate admittitur pluralitas personarum, ita vt vnum, duo, tres, numerare liceat. Sicuti Christus numerat, *Ego & Pater* Item: *Ego non sum solus*. Ergo dicere possum: Alius est filius à Patre. Nõ quidem alius Deus, sed tamen alia persona. Rursus, licet Filius alia sit persona à Patre: eandem tamen sibi cum Patre authoritatem & fidem tribuit: quia dicit, *Ego sum, qui testor*, & *Pater est qui testatur*, sicque seipsum cum Patre in eodem gradu collocat, quod facit contra Arrianos.

III. Hisce tribus rationibus Dominus satis euidenter suæ doctrinæ authoritatem vindicasset, si ipsi cum docilibus auditoribus res fuisset. Verum quia Antagonistas habet homines peruicaces, quibus non veritatis, sed Christum opprimendi studium propositum erat: ideo, postquam eius testimonium ex fundamentis refutare non possent, ad sannas & irrisiones se conuertunt: sicuti idem Iesuitis & aliis vanaticis solenne est. Ratisponæ in colloquio, Gretzerus & Tannerus Loiolitæ, si quando nihil habebant quod ad rem responderent, lepidum aliquod scomma in medium proiecerunt, vt risum auditoribus mouerent: quin & ipsi effuse riserunt. Sic Pharisæi hic arbitrati sunt, se splendidum scomma repetisse, quod Iesus *patrem suum* nominasset. Inquirunt igitur: *Vbi est pater tuus*? Sperant se hic aliquid consectari posse, quod exagitent. Si enim Deum Patrem suum diceret: posse seipsum impietatis coram populo accusare, quod diuini honoris affectator, & propterea morte dignus esset. Sin putatitium filium patrem Iosephum produceret, tum sannis eum excepturi erant: Egregium sane patrem, dignum cuius testimonio contra Pharisæorum & Pontificum Collegium nitaris, qui pauperculus est, adhæc faber lignarius & idiota. Hic est finis huius Pharisaicæ quæstionis. *Vbi est pater tuus*? Fideles verbi ministri hoc notent, ne nimium indignentur, si ipsis quoque interdum in religionis negotio res est, cũ eiusmodi Ironibus, qui omnia sublannant, & meris irrisionibus ac scommatibus ipsos aliorum ludibrio exponere conantur. Quo in artificio cumprimis excellunt Iesuitę & Caluiniani. Hisce autem non moueantur: sed cogitent illud: Non est discipulus supra magistratum: si patremfamilias Beelzebub vocarunt: quanto magis domesticos eius? Matth. 10. v. 25.

Audiamus potius qualem Christus se in hoc casu præbeat. Non directe respondet: quia nouit sycophantas subsannatores; quodcunque tandem responderet, siquidem non discendi studio interrogarent, sed tantum vt haberent quod calumniarentur. Quapropter potius fontem ipsis aperit, & monstrat, vnde profluat ille malitia, quod non tantũ doctrinam & testimonium ipsius non suscipiunt, sed etiam eidem contradicunt. Dicit enim: *neque me nostis, neque patrem meum. Si me nouissetis, etiam Patrem meum nouissetis, vtique.* Obiiciat Iudæis ignorantiam & sui & veri Dei, absque qua si esset, nequaquam adeo procaciter ipsi responsaturi essent. Siquidem ex hoc fonte ignorantię talia dicteria permanent. Res autem mira videtur Iudæis velle Dei ignorantiam exprobrare, cum Dauid cecinerit: Notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius. Tabernaculum eius est in Salem: & habitatio eius in Sion. Psal. 76. v. 1. Atqui Dominus Iesus in ipsa vrbe Ierusalem ipsis Dei ignorantiam obiicit. Hoc si recte intelligere velimus, sciendum: Deum ab hominibus in seipso cognosci nõ posse, nisi in operibus, beneficiis & verbo suo se manifestet, ac proinde talem cognosci debere, qualem is se manifestat. Iã vero Deus se Iudæis manifestarat in verbo suo, non tantum quod esset creator cœli & terræ: nec tantum quod maiores ipsorum eduxisset ex Ægypto: quatenus sane vtcũque nouerãt Deum: sed etiam quod missurus sit filiũ suum in mundũ, vt fiat semen mulieris. Gen. 3. 15. qui miseros mortales consolaturus sit ab operibus & laboribus manuũ ipsorum in terra, cui ob peccatum maledixit Dominus. Gen. 5. v. 29. qui in sanguine testamenti sui liberaturus sit vinctos de lacu, in quo non est aqua: Zach. 9. v. 11. vt sic Israel saluetur in Domino salute æterna. Ies. 45. v. 17. Hæc est vera & salutaris Dei notitia, qua Iudæi in solidum carebant. Si agnouissent & credidissent hunc Iesum esse verum, æternum & consubstantialem *æterni* Patris filium, qui ex æterno Patris decreto in mundum venisset, vt genus humanũ ex interitu liberaret, nunquã ita scoptice interrogassent: *vbi est pater tuus*? De tali spirituali liberatore & redẽptore nunquã quicquam ipsi cogitabant: tantum talem Messiam exoptabant, qui profligatis Romanis ipsos orbis domitores & dominatores efficeret. Hoc cum hunc Iesum in sua humilitate nequaquam præstare opinarentur, ipsum nec *fontem vitæ*, nec *panem cælestem*, nec *lucem mundi* crediderunt. Recte itaque Christus hic ipsis commonstrat, hanc ignorantiam vnicam causam esse errorum, scommatum & contradictionum.

Monstrat hic Christus suo exemplo, si cui in negotio religionis res est cum scopticis hominibus, quomodo iuxta doctrinam sapientis, Prouerb. 26. v. 4. stulto non secundum stultitiam respondere debeat, ne ipsi similis efficiatur. Iudæi scoptice interrogabant: *Vbi est pater tuus*? & parati erant audito responso noua scommata proiicere. Christus Iesus autem, vt vlteriorem irridendi occasionem rescinderet, non respondet ipsis iuxta eorum votum, sed potius, quia responsio mollis frangit iram, Prouerb. 15. versicul. 1. monstrat ipsis causam, quã fiat, quod se ita malitiose ipsi opponant, si forsan intra se reuersi, animi virulentiam deponerent, seque emendarent. Hoc Christi exemplum pij doctores imitentur. Si nihil proficiunt, Deo rem commendent: interim ipsi habẽt testimonium bonæ conscientiæ, quod sua austeritate & morositate causam non deteriorem reddiderint. Alio tempore Deus occasionẽ præbebit acrius hostes vrgẽdi. Sicut etiam Christus in hoc ipso capite faciet.

Simul etiam Christus hoc docet, extra se nullam cognitionem Dei esse salutiferam. Dæmones nouerunt Deum, sed cõtremiscunt. Iacob. 1. v. 19. quia eum nouerũt sine Redemptore. Gentes ex creaturis talem habuerunt Dei notitiam, vt essent inexcusabiles. Rom. 1. vers. 20. sed nihil ea ipsis prodest ad salutem, quia fuit notitia sine Christo. Iudæi nouerunt Deum mundi creatorem, Israelis vindicem, maiorum suorum benefactorem: verum quia Messiam missum respuerunt, hęc notitia vrget ad tanto maiorem ipsorum damnationem. Hæc de causa Christus ipse Iohan. 17. vers. 3. in vera Dei cognitione hæc duo coniungit: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Christum Iesum. In Christo Iesu enim habemus Deum Saluatorem, extra Christum habemus eum Iudicem.

IV. Postremo indicat Euangelista etiam locum in quo Christus hanc concionẽ habuerit: nimirum *in gazophylacio, docens in templo. Gazophilacium* in Hebr. לשכה cella fuit, vel camera, siue conclaue circa templum Domini in Ierusalem, pro reponendis vestibus, sacrificiis donatis, & instrumentis sacris, item pro habitationibus Leuitarum. Ezech. 40. v. 17. numerantur huiusmodi cubicula triginta, quæ ibi Græce nominantur παστοφόρια. Παστοφόριον autem, Hieronymo in 22 cap Ies. teste, thalamus fuit, in quo habitauit præpositus templi. Non ergo hic intelligenda est arca, in quam colligebatur pecunia, qualem 2. Regum 11. v. 9. Pontifex Ioiada reposuit in templum, vt in ea pecunia ad sarta tecta templi reponeretur, sicuti vulgaris versio ibi gazophylacium ponit: sed significat hic con-

hic conclaue amplum & primarium, in quo thesaurus templi, veluti in ærario asseruabatur. Γάζα enim Hesychio teste, est Persica vox, significans regiam cum supellectile sua, adeoque res preciosas. Hac vero loci notatione Euāgelista innuere voluisse videtur, fuisse hanc concionem cumprimis solennem, cuius etiam circumstantias nouisse operæ precium sit. Et quia Christus sæpius hunc locum adiit, sicut etiam Marc. 12. v. 41. spectauit donaria, quæ ad arcam gazophylacij afferebantur, inde colligere licet, Christo non improbari quod Ecclesia publicas opes habet: duntaxat illæ non impie corradantur, sicuti in Papatu venditione indulgentiarum & opinione mercandi cœli factum est. nec ad fastum aut superbiā vsurpentur. Antiquitus autem Ecclesiæ pecunia ad quadruplicem vsum adhibebatur: 1. vt docentes Ecclesiam honesta haberent solatia: 2. vt scholæ iuxta templa instituerentur: 3. vt pauperes & egeni alerentur: 4. vt sarta tecta templorum & ædificiorum conseruarentur. Absque his si sit thesauri Ecclesiæ non prosunt. Simul tamen hic diuinæ prouidentiæ efficacia consideranda venit. Iesus singulari cum animi παῤῥησίᾳ acerbissimis suis hostibus sua vitia & defectus obiicit: & tamen Deus ipsum tutum seruat, licet hoc factum sit *in templo*, hoc est, licet locus, tempus & cætera omnia pro inimicis contra Christum facerent. Hoc omnes pios animare debet, ad fortiter faciendum suum officium, ad libere & intrepide loquendam veritatem, etiam in conspectu hostium, cum Deus suos in medio ipsorum versantes, seruare queat.

CAPVT CII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS CONCIONEM CHRISTI HIEROSOLYMIS IN TEMPLO habitam, de sua persona, & de naturali Iudæorum adeoque omnium hominum corruptione. Ioh. 8. v. 21.

RATIO ORDINIS.

ET illa quidem in gazophylacio acta sunt. Post illam vero concionem πάλιν *iterum*, hoc est, alio tempore, instituit Iesus repetitionem & planiorem declarationem eorum quæ proxime dixerat. Multos autem locos doctrinæ tum in hac sua repetitione, tum in sequenti acri cum Pharisæis concertatione tractabit: de persona & officio suo: de sua passione: de verbi sui efficacia. Præcipue vero doctrina de peccato originali, quid illud sit, de eius causis & effectibus: nullibi in tota Euangelica historia, tam multis verbis, & tam clare explicatur, quam in hac concione & sequenti concertatione. Probe igitur hæc sunt obseruanda: quia sedes doctrinæ de peccato originali in hac Euangelica historia continetur. Est autem quoque notanda emphasis vocabuli *iterum*. Eo enim Euangelista ad præcedentes historias respicere videtur. Sciebat Iesus Pontifices & Pharisæos, finito festo tabernaculorum, de se opprimendo in Synedrio suo consultasse. Nuper quoque admodum improbe eum tentarant in templo, ob mulierem adulteram. Rursus eundem sarcastice exceperant ad gazophylacium, & concionem eius falsitatis insimularant. Ita vt abunde satis causæ habuerit ab ingratis & contumacibus discedendi. Sed superauit ipsius bonitas hostium malitiam, & ad docendi munus denuo rediit, ne paucorum horum improbitas reliquorum saluti, qui conuerti adhuc poterant, fraudi esset. Eadem Christi bonitas adhuc hodie durat. Etsi enim salutifera Euangelij doctrina multorum improba vita polluatur: etsi quoque eadem à multis hostiliter oppugnetur: nō tamen desistit verbi sui lucem accendere, eandemque in mundo conseruare, donec electorum numerus sit completus. Christi exemplum verbi ministri imitentur, nec patiantur se improborum malitiam & scommata absterrere, quo minus bonis ministerio suo seruiant. Quin etiam alij omnes, iuxta Pauli doctrinam Gal. 6. vers. 9. benefaciendo non segnescant. Habituri enim sunt bonorum suorum operum largam remunerationem in cœlis repositam.

REPETITIO DOCTRINÆ DE PERSONA Christi & Iudæorum corruptione. Iohan. 8.

21. Εἶπεν οὖν πάλιν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Ἐγὼ ὑπάγω, καὶ ζητήσετέ με, καὶ ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν ἀποθανεῖσθε. ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν.	21. *Dixit ergo iterum eis Iesus, Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire.*
22. Ἔλεγον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι, μή τι ἀποκτενεῖ ἑαυτόν; ὅτι λέγει, ὅπου ἐγὼ ὑπάγω ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν.	22. *Dicebant ergo Iudæi, num interficiet semetipsum? Quia dicit, quò ego vado, vos non potestis venire.*
23. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς, ὑμεῖς ἐκ τῶν κάτω ἐστὲ, ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω εἰμί· ὑμεῖς ἐκ τοῦ κόσμου τούτου ἐστὲ, ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου.	23. *Et dixit eis, Vos ab infernis estis, ego è supernis sum: Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.*
24. Εἶπον οὖν ὑμῖν ὅτι ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν. ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσητε, ὅτι ἐγώ εἰμι, ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν.	24. *Dixi ergo vobis, quod moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quod ego sum, moriemini in peccatis vestris.*
25. Ἔλεγον οὖν αὐτῷ, Σὺ τίς εἶ; Καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν.	25. *Dicebant ergo ei, Tu quis es? Et dixit eis Iesus, Inprimis quod & loquor vobis.*
26. Πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν, καὶ κρίνειν, ἀλλ' ὁ πέμψας με ἀληθής ἐστι· κἀγὼ ἃ ἤκουσα παρ' αὐτοῦ, ταῦτα λέγω εἰς τὸν κόσμον.	26. *Multa habeo, quæ de vobis loquar, ac indicem: sed qui me misit, verax est, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.*
27. Οὐκ ἔγνωσαν, ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν.	27. *Non cognouerunt, quod de Patre eis locutus esset.*
28. Εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Ὅταν ὑψώσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, τότε γνώσεσθε, ὅτι ἐγώ εἰμι, καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ ποιῶ οὐδὲν, ἀλλὰ καθὼς ἐδίδαξέ με ὁ πατήρ μου, ταῦτα λαλῶ.	28. *Dixit ergo eis Iesus, Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quod ego sum, & quod ex meipso facio nihil, sed ita vt docuit me Pater meus, hæc loquor:*
29. Καὶ ὁ πέμψας με μετ' ἐμοῦ ἐστιν. οὐκ ἀφῆκέ με μόνον ὁ πατὴρ, ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε.	29. *Et qui me misit, mecum est. Non reliquit me solum pater, quia ego quæ placita sunt ei facio semper.*
30. Ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν.	30. *Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.*

Periocha huius concionis.

INitio respiciens Iesus intentionem & conatus Pharisæorum, quod licet nuper ad gazophylacium *nemo apprehenderit eum, quia nondum venerat hora ipsius*, voluntas tamen ipsis non defuerit: orditur hāc concionem à comminatione: tem-

poralem & æternum interitum ipsis denuncians, ob obstinatum hoc ipsum persequendi studium. Sic vero inquit: *Ego vado, & vos quæritis me: sed quo vado vos non potestis venire.* Vult dicere. Vos multum deliberatis, & impense diu noctuque laboratis, vt me occidatis, sicque à me & meis concionibus liberemini. Atqui tanto labore nequaquam opus erat: siquidem Ego iam vltro, absoluto curriculo mei ministerij, à vobis discedam: per mortem temporalem ad Patrem meum cœlestem redibo: & simul cum Euangelio meo omnia bona mecum auferam. Quando ergo in extremis angustiis hæseritis *quæretis me*, Messiam & liberatorem patribus promissum desiderabitis. Sed quia non talem exoptatis, nec suscipitis, qualem Pater meus olim vobis promisit, & iam me præsente misit: nimirum spiritualem, qui vos à peccato liberaret, & cũ Deo reconciliaret: ideo vos *in peccato vestro moriemini, & quò Ego vado vos non potestis venire.* Quia Ego per mortem vado ad Patrem, ad cœlestem gloriam, vos vero propter obstinatam vestram malitiam peribitis, ex vno malorum genere subinde in alium ruetis, donec tandem ad inferni cruciatus præcipitabimus.

2. Hæc verba, quia Pharisæi malitiose apud semetipsos peruertebant, & sinistre interpretabantur, Christus fontem obstinatæ illius malitiæ indicat, nimirum naturam Originali peccato corruptam, quæ nisi corrigatur, & renouetur, actum sit de ipsis: Dicit ergo: *vos estis ἐκ τῶν κάτω, ab infernis*: & explicationis loco addit: *Vos estis ἐκ τοῦ κόσμου τούτου, ex mundo hoc.* Respicit Christus his verbis non ad primam hominis creationem. Nam mundus omnino est Dei creatura, & homo initio ex limo terræ formatus, est ex mundo hoc. Sed quia nunc propter Adami lapsum totus mundus in maligno positus est, 1. Ioh. 5. versi. 19. ideo naturalem illam respicit deprauationem, quæ per lapsum illum est ingressa, & vult notare originalem corruptionem, cœcitatem, ignorantiam Dei & inscitiam, cum omni prauitate, quæ tum Pharisæis tum omnibus hominibus natura inhæret, & à Diabolo qui ad inferna dãnatus est, vt infra pluribus audiemus. Ergo qui de mundo sunt, de mundo loquuntur, & mundus audit eos. 1. Ioh. 4. ver. 5. Ex hac naturali deprauatione oritur illa ἀδυναμία, quod non possunt nec volũt verbum Christi capere: Item ἐπιθυμία & concupiscentia peccandi, Christo contradicendi, eum mẽdacij arguendi & occidendi. Quæ enim apud patrem suum diabolum, inferorum principem, didicerunt, ea etiam eius instinctu facere conantur. Huic Iudæorum deprauatæ naturæ, opponit suam personam. *Ego sum ἐκ τῶν ἄνω, è supernis.* Et rursus: *Ego non sum ἐκ τοῦ κόσμου τούτου, de hoc mundo. E supernis esse*, non de loco intelligendum est, sicut angeli à supernis descẽdere dicuntur, quando ad homines veniunt: sed de origine & conditione Christi. De origine ipsius ratione diuinæ naturæ, quę *è supernis, & non de hoc mundo* est, quia vnigenitus filius est cœlestis Patris. De conditione ipsius ratione humanæ naturę. Etsi enim quoad substantiam eius, ipsam in hoc mundo assumpsit ex intemerata virgine Maria, sicque nobis suis fratribus similis & ὁμοιωθεὶς est, Hebr. 2. ver. 17. & 4. ver. 15. tamen quoad qualitates conceptus est de Spiritu sancto, peccatum non nouit, imo tota plenitudo diuinitatis in ipso habitat corporaliter: atque sic ratione conditionis suæ vere est *è supernis, & non de mundo hoc.* Hęc ἀντίθεσις Christi & nostri etiam tractatur à Iohanne Baptista. Ioh. 3. v. 31. & à Paulo 1. Cor. 15. v. 47. qui loci ad hunc collati, aliquid ad eius illustrationem faciũt. Et ob hanc naturalem, siue originariam deprauationem, quam Pharisęi spontanea malitia augeant, se dixisse confirmat: *moriemini in peccatis vestris. Mortis* autem nomine intelligit, non tantum priuationem temporarię vitę, quę fit per separationem animę à corpore: neq; tantum externas calamitates & afflictiones, quę interdum ipsa morte sunt acerbiores: sed inprimis æternam damnationem, quę est mors secunda, Apoc. 20. v. 14. in quo vermis rodens non moritur & ignis ardens non extinguitur. Iesa. 66. ver. vlt. Verbum autem *moriemini*, singularem hic habet emphasin, & denotat ipsos sui interitus causam esse, ac propria culpa sibi exitium accersere. Sicuti Ier. 27. ver. 13. propheta ad Regem Sedeciam & populum dixit: Quare moriemini tu & populus tuus gladio? q. d. quare permittes te & populum tuum tua culpa perire? Eodem modo Christus hic Iudęos & temporalem & ęternam pœnam voluntarie sibiipsis attrahere testatur.

3. Num vero hoc absolute ita de Iudęis decretum est, vt interitui sint destinati siue pœnitẽtiam agant, siue non? Nequaquam. Sed quemadmodum bonus medicus non tantum de morbo monet, & mortem imminentem, nisi præueniatur, prænunciat, sed etiam salutarem medicinam monstrat: ita Iesus Christus fidelis animarum medicus hic quoque Iudęos docet, qua ratione, si velint, interitum effugere possint. Dicit enim *si non credideritis quod Ego sum, moriemini in peccatis.* Sicut ergo incredulitas hic dicitur causa interitus: ita certum est solam fidem esse medium, per quod interitum Iudęi effugere potuissent. Quid vero credendum? Hic Christus respondet: *quod Ego sum*, scilicet, promissus mundi Messias, benedictum mulieris semen, quod serpenti caput conteret, vnicus vester Doctor & Seruator, qui mea abitione ad Patrem, & mortis meæ merito, vos adeoque omnes homines à peccatis, morte & æterna damnatione sim liberaturus. Recte ergo Augustinus sentit, quod Christus hisce verbis *Ego sum*, respexerit ad illum locum Exod. 3. v. 14. quando Moses, cum à Deo vocaretur, vt legatum ageret ad populum Israeliticum, inquisiuit, quis ergo, & quodnam ipsius nomen esset, vt Israelitis de nomine ipsius interrogantibus illud indicare posset. Ibi Deus respondit: אהיה אשר אהיה Ero, qui ero. Et dices filiis Israel, אהיה Ero misit me ad vos. Qui ergo in deserto dixit *Ero*: ille nunc in templo Hierosolymitano dicit, *Ego sum.* Et Pharisęis prædicit: nisi crediderit ipsum esse verum Messiam, qui vt olim ante incarnationem Maiores ipsorum liberarat ex seruitute Ægyptiaca: ita nunc incarnatus vniuersum genus humanum liberaturus sit ex seruitute peccati, vt ita typus respondeat suo antitypo: & nisi pro eo ipsum susceperint, tum eos in æternum perituros in suis peccatis. Hæc de primo membro.

Hoc primum membrum admonet nos illius precatiunculæ Augustini, qua duo bona à Christo precari solitus fuit: Da bone Iesu, nosse me, nosse te. Nostri notitiam ingerit hoc mẽbrum, dum docet nos agnoscere, quod simus *ab infernis & de hoc mundo*, hoc est, natura corrupti, in peccatis concepti & nati, imo in peccatis iam mortui, ac propterea filiæ iræ & damnationis: cui quoque in æternum subiecti futuri simus, nisi fiat liberatio. Nam stipendium peccati mors est. Rom. 6. vers. 23. Hoc membrum diligenter est hominibus inculcandum & per scripturam tam veteris quàm noui testamenti amplificãdum, siquidem natura nobis innata est φιλαυτία, quæ facit, vt grauissimum & teterrimum illud damnum, quod ex Adæ lapsu prouenit, vbi misere spoliati sumus omnibus donis Dei gratuitis, & grauissime vulnerati in naturalibus Luc. 10. v. 30. non agnoscamus nec intelligamus, nisi ex scripturæ patefactione monstretur & credendum proponatur: Sicuti Schmalcaldici Articuli pie de hoc doctrinæ cap. disserunt. Quapropter diligenter commonstrandum, quantam lernam malorũ originale peccatum secum trahat, quod se per actualia peccata diffundit, in peccata omissionis & commissionis primæ & secundæ tabulæ, contra Deum & contra proximum: interna & externa: occulta & manifesta: voluntaria & ignorantiæ: cõtra conscientiam & contra proprium corpus: mortalia & venalia: regnantia & non regnantia: remissibilia & non remissibile, seu peccatum contra Spiritum S. Et quis delicta omnia intelligit? Psalm. 19. v. 13. Hæc tamen occasione huius membri sunt proponenda & vrgenda. Deinde vero hoc membrum Christi quoque notitiam proponit, & docet, quod is *non sit de hoc mundo, sed è supernis*, hoc est, quod sit diuina persona, partim origine, partim conditione. Talis enim decebat vt esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Hebr. 7. vers. 26. Quare credamus quod *ipse sit*, scilicet omnia, quæcunque scriptura de eo prænunciauit, Deus & homo, pastor & doctor, medicus & seruator humani generis, fons aquæ viuentis, panis vitæ, lux mundi, Messias denique, Christus & vnctus Dei, rex & sacerdos noster, qui sua obedientia, passionis item & mortis merito, peccati nostri noxam omnem expiarit, cœlesti Patri nos recõciliarit, atque ex æterna morte redemerit. Qui talem Iesum agnoscunt, & firma fiducia amplectuntur: hi ex lapsu illo per pœnitentiam resurgunt, fide sua iustificantur, & spiritu Christi innouati pie, iuste & temperanter viuere incipiunt, sicque conuersationem suam in cœlis habent, quo tandem per eundem Christum ad æternam beatitudinem corpore & anima transferentur. Qui vero *non credunt quod Ipse sit, illi in peccatis suis moriuntur.*

Simul etiam obseruandum & monstrandum est, quomodo hæc comminatio Christi in incredulis Iudæis sit impleta. 1. Vix semestre abiit, quo Christus post hanc concionem per crucis mortem è terris discessit: iuxta illud *Ego vado.* 2. Inde Iudæi quæsiuerunt Iesum, idque primo hostiliter: quia Apostolos ipsius & totam Euangelij doctrinam passim sunt persecuti, nec destiterunt, donec Christus doctrinam suã penitus ab ipsis auferret. Ablato Euangelio cœperũt durissimo Romanorũ iugo premi, vbi rursus multis vocis expetierunt Messiam, non liberatorem à peccatis, sed qui Romanorum iugum excuteret, ipsosque in pristinam libertatem assereret. Sicque impletum est illud, *& quæretis me.* 4. Porro, quia in istis suis desideriis multis seductoribus (quales etiam fuere Theudas & Iudas Galilæus. Act. 5. v. 36.) locum dedere, continuis seditionibus & tumultibus Romanos permouerunt, vt misso exercitu regionem omnem vastarent, vrbem ipsam obsiderent, caperent;

caperent, vastarent, incenderent, diruerent, solo æquarent. Hoc est illud, *quò Ego vado*, ad pacem & quietem, ad tranquillitatem & felicitatem, *vos non potestis venire*. 5. Denique, quia hisce calamitatibus omnibus Iudæi minime sunt emendati, sed obstinatiores facti, ita vt nec cum Deo suo cum hominibus in gratiam venire voluerint, sunt dispersi in omnem terrarum orbem, & Thalmudicis suis fabulis ac nugis inhærentes, nec in Iesum Christum *quod ipse sit* credere volentes, *in peccatis suis moriuntur*, atque sic in æternum pereunt. Hæc in eum finem notanda, atque aliis etiam proponenda sunt, ne minas Christi in verbo prolatas aspernemur, siquidem eorum affectum & euentum adeo luculenter videmus. Simul autem agnoscamus, quæ pœna maneat contemptores gratiæ Christi. Quamprimum enim Christus alicunde cum doctrina & Euangelio suo discedit, mox ibi omnis generis calamitates succedunt, nec malorum finis est, nisi aut pœnitentiam homines agant, aut in æternum exitium ruant. Nec mirum: quia omnino necesse est, vt sublato benedictionis authore, maledictio plenis plaustris ingrediatur.

Antequam autem ad secūdum membrum progrediamur, audiamus etiam qualiter Iudæi grauissimam hanc Christi comminationem susceperint. Nam Euangelista diligenter id annotauit, vt sic non tantum effrenem Iudæorum petulantiam, verumetiam in genere humani ingenij improbitatem in iis, qui in animum sibi induxerunt, quod veritatem oppugnare velint, nobis ob oculos poneret. 1. Prima ergo minas Iesu rident, & scurriliter verba ipsius in alienum adeoque impiissimum sensum detorquent. Dicebant enim, *Num interficiet seipsum? Quia dicit: quò Ego vado, vos non potestis venire*. Quasi vero, si ille verborum Christi sensus fuisset, ipsi quoque non eodem peruenire potuissent? Sicuti, proh dolor, innumeri Iudæorum postea in bello Iudaico & in extremis calamitatibus positi manus violentas ipsi sibi intulerunt. Illud vero ipsi ex impatientia & desperatione fecerunt: quale nihil quicquam hic in Christo Iesu, eos quam fidelissime instituente, animaduertere potuerunt. Sed ex mera proteruia ita sarcastice Christi verba torquent. quasi dicat. Si maioris turpitudinis euitandæ causa, ipse mortem sibi consciscat, profecto fatemur vltro & concedimus lubenter, quod ipsum sequi nolimus, nec eo peruenire cupiamus quo ipse abibit. Hanc procacem proteruiā, quomodo Deus impunitā dimittere potuisset? Sed improbitas eorum hic non subsistit: verum addūt etiam alterum sarcasmū cum blasphemia coniunctum. 2. Nā postquā Christus ipsos originalis suę corruptionis cōmonefacit, & hortatus est, vt se Messiam esse crederent, nisi in peccatis mori & perire velint, sicque blande ad gratiam Dei inuitauit, sarcastice interrogant: *Tu quis es?* Vanitatis & iactantiæ eum insimulantes, quasi ambitiose nimis magnifica de seipso prædicaret, quæ nunquam præstare posset. Sicut etiam postea apertius dicent: *quem facis teipsum?* atque sic non denunciatum Dei iudicium reformidarunt: nec eiusdem gratiam benigne oblatam suscipere voluerunt.

Discamus ergo hinc agnoscere extremam improbitatem ingenij illorum, qui semel veritati sese opponere cœperunt. Illis siue dulcia, siue amara, siue lenia siue aspera, siue iram siue gratiam Dei proponas, perinde est, omnia rident, singula sannis excipiunt. In illis enim verum esse deprehenditur dictum Salomonis. Prouerb. 27. v. 22. Si contuderis stultum pistillo in mortario, tanquam ptisanas, non auferetur ab eo stultitia eius. Fieri enim non potest, quin contemptores iudiciorum Dei, fiant etiam contemptores gratiæ eius: & vt ludibrio habent inferos, ita non serio cogitant de cœlis. Quales Empectæ & irrisores sunt hodierni nostri Pharisæi, Iesuitæ: qui quicquid siue ex lege siue ex Euangelio protuleris, quo traditiones humanas & Pontificium figmenta impugnas, id omne sarcasmis excipiunt & per irrisionem refutant. Tales iusto quidem Dei iudicio sunt committendi. Interim tamē ne ignorantiam aliquando prætendere queant, vel inuitis lux veritatis est proponenda: sicuti Christum id Pharisæis sui temporis fecisse iam nunc audiemus.

II. Etsi enim ob hanc contradicendi importunitatem & impudentiam indigni erant, in quibus erudiendis Christus vlterius laboraret: tamen instituendo ipsos pergit, & 1. diserte indicat quis sit: nimirum is ipse, quem hactenus sese in verbo veritatis prædicasset. Sensus enim verborum Christi per se apertus est, licet phrasis Græca aliquid difficultatis parere videatur. Vnde etiam obscuritas eius diuersas interpretationes protulit. Euangelista Christi responsionem sic annotat τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Ambrosius lib. 3. de fide cap. 4. & Augustinus τὴν ἀρχὴν nominaliter accipiunt. Quasi Christus responderit se esse *principium*, & vt responsio cum interrogatione conueniat, putant hic subintelligendum esse verbum *credite*. q. d. Christus: Vos quæritis quem me debeatis credere? Respon. Credite me esse principium ὅτι quia loquor vobis. Ambrosij, vt dixi, sententia est eadem cum Augustini, præterquam quod is variat in particula ὅτι & non legit *quia*, sed ὅ τι, *qui loquor vobis*. Chrysostomus & Theophylactus obscure hæc explicant, quasi Christus Iudæos indignos iudicarit, quibus responderet, cum omnino superfluum sic quicquid cum ipsis loquatur. Verum, quid opus est sese macerare in diuersis diuersorum interpretum explicationibus adducendis, iisque conciliandis, vel approbandis his & reprobandis illis? quin potius verum sensum aperiamus. Particula τὴν ἀρχὴν aduerbialiter est accipienda, sicuti constat apud Græcos id vsitatum esse. Nec pauca consimilia exempla in ipsa scriptura occurrunt, Genes. 3. versi. 8. & Exod. 29. versiculo 39. τὸ δειλινὸν significat vesperi. Gen. 14. v. 15. Irruit Abrahamus super reges orientales τὴν νύκτα noctu. Gen. 43. v. 16. fratres Iosephi cum ipso pransuri erant τὴν μεσημβρίαν meridie. Eodem modo τὴν ἀρχὴν accipere possumus *principio*. Gen. 41. v. 21. & 43. versicul. 18. בתחלה Græci bis τὴν ἀρχὴν, Lutherus autem *vorhin*, reddiderunt. Si eodem modo etiam hic reddatur, sensus erit planissimus, quod Christus responderit: Ego sum *id, quod à principio dico vobis. VVas ich euch vorhin gesaget habe*. Nimirum sum fons aquæ viuentis, panis vitæ, lux mundi, ipse denique Dei filius, à Patre missus, vt humanum genus ex Diaboli tyrannide liberem. Eadem sententia etiam Nonno probatur, qui in suis versiculis τὴν ἀρχὴν explicat pro ἐξ ἀρχῆς ab initio. Luther. in Germanica versione reddidit, *Erstlich der, der ich mit euch rede*. Vt licet τὴν ἀρχὴν aduerbialiter reddiderit, tamen cum Chrysostom. ὅ τι *qui* legerit, quod cum vulgari Græca lectione, vt etiam cum Syraica, non conuenit. Dum autem Christus Iesus hosce suos oblocutores Iudæos nouam quæstionem proponentes, remittit ad priorem suam doctrinam, eo ipso docet, in negocio religionis, non quotidie noui quid appetendum esse, prout faciunt illi, qui sunt prurientes auribus, 2. Tim. 4. v. 3. Vt enim Deus vnus idemque est: ita etiam vna eademque est ratio salutis ab ipso præscripta, quæ in æternum non mutabitur. Iesus Christus heri & hodie, idem quoque & in secula. Heb. 13. vers. 8. Tales quoque synceros Theologos esse decet, vt perpetuo idem sentiant & loquantur: nō alium Christum hodie prædicent, alium cras: non aliud Euāgelium hodie, aliud cras. Eodem modo quoque aliorū Christianorum verba & vita, ad exemplum sui magistri, non leuis ac mobilis, sed constans esse debet. Vertumni male audiunt apud omnes homines.

2. Postquam indicauit Iudæis qui sit, eosque ad priores suas conciones suas remisit, iam secundo loco etiam minas suas repetit, eos ad tribunal Patris citat, & testatur Deum vindicem atque vltorem futurum, quod doctrinam suam non recipiant, sicuti Deuter. 18. vers. 19. prædictum est. *Multa habeo, quæ de vobis loquar ac iudicem*: Græcismus est, quasi diceret: Multa possem in vobis reprehendere, & iusto iudicio vos condemnare. Et quidem de multis vobis ratio mihi reddenda erit. Sed omissis aliis multis, vnum hoc ad condemnationem vestri sufficiet, quod *qui misit me, verax est, & Ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo*. Hoc peccatum incredulitatis vos premet in iudicio. Cum enim is, qui me misit, verax sit, nec Ego aliam doctrinam prædicem, quam eam quam audiui à Deo, vtique Deo rationem reddetis incredulitatis vestræ. Dū enim me reiicitis, eum ipsum, qui me misit, spernitis, Luc. 10. versicul. 16. quod is non inultum dimittet. Emphasin autem habet phrasis, *loquor* εἰς τὸν κόσμον *in mundum*, id est, publice & confidenter denuncio quod in mandatis accepi, & vel inuitis aduersariis ipsis occino, & impiis vobis quasi nolentibus notitiam veri obtrudo, vt sic inexcusabiles reddamini. Hæc vero dicendo Christus suis ministris aliquas quasi regulas præscribit, quomodo incurabiles veritatis hostes, qui nihil nisi contradicendi occasiones quærunt, tractare debeant. 1. Non maledicta maledictis compensent, licet *multa haberent, quæ de illis loqui possent*. Etenim si illud faciant, ipsis similes efficiuntur, sicuti garrulæ anus in foro inter se litigant, vbi plerunque vincit ea, quæ omnium est procacissima. Sed seruum Domini non decet litigare, verum placidum esse erga omnes. 2. Timoth. 2. versic. 24. Aliorum enim sordes referendo, plus nosipsos inquinamus, quam illos maculamus. 2. Possunt tamen eiusmodi hypocritas ad tribunal Dei citare, qui suo tempore assertor erit iustæ suæ causæ, vtut ad tempus incredulo mundo dormire videatur. *Est enim verax* in omni suo verbo: qui etiam veritatem suam aduersus contemptores & irrisores tueri poterit. Etsi enim plerique illi Empectæ, pœnitere nescij, ita in peccatis suis & contradicendi libidine consopiti sunt, vt non sentiant Deum ipsorum improbitatem irato vultu intueri: Cōscientia tamen ipsorum iusto Dei iudicio aliquando euigilabit, & incredibilibus horroribus concutietur. Interim 3. *quæ audiuerunt à Patre*, hoc est, synceram doctrinam diuinitus traditam, *loquantur in mundum*, intrepide & publice errores ex verbo Dei refutent, & impios mores ta-

xent. Hic exaltent præcones verbi vocem suam instar tubæ, Iesaiæ 58.v.1. & *mundo* vel inuito veritatem proponant atque ingerant, vt inexcusabilis reddatur.

3. Licet citatione sua ad tribunal Dei Christus apud obstinatos parum effecerit: tamen nunc denunciat tandem fore, vt velint nolint agnoscant ipsum à Patre missum esse Messiam & Seruatorem mundi. Sed quando? *Cum exaltaueritis filium hominis.* De se loquitur & de sua morte, qua ipsum sublimem in crucem essent suffixuri, quod mortis genus licet illi ipsi illaturi essent ad perpetuam & indelebilem infamiam atque ignominiam: tamen reuera futura sit *ὑψώσεως exaltatio*, tum ipsius personæ tum doctrinæ. Personæ quidem, quia ipse per passionem & mortem ingressurus sit in cœlestem gloriam: doctrinæ autem, quia illa tanta maiestate se sit exertura, vt omnes agnoscāt diuinæ virtutis opus esse, cui nemo resistere queat. Hæc prædictio Christi quomodo impleta sit, Euangelica historia monstrat. 1. In passione & morte ipsius sol præter naturæ ordinem obscuratus est, terra tremuit, petræ horrendum in modum sunt scissæ, monumenta aperta, & tanta denique signa edita sunt, vt plerique magno terrore perculsi pectora planxerint, & domū reuersi fuerint: ita vt etiā Centurio homo gentilis, agnouerit, & professus fuerit: Vere hic homo iustus fuit Dei filius. 2. Tertio post die resurrectio ipsius ex sepulchro tam gloriosa fuit, vt milites, ad custodiam sepulchri adhibiti, & angeli fulgore territi, ipsi eam Pōtificibus nunciarint. Qui vsque adeo eam negare non potuerunt, vt data militibus pecunia finxerint, cum furto ablatum fuisse ex sepulchro. 3. Insuper quando post festum Pentecostes Apostoli accepto Spiritu S. animati Euangelium de Christo resuscitato & in gloriam assumpto in ipsa vrbe Hierosolymitana prædicarunt & maximis signis confirmarunt: ita vt ipsi tādem dixerint, quid faciemus hominibus istis? Act. 4. versicul. 16. 4. Denique quando per Romanos grauiter afflicti diuinam vltionem senserunt, ob peccata in messiam spretum & reiectum commissa. Licet autem magna pars Iudæorum in insuperabili sua pertinacia & incredulitate perstiterunt, atque sic in reprobum sensum dati, & in Spiritum S. peccantes in æternum petierunt: olim tamen quando Christus exaltatus in gloria & maiestate Patris sui rediturus est ad iudicium, ibi tum etiam increduli cum æterno suo interitu eum agnoscent, & aspicient quem confixerunt. Zach. 12. vers. 10. Quoad credentes de illis vere dixit, *tunc cognoscetis:* Quid? 1. *quod Ego sum* lux mundi, panis vitæ, aqua salutis, ipse denique Messias, 2. *quod ex meipso facio nihil*, & licet in humana carne obambulem: tamen sim legatus cœlestis Patris, à quo & doctrinam meam accepi, & quæcunque *loquor*, illa ita profero, *vt docuit me Pater meus.* 3. cognoscetis denique, quod *qui me misit, mecum est.* Neque enim Pater me mittens me dereliquit: sed ipse præsentissimus adest meo ministerio, & cooperatur, gratiam largiens, ne prorsus sine fructu abeat mea doctrina. Sic ergo ministerij sui efficaciam cœlesti suo Patri adscribit, qui secum sit. Et vt amplius id confirmet, addit: *non reliquit me solum Pater, quia Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Ego sum obediens ille filius, qui Patri meo obediens esse volo, ad ignominiosissimam vsque mortem crucis. Phil. 2. v. 8. Sic vero latum discrimen facit inter se & alios homines omnes. Nemo enim hominum profiteri potest, quod *semper fecit, quæ placita sunt* Deo. Siquidem in multis labimur omnes, Iacob. 3. v. 2. & sanctissimi quique pro remissione peccatorum ad Deum orare coguntur: Psalm. 32. v. 6. siquidem circumgestamus omnes corpus peccati, vnde fit, vt sæpius bonū, quod volumus, non faciamus, malum autem, quod nolumus, illud facimus. Rom. 7. v. 19. Sic ergo Christus in hoc tertio concionis suæ membro repetiit, tum priorem suam doctrinam, tum priores minas, tum denique, quis vel tandem fructus futurus sit sui ministerij, licet hostes sui sese opponant.

Præbent autem hæc verba Christi etiam alias quasdam doctrinas. 1. Obseruanda sunt epitheta, quæ Christus partim in hoc, partim in præcedenti membro suæ morti tribuit. 1. dicit: *Ego abeo.* 2. *Cum exaltaueritis filium hominis.* Hæc duo singuli credentium ad se transferre debent, vt inde discant, & quid sit ipsorum vita, quid sit illorum mors. 1. Quid ergo est vita Christianorum? Est *abitio* ex hac lachrymarum valle, in qua peregrinamur, ad cœlestem patriam, in qua est *πολίτευμα* nostrum & æterna hæreditas. Ideo etiam Ioh. 5. v. 24. dixit: Qui in me credit, non venit in iudicium, sed transit à morte in vitam. Initium huius *abitionis* siue profectionis mox fit in prima natiuitatis nostræ hora. Nascendo enim in hunc mundum ingredimur: viuendo autem scopum versus, quem diuina vocatio nobis proposuit, Phil. 3. 14. progredimur, sicque singulis horis & momentis propius accedimus, quam tandem in ipsa morte attingimus. Iam 2. Quid est mors Christianorum? Non est hominis interitus, sed piis est *exaltatio* salutaris & gloriosa: quia per mortem rabiei omniū suorum hostiū eripiūtur. Iustorum animę sunt in manu Dei, non tangit illas tormentum mortis. Sap. capite primo, v. primo: & requiescunt ab omnibus laboribus, Apocalyps. capite 14. versic. 13. Adhæc animæ ex impuro corporis ergastulo liberatæ, atque ab angelis in sinū Abrahę deportatæ, in iustitia & salute sempiterna coram Christo viuunt, ibique Deum suum creatorem, redemptorem, & sanctificatorem cum beatis angelis sine intermissione concelebrant. Quando vero olim læta corporum resurrectio subsecuta fuerit, ibi tum demum in æterna gloria cum Christo seruatore suo conuersabuntur, & vere exaltati gaudebunt & lætabuntur in sempiterna secula & vltra. Hæc consideratio ad id prodest, vt primo nobis securitatem excutiat, quo in cursu vitę & peregrinationis nostrę vigilemus, ne hora mortis nos imparatos adobruat. Vt enim nauigio vecti sensim portui appropinquant, vt siue edant, siue bibant, siue ludant, siue dormiant, ex improuiso in portu subsistant: ita quoque nauicula huius vitæ diu noctuque progreditur, vt siue bona siue mala operemur, identidem tamen ad vltimam metam properemus. Quia vero ad portum delati, rationem Deo iudici reddituri sumus de quouis inutili verbo, Matth. 12. 36. quia item, qualem Deus inueniet, talem etiam iudicaturus est: & prout ceciderit lignum, siue versus Austrum, siue versus Aquilonem, ita erit. Eccl. 11. 3. Omnino singulis opera danda est, vt *abitionem* suam ita instituant, ne in portu demum (quod in hoc mundo sæpius fieri assolet) circa fidem naufragium patiantur, 1. Tim. 1. v. 18. Deinde eadem hæc consideratio consolationem nobis addit: quia non tantum in singulas horas aliquid ærumnis nostris decedit, sed etiam quando vel tandem metam attigimus, ad summam beatitudinem euehimur, quā oculus in hoc mundo non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis penetrauit, sed pręparata à Christo iis qui aduentum eius diligunt. Hoc nos excitare poterat, vt quotidie cum D. Paulo suspiraremus & exclamaremus: Cupio dissolui, & esse cum Christo, Philip. 1. 23. Impij quidem etiam progrediuntur in via sua, sed longe alium vitæ finem inuenient, nimirum confusionem & deiectionem in stagnum ignis sulphure ardentis: quia Christo duce & patrono destituuntur. Hæc de abitione & exaltatione.

2. Verba Christi, quibus dicit: *qui me misit mecum est.* Et *non me reliquit solum pater*, nos docent, quid de ministerio verbi, si illud sit legitimum, sentire debeamus: nimirum Deū ipsi pręsentem adesse, per illud operari, & per Spiritus sui gratiā efficax reddere. Ieremię dixit, c. 1. v. 19. bellabūt aduersum te, & non præualebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te. Apostolis Christus dicit, Matth. 10. v. 20. non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Item sibi applicent omnes verbi ministri legitime vocati: & sciant, Deum per ipsorum ministerium auditorum salutem procurare: Deus per os ipsorum loquitur, per manus ipsorum baptizat, per vocem ipsorum à peccatis absoluit: per ipsorum distributionem credētes cibat & potat ad vitam æternā. Huc respexit Baptista, cū dixit Iohan. 1. v. 23. Ego sum vox clamātis. Sibi *vocem* tribuit, sed Deum esse asserit, qui per ipsius vocem *clamet.* Lutherus emphatice reddidit: *Ich bin eine Stimme eines Predigers.* vt sic duas illas personas exprimeret, vnam Dei efficaciter operantis, alteram hominis ministrantis. Eodem etiam Paulus respexit, Corinthiis scribens, 2. Cor. 5. v. 20. pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Hoc & animum addit ministris in periculis, quod sciūt *non solos derelinqui à Deo*, quia voci suę sit datutus vocem virtutis, Palm. 68. v. 34. qui clementer sit largiturus, ne labor ipsorum inanis sit in Domino. 1. Cor. 15. v. vlt. & molestiæ eos admonet, ne in fœlici rerum successu quicquā suę industrię, sed omnia diuinæ gratiæ adscribant. Sicuti Paulus id fecit, 1. Corinth. 15. v. 10. abundantius omnibus Apostolis laboraui: non ego autem, sed gratia mecum.

3. Si tamen verbi ministri illam Dei gratiam sibi præsentem habere velint, necesse est vt in ministerio suo se accommodent voluntati ipsius, & cum Christo *quæ placita sunt Patri, faciant semper. Semper* quidem id præstare non poterunt: quia & ipsi sunt homines peccatores, non angeli in bono confirmati: Caueant tamē sibi ab enormibus peccatis, & quotidianos etiam lapsus humili mente agnoscentes, mox veniā à Deo quærant, proprium corpus castigantes & in seruitutem redigentes, ne dum aliis prædicant, ipsi reprobi efficiātur. 1. Cor. 9. ver. vlt. Si vero pro virili faciant ea, quę Deo placeant, experientur se mirifice à Deo conseruari inter medios scorpiones, & ministerium ipsorum per Dei gratiam non esse infructuosum. Idem tamen etiam obseruent illi qui in publico magistratus officio versantur: item pij patresfamilias, si Dei præsentiam & benedictionem quisque in vocatione sua habere desiderant, fideliter exequantur, quæ Deus præcepit, & *quæ ipsi placita sunt faciant:* sic Deum *ὑπερασπιστὴν*, defensorem & conser-

& conseruatorem experientur. 4. Admonent denique hæc Christi verba, impios ipsius hostes & persecutores, vel tandem inuitos cognoscere & fateri Iesum, quem persecuti erant, victoriam contra se obtinuisse. Sicuti enim hic dicit, *cognoscetis quod Ego sum*: ita idem plurib. exẽplis comprobari potest. Exod. 5. 2. Dicit Pharao rex Ægypti ad Mosen & Aaronẽ: quis est Iehoua, vt audiam vocem eius & dimittam Israel? nescio Dominum, nec dimittam Israel. Sed postea Exod. 14. 25. cum hæreret in vorticibus maris Erithræi, cognouit quis esset Iehoua, cũ clamaret: Fugiamus Israelem: Iehoua enim pugnat pro eis contra nos. Eodem modo Iulianus Apostata Iesum Christum, humani generis Saluatorem satis diu contẽptim habuit, & pro fabri filio proclamauit: tãdem tamen in acie vulneratus & iamiam infelicem animam efflaturus, cognouit eum Dei filium esse, & publice proclamauit: Vicisti tandem Galilæe. Ita in nouissimo die agnoscent, tam Iudæi quàm Gentes, quem confixerunt. Zachar. 12. vers. 10. & cum dolore fatebuntur, se à veritatis via aberrasse, lumen iustitiæ ipsis luxisse, nec solem intelligentiæ ipsis ortum esse. Sap. 5. v. 2.

Porro videamus etiam quomodo Iudæi hanc vberiorem Christi explicationem & iteratam comminationem susceperint. Refert autem Euangelista duo diuersa. 1. Stuporem & crassam cæcitatem plerorumque, quod licet sæpius mittentis & Patris sui mentionem fecerit: *non tamen cognouerunt, quod de Patre* cœlesti *eis locutus esset*. Res sane mira, quod illi, qui in rebus mundanis aliàs erant versutissimi, hic tamen, quæ satis perspicue & simplicissime ipsis proponebantur, intelligentia sua non assequebantur. Causa eius est, quia innata malitia, & præconcepti praui carnis ipsorum affectus, inuidia item & odium aduersus Iesum, sic mentem ipsorum excœcabant, vt videntes non viderent, & audientes non audirent, nec corde suo intelligerent, atque sic à Deo nec conuerterẽtur, nec sanarentur. Iesa. cap. 6. ver. 10. Monet nos hoc Iudæorum exemplum, ne in religionis negotio carnis affectibus indulgeamus, sed à verbo Dei nos duci & regi patiamur, semper cum Dauide ex 18. Psalm. versic. 29. ingeminantes, Deus meus illumina tenebras meas. Nec offendat nos, quod etiam hodie multi ex proceribus mundi in tanta luce Euangelij non cognoscere volunt verbum veritatis: sed potius illud execrantur & persequuntur. Nimirum etiam ipsorum animi præoccupati sunt vel tetris erroribus, quas mordicus tuentur, vel carnis affectibus, mundanis dignitatibus & voluptatibus, quas deserere nolunt. Est ergo Euangelium quidem Christi, tanquam verum Dei verbum in se lucerna nostris pedibus, & lumen semitis nostris. Psalmo 119. versiculo 105. Quod autem idem Euangelium multis opertum est, opertum est in iis qui pereunt, in quibus Deus huius seculi excœcauit mentes infidelium, vt non fulgeat ipsis Euangelium gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2. Cor. 2. v. 3. Licet autem hisce occœcatis fuerit Euangelica hæc concio Christi odor mortis ad mortem: aliis tamen etiam fuit odor vitæ ad vitam. 2. Corinth. 4. versic. 15.

Nam addit Iohannes 2. *Hæc illo loquente, crediderunt multi in eum*. Hic est salutaris effectus concionis Christi, quod postquam diu multumque Christus verbo suo cum Iudæorũ incredulitate luctatus esset, tandem tamen aliqui, imo *multi*, animum verbis ipsius applicuerint, iisque fide habuerint. Nobis quidem hæc tantum scintilla fidei videtur, Euangelista tamen *fidei* titulo dignatur. Christus enim fidẽ quantumuis modicam & exiguam non aspernatur, sed eam suscipit, fouet, & salutaribus admonitionibus augere atque prouehere studet: vt iam nunc audiemus. Est enim benignus ille Dominus, de quo Ies. 42. ver. 3. scribitur: quod calamum quassatum non conterat, nec linum fumigans extinguat. Exemplum hoc Christi verbi ipsius ministros informet, vt & ipsi tenuibus fidei principiis contemti sint, sit illa in auditoribus animaduertãt. Illa principia læti suscipiant, solicite foueant, & fideliter ad soliditatem promoueant. Imo ex hoc Christi exemplo bene sperare discant, quod etiam inter obstinatos & induratos aliquos per Dei gratiam lucrifacere queant. Neque enim nunquam prædicatio verbi omni fructu caret: sed vbique locorum Deus suos habet, quos quando vult trahit & illuminat. Et licet interdum multi aranei confluant, qui venenum hauriant ex prædicatione verbi: tamen etiam apes inueniuntur, quæ dulce mel sugunt ex floribus verbi diuini. Ipsi ergo in docendo perseuerent, cum hominum incredulitate & impietate fideliter luctentur: successum autem Deo commendent.

CAPVT CIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS TERTIAM CONCIONEM, CHRISTI IN TEMplo ad fideles, quam excepit concertatio Iudæorum adeo acris, vt illi lapides contra Iesum sustulerint. Iohan. 8. versic. 12.

RATIO ORDINIS.

HAnc concionem priorem illam non magno interuallo secutam esse omnes circumstantiæ monstrant. Nam postquam Christus animaduertit, aliquos ex præcedenti concione fidem in se cõncepisse, mox vt bonum hoc fidei opus in illis confirmaret, nouam & peculiarem ad hosce neophytos concionem instituit: eosque vt in fide ad finem vsque perseuerent, salui fieri velint, exhortatus est. Quia vero eandem hanc exhortationem mox: interturbarunt hostes suis interlocutionibus & contradictionibus: ideo eadem occasione vlterius disserit de spirituali & seruitute & libertate, deque corruptissima omniũ hominum natura, Satanæ seductione & suggestione introducta, eiusque prauitatem imitante: de sua item passione eiusque atque verbi sui efficacia, cuius solius virtute homines ex tantis malis liberentur, & ad veram animi corporisque felicitatem adduci possint. Videbimus itaque ex hac Christi cum Pharisæis actione & concertatione doctrinam Euangelij non posse semper placide proponi, sed interdum cum hostibus, præsertim contumacioribus, esse acriter de retinenda veritate concertandum; contra querimonias & accusationes eorum, qui indigne ferunt, si quando synceri verbi ministri, iusto zelo commoti, hostes suos pro dignitate acrius excipiunt. Cæteroquin Christus ipse in suis concionibus erga omnes, etiam erga Pharisæos, fuit blandus, vt sic ipsos ad agnitionem veritatis alliceret. Pharisæi vicissim erga Christum, licet ex falso corde, blandis vtebantur verbis. præsertim quando ipsum tentabant: Rabbi, dicebant, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Matth. 22. versicul. 16. Hoc vero in loco longe aliter res peragitur. Pharisæi enim hic Iesum non võcant Rabbi, sed acerbissime ipsum conuitiantur, dicunt *eũ Samaritanum & dæmonium habere*. Christus quoque, qui alias est mitissimus, & Ies. 42. versic. 2. hoc testimonium habet: non clamabit, neque audietur vox eius foris, ipsis non parcit, sed võcat *mendaces, filios diaboli, & qui morituri essent in suis peccatis*. Nec vspiam in Euangelio acerbior σύζητησις vel concertatio inter Christum & Pharisæos legitur, adeo vt hi tandem *lapides sustulerint*, iis Iesum obruituri, nisi is se *abscondisset*. Sed super quanam re tam acerba exoritur concertatio? Super doctrina Christi. Hanc damnant Pharisæi, & econtra seniorum suorum traditiones vrgent, quasi per eas vitam & salutem consequi possint, maxime quia *sint semen Abrahæ*, hoc est, vera Dei Ecclesia. Hoc Christus negat, dicit ipsorum traditiones esse *tenebras, ex parte mendacij*, quibus homines spiritualiter occidantur: nec ipsos veram esse Dei Ecclesiam, sed satanæ synagogam. Ergo super quæstione de Ecclesia & saluifica doctrina tanta exoritur contentio, vt verbis non possit res transigi, sed ad lapides proruerint. Certamen itaque de vera Ecclesia non est nouum, sed inde à Caino huc vsque durauit. Et hostes verbi, licet in aliis causis simulent familiaritatem, & satis commodos se præbeant: tamen quando deuenitur ad quæstionem de Ecclesia, ibi virus cordis erumpit. Verbi gratia, Iesuitæ, quantam comitatem & humanitatem etiam erga Euangelij doctores præ se ferunt, vbi de literis bonis, de linguis, & historiis prophanis sermo est? Sed quando purior Euãgelij doctrina profertur: quando docetur, hominem non ex operibus, sed gratia Dei per fidem in Iesum Christum

solam iustificari: quando Pontifex Antichristus dicitur, & eius sectatores Antichristiana Ecclesia vocatur? aut saltem ipsorum cœtus vera Christi Ecclesia esse negatur: ibi tum furor ipsorum accenditur: ibi pluit & ningit conuitiis. Non minus idem faciunt Sacramentarij: qui admodum blandi & humani esse videntur, si de reliquis articulis, qui inter Nos & pontificios controuersi sunt, agamus. Sed si ipsorum glossas sacramentarias reiiciamus, protinus excandescunt, & irritati sibi à conuitiis non temperant: Nos sarcophagos Thyestas, sanguisugas, Vbiquistas & nostrum sacramentum satanæ excrementum vocitantes. Quid hic faciendum? num tacendum? num contumelia ferenda? Mundus quidem hoc à nobis postulat, & vult vt blanda & mellita verba reponamus. Et si vicissim hostes veritatis acriter excipiamus, offenduntur. Sicuti multi offensi sunt vehementia Lutheri aduersus quosdam Pontificios & Zuinglianos. Sed ex Christi exemplo discimus, non posse hostes semper blande tractari, sed iusta vehementia & acrimonia esse reiiciendos, ne se nimium metui putent, sed vt iustis modis excepti vel tandem turpitudinem suam agnoscant. Ideo etiam Paulus vult syncerum Ecclesiæ doctorem non tantum potentem esse exhortari per sanam doctrinam, sed etiam τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν contradicentes. Tit. 1. v. 9. imo eos ἐπιστομίζειν, ipsis os obturare, ver. 11.

Hæc præmittenda fuerunt, ne quisquam insolita Christi vehementia offendatur.

Exhortatio Christi ad credentes, cum subsequente acri concertatione cum Pharisæis. Iohan. 8.

31. Ἔλεγεν οὖν ὁ Ἰησοῦς πρὸς τοὺς πεπιστευκότας αὐτῷ Ἰουδαίους, Ἐὰν ὑμεῖς μείνητε ἐν τῷ λόγῳ, ἀληθῶς μαθηταί μου ἐστέ.

31. *Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderant ipsi Iudæos, Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei estis.*

32. Καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς.

32. *Et cognoscetis veritatem, & veritas liberos reddet vos.*

33. Ἀπεκρίθησαν αὐτῷ, σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν, καὶ οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν πώποτε, πῶς σὺ λέγεις, ὅτι ἐλεύθεροι γενήσεσθε;

33. *Responderunt ei, Semen Abraham sumus, neque cuiquam seruiuimus vnquam, quomodo tu dicis, liberi reddemini?*

34. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας.

34. *Respondit eis Iesus, Amen dico vobis, quod omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.*

35. Ὁ δὲ δοῦλος οὐ μένει ἐν τῇ οἰκίᾳ εἰς τὸν αἰῶνα. ὁ υἱὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα.

35. *Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum.*

36. Ἐὰν οὖν ὁ υἱὸς ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ, ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε.

36. *Si ergo vos filius liberos reddiderit, vere liberi estis.*

37. Οἶδα, ὅτι σπέρμα Ἀβραάμ ἐστε, ἀλλὰ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι, ὅτι ὁ λόγος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν.

37. *Scio quod semen Abrahã estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non habet locum in vobis.*

38. Ἐγὼ ὃ ἑώρακα παρὰ τῷ πατρί μου, λαλῶ. καὶ ὑμεῖς οὖν ὃ ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, ποιεῖτε.

38. *Ego quod vidi apud patrem meum loquor. Et vos igitur, quod vidistis apud patrem vestrum, facitis.*

39. Ἀπεκρίθησαν καὶ εἶπον αὐτῷ, Ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ ἐστι. Λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραάμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραάμ ἐποιεῖτε ἄν.

39. *Responderunt & dixerunt ei, Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus, si filij Abraham essetis, opera Abraham faceretis.*

40. Νῦν δὲ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι ἄνθρωπον, ὃς τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λελάληκα, ἣν ἤκουσα παρὰ τοῦ Θεοῦ. τοῦτο Ἀβραάμ οὐκ ἐποίησεν.

40. *Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit.*

41. Ὑμεῖς ποιεῖτε τὰ ἔργα τοῦ πατρὸς ὑμῶν. Εἶπον οὖν αὐτῷ, ἡμεῖς ἐκ πορνείας οὐ γεγεννήμεθα. ἕνα πατέρα ἔχομεν, τὸν Θεόν.

41. *Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt ergo ei, nos è stupro non sumus nati. vnum patrem habemus Deum.*

42. Εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Εἰ ὁ Θεὸς πατὴρ ὑμῶν ἦν, ἠγαπᾶτε ἂν ἐμέ. ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον, καὶ ἥκω. οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, ἀλλ' ἐκεῖνός με ἀπέστειλε.

42. *Dixit eis Iesus, si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me. Ego enim ex Deo exiui, & venio. Neque enim à meipso veni, sed ille me misit.*

43. Διατί τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐ γινώσκετε; ὅτι οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμόν.

43. *Quare loquelam meam non agnoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.*

44. Ὑμεῖς ἐκ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστέ, καὶ τὰς ἐπιθυμίας τοῦ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν. ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ. Ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, ὅτι ψεύστης ἐστί, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ.

44. *Vos ex patre diabolo estis, & desideriis patris vestri vultis obsequi. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, atque eius rei pater.*

45. Ἐγὼ δὲ ὅτι τὴν ἀλήθειαν λέγω, οὐ πιστεύετέ μοι.

45. *Ego autem, quia veritatem dico, non creditis mihi.*

46. Τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; εἰ δὲ ἀλήθειαν λέγω, διατί ὑμεῖς οὐ πιστεύετέ μοι;

46. *Quis ex vobis arguit me de peccato? Si vero veritatem dico, quare vos non creditis mihi?*

47. Ὁ ὢν ἐκ τοῦ Θεοῦ, τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ ἀκούει. διὰ τοῦτο ὑμεῖς οὐκ ἀκούετε, ὅτι ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐστέ.

47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

48. Ἀπεκρίθησαν οὖν οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ εἶπον αὐτῷ· Οὐ καλῶς λέγομεν ἡμεῖς, ὅτι Σαμαρείτης εἶ σύ, καὶ δαιμόνιον ἔχεις;

48. *Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Non bene dicimus nos, quod Samaritanus es tu, & dæmonium habes?*

49. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, Ἐγὼ δαιμόνιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τιμῶ τὸν πατέρα μου, καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με.

49. *Respondit Iesus, Ego dæmoniũ non habeo, sed cohonesto patrẽ meũ, & vos ignominia affecistis me.*

50. Ἐγὼ δὲ οὐ ζητῶ τὴν δόξαν μου, ἔστιν ὁ ζητῶν καὶ κρίνων.

50. *Ego autem non quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet.*

51. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ,

51. *Amen amen dico vobis, si quis sermonẽ meum ser-*

τηρήσῃ, θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα.

52. Εἶπον οὖν αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι, Νῦν ἐγνώκαμεν, ὅτι δαιμόνιον ἔχεις. Ἀβραὰμ ἀπέθανε, καὶ οἱ προφῆται, καὶ σὺ λέγεις, Ἐάν τις τὸν λόγον μου τηρήσῃ, οὐ μὴ γεύσεται θανάτου εἰς τὸν αἰῶνα.

53. Μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ, ὅστις ἀπέθανε; καὶ οἱ προφῆται ἀπέθανον· τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς;

54. Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, Ἐὰν ἐγὼ δοξάζω ἐμαυτόν, ἡ δόξα μου οὐδέν ἐστιν. ἔστιν ὁ πατήρ μου ὁ δοξάζων με, ὃν ὑμεῖς λέγετε, ὅτι θεὸς ὑμῶν ἐστι.

55. Καὶ οὐκ ἐγνώκατε αὐτόν. Ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτόν. καὶ ἐὰν εἴπω ὅτι οὐκ οἶδα αὐτόν, ἔσομαι ὅμοιος ὑμῶν ψεύστης· ἀλλ' οἶδα αὐτὸν καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ.

56. Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἠγαλλιάσατο, ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμήν, καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη.

57. Εἶπον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι πρὸς αὐτόν, Πεντήκοντα ἔτη οὔπω ἔχεις, καὶ Ἀβραὰμ ἑώρακας;

58. Εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμί.

59. Ἦραν οὖν λίθους ἵνα βάλωσιν ἐπ' αὐτόν· Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη, καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν, καὶ παρῆγεν οὕτως·

uauerit, mortem non videbit in æternum.

52. *Dixerunt ergo illi Iudæi, Nunc cognouimus, quod dæmonium habes. Abraam mortuus est, & propheta, & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.*

53. *Num quid tu maior es patre nostro Abraam, qui mortuus est? & propheta mortui sunt: quem teipsum tu facis?*

54. *Respondit Iesus, Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, Deum vestrum esse.*

55. *Et tamen non cognouistis eum. Ego autem noui eũ Et si dixero, quod non nouerim eum, ero similis vestri mẽdax: sed noui eũ, & sermonẽ eius seruo.*

56. *Abraam pater vester exultauit, vt videret diem meum: & vidit, atque gauisus est.*

57. *Dixerunt ergo Iudæi ad eum, quinquaginta annos nondum habes, & Abraam vidisti?*

58. *Dixit eis Iesus, Amen amen dico vobis, antequam Abraham nasceretur, Ego sum.*

59. *Tollebant ergo lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem absconditus est, & exiuit de templo, pertransiens per medium illorum, & ita præteriit.*

Periocha huius exhortationis.

CHristus in se credentes ad constantiam exhortaturus, his verbis vtitur ***Si in sermone meo manseritis*** Hypothetice admonitionem suam proponit, vt perseuerantiæ necessitatem innuat. Hæc enim si absit, primæ fidei labor omnis erit frustraneus & inanis. Sicut enim aratio, satio, ac plantatio omnis est superuacanea, si fruges non probe custodiantur, quo ad maturitatem perueniant, sicque fructus in vsum hominis veniet: quemadmodum item non satis est fundamentum aliquod ædificij posuisse, si tota structura non absoluatur, & domus habitationi commoda efficiatur: ita nisi fides, per semen verbi in animis hominum plantata, fideliter custodiatur, & continuis meditationibus atque exhortationibus ita confirmetur, vt per Dei gratiam credentes stabiliantur, roborentur, fundentur & absoluti reddantur, 1. Pet. 5. versicul. 10. & sic ***maneant*** in fide: primus labor plantationis omnis erit inanis & irritus. Cæterum, quia non omnis perseuerantia est laudabilis, sed tantum ea quæ est in bono: ideo addit manendum esse ***in suo sermone.*** Iesuitæ, Caluiniani, Anabaptistæ, hæretici, phanatici, singuli pertinacissime inhærent suis opinionibus: nihilo tamen sunt laudabiliores. Siquidem illa ipsorum immutabilitas pertinacia potius est, quam perseuerantia, dum suas glossas humanas & præconceptas opiniones præferunt ***sermoni Christi.*** Illi autem ***in sermone Christi manent,*** qui verbum Euangelij libenter audiunt, diligenter meditantur, fideliter custodiunt, vitam suam secundum eius præscriptum instituunt, nec se omni vento doctrinæ in nequitia hominum circumferri patiuntur. Monet Christus hoc suo exemplo omnes fideles Ecclesiarum pastores, non satis esse si semel inchoent fidem in pectoribus suorum auditorum, nisi etiam assiduis commonefactionibus eam fouerint, & quantum in ipsis est ad perfectionem adduxerint. Hac de causa Apostolus Paulus ad Corinthios scribens plantationi rigationem adiunxit, per quam Deus det incrementum. 1. Cor. 3. versic. 7. Et in hunc finem ministerium verbi à Deo institutum, prout Paulus testatur Ephes. 4. versic. 11. vbi testatur Christum adhuc hodie ministros dare, ad consummationem sanctorum, & ad ædificationem corporis ipsius, donec omnes occurramus in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei. Attendant autem simul pastores, quod neophyti & infantes in fide plerunque adhuc sint infirmi, & proinde mitioribus promissionibus potius ducendi, quam vi agendi, ne fidei illa initia nimia importunitate rursus excutiantur. Hinc prodierunt blandæ illæ Apostolorum compellationes, quibus nuper natos infantes instar matrum blandissime sunt allocuti: Filioli mei. Gal 4. ver. 19. 1. Iohan. 2. vers. 1. & sæpius per illam epistolam. Et 1. Cor. 3 vers. 1. Loquor vobis tanquam paruulis in Christo: lac vobis potum dedi, non escam. Nam reuera duriores comminationes legales adhibendæ sunt obstinatis & præfractis, vt vel primum conuertantur, & ad agnitionem miseriæ suæ adducantur, vel quando deuiarunt, in viam reducantur. Blandis autem promissionibus infirmiores sunt alliciendi: sicuti iam in Christo & videbimus & audiemus.

Etenim tria is beneficia pollicetur ***manentibus in suo sermone*** siue perseuerantibus in fide. 1. Primum beneficium: ***vere discipuli mei estis.*** Distinguit ergo Christus inter suos sectatores, & diserte testatur, instabiles illos, quales fuere illi, de quibus Ioh. 6. vers. 66. audiuimus non ἀληθῶς siue ***vere*** suos discipulos esse. Quemadmodum enim in scholis humanioribus non statim pro discipulo habetur, qui vnam aut alteram lectionem in disciplina aliqua audit, sed qui constanter in addiscenda ea hæret, & longo tempore assiduus scientiæ alicuius auditor est: ita quoque in schola Christi ille demum verus eius discipulus est, qui in doctrina Euangelij ad finem vsque vitæ suæ perseuerat. Hanc ad rem requiritur assidua & diligens attentio in audiendo sermone Christi, ad hæc cordis synceritas, vt quis non pro forma & hypocritice, quo hominibus fucum faciat, Euangelium amplectatur, sed vt ex vero & syncero corde in eo salutem quærat.

2. Alterum beneficium est: ***& cognoscetis veritatem,*** hoc est, assiduos progressus facietis in cognitione veritatis. Sed cuius ***veritatis?*** Nulla est scientia, quæ non profiteatur veritatem aliquam. Sed nos hic quærimus eam veritatem, quæ hominem saluum & beatum facere possit. Hoc quidem olim Philosophi polliciti sunt suis sectatoribus, sed vanitatem potius & varios errores ipsis obtruserũt. Moses quoque hanc veritatem non monstrauit, sed eam potius variis vmbris delineauit & inuoluit. Inprimis Scribæ & Pharisæi apud Iudæos veritatis cognitionem professi sunt, per suas legis interpretationes & patrum traditiones, sibiipsis persuadentes, vt de ipsis scribit Paulus Rom. 2. vers. 19. se esse duces cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistros infantum, habentes formam scientiæ & veritatis in lege. Et quidem ipse quoque Paulus satis diu in ea persuasione hæsit, quod Pharisæi tales essent, vnde ipse quoque illi sectæ nomen dedit. Sed postea demum deprehendit illam doctrinam detrimentum esse, respectu eminentiæ cognitionis Domini Iesu Christi, Phil. 3. versic. 8. Itaque Christus hic per ***veritatis cognitionem*** nihil aliud intelligit, quàm seipsum & veræ salutis doctrinam, cuius ipse author & Magister est. Sic ergo suis auditoribus pollicetur, si in doctrina sua constanter perseuerent, ipsorum intellectum, qui natura laborat ignorantia veritatis, recte illuminatum iri, imo ipsos identidem maiores in cognitione salutis progressus facturos, & tandem reipsa atque in ***veritate*** experturos, se non frustra in ipsum credidisse, & diuina atque cœlestia ab ipso sperasse, siquidem suo tempore reipsa exhibere velit, quæ iam verbis promittit. 3. Tertium beneficium est: ***& veritas liberos reddet vos.*** Non intelligit ***libertatem*** ciuilem, quæ ipsa tamen in rebus humanis quoque pro proximo bono semper habita est: & vice versa seruitus à sapientibus viris æstimata est pro extremo malorum, ipsa morte duriore. Sed intelligit ***libertatem*** spiritualem, quæ opponitur spirituali seruituti, in qua omnes iam post tristem lapsum natura hæremus, quæ facit, vt præter intellectus nostra cæcitatem & ignorantiam, qua in rebus diuinis, vt

modo audiuimus, natura laboramus, etiam voluntas ad omnia bona deprauata, adeoque omnes nostræ vires ita sunt corruptæ, vt captiuati in legem peccati, quæ est in membris nostris, Roman.7.ver.23. quasi funiculis & laqueis diaboli ad ipsius voluntatem, 2. Tim.2.versic.26. per omnium malorum genus, trahamur ad mortem & æternam damnationem: Sicuti de hac seruitute Christus in sequentibus pluribus disseret. Hic ergo Christus pollicetur iis, qui constanti fide verbo ipsius adhæserint, & ad finem vsque perseuerarint, eos vel tandem in veram libertatem assertos iri, & recuperaturos pristrinam illam libertatis dignitatem, quam Adamus peccando amiserat: Quæ libertas non mutat statum fortunæ, eximens corpus è potestate Domini, sed animum liberat à vitiis, à prauis concupiscentiis, à iugo legis, à seruitute humanarum traditionum, à metu mortis, à tyrannide diaboli. Hanc *libertatem* præstat *veritas* Euangelij, quæ docet, ceremonias legis tantum vmbras fuisse, ac proinde rebus ipsis exhibitis, eas remouendas: docet, omnia quæ caro concupiscit plane esse noxia: docet, quanta gratia & bonitate Deus nos immerentes prosecutus sit, atque sic nos vicissim ad amorem Dei prouocat, qui amor accedente Dei spiritu, prauas carnis concupiscentias superat, & efficit, vt homo prompte quæ voluntatis sunt diuinæ exequatur. Hæc præstans homo, vere liber est & ingenuus. Sic ergo veritatis cognitio nos libertos facit Dei, sicut veri ignorantia seruos peccati.

Docet nos hæc Christi concio, quinam sint γνήσιοι & vere Christiani. Nam qui olim tempore Christi *discipuli* dicti erant, illi postea, crescente eorum numero, Actor.11.v.26. Antiochiæ *Christiani* cognominari cœperũt. Hisce vero Christus hic tres notas attribuit, si ἀληθῶς & *vere* Christiani esse velint: innuens eos, qui hisce notis destituantur, posse quidem nomine tenus de *discipulorum* seu Christianorum titulo gloriari, se tamen eos pro veris non agnoscere. 1. Prima nota est, *in sermone Christi manere*: eius manifestato verbo firma fide adhærere: neque ad dextram, neque ad sinistram deflectere: ei nihil addere, nihil detrahere. Si enim in Scholis humanis Platonicus non est, qui à Platonicis placitis recedit: & pro Aristotelico non habetur, qui ab eius doctrina dissentit: ita in Schola Christi, qui pro Christianis agnoscet eos, quorum dogmata δι' ὅλα πασῶν à sermonibus Christi dissentiunt. Hinc iudicent prudentes, pro qualibus Christianis habendi sint Pontificij, qui fere in omnibus articulis fidei Christianæ contrariam sententiam à doctrina Christi tenent. Christus vult nos credere: Pontifex iubet nos dubitare. Christus docet vnum Deum inuocare: Pontifex omnes Diuos cœlites & Diuas adorandas proponit. Christus in sua obedientia, passione & merito iustitiam & salutem monstrat: Pontifex operibus eam acquiri vult. Christus vnicum caput & sponsus Ecclesiæ suæ esse & haberi vult: vicissim Pontifex se pro eiusdem capite & sponso vendicat. Christus in cœna sub pane suum corpus comedere, & sanguinem ex calice bibere iubet: Pontifex sacramentum mutilans Laicis calicem sacrilege suffuratur. Et sic deinceps, Pontifex in omnibus articulis *à sermone Christi* recedit, prout in hac tanta Euangelij luce omnibus à Deo doctis notum, nec opus eit pluribus hæc illustrare. Inter hos omnes deterrimi sunt Monachorum ordines, qui quasi abiurato *Christi* nomine, Augustiniani, Ambrosiani, Benedictini, Bernhardini, Carmelitæ, Dominicani, Franciscani, Ignatiani siue Loiolitæ, quam *Christiani* dici malunt. In quorum patronorum regulas etiam iurant, illisque plus perfectionis, quam *sermoni Christi* attribuunt.

Quod nunc de Pontificiis dictum est, idem de Anabaptistis, Caluinianis, Huberianis, Schwenckfeldianis & aliis sectariis siue phanaticis sentiendum est, quod quatenus *à sermone Christi* discedunt, & proprij ingenij glossematis fidunt, eatenus non sint *veri discipuli* Christi: & nisi mature ante obitum suas glossas abiiciant, & vni verbo Christi sese rursus subiiciant, ipse eos non pro veris suis discipulis agnoscet. 2. Altera nota est, *vt veritatem cognoscant*, & quotidiana fidei & cognitionis Christi incrementa sumant. Neque enim cuiquam hominum, vt nec ipsis Apostolis, statim primo die plena cognitio mysteriorum regni Christi obtingit: imo in tota hac vita illam perfectionem non consequimur: siquidem ex parte tantum cognoscimus, 1 Corinth.13.v.12. & Paulus ipse, cum iam per multos annos in Apostolatu versatus esset, tamen fatetur, se nondum comprehendisse omnia, neque perfectum esse. Phil.3.ver.12. Addit tamen, se persequi vt adhuc comprehendat, & scopum versus ferri, ad cognoscendum Christum, & virtutem resurrectionis eius, & communionem passionis eius. Ergo veri Christiani operam dent, vt quotidie in veritatis agnitione proficiant. Quam ad rem opus esse assidua verba diuini lectione, auditione, meditatione, Psalm.1.vers.2. continuis item precibus, vt verus Christianus quotidie cum Dauide dicat, Psalm.25.v.4. Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Item cum Apostolis, Luc.17.ver.5. Domine adauge nobis fidem. Hinc iudicare licet, pro qualibus Christianis haberi debeant illi, qui in doctrina fidei semper manent, vt vulgo dicitur, *Iohannes in eodem*: vel vt Paulus loquitur, qui semper discentes, nunquam tamen ad veritatis cognitionem peruenire possunt. 2.Tim.3.ver.7. Tales sunt fere illi, qui vel in scholis hæreticorum desident, per quos subinde magis magisque à veritatis cognitione abducuntur, vel in schola Christi, nulla attentione, nulla ardente *Christi* inuocatione vtuntur. Nam licet in scholis hominum illi *discipuli*, qui stupido & hebeti ingenio præditi sunt, parum proficiunt, vtcunque eruditissimo præceptore vtantur: in Christi tamen schola res longe aliter est comparata. Ibi enim licet natura infelici ingenio præditi, & ineptissimi simus, ad disciplinam eius capessendam: hic tamen Dominus & internus Doctor potens est efficere ex repugnantibus consentientes, ex indocilibus dociles, ex ineptis aptos, vt sic vere sint διδακτοὶ, sicuti Iohan.6.v.45. dixit. 3. Tertia nota vere Christianorum est, *per veritatem liberum reddi*, hoc est, libertatem partam sibi applicare, eaque frui. Etenim Dei filius homo factus, atque sic redemptor & liberator noster factus, passionis, mortis & resurrectionis suæ merito cælestem libertatem omnibus acquisiuit: antiquo serpenti caput contriuit, peccata hominum expiauit, mortem deuicit, inferorum portas confregit, sicque vinctos suos emisit de lacu in quo non est aqua. Zacch.9.v.11. Eandem *libertatem* per verbum *veritatis* Euangelicæ omnibus annunciari curat: & quicunque hoc simplici fide suscipiunt, illorum intellectus illuminatur, vt discussis errorum tenebris, *veritatis* doctrinam amplecti & sectari incipiant, vt in præcedenti nota dictum. Sed *veritatis* operatio hic non subsistit, quin Christus per verbum *veritatis* corda credentium regenerat, Spiritũ sanctum pectoribus eorum inserit, cuius virtute noua creatura fiunt in Christo, 2. Cor.5.versic.17. & Gal.6.v.15. in qua voluntas sese subiicit præceptis Dei, & omnia Christianorum membra nouis viribus instruit, vt bonis operibus præsint ad vsus necessarios, vt nõ sint ἄκαρποι. Tit.3.ver.14. sed πολύκαρποι, vt membra sua exhibeant seruire iustitiæ, in sanctificationem, Rom.6.v.19. sicut prius seruierant immunditiæ & iniquitati. Ex hac nota colligere possumus, pro qualibus Christianis habendi sint illi, qui dissolutioris vitæ licentiam apud Euangelium *Christi male* audiat apud incredulos. Christus enim nos *in libertatem filiorum* Dei vendicans, non dedit nobis *priuilegium turpitudinis*, vt pro carnis arbitrio vitam transigamus: sed vult vt liberati de manu inimicorum nostrorum, ipsi seruiamus in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Luc.1.v.74. Ideo per Apostolum Petrum nos monet, 1.Pet.2.v.16. vt viuamus quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatẽ, sed sicut serui Dei, quo obmutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiam.

Hasce tres notas si coniungamus, videbimus quam arctus sit numerus *virorum Christianorum* in mundo. Multi enim eo titulo gloriantur: sed pauci quod res est exprimũt. Plerique speciẽ quidẽ habẽt Christianismi: sed virtutẽ eius abnegant. 2.Tim.3.v.5. Quisque ergo viderit, vt fidem & vitam suã ita instituat, quo pro vero Christiano agnoscatur. Quod solus & vnicus Christus Iesus seruator noster, per spiritus sui gratiam, si eo nos donet, præstare potest. Sicut hoc agnouit Apostolus Paulus. Etenim postquam naturalis corruptionis suæ spiritualis huius seruitutis sensu ac consideratione perculsus serio exclamasset: Rom.7.versic.24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Mox tamen ipse sibi respondet: Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Acris concertatio Pharisæorum cum Christo in templo, ex præcedente sermone orta.

Quod Deus mox in Paradiso Gen.3.versicul.15. prædixit, se inimicitias positurum inter semen mulieris & inter serpentem, illud tum alibi in Euangelica historia, tum maxime in hoc 8.Iohan. capite, in Christo impletum esse deprehendimus. Diligenter admodum enim Iohannes hanc Christi cũ Pharisæis concertationem descripsit, Partim, vt omnes Christi sectatores hinc colligere discant, quid ipsis in mundo sit expectandum: illud nimirum quod hoc disticho Prosperi continetur:

Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt.
Et cum quo certet mens pia semper habet.

Partim vt ex hoc congressu hostium veritatis ingenium & mores agnoscere, & simul ipsi quoque imperterrito animo cum ipsis congredi discamus: vt ad minimum non offendamur, si ab aliis istud fieri videamus. Quapropter operæ precium fecerimus, si attente obseruauerimus, quibus argumẽtis & ra-

& rationibus Pharisæi tam personam quam doctrinam Christi oppugnarint: quomodo ex integro contextu sermonis Christi interdum vnicam aliquam voculam arripuerint, illam in peregrinum sensum traxerint, sophisticationibus suis eluserint, irrisionibus exagitarint, calumniati sint, & tandem aperta atque iniusta vi lapidibus opprimere eam conati fuerint. Hoc enim si probe attenderimus, minus offendemur disputationibus & sophisticationibus Pistorij Apostatæ Grezeri, Tanneri & aliorum ex Loiolitica secta contentione suorum scriptorũ: qui pari artificio, variis strophis, sophismatibus, cauillis & calumniis, Euangelicorum ministrorum tũ personas tum doctrinam traducere solent, donec tandem ad fortissima argumenta, quemadmodum *Iudæi ad lapides*, ita ipsi ad tria F, Flammam, Funem, Ferrum progrediantur.

Nec mirum est ipsos ita tumultuari: quia satanas *ipsorum pater* in ipsis agit, eosque permouet, vt *ipsius opera faciant*. Sentit nimirum is è cœlo adesse fortem illum heroa, qui miseros mortales ex infernalibus erroribus eruere & liberare, atque in regnum veritatis adducere velit. Ac proinde omnibus suis, quibus præditus est, viribus sese opponit. Sed suo tempore dignas pœnas cum suis luet. Nos iam Iudęos cum Christo concertantes audiamus.

I. Initio Iudæi contendendi occasionem inde arripiũt, quod Iesus fideles & in se credentes Iudæos ad constantem in fide perseuerantiam exhortando, inter alia dixerat, *veritas vos liberos reddet*. Hoc interpretantur, quasi contra communem totius generis dignitatem dictum esset. Inquiunt: *Semen Abrahæ sumus*, & quidem ex Sara, cum quo Deus non tantùm sempiternum pactum iniit, Genes. cap. 17. vers. 19. verum etiam promisit, quod vsque adeo seruituti non sit futurum subiectum, vt potius possidere debeat portas inimicorum suorum, Genes. capite 22. vers. 17. Quæ ergo & quantæ sint nostræ prærogatiuæ nemini ignotum esse potest: cum verus Deus non nisi Deus Abraham, Isaac & Iacob dici velit? Exodi capite tertio, versiculo sexto: *Quomodo ergo tu dicis, liberi reddemini? Nos nemini seruiuimus vnquam.* Hæc vero dicendo, produnt simul suam & malitiam, & astutiam, & impudentiã. 1. Malitiam, quod nec prouocati, nec lacessiti, ipsi vltro ad contendendum prosiliunt. Christus credentes in se instituerat, qualiter ipsi se gerere debeant, si finem fidei suæ, salutem animarum reportare velint. 1. Pet. 1. versicul. 9. Quid hoc ipsis incommodare potuit? Si nolint credere in Christum, abeant in rem malam, & Christum cum suis sermonibus missum faciant: quia hi ad ipsos non pertinent. Verum quia malitia & improbitas occupant ipsorum corda, ideo litigandi occasiones ipsi quærunt, & vt aliquid habeant, de quo contendant, moliciose id, quod Christus de spirituali libertate dixerat, ad politicam seruitutem trahunt. Interim silentio prementes id, quod in causa hac præcipuum erat: nimirum quod Christus de *veritate* dixerat. Si huius serio & syncero studio aguntur, cur non placidam de *veritate* collationem instituunt? Sed ipsi ignorantiæ suæ sibiipsis male conscij, & metuentes ne publice ea traduceretur, maliciose id quod primarium erat in hoc negocio, reticent, interim aliud quid arripientes, quod maiori fauore apud rudem plebeculam exagitare possent. 2. Astutiæ singularis hoc est, quod quia sciunt, vulgo non tan tũ miserum, sed etiam contumeliosum haberi, si quis seruus esse censeatur. (Hi enim à publicis honoribus & priuilegiis excluduntur) inquirunt, an se Iudæos pro seruis habeat, siquidem libertatẽ ipsis promittat. Hoc enim si Iesus affirmet, iam se consecutos esse sperant, quo ipsum tum apud populum traducant, tum apud Præsidem Romanum accusent. Populus enim Iudaicus nihil minus ferre poterat, quam si quis ipsos, qui tot promissionibus Dei communiti erant, liberum populum esse negaret. Cæterum, quia Romanis Iudæi tãtum erant tributarij, & à Cæsare per Præsidem tanquam liber populus gubernabantur, omnino statuerunt, si ipsis seruitutem, quam sub Romanis seruirent, obiiceret, se posse ipsum apud Præsidem accusare, tanquam qui sinistre de Cęsaris imperio loqueretur, & qui Iudæis libertatem à Romanorum seruitute polliceretur. 3. Impudentiam autem turpem in eo aperiunt, quod dicunt: *neque cuiquam seruiuimus vnquam*. Quod manifeste falsum esse ex scriptura patet. Iacob seruiuit in Mesopotamia Labano pro vxoribus. Gen. 29. ver. 20. Ioseph seruiuit in Ægypto. Gen. 39. v. 1. Patres ipsorum seruierunt in Ægypto ducentis annis. Vnde Deus ipse profitetur, se ipsos eduxisse è domo seruitutis. Exod. 20. versicul. 2. Quin & ipse Deus Abrahamo prædixerat, semen ipsius seruituti subiectum fore quadringentis annis. Gen. 15. versicul. 13. Et quid liber Iudicum fere aliud cõtinet, quam catalogum aliquem, in quo continetur, quoties Iudæi vicinis gentibus seruierint, & à Deo per certos Vindices in libertatem rursus asserti fuerint? Seruierunt insuper Maiores ipsorum in Babylone septuaginta annis. Vt iam nihil dicamus, neque de Assyriaca neque de Romana seruitute. Hæc cum vulgo essent notissima, tamen impudenter affirmare audent: *nos nemini seruiuimus vnquam*.

Eadem malitia, astutia & impudentia contra nos Euangelicos vtuntur hodierni nostri Romanenses Pharisæi Iesuitę. 1. Malitia in eo, quod quando ipsis & eorum in religione complicibus, per nos amplissimis suis præbendis tuto & pacifice frui, superstitiones insuper suas retinere, & pro arbitrio viuere licet, nos autem nihil aliud quam puram Euangelij doctrinam nostris auditoribus proponimus, & simplicem salutis viam in vno Iesu Christo mõstramus: non tamen quiescere possunt sed ex nostrorum concionibus, scriptis, dictis & factis, occasiones venantur calumniandi, litigandi, contẽdendi. Et plerunque arripiunt vnam aliquam voculam, aut sententiam aliquam truncatam, omissis antecedentibus & resectis consequentibus, vt simplicioribus fucum, piis vero ministris negotium facessere possint. Testes diabolicæ huius maliciæ sunt scripta Staphyli, Lindani, Prateoli, Ederi, Pistorij, Conradi Vetteri, & aliorum Apostatarum atque scurrarum, qui ex solius Lutheri scriptis per truncatas sententias plurimas hæreticas opiniones nostris malitiose affingunt, sicque infinitam contendendi & altercandi occasionem, reiecto interim *veritatis* studio quærunt. 2. Astutia vtuntur in eo, quod singulari artificio nobis odium & inuidiam non apud imperitiores tantum, sed etiam apud magnos Principes, conciliare student. Quando nimirum Christi redemptori & mediatori vnico suam gloriam vindicamus, & ex scripturis in hoc vno monstramus omnia quę faciunt ad nostram salutem, protinus exclamant, nos Diuos Diuasque cœlites omnes cõtumelia afficere, Mariam virginem, matrem filij Dei aspernari, Maiores denique nostros omnes condonare & orco addicere. Hoc vbi simpliciores, qui fundamenta rerum ignorant, audiunt, mox nos pro deterrimis hæreticis habent. Sed quis nostrum vnquam sanctos Dei seruos ignominia affecit? Scimus ipsos fuisse dum vixerunt tum doctrina sua, tum exemplo fidei & virtutum, organa salutaria, & ministros salutis nostrę, iam autem cum Christo in gloria viuere, quo & nos iuxta ipsorum institutionem contendimus. Quod vero ipsos nõ cõstituimus Magistros salutis, id per scripturã nõ licet, neque ipsi dum vixerunt nunquam hoc à quoquam postularũt, imo seuere prohibuerunt, Act. 10. v. 26. & 14. v. 13. Quoad Maiores nostros, scimus etiã in medio regni Antichristiani Deũ septẽ sua millia sibi reseruasse, quæ corã Romano Baale genua sua non curuarũt. 1. Reg 19. v. 18. sed per simplicem fidẽ in Symbolo Apostolico cõprehensam salutẽ adierunt. Quod si vero Deus tẽpora illa ignorantię dissimulauit, Act. 17. v. 30. nõ tamen consultum est, vt nos, quibus Deus vberiorem lucem Euangelij sui concessit, reiecta luce veteres tenebras ipsi nobis adsciscamus. 3. Impudentia vtuntur in eo, quod contendere audent, Romanam Ecclesiam nunquam errasse: cum tamen crassissimi & idolatrici Romanensium errores, contra Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, sacramenta & potestatem clauium regni cœlorum, Dei beneficio sutoribus & sartoribus nostris ita sint manifestati, vt sol in ipsa meridie non clarius discrimen colorum monstret, quam etiam idiotæ nostri sciant, quid intersit inter dogmata Pontificia & synceram Euangelij doctrinam. Cum ergo hodie Iesuitæ iisdem armis nobiscum decertent, quibus olim Pharisæi cum Christo, quis non hoc nomine sibi gratuletur si eadem cum Christo sorte consistat.

Obiter etiam hoc adiici potest: hodie multos in mundo inueniri, qui hanc Iudæorum arrogantiam, qua Abrahami dignitatem contram Christum allegant, imitantur. Alij id faciunt politice, qui maiorum suorum & stemmatum splendore inflati, omnes iuxta se spernunt & contemnunt: licet nihil maioribus suis dignum faciant, sed labes potius & maculæ nobilium familiarum sint, quam ornamenta. Alij id faciunt Ecclesiastice siue spiritualiter, qui sufficere putãt, quod ex Christianis parentibus sunt nati, & quod Christiani ipsi dicantur: licet nihil eorum faciant, quæ Christus nominis sui sectatoribus obseruanda præscripsit. Vtrorumque vana gloriatio & iactantia quomodo retundi debeat, Christus iam nobis in responsione sua monstrabit.

Audiamus ergo Christi responsionem, in qua nobis exemplum ponit, quomodo errantiũ informatio potius quam confusio hostium in cõtrouersiis religionis sit quærẽda. Etenim poterat Christus ipsos turpissimæ vanitatis & mendacij palam conuincere, vt qui dicere auderent *se nemini vnquam seruiisse*, quod manifeste falsum esse omnibus constabat: sed humaniter potius cum illis agit. 1. Informando eos, quo respectu ipsos esse dicat, quibus vindice opus sit. 2. Monendo, quid ipsos facere deceat, si pro veris Abrahami filiis haberi velint. Si nimirum ostendit, se ipsorum salutem quærere, non autem vt confusi infames reddantur. Hũc finem omnes syncerioris doctrinæ propugnatores sibi propositum habere de-

bent, vt quoad eius fieri potest, antagonistarum suorum conuersionem non confusionem quærant: nisi hæc ipsa confusio ipsis ad conuersionem viam monstret.

Quoad primum responsionis membrum, illud graui asseueratione proponit, inquiens: *Amen amen dico vobis, quod omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* Dicturus erat de re magna, & quam Iudæi difficulter admissuri erāt, ac proinde serio eam confirmat. Quasi diceret: vos intelligitis sermonem meum de corporali seruitute, de qua ego minime loquor. Est alia seruitus spiritualis, longe magis noxia, nimirum seruitus peccati, à qua vos æque ac alij homines, nequaquam liberi estis. Nam *qui facit peccatum, seruus est peccati.* Distinguunt aliqui inter *facere peccatum*, & *habere peccatum*, siue peccare. Neq; inepte faciunt in plurimis scripturæ locis. Hic vero Christus, per *peccatum facere* simpliciter intelligit corruptionem illam naturę, quā omnes ex Adamo trahimus & gestamus, cuius quasi proprium est, vt iam ex se nihil aliud possit quam peccare. Si quemadmodum de igne dicimus, quod calefaciat, & de aqua quod humefaciat: ita de homine dicere possimus, quod *peccata facit. Quicunque* autem *facit peccatum, is seruus est peccati.* Sicuti de hac seruitute peccati Apostolus Paulus prolixe agit, Rom.6.v.16. & Apostolus Petrus 2.Pet.2.ver.19. Nam reuera, qui certo alicui peccato, vtpote vel auaritiæ, vel ebrietati, vel libidinibus vel alteri alicui sese totos addixerunt, illi turpissima fiunt Satanæ mancipia. Sicuti prolixe illud demonstrari posset. Sed in hoc loco illud potius inculcandum videtur, quod Deus hominem initio liberum, neque tali seruitute pressum creauerit. Et si rem recte expendamus, triplici libertate Adamus ante lapsum gaudebat. Prima fuit libertas culpæ: quod homo vacauit omni peccato & iniustitia. Secunda fuit libertas arbitrij seu voluntatis: quod homo donatus fuit vero intellectu & conformi voluntate, vnde factus fuit Dominus vniuersi mundi, inprimis vero propriatum cogitationum, conatuum & actionum. Et hoc est, quod Syracides dixit: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, vt scilicet vel bonum vel malum facere posset. Cap.15.v.14. Tertia fuit libertas pœnæ: quod caruit omnibus calamitatibus & ærumnis, morte tam temporaria quam æterna. Hanc libertatem homo, postquam per inobediētiam mandatum Dei transgressus est, protinus & penitus amisit, seque ipsum in triplicem contrariam seruitutem præcipitauit. Quarum prima est seruitus culpæ: quod homo totus factus est peccator & iniustus, obnoxius iræ diuinæ. Secundo est seruitus arbitrij: quod homo, præsertim in rebus Deum & veram religionem concernentibus, nihil recti pro arbitrio potest agere, siquidem omnes motus cordis ob inhærentem corruptionem, contra Deum seruiunt & militant. Et hæc ipsa seruitus tanto turpior & peior est, quanto magis homines qui alias omnem seruitutem corporis fugiunt, hæc ipsa delectantur, eamque prompte & volenter subeunt. Tertia est seruitus pœnæ: quod homo ob peccatum post innumeras calamitates, tandem etiam morti & temporariæ & æternæ est subiectus. Quod scriptura maledictionem legis nominare solet. His qui quartam seruitutis speciem adiicere velit, non aberrabit: quod nimirum Deus, postquam vidit hominem, amissa libertate arbitrij, quasi puerum & recta ratione carentem factum esse, eum subiecit variis legibus & ceremoniis, quibus ceu pædagogis & gubernatoribus, stultos nostros affectus & erroneas cupiditates regeret atque coerceret.

Hosce spiritualis seruitutis gradus omnes Christus hoc loco complectitur: licet de seruitute pœnæ potissimum expresse dicat: *Seruus non manet in domo in æternum: filius manet in æternum.* Parabolice hoc dictum est. Quemadmodum inter homines serui ad tempus videntur esse pars aliqua familiæ, fruūtur priuilegiis filij, & nonnulla in domo iuxta heri arbitrium gubernant: tamen quando peruenitur ad diuidendam hæreditatem, tum aperit se discrimen inter filium & seruum. Filius manet hæres bonorum paternorum: seruus autem ex domo dimittitur. Et est hæc consuetudo etiam legibus confirmata. Ita Christus affirmat omnibus peccati seruis, atque sic etiam Iudæis idem euenturum. *Domus Dei* in hac vita est Ecclesia 1.Tim.3.ver.15. in altera autem vita est gloriosa beatorum sedes. Iohan.14.v.2. Innuit ergo Christus, *seruos peccati* & hypocritas, siue illi ex Iudæis sint siue ex gentibus, licet ad tempus locum inueniant in Ecclesia, sicuti in ea semper mali bonis, zizania tritico mixta sunt: Matt.13.v.30. non tamen perpetuo in ea permansuros. Sed in nouissimo die triticum quidē congregatū iri in horreū Dei: zizania vero in fasciculos colligata abiicienda esse in ignem æternum. Hæc expulsio seruorū peccati ex domo Dei, adumbrata fuit in Ismaele, qui & ipse per annos circiter quatuordecim vixit in familia Abrahami, quæ fuit typus Ecclesiæ Dei: verum quia tandem prodidit se ipsius hypocrisis, & quod Isaacum verum hæredem persequeretur, tandem audiit hanc sententiam, Gen.21.v.10. quam Paulus ad vniuersam Ecclesiam applicando repetiit: Galat.4.v.30. Eiice ancillam & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

Quid ergo, dicat quis, si omnes *serui peccati* ex domo Dei tandem sunt eiiciendi, quis hominum cœlestem hæreditatem adibit, cum omnes natura sint *serui peccati*? Addit ergo Christus mitigationem suæ sententiæ: *Si filius vos liberos reddiderit, vere liberi estis.* Per *filium* non intelligit indefinite, quemuis sanctum vel fidelem, qui & ipsi Dei filij, verum tantum adoptiui dicuntur: sed κατ' ἐξοχὴν seipsum intelligit, tanquam eum qui naturalis est filius. Et vt in humanis seruus conseruum nequaquam libertate donare potest: imo nec libertus aut adoptiuus filius potestatem habet alios manumittendi: ita multo minus in spirituali hoc negotio quisquam hominum etiam sanctissimorum hanc facultatem habet alios in libertatem filiorum Dei vindicandi. Nisi quantum quispiam ratione ministerij sui in nomine Christi peragit. Sed *filius*, Dominus noster Iesus Christus, ad quem regni cœlestis hæreditas tota pertinet, solus hanc potestatem habet, nos libertate donandi.

Operę vero præcium hic est attendere, quomodo is nos libertate donet. Prima liberatio est à seruitute culpæ, quando nobis per fidem donat remissionem omnium peccatorum liberat nos à chirographo legis diuinæ, abluit nos sanguine suo ab omni iniustitia, libera nos ab accusatione propriæ conscientiæ, & donat nos sua iustitia, quæ valet coram cœlesti Patre. Deinde liberat nos quoque à lege Mosis tam iudiciali quam ceremoniali, imo etiam ab omnium hominum legibus, quoad cultum Dei, religionem & conscientiam: ita vt nemo nos amplius iudicet in cibo vel potu, aut parte diei festi. Coloss.2.v.16. liberati enim iam sumus per Christum ab isto pædagogo legis. Gal.3.v.24. quin & à maledictione legis moralis liberati sumus: tantum libertatem hanc non demus in occasionem carnis. Gal.5.v.13. Præterea arbitrium & voluntatem nostram quoque in aliquam partem libertatis ponit, dum donat nos sancto suo Spiritu, cuius gratia corrupta nostra natura instauratur, vt non perpetuo peccemus, sed etiam iuxta pręscriptum Dei bene agere & pietati studere incipiamus: idque prompto & spōtaneo spiritu. Psal.110.v.3. Nam vbi spiritus est: ibi est libertas. 2.Cor.3.v.17. Denique liberamur à seruitute pœnæ: ita quidem, vt, licet adhuc in hac vita varias calamitates & tandem etiam mortem corporis sustinere cogamur, sciamus tamē ista nobis non immitti à Deo irato, sed reconciliato, vt sic conformes fiamus imagini Christi. Si enim compassi fuerimus, etiam conregnabimus: & si commortui fuerimus, etiam conuiuemus. 2.Tim.2.v.11. Nequaquā ergo mors credentibus est pœna, sed trāsitus ad vitam ęternā, & liberatio ab omni malo. Liberi etiam sumus à tyrannide & furore Satanæ ac mundi, eatenus, quod scimus his qui Deū diligunt, omnia cooperari ad bonum. Rom.8.v.28. Interim & hoc sciunt credentes, æternam mortem & pœnas inferni sibi esse plene etiam sine indulgentiis papalibus remissas, & vice versa donatam cœlestem felicitatem. Quam licet nondum possideant: ius tamen vitæ æternæ habent: quia πολίτευμα ipsorū est in cœlis. Phil.3.v.20. In his omnibus iā ambulamus per fidem: olim ambulaturi per speciem. 2.Corinth.5.versic.7. iam hæc bona possidemus spe: olim quando mortale hoc induerit immortalitatem, 1.Cor.15.v.50. eadem re possessuri. Et tūc ὄντως vere liberi erimus. Interim in hac vita coram nobis tātum inchoata est libertas: in altera autem & coram Deo erit ὄντως reuera perfecta. Huc respicit liber Concordiæ, quando hominem in quadruplici statu considerandū monet. 1. Qualis fuerit ante lapsum: nimirum, *liber*. 2. Qualis factus sit post lapsum ante regenerationem: *seruus peccati*, sicut etiam Lutherus de seruo arbitrio scripsit. 3. Qualis sit per Dei gratiam post regenerationem: *libertus Christi*. 4. Qualis futurus sit post resurrectionem à mortuis: ὄντως, *vere*, plene, perfecte & immutabiliter *liber*. Atque hæc est prima pars responsionis Christi, qua suum defendit sermonem ad credentes habitum: ostendens, 1. Iudæos & omnes homines verē, sed spiritualiter, natura esse seruos, qui indigeant liberatore. 2. Miserabilem illius ser-uitutis conditionem ostendit, quod ex domo Dei sint expellendi. 3. Vindicem libertatis se vnicum esse testatur, qui seruos manumittere possit.

Iam etiam alteram responsionis partem consideremus, qua superbæ iactantiæ & gloriationi Iudæorum occurrit. Vititur autem primum concessione, qua fatetur ipsos secundum carnem originem ex Abrahamo ducere. Et hoc facit in eum finem, ne eos, qui modo credere cœperant, offenderet, sicque illi in fide remorarentur. *Scio quod semen Abrahæ estis.* Mox tamen ostendit, incredulos istos suos aduersarios & disputatores, tantum patrem non referre: ac proinde frustra de eius titulo & nomine gloriari. Ratio eius est. *Quia quæritis me interficere,* idque nō iuste, ob aliquod meum crimen vel flagitiū: sed

sed *quia sermo meus non locum habet in vobis.* In Græco est χωρεῖ, quod verbum deriuatur à dictione χῶρος quæ regionem aliquam vel locum significat: & hoc loco ponitur neutraliter, pro *locum habere*: alias etiam significat *capere*, vt ita tribuatur tam rei continenti, quam rei contentæ. Sermo autem Christi non habuit locum in Iudæis, propterea, quia animi ipsorum erant præoccupati prauis opinionibus & erroribus de mundano Messiæ regno, item variis traditionibus Patrum, inuidia denique, odio personæ Iesu, superbia, aliisque vitiosis affectibus & passionibus. Errores enim & passiones mentem præoccupantes, impediunt agnitionem & discretionem veri. Hoc vero dicto Christus aperit fontem omnis erroris, impietatis & flagitiorum. Horum omnium causa alia nulla est, quam quãdo homines excludunt Dei verbum, vt in animis ipsorum nullum locum habeat. Vt enim verbum veritatis est incorruptibile illud semen Dei viui & in æternum permanentis, 1. Pet. 1. vers. 23. per quod voluntarie nos regenerat, vt simus initium aliquod creaturæ eius, Iacob. 1. vers. 18. vt fiamus bona arbor, quæ plantata secus decursus aquarum, fructum suum dat in tempore suo: Psalm. 1. versiculo 3. ita excluso hoc semine, innata corruptio non tantum manet in cordibus hominum, sed etiam indies augetur & crescit in tantum, vt tandem nullum scelus inueniat, in quod homo ille non incidat, in quo *sermo Dei locum non habet.* Quid impulit Cainum, vt fratrem Abelem trucidaret? Non aliud, quam quod sermo Dei Gen. 4. vers. 6. ad ipsum prolatus, in ipso locum non inuenit. Cur Pharao persecutus est Israelitas? Sermo Dei, per Mosen & Aaronem allatus, in ipso non habuit locum. Cur Iudas vendidit & prodidit Iesum Saluatorem suum? Quia sermo Christi Matth. 26. versic. 24. in illo locum non inuenit. Cur hodie Pseudo-Catholici persequuntur Euangelicos? Nulla alia de causa, quam quod sermo Christi apud illos locum non inuenit. Gloriantur Romanenses se esse Christianos, Ecclesiam Romanam esse omnium antiquissimam, Petrum & Paulum Apostolos Romæ docuisse, quamplurimos Martyres sanguine suo ibi religionem Christianam obsignasse. Nos per concessionem idem ipsis respondemus, quod Christus hic Iudæis respondit: Scimus vos esse Christianos, & gloriari de titulo Ecclesiæ: sed vos quæritis occidere veros Christi confessores, non ob vllum aliquod ipsorum crimen vel flagitium, sed tantum quia profitentur Iesum Christum verum suum esse Seruatorem & Mediatorem. Et hoc omne facitis, quia *sermo Christi* eius Euangelium *non habet locum in vobis.* Nec vlla concordia inter vtramque partem sperari potest. Quia quemadmodum olim is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum: ita & nunc Gal. 4. vers. 29. Deo igitur gratias agamus, si qualicunque pace apud istos homines frui concedatur.

Porro, quia Iudæi excipere poterant: Quis est ille *sermo tuus*, quem nos amplecti oporteat, & qui *locum in nobis habere* debeat? Ideo respondet, ipsosque ad verum fontem adducit, ad cœlestem suum Patrem, inquiens: *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Duo ipse sibi tribuit, quæ proprie in filium Dei competunt. Vnum, quod semper sit apud Patrem, & omnia mysteria atque arcana ipsius videat & norit, qui consors sit omnium consiliorum Patris ab æterno. Est enim, in sinu Patris, Iohan. 1. versic. 18. & Patrem nemo quisquam vidit, nisi qui est à Deo: hic vidit Patrem. Iohan. 6. versi. 46. Iuxta hanc proprietatem dicitur σοφία sapientia Patris: quia omnia accurate sapit & cognoscit, quæcunque sunt Patris. Alterum est, quod cum omnia videat apud Patrem, eadem quatenus ad salutem hominum faciunt, etiam in tempore hominibus, quando, & qua mensura velit, eloquatur. Iuxta hanc proprietatem dicitur λόγος siue sermo Patris, qui enarrauit vobis. Ioh. 1. versiculo decimo octauo. Hæc Christus de se affirmat, de Iudæis vero suis hostibus dicit: *vos, quod vidistis apud patrem vestrum, facitis. Per patrem* ipsorum intelligit Diabolum, quem exemplo suo ipsis præeuntem, nimirum, vt postea plenius explicabit, mendacio, calumniis & homicidio, imitentur. Hic enim est Deus huius seculi & spiritus tenebrarum, qui efficaciter operatur in filiis incredulitatis. Eph. 2. vers. 2. & 2. Thess. 2. vers. 9.

Cæterum ad huius loci, quantum quidem Christi personam & proprietates attinet, illustrationem, non inconcinne conducere videtur locus ille qui Danielis 8. versic. 13. & 16. legitur: quem paucis adducemus, vt duorum horum locorum collatione instituta, tanto plus in cognitione Christi proficiamus. Testatur illic loci Daniel se audiuisse vnum sanctum alteri nescio cui loquenti dicentem: Vsque quo visio, & iuge sacrificium & peccatum desolationis quæ facta est, & sanctuarium & fortitudo conculcabitur? Postea stetisse in conspectu suo speciem viri, & audiuisse se vocem hominis clamantis: Gabriel fac intelligere istam visionem. Describitur colloquium inter duas personas, de mysteriis Dei, quæ reuelanda erant Danieli. Vna persona fuit angeli, qui vocatur *Gabriel*: Altera fuit alterius cuiusdam, quem vulgata versio vocat *nescio cui*, sed hoc valde frigide. Nam in Chaldaica lingua legitur, לפלמוני vbi ל litera seruilis, non cum scheua, sed patach sequente dagesch forti, denotat certam quandam personam, de qua cognitum est iis, quibus scribitur vel dicitur. Et reuera non est intelligenda alia persona, quam filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, cui illo ipso in loco tria nomina tribuuntur, quæ verissime ipsi competunt, & cum præsenti hoc loco optime conueniunt. 1. Dicitur פלמוני *Palmoni*, hoc est, is qui occulta omnia & mysteria diuina in numerato habet, qui rebus occultis à Deo Patre est præfectus. Aut, vt hic loquitur, *qui omnia videt apud patrem suum.* Componitur enim hoc nomen ex duobus verbis, nempe פלא quod significat, mirabile esse, difficile esse, absconditum & excelsum esse, עלם quod significat occultare. Filius enim est æterna illa sapientia patris, in patre rerum abditarum omniũ cognitrix. Quia patri placuit, vt omnis plenitudo, hoc est, omnium diuinarum rerum plenissima copia, in filio inhabitaret. Col. 1. versic. 19. In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi. 2. Vocatur etiam המדבר *Hamdabber*, loquens, ideo hic dicit, quod vidi *loquor*. Est enim ὁ λόγος ὁ ἐξαγγελτικός, sermo ille æterni Patris, per quem placuit patri & se & sua consilia nobis patefacere. Vnde etiam est summus ille & vnicus doctor ac magister non tantum hominum, sed etiam angelorum, Deum enim nemo vidit vnquam: Vnigenitus ille filius, qui est in sinu Patris, ille enarrauit nobis. Et quia ipse est æternus λόγος, atque sic cœlestis Pater est author sermonum ipsius, inde fit vt in tam grauem culpam apud Deum incidant, quicunque sermonibus ipsius apud se nullum locum concedunt. 3. Additur se audiuisse vocem אדם *hominis* clamantis. Nimirum iam tum temporis prælusit filius Dei suæ incarnationi: siquidem & humana specie Danieli apparuit, & humana voce sese patefecit. Dubium ergo est nullum eundem Dei filium, qui olim per angelum Danielem, & per Danielem Ecclesiam de rebus necessariis instruxit, tanquam *Palmoni Hamdabber*: eundem postea *Adam* & hominem factum hoc loco Iudæis dixisse, *Ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Atque sic Christus Iudæos deducit, tum ad authorem suorum dictorum, Deum, tum ad authorem ipsorum factorum, Diabolum. Nobis eandem viam monstrans, vt si quando cum improbis agendum sit, eos ad fontes tum bonorum tum malorum adducamus: vt audito Dei nomine ad bonũ alliciantur, & vicissim audito nomine Diaboli à malo absterreantur. Nemo enim est, qui profiteatur se Diabolum sequi. Improbis ergo & hypocritis larua est detrahenda, vt agnoscant Diabolum factorum suorum authorem esse, & ab iis abstinere discant.

II. Quia Christus in præcedenti membro mala Iudæorum opera taxarat, eorum officij fuisset malefacta sua agnoscere, eademque emendare. Sed ipsi, quod obstinatis & improbis omnibus est solenne, ogganniunt, & per Paralogismum, quo ludunt in voce *patris & filiorum*, instant. Quia enim intelligebant se & suum patrem notari alicuius criminis, nec de alio patre quam Abrahamo scire volebant, rursus obiiciunt: *pater noster Abraham est.* Est autem valde insidiosa hæc obiectio, qua ipsum præter omne meritum rudis & ignorantis populi odio exponere conantur. Quid? An vis de nostro patre Abrahamo male loqui, & dicere quod ab ipso didicerimus ea, quæ bona non sunt? Cum tamen publica de huius fide & pietate testimonia extent in sacris literis? Ita callide opera sua, quæ probari nullo modo poterant, splendide progenitoris sui titulo contegere conantur. Simili astutia Iesuitæ hodie vtuntur: qui quando Idololatriæ, superstitionum, errorum & horribilium abusuum, quos tum in doctrina veritatis, tum in vsu sacramentorum Romanenses admiserunt, arguuntur, protinus statum causæ declinant, & extra oleas vagantes, magnifice gloriari solent de antiquitate Romanæ Ecclesiæ: de Patrum authoritate, qui omnes in ea vixerint: de Maioribus nostris, qui religionem Christianam à Romanis acceperint, & addidicerint. Atque inde exclamant: an Ecclesiam tamdiu errasse iudicatis? An Maiores nostros omnes dãnatis? An sanctiores & doctiores Patribus omnibus vos esse putatis? Hęc omnia autem astute & callide in eum finem proferunt, vt nos rudioribus, qui strophas hasce non intelligunt, inuisos & exosos reddant. Eadem status peruersione non raro vtuntur dissolutiores Nobiles, quorum superbia, helluationes, scortationes & alia vitia si quando pro concione taxãtur & traducuntur, protinus exclamant: Nos nobiles sumus. Nos genus & Maiores nostros in decimam vsque generationem numerare possumus. Et quod in paucos quosdam degenerantes dicitur, illud ipsi mox, vt Ecclesiastæ inuidia premant, ad totum ordinem extendunt. Sed audiamus, quomodo Christus huic versutiæ occurrat.

Poterat sane Christus iam mox à principio acerbius in ipsos inuehi, multa in ipsos crimina congerere, & omnia illa exprobrare, quæ postea sequentur. Sed modeste & argumentis agit, si forsan adhuc aliqui ipsorum conuerti possent. Exemplum præbens iis, qui veritatis patrocinium suscipiunt, quomodo circunspecte Apologias suas instituere debeant, ne importuna seueritate infirmiores offendant. Prius enim homines errorum & scelerum etiam intra animos conuinci debēt, quam grauius obiurgentur & criminationibus obruantur. Hoc igitur argumento ipsos conuincit, quod non sint germani Abrahami filij: quia non faciant *opera Abrahami*, hoc est, ne ingenium nec mores Abrahami referant. Non improbo quod Origenes annotauit, *opera* dici non opus: quia non respexerit solam fidem, qua Abrahamus Deo placuisse dicitur, Gen. 15. vers. 6. sed etiam reliqua pietatis opera, quæ instar fructuum de fide sunt testificata. Fidem enim nos homines non videmus, de ea tamen ex operibus iudicare possumus, vt Iacobus dixit, c. 2. versic. 18. Ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostēdam tibi ex operibus fidem meam. Christus quoque Matth. 25. versi. 35. ostendit in nouissimo die iudicium instituendum esse de fide ex operibus. Negat ergo Christus Iudæos Abrahami opera facere. Etenim *quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo*: Hisce verbis tria grauissima scelera ipsis impingit. 1. Quod se *hominem interficere* velint, quod diuinis legibus est prohibitum. 2. Quod ingrati se *veritatis* doctorem, cui bonam gratiam referre debebant, trucidare velint. 3. Quod impij sint in Deum, qui eius legatum, qui *veritatem*, *quam à Deo audiuit prædicat*, violare non vereantur. *Hoc Abraham non fecit*. Hic certe *veritatis* addiscendæ causa patrium solum dereliquit: & postquam promissionem de benedicto semine accepit, non hæsitauit diffidentia, sed fide confortatus gloriam dedit Deo. Roman. 4. vers. 20 huicque adeo obsequentem se præbuit, vt ne proprio quidem filio parcere voluerit, cum in obsequium Dei eum immolare iubebatur. Gen. 22. vers. 2. Si ergo Iudæi vere de tanto patre gloriari vellent, necesse fore ipsos etiam eius ingenium referre & opera imitari. Sed *vos facitis opera patris vestri*, scilicet alterius, qui merito pater vester dici potest, eo quod opera ipsius imitamini. Sic vero loquendo Christus innuit, se non de carnali propagatione, sed de spirituali paternitate & filiatione loqui. Quod quemadmodum fit spiritualis aliqua seruitus, de qua in præcedenti membro dictum est: sic etiam fit spiritualis filiatio, secundum mentem & spiritum, seu morum similitudinem. Quemadmodum enim pater naturaliter generat filium vultu & corpore sibi similem: sic si quis alterius doctrinam vel exempla ita in animum demittat, vt ad imitationem trahat, efficitur ei mente similis, ita vt ille quidem pater, hic vero filius, etiam phrasi scripturæ vsitata, dici mereatur. Sic Iubal fuit pater omnium canentium cithara & organo. Genes. c. 5. versiculo 21.

Potest autem hic Christi locus latius extendi, & omnis loci ac ordinis hominibus, Ecclesiasticis & politicis, accommodari, qui multum de sua dignitate & eminentia gloriantur, quam tamen pudendis operibus dehonestant. Romani Pontifices & laruati eius Episcopi, se Christi Vicarios, & Apostolorum successores esse gloriantur, ac proinde sibi imperium in vniuersam Ecclesiam vendicant. His ad imitationem huius loci dicimus: Si Christi vicarij, si Apostolorum successores estis, opera Christi & Apostolorum facite, Euangelium docete, verbum Dei prædicate, sacramenta administrate, afflictos consolationibus erigite, Ecclesiis de idoneis & fidelibus ministris prospicite. Sed vos facitis opera patris vestri Antichristi, regna mundi turbatis, bella geritis, traditiones humanas inuehitis, scorta alitis, sacra venum exponitis, ea denique facitis, quæ nullos Christianos, nedum Christi & Apostolorum successores decent. Eodem modo tractari possunt, qui veteris familiæ stemmata & depicta insignia ostentant, seque plus quippiam esse iactitant, quam sit vulgus hominum: His dicamus: Si nobilium Maiorum filij estis, nobilium opera facite: aliis exemplum virtutis præbete, omnibus benefacite, neminem lædite, patriam ferro defendite, viduarum & orphanorum patrocinium suscipite. Verum vos facitis opera patris vestri: nimirum leges publicas violatis, subditos spoliatis, subiectis vim & iniuriam infertis, viduas & orphanos opprimitis, helluationibus & scortationibus indulgetis, labes denique & & maculæ estis honoratiorum familiarum, quos ipsi Maiores, si è mortuis resurgerent, non pro suis agnituri essent. Denique hoc Christi loco vti possumus aduersus illos, qui ore fidem Christi profitentur, opere autem negant. Dicamus ipsis: si vere Christiani essetis, etiam Christi opera faceretis vtique. Iam vero superstitionibus indulgetis, sanctum Dei nomen blasphematis, raro oratis, Deo pro beneficiis nunquam gratias agitis, verbum Christi ridetis, conciones negligitis, sacramentis sine vitæ emendatione vtimini, otio indulgetis, vos inuicem mordetis, libidinibus locum datis, rapinas & vsuras exercetis, proximo clam detrahitis, eum obtrectationibus læditis, aliena bona concupiscitis, ea denique facitis, quorum honestiores gentiles suppuduisset. Christus ergo vos non pro suis agnoscit: vobis in nouissimo iudicio dicet: nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Matt. 7. versi. 23.

III. Crescit pugna inter Christum & *Iudæorum primores*. Christus hactenus euidentissimis argumentis Iudæis ademit variam illam gloriationem, quod essent filij Abrahami. Sicuti idem fecerat Iohannes Baptista Matth. 3. vers. 9. *Illi* vero arrogantiores facti altius ascendunt, seque non tantum Abrahami, sed ipsius Dei filios esse contendunt. Ac proinde iniuriam & contumeliam, qua ipsos afficiat, in ipsum Deum redundare. *Non ex stupro*, inquiunt, *nos sumus nati. Vnum patrem habemus Deum*. Intelligunt nimirum vel tandem, Christum hactenus non de corporali patre, sed spirituali, non de carnis generatione, sed de vitæ institutione locutum esse. Idcirco & ipsi omisso Abrahamo, se non spirituali stupro seu fornicatione, hoc est, idololatria se contaminasse, sed vnum spiritualem patrem Deum habere affirmant. Respiciunt ad illos Prophetarum locos, in quibus Deus idololatriam sub adulterij nomine traducit, quales sunt Ier. 3. vers. 1. Ezech. 16. vers. 3. & 23. vers. 3. Item Hos. 2. vers. 2. Volunt ergo dicere se non esse Idololatras ex Idololatris progenitos, sicuti sint reliquæ gentes, quæ falsum Deum, & hosce quidem innumeros colant, vel Samaritani, qui verum Deum simul cum Diis gentium, colant, sed *habere se vnum Deum*, eumque *patrem*, tum ratione creationis, tum ratione cultus & religione. Quare si quid durius in se dicat, id etiam in ipsum Deum redundare, qui ipsos in filios adoptarit: cum Israel sit filius ipsius primogenitus. Exod. 4. versic. 22.

In hisce Iudæis attendendum est omnium hypocritarum ingenium: vt tanto rectius agnoscere discamus, quo artificio in disputationibus vti soleant. 1. Astute statum controuersiæ mutant, non ad id quod obiectum erat respondent, sed gloriosum suum nomen prætendunt. Debebant diluere obiectum crimen homicidij, & de operibus suis respondere, qualianam illa essent, an mores & ingenium Abrahami referrent. Sed hic pisce magis sunt muti. *Nimirum intra conscientiam suam erant conuicti*, quod *sanguinaria eiusmodi consilia de trucidando Iesu animo agitent*, *ac propterea silentio ista prætereunt*. 2. Arrogantes suos titulos prætendunt, & qui non poterant euincere se germanos Abrahami filios esse, filiorum Dei nomen ac titulum sibi vendicare audent. 3. Simul autem impudentissime mentiuntur, *se non ex fornicatione* spirituali *natos*, cum omnes eorum Maiores idololatriæ multiplici fuerint addicti. Thare, Abraham & Nachor trans fluuium seruierunt Diis alienis. Ios. 24. versic. 2. In Ægypto Israelitæ coluerunt gentium Deos. Exod. 23. versic. 5. erexerunt vitulum aureum, eumque coluerunt. Num. 25. versiculo 1. fornicatus est populus cum filiabus Moab, & cum Baalphegor. Iudicum quoque tempore seruierunt quidem Domino, quamdiu viuebant seniores qui nouerant opera Domini. Iud. 2. vers. 7. sed postea multis vicibus defecerunt à Domino, quæ etiam causa fuit omnium calamitatum. Tempore Samuelis autem ad ipsius exhortationem remouerunt Deos alienos Baalim & Astaroth. 1. Sam. 7. versic. 3. Salomon quoq; in senectute sectatus est Deos alienos Asthartem Chamos & alios, iisque templa ædificauit. 1. Reg. 11. versic. 5. Quid dicemus de Ieroboamo & Achabo, qui venundatus erat, vt faceret malum in conspectu Domini, cum Iezabele vxore sua? 1. Reg. 21. versiculo 25. Idololatria denique apud Israelitas pariter & Iudæos tanta fuit, vt Deus propter illam ipsos Assyriaca & Babylonica captiuitate puniuerit. Qua ergo fronte se ex fornicatione natos esse negare audent?

Plane eodem artificio etiam hodie Pontificiorum Pharisæi, Iesuitæ, aduersus Euangelicos pugnant. Etenim quando ob horribiles suos errores, quales sunt, Diuorum inuocatio, fiducia propriorum meritorum, fictum purgatorium, humanæ traditiones, indulgentiarum nundinatio, Sacramenti mutilatio, vota monastica & consimilia multa, arguuntur. 1. Astute statum declinant, nos in Diuos cœlites, in sanctissimam Domini matrem, in beatos martyres, contumeliosos esse, Ecclesiam matrem contemnere, Maiores nostros condemnare clamitant. Vt sic aliunde excitato strepitu examen prauorum ipsorum in Ecclesia operum & errorum negligatur. 2. Mox ad gloriosos & splendidos suos titulos arroganter euagantur, Ecclesiæ Romanæ antiquitatem, non interruptam Romanorum Pontificum seriem ad Petrum Apostolum vsque, vna cum numerosissimo cœtu sanctissimorum Martyrum, qui ante multa secula in Romana Ecclesia sanguinem suum pro Christi nomine profuderint, prætendentes. Clamitant per es se sta-

se stare sanctissimum Dominum Papam, eruditissimos Cardinales, illuminatissimos Doctores, cum toto choro reuerendissimorum Episcoporum & Ecclesiæ Prælatorum. Ecquid non? 3. Tandem etiam non pudet impudentissime mentiri, Romanam Ecclesiam nunquam scortatam esse, nunquam errasse, nunquam à Christi vel Apostolorum doctrina recessisse. Cum tamen iam toti mundo constet, ipsam Romanam Ecclesiam esse illam mulierem, quæ in fronte nomen hoc scriptum habeat: Mysterium Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ. Apoc. 17. versic. 5. In cuius rei iudicium Deus permisit, vt fœmina mentita virum, infame scortum, Iohannes VIII. cognomine Angelicus, ad Pontificiæ dignitatis fastigium eueheretur, claues regni cœlorum ei committerentur, & cœlestium bonorum dispensatrix constitueretur. Quid est errare, si hoc non est? Num vestigia Christi sequi hoc est, quando Christus dicit de calice sacræ Cœnæ, bibite ex hoc omnes: Pontifex vero inquit, hoc non obstante, Laicis calice interdicatur? Paulus scribit: Honorabile coniugium sit apud OMNES: Hebr. 13. versic. 4. Pontificij autem sacerdotibus coniugio interdicunt: An hoc est Petri & Pauli successorem agere? Sed non est nostri instituti hoc loco camarinam illam Pontificiorum errorum mouere. Passim integri Tractatus de ipsorum erroribus extant. Vnicum hoc in præsentia à Iesuitis mouisse percuperem: an etiam ipsi cum Iudæis dicere possint: *Nos vnum patrem habemus Deum?* Hoc si dicere velint: Vbi manet ipsorum adscititius pater Ignatius Loiola, per desperationem ex prophano milite factus Monachus? ex cuius fornicatione cum Romana Thaide nati sunt spirituales hi filij Loiolitani Iesuitæ, genuina satanę progenies. Neque enim dicere possunt: se saltem humanæ honorificentiæ causa (vt Augustinus in libro Collationum cum Donatist. scribit) ipsum patrem nominare: cum certum sit Loiolam nouitij huius ordinis progenitorem & quatuor in eo votorum institutorem esse, in quæ iurare coguntur omnes qui Loiolam patrem sequi volunt. Sunt ergo Iesuitæ longe priores Iudæis, cum non possint dicere, se vnum patrem habere Deum.

Sed audiamus Christum, quomodo is Iudæorum arrogantiam & impudentiam retundat. Tria autem membra in refutatione vanæ huius iactantiæ tractat. 1. Firmis argumentis demonstrat, ipsos nequaquam Dei filios esse. 2. Diserte edicit cuius filij sint: scilicet Diaboli. 3. Suæ personæ innocentiam & doctrinæ veritatem asserit. Singula seorsim consideremus.

1. Primo vt in præcedentibus Iudæorum primores exclusit à cognatione Abrahami, in quo gloriabantur: ita nunc duplici argumento ipsis eripit, Deum non esse ipsorum Patrem, in quo non minus vane gloriabantur. Primum argumentum sumptum est à natura & ingenio filiorum Dei. *Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me.* Vult dicere. Germanorum Dei filiorum est, & Patrem, & omnia quæ patris illius sunt, diligere. *Ego vero ex Deo exiui & venio*: quibus duobus verbis (vt Augustinus & Hilarius annotarunt) tum æternam suam ex Patre natiuitatem, tum temporalem aduentum in hunc mundum & in carnem exprimit. Ἐξῆλθον *processi*, seu rectius, *exiui*, (Procedere enim seu ἐκπορεύεσθαι est spiritus sancti proprietas. Iohan. 15. versic. 26.) à Patre ἐξῆλθον per æternam generationem: & *Ἥκω venio* in mundum, per temporalem incarnationem. Sic ergo innuit se esse Dei vnigenitum & primogenitum, ex substantia æterni Patris ab æterno genitum, & hominis Filium, postremis hisce temporibus in mundum missum, ac proinde merito reliquos suos fratres intimo amore ipsum prosequi debere. Aduentum autem suum in mundum ipse plenius declarat, inquiens: *Neque enim à meipso veni*, vt Diabolus in paradiso, Gen. 3. versicul. 1. & Pseudoprophetæ in mundo, Ier. 23. versic. 21. *sed ipse misit me*: non solum vulgari modo, vt Prophetas, qui postquam nati sunt, & ad adultam ætatem peruenerunt, missi sunt à Deo ad prædicandum, vt Iesaias cap. 6. vers. 8. Ieremias cap. 1. versic. 5. & reliqui quisque suo loco: sed singulari quodam modo eum *misit*: nimirum, cum ab æterno apud Patrem Deus verus cum Deo vero esset, ipsum hominem fieri voluit, vt in mundo inter homines versans, diuinum illud humanæ redemptionis opus perficeret. Ad hanc missionem olim Moses respiciens Domino dixit: Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Exod 4. versic. 13. Ex his verbis potest Ecclesiastes quispiam, si velit, doctrinam de persona filij Dei, iuxta secundum articulum symboli Apostolici, coram plebe tractare, de missione filij Dei ad redemtionem humani generis. Nobis fontes monstrasse sufficit.

Secundum argumentum itidem à proprietate domesticorum Dei desumtum est, quod quasi per ad[m]irationem quandam proponit: *Quare loquelam meam non agnoscitis?* Ad[e]as loquelam hic accipere possumus de doctrinæ perspi[cuit]ate. Quia Christus Iudæis non abstrusa mysteria, sed res & doctrinas ex Prophetis notas attulit, easque non peregrino Idiomate, sed lingua vulgari & parabolis de rebus passim obuiis desumtis explanauit: Egit nimirum de pœnitentia, de peccatorum remissione, de promissionibus patribus factis, de spirituali humani generis liberatione: quæ doctrinæ capita vtique ex Prophetis ipsis nota esse debebant. Tale ergo argumentum struit. Vnius domus filij paternam linguam & idioma agnoscunt. Si enim Hierosolymitani serui ex loquela agnouerunt Petrum esse Galilæum Matth. 26. vers. 73. Et si Iud. 12. vers. 6. Galaaditæ ex vnica vocula Sibboleth cognoscere potuerunt, si quis esset Ephratæus: quãto magis in vna Dei domo γνήσιοι ipsius filij eandem loquelam agnoscere debent? Sed *vos non potestis audire sermonem meum: ὁ δύνασθε, non potestis*, & loquitur 1. de ἀδυναμίᾳ ψυχικῇ, qua homo naturalis & non renatus, non potest naturali sua facultate audire, cognoscere, vel assequi verbum Dei, eique assentiri. Cumque Iudæi hi omnes à Deo non essent renati, non poterant percipere ea, quæ sunt Spiritus Dei. 1. Corinth. 2. vers. 14. Lux enim in tenebris lucet: sed tenebræ eam non apprehendunt. Ioh. 1. versic. 5. 2. Huic postea accessit ἀθέλητον, vt Chrysostomus interpretatus est: quod Iudæi non potuerint sermonem Christi audire, non quod is adeo obscurus & perplexus esset, sed quod ipsi tanto Christi odio, tanta inuidia, superbia & voluntaria malitia aduersus ipsius personam laborarint, vt etiam per veritatem conuicti, tamen sermonem eius repulerint, nec audierint. Vnde tandem 3. quia nec dum desistant sese ipsi opponere, hæc ipsorum pertinacia in habitum abierit, vt prorsus ipsis ex iusta Dei pœna, ἀδύνατον sit Christi sermonem audire. Iuxta illam comminationem Dei. Ies. 6. vers. 9. Audite audientes, & nolite intelligere, &c. Sic nimirum innuere voluit Christus ipsos sibimet suæ cœcitatis & ignorantiæ causam esse, cum sermonem ipsius per quem conuerti poterant, audire neq; velint nec possint. Esse enim ipsos instar surdæ aspidis, aures suas obturantis, ne vocem incantatoris audire cogatur. Psal. 58. vers. 5.

Ex hoc primo membro desumere possumus certas notas verorum Dei filiorum. Omnes Christiani gloriantur se esse Dei filios. Neque temere quisquam Christianorum hoc honoris titulo priuandus est: quia in baptismo omnes renati sunt Deo, per aquam & Spiritum. Iohan. 3. vers. 5. Si tamen vere hoc titulo gloriari velint, operam dent, vt hasce notas habeant. 1. Christum Iesum vnigenitum Dei filium *diligant*. Si quis enim non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maranatha, 1. Corinth. 16. vers. 21. 2. Propter Christum amore etiam complectantur omnes reliquos Dei filios, suos in Christo fratres. In hoc enim (inquit Christus ipse) cognoscent omnes quod mei discipuli sitis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Iohan. 13. versic. 35. Ideo etiam Petrus vult, 2. Pet. 1. vers. 7. vt in pietate τὴν φιλαδελφίαν, amorem in fratres, ministremus. 3. Legatos quoque Dei, quos *ipse misit*, humaniter excipiant & debito honore prosequantur. Sic Paulus de suis Galatis testatur, Non spreuistis neque respuistis me, sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum. Quanta tum erat beatitudo vestra? Gal. 4. ver. 14. 4. *Loquelam Christi agnoscant*, & conciones ex ipsius verbo cum gaudio suscipiant, sicuti Berrhoenses, Act. 17. vers. 11. quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se habeant. Christi enim oues, ipsius, tanquam sui pastoris, vocem audiunt. Iohann. 10. vers. 3. Hisce addatur 5. nota, quæ in superioribus à Christo est adducta, *opera patris sui faciant*, nimirum sanctitati & beneficentiæ studeant. Diligite inimicos vestros, inquit Christus, benefacite & mutuum date, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes: sicut & pater vester misericors. Luc. 6. v. 35. Ad hasce notas si plerorumque Christianorum vita examinetur, deprehendetur, quam paucos γνησίους filios Deus in hoc immundo mundo habeat.

2. Postquam Dominus Iudæis eripuit vanam gloriationem de patre Abrahamo, & de Patre Deo, iam clare exponit, & diserte enunciat, quod hactenus obscurius dictum videri poterat: quis ipsorum sit pater. *Vos ex patre Diabolo estis.* Hoc non intelligit Dominus quoad originem, vt Manichæi, qui duo rerum omnium principia confinxerunt, vnum bonum, alterum malum, sunt interpretati. Erant enim Iudæi omnino homines, ex hominibus oriundi, filij Abrahami quo ad carnem. Sed loquitur Dominus de ipsorum studiis & moribus, & docet ipsos Diaboli filios factos esse non nascendo, sed imitando: sicut ipse explicat, quia *desideriis patri vestri vultis obsequi.* Et quænam illi Diaboli desideria sint indicat: nimirum *homicidium & mendacium.* Verba Christi tali argumento includi possunt. Quicunque Diaboli ingenio eousque se accommodant, vt desideria ipsius homicidium & mendacium, implere studeant, illi vere diaboli filij dici possunt. Vos Diaboli desideria facere studetis, dum me hominem innocen-

tem occidere quæritis, & veritati à me prædicatæ malitiose obstrepitis. Ergo vere Diaboli filij estis.

Quia vero hoc loco Seruator noster, occasione huius argumenti, excurrit ad pleniorem aliquam diabolicæ naturæ & conditionis descriptionem, illam prius expediamus, & postea ad rem redeamus. Primo ex sacris constat, Angelos omnes initio bonos esse creatos. Nam vidit Deus omnia quæ creauerat: & erant valde bona. Gen.1. versic.31. Sed non creauit Deus angelos in bono immutabiles. Nam in bono immutabilem esse, solius Dei proprium est. Mutabiles vero creaturæ, pro diuersitate obiecti, vel in melius vel in deterius commutari possunt. Diabolus ergo, vt Christus hic loquitur, *in veritate non stetit*: vel vt Iudas in sua epistola dicit, τὴν ἀρχὴν originem suam non seruauit: sed in ipso momento suæ defectionis, Deo ipsum non sustentante, nec noua gratia confirmante, ex sancto Dei angelo teterrimus, dæmon factus est. Quod notandum est contra Manichæos & eos qui ipsos sequuntur, putantes diabolum initio impium, homicidam & mendacem à Deo creatum fuisse. Quæ opinio iniuriosa est in bonitatem Dei. Quodnam autem fuerit illud peccatum, quo Diabolus se auertit à Deo, & quando se auerterit, illud Scriptura non expresse indicat, nec fortassis curiosius in vtrumque inquirendum est. Nihil tamen impietatis habet vulgaris Patrum sententia, qua arbitrantur, ipsum superbia elatum affectasse diuinos honores, & detrectasse Filio Dei, cui imperium debebat in omnes creaturas, debitum honorem. Sic enim Syracides cap.10. versiculo 15. Initium omnis peccati superbia. Et ad lapsum Satanæ etiam Patres accommodarunt illud dictũ Ies.14. vers.12. quod tamen proprie de rege Babylonico agit: Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Nam omnino ob hanc rebellionem satanas exturbatus est è cœlo, sicuti Christus dicit Luc.10. vers.18. Videbam satanam sicut fulgur cadentem de cœlo. Et Iohannes de Dracone & ipsius angelis pronunciat, quod in pugna succubuerint, nec eorum locus amplius inuentus sit in cœlo. Apoc.12. versic.8. Licet autem Satanas cum suo satellitio nondum sit missus in abyssum, Luc.8. vers.31. in locum tormentorum: sed propter peccata hominum aliqua ipsi concessa sit potestas aeris, Eph.2. versic.2. vt sit κοσμοκράτωρ & rector tenebrarum in hoc seculo: tamen catenis caliginis, & vinculis æternis sub caligine asseruatur iudicio magni illius diei, 2. Petr.2. versic.4. Epist. Iud. versi.6. quando mittetur in stagnum ignis & sulphuris, vt crucietur die ac nocte in secula seculorum. Apoc.20. vers.10. Interim tanta odio Dei, cuius hostis factus est, flagrat, vt quoniam ipsi nocere nequit, propter Deum homini, qui ad imaginem Dei creatus est, omnibus modis insidietur. Vnde factus est ἀνθρωποκτόνος *homicida ab initio*: Is enim fuit, qui Adamum in peccatum, & per peccatum ipsum cum omni sua posteritate in mortem præcipitauit, Gen.3. vers.4. Id vero fecit non *ab initio* suæ creationis, sed *ab initio* ipsius lapsi hominis. Neque enim prius *homicida* esse potuit, quam homo creatus esset, quem occideret.

Circumspecte Christus loquitur, ne qua culpa prauitatis Diabolicæ Deo vel ipsius creationi impingatur. Ideoque particulam ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio*, priori membro, quod agit de homicidio, annectit, non posteriori, vbi dicit, *in veritate non stetit*, ne quis putaret, Diabolum in illo principio, in quo creatus est, in veritate non stetisse. Et quando Iohannes scribit, 1. Iohan.3. versiculo 8. Diabolus ab initio peccat, tum illud intelligendum est de initio mundi siue hominis: quod nimirum diabolus primus sit qui peccauit, & quod continue atque indesinenter peccet. Peccat autem homicidio & mendaciis. Hisce duobus ceu armis vtitur, quibus potissimum nocet homini. Quod vero Christus addit *quia veritas non est in eo*: Ibi particula ὅτι *quia*, non est ita accipienda, quasi Christus caussam reddat, ob quam Diabolus in veritate non steterit, & quasi nulla vnquam veritas in Diabolo locum habuerit: sed ducit argumentum à consequenti, atque dicere vult sic ipsum à veritate excidisse, vt iam imposterum ne minima quidem veritatis particula sit in illo. Adeo quidem, vt si quando verum dicere videtur: tamen *non est veritas* in ore eius. Quia per ea quæ loquitur studet hominem decipere, vt ita omnia eius dicta ad mendacium & errorem vergant, nec vnquam tuto ei credi possit. Ardet enim horribili odio aduersus Deum, & aduersus omne illud quod veri bonique nomen obtinere potest: estque vere ἐπιχαιρέκακος, qui nunquam gaudet, nunquam lætatur, nisi quando nocendo homini Deo ægre facere potest. Et quemadmodum Deus, qui est charitas, nunquam cogitat malum: non gaudet super iniquitate: sed congaudet veritati. 1. Corinth.13. vers.6. ita Diabolus vice versa nunquam cogitat bonum, nunquam gaudet, nisi super iniquitate. Hanc autem naturæ suæ prauitatem non habet ex Dei creatione, sed ex sua apostasia. Ideo Christus porro subiicit: *cum loquitur mendacium ex propriis loquitur*, hoc est, non loquitur ex his, quę ipsi vel à Deo vel ab alio aliquo sunt communicata: sed ex iis, quæ habet ex maledicta & malitiosa sua defectione. Vnde declarationis causa subdit: *quia mendax est, & pater eius*. Hanc particulam olim Manichæi arripuerunt, atque sic interpretati sunt, quasi & Diabolus ipse mendax esset, & *eius* Diaboli *pater* quoque mendax sit: vt ita vnum sit principium omnium malorum distinctum à primo principio bonorum. Sed impium hoc & diabolicum dogma ab Augustino & aliis Ecclesiæ Patribus iam dudum solide est protritum. Sciendum ergo, quod vocula αὐτοῦ *eius* referenda sit, non ad Diabolum, sed ad mendacium. Huius enim *pater* seu author est Diabolus. Ipse est vere μηχανοῤῥάφος κακῶν, excogitator & structor technarum, fraudum atque mendaciorum. Vt recte Augustinus dixerit: Quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem: sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium.

Hic ergo locus de prauitate diaboli probe est notandus: quia vix vllibi in Euangelio illustrior inuenitur. Conducit autem 1. ad id, vt sciamus, quinam sit fons omnis mali. Summa est blasphemia, si quis de malo culpæ ita loquatur, vel doceat, vt eius macula aliqua in Deum Optimum Maximum redundet. Deus enim noster non tantum totus bonus, sed ipsa bonitas est. Non est Deus volens iniquitatem: & qui malus est iuxta ipsum nequaquam habitabit. Psalmo quinto, versiculo quinto. Hoc adeo planum est, vt saniores etiam gentes dixerint: Deos non esse Deos, si quid mali velint. Omne ergo malum profluit à Diabolo, patre & inuentore mali, homicidij & mendacij. Is vt primas ædes Adami atque Euæ, per Cainum praua opinione de Messia & fratricidio polluit: ita per omnes mundi ætates, ipse vnicus is est, qui totum orbem terrarum turbauit tyrannide, idololatria, hæresibus, nec quicquam mali est vel fuit in vniuerso mundo, quod non à malo hoc Spiritu sit inuectum. Vnde etiam absolute ὁ πονηρός siue Malus dicitur, Matthæi decimotertio, vers.19. Ephes.6. versic.16. 1. Iohan.2. versicul.13. 2. Monet hic locus, ne quicquam fidamus Diabolo: quia etiam *quando* vera dicit, specie veri fallere cupit. Hoc reipsa *commonstrauit* inter gentes suis oraculis, quæ omnia *fuerunt* ἀμφιδέξια, *dubia* & flexiloqua: quibus etiam *multos reges fefellit*. Quod etiam non pauci ex sapientioribus gentilibus ipsi obseruarunt. Adeo vt mirum sit quosdam etiam Christianorum eo vesaniæ prolabi, vt veritatem inquirere cupiant ex necromanticis & iis qui putantur habere Spiritum vatidicum. Grauissime tales sunt taxandi. Imo ne quidem in illis suggestionibus est audiendus, quando vel melancholicis vel graui cum tentatione conflictantibus persuadere nititur, quasi omni gratia Dei exciderint, nec Christi meritum ipsis quicquam prosit. Hinc meminerint tentati, Diabolum mendacem esse & mendacij patrem. Seque vniuersalibus Dei promissionibus per fidem includant, scientes Deum per seipsum iurasse, quod non velit mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. *Ezechielis* decimo octauo, versiculo vigesimotertio. & 33. versic.11. 3. Denique discrimen etiam notandum, inter Diabolum & homines. Homines licet peccent, licet mali quid faciant, aut mendacium loquantur: tamen non sunt mendacij *patres*, nec *ex propriis* loquuntur, sed vel ex diaboli vel ex eius organorum suggestione & impulsione id faciunt. Diabolus autem mendacia & prauitates suas ex seipso habet, & *propria* malitia impellitur, vt male agat. Certe ex semetipso mendacium hausit quo miseræ Euæ persuasit, nequaquam ipsam morte morituram, si de vetita arbore comederet, sed Deo similem futuram. Postea Eua decepta & à diabolo inducta, etiam Adamo mendacium illud, verum non ex semetipsa, sed ex diabolo suggestum, proposuit, eumque seduxit. Ideo homini persuasione diaboli seducto, Redemtor & Vindex datus est. Diabolo *ex semetipso* peccanti, non item.

Hisce, quæ Christus de Satanæ malitia adduxit, hoc modo expositis, sensus huius secundi membri, quo Christus probat *Iudæos ex patre diabolo esse*, planus erit. Vult dicere: Diabolus ab initio est homicida & mendax, & quicunque eius artes imitantur, illi merito *filij diaboli* dicuntur. Sicuti vobis Pharisæis & Scribis tanquam viris in Scriptura exercitatis, non ignotum esse potest, quod Deut.13. versic.13. Iud.19. versic.22. 1. Samuel.1. versi.16. & cap.2. versic.12. 2. Sam.16. vers.7. & cap.20. vers.1. *filij Belial* dicantur ij, qui ad imitationem satanæ à Deo defecerunt, & neque iugum neque imperium Dei ferre volunt. At vos vtrumque Diaboli artificium imitamini. 1. homicidium: quod me hominem immerentem & innocentem ad mortem quæritis, atque sic *desiderijs patris vestri*, Diaboli qui per vos insidiatur calcaneo meo, Gen.3. versi.15. Speras

se hoc

se hoc modo me extinguere posse, *vultis obsequi.* 2. Mendacium: quia *mihi qui veritatem dico, non creditis.* Vt enim diabolus veritatem nulla alia de causa odit & persequitur, quam quia deprauatæ ipsius naturæ & impiis studiis aduersatur: ita & vos Euangelij mei doctrinam eadem de causa reiicitis. Quis ergo non videt vos vere filios Belial siue Diaboli esse?

Latent autem in hac Christi argumentatione adhuc alia quædam notatione digna, quæ vtiles doctrinas præbere possunt. 1. Quod Christus diabolo attribuit ἐπιθυμίας *desideria* nocendi, sed non vires: voluntatem, sed non facultatem. Si enim satanas tantum posset, quantum expetit & vult, totum terrarum orbem dudum euertisset. Deus ergo potenti & regia manu ipsum coercet, & cohibet, ne piis plus noceat, quam ipse nouit iis cooperari in bonum. Roman. 8. vers. 28. Sic cohibuit Exod. 12. vers. 29. angelum percutientem, ne noceret primogenitis Israelitarum. Sic contra Iobem diabolus vlterius non sæuire potuit, quam quantum Deus concessit. Iob. 1. vers. 12. & 2. vers. 6. Hæc vsque adeo vera sunt, vt Matth. 8. versic. 31. diaboli non ausint in porcos ingredi, donec Christus permittat. Simul tamen considerandum, cuius beneficio Deus satanam freno coerceat, ne nos pro libitu damno afficiat. Nimirum contingit id nobis beneficio intercessionis Christi, vnde ipse in passione Petro dicit, Luc. 22. vers. 31. Simon, Simon, ecce Satanas expediuit vos vt cribraret sicuti triticum: Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Hunc ergo patronum retineamus, tum Diaboli insidiæ non nocebunt animæ nostræ. Quod vero de diabolo dictum est, idem etiam de ipsius organis intelligi debet: quod non habeant liberam potestatem nobis nocendi: sed Dei manu gubernentur. 2. Ex hoc loco etiam desumi possunt notæ *filiorum diaboli:* nimirum, quicunque *volunt facere desideria* diaboli, tum quoad mendacium, tum quoad homicidium, illi pro diaboli filiis sunt habendi. Argute aliqui hic disputant, non omnes esse diaboli filios, qui diaboli *opera* faciunt: sed tantum eos, qui ipsius *desideria* explere cupiunt. Et sane non negauero, distinctos esse gradus hominum impiorum: & alios quidem desideria diaboli habere, alios vero opera Diaboli facere, alios denique & desideria & opera diaboli explere. Licet autem alius alio grauius peccet: tamen in quocunque gradu quis subsistat, excusari nequit, quo minus inter Diaboli filios numeretur. Certe Dauid, cum Vriæ vxorem desiderio contaminasset, atque insuper Vriam ipsum mendacibus literis ad necem instruxisset, non tantum opera satanæ perpetrauit, sed etiam desideria eius expleuit. Ac proinde in hoc ipso facto *Diaboli filius* fuit. Quod etiam ipse humiliter agnouit. Cum enim Semei ipsum 2. Sam. 16. vers. 7. virum Belial, hoc est, *Diaboli filium* nominaret, & Abisai propterea caput ipsi amputare vellet, prohibuit id Dauid, & Dominum ipsi præcepisse fatetur, vt sibi malediceret. Nam reuera tanquam diaboli filius in hisce diaboli desideriis periisset, nisi per pœnitentiam, ex diaboli laqueis resipuisset, & ad Deum reuersus fuisset. Quapropter non prodest eiusmodi distinctiones quærere, quæ faciunt ad excusandas excusationes in peccatis. Psal. 141. vers. 4. Quin potius fideles verbi ministri magna seueritate auditores suos absterreant, ne in satanæ siue desideria siue opera consentiant: siquidem per illa in numerum filiorum Diaboli delabantur. Vt autem tanto plus permoueantur, sibi ab huiusmodi desideriis & operibus studiose cauendi, prolixe hic ex methodicis libellis exponi potest, quam varie quis se mendacio cum aduersus Deum, tum aduersus proximum, tam in prima quam in secunda tabula polluere possit. Item quam multipliciter quis homicidium & manu, & lingua, & corde committere possit. A quibus omnibus abstinere quis debet, nisi inter Diaboli sobolem numerari velit. 3. Sicut Christus in sui temporis Iudæis taxat fastidium audiendi veritatem: ita adhuc hodie idem in nostri temporis hominibus taxandum. Natura enim omnes procliues sumus magis ad audienda vana, inutilia, imo noxia, quam ad audiendam veritatem. Vanis legendis & fabulis ab ociosis Monachis confictis quidam integrum diem sine fastidio attenderent: at si quis ex Dei verbo horam vnam concionem salutarem audire debeat, molestum illud ipsi accidit. Quam naturæ deprauationem agnoscamus & corrigamus.

3. Tertium membrum huius tractationis est, quod Christus & suæ personæ innocentiam & doctrinæ veritatem tuetur. Poterant enim Iudæi dicere: nos libenter te audiremus, tibique fidem haberemus, si certo sciremus, te à Deo missum, & veritatem præconem esse. Quia vero vulgaris homo es, non tutum esse videtur, relicta auita religione, tibi adhærere. Huic tacitæ obiectioni Christus per præoccupationem occurrit, & ostendit illos nullos tergiuersandi iustam rationem habere, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Poterat tantum mendacij mentionem facere, vt diceret: quis ex vobis me de mendacio arguet? Sed vt generalior esset propositio, pro mendacio *peccatum* ponit, liberam aduersariis faciens potestatem, tam in vitam quam in doctrinam suam inquirendi, & si possent ipsum publice coram vulgo vllius siue lapsus siue erroris conuincendi. Vtitur autem verbo ἐλέγχειν, quod non simpliciter accusare, sed firmis argumentis conuincere significat. Nam omnino Iudæi Iesum sæpe de peccato accusabant, vt quod in doctrina ipse sibi testimonium daret: & quod Sabbatum, homines in eo sanando, violaret. Sed calumniæ potius hæ erant, quam ἔλεγχοι: vnde etiam passim Dominus ipsis, inique se traducentibus, ora obstruxit, certisque argumentis conuicit, ipsos absque iusta causa sinistre de se iudicare. Hic vero diserte dicit: Si quisquam vestrum est, qui vel doctrinam meam de aliqua falsitate vel vitam meam de aliquo lapsu vel peccato conuincere possit, vt propterea doctrinam meam non recipiendam arbitretur: is in medium prodeat, quicunque sit, proferat Mosis & Prophetarum testimonia, & (vt olim Iacobus Labano dixit, Genes. 31. versic. 37.) coram his fratribus nostris proponat, qui iudicent inter nos. *Si vero veritatem dico, quare vos non creditis mihi?* Quasi diceret: Res sane mira, impostoribus, qui ex se loquuntur, & qui vos ad æternum interitum deducere cupiunt, sicut etiam Iohan. 5. versic. 43. idem vobis obieci, creditis, eis fidem habetis, eos euehitis: Ego vero ita doceo, vt nō possitis probare me vspiam in Scripturam à Deo traditam, in Mosen vel Prophetas impingere: sed ipsi fateri cogimini, cœlestem eam esse doctrinam, nec vnquam hominem ita locutum esse: Ioh. 7. vers. 46. doctrinam insuper meam stupendis miraculis confirmo: neque eam scandalis deformo: & tamen doctrinam meam non suscipitis, ei nullam fidem habetis, sed blasphematis. In vulgaribus causis, quando sermo vel res non potest argui falsitatis, tum cedunt homines, nec acerbe veritati monstratæ contradicunt: qui ergo fit, quod Dei verbo, quod vos nullius vanitatis conuincere potestis, tamen non creditis? At causam Ego ipse vobis indicabo: *Qui ex Deo est,* hoc est, qui Spiritu Dei se regi patitur, & qui cura animæ suæ adhuc afficitur, hic *verba Dei audit,* hoc est, non tantum auidis auribus illud acceptat, sed etiam quando per illud monetur vel arguitur, infirmitatem suam agnoscit, eam deprecatur, remissionem petit, emendationi studet: & qui hoc facit, ille hanc consolationem habet, quod propter Christum Deus sit peccata ipsius contecturus, nec ipsum sua gratia deserturus. Sed quid vos? Ego adeo diserte veritatem vobis propono, vt negare non possitis doctrinam meam esse bonam, salutarem, cœlestem. Quod si eam capere non potestis, debebatis ad Deum gemere & orare pro gratia sancti sui spiritus, vt possetis eam suscipere, vos emendare, sicque prauitatem ingenij deponere. Sed *vos non auditis,* nihil horum facitis: quin potius vehementioribus animis vos mihi opponitis, reddimini deteriores, & omnes occasiones quæritis diuinam meam doctrinam impediendi & opprimendi. Hoc certissimum indicium est, *quod ex Deo non estis,* quod Deus vos deseruit, vos in reprobam mentem tradidit, sicque Ego nimis vere dixerim, vos nec Abrahami, nec Dei, sed Diaboli filios esse.

Sic vero dicendo, Christus 1. regulam tradit suis ministris, Ecclesiarum doctoribus, quod conciones suas ita instituere debeant, vt auditoribus concedant & liberum relinquant, si quæ non dextre vel plene percepissent, interrogandi & pleniorem explicationem petendi. Si enim Dei filius, qui prodiit ex sinu patris, in quo habitat tota plenitudo diuinitatis corporaliter, in cuius ore non est inuentus dolus, & qui est ipsa veritas, adeo vt errare nequeat, acerrimis suis hostibus hanc potestatem concessit, se de errore conuincendi, si possint: cur me pudeat, meos auditores in hunc modum alloquendi? Ego non ita prædico vobis verbum Dei, quasi propterea verum sit quod dico, quia ego sto in excelsiori loco, neque quisquam hic audet mihi obloqui. Sed vobis integrum est, si quid non sufficienter assecuti essetis, vt de eo me postea interrogetis. Ego vobis de singulis rationem reddam: vbi sententia mea in Scriptura fundamentum suum habeat, monstrabo: quæ in speciem pugnare videntur, conciliabo: & singula plenius explicabo. Hoc fecerunt Berrhoenses, Actor. 17. versic. 11. quotidie scrutantes Scripturas, si hæc, quæ Paulus & Barnabas docuerant, ita se haberent. Et Paulus 1. Corinth. 14. vers. 29. in Ecclesiis ita ordinauit, vt Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Quod si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Vix fieri potest, quin interdum concionator aliquid dicat, quod auditores offendat. Valeat ergo nunc regula Christi: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Si concionator errauit, in posterum corrigat linguam: sin veritatem dixit, alter cedat & credat.

2. Auditoribus quoque Christus seriam hic ingerit commonefactionem, vt sibi caueant, ne doctrinæ fidei contradicant, nisi eam ex Scriptura falsitatis arguere & conuincere

possint. Id enim si faciant, manifestè se produnt, quod *non sunt ex Deo*, sed ex Diabolo. Verum est: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Corinth. 2. versic. 14. Sed *qui ex Deo est*, is admittit institutionem. Imo etiam hoc accidere potest, vt in doctrina religionis quis turbetur, & aliquos articulos non intelligat, nec assequatur. Sicuti Sara non potuit assequi, quod ipsa anus esset filium conceptura & paritura: Gen. 18. vers. 10. & Maria virgo non omnia assecuta est, quę ex angelo & pastoribus audiuit, Luc. 1. v. 34. & 2. v. 19. Sed caueant pij, ne cum Sara rideant: quin potius cum Maria verba conseruent, & conferant in corde suo, vt sic per verbum Dei sensim plenius informentur, imò per illud tanquam per viuificum Dei semen in Dei filios regenerentur, donec Christus in ipsis formetur. Gal. 4. versic. 19. Nam, qui per verbum Dei erudiuntur, sed illud admittere nolunt, aut etiam, si maxime non possint erroris arguere, tamen contradicunt & fiunt obstinatiores: illi certo sunt ex Diabolo. *Ex Deo* enim *est*, qui credit verbo Dei, & ex eo renatus non facit peccatum. 1. Ioh. 3. versic. 9. Ex Diabolo autem seu malo est, sicut Cain, 1. Ioh. 3. versic. 12. quicunque verbum Dei non audit, aut illo audito abit, & occidit fratrem. Sed hæc est sors verbo Dei peculiaris, quod cum homines alias veritati locum dent, Dei tamen verbo nemo vult cedere, sed plerique in contradicendo ad propriam perniciem sunt ingeniosi. Nimirum verbum Dei est signum contradictionis. Luc. 2. v. 34.

3. Tandem Christus coniunctim & doctoribus & auditoribus hanc tradit regulam: Quod veritati absque personarum respectu & absque omni contradictione sit locus dandus. *Si veritatem dico, cur non creditis mihi?* Veritas enim est αὐτόπιστος, quæ ex semetipsa authoritatem habet, cui nihil accedere potest, ex dignitate eorum, qui ipsam prædicant: nihil etiam decedere, ex eorundem vilitate. Hanc regulam si hodie omnes admitterent, quam plurimi adhuc ex regno Antichristi liberati & ad veritatem Euangelicam adduci possent. Quam multi enim inueniuntur, qui fatentur doctrinam nostram, de vnico mundi Redemptore & Mediatore, de fidei iustificatione, de bonis operibus ex gratitudine faciendis, & de tota ratione salutis nostræ, esse verissimam: econtra Iesuitarum clamores de peregrinationibus instituendis, de calice laicis adimendo, de purgatorio esse vanissimos? Et tamen Euangelicam veritatem recipere nolunt, tantum hac de causa, reformationem Ecclesiæ non instituendam fuisse à fugitiuo Monacho Luthero, & paucis eius asseclis, sed à Pontifice, Cardinalibus & Episcopis, tanquam Ecclesię columnis & luminibus. Sed quid tum postea? Fuerit Lutherus Monachus, quid hoc ad nos? Examinemus eius doctrinam, an ex Deo sit, an ex hominibus. Si ex Deo, cur eam non audiunt? Si ex hominibus: cur eam non erroris coarguunt? Sed quia negare nequeunt eam esse veritatem, & tamen recipere nolunt, an non ipsi aperte se produnt, quod non sint ex Deo, sed ex Diabolo?

IV. Aduersus hæc Christi dicta Pharisæi excipiunt, & dicunt: Non propterea nos erimus diaboli filij, licet doctrinam tuam non suscipiamus, sed persequamur. Nam *tu es Samaritanus*, apostata, qui à lege & populo Dei defecit. Et quemadmodum iam olim Samaritani migma quoddam fecerunt ex Iudaismo & gentilismo: ita etiam tu commisces tua cum Mose. Ac proinde iure optimo tuam doctrinam, ceu mixturam prophanam, reiicimus. Adhæc *habes dæmonium*: nimirum, quando edis miracula, quibus tuam doctrinam vis confirmare, tum edis ea opera Beelzebub, principis dæmoniorum. Sic vero dicendo duo grauissima conuicia aduersus filium Dei coniungunt, quorum vno ipsius doctrinam, altero miracula eiusdem in contemptum & odium vocare conatur. Sic nempe solet conuicta impietas, quando non habet quod veritati respondeat, sese conuertere ad conuicia. Verum quomodo grauissimam hanc suam accusationem probant? Nam si accusare sufficit: quis erit innocens? Sic probant, *nonne NOS bene dicimus?* Opponunt Christi humilitati suarum personarum authoritatem & sublimitatem: *NOS* Pontifices, Aaronis vicarij & Sacerdotes, qui in ordinaria successione templo seruimus: *NOS* Pharisæi & scribæ, qui in cathedra Mosis sedentes Legem eius in Synagogis prælegimus & interpretamur: *NOS* hoc *dicimus*: hoc sufficiat, nemo contra mussitet. Eodem modo quo Iesuitæ hodie nos Euangelicos pro perditissimis hæreticis, Iudæis & Turcis deterioribus, ac non nisi rogo ac igne dignis, proclamant: & si quis dicat, quæso quomodo probatis Lutheranos esse hæreticos? Mox excandescunt & exclamant: An non Pontifices Romani, Christi vicarij, Apostoli Petri successores ordinarij, cum toto Cardinalium & Episcoporum in Tridentino Concilio concorditer congregatorum cœtu hoc vnanimiter pronunciarunt? An non hoc probationis loco sufficiat? Ad hosce Iesuitarum clamores & probationes protinus totus mundus obmutescere debet. Sed bene habet. Non est seruus maior Domino. Si Christum persecuti sunt, etiam nos persequentur. Si Christi sermonem seruauerunt, etiam nostrum seruabunt. Iohan. 15. vers. 20. Si patremfamilias Beelzebub vocarunt, quanto magis domesticos eius? Matth. 10. versic. 25. Non potuerunt Iesum Pharisæi de vllo peccato arguere, & tamen iratum atque odij flamma eo ipsos impulerat, vt maledicæ suæ linguę frena eousq; laxarent, vt hominē innocentissimum, legis diuinæ obseruantissimū & qui quotidie nouis beneficiis suum studium & amorem erga quosuis declarabat, tantis conuiciis onerarint. Eadem olim sors fuit tam Prophetarum quam Apostolorum. *Elias habitus est* pro eo, qui turbaret Israel. 1. Reg. 18. versiculo 17. Ieremias insimulatus est, quod fuerit vir rixarum & discordiæ in vniuersa terra. Ier. 15. versicul. 10. Amos accusatur ab Amasia, quod rebellarit contra regem. Amos 7. versicul. 10. Paulus & Barnabas insimulantur, quod concitent totum orbem terrarum. Actor. 17. versicul. 6. Quid ergo mirum Iesuitas integra conuitiorum & calumniarum plaustra aduersus Lutherum eiusque in fide socios euomere? Duo enim grandia peccata, quæ non nisi morte piari possunt, commisit. Nimirum, quemadmodum Christus Pontificum traditiones taxauit, Pharisæorum hypocrisin arguit, & publicam Ecclesiæ reformationem vrsit: ita Lutherus idem fecit, atque sic Papę coronam & Monachorum ventres attigit. Quin etiam illud hodierno die non raro euenit, quod verbi minister, licet tam innocens esset, quam Dei angeli: tamen calumniatoribus non deest materia vel accusandi vel obtrectandi, vel conuiciandi. Quisque ergo viderit, vt se tueatur testimonio innocentię & bonæ conscientiæ. Hæc enim est optima Apologia.

Sed audiamus, quomodo Christus hanc *Pharisæorum* exceptionem diluerit. Et est hoc membrum nostra ætate notatu dignissimum. Quia tradit certam regulam, ex qua veritas diuinę & cœlestis doctrinę omni tempore cognosci potest. Cum ergo hodie nobis lis sit non tantum cum Pontificiis, sed etiam cum Caluinianis, qui & ipsi gloriantur, se Dei verbum non minus habere, quam nos habeamus, diligenter hanc regulam examinemus. Summa huius regulę hęc est: Quæcunque doctrina, & Dei gloriam, & hominum salutem promouet, illa pro diuina est agnoscenda. Ad hāc regulam Christus tum suam tum aliorum doctrinas examinari, & inde iudicium sumi vult, vtrum diuinę sint, an humanę vel etiam diabolicę. Conuitia itaque quasi *negligit & sicco pede* transit, de eo tantum sollicitus, quomodo *doctrinę* suę *veritatem* & synceritatem adstruat. Nobis quoq; suis *ministris exemplum* relinquens, quomodo & qualiter cum antagonistis nostris congredi debeamus. Si quando Dei gloria aut Ecclesię doctrinę puritas est defendenda, acres simus, nec quicquam silentio prętermittamus. Sin vero hostes nostras personas conuiciis incessant, non vicissim conuiciemur, sed potius aut silentium præstemus, aut si omnino respondendum est, cum lenitate & modestia ea depellamus, quę cum periculo ipsius doctrinę coniuncta esse videntur. Responsionem ergo & regulam Christi audiamus: quę quia bimembris est, vtrumque etiam membrum seorsim excutiamus.

1. Primo dicit: *Ego dæmonium non habeo sed cohonesto Patrem meum.* Vult dicere. Cuiuscunque doctrina directa est ad Dei gloriam & honorem, ille nec diabolum habet, neque doctrina ipsius est ex Diabolo. Atqui mea doctrina nihil aliud spectat, quam vnius Dei gloriam. Etenim propterea humanas traditiones patrum reiectas cupio: vt vnius Dei verbum apud vos valeat. Propterea fiduciam sacrificiorum repudio: quia vni Deo & eius gratię propter Messiam fidere doceo. Hypocrisin damno: quia Deum corda & non externa opera intueri scio. Et quemadmodum doctrina mea in Dei honorem vergit: ita quoque opera mea miraculosa, cum inculpata vitæ meæ integritate & corruptis moribus nihil aliud spectant, quam vt Deus in ipsis glorificetur. Rursus autem & hoc nouisse debetis: quia Deus Pater non vult honorari nisi in filio, quod omnis doctrina, quę dehonestat filium, eadem etiam dehonestet Patrem, & sit ex Diabolo. *Vos autem ignominiam afficitis*, dum me & *Samaritanum esse & dæmonium habere* calumniamini. Itaque vestra doctrina & vester sermo ex diabolo proficiscitur. Hoc vero non dico eo fine, quasi gloriæ cupidus doleam me à vobis dehonestari & ignominia affici. Sed quod salutis vestrę cupidus, vestram conuersionem quæram. *Ego non quæro gloriam meam. Est qui quærat & iudicet.* Etsi enim cœlestis pater non statim & è vestigio punit eos qui filium suum Iesum Christum ignominia afficiunt: suo tamen tempore, quando ipsi oportunum visum fuerit, siue in hac siue in altera vita vltionem hanc grauiter exercet. Hoc est primum membrum huius regulæ.

Ad hoc membrum, ceu ad certissimam regulam vel paro saltem examinemus vtramq; doctrinam, & nostram & Iesuitarum, & mox patebit, quænam ex Deo sit, & quæ ex Diabolo. Nos hoc vrgemus, quod Christus vnus sit æternus Pontifex

& rex

& rex Ecclesiæ nostræ, & qui habeat spirituale regnum: quia Apostolis suis dixerit, Luc. 22. versic. 26. Vos non sic, vt reges gentium. Nam quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. 2. Corinth. 4. v. vlt. At Pontificij in Ecclesia simpliciter volunt habere visibile & mundanum regnum, in quo Papa præsideat tanquam caput, & cum Cardinalibus ac Episcopis suis habeat mundanas præeminentias. An non hoc est degradare Christum? Nos contendimus vnum esse Mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum 1. Tim. 2. v. 5. Illi hunc quasi ex throno intercessionis remouent, & diuos cœlites ipsi adiungunt. Nos docemus, non esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo possint salui fieri, quam sit nomen Iesu. Actor. 4. v. 12. Hi Christo addunt Missas, quæ tantundem valeant, quantum mors Christi: item peregrinationes, indulgentias in anno Iubilæo, aquam benedictam, & consimiles nugas quamplurimas, de quibus ne iota quidem habetur in sacris literis. Nos ex Scriptura tradimus, quod sanguis Iesu Christi filij Dei nos purget ab omni peccato 1. Ioh. 1. v. 7. Pontificij per ignem purgatorium pleraque peccata residua expurgari volunt. Nos docemus iustitiam, quam Christus morte & merito suo parauit, & quam Deus gratis hominibus in verbo offert, sola fide apprehendi: illi volunt hoc fieri partim fide, partim operibus, cum tamen Paulus opera διαῤῥήδην excludat. Rom. 3. v. 28. & Galat. 5. versiculo 4. Licet denique totus Papatus ex meris operibus compositus esse videatur: omnia tamen ipsorum opera sunt nugatoria, de quibus Christus dudum pronunciauit: Frustra me colunt, tradentes mandata hominum. Matth. 15. v. 9. Cum ergo hæc omnia nec in Dei Patris nec Filij honorem vergant, iudicent omnes, quos Deus Spiritu discretionis donauit, vtra pars habeat quintum Euangelium siue Cacangelium (sicuti Iesuitæ nostram doctrinam per contemtum & ludibrium vocant) & vtrius partis doctrina sit ex Diabolo. Nostra certe doctrina honorat Patrem, quæ docet humiliter suscipere eum, quem ipse misit: tribuit ei honorem bonitatis, gratiæ & sapientiæ, qui tale medium salutis inuenerit, quo & ipsius iustitiæ satisfiat, & ipse misericordiam erga miserum humanum genus exercere possit. Honorat eadem doctrina etiam filium. Huius enim meritum magni fit, quando humiliter agnoscimus omnino nobis in æternum pereundum fuisse, si absque ipso fuisset, nec aliud remedium salutis in orbe inueniri potuisse, quam in ipsius passione & morte: ac propterea nos ipsum in perpetuum celebrare velle.

Eodem modo etiam Examen institui potest quoad articulos inter nos & sacramentarios controuersos. Certe nec ad Dei patris, nec ad Christi gloriam facit: quod Caluiniani Deum faciunt authorem peccati, qui extraordinario vsu linguæ serpentem armauit, vt Euam deciperet: statuunt Deum multa millia hominum ab æterno ad damnationem prædestinasse & creasse, absque omni præuisa culpa, duntaxat, vt habeat in quibus iustitiæ suæ rigorem ostendat: statuunt filium Dei pro maiori parte hominum, nimirum pro reprobis nec incarnatum, nec passum, nec mortuum esse, neque etiam ipsum velle vt illi per verbum & sacramenta regenerentur: docent eum non qua homo, sed tantum qua Deus est, adorandum esse: problaterant sanctissimam humanam Christi carnem in edendis miraculis non plus cooperatam esse diuinitati, quam fecerit baculus Mosis: contendunt Deum cum omni sua impotentia non posse efficere vt vnum idemque corpus, etiam filij sui, vno tempore in pluribus sit locis quam in vno. Et consimilia multa tradunt atque mordicus tuentur, quæ & Patris & Filij gloriæ immodicum derogant, sicuti alibi à nobis est ostensum. Atque hasce ob causas ipsorum doctrinæ in nostris Ecclesiis nequaquam locum concedere possumus.

Alterum membrum huius regulæ est: *Amen, amen dico vobis si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Hisce verbis suam doctrinam, suumque Euangelium à se prædicatum, non tantum opponit doctrinæ Diaboli, sed etiam eam præfert omnibus doctrinis in toto terrarum orbe. Vult dicere. Vos Iudæi ipsi nouistis, Diaboli doctrinam eiusmodi dogma esse, cuius fructus est animæ mors & æterna damnatio. At mea doctrina talis est, vt si homo illam animo suo concipiat, complectatur, retineat, mortem non videat in æternum. Itaque doctrina mea nequaquam est ex Diabolo. Adhæc, non ignoratis vos Iudæi, per peccatum mortem intrasse in mundum. Iam vero variæ doctrinæ sunt inuentæ, quæ secundum hominum opinionem debebant esse remedium contra mortem. Qualis fuit Philosophia apud gentes: Syncretismus ille & mixtura viarum religionum apud Samaritanos. Vos Pharisæi quoque habetis vestras traditiones: sed quid illæ prosunt aduersus mortem? Imo optima & summa omnium doctrinarum est lex Mosis. Sed & illa est ministerium mortis. 2. Corinth. 3. versic. 7. Proponit illa peccata, sed non tollit: terret morte, sed huic non medetur: intonat maledictionem, sed eam non aufert. Sola mea doctrina, vtcunque vos eam calumniamini, solidum & verum monstrat remedium aduersus peccatum & mortem. Et quia Christus hanc sententiam de sua doctrina proferens, non tantum hostes suos, Pharisæos & Sacerdotes, sed etiam illos, qui paulo ante ipsum credidisse dicti sunt, auditores habebat: ideoque, vt ipsos in fide confirmet, magna asseueratione & duplici iuramento vtitur: *amen, amen dico vobis.* Quis vero est ille, qui hoc dicit? Magnus ille Propheta, de quo Deus per Mosen prædixerat Deut. 18. versic. 18. ponam verba mea in ore ipsius: & qui verba quæ loquitur in nomine meo, audire noluerit, Ego vltor existam. Et de quo nuper Matth. 17. v. 5. dixerat: Hic est filius meus dilectus: ipsum audite. Ergo & nos ipsum audiamus & sermonem ipsius *seruemus*, quod fit, quando non tantum memoria eum retinemus, in corde bono & probato: sed & eidem obsecundamus, afferentes fructum in patientia. Luc. 8. versic. 15. Effectus enim inde sequitur egregius & inexplicabilis, nimirum remedium aduersus æternam mortem. Vulgo alias dicitur: Contra vim mortis, non herbula crescit in hortis. Sed Christianus audiens & seruans verbum Christi, per verbum & baptismum regeneratus, per fidem iustificatus, & per spiritum Dei renouatus, scit se in Christo & per Christum viuere in æternum: & mortem suam non esse mortem, sed corpori somnium, animæ vero transitum ad vitam æternam, Ioh. 5. versiculo 24. Et hoc præstat sermo Christi, non sermo Mosis. Hæc etiam causa est, ob quam fidus Christi seruus & Apostolus Paulus, quasi durior esse videtur in legem Mosis, & passim vrget fidem in Euangelium Christi: quia hæc sola est vera via ad vitam. Lex per Mosen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Iohan. 1. versic. 17. Omnes homines passim magno labore & immensis sumptibus quærunt medicamenta aduersus mortem, quæ tamen vel tandem, quando hora à Deo præstituta aduenerit, deprehenduntur inania. Hanc veram animi & corporis medelam plerique negligunt.

Ad hoc secundum membrum rursus nostram doctrinam & aliorum, ceu ad Lydium lapidem, examinemus, & patebit, cui sit fidendum. Iesuitæ calumniantur Lutheri doctrinam quasi sit ex Diabolo: sed nouimus, multa millia hominum placide & quiete, iam ante plures annos huic doctrinæ indormisse, & plena spe lætissimæ resurrectionis à nobis discessisse. Idem quotidie videmus in iis, qui hodie à nobis transmigrant ad æternam beatitudinem, vt vel sola animorum alacritas, qua ad Christum pergunt, nos in fide nostra confirmare debeat. Iesuitæ & Pontificij ipsi suos obseruent, & qualiter discedant attendant. Certe rerum dubij, modo ad diuos opitulatores, modo ad consecratos suos cereos, mox ad indulgentias, rursus ad obsequia mortuorum, tandem ad purgatorium tremebundi se conuertunt, passim auxilium quæritantes, & nihil solidi, in quo anxia conscientia acquiescat, inuenientes. Sic intueantur etiam Sacramentarij suos progenitos Berengarium, Carolostadium, Stosselium & alios, quos saucia conscientia & non sine signis desperationis hinc emigrasse certum est. Nos læti valedicimus mundo: quia nobiscum habemus Christum, qui pro peccatis satisfecit, ea merito sanguinis sui deleuit, nos contra satanæ insultus tuetur, & per mediam mortem traducit in vitam æternam, ad immortales beatorum sedes.

V. Poterant hæc, quæ Christus pro comprobatione cœlestis & salutificæ suæ doctrinæ adduxit, omnibus, qui non omnem Dei timorē abiecissent, satisfacere. Etenim & diuini iudicij denunciatio, & promissi amplissimi præmij de æterna salute pollicitatio, ipsos permouere debebant, vt quæ à Iesu dicebantur, Iudæi diligentius expenderent. Verum hisce omnibus adeo nihil moti sunt, vt subinde deteriores facti, iam nouum artificium scurriliter Christum exagitandi assumant: scilicet, verborum eius peruersionem & contorsionē. Nam cum Christus seipsum & doctrinam suam defendisset ab effectu eius, qui sit quod mortē pellat, & Christus hoc locutus esset de spirituali morte, quæ est separatio animæ à Deo: ipsi illud malitiose detorquent ad corporalē mortem, quæ est separatio animæ à corpore. Dicunt ergo: *Nunc cognouimus, quod dæmonium habes.* Impudentiam suam & calumniandi libidinem proprio ore produnt. Nā ô boni vos Domini, si *nunc* modo cognoscitis, quod Iesus dæmoniū habet, cur iam ante ipsum eius tā audacter insimulastis? Vnde vero hoc nō cognouistis? Respondent inde, quia tanta tibi ipsi & tuo verbo tribuis. *Abraham mortuus est, & prophetæ mortui sunt*, imo ipse Moses mortuus est, antequā natus esses, & tu iactāter dicis, eos nō gustare mortē, qui sermonē tuum audiunt. *Quem teipsum facis?* Quę est tua insolentia, quod non tantum nos contemnis, sed etiā omnibus

Prophetis te præfers? *Nunquid maior es patre nostro Abraham,* viro sanctissimo & totius nostræ gentis authore primo? Sic ergo ambitionis crimen ipsi impingere conantur, quasi nimirum seipsum exaltaret, & alienam personam quàm sustinere non posset, vsurparet. At eo ipso, dum Dominum Iesum ita scurriliter rident, ipsi suam cœcitatem cum malitia extrema coniunctam produnt. Malitiæ enim est, verba, per se plana, ita malitiose contorquere & peruertere. Summæ autem cœcitatis est, quod de nulla alia morte quicquam sciunt, quam de morte corporali, qua Abrahamus mortuus esset. Cum tamen Abrahamus, licet corporaliter mortuus, coram Deo viuat. Matth. 22. versi. 32. Indiget ergo & ipse viuificatore. Quem autem habiturus est, præterquam Messiam? Vt iam taceam, Pharisæos quotidie quamplurima vidisse, ex quibus colligere poterant Iesum & Abrahamo & prophetis longe esse superiorem.

Hoc Pharisaicum artificium, quo quis antagonistæ verba captiose contorquet & peruertit, in excellenti gradu addicere Iesuitæ, & inter hos infelix apostata Pistorius: qui fere tantum ludunt amphibologiis, æquiuocationibus, elusionibus, lædoriis & scurrilibus sannis. Si quis huius specimẽ vel exemplar habere cupiat, legat Ratisponense colloquium, & in eo obseruet Gretseri, & imprimis furiosi Tanneri velitationes. Eiusmodi Loioliticas futilitates ibi inuenturus est, vt ipse sit affirmaturus, hosce nouitios Pharisæos veteres illos suos præceptores longe superare. Quanquam etiam in eo conueniant, quod quemadmodum hic Iudæi æterno Dei filio Abrahamum & sanctos Prophetas opponunt, & horum honore illius gloriam obscurare nituntur: ita & ipsi hodie sanctis suis cœlitibus & Martyribus diuinos honores, etiam cum ignominia Christi deferre cupiunt. Merito ergo ipsorum nugas fugimus & vitamus.

Quid vero Christus ad scurrilem hanc suorum verborum exagitationem? 1. Ante omnia ambitionis crimen abs se remouet, & causam ostendit, vnde verbum suum sit ministerium vitæ & potentia ad salutem credenti atque seruanti. *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nulla est, &c.* Vult dicere. Si ego excogitassem Euangelium illud, quod prædico, tum non immerito de eius effectu dubitare possetis. *Sed ego noui Deum, & sermonem eius seruo.* Hoc est, Ego doctrinam meam à sinu Patris profero, & noui, quid à sacrosancta Trinitate de hominum salute sit decretum. Ibi conclusum est, quod Deus hac ratione, quam ego in Euangelio meo ostendo & doceo, & non alia, credentes velit saluare. Hoc decretum mihi, tanquã filio (vt nouistis ex Psalm. 2. v. 6.) vt prædicem demandatum est. Erit igitur firmum & ratum, licet vos, & omnes gentes, reges terræ & principes populorum, vna cum vniuerso mundo contra frematis & tumultuemini. Et si ego tacerem, aut *me Deum non nouisse dicerem*, sicque Euangelium salutis vobis etiam inuitis non ingererem, *mendax essem sicut vos*: quia mundum priuarem summo illo thesauro, quo ex Satanæ homicidio & mendacio, ministerio meæ doctrinæ, rursus ad vitam & veritatem æternam eluctari possunt. Itaque meum Euangelium docendum erit, licet vos rumpamini.

2. Postea vero Christus depulso abs se ambitionis crimine, idem in aduersarios suos regerit, & manifeste probat, ipsos ambitiosa insolentia iactare se esse illos, qui tamen minime sint. Vos identidem gloriamini, vos solos præ omnibus gentibus esse populum Dei, quem is sibiipsi elegerit in peculium præ cunctis populis. Exod. 19. versic. 5. At si quis vos penitus inspiciat, vos *ne nouisse* quidem illum verum *Deum* deprehendat. Cæterum hæc Christi insimulatio, qua dicit Iudæos Deum non nouisse, absurda esse videtur. Vtique enim Iudæi, qui sese segregarunt ab omnibus gentibus, quæ pluribus & fictitiis Diis seruiebant, vnum illum Deum colebant, qui in principio cœlum & terram creauit, & postea progressu temporis cum sanctis ipsorum Patribus fœdus iniit. Hic postea per verbum in Mose & Prophetis seipsis manifestauit. Vnde Asaph in Psalm. 76. versic. 1. canit: Notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius. In Salem est tabernaculum eius, & mansio eius in Sione. Dauid quoque in Psalm. 147. versic. 19. Deus nunciat verbum suum Iacobo, & decreta sua Israeli. Non fecit taliter omni nationi. Quomodo ergo Christus dicit Iudæos Deum non nouisse? Resp. Christus ipse dicti sui rationem ponit, qua monstrat quid potissimum ad veram, solidam & saluificam Dei cognitionem pertineat. Nimirum duo hæc. 1. Vt quis Deum cognoscat in filio. Ideo dicit: *est pater meus, quem vos dicitis esse Deum vestrum.* Cum ergo Iudæi non agnouerint Messiam huius Dei filium esse, vere ipse dixit, eos Deum non nouisse. Ignorabant enim eum in quo solo Deus se manifestat, & in quem solum omnes promissiones & Legis & Prophetarum fuerunt directæ. Non ergo satis est legem secundum literam nouisse, nisi quis etiam Christum, qui scopus est totius scripturæ, & finis legis ad iustitiam omni credenti. Rom. 10. v. 4. simul norit. Qui enim filium non habet, is nec patrem habet, nec vitam. 1. Ioh. 5. v. 12. 2. Vt quis etiam sermonem Dei seruet. Ideo dicit: *noui Deum, & sermonem eius seruo.* Impossibile enim est, vt quis summum illud & æternum bonum cognoscat, & nõ idem amet: si amat, certe modis omnibus ipsi se probari, eique placere studet: hoc studium sequitur verbi obseruantia & obedientia, qua se Dei voluntati pro virili accommodat. Hunc respexit Deus, dum dixit Mal. 1. vers. 6. Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si dominus ego sum, vbi est timor meus?

Hæ duæ notæ veræ cognitionis Dei probe sunt obseruandæ. Secundum illas enim examinari debent illi, qui de Dei cognitione gloriantur, vt synceri & veri Dei cultores à vanis discerni possint. Iuxta primam notam, non tantùm Iudæi & Turcæ, qui multum de vero Deo conditore cœli & terræ gloriantur, excluduntur: sed etiam magna ex parte Papistæ. Hi enim etsi Christum nominetenus profitentur: quia tamen eius meritum non agnoscunt, & gloriam ipsius aliò transferunt, quis eos vere Christum nouisse concedet? Per posteriorem notam Pseudochristiani excluduntur, qui fidem quidem profitentur, sed virtutem eius abnegant. His enim semper obiici potest: Si Deum nouistis, cur sermonem eius non seruatis? cur adeo frigidi estis in vera religione defendenda, propaganda? cur sanctissimum eius nomen execrando & deierando polluitis? cur conciones tam raro visitatis? cur helluationibus, scortationibus, vsuris & obtrectationibus ita indulgetis? Discite ergo abiecta omni improbitate Deum recte agnoscere, agnitum amare, amorem vera obedientia testari: sic pro veris Christianis habebimini.

3. Quoad Abrahamum etiam respondet, per inficiationem. Vos dicitis Abrahamum mortuum esse sine mea doctrina, sine meo Euangelio. Hoc falsum est. *Exultauit enim Abraham vt videret diem meum, & vidit eum, & gauisus est.* Nam is propter promissum benedictum semen, quod Ego sum, reliquit patriam, & in hanc terram, quam Pater meus ipsi monstrauit, concessit. Et licet peregrinationes duras ac difficiles per omnem vitam sustinuerit *exultauit* tamen *in iis, & promis*sionem sibi datam omnibus totius mundi gazis antetulit, & hoc vnicum in votis habuit, vt per me æternę salutis particeps fieret. *Vidit* ergo in spiritu *diem* mei aduentus, & ex promissione certo meam incarnationem credidit: vnde etiam Gen. 24 v. 2. iuramentum à seruo suo postulans, manu subter femur suum, ob reuerentiam seminis venturi, ponere iussit. Passionẽ quoque & resurrectionem meam *vidit*, in immolatione & liberatione filij Isaaci. Gen. 22. v. 2. *& gauisus est*, hoc est, pacem & gaudium conscientiæ inde concepit, atq; iustitiam habuit coram Deo, non ex Decalogo vel lege, sed ex *die* benedicti seminis, & ex fide quam in illum concepit. Rom. 4. v. 3. Hæc est simplex & genuina huius loci expositio. Qua animaduersa, sponte sua cõcidunt quæstiones quas aliqui hoc loco mouent, scire volentes: quomodo Abrahamus *diem Christi* viderit? & quomodo hic locus conueniat cum eo, qui mox sequetur, Luc. 10. vers. 24. multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt? Pontificij scriptores vt priori quæstioni satisfaciant, alij quidem distinguunt inter *diem temporalem* aduentus Messiæ in carnem, & inter *diem æternitatis*, qui nesciat ortum, nesciat occasum. Et hunc Abrahamum vidisse statuunt, non minus quam alij sancti in V. T. Alij vero, qui statuunt hunc locum de *die* aduentus Christi in carnem accipiendum esse, dicunt Abrahamum sic vidisse eum diem, quod in limbo Patrum existẽs, intellexerit desideratam Messiæ natiuitatem iam impletam & perfectam esse. Sed hęc sunt fictitia commenta hominum. Si quis sciat, quid sit *dies Christi*, & quid Christus per verbum *videre* intellectum velit, ille ad vtramq; quæstionem respondere potest. *Dies* autem *Christi* hoc loco dicitur, tempus illud, quo æternus Dei filius in mũdum venire, carnem humanam induere, & in ea opus redemptionis humani generis peragere debuit. Hoc tempus omnes sancti patres olim videre desiderarunt, vt cum Messia coram colloqui, eiusq; familiari præsentia frui possent. Sed hoc ipsis non obtigit, iuxta illud Luc. 10. vers. 24. Interim tamen *Abrahamus vidit diem Christi*, per fidem, spiritualibus oculis. Fides enim est *ὑπόστασις οὐ βλεπομένων*, substantia eorum quæ non videntur. Hebr. 11. v. 1. hoc est, fides quę verbo Dei nititur, etiam de absentibus & nondum existentibus tam certa est, ac si hypostasis eorum iam coram adesset. Etenim verbi diuini veritatem certam & infallibilem esse nouerunt. Et in hac certitudine etiam Abrahamus tam certo sciuit ex sua posteritate benedictum semen proditurum, ac si iam filius Dei incarnatus esset.

Hæc de illo textu. Ex quo si quis etiam alias doctrinas eruere

eruere velit, plures inuenire poterit. Quales sunt. 1. Quod ambitiosi frustra propriam gloriam quærant, & fere communiter prius confusionem quam honorem inueniant. Christi enim seu æternæ veritatis hæc vox est: *Si ego* (quicunque sit) *meipsum glorifico, gloria mea nihil est.* Vnde recte veteres dixerunt: Gloriam esse instar vmbræ, quæ persequentem fugiat, & fugientem persequatur. 2. Potest etiam dici de diuinitate Domini nostri Iesu Christi. Dicit enim hic: *est meus Pater quem vos dicitis Deum vestrum esse.* Atqui Iudæi dicebant, æternum illum Deum, qui orbem terrarum in principio creauit, suum Deum esse. Christus ergo æternam suam diuinitatem asserit. 3. Habemus etiam hic quid respondere debeamus Iesuitis, si quando illi contra nos producunt Irenæum, Cyprianum, Tertullianum, & reliquos Patres: & dicunt: Num vos vultis doctiores esse Augustino? Num maior debet esse vestra authoritas quàm Chrysostomi? *Quem facitis vos ipsos*? Hic imitemur Christum, qui Abrahamum suo reliquit loco: tantum dexrre explicauit, quomodo Abrahamus non abiecerit doctrinam sui Euangelij, sed in ea exultarit. Ita nos sanctos Patres suo relinquimus loco, & certi sumus, eos vna nobiscum Euangelium Christi amplexos esse. Tantum, si quæ in ipsorum scriptis occurrunt, quæ sacris literis minus consona esse videntur, tum illa ad normam Scripturæ exigenda esse commonstramus, & bona cum ipsorum pace Spiritus sancti scripta, ipsorum scriptis præferimus. 4. Discimus etiam hinc vnam eandemq; esse fidem, in qua omnes inde ab initio orbis Patriarchæ & Prophetæ mortui & saluati sint. Hinc Apostolus Petrus dixit in concilio Hierosolymitano, Actor. 15. v. 11. Credimus nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluari, quemadmodum & Patres. Et in ædibus Cornelij pronunciauit: Huic Iesu omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Actor. 10. versic. 43. Non igitur tantum Pelagius errauit, qui statuit Patres in duobus primis mūdi Millenariis saluatos esse per legem Naturæ: in secūdis duobus Millenariis Iudæos per legem Mosis: & in reliquis duobus Millenariis Christianos saluari per legem Christi, hoc est, per Euangelium. Cuius opinionis semina iecit Tertullianus. Verum etiam ex hoc fundamento Pontificiorum calumniæ concidunt, quibus nostram doctrinam nouitiæ cuiusdam fidei seu religionis, & noui Euangelij insimulant. Cum parati simus ex Dei verbo demonstrare, nos in eadem fide & in eodem Euangelio acquiescere, quod ab ipso Dei filio protoplastis nostris in paradiso fuit annunciatum. In eadem ergo fide cum Adamo & Eua saluabimur. 5. Denique in exemplo Abrahami nobis ob oculos ponitur, quo ordine Deus electos suos ad salutem adducat. 1. Per verbum promissionis excitat in ipsis *ἀγαλλίασιν, exultationem*, seu ardens aliquod desiderium salutis. Natura enim omnibus inhæret *ἀκηδία* quædam & torpor, vt securi æternam tam salutem quàm interitum negligamus. At quando per verbum nos Deus adducit ad diligentiorem considerationem tum corruptionis nostræ naturalis, tum gratuitæ promissionis in Christo, ibi tum sua dulcedine attendentium animos allicit, vt terrena hæc ipsis sordere incipiant, & animus ipsorum gestiat abiectis terrenis omnibus, scopum versus ferri, ad destinatum *βραβεῖον* supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Philipp. 3. versic. 14. Hinc Dauid non tantum Regibus, sed etiam omnibus hominibus dicit, Psalm. 2. versic. 11. Seruite Domino in timore, & *ἀγαλλιᾶσθε*, exultate ei cum tremore. 2. Desiderium hoc sequitur *εἶδεν, vidit*, seu interna illuminatio, qua per fidem Christum sic amplexantur, ac si Saluatorem suum cum omnibus suis beneficiis & thesauris partis coram oculis suis intuerentur. Sciunt enim cui crediderint, & certi sunt, quod potens sit depositum ipsorum seruare in illum diem. 2. Tim. 1. versic. 12. 3. Hinc tandem oritur *χαρά, gaudium*, & conscientiæ tranquillitas, qua in tribulationibus gloriantur, Rom. 5. vers. 3. & in media morte lætantur: quia in solo Christo acquiescunt, nec quicquam esse nouerunt, quod ipsos separare possit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Roman. 8. vers. 39. & cum Asapho dicunt ex Psalmo septuagesimotertio, vers. 25. Quid est in cœlo, aut quid est in terra, quod præ te desiderem? Deficiat sane caro mea & cor meum. Petra cordis mei, & pars mea Deus est in æternum.

VI. Ad finem properat Christi concertatio cum Iudæis. Sed qualiter? Num ita, vt Apologia Christi graui & modesta Iudæi moti, errores suos agnoscant, & de emendatione cogitent? Nihil minus. Quin potius proteruia & malicia in ipsis crescunt. Nam omissis omnibus, quæ ad institutionem ipsorum facere poterant, illud vnicum arripiunt, quod de Abrahamo dixerat, illud irrident, exibilant & explodunt. Vtque id tanto commodius facere possint, verba ipsius inuertunt. Nam quod Christus dixerat, Abrahamum diem suum vidisse, nimirum in Spiritu, per fidem, illud ipsi inuertunt, & quasi dixisset se Abrahamum vidisse, oggranniunt: *tu nondum habes quinquaginta annos, & Abraham vidisti*? qui ante annos 2000. mortuus est. Hoc nimis absurdum est. Sic nimirum ipsum fontem veritatis mendacij & vanitatis insimulant. Hoc enim est quasi postremum refugium hostium veritatis, antequam ad apertam vim accedant, vt quos rationibus conuincere nequeunt, eos conuitiis, calumniis & falsis criminibus obruant, sicque à vero disputationis scopo abducant. Exempla huius plura vidit ætas nostra, quam ad posteritatem, si ea imitari velit, profit. Hic vero notandum: quod Irenæus, vetustissimus scriptor, lib. 2. c. 40. ex his verbis Iudæorum colligat, Dominum maiorem annis quadraginta Euangelium prædicasse, & ad ætatem quinquagenariam propè accessisse, cum Iudæi tot annos ipsi obiecerint: & confirmat hanc suam sententiam authoritate eorum, qui hoc se ex Iohanne Apostolo audiuisse affirmabant. Verum hæc Irenæi sententia, tanquam Euangelistis contraria, ab omnibus reiicitur. Et testatur Eusebius lib. 3. cap. 36. Papiam, qui plus attendit traditionibus Seniorum, quam lectioni sacrarum literarum, Irenæo erroris causam præbuisse. Quod vel vnicum nobis traditiones suspectas reddere debebat: cum iam olim antiquis illis temporibus summi Ecclesiæ Patres traditionibus fuerint decepti. Iccirco Deus nos non remittit ad traditiones, sed ad legem & ad testimonium, Ies. 8. vers. 20. Quidam putant, Iudæos omnino existimasse Dominum plures annos habere, ob grauitatem & maturitatem vultus, & quod ob multum laborem in prædicationibus, vigiliis & orationibus quasi ante tempus senuerit. Sicuti Dauid dicit, Psal. 6. vers. 8. se inueterasse & senuisse propter inimicos suos. Et sane curæ atque labores faciunt, vt quis ante tempus senescat. Sed hic tanta *ἀκρίβεια* in ista inquirendi opus non est. Iudæi *ἐν πλάτει* de Christi ætate loquuntur, & vltro aliquot annos addunt, vt sic tanto plus absurditatem dicti ipsius euincant.

Cæterum licet Iudæi seipsos omni vlteriore institutione indignos redderent, nondum tamen Christus eos deseruit: sed dissimulata calumnia vlterius ipsos de sua persona & dicti sui veritate blande instituere nititur. Dicit ergo: Vester error inde prouenit, quod ignoratis meam personam. Vos putatis me esse *ψιλὸν ἄνθρωπον*, nudum hominem. Et hoc si ita esset, vtique Abrahamum non vidissem. Sed scire debebatis, me esse verum Dei filium. Sum enim *τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν*. Itaque *antequam Abraham nasceretur, Ego sum*. Meministis ne illud Exod. 3. versic. 14. cum Moses inquireret in nomen Messiæ, qui ipsum ablegabat in Ægyptum ad educendos vestros patres. Ibi nominauit seipsum אהיה *Eheich. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν* Dic, inquit, filiis Israel, quod *Eheich*, id est, *qui sum*, te miserit. Ille *Eheich Ego sum*. In filio Dei vita erat ab æterno: & huius vitæ plenitudo corporaliter habitauit in Christo Iesu. Coloss. 2. vers. 9. Et licet Dominus non ignoraret Iudæos hanc informationem non admissuros: tamen ob credentes, qui nunquam Christo sunt defuturi, grauem asseuerationem, duplici iuramento confirmatam, addit: *amen, amen dico vobis*. Quapropter nos, vtcunque Iudæi tumultuentur, hoc Christi renunciatum firmiter credimus. Quod nimirum Iesus, non tantum sit Mariæ, sed etiam æterni Dei filius, qui sit noster Redemtor & Mediator. Æternam & essentialem suam diuinitatem satis diserte asserit, dum ita distincte de se & Abrahamo loquitur. De Abrahamo non dicit, antequam esset, sed *γενέσθαι, fieret* seu *nasceretur*. Tale esse ipsi attribuens, quod non ex se, vel per se suum initium habet: (Hoc enim solius Dei proprium est.) sed quod aliunde illud accipit. De se autem dicit, *ἐγώ εἰμι, Ego sum*. Tale verbum ipse sibi attribuens, quod significat ipsum essentiam suam habere ex se & per se, non per alium, vt qui sit vere & essentialiter Deus. Nam deriuatur ex verbo היה fuit, ex quo etiam essentiale Dei nomen יהוה *Iehoua* descendit. Huc etiam respexit Apoc. 1. vers. 8. dicens: Ego sum *α*, & *ω*, principium & finis. *ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος*. qui est, qui erat, & qui venturus est, omnipotens. Sic ergo immensum discrimen introducit inter se & Abrahamum, vtcunque Iudæi prius dixerint: *Nunquid tu maior es patre nostro Abraham?* Quantum enim discrimen est inter Creatorem & Creaturam, tantum inter Christum & Abrahamum. Quod & Abrahamus ipse videns *diem Christi* humiliter agnouit. Nam Gen. 18. v. 27. coram ipso prostratus dixit: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis. Significans, se indignum esse, qui consistat in conspectu eius, & qui ipsum coram alloquatur. Sic ergo illud *Ego sum*, proprie ad æternam filij diuinitatem respicit. Quia vero filius personam Mediatoris apud Patrem sustinuit, etiam antequam incarnaretur: ideo officium Mediationis hic non est excludendum. Ipse enim est agnus, qui occisus est ab origine mundi. Apoc. 13. versic. 8. Et Christus Iesus heri & hodie: idem & in secula. Hebræor. 13 versic. 8. Ideo Iob, qui paulo post Abrahamum vixit, eius diem vidit, eumque suum Goela seu vindicem

esse testatus est, qui ipsum à peccatis liberaturus, & in nouissimo die resuscitaturus sit. Et hunc redemtorem suum iam tum viuere, aperte testatus est. Iob. 19. v. 25.

VII. Paulatim hactenus Iudæi, durante hac dissertatione cum Christo, obstinatiores facti sunt, nunc tandem in apertam rabiem erumpunt. Nam *tollebant lapides, vt iacerent in eum,* vt ita pœna legis, quæ Leu. 24. v. 16. contra blasphemos lata est, ipsum occiderent. Fuit autem indicium impotentis iræ, & manifesti furoris, quod sine sententia iudicis sese ad lapidationem parant, non habita ratione sanctitatis templi, in quo versabantur. Tales tragicos exitus fere etiam habere solent actiones, quas iurati hostes veritatis inter Pontificios cum Euangelicis instituere solent. Experti hoc sunt Hussus, Sauonarola, Hieronymus Pragensis, & infiniti alij Christi Hieromartyres. Nam potissimi Iesuitarum Diui sunt, Vulcanus & Vesta: & firmissima ipsorum refutandi argumenta, gladius atque funis. Quia maiorem spem victoriæ ponunt in ore gladij, quam in gladio oris. Papistæ quidem interpretantur zelum. Sed reuera zelus iste est canina rabies. Certe Pharisæi hi quoque prætenderunt zelum Abrahami, zelum Dei, zelum legis quæ blasphemos iubeat lapidare. Sed Apostolus dicit esse ζῆλον ἄζηλον, zelum sine scientia, Rom. 10. versic. 2. Qualis fuit zelus Synedrij Hierosolymitani aduersus Stephanum, Act. 7. v. 54. vbi frendebant cordibus & stridebant dentibus in eum, & postea irruentes in ipsum, eum extra vrbem eiecerunt & lapidarunt.

Quomodo vero Christus hic euasit? De eo Euangelista hoc annotat. Iesus *abscondit se & exiuit è templo pertransiens per medium illorum, & ita præteriit.* Duo de ipso dicuntur, quorum vnum est infirmitatis humanæ, quod *se abscondit*: alterum diuinæ virtutis & potentiæ, quod *transiens per medium illorum præteriit*. Quod eodem modo factum esse intelligo, quo illud, quod Nazarethi Luc. 4. vers. 30. accidit, & in cap. 34. Harmoniæ huius expositum est. Quod nimirum ad primum lapidationis impetum Christus quidem se modicum absconderit: mox tamen se verterit, & non per alium locum ex templo exierit atque euaserit, sed per medios Pharisæos & Sacerdotes, qui ἐκύκλωσαν αὐτὸν & circumcirca cinxerant, abierit, & quidem ita, vt à nemine nec prohiberetur, nec comprehenderetur, nec læderetur. Viderunt ergo non tantum ipsum abeuntem, sed etiam diuinam eius potentiam senserunt, si forte adhuc aliqui ipsorum flecti possent. Neque enim Christus vel minimam occasionem intermisit, etiam acerrimos suos hostes conuertendi. Vsque adeo sitit salutem humani generis. *Exiuit* ergo *è templo*, atque sic Iudæis suum templum, Pharisaicis nugis repletum, vero autem Messia vacuum reliquit. Idem hodie fit apud omnes, qui verbi diuini & sacræ scripturæ hostes deprehenduntur. Habent illi quidem templa sua, eaque interdum satis nitida, ampla & spaciosa: sed si Christo destituantur, nihil aliud sunt, quam delubra Antichristi. Talia sunt templa Papistarum in quibus Canonici boant, Presbyteri sacrificant, æditui thura adolent, pueri cereos accendunt, interim de Christo & sancto ipsius Euangelio (quod non solum est illa sanctitudo, quæ domum Domini decet *in longitudinem dierum*. Psalm. 93. versiculo 5.) altum est silentium. Sunt ergo illorum templa proprie sepulchra, in quibus mortui mortuos sepeliunt. Retineamus nos in nostris templis Christum cum suo verbo, vt per illud viuificati viuum Deum laudemus per Christum in secula. Amen.

CAPVT CIV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, DESCRIBENS REDITVM SEPTVAGINTA DISCIPVLORVM emissorum, gaudium Christi spirituale, & beatitudinem discipulorum. Luc. 10. v. 17.

RATIO ORDINIS.

QVotquot ex omnibus Ecclesiasticis Doctoribus, tam veteribus quam neotericis, Harmoniam Euangelicam scripserunt, illi mox octauo Iohannis capiti nonum, vna cum magna parte decimi subiungunt: ac si Ioannes totius trimestris historiam, ab initio Scenopegias ad festum Encœniorũ vsque continue descripsisset. In eo tantum differunt, quod alij quidem hasce historias emissioni & reditui septuaginta discipulorum præponunt, alij vero easdem postponunt. Etsi vero graue est à vulgari hac, & quidem tot clarissimorum virorum authoritate communita sententia recedere: hic tamen rationes non contemnendæ subesse videntur, ob quas bona cum ipsorum pace ab ipsis dissentire liceat. Neque enim verosimile est, Christum, qui antè Hierosolymam sequiannum integrum vitarat, eo quod ipsius incolas necem suam meditari nouisset, iam post sublatos lapides tres fere menses continue ibi hæsisse, nec quicquam memorabile egisse, excepto vnico miraculo de sanato cœco nato, & vna concione de bono pastore. Et si maxime quis dicere vellet, Christum Hierosolymis tantisper delituisse, ob furorem quem præcedenti capite reipsa Iudæi commonstrarint: non tamen hoc conuenit cum officio Christi, qui fuit lux mundi, & quem oportuit non latitare, sed hodie, cras, & sequenti die ambulare, Luc. 13. v. 33. sicque indesinenter officio suo fungi, in salutem hominum. Vnde etiam ipse dicit Iohan. cap. 9. versic. 4. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. 2. Si Iesus ad festum Encœniorum vsque Hierosolymis mansisse statuatur, supersunt in reliquis Euangelistis, & potissimum in Luca tot historiæ, quæ in residuo trimestri vel quadrimestri, ad passionem vsque, non commodo ordine collocari possunt, nisi quis nimis anguste eas omnes coarctare velit. Sic igitur sunt ordinandæ, vt & ante Encœniorum festum & post illud Christũ nunquam ociosum fuisse pateat. 3. In Luca adhuc bis ante passionem mentio fit Christi iter facientis in Hierusalem, semel Luc. 13. versiculo 22. altera vice Luc. 17. versiculo 11. & quidem hoc postremo loco iter suum ita instituisse dicitur, vt quasi Hierosolymis veniens, prius Samariam, & post hanc Galilæam peragrarit. Vnde necesse est distributionem historiarum ita instituere, vt post festum Tabernaculorum Hierosolyma discessisse, & ad minimum semel ante festum Encœniorum eodem rediisse intelligatur. 4. In historia sanati cœci nati dicitur Ioh. 9. versic. 22. Iudæos conspirasse, vt si quis confiteretur Iesum esse Christum, ex Synagoga eiiceretur. Hoc autem decretum absque dubio fecere, post superiorem illam acerbam ψῆφον. Ad ipsius vero publicationem Christus ipsis locum concessit, ad tempus aliquod Hierosolymis discedendo. 5. Necesse quoque est, vt ne obliuiscamur eius, quod in emissione septuaginta discipulorum dictum est, quod eos miserit *ante faciem suam in omnem locum quo ipse venturus erat.* Miserat autem eos in Iudæam, Samariam, Galilæam, Peræam: quæ loca omnia Christus adhuc semel ante passionem perlustrare volebat, satis multum temporis ad illud perficiendum requirebatur. Quod ipsum tamen commode fieri potuit, si vnam partem ante festum Encœniorum, reliquas vero post illud festum visitauit. Sic ergo, saluo tamen iudicio eorum qui acutius cernunt, historiam vitæ Christi in posterum ordinandam esse iudico, vt superæ concertationi subiiciendum censeam, non miraculum sanati cœci nati, sed reditum septuaginta discipulorum. Neque enim existimandum est, quia Iohannes priorem disputationem hisce verbis conclusit, *& ita præteriit*: historiam autem sanati nati cœci hoc modo orditur, *& præteriens Iesus vidit hominem*, quod propterea hoc miraculum statim contigerit, postquam Dominus exiret è templo. Sicuti in hac sententia fuit D. Chrysostomus. Dubitare enim quis potest an Iesu exeunti discipuli (exceptis Apostolis) affuerint. Sanato autem cœco omnino affuere. Sed hoc saltem voluit Iohannes, Iesum aliquando, *cum præteriret* Ierusalem, vidisse illum natum cœcum, eum sanasse, & Pharisæos nouam occasionem persequendi Iesum inde arripuisse. Reditum autem septuaginta discipulorum huc collocandum propterea arbitror: quia & tempus & locus conueniunt. Tempus: quia legationem à Christo iniunctam intra mensis spacium facile expedire potuerunt. Triginta enim quinque illa paria, in quæ L X X. discipuli distributi fuerunt, intra mensem & citius illam terram vniuersam peragrare potuerunt. Maxime quia nullibi diu subsistendum, sed tantum regnum Dei appropinquasse annunciandum fuit. Cumque octiduum ferme ante festum tabernaculorum à Christo discesserint: festo autem septimana integra tribuenda sit: cui addi potest tertia hebdomadas, qua Christus diuersas illas conciones, Ioh. 8. descriptas habuit: ideoque in quarta

in quarta septimana, quæ coincidit cum eo tempore, quo Christus egressus ex templo aliquantisper quasi delituit, triginta quinque illa paria sensim ad Christum sunt collecta, quo facto ipse cum illis rursus in publicum prodiit. Locus conuenientior nullus esse potest quam Hierosolyma, quo Magistrum suum præiuisse omnes nouerant. Ergo eodem ad ipsum rursus colligendi erant. Et quia Iohannes in historia passionis cap.18.vers.2. testatur, fuisse Hierosolymis ortum ad montem oliuarum, in quo Iesus frequenter conuenerit cum discipulis suis, nequaquam dubito etiam hanc congregationem discipulorum ad suum Magistrum in eodem loco factam esse.

Historia reditus septuaginta discipulorum, quando Christus exultauit spiritu.

L V C. 10.

17. Ὑπέστρεψαν δὲ οἱ ἑβδομήκοντα μετὰ χαρᾶς, λέγοντες, Κύριε, καὶ τὰ δαιμόνια ὑποτάσσεται ἡμῖν ἐν τῷ ὀνόματί σου.

18. Εἶπε δὲ αὐτοῖς, Ἐθεώρουν τὸν σατανᾶν ὡς ἀστραπὴν, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα.

19. Ἰδοὺ, δίδωμι ὑμῖν τὴν ἐξουσίαν τοῦ πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ· καὶ οὐδὲν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσει.

20. Πλὴν ἐν τούτῳ μὴ χαίρετε, ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῖν ὑποτάσσεται· χαίρετε δὲ μᾶλλον, ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγράφη ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

21. Ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν, Ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ, Κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις. ναὶ ὁ πατὴρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου.

22. Πάντα παρεδόθη μοι ὑπὸ τοῦ πατρός μου, καὶ οὐδεὶς γινώσκει τίς ἐστιν ὁ υἱὸς, εἰ μὴ ὁ πατὴρ· καὶ τίς ἐστι ὁ πατὴρ, εἰ μὴ ὁ υἱὸς, καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι.

23. Καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς, κατ' ἰδίαν εἶπε, Μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ οἱ βλέποντες ἃ ὑμεῖς βλέπετε.

24. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ βασιλεῖς ἠθέλησαν ἰδεῖν ἃ ὑμεῖς βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδον· καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν.

17. *Reuersi sunt autem septuaginta cum gaudio, dicentes, Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis per nomen tuum.*

18. *Ait autem illis, Videbam satanam sicut fulgur è cœlo cadentem.*

19. *Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.*

20. *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quod spiritus vobis subiiciuntur: sed gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

21. *In eadem hora exultauit spiritu Iesus, & dixit, Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater, quoniam sic complacitum est coram te.*

22. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo, & nemo scit quis sit filius, nisi pater: & quis sit pater, nisi filius, & cui voluerit filius aperire.*

23. *Et conuersus ad discipulos seorsim dixit, Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*

24. *Dico enim vobis, quod multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.*

Periocha huius historiæ.

DOminum Iesum septuaginta suos discipulos ad prædicandum emisisse, cum ad festum Scenopegias abiret supra Cap. Harmoniæ X C V I I. indicatum est. Quinam autem 70. illi discipuli fuerint, in sacris nuspiam annotatum reperitur. Circumferunt quidam apud Volateranum & alios ipsorum nomina: & quiuis posset partim ex Actis Apostolorum, partim ex Epistolis Pauli totidem nomina colligere. sed vnde nobis probabit certo illos ipsos hosce discipulos fuisse? Maxime cum Eusebius lib. 1. cap. 12. Ecclesiasticæ suæ historiæ diserte hæc verba scribat: Apostolorum quidem nomina cuiuis sunt ex Euangelio manifesta: Septuaginta vero discipulorum Catalogus nullus vspiam fertur. Vanæ itaque iactantiæ esse videtur, horum nomina nūc demum proferre velle. Cleopham autem, Lucam, Matthiam, Barnabam, Barsabam Iustam & septem Diaconos Act. 6. v. 5. ex horum numero fuisse, vero non est absimile. Nihil vero propterea decedit illorum saluti, licet ipsorum nomina in terris sint ignota, si modo ad mortē vsque fideles manserunt. Apoc. 2. v. 10. bonam militiam militarunt, retinētes fidem & bonam conscientiam. 1. Tim. 1. v. 19. tum sufficere ipsis potuit, quod Christus postea ipsis docet, *quod nomina ipsorum scripta sint in cœlis*. Hoc etiam solatio esse potest illis verbi præconibus & Ecclesiarum pastoribus, qui satis quidem sunt Christo Domino suo fideles, sed nomina ipsorum vix extra *διοίκησιν* ordinariā sunt nota. Omnes enim fere solicite laborant, vt nomina sua passim in orbe volitent per ora virorum, & in omnibus tabernis librariis appensa sint prætereuntibus. Sed multorum ruditas & vita hac ratione palam aliis innotescunt, quibus satius foret in eo laborasse, vt *in cœlis* nomina adscripta, in terris autem alta obliuione sepulta essent.

Hi septuaginta emissi *reuertuntur ad Dominum*, vt nimirum referrent, quis successus fuerit huius legationis. Ita in omnib. nostris operibus & laboribus, quando iussa Dei nostri adimplenimus, cum discipulis reuertamur ad ipsum, agentes ei gratias pro beneficiis, quæ per nos operari dignatus est. Omnia flumina reuertuntur ad mare, vnde exiuerunt, dicit Salomon Eccles. 1. v. 7. Fons, mare & origo omnium bonorum est Deus, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. Iacob. 1. v. 17. Ad hunc ergo reuertamur. Reuersi autem sunt *cum gaudio*, referentes legationis huius successum adeo fuisse prosperum, vt non tantum reliqua omnia feliciter perfecerint, sed etiam quod maius est, *dæmonia* ipsis *subiecta fuerint per nomen*, seu *in nomine eius*. Quod & ipsum laude dignū est, quod miraculorum virtutem & efficaciam ipsi Christo tribuunt. In quo omnes Euangelici Doctores eos imitari debēt, vt omnem Euangelicæ suæ prædicationis fructum & gloriam ad Christum, quem vnum habent sui muneris authorem & promotorem, referant. Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus. 1. Corinth. 3. versic. 7. Atque hic discamus iis, qui in ordinaria ac legitima Dei vocatione ambulant, nihil posse obstare. Perrumpunt enim per omnia obstacula: si maxime etiam *dæmonia* essent, subiecta tamen eis forent. Expertus hoc est Moses in sua vocatione, qua ipsi iniunctum fuit, Israelitas ex durissima seruitute Ægyptiaca educere, non potuere hoc impedire, nec rex Pharao, nec regij eius præfecti, non Magi, nec mare, non desertum, non penuria panis aquæ, non denique populus ipse contumax & plus quam decies rebellis. Ita Dauid à Deo vocatus & à Samuele vnctus est, vt esset rex Israelis: opposuit se ei Saul toto conatu & omnib. suis viribus, filius quoque Absalon deturbauit eum de regio solio, & Seba rebellauit; verum frustranea fuerūt omnia, Dauid hostes suos omnes gloriose deuicit. Singuli igitur sibi in sua vocatione, siue ea Ecclesiastica, siue politica, siue œconomica sit, hoc accōmodent, & in summis angustiis, quando ignorant quid agere debeant, cum pio Iosaphato oculos dirigant ad eum, à quo vocationem suam acceperunt: nec dubitent ipsum mille nouisse vias suas eripiendi, vbi ipsi ne vnam quidem vident.

II. Christus hanc relationem à discipulis factam benigne suscipit. Quia tamen simul animaduertit aliquid carnalis iactantiæ cum hoc ipsorum gaudio concurrere: ideo illud blāde corrigit, & maius gaudium de gratia Dei præsente & de spe venturæ salutis concipi debere docet, quam de potentia pellendi Satanam. Per gradus autem progreditur. 1. Primo

dicit: *Videbam Satanam sicut fulgur è cœlo cadentem.* Hæc verba non eodem modo ab interpretibus accipiuntur. Alij putant Christum hic loqui de eo casu, quo Satanas in principio statim in superbiam prolapsus,proiectus est è cœlo, vna cum omnibus angelis ipsi adhærentibus. Apoc.12.versic.7.Hunc lapsum nemo hominum vidit. Christus autem vidit,tanquam æternus Deus & verus ille Michael, qui præliatus est contra magnum Draconem. Hic sensus est Theophylacti, Gregorij & aliorum. Neque ille impius vel falsus est:cum nullus verus Christianus æternam Christi diuinitatem, & quod lapsum Satanæ viderit,negare possit. Videtur tamen ab hoc loco esse remotior.

Alij ergo hunc locum ita interpretantur, quod Satanas, postquam ex cœlo ob superbiam eiectus, & in caliginosum hunc mundum,donec plane in abyssum tartari relegatur, detrusus est, in hoc mundo sibi sua tyrannide & potentia regnum pararit, & quasi nouum cœlum construxerit. Vnde etiam κοσμοκράτωρ τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου mundi Dominus & recte tenebrarum seculi huius, Eph.6.versic.12. Item θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, Deus huius seculi 2.Corinth.4.versic.4.dicitur. In hoc mundo ergo sibiipsi apud omnes gentes sedem parauit, quas multiplici Idolomania,superstitionibus, & effreni quadam peccandi licentia ita fascinauit, vt totum mundum occupasse visus fuerit.Hanc ergo potentiam,gloriam & celsitudinem, quam Satanas ante aduentum filij Dei in mundo inter gentes habuit,*cœli* nomine Christus hic insigniisse videtur. Quasi diceret:Omnino ante hæc tempora Satanas passim in idolis cultus est,passim per immania vitia & nefanda scelera dominium habuit in omnibus hominibus, passim quoque omnia loca dæmoniis fuere obsessa. Sed postquam ego humanam carnem indui , atque Euangelium verbi prædicare cœpi,protinus Satanas ex suo regno & nido, in quo tanquam in cœlo quopiam dominatus est,exturbari cœpit,& Ego *videbam ipsum sicut fulgur è cœlo cadentem.* Hic sensus quoque pius est,& nobis considerandum proponit, quanta mutatio & innouatio totius mundi facta sit per aduentum filij Dei. In veteri Testamento tenebræ operuerunt omnem terram, & caligo populos, Ies.60.versic.2. & ibi dimisit Deus omnes gentes ingredi vias suas, Act.14.v.16. & dissimulauit quasi tempus illud ignorantiæ. Act.17.v.30. quia Diabolus in mundo,ceu in cœlo suo regnabat. Sed per aduentum filij Dei noua lux orta est mundo,verbum salutis etiam annunciatum gentibus in mundo , concidere idola, conticuere omnia oracula,euanuit ethnicorum Deorum cultus,expirauere superstitiones,& sublata est effrenis illa peccandi libido , qualis inter gentes vigebat. Hoc beneficium filij Dei grata mente agnoscamus.

Sunt denique qui hæc verba ita interpretantur, vt ad præsentem legationem Christum ea accommodasse ipsis videatur.Quasi in hunc modum responderet Apostolis. Vos lætabundi mihi refertis, quomodo *etiam dæmonia vobis subijciantur.* Verum vos nihil noui aut incogniti mihi indicatis.Nam cum initio vos ad prædicandum emittebam, noueram Satanæ vires ad Euangelij mei præconium ruituras: & quando vos Euangelium in meo nomine prædicabatis, ego tum præsens *videbam*, (quod nos videre non poteratis) *Satanam* nimirum *instar fulguris* cadere,& omnes eius vires euanescere. Et hic sensus huic loco maxime conuenire videtur:cui etiam inseruit id,quod Dominus dixit *videbam*,non autem *vidi*. Nimirum Dominus suos discipulos in admirationem illius miraculi, quod dæmonia ipsis subiecta essent in nomine Iesu hærentes,voluit deducere ad considerationem eius, quod miraculum illud portendebat: scilicet effectum ministerij Euangelici, qui hic est, vt Diabolus instar fulguris ex toto suo regno ministerio verbi eiiciatur. Aptissime autem confert ruinam Satanæ *fulguri* propterea: 1. Quia sicut fulgur in origine habet magnam lucem, quæ tamen modicum durat, cito rursus extinguitur, & simul cum suo casu in tenebras conuertitur: ita etiam Diabolus cum in luce gratiæ & claræ cognitionis à Deo creatus fuisset, modicum temporis in ea consistens è cœlo cecidit & in tenebras exteriores detrusus est. 2. Quia sicut fulguris emicatio primo quidem terribilis est, & in omnia loca penetrat,quasi omnia accensura: sed, nisi fulmen subsequatur,sine omni damno abiit:ita Satanas,quando ex regno suo deiicitur,horribiliter furit, omnes suas vires exerit,summa imis miscet,& tantum non totum terrarum orbem euertere velle videtur,sed est fulgur ex pelui,vana est,sine viribus eius ira. Fortior enim est,qui nobiscum est,quam qui in mundo tumultuantur,1.Ioh.4.v.4. 3. Denique,vt fulgur ex improuiso emicat, subito autem & vno momento euanescit: ita Satanæ quoq; impetus est improuisus,vt summa celeritate fere citius euanescat,quam quis eius impetum sentiat. Hanc itaque fulguris & Diaboli comparitionem probe notemus. Facit enim ad consolationem,quando Satanas per sua organa, Iesuitas, omnia in orbe turbare,cœlum terræ miscere,omnia templa de nouo occupare , & Euangelij cursum magna vi impedire velle videtur. Faciant modo suum officium diligenter fideles Euangelij præcones, experientur tales conatus esse nubeculam cito transeuntem , vt B.Athanasius de Iuliano Apostata dixit , & ad ipsorum prædicationem Satanam instar fulguris de cœlo decisurum , & omnem eius conatum momentaneum & euanidum futurum.

2. Huic sensui etiam inseruit altera orationis Christi pars, qua hosce suos discipulos, & vna cum ipsis omnes Euangelij sui præcones noua promissione instruit, & ad futura certamina armat. Dicit enim: *Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones , & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Alludit ad 13.v. Psalmi 91.vbi Dauid dicit,Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Et hoc intelligi potest primum secundum literam. Sed non eo modo, quo impiissimus Papa Alexander III. optimi Imperatoris Friderichi Barbarossæ ceruicem impuro suo pede Venetiis ad D. Marcum calcauit. Sicque reipsa commonstrauit Romanos Pontifices ex eorum pseudoprophetarum esse numero,quos Petrus 2.Epist.2.vers. 10. describit, quod audaces & sibi placentes dominationes sint contempturi. Sed illo modo,quo in historiis Ecclesiasticis sæpe legimus, quod nec venena nec venenata fidelibus Christi seruis quicquam nocuerint.Act.28.versic.5. Vipera inuasit manum Pauli, sed nihil mali ab ea passus est. Vnde barbari putarunt ipsum esse Deum. De Iohanne Euangelista & Apostolo historiæ referunt, ipsum venenum ex calice sine omni nocumento bibisse. Ah quoties idem adhuc hodie fidelibus Christi ministris euenit, quod mirabiliter Deo protegente liberantur à venenatis, & ab omni virtute inimici? Deinde hæc verba etiam mystice intelligi possunt, de Satanæ & organorum ipsius virulentia, qua piis, imprimis autem fidelibus verbi ministris,insidiantur & nocere cupiunt, sed à Deo impediuntur. Vere diabolus confertur *serpenti* : quia sub hac specie primos parentes decepit, & adhuc hodie serpentina astutia toti ipsorum posteritati nocere cupit. Idem etiam cum omnibus prauis hominibus vere confertur *scorpionibus*: quia venenato aculeo armatam caudam gestat,quam indesinenter in occulto mouet,vt pios noxio aliquo ictu ferire queat. Denique nominat Christus *virtutem inimici*, omnes artes & vires comprehendens, quibus electis nocere eorumque salutem euertere Satanas cupit: sicque indicat,Diabolo nec voluntatem nec astutias, nec vires nocendi & cursum Euangelij impediendi deesse. Quod non raro pios solicitos & pusillanimes reddit, metuentes,ne Ecclesia Diaboli malitia ex fundamentis euertatur. Verum Christus hic suos solatur, & docet per suam gratiam Diabolum nihil effecturum. Se enim iam omnem diabolicam potestatem deuicisse, Satanam ex cœlo exturbasse, regnum ipsius vastasse, & iam *dare ipsis potestatem calcandi* omnes ipsius laruas. *Calcandi* ergo verbo Christus suos ministros non tantum solatur, sed etiam animos ipsis addit & monet, ne cum Satana & ipsius squamis transigant, ne ipsis cedant, vel minimam timoris speciem de se præbeant. Huius enim animi diabolus est, quod cedentes persequitur, à resistentibus autem fugit. Ideo Iacobus dicit c.4.versic.7. Resistite Diabolo, & fugiet à vobis. Et Petrus 1.cap.5. versic.9. Diabolus aduersarius vester circuit vt leo:sed resistite ei fortes in fide. Putant quidam se in negotio religionis Diabolum ipsiusque organa placare posse, si parumper vel in hoc vel in altero articulo cedant: tum enim aduersarios pacifice nobiscum victuros. Sed turpiter errant. Diabolus non cedendo placatur, sed resistendo fugatur. Si vero animaduertat se timeri, mox cristas erigit, & maiori cum conatu contra pios Christicolas exurgit, sibi plenam de ipsis victoriam promittens. Resistatur itaque ipsi, & *calcetur* omnis aduersaria ipsius vis, & Deus pacis conteret Satanam sub pedibus suorum velociter. Roman.16. versiculo 20. Hæc est consolatio pro Christi discipulis, quoad effectum ministerij sui. Quam consolationem etiam olim Deus addidit Ezechieli cap.2.versic.6. Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum, & *cum scorpionibus* habitas, sed verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides.

3. Tandem ergo Christus in discipulis id quod carnale erat in hoc gaudio corrigit. Etenim de donis Dei & felici eorum successu gaudere per se non est peccatum. Atqui Diabolus facilime tali gaudio carnalem aliquam iactantiam & animi elationem affricare potest: quæ spiritualis superbia omnia dona, & quæcunque per illa efficimus coram Deo deperdit & ingrata reddit. Et tale quid animis discipulorum LXX. adhæsisse,ex ipsorum relatione colligere licet. Dicunt enim cum gaudio , *nobis dæmonia subijciuntur.* Est humanus hic quidam affectus, per quem habent aliquam complacentiam in seipsis,

seipsis, quod sibi dæmonia subiicerentur: & lætarentur magis de eiectis dæmoniis, quã de fide & profectu suorum auditorum, de quo potius gaudendum erat. Ideo Christus dicit: *in hoc nolite gaudere, quod spiritus vobis subiiciuntur.* Etenim hoc hypocritis & impiis commune esse potest, cum piis: Sicuti hoc vobis dixi Matth. 7. v.22. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem. Itaque Christus hic innuit hoc gaudium, de subiectione dæmonum, non esse verum & solidum: se vero ipsis maius, iustius & perfectius gaudium monstrare velle. *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* De eo vult ipsos gaudere, quod filium Dei mundi Messiam cognouerint, & per eum sint in gratia Dei singulari & peculiari, per quam facti sint ciues sanctorum & domestici Dei, qui in hoc mundo habeantur pro iustis, & in altera vita locum habituri sint in cœlesti & æterno Dei regno. De hac æterna salute quicunque certus est, ille vere & semper, etiam in media morte & quibuscunque tribulationibus gaudere potest. De hoc gaudio agit Apostolus Paulus, quando dicit Phil. 4. ver. 4. Gaudete in Domino semperiterum dico, gaudete.

Atque sic Christus monstrat, quodnam verum & solidum Christianorum gaudium esse debeat. Gaudet fere mundus & exultat de rebus fluxis, caducis, incertis & instabilibus: ac proinde etiam plerunque ipsorum iubilatio desinit in eiulationem. At qui certus est de gratia & misericordia Dei: qui scit Christum suum pastorem, tutorem & protectorem esse, ex cuius manibus nemo ipsum rapere possit: qui firmiter credit, se propter meritum & intercessionem Christi esse ex numero electorum & saluãdorum, sicque nomen suum in cœlo adscriptum esse: ille gaudet perenni gaudio, & gaudium ipsius nemo tollet ab ipso. Ioh. 16. v. 22.

Quod vero Christus hic dicit, de *nominibus in cœlo scriptis*, illud desumptum est à politica cõsuetudine huius mundi. In omnibus bene constitutis Rebuspub. vsu receptum est, vt eorum nomina, qui vel ius ciuitatis emunt, vel gratis ciuitate donantur, certo alicui libro inscribantur, & in matriculam (vt vocant) vrbis referantur. Non quod in cœlis eiusmodi libri repositi asseruentur: sed quod allusione quadam res diuinæ & cœlestes per mundanas aliquo modo nobis adumbrẽtur. Horum librorum mentionem facit Moses, Exod. 32. ver. 32. Daniel. c. 7. v. 10. & 12. v. 1. Item Iohannes Apocal. 3. v. 5. & 20. v. 12. & 21. v. 27. Libri ergo illi proprie nihil aliud sunt, quam infallibilis & indelebilis Dei memoria, in qua ceu in catalogo quodnam annotata sunt omnia, quæ ab hominibus in hac aguntur & geruntur. Vt enim prouidi gubernatores & iudices diligenter annotant res suas actas & agendas, mores item, & tam bene quàm male facta suorum subditorum: ita Deus vigilans est iudex & gubernator hominum, probe memor omnium quæ ab ipsis in his terris aguntur: & in nouissimo die reipsa experiemur, ipsum ne quidem otiosi verbi à nobis prolati oblitum esse, nisi in profundo mari sanguinis Christi illud fuerit obliteratum & deletum. Inprimis autem in Scripturis nobis commendatur liber vitæ, in quo scripta sunt nomina eorum, quos cœlestis Pater ex mera grata misericordia delegit ad vitam æternam propter Christum, ob quem solus inter Dei filios adoptantur & computantur, quicunque ad æternam salutem recipiuntur. Liber ergo hic vitæ proprie est Christus Iesus, in quo Deus nos elegit ante mundi constitutionem. Ephes. 1. versi. 4. Quicunque ergo sunt in Christo Iesu, eorum nomina etiam sunt adscripta in cœlis.

At quæritur, quando & quomodo hoc fiat? Sciendum igitur dupliciter aliquem posse dici inscribi libro vitæ. Primo id ab æterno, secundum æternum Dei prædestinationem, & electionem factam ante mundi constitutionem. Et fundamentum hoc Dei firmum stat, habens signaculum hoc: Nouit Dominus suos. 2. Tim. 2. v. 19. Deinde fit idem temporaliter, secundum præsentem Dei gratiam. Nam quando Christiani nomina sua dant Christo, in ipsum baptizantur, in eũ credunt, & fidem in ipsum profitentur, tum per baptismum acquirunt ius cœlestis ciuitatis, & inscribuntur libro vitæ, per Christum saluandi, si ad finem vsque in fide perstiterint, & per eam vicerint. Apocal. 3. v. 5. Non est ergo liber ille fatalis quædam electio, in quo æterno quodam & immutabili arcano Dei decreto, certi quidam homines delecti & inscripti essent, quos impossibile esset vllis peccatis rursus expungi, aut contra alios vllas ob causas in album illud referri posse. Nam Deus Mosi expresse dicit: Exod. 32. versic. 33. Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Ergo quemadmodum per fidem in Christum, & per ipsius iustitiam, credentes & baptizati inscribuntur in hunc librum: ita impij per apostasiam à fide & per alia peccata rursus seipsos expungunt ex hoc libro vitæ. Hoc obseruatu necessarium est, ne salutem nostram extra meritum Christi & fidem ipsum apprehendentem in arcano aliquo fato & absoluta Dei electione quæramus: sed vt ductum verbi diuini sequamur, quod nos remittit ad Christum, & vult, vt hunc in verbo audiamus, firma fide amplectamur, & ad finem vsque constanter ipsi adhæreamus. Qui ita perseuerant, & cum timore atque tremore suam ipsorum salutem operantur: illi, quando olim libri aperientur, ex libro vitæ suo nomine ad possessionem cœlestis hæreditatis se aduocari experientur. Qui vero à Christo defecerint, illi delebuntur de libro viuentium, & cum iustis non scribentur. Psalm. 69. versic. 29. Delentur autem & pro electis non reputantur, non arcano aliquo & absoluto Dei decreto, sed propria sua malitia. Et hoc est, quod Ieremias dicit c. 17. v. 13. Recedentes à te Domine confundentur, & *in terra scribentur*: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium, Dominum. Interim tamen quando tales deficientes delentur ex libro vitæ, æterna Dei prædestinatio & electio non fallitur. Nam ab æterno ipse præuidet & præscit, quinam in fide constantes sint mansuri, & quinam defecturi. Et quemamodum hos sinit abire vias suas: ita illos peculiari gratia, cura & fauore prosequitur & in memoria sua tenet, non aliter, quam si peculiari aliquo libro ipsorum nomina inscripta essent. Et hanc singularem curam, beneuolentiam atque misericordiam sui cœlestis Patris erga credẽtes propter Christũ, propter quam gaudendum sit, Dominus Iesus hac locutione, *nomina vestra scripta sunt in cœlis*, insinuare voluit. Hæc Christo adducere placuit, simul & ad confirmandos suos discipulos, in vocatione commissa, & ad corrigendum affectum humanum, quem in sua relatione prodidere.

Interim superuacanea est illorum disputatio, qui hanc quæstionem hoc loco agitant, vtrum Collegium beatius fuerit; an Collegium XII. Apostolorum, an vero Collegium LXX. discipulorum? Et plerique in ea sunt sententia, quod LXX. discipulorum Collegium beatius fuerit collegio Apostolorum, eo quod vnus ex XII. Apostolis fuerit damnatus, nimirum Iudas: de discipulorum autem Collegio Christus affirmarit, *eorum nomina scripta esse in cœlis.* Verum hac de re nemo hominum, sed solus iudex viuorum & mortuorum, certi quid statuere potest. Etenim fieri potuit, vt tum temporis à Christo nomina ipsorũ in cœlis scripta dicta fuerint, ob statum gratiæ & præsentem ipsorum fidem. A qua tamen si postea aliqui eorum recesserunt, (sicuti Philetum 2. Timoth. 2. versic. 17. & Hermogenem 2. Tim. 1. versic. 15. inter eos connumerant) vtique etiam ipsorum nomina ex libro vitæ, non minus quam Iudæ, expuncta sunt. Deus enim nullius debitor est: omnes solicite ita ambulare debent, vt per fidem, per quam habuerunt accessum ad Deum, etiam in gratia Dei stent, & glorientur in spe gloriæ filiorum Dei. Rom. 5. ver. 2.

III. Postquam Dominus discipulos de gaudio suo correxit, & admonuit qua de re ipsi potissimũ gaudere debeãt: ipse nunc quoque commode cum discipulis gaudentibus gauisus est. Dicit enim Euãgelista, ipsum *Iesum in eadem hora exultasse spiritu*, hoc est, toto animo gauisum esse, & gaudium illud suum, non tantum verbis, sed etiam gestu, vultuque testatum esse. Hoc enim vult illud verbum ἠγαλλιάσατο, exultauit. Ac proinde, qui hactenus ab exitu ex templo Hierosolymitano se priuatim continuerat, & quasi delituerat, ille iam prodit in publicum, suæque lætitiæ fructum etiam ad alios per sanam doctrinam deuenire cupit. Fuit autem hoc Christi gaudium multum dissimile à gaudio discipulorum. Hi enim propterea gaudebant, quod ipsi sibi placerent in dæmonum eiectione: Dominus autem spirituali gaudio gauisus est, non propterea, quod dæmones *nomini suo* subiicerentur, ex quo sane nomini ipsius multum accessit gloriæ: sed propterea, qui hi discipuli, vtcunque coram mundo simplices & *paruuli, viuos* & insipientes habeantur: tamen & ipsi Iesum pro filio Dei & Messia agnouerint, & per suam prædicationem etiam alios ad veram salutis cognitionem adduxerint. Hinc vero *in spiritu* porro prospicit, quam illustrem propediẽ habiturus sit Ecclesiam, quam ex Patris sui benignitate ministerio Euangelicæ prædicationis, ex obscuris quidem & pullis humana præeminentia turgidis, omni tamen virtutum & pietatis genere ornatissimis hominibus sit collecturus. Atque sic reipsa præstat, quod modo verbis discipulos docuerat: ostendens qualenam debeat esse piorum gaudium, quod nõ consistat in rebus externis & euanidis, nec in iis, quæ nobis sunt honorifica, sed in speciali cura & gratia Dei, qua multorum hominum *nomina scripta sint in cœlis*, sicque illi per cognitionem Dei adducantur ad æternam suam salutem. Et vt omnibus constet, ipsum non carnali gaudio exultare, disertis verbis cœlesti suo Patri pro his omnibus gratias agit: *Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ*, &c. Hanc gratiarum

actionem licet etiam suprà cap. LVI. huius Harmoniæ, ex 11. c. Matth. v. 25. sufficienter (vt spero) exposuerimus: eiusdem tamen summam hic repetere libet, quia appositissime hoc loco collocata est.

Deus post lapsum nobis hominibus est absconditus. Inhabitat enim lucem inaccessibilem, 1. Tim. 6. v. 16. & nos natura in rebus cœlestibus nihil intelligimus: sunt nobis stultitia, 1. Cor. 2. v. 14. ignoramus Dei tã essentiam quam voluntatem. Vt recte de eo Iesaias dixerit c. 45. vers. 15. Vere tu es Deus absconditus. Et Ioh. 1. v. 18. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, enarrauit nobis. Ideo etiam hoc loco dicit Christus: *nemo nouit quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit filius reuelare.* Vtitur verbo ἀποκαλύψαι quod significat detegere, & sublato velamine conspiciẽdum præbere. Dominus dixit vt habitaret in nebula, ait Salomon 1. Reg. 8. v. 12. Hanc nebulam tanquam velamen Christus sol iustitiæ luce sui Euangelij remouet. Vnde etiam doctrina ipsius dicitur illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2. Cor. 4. v. 4. Et ne quis putet filium non omnia sciuisse, ac proinde nec omnia reuelasse, addit: *omnia mihi tradita sunt, à Patre.* Quemadmodum autem ipse *omnia* accepit: ita etiam *omnia* nobis reuelauit. Vnde Apostolis dicit Ioh. 15. v. 15. Iam non dico vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia *omnia*, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Et quidem Dominus Iesus in superiore disceptatione, quam in templo habuit cum Iudæis, fideliter etiam ipsis *reuelauit*, & quis ipse esset, tanquam *filius, & quis esset Pater.* Verum Pontifices, Pharisæi & Scribæ, tanquam σοφοὶ καὶ συνετοὶ *sapientes & prudentes* huius mundi, non tantum non susceperunt ipsius verbum, sed & eidem contradixerunt, contra disputarunt, conuitiis proscidérunt, & tandem arreptis lapidibus hunc doctorem ex templo expulerunt, iis ipsum obruituri, nisi cederet. Sicque etiam simpliciores, qui versu 30. in eum crediderunt, non leuiter turbarunt.

Quid ergo? Num propterea Christus priuabitur omnibus sectatoribus, nec vllum inueniet, qui credat in eum? Num Deo cœlum suum vacuum manebit, cum Pontifices & Pharisæi illud aspernentur? Nequaquam. Nam redeunt LXX. discipuli & referunt, non tantum quid ipsi *in nomine Christi*, cuius legatione fungebantur, effecerint, sed etiam quomodo dæmonia ipsius nomini cedere coacta fuerint. Hic Christus Spiritu exhilaratur, & cœlesti suo Patri, *Domino cœli & terræ confitetur*, hoc est, gratias agit, pro felici Euangelij sui successu, quod suum locum inuenit, si non in Pontificia & regia vrbe Hierosolymitana, certe tamen in circumiacente regione.

Sed dicat quis: Quinam sunt hi LXX. discipuli, & qui ipsorum prædicationi fidem habuerunt, collati ad Pontifices, Pharisæos, Scribas & Iudæos Hierosolymitanos? Respondet Christus ipse: sunt *νήπιοι, paruuli, infantes*, simplices, idiotæ, & coram oculis sapientũ mundi stolidi aselli. Sed hoc Christũ non offendit: nec propterea eos abiicit, sed Patri suo pro his *confitetur*, atque gratias agit. Et *quoniam sic complacitum est coram ipso*, vt magnatibus simpliciores ipsi associet, sibi quoque idem placere patitur? Cur vero Deo sic complacitum est, illam notitiam *abscondere coram sapientibus, & reuelare paruulis*? Num illis inuidet saluificam suam notitiam? Nequaquã: quia vel inuitis in superioribus eam ingessit Iesus. Sed quia illi fastidiunt simplicitatem cœlestis doctrinæ, iccirco perditio ipsorum ex ipsis. Ose. 13. v. 9. Si ipsi quoque desiderassent saluificæ huius doctrinæ participes fieri, vtique Deus eo beneficio ipsos non defraudasset. Nunc cum sapientiam Dei execrentur, quid mirum ipsos suæ cœcitati relinqui? Nam petenti dabitur: & qui habet, ei dabitur & abundabit. Qui autem non habet, etiam auferetur quod habere videtur. Matth. 13. vers. 12. Quod ergo Euangelium Christi absconditũ fuit Pharisæis & Scribis, id inde factum, quia Deus huius seculi, (Diabolus, cuius filij erant, vt Christus ipsis obiecit) excœcauit illorum mentes, ne irradiaret ipsis lumen Euangelij gloriæ Christi. 2. Cor. 4. v. 4.

Facit ergo Christus ipse hic ἀντίθεσιν inter Pontifices, Pharisæos ac Scribas, *sapientes & prudentes*, suos hostes, & inter suos discipulos *paruulos*: & testatur, se satis probe contentum esse, quod iuxta bene placitum cœlestis sui Patris tãtum pusillus grex ad se colligatur. Vt enim olim 1. Samuel. 22. v. 2. ad Dauidem conuenerunt tantum ij, qui in angustia erant constituti, & oppressi ære alieno, atque amaro corde, dum is à Saule rege & ipsius aulicis persecutionem sustinuit: ita cœlestis hic noster Dauid, lætatur & exultat spiritu, quando pij, pauperes, humiles & simplices ad ipsum aggregantur, vt maxime Prælati & magnates ipsius Euangelium præ nimia sua sapientia & superbia fastidiunt.

Ex his omnibus nos hoc addiscamus, ne de controuersiis religionis Christianæ iudicemus, ex aspectu & respectu personarum. Fieri enim potest, quod superlatiui, hoc est, doctissimi, sapientissimi, ditissimi, potentissimi & summa auctoritate præditi, summi etiam sint Christi, ipsius Ecclesiæ, verbi & Sacramentorum hostes, dum interim simplices Positiui, qui nulla siue carnis siue mundi prærogatiua gaudent, Christo firmiter adhærent. Ideo etiam Paulus 1. Cor. 1. vers. 26. monet, vt vocationem nostram diligenter intueamur, siquidem non multi sapientes, potentes & nobiles secundum carnem vocati & electi sint, sed stulti, ignobiles & contemptibiles, vt ne glorietur vlla caro. Addit quoque hoc consolationem, quod propterea Deo cœlum suum nequaquam vacuum, aut anseribus replendum, relinquitur, si maxime huius mundi magnates cœlestem ipsius sapientiam aspernentur. Nihilominus tamen Ecclesiæ suæ relinquet aliquod semen, vel saltem ex paruulis, ne quasi Sodoma fiat, neve Gomorrhæ assimiletur. Ies. 1. ver. 9. Quapropter nullus ministrorum cum Iesaia 49. vers. 4. conqueratur: in vacuum laboraui, sine causa, & vane fortitudinem meam consumsi. Nullus auditorum cum Helia dicat. 1. Reg. 19. ver. 10. derelictus sum ego solus. Siquidem Deus vel ex lapidibus sibi filios excitare potest. Neque verbum quod egredietur de ore eius ad ipsum reuertetur vacuum, sed faciet quæcunque voluerit, & prosperabitur in his ad quæ mittet illud: Ies. 55. v. 11. ita vt & ipsi occasionem habituri simus in nouissimo die hoc nomine cœlestem Patrem celebrandi.

Post hanc gratiarum actionem publice ad cœlestem suum Patrem factam, cõuertit se Christus ad discipulos, & κατ' ἰδίαν, *seorsim*, à populo auersus, ad ipsos dixit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* His verbis proponit alteram ἀντίθεσιν, qua suos discipulos non amplius obstinatis Iudæis opponit, sed inter se confert ipsorum statum, & statum Prophetarum ac Regũ veteris testamenti. Nam *multi Prophetæ & reges voluerunt videre, quæ discipuli viderunt, sed non viderunt: & audire quæ discipuli audierunt, & non audierunt.* Omnium piorum Patriarcharum, piorum Regum & Prophetarum desiderium fuit ardentissimum, quo Messiam expectarunt, exoptantes videre filiũ Dei in carne. Hinc Eua prima parens, primum enixa filium præ gaudio exclamauit: Possedi virum Deum. Gen. 4. vers. 1. Idem desiderium de Dauide legimus 2. Sam. 7. v. 18. & de Iesaia c. 64. v. 1. & de aliis alibi. De Abrahamo quidem Dominus nuper Ioh. 8. v. 56. pronunciauit, quod viderit diem suum, & gauisus sit. Ibi vero Christus locutus est de spirituali visione: hic vero loquitur de visione corporali. Vbi certe omnes Patriarchæ in magna parte felicitatis suæ posuissent, si Messiam incarnatum videre ipsis licuisset, prout discipulis id obtigit. Si enim regina Saba beatos prædicauit viros & seruos Salomonis, qui semper starent coram ipso, & sapientiam ipsius audirent: 1. Reg. 10. v. 8. quanto magis discipuli Christi beati prædicandi fuerunt, qui quotidie *audierunt* diuinam & saluificam ipsius sapientiam, & *viderunt* cœlestia ipsius miracula? Certe plus ibi fuit quam Salomon.

Recte ergo ex hoc loco, (quem etiam Cap. LXI. ex Matth. 13. ver. 16. habuimus) concluditur triplicem esse aspectum vel intuitum Christi. Vnum corporalem, qui fit oculis carnis, & per se non beat: per accidens autem fortius damnat. Qualiter Dominum Iesum videre Hannas, Caiphas, Herodes, & ipse quoque Pilatus. Hæc visio ipsis ad maiorem damnationem verget, quia videntibus oculis fuerunt cœci, & audientibus auribus surdi. Ies. 6. v. 10. Alterum spiritualem, qui fit oculis fidei, & solus beat. Qualem habuit Abrahamus, Ioh. 8. ver. 56. & nos omnes, qui fidei & charitatis oculis Christum videmus, colimus & adoramus, dum in eum Deum & hominem mundi Redemptorem credimus. De hoc Christus Thomæ dixit, Iohan. 20. versicul. 29. Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt. Tertium, & spiritualem & corporalem coniunctum, qui beatitudinem in homine auget, & quasi conduplicat: dum vtrisque oculis & carnis & fidei Christum Saluatorem videt. Et de hoc aspectu siue intuitu Dominus in præsentia loquitur, atque insigne Patris sui donum esse testatur, quod discipuli præter corporalem visum etiam spirituales oculos habeant, quibus ipsum Dei filium & promissum Messiam esse agnoscant & suscipiant, sicuti Petrus Matth. 16. versic. 16. publice id confessus est. Quod item præter corporalem auditum, etiam spirituales aures habeant, quibus agnoscant ipsum habere verba vitæ æternæ: sicuti idem Apostolus Petrus professus est. Ioh. 6. v. 68.

Hic ergo se aperit illa doctrina, de qua diximus, quod nimirum Christus hic doceat, in quo consistat vera beatitudo. Naturaliter omnes appetimus felicitatem: nec potest mens hominis tranquilla reddi, aut conquiescere, donec illam consequatur. Hinc inter mundi Doctores siue Philosophos tam variæ ortæ sunt sententiæ. Alij eam in voluptatibus, alij in opibus

opibus & diuitiis, alij in eruditione clara, alij in virtutis studio, alij in authoritate & eminentia coram mundo eam reposuere: & qui tale quid in excellenti gradu consequuti essent, hos felices prædicarunt. De eo etiam Psalmus 144. versic. 12. testatur, quod eum populum beatum dixerint, qui multos filios & filias numerent circumornatas; quorum promptuaria sint plena: in quorum plateis non sit ruptura, nec egressio, nec clamor. Sed reuera hæc omnia sunt vanitas vanitatum: & illi, qui beatitudinem in hisce fluxis & mundanis rebus posuere, vel tandem proprio iudicio agnouere, se à veritate aberrasse. Neque enim pro vera felicitate quicquam habendum est, quod nō animum hominis ex toto & in solidum tranquillet, ita, vt nihil præterea appetat. At vero in mundanis illis omnibus, siue voluptatibus, siue opibus, siue aliis, locum habet illud vulgare: Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Docet ergo hoc in loco cœlitus ille declaratus mundi Doctor, veram beatitudinem non esse quærendam in vanis illis laruis & fallacibus rebus, quę cū mūdo hoc perituro pereunt, sed in spirituali visione Christi, hoc est, in vera agnitione Dei & Messiæ. Exemplo ergo discipulorum monstrat, *beatos esse*, non eos, qui multos habent auri argentique aceruos; nec eos, qui in dignitatibus viuunt: multo minus illos, qui voluptatibus indulgent: sed qui cum discipulis habent *oculos videntes* Christum, huncque mundi Saluatorem agnoscentes. Nam qui filium nouit, idem etiam patrem nouit. Hoc fundamentum felicitatis etiam alibi monstrat, vt cum dicit, Ioh. 17. v. 3. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Item Ierem. 9. ver. 23. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia Ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudiciū, & iustitiam in terra. Hæc enim mihi placent, dicit Dominus. Et Sap. 15. v. 3. Domine Deus, te nosse, est consummata iustitia: & scire iustitiam & virtutem tuam, radix est immortalitatis.

Cæterum, quia Christus hanc beatitudinem κατ' ἰδίαν seorsim adscribit discipulis, qui veram ipsius & Dei cognitionem consecuti erant: ideo innuit omnes illos, qui cognitionem Dei habent, diuersam à cognitione discipulorum, à beatitudine aberrare. Iudæi & Turcæ hodie quoque gloriantur de cognitione Dei Veri, quia destituuntur cognitione Christi, eorum cognitio non salutaris. *Nemo enim nouit Patrem nisi filius, & cui filius voluerit reuelare*: sicuti Christus in præcedentibus, sui & Patris cognitionem coniunxit. Papistæ gloriantur se & Patrē & Christum nouisse, atque propterea se veram Dei notitiam ad salutem deducentem habere. Sed optandum foret illos diligentius expendere, qualisnam sua sit notitia Christi. Est enim tantum notitia nominis, non rei. Etenim veram beatitudinem & felicitatem non quærunt apud vnum & solum Christum, verum modo apud statuas Sanctorum, modo apud bullas indulgentiarum, modo apud ceremonias Ecclesiasticas, modo apud alias creaturas. Vnde etiam conscientias suas iis non possunt tranquillas reddere: Sed quando omnia tentarunt & fecerunt, quæ ipsis à capite suo Pontifice Romano sunt præscripta, vel tandem eo indignant, quod patienter pœnas purgatorij ad aliquot annos sustinere velint, donec residuæ peccatorum reliquiæ & scoriæ penitus expurgentur. Hæc enim est illa aqua, ex qua qui bibit, sitit iterum. Qui vero bibit ex aqua, quam Christus propinat, non sitit in æternum. Iohan. 4. versicul. 3. Quoad Caluinianos, illi quoque profitentur se nouisse Christum. Sed, quæso, quæ hæc est notitia Christi, ipsi in omnibus contradicere? Quando Christus dicit de pane cœnæ, hoc est corpus meum: ipsi dicunt, non esse corpus Christi, sed figuram corporis, aut eius meritum. Quando Christus dicit, Ego (Deus & homo) sum vobiscum omnibus diebus: ipsi dicunt, eum secundum humanam naturam abesse. Quando Christus ad se vocat OMNES, vt reficiantur: ipsi dicunt non omnes vocari, sed tantum certum numerum ab æterno arcano Dei decreto ad id electum & prædestinatum. Quando Christus flet super Ierusalem, dolens de eius interitu: tum ipsi dicunt, ab extra quidem ipsum flere, ab intra autem vrbis interitum velle & ordinasse. Deus clementer auertat, ne nostræ Ecclesiæ in hanc Christi notitiam (vel ignorantiam potius) vnquam consentiant. Nos potius in eo elaboremus, vt in ea Christi cognitione, quam nunc ipsius beneficio in nostris Ecclesiis habemus, constanter perseueremus, & in eadē crescamus ac proficiamus. Sed eam nemo habere potest, nisi *cui Pater & filius reuelarint*, vt in præcedentibus Christus dixit. Nam caro & sanguis talia non suggerunt, vt Christus Petro dixit, Matth. 16. vers. 17. imo iudicium rationis in cognitione Christi, sub eius obsequium est captiuandum. 2. Corinth. 10. v. 5. Quod si Pontificij & Caluiniani fateri addiscerent, facilius de cognitione Christi nobiscum conuenirent. At necesse est, vt Pater, qui in cœlis est, illud reuelet. Hoc vero non facit immediate, per aliquem arcanum & violentum raptum: sed mediate per verbum. Hoc enim est ministerium Spiritus sancti, per quod dat illuminatos oculos & fidem. Roman. 10. v. 17. Audituj autem addendæ sunt piæ preces, quibus Deum rogemus, vt det nobis vias suas agnoscere, & in illis ambulare. Nam qui petit, accipit: & qui quærit inuenit. Matth. 7. v. 8. Ideo sapientia cœlestis dicit, Prouerb. 8. v. 17. Qui mane vigilant ad me, inuenient me: & versicul. 35. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Hæc de beatitudine discipulorum.

CAPVT CV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS DISPVTATIONEM LEGISPERITI, QVI BEATITUDINEM in legis obseruatione sitam arbitrabatur: sed parabola Samaritani Christus diuersum euincit. Luc. 10. versic. 21.

RATIO ORDINIS.

Existimant quidam non posse certo constare, quo tempore & quo loco hæc historia acciderit: siquidem Lucas in hisce capitibus tantum miscellanea scripserit, & multa sine ordine commemorarit, prout memoriæ ipsius occurrerint. Quod ego non libenter affirmarem. Neque enim Spiritus sanctus, cuius ductu Lucas Euangelium suum scripsit, ἀταξίαν, sed τάξιν amat. Proinde hanc historiam præcedentem optimo ordine sequi, & sequentes conuenientissimo ordine antecedere assero. Nam & ipse Lucas continuationis notationem indicat particula καὶ ἰδού, & ecce. Quasi diceret. Cum Dominus post reditum LXX. suorum discipulorum, rursus in publicum prodiisset: & primo quidem de effectu Euangelicæ suæ prædicationis grauiter disseruisset: Postea vero cœlesti suo patri pro sui manifestatione ad salutem mundi ardētes gratias egisset: ac tandem *seorsim*, à multitudine plebis inconstantis auersus, & *ad discipulos conuersus*, ipsos & alios, qui non minus quam discipuli, oculos facultate illa Christum videndi præditos haberent, magno affectu *beatos* pronunciasset: atque hæc omnia tanta grauitate & maiestate peregisset, vt merito terreri debuerint, qui hactenus, propriæ sapientiæ fiducia inflati, sese ipsi opposuerunt. Vsque adeo tamen apud obstinatam Iudæorum Hierosolymitanorum turbam nihil profecit, vt *ecce* præter omnium expectationem *legisperitus quispiam*, contra Dominum de his tantum mysteriis disserentem, insurgere, eumque captiosa quæstione aggredi ausus fuerit, si quo modo eum irretire & apud populum inuisum reddere posset. Sic ergo ordinis notatio apud Euangelistam manifesta est.

Potest autem hæc ipsa confirmari altera notatione ex Christi ad legisperitum responsione desumpta, & ad superiorem disceptationem, quæ in templo acciderat, collata. In ea disceptatione Pharisæi Iesum conuitio *Samaritani* notarāt. Et illic quidem Iesus conuitium illud dissimulauit: hic vero quasi causam ostendit, quare id fecerit. Quia nimirum sit per antiquus ille שמר ישראל *Samaritanus* & custos Israelis, qui nec dormiat, nec dormitet. Psal. 121. v. 4. qui iam à multis seculis τετροφόρηκε mores ipsorum patienter sufferre, Actorum 13. versicul. 18. & ignorantias tum gentiliū tum Iudæorum ὑπεριδεῖν atque dissimulare coactus fuerit. Actorum 17. versic. 30. Et tamen, nisi hic ipse, per conuitium ab ipsis

notatus *Samaritanus* ipsorum & totius generis humani vulnera, infuso vino & oleo ligaret, in suum diuersorium introduceret, ibique eorum curam agi curaret, de ipsorum salute in æternum actum esset. Hæc adhuc Hierosolymis subsistens legisperito huic & ipsius Collegis, de *Samaritani* conuitio obiecto, in memoriam reuocare voluit. Et quia simul meditabatur dicessum *ab Hierusalem in Iericho*, apposite admodum hanc parabolam eodem direxit, eamque quasi valedictionis loco Hierosolymitanis post se reliquit, atque inde iter cum discipulis suis Iordanem versus ingressus est.

Qui hoc modo Circumstantias omnes huius historiæ considerat & inter se confert, ille facile videt & tempus & locum, quando & vbi hæc acciderint: nimirum Hierosolymis, cum Dominus Iesus iam in procinctu stabat, inde discedere, atque Iudæorum furori adhuc ad tempus aliquod cedere vellet. Nec est dubium, *quin hæc historia* iustum suum in Harmonia locum iam habeat.

DISPVTATIO CHRISTI CVM LEGISPERITO: & parabola Samaritani.

LVC. 10.

25. Καὶ ἰδοὺ, νομικός τις ἀνέστη, ἐκπειράζων αὐτὸν, καὶ λέγων, Διδάσκαλε, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;	25. *Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, & dicens, Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?*
26. Ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτόν, Ἐν τῷ νόμῳ τί γέγραπται; πῶς ἀναγινώσκεις;	26. *At ille dixit ad eum, In lege quid scriptum est? Quomodo legis?*
27. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, Ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, καὶ τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.	27. *Ille respondens dixit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.*
28. Εἶπε δὲ αὐτῷ, Ὀρθῶς ἀπεκρίθης, τοῦτο ποίει, καὶ ζήσῃ.	28. *Dixitque illi, Recte respondisti, hoc fac & viues.*
29. Ὁ δὲ, θέλων δικαιοῦν ἑαυτὸν, εἶπε πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ τίς ἐστί μου πλησίον;	29. *Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum, Et quis est meus proximus?*
30. Ὑπολαβὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, Ἄνθρωπός τις κατέβαινεν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ἱεριχὼ, καὶ λῃσταῖς περιέπεσεν, οἳ καὶ ἐκδύσαντες αὐτὸν, καὶ πληγὰς ἐπιθέντες, ἀπῆλθον, ἀφέντες ἡμιθανῆ τυγχάνοντα.	30. *Respondens autem Iesus dixit, Homo quidam descendebat ab Hierosolymis in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum vestibus, ac vulneribus inflictis abierunt, semimortuo relicto.*
31. Κατὰ συγκυρίαν δὲ ἱερεύς τις κατέβαινεν ἐν τῇ ὁδῷ ἐκείνῃ, καὶ ἰδὼν αὐτὸν, ἀντιπαρῆλθεν.	31. *Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eadem via, visoque illo præteriit.*
32 Ὁμοίως δὲ καὶ Λευΐτης γενόμενος κατὰ τὸν τόπον, ἐλθὼν, καὶ ἰδὼν, ἀντιπαρῆλθε.	32. *Similiter & Leuita, cum iret iuxta locum, cum accessisset, ac vidisset eum, præteriit.*
33. Σαμαρείτης δέ τις ὁδεύων, ἦλθε κατ' αὐτὸν, καὶ ἰδὼν αὐτὸν, ἐσπλαγχνίσθη.	33. *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ad eum, & viso eo, misericordia motus est.*
34. Καὶ προσελθὼν κατέδησε τὰ τραύματα αὐτοῦ ἐπιχέων ἔλαιον καὶ οἶνον. ἐπιβιβάσας δὲ αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἴδιον κτῆνος, ἤγαγεν αὐτὸν εἰς πανδοχεῖον, καὶ ἐπεμελήθη αὐτοῦ.	34. *Et accedens, obligauit vulnera eius infundens oleum ac vinum: Imponens vero illum in suum iumentum, duxit eum in diuersorium, & curam eius egit.*
35. Καὶ ἐπὶ τὴν αὔριον ἐξελθὼν, ἐκβαλὼν δύο δηνάρια ἔδωκε τῷ πανδοχεῖ, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἐπιμελήθητι αὐτοῦ, καὶ ὅ, τι ἂν προσδαπανήσῃς, ἐγὼ ἐν τῷ ἐπανέρχεσθαί με, ἀποδώσω σοι.	35. *Et postero die egrediens, deprompsit duos denarios dedit hospiti, & ait ei, Curam illius habe, & quodcunque præterea insumpseris, ego cum rediero reddam tibi.*
36. Τίς οὖν τούτων τῶν τριῶν δοκεῖ σοι πλησίον γεγονέναι τοῦ ἐμπεσόντος εἰς τοὺς λῃστάς;	36. *Quis ergo horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?*
57. Ὁ δὲ εἶπεν, Ὁ ποιήσας τὸ ἔλεος μετ' αὐτοῦ. Εἶπεν οὖν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, πορεύου καὶ σὺ ποίει ὁμοίως.	37. *At ille dixit, Qui exercuit misericordiam in illũ. Ait igitur illi Iesus, Vade, & tu fac similiter.*

Periocha huius disputationis.

QVinam fuerint νομικοὶ seu *Legisperiti*, Cap. X. Harmoniæ indicatum est. Fuit apud Iudæos peculiare Collegium, Sacerdotibus additum, ad quod dubij & grauiores casus deferebantur, vt de illis ex lege Dei, quasi ex iure scripto responderent: nec dubium, quin fuerint peritiores & exercitatiores ex ordine Pharisæorũ & Scribarum. Ex horũ numero fuit hic legisperitus, qui *surrexit*, & Christo se opposuit. Ex hoc verbo ἀνέστη *surrexit*, quidam colligunt hoc in Synagoga factum esse, vbi multis Doctoribus sedẽtibus, vnus ex illis surrexerit, & contra Christum disputarit. Non sane inepta est hæc coniectura: & tamen simpliciter etiam accipi potest secundum vulgarem vsum huius verbi, si quis aduersus alterum siue verbis siue facto insurgat. Sicut vsurpatur Abdiæ v. 1. ἀνάστητε, surgite, & consurgemus aduersus eum in prælium. Itaque *surgere* dici possunt illi, qui nec sedentes nec recumbentes, seu stantes aduersus quempiam insurgunt, eique certamen mouent. Est ergo hic Legisperitus exemplum eorum, qui etiam hodie, propriæ iustitiæ & eruditionis opinione turgidi, in hac tam clara Euangelij luce doctrinæ veritatis vsque adeo non cedunt, vt quo magis expresso Dei verbo vrgentur, eo magis contra insurgant & exasperentur, eo magis ferociant & præfractiores reddantur. Et si hoc ipsi Dei filio Euangelium regni prædicanti, à *Legisperitis*, qui præ reliquis Pharisæis aliquid esse & videri volebant, accidit: quid mirum, si idem hodie Euangelicis Doctoribus à *Iesuitis*, & qui ipsi inter Romane-Catholicos perfectiores haberi volunt eueniat?

Quæstio autem huius legisperiti diligenter est attendenda. Pro qualitate enim & forma quæstionis, etiam responsio formatur. Sic autem quærit. *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Pia sane in speciem, imo etiam per se necessaria quæstio. Hæc enim vna & præcipua cura omnibus hominibus in hoc seculo incumbere debebat, vt veram rationẽm consequendæ vitæ æternæ inquirerent. Hic vero Legisperitus interrogat, non discendi, sed *tentandi* studio. Sperat enim se eiusmodi responsionem elicere posse, quæ doctrinæ Mosis aduersetur, vnde Dominum Iesum in inuidiam & odium apud populum vocare possit. Sic enim ex præcedentibus infert. Tu Iesu, qui *Magistri* & Doctoris titulo apud plebem gaudes, tuos discipulos beatos prædicas, & ipsorum nomina in cœlo

in cœlo scripta esse testaris, hoc nomine, quia te videant & audiant, hoc est, tuæ doctrinæ cognitione fruantur. Ego certe meique collegæ quoque quærimus vitam beatam. Habemus quoque legem Mosis, quam Deus ipse, postquam beatitudine excidimus, nobis dedit, vt per eam nobis monstraret viam ad vitam æternam. Nec dubitamus, quin si faciendo præstemus ea quæ sunt legis diuinæ, etiam nostra nomina adscripta sunt in cœlis. Aut num tu nouam, meliorem aut compendiorem viam & rationem consequendæ æternę vitę docere potes? Mouere debet hoc exemplum legisperiti, vt quod ipse malo dolo egit, omnes Christiani serie faciant. Cum enim in hoc mundo omnia sint fluxa & caduca, omnes dies nostri in terra sint vmbra, Iob.8.v.9. vtique de eo cogitare debemus, vt hinc decedentes perueniamus ad eum, qui idem ipse semper est, & cuius, anni non deficiunt. Ps.10. versiculo 28.

Christus qui semper paratus fuit ad respondendum cuiuis, etiam hunc legisperitum non sine responso dimittit. Non autem eum remittit ad traditiones Patrum, non ad sanctiores Synedrij Hierosolymitani: sed ad scripturam sacram, ad verbum Dei. *In lege quid scriptum est? quomodo legis?* Docens manifestissime, in quæstione de vita æterna, nõ attendẽdum esse ad traditiones humanas, ad decreta Pontificum, ad Canones Conciliorum: sed tantum ad scripturam sacram. Vnde Christus ipse dixit: Iohan.5.v.30. Scrutamini scripturas: vos putatis in illis vos vitam æternam habere.

Legisperitus ad legem remissus, & lege scite & perite respondet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.* Duo sunt præcepta (neque enim Deus suos pręceptorum multitudine grauat) in quibus cõtinetur pie & recte viuẽdi regula, duobus membris comprehẽsa, dilectione nimirum Dei & Proximi. Nam & Christus ipse Matth.22.v.40. testatur ex his duobus præceptis, quorum prius legitur Deuter.6.v.5. posterius desumptum est ex Leu. 19.v.13. totam legem & omnes prophetas dependere. Vtrumque ergo præceptum prius expendamus, quam ad præsentem quæstionem accommodemus. In priori pręcepto duo nobis præscribuntur. 1. Ipsa dilectio Dei. 2. Modus ipsum diligendi. 1. Quod ad primum dicit legisperitus ex lege, *Diliges Dominum Deum tuum.* Posset quidem Deus multa exigere a nobis: sed vnum hunc animę affectum à nobis requirit, quia (vt Augustinus sentit) solus amor is est, in quo creatura suo creatori aliquo modo respondere, & vicẽ (licet non ex ęquo) reddere potest. Cæteris enim in rebus, quid illi simile referre queat? Creauit te; num tu illud vicissim creare potes? Redemit te, seruat incolumem, innumeris quotidie beneficiis ornat, ab innumeris item periculis tum corporis tum animę seruat & liberat: num tu horum aliquid in illud conferre potes? Potes tamen vtcunque eius in te dilectioni respondere, dum diligentem vicissim diligis, & amantem redamas. Causæ autem, ob quas ad Deum diligendum obstricti sumus, præcipuę sunt, ipsius tum in se bonitas, tum erga nos benignitas & beneficentia. Cum enim humana voluntas ab authore naturæ ita instituta sit, vt nihil nisi quod bonum est & boni speciem præ se fert, amare queat. (Bonum enim est voluntatis obiectum, sicuti color visus.) Consequens est, vt illa non modo in bonum referatur, sed etiam vt quo aliquid maiori bonitatis laude præcellit, eo maioris dilectionis affectu in illud concitari debeat. Extra omnem autem controuersiam Deus est optimus Maximus, vel ipso Christo teste, Mar.10. versicul. 18. Nemo bonus, nisi vnus Deus. Omnino itaque ipse præ omnibus aliis diligi debet. Si quis vero beneficia Dei, tum communia, quæ in vniuersum genus hominum collata sunt, tum priuata, quæ sigillatim quisque à Deo percipit, sibi ante oculos ponat, impossibile est, quominus quis in liberalissimi huius benefactoris amorem exardescat. Scite à quodam dictum est: Qui beneficia inuenit, compedes inuenit. Innuere nimirum voluit, beneficiarij animum benefactori ceu vinculo quodam deuinciri. Dei autem beneficia erga nos quis enumerabit? Certe si amor amore compensandus est: maiorem hac dilectionem nemo habet, quam qui filium pro hostibus in mortem dedit. Si amor pretio emi debet: quis quæso maius precium pro illo impendit, quam qui vitam æternam pollicetur? Si vero gratis sit donandus, cui quæso dignius ille impenditur, quam Creatori, Redemtori, Sanctificatori? Quid ergo superest, quam vt cum Augustino quis dicat: Quis ego sum Domine, vt te à me amari iubeas, & nisi id fecero, mineris mihi ingentes miserias? Paruane hæc est ipsa miseria, si nõ amem te? Reuera non pro homine naturæ nostræ participe, sed pro portento omnis humanitatis experte haberi debet, qui non toto pectore te amat. Hinc Apostolus Paulus hoc æternæ excommunicationis fulmẽ eiaculatur. 1. Cor.16.v.21. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, (Hic enim est *Dominus Deus* noster, per quem creati & redemti sumus, qui etiam nos beatos faciet) sit anathema, Maranatha.

2. Modum dilectionis, quo Deum diligere debemus, lex his verbis exprimit: *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua.* Hic quidam argute philosophantur & disputant, quomodo hæ quatuor partes seu membra sint explicanda, & inter hominis facultates distribuenda? Quomodo item diuersi Scripturarum loci, in quibus hoc præceptum allegatur, & in quibusdam tantum duo, in quibusdam tãtum tria, in quibusdam vero omnia quatuor membra modi dilectionis Dei adducuntur, sint conciliandi? Hinc Augustinus *cor* refert ad cogitationes, *animam* ad vitam, *mentem* ad intellectum. Gregorius Nissenus refert *cor* ad animam vegetabilem, *animam* ad sensitiuam, *mentem* ad intellectualem, vt sic significetur, ad Deum referendum esse, quod nutrimur, quod sentimus, quod intelligimus. Alij per *cor* intelligunt voluntatem, & per reliqua tria membra tria actionum principia, quæ à voluntate mouentur: vt per *mentem* ipsum intellectum, per *animam* appetitum interiorem, per *virtutem* vel *fortitudinem* vim executiuam exteriorem. Alij aliter hæc membra explicant, & quisque vires sui ingenij intendit, vt peculiarem & ab aliis discrepantem sententiam proferat, atque sic genuinum sensum huius diuini præcepti plus intricare quã explicare solent. Quid enim opus est tã arguta Philosophia, cum res per se plana & expedita sit? quod nimirum Deus docere & præcipere voluerit, se, tanquam authorẽ cordis, vitæ, animæ & omnium virium nostrarum, præ omnibus aliis & rebus & hominibus diligendum esse. Cæteris enim hominibus, siue parentibus, siue fratribus, siue liberis, siue amicis, nos debere singula: sibi autem nos debere omnia, quãdoquidem omnia ab ipso accepimus. Quapropter sicubi in scriptura tantum legimus, diliges Dominum Deum tuum *ex toto corde*, ibi non minus nobis præceptum esse intelligamus, quam vbi etiam reliqua membra adiiciuntur. Qui enim *tuum cor* requirit, is intellectum, voluntatẽ & reliquas vires non excludit, sed simul complectitur. Vt ita dubium non sit, si reliqua membra, siue duo siue plura adiiciantur, illa tantum Emphasis & vberioris declarationis addi.

Sensus autem vt plurimum hic est. Nos homines debemus Deum diligere, non labiis & ore, non lingua & verbo, sed *ex corde*, & illo quidem non dimidiato, non diuiso, vel doloso, sed *ex toto corde*, integrõ & perfecto. Vt vero illud præstemus, debemus indesinenter expendere summam ipsius & inexplicabilem bonitatem erga totum genus humanum, & innumera illa beneficia, quibus nos quotidie, quoad corpus & animam, priuatim afficit. Horum consideratione sic toti in ipsius, tanquam summi boni amorem, feramur, vt nihil in amore ipsi præponamus, nihil ad amoris societatem, multo minus æqualitatem, admittamus, ipsum solum præ omnibus intime amemus: si quid vero præterea diligamus, faciamus illud, & propter ipsum, & iuxta ipsius voluntatem. Deinde diligere debemus ipsum *ex tota mente*, vt ea semper animo & cogitatione versemus, quæ affectum nostrum in eius dilectione accendere possint: vt in omnibus nostris operibus ipsum vnum cogitemus, ipsum omnium actionum & studiorum nostrorum finem vnicum præstitutum habeamus; semper solicite cogitantes de ipsius mandatis, cauentes ne eorum obliuiscamur, sed in lege eius meditemur die ac nocte. Insuper diligere eum debemus *ex tota animi*, vt studiose exequi conemur, quæcunque intelligimus ipsi grata esse, simus parati propter ipsum nõ tantum omniũ temporalium bonorum, sed etiam ipsius vitæ, si res ita exegerit, iacturam facere: vicissim, quæ ipsi ingrata esse intellexerimus, perfecto odio prosequamur, nec vlla alia re tãtopere discruciemur, quam si cognoscamus, vel à nobis, vel ab aliis, ipsius volũtati nõ perfecte obsecũdari. Deniq; diligere debemus Deũ *ex tota virtute*, vel *ex omnibus viribus*, hoc est, adeo constanter, vt nullis minis, nullis calamitatibus aut incommodis ita perturbemur, vt ab ipso nos vnquam vlla ratione diuelli patiamur: omnes item animæ vires, omnes quoque corporis sensus, atque membra omnia, quæ à Deo condita sunt, suo vnumquodque modo conditoris dilectioni inseruiant. Oculi miranda Dei opera, cœlos, solem, lunam, stellas, clarissima diuinitatis eius monumenta, insuper etiam quotidiana ipsius iudicia, quibus peccata mundi persequitur, intueantur: aures pie & attente Domini sui docentis & præcipientis verba audiant, os in laudes Domini Creatoris, Redemtoris & Sanctificatoris sui resoluatur. Quid enim Deo tuo præter laudem & honorem optare & rependere potes? Manus operentur opera Dei: pedes expediti sint ad currendam viam mandatorum ipsius: affectus vero omnes à terrenarum rerum cupiditate abducti, ad cœlestium amorem traducantur: ac denique quicquid intra nos est, id omne Dei obsequio mancipetur. Quia enim ipse, quicquid in nobis est condidit: iure creationis optimo etiam

omnia, quæ habemus, ipsi debentur. Hoc modo qui dilectionem Dei expendit, ille non magnopere laborabit, quomodo quatuor illa membra, *cor, animam, mentem, vires*, inter se ordinet & disponat: siquidem videt se omnia, quæcunque habet, nouit, intelligit, assequitur, Deo suo debere. Neque quicquã in toto terrarum orbe existere, quod ratione dilectionis Deo præferre debeat.

Vnica collatione hoc illustrare conabimur. Certum est, si singuli homines interrogentur, quid in toto orbe ipsis charissimum sit, singulos responsuros, se vitam seu animam suam supra omnia diligere. Ea enim est, cuius tuendæ causa non raro matres repudiato naturæ sensu, ex filiorum carnibus sibi cibos parauerunt. Ea est, quæ homini esse, quæ viuere, quæ sentire, quæ moueri, quæ intelligere, quæ denique lucem, vitam, opes, dominiumque rerum suarum tribuit. Adeo vt si quis vel totius mundi imperio potiatur, eo ipso tamen diutius non potiatur, quam quandiu animam habet: hoc qui destituatur, qui modo Imperator erat, mox in horridum cadauer vel sterquilinium potius conuertatur. Si ergo homo animam suam tantopere diligit, cur non magis diligat Deum, à quo animam ipsam habet, & maiora, quam sit ipsa anima, expectat? Ipse certe animę tuæ anima, & vitæ tuę vita est: ipse penitius intra te, quam anima tua, latet: ipse animæ tuæ tribuit, quicquid ipsa in te operatur. Per ipsum enim es, per ipsum viuis, per illum sentis, moueris, intelligis, Actor. 17. v. 28. plusquam per ipsam animam tuam. Hæc qui vel mediocriter salutem perpendit, is agnoscet, non temere modo à nobis dictum esse, plusquam portento similem esse illum hominem, qui Deum suum creatorẽ, redemtorem & sanctificatorem non serio diligat. At vero (quod tamen sine dolore ne cogitari quidem potest) huiusmodi portentorum totus mundus plenus est. Omnes enim qui pecuniam, qui honores, qui delicias, qui voluptates, qui denique cupiditates suas Deo præferunt, illi plane horrifica ista monstra sunt. Quotiescunque enim quispiam vel auræ popularis, vel pecuniæ, vel voluptatis alicuius, aut odij, aut vindictę cupiditate inductus, diuinas leges violare, & in diuinę maiestatis offensionẽ incurrere, sicque Dei gratiã amittere non veretur, an non talis reipsa testatur, se turpes sordes & terrenum puluerem diuinę maiestatis amori & amplitudini anteferre? O horrendum monstrum! ô nefandum facinus sempiterno supplicio, & sempiternis ignibus vltricibus merito vindicandum! Hæc de dilectione Dei dicenda fuerunt.

Posterius præceptum est de dilectione proximi: *diliges proximum tuum sicut teipsum.* Vbi itidem duo nobis præscribuntur. 1. Ipsa dilectio proximi. 2. Modus ipsum diligendi. 1. Quoad primum, verba plana sunt: *diliges proximum*. Vbi quid *proximi* nomine accipiendum sit, si lector nouisse velit, nõ tãtum recurrat ad tertiã pericopem LI. c. huius Harmonię: sed etiam sequentem parabolam Samaritani intueatur, quæ diserte monet, quod *proximi* nomine, non intelligantur vicini, agnati, cognati vel consanguinei, sed omnes homines, cuiuscunque conditionis, sexus vel nationis, in quos nos incidimus, vel quos Deus & fortuna (vt vulgo loquuntur) nobis offerũt, qui nostra ope nostrove auxilio indigent. 2. Quoad modum dilectionis, ille à Deo adeo planus & expeditus præscribitur, vt nullis commentariis ad eius intelligentiam indigeamus. Quisque tantum in seipsum descendat, & perpendat qualiter seipsum diligat, illudque erga proximum etiam exequatur, tum res omnis erit expedita. Lex enim dicit: diliges proximũ tuum *sicut teipsum*. Quomodo autem diligis *teipsum*? 1. Non simulate, nec lingua tantum, sed vere, ex animo & opere. 2. Non frigide, sed ardenter. 3. Propriis commodis studes, & mala pro virili auertis. 4. Diligis etiam teipsum constanter. Neque enim amando defatigaris, licet multa vitia tibi insint, quæ odiũ potius quam amorem merentur. Eodem ergo amore etiam proximum prosequere: vt eum non furato animo, non perfunctorie, sed ardenti iuuandi studio ames: eius commoda ratione quacunque potes promoueas: neque etiam vitiis & defectibus ipsius ab amore te absterreri patiaris, quin potius errata ipsius pallio charitatis contegas, eamque aut pie dissimules, aut corrigere studeas. Operit enim dilectio multitudinem peccatorum. Prou. 10. vers. 12. & 1. Pet. 4. v. 8. 5. Denique quemadmodum tibi ipsi bene esse cupis ob tuam ipsius vtilitatem ac salutem, & non ob alterius: ita etiam proximo tuo bene velis, non propter tuam, sed propter ipsius vtilitatem & salutem. Scholastici dixerunt: proximum diligendum esse, amore syncero: amore gratuito: amore recto & non ad propria commoda reflexo: amore integro: amore fructuoso: amore discreto, qui personas diligat, vitia eorum persequatur: & denique amore perseuerantiæ. Hæc sufficere possunt ad duorum horum præceptorum expositionem.

Sed audiamus etiam quomodo Christus hanc Legisperiti responsionem exceperit. Eam approbat, & dicit: *recte respondisti*. Nam & ipse infra testabitur totam Legem & Prophetas ex his duobus præceptis pendere. Sed addit *fac hoc & viues*, cũ ad obseruationem horum præceptorum exhortans. Neque enim cognitio legis sufficit, sed eius obseruatio requiritur. Vnde & Iacobus dicit c. 1. v. 22. Estote factores verbi, non auditores tantum. Hic vero exclamant Iesuitæ: Audite vos Lutherani: Christus Dominus non dicit, Crede, & viues: sed dicit, *Fac hoc*. Facta, opera, legis obseruantiam & non fidem requirit. Hoc enim est artificium Iesuiticum, quod plerunque vnum aliquod vocabulum arripiunt, quod suæ scenæ inseruire arbitrantur, & inde conantur extruere propugnacula, quibus perpetuum doctrinæ Christi consensum oppugnent. Idem etiam hic faciunt. Vt vero fideles Christiani, qui verum fundamentum tueri cupiunt, à nouitiis hisce Rabbinis sibi caueãt, ad sequentia ipsos attendere decet. Dominus noster Iesus Christus, quoties docuit de via ad salutem siue ad vitam æternam, toties attente obseruauit qualesnam habeat auditores: & tum pro diuersitate auditorum diuersimode ipsos instituit. Si quando eiusmodi habuit auditores, qui iam ante sensu suorum peccatorum erant contriti, & serio ac simplici studio discere cupiebant viam salutis, tum semper & omni tempore eam directe monstrauit. Sic Nicodemo, qui indagandæ veritatis studio motus, noctu Iesum accessit, dixit: Qui credit in filium Dei non peribit, sed habet vitam æternam, Ioh. 3. versic. 16. Eodem modo Iohannis 5. versic. 24. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam ęternam, & non venit in iudicium, sed transit à morte ad vitam. Ioh. 6. ver. 40. Hæc est voluntas eius qui misit me Patris, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et alibi in Euangelio quoties recurrit illud dictum? Fides tua te saluum fecit. Matth. 9. v. 22. Marc. 5. v. 34 & 10. v. 52. Luc. 7. v. 50 & 8. v. 48. & 17. v. 19. & 18. v. 24. Eodem modo etiam Apostoli homines instituerunt. Cum Actor. 16. versic. 30. Philippis custos carceris interrogaret, Quid oportet me facere, vt saluus fiam? Responderunt ei Paulus & Silas: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu, & domus tua. Sin Christus auditores habuit hypocritas, tentatores, opinione propriæ iustitiæ turgidos & superbos, tum ipsos remisit ad legem. Sicuti id non tantum hic fecit, verum etiam alibi.

Quid ergo? dicat quis; Num Christus est inconstans Doctor? qui ipse sibi contradicit, & plures quam vnam viam ad salutem monstrat? aut, num ludificat homines? Absit vt tale quid de Christo Saluatore cogitemus. Sed vult Christus suis discipulis & ministris ostendere practicam secundi vsus legis diuinæ quem habet illa in iustificandis. Qui est, homines adducere ad agnitionem suæ miseriæ & imbecillitatis, vt agnoscant iustitiam extra se esse quærendam. De hoc vsu legis legis etiam agit Paulus Rom. 3. v. 20. per legem agnitio peccati. Et ad Gal. 3 ver. 19. Propter transgressionem data est lex. Sicut enim phrenetici ludũt imaginationibus, quasi egregie valeant, & propterea admittere nolũt medicinam. Tales autem, vt ad agnitionem morbi medicus adducat, iubet ambulare, operas vocationis peragere, vt sic facto ipso suam infirmitatem agnoscant. Sic etiam in Ecclesia semper *sunt phrenetici*, qui sibi ipsis, se probe iustos esse, persuadent: talibus nõ salubriter adhibetur medicina illa *Euangelica*: confide fili, remissa sunt tibi peccata, aut: fides tua te saluũ fecit. Sed speculum legis ipsis est proponendum, quod ostendat ipsis suã infirmitatem & impossibilitatem, quod insuper magnitudinem & abominationem peccati, item comminationes de ira Dei & pœnis peccati addat, vt sic peccatum fiat excellenter peccatum per legem, & homo incipiat circumspicere de Medico vulnera sua sanante. Hoc modo lex (iuxta doctrinam Pauli Gal. 3. v. 24) fit noster pædagogus ad Christum.

Cũ ergo hic legisperitus quoque fuerit talis phreneticus, qui non minus quam alij Pharisæi Luc. 18 v. 9. confidebat in se, quod esset iustus, & paruulos Christi discipulos iuxta se aspernabatur: qui non interrogabat tanquã peccator, sed tanquam iustus: qui confidebat, se vltra legis præcepta insuper aliud quid adiicere posse: ideo Christus, vt ipsi commonstret suam infirmitatem, eum ad legem remittit, innuens, siquidẽ *faciendo* vitam æternam possidere cupiat, ipsum meliora & præstantiora opera inuenire non posse, quam quæ in lege Domini sint pręscripta. Non autem dicit Christus, quod Legisperitus opera illa Legis perfecte præstare possit: multo minus dicit, quod per illa opera vitam æternam consequi possit: quin potius contrarium euincet, hunc nimirum legisperitum adhuc adeo procul abesse à perfectione legis, vt nondũ norit, quis suus sit proximus, nedum vt illum dilexerit sicut seipsum. Si autem non dilexit proximum, quem videt: quomodo dicere poterit se dilexisse Deum quem non videt? 1. Ioh. 4. v. 20. Manet ergo verum, quod Christus discipulis dixit: *beati oculi, qui vident quæ vos videtis.*

Ex his

Ex his verus sensus colligitur, quomodo intelligendum sit, quod Christus legisperitum ad legem remisit. Et hæc est methodus vere Prophetica, à Deo Iesa. 40. vers. 4. præscripta, qua præcipitur, vt sublimia humilientur: & postea humilia corda firma consolatione Euangelij rursus erigantur. Si legisperitus ex humili corde serio quæsiuisset, qua ratione vitæ æternæ particeps fieri possit, etiam via ipsi monstrata fuisset per fidem Euangelij. Quia vero elato corde quærit, quasi illam beatitudinis viam rejecturus, quam Christus in præcedentibus verbis discipulis suis proposuerat, etiam responsum tulit sua vesania dignum. Quasi diceret Christus, Ah miser homo, tune per legis opera *faciendo* vitam æternam cõsequi velles, qui legem ne minimo quidem digitulo seruando attigisti? tu quidem inflatus es & turges eo nomine, ac si legem plene seruasses. Ego vero reipsa commonstrabo, te legi vsque adeo non satisfecisse, vt ne quidem notis quis proximus tuus sit, nedum quod eum diligendo legem impleueris. Ac proinde tu *faciendo* non consequeris vitam æternam, sed indigebis, non minus quam alij homines, Samaritano, qui vulnera tua liget & sanet, si saluari velis.

Hunc verum & genuinum huius loci sensum esse, confirmat ipse Euangelista, dum affirmat, Legisperitum voluisse *seipsum iustificare*, hoc est, seipsum iustum probare ac testificare, sibiipsi laudem iustitiæ tribuere & arrogare, tanquam qui hanc legis summam stricte obseruasset. Ac propterea interrogasse: *quis est meus proximus*? Hæc questio non caret acerbitate & amarulentia. Vult enim dicere: Tu iubes me facere, quę in lege sunt præscripta. Atqui Ego dudum hæc omnia præstiti. Deo enim vni adhæreo, cum pro virili colo, idola omnia abominor & detestor: diligo item non tantum propinquos & amicos, sed & omnes gentis meę homines. Neminem percutio: omnibus do bona verba. Nemo de me conqueri potest. Quid ergo vlterius desideras? an non putas me hac ratione vitam & salutem æternam promeruisse? Nisi forte tu alios *proximos* mihi monstres, quos ego nullos noui, nec alij Iudęi nouerunt, vtpote quos Deus ipse ab aliis gentibus discreuerit. Cum ergo hac ratione vitam æternam consequi queam, quid opus est noua tua doctrina, qua mei & aliorum *oculi beati* reddantur. Hoc est illud supercilium Pharisaicum, quod Christus pressiore legis obseruatione reprimere voluit, vt intelligeret, opera se non iuuare, cum non perfecte legi satisfecerit. Theophilacti sententia remotior est, qui quærit emphasin in pronomine *meus*, quasi se omnibus aliis longe iustiorem monstrare voluerit, vt qui nullum in virtute & iustitia sibi proximum habeat.

Quidam veterum dixerunt, duplicem esse viam ad vitam æternam, vnam innocentiæ, alteram pœnitentiæ: & perinde esse vtram quis mõstret inquirenti de ea. Proinde Christum Legisperito monstrasse viam innocentiæ. Hanc distinctionem non improbo, si quis vicissim mihi concedat, viam innocentiæ iam post lapsum neminem hominum (Christo excepto) ambulasse: ac proinde Christum etiam huic legisperito impossibilitatem illius vitæ præmonstrasse. Sed Pontificiorum quidam, imprimis Iesuitæ, sub hoc integumento aliud quærunt: quod etiam produnt eo, quia Luthero nostro hoc nomine litem mouent, quod is docuerit horum duorum præceptorum obseruationem omnibus hominibus esse impossibilem. Iccirco quidam ipsorum (quosdam dico: quia nonnulli eorum nobiscum consentiunt in eo, quod nemo hominum in hac vita perfecte Deum diligat) scribunt: præceptum de diligendo Deo, non obligare ad perfectissimam dilectionem, cum ea tantum præcipiatur dilectio, quam vires nostræ ferunt, & proinde quæ nobis possibilis est. Ideoque etiam illa verba, diliges Dominum Deum tuum, *ex omnibus viribus*, sic interpretantur, ac si dictum esset *pro virili*: vt si quis totis viribus in rem aliquam incumbat, pro virili rei operam dedisse dicatur. Adducunt etiam exemplum eorum, qui *ex toto corde* Deum secuti, & quod placitum est in conspectu eius fecisse dicuntur: vtpote Dauidis, 1 Reg. 14. v. 8. Asæ 2. Par. 15. v. 17. Iosiæ 2. Reg. 23. v. 25. Horum erroneæ opinioni 1. opponenda sunt illa scripturæ testimonia, quæ manifeste affirmant legem Dei, & sic etiam duo hæc præcepta, perpetuam & tam perfectam requirere obedientiam, cuius impletio in hac vita omnibus hominibus sit impossibilis. Christus dixit Iudæis Iohan. 7. v. 19. Moses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem. Stephanus iisdem dixit, Act. 7. v. 53. Accepistis legem per dispositionem Angelorum, & eam non custodistis. Act. 13. v. 38. Paulus testatur, per Christum peccatorum remissionem annunciari, & ab omnibus quibus in lege Mosis non possimus iustificari. Act. 15. ver. 10. Petrus legem vocat iugum, quod neque ipsi neque patres portare potuerint. Roman. 8. v. 3. Quod impossibile erat legi, eo quod infirmabatur per carnem, hoc Deus præstitit misso proprio filio. Gal. 3. v. 21. Non data est lex, quæ possit viuificare. Hæc testimonia plana sunt & aperta, eaque sufficienter demonstrant, neminem hominum, neque per viam innocentię neque per viam legis ad vitam æternam peruenire posse. Hoc enim si nobis factu possibile esset, frustra filius Dei in hunc mundum missus fuisset. Quis ergo statuet hunc legisperitum solum illa prærogatiua gaudere, quod per obseruationem præceptorum legis in cœlum peruenerit?

2. Deinde negari non potest, in quibusdam scripturæ locis phrasin illam, *ex toto corde*, opponi hypocrisi & externę simulationi, in peculiari aliqua obedientia. Nam hypocrisin omnem Deus abominatur, Psalm. 12. v. 3. corde & corde locuti sunt. Iac. 1. v. 8. vocatur ἀνὴρ δίψυχος: vir duplici animo. Et quod tali modo phrasis illa accipi debeat, patet ex 1. Par. 12. vbi v. 33. dicuntur in prælium exiisse non duplici corde: mox autem v. 38. eadem phrasis exponitur, quod fuerint expediti ad pugnandum *corde perfecto*. In hac significatione si intelligatur præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, tum dicemus, non tantum Dauidem, Asam & Iosiam, sed etiam omnes renatos Deum ex toto corde diligere: siquidem omnino illi nullam habent externam hypocrisin operum, sed Spiritus sanctus ita renouat ipsorum mentem, creat cor nouum, vt sint zelotæ. Tit. 2. v. 14. Sed D. Apostolus Paulus, qui est certissimus voluntatis diuinæ interpres, illam appendicem legis, *ex toto corde*, longe aliter exponit, Rom. 7. Vbi sumit explicationem ex ipsa lege, *non concupisces*. & longa querela affirmat, Legem non tantum zelum dilectionis & bonorum operum, sed omnino spiritualem obedientiam requirere, quam nec ipse, licet renatus, præstare possit, nec alij homines: quia sit carnalis, venundatus sub peccatum. Huic expositioni Apostolicæ, longe securius locum dare possumus, quam quorumcunq; hominum, etiam doctissimorũ, glossis. Certum ergo est Christum, carnali huic legisperito legem spiritualem ideo opposuisse, vt ex vero eius vsu suam infirmitatem agnosceret, se & spoliatum & vulneratum esse, ideoq; Medico, qui vulnera sanet & coram Deo defenset, indigere intelligeret, sicuti iam nunc pluribus audiemus.

Sequitur ergo parabola Samaritani, in qua plerique nihil aliud tractant quam Allegoriam. Et sane fateor illam esse valde iucundam: siquidem eleganter depingit, & quomodo humana sit ad mortem vsque vulnerata, & quomodo Christus Medicus eam sanet. Verum quia Christo hic principaliter propositum est docere, non iustificationem, sed dilectionem atque ostendere, legisperitum adhuc procul abesse ab impletione legis, quod dilectionem. Iccirco principalis scopus parabolæ ante omnia est attendendus. Postea principali scopo tractato, licet ἀλληγορεῖν, quatenus id fert analogia fidei. Quod vero charitatis studium & exercitium hac parabola potissimum nobis commendetur, & non ratio iustificationis, illud vel inde manifestum est, quod sub finem parabolæ Christus dicit: *vade & tu fac similiter*. Quibus verbis non vult legisperitum cœlestem Samaritanum imitari, in redimendo vno aut altero homine ex spirituali sua corruptione, sed in exercitio charitatis: aut, si id hactenus non fecerit, vt certe nunquam fecit, neq; facturus erat, vult ipsum agnoscere, quod adhuc procul absit ab impletione legis de dilectione. Si autem Christus diserte legisperito dixisset: tu nescis quis sit tuus proximus: tu nescis quis sit diligere: non satis est quod Iudæos aut bene meritos salutas, non pulsas: tum legisperitum, qui fuit hypocrita offendisset, qui absque dubio indignabundus abiisset, sibiipsi persuadens, se probe legi satisfecisse. Ideoque quemadmodum Nathan 2. Sam. 12 v. 1. regi Dauidi in tertia persona suum lapsum proposuit, vt ipsius iudicium eliceretur: ita, quia omnes homines promptiores sunt in iudicandis aliis quam seipsis, etiam huic legisperito per parabolam in aliena persona considerandum proponit, quam procul ipse adhuc à perfectione dilectionis absit. Nec posset etiamnum hodie nobis pulchrius ob oculos pingi, quam rara, quam simulata sit charitas, quomodo ea refrixerit, quomodo in labiis potius hæreat, quam opere perficiatur, non tantum quoad vulgus hominum, sed etiam eos qui cum eam sciunt, tum de ea docent, quam id factum est in hac parabola.

Verum audiamus Christum. De eo dicit Euangelista: *Iesus ὑπολαβὼν suscipiens*, non suscipiens, vt habet vulgata versio. Nam ὑπολαμβάνω sic vsurpatur, vt significet alicuius sermonem excipere, seu respondere. Sic Plutarchus de def. orat. ὑπολαβὼν δὲ ὁ Ἀμμώνιος εἶπε. Et fortassis Euangelista hoc verbo propterea vsus est, vt innueret Christum ipsum suscepisse laborem ad propositam quæstionem respondendi, cum responsionem prioris quæstionis in interrogantem reiecerit.

Dixit ergo Iesus: *Homo quidam descendebat ab Hierosolymis in Hiericho*. Deus enim iam post lapsum cursũ humanæ vitæ sic moderatur, vt nec vni homini, nec vni alicui ciuitati vel regioni omnia, sed singulis aliquid peculiare dederit, atque

sic bona sua in vniuerso orbe distribuerit, vt quælibet regio, & habeat quæ aliis communicare possit, & quibusdam careat, quæ aliunde importari necesse sit. Sic horti Hiericho abundarunt balsamo & aliis delitiis, quibus magnates Hierosolymitani carere non poterant. Et hanc distributione Deus ideo ita instituit, vt inter homines vigerent commercia, atque esset certa rerum communio: quæ ipsa esse debebat officina ac proba charitatis mutuæ. Etenim qui in eremo habitant, & solitarij viuunt, illi quidem charitatem sibi fingere, aut de ea disserere possunt: at in commerciis dilectio exercetur & probatur. Hic ergo Hierosolymitanus ciuis profectionem instituit Hiericho versus, negociorum suorum expediendorum vel commerciorum tractandorum causa. Sed in medio positus est locus, frequentibus homicidiis & latrociniis infamis *Adomin* dictus: quem ne hodie quidem viatores sine conductu transeunt. Ibi etiam hic homo (nam parabolam Dominus verisimiliter recitat) in latrones incidit, qui eum initio *vestibus despoliauerunt* cum omnibus quæ habebat: neque his contenti, insuper *vulnera ei inflixerunt*, sicque abeuntes ipsum *semimortuum* prope viam iacentem reliquerunt, mox penitus periturum, si nemo succurreret, vt qui nec ipse sibi opem ferre, nec medicum quærere posset. Hoc certe latronum factum, non est opus dilectionis, quod omnes, etiam latrones ipsi, intelligunt. Et hinc videmus, quomodo charitas in genere inter homines sit obliterata. Deus instituit commercia, peregrinationes, profectiones, vt essent officina exercendæ dilectionis: sed ecce, fere nullibi fraudes plus dominantur, nullibi plures fures, prædones, latrones inueniuntur, quàm vbi ociosi homines & validi mendicantes, nouerunt opulentos mercatores iter facere, quibus insidiantur. Vnde etiam Syracides dixit cap. 27. v. 2. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic & inter medium venditionis & emtionis angustiabitur peccatis. Quicunque ergo siue fraude & dolo, siue aperta vi proximum circumuenit in negotiatione, ille non exercet opus dilectionis. Et hoc est vnum membrum parabolæ.

Iam porro si quis maxime non sit ex numero latronum, nec vulnera misero inflixerit: & tamen si transeat, fit ἐπιχαιρέκακος, qui alterius damno lætatur: Euge, euge, dicat. Tum etiam hoc ratio diiudicare potest, quod non sit diligere. Itaque tales Christus suo reliquit loco: & potius introducit *Sacerdotem* atque *Leuitam*, quorum vterque ad eundem locum peruenit. Et quidem *Leuitæ* non ignotum fuit præceptum dilectionis proximi, vt qui templo deditus sacris operaretur, & frequenter legis prælectionem audiret. *Sacerdos* autem insuper ex lege alios dilectionem docuit. Verum cum præceptum ad praxin est transferendum, vbi vterque & Sacerdos & Leuita, id intermittunt. Si quis hisce dixisset, eos peccare contra quintum præceptum, eos negligere legem dilectionis, ei contradixissent, & se excusassent, dicentes: Non nouimus quis hic sit: non vna cum ipso iter ingressi sumus: nos alio properamus nostrorum causa, non possumus hic moras nectere, vt mature Hierosolymam reuertamur ad sacrificia nostra, in quibus plus momenti positum est: adhæc quomodo nos peccamus contra dilectionem, quum vulnera ipsi non infligamus: cum nec verbis ipsum subsannemus, nec opere lædamus? Sic illi se excusaturi fuissent: & tamen qui penitus rem intuetur, ille omnino fatebitur, vtrumque contra dilectionem peccasse, eo quod hominem, eumque omnibus exutum, adhæc vulneratum, mox periturum, & ab omnibus desertum, qui ipse sibi succurrere non poterat, atque insuper Iudæus, ipsorum popularis, conciuis & frater erat, negligerent, & sine omni fraternæ commiserationis affectu præterirent.

Postremo venit *Samaritanus*. In quanto autem odio inter se vixerint Iudæi & Samaritani, ex Euangelica historia omnibus notum est. Huic certe caro suggerere potuisset: en, hic iacet hostis tuus, Iudæus: Euge, euge. Idem multas excusationes, easque speciosas, nectere potuisset. Ego sum homo peregrinus: quis hic sit ignoro, cum Iudæi hactenus eum neglexerint, quis scit an ob maleficium aliquod ita sit mulctatus? adhæc Ego versor in hostili terra: & si maxime ei vellem succurrere, quid si superuenirent latrones, & eodem modo quo hunc, etiam me exciperent? aut quid si Iudæi superuenirent, meque tanquam Samaritanum in suspicionem vocarent, ac si ego hostis tam male ipsum mulctassem, atque inde me comprehensum ad iudicem traherent, vbi pro beneficio maleficium accepturus essem? Hæc & multo plura Samaritanus prætendere potuisset. Verum nihil horum ipse fecit: quin potius talem se gessit, vt ex omnibus actibus illustria dilectionis indicia & documenta desumi possint. Nam 1. ipsum videns ἐσπλαγχνίσθη, intima cordis *misericordia motus est*, licet is genere alienus, Iudæus & hostis fuerit. Habuit ergo talem στοργὴν erga peregrinum, qualis natura parentibus erga liberos implantata est. 2. Deinde neglecto itineris dispendio, propius ad eum *accessit*. Vera enim dilectio non in nuda commiseratione acquiescit; sed occasionem quærit reipsa miserum subleuandi, eique officium aliquod præstandi, ex quo consolationem capiat. 3. Postquam miseriam hominis propius aspexit, mox opem afferre incepit, & quæ ad vitam ipsius seruandam facere intellexit, adhibuit. Nam *vulnera eius obligauit*, prius *infundens oleum ac vinum*, quæ sibi pro viatico assumserat. Vtrumque fuit præsenti malo accommodatissimum: siquidem vino vulnerum cruor & sanies eluitur: oleo autem seu balsamo doloris acerbitas lenitur, & vulnera sanantur. 4. Nec hoc officio contentus, *imponens illum in suum iumentum*, ipse pedes reliquum viæ confecit, itineris labore & fatigatione sauciati laborem & fatigationem leuans. Inde eum *in diuersorium duxit & ibi diligentiorem curam eius egit*, adhibens medicos & chirurgos, quorum opera miser pristinæ sanitati restitueretur. 5. Denique cum *postero die* negotia alio ipsum vocarent, licet hactenus satis cumulate beneficia in ipsum contulisset, nondum tamen ipse sibi satisfecit, nec hospiti meritorio propriis sumptibus curandum reliquit, sed *depromptos duos denarios hospiti dedit*, diligentissime ei ipsum commendans, & vt tantisper eius curam haberet rogitans, imo insuper se fideiussorem sisteris, pro impensis, quas in sua absentia ad reditum vsque facturus esset.

His omnibus pulchre & decenter exaggeratis, Christus suum antagonistam interrogat, *quis horum trium videtur tibi proximus esse illi, qui in latrones incidit*? Hic rei veritate & euidentia conuictus respondet, quod is fuerit *qui exercuit misericordiam in illum*. Hoc hypocrita ista nunquam responsurus fuerat, si Christus simpliciter & absque inuolucro rem proposuisset. Vulgaris enim Iudæorum & Pharisæorum opinio fuit, tantum Iudæos sibi inuicem propinquos esse, licere autem Samaritanos & quosuis gentiles auersari. Sic vero respondens, seipsum hactenus neglectæ charitatis damnauit. Vnde Christus concludit, & infert: *Vade, & tu fac similiter*. quasi dicat, Sicut hic Samaritanus se proximū exhibuit huic misero, licet genere alienus fuerit: ita tu proximum agnoscas, quemuis ope tua egentem, si in eum incideris: nec tantum proximum agnoscas, sed & misericordiæ affectu erga eum mouearis, & quacunque ratione potes illum iuues, Hoseæ illud tibi in memoriam reuocans: Misericordiam volo & non sacrificium.

Hic est verus & genuinus huius parabolæ à Christo propositæ sensus. Ex qua Ecclesiarum ministri occasionem sument, de charitate apud suos auditores disserendi, eosque ad huius virtutis πρᾶξιν exhortandi. Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur Christi vaticinium nimis nostra ætate verum est, quo prædixit Matth. 24. versic. 12. Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Item Pauli 2. Tim. 3. ver. 2. In nouissimis temporibus erunt homines φίλαυτοι, sui ipsos amantes. Vbi Apostolus φιλαυτίαν ponit fontem omnis mali, neque immerito. Nam amor proprius peruertit iudicium; obfuscat rationem: obscurat intellectum: corrumpit voluntatem: venatur honores: negligit animæ salutem. Est instar hederæ, quæ passim sua sponte inuenit, quo se alliget. Animi ergo auditorum ab amore proprio abducendi, & ad amorem Dei atque proximi extimulandi sunt. Qui Deum diligit, idem etiam proximum diligat, propter Deum. Hic erga proximum charitas debet esse efficiosa, qualem in hoc Samaritano videmus: in quo charitas benigna est, patiens est, omnia suffert, omnia sustinet. 1. Cor. 13. v. 4. Quid potest frater fratri charissimo facere, quid pater filio vnigenito in eiusmodi necessitate, quod Samaritanus non fecerit huic Iudæo? Nulli parcit labori, nullis sumptibus, imo ne pericula quidem reformidat, duntaxat miseri huius saluti consulatur. Discant ergo etiam nostri homines, miseris & afflictis condolere, iisdem opem ferre, eos pro virili iuuare, citra discrimen personarum: si modo pro veris Christianis haberi velint. Sed ô nostram plus quam ethnicam ἀστοργίαν, quæ tum fere sese exerit, quando Deus nos ob peccata nostra peste punit: ibi sæpenumero non vicini tantum & agnati, sed etiam fratres & sorores, parentes & liberi, quin & coniuges erga se inuicem charitatis officia exercere obliuiscuntur. Non iussero quenquam, vt se sponte & temere periculo obiiciat, sicque proprij corporis homicida efficiatur, dum contagiosis locis sese absque vlla vocatione & absque necessitate ingerit. Ibi enim locum habet Sapientis illud: Qui amat periculum, peribit in illo. Itaque qui nec ratione vocationis, nec alio vinculo coniunctionis aliis obstrictus est, vt ille securitati suæ consulat, nec incendium alioquin grassans sua temeritate augeat & latius spargat, nunquam improbauero. Singuli tamen viderint, vt sic sibiipsis consulant, ne proximus negligatur, neve per immisericordiam in leges charitatis peccet. Prætexunt

texunt quidem multi multa, quibus se excusant: sed illę ipsæ excusationes vix apud homines iustum locum inueniunt. Quid ergo in iudicio Dei futurum putabant? Sed de his pluribus disserere alterius est loci.

Inprimis autem antistites Ecclesiarum, Doctores & pastores, exemplo huius Iudaici Sacerdotis & Leuitæ præmoniti sint: ne idem ipsis quod illis obiici possit, quod præ vulgo sancti haberi voluerint, quia nimirum doctrinæ vacarent, & ceremoniis sacris peragendis occupati essent, dum interim prophanus Samaritanus, & pietate & charitate, coram Deo ipsis superior fuerit. Quin potius bono exemplo aliis præeant, & quod ex sacris alios de pietate, charitate, misericordia & beneficentia docent, facto ipso etiam explere studeant.

Porro, quia Christi mos est in vulgaribus parabolis etiam sublimiora aliqua mysteria nobis commendare: ideo Patres, inprimis Augustinus, Ambrosius, Hieronymus & alij, etiam ex hac parabola mysterium redemptionis per Christum peractæ explicare & suis ob oculos proponere conati sunt. Horum diligentiam nos improbare non possumus, neque Allegorias illas, cum aliis quibusdam, ceu ineptas & insulsas reiicimus: sed ipsorum vestigia legentes, & nos illas obiter tractabimus. Etenim quemadmodum alias in aliquibus sententiis, ita certe hic in parabola admodum eleganter nobis summa nostri Christianismi ob oculos pungitur: quæ in tribus hisce consistit. 1. In doctrina de corruptione naturæ nostræ. 2. in doctrina de reparatione eiusdem & iustificatione. 3. denique in doctrina de noua obedientia. Singula breuiter inspiciamus.

I. Principio igitur rerum omnium conditor Deus, ob immensas bonitatis & magnificentiæ suæ opes, hominem, imagine sua decoratum, ad eum finem destinauit, quo maior nullus cogitari potest; nimirum vt æternæ felicitatis & beatitudinis secum particeps fieret. Hominem ergo in summa perfectione creatum esse nouimus: sed qualis illa perfectio fuerit, nec cognoscendo nec eloquendo assequimur. Et hæc est pars aliqua originalis nostræ corruptionis, quod nec agnoscimus, nec sentimus, quantopere simus deprauati: sed ipsi nobis placemus, quasi probe adhuc boni essemus. Quapropter lex in eum finem data est, vt illa aliquo modo ostenderet, qualis illa perfectio fuerit. Quod nimirum tali facultate præditi fuerimus, vt potuerimus *Deum diligere ex toto corde, & proximum sicut nos ipsos.* Fuit ergo homo originali iustitia, ceu regia corona decoratus, qua Deus ipsi immortalitatem & imperium supra cuncta animantia, & (quod erat multo maius) supra seipsum, hoc est, supra omnes affectus & motus animæ suæ donauit, rerumque omnium scientiam, quæ ad status illius dignitatem pertinebant contulit. Neque hanc iustitiam solum, sed gratiam quoque & cœlestes virtutem habitus in mentem eius infudit: illam quidem vt animam Deo gratam & amabilem redderet, hosce vero, vt eandem operosam, seu ad omnia virtutis officia exercenda potentem faceret, atque ita demum puritatis & sanctitatis diuinæ participem efficeret, eiusque imaginem his virtutum gemmis clariorem & pulchriorem redderet. Et dum Adamus in hac perfectione perstitit, fuit *in Hierusalem*, hoc est, in visione pacis, & in summa felicitate, alienus ab omni prorsus miseria, ægritudine, ignorantia & mortalitate.

In hoc autem honore constitutus, antiqui serpentis astutia in fraudem coniectus, Deique præceptum transgressus, cum innocentia simul iustitiam & gratiam, quam acceperat, amisit. Et idem accidit Adamo, quod interdum illis, qui ex curiositate aliqua peregrinantur. Illi profectiones suas in eum finem instituunt, vt noua bona acquirant & multum lucrentur, sed sæpenumero falluntur, & fit, vt in latrones incidant, & loco lucri, vitam cum bonis amittant: maxime si prauo sodalitio sese associent. Sic Adamus sese diabolo associauit, & cum ipso *ab Hierosolymis descendit in Iericho*, ex statu perfectionis & stabilitatis, in statum mutabilitatis. *Iericho* enim lunam significat, quæ est mutabilis. Syr. 27. v. 12. Voluit fieri Deo similis: & ecce similis fit Diabolo, Dei hosti & osor. Nam ipsi diaboli fuerunt illi *latrones*, qui Adamum & omnem eius posteritatem *exspoliarunt* donis gratiæ, quæ ipse acceperat, & *vulnerarunt*, quoad bona naturæ. Lapsus itaque Adami quasi dirum quoddam naufragium fuit, quo preciosę cœlestium donorum merces, magno generis humani malo amissæ sunt. Ex iusto nimirum iniustus, ex sapiente stultus, ex beato miser, ex immortali mortalis factus est. Quemadmodum enim cadauera myrrha condita à vermibus & putrefactione incorrupta seruantur, qua sublata corrumpuntur & vermibus scatent: sic quamdiu iustitiam & gratiam homo retinuerat, & ab omni corruptionis & peccati iniuria immunis erat; vbi vero illa dona amisit, protinus vermibus & corruptioni obnoxius factus est. Reuera itaque lamentabilis fuit hæc profectio: quæ nihil aliud effecit, quam quod postea Adamus cum omnibus suis posteris in hac lachrymarum valle ad extremum vitæ halitum vsque peregrinari coactus est. Hanc corruptionem naturæ nostræ Christus in hac parabola nobis considerandam proponit. Sed sicuti nos perfectionem amissam non intelligimus: ita nec corruptionem acquisitam recte agnoscimus. Vnde Smalcaldici Articuli vere testantur, peccatum originis tam profundam & terram naturæ nostræ corruptionem esse, vt nullius hominis ratione intelligi possit, sed ex Scripturæ patefactione agnoscenda & credenda sit. Adamus & Eua, generis nostri principes, qualis corruptio fuerit, sensere: qui vbi Dei præceptum violarunt, se nudos & pudore affectos deprehenderunt, ac proinde folia ficuum quæsiuerunt: quod antea simplicitatis & gratiæ opibus ornati neque aduerterant, neque ob id erubuerant. Nobis vero iam lex data est, quæ monstret & exigat perfectionem. Et quando eam non præstamus, tum iram operatur, Rom. 4. v. 15. & mortem minatur. Itaque vsum legis diuinæ recte agnoscere discamus.

Plerique existimant legem à Deo datam esse, vt per eam viuificemur. Sed in eo grauiter errant. Lex id postulat, quod nos præstare non possumus: ac proinde non vitam, sed mortem operatur. 2. Cor. 3. vers. 7. Nam qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, Gal. 3. v. 10. Item. Si data esset lex, quæ posset viuificare: vere ex lege esset iustitia, ver. 21. sed lex infirmatur per carnem Rom. 8. v. 3. Et tamen Deus digito suo scripsit Decalogum, non tum cum integra, sed cum lapsa esset humana natura, & cum sciret illam nobis seruatu esse impossibilem. Idque fecit propterea, vt nobis (ceu spiritualiter phreneticis, sicut supra quoque dictum est) monstraret nostram impotentiam, & eo nos deduceret, quo agnosceremus nos esse in ira Dei, & sub maledicto legis. Matt. 17. versic. 26. Iac. 2. v. 10. Qui in vno offenderit, factus est omnium reus. Ergo non sufficit nouisse lapsum Adami: sed prodest Decalogum sæpius in manus sumere, & ad eius amussim examinare vitam, vt sic sentiamus nostram corruptionem, & quæramus medicum; sentiamus iram Dei, & quæramus Mediatorem seu reconciliatorem. Agnoscamus nos esse *semimortuos*. Quid est esse *semimortuum*? Nihil aliud, quam ad quædam opera esse viuum, & ad alia quædam opera mortuum. Mortui nimirum sumus ad bonum: ad malum autem viuacissimi Iuxta illud Ier. 4. v. 22. Sapientes sunt vt faciant mala, benę autem facere nesciuerunt.

II. Quid igitur? Num quia nos legem seruare non possumus, Deus illud tacitus negliget, aut non curabit? Minime vero. Nam cœlum & terra transibunt, sed ne vnum quidem iota aut apex vnus de lege præteribit, donec omnia fiant. Matt. 5. v. 18. Philosophi & Pelagiani hanc naturæ corruptionem aliquo modo sentientes, remedium quęsiuerunt in ipsa natura & residuis eius viribus. Sperantes, si ingenium studiis & disciplinis excoleretur, vita autem rectis moribus institueretur, tum illud ad sananda hæc vulnera sufficere posse. Sed reuera hæc ipsa sunt folia ficuum, quæ naturalem fœditatem nequaquam contegunt. Et quantum hic vulneratus ad suį sanationem ac restitutionem conferre potuit: tantundem etiam homo ex viribus liberi sui arbitrij ad sui iustificationem conferre potest. Alij ergo hoc agnoscentes, & inprimis Iudæi, ad diuina præsidia ac medicamenta confugerunt. Scilicet ad leges Dei sanctissimas, quas à Deo propterea promulgatas, & ipsius digito tabulas inscriptas statuere, vt illis rursus iter ad immortalitatem patefaceret, atque homines & bonos & beatos efficeret. Adiecit sane Deus in fauorem legis, eiusdem cultoribus, magnificentissimas promissiones: Custodite leges meas, inquiens, atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. Leuit. 18. v. 5 Tum insuper sacrificia addidit, vt si quando in leges peccatum esset, expiandi criminis ratio in promptu esset. Sed quid etiam hæc medicina profectum est? Illud Apostolus Paulus aperte indicat his verbis: Lex subintrauit, vt abundaret delictum. Rom. 5. v. 20. Et rursus Rom. 7. vers. 9. Cum venisset mandatum peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum: & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Non ergo legis doctrina, non expiationis sacrificia, ad sananda animorum vulnera salutarem opem hominibus conferre possunt. Quod plane, in curatione huius à latronibus vulnerati hominis, *Sacerdos & Leuita prætereuntes* designant. Neuter enim salutem vulnerato aut medicinam contulit. Neminem enim lex ad perfectum adduxit. Hebr. 7. v. 19.

An ergo præclusa est omnis via ad salutem? Si enim neque disciplina Philosophiæ, neque lex à Deo data, nos ad perfectionem reducunt, quæ nos spes reliqua manet? Id nos docet Euangelium Christi: in quo Christus ipse se vocat *Samaritanum*, vt sic se opponat Iudæis, q. d. Vos nuper per conuitium me *Samaritanum* dixistis: sed nisi hic ipse *Samaritanus*

vos iuuet, in æternum peribitis. Nam nullum sub cœlo datum est nomen, in quo possint homines salui fieri, præterquam nomen Iesu. Actor. 4. vers. 12. Hæc ergo est vera & vnica ratio salutis nostræ: quod æternus Dei filius ineffabili *misericordia motus*, relicta cœlesti Hierosolyma in inconstantem & periturum hunc mundum venire dignatus est. In eo nobis *appropinquauit*, dum humanam carnem induit, eam personali vinculo sibi colligatam ad diuinitatis communionem sustulit, in ea primum omnem corruptionem remouit, diuinis dotibus & prærogatiuis eam exornauit, postea in ea pati, & pro totius humanæ carnis corruptione satisfacere, sicque nos per fidem assumptos in integrum restituere voluit. Hoc immensum filij Dei opus, quando in Euangelio nobis annunciatur, & nos credula mente illud suscipimus, tum *beatæ sunt aures, quæ audiunt quod nos audimus, & beati oculi*, qui hunc Dei filium in victimam à Patre missum vident & suscipiunt.

Cæterum attendendum etiam, quomodo Christus nos tractet, & quid nobiscum agat, si velit nobis suam passionem & mortem conducere ad salutem. Etenim thesaurus salutis acquisitus est pro omnibus hominibus: sed non omnes eo fruuntur. Culpa non est cœlestis nostri Samaritani, qui omnibus hominibus æque *appropinquauit*, vni tam propinquus per incarnationem factus quam alteri. Eundem etiam thesaurum in Euangelio tam Iudæis & legisperito offert, quam discipulis. Sed non omnes eum suscipiunt: *non omnes videre & audire volunt*. Quia Christus peculiarem viam ac rationem obseruat in nobis curandis & sanandis, quæ non omnibus adlubescit, vnde multi refractarij facti sua culpa in miseriis suis hærent & pereunt. Quæ ergo est ratio nos sanandi? 1. *Infundit vinum & oleum*. 2. *Vulnera obligat*. Hæc admodum apte hoc modo explicantur: quod *vinum* denotet legem, cuius acrimonia saniem ex vitiosa carne eluit, & salutarem Dei timorem implantat: *oleum* est gratia Euangelij, quæ virtus est ad salutem omni credenti, & nos rursus ad amorem Dei excitat. Sacramenta autem sunt quasi *alligamenta*, quibus labra vulnerum rursus coeunt, per quæ etiam virtus passionis & meritorum Christi nobis applicatur.

Hæc sane expositio plana est: sed omne iam in eo situm est, si quando cœlestis hic Samaritanus ad nos accedit, si *seorsim se ad nos conuertit*, & in specie nostra vulnera extergere atque obligare conatur, vt attendamus quomodo nos eum admittamus, & qualiter nos geramus. Etenim si vulneratus chirurgi operam non admittat, si nec vino nec oleo vulnera elui patiatur, si ligamenta reuellat & abiiciat, tum nunquam is ad sanitatem reducetur. Atqui in spirituali hac sanatione quam plurimi id faciunt. Quando *vinum infunditur*, lex adhibetur, peccata arguuntur, quidam sunt ἀναίσθητοι, qui omnem sensum amiserunt, vt si maxime increpationibus & minis iræ diuinæ eos obtundas, nihil tamen efficias: sunt ἀπηλγηκότες, qui iam dudum dedoluerunt, & seipsos proteruiæ dediderunt, ad certatim parandam omnem impuritatem. Eph. 4. v. 19. Hoc si in vulnerato fiat, vt vini acrimoniam non sentiat, tum malū id est indicium recuperandæ sanitatis. Sunt postea alij, qui nimis subtiliter sentiunt, & quando vinum infunditur ægre id ferunt; tantum oleo sua vulnera leniri volunt, ac propterea ligamenta firmiora abiiciunt, nil præterquam gratiæ benignitatem audire cupientes. Hoc qui faciunt, & qui vinum ac ligamenta tolerare nolunt, de iis etiam perexigua spes est. Propterea enim verbi ministri sal terræ Matth. 5. v. 13. dicuntur: quia acrimonia legis prius corruptæ carnis putredinem quasi erodere debent, quam oleum gratiæ infundatur. Quapropter consultissimum est, vt eodem modo nos tractare sinamus, quo hic vulneratus, qui quasi merum fuit subiectum patiens: vinum legis patienter toleremus, oleo liti & gratia eius perfusi oculos fidei attollamus ad hunc serpentem nobis in hoc deserto mundi suspensum. Num. 21. versic. 9. Tum enim ipse nos *imponit in suum iumentum*, hoc est, suo quasi incommodo nostra commoda quærit. Vulneribus quippe suis nostra vulnera sanat: vinculis suis vincula nostra tollit: verberibus suis debita nostra dissoluit: laboribus suis requiem æternam nobis promeretur: sanguinis sui precio nos à Diaboli captiuitate redimit: humilitate sua nos ad cœlestem gloriam attollit: crucis denique supplicio nobis cœleste regnum mercatus est. An non hoc est à iumento descendere, & ægrotum supra illud ponere? Nos igitur *ad diuersorium*, nimirum ad Ecclesiam, deportati omnia illa patienter & feramus & faciamus, quæ ipse in salutem nostram ex duobus testamentis, Veteri & Nouo (Hi enim sunt *duo* quasi *denarij*, vnius Regis imaginem habentes, nimirum vtraque testamenta sunt eloquia Dei. 1. Pet. 4. v. 11.) protulerit: certi, quod si firma fide ipsi adhæserimus, per eam coram Deo in hac vita simus iustificati, & post hāc vitam æternæ salutis hæredes futuri. Πανδοχεὺς quoque seu *hospes*, hoc est, per hunc adumbrati verbi ministri, diligenter vulneratorum fidei suæ commissorum curam habeant, nihil addubitantes sibi in cœlo amplissima præmia asseruari, quæ pro fidelitate sua sint accepturi, Dan. 12. vers. 3. & 1. Tim. 3. v. 13. Qui bene ministrauerint gradum bonū acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu. Verbum προσδαπανᾶν *insuper insumere*, vel sumptibus sumptus addere, verbi ministros ad summam diligentiam instigare debet. Christus Samaritanus per se est πλούσιος, largus & liberalis, atque duo illi denarij ad salutem reparandam pro ægris sufficere possunt: sed si Ecclesiæ Doctor in interpretatione diuinorum sermonum vtiliter aliquid, quod fidei ἀνάλογον sit, & pro temporum atque personarum conditione ædificationi & confirmationi inseruit, addit, nouerit se mercedem suam nequaquam amissurum.

Hac ratione & his medicamentis Christus Iesus, cœlestis noster Samaritanus, collapsum hominem instaurauit, amissam per peccatum gratiam reparauit, & vulneratum à latronibus sanauit, quem neque Sacerdos neque Leuita, hoc est, neque lex, neque sacrificia ad sanitatem reducere poterant. Ad hunc modum primo nostro patri Adamo sanitas rursus obtigit. Bone Deus quam miserabiliter ille prostratus & nudus iacuit in horto Eden, vbi se post arbores abscondit? Accessit filius Dei, & primo quidem *vinum infundit*: atrocitatem peccati & inobedientiæ ipsi ob oculos ponens, labores, ærūnas & mortem ipsi denuncians. Deinde vero etiam *oleū* gratiæ addidit; erigens ipsum rursus promissione Euangelij, de venturo semine mulieris serpenti caput contrituro. Inde & Adamus reuixit, & coniugi nomen Heuæ, tanquam matri cūctorum viuentium, indidit. Eadem est ratio omnium iustificandorum: sicuti id exemplis Dauidis, Manassæ, Petri, Pauli & aliorum commonstrari potest. Hi omnes reipsa experti sunt, se per Christum accepisse remissionem peccatorum, & ab omnibus, à quibus per legem Mosis non potuerant iustificari. Act. 13. v. 38.

III. Hoc idem vere & nos credimus. Num ergo ita absoluti sumus à lege Dei, vt illa prorsus nihil ad nos pertineat? Nequaquam. Nam tantum secundum quid liberati sumus à lege. Nimirum 1. Absoluti sumus à lege, quoad eius maledictionem: quia iam non amplius sumus sub lege, sed sub gratia. Rom. 6. vers. 14. & iam nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Iesu. 2. Deinde absoluti sumus à lege, quoad iustificationem: quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro, coram Deo. Rom. 3. versic. 20. Sed 3. non sumus absoluti ab obedientia legis. Nam & renati seu iustificati debitores sunt: non carni, vt secundum carnem viuant: sed vt Spiritu carnis facta mortificent. Rom. 8. versic. 12. Certe in hac parabola vulnerato restituitur sanitas, non vt perpetuo à baiulis portetur, aut à pandocheo ipsi cibus in os ingeratur: sed vt ipsemet rursus incipiat ambulare, & opera sani hominis exercēre. Ita iustificatis datur Spiritus renouationis, vt noua obedientia, vtcunque sit languida, tamen inchoetur. Ideo Christus hic dicit: *Vade*. Hic Imperatiuus positus est loco Interiectionis hortantis: Agedum *fac tu similiter*. Hoc est, quando fide es iustificatus, tum legem reassume & quemadmodum tu misericordiam es consecutus à Deo: ita vicissim misericordiam exerce erga proximum. Et notatu dignum est, quod Dominus Iesus bis legisperito dixit *fac*: plane diuerso sensu. Primo, cum legisperitus, adhuc persuasione Pharisaica ebrius, existimaret se in lege Dei iustitiam & beatitudinem inuenire posse: dicit ei Christus *fac hoc & viues*. Volens ipsi ostendere suam infirmitatem, quod nec Deum toto corde, nec proximum vt seipsum diligere possit, cum nōdum sciat quid per *proximum* sit intelligendum. Atque sic illud *fac hoc*, pertinet ad secundum vsum legis, quo seuerum examen operum in iudicio Dei instituatur, vt ita homines ad agnitionem suæ miseriæ & imbecillitatis deducantur, & sciant extra se quærendam esse aliam iustitiam, quam sit iustitia operum. Postea vero, cum Legisperitus agnosceret, Samaritanum rectius executum esse dilectionem proximi, quam fecerint Sacerdos & Leuita, ibi Christus rursus dicit *fac tu similiter*. Volens ipsi ostendere formam nouæ obedientiæ: quod iustificati non debeant excogitare nouos cultus sine verbo, sed scire hanc esse Dei voluntatem, vt obedientiam inchoent quoad ipsa Decalogi præcepta.

Et licet in hac ipsa noua obedientia omnes fateri cogantur: quod Spiritus quidem sit promptus, caro autem infirma. Item, vnusquisque cum Paulo dicat: Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Rom. 7. v. 25. Et v. 22. Delector lege Dei secundum interiorem hominem: video autem legem in membris meis repugnantem. Iccirco hæc languida principia exhortationibus & promissionibus sunt excitanda atque vrgenda: & prodest sæpe considerare causas, quæ nos impellere debent ad studium bonorum operum. Quomodo iis studere

dere debeamus 1. propter mandatum Dei, qui vult, vt liberati ex manibus latronum & hostium nostrorum, ipsi seruiamus in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ. Luc. 1. v. 75. 2. propter proximum, vt ei inseruiamus, bono exemplo aliis præeamus, nec quenquam offendamus. 3. Propter nosipsos, nec fides rursus excutiatur: sed vt ea in exercitio bonorum operum crescat & augeatur. Nam quidam repellentes bonam conscientiam naufragium passi sunt circa fidem. 1. Tim. 1. v. 9.

Hæc est illa allegoria, quæ ex dicta parabola desumi potest. Et licet D. Hieronymus recte dixerit: Nunquam parabolæ vel dubia ænigmatum intelligentia, potest ad dogmatum authoritatem proficere. Si tamen dogmata ipsa alibi in Scriptura disertis verbis proponantur, non inutiliter huiusmodi Allegoriæ ad illa illustranda assumuntur. Illi ergo, qui primitias Spiritus acceperunt, si plene sanari cupiant, ipsi Medicum adeant, eius opē assiduis precibus humiliter implorent, ipsius monitis ex lege depromptis obtemperent, clarissimis eius beneficiis mentem suam leniant, salutarem doctrinā & Sacramentorum alligamenta, quæ sanandis vulneribus instituta sunt, frequenter. Sic fiet, vt vulnerum sanitatem, peccatorum veniam, Dei fauorem, Spiritus sancti gratiam, & denique cœlestem gloriam per Iesum Christum adipiscantur.

D. Ambrosius huius parabolæ sensum aliter explicat. Putat enim Dominum ea voluisse indicare, se esse illum proximum, qui à Scriba sit diligendus. Et quia idem simul sit Deus & homo: iccirco nos ipsum tanquam hominem debere diligere sicut nosipsos: tanquam Deum autem debere diligere ex toto corde, & tota anima. Vt sic in Christo Iesu vtrumque dilectionis præceptum plene adimpleatur. Verum quia hæc explicatio est coactior, ideo illam suo relinquimus loco, & peiorem sequimur.

CAPVT CVI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CHRISTVS DIVERTIT AD MARTHAM ET Mariam. Luc. 10. versic. 38.

RATIO ORDINIS.

HVic historiæ hic locus in Harmonia debetur, non tantum quia ipse Euangelista Lucas eam præcedenti directe subiungit, sed etiam quia per se appositissime illam sequitur. Dubium enim est nullum, quin Christus, postquam lapidibus ex templo Hierosolymitano expulsus, aliquantisper delituerat, & discipulos suos emissos rursus collegerat, statim seipsum ad iter expedierit, vt ex sanguinaria ciuitate discederet, quia tempus passionis & mortis suæ nondum aduenerat. Antequam autem abiret, semel rursus in publicum prodiit, discipulos ob sui cognitionem beatos prædicauit, & legisperito tentanti respondit, vt modo audiuimus. Cumque in parabola de quatuor viris Hierosolymis Hiericho versus iter facientibus locutus fuerit, mox ipse quoque cum discipulis idem illud iter ingressus est, sicque Hierosolymis discessit. *Dum ergo irent, ἐν τῷ πορεύεσθαι αὐτοὺς, factum est*, quod in hac historia describitur: *Castellū* enim in quo habitauit *Martha, cum sorore Maria*, & fratre Lazaro, fuit Bethania, sicuti patet ex Iohan. 11. v. 1. Bethania autem sita est in ipsa via tendētibus Hierosolymis in Hiericho. Siue ergo Dominus Iesus circumierit prius etiam in alios vicos & ciuitates, Ecclesias à se plantatas visitans, siue recta ad Iordanem versus tenderit, certum est hanc historiam in illa profectione Bethaniæ, quā D. Hieronymus libro de locis Hebraicis, villam in secundo ab Ælia (siue Ierusalem) miliario in latere montis Oliueti sitam esse scribit, accidisse.

Cæterum hic silentio non prætereundum videtur. Anno Christi 1240. in Cōcilio Lugdunensi, institutum esse festum Assumptionis siue Migrationis Mariæ beatæ virginis, cui loco Euangelicæ lectionis attributa est hæc historia. Celebrāt Pontificij hoc festum quotannis magna solennitate, ad XV. diem mensis Augusti. Et quidem tanto maiori, quanto plus felicitatis hunc diem Mariæ attulisse autumant, quam dies annunciationis, natiuitatis, purificationis, resurrectionis, vel ascensionis Christi. Horum enim dierum gaudia nouis miseriis interpolata esse statuunt: extremum autem illum Assumptionis diem nullam tristitiam obnubilasse, sed ex perpetua conuersatione cum filio in gloria beatissimum esse dicunt. Initium huic superstitioni dederunt, vt Augustinus ipse statuit Ser. de Assumpt. Mariæ, coniecturæ deuotorū quorundam hominum, qui sic cogitarunt: Henoch in primo mūdo non apparuit, quia tulit eum Deus. Gen. 5. v. 24. Helias fuit leuatus in cœlum curru igneo. 2. Reg. 2. versi. 11. & mater Domini computruisset in tumulo? Confirmarunt quoque illas suas cogitationes ex quarto præcepto: quod filius, qui semper matrem suam summo amore & veneratione prosecutus fuisset, nequaquam tolerare potuerit, vt illud corpus, quod ipsi incarnato per nouem menses hospitium præbuisset, vermibus esca fieret, & computresceret. Et sane hoc, quo minus factum sit, non est impossibile: verum quod reuera factum sit, de eo neque in Scripturis, neque in Ecclesiasticis probatis Scriptoribus quicquam extat. Vnde etiam Epiphanius in Panario hær. 78. & 79. nihil hac de re definire voluit, quia nusquam quicquam de Maria extet, vtrum mortua, an viua in cœlum translata, vtrum sepulta, an non sepulta sit.

Multum autē incrementi coniecturis illis dedit fabulosus scriptor Nicephorus Callistus, qui lib. 2. c. 21. 22. & 23. ex reuelationibus quorundā & apocryphis libris narrationē fictam contexuit de Mariæ Assumptione, quomodo Christus, cū adesset tempus, quo dilectissimam suam matrem ex hac lachrymarū valle euocare, & in cœleste suum regnū assumere vellet, matri miserit angelum, de migratione & suo ad ipsam aduentu eam certiorē facientem. Et quia Maria libenter prius in hoc mūdo Apostolis valedixisset, hos omnes tonitrus & nymbi sonitu confestim ex omnibus finibus congregatos, & inuisibiliter Hierosolymā per angelos deportatos fuisse, in ædes Iohannis, vbi Maria lecto incumbens, & singulis valedicens atq; mandata dans, animam sine omne gemitu filio tradiderit. Imo figmentū (sicuti fabulę fabulas gignere solēt) vires acquisiuit: quia affirmarunt filium in cœlesti pōpa cum omnibus choris angelorū, Patriarcharum, Prophetarum & sanctorum de cœlis ad ipsum descendisse, atq; beatam animam in triumpho ad summū cœli thronum vsque secum adduxisse. Corpus autem cum summa reuerentia, pheretro, vnguentis & floribus sparsis, impositum, cereis ardentibus prælatis, angelis quoque cœlitus vel præeuntibus, vel stipantibus, vel cōsequentibus, ex Sion in Gethsemani, Apostolicis manibus gestantibus, & simul mirifica carmina concinentibus, ad sepulchri locum delatum esse: vbi mira miracula referunt, quæ partim ad lectum, partim inter deferendum acciderint. Nondum figmentorum finis. Nam tradunt quadragesimo die post assumtionem animæ, Christum secunda vice cum omnibus angelorum choris & sanctis de cœlo descendisse, atque ipsum corpus ex sepulchro ad se assumsisse, & in supremum thronum maiestatis mediam inter patrem & se, tanquam cœlireginam, collocasse. Cuius diei lætitia tanta fuerit vt nullis neque hominum neque angelorum linguis efferri possit: non aliter quam si regis cuiusdam coronati regina mater & sponsa in regnum aliquod magna pompa adduceretur. Et hoc omne argumento plus quam apodictico cōfirmarunt, nimirum hoc: quia, cum alias omnium sanctorum reliquiæ passim prostent, Diuinæ tamen matris reliquiæ nullæ vspiam inueniantur: Quod ad probandum sufficiat, illam anima & corpore in cœlum translatum esse.

Hisce figmentis postea in Papatu superstruxerunt cultum Mariæ, & homines ad eam inuocandam inuocarunt. Hanc enim collocatam esse ad dexteram filij, & ab ipso tantam potestatem & gratiam accepisse, vt nihil quicquā nec Pater nec Filius ipsi denegare possint. Imo filium cum matre dominium suum diuisisse: ita vt ipse quidem Christus præsit iustitiæ pro perfractis, Maria autem præsit misericordię pro infirmis. Denique ne quid superstitioni vlla ex parte desit, in Papatu festo assumptionis Mariæ addicere etiam alterum (vt sic nominare liceat) festulum, Consecrationis herbarū, *Die Krauter VVeihe*. Ex quadam Legenda discipuli, qua dicunt Mariam, cum ascenderet in cœlum, secum habuisse herbulam, quam ipsi attulerit angelus ex paradiso, cuius hæc virtus fuerit, vt diabolos & spectra fugaret. Hinc Mariam à filio, in sui memoriam, hoc beneficium impetrasse, vt si hoc die in ipsius nomine herbæ & flores consecrarentur, eædem hac virtute præditæ essent, vt Diabolos, tempestates & fulmina

pellerent. Cumque pro tam celebri ac solenni apud ipsos festo, nullum in sacris Bibliis textum inuenirent, hanc historiam loco Euangelij elegerunt; quia *Maria meliorem partem elegerit*, nimirum dexteram filij sui, *quæ non auferetur ab ipsa.*

Dicet hic fortassis candidus lector, nugæ hæ sunt & fabulæ. Vnus enim Mediator est Dei & hominum, homo Christus: non Maria 1. Tim. 2. v. 5. Et omnis creatura Dei bona, quæ sanctificatur per verbum Dei & orationem. 1. Timoth. versic. 5. Quid opus est magica eiusmodi consecratione? Cur aureum hunc tuum Commentarium futilibus istis figmentis conspurcas? Respondeo. Vtique nugæ hæ sunt & fabulæ Pontificiæ. Verum propter iuniores prodest interdum horum meminisse. Idem enim hodie nobis accidit cum nostris auditoribus, quod olim Mosi cum Israelitis in deserto, cum occupanda erat terra Chanaan. Seniores omnes, qui senserant onus seruitutis Ægyptiacæ, & viderant prodigia atque opera Dei, quibus eos ex ferrea fornace seruitutis liberauerat, in deserto mortui erant. Filij ipsorum iuniores, qui ista nec senserant, nec viderant, vix dimidiam partem malorum illorum credebant, & proinde subinde rursus in Ægyptum animis propendebant. In horum ergo gratiam Moses instituit suam Deuteronomium, in quo filiis ob oculos ponit pressuram, quam patres sustinuerint: miracula quibus ipsos Deus ex ea eripuerit: atque inde commendat ipsis legem Domini, vt tanto maiori sedulitate eam tenerent & seruarent. Sic maiores nostri, qui plus quam Cimmerias tenebras Papatus viderunt, & plus quam Neronianam conscientiarum carnificinam senserunt, ac proinde gratis & lætis animis liberationem ex Babylonica ista seruitute susceperunt, illi omnes mortui sunt. Iuniores parum ea de re nouerant, non omnia ita se habuisse credunt, accedunt Iesuitæ, qui impudenter multo negant, aut callide confictis strophis, istas idolomanias contegere nituntur. Hinc decrescit zelus & feruor erga reuelatum purum Euangelium, decrescit odium aduersus Papatum, & multi desiderijs ac votis suis eo propendent, vt ad ollas istas Ægyptias, in culina Papæ delitijs refertas, reuertantur. Propter hos igitur vtile est, interdum veteres nugas & idolomanias in publicum producere, vt videant quomodo verum factum fuerit illud Pauli, 2. Thess 2. versicul. 10. eo quod charitatem veritatis non receperunt vt saluti fierent: ideo mittet illis Deus efficaces errores, vt credant mendacio.

An non enim hæc sunt putidissima mendacia, quæ vel cæcus ad parietem palpando deprehendere poterat?

Affirmant Maria petente, omnes Apostolos ex omnibus finibus orbis per nubem ad ipsius lectum deportatos esse. Hoc si verum est, quî fit, quod nullus Apostolorum eius mentionem fecit, vel saltem in honorem Mariæ, si non propter ipsum miraculum? Paulus meminit sui raptus vsque in tertium cœlum. 2. Cor. 12. vers. 2. tradit etiam 1. Thess. 4. vers. 17. quod in nouissimo die fideles qui superstites manebunt, vna cum illis qui iam resurrexerunt, rapientur Christo obuiam in nubibus. Meminit Lucas Act. 8. vers. 39. quomodo Spiritus Domini rapuerit Philippum, vt Eunuchus non amplius eum viderit, & inuentus sit in Azoto. Spiritus quoque sanctus sæpius mentionem fecit Ezechielis, quomodo is spiritu ad diuersa loca deductus fuerit. Et idem sanctus Spiritus oblitus fuisset huius honoris Mariæ habiti, quo omnes Apostoli congregati fuissent? Quid putabimus omnes gentes dicturas fuisse, si ipsorum Apostoli sic vno momento apud ipsas euanuissent? Certe aut cum Israelitis, (qui Exod. 32. ver. 1. de Mose amisso dicunt, nescimus quid ei acciderit) ad pristinam Idolomaniam relapsi fuissent: aut, si post paucos dies iidem reuersi fuissent, vel saltem aliis illud miraculum retulissent, sicut Luc. 24. versic. 35. duo qui in Emaus fuerant, Apostolis retulerunt disparitionem Christi: aut, sicuti Apostoli visibilem assumptionem Christi in cœlum in monte Oliueti factam Act. 1. v. 9. in toto terrarum orbe annunciarunt: iidem ipsi facturi fuissent. Fabulosum etiam & sacræ Scripturæ, imo symbolo Apostolico, contrarium est, quod fingunt Christum ter in gratiam matris de cœlo descendisse, cum vniuerso choro angelorum & sanctorum. Scriptura tantum meminit duorum Christi aduentuum in mundum. Heb. 9. ver. vlt. Christus SEMEL oblatus est ad exhaurienda multorum peccata: SECVNDO sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem. Petrus dicit Act. 3. versic. 21. Oportet Christum cœlum suscipere vsque ad diem restitutionis omnium. Quo die rediturus est in sanctis millibus suis facere iudicium. Epist. Iud. ver. 14. Vnde ergo hi nobis commenti sunt tertium hûc, & quidem triplicatum Christi gloriosum & visibilem descensum, in domunculam Iohannis ad matrem? Præterea multa nugamenta, de instituto colloquio inter filium, matrem & angelos, quæ omnia ab ociosis Monachis conficta, in Papatu loco saluifici Euangelij hominibus proposita fuerunt, quibus sua quadam persuasione singularem in illis deuotionem & affectionem erga Mariam excitarunt.

Si quis autem simplicior hæsitet & dicat, nimirum tamen sibi videri, quod nusquam extet sepulchrum, nusquam quoque vllæ de Maria reliquiæ, (vt de aliis Sanctis, de quibus tamen ipsis an veræ sint, vehementer dubitare licet) inueniantur. Idcirco omnino verisimile esse, ipsam corpore & anima in cœlum translatam esse. Huic Ego respondeo: non esse quidem hoc impossibile, quod Christus tali prærogatiua suam matrem donarit, interim tamen etiam non esse id certum: sed potuisse Christum alias habere rationes, ob quas de matris sepulchro nihil apud posteros constare voluerit. Moses vir Dei mortuus est, & Deus ipse eum sepeliuit in valle terræ Moab. Deut. 34. vers. 6. & tamen *nullus hominum* cognouit sepulchrum eius. Idque fecit *Deus propterea, quia* nouerat Israelitas ad Idololatriam *pronos, notitiam sepulchri abusuros ad colendum Mosen, & dehonestandum nomen veri Dei.* Ita præuidit *Christus* Idolomaniam non tantum veterum hæreticorum, sed etiam Pontificiorum, qui D. virginem passim quæsituri, peregrinationes ad eam instituturi, vota ei facturi, spem & fiduciam in eam collocaturi, eam inuocaturi, diuinis denique cultibus ipsam honoraturi essent. Ad auertendas itaque hasce superstitiones noluit Deus quicquam siue de sepulchro, siue de reliquiis D. Mariæ extare.

Hæc cum ita sint, nemo nobis vitio vertat, quod festum Assumptionis Mariæ, ceu fabulosum & fictitium, ex templis nostris exturbauimus. Verum de his satis. Iam historiam hanc veram & Euangelicam expendendam in manus sumamus.

Martha suscipit Dominum hospitio.

LVC. 10.

38. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ πορεύεσθαι αὐτοὺς, καὶ αὐτὸς εἰσῆλθον εἰς κώμην τινά. γυνὴ δέ τις ὀνόματι Μάρθα ὑπεδέξατο αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς.
39. Καὶ τῇδε ἦν ἀδελφὴ καλουμένη Μαρία, ἣ καὶ παρακαθίσασα παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ ἤκουε τὸν λόγον αὐτοῦ.
40. Ἡ δὲ Μάρθα περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν, ἐπιστᾶσα δὲ εἶπε, Κύριε, οὐ μέλει σοι ὅτι ἡ ἀδελφή μου μόνην με κατέλιπε διακονεῖν; εἰπὲ οὖν αὐτῇ, ἵνα μοι συναντιλάβηται.
41. Ἀποκριθεὶς δὲ εἶπεν αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Μάρθα, Μάρθα, μεριμνᾷς, καὶ τυρβάζῃ περὶ πολλά.
42. Ἑνὸς δέ ἐστι χρεία. Μαρία δὲ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ' αὐτῆς.

38. *Factum est autem dum irent, vt ipse intraret in quoddam oppidulum, ac mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam.*
39. *Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam assidens ad pedes Iesu audiebat sermonem illius.*
40. *Martha autem distrahebatur circa frequens ministerium, quæ assistens ait; Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me, vt sola ministrem? Dic ergo illi, vt me adiuuet.*
41. *Et respondens dixit illi Iesus, Martha, Martha, sollicita es, & tumultuaris circa multa.*
42. *Atqui vnum est necessarium. Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Periocha huius historiæ.

VT huius iucundissimæ historiæ vsum tanto rectius percipiamus, eam secundum personas distribuemus.

I. Prima persona est. *Christus diuertens & docens.* Est sane Christus rex regum, & Dominus dominantium, cui omnia tradita

tradita sunt à Patre suo; vt nuper admodum, vers.22. huius capitis dixerat. Nec tamen in hoc mundo, pro more principum huius seculi, suas arces & palatia, nec pro more Iesuitarum, passim in omnibus celebrioribus vrbibus sua regia magnificentia extructa Collegia habuit, in quibus à suis ministris exciperetur: sed passim in ædes alienas & apud priuatos diuertit. Ipse enim cum diues esset, propter nos egenus factus est: vt nos inopia ipsius diuites redderemur. 2. Cor. 8. v. 9. Et quidem adeo egenus fuit, vt nec haberit quo caput inclinaret, Matth. 8. v. 20. nedum vt molem Adriani, aut castrum angeli, aut arcem Bononiensi parem inhabitaret. Semper autem quæsiuit hospitium apud eos, qui iustitiam esuriebant & sitiebant: Matt. 5. v. 6. vt eos suis impleret bonis. Sic diuertit olim ante incarnationem ad Abrahamum, Gen. 18. v. 6. & hospiti donatione filij Isaaci pro conuiuio gratus fuit. Dum in carne vixit, diuertit Matth. 9. v. 10. apud Matthæum telonia præfectum, eumque Apostolum & Euangelistam creauit. Luc. 19. v. 6. diuertit apud Zachæum publicanorum principem, & salus domui ipsius facta est. Diuertit hic apud Martham, & postea Lazarum fratrem ipsius ex mortuis suscitauit. Iohan. 11. v. 44. Vbicunque enim diuertit, ibi quoque omnia sua bona tum corporalia tum spiritualia infert, & sicubi inueniat filios pacis benedictione sua dignos, ibi dona sua distribuit. Diuertit autem adhuc hodie apud nos per Verbũ & Sacramenta, quibus diuinam suam gratiam nobis offert. Parata itaque habeamus palatia, non ex lignis & lapidibus extructa, sed animas corde contrito & fide vera exornatas, in eas ipsum excipiamus & verbo eius obtemperemus, tum mansionem apud nos faciet. Ioh. 14. v. 23. Diuertit quoque ad nos in persona pauperum: & pollicetur, se in nouissimo die remuneraturum, quicquid in ipsos conferatur. Matth. 10. v. 42. & 25. v. 40. Quod ergo Epistola ad Hebr. 13. v. 2. de angelis dicit, id nos de Christo pronunciare possumus: Hospitalitatis nolite obliuisci. Per hanc enim quidam nescientes, Christum hospitio susceperunt.

Christus autem non tantum diuertit, sed etiam docet. Neque enim ignauo ocio, licet fortassis ex itinere defatigatus se dedidit: multo minus mox epulari cœpit. Sed quia à Patre missus erat ad euangelizandum pauperibus, Ies. 61. v. 1. hoc suo munere sedulo & indefesso studio, quauis etiam vel minima occasione oblata, defunctus est: ita vt cibum potumque eius respectu neglexerit. Vnde Ioh. 4. v. 34. discipulis dixit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius: Hanc sedulitatem & industriam eius ministri pari studio imitari discant.

II. Altera persona est *Maria sedens ad pedes Iesu & sermonem audiens*. Vbi particula *καὶ etiam* emphatica esse videtur, innuens, affuisse etiam alios auditores. Sicuti Christus per raro sine magno comitatu iter fecit. Dum ergo non tantum Martha, sed etiam Lazarus ipse & alij domestici occupati erant, vt hunc tantum hospitem digne hospitio excipere possent, Maria à domesticis negotiis omnibus feriata, se totam composuit ad audiendum Iesum, & simul vna cum aliis mulieribus, quæ peregrinæ extra domum aduenissent, *assedit pedibus Iesu*. Antiquitus enim sic vsitatum fuit, vt Doctores honoris ergo in eminentiori loco sederent: ad eorum autem pedes discipuli & plebs assiderent. Sicut & Paulus Actor. 22. versic. 3. testatur, se Hierosolymis secus pedes Gamalielis eruditum fuisse. Idem mos adhuc hodie in templis & scholis obseruatur. Sic ergo Maria cogitat: Hic Propheta à Deo nobis datus, & cœlitus commendatus est, vt eum audiamus. Cum ergo non quotidie ipsum mecum habeam, vt docentem audire possim; ideo œconomiæ curam aliis commendatam relinquam, ego animæ meæ curam nunc agam.

Simul autem Maria nobis duas animi dotes commendat, quæ in auidis doctrinæ cœlestis auditoribus sunt necessariæ. Vna est tranquillitas animi, sine omni corporis & cogitationum distractione: altera est humilitas & reuerentia erga Doctorem. Illa notatur per verbum *sedebat*: hæc per illud, quod *ad pedes Iesu* sedisse dicitur. Nisi enim animus quasi euacuetur ab omnibus curis, solicitudinibus & negotiis mundanis, quãdo quis ad auditum verbi accedit, tum cum exiguo fructu illud audiet. Animo enim peregrinans, nihil percipiet eorum quæ, in præsenti dicuntur. Ideo quidam illud Psalm. 46. vers. 11. huc accommodant: Vacate & videte, quoniam Ego sum Dominus. Humilitas autem denotatur: quia non ad latus, multo minus ad caput (sicuti quidam scioli faciunt, qui Christum in omnibus suis dictis reformare conantur) Christi sedit, sed *ad pedes*. Optima autem humilitas consistit in agnitione infirmitatis atque peccatorum, vt quis Christi medici opem quærat & expetat. Talibus humilibus Deus dat gratiam. 1. Petr. 5. v. 5. Ideo Deus dicit Ies. 66. v. 2. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Augustinus vtitur simili pluuiæ, quę descendit ad humilitatem conuallis, & denatat de tumoribus collis.

III. Tertia persona est *Martha hospitalis & solicita, sed eadem querula*. 1. *Martha excepit Iesum in domum suam*. Est hoc memorabile hospitalitatis exemplum. Non poterat Martha ignorare, ob loci viciniam, in quanto esset Iesus odio apud Pontifices, Sacerdotes, Legisperitos, Pharisæos & Scribas Hierosolymis; quomodo nuper in festo tabernaculorum ipsum per publicos ministros comprehendere voluerint: quomodo de eo occidendo consultarint: quomodo publice in templo contra ipsum disputarint, conuitiis proscinderint, & lapidibus obruere conati fuerint, nisi cessisset seque abscondisset. Vnde facile conijcere poterat, cum Iesu periclitaturos omnes, quotquot ipsius discipuli & sectatores essent, aut eũdem hospitio exciperent. Iam ergo si Iesus clam oppidulum & domum ingressus fuisset, minus fortassis periculi subfuisset. Verum passim cum numeroso comitatu duodecim Apostolorum, septuaginta discipulorum & aliorum sectatorum, iter faciebat. Quapropter latere non potuit, nec res periculo caruit. Sed nihil horum Martham mouit, quo minus cum gaudio hunc tantum hospitem intra ædes reciperet. Suo igitur exemplo & facto nobis commendat hæc Martha virtutem τῆς φιλοξενίας seu hospitalitatis: quemadmodum id Apostoli faciunt verbis: Paulus dicit: Romanorum 12. vers. 13. hospitalitatem sectantes. Hebr. 13. v. 2. Hospitalitatis ne sitis immemores. Petrus 1. c. 4. v. 9. Hospitales estote alij erga alios, sine murmurationibus. In hisce dictis non propositum est Apostolis, quod publicos pandocheos informare velint, quomodo suo munere defungi debeant. Sed docet Christianos, quomodo sese erga notos, amicos, egentiores, & potissimum erga domesticos fidei peregre aduenientes humanos & liberales exhibere debeant. Atque talem humanitatem Deo gratam esse testantur.

2. *Martha distrahebatur circa frequens ministerium*. Solicita enim est, quomodo hunc tam honoratum hospitem, quem ex itinere fessum esse arbitratur, digne tractare, ipsique omnia beneuolentiæ officia præstare possit. Idem olim fecit Abrahamus Gen. 18. v. 6. cum filius Dei, duobus angelis comitatus, ad ipsum diuertisset. Ipse quidem vitulum tenerrimum de grege, Sara autem subcinericios panes parauit, eosque festinanter apposuit. Et recte quidem. Huc enim etiam pertinet illud 1. Sam. 2. 30. Honorantes me, honorabo. Et Iohan. 12. versiculo 26. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Sic ergo Martha, siue virgo adhuc siue nupta fuerit, exemplum prębet bonæ & sedulæ matrisfamilias, qualem Salomon Prou. 31. prolixe describit. Si cui marito Deus talem ex gratia coniunxit, Syracides testatur numerum annorum ipsius duplicari, eam animum mariti oblectare, & efficere vt annos vitæ cum pace impleat. cap. 26. v. 1. Hinc Paulus requirit, vt materfamilias sit οἰκουργὸς domus curam habens. Tit. 2. versicul. 5. Et 1. Timoth. 5. v. 14. vult iuuenculas nubere & οἰκοδεσποτεῖν, domum administrare. Licet autem hæc virtus omnibus commendetur: mox tamen iam audiemus, hanc si exercendam esse, vt potiores partes tribuantur audiendæ veritati: ac proinde rei familiaris curam tum seponendam esse, quando Christus aduenit, & verbum suum proponere seu concionari incipit.

Hoc Martha non attendens, sibique persuadens se rectius agere, quod de benigne tractãdis hospitibus, qui cum Christo numero satis magno accesserant, laboraret, quam sororem Mariam, quæ curæ domesticæ oblita otiosa ad pedes Iesu desideret, Iesu adstitit, & querimoniam contra sororem intendens, dixit: *Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me, vt sola ministrem?* Sicuti fere semper fieri solet, vt illi, qui huic seculo plus æquo sunt dediti, carpant eorum diligentiam, qui se studio verbi diuini aliquanto feruentius dediderunt. Et hoc frequentius faciunt agnati, quam peregrini: quia illi sperant plus honoris, fauoris & lucri inde sibi accedere posse, si agnati se mundo potius quam Christo accommodare possint. Sic fere inimici hominis sunt, domestici eius. Mat. 10. v. 36. Hoc accidit Dauidi, & ab aulicis suis & à proprio filio Absolone, 2. Sam. 15. v. 3. qui existimabat parentem suum plus in componendis Psalmis, & audiendo Nathane atque Gaddo, quam in expediendis subditorum causis, occupatum esse.

IV. Sed audiamus etiam Christum iudicantem, & censuram inter hasce duas sorores ferentem: quæ pars huius historiæ præcipua est. *Martha, Martha*, inquit, *solicita es & tumultuaris circa multa*. Geminatio nominis apud Hebręos, partim vehementiam affectus, partim magnitudinem beneuolentiæ significat: Sicut patet Matth. 7. v. 22. Domine, Domine. Etsi enim Martha iudicio errabat: non tamen seuerius illam increpat, multo minus diris execrationibus eam deuouet, aut diabolo tradit Dominus. Ipse enim calamum quas-

latum non conterit, nec linum fumigans extinguit. Ies.42.v. 3. Quapropter blande eam monet: *Solicita es, μεριμνᾷς.* At meminisse debebas me huiusmodi μερίμνας & solicitudines iam dudum in Euangelio grauiter prohibuisse. Matth.6.v.25. Adhæc *τυρβάζῃ, tumultuaris circa multa.* Solicitudinem enim eiusmodi tumultuatio sequitur, vt nescias quid primo quidve postremo loco agere velis. Euangelista tribus verbis vtitur, *περισπᾶσθαι, distendi & distrahi. μεριμνᾶν, solicitum esse, & τυρβάζεσθαι, tumultuari*, quibus excessum Marthæ circa curam rei familiaris notare voluit. Etenim dum Maria quieta attēdit concioni Christi, interim Martha distrahebatur circa multa, sursum deorsum cursitando, solicite satagendo ne quid rerum necessariarum deesset, quod ad suauiter excipiendum tantum hospitem cum suis discipulis faceret. Nec tamen in hisce omnibus sibiipsi satisfecit: sed semper metuit, ne quid desideraretur. Per se inciuile erat, Diuinum Domini sermonem importuna querela interrumpere. Pugnabat etiam cum charitate sororia, sororem ignauiæ accusare, dum audiendis concionibus est intenta. Quin & hoc reprehensione dignum, quod ipsa salutarem animæ cibum, quem Christus auditoribus suis depromebat, negligeret. Sed hæc omnia quasi dissimulans, tantum de eo agit, quod modum in excipiendo hospite excederet, cum nouisse deberet, se eiusmodi hospitem intra ædes suas recepisse, qui non sit delicatus, qui exquisitas mensas aut lautas epulas non quærat: sed qui tenui apparatu contentus esse possit. Et qui magis expetat nitorem animi, exquisitam fidem, compositos mores, quam varietatem & splendidas lauticias ferculorum.

Sic vero suo exemplo aliis hospitibus inuitatis hanc doctrinam præbet, ne in aliena domo sint vel curiosiores vel morosiores, sed contenti sint eo, quod bono animo apponitur. Sunt quidam, quibus hospitio exceptis nemo vlla ex parte satisfacere potest, qui omnia suggillant & carpunt, imo etiam damnum inferendum meditantur. Sicuti Ezechiæ accidit Ies.39.versic.1. qui Babylonios hospitio excepit, magno honore eos prosecutus est, iisque omnes suos thesauros mōstrauit: verum ipsi vicissim ei & posteris eius bellum intulerunt. Inprimis vero verbi ministri, exemplo sui Magistri discant, vt ipsi potius suos hospites sacris & diuinis doctrinis, quam seipsos eorum lauticiis & vino replere studeant. Sed ab imitatione huius exempli multos concionatores verbi diuini, conuiuatores factos, procul abesse metuo.

Addit autem Christus, Mariam defensurus: *atqui vnum est necessarium.* Hoc excellens dictum ab interpretibus diuersimode explicatur. Non defuerunt, qui hoc traherent ad officium hospitalitatis, quasi *vnum* ferculum esset necessarium, & sufficeret ad excipiendos hospites: siquidem natura paucis sit contenta. Et sane si adhuc paradisi incolæ essemus, *vnum* eo modo sufficeret: nunc multis in hac humanæ vitæ miseria indigemus. Augustinus *vnum* explicat de vnitate, quæ opposita sit distractioni. Vna enim mens tota sita esse debet in vno Domino, remota omni cogitationum distractione, si recte verbum Dei audire velimus. Monachi hoc *vnum* traxerunt ad contemplationes animi, quæ solæ sint necessariæ ad promouendam salutem, remota vita actiua. Optimi hoc explicuerunt de fide, quæ vnica sufficiat ad salutem. Roman. 14.vers.vlt. Omne quod non est ex fide peccatum est. Hebr. 11. versicul. 6. Sine fide impossibile est placere Deo. Sed Christi mens longe alia fuit. Voluit nimirum commendare diligentem auditum verbi diuini, & hunc *vnum* propterea dicit esse *necessarium*; vt scilicet per eum adducamur ad cognitionem Dei, ad ipsius amorem & fiduciam, quo indissolubili charitatis vinculo ipsi in æternum adhæreamus. Vult nimirum Christus dicere: O Martha, nunquamne audiuisti, quid sanctissimus rex Dauid dixerit, Psalm.27 v.4. *Vnum* petij à Domino, hoc requiram, vt inhabitem domum Domini omnibus diebus vitæ meæ: vt videam voluptatem Domini, & mane visitem templum eius. Aut illud Psalmi 86. versicul. 11. in *vnicum* hoc dirige cor meum, vt timeat nomen tuum. Quam ardenter expetiit in Psalm.42.v.2. vt apparere sibi liceat ante faciem Domini. An non dixit Psalm.84.v.11. Melior est *vna* dies in atriis tuis, super millia. Elegi ad limen sedere in domo Dei mei: magis, quam habitare in tabernaculis impietatis. Cur ergo tu hoc *vnum* negligis, & *circa multa tumultuaris*? Cur hoc nomine sororem Mariam suggillas & contemnis? cum ipsa *bonam partem elegerit, quæ non auferetur ab ea.* In nouissimis pecunia aufertur, honor aufertur, omnia mundana auferuntur. Qui vero ex Dei verbo didicere, se natura deperditos esse peccatores, gratis autem à Deo propter filium esse electos, & per fidem in ipsum iustificatos, hæc cognitio ab ipsis *non auferetur*, sed virtute Dei custodientur per fidem in salutem paratam reuelatur in tempore nouissimo. 1.Petri 1.v.5. Meum enim Euangelium est potentia Dei ad salutem omni audienti & credenti. Rom.1.v.16.

Dicat autem quis, quomodo hoc *vnum*, audire nimirum verbum Dei *est necessarium*? An non etiam cibus, potus, vestimenta, medicamenta sunt necessaria? Respondeo. Sunt vtique etiam suo quodam modo necessaria. Sed quemadmodum dicere possum, stellarum splendorem, licet ille suo modo vtilis sit, tamen quando in solis splendorem incurrunt, non esse eum necessarium: ita etiam verbi auditus ad diuinitatis cognitionem & salutis consecutionem ita est necessarius, vt terrena omnia ipsi comparata, necessitatis titulum amittant. Adde, quod hoc *vnum* ita *est necessarium*, vt qui hoc *vnum* fideliter præstiterit, reliquarum rerum omnium, quæ ad hanc vitam necessariæ esse videntur, compos fieri queat. Non tantum Christo, qui tamen solus sufficere poterat, teste, Matth.6.v.33. Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & cætera omnia adiicientur vobis. Sed etiam Dauide, Psal.34.v.10. Timete Deum omnes sancti eius, quoniam non est defectus timentibus eum.

Et vt amplius intelligamus, quàm vere Christus hoc dixerit. *vnum est necessarium*, (semper enim proteruia humani ingenij contra disputat) hæc sequentia quis meditetur: Si quē interrogem: ob quam potissimum causam putet Deum hominem creasse, quid is mihi respondebit? Nam vtique non vane constituit Deus omnes filios hominum. Psalm.89 vers. 48. Num ergo Deus creauit homines, vt congerendis opibus inhient? Nequaquam. Nam nudi ingressi sunt in hunc mundum, nudi reuertentur illuc: habentes autem alimenta & tegumenta, his contenti sint. Iob.1.v 21. & 1.Tim.6 v.8. & Luc. 9.ver.25. Quid prodest homini, si lucretur vniuersum mundum seipsum autem perdat, aut animæ detrimentum faciat? Num ergo propterea creatus, vt honoribus & potentiæ aucupandæ sese dedat? Minime. Nam cum Nabuchodonosor ob potentiam suam superbiret, Dan.4. versic.27. grauiter à Deo fuit punitus. Num ergo, vt instar Nabalis aut Sardanapali in deliciis, vt porcus in luto, sese volutet? Absit: quicunque sanæ mentis compos est, nunquam dicet fontem omnis pietatis & sanctitatis propter hunc finem in creando homine occupatū fuisse. Quid ergo? Homo creatus est, vt Deum, mundi principem, Creatorem suum, cognosceret. Aut, vt D. Augustinus dixit, vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando eo frueretur, atque sic demum diuinitatis ipse quoque consors efficeretur. At quomodo *hunc* cognosces sine verbo? Debet quidem hoc totum *mundi theatrum* nobis ad id inseruire, vt ex visibilibus agnoscamus inuisibilem Dei bonitatem & virtutem: & hæc cognitio tam illustris est, vt etiam gentes reddat inexcusabiles. Rom.1.v.20. Sed tamen non est salutifica: quia non est ex fide. Sola fides saluat. At quomodo credant ei, quem non audierunt? Quomodo audient, sine prædicante? Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Ergo fides est ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Rom.10.v.14 Ex quo euidentissime conficitur; auditum verbi Christi, *vnum* esse illud *necessarium*. per quod salus nostra procuratur. Atque illud ipsum adeo necessarium & maxime proprium hominis opus est: vt cum ante diluuium homines viam suam ita corrupisset, vt hoc *Vnum* non curarent, nec Spiritum Domini amplius audirent, Gen.6.versic. 3. Deus nullam causam subesse putauit, ob quam *hunc mundum* diutius stare permitteret, atque proinde funditus eum deleuit, totumque aquis sepeliuit. Sic certum est, quando postremis hisce temporibus res rursus eò deuenerit, vt homines verbum Dei non amplius audire velint, tum aderit finis huius mundi, & igne deperdetur. Hæc est sana intelligentia huius dicti.

Pontificij Scriptores tradunt, in hisce duabus sororibus typum quendam duarum vitarum, quæ in Ecclesia Christi inueniantur, expressum esse. Nimirum vitæ actiuæ per Martham, contemplatiuæ per Mariam. Actiuam ergo siue laboriosam vitam, dicunt esse eam, quæ cum Martha occupata sit circa corporalia ministeria, circa educationem liberorum, curam pauperum, administrationem Reipub. agriculturam, artificia manuaria, & omnia ea, quæ sine labore, fatigatione & distractione corporis peragi non possunt. Ergo ad actiuam siue practicam vitam relegant omnes Imperatores, Reges, Principes, Consules, mercatores, ciues, rusticos, & horum omnium conditionem inutilem, imo etiam noxiam respectu alterius censuerunt. Contemplatiuam vere vitam dixerunt eam, quæ cum Maria, sepositis curis corporalium occupationum, ac mentis distractionibus, meditationi, contemplationi & intelligentiæ rerum diuinarum vacare studeat. Hoc vitæ genus tribuerunt omnibus religiosis, monachis & monialibus, qui sepositis omnibus curis & laboribus huius mundi, ab hominum consortio segregati, in claustris & lustris sibi solis viuunt, & contemplationibus indulgent. Et horum conditionem longe beatiorem esse contendunt, quam sit genus vitæ actiuum.

Sed

Sed proh pudor, sæpenumero in monasteriis suis eiusmodi res contemplati sunt, quarum ipsos olim in inferno pudebit in omnem æternitatem. Licet autem duplicis huius vitæ vestigia aliqua inuenire liceat in Augustino, Theophylacto, Gregorio & aliis Patribus: non tamen illi hæc eo vsque, quo posteriores Monachi, extenderunt. Et si maxime id fecissent: contra mentem tamen & intentionem Christi id fecissent. Neque Christus *Mariam* hoc nomine commendat, quod *bonam partem elegerit*, quasi mundum & œconomiam deserens, Monialis facta fuerit. Illud enim ne per somnĩ quidem vnquam cogitauit. Sed oblata occasione audiendi verbum Dei, negocia œconomica omnia postposuerit, & illius auditui vacauerit, postea autem ad domestica negocia redierit, sicuti Ioh. 12. v. 3. Christus ad easdem ædes rediit, in quibus adhuc Maria habitabat, & cum sorore Martha rem familiarem administrabat. Atque hoc possunt facere omnes homines, cuiuscunque status & conditionis, tum rerumpublic. gubernatores, tum opifices, vt quisque ea in vocatione, in qua à Deo vocatus est, maneat, & interim tamen subinde *bonam partem* etiam *eligat*, qua ad auditum verbi diuini properet, quotiescunque commodam eius occasionem habere potest Nam si dicere velimus cum Monachis, illam esse *meliorem partem*, quæ hominem perfectum reddat: si consortia aliorum vitet, si sibi vni viuat, si nemini prosit, nemini seruiat, si laborem ad quem omnes nati sumus fugiat: quid de veteribus sanctis omnibus dicemus, num hosce damnabimus, aut eos deteriorem partem elegisse affirmabimus?

Quin potius dicamus, per has duas sorores nobis adumbrari, semper in domo Christi, siue Ecclesia, duo diuersa hominum genera inueniri, quorum vtrumque Christum colere eique inseruire studeat, sed diuerso modo. Sicut idem affectus fuit in Martha & Maria, vtraque voluit ipsum honorare, vtraq; suum amorem dignis officiis declarare conata est. Et Martha quidem ad fatigationem vsque laborauit, vt hospiti suo Domino probaretur. Maria autẽ quieta ad pedes eius assedit, & sermones ipsius audiuit. Cuius vero studium Christus maxime probauit? Mariæ. Ita quidam in Christo colendo valde sunt operosi, omnia ceremoniis implent, siue per *traditiones* quandam ex Iudæis sint assumptæ, siue ab hominibus excogitatæ, Sicuti Pontificiorum magna est solicitudo ad cultum Dei pompose peragendum; hic vexillis per compita discurrunt, aliis suffitum faciunt, alibi noctu excubias agunt, rursus instituunt sacra antelucana, habent suas vesperas, ieiuniis se macerant, ciliciis se induunt, humi cubant, rosaria sua secum portant: vbi ad globulorum numerum suas preces recitant, peregrinando se conficiunt, & mille alia solicite comminiscuntur atque tumultuantur, vt Deo gratum officium præstent. Alij vero, quanquam non prorsus eliminẽt & abiiciant omnes ceremonias: in hisce tamen minimum situm esse arbitrantur. Fundamentum autem suæ salutis vnicum collocant in auditum verbi diuini: illud recte intelligere addiscunt, illud memoriæ & cordi includunt, in illo se exercent, & vitam suam iuxta eius præscriptum instituere student. Hoc vnico se Deo gratum & acceptum cultum præstare sibi pollicentur. Hæc sunt duo diuersa hominum genera in Ecclesia Christi. Et quemadmodum Martha intempestiuẽ Mariam accusauit coram Christo: ita etiam illi, qui ceremoniis dediti sunt, queruli sunt aduersus eos, qui vnico auditui verbi inhærent. Accusant eos, & præ se contemnunt, quasi cultum Dei nimis frigide peragant. Insimulant eos hæreseos: & non raro, arbitrantes se Deo obsequium præstare, ipsos interficiunt. Accidit hoc olim Prophetis, Christo, atque eius Apostolis. Si simile quid nobis hodie à ceremoniarum Pontificiarum magistris eueniat, eo minus miremur.

CAPVT CVII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ,

CHRISTVS DOCET DISCIPVLOS SVOS & modum & virtutem precationum. Luc. 11. vers. 1.

RATIO ORDINIS.

QVia Euangelista Lucas hanc historiam præcedenti mox subiungit: iccirco Ego sine contentione statuo eam etiam ratione temporis priorem subsecutam esse, ita vt Christus Bethania digressus circa Iordanem, quo Iohann. 10. versiculo 40. rediit, in loco aliquo secretiore & à turbis remoto, aliquantisper precibus vacarit. Patrem nimirum suum cœlestem pro incremento Ecclesiæ & profectu Euangelij, contra suos hostes Hierosolymitanos inuocans. Qua occasione vnus ex discipulis ipsius, siue per se, siue reliquorum instinctu motus, ipsum rogauit, vt & sibi & discipulis, idque exemplo Iohannis Baptistæ, certam formulam precationis traderet, qua & inter orandum vterentur, & facilius quod peterent impetrarent. Vnde Christus & formam precandi tradidit, & simul de efficacia precum disseruit. Optimo ergo ordine hæc ad superiora sequuntur. Etenim duæ sunt columnæ, quibus totus mundus innititur, ne corruat: purum nimirum Dei verbum, & deuotæ preces. Aut, duo sunt præcipua religionis Christianæ exercitia: vnum verbi prædicatio, alterum piæ preces. Quibus si sacramenta adieceris tanquam sigilla verbi, & precum firmamenta, tum totum Christianæ religionis cultum comprehensum tenes. Cum ergo in præcedenti capite de *vno necessario*, nimirum de diligenti auditu verbi diuini grauiter sit actum: rectissime nunc doctrina de precatione, quæ non minus necessaria est, & de eius vsu, quam magnus is apud Deum sit, subiungitur. Non ergo est dubium, hanc historiam recte hoc loco in Harmonia positam esse.

Precum formula & earundem apud Deum efficacia.

LVC. 11.

1. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν τόπῳ τινὶ προσευχόμενον, ὡς ἐπαύσατο, εἶπέ τις τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς αὐτὸν, Κύριε δίδαξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι, καθὼς καὶ Ἰωάννης ἐδίδαξε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ.

1. *Et factum est, cum oraret quodam in loco, vt cessauit, dixit quidam ex discipulis eius ad eum, Domine doce nos orare, sicut & Iohannes docuit discipulos suos.*

2. Εἶπε δὲ αὐτοῖς, Ὅταν προσεύχησθε, λέγετε, Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου, γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς.

2. *Et ait illis, cum oratis dicite, Pater noster qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnũ tuum. Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra.*

3. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δίδου ἡμῖν τὸ καθ᾽ ἡμέραν.

3. *Panem nostrum quotidianum da nobis quotidie.*

4. Καὶ ἄφες ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν, καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.

4. *Et remitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi remittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.*

5. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτοὺς, τίς ἐξ ὑμῶν ἕξει φίλον, καὶ πορεύσεται πρὸς αὐτὸν μεσονυκτίου, καὶ ἐρεῖ αὐτῷ, φίλε, χρῆσόν μοι τρεῖς ἄρτους;

5. *Et dixit ad illos, quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, Amice, da mihi mutuo tres panes:*

6. Ἐπειδὴ φίλος μου παρεγένετο ἐξ ὁδοῦ πρός με, καὶ οὐκ ἔχω ὃ παραθήσω αὐτῷ·

7. Κἀκεῖνος ἔσωθεν ἀποκριθεὶς εἴπῃ, Μή μοι κόπους πάρεχε· ἤδη ἡ θύρα κέκλεισται, καὶ τὰ παιδία μου μετ' ἐμοῦ εἰς τὴν κοίτην εἰσίν· οὐ δύναμαι ἀναστὰς δοῦναί σοι.

8. Λέγω ὑμῖν, εἰ καὶ οὐ δώσει αὐτῷ ἀναστάς, διὰ τὸ εἶναι αὐτοῦ φίλον, διά γε τὴν ἀναίδειαν αὐτοῦ ἐγερθεὶς δώσει αὐτῷ ὅσων χρήζει.

9. Κἀγὼ ὑμῖν λέγω, Αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν· ζητεῖτε, καὶ εὑρήσετε· κρούετε, καὶ ἀνοιγήσεται ὑμῖν.

10. Πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν λαμβάνει, καὶ ὁ ζητῶν εὑρίσκει, καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται.

11. Τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον, μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ, εἰ καὶ ἰχθύν, μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ;

12. Ἢ καὶ ἐὰν αἰτήσῃ ᾠόν, μὴ ἐπιδώσει αὐτῷ σκορπίον;

13. Εἰ οὖν ὑμεῖς πονηροὶ ὑπάρχοντες, οἴδατε ἀγαθὰ δόματα διδόναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν, πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ ὁ ἐξ οὐρανοῦ δώσει πνεῦμα ἅγιον τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν;

6. *Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod apponam illi:*

7. *Et ille intus respondens dicat, Ne mihi molestus sis, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubiculo: non possum surgere, & dare tibi.*

8. *Dico vobis, etiamsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter importunitatem tamen eius surget ac dabit illi quotquot habet opus.*

9. *Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis: Quærite & inuenietis: Pulsate, & aperietur vobis.*

10. *Omnis enim qui petit accipit. Et qui quærit inuenit. Et pulsanti aperietur.*

11. *Quis autem ex vobis pater, à quo si filius petierit panem, num lapidem dabit illi? aut si piscem, num pro pisce serpentem dabit illi?*

12. *Aut si petierit ouum, num porriget illi scorpium?*

13. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona dona dare filiis vestris, quanto magis pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum poscentibus se?*

Periocha huius doctrinæ.

CVm ergo Christus preces suas ad cœlestem Patrem magno zelo absoluisset, *quidam ex discipulis eius*, absque dubio feruore illius colloquij cum Deo accensus, ipse quoque Dominum interpellat, & suo & reliquorum collegarum nomine, dicens: *Domine doce nos orare, sicut & Iohannes docuit discipulos suos.* Rectè Luc. Hęc enim cura omnium animos tangere debet, vt sciant quomodo Deus inter precandum sit alloquendus. Etenim qui vel ab homine saltem aliquid petere instituit, is dat operam, quo orationem suam ita componat, nec repulsam patiatur; & quo sublimior est persona, eò magis sumus soliciti, ne alicubi impingamus, aut impudentiore sermone hominem offendamus. At vero per preces loquendum est cum summo mundi Monarcha, cum rege regum, & domino dominantium: cum diuina illa maiestate, quam laudant angeli, tremunt potestates. Quis hic audet os aperire? quis verba digna tanta maiestate potest inuenire? Abraham se indignum censet: quia sit puluis & cinis. Genes. 8. vers. 27. Moses dicit se esse incircumcisis labiis Exod. 6. versicul. 12. Iesaias fatetur, se habere polluta labia. cap. 6. versic. 5. Et hi omnes fuerunt magni sancti. Quid ergo de nobis dicemus? Quomodo nos labia nostra coram Deo aperiemus, vt vox nostra ipsi grata esse queat? Hic ergo venit Christus, nosque solatur & dicit: bono estote animo, Ego vos docebo, quomodo coram Deo Patre meo loqui & orare debeatis. Pharisæi solent in plateis ad ostentationem precari: gentes quoque solent βαττολογεῖν, & multa verba fundere: Baalitæ altum clamant, 1. Reg. 18. vers. 26. & eo facilius se exaudiri posse sibi persuadent. Sed talis superba & clamosa loquacitas Patri meo non est grata. Matth. 6. versicul. 5. Ibi dicit Pater meus Ego nescio quid isti sibi velint sua battologia; non intelligo ipsorum garrulitatem. Ego ergo in compendium vobis contraham summam omnium precationum, eamque eiusmodi verbis includam, quæ cœlesti meo Patri & nota sunt, & grata; ad quæ vtramque inclinat aurem. Magnam ergo reuera debemus gratiam huic *discipulo*, quicunque sane ille, siue ex numero LXX. siue alius fuerit, quod occasionem Christo præbuit, hanc formulam precum dictandi. In Papatu circumtulerunt precationes Brigiddæ, promittentes largas indulgentias, qui eas recitarent. Interim orationis Dominicæ prorsus obliti erant. Sed nos scimus, quod quando recitamus orationem Dominicam, magna prærogatiua gaudeamus: siquidem in cœlesti audientia simul assidet is, qui eam nos docuit: idem etiam orationem nostram commendat, & interpellat pro nobis. Roman 8. versic. 34. 1. Ioh. 2. versiculo 1.

Cumprimis vero illud notatu dignum est, quod Christus, cum in primo anno ministerij sui, Matth. 6. v. 9. tum Apostolos tum reliquos suos auditores instituisset, quomodo orare deberent, & hic à discipulo rogatus, denuo docere vellet, quomodo orare debeant: non nouam aliquam formam tradidit, sed priorem repetiit. Sic nimirum docere voluit, non opus esse, vt quotidie nouas formas precandi quæramus vel comminiscamur: nec ingratas fore propterea preces (dummodo cæteroquin rectè precemur) si maxime identidem eandem precum formulam repetamus. Et tamen ne de verbis nimis superstitiose soliciti simus, Lucas in hac formula aliqua verba à Matthæi formula mutata protulit. Vt doceat, inter orandum nos non tam de verbis solicitos esse debere, quam vt spiritu & mente oremus: & vt attendamus potius quid oremus, quam quibus verbis. Et quidem in vulgata versione duæ hæ formulæ precationum multum discrepant, atque integræ petitiones, vna cum præfatiuncula, in Luca sunt omissæ. Sed nos vulgatam versionem Pontificiis relinquimus, qui eam sibi authenticam fecerunt, nos Græcos codices sequimur. In quibus quoad sensum prorsus nihil discriminis reperitur inter vtramque formulam: tantum duo fere verba sunt mutata, quæ tamen in sensu coincidunt: & in Luca coronis illa δοξολογική, (*quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula seculorum, Amen*) est omissa. Verba mutata sunt hæc. Quando Matthæus nos docet orare, vt Deus det nobis panem quotidianum σήμερον *hodie*: ibi Lucas dicit τὸ καθ' ἡμέραν, *quotidie*. Sensus idem est. Particula *hodie*, frenum inicit impiæ solicitudini, ne nimiam copiam bonorum huius vitæ corradere conemur. Idem facit particula *quotidie*: vt nimirum tantum petamus, quantum in singulos dies sufficere possit. Ideoque etiam articulus τὸ in neutro, non autem in masculino genere ponitur. Alterum mutatum verbum hoc est, quod in quinta petitione Matthæus ponit hoc vocabulum τὰ ὀφειλήματα *debita*: Lucas autem ponit τὰς ἁμαρτίας *peccata nostra*. Sed rectè dicit Augustinus, de verbis Dom. quid est debitum, nisi peccatum? Quanquam hic etiam alia diuersitas se aperit: Matthæus dicit: ὡς ἡμεῖς, *sicut & nos remittimus*: Lucas vero, καὶ γὰρ αὐτοί, *siquidem & nos remittimus*. Sed sensus vtriusque in idem recidit. Nam quod in Matthæo spondemus & promittimus nos gratitudinis ergo facturos, id apud Lucam nos iam fecisse testantur. Quapropter certi simus, quando hanc precationis formam recitamus, nos tales preces cœlesti Patri proponere, quæ ipsius filij sacratissimo ore sint benedictæ, ac proinde certam exauditionem speremus, si ex pœnitente corde proueniant, & fiant per fidem in Mediatorem & Intercessorem nostrum Iesum Christum.

Dicat fortassis quispiam. Ergo reliquos precationum libellos omnes abiiciemus: quia certi sumus hanc orationem in cœlo exaudiri. Absit, vt in illam opinionem incidamus, quasi hæc oratio sola exaudiatur. Nam multæ sunt precationes in Psalmis Dauidicis, multæ in Prophetis, multæ in Actis Apostolicis, multæ in Epistolis Paulinis, quæ quoad verba cum hac formula non consonant, & tamen sunt exauditæ. Matth. 15. v. 28. Mulier Chananæa exauditur, & ob ardentem fidem commendatur, etsi hac formula non sit vsa. Luc. 18. v. 14. Publicanus in templo orans, descendit iustificatus in domum suam, licet non vsurparit orationem Dominicam de verbo ad verbum. Prodest igitur etiam alias habere formas precationum. Hæ enim interdum vnam aliquam petitionem orationis dominicæ tractant, eamque verbis & exemplis scripturæ latius extendunt, vt sic animus ad precandum incalescat. Ideo rectè Augustinus sensit, qui statuit omnium sanctorum orationes nihil aliud esse, quam *pater noster*: & in hac oratione dominica collectum esse quasi succum omnium precationum V. T. Imo sunt aliqui, qui sentiant vocabulum *collectæ*, quo vulgo preces indigetant, hinc originē suam traxisse: quia Christus in hac orationis formula college-

collegerit; quicquid vspiam bonarum precationum esse potest in toto terrarum orbe. Illi quoque recte faciunt, qui certi quid à Deo petituri, vni alicui harum septem petitionum id includunt. Quapropter necesse est, vt recte precaturus, etiam intelligat quid precetur, & quomodo intelligenter singula suis petitionibus includere debeat. In Papatu Monachi commendarunt sua Rosaria, quę Pontifex Rom. consecrauit, hominibusque persuaserunt, preces ex opere operato exaudire, si secundum numerum globulorum in Rosario comprehensorum Deo annumerentur. Sed hæc deceptio fuit satanæ. Preces fieri debent non ex opere operato, sed cum vera intelligentia. Nam veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate, Ioh. 4. v. 23. Quomodo enim idiota dicet Amen, in precationibus, si non intellexerit quid sit precatus? ¶ Itaque omnino necesse est, vt veram intelligentiam huius formulæ precationis habeamus, si ea vti velimus. Ne idé nobis hodie Christus obiiciat, quod olim Iudæis Ies. 29. v. 13. & Matt. 15. v. 8. Populus hic ore suo & labiis suis mihi appropinquat: cor autem ipsorum longe est à me. Et quidem superius cap. LI. huius Harmoniæ, Pericopa V. satis prolixa & accurata huius precationis expositio posita est, quæ piis mentibus sufficere poterat. Prodest tamen theologiæ candidatos plures, quam vnam, & non tantum exquisitas, sed etiam succinctas expositiones huius formulæ tenere, vt eas, si opus sit ad ædificationem Ecclesiæ producere possint. Mihi vero inter alias multum probatur illa ratio Orationem dominicam explanandi, quam magnus noster Lutherus, in quodam tractatu cuidam chirurgo VVitebergensi Anno 1535. præscripto, præmonstrauit. Vbi monuit, orationis dominicæ petitiones sic ponderandas esse, vt in singulis quatuor cōsideremus. 1. Vt cogitemus; quid dari petamus. 2. Vt expendamus: quæ mala vel auerti, vel nos ab illis defendi petamus. 3. Vt pro bonis acceptis gratias agamus. 4. Vt vitam examinemus, an iuxta petitionem eam instituerenius. Id si factum non sit, confiteamur & deprecemur. Iuxta hunc præscriptum modum breuem enarrationem hic pro simplicioribus instituemus.

Constat autem omnibus, orationem dominicam distribui in tres partes: in præfationem, in septem petitiones, in Conclusionem. Quæ licet hic in Luca omissa sit, non tamen ab expositore tacite præteriri debet. Quanquam in publicis Ecclesiæ precibus interdum etiam omittatur: cuius rei causa nemini temere litem mouere debemus. Hæc partitio nos admonet, vt in spiritu & veritate oraturi, non intempestiue ad Deum irruamus, & ab eo postulemus, da mihi hoc, da mihi illud: sed cum reuerentia & filiali timore, tanquam ad venerandum Patrem, accedamus. Et quando cor ita est præparatum, tum sequetur ipsa oratio. Hac absoluta, non mox nos rursus subducamus, & ad mundana properemus; sed addatur conclusio, qua Dei voluntati permittatur, vt id det quod nomini suo gloriosum, nobis autem salutare esse possit. Simul etiam fidem nostram confirmemus vocula, Amen. Qui enim orat & hæsitat, is nihil accipit à Domino, Iac. 1. versic. 7.

Præfatio ergo orationis dominicæ hæc est. *Pater noster, qui es in cælis.* Hac præfatione cor ad veram animi deuotionem præparatur. Sed quo modo? 1. Cogitat ante cuius faciem te sistas, & quem alloqui velis. Non regem aliquem aut Imperatorem terrenum, sed sacrosanctam Trinitatem, coram qua etiam angeli facies & pedes suos, reuerentiæ ergo, contegunt. Ies. 6. v. 2. Quod si ergo quis coram principe verba facturus, eadem diligenter perpendit: quanto magis, si coram diuina maiestate perorare velit? Hic enim est qui cor respicit. Spiritus autem sanctus per meditationem verborum deuotionem in ipsum cor intromittit. 2. Cogita simul qua fiducia ad hunc Deum accedas. Non dicis, magne, fortis, aut omnipotens (præpotentis enim Epitheton, licet fere omnibus literatis vsitatum, mihi erga Deum vsurpatum, tanquam insufficiens, sordet) Deus, qui creasti cœlum & terram, adeoque omnia sustentas. Hoc enim modo etiam Turca vel Tartarus orare potest: Sed dicis *pater noster*: quia nimirum nō venis fiducia propriæ dignitatis, aut propriorum operum & meritorum, sed fiducia Christi, Domini & fratris nostri, qui nobis Deum patrem fecit. Iohan 20. v. 17. Sancti sunt in cœlis, sed non sunt *pater*: Sol quoque est in cœlis, sed nec ipse est *pater*. Iccirco hæc non adoramus: sed *patrem*. 3. Interim caue ne securus fias: quia additur *qui es in cælis*. Non eo sensu, quo aliqui ἐπικουρίζοντες statuunt Deum procul abesse, siquidem in ipso viuimus, mouemur & sumus. Sed quia tanta ipsius est maiestas, vt cœlum sit sedes, & terra scabellum, Ies. 66. v. 1. quia vbique præsens adest, omnia in sua manu habet, omnia videt & nouit, & preces suorum exaudit: quod nullus sanctorum facere potest. Hæc est summa præfationis, sequuntur septem Petitiones.

I. Prima petitio est, *Sanctificetur nomen tuum. Nomen Dei* est bona fama de ipso, quæ sparsa est in ipsius verbo. Quemadmodum enim Adamus in principio cuiuis rei suum dedit nomen, ex quo cognoscitur: ita Deus in sacris Bibliis, in Lege & Euangelio, de suo nomine manifestauit, quod sit zelotes & acerrimus vindex aduersus impios & impœnitētes: bonus autem, beneficus & misericors, propter filium, erga pœnitentes & credentes. Quapropter 1. petimus, vt hoc nomen Dei *sanctificetur*, hoc est, vt quemadmodum in se sanctum & purum est: ita etiam purum verbum inter nos conseruetur: vt det Deus concionatores fidos, zelo præditos, recte secantes verbum veritatis: vt quos dedit, etiam conseruet & tueatur: commendata etiam sibi habeat templa & scholas nostras, quo puritas verbi etiam ad seram posteritatem propagetur. 2. Deprecamur, vt auertat falsam doctrinam: ne per hæreticos, phanaticos, Iesuitas, Sacramentarios, vel consimiles erroneos doctores, sanctissimum ipsius nomen prophanetur, aut ignominia afficiatur: custodiat concionatores nostros, ne per contentiones aut vitam impiam dehonestent nomen Dei: praecaueat ne inertes & infidi pseudoprophetæ nobis dentur: ne nos grauet eiusmodi concionatoribus, quos absq; fructu & emendatione audiamus. 3. Inde etiam gratias agamus, quando nobis dedit purum verbum, cum salutari vsu Sacramentorum, secundum Christi institutionem. Circumferamus oculos nostros in mundo, non fecit taliter omni nationi, Psal. 147. v. 20. Videmus alibi homines sedere in tenebris, alicubi ingruere hæreses, persecutiones, & imminui exercitium purioris doctrinæ. Nam vbi homines beneficium puri verbi non grata mente agnoscunt, ibi Deus immittit vicissitudines lucis & tenebrarum, permittit vt fidi doctores eripiantur, & in ipsorum locum succedant ἰδιῶται, qui multum turbant & parum ædificant. 4. Ac simul etiam perpende, qualem tu te geras erga nomen Dei. Petis quidem vt Deus purum largiatur ministerium: sed quando illud dedit, num etiam templum ingrederis? an diligenter verbum audis? num etiam humiliter accedis ad Absolutionem? an in vera pœnitentia vteris sacramentis? Et si concionator arguit peccata tua ex lege, an etiam patienter id fers? Si Euangelium docet, an non eo vteris ad licentiam carnis? Quomodo apud te sanctificatur nomen Dei? Vide ne illud blasphemes siue verbis, siue factis: ne idem tibi obiiciatur, quod Deus olim Iudæis obiecit, Ezec. 36. v. 21. Vos nomen sanctum meum polluistis inter gentes, ad quas intrastis.

II. *Adueniat regnum tuum. Regnum* dicitur tractus quispiam vel regio, in qua quis ius habet imperandi: sic est regnum Germaniæ, regnum Hispaniæ, regnum Angliæ. Vbi ergo est *Dei regnum*? Possem sane respondere: vbique. Sed si quis veram notitiam regni Dei habere velit, is respiciat tres Symboli Apostolici articulos: iuxta illos triplicem statum inueniet regni Dei. In primo articulo habetur *regnum potentiæ*; quia omnes creaturas creauit, ideo etiam omnium est Dominus, iisque potenter dominatur, adeo vt etiam diabolus coram ipso genua flectere cogatur, Phil. 2. 10. In secundo habemus *regnum gratiæ*. Nam cum homo, nobilissima Dei creatura, ab ipso defecisset, Christus humanum genus reparauit, vt ipse illud regeret per sanctum suum spiritum ad salutem. Cum autem hoc regimen diutius durare non debeat, quàm vsque dum omnes hostes subiicientur Christo: tum enim ipse regnum tradet Patri. 1. Cor. 15. v. 24. ideo in tertio articulo etiam traditur *regnum gloriæ*, quod administratur in cœlo inter sanctos. In hac ergo petitione 1. pro quonam regno quis orat? Pro omnibus tribus. Nam qui orat, est in *regno potentiæ*, ac proinde petit, vt Deus sua protectione ipsum tueatur & gubernet. Et licet Deus nobis constituerit regem, Psalm. 2. 6. quia tamen nemo propriis virib. ad eum venire potest, petimus vt Spiritus S. per verbum & sacramenta nos regat, ac per pœnitentiam, fidem & nouam obedientiā nos introducat in *regnum gratiæ*, atque efficiat quo pro veris incolis Ecclesiæ in hac vita agnosci possimus. Denique soliciti sumus etiam de *regno gloriæ*, vt olim ad vitam æternam perducamur. Iuxta illud Psalm. 23. vers. vlt. Bonitas & misericordia tua persequentur me, omnib diebus vitæ meæ. Et habitabo in domo Domini, in longitudine dierum. 2. Quia Satanas per mundum & carnem semper nos ad se pellicere, & à rege nostro Iesu Christo per peccata & impœnitentiam abducere conatur, deprecamur ne id fiat: sed vt Deus euertat regnum satanæ, vt carnem nostram compescat, ne diabolus vel in ea vel per eam dominetur. Et quandoquidem Deus semper nobis offert suum regnum, & porta gratiæ semper patet, det ne illud contemnamus, aut negligamus prout fatuæ virgines fecerunt Matth. 25. vers. 11. 3. At vero simul perpende, an Deo etiam gratias agas pro eo, quod te in iuuentute tua, cum id neque peteres neque promeritus esses, exemit ex regno satanæ, in quo laqueis mortis tenebaris & ducebaris, & transtulit te in regnū filij sui dilecti, in quo habes redemptio-

nem & remissionem peccatorum, cum parte sortis sanctorum in lumine. Col. 1. v. 12. quod te non Turcam, non Tartarum, non Iudæum, non reprobum deseruit, sed membrum sanctæ suæ Ecclesiæ fecit. Hoc beneficium Dei maius est, quã vt per omnem nostram vitam digne pro eo gratias agere possimus. 4. Ac simul etiam considera, qualem te geras erga Spiritum S. quando tecum agit, ne denuo ex hoc regno te subducas, an ei resistas? an ipsum contristes? an exacerbes, vt fecerunt Iudæi? An vero suggestionibus, monitionibus & doctrinæ ipsius locum præbeas, vt *regnum Dei* ad te venire possit? Et vbi intellexeris adhuc multa tibi deesse, illud agnoscas, atque tanto ardentius ores ex Psalm. 51. v. 12. Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proiicias me à facie tua Domine, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

III. *Fiat voluntas tua. Voluntas* dicitur omne id, quod quis verbis mandat, & aliis testatum facit, sibi illud gratum & acceptum esse. Cum ergo Deus verbum dederit, in eoque voluntatem suam manifestatam fecerit: vtique ei nos subiiciamus æquum est. Et sane vna tantum atque immutabilis est Dei voluntas: docendi tamen causa distinguitur: in credendam, quando in verbo patefacit, quomodo erga nos sit affectus: in faciendam, de qua in Decalogo nos instituit: & in patiendam, quando crucem nobis pro beneplacito suo immittit. Et quidem voluntas *in cælo* apud angelos fit perfecte tota die: hic vero orare docemur, vt *quemadmodum in cælo fit, sic etiam in terra* fiat à nobis. Hic quoniam apud nos multa impedimenta incidunt, 1. petimus, vt Spiritu suo sancto ita nos gubernet, quo quodcunque ipsi Deo placet, in negotiis tam fidei, quam vitæ & crucis, idem nobis placere patiamur. Si velit nos diuites, si pauperes esse: si velit nos impetrare, vel subiici: si velit sanos, vel ægrotos esse: si viduos & orbos velit, vt in iis omnibus ipsi pro liberrima eius voluntate, prompte obtemperemus: prompte credamus, faciamus, patiamur. Ipsius enim est dare & velle & perficere, pro bona sua voluntate, Phil. 2. v. 13. Petimus vt in cruce semper cum filio dicere possimus, Matth. 26. v. 42. Pater mi, tua fiat voluntas: 2. Quoniam Satanas, mundus & propria caro nos sæpe contumaces & impatientes reddunt (est enim cor hominis prauum & inscrutabile. Ier. 17. v. 9.) rogamus, vt illud Deus auertat. Videmus quomodo homines de voluntate Dei credenda dubitent, sæpe contra disputent, sæpe eam persequantur. An non disputatur inter Pontificios & Lutheranos, an Deus nos velit per fidem tantùm saluare, an etiam per opera? An non inter Caluinianos & nos disputatur, an Christus sub pane cœnæ velit & possit corpus suum nobis dare? Rogamus ergo vt Deus talem credendi difficultatem à nostris Ecclesiis auertat: vt quoniam in verbo voluntatem suam reuelauit, eamque iuramento confirmauit, nobis det oculum videntem & aurem audientem. Prou. 20. 12. Videmus quoque quomodo homines in voluntate facienda segnes sint & remissi: ne nos tales deprehendamur, id deprecamur. Etenim seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, multis vapulabit, Luc. 12. v. 47. Neque omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris cœlestis, Matth. 7. v. 21. Videmus etiam quomodo homines in cruce murmurent, recalcitrent, neque patienter sese cruci submittant: cum tamen nouisse deberent, etiam capitis capillos numeratos esse, quorum ne vnus quidem defluat citra voluntatem patris cœlestis, Matth. 10. versic. 30. Talem ergo impatientiam, Christianis indignam, deprecamur. 3. Quando vero sentis Deum per Spiritus sui gratiam ministerio verbi hoc apud te effecisse, vt aliquo modo te ipsius voluntati subiicere, & idem cum Deo & velle & nolle incipias, tum ipsi pro hisce primitiis gratias age, & vt porro idem perficere largiatur pete. 4. Simul tamen teipsum examina, quàm languida sit hæc tua parendi voluntas, an non multoties te Dei voluntati opponas. Hoc si fiat, humilis agnosce, confitere, corrigere stude, veteremque tuum Adamum sic alloquere: ô tu segnis caro: quæ etiam, quando spiritus promptus est, semper tamen retrospicis, cogita quis finis tibi propositus sit. An non in cœlum & ad vitam beatam tendis? At vero *in cælo* semper *fit Dei voluntas* ab angelis. Ad horum consortium si olim admitti cupias, necesse est, vt in hac vita bonum specimen promptæ tuæ voluntatis erga diuinam voluntatem edas. Adamus talis fuit ante lapsum, vbi ipsius voluntas per omnia conformis fuit voluntati diuinæ. Ad eandem perfectionem si redire cupias, mature voluntatem tuam rursus eo inclina.

IV. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Postquam Deo suum tribuimus, quoad nomen, regnum & voluntatem, iam ad nos deflectit oratio, vt nobis necessaria petamus. Nec patiamur nos eo adduci, vt cum quibusdam phanaticis putemus, hæc corporalia dedecere Deum, vt ab ipso ea petamus: nostrum esse vt ipsi ea nobis acquiramus. Vnde multi Patres hanc petitionem spiritualiter explicarunt, de pane spirituali & cœlesti. Sed quia totus hic mundus Dei est: vtique etiam hæc mundana bona ab ipso petere debemus. Nostrum quidem est laborare, à Deo autem benedictionem petere debemus. Et licet multis indigeamus, Christus tamen ea omnia hic Hebræa phrasi *panis* nomine complectitur: quia *panis* significat omnia quæ ad vitæ sustentationem faciunt. Itaque 1. petimus à Deo corporis sanitatem. Nã labor est medium per quod panis paratur: ægri autem non possunt laborare. Petimus etiam parentibus nostris vitam prorogari. Quibus enim familiis Deus bene vult facere, eorum parẽtes diu superstites esse sinit. Oramus etiam pro pio magistratu: quia in bello *panis*, & omnia quæ possidemus, eripiuntur. Petimus autem non totum mundum, sed panem *quotidianum*, non auaritiæ indulturi, sed eo quod Deus dederit contenti futuri. Eundem insuper petimus *nobis*, hoc est, quisque pro se & pro proximo suo orat. Ac proinde illi, quibus Deus multum dedit, si habeant quantum sufficit, soliciti etiam sint pro proximo egeno. 2. Deprecamur, vt Deus auertat corporis ægritudinem, discordias, seditiones, bellum: vt quoniam *quotidiano pane* contenti esse debemus, animum nostrum inclinet in testimonia sua, & non in auaritiam. Psalm. 119. v. 36. Est enim quæstus magnus pietas cum animo sorte sua contento. 1. Timoth. 6. v. 6. Cumque multi ob terrena bona cœlestia amiserint, ne id etiam nobis eueniat deprecamur. Neque enim in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet. Luc. 12. v. 15. 3. Quando vero Deus liberaliter dedit panem, pro eo etiam gratias agamus. Quot enim homines inueniuntur, qui si non cum paralytico Iohan. 5. v. 5. triginta & octo annos decumbunt, in continua tamen infirmitate deprehenduntur? Quot item parentibus orbi pupilli inueniuntur, quibus molestissimum accidit inter peregrinos educari? Quot Christiani duros habent magistratus, qui ipsis non tantum corporalia auferunt, sed etiam purum Dei verbum? Si itaque tu firma frueris valetudine: si parentes tuos habes tibi necessaria suppeditantes: si sub pio aliquo Iosia viuis: pro hisce beneficiis Deo gratias age, ne demum carendo experiaris quanta illa bona fuerint, quæ possidens nunquam agnouisti. 4. Quisque etiam perpendat qualiter viuat. An non propriam corporis sui valetudinem oppugnet ebrietate, comessationibus, scortatione? An non parentes suos ad iracundiam vel animi mœrorem prouocet vnde vitæ ipsorum cursus ante tempus abrumpatur? An non absque iusta causa magistratum suum pium exasperet? An non iniustis vsuris sibiipsi contra Dei voluntatem *panem annuum* rapiat? Talia & consimilia si in se deprehendat, iis se hactenus peccasse agnoscat, & in posterum vitam emendet.

V. *Et remitte nobis peccata nostra.* Insignis hæc est petitio, quam Augustinus vocat asylum Ecclesiæ. Neque enim dies abit, quo non coram Deo peccemus. Et nos quidem peccata & lapsus nostros facile obliuione obliteramus: sed non idem fit apud Deum. In viuacissima enim Dei memoria quasi in codicillis assignantur, & in nouissimo die, quando libri aperientur, Dan. 7. v. 10. cuiuis prælegentur: chirographũ quoque quod nobis contrarium est, Col. 2. v. 14. nos vexabit, nisi cruci Christi affixum è medio tollatur. I. Petimus igitur peccata nostra contra Legem Dei omnia, quæ pene infinita sunt, nobis gratis *remitti*, &, quia non habemus vnde satisfaciamus, sanguine Christi indui, ne in nouissimo die cum ignominia nobis obiiciantur. Et quia nostris peccatis etiam pœnas nobis attrahimus, etiam has nobis condonari, aut certe mitigari, petimus, licet probe eas meriti simus. 2. Precamur, vt auertat Deus, ne securi fiamus qui peccata nostra non agnoscamus, & *debitum* illud de die in diem crescere patiamur: ne verbum & Sacramenta cum Absolutione, per quæ remissionem peccatorum impetramus, negligamus: ne odio prosequamur proximum, aut iusto rigidiores simus in vindicandis nostris offensis, quo ipso etiam nostram remissionem retardamus. 3. Porro, peccatorum remissionem consecutus non obliuiscaris gratitudinis. Cogita ipse, quanta hæc & quam inenarranda sit Dei bonitas, quod tam facile, tam clementer remittit peccata in suam summam maiestatem commissa. Bone Deus, quam difficiles sunt homines semel offensi, antequam offensam condonent! Et Deus, si maxime dixerit impio: Morte morieris: tamen si egerit pœnitentiam à peccato suo, & iudicium atque iustitiam fecerit, vita viuet & non morietur, nec peccata ipsi imputabuntur. Ezech. 33. v. 14. Et in illa gratitudine nemo obliuiscatur, quod hic dicitur: *siquidem & ipsi remittimus omni debenti nobis.* Facile in vita humana incidunt offensiones. Quisque igitur meminerit, se in precatione dominica seipsum Deo obligasse ad earum condonationem. Et quia hæc herbula non facile crescit in omnibus hortis, quisque Deo tanto ardentius roget, vt is tale cor largiatur, quod id facere possit. 4. Quin & ipse

ipse examina cor tuum, qualis tu sis in agnitione tuorum peccatorum: vtrum etiam serio petas peccatorum tuorum remissionem, sicut Manasses & Petrus: idque in eum finem vt cum Deo summo bono reconcilieris. Plerique enim magis postulant remissionem pœnæ quam culpæ. Cogita etiam, quomodo cor tuum affectum sit erga proximum: num etiam placabilis sis ergà ipsum, sicuti Iosephus fuit erga patres deprecantes. Gen.50.ver.19. ne fortassis contra teipsum petitionem hanc producas, vt quemadmodum tu rigidus exactores debitorum erga proximum, ita eundem rigorem quoque Deus aduersus te exerceat. Matth.18.v.35.

VI. *Et ne nos inducas in tentationem.* Deus neminem tentat ad malum. Iac.1.versic.13. sed interdū tentat, vt fides nostra probetur, sicut in Abrahamo factum, Gen.22.versicul.1. & in muliere Chananæa. Matth.15. v.22. Hic vero multorum fides deficit. Maxime si accedant Satanas, Mundus, Caro, quæ nos tentant, vt à Deo adducant. Sicut hoc factum est Iudæ, cui diabolus in cor immisit, vt traderet Iesum, Iohan. 13.ver.2. Ideo Christus valde emphatice verba posuit, *ne nos inducas*, quasi hoc modo 1. petemus. Ah mi Deus, Diabolus circuit, tāquam leo rugiens, quærens deuoret: 1.Pet.5.v.8. & totus mundus in maligno positurus est, 1.Iohann.5.v.19. adhęc caro est infirma, Matth.26.ver.41. Et licet nos stemus in procinctu, sine tua tamen gratia parum aut etiam nihil efficimus. Tu ergo nos custodias, tū fortunæ tū infortunij tempore, ne labamur: & quia fidelis es, nec quenquā supra vires tentari pateris, ideo fac cum tentatione prouentum, vt sustinere queamus. 1. Corinth.11.v.13. 2. Deprecare, ne Deus te tradat grauioribus perturbationibus mentis, tanquam violentis rapidisque gubernatoribus, illudendum & excarnificandum. Sicuti Dauid precatus est, Psalm.19.v.14. A superbis prohibe seruum tuum, ne dominentur mihi: Tunc perfectus ero, & mundus ab impietate magna. 3. Gratias etiam Deo age, quod tamen piorum curam habet, non facile quempiam deserit, vtcunque multi sese indignos ipsius protectione gerant, quod cancellos circundat Satanæ, & limites ei præscribit, vltra quos tentando progredi non audet. 4. Caue ne teipsum tentes, neuē prauas tuas cupiditates & cogitationes sequaris. Vere enim Iacobus dixit c.1.v.14. Vnusquisque tētatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero consummatum, generat mortem. Et quicunque sic concupiscentiæ suæ indulget, is proprias euertit suas preces.

VII. *Sed libera nos à malo.* In scriptura Diabolus *malus* dicitur, Matth.13.ver.38. quia is author est & causa omnis mali. Huius Christus nos in omni malo meminisse vult: eo quod facile culpam mali coniiciamus in homines, vt iam taceam quosdam non sine blasphemia mali culpam reiicere in Deum. Post diabolum *malum* dicitur omne id, quod nobis nociuum est, siue in corpore, siue in fama, siue in vita, siue in anima. Vnde etiam dies mali dicuntur. Eph.5.versicul.16. Et Paulus Rom.7.ver.21. malum carni nostræ ob peccatum adiacere fatetur. Vnde etiā multa nobis mala ex inopinato, etiam quando vel maxime nobisipsis tuti videmur, accidunt. Sicuti Heli, qui cecidit de scabello. 1. Sam.4.ver.18. Miphiboseth, qui factus est claudus. 2. Samuel 9.ver.13. illis decem & octo, super quos turris cecidit in Siloe. Luc.13.versic.4. 1. Petimus ergo *liberari à malo*. Non, vt nullum omnino malum ingruat. Neque enim in paradiso, sed in mundo viuimus, in quo vita nostra est militia super terram, & omnes dies nostri, tanquam dies mercenarij. Iob.7.versi.1. ita vt omnes cum Iacobo conqueri cogamur, dies peregrinationis nostræ esse paucos & malos. Genes.47.ver.9. Quapropter frustra in hoc mundo felicitatem absque malo expectamus. Sed idem petimus, quod Christus dixit Iohan.17.ver.15. Non rogo pater, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Item petimus, cum ipse optime norit, quam infirma sit nostra natura, vt ipse nobis assit, quando malus diabolus, malus mūdus, mala caro, nos impugnant. Patentes & amici id præstare nequeunt. Proinde petimus, vt Deus id faciat. Cumque tota hominis vita, imo totus mundus vitreis fenestris similis sit, vbi vno orbiculo fracto, mox aliu: frāgitur: ideo simul oramus, vt Deus non tantum per omnem vitam bona nobis communicet, sed etiam salutarem vitæ exitum nobis largiatur. Beata enim mors, & omnis mali finis, & æternæ felicitatis initium est. 2. Deprecamur omnia mala in corpore & anima, in fortunis & fama, qualia sunt potissimum peccata & opprobium, quod inde enascitur. Maxime deprecamur, ne impuri & mali spiritus nos exagitent sub exitum vitæ. 3. Gratias age Deo, quod is te tuetur, quod à Satana non præcipitaris in malum & improuisam mortem, aut in æternum exitium. Quoties vides furem suspendio, homicidam gladio, latronem rota perire, Deo gratias age: quod te tuosque à consimili malo custodierit. Quod enim vni accidit, id cuius accidere potest. 4. Caue ne teipsum præcipites in malum, quod faciunt illi, qui trahunt iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi funibus plaustri peccatum. Ies.5.v.18. Hoc quicunque vnquam fecit, is petat remissionem, atque emendet.

Hæc sunt septem illæ Petitiones, à Christo nobis ad precandum præscriptæ: quibus inclusa sunt omnia necessaria, quibus homo Christianus indiget, & ad temporalem & ad æternam salutem. Conclusio orationis Dominicæ hic à Luca omissa est, sed pie ex Matthæo reassumi potest. Neque enim vult Christus, vt mox abrepto cursu orationis sine omni deuotione à precibus diffugiamus. Sed quando iam absoluimus hanc precationem, tum hæc clausula 1. nos monet, vt retrospiciamus, an etiam satis deuote orauerimus, quia collocuti sumus cum eo, cuius inest omne *regnum* omnis *potentia*, omnis *gloria*. Et si qua in parte à nobis aberratum est, vt lingua præcurrerit mentem, vt os locutum sit sine attentione cordis, preces illas corrigamus, & attentiones repetamus. 2. Monet, si precando quid obtinuimus, in quem finem id dirigere debeamus. Petimus panem quotidianum, remissionem peccatorum, liberationem à tentationibus & malis. Si ergo hæc à Deo impetrauerimus, quomodo iis vtemur? Non ad licentiam carnis: sed vt πολίτευμα nostrum retineamus in *regno* Dei, tam in regno gratiæ, quam *gloria in secula*. 3. Maxime autem conducit hæc coronis ad confirmandam fidem nostram, si non statim post absolutas preces exaudimur. Quidā enim animum adiiciunt, si non è vestigio petita accipiant. Sed hic animus ad tranquillitatem est componendus, vt quis ita cogitet: Ego oraui, & omnes meas angustias in sinum Dei effudi, totamque rem in ipsius manus resignaui. Iam alacris abibo ad operas meæ vocationis, absque omni solicitudine, committens omnem euentum Deo. Etenim ipsius est *regnum*, ipse regit omnia pro beneplacito voluntatis suæ. Reget ergo etiam mea postulata, ad suam gloriam & meam salutem. Ipsius etiam est *potentia*. Quis voluntati eius resistet? Omnia enim quæ voluit fecit in cœlo & in terra. In ipso ergo sum securus. Ipsius denique est etiam *gloria*. Ideo suis promissis non deerit. Aliàs laboraret de veritatis testimonio. Quapropter certus sum quod me non deseret. *Amen*. Certus sum me impetraturum ea quæ petij: si non ad voluntatem, certe ad vtilitatem & salutem.

Talis aliqua simplex ratio meditandi precationem dominicam Idiotis est præscribenda: & sunt etiam pueri assuefaciendi, vt discant verba ponderare & expendere. Nec quenquam debet absterrere temporis iactura (vt quibusdam videtur) si hisce paululum immoretur. Etenim diurno labori Deus tanto plus benedicet. Aut si omnino parum temporis ad meditandum superest: vel saltem quis singulis diebus in hebdomada vnam petitionem dicto modo examinet, & reipsa experietur, talē meditationē suo fructu minime carere.

Hactenus formulam precationis breuiter exposuimus. Quia vero doctrina precationum sic comparata est, vt non in scientia tantum consistere, sed in πρᾶξιν & vsum transferri debeat: Iccirco Seruator noster non eo contentus est, quod veram precandi rationem docuit, sed pergit, & discipulos etiam de vsu instituit, quem semper in Ecclesia sua vigere vult. Iccirco in primitiua Ecclesia admodum bene ordinatū fuit: quod duo hæc, doctrina & exercitium precandi, fuere semper coniuncta. Etenim exercitium precandi, vbi doctrina deest, corrumpitur: rursus doctrina precandi, sine exercitio & praxi, nihil prodest. Quapropter cum in primitiua Ecclesia vigerent persecutiones, pestes, terræ motus, tempestates, homines ad concionem sunt conuocati, sermo de diligenter & deuote Deo inuocando est habitus: postea vicinæ Ecclesiæ interdum sunt conuocatæ, & litaniæ simul atque processiones institutæ, sicque id, quod ex verbo propositum erat, in actum est traductum. Hoc exercitium Deo placuit, vnde & Ecclesia gratia sua dignatus est, vt illa creuerit, & in tranquillum statum posita fuerit. Postea sub Papatu opus precandi remisit sine doctrina, illudque multiplici superstitione est contaminatum. Sibi enim homines persuaserunt, preces tanquam opus operatum Deo gratas esse, si certo tēpore circuirent, si sacramentum simul circumgestarent, si lōga Rosaria recitarent, si suffitu aliquo Deum placarent, si omnes Diuos cœlites inuocarent, vt sua intercessione preces suas Deo commendarent. De tali cultu Deus iam olim pronunciauit: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me. Frustra me colunt docentes mādata hominū. Ies.29.v.23. Matt.15.ver.8. Apud nos nunc, Dei beneficio doctrinam precationum habemus puram & incorruptam: sed metuendum est, ne postquam opinio meriti iam est exempta, exercitium apud multos frigescat. Quapropter prodest atten-

te obseruare, quomodo Christus, tum hoc in loco, tum alibi, doctrinam & *πρᾶξιν* precationum coniungat.

Nam quamprimum discipulos formulam precandi edocuerat, mox eosdem ad *πρᾶξιν* & vsum exhortatur. *Ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis.* Hæc verba magnam habent emphasin, quasi diceret: Quidam vestrum audiuerunt cœlestem illam vocem dicẽtem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Audiatis ergo me dicẽtem. Quid vero dicis optime Iesu? *Ego* qui in salutem vestram de cœlo descendi: *Ego* qui Saluator vester sum & Redemtor, *dico vobis*: si quid à Deo fonte & largitore omnis boni impetrare velitis: *petite, quærite, pulsate*: tum enim *dabitur vobis, aperietur & inuenietis*. Hisce tribus verbis quasi processum & modũ precandi indicare voluit. Necesse enim est, vt & cor, & os, & manus precantium informentur. Ante omnia cor ad prædicandum præparari debet. In hoc enim vere diuersi sunt affectus, quorum alij hominem ad precandum incitant, alij remorantur. Ergo homo cor suum eo inducat, vt *quærat*, hoc est, ardenti studio & summo desiderio eo feratur, quo certi quid à Deo expetat. Postmodum etiam os est instituendum, vt conceptis verbis à Deo aliquid *petat*: sicuti etiam Dauid dixit Psal. 77. v. 2. Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi. Denique etiam manibus *pulsare* debemus. Quo verbo assiduitas & quasi importuna postulandi perseuerantia denotatur. Neque enim manibus nostris ostium cœli pulsare poterimus. Et tamen antiquitus hic gestus in ardentioribus precibus adhibitus est, vt precatores manus suas leuarent. Exod. 17. versic. 11. dum Moses leuat manus vincit Israel. Et Paulus dicit Hebr. 12. versic. 12. Remissas manus & soluta genua erigite. Idem vult 1. Tim. 2. versic. 8. vt leuemus puras manus sine ira & disceptatione. Nam qui leuant manus sanguine fœdatas, eos Deus exaudire renuit. Ies. 1. versi. 15. Quicunque ergo sic cor, os & manus suas ad precandum componit, ei Christus hic amplissimam promissionem dat de exauditione. Et ne quis putet, hanc promissionem saltem de Apostolis intelligendam esse, cum etiam ad omnes homines extendit, dicẽs: *Omnis enim qui petit, accipit. Et qui quærit, inuenit. Et pulsanti aperietur.* Rursus tria hæc verba coniungit, vt innuat cœlestem patrẽ debite & diligenter, atque ex toto corde, precibus quærendum & solicitandum esse, secundum præscriptum verbi sui. Icirco illa particula *Omnis*, sic accipienda est, quod quoad exauditionem à Deo nemo hominum excludatur, dummodo petat iuxta voluntatem Dei. Iohann. 16. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Iacobus autem dicit, cap. 4. ver. 3. Petitis, & non accipitis: eo quod male petatis. Si Christus quempiam toto vitæ suæ curriculo multis laboribus, variis periculis, & nõn sine vitæ discrimine ad pœnitentiam quæsiuit, & vix tandem inuenit: quid mirum talem viciſſim, qui tepide & remisse Deum suum, & eundem fortassis plus in deliciis & vanitatibus mundi, quam in verbo quærit, non inuenire ea, quæ ab ipso petit? Et hæc quidem de mandato Christi, quoad *πρᾶξιν* & vsum precationis.

Excitare debet hæc consideratio mandati Christi, omnes vere Christianos, iisque animum addere, vt confidenter illud exequantur. Multorum enim hominum ea est siue impietas siue socordia, vt preces non magnopere necessarias, fortassis etiam parum vtiles esse arbitrentur. Iuniores & pueri ex socordia non libenter orant, quibus videtur orare difficilius esse quam arare. Senioribus autem interdum Diabolus imponit huiusmodi cogitationibus: Quæso quid opus est orare, cum Deus ab æterno disposuerit, quid cuiuis dare velit? Et in eo non mutatur: Mal. 3. versi. 6. Ego Dominus & non mutor. An non turpe foret ipsum totius orbis Monarcham à misero homine inflecti? Hæc sunt satanæ strategemata, quibus se in angelum lucis transformat, vt eo prætextu nobis è manu eripiat præcipua arma, quibus contra ipsum in hoc mundo pugnare debemus. Preces enim & lachrymæ sunt arma Ecclesiæ veræ.

Sæpe igitur nobisipsis ob oculos ponere debemus cum mandato exemplum filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, qui non tantum hoc loco orauit: sed sæpenumero etiam integras noctes precationibus insumsit. Quis vero dicet æternam Patris sapientiam circa res inutiles & non necessarias occupatam fuisse? Quod Dei dispositionem, ordinationẽ vel prædestinationem attinet, sciendum est, Deum non tantum prædestinare nos ad finem, sed etiam ad media, quæ ad finem illum deducunt. Sic saluandos ab æterno prædestinauit ad vitam æternam: sed simul eosdem ordinauit ad auditum verbi, pœnitentiam, fidem & perseuerantiam, quæ media sunt cõsequendæ vitæ æternæ. Hæc si quem Deus neglecturum ab æterno præuideat, non est quod is se ad salutem prædestinatum speret. Sic si quid Deus decreuit, quod alicui dare velit, simul etiam decreuit, quod propterea orare debeat. Exemplo res erit illustrior. Decreuerat Deus quod Abrahami semen multiplicare velit sicut stellas cœli & arenam maris. Insuper hoc decretum per promissionem Abrahamo reuelauerat, Genes. 15. versic. 12. Post hanc promissionem duxit Isaacus vxorem sterilem: sed pro ea orauit Dominum, qui eam exaudiuit, atque sic Rebecca concepit, Genes. 25. versic. 21. Num hic dicam: Quænam necessitas vrsit Isaacum vt oraret? quasi vero Deus promissionem suam non exoluturus fuisset sine precibus Isaaci? Aut anne Isaacus Deum suis precibus mutauit? Respon. Vtique quod Deus prædestinauerat & prædixerat, explendum fuit. Sed idem Deus, qui prædestinauerat impletionem promissionis suæ: prædestinauit etiam modum & media, nimirum preces, per quas finis ille ad impletionem adduceretur. Has preces si Deus Isaacum intermissurum præuidisset, etiam præordinationem illam intermisisset. Sic dicitur: Flectitur iratus voce rogante Deus. Non quod per orationem det, quod aliàs daturus non esset: sed quod det per orationem illud, quod sine ea daturus non erat. Sicut ergo Deus vult frumentum dare ex agris, sed simul vult agricolam semen spargere: ita etiam vult Deus dare omne bonum, sed idem vult etiam nos id ab ipso petere. Hoc ergo Christi mandatum non est negligendum. Quin imo hoc mandatum Deus à suis filiis non minus stricte obseruari vult, quàm reliqua sua præcepta: & minatur tum in *Psal. 79. ver. 6.* tum Ier. 10. 25. quod eos qui non orant non pro filiis agnoscat, sed pro gentibus habeat, in quas iram & indignationem suam effundere velit.

Debet quoque nos ad diligenter orandum excitare nostra necessitas. Solæ enim preces sunt fulcrum quo infirmitas nostra fulcitur & sustentatur. Omnia quæ infirma sunt, *indigent* fulcimento, quo sustententur. Cæcus baculo, ægrotus alimento, arbor irrigatione, vlcus ardens refrigeratione. Hæc omnia nos sumus propter peccatum. Oratio ergo nobis est baculus, alimonia, irrigatio, refrigerium. Et cuiuscunque rei tam in spiritualibus quàm in corporalibus indigi sumus, illà, si nobis prosit, per orationem impetrare possumus. Est enim precatio longa illa fidei manus, quæ nubes penetrat. Syr. cap. 35. versic. 20. & quam in cœlos vsque extendimus, vt à cœlesti Patre necessaria accipiamus. Si quis indiget sapientia, petat à Deo, & dabitur ei. Iac. 1. versic. 5. Si tristatur quis, oret. Iac. 5. v. 13. Infirmatur quis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, & alleuabit eum Dominus. vers. 14. *Si quis quærat* pacẽ ciuitatis, in qua habitat, vt in eius pace etiã *sit sibi pax*, oret pro ea ad Dominum. Ier. 29. ver. 7. Si quis nolit intrare in tentationem, oret. Luc. 22. v. 40. Si quis nolit malum facere, sed potius bonum, ne sit ex reprobis, oret Deum. 2. Corint. 13. versi. 7. Si quis cupiat, vt charitas sua magis ac magis abundet, in scientia & in omni sensu, oret. Philip. 1. vers. 9. Si hostes alicui detrahant, oret cum Dauide, Psal. 109. v. 4. Pro remissione peccatorum, oret quisque Christianus cum omnibus sanctis tempore oportuno. Psalm. 32. ver. 6. Si quis optat, vt sermo Dei currat, & glorificetur in toto mundo, oret. 2. Thess. 3. vers. 1. Moriturus cum Stephano, per precationem animam suam commendet Deo, redemtori suo. Psalm. 31. v. 6. Quia autem nescimus, quando Dominus venturus, nosque euocaturus sit, vigilemus & oremus omni tempore, vt digni *reperiamur stare* coram filio hominis. Marc. 13. versic. 33. Sed quid multis verbis opus? In precationibus nos iugiter exerceamus. Sicuti enim (inquit Hugo) nullum est momentum, quo homo non fruatur Dei misericordia: ita etiam nullum momentum debet præterire sine Dei memoria. Ita vt omne tempus, quo non de Deo cogitamus, nos perdidisse reputare debeamus. Hac de causa Christus Cant. 8. v. 13. Ecclesiæ suæ valedicens, inquit: Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam. Hoc nimirum postulat, vt piæ siue deuotæ mentes sibi per preces loquantur. Et addit: amici auscultant: quasi dicat, Angeli attendunt ad concentum precum: quia Deo nulla *συμφωνία* siue Harmonia, quam publicæ Ecclesiæ preces, est suauior. Matt. 18. v. 19.

Cæterum plura sunt, quæ ad *πρᾶξιν* & exercitium precationum pertinent, quæ Christus duabus parabolis exprimit: quarum vna ab amico erga amicum, altera à patre erga filios, tanquam argumentum à minori ad maius, sumpta est. In prima inducit duos amicos siue vicinos, quorum vni improuisus hospes aduenit, vt etiam *media nocte* panes petiturus alterum adire coacturus fuerit. Vicinus licet amicitiæ nullam rationẽ habiturus fuisset, importunitate tamen alterius se permoueri passus est, vt tantum ipsi daret, quantum ei opus esset. Multò plus ergo docet Deum nostris precibus annuiturum, cum nullum tempus ipsi importunum sit nos audiendi. In altera parabola introducit patrem φιλόστοργον, qui natura erga liberos suos ita affectus est, vt conuenientem & necessarium victum ipsi libenter subministret: & quamuis non semper largiatur quod filij petunt: nunquã tamen noxium vel perniciosum cibum dare solet. In his duabus parabolis multa latent, quæ ad

quæ ad πράξιν & exercitium precandi pertinent, nos præcipua euoluere studebimus.

1. Primo monet hæ parabolæ quando sit orandum. Et quidem Luc. 18. versicul. 1. vult Christus nos semper atque indesinenter orare. Vnde etiam nos liberos nostros assuefacimus, vt mane & vesperi cubitum euntes & cubito surgentes ante & post cibū, in ingressu & egressu templi orēt. Sed multis idē euenire solet, quod filio prodigo Luc. 15. v. 13. qui dum haberet vnde sumptus faceret, nūquā cogitauit de domo paterna. At postquam egestatem & famem pertulisset, ibi tum demum ad patrem rediit, & humiliter orauit. Sic multi in gaudiis, deliciis & voluptatibus constituti non orant. Postea vero ingruente calamitate & angustiis, reformidant os manus attollere ad cœlestem patrem. Proprium enim cor ipsos condemnat, quod quem tempore feliciore neglixerunt, ad eundem in necessitate constituti recurrere non ausint. Ad hæc parabola docet in omni necessitate ad Deum per preces cōfugiēdum esse. Etenim *amicus qui de via venit*, siue hospes, denotat improuisam necessitatem, quæ ingruit. Nam etiam vulgo nos Germani sic loquimur, de quauis afflictione, de morbo, peste, paupertate, bello & ipsa morte, nos nouum & incommodum hospitem nactos esse. *VVir haben einen bosen Gast bekommen.* Quin & ipsi praui affectus atque noxiæ cupiditates peregrinis hospitib. conferri possunt, sicuti Nathā id fecit coram Dauide. 2. Sam. 12. v. 4. Quotiescunque igitur talis aliqua, siue spiritualis siue corporalis necessitas aduenit, toties absque intermissione preces ad Deum sunt expediendæ, pro ferendo auxilio. Quemadmodum enim ij, qui in arce aliqua ab hoste sunt obsessi, nullum præstantius remedium habent, quam vt protinus nuncium ad Regem suum mittant, quo ipso subsidium ferente hostis fugetur. Sic nos à multis hostibus circumuallamur, & variis diaboli, mundi atque carnis tētationibus agitamur, multis denique laboribus, infirmitatibus & afflictionibus subiecti sumus, nullūque in nobis præsidium habemus, præsentissimum itaque nostrum remedium est, absque mora nuncium mittere ad Regem cœli, piam nimirum & deuotam precationem, quæ ipsius regiam *pulset*, auxilium *petat*, subsidium *quærat* & ferat.

Hoc fecerunt omnes sancti, in omni necessitate. Abrahamus carens hærede, Gen. 15. ver. 4. Isaacus in sterilitate Rebeccæ, Gen. 25. ver. 21. Iacobus timens fratrem Esau. Gen. 32. v. 11. Israelitæ oppressi in Ægypto. Exod. 2. v. 23. Moses ad mare rubrum. Exod. 14. v. 15. Iosue introducturus Israelitas, in terram Chanaan. Ios. 5. v. 13. Gedeon liberaturus Israelitas ex manu Midianitarum. Iud. 6. v. 36. Samson laborans siti. Iud. 15. v. 18. Samuel in suis persecutionibus. 1. Sam. 12. v. 17. Dauid quoties tribulabatur. Psalm. 5. ver. 5. Salomon cum templum ædificasset. 1. Reg. 8. v. 15 Elias cum ipsi lis esset cum Baalitis. 1. Reg. 18. v. 36. Iosaphat cū bellis fatigaretur. 2. Par. 20. v. 12. Ezechias, cum Hierosolyma ad deditionem solicitatur. Iesa. 37. versic. 16. Manasses tyrannidis veniam petens. 2. Par. 33. versi. 13. Tobias in cœcitate. Tob. 3. v. 1. Iudith in obsidione Bethuliæ. Iud. 9. v. 2. Esther regina in afflictione populi sui. Esth. 4. v. 16. Tres pueri in fornace ignis ardentis. Dan. 3. v. 25. Daniel in lacu leonum. Dan. 6. v. 22. Iudas Maccabæus prælium initurus. 1. Maccab. 7. v. 21. Centurio. Matth. 8. v. 6. Regulus. Ioh. 4. v. 47. Chananæa. Matth 15 v. 22. Cœcus. Luc. 18. v. 39. Latro in cruce. Luc. 23. v. 42. Ipse Christus. Hebr. 5. v. 7. Ecclesia denique coniunctim pro Petro, cum ab Herode in custodia detineretur. Act. 12. ver. 12. Hæc exempla & alia quamplurima monstrant, quomodo in quauis necessitate nuncius precum ad Deum sit ablegandus. Nec putemus vllum tempus inconueniens esse. Nam si maxime id fiat *media nocte*, tamen id non est intermittendum. *Nox* hic denotare potest tempus necessitatis. Sicut Iesaias dicit. c. 26. v. 9. Anima mea desiderat te in nocte, hoc est, tempore necessitatis, angustiarum & tribulationis. Christus autem hic notanter dixit *media nocte*. Nam eo tempore homo omnibus negotiis diei transactis se quieti dedit, & non nisi inuitus ad boni amici vocationem de lecto vult surgere. Tunc enim nemo non est, qui in prima noctis quiete non moleste ferat somni interruptionem. Vult ergo Christus dicere: Si amicus quispiam tempore tam intempestiuo, tamen ad amici ostium pulsantis vocem surgit, illiusque necessitati succurrit: quanto magis Deus illud facturus est, cui nullum vnquam tempus est importunum?

2. Quod vero Christus adducit parabolas *de amico & de patre*, eo ipso nobis aliud membrum commendat, quod in praxi & vsu precationum est obseruandum: nimirum, vt operam demus, quo Dei simus *amici & dilecti filij*. Et sane initio Deus nos creauit, vt eius filij & amici essemus. Sed iam post lapsū natura sumus inimici. Rom. 5. v. 10. sumus filij iræ. Ephe. 2. v. 3. Per pœnitentiam autem & fidem in Christum, iterum reconciliamur, vt pacem habeamus ad Deum. Rom. 5. v. 1. Quotquot enim Christum receperunt, his potestatem dedit filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ioh. 1. versi. 12. Quapropter oraturus, ante omnia operam det, vt viuat in pœnitentia, hoc est, in agnitione & contritione suorum peccatorum, in vera fide in Christum, & in proposito vitam emendādi. Tum enim Deus nobis *amicus* est, qui nos per filium dilectum diligit, & salutis nostræ est appetentissimus. Est nobis *vicinus*: quia cœlum & terram ipse implet, & non est Deus de longe. Ier 23. v. 23. Prope enim Dominus adest omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Ps. 145. 18. Idem etiam est noster *pater*, qui nos alit, pascit, potat, vestit, & omnes creaturas tam visibiles, quā inuisibiles, adeoque ipsos angelos ad ministerium nostrum creauit. Heb. 1. v. vlt. Imo est plus quam *pater*, quia quando pater & mater deserunt nos, Dominus assumit nos. Ps. 27. 10. Qui vero in peccatis sine pœnitentia viuunt & pergunt, non est quod illi quicquam se à Deo precibus suis impetrare posse sperent. Nā Deus voluntatem timentium se faciet, dicit Dauid. Ps. 145. v. 19. Et scimus quod Deus peccatores nō audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. Iohan. 9. v. 31. Ideo Salomō dicit, Prouerb. 29. 9. Qui declinat aures suas, ne audiat legē, oratio eius erit execrabilis. Et Deus ipse Prou. 1. 24. Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: cum venerit super vos tribulatio & angustia, tum inuocabunt me, & non exaudiam: mane exurgent & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinā. Et Ies. 1. 15. cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Si quis beneficium abs te petiturus te accederet, & afferret manus sanguine filij tui tinctas, num quicquam ipsi daturus esses? Absque dubio, ira & indignatione commotus, eum à facie tua remoueri iuberes. Qua igitur fronte impœnitens peccator, qui impia vita & nefariis flagitiis in dies filium Dei sibimetipsi crucifigit, sperabit se à Deo aliquid impetrare posse? Remoueat prius peccata per seriam pœnitentiam, & postea precaturus Deum accedat. Ideo Iesaias dicit, c. 1. 16. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruerse, discite benefacere, & venite. Syr. 38. 9. Ora Dominum, & auerte te à delicto, & manus tuas emunda. Iac. 4. v. 8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores: & purificate corda. Ioel. 2. v. 13. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum. 1. Tim. 2. v. 8. Leuate puras manus sine ira & disceptatione.

Hoc modo Anna orauit ex multitudine doloris & mœroris sui. 1. Sam. 1. 16. Sic Manasse cum captus teneretur in Babylone. Sic Dauid, Ps. 6. 7. Sic Daniel, cap 9. v. 5. Sic Publicanus. Luc. 18. v. 13. Sic Petrus amara fleuit. Matth. 26. v. 75. Hoc sacrificium Deo est gratum: nimirum spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet, Psalm. 51. v. 19. Ideo Deus dicit Ies. 66. v. 2. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Supra diximus precationem esse nuncium ad Deum pro ferendo auxilio ablegatum. Si hic nuncius celer esse debeat, vt mature ad regem cœlorum perueniat, tum tolle peccatorum onera & pondera, reiice amorem mundi, terrena & mundana relinque, & eo velocius oratio tua ad Deum perueniet.

3. Quid sibi volunt *tres panes*? Quid tria illa filiorum petita, *panis, piscis, & ouum*? Quidam hic argutantur, & per *tres panes* intelligunt Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Alij tres cardinales virtutes: fidem, spem & charitatem. Alij dicunt hisce tribus, patientia, fide & consilio nos subleuari in omni necessitate, & tribus hisce nobis opus esse. Sed eiusmodi mysteria Christus in hoc ternario numero non abscondit: quin potius aliam quandam conditionem, quæ in exercitio & vsu precum attendenda est, monstrare voluit. Nimirum petitiones nostras in precatione sic formandas esse, vt æquitati, pietati, vtilitati & necessitati nostræ sint conformes. Si cuidam amicus vnicus, famulo comitatus veniat, & is à vicino quinquaginta vel septuaginta panes peteret: an non eum impudentem postulatorem esse diceremus? At *tres panes* homini venienti ex itinere, eius famulo & ipsi hospiti ad cœnandum sufficere poterant, vt tamen post cœnam aliquid superesset. Veteres enim tales panes coquebant, quorum vnus homini ad cibum diurnum sufficiebat. Vult ergo Christus monstrare petitionem decentem & conuenientem esse debere. Sic si filius infans à patre petat talentum auri, is se fatuo ingenio esse prodest. At si petat *panem*, vel *piscem*, vel *ouum*, tū petit id, quod quod ad sustentationem ipsius est vtile & necessarium. Eodē modo si ego à Deo petere vellem Imperium Turcicum, aut totum mundum, quis me non mente motum diceret? At si ab ipso postulem cum Elisæo 2. Reg. 2. ver. 9. spiritum Chemnitij duplicem, vt hanc Harmoniam Euangelicam (pro vt cœpi) feliciter atque vtiliter pertexere & ad finem perducere queā,

nihil iniqui postulo, sed illud quod facit ad ædificationem Eccl. ... Nam & Christus ipse hic dicit: *pater vester cælestis dabit spiritum sanctum poscentibus se.* Vult ergo Christus monere, vt in πράξει precationū petitiones nostras ita informemus, ne coram Deo impudentiæ, fatuitatis aut insaniæ accusari queamus! Et qui nos nescimus, quid orare debeamus sicut oportet. Rom.8.versic.26. Ideo ipse nobis formulam precationis, septem petitionibus comprehensam, præscripsit: in qua monstrauit quinam sint illi *panes, pisces & oua*, quæ confidenter ab ipso petere audeamus.

Vbi tamen simul etiam hoc obseruandum est, non semper opus esse, vt omnes septem petitiones Deo proponantur, sed licere, pro re nata & sic postulante necessitate, vnam atque alterā (tanquam *duos panes*, aut *panem & piscem*) proponere & petere: vtpote tales, quæ instituto præsenti seruiant. Verbi gratia. In templum abiturus, vrgeat primam petitionē: à templo rediens, in manus sumat secundam & tertiam. Ingressurus curiam, secū repetat quartam: trāsacturus cum proximo, vel lites inter partes compositurus sibi proponat secūdam & quintam. Si quis in conuiuio lætiori assideat sodalitio prauo, vel conspectis mulierculis, is meditetur sextā petitionem. Ingressurus nouam functionem vel iter, non obliuiscatur septimæ petitionis. Atque sic pro diuersitate necessitatum, diuersimode etiam precationem suam quisque instituat: & hoc est vel *panem*, vel *piscem*, vel *ouum*, pro diuersa valetudine corporis, aut pro diuersa necessitate animę petere. Quodcunque autem quis petat, det operam vt personæ suæ conuenientia petat, sicut sub *panis* nomine Hebræis venit omne illud: quod ad corporis conseruationem & necessarium. Salomon eleganter illud exprimit Prouerb.30.v.8. vbi paupertatē deprecatur, nec tamen diuitias appetit, sed חקי portionem & demensum suum postulat. Græci reddiderunt τὰ δέοντα καὶ τὰ αὐτάρκη, sein bescheyden Theil Speise. D. Paulus 1. Tim. 6. versiculo 8. vocat διατροφὰς καὶ σκεπάσματα, alimenta & vestimenta. Vocabulum enim חק statutum, certa regula & norma præscriptum, significat: quemadmodum Prouerb.31.v.15. prudens fœmina dicitur familiæ suæ dare certam portionem. Ita Deus in magna sua domo, in hoc nimirum mundo, iam decreuit, quali portione donorum & bonorum suorū quemuis, ad publicam vtilitatem, instruere velit. Hanc si Christianus à Deo petat, non dubitet se certo eam accepturum.

4. Hic vero experientia rerum huic promissioni repugnare videtur. Etenim non raro fit, quod aliqui satis diu precantur, vel in morbo, vel in egestate, vel in persecutione, vel in alia aliqua necessitate, nec tamen vllum leuamen, nedum opē aut auxilium sentiant. Vbi ergo manet Christi promissio de exauditione? Et hæc est magna precum remora, vbi vel Deū grauioribus occupationibus districtum, vel miserioris conditionis esse arbitramur, quam quorum curam Deus suscipere velit. Vnde multi homines sunt instar puerorum, qui, si quando aliquid exigui momenti ipsis ex manibus eripias, mox ira perciti, reliqua etiam quæ supersunt longe abs se proiiciunt, & irati abeunt. Contrà hos quarta conditio, quæ in vsu & exercitio precum teneri debet, attendenda est. Nā Christus ipse illum Dei morem hic nobis adumbrat, in priore parabola amici illius, *qui ostium suum occlusisse, & dormire* dicitur. Nam etsi custos Israelis nec dormit, nec dormitat. Psalm.121. versicul.4. tamen in diuturnioribus miseriis & afflictionibus, cum quibus aliqui interdum conflictantur, vbi nullum auxilium, imo ne spes quidem liberationis apparet, Deus dormire & ostium misericordiæ clausisse videtur. Sic certe Dauid Psalm.77.v.6. lamentatur. Cogito dies antiquos: meditor, & inuestigat Spiritus meus. Nunquid in æternum proiiciet Deus? & non amplius placabilis erit? num finis erit omnino misericordiæ eius? abolita est promissio in omnem posteritatem? aut obliuiscetur misereri Deus? aut *conclusit* in ira sua misericordias suas? Imo tum etiam *omnes pueri eius cum ipso sunt in cubiculo*, id est, omnes creaturæ cum ipso quiescunt, dormiunt, nec quicquam nos iuuare, aut nobis prodesse volūt. Quoties enim euenire solet, vt illi, qui in egestate viuunt, nulli labori, nulli industriæ parcāt, & tamē non ex inopia emergere possunt? Alij in morbis diuturnioribus iisdē vtuntur mediis, quibus alij seruati sunt, & tamen nihil proficiunt. Sic nonnunquam in aduersitatibus omnia consilia fallunt, quæ præsentissimum auxilium polliceri videbantur. Hic certe Deus nobis *dormire & ostium* misericordiæ *clausisse* videtur. Ergo in exercitio precum perseuerantia opus est, vt quemadmodum Patriarcha Iacobus Gen. 32.v.26. luctans cum angelo, ei dixit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Sic nec tu Dominum dimittas, quoadusque petitionem tuam adimpleat. Ideo etiam Ecclesia Cant. 3. ver. 4. de Christo dicit: Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum. Iccirco Dominus, etiam benedicere renuens, tenendus est. Nam vt recte dixit Anshelmus, sæpe Dominus differt, vt excitet magis appetitum. Non enim differt eo, quod non dare velit: sed vt aucto desiderio abundantius dare possit.

Illustre huius perseuerantiæ exemplum habemus in Chananæa, Matth.15.ver.28. de qua recte Sedulius pronunciauit: vox humilis, sed celsa fides, quæ vel ipsum omnipotentem Deum vincere potuit. Quid enim quæso in vniuerso terrarū orbe tam inuictum, quod non precum robur expugnare possit? Oratio mare findit, & in eo tutum iter præstat. Exod.14.v.21. solis cursum sistit, Iosu.10.v.13. Ignis flammas coercet. Dan.3.v.25. famelicorum leonum ora cohibet. Dan.6.v.22. balenæ os aperit, vt mari sepultum prophetam terræ restituat. Ioh.2.v.11. pluuiam arcet, & eandem reddit. 1.Reg.17.v.1.& 18.ver.42. catenas frangit, compedes diruit & clausum carcerem aperit. Act.12.v.7. mortē fugat. Ies.38 v.5. inuincibilem deniq; Deum vincit, ne furorem iræ suæ effundat. Exod.32.v.11. Vnde recte Iacobus dixit cap.5.versic.16. Multum valet deprecatio iusti assidua. Assidua esse debet nostra oratio, si quid à Deo impetrare velit. Et hoc Christus in parabola innuit, dum dicit: *dico vobis, etiamsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, ac dabit illi, quotquot habet opus.* Vult dicere. Si tantum valet instans precatio amici apud hominem amicum, vt nihil ipsi negare possit, licet importuno tempore eum accesserit, licet quoque non moueatur respectu amicitiæ, tamen improbitate & perseuerantia victus dat, quod petiit: quanto magis eadem valebit apud Deum, qui hominibus est amicissimus, & cui nullum tempus est importunum, si modo quis precando instet? Dico vobis, dabit plus quam petierat. Amicus enim petiit *tres panes*, & dati sunt ei tot, *quot opus habuit.* Anna petiit filium, 1.Sam.1.v.11. & accepit insignem prophetam Samuelem. Iudith petiit liberationem ab hostibus: & ipsa insuper ditata est ex spoliis eorum. Iud.9.v.1.& 15.v.14 Esther tantum petiit conseruare suam & Iudæorum vitam, & ecce insuper accepit vniuersam domum Hamani, Esther.8.v.1. Chananæa petiit filiam à dæmonio liberari, atque insuper ipsa consecuta est insignem fidei suæ commēdationem. Matth.15.v.28. Sic videmus quod Deus longe benignior & liberalior sit in largiendo quam nos in petendo, dūmodo peccando instemus: & dat *quantum opus est.* Quantum autem indigemus? Quantum prodest ad gloriam Dei, ad salutem nostram æternam, & ad temporalem sustentationem. Pluribus nobis non est opus.

5. Sed nondum acquiescit cor humanum precandi exercitio deditum. Interdum enim obseruat illorum exempla, qui diu multumque precantur, verum id quod petunt nunquam assequuntur. Hinc etiam ipsi in precando desides fieri volunt, existimantes omnem laborem precandi esse frustraneum. Et quidem Christus non negat, interdum precatoribus denegari id, quod petierunt: si nimirum ex imprudentia petant id, quod ipsis noxium sit. Sicuti ipse fecit filiis Zebedæi. Matth.20.v.22. Nescitis quid petatis. Ac proinde etiam hic in secunda parabola nos remittit ad naturalem στοργὴν parentum. His innatum est, vt si maxime liberis paruulis, qui adhuc per ætatem non intelligunt quid ipsis vel prosit, vel obsit, non largiantur quod petunt: tamen ipsis nihil noxij dant, non *lapidem pro pane, non serpentem pro pisce, non scorpium pro ouo.* Atque hæc dicendo non innuit Christus, si quando cœlestis ipsius Pater alicui aliquid neget, quod id propterea faciat, quia præuideat istud ipsi noxium, aut saltem non necessariū futurum. Sic vero nouam conditionem tradit, quam in precationum exercitio attendere debemus. Nimirum, quia duplicia sunt bona, alia sunt corporalia, alia spiritualia: ideo etiam cum discretione petitiones nostras de illis Deo cœlesti Patri proponendas esse. In corporalibus nescimus quid nobis prosit, quid obsit. Interdum aliquid pro *pane* habemus, & *lapis* esse potest. Suauis est homini, dicit Salomon Prou 20. v. 17. panis mendacij, sed tandem os eius lapillis implebitur. Interdum aliquid pro *pisce vel ouo* habemus, & ecce esset *serpens vel scorpius*, si nancisceremur. Iccirco talia bona sunt cum cōditione petenda: si vergant ad Dei gloriam & nostram salutem. 2.Sam.15.v.26. Dauid ex regno eiectus in Dei manus resignat, vtrum ipsum reducere, an verò in exilio relinquere velit. Paulus Phil.1.v.23. ipse incertus est vtrum eligere debeat: an, vt ex carne liberetur, & sit cum Christo: an vero, vt diutius in carne maneat. Ideo discipuli ei valedicentes Actor.21.v.14. dicunt: Domini voluntas fiat. Sic & nos voluntati diuinę plane & plene resignemus, vt in corporalibus faciat secundum beneplacitum voluntatis suæ. Et si negatiuum responsum accipiamus, non ægre feramus, sed simpliciter statuamus, illud quod petimus, nobis noxium futurum fuisse, si accepissemus. Nam si Deus talia dat & largitur, tum dat in pœnam. Sicut Israelitis Numer. vndecimo versicul. 33. carnes: sed dum carnes adhuc erant in dentibus eorum, percussit eos plaga magna nimis. Eadem ratione dedit etiam ipsis postulantibus

postulantibus regem, vt habetur Oseæ 13. cap. 11. Dedi tibi regem in furore meo: & in indignatione mea auferam. Moses libenter ingressus esset cum populo Israelitico terram Chanaan: verum quia Deo aliter visum erat, acquieuit in voluntate Dei, & mortuus est in monte Nebo, Deut. 34. versicul. 1. Ionas quoque c. 4. v. 5. nō orauit secundum voluntatem Dei, cum optaret interitum vrbis Niniue, ac proinde à Deo est reprehensus.

Spiritualia autem bona, licet corporalia longissimo intervallo post se relinquant, tamen sine conditione petere audemus: quia certum est Christum ea nobis impetrasse, & Patrem propter ipsum nobis ea daturum esse. Ideo hic dicit: *dabit spiritum sanctum poscentibus se.* Petenda autem sunt hæc bona in nomine Christi. Hunc enim Deus proposuit propitiatorium per fidem in sanguine eius. Roman. 3. v. 25. Ideoque si peccata nostra essent vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. Ies. 1. versicul. 18. Quia Deus iurauit: Viuo Ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur à via sua mala & viuat. Ezech. 33. vers. 11. Habentes ergo fiduciam in sanguine Christi, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corde à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda. Heb. 10. v. 19.

Hæc de doctrina precationis, tam quoad formulam, quam quoad πρᾶξιν aliquanto plenius dicenda visa fuerunt. Vt lectores prudentes occasionem haberent diligentius expendendi quomodo doctrina precum cum earundem exercitio in Ecclesia vera quam diligentissime sit conseruanda & coniungenda.

CAPVT CVIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS MIRACVLVM EIECTI DÆMONII MVTI. Luc. 11. versic. 14.

RATIO ORDINIS.

POstquam Christus in secessu preces suas absoluisset, suosque discipulos, tum de forma precandi, tum de eius exercitio instituisset, mox ad hominum multitudinē rediit. Quia enim in mundum venerat, vt miseros mortales de voluntate cœlestis sui Patris informaret, & à Satanæ potestate redimeret, omnino inter homines versari debuit, ne ignotus negligeretur. Et certum est, hæc, quæ sequuntur, in populosa aliqua ciuitate facta esse, sicuti omnes circumstantiæ id monstrabunt, siue illa in Iudæa, siue in Galilæa sita fuerit. Describitur autem hic insigne miraculum, quo Christus si ã aduersus Diabolum potentiam testatam reddere voluit: siquidem eum ex misero homine pepulit, vtcunque inuitus cesserit. Subiungitur etiam disputatio de sublimibus quibusdam articulis doctrinæ Christianæ: veluti, de regno Diaboli & regno Christi, quomodo se inuicem illa duo regna persequantur, & Christus Diaboli regnum euertat: de fine & vsu miraculorum, qui est, vt regnum Dei ad nos veniat, & fortis armatus ligetur? de neutralibus, qui neque Christo neque Pharisæis adhærent, neque calidi neque frigidi sunt in religionis negotio: de vero verbi Dei auditu & conseruatione: de signo Ionæ ad pœnitentiam hominibus dato. Quia vero consimilem per omnia historiam capite LIX. huius Harmoniæ ex 12. cap. Matthæi, & 3. cap. Marci tractauimus, non opus est hic prolixe eadem repetere. Nam multi sunt, qui hanc Lucæ descriptionem eandem cum illis duorum Euangelistarum descriptionibus esse arbitrantur, ac proinde in Harmonia coniungunt. Sed in superioribus demonstratum est, Matthæi & Marci descriptiones cum præcedentibus historiis sic cohærere, vt ab illis diuelli nequeant. In sequentibus autem audiamus Lucam diserte testari, quod cum Christus adhuc *loqueretur, Pharisæus quidam eum rogarit vt pranderet apud se.* Proinde hæc historia à subsequentibus auelli nequit, atque sic peculiarem in Harmonia locum requirit. Neque incredibile est, Christum idem miraculum sæpius diuersis temporibus & diuersis locis edidisse, atque eandem calumniam etiã secundo aduersus ipsum iteratam fuisse, quæ Christo occasionem præbuerit eandem quoque doctrinam repetendi. Nos igitur hanc historiam paucis percurremus: quia hæc omnia plene sunt tractata cap. 59. Harmoniæ.

CHRISTVS EIICIT DÆMONIVM, ET argumentis confirmat diuina id virtute à se fieri. Luc. 11.

14.	Καὶ ἦν ἐκβάλλων δαιμόνιον, καὶ αὐτὸ ἦν κωφόν. ἐγένετο δὲ τοῦ δαιμονίου ἐξελθόντος, ἐλάλησεν ὁ κωφός, καὶ ἐθαύμασαν οἱ ὄχλοι.	14.	*Et erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Cumque eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.*
15.	Τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν εἶπον, Ἐν Βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια.	15.	*Quidam autem ex iis dixerunt, per Beelzebub principem dæmoniorum eiicit dæmonia.*
16.	Ἕτεροι δὲ πειράζοντες, σημεῖον παρ' αὐτοῦ ἐζήτουν ἐξ οὐρανοῦ.	16.	*Et alij tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo.*
17.	Αὐτὸς δὲ εἰδὼς αὐτῶν τὰ διανοήματα εἶπεν αὐτοῖς, Πᾶσα βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν διαμερισθεῖσα, ἐρημοῦται, καὶ οἶκος ἐπὶ οἶκον πίπτει.	17.	*Ipse autem cum sciret cogitationes eorum, dixit eis, Omne regnum aduersum seipsum diuisum desolatur, & domus super domum cadit.*
18.	Εἰ δὲ καὶ ὁ Σατανᾶς ἐφ' ἑαυτὸν διεμερίσθη, πῶς σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ; ὅτι λέγετε ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλειν με τὰ δαιμόνια.	18.	*Quod si satanas quoque aduersus seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? Quia dicitis, per Beelzebub eiicere me dæmonia.*
19.	Εἰ δὲ ἐγὼ ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι; διὰ τοῦτο κριταὶ ὑμῶν αὐτοὶ ἔσονται.	19.	*Quod si ego præsidio Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri cuius præsidio eiiciunt? Ideo & ipsi iudices vestri erunt.*
20.	Εἰ δὲ ἐν δακτύλῳ Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.	20.	*Porro si digito Dei eiicio dæmonia, profecto peruenit ad vos regnum Dei.*
21.	Ὅταν ὁ ἰσχυρὸς καθωπλισμένος φυλάσσει τὴν ἑαυτοῦ αὐλὴν, ἐν εἰρήνῃ ἐστὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ.	21.	*Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.*
22.	Ἐπὰν δὲ ὁ ἰσχυρότερος αὐτοῦ ἐπελθὼν νικήσῃ αὐτὸν, τὴν πανοπλίαν αὐτοῦ αἴρει ἐφ' ᾗ ἐπεποίθει, καὶ τὰ σκῦλα αὐτοῦ διαδίδωσιν.	22.	*Vbi vero fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius aufert, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit.*
23.	Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστί· καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει.	23.	*Qui non est mecum, contra me est: Et qui non colligit mecum, dispergit.*

24. Ὅταν τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, διέρχεται δι' ἀνύδρων τόπων, ζητοῦν ἀνάπαυσιν, καὶ μὴ εὑρίσκον, λέγει, Ὑποστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου ὅθεν ἐξῆλθον.	24. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arentia, quærens requiem, & non inueniens, dicit, Reuertar in domum meam vnde exiui.*
25. Καὶ ἐλθὸν εὑρίσκει σεσαρωμένον καὶ κεκοσμημένον.	25. *Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam, atque ornatam.*
26. Τότε πορεύεται, καὶ παραλαμβάνει ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ. καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων.	26. *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nocentiores ipso, & ingressi habitant ibi. Et fiunt extrema hominis illius peiora primis.*
27. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ λέγειν αὐτὸν ταῦτα, ἐπάρασά τις γυνὴ φωνὴν ἐκ τοῦ ὄχλου εἶπεν αὐτῷ, Μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, καὶ μαστοὶ οὓς ἐθήλασας.	27. *Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus ille venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.*
28. Αὐτὸς δὲ εἶπε, Μενοῦνγε, μακάριοι οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ φυλάσσοντες αὐτόν.	28. *At ille dixit, Quinimo beati qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum.*
29. Τῶν δὲ ὄχλων ἐπαθροιζομένων ἤρξατο λέγειν, Ἡ γενεὰ αὕτη πονηρά ἐστι· σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου.	29. *Turbis autem cōdensantibus se, cœpit dicere, Natio hæc mala est: signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.*
30. Καθὼς γὰρ ἐγένετο Ἰωνᾶς σημεῖον τοῖς Νινευίταις, οὕτως ἔσται καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τῇ γενεᾷ ταύτῃ.	30. *Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit & filius hominis nationi isti.*
31. Βασίλισσα νότου ἐγερθήσεται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῶν ἀνδρῶν τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινεῖ αὐτούς, ὅτι ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν Σολομῶντος, καὶ ἰδοὺ πλεῖον Σολομῶντος ὧδε.	31. *Regina austri surget in iudicio cum viris nationis huius, & condemnabit illos, quia venit à finibus terræ, vt audiret sapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hoc in loco.*
32. Ἄνδρες Νινευῖται ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτήν· ὅτι μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ, καὶ ἰδοὺ, πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε.	32. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum natione hac, & condemnabunt illam, quia ad pœnitentiam adducti sunt, prædicatione Ionæ, & ecce plus quam Iona hoc in loco.*
33. Οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας, εἰς κρυπτὸν τίθησιν, οὐδὲ ὑπὸ τὸν μόδιον· ἀλλ' ἐπὶ τὴν λυχνίαν, ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι τὸ φῶς βλέπωσιν.	33. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque subter modium: sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.*
34. Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός· ὅταν οὖν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ, καὶ ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινόν ἐστιν· ἐὰν δὲ πονηρὸς ᾖ, καὶ τὸ σῶμά σου σκοτεινόν.	34. *Lucerna corporis est oculus. Cum igitur oculus tuus fuerit simplex, totum quoque corpus tuum lucidum erit: quod si malus fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.*
35. Σκόπει οὖν, μὴ τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστίν.	35. *Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.*
36. Εἰ οὖν τὸ σῶμά σου ὅλον φωτεινὸν, μὴ ἔχον τι μέρος σκοτεινὸν, ἔσται φωτεινὸν ὅλον, ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε.	36. *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrosam, sic erit lucidum totum, vt cùm lucerna fulgore illuminat te.*

Periocha huius historiæ.

I. DIuus Iohannes 1. Epist. 3. v. 8. diserte testatur filium Dei in hoc apparuisse, vt dissoluat opera diaboli. Diaboli autem opera in mundo sunt peccatum, mors, & innumeræ aliæ miseriæ atque ærumnæ, quas plenis plaustris ἐπιχαιρέκακος iste inuexit, postquā generis nostri principes in paradiso astu suo decepit, & ab obedientia Dei seduxit. Antequam autem totum Diaboli regnum Christus destrueret, & omnia ipsius opera plene labefactaret, conueniens videbatur, vt in pugnæ simulachrum ingrederetur, & aliquos congressus cum eo haberet: vt vel sic ipsi ostenderet, quam potentiam & quod imperium aduersus ipsum haberet. Et quidem hactenus aliquot illustria exempla habuimus, quibus dæmones ex corporibus tanta maiestate eiecit, vt vel ipse Satanas intelligere potuerit, se ex ipsa etiam anima hominis & omni suo regno, quod per tyrannidem vsurpauerat, eiiciendum esse. Dum ergo Iesus furori Hierosolymitanorum cedens postremam visitationem Ecclesiarum à se plantatarum instituit, accidit, vt in loco quodam populosiori, & quidem, vt mihi videtur (cuius rationem in sequentibus historiis ostendam) ipso quodā sabbati die, ipsi offerretur quidam obsessus à dæmonio, *quod erat mutum*, hoc est, quod miseri hominis linguam ligauerat, ne animi sensa proferre posset. Matthæus cap. 12. ver. 22. de suo dæmoniaco dixit, eum fuisse *& cæcum & mutum*. Vnde coniicere licet, fuisse duos diuersos, illum Matthæi, & hunc Lucæ. Vtut autem sit: tamen certum est, quod *cum eiecisset dæmonium, mutus loqui* potuerit. Geminum ergo miraculum vna opera edidit. Vnum, quod tanta virtute Diabolum expulit: alterum, quod misero homini vsum linguæ integrum restituit. Hoc ergo 1. videntes *turbæ, admiratæ sunt*. Hæc admiratio, vt ex aliis Euangelistarum locis liquet, continet prima semina fidei. Etenim induxit ea turbas in hasce cogitationes: adest iam tempus aduentus Messiæ, & à Prophetis prædictum est, præsertim ab Iesaia 35. v. 5. Messiam miraculis celebrem futurum. *Quid* si ergo hic Iesus Nazarenus Messias esset?

2. At alij *quidam* (quinam hi fuerint hic non exprimitur: sed neminem præterquam Scribas & Pharisæos Hierosolymitanos fuisse, ex vniuersa Euangelica historia manifestum est) videntes turbam miraculo moueri, & metuentes, ne hic Iesus pro Messia susciperetur, prodeunt, & personam eius cum suo miraculo calumniantur. Quid? dicunt: num adeo stulti & insensati estis, vt propter hoc miraculum hunc Nazarenum Messiam esse putetis? Nunquamne antehac audiuistis de Magis? nūquam vidistis Exorcistas dæmonas ex pacto pellentes? (Etenim tum temporis multos eiusmodi incantatores fuisse, partim ex Act. 19. versic. 13. partim ex Iosepho constat, qui artis suæ principia ad sapientissimum regem Salomonem retulerunt.) Quid ergo mirum Iesum edidisse hoc miraculum, cum non ignoretis etiam alios, qui pactum habent cum Diabolo, idem præstare? Quod vero hic aliquid maius, quam vulgaris Exorcistę præstare videtur: nimirum quod cæcos, mutos, surdos, ab illis defectibus liberat, id inde prouenit, quod alij pactum habent cum vulgaribus & exilibus dæmoniis: hic vero *per Beelzebub, principem dæmoniorū, eiicit dæmonia*. Ideo etiam maiora miracula edere potest. *Beelzebub* fuit nomen Idoli in Accaron prope Iudæam, vt habetur 2. Reg. 1. v. 2. Et quia vnus Diabolus altero est peior & nocētior: ideo Iudæi supremum Diabolorum hoc nomine vocarunt, quod sit quasi *Dominus muscarum*. Cū enim Diaboli sub cœlo in aere instar examinis muscarū vel apum circumuolitent, Eph. 2. v. 2. & 6. v. 12. hunc *Beelzebub* inter ipsos tanquam apum regem primas tenere statuerunt. Cum hoc Christum commercium habere dicunt, ac proinde magna miracula edere quæ nemo alius

alius possit Iohan.3.versic.2.& 15.vers.24. Sunt horrendæ hæ voces: ideo Matth.12.versiculo 31.blasphemiæ & peccatum in Spiritum sanctum dicuntur, quod neque in hoc neque in futuro seculo (siquidem nulla pœnitentia sequatur) remittatur.

3. Adstant vero tertij, qui non audent de Iesu pronunciare, quod habeat Beelzebub. Nimirum enim inhumanum esse videtur, virum benefactorem conuitijs proscindere. Neque tamen propterea ipsius doctrinam recipere, & Pharisæorum abiicere volunt. Hoc siquidem miraculum exilius esse ipsis videtur, quam vt eo ad mutandam suam religionem permoueantur. Nam contra Diabolum pugnare & ipsius opera dissoluere, non adeo magnum quid esse iudicant. Proinde *tentantes signum de cœlo quærebant ab eo*. Si cum Iosua c.10.vers.13. solem in medio cœli stare: aut cum Iesaia c.26.vers.8. eundem retrogradum facere posset: vel cum Mose, Exod.16.versic.15. Manna de cœlo plueret, tunc fortassis doctrinæ ipsius locum daturi fuissent.

4. Inter hos vero omnes superest *mulier quædam de turba*. Nam etiam Deus in mundo bonum quoddam suum semen habet. Illa *extollens vocem dixit: Beatus venter, qui te portauit & vbera quæ suxisti*. Hæc sola, reliquis vel tacentibus, vel contradicentibus, vel suggillantibus, admiratione miraculi & doctrinæ abrepta, se continere non potuit, quo minus publice eum prædicaret. Quanquam nec ipsa exacte ad amussim omnia recte tetigerit: quia felicitatem ex externa cognatione cum Christo metitur. Ideoq; Christus eius affectum corrigit, eamque vna cum alijs eo remittit, vt si beatitatis particeps fieri velit, verbum suum audiat, amplectatur, seruet.

Hoc est primum huius historiæ membrum, in quo præter alias doctrinas, quas c. LIX. Harmoniæ huius tractauimus, videmus complementum eius, quod Christus Matth.13.v.4. in parabola de semine de quadruplicibus suis auditoribus dixit. Hic adstat bonus ille seminator Iesus, docet, miracula edit, diaboli opera destruit. Æquum igitur erat, vt omnes eum susciperent: quia iam olim Deut.18.versic 19. Deus minatus est, se vltorem fore si quis eum audire nolit. Sed illi, ad quos vltro venit, quorum quærendorum causa omnem terram circuibat, hic stant, & secum ipsi deliberant, vtrum eum suscipere velint. Psalm.2.versic.1. Et quidem adstant in quadruplici differentia. 1. Aliqui non sunt mali, qui viso miraculo stupent & mirantur. Sed hi facile seducuntur, vt de persona & officio Christi dubitare incipiant, & desidiosi ex animis semen fidei conceptum emittant nec curent. 2. Aliqui putant hoc opus nimirum esse exile, vt commonstret Iesum esse Messiam. Quid hoc magni, diabolum eiicere? Messias longe maiora opera debet præstare, regna mundi occupare, ea inter sectatores suos distribuere, Iudæos Dominos orbis facere. Icciteo hi maiora miracula quærunt. 3. Aliqui miraculum blasphemant, diabolo adscribunt, personam Christi persequuntur, & omnes ab ipso, tanquam à seductore, abducere conantur. 4. Et tamen Christus non frustra prædicat, non in vanum miracula operatur, inuenit etiam aliquam sui partem, licet nos plus, quam vnam pauperculam mulierculam, quæ eleuat suam vocem & Christum publice prædicat. Hæc enim est sors Euanglij, quod non multi sapientes secundum carnē, non multi nobiles, non multi potentes, sed quæ stulta, quæ infirma, quæ ignobilia sunt mundi, ea Deus elegit 1. Corint. 1.vers.26. Ergo, quando alicubi Christus accedit cum suo Euangelio, atque per illud hominibus offert regnum Dei, ibi quisque viderit, qualem se gerat, quomodo illud suscipiat: det operam, vt sit ex eorum numero, *qui verbum Dei audiunt, & custodiunt*.

II. Cæterum Christus videns cogitationes suorum obtrectatorum, & quid populo loquerentur, siue illi Pharisæi & Scribæ, siue alij fuerint, aliquot solidis argumentis eos refutat. 1. Monstrat discrimen inter sua & Magorum miracula. Dicit enim: Omnino Exorcistæ, qui pactum habent cum Diabolo, dæmonia eiiciunt: Et ego quoque eiicio. Sed inter me & illos tanta est differentia, vt nisi inuidia vos occœcasset, vosque Diabolo linguas vestras ad calumniandum mancipauissetis, ipsi discrimen videre possetis. Quando enim Exorcistæ dæmonia expellunt, non faciunt id in eum finem, vt Diaboli regnum vastetur, aut Satanas ligetur: sed vt abducant homines à regno Dei, & à verbo: vt confirment mendacia, errores & idolorum cultum. Nam vnus Diabolus alterum expellit ex corpore: vt ambo coniunctim postea reuertantur in animam. Ego vero dæmonia ita expello, vt *ligem fortem armatum, auferam eius arma*, eripiam ipsi omnem potentiam, dissoluam eius opera, destruam eius regnum, *& spolia distribuam*. Ego homines conuerto à Diaboli cultu ad regnum Dei, vt verbum eius locum apud ipsos inueniat, atque sic *regnum Dei ad vos veniat*. Ex fine ergo cognoscitur differentia inter vtraque miracula. Diabolus non edit miracula in eum finem, vt verbū Dei confirmet, aut vt regnum Dei erigat: sed vt homines ad barathrum condemnationis adducat. Monstrat hoc Christi argumentum clarum & verum discrimen, inter miracula Dei sanam doctrinam confirmantia, & inter signa quæ etiam satanas interdum edit. Et hæc obseruatio est summe necessaria. Nam etiam in scriptura Diabolo miracula tribuuntur, sed fallacia & seducentia, à quibus pij sibi cauere debent. Et quid homines tandiu sub Papatu in crassis eius erroribus retinuit, quam miracula tam ficta quam facta? Quisque ergo hoc discrimen notet. Sic Deuter.13.vers.1. Deus præmonet, si propheta surgat, & signum vel portentum prædicat, quod etiam eueniat; si tamen à vero Deo ad Deos alienos quempiam seducere velit, interficiendum eum esse. Matth 24. versicul.24. Christus prædicit, ante nouissimum diem Pseudoprophetas surrecturos, & tanta signa ac prodigia edituros, vt, si possibile esset, etiam electi in errorem inducerentur. Et 2.Thess.2.vers. 9. Paulus monet Antichristi aduentum futurum, secundum operationem satanæ in signis & prodigijs mendacibus. Quapropter ex miraculis non discamus veritatem, sed potius miracula iuxta doctrinam veritatis examinemus.

2. Alterum argumentum est: *Si ego Beelzebub præsidio eijcio dæmonia, filij vestri cuius præsidio eijciunt?* Loquitur hic Christus non de suis discipulis: siquidem hi non Pharisæorum, sed ipsius Christi *filij* fuerunt. Verum loquitur de Exorcistis, quales tum multi fuerunt inter Iudæos, sicut Actor.19.versic.14. patet, qui fœdus habebant cum diabolo. Postquam vero Christus aduenit, suumque Euangelium prædicauit, deprehenderunt illi artes suas magicas euanescere: quapropter earum loco assumserunt nomen Iesu, eoque vsi sunt in expellendis dæmoniis. Sic enim legitur Matth.7.versic.22. Marc.9. vers.38. Hinc ergo Christus infert, Iudæos agnoscere debere, quod *regnum Dei* per Messiam *venerit ad ipsos*: eo quod manifeste operatio satanæ destruatur, impediatur, exarmetur. Et reuera memorabile est, quod per Christi aduentum satanæ oracula, miracula & mille artes desierunt. *Der Herr Christus hat dem Teuffel das Handtwerck gelegt*. Actor.8.vers.10. Simon Magus in Samaria iudicabatur virtus Dei magna. Sed postquam Philippus ibi prædicauit Euangelium Christi, euanuit eius potentia. Sic Actor.16.vers.18. Paulus Philippus expellit Spiritum vatidicum. Actor.19 versic.19. Ephesij audito Euangelio Christi combusserunt suos libros magicos. Ex Suida notum est, quid Apollo Cæsari Augusto responderit, cur nulla amplius oracula edere possit. Itidem ex Ecclesiastica historia notum est, quomodo Gregorius Apollinem precibus fugatum, Epistola quadam reuocauit. Et quando tales dæmones pelluntur *digito Dei*, *tum profecto regnum Dei peruenit* ad tales. Hinc colligimus, quæ causa subsit, quod cum in Papatu fere in omnibus templis, monasteriis & priuatis ædibus inuenirentur Spiritus familiares, spectra & alia consimilia nugamenta: nunc tamen post reuelatum Euangelium disparuerunt. Nimirum venit regnum Dei ad nos, & ligatus est fortis armatus, vt iam non amplius possit exercere suam potentiam.

III. Post hæc paucis etiam agit cum iis, qui nec doctrina nec miraculo edito contenti, adhuc dubitant, vtri parti, Christo ne an Pharisæis sese addicere velint. His neutralibus breuiter dicit: *qui non est mecum, contra me est*. His verbis totum humanum genus in duos ordines dispertit. Vnum eorum, qui *sunt cum Christo*, hoc est, non sibi, non mundo, sed Deo seruiūt, & per veram fidem Christo adhærent. Alterum eorum, qui sunt à Christo disiuncti, hoc est, qui suis cupiditatibus & mūdo seruiunt, & hi dicuntur esse *contra Christum*. Illi saluantur, hi damnantur. Nulli sunt medij. Neque enim in religionis negotio à Deo tolerantur neutrales, ambidextri, intermedij. Politice etiam tales male audiunt: & tamen ob certas causas interdum in politia tolerari possunt: at in doctrina fidei nullo modo. At dicat quis: Vnde cognoscam, in quo ordine Ego verser? Hic Augustinus diligentem posuit operam in libris de ciuitate Dei, duas vrbes, vnam Hierosolymam, alteram Babylonem constituens. Illam, dicit, ædificat amor Dei, pertingens vsque ad contemptum sui: hanc ædificat amor sui, pertingens vsque ad contemptum Dei. Ergo quicunque suam vtilitatem, voluptatem & sua commoda quærit, neglecto honore Dei, is est ciuis Babylonis: qui vero Dei gloriam etiam cum suo incommodo quærit, is est ciuis spiritualis Hierosolymæ, & *est cum Christo*.

Hisce annectit Christus grauem admonitionem de *immundo spiritu, cum exierit ab homine, quomodo reuerti cupiat*. Monet ergo diligenter, vt caueamus securitatem. Si Christus nos sanauerit, vel in corpore vel in anima, vel in vtroque, non fiamus Vealgon, non simus vt sus vel canis. 2. Petr.2.versic.22. sed in timore ac tremore operemur nostram salutem. Phil.2. versic.12. Nondum enim omnia obstacula & aduersa superauimus: sed is saltem, qui in finem vsque perseuerauerit, saluus erit, Matth.24.vers.13. Et testatur hic Christus, Satanam vsque

adeo impudentem esse Spiritum, vt secunda & tertia vice reuertatur, & hominem rursus occupare tentet. Quod si perficiat, tum ipsum rem eo deducere, vt *extrema hominis fiant peiora primis*. Hanc Christi comminationem veram esse, non tantum in singulis hominibus cernimus, vt in Saule, Iuda, Iuliano & aliis, sed etiam in integris ciuitatibus & nationibus, in Iudæa, Ægypto, Asia, Aphrica, Græcia. Nos Germani nobis hoc dictum esse patiamur, quibus satanas quoque insidiatur, ne ab ipso circumueniamur. Deus ergo orandus est, vt qui bonum opus in nobis inchoauit, idem etiam perficiat, vsque in diem Iesu Christi. Phil. 1. v. 6.

IV. Dum hæc à Christo tractantur, *mulier quædam de turba*, diligentius hæc omnia secum considerans, nimirum miraculum editum, apologiam contra calumniatores, & commonefactionem ad Neutrales, diuinam insuper virtutem in illis omnibus agnoscens, non potuit diutius se continere, quin in hanc vocem erumperet. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti*. Est vulgaris locutio, qua, quos summis laudibus vehere volumus, eorum etiam parentes beatos prædicamus. Sicuti gentiles quoque dixerunt: felices, talem qui te genuere, parentes. Iudæi vero, qui ἀτεκνίαν singularem Dei benedictionem agnouerunt, longe maioris felicitatis loco, eiusmodi excellenti filio præditum esse, habuerunt. Sic nunquam Christo defuturi sunt, qui ipsius gloriam aduersus hostes & conuitiatores habere tueantur: etsi iidem sint numero pauciores, & conditione ignobiliores. Et vt hic vnus obscuræ mulierculæ testimonium opponit calumniis omnium Pharisæorum & Scribarum: ita olim vnicum Eliam opposuit octingentis quinquaginta Baalitis & lucorum Prophetis. 1. Reg. 18. versic. 19. In Concilio Constantiensi vnum Hussum opposuit toti vnctæ & rasæ cohorti Pontificiorum. Huius ergo mulierculæ exemplo admonemur, in fidei, religionis & æternæ salutis negotio, neminem ab hominibus pendere debere. Quia omnis homo mendax. Psalm. 116. vers. 11. Sed dependet salus nostra ab æterno Dei decreto, in verbo reuelato. Hoc solum verbum manet in æternum. Isa. 40. vers. 8. Luc. 21. v. 33. Qui verbū Dei ex sua parte stare habet, is toti mundo se opponere potest. Vt in Ægypto Moses cum Aarone se opposuit Pharaoni & omni ipsius aulæ. Exod. 11. versic. 3. In deserto Moses se solum opposuit Aaroni & omnibus Israelitis, cum fabricassent vitulum. Exod. 32. versic. 21. Micha contra omnes Pseudoprophetas. 1. Reg. 22. versic. 6. Iesaias contra Achaz & Aulicos. Ies. 7. v. 3. Latro in cruce se opposuit omnibus Pontificibus Iudæorum. Luc. 23 versic. 40. Cur vero Christus non produxit Apostolorum testimonium? cur potius admisit præconium huius obscuræ mulierculæ? Certe reges huius seculi viles præcones fastidiunt, grandiloquos autem magno precio conducunt. Sed Christus rex regum longe aliter est affectus, ipse humilibus delectatur, & perficit sibi ipsi laudem contra suos inimicos, ex ore infantium & lactentium. Psal. 8. vers. 3. Ideo etiam Dauid dicit Psal. 74. versic. 21. Pauper & inops laudabunt nomen tuum Domine: *Die andern bedurffen sein nicht*. Diuites per se abundant. Nemo ergo iudicet sua officia Deo minus esse grata, ob vilem & abiectam suam conditionem. Nam Deus non respicit personas. Sed duntaxat quis timeat Deum, & operetur iustitiam, tum acceptus est illi, ex quacunque sit gente. Actor. 10. v. 35.

Quid vero Christus ad hoc encomium huius mulierculæ? Fortassis alius quispiam inanis gloriæ cupidus, aliorum applausum expectasset, vel etiam de seipso multa adiecisset. Nihil horum Christus: sed potius, vt veræ humilitatis exemplum de se præberet, quasi neglecta sua persona hoc agit, vt correctione imperfecti huius mulierculæ iudicij, nobis veram consequendæ salutis rationem monstret. *Quinimo*, inquit, *beati, qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum*. Non negat *matrem* suam *beatam*, sed illud in medio relinquit, & tantum ostendit qua ratione vera beata illa facta sit. Nimium, beata & benedicta est inter mulieres: non quia Christum peperit, sed quia verbo credidit. Luc. 1. v. 45. Vnde venuste Augustinus Christum, sic loquentem inducit: Mater mea, quam felicem prædicas, inde felicior est, quia verbum Dei custodiuit, quam quia in illa Verbum caro factum est. Sicque Christus in genere docet, externam carnalem generationem nihil conferre ad salutem. Qualiscunque enim illa & ex quibuscunque sit, certe peccato, in quo concipimur & nascimur, Psalm. 51. versi. 7. infecta est. Ergo nisi regeneremur, Iohan. 3. vers. 5. beatitudinem consequi aut vitam æternam ingredi nequaquam possumus. At regeneratio non fit ex vtero matris, neque ex propriis viribus, sed ex Deo. Ioh. 1. v. 13. Huius regenerationis incorruptibile semen est verbum Dei, 1. Petr. 1. v. 23 quod Spiritus sanctus diuina sua virtute per medium Sacramenti baptismatis, viuificum reddit, atque sic nos renouat Deique filios facit. Hæc respexit Christus, dum beatos pronunciat, *qui verbum Dei audiunt, & custodiunt*. Mundus beatitudinem in variis rebus quærit, ad quas tamen non cuiuis peruenire contingit: quales sunt eruditio, diuitiæ, ἀτεκνία, potentia & consimilia bona. Ad auditum autem verbi diuini quisque peruenire potest, dummodo ipse velit.

Miretur autem quis: Cur Christus non dixerit, Beati, qui credunt in me: cum fide iustificemur. Ratio per se plana est: quia de fide in Christum multi gloriantur, qui tamen ea prorsus destituuntur. Vult ergo Christus monstrare veram fidei & religionis Christianæ regulam, quæ est *verbum Dei*, nec vult Christum alium sibi fingi, quam verbum docet. Alligat ergo Christus suos beatificandos ad verbum: non tamen ad quoduis verbum, sed ad *verbum Dei*. Sunt qui cœlestibus, vt vocant, inspirationibus locum dant, suisque somniis & hominum commentis, vel etiam sanctorum Legendis, beatitudinem adscribunt: hi decipiuntur. *Sermo* autem, seu *verbum Dei*, Prophetarum & Apostolorum scriptis, in Veteri & Nouo Testamento continetur. Hoc verbum est *audiendum*. Auditus diligens & serium studium comprehendit: cui coniuncta sunt lectio & meditatio. Auditor ergo, siue lector, honestum animum afferat, discendi cupidum, qui veram diuinæ voluntatis cognitionem consequi studeat. Hoc enim modo ex auditu fides concipitur. Rom. 10. v. 17. Solus vero auditus non sufficit: ideo addit Christus, *& custodiunt sermonem*. Est enim verbum Dei ἡ καλὴ παρακαταθήκη præclarum depositum, 1. Tim. 9. vers. 20. & 2. Tim. 1. v. 14. quod est custodiendum, ne corrumpatur. Hoc nemo facit, nisi qui certo & fiducialiter ei credit, illud Dei verbum agnoscit, & pro insigni thesauro habet. Vnde postea sequitur eiusdem obseruatio & obedientia. Id nisi quis faciat, verbum Dei in sui condemnationem audit. Hinc Iacobus dicit cap. 1. vers. 22. Estote factores verbi, & non auditores tantum: fallentes vosmetipsos. Hoc modo Christus emendauit mulierculæ huius iudicium. Quia enim ipsa omiserat, quod Christus esset mediator, salutis fons, qui haberet verba vitæ æternæ, & ab omnibus audiendus esset, interim tantum hærebat in externis officiis, omnino ista corrigenda fuerunt. Iuxta illud Iohan. 15. v. 2. Omnem palmitem qui fert fructum, purgabit eum Pater meus, vt plus afferat.

V. Respondet etiam illis, qui *de cœlo signum quærebant*, putantes rem esse leuem & nimis paruam, Diabolum pellere aut opera eius dissoluere. Expetebant itaque à Messia aliquid maius *ex cœlo*. Christus ergo initio multis verbis describit Satanæ militiam & potentiam, ne quis putet eum tam facile vinci, superari, expelli posse. Sed vt sciamus hoc opus, diabolum fugare, maius esse miraculum & præstantius beneficium, quam Manna cœlitus impetrare. Sic ergo eum depingit, quod sit *fortis*, qui propterea à Paulo κοσμοκράτωρ vocatur, Ephes. 6. versiculo 12. quod sit *armatus* & mille artifex, qui propriis membris nostris tanquam armis iniquitatis contra nos vtatur, Roman. 6. vers. 13. Et quod non sit vnus tantum diabolus, sed eorum integrum regnum, in quo semper vnus altero sit fortior & nequior, & tamen omnes ad eundem finem tendant, nimirum vt homines perdant. Vbi si vnus sit victus mox assint *septem* nequiores & *nocentiores*. Et si quæ sibi subiecerit, tum testatur ipsum ea *custodire in pace*, nec facile prædam captam rursus ex laqueis suis, 2. Timoth. 2. vers. 26. quibus eos captiuos detinet, dimittere. Laquei autem diaboli sunt inueterata consuetudo. Expulsus semel per digitum Dei, & relegatus in desertum, vt habetur Tob. 8. versic. 3. Apoc. 20. vers. 2. redit. Neque enim vllam habet quietem, nisi quando homines seducit aut eis nocet. Inprimis autem eos solicite obseruat, ex quibus semel pulsus est, ibi nouit omnes occasiones & commoditates, ac proinde summo studio eodem redire conatur: & si id impetret, tum *fiunt extrema peiora primis*. Hæc quisque audiat non vt historica, sed attendat, quod sint practica. Et in Matth. cap. 12. vers. 45. addit: *sic erit generationi huic pessima*, quasi dicat Ego expuli à vobis diabolum: sed quia vos hoc meum beneficium contemnitis, redibit is, & erunt, posteriora vestra priora primis. Quapropter credite signum & miraculum omnium maximum esse, Diabolum pellere, quod ego præsto.

Quia tamen Iudæi hoc signo nequaquam contenti esse volebant: ecce Christus ipsis dat signum *prophetæ Ionæ*. Iudæi quærebant signum *de cœlo*: Dominus ipsis profert signum *de terra*, hoc est, mortis & sepulturæ suæ. Illi cupiebant videre signum potentiæ: Dominus autem illis infirmitatis signum præbet. Vt enim Beda ait, non merebantur accipere signum diuinitatis sed humanitatis: datur ergo ipsis signum passionis, non glorificationis. Ex omnibus enim rebus gestis Domini Saluatoris, in illud solum oculos coniecerunt, quod passus, quod mortuus, quod sepultus fuit, vnde illum solum hominem esse crediderunt: atque ita in cruce eius scandalum passi sunt. Sed hæc ipsa crux facta est ipsis in laqueum & vastationem. Nam Christus ex mortuis resurgens & in cœlos ascendens, incredulam Iudæorum gentem dissipauit & vastauit, vt iam

iam plagis erudita è cœlo ferientem agnoscere cogatur, quem olim in terris miracula edentem agnoscere noluit. Sed nondum malorum contra Iudæorum nationem finis. Addit enim Dominus: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum natione hac, & condemnabunt illam. quia ad pœnitentiam adducti sunt prædicatione Ionæ, & ecce plus quam Ionas hoc in loco.* Comparatione fidei & pœnitentiæ Niniuitarum aggrauat incredulitatem Iudæorum, eamque etiam extremo iudicio patefactam iri testatur. Illi enim ad vnius ignoti hominis concionem, nullis miraculis comprobatam, acerbissimam pœnitentiam egerũt: Iudæi autem tot miraculis & testimoniis comprobatam prædicationem Euangelij contemserunt.

Quia vero hoc Niniuitarum exemplum interdum etiam in nostris templis ad excitandam pœnitentiam adducitur, lubet paucis iunioribus monstrare, quomodo signum Ionæ & exemplum pœnitentiæ Niniuitarum nostris auditoribus accommodari possunt. Præmittatur initio fundamenti loco historia ipsa, quæ ex Prophetæ tribus prioribus capitibus in compendium contrahi potest. Postea præcipua historiæ mẽbra reassumantur, & necessariis exhortationibus exornentur. Membra præcipua hæc sunt. 1. In tempestate marina, reliquis omnibus timentibus, laborantibus, preces fundentibus, & à Deo liberationem poscentibus: solus Ionas, ob quem tamen ista omnia immittebantur, securus dormit. Ita semper in pœnis diuinis duplices inueniuntur homines. Quando Turca ingruit, quando Papa nobis suis machinationibus imminet, quando pestis grassatur, tum alij sibi metuunt, & pœnam illam & precibus & pœnitentia remouere cupiunt; alij vero, & quidem vere illi, quibus Deus vel maxime irascitur, secure peccatis suis indormiunt. Et hoc est discrimen inter pios & impios. Pij facilime sentiunt sua peccata, & ob ea Dei pœnam metuunt. Verebar, inquit Iob. 9. versiculo 28. omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Impij autem etiam acerbissimis flagellorum plagis vix adigi possunt, vt se peccasse agnoscant. Hæc enim est dissimilitudo inter corporis & animi morbos, quod illi quidem quo grauiores sunt, eo magis sentiuntur, & tanto diligentius & diuturniores sunt, eo magis negliguntur, & ob consuetudinem quasi dulcescunt. 2. Nautæ in periculo constituti, primum orant, postea merces suas in mare proiiciunt. Bonis non parcunt, vt vitæ parcant. Sic fere homines, quando timor mortis, iudicij & gehennæ ingruit, libenter omnia bona distribuerent, duntaxat vitam redimere possent. Et qui in omni vita fuerunt parci & auari, tum demum in mortis articulo erga Deum & pauperes liberales esse volunt. Quasi vero magnum sit Dẽo dare, quod in morte tecum ferre non possis. Similes sunt eiusmodi homines fatuis virginibus, quæ tum demum lampades suas ornare cœperunt, cum sponsus iam ingressus esset domũ nuptiarum, Matth. 25 vers. 10. Videant ergo ne ipsi quoque audiant: Amen, amen nescio vos. Aut illud, quod scriptum est Prouerb. 1. versic. 24. 3. Illud singulare est, quod nautæ, cum potuissent de naturalibus causis huius tempestatis cogitare, tamen statuunt sibi eam ab irato Dei immitti ob certa scelera, ac proinde per sortem inquirunt authorem, vt eo cognito supplicium de ipso sumant, quo Deus rursus placetur. Hoc faciunt homines gentiles. At bone Deus, quot flagellis Deus hactenus nos Christianos percussit, per Turcam, per pestem, famem, penuriam, contemptum ab hostibus, & similibus, & tamen oculos in cœlum non attollimus, nec peccata nostra vel agnoscimus, vel emendamus? Idem ergo Deus nobis dicere potest, quod olim per Iesaiam cap. 1. versiculo 5. Iudæis. Quorsum percutiam vos vltra, cum subinde pergatis vos auertere? 4. Cum sors Ionam tetigisset, illeque peccatum suum confessus fuisset, magno conatu ad portum enauigarẽ, sicque Ionam liberare voluerunt. Cum vero & ventos & Deum ipsum sibi contrarios esse animaduerterent, magno metu ac religione Ionam in mare proiecerunt. Vbi illico mare quieuit à feruore suo. Noster Ionas est Christus, hic proiectus est per incarnationem & passionem in procellas furoris diuini. Certe quieuit mare. Nam inde à passo Christo, nulla conflagratio Sodomorum, nullum diluuium factum est, nulla adeo terribilia & tragica exempla diuini furoris, qualia in V.T. Christus enim sedens ad dexteram Patris intercedit pro nobis. Roman 8. vers. 34. dicens: Pater, dimitte eis, non enim sciunt quid faciunt. Luc 23. versic. 34. Quoties ergo, ô homo Christiane, procellæ diuinæ iræ te persequuntur, toties tu Christum per veram pœnitentiam & fidem obiice Deo, is sedabit iram Patris ita, vt cum Iesaia 12 versic. 1. lætus cantare possis: Confitebor tibi Domine quoniam iratus fuisti mihi: conuersus autem est furor tuus, & consolatus es me. 5. Ionas inclusus vtero piscis, & plagis suis eruditus ex rebelli fit obediens. Quapropter ex ventre ceti liberatus, legationem quam prius detrectauerat obedienter obit, Niniuem magnam ciuitatem, quæ trium dierum iter continebat, intrat, intra quadraginta dies interitum ipsi & eius incolis denunciat, nisi pœnitentiam agant. Quid fit? Homo peregrinus & ignotus, nullis titulis, nullis honoribus honestatus, nullis miraculis aut prodigiorum signis comprobatus, hoc efficit, vt rex de solio suo descendat, cilicio se induat, subditis ieiunium indicat, & vna cum ipsis in cinere sedens pœnitentiam peccatorum suorum agat. Cogitet quisque secum, qualis facies regiæ alicuius vel electoralis vrbis futura esset, si peregrinus homo ipsis interitũ denunciaret, & absque mora rex ipse vel Elector, omnes consiliarij, nobiles, senes, iuuenes, virgines, pueri, infantes, ieiunio, lachrymis & gemitibus, imo equi, boues, vaccæ, hinnitu, balatu, mugitu, pœnitentiam præ se ferrent. Hoc tamen efficit Ionas peregrinus inter ignotos, Iudæus inter gentes, qui tamen prædictionem nullis signis comprobarat. Imo potius Deus hoc effecit per illum, qui voci suæ dedit vocem virtutis. Psal. 68. v. 34. Hoc vere magnum, imo summum est. 6. Si tamen supra summum aliquid sublimius esse potest, certe hoc magis est mirabile, de quo Christus hoc loco agit: quod filius Dei, cui omnes Prophetæ, Iohannes item Baptista, insuper & Pater è cœlo testimonium dedit, non vno die, sed tribus annis Iudæis pœnitentiam prædicauit, suasque conciones stupendis miraculis confirmauit, & tamen nihil apud incredulam istam nationem effecit. Ideo non immerito Christus dixit: *Niniuitæ surgent in iudicio, &c.* At vero nos Christiani, nõ de Iudæis solis cogitemus, sed potius de nobis ipsis. Deus nobis Germanis nouissimis hisce temporibus quoque misit Ionam Lutherum, nosque per eius & reliquorum fidorum verbi ministrorum conciones ad pœnitentiam reuocare conatur. Et puto inde à tempore exorti Euangelij tot pœnitentiarias conciones habitas esse, vt si omnes scriptæ vel impressæ essent, decem plaustra iis onerare possemus. Et tamen quid illæ apud nos efficiunt? Nihil aliud quam quod impœnitentium pœnam sunt aggrauaturæ.

Hæc Christus illis qui signum è cœlo petebant regessit, eaque rectissime. Etenim Iudæi soli ex omnibus populis volebant esse generatio sancta, ex fidelibus Patriarchis descendens: & tamen eadem reipsa commonstrauit, se esse *nationem prauam* & incredulam. Signa enim tantum infidelibus sunt data: fidelibus autem prophetia. 1. Corinth. 14. v. 22. Longe ergo melius fecissent, si cum Apostolis Luc. 17. v. 5. petiissent: Domine adauge nobis fidem. Nam fides est Dei donum, & cui illud datur, apud eum vnum verbum ex Scriptura depromptũ plus valet, quam mille signa. Quid effecere dicam signa apud Pharaonem? Annon is subinde magis magisque induratior factus est? Exod. 7. vers. 22. Quid effecere signa apud Israelitas in deserto? de quibus Moses dicit Deut. 29 vers. 3. Oculi tui viderunt signa illa, portentaque ingentia, & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quę possint audire vsque in præsentem diem. Quantum profecit rex Ochozias, qui audiuit duos quinquagenarios principes cum militibus suis igne cœlitus per Prophetam Eliam euocato, absumptum esse? Itaque signa ne quidem optare nobis debebamus: sed potius cor audiens atque tremens sermones Dei. Ies. 66. v. 2. At vero Iudæorum malitiam etiam multi inter nos imitantur. Siquando non omnia ipsis ad nutum cadunt, petunt signa, alij è cœlo, alij è terra. E cœlo petunt illi, qui quando per verbum Dei ad pœnitentiam & vitæ emendationem vocantur, libenter quidem obtemperant, sed volunt subito sibi à Deo mutari cor, non orant, non audiunt verbum, non resistunt affectibus carnis: sed sicut Christus Saulum Act. 9. v. 3. subito circumfulsit luce de cœlo & conuertit, sic etiam miraculose se conuerti exoptant. Ex terra signum petunt illi, qui de gratia Dei in cœlis, ex prospero rerum in terris successu, iudicare volunt. Et vt Iudæorum fœminæ Ier. 44. v. 16. responsarunt Prophetæ, dicẽtes: Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiamus, sed reginæ cœli immolabimus, quia dum cessauimus ei libare libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame consumpti sumus. Sed hoc ipsum male cessit Iudæis. Proinde nostros homines moneamus, vt sibi ab eo caueant.

VI. Postremo Christus ostendit, se ob hasce Iudæorum calumnias, conuitia, incredulitatem & disceptationes, nequaquam ab officio suo cessare, aut à prædicatione Euangelij sui & communicatione cœlestis sapientiæ ac lucis abstinere posse. Cœlestem enim suum Patrem hanc cœlestem lucem sibi ob eam causam tradidisse, vt eandem hominibus, siue bonis siue malis offerret, & quantum in se esset omnes illustraret. Quapropter se hoc fideliter facturum: si qui vero volentes & scientes occœcatis oculis veritatem auersari velint, eos olim Deo rationẽ reddituros, & proprio damno experturos quid fecerint. Huius sententiæ dicta, quæ sparsim in superiorib. habuimus, ex Matth. 5. v. 15. & 6. v. 22. ... orissimum autem Mar. 4. v. 21. pleraque in LXI. cap. Harmoniæ huius exposuimus. Quędam tamen, quæ præsenti loco inseruiunt, hic repetemus.

1. *Lucerna* est instrumentum hominibus in tenebris lucens. Sed in sacris literis varie per Metaphoram accipitur. Hoc loco duplicem inuenimus. Primam in his verbis: *Nemo lucernam accendit.* Vbi *lucernæ* nomine Christus intelligit verbum Dei, iuxta illud Psalm. 119 vers. 105. & 2. Petr. 1. versic. 19. Prou. 6. vers. 23. Quoniam præceptum lucerna est, & lex est lux, & correptio castigatioque est semita vitæ. Proueb. capite vigesimo. versiculo 27. Lucerna Domini est spiraculum hominis. Confertur autem verbum Dei lucernæ multis de causis. 1. Propter authorem, qui est Deus: is per filium, qui est lux mundi, hanc lucernam inde ab origine rerum accendit, hoc est, verbum suum, & per illud voluntatem suam nobis reuelauit. 2. Propter naturam suam: quia sicut in tota rerum natura nihil est luce purius, cui nihil sordium admisceri potest: ita eloquia Domini, eloquia pura: argentum igne examinatum, probatum vase fictili, purgatum septuplum. Psal. 12. 4. versic. 7. 3. Propter effectus suos, qui sunt multiplices. Lucerna discussis tenebris ea reuelat, quæ prius latebant: ita verbum Domini multa reuelat, quæ alioquin ignota sunt. Lucerna gressus & actiones corporis dirigit: ita verbum Domini prælucet homini in omnibus spiritualibus actionibus. Lucerna denique cum tenebris etiam animi tristitiam discutit: ita verbum Dei hominum conscientias primum illuminat, postea peccati terrores & æternæ damnationis metum dispellit. Hisce de causis non tantum verbum Dei lucernæ confertur, verum etiam eiusdē ministri, propterea, quia hanc lucernam aliis præferunt, vt Iohannes Baptista, Ioh. 5. vers. 35. & Apostoli Matth 5. v. 14. dicuntur lux mundi.

2. De hac lucerna hic Christus pronunciat: *nemo lucernam accendit, & subter modium ponit.* Vult nimirum Christus docere, quomodo verbum Dei in Ecclesia tractari debeat. *Modius* quid sit omnes rustici nouerunt. Est nimirum vas ligneum continens certam mensuram, qua homines vtuntur in distribuendis aridis. Huic si supponatur lucerna accensa, nemini ea prodest, sed *in abscondito* lucerna perit. Subter modium autem verbum Dei ponunt, qui illud rationis suæ modio metiuntur, & certos limites atque fines ei præscribere nituntur. Sicuti in Papatu Ecclesiarum Doctores verbum Dei dimensi sunt, partim secundum Platonis & Aristotelis, imo etiam fabulosorum Poetarum placita, partim secundum Conciliorum canones, quibus Laicis lectione verbi diuini in vernacula lingua in solidum interdictum fuit, excepto eo, quod singulis dominicis exiguum pugillum in pericopis Euangeliorum & Epistolarum ipsis distribuerunt. Hodie subter modium ponunt lucernam verbi Dei etiam Sacramentarij, qui nihil in suam fidem ingredi testantur, nisi idem capiat ipsorū intellectus. An non etiam magna ex parte sub modium recondant lucernam verbi diuini nouelli illi concionatores, qui certis scholasticorum & rhythmorum terminis includunt quosuis textus Euangelicos, vt sic iucundum tinnitum aurium apud prurientes auditores excitent, id euentus progressu temporis probabit. Hi certe non ductum verbi diuini sequuntur, sed verbum Domini ad suas præconceptas formulas trahunt, iisque includunt, extra quos lucernam hanc lumen suum spargere, quantum quidem in ipsis est, non permittunt.

3. Quomodo ergo verbum Dei tractandum? *Super candelabrum* ponendum, *vt qui ingrediuntur, lumen videant.* In ædibus habent patresfamilias sua candelabra, quibus lucernas imponunt, vt omnes domestici lucis participes fieri, indeque suas operas expedire possint. Sic Deus in sua domo, quæ est Ecclesia, parauit candelabrum, quod est verbi ministerium, illud reliquis Ecclesiæ membris accensam lucernam verbi præferre, rudes docere, infirmos erigere, afflictos solari, peccantes arguere, præfractos nimis terrere, errantes in viam reuocare, denique operam dare debent, vt singulos Dei domesticos commonefaciat, quo in officio sint & exequantur id quod diuinæ est voluntatis. Onus hoc candelabri est graue, nec raro accidit, quod dum alij pura verbi luce vtiliter fruuntur, interim candelabrum fuligine & aliis sordibus aspergatur: sed tamen Deo gratum, & domesticis fructuosum est, vt candelabra lucernam verbi sustinentia in Ecclesia reperiantur. Adumbratum fuit hoc olim in Veteri Ecclesia candelabro illo, qui in templo Dei inter vasa sacra non postremum vsum obtinuit, & sancto sanctorum quam proxime adstitit. In eo ignis primum cœlitus demissus, & in altari accensus, assidua sacerdotum cura, ex mandato Dei fouendus & asseruandus fuit. Sic verbi ministri lucem doctrinæ, per ipsum filium Dei cœlitus demissum, ministerio Prophetarum & Apostolorum accensam studiose, sine additamento humanorum figmentorum, conseruent atque ad seram posteritatem transmittant. Eadem de causa Apoc. 1 v. 13. Ecclesię candelabris conferuntur: quia lucem verbi diuini sustinent, eamque longe lateque diffundant.

Hæc vero omnia Christus in eum finem dicit, vt ostendat, se non posse propter odia & calumnias Iudæorum à munere docendi diuinitus sibi demandato discedere: sed ipsis Iudæis vel inuitis lucem Euangelij sui ingerere, vt si omnino eam reiicere velint, tamen coram Deo non habeant quo se excusent. Et simul etiam ministris suis exemplum *præbet, qualiter* ipsi verbum Dei tractare debeant. Non *abscondant doctrinam* & scientiam salutis, diuinitus sibi communicatam, quod faciunt quidam inuidi homines, qui quæ sciunt coram aliis abscondunt, & sibi seruant, auaros frugum condos imitantes. Ex quorum potissimum numero sunt laruati Romanensium Episcopi: qui non modo ipsi docendi officium intermittunt, sed etiam libros sacros ex Laicorum manibus excutiunt, nefas esse clamitantes, si ipsi talia legant. At dicant nobis quo loco Laicos illos habeant. Christus vult vt omnes, qui domum Dei *ingrediuntur*, *lumen videant.* Quapropter & æquum & necessarium est, vt & ipsi, nisi haberi velint pro iis, qui ex Dei domo exclusi sint, lucis huius participes fiant.

Ex his dictis Christus porro sermonem confert in vtilitatem auditorum. *Lucerna corporis est oculus.* Hic continetur altera Metaphora vocis *lucernæ*; vbi tamen similitudo altero membro seu applicatione destituitur. Vult enim dicere. Sicut oculus est lucerna corporis, & omnium eius externarum operationum: ita etiam mens siue intellectus illuminat & gubernat hominem in rebus agendis: inprimis vero fides, vel cor renatum, ac vera in eo pietas, debet prælucere toti homini, eiusque actionibus tam internis quam externis, in rebus religionis siue spiritualibus. Quod si ergo *oculus tuus fuerit simplex*, hoc est, si cor sit vere renatum, & intellectus ab omni prauorum affectuum intemperie liber, tum *totum tuum corpus lucidum erit*, hoc est, omnis vita erit sancta, Christiana, bonis actionibus & virtutibus lucens. Sin fuerit *oculus malus*, id est, cor prauum eiusque affectus vitiosi, tum *totum corpus erit tenebrosum*, nec vllæ rectæ actiones per omnem vitam sequentur: sicuti nec cœcus quicquam prouide peragere potest. Monet ergo, vt quisque etiam atque etiam videat, *ne lumen quod in ipso est*, hoc est, ne cor siue mens, quæ instar lucernæ in homine esse debet, *tenebra sint*, neve tenebras atque caliginem tibi offundant. Hoc enim si *fiat, & ratio sit peruersa*, atque corrupta, tum totus homo *in omni sua vita pessime* habebit. Sin *corpus sit lucidum*, *hoc est, tota vita sic instituatur, vt* in omnibus eius actionibus *lucis* opera conspiciantur, tum patebit hominem *cœlesti & salutifera* Euangelij luce vere illuminatum esse, non *aliter*, quam sicut externus oculus *fulgore lucernæ illuminatur.*

Hæc vero dicendo Christus monet, hominis rationem, mentem & intellectum cœlesti illuminatione indigere, si æterna & beata luce frui velit. In principio quidem Adamus à Deo integer creatus est, eiusque intellectus tanto naturæ & gratiæ lumine ornatus fuit, vt non tantum omnium rerum creatarum naturas, ingenium & vires penitissime perspexerit, & ex ea luce omnibus animantibus sua nomina indiderit: Genes 2. versic. 19. sed etiam Dei voluntatem & *naturam* in tantum cognouerit, quantum ipsi ad æternam *felicitatem* sufficere poterat. Sed quamprimum idem per inobedientiam sese à Deo auertit, totum illud lumen amisit, & coram Deo in rebus spiritualibus vna cum omnibus suis posteris, tenebræ factus est. Ita vt animalis homo, qualis ille tantum naturali sua ratione & intellectu ducitur, non possit videre ea, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim ipsi sunt, nec potest intelligere. 1. Corinth. 2. vers. 14. Deus igitur nobis cœlitus accendit lucernam verbi sui, per filium, qui & ipse in Scripturis lucerna Dauid Psalm. 131. versiculo 17. dicitur, cuius virtute euertit regnum satanæ, quod est regnum tenebrarum, cuius luce discutit tenebras mundi, cuius operatione intellectum nostrum, in fœdissimo ignorantiæ & cupiditatum cœno sese volutantem, illuminat, & efficit, vt illius lumine videamus lumen eius, apud quem est fons vitæ. Psal. 36. v. 10.

Permouere nos hoc debet, vt verbi diuini studiosi simus. Siquidem per hoc regeneratio nostra inchoatur, quam totius vitæ innouatio sequitur: & si verbi gubernationem admittamus, pietas per omnes actiones sese exerit, donec tandem in gloriam Dei & nostri salutem ita perficiamus, vt deposito ænigmatis speculo, à facie ad faciem Deum videamus. 1. Corinth. 13. vers. 12. Caueamus autem ne quicquam hic liberi nostri arbitrij viribus adscribamus, quod aliqui faciunt, qui ex illa sententia, *lucerna corporis est oculus*, inferunt, lucerna animæ est intellectus. Hæc de intellectu renouato concedi potest, de naturali non item. Neque enim Christus frustra hac similitudine oculi vsus est. Quemadmodum enim oculus habet quidem facultatem videndi, eam tamen exercere non potest, nisi lux accedat, quæ aerem, per quam oculus videt, illuminat: ita licet homo intellectu præditus sit, in diuinis tamen

nis tamen

nis tamen & cœlestibus rebus nihil videt, nihil sapit, nihil intelligit, nisi diuina gratia & lux accedat, quæ illa patefaciat, & mentem ad percipienda ea idoneam faciat. Rursus autem, quemadmodum homo oculos ad lucem oblatam claudere potest, vnde nihilo plus videt quam cæcus: ita multi mentem obdurant & excæcant erga oblatam veritatem. Id quod etiam Iudæi in præsenti historia fecerunt. Illi iuste damnantur: Et ne idem nobis accidat, Christus hac παραινέσει nos monet.

CAPVT CIX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS CONVIVIVM APVD PHARISÆVM, ET CONuiuij illius disputationes. Luc. 11. v. 37.

RATIO ORDINIS.

QVia Lucas ipse hanc historiam præcedenti his verbis, ἐν δὲ τῷ λαλῆσαι, *&* *cum loqueretur*, annectit, omnino consecutionem ordinis ipse monstrare videtur. Et licet quis excipere queat, non necessario significari, statim post priorem disputationem hoc conuiuium secutum esse, siquidem Lucas non dicat, & cum *hac* loqueretur: quia tamen nec in Luca nec in reliquis Euangelistis quicquam monstrari potest, quod commodius ad priorem disputationem sequatur, cur dubitationum ansas ipsi captabimus in iis, quæ per se sunt plana & aperta? Lutherus satis perspicue reddidisse videtur: *Da Er aber in der Rede war*, quasi innueret, priorem sermonem nondum absolutum fuisse, & mox Pharisæum ipsum ad prandium inuitasse. Neque nouum est in historia Euanglica, quod Christus in sabbato mane quidem in synagoga docuit & miracula edidit: sub meridiem autem ad quempiam, qui ipsum inuitarat, ad prandium diuerterit: finito autem prandio ad laborem docendi & infirmos sanandi redierit. Quod etiam hoc loco factum esse ipsa historiarum consecutio ostendit. Cumque Iudæi soliti fuerint sua conuiuia diebus sabbati instituere, consuetudine introducta ex lege Mosis, quæ iubet, vt post oblationem sacrificij cum Leuita, aduena, pupillo & vidua, qui morarentur cum ipsis, epularentur: ideo die sabbati, quando ex synagoga domum redibant, amici se mutuo inuitabant, & aduenas quoque ad conuiuium adhibebant. Et quia Iesus ab Hierosolymitanis Pontificibus nondum excommunicatus erat, hic quoque *Pharisæus rogauit, vt pranderet apud se*. Nimirum gratiam voluit inire apud populum, quem videbat Christi esse studiosum: sicuti Iudæorum primores semper fuere auræ popularis captatores. Interim vero non est vero absimile, quod etiam propterea Iesum inuitarit, quod sperarit fieri posse, vt vel in tot doctorum virorum (quos simul inuitatos fuisse constat) præsentia aliquid proferret, de quo postea ipsum apud populum traducere possent, vel ipse amicitiæ prætextu siue blanditiis demulceri possit, vt in posterum aliquanto mitius ipsorum ordinem tractaret.

Dubium ergo est nullum huic conuiuio & disputationi in eo motæ, hunc locum in Harmonia deberi. Sicuti etiam ipsa rerum tractatio optimo ordine se inuicem sequitur. Nam in præcedenti concione Christo sermo fuit de suo Euangelio & saluifica verbi diuini doctrina, quam testatus est lucernam esse, qua Deus hominum mentes illuminet, ne in tenebrarum operibus incerti oberrent, sed vt potius tam doctrinæ quam purioris vitæ exemplo aliis præluceant. Iam in præsenti conuiuio per αἴνιγμα ostendet, falsa doctrina nihil esse perniciosius vel exitialius, siquidem homines à vero Deo abstrahat, ipsius cultum corrumpat, sinceræ religionis studium extinguat, Dei cultores in hypocritas transformet, suosque authores ad æternas pœnas pertrahat.

Conuiuium apud Pharisæum, & disputatio ibi mota.

LVC. 11.

37. Ἐν δὲ τῷ λαλῆσαι, ἠρώτα αὐτὸν Φαρισαῖός τις ὅπως ἀριστήσῃ παρ᾽ αὐτῷ· εἰσελθὼν δὲ ἀνέπεσεν.	37. *Et cum loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus, vt pranderet apud se: ingressus autem accubuit.*
38. Ὁ δὲ Φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν, ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου.	38. *Pharisæus autem cum vidisset, miratus est, quod non prius lauisset ante prandium.*
39. Εἶπε δὲ ὁ κύριος πρὸς αὐτόν, Νῦν ὑμεῖς οἱ Φαρισαῖοι τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου καὶ τοῦ πίνακος καθαρίζετε, τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς καὶ πονηρίας.	39. *Et ait Dominus ad illum, Nunc vos Pharisæi exteriora poculi catinique mundatis, & quod intus est vestri, plenum est rapina & malicia.*
40. Ἄφρονες, οὐχ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν, καὶ τὸ ἔσωθεν ἐποίησε;	40. *Stulti, nonne qui fecit, quod foris est, etiam id quod intus est, fecit?*
41. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν.	41. *Veruntamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda vobis sunt.*
42. Ἀλλ᾽ οὐαὶ ὑμῖν τοῖς Φαρισαίοις, ὅτι ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον καὶ τὸ πήγανον καὶ πᾶν λάχανον, καὶ παρέρχεσθε τὴν κρίσιν καὶ τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ. ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι.	42. *Sed væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentham & rutam, & quoduis olus, & præteritis iudicium & charitatem Dei. Imo hæc oportuit facere, & illa non omittere.*
43. Οὐαὶ ὑμῖν τοῖς Φαρισαίοις, ὅτι ἀγαπᾶτε τὴν πρωτοκαθεδρίαν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ τοὺς ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς.	43. *Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro.*
44. Οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταί, ὅτι ἐστὲ ὡς τὰ μνημεῖα τὰ ἄδηλα, καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ περιπατοῦντες ἐπάνω οὐκ οἴδασιν.	44. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia estis vt monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes super ea nesciunt.*
45. Ἀποκριθεὶς δέ τις τῶν νομικῶν λέγει αὐτῷ, Διδάσκαλε, ταῦτα λέγων καὶ ἡμᾶς ὑβρίζεις.	45. *Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi, Magister, hæc dicens etiam nos afficis contumelia.*
46. Ὁ δὲ εἶπε, καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς οὐαί, ὅτι φορτίζετε τοὺς ἀνθρώπους φορτία δυσβάστακτα, καὶ αὐτοὶ ἑνὶ τῶν δακτύλων ὑμῶν οὐ προσψαύετε τοῖς φορτίοις.	46. *At ille ait, Et vobis legisperitis væ, quia oneratis homines operibus, quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non attingitis sarcinas.*
47. Οὐαὶ ὑμῖν, ὅτι οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν,	47. *Væ vobis, quia ædificatis monumenta prophetarum,*

οἱ δὲ πατέρες ὑμῶν ἀπέκτειναν αὐτούς.

48. Ἄρα μαρτυρεῖτε καὶ συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις τῶν πατέρων ὑμῶν, ὅτι αὐτοὶ μὲν ἀπέκτειναν αὐτούς, ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε αὐτῶν τὰ μνημεῖα.

49. Διὰ τοῦτο καὶ ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν, Ἀποστελῶ εἰς αὐτοὺς προφήτας καὶ ἀποστόλους, καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποκτενοῦσι καὶ ἐκδιώξουσιν·

50. Ἵνα ἐκζητηθῇ τὸ αἷμα πάντων τῶν προφητῶν, τὸ ἐκχυνόμενον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης·

51. Ἀπὸ τοῦ αἵματος Ἄβελ ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου, τοῦ ἀπολομένου μεταξὺ τοῦ θυσιαστηρίου καὶ τοῦ οἴκου, ναὶ λέγω ὑμῖν, ἐκζητηθήσεται ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης.

52. Οὐαὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς, ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως, αὐτοὶ οὐκ εἰσήλθετε, καὶ τοὺς εἰσερχομένους ἐκωλύσατε.

53. Λέγοντος δὲ αὐτοῦ ταῦτα πρὸς αὐτούς, ἤρξαντο οἱ νομικοὶ καὶ οἱ Φαρισαῖοι δεινῶς ἐνέχειν, καὶ ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων.

54. Ἐνεδρεύοντες αὐτόν, καὶ ζητοῦντες θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ.

patres autem vestri occiderunt illos.

48. *Profecto testamini, quod comprobatis facta patrum vestrorum, quoniam illi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.*

49. *Propterea & sapientia Dei dixit, Mittam ad illos prophetas & apostolos, & ex illis occident, & persequentur:*

50. *Vt requiratur sanguis omnium prophetarum, qui effunditur à constitutione mundi, à natione ista:*

51. *A sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, qui perijt inter altare & ædem. Profecto dico vobis, requiretur ad hac natione.*

52. *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, vetuistis.*

53. *Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt legisperiti & Pharisæi grauiter insistere, & captiose interrogare eum de multis.*

54. *Insidiantes ei, & quærentes aliquid venari ex ore eius, quo accusarent eum.*

Periocha huius historiæ.

I. OCcasio totius disputationis præmittitur, quæ fuit inuitatio Pharisæi ad prandium, & Christi illoti accubitus. 1. Quod Pharisæus Christum, professione & vitæ genere à se dissidentem, humaniter inuitat & amice suscipit, exemplum est hospitalitatis. Etsi autem ex omnibus circumstantiis, & ex euentu ipso, manifestum euadit, quod non bono animo id fecerit, sed illo fine, vt quem hactenus in publicis congressibus inuictum deprehendisset, eum in priuato sermone, vna cum aliis, facilius vinceret. Vnde nuspiam in hac historia indicatur, quod in certamine cum legisperitis & Pharisæis, ipse tanquam hospes, Iesum iuuerit. Tamen decet vere pios exemplum hospitalitatis imitari, animum autem fraudulentum vitare.

2. Christi etiam facilitas notatu digna est, quod preces Pharisæi non aspernatur, sed inuitatus eum accedit. Omnibus nimirum se facilem præbuit, quo omnes alliceret. Neque vero suo exemplo docere voluit, vt & nos faciles simus ad sectanda conuiuia in religione dissidentium. Sicuti multi inueniuntur, qui Episcopales lautitias & Pontificales mensas satis accurate vltro sectantur, sicque seculi huius amicitiam, opes & honores, cum magno salutis suæ periculo aucupantur. Sed potius præmonstrare voluit, quatenus eorum, qui in religione à nobis dissident, conuiuia adire liceat, si ipsi singularem beneuolentiam præ se ferentes humaniter nos inuitent. Non vt illis adulemur, multo minus vt in ipsorum calumnias & blasphemias sileamus: sicuti multorum cerebrum nidore culinæ Papisticæ ita oppletur, vt omnes ipsorum sensus hebetentur, & nec videant nec audiant quæ illi saniori doctrinæ aduersa committunt. Sed tantum eo fine ipsos non auersemur, ne animis potius & voluntate, quam sententiis ab ipsis dissentire, neve personas ipsorum magis quam errores odisse, aut superbius quenquam fastidire videamur. Christus enim talis est conuiuator apud Pharisæos, vt ab ipsis minime corrumpatur, nec ab officio suo recta monendi & docendi quicquam intermittat, quin potius dat operam, vt iusta seueritate ipsorum errores & vitia taxando, eos intra veritatis semitam reducat. Eodem ergo modo Christus Pharisæos accessit, quo medicus non auersatur eos, qui ex variis & periculosis morbis decumbunt. Tales medicus adit, non quidem vt ex contagio sibiipsi quoque morbum accersat, aut suis blanditiis ægri morbum augeat, sed vt manum medicam adhibeat. Vnde non tantum seipsum idoneis antidotis præmunit, sed etiam variis pharmacis, vnctionibus & potionibus tam dulcibus quam amaris, ægrotum à morbo suo liberare studet. Sic Christus reipsa commonstrare voluit, se intrepidum esse cum aduersariis suis congrediendi, non tantum in publico vbi populi circumfusi studia ipsum iuuare videntur, sed etiam priuatim inter medios hypocritas. Si consimili fine etiam verbi minister aut alius quispiam pius Christianus, à non manifeste blasphemis in doctrina dissidentibus inuitatus, eos accedat, id ipsi vitio verti non debet: modo caueat, ne cuiquam sine causa scandalum præbeat, aut præ se ferat, quasi velit ἐπαμφοτερίζειν & in vtrumque latus claudicare: quod Deo aduersum esse Elias testatur 1. Reg. 18. vers. 21.

3. Christus ergo domum Pharisæi ingressus, illico accubuit, etiam illotus. Cur vero hoc fecit? cum non potuerit ignorare, futurum vt & Pharisæus hospes & reliqui conuiuæ offenderentur. Nam de crebris ablutionibus Pharisæorum superius copiose actum est in LXXIX. cap. Harmoniæ, ex cap. septimo Marci. Cum ergo Christus ipse Matth. 18. vers. 7. tam seuere suis iniunxerit de solicite cauendo scandalo: cur non ipse quoque doctrinam suam obseruauit? Etenim mox Pharisæus, cum id vidisset, miratus est. Hæc admiratio cum offensione fuit coniuncta. Talem enim est superstitiosæ & præposteræ religionis ingenium & natura, vt sanctitatem collocet in externis rebus, quæ tamen nihil ad sanctitatem faciunt, & mox offendatur atque scandalizetur, peruersa item iudicia & sinistras suspiciones suscipiat de iis, qui illas negligunt. Hoc Christus non ignorans, studiose occasionem captauit, hoc facto & ipsos Pharisæos & populum, qui ab eorum authoritate adhuc dependebat, ab ista superstitione liberandi, quos iam ante Matthæi 15. vers. 3. de eadem superstitione quoque monuerat. Equidem tradiderat Moses Israelitis Num. 19. versic. 9. certum ritum, quomodo ex cineribus immolatæ iuuencæ rufæ, quæ absque macula & iugi expers fuisset, aquam lustralem conficere, seque aspergendo mundare deberent. Sed fuit illa, vt Epistola ad Heb. 9. versic. 13. docet, tantum typus, quo Deus populum voluit attentum reddere, ad sordes suas propius attendendas, vt intus puri essent, & sedulo circumspicerent, ne aliunde inquinarentur. Simul etiam admonuit, quoties labe aliqua affecti essent, expiationem aliunde, nimirum à sacrificio & aspersione diuinitus facienda, petendam esse. Hac de causa Dauid peccato adulterij & homicidij inquinatus, Dominum precatur, Psalm. 51. vers. 9. Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Sicuti Epistola ad Hebr. c. 9. versic. 14. hunc typum explicat, quod sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulerit immaculatum Deo, mundet conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti. Hoc Pharisæi non attendentes, omnem sanctimoniam in externa illa ablutione, quam magno & mirifico studio vrgebant, collocabant, internam animi puritatem & vitæ innocentiam, maxime eam quæ fieri debebat, fide in venturum Messiam, secure negligentes: simulque proximum, qui non easdem ceremonias obseruaret, inique traducentes. Ideo nimis vere eos Christus ἄφρονας stultos hic vocat. Vt enim vere est populus σοφὸς sapiens & intelligens is, qui nouit quæ sunt veræ fidei & religionis erga Deũ, & iuris atque charitatis erga proximum, Deuteron. 4. vers. 6. eaque ex syncero corde perficit: ita vicissim sunt ἄφρονες, μωροί, Deut. 32. versic. 6. & ἀνόητοι, Luc. 24. versic. 5 stulti & amentes illi, quicunque ex cordibus amisso & relicto syncero Dei verbo in inanibus & externis ceremoniis verum Dei cultum quærunt. Proinde Christus hic Pharisæis, sermone ex re præsenti desumpto, obiicit, quod tantum puritati & mundiciei externæ studeant, quo hominibus placeant: internam autem animi & conscientiæ puritatem, quam Deus respicit, negligant, perinde ac si nihil ipsis negotij cum Deo esset.

Nam

Nunc vos Pharisæi exteriora poculi catinique mundatis: & quod intus est vestrum, plenum est rapina & malitia. Nunc *nunc*, est hoc loco particula expletiua: ficuti nos Germani vtimur vocula *Nun*: habet tamen etiam vim acriter pungendi. Addit, *vos Pharisæi*, non tantum præsentes in conuiuio personas, sed totum Pharisæorum ordinem notare volens. His, qui omnium sanctissimi & sapientissimi haberi volebant, coniunctim obiicit non tantum stultitiam & insipientiam, sed etiam *rapinas & malitiam. Rapinam* quia iniquis artibus ditescebât, sub prætextu longarum precationum domos viduarum deuorabant. Matth.23.vers.14. omnia denique ipsorum studia nihil nisi lucrum spectabant. Idem ergo Dominus ipsis obiicit, quod olim Iesaias Iudæis c.3.ver.14 rapina pauperis est in domo vestra. Et Amos.3.v.10. thesaurizantes iniquitatem & rapinas in ædibus suis. *Porro malitiam* affectatam: quia veritatem oblatam & agnitam malitiose excutiant, admoniti nolint emendari, quin potius correpti de malo in improbitate sua pergere velint. De hisce duobus vitiis ex corde expurgandis, ipsos monet: siquidem eorum olim Deo rationes reddituri sint. Ideo addit: *Nonne qui fecit quod foris est, etiam id quod intus est fecit*? Sistit eos quasi coram iudicio Dei, qui cum corpus tum animam creauit, & hominem iuxta vtrumque purum & mundum esse vult. Vult ergo dicere: cum propter Deum & religionem tam diligentem curam mundandi corporis habeatis: cur non pari diligentia animo mundano incumbitis, cum vtraque à Deo sint condita, & anima & corpus? Imo animæ puritas magis necessaria sit, quam corporis. Huius enim mundicies nos hominibus, illius vero puritas nos Deo commendat.

Proinde Christus explicato Pharisæorum morbo remedium iam adhibet: nimirum rapinæ & sceleri, quæ magis quā illotæ manus impediebant quo minus pure vesci possent, opponit charitatem erga pauperes, qua futurum sit, vt sanctificetur id, quod intra patinam est, etiamsi patinæ extrinsecus non sint ablutæ. Quemadmodum ergo Daniel cap.4.v.24. regem Babylonium monet, vt peccata sua redimat eleemosynis, hoc est, vt rapinas illas, quibus tot regiones populatus fuerat, beneficentia erga pauperes penset: ita Christus exigit, vt Pharisæi *de eo quod superest, dent eleemosynam, & reliqua munda futura* esse affirmat. D. Hieronymus & alij quidam accipiunt hanc sententiam Ironice, quasi Christus Pharisæos increpando sic diceret: Vos Pharisæi cum sitis pleni iniquitate, cum rapinæ & turpi lucro studeatis, exteriorem mundiciem curatis, & simul in eleemosynam erogatis, quæ per fas & nefas aliis abstulistis: quæ duo sufficere putatis, vt omnia in vobis munda reddantur, cum reuera immunda & defœdata remaneant omnia. Hanc enim Pharisæorum sententiam fuisse opinantur, quod per eleemosynam vitia omnia superbia, ambitio, rapinæ, inuidia & iniquitas contegantur. Sed potest hic sermo Christi commode simpliciter, sine ironia, accipi, vt sit exhortatio ad dandam eleemosynam & ad beneficentiam erga pauperes, quæ sit medium, per quod (sicut etiam per precationem & gratiarum actionem 1.Timoth 4.versic.4.) externus rerum huius seculi vsus, nobis purificatus & quasi licitus redditur. Vocula itaque *πάντα omnia* non est latius extendenda, quam quoad præsentem materiam, sicut etiam D Basilius notauit. Nam referri debet ad τὰ ἔξωθεν, ad *illa quæ forinsecus sunt*, hæc καθαρίζονται seu *purificantur*, si eleemosyna de iis detur. Non autem referatur ad τὰ ἔσωθεν *quæ intus sunt*. Hæc enim aliam purificationem requirunt.

Ad meliorem ergo huius loci intellectum, & ne quis eo abutatur aduersus sanam doctrinam de iustificatione hominis peccatoris coram Deo, notandum est, Apostolos, & imprimis Paulum ex hoc Christi loco occasionem sumsisse hominem distinguendi, in τὸν ἔσω vel ἔσωθεν, *in interiorem*, & τὸν ἔξω vel ἔξωθεν *exteriorem hominem*, Roman.7. vers.22. 2. Corinth.4.vers.16. & Ephes.3.vers.16. D. Petrus interiorem hominem vocat τὸν κρυπτὸν τῆς καρδίας ἄνθρωπον, occultum cordis hominem. Vbi per externum hominem vterque Apostolus intelligit, non veterem illum carnalem & peccato corruptum, sed vt ita loquar, brutum quasi hominem, quatenus is vegetatiua, sensitiua & locomotiua anima, quæ facultates ipsi cum brutis communes sunt, sustentatur: paulatim autem homo ille labore & ætate atteritur, donec tandem plane absumatur. Interiorem autem hominem intelligunt non tantum rationalem, sed & eum, qui spiritu Domini est instauratus, & eius gratia quotidie magis magisque ad imaginem Dei renouatur, fitque potentior ac valentior. Vterque homo indiget purificatione. Nam quis videbit Deum? aut quis stabit in loco sancto eius? nisi qui mundo & puro est corde, hoc est, qui mundus est secundum interiorem hominem, Psalm. 24. versiculo 4. & Matth.5. versiculo 8. Interior autem homo non purificatur externis ablutionibus, sed per fidem in Christum, qui per rufam vaccam in Mose fuit præfiguratus. Sic enim Petrus Act.15.versic.9. in Hierosolymitano Concilio dixit: Deus clementer per verbum dans Spiritum suum gentibus fide purificauit corda ipsorum. Quando enim fides apprehendit meritum Christi filij Dei, tum sanguis eius emundat hominem ab omni peccato, 1.Iohan.1.versic.17. adeo vt si peccata nostra essent vt coccinum, quasi nix dealbarentur: & si essent rubra quasi vermiculus, velut lana albescerent, Ies.1.18. Hæc mundicies nobis applicatur per verbum & Sacramenta, eiusque initium fit in sacramento baptismi, in quo effunditur super nos aqua munda, vt mundemur ab omnibus inquinamentis, & ab vniuersis idolis nostris. Ezech.36.v.25. In Christo Iesu enim est fons patens domui Dauid & habitatoribus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Zachar.13.v.1. Postea continuatur per fidem, quæ alitur auditu verbi & communione corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna. Et qui hoc modo à Christo lotus est, is totus mundus est. Ioh.13.v.10. De hac interiore mundicie Christus proprie hic non agit. Illa enim, vt iam demonstratum est, non in eleemosynis aut aliis externis operibus, sed in fide in Christum consistit.

Est autem deinde quædam exterior mundicies, quæ tamen ex interiore profluit, & eiusdem siue index siue testis est. Et hæc consistit in operibus charitatis atque misericordiæ, quoad externa huius mundi bona & amplas terrenas opes. Hę raro in hoc mundo, sine iniustitia, vsuris, vi & rapina congeruntur. Hinc etiam vulgata sunt dicteria: ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν δράκων οὐ γίνεται. Nisi serpens serpentem deuoret, non fit draco. Potentes nimirum aliorum damnis crescunt, & optimatum fortunæ non in tantum augerentur, nisi essent quos exugerent. Et: Omnis diues aut est iniquus, aut iniqui hæres. Vnde etiam à Christo diuitiæ dicuntur Mammon τῆς ἀδικίας iniquitatis. Luc.16.vers.9. Hic ergo quæritur: si quando alicuius Maiores, vel ipse quispiam, antequam se in eo peccare agnoscat, magnas per fas & nefas comportasset opes, postea vero Spiritus sancti gratia illuminatus agnosceret, tales diuitias per rapinam & iniustitiam esse coinquinatas, ita vt bona conscientia iis vti non possit, quid facere debeat, vt externus illorum bonorum vsus sibi sit licitus & mundus? Hæc vsitata est responsio, singulis sua, quæ ipsis sunt ablata, esse restituenda. Iuxta dictum Augustini: Furtum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. Sicut etiam Zachæus Christo dixit: Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Sed hoc non semper fieri potest. Siquidem interdum illi, quibus facta est iniuria, vel sunt mortui, vel ignoti: interdum si illi noti essent, quispiam ad vltimum teruncium vsque seipsum spoliare cogeretur. Si olim Imperatores restituere debuissent opes, quas ipsorum Prædecessores ex toto orbe per vim & bella, pleraque etiam iniusta, conuexere, imperium non suffecisset. Hic ergo vlterius quæritur, quid in tali casu sit faciendum, vt conscientia tranquilla reddatur? Ibi Christus paucis respondet: τὰ ἐνόντα, quæ dictio à Græcis exponitur per τὰ ὑπάρχοντα, id est, *ea quæ adsunt*, & quæ habetis, *date in eleemosynam*. Quidam exponunt τὰ ἐνόντα *licita*, & quæ in hominis sunt potestate: vt deriuetur ab ἔνεστι, quod significat licere. Sed sensus in idem recidit. Nimirum Christus vult dicere: si quis aliena iniuste ad se transtulisset, nec tamen eadem vel ipse restituere, vel ab aliis ad restitutionem politice adigi posset, tum ipsum propria, quæ iam possideat, in eleemosynam elargiri debere, tum *munda fore omnia*, hoc est, etiam residuorum possessionem & vsum ipsi licitum fore. Quod si vero interior mundicies præcedat, & hæc exterior subsequatur, tum res tanto magis erit plana. Quia mundis munda sunt omnia. Tit.1.vers.15.

Prorsus itaque consentit hæc doctrina Christi cum consilio, quod Propheta Daniel communicauit regi Nabuchodonosori, quando c.4.versic.24. inquit: redime peccata tua eleemosynis, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. Non vult Propheta ibi docere, qua ratione peccata coram Deo sint redimenda. Illa enim non corruptibili auro & argento rediuntur, sed precioso sanguine immaculati & incontaminati agni Christi. 1.Pet.1.vers.18. Sed quia rex Nabuchodonozor multis bellis à se gestis, diuersas gentes subiugarat, domi forisque multos ad paupertatem adegerat, donec splendidissimas orbis opes per Babylonem comportaret, ibique primum Monarchiam constitueret, quam satis superbe & cum multorum oppressione confidenter gubernabat: Ideo monet eum Propheta, vt si pœnam commeritam auertere, & bonis à se partis quiete vti fruique velit, agat pœnitentiam, & truculentum suum animum, quo hactenus ad opprimendos alios vsus fuisset, in beneficentiam erga pauperes conuertat: sic futurum, vt ipse non de gradu dignitatis & maiestatis, quod somnium visum ei minabatur, deiiciatur, sed imperium orbis à Deo concessum, vlterius propagetur, & quasi licitum fiat. Hoc cōsilio Christiani Impp. Constantinus, Carolus Magnus

& ipsorum similes secuti esse videntur. Qui & ipsi magna bella gesserunt, multos oppresserunt, immensas opes congesserunt, in quibus bellis impossibile est quin multis bonis & innocentibus vis fuerit illata, qui bonis suis præter ius & æquum sunt exuti. Sed iidem principes bello finito, & pace reparata, quoniam non omnibus bona amissa restituere poterant, Deo & pauperibus eleemosynas dederunt, Ecclesias amplissimis reditibus dotarunt, imperio suo pie & moderate sunt vsi, sicque sibiipsis occupatarum prouinciarum vsumfructum licitum reddiderunt. Quod ipsum est, *de eo quod superest date eleemosynam & reliqua vobis munda erunt.* Et hæc est prima quæstio in illa pharisaico conuiuio agitata, quæ agat de vera mundicie hominis tam interioris quam exterioris.

Antequam ad reliquas quæstiones transeamus, lubet hic monere de loco quodam Augustini, vbi & ipse hanc Christi sententiam de eleemosynis tractat, in Enchiridio ad Laur. c. 70. & aliquot sequentibus. Ibi diserte dicit, non esse existimandum, quod crimina, de quibus scripturæ dicunt, quod ea agentes regnum Dei non possidebunt, si quotidie perpetrentur, quotidie etiam eleemosynis redimi possint. Nemini enim laxamentum dari peccandi. Sed vitam in melius esse mutandum, neque per eleemosynas ad hoc quasi emendum esse Deum, vt peccata liceat impune committere. Si quis vero iam sit Deo patri reconciliatus, atque ex aqua & spiritu sancto regeneratus: tum ipsum fideli oratione quotidiana peccata & lapsus delere posse. Maxime, si non tantum oret: & dimitte nobis debita nostra: sed etiam alterum præstet, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Siquidem etiam hoc eleemosyna sit, homini veniam petenti ignoscere. Nam, dicit, non solum dat eleemosynam, qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subuectionem, cœco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti: verùm etiam qui veniam dat peccanti, qui emendat verbere in quem potestas datur, & qui coercet aliqua disciplina, & qui corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Hæc Augustinus. Et si quis integrum locum per multa capita inspiciat, inueniet ipsum nequaquam statuere, quod per eleemosynas interior peccatorum mundatio perficiatur: sed debere hoc præcedere, vt quis animæ suæ misertus, Deo reconcilietur & placetur, tum eleemosynas etiam Deo gratas futuras.

II. Alterum membrum, quod in Pharisaico illo conuiuio tractatum est, fuit de decimatione. Quod membrum, vt & sequentia, Christus non simplici orationis genere prioribus subiicit, sed addita particula *væ*. hoc est, cum denunciatione grauissimarum calamitatum, nisi à transgressionibus suis desistant. Obiicit autem ipsis, quod *decimas dent de mentha ruta & quouis olere*, interim præcipua legis negligant, *iudicium & charitatem Dei*. *Mentha* olim Græcis μίνθη dicta fuit, à Minthe Cocyti filia, de qua Poetæ fabulati sunt, eam cum Plutone comprehensam, in hanc herbam à Proserpina commutatam fuisse. Postea commutato nomine hæc herba, vt & hic à Luca ἡδύοσμον propter odoris suauitatem dicta est. *Ruta*, πήγανον dicta est à πήγνυμι: quia calida est, & exiccando condensat atque compingit. De hisce duabus speciebus, vt & de omnis generis oleribus, Christus Pharisæis obiicit, quod eas *deciment*, hoc est, decimam de iis partem aliis tribuant. Nam δεκατοῦν, vt & Latinum *decimo*, est ambiguum vocabulum, & significat decimas tam exigere, quàm dare, pro diuersitate personarum, quibus verbum illud applicatur. Quia ergo hic agitur de Pharisæis, ex quorum numero ille fuit, qui Luc. 18. versic. 12. partem iustitiæ suæ coram Deo collocat in eo, quod decimas det omnium quæ possideat: Iccirco hic accipiendum est pro eo, quod *decimas dare*. Siquidem etiam per se ex lege Dei non fuit Pharisæorum, sed Sacerdotum & Leuitarum, à quorum ordine Pharisæorum ordo distinctus fuit, decimas accipere.

Hic quærat quis: Num ergo peccatum est decimas dare de omnibus suis bonis, quia Christus Pharisæis propterea horrendum *væ* denunciat? Aut: Num Pharisæi in eo peccarunt, quod in decimatione plus præstitisse videntur, quàm Deus in lege sua exegerat? Etenim Deus in lege sua certas species rerum, de quibus decimæ sint dandæ & sumendæ, expressisse videtur. Vtpote Leuit. 27. vers. 30. decimas de frugibus & de pomis arborum, vers. 32. de bobus & ouibus, quę sub virga pastoris transeunt. Num. 18. vers. 30. de area & torculari. Vulgo quoque ipsi Iudæi numerant tres decimarum species ex horreo, ex torculari, & ex stabulo. Videntur ergo Pharisæi, vt in aliis ita etiam in decimatione nimis rigidi obseruatores fuisse, vt etiam de illis rebus decimas dare voluerint, de quibus Moses non præceperat. Etsi enim Leuit. capite 27. versic. 30. iuxta Hebræam veritatem legatur, dabis decimas de semine terræ: tamen existimant plerique *terra* vocabulum hic agros denotare, quibus Leuitæ olim caruerunt. Itaque quicquid in agris natum esset, illud decimandum esse. Non autem intelligi hortos, quos etiam Leuitæ in suburbiis suis habere poterant, in quibus mentham, rutham & eiusmodi oluscula ipsi plantare poterant, vt eorum decimatione non indiguerint, nec ea opus fuerit. Num ergo Christus illam nimis exactam ἀκρίβειαν Pharisæorum hic vituperat? Nequaquam. Nam ipse dicit: *hæc oportuit facere* Occurrens calumniæ, quæ alias semper huiusmodi Christi dicta eo rapiebat, quasi is hostis legis Mosaicæ esset. Ideo diserte dicit: *hæc oportuit facere*, q. d. Decimate omnino omnia quæ possideris. Illam decimationem Ego non impediam neque reprehendam. Hoc autem in vobis desidero, quod in exequendis hisce minutiis tam exacti videri vultis, & interim ea, in quibus verus Dei cultus, vera pietas & solida vitæ sanctimonia consistunt, secure negligitis: Nam *præteritis iudicium & charitatem Dei*, quæ oportet *non omittere*. Duas species recenset, *iudicium & charitatem Dei*: quibus omnem diuinam & humanam iustitiam, atque sic omnia tam moralia quam forensia Dei præcepta complectitur. Habet enim lex Mosis tres species, vt omnibus notum est: ἐντολὰς, δικαιώματα & κρίματα. Per ἐντολὰς notatur ea legis pars, quæ Moralis dicitur: per κρίματα, ea, quæ ad ciuilem politiam & forenses controuersias pertinet, quam nos Iudicialem appellamus: per δικαιώματα sacri ritus, adeoque Ceremonialis. Itaque 1. per κρίσιν, *iudicium*, simpliciter, vt vocabulum sonat, intelligo Christum de eo conqueri, quod Pharisæi iudicia & actiones forenses corrumpant. Sicuti etiam Iesaias cap. 1. versic. 17. & alij Prophetæ passim de eo querimonias suas instituunt. Fuerunt enim Pharisæi pars politici magistratus, ideoque oportebat ipsos causas publicas & forensia iudicia incorrupta seruare. Hoc quia Pharisæi intermittebant, *væ* ipsis denunciat. 2. Per ἀγάπην τοῦ Θεοῦ *charitatem Dei*, intelligo obseruationem omnium præceptorum Decalogi. Ea enim obseruatio ex timore & dilectione Dei profluere debet. Profectio enim legis est charitas. Roman. 8. vers. 10. Ex charitate autem Dei, profluit etiam dilectio proximi. Et ipse Christus testatur Matth. 22. versic. 40. ex his duobus præceptis de dilectione Dei & dilectione proximi, dependere vniuersam legem & prophetas. Manifestum itaque ex his est, Christum hoc loco in Pharisæis illud reprehendere, quod vnam aliquam particulam legis *Mosaicæ*, vtpote externas ceremonias præceptas, arripiant, & in eius obseruatione spem iustitiæ coram Deo collocent, licet reliquas partes legis, moralem *nimirum & iuridicialem*, secure negligant. Quin potius vult docere: Legem Dei vnam esse Copulatiuam, vt qui vno offendat, factus sit reus omnium. Iac. 2. vers. 10.

Ex his quæ dicta sunt, iam facile est cuiuis doctrinam accommodare ad suos auditores. Transeat verbi minister per singulos status, Ecclesiasticum, politicum & œconomicum, atque monstret, quomodo pro qualitate sui loci & temporis singuli faciliora legis seligant, in iis se exerceant, magis autem necessaria & in quibus Dei gloria atque proximi salus plus promouerentur, secure negligant. Inprimis autem ex hoc loco taxari potest hypocrisis Pharisæorum nostri seculi. Apud Pontificios grauissimum peccatum & inexpiabile scelus esse videtur: si quis prohibitis diebus carnes comedat aut ouum degustet: si præscriptum precularum numerum non demurmuret: si Missam non stata hora audiat: si votum Diuo alicui nuncupatum non exoluat: si peccata non omnia & singula cum singulis circumstantiis sacrificulo confiteatur. At virgines violare, thoros alienos polluere, peierare, alienas hereditates apud moribundos intercipere, puditissimis figmentis rude vulgus circumducere, principes viros ad opprimendos synceros Dei cultores & Euangelij amatores inflammare. Hæc & similia Iesuitis sunt ludus & iocus. Vnde peiores sunt illis Pharisæis qui tempore Christi vixerunt: quia de his omnibus non possumus dicere, *hæc oportet facere*, sed tantum, hæc oportet penitus *omittere*.

Porro de decimis olim multum fuit disputatum in regno Pontificio: nec semper consensere Canonistæ & Theologi. Hodie quoque non raro contentiones de decimatione deuoluuntur, ad Consistoria, in quarum decisione consulendi sunt Rebuffus, Tyndarus & alij Iureconsulti. Theologiæ studioso sufficit hæc nouisse. 1. De origine decimarum, quod de ea non vsque adeo certo constet. Quia tamen sunt antiquissimæ, videntur initio à sanctis Dei hominibus introductæ & Deo dicatæ in signum Dominij, quod Deus Opt. Max. in res omnes obtineat. Domini enim est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Psalm. 42. versic. 1. Sic sunt qui opinentur, Abelem & Cainum obtulisse Deo non tantum primitias, sed etiam decimas de frugibus

de frugibus & gregibus in recognitionem eius, quod ipsum Dominum suum faterentur. Gen.4.v.3. Abrahamus quoque reuersus à pugna cum quatuor orientalibus regibus, decimas dedit ex omnib. Melchisedecho, loco Dei altissimi siue Messiæ, cuius Sacerdos & typus fuit. Gen.14.v.20. Heb.7.v.7. Item Iacobus Patriarcha, spondet Deo oblationem decimarum, de cunctis bonis quæ ipsi daturus esset, si saluum & incolumem in patriam reduceret. Gen.28.v.22. Certum itaque est exolutionem decimarum diu ante legem à Mose latam apud Patriarchas in vsu fuisse, lege naturæ & pietatis ipsi dictante, Deo in recognitionem superioritatis ex gratitudine aliquid dandum esse. Hunc sanctorum Patrum pium morem, etiam gentes, siue ex institutione suorum Maiorum, siue ex κακοζηλίᾳ Iudæorum imitatæ sunt. Herodotus scribit Cyrum, Persarum regem, victis Lydis decimam prædæ partem Ioui dedisse. Et Ouidius testatur Liberum patrem, post deuictos Scythas aliosque populos, primitias obtulisse.

Te memorant, Gange, totoque Oriente subacto

Primitias magno seposuisse Ioui. Lib.3. Fast.2. Postea sub Mose, cum Deus promulgaret suam legem inter alia decimarum oblationem confirmauit. Sub lege autem inuenimus duo decimarum genera. Vnum, possumus appellare decimas Ecclesiasticas siue sacerdotales: alterum, politicas siue regales. De priori genere multum tradit Moses, Leu.27.vers.30. Num.18.versic.20. Deut.14.vers.22.& 26.versic.12. Summa eorum hæc est. Quia Deus semini Abrahami, Isaaci & Iacobi promiserat terram Chanaan in hæreditatem: vtique Leui & huius posteri legitimi hæredes & successores erant ex duodecima parte. Atqui his præteritis Iosephus, in duobus suis filiis Ephraimo & Manasse, duas terræ partes obtinuit. Nisi ergo Leuitis aliunde prospiceretur, iniqua fuisset hæreditatis distributio. Deus itaque, qui tanquam rex huius populi decimas sibi suo iure antiquitus vendicabat, illas Leuitis resignauit, atque hos suos quasi Vicarios constituit, qui suo nomine decimas susciperent. Ideo Deus Num.18.versic.20. Aaroni & Leuitis diserte dicit: In terra filiorum Israel nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel. Huic accedebat & illud, quod Leuitæ operam impendebant sanctuario, occupati erant in peragendis sacris & docendo populo. Hic labor ipsorum mercede aliqua dignus fuit. Vt ergo ad sacra liberiores, alacriores & magis intenti essent, nec per curam rei domesticę à sacris abstraherentur, hoc prouentu decimarum Deus ipsis prospicere voluit. Duæ igitur sunt causæ, ob quas olim Leuitæ in possessionem decimarum sunt collocati: vna, quia alias nullam habebant partem in Israele; altera, quia ministerio tabernaculi vocabant. Harum Ecclesiasticarum decimarum tres apud Mosen sunt species. Primo siquidem populus debebat Leuitis decimam partem omnium frugum, & pecudum, quæ transibant sub virga Leuit.27.vers.30. Deinde Leuitæ ex his ipsis decimis, rursus debebant sacerdotibus offerre decimam partem. Num.18.versic.26. Et hæc species Gręcis dicta est δευτεροδεκάτη, teste D. Hieronymo in 45. cap. Ezech. Tertio, præceptum etiam fuit Iudæis Deut.14. vers.28. vt tertio quouis anno de prouentibus illius anni decimas reponãt intra portas suas. Quæ fuit peculiaris species decimarum, vbi semper tertio anno Leuitæ ad decimarum participationem admittere cogebantur, egenos fratres, pupillos, viduas, peregrinos. Quam speciem cum D. Hieronymo, dicto loco πτωχοδεκάτας appellare libet. Et hæc summa æquitate ita à Deo temperatum erat, vt sacerdotes & Leuitæ iam duorum annorum decimis dicati, tertio anno etiam alios pauperes ad earum partem admitterent. Sic tum ex nimia illorum abundantia aliquid minuebatur, ne se luxuriæ dederent, tum prouentus anni sic moderabantur, vt Leuitis in singulos annos non plus duodecima parte integrum maneret, quæ portio ipsis & legitima terræ hæreditate debebatur. Atque hæ fuere Ecclesię decimæ apud Iudæos, quas solas perpendebant temporibus Iosuæ & Iudicum.

Postea cum Iudæi sub Samuele, Iudicum imperio pertæsi, regem sibi dari peterent, qui ipsos iudicaret ad exemplum omnium nationum. Ibi Deus ipsis per Samuelem ius regis denunciari iussit, in quo inter alios articulos etiam hic continebatur, 1. Samuel.8.vers.15. Segetes vestras, & reditus vinearum addecimabit, vt det Eunuchis & famulis suis. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui. Atque sic in populo Israelitico introductæ sunt decimæ politicæ, siue regales. Ratio eius additur, v.7. Me abiecerunt, ne regnem super eos. Hoc est, antiquis temporibus Deus rex erat illius populi: qui regnum illud administrauit per Iudices & heroas à se excitatos, Sicuti Deut.33.v.5. Moses tanquã rex inter Israelitas fuisse dicitur. Et licet hi Iudices decimas propterea exigere poterant: tamen quia Deus eas tribui Leuiticæ concesserat, gratis eo officio in honorem Dei & populi vtilitatem defungebantur. Vt cum Mose Num.16.v.15. dicere potuerint: tu scis Domine, quod ne asellũ quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. Hoc durauit vsque ad tempora Samuelis, cuius filij declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium. Cum ergo Israelitæ Dei imperium reiicerent, & regem peterent, Deus iusto iudicio illi regi etiam ius regis tradidit, nimirum decimas. Atque sic in pœnam reiecti imperij diuini, decimæ ipsis sunt duplicatæ. Nam & antiquitus magistratuũ decimas à populis subiectis exigebantur. Sicuti, antequam apud eos dominabantur Romani, suis regibus decimas soluebant. Senatus quoq; Romanus à populis tributariis eas exigebat. Imo si charior in vrbe esset annona, Senatus etiam alteras decimas prouinciis imperabat. Hac itaque ratione decimæ numerabantur inter publica vectigalia & tributa regalia, quæ si persoluere recusassent, politicum statum turbare velle visi fuissent. Et hęc fuit ratio decimarum apud Iudæos.

3. Porro, quia ex hac disputatione Christi cum Pharisæis patet, Christum decimarum solutionem inter ceremoniales leges reiecisse. Opponit enim illis *iudicium & charitatem Dei*, hoc est, forẽses & morales leges. Ceremonialis autem lex per aduentum Messiæ est sublata, nec quisquam nos in eo iudicare debet: quia fuerunt leges illæ vmbra rerum futurarum, at corpus est Christi, Coloss.2.vers.17. Ideo non inepte quęritur, quomodo & quatenus etiam Christiani ad soluẽdas decimas sint obligati? Hic respondeo. 1. Quod decimas politicas attinet, illę non sunt sublatæ. Vt enim Magistratus seu regium officium etiam manet sub Euangelio (Christus enim regna mundi non tollit) sic etiam quæcunque ad illius status cõseruationem pertinent, non sunt sublata. Hinc Paulus, cùm de magistratus officio scribit, inter alia addit Rom.13.v.7. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Cùm ergo inter vectigalia regia & tributa publica numerãdæ etiam sint decimæ, vtiq; subditi etiam sub Euangelio eas, nisi priuilegium aliquod habeant, non recusabunt, nisi ordinem politicum & statum regnorum turbare velint. 2. Quoad Ecclesiasticas vero decimas, quatenus illæ apud Israelitas fuerunt ceremoniale quid, eatenus sunt sublatę. Sed quia simul continẽt aliquid morale, in quantum nimirum datæ fuerunt ad sustentationem ministerij, eatenus non sunt sublatæ. Vnde pij Imperatores, cùm initio Christo nomina sua darent, pia solicitudine tacti: ne Ecclesia ministris destitueretur, decimas erogarunt ad alendum clerum. Et probabile est ipsos, cùm pastoribus ex publico alimenta conferre vellent, potius decimas delegisse, quàm alios reditus, vt sic Deum imitarentur. Christi enim vox est, Matth.10.v.10. Dignus est operarius cibo suo. Et ratio dictat, vt his, qui diuina ministrant ad salutem totius populi, populus vicissim necessaria ministret. Ideo Paul. 1. Cor. 9.vers.9. dicit: Quis suis stipendiis militat vnquam? Quo in loco prolixe docet, ex Deut.25.v.4. boui trituranti non esse os obligandum: & Dominum ordinasse, vt quemadmodum in Vet. Test. de altari participarunt, qui altari deseruierant: ita in N. Testamento, de Euangelio viuant, qui Euangelium annunciant. Et huc recte accommodari potest dictum Mal.3.versi.8. Num æquum est, vt homo defraudet Deum? Atqui vos defraudatis me, & dixistis: In quo defraudauimus te? In decimis & primitiis. Et in maledictione vos maledicti estis, & me vos de fraudatis tota gens. Inferte omnem decimam in horreum meum: & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit dominus, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam. Ex his & similibus locis verbi ministri occasionem desumere possunt, auditores suos commonefaciendi, vt & ipsi fideliter decimas exoluant, iisque ministerij conseruationem iuuent. Illarum solutio eos nõ ad paupertatem adiget, sed potius largissimam Domini benedictionem impetrabit.

Hæc vero dicendo, non propterea probamus omnia, quæ Pontifex Romanus cum suo clero Iuri Canonico de decimis insuit. Vbi sibi suisque creaturis iure diuino decimas ita adscribit, vt omnia ad suum horreum & suum molendinum deriuando, fere reges & principes huius mundi omnibus suis bonis spoliauit. Hoc ex lege Dei nunquam probare poterit. Cui malo etiam illud accessit, quod Abbates & Monachi, ignaui ventres & fuci, maximam partem decimarum ipsi deuorarunt: qui tamen nulla ministeria Ecclesiastica in populo sustinuerunt. Vnde etiam olim inter clericos non sunt habiti. Quod ergo pij Principes hosce abusus sub Euangelio correxerunt, & ignauum illud pecus à præsepi Ecclesiæ arcuerunt, quis id ipsis vitio vertet? Reformata quoque Consistoria in decidendis controuersiis decimarum Canones Pontificios vlterius non attẽdent, quam quatenus iuri

naturæ sunt conformes, & faciunt ad conseruationem ministerij.

III. Tertium membrum, quod in conuiuio isto Pharisaico tractatur, quod Christus in ipsis taxat superbiam, ambitionem & inanem dignitatis ostentationem. *Væ vobis*, inquit, *quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro.* Hic vero sciendum, quod Christus non omnino & simpliciter πρωτοκαθεδρίαν & salutationem in publico damnet. Nam omnino, nisi mera confusio in rebus humanis introduci debeat, necesse est vt aliquis primo loco sedeat. Et si quis beneficus Mecœnas, à multis clientibus salutetur, id improbari non potest. Nam non tantum Paulus monet Rom. 12. versic. 10. vt alij alios honore præueniant. Sed etiam Deus præcipit, vt coram cano capite assurgamus, & honoremus personam senis. Leu. 19. versic. 32. Sed hoc Christus improbat, quod Pharisæi honores, qui dignioribus debebantur, priuata ambitione ipsi sibi vendicarent: & ad inanem saltem ostentationem à multis salutari cuperent. Siquidem id ad honoris sui amplitudinem facere putabant. Hinc generalis doctrina petatur contra superbiam & ambitionem. Quid superbit homo? cum sit terra & cinis Syr 10. vers 19. Per superbiam homo multis peccatis repletur. Est enim ea quasi rex vitiorum, ad quem multi serui accurrunt. Vnde Chrysost. bene dixit: Tolle hoc vitium, vt non velint homines hominibus apparere. & sine labore cætera vitia resecantur. Per superbiam etiam homo omnibus suis virtutibus expoliatur. Vnde vulgares sunt rhythmi:

Si tibi gratia, si sapientia, si fortunaque detur:
Destruit omnia, sola superbia si comitetur.

Ambitio nihilo est melior. Per eam enim omnia vitia ad cor vsque intrant, vt illud perdant: veluti etiam ignis semper alta petit, vt omnia destruat. Eleganter itaque Anshelmus: Ambitiosus est instar pueri: qui dum papiliones venatur, cadit in foueam. Neque etiam ambitiosi propterea tanto maioris sunt valoris, quia semper summa petunt. Sed sunt instar palearum, quæ & ipsæ ob leuitatem facile à vento sursum feruntur, dum nobilia grana humi quasi voluuntur. Pij humilitati studeant, & à Deo exaltabuntur iusto tempore. 1. Pet. 5. vers. 6.

Præbet quoque hic Christi locus occasionem taxandi plus quam Luciferianam superbiam Romani Pontificis & eius creaturarum. Ille ipse sibi elegit πρωτοκαθεδρίαν non tantum in Ecclesia Christi, sed in vniuerso terrarum orbe. Sic enim Bonifacius VIII. in C vnam sanctam, extrauag. de Maior. & obed. dicit: Subesse Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ, declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus omnino esse de necessitate salutis. Et Gregorius VII. antea dictus Hellebrand, Platina referente dixit: Agite Apostolorum principes, & vestra authoritate quod dixi confirmate, nos Imperia, Regna, Principatus, & quicquid habere mortales possunt, auferre & dare posse. Vnde Blondus libr. 3. Roma. instaur. scribit: Omnes Principes orbis terrarum Pontificem honorãt & colunt vt SVMMVM DEVM. Quales hic Deus, tales sunt etiam ipsius creaturæ. In aulis Imperatoris, Regum & Principum videmus, quomodo ipsius Cardinales, Episcopi, legati & Monachi, licet infimo loco sint nati, nec vlla vel singulari eruditione vel virtute ornati, tantum quia ab ipso sunt rasi & vncti ambitiose primos honores quærant, vt etiam sæpenumero Principes viui ipsis cedere cogantur. Sed Christus etiam ipsis hic *væ* horrendum denunciat, & quando ad iudicium reuersus fuerit, infernalibus flammis hanc ipsorum ambitionem retundet.

IV. Quomodo notauit etiam Christus in hoc conuiuio Pharisæorum hypocrisin, qua homines turpiter fallant. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia estis vt monumenta, quæ non apparent, & homines ambulantes super ea nesciunt.* Contingit hic *Scribas & Pharisæos*, vt innuat de falsa ipsorum doctrina, & fallacitea hypocritica vita hoc intelligi se velle. Est autem elegans hæc similitudo qua Christus hic vtitur, vt suis hypocritis naturam & proprietates ob oculos pingat. Monumẽta defunctorum (vt etiam apud nos fieri solet) intra humum effossa, postea funere iniecto, rursus terra obruuntur, & superficie tenus complanantur, vt super ea ambulare quis possit, ita vt plerique nesciant à se sepulchrum calcari: coram Deo autem, cuius oculi etiam in abyssum penetrant, ista omnia patent. Ita Pharisæorum conuersatio tota, coram hominibus fuit speciosa. Legem Mosis, patrum suorum traditionibus, quasi meliorem & explanatiorem reddebant. In vita vero ieiuniis, precibus, purificationibus exquisitissimis se omnibus commendabiles & gratiosos reddebant. Verum hæc omnia nihil aliud erant, quàm externa species & larua coram hominibus. Coram Deo autem, cuius acie oculorum suorum in ipsa cordium penetralia penetrat, mortua erant omnia. Quia destituebatur vera fide in Christum, qui solus est vita hominum, & qui bona fragrantia notitiæ suæ nos acceptos reddit Deo, 2. Corinth. 2. versic. 14. Hoc odore quicunque caret, ille coram Deo non aliter fœtet, quàm mortua & putrida cadauera in sepulcris.

Notent hoc boni Christiani, vt tanto diligentius fugiant nostri seculi Pharisæos, qui veterum illorum doctrinam, mores & ingenium per omnia fere referunt. Iesuitas intelligo: qui doctrinæ suæ suauitate & simulatę sanctimoniæ fuco, simpliciores decipiunt. Putant hi, quoniam Iesuitæ reliquos crassos Monacos eruditione superant, iuuentutem in bonis literis erudiunt, in disputationibus & conuersatione se blandos exhibent, Christum sæpius nominant, ipsos etiam pro bonis & vtilibus Ecclesiarum Doctoribus habendos & tolerandos esse. Sed cauete vobis, ô principes Christiani: sæpe sub pictura aurea latet putridum lignum.

Non reputes aurum quodcunque relucet vt aurum:
Nec pulchrum pomum quodlibet esse bonum.

Ipsi cum tota sua doctrina & hypocrisi, sunt abscondita sepulchra, supra quibus ambulare est valde periculosum. Fieri enim potest, vt quando quis super eiusmodi sepulchro securus incedit, & densos læti graminis cespites miratur, inscius quid suis pedibus subsit, vt fractis sub terra cadauerum arcis ex improuiso subsidat. Sic multi, etiam Episcopi, magno cum suo malo experti sunt, quàm misere & turpiter fuerint decepti, quod abdita illa Iesuitica monumenta intra suos Episcopatus receperunt. Persuaserunt se habituros fidos iuuentutis informatores: & deprehenderunt ipsos esse insatiabiles voragines, quas si non ad placitum impleant, mox apud Latium suum Deum per ipsos accusentur. Quid iam dicam de illis, qui cum animarum suarum periculo & æternæ salutis dispendio super his monumentis ambularunt?

V. Quintum membrum, quod in Pharisaico hoc conuiuio tractatur, est, quod Christus Legisperitis tyrannidem animarum obiicit, eo quod intolerabilibus oneribus populum grauent, nec vlla ex parte eundem subleuent. Ante omnia autem Euangelista indicat, qua occasione Christus ad hanc reprehensionem venerit. Erat hoc Pharisaicum conuiuium consarcinatum ex variarum sectarum ordinib. Adeant Pharisæi, Scribæ & Legisperiti. Qui ordines, in quibus consenserint, & quid inter singulos discriminis fuerit, non facile est explicare. Cap. X. huius Harmoniæ aliquid ea de re dictum est. Putant quidam inter ipsos eandem fuisse diuersitatem, quæ fit in Papatu inter Religiosos & Magistros nostros. Quorum hi cum Legisperitis maiorem Scripturarum scientiam: illi cum Pharisæis ex sua professione & ordine maiorem sanctitatem præ se ferant. Et bene factum, quod istiusmodi comparatione diuersitas horum ordinum indicatur. Sic enim fieri solet, quando syncera doctrina in falsam commutatur, quod tunc multi diuersarum sectarum ordines oriuntur, qui in leniculis quibusdam inter se discrepant, adeo vt paucis vera diuersitas innotescat: qui tamen omnes in eo conueniunt, quod Christi & purioris doctrinæ hostes sunt, sicut fuerunt Pharisæi, Scribæ & Legisperiti. In Papatu propemodum etiam sunt innumerabiles sectarum ordines. Sunt ibi Anachoretæ, Ambrosiani, Augustiniani Basiliani, Benedictini Bernhardini, Cœlestiani, Camaldulenses, Carmelitani, Cistertienses, Crucigeri, Dominicani, Eremitæ, Flagellantes, Franciscani, Gilbertini, Humiliati, Iesuati, Iesuitæ, Minores, Minimi, Prædicatores, Præmonstratenses, Serui, Syluestrini, & quis agmen illud insectorum istorum in sectas diuisum omne recenseret? In quibus singuli ordines ab inuicem differant, fortassis illi ipsi qui in istis ordinibus viuunt non omnes differentias nouerunt. In illo tamen omnes conueniunt, quod sint Antichristi creaturæ Monachi, veri seruatoris Iesu Christi hostes, non minus quam Pharisæi, Scribæ & Legisperiti.

Cum ergo hi tres ordines fuerint iurati Christi hostes, & Christus in quarto membro *Scribas* Pharisæis annumerarit: inter Scribas autem & Legisperitos maior cognitio fuisse videatur. Siquidem qui Marc 12. v. 28. γραμματεὺς *Scriba* appellatur, ille Matth. 22. v. 35. νομικὸς *Legisperitus* dicitur. Ideo *legisperito* homini superciliosiorem mouet, quod asperius quippiam in hominem sui ordinis consortem à Iesu dictum audit. Cumque & se & sui ordinis homines sine omni peccato esse arbitraretur, & tales etiam à Christo haberi vellet, vltro se ad disputationem cum Iesu ingerit, dicens: *Magister* διδάσκαλε. Doctoris titulo eum verbotenus honorat: quem tamen veritatem docentem & dicentem non vult audire. Nam addit: *hæc dicens etiam nos*, legisperitos, *contumelia affices*. At tu legisperite ista dicens, prodis & ingenij tui superbiam & animi male sibi conscij morbum. Etenim superbiæ est, ὕβριν & contumeliam interpretari, si arguaris: cum probus & humilis iustam reprehensionem beneficij loco habeat, Psal. 141. v. 5.

iniustam

iniustam autem placide & modeste refutet. Animus autem male sibi conscius, liberius in alios dicta, de se putat omnia dici. Huius legisperiti similes hodie multi reperiuntur, qui & ipsi contumeliam aut iniuriam interpretantur, si ipsorum dicta vel facta à verbi ministris paulo liberius corrigantur. Et tales non sunt tantum principes viri, qui ægerrime ferunt, quando vel superstitiones & errores ab ipsis approbati, vel edicta nimis dura ab ipsis publicata, vel facta scandali plena, ex verbo Dei arguuntur. Putant hoc modo suam existimationem grauissime lædi, & subditis quasi pedibus conculcandam obiici. Exemplum huius habemus in Ieroboamo, 1. Reg. 13. v. 4. & in Achabo, 1. Reg. 18. v. 17. & in aliis. Verum etiam homines vulgares idem interdum facere audent, qui quando audiunt sua peccata pro concione traduci, & intra conscientiam suam sentiunt se notari, licet non nominentur, mox missis Notario & testibus à Pastore inquirunt, an ista in se dicta sint, atque postea Actione iniuriarum illos persequi & in ius trahere volunt. Sed væ istis superbis, præfractis & audacibus hominibus. Ipsi coram tribunali filij Dei iudicio cadent: nisi mature adhuc in hac vita pœnitentiam agant. Neque enim conuitium, sed officium & beneficium est peccata quorumuis hominum, etiam in sublimitate positorum, ex verbo Dei arguere, quo homines æterno interitui subtrahantur. Hinc Dauid non odio prosecutus est Nathanem 2. Sam. 12. v. 7. se admodum libere arguentem: nec Iosaphat prophetam Hamani. 2. Par. 19. versic. 2. Nam & reges & principes verbo Dei sunt subiecti.

Quid ergo Christus isti Νομικῷ respondet? *Quin & vobis legisperitis væ quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non attingitis sarcinas.* Duo ipsis obiicit. Primum, quod importabilia onera hominibus imponant. Per φορτία autem *δυσβάστακτα onera importabilia*, intelligit Christus primum legem Mosis, qualiter ipsi extra Messiam eam suis auditoribus proponebant. Extra Christum enim lex est importabile onus. Sicuti Paulus Rom. 7. prolixe de lege Dei agens, tandem versic. 24. exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sed addit: gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum. Nam in Christo fit importabile onus legis leue, & iugum illud suaue. Matth. 11. versic. vlt. De quo alioquin Petrus pronunciat, quod sit iugum, quod neque patres neque ipsi portare potuerint. Actor. 15. versic. 10. Et Paulus Rom. 8. v. 3. vocat τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, impotentiam legis, quam caro portare non possit, sed Deus per filium suum præstet. Deinde per *importabilia* illa *onera* intelligit etiam *ἐνταλματα* & traditiones, quas præter legem Mosaicam miseræ plebeculæ imponebant, in iisque præcipuam partem cultus diuini collocabant: quæ erant numero infinitæ, Sacerdotibus quidem & Scribis quæstuosæ, populo vero graues & portatu difficilimæ. Alterum vitium, quod legisperitis obiicit, est: *quod minimo digito onera ista non attingant.* Est hoc figurate dictum; & intelligit, ipsos nulla vera institutione plebeculam subleuare. Quod etiam bifariam factum est. Primum, quia verum finem & vsum legis Mosaicæ populo non explicabant: qui erat, vt lex esset pædagogus ad Christum. Galat. 3. versf. 24. Debuissent ergo populum instituisse, Deum legem suam ipsi tradidisse, non vt per eam iustificarentur: sed vt ex ea peccata sua agnoscentes, Rom. 3. versf. 20. de propria iustitia desperarent, & extra se veram iustitiam, quæ coram Deo valeat, quærerent, quæ consistit in obedientia & satisfactione Messiæ, quem omnia Leuitica sacrificia præfigurabant. Hoc modo si legisperiti legem proposuissent, tum onus illud Mosis, in se importabile, in Christo leue & portatu facile reddidissent. Hic enim valet illud Pauli, Philippens. 4. versic. 12. Omnia possum in eo, qui me confortat Christo Iesu. Deinde etiam alio modo onera ista non attingebant: quod dum palam & apud populum traditiones illas rigidissime vrgerent, ipsi interim clam secure illas negligebant, & nihil minus præstabant. Sicuti semper hypocritæ erga alios sunt rigidi & seueri exactores officiorum pietatis, sed erga seipsos sunt blandi & remissi. Et dum foris se Curios esse simulant, domi bacchanalia viuunt.

Ex hoc Christi dicto colligat pia mens, quam *horrendum væ* maneat Pontificiam cohortem. Illa reuera per multa secula *importabilia onera* imposuit hominibus. Omissa enim prædicatione de merito Iesu Christi, qui à Patre nobis factus est sapientia, iustitia, sanctificatio & redemtio, qui solus nobis aditum parat ad thronum gratiæ, homines remiserunt ad propriorum suorum operum merita, ad Vigilias, Ieiunia, Rosaria, Disciplinas, Flagellationes, Eleemosynas, Attritionem, Contritionem, omnium peccatorum Enumerationem sine Confessionem auricularem, Satisfactiones, Contributiones, Reliquias sanctorum, peregrinationes ad sanctos, Indulgentias Papales, Cardinalitias, Episcopales, Stationarias, Processiones, Ordines Monasticos & Eremiticos, obedientiam hypocriticam, virginitatem coactam seu meretriciam, paupertatem voluntariam, fraternitates & sexcenta alia. Et quando hæc omnia pro virili per omnem vitam præstiterunt, tamen in agone mortis constitutos, & cum desperatione luctantes, ex hac miseriarum valle emigrare passi sunt, dubitabundos & incertos vtrum ad cœli an ad inferorum portas sint deuenturi. Cum quibus optime egerunt, eos ad fictitium suum purgatorium ignem remiserunt, & consilium subiecerunt de 24. subsidiis pro defunctis, quibus eo maturius ex flammis purgatorij ignis liberari possint. Quæ tamen media omnia eo fuerunt directa, vt ipsi quidem rasæ & vinctæ cohorti bene esset, interim tamen defunctorum hæredibus cum irreparabili damno crumenæ exhaurirentur, & importabile onus vel paupertatis vel debitorum imponeretur. O vos animarum carnifices, Iesuitæ, qua fronte, quo pudore hanc carnificinam olim coram iusto iudice excusabitis? quibus coloribus eam pingetis? Cum interim negare non possitis, Pontifices vestros Romanos in quæstuosis istiusmodi indulgentiis deliciatos fuisse, simplicitatem rudis plebeculæ risisse, & vna voce cum Alexandro VI. gloriatos esse per bonam hanc Christianorum persuasionem se dominari. Quin & ipsius spurius Cæsar Borgia, Ioviano Pontano referente, cum quadam vice centum millia Ducatorum lusu perdidisset, per iocum dixit, se tantum lusisse *peccata Germanorum*: innuens pecuniam istam maledictam per indulgentias papales ex Germania collectam fuisse. Quid? quod non defuerunt, qui omnem de Iesu Christo Saluatore nostro historiam pro fabula habuerunt, quæ Pontificibus multum profuerit.

Hæc autem non tantum faciunt aduersus Pontificios, sed etiam nostrarum Ecclesiarum doctores monent, vt doctrinam salutis recte proponant. 1. A præceptis legis doctrinam Euangelij non segregent, nisi homines in horribiles conscientiæ terrores, & ad extremum desperationis præcipitium adducere velint. Lex enim tantum iram operatur. Rom. 4. v. 15. Addatur ergo eidem doctrina de gratia Dei, vt conscientiæ minis legis prostratæ rursus consideratione meriti Christi erigantur, & pacem ad Deum consequantur. Rom. 5. 2. Bono exemplo etiam suis auditoribus præluceant, & quod alios docent illud non tantum vno digito, sed toto corpore quoque exequi studeant. Nam: Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum.

VI. Sexto loco exprobrat Iesus ipsis præposteram veterum prophetarum obseruantiam, & præsentium odium atque persecutionem: in quo ipsos suis patribus in omnibus æquales, atque sic malorum coruorum pessimos pullos esse testatur. *Væ vobis, quia ædificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos.* Hic disputant, quomodo Dominus, ex eo, quod ipsi ædificant sepulchra prophetarum, colligat ipsos approbare opera patrum suorum. Cum potius contrarium inde inferendum videatur: maxime cum Matth. 23. v. 30. vbi Christus idem argumentum tractat, ipse testetur eos dixisse: si nos patrum nostrorum tempore vixissemus, non fuissemus ipsorum socij in cæde prophetarum. Verum si quis Lucæ textum diligentius inspiciat, & membra recte distribuat, tum vera sententia per se est plana. Christus duo ponit verba: *μαρτυρεῖτε, καὶ συνευδοκεῖτε, testamini & comprobatis.* Ad hæc duo verba sequens textus totus est accommodandus, & videndum, quæ membra cui verbo correspondeant: quid & quomodo testentur, quid item quomodo comprobent. 1. Quid testantur? *quoniam illi eos occiderunt.* Quando id testantur? *dum ædificant eorum sepulchra.* Quotiescunque enim prætereuntes de monumentis illis inquisiuerunt, aut ea lustrarunt, toties malorum facinus sibi in memoriam reuocarunt, non aliter, quam si ex literarum monumentis ipsam historiam relegerent. Sepulchra itaque extructa, fuerunt memoriale & testimonium sempiternum criminis, quod Maiores commiserunt in sanctos Dei Prophetas. 2. Quando vero comprobant facta patrum suorum? quia *dixit sapientia Dei: mittam* etiam *ad illos Prophetas & Apostolos, & ex illis occident & persequentur.* Quænam est illa sapientia Dei, quæ hoc dixit? Ipse filius Dei, qui est æterna Patris sapientia, quam possedit in initio viarum suarum. Prou. 8. versic. 21. Quando vero hoc dixit? Decreuit quidem ab initio, quod populo suo indesinenter velit dare doctores: sed hoc etiam dixit tum, cum iam multos prophetas occiderant: cum sanam doctrinam humanis traditionibus corruperant: cum omnem religionem sibi quæstum fecerant: cum iamiam ipsum illum Dei filium in manus gentium tradituri & crudelissime occisuri erant. Potuisset sane Iudæorum pertinax improbitas & contumacia filium Dei permouisse, vt, quoniam veteres Prophetas plerosque occiderunt, imposterum suæ bonitatis riuulos retraheret, maxime cum non ignoraret, eos cum posterioribus Prophetis & Apostolis non mitius acturos esse. Sicuti id comproba-

runt exempla, Stephani, Act.7.v.58. Iacobi. Act.12.v.2. quos *occiderunt*: item Petri. Act.12.v.17. Pauli. Act.25.v.10. quos *persecuti sunt*, adeo vt Paulus Romæ sub Nerone crudelissimo ius & iustitiam quærere coactus fuerit, quam in sancta vrbe Hierosolymorum inuenire non potuit.

Porro miretur quis cur æterna sapientia Dei sanctissimos illos homines impiorum crudelitati obiecerit, cum præsciuerit tam inique eos ipsos tractaturos? Non videtur vsque adeo boni & prudentis viri esse, si sciens & volens ita suos discrimini obiiciat. At sciendum, graues filium Dei huius sui consilij habere causas. 1. Horum ministerio voluit filios Dei, qui passim in mundo inter impios dispersi erant, in vnum congregare. Iohan.11.vers.52. Qui inter lupos istos periissent, nisi illorum ministerio ex interitu erepti fuissent. 2. Hac ratione illi ipsi Prophetæ & Apostoli conformes facti fuerunt imagini filij Dei. Rom.8.v.29. Qui & ipse, post superatos plurimos docendi & bene merendi labores, tandem in crucem actus est. Certum autem est, si commortui erimus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus. 2.Tim.2.11. 3. Denique impij ipsi hoc modo redduntur *αὐτοκατάκριτοι*, nec habebunt quod in extremo iudicio prætendent, cum Deus vel inuitis veritatis præconium obtruserit. Neque enim impij illi Prophetarum occisores & persecutores inultam ferent hac tantam suam improbitatem. Nam requiretur *ab ista generatione sanguis omnium prophetarum, qui effunditur à constitutione mundi, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem.* Etsi enim alias regula iustitiæ diuinæ velit, vt filius non portet iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij. Ezechiel 18.vers.20. quia tamen hi impiorum parentum erant impij filij, & generatio illa Iudæorum, quæ tempore Christi vixit, fuit quasi consummatrix effusionis sanguinis Prophetici & Apostolici, iustissima Dei vltione ab ipsis pœna sumpta est, omnis sanguinis iniuste effusi. Atque vt Christus tanto plus Pharisæos & Legisperitos terreat, & ad resipiscentiam metu venturæ vltionis prouocet, addit: *vel, certe, profecto dico vobis, requiretur ab hac generatione.* Complementum huius comminationis tum secutum est, quando per Titum & Vespasianum Iudæorum gens crudelissimo excidio perdita est: succensa sancta vrbe Hierosolyma, & reliquis ciuitatibus destructis, multis myriadibus Iudæorum crudelissime occisis, ac reliquis eorum venundatis & dispersis in omnes gentes, adeoque tota illa generatione à Deo reprobata & reiecta. Ibi impletum est, quod Dauid in Psalm.109.v.14. in persona Christi precatur: in memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini: & peccatum matris eius non deleatur. Peruenit igitur iam super eos ira Dei vsque in finem, vt scribit Paulus 1.Thess.2.v.15. quia occiderunt Dominum Iesum & Prophetas, & nos Apostolos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur; prohibentes Apostolos gentibus loqui vt saluæ fiant: vt impleant peccata sua semper.

Ex hoc membro nostri seculi Pharisæos, ceu ex vngue leonem, cognoscere licet: & qui eos, sic ad viuum à Christo depictos, videre nolit, eum Tiresia vate magis cœcum esse oportet. Iesuitæ, vt & reliquæ Romani Pontificis creaturæ, quæ sese Catholicorum nomine venditant, non tantum Apostolorum & veterum Martyrum sepulchra ædificant, sed longe plus præstant: dum magnifica templa in eorum memoriam extruunt, statuas erigunt, ad illas precationes suas recitant, cereos ipsis accendunt, certos dies festos dicant, Missas canunt, processiones & peregrinationes ad illos instituunt, ipsorum corpora, ossa & minutissimas reliquias (plerunque supposititias & adulterinas) superstitiose conquirunt, asseruant, religiose venerantur: & omnes quicunque non vna cum ipsis hosce Sanctos diuinis honoribus prosequi volunt, eos prophanos ipsorum contemptores esse proclamant. Imo aperte cum veteribus illis Pharisæis dicunt: ô si nos Apostolorum & Martyrum temporibus, sicut patres nostri, vixissemus, non eorum socij in occidendis Diuis illis fuissemus. Ergo *testantur* Maiores suos, Romanos, Martyres impie occidisse. Sed non tantum hoc testantur de suis Maioribus: verumetiam *comprobant ipsorum facta.* In quo? In eo, quod Dei sapientia etiam ipsis postremis hisce temporibus Apostolos & Martyres mittit, qui idem cum veteribus illis Euangelium docent, Iesum Christum vnicum nostrum apud Patrem Mediatorem esse ostendunt: hunc solum pro peccatis nostris satisfecisse, solum apud Deum nostram iustitiam, vnicam ad vitam & salutem viam esse testantur; ex illis vero alios *occidunt*, alios *persequuntur*. Quot enim Martyrum ardentes rogos superiori seculo Roma, quot Hispania, Gallia, Anglia, Belgium, & aliæ orbis Christiani oræ viderunt? Quot ensium acies retusa est in cedendis ceruicibus piorum Christianorum? Quantum innocentis sanguinis effusum est, ob solam Euangelij professionem? Persecutiones quoque plus quam Turcicæ & barbaræ, in Styria, Carinthia, Austria, Francia, & Bauaria, adhuc in recenti sunt memoria.

Miretur autem quis non immerito, qui fiat, quod Iesuitæ tanti & tam magnifici sunt Apostolorum cultores, & tamen Apostolicam doctrinam ferre nequeant, sed plus quam Vatiniano odio persequantur. Sed in promptu causa est. Apostoli & Martyres sunt mortui, & Pontificios non amplius mordent; ac proinde eos venerantur. Verum resurgant illi duo Apostolorum Principes, Petrus & Paulus, à mortuis, sese Romam conferant, ibique concionentur antiquum illud suum Euangelium: & ille quidem doceat: non est in alio quoquam salus: nec aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat eos salui fieri, quam nomen Iesu. Actor.4.vers.12. Vnde ergo proueniunt vestræ indulgentiæ papales, satisfactiones, peregrinationes, & sexcenta alia nomina, in quibus potissimam fiduciam salutis vestræ ponitis? Video ergo vos Romanenses negasse Dominum, qui sanguine suo vos mercatus est, & introduxisse sectas perditionis, 2. Petr.2.versic.1. Video vos deliciis affluere in conuiuiis, oculos habere plenos adulterij, & incessabiles delicti: derelinquentes rectam viam, & secutos esse viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit: libertatem aliis promittitis, cum ipsi sitis serui corruptionis. vers.12. Hic vero ex suis Epistolis intonet: Apostasia iam est facta, & reuelatus homo peccati, filius perditionis: qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: sedet ipse in templo Dei, ostentans sese quasi esset Deus. Cuius aduentus fuit secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt. Sed Dominus Iesus interficiet eum spiritu oris sui: & destruet eum illustratione aduentus sui. 2.Thess.2.versiculo 3. Interim tradit eos Deus in passiones ignominiæ, vt masculi relicto naturali vsu fœminæ, exarserint in desideriis suis inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem erroris sui in semetipsis recipientes. Nam sicut non probauerunt Deum habere in notitia, sic tradidit Deus eos in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt. Roman.1. versic.26. Discesserunt à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem. 1.Tim.4.versic.1. Non sic didicistis Christum: si modo illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu Eph.4.versiculo 20. Ecce ego Paulus dico vobis, euacuati estis à Christo, qui lege iustificamini: à gratia excidistis. Gal.5.v.4. Ego enim dum vobiscum fui non iudicaui me scire aliquid, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. 1.Corin.2.v.2. Et adhuc hodie absit à me gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo nihil valet præterquam noua creatura. Gal.6.v.14. Hæc & similia proponant illi duo Diuorum coryphæi Romanensibus nostris, & viderint, vtrum alter lignum crucis vel rogi, alter vero securim vel gladium effugere possint.

Sed sic implent mensuram patrum suorum, vt etiam ab ipsis *requiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ. Profecto ab hac generatione requiretur.* Nam vt pie Hieronymus super Matthæum & Beda super Lucam statuunt, mox in domo Adami totum genus humanum, in duas generationes, vnam bonam, alteram malam, & in duas quasi ciuitates, vnam Cainitarum, alteram filiorum Dei, diuisum est. Et quemadmodum pij per fidem in Christum ac sacramentum regenerationis filij Dei facti, vnam eandemque cum veteribus Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus & electis omnibus salutis hæreditatem in cœlis adeunt: ita qui cum Cainitis Ecclesiam Christi & sanctos flamma, fune, ferro, sunt persecuti, rapinis, libidinibus & cædibus seipsos polluerunt, ab illis, siue Iudæi, siue Chananæi, siue Gentes, siue Romanenses fuerint, omnis vltio sanguinis innocenter effusi requiretur, & in inferno æternis pœnis affligentur. Nos vero interim nouimus, hunc verum esse honorem, quo Sanctos afficere possumus, non si sepulchra ipsis ædificemus: sed si agnoscamus ipsos sancta Dei organa fuisse, ad promouendam salutem hominum, si doctrinam ipsorum audiamus, si fidem & virtutes ipsorum imitemur, atque operam demus, vt olim æternum apud Christum ipsis conuiuamus.

Quæritur etiam quis sit ille *Zacharias*, de cuius cæde Christus hic loquitur? Et sunt tres Doctorum sententiæ, de tribus diuersis personis: 1. Legimus 2. Par.24. vers.20. de Zacharia Ioiadæ filio sacerdote, qui cum populum in legem Dei delinquentem Spiritu Dei actus reprehenderet, ab eodem ad imperium regis Ioæ, lapidibus obrutus est, idque in atrio domus Domini: quod conuenit cum hisce Christi verbis, *qui periit inter altare & ædem.* Altare enim stabat in atrio ante introitum

troitum templi. Et hic ipse Zacharias vltionem sui sanguinis à Deo petiit: Nam moriens dixit: Videat Dominus & requirat. Sed huic sententiæ obstare videtur illud, quod in Matthæo Christus dicit: hunc Zachariam fuisse *filium Barachiæ*: in Chronicis vero dicitur filius Ioiadæ: Sed diuinant alij Ioiadam fuisse binominem: sicut id etiam pluribus Iudæorum olim accidit. 2. Sunt ergo alij, qui existimant intelligendum esse Zachariam illum, qui vnus fuit ex minoribus Prophetis: qui ipse in libro suorum prophetiarum c.1.ver.1. testatur, se fuisse *filium Barachiæ*, nepotem Addo sacerdotis, quem Nehemias cum Zorobabele ex Babylone ascendisse testatur c.12.v.4. Licet vero de huius cæde in sacris nihil annotatum sit, putant tamen aliqui, ipsum quoque à Iudæis in sacro illo loco occisum esse. Etsi enim Iudæi initio ipsius concionis humaniter sustinuerint, dum scilicet lætis vaticiniis & concionibus eos subleuauit: postea tamen cum templo iam ædificato corruptissimos ipsorum mores liberius accusaret, visitatam mercedem ipsi numerarunt, & crudeliter inter media sacra trucidarunt. Hæc sententia si vera esse comprobari possit, magnam authoritatem addet vaticiniis Zachariæ: quia idem & Propheta & Sacerdos, & Martyr fuisset. 3. Origenes Hom.26. in Matthæum: & Basilius in serm. de natiu. Christi referunt antiquam esse traditionem, quod Zacharias Iohannis Baptistæ pater, cum Mariam matrem Domini post partum in virginum locum asscripsisset, à Iudæis occisus sit inter templum & altare, accusatus à populo, velut per hoc confirmans admirabile illud & decantatum signum: Virginé quæ genuit, & virginitatem non corrupit. Sic ergo nos habemus diuersos Zacharias, de quibus verba Christi intelligi possunt. Ego vero statuo, circa fidei & salutis dispẽdium fieri, de quocunque ex his tribus quis verba Christi suscipiat. Hoc enim certum est, Christum hic Legisperitis eiusmodi Zachariam nominasse de cuius cæde ipsis omnibus constiterit, & simul impiam ipsorum crudelitatem ipsis ob oculos ponere voluisse, quod nec templi, nec sacrorum religio ipsos continere potuerit, vt sibi ab innoxij illius sanguinis effusione temperarent.

Possunt ex hoc sexto membro, quod Christus in conuiuio illo Pharisaico tractat, etiam aliæ doctrinæ proponi: vtpote 1. de vocatione ministrorum verbi, qui non ipsi currunt, sed à sapientia Dei mittuntur. Et quos Deus ita mittit, eos etiam necessariis donis doctrinæ, morum & patientiæ instruit. 2. De ingratitudine & credulitate mundi, qui nuncios Dei, salutis suæ causa ad se missos, cane, angueque peius odit, persequitur, occidit. Id quod totius mundi historia testatur. 3. De inexhausta Dei bonitate, qui extremam illam mundi ingratitudinem se absterrere nondum passus est, quominus semper prioribus occisis, nouos veritatis testes & præcones miserit, mittat, & missurus sit ad finem mundi vsque, vt electos suos ex interitu eripiat, & mundum pœnitere nescium inexcusabilem reddat. 4. De vera causa excidij vrbium & integrarum gentium, qua nulla certior est, quam contemptus verbi diuini, persecutio Euangelij Christi, & cædes syncerorum Ecclesiæ doctorum. Confirmat hoc exemplum populi Iudaici. Sed de his doctrinis copiosius dicendi alibi occasio præbebitur: hic res obiter notasse sufficiat. Nos ad finem huius conuiuij properemus.

VII. Vltimo loco ipsis obiicit Christus extremam tyrannidem & animarum carnificinam, qua regnum Dei ita occludant, vt nec ipsi illud ingrediantur, nec alios, ingredi volentes, intromittant. *Væ*, inquit, *vobis Legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant vetuistis.* Collatio Lucæ cum Matth.23.v.13. totum locum pleniorem reddit. Loquitur de regno cœlorũ, quod ipse tanquam verus cœli rex, ex nutu cœlestis sui patris instituit. Hoc magnifico alicui palatio, in quo complura sunt conclauia, rebus preciosissimis, vtpote remissione peccatorum gratia Dei, iustitia & salute æterna, referta. Hæc vero nemini prosunt, nisi ianua reseratur, conclauia aperiantur, thesauri proferãtur. Atqui Adami lapsus hasce fores omnibus hominibus præclusit, neque quisquam hominũ natura nunc regnum cœlorum aperire, illudq; intrare potest. Solus Iesus Christus, sanctus & verus, qui habet clauem Dauid, id præstare valet, is aperit, & nemo claudit, is claudit & nemo aperit. Apoc.3.v.7. Habet tamen hic Dominus huius regni suos œconomos, quibus & ipsis tradit hanc potestatem thesauros istos dispensandi, eos promendi & condendi, prout opus est. Sicut hac Metaphora scriptura vtitur. Esa.22.v.22. Matth.16.ver.19. 1.Cor.4.versic.1. Inter alias igitur claues, dicit Christus, esse etiam *clauem scientiæ*, & per illam intelligit ius docendi, siue prædicãdi verbum Dei, per quam mysteria regni Dei reserantur & hominibus aperiuntur, vt videant & intelligant, quomodo iustitiam & salutem consequi possint. De hac claue siue potestate Christus Legisperitis tria crimina tribuit. 1. *clauem scientiæ tulistis.* [illegible] *tollere* duobus modis dicitur: Vel enim tollimus aliquid [illegible]strum vsum: vel tollimus ita, vt ab aliis auferamus. Vtroque modo legisperiti sustulerunt clauem scientiæ. Sibi enim solis arrogabant ius docendi; se solos in Cathedra Mosis sedere gloriabantur, reliquos autem omnes excludebant. Et hoc ipsum officium administrabant non ad populi vtilitatem & salutem, sed in suum quæstum. Sic ergo nõ absque sacrilegio ad se rapuerunt clauem cognitionis. 2. Alterum est: *ipsi non introistis* in regnum Dei. Ipsis exprobrat, eos nulla salutis suæ cura tangi. Et cum bono exemplo aliis in fide, in charitate, in pietate & tota conuersatione præire debebant, ipsos Epicuræorum & Saducæorum more potius de corpore saginando, quam de anima ad cœlos adducenda solicitos esse. 3. Tertium: *& eos, qui introibant, vetuistis.* Hoc variis modis fecerunt. Dum legem Dei non dextre explicuerunt: dum eandem suis traditionibus & quæstuosis ceremoniis obruerunt; dum finem Legis, qui est Christus, nemini monstrarunt, imo huius Euangelio nullum locum dare voluerunt. Maxime omnium autem ostium regnum Dei occluserunt, dum aperta vi doctrinam Christi, quæ sola homines sequaces ad salutem adducit, oppugnabant, tyrannide & excommunicationibus suis (Iohan.9.v.22.) homines à Christo absterrebant; eo denique rem adducebant, vt etiam principes, qui in ipsum credebant, fidem tamen suam profiteri non auderent, ne & ipsi excommunicarentur. Iohan.12.ver.42. Fuerunt ergo non vno, sed multiplici nomine sacrilegi, fures & latrones, ac proinde digni, quibus Dominus horrendum hoc *væ* denunciaret.

Hic vero attendendum, quam egregie rursus mores Pharisæorum nostri seculi depingantur. Nam & nos horum trium criminum Pontificem Romanum cum suis creaturis, reum agere possumus. 1. *Sustulerunt clauem scientiæ.* Pontifex cum suis Pilatis solus vult habere ius legendi, tractandi ac interpretandi scripturas: solus vult in scrinio pectoris sui reconditam habere scientiam explicandi verbum Dei & articulos fidei: solus cum suis Cardinalibus & Episcopis pro suo arbitrio vult regere & iudicare totam Ecclesiam: & qui non chrismatus cum charactere bestiæ potestatem in Ecclesia docendi accipit, illum ex se cucurrisse clamant: solus vult esse (Iesuitis ipsius assentatoribus sic concludentibus) vniuersalis iudex omnium controuersiarum: solus in sua potestate vult habere claues soluendi & ligandi quæcunque velit in cœlo, in terra & in purgatorio. Vnde etiam, quemadmodum alij principes huius seculi familiæ suæ insignia habent in suis sigillis: ita ipse ex satanica superbia duas claues cum triplici corona asseruat, qua olim redimitus in inferno luculenter ardebit. Interim 2. *ipsi non introeunt* in regnum cœlorum: non curant veram pietatem, non sunt soliciti de animæ suæ salute, vt vitæ æternæ participes reddantur. Et quomodo de hac soliciti essent, cum constet ex historiis, plerosque de corporum resurrectione, de animarum immortalitate, & an post hanc alia vita superstit, dubitare? Vnde & multorum animæ, vt Staphyli, Pistorij & aliorum desperabundæ cum gemitu & fremitu fugiunt indignatæ sub vmbras. 3. Et quod omnium pessimum atque maxime detestandum est, *eos, qui introire conantur, vetant.* Cum superiori seculo, ex singulari Dei gratia lux Euangelij in his Saxoniæ oris iubar suum proferre cœpisset, bone Deus, quam horrendum meretrix illa Babylonica tumultuata est. Misit legatos à latere, & minacibus edictis sub excommunicatione principes terruit, nec reformationem Ecclesiarum instituerent. Non esse ipsorum officij Ecclesias reformare, ad Pontificem & Episcopos illud peruenere: expectare ipsos debere œcumenici alicuius concilij determinationem. Et sane Cõcilium indixerunt, illudque vel tandem Tridenti consummarunt. Sed quis ibi præsedit? Pontificis mancipia, qui prius in ipsius verua iurarunt. Quam controuersiam religionis determinarunt? Veteres errores constabiliuerunt, sanam doctrinam in scripturis comprehensam damnarunt. Et Iesuitæ adhuc hodie toti in eo sunt, vt captiosis suis disputationibus simplicem & planam Euangelij doctrinam intricatam reddant: Christianis lectione Bibliorum, maxime in lingua sibi familiari, interdicunt, omnem lapidem mouent, vt synceri Ecclesiæ ministri ex stationibus suis eiiciantur; sicque hominibus ostium occludunt, ne ad agnitionem veritatis perueniant & regnum Dei ingrediantur. Eas nunc & dicas, Christum nos non præmonuisse, vt ab hisce seductoribus & lycanthropis nouissimi seculi nobis caueamus.

Interim synceriores Euãgelij Doctores, quibus *clauis scientiæ* legitime est concredita & commendata, 1. dent operam, vt suos auditores ad vnicum Iesum Christum adducant, hũc vnum prędicent. Nam si Christum nescis, nihil est si cætera discis. Hic enim solus nobis ianuam cœli rursus aperuit, vt per ipsum accessus nobis pateat ad Patrem & æternam salutem. 2. Dent etiam operam vt salutis viam ipsi primi

ingrediantur, sicque oues suas præcedant. Sint exemplaria gregis 1. Petr.5. ver.3. in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. 1. Timoth.4.v.12. Magna est vis exemplorum in vtramque partem, vt nimis verum sit illud tritum:

Quicquid vident Laici vobis displicere,
Dicunt procul dubio, sibi non licere:
Et quicquid vos vident opere adimplere,
Credunt esse licitum & culpa carere.

Quapropter doctrinam, quam proponunt, studeant ipsi præstare: ne dum aliis prædicant, ipsi reprobi inueniantur. 1. Cor. 9.v.vlt. 3. Caueant denique, ne cuiquam scandalum ponant, & sic eos, qui iam viam salutis ingressi erant, rursus ab ea repellant. Quam horrendum enim væ Christus talibus denunciet, supra ex 18. cap. Matth. audiuimus.

Hæc Christus Pharisæis, Scribis & Legisperitis in conuiuio illo priuatim proposuit: & licet subamara fuerint, tamen si admisissent, salutiferum pharmacum fuissent, sicque symbolum suo hospiti satis liberaliter persoluisset. Verum quia, vt audiuimus, reiecerunt, nec se ex hisce admonitionibus emendarunt, postea Matthæi 23. publice Hierosolimis in templo eadem pluribus repetet. Hic tamen ex exemplo Christi videmus, qua παῤῥησίᾳ & libertate verbi ministri in arguendis peccatis populi, sine personarum respectu vti debeant. Sunt enim legati Dei, qui per ipsos omnes homines exhortatur, vt recõcilientur Deo. 2. Corinth.4 v.20. Vt ergo omnes homines Deo obedientiam debent: ita etiam omnes ipsius verbo sunt subiecti. Hic si ministro suo mandauerit, vt peccatori iram suam denunciet, qua conscientia ille tacebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? Amos 3.v.8. Præsertim cum Deus minitatus sit, se sanguinem eorum, qui in curia ministrorum pereunt, de manu ipsorum reposcere velle. Ezech.3.v.18 & 33.v.8. Hæc consideratio Mosen adeo animosum reddidit, vt se potentissimo Regi Pharaoni & toti ipsius regno opposuerit: Ionam, vt Niniuitis exitium minitatus fuerit: Ieremiam, vt vir rixarum & discordiæ in vniuersa terra audire maluerit, quam verbum Dei transgredi. Ierem.15. v.10. Iohannem Baptistam, vt Herodi in os dixerit, ipsum peccare coniugem fratris secum habendo. Apostolos, vt primores Iudæorum Christicidij publice accusarint. Actor.3.versf.15. Hos imitentur fideles verbi ministri, vbi necessitas & sceleratı hominum mores id postularint. Increpent autem cum omni patientia & doctrina. 1. Tim.4. versic.2. vt errantes suam salutem non confusionem, quæri animaduertant. Id si fideliter fecerint, vbi non plus profecerint, suas tamen animas liberabunt.

Sed tẽpus est vt audiamus quis fuerit exitus huius cõuiuij, videtur is fuisse valde turbulentus & tumultuarius. Postquã enim Christus detexisset vitia trium istorũ ordinũ, Phariseorũ, Scribarum, & Legisperitorum, vsque adeo non de emendatione cogitant, vt deteriores facti, omnes suas vires & copias coniunxerunt, quo Christum oppugnarent & perderent: Graphice autem describit Euangelista, quam valide & constanter sese Christo opposuerint. *Cœperunt*, 1. δεινῶς ἐνέχειν, *grauiter insistere* & ei imminere. Nam ἐνέχειν Marc.6.versf.19. de Herodiade quoque vsurpatur, quod significet summam offensionem, quæ faciat, vt quis omnem captet occasionem, quibus alteri noceat. Lutherus hic reddidit *hart auff ihn dringen*. 2. ἀποστοματίζειν. 2 *captiose interrogare*. Licet ἀποστοματίζειν proprie significet aliquid memoriter recitare & ore suo pronunciare: recte tamen hic versum est: Nam omnes circumstantiæ ostendunt, conatos fuisse Pharisæos, multis & variis quæstionibus propositis, varia ab ipsius ore responsa elicere: sperantes futurum, vt vel minus considerate, vel nimis libere aliquid proferret, ex quo eum accusandi occasionem habere possent. 3. Fecerunt id περὶ πλειόνων, *de multis*. Nam & copia & multitudine pugnare voluerunt. 4. Adhæc ἐνεδρεύοντες αὐτὸν *insidiantes ei*. Habent enim Sophistæ sua latibula in verbis, ex quibus prosiliunt ad cauillandum & reprehẽdendum. 5. ζητοῦντες θηρεῦσαι *quærentes venari* seu potius cupide venantes *aliquid ex ore eius*. Hic explicatur verbum ἀποστοματίζειν. Cum enim ipsi veris argumentis destituerentur, ficta colligere studuerunt, eaque ex ore Christi. Nisi enim Christus prior diceret, illi nullam dicendi materiam haberent. 6. Finis horum omnium est, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ, *vt accusarent ipsum*. Κατηγορία hæc complectebatur & priuatam delationem ad superiores, & publicam actionem coram populo: vt ipsum priuatim delatum publice condemnarent coram populo, tanquam hominem seditiosum & legis corruptorem.

Habemus hic ideam colloquij alicuius vel disputationis vel colloquij cum Iesuitis & Sophistis Pontificiis. Initio blãde admodũ, comiter & humaniter nostros excipere & tractare velle videntur: sicuti hic Pharisæus Christum cõuiuio excepit. Ita vt quis sperare possit, futurum, vt omnia modeste & moderate peragantur. Sed quamprimum illorum errores & superstitiones redarguuntur, & liberiori aliqua vocula *ipsi irritãtur*: mox clamoribus, cauillationibus, sophisticationibus, sarcasmis agere incipiunt: variis quoque & diuersis quæstionibus aduersarios fatigant, & à scopo abducere conantur: adhæc non abstinent à verbis contumeliosis & iniuriarum plenis, an antagonista inconsideratius aliquid proloqui velit, ex quo occasionem habeant ipsum traducendi. Inspice Acta Colloquij Ratisponensis: cõsidera in iis clamores & cachinnos Tanneri scurræ, tergiuersationes Gretseri, insidiosas & captiosas quæstiunculas Hungeri, & deprehendes Iesuitas cũ perpetua nominis sui ignominia iisdem machinis nostros Theologos oppugnasse, quibus hic Pharisæi Christum. Inspice etiam Acta Colloquij Badensis, in quo impius & desperatus Pistorius leuissimis suis sophisticationibus synceriorις doctrinę Theologos tam diu elusit & exagitauit, donec absque omni fructu turbulentus Colloquij secutus est exitus. Interim Pharisæus male tutatus est boni *hospitis* partes. Inuitauerat Iesum ad prandium sub amicitiæ specie. Iam cum totus conuiuarum cœtus vno ore in Iesum impetum facit, *ipse* tanquam hospes motum sedare debuisset. Id quoniam non fecit, nihilo reliquis conuiuis ipsum meliorem fuisse certum est. Quis ergo Iesum in turbis istis defendit? Ipse seipsum. Diuina enim sua virtute ipse totum impetum cohibuit, ne ad manus venirent, sed solis quæstionibus rem agerent. Mox tamen populus etiam superuenit, cuius respectu Pharisæi semper moderatius egerunt, quia non ignorabant, populum hærere ex ipsius ore.

Hic vero non immerito quis quærat: quandoquidem tanta tum temporis fuerit Antistitum in populo Dei corruptio, hypocrisis & comitas, ita vt etiam clauis cognitionis fuerit sublata, vbi tunc fuerit vera Ecclesia? Respondeo. Equidem Pontifices, Scribæ, Pharisæi, Legisperiti, & primores populi se pro Ecclesia venditarunt: verum sicut interdum modicus pugillus granorum sub magno aceruo palearum latitat, ita etiam tum temporis sancti Dei electi. *Zacharias*, *Elizabetha*, Simeon, Hanna, Iosephus, Maria, duodecim *Apostoli*, septuaginta discipuli, Nicodemus, *Iosephus Arimathæus*, *veræ Ecclesiæ reliquiæ, sub quisquiliis illis Iudaicis* sese vtcunque sustentarunt. Neque enim vera Ecclesia semper *est speciosa*, & passim in hominum oculos incurrit, sed interdum ad exiguum numerum coarctatur. Sicuti tempore Noachi tota Ecclesia in arca habitauit. Et tamen Deus sibi seminarium Ecclesiæ reseruauit. In deserto tota congregatio Israelitarum ad idolomaniam vituli defecit: & tamen redeunte ad ipsos Mose, mox filij Leui ad ipsum pro Iehoua *sunt congregati*. Exod.32.ver.26. Tempore Eliæ ipse solus *supermansisse* videbatur. Et tamen Deus septem millia sua sibi reseruauit. 1. Reg.19. v.18. Tẽpore Iesaiæ ipse propheta solus cum suis discipulis in signum & portentum in Israële superesse visi fuerunt: Ies.8.versf.18. & tamen Deus conseruauit suam Ecclesiam. Etsi enim est numerus Israëlis tanquam arena maris: tamen reliquiæ tantum conuertuntur & saluæ fiunt. Ies.10.v.22.& Rom.9.versi.27. Hoc κατάλειμμα & hæ reliquiæ, si maxime hominum oculos fugiant: Deus tamen eas in toto aceruo peccatorum occultatas videt. Nam, vt inquit Paulus 2. Tim.2.v.19. firmum stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: nouit Dominus qui sint eius. Quæso quodnam est hoc signaculum ex quo Dominus nouit suos? num latæ fimbriæ Scribarum? num phylacteria Pharisæorum? Nequaquam. Num ergo quadrati pilei Iesuitarum? aut triplex corona Papæ? cum galero cardinalitio? Non. Num ergo cucullus monasticus? aut tonsa & vncta corona sacrificuli? Apage cum istis nugis. Hæc sunt signacula Antichristi. Christi Ecclesia aliam habet notam & aliud signaculum, hoc: quod discedit ab iniquitate (ab erroribus, superstitionibus & impietate) omnis qui nominat nomen Christi. Hoc modo Christus etiam vidit suam Ecclesiam & cognouit suos in mediis tenebris Papatus, vbi semper testes & præcones veritatis sunt inuenti, qui errores Papatus arguerunt, & fidem in vnicum Iesum Christum constanter vrserunt. Non ergo desinit Ecclesia Christi esse, si maxime fiant lex mundi antistites, qui lux, lex, esse debebant. Deus enim vel ex lapidibus sibi filios excitare potest.

CAPVT

CAPVT CX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS NOVAM ET SATIS PROLIXAM CONCIONEM Christi ad discipulos & ad populum, de cauenda hypocrisi: de non metuenda morte corporis: de fugienda auaritia; de fidelitate suorum ministrorum: & de agnoscendo tempore aduentus Messiæ. Luc. 12. versic. 1.

RATIO ORDINIS.

EVangelista ipse continuum ordinem cum superioribus indicat, dum duodecimum suum caput cum præcedenti connectit his verbis: ἐν οἷς, in his, siue *interea*. Est enim Elliptica oratio, & subintelligendum ἐν οἷς χρόνοις vel λόγοις, vel simile quippiam. Circumstantia itaque hunc in modum vel in similem sunt colligendæ. Conuiuium habitum est in ædibus Pharisæi. Ibi affuere etiam Apostoli, tanquam indiuidui Domini comites. Si non vt conuiuæ, saltem vt ministri. Populus interea soluta synagoga, & ipse pransus est. Quia iam vero assuetus erat, quod Dominus in Sabbato etiam à meridie, vel in ædibus priuatis vel in plateis, vel alibi, vel con modum locum habere poterat, docere soleret. Ideo finito prandio sensim se circa domum Pharisæi, in quam Dominum diuertisse sciebant, colligere cœperunt, expectaturi, an sermonem aliquem sacrum ex ipso audire possent. Cum ergo Pharisæi, Scribæ & Legisperiti partim in ipso prandio, partim eodem finito tam acriter in Dominum Iesum insurgerent, grauiter ei insisterent, captiose de multis interrogarent, eidemque insidiarentur: res per discipulos extra domum delata est ad populum: hic Domino metuens, quia pendebant ex ore eius, tum ex vicinis, tum ex remotioribus locis accurrit, inspecturus & auditurus, quid concertationis & tumultuationis inter Dominum & Pharisæos exortum esset. Ideo Euangelista non simpliciter dicit populum congregatum esse, quod fuisset συνάγεσθαι. Sed vtitur verbo quod magis est Emphaticum & tum copiam tum studiũ exprimit: ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων. Vult dicere ex omnibus angulis & plateis populum congregatum esse, & vt in eiusmodi tumultuatione fieri solet, vnum super vel post alterum accurrisse: ita vt *myriades* conuenerint, *& se inuicem conculcarint*. *Myrias* significat quidem decẽ millia: sed certus numerus pro incerto ponitur: ita hic quoque significat innumeram & immensam multitudinem concurrisse. Sicuti μυρίος Græcis immensus, infinitus, innumerus significat. Et quia Lucas *myriadum* meminit, sunt aliqui, qui hanc historiam Hierosolymis accidisse autumant: eo quod alibi tanta populi multitudo non habitare potuerit. Sed constat ex Iosepho, etiam in Galilæa multas magnas & populosas ciuitates fuisse: ita vt ibidem commodissime hoc accidere potuerit. Hic vero populi concursus & liberauit Dominum ex ædibus Pharisæi, & occasionem præbuit eidem sequentem sermonem habendi.

Etsi autem hic populus non paribus de causis conuenerit, sed ex omnibus circumstantiis euidens sit alios quidem salutis auidos, alios vero nouitatis studiosos fuisse: rursus alios corporalia bona quæsiuisse, alios illud spectasse, vt increpationes & reprehensiones contra Scribas & Pharisæos audirent. Nobis tamen hi omnes exemplo esse debent, diligentiæ & feruoris in audiendo verbo Dei, vt sic bonos in hoc imitemur. Habent igitur hic verbi ministri occasionem commendandi cœtus sacros. Sunt illi in veteri Testamento ab ipso Deo ordinarie instituti: præsertim in festis solennioribus, in quibus primus & vltimus dies vocabantur מקרא קדש מקרא קדש, sancta conuocatio, quia eo die tota communitas Israelitica clangore tubarum à Sacerdotibus & Leuitis solenniter conuocabatur, abstinebant ab omni opere seruili, & congregata ad templum vacabat lectioni legis, honori & cultui diuino, prout videre est Leuit. 23. v. 7. 8. 11. 24. & 27. Prophetæ quoque extraordinarios huiusmodi conuentus indixerunt, si quando tempora periculosa imminebant. Patet id ex Ioele c. 2. v. 15. Christus item & Apostoli in Nouo Testamento eosdem obseruarunt. In primitiua autem Ecclesia pij Christiani eos tanti fecerunt, vt tempore persecutionis etiam cum vitæ periculo interdum nocturno tempore, & in subterraneis speluncis, coierint in cœtum. Intellexerunt nimirum, congregationes eiusmodi ecclesiasticas plurimum facere ad fouendam pietatem, ad extirpanda vitia, ad retinendam vnitatem fidei & charitatis: item in iis veram fidem auditu verbi accendi & ali, preces publicas ardentiores reddi, & à Deo, iuxta promissionem Matt. 18. v. 19. datam, facilius exaudiri. Hæ & consimiles vtilitates etiam nos moueant, vt cum Dauide desideremus cateruatim transire ad locum tabernaculi, & ambulare ad domum Dei nostri in voce exultationis & confessionis, cum sono festiuitatis Psal. 42. versic. 5. & cum eodem lætemur, quando pedes nostri stant in atriis Ierusalem. Psal. 122. versic. 2.

Videbimus quoque ex hac Christi concione, quam irritus fuerit conatus Pharisæorum. Turbulenta & violenta sua disputatione ipsi hoc quæsiuerũt, vt occasionem aliquam venarentur, Christum apud populum accusandi, traducendi, & in contemptum trahendi. Et ecce hac ipsa occasione populus attrahitur, vt tanto maiori cum desiderio & attentione Christum audiat: & Christus tanto acrius in ipsorum doctrinam & mores inuehatur. Sed adhuc hodie qui in cœlis habitat videt & subsannat conatus eorum, qui sese ipsi eiusque Christo opponunt. Psal. 2. versic. 4. Nemo ergo fraudulentis & sceleratis machinationibus hostium Euangelij nimium moueatur. Faciamus nos nostrum officium vera docendo & recta faciendo: & Deus procurabit nobis salutem ex inimicis nostris. Luc. 1. v. 71.

Cumprimis autem Christi diligentia obseruanda & imitanda venit. Non cessat is à suo munere, non desinit discipulos instruere, populum docere, vitia arguere, ad confessionis & pietatis studium singulos exhortari, licet videat & animaduertat apud Pharisæos & Scribas se laterem lauare. Sic fideles verbi præcones non patiantur sese in officio suo faciendo desides reddi, licet varia obstacula ipsis obiciantur. Prædicent verbum, instent opportune, importune, arguant, obsecrent, increpent in omni patientia & doctrina. Deo autem successum laborum & euentum commendent.

Sed tempus est vt Christum ipsum audiamus. Is in vna concione diuersa tractat, prout diuersæ occasiones ipsi obiiciebantur. Nos, etsi integram concionem non diuellemus, singula tamen membra separatim explicabimus.

Concio Christi ad discipulos & populum.

1. *De cauenda hypocrisi.*

LVC. 12.

1. Ἐν οἷς ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, ὥστε καταπατεῖν ἀλλήλους, ἤρξατο λέγειν πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ πρῶτον· προσέχετε ἑαυτοῖς ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν φαρισαίων, ἥτις ἐστὶν ὑπόκρισις.

2. Οὐδὲν δὲ συγκεκαλυμμένον ἐστὶν ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται, καὶ κρυπτὸν ὃ οὐ γνωσθήσεται.

3. Ἀνθ' ὧν ὅσα ἐν τῇ σκοτίᾳ εἴπατε, ἐν τῷ φωτὶ ἀκουσθή-

1. *Cum autem conuenisset innumera turba multitudo, adeo vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos primum: Cauete vobis ipsis a fermento Pharisæorum quod est hypocrisis.*

2. *Nihil enim opertum est quod non reuelabitur, & absconditum quod non scietur.*

3. *Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine au-*

σεῖ)· καὶ ὃ πρὸς τὸ οὖς ἐλαλήσατε ἐν τοῖς ταμείοις, κηρυχθήσεται ἐπὶ τῶν δωμάτων.

dientur. Et quod in aurem locuti estis in conclauibus, prædicabitur in tectis.

Periocha huius lectionis.

POtuisset Christus grauem querimoniam instituere ad populum de Pharisæorum importunitate & improbitate, qui sub specie singularis beneuolentiæ ipsum ad prandium inuitarint, postea vero insidiosis disputationibus exagitarint, & præsentissimum periculum crearint. Verum, quia hoc ad calumniam trahi poterat, quasi populum contra illos concitaret, sicque tribunitias conciones institueret, omissis querimoniis vtilem doctrinam depromit, & *primum discipulos suos* alloquitur. Voculæ πρῶτον *primum* diuersimode accipitur. In diuersis. n. exemplaribus etiam diuersimode textus distinguitur. In quibusdam, vt in nostro, punctus finalis postponitur huic voculæ, in quibusdam præmittitur, vt legatur, Christum dixisse discipulis: πρῶτον προσέχετε, *inprimis attendite*. Sed quocũque modo legatur, non multum interest. Omnino enim Christus vult hanc suam monitionem inter primas ponendã esse. Simul tamen negari non potest, in hac satis prolixa concione, Christum sermonem suum ad diuersos dixisse. 1. ad *discipulos*. 2. ad *amicos suos*. 3. ad *quendam de turba*. 4. ad *Petrum interrogantem*. 5. *ad turbas* omnes: vt sic ipse Euangelista hęc mẽbra quasi numerare voluisse videatur.

Primum ergo Christus commonefactionem instituit ad discipulos, quibus fortasse Magister iusto asperior visus fuit: eo quod amice inuitatus tot horrẽda *væ* contra hospitem & reliquos eiusdem ordinis socios pronunciasset. Vt ergo intelligerent rem esse seriam & grauem, hac commonefactione quasi rationem reddit sui facti. Commonefactionis verba hæc sunt: *Cauete vobis à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis*. Sententiam suam primum metaphorice proponit: mox vero tropum illum per vocabulum proprium explicat: atque sic τὸ ῥητὸν ad τὴν διάνοιαν reducit. Cum enim Christus iam antea Matth. 16. v. 6. & Marc. 8. v. 14. sicuti in c. LXXXIII. Harmon. exposuimus eandem admonitionem Apostolis proposuerit, ipsique tum temporis in vero intellectu vocabuli hæserint, simpliciter illud de panibus accipientes: ideo ne hic rursus in vocabulo errarent, statim sese explicat Christus. Et hoc vniuersale est in Euangelio, quando Christus figurate alicubi aliquid proposuit, ne erroribus occasionem præberet, mox illud vel eodem in loco vel certe alibi diserte exposuit. Vt vere contra morem scripturæ sit in verbis cœnæ tropum quærere, quæ Christus eadem & in vltima cœna proposuit, & ad Paulum in gloria. 1. Corinth. 11. v. 24. totidem verbis repetiit, neque vllibi διάνοιαν vel explicationem monstrauit. Est autem *hypocrisis*, vt Syrus monstrat, affectata alienæ personæ simulatio. Et intelligit per eam Christus, affectatam illam singularis tum eruditionis tum sanctimoniæ ostentationem, qua Pharisæi sese apud populum venditabant, sicque falsæ suæ doctrinæ authoritatem & fidem conciliare conabantur: singulari itaque vestitu, peculiaribus gestibus, verbis ad ostẽtationem comparatis, humili incessu, fictis lachrymis, altis suspiriis & similibus rebus quæ in oculos simpliciorũ incidunt, sese omnibus commendabiles reddere voluerunt. Confert autem Christus hypocrisin *fermento*. Fermentum inquit Hieronymus, hanc habet vim, vt si farinæ mixtum fuerit, quod paruum videbatur, crescat in maius, & ad saporem suum vniuersam conspersionem trahat: ita & doctrina hæretica, si vel modicam scintillam in tuum pectus iniecerit, in breui ingẽs flamma succrescet, & totam hominis possessionem ad se trahet. Fermentum insuper inflat, rarefacit, attenuat & acescit. Sic hypocrisis, si ei homo semel indulserit, quam celerrime totam eius vitam & omnes mores inficit, in omnibus dictis, factis, gestibus sese exerit. Est quoque omnis superbiæ mater, quæ homines vana proprię iustitię fiducia turgidos reddit, vt etiam in conspectu Dei de ea gloriari non vereantur. Sicuti videmus in Pharisæo Luc. 18. v. 11.

Hic vero iisdem Christi verbis pietatis & liberalium artiũ studiosos alloqui libet ô vos charissimi. *Cauete vobis à fermento Pharisæo-papistico, quod est hypocrisis Iesuitarum*. Multi parentes turpissime falluntur & decipiuntur, quod filios & propinquos suos ad Iesuitarum collegia mittunt, sibiipsis persuadẽtes, se beasse suos, si horum Rabinorum seu Magistrorum institutioni eos concrediderint. Ratio subest: quia possunt hypocritæ isti blandi & subtiloquentiæ (vt Tertullianus loquitur) suæ lenocinio quosuis ita inescare, vt diuinam ambrosiã sub infernali veneno latitare arbitrentur. In publico quoque suas conciones exornant fictitio ornatu & aliunde accersitis coloribus, pronunciatione item theatrica & ad lachrymas mulierculis mouendas composita: interdum etiam ad cachinnos mouendos & ad effuse ridendum homines permouent: omnia denique apud ipsos ad eum finem sunt directa, vt se suamque doctrinam præ aliis simplici plebeculæ commendatam reddant. Sed reuera *fermentum* est hæc Iesuitarũ hypocrisis, quæ omnes fermenti proprietates (vt etiam ab aliis est demonstratum) in se continet. *Fermentum inflat*. Ita Iesuitarum ἀγωγὴ facit illos qui eam admiserunt turgidos & grandiloquas reddit, vt sese suaque placita longe efferant supra scripturæ sacræ maiestatem & supra omnem cœlestem sapientiam. *Rarefacit*, nimirum raros veræ & solidæ pietatis cultores efficit: id quod experiuntur illi, qui familiarius ipsis conuersantur. Aqua lustrali se aspergunt, coram sacramento procumbunt, Diuis cœlitibus peculas recitant, confessionario suas nugas aperiunt, & si quæ sunt alia quæ sanctimoniæ spumam præ se ferunt, illa studiose peragunt. Sed solida illa & vera pietas, quam Deus in Decalogo suo requirit, procul ab ipsis abest: *Attenuat* illa hypocrisis non tantum Regum & Principum opes: sed maxime cœlestis regni *diuitias*, quas Christus seruator non auro & argento, sed precio suo sanguine nobis acquisiuit. Hasce, Monachi isti, fine propriis meritis, satisfactionibus & supererogationibus neutiquam sufficere tradunt. Denique *acescit*. Nam fermenti illius Loiolitici: vel tandem tanta aciditas in anima esse deprehenditur, quãtam nunquam quisquam metuisset. Quando nimirum miseros homines à Christi voce ad hominum traditiones: à scripturis sacris, ad decreta Pontificium: ab Ecclesia Catholica ad Romanum καθ' ὅλου λύκων siue lupum: à gratia ad opera, à certa salutis fiducia ad perpetuam dubitationem: à Christi vulneribus ad propriorum flagellorum vibices: à cœlo ad purgatorium, vel potius gehennam: à dulcissimis Christi promissionibus & consolationibus ad tristissimas & acerbissimas desperationes vocant & trahunt. Abi nunc & teipsum fermento Iesuitico oblectare.

Porro dum Christus suos discipulos, vt sibi *ab hypocrisi Pharisæorum caueant*, monet, interim per antithesin simul vult, vt ipsi veritatis doctrinam à se acceptam bona fide tradant, eamque syncera, non fucata vitæ sanctimonia confirment. Cuius vtriusque suæ commonefactionis hanc rationem addit: *nihil enim opertum est, quod non reuelabitur; & absconditum, quod non sciatur, &c.* Hæc sententia etiam alibi à Christo in Euangelio est vsurpata, vtpote Matth. 10. versic. 26. in emissione Apostolorum. Marc. 4. ver. 22. in parabola de quadruplici semine. Nec insusitatum est Christo, iisdem sententiis, in diuersis cõcionibus, alia atque alia occasione vti. Tantũ opera danda est, vt ad scopum proximum accommodentur. In præsentia hanc sententiam tractat καθ' ὑπερβολήν. Nam commoratione quadam idem bis dicit, & sententiam in certa quędam paria sibi inuicem respondentia distribuit. Opponit lucem tenebris, & tecta penetralibus: modum itẽ loquendi in aurem, aperto & manifesto pręconio. Vult autem dicere: Hypocrisis est latens vitium, eidemque homines sese *hac de causa* maxime subiiciũt quod sperant hac ratione *reliqua ipsorum* peccata regi posse. Et quidem coram *hominibus* ad tempus hypocrisin occultari possunt. Sed ego dico, vel tandem omnia palam esse detegenda & veluti *in tectis* prædicanda. Idque si non fiet in hac vita, certissime tamen fiet in nouissimo die, & in vita futura. Vult ergo Christus, vt sui discipuli & sectatores ab omni fraude & hypocrisi abstineant, tam in dictis quam in factis: siquidem futurum sit vt suo tempore omnia in apricum producantur, & coram Deo angelis atque hominibus manifestatur: Quapropter consultissimum esse, vt omnia aperte, syncere, & candide peragantur, secundum præscriptum Dei, vt opera lucem ferant tanquam opera in Deo facta. Iohan. 3. ver. 21. Hic est verus adductę sententiæ hoc in loco sensus. Potest tamen & hic esse. Non debere Apostolos offendi hac seueriore Pharisæorum & Legisperitorum obiurgatione. Eam enim iam quidem temporis non absque graui causa priuatim & *in conclaui* factam esse: futurum autem, vt, si se non emendent, idem aliquando *prædicetur in tectis*, vel publice in templo. Quod etiã factum est Matt. 23. vix triduo ante passionem.

Huius vero sententiæ nobis duplex vsus esse debet: vnus ἐπανορθωτικός, vt corrigamus deprauatã nostram naturam, quę inde ab Adamo & Eua contracta nobis adhæret, quod omnes spe latendi & impunitatis licentius peccemus. Videmus hoc in pueris, quamprimum illi per ætatem vel modicum sapere incipiunt, & aliquid peccarunt, mirifice illud tegere & dissimulare cupiunt: deprehensi autem & conuicti ad nouas artes confugiunt, & translatione culpæ, eodem

quo primi

quo primi parentes modo vtuntur. Sæpius itaque nobis hoc ipsi inculcemus, quod nō tantū septem illi oculi Domini discurrant per vniuersam terram: Zach. 4. v. 10. sed etiam quod iidem abstrusissima quæuis & maxime arcana, nisi in hoc mundo per sanguinem Christi deleantur, sint reuelaturi. Exemplo sit Cain, qui solus occidit fratrem: filij Iacobi, qui Iosephum subdole vendiderunt: Dauid qui occulte adulterium & homicidium commisit: Iudas, qui sub specie osculi Dominum prodidit. Hæc omnia toti mundo sunt manifestata. Quapropter opera danda est, vt in omnibus sermonibus & actionibus etiam occultissimis pie & modeste nos geramus, cum manifestatio nostra fiet in gloria, & non cum sorte hypocritarum.

Alteri vsus est [illegible] & consolatorius. Nam sæpenumero fit, vt pij & innocentes mendaciis, calumniis & obtrectationibus præter ius & æquum grauentur, nec vlla ipsorū Apologia & excusatio locum inuenire potest. Sed patienter id ferant innocentes, & meminerint veteres dixisse, Veritatem esse temporis filiam. Hoc est, eam esse veritatis conditionem, vt interdum quidem ad tempus lateat, tandem tamen victrix in lucem erumpat. Sic Iosephi castitas, contra impudicæ mulieris delationem, manifestata est. Dauidis innocentia contra Saulis calumnias, quasi ipsius oppressionem quæreret, asserta est. Susannæ pudicitia, aduersus libidinosorum senum accusationem, defensa est. Et quid multis verbis opus? An non Deus Prophetarum, Apostolorum, & Martyrū pietatem atque innocentiam ita asseruit, vt quemadmodum olim suis fuerunt odio & execrationi, sic hodie ipsorum memoria toti orbi sit venerabilis. Faciat itaque quisque suum officium fideliter tanquam coram Deo, & calumniis hominum non moretur. Sit, iuxta sententiam Seueri Imperatoris, quisque [illegible].

SECVNDVM MEMBRVM.

De constanti confessione veritatis & ipsius Christi.

LVC. 12.

4. Λέγω ὑμῖν τοῖς φίλοις μου, μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτενόντων τὸ σῶμα, καὶ μετὰ ταῦτα μὴ ἐχόντων περισσότερόν τι ποιῆσαι.	4. *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent, quod amplius faciant.*
5. Ὑποδείξω δὲ ὑμῖν, τίνα φοβηθῆτε. φοβήθητε τὸν μετὰ τὸ ἀποκτεῖναι, ἐξουσίαν ἔχοντα ἐμβαλεῖν εἰς τὴν γέενναν. ναὶ λέγω ὑμῖν, τοῦτον φοβήθητε.	5. *Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem coniiciendi in gehennam. Certe dico vobis, hunc timete.*
6. Οὐχὶ πέντε στρουθία πωλεῖται ἀσσαρίων δύο; καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.	6. *Nonne quinque passerculi veneunt minutis assibus duobus? & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo.*
7. Ἀλλὰ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ὑμῶν πᾶσαι ἠρίθμηνται. μὴ οὖν φοβεῖσθε, πολλῶν στρουθίων διαφέρετε.	7. *Quin & pili capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis.*
8. Λέγω δὲ ὑμῖν, πᾶς ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὁμολογήσει ἐν αὐτῷ ἔμπροσθεν τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ.	8. *Dico autem vobis, omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.*
9. Ὁ δὲ ἀρνησάμενός με ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων, ἀπαρνηθήσεται ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ.	9. *Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.*
10. Καὶ πᾶς ὃς ἐρεῖ λόγον εἰς τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ. Τῷ δὲ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα βλασφημήσαντι, οὐκ ἀφεθήσεται.	10. *Et quisquis loquitur dictum in filium hominis, remittetur illi: ei vero, qui in Spiritum sanctum conuitium dixerit, non remittetur.*
11. Ὅταν δὲ προσφέρωσιν ὑμᾶς ἐπὶ τὰς συναγωγάς, καὶ τὰς ἀρχάς, καὶ τὰς ἐξουσίας, μὴ μεριμνᾶτε, πῶς ἢ τί ἀπολογήσησθε, ἢ τί εἴπητε.	11. *Cum autem adduxerint vos ad synagogas, & ad Magistratus & ad potestates, nolite soliciti esse, qualiter aut quid dicatis.*
12. Τὸ γὰρ ἅγιον πνεῦμα διδάξει ὑμᾶς ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, ἃ δεῖ εἰπεῖν.	12. *Spiritus enim sanctus docebit vos in eadem hora, quid oporteat vos dicere.*

Exegesis huius membri.

Dictum est in superioribus concurrisse hoc loco ad Christum confusam hominum multitudinem, qui non omnes eodem erga Iesum amico erant affecti. Postquam ergo in primo membro *discipulis suis* mōstrauit se non frustra intra Pharisæi ædes grauius in istum ordinem inuectum esse: sed etiam ipsos serio commonere, vt sibi ab ipsorum hypocrisi caueant: Iam progreditur sermone ad alterum cœtum suorum auditorum, & in specie alloquitur *amicos suos*, h. e. eos, quos sibi fauere sciebat, & de sua incolumitate solicitos esse cernebat. Cū enim Pharisæi & Legisperiti tumultuosius cum Christo egissent, & fortassis extra ædes exturbassent: metuerunt hi, ne grauius quid ipsi accideret, neve in discrimen vitæ is adduceretur. Illis igitur Christus animum addit, & docet, vsque adeo non esse quod sibi timeant, vt potius & ipsi animum assumere, seque publice confiteri debeant. Tum enim ipsos huius confessionis suæ amplissima prēmia in nouissimo die accepturos.

Sic autem eos alloquitur *dico vobis amicis meis*. Dei & filij ipsius Iesu Christi *amicus* natura nullus est hominum. Sumus enim natura filij iræ. Eph. 2. v. 3. & inimici, Rom. 5. 10. *Amici* autem Dei & ipsius filij reddimur, quando verbum Dei audimus, & per illud, tanquam per incorruptibile semen 1. Pet. 1. 23 atque per baptismum tanquam per lauacrum regenerationis ac renouationis Tit. 3. 5. Deo in filios renascimur. De his Christus iam ante pronunciarat Luc. 8. 21. Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt. Et in passione dicit Apostolis; Vos dixi amicos meos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis, Iohan. 15. 15. Sunt ergo *amici* Christi, omnes Christiani. Et hoc est indiciū insignis bonitatis erga nos miseros mortales, quod nos *amicorum* titulo dignatur. Aliàs inter disparis conditionis vel sortis homines amicitiæ difficulter coeunt, leuissima quoque de causa rursus dissoluuntur. Sed vt hæc inter Filium Dei & nos amicitia firma & æterna esset, ipse Dei filius, hominis filius factus est, vt ita propius se nobis coniungere non potuisset. Insuper tamen etiam nostra peccata in se transferre & pro iis in ara crucis satisfacere dignatus est vt sic vicissim suam iustitiam nobiscum communicare posset. Initium ergo huius amicitiæ à Deo profluit. Sic enim Iohannes 1 Epist. 4. v. 10. in hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quo-

niam ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationē pro peccatis nostris. Debet tamē hic titulus *amici* esse reciprocus, vt & nos vicissim Christum amemus, sicuti ipse prior dilexit nos: & Theophylactus hunc titulum accipit respectu amoris, quo discipuli Christum prosecuti sunt. Hic amor si ita mutuo sibi correspondeat, tum certi sumus quod nulla creatura nos separare possit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.

Quid ergo Christus ab hisce suis amicis requirit? Propositionem quasi latenter ponit in toto orationis contextu: potest tamen ea sic contrahi, quod ipsis dicit: *ne terreamini*: Et *quicunque me confessus fuerit coram hominibus.* Vult, ne ex metu, propter minas & sæuitiam tyrannorū, veram fidem in ipsum, in quo consistit vita æterna abnegemus, sed libere & ingenue confiteamur, neve nos sui apud quenquam pudeat. *Confiteri* autem *Christum* est, non tantum agnoscere ipsum esse vnicum Seruatorem & Redemptorem humani generis, Deum & hominem in vna indiuisa persona, Sacerdotem item & Regem nostrum: sed etiam eundem talem coram omnibus testari & prædicare. Sicuti id fecit Petrus Matth. 16. v. 16. Nec hoc verbis tantum fieri debet, sed etiam factis, vt ita tota nostra vita Christum loquatur: & nos reipsa ostendamus, quod apud ipsum solum quæramus quæ ad salutem nostram spectant, neque quicquam admittamus, quod ipsius siue gloriæ siue merito vel minimum derogat. Cumque ipse gloriam suam non velit dare alteri Esai. 43. versicul. 8. studiose cauendum est, ne id, quod ipsi vni & soli debetur, partiamur in alios. Sicuti hodie Papistæ nos Euangelicos cogere conantur, vt Diuis cœlitibus quoque tribuamus, quod vni Christo debetur, sicque hūc magna ex parte spoliemus suo honore. Hoc olim sancti Dei Martyres vnice cauerunt, & horrendis potius suppliciis excruciari voluerunt, quam alios vel Deos vel Seruatores agnoscerent aut colerent. Requirit itaq; Christus à Christianis *suis amicis*, vt quemadmodum ipse in ædibus Pharisæi veritatem ingenue & libere, citra metum mortis professus est: ita ipsi quoque eum absque tergiuersatione confiteantur.

Rationes, quibus suos confessores animosos reddere vult, in præsentia quatuor adducit, quas singulas, licet paululum mutatis verbis, in superioribus diuersis in locis quoque habuimus & explicauimus. Sed iucundum esse debet attendere, quomodo easdem etiam huic instituto Seruator accommodet.

I. Primum argumentum desumptum est à comparatis. Confert inter se duo pericula, & ex communi sensu omnium hominum concludit, id quod leuius est, subeundum esse, ne grauiori implicemur. *Ne timete vobis ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent, quod amplius faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem coniiciendi in gehennam.* Hoc argumentum habetur etiam Matth. 10. v. 28. Summa eius hæc est: nullum tyrannorum, neque vllum mortalium ita metuendum esse, vt in eius gratiam à veritatis, in Christo agnitæ, cōfessione recedamus. Confert inter se homines & Deum: illorum item huius potestatem: vitam denique hanc fluxam, & illam æternam. Et concedit, posse quidem illos, si Deus id permittat & indulgeat, vitam hanc mortalem veris confessoribus eripere: Sed postea nihil iuris & potestatis in ipsos habere. Deum autem hanc potestatem habere, vt postquam fluxa hæc vita desiit, postea animas damnatorum in gehennam æternis cruciatibus torquendas abiiciat. Ac proinde corporis mortem non ita esse metuendam, tanquam omnium terribilium vltimum, propter quam Deum & veritatem abnegare vellemus: Sed ante omnia Deum esse timendum, & propter ipsum veritatem ad mortem vsque esse tuendam. Quia in altera demum vita cognoscemus, nulla venia dignum scelus esse defectionem facere ab eo, qui sanguinis sui precio nos in suum peculium acquisiuit. Etenim omnia huius seculi tormenta, nullius fere sunt æstimationis, si ad inferorum cruciatus conferantur. Possunt sane tyranni corporis artus ad aliquot horas excruciare: animo tamen suam libertatem & spiritualem recreationem quam Martyres etiam in mediis tormentis sensere, non possunt eripere. Mox autem, quamprimum anima ex corporis huius ergastulo liberatur, ipsa cōsolatione sua fruitur, Luc. 16. versiculo 25. est in manu Dei, nec vllum mortis tormentum eam tangit. At in inferno, vermis, qui abnegatorum corpora & animas rodit, nunquam intermoritur: ignis inextinguibilis in æternum ardet: eiulatus & stridor dentium ipsorum perpetuo auditur, & sunt abominatio omni carni. Ies. 66. v. vlt. Huius considerationc omnes Martyres, tam in veteri, quam in Nouo Testamento seipsos animarunt, vt omnes tyrannorum minas, exquisitissima insuper supplicia, gladiorum, laqueorum, equuleorum, ignis & rotarum magno animo contemserint. Vide 2. Maccab 7.

Cæterum quemadmodum ex hoc argumento Christi certissimum testimonium desumere possumus immortalitatis animarum post hanc vitam: ita ex eodem colligere licet, quā diabolica sit sæuitia & tyrannis Pontificiorum, qui non raro dudum humata, & iam in tabum propemodum mutata corpora piorum refodiunt, eaque vel noua ignominia afficiunt, vel in aquam abiiciunt, vel rogo imposita in cineres conuertunt. Ipsis quidem corporibus defunctorum, iuxta Christi verbum nihil incommodi amplius afferunt, hoc tamen facto animi sui rabiem produnt, quod illa tyrannorum rabie maior, diabolorum autem par sit, qui soli ex iusto Dei iudicio in impie mortuos sæuire possunt. Quandoquidem autem etiam extincto corpore adhuc aliquid ex homine superest, quod vel æterni præmij capax fieri, vel ad æternum supplicium in gehennam coniici potest. Vtique consequitur, animas cum corpore non intermori: sed etiam post mortem corporis superstites esse, & à Deo vel remunerationem pietatis vel pœnam impietatis expectare.

Hoc primum argumentum vt Christus eo magis commendet, per repetitionem addit: *Nai, certe dico vobis, hunc timete.* Admonet hæc tam seria Christi seruatoris nostri asseueratio, vt nos Christiani sic viuere discamus, ne mortē corporis, sed potius mortem animæ, quæ pro peccato ei infligitur, timere discamus. Apes & alia eiusmodi insecta, quæ ictibus suis dolorem infligunt, omnem nocēdi vim stimulis suis ingenitam habent: quos si amiserint, vlterius ferire aut mali quid inferre non possunt. Sic mors habet suum stimulum, quem si ipsi auferas, mors iam non amplius nocet. Non erit tibi mors, sed mutatio in melius: erit vltimus laborum & calamitatum terminus: erit via ad beatitudinem & vitam nunquam perituram. Mortis autem stimulus peccatum est. 1. Cor. 15. v. 26. Peccatum igitur timere discamus. Quemadmodum enim mors separat animam à corpore: ita peccatum separat animam à Deo. Illam separationem Christus vult resarcire in nouissimo die, in die illo restitutionis omnium. Act. 3. ver. 21. Separatio autem animæ à Deo, nisi in hac vita per pœnitentiam & fidem in meritum Christi resarciatur, tum anima in nouissimo die abiicietur in gehennam. Et hoc est timendum. Si autem peccatum sit remissum, merito Christi contectum & per ipsum ablutum, nemo timeat mortem. Sed cupiamus cum Simeone dimitti Luc. 2. ver. 29. cum Paulo *dissolui, vt* simus cum Christo. Philip. 1. ver. 23 *Quia nihil damnationis* est in iis, qui sunt in Christo Iesu. Rom. 8. v. 1.

II. Secundum argumentum *sumptum est à prouidentia* Dei, in quo docet, *Tyrannos ne quidem in corpora nostra* licere id, quod velint, *nisi hoc ipsum à Deo ipsis permittatur.* Hunc vero nunquam permissurum, vt iusto diutius in pios sæuiant, nisi id ad suam gloriam & nostram salutem vergat. Ideo magno animo ob spem futuræ retributionis sustinendum. *Nonne quinque passerculi veneunt minutis assibus duobus &c.* Ἐμφάσεις verborum sunt expendendæ. Dei Patris sui prouidentiam commendaturus Christus, non proponit nobis grandiora illa animalia, qualia sunt, leo, vrsus, leopardus, elephas, rhinoceros, & similia, quæ vel ob robur, vel ob raritatem Deo magis curæ esse videri poterant. Neque etiam proponit animalia illa, quæ nobis siue ob esum, siue ob visum grata esse possunt, qualia sunt ceruus, hinnulus, equus, bos, vacca & similia. Neque aues illas producit, quæ nos vel ob cantum oblectant, vt philomela, carduelis, phryngilla, psittacus: vel ad cibum adhibitæ saporem gratissimum habent, quales sunt vrogallus, ficedula, turdus, coturnix, & reliquæ species. Sed eiusmodi auiculam proponit, quæ inter aues vilissima habetur, & tantum fruges consumere nata videtur, qualia sunt τὰ στρουθία *Passerculi.* Est diminutiuum à στρουθὸς quod vocabulum, vt Grammaticis placet, dictum est, ὅτι μάλιστα πρὸς τὴν ὀχείαν. Et Plinius testatur lib. 10. c. 36. adeo libidinosam esse hanc auiculam, vt ob salacitatem negetur mares anno diutius viuere. Dicit ergo Christus passerem esse auem adeo vilem & contemptam, vt si contingat aliquot passeres capi, nemo dignetur duo passeres *assario* vno, precio licet vilissimo emere. Ἀσσάριον enim est vox à recentioribus Græcis formata ex Latino *Assis.* Hesychius idem esse dicit quod λεπτόν. Duo autem λεπτὰ conficere quadrantem seu nummum vnum. Dicit ergo Christus, adeo vilem esse auem, vt nemo libenter exponat ἀσσάριον vnum, licet anceps duos passeres eo vendere velit, sed requirit, vt pro *duobus assarijs* siue *dipondio quinque* vendat, atque sic vnum superaddat. *Er muss einen in den Kauff geben. & tamen vnus ex illis non est in oblivione coram Deo*, vt temere eum perire sinat.

Iuxta passerculos ponit *pilos capitis nostri.* Scimus in toto corpore nostro nihil vilius æstimari pilis. Vnde etiam prouerbium natum *non pili facio*, cum minimum quiddam momenti significamus. Et Græci ἄξιος τριχός, i. pilo dignus, in nihili hominem dicitur. Etsi enim pili ex corpore enasci solent, non tamen inter partes & membra eiusdem numerantur sed po-

sed potius pro excrementis habentur, quæ ex superfluis humoribus enata, fere resecantur & abiiciuntur. Et tamen ne hos quidem à cœlesti suo Patre negligi, sed illos *omnes in numerato* ita *habere*, testatur Christus, vt nullus absque ipsius voluntate possit defluere. Hinc vero colligit, multo magis nos homines, imprimis autem *Christi amicos* Deo curæ esse, ita vt tyranni, vtcunque veram fidem & huius doctrinam extinctã cupiant, absque ipsius permissione tamen nobis non sint nocituri. Ideo concludit: *nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis.* Sic duplici ratione animamur, ne tyrannos & eorum sæuitiam timeamus. Vna, quia parum mali nobis inferre possunt: Deus autem grauissimis malis in æternum eos afficere potest. Altera, quia si tyranni quid mali nobis infligunt; non tamen id nisi ex Dei ordinatione & voluntate faciunt. Quæ licet nobis sit occulta, semper tamen iusta & bona. Non permitteret Deus malum, nisi immensum bonum inde elicere posset. Hoc duplici argumento Christum *amicos suos* solatur, & monet vt aduersa & persecutiones patienter ferant.

Hic habent verbi ministri occasionem disserendi de prouidentia Dei, & ostendendi, quod non hyperbolice hæc à Christo sint dicta (vt quidam accipiunt) sed vere. Verissime enim Deus ὁμοίως προνοεῖ περὶ πάντων. vt habetur Sap.12. versi.13. hoc est, prouidentia Dei sese extendit ad omnia tam pusilla, quam magna. Desumi autem potest plenior tractatio huius loci ex libellis didacticis. Quæ tamen omnis dirigenda est ad hosce duos potissimum fines. Quorum vnus sit διδακτικὸς, vt memores, nos, quicquid agimus, in conspectu Dei agere, cuius oculos & aures nemo fallere, nihil quicquam celare possit. Quapropter in omnibus dictis & factis nostris innocentiæ & sanctitati studeamus. Alter παραμυθητικὸς seu consolatorius, quod scimus nihil aduersi nobis citra propitiam Dei voluntatem accidere. Siue enim tyranni nos fortunis spolient, siue in carcerem compingant, siue in exilium eiiciant, siue calumniis premant, siue occidant, non fit id inscio Deo, qui suo tempore innocentiam nostram in apricum producere, vindicare, & omnia in finem bonum dirige potest. Addit etiam consideratio hæc animum ad precandum. Tum enim maiori fiducia oramus, quando certo scimus, Deum clamantium preces exaudire.

III. Tertium argumentum desumptum est à fructu constantis confessionis & damno abnegationis Christi ac veritatis. Idem hoc argumentum sufficienter à nobis tractatum & explicatum est, in cap. LXXII. huius Harm. ex 10. cap. Matthæi v.32. inde vberior explicatio petenda. Summa hæc est. Quemadmodum vera Christi confessio non tantum in verbis consistit, sed etiam in factis: ita eiusdem abnegatio fit variis modis. 1. Abnegatur, quando nihil commercij sibi esse quis dicit cum Christo, nec eum suum Saluatorem agnoscit: Sicut fecit Petrus, Iudæi coram Pilato, Iulianus, Turcæ & similes. 2. Abnegatur, quando quis in periculis, aduersis, morbis & ipsa morte alium patronum quærit, quam Christũ. Sicut fecit Ochotias in suo lapsu per cancellos cœnaculi, & quoquot ad Diuorum patrocinia se conuertunt. 3. Abnegatur etiam impia vita, & praua cõuersatione, teste Paulo Tit.1. versic. 16. Proximus gradus ad abnegationem est ἐπαμφοτερίζειν & in vtrumque latus claudicare. 1. Reg. 18. vers. 21. Euangelio velle adhærere, & tamen Missas simul audire, coram imaginibus procumbere, & alias nugas papisticas venerari. Christus ergo vt confessoribus suis adest, eos spiritu suo roborat, & in nouissimo die commẽdabit ac remunerabitur: ita abnegatores in eodẽ die extrema ignominia afficiet, quãdo coram cœlesti Patre eos suos esse negabit; sicque à beato consortio angelorum & electorum in æternum excludet.

IV. Quartum argumentum desumptum est à grauitate criminis: vbi repetitur id, quod etiam Matt.12. vers.31. & Mar. 3. versic. 28. dictum est de peccato in Spiritum sanctum, & à nobis explicatum cap. Harm. LIX. Ibi itaque plena huius loci explicatio quærenda erit. Præsens tamen locus priorem illam nostram explicationem confirmat, qua diximus, *conuitium in Spiritum sanctum* intelligendum esse, non de quouis graui & magno peccato, sed de tali peccato vbi quis post naturalem illam ignorantiam Christi & viæ ad salutem, ex gratia, virtute Spiritus sancti, per ministerium vocatus est ad cœtum sanctorum, vera fide illuminatus & sanctificatus, sed postea sciens atque volens ab illa gratia deficit, Dei misericordiam aspernatur, meritum Christi quasi pedibus conculcat, & in finali impœnitentia, contra Deum atque manifestatam veritatem perseuerat. Nã loquitur Christus hic *amicis suis*, hoc est, non illis, *qui locuti sunt dictum* conuitiatorium *in filium hominis* Iesum Christum, à Deo ad salutem hominum in carnem humanam missum. Qualiter fecit Paulus ante suam conuersionem. 1. Tim. 2. versic. 13. & alij multi. Sed qui *amici* Christi facti, bonitatem eius semel degustarunt, & donis Spiritus sancti participes redditi, postea fide deficiunt. Apostatæ atque Mammeluci (vt vocant) facti, id quod prius professi fuerant, postea reiiciunt, conuitiantur, blasphemant. Hi rursum sibi crucifigunt filium Dei & ostentui habent neque ad pœnitentiam reuertuntur. Ac proinde *non remittetur illis* peccatum istud, neque in præsenti neque in futuro seculo, sed manet eos terribilis expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ cõsumptura est illos, non vt *amicos*, sed vt aduersarios. Heb.6.v.4. & 10.v.26. Hæc Christi seria & seuera comminatio tangit non tantum Iulianum Apostatam, sed etiam sceleratos illos nebulones omnes, quicunque sint (quorum nominibus nostram hanc sacram commentationem cõspurcare non libet) qui vt dignitates, honores, opes, mundi amicitiam venentur, veritatem agnitam & à teneris edoctam abnegant, ab ea ad Iesuitas Christi hostes deficiunt, in gratiã Episcoporum & principum huius mundi illicitis sacris se immiscent, atque sic posteriora sua deteriora faciunt primis.

Atque his quatuor argumentis Christus Iesus *amicos suos* hortatur, vt reuelatam sui cognitionem & veræ fidei lumen magnifaciant, constanter confitendo tueantur, neque se siue minis & violentia hostium inde absterreri, siue blandimentis vllis ad contrariam doctrinam allici patiantur. In constanti enim & immota ipsius atque veritatis confessione, τὴν ἀκμὴν & momentum æternæ nostræ salutis consistere testatur.

Cæterum inueniuntur, qui libenter quidem confessionem ingenuam de Christo & veritate Euangelica edere vellent; verum absterret ipsos partim infamiæ & inscitiæ suæ metus, partim aduersariorum eruditio, experiẽtia & authoritas, quibus nulla cum dignitate resistere se posse iudicant, ac proinde metuunt, ne ipsa veritas Euangelij propter ipsorum infirmitatem detrimentum aliquod patiatur. His Christus animũ addit, & repetit ad ipsos eandem promissionem, quam Apostolis Matth.10.v.19. in prima missione dederat. *Cum adduxerint vos ad synagogas, &c.* Tria nominat, quibus comprehendit, omnia, quæcunque in hoc mundo magnifica vel terribilia videri possunt. 1. συναγωγὰς *Synagogas* sub quibus intelligit omnes, qui in Ecclesiastica dignitate sunt positi, & vel eruditionis vel sanctitatis nomine suspiciuntur. 2. τὰς ἀρχὰς *Magistratus*, sub quibus possunt intelligi illi iudiciorum præsides, qui ab aliis demandata iudicia administrant & exercẽt. 3. τὰς ἐξουσίας *potestates*, sub quorum titulo intelligimus supremos regnorum Dominos, Reges & Principes, qui merum & summum in quosuis habent imperium. De his omnibus pronunciat, non esse, quod sibi fideles metuant, si ad ipsos captiui adducantur, vt fidei suæ rationem reddant. Tum enim futurum *vt Spiritus sanctus ipsis doceat, in illa ipsa hora, quid oporteat dicere*: Veritatem huius sui promissi Dominus Iesus expleuit non tantum in suis Apostolis, quãdo illiterati & idiotæ tanta constantia Iesu Christi Euangelium asseruerunt aduersus Pontifices & Pharisæos Hierosolymitanos Actor.4. v. 13. & alibi, nec tantum quando adfuit Paulo, apologiam suam edenti coram Nerone 2.Tim.4.v.16. verumetiam in aliis suis confessoribus. Propediem memorabile huius exemplum habituri sumus in hac Harmonia nostra ex 9. cap. Iohannis ver. 30. in cœco, qui ad συνέδριον Hierosolymitanum vocatus, tam illustrem confessionem contra literatissimos Iudæorum edidit, vt hosce suarum obiectionum pudere oportuit. Si quis Ecclesiasticas historias, Martyrologia item sanctorum, à D. Ludouico Rabo, Iohanne Foxo & aliis conscripta, consulat, is admiranda exempla inueniet, non virorum & iuuenum tantum, vt 2. Maccab.7. sed etiam mulierum, virginum, puerorum, qui adeo argute & acute tyrannis ad argutissimas interrogationes responderunt, vt insanus sit qui non intelligat à Spiritu sancto responsiones illas suggestas esse. Ideo recte, Christus dicit: μὴ μεριμνᾶτε, *nolite soliciti esse.* Non prohibet ne quis vera & solida fundamẽta doctrinæ Christianæ addiscat. Hoc enim vt quis faciat, si synceram de Christo confessionẽ edere velit, omnino necesse est. Sed si quis synceram doctrinam addidicit, tum vult vt præsenti animo simus, nec perplexas quæstiones & strophas aduersariorum formidemus, metuentes nostram simplicitatem ipsorum sophisticæ nequaquam satisfacere posse. Nam, inquit, dabitur vobis, πῶς & τί, *qualiter & quid* ἀπολογήσησθε *defensionis loco afferre & dicere* debeatis. Vulgus reorum ad ius citatorum, quando parum instructi sunt ad refellenda ea quæ obiiciuntur, & ignorant quid aut qualiter sit agendum coram iudicio, tum Aduocatũ conducunt, per quem res suas tractant. Noster Paracletus & Aduocatus est *Spiritus sanctus*: is eo momento de necessariis nos instruit, vt non opus sit seruiliter timidum esse: is procurabit, vt si maxime quoad nos periclitamur de forma & modo agendi, ipse tamen animum & cogitationes eiusmodi suggerat, quibus ex omnibus labyrinthis extricemur.

VV

TERTIVM MEMBRVM.

Dehortatio ab auaritia & solicitudine victus.

LVC. 12.

13. Εἶπε δέ τις αὐτῷ ἐκ τοῦ ὄχλου, διδάσκαλε, εἰπὲ τῷ ἀδελφῷ μου, μερίσασθαι μετ᾽ ἐμοῦ τὴν κληρονομίαν.
14. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, ἄνθρωπε, τίς με κατέστησε δικαστὴν ἢ μεριστὴν ἐφ᾽ ὑμᾶς;
15. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτούς, ὁρᾶτε καὶ φυλάσσεσθε ἀπὸ τῆς πλεονεξίας· ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ.
16. Εἶπε δὲ παραβολὴν πρὸς αὐτούς, λέγων·
17. Ἀνθρώπου τινὸς πλουσίου εὐφόρησεν ἡ χώρα, καὶ διελογίζετο ἐν ἑαυτῷ, λέγων, τί ποιήσω, ὅτι οὐκ ἔχω ποῦ συνάξω τοὺς καρπούς μου;
18. Καὶ εἶπε, τοῦτο ποιήσω, καθελῶ μου τὰς ἀποθήκας, καὶ μείζονας οἰκοδομήσω, καὶ συνάξω ἐκεῖ πάντα τὰ γεννήματά μου, καὶ τὰ ἀγαθά μου.
19. Καὶ ἐρῶ τῇ ψυχῇ μου, ψυχὴ ἔχεις πολλὰ ἀγαθά, κείμενα εἰς ἔτη πολλά, ἀναπαύου, φάγε, πίε, εὐφραίνου.
20. Εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ Θεός, ἄφρων, ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ. ἃ δὲ ἡτοίμασας, τίνι ἔσται;
21. Οὕτως ὁ θησαυρίζων ἑαυτῷ, καὶ μὴ εἰς Θεὸν πλουτῶν.
22. Εἶπε δὲ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, διὰ τοῦτο ὑμῖν λέγω, μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν, τί φάγητε, μηδὲ τῷ σώματι, τί ἐνδύσησθε.
23. Ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος.
24. Κατανοήσατε τοὺς κόρακας, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οἷς οὐκ ἔστι ταμεῖον, οὐδὲ ἀποθήκη, καὶ ὁ Θεὸς τρέφει αὐτούς. πόσῳ μᾶλλον ὑμεῖς διαφέρετε τῶν πετεινῶν;
25. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα;
26. Εἰ οὖν οὔτε ἐλάχιστον δύνασθε, τί περὶ τῶν λοιπῶν μεριμνᾶτε;
27. Κατανοήσατε τὰ κρίνα, πῶς αὐξάνει, οὐ κοπιᾷ, οὐδὲ νήθει. Λέγω δὲ ὑμῖν, οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τούτων.
28. Εἰ δὲ τὸν χόρτον ἐν τῷ ἀγρῷ, σήμερον ὄντα καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον, ὁ Θεὸς οὕτως ἀμφιέννυσι, πόσῳ μᾶλλον ὑμᾶς, ὀλιγόπιστοι;
29. Καὶ ὑμεῖς μὴ ζητεῖτε, τί φάγητε, ἢ τί πίητε, καὶ μὴ μετεωρίζεσθε.
30. Ταῦτα γὰρ πάντα τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου ἐπιζητεῖ. ὑμῶν δὲ ὁ πατὴρ οἶδεν, ὅτι χρῄζετε τούτων.
31. Πλὴν ζητεῖτε τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν.
32. Μὴ φοβοῦ τὸ μικρὸν ποίμνιον, ὅτι εὐδόκησεν ὁ πατὴρ ὑμῶν δοῦναι ὑμῖν τὴν βασιλείαν. πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα ὑμῶν καὶ δότε ἐλεημοσύνην.
33. Ποιήσατε ἑαυτοῖς βαλάντια μὴ παλαιούμενα, θησαυρὸν ἀνέκλειπτον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὅπου κλέπτης οὐκ ἐγγίζει, οὐδὲ σὴς διαφθείρει.
34. Ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ καὶ ἡ καρδία ὑμῶν ἔσται.

13. *Ait autem ei quidam de turba, Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem.*
14. *At ille dixit ei, Homo, quis me constituit Iudicem aut diuisorem super vos?*
15. *Dixitque ad illos: videte & cauete ab auaritia. Quia nō in abundantia cuiusquam vita eius est ex his, quæ possidet.*
16. *Dixit autem similitudinem ad illos dicens:*
17. *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quod non habeam, quo congregem fructus meos?*
18. *Et dixit: hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora extruam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea.*
19. *Et dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona reposita in annos multos, requiesce, ede, bibe gaude.*
20. *Dixit autem ei Deus, stulte hac nocte animam tuam repetent abs te. Quæ vero parasti cui cedent?*
21. *Sic qui recondit sibi, nec est erga Deum diues.*
22. *Dixitq; ad discipulos suos: ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid edatis, neque corpori, quid induamini.*
23. *Anima plus est quam esca, & corpus plus quam indumentum.*
24. *Considerate coruos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est penuarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos præstatis volucribus?*
25. *Quis autem vestrum solicitudine sua potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?*
26. *Si ergo ne id quidem quod minimum est potestis, quid de cæteris soliciti estis?*
27. *Considerate lilia, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis.*
28. *Si autem gramen quod hodie in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos vestiet, ô parum fidentes?*
29. *Et vos nolite quærere, quid esuri sitis, aut quid bibituri, & nolite in sublime tolli.*
30. *Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit, quod istis indigeatis.*
31. *Quin potius quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.*
32. *Ne time pusille grex, quia complacitum est Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.*
33. *Parate vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurū non deficientem in cœlis, quo fur non accedit, neque tinea corrumpit.*
34. *Vbi enim esse thesaurus vester, ibi & cor vestrum erit.*

Expositio huius membri.

IN hoc membro repetit Saluator eandam doctrinam, quam etiam tractauit in prolixo illo sermone, habito in monte Matth. 6. ver. 19. & superius sufficienter exposita est cap. LI. pericopa septima contra auaritiam siue insatiabile opum huius seculi studium, & contra solicitudinem diffidentiæ. Hac ipsa vero repetitione innuere voluit Christus, quod graue & nocens pietatis obstaculum sit, si cuius animum turpia habendi cupiditas occupet, sicuti Paulus rectè scripsit radix omnium malorum est φιλαργυρία, amor pecuniæ. 1. Tim. 6. versicul. 10. Huius cupiditatis causa lapidatus & concre-

matus

matus est Achan. Iof.7.v.25. Gieti lepra coopertus. 2.Reg 5. v.27. Heliodorus grauiter & aſpere vapulauit. 2.Maccab.3.v. 23.ſeipſum ſuſpendit Matth.27.ver.5. Ananias & Sapphira repentino & infelici caſu vitam finiuerunt. Act.5.verſic 5. Auarus denique, vt Paulus teſtatur Epheſ. 5. verſicul.5. non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Ne ergo ſalute æterna ob temporalium bonorum cupiditatem excidamus: Chriſtus iterata vice nos hic præmonet. Si peritus Medicus te moneret, vt à ſucco venenatæ alicuius herbæ caueres, ne auidius de illa biberes: ſiquidem ſi id fiat ſubito tibi moriendum ſit: ſat ſcio, conſilio pareres, niſi propriæ ſalutis immemor eſſe velles. At cœleſtis animæ & corporis medicus hic iterato monet, vt ab auaritia & impia ſolicitudine, tanquam à mortifero ſucco abſtineamus, & non obtemperabimus ipſi?

I. Ante omnia autem indicat Lucas occaſionem huius iteratæ doctrinæ. Dum Chriſtus de rebus grauiſſimis & æternam ſalutem concernentibus diſſerit, importunus *quidam de turba* ſermonem eius interrumpit, & de fratris ſui iniquitate conqueritur, qui tergiuerſans communis hæreditatis partitionẽ vel iuſto diutius proroget, vel penitus recuſet. Proinde magno clamore poſtulat: *Magiſter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Conſimiles verbi diuini ſiue concionum noſtrarum auditores abſque dubio quamplurimos habemus, qui dum ſacra attendere, & animę ſuæ ſalutem auditu verbi diuinæ promouere debebant, interim animis ſuis peregrinantur, de temporalibus ſoliciti, vnde, quæcunque audiunt, ſine omni fructu & animi motu audiunt, ac proinde nihilo meliores ex verbi auditu reddũtur. Hoc Chriſtus Matt. 13.v.7. confert ſemini, quod cecidit in ſpinas quæ creſcunt & ſuffocant ſemen, ne fructum ferat. Tales igitur ſpinoſæ ſolicitudinum & affectum cogitationes, dum cõciones ſacras audimus, ſunt reſecandæ. Etſi enim non omnes illas ita aperte produnt, vt hic homo: omnes tamen eas, licet occultiſſimas, Chriſtus videt & improbat, vt iam nunc audiemus.

Quid enim ipſe huic importuno, qui ſatis impudenter & imprudenter ipſius ſermonem interpellarat, reſponſi dat? *ô homo*, heus tu, *quis me conſtituit δικαστὴν ἢ μεριστὴν iudicem aut diuiſorem ſuper vos?* Miſſum ſe facere iubet iniquo ſuo poſtulato. Hic vero cauſæ attendendæ ſunt, ob quas hanc petitionem reiecerit Cum alias bonum opus ſit, eum, qui præter ius & æquum fratrem hæreditate ſua prauat, & de iuſtitia admonere, fratres item diſſidentes inter ſe reconciliare: & operam dare, vt quiſque patrimonio ſuo, quod legitime ipſi debetur, fruatur. Sed præter illam importunitatem, qua homo hic carnalia immiſcet rebus ſacris, quæ mixtura Chriſto ſumme diſplicet, ſunt etiam aliæ cauſæ, ob quas Chriſtus non vult diuiſor eſſe hæreditatis inter fratres. 1. Chriſtus non venerat in mundum ob temporalia bona, ſed ob æterna. Ac proinde temporalibus hiſce noluit ſe immiſcere. Hereditatum enim diuiſionem iuſtam & æquam præſtare poteſt Magiſtratus politicus, Chriſtus vero docendi muneri deſtinatus erat, vt ad ſempiterna bona nos promoueret. 2. Noluit confirmare Iudaicam opinionem, neque in diſcipulorum ſuorum, neque in reliquorum auditorũ animis: qui arbitrabantur Meſſię eſſe regnum mũdanum, quod in externorum bonorum acquiſitione & tractatione conſiſteret. 3. Præcidere etiã voluit ſuis aduerſariis occaſiones calumniandi, qui attente obſeruabant, an ex dictis & factis Chriſti aliquid arripere poſſent, quod ſpeciem haberet, ac ſi magiſtratus politici Iuriſdictionem ſibi vſurparet; quo ſeditionis ipſum accuſare poſſent. 4. Deniq; prędidit futurũ, ſi vni in vilioribus hiſce gratificaretur, mox plures ex rudioribus aduenturos, qui idem eſſent poſtulaturi. Vnde plus negocij in dirimendis litibus auditorum, quam in plantando regno Dei habiturus fuiſſet. Cum tamen ipſe non venerit, vt Moſes Exodi 18. v. 18. qui leges daret, & diſceptationes populi audiret: ſed qui gratiam & veritatem nobis enarraret. Iohan. 1.v.17.

Nihil itaque ſubleuat hic locus Anabaptiſtas, qui propterea Iudicum & omnem Magiſtratus ordinem conuellere volunt: quia Chriſtus humeris muneris partes in ſe ſuſcipere noluerit. Eſt enim omnis quidem Chriſti actio noſtra inſtitutio: non tamen quæuis id imitationem eſt trahenda, ſed diuerſitas ordinum & ſtatuum vitæ eſt attendenda. Perinde enim eſt, ac ſi quis ita argumentetur: Chriſtus noluit δικαστὴς & μεριστὴς Iudex & diuiſor eſſe inter fratres de hæreditate litigantes. Ergo dicaſteria omni ſunt prophanis habenda, nec poteſt Chriſtianus bona conſcientia iudicis officio fungi: Ac ſi inferret: Chriſtus nec ſutor nec agricola eſſe voluit. Ergo Chriſtianis non licet artem ſutoriam vel agriculturam exercere. Contra Romanos vero Pontifices & eiuſdem larnatos Epiſcopos hic locus plurimum valet. Chriſtus noluit hic ſe immiſere rebus ſecularibus, ne cœleſtia, quæ proprie ipſius erant functionis, negligeret. Atque ſic Apoſtolis ſuis & horum ſucceſſoribus doctrinam præbuit, ne ſe rebus à functione ſua alienis immiſcerent. Hinc Actor.6.ver.2. cum numerus viduarum inter Chriſtianos creſceret, & lites inter eaſdem orirentur: Apoſtoli dixerunt: non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Et Petrus monet, ne quiſquam Chriſtianorum patiatur tanquam ἀλλοτριοεπίσκοπος, qui alienam functionem inuadat. 1.Petr.4.v.15. Quid vero Pontifex Romanus? Hic quidem Chriſti vicarius, & Apoſtoli Petri ſucceſſor haberi vult: ſed non tam hæreditates inter fratres diuidit, quam alienas hæreditates inuadit. Vndè enim ampliſſimum illud patrimonium Petri? Niſi quod maiorem Italiæ partem Romanorum Imperatori eripuit? Prætendit quidem donationem Conſtantini & Caroli Magni Impp. item Mathildis: ſed fictitia iſta ſunt. Mallet Rom. Imperatorem omni ſua maieſtate exuere, adeoque omnia ad ſe ſolum deriuare. Quin & ius & imperium ſibi vendicat in omnia regna. Quàm ſcelerate Conradum, vltimum ex florentiſſima proſapia Ducum Sueuicorum, vnicum & verum hæredem regni Neapolitani, hæreditate ſua ſpoliauit, & in Gallum tranſtulit? Sed quis perfidiam omnium Pontificum, qua pro libidine ſua, regna in hos & illos tranſtulerunt, recenſere poſſet? O nos ſtupidos Germanos, qui ab huius Romanici tyrannide ſingulari Dei beneficio liberati, magna tamen ex parte Ieſuitarum doloſo miniſterio decepti, ſub eundem redire cupimus! Papæ veſtigia ſequuntur Epiſcopi & magni Prælati, qui florentiſſimos Ducatus, ampliſſimos principatus, ſplendidiſſimos comitatus, & populoſiſſimas vrbes ad ſe rapuerunt, & terrenis occupationibus, luſionibus, potationibus, venationibus dediti, ſpiritualia negocia, qualia ſunt, Scripturas legere, ſacra meditari, controuerſias religionis cognoſcere, populum per conciones inſtruere & conſimilia facere penitus intermittunt. Si qui tamen, licet rariores, aliqua ſpiritualium rerum cura tanguntur, fere tantum in anno ſemel atque iterum miſſificant, & ſpiritualia Officialibus ſuis commendant, ipſi temporalia curantes. Tuentur quidem aliqui ſe exemplo Auguſtini Epiſcopi Hipponenſis, de quo in vita ipſius ſcribitur, quod aliquando totos dies iudiciis ſecularibus dirimendis fuerit intentus & occupatus. Sed iidem etiam legant, quid ipſe de ſe ſcribat, in libros de opere Monachorum ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem, vbi cap.29. Chriſtum teſtem inuocat ſuper animam ſuam, ſe malle ſingulis diebus certis horis moderate manibus aliquid operari, & cæteras horas ad legendum, ad orandum, aut aliquid de diuinis literis agendum liberas habere: quam tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati, de negotiis ſecularibus vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis. Sed oſtendit Eccleſiæ ſuæ qualitatem aliter non ferre, ſiquidem deſint iudicia ſecularia, ad quę querimoniæ illæ deferri poſſint. Itaque ſe in iſta neceſſitate defectum illum explere. Atqui hodie horum alia eſt ratio in Epiſcopatibus Chriſtianorum. Interim tamen etiam hoc verum eſt, Auguſtinum ſic dirimendis controuerſiis ſecularibus vacaſſe, vt munus docendi Eccleſiam nulla ex parte neglexerit, & reliquos Eccleſiaſticos Patres non tantum in illa diligentia æquarit, ſed etiam ſuperarit. Imitentur hoc moderni Epiſcopi in ipſo, & diligentiam ipſorum digna laude vehemus.

II. Hac occaſione, ab importuno iſto auaro homine oblato, Chriſtus ita vtitur, vt generalem doctrinam de cauenda auaritia proponat. Dixit enim *ad illos*, nimirum ad diſcipulos, ad circumſtantes turbas, adeoque ad omnes eos, qui ad audiendam ipſius concionem congregati erant *Videte & cauete ab auaritia.* Πλεονεξίας vocabulo vtitur, quod plus quippiam, quam ſimpliciter φιλαργυρίαν ſeu *auaritiam* denotat: nimirum immodicam & inexhauſtam indies plura acquirendi, retinendi & poſſidendi cupiditatem, quæ coniuncta ſit etiam cum defraudatione, circumuentione & detrimento aliorum, quibus ſua vel eripiuntur, vel inique detinentur. Et opponit eam τῇ αὐταρκείᾳ, quę contenta eſt cum ſuo demenſo à Deo conceſſo, vt præter illud nihil illicite vel velit vel cupiat. Duo autem ad euitandum hunc tam vitioſum cordis appetitum requirit. Vnum eſt ὁρᾶν *videre*: alterũ τὸ φυλάττεσθαι vel φυλάσσεσθε, in forma paſſiua, ſed ſignificatione actiua *cauere*. Innuens ſtudio magno & cura opus eſſe, vt cupiditatem hanc prauam, & laqueos eius occultos effugere poſſimus. Neque fruſtra Dominus tam diligenter monet. Etenim non tantum natura nobis hoc vitium innatum eſt, vt etiam pueri cum pueris agentes ſemper potiorem & meliorem partem ſibi adiungere deſiderent: ſed etiam cum ætate & annis creſcit, vt fere, quo minus viæ ad mortem ſenibus ſupereſt, eo ſemper plus viatici corradere conentur. Quemadmodum ergo qui herbas vel fructus in agro creatos pro pharmacis cõficiendis legũt, oculos aperiunt, ne cum puero Eliſæi pro vua ſylueſtri colocynthidas. 2.Reg.4.v.39. hoc eſt, noxias herbas

pro commodis & salubribus colligant: & quando salubres collegerunt, diligentem postea φυλακὴν & custodiam adhibent, cauentes ne venenati quid is misceatur; quod efficeret, vt venenum loco antidoti ægro propinaretur. Ita in colligendis bonis huius mundi spiritualis quædam dioptra est admouenda, qua despiciatur, & quid accipere, & quid retinere, & quid rursus erogare deceat: postea etiam φυλακὴ custodia & cautio, quasi conductis ianitoribus, adhibenda est, ne in animos nostros vel ipsi admittamus, vel ab aliis vllo modo instillari patiamur eiusmodi cupiditates quas ex accenso verbi diuini lumine deprehendimus cum voluntate Dei, cuius benedictio sola, sine nostra cura & afflictione, diuites facit. Prouer. 10. v. 22. pugnare.

Etenim homines variis πλεονέκται variis modis, & in acquirendis, & in administrandis terrenis opibus peccant. Primo acquirere eas student fere vel per dolum & imposturas, vel per manifestam vim & alios illicitos modos. Vnde enim fœneratores & vsurarij? Vnde mercium adulteratores & monopolæ? Vnde militia mercenaria & monetæ corruptio? Vnde defraudatio mercenariorũ & operariorum? Vnde mille alia, quæ cum charitatis & iustitię legibus pugnant? nisi ex improba illa & insatiabili multa possidendi auiditate. De his omnibus dicit Dominus Habac. 2. v. 6. Vę illi, qui multiplicat nõ sua: vsque quo? & aggrauat contra se densum lutum. Et Mich. 6. v. 10. Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mẽsura minor iræ plena. Numquid iustificabo stateram impij & sacelli pondera dolosa? In quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum &c. Deinde quando diuitiæ affluunt, fere cor apponunt. ψ. 26. ver. 11. suæ industriæ parta adscribunt, non Deo, sicque sagenæ suæ immolant, & reti suo sacrificant. Hab. 1. ver. 16. fiduciam suam quoque, quæ soli Deo debetur, in opibus suis collocatam habent, sicque idololatriæ fiunt Ephes. 5. ver. 5. Alij luxui sese dedunt, intemperantiæ student, & proximum egentem, cuius inopiæ ipsorum abundantia seruire debebat, negligũt, vt epulo ille Luc. 16. v. 19. aut opum fiducia elati cristas tollunt, sibique impunitatem omnium rerum pollicentur. Alij perpetuis curis æstuant, dies sibi laboriosos & noctes insomnes reddentes, nec vlla quiete fruentes, subinde metuentes, ne Pluto siue Mammon ipsorum ipsis auferatur, aut sponte sua is aufugiat. Interim defraudant proprium genium, in summa rerum abundãtia ipsi egent, nec sufficienter seipsos siue cibo siue potu reficere audent, metuẽtes ne acerous pecuniæ minuatur. De hac auarorum vanitate eleganter disserit Salomon Eccles. 5 v. 9. & aliquot sequentibus. Denique si quando contingat, vt eiusmodi πλεονεκτικοὶ iacturam opum suarum faciant, quod multis modis, bello paceque incendiis & naufragiis, fieri potest: aut quando ipsi opes suas deserere, & mortem sequi coguntur, bone Deus, qui hic gemitus, qui hic eiulatus & querelæ audiuntur? Quanto rectius hac in parte Bias Pyrenæus, gentilis licet Philosophus, institutus fuit, qui cùm patria eius ab hostibus diriperetur, inuicto & imperterrito animo dixit: Ego omnia mea mecum porto. Bene itaque facit Christus, quod suorum animos à pernicioso illo πλεονεξίας & auaritiæ morbo liberare cupit.

Rationem addit dehortatoriam: *quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his, quæ possidet.* Quidam ob diuersam lectionem hic se torquent, & de cõstructione verborum sunt soliciti. Verum quocunque modo verba collocent, vndique idem sensus resultat. Respicit Dominus affectus auarorũ, qui diuitias & opes propterea amant & appetunt, quod putant, se in iis habere præsidium suæ vitæ. Existimant enim, quo quisque sit ditior, eo minus ipsi periculi à morbis, morte & aliis aduersis imminere. Hanc vanam opinionem Christus hic reiicit, & testatur, ne locupletissimum quidem, cum omni sua copia & abundantia, vel ad momentum vitam suam prorogare posse, si hora mortis accesserit. *Der Todt last sich nicht mit Gelte abkauffen.* Non frater redimendo redimet quenquam, non dabit Deo placationem suam, & precium redemtionis animæ suæ, omittet illud in æternum. Ps. 49. ver. 8. Vnus Deus qui dedit vitam, idem etiam eandem, quamdiu libet, fouet & conseruat: idem etiam pro suo iure extinguere potest, quando vult. Hic terminus à Deo constitutus quando aduenerit, non potest homo eum præterire Iob 14. vers. 5. si maxime totius mundi opes accumularentur. Cum ergo vita nostra & eiusdem prorogatio ac felicitas non consistat in diuitiis, quid prodest eas magnopere coacervare? Vis veritatis huius dicti Christi exempla habere? Inuenies infinita, si paululum oculos tuos in hoc mundi theatro circumtuleris. Quot diuites omni ciborum varietate & abundantia vtuntur: & tamẽ multo citius vitam finiunt, quam rustici & agrestes in tenuitate viuentes? Pauci Reges sexagesimum annum superasse leguntur: & quot rustici, qui manuum labore victum quærunt, & atro pane vescuntur, vere centesimum attingunt? Et quidem in prima statim mundi conditione homines viuebant octingentos, nongentos & plures annos, quando aquam bibebant, parce epulabantur, viliter vestiebantur, & copia omnium rerum destituebantur. Hodie quando omnium rerum copia abundamus, citius vitam finimus. Euidentissimum itaque est, quod hominis vita non consistat in abundantia diuitiarum ipsius.

III. Sed Christus ipse exemplum adducit, quo doctrinã hanc suã illustrat, de diuite quodã grandi rerũ supellectile locupletato: qui tamen pręter suã opinionẽ, citius quam cogitarat, vitam suam finiit; neque seipsum ex manibus mortis pecuniarum copia liberare potuit. Lucas vocat παραβολὴν *similitudinem.* Sed reuera hæc parabola continet id, quod quotidie in hoc mundo fieri solet. Sunt vero singula verba parabolæ diligentius excutienda. Id quod D. Basilius fecit, in peculiari quodam sermone, quem de hoc diuite habuit, & D. Ambrosius eundem in suis scriptis repetiit. Ideo nec nos pudebit, quædam ex eo huc transsumere.

Proponit ergo Christus, 1. *hominem diuitem*, & hunc non ex vsurariorum vel fœneratorum, aut eorum numero, qui ex opimis hostium spoliis iniustas opes possident: sed eius, cuius εὐφόρησεν ἡ χώρα *ager vberes fructus attulit*, hoc est, qui agros coluit, & ex Dei benedictione tam vberes fructus collegit. Est enim hic vocula χώρα, quæ *regionem* significat, vt intelligamus, ipsum latifundia & agrorum copiam satis magnam possedisse. Agnoscamus hinc paternam Dei benignitatem, qui licet sciret, hunc hominem copia illa non recte vsurum, tamen adeo largiter eam in ipsum effudit. Est enim cœlestis Pater benignus, qui solem suũ oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Matt. 5. vers. 45. Vult autem hac sua benignitate etiam impios ad pœnitentiam adducere Rom. 2. v. 4. quam si non agunt, thesaurizant sibiipsis iram in die iræ, & reuelationem iusti iudicij Dei.

2. Quod sequitur hanc vbertatem? Nulla gratiarum actio erga Deum benefactorem: sed maior solicitudo: Etenim διελογίζετο *ratiocinabatur apud seipsum dicens: Quid faciam? quod non habeam quo congregem fructus meos.* Ecce abundantia auaris nõ affert animi tranquillitatem & felicitatem: sed potius solicitudinem & maiorem miseriam. Vocat *fructus suos.* Non agnoscit Dei beneficiũ, ex cuius benedictione omnia prouenerunt. Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus. 1. Cor. 3. v. 7. Hoc si agnouisset hic auarus, vtique sciuisset *quid faceret*: nimirum gratias acturus fuisset datori Deo. Nunc quoniam suo labori & suę industrię adscribit, *suos* etiam *fructus* dicit, quos ipse pro suis & se asseruare & absumere velit.

3. *Non habeo.* Quid hoc? Num abũdantia tibi attulit maiorem inopiam & egestatem? Nam *non habere*, indigentium non diuitum verbum est. Sed ita est, quod apud diuites vna cum copia etiam crescit inopia. Auaro enim tam deest quod habet, quam quod non habet. Et: Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Verum dicit diues: non habeo *quo congregem fructus.* Deus bone, circumspice quæso quam multum desit aliis. Quod ergo Deus feliciorem sortem tibi indulsit, cogita in quem finem id fecerit: nimirum, dispensatorem *Deus te* constituit, vt aliorum inopiam respiceres, & tua copia eam subleuares. Pauperum ventres & domus vacuæ, horrea satis ampla esse potuissent, in quibus reponeres, quæ tua horrea non capiunt. Sic fecisses tibi amicos de Mammona iniquitatis, Lucæ 16. versi. 9. sic diues factus fuisses in bonis operibus, 1. Tim. 6. versi. 18. Sic bonum nomen consecutus fuisses, quod melius est, quam diuitiæ multæ. Prouer. 22. v. 1.

4. Sed auarus animum ex æstu illo solicitudinum recolligens, dicit, scio quid faciam. *Hoc faciam, destruam horrea mea.* Recte sane. Digna enim demolitione sunt horrea iniquitatis: & excindenda merito, quæ male sunt ædificata: destruenda domus auaritiæ custos: ostendenda soli squalentia frumenta: è carcere proferendæ diuitię vinctæ: exponenda pauperibus quæ diu in horreis conclusa fuerant. Quin & teipsum destruet Deus in finem, ob auaritiam tuam, contundet te, & euellet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Ps. 52. ver. 7. Sed insipienter admodum adiecit: *& maiora extruam.* Quid ergo tandem statues, quando etiã noua ista impleueris, & sequens annus rursus fructuum attulerit abundantiam? Num rursus dirues? & rursum ædificabis? atque sic infinitum laborem cum cura destruẽdi, & cura ædificandi tibi ipsi impones? Sed hanc stultitiam, siue insaniam potius quadrata patiuntur opes, vt diues semper diruat, ædificet, mutet quadrata rotundis.

5. *Illud congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea.* Attende, dicit *illuc congregabo.* Vnde de hac collectione fructuum certus es? Quid si vrens ventus segetes perderet? aut eluuione aliqua manipuli corrũperentur? aut grãdinis calamitos agros vastaret?

vastaret? Cur ergo dicis *congregabo*: qui ignoras, quid sit in crastino? pro eo quod dicere debuisses: Si Dominus voluerit, & si vixero: Iac. 4. versic. 15. Sed vis congregare illuc *omnia*. Vbi ergo manet lex Domini Dei tui, de dandis primitiis & decimis, sacerdotibus & Leuitis? Vbi illud, quod Deus noluit in demetendis segetibus terræ tuæ, tonderi ad solum vsque superficiem terræ, nec remanentes spicas colligi: nec in vinea racemos & grana decidentia congregari, sed pauperibus, viduis, pupillo, & peregrinis carpenda relinqui: Leuit. 19. v. 9. Itaque terra quidem se satis commodam exhibuit sua fœcunditate; at diues satis incommodi fuit ingenij, nullum fœcunditatis specimen edens, sed omnibus inuidens. Dicit enim congregabo, *quæ nata sunt mihi, & mea bona*. Sed hoc falsissime: quia illa bona communis omnium hominum pater Deus, & communis omnium mater terra, in communem hominum vsum suppeditatunt. Ergo non ipsi soli nata sunt, nec ipsius sunt bona, siquidem ea non habet in sua potestate, neque ea hinc auferre potest. Ex his ergo Basilius recte infert; auaros raptores & fraudatores esse: siquidem ea, quæ à Deo dispensanda acceperunt, sibi propria faciunt. Famelici panis est, inquit, quem tu detines: nudi vestimentum est, quod tu in tuis capsulis seruas: discalceati solea est, quæ apud te computrescit: egeni pecunia est, quam tu defossam habes. Ergo totidem iniuria afficis, quot præbere potuisti.

Hoc sibi applicare debebant magni illi Prælati in Papatu, qui quinque, sex, & plures splendidissimas præbendas possident, & ex illis redditibus omnibus vix teruncium ad egenorum sustentatiomem redire patiantur. Aliena rapere conuincitur, dixit Hieronymus, qui vltra necessaria sibi retinere probatur. Sunt ergo raptores eiusmodi magnifici & reuerendi. Quanquam plerique nō multa sibi retineant: cum fere omnes suos prouentus, cum meretricibus, cynædis, ganeonibus, morionibus & consimilis farinæ hominibus profundant.

6. Denique ocium sibi & voluptates in posterum pollicetur. *Dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona reposita in multos annos, requiesce, ede, bibe*. Est hic belluinus plane affectus, quod nullum alium diuitiarum vsum agnoscit, quam qualem pecudes ex pabuli abundantia percipiunt. *Animæ bona* dicit, quæ tamen non mentis, sed corporis tantum, imo, vt vulgo loquuntur, fortunæ fuerunt bona. *Multos annos* sibi pollicetur: qui nec de crastino est securus. Solus ex illis bonis voluptuari, *edere bibere, gaudere* vult: oblitus, se à Deo illorum dispensatorem constitutū esse. Recte ergo Basilius dixit. O bruta verba! si suillā animam habuisses, quid ei pro re læta nisi hoc ipsum renunciasse? Adeone pecuinus es? adeone bonorum animæ imperitus, vt ei carnalibus escis adblandiaris, & quæ à latrina excipiuntur, ei pro bellariis mittas? Si anima virtutem habet, si bonorum operum plena est, si Deo familiaris est, habet bona multa & oblectatur pulchra illa animi oblectatione. Epicuræorum itaque hæc oblectatio est, de quibus Dauid animam suam eripi petit: ab istis nimirum hominibus, qui sunt de mundo hoc: quorum pars est in vita, quorum ventrem Deus implet thesauro suo, vt saturati dimittat reliquias suas paruulis suis. Christiani autem satiantur, quando euigilant in imagine Dei & vident faciem Dei in iustitia. Psal. 17. versic. 14.

Vidimus diuitem auarum, & eius ingenium atque mores cognouimus: audiamus etiam de ipso iudicium. Ipse hactenus *sermocinatus est intra se* in occulto, nullas de Deo habens cogitationes: & tamen sermo eius exauditus est in cœlo, ibique examinatus. Deus enim non ignorat cogitationes & consilia hominum. Et licet auari secure ipsum negligant: ipse tamen eos non negligit, sed vindice oculo in ipsorum cogitata, dicta, facta inquirit. Huic ergo 1. *dixit Deus*, nec per inspirationem occultam, nec per reuelationem angelorum. Quemadmodum Dan. 4. ver. 11. decretum Dei per vnum ex vigilibus seu angelis Nabuchodonosori reuelatum est. Sed quia Dei dicere est facere, icirco hoc Christi enūciatum, pro Dei decreto & simplici effectu est accipiendum.

2. Quid vero ei dictum? *Stulte*. Dementem & desipientem vocat Dei decretum eum, qui non tantum sibi iuxta illud Prouerb. 28. versic. 11. sed etiam aliis, dum viuebat, circumspectus, prudens imo sapientissimus visus fuerat: eo quod sibi suisque optime prospexisset. Sed reuera *stultus* est, quicunque vitam suam non instituit iuxta verbum Dei, quod solum sapientiam præstat paruulis Psal. 19. versic. 8. Et quidem stultitia huius multipliciter se prodit: quod abundantiam suā ipse sibi vertit in occasionem inopiæ: quod sibi data putat, quæ multis nutriendis data erant: quod custodire vult ea, quæ custodita perduntur, aliis vero communicata custodiuntur: quod diuitias se habere existimat, cum tantum diuitiarum phantasmata, & quidem per somnium Esa. 29. versic. 8. possideat: quod fortunæ bona animæ bona æstimauit: quod cogitat de horreis destruendis, & non de comparanda domo, quæ in perpetuum duret: quod thesaurizat & nescit, cui thesaurizet: quod longa sibi vitæ secula pollicetur, cum ne vna quidem hora sit in eius potestate. Vere itaque in ipsum cōpetit illud Salomonis: Vidisti hominem sibi sapientem videri? plus erit spei de stulto, quam de ipso. Prouer. 26. versi. 12. Non immerito itaque in nauicula stultorum auaros, inter primos locamus. 3. Quid ergo hunc stultum manet? Ipse quidem sibi pollicitus est diuturnas voluptates: sed *hac nocte repetent animam tuam abs te*. Anima homini à Deo tributa est, tāquam preciosum quoddam depositum, de quo aliquādo ratio reddenda erit. Ergo suo tempore repetetur, vt diuino sistatur tribunali. Et quidem pij volentes & gaudentes deponunt sarcinam huius carnis, atque exoptant animas suas dimitti in pace, sicque dissolui & esse cum Christo. Sed auari & in genere omnes peccatores, qui huic mundo sunt addicti, animas suas carni subdiderunt, imo totam carnalem effecerunt, illi non libenter eam reddunt, sunt iniqui debitores, qui nunquam naturæ & peccati debitum volunt exoluere. Angeli igitur ex mandato Dei rigidi sunt exactores, qui vel inuitis per naturalem mortem animam eripiunt, nulla habita ratione opum, honorum vel potentiæ. Et illud fere fit *nocte*. Neque enim illum mysticum sensum abiicio: quod impiis in media ipsa die, quando moriuntur, nox obscura & tenebræ oriantur. Sol ipsis occidit in meridie, & tenebrescit ipsis terra in die luminis Amos 8. versic. 9. Tales enim ligatis manibus & pedibus abiiciuntur in tenebras exteriores. Matt. 22. v. 13. Et ipsi impij olim fatebuntur: errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Sap. 5. v. 6. Neque immerito auaris hoc obtingit. Nam ne nocte quidem quiescunt ab vsurariis suis meditationibus: sed operantur malum in cubilibus suis, vt luce matutina faciant illud, quod est contra Deum Mich. 2. versi. 1 Vt recte de auaro Salomon dixerit: cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente quiescit, & hoc nonne vanitas est? Eccles. 2. v. 23.

4. Vnum adhuc Christus addit, quod auaros istos opum coaceruatores pessime habet: *quæ vero parasti, cuius erūt?* Tua certe non erunt. Cum enim mundana & terrena tātum congesseris, omnino necesse est, vt eadem in mundo hoc relinquas. Et iam nunc, quando sunt deserenda, ignoras, vtrū ea hæredi an peregrino, amico an inimico cedant. Vtrū eadē liberis & hæredibus tuis profutura, an obfutura sint. Sicuti sæpe experientia docet: congerere quosdam multa, & insuper genium proprium defraudare, vt liberis & posteris suis bene prospiciant. Sed magis ex re ipsorum fuisset si non tam amplum patrimonium ipsis relictum fuisset, cum maiori fere labore eadem dilapident, cum lenonibus, scortis, & aleatoribus abliguriant, quam maiores ipsorum congesserint. De hoc vano hominum labore recte cecinit Dauid: in imagine pertransit homo: sed & frustra conturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Psal. 39. ver. 7. Et Salomon Eccles. 6. ver. 1. Est malum quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud, Hoc vanitas & miseria magna est. Saul moriens integrum regnum post se reliquit: sed successorem habuit non filium, non consanguineum, verùm Dauidem, quem extremo odio persequebatur. Hamanus regias opes congessit: sed easdem possedit Mardochæus, quem ad mortem ipse quæsierat. Non inepte ergo conferunt tales homines petulantibus & gulosis pueris, qui hortos alienos inuadunt, poma, pira, nuces & alios eius generis fructus suffuraturi. Et ibi quidem aliqui arbores conscendunt & fructus excutiunt: alij vero sub arboribus colligunt: omnes sinus & manicas suas implentes. Sed ecce, ex improuiso ipsis incautis & improuidis superuenit horti custos, qui non tantum fructus omnes ipsis aufert, sed etiam flagellis cedit, & non raro etiam vestibus propriis exuit: Sic in huius mundi horto omnes, ceu famelici, diuitias, honores & dignitates quærunt. Et alij quidē in altas arbores conscendunt, ad summas dignitates euehuntur, & amplis redditibus ditati, onerati tanquam clitellarij asini incedunt. Alij vero sub altis illis arboribus obambulant, identidem attendentes an optimum aliquod beneficium, Canonicatus vel Episcopatus aliquis, decidere velit, quem excipiant, & ex quo delicietur. Sed ecce repente & ex improuiso, quando securi in vtramque aurem dormiunt, superuenit mors, quæ horrendum in modum ipsos inclamat: Eia, ô Papa, ô Episcope, tu Deo, hero meo suffuratus es illam tuam dignitatem: descende ex præalta illa arbore, depone omnes tuos honores, & theatralem illam pompam, nudus abi in sepulchrum, & ibi expecta, quæ flagra in inferno ob tyrannidem in Ecclesiam & paradisum Christi exercitam sis accepturus. Hæc de vno hominū gene-

re dicta, omnes sibi applicent, qui metas pietatis transiliunt & negligunt.

Tandem Christus, vt generaliter vsum huius parabolæ ostendat, accommodat ipsam ad omnes, qui diuitias coaceruant, nec pietati student. ὁ θησαυρίζων ἑαυτῷ *sic thesaurizat sibiipsi*. Ergo Christus thesaurizare vel *recondere* non simpliciter damnat: sic Iosephus recondidit frumenta pro subditis Pharaonis, & eo nomine in Scripturis commendatur Genes. 41. vers. 47. Et Paulus monet, quod parentes debeant thesaurizare filiis. 2. Cor. 12. versic. 14. Sed *sibiipsi thesaurizare*, καὶ μὴ εἰς θεὸν πλουτῶν *& non in Deo diuitem esse*, illud Christus damnat. Quia in Græco legitur εἰς θεὸν, contendunt interpretes, an sit vertendum, *in Deum*, an *in Deo*, an *erga Deum* prout Erasmus reddidit. Nos vero superius in LVI. cap. Harm. monuimus, & aliquot exemplis commonstrauimus, Græcos sæpe construere εἰς cum Accusatiuo, illudque tantundem valere, quantum ἐν cum Datiuo. Hoc igitur in loco quoque εἰς θεὸν aliter non accipimus, quam ἐν θεῷ *in Deo* Tantum de re diligenter dispiciendum est, quid sit *in Deo diuitem esse*. Hoc vix quispiam rectius nobis explicabit, quam Paulus, 1. Tim. 6. ver. 17. hunc in modum scripsit: Diuitibus huius seculi præcipe, non sublime sapere neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis abunde omnia ad fruẽdum), bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare fundamentum bonum in futurum vt apprehendant veram vitam. Vno verbo, *in Deo diuitem esse*, est multa bona opera habere. Bona enim opera sunt diuinę diuitię: non quidem opera ab hominibus cõficta, sed à Deo præcepta, & quæ in Deo, Iohan. 3. v. 21. sunt facta, hoc est, ex vera fide, in gloriam Dei & proximi vtilitatem. Qualia sunt seria peccatorum agnitio, vera pœnitẽtia, syncerus Dei amor, firma in Christum fides, deuotus verbi diuini auditus, dilectio proximi, innocentia vitæ, iustitia, temperantia, & totus ille Christianarum virtutum chorus. Quibus tum hic diues auarus, tum alter ille diues epulo Luc. 16. versic. 19. in vniuersum caruerunt. Ergo non diuitię eos damnarunt, sed nimia egestas: quod scilicet *in Deo diuites* non fuerunt. Illis vero virtutibus qui præditus, atque sic *in Deo diues est*, qualiter fuerunt Abrahamus, Dauid, Salomon; illis terrenæ diuitiæ ad salutem non oberunt.

IV. Porro quia Seruator noster Iesus Christus non ignorat, huius impiæ auaritiæ, quæ tot captiuet, nullam aliam causam esse, quam diffidentiam & solicitudinem de victu & amictu: ideo in eo elaborat, vt prauam hanc radicem ex corde suorum discipulorum euellat. Hinc *ad discipulos suos* conuersus dixit: *vobis dico*: Idẽ præstat hic animæ medicus, quod alias facit medicus corporis. Hic non tantum ægro præscribit ordinariam diætam, iuxta quam viuere debeat: sed etiam si animaduertat noxios humores in corpore hærere, eos prius expurgat. *Solicitudo* est noxius humor animæ nostræ, qui nisi efficacissimis argumentis expellatur, vitiosam materiam mundanam tam diu attrahit, donec animam penitus suffocet. Dicit itaque: *ne sitis soliciti animæ vestræ, quid edatis: neque corpori, quid induamini* Non prohibet solicitudinem vocationis: quo minus quis victu & amictu consequendo laboret. Labor enim Adamo etiam in statu innocentiæ fuit mandatus. Genes. 2. versic. 15. & per hoc medium vult Deus dare benedictionem ad vitæ sustentationem. Psal. 128. vers. 2. Vicissim qui non laborat, eum ne quidem manducare vult. 2. Thess. 3. ver. 10. & qui domesticorum suorum curam non habet, is filium negauit, & est infideli deterior. 1. Timoth. 5. versic. 8. Sed superfluam illam Ethnicam solicitudinem, quæ diffidentia oritur, prohibet: quãdo homo in functione sua laborat, & tamen Deo benignissimo suo Patri non fidit, quod ipsum suosque alere velit: sicque oculi & appetitus ipsius longe sunt capaciores, quam vel venter vel fides. Gentes, quæ paternam Dei curam ignorant, & vitæ suæ præsidia à propria prudentia atque cura dependere arbitrantur, nec quicquam ipsis defutura illa beata vita constat: hi semper & in omnibus sunt soliciti, & nisi id faciant, mox de se actum esse existimant. Sed Christiani fideles, qui sciunt se habere Patrem in cœlis, illi quidem operas vocationis suæ fideliter vrgent: sed euentum & reliqua omnia diuinę committunt prouidentiæ, nec se onerant solicitudinibus: quia norunt se Deo curæ esse. Cumque insuper sciant, posthanc vitam superesse meliorem rem & æternam: cauent, ne propter curas huius vitæ, illam amittant.

Rationes autem quibus Christus hanc diffidentiæ solicitudinem radicitus ex suorum cordibus euellere nititur, breuiter hæ sunt. 1. Prima sumpta est à nobisipsis: Homo constat anima & corpore: & hæc vtraq; Deus dedit nobis cum nondũ essemus, idque sine nostra cura & solicitudine. Ergo eadem etiam conseruabit sine nostra cura. Nam ad articulum creationis pertinet etiam conseruatio, vt Dauid monstrat in Psalm. 104. Iam vero Christus inter se confert *animam*, qua nihil est nobilius, *& escam*, quæ in secessum abit: *corpus* item, *& indumentum*: & vult vt inde concludamus, Deum, qui illud dedit, quod maius est, daturum etiam id, quod minus est, duntaxat ipsi fidamus. August. Creator, priusquam essemus, curam nostri habuit, vt fieremus. Ergo postquam facti sumus, nos non deseret. Neque enim Deus tam improuidus est paterfamilias, qui plura corpora in domum cibanda recipiat, quam alere possit. 2. sumpta est à volatilibus cœli. Potuisset sane Christus nobis proponere Israelitas in deserto, quos ex nubibus pauit, ex silice optauit: item Eliam Prophetam, quem corui aluerunt. Sed fortassis exciperemus, Mosen & Eliam fuisse nobis sanctiores. Ergo dicit *considerate coruos*. Non frustra coruos producit, de quibus etiam Psalm. 46. v. 9. specialiter agit. Sed vult, vt consideremus, hasce aues & rapacissimas esse, & voracissimas, & odiosissimas: tamen diuinam prouidentiam eo vsque descendere, vt & ipsi & pulli eorum alantur. Imo dicit, *non seminant, neque metunt, non est ipsis penuarium neque horreum*. Quibus verbis non vult docere, vt nec aremus, seramus, metamus vel congregemus in horrea. Sed vult dicere: Auaculæ non sunt solicitæ de crastino, sed Deo suo fidunt. Quanto ergo magis vos Deo fidere debetis, qui tot habetis adminicula & prærogatiuas præ auiculis? Nam qui hodie est Deus vester, idem & cras erit, & in secula. 3. sumpta est ab inutili. Corpus habet suam demensam staturam. Quis eam dat? Non mater, non pater: non tuipse tua solicitudine: sed Deus. *Quis potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum*? Sed quid dico cubitum? Quis latum vnguem potest adiicere? Dauid non fies Goliath, si rumpatur. Sed Deus dat tibi tuam staturam, etiam te dormiente. Ita nisi Deus constituerit, quod sua benedictione quempiam diuitẽ facere velit: diuitias is aut non consequetur, aut erunt ipsi noxiæ. Hinc Salomon recte dixit Eccles. 9. v. 11. Vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec intelligentium diuitias, nec artificum gratiam: sed tempus & casum (diuinitus præfinitum & ordinatum) in omnibus valere. 4. Sumpta est à floribus, quæ respicit potissimum amictum nostrum. Hic rursus non proponit Israelitas, qui vestes suas in deserto quadraginta annorum spacio non attriuerunt. Deuter. 29. v. 5. Sed *lilia, quæ nec laborant, nec nent*, & tamẽ Salomonem in gloria venustate sua superant. Neruus autem argumenti in eo consistit, quod dicit: *gramen est hodie in agro, & cras in clibanum mittitur*, & tamen à Deo vestitur. Homo autẽ, maxime quoad animã, immortalitate est donatus. Quin & corpus eius mortale, immortale fiet. Quomodo ergo Deus hunc desereret? Deus vult hominum nuditatem contegi. Ac proinde cum Adamus ac Eua peccassent, ipse eos vestiuit. Tu ergo quoque licet peccaueris, tamen ad Deum conuertaris, & habebis sufficientia vestimenta. 5. Sumpta est à rei indignitate. Quæso dicas mihi, quid solicitudine tua efficias? Nihil aliud, quam quod Deum offendis, tibi ipsi molestus es, & ex Christianorum ordine rursus inter gentiles teipsum præcipitas. *Hæc enim omnia gentes mundi quærunt*. Et si ad hos reuersus fueris, certe etiam idem cum ipsis cœlum consequeris. Etsi enim de fide Christiana verbis multum glorieris, facto tamen ipso eam abnegasti. *Ideo* Chrysostomus recte solicitudinem vocauit famulam *desperationis*. 6. & vltima sumpta est à supernacaneo, *pater vester scit, quod istis indigeatis*. Nec hoc scit tantum: *sed etiam* scit, vnde ista desumere, & per quæ media vobis dare velit. Dei enim *scire* non est ociosum scire: quale vicini alicuius duri & immitis, sed quale benignissimi patris, qui indigentiæ nostræ succurrere vult. Is iam per annos 5500. vniuersum hunc mundũ, sine nostra solicitudine sustentauit & enutriuit: idem etiam sine nostra solicitudine nos alet.

His sex rationibus positis, quæ omnes cap. Harmon. LI. pericop. 7. plenius expositæ sunt, concludit: *Quin potius quærite regnum Dei &c.* Hæc est aurea vitæ regula. Non vult Christus, vt ignauo otio torpescamus, aut prorsus nulla cura tangamur: sed vt ante omnia summa illa cœlestia bona & diuinas diuitias quæramus. Per *regnum* autem *Dei* intelligit vniuersam salutis nostræ rationem, quæ per Euangelium nobis prædicatur. Vult ergo vt quotidie verbum Dei tractemus, Sacramentis legitime vtamur, pœnitentiam agamus, diligenter oremus, iuxta præscriptum verbi pie viuamus. Hoc fecere Patriarchæ; pij Reges, Prophetæ, Apostoli, quos Deus sufficienter aluit. Idem vos facite *& hæc terrena*, quoad victum & amictum, sub quibus etiam commoda habitatio comprehenditur, *vobis adiicientur*. Nam vt Iureconsulti dicunt (l. 2. ff. de iurisd.) cui conceditur principale eidem etiam accessorium concessum videtur. Si rex aliquem regni gubernatorem constituit, eidem concedit facultatem exercendi omnia iura, quæ ad officium illud sunt necessa: Ita si Deus nos æternæ vitæ hæredes scribit: vtique etiam largietur quæ ad externã

vitam

vitam conseruandam sunt necessaria. Discamus itaque serio pietati studere, & secure Deo nostro fidere, neque vnquam de paterna eius prouidentia male sperare. Non vidi iustum derelictum, canit Dauid Psalm.37.versic.25. nec semen eius quærens panem. Si credimus, ita & nos à Deo diligi, vt filium suum vnigenitum pro nobis dederit: quomodo non cum illo omnia nobis donabit? Rom.8.versiculo 32. Si Deus est benignissimus & nostri amantissimus pater: si Christus est beneuolus sponsus & diligens pastor: si Spiritus sanctus est fidelis amicus, pia mater & sedula nutrix: si sacrosancta Trinitas est ditissimus Rex: quomodo eorum poterit obliuisci, quos portat in suo vtero, quos gestat in suo sinu, Iesa.46.v.3. & quos in manibus suis descriptos habet? Esa.49.v.16.

Hic vero obiiciat quis multiplicem rerum experientiam, qua videmus, multis fidelibus Christi seruis *hæc* non esse *adiecta*. Paulus ipse de iustis scribit. Hebr.11.versic.37. circumierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus mundus non erat dignus. Et de seipso dicit in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. 2. Corinth.11. versic.27. Nunquid Paulus non *quæsiuit regnum Dei*? Certe, si quisquam alius, ipse quoque quæsiuit, vt qui sustinuerit solicitudinem omnium Ecclesiarum. Cur ergo *reliqua* non *sunt adiecta*? Omnino sunt ipsi adiecta. Nam loco cibi externi, Deus adiecit quasi animum, omni victu & amictu longe maiorem & excellentiorem, nimirum *αὐτάρκειαν*, sorte sua probe contentum. Da tu mihi talem animum, & ego tibi regias opes relinquam. Vter enim ditior est? Isne qui cibo abundat, & tamen dolet ac tristatur: an vero qui cibo quidem caret, sed interim gaudet ac hilaris est? Certe hic. Talis autem fuit Paulus. Ideo de seipso scribit, Philip.4.v.11. Ego didici, in quibus sum, *αὐτάρκης* [illegible], in iis contentus esse. Scio & humiliari, scio & abundare: vbique & in omnibus institutus sum, & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat.

Talem *αὐτάρκη* animum vt Christus omnibus suis discipulis instillet, nunc porro per *[illegible]* admodum *[illegible]* eos compellat, dicens: *ne time pusille grex, quia complacitum est Patri vestro dare vobis regnum.* Multi enim sic sunt affecti, vt famem, nuditatem, egestatem & penuriam cum paupere Lazaro haud grauatim se laturos affirment, si modo cœlestis regni se certo participes futuros nouissent. Etenim saluti nostræ obstare videntur multi, magni, potentes, & astuti hostes, qui miris artibus & technis nobis regnum illud *Dei* & in eo paratam salutem, interuertere conantur. Satanas difficulter nos dimittit ex suo regno, & semel ex eo ereptos mille modis retrahere cupit. Mundus quoque persequitur eos, qui semel ab ipso secessionem fecerunt, & prauo suo exemplo multos rursus seducit. Quin & propria caro ad malum prona, & cor hominis dolosum & ærumnosum est super omnia Ier.17.vers.9. Vt enim secundis effertur, ita aduersis deiicitur. Quis cognoscet illud, vt tutus & certus sit, se ad finem vsque perseueraturum, atque sic finem fidei suæ, quæ est vita æterna, consecuturum? Aduersus huiusmodi tentationes Christus hic efficacissimam consolationem præbet: *ne time pusille grex.* Alloquitur suos Apostolos duodecim, septuaginta discipulos, & reliquos vere fideles, qui ex Galilæa & aliunde accesserant: Hos vocat *τὸ μικρὸν ποίμνιον pusillum gregem*: quia collatione cum Sacerdotibus, Pharisæis & reliquo Iudæorum cœtu instituta, & numero sunt pauciores, & æstimatione viliores. Hos tamen *timere* vetat, quin potius optime sperare iubet. *Quia complacitum est Patri vestro vobis dare regnum. Vobis*, quos mundus indignos iudicat, vt eos terra ferat; aut qui communi cum aliis aëre fruantur. Vobis vult cœlestis Pater *dare regnum*: huius nomine intelligit æternam salutem & beatam immortalitatem, in qua omnis dolor & gemitus cessabit, & omnis lachryma abstergetur. Cur vero dabit? *ὅτι εὐδόκησεν quia placuit*, hoc est, ex libera & gratuita sua misericordia. Vnde vero hæc gratia Dei prouenit? quis eam promeruit? Nos non: sed Christus filius Dei, qui *τὸ μικρὸν ποίμνιον pusillum gregem* sanguinis sui merito acquisiuit Iohan.10.versic.11. ac postea eidem pastores ac custos datus est.

Ex his patet, quodnam sit verum & solidum Ecclesiæ Christi fundamentum. Iesuitæ illud ponunt in multitudine, authoritate, antiquitate, potentia & similibus. Illud si verum esset, falsa foret hæc Christi consolatio. Nam omnino Iudæorum fuerunt plures, quam discipulorum Christi: Pontifices maioris fuerunt authoritatis, quam Apostoli: Sacerdotes de antiquitate & successione plus gloriari poterant, quam 70. discipuli: Sed Christus friuolum hoc fundamentum reiicit, dum Ecclesiam suam vocat *pusillum gregem*. Nam omni tempore, inde ab orbis initio, hæc veræ Ecclesiæ sors fuit, quod respectu Ecclesiæ malignantium exiguus cœtus fuit. Ante diluuium Caini posteritas floruit: Sethi ad octo animarum numerum redacta est, quæ in diluuio seruatæ fuerunt. Elias se solum superesse existimauit: & licet audiret, Deum sibi reseruasse septem millia eorum, qui genua sua non curuarunt coram Baale: tamen quid sunt septem millia collata ad innumeras myriades reliquorum Israelitarum? Et Iesaias dicit cap.10.v.22. quod & Paulus repetit Rom.9.v.27. Etiamsi numerus fuerit filiorum Israel vt arena maris, tamen *τὸ κατάλειμμα*, reliquiæ (qui respectu reliquorum pro quisquiliis habentur) tantum saluabuntur. Est ergo falsum, arenosum, & ruinosum Iesuitarum fundamentum, quo Ecclesiæ suæ certitudinem super multitudine adhærentium & sectantium fundatam esse contendunt.

Christus Seruator noster in hoc breui dicto etiam duo alia fundamenta Ecclesiæ monstrat: 1. Primum est æternum Dei Patris *beneplacitum*, quo *κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ* ex paterno affectu suæ voluntatis nos in Christo Iesu dilecto suo filio elegit, antequam mundi fundamenta iacerent, & prædestinauit, vt nos per ipsum in filios eligeret, vt Paulus Eph.1. vers.4. loquitur. Hoc fundamentum Dei solidum *stat* & firmum est habens signaculum hoc: nouit Dominus qui sint sui, 2.Tim.2.vers.19. Idque adeo solidum & firmum est, vt vel decem diabolorum myriades atque omnes inferorum portæ non possint præualere. Matth.16.versic.18. Consilium enim Domini in æternum stat: decretum cordis eius in generatione & generationem canit, Dauid Psalm.33.vers.11. Et Iesaias dicit, cap.14.vers.27. Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? manus eius est extenta, & quis auertet eam? Summa itaque hæc nostra & omnium membrorum Ecclesiæ consolatio est, quod salus nostra non dependet ex nostra dignitate vel indignitate, nec ex nostris meritis vel operibus: alioquin male de ea speraremus, sed fundata est in libera & gratuita Dei voluntate. Si cœlesti *nostro Patri*, omnipotenti Deo, qui ius & imperium habet in omnes creaturas, *placuit nobis dare regnum*, quis impediet? 2. Ne vero hoc Dei decretum absolutum statuatur aut misericordia eius talis fingatur, quæ cum iustitia ipsius pugnet: Christus etiam alterum fundamentum Ecclesiæ & eiusdem salutis monstrat, in suo merito, qui Dei Patris gratiam & misericordiam nobis sanguine suo acquisiuit. Et huc respicit, dum auditores suos vocat *ποίμνιον gregem*. Vbi est *ποίμνιον*, ibi est *ποιμήν*: vbi *grex*, ibi *pastor*: Hic autem pastor est æternus Dei filius, quem cœlestis pater iam olim, imo ab æterno huic muneri destinauit. Per Iesaiam c 40.versic.10. Ecce Deus vester, Dominus Iehoua in fortitudine veniet, & merces eius cum eo. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinum suum leuabit: fœtas ipse portabit: Inprimis autem Ezechiel cap.35. prolixe de hoc pastore agit. Hic ergo Dei filius in plenitudine temporis carnem humanam induens, fidelis noster pastor factus est; qui animam suam posuit pro ouibus Iohan.10.versic.11. easque ex infernalis leonis faucibus, qui in æternum ipsas perditas volebat, eripuit. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: Amos 3.versic.12. Sic eruit nos hic fidelis pastor ex faucibus orci. Hoc fundamentum rursus firmum est, & solidum, quia hic pastor est potentissimus & inuictus, sicut ipse apud Iohannem dicit cap 10.versic.28. non rapiet oues meas quisquam de manu mea. Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est: & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater vnum sumus.

His ita positis, Christus hunc suum *pusillum gregem* officij sui admonet, & ad præsens institutum accommodans, dicit: *vendite quæ possidetis & date eleemosynam.* Vult dicere; Vos, qui Christiani & veri mei discipuli estis, vsque adeo de cœlestis mei Patris prouidentia non diffidere, sed certo credere debetis, quod vobis victum & amictum reliquaque vitæ necessaria communicaturus sit; vt iubeam vos etiam ea, quæ ex patrimonio possidetis vendere, & sicubi miseros & egenos, opem vestram desiderantes, videtis, ex commiserationis affectu ipsis erogare. Hoc vos vsque adeo non ad inopiam adiget, vt potius hac ratione *paraturi sitis sacculos qui non veterascunt*, nimirum manus pauperum, in quas facultates positæ nunquam pereunt. Hi enim olim in nouissimo die, coram tribunali meo de vestra beneficentia testabuntur, ibi inuenturi estis remunerationem fidelissimum: qui vos in æterna recipiet tabernacula. Luc.16.v.9. Sic *in cœlis* habituri estis *thesaurum non deficientem*. Domino enim, vt noster fœneratur, qui miseretur pauperis, & retributionem suam reddet ei Prou.19. versic.17.

Quicquid autem in huius Domini manus repositum est, illud fideliter custodietur. Nam eo *fur non accedit, nec tinea corrumpit.* Sic habebitis *thesaurum in cœlis*. Et *vbi thesaurus vester est, ibi etiam cor vestrum erit.* Sic relictis terrenis & [illegible] diis cœlestia meditabimini: & cœlestis vitæ desiderio inflammati vitam viuetis Christiana professione dignam. Sursum corda vestra leuabitis: quæretis ea quæ sursum sunt, vbi Christus est ad

dextram Dei sedens: sapietis ea, quæ sursum sunt, vbi est *thesaurus vester*, hoc est, summum vestrum bonum: non sapietis, quæ sunt super terram. Gal. 3. v. 1.

Hunc verum huius loci sensum esse, tum ex circumstantiis omnibus, cum ex iis, quæ in sextum caput Matthæi cap. LI. huius Harmoniæ, peric. 7. prolixius dicta sunt, tum ex iis, quæ iuuante Domino Luc. 14. etiam dicentur, manifestum est. Neque enim Christus hic vult Platonicam omnium bonorum communionem introducere, qualem hodie Anabaptistæ vrgent: neque etiam voluntariam paupertatem vult docere; qualem Monachi vouent, quorum quibusdam religio est pecuniam manibus contrectare; multo minus impiam profusionem bonorum, eorumve dilapidationem: Sed auaritiæ vitium vult taxare, & vicissim beneficentiæ studium commendare. In qua virtute exercenda animi promptitudinem requirit: Ideo vtitur verbo *vendite*. Quæ enim vænum exponimus, ea omnino distrahi cupimus, & emptores nobis obtingere gaudemus. In eodem sensu vsus est Dauid in Psalm. 112. versic. 9. verbo *disposit*, & dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Et hoc est, quod Paulus scribit. 2. Corinth. 9. versic. 7. hilarem datorem diligit Dominus. Cumque temporalia bona multis modis corrumpi possint. Metalla enim rubigine exeduntur, vestes preciosæ à tineis arroduntur: fruges in horreo & granario à muribus deuorantur: vina in doliis acescunt: pecora morbis contabescunt: omnia denique *a furibus*, raptoribus, & prædonibus eripi possunt. Cum ergo, inquam, opum acquisitio laboriosa, earundem possessio periculosa, iactura denique dolorosa sit, & mille modis excruciet, Dominus Iesus optimam, facilimam & fructuosissimam thesauros colligendi rationem edocet: nimirum vt facultates nostras in manus pauperum deponamus, qui necessitatem suam subleuantes olim de nostra misericordia in cœlis testabuntur, vbi remunerationem amplissimam accepturi sumus. Pie itaque & secundum huius doctrinæ sensum recte Laurentius martyr tyranno, Ecclesiæ thesauros postulanti, dixit: Facultates Ecclesiæ quas vos requiritis, manus pauperum in cœlestes thesauros deportarunt.

QVARTVM MEMBRVM.

Adhortatio ad vigilem expectationem regni cœlestis.

LVC. 12.

35. Ἔστωσαν ὑμῶν αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι, καὶ οἱ λύχνοι καιόμενοι.

36. Καὶ ὑμεῖς ὅμοιοι ἀνθρώποις προσδεχομένοις τὸν κύριον ἑαυτῶν πότε ἀναλύσει ἐκ τῶν γάμων, ἵνα ἐλθόντος καὶ κρούσαντος, εὐθέως ἀνοίξωσιν αὐτῷ.

37. Μακάριοι δοῦλοι ἐκεῖνοι, οὓς ἐλθὼν ὁ κύριος εὑρήσει γρηγοροῦντας. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι περιζώσεται καὶ ἀνακλινεῖ αὐτούς, καὶ παρελθὼν διακονήσει αὐτοῖς.

38. Καὶ ἐὰν ἔλθῃ ἐν τῇ δευτέρᾳ φυλακῇ, καὶ ἐν τῇ τρίτῃ φυλακῇ, καὶ εὕρῃ οὕτω, μακάριοί εἰσιν οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι.

39. Τοῦτο δὲ γινώσκετε, ὅτι εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης, ποίᾳ ὥρᾳ ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἄν, καὶ οὐκ ἂν ἀφῆκε διορυγῆναι τὸν οἶκον αὐτοῦ.

40. Καὶ ὑμεῖς οὖν γίνεσθε ἕτοιμοι, ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται.

35. *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ accensæ.*

36. *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis, & cum venerit ac pulsauerit, confestim aperiant ei.*

37. *Beati serui illi quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget & faciet illos discumbere, & abiens ministrabit illis.*

38. *Et si venerit in secunda vigilia, & in tertia vigilia venerit, & inueniet ita, beati sunt serui illi.*

39. *Hoc autem scitote, quod si sciisset paterfam. qua hora fur venturus fuisset, vigilasset vtique, nec passus fuisset perfodi domum suam.*

40. *Et vos igitur estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.*

Expositio huius membri.

QVi statuunt Christum hoc membro pene summam totius Christianæ Philosophiæ (Philosophiæ vocabulo in sano sensu, de studio & amore cœlestis sapientiæ, vsurpato) comprehendisse; illi mihi nequaquam à vero scopo aberrasse videntur. Vt enim humana philosophia, vel quæcunque alia disciplina, quæ ad certum aliquem finem destinatur, tribus potissimum partibus constat. Vna, expositione finis: altera monstratione mediorum, quæ ad finem consequendum ordinantur: tertia remotione obstaculorum, quæ à fine abducunt. Verbi grati, Aristoteles in Ethicis, vbi vitam & mores hominum formare docet; in primo libro de summo hominis bono, de eius fine & perfectione, & de optimo atque felicissimo statu differit. Deinde de omnis generis virtutibus late disputat, per quas ad eum finem peruenitur. Denique etiam à vitiis dehortatur, quæ impediunt, quo minus homo suam perfectionem consequi possit. Et hæc ipsius methodus à nemine recte sentiente reprehendi potest. Quod vero Philosophus vix decem libris & quidem imperfecte absoluit: idem Christus in hac breui pericope paucis verbis, methodo paululum immutata, absolutissime comprehendit. Finem quippe humanæ vitæ, quem secundo loco ponit, longe certius quam Aristoteles constituit, dum de insigni humanitate cœlestis Domini erga fideles, vigilantes & obsequentes suos seruos loquitur. Media autem quibus ad hunc finem peruenitur, præmittit, atque eorum hoc loco tantum tria ponit, ad quæ reliqua omnia, quæ ad hanc rem faciunt, referri possunt: nempe lumbos præcingere, ardentes lucernas gestare, & vigilanter Domini aduentum præstolari. Denique subiungit etiam periculum & damnum, in quod incident illi, qui hæc media negligent, & imparati deprehenduntur. Nos singula eo ordine, quo Christus proposuit, inspiciemus.

I. Finis hominis Christiani est vita æterna, *immortalis illa*, incorruptibilis, *ἀμίαντος καὶ ἀμάραντος* hæreditas, *quæ in cœlo* nobis asseruatur. 1. Petr. 1. vers. 4. Hæc beata vita cum alibi in scripturis, tum hoc loco *nuptiis* confertur: partim quia in ea nullus dolori, luctui aut lachrymis locus est, sed solidi & perpetui gaudij plena sunt omnia, partim quia æternus Dei filius Ecclesiam, suam sponsam, vere in ea sibi adiunget, vt bonorum ipsius omnium particeps & consors fiat. Ad has cœlestes *nuptias Dominus noster* Iesus Christus vnicus sponsus iam præiuit. Iam enim in cœlis, quia parata sunt omnia Luc. 14. vers. 17. beatissimas illas nuptias peragit cum sanctis omnibus, qui in vera fide iam inde ab exordio mundi ad hunc vsque diem decesserunt, & ad beatas illas sedes cum patribus collecti sunt. Nos interim in his terris sumus *serui expectantes, quando Dominus noster reuersurus sit à nuptiis*: Neque enim in cœlos abiens sic mundum deseruit, quasi suorum fidelium nullam curam ageret: quin potius sancto suo spiritu ipse quoque præsens nobis semper adest, nos regit & tuetur, & vnumquemque suo tempore, quando ipsi placet, ex ergastulo huius mundi euocat, ad se recipit, & ad cœlestes illas nuptias transfert. Sicuti ipse Iohan. 14 vers. 2. discipulis suis dixit: in domo patris mei mansiones multæ sunt: & ego abeo parare vobis locum: & si abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego & vos sitis.

Quid vero interim serui facere debent, vsque dum Dominus reuertatur, vt vel singulos particulatim, vel omnes coniunctim ad nuptialem illam cœnam quoque adducat? *Similes sint hominibus expectantibus. Expectationis* vocabulo obedientiam,

dientiam, cum constanti patientia coniunctam, intelligit: ne quis fidelium, nisi à Domino vocatus est statione sua discedere cupiat. Mundanis quidem hominibus & filiis huius seculi volupe est, diu in hoc mundo durare: & si à Deo impetrare possent perennitatem, ipsi & angelis eius cœlum relinquerent. Nam iam ante in corde suo percusserunt fœdus cum morte, & cum inferno fecerunt pactum. Ies. 28. vers. 15. Sed quod pios & fideles Christi seruos concernit, illi præter continuos labores & afflictiones perpetuam sustinent luctam cum Satana, mundo & carne propria, assidue sentiunt foris pugnas, intus terrores. 2. Corinth. 7. versic. 5. Quisque enim fere credentium suum habet Satanam colaphizantem. 2. Corinth. 12 versic. 7 Vnde sæpe multi cum Iobo dicunt, cap. 10. vers. 1. Tædet animam meam vitæ meæ. Aut cum Elia. 1. Reg. 19. v. 4. Sufficit Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam Patres mei. Sed hic opus est fide & patientia sanctorum. Apoc. 13. v. 10. Quod ergo sanctis animabus sub altari, vltionem sanguinis sui petentibus, dictum est, vt adhuc tempus modicum requiescant, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui sunt interficiendi, sicut & illi, Apoc. 6. v. 10. Idem singuli Christiani sibi quoque dictum putent, ac proinde patienter *expectent*, non Deo præscribant, quando ipsos euocare debeat: multo minus in cruce aduersus ipsum murmurent: quin potius cum Dauide, cui quoque tædiosum fuit, tam diu expectare, vsque dum à Saulis persecutionibus liberaretur, animam suam sic alloquantur: Sile Domino, & expecta eum. Psal. 37. v. 7. & rursus Psal. 27. v. vlt. expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & expecta Dominum.

At quo modo Dominus hic est expectandus? Inueniuntur enim serui, qui quidem sciunt heros suos domum reuersuros: ipsi vero interim securi genio suo indulgent, petulantes sunt, & multa Dominis suis indigna committunt.

Tria ergo Christus requirit. 1. *Sint lumbi vestri præcincti.* Hisce verbis vult innuere, singulos, quandocunque ex hoc mundi ergastulo euocantur, promptos, paratos & ad emigrandum expeditos esse debere: ne mortem timide & impie fugiant, aut illegitimis mediis declinent, aut cum vxore Lothi retro in hunc mundum spectent: sed iuxta voluntatem Dei ipsum sequantur. Loquitur autem secundum morem Orientalium populorum, qui longis & laxis vestibus vsi sunt. Quoties igitur vel iter ingressuri, vel cum luctatore aliquo pugnaturi, vel operis quid peracturi erant: toties se succingebant, vt paratiores essent. Sic Elisæus Propheta dixit 2. Reg. 4. vers. 29. Giezi famulo suo: succinge lumbos tuos, hoc est, fac vt expeditus sis, & diligens ad opus quod tibi præcipio: & Deus dixit Iobo cap. 40. versic. 2. accinge sicut vir lumbos tuos, hoc est, esto expeditus, fortis & virilis animi teipsum ostende. Cum ergo tota vita hominis Christiani in hoc mundo sit mera peregrinatio versus cœlestem patriam: cum sit militia super terram: & dies eius sint sicut dies mercenarij: Vtique omnes Christiani succinctis lumbis esse debent. Gregorius hæc verba Christi ita accipit, quasi is omnem carnis lasciuiam & intemperantiam pudicitiæ atque timoris Domini cingulo stringere iubeat. Et sane verum est, quod originalis concupiscentia fere nullibi vehementius sæuiat, quam in libidinis affectu. Iccirco hic potentissimus hostis quam maxime domandus est. Verum, quia non solum impudicitiæ crimen, sed etiam omnia alia lethalia crimina profliganda sunt, si quis cœlestis Domini aduentum secura mente expectare velit: Ideo rectius fecerimus, si hanc lumborum præcinctionem ad omnia illa extenderimus, quæ nobis vel iter pietatis ingressuris, vel cum affectibus carnis pugnaturis, vel Domino per mortem nos euocanti occursuris, impedimento esse possunt, quominus prompti & expediti voluntati ipsius satisfaciamus. Inter quæ impedimenta, cura rerum terrenarum, quam deponendam esse hactenus Dominum docuit, non minimum est. Certe diues ille, qui horrea priora destruere & ampliora ædificare, atque insuper edere, bibere, gaudere volebat, lumbos suos non præcinxit. Nihilominus ex hoc mundo discedere coactus est, sed non expedite nec cum bona sua voluntate discessit.

2. Quia vero non satis est abstinere à malis impedientibus, nisi bonum etiam facias, subdit Dominus: *sint lucernæ ardentes. Lucernæ* nomine verbum Dei, & fidei lumen per illud accensum, merito intelligimus. Sic enim Dauid: Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis Psalm. 119. versi. 105. Et Salomon: Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. Prouerb. 6. versic. 23. Cum enim natura versemur in magna caligine rerum maxime diuinarum: ideo ne idem nobis accidat, quod illis qui in tenebris sine tædis vel face aliqua ambulent, vt quo festinantius progrediuntur, & longius à scopo aberrent: Deus nobis faciem verbi accendit, vt iuxta illius præscriptum iter nostrum tam in vita quam in morte instituamus, si sursum versus recta ad palmam supernæ vocationis Dei, quæ in Christo Iesu est, ferri velimus. Phil. 3. versic. 14. De hisce lucernis in vulgata versione additum est *in manibus vestris*. Sed hæc verba in nullis Græcis exemplaribus inueniuntur: & tamen non male subintelliguntur. Faces enim accensas, neque in *capite*, neque in *ore*, sed in *manibus* gestamus. Sic ergo non sufficit nuda professio verbi diuini, sed decet, vt omnes nostræ vitæ actiones iuxta eius regulam instituantur & dirigantur. Ita vt corda nostra, pulsis ignorantiæ & errorum tenebris, vera fide sint illuminata: vt ora quoque nostra eandem fidem ingenue & intrepide confiteantur, (corde enim creditur ad iustitiam & ore fit confessio ad salutem: Roman. 10. versi. 10.) manus denique nostræ ad opera charitatis præstanda sint expeditæ: ne vel in tenebris errorum impingamus aut deuiemus, vel lampades nostræ cum fatuis virginibus inueniantur extinctæ, sicque cum sponso & sponsa ad cœlestes nuptias intrare nequeamus. Matth. 25. versic. 12. Hæc gestatio lampadum accensarum probe est attendenda. Nam sunt qui legem Dei tantum in mente & in ore, non autem in manibus gerunt, qui vocem quidem habent Iacob, manus autem Esau. Genes. 27. vers. 82. His dicit Saluator Luc. 6. versic. 46. quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico? & Matth. 7. vers. 21. Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis. Voluntas Domini ex præceptis ipsius nobis nota est: sed opera danda, vt non in ore solum & memoria ea, sed & in manibus gestemus: operè exhibentes quod verbis profitemur. Sic enim ardentes lucernas manibus habentes, etiam hominibus fidem nostram in corde latentem conspicuam reddimus, vt videntes opera nostra bona, glorificent Patrem nostrum, quem in cœlis habemus. Matth. cap. 5. vers. 16. Neque vsquam cœlestis Patris gloria magis elucet, quam in his, qui sanctitatis & iustitiæ cultu, bonitatis eius imaginem referunt.

3. His tertium subiungit Dominus, quod vult vt serui, *cum Dominus venerit ac pulsauerit, confestim aperiant ei.* Hoc si fieri debeat, omnino necesse est, vt serui non dormiant, non helluentur, sed vigilent. Ideo concinne addit: *Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Venit* autem *Dominus & pulsat*, non vno modo, sed duobus. Primo *pulsat* per verbum suum, dum adhuc in mundo viuimus, & per illud nos ex errorum tenebris atque vitæ improbitate ad veram & salutarem pœnitentiam reuocat. De hac pulsatione ipse dicit Apoc. 3. versic. 20 Ecce sto ad ostium & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Apud Iohannem item cap. 14. v. 23. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Hic ergo, quando Christus nobis verbum salutis offert, atque sic fores no[illegible] pulsat, cauendum, ne ipsum excludamus neque priuatim n[illegible]ublice: sed intromittamus, quia vna cum verbo nobis a[illegible]hesauros vitæ æternæ. Hic regibus & principibus ex Psalm. 24. v. 7. dicitur; attollite portas, principes, vestras, & eleuamini portæ æternales. & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens. Dominus potens in prælio. Hoc est, pij principes reformationem suarum Ecclesiarum instituere, abominationes idololatriæ & superstitionum, falsæ doctrinæ atque humanarum traditionum eliminare, & prædicationi synceri verbi diuini locum dare debent. Deo æterno Patri Domini nostri Iesu Christi æternam agamus gratiam, quod inuictissimi Imp. RHODOLPHI II. animum sic gubernauit & illuminauit, vt hoc 1609. anno, mense Iulio, Cæs. ipsius Maiestas tribus statibus regni Bohemici liberum verbi diuini & Sacramentorum exercitium, iuxta Augustanam Confessionem, concesserit. Deus hoc bonum & conseruet, & confirmet. Sed ô bone Iesu, quot reges & principes in orbe terrarum inueniuntur, qui te portas regnorum ipsorum Euangelio tuo pulsantem hostiliter reiiciunt, qui Euangelium tuum igne ferroque persequuntur, & ne minimum quidem angulum, in quo libere prædicari possit, concedunt? Sed æterno cum suo damno olim experientur, cui vel maxime nocuerint. Priuatis quoque hic dicitur, quando Deus per verbum ipsorum conscientias pulsat, & de peccatis, quibus indormiunt, admonet, ne pœnitentiam differant: hortatur atque vult ne pessulum obiiciant, aut corda sua amplius indurent: sed hodie quamprimum vocem ipsius audiuerint, toto pectore ad ipsum conuertantur. Psalm. 95 versic. 8. Id enim nisi fiat, minatur Dominus Prouerb. 1. versic 24. Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit.

Deinde *venit* etiam *Dominus*, cum ad iudicium properat; & *pulsat*, quando per ægritudinis molestiam mortem vicinam esse significat. Cui *confestim aperimus*, quando placide, prompte, & bona cum voluntate eum suscipimus. Quando cum Simeone dicimus: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Luc. 9. v. 29. cum Paulo: desiderium habeo dissolui & esse cum Christo. Phil. 1. v. 23. cum Dauide: conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefaciet tibi. Ps. 116. v. 7. Qui vero de corpore exire trepidat, qui iudicem, quem meminit se contempsisse, videre formidat, ille *pulsanti non vult aperire*.

Cæterum qui Domino pulsanti aperire debet, illum *vigilare* oportet. Loquitur autem non de vigiliis corporis, sed de vigilantia animæ: quæ tamen cum corporis vigilantia fere per omnia conuenit. Consistit ea, vt omnes sani intelligunt, in sensuum, oculorum, oris, manuum & pedum officio. Ita, qui spiritualiter vigilare velit, audiat verbum Dei, videat opera Dei, attendat ad exempla iudiciorum diuinorum, diligenter denique manibus pedibusque exequatur officia pietatis & charitatis, quæ verbum Dei requirit. *Vigilat* enim, vt D. Gregorius ait: qui ad aspectum veri luminis, mentis oculos apertos tenet. *Vigilat*, qui seruat operando, quod credit. *Vigilat*, qui à se torporis & negligentiæ tenebras excutit. *Vigilat* denique, qui in continua dominici aduentus expectatione est, datque sedulo operam, ne vllam pulsanti Domino moram faciat, & ne quid intra pectoris sui domum sit, quod oculos intrantis offendat. In quo quidem opere sic intentus est, vt nusquam alio declinet, & nunquam ita rebus ad huius vitæ vsum pertinentibus prospiciat, vt hanc à se curam abiiciat. Talem animum se habere D. Hieronymus testatus est, quando dixit: siue comedam siue bibam, semper auribus meis illa vox insonare videtur: surgite mortui, venite ad iudicium. Hæc de officio seruorum, qui ad æternam beatitatem & veram felicitatem contendere cupiunt, dixisse sufficiat.

II. Iam sequitur qualis sit futura illa beatitudo, & quodnam præmium, quod Christus promittit seruis vigilantibus & confestim aperientibus: *amen dico vobis quod præcinget se & faciet illos discumbere, & παρελθὼν accedens ministrabit illis*. His paucis verbis summam beatorum hominum gloriam Dominus ostendit. Quæ enim maior & excellentior gloria excogitari potest, quam quod rerum omnium conditor & Dominus se in eorum obsequium præcingere & ministrare dicatur? Ambitiosus Hamanus, cum ad summum honoris gradum aspirare vellet, non ausus fuit petere, vt ipsi rex Ahasuerus honorem ministrandi exhiberet: sed iudicauit eum, quem Rex honorare velit, contentum esse debere, si vnus ex præcipuis regiis proceribus & principibus equum ipsius ministerij causa ducat. Esth. 6. versic. 8. Hic vero ipse Rex Regum *suis ministrabit*. Quo orationis genere nihil humile aut terrenum, sed mere sublimia & cœlestia [illegible]are debemus. Neque enim in cœlo corporeæ men[illegible]ensarum recubitus & earum ministeria sunt. Qui[illegible]go Dominus hoc loquendi genere indicare voluit? Certe nihil aliud, quam quemadmodum ipse hactenus in cœlestibus nuptiis immortale & ineffabile gaudium habuerit: ita nos ad easdem nuptias adhibitos iri, & pari gaudio, cum summo quodam honoris & dignitatis gradu, multoque maiore, quam mens humana concipere possit, gauisuros. Vt sic vigilantibus & piis seruis, qui ministeria sua in hoc mundo fideliter Domino suo Iesu Christo præstiterunt, ipsorum fides & constantia cœlesti ministerio compensetur.

Cælesti Domino simus seruire parati:
In cælis merces nos bene larga manet.

Sicuti Christus ipse in Apocalypsi dixit: cap. 3. vers. 10. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Et cap. 3. vers. 21. Qui vicerit dabo Ego sedere ei mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius. Sicut ergo summus honor esset, si rex aliquis maximus seruo suo ad mensam accumbenti serio (non in scena aliqua vel comedia) seruiret: ita Christus inestimabilem quendam honorem, quo vigilantes suos seruos in regno suo ornaturus sit, superioribus illis verbis designare voluit. De quo honore postea etiam dicit. Iohann. cap. 12. vers. 26. Si quis mihi ministrat, sequatur me: Et vbi Ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.

Epulum autem illud cœleste, in quo Christus nobis ministrare vult, nuptiis, & quidem regalibus, confert. Rex si nuptias solennes celebrare velit, nihil intermittit eorum, quæ ad exhilarandos hospites, aut ad ostentandam pompam & magnificentiam facere posse videntur: ibi gaudia gaudiis, delicias deliciis cumulant, tantum vt lætitiam & iucunditatem nuptialis festiuitatis reddant excellentiorem. Diligentissime conquirunt omnia, etiam rara & exotica, quæ omnium sensuum voluptatem titillare possunt. Nempe cibos lautissimos, qui palatum alliciant: aulæa speciosa & frondentium arborum amœnitates, quæ oculos pascant: cantus musicos & tibicines, qui aures mulceant: coronas ex floribus & vnguenta preciosa, quæ odore suo nares reficiant: dicaces homines & moriones, qui risum moueant: eloquentes & eruditos viros, qui sapienter dictis & grauioribus sententiis intellectum instituant: amicos denique qui conspectu & conuictu suo animum recreent atque oblectent: Quibus rebus fit, vt nullus pene sensus nulla animæ vis, nulla facultas sit, quæ sua voluptate non fruatur. Hoc ita quasi in imagine proponitur, vt inde vtcunque cœlestis gloriæ magnitudinem coniectare liceat. Nam & ibi nullus in corpore sensus, nulla in anima vis erit, quæ non suam, & quidem summam, non ad horam (vt illa conuiuantium) sed in omnem perpetuitatem perceptura sit voluptatem. Ibi erit Deus omnia in omnibus. 1. Corinth. 15. versiculo 28. & idem Deus erit speculum visui, cithara auditui, mel gustui, balsamum olfactui, rosa tactui. Ibi iuxta Augustinum nihil deerit, nihil oberit, nihil effluet, nihil defluet: nihil erit extra, quod appetatur: nihil erit intra, quod fastidiatur. Ibi vere implebitur id, quod Deus dixit Moysi Exod. 33. vers. 19. *Ego ostendam tibi omne bonum*. Meminerimus hic, quid supra in historia transfigurationis dominicæ de Petro audiuerimus. Is pulcherrimam & iucundissimam sacræ humanitatis Christi gloriam, & duorum sanctorum Mosis & Eliæ cum eo conuersationem, conspiciens; tanta lætitia completus fuit, vt omnium mundanorum oblitus, & quid diceret nesciret, tria tabernacula fabricari petierit, quo perpetuo ibi hæreret, atque Domini gloriam contemplaretur. Quod si ergo illa gloriæ, vt sic dicam, guttula, sic ipsius animum adhuc in carne degentem affecit: quid abundantissimum illum supernæ voluntatis torrentem, quo fidelis anima ab vbertate domus Dei inebriatur, facturum putabimus? De his vtcunque balbutire, sed mente plene eadem comprehendere non possumus. Nam quæ Deus præparauerit diligentibus se, illa Ies. 64. v. 4. & 1. Corinth. 2. vers. 9. dicuntur:

Οὔτ' ἐπιδερκτὰ τάδ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐπακουστά,
Οὔτε νόῳ περιληπτά.
Non oculis possunt homines, non auribus ista,
Non comprendere mente.

Fide non capitur, vt inquit Augustinus, quod Deus promittit, spe non attingitur, charitate non comprehenditur: desideria & vota transcendit: acquiri potest, æstimari non potest. Ibi erit affluentia diuitiarum, influentia deliciarum, & confluentia omnium bonorum. O quas tum laudes, quas gratiarum actiones pro tanto beneficio agemus? quæ amoris oscula sacris illis Iesu stigmatibus, per quæ beatam illam salutem consecuti sumus, figemus? Quo affectu voces illas, grati animi indices, cum vniuersa triumphante Ecclesia, intonabimus? dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem & gloriam, & benedictionem. Apoc. 5. versic. 12. Quamobrem? Quoniam occisus est, & redemisti nos *Deo in sanguine tuo*, ex omni tribu, & lingua, & populo, & *natione*: & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Ibidem vers. 9.

De his & similibus cogitandum est illis, qui finem suum, vitam æternam consequi cupiunt. Et quoniam mors pallida æquo pede pulsat pauperum tabernas regumque turres, nulli Christianorum ipsius pulsatio sit formidabilis: quin potius quisque alacri animo ad Christum, tanquam ad nuptias pergat: quia *beati serui illi*, qui sic euocantur. Ipsa enim mortis hora optatum finem imponit omnibus laboribus, & initium est omnis felicitatis. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Etiam dicit spiritus, quoniam requiescunt à laboribus suis, & opera eorum sequuntur eos. Apoc. 14. vers. 13. Tum enim consequuntur suum præmium, quod Dominus vigilantibus seruis promittit, quod vbi consecuti fuerint, plenissime conquiescent.

III. Cæterum, quia sapientissimus ille rerum arbiter, cui omne cor patet, & omnis cogitatio loquitur: qui spirituum ponderator, & omnium cogitationum atque intentionum cordis discretor est, Prouerb. 16. vers. 2. & Hebr. 4. vers. 12. non ignorat, quam tardi & segnes natura simus in iis rebus, quæ salutem nostram æternam concernunt. Ideo nolens nos in re tanti momenti (in qua non res pecuaria aut pecuniaria, sed æterna vita in discrimen vocatur) negligenter agere, nos de periculo, quod periculorum omnium maximum est, admonet, si veniens Dominus nos dormientes vel imparatos deprehendat. Vtitur autem exemplo siue similitudine appositissima. *Hoc autem scitote, quod si sciret paterfamilias qua hora fur*

fur venturus fuisset, vigilasset vtique, nec passus fuisset perfodi domum suam. Inest his verbis argumentum à minori ad maius. Vult Dominus dicere: Aliàs patresfamilias tanta cura rerum domesticarum tenentur, vt si de fure venturo admoneantur, totas noctes vigilent, quo domus suas à periculo indemnes seruent. Ego vobis prædico Domini aduentum ex cœlestibus nuptiis, quo euocabit vel singulos ex hac vita separatim per mortem: vel vniuersos coniunctim per nouissimum diem, futurum instar furis in nocte. 1. Thess. 5. versic. 2. & 2. Petr. 3. versic. 10. & Apocal. 16. versic. 15. Quanto magis ergo vobis vigilandum est, de quorum animabus & æterna salute tum agitur? Iccirco hisce verbis concludit: *Et vos igitur estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet:* hoc est, quia horam ignoratis, omni hora vigilare debetis. Deus enim, vt recte Patres senserunt, vltimam vitæ horam voluit nobis esse incognitam, vt quamlibet haberemus suspectam: vt quandoquidem illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Hac de causa Christus passim in Euangelio nos hortatur, vt attente vigilemus, & de nostra salute soliciti simus, vtque omnem à nobis inertiam atque segnitiem diligenter excutiamus. Matth. 24. versic. 42. Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, Luc. 21. versic. 36. Vigilate, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Apud Marcum instantius capite decimotertio versiculo trigesimotertio: Videte, vigilate, orate: nescitis enim quando tempus sit. & versiculo trigesimoseptimo: Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Quibus dictis omnibus hoc quasi dicere voluit: Hoc vnum omnes diligenter agite, in hoc vnum totis viribus incumbite, hoc dies noctesque meditemini, hæc sit prima curarum, hoc sit primum omnium studiorum atque negotiorum, cui cætera omnia seruire debent, vt ad horam mortis recte sitis præparati. Hoc enim MOMENTVM ILLVD EST, VNDE PENDET AETERNITAS. Mors siquidem si imparatum quempiam deprehendat, præcipitabit eum in æternas gehennæ flammas, ex quibus nunquam liberabitur. Sin vigilanti fide in Christum quempiam prædictum inuenerit, eum introducet ad æterna Domini sui gaudia. Ad hæc autem à Deo Opt. Max. conditi, à filio pretioso ipsius sanguine redempti, à Spiritu sancto tot beneficiis vncti & confirmati, à sacrosancta Trinitate tamdiu patienter & misericorditer expectati sumus. Frustra victuri si omnia alia agentes, hoc vnum neglexerimus: felicissime autem victuri, si cæteris neglectis hoc vnum diligenter curauerimus, ex quo beatitudo atque felicitas nostra, ex quo salus & sempiterna vita pendet, quæ vigilantibus & in Christum Dominum credentibus seruis parata est.

At dicat quispiam quæ est sententia illorum verborum quæ hactenus in expositione tua omissa sunt? *Beati serui vigilantes: & si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & inuenerit ita, beati sunt serui illi.* Respondeo: Veteres diuiserunt noctem in quatuor vigilias siue custodias, & cuiuis tres horas attribuerunt, post quas custodes in seruandis mœniis ciuitatum siue castrorum mutabantur. Facit autem hic Christus mentionem duarum mediarum vigiliarum, per quas profunda nox intelligitur. Nam & prima & quarta vigilia diei sunt viciniores, ac proinde ad vigilandum quasi magis accommodatæ. Possunt ergo verba hæc de continua & perseuerante vigilia intelligi, sicuti etiam dicta superius allegata illud confirmant: vt scilicet serui non tantum in prima vigilia vigilent, quod factu facile est, & postea sese somno atque stertori dedant: sed etiam in secunda, & si opus sit in tertia quoque vigilia vigilantes à Domino inueniantur. Sic etiam non satis est, vt nos Christiani tantum ad tempus vigilemus, expectantes Christum solicite, & postea non ferentes moram in torporem & desidiam incidamus: sed necesse est vt aduentum ipsius constanter ad mortem vsque expectemus. Omni enim tempore vigilandum.

Habet tamen D. Gregorius & alij quidam alium horum verborum sensum. Nam vitam humanam tribus noctis vigiliis comparatam esse censent. Et iuuentutem quidem primam vigiliam: virilem autem ætatem, secundam: senectutem denique tertiam denotare dicunt. Atque sentiunt, Dominum innuere voluisse, si quis non vigilasset in prima vel secunda vigilia, hoc est, in iuuentute & virili ætate, vel saltem operam eum dare debere, vt Dominus in tertia vigilia, hoc est, in senectute ipsum vigilantem inueniat. Et de talium seruorum beatitudine, qui vel saltem in vltima ætate ad Dominum conuertuntur & vigilant, minime desperandum esse, siquidem Christus dicat: *Beati serui si in tertia vigilia Dominus inuenerit vigilantes.* Non reiiciendus est hic sensus, siquidem conuenit etiam cum parabola Matth. 20. 6. de operariis, qui vndecima hora vocati, ad laborandum accesserūt, & denarium suum acceperunt. Habemus etiam exemplum dextri latronis. Luc. vigesimotertio. versiculo 44. qui in vltima vitæ hora conuersus paradisi promissionem accepit à Christo. Et facit hic sensus ad consolationem multorum grauissimorum peccatorum, qui vel tandem tamen ad Deum conuertuntur, qualis fuit Manasses & alij. Sed tamen etiam hoc est addendum, valde periculosum esse, tum demum velle euigilare seque ad vitam parare, quando cœlestis iudex ianuam vitæ morte pulsare incipit. Etenim sera eiusmodi pœnitentia raro est seria & vera. Experientia quoque testatur, eos, qui graui morbo vexati, & metu gehennæ concussi, magna contritionis signa edere cœperunt: illico tamen recepta sanitate ad assueta rediisse, sicque abeunte morbo simul cum morbo etiam propositum resipiscentiæ abire, talesque ad veterem veternum relabi. Assimilari hi possunt Pharaoni, qui, quoties plaga aliqua percutiebatur, protinus voluit vitam emendare, nec populum Israeliticum vlterius persequi: sed mox sublata pœna rediit ad ingenium, donec in mari rubro periit. Multos etiam morborum cruciatus tantopere affligunt, vt cogitationes colligere, & de sincera pietate recte institui ægre possint. Nisi enim tum singularis Spiritus S. gratia hominis animum regat & illuminet, raro cum fructu ad vigilandum excitatur, qui per omnem vitam peccatis indormiuit. Quapropter Christi admonitioni locum dantes in omnibus vigiliis expediti simus, ne vnquam nos Dominus dormientes aut imparatos inueniat, sed vigilantes ad cœlestes nuptias adducat. Hæc etiam de quarto membro dixisse sufficiat.

QVINTVM MEMBRVM.

De officio Apostolorum & eorum verbi ministrorum, qui aliis sunt præfecti: atque de effectu prædicati Euangelij.

LVC. 12.

41. Εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ Πέτρος, Κύριε, πρὸς ἡμᾶς τὴν παραβολὴν ταύτην λέγεις εἰ καὶ πρὸς πάντας;

42. Εἶπε δὲ ὁ κύριος, τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς οἰκονόμος καὶ φρόνιμος, ὃν καταστήσει ὁ κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον;

43. Μακάριος ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, ὃν ἐλθὼν ὁ κύριος αὐτοῦ εὑρήσει ποιοῦντα οὕτως.

44. Ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτόν.

45. Ἐὰν δὲ εἴπῃ ὁ δοῦλος ἐκεῖνος ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, χρονίζει ὁ κύριός μου ἔρχεσθαι, καὶ ἄρξηται τύπτειν τοὺς παῖδας καὶ τὰς παιδίσκας, ἐσθίειν δὲ τε καὶ πίνειν καὶ μεθύσκεσθαι.

41. *Ait autem ei Petrus, Domine, ad nos dicis istam parabolam, an etiam ad omnes?*

42. *Dixit autem Dominus: Quisnam est fidelis dispensator ac prudens, quem constituit Dominus super famulicium suum, vt det illis in tempore dimensum cibum?*

43. *Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem.*

44. *Vere dico vobis, quod omnibus quæ possidet præficiet illum.*

45. *Quod si dixerit seruus ille in corde suo, differt Dominus meus reditum, & cœperit percutere seruos & ancillas, edereque & bibere, & inebriari.*

46. Ἥξει ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου ἐν ἡμέρᾳ ᾗ οὐ προσδοκᾷ, καὶ ἐν ὥρᾳ ᾗ οὐ γινώσκει, καὶ διχοτομήσει αὐτόν, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀπίστων θήσει.

47. Ἐκεῖνος δὲ ὁ δοῦλος, ὁ γνοὺς τὸ θέλημα τοῦ κυρίου ἑαυτοῦ, καὶ μὴ ἑτοιμάσας μηδὲ ποιήσας πρὸς τὸ θέλημα αὐτοῦ δαρήσεται πολλάς.

48. Ὁ δὲ μὴ γνούς, ποιήσας δὲ ἄξια πληγῶν, δαρήσεται ὀλίγας. παντὶ δὲ ᾧ ἐδόθη πολύ, πολὺ ζητήσεται, παρ' αὐτοῦ. καὶ ᾧ παρέθεντο πολύ, περισσότερον αἰτήσουσιν αὐτόν.

49. Πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη;

50. Βάπτισμα δὲ ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πῶς συνέχομαι, ἕως οὗ τελεσθῇ;

51. Δοκεῖτε, ὅτι εἰρήνην παρεγενόμην δοῦναι ἐν τῇ γῇ; οὐχί, λέγω ὑμῖν ἀλλ' ἢ διαμερισμόν.

52. Ἔσονται γὰρ ἀπὸ τοῦ νῦν πέντε ἐν οἴκῳ ἑνὶ διαμεμερισμένοι, τρεῖς ἐπὶ δυσί, καὶ δύο ἐπὶ τρισί.

53. Διαμερισθήσεται πατὴρ ἐφ' υἱῷ, καὶ υἱὸς ἐπὶ πατρί· μήτηρ ἐπὶ θυγατρί, καὶ θυγάτηρ ἐπὶ μητρί· πενθερὰ ἐπὶ τὴν νύμφην αὐτῆς, καὶ νύμφη ἐπὶ τὴν πενθερὰν αὐτῆς.

46. *Veniet Dominus serui illius in die quo non sperat, & hora qua nescit, & dissecabit eum, partemque eius cum infidis ponet.*

47. *Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, nec fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis.*

48. *Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Porro cuicunq; multū datum est, multum quæretur ab eo. Et cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.*

49. *Ignem veni missurus in terram, & quid volo si iam accensus est?*

50. *Sed baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur?*

51. *Putatis, quod pacem venerim dare in terra? Non, dico vobis, imo separationem.*

52. *Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuersi, tres aduersus duos, & duo contra tres.*

53. *Diuidetur pater aduersus filium, & filius aduersus patrem: mater aduersus filiam, & filia aduersus matrem: socrus aduersus nurum suam, & nurus aduersus socrum suum.*

Exegesis huius membri.

IN hac pericope agit Saluator noster proprie de illis Ecclesiæ suæ ministris, qui inspectionem habent super alios, & eorum quasi sunt ἐργοδιῶκται; qui reliquos vrgent, & ad officium præstandum hortantur. Paulus in suis concionibus & Epistolis, Acto: 20. versic. 28. Philip. 1. v. 1. 1. Tim. 3. v. 3. Tit. 1. versic. 7. vocat Episcopos. D. Petrus quoque ad hoc vocabulum respicit, dum iubet presbyteros gregem Domini pascere, ἐπισκοποῦντες curam eius agentes. 1. Petr. 5. v. 2. Ezech. 3. v. 17. & 33. v. 7. Deus simplici vocula vtitur: filius hominis, σκοπὸν speculatorem dedi te domui Israel. Nos vsitate vocamus Superintendentes, Inspectores & Præpositos, qui ordinis causa aliis præfecti, eos in officio continent. His in præsentia Christus præscribit, qua fide & prudentia munere suo fungi debeant. Cum enim Deo placuerit in his terris Ecclesiam suam regere non per angelos, sed per ministros, qui & ipsi sunt homines, iisdem cum aliis, & erroribus, & vitiis, & affectibus obnoxij, omnino necesse est, vt & ipsi frequenter officij commonefiant, quo, sicubi ex humana imbecillitate exorbitarunt, mature in viam redeant.

Occasionem autem ad hanc tractationem præbuit Christo Petrus, qui audiens priorem commonefactionem de fidelibus seruis, qui in perpetuis excubiis ad excipiendum suum Dominum à nuptiis redeuntem esse debebāt, iudicabat propemodum nimium exigi. Quis enim continue eum in modum vigilare potest? Proinde interrogat & dicit: *Domine ad nos dicis parabolam an etiam ad omnes?* Nimirum Petrus nondum Spiritu sancto ex alto donatus, existimabat se & collegas à Christo in Apostolos vocatos, quo in ipsius regno sine laboribus & molestiis aliis præessent, & sublimiore dignitate fruerentur. Atq; ea propter inique secum agi, si perpetuis vigiliis seipsos macerare & tantum non enecare debeant. Ad hanc quæstionem Christus ita respondet, vt ostendat, se omnino ipsum, collegas, & omnes eos, qui in munere isto Ecclesiastico ipsos sint secuturi, Ecclesiæ suæ *dispensatores* constituisse & aliis præposuisse, sed non in eum finem, vt dominium, dignitates, voluptates aut carnis delicias quærant, sed vt reliquis omnib. subseruiant. Meminisse enim debēt, quod nuper Mar. 9. v. 35. dixerit: si quis primus esse velit, quod is debeat minister esse omnium. Hoc officio si vel abutatur, vel non legitime defungatur, satius ipsi futurum fuisset, vt nunquam ad illam eminentiam ascendisset. Hunc itaque locum Ecclesiarum inspectores probe notent.

I. Notum est omnibus, passim in scripturis Ecclesiam Dei domui conferri. Hinc Paulus 1. Timoth. 3. versi. 15. Hæc scripsi vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Et in veteri testamento quoties Ecclesiæ & populi Dei fit mentio, fere nominatur domus Iuda, aut domus Israelis. Vt enim bonus paterfamilias in domo sua habitat, suis præcepta dat, suos nutrit, alit, vestit, tuetur: ita Deus in Ecclesia habitat: verbum suum annunciat Iacob & iudicia sua Israel: domesticos suos cibat corpore & potat sanguine filij sui: vestit & ornat eos eiusdem innocentia & iustitia: tuetur aduersus omnes hostes corporales & spirituales: & demum in æternum beat.

In magna autem domo sunt distincta ministeria & officia inter famulos, vt quisque norit, quinam sui sint labores, quid quouis loco & tempore perficere debeat, ne conseruos suos vel impediat vel turbet. Sunt quoque distincti gradus & ordines officiorum, vt semper alij aliis sint præfecti, qui & ipsi officium faciant; & alios ad consimilem diligentiam vrgeant. Sic etiam Deus noster, quia non est Deus confusionis, sed ordinis. 1. Cor. 14. v. 33. vult etiam in Ecclesia sua omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν decenter & ordine fieri. v. 40. Ac proinde vult etiam in Ecclesia sua inter ministros esse certum ordinem, vt alij aliis præpositi se mutuo vrgeant ad opus ministerij perficiendum. In veteri Testamento cum Deus domum Israel siue Israeliticam Ecclesiam in deserto constitueret, ipse diuersa munera Ecclesiastica elegantissime ordinauit. Et primo quidem totam tribum Leuiticam constituit, vt illa haberet excubias in tabernaculo suo: sed in officiis admodum distinctis. Alij enim constituti erant ianitores, alij cantores, alij custodes vtensilium, alij ministrabant sacerdotibus in offerendis victimis, alij victimas lauabant, & sic deinceps. His Leuitis omnibus dati erant certi præpositi, capita familiarum. Aliæ siquidem fuerunt familiæ Gersonitarum, aliæ Coritarum, aliæ Meraritarum. Hi principes familiarum fuerunt alij sub manu sacerdotis Eleazari, alij sub manu sacerdotis Ithamari. Omnes vero coniunctim, tam Sacerdotes quam Leuitæ, habebāt vnum caput, Pontificem Aaronem, ad cuius nutum & imperium omnia administrabantur: sicuti Moses illud, tum alibi, tum Num. 3. prolixe descripsit.

In nouo Testamento fecit Christus omnes Christianos reges & sacerdotes Deo Patri suo, Apoc. 1. vers. 6. Christiani enim sunt genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, sacerdotium sanctum, quod offeret spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. 1. Pet. 2. v. 5. & 9. In hoc regali tamen sacerdotio Christus etiam suos habet ordines. Alij sunt simplices auditores & idiotæ, qui licet in Ecclesia non doceant, simul tamen orant canticis Deū laudant, pro beneficiis gratias agunt, atque sic hostiam laudis Deo semper offerunt, nimirum fructum labiorum confitentium nomini ipsius. Hebr. 13. vers. 15. His dati sunt pastores, diaconi, doctores, ceu principes & capita familiarum. Psalm. 45. vers. 17. vt ministrent Deo nostro in ipsius domo docendo, Sacramenta administrando, & disciplinam Christianam instituendo. Rursus vero Diaconis & pastoribus præpositi sunt Episcopi, (nos vocamus Superintendentes, Inspectores, Decanos) Christus hic appellat οἰκονόμους dispensatores, qui præter munus docendi, & sacramenta administrandi certum districtum sibi subiectum habēt, quem vigilantib. oculis perlustrant, & in eo attēdunt, vt tā discentes quàm docentes in officio sint atq; ea peragāt, quæ faciunt ad Dei gloriā & Ecclesiæ ædificationem. Hi omnes, siue idiotæ, siue pastores, siue dispensatores colliguntur sub vno Pontifice Iesu Christo, quem solum Deus caput dedit super omnem Ecclesiam, quæ est

ipsius

ipsius corpus Eph. 1.v.22. cuius olim in veteri Testamento typus fuerat Aaron. Hic ergo Pontifex Christus Iesus hoc in loco suis Episcopis, seu *dispensatorib.* qui aliis sunt præfecti, præscribit, qualiter officio suo defungi debeant, si olim lætis oculis ipsum ad iudicium venientem aspicere velint. Nos membratim singula ordine inspiciemus.

1. Requirit, vt *Dominus eum constituerit*. Neque enim Christus in Ecclesia sua habere vult sponte currentes: sed expectantes, & legitime vocatos. Ideo apud Ieremiam conqueritur cap.23.v.21. Currebant Prophetæ & non mittebam eos, & 27.v.16. nolite audire verbum Prophetarum istorum. Paulus vero dicit Roman.10.vers.15. quomodo prædicabunt nisi mittantur? Et Act.20.v.28. Ephesinæ Ecclesiæ ministris dicit: Spiritum sanctum ipsos posuisse Episcopos. Hic fortassis dicat simplicior quispiam: Si ipse Christus meum pastorem vel superintendentem ita vocaret & Ecclesiæ nostræ præficeret, sicuti Luc.5.v.10. vocauit Petrum, Iacobum, Iohannem: aut Actor.9.versic.6. Paulum, tum non dubitarem ipsum cœlitus constitutum mihi esse Doctorem, tum attente ipsum audirem. Hic respondeo: Deus eodem modo agit in Hierarchia Ecclesiastica, in *constituendis* pastoribus, Inspectoribus & *dispensatoribus*, quo agit in reliquis duabus hierarchiis, œconomica & politica. Cum Deus primo ordinem coniugalem institueret, ipse Euam Adamo adduxit, & hosce primos côiuges coniunxit. Gen.2.v.22. Hinc primi nostri parentes certi esse potuerunt, hunc ordinem à Deo institutum, seque inuicem secundum ipsius voluntatem coniunctos esse. Hodie nô amplius Deus de cœlo descendit, & cuiuis iuueni suam spôsam adducit, & tamen necesse est, vt Deus coniunxerit, quos homo separare non debet. Matt.19.v.6. Quos vero nunc Deus coniungit? Eos qui parentes suos, aut illos qui parentum loco sunt, audiunt, regulas connubiales in verbo Dei præscriptas attendunt, & legitime in Ecclesia præeuntibus precibus & benedictione ex verbo Dei à verbi ministro copulantur. Ita in ordine politico, cum Deus Israelitas ex Ægypto liberare, & in vnum politicum corpus compingere vellet. Ipse eâ ad rem euocauit Mosen Exod.3.v.10. Huic substitutus est Iosua Num.27.v.18. Dauid quoque à Propheta Samuele, sic iubente Domino, 1.Sam.16.v.13. vnctus est in regem Israelitarum. Hinc constitit omnibus Israelitis, hosce ipsis diuinitus datos esse duces & reges, ac propterea ipsis obedierunt. Salomon autem, Iosaphat, Ezechias, Iosias & alij non eodem modo à Deo vocati, sed secundum patrias leges electi sunt: & tamen populus ipsis obediuit, eosque legitime electos diuinitus sibi datos esse statuit. Etiamnum hodie quoque non cœlitus descendit Deus, nec cuiquam prouinciæ dicit, Hic erit vester dux: aut alicui ciuitati, Hic erit vester Consul, vester Iudex: & tamen quando quis legitime secundum constitutiones receptas eligitur & constituitur, pro diuinitus dato Duce & Consule habetur. Sic quoad verbi ministerium, olim quidem Deus Prophetas & Apostolos immediate vocauit suæque Ecclesiæ præfecit. Sed hodie nô fit idem. Verùm per Apostolum Paulum præscripsit nobis certos canones, & Ecclesiæ tradidit potestatem nominandi, vocandi, & confirmâdi pastores. Hi si legitime, consentiente Ecclesia, per patronum vocentur, & ab iis, qui iudicandi habent potestatem, idonei iudicentur atque confirmentur, vtique *à Domino constituti* esse dicuntur. Qui aliter in Ecclesiam Dei ingressus fuerit, sibique Episcopatum arrogarit, is viderit quomodo huic DOMINO respondere velit.

2. Super quid constituitur talis dispensator? Dominus constituit eum ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, *super famulitium suum*. Vt ita Dominus distincte loqui videatur: hunc dispensatorem præfectum esse famulis, non liberis. Et quidem verum est, vocabulum *familia* (vt hoc loco habet vetus versio) initio deriuatum fuisse à famulis, ita vt familia dicatur quasi famulia. Cùmque hoc nomen initio tantum de seruis & ancillis vsurparetur: vsus tamen obtinuit, vt etiam liberi nomine familiæ, atque sic omnes, qui in eadem domo viuût, comprehenderentur. Idem etiam hic ita accipiatur, vt per *famulitium* intelligantur omnes, qui vnius eiusdemque οἰκίας incolæ sunt: cuiuscunque illi sint ordinis, siue mares, siue fœminę, siue docti, siue illiterati; siue heri, siue serui; siue diuites, siue pauperes; siue nobiles, siue rustici; siue principes, siue subditi; siue senatus, siue ciues. Etsi enim illi qui sunt in officio magistratus, etiam sunt serui Domini in politico ordine, quibus sua debetur obedientia in suo statu & gradu: & singuli patresfamilias pij, etiam sunt θεράποντες & famuli Domini, quibus in suo ordine suus debetur honos: in Ecclesia tamen, quando conuenitur in domo Dei, ibi ipsius verbo debetur subiectio & obedientia ab omnis generis & ordinis hominibus, nemine excluso, nisi quis ex domo Dei exclusus esse velit. Sicut etiam septuaginta interpretes hoc vocabulo vsi sunt, pro cœtu totius Ecclesię, pro collectione hominum, & loco detentorû populorum. Sicut videre est 2.Reg.10.v.20. Ioelis 1.v.14. vbi עצרה reddiderunt θεραπείαν, conuocare cœtum. Innuitur ergo hoc vocabulo, Ecclesiasticæ inspectioni, doctrinę, cohortationibus, & increpationibus subiectos esse omnes homines cuiuscunque status & ordinis, qui Christi nomen in certa aliqua οἰκίᾳ profitentur. Ideo Ieremiæ olim dixit Deus c.1. v.18. Ego constitui te in murum æneum super terram, regibus Iuda, principibus eius & sacerdotibus & populo terræ. Christus quoque Euangelium suum prædicari vult omni creaturæ. Marc.16.v.15. Et Paulus fatetur se debitorem esse omnibus gentibus, græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus Rom.1.v.14. Valeant ergo illi qui in concionibus legalibus exemti esse volunt. Præmonstrent priuilegium à Christo datum. Certe Iohannes Baptista iram Dei denunciauit omnibus peccantibus, siue illi de plebe essent, siue milites, siue publicani, siue Pharisæi vel Sadducæi, imo ne ipsum quidem Regem Herodem liberum dimisit, quo minus ex lege peccatum eius argueret. Marc.6.v.18. Eodem modo Christus ipse per omnes ordines transiuit, & tam Pharisæorum & Legisperitorum, quam Sacerdotum peccata & falsa dogmata taxauit. Horum vestigiis fideles domus Dominicæ *dispensatores* insistant, idque tanto magis, quia Deus minatur se ex ipsorum manibus repetere velle innoxium sanguinem, qui ipsorum incuria pereat. Ezech.3.v.18.

3. Quænam autem dotes esse debent huiusmodi dispensatoris? Christus in præsentia duas ponit. Vult vt sit πιστὸς ὁ φρόνιμος *fidelis ac prudens*. 1. *Fides* requiritur in rebus agendis. Sic Paulus testatur 1.Cor.4.ver.1. Si nos æstimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. In dispensatore autem plus non requiritur, quam vt fidelis inueniatur. Nisi enim dispensator hero suo, qui ipsum super bona constituit, fidelis sit, aut fur fiet, aut dissipabit Domini sui bona, vt ille fecit, de quo legimus Luc.16.v.1. In Ecclesia autem fidelis est, qui omnium suorum studiorum, consiliorum, actionum & conatuum hunc finem vnicum propositum habet, vt promoueat gloriam Dei: honorem meriti Christi, Ecclesiæ ædificationem & plurimarum animarum salutem. Quod ipsum facere tum patebit, quando iusto zelo falsæ doctrinæ, prophanis superstitionibus, inanibus hominum traditionibus, impiæ vitę, atque omnibus vitiis, quibus homines à Deo abducuntur, restiterit. Vt sic non hominum donaria, fauorem, aut aliud terreni quippiam, sed hominum salutem quęrat. Hoc modo Moses fidelis Dei seruus fuit in domo Dei, qui ex libro vitæ deleri optauit pro salute populi sui. Exod. 32.ver.32. Et tamen vt iusto zelo vindicaret gloriam Dei viui, quæ commutata erat in imaginem pudendi vituli, non tantum fratrem Aaronem grauiter obiurgauit, sed etiam vna die viginti millia idololatrarum interfici curauit. Eandem fidem Elias demonstrauit, cum se impio Regi Achabo, populo in vtrumque latus claudicanti, & quadringêtis quinquaginta Baalis sacerdotibus sese opponeret 1.Regum 18. versiculo 18. Paulus quoque fidem suam probauit Ecclesiæ gentilium, dum pro ea constantissime pugnaret, ne iugum legis ipsius ceruicibus imponeretur. Actor.15.vers.18 & simul solicitudinem sustineret omnium Ecclesiarum. 2. Corinth. 11.v.28. Sed ne zelus sine scientia hosce dispensatores transuersos rapiat, requiritur etiam 2. *Prudentia*, non carnalis illa, qua quidam tempori seruientes necessarias admonitiones, commonefactiones & obiurgationes, subdole supprimunt, ne odium hominum sibiipsis concilient. Hoc enim φρόνημα τῆς σαρκὸς, & hæc prudentia carnis inimicitia est aduersum Deum. Rom.8. vers.7. ac proinde captiuanda in obsequium Christi.2.Cor.10.v.5. Sed prudentia Spiritus intelligitur, qua caute circumspiciat, quid quouis loco & tempore ad ædificationem Ecclesiæ faciat. Ad quam prudentiam comparandam cumprimis conducit diligens sacræ scripturæ lectio, in qua & doctrinæ & exempla sanctorum tam prophetarum quàm Apostolorum diligenter attendantur, vt ad eorum imitationem taxanda taxemus, & toleranda toleremus. Hinc Paulus discipulum suum Timothæum monet, vt licet ab infantia nouerit sacras literas, 1.Timoth.3.v.15. tamen attendat lectioni, exhortationi & doctrinæ: sicque τὸ χάρισμα Dei, quod in se est, non negligat. Idem omnes fideles mysteriorum Dei dispensatores sibi dictum esse patiantur, vt sic cœlestem prudentiam sibi concilient.

4. Ad quid constituitur hic Ecclesiasticus dispensator? *vt det familiæ σιτομέτριον demensum* seu *tritici mensuram*. Apud veteres vsitatum fuit, vt cuilibet seruo quolibet mense quaterni modij tritici admetirentur, & hoc σιτομέτριον vocabatur; (sicut hodie quidam nobiles suis ministris qualibet septimana florenum vel thalerum numerant pro victu) si quid inde comparsissent, defraudantes suum genium, suum augebant peculium. Nos *demensum* proprie nuncupare possumus. Nam in magnis œconomiis prudentes patresfamilias

exacte nouerunt, quantum tritici in singulas septimanas pro qualibet persona iuxta eius ætatem vel robur requiratur. Sic Gen. 47. v. 12. vbi Moses testatur, quod Iosephus in Ægypto aluerit patris & fratrum suorum familiam, illisque cibaria dederit, ad os paruuli, hoc est, pro numero & multitudine liberorum: ita vt largius distribuerit illis, qui multos liberos habuerunt, quàm qui paucos. Ibi septuaginta Interpretes vsi sunt hoc verbo σιτομετρεῖν: & allusisse videntur ad illam veterum consuetudinem. Christus autem hoc in loco per illud *demensum* intelligit incorruptibilem cibum verbi & sacramẽtorum, quo renatus & nouus homo alitur anima & corpore ad vitam æternam. De hoc cibo agit Christus Iohannis sexto, versiculo 51. quando dicit: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. De potu agit Iohannis quarto, ver. 13. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Euangelicus itaque dispẽsator Christum Iesum cœleste manna & fontem vitæ suis auditoribus ad spiritualem alimoniam proponere, & cum Paulo 1. ad Cor. 2. v. 2. iudicare debet, se nõ quicquam aliud nouisse, quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum. Prædicare itaque verbum Dei verum animæ cibum, illúmque distribuere pro indigentia & capacitate cuiusque, illud est σιτομέτριον *& demensum dare familia*. Qui vero proponit ingenij sui commenta, vel hominum traditiones, ille loco viuifici pabuli mortifera venena famulitio Domini propinat, & immanis fit amicida. De eo Iesaias capite 55. vers. 1. O vos omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, edite & comedite: venite, emite, absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.

Dari autem debet hoc demensum ἐν καιρῷ *in tempore suo*, hoc est, debet Euangelicus dispensator doctrinas de Christo accommodare pro diuersitate locorum, temporum, ingeniorum. Aliter tractandi sunt peruicaces & rebelles ex lege: aliter afflicti & deiecti ex Euangelio: Aliter doctrinę capita proponi possunt simplicioribus & idiotis: aliter eruditis & profectioribus. Alia proponenda sunt aulicis & diuitibus: alia rusticis & pauperibus. Hoc Paulus vocat ὀρθοτομεῖν & recte secare sermonem veritatis. 2. Tim. 2. v. 15. Et ipse Paulus 1. Corint. 9. v. 22. testatur: se omnibus factum esse omnia, vt omnes saluos faceret. Non quod Apostolus Vertumni instar doctrinæ genus mutarit & variarit: sed quod pro diuersitate personarum ipsam veritatem diuersimode auditoribus suis accommodarit. Vt enim medici & chirurgi pro diuersitate morborum & vulnerum pharmaca & emplastra sua mutant, & modo suauiores, modo amariores potiones ægris suis propinãt, interdum etiam pro necessitate mali cauteria & sectiones adhibent: ita etiam prudens verbi minister dispiciat, vt singulis vel doctrinas, vel exhortationes & obiurgationes asperiores ita adhibeat, vt malum corrigat, non autem vt bonum destruat. Sic Nathan *in tempore* Dauidi proposuit commonefactionem de grauissimo suo lapsu contra Vriam & ipsius coniugem. 2. Sam. 12. v. 1. Nec Christo contradicit Paulus, quando 2. Timoth. 4. v. 2. monet instandum esse εὐκαίρως, ἀκαίρως, tempestiue, intempestiue. Nam *intempestiuum* hoc, tantum respicit ingenia hominum, quibus doctrina adhibetur. Iis nunquam tempestiuum videtur, vt increpentur, vt peccata eorum arguantur. Sed propter ipsorum opinionem fidelis verbi dispensator non intermittat facere suum officium *in tempore*. Quin cum Paulo simpliciores lacte cibet, vt Paulus Corinthios: præfractiores autem durius tractet, vt Galatas, quo sic plures Christo lucrifiant.

5. Quando vero dispensator Euangelicus sic fidem & prudentiam suam Domino probauit, quæ ipsius erit merces? In hoc mundo fere accidere solet, vt quo quisque verbi minister fidelius suo fungitur officio, eo minorem apud huius seculi homines ineat gratiam, & grauiores sustineat persecutiones. Vt sæpenumero quis exclamet cum Elia, 1. Regum 18. v. 4. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam patres mei. Et cum Ieremia queruletur: cap. 15. v. 10. væ mihi mater mea! quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra? non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam: & tamen omnes male dicunt mihi. Aut cum Iobo cap. 10. ver. 1. Tædet animam meam vitæ meæ. Nam plerunque optimi quique, quibus mundus non dignus est, in solitudinibus, montibus, speluncis & cauernis terræ in melotis & pellibus caprinis, angustiati & afflicti oberrarunt. Hebr. 11. vers. 38. Sed non turbent nos incompositi mores impij mundi, quin potius audiamus, quid Christus dicat. Sic is proponit hunc locum: τίς ἄρα ἐστὶν, *quis, putas, est?* Lutherus valde emphatice reddit: *VVie ein groß Ding ist es vmb einem getrevven Haußhalter.* Vtcunque tales homines coram mundo sunt abiecti, & pro purgamentis atque reiectamentis habeantur, sicut Dauid in oculis Micholis pro scurra habitus est, cum saltaret ante arcam Domini. 2. Sam. 6. v. 20. Et Paulus spermologus vocatur, cum concionaretur de resurrectione mortuorum Act. 17. v. 18. tamen reuera in oculis Dei sunt magni, & in cœlis amplissimam mercedem repositam habent. Matth. 5. v. 12. Ideo Christus hic dicit: *Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem.* Qualis autem beatitudo fidelis illius serui futura sit, id in præcedenti membro iam explicatum est: quo recurrendum. De hac beatitudine etiam Angelus dicit Danieli *cap. 12. v. 3.* qui alios docuerunt fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Et ne quis de certitudine huius remunerationis dubitare possit, addit: *vere dico vobis, quod omnibus, quæ possidet, præficiet illum.* Hoc ἀνθρωποπαθῶς dictum est, pro hominum sensu & more, qui suis seruis, quorum fidem perspectam habent, plurium & maiorum rerum administrationem committunt. Nimirum, vt Luc. 22. vers. 19. aliquid hac de re Christus attingit, vna cum ipso sunt regnaturi, nationes iudicaturi, impiis dominaturi, & vna cum cœlestibus nouam terram possessuri. Iusti enim hæreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam. Psalm. 37. v. 29. *Hæc de dispensatore fido.*

II. Audiamus etiam quomodo Christus dispensatorem perfidum & nequam, qui fidei suæ commissos premit & offendit, describat. De eo dicit Christus, quod *incipiat in corde suo dicere*, hoc est, cogitare, licet coram hominibus id negat, *differt Dominus meus reditum.* Videmus hoc in ὀφθαλμοδούλοις, qui non syncere, sed tantum ad nutum oculorum & placitũ Dominis suis seruiunt: illi de herorum suorum discessu ex ædibus lætantur, & quo diutius illi domo emanent, eo securius, neglecto officio, suis cupiditatibus indulgent. Sic ergo in Antistibus Ecclesiarum, qui in alios ius aliquod habent, hæc est origo omnis mali, quando Dei timorem seponunt, & in corde suo dicunt, vel, non est Deus Psalm. 4. vers. 5. vel, non videbit Dominus: nec intelliget Deus Iacob. Psalm. 94. vers. 7. Talis cogitatio si intra cor admittatur, mox homines falsis persuasionibus seipsos seducunt, sublimes *animos tollunt*, alta spirant, cristas erigunt, quod lubet *etiam licere sibi* putant, & quo maiore dignitate vel potestate *præditi* sunt, eo insolentius ea abutuntur.

2. Mox etiam insolescit, incipit *percutere seruos & ancillas*, & tyrannidem exercere in conseruos, quos alere debebat. Taliter enim sunt affecta seruilia ingenia, vt asperius nihil fit humili si tollatur in altum. Talis etiam sæpenumero natura est quorundam Superintendentum, qui dum in inferioribus conditionibus hęrent, humiles sese præbent erga quosuis: nimirum cum Monacho isto Pontificio claues quærunt. Sed ad sublimiorem dignitatis gradum euecti, præ fastu ita turgent, vt symmistas suos miserandum in modum premant.

3. Sicuti fidi serui est heri sui res tanquam proprias curare, honori & commodo sui domini pro virili consulere: ita vice versa seruus nequam domini sui res & facultates negligit, luxu & intemperantia dissipat. De quibus Christus *hic dicit*, quod incipiant *edere & bibere*. Tales in Ecclesiasticis sunt illi, qui beneficia quidem accipiunt, sed officium negligunt, laborem concionandi, sacramenta administrandi, disciplinam regendi aliis committunt, ipsi interim cuticulam suam curant & genio indulgent.

4. Hucusque si peruentum fit, fere etiam quartus & vltimus gradus accedit: quod talis infidelis seruus malorum consortia sectatur, cum ebriosis conuersatur, & seipsum quoque *inebriat*: sui similes intra ædes heriles introducit, aut res Domini sui ad ipsos exportat, vt ita nec domino nec familiæ recte prospiciatur. Talis si in Ecclesia quoque Præpositus vel Superintendens fuerit, dubium non est, quantum in ipso erit, consimiles etiam Pastores reliquis parochiis præficiet, vt sic ipsius & reliquorum comministrorum incuria res Ecclesiæ in totum pessum eat.

Hic vero quis cogitet: Impossibile est, vt eiusmodi nequam dispensatores in Ecclesia Domini inueniantur. Cum enim ipsi in studio pietatis præ aliis profecerint: imo ex officio alios in pietate instituere debeant: quis credat eos propriæ salutis adeo immemores & prodigos futuros, vt tam corruptis moribus in Ecclesia Dei versentur? Et sane optandum foret nunquam eiusmodi perfidos dispensatores vspiam inuentos fuisse. Verum rerum experientia testatur, proh dolor, omnibus temporibus eiusmodi infideles seruos, & quidem ex iis, qui primas in Ecclesia tenere volunt, inuentos esse. Si quis horum exempla nouisse cupiat, habet 1. Regum vltim. versic. 24. exemplum in Sedecia filio Chanaena, qui percussit

cussit Michæam Prophetam Domini in maxillam, ob prædicationem veritatis. Habet Amos 7. vers. 10. exemplum in Amasia sacerdote Bethelensi, qui Prophetam Amos detulit ad regem Ieroboam quasi rebellionem instituisset contra regem. Habet exemplum Ies. 28. v. 2. in Hanania, qui Ieremiæ confidenter contradixit, & catenam de collo Prophetæ sumptam confregit, addens: Sic confracturum Dominum iugum Regis Babylonis. Et hi non tantum conseruos suos prophetas, sed & populum vniuersum percusserunt: siquidem ex ipsorum seductione secutæ sunt miserandæ illæ plagæ & captiuitates populi Israelitici Assyriaca simul & Babylonica. Sicuti hac de re plura legere licet Ies. 56. ver. 10. Mich. 3. versiculo 5. & aliis in locis. In nouo Testamento nobis exempli loco sint Pontifices Iudæorum, Pharisæi & Scribæ: hi tantum tyrannidem exercuerunt in familiam Dei, vt etiam vnigenitum ipsius filium in crucem agere ipsiusque Apostolos pacem prædicantes & annunciantes acerbissimo odio persequi ausi fuerint. Interim Sadducæos & Herodianos, homines palam impios, quorum illi Epicuream vitam professi sunt, hi sanguinem spirarunt, non tantum tolerarunt, sed etiam aperte cum ipsis contra Christum Domini conspirarunt. Vnde hæc tanta impietas prouenit? Non aliunde, quam vt Christus Matth. 21. versic. 33. ipsis in parabola de elocata vinea ostendit, quod *dixerunt in corde suo, differt Dominus reditum.*

Inprimis vero Christus hic nobis ob oculos ponit, & quasi in tabula ad viuum depingit mores Romanorum Pontificum & eorundem asseclarum, qui iam ad aliquot secula sibi dominium in Ecclesiam Christi, & quod ipsi soli *dispensatores* eius sint, vindicarunt. Hi 1. *coperunt percutere seruos & ancillas* Domini. Neque enim tantum nostra ætate Euangelicos flamma, ferro, fune, persequi cœperunt: sed iam à multis seculis, quotquot synceriorem cœlestis doctrinæ veritatem promotam cupiebant, oppresserunt. Non pepercerunt in eo regibus neque summo Romanorum Imperatori. Alexander III. Fridericum Barbarossam primum Turcis prodidit: postea cum is ipse Imper. Turcam Pontifice humaniorem experiretur, Venetiis fœtidis suis pedibus collum ipsius calcauit. Vrbanus IV. rem eo deduxit, vt Conradinus vltimus ex generosissima Ducum Franciæ & Sueuiæ familia, Neapolis capite plecteretur: quo ipse illius regni feudum cum suo commodo in Carolum deriuare posset. Cui rescripserat: Vita Coradini, mors Caroli: mors Conradini, vita Caroli. Alexander VI. Carolum Gallorum Regem Baiazeto prodidit, referente Iouio lib. 2. histor. sui temporis. Iulius II. illis annis, quibus Ecclesiæ præsedit ducenta hominum millia ad orcum transmisit. Infinita hic prætereo, quæ de Paparum violentia in viua Christi membra dici poterant. Sed quomodo viuis parcerent, cum nec mortuos in sepulchris quiescere patiantur, quo minus plagas ipsis inferant? Quo enim fine Iesuitæ hoc anno optimi Imperatoris Ludouici sepulchrum Menaci destruxerunt, quam vt testatum faciant, quo animo sint affecti erga omnes, qui non iurata ipsorum mancipia esse volunt? 2. Res Domini negligunt & dissipant. Veteres Imperatores Christiani Constantinus, Iustinianus, Valentinianus, Carolus Magnus & alij Ecclesias magnis opibus ditarunt, in eum finem, vt ministri haberent de quo viuerent, pauperes de quo sustentarentur, & fabricæ templorum ex quo sartæ tectæ conseruarentur. Illi vero pleraque tanquam sua inutiliter prodegerunt, neque ad finem destinatum exposuerunt. Cæsar Borgia Alexandri VI. spurius, cùm vna nocte centena aureorum millia lusu perdidisset, per iocum dixit, se Germanorum peccata dilapidasse. Innuens pecuniam illam à Patre suo in Iubilæo Anni 1500. ex peccatorum contributione collectam fuisse.

3. Cum potatoribus, concubinis, scortis *edunt, bibunt, inebriantur.* Nam si quis vitas Romanorum Pontificum à Platina, Onuphrio, Nauclero & aliis descriptas perlegat, deprehendit, plurimos eorum fuisse cinœdos, mœchos, Sodomitas, qui etiam in adulterio perierint & occisi sint. An non pudendum ad omnem posteritatem exemplum est, quod Alexander VI. propria filia scorti loco abusus est? Vnde eius Epitaphium:

Hoc tumulo sita est Lucretia nomine, sed re
Thais Pontificis filia, sponsa, nurus.

4. Vnde verò tanta ipsorum impietas, insolentia? Non certe aliunde quàm quod *dicunt in corde, differt Dominus reditum.* Imò se Dominum in cœlis habere nunquam crediderunt. Cuius rei sufficiens testimonium vox Leonis X. qui Bembo Cardinali thesauros suos monstrans, dixit: Vide quãtum nobis & nostro cœtui profuerit fabula de Iesu Christo. Vt imus orcus tibi Papa dehiscat, quod adeo ἀθέως de sacrosancto Euangelio pronunciare audes, tu qui Christi vicarius haberi cupis. Sed hic non solus adeo impius fuit. Quia inueniuntur in Catalogo Romanorum Pontificum qui Iudæorum Sadducæos sequentes, neque mortuorum resurrectionem, neque vitam æternam crediderunt.

Hi sunt *dispensatores illi nequam*, quos Christus hoc loco describit. Sed 5. quis sequetur euentus? & quæ talium erit pœna? *Veniet Dominus in die quo non sperat* seruus iste nequam, *& hora qua nescit, & dissecabit eum.* Διχοτομεῖν est in duas partes secare: quę pœna perfidorum rebellium & proditorum patrię propria est. Cum ergo hi quoque sint gloriæ Dei & publicæ salutis proditores, merito huic pœnę subiiciuntur. *Dissecantur* autem quando primum in morte anima à corpore misere diuellitur: postea vero ipsi à sanctorum consortio separantur, & tandem anima & corpore in infernum abiiciuntur, vbi à Deo in æternum seiungentur, ibique erit fletus & stridor dẽtium. Gen. 15. v. 10. & Leu. 1. v. 8. partes sacrificiorum, quæ in holocausto accendendæ & igne absumendæ erant, dicuntur διχοτομήματα. Item Ezech. 24. v. 4. frustra illa quæ in ollã bullientem, qua parabolice ira Dei aduersus populum rebellẽ declarabatur, coniicienda erant, eodem nomine insigniebãtur. Vult ergo Christus significare, esse in inferno stagnum ignis ardens sulphure. Apoc. 19. v. 20. in quod stagnum præcipitandi sint perfidi hi dispensatores domus Dei, vt sic *ponatur pars eorum cum infidelibus*, & damnatis. In æternis itaque cruciatibus & in inextinguibili illo igne inferni demum experientur isti, qui aliis fuere præpositi, & minus fideliter munere suo defuncti, quantopere peccarint.

Quicquid autem hactenus in Ecclesiarum præpositos & superintendentes minus fidos dictum est, illud omne etiam principibus viris & reliquis magistratibus, qui immodicis exactionibus subditos expilant, & tributa postea inutiliter perdunt atque dilapidant, accommodari potest. His ergo sæpius illud Sap. 6. vers. 7. occinendum: Potentes potenter tormenta patientur.

III. Ne cui sententia hæc contra perfidos hosce mysteriorum Dei dispensatores lata, nimium dura videatur, duobus argumentis Christus illam confirmat. 1. Vnum desumptum est ex lege iustitiæ. Iustitia hoc exigit, vt si quis heri sui voluntatem ex mera ὕβρει & improbo contemptu transgrediatur, grauius puniatur, quam qui ignarus & imprudens delinquit. Præsumitur autem omnino, quod verbi ministri, imprimis autem illi, qui ratione ordinis aliis sunt præpositi, prȩ aliis volũtatis diuinæ non sint ignari. Hi enim quotidie diurna nocturnaque manu tractare debent sacras literas, quæ ipsos sufficienter instruere possunt ad salutem, per fidem quę est in Christo Iesu. 2. Tim. 3. v. 15. Inueniunt in iis exẽpla cum eorum verbi præconum, qui fidelitatem præstiterunt, tum cęterorum, qui desides & negligentes fuerunt, cum adiunctis præmiis & pœnis, quæ vtrique parti sunt parata. Quin nec grauis illa sententia, qua Deus minatur, se de manu ipsorum requirere velle sanguinem eorum, qui ipsorum incuria & negligentia perirant. Ezech. 3. v. 18. ipsos latere potest. Imo qui aliis cœlestia gaudia promittunt, si veræ fidei & pietatis sint studiosi: & vicissim infernales pœnas denunciant, vbi vitam timoris Dei expertem viuant. Si qui ergo adeo liberaliter de voluntate Dei sunt instituti, & tamen *se non ad eam praparant, nec secundum eam faciant:* quis negare poterit, eos duplices gehennæ filios esse? Nam & ipsi in officio sunt negligentes, & malo exemplo aliis scandalum præbent, multis insuper sunt exitij authores, & faciunt, vt propter ipsos verbum Domini, quod ipsi prædicant, male audiat.

Duo autem requiruntur à seruo, qui voluntatem Domini nouit: 1. *vt se praparet*: quod fit diligẽti lectione & meditatione verbi Dei, addita ardenti oratione: vt totus homo se studio voluntatis diuinæ dedat. Sicut hac de re eleganter & copiose agit Syracides cap. 39. v. 1. 2. Vt *faciat secundum voluntatem Dei*, hoc est, opere compleat & facto pręstet quodcunq; ex verbi Dei animo suo est complexus. Neq; enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 1. Cor. 4. v. 20. Ad hæc duo si seruus ille, qui scit voluntatẽ Dei, non attendat, de eo Christus iure merito pronunciat: *plagis vapulabit multis*, infernales pœnas ipse sibi conduplicabit: & quo altiori in gradu in his terris constiterit, eo profundius in gehẽnæ ignem deprimetur. Ergo, dicat quis satius erit diuinæ voluntatis prorsus ignarum esse, ne quis multis vapulet? Hic distincte respondendum est: Deus in prima creatione homini plenam & perfectam voluntatis suæ notitiam indidit. Sed Adamus primus generis nostri propagator, per tristem suum lapsum eam obliterauit: ita vt iam natura omnes habeamus tenebris obscuratum intellectum, simus alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in nobis Eph. 4. vers. 18. Et licet Deus postea tam in lege scripta, quam in Euangelio prædicato suam hominibus manifestarit voluntatem: omnibus tamen temporibus aliqui populi sunt inuenti, quos Deus iusto suo iudicio reuelatione verbi præteriit, in tenebris ignorantiæ reliquit: & dimisit in-

gredi vias suas. Act.14.versic.15. De his Paulus Act.17. ver.30. pronunciat: quod Deus talia tempora ignorantiæ dissimulet. Et tamen Christus hic dicit, quod tales, licet *paucis*, respectu aliorum, tamen *vapulent*, partim, quia si serio studio cognitionis diuinæ voluntatis ducerentur, vtique illam consequi possent. Siquidem nunquam sine testimonio Deus se reliquit, sed omnibus benefecit, vt quærent eum, si forte palpando eum inuenire possent. Actor.17. versf.27. Hinc etiam gentes, Paulo teste, sunt inexcusabiles. Rom.1.versf.20. Partim etiam vapulant, quia *digna plagis faciunt*. Impossibile enim est, vt homo voluntatis diuinæ ignarus, non contra illam peccet. Alia vero est ratio eorum quibus Deus voluntatem suam tam in lege quam in Euangelio reuelauit, imo inuitis fere sui notitiam obtrusit, & in aures intonauit: ipsi vero obstinate reiecerunt, aures obturarunt, & iuxta illud Iobis 21.v.14. Deo dixerunt: Recede à nobis, quia scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, vt seruiamus ei? & quid nobis prodest, si orauerimus illum? Tales certe ob affectatam suam ignorantiam non paucioribus vapulabunt, quam scientes voluntatem Dei. Dextre itaque hæc Christi sententia est accipienda.

2. Alterum argumentum, quo Christus suam sententiam aduersus perfidos mysteriorum suorum dispensatores latam tuetur, est sumptum ex lege naturæ, quæ omnibus implantata docet: vt *cui multum datum est, ab eodem multum repetatur: & apud quem multum depositum, ab eodem multum reposcatur*. Rudis ager, rustici labori & industriæ ita respondet, vt quo diligentius is est cultus, & quo liberaliorem sementem accepit, eo etiam copiosiorem messem refundat atque vberiorem prouentum reddat. Animalia etiam bruta benefactores suos agnoscût, & quo humanius tractantur, eo magis blandiuntur, & bonam referunt gratiam.

Quanto ergo magis hoc homo, & inter homines verbi diuini præcones & inter hos præcones reliquorum Inspectores atque Superintendentes, facere debent? Vt quo in sublimiorem dignitatis gradum Deus ipsos collocauit, & quo plures Ecclesias ipsorum fidei & inspectioni Deus commisit: eo maiori fide & diligentia officio suo satisfacere studeant: vt vere cum Paulo dicere possint: vrget me quotidie solicitudo de omnibus Ecclesiis mihi commissis. Quis affligitur, & ego non affligor? Quis scandalizatur, & ego non vror? 2. Cor.11.v.28.

O vtinam hunc textum diligenter admodum ponderarent hodierni Ecclesiarum Episcopi, qui sub regno Antichristi Romani morantur, & aduersus hanc Christi doctrinam multipliciter peccant. Aliqui ipsorum Euangelicam doctrinam falsitatis arguere nequeunt, multiplices idolomanias Papatus agnoscunt, in vno Christi merito se salutem quærere velle profitentur, atque sic voluntatem Domini satis luculenter norunt, sed eandem facere nolunt, prædicationem synccrioris Euangelij intra Episcopatus suos non admittunt, ne per delationes Iesuitarum in Pontificis odium incidentes, ex sublimi dignitatis suæ gradu anathematis fulmine deturbentur. O anima talis Episcopi, quo vadis? Certe *multis plagis vapulabis*. Alij quidem in ignorantia veritatis & priscis suis tenebris herent, nec ab inuecta per Prædecessores suos doctrina recedere volunt, nullam antiquiorem nec meliorẽ se nouisse prætendentes. Sed reuera crassa & affectata horum est ignorantia. Synceri enim Euangelij lux iam ita est manifestata, libri sacri cõmentariis in omnibus linguis sic sunt illustrati, vt opifices, agricolæ, mercatores, mulieres de vera religione & syncero Dei cultu disputare possint. Et isti sacrorum Antistites hæc secure negligunt? Nimirum, quia occupati sunt in ambiendo & ad se rapiendo non vno & altero saltem Episcopatu, sed pluribus: & quando sic amplos consecuti sunt reditus, tum deliciantur, epulantur, scortantur, venantur, Ecclesiarum curam in suffraganeos, officiales, & Missarios reiiciunt. Hi quo plures *παρακαταθήκας* in hac vita sibi subiecerint, eo plus in nouissimo die ab ipsis repetetur: & quia infidi deprehendentur depositarij, ideo etiam *pluribus vapulabunt*. Peiores his sunt, qui veritatis lucem, quæ diuinæ voluntatis cognitionem animis ipsorum ingerit, hostiliter persequuntur, idolomaniam suam, superstitiones, & errores à nemine argui, nec à quoquam doceri, vel de religione admoneri volunt. Quippe vident falsam religionem sibi fuisse quæstum maximum, cuius adminiculo ex infimo loco in summum emerserint: hunc aliis sui similibus etiam post suum obitum interuerti nolunt, ac proinde per vim obstant, ne diuinæ voluntatis cognitio pluribus innotescat: reclamant, quantum possunt, diuinis eloquiis, ogganniunt, allegant cõsuetudines, opponunt exempla regum & Imperatorum, fumos nimirum & vapores aduersus sanctum Euangelium, aduersus cœlestem sapientiam. Hi absque dubio horribiles pœnas dabunt. Poterunt tamen hi tres Pontificiorum Episcoporum ordines legere, quid ipsis Propheta Malachias minetur. c.2. versf.2.

Cæterum verbi minister, qui hunc textum coram Ecclesia explicat, potest eundem percommode applicare magistratibus & diuitibus, quibus à Deo plus datum & commendatum est, quam subditis & pauperibus. Dent ergo operam, vt Deo etiam vberiorem referant gratiam. Sic etiam iuniores nostra ætate agnoscant, quot adminicula ad virtutem & liberalem eruditionem consequendam ipsis à Deo concessa sint, præ suis maioribus, quibus admodum laboriosum fuit, ex fera superiorum temporum barbarie emergere. Videant ergo ne sua incuria veteres tenebras redire patiantur.

IV. Quia in superioribus Christus Petrum, Apostolos & omnes Ecclesiarum Antistites sub parabola boni œconomi seu dispensatoris, exhortatus est vt grauiter & fideliter demandato munere fungantur: Ideo commodissime etiam addit, quis futurus sit effectus sui Euangelij, quod ipsi prædicaturi sint, tum ad pios, tum impios, & quantæ turbæ ex eius prædicatione in mundo sint orituræ. Hoc vero prædicit, vt auertat scandalum, ne offendamur ex dissensionibus, quas sub Euangelio passim videmus.

Confert autem prædicationem Euangelij *igni*, qui accenditur. *Ignem veni missurus in terram*. Desumpta est hæc similitudo ex Prophetis, Ierem.5.v.14. dicit Deus: Ecce ego do verba mea in ore tuo ignem, & populum istum ligna, & vorabit eos. Et Ier.23.v.29. Numquid nõ verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus? Confertur autem Euangelium igni multas ob causas. Ignis est elementum purissimum: ita verbum Dei mundum & purgatum est ab omnibus sordibus mundanisque reliquis doctrinis omnibus. Ps.12.v.7. Ignis cum calore splendorem habet coniunctum: ita verbum Dei non tantum fouet & calefacit corda humana, sed etiam eadem illuminat. Est enim lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris. Psalm.119.v.105. Est lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat. 2. Pet.1.v.19. Ignis nuspiam latere potest, nec se arculæ includi patitur, sed erumpit, seque conspiciendum præbet: ita Euangelium non sub modio occultari potest. Matth.5.versic.15. nec latitare vult saltem in cordibus hominum, sed virtutem suam exerit, & per omnia obstacula & pericula perrumpit. Sicuti hoc videre est in Apostolis, postquã igne sunt baptizati & Spiritum sanctum acceperunt. *Ignis* denique omnia, quæ apprehendit, exurit & in suam naturam commutat: sic exurit verbum Euangelij opera Diaboli, idolomaniam, veterem Adamum cum suis fructibus, illorumque hominum corda, quæ simplici fide illud amplectuntur, emollit & in suam naturam conuertit. Quæ vero duriora conuertere nequit, illa infernali igni comburenda relinquit. Hunc ignem Dominus è cœlo veniens inde secum attulit: ac proinde dicit: se *venisse vt mittat* eum *in terram*. Innuens si absque se sit, hunc ignem in terra non inueniri.

Quanto autem desiderio teneatur incendendi huius cœlestis ignis: illud ipse significat, quando subiicit: *& quid volo, si iam accensus est?* Et quidem iam tum ille ignis accensus erat in cordibus Apostolorum, discipulorum & fidelium in Iudæa. Quid ergo Dominus amplius vult? Vt in toto terrarum orbe etiam accendatur. Et hanc ad rem vti vult ministerio Petri, & reliquorum Apostolorum, cum quibus hic loquitur: per hos vult Euangelij sui prædicationem longe lateque in orbe terrarum spargi, vt sic ad se conuertantur omnes terræ. Ceterum, cum Christus hisce verbis ardentissimum suum desiderium exprimat, quo velit, vt Euangelium suum vbique terrarum prædicetur, hinc coniiciant omnes, qui sana mente prædici sunt, quo loco habendi sint Romanenses, qui eius præconium igne & ferro impediunt. Hi vere sunt ex illorum numero, de quibus Dauid cecinit in secundo Psalmo: quod conspirent contra Deum ipsum & ipsius Christum. Sed hic ipse eosdem tanquam vas figuli ferrea sua virga confringet.

2. Dicat quis: Si tam flagranti desiderio Dominus expetiuit, cœleste Euangelium per vniuersum mundum propagari, cur non ipse è vestigio manuum operi admouit, ad gentes se contulit, illasque Euangelij sui doctrina illustrauit? Hic Paulus respondet Rom.15.versf.8. Christum Iesum fuisse ministrum circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmãdas promissiones patrum. Messias enim patribus promissus erat, vt suo ministerio quæreret oues perditas domus Israelis. Matt.15.v.24. Ad conuertendas autem gentes Christus elegit & vocauit Apostolos: qui tamen prius in vniuersum orbem ad prædicandum Euangelium Iesu exire non debebant, quam Christus morte sua omnium hominum salutem apud cœlestem Patrem procurasset. Neque enim *ignis* ille, de quo Cristus hic loquitur, exilire potuit, antequam petra vel silex corporis ipsius in cruce percuteretur. Postea

abitu

abitu suo ad Patrem impetrauit Apostolis suis Spiritum Sanctum, qui in specie ignis in die Pentecostes super Apostolos descendit Actor. 2. ver. 3. eos illuminauit, animauit & idoneos reddidit, qui ignem hunc Euangelicum passim inter gentes accenderent, easque in amorem erga suum hunc benefactorem inflammarent, eo quod iustus pro iniustis, innocens pro nocentibus ignominiosissimam mortem sustinuisset, tantum vt ipsos æterno interitui subtraheret. Hac de re ipse Christus hoc in loco ita loquitur: *sed baptismo habeo baptizari*: Mortem crucis suæ *baptismum* vocat: sicut etiam Mar. 10. vers. 38. ad filios Zebedæi. Partim quia fuit immersio quædam in extremas calamitates, in quas proiectus fuit, vbi abyssus abyssum inuocauit in voce cataractarum Dei, & omnes vndæ ac fluctus Dei super ipsum transierunt. Psal. 42. vers. 8. Vnde rursus dicit Psal. 69. v. 3. infixus sum in limo profundi: & non est statio. Veni in altitudinem aquarum: & alueus inundatione circumuenit me. Quo etiam alludit Psal. 110. v. 7. de torrente in via bibet, (Messias) propterea exaltabit caput suum. Partim quia in cruce proprij sanguinis cruore ita perfundendus erat, ac si in sanguinem immersus eoque baptizatus fuisset.

De hoc vero crucis suæ baptismate dicit: *& quomodo coarctor, donec perficiatur*? Se *coarctari* testatur: quia ex vna parte ipsum ad mortis supplicium sustinendum vrgebat cum æternum Patris decretum, tum immensus amor humani generis, cuius salutem reparari expetiuit: ex altera parte ipsum retraxit diræ & infamis mortis recordatio quam omnino ceu verus & naturalis homo, exhorrescebat. Sicuti passim in Euangelio vtrumque hunc Christi affectum inuenimus, & quod desiderio desiderarit illud paschale epulum cum discipulis comedere, quod passioni proximum erat. Luc. 22. v. 15. & quod mortem non mediocriter horruerit. Vnde Ioh. 12. v. 27. cum ad illum locum, in quo agonizaturus erat, peruenisset, dixit: nunc anima mea turbata est: Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Vtitur verbo συνέχεσθαι, quo etiam Paulus vtitur Philip. 1. v. 23. & sumpta est metaphora ab angustiis locorum, vbi vel ab hoste intercepti, vt alioqui clausi & veluti constricti sumus, vt exitum inuenire nequeamus. Ideo Ionathan dixit armigero suo. 1. Samuel. 14. v. 6. οὐκ ἔστι τῷ κυρίῳ συνεχόμενον σώζειν, non est Domino coarctatio saluandi cum multis vel paucis. Quando ergo variæ difficultates nos vndique premunt, tum συνέχεσθαι dicimur. Atque sic duas in Christo voluntates (contra Monotheletarum errorem) manifeste videmus. Vnam, in qua vt verus Deus mortem, qua humanum genus redimeretur, voluit: alteram, qua vt verus homo mortem timuit & euitare exoptauit.

Exemplo ergo hoc Christi discimus: mortem horrere, pericula reformidari, aduersitates deprecari, per se non esse peccatum, sed naturales infirmitates humanæ carnis: quas Christus etiam assumsit, absque tamen peccato. Deus enim nos homines, non stipites aut truncos, qui percussi nihil sentiunt, sed carne & sanguine præditos creauit, qui vulnerari & plagas sentiunt, & dolore afficiuntur. Tantum illi, qui in periculis constituti sunt, caueant, ne in horrore modum excedant, ne metu periculorum quippiam contra officiū suum committant, quo Deum offendant & propriam conscientiam lædant. Sed potius ad imitationem Christi suam voluntatem diuinæ voluntati submittant, Matth. 26. v. 39.

3. Quid ergo in mundo futurum est, quando ille ignis Euangelicæ prædicationis in vniuerso orbe accensus erit? Hic Christus dicit. Vos Apostoli, quia me verum Messiam esse creditis, ex communi Iudæorum errore *putatis, quod venerim dare pacem in terra*. Vos expectatis Messiam talem regem, qui opibus, potentia & maiestate Romanum Imperatorem longe superet: qui vobis ex Romanorum tyrannide liberatis vniuersalem *pacem* largiatur, omnes gentes subiiciat, atque sic omnia tuta & læta præstet. Sic nimirum interpretantur vobis Scribæ & Pharisæi oracula Prophetarum, quando illi vaticinati sunt, quod lupus habitabit cum agno: & pardus cum hœdo accubabit; vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur: simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas. Ies. 11. v. 6. & pollicentur vobis admirabilem concordiam, & pacem omnium gentium. Sed ego *dico vobis*, quod *non* pax, sed *separatio*, etiam eorum, qui arctissimę cognationis & affinitatis vinculo iuncti esse debebant, secutura sit.

Et recenset Christus tres coniunctionis gradus, qui lege naturæ amicissime inter se viuere debebant. 1. *Patres cum filijs*: 2. *matres cum filiabus*. Cum enim filij & filiæ ex parentibus originem trahant, & his vitam suam debeant; & parentes vicissim se in liberis quasi renasci & reuiuiscere videant: vtique lex naturæ dictat, vt se mutuo diligant, sibi inuicem bene & velint & faciant.

Eadem est ratio 3. *socrus & nurus*, cum etiam hæ filiarum loco sint, quę nepotes pariunt, & generis nostri propagationi seruiunt. Hi tres ordines hominum quando mutuis στοργαῖς & officiis pietatis se inuicem prosequuntur, tum faciunt quæ probata sunt coram Deo & hominibus Syr. 25. v. 1. Sicuti iucundissimum exemplum coniunctionis inter socrum & nurum habemus Ruth 1. 16. At Christus hic testatur, (sicuti idem testatus est Matth. 10. v. 34.) nullum coniunctionis vinculum adeo arctum & firmum fore, quod non abrumpatur & dissiliat, sicubi ignis ille Euangelicus ardere inceperit.

At vero hic cauendum, ne culpa harum distractionum coniiciatur in ipsum Euangelium Christi: cum non Euangelium, sed incurabilis & contumax improborum malitia proprie culpam harum dissensionum sustineat. Etenim Euangelium per se proponit doctrinam pacis & charitatis, pacis tam cum Deo, quàm cum proximo. Docet enim quomodo Christus mortis suæ merito pacem conscientiæ acquisierit nobis cum Deo. Debere itaque nos peccatum agnoscere, vni merito Christi fidere, in posterum peccatis valedicere, iustitię viuere, atque insuper proximos diligere. Hanc doctrinam quicunque intra animos suos admittunt, illi sic fiunt animati, vt propter Deum etiam inimicos suos diligant, benefaciant his qui oderunt se, & orent pro persequentibus & calumniantibus se. Matth. 5. vers. 44. Improbi vero quia toti in maligno sunt positi. 1. Ioh. 5. v. 19. ignem hunc Euangelicum, opera ipsorum mala arguentem & conscientias adurentem ferre nolunt, sed oderunt, vt Christus confirmat Ioh. 3. v. 20. Ignem igitur hunc extinctum cupiunt, cumque id perficere nequeant, eo quo ignem cœlitus accensum humana vis opprimere nequeat, omnem suum virus effundunt in pios, apud quos ignis ille ardet & lucet. Hi ergo, quia cedere ipsis, & veritatem agnitam bona conscientia abnegare non possunt, ideo illis resistere coguntur, atque hinc dissensiones illæ & turbæ oriuntur: vt *in vna domo quinque sint diuisi, tres aduersus duos, & duo contra tres*. Sicuti id factum est in domo Adami primi nostri generis parentis, inter Cainum & Abelem: in domo Abrahami inter Ismaelem & Isaacum: in Isaaci, inter Esauum & Iacobum: in Iacobi, inter Iosephum & fratres: atque sic deinceps. Nemo ergo dissensionibus religionum inter Euangelicos & sectarios offendatur. Religionum enim certamina & dissidia inde à mundi principio semper fuerunt acerbissima. Nec ea desitura in Nouo Testamēto Christus aliquoties prædixit. Quin & scimus non omnem pacem Deo probatam esse. Pacem quidem, si fieri posset, & quantum in nobis est, habere cupimus cum omnibus hominibus Roman. 12. v. 18. Verum cum mundus cum suis asseclis partim aperte idololatris, partim hypocritis & superstitiosis humanarum traditionum obseruatoribus, Euangelici ignis lucem & ardorem ferre nolint, non possumus ipsis consentire, licet affines, soceri, fratres, filij vel parentes dicantur. Pie enim D. Hilarius scripsit: Speciosum quidem nomen, Pacis, & pulchra opinio vnitatis. Sed quis ambigat, eam solam vnicam Ecclesiæ pacem esse, quæ Christi est? Et si apud Ethnicos locum habuit illud vulgare: amicus Plato, amicus Aristoteles; sed magis amica veritas: quanto magis apud nos Christianos valere debet: honorandus pater, amandus socer: sed magis obediendūm est Deo? Act. 4. versicul. 19. Aut illud Petri: fraternitatem diligite, regem honorificate: sed Deum timete. 1. Pet. 2. vers. 17.

Denique illud quod Christus dixit: *in vna domo quinque erunt diuisi, tres aduersus duos, & duo contra tres*, quidam siue mystice siue allegorice varie interpretari conantur. Sed vere eiusmodi allegoriæ vel sunt ineptæ vel coactæ: si cui tamen non displicet hæc Allegoria, illa sane vtatur. Qua mundus dicitur esse *vna* illa *domus*: *pater* in ea, diabolus: *filij*, homines, qui eius imitantur ingenium: *mater & socrus* synagoga Iudæorum: *filia* Ecclesia primitiua ex Iudæis collecta: *nurus* autem Ecclesia collecta ex gentib. Hic certe per Euangelicam prędicationem vtraque Ecclesia tam filia quam nurus aduersatur Diabolo, ipsius filiis & synagogæ Iudæorum. Sed non opus est eo euagari. Secundum literam in vna domo quinque personæ inueniri possunt, quæ ab inuicem dissident. 1. Abrahamus. 2. Sara. 3. Hagar. 4. Ismael. 5. Isaacus. Gen. tamen 21. v. 9. Abrahamus, Hagar, & Ismael *tres fuerunt aduersus duos*, Saram & Isaacum: & viciflim *duo contra tres*. Quapropter commodissime secundum literam accipi potest.

SEXTVM MEMBRVM.

Increpatio turbarum, eo quod tempus præsens aduentus Messiæ non agnoscant.

LVC. 12.

54. Ἔλεγε δὲ καὶ τοῖς ὄχλοις, ὅταν ἴδητε τὴν νεφέλην ἀνατέλλουσαν ἀπὸ δυσμῶν, εὐθέως λέγετε, ὄμβρος ἔρχεται, καὶ γίνεται οὕτω.

55. Καὶ ὅταν νότον πνέοντα, λέγετε, ὅτι καύσων ἔσται, καὶ γίνεται.

56. Ὑποκριταὶ, τὸ πρόσωπον τῆς γῆς καὶ τοῦ οὐρανοῦ οἴδατε δοκιμάζειν, τὸν δὲ καιρὸν τοῦτον πῶς οὐ δοκιμάζετε;

57. Τί δὲ καὶ ἀφ᾽ ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δίκαιον;

58. Ὡς γὰρ ὑπάγεις μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου ἐπ᾽ ἄρχοντα, ἐν τῇ ὁδῷ, δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ᾽ αὐτοῦ, μήποτε κατασύρῃ σε πρὸς τὸν κριτὴν, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ πράκτορι, καὶ ὁ πράκτωρ σε βάλῃ εἰς φυλακήν.

59. Λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως οὗ καὶ τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῷς.

54. *Dicebat autem ad turbas, cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Imber venit, & ita fit.*

55. *Et cum Austrum flantem, dicitis, quod æstus erit, & fit.*

56. *Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare, hoc autem tempus, qui fit, vt non probetis?*

57. *Cur autem & ex vobis ipsis non iudicatis, quod iustum est?*

58. *Cum enim vadis cum aduersario tuo ad magistratum, in via da operam vt libereris ab illo, ne forte pertrahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor coniiciat te in carcerem.*

59. *Dico tibi, non exibis inde donec vltimum etiam minutum reddas.*

Pericope huius loci.

QVia in præcedentibus Christus discipulos suos docuit in quem finem in hunc mundum venerit, vt nimirum ignem Euangelicæ prædicationis passim accenderet, quamprimum baptismo suæ passionis tinctus esset: Ideo eius occasione ad turbas iam concursus acriter eas reprehendit, quod tempus gratiosi sui aduentus non agnoscant, cum alias in rebus huius mundi sagacissime temporum opportunitates coniectari possint. Simul grauiter ipsos admonet, vt etiamnum, si sapiant, modis omnibus laborent, quo cum Deo in gratiam redeant, dum adhuc gratiæ fores patent, ne his occlusis in æternum exitium præcipitentur. Sunt itaque duo præsentis loci membra: quorum prioris vberiorem explicationem Lector inueniet in cap. Harmon. LXXXIII. vbi ex 16. cap. Matth. consimilis locus tractatur: Posterioris vero c. Harm. LI. pericop. 3. ex 5. cap. Matt. vbi eadem parabola adducitur, quanquam alia ratione & alio sensu: Paucis tamen hic eadem attingemus.

Matth. 16. v. 1. Christo ad illam reprehensionem occasionem præbuerunt Pharisæi & Sadducæi aperta sua tentatione. Hic vero occasionem præbuisse videtur ipsa *turba* tacitis suis cogitationibus. Postquã enim audiuisset Dominũ hactenus tã grauiter & prolixe disserentẽ contra Phariseos & cõtra auaritiam: adhæc suos ad vigilantiam & fidem in officio exhortantem (vt etiam alias sæpe in Euangelica historia accidit) quidam in eas deuenere cogitationes. Quid si hic tam grauis orator esset ipse Messias? Alij contra cogitabant: si verus Messias esset, cœlestia quæque editurus esset signa. Ac proinde de ipsius persona dubitabant, sicque assensum in ipsius doctrinam suspendebant. Hoc asperius aliquanto alloquitur & dicit: *Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare: hoc autem tempus, qui fit, quod non probetis?* Duo in ipsis reprehendit.

Vnum est voluntaria cæcitas, quam malitiose oculos & aures claudant, nec veritatem doctrinæ aut virtutem miraculorum suorum agnoscere velint, ne veritati cedere, eamque amplecti cogantur. Alterum est, quod in rebus huius seculi, iisque satis leuis momenti, sint sagaces: in negotio autem salutis, & quod regnum Messiæ adeoque æternam ipsorum salutem concernat, sint oscitantes & negligentes. Hoc his verbis probat: *Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, imber venit, & ita fit: & cum Austrum flantem, dicitis, quod æstus erit, & fit.* Tempestatum, pro diuerso situ regionum & maris, diuersa est ratio. Et tamen ea est humani ingenij solertia & industria, vt in singulis regionibus homines ex signis naturalibus tempestatum rationem agnoscere possint. Quæ ergo malitia fuit, quod Iudæi ex statu & conditione illorum temporum noluerunt agnoscere præsentiam Messiæ, cum pluuia salutari Psalm. 68. versic. 10. quam Deus dedit hæreditati suæ? Cæterum ex quibus signis Iudæi agnoscere potuerint, & debuerint tempus primi aduentus Messiæ in carnem? & quomodo Nos nostra ætate etiam agnoscere debeamus, imminere tempus secundi & gloriosi eiusdem aduentus ad iudicium, ne idem nobis obiiciatur, quod Iudæis fuit obiectum, de illo egimus cap. LXXXIII. quo lectorem beneuolum remitto, ne idem bis cum tędio ponere cogamur. Theophylactus hic philosophatur, ipsum Dominum esse *nubem orientem ab occasu*, scilicet, quia humana sua natura, quæ iam quasi ad occasum vergat, & aliquid caliginis habeat, diuinitatem suam tegat: & tamen salutari pluuia cœlestis suæ doctrinæ vniuersum mũdum sit irrigaturus. Esse eundem *Austrum*, quia sit spiritu feruidus, Aquiloni frigido oppositus, qui æstum excitaturus, vel ignem accensurus sit in hoc mundo, vt modo dixerat. Debere itaque Iudæos hanc *nubem* & hunc *Austrum* quoque cognoscere. Sed literalis sensus semper est certior, quam mysticus idemque coactus.

Interim attendamus hic, quomodo inter se certent, & paterna Dei erga nos bonitas, & peruersa humani ingenij improbitas, quorum neutrum alteri cedere vult. Immensæ diuinæ bonitatis est, quod is omnibus temporibus *certa gratiæ* suæ signa extare voluit, quibus salutem in Messia mundi saluatore amplecti possimus. Humanæ prauitatis est, quod maior mortalium pars signa illa secure negligit: in rebus humanis plerique sunt argutissimi, negociosissimi & maxime industrij: in spiritualibus vero cœci, ignaui, timidi, socordes & laboris impatientissimi. Si dimidia ex parte neruos ingenij nostri humani tantum intenderemus in addiscendis rebus diuinis, quantum in humanis, si tam soliciti essemus in procuranda animarum salute, quam corporum, multo certius de plerorumque beatitudine sperare liceret. Hanc nostram *ἀβλεψίαν* agnoscamus, & per Spiritus sancti gratiam corrigere studeamus.

Alterum membrum huic subiungitur, quo parabola debitoris turbas serio hortatur ad reconciliationem cum Deo, dum adhuc superest tempus gratiæ. Matthæi 5. versic. 25. eadem parabola nos hortatus est ad reconciliationem cum fratre offenso. Pleraque ergo, quæ ad huius membri expositionem faciunt, ex illo loco cap. LI. huc sunt repetenda. Proponit autem parabolam sub forma præcepti, quando vadis cum aduersario, *in via da operam*. Neque enim ignorat Christus humani ingenij socordiam, qua plerique pœnitentiam inter adiaphora reiiciunt, & putant in sua libertate positum esse, quando & quomodo pœnitentiam agere & cum Deo in gratiam redire velint. Singuli ergo meminerimus Christi præceptum esse, vt mature de reconciliatione cum Deo soliciti simus. Memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de

de quibus dicas, non mihi placent. Eccles. 12. v. 1. Porro parabolæ huius summa in his consistit.

1. Vt agnoscamus nos Dei esse debitores. Ipse enim non tantum nos creauit, sustentat, alit, conseruat: sed etiam per filium ex æterno interitu redemit: ac denique per Spiritum sanctum nos regenuit, in filios adoptauit, per verbum Euangelij ad lucem veritatis vocauit, sanctificauit & hæredes vitæ æternæ scripsit. Et hæc omnia fecit ex mera, paterna ac diuina bonitate & gratia, in eum finem, non vt aurum, argentum, vel victimas ipsi rependeremus, sed vt toti ipsius essemus, ipsi vni fideremus, toto corde ipsum super omnia diligeremus, sub ipso viueremus, eique in perpetua iustitia & innocentia seruiremus atque obtemperaremus. Hoc est grande illud debitum, quo Deo sumus obstricti. Quis vero nostrum illud exoluit? Si ingrediatur Deus nobiscum iudicium, nemo subsistit. Psalm. 143. vers. 2. si rationes nobiscum ineat, decem millia talenta ipsi debemus. Matth. 18. v. 24. Si velit nobiscum contendere, pro mille ne vnum quidem ipsi respondebimus. Iob. 9. vers. 3.

2. Quid ergo faciendum? Hic Christus illud docet, inquiens: *quando vadis ad magistratum, in via da operam, vt libereris ab illo.* Vniuersum vitæ nostræ curriculum *via* confert: siquidem omnes metam properamus ad vnam. Et mors est vltima huius viæ linea, quæ nobis ianuam aperit ad æternitatem. Qui iam in illo vltimo peremptorio termino non se exoluerit ab hoc debito, ille mox audiet, quid sibi sit expectandum. Procrastinatores itaque qui salutis suæ curam magno cum periculo animæ suæ de die in diem reiiciunt, Christus his verbis incitare vult, vt absque mora cum Deo ob debitum illud reconciliare studeant. Dicto enim citius mors obrepit, & plerosque tum ex statione huius vitæ euocat, quando iam primum recte & delicate viuere velle constituerunt, sicuti in hoc ipso capite de diuite illo colono audiuimus.

3. At quomodo cum Deo ratione illius debiti transigendum? *da operam vt libereris ab illo.* Vtitur verbo ἀπηλλάχθαι, quod significat liberari vel absolui. Demosthenes in actiua voce dixit: ἀπήλλαξε τοὺς χρήστας, liberauit creditores, seu magis proprie, & quod cum præsenti loco conuenit, absolui creditores. Eleganter nobis sit considerandum proponitur beneficium Christi Mediatoris: qui, cum nos non essemus soluendo, ipse in se recepit hoc debitum, & cœlesti suo Patri pro nobis satisfecit. Ideo dicit in Psalm. 69. v. 5. quæ non rapui, illa exoluebam. Huic liberationi aliquid lucis addetur, si cum hoc loco conferatur, quod scriptum est in Epistola ad Hebr. cap. 2. versiculo 14. vbi dicitur: Christum in carne & sanguine suo mortem sustinuisse, vt aboleret eum, qui mortis habet imperium, καὶ ἀπαλλάξῃ & liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti. Hic enim omnino debitum pro nobis dissoluit. Disciplina pacis nostræ est super eum. Ies. 53. versiculo 5. Ipse est, qui potest facere ἀπαλλάσσεσθαι, vt discedant à nobis omnes morbi. Actor. 19. v. 12. Ipse chirographum, quod nobis erat contrarium, cruci affigens de medio sustulit. Col. 2. vers. 14. Et Pater de cœlo clamauit, hunc esse dilectum illum filium, in quo sit placata anima sua. Matth. 3. v. vlt. & Marc. 1. 11.

4. Hunc modum in gratiam redeundi cum Deo, qui cunctabundus in hac vita negligit, is in nouissimo die trahetur *ad iudicem, iudex eum tradet exactori*, qui est Diabolus. Hic eum pertrahet *in carcerem*, ad ima tartara, vbi catenis tenebrarum constrictus pœnas luet districtæ Dei iustitiæ in omnem æternitatem. Sensus itaque grauissimæ huius admonitionis Christi hic est. Certe si haberes aduersarium quempiam, cui grandi ære obstrictus esses, & ille te ad principem vel magistratum pertrahere, ibique accusare, & rigide debitum exigere vellet: nonne operæ precium facere te existimares, vt etiam adhuc in via, antequam ad iudicem peruenires, cum ipso transigeres, sicque ab ipso liberareris, ne forte iudex te exactori tradat, & hic te coniiciat in carcerem, ex quo non exires, donec vltimum λεπτὸν & minutum persolueres? *Exactor* seu πράκτωρ, Iesa. 3. v. 12. נגש significat eum, qui homines angustiat exigendo & adigendo ad solutionem æris alieni. Hic si semel potestatem in quempiam acquisiuit, non desistit minando, vrgendo, coarctando, donec integrum debitum expressit. Si ergo hoc in humanis facimus, quanto magis ad consequendam æternam animæ salutem, quæ iam per Mediatorem offertur, modis omnibus laborare debebatis, vt dum adhuc in via huius mundi estis, & vobis superest spes diuinæ gratiæ, à debito, quod per peccata contraxistis, ab ira Dei, quam promeruistis, ab accusatione satanæ, quam ille paratam habet, liberaremini? Antequam ad tribunal Dei pertracti, à iusto iudice Diabolo exactori traderemini, qui vos in carcerem gehennæ eiecturus est in æternum torquendos, donec vltimum minutum reddatis, quod nunquam est futurum.

Hunc sensum qui tenet, is iam etiam intelligit, quæ sit sententia illius interrogationis Christi: *Cur autem & ex vobis ipsis non iudicatis quod iustum est?* Nimirum sensus eius sumendus est, partim ex præcedentibus, partim ex subsequentibus, quasi diceret: Si omnino adeo rudes estis, vt signa aduentus Messiæ, nec ex Prophetarum oraculis, nec ex præsentis temporis conditione cognoscere possitis: cur non id saltem facitis in salutis negotio, quod *ex vobisipsis* facturi essetis, si ob rem pecuniariam & æs alienum à creditoribus in ius vocaremini? Ibi certe nullum momentum inutiliter transire pateremini, quo non tentaretis transactionem instituere cum creditore, antequam ex rigore iudicis in carcerem coniiceremini. Hoc vero dicendo socordiam humanæ mentis in rebus æternam salutem concernentibus, arguit, quæ semper conqueritur, negotium salutis adeo esse difficile & obscurum, vt non possit illud vel intelligendo assequi, vel agendo exequi. Cum tamen hoc falsissimum sit: siquidem, si attendamus, & quod *iustum est, iudicemus ex nobisipsis*, vel ex quotidiano vsu pleraque desumere possumus, quæ ad illustrandum istud mysterium faciunt, & quæ nos quasi manibus apprehensos deducunt ad viam salutis ingrediendam. Hoc commonstrauit Christus passim in Euangelio, quando parabolis ex triuio desumptis, vtpote de semente, de pastoribus, de nuptiis, de vite, de patribusfamilias, & similibus rebus, inclusit summos fidei nostræ Christianæ articulos, & iis admodum populariter tradidit, quæ ad consequendam vitam æternam sunt necessaria. Vt quicunque quiritetur, negotium salutis intricatum esse & obscurum, is vere non tantum in Christum, sed etiam in seipsum sit iniuriosus.

Postremo etiam hoc adiiciendum est, plerosque Pontificios & Antichristianos doctores, ex hoc loco & ex verbis: *non exibis inde donec vltimum etiam minutum reddas*; ignem suum purgatorium, in quo animas corporibus solutas ad aliquot annos torrent, antequam eas ad consortium beatorum admittant, exufflare conari. Sic enim argumentantur Luc. 16. vers. 26. vbi Christus de cœlo & inferno disserit, ibi affirmat hiatum sic esse confirmatum, vt vltro citroque commeandi nemini vllus locus concedatur: quia ex cœlo nemo amplius relegabitur, & ex inferno nulla est redemtio. Atqui hic loquitur Christus de tali carcere, ex quo peccatores sint egressuri, quando *vltimum minutum* reddiderint. Ergo est tertius quidam locus inter cœlos & inferos medius, in quo animæ à peccatis, de quibus in terris pœnitentiam agere neglexerant, expiantur, & expiatæ demum ad beatorum sedes admittuntur. Hanc autem interpretationem falsam, nec Catholicam esse, id ostendit explicatio Catholici Episcopi Cornelij in hunc locum, qui Christi verba sic interpretatur: *iudex te tradet in carcerem torquendum, quousque id plenum satisfeceris, hoc est, in perpetuum.* Et secunda vice addit: tales tradendos esse angelis exactoribus, & mittendos in carcerem inferni; *vnde non liberabuntur, quia nunquam debitum persoluetur.* Hic ergo Catholicus Episcopus ipse agnouit, in hoc textu nullum ignem purgatorium latitare, sed ignem infernalem exprimi, in quo ipsi assentimur. Nam & Christus non loquitur de statu animarum post hanc vitam; sed quid nos facere oporteat dum *in via* huius seculi sumus. In altero seculo nullus relinquetur locus curandæ salutis, sed quisque referet vel præmia vel pœnas, prout gesserit in corpore siue bonum siue malum. 2. Cor. 5. vers. 10.

CAPVT CXI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS GRAVEM EXHORTATIONEM AD POENITENTIAM, EXEMplis Galilæorum à Pilato, & Iudæorum ruina turris, occisorum, atque parabola de ficu sterili. Luc.13.vers.1.

RATIO ORDINIS.

Continuatio ordinis hic manifesta est. Diserte enim testatur Euangelista, hunc Galilæorum interitum Christo relatum fuisse ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ *eodem illo tempore* quo discipulis suis & populo de pœnitentia tanta seueritate concionatus fuerat. Nam & signa adduxerat, vnde auditores colligere debeant, singulis imminere illum diem, quo ad iustum Dei tribunal sisti, & omnium suorum factorum rationem reddere debeant. Vtque tanto plus terreret, parabolam creditoris & debitoris, qua ostendit, contumaces procrastinatores æternum exitium manere. Hoc *quidam* audientes, Domino è vestigio illum Galilæorum interitum narrant, hoc quasi exemplo ostensuri, haud dubie execrandam fuisse istorum Galilæorum impietatem, quam Deus tam atroci & nouo supplicij genere, puniendam indicarit. Solent enim homines primum aliena peccata acutius videre, cupidius aliis narrare, atrocius exaggerare, quam propria vel aspicere: postea etiam solent secundum pœnæ grauitatem peccati quantitatem æstimare, seque, quandoquidem diuina vltio ipsis parcat, pro innocentibus æstimare. Et sane non raro Deus grauibus iudicij sui exemplis peccatorum atrocitatem aliis ob oculos ponere, sicque ipsos ad eorundem odium excitare solet. Sed quia plerique exempla illa vel non attendunt, vel perperam pro affectu suo interpretantur: Ideo Christus hic generalem eiusmodi iudiciorum Dei vsum ministrat, nimirum, quod Deus iis nos ad pœnitentiam excitare velit.

Potest ergo huius loci nostra ætate maximus esse vsus: siquidem exempla diuinorum iudiciorum passim sunt crebra, quæ tamen plerique vel secure negligunt, vel proximo insultandi, imo etiam alios calumniandi, occasionem inde arripiunt: pauci (quod tamen omnes facere debebant) vitæ tectius instituendæ documentum inde petunt.

Exhortatio ad pœnitentiam, ob Dei patientiam.

LVC. 13.

1. Παρῆσαν δέ τινες ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ ἀπαγγέλλοντες περὶ τῶν Γαλιλαίων, ὧν τὸ αἷμα Πιλάτος ἔμιξε μετὰ τῶν θυσιῶν αὐτῶν.
2. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτοῖς, δοκεῖτε, ὅτι οἱ Γαλιλαῖοι οὗτοι ἁμαρτωλοὶ παρὰ πάντας τοὺς Γαλιλαίους ἐγένοντο, ὅτι τοιαῦτα πεπόνθασιν;
3. Οὐχὶ, λέγω ὑμῖν, ἀλλ' ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε.
4. Ἢ ἐκεῖνοι οἱ δέκα καὶ ὀκτὼ, ἐφ' οὓς ἔπεσεν ὁ πύργος ἐν τῷ σιλωὰμ, καὶ ἀπέκτεινεν αὐτοὺς: δοκεῖτε, ὅτι οὗτοι ὀφειλέται ἐγένοντο παρὰ πάντας ἀνθρώπους τοὺς κατοικοῦντας ἐν ἱερουσαλήμ;
5. Οὐχὶ, λέγω ὑμῖν, ἀλλ' ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὁμοίως ἀπολεῖσθε.
6. Ἔλεγε δὲ ταύτην τὴν παραβολήν. Συκῆν εἶχέ τις ἐν τῷ ἀμπελῶνι αὐτοῦ πεφυτευμένην, καὶ ἦλθε καρπὸν ζητῶν ἐν αὐτῇ, καὶ οὐχ εὗρεν.
7. Εἶπε δὲ πρὸς τὸν ἀμπελουργὸν, ἰδοὺ, τρία ἔτη ἔρχομαι ζητῶν καρπὸν ἐν τῇ συκῇ ταύτῃ, καὶ οὐχ εὑρίσκω, ἔκκοψον αὐτὴν, ἵνα τί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ;
8. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς λέγει αὐτῷ, κύριε, ἄφες αὐτὴν καὶ τοῦτο τὸ ἔτος, ἕως ὅτου σκάψω περὶ αὐτὴν, καὶ βάλω κόπρια.
9. Κἂν μὲν ποιήσῃ καρπόν. εἰ δὲ μήγε, εἰς τὸ μέλλον ἐκκόψεις αὐτήν.

1. *Aderant autem quidam eodem in tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificiis ipsorum.*
2. *Et respondens Iesus dixit illis, putatis, quod hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?*
3. *Non, dico vobis, imo nisi resipueritis, omnes similiter peribitis.*
4. *Aut illi decem & octo, supra quos recidit turris in Siloam & occidit eos, putatis, quod debitores fuerint vltra cunctos homines habitantes Hierosolymis?*
5. *Non, dico vobis, imo nisi resipueritis, omnes similiter peribitis.*
6. *Dicebat autem hanc similitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit.*
7. *Dixit autem ad cultorem vineæ, ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum in ficu hac, & non inuenio, succide illam, ad quid vel terram occupat?*
8. *At ille respondens dixit illi; Domine sine illam & hoc anno, donec fodero circum illam, & misero stercus.*
9. *Et siquidem fecerit fructum: sin minus, in posterum succides eam.*

Periocha huius exhortationis.

De horum Galilæorum, *quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificiis ipsorum*, peccato plerique curiose inquirunt: nec tamen certa aliqua peccati species, siue ex sacra siue prophana historia, adduci potest. Cyrillus quidem & Theophylactus cum Euthymio existimant eos fuisse sectatores Iudæ illius Galilæi, cuius Gamaliel Act.5.vers.37. mentionem facit. Ipsi vero eius dogmata absurda hæc referunt: quod docuerit, nullum hominem Dominum esse appellandum: non debere Iudæos tributa soluere Imperatori Romano: nec pro Romanis sacrificia offerre. Ob hæc Pilatum ipsis indignatum, iussisse ipsos interficere inter sacrificandum. Hæc tamen incerta sunt. Hoc vero certum, quod Galilæi semper, sicuti id ex Iosepho colligere licet, ad seditiones proni fuerint. Insatiabili enim cupiditate ardebant reparandæ libertatis, quam per Romanos amiserant. Verisimile itaque est, ipsorum quosdam de vindicanda libertate conspirasse atque fœdus iniisse: vtque res omnis tanto felicius succederet, illud à sacrificiis & re diuina (vt in fœderibus fieri solet) auspicatos fuisse. Vbi Pilatus tanquam Romanus præses, ex improuiso superueniens cum militibus, seditiosos illos crudeliter occiderit, sicque & ipsorum & pecudum sanguinem miscuerit atque inter se confuderit. Vt enim sacrificium ipsorum tanto magis abominabile redderet, humanum sanguinem effudit. Sicuti Iosias 2. Reg.23.v.16. ossa sacerdotum in altari Bethelis combussit, vt sic altare pollueret. Hinc illi, qui hæc Christo retulerunt, & absque

dubio

dubio Iudæi fuerunt, inferre voluerunt, istis seditiosis hanc commonefactionem de agenda pœnitentia necessariam fuisse, siquidem præ aliis maximi fuerint peccatores. Cupiūt ergo Domini audire iudicium, non tam de Pilati facto, quam de æterno Galilæorum interitu.

Est enim hæc humani ingenij deprauatio, vt, si quando Deus in puniendis quorundam peccatis iustæ seueritatis exemplum edit, illi, quibus istud refertur, bifariam (vt modo quoque dictum est) iudicio errare soleant. Primo, quod acerrimi sunt censores in illorum peccatis examinandis & traducendis, quibus etiam non raro insultant, & νέμεσιν diuinam iustissima vltione illa persecutam fuisse affirmant. Deinde, ex impunitate, qua ipsi fruuntur, coniiciunt suos mores & vitam Deo probari, seque ipsi præ aliis charos atque gratos esse. Nulli in mentem venit, talia exempla à Deo aliis ob oculos statui, vt in se descendant seque ipsos examinent, an non in similibus aut etiam maioribus labantur ipsi. Quapropter talia exempla ipsos ad pœnitentiam excitare debebant, ne grauioribus pœnis & ipsi inuoluantur. Verum φιλαυτίας vitium plerosque excœcat, vt de eo parum vel etiam nihil cogitent. Quapropter Christus sua responsione verum vsum eiusmodi exemplorum nunc docebit.

Dicit enim; *Putatis quod hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia sunt passi?* Verba per se sunt manifesta, & ipse quoque sensus planus est. Vult dicere: Seditiosos istos peccatores fuisse maximos, qui grauiter & Deum & magistratum offenderint, extra omnem est controuersiam. Ac proinde supplicium, quod sustinuerunt iustum est, atque sufficienter ab ipsis prometitum. Verum enimuero vos, qui huius crudelitatis vel spectatores fuistis, vel ad quorum aures fama eius peruenit, non debetis inde occasionem sumere ipsorum infelicitati insultandi: neque tam in ipsorum quam in propria peccata inquirendi. Etenim dico vobis, *nisi resipueritis, omnes similiter peribitis.* Quod dicendo Christus non vult simpliciter prædicere, ipsos omnes eosdem mortis generis perituros, vt etiam ipsorum sanguis cum victimis misceatur: Sed tantum indicat, ipsos quoq; ex inopinato crudeliter & male interituros. Et vt Dominus amplius eos moueat, addit etiam alterum exemplū. Erat Hierosolymis riuulus, siue fons, *Siloa* nomine, faciens piscinam, vt infra ex Ioan. 9. v. 17. audiemus. Ad illam ædificata erat *turris* aquæductui per vrbē inseruiens, vt patet ex Ies. 7. v. 3. Hæc turris cōciderat & octodecim viros occiderat. De his Christus similiter infert, ipsos nequaquam præ aliis ciuibus Hierosolymitanis ὀφειλέτας siue *debitores* fuisse. Hoc enim vocabulo in præsentia vtitur, vt innuat, omnes homines legi diuinæ debere obedientiam, & hanc si non præstent obligatos esse ad pœnam. Consimile ergo exitium manere omnes, nisi mature suis concionibus permoti serio de agenda pœnitentia cogitent. Atque sic vtrosque, tā Iudæos quam Galilæos, coniungit, grauiter ipsos monens, vt pœnitentiam agant, nisi vtrique miserabiliter perire velint. Et quod hoc in loco Christus impœnitentibus minatur, illud post quadraginta annos impletum est. Tum enim Titus Romanorum Imperator vrbem in ipso paschatis festo obsidione cinxit, & vrbe capta quamplurimos Iudæos impœnitentes inter sacrificandum occidit. Quemadmodum quoque turris Siloa octodecim illos viros ruina sua oppressit, sic etiam plerique Iudæorum inter ruinas perierunt. Et hoc fuit illud verbum Domini *omnes similiter peribitis.*

Docet hac sua responsione Saluator noster si quando tragici & improuisi casus accidunt, quorum communis vita plena est, qualiter & de illis iudicare, & iisdem ad nostram ædificationem vti debeamus. Quoad iudicium, non debemus illud præcipitare, vt temere damnemus eos, qui sic tragice perierunt; nisi incurabilis ipsorum impietas & finalis contumacia aduersus Deū infallibilibus argumentis sit perspecta. Nō nouum enim est, quod iudicium Dei incipit à domo ipsius. 1. Pet. 4. v. 17. Sancto & patientiæ titulo celebri Iobo decem liberi vna die ruina domus perierunt. Iob. 1. vers. 19. Si quis eos propterea satanę tradere voluisset, certe misere afflicto patri afflictionem impie addidisset. Vsus autem eiusmodi exēplorum hic esto: vt, quandoquidem coram Deo omnes sumus peccatores & cum Dauide dicere cogimur: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis subsistet? Ps. 130. v. 3. eo diligentius vitam & mores nostros excutiamus, ne fortassis similia, aut etiam grauiora vitia in nobis deprehendamus. Ac proinde pœnitentiam agamus, ne Deus etiam in nobis puniendis iustitiam suam exercere cogatur. Nisi enim Deus iustitiam odi exemplis iram suam etiam erga alios manifestare vellet, occulte peccata punire poterat. Itaq; quādo videmus, quomodo Deus siue hos siue illos puniat bello, direptionibus, peste, fame, dissensionibus, non tam in eorum mores & studia inquiramus, vt veras pœnarum causas deprehēdamus, quam in nosipsos descendamus: & si consimiles [illegible] apud nos inueniamus, eos corrigamus, ne eadem mala etiam nos iusto Dei iudicio premere incipiant. Breuiter, eiusmodi tragici & improuisi casus sunt exempla iræ diuinæ, monentia singulos de suis peccatis, vt pœnitentiam agant. Non simus otiosi spectatores, non curiosi censores, multo minus impij insultatores: sed de nostra emendatione cogitemus. Etenim iisdem vel similibus, vel etiam maioribus peccatis sumus obnoxij. Ex his etiam patet, quo fine & quo fructu veteres historiæ sint legendæ. Omnia conuertantur ad nostri ædificationem.

Ruina *turris Siloa*, quę ex opinato *viros decem & octo* occidit, nos monere debet, vt pie, & in continua pœnitentia vitam transigamus. Siquidem fere mors nos præoccupare solet, quando minime eam cauemus. Quapropter indesinenter animum præparatum habeamus. Heli domi suæ sedit in sella ociosus, quo loco securior alius videri non poterat: & tamen de illa decidit, ceruicem fregit, atq; mortuus est. 1. Sam. 4. v. 18. Ammon filius Dauidis conuiuio assidet in domo fratris sui & trucidatur: 2. Sam. 13. v. 29. Sic in media vita morte circumdati sumus. Imo, tanta vitæ nostræ cum morte familiaritas est, vt homo viuere nequeat, nisi morte aliorum sustentetur. Animalibus terrestribus, aquatilibus, & volatilibus moriendum est, si homo ali & viuere debeat. Quid ergo est ô homo, quod mortem miraris, quod mortem metuis, cum morte aliorum viuas, morte aliorum sustenteris, viuendo moriaris, & moriendo viuas? Et tu homo quid aliud es, quam vitæ consumptor, temporis phantasma, lethi hospes, mortis mancipium, & viator transiens? vt pie quidam scripsit.

II Quia in præcedentibus Dominus interitum minatus fuerat omnibus, qui non agerent pœnitentiam: ideo rem illam parabola nunc illustrat, qua omnibus ante oculos quasi spectandum ponit, quomodo longanimitas & bonitas Dei homines ad pœnitētiam expectet, ne in die iræ & reuelationis iusti iudicij sui omnem suam iram contra ipsos effundere cogatur. Rom. 2. v. 4. Parabola ipsa per se satis plana est. Vineam hanc denotare Ecclesiam Dei, notum est tum ex Ies. 5. v. 1. Matt. 20. v. 1. tum ex aliis locis. In hac vinea est vitis vnica Dominus noster Iesus Christus, cui nos omnes ceu palmites inseri & implantari oportet, si fructum ad vitam æternam afferre velimus. Ioh. 15. v. 1. In vineis vero vinitores interdum etiam plantatas arbores habent, quas tolerant, si generosos & gratos fructus ferant: sin vero sint steriles, nullum fructum ferant, vmbra sua vitibus noceant, & succum terrę inaniter attrahant, tum bonus agricola tales arbores non fert. Sic Deus in sua Ecclesia non vult ferre inutilia terrę pondera, quę tantum bona & dona Ecclesiæ ad se rapere conātur, nec vllum fructum siue fidei siue charitatis pariunt; quo vel Dei honor illustretur, vel alij ad fidem adducantur: sed tantum exemplo suo nocent, & aliis scandalum prębent. De tali arbore cœlestis paterfamilias cultori vineę mandatum dat, vt iam excindat, quia ἵνα τί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ; hoc est, *inutili pondere terram onerat,* à qua succum sine fructu trahit. Nō tamen Deus mox & absque omni mora hanc suam sententiam præcipitat, sed Ecclesiam suam, quam singulari prouidentiæ suæ cura complectitur, frequenter inuisit, & *per tres annos venit quærens fructum.* His verbis exprimere vult Dominus diuitias bonitatis & longanimitatis Dei, quæ tanta sit, vt licet Deus sæpius spe sua quo ad emendationem hominum frustretur: non tamen è vestigio securim excisionis stringat, & infrugiferas arbores in ignem abiiciat; sed patienter earum emendationem expectet. Possunt enim in arboribus extraneæ aliquæ causæ accidere, ob quas arbor, natura non sterilis, ad vnum atque alterum annum tamen in ferendo fructu impediatur. Quando vero Deus post talem moram apertam & confirmatam animi impietatem deprehendit; tum patientia ipsius in iram conuertitur, vt eam impunitam dimittere non possit.

Ibi vero etiam latam sententiam adhuc ad tempus remoratur ἀμπελουργὸς *cultor vineæ* Dominus noster Iesus Christus. Hic enim à Patre datus est Ecclesiæ & cultor & custos. Is sedens ad dextram Patris interpellat pro nobis. Heb. 9. v. 24. dicens adhuc hodie, Pater, dimitte illis hanc noxam. Nō enim sciunt quid faciunt. Luc. 23. v. 34. Interponit autem duas conditiones, quibus rigorem iustitiæ diuinæ temperat: vnam ex sua parte, qua vult *circum illam fodere & stercus mittere*: alteram ex parte arboris, si non ferat fructum, *vt tamen succidat eam.* Fossio & stercorum missio variis modis fiunt. *Fossio* quidem fit docendo, monendo, increpando ex verbo Dei, precando, crucem immittendo & aliis consimilibus modis, quibus animi hominum à terrenis rebus auocantur. Etenim qui fossam facit circum arborem, ille terram extrahit, humiditatem ingerit, radices purgat, cauet ne præfocatæ arbori ariditatem pariant, & terram habilem facit ad suscipiendam pluuiam salutarem. Sic Christus, sarculo verbi sui & spatula afflictionum fodit circa cor nostrum, & in eo radicem fidei purgat, desides-

rium terrenorum remouet, humilitatem animi inducit, sicque mentes hominum ad virtutem spiritus ipsius suscipiendam, quæ Psal. 68. v. 10. imber Domini benignus dicitur, habiles facit. *Stercoratio* autem fit, quando lapsis peccata (quæ non immerito propter vilitatem & fœditatem stercoribus conferuntur) in memoriam reuocantur, vt cum Dauide ex Psalmo 51. versic. 5. dicant: peccatum meum contra me est semper: quo eorum abominatione permoueantur, vt Spiritus sancti gratiam implorent, per quem ad ferendos fructus fœcundi reddantur. Vt, quemadmodum prius apud ipsos abundauit delictum, sic postea superabundet gratia. Hæc est conditio ex parte coloni. Altera conditio ex parte arboris est, *siquidem feceris fructum:* hic subintelligendum est, tum dimittes eam, & fines vlterius terram occupare. *Sin minus, in posterum succides eam.* Neque enim Christus improborum hominum, qui ex incurabili malitia peccant, patronus esse vult: quin potius sic cum talibus agit, vt tandem proprio ore, se damnationem probe commeritos esse confiteri cogantur.

Docet hæc parabola, 1. Dei erga nos peccatores longanimem expectationem & desiderium salutis nostræ, vt qui pietatis opera à nobis requirat tanquam fructum aliquem, ex quo tamen ad ipsum Deum minus accedit vtilitatis, quam ad nosipsos. 2. Christi intercessione fieri, quod non illico puniuntur, qui sceleribus suis id merentur. Hoc vt consolationem nobis addit: ita etiam ad gratiarum actionem erga hûc intercessorem excitare debet, atque insuper nos cohibere, ne de cuiusquam salute temere desperemus, cum Christi intercessione etiam in vltima mortis hora quis conuerti possit. 3. Deum Patrem non velle perpetuo parcere sterilibus arboribus in sua vinea. Siue enim hypocritæ sint, siue palam impie viuant, qui Ecclesiæ loca inutiliter occupant: tamen si suo exemplo aliis noceant, aut sua prophanitate religionem in contemptum adducant; iustum Dei iudicium non effugient. 4. Verbi ministros & animarum pastores decere, vt ad imitationem Christi consimili studio & cura auditores suos ad ferendos Deo bonorum operum fructus adducant; nimirum sacrosancto verbo plantent & rigent, peccatorum fœditatem ipsis ob oculos ponant, pro ipsis orent, vt sic eos iræ Dei subtrahant, & ad æternam salutem promoueant.

Cæterum quibus & quomodo hæc parabola apte accommodari possit, per se quoque satis apertum est. Siquidẽ eam & publice integris populis & priuatim singulis hominibus applicare licet. Et quidem primum Iudæos infrugiferam hãc ficum fuisse, nimis vere dicitur. Hæc enim fuit vinea, quam Dominus de Ægypto transtulit in terram Chanaan, eiecit Gentes & plantauit illam. Psal. 80. v. 9. Hanc vineam visitauit Deus *tribus annis*: per quos annos intelligere possumus vel triplicem illam gubernationem, quæ in isto populo à Deo fuit instituta. Quarum prima fuit Iudicum; altera Regum ante transmigrationem in Babylonem: tertia Pontificum *post* reditum ex Babylone. Vel triplicem illam visitationem, qua Deus populum hunc inuisit, & ad ferendos fructus excitauit: primo promulgatione legis per Mosen, qua Deus *ipsis præ*scripsit opera, quibus ipsi gratos fructus in Ecclesia, in Politia & œconomia afferre possent. Deinde cum sacerdotes in custodienda lege negligentes essent, extraordinariè excitauit Prophetas, qui diuino zelo tam sacerdotes ipsos, quam populum officij sui admonuerunt. Denique misit vnigenitum filium suum, qui cùm continuis sermonibus, tum stupendis miraculis vniuersam gentem ad veram pietatem extimulauit. Quin & per *tres annos* illos non inepte intelligere possumus triennium illud, quod Christus iam impenserat, quo per omnem terram pertransierat docendo, benefaciendo, & sanando omnes à Diabolo oppressos. Act. 10. v. 38. Et tamen in his visitationibus omnibus Deus expectatione sua fuit frustratus. Licet enim aliqui fuerint inuenti, qui se Deo probarunt: plurimorum tamen malorum impietas paucorum probitatem sic obfuscauit, *vt hi respectu illorum quasi* in nullum censum venerint.

Si vero quis gentibus, aut certo alicui populo *hanc parabolam* accommodare velit; tum *tres* illos diuinæ *visitationis annos* potest interpretari. 1. legem naturę. 2. legem Mosis scriptam. 3. prædicationem Euangelij, quæ omnia Deus in eum finem gentibus etiam communicauit, vt eorum adminiculo ad verum Dei cultum & omnia pietates & officia instituerentur. Vel potest quis attendere speciales Dei visitationes in aliqua gente siue vrbe, quibus Deus aliquos eripuit ex gentilismo, alios ex tenebris Papatus, vel ex crassis erroribus, & dedit purioris doctrinæ lucem, in qua si homines vitam & mores suos non emendant, sibiipsis extremum exitium non minus attrahent, quam Iudæi sibi attraxerunt.

Si denique ad singulas personas priuatim hanc parabolam quis transferre velit: Attendat & indicet, quomodo Deus per omnem vitam, primum in pueritia, deinde in iuuentute, tertio in virili ætate, apud quosdam etiam in vltima senecta post multiplicem culturam à *parentibus, à præ*ceptoribus, à verbi ministris impensam, *apud ipsos fru*ctus pietatis quæsierit, nec tamen *inuenerit. Si ergo in*frugiferi esse perrexerint, & tales mors deprehendet, actum fore de ipsis, quia tum excindendi & in ignem infernalem abiiciendi sint.

CAPVT CXII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM SANATÆ MVLIERIS CONTRACTÆ IN SABBATO, & defensionem illius facti contra Archisynagogum. Lucæ 13. versic. 10.

RATIO ORDINIS.

HÆc historia vt recto, ita etiam commodo ordine ad priorem sequitur. Egit in præcedenti Christus de ficu sterili, quæ lata quidem folia ostentaret: fructus autem raros vel etiam nullos proferret. Qua de causa circum illam fodere & stercus mittere, sicque ipsam ad ferendos fructus prouocare vellet. Iam ergo vineam Domini, synagogam Iudaicam, ingreditur, docendo arbores infrugiferas rigat, & in Archisynagogo exemplum sterilis illius ficus proponit. Vt enim tota synagoga Ceremoniarum Mosaicarum ornatu quidem sese ostentauit, bonorum autem operum fructum nunquam præstitit: Ita etiam hic hypocrita inanem pietatis & titulorum ostentationem præ se tulit: vera autem pietatis virtute totus caruit. Vnde etiam, ceu hypocrita, iusta reprehensione excipitur. In mulercula autem, quæ virtute verbi & attactu Christi restituitur, commonstratur, vnde nobis virtus illa obtingat, quæ nos ad bona opera fœcundos & idoneos facit. Vtrumque itaque exemplum singulari diligentia est attendendum.

Curatio fœminæ incuruæ in sabbato.

LVC. 13.

19. Ἦν δὲ διδάσκων ἐν μιᾷ τῶν συναγωγῶν ἐν τοῖς σάββασι.

11. Καὶ ἰδοὺ, γυνὴ ἦν πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας ἔτη δέκα καὶ ὀκτὼ, καὶ ἦν συγκύπτουσα, καὶ μὴ δυναμένη ἀνακύψαι εἰς τὸ παντελές.

12. Ἰδὼν δὲ αὐτὴν ὁ Ἰησοῦς, προσεφώνησε, καὶ εἶπεν αὐτῇ, γύναι ἀπολέλυσαι ἀπὸ τῆς ἀσθενείας σου.

10. *Docebat autem in vna synagogarum sabbatis.*

11. *Et ecce mulier erat, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, eratque contracta, nec omnino poterat erigere caput.*

12. *Quam cum videret Iesus, vocauit eam ad se, & dixit illi: mulier liberata es ab infirmitate tua.*

13. Καὶ

13. Καὶ ἐπέθηκεν αὐτῇ τὰς χεῖρας, καὶ παραχρῆμα ἀνωρθώθη, καὶ ἐδόξαζε τὸν Θεόν.

14. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἀρχισυνάγωγος, ἀγανακτῶν, ὅτι τῷ σαββάτῳ ἐθεράπευσεν ὁ Ἰησοῦς, ἔλεγε τῷ ὄχλῳ, ἓξ ἡμέραι εἰσίν, ἐν αἷς δεῖ ἐργάζεσθαι, ἐν ταύταις οὖν ἐρχόμενοι θεραπεύεσθε, καὶ μὴ τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου.

15. Ἀπεκρίθη οὖν αὐτῷ ὁ κύριος, καὶ εἶπεν, ὑποκριτά, ἕκαστος ὑμῶν τῷ σαββάτῳ οὐ λύει τὸν βοῦν αὐτοῦ, ἢ τὸν ὄνον ἀπὸ τῆς φάτνης, καὶ ἀπαγαγὼν ποτίζει;

16. Ταύτην δὲ θυγατέρα Ἀβραὰμ οὖσαν, ἣν ἔδησεν ὁ σατανᾶς, ἰδοὺ δέκα καὶ ὀκτὼ ἔτη, οὐκ ἔδει λυθῆναι ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ τούτου τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου;

17. Καὶ ταῦτα λέγοντος αὐτοῦ, κατῃσχύνοντο πάντες οἱ ἀντικείμενοι αὐτῷ· καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἔχαιρεν ἐπὶ πᾶσι τοῖς γινομένοις ὑπ' αὐτοῦ.

18. Ἔλεγε δὲ, τίνι ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, καὶ τίνι ὁμοιώσω αὐτήν; ὁμοία ἐστὶ κόκκῳ σινάπεως, ὃν λαβὼν ἄνθρωπος, ἔβαλεν εἰς κῆπον ἑαυτοῦ·

19. Καὶ ηὔξησε, καὶ ἐγένετο εἰς δένδρον μέγα, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατεσκήνωσεν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ.

20. Καὶ πάλιν εἶπε, τίνι ὁμοιώσω τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ;

21. Ὁμοία ἐστὶ ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον.

13. *Et imposuit illi manus, & confestim erecta est; & glorificabat Deum.*

14. *Respondens autem princeps synagogæ, indignans, quod sabbato sanasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite vt sanemini, & non in die sabbati.*

15. *Respondit autem ad illud Dominus, & dixit, hypocrita, vnusquisque vestrum sabbato nonne soluit bouem suum aut asinum à præsepi, & ducit aquatum?*

16. *Hanc autem filiam Abrahæ quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati?*

17. *Et cum hæc diceret erubescebant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat super vniuersis, quæ cum gloria fiebant ab eo.*

18. *Dicebat ergo, cui simile est regnum Dei, & cui simile faciam illud? simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum:*

19. *Et creuit & euasit in arborem magnam, & volucres cœli nidulabantur in ramis eius.*

20. *Et iterum dixit: cui simile faciam regnum Dei?*

21. *Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina sata tria, donec fermentetur totum.*

Periocha huius historiæ.

PRecedentem concionem de pœnitentia Christus habuit in die aliquo profesto cum populus ad ipsum congregatus fuisset. Nunc autem *docet in synaga in sabbatis*, siue sabbato. Nam de Iudaici sabbati die, qua Iudæi seruilibus operibus vacantes, ad audiendam Dei legem conueniebant, hoc intelligendum esse, sequens disputatio euincit. Quid autem docuerit à Luca hoc loco non indicatur. Sed absque dubio eandem de pœnitentia doctrinam repetiit & vrsit. Hac de causa Pontifici de doctrina interroganti Iohan. 18. vers. 20. respondit se non in occulto locutum esse, sed in synagogis & templo, vbi omnes Iudæi conuenirent, docuisse. Quapropter ex auditoribus doctrinæ suæ summam & argumentum repetendum esse.

Quia vero Christus non tantum folia verborum, vt synagoga, sed etiam fructum charitatis habuit: Ideo non tantum verbis, sed etiam opere ipso docuit, quod ad salutem hominibus incurabili infirmitate laborantibus conferendam in hunc mundum venisset. Nam *ecce* dum doceret, aderat mulier, quæ habebat *πνεῦμα ἀσθενείας, Spiritum infirmitatis*. Hoc est; laborabat illa fœmina morbo non naturali, sed qui ex Diaboli malitia & potentia, vel per incantationem, vel per fascinum aliquod ipsi obuenerat. Ac proinde nulla medicorum opera, (Hi enim tantum naturales morbos per naturalia media curant) sed solius illius virtute pelli poterat, qui etiam spirituales nequitias habet in sua potestate.

Fuit autem mulier illa *contracta, vt caput erigere* & sursum respicere *omnino non potuerit*. Quæ miseria tanto maior fuit, quod non paucis diebus durauit hoc malum, sed *annis decem & octo* integris. Erat reuera hoc miserum spectaculum, hominem, cui Deus os sublime dedit cœlumque tueri iussit, & erectos ad sydera tollere vultus, sicque hac staturæ rectitudine ipsum à brutis secreuit, videre pecudum more, vultu terram versus directo incedere, vel reptare potius, nec posse cœlum, ad quod tamen possidendum creatus erat, intueri. Sic nimirum Diabolus odium suum, quo cum aduersus Deum, tum aduersus homines flagrat, reipsa commonstrare voluit, quod nimirum hoc vnicum agere studeat, vt homines à Deo auersos, ex conditionis suæ rectitudine & nobilitate deiiciat, insipientibus iumentis similes efficiat, sicque permoueat, vt terram tantum spectent, terrena quærant.

Gerit itaque hæc fœmina typum totius humani generis, qui monstrat, qualis iam sit hominis conditio post tristem primorum parentum lapsum. Creauerat Deus hominem ad suam imaginem & similitudinem. Gen. 1. v. 26. in rectitudine cordis, in iustitia & sanctitate veritatis Ephes. 4. v. 24. Vnde recte sursum ferebatur amore & desiderio, versus creatorem & summum suum benefactorem, & scopum versus ad brauium supernæ vocationis Dei, ad quem & creatus erat. Phil. 3. vers. 14. Sed inuidia Diaboli peccatum & mors introiuere in orbē terrarum Sap. 2. vers. 24. quemadmodum copiose illud describitur Gen. 3. v. 1. Hac auersione à Deo factum est, vt Adamus ex pristina sua dignitate excidens non amplius cœlestia, sed terrena sapuerit & appetierit. Post peccatum fugit Deum, factus est eius inimicus, contemptor cœlestium, amator rerum terrenarum. Et qualis factus primus pater, tales etiam omnes eius posteri. Genuit enim Adam filium, non ad imaginem Dei, ad quam ipse creatus fuerat; sed ad imaginem & similitudinem suam Genes. 5. versic. 3. Per vnum itaque hominem intrauit peccatum in hunc mundum & per peccatum mors, atque ita mors in omnes homines pertransiit in quo omnes peccauerunt. Hanc naturalem nostri deprauationem singuli agnoscamus: seriis gemitibus deploremus nos in peccatis conceptos & natos Ps. 51. v. 7. adeoq; natura filios iræ esse confiteamur Eph. 2. v. 3. Vnde enim olim tā tetræ abominationes idolomaniæ & superstitionum tā apud Iudæos quam apud Gentes? Vnde tam nefanda & horrēda illa peccata atque scelera, qualia Apostolus Paulus ad Rom. 1. v. 29. recenset? Nisi quia natura ambulamus in vanitate sensus nostri, tenebris obscuratum habentes intellectum & alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ in nobis est, propter cœcitatem cordis & postquam aliqui dedoluerunt, tum semetipsos tradunt proteruiæ, ad operationes omnis immunditiæ, Ephes. 4. v. 18. Breuiter: animus hominis initio à Deo ad cœlestia creatus & formatus, sed postea satanæ astu & malitia seductus & ad terrena præcipitatus, iam magis delectatur, instar porci, in luto peccatorum & scelerum sese volutante, quā quæ sursum sunt quærere & sapere. Coll. 3. v. 1. Nam totum φρόνημα & sapientia carnis, inimicitia est in Deum, & legi Dei non subiicitur, & ne potest quidem Roman. 8. versic. 7.

Cum ergo tam misera sit humanæ naturæ conditio, eiusq; infirmitas tanta, vt propriis liberi sui arbitrij viribus seipsum erigere nequeat. Ex nobisipsis enim tanquam ex nobisipsis non sumus idonei cogitare aliquid, nedum perficere. 2. Cor. 3. v. 5. Vbi ergo medicina & salus quærenda? Id ostēdit altera huius historiæ pars. Christus enim Iesus Dei & Mariæ filius, qui miseræ huic fœminæ suppetias tulit, sua quoq; potentia nostræ infirmitati medetur, satanæq; malitiam à nobis depellit. Sed quo ordine id fecerit, operæprecium est attendere. 1. Dum in synagoga arduo illo & summe necessario docendi munere fungitur, quod tanta intētione & animi feruore ipsū administrasse Euangelistæ alibi testantur, vt nec à matre nec fratribus in eo se turbari passus fuerit. Mat. 12. v. 46. Marc. 3. v. 31. His autem inter docendum *vidit* miseram hāc incuruam mulierculam. Vidit quidem etiam reliquos ad audiendam ipsius doctrinam in synagoga congregatos. Hāc vero singulari commiserationis affectu vidit. Christi enim aspectus semper felix subsecutæ salutis omen est. Ideoq; 2. hanc postquam docere desierat, *ad se vocauit*. Potuisset sane eā quoque curare, si maxime ad ipsum non appropinquasset. Sed voluit miraculum hoc esse conspicuum, idque in Dei honorem

& populi ædificationem. *Vocauit* autem *eam* neque ab aliis, neque à fœmina ipsa rogatus: quia in Christo Iesu habemus gratuitum benefactorem. 3. Postquā ergo fœmina ad ipsum perreptasset, dixit illi: *mulier, liberata es ab infirmitate tua. Liberatam* pronunciat: Licet id nondum nec coram populo compareret, nec ipsa in corpore suo sentiret. Sed sic loquitur, quia in verbo ipsius, promissionis omnia possidemus, vltra quam petimus aut intelligimus. Verbum enim ipsius est verbum potentiæ, & verbum illius, qui tam morbos, quam sanitatem, tam mortem quam vitam in sua manu habet. Iccirco pro imperio loquitur, & quodcunque verbis prædicit, illud mox etiam opere complet. Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in veritate. Ps. 33. v. 4. Ideo additur: 4. *& imposuit illi manus, & confestim erecta est.* Potuisset etiam sine contactu nudo verbo sanare. sed non tantum ad ostendendam charitatis & beneuolentiæ certitudinem eam contingere dignatur: verum etiam vt innueret viuificam suam carnem esse ordinarium illud instrumentum, per quod saluificæ suæ gratiæ nos participes faciat. Ipse enim Dei filius est fons gratiæ, ex cuius plenitudine nos omnes accipimus gratiam pro gratia Ioh. 1. v. 16. Ipsa vero carō in vnitatem filij Dei assumta est carnalis, per quam gratia illa ad nos profluit.

In his omnibus adumbratur nobis modus & ordo quem Deus obseruat, vt nos à corruptione & infirmitate nostra liberet, atque ad beatam salutem reducat. 1. Fons & origo salutis nostræ est, plus quam paternus ille Dei affectus, quo nos miseros mortales, per peccatum in extremam miseriam & æternam damnationem prolapsos, ex alto non despicit, sed respicit, & per filium, in quo nos elegit ante mundi cōstitutionem Eph. 1. v. 4. nobis optatam salutem afferre decreuit. Sic Deus dilexit mundum &c. Ioh. 3. v. 16. Is proprio filio non pepercit, sed eum pro nobis tradidit Rom. 8. v. 32. Et vt in genere totum genus humanum in filio clementibus oculis intuitus est, sic etiam in specie singulos peccatores, quibus salus obtigit, paterno intuitu respicere solet. Sic *vidit* Adamum in paradiso post arbores latitantem, & promissionem Redemtoris dedit, Gen. 3. v. 8. *Vidit* Abrahamum in patria inter Idololatras agentem, & ad veri Dei agnitionem is vocatus est. Gen. 12. v. 1. *Vidit* afflictionem Israelitarum in Ægypto: & liberati sunt. Exod. 3. vers. 7. *Vidit* Dauidem homicidam & adulterum secure peccatis suis indormientem, & in viam eum reuocauit. 2. Sam. 12. v. 1. *Vidit* Iesus Nathanaelem sub ficu, & cognitione sui eum illustrauit. Iohan. 1. v. 48. *Vidit* Zachæum in Sycomoro & salus domui ipsius facta est. Luc. 18. v. 5. Dominus conuersus respexit & *vidit* Petrum, atque pœnitentiæ lacrymas ipsi expressit. Luc. 22. v. 61. Itaque certo sciamus omnis salutis nostræ tam temporalis quam æternæ, initium esse paternum intuitum Dei. 2. Hunc primum gradum visionis sequitur alter, qui est *vocationis*. Nam quos prędestinauit, hos & vocauit Rom. 8. v. 30. Est enim bonus pastor, qui proprias oues vocat nominatim. Iohan. 10. vers. 3. Nos sponte nostra nunquam ad Christum accedimus. Nam quemadmodum inueteratus morbus, cui homines sunt assueti, medicum non curat, siquidem sanari desperat: Sic homo peccatis inueteratus desiderium cœli non habet, quin potius peccatis, ceu graui onere, pressus, tantum terram deorsum aspicit. Deus ergo eos, qui salutem conferre constituit, per verbum ad se vocat. Non tantum generali vocatione Esa. 55. versic. 1. Omnes sitientes venite ad aquas, &c. Matth. 11. vers. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Ioh. 7. v. 37. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Sed etiam vocatione speciali. Sic vocauit ipse olim Adamum, Abrahamum, Mosen, & alios: hodie per verbi præcones vocat singulos peccatores, quando illi prædicant verbum, instant opportune, importune: arguunt, obsecrant, increpant in omni patientia & doctrina. 2. Timoth. 4. v. 2. Et per hoc verbum vocationis vult efficax esse in cordibus auditorum: sicuti Lydiam purpurariam Dominus per Pauli prædicationem ad fidem & salutem adduxit. Actor. 16. versic. 14. Et hoc est quod Christus dixit Iohan. 6. v. 44. Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Hæc vero tractio non fit externa vi, sed interna virtute Spiritus sancti, qui efficax est per verbum vocationis. 3. Porro animæ, quæ vocata ad Deum accedit, per verbum Christus dicit: *liberata es ab infirmitate tua.* In hac enim vita à peccatis nostris tam originali, quam actualibus aliter non liberamur, nec salutis participes aliter reddimur, nisi per verbum, cui tam certo fides habenda est, ac si reipsa salutem possideremus, licet in facto diuersum sentiamus. Est enim Euangelium potentia Dei ad salutem omni credenti. Roman. 1. v. 16. Et fides substantia est rerum sperandarum, atque argumentum non apparentium Hebr. 11. versic. 1. Fides ergo habet & possidet in verbo quicquid nobis à Deo est promissum. Vnde non tantum de Christo dicitur, quod habeat verba vitæ æternæ, hoc est, verba, quæ vitam æternam conferunt. Iohan. 6. v. 68. Sed etiam de Petro dicitur, quod Cornelio locutus sit verba, in quibus ipse saluus sit futurus: & vniuersa domus eius Actor. 10. vers. 14. Et Paulus Timothæo scribit: Attende doctrinæ, hoc faciens, & teipsum saluum facies & qui te audiunt. 1. Timoth. 4. versic. 16. Dum ergo sic per fidem ambulamus, tantisper verbo contenti simus, donec aspectus & res ipsa subsequentur. 2. Corin. 5. vers. 7. Neque enim hoc verbum nos fallet. Nam si principes huius seculi verba, quibus gratiosam suam mentem erga ministros suos declarant, irrita esse nolunt: quanto magis filius Dei, rex regum, id quod verbis pollicitus est, ratum habebit? Cœlum & terra transibunt: verba autem Christi non transibunt. Luc. 21. versic. 33. 4. Tandem non obliuiscendum est *impositionis manus.* Per hanc enim adumbratur nobis coniunctio & excommunicatio nostri cum Christo: extra quam nobis salus non potest contingere. Etenim hæc est vita æterna, quæ nobis annunciatur, vt sit communio nostra cum Patre & filio eius Iesu Christo. 1. Iohann. 1. ver. 3. Hæc vero coniunctio Dei & nostri vt fieri posset, filius Dei humanam carnem in vnitatem personæ assumsit, atque sic Immanuel noster, hoc est, nobiscum Deus factus est, atque in assumpta illa massa primum humanam infirmitatem sanauit, eamque in cœlum subuectam ad dexteram Dei in ipsum thronum diuinæ maiestatis collocauit. Postea vero vt eadem infirmitas in nobis quoque sanetur, necesse est, vt ipsi tanquam capiti nostro inseramur, membra corporis ipsius fiamus, atque sic caro de carne eius, & ossa de ossibus eius efficiamur Ephes. 5 versicul. 30. Hoc vero sit quando sacramentis Christi participamus. Tum enim viuifica sua carne nos contingit, sicque ab infirmitate nostra nos sanat. Primum quidem in baptismo, per quem non tantum in Ecclesiæ societatem adoptamur, sed etiam Christum induimus Galat. 3. vers. 27. imo in mortem Domini baptizamur, vt quemadmodum Cristus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Rom. 6. v. 4. Deinde vero quia sæpius nouitatem illam vitæ peccatis & lapsibus contra legem Dei maculamus: ideo addita est sacra ipsius cœna, in qua sub benedicto pane viuifici ipsius sanguinis, qui nos ab omni peccato emundat. 1. Ioh. 1. v. 7. participes reddimur. Vt sic nobis vnitus, ipse in nobis & nos in ipso vnum simus cum Patre: hic quidem per vinculum *vnionis in fide, illic* vero in aspectu per beatam cohabitationem. *Ipse enim vult,* vt illi, qui dati sunt *ipsi* à Patre, *cum ipso sint:* quo videant claritatem ipsius, quam *dedit ipsi* Pater, qui dilexit eum ante constitutionem *mundi.* Ioh. 17. v. 24. Hoc modo & hoc ordine hic nobis ob oculos ponitur ratio liberationis nostræ ab innata nostra infirmitate. Quod omne præstat vnicus noster seruator Christus Iesus, filius Dei, qui in hoc apparuit, vt dissolueret opera diaboli. 1. Ioh. 3. v. 8.

Duo hactenus audiuimus ex historia huius contractę mulieris. Vnum fuit, de misera humanæ naturæ conditione. Alterum de eiusdem medela, quam præstat Iesus Christus. Addatur etiam tertium, in quo consideretur, qualem se hæc fœmina, tum in, tum post restitutionem gesserit. 1. Ante restitutionem ingressa est synagogam, in qua à temporibus antiquis Moses (Act. 15. v. 21.) & Prophetarum conciones prælegebantur atque preces fiebant. Fuit igitur studiosa cultrix verbi diuini & sacrorum cœtuum. Neque se inde abstrctri passa est, licet & laboriosum, & suo quodam modo probrosum ipsi fuerit, in tam miserabili corporis forma in publicum prodire. Sic, quicunque à naturali sua infirmitate & deprauatione liberari volunt, necesse est, vt & ipsi cum Dauide diligant habitaculum domus Domini, & locum habitationis gloriæ ipsius. Psalm. 26. vers. 6. Cumque restitutio nostra in hac vita tantum sit inchoata, quæ demum in altera perficietur: Ideo rursus pij cum Dauide dicant: vnum petij à Domino: hoc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & manowisitem templum eius. Psal. 27. v. 4. Quia vna dies in atriis domus Dei melior, quam mille dies in tabernaculis peccatorum. Psalm. 84. v. 11. Et hoc membrum adeo necessarium est, vt si qui nolint domum Dei ingredi, ibique Dominum sibi loquentem audire, sed malint post sepes peccatoris stertere, & in viis iniquitatis desidere, illi sint compellendi vt intrent domini, ibique sanitatem consequantur. Luc. 14. v. 23. 2. In ipsa restitutione mulier nihil quicquam agit vel operatur, sed tantum verbum audit, & medicam manum opem afferentem admittit, non repugnat, nec recalcitrat: dum tamen verbum audit, dum manus contractum admittit, *confestim erecta est*, & terræ diu assuetos oculos in cœlum sustulit. sic in conuersione hominis peccatoris ad Deum, mens & voluntas hominis nihil agunt, nihil operantur, neque gratiæ Dei cooperantur: sed habent se pure passiue. Interim tamen Deus per verbum prædicatum & salutarem contactum sacramentorum

totum hominem erigit, hoc est, ex nolente volentem, & ex repugnante consentientem facit. Qui enim pertinaciter spiritui sancto resistunt, & ex proposito ei repugnant, illi non conuertuntur. Quamprimum vero hominis voluntas sic diuina virtute & operatione est immutata & renouata, *subsequenter confestim* fit organum & instrumentum Spiritus sancti, & gratiam eius non modo apprehendit, sed etiam in sequentibus operibus Spiritui sancto cooperatur. 3. Post restitutionem mulier *glorificabat Deum*, huicque beneficium illud omne transcribit. Non ergo cum Pharisæis blasphemat Christum, & opera eius Beelzebub attribuit: sed grata mente agnoscit, dum Christus benefacit & sanat oppressos à Diabolo, *Deum* esse cum illo. Act. 10. v. 38. Idem conuersi ad Deum, vel à naturali sua infirmitate liberati, facere debent. Cum enim Deum in omnibus liberationibus honorificare iubeamus. Psal. 50. v. 15. quanto magis in spiritualibus, ex quibus æternitas dependet, id facere debemus? In hac vero glorificatione, cor, os, & opus concordare debent. Alioquin dicit Deus peccatori: quare enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum Psalm. 50. v. 16. Si vero nostro exemplo plures ad laudandum Deum & ad pietatis studium adducuntur, tum vere Deus glorificatur.

II. Sequitur secunda pars historiæ, qua princeps synagogæ Christi factum inique tulit, & populum, quod die sabbati opem quæreret, corripuit: Christus autem factum suum grauiter tutatus est. Illustre fuit Christi factum, & vel saltem eo nomine laude atque gratiarum actione dignum, quod miseræ mulierculæ diuturno malo fatigatæ succurrisset. Huic ergo congratulandum fuisset. Imo sibiipsi Archisynagogus gratulari debuisset, quod in ea synagoga tale ac tantum miraculum peractum fuisset, cuius ipse princeps constitutus erat. Sed inuidia, qua ipse non minus quam alij aduersus gloriam Christi, quæ de die in diem crescebat, laborabat, eum permouit, vt ex obliquo hoc Christi factum taxaret. Suæ vero inuidiæ prætexit velum vindicandi sabbati. Sicuti quamplurimi ad vindicandas suas iniurias iustitiæ zelum prætexere solent. Et quia cum Christo coram cœtu congredi non audet: reprehensionem aduersus plebem instituit. His ergo dicit: *Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite, vt sanemini, non in die sabbati.* O lepidum caput! Inuitat turbam ad sanationem per sex dies: num ipse eam præstare poterit? Num hunc Iesum omnibus istis diebus sibi præsentem habebit? Si ipse eo die ægrotasset, num medico dixisset, nolo hodie sanari? Si in sabbato in foueam ipse incidisset, atque crus fregisset, num chirurgum à se abegisset, ne vulnus obligaretur? Adhæc inter seruilia opera annumerat illa, quæ sunt vel maxime salutaria & veræ pietatis exercitia. Quæ nullo alio die magis fieri conuenit, quàm eo ipso, qui Deo & rebus diuinis est consecratus. Vide hinc, quid faciat inuidia. Hæc instigat hominum mentes & animos, vt etiam ea, quæ laude digna sunt, vituperent, licet id fiat cum ipsorum ignominia. Sicut enim amor personæ omnia vitia contegit, Prouerbiorum capite decimo, versiculo duodecimo: ita vicissim inuidia omnes etiam virtutes atque bona opera proximi suggillat. Sic vero Archisynagogus hic prodit, se non tantum esse sterilem, sed etiam noxiam ficum, quæ vmbra sua obstat, ne vites in vinea Domini fructum ferant, dum ad inanes ceremonias suos remittit, qui ad veram pietatem in gloriam Dei & proximi salutem exerceri debebant. Tales sunt etiam plerique Pontificij doctores, & cumprimis rasi Monachi qui inuidia aduersus Euangelicos ringuntur, & coram rudi plebecula ex pulpitis declamitant, nos Euangelicos sacras ferias, à sancta matre Ecclesia Romana institutas, violare; deuotos ordines, eorumque regulas & vitæ instituta cum ciborum discrimine contemnere, & sperant, quia ex suis partibus stantem habent Archisynagogum Romanum Pontificem, qui cum toto cœtu Cardinalium, Episcoporum & Prælatorum, magnifico titulorum splendore, & specioso sanctitatis fuco insignitos, se perrumpere, adeoq; Euangelicos Doctores omnes in odium omnium nationum adducere posse. Verum Christus, qui huic mulierculæ patrocinatus est, & hunc Archisynagogum cum suis asseclis confudit, idem etiam Euangelium suum cum eiusdem confessoribus tuebitur: hostes autem eius confundet, sicuti in maiori orbis parte illud iam factum esse res ipsa ostendit.

Christus ergo, qui hactenus aliquoties (prout capitibus quadragesimosexto, quadragesimoseptimo, & quadragesimooctauo huius Harmoniæ audiuimus) cum hostibus suis congressus est super quæstione, de violatione sabbati: idem etiam hic factum suum tuetur, & ostendit eo religionem sabbati nequaquam violatam esse. Dicit autem *hypocrita*. Hoc vero dicendo, non conuitium dicit: siquidem talem hunc Archisynagogum describit, qualis reuera erat. *Hypocryta* enim est, qui alium se simulat, quam reuera est: aut, qui aliud intus animo cogitat, & aliud foris prætexit. Sic hic synagogæ princeps intus in corde suo inuidia aduersus Iesum arsit, foris autem religionem & zelum sabbati prætendit. Reuera itaque *hypocrita* fuit. Discant exemplo Christi synceri verbi ministri hostes veritatis & patronos fucatæ religionis libere arguere. Et agnoscant purioris doctrinæ auditores, non statim conuitium esse, si quis eiusmodi impostores durius excipiat, & quales reuera sunt, Epithetis describat. Non est conuitium, si quando Pontificem Romanum Antichristum nominet, aut filium perditionis. Nam & Paulus ad Thessalonicenses, & Iohannes in sua Apocalypsi taliter eum descripsere. Non est conuitium, quando Iesuitas, Papæ simias, filios Belial vel diaboli nuncupo. Cum enim doctrinas dæmoniorum disseminent, 1. Tim. 4. vers. 1. reipsa produnt se tales esse. Sic nec Ieremias conuiciatus est principem Domini, cum ei diceret, Ier. 20. vers. 3. Non Phasur (hoc est, dilatantem & extendentem principatum suum) vocauit te Dominus, sed Magur, id est, pauorem vndique. Nec Paulus, cum Act. 23. vers. 3. Pontificem Iudæorum vocaret parietem dealbatum: eo quod sub titulo & persona iudicis, animum veritatis impatientem & sanguinis sitientem improbe celaret.

Cæterum Christus Iesus hanc Pharisæorum & Scribarum hypocrisin & peruersum hoc iudicium de quiete sabbati, alias quidem aliis argumentis & rationibus refutauit: hic vero vanum illum & scientia carentem zelum retudit exemplo vulgari, petito à re præsenti, nimirum à *solutione vinculi*, quam, cum in quadrupede non iudicent esse illicitam, ipsi pronuncient, quanta sit malitia eam inuidere fœminæ, quam immanis humani generis hostis diuturno tempore miserrime ligatam tenuisset? *Vnusquisque vestrum* inquit, *sabbato nonne soluit bouem suum, aut asinum suum à præsepi, & ducit aquatum? Hanc autem filiam Abrahami, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati?* Amplificatur hoc argumentum triplici comparatione. 1. Confert inter se iumenta, *bouem & asinum*, & hanc fœminam, quam vocat *filiam Abrahami*. Verbis autem exprimi non potest, quàtum homo, qui ad imaginem Dei conditus est, & pro quo vnigenitus Dei filius proprium suum sanguinem fudit, quem denique Spiritus sanctus per verbum Euangelij ad communionem filiorum Dei vocauit & sanctificauit, irrationalibus animalibus præstet. 2. Confert inter se capistrum, quo iumenta ad præsepe alligantur, & *vincula diaboli*. Iumenta, equi & boues *ad præsepe* alligantur, vt ibi pabulum suum habeant, & ne in stabulo inter se pugnent, seque mutuo lædant. At Diabolus funiculis vanitatis & vinculis peccatorum Ies. 5. vers. 18. homines in eum finem constringit, vt non tantum à salutifico pabulo verbi diuini eos retrahat: verum etiam laqueis suis eos ad suam voluntatem captiuos detineat, ne resipiscant, donec ipsos in sempiternum exitium præcipitet. 2. Timoth. 2. vers. 26.

3. Tempus etiam inter se confert. Iumenta fortassis ad noctem vnam, aut paucos dies præsepi alligantur. At vero hæc fœmina vel saltem ob temporis prolixitatem omnium commiserationum dignissima est. Ideo Christus admodum pathetice hæc verba pronunciat, quod satanas eam alligarit, *ecce*, decem & octo annis. Ideoque dignam quæ *oporteat* solui à vinculo *isto*, tam graui, tam misero, tam diuturno, & humanæ conditioni indigno.

Sic vero Christus tam in seipso, quam in fœmina ista verum sabbati vsum commonstrauit. Omnino enim cauendum est, ne sabbata vllo modo prophanentur. Etenim inter causas excidij Hierosolymitani & exilij Babylonici, hæc fere præcipua numeratur, quod Iudæi contra graues Prophetarum commonitiones sabbati religionem subinde violassent. Sed hæc est satanæ malitia, quo semper homines à recta via depellit & adigit, vt vel in defectu vel in excessu peccent, atque sic ad alterutrum oppositorum impingant. Idem apud eos effecit, quoad religionem sabbati. Ante exilium Babylonicum Iudæi in legem Domini impegerunt defectu, prophanatione nimirum sabbati, quod multipliciter seruilibus operibus, profectionibus tractandis mercimoniis violarunt. Post exilium illud peccarunt in excessu, superstitione, quod Rabbini inutilibus quibusdam & tantum non ridiculis præceptiunculis sabbati obseruationem suis adeo stricte demandarunt, vt eo die ne quidem pulicem, nisi pungentem, capere & occidere ausi fuerint. Cauendum ergo est vere Christianis, ne in alterutram partem deuient, sed vt diligenter attendant, in quibus religiosa sabbati obseruatio consistat, quo eadem studiose exequantur. Illa vero breuiter hæc sunt: vt ad exemplum huius mulierculæ sacros cœtus visitemus: ibidem verbum Dei attente audiamus: precibus deuotis vnà cum aliis vacemus, sacris intersimus: opera charitatis ad exemplum Christi exerceamus

Deo denique pro acceptis beneficiis publice gratias agamus. Hæc sunt opera, quibus sabbatum iuxta Dei voluntatem sanctificatur & rite obseruatur. Vide hac de re etiam Ies.58. vers.13. de sabbato delicato.

Obseruatione etiam dignum videtur, quod Christus hanc mulierem *filiam Abraham* vocauit. Eo ipso enim non respexit carnalem propagationem, sed fidei & virtutum imitationem. Etenim iuxta carnis propagationem Abrahami filij & filiæ fuerunt omnes Iudæi eorumque fœminæ. Sed vt Paulus monet. Rom 2.v.7. non omnes qui ex Israel sunt, sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes sunt filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen, hoc est, qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Cum ergo hæc fœmina frequenter visitarit auditum verbi diuini, & fuerit fidelis, merito nuncupatur *filia Abraha*: quandoquidem hic est pater omnium credentium. Nos demus operam, vt & ipsi in audiendo verbo Dei simus frequentes, eique fidem habeamus, tum & ipsi *filij Abraha* dicemur. Et hic est verus Israel Dei: de quo Paulus alias dicit, quod super ipsum esse debeat pax & misericordia. Gal.6.v.16.

Tandem etiam exitus totius huius actionis est attendendus: qui est duplex pro diuerso siue duplici auditorum genere. 1. *Omnes aduersarij erubescebant*: nimirum intelligebant, se publice & coram omni populo sic conuictos esse, vt, quod responderent, non haberent. Licet autem confusi erubescerent, non tamen veritati cesserunt. Hoc enim est ingenium, hæc natura eorum, qui ex inuidia veritati sese opponunt, quod pudorem mox abstergunt, & ne nimium quid priuatæ suæ gloriæ decesserit, de nouis insidiis veritati struendis cogitant. Et quidem in hac vita Christus hostes suos varie conuicit & confudit, interdum scripturis, vt Matth.21.vers.16. interdum miraculis, vt Matth.9.vers.6. interdum rationibus, vt Matth.22.versic.20. interdum testimoniis, vt Ioh.5.v.33. Tandem autem in nouissimo die confundet eos æterno exitio, vbi erit ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci. Rom.2.vers.9. 2. Alter effectus huius actionis fuit: *Omnis populus gaudebat super vniuersis, quæ cum gloria fiebant ab eo.* Non est dubium, quin plerique de hoc populo prius à partibus Archisynagogi steterint: ipsius nimirum & reliquorum authoritate fascinati. Nunc vero postquam diuina veritas suos exerit radios, sicque istius hypocritæ fraudes magna ex parte sunt detectæ, populus deserto deceptore ipsi veritati se adiungit. Quod exemplum omnes boni imitari debent, vt quando intra animos suos de vanitate sunt conuicti, Deo dent gloriam & lætentur, quando intelligunt Christum cum veritate hostibus superiorem esse. Ἔνδοξα *gloriosa* dicuntur opera Dei mirabilia. Sicuti Exod.34.versic.10 & Deut 10 v. 21. hoc vocabulum vsurpatur. Vbi notandum, quod in Hebræo tale nomen legitur quod eandem habet radicem cum פלא *Mirabilis*: quod Epitheto n Iesa.9.versic.5. Messiæ attribuitur. Vt innuatur ipsum esse Deum illum, cuius nomen est sanctum & ἔνδοξον, hoc est, laude celebrandum in secula. Tob. 8.versic.7. Et reuera etiam humilitatis opera in Christo sunt ἔνδοξα, *fiunt cum gloria*. Quid humilius & magis contemptum coram mundo, quam in crucem suffigi & in ligno mori? Veruntamen hoc ipso facto filius Dei diabolum & mortem deuicit, & vitam nobis reduxit. Merito igitur cū Israelitis Exodi 15.v.1. nos ipsos excitamus & dicimus: Cantemus Domino, quia ἐνδόξως δεδόξασται gloriose magnificatus est.

III. Postquam ergo Dominus huic Archisynagogo os obturauit, iam porro se ad populū, qui super gloriosis ipsius factis gaudebat, conuertit, eundemque aduersus sycophantarum morsus animat, ne humilibus regni sui exordiis offendatur, neve atrocibus hostium minis & conatibus perterrefiat. Duabus enim parabolis, vna ex re hortulana, nimirum à *grano sinapis*: altera ex re domestica, nimirum *à fermento*, sumpta, docet, Euangelicæ doctrinæ eam esse naturam, vt præter omnem hominum expectationem succrescat, & inuitis etiam hostibus omnibus quam latissime sese diffundat. Nam & alias hoc discrimen inter Dei & mundi opera deprehenditur. Quod mundus sua opera splendide incipit, sed in fine deficit. Exemplo sit ædificatio turris Babel Gen.11.v.7. ad quam linguæ sunt confusæ: Nabuchodonosor qui *plus quam Deus* timeri voluit Dan.3.versic.15. sed tandem *gramen vt bos* comedit. Daniel.4.v.30. Dei autem opera humili principio oriuntur, sed splendidum & gloriosum sortiuntur finem. Sic Iosephus à fratribus venditus, in exilium abductus, in eodem infamatus & incarceratus, tandem opulentissimi regni Ægypti Dominus factus est. Quis hoc futurum credidisset? sed apud Dominum non est impossibile omne verbum. Quam humile exordium habuit liberatio populi Israelitici ex Ægyptiaca seruitute? Moses inermis mittitur aduersus regem potentissimum. Et tamen finis est gloriosissimus. Ideo recte dixit Deus apud Iesaiam c.55.v.8. non sunt cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ: sed sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt *viæ meæ à viis vestris*, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Hæc omnia ad initium regni Christi, & ad exordium nascentis Ecclesiæ recte accommodari possunt. Verum quia de hisce duabus parabolis supra actum est cap.LXI. Harmoniæ, *idcirco eodem* pium lectorem remittimus. Nobis *consideratio harum parabolarum* consolationem addat, *quando hodie Antichristus* Romanus cum Cardinalibus & *squamis* suis omnes suas vires & extremos conatus exerit, vt nascentis Euangelij cursum multis in locis impediat, & intra angustum aliquem angulum coerceat. Diuina virtute perrumpet Euangelij vis omnia ista impedimenta, & vel inuitis inferorum portis in terrarum orbe libere prædicabitur. Quia Christus talis Dominus est, qui dominatur in medio inimicorum suorum.

CAPVT CXIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS PROFECTIONEM IESV VERSVS IERVSALEM, & in transitu sanationem cœci nati. Luc.13.vers.22. & Iohan.9.vers.1.

RATIO ORDINIS.

SVpra cap.103.& 104. Harmoniæ audiuimus, quomodo Dominus noster Iesus Christus Hierosolymis post festum Scenopegias se absconderit ob violentiam Iudæorum, qui lapidibus ipsum obruere volebant. Postea autem, cum septuaginta discipuli emissi rediissent, inde discesserit, & in Iudæa visitationem Ecclesiarum, ad quas aliquot suorum discipulorum pariter prius emiserat, instituerit. Hac visitatione intra bimestre spacium peracta, cum iam appropinquaret festum Encœniorum, reditum Hierosolymas parat. De qua profectione solus Lucas hic versi.22. mentionem iniicit. Neque profectionem hanc, cuius Lucas hic meminit, ad aliud tempus adaptare possumus. Siquidem quæcunque postea referentur, videbimus ea in Galilæa accidisse, quo Christus post exactum Encœniorum festum secessit, & residuam partem institutæ suæ visitationis absoluit.

Interim autem in ipsius absentia Pharisæi primam suam constitutionem fecerunt & promulgarunt, Iohan.9.v.22. de excommunicatione, si quis Iesum Christum profiteretur. Iesus ergo ne videretur confessionem sui fugere, Hierosolymam rediit. Non tamen recta vrbem ingressus est, sed ad portas eiusdem delatus, ipsam quasi circuiuit (sic enim hic τὸ παράγων *præteriens* seu prætergrediens, sicuti etiam Matth. 20.vers.30. vsurpatur, accipio) & in transitu, ipse quodam die sabbati illustre miraculum edidit in homine, qui à natiuitate cœcus erat. Quo miraculo, ipse quidem populum ad inquisitionem sui excitauit: inter Pharisæos vero schisma de Christo secutum est, quorum contumaces simplici & constanti cœci confessione pudefecit. Sic ostendens, non timenda esse vana fulmina falsæ Ecclesiæ ob Euangelij confessionem. Et pulchrum est exemplum, quod cum cœcus ab Ecclesia malignantium excommunicatus esset propter confessionem Christi Iesus hoc audiens, ipsum quærit, & ad pleniorem Messiæ cognitionem adducit, ad quam nunquam progressus fuisset, si inter Pharisæos mansisset. Hunc verum Euangelicæ historiæ ordinem esse non ambigo.

HISTO-

HSTORIA COECI NATI HIEROSOlymis. Luc. 13. & Ioh. 9.

22. Καὶ διεπορεύετο κατὰ πόλεις καὶ κώμας διδάσκων, καὶ πορείαν ποιούμενος εἰς Ἱερουσαλήμ.

1. Καὶ παράγων ὁ Ἰησοῦς, εἶδεν ἄνθρωπον τυφλὸν ἐκ γενετῆς.

2. Καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες, ῥαββί, τίς ἥμαρτεν, οὗτος ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ.

3. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, οὔτε οὗτος ἥμαρτεν, οὔτε οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῷ.

4. Ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με, ἕως ἡμέρα ἐστὶν· ἔρχεται νύξ, ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι.

5. Ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ὦ, φῶς εἰμι τοῦ κόσμου.

6. Ταῦτα εἰπών, ἔπτυσε χαμαί, καὶ ἐποίησε πηλὸν ἐκ τοῦ πτύσματος, καὶ ἐπέχρισε τὸν πηλὸν ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ,

7. Καὶ εἶπεν αὐτῷ, ὕπαγε, νίψαι εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωάμ, ὃ ἑρμηνεύεται ἀπεσταλμένος. ἀπῆλθεν οὖν καὶ ἐνίψατο, καὶ ἦλθε βλέπων.

8. Οἱ οὖν γείτονες καὶ οἱ θεωροῦντες αὐτὸν τὸ πρότερον, ὅτι τυφλὸς ἦν, ἔλεγον, οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ καθήμενος καὶ προσαιτῶν;

9. Ἄλλοι ἔλεγον, ὅτι οὗτός ἐστιν. ἄλλοι δέ, ὅτι ὅμοιος αὐτῷ ἐστιν.

10. Ἐκεῖνος ἔλεγεν, ὅτι ἐγώ εἰμι. ἔλεγον οὖν αὐτῷ, πῶς ἀνεῴχθησάν σου οἱ ὀφθαλμοί;

11. Ἀπεκρίθη ἐκεῖνος, καὶ εἶπεν, ἄνθρωπος λεγόμενος Ἰησοῦς, πηλὸν ἐποίησε, καὶ ἐπέχρισέ μου τοὺς ὀφθαλμούς, καὶ εἶπέ μοι, ὕπαγε εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωάμ καὶ νίψαι. ἀπελθὼν δὲ καὶ νιψάμενος ἀνέβλεψα.

12. Εἶπον οὖν αὐτῷ, ποῦ ἐστιν ἐκεῖνος; λέγει, οὐκ οἶδα.

13. Ἄγουσιν αὐτὸν πρὸς τοὺς Φαρισαίους, τόν ποτε τυφλόν.

14. Ἦν δὲ σάββατον, ὅτε τὸν πηλὸν ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἀνέῳξεν αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμούς.

15. Πάλιν οὖν ἠρώτων αὐτὸν καὶ οἱ Φαρισαῖοι, πῶς ἀνέβλεψεν. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, πηλὸν ἐπέθηκέ μοι ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμούς, καὶ ἐνιψάμην, καὶ βλέπω.

16. Ἔλεγον οὖν ἐκ τῶν Φαρισαίων τινές, οὗτος ὁ ἄνθρωπος οὐκ ἔστι παρὰ τοῦ Θεοῦ, ὅτι τὸ σάββατον οὐ τηρεῖ. Ἄλλοι δὲ ἔλεγον, πῶς δύναται ἄνθρωπος ἁμαρτωλὸς τοιαῦτα σημεῖα ποιεῖν; καὶ σχίσμα ἦν ἐν αὐτοῖς.

17. Λέγουσι τῷ τυφλῷ πάλιν, Σὺ τί λέγεις περὶ αὐτοῦ, ὅτι ἤνοιξέ σου τοὺς ὀφθαλμούς; ὁ δὲ εἶπεν, ὅτι προφήτης ἐστίν.

18. Οὐκ ἐπίστευσαν οὖν οἱ Ἰουδαῖοι περὶ αὐτοῦ, ὅτι τυφλὸς ἦν, καὶ ἀνέβλεψεν, ἕως ὅτου ἐφώνησαν τοὺς γονεῖς αὐτοῦ τοῦ ἀναβλέψαντος.

19. Καὶ ἠρώτησαν αὐτούς, λέγοντες, οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς ὑμῶν, ὃν ὑμεῖς λέγετε, ὅτι τυφλὸς ἐγεννήθη, πῶς οὖν ἄρτι βλέπει;

20. Ἀπεκρίθησαν αὐτοῖς οἱ γονεῖς αὐτοῦ, καὶ εἶπον, Οἴδαμεν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς ἡμῶν, καὶ ὅτι τυφλὸς ἐγεννήθη.

21. Πῶς δὲ νῦν βλέπει, οὐκ οἴδαμεν, ἢ τίς ἤνοιξεν αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμούς, ἡμεῖς οὐκ οἴδαμεν. αὐτὸς ἡλικίαν ἔχει, αὐτὸν ἐρωτήσατε, αὐτὸς περὶ αὐτοῦ λαλήσει.

22. Ταῦτα εἶπον οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ὅτι ἐφοβοῦντο τοὺς Ἰουδαίους. ἤδη γὰρ συνετέθειντο οἱ Ἰουδαῖοι, ἵνα ἐάν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ Χριστόν, ἀποσυνάγωγος γένηται.

23. Διὰ τοῦτο οἱ γονεῖς αὐτοῦ εἶπον, ὅτι ἡλικίαν ἔχει, αὐτὸν ἐρωτήσατε.

24. Ἐφώνησαν οὖν ἐκ δευτέρου τὸν ἄνθρωπον ὃς ἦν τυφλός, καὶ εἶπον αὐτῷ, δὸς δόξαν τῷ Θεῷ, ὑμεῖς οἴδαμεν ὅτι ὁ ἄνθρωπος οὗτος ἁμαρτωλός ἐστιν.

25. Ἀπεκρίθη οὖν ἐκεῖνος καὶ εἶπεν· Εἰ ἁμαρτωλός ἐστιν, οὐκ οἶδα· ἓν οἶδα, ὅτι τυφλὸς ὤν, ἄρτι βλέπω.

26. Εἶπον οὖν αὐτῷ πάλιν, τί ἐποίησέ σοι; πῶς ἤνοιξέ σου τοὺς ὀφθαλμούς; ἀπεκρίθη αὐτοῖς·

22. *Et ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens Hierosolymam.*

1. *Et praeteriens Iesus vidit hominem caecum à natiuitate.*

2. *Et interrogauerunt eum discipuli eius, dicentes, Rabbi, quis peccauit, hic an parentes eius, vt caecus nasceretur?*

3. *Respondit Iesus, neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.*

4. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.*

5. *Quamdiu fuero in mundo, lux sum mundi.*

6. *Hoc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & illeuit lutum super oculos caeci.*

7. *Et dixit ei, vade, laua in piscina Siloam, quod si interpreteris, sonat missus. Abijt ergo & lauit, & venit videns.*

8. *Itaque vicini & qui viderant eum prius, quod mendicus esset, dicebant, Nonne hic est, qui sedebat & mendicabat?*

9. *Alij dicebant, hic est. Alij rursus, similis est ei.*

10. *Ille dicebat, Ego sum. dicebant ergo illi, quomodo aperti sunt tibi oculi?*

11. *Respondit ille & dixit: homo ille, qui dicitur Iesus, lutum fecit, & inunxit oculos meos, & dixit mihi, vade ad piscinam Siloam & laua. Vt autem abij ac laui, visum recepi.*

12. *Dixerunt ergo ei, vbi est ille? ait, non noui.*

13. *Adducunt ad Pharisaeos eum, qui dudũ caecus fuerat.*

14. *Erat autem Sabbatum, cum lutum faceret Iesus, & aperiret oculos eius.*

15. *Iterum ergo interrogabant eum & Pharisaei, quomodo visum recepisset. Ille autem dixit eis, Lutum mihi imposuit super oculos, & laui, & video.*

16. *Dicebant ergo ex Pharisaeis quidam: Non est hic homo à Deo, quia Sabbatum non obseruat: alij autem dicebant, quomodo potest homo peccator has signa edere? Et dissensio erat inter eos.*

17. *Dicunt caeco iterum: Tu quid dicis de illo, quia aperuit tibi oculos tuos? Ille autem dixit: Propheta est.*

18. *Non crediderunt ergo Iudaei de illo, quod caecus fuisset, & visum recepisset, donec vocauerunt parentes eius, qui visum receperat.*

19. *Et interrogauerunt eos, dicentes, Hic est filius vester, quem vos dicitis caecum natum esse, quomodo ergo nunc videt?*

20. *Responderũt eis parentes eius, & dixerũt: Nouimus quod hic est filius noster, & quod caecus natus est.*

21. *Quomodo autem nunc videat, nescimus, aut quis eius aperuerit oculos, nescimus. Ipse aetatem habet, ipsum interrogate, ipse de se loquetur.*

22. *Haec dixerunt parentes eius, quod timerent Iudaeos, Iam enim conspirauerant Iudaei, vt si quis eum cõfiteretur esse Christum, è Synagoga eyceretur.*

23. *Propterea parentes eius dixerunt: aetatem habet, ipsum interrogate.*

24. *Vocauerunt ergo rursum hominem qui fuerat caecus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos scimus quod hic homo peccator est.*

25. *Respondit ergo ille & dixit: An peccator sit, nescio: vnum scio, quod caecus cum fuerim, nunc videam.*

26. *Dixerunt ergo illi iterum, quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis:*

27. Εἶπον ὑμῖν ἤδη, καὶ οὐκ ἠκούσατε, τί πάλιν θέλετε ἀκούειν; μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε αὐτοῦ μαθηταὶ γενέσθαι;	27. *Dixi vobis iam, nec audistis, cur iterum vultis audire? Num & vos vultis discipuli eius fieri?*
28. Ἐλοιδόρησαν οὖν αὐτὸν, καὶ εἶπον, σὺ εἶ μαθητὴς ἐκείνου, ἡμεῖς δὲ τοῦ Μωσέως ἐσμὲν μαθηταί. ἡμεῖς οἴδαμεν, ὅτι Μωσῇ λελάληκεν ὁ Θεός.	28. *Conuitiati sunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius esto, nos autem Mosis discipuli sumus. Nos scimus quod Mosi locutus est Deus.*
29. Τοῦτον δὲ οὐκ οἴδαμεν, πόθεν ἐστίν.	29. *Hunc autem nescimus, vnde sit.*
30. Ἀπεκρίθη ὁ ἄνθρωπος, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, ἐν γὰρ τούτῳ θαυμαστόν ἐστιν, ὅτι ὑμεῖς οὐκ οἴδατε, πόθεν ἐστὶ, καὶ ἀνέῳξέ μου τοὺς ὀφθαλμούς.	30. *Respondit ille homo, & dixit eis: in hoc enim mirabile quiddam est, quod vos nesciatis, vnde sit, & tamen aperuit meos oculos.*
31. Οἴδαμεν δὲ ὅτι ἁμαρτωλῶν ὁ Θεὸς οὐκ ἀκούει, ἀλλ' ἐάν τις θεοσεβὴς ᾖ, καὶ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῇ, τούτου ἀκούει.	31. *Scimus autem quod Deus peccatores non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntati ipsius obtemperat, hunc audit.*
32. Ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη, ὅτι ἤνοιξέ τις ὀφθαλμοὺς τυφλοῦ γεγεννημένου.	32. *A seculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati.*
33. Εἰ μὴ ἦν οὗτος παρὰ Θεοῦ, οὐκ ἠδύνατο ποιεῖν οὐδέν.	33. *Nisi esset hic à Deo, non potuisset facere quicquam.*
34. Ἀπεκρίθησαν, καὶ εἶπον αὐτῷ, ἐν ἁμαρτίαις σὺ ἐγεννήθης ὅλος, καὶ σὺ διδάσκεις ἡμᾶς; ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω.	34. *Responderunt & dixerunt ei: In peccatis tu natus es totus, & tu doces nos? & eiecerunt eum foras.*
35. Ἤκουσεν ὁ Ἰησοῦς, ὅτι ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω, καὶ εὑρὼν αὐτὸν εἶπεν αὐτῷ, σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ;	35. *Audiuit Iesus, quod eiecissent eum foras, cumque inuenisset eum dixit ei, Tu credis in filium Dei?*
36. Ἀπεκρίθη ἐκεῖνος, καὶ εἶπε, καὶ τίς ἐστι, κύριε, ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν;	36. *Respondit ille & dixit: Et quis est, Domine, vt credam in eum?*
37. Εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἑώρακας αὐτὸν, καὶ ὁ λαλῶν μετὰ σοῦ, ἐκεῖνός ἐστιν.	37. *Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.*
38. Ὁ δὲ ἔφη, πιστεύω, κύριε. καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ.	38. *At ille ait: credo, Domine, & adorauit eum.*

Periocha huius doctrinæ.

IN hac profectione Christi Hierosolymam versus hoc notandum venit, quod non tantum iter fecit, sed etiam inter eundum ad *ciuitates & castella* diuertit, ibique *docuit*. Cum enim à cœlesti suo patre hoc prædicandi & docēdi munus demandatum acceperit, in eo sedulus ac assiduus esse voluit, licet hanc ipsam ob causam Hierosolymis Pontificibus & Pharisæis se exosum, adeoq; decretum excommunicationis cōtra se promulgatum esse nouisset. Sic nimirum suo exemplo nos docet, quemque in sua vocatione vrgenda fidelem & constātem esse, nec vllum laborem vel periculum subterfugere debere, dummodo Deo fidem & constātiam suam probet. Hoc permouit in Veteri Testamento Prophetas, & in Nouo Apostolos, vt alij quidem triginta, alij quadraginta & plures annos prædicandi munere fungerentur, donec vel corporali morte abriperentur, vel martyrij corona decorarentur. Neq; labor ipsorum in Domino inanis fuit. Idem præstitere pij & Deum timentes politici, quales fuere Moses, Iosua, Dauid, Ezechias & alij qui ad extremum vitæ halitum vsque Rempublicam gnauiter administrarunt, Deo grata & hominib. salutaria perfecerunt. Simul etiam eodem suo exemplo commēdat Christus Ecclesiastici ministerij dignitatem, cuius hodie passim quamplurimi sunt contemptores. Olim dum Ecclesiasticæ personæ amplis gaudebant prębendis, quisq; vel filium, vel fratrem, vel cognatū. ex familia sua habere exoptauit, qui clericali dignitate conspicuus esset, licet tum temporis in regno Pontificio non vero Deo, cœli & terrę Domino, sed Deo Maosim inseruierint. Nunc postquam in clara luce Euangelij soli vero Deo, & filio eius Iesu Christo inseruimus, pleriq; hoc vitæ genus præ reliquis omnibus fastidiunt, sibique fere ignominiosum esse ducunt, si cognatum vel affinem verbi ministrum & præconem habeant. Digna reuera est hæc ingratitudo, quam Deus grauibus pœnis vlciscatur. Quis enim illud leuiter æstimabit, in quo ipse Dei filius ad mortem vsque vel maxime fuit occupatus?

Nunc ad expositionem huius historię, qua Dominus quendam ex natiuitate cœcum curauit, atque oculorum vsu instruxit, accedemus. Quæ quia cumprimis est memorabilis, multa obseruatione dignissima continet. Nos præcipua membra perstringemus.

I. Primum membrum est occasio huius miraculi, quam duplicem fuisse Euangelista narrat. Vnam ex parte Christi, qui *viderit* illum *hominem cæcum*. Alteram ex parte Apostolorum, qui interrogarunt, *an ipse an parentes eius peccarint, vt cæcus nasceretur?* Ex qua interrogatione colligere licet, Christi intuitū non fuisse vulgarem, quo quis transeundo obiter aliquid videt: sed studiosius, & defixis in cœcum oculis diligētius Christum ipsum inspexisse. Christi aspectus & intuitus (vt & in precedenti capite diximus) vbiq; est faustus & salutaris. Subinde itaque deuota mente hanc precatiunculam ingeminemus: Domine Iesu Christe, respicere digneris super me miserum peccatorem oculis misericordię tuæ, quibus respexisti Petrū in atrio, Mariam Magdalenam in conuiuio, & latronem in crucis patibulo, &c. Si enim misericors hic Dominus cœcos, & de ipsius bonitate nihil cogitantes, adeo benigne respexit, quanto promptius id facturus est, si nos humili corde opem eius imploremus?

Interrogatio autem Apostolorum plus *quippiam in recessu* habere videtur, quam plerique *primo intuitu* assequantur. Putant aliqui eam hinc ortam, quod *Dominus* Ioh. 5. v. 14. ad piscinam Hierosolymitanam sanato *paralytico* dixisset: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius quid tibi contingat. Cum ergo nō tantùm Iudæi, sed pleriq; alij homines aduersa peccatis, secunda autem pietatis meritis tribuere soleāt, existimant Apostolos communi errore deceptos, miratos fuisse, cuius peccato hic à natiuitate cœcitatem contraxisset. Sed potius hinc colligere licet, quam deprauata tum tēporis fuerit doctrina de peccato originali. Pharisæi infra v. 34. huic cœco dicent: *tu totus in peccatis natus es, & nos doces.* Ergo de reliquis qui sine externo aliquo eiusmodi defectu nascebantur, iudicarunt, eos non totos in peccatis, atque sic sine originali malo, nasci. Hunc errorem Apostoli, sicut etiam reliqui *Iudæi* ab ipsis hauserunt. Vnde etiam manifestum euadit, quantum intersit, vt doctrina de peccato originali, qualiter illa ex sacris literis hausta est, pura in Ecclesia Christi cōseruetur. Accessit autem apud Pharisæos, illosq; qui ipsorum *doctrina* infecti erant, etiam alter error, quod statuerūt, (vt in superiorib. semel atque iterum audiuimus,) μετεμψύχωσιν, hoc est, transmigrationem animę ex vno corpore in aliud. Inde porro colligebant, si quæ anima in priore corpore deliquisset, tum in posteriore corpore in eius pœnam vel cœcitate vel surditate, vel alio aliquo grauiore flagello affligi.

Ex his omnibus manifestum euadit, quale sit iudicium rationis humanæ de cruce à Deo immissa. Dum enim Deus in lege Leuit. 26. vers. 16. & Deuteronom. 28. 16. magna seueritate sit minatus se grauissime populi sui peccata variis morbis visitaturum: Ideo ratio humana aliter concludere nequit, quam omnes aduersitates, quæcunque etiam piis immittuntur, esse meras scelerum pœnas, & ab irato Deo immitti in signum subsecuturæ damnationis. Hanc opinionem Diabolus in cordibus hominum suis suggestionibus sedulo fouet, vt sic homines ad barathrum desperationis adducere possit. In hoc errore hæserunt etiam Iobi amici, qui acerbissima contra ipsum instituta disputatione grauissimis eum contumeliis & calumniis lacerarunt, eo quod tot & tanta aduersa à Deo immissa pateretur. Et quidem non raro Deus peccata hominum variis ærumnis & incommodis plectere solet. Sicut Deus ipse dicit Ier. 30. versic. 11. Castigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius. Quando ergo Deus iniquitates nostras ponit in conspectu suo, & absconditum nostrum in lucem vultus sui Psalm. 90. vers. 8. tum impletur illud Dauidis

Psal.

Psal.39.verſ.12. Cum corripueris hominem propter peccata, tum conſumitur tanquam à tinea pulchritudo eius.

Sunt tamen etiam aliæ cauſæ, propter quas Deus aduerſa immittere ſolet. 1. Aliquando aduerſitatibus præſeruat animum hominis contra craſſiora peccata. Humana ſiquidem caro infirmior eſt, quam vt ſplendidam fortunam æqua mente ſufferre poſſit. Homo extra crucem ſe liberum natum putat tanquam pullum onagri Iob.11.v.12. vult eſſe tanquam vitulus indomitus Ier.31.v.18. Crux ergo immittitur, vt eum à peccato retrahat, vetus ipſius Adamus crucifigatur, & corpus peccati deſtruatur, quo vltra non ſeruiat peccato. Rom.6.v.6. Vnde aduerſitates Pſal.116.v.13. Matth.20.v.23. ſalutari calici, & Mal.3.v.2. ſaponi, quo fullones ad eluendas ſordes & maculas veſtium vtuntur, conferuntur. Nam qui carne patitur, deſinit à peccatis 1.Pet.4.v.1. 2. Aliquando Deus, quos præ aliis in Eccleſia vel Republica euehere vult, prius per crucem & varias afflictiones humiliare ſolet, vt varie tentati & probati idonea & ſalutaria organa reddantur, quæ alios rite inſtituere & dextre gubernare poſſint. Exempla ſi quis deſiderat, is intueatur Iacobum Patriarcham, Ioſephum, Moſen, Dauidem in decennali ſuo exilio, Danielem & ſocios in captiuitate. Deus enim humiliat & ſubleuat, mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. 1.Sam.2.verſ.6. 3. Aliquando etiam Deus huiuſmodi tentationibus & ærumnis hominem probat, & animi ipſius ſtatum, qui dum homo pace fruitur quaſi deliteſcit, tentatione explorat, vtrum etiam in cruce conſtanter Deo adhærere velit. Hoc certe modo ſancti Iobi fidem, ſpem, charitatem, innocentiam, admirabilem patientiam, & inuictam animi magnitudinem omnibus teſtatam fecit. Vt enim aurum & argentum igne probantur, ſic homines receptibiles in camino humiliationis Syr.2.verſ.5. Hinc D. Petrus 1.Epiſt.c.4.verſ.12. omnes Chriſtianos ſic alloquitur: Chariſſimi, nolite obſtupeſcere tanquam ad rem peregrinam propter æſtum, qui ad tentationem vobis fit. In modicum enim nunc contriſtati eſtis in variis tentationibus, vt probatio fidei veſtræ multo precioſior ſit auro, quod perit, quod per ignem probatur, 1.Pet.1.v.6. Vt ſic communis ſanctorum vox ſit Pſalm.69.verſ.10. Quoniam probaſti nos Deus: igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum. 4. Præter hos diuerſos aduerſitatum reſpectus Deus etiam interdum μαρτύρια piis & innocentibus hominibus immittit. Qualia euenere Abeli à Caino fratre. Gen.4.verſ.8. Abimelecho Sacerdoti à Saule. 1.Sam.22.verſ.16. Zachariæ filio Ioiadæ. 2.Par.24.v.21. Iohanni Baptiſtæ ab Herode. Matth.14. verſiculo 10. Hæc certe non ſunt indicia irati Dei, ſed potius teſtimonia firmiſſima ſupereſſe poſt hanc etiam aliam vitam, in qua iuſtis bene eſſe debeat, vt fructum laborum ſuorum comedere queant. Ieſ.3.verſ.10. Quapropter non temere neque ſemper ſiniſtre de calamitatibus, ſiue propriis, ſiue alienis iudicemus.

Et hæ quidem calamitatum cauſæ ſunt notæ & conſpicuę. Poſſunt tamen etiam aliæ eſſe obſcuriores, & tamen iuſtæ, quæ non modo ad hominis vtilitatem, ſed potius ad Dei gloriam ſunt referendæ. Nam de huius hominis cœcitate Chriſtus ipſe dicit: *Neque hic peccauit neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Quod nec hunc, nec ipſius parentes Chriſtus peccaſſe dicit, non ſimpliciter accipiendum eſt, ſed ſecundum quid, & iuxta Apoſtolorum propoſitam quæſtionem. Nimirum non eo modo ipſos peccaſſe, quod propter ſingulare aliquod aut enorme ſcelus hunc cœcum naſci oportuerit. Interim ratum manet illud Pauli Romanorum 3. v.23. omnes peccauerunt & egent gloria Dei. Et illud Iohannis 1.Iohan.1.v.8. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis. Quod vero CHRISTVS adiicit, hunc cœcum natum eſſe, *vt manifeſtentur opera Dei in ipſo,* id euentus rei comprobauit. Etenim non opus, ſed plura *opera Dei* in hoc miſero cœco ſunt manifeſtata. Nam primum manifeſtatur in eo ſeuera Dei iuſtitia, qua oſtendit, quid ob naturæ noſtræ deprauationem omnes mereamur, ſi pro iure ſuo in nos animaduertere velit. Deinde bonitatem ſuam manifeſtat, quod miſerum hunc, oculorum vſu carentem non tantum ſeruat, alit, tuetur, ſed etiam iam ex gratia viſus acrimonia donat. Manifeſtat inſuper ſuam potentiam, quod cœcum natum illuminat: vocat ea quæ non ſunt, vt ſint. Rom.4.v.17. & facit in mediis tenebris ſplendeſcere lucem. 2.Cor.4.verſ.6. Manifeſtat denique ſuam veritatem, quam præſtitit mittendo filium in hunc mundum, vt eius Saluator & Meſſias eſſet, cui inter alia haſce notas, ex quibus cognoſceretur, addidit: Tunc enim, dixit Propheta, aperientur oculi cœcorum, & aures ſurdorum patebunt, Ieſ.35.v.4. Hæc de hoc cœco. Interim quiſque ſuo loco enixe operam dare debet, vt qualiſcunque ſit in hoc mundo: *Dei* tamen *opera in eo manifeſtentur.*

Cæterum ſubdit Chriſtus: *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari.* His verbis Dominus Ieſus, non tantum ſuis Apoſtolis, ſed etiam nobis innuere vult indefeſſum ſuum ſtudium. quo ſingulis horis atq; momentis in diebus carnis ſuæ nihil aliud egerit, omnes ſuas cogitationes & omnia vitæ conſilia eo direxerit, hunc deniq; ſuum cibum & potum eſſe paſſus fuerit, vt opus humanæ ſalutis, cuius gratia à Patre in mundū miſſus fuerat, abſolueret. Hoc in Chriſto capite ſuo omnes veri Chriſtiani imitari ſtudeant, vt & ipſi quotidie perpendant, in quem finē à Deo conditi, in quem finem à Chriſto Ieſu redemti, in quē à Spiritu ſancto regeniti, in quem deniq; tot ac tantis beneficiis affecti ſint: ac proinde etiam *operentur opera eius qui ipſos miſit.* Miſit autem nos Deus, aut collocauit in hunc mundum, non vt tantum domos ædificaremus, aut vineas & hortos plãtaremus, multominus vt voluptatibus indulgeremus, aut vitã in ocio & deſidia conſumeremus, aut ſiue iure, ſiue iniuria opes vndequaq; corraderemus: ſed vt ipſius agnitioni ſtuderemus, agnitum diligeremus, ei in iuſtitia & ſanctitate ſeruiremus omnibus diebus vitæ noſtræ, atq; ſi ita ipſi ſeruiiſſemus in hac vita, poſtea per ipſius gratiam & propter meritum Chriſti ad æternam felicitatem & beatitudinem transferemur in cœlos, in quibus ipſum concelebraturi eſſemus in omnem æternitatem. Mouere nos debet, quod Deus, vt hic Chriſtus monet, cuiq; ſuum conſtituit *diem*, hoc eſt, certum tempus, quo operari poſſit, quo elapſo nihil amplius præſtare queat: *venit* enim *nox quando nemo poteſt operari.* Cum ergo ſua ſtet cuique dies, cumque omnes, licet alij citius, alij ſerius metam properemus ad vnam, quiſque viderit, vt præter ſaluificam fidem etiam inſtructus ſit bonorum operum actionibus, ne nudus & inops ante tremendi iudicis conſpectum compareat. Qui enim bona egerunt, hoc eſt, fidem ſuam bonis operibus teſtatam reddiderunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum. Matth.25.verſic.vlt. Dum ergo tempus habemus operemur bonum ad omnes Gal.6.verſ.10. Et Salomon ſcripſit quodcunque poteſt facere manus tua inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos quo tu properas. Eccleſ.9.v.10.

Quod vero Chriſtus addit: *quamdiu fuero in mundo lux ſum mundi:* & quidam inde diſputandi occaſionem ſumunt. Num ergo, poſtquam Chriſtus temporalem ſuam præſentiam per aſcenſionem in cœlum mundo ſubtraxit, iam in eo nox ſit, ſicuti etiam ante ipſius aduētum fuerit? Reuera hac λογομαχία minime opus eſt. Etenim in præcedentibus Chriſtus loquitur non de aliis, ſed de ſeipſo, & teſtatur ſibi non minus à cœleſti Patre certum tempus ceu *diem* deſtinatum eſſe, quo eum operari oporteat. Illo finito ſe non amplius docturum, miracula editurum, paſſurum, & reliqua, quæ faciunt ad opus redemptionis humanæ, adminiſtraturum. Cumque nox ea immineat atque inſtet, operi iam inſiſtendum eſſe, nec occaſio bene de hominibus merendi præripiatur. Interim idem Chriſtus Ieſus, æternus Dei filius, ſemper *lux mundi* eſt & manet. Semper enim in mundo fuit tam ante natiuitatem, quam poſt aſcenſionem. Sic enim Iohan. cap.1.verſ.10. de tempore ante natiuitatem inquit: in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt; ſed mundus eum non cognouit. Chriſtus autem ipſe de tempore poſt aſcenſionem dicit: Ecce Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Matth.28.v.vlt. Itaque Chriſtus ſemper eſt lux mundi, inde ab eius initio, vſque ad eiuſdem finem. Et Paulus de ſuo tempore loquens affirmauit: Lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Ieſu Chriſti miniſtratum fuiſſe. 2. Cor.4.v.6. Nos hodie ſi conquereremur de ſaluifica hac & diuina luce, reuera bipedum ingratiſſimi eſſemus. Quapropter ſi quis omnino hæc verba Chriſti: *Ego ſum lux mundi, quamdiu ſum in mundo,* ad tempus corporalis ipſius conuerſationis in mundo accommodare velit, is aliter ea accipere nō debet nec poteſt, quam quod illud tempus *dies* dici poſſit κατ' ἐξοχὴν & per excellentiam aliquam. Quia tum temporis ſol ille iuſtitiæ mundo quaſi dupliciter luxerit, tam corporali præſentia, quam cœleſti doctrina. Vnde ipſe Abrahamus pater omnium credentium, exoptauit, vt videret hunc *diem* Chriſti. Ioh.8.v.56. Et Chriſtus Apoſtolis dixit Luc.10.v.23. Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

II. Secundum membrum eſt miraculum ipſum. In hoc ante omnia conſiderari poteſt cœci perſona. Is enim *à natiuitate cœcus* fuiſſe deſcribitur. Vnde ipſi miraculo non leuis accedit authoritas. Illi enim morbi, qui vel in vtero matris, vel in partu contrahuntur, minime omnium curabiles exiſtimantur. Acceſſit huic morbo extrema egeſtas, qua victum quotidianum publice mendicando quærere coactus fuit. Bis ergo miſer & calamitoſus fuit, cum cœcitate naturali nihil infelicius, egeſtate autem & mendicitate nihil grauius homini ingenuo accidere poſſit. Typum hic *cœcus* gerit totius humani generis. Natura enim iam poſt triſtem primorum parentum

lapsum non tantum in rebus diuinis & salutem nostram æternam concernentibus omnes prorsus cœci sumus : verum etiam in iis, quæ humanæ prudentiæ subiecta esse videntur, mirum in modum cœcutimus. Cum enim primi parentes scientiam boni & mali illegitimis mediis affectarent, & Deo similes fieri appeterent, miseri illam etiam intellectus sui lucem amiserunt, qua Deus ipsos initio gratuito donauerat. Accedit huic malo, quod insuper extremo mendici sumus: egemus omnes gloria Dei Roman.3.vers.23.destituimur quoque omnibus facultatibus,quibus miseriis nostris medela adhiberi posset,adeo vt ex nobis,tanquam ex nobis,ne quidem boni quid cogitare possimus.2.Cor.3.versic.5. Nisi ergo hominibus à Christo,qui hunc cœcum sanauit,spes salutis affulgeat,in cœcitate & egestate hac ipsis pereundum est in æternum.

At qua ratione Christus hunc cœcum sanarit quoque est considerandum, vbi ante omnia non negligendum videtur, quod cum cæteris fere ægrotis Dominus salutem contulerit ad ipsorum petitionem,alios etiam ad petendum ipse excitarit(vt cum Luc.18.versic.41. cœco dicit:quid vis tibi faciam?) huic tamen nec petenti,nec salutem quærenti, imo nec aliis pro ipso intercedentibus salutem vltro obtulit. Hanc benignitatem Christum Iesum adhuc hodie etiam erga nos & quosuis alios exercere,grati agnoscamus. Vt,quemadmodum ipse Iohannis 15 vers.16. suis discipulis dixit: non vos me elegistis,sed ego elegi vos.Nimirum Petro & Andreæ,Iacobo & Iohanni, itemque cæteris gratuitam illam benignitatem insinuans,quod eos nihil minus cogitantes aut desiderantes vltro ad Apostolici muneris dignitatem vocauerit. Ita nobis quoque qui vere in ipsum credimus, & per fidem ipsius virtute in salutem custodimur,paratam reuelari in tempore nouissimo,1.Petr.1.vers.5 dicere potest: Ego vos elegi ante mundi constitutionem, vt essetis sancti & immaculati in conspectu meo in charitate Eph.1.versic.4. Quæ igitur operum nostrorum erunt merita in toto salutis negocio, cum ex gratia omnia facta esse tota scriptura loquatur?Eph.2.vers.8.Sed non in spiritualibus tantum : verum etiam in temporalibus diuina gratia sic nos præuenit;Quod Deus apud Iobem innuere voluisse videtur,cum inquit, c.38 v.4. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? quasi diceret:Cum ego in tuos & aliorum vsus terram, quam tu pedibus calcares,stabili sede locarem,eum eam tot frugibus,tot arborum generibus,tot quadrupedum & auium speciebus, tot denique aliis rebus, vt nihil tibi ad vitæ necessitatem neque ad ornatum, neque ad oblectationem deesse posset, implerem : Tum certe neque conceptus neque natus eras,cum tibi tam amplem hanc domum & mensam rebus omnibus instructam præpararem.Sed quotus quisque hæc considerat? Quin & si quando Dei gratiam peccando amisimus, animam nostram variis criminibus inquinauimus,multisque iniuriis ipsorum ad iracundiam prouocauimus,nihilominus tamen ipse nos in miserabili illo statu iacentes oculis gratiæ respicit, verbo salutis animi nostri fores pulsat, sicque nos ipsum negligentes ad salutem rursus quærit. Denique quot & quam varia pericula, quam varias dæmonum fraudes & laqueos, ipsum nobis inscijs præcidisse putabimus, quos certe induissemus, nisi ipse (nihil nos curantibus) immanissimi hostis conatus repressisset? Ipse enim est custos ille Israelis, qui neque dormitat,neque dormit. Psalm.121. versic.4. Nullo itaque modo nos, quoad gratiam, apud Christum hoc cœco inferiores statuamus : sed quemadmodum ipse huic oculorum lucem non quæsitam gratis obtulit : sic frequenter ipsum nos nescientes & aliud agentes beneficiis suis sponte præuenire statuamus.

Sed iam ad curationem ipsam perueniamus, quam Dominus *luto ex saliua sua* & puluere terræ confecto, oculis cœci illito, & *aqua piscinæ Siloë* rursus abluto, perfecisse scribitur. Hanc vero nouam & insolitam curandi formam mysterio vacare quis dubitabit? Et quidem variæ quæsitæ sunt allegoriæ, tam *sputi* quam *luti*, inter quas, quæ sunt fidei analogæ, tolerari possunt, quanquam semper vna altera sit accommodatior. Chrysostomi sententia est,voluisse DNM. eo significare, se illum ipsum esse, qui olim hominem ex luto finxisset: eundem corruptum, se suis manibus refingere & instaurare: ac proinde se legibus sabbati non adstringi, prout Pharisæi exigebant,imo se sabbati Dominum esse Huic sententiæ accommodari possent multi loci sacræ scripturæ. Sic Iob.10. versic.9 ad Deum dicit : Memento quæso,quod sicut *lutum* (כחמר) feceris me, & in puluerem reduces me. Et Iesa.64.v.8.Domine pater noster es tu,nos vero lutum, & fictor noster tu. Lutum ergo cœci oculis imponitur, vt nos admoneat, quo,mortalitatem nostram assidua consideratione ante mentis oculos ponamus,sicque rerum humanarum inanitatem agnoscamus.

Certe qui in hoc speculo seipsum attente considerauerit, qui iam se limum & lutum esse agnouerit,quiq; qualis,paulo post in tumulo futurus sit cogitauerit ; is facile omnem fastum & animi tumorem deponet,se ipsum tanquam mox lutum futurum contemnet,res humanas omnes pro nihilo ducet,& qui hisce, (cum tandem eæ omnes ad lutum sint redituræ) nimia auiditate inhiant, stultos & amentes iudicabit.

Cyrillus existimat Christum sputum adhibuisse, vt ostenderet omnia ea,quæ ex humanitate sua prodirent,esse viuifica,siquidem ea essent τῷ λόγῳ viuifico personaliter vnita. Sic etiam Christus sputum adhibuit Marc.7.versic.33. in sanatione surdimuti.

Alij per *lutum* hoc,quod rursus abstergendum erat, intelligunt sapientiam carnis,quæ nobis tenebras offundat, per salutares fontes baptismatis & verbi diuini abstergendam esse, si saluifica luce in Christo salutis authore frui velimus. Nec male conuenit hæc sententia:Vt enim saliua partim ex cerebro destillat, partim in ore ex faucium & linguæ humoribus colligitur, & nimia abundantia aut amaritudine cibi fastidium parit:Sic carnis sapientia ex nostro cerebro enascens, & circa ea,quæ gulæ inseruiunt,occupata,efficit, vt diuini verbi, ceu cœlestis Mannæ,fastidium nos capiat. Et vt lutum *oculis illitum* nocet, eosque impedit, quo minus *videndi officio funguntur* : Sic carnis sapientia menti nostræ varias *opiniones*, ceu crassos fumos obiicit, vt ad cœlestia penetrare, & Christum vnicam veritatis lucem aspicere nequeamus. Quapropter illam in salutaribus fontibus Israelis totam abluere debemus, si Deum ipsiusque Christum Saluatorem nostrum,omnis boni authorem, puris oculis intueri velimus. Hinc D. Paulus serio monet, vt caueamus ne quis nos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam: secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.Col.2.v.8.

Vtut autem sint hæc omnia, certum est, Christum in sanando hoc cœco (vt etiam nonnunquam alibi) adhibuisse eiusmodi medium & remedium,quod rationi nostræ prorsus videtur esse absurdum & contrarium. Qui enim conueniebat luto oculos subfundere ad lucem illis conferendam, cum hoc magis ad obscurandam oculorum aciem faciat? Sed sic solet Deus sæpe nobis mederi per contraria *media*, vt quas res nobis perniciem allaturas putabamus, eas saluti nostræ conducere experiamur. Vnde pius Rex Ezechias Iesa.38.versic. 17. Ecce quæ visa sunt mihi acerbissima, conuersa sunt mihi ad pacem. Sic *Deus* interdum vni vxorem, alteri maritum, aliis liberos, aliis patrimonium, aliis corporis sanitatem eripere solet: quæ licet initio perniciosa videbantur, progressu tamen temporis salutaria esse intelliguntur. Hoc vero modo opera Dei redduntur illustriora : sicuti hic modus sanandi reipsa effecit,vt omnes statuere potuerint, non fuisse eam physicam sanationem. Sic legimus Elisæum 2. Reg.2. vers. 21. amaras aquas iniecto sale dulces reddidisse. Iesaias quoque cap.38.v.21. vlcus Regis Ezechiæ massa ficorum sanauit, quæ (si rerum naturam spectemus) magis illud exulcerare & inflammare,quam sanare debuisset. Hinc etiam Naaman Syrus, cum septies in Iordane lauisset, & à lepra sua sanatus esset,agnouit diuinam esse sanationem.2.Reg.5.v.15. Discamus ergo de Dei operibus, de efficacia item Sacramentorum iudicare,non ex ratione nostra,sed ex Dei verbo. Naaman initio noluit in Iordane lauare,sed postmodum persuasus experitur verbum Prophetæ esse verum. Ita nos quoque semper desideramus,vt Deus per eiusmodi media nobiscum agat,quæ nobis sint grata & accepta,verum nihil ipsi præscribamus,admittamus ipsius medicamenta, licet rationi nostræ noxia & carni molesta videantur, & reipsa experiemur, illa contra opinionem & spem nostram animæ nostræ morbos sanare.

De *Siloa* fonte etiam aliquid dicendum est. De eo D.Hieronymus in 8.caput Iesaiæ hæc scribit : Siloam esse fontem ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebulliat,& per terrarum concaua & antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus,nos præsertim, qui in hac prouincia habitamus. Hoc cũ descriptione Prophetæ Esaiæ minus conuenire conqueruntur aliqui. Hic siquidem scribit c.8.v.6. Populus iste abiecit aquas Siloë,quæ vadunt cum silentio.Sed vtrumque verum esse potest in tam diuersis temporibus. Nam etiam Iosephus testatur lib.6.de bell.Iud.6.c.11. fontem Siloë ante Titi Cæsaris aduentum sic defecisse, vt iuxta eum aqua venderetur. Post Titi aduentum autem tanta hubertate hostibus fluxisse, vt non modo ipsis & iumentis ipsorum,sed etiam hortis aqua suffecerint. Quid igitur mirum, quod is Dominus, qui fluenta ponit in desertum, & exitus aquarum in sitim Psalm. 109.vers.33. qui item conuertit petram in stagna aquarum & supe-

tuem in fontes aquarum Psalm.114.v.8. eundem fontem interdum molliter & large, interdum aspere & parce fluere sinat? Præsertim in hoc fonte, quem mysticum quid præ se tulisse D.Iohan. disertis verbis hic innuit, dum dicit: *quod si interpreteris sonat missus.* Quis vero est ille *Missus*? Moses Iehouæ dicit Exod.4.v.13 Obsecro Domine, mitte quem missurus es. Vbi idem verbum vsurpat: שלח נא ביד תשלח Et Propheta Iesaias c.19.versic.20.dicit: Dominus mittet eis (scilicet, populo suo) Saluatorem & propugnatorem, qui liberet eos. Vbi in Hebræo est verbum וישלח Iesus ergo Christus, æterna Patris sapientia, in hunc mundum missus est, vt sit cœcis lux, insipientibus sapientia, egentibus thesaurus. In ipso enim absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ. Col.2. v.3. Huc etiam quadrare videtur Epitheton illud, quod Iacobus Patriarcha Messiæ mittendo dedit Gen 49 v.10. dum eu Siloh vocauit, quod vocabulum etiam vulgata versio reddidit: donec veniat, qui mittendus est. Scribuntur etiam hæc vocabula in Hebræo iisdem literis Gen.49.v.10. שילה Siloh. Ies.8.v.6. שלח Siloach. I Syriaco habetur Ioh.9 v.7. שילוחא Schilucha, Græci pro ו vsi sunt ε. extrita aspiratione, & ad finem adiecere μ, sicq; Σιλωάμ scripserunt, potius secundum Syriam, quam Hebraicam pronunciationem.

Aqua ex hoc fonte collecta, confecit *piscinam* siue natatoriam: Ad hanc Christus cœcum hunc remisit, vt ibi se lauaret & visum reciperet. Cur non remisit eum ad piscinam Bethesdæ Ioh.5 v.2. cuius aquæ alioqui ab angelo motæ vim habebant sanandi quemuis morbum eius, qui primus descendisset & lauisset? Si Christus id fecisset, tum Iudæi illuminationem huius cœci nō Christo, sed virtuti hostiarum, quas Nathinæi in illa piscina lauabant, atque sic lotas sacerdotibus in templo offerendas tradebant, adscripsissent. Ostendere itaque voluit Christus, virtutem non ex aqua vel elemento, sed ex verbo suo elemento coniuncto dependere. Quicunque igitur à naturali sua cœcitate & tenebris mentis suæ liberari cupis, is Christum Iesum, lucis Dominum accedat, humiliter ab ipso illuminationem petat. Remittet enim eum ad κολυμβήθραν baptisterij, in quo, verbo suo omnes aquas, siue sint Iordanis, siue Albis, siue alterius alicuius fluuij, sanctificauit, vt conducant ad ablutionem peccatorum, liberationem ex regno Satanæ, & donationem æternæ beatitudinis: si modo verbis Christi, sicuti hunc cœcum fecisse audiemus, fidem habeamus. Quanquam etiam alia causa esse potest, cur ad hanc piscinam potissimum remiserit cœcum. Præteribat hac vice Iesus Hierosolymam, & ad portam vrbis delatus, inuenit ibi hunc cœcum desidentem & mendicantem. Cumque piscina Bethesdæ intra vrbem, piscina vero Siloë extra eam esset: ad hanc tanquam ad viciniorem illum potius, quam ad illam remisit. Quin & hoc notatu dignum est, quod eum adesset Christus *Siloh, Missus* concidit turris Siloë Luc.13. versic.4. & aquæ fontis non amplius ita fluxerunt, prout ex Iosepho & D.Hieronymo audiuimus: vt vel ex his constaret, Messiam *Missum* iam adesse, neque vlterius expectandum esse.

Tandem etiam qualem se cœcus gesserit, videndum est. Hic in omnibus paret, & hanc ipsius obedientiam felix effectus secutus est. Etenim *abiit, lauit, rediit videns.* In his verbis plus continetur, quam in illis Caij Iulij Cæsaris: Veni, Vidi, Vici. Miretur quis tantam obedientiam in cœci huius persona. Sed dubium non est ipsi famam de Iesu Nazareno, quæ vniuersam regionem illam, & inprimis vrbem Hierosolymam peruolarat, non ignotam fuisse. Cumque audiisset, ipsum aliis cœcis oculos aperuisse, spem firmam concepit futurum, si aliquando propitio Deo in eius manus incideret, vt & ipse visum reciperet. Iam cum adesset Iesus, eumque iuuare vellet, absque dubio circumstantes, siue Apostoli siue alij ei indicarunt, hunc esse illum Iesum, & monuerunt, vt patienter admitteret, quocunque modo ipsum tractaturus esset. Alioquin homo cœcus non facile passurus fuisset vt ab homine ignoto oculi ipsius luto inungerentur. Fuerunt igitur semina fidei in Iesum in hoc cœco, & sperauit hanc vnctionem à Iesu factā sibi fore salutiferam, Nam sibi non ignotum fuisse à Iesu Propheta se eum in modum tractari, illud postea ipse ad vicinos suos fatebitur, quando dicet: *ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit & inunxit oculos meos. &c* Hanc fidem in Iesum conceptam sequitur etiam ὑπακοὴ τῆς πίστεως seu obedientia fidei, vt Paulus nominat Rom. 1.v.5.& 16. versic. 26. Quamprimum enim Christi verbum accepit, vt abiret ad piscinam Siloam, ibique lauaret, *abiit. Lauit.* & ecce felix ac lætus euentus obedientiæ fuit: *rediit* enim *videns.*

Discimus huius cœci exemplo, si spiritualem illuminationem cum animæ salute à Christo Iesu accipere velimus, ante omnia necesse est, vt constanter in ipsum credamus, & ex fide ab ipsius misericordia, bonitate & potentia petamus, quæcūque nobis ad vitam æternā sunt necessaria & salutaria. Deinde ex fide etiam obediamus ipsius verbo; vtamur sacramentis ab ipso institutis & nobis commendatis: ipsum ducem quasi cœcis oculis sequamur. Abeamus, lauemus in piscina baptisterij, claui absolutoria nobis cœlum reserari petamus, corpore atque sanguine ipsius cibemur atque potemur. Hæc media licet rationi non minus vilia esse videantur, quam lutum oculis huius cœci illitum? non tamen ea negligamus, nec contemnamus, sed iuxta verbum & institutionem Christi in obedientia fidei vtamur. Sequetur salutifer euentus, vt hisce vtentes non tantum semel spiritu & gratia ipsius illuminemur, sed & quotidie in melius proficiamus, donec æternæ salutis participes fiamus. Hic vero effectus propterea sequitur, quia hæc media ordinata sunt non à sancto aliquo homine, sed à Christo, hoc est, ab eo, qui à cœlesti Patre vnctus & ad hoc missus est, vt salutem conferat humano generi. Et ad hoc alludere videtur textus huius historiæ, in quo toties repetitur, Iesus ἐπέχρισε *eum inunxit oculos meos.* Si ipse Christus, vnctus Dei, inungat nos suis sacramentis, vtcunque illa contempta sint in oculis sapientum huius mundi: non tamen offendamur, sed firmiter credamus, per illa nobis salutem offerri, conferri. Et hæc est pretiosa illa fides, quam D.Petrus commendat. 1. Pett.1.v.7. quæ per ignem contemptus mundi explorata nobis laudi & gloriæ & honori erit, cum patefiet Christus Iesus. Quod vero hodie multi tum in regno Pontificio, tum inter phanaticos cœci manent, aut quotidie in tenebras crassiores incidunt, hoc inde fit, quod Christum ducem fidei & vitæ sequi nolunt, verba & sacramenta ipsius pro vilioribus habent, quam vt in iis salutem quærant. Quorum etiam damnatio iusta.

III. Postquam Dominus cœlesti collyrio oculorū caliginem à cœco depulerat, sequitur nunc vicinorum dubitatio & disceptatio de illo, quæ ad id conducebat, vt & miraculi cognitio ad plures dimanaret, & eius veritas tanto plus illustraretur. *Vicini* ergo *eum videntes, dicebant: nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant: Hic est. alij rursus, similis est ei.* Hæsitatio hæc vicinorum inde prouenit, quod cætera signa consentiebant, & eundem illum mendicum esse confirmabant: sola noua illa oculorum lux ipsos suspensos & incertos tenebat. Quod ipsum nobis commonstrat, qualis mutatio in homine fieri soleat, si quando Deus ipsum in peccatorum tenebris hærentem Spiritus sancti gratia illuminat. Tum enim talis apparet, vt non tantum vicini & familiares illum sui valde similem fateantur: Sed idem ipse homo seipsum vix agnoscat. In Paulo certe, qui primum minas & cædes spirabat in discipulos Domini, tanta mutatio facta est, vt, qui eum prius cognitum habuerunt, initio noluerint ipsum ad conuersationem suam admittere: eo quod non fiderent ipsi. Actorum 9. ver.26. Sic Petrus scribit de iis qui ex Gentibus ad Christum conuersi erant, quod peregrinati sint, hoc est, quod ipsis res noua, peregrina & inusitata visa fuerit, quando non secum concurrerent ad eandem luxus profusionem 1.Pet.4.v.4 Idē etiam fit in aliis hominibus, quando cœlestis gratiæ lumine atque virtute tota ipsorum vita immutatur: vt qui prius cupiditatibus suis seruiebant, postea diuino spiritui obtemperent: qui prius omnia ad corporis voluptatem & commodum referebant, postea corporis voluptatibus spretis, pietati & iustitiæ seruiant: qui prius nullam nisi carnis & membrorum legem agnoscebant, postea illa abrogata, vitam suam iuxta legem Dei dirigant.

Hanc mutationem etiam noui animi motus sequuntur, vt, qui antea turbulenti, contumaces & effrænati erant, postea mire mites, patientes & tractabiles efficiantur. Ita siquidem in lenitatem, fastus in humilitatem, feritas in humanitatem, tenacitas in liberalitatem permutatur. Hæc est mutatio dextræ excelsi. Psal.77.v.11. Quæ vbi facta est, homo grata mente eam agnoscere, & apud alios prædicare debet, sicuti hunc cœcum id fecisse hoc loco audimus.

Nam cum vicini de ipso hæsitarent, vtrum esset, nec ne? *ipse dicebat: Ego sum.* Non pudet ipsum pristinæ suæ miseræ conditionis, modo Iesu, cuius beneficentiam expertus fuerat, suam gloriam tribuere possit. Cumque vicini instarent *quomodo ergo oculi aperti sunt tibi?* Ipse authorem exponit, à quo sit sanatus. *Ille homo, qui dicitur Iesus:* quasi dicere vellet: ille Iesus, quē à plerisque contemni, à multis insidiis peti, à principibus nostris summo odio premi audio, ille hanc salutem mihi attulit. Quomodo vero id factum est? Hic modum sanationis & omnes facti circumstantias enarrat: *lutum fecit, & inunxit oculos meos & dixit vade ad piscinam Siloam & laua.* Postremo etiam effectum ipsum, videlicet oculorum sanationem ostendit: *abij, Laui & visum recepi.*

Hic quidam disputant, quomodo visum receperit, cū nunquam eum nec habuerit, nec amiserit. Sed responsio plana est: Deus ipsum non cœcum creara;. Omnia enim opera Dei perfecta. Quod vero hic & alij cœci nati sunt, illud non ex Deo, sed ex Satanæ odio prouenit, qui infantibus, etiam in

vtero matris delitescentibus, oculos comprimere sicque ipsos excæcare potest. Recte ergo postea dicitur, si tales visum oculorum consequantur, quod visum recipiant. Denique inquirunt vicini: *vbi est ille* scilicet Iesus? Cœcus etiam hic, quod res erat, respondit: *non noui.* Dum enim cœcus ad piscinam lauatum abierat, Iesus iam vrbem transierat, vt quorsum is peruenisset, cœcus nouisse non posset. Neque enim in illo loco hærere voluit, ne vel ab ipso homine redeunte, qui visum recepisset, vel à plebe, ad rei nouitatem videndam concurrente, gloriosam aliquam reportare voluisse videretur. Ipse siquidem ab hominibus gloriam non accipit. Iohann.5.versicul.41.

Hæc est ingenua huius cœci coram suis vicinis confessio, qua etiam nobis Christianis formulam syncerae & veræ confessionis præscribere videtur. 1. Neminem pudeat fateri pristinam suam naturam & conditionem, quam vel ex primis vel ex propinquioribus parentibus contraxit. Natura enim, (vt audiuimus) omnes cœci, mendici, & sempiterno exitio destinati sumus. Quoties Dauid deprædicat, Deum se sustulisse de gregibus ouium, & de post fœtantes, vt regni Israëlitici habenas moderaretur? Psalm.78.v.70. Paulum non puduit toti posteritati confiteri. 1.Tim.1 ver.13. quod fuerit blasphemus, persecutor & iniuriosus. Gentium quoque Ecclesiis idem in memoriam reuocat: Eph.2.v.11. Mementote vos quondam gentes in carne fuisse &c. Hoc conducit ad reprimendã superbiam carnis, quam videmus intolerabilem esse in istis hominibus, quos Deus ad aliquem dignitatis statum euexit, sed ipsi prioris suæ miseriæ conditionis obliti sunt. Verbi itaque ministrorum est, homines interdum eius commonefacere & vrgere vt in rebus prosperis se submisse gerant neque altum sapiant.

2. Neminem etiam pudeat Iesum Christum salutis suæ autorem confiteri. Quem enim puduerit Christi & eius sermonũ in generatione hac praua: eius vicissim pudebit Christum, cum venerit in maiestate sua & Patris Luc.9. versic.26. Cumque soleat Christus salutem nostram perficere per media vilia & abiecta, sicut hic per sputum & lutum; non pudeat nos etiam in iis ingenuam nostram confessionem edere. Etenim quo viliora sunt media, quibus hic Dominus opera sua perficit: eo illustrior in iis est ipsius potentia & gloria. Quid in speciem vilius est aqua? vel eius aspersione? Et tamen hic Dominus per eam operatur regenerationem & peccatorum remissionem. Tit.3.vers.5. Quid magis vulgare pane & vino? Et tamen Christus in sacra sua cœna mediante benedictione verbi distribuit nobis sub pane suum corpus, & in vino suum sanguinem, & simul nos admittit in communionem omnium eorum, quæ ipse corpore & sanguine suo in innocenti sua passione & morte acquisiuit. Hæc vero omnia de Christo Domino nostro sic confiteamur, vt in eorum participationem nullam creaturam, & ne sanctissimos quidem Diuos admittamus. Suam enim gloriam hic Dominus alteri non dabit.

3. Quæ vero non nouimus, vt ad illa respondeamus, necesse non est. Sicuti quidam laudem & gloriam apud homines quærunt in proferendis iis, de quibus ipsis nihil constat. Hanc hominum approbationem non quæramus. Neque enim quem mundus, sed quem Deus commendat, hic probatus est 2. Cor.10.v.18. Ob hanc ingenuam confessionem iã hic cœcus à vicinis suis abripietur ad Pharisæos, & quasi à Christo, parentibus & omnibus hominibus derelictis solus pro se respondere tenebitur. Non tamen erit solus. Quia Christus corpore absens, gratia sua præsens ita ipsum animabit, vt acerbissimis Christi hostibus non tantum expedite respondere, sed & eosdem confundere possit. Nemo ergo in casu confessionis ob Christi corporalem absentiam contristetur. Ille enim personaliter & secundum modum dextræ Dei præsens, per spiritum suum dabit in illa hora, quid loqui debeat. Matth.10.versic.19. & in corde nostro suam relinquet nobis pacem Ioh.14.ver.27. quæ non tantum hostium sannas & minas, sed etiam omnem sensum exuperare, atque nostra corda & intelligentias in Christo Iesu custodire potest. Philip.4.vers.7.

Sed lubet cœci vicinos adhuc semel intueri: De his enim dicit Euangelista: *adducunt ad Pharisæos eum, qui aliquando cæcus erat.* Sunt qui putant, eos bono animo ad Pharisæos hunc adduxisse, quod nimirum hoc modo innuere voluerint, Iesum, quem ipsi persequerentur, non esse hominem adeo malum, cum tam illustre præstiterit miraculum. Sed Augustinus, Chrysostomus & alii, ex circumstantiis colligunt, ipsos malo animo eum ad Pharisæos adduxisse. Quod enim inquisiuerunt, vbi Iesus esset: id indicio est, ipsos maluisse ipsum Iesum ad Pharisæos adduxisse, vt sic eorum gratiam & beneuolentiam consequerentur. Quia vero Iesus iam abierat, vt eum in propria persona adducere non possint, adducunt eum in suo membro, modo suscepto, nec dum plane confirmato. Et hoc innuit Iohannes, quando subiungit: *erat autem sabbatum cum lutum faceret Iesus, & aperiret oculos eius.* Sciebant enim hi vicini, Pharisæos ex diei religione occasionem arrepturos calumniandi hoc plane diuinum factum. Nam etiam iam ante Iohan.5.versic.13. Pharisæi persecuti sunt Iesum, quod in die Sabbati paralyticum sanasset. Ergo Pharisæorum iudicio nõ fuit sabbatum violatum in eo, quod cœcus abiit ad piscinam Siloam, & ibi lauit: sed ex ea parte, quod Iesus *lutum fecisset & oculos aperuisset.*

Ex his insignis malitia horum vicinorum apparet. Debuissent huic misero & egeno congratulari de beneficio consecuto: & ecce eum in discrimen ac periculum adducere cupiũt. Christo etiam summo gentis Iudaicæ benefactori insidias struunt, per summam ingratitudinem maleficium pro beneficio reposituri. Et hoc omne faciunt prætextu religionis, sabbati violationem incusantes, qui prius charitatem violarunt, dum immisericordes egentem hunc mendicum tantum non fame contabescere passi fuerunt.

Tales nimirum erga hunc cœcum sunt ipsius vicini, qui præ aliis ex antiqua notitia & necessitudine ipsum amore complecti debuissent. Sed sic fit, vt quamprimum homo conuersus est ad Christum, mox inimici eius fiant ipsius domestici. Mich.7.ver.6. & Matth 10.versic.35. Expertus hoc est Paulus, qui ad Christum conuersus, non alios virulentiores hostes habuit, quam Iudæorum Pontifices, Scribas, & cumprimis Pharisæos, quibus antea se totum in persequendo Christo impenderat. Idem experiuntur omnes, quicunque relicto regno Antichristi ad Christi Euangelium transeunt. Hic fratris quoque gratia rara: adeo vt Diazius Diazium, Gregorius de Valentia Hieronymum de Valentia ad mortẽ quærat. Quin etiam illi, qui aliquantisper prauo sodalitio implicati, Deo cor ipsorum tangente, per pœnitentiam ad meliorem frugem se recipere cupiunt, non habituri sunt acerbiores hostes & irrisores, quam eos ipsos, qui antea intimi socij scelerum fuerunt. Sed hosce malos mundi mores agnoscamus, fugiamus, nosque ipsos diuinæ protectioni commendemus.

In his etiam adumbratur, quæ sit sors veritatis in hoc mundo. Inter Iudæos Pharisæorum ordo fuit corruptissimus. Sicuti Christus hoc nuper Luc.11.v.42. prolixe ostendit & inferius Matth.23.versi.13. pluribus explanabit. Et tamen stolidus populus, hi vicini, Pharisæos sibi deligunt *iudices, in exploranda veritate* diuini huius miraculi. Sic igitur veritatis iudicium submittitur acerrimis publicæ salutis hostibus. Idipsum hodie quoq; fit. Potestne maior esse atheismus, aut possuntne esse mores corruptiores, quam in Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis *Italicis*, Abbatibus, & in vniuerso Clero Romano iam ab aliquot seculis sunt descripti? Et tamen hisce iudicibus debemus submittere veritatem Euangelicam, vt eorum arbitrio stet cadatve. Sicut in Conciliabulo Tridentino factum est. Imo quidam Reges & Principes vltro pontificios legatos accersunt, vt iuxta illorum placitum negocium religionis & regionum statum componant, atque sic ipsis subditorum fortunas, corpora, vitam & animos subiiciant. Iesus rogandus est, vt hasce pestes procul à Germania abigat.

Quærere autem quis posset: quî factum, quod *Dominus* ad hoc miraculum edendum sabbatum elegerit, *cum ignorare non potuerit*, Iudæos & Pharisæos *scandalizatos iri*, prout etiam illud aliquoties expertus fuerat: adhæc *ipsos in grauius* aduersus ipsum odium exarsuros? Respõdeo Dominum quidem scandalum & odium Pharisæorum præuidisse: sed nec illud ignorasse, Pharisæos ob temporis circumstantiam eo accuratius in hoc opus inquisituros, sicque miraculum omnibus notius futurum, quod alioquin, si alio die illud edidisset neglecturi fuissent. Sic ergo Christus potiorem habuit rationem gloriæ sui patris, quam scandali à Pharisæis accepti, non dati. Maluit item *vt manifestarentur opera Dei*, quam vt ipse à persecutionibus & odio malorum hominum liber esset. Eoque ipso suis ministris exemplum præbuit, vt ipsi ab illustranda gloria Dei, & propagando cursu Euangelij non desistant, ob scandala malorum hominum, quæ ipsi sibi sumunt. Frustraneum enim est sperare, posse Euangelium prædicari, & homines ad Christum adduci sine offensione mundi.

IV. Sequitur accurata in miraculum Christi à Pharisæis instituta inquisitio. *Iterum ergo interrogabant eum & Pharisæi quomodo visum recepisset.* Quod *iterum* interrogasse tribuuntur, illud intelligendum est respectu vicinorum, qui primum cœcum interrogarant. Iam ergo *& Pharisæi iterum* interrogant. In quo secundum officium suum fecisse videntur. Etenim à populo iudices constituti erant in iis, quæ ad religionem faciebant. Iudicibus autem lex Dei seuere iniungit, vt in causas omnes diligenter inquirant, nec ad nudam saltem delationẽ & accusationem mox reum damnent. Sed alteram partem etiam

etiam audiant. Hoc Pharisæi in præsentia faciunt: & si synce-ro animo, studio inquirendæ veritatis id fecissent, vtique laude digni fuissent. Verum animi ipsorum erant odio, liuore & inuidia aduersus Iesum præoccupati, ideo non inquirunt veritatis amore, sed ea intentione, vtrum inter examinandum aliquid expiscari & arripere possint, quod præbeat materiam condemnationis ob violatum sabbatum. Talia sunt etiam examina, quæ inquisitores hæreticæ prauitatis, Antichristi mancipia, cum Euangelicæ doctrinæ confessoribus instituere solent. In quibus non indagatur veritas, quæ sæpenumero ipsa meridiana luce clarior oculis ipsorum ingeritur: sed occasio & prætextus captatur, vnde insontes sub specie aliqua iuris opprimi possint. Consolantur hac de re martyrologia D. Ludouici Rabi, & D. Iohannis Foxi Angli.

Cœcus, licet facile augurari potest, hanc inquisitionem accuratam periculum aliquod sibi parturire: libere tamen, ingenue & sine tergiuersatione respondet, & diserte, non modo quid Christus, sed etiam quid ipse eius iussu fecerit, enarrat: *lutum mihi imposuit super oculos, & laui, & video.* Non varia in sermone, nihil immutat in responso: sed constanter vnum idemque de Domini erga se facto prædicat. Quod tamen dicit: *& video*: eo continuationem beneficij indicat, quod non fuerit euanidum, sed solidum & constans. Exemplum hic nobis præbet, si quando & nos nostram de Iesu Christo fidem profiteri debemus, vt id faciamus ingenue, aperte, candide, sine tergiuersatione, sine æquiuocatione: nihil immutemus, non quid alij fecerint dicamus, & de nobisipsis interrogati taceamus, non peculiarem sensum intra mentem pro nobis retineamus: sed quod iuxta præscriptum verbi diuini diximus, docuimus, egimus, sine dissimulatione confiteamur. Talem confessionem Christus requirit Matth. 10. ver. 32. Marc. 8. v. 38. Luc. 9. v. 26. & 12. v. 8 Hic vero nouisse percuperem, quomodo cum hoc exemplo cœci & mandato Christi consentiret Iesuitarum doctrina de æquiuocationibus, qua tradunt licitum esse, non tantum ad priuatorum hominum, sed etiã ad magistratuum interrogationes æquiuocare, idque non minus cum iuramento quam absque illo. Quando nimirum interrogatus interrogatum non pro competente iudice habet: aut si interrogatus opinetur, competentem iudicem non habere legitimam interrogandi, aut aduersarium non habere iustam litigandi causam. Denique, non teneri quenquam respondere secundum mentem interrogantis: sed licitum esse vel negare vel affirmare secundum propriam mentem nõ curando de illa quam iudex habet. Hæc Martinus Nauarrus, Toletus Iesuita & Cardinalis, Gregorius de Valentia, Heinricus Garnetus, Iacobus Syluanus & alij. Reuera si sceleratissimi isti deceptores, Iesuitæ, nulla alia ratione Ecclesiã Christi & regna mundi turbassent, tamen vel saltem ob Diabolicam hanc de æquiuocatione doctrinam, quam teneræ iuuentutis animis instillant, digni essent, qui ex toto Christiano orbe expellerentur. Quid enim est certitudinem dictorum & factorum ex communi hominum vita auferre, si hoc non est?

Absoluto examine cœci, Pharisæi inquisitores sermones inter se conferunt, quid de tota hac causa sit statuendum. Ibi in diuersas itum est sententias: & primi ad dicendum prosiliunt, qui Iesum præ aliis oderant. Sicuti ira & odium virulentos animos extimulant, vt omnis moræ impatientes ad loquendum semper sint promptiores. Dicebant: *non est hic homo à Deo, quia sabbatum non obseruat.* Grande hoc est conuitium in filium Dei, quod tamen non hic primum effutiunt, sed etiam in superioribus aliquoties euomuerunt, quo diuina ipsius opera ipsi Diabolo adscripserunt. Si enim ea, quæ Christus facit, non sunt à Deo, & tamẽ humanis viribus sunt maiora, vtique vt ex Diabolo fiant necesse erit. Sed dic mihi tu perfide Pharisæe, qui hoc ipso nato cœco mente magis cœcus es: habes hic duo opera: vnum, quod omnem naturæ vim longe superat, & de diuina potentia apertissime testatur: nimirum nato cœco oculos aperire: alterum, quod vix pro opere haberi potest, nimirum ex saliua & puluere terræ luti quid conficere, & homini oculis in salutem eius in sabbato applicare. Quomodo ergo hoc tam tenue te magis ad Iesum improbandum & ipsi conuitiandum, quàm illud potentissimum ad ipsius gloriam prædicandum impellit? Siccine decet simulata pietate sabbati veram pietatem, imo Dominum sabbati proterere? Aut iustumne est inanem religionis speciẽ solidæ & expressæ religioni bellum inferre? Quod vero Christus hoc facto sabbatum nequaquam violarit nec prophanarit, id ipse dudum firmissimis argumentis in diuersis historiis Iohan. 5. Matth. 12. Marci secundo & tertio, Lucæ sexto, Iohannis septimo, euicit: sicuti id videre est in quadragesimosexto, quadragesimoseptimo, quadragesimoctauo, & centesimo duodecimo capitibus huius Harmoniæ. Habemus in his Pharisæis Pontificiorum Inquisitorum expres-sam imaginem. Mox enim absoluto examine cum iis, qui ad ipsos sunt delati, ad conuitia deflectunt: hæreticos, schismaticos appellant, qui non sint ex Deo, qui secessionem à Catholica Ecclesia fecerint, qui fidei vnitatem scindant, qui Diuos cœlites, & in his Mariam virginem, Domini matrem, contemptui habeant, qui sacramenta prophanent, qui licentiam vitæ morumque inuehere studeant, qui in Magistratus sint rebelles, vicinis oneri, bonorum operum inimici, seditiosi, digni denique sint, quos boni omnes detestentur? In quibus omnibus tam ipsos æque falsa contra nos, ac hosce Pharisæos contra Christum euomere, dudum à nostris diserte est demonstratum.

Hisce Christi conuitiatoribus & turbatoribus Deus ex ipso Pharisæorum ordine alios opponit, qui melius de Christo & ipsius facto sentiunt. Hi dicebant: *quomodo potest homo peccator hæc signa edere?* Iudæi ἄνθρωπον ἁμαρτωλὸν, *hominem peccatorem* vocare solebant eum, qui insigniter peccabat, totus à Deo abalienatus, qui quouis peccato delectabatur, ac propterea ex Ecclesia vel synagoga excludendus erat. Sic apud ipsos Ethnici, Publicani & *peccatores* pari passu ambulabant. In hunc ergo modum hi posteriores argumentari voluerunt. Homo, qui à Deo turpiter defecit, non potest miracula edere. Hic Iesus edidit τοιαῦτα σημεῖα *talia, tot ac tanta signa*, adeoque stupenda miracula, eaque multa & varia. Nequaquam ergo statuendum est, ipsum à Deo defecisse, aut prophanum sabbati esse violatorem. Est quidem hoc ab ipsis bene dictum: Sed argumentum non vsque adeo firmum. Scriptura enim ipsa testatur, etiam impios Dei defectores & deceptores stupenda miracula edere posse. De Magis Ægyptiacis legimus in Mose, eos Aaronem in edendis miraculis imitatos esse, atque sic Pharaonem in induratione sua confirmasse. Exod. 7. versicul. 22. & 8. versiculo 7. &c. Deuter. 13. versiculo 1. Deus ipse prædicit Pseudoprophetas signa & portenta edituros, interim monet, ne ipsis propterea fidem habeant, si ipsos ad defectionem cultus diuini solicitare velint. Matth. 7. versic. 22. testatur Christus, multos in nouissimo die gloriaturos esse, quod virtutes multas in nomine ipsius ediderint, sed se eos reiecturum. Idem Matth. 24. versicul. 24. Pseudoprophetis tanta signa & prodigia tribuit, vt, si fieri posset, electi in errorem inducerentur. Et Paulus 2. Thessal. 2. versiculo 9. confirmat Antichristi aduentum futurum in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus secundum operationem satanæ. Huius itaque partis argumentum satis infirmum est: Deo tamen in præsentia illud sufficiebat ad retundendam priorum illorum Pharisæorum impudentem calumniam & condemnationem. Atque hinc videmus miram & sapientissimam Dei gubernationem, qui hostium suorum consilia & conatus tam facili ratione turbare & impedire potest. Eodem modo capite præcedenti Iohan. 7. versicul. 50. dissipauit sanguinem Pharisæorum contra Iesum consilia, vnius Nicodemi ratione politica: num lex iudicat hominem, nisi prius audiuerit ex ipso, & cognouerit, quid faciat? Nemo ergo minis & conatibus hostium Christi nimium terreatur, quando Christo tam facile est istos dissipare, quam facile fuit linguas ædificatorum turris Babylonicæ confundere. Imo paucula verba, & ea non satis firma, infirmorum in fide, ad confundendos impios sufficere possunt.

Ex hoc enim sermone σχίσμα *dissensio orta est inter* Pharisæos, quæ deliberationem ipsorum ad opprimendum Iesum institutam turbauit. Et hoc est illud Christi: non veni mittere pacem, sed gladium. Matt. 10. versic. 34. Non ergo omnis doctrina vel omnis sermo damnandus, qui schismatis & dissidij videtur esse causa. Sunt enim dissidia illa, quæ suscipiuntur cum iis, quæ in publicam perniciem omnium coniurauerant, bona & salutaria. Interim causa vel culpa dissidij non est reiicienda vel in doctrinam, quæ per se bona est, vel in personas, quæ synceram doctrinam tuentur: sed in rebellionem & improbitatem induratorum hominum, qui veritatem nec agnoscere nec admittere volunt. Hæc cordium humanorum inflexibilis durities contra veritatem manifestatam adhuc hodie causa est tot dissidiorum, contentionum, certaminum, & commotionum, inter nos Euangelicos, Pontificios & Caluinianos. Christus Iesus errantes ad erroris agnitionem clementer inflectat, & veram concordiam nobis largiatur.

Cum ergo inter Pharisæos non conuenire posset de Iesu & eius facto, conuertunt se ad cœcum & hoc quærunt, quid de Iesu sentiat. *Tu quid dicis de illo quia aperuit tibi oculos tuos?* Quidam Patrum existimant hanc quæstionem cœco propositam ab illis Pharisæis, qui honeste de hoc Christi facto sentiebant: quod nimirum sperarint se ex cœco testimonium aliquod elicere posse, quo calumniatores Iesu acrius refutarent. Alij putant, calumniatores eam cœco proposuisse, ea spe, quod metu propeditus ob ipsorum præsentiam, non fi-

bene, imo fortassis etiam male de Iesu locuturus, vnde refellere possent eos, qui bene de Iesu sentiebant. Verum quid obstat, quo minus velimus statuere, hanc interrogationem ab vtraque parte coniunctim factam esse, & vtramque ex cœci responsione expectasse, quod ad suæ sententiæ confirmationem faceret? Sic nimirum illi, qui à veritatis tramite aberrant, & seipsos & alios insidiosis quæstiunculis circumducere solent, donec plene confundantur. Quod etiam hisce factũ est: Cœcus enim interrogatus diserte respondit: ***Propheta est:*** Non licet affirmare ipsum hoc de magno illo Propheta intellexisse, de quo Moses Deuteron. 18. versiculo 15. vaticinatus fuerat. In tantam enim Christi cognitionem miser nondum peruenerat. Vulgari tamen homine sublimius quid ipsum de Christo, ex beneficij huius collatione, sensisse manifestum est. Deus enim non subito plenam sui cognitionem suis infundere solet; sed sensim eos ad perfectionem adducit. Interim Dei opus fuisse agnoscamus, quod cum hunc hominem idiotam, mendicum, illiteratum, & ex vtero matris cœcum Pharisæis opponit, eumque rectius de Iesu Christo sentire facit, quam illi sentiant, qui supremum gradum in omni religione se obtinere sibi persuadebant. Sic sæpenumero apud sartores & sutores, apud cerdones & idiotas, plus solidæ Theologicæ pietatis inuenies, quam apud Cardinales galeratos, Episcopos infulatos, Abbates bicornes, & summos alios religionis Pontificiæ antistites. Et hic est primus congressus inter Pharisæos & cœcum.

2. Hac non successit, alia ergo aggrediuntur via Pharisæi: qui hic, vt etiam alibi interdum à Iohanne ***Iudæi*** appellantur, eo quod in Iudæa, proprie sic dicta, habitarent, dominium obtinerent, se solos pro veris Dei confessoribus venditarent, & quicunque pro vero Dei populo haberi vellent, eos à se denominari volebant. Sed operæ precium est, attendere, quo ordine in hoc suo iudicio procedant. In iudiciis alioquin prima quæstio esse debet de facto, an aliquid sit perpetratum: deinde de qualitate facti; an illud bonum sit an malum. Denique de iure, an accusatus sit absoluendus, an condemnandus. Boni hi iudices processum omnem inuertunt: primum de iure pronunciant, & Iesum, tanquam ***hominem, qui non ex Deo sit***, condemnant: nunc demum de facto apud parentes cœci inquirunt: Imitantur formam iudicij, in quadam prouincia N. vsitatam: in qua referunt furti accusatum primum suspendi, ac postea demum an vere reus fuerit, inquiri, sæpenumero idem euenit apud Pontificios Inquisitores: Et hoc modo Deus gloriæ & nominis sui hostes sic vlcisci solet, vt in re manifesta quærant, hæreant, dubitent, inquirant, eant, redeant, & nihil non moueant, donec tãdem confundantur. Sic hi Pharisæi, in re tam manifesta, ***non crediderunt de illo, quod cæcus fuisset, & visum recepisset. Non crediderunt***, hoc est, obstinate credere noluerunt, licet ex vicinis diserte audiissent, ipsum cœcum & à multis annis mendicum notum fuisse. Sic odium & inuidia, vel potius Deus huius seculi (vt D. Paulus 2. Cor. 4. v. 4. loquitur) excœcat mentes infidelium, ne ipsis fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi.

Vocarunt ergo ***parentes cæci***, qui, vt facile iudicare licet, fuerunt homines simplices, idiotæ, tenuioris item fortunæ & rerũ omnium imperiti. Ex his sperant, se aliquid venari posse, quod ad prægrauandum Iesum faciat. Proponunt iis tria interrogatoria. 1. ***Hic est filius vester.*** 2. ***quem vos dicitis cæcum natum esse.*** 3. ***Quomodo ergo nunc videt?*** Multitudine interrogationum simpliciores adobruere velle, sophistices & malitiæ est indicium. Sed sic fit, vbi impij omnium rerum imperium obtinent, illi & insolenter & impudenter sua authoritate aduersus simplex & tenuioris conditionis homines abutuntur. Inprimis autem secundum interrogatorium valde fuit inperiosum: ***quem vos cæcum natum dicitis.*** q. d. Vos quidem hoc affirmatis: sed quid vobis fidem habebit? Quomodo enim hæc duo iuxta se consistere possunt, esse cœcum natum, & nunc videre? Hactenus alios decepistis, dum ex ipsius mendicatione, quæ ob simulatam cœcitatem ipsi concessa fuit, quæstum habuistis. Sed postea quam nunc res ad nos delata est: cauete ne & nos fallere velle in animum vestrum inducatis. Hoc notandum, vt si quis forte aliquando etiam ad eiusmodi sophisticos inquisitores vocaretur, non quæstionum multitudine se facile turbari patiatur, non etiam ipsorum confidentia & minis terreatur. Sed Deum ardenter inuocet, qui ipsi Spiritus sui gratiam & animum mascule & apposite respondendi non denegabit.

Quid ergo cœci parentes? Ad singula interrogata distincte respondent. Ad primum: ***nouimus quod hic sit filius noster.*** Ad secundum nouimus etiam; ***quod cæcus natus est.*** Ad tertium: ***quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis eius oculos aperuerit, nos nescimus.*** In hoc tertio responso parentes cœci humani quid passi sunt, dum ex metu erga Pharisæos Christo Iesu, Dei filio, debitum suum honorem non dederunt. Quomodo enim ipsi ignorare potuerunt, quod iam toti viciniæ innotuerat? Et quasi vero filius aliis retulisset, à quo & quomodo visum receperit, & parentes suos celasset? Magna ergo fuit ingratitudo in Christum, cui ob hoc beneficium, filio exhibitum, se suaq; omnia debere, & nihil non in ipsius gloriam facere debere, agnoscere debuissent. Impij quoque sunt erga filium, dum suæ saluti quidem consulunt, filium autem profundius in periculum immergunt. ***Ipse ætatem***, inquiunt, ***habet, ipsum interrogate, ipse de se loquetur.*** Cum alias nobis natura ingenitum sit, vt liberis in discrimine constitutis, propriæ vitæ periculo succurrere cupiamus. Quomodo denique à mendacij vanitate excusari parentes possint, non video: dum se id nescire dicunt, quod iam omnibus vicinis innotuerat. Hoc igitur exemplũ humanæ infirmitatis intueamur, vt consimilia cauere discamus: & agnoscamus, homini Christiano nihil gloriosius esse ad omnem posteritatem, quam ingenua, intrepida & constãs veritatis confessio, etiam in mediis periculis, ex quibus Deus suos probe eripere potest.

Causam, ob quam parentes cœci illa tergiuersatione vsi sunt, Iohannes ipse indicat: ***Hæc dixerunt parentes eius, quod timerent Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi vt si quis eum confiteretur esse Christum, è synagoga eiiceretur.*** Timuerunt ergo parẽtes cœci Excommunicationem, vt nos vocamus, seu solennẽ illam ex cœtu Ecclesiæ exclusionem, quæ apud Iudæos inde ab initio semper vsitata fuit. Genes. 4. versic. 14. eiicitur Cain post perpetratum fratricidium à conspectu Domini & Ecclesiæ fidelium. Postea sub Mose frequens admodum fuit, vt impuri abstinerent à publicis cœtibus. Sicut Miriam. Numer. 12. versic. 14. Quanquam hic legalis ἀφορισμὸς seu separatio, typus potius fuit, quam vera excõmunicatio. Postea vero, quando post reditum ex Babylone apud Iudæos synagogæ erectæ fuerunt, & sub prophanis principibus qui religionem non magnifaciebant, maior morum licentia oriebatur: ibi cordati & pij viri illam hac disciplina coercendam existimarunt, vt è sinagoga eiicerentur, nec ad sacrorum communionem admitterentur quicunque contra leges peccassent. Hac ratione præcauere voluerunt, ne religio & legis diuinæ doctrina gẽtium ludibrio & calumniis exponeretur. Qui sic ergo eiiciebantur, dicebantur ἀποσυνάγωγοι γενέσθαι. hoc est, alieni à cœtu publico fieri. Nam tales publica quasi infamia notabantur, à commerciis & ciuilium negociorum vsu excludebantur: nec amplius ex eorum numero censebantur, ad quos diuini fœderis promissiones pertinerent: & pro talibus tantisper habebantur, donec cum synagoga reconciliarentur, & rursus susciperentur. Magnus certe & multiplex tum temporis huius exclusionis fuit vsus. Tandem autem, postquam sub Hircano sectæ apud Iudæos irrepserunt, & sub Herode atque Romanis præsidibus veteris sacerdotij dignitas partim sublata, partim venalis facta erat, ibi isti, qui sacris præfuerunt, sub religionis prætextu res suas agere cœperunt, ac proinde etiam excommunicatione ad stabiliendam suam tyrannidem abusi sunt. Sicuti hoc loco Pharisæi & primores Iudæorum ***συνετέθειντο, conspirauerant, vt si quis Iesum confiteretur esse Christum, è synagoga eiiceretur.*** Quid vero hoc aliud est, quam quod Dauid in Psalm. 118. v. 22. prædixit: futurum vt preciosus angularis lapis ab ineptis istis ædificantibus reprobetur. Non autẽ frustra vsus videtur Iohannes verbo συντίθημι, quod conspirare significat: vt doceat, qualia sint conciliabula, quæ contra Christum colliguntur: Inuenitur hoc verbum 1. Sam. 22. v. 13. vbi Rex Saul Sacerdoti Achimelecho, sed per calumniam, obiicit, quod cum Dauide conspirauerit aduersus regem. Vbi in Hebræo est verbum קשר quod ligare, colligare, coniurare, atque sic animorum colligationem instituere significat. ***Ein Verbundenuß machen*** Sic Iudæorum Pharisæi conspirarunt, quod pro hæreticis & à communione Ecclesiæ alienis habere velint omnes, qui Iesum faterentur esse ***Christum***, hoc est, Dei vnctum & promissum humani generis seruatorem.

Hæc fuit Excommmunicatio Iudæorum, quam licet Pharisæi suo abusu, vt hic videmus, contaminarint: tamen Christus eam in suam Ecclesiam quoque assumpsit per clauem ligantem, vt videre est Matth. 16. v. 19. & 18. ver. 17. & Joh. 20. v. 23. Ea etiam Apostoli vsi sunt: ne quis putet hanc doctrinam mansisse solum in chartis & traditione. Petrus Actor. 5. ver. 3. contra Ananiam & Sapphiram. Paulus 1. Cor. 5. v. 5. contra incestuosum. item 1. Tim. 1. v. 20. contra Hymenæum & Alexandrum, vt discant non blasphemare. Post Apostolorum tempora testatur Tertulianus in Apol. cap. 39. Cyprianus serm. 6. & historia Ecclesiastica passim inter fideles sub impiis magistratibus in vsu fuisse excommunicationem. Hoc enim vnico medio præfractiores, qui ob indulgentiam magistratuum quiduis sibi in Ecclesia licere putabant, in officio continebantur, ne Euangelij doctrina exteris suspecta redderetur. Sic in conciliis damnati & excommunicati sunt Hæresiarchæ: qualis

qualis fuit Arrius, Nestorius, Eutyches, Samosatenus, Nouatus & cæteri. Semper enim Apostolorum exemplo excommunicationem aduersus duos hosce hominum ordines direxerũt. 1. Aduersus eos, qui falsa & erronea doctrina Ecclesiam turbabant, iuxta illud Gal.1.versi.9. Si quis vobis euangelizauerit præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Et Tit.1.v.10. Hæreticum hominem post vnam & alteram correptionem deuita. 2. Aduersus eos, qui manifestis criminibus & scelerata vita Ecclesiam scandalizabant. Iuxta illud 1.Cor.5.v.11. Scripsi vobis non commisceri, si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Et Eph.5.ver.5. Hoc scitote, quod omnis fornicator, aut immundus aut auarus (qui est idololatra) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Et reuera summe prodesset hanc partem disciplinæ Ecclesiasticæ in orthodoxis Ecclesiis retineri & stricte obseruari. Hac enim ratione multi pudore suffusi emendarentur, qui sibiipsis derelicti pereunt: alij à cõtagione liberarentur, qui illorum conuersatione inficiuntur: offendiculum etiam apud exteros remoueretur, ne nomen Domini male audiret: pij denique sanctius vitam suam instituere anniterentur.

Verum quod inter Iudæos accidit, vt impij Pharisæi & Sacerdotes hoc fulmine aduersus Christum ipsum vterentur: idem etiam inter Christianos factum est, vt Romani Pontifices excommunicationis fulmine hactenus abusi sint, partim aduersus illos, qui ipsorum tyrannidem coercere conati sunt, partim aduersus vera & viua Christi membra. Illud prius experti sunt multi præstantissimi Imperatores & Reges, Friderici, Henrici, Ottones, Ludouicus & alij, sub quibus totum Christianum orbem variis tumultibus & ciuilibus bellis Põtifices suis excommunicationibus repleuerunt. Hoc posterius hodie experiuntur illi, qui synceriorem Euangelij doctrinam sequuntur. Hosce omnes Pontifex Romanus quotannis solenniter in die cœnæ Dominicæ peculiari bulla excommunicare solet. Verum nos dudum ex Dei verbo didicimus, ne bruta ista fulmina timeamus. Ipsi quidem maledicunt, Dominus autem benedicet. Palm. 109.versic. 28. Domini enim est salus, & benedictio eius est super populum ipsius. Psalm.3.v.vlt. Cum enim Christum caput nostrum agnoscamus, ab ipso suscipiemur, quando ab Antichristo excommunicati fuerimus. Sicuti infra ver.35. exemplo cœci ipse id commonstrabit. Postquam enim Pharisæi cœcum eiecerunt foras, Christus ipsum quæsiuit & suscepit. Nam & ius canonicum ipsum tradit, eiusmodi iniustam excommunicationem pro nulla esse habendam. Sic sub Hieronymi sententia caus. 24. quæst.3. dicitur: Si quis non recto iudicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ, depellatur & foras mittatur, si ipse antea non exiit, hoc est, si non ita egit, vt mereretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto iudicio ab hostibus est expulsus. Et rursus cap.11. quæst.3. Gelasius Papa citatur, qui inquit: Cui est illata sententia, deponat errorem, & vacua est. Sed si iniusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & eius Ecclesiam neminem potest grauare sententia iniqua. Ita ergo ea se non absolui desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.

3. Postquam Pharisæi etiam ex parentum cœci responso nihil elicere possunt, quod ipsorum instituto ad opprimendam gloriam Christi seruiat, *rursus* pro imperio, quod obtinebant, *vocauerunt hominem qui fuerat cœcus*. Ea enim est humani ingenij natura & proprietas, vt in rebus malis nulli nec labori nec operæ parcat, at in rebus sanctis & bonis, proh dolor, nimium frigemus. Vocatum autem cœcum hac quasi præfatione aggrediuntur: *da gloriam Deo*. Fuit hæc apud Iudæos obtestandi & quasi adiurandi formula, qua in eliciendа veritatis confessione vtebantur. Sicuti id patet ex actione Iosuæ cum Achano, Ios.7.v.19. Pharisæi itaque hoc dicere voluerunt. Cogita te hic stare coram Deo & tremenda eius maiestate, qui Deus acerrimus vindex est contra mendacia. Quapropter nihil eorum celes, nihil dissimules, quæ homo iste in tui sanatione egit. Ista nobis, qui Dei loco hic assidemus, ingenue fatere & edissere. *Nos enim scimus quod hic homo peccator est* insignis & flagitiosus, cum quo Deus nihil habet cõmercij. Proinde dubium non est, aut te alia ratione, quam per ipsum visum accepisse, aut si quid ipse in te sanando præstitit, certum est, Diaboli ministerio idipsum perfecisse. Tu es homo simplex & idiota, qui facile decipi potes: nos vero, qui in lege sumus instituti, & de rebus omnibus rectius iudicare possumus, *scimus ipsum esse peccatorem*. Hæc isti: Sed vos, ô scelesti, vnde hoc nouistis, quod sit homo peccator? Nuper Ioh.8. v.46. vos omnes prouocauit & dixit: quis ex vobis arguet me de peccato? sed tum omnes siluistis. Cur peccata tum non enumerastis, eaque ipsi in os & faciem indicastis? Verum hæc est peccati malitia, hoc ipsius virus & venenum, quod & fidei & rationis lumen obnubilat, ipsamque hominum sapientiam tantum non in furorem & amentiam vertit. Hoc videmus in hisce Pharisæis. Quam facile ipsius fuisset veritati indicatæ locum concedere, & Christo gloriam huius miraculi dare. Nunc cum veritatem obscurare, & Christi gloriam opprimere nituntur, seipsos subinde magis magisque turpiter confundunt. Interim 1. prætexunt studium gloriæ Dei, ad quam promouendam etiam hunc cœcum quasi iuramento astringunt. 2. Prætexunt suam scientiam, eruditionem, dignitatem, quam insolenter cœci simplicitati opponunt. 3. Denique à conuitiis non abstinent, sed Christum audacter insigniter peccatorem esse pronunciant. Hæ enim sunt artes hostium veritatis, quas etiam Pontificij Antistites probe callent & exercent, si quando simpliciores Euangelici ipsorum examini sistuntur.

Sed audiamus etiam cœcum, qui inter tam densas magistrorum suorum tenebras adeo perspicax & oculatus extitit, vt non modo sibi ipsi, sed illis etiam (si attendere voluissent) fidei & sapientiæ clarissimam facem prætulerit. Est autem cœci responsum bimembre. Prior pars Christi personam, posterior pars eius factum respicit. De persona dicit: *an peccator sit, nescio*. Hæc cœci modestia laude digna esse videtur. Animaduertit Pharisæos insidiose hæc agere, vt percontando aliquid eliciant, vnde nouam calumniandi occasionem habere possint. Cumque ipse de persona Iesu non sufficienter nec plene esset institutus, licet sciret omnes homines natura peccati reos esse: noluit tamen hic quicquam pronunciare. Dicit *nescio*: vt sensus sit: Non est mearum partium, vt ego excutiam, vtrum peccator is sit necne: sum longe simplicior, quàm vt ego hac in re certi quid definire possim. Hanc modestiam etiam alij imitentur, si quando assident, & audiunt in proximi honorem & famam liberius aliquantum inuehi: hic non temere omnium dictis subscribant, sed de mortuis & absentibus nil nisi bona dicenda esse meminerint. Et quid in hisce fecibus mundi magis vsitatum est, quam quod etiam innocentissimorum hominum fama iniquis modis arroditur? De facto ipso ingenue & constanter respondet: Et quia ipsi suam scientiam de Christo peccatore allegarant: ipse vicissim suam scientiam de hoc facto allegat ipsorumque scientię opponit: *vnum scio, quod, cæcus cum fuerim, nunc videam*. q.d. quandoquidem de Dei gloria agitur, hoc nec dissimulare, nec negare debeo aut possum, quod cum ab vtero matris cœcitatis malum sim expertus, nunc huius viri beneficio oculi mei visus facultate sunt instructi. Hæc ingenuitas in confessione etiam nos decet, vt initio pristinam nostram cõditionem, cum quoad animam, tum quoad corpus consideremus, & nos propter peccata æternę damnationi obnoxios fuisse agnoscamus. Sed solius Christi beneficio ex illa miseria liberatos, ipsius sanguine redemptos, eius sacramentis in Dei filio regenitos, Spiritus sancti gratia illuminatos, de potestate tenebrarum ereptos, & in regnum dilectionis suæ translatos esse. Coloss.1. versic.13.

Cæterum quia liuor & inuidia nunquam quiescere possunt, ideo nec hæc lucida & ingenua cœci responsio Pharisæis satisfacit: quin potius interrogando instant: *Quid fecit tibi, quomodo aperuit oculos tuos*? Sperant omnino vt toties interrogatus & turbatus, vel aliter quam antea respondeat, vel aliquid impudentius, quod ipsi ad magicas artes detorquere, & rem omnem inde suspectam reddere possint. Hoc enim est hostium veritatis stratagema, quod insidiosis quæstionibus rudiores aggredi solent, quibus eos circumuenire student, vt ipsos vel capiant, vel aliis deridendos propinent. Cœcus autem, qui hactenus, quamdiu res inquisitione indigebat, summisse locutus eorumque personam reueritus est. Nunc confidentior factus, cum videret eos tantum quærere quod calumniari possent, stomachabundus aduersus impudentem eorum malitiam respondit: *Dixi vobis iam, nec audistis*, hoc est, non credidistis ob cordis vestri duritiem: *cur iterum vultis audire? Num & vos vultis eius discipuli fieri*? Ironia hæc est, qua acriter eos pungit, innuendo, cum ipsi omnium doctores esse velint, an secum ad Christi subsellia transire, ibique demum recte de religione informari velint, cum toties ad easdem percontationes relabantur? Sic mendicus, qui hactenus vel ad templum vel ad portas sedendo omnem ætatem in colligenda stipe contriuerat, ludibrio habet templi & sacrorum antistites, ob ineptas ipsorum interrogationes. Iusto iudicio Dei hoc factum. Cum enim omnis religio ipsis ludus iocusque fuerit, digni fuerunt, qui vicissim aliorum ludibrio exponerentur. Idem hodie fit cum Pontifice Romano, & tota ipsius vncta & rasa cohorte. Terrori antehac fuerunt vniuersa orbi; sed nunc idiotæ, cerdones, nautæ, mulierculæ, & pueri ipsos rident, vt fiat fabula totius mundi. Male hoc habet ordinum Suiticum, qui Lutheranis prædicantibus hoc imputant, quod suis concionibus & scriptis sanctissi-

mum patrem sic apud omnes exosum reddant. Nos dicimus iusto Dei iudicio id fieri. Cum enim Papa cum suis totum mundum per aliquot secula scelerate ludificarit, & non tantum vulgus hominum, verum etiam magnates & principes præ se pro fungis & stipitibus habuerint: quid mirum, quod nunc post exortam lucem Euangelij, & postquam mundus ipsius turpitudinem, fraudes atque imposturas agnouit, par pari cordati viri ipsi referre student? Sic enim cœlestis vox Apocalyps. decimo octauo, versicul 6. dixit: Reddite illi sicut & ipse reddidit vobis: & duplicate duplicia secundum opera eius: in populo quo miscuit, miscete ipsi duplum. Quantum glorificauit se & in delitiis fuit: tantum dare illi tormentum & luctum.

Pharisæi offensi hoc mordaci libertate cœci, ex magna animi superbia & odio nominis Iesu, *ei conuitiati sunt*: ἐλοιδόρησαν αὐτόν. Septuaginta interpretes hoc verbo vsi sunt, quando in Mose describitur iurgium Israelitarum contra Mosen & Aaronem, quod à seditione non procul fuit alienum, vt videre est Exod. 17. v. 2 Num. 20 v. 3. & Deut. 33. v. 8. Vbi est Hebræa radix רוב siue ריב quæ significat mutuis verbis litigare, rixari, & cum conuitio aliquem reiicere. Quomodo vero conuitiati sunt? *Tu ipsius discipulus esto.* Probri loco habent Iesu discipulum esse, siquidem tales lege Mosis apostasiam facerent, & quidem cœco talem Magistrum conuenire iudicant, siquidem mendicum mendicus, erronem erro sequatur. Hoc est conuitium siue maledictum Pharisaicum. Sed recte de eo Augustinus inquit: sit maledictum hoc super nos & super filios nostros. *Nos autem Mosis discipuli sumus.* Constantiam suã in lege Mosis prædicant, cum tamen certum sit, si Mosi credidissent, Iesum etiam audituros fuisse, sicut Christus Iohan. 5. v. 46. ipsis obiecit. Neque enim Moses & Christus sunt contrarij (vt Iudæi sibi imaginati sunt) sed sunt subalterni, vt fidelis seruus & magnus Dominus. De Christo enim, tanquam suo Domino Moses scripsit & testificatus est. Rationem quoque addunt, sed insipientiæ & contradictionis plenissimam, quare nolint Iesu discipuli esse, sed Mosis. *Nos scimus quod Mosi locutus sit Deus. Hunc autem nescimus vnde sit.* Vnde vero, ô Pharisæi, tam exactam habetis huius rei notitiam, quod Deus Mosi locutus sit? Nonne ex relatione maiorum vestrorum, & quod audiuistis ipsum verba, quæ à Deo accepisset, stupendis miraculis confirmasse? At quoties coram manifeste audiuistis Iesum diuina docentem? quoties coram stupenda ipsius miracula audiuistis? Et tamen dicere audetis. *Nos nescimus vnde sit.* Et si omnino nescitis vnde sit, quia tam audacter hactenus aliquoties pronunciare ausi fuistis, ipsum nõ esse ex Deo, sed Diabolico spiritu præditum? Item, quare Iohan. 7. versic. 27. plane contrarium dixistis: hunc scimus vnde sit: Christus autem dum venerit nemo sciet vnde sit. Sic insipienter sibi ipsis contradicunt, qui Christo veritatis magistro sese opponunt. Eadem fabula adhuc hodie luditur in mundo à Pontificiis. Hi probri loco habent, nobisque eo nomine conuitiãtur, quod Euangelici dici volumus, propterea quia Christi Euangelium, non autem Papales traditiones audimus & admittimus. Obiiciunt, nos à Catholica Ecclesia defecisse: Clamitant, Pontificij ordinariam habent successionem, & vnde illi sint scimus: nimirum à Christo; qui Petrum Apostolum fecit, & huic successores dedit Pontifices Romanos: Vnde autem Lutherani prædicantes sint, hoc nescimus. Sed hisce clamoribus, iurgiis & conuitiis multiplicem suam insipientiam produnt. Si enim à Catholica Ecclesia recedere nolunt, cur non solius Christi vocem audiunt, quæ nota est veræ Ecclesiæ? Cur tot nouas sanctiones ab hominibus confictas Euangelio Christi adiecerunt? Si in Maiorum fide constanter perseuerare volunt, cur non in articulis symboli Apostolici simpliciter acquiescunt? Cur tam multa & varia, imo contraria ipsis admiscent? Verum mittamus istos & Christo Iesu constanter adhæreamus.

Vidimus ergo hactenus ignorantiam in humana sapientia: videamus nunc etiam sapientiam in ignorantia, & virtutem in infirmitate: vt agnoscamus verissime à Propheta dictũ esse, Psalm. 8. v. 3. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem. Mendico enim homini & oculis capto. cui mendicitas timiditatem, cœcitas autem ignorantiam afferre debuissent, inter disputandum (vt fieri solet) sic crescit fiducia, vt veritatis conscientia & Dei gratia confirmatus, fortiter, contemtis omnibus periculis, ausus sit Christi causam agere apud priores Iudæorum, quos animaduertebat omnibus technis perniciem Iesu moliri. Cum enim Pharisæi se, vnde Iesus esset, nescire dixissent, ille contra: *in hoc enim mirabile quiddam est, quod vos nesciatis vnde sit, & tamen aperuit meos oculos.* Illud, *Vos*, emphaticum est quasi dicat: Mirum sane vos, qui omnia soli nouisse vultis, & de notitia inde à Mose accepta gloriamini, tamẽ stupore & ignorãtia laborare, vt ex hoc opere, quod solius diuinæ potestatis est, non tamen velitis Dei potentiam & præsentiam agnoscere, venerari & obstupescere. Progreditur cœcus, & argumento comprobat Iesu vocationem omnino esse ex Deo. *Scimus autem quod peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est & voluntati ipsius obtemperat, hunc audit. A seculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo non potuisset facere quicquam.* Syllogismus per se planus & integer est. Scimus Deum peccatores non audire. At hunc audiuit. Ergo non est peccator, sed à Deo. *Min*orem probat ex admirabili opere, quod Deus per ipsum edidit.

Examinemus singulas propositiones. Maior. *Scimus, quod peccatores Deus non audit.* Hanc desumsit ex communi omnium iudicio & approbatione. Dauid Psalm. 107. v. 7. de impio: oratio eius fiat peccatum Salomon Prouerb. 28. ver. 9. qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Et Ies. 1. v. 15. Deus ipse impiis dicit: cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, quia manus vestræ sanguine plenæ sunt. Sed sciendum hanc propositionem tantum accipiẽdam esse de *peccatoribus* in peccatis perseuerantibus, in quibus regnat peccatum, & qui propendent ad omnem nequitiam. Ibi certum est, preces ex prophano corde profectas non penetrare cœlum, neque in Dei aures sese insinuare. *Sed si quis Dei cultor est, & voluntati ipsius obtemperat, hunc audit.* Sub Dei cultu comprehendit eius cognitionem, timorem & fidem, sine quibus Dei cultus constare non potest. Sub voluntate Dei, pœnitentiam & nouam obedientiam complectitur. Horum qui studiosus est, eius preces à Deo exaudiuntur. Iuxta illud Psal. 34. v. 16. Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum.

Minorem comprobat insigni illo miraculo, quod comparatione omnium temporum & operum inde à condito mundo editorum amplificat. *A seculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæci nati.* q. d. Multa quidam memorantur miracula, quæ Deus olim per Prophetas viros sanctos edidit: si tamẽ omnia ab orbe condito repetatis, non reperietis, quenquam extitisse, qui cœco nato oculos aperuerit, & visum, quem non habuit, imo quem natura negauit, præbuerit. Tales enim oculos solus ille reddere potest, qui primum formare potest. Magnum hoc est præconium cœci de hoc Christi opere, cui Pharisæi nihil opponere sciuerunt. Legimus *quidem in Apo*cryphis Tob. 11. v. 15. Tobiam seniorem *post cœcitatem visum* recuperasse. Sed idem non erat *cœcus natus. Et* certum est, Deum peculiaria quædam *opera filio* suo *in* carne manifestando reseruasse, per quæ mundo innotesceret. Sic nimirum pij ad eius cognitionem excitabantur; contemptoribus autem omnis excusatio præcipiebatur. Conclusio additur: *nisi esset hic à Deo non potuisset facere quicquam*, eorum scilicet quæ facit, cum nec sua virtute nec diuina (à qua alienus esset) facere posset. Aut non posset facere quodcunque miraculum, nedum hoc antea inauditum opus. In hac tota actione in personam Christi cœci hoc peculiariter est attendendum, quod is beneficio percepti temporalis lucis, tantum in fide profecit, vt toto Iudæorum senatu reclamante & se execrante, ipse tamen in veritate semel percepta adeo constanter perstiterit, vt quodcunque corde credidit, idem etiam ore confessus sit. Quanto magis ergo nos decet, qui *spirituali luce* verbi sui sumus illuminati, constanter *Christum Saluatorem* nostrum aduersus Pontificiorum *conciliabulorum* criminationes & anathematizationes *qualem credimus*, talem etiam in mundi conspectu sine vlla *trepidatione* profiteri? Christus enim dicit: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Denique Pharisæi mendici fiducia & dicendi libertate plane efferati, cum vident ipsum à prædicando Iesu nequaquam abduci posse, ad extrema veniunt, ad quę conuicta impietas descendere solet, ad opprobria nimirum & ad apertam vim. 2. Exprobrant ipsi pristinam cœcitatem & fortunæ tenuitatem, quasi hæc ipsi ob scelera diuinitus sint immissa: *In peccatis tu natus es totus*, ac proinde indignus es, cum quo nos multum disputemus vel contendamus. Erant enim Pharisæi in illa opinione, tantum illos in peccato conceptos & natos esse, quos natura insigniter notasset: cumque hic à natiuitate cœcus esset, statuerunt, ipsum *totum* corpore & anima peccato infectum esse. *Et tu*, inquiunt, homo vilis, indoctus, & totus sceleratus *doces nos*, qui legis professionem & omnis religionis apicem tenemus, à quibus non ita pridem stipem emendicabas? Videmus quid faciat animi impotentia apud eos, qui semel veritati sese opponere cœperunt. Nemini naturæ vitia temere exprobranda esse omnes sapientes norunt. Cum enim ex eodem luto omnes formemur, & in peccatis omnes concipiamur & nascamur, quod cuiquam accidit, idem cuiuis accidere posset, si benignissimus Deus manũ suam subtraheret. Hanc itaque animi virulentiam, quam in hisce

hisce Pharisæis videmus, nequaquam imitemur.

Sed his non contenti, 1. conuitio addunt vim. Male enim ipsos habebat os sibi ab homine illiterato & paupere obstructum esse. Quapropter *eiecerunt eum foras*. Quod aliqui tantum de illo ipsorum conuentu intelligunt: alij vero de synagoga, quod ipsum ἀποσυνάγωγον fecerint, sicuti v.22. audiuimus, hoc iam ante à Pharisæis sic decretum fuisse. Nec dubium, quin vsitatis ceremoniis & publice id fecerint: siquidē fama huius exclusionis ad Christum peruenit, qui eum postea quæsiuit & suscepit: Voluerunt enim Pharisæi exemplum in hoc publicum statuere, vt reliquos à doctrina, fide & religione Iesu tanto plus deterrerent. Ex parte Pharisæorum discimus, quibus artibus & ramis hostes Christi pugnare soleant, conuitiis & manifestari. Ad ista itaque sese præparent, quicunque Euangelij doctrinam fide non ficta sequi volunt. Impossibile enim est, vt mundus non possit odisse eos, qui doctrinam & opera eius mala esse testantur. Iohan.7.ver.7. Ex parte cœci videmus, quales Christus gloriæ suæ & sui nominis patronos eligere soleat aduersus potentissimos & virulentissimos nominis sui hostes & calumniatores. Vnicum mendicum & indoctum hominem opponit toti Pharisęorū concilio, eique loquenti iniqua & peruersa os obturat. Hinc Paulus 1. Cor.1.v.26. Videte vocationem vestram fratres, inquit, non multi sapientes, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta, infirma & ignobilia mundi sunt, elegit Dominus.

V. Inter reliqua memorabilis huius historiæ membra hoc non postremum est, quod Deus eiectum à Pharisæis cœcum quærens suscipit, atque ad perfectionem sui cognitionem adducit. Sicque diuinam suam bonitatem cum iustitia coniunctam manifeste ostendit, quæ inflatos atque scientię persuasionem turgidos Pharisęos in horrenda errorū caligine derelinquēs, sapientię diuinæ suæ opes in miserum hunc mendicum, qui propter nominis sui confessionem conuitia passus est, effundit. Vt verum esse videamus illud Salomonis, Prou. 3. ver. 32. abominatio est Domino omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius. Dicit autem Euangelista: *audiuit Iesus quod eiecissent eum foras*. Quomodo audiuit, cū ipse Deus & homo vbiq; pręsens & omnia inspiciat & intueatur, neque aliorum relatione indigeat? Innuitur hac phrasi, non clam mansisse, sed in populo vulgatum esse, quicquid Pharisæi cum cœco gesserant. Fama itaque sic currente, peruenit etiam ad Christum eiusque discipulos. Christus ergo eum quærit. Nam *inuenisse eum dicitur*. Inuenimus autem ea, quæ quærimus. Atque sic sensim Christus struit viam ad concionem illam sequenti capite de se, tanquam Pastore bono, habiturus est. Nam boni pastoris officium, qui, quod perierat, quærit, in hoc cœco iam exercet. Eiecerant ipsum è gregis Euāgelici consortio serui mercenarij qui tamen omnem sibi in Ecclesia potestatē vendicabant. Sed venit fidelis pastor, & miseram hanc ouiculam excommunicationis telo sauciam, vagantem & balantē quęrit, inuenit, & ad sui gregis societatem colligit. Quem ergo malignantium synagoga reiecit: eum Filius Dei vere Electorum Ecclesiæ membrum fecit. Ex his cognoscamus fidem & benignitatem Domini nostri erga nos, qui propter ipsum afflicti & ab hominib. proculcati sunt, ipse nunquam nō videt & audit, quid sui patiantur, & simul considerat, quid facto opus sit, ne in tentationibus succumbant. Persecutiones itaque impiorum ne nimium extimescamus, per quas plerunque ad maxima Dei dona & beneficia aditus aperitur. Si enim Dauid Dominū iuxta esse affirmat iis, qui sunt tribulato corde Ps.34.v.19. Et ipse Dominus in Ps. 91. v.15. cum ipso sum tribulatione, quæcunque illa sit, & vndecunque orta: quam præsens illis aderit, qui ob eius fidem & confessionem ab impis vexantur, & variis iniuriis afficiuntur? Exempla eius habemus satis illustria in sacris literis. Actor.16.v.23. Paulus & Silas ob nominis Iesu prædicationem flagellis cæsi & in carcerem missi sunt: sed in ipsa nocte, portæ carceris aperiūtur & vincula ligatorū soluūtur. Ipsi vero Dei laudes alacriter concinunt. Ier.33.v.1. Propheta carceri mancipatur, sed Dominus ibidem ipsi clauso dicit: clama ad me & exaudiam te, & annūciabo tibi grandia & firma quę nescis. Dan.3.v.47. mittuntur tres socij Danielis in fornacem Babylonicam: sed angelus Domini descendit ad ipsos in ignē, solutis vinculis flammas repellit, & cum ipsis laudes Domino decantat. Sic Dominus semper eos visitat & consolatur, qui pro nominis ipsius confessione & veritatis amore variis premuntur ærumnis.

Audiamus etiam quid Dominus cum inuento egerit. Vult eum in fide instituere, ne Pharisæorum fraudibus circūuentus, aut metu maioris periculi territus ad ipsos aliquando redeat. Proponit ergo ipsi hanc quæstionem: *Tune credis in filium Dei?* In Græco adiecti sunt articuli εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, vt intelligamus: hunc propria & peculiari ratione Dei filium dici, non communi illa, qua etiam nos adoptiui Dei filij dicimur. Sicuti hac de re in c.1. Iohannis plenius dictum est. Proponit autem hanc quæstionem primum, quia fides in Christum filium Dei est principium omnis gratiæ & salutis. Qua de re Paulus Rom.5.v.2. Per fidem habemus accessum ad gratiam, in qua & stamus & gloriamur. Porro non quærit: Credis in Messiam? sed *credis in filium Dei*? vt innuat, non sufficere illam fidem in Messiam, qualis tum vulgo inueniebatur, qui ipsum tantum Dauidis filium futurum existimabant, sed necesse esse, vt ipsum Dei filium esse agnoscamus. Sicut etiam fecit Nathanael. Iohan.1.v.49. & Petrus Matt.16.v.16. Neque enim fides nostra secure acquiescere potest, donec in Christo Iesu penetret ad ipsam vsque Deitatem σωματικῶς in ipso habitantem. Colos.2.v.9. Cum enim per peccata nostra summi Dei ira sit accensa, non potest illa extingui, nisi sanguine eius qui ipse quoque est Deus. Vt sic Ecclesia sit sanguine Dei acquisita. Act.20.v.28. Quando ergo fides nostra remissionem peccatorum in sanguine filij Dei apprehendit, tum demum acquiescit in securitate sua.

Cæterum ad interrogatum Christi cœcus respondet: *Et quis est*, DOMINE, *vt credam in eum*? Laude dignum facit, quod non temere credit sed primum notitiam quærit. Hæc enim in fide sunt coniuncta: notitia, assensus, fiducia, applicatio. Necessario ergo mentis lux præcedit apprehensionem cordis, & fides procedit ex cognitione. Qui enim fiduciam collocabo, aut ad meipsum applicabo, quod non prius cognitum habeo? Turpiter igitur homines fallunt & decipiunt, qui multum de implicita fide Ecclesiæ garriunt, & hominibus persuadent, ipsos tutissime credere, si profiteantur, se idem credere, quod Ecclesia Catholica credit, licet ipsi ignorent, quid Catholica Ecclesia credat. Hanc vocāt fidem carbonariam, siquidem Carbonarius quidam hac fidei confessione aliquādo satanam fugarit. Et in hoc consistit primarius neruus regni Papistici, quod suis hominibus persuadent, hāc esse summam pietatem, si simpliciter credant omnia, quæ ab Antistibus Ecclesię ipsis proponuntur. Vbi per simplicem fidem intelligunt stolidam credulitatem, & asininum quasi stuporem, quo cœci cœcos sequuntur, vsque dum ambo in foueam incidant. Talem stuporem Christus non probat, qui nosipsos Scripturas scrutari, & Spiritus probare vult, vtrum sint ex Deo. Christus non statim aperit cœco, quis sit ille Dei filius, sed prius eum admonet negligentię, quod eum viderit, & tamen non cognoscat. *Et vidisti eum*. Quomodo eum vidit, cùm oculis corporeis eum nunquam sit intuitus? Discesserat enim iam Iesus, antequā cœcus à piscina Siloam rediisset. Ergo Christus de alio intuitu hoc intelligit, nimirum spirituali, quo in cœci persona effulsit diuina Iesu Christi potentia & misericordia. Hanc bonitatem Christi si in nobis quoque consideremus, reuera dicere possumus nos vidisse filium Dei. Sicuti Iacobus Patriarcha gloriatur, se vidisse Dominum de facie ad faciem, & saluam factam esse animam suam. Gen.32.vers.30. Tantum excutiamus illam animi negligentiam, qua non minus laboramus, quam cœcus. Sed addit Dominus: *Et qui loquitur tecum, ipse est*. Non dicit categorice: Ego sum filius Dei. Sed *qui tecum loquitur*: Ipse enim λόγος, *nobis loquens*, æternus est Dei filius, & idem per sermonem prolatum vult nobis instillare fidem: Ideo filius Dei, non quando se nobis conspiciendum offert, sed quando per verbum Euangelij nobiscum loquitur, gratiam, misericordiam & salutem nobis offert, sicque se nobis cognoscendum præbet. Cœcus hæc audiens non minus iam animo, quam prius corpore illuminatus, protinus dicit: *Credo* DOMINE. Et quia vera fides, non est frigida assensio, sed tam feruida mentis affectio, quæ totum cor reliquas hominis vires omnes in cultum eius rapit, in quem quis credit: ideo absque mora procidit: *& adorauit eum*. Cultu adorationis veneratur Iesum, quem filium Dei esse iam credebat, licet nullo externo splendore commendaretur: idque facit in præsentia Pharisæorū, qui Iesu aderāt, & quorū furorem paulo ante expertus fuerat.

Locus hic ad probandam diuinitatem Iesu Christi probe notandus est. Neque enim fere illustrior in toto Euangelico codice extat. Siquidem in eo Christus plerunque alias se tantum hominis filium vocat. Hic vero satis diserte affirmat se esse filium Dei, & quidem illum τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, verum & æternum, non adoptiuum, quales sunt electi. Requirit quoque à cœco, vt *in hunc filium Dei credat*. At vero qui in creaturam aliquam credit, & fiduciam in eam ponit, ex ipso Dei ore maledictus est: Ier.17.v.5. Nisi ergo Christum Iesum impij quid hunc cœcum iussisse dicere velimus, valeant Arianorum blasphemiæ, qui ipsum verum Deum esse negant. Insuper admittit à cœco adorationem. Qui cultus quoque vni & soli vero Deo debetur. Deut.6.versic.13. & Mat.4.versic.10.

Adorat autem in vna persona Deum & hominem contra diuulsionem Nestorianam. In vna siquidè persona Iesu Christi diuina & humana natura personaliter sunt vnitę: vt ita coecus filium Deū visibili suo corpore adstantem, & secum loquentem, atque sic τὸ ἀμερίστῳ vna adoratione adorari.

Insuper ordo salutis nostrae, quam per Christum consequimur, nobis quoque in huius coeci exemplo ob oculos statuitur, qui hic est. 1. Vt à consortio impiorum, & imprimis Antichristi, non minus segregemur, quam hic coecus à coetu Pharisaeorum. Quę enim participatio iustitiae cum iniquitate? & quae conuentio Christi cum Belial? &c. 2. Cor. 6. v. 14. 2. Fidem omnem in Iesum Christum Dei filium conuertamus: hunc vnicum Mediatorem inter Deum & nos profiteamur, qui pacē Euangelizauit & illis qui prope erant, & nobis qui longe fuimus. Eph. 2. v. 17. per hunc siquidem reconciliati sumus cum Patre.

3. Fidem etiam nostram publice, nihil pericula attendentes, confiteamur. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem fit confessio ad salutem. Rom. 10. v. 8. Et necesse est, vt nostro exemplo proximum etiam ad consimilem confessionem nominis Christi alliciamus.

4. Denique Christo cultum adorationis & venerationis pręstemus. Gens enim & regnum, quod nō seruierit Christo, peribit. Iesa. 60. v. 12. Et effundit Deus indignationem suam super regna & prouincias, quae non cognoscunt eum, nec nomen ipsius inuocant. Psalm. 79. versic. 6. & Ierem. 10. versic. 25.

Videmus denique quantum profit, si pij per excommunicationem ab impiorum contubernio segregentur, vel illi sponte sua hosce deserant. Coecus hic nunquam ad tam perfectam Christi cognitionem peruenisset, si in communione Pontificum & Scribarum mansisset. Postquam vero ab illis excommunicatus est, Christus eum quaesiuit, in fide instruxit, & ad plenam sui cognitionem adduxit. Idem Luthero nostro accidit. Initio tantum paucalos quosdam, eosdemque crassiores Papatus errores reprehendit, & subinde se obedientię Pōtificis & Episcoporum submisit, si modo crassiora illa corrigerentur. Verum postquam nihil obtinuit, insuper etiam à Papa excommunicatus esset, mirum, quantum postea in cognitione mysteriorum Christianae religionis profecerit.

CAPVT CXIV.

HARMONIAE EVANGELICAE, CONTINENS CONCIONEM CHRISTI, QVA PROBAT AD SE PERtinere iudicium cognoscendi, quinam sint recipiendi in Ecclesiam, & qui excludendi. Ioh. 9. vers. 39. & Iohan. 10. versicul. 1.

RATIO ORDINIS.

HAec cum superioribus continuo nexu cohaerere res ipsa & argumentum causae commonstrant. Etenim Christus ex illa censura & iurisdictione, quam Pharisaei in excommunicando coeco exercuerunt, occasionem sumit & affirmat, ad se pertinere *iudicium* illud, siue iurisdictionem, quod quidam in Ecclesiam, siue regnum coelorum recipiuntur, quidam vero excluduntur. Et addit, se *iudicium* illud mirabiliter exercere: ita vt *caeci videant*: qui vero coecitatem suam ob persuasionem sapientiae agnoscere nolint, lucente verbo, *magis excaecentur*. Vtitur autem metaphora *caeci & videntium*, quia nuper coeco visum restituerat, & ipsi Pharisaei mente magis erant excoecati, quam coecus ille corpore fuerat. Porro Pharisaei, quia Prophetae & Doctores olim dicebantur Videntes, 1. Sam. 9 versi. 9. item speculatores, qui procul quasi ex specula prospiciant, quid Ecclesiae commodo, quid eidem damno esse possit. Iesa. 56 vers. 10. Ezech. 3. v. 17. & 33. versi. 7. & ipsi se eorum successores esse tam sibi quam aliis persuadebant: idcirco Iesu opponunt ordinariam suam vocationem, ad quam auditores alligatos esse volunt, ita vt sine exceptione sibi credendum esse contendant, ideo, quia in ordinaria sint functione.

Huic obiectioni, quia multos ex auditoribus mouebat, vt existimarent, se recte facere, quod ordinariis suis pastoribus adhaerent, Christus longa oratione respondet, repetita metaphora de bonis & malis pastoribus, atque de *ouibus*: *quae* frequentissima est apud Prophetas. Et *ostendit*, *oues debere* audire & sequi non malos, sed *veros pastores*. *Addit* etiam notas, quibus verus & bonus pastor *discerni* debeat ab alieno, à mercenario, fure, latrone, & lupo. Et quia Deus promiserat, rebus omnibus per *malos pastores* collapsis, se vnum verum, bonum pastorem, Messiam suscitaturum, Iesus affirmat se illum bonum pastorem esse, de quo extent promissiones. Iers. 40. v. 10. Ezech. 34. v. 23. & 37. v. 24. Zach. 11. v. 7. & 13. v. 7. & officium suum ita describit, vt distinguat illud ab omnibus aliis etiam bonis & fidelibus pastoribus.

Hac concione habita iterum schisma factum est inter Iudaeos. Vnde patet, quod varia fuerint hominum iudicia & sermones, cum de miraculo illo Christi, tum de eius concionibus, donec in festo Encoeniorum rediret in templum.

Concio Christi, qua docet, penes se esse iurisdictionem recipiendi in Ecclesiam, & ex ea excludendi. Iohan. 9. versic. 39.

39. Καὶ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, εἰς κρίμα ἐγὼ εἰς τὸν κόσμον τοῦτον ἦλθον, ἵνα οἱ μὴ βλέποντες, βλέπωσι, καὶ οἱ βλέποντες τυφλοὶ γένωνται.	39. *Et dixit Iesus, In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident caeci fiant.*
40. Καὶ ἤκουσαν ἐκ τῶν φαρισαίων ταῦτα, οἱ ὄντες μετ' αὐτοῦ, καὶ εἶπον αὐτῷ, μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν;	40. *Et audierūt quidam ex Pharisaeis haec, qui cū ipso erant, & dixerunt ei, num & nos caeci sumus?*
41. Εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, εἰ τυφλοὶ ἦτε, οὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν. νῦν δὲ λέγετε, ὅτι βλέπομεν, ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει.	41. *Dixit eis Iesus: si caeci essetis, non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis, videmus, iccirco peccatum vestrum manet.*
1. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὁ μὴ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, ἀλλὰ ἀναβαίνων ἀλλαχόθεν, ἐκεῖνος κλέπτης ἐστὶ καὶ λῃστής.	1. *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.*
2. Ὁ δὲ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας, ποιμήν ἐστι τῶν προβάτων.	2. *Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.*
3. Τούτῳ ὁ θυρωρὸς ἀνοίγει, καὶ τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει. καὶ τὰ ἴδια πρόβατα καλεῖ κατ' ὄνομα, καὶ ἐξάγει αὐτά.	3. *Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt. Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas.*
4. Καὶ ὅταν τὰ ἴδια πρόβατα ἐκβάλῃ, ἔμπροσθεν αὐτῶν	4. *Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit, &*

πορεύεται, καὶ τὰ πρόβατα αὐτῷ ἀκολουθεῖ, ὅτι οἴδασι τὴν φωνὴν αὐτοῦ.

5. Ἀλλοτρίῳ δὲ οὐ μὴ ἀκολουθήσωσιν, ἀλλὰ φεύξονται ἀπ' αὐτοῦ, ὅτι οὐκ οἴδασι τῶν ἀλλοτρίων τὴν φωνήν.

6. Ταύτην τὴν παροιμίαν εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἐκεῖνοι δὲ οὐκ ἔγνωσαν τίνα ἦν ἃ ἐλάλει αὐτοῖς.

7. Εἶπεν οὖν πάλιν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐγώ εἰμι ἡ θύρα τῶν προβάτων.

8. Πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον, κλέπται εἰσὶ καὶ λῃσταί. ἀλλ' οὐκ ἤκουσαν αὐτῶν τὰ πρόβατα.

9. Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα, δι' ἐμοῦ ἐάν τις εἰσέλθῃ, σωθήσεται, καὶ εἰσελεύσεται, καὶ ἐξελεύσεται, καὶ νομὴν εὑρήσει.

10. Ὁ κλέπτης οὐκ ἔρχεται, εἰ μὴ ἵνα κλέψῃ καὶ θύσῃ, καὶ ἀπολέσῃ.

11. Ἐγὼ ἦλθον, ἵνα ζωὴν ἔχωσι, καὶ περισσὸν ἔχωσιν.

12. Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός· ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων. ὁ μισθωτὸς δὲ, καὶ οὐκ ὢν ποιμὴν, οὗ οὐκ εἰσὶ τὰ πρόβατα ἴδια, θεωρεῖ τὸν λύκον ἐρχόμενον, καὶ ἀφίησι τὰ πρόβατα, καὶ φεύγει, καὶ ὁ λύκος ἁρπάζει αὐτὰ, καὶ σκορπίζει τὰ πρόβατα.

13. Ὁ δὲ μισθωτὸς φεύγει, ὅτι μισθωτός ἐστι, καὶ οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων.

14. Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, καὶ γινώσκω τὰ ἐμὰ, καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν.

15. Καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα, καὶ τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων.

16. Καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης, κἀκεῖνα με δεῖ ἀγαγεῖν, καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν.

17. Διὰ τοῦτο ὁ πατήρ με ἀγαπᾷ, ὅτι ἐγὼ τίθημι τὴν ψυχήν μου, ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν.

18. Οὐδεὶς αἴρει αὐτὴν ἀπ' ἐμοῦ, ἀλλ' ἐγὼ τίθημι αὐτὴν ἀπ' ἐμαυτοῦ. ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτὴν, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν. ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔλαβον παρὰ τοῦ πατρός μου.

19. Σχίσμα οὖν πάλιν ἐγένετο ἐν τοῖς Ἰουδαίοις διὰ τοὺς λόγους τούτους.

20. Ἔλεγον δὲ πολλοὶ ἐξ αὐτῶν, δαιμόνιον ἔχει, καὶ μαίνεται. τί αὐτοῦ ἀκούετε;

21. Ἄλλοι ἔλεγον, ταῦτα τὰ ῥήματα οὐκ ἔστι δαιμονιζομένου. μὴ δαιμόνιον δύναται τυφλῶν ὀφθαλμοὺς ἀνοίγειν;

oues illum sequuntur, quia nouerunt vocem eius.

5. *Alienum autem non sequentur, sed fugient ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.*

6. *Hoc prouerbium dixit eis Iesus, illi autem nō cognouerunt, quæ essent, quæ loqueretur eis.*

7. *Dixit ergo eis iterum Iesus: amen amen dico vobis, ego sum ostium ouium.*

8. *Omnes quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues.*

9. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, seruabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.*

10. *Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, ac perdat:*

11. *Ego veni, vt vitam habeāt, & abūdantius habeant.*

12. *Ego sum pastor ille bonus: Bonus pastor animam suam dat pro ouibus. Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, videt lupum venientem ac deserit oues, fugitque, & lupus rapit eas, ac dispergit oues.*

13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & oues non sunt illi curæ.*

14. *Ego sum pastor ille bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis.*

15. *Sicut nouit me Pater, ita & ego noui Patrem, & animam meam pono pro ouibus.*

16. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas quoque oportet me adducere & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor.*

17. *Propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.*

18. *Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam. A meipso potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.*

19. *Dissensio igitur iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos.*

20. *Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet & insanit. Quid eum auditis?*

21. *Alij dicebant, hac verba non sunt Dæmonium habentis. Num Dæmonium potest cæcorum oculos aperire?*

Periocha huius concionis.

1. IN hac concione disserit Saluator noster Iesus Christus de fine, ob quem in hunc mundum venerit. Verus finis est, vt peccatores vocet ad pœnitentiam. Matth. 9. v. 13. eosque saluos faciat 1. Timoth. 1. v. 15. In hunc enim finem factus est supplex cœlesti Patri pro humano genere, postulauit & impetrauit à Patre, vt is ipsi donaret omnes gentes hæreditatem. Psal. 2. v. 8. Iam si gentes illæ omnes hunc Mediatorem grata mente susperent, vera fide ei adhærerent, & vnico ipsius merito niterentur, tum etiam omnes saluarentur. Sed inueniuntur in orbe duo diuersa hominum genera, vt in eodem Psalmo diserte indicatur. Aliqui apprehendunt disciplinam, patiuntur se erudiri, intelligunt, seruiunt huic in timore, eidemque exultant cum tremore. Alij vero fremunt, meditantur inania, conspirant aduersus hunc Dominū & Christum Dei, & quantum in ipsis est, disrumpunt vincula verbi ipsius, eiusque iugum, vtcunque suaue & leue sit, à se abiiciunt. Hic dicit Christus: *in iudicium ego in hunc mundum veni.* Notandum autem quod Christus hæc dicendo, non sibiipsi, vt quidam putant, contradicat, eo quod Iohann. 3. v. 17. dixerit: non misit Deus filium suum in mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Vt enim duplex est Christi aduentus in mundum, vnus humilitatis, alter maiestatis: ita etiam duplex est eius iudicium, vnum discretionis, alterum retributionis. De retributionis iudicio, quo vnicuique reddetur iuxta opera sua, & quod in nouissimo die exercebitur, loquitur Ioh. 3. Hic vero loquitur de iudicio discretionis, quo Electi à reprobis, per certas notas etiam in hac vita discernuntur, sicque confusa à se inuicem secernuntur, prout fit in iudiciis.

Dicit ergo: *in iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant.* Non loquitur hic de corporali siue visu siue cœcitate, sed de spirituali. Nam occasione beneficij in hominem istum cœcum collati, cui & corporis & animi oculos aperuerat, vt videret & agnosceret Iesum Dei filiū, in eumq; crederet; iam cōcionatur de spirituali cœcitate & illuminatione. *Non videntes* ergo, seu *cæci* hic dicūtur, qui sunt alieni à Dei cognitione, rudes & alieni à vera pietate, ignari omnis Scripturæ: & qui insuper hāc suā infantiā atq; ignorantiam agnoscunt & fatentur. Sicuti hic cœcus id fecit, qui à Christo interrogatus, an crederet in filium Dei, ingenue confessus est, se etiā ignorare, quis sit ille Dei filius, quomodo ergo in eū crederet? Tales Christus illuminat & facit, *vt videant.* At quomodo? Per verbum prædicatum: quēadmodum & cœcus illuminatus est, per eum *qui loquitur tecum, ipse est.* Κάλυμμα enim, seu velamen positum est super cor vestrum, vt quemadmodum oculis corporis, si linteo obueletur, solis radios aspicere nequit: sic mens nostra crasso ignorantiæ velamine obducta cœlestem veritatem non assequitur. Cum autē homo conuersus fuerit ad Dominū, auferetur velamen 2. Cor. 3. v. 16. Et tum iubet Deus splendescere lumen de tenebris, imo nec ipse illucescit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ charitatis Dei, in facie Christi Iesu. Qui ergo doctrinā Euangelij & institutionē verbi patiēter admittūt, in iis euenit, vt qui antea idiotæ videbātur, aut etiā errorū labyrinthis implicitī erant, Christi spiritu & verbo illuminati ocu-

los aperiant, regni cœlorum mysteria intelligere & de iisdem cum admiratione aliorum dextre disserere incipiant. Et hoc est, quod hic Christus dicit; se venisse, *vt qui non vident, videant*.

Cæterum quod addit se etiam venisse, vt *qui vident, cæci fiant*: Ibi per illos *qui vident*, non intelligit eos, qui corporaliter sunt oculati, & tantum non lyncei. Tales enim Christus nusquam excœcauit. Sed qui opinione sapientiæ huius seculi apud seipsos sunt eximij, ac proinde superbi ac arrogantes qui item legis cognitionem sibi arrogant, ac proinde propriæ iustitiæ & suorum operum merito confidunt, Euangelij autem doctrinam adeo non admittunt, vt petulanter eam etiam respuant. Tales Christus excœcat, & facit vt *cæci fiant*. At quomodo illud? Nō per se, sed per accidens. Quemadmodū enim Paulus Rom. 7. ver. 8. conqueritur, quod peccatum, occasione sumpta per mandatum Dei in ipso omnem concupiscentiam operatum sit: ita in his innata malitia, occasione sumpta à verbo Euangelij magis magisque auersetur. Audit enim talis animus per prædicationem Euangelij corruptionem suam argui: videt imposturas & fraudes, quibus tale videntes alios in erroribus detinuerunt, detegi: intelligit fucum iustitiæ, quo se coram Deo & hominibus venditauit, abstergi. Hæc male fert, ac proinde hostiliter aduersus lucem Euangelij insurgit, illā extinctam cupit, & modis omnibus laborat, vt eam è medio remoueat, ne ingrata hæc lux oculis ingeratur. Quod omne hactenus vidimus in Pharisæis. Bone Deus quā immane sæuiunt isti tenebriones cōtra Iesum lucem mundi, qui illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum. Ioh. 1. v. 9. Decretum fecerunt, vt qui confiteretur Iesum esse Christum, excommunicaretur, illudque decretum in cœco hoc executi sunt. Quando ergo tales sibi *videntes* aduersus lucem Christi ita fremunt, ferociunt & sæuiunt, tū Deus iusto iudicio ipsos vicissim dat in reprobū sensum, punit spiritu vertiginis, vt cor ipsorum excœcetur, quo non tantum in spiritualibus oculos habeant, qui non vident, & aures, quæ non audiunt, nec corde suo intelligant: sed etiam in externis & mundanis mentis aciem amittant, vt qui prius prudentissimi omnium habebātur, postea in propriis suis rebus cœcutiant & turpiter hallucinentur.

Idem ergo hisce accidit, quod vespertilionibus & noctuis. Hæ noctu sunt satis perspicaces, sed quamprimum sol exortus fuerit, cœcutiunt: ita filij huius seculi, qui sunt filij tenebrarum in sua generatione, hoc est, in regno superstitionum & errorum sunt oculatissimi, sed ad exortum solis Euangelici caligare incipiunt, & fiunt stultissimi, ita vt pueri, mulierculæ, idiotæ, cerdones, sutores, piscatores sæpe summos illos Antistites in cognitione fidei superent. Et hoc est *iudicium* illud discretionis, quod Christus in *mundo* tum quoad illuminationem *cæcorum*, tum quoad excœcationem *videntium* exercet. Illud quidem proprie & per se. ministerio verbi: hoc vero per accidens, ratione malitiæ hominum, qui verbum negligunt, contemnunt, persequuntur.

Admonet nos hæc 1. naturalis nostræ cœcitatis, qua non tātū in spiritualibus (in quibus animalis homo nihil eorū percipit, quæ sunt spiritus Dei. 1. Cor. 2. v. 14.) sed etiā in externis & mundanis laboramus. De qua hactenus sæpius diximus, ac proinde minus necessarium est, vt hic eadem repetantur. 2. Simul docent, vt si qui in Christo Iesu illuminari & saluari velint, hanc naturalem suam cœcitatem agnoscant, imo si maxime quid lucis intellectu quoad res huius seculi, superesse sibi sentiant: non tamen superbiant, sed illud omne in obsequium Christi redigant 2. Cor. 10. v. 5. Vt sic nec necesse sit, eū sibi cœcum & stultum fieri qui Deo velit videre & sapere. In Paulo huius rei typus præcessisse videtur, qui in conuersione sua primum excœcatus est, vt intelligeret depresso supercilio Pharisaico sibi Christi illuminatione opus esse, quam etiam consecutus est, quamprimum Ananias in nomine Iesu ipsi manus imposuit, eumque in communionem Ecclesiæ recepit. Actor. 9. v. 8. & v. 18.

II. *Pharisæi* qui fuerunt in comitatu Christi, & concionem eius audiuerunt, mox senserunt, se illo membro notari, quo Dominus dixerat: Veni *vt qui vident, cæci fiant*, ideo eum interpellant & interrogant; *num & nos cæci sumus* q. d. de rudi sane plebecula dicere potes, eos cœcos esse: sed nostro ordini & reliquis sacrorum Antistitibus absq; dubio honorificentius præbebis testimonium. Aut num nos eadem cum illis metiris mensura? Quod Pharisæi Christi concionē sibi quoque applicant in eo non peccāt sed potius recte faciūt. Omnes enim verbi diuini auditores sic se consuefacere debent, vt quasuis doctrinas ex verbo Dei depromtas, se quoque vel ad correctionem, vel ad confirmationem, vel ad consolationem attingere statuant. Sed quod propterea indignantur, Christo responsant, & tantum non insaniunt, in eo grauiter peccant: & eo ipso Christo occasionem præbent, vt iudicium suum, de quo concionatus est, exerceat, & sic reipsa se verū dixisse demonstret. Nimirum, cœcum idiotam reddidit videntem: Pharisæos autem, legis interpretes, qui sibi probe se videre persuadebant, reddidit, cum tamen iam antea essent cœci & duces cœcorum, Matt. 15. ver. 14. excœcatiores. Consimiles auditores hodie sæpenumero sortiuntur Euangelij cōcionatores iis in locis, in quibus adhuc regnat Pontificia superstitio. Ibi quidā Pontificij ex hypocrisi seipsis adiungunt, eorum conciones audiunt, veritatis studium simulant; sed illud omne tantisper tantum faciunt, donec aliquid proferatur, quo se notari putāt. Ibi tum excandescunt, superbe responsant, interdum etiam virulente Doctori innocenti insidias struunt. Hoc si præconi alicui Euangelico accidat, patienter ferat, & statuat se non meliorem esse patribus suis. Christo idem accidit. Ieremiæ & Amoso Prophetis: horum exemplis sese soletur. Interim tamen iisdem auditoribus proponi potest id, quod Deus Ezec. 33. v. 31 consimilibus impiis auditoribus minatur.

Quid vero Christus his respondet Pharisæis? Quod dixerat vsque adeo non retractat, vt potius duplicem cœcitatem ipsis obiiciat: vnam, qua in spiritualibus nihil videant, & cœci sint: alteram, qua se sic cœcos esse non videant, nec intelligant. *Si cæci essetis*, hoc est, si communi errore decepti ex simplicitate viam salutis ignoraretis, bene certe vobiscum ageretur. Nam *peccata non haberetis*, hoc est, emendabiles essetis, admoniti de Doctore dispiceretis, institutionem admitteretis, sicque ignorantia & cœcitas illa in peccatum non imputaretur, sed culpa illa remitti posset. Hoc enim modo intelligendum est illud Christi, *peccatum non haberetis*. Alioquin *peccatum habent* omnes homines, etiam sancti, adeo vt Iohannes scribat 1. Epist. 1. v. 8. Si dixerimus, quoniam *peccatum non habemus*, ipsi nos seducimus, & veritas non est in nobis. Ergo *peccatum non habere* hoc loco proprie nihil aliud significat, quam malum cœcitatis, non futurum esse adeo incurabile, sed incredulitatis aliquam futuram excusationem, & cœlestem lucem citius ac facilius ipsis exorituram. *Nunc vero dicitis, videmus, iccirco peccatum vestrum manet*: hoc est, opinione vestra videmini vobis esse omnium mortalium oculatissimi, gloriamini de vera legis cognitione, confiditis vos esse duces cœcorum, lumen eorum qui sunt in tenebris, eruditores insipientium, magistros infantium, habentes formam *scientiæ & veritatis* in lege. Rom. 2. v. 19. & in hac vestra *opinione* sic estis confirmati, vt incredulitatem vestram nullis rationibus expugnari patiamini. Hinc fit, *vt peccatum vestrum maneat*, hoc est, vos in voluntaria veritatis ignorantia, subinde magis magisque excœcati, peccatis.

Porro hæc dicendo Christus docet duplices esse peccatores in mundo. Alij ex infirmitate & ignorantia veri peccant, nunquam id facturi, si rectius essent instituti. Alij sciētes peccant, & de vero admoniti, illud non tantum non admittunt, sed etiam virulenter contra salutares admonitiones insurgūt. Ex priorum numero Paulus se fuisse fatetur, ac proinde misericordiam Dei consecutum. 1. Tim. 1. ver. 13. Et quidem verbi minister operam dare debet, vt quantum in ipso est, vtrosque illuminet, quo verbum ipsius prædicatum sit odor vitæ ad vitam. Sed si id obtinere non possit, ipse docendo pergat, & rem omnem Deo committat, nihil addubitans, se etiam in iis, qui excœcantur & pereunt, & quibus verbum est odor mortis ad mortem, tamen bonam Christi fragrantiam esse Deo. 2. Cor. 2. v. 15. Nam cum ne Christus quidem, qui tamen est lux mundi, omnes potuerit illuminare, quinam nos sumus vt nobis polliceamur, nos in administrando nostro ministerio fore feliciores?

III. Nunc post interpellationem Pharisæorum progreditur Christus in suo proposito, & adducta parabola Pastoris & ouium commonstrat, Pharisæos & Sacerdotes Iudæorum falsos esse Ecclesiæ Pastores & Antistites, ad se autem ex Dei ordinatione pertinere, vt Ecclesiæ suæ de fidis pastoribus prospiciat.

Est autem hæc parabola de pastore & ouibus in scriptura admodum vsitata & frequens. Moses Num. 26. versi. 17. cum à Deo ipsi mors denunciaretur, eundem interpellat de successore, ne sit populus Domini sicut oues absque pastore. Dauid in vndecim Psalmis ea parabola vtitur: quia & ipse fuit pastor, & de caulis ouiū assumptus est ad regendum populū Dei. Iesaias c. 56. v. 11. conqueritur de pastorū ignorantia & infidelitate: sed c. 40. v. 10. promittit Dominum venturum & curam gregis habiturum. Sic Ieremias Iudaicæ Ecclesiæ Antistites passim pastores nominat. c. 2. v. 8. & 10. v. 21. & 12. v. 10. & 23. v. 2. & 50. v. 6. eosq; accusat, quod gregē Domini seduxerint. Inprimis autē prolixe hāc parabolā & querimoniā tractat Ezechiel c. 34. Nahum quoq; conqueritur c. 3. v. 18. de pastoribus dormitantibus: quanquam ibi proprie loquatur de magistratu. Sed Zacharias duobus in locis eandem adducit c. 11. v. 4. & 13. v. 7. Hac de causa etiā Christus ea delectatus, & multoties vsus

vius est, vtpote Matt.9.v.36.& 10.v.6. & 15.v.24.& 25.versi.32. Luc.15.v.4.& Ioh.21.v.16. Cum ergo adeo frequens sit, nobis etiam grata esse debet, eamque tanto maiori diligentia expendamus. Nam & Christus eam hoc loco graui asseueratione proponit, atque sermonem ad ipsos Pharisæos dirigit: *Amen, amen dico vobis qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro, &c.*

Cæterum, quia Christus ipse in tractatione huius parabolæ hunc ordinem seruat, vt primo quidem eam nude proponat, postea autem latius eandem explicet: ideo & nos eundem ordinem sequemur, initio parabolæ summam breuiter & simpliciter proposituri; postea singula membra aliquanto plenius exposituri.

Est ergo Parabola petita ex œconomia & rusticorum caulis, in quibus hæc sequentia membra obseruare licet. 1. Qui legitimum in ouili aliquo munus obeunt, & res suas peracturi illuc veniunt, illi palam & omnibus videntibus per ostium ingrediuntur: qui vero nullum ius habent, & aliena diripere cupiunt, illi rupturas quærunt, per fenestram vel tectum clam irrepunt, ne à quoquam deprehendantur. Et tales vel sunt *fures*, qui fraude alienum diripiunt, vel sunt *latrones*, qui vi oues rapiunt, & raptas dilaniant atque occidunt. Quia vero per ostium aperte & omnibus spectantibus in ouile ingreditur, is ex eo cognoscitur, quod sit *Pastor*, & quod Paterfamilias curam ouium ei commiserit. 2. *Huic ostiarius aperit*, hoc est, is, cui paterfamilias omnes suæ domus claues concredidit, aperiendo ostium, ipsi facultatem dat ingrediendi. 3. Pastor ingressus ad oues non est mutus, sed easdé vel sibilo, vel voce sua excitat & inclamat. Et *oues vocem eius audiunt*, eam agnoscunt, eaque quasi recreantur, dum ad peregrini, siue furis siue latronis vocem incognitam expauescũt. Vt vero ipse ad oues ingressus ab ipsis ex voce agnoscitur: ita ipse vicissim oues suas nouit, *& proprias oues vocat nominatim & educit eas*, non ad rapinam vel lanienam, sed ad salutaria & læta pascua in quibus reficiantur. 4 Postquam verò oues ex septis, in quibus continebantur, reductæ sunt in campos patétes & liberos, tum fidelis Pastor non domi remanet, nec permittit eas libere quocunque velint, vagari, sed ne vel aberrẽt, vel ab occursantibus dispergantur, ipse *ante eas vadit*, & viã ad pascua præmonstrans, & à bestiis voracibus eas præseruãs. Hic vero sciendum, quod in nostris quidem regionibus pastores gregem fere magis sequantur quam antecedant, eumque magis propellant, quam ad sequendum inuitent. Sed loquitur hic Christus secundum morem Iudææ, in qua regione pastores oues præcedere solebant, & hoc ipsum ad applicationem melius quadrat. 5. Quando autem pastor eo modo ouibus ducatum præstat, non mutus antecedit, sed subinde voce eas ad sequendum prouocat, & ab erroribus reuocat. *Oues* autem *illum sequuntur, quia nouerunt vocem eius*, quæ ipsis nota & amica est. Ad eam ergo gressus suos dirigunt. Si quis vero *alienus*, aut alieni gregis pastor sit, *eum non sequuntur*, licet præcedat & voce inuitet. Quia *alienam vocem non nouerunt*, sed ab ea abhorrent, & tanquam ab ignoto diffugiunt.

Hac parabola saluator noster 1. conuincit Pharisæos, quod falsi sint pastores. Etenim non erant à cœlesti patrefamilias cõducti, nec ab ostiario per ostium intromissi, sed suapte sponte in caulam Dei irrepserunt. Pharisæorum enim ordo neque à Deo fuit institutus, neque à Prophetis introductus, sed ab hominibus confictus, & proprio ausu in populum Dei ingressus. Vnde colligere licet ipsos fuisse fures & latrones. Proinde etiam ouium curam nullam habuerunt: eas neque doctrina verbi diuini pauerunt, neque honesto vitæ exemplo antecesserunt. Sed seipsos saginarunt, permittentes populum Dei ad quosuis errores & quasuis sectas diuagari. Sicut de hac ipsorum negligentia infra ex Prophetis plura audiemus. 2. Deinde Christus hac parabola rationem quoque reddit, quare plerique ex plebe relictis Pharisæis se suãque doctrinam sectentur. Nimirum erant ouiculæ errabundę & balantes, audiunt autem Iesum ex Dei verbo veram salutis doctrinam proponere, atque sic salutificum animæ pabulũ subministrare. Ideo hanc ipsius vocem audiunt, eumque sequuntur: *alienos autem*, quales fuerunt Pharisæi, non amplius sequuntur.

Interim nobis hæc parabola, sic proposita, monstrat quinque notas quæ vero pastori Ecclesiæ sunt necessariæ. 1. *Intret per ostium*, hoc est, legitimam habeat vocationem, non prece vel precio, multo minus vi auditoribus obtrudatur. Alioquin obiicietur ipsi illud, quod Dominus apud Ieremiam dicit c.23.v.21. Non mittebam Prophetas & ipsi currebant. Ité illud Pauli, Rom.10.versic.15. quomodo prædicabunt, nisi mittantur? 2. *Ostiarius ipsi aperiat*. Per *ostiarium* intelligimus Spiritum sanctum. Sine huius enim gratia & ope nullus verus pastor nec in ouile intrare, nec oues pascere potest. Hinc, cum Paulus & Barnabas inter gentes ad prædicandum Euangelium emittendæ essent, Spiritus sanctus Ecclesiæ in mandatis dedit, vt illos duos segregarent ad opus, ad quos ipsos assumpserit. Actor.13.versi.2. 3. Intromissus in ouile non sit mutus ad oues, sed *vocet eas*, & quidem *nominatim*, hoc est studeat singulorum auditorum ingenia & mores cognoscere, vt norit postea pro diuersitate naturarũ eos compellare, admonere & tractare. Aliter enim tractandi mœsti & afflicti, aliter præfracti & contumaces, aliter obedientes, & sic deinceps. Huc accommodant quidam illud Salomonis Prouer. 27.ver.3. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. 4. *Educat* etiam *oues suas*. Educat autem ipsas ex tenebroso stabulo mundi in lucem cœlestis doctrinæ, ex ignorantia & erroribus ad cognitionem veritatis, à torpore & desidia ad studium bonorum operum, ab amore terrenarum rerum ad spem & desiderium cœlestium. 5. Denique, quando eas amiserit, *ante eas vadat*, & voce simul atque exemplo *oues* inuitet, *vt ipsum* ad viuida pabula verbi diuini *sequantur*: & si quid noxij vel detrimentosi occurrat, summo studio auertat. Hac de re D. Paulus 1.Tim.4.12. & Tit.2. v.7. agit, vbi vult, vt minister verbi sit typus & exemplum fidelium. Hæc sunt requisita ad verum pastorem secundum tenorem huius parabolæ. Quibus addi potest hoc sextum, 6. ex sequenti parabolæ explicatione, vt *bonus pastor quærat* non suum ex ouibus commodum, sed *ouium salutem*: & ita quidem quærat, vt etiam *animam pro iis dare* sit paratus. Hisce dotibus si quis est ornatus, pro bono & fideli verbi ministro haberi debet.

Ad hasce notas, si examinetur pastorale officium Pontificis Romani, & cleri ipsius vncti rasique, deprehendetur ipsum cum suis inter Christianos nihilo meliorem & veriorem pastorem esse, quam olim Pharisæi fuerint inter Iudæos. 1. *Non intrauit per ostium*, quod est Christus. Sed Bonifacius III. primus fuit, quia Cæsaricida Phoca impetrauit, vt vniuersalis Ecclesiæ Episcopus salutaretur. Bonifacij successores alij per Pipinum, alij per Carolum Magnum obtinuerunt, vt pro capite Ecclesiæ haberentur: sicque sensim creuerunt, donec triplicem suam coronam obtinuerunt. Sic ergo Pontifices intrarunt vt vulpes, regnarunt vt leones, exierunt vt canes. 2. *Ostiarius non aperuit ipsis*. Et ad quid indigeret Pontifex Spiritu sancto, cum in scrinio pectoris sui habeat omnem sapientiam? Hinc plerique per necromantiam, ope & ministerio satanę ad Pontificalem dignitatem ascenderunt. Prout in Platina & aliis id legere licet. 3. Si quas oues *nominatim vocat*, tum facit in rem suam. Attendit quinam reges deuotoria sua sint mancipia, & vt hosce in obedientia sedis Romanæ contineat, sedulo per legatos suos curat: si qui alij ipsius tyrannidem cognoscunt eumque auersantur, illos per fulmina excommunicationis terret. Euocat etiam quoties lubet, ex omnibus angulis orbis terrarum cacolycas suas oues ad annum Iubilæum, aut ad limina Apostolorum Petri & Pauli, non vt ipsis gratiam Dei & salutis cognitionem vberiorem impertiat, sed vt ipse aurum & argentum in magna copia ab ipsis accipiat. 4. Si qui ipsius imperio parere nolint, ipsius idolomaniæ, superstitionibus, corruptelis, & impietatibus valedicant, eos *educit*, non ad pabula verbi diuini, sed ad lanienam, ad patibula, ad gladios, ad rogos. Sicuti hoc martyrologia sanctorum euincunt. 5. Qualiter autem *ante oues vadat*, id probe ostendant, qui ipsum sequi volent. Quis vero sequetur Pontifices ἀθέους, Magos, necromanticos, blasphemos, simpectas, verbi diuini contemptores, magistratus oppressores, homicidas, fornicarios, mœchos, incestuosos, adulteros, raptores, sacrilegos, omnibus denique vitiis & sceleribus deditos, quales plerosque Pontifices fuisse, ex historiis demonstrari potest?

Cæterum, si quis hasce notas etiam Principibus viris & magistratibus, quos non tãtum veteres ποιμένας λαῶν, sed etiam sacræ literæ pastores nominarunt, accommodare velit, non errabit. Nam & hi 1. non vim aut tyrannidem, nec per malas artes Rempublicam inuadere, sed per legitimam siue successionem siue electionem accipere debent. 2. Indigent iidem Spiritus sancti gratia, si ipsorum gubernatio felix & salutaris esse debeat. Neque enim suæ siue potentiæ, siue prudentiæ, sed Dei gratiæ adscribant, si duri & periculosi negotiorum nodi aperiantur. 3 Dum sedet in regimine Princeps, norit etiam suos subditos: sicuti Cyrus in suo exercitu, quem satis numerosum habuit, omnes suos milites nouisse dicitur, vt sic singulos nominatim ad virtutem excitare posset. 4. Subditos etiam ad salutaria pabula educere debent, vt quietam & tranquillam vitam sub ipsis agant, & quisque sub sua ficu & vite cum coniuge & liberis vitæ necessaria habeat: vt sic fidei suæ commissorum subditorum corpora, fortunas & honorem tueantur. 5. Denique non tantum bonis legibus, sed & bono vitæ exemplo eos præant. Et in his omnibus nõ sua placita, sed Dei iudicia attendant. Has dotes si prin-

ceps quispiam habeat, pro bono principe iure habendus & omni laude dignus est.

In hac parabola etiam auditorum verbi requisita sub imagine ouium repræsentantur, quorum sunt tria. 1. vt boni & veri *pastoris vocem audiant*. Vnicus autem verus pastor est Iesus Christus, huius solius vocem in Euangelio traditam audire debemus. Dumque Ecclesia sit spōsa Christi, merito hūc vnicum animarum sponsum audire, obseruare & amare debet. 2. Euocanti pastori obtemperent, & *praeunctem sequantur*. Hæc est obedientia fidei, quam passim Paulus Christianis commendat. Quid enim alias prodest vocem salutis audire, si ei non obtemperes? 3. *Alienum non audiant, non sequantur sed ab eo fugiant*, aures etiam obturantes, sicuti Irenæus testatur veteres Germanos fecisse, si quando hæretici ad ipsos venerunt. Nemo ergo miretur, quod nos, qui Christum vnicum Ecclesiæ Doctorem audiendum nouimus, Antichristo Romano aures præbere nolumus, sed secessionem ab ipso fecimus. Hoc enim omne ad iussum Christi, cui soli obtemperandum, fecimus.

Hæc omnia Christus parabolice in Pharisæos & Scribas dixit, non aperte eos incessens, ne nimium ipsos exasperaret, sed tacite tamen taxans Verum, vt testatur Euangelista, *Iesus* quidem *hoc prouerbium dixit eis, illi autem non intellexerunt*. Quod reliqui Euangelistæ παραβολὴν parabolam nuncupare solent, hoc Iohannes παροιμίαν adagium vel *prouerbium* hic & Iohan. 16. v. 29. vocat. Hoc vero titulo insigniuntur illæ Christi conciones, in quibus externa verba aliud sonant, & sub illis verbis aliud est intelligendum. Nam fere sub imagine terrena res spirituales & cœlestes ab ipso proponuntur. Vt ergo alias Christi parabolas Pharisæi non sunt assecuti nisi ipse eas explicaret: ita nec hanc. Quopropter Christus ipse explicationem subiungit, ita tamen, vt de se quidem aperte eam interpretaretur, antithesin autem, quæ Pharisæos tangebat, tacite ipsis expendendam relinqueret. Atque hoc modo sermo ipsius eo minus calumniæ expositus fuit. Nos Christi explicationem quoque expendendam suscipiemus, non tamen ordine & secundum textum, vt hactenus soliti fumus, sed secundum personas & res, atque sic expositionem magis apertam futuram speramus. Occurrunt autem in hac parabola consideranda, 1. Pastor. 2. Oues. 3. Mercenarius. 4. Fures & latrones. 5. Lupus 6. Ouile. 7. Ostium & Ostiarius. Quæ si dextre explicata fuerint, parabola satis perspicua & aperta omnibus erit. Nos singula delibabimus.

I. De PASTORE dicit: *Ego sum pastor ille bonus*. Quod se pastorem vocat, in eo veritatem dicit. Est enim ἀρχιποιμὴν animarum nostrarum, 1. Petr. 2. vers. 25. & magnus ille Pastor ouium Heb. 13. versic. 20. qui ab initio fuit & ab æternitate, quem Deus eduxit ex mortuis in sanguine testamenti æterni. Nam vt virtute Verbi ipsius creati, sic etiam in ipso electi, vocati & intra ouile Ecclesiæ aggregati sumus. Vnde Dauid canit Psalm. 100. versic. 3. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos & non ipsi nos vt simus populus eius, & oues pascuæ ipsius. Et quoniam verus pastor est, ex talibus etiam Maioribus nasci voluit. Matth 1. versic. 20. inter proauos Christi numerantur Abrahamus, Isaacus, Iacobus, cuius filij Gen. 47. vers. 3. Pharaoni dicunt: Pastores ouium sumus serui tui, & nos & patres nostri. Dauid quoque Rex pastor fuit, & Deus eum sustulit de gregibus ouium, & de post fœtantes accepit eum, vt pasceret Iacob seruum suum & Israel hæreditatem suam. Psalm. 78. versicul. 70. Vt ita vere de Christo pronunciare possimus, ipsum pastorem natum esse à quatuor atauis suis. At vere hic dicit Christus: *Ego sum pastor ille bonus*. In Græco singularem Emphasin habet, quod articulus ὁ bis ponitur: ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός, in Latino id exprimitur per demonstratiuum *ille*. Atque sic digitum intendit potissimum in 34. caput Prophetæ Ezechielis. Et vult dicere. Vos Pōtifices, Sacerdotes Pharisæi & Scribę vos ipsos pro pastoribus populi Dei venditatis, qui soli ius habeatis, & ad communionem synagogæ admittendi, & ex eadem excludendi, quos velitis. Sed Propheta Ezechiel iam olim descripsit, quales pastores futuri sitis, nimirum v. 2. qui pascatis vosipsos, lac comedatis, lanis operiamini, & quod pingue est, occidatis, gregem autem ipsum non pascatis. Quod infirmum non consolidetis, quod ægrotum non sanetis. quod confractum non alligetis, quod abiectum non reducatis, & quod periit non quæratis; sed cum austeritate imperetis eis, & cum potentia. Porro ibidem versic. 22 promittit Deus vestri loco alium pastorem, dicens: Saluabo gregem meum, & non erit vltra in rapinam, & iudicabo inter pecus & pecus. Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Pastor *ille* à Deo promissus sum *Ego*. Sicut idem etiam promissum fuit per Iesaiam capite 40. versic. 10.

Quia vero non satis est affirmare & gloriari se bonum esse pastorem, sed idem etiam probandum: ideo Iesus tribus argumentis probat, se bonum esse pastorem. Primum argumētum sumptum est à fidelitate. Boni pastoris est, vt oues suas & tueatur & pascat. Dominus Iesus vtrumque præstat suis ouibus. 1. Eas tuetur, *quia bonus pastor ponit animam pro ouibus*. Hoc membrum apud nos Christianos iam nulla indiget probatione. Siquidem ex historia passionis satis abunde constat, quomodo Christus animam pro nobis posuerit. Cum enim infernalis *lupus*, Diabolus, insidiaretur animabus atque corporibus nostris, nosque totos à Deo iam auulsisset, ita vt omnes non tantum quasi oues erraremus Iesa. 53. v. 6. Sed & in infernali ipsius rictu hæreremus, iamiam in æternum exitium degluitiendi: ibi venit Christus saluator, lupo sese opposuit, & in mortem imo in infernum vsque sese demersit, quomodo si pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ eruat: sic Christus nos ex perditione eruit. Amos 3. versi. 12. Et quemadmodum Dauid de se testatur, quod, dum pasceret gregem patris, venerint leo & vrsus, qui arietem de medio gregis abstulerint, ipse vero eos persecutus sit, prædam eripuerit, leonem suffocarit, & vtrosque interfecerit. 1. Samuel. 17. versicul. 34. Sic cœlestis noster Dauid Christus, populum suum à Diabolo raptum ex ipsius faucibus & vnguibus rursus eripuit, sicque vere *bonum pastorem* sese esse cōmonstrauit. Huius vt Christus discipulos suos commonefaceret, in postrema cœna ipse allegauit dictum Zachar. 13. v. 7. Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis. Matth. 26. versicul. 31. Ideo Paulus recte Romanorum 5. versic. 6. mirifice commendat hoc factum Christi, quod pro impiis mortuus est, cum vix pro iusto quis moriatur. Sed hoc facit ad probationem boni pastoris. 2. Christus etiam oues suas pascit. *Nam venit vt pascua inueniant: vt ingrediantur & egrediantur, vt vitam habeant & abundantius habeant*. *Pascua* ouium in hac vita sunt doctrina verbi diuini, & præcipue doctrina Euangelij, quam omnibus hominibus absconditam Christus prodiens ex sinu æterni patris nobis reuelauit, & in eo nobis proponit panem vitæ, quem qui comedit, non esurit in æternum: proponit etiam aquam vitæ, quam qui bibit, fluent de ventre eius flumina aquæ viuæ. Ad hæc pascua etiam pertinet communio sacrosancti corporis & sanguinis Dominici, sub benedicto pane sacræ cœnæ & consecrato calice: *item* interna consolatio sancti Spiritus in omnibus *aduersis*, qui nunquam patitur nos in vllo deficere. *Hisce* salutaribus pascuis si in hac vita destitueremur, *vtique in via deficeremus*. In futura autem vita demum Deus pascet oues suas Ezech. 34. v. 14. in pascuis vberrimis & in montibus excelsis Israel: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. in talibus pascuis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis comprehendere potest. *Ingredi & egredi* phrasi Hebraica significat prospere agere in omnibus vitæ actionibus, sicuti Dauid erat ingrediēs & egrediens coram Israel & Iuda 1. Reg. 18. vers. 16. & omnes diligebant eum. Christus ergo est ille Dominus, qui facit vt simus benedicti ingredientes & egredientes. Deuter. 16. vers. 6. hoc est, vt in omnibus vitæ actionibus non impingamus, sed quocunque nos conuertimus, feliciter res nostras expediamus. D. Augustinus spiritualem hic habet sensum & per ingressum intelligit introitum in Ecclesiam, qui fit per baptismum sacramentum initiationis: per egressum autem intelligit discessum ex hoc mundo ad cœlestem Patrem. Vt ita sit Christus Dominus ille, qui custodit introitum nostrum & exitum nostrum, ex hoc nunc & vsque in secula. Psalm. 121. ver. vltimo.

Denique Christus oues suas ita pascit, *vt vitam habeant, & abundantius habeant*. Potest hoc non vno modo intelligi. Nimirum, quod Christus venerit, vt ipsius oues redemptę in hoc seculo ipsius beneficio viuant per gratiam, in altero autem seculo *abundantius* per gloriam & diuinæ maiestatis contemplationem. Aut; quod Christus propterea venerit, vt oues morbidæ & mortuæ, primo quidem ab ipso vitam habeant, qua accepta, deinde in omni virtutum genere crescant, atque ita ambulent, vt, iuxta monita Pauli, magis abundent. 1. Thessal. 4. versicul. 1. Augustino prior sensus plus placet: vt oues Christi *vitam habeant* ingredientes in Ecclesiam, & *abundantius habeant* egredientes ex hoc seculo vitam æternam. Hoc audientes filij huius seculi & cognoscentes se in alteram vitam remitti, vt ipsis bene sit, mallent loculum Fortunati, & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Psal. 144. ver. 13. in hac vita habere. Sed Christiani meminisse debent, quid Christus dicat: Marc. 8. 36. quid proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat? In hoc enim sita est vniuersa salus nostra & temporalis & æterna, vt Christus Iesus sit pastor noster. Sub hoc pastore nihil nobis deerit: Psalm. 23. v. 1. Vnde Dauid etiam alibi dicit: Si te habeam Domine, quid vlterius desidero vel in cœlo, vel super

vel super terram? Deficiat sane caro mea & cor meum: Deus cordis mei & pars mea est in æternum. Psalm.73. versic.25. Et rursus: Beatus populus cuius Dominus Deus eius. Psalm. 144.v.vlt.

Secundum argumentum, quo Christus probat se esse *bonum illum pastorem*, desumptum est à solicitudine pro ouibus. Ideo dicit: *Ego cognosco oues meas, & cognoscor à meis.* Vbi verbum *cognoscere* non nudam notitiam significat, sed simul diligentem curam & custodiam comprehendit: non affectum tantum denotat, sed effectum. Vnde etiam addit: *Sicut nouit me pater, & ego noui patrem.* Vbi certe Pater nouit Filium, quod eum pro naturali suo filio agnoscit, amplectitur, amat, & omnia eius intime curat atque approbat, etiam quando *ponit animam suam pro ouibus*, hoc est, quando cruce pressus, animam efflat, tumulo conditur, & non pro homine, sed pro verme & catharmate habetur. Vicissim *filius nouit patrem*, quod agnoscit se habere & accepisse omnia ab ipso, seque ipsi charum curæque esse, si maxime totus mundus eum persequatur. Hæc est notitia inter Patrem & Filium: talis etiam est inter Christum & oues. Christus oues suas ita cognoscit, quod scit eas à Patre ab æterno esse prædestinatas, & sibi ad redimendum ac saluandum datas. Nouit enim Dominus qui sint sui. 2. Timoth. 2. vers. 19. ideo etiam suos amando solicite ipsis procurat, quæcunque ad ipsorum salutem pertinent. Oues vicissim Christum nouerunt, dum agnoscunt ipsum sibi à patre datum pastorem & Redemptorem, cui acceptum ferre debeant, quicquid boni habent in hac vita, & adhuc accepturi sunt in vita altera, apud quem etiam vnicum & solum quærere debeant, quæcunque ad salutem sunt necessaria. Hic enim est ille bonus pastor, qui gregem suum redemit, non corruptibilibus, auro & argento, sed precioso suo sanguine. 1. Petr. 1. vers. 18. Hic est geminus sensus verborum Christi, vt non opus sit argute disputare, quomodo nos homines tam perfecte possimus Christum nouisse, quam perfecte Christus Deus Deum Patrem norit. Nam etiam alias constat, in huiusmodi collationibus similitudinem tantum ex parte currere, nec per omnia esse parem aut æqualem. Prodest autem oues adhuc aliquanto diligentius expendere, quomodo Christus ipsas norit. Non nouit eas tantum ab extra in colore, magnitudine & aliis signis externis: sed potius ab intra, tanquam scrutator renum & cordium. Vnde Iohann. 2. vers. 24. dicitur: non indigebat, vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine. Sic Iohan. 6. versic. 70. de Iuda dicit, quod sit Diabolus, quia eum erat traditurus. Et Luc. 8. versic. 46. notat, quis eum attigisset, licet clam admodum illud factum fuerat. Quisque ergo viderit, quomodo vitam suam instituat, ne huius Pastoris oculos omnia videntes offendat. Vtque tanto certius oues suas cognoscat, earumque curam gerat, notat illas rubrica sanguinis sui in baptismo, idque eum in finem, sicut inferius dicet: vt *oues ipsius nemo rapiat de manu eius.* Alias vulgo dicitur: Lupus etiam signatas oues deuorat. Sed hoc in loco illud nequaquam fit. Verum quemadmodum Exod. 12. vers. 23. percussor angelus transiuit ædes Israelitarũ, quando vidit sanguinem agni paschalis in superliminari & vtroque poste: ita tales oues sanguine Christi notatas, nulla diabolica vis lædere potest. imo in ipsa etiam morte hæc rubrica sanguinis Christi durat, vnde etiam de manu mortis oues suas liberabit. Ose. 13. v. 14.

Tertium argumentum quo Christus probat se *bonum illum esse pastorem*, desumptum est à diligentia, qua amplificat suum ouile. De qua dicit: *& alias oues habeo, quæ non sunt ex hac ouili, illas quoque oportet me adducere & vocem meam audient.* Loquitur proprie de vocatione gentium, quæ tum temporis adhuc erant alienæ, nec de ouili vel congregatione credentium ex Iudæis. Christus quidem non exiit ad gentes, vt eas ad consortium suæ Ecclesiæ vocaret. Fuit enim minister circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Romanorum 15. vers. 8. Ideo etiam Matth. 15. vers. 24. dicit: non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Ideo etiam Apostolis in prima missione interdixit, ne abirent in viam gentium. Matth. 10. versi 5. Sed post resurrectionem ipsis iniunxit, vt exirent in vniuersum mundum, & Euangelium prædicarent omni creaturæ. Marc. decimosexto, vers. 15. Nam, teste Iohanne, propterea Christus mortuus est, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum, Ioh. 11. versic. 52.

Ex hac Christi sententia etiam discimus, 1. esse tantum *vnam Ecclesiam*, quæ sit *Christi ouile*. Vt enim vna tantum fuit arca in diluuio, vnum templum Iudæorum, vna sponsa Christi, vnum eius corpus, vna vinea, vna domus, quæ Ecclesiam repræsentant: ita quoque vna tantum Ecclesia, à qua quis aberrat, & exulat, is perit in æternum. Quia extra Ecclesiam non est salus. 2. Attendendum, ne hoc ouile Christi vel nimis arctis finibus concludamus, vel nimis late extendamus. Coarctare volebant olim Iudæi Actor. 10. vers. 2. qui ægre ferebant Petrum ad Cornelium Centurionem & gentes ingressum. Coarctant eam hodie Pontificij, qui Ecclesiam alligant ad sedem Romanam. Nimium dilatant, qui quemuis in sua religione saluari contendunt, modo bona intentione Deo seruiat. Quasi vero Ecclesia sit canum & porcorum stabulum, quod commixtionem quarumuis ferarum admittat. Iccirco licet Ecclesia Christi *Catholica* dicatur: tamen 3. sciendum Ecclesiæ membra ad verbum Euangelij alligata esse, quia *oues Christi vocem eius audiunt*. Ergo quicunque Euangelium vel non audiunt, vel contemnunt, vel persequuntur, eos Christus non pro suis ouibus agnoscit. Neque enim alio medio, quam per prædicationem Euangelij *alienas oues adducit*. Potest tamen hæc sententia etiam accommodari ad ouiculas à pastore aberrantes: in his reducendis Christus admodum est diligens, sicut reduxit Dauidem & Petrum. Imo Luc. 15. vers. 4. reliquit nonaginta nouem in deserto, & quærit vnicam ouiculam amissam. Ipse primum sordidas oues lauat, in probatica baptismi: infirmas roborat & confirmat corpore & sanguine suo in Eucharistia: nimium lasciuientes & in deuia proruentes vnco crucis ad se retrahit: morbidis medicatur per varias tribulationes: si grande infortunium imminet, eas in cubiculum mortis compellit, vt sic ad cœleste perueniant ouile, nec videant malum, quod venit super habitatores terræ, sicut de Iosia dictum est. Paral. 34. v. 28. Huius fidelitatis tanti benefactoris nunquam obliuiscamur: sed cum Dauide canamus; ex Ps. 146. v. 1. lauda anima mea Dominum: laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero.

Et ex hisce patet quoque quam iucundum atque consolatione plenum sit, quod Christus sibi *pastoris* titulum attribuit. Potuisset seipsum Regem vel principem nuncupare: quia etiam tales habet in sua genealogia, sed pastoris titulum maluit, eo quod hac ratione perennem suam erga nos curam melius exprimere potuit. Omnia alia officia suas habent vices & inducias: pastor autem non item. Huius labores & curæ sunt diurnæ, nocturnæ durant diebus festiuis & reliquis.

Vsus horum omnium hic est: vt fideles verbi ministri & Ecclesiarum pastores, qui huius ἀρχιποιμένος serui sunt, ex his non minus quam ex superioribus addiscant, quid sui sit muneris, & quomodo Christum imitari debeant. 1. Tempore necessitatis, in bello, peste, persecutione parati sint *animas suas ponere pro ouibus.* Sic Paulus 2. Cor. 7. vers. 3. paratus fuit & ad commoriendum & ad conuiuendum cum Corinthiis. Et Actor. 15. versic. 25. Concilium Hierosolymitanum Barnabæ & Paulo hoc testimonium perhibuerunt, quod animas suas tradiderint pro nomine Domini nostri Iesu Christi. Pontificij iactitant se plures, quam 30. Papas Romanos, numerare posse, qui sanguinem suum pro Euangelio Christi profuderint, & martyrio coronati fuerint. Respondeo: Fateor, *fuerunt*, sed ante mille & plures annos, Vbi autem hodie illi sunt? Ex historiis, per aliquot secula plures quam 60. numerari possunt, qui testes Euangelicæ veritatis occiderunt, atque sic alieni non proprij sanguinis tantam copiam effuderunt, vt Iohannes viderit Babylonicam meretricem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. Apoc. 17. v. 6. Discant ergo Pastores oues suas amare, nec temere eas deserant. Nam qui tempore persecutionis, vel pestis, vel belli, suos auditores deserunt, illi inter Mercenarios reponuntur, vt audiemus.

2. *Nouisse etiam debent pastores oues suas.* Hoc nemo impossibile esse iudicet, nisi fortassis in populosioribus ciuitatibus, vbi tamen Pastor multum proficiet, si diligentiam aliquam adhibeat. Norit autem, an ouis sit languida, an robusta: & si morbida, an sit obligata vel non. Ideo non ægre ferant auditores, si pastores diligenter inquirant, an etiam frequentes sint in vsu cœnæ, an non? Hoc enim ipsorum est officij, & minatur Deus, se ex ipsorum manibus reposcere velle sanguinem eorum, qui illorum incuria pereant. Ezech. 3 v. 18. Et ad hoc conducunt visitationes Ecclesiarum, atque Catechetica examina iuuentutis.

3. Operam dent vt amplient Ecclesiam & ad *ouile Christi reducant* errantes, Pontificios, Caluinianos & alios, siue phanaticos, siue prophana vita exorbitantes. Fit hoc 1. diligenti prædicatione verbi, 2. Tim 4. versic. 2. prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Et Petrus 1 Epist. 5. vers. 2. Pascite gregem Dei qui vobis commissus est, prouidentes non coacte, spontanee secundum Deum. Fit idem etiam vtilibus scriptionibus, quando aduersariorum argumenta solide refutantur, & via veritatis neruose monstratur. 2. Piis precibus, quando Christum solicitamus, vt ipse det voci suæ [illegible] virtutis

Psalm.68.versiculo 34. & vt Spiritu suo conuertat errantes. 3. Bono exemplo: sicuti Paulus Tit.2.versic.7. Et Petrus 1. Epist.5. vers.3. requirunt, vt ministri verbi sint exemplaria gregis & typi fidelium. Multi enim bono exemplo trahuntur, qui verbum non audiunt. 4. Seuera correctione, si qui, coram omnibus peccarũt, coram omnibus etiam arguantur. 1.Tim.5.versic.20. Et Corinthiis Paulus scribit: quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & Spiritu mansuetudinis? 1.Cor.4.v.vlt.

Porro, quia Christus in superioribus argumentis, quibus se bonum pastorem esse probauit, bis dixit, se propterea bonum pastorem esse, quia *ponat animam suam pro ouibus*, & non ignorabat, quam graue futurum esset illud scandalum crucis & mortis apud plerosque. Nam ratio sic cogitat: num is, qui seipsum ab acerba & ignominiosa morte crucis seruare non potuit, seruabit alios? Item: num ille nos Deo mortis suæ merito placaret, qui in ligno mortuus est, cum ipso Dei ore Deut.21.versic.vltim. maledictus pronuncietur, qui in ligno moritur? Ideo Christus de illa sua morte pluribus disserit, atque se Patri ob crucis mortem vsque adeo non exosum testatur, vt propterea eum vnice diligat, quia æterno ipsius decreto, quo genus humanum ab æterna morte redimere constituerit, satisfaciat. Hanc obedientiam Patri adeo gratam esse affirmat, vt *propterea eum diligat Pater, quia animam suam ponat, vt iterum sumat.* Hanc obedientiam D. Apostolus Paulus ad Philipp.2.versic.8. egregie illustrat, eumque Patri tantopere placuisse testatur, vt non tantum per eam miseros mortales sibi reconciliari passus fuerit: sed etiam propterea nomen supra omne nomen filio suo donarit, vt in nomine Iesu curuentur omnia genua cœlestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur Iesum Christum esse Dominum in gloria Dei Patris. Atque sic nos redemit à maledicto, quia pro nobis in ligno maledictum factus est. Gal. 3.versic.13. *Hoc mandatum accepi à patre meo.* Vult docere, se in hunc finem & cum hisce mandatis à Patre suo in hunc mundum missum esse, vt voluntaria & spontanea sua morte genus humanum ab æterna morte redimeret. Et hoc suum obsequium Patri suo gratissimum esse, sibi vero gloriosum fore, siquidem per mortem carnem suam velit subuehere in cœlestem gloriam.

Phrasis quoque & genus sermonis est expendendum, quod Iesus dicit: *Ego pono animam meam & nemo tollit eam à me.* Vulgata phrasi *animam ponere* idem significat, quod simpliciter mori. Sic Petrus Iohan.13.versic.37. dicit Christo: Ego animam meam pro te ponam, hoc est, ego pro te moriar. Et Iohannes vult 1. Epist.3.v.16. vt animas ponamus pro fratribus, hoc est, vt vitam nostram internecioni pro ipsis exponamus. Hic vero Christus hac phrasi voluntariam suam mortem indicare voluit, quod non hostium suorum potentia victus succubuerit, nec illi ipsi inuito & reluctanti animam erepturi sint, sed ipse eam vltro depositurus sit, vt sic patri obedientiam præstet, & miserum mortalium genus à morte & perditione liberet. Sicuti etiam seipsum persequentium manibus vltro tradidit Ioh.18.v.5. ex quibus etiam rursus elabi potuisset, si voluisset. In cruce quoque Spiritum emisit & Patri commendauit, eo ipso momento quo ipse voluit & sciuit omnia consummata esse. Ioh.19.vers.30. Atque sic reipsa commonstrauit verum esse, quod hic dixit: *à meipso potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus sumendi eam.* Quibus verbis diuinitatem suam innuit. Neque enim vllus hominum *habet potestatem* siue *ponendi animam*, siue *sumendi eam.* Si quis ipse deponere velit animam suam vel ex impatientia, vel ex desperatione, sicut interdum faciunt αὐτόχειρες, tum is committit peccatum contra quintum præceptũ, & fit homicida proprij corporis: Neque enim nos homines ius habemus in propriam animam, sed Deus, qui ipsam ceu depositum nobis commendauit, quod ipsi reddere debemus, quando ipse illud reposcit, non quando nos volumus. Ideo sancti vitæ huius miseræ pertæsi, non ipsi deposuerunt animas suas, sed cum Elia Deum rogarunt, 1.Reg.19.vesic.4. vt ipse tollat animas ipsorum. Aut cum Simeone Luc.2.v.29. Dimitte seruum tuum Domine in pace. Et cum Paulo: cupio dissolui & esse cum Christo. Philip.1.v.23. Desiderium itaque habere possumus ponendi animam, sed non *potestatem.* Eam solus Christus habuit, tanquam Dominus vitæ & mortis. Ideo in cruce omnibus consummatis, animam suam cum vellet Patri suo magna voce in manus tradens, expirauit: & eandem tertia die resurgens resumpsit, vt sic se mortis victorem esse declararet. Inquirunt autem Scholastici quomodo Christus animam suam posuerit, an secundum diuinitatem, an secundum humanitatem. Et quodcunque horum dicas, absurda colligunt. Quod inde fit, quia vnionem personalem non intelligunt. Ipse ὁ λόγος Dei filius, qui in vnitatem personæ suæ humanam naturam assumpsit, vt in passione quieuit, hoc est, virtutem suam non exeruit, vt vi mortem depelleret: sic in ipsa morte animam quidem suam in manus patris in paradiso deposuit, corpus autem sepulchro condi curauit, à neutro tamen ipse auulsus aut segregatus est, sed cum anima & corpore personaliter vnitus mansit, donec die tertia in die resurrectionis animam & corpus quoque rursus vniret, & in corpore gloriose resurgeret. Hæc de Pastore dixisse sufficiant.

II. De OVIBVS. Christus suos sectatores confert: non canibus, qui sunt inuidi & irritabiles: non catis, qui ex insidiis mordent & nocent: non porcis, qui in luto volutantur: non pauonibus, qui sunt superbi: non lupis, qui sunt voraces: non vrsis, qui nemini sunt fidi: sed *ouibus.* Sic vero nobis miseriam nostram ob oculos vult ponere, vt cogitemus, in quam lamentabili statu hæreamus, antequam ad Ecclesiasticum ouile Christi adducamur. Initio quidem à Deo mundi, puri, & sani eramus creati, in iustitia & sanctitate. Ibi cum libere versabamur in benedictis pascuis paradisi, Deo grati eramus, & in ipsius quasi sinu dormiebamus. Sed quamprimum Diabolus nobis persuasit, nos Deo similes futuros, si ipsum audientes de arbore vetita comederemus, mox Pastori nostro tergum vertimus, eumque deseruimus. Ideo pastor noster nos vicissim ex paradiso expulit, & Cherubinis excubiis ad portam paradisi appositis, perpetuo inde exclusos nos esse voluit. Vt ergo ouis à grege aberrans, tam diu in eremo vagatur, donec incidit in lupi violentiam: Sic nos in deserto huius mundi oberramus, donec nobiscum actum sit. Ideo Ies.53.v.6. scribitur: omnes quasi oues errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit. Via autem hæc non est via veritatis, sed via iniquitatis & perditionis: sunt viæ difficiles & noxiæ. Sap.5. versiculo 7. Viæ quæ eo ducunt, vt eas ambulantes, vel tandem sicut oues in inferno positi sint, & mors ipsos depascat. Psalm.49.v.5 Sunt enim tales abalienati à vita Dei, quæ est per ignorantiam, quæ est in illis propter cœcitatem cordis ipsorum Ephes.4.vers.18. Agnoscamus ergo immensam Dei bonitatem, quod nobis pastorem dedit filium suum qui nos per Euangelium ceu cornu pastoricium errantes vocat, in probatica baptisterij nos lauat, sanguinis rubrica nos signat, & in ouili suo nobis locum concedit, vt æque læta voce canere possimus ac Dauid: Dominus meus pastor, *nihil mihi* deerit, &c. Psalm.23.vers.1. Iam ergo cogitandum quomodo erga tantam bonitatem nos gratos exhibere velimus, ne nobis idem obiiciatur quod Iudæis Deut 32.v.6. Hæccine reddis Domine popule stulte & insipiens? nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te? Et v.15. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum & recessit à Deo salutari suo. Hic ergo ouium naturæ sunt considerandæ & imitandæ: quod breuiter faciemus.

1. Primo quidem in ouibus culpandum, quod tam facile ex simplicitate à pastore & à grege aberrant, & semel in errorem lapsæ subinde longius recedunt: hoc tamen vicissim in ipsis laudandum, quod quando pastor ipsas vicissim quærit & vocat, tum facile se inueniri patiuntur, & quando ipsis sal atque absynthium ad præsepe apponit, vt ad ouile assuescant, non reiiciunt, sed reiiciunt. Ita Deo displicet, & grauiter is in nobis reprehendit, quando peccamus: sed quando per verbum pœnitentiæ reuertimur, tum gaudium est in cœlo Luc.15.v.7. & ibi quoque sequitur sal & absynthium crucis, quod cum patientia suscipere debemus. Sic Dauid lapsus & à Nathane quæsitus, mox se Domino peccasse fatetur. 2.Sam.12.v.13. & Publicanus in templo percutit pectus suum, seque peccatorem esse confitetur. Luc.18.v.13. Tales reuertentes Deo grati sunt, & accepti. Mundi ingenium est, quod licet grauiter exorbitet, non tamen videri vult quasi peccasset: sicuti Deus de Iudæis conqueritur. Ier.8.vers.4. Hæc dicit Dominus. Nunquid qui cadit non resurget? & qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contumaci? Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens, quid feci? Pij longe aliter sunt affecti. Dauid dicit in Ps.141.v.5. Corripiat me iustus in misericordia, & increpabit me: hoc tanquam oleum impinguabit caput meum.

2. Laudabile etiam est in ouibus, quod pastorem suum exacte norunt, si mille viri vna starent, ouis ex omnibus pastorem vocantem nosset. Sic nos Christiani pastorem nostrum Iesum Christum nouisse debemus, tam quoad personam, quam quoad officium, quod sit noster pastor & seruator qui nos ab vrsis & leonibus, à diabolo & inferno liberarit. In hac Christi cognitione consistit fundamentum salutis nostræ, sicut Christus ipse dixit Iohan.17.vers.3. Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et apud Iesaiam dicit Deus cap.53.v.11. Cognitione sui seruus meus iustus iustificabit multos. Ier.9.v.23.

& 1.Cor.

& 1. Cor. 1. v. 31. non glorietur sapiens, fortis, nec diues: sed qui gloriatur, glorietur se scire & nosse me. Nam Deum nosse consummata iustitia est, & scire iustitiam atque virtutem Dei est radix immortalitatis. Sap. 15. versic. 3. Ethnici magnifecerunt suum illud: Nosce teipsum. Et sane est illud aliquid. Sed tu Christum adde: Nosce etiam seruatorem tuum Iesum Christum. Hæc duo coniuncta prosunt, sicuti D. Augustinus ea coniunxit, orans: Da bone Iesu nosse te, & nosse me. Si Christum bene scis, satis est si cætera nescis. Si Christum nescis, nihil est si cætera discis.

3. Inter omnes ouicularum proprietates hæc fere præcipua est, quod *vocem pastoris* amant, eamque libenter *audiunt*; maxime quando ad pascua & fontes duci debent. Sunt qui putant, agnum ab agnoscendo dici, eo quod & matris suæ & pastoris vocem agnoscat inter mille. Si certe Christianus Christi pastoris sui vocem libenter audire debet: diligenter versetur in pascuis Christi. Voluptas eius sit in lege Domini, & in lege eius meditetur die ac nocte. Psalm. 1. vers. 2. Sic Dauid de se testatur Psalm. 119. vers. 14. Testimonia tua, Domine, meditatio mea est: & consiliarij mei iustificationes tuæ. Dilexi mandata tua super aurum & obrizum: suauiora sunt super mel & fauum. Impiorum beatitas est in ipsorum diuitiis & voluptatibus, vt cantant: Magis quam Ecclesiam diligo tabernam, &c. Sed piorum beatitudo est in domo Dei. Dauid Psalm. 26. versic. 8. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Psalm. 27. vers. 4. Vnum petij à Domino &c. Psal. 84. versic. 1. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, &c. Psalm. 122. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Si quis hoc modo Christi vocem diligit, eum Christus vicissim diligit. Iohann. 14. versic. 23. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Contemptores autem verbi à Christo reiicientur. Oseæ 4. versic. 6. Corruet populus meus & ad silentium redigetur, eo quod non habeat scientiam. Et in nouissimo die Christus ipse dicet: Discedite à me, nunquam noui vos. Matth. 7. v. 23.

4. Oues *pastorem, quando antecedit, sequuntur*. Sic Christiani non tantum audiant vocem pastoris, sed etiam eidem obtemperent, & facto, de quo monentur, impleant. Idque non tantum faciant erga ἀρχιποίμενα Christum, sed etiam erga fideles ipsius seruos & ministros. De quibus Paulus dicit 1. Tim. 5. vers. 17. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur. Maiorem autem honorem auditores ipsis habere non possunt, quam quando locum concedunt doctrinæ, exhortationi, & redargutioni, correptioni. Ideo Hebr. 13. vers. 17. Paulus rursus dicit: obedite præpositis vestris, quia vigilant pro animabus vestris rationem reddituri, vt cum gaudio faciant officium non gementes. Hoc enim non expedit vobis. Quare, si quando phanatici, fideles pastores apud auditores in contemptum adducere cupiunt, eos nequaquam audiant, ne aue quidem ipsis dicant, 2. Iohan. v. 10. sed ab ipsis fugiant, nullam communionem cum ipsis habeant, ne praua colloquia corrumpant bonos mores. 1. Corinth. 15. v. 33. Imo ne proprie quidem rationis dictata in eo audiant.

5. Oues sunt etiam suis possessoribus adeoque omnibus vtiles & fructuosæ: esurientes pascunt suis carnibus, sitientes potant lacte, fimo promouent fertilitatem agrorum: mœstos recreant suis intestinis, dum fides ex ipsis conficiuntur: nudos vestiunt sua lana, atque sic recte Baptistæ regulam seruant, dicentis: Qui duas tunicas habuerit, det alteram carenti. Luc. 3. v. 11. Eodem modo etiam Christiani erga se inuicem affecti esse debent, vt non vnus ad se omnia rapiat, sed aliis etiam aliquid relinquat. Et qui in hoc ouium beneficentiam imitabitur, eum Christus commendabit in nouissimo die. Matth. 25. v. 35. Ideo Paulus Hebr. 13. v. 16. monet: Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: tales enim hostiæ placent Deo. Psalm. 112. versic. 5. Iustus miseretur & commodat: in æternum non commouebitur: dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. 2. Cor 9. vers. 7 Hilarem datorem diligit Deus. Psalm. 41. versic. 1. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Hi sunt fructus fidei, vt & frequentes aliqui, quos Christus nos vult edere, vt non tantum simus auditores, sed etiam factores verbi Iac. 1. vers. 22. Inde enim cognoscitur, quod tales auditores semen Euangelij susceperint in corde bono & fructum ferant in patientia. Matth. 13. vers. 23.

6. Oues quoque pure & munde se seruant, non imitantur lutulentas sues, quæ in quouis volutabro luti se polluunt. Sic Christiani puritati studeant in verbis, gestibus & factis. Matth. 5. vers. 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Hebr. 12. v. 14. Sequimini sanctimoniam: sine qua nemo videbit Deum. 1. Thess. 4. v. 3. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.

7. Oues etiam humiles sunt, non altum exultant, vt equi: non lana superbiunt, vt pauones pennis: non in sublime ascendunt vt capræ. Sic etiam Christiani humili dignitate sint contenti. Nam qui alta petunt, fere cum Phaethonte & Iccaro ad ima præcipitentur. Bene itaque monet Syracides, c. 3. v. 20. Fili, quanto maiores, tanto submissius te geras, & gratiam inuenies apud Dominum, quoniam potentia Domini magna est, & gloriam ab humilibus consequitur. Accommodent sese ostio sui ouilis, quod, vt audiemus, est Christus: qui ipse de se dicit: Matth. 11. versic. 29. discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde. Sicuti etiam in caulis non sublimes & altæ portæ, sed humiles & depressæ ianuæ inueniuntur.

8. Magna etiam est simplicitas ouicularum. Sunt sine dolo & sine vulpina astutia. Sic Christiani etiam simplicem ingenuitatem amare debent: non aliud ore profiteantur & aliud corde premant. Sed sit ipsorum sermo, est, est; non, non. Matth. 5. v. 37. Talis ouicula fuit Iacobus Patriarcha, qui ingenue & fideliter egit cum iniquo suo socero Labano, licet hic decies mercedem eius mutarit. Gen. 31. vers. 41. Iob quoque in scripturis hoc habet testimonium, quod fuerit vir simplex & rectus Iob. 1. v. 1. Singuli ergo Christiani quotidie ex 25. Psal. v. 1. precentur: simplicitas rectumque tuum me Christe gubernent.

9. Sunt quoque oues macris & tenuibus pascuis contentæ: imo si in nimis pinguia pascua incidant, fere fiunt morbidæ, vt pulmones & iecinora ipsarum putrescere incipiant. Ita Christiani non nimiam rerum affluentiam appetant: sed sint contenti si habeant victum & amictum, alimenta & tegumenta. 1. Tim. 6. v. 8. Nam si diuitiæ nimium affluant, homines cor apponere solent. Psalm. 62. vers. 11. atque tum omnis pietas putrescere in illis incipit. Ideo Salomon Prouerb. 30. vers. 8. nos sic orare docet: Domine, mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer & peiurem nomen Dei mei.

10. Ouis etiam est sociale animal, libenter se aggregat gregi, nemini damnum infert, & nec fronte nec cornibus ferit, vt petulci hirci. Sic Christiani cum aliis accurrant ad templum, vt gregatim ibi audiant vocem pastoris sui. Hinc Paulus monet Hebr. 10 vers. 25. non deserentes congregationem. Nam quamprimum ouis à grege sese segregat, tum facilime lupus eam apprehendit: sic Christianus, qui negligens est auditor verbi, facilime ab infernali leone circumeunte deuorari potest. In politica etiam conuersatione Christiani sint pacis studiosi, fugiant contentiones non necessarias, memores illius Psalm. 133. versic. 1. Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum &c. vt apud ipsos locum habeat commonefactio Pauli Philipp. 2. v. 2. Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes idipsum sentientes: nihil per contentionem, neque inanem gloriam, sed in humilitate, superiores sibi inuicem arbitrantes.

11. Ouis quod raptim & cursim in pascuis comedit, illud postea domi in quiete ruminat. Ita Christianus in templo debet discere & apprehendere pabulum sanæ doctrinæ, domi autem cum familia & liberis idem repetere. Sic Maria Luc. 2. versic. 19. conseruabat verba audita, conferens ea in corde suo.

12. Ouiculæ, quando aduersi quid ipsis accidit, balant alta voce, sicque metum suum produnt. Sic Christiani in omnibus suis aduersis sinant sonare suum Pater noster, & Miserere mei Deus. Precationum & gratiarum actionis nunquam obliuiscantur. Sic enim Deus ipse Psalm 50. v. 15 Inuoca me in die tribulationis: & eruam te, & tu glorificabis me. Et Paulus 1. Thess. 5. versic. 17. Sine intermissione orate: in omnibus gratias agentes Deo. Hæc enim est voluntas Dei, in Christo Iesu, in omnibus vobis.

13. Denique ouiculæ sunt patientes, nec dentibus, nec vnguibus, nec calcibus nocent: non habent cornua, vt tauri: non proboscidem, vt Elephas: non aculeum vt scorpios: in tempestatibus, in æstu, in frigore, in imbribus grandine & niue omnia sustinent sine recalcitratione, etiam ad occisionem ductæ obmutescunt. Vnde quoque Christus Iesa. 53. vers. 7 tali agno confertur. Sic etiam Christianus affectus esse debet, vt cunctis prodesse cupiat, nocere nemini. Tempestates quoque tribulationum & persecutionum patienter ferat: & si propter Christum mors sit oppetenda, non refragetur, quia Christus ipsum ab æterna morte redemit. Certum enim est, si commortui fuerimus, & conuiuemus: & si sustinuerimus, etiam conregnabimus, 2. Ti. 2. vers. 11.

Archipastor noster Iesus Christus det omnibus Christianis per spiritus sui gratiam, vt tanquam piæ ouiculæ se gerant,

verbum ipsius ament, recte credant, pie viuant, crucem patienter sustineant, & tandem cum omnibus electis in domum Domini congregentur.

III. DE MERCENARIO. In superioribus bis indicatum est, quibus dotibus fidi Christi serui & boni Ecclesiarum pastores præditi esse debeant. Et optandum foret, omnes illa requisita habere, sicuti sane Dei beneficio passim multi eiusmodi inueniuntur. Sed Christus prædicit, non omnes tales futuros, quia diabolus etiam suos mittit Apostolos, & eos quidem in angelos lucis transformat. 2. Corint. 11. vers. 14. & proinde vult vt oues Ecclesiasticæ, quia sunt rationales, sibi ab huiusmodi seductoribus caueant. Tales autem hic nominat alienos, mercenarios, fures, latrones. *Mercenarius* ab illis omnibus differt in eo, quod Euangelium etiam syncere docet, non minus quam verus pastor, quamdiu est tranquillitas & serenitas. Quamprimum autem oritur tempestas persecutionum, mox cedit. Hinc Augustinus dicit: Pastor diligendus, latro cauendus, tolerandus mercenarius. Tamdiu enim ille vtilis & salutaris est, quamdiu non videt lupum: quo viso, fugit, & tum vitandus. Sæpe botrus de radice vitis exortus pendet in spinis: botrum carpe, spinas caue. Periculosum tamen est, ne carpens lædatur. Sed *Mercenarium* aliquanto diligentius examinabimus. Multi inueniuntur, qui *mercenarij* titulo complectuntur omnes, qui pro mercede in Ecclesia docent, & ex ministerio victum quærunt. Hos si Christus intelligeret, nunquam Matth. 10. vers. 10. Apostolos ad docendum emittens dixisset: dignus est operarius mercede sua. Neque Paulus scripsisset, 1. Corinth. 9. vers. 14. Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Sed *Mercenarius* hoc loco dicitur. 1. Qui precio præbendam Ecclesiasticam redimit. Sicuti Menelaus Iudæus Pontificalem dignitatem ab Antiocho redemit trecentis talentis. 2. Maccab. 4. v. 4. Et sequentes Pontifices fere omnes ad Christi vsque tempora Pontificatum redemerunt à Romanis. Ita vt hic titulus recte quadrarit in Pontifices & sacerdotes, qui omnes fuerunt *Mercenarij*. Hodie quoque in Papatu nihil vsitatius est, quam quod Clerici præbendas ab inuicem emunt, licet id in Canonibus ipsorum sit prohibitum: Caueant etiam nostri, ne ipsi vere obiici possit τὸ ἀπόφθεγμα istud. *Die schmierende Narren, kriegen die besten Pfarren*. 2. *Mercenarius* etiam dicitur, qui solius stipendij causa ad ministerium Ecclesiæ accedit, nullo modo istud suscepturus, si qua alia ratione commodius viuere, aut quæstum maiorem facere posset. 3. Denique qui absque vlla graui & iusta causa, tantum amplioris salarij & dignitatis causa singulis annis mutat suam parochiam: & parochiam consecutus reipsa demonstrat, se nihil aliud quærere, quam vt multum diuitiarum corradere queat.

Huic mercenario Christus tria tribuit. 1. *Cuius oues non sunt propriæ*. Dicat quis: atqui nec verorum Pastorum oues sunt ipsorum propriæ, cum omnes electi (qui per oues intelliguntur) solius Christi sint proprij? Ideo etiam Christus Iohan. 21. v. 17. non dixit Petro: Pasce oues tuas: sed, pasce oues meas. Respon. Quia ipse Christus, & omnia quæ Christi sunt, nostra sunt: ideo *propriæ oues sunt* quę Christus cuiuis pascendas in ordinario suo officio committit. Et ideo Petrus tales oues nominat 1. Epist. 5. vers. 2. τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον gregem, qui penes vos est. Qui ergo illos, quos Dominus fidei suæ concredidit, pro suis ita agnoscit, vt cogitet fore tempus, quo Principi pastorum de iis rationem reddere cogatur, huius *propriæ sunt oues*. Qui illud negligit, de ipso Christus pronunciat, *oues ipsius non esse proprias*. 2. Dicit etiam Christus de mercenario *oues non sunt illi curæ*, scilicet, præ nimia auaritia. Tales sunt potius *Mehlsorger* quam *Seelsorger*: & verius *Hauß-wirt* quam *Seelenhirt*. Non curat mercenarius, an auditores proficiant in pietate, an deficiant: an ad cœnam accedant, an non: an scandala in Ecclesia ingruant: an peccatores gradatim admoneantur; an ex laqueis peccatorum extrahantur. Sufficit mercenario, si possit ex postillis corradere qualemcunque concionem, quam sic informat, vt fauorem hominum retineat. 3. Mercenarius *videt lupum venientem ac deserit oues fugitque, & lupus rapit eas ac dispergit oues*. Qui tẽpore pestis, aut belli, aut persecutionum deserit oues, ille Mercenariorum numerum auget. Fidelis pastor in peste Aaronem imitatur, qui Num. 16. v. 48. Stans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus est, & cessauit plaga. Iesaias quoque accessit suum Regem Ezechiam, licet is ex peste ægrotaret. Ies. 38. v. 1. Augustinus suam Ecclesiam Hipponensem etiam in Vandalica obsidione non deseruit. Si quis quoque videat irruentem lupum hæreticum, & sileat, nec errorem refutet, aut auditores moneat, sed taceat, etiamsi Thalmud Iudæorum, vel Alcoranus Turcicus proponatur: Is certe est Mercenarius. Si qui in Parochia viuant impie & dissolute, verum quia sunt magni nominis, & si offenderẽtur, nocere possent, ac propterea pastor taceat, nec peccata ipsorum arguit: Talis pastor etiam inter Mercenarios numerandus est. Non est pastor, sed impostor: non præceptor, sed deceptor. De hoc D. Augustinus pronunciat: Non excommunicas, quia times, quod inimicus factus nocebit, cum potueris, & ob id taces, non increpas: lupum venientem vidisti, & *fugisti*: corpore stetisti, animo fugisti. Et Gregorius: *Fugit Mercenarius non* mutando locum, sed subtrahendo ministerium. Non ergo Christus pro *Mercenariis* habet, qui terreni quid possident. Nam sacerdotibus veteris Testamenti dedit ipsemet amplas possessiones: insuper primitias, decimas & alia sacrificia. Sed hoc reprehendit, quod Sacerdotes ventrem suum pascebant, animarum autem curam negligebant. Quo etiam pertinet prolixa illa querimonia, Ezech. 34.

IV. Mercenario deteriores sunt ALIENI, FVRES & LATRONES. Mercenarius siquidem temporibus tranquillis gregem Domini recte gubernare videtur: sed alieni, fures & latrones sunt noxij omni tempore. *Alienum* vocat Christus eum, qui suam vocem non habet. Sicuti Dij alieni dicuntur, qui non sunt verus Deus cœli & terræ, Pater Domini nostri Iesu Christi in Spiritu sancto. Tales pastores sunt Iudæorum Rabbini cum suo Thalmud: item Turcarũ Muphthi cum suo Alcorano. Olim in regno quoque Pontificio nihil aliud audiebatur, quam Legenda Sanctorum, Aristoteles, Plato, Plutarchus. Et passim hodie Ecclesiæ Doctores surgunt, qui concionibus suis varias fabulas, prophanas historias, extraneos rhythmicos terminos infarciunt, vt sic auribus prurientibus tinnitum aliquem iucundum excitent. Hi ab *alienis* non procul absunt. De his autem dicit Christus: *Oues alienum non sequentur, sed fugient ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum*. Et recte. Nam Propheta si habet somnium, narret somnium. Si habet sermonem Domini, loquatur eum vere, quid paleis ad triticum? Ier. 23. vers. 28. Et Petrus vult, vt si quis in Ecclesia loquitur, loquatur eloquia Dei. 1. Pet. 4. v. 11.

Fures & Latrones, sunt hæretici, phanatici & falsi prophetæ. De his Christus pronunciat: *Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat*. Equidem falsi Doctores nullo modo hũc titulum habere volunt, quasi ipsi animas suffurentur, eas mactent ac perdant. Prætendunt enim æque suam intentionem esse homines ad salutem adducere, atque sincerorum doctorum. Sed reuera furum & perditio ipsorum labores consequuntur. Nam sicut in parabola *fures & latrones* alieni domini oues auferunt in suum commodum, vt eas mactent: sic falsi quoque doctores oues Christo auferunt, & easdem *mactant*, prauis suis doctrinis occidendo in anima: tandem etiam *perdunt*, in æternam damnationem eas præcipitando. Cæterum *fures* sunt non tantùm qui Christo oues suffurantur, sed etiam qui ouibus pabulum subtrahunt & furantur. Sic aliqui quibusdam suis auditoribus legem Dei suffurantur, nec peccata ipsorum libere arguunt, vt ipsis vtantur benignioribus. Quidam auditoribus subtrahunt Euangelium & Absolutionem, ex sinistro affectu aut odio aliquo, quod in eos conieceerunt. In Papatu Clerici furati sunt Laicis calicem in vsu Cœnæ. Nihilo meliores sunt, qui moribundis ex negligentia suffurantur Cœnam, aut qui pie mortuis subtrahunt legitimas Ecclesiæ ceremonias.

Quod vero Christus hic adiecit: *Omnes, quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues*, hoc varie sunt interpretati. Manichæi sub hoc prætextu reiecerunt totum vetus Testamentum: quia *ante* natum Christum fuerit conscriptum. Sed non dicit Christus: Quotquot ante me fuerunt, sed *venerunt*: alioquin etiam Abrahamum pro fure habuisset, de quo tamen Iohan 8. v. 56. testatus est, eum diem suum vidisse & gauisum esse. Nihilominus tamen sunt aliqui, qui Mosen & Prophetas pro *latronibus* habent, eo quod lex sit ministratio mortis & occidat. 2. Cor. 3. vers. 7. Sed hæc falsa esse, quisque facile intelligit, si tantùm hoc attendat: Pharisæos grauissime exaggeraturos id fuisse, si hæc contra Mosen & Prophetas dicta intellexissent. Quapropter ipsi assecuti sunt, hæc Mosen & Prophetas non tangere. Et quomodo de Mose hæc intelligi possunt, cùm Ioh. 5. vers. 46. testatus sit Christus, Mosen de se scripsisse? Quomodo item de Prophetis, cum Petrus de ipsis testetur, eos duce Spiritu Christi vaticinatos esse de ipsius morte? 1. Pet. 1. vers. 11. Alij ergo intelligunt de serpente, qui in paradiso concionatus sit *ante* Christum. Qui sensus non est malus. Alij illud πρὸ ἐμοῦ accipiũt, quasi dictum esset: Qui venerunt meo nomine venditantes se pro Messia, quales fuerunt Theudas & Iudas Galilæus, de quibus Gamaliel Actor. 5 v. 36. & alij multi, de quibus Iosephus. Vtpote Iudas Gaulonites, de quo Antiquit. lib. 18. c. 1. & Simon Galilæus, de quo lib. 2. de bell. Iud. cap. 7. item Iacobi Galilæi filij, Iacob & Simeon, quos cruci affixerunt Romani præsides. vide Antiquit. lib. 20. c. 5. Sed simplicissimus sensus est, vt illud, *ante me venerunt*, non de tempore exponatur, sed

tur, sed de ordine & scopo doctrinæ, quod illi omnes sint fures & latrones, qui Christo non præeunte, non ducente, non mittente veniunt. Quemadmodum ergo πρὸ ἔργου dicitur, si quis alterius opus prævertat: ita πρὸ ἐμοῦ intelligi potest, si quis Christum in doctrina anteuertat. Sic Antichristus, licet tempore venerit post Christum, tamen ante eum venisse dici potest, quia, non prælucente Christo, in suis superstitionibus & ceremoniis salutis fiduciam collocat. Nihilo meliores sunt Mahumetani omnes, qui etiam Christo præcurrunt, quia alia ratione, quam per ipsum salutem quærunt.

V. De Lupo. vbicunque ouile est, ibi circumeunt lupi, vt oues rapiant & deuorent. Sic Christi ouile quoque non lupis caret. Primarius &(vt sic dicam) Archilupus est Diabolus, de quo 1. Petr. 5 vers. 8. Aduersarius vester Diabolus circumit tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret. Quia vero ipse corporaliter non potest circumire & homines seducere, ideo ex verbis ministris aliquos excitat, qui lupinam ipsius naturam induunt, eumque in seducendis ouibus adiuuant. Hinc Paulus dicit Actor. 20. vers. 29. Scio quod post discessionem meam intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi. Et quinam illi futuri sint, addit: loquentes peruersa. Quicunque ergo doctrinam Christi falsat, quicunque ipsius simplicia verba glossis mundanis deprauat, quicunque ouiculas Christi auertit à via veritatis ad errores, ille ex luporum numero est. Sic per quindecim secula in Ecclesia Christi simplex fuit consensus de manducatione corporis & sanguinis Christi in cœna: de ingressu Iesu per ianuas clausas: de electione credentium. His nouissimis temporis, præter omnem necessitatem exurrexere viri loquentes peruersa, & turbantes Ecclesiam. Hi certe à lupis eximi non possunt. Luporum ergo nomine veniunt omnes falsi doctores, de quib. etiam Christus dicit Matt. 7. v. 15. Attendite à falsis Prophetis, qui veniūt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quibus accedunt tyranni persecutores, qui aperta vi hostiliter grassantur. Post Diabolum vero lupus maxime noxius est Antichristus Romanus, qui tam falsa doctrina quam persecutionibus Ecclesiam affligit.

Lupo Christus duo propria tribuit. 1. *quod rapit oues.* 2. *quod dispergit eas. Rapit*, dum à via salutis abducit, per superstitionum errores & scelera, & si nolint sequi, occidit. *Dispergit*, dum vnitatem Ecclesiæ variis sectis scindit: aut cœtus sacros prohibet, ne oues ad auditum verbi conueniant, quod vnicum ad seruandam Ecclesiæ societatem maxime necessarium est vinculum. Hic Iesuitæ magnopere laborant, vt nobis hanc dicam impingant. Clamitant: Lutherani *rapiunt* ad se Catholicorum bona, decimas, saltus, subditos, piscationes: item curam animarum, communionem sacrorum & similia. In hoc faciūt nobis notam iniuriam. Ecclesiastici siquidem: redditus ad Ecclesiarum, scholarum, atque pauperum sustentationem impenduntur: nequaquam à priuatis cum approbatione ministrorum *rapiuntur* Item dicunt: *Dispergunt* in templis imagines, altaria, tabulas, organa & similia. Et in hoc nobis iniuriam faciunt. Si qui tamen *ingiðίων ζήτησι* id faciūt, illi pro se respondeant, nobis ipsorum Iconomachia non probatur. Hoc ipsum autem vere in Iesuitas reiici potest. Nā quocunque ipsi veniunt *rapiunt* ad se monasteria, pastoratus, beneficia, cardinalatus & optima quæuis. Audiantur ipsi Catholici, quantopere de eorum rapina conquerantur. Eadem etiam ratione *dispergunt, mactant, occidunt.* Nam quamcunque orbis plagam ingrediuntur, inde fideles verbi ministri & recte credentes eiiciuntur, vel etiam Vulcano consecrantur. Testis huius est Anglia, testis est Gallia, testis est Suecia & Polonia, testis Liuonia. Et quod omnium est miserrimum, animas raptas transmittunt ad atria Ditis.

VI. De Ovili. Per illud intelligit Christus Ecclesiam suam in nouo Testamento. Et hoc mirum alicui videatur. Etenim in veteri Testamento multa eximia Elogia habentur de Ecclesia Christi, Psal. 48. v. 5. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: conuenerunt invnum. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt: commoti sunt tremor apprehēdit eos. dolores vt parturientis. Psal. 87. v. 3. Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Ies. 60. vers. 10. Filij peregrinorum ædificabunt muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. Matthæi 5. v. 14. confertur ciuitati supra montem positæ. 1. Timoh. 3. v. 15. vocatur Dei viuentis domus. Apoc. 21. versic. 10. dicitur ciuitas sancta, Hierusalem descendens de cœlo à Deo, habens claritatem Dei. Hic vero Christus comparat Ecclesiam suam *Ouili*: quomodo hæc inter se conueniunt, ouile & regium palatium? Respondeo: Coram Deo Ecclesia ita illustris est, quemadmodum hic describitur: & in altera vita quoque magna futura est maiestas ipsius. Nunc autem est omnis gloria filiæ regis ab intus, Psalm. 45. vers. 14. Et Christus loquitur hic de Ecclesia sua qualis apparet coram hominibus. Nemo ergo vili Ecclesiæ specie offendatur. Sicuti olim Pharisæi carnalibus oculis intuentes illas Prophetarum promissiones, offendebantur vili specie huius Iesu & eius sectatorum, & cogitabant, longe excellentius quid futurum est, quando verus aduenerit Messias, quam hic faber lignarius res suas instituit: quapropter cum cum suis relinquamus, & magis maiestatica expectemus. In eadem opinione hæserunt Apostoli ante ascensionem Christi. Sic nostra ætate Pontificij, respiciunt magnificentiam Pontificis Romani, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, & aliorum illis adhærentium: & quia hæc in oculos incurrunt, protinus concludunt apud ipsos esse Christi Ecclesiam. Sed turpiter fallūtur. Nam Antichristus Apoc. 17. vers. 14 ita describitur tanquam mulier circumdata purpura & coccino, inaurata auro & lapide precioso, & margaritis habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione & immunditia. Illuc ergo nos oculos non coniiciamus, memores Christum *ouili* comparasse Ecclesiam suam. Circa caulas non circumducuntur alti muri, non extruuntur fortes turres, non adornantur speciosa palatia: sed omnia sunt vilia; & interdum sufficit, quando in agro cortinæ coniunguntur. Cur ergo ad magnifica respiceremus, & tenuibus offenderemur? Respiciamus potius ad verbum & sacramenta. Ad verbū alligat Christus oues suas, & vult vt *vocem suam audiant.* Iacobus quoque Patriarcha, quo loco verbum Dei audiuit, & angelos Dei ascendentes & descendentes vidit, ibi dixit: Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli. Ita vbi verbum & sacramenta coniuncta inueniuntur, ibi domus Dei est. Et vt in ouili agni nascuntur & educantur: ita in Ecclesia spirituales oues per baptismum regenerantur, verbo ceu lacte 1. Pet. 2. v. 2. aluntur & nutriuntur: in cœna Domini denique sustentantur ad vitam æternam.

VII. De Ostio & Ostiario. De se dicit Christus bis: *Ego sum ostium ouium: Ego sum ostium: per me si quis introierit, seruabitur, & ingredietur & egredietur: & pascua inueniet:* Duplex vsus est, cuiuiuis officij, siue in ouili, siue in aliis ædibus. Vnus est, quod per ostium homines ingrediuntur & egrediuntur. Alter, quod eodem clauduntur ædes, atque sic, qui in iis versantur, custodiuntur. Christus Iesus hæc nobis præstat, ac proinde merito seipsum *ostio* confert. 1. Per Christum *ingredimur* in Ecclesiam, quod fit, quando in nomine ipsius baptizamur. Hinc D. Augustinus dicit Baptismus est prima porta gratiæ & misericordiæ. Etenim cœlestis Pater omnes thesauros cœlestis suæ gratiæ & æternæ salutis intra Ecclesiam reposuit: eorum qui particeps fieri velit, necesse est, vt Ecclesiæ membrum fiat: si quidem extra Ecclesiam non est salus. Adumbratum est hoc in veteri templo, vbi luter seu mare & altare stabant ante ostium sancti, vt indicaretur, baptismo prius abluendos, & merito sacrificij Christi expiandos esse, qui aditum ad sanctum habere velint. 2. Per Christum ceu ostium etiam *ingredimur* precibus nostris ad Deum quæ in nomine Christi exaudiuntur. Vulgus Iudæorum orabat sub ostio tabernaculi versus sanctum sanctorum. Sic nos concipiamus preces nostras in nomine Christi Iohan. 6. vers. 23. In templo stabat ara thymiamatis ante fores sancti sanctorum. Christus nobis illa ara est, per quam habent preces nostræ accessum ad Patrem. Ephes. 2. versic. 18. Itaque per Christum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Hebr. 13. v. 15. 3. Quemadmodum ostiis clauduntur domus, vt inhabitatores tuti sint à violentia: ita *si quis per Christum introierit* in Ecclesiam *seruabitur.* Ipse tuetur nos à ventura ira Dei, dum nos crucis suæ merito Patri reconciliauit, & adhuc hodie pro nobis intercedit. Roman. 8. vers. 4. Quemadmodum ergo Deus Genes. 7. vers. 16. in diluuio ostium arcæ clausit de foris, ne aquæ diluuij Noachum & qui cum ipso erant, perderent: ita Christus occludit ostium, ne diluuium iræ Dei ingruat. Tuetur etiam nos aduersus mundum: vt licet is multum tumultuetur, nobis tamen non secundum voluntatem suam nocere possit. Quemadmodum angeli Genes. 19. versiculo 10. clauserunt ostium domus Lothi, ne Sodomitæ ipsum offenderent: ita Christus tuetur etiam oues suas aduersus impetum spiritualium hostium. Ideo dicit Iohan. 10. versic. 28. Oues meas non rapiet quisquam de manu mea. 4. Denique per Christum ceu ostium *egredimur* ex hac vita, & *ingredimur* in vitam æternam, quam ipse solus nobis meretur & largitur. Ideo dicit Iohan. 14. versic. 6. Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. Hoc adumbratum est Genes. 28. versi. 12. per scalam Iacob, quam Christus ipse Ioh. 1. v. vlt. de se interpretatur, per quam angeli descendunt & ascendunt.

Ad ostium pertinet etiam *Ostiarius.* Sunt enim hæc duo coniuncta, & hic ipse propter illud est conductus. Spiritus autem sanctus est *Ostiarius.* Hic Spiritus & ostium Christus vna sunt. Hoc docet Paulus Rom. 8. vers. 9. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et 1. Corinth. 12. versic. 3.

Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. *Ostiarij* officium est 1. Ostij curam habere, vt illud sit vnctû, & facile aperiri possit. Hic certe Spiritus sanctus diligentem curam habet Christi, quam vnxit oleo lætitiæ præ consortibus suis. Psalm. 45. versic. 8. Hinc ipse Christus Iesa. 61. vers. 1. & Luc. 4. vers. 18. Spiritus Domini super me, eo quod vnxit &c. Ex huius plenitudine nos omnes accepimus Ioh. 1. 16. Sacrû enim illud balsamum descendit de capite Aaronis in oram vestimenti eius. Psalm. 133. vers. 2. 2. Deinde *Ostiarius* etiam debet verum ostium monstrare, atque eos qui intra ędes pertinent intromittere. Hoc facit Spiritus sanctus. Hinc Christus de bono pastore dicit: *intrat is per ostium, & ostiarius ipsi aperit*. Aperit autem non tantum pastoribus, sed ipsis etiam ouibus. Nam natura sic nobiscum comparatum est, sicut cum Sodomitis Genes. 19. v. 11. qui Lothi ostium inuenire non poterant: sic nos naturali cœcitate laborantes, ex propriis viribus Christum salutis ostium inuenire non possumus. Spiritus ergo sanctus nos vocat per verbum, illuminat per suam gratiam, & per sacramenta quasi manudicit ad Christum, vt sic ad ostium vitæ perueniamus. 3. Denique *Ostiarij* etiam est, vt amicos quidem per ostium intromittat: hostes autem, fures, latrones & consimiles repellat. Hoc facit Spiritus sanctus, in Ecclesiam Christi intromittit oues, quæ verbû Christi audiunt: qui pascuis ipsius delectantur, quæ fructus ferunt charitatis, in honorem Dei & proximi vtilitatem: quæ sunt patientes, &c. Et quia Christi ouile non est Circes hara: ideo repellit Epicureos porcos, tyrannicos leones, sæuos vrsos, turpes lupos, astutas vulpeculas & consimiles. Et licet tales etiam interdum ad tempus in ouile Christi irrepant: tamen mox vel expelluntur, aut sponte inde se rursus proripiunt, tanquam canes rabiosi, & fere posteriora talium fiunt deteriora primis.

Hæc omnia præbent nobis 1. insignem consolationem. Cum enim & *ostij & ostiarij* officium sit, non tantum in ouile & ædes intromittere, sed etiam in iisdem seruare & custodire, cur non inde consolationem sumeremus in omnibus tentationibus & aduersitatibus, quod tam Christo quam Spiritui sancto in tutelam sumus commissi? Hi ambo sunt omnipotentes Domini, nos facile aduersus omnem aduersariorum vim, etiam contra inferorum portas tuebuntur. Hinc Paulus dicit Roman. 8. versic. 35. quis nos separabit à dilectione Dei? num tribulatio? an angustia? Et Christus Ioh. 17. v. 2. Quos dedisti mihi Pater custodiui, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis. 2. Monemur simul, vt caueamus ab alienis *ostiis & ostiariis*, siquidem satanas semper cuniculos monstrat, per quos homines in ouile illud irrepere debeant. Gentiles hac in parte valde fuerunt miseri. Nam D. Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei, de ipsis scribit, eos posuisse Deum Forculum foribus: Cardeam, cardinibus: Limentinum, limini: siquidem ipsis vnus Deus pro ostio non sufficiebat. Ab hac cœcitate & superstitione scriptura nos liberat Psalm. 121. vers. vltim. Iehoua custodit exitum & introitum tuum. At Pontificij, quoad spirituale hoc ostium nouam Idolomaniam introducunt. Nam 1. Mariam Christo adiungunt ceu ostiolum, aut potius portam, per quam ad salutem ingrediamur. 2. Remoto spiritu sancto, Petrum cœli ostiarium faciunt cum claue. Nos quidem hosce sanctos Dei homines saluos esse, & in cœlis versari vltro credimus: Sed ipsi hoc ostio Christo & ostiario spiritu sancto indiguerunt, vt saluarentur. 3. Addi potest etiam exhortatio: vt, quoniam audiuimus in ouile Christi non admitti rabidos canes, aut tumultuantes hircos, nos operam demus, vt simus placidæ oues in doctrina & moribus, ne ab *Ostiario* repellamur. Et quia *Ostium* est angustum, Matth. 7. versic. 14. & humile Matth. vndecimo, vers. 29. Sciamus Gigantes aut θεομάχους hic non intromitti. Ergo humiliemus nos, deponentes omnia fastuosa. Sic reges sceptra & coronas, sic Philosophi omnem mundanam suam sapientiam ad pedes Christi deponere coacti fuerunt: nisi cum fatuis virginibus extra ianuam cœlestis conuiuij stare voluissent. Matth. 25. versic. 12. Deponamus etiam omnes sarcinas peccatorum, ebriosi deponant lagenas vini, superbi suum fastum & sic deinceps: tum per humile hoc ostium & ingrediemur & egrediemur. Egrediemur ex hac mortali vita: ingrediemur in vitam æternar[illegible]que immortalem.

IV. Postremo loco subiicit Euangelista, quæ fuerint iudicia Iudæorum de hac Christi concione, & alias etiam de eius doctrina & miraculis. Vere dixit Deus apud Iesaiam, cap. 55. vers. 11. Verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Sic etiam concio Christi sine effectu non abiit. Fuit autem ille effectus valde diuersus: apud quosdam quidem odor, mortis mortem & ad maiorem excœcationem, apud alios vero odor vitæ ad vitam. Vt quemadmodum sol pro diuersitate materiæ ceram quidem liquefacit, lutum autem indurat: Sic sol iustitiæ pro diuersitate subiectorum, alios quidem illuminat & emollit: alios vero excœcat & indurat. Ideo Euangelista dicit: Σχίσμα, seu *dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos*. Quemadmodum Iohan. 7. vers. 43. quoque dissensio facta est in templo & synedrio, vt cum vellent *Iesum apprehendere*, nemo tamen miserit manum in illum, & assessores *synedrij* ab inuicem diffluxerint: sic hoc loco *iterum*, & quidem inter Iudæos, hoc est, inter primores Hierosolymitanorum dissidium ortum est, vt de extirpendo Iesu inter ipsos non conuenerit.

Primi ad conuitium prorumpunt reprobi, & conuitiantur, dicentes: *Dæmonium habet & insanit: quid eum auditis?* Volunt populum absterrere ab auditu concionum Christi, & vt aliquid obtineant, reuertûtur ad veteres suas calumnias, quibus Christus sæpius obiecerunt, quasi à dæmonio agitaretur. Volunt dicere, vos simpliciores attenditis sermonibus huius Iesu, vobisque persuadetis, vos eximia & salutaria ex ipso audire. At nouisse debebatis, arreptitios homines multa mirabilia proloqui, quæ nemini prosunt. Idem de hoc Iesu eiusque sermonibus sentire debetis. Cognoscendum hi nobis præbent morem improborum phanaticorum & verbi diuini contemptorum. Male hos habet, si videant aliquos saniore doctrina delectari, sæpius templa adire, & attente conciones audire. Cumque mallent omnes in suam nassam pertrahere, atque à syncera religione auertere, si alia ratione non possunt, conuitiis agere, & innocentes Doctores variarum hæresium, sectarum, interdum etiam pacti cum Dæmonibus (sicuti Athanasio accidit) insimulare incipiunt. Hunc morem pij obseruent, vt eum deuitent. Et de his dicit Iohannes, quod eorum fuerunt *multi*. Nam semper πλείονες κακοὶ malorum & Christi contemptores maior pars in mundo reperitur, quam bonorum.

Nihilominus tamen Christus etiam suos patronos inuenit, sicuti hic *alij dicebant: Hæc verba non sunt Dæmonium habentis. Num Dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Attende, quanta sit diuersitas sermonis inter reprobos & Christi patronos. Illi cœco impetu absque vlla ratione ex mera animi impotentia hæc verba protrudunt: *dæmonium habet & insanit, quid eum auditis?* Hi vero rationibus agunt, & earum quidem duas producunt. 1. Priorem desumunt ex *doctrina Christi* & dicunt: *Hæc verba non sunt dæmonium habentis* q. d. Quicunque à dæmonio agitantur vel mente capti sunt, illi confuse & absque omni ordine, quicquid in buccam venit, proloquuntur: adhæc tales fere blasphemias in Deum & conuitia in proximum euomunt. At nihil horum in sermonibus Iesu deprehenditur: omnia bono ordine, absque omni confusione, sibi inuicem cohærent, omnia ad Dei honorem, omnia ad hominum salutem sunt directa. Itaque iniuriam ipsi faciunt, quicunque eum Dæmonio agitari calumniantur. Hæc ratio defensionis Christi probe est notanda: inde siquidem patet, eam esse maiestatē doctrinæ Christi, vt ipsa sibi ac suis ad sui defensionem sufficiat, nec opus sit aliunde assumere argumenta, quibus eius synceritas adstruatur. Imò maiestas huius doctrinæ est tanta, vt etiam prophani ea audita obstupescant, & cum admiratione discedant, sicuti *Iohan. 7. v. 46.* Pontificum & Pharisæorum ministri ad ipsos reuersi, confessi sunt: nunquam ita locutus est homo, *vt homo iste*. 2. Posteriorem rationem desumunt ab operibus Iesu. *Num dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Hoc experientia testatur, quod Diabolus homines possit exoculare & cœcos reddere, idque frequenter facit atque libenter. Sed quod satanas cœco nato oculos aperuerit, id à seculo non est auditum. At Iesus hoc fecit. Ergo nihil ipsi commercij est cum dæmonibus, sed potius cum Deo, qui solus naturam, siue in totum, siue ad partem destructam, reparare potest. Est bonum hoc argumentum ab operibus ductum, iuxta illud Christi Matth. 7. v. 20. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Sic Christiani, siue doctores siue auditores, operam dare debent, vt quandoquidem ipsi quoque calumniis malorum sunt subiecti, vitam, opera, & actiones suas ita instituant, vt ex factis colligere liceat, ipsos carni & peccato mortuos, Deum in spiritu & veritate colere, proximo vitæ nouitate prælucere, atque sic reipsa demonstrare, se veros Christianos esse

Videtur etiam hoc consideratione dignum, quod hi, qui Christo patrocinantur, priùs doctrinæ quàm operum ipsius mentionē faciunt. Vnde patet, ipsos doctrina plus quàm miraculo cômotos fuisse. Nos fortassis inuertissemus. Sed illi recte fecerunt. Vtraque enim faciunt ad conuersionem hominum, & Christi verba & eiusdē opera: suo tamen ordine. Facta Christi miraculosa mouent quidem cor hominis, possunt illud attonitû reddere, & suo quodam modo ad fidem & cōuersionē præparare. Nisi autem institutio verbi accedat, euanescit

nescit rursus ille motus cordis,& in fumum abit,sicuti quamplurimis Iudæorum accidit. Sed quando verbum Domini accedit,cum illud fidem & conuersionem instillat, atque sic cor plene conuertit. Hinc Dauid Psalm.19.ver.8. Lex Domini immaculata, conuertens animas. Et quando sic animus hominis ministerio verbi est conuersus & illuminatus, tum demum incipit opera Dei pro dignitate æstimare, Deúmque in suis operibus glorificare. Hoc impij non faciunt: quia luce verbi destituti, opera etiam Dei non curant. De piis vero dicit Dauid Psalm. 111. vers. 4. Magna sunt Domini opera, & qui ea inquirunt, summopere iis delectantur. Sicut reuera fidelis, licet pauper & egenus, ex aspectu cœli, ex luce solis, lunæ & stellarum, ex terræ amœnitate, eius fructibus & toto mundi systemate longe plus voluptatis capit, & Dei magnificentiam inde agnoscit, quàm infidelis, qui integrum regnum possidet.

CAPVT CXV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ,

CONTINENS HISTORIAM ENCOENIORUM Hierosolymitanorum, in quibus Iudæi Iesum lapidare voluerunt, sed ipse eos cohibuit. Iohann. 10. ver. 22.

RATIO ORDINIS.

SVpra monuimus, nihil legi, quod Christus siue publice in templo, siue priuatim docuerit post concionem illam de pastore & ouibus: sed tantum paucis à Iohanne notari, quæ interea fuerint Iudæorum iudicia de Iesu doctrina & miraculis. Nunc postquam Encœnia celebrantur, redit Iesus ad templum, vsurus illa occasione, vt in magna frequentia maiori cum fructu doceat. Ibi vero Iudæi ipsi in porticu Salomonis proponunt hanc quæstionem, vt diserte profiteatur, an sit Messias. Et vt quasi necessitatem respondendi ipsi imponant, eum circumdant. Iesus respondet, iniuriam sibi fieri, quasi non satis aperte hanc doctrinam, quod vere Messias sit, proposuerit. Cum iam per triennium integrum illam quæstionem & doctrinam explicauerit, & miraculis confirmauerit, sed ipsos nec doctrinæ nec miraculis credere. Ne vero credentes, qui & ipsi aderant, turbentur, quod videant primores Iudæorum Christi sermonibus non credere, addit id propterea fieri, quia non sint ex ouibus suis. Quin & priuilegium ouium suarum recitat, quod inde dependere dicit, quia ipse vnum sit cum Patre. Hoc vero Iudæi, tanquam blasphemum lapidibus vendicandum censent. Sed Iesus ostendit ex Psalmo 82. sine blasphemia vocari Deos, quibus verbo & ordinatione Dei officium magistratus demandatum est. Sed addit, se esse sanctificatum, hoc est, separatum ab illis filiis Dei, seque alia sublimiori ratione esse filium Dei: quia scilicet vnum sit cum Patre: quia pater sit in ipso, & ipse sit in Patre. Et hoc inquit se demonstrasse operibus suis, quæ Patris, hoc est, diuina sint. Ibi vero Iudæi volebant eum comprehendere, vt eductum extra templum tanquam blasphemum lapidarent: sed diuina virtute, cum quidem ab ipsis circumdatus esset, euasit manus eorum. Et relicta Iudæa contulit se in Peræam, hoc est, regionem trans Iordanem, quæ sub Herodis ditione erat, vt in sequenti libro audiemus.

Quidam hanc Encœniorum historiam procul à præcedenti concione auellunt, & multa ex Luca interponunt. Sed perperam id fieri, vel vnicum illud priuilegium ouium Christi hic recitatum commonstrat. Quia enim nupertima concio de pastore & ouibus habita, adhuc in recenti memoria erit, ad eam hic digitum intendit.

HISTORIA ENCOENIORVM HIEROSOLYMITANORUM, in quibus Iesus se Messiam esse diserte professus est.

IOHAN. 10. vers. 22.

22. Ἐγένετο δὲ τὰ ἐγκαίνια ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, καὶ χειμὼν ἦν.

23. Καὶ περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ ἱερῷ, ἐν τῇ στοᾷ τοῦ Σολομῶντος.

24. Ἐκύκλωσαν οὖν αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ ἔλεγον αὐτῷ· ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις;

25. Εἰ σὺ εἶ ὁ χριστὸς, εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε. Τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, ταῦτα μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ.

26. Ἀλλ' ὑμεῖς οὐ πιστεύετε, ὅτι οὐκ ἐστὲ ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν, καθὼς εἶπον ὑμῖν.

27. Τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ τῆς φωνῆς μου ἀκούει, κἀγὼ γινώσκω αὐτὰ, καὶ ἀκολουθοῦσί μοι.

28. Κἀγὼ ζωὴν αἰώνιον δίδωμι αὐτοῖς, καὶ οὐ μὴ ἀπόλωνται εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ οὐχ ἁρπάσει τίς αὐτὰ ἐκ τῆς χειρός μου.

22. *Facta sunt autem Encœnia Hierosolymis, & hyems erat.*

23. *Et ambulabit Iesus in templo, in porticu Salomonis.*

24. *Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram suspendis?*

25. *Si tu es Christus, dic nobis ingenue. Respondit eis Iesus, Dixi vobis, nec creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium reddunt de me.*

26. *Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis, quemadmodum dicebam vobis.*

27. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.*

28. *Et ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eos quisquam è manu mea.*

29. Ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι μείζων πάντων ἐστί, καὶ οὐδεὶς δύναται ἁρπάζειν ἐκ τῆς χειρὸς τοῦ πατρός μου.	29. *Pater meus qui dedit mihi maior omnibus est, & nemo potest rapere è manu patris mei.*
30. Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν.	30. *Ego & Pater vnum sumus.*
31. Ἐβάστασαν οὖν πάλιν λίθους οἱ Ἰουδαῖοι, ἵνα λιθάσωσιν αὐτόν.	31. *Sustulerunt ergo rursum lapides Iudæi, vt lapidarent eum.*
32. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, πολλὰ καλὰ ἔργα ἔδειξα ὑμῖν ἐκ τοῦ πατρός μου, διὰ ποῖον αὐτῶν ἔργον λιθάζετέ με;	32. *Respondit eis Iesus, Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum operum me lapidatis?*
33. Ἀπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι, λέγοντες· περὶ καλοῦ ἔργου οὐ λιθάζομέν σε, ἀλλὰ περὶ βλασφημίας, καὶ ὅτι σὺ ἄνθρωπος ὢν, ποιεῖς σεαυτὸν Θεόν.	33. *Responderunt ei Iudæi, dicentes: Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.*
34. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, οὐκ ἔστι γεγραμμένον ἐν τῷ νόμῳ ὑμῶν, ἐγὼ εἶπα, θεοί ἐστε;	34. *Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra, Ego dixi, dij estis?*
35. Εἰ ἐκείνους εἶπε θεούς, πρὸς οὓς ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐγένετο, καὶ οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή.	35. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura.*
36. Ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε καὶ ἀπέστειλεν εἰς τὸν κόσμον, ὑμεῖς λέγετε,	36. *Quem Pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis,*
37. Ὅτι βλασφημεῖς, ὅτι εἶπον, υἱὸς τοῦ Θεοῦ εἰμί; εἰ οὐ ποιῶ τὰ ἔργα τοῦ πατρός μου, μὴ πιστεύετέ μοι.	37. *Me blasphemare, quia dixerim, Filius Dei sum? si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.*
38. Εἰ δὲ ποιῶ, κἂν ἐμοὶ μὴ πιστεύητε, τοῖς ἔργοις πιστεύσατε, ἵνα γνῶτε, καὶ πιστεύσητε, ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν αὐτῷ.	38. *Si vero facio, & si mihi non credatis, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quod pater in me est, & ego in eo.*
39. Ἐζήτουν πάλιν αὐτὸν πιάσαι, καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῶν.	39. *Quærebant iterum eum apprehendere & exiuit de manu eorum.*

Periocha huius historiæ.

IN hoc capite tractatur præcipua quæstio de Iesu, an sit Messias, siue Christus, & verus Dei filius. Ideo etiam Euangelista totam historiam per singulas circumstantias diligenter describit.

I. Prima circumstantia est temporis. *Et facta sunt encænia Hierosolymis*. Fuit autem Encœniorum festum solennis innouati templi memoria: cui Iudæi tum temporis Græcum nomen imposuerunt, absque dubio propterea, quia illius linguæ tum temporis frequens vsus erat inter omnes nationes. Et videtur hoc nomen etiam aliquo modo alludere ad verbum Hebræum חנך, quod significat initiauit, recens imbuit, dedicauit, innouauit. Inuerte illas literas & inuenies Græcum καινός, nouus: inde ἐγκαινίζω innouo. Vsurpatur illud verbum in V. T. quando res aliqua noua extructa & absoluta ad suum vsum accommodatur. Vt Deut. 20. versic. 5. de domo. Num. 7. vers. 10. de altari, Nehem. 12. v. 27. de muris. Psal. 30. v. 1. de ædibus Dauidis. Sic vsurpatur etiam de aliis rebus. Prouerb. 22. v. 7. Initia puerum iuxta modum vitæ suæ: id est, pro inclinatione ingenij applicetur ad certum vitæ & studij genus. Genes. quoque 14. v. 15. Abraham vernaculos suos ad certum vitæ genus applicuit, & ibi vocantur חניכים id est initiati. Pia autem fuit hæc consuetudo, quod tales initiationes factæ sunt cum solennitate quadam, cum inuocatione diuini nominis & faustis apprecationibus.

Quia vero Iudæi plures habuerunt templi sui dedicationes, videndum, qualis hæc fuerit. Prima tabernaculi sacri dedicatio celebrata est in deserto à Mose & Aarone, eaque facta est primo die primi mensis, hoc est, vere nouo, primo anno, quo exierant ex Ægypto. Ergo de ea hic non agitur, quia Iohannes dicit: *& erat hyems*. Hæc dedicatio Mosaica cum suis ceremoniis prolixe describitur Exod. 40. & Num. 7. per integra capita. Altera templi dedicatio facta est sub Salomone, de qua 1. Regum 8. vers. 65. Fecit Salomon in tempore illo festiuitatem celebrem & omnis Israel cum eo, multitudo magna ab introitu Emath vsque ad Riuum Ægypti coram Domino Deo suo, septem & septem, hoc est, quatuordecim diebus, & die octauo dimisit populum. Verum quia templum Salomonis iam tum erat vastatum: quia etiam non legitur, quod in memoriam huius dedicationis annua festiuitas fuerit instituta: quia denique illa dedicatio facta est 1. Regum 8. versic. 2. mense septimo, qui respondet nostro Septembri, hic autem habetur, *& hyems erat*: ideo nec de hac dedicatione intelligi potest. Tertia templi dedicatio facta est sub Zorobabele, postquam Iudæi ex captiuitate Babylonica reuersi secundum templum ædificarent & absoluerent. De ea legimus 1. Esd. 6. v. 16.

Fecerunt autem filij Israel, sacerdotes & Leuitæ & reliqui filiorum transmigrationis dedicationem domus Domini in gaudio. Verum quia hæc dedicatio facta est in mense Adar, qui Iudæis est duodecimus, & respondet nostro Februario partim, & partim Martio, paulo ante festum Paschatis, quod mox v. 19. celebrarunt: Iccirco etiam de hac dedicatione intelligi non potest. Superest itaque quarta templi siue innouatio, siue dedicatio quæ facta est sub Iuda Machabæo, annis 162. ante natum Christum, 25. die mensis Casleu, qui Iudæis est mensis nonus, & respondet partim Nouembri ac Decembri nostro, sicque ei conuenit notatio Iohannis, *quod hyems* fuerit. De hac innouatione & dedicatione legimus 1. Machab. 4 versic. 44. Cum enim *Antiochus Epiphanes* sacerdotum perfidia sancta vrbe potitus esset, templum Domini prophanauit, verum Dei cultum totum euertit, Iouis sui Olympij idolum in templo *Hierosolymitano* collocauit, eius sacra ibi instituit, eademque prophanorum militum præsidio defendit, in veros denique Dei cultores multa crudeliter designauit. Ibi tum Deus Matathiam primum excitauit, qui arma contra Antiochum cepit, & filiis quoque suis author atque hortator fuit, vt Ecclesiæ defensionem susciperent. Successit eo defuncto filius Iudas Machabæus quem Deus multis præclaris victoriis contra Duces Antiochi donauit, ita vt profligatis omnibus eius copiis, mox sequenti anno, postquam idolum templo impositum fuerat, ipso templo rursus potiretur, illud repurgaret, idolum exureret, & altare vna cum templo sacris secundum legem Dei institutis *iterum* dedicaret. Hisce peractis statuit Iudas (1. Machab. 4. v. 59) & fratres eius & vniuersa Ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum, per dies octo, à quinta & vicesima die mensis Casleu cum lætitia & gaudio. Ideo etiam 2. Machab. 1. v. 18. Iudæi Hierosolymitani scripserunt Iudæis in Ægypto habitantibus, vt & ipsi quinta & vicesima die mensis Casleu, purificationem templi secum celebrarent, quasi solenne scenopegiæ & ignis quo Nehemias ædificato templo & altari sacrificia obtulit. Et hoc festum dedicationis siue innouationis Iudæi etiamnum hodie celebrant, licet templo & altari destituantur. Dubium itaque est nullum, de hoc festo Encœniorum hic agi.

Ex his dedicationibus Iudæorum etiam Christianorum encœnia & templorum dedicationes originem suam traxerunt. Neque enim iniquum est, vt publico ritu à prophanis vsibus separetur id, quod soli Deo consecratum esse debet. Cumque inter externa Dei beneficia nullum sit præstantius, nullum salutarius, quam si tuto liceat habere cœtus Ecclesiasticos, in quibus Dei verbum auditur, preces publice fiunt, & sacramenta rite iuxta Christi institutionem administrantur: vtique æquum est, vt illius beneficij memoria subinde annis nostris refricetur. Hoc mouit veteres Christianos, vt in dedicationibus templorum fuerint admodum diligentes, sicut testatur Eusebius lib. 9. cap. 10. Item lib. 4. de vita Constantini, vbi Encœnia Hierosolymitanæ Ecclesiæ describit. Ad ea solebant etiam sacerdotes ex vicinis locis cum suo populo conuenire, vt sic mutuis cõgratulationibus se inuicem ad pie-

ad pietatem excitarent, atque vnius eiusdemque fidei atque Ecclesiæ membra se esse testarentur. Vtque omnia fierent ordine & decenter, in eiusmodi Encœniis Psalmi sacri decātabantur, preces cum gratiarum actione ad Deum instituebantur, conciones sacræ ex verbo Dei habebantur, sacramenta distribuebātur, atque omnia magna cum animorum deuotione peragebantur. Et si hodie tali modo encœnia celebrentur, nemo bonus ea improbare poterit.

Neque opus erit argumentatione illa Pontificiorum, qua dicunt: Dominus Iesus dignatus est sua præsentia cohonestare hanc festiuitatem ab hominibus nimirum Machabæis, institutam. Ergo errant illi, qui putant nihil noui extra scripturæ authoritatem ab hominibus ad Dei cultum institui posse. Etenim templorum dedicationes nequaquam extra scripturæ authoritatem sunt institutæ, vt ex præcedentibus patet: & quæ ad decorum atque ædificationem Ecclesiæ faciunt, nequaquam à Deo sunt prohibita, sed in libero Ecclesiæ vsu relicta. Facile tamen talia in abusum & ad superstitionem possunt conuerti, sicuti etiam apud Pontificos, quoad hasce templorum dedicationes, factum est. Ceremoniis enim variis, illisque non paucis superstitiosis, eas peregerunt, quas qui nouisse velit, inspiciat Pontificale Romanum, & Legendam sanctorum. Quibus accessit, quod templa, quæ prius tātum Dominicæ domus & oratoria fuerunt, consecrata in nomine sacrosanctæ Trinitatis vel Saluatoris vel Spiritus S. postea sanctis sint dedicata. Vnde Dei eiusq; verbi in Encœniis fuit oblitum, & euagati sunt Monachi in laudes Diuorū, quibus etiam multa conficta miracula falso attribuerunt, vt homines in admirationem eorum raperent. His addiderunt nundinationem Indulgentiarum, quibus peccatorum remissionem pro auro & argento vendiderunt omnibus, licet de eorum neque pœnitentia neque fide ipsis constaret. Tandem tantus luxus, lasciuia, libido, & omnis generis petulantia apud adultos, quam apud iuniores in istiusmodi dedicationibus deprehensa sunt, vt vel etiam ciuilis honestatis gratia abrogandæ fuerint. Hæc de tempore.

2. Altera circunstantiæ est loci. *Et ambulabat Iesus* in hac Iudæorum festiuitate, non in foro, sed *in templo*, in domo Patris sui, expectans occasionem vt populus conueniret, quem docere & sanare posset. Ne autem quis putet, ipsum in interioribus obambulasse, siquidem illud sacerdotes nunquam concessissent, quibus solis sanctum ingredi licebat: ideo Euangelista addit: *in porticu Salomonis*. De porticu Salomonis legimus 1. Reg. 6. vers. 3. Et porticus erat ante templum 20. cubitorum longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi. Hæc porticus vna cum templo incendio periit, cum Hierosolyma à Chaldæis vastaretur. 2. Reg. 25. versic. 9. Quia vero in extructione secundi templi alia porticus ad imitationem illius Salomoneæ exædificata fuit, ideo idem nomen illa quoque obtinuit.

Ex his duabus circumstantiis cognoscimus, quam cupide Christus & tempus & locum captarit, quo posset maiori cum fructu populi salutem promouere. Quia enim præsciebat Iudæos in hac festiuitate occasionem præbituros de summo articulo doctrinæ Christianæ disserendi: ideo vt plures erudirentur, & contumaces, si increduli esse pergerent, eo minus excusationis haberent, tempus solennis huius festiuitatis ea ad rem delegit. Ideo etiam disseruit de illo articulo, non in loco priuato, sed publico & spatioso: nec hybernum frigus se absterrere passus est, vt ostenderet, quanto studio salutem hominum quærat. Exemplum hoc omnes fideles verbi ministri imitari debent, vt ne negligant opportunum tempus & commodum locum docendi populum, quisque pro mensura gratiæ sibi à Deo concessæ.

3. Tertio subiicit Iohannes occasionem disputationis & eius propositionem. Cum enim Iesus dicto modo in porticu Salomonis obambularet, & conuentum populi expectaret, obtulerunt se ei ipsius aduersarij *Iudæi, eumque circumdederunt* & circumcinxerunt, ne qua elabi posset. Ei ergo vndequaque incluso hanc proponunt quæstionem. *Quousque animam nostram suspendis? Si tu es Christus* ille, quem nos tanto desiderio expectamus, *dic nobis ingenue*, posito omni metu & verborum inuolucro. Hæc dicendo, magnam præ se tulerunt discendi auiditatem: sed reuera ex malitioso dolo, & insidiose hanc quæstionem ipsi proposuerunt. Si enim ex Iesu serio discere voluerunt, quis sit, cur Ioh. 8. v. 13. ei obiecerunt, Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum? Ergo non discendi studio quæsiuerunt, sed aliud quid spectarunt, nimirum horum alterutrum. Vnum, vt si negaret, se esse Messiam, plerorumque animos, qui hactenus eo nomine ipsum secuti erant, à se abalienaret. Alterum, vt si se Messiam affirmaret, eum apud Romanum præsidem deferendi ansam haberent. Etenim probe sciebant, si opera eius deferrent, Pilatum accusationem non suscepturum; iccirco in verbis eius venantur, quod accusent. Cumque Messias in Scripturis Rex nominetur, tum temporis autem omnes in illa persuasione erant, fore Messiam regem terrenum, qui pulsis Romanorum præsidiis Iudæos in auitam libertatem repositurus esset. Omnino sperarunt ipsum sub hoc titulo, tanquam seditiosum, à Pilato è medio sublatum iri. Hi Iudæi hac sua quæstione nobis ob oculos pingunt ingenium illorum hominum, qui in tam clara luce Euangelij cœcutiunt, & conqueruntur se libenter veritatem sequi velle, si modo in tanta opinionum varietate nouisse possent, quænam verior sit sententia. Eiusdem, inquam, hi sunt ingenij, cuius Iudæi, nec veritatem videre nolunt. Hi præsentem habebant Iesum Messiam cum salutifero suo Euangelio & miraculis clarissimis; & tamen animo sunt dubij & incerti, an sit Messias, eiusque dubitationis culpam transferunt in Christum & eius Euangelium. Sed falso, vt audiemus. Sic isti homines superstitiones veteres abiicere nolunt, nec vllum fere fidei Christianæ articulum pure addiscunt, & interim culpam coniiciunt in ipsum Euangelium & scripturas sacras. Has conqueruntur esse mutilas & imperfectas, mortuas, mutas, folia Sibyllæ, obscuras, & quid non? Perinde hi faciunt, ac si quispiam in lucem meridianam productus oculos occludat, & tum queratur, solem non lucere. Tales Deus suo tempore puniet.

Fieri tamen potest, vt etiam ex metu aliquo Iudæi hanc quæstionem proposuerint. Quia enim sæpius audiuerunt, Iesum conquestum esse de prophanatione templi & sacrorum: meminerant etiam, quod scriptum esset Malach. 3. ver. 3. Messiam, quando venerit, purgaturum filios Leui: & iam festum Encœniorum commonefactio erat, quod templum à contaminationibus repurgandum esset, cogitarunt, illū iam propterea adesse, vt in hoc festo id purgaret. Ideo præueniunt proposita hac quæstione. Sed Christus noluit eiusmodi externam templi vel sacrorum innouationem instituere, quin potius ἐνεκαίνισε initiauit, & dedicauit nobis aliam viam, recentem & viuam per carnem suam, vt accedamus cum πληροφορίᾳ fidei puris cordibus ad sanctum sanctorum. Hebræorum 10. versic. 20.

4. Sequitur Christi responsio. Potuisset sane eos reiicere nec vllo responso dignari, eo quod ipsum antehac Samaritanum & Dæmoniacum aliquoties vocarint. Ne tamen veritati defuisse videri posset, mansuete respondit, cuius responsionis membra singula diligentius sunt expendenda. Primum membrum est, quo iniuriam sibi fieri affirmat, quasi hactenus minus perspicue indicarit, quis sit, cum & dictis & factis id fecerit: ipsi vero ex obstinata animi malitia nec dictis nec factis fidem habere velint. I. *Dixi vobis.* Vbinam & quando? Multoties, & quidem in templo Hierosolymitano, quando docuit, se esse lucem mundi, panem vitæ æternæ, fontem aquæ viuentis, vnicum verum pastorem Israelis, qui credentibus in se vitam æternam communicare velit. Hæc nemo hominum præstare potest, nisi sit Dei filius & verus Messias. Cumque ergo me illa præstare velle & posse testificer: an non satis aperte Messiam me esse professus sum? 2. *ipsa opera quæ ego facio*, id est, miracula quæ edo *in nomine Patris mei*, id est, ex ipsius mandato & potestate, *hæc testimonium reddunt de me* certissimum. Etenim quænam Messiæ opera sint futura propria, ea prænunciauit vobis Iesa. cap. 35. v. 4. Deus ipse veniet & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Hæc cum sæpius à me facta esse videritis, omnino inde colligere poteratis, me verum esse mundi Messiam. Sed vos *nec* dictis nec factis *creditis*. Quid ergo vultis me amplius facere, aut quid opus est me pluribus idem testari, cum incurabilis vestra malitia nulla ratione emolliri possit?

In altero membro reddit Iesus rationem huius tam obstinatæ malitiæ Iudæorum. *Sed vos* propterea *non creditis, quia nō estis ex ouibus meis*, hoc est, ex Electorum numero, *quemadmodum dicam vobis*, nuper in parabola de pastore & ouibus. *Oues enim meæ*, hoc est Electi, & à Patre prædestinati *vocem meam*, tanquam sui pastoris, *audiunt*, ei fidem habent atque obediunt: & propterea vicissim *ego cognosco eas*, curam pastoralem pro ipsis, tanquam ouibus meis, impendens. Ipsæ vero vocem meam agnoscunt, & ob id *sequuntur me*, tanquam suum pastorem. Vos autem, quia nec vocem meam auditis, nec me sequimini, satis vos proditis, quod non sitis ex ouibus meis. Est autem hic probe notandum, quod Christus fidem ouibus suis, hoc est, Electis sic annectit, vt quasi terminos conuertibiles faciat fideles & electos. Hunc in modum, Omnis electus credit: & Omnis credens est electus. Vnde etiam Paulus Tit. 1. vers. 1. fidem vocat electorum Dei. Et Actor. 13. ver. 48. concionibus Pauli credidisse scribuntur omnes, quot

quot erant præordinati ad vitam. Vt ita monstri instar sit, si quis fidem ab electione sequestrare velit.

Est autem etiam notanda connexio quam Christus hic ponit: *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.* Et rursus: *Non estis oues meæ, quia non auditis vocem meam, nec sequimini me.* Sic nimirum Christus occurrere voluit disputationi illi, quam quidam mouent, dum quærunt: quomodo illi sunt culpandi qui non credunt; & qui propterea non credunt, quia non sunt ex ouibus Christi, hoc est, non sunt ex electorũ numero: cum diuina electio & prædestinatio non sit sita in hominum potestate? Ergo Dei culpa sit quod nõ credunt, quia Deus ipsos non elegit: Deus prius eligat ipsos, & tũ poterunt credere. Hi imaginantur sibi electionẽ absolutam, qua Deus absque omni respectu hos elegerit, & illos reprobarit: atque postea electis fidem instillet, reliquis non item. Sed hi errant. Siquidem Deus electionem suam certo ordini inclusit. Ordo ille in præsentibus monstratur. Si quis velit esse ex ouibus Christi, hoc est, ex electorum numero, debet audire vocem Christi, hoc est, verbum Dei eiusque conciones. Verbum siquidem Dei est legitimum medium, per quod Spiritus sanctus operatur conuersionem & fidem, adeoque facit vt tales sequantur Christum, sicque opere ipso commonstrent, se vere esse electos. Qui vero verbum negligunt, nec audiunt, sed persequuntur, quid mirum tales fide carere, ac proinde non ex electorum, sed reproborum numero esse? Est ergo fides vera effectus prædestinationis diuinæ, & simul donum Dei, per auditum verbi collatum. Conducit hæc obseruatio ad confirmandam fiduciam salutis nostræ: vt certitudinem electionis & prædestinationis nostræ non quæramus in tertio cœlo, sed apud nos ipsos. Quia enim fides solis electis datur, dubium non est, ex electorum numero esse omnes, quibuscunque fides per verbum est data. Operam tamen dent, vt iuxta commonitionem Petri. 2. Epist. c. 1. v. 10. electionẽ suam firmam faciant: quod fit, quando fidem suam etiam factis exprimunt, sicque eam omnibus testatam faciunt. Hæc si quibus assint, tum de gratia Dei & sua salute ne minimum quidem dubitare debent.

Tertium membrum responsionis Christi est, quod recitat priuilegia suarum ouium, idque facit eum in finem, quia impiis Iudæis in illo cœtu intermixtæ erant præ aliquæ ouiculæ, quæ ipsum sequebantur, poterant hæ offendi, quod viderent primores populi non tantum non credere in Iesum, sed etiam eum persequi. Vt ergo doceret ipsas, authoritatem sui Euangelij non æstimandam esse ex fide hominum, qui credere non possint, nisi Spiritu Domini illuminentur, sed ex præclaris effectibus & donis, quę ipse in suas oues collaturus sit: ideo hanc sententiam præcedentibus addit, qua vlterius demonstrat, se verum esse mundi Messiam. Quęnam sunt ergo illa priuilegia? 1. *Ego cognosco oues meas*, hoc est, eas amando solicite procuro, quęcunque ad ipsarum salutem faciunt. Scio enim quod Pater eas mihi ab æterno dederit & redimendas & saluandas. Ideo etiam, quod ipse mihi dedit custodio, ne pereat. Ioh. 17. v. 2. 2. *Ego vitam æternam do eis.* Quid hoc beneficio maius excogitari potest? Quicunque enim suo tempore hunc optatum æternæ felicitatis portum appellit, non habebit, quod desideret in æternũ. Nam & 3. *nõ peribunt in æternum.* Neque enim illius æternæ vitæ ea erit ratio, quæ olim paradisi, in quem serpens irrepens & Euam seducẽs omnem perdidit felicitatem. Sed erit tum beatitudo confirmata, quæ in æternum mutari nequit. 4. *Neque rapiet eas quisquam è manu mea.* Habent sane oues Christi multos salutis suæ aduersarios, inprimis satanam, mundum, & propriam carnem, ita vt sæpe conscientia fluctuare incipiant, metuentes ne salutis naufragium patiantur. Sed Christus hic solidam salutis anchoram monstrat, & testatur oues suas de sua salute certissimas esse debere. Sed vbi fundata est hæc certitudo? Christus respondet, *in manu mea*: Hæc est illa manus, de qua Sap. 2. v. 1. iustorum animæ sunt in manu Dei, nec vllum tormentum mortis tanget eos. Suam enim & Patris manum eandem esse testatur. *Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest rapere è manu Patris mei.* Et quidem cœlestem Patrem omnibus tam visibilibus quam inuisibilibus creaturis maiorem seu potentiorem esse, neque à quoquam cogi posse, nemo negabit. Inde infert. Ergo nec ex mea manu quisquam eas rapere poterit.

Ratio: *Ego & Pater vnum sumus. Vnum*, non consensu & voluntate tantum, prout olim diuinitatis Christi oppugnatores, & hodie Caluinus in suis commentariis in Iohannem, hunc locum interpretati sunt: sed natura, essentia potentia & dominio. Neque enim voluntatis vllus est effectus, nisi potentia ipsi sit coniuncta. Est hic illustris locus ad probandam Iesu Christi diuinitatem. Vnde Augustinus recte dixit: *vnum sumus*: vtrumque audi. & *vnum*, & *sumus*, & liberaberis tam à Scylla, quàm à Charybdi. *Vnum*, te liberat ab Arrio, qui negat æternam diuinitatem Christi: *Sumus*, te liberat à Sabellio, qui negat distinctionem personarum in diuinitate. Quæ autem Christus hic de sua diuinitate profert, illa non extra scripturarum authoritatem asserit. Hæ enim de ipso idem asseruit. Iesai. 9. versiculo 6. testatur, quod sit pater æternitatis. Iere. 23. vers. 6. quod ipse Iehoua sit iustitia nostra. Mich. 5. versic. 2. quod Messiæ egressus sit ab initio & à diebus æternitatis. Sic itaque Iudæis ad ipsorum quęstionem abunde Iesus satisfecit, vt siue personam intueantur, siue officium spectent, verum Mundi Messiam & Saluatorem in ipso deprehendant.

Augustinus & Hilarius hic diuersam habent lectionem, quæ etiam in vulgata nostra reperitur. *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est.* Atque inde hunc sensum colligunt: quod Pater meus generando mihi dedit, nimirum naturam, essentiam & potentiam, hoc maius omnibus est, hoc est superat omnium hominum & diabolorum potestatem, ac proinde sicut de Patris mei manu nemo quicquã rapere potest, ita nec de mea manu: quia *Ego & Pater vnum sumus* per naturam & potentiam. Alij autem per illa verba *quod dedit mihi pater*, intelligunt oues Christi & Ecclesiam, de quibus dixit Ioh. 6. v. 37. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venit, non reiiciam foras. Hoc datum Patris *maius* siue filio charius esse intelligunt, quam vniuersas reliquas creaturas. Vterquę sensus non est impius, verum orthodoxus: sed ille, quem Græcus textus præbet, omnium est simplicissimus.

Ex hisce priuilegiis ouium Christi possumus etiam certitudinem salutis omnium credentium firmissime colligere. Nam 1. *Pater dedit* electos filio seruandos. Ergo eos negligere nequit. 2. *Filius suscepit*, ceu depositum. Ergo fideliter eos custodiet, cum sciat Patris voluntati illud gratum esse. 3. *Cognoscit suos* Dominus. Ergo ex ipsius inscitia vel incuria perire non possunt. 4. *Dat eis vitam æternam.* Nam propterea ab æterna morte eos redemit, vt spiritu vitæ eos donaret, in quo æternũ viuerent. 5. *Nec sinit quenquam eorum perire in æternum.* Electi ergo in fide turbari & tẽtari quidam possunt, vt interdum de se actum esse ipsi opinẽtur. Sed fidelis est Dominus, qui non patitur quenquam tentari supra vires, sed facit cum tentatione prouentum, vt possint sustinere. 1. Cor. 10. v. 13.

6. *Nemo denique eos ex manu Christi rapere potest.* Huic namque data est omnis potestas in cœlo & in terra. Ideo cũ Paulo securi esse & magno animo pronunciare possumus: certi sumus, quod nulla creatura nos separare possit à charitate Dei, quę est in Christo Iesu Domino nostro. Rom. 8. v. vlt. Hæc est nostra certitudo salutis, qui eam in manu Christi fundatam & positam quærimus. Qui vero salutem suam vel in meritis sanctorum vel in propriis operibus collocatam quærunt, illi viderint, quantam certitudinem habeant, certe de salute dubitare illis plerisque, quibusdam etiam de ea desperare, est proprium.

II. Hactenus habuimus primum actum Encœniorum istorum, qui fuit hypocriticus, à Iudæis per insidiosam quæstionem ad Iesum institutus. Iam sequitur alter, qui fuit violentus & tyrannicus. Nam audita Christi responsione, quia nihil inde excerpere poterant, quod ad Præsidem Romanum deferrent, qui nec panem vitæ, nec aquam, nec pastorem curaturus esset, & tamen intelligerent, eum non negare, se esse Messiam, ipsi in furorem acti eum per tumultum lapidare & occidere conantur. Nam *rursum*, post illud quod Ioh. 8. v. vlt. tentarant, *sustulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent eum.* Atque sic ipsi produnt, quod non discendi, sed nocendi studio suam quæstionem proposuerint. Nam hoc est ingenium omnium hostium veritatis, quod si hanc calumniis, nec inuisam reddere nec obruere possunt, eandem aperta vi, violenter opprimere conantur. Hoc quia Christo ipsi accidit, eo minus nos offendamur.

Quid vero Christus ad hanc violentiam? Ipse rationibus & quidem duabus grauissimis, (vt audiemus) eorum efferatos animos emollire studet. Verum frustranea fuerunt illa omnia: si quidem in furore suo perseuerauerunt: vt audiemus. Et primo quidem Christus eorum conscientiam vicissim interrogatione pungit, dicens: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum operum me lapidatis? Lapidatis* inquit, in præsenti. Quia absque dubio iam aliquos lapides in eum emiserant. Vult autem dicere. Malefici & scelerati lapidari merentur. Ego vero hactenus inter vos ab omni maleficio abstinui, imo multifariam vobis & vniuerso populo benefeci, sanando quoscunque ægros, liberando dæmoniacos, mundando leprosos, excitando mortuos, viam æternę salutis docendo ignaros, offerendo denique omnibus omnes thesauros gratiæ cœlestis mei Patris. Quæ ergo est miseria lapidare velle eiusmodi benefactorem? Paucis verbis multa peccata ipsis obiicit. 1. Iniustitiam erga eũ, qui bene de ipsis meritus est. 2. Ingratitudinem simplicem erga eum qui ipsorum conuersionem

conuersionem & salutem promouere conatur. 3. Ingratitudinem duplicatam in ipsum Deum Patrem, qui ipsorum salutis causæ filium hæc opera operari voluit. Et quicunque sese ad piorum persecutiones permouere patiuntur, illi iisdem peccatis omnibus sese implicant. Sed viderint Christiani, ne & ipsi consimilis ingratitudinis argui possint. Etenim Christus nobis quoque omnes cœlestium beneficiorum thesauros per Euangelij sui prædicationem offert, nec minuimur ab omni bono, quod populo Dei in Veteri Testamento tributum erat. Sed proh dolor, multi ne hilum quidem curant, quod ex Antichristianis tenebris per Euangelij lucem educti, alij carnis lasciuiæ dediti, moribus propemodum sunt leuioribus, quam olim in Papatu: alij Euangelium totum cane angueque peius oderunt & persequuntur. Viderint ergo quid olim Christo responsuri sint, vbi eos interrogarit: propter quodnam meorum operum ita me neglexistis?

Iudæi respondent Christo: *ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* *Blasphemia* dicitur 1. quando Deo attribuitur, quod ipsi non conuenit. 2. quando ab eo aufertur, quod ipsi conuenit. 3. quando creaturis tribuitur, quod soli Deo conuenit. 4. quando impia aduersus Deum & ipsius verbum proferuntur. Et quidem blasphemos Deus ipse lapidare præcepit magna seueritate. Leuit. 24 vers. 13. Qua in re sæpenumero Christiani magistratus admodum sunt segnes, qui plurimas blasphemias & diras execrationes atque imprecationes plebis, venatorum, rusticorum, quibus Deus in cœlo offenditur, impunitas dimittunt.

Hic certe verbi ministri instare, grauibus exhortationibus magistratum officij sui commonefacere, peccatum hoc exaggerare, & tales negligentes iudices ipsis Iudæis deteriores esse demonstrare debent. Etenim quod Iudæi zelati sunt aduersus blasphemias, in eo non peccarunt: sed quod Iesum blasphemiæ reum egerunt, illud fuit prætextus, nō vera causa. Vnde vero illud crimen colligunt? Quia dixerat: *Ego & Pater vnum sumus.* Ergo Iudæi longe rectius hoc Christi dictum intellexerunt, quam olim Arriani & hodie multi Caluiniani. Ipsi enim illud non de animorum consensu, sed de essentiæ & potestatis vnitate, adeoque de totius diuinitatis æqualitate dictum intelligebant. Frequenter hactenus Iesus Deum suum patrem vocauit: nullibi tamen Iudæi blasphemiam ei obiecerunt. Hic vero, quando dicit, se & Patrem vnum esse, mox eum blasphemiæ accusant: *tu cum sis homo, facis teipsum Deum*, hoc est, vsurpas tibi diuinitatem, sicque blasphemiam committis. Sed, vt diximus, fuit prætextus. Sicuti seditioso huic & sanguinario populo nihil vsitatius fuit, quam quod Prophetarum & sanctorum cædibus prætexuerunt, vel zelum gloriæ diuinæ vel publicæ salutis & tranquillitatis studium. Sic Elias Achabo fuit turbator Israelis. 1. Reg. 18. v. 17. Sic sacerdotes Ieremiæ denunciarunt iudicium mortis: quia prophetauit aduersus sanctam ciuitatem Ierem. 26. v. 11. Sub eodem prætextu Stephanus lapidibus obrutus est, quod dixisset Iesum Nazarenum mutaturum ritus Mosis. Act. 7. ver. 58. Eodem modo Paulus per seditionem fere in templo oppressus est, hoc pretextu quasi passim doceret homines aduersus legem & locum sanctum. Act. 21. v. 28. Hanc Iudaicam peruersitatem hodie multi Christiani imitantur, qui sceleribus suis prætexunt gloriam diuini nominis. Verum, qui Iudæos puniuit, ille adhuc hodie viuit, nec tales impunitos dimittet.

Porro, quia Iudæi Dominum Iesum hoc nomine blasphemiæ accusabant: quia *cum homo sit, seipsum Deum faciat.* Iam duobus argumentis demonstrat, se nullam blasphemiam cōmisisse. Primum desumptum est ex scripturis, quibus Iudæi, neque immerito, plurimum tribuebant. Sed in illo non explicat Christus plene, quod & quomodo sit Deus: tantum refutat, non esse blasphemiam, quod se Deum dixerit. Alterum autem argumentum desumptum est ab operibus: in eo diserte rursus dicit, se Deum esse, & ab indiuisis operibus arguit ad essentiæ vnitatem.

Primum argumentum desumptum est ex Psalm. 82. vers. 6. vbi Deus Iudices iniquos his verbis alloquitur: Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis. Ex hoc loco Christus sic infert: *Nonne scriptum est in lege vestra? Ego dixi, Dij estis. Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura, quem Pater sanctificauit & misit in mundum vos dicitis me blasphemare, quia dixerim, Filius Dei sum.* Est argumentum ductum à minori ad maius. Scriptura Deos vocat, *ad quos Dei verbum factum est*, hoc est, quibus certum aliquod officium impositum est, vt magistratibus, vel quibus certum mandatum aut negotium commissum: *& scriptura solui nō potest*, hoc est, nemo audet contra Scripturæ authoritatem disputare; multo minus eam falsitatis aut blasphemiæ arguere. Quanto magis ergo Ego nomine Dei dignus sum, *quem Pater sanctificauit*, id est, ab omnibus hominibus & creaturis segregauit, *atque in mundum misit*, vt saluti hominum cōsuleret. Nota, quod Ariani hæc pro se allegare soliti fuerint, & contenderint, Christum tantum Metaphorice esse Deum & nūcupatiue, sicuti sint Magistratus: non autem natura siue essentialiter. Verum in eo errarunt, quod sequentia verba non attenderunt *quem pater sanctificauit, & in mundum misit.* Sanctificationem D. Augustinus hic accipit de diuina natura, pro eo quod Pater eum sanctum genuerit ab æterno. Sed hoc minus ad præsentem scopum quadrare videtur, eo quod Iudæi Iesum blasphemiæ accusauerint propterea, quod *homo cum sit, seipsum Deum fecerit*, aut, *vnum cum Patre* se esse pronunciarit. Proinde rectius hunc locum Hilarius ponderasse videtur, qui libro septimo de Trinitate, cum de Christi humanitate sic exponit. Vt Pater Iesum sanctificasse intelligatur, non vulgari modo, quo alios homines, sed singulari illo modo, quo huius vnius humana natura ab omnibus aliis hominibus segregata, vnita est diuinitati in vnitatem personæ τῦ λόγυ. Per quam gratiam vnionis, in assumptam illam humanam naturam, absconditi sunt omnes thesauri scientiæ & cognitionis. Coloss. 2. versic. 3. imo in ea habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. vers. 9. ex cuius plenitudine postea omnes credentes accipiunt sanctificationem coram Deo. Hunc specialem sanctificandi modum eo Christus innuere videtur, quod non dixit, quem *Deus* sanctificauit, sicut de magistratibus dixit; *Dei* sermonem ad illos factum: sed dixit, quem *Pater* sanctificauit. Si eum sanctificauit vt *Pater*, vtique fecit eum sanctum suum filium, idque per gratiam vnionis. Vt sic iam post incarnationem ὁ λόγος cum assumpta natura, & assumpta natura cum λόγῳ, sit vnigenitus, sanctificatus & dilectus Dei filius. Quem Pater *misit in mundum*, vt opus redemptionis humani generis perficeret. Hoc mittere in mundum non leuiter premit Arianos, æternitatem Christi negantes. Etenim de nemine dici potest, quod mittatur alio, nisi prius sit apud eum, qui ipsum mittit, antequam ab eo mittatur. Cum ergo dicat, se, in cuius persona diuina & humana natura sunt vnitæ, sanctificatum à Patre missum esse in mundum, vult Iudæos inde colligere, quod ratione suæ diuinitatis apud Patrem fuerit, antequam in mundum mitteretur. Atque hoc modo ex Scripturis Christus refutauit proteruiam Iudæorum, qui per calumniam ipsum blasphemiæ accusarant.

Præterea, quæ hactenus ex hoc loco diximus, debet etiam hic attendi scripturæ sacræ authoritas, qua Christus nō solum vtitur in confutandis suis hostibus & aduersariis, sed etiam diserte de ea testatur: *Scriptura solui non potest*, hoc est, non potest reiici, negari, infringi, euerti, aut irrita fieri. Itaque si cui res est cum hæreticis, phanaticis, aut aliis hostibus veritatis, norit firmissima argumenta contra eos desumi posse ex sacris scripturis. Hæ sunt gladius ille anceps & penetrabilis, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus compagum & medullarum, & discretor cogitationum & interiorum cordis. Hebr. 4. v. 12. Non ergo blasphemia caret, quando Pontificij disputatores Scripturas [illegible] sæpenumero cum ignominia reiiciunt, & nihil præterquam Patres, Patres Concilia, Concilia Canones & Decreta crepant. Sed nos hic locum damus versiculis vsitatis.

Vnus apex verbi ratione valentior omni est:
Milleque Decretis Conciliisque prior.

Quod Christus Iudæis dicit: Scriptum est in *lege vestra*: & tamen citat dictum ex Psalmo, id aliquos torsit: quia alias Vetus Testamentum diuiditur in Legem Mosis, Psalmos & Prophetas Luc. 24. v. 44. Ac propterea quidam hic allegant Mosen Exod. 21. v. 6. & 22. v. 28. vt sic ex lege dictum illud sit citatum. Sed sciendum hic per *legis* vocabulum intelligi scripturam totius Veteris Testamenti. Hebræi enim eam תורה Thorah, legem, siue institutionem, vel iniunctionem vocant, quia continet regulam & explicationem diuinæ voluntatis ad homines de fide & cultu Dei.

Pro magistratibus etiam titulus hic, quem Deus ipse eis tribuit, & Christus hic confirmat, quo ipsos *Deos* nuncupat, est notandus. Prodest is ipsis duplici nomine. 1. Vt tanto maiori alacritate & meliore conscientia suo fungantur officio, dum certo sciunt, se in tam sancto & diuino munere versari, vt in eo & Deo & proximo inseruiant, atque salui fieri possint, si cæteroquin fidem seruent & bonam conscientiam. Quod notandum est contra Pontificios, qui sub tenebris Papatus, regibus & principibus persuaserunt, ipsos in suo munere nequaquam saluos fieri posse, nisi ante mortem sceptrum & coronam deponant, officio suo renuncient, mundo valedicant, in monasterium se abdant, regulas monachorum obseruent, & tandem in monastico habi-

tu se sepeliri curet. Deceptiones hæ fuerunt satanæ, qui omnium Dei ordinationum hostis est & inimicus. Cur enim Deus magistratum, quem ipse suum vicarium in his terris ordinauit, Rom. 13. v. 4. ob munus, ad quod ipse eum delegauit, & ob quod *sermo Dei ad ipsum factus est*, cœlo excluderet, nisi alia impietate salute se indignum faceret? 2. Vt probe meditentur, quales se in suo munere gerere debeant. *Dij* vocantur: Ergo Deum pietate, verbi ipsius amore, legum obseruantia, iustitia, beneficentia, & in genere bonorum operum studio imitentur. Sic & Deo grati, & subditis suis vsui erunt.

Alterum argumentum, quo Christus probat se nullam blasphemiam commisisse, dicendo se *vnum esse cum Patre*, desumptum est ab operib. cum Deo Patre indiuisis: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: sin vero facio, & si mihi non credatis, operibus credite.* Argumentum per se planum est. Nemo potest ex seipso & propria virtute facere diuina opera, nisi vere sit Deus. Ergo facio diuina opera propria virtute: imo *facio opera Patris mei*, non solum similia & æqualia, sed eadem cum Patre: quorum multa hactenus vidistis, qualia sunt, verbo pellere omnia morbórum genera, etiam dæmonia, exiguo commeatu multa hominum millia pascere; mortuos resuscitare, & consimilia opera multa, quæ omnium hominum vires longe superant. Ergo vere sum Deus, neq; pro blasphemo haberi mereor, quod me vnum cum Patre esse dixi. Quin propterea hæc opera hactenus edidi, *vt cognoscatis & credatis, quod Pater in me est, & ego in eo*, hoc est, vt sciatis, adeo indiuiduam Patris & mei esse vnitatem, vt alter in altero existat. Talis vnio in omnibus creaturis inueniri nequit, vt duo reperiantur, quorum vnum ita sit in altero, vt vna eademque numero sint natura. At Dei Patris & Dei filij sic vna eademque est natura & essentia, vt Patris essentia tota sit in filio, & filij essentia vicissim tota sit in Patre: atque sic totus Pater in filio, & filius totus in Patre subsistat. Vnde rursus infra Ioh. 14. v. 9. Philippo dicet: qui videt me, videt & Patrem. An non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?

Est quidem hic articulus sublimis, sed probe fundatus. Non vult tamen Christus etiam in his sublimibus articulis, nos confusam, sed planam & expeditam habere fidem. Ideo dicit: *vt cognoscatis & credatis.* Cognitionem fidei coniungit: quia fides in Christum non debet esse temeraria persuasio, aut vaga opinio, sed certa & solida notitia de Christo, & omnibus quæ ad salutem nostram pertinent, in qua notitia tuto & secure adeoque in solidum acquiescimus, & tandem etiam eidem immorimur. Hac de causa in libellis didacticis Fidei hæc quatuor attribuuntur: Notitia: Assensus; Fiducia & Applicatio. Et Paulus Coloss. 2. v. 2. requirit πληροφορίαν fidei, item vers. 5. τὸ στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, soliditatem fidei in Christum. Eandem fidem vocat Hebr. 3. v. 14. τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως, principium quo in Christianismo sustentamur: Cui Epithetο cap. 11. v. 1. addit, quod sit ἔλεγχος & certa demonstratio eorum, quæ non videntur. Hæc omnia cum mente Christi consentiunt, qui vult, vt primum cognoscamus, & postea credamus, in eaque fide fideles simus vsque ad mortem Apoc. 2. v. 7. tum dabit nobis edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei.

Illud vero etiam in hisce Christi verbis potissimum notandum videtur, quod non simpliciter sibi à Iudæis fidem de sua diuinitate haberi vult, sed tum demum quando operibus suis reipsa demonstret, se vere Deum esse. Diuinitas enim videri non potest, opera autem diuinitatis videri possunt, & ex his iudicium fieri potest de ipsa diuinitate. Hoc imitari debent omnes Christiani in omnibus ordinibus, vt non tantum inanibus titulis sese exornent, sed quales haberi volunt, tales etiam operibus & factis se demonstrent. Sic Ecclesiasticæ personæ volunt vocari sanctissimi, illuminatissimi, doctissimi & reuerendissimi: sed si quis ipsorum vitam & mores intueatur, interdum nihil sanctitatis, parum doctrinæ, tenebrarum multum apud eos reperiat, vt plerique exigua reuerentia digni videantur. Euangelij itaque ministri operam dent, vt ipsi & doctrina & vitæ exemplo præstent, quę ipsorum sunt officij, cum titulis digna agent. Qui in officio magistratus versantur, illi etiam salutari cupiunt, prudentissimi, circumspecti, grauissimi iustitiæ Antistites: Sed quam multis desit prudentia, quam multis iustitiæ amor & circumspectio, id sæpenumero subditi cum damno suo experiūtur. Sic multi de fide sua Christiana verbis gloriantur: sed si eam operibus demonstrarent, longe rectius facerent. Sit ergo vniuersalis hæc regula: Nemo seipsum tantum inani titulorum splendore aut nuda nominis professione apud alios venditet, sed reipsa præstet, quod haberi vult.

Exitus denique horum Encœniorum quoque est spectandus, qui satis fuit turbulentus. Nam *Iudæi iterum quærebant Iesum apprehendere.* Tanta enim & tam contumax ipsorum fuit rabies, vt licet Deus hactenus sæpius ipsorum frustrarit conatus: excæcati tamē idem facinus subinde rursus tentant. Volunt nimirum ipsum comprehendere, vt vel extra templum protractum lapident, vel Romano Præsidi tradant. Verum ipse diuinam suam virtutem reipsa declarans *exiuit de manu eorum.* Ergo quemadmodum antea ipsum circumcinxerant, ita hic iam manus ei iniecerunt: sed ipse illustre *diuinitatis* suæ documentum editurus, ex tot coniuratorum *inimicorum* manibus euadit, quod nudo homini impossibile fuisset. Ideo etiam modus euasionis non exprimitur, quia miraculosus is fuit. Quod autem Dominus hoc in loco salutis suæ consulit, primo quidem furorem hostium cohercendo iustis rationibus, deinde vero diuina quasi fuga (vt sic nūcupem) ex manibus eorum excundo, eo docet Christiano homini concessum esse, vt contra hostium suorum audaciam legitimis mediis, Apologiis, legibus, & magistratus authoritate vtatur, quo vitam & salutem suam tueatur, quandiu per Dei gratiam potest. Hoc etiam Paulum mouit, vt cum Festus Præses Iudæis eum tradere vellet, securitatis suæ causa Cæsarem appellarit.

Licet autem Christus hic diuina virtute ex manibus Iudæorum euaserit: tamen cum adesset tempus passionis à Patre constitutum, hostibus sponte obuiam processit: & quanquam eorum improbitatem reprehendit, vincula tamen volens suscepit, seque ab ipsis ad crucem vsque *duci passus est*, quod perficere ipsi nullo modo potuissent, nisi vltro *mortem* suscepisset. Sic vero docuit, vt quando semel atque iterum Dei benedictione ex periculis euasimus, postea autem Dei voluntatem deprehendimus, quod velit, vt morte nostra ipsum honorificemus, vt patienter & magno animo feramus, quicquid ipse nobis ferendum imposuerit.

FINIS ET ἈΝΑΚΕΦΑΛΑΙΏΣΙΣ *tertij anni ministerij Christi.*

NE huius libri expositio à prioribus discrepet, lubet eidē annectere breuem σύνοψιν peregrinationum, concionum, miraculorum, sectatorum & aduersariorum Christi, quos hoc anno habuit.

1. Profectiones Christi hoc anno fuere multæ & varię. Et non tantum ipse multas & varias peregrinationes ad longe lateque disseminandum Euangelium regni *hoc anno instituit*, verum etiam alios emisit. Vna vice *duodecim Apostolos* cum certis mandatis & præscriptis, vt *passim nunciarent*, dono miraculorum instruxit. Altera vice septuaginta discipulos emisit in omnes partes totius regionis, vt denunciarent ipsum adhuc semel ad eos venturum, & doctrinam traditam confirmaturum. Ipse vero Iesus in initio huius anni in Galilæa circuiuit vicos & ciuitates, generalem instituens visitationem. Et quia populum bonis pastoribus destitutum inuenit, Apostolos ad docendum emisit. Ipse vero quoquouersum eos secutus est, inspiciens eorum labores, & sua gratia benedicens. Interea Iohannes Baptista ab Herode decollatur: & quia nec Domino parsurus fuisset, ipse declinandi periculi, & quietis quærendæ causa, cum Apostolis reuersis, nauigio abit trans mare Galilææ in desertum locum. Quam tertiam profectionem numerare possumus. Inde *quarto loco* rediit pedestri itinere supra mare ambulans Capernaum vsque, quo Apostolos cum nauigio præmiserat. *Quinto* Scribæ & Pharisæi ineptis & importunis suis disputationibus, de traditionibus Seniorum, expellunt ipsum *vsque ad* fines Tyri & Sidonis. Ibi tum non diu latuit, sed per medios fines Decapoleos ad mare Galilææ rediit. Mox Pharisæi signum à Iesu petunt, quo probet se esse Christum. *Sed* ab ipso reiiciuntur, eoque Pharisæi ansam præbent septimæ profectioni, qua exiit ad fines Cæsareę Philippi, in cuius vicinia etiam in mōte post colloquium cum Mose & Helia transfiguratus est. Nec diu ibi hærens, latenter transiit Galilæam, & de sua passione discipulis concionatus rediit in Capernaum. Posthæc ascendit per Samariam Hierosolymam ad festum scenopegias. sed tandem à Iudæis lapidibus ex templo expulsus aliquantisper quidem delituit: verum reuersis septuaginta discipulis, rursus prodiit in publicum, atque inde Hierosolyma discessit, primo quidem Bethaniam ad Martham & Mariam, ab his vero ad visitationem Ecclesiarum in Iudæa. Tandem & vndecimo redit Hierosolymam, ibique hæsit ad festum Encœniorum vsque, in quo Iudæi denuo ipsum lapidare voluerunt, vt rursus discedere coactus fuerit. Sic ergo Christus integrum annum fere peregrinando consumpsit. Quæ ipsius profectiones hoc peculiare habere videntur, quod subinde ad fines gentium abiit, atque sic animo gestire & optare visus est, vt regnum suum limites Iudææ egressum, inter Gentes erigeretur.

2. Conciones huius anni fuerunt variæ & illustres. In Galilæa primum solennem concionem, quæ annotata quidem est, habuit Capernaumi in synagoga tempore Paschatis. Neque

que enim ad istud festum Hierosolymam adscenderat, eo quod Iudæi ad mortem ipsum quærebant. Concionis autem illius argumentum fuit, quod occasione miraculi quinque panum Capernaitas hortatur ad quærendum panem cœlestem, quem Pater cœlestis misisset in mundum, & ipse daturus esset eum pro vita mundi: quem qui spiritualiter ederet, haberet vitam æternam; qui non ederet, videre non posset.

Postea, cum Scribæ & Pharisæi Hierosolymitani cum ipso expostularent, quod discipuli eius manducarent illotis manibus contra traditiones seniorum, de traditionibus disseruit, & docuit, non ea, quæ intrant in os, mentem polluere, sed quæ de ore ex corde prodeunt. Alio tempore Pharisæis & Sadducæis signum è cœlo negauit, sed è terra dandum affirmauit, ex quo cognoscant, ipsum verum esse Messiam. Inde discipulos monuit, vt fermentum, hoc est, doctrinam & hypocrisin Pharisæorum & Sadducæorum cauerent. Petro ad editam ingenuam sui confessionem, promisit claues regni cœlorum. Eundem tamen mox seuere redarguit, cum ipsum de passione sua Hierosolymis subeunda concionantem ab ea abducere vellet. Addens, crucem ab omnibus tollendam, qui salui fieri vellent. Rursus postea Apostolos docuit disertis verbis, sibi passionem imminere. Sed Apostoli nihil eorũ intellexere. Capernaumi, vbi Cæsari didrachma soluendum esse exemplo suo docuit, discipulis concionatus est de humilitate contra primatum: de cauendo scandalo: de corripiendo fratre, & de offensa fratri septuagies septies ad exemplum Dei remittenda. Sic in hac parte anni, in Galilæa de multis necessariis articulis salutis nostræ disseruit. Hierosolymis autem in festo scenopegiæ eximias habuit conciones. Nã post longam Iudæorum expectationem, incepit docere in templo, ibique suæ doctrinæ & suorum operum contra Iudæorum calumnias rationes reddere adeo efficaciter, vt licet aliqui comprehendere eum cuperent, manus tamen ipsi iniicere non fuerint ausi. Altera die adulteram dolose à Pharisæis adductam absoluit: Pharisæis pudore affectis. Inde diuersis sermonibus in templo docuit de sua persona, de suo officio, de naturali corruptione tam Iudæorum quam omnium hominum: & in sermone suo constanter perseuerandum esse credentibus, si libertatem filiorum Dei consequi velint. Hosce sermones tam acris Iudæorum ἐπήρεια excepit, vt in ipso templo eum lapidare voluerint. Posthæc, docuit veram beatitudinem consistere in sui agnitione, non in legis obseruãtia, quod etiam parabola Samaritani commõstrauit. Docuit insuper discipulos formulam precum, & earum efficaciam. Monuit etiam cauendam hypocrisin: non metuendam mortem corporis: & cumprimis auaritiam atque solicitudinem temporalium rerum fugiendam. Ministros suos hortatus est ad fidelitatem: omnes vero homines ad pœnitentiam, proposita parabola de ficu sterili. Deniq; rursus Hierosolymis occasione nati cœci excommunicati, adducta parabola de pastore bono & mercenario, docuit ad se tanquam verum pastorem pertinere iudicium cognoscendi, quinã in Ecclesiam sint vel recipiendi vel ex ea excludendi: ipsos autem esse Mercenarios, dudum à Prophetis notatos. Vnde Iudęi postea in Encœniis suis vrserũt, vt diserte ediceret, vtrum sit Messias, ad quam quæstionem sic respondit, vt grauissimis argumentis commonstrarit, se & verum Messiam, & Dei filium esse eiusdem cum Patre essentiæ, potentiæ & maiestatis. Atque sic arcem religionis Christianæ posuit, moxque suæ diuinitatis specimen edidit, dum ex manibus virulentissimorum suorum hostium, qui vndique eum circumcinxerant, & lapidare volebant, euasit.

3. Miracula præcipua huius anni hæc sunt. In deserto quinque panibus & duobus piscibus pauit quinque hominũ millia: ob quod miraculum populus eum in regem eligere voluit, sed ipse fugit. Mox eiusdem diei nocte inambulauit mari à ventis turbato & tempestuoso: nec ipse tantum inambulauit, sed etiam Petrum ad se vocauit, & eidem inambulare fecit: mox autem nauim ingressi tempestatem maris verbo sedauit. Chananeę mulieris filiam, ob fidei ipsius firmitatem, à dæmone liberauit. Mox in monte ad mare Galilææ multos ægros & debiles, inter illos autem inprimis mutum & surdum singularibus circumstantiis sanauit. Inde rursus septem panibus ac paucis pisciculis, quatuor hominum millia pauit. In Bethsaida cœco visum restituit. Transfiguratio autem eius non inter postrema miracula referẽda est. Ex paradiso enim euocauit Mosen & Eliam, cum quibus de exitu suo conferret: vt sic se etiam cœli non minus, quam maris & terræ Dominum esse commonstraret. Mox etiam inferorum dominium commonstrans, dæmonium ex puero Lunatico eiecit, quod Apostoli non poterant eiicere. Censum pro se & Petro persoluturus, hunc ad mare misit, vt ex primi piscis, qui egrederetur, ore staterem accipiens, magistratui satisfaceret. Inter miracula merito refertur, quod toties à Iudæis & ipsorum ministris comprehendendus & lapidandus, semper tamen eos, vel efficacia sui sermonis coercuit, vel alias ex manibus eorum exiuit. Alibi eiecit dæmonium mutum: & postea in synagoga mulierem, octodecim annos contractam, verbo, & contactu sabbato sanauit. Denique cœco nato visum restituit, oculos luto ex sputo & puluere facto illinens, & ad piscinam Siloam, vt rursus ablueret, ipsum remittens. Sic hic tertius annus ratione stupendorum miraculorum priori nullo modo cedit.

4. Sectatores Christi hoc anno multos & numerosos fuisse inde colligere licet, quod vna vice tempore Paschatis eum in desertum secuti sunt quinque hominum millia, absque mulieribus & pueris, contenti apud ipsum pane hordaceo, cum apud Iudæos Hierosolymis assatos agnos & placentas non fermentatas habere potuissent. Altera vice, cum ex Decapolitana regione rediret, quater mille ipsum secuti sunt, triduum integrum ieiuni apud ipsum perdurantes, donec tandem & ipsos cibaret. Quod etiam latenter Galilæam transiuit, vt discipulos de passione sua instituere posset: quod item quasi in occulto accendit Hierosolymam ad festum scenopegias, id indicio est, alias ipsum tantum secum traxisse comitatum suorum sectatorum, vt aliquando, declinandæ inuidiæ causa, eos clam deserere coactus fuerit. Nam etiam cum in quodam conuiuio Pharisæi & Legisperiti Domino grauiter insisterent, os ipsi occludere conarentur & insidiarentur, vt aliquid captarent, de quo eum accusarent, concurrerunt myriades ex turbis, soliciti de Magistro, ne vis aliqua ipsi inferretur. Martha & Maria quidem non leguntur quod secutę sint ipsum peregrinantem: hospitio tamen eum exceperunt, sic reipsa demonstrantes, se doctrina ipsius discipulas esse. Inter sectatores Christi hoc anno non postremus fuit cœcus natus, qui à Iesu admonitus & edoctus, agnouit eum esse filium Dei, in eum credidit, ipsumque adorauit. Non tamen omnes pari integritate & animo Christum secuti sunt: ideo vna vice dum tres eum sequi cupiuerunt, duos à se rursus ablegauit & reiecit, tertium autem correxit.

5. Aduersarios habuit Christus hoc anno tam politicos, quam Ecclesiasticos. Nam quod Herodes sub initium anni, cum facta ipsius passim celebrarentur, ipsum videre desiderauit, illud non ex amore factum est, sed quod expetiit ipsum non minus è medio tollere quam Ioannem Baptistam. Sicuti id alia narrationes in Euangelistis satis diserte docent. Ex Ecclesiasticis fuerunt Christi hostes Scribæ & Pharisæi, qui Hierosolymis se in Galilæam vsque ablegari passi sunt, vt eũ obseruarent, quæstionibus tentarent atque operam darent, vt aliquid ex doctrina, vita, & sermonibus eius arriperent, de quo periculum ipsi creare possent. Hierosolymis autem coniurati ipsius hostes fuerunt Pontifices & sacerdotes, qui ne templi quidem sanctitatem reueriti, eum in ipso templo per ministros suos nonnunquam ipsi aperta vi eum opprimere conati sunt. Sed vbiuis & semper Christus suis hostibus maior & potentior fuit, est & erit: cui sit laus, honor & gloria in sempiterna secula. Amen.

QVINTI ET POSTREMI LIBRI

HARMONIAE EVANGELICAE,

A CELEBERRIMO QVONDAM THEOLOGO, Domino D. MARTINO CHEMNITIO Superintendente Brunsuicensi incoatæ

PER

D. POLYCARPVM LYSERVM, P. M. ELECTORIS *Saxonici quondam Theologum elaboratæ.*

PARS PRIOR.

SERENISSIMO SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHALLO ET ELECTORI, DN. DN. CHRISTIANO II. SAXONIÆ, Iuliæ, Cliuiæ & Montium Duci, Thuringiæ Landtgrauio, Misniæ Marchioni, Magdeburgensium Burggrauio, De Marca & Rauensburg Comiti, In Rauenstein Domino,

Domino nostro Clementissimo corporis incolumitatem & animæ salutem in Christo Iesu.

SERENISSIME ELECTOR, Domine Clementissime: Quandoquidem sereniss. T. Cels. partem primam Libri Quinti & vltimi Harmoniæ Euangelicæ venerandi parentis, D. Polycarpi Lyseri sereniss. T. Cels. antehac à concionibus; nunc *pie in Domino* mortui, meo & fratrum nomine humiliter offerre constitui, præter rem me facturum arbitror, si prolixius causas eiusdem recensere velim. Agnouit enim parens, p. m. agnoscimus & nos humili ac grato animo, omnia nostra, quæcunque à cura *nostra supellectile* vnquam proficisci poterunt, sereniss. T. Cels. tanquam nutritori nostro & benefactori summo & benignissimo, dicanda & consecranda, quæ non tantum Parentem nostrum, etiam post mortem, clementissima voluntate complexa est, sed & nos eius hæredes propter hunc nostrum Parentem Clementia & benignitate summa hodieque prosequitur. Næ ergo omnium ingratissimi essemus, si non quęcunq; ad veram subiectissimi animi gratitudinem declarandam facere videntur, studiosissime obseruaremus.

Nostræ autem tenuitatis probe memores, nos officio satisfecisse nostro putabimus, (qui enim hoc temporis puncto iam aliter possumus?) si paternis vestigiis insistendo, id grati animi monimentum erigamus, quo ipse suo quodam modo ἀντιπελαργεῖν voluit. Hac ipsa namque de causa constituit (idque publice extare voluit) Opus hoc Harmonicum, si DEVS vitam viresque, vt vltimum ei fastigium imponere licuisset, largitus fuisset, sereniss. T. Cels. Domino suo Clementissimo, humilime consecrare. At quia vitæ terminum, sibi à DEO præscriptum, priusquam Operi huic colophonem *feliciter* imponeret, appropinquare sentiebat, propterea DEO eius, quod ipse hac in parte sibi proposuerat, dispositionem relinquere cogebatur. Monebat tamen me tum præsentem, serioque iniungebat, si forsitan vel particula hæc, vel totum opus iterum prælo subiiceretur, Sereniss. T. Cels. sacrum vt id esset, atque humilima dedicatione offerretur.

Cum ergo iussu & hortatu aliorum & hæc pars Harmoniæ (licet ab authore nondum plene absoluta, multo minus recognita) publicis exscribenda esset typis, Ecce Sereniss. T. Cels. hoc quicquid est sacri Operis deuotissima animi subiectione deferimus, dicamus, & consecramus. Nec dubitamus, quin Sereniss. T. Cels. ea clementia & benignitate, qua hactenus priores Harmoniæ huius Euangelicæ partes, amplexa est, hoc Opus posthumum susceptura, & suum Polycarpum viuum mortuumque aduersus quorumvis calumnias & sycophantarum morsus Heroico spiritu tutum præstitura, nosque eius hæredes & deinceps clementi gratia prosecutura sit.

DEVS Opt. Max. Omnipotenti sua dextra Sereniss. T. Cels. totámque domum Saxonicam, pietatis & literarum patronam exoptatissimam, turbulentis hisce temporibus protegat, ad nominis sui gloriam & afflictissimæ Ecclesiæ salutem ab omni malo tutam, incolumem, florentemque præstet, tandemque immarcessibilem gloriæ coronam imponat, æternumque beet, Amen. VVitebergæ 15. Ianuarij, Anno Christi M. DC. XI.

Sereniss. T. Cels. subiectiss.

POLYCARPVS LYSERVS SS. THEOL. L.

suo & fratrum nomine.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO ET CANDIDO.

Etsi nihil mihi optatius accidere potuisset, quam vt hanc Libri Quinti & postremi Harmoniæ Euangelicæ partem, vt & insequentes ab ipso Autore (quod vnicum in votis habebat atque à multis expetebatur) recognitas & reuisas exhiberem: quia vero DEO aliter visum fuit, in clementi eius voluntate humiliter acquiescendum.

Neque tamen ingratam tibi hanc editionem, licet vltima non accesserit lima, futuram spero: facileque veniam impetraturum, si forsitan occurrent in quibus accuratiorem requireres explicationem. Cygnea enim est quasi cantio & vltimus Domini Parentis labor, in cuius fine vires tam corporis quam animi defecerunt, & vna cum Lazaro ex mortalitate hac à Christo duce nostro ad immortalitatem tandem euocatus fuit. Neque mirum toto illo tempore, quo partem hanc elaborauit, grauiter decubuit, atque adeo vt vix pedem non dicam domo, sed Musæo extulerit.

Tu itaque pro tuo candore & beneuolentia, animo beneuolo & candido hanc quoque particulam, vltimum Polycarpi fœtum, accipies, Deumque piis precibus mecum sollicitabis, quo is fidelem quempiam Ecclesiæ Doctorem excitet, qui residuum huius Operis ad Dei gloriam & Ecclesiæ vtilitatem absoluat, Amen. VVitebergæ 15. Ianuarij, Anno 1611.

Polycarpus Lyserus L.

Σὺν Θεῷ.

LIBER QVINTVS HARMONIAE EVANGELICAE

CONTINENS HISTORIAM QVARTI ANNI MINISTERII IESV CHRISTI, vnà cum eiusdem passione & resurrectione.

CAPVT CXVI.

HARMONIAE EVANGELICAE, CHRISTVS relicta Hierosolymâ proficiscitur trans Iordanem, in locum vbi Ioannes baptizârat Ioann. 10. vers. 40.

ORDINIS INVESTIGATIO GENERALIS AB ENCOENIIS Hierosolymitanis, ad historiam vsque resuscitati Lazari.

Ex iis, quæ in principio huius Harmoniæ de distributione annorum Ministerij Christi notata sunt, non obscurè intelligi potest, historiam de Encœniis finem facere tertij anni Ministerij Christi. Inchoabantur enim 26. Nouembr. & celebrabantur per 8. dies. Initium ergo quarti anni ministerij rectius constitui nequit, quam cum post Encœnia Iesus discessit ex Iudæa. Sicuti eiusdem discessus ex Iudæa, Ioann. 4. versiculo 3. initium fecit secundi anni: & initium tertij alius Christi discessus Matth. 9. vers. 35. Quæstio autem: quomodo inuestigari & deprehendi possit ordo historiarum in hac parte quarti anni vsque ad historiam Lazari. Etenim totum tempus huius quarti anni ministerij Christi tantum est trium mensium, & aliquid vltra, intra quod tempus omnes sequentes in Euangelistis historiæ distribui debent. Quod quidam non obseruantes, variam mixturam faciunt in historiis sequentibus, & seipsos & alios turbantes. Nos breuiter, citra tamen præiudicium aliorum, nostram sententiam proponemus. Possunt autem, mea opinione, historiæ, ab initio quarti anni vsque ad passionem, commodissime duplici ratione distribui. 1. ratione temporis. 2. ratione locorum.

Primo igitur Ioannes Euangelista Dominum Iesum ex Iudæa deducit in Peræam, trans Iordanem, ad Bethabara, vbi Ioannes primum baptizauit. Ibi aliquandiu, vt ipse Euange-

lista testatur; *mansit*. Idque propter duas causas. 1. Quia propter loci commoditatem vndique multi ad ipsum conuenire poterant. Erat enim ibi traiectus. 2. vt ipse locus populo in memoriam reuocaret doctrinam & testimonia Baptistæ de Christo. Hoc enim Euangelista diserte annotauit factum esse. Hic ergo Christus hybernauit, & possumus huic mansioni in Peræa attribuere Decembrem, licet non sint annotata, quæ Christus ibi docuit & fecit. Huic tamen tempori attribuere possumus quæstionem illam cuiusdam, interrogantis, an pauci sint qui saluentur, Luc. 13. versic. 23. Postea versic. 31. accedunt Iesum Pharisæi eique dicunt: *Exi & vade hinc: quia Herodes vult te occidere*. Ergo eum temporis adhuc fuit in Peræa. Hæc enim & Galilæa illi Herodi subiacebant, non autem Iudæa & Samaria. Christus ergo inde exiens, rursus transit in Iudæam, ibique residuum Visitationis Ecclesiarum absoluit, atque eo sine dubio pertinent conciones, disputationes & commonefactiones, quas Lucas annotauit Capp. 14. 15. 16. & 17. Neque enim, vt etiam in superioribus annotatum est, Lucas Miscellanea in hisce Capp. absque ordine scripsit, eo quod pleræque eædem conciones in prioribus Capitibus ab Euangelistis fuerunt annotatæ. Sed monstrat, quomodo Christus in sua illa valedictione quam in hac sua postrema profectione instituit, simul etiam studiose instituerit repetitionem totius doctrinæ, quam per triennium tradiderat. Hinc ergo fit, quod Lucas multas conciones Christi refert ad tempus vltimæ ipsius profectionis, quas reliqui Euangelistæ describunt in primis annis ministerij Christi. Imo ex illis concionibus multæ à reliquis etiam Euangelistis scribuntur habitæ Hierosolymis, post absolutam illam vltimam profectionem. Atque sic ostendere voluerunt, Christum eadem doctrinæ Capita repetiuisse in omnibus locis. Quæ in Galilæa docuit, eadem etiam docuit Hierosolymis. Et talis fuit repetitio doctrinæ in postremo anno Ministerij Christi.

Ex Iudæa autem mouisse videtur tum, quando Lucas scribit cap. 17. vers. 11. *Et factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilaam*. Hoc enim innuit, dum proponit *Samariam* Galilææ. Illa enim prior transeunda erat, venientibus ex Iudæa in Galilæam. Commorationi itaque in Iudæa tribuatur dimidius mensis: peragrationi autem per Samariam & Galilæam spacium menstruum, quo eo acciderunt, quæ Lucas capit. 17. & in principio 18. recenset. Sic suppetit vnicus mensis vsque ad mortem Christi in cruce. Et in illo mense rursus conueniunt Euangelistæ, Matthæus, Marcus & Lucas: sed hoc discrimine, quod Lucas tantum ordinem historiarum contexit, Matthæus vero & Lucas rationem itineris notatione loci describunt. Quod scilicet Iesus *post sermones istos*, nimirum post parabolam de Pharisæo & publicano, digressus sit ex Galilæa rursus in Peræam. Et quia vltima hæc erat profectio, multæ turbæ ipsum ex Galilæa sunt secutæ. Neque vero statim recto itinere ex Peræa Hierosolymas profectus est, sed & ibi Ecclesias visitando peragrauit, docendo, sicut Marcus inquit capit. 10. versiculo 1. & sanando, vt Matthæus scribit, capit. 19. versiculo 2. Et in illa regione trans Iordanem, atque vltimo mense, acciderunt historiæ memorabiles. Vtpote disputatio illa cum Pharisæis de repudio: cuius occasione CHRISTVS explicat doctrinam de matrimonio, & de cœlibatu. Et notetur occasio. Luc. 16. 18. in Iudæa ostenderat, se improbare Pharisæorum sententiam de repudio. Hoc audierant, igitur tentantes ipsi proponunt quæstionem, quasi contra Mosen esset. Deinde, mulierculæ audientes de discessu Iesu, quia agnoscebant infantes ipsarum per ætatem, & adultos eius doctrinam non audituros, ideo ad ipsum eos adducunt, vt benedicat. Neque enim oblati sunt ob morbos: quia Cristus ipse dixit: *eorum est regnum cælorum*. Ergo vt alias infantes allati ad templum benedicebantur à Pontifice, sicut Luc. 2. vers. 34. Simeon benedixit, aut sicut Iacobus benedixit Ephraim & Manassen: Genes. 48. versic. 11. sic Christus hic benedixit infantibus. Postea subsecutum est examen, de vera & perfecta impletione legis, [illegible] doctrina de diuitiis, & quomodo hæc impedimento sint ad vitam æternam. Denique de præmiis bonorum operum, addita grauissima admonitione, contra opinionem & fiduciam dignitatis & meriti eorum. Et hæc fuit postrema concio Christi in Peræa: sicuti in Galilæa vltima fuit de Pharisæo & publicano: & Hierosolymis postrema fuit, Ioan. 14. 15. & 16.

Posthæc Matthæus, Marcus & Lucas incipiunt describere profectionem ex Galilæa trans Iordanem per Peræam in Iudæam versus Hierosolymam. Sed huic descriptioni inserenda sunt, quę Ioann. 11. habentur de Lazaro. Quando enim Christus nunciatum accipit de morte Lazari, nondum est in Iudæa, quæ proprie sic dicitur Ioann. 11. vers. 7. Ordo igitur ita cohærebit. Post illa, quæ in Peræa acta esse diximus, accipit Iesus nuncium de morbo Lazari, & post acceptum nuncium biduo adhuc manet in Peræa, interea Lazarus moritur, & tertio demum die instituit iter ex Peræa in Iudæam, ita vt quarta die veniat in Bethaniam. Et in illo itinere à Christo & Apostolis dicta & facta sunt, quæ singuli Euangelistę, Matth. 20. versicul. 17. Marc. 10. versicul. 32. Luc. 18. vers. 31. & Ioann. 11. vers. 7. annotarunt. Primo igitur die itineris ex Peræa, qui est tertius dies post mortem Lazari, Apostoli eum dehortantur ab illa profectione: ipse autem concionatur illis de sua passione. Postea accidit historia de petitione matris filiorum Zebedæi, & ipsorum etiam filiorum: cui insequitur indignatio reliquorum Apostolorum, quia Christus Matth. 19. versicul. 28. dixerat duodecim sessuros. Christus ergo vtrisque opponit conditionem sui regni, sicque eos in officio cohibet. Circa vesperam eius diei, cum appropinquaret Iericho, accidit historia de Zachæo. Altero vero die cum ex Iericho egrederetur, sanauit rursus cœcum ad portam desidentem, quem Marcus vocat Bartimęum, & Iesum secutum esse testatur. Marc. 10. versic. 46. Progressus deinde in via, alios duos cæcos etiam sanauit. Matth. 20. vers. 30. In eodem itinere, cum putarent mox manifestandum esse regnum Dei, eo quod iam esset prope Hierosolymam, dixit Parabolam de nobile peregre abeunte, & minas inter seruos suos distribuente. Luc. 19. versic. 11. Cumque non procul abesset ab Hierosolymis, & Apostolos sibi timere sciret, ipse eos præiuit, sed ad Bethaniam deflexit, ibique Lazarum à mortuis suscitauit, Ioann. 11. versicul. 17. Illa vero occasione Synedrium Hierosolymitanum primum decretum fecit: Iesum esse occidendum. Non autem Iesus tum statim ingressus est Hierosolymam, sed quasi occultans se in regionem prope desertum secessit. Fuit illud desertum Iudææ, vbi Ioannes cœpit prędicare. Matth. 3. versicul. 1. Hanc vero secessionem Hierosolymis calumniabantur esse timiditatem & fugam. Pontifices itaque animosiores facti, proponunt alterum edictum, vt si quis sciret vbi esset, eum indicaret & proderet. Iesus igitur tunc sexto die ante Pascha redit Bethaniam, & ibi non in occulto sed tam manifeste versabatur, vt ex Hierosolymis multi peregrinorum ad illum excurrerent: vnde fit tertium decretum de occidendo simul & Christo & Lazaro. Altero vero die ingressus est Hierosolymam, sicque tanquam verus agnus paschalis ad mactationem sese sistere voluit pro peccatis totius mundi.

¶ Hęc est breuis delineatio ordinis historiarum quarti anni vsque ad ingressum ad passionem. Si quis hac meliorem & commodiorem monstrabit, non reluctabor, sed facile cedam. Ad initium itaque quarti anni Ministerij Christi pertinet postrema illa περικοπή decimi capitis in Ioannem, quam nunc tractabimus.

Dominus IESVS relicta Hierosolyma pergit in Peræam, vbi Ioannes baptizarat. Ioan. 10.

40. Καὶ ἀπῆλθε πάλιν πέραν τοῦ ἰορδάνου, εἰς τὸν τόπον ὅπου ἦν ἰωάννης τὸ πρῶτον βαπτίζων.

41. Καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ. καὶ πολλοὶ ἦλθον πρὸς αὐτόν, καὶ ἔλεγον, ὅτι ἰωάννης μὲν σημεῖον ἐποίησεν οὐδέν. πάντα δὲ ὅσα εἶπεν ἰωάννης περὶ τούτου, ἀληθῆ ἦν.

42. Καὶ ἐπίστευσαν πολλοὶ ἐκεῖ εἰς αὐτόν.

40. *Et abijt iterum trans Iordanem, in eum locum vbi fuerat Ioannes baptizans primum: mansitque illic.*

41. *Et multi venerunt ad eum, ac dicebant: Ioannes quidem signum edidit nullum: omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc, vera erant.*

42. *Et crediderunt multi illi in eum.*

Pericha

QVibus de causis Dominus Iesus, Hierosolymitanum templum, quod spelunca latronum factum fuerat, & ipsam vrbem sanguinariam deserens Bethabaram se contulerit, id paulo ante indicauimus. Nimirum, 1. vt propter loci commoditatem & traiectum tanto plures auditores habere posset. 2. vt iidem auditores sibi in memoriam reuocarent, tum quæ in ipsius baptismo & inauguratione ibidem acciderant, tum quæ Ioannes Baptista de ipso testificatus fuerat. Neque Dominus frustratus est sua expectatione. Vtrumque enim euenisse Euangelista diserte testatur.

I. De primo dicit: *mansit illic, & multi venerunt ad illum.* His paucis verbis Euangelista duo innuit. Vnum, Dominum locum manendi inuenisse: alterum, multos etiam auditores eum habuisse. Quod de loco annotatur, probe est obseruandum, vt inde discamus, Christo nunquam locum *manendi* in his terris defuturum, vtcunque mundus tumultuetur. Si populosæ vrbes, superbę aulę, & amplę Respublicę (qualis tum erat Hierosolyma, in qua gloria Iudææ habitabat, & totius populi concursus fiebat) eum expellant, tum locum inuenit in deserto, in quem se recipiat, & in quo *maneat.* Quid fuit olim Græcia? quid Italia? an non fuere quasi paradisus Domini, in quo vrbes florentissimæ, habentes Ecclesias ab ipsis Apostolis plantatas? Quid econtra fuit Germania? Desertum horridum & inamœnum. Verum Christus ex Græcia Arrianis lapidibus, & ex Italia multiplici Idolomania expulsus, in hoc nostrum desertum demigrauit, in eoque *manet*, tum doctrinæ puritate, tum syncera Sacramentorum administratione, apud nos Ecclesiam colligens. Cumque ipsi placeat inter nos commorari, caueamus, ne ingratitudine ipsum repellamus. Supersunt enim adhuc deserta loca in terris, in quæ, derelictis nobis, sese conferre, ibique sedem suam figere potest. Videmus etiam hinc, quam stultum & friuolum sit, Ecclesiam Christi certo loco alligare velle, prout faciunt Pontificij, qui Romam suam primariam Ecclesiæ sedem esse contendunt, eo quod primarij Apostoli cathedram suam ibi habuerint. Certe Hierosolyma Dei promissionibus, typis & dignitate, supra omnes ciuitates totius orbis euecta fuit, maxime quia ipse Dei filius eam sua doctrina & miraculis nobilitauit. Sed postquam eandem eiecit, non amplius fuit sedes Ecclesiæ, sed facta est spelunca latronum. Idem fit quoad alias ciuitates & vrbes. Christi autem Ecclesia est in omnibus illis locis, etiam in pagis desertis, vbi Christus Euangelium suum docet, & sacramenta administrat, adeoque ouibus ipsius *manendi* locus conceditur.

Quod vero secundo loco additur, *& multi venerunt ad eum*, illud monstrat: quod quemadmodum Dominus nunquam caret loco in quem fugiat, & in quo commoretur, ita eundem nunquam cariturum Ecclesia & populo, cui Euangelium suum annunciet. Nam potius ex lapidibus Abrahamo filios suscitaturus esset, quam non haberet Ecclesiam. Matth. 3. versiculo 9. Etenim hæc radix Iesse, vbicunque egerit vexillum verbi sui, ibi ad illud confluunt populi. Ies. 11. vers. 10. Suauis enim odor sacrificij Christi, etiam è longinquo attrahit homines ad se amplectendum, non aliter quam aquilæ odorantur cadauera & aduolant. Matth. 24. v. 28. Hoc verbi ministris animum addat vt in capessendo suo munere sint fideles & indefessi. Tantum dent operam, vt habeant certam & legitimam vocationem, & in ea officio suo recte defungantur, tum Deus procurabit, ne ipsis desint auditores.

II. De posteriore refert Euangelista, quomodo illi qui Iesum conuenerunt, audita ipsius doctrina & visis miraculis, sibi in memoriam reuocarint, quæ dudum ex Ioanne audierant, vnde postmodum Iesum cum Ioanne conferendo, collegerint Iesum Ioanne maiorem, & proinde Messiam esse. Duobus in eo colligendo vtuntur argumentis. 1. *Ioannes quidem signum edidit nullum.* Volunt dicere: Iohannes eximius fuit Doctor, quem omnes magnifecimus, & plerique pro Messia eum habere voluerunt. Sed nullis claruit miraculis. Hic autem doctrinam suam confirmat miraculis stupendis, qualia à nemine mortalium vnquam sunt edita. Dubium est ergo nullum, ipsum Iohanne & omnibus Prophetis esse superiorem. Agnoscunt, Deum pro filio suo, quem saluatorem in mundum missurus erat, sibi reseruasse peculiaria signa, ex quibus & agnosceretur & bonis omnibus commendatus redderetur. Sicut etiam Iesaias id prædixit, cap. 35. vers. 5. Et si absque eo fuisset, quomodo discipuli Iohannis à Magistro suo abstrahi potuissent? Qui sic ægre eum reliquerunt, & ad Iesum se contulerunt. 2. Alterum argumentum est: *omnia, quæcunque dixit Iohannes de hoc, vera erant.* Quibus verbis Iohannem verum de Iesu Christo testem fuisse prædicant, quo laudis titulo maiori cohonestari non potuisset. Nam etiam in cœlis hæc summa Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum & syncerorum verbi ministrorum erit gloria, quod in his terris veri fuerunt Christi testes.

Effectum horum omnium adiicitur: *& crediderunt multi illic in eum.* Vocula *illic* non otiose hic est adiecta: sed significat ipsum etiam locum inire profuisse ad excitandam fidem. Ibi enim sibi in memoriam reuocarunt, quæcunque ante triennium ex Ioanne ibidem audierant. Sic enim sæpe fieri solet, vt quemadmodum quædam semina in agro non mox primo anno suppullulant, sed quędam secundo, quædam tertio anno: ita etiam semen verbi auditi in quorundam animis ad tempus absque fructu iacet, & tantum non emortuum esse videtur. Sed progressu temporis alijs circumstantiis accedentibus, succrescere incipit, & non contemnendos fert fructus. Nullus ergo verbi minister temere de laboribus docendi propterea desperet, quod non videt èvestigio fructum suarum concionum. Faciat ipse officium, diligenter oret, & Deo committat euentū, nec dubitet quin ipse sit facturus, ne labor ipsius inanis sit in DOMINO, sicuti promisit Ies. 55. v. 10. Interim videmus hic fulcra fidei hæc duo esse firmissima. 1. consensum & harmoniam prędictionum de Christo, quando videmus omnia esse vera quæ de ipso prædicta sunt in Mose, Psalmis & Prophetis. Euentus prædictionibus omnibus exacte respondit. 2. Miracula Christi tum vetera tum hodierna, quibus Euangelium crucis diuina sua præsentia inter medios hostes conseruat. Hæc duo si etiam nos attenderimus, facile in fide nostra stabiliemur, nisi ipsi nobis deesse velimus.

CAPVT CXVII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, IN QVO Christus docet viam in regnum cœlorum esse angustam. Lucæ 13. vers. 23.

RATIO ORDINIS.

OMnes Harmonici scriptores hanc historiam annectunt præcedenti versui 22. quasi illa acciderit in illa profectione, qua per ciuitates & castella docens iter fecit Hierosolymā. Neq; ego ab eorum consensu recederem, nisi me moneret Lucæ verba, quæ huic historiæ subiūxit. Ibi enim scribit: *ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ, eodem die*, nimirum quo ab illo interrogatus fuerat, *accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes: Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* Hoc nullibi, præterquam in Peræa, in qua Christus postquam Hierosolymam dereliquisset, accidere potuit. Nam in Iudæa & Samaria Herodes nullā habuit iurisdictionem. Ideo ibi eum occidere non potuisset. In Galilæam autem Dominus nondum descenderat. Hanc meam sententiam de ordine confirmat etiam illud, quod Iesus ipse in comminatione sua contra Hierusalem inter alia inquit: *Dico vobis, quod non videbitis me, donec veniret tempus, cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hoc vero factum est ipso die Palmarum, Matth. 21. vers. 9. Ergo historiæ vltimi huius trimestris sic ordinandæ sunt, ne post hæc expressa Christi verba ipse dicatur Hierosolymam venisse, antequam isto Cantico ab ipsis fuit exceptus. Dubium itaque mihi est nullum, hunc esse proprium harum historiarum in Harmonia locum.

Quæstio, an pauci sint saluandi.

L V C. 13.

23. Εἶπε δέ τις αὐτῷ, κύριε, εἰ ὀλίγοι οἱ σωζόμενοι; ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτούς,

24. Ἀγωνίζεσθε εἰσελθεῖν διὰ τῆς στενῆς πύλης· ὅτι πολλοὶ (λέγω ὑμῖν) ζητήσουσιν εἰσελθεῖν, καὶ οὐκ ἰσχύσουσιν.

25. Ἀφ' οὗ ἂν ἐγερθῇ ὁ οἰκοδεσπότης, καὶ ἀποκλείσῃ τὴν θύραν, καὶ ἄρξησθε ἔξω ἑστάναι, καὶ κρούειν τὴν θύραν, λέγοντες, κύριε, κύριε, ἄνοιξον ἡμῖν. καὶ ἀποκριθεὶς ἐρεῖ ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς πόθεν ἐστέ.

26. Τότε ἄρξεσθε λέγειν, ἐφάγομεν ἐνώπιόν σου, καὶ ἐπίομεν, καὶ ἐν ταῖς πλατείαις ἡμῶν ἐδίδαξας.

27. Καὶ ἐρεῖ, λέγω ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς, πόθεν ἐστέ. ἀπόστητε ἀπ' ἐμοῦ πάντες οἱ ἐργάται τῆς ἀδικίας.

28. Ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων, ὅταν ὄψησθε ἀβραὰμ καὶ ἰσαὰκ καὶ ἰακώβ, καὶ πάντας τοὺς προφήτας ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ, ὑμᾶς δὲ ἐκβαλλομένους ἔξω.

29. Καὶ ἥξουσιν ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν, καὶ ἀπὸ βορρᾶ καὶ νότου· καὶ ἀνακλιθήσονται ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ.

30. Καὶ ἰδοὺ, εἰσὶν ἔσχατοι, οἳ ἔσονται πρῶτοι· καὶ εἰσὶ πρῶτοι, οἳ ἔσονται ἔσχατοι.

23. *Ait autem illi quidam: Domine, an pauci sunt qui salutem consequuntur? ille vero dixit ad illos:*

24. *Contendite intrare per angustam portam: quia multi (dico vobis) quærent intrare, & non poterunt.*

25. *Quum autem surrexerit paterfamilias, & clauserit ostium, & cœperitis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis, & respondens, dicet vobis: Non noui vos, vnde sitis.*

26. *Tunc incipietis dicere: Edimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti.*

27. *Et dicet: Dico vobis, nescio vos vnde sitis. Discedite à me omnes qui patratis iniquitatem.*

28. *Ibi erit fletus & stridor dentium, quum videritis Abraam & Isaac & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.*

29. *Et venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Austro: & accumbent in regno Dei.*

30. *Et ecce, sunt postremi, qui erunt primi, & sunt primi, qui erunt postremi.*

Periocha huius quæstionis.

DVm seruator noster Iesus Christus aliquantisper in Peræa manet, ibique in hybernis subsistit, *quidam* ipsi hanc quæstionem proponit: *Domine, an pauci sunt qui salutem consequuntur?* Quis hic Quæsitor fuerit nouisse non possumus: non tamen ex Apostolorũ, nec ex discipulorũ, nec ex credentium numero fuisse ex circumstantiis historiæ manifestũ est. Neq; enim ex pietate & singulari animi deuotione, sed ex curiositate, vel potius ex impietate hanc quæstionẽ mouit, ea Dominum tentans vt coram reliquis confundere posset. Nã si Dominus dixisset, multos esse saluandos, eidem obiecisset; cur ergo tam pauci ipsum salutis præconem sequerẽtur? Rursus, si directe paucos saluãdos affirmasset, culpam huius in ipsum salutis præconem coniecisset, & simul alios eo sermone offensos iri sperauit, siquidem nemo libenter ex damnandorũ numero censeri vult. Dominus ergo versipellem huius hominis astutiam intelligens, non directe ad propositam quæstionẽ respondet, siquidem ad salutem nobis nihil prodesset, si maxime totum numerum saluãdorum exacte nouissemus: sed potius occasione ex proposita quæstione sumpta, cõuertit sermonem suum ad totius populi multitudinem, eamque instituit de eo, quod cognitu magis est necessarium, nimirũ modum quo quis ad salutem peruenire queat, vbi simul Iudæos salutis suæ procrastinatores vrget, vt ne tempus gratiæ negligant, aliàs nimis sero suam negligentiam deploraturos, & gentes ipsis præferendas esse. Interim tamen hac responsione etiam quæstioni propositę satisfecit, indicans omnino paucos fore, qui salutẽ consequantur: *quia multi quærent intrare, & non poterunt.* Quando autem de paucitate saluandorum agitur, sedulo cauendum, ne eius culpa siue in authorem vel Dominum salutis, siue in huius præcones coniiciatur. Deus enim solenniter Ezech. 33. v. 11. per vitam suam prostratus est, quod nolit mortem peccatoris, sed vt is conuertatur à via sua impia, & viuat. Paulus quoque diserte testatur, 1. Tim. 2. v. 4. quod Deus velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis peruenire. Præconium quoque salutis est vniuersale. Nam in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Ps. 19. v. 5. Sed omnis culpa paucitatis saluandorum residet in ipsis hominibus, qui sese ad ordinem salutis, quem Deus in verbo suo monstrauit & præscripsit, nõ accommodant. Vt vere Deus per Oseam cap. 13. v. 9. dixerit: Perditio tua Israel ex te: ex me autem tãtummodo salus tua. In aliis enim hominibus hæret perpetuum peccatum incredulitatis, &, qui non crediderit, non saluabitur; in aliis inuenitur habitus extremæ impietatis, quorum damnatio iusta: in aliis dominatur hypocrisis, quæ probitatis *simulatio in oculis Domini est abominatio*: alij spontanea laborant cæcitate in luce Euangelij: alios Satanas eiusmodi immergit securitati, vt de sua salute ne gry quidem sint soliciti, alij veritatem agnitam rursus abnegant, *his nulla* relinquitur pro peccatis hostia ad salutem: alios studium mundanæ prosperitatis sic abstrahit, vt de cœlestibus nunquam cogitent: alij in peccata prolapsi pœnitentiam negligunt, & de venia atque gratia Dei desperant. Sic multi & varij sunt modi, quibus maior pars hominum seipsam salute oblata priuat, & in culpa est, quod, proh dolor, pauci saluantur. Sed audiamus ipsum Christum hac de re disserentem.

Ἀγωνίζεσθε, inquit, *contendite*, omnibus viribus conemini *intrare per angustam portam*. Innuit varia fore obstacula (sicuti modo aliqua recensuimus) quæ impeditura sint multos, quo minus per portam gratiæ & salutis ingrediantur. Proinde cuiuis annitendum, vt veluti *aliis ingressum* præripiat, siquidem angusta porta *paucos simul* recipiat. Inprimis autem moras & cunctationes omnes hic resecandas esse, ne quis curam *suæ salutis* differat, sed dum ea offertur, eam singuli apprehendere studeant, siquidem futurum sit tempus, quando porta illa gratiæ & salutis claudetur, & tum *multi quærent intrare, & non poterunt*. Inquirendum autem, quænam sit illa *porta*, per quam ad salutem ingrediendum. Pontificij scriptores per portam intelligunt virtutem: & statuunt quod is, qui præcepta Dei inuiolabiliter seruat, per portam illam ingrediatur. Quia vero carnali homini difficile sit ambulare per obseruantiam diuinorum præceptorum, iccirco nominari *angustam portã* Nos vero per *portam gratiæ & salutis*, per quam in cœlum recipimur, nihil aliud intelligimus, quam CHRISTVM IESVM, Dominum & seruatorem nostrum. Ipse enim de seipso dicit, Ioh. 10. v. 9. Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. Et Ioh. 14. v. 6. Ego sum via, & veritas, & vita, nemo venit ad patrem, nisi per me. Ipse enim est scala illa Iacobi, Gen. 28. v. 12. quæ ex terris in cœlum protensa, facit, vt angeli Dei ad nos descendant, & nos homines in cœlum ascendamus. Per Christum enim Deus & sibi reconciliauit omnia, & pacificauit etiam cuncta per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Coloss. 1. vers. 20. Quærat autem quis, qui fiat, quod Christus dicatur *angusta porta*, cum seipsum dederit pro totius mundi vita. Iohan. 6. versiculo 51. cum omnibus pateat, nec quenquam qui ad ipsum venit, eiiciat foras? Iohan. 6. versicul. 37. cum denique ipsius meritum

non

non tantum sufficiens, sed etiam superabundans sit pro totius mundi peccatis? Respondeo. Fit hæc angustia portæ non culpa Christi, sed vitio hominum. Inprimis autem sunt duo hominum genera, quibus hæc *porta*, quæ pœnitentibus & credentibus satis patiens est, nimis sit *angusta*.

Alij turgent fiducia suorum operum & meritorum, quales sunt hypocritæ & iustitiarij, quibus hoc ostium nimis est humile, ita vt per illud cum suis mercibus humanarum traditionum & superstitionum non possint ingredi, vnde alias latius patentes portas quærunt.

Rursus alij turgent operibus carnis, & laborant hydrope mundanarum affectionum, quales sunt Epicuræi, qui sarcinis variorum peccatorum ita sunt onerati, vt per *angustam* hanc *portam* non possint ingredi. Vtraq; pars deponat noxium illũ animę tumorem, seque iuxta doctrinam Euangelij humiliet, vna quidem abiiciendo fiduciam propriæ iustitiæ, altera vero abiiciendo peccatorum fasces, tum porta hæc ipsis satis patens erit.

Illa vero Christi verba admiratione digna videntur, quod dicit: *quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Num ergo via salutis per arcanum aliquod Dei decretum aliquibus ita clausa est, vt si maxime omnibus modis conentur illam ingredi, non tamen possint? Inueniũtur quidem hodie, proh pudor & dolor, eiusmodi Ecclesiæ Doctores, qui electionem hominum ad salutem ex nudo & absoluto Dei decreto dependere cõtendunt. In hoc si Deus quempiam præterierit, non posse eum saluari, si maxime baptizetur, oret, verbum Dei audiat, absolutione & sacra cœna vtatur. Premi enim ipsum arcano illo decreto, quod sit immutabile. Num ergo Christus hic talem absolutam impossibilitatem multorum statuit, qui per portam salutis intrare nequeant, si maxime cupiant? Absit, vt putemus Christum hoc docere. Hæc enim doctrina viam sternit ad desperationem. Hoc Beda animaduertens aliud ponit glossema: Multi, inquit, quærent intrare, salutis amore prouocati, & non poterunt, itineris asperitate deterriti. Non inepte quidem hoc dicitur: sed si Christi intentionem attendamus, tum res omnis erit magis plana. Christus vult excitare cunctabundos & salutis suæ procrastinatores, qui semper conuersionem & pœnitentiam suam in crastinum reiiciunt, & cum Iudæis apud Esaiam c.28. v.10. dicunt: Manda remanda, manda remãda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. Hos vult seria commonitione excitare, ne oblatam salutis occasionem prȩterlabi patiantur. Futurum enim vt illa gratiæ & salutis *porta* non perpetuo pateat, sed aliquando claudatur. Id si factum fuerit, tum procrastinatores illi magno conatu & serio instabunt, vt & ipsi ad salutis gaudium intromittantur, sed frustraneum id futurum est, siquidem nimis tarde salutis negotium serio agere cœperunt.

Quando ergo illa salutis *porta* clauditur? Singulis in hora mortis, vniuersis in nouissimo die post vniuersale iudicium mundi. Tum enim non erit amplius locus pœnitentiæ aut tempus salutis procurandæ: sed expectãda exacta iustitia Dei, vel paterna consolatio. Dum hæc porta regni cœlorum alias cuiuis patet quamdiu viuit: & in genere etiam omnibus hominibus aperta sit, vsque ad consummationem seculi.

Hoc ipsum Dominus eleganti parabola illustrat. Confert seipsum patrifamilias, qui ante ostium sedens expectat suos amicos, quos ad conuiuium inuitauit. Qui si aduenerint, & paterfamilias animaduertit se reliquos inuitatos frustra expectare, tum surgit, domum conuiuij intrat, ostium claudit, & cunctatores illos agnoscere aut ad conuiuium admittere recusat, vtcunque ostium improbe pulsent. Hoc Iudæis quoad regnum Dei in nouissimo die euenturũ Dominus hic diserte ipsis prȩdicit. Postquam enim Christus ipse cum suis Apostolis eos ad regni cœlestis conuiuium inuitauit, atque satis diu ad pœnitentiam expectauit, tandem ad iudicium sedebit, à quo vbi surrexerit, & cum electis suis beatorum sedes in cœlo occuparit, tum præfracti & obstinati Iudæi salutis desiderio summo quoque tenebuntur, & intra numerum sanctorũ, adeoque in regnum Dei se etiam admitti postulabunt, pulsantes & clamantes, *Domine, Domine aperi nobis.* At cœlestis paterfamilias ipsis respondebit: *non noui vos, vnde sitis.* Nam dum in altero orbe vixistis, non fuistis ex mea familia, non deuote audiuistis meum verbum, Euangelium meum meosque ministros persecuti estis, sacramenta mea spreuistis, non pœnitentiam egistis, nullos fructus cœlesti doctrina dignos protulistis. Vt ergo tum ego vobis cum mea doctrina incognitus fui, sic nec ego nunc vos pro meis seruis agnoscam, vtcunque vel inuiti me nunc *Dominum* nominare cogimini. Cæterum, quia hic cœlestis paterfamilias nouit hypocritas esse pertinaces, & licet de peccato conuincantur, multa tamen prætexere & singularia priuilegia allegare solere: Ideo etiam hic prætextus illos adducit & refutat. Nam dicent Iudæi: *edimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti.* Et sane Iudæi hanc prærogatiuam habuerunt. Christus enim fuit minister circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Rom.15 versic.8. ac propterea Iudæi fuerunt electum Dei peculium, sacerdotiũ regale, quibus & Deus ipse & Messias se familiarissimum, præ omnibus aliis populis præbuit. Vide Deut.4. versic.7. Et tamen ex hoc populo illi, qui non sunt conuersi ad Christum, in nouissimo die audient: *Dico vobis, nescio vos, vnde sitis. Discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Quasi diceret: Sicuti vos pro meis non agnoscam, licet me Dominum appellaturi sitis, ita etiam vos pro alienis habebo, licet externam familiaritatem in terris allegaturi sitis. In his enim regnum Dei non consistit, sed in iustitia, pace & gaudio Spiritus sancti. Hæc cum vos iam negligatis, vos non tantum excludam ex gaudiis regni cœlestis, sed etiam procul à me *discedere* iubebo, & iubendo etiam efficiam. Quorsum autem ipsos remittere velit, explicat dum dicit: *ibi erit fletus & stridor dentium.*

Porro quod Deus hæc omnia in Iudæos sui temporis, & quibuscum ipse conuersabatur, dixerit, manifestum est. Verum quemadmodum omnia quæ in scriptura annotata sunt, in nostri doctrinam scripta sunt, ita etiam hæc nos tangere non dubitemus, eaque contra malos Christianos accommodemus. Etenim hic Dominus etiam in nostris plateis, ciuitatibus, templis & scholis docet: ad ipsius mensam nos sedemus, manducamus panem vitæ, & bibimus aquas salutares. Si qui vero professioni suæ non responderint: si fidem nudam sonarint; eandem autem bonis operibus fretam monstrare poterint, atque sic specimen quidem pietatis habuerint, virtutem autem eius negarint. 2.Tim.3. vers.5. Illis profecto, licet baptizati sint, licet se Christianos esse professi fuerint, Christus quoque dicet: *nescio vos vnde sitis. Discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Nam regnum Dei non consistit in sermone & gloriatione externa: sed in virtute. 1.Cor.4. vers. 20. Quod si vero hac tam rigida sententia reiiciendi erunt hi, qui puram habuerunt doctrinam, sed eam operibus non exornarunt: quam sententiam expectabunt illi, qui doctrinam superstitionibus & idolomania contaminarunt, atque insuper quoad opera sceleratissime vixerunt. De hoc interroget quis Pontificios.

Tandem etiam Christus pœnam diserte exprimit: *ibi erit fletus & stridor dentium*: Et hæc notatio doloris & horroris, quam impij in gehenna sustinere debent. Vt sic sciant ipsorum pœnam non fore otiosam exclusionem ex regno Dei, vt nihilominus alibi ipsis bene sit: sed fore eam coniunctam cum grauissimis doloribus, qui animam non minus quam corpus affligent. Cum enim vtraque pars hominis peccarit, vtraque etiam punietur. Et anima quidem priuatione iucundissimi conspectus Dei, atque sensu iræ eius perpetuo cruciabitur, vnde *fletus* & gemitus orientur. Corpus verò inextinguibilis ignis ardore torrebitur, quod *stridorem dentium* concitabit. Duo vero Iesus addit, per quæ ipsorum calamitas & dolor sint augenda. Vnum erit felicitas Patriarcharum & Prophetarum, de quorum progenie ipsi semper gloriati sunt, & tunc animaduertent, se ab ipsorum consortio exclusos esse. Ideo dicit: ibi erit fletus & stridor dentium, *cum videritis Abraham, & Isaac & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.* Facit hoc plurimum ad miseriæ amplificationem: quando quis alio in honore & gloria sedere videt, quos se aliquo propinquitatis gradu attingere nouit, se autem calamitosum esse sentit. Alterum, quod dolorem ipsorum acuet, erit, quod ipsis exclusis, qui se solos recipiendos esse somniabant, visuri sint gentes, quas ipsi pro maledictis habebant, ex omnibus orbis nationibus collectas, cum Patriarchis & Prophetis perpetua frui felicitate & gaudio regni cœlestis. *Et venient ab oriente & occidente, & Aquilone & Austro, & accumbent in regno Dei.* Acuet etiam hoc dolorem in damnatis Iudæis. Quanto enim pertinaciore odio gentes ad finem vsque persecuti sunt: tanto plus etiam dolebunt, quando gentes in filios Dei adoptatas, se vero abdicatos esse videbunt. Hoc Deus ipsis minatus est per Mosen. Deut.32. v. 21. Ipsi me prouocarunt in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos. Postremo Christus subiungit: *ecce sunt postremi qui erunt primi, & sunt primi, qui erunt postremi.* Prænunciat mirabilem commutationem Iudæorum & Gentiũ, quæ Iudæis contra omnem suam expectationẽ accidet, atq; admodum mirabilis videbitur. Ideo vtitur etiam Aduerbio admirantis, *ecce.* Per *postremos* intelligit gentes, quas Deus antiquitus permisit ingredi vias suas. Act.14. v.15. vt ambularent in vanitate sensus sui, alienati à vita Dei per ignorantiam quę est in illis. Eph.4. vers.18. *Hi postremi* facti sunt *primi*, hoc est, gentes iam non amplius viuunt in mundo sine Deo: sed in Iesu Christo, qui aliquando longe erant facti sunt prope, sunt Ciues Sanctorum & domestici Dei. Eph.2. versic.13. Per

primos colligit Iudæos, qui primo in Abrahamo ad regnum Dei vocati sunt, postquam in diluuio prima promissio expiràsse visa fuerat. Israel quoque vocatur primogenitus Dei filius. Exo. 4. v. 22. Hi *primi* facti sunt *postremi*, idq; dupliciter, & corporaliter & spiritualiter. Politice vbique locorum sunt inter postremos. Nullum habent regnum, nullam Rempub. ad nulla honesta inter nationes admittuntur officia, in ciuitatibus, in quas recipiuntur, extremos fere angulos inhabitare coguntur, omnibus denique hominibus sunt despectui & irrisioni. Spiritualiter quoque sunt *postremi*, & omnium populorum miserrimi. Viuunt in mundo sine Deo, sine Messia, sine veritatis cognitione, saginant seipsos suis nugis & fabulis Thalmudicis, donec tandem sine omni consolatione hunc mundum deserunt, Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur. Peruenit autem ira Dei super illos vsque in finem. 1. Thess. 2. versi. 16. Et si maxime interdum aliqui ex illis ad Christum conuertuntur: tamen contempti viuent, quia nemo fere ipsis fidit, quod serio Christi fidem & per eum salutem quærant, cum vix vicesimus ex ipsis confessione, conuersione & perseuerantia testatum faciat, se vere Christianum factum esse. Quia autem hoc dictum est vniuersale, vnusquisque illud sibi applicet: & qui *primus* est, non superbiat, sed videat ne cadat & labatur: qui vero inter *postremos* est, non desperet, sed fide, pietate & precibus ad superiora contendat, & Deus ipsum exaltabit suo tempore.

CAPVT CXVIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, PHARISÆI MOnent Iesum de insidiis Herodis, Luc. 13. v. 31.

RATIO ORDINIS.

DE consequentia huius historiæ ad præcedentem propterea non dubitare licet, quia Euangelista ipse diserte testatur, eam accidisse *ἐν αὐτῇ ἡμέρᾳ*, *eodem die*, quo scriba ille de paucitate saluandorum inquisierat. Neque quicquam in Euangelistis extat, quod cum ratione aliqua hisce historiis interponi possit.

Herodis machinatio contra Iesum ipsi indicatur. Luc. 13.

31. Ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ προσῆλθόν τινες φαρισαῖοι, λέγοντες αὐτῷ ἔξελθε, καὶ πορεύου ἐντεῦθεν, ὅτι ἡρώδης θέλει σε ἀποκτεῖναι.
32. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς πορευθέντες εἴπατε τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ ἰδοὺ, ἐκβάλλω δαιμόνια, καὶ ἰάσεις ἐπιτελῶ σήμερον καὶ αὔριον, καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι.
33. Πλὴν δεῖ με σήμερον καὶ αὔριον, καὶ τῇ ἐχομένῃ πορεύεσθαι, ὅτι οὐκ ἐνδέχεται προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω ἱερουσαλήμ.
34. Ἱερουσαλὴμ, ἱερουσαλὴμ, ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, καὶ λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτήν, ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυνάξαι τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ὄρνις τὴν ἑαυτῆς νοσσιὰν ὑπὸ τὰς πτέρυγας, καὶ οὐκ ἠθελήσατε;
35. Ἰδοὺ, ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος. λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐ μή με ἴδητε, ἕως ἂν ἥξῃ, ὅτε εἴπητε, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου.

31. *Eodem die accesserunt quidam pharisæorum, dicentes illi: Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.*
32. *Et ait illis: Ite, dicite vulpi illi, Ecce eijcio dæmonia & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor:*
33. *Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie ambulare, quia fieri non potest, vt propheta pereat alibi, quam Hierosolymis.*
34. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennas, & noluistis?*
35. *Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quod non videbitis me, donec venerit tempus, cum dicetis, Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Periocha huius Historiæ.

IN præcedenti sermone audiuimus, quam grauiter dominus Iesus Iudæos monuerit, vt seposita fiducia sui generis & externi cultus, serio contendant intrare salutis portam, dum tempus est, eademq; adhuc patet: alioquin futurum, vt ea occludatur, & si ipsi neglexerint mature per eam ingredi, magno cum suo gemitu & dolore in æternum exclusos iri. Hanc commonefactionem, vtpote ex animo beneuolo & salutis eorũ sitiente profectam, omnes Iudæi grata mente suscipere, in primis autem Pharisæi, tanquam legis interpretes & pietatis doctores, populo quã diligentissime inculcare debuissent, vt futurum æternũ exitium euitarent. Verum ex præsenti historia patet, Pharisæos illa Christi libertate sic offensos fuisse, vt subdole, quandoquidem aperta vi nõ audebant, ipsum ex Peræa & à se remouerẽt, ne suis concionib. populum prorsus ab ipsis abalienaret. Sic vero ipsi occasionem præbent, vt toti populo, inprimis autem vrbi Hierosolymorum extremum excidium & internecionem denunciet, qua Deus etiam in hac vita ipsorum ingratitudinem puniturus sit. Breuis hic est locus, sed plurima continet obseruatu digna: quapropter diligenter excutiendus.

I. Primo monitores considerandi occurrũt, qui Domino Iesu suadent vt locum mutet, & fuga sibi consulat. *Eodem die accedunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* Certe de periculo quenquam mouere laudabile est, & verũ veri amici officium. Sic Ionathas Dauidẽ monuit, de patris sui Saul sanguinario proposito, & Dauid ipsius manus euasit. 1. Sam. 20. v. 9. Sic Act. 23. v. 16. Pauli sororis filiũ ipsum salubriter admonuit de insidiis Iudæorũ, qui se deuouerant, se nec manducaturos nec bibituros donec Paulũ occidissent, & liberatus est. Tales autem non fuerũt hi monitores, sed quæcunq; protulerũt, ea per fallaciam & dolose proposuerunt. Nam offensi ipsius libertate qua contra Iudæos docebat, & quia ea suã etiam existimationẽ obscurari sentiebant, tentant num hac ratione eum honeste à se remouere aut penitus ipsi os obturare, & metu imminentis mortis silentium imponere possint. Simulãt igitur beneuolentiam, & monent vt sibi à periculo caueat, per omnia practicantes vsitatum illud:

Tuta frequensque via est, per amici fallere nomen.

Sed addatur etiam Pentameter:

Tuta frequénsque licet sit via, crimen habet.

Abutuntur autẽ Pharisæi in hoc negotio authoritate magistratus: *Herodes vult te occidere*. Vnde hoc ipsi nouerunt? Nũ tanta ipsis cũ Herode fuit familiaritas, vt etiam arcana eius ipsis paterent? Fuit quidem Herodes rex impius, qui Baptistã occiderat: de cõsimili tamen conatu in Christũ Iesum nihil in Euangelio legitur, siquidem Deus animũ ipsi ademerat. Cum enim Matth. 14. v. 1. de factis Iesu audiret, honorifice de eo sensit, putans ipsum esse Ioannẽ Baptistã, qui ex mortuis surrexerit, & propterea maiores virtutes operetur. In Passione quoq; gauisus est, quod Iesum videre liceret: & licet cũ contemptu ipsum dimiserit, manifestũ tamen inde est, eum sibi à Iesu non timuisse. Ad hæc docebat Iesus palam, quod Herodes ignorare non potuit. Si itaque Iesum ex sua ditione remotum voluisset, non opus fuisset ministerio Pharisæorum, sed ipsi pro regia sua authoritate licuisset illi imperare, vt cederet. Quapropter dubium non est hæc omnia malitiose à Pharisæis conficta fuisse, eosque magistratus authoritate falso abusos.

Hinc discamus agnoscere ingenia & mores hypocritarum veritati sese opponentium, quam non vno modo oppugnare solent. Si viribus prævaleant, aperte si illi opponunt, vt nuper Iudæi Hierosolymis. Ioann. 10. versic. 30. Sin viribus suis non fidant, tum vel blandimentis, promissionibus & premiis inuitant ad defectionem, vel minis & comminationibus terrent & ad fugam permouere student. Talium hypocritarum

rum mores iuniores verbi ministri probe attendere discant, maxime qui ratione vocationis docent inter eos, qui falsæ doctrinæ sunt addicti. Hi fere miris technis iuniores & simpliciores adoriri solent, vt illis persuadeant, quo errorum taxationes suspendant: iam blande monent, vt circumspecte agant, nec omnia rigidius vrgeant, siquidem hoc modo hominum animos à se alienent: mox pericula fingunt, in quæ & se & alios coniecturi sint, si asperius agant. Et hæc omnia in eum finem ab illis fiunt, vt tales fidei & muneris sui, quo Deo sunt obstricti, obliti, hominum serui fiant, & iuxta beneplacitum hominum ministerio suo fungantur. Hic cogitet fidelis minister illud Pauli, Gal. 1. vers. 10. Si hominibus placere vellem, Christi seruus non factus essem.

2. Attendendum etiam quid Christus hisce suis monitoribus respondeat. Ipsos cum suo consilio reiicit, & dicit: *Ite, dicite vulpi illi, Ecce eiicio dæmonia & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor. Verumtamen oportet hodie & cras & perendie ambulare, quia fieri non potest, vt Propheta pereat alibi, quam Hierosolymis.* Primo vicissim iubet ipsos abire abs se, & Herodi, si omnino velit ipsum occidere, renunciare quod violentiam ipsius non reformidet, à qua probe tutus esse velit. Inquit autem: *dicite vulpi illi.* Herodem *vulpem* appellat, ob versutiam & calliditatem. Quam vulpinam suam astutiā in omnibus suis factis & moribus, inprimis in Ioanne capto & occiso prodidit. Simulauit se Ioannē amare, benigne audire, multa ad ipsius monitiones facere, honorifice de eo sentire: sed tandem ad vnius saltatriculæ puellæ petitionem, sub prætextu iuramēti temere dati, crudeliter in carcere occidit: & tamen se propterea grauiter dolere simulauit. Mirus etiam fuit artifex sese apud populum insinuandi, vt non defuerint ipsi sectatores, Herodiani dicti, qui ipsum Herodem promissum Messiam affirmarent. Hæc & alia Christus respiciens, nō immerito ipsum *vulpem* vocat, in cuius gratiam ipse nihil facere vel omittere velit. Non autem fecit hoc Christus ex cōtemptu magistratus, sed ex authoritate sui muneris: quia verbo Dei subiacent omnes homines, vt ex eo arguātur quicunque peccant. Sic suo exemplo ministros suos docet, qua libertate in arguendis manifeste sceleratis, & hostibus vti debeant: ibi scapham, scapham, ligonem, ligonem nominent, sine respectu personarum. Quoad tamen magistratus moderate agant, ne quis ipsis obiiciat, esse ipsos ex numero eorum de quibus Iudas in Epistola sua vers. 8. qui dominationes spernunt, & maiestates blasphemant. Neque enim ministri regū & principum corda atq; renes ita rimari possunt, sicut Christus Dominus. Illud tamen non negligendum videtur, quod Theophylactus vocem *vulpis*, non ad Herodem, sed ad ipsos Pharisæos, qui subdola mente illud de Herode confinxerāt, accommodet. Ideo etiam dicit in græco legi, τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, id est, *vulpi huic*, quasi præsentes Phariseos digito monstraret, & ob quam confictam illam vulpinam astutiam ipsos potius quam Herodem notaret. Sed vt vt sit, siue Herodē siue Pharisæos *vulpis* epitheto notarit, responsione tamen sua diserte significauit, se neminem timere, neque ab homine sibi periculum creari posse, sed tum demum & eo in loco occidendum esse, quo iamdudum à cœlesti Patre sit constitutum.

Proinde secundo loco indicat quid suo nomine *vulpi illi* renunciare debeant, & simul rationes ponit, ob quas nec Herodes sibi à Iesu, nec Iesus ab Herode sibi metuere debeat. 1. *Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio.* Allegat suū officium, quod ab Herodis officio longissime sit diuersum. Meum officium est dæmonia eiicere & morbos corporales sanare, Ergo Herodi à me nihil est metuendum, cum nolim politicam administrationem ad me rapere. Adhæc cum ego dæmonia eiiciam, & satanæ regnum euertam, quod Herodes in æternū facere nequit. Cur ego potentior metuam mihi ab infirmiore. 2. *Hodie & cras, & tertia die consummor.* Est altera ratio sumpta à breuitate temporis. Intra modicum tempus cursus ministerij mei conficietur, tandiu ab Herode securus ero. Neque frustra verbis in præsenti tempore vtitur, ἐκβάλλω, ἐπιτελῶ, & τελειοῦμαι, eiicio, perficio & consummor, quæ verba significant & passionis vicinitatem, & rei certitudinem, & animi sui ad rem tantam propensionem. 3. *Et tertia die consummor*, siue immolor. *Diei* vocabulo respicit ad prouidentiam cœlestis sui Patris, apud quem sua cuique stat certa dies, quam humana malitia non potest anteuertere. Iob 14. versic. 5. Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius qui præteriri nō poterunt. 4. Quia tamen Dominus Iesus sibi iam ante proposuerat, quod adhuc ante passionem omnes illius terræ partes, non tantùm Peræam, sed etiam Iudæam, Samariam & Galilæam peragrare & in iis Ecclesias visitare vellet, in quem finē etiam Luc. 10. versic. 1. septuaginta discipulos ante faciem suam emisit, in omnem ciuitatem & locum, in quem venturus erat, & propterea sponte sua finitis hybernis ex Peræa discedere constituerat, ne Pharisæi existimarent, ipsum metu Herodis tum fugere, ideo addit. *Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie ambulare.* Allegat Patris sui decretum, qui vt certam vitæ metam cuiuis constituit: ita vult quemuis in sua vocatione indefessum esse, neque ignauo otio quicquam eorum quæ facienda sunt omittere, donec metam illam plene impleuerit. 5. Denique addit adhuc peculiarem rationem pro se, cur Herodis insidias non reformidet: *quia fieri non potest, vt Propheta pereat alibi quam Hierosolymis.* οὐκ ἐνδέχεται, non capit, impersonaliter sumptum idem sonat quod non conuenit, nō decet, non est possibile. Hierosolymitanorum malitia non aliter admittit, vt vix fieri possit, vt Propheta alibi trucidetur, quam ibi, vsque adeo hæc vrbs cædibus Prophetarum assueuit. Quanquam nec hæc interpretatio absurda est, qua quidam per prophetam hic intelligunt Messiam, magnum illum Prophetam, quem Dominus se Israelitis ex suis fratribus excitaturum promiserat. Deut. 18. vers. 15. Hunc alibi quam Hierosolymis occidi *non conuenisset*. Omnes enim typi Veteris Testamenti immolatio Isaac in monte Moriia, & quod omnia sacrificia nullibi quam Hierosolymis in templo perfici debuerunt, si Deo grata esse vellent, eo directa fuerunt, vt docerent Messiam ἱλαστικὸν suum & propitiatorium sacrificium Hierosolymis peracturum. Hęc est Christi responsio ad Pharisæorum monitionem.

Hac vero responsione Christus etiam aliis verbi ministris rationes suppeditat, quarum meditatione in sua vocatione constanter progredi, officium suum animose facere, & nec blandimentis nec terriculamentis ab isto se abduci patiantur. 1. Ante omnia viderint vt intra metas suę vocationis maneant, ipsi Ecclesiastici Ecclesiastica tractent & vrgeant, politicis relinquant sua politica. Qui didicit illud Paulinum 1. Thess. 4. v. 11. ἡσυχάζειν, καὶ πράσσειν τὰ ἴδια, quietus esse, & res suas agere, non facile quouis rumusculo terrebitur. Qui autem vnum pedem in cathedra, alterum in curia habere vult, is facile terretur, & vel tandem cum gemitu illam cantilenam canere cogitur:

Disce meo exemplo mandato munere fungi:
Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμοσύνην.

2. diligenter etiam cogitent, quam breue sit spatium vitę & curriculum sui ministerij: dum nos vertimus, & hoc illud ve respicimus, ecce æternitas adest. Et quia tum vniculuis dicetur, redde rationem villicationis tuæ, quisque etiam ita sit paratus & instructus, vt ne modicum illud tempus male collocasse iudicetur. 3. In omnibus autem aduersis, quæ ipsis in munere suo ab hostibus veritatis obuiare possunt, & in omnibus periculis secure recumbant in prouidentiam cœlestis Patris, absq; cuius paterna voluntate nihil ipsis accidere potest Sunt omnes capilli capitis ipsorum numerati. Matth. 10. v. 30. & dies vitæ ipsorum omnes in libro Dei annotati sunt. Psal. 119 v. 16. Horum ne vnus quidem, imo nec hora intercidere potest. Sunt duodecim horæ diei, Ioan. 11. v. 9. antequam vltima elabatur secure in tutela Dei acquiescimus, qui nos liberabit de laqueo omnium venantium, & à verbo aspero, Ps. 91. v. 3. 4. Interim quisque in cursu vocationis suæ strenue progrediatur, nec quicquam faciendorum intermittat, siue modicum siue longum interuallum adhuc sit conficiendū. Sic enim viuendum est, quasi hodie morituri essemus: & sic laborandum, ac si adhuc seculum integrum superuiuere vellemus. Hæc ab Apostolis, Sanctis Patribus & Martyribus obseruata fuisse in suo ministerio deprehēdemus, eos imitemur. Id qui fecerit, in tertia die mortis suæ etiam *consummabitur*. Egregium & exoptatum mortis Epitheton. In hac vita omnia sunt imperfecta: ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Post mortem autem veniet perfectum, & euacuabitur, quod est ex parte. 1. Cor. 13. v. 9. Hoc vnicum Epitheton nos, ad mortem prompte iuxta Dei voluntatem obeundam, permouere poterat.

3. Subiungit Christus digressiunculam & ἀποστροφὴν ad vrbem Hierosolymorum, ob ingratitudinem ergo diuina beneficia. 1. Ante omnia autem pathetica ingeminatione verbi suam commiserationem, suumque erga ipsam atque Iudæos studium exprimit: *Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennas?* studiū suum aptissima similitudine gallinæ erga pullos suos considerandum proponit. ὄρνις & auem & gallinam significat: νοσσιὰ vero seu νοσσοί, tam domicilium seu nidum in quo pulli educantur, quam pulliciem ipsam. Et quidem omnibus auibus mirus amor insitus est ad fouendos & protegendos pullos suos, inprimis autem gallinæ. Hæc pullos implumes fouet, pro eorum victu sollicita est, glocitando ad eum vocat, & pro illis contra miluum ad sanguinem vsque certat. Non minora subsidia acceperunt Iudæi à Deo. Qui cum

ipsis facile carere potuisset: tamen eos ex singulari bonitate ex reliquis gentibus in Abrahamo euocauit, & in filios adoptauit. Et si quādo ob peccata sua inter Ægyptios vel Babylonios aut etiam alias gentes dispersi fuerant, rursus eos congregauit. Verbo item legis & Euangelij ipsos ad salutarem animæ cibum inuitauit, per quem in æternum seruarentur. Pro ipsis deniq; contra omnes eorum hostes tam corporales quam spirituales ad animam vsque decertauit. Et hæc omnia fecit non ab heri & nudiustertius, sed inde ab initio, cū primum euocasset Abrahamum à Chaldæis, filium suum primogenitum ab Ægyptiis, Iudæos à Babyloniis: vt non immerito hic potuerit dicere, *quoties volui congregare*? Numero enim caret multitudo beneficiorum Christi erga Iudæos, vt nimis vere dixerit Ies. 5. v. 4. quid est quod debui vltra facere vineæ meæ & non feci ei?

¶ Sed 2. quales se Iudæi vicissim erga Christum exhibuerunt? *Et noluistis*, quasi diceret: doleo vicem vestram, qui ita sponte ruitis ad exitium vestrum, nec vllum remediū, etiam diuinitus oblatum, admittere vultis. Quæ maior & magis malitiosa insania inueniri potest, quam aperta Dei beneficia repudiare, & subsidia summe necessaria cōtemnere? Dicat autē quis: quomodo Christus potest dicere, *Ego volui* vos congregare, & *vos noluistis*. Cum ipsius velle longe potētius esse potuerit, quam ipsorum nolle? Annon ipse Deus ille est, qui omnia fecit quæ voluit in cœlo & in terra, vt habetur Ps. 115. v. 3? Resp. Christus hic non loquitur de voluntate sua abscōdita & absoluta, iuxta quam facit quæcunque vult, nec vlla creatura ipsi resistere potest. Sed loquitur de voluntate ordinata & in verbo manifestata, ad quam homines sese accōmodare debent. Sed, proh dolor, ob naturæ corruptionem, natura omnes nolunt: donec Deus per spiritum suum sanctum, ministerio verbi, mentem & voluntatem hominum regenerat, & ex nolentib. volentes, ex reluctātibus consentientes facit. Si qui vero verbum contemnunt, sicut Iudæi fecerunt, tū illi in repugnātia sua perdurāt & constanter *nolunt*. Vt monstri instar sit quod aliqui Pontificij scriptores ex hoc loco vires liberi arbitrij in homine elicere conantur. Cum manifeste hinc pateat: vires ad velle (scilicet bonum) esse emortuas, ad nolle autem, libenter fatemur, eas nimium esse efficaces. Nam etiam hic Christus de vrbe Hierosolymorum præmisit, *quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te*. Deus populum suum nunquam dereliquit sine Prophetis, inde à Mose ad Malachiam, vel potius ad Baptistam, atque sic ad Christum vsque: post Christum habuit, τοὺς ἀποστόλους, Apostolos suos, quorum vtrorumq; ministerio voluit ipsius filios congregare ad vitam æternam. Sed quam gratiam ipsi eis retulerunt? *Prophetas occiderunt*, quod de Iesaia, Ieremia, Zacharia & aliis notius est, quam vt opus sit multis referre: *Apostolos lapidarunt*, initium huius facientes cum Stephano. Act. 7. v. 59. & continuantes ad Apostolum Paulum vsque. 2. Cor. 11. v. 25. Sic Deus bonitate sua summa, cum extrema malitia Iudæorum decertauit, vtra superior euaderet.

3. Sed quis erit exitus horum? *Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta*. Per *domum* nō inepte hic templum intelligitur, quod alias domus Domini dictum est. Quia autem Iudæi ex domo precationis speluncam latronum fecerant, non amplius nominat eam domum Domini, sed ipsorum domum, *domus vestra*. Et ea *relinquetur vobis*, quasi diceret: quia hactenus omnem vestram fiduciam in templo collocastis, semper cum veteribus illis Iudæis ingeminantes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Ier. 7. vers. 4. Ideo Pater meus cœlestis relinquet vobis vestrum templum, vt eo fruamini quantum potestis: relinquet vobis vestrā domū, sed *desertam*, & omni sua gratia spoliatā, vt eius ne minimum quidem vestigium in posterum inuenire possitis. Et hoc modo recte hæc verba Christi exponuntur. Potest tamen vocula *domus* etiam generalius accipi, de omnium Hierosolymitanorum imo etiam Iudæorum domibus in tota illa regione. Sicut etiam in Ps. 69. vers. 26. habetur: Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Vt ita Christus hic vaticinetur de excidio totius Iudææ, quæ à Romanis facta est sub Vespasiano & Tito. Et hæc est seuera, iusta tamen, Dei vltio aduersus eos, qui per verbi diuini prædicationem à Deo congregari nolunt. Digni ergo sunt, qui in æternum dispergantur & perdantur. Deus per Prophetas & Apostolos studuit Iudæorum templum & domos exornare. Sanctitas enim quæ ex Dei testimoniis addiscitur, est decus domus in æternum. Psal. 93. versic. vlt. Hoc ornamētum cum ipsi habere noluerint, Deus vicissim derelictione & desolatione extremam suam iram testatam facit.

4. Addit denique: *Dico autem vobis, quod non videbitis me, donec venerit tempus cum dicetis, Benedictus qui venit in nomine Domini*. Hic Harmonistæ quidam multum se macerant, qualiter hæc verba sint accipienda, & de quali visione Iudæorū sint intelligenda. Id euenit ex inordinata confusione historiarum, quod aliqui post hanc historiam semel atque iterum Iesum Hierosolymam deducunt, ante festum Palmarum, ad quod Christus hic collineat. Et ordo historiarum prout à nobis positus est, probe monstrabit, quomodo Christus etiā hic secundum literam verissime prædixerit, quæ post futura essent. Neq; enim Hierosolymitani intra suam vrbem Christum posthæc viderunt, donec ab ipsis Cantico illo cohonestatus in eam introductus est. Vult ergo Pharisæis suis monitoribus dicere: Vos me hinc ex Peræa iubetis discedere, quia alioquin Herodes me interfecturus sit. Ego vero dico vobis, ante meam consummationem futurum, vt vestri contribules Hierosolymitani, me solenniter cum Cantico & tripudio intra suam vrbem recepturi sint. Hoc tum temporis absq; dubio mirabiliter sonuit in auribus Pharisæorum: & tamen impletum esse viderunt. Hac sententia Christus adhuc semel vsus est post ingressum in vrbem, paucis diebus ante passionē. Matth. 23. v. vlt. ibi locum habere potest illorum interpretatio, qui respiciunt, secundum Christi aduentum, de quo volente Domino, suo loco & tempore.

Ex toto hoc loco illud notemus, quod prædicationis verbi diuini hic sit scopus, quod Deus ea nos velit colligere sub vmbra alarum suarum, vt nos foueat, sustentet, tueatur, defendat. Iccirco, quando pij nolunt sic congregari, pij se ab iis segregent. Cum Dauide precentur ex Psal. 17. vers. 8. Sub vmbra alarum tuarum protege me. Et Psal. 57. vers. 2. In vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Item 61. vers. 5. protegar in velamento alarum tuarum. Hic filij Dei congregati tuto delitescunt. Qui vero hoc modo congregari nolunt, & verbum prædicatum vel abiiciunt vel persequuntur, illi sibiipsis dissipationem omnium bonorum attrahunt. Nam totus hic locus testatur excidiorum causam non esse Euangelij prædicationem, prout prophani homines interdum blaterant, sed eiusdem persecutionem & oppressionem.

CAPVT CXIX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM SANATI HYDROPICI SABBATO, in domo Principis Pharisæorum, cum aliis quibusdam concionibus, Luc. 14. vers. 1.

RATIO ORDINIS.

De ordine non opus est hic multum disputare, nos simpliciter Lucam sequemur, donec Euangelistæ narrationes suas iterum coniungant. Pergit enim Lucas Pharisæorum technas vlterius commemorare, & quomodo Dominus vicissim ipsorum peruersa iudicia, ambitionem, malos mores taxarit, & simul ad vitæ æternæ desiderium inducere voluerit. Dubium autem est vtrum in Peræa adhuc, an vero in Iudæa hæc historia acciderit. Ego puto eam factam esse in Peræa. Fieri enim potuit, vt monitionē illam mox sabbatum secutum sit, in quo Christo & Apostolis ex Legis præscripto non licuisset iter facere. Pharisæi ergo, prout quæuis & simulare & dissimulare poterant, cum in sabbato ad prandium inuitant, sperantes se hoc fuco beneuolentiæ ipsum decipere posse, ne putet monitionem præcedentem ex subdolo corde profectam esse.

Conuiuium

Conuiuium apud Pharisæum, & sanatio hydropici in sabbato, Luc. 14.

1. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς οἶκόν τινος τῶν ἀρχόντων τῶν φαρισαίων σαββάτῳ φαγεῖν ἄρτον, καὶ αὐτοὶ ἦσαν παρατηρούμενοι αὐτόν.
2. Καὶ ἰδοὺ ἄνθρωπός τις ἦν ὑδρωπικὸς ἔμπροσθεν αὐτοῦ.
3. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπε πρὸς τοὺς νομικοὺς καὶ φαρισαίους, λέγων, εἰ ἔξεστι τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν;
4. Οἱ δὲ ἡσύχασαν, καὶ ἐπιλαβόμενος ἰάσατο αὐτὸν, καὶ ἀπέλυσε.
5. Καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπε. τίνος ὑμῶν ὄνος ἢ βοῦς εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται, καὶ οὐκ εὐθέως ἀνασπάσει αὐτὸν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου;
6. Καὶ οὐκ ἴσχυσαν ἀνταποκριθῆναι αὐτῷ πρὸς ταῦτα.
7. Ἔλεγε δὲ πρὸς τοὺς κεκλημένους παραβολὴν, ἐπέχων, πῶς τὰς πρωτοκλισίας ἐξελέγοντο, λέγων πρὸς αὐτούς·
8. Ὅταν κληθῇς ὑπό τινος εἰς γάμους, μὴ κατακλιθῇς εἰς τὴν πρωτοκλισίαν, μήποτε ἐντιμότερός σου ἦ κεκλημένος ὑπ' αὐτοῦ,
9. Καὶ ἐλθὼν ὁ σὲ καὶ αὐτὸν καλέσας, ἐρεῖ σοι, δὸς τούτῳ τόπον, καὶ τότε ἄρξῃ μετ' αἰσχύνης τὸν ἔσχατον τόπον κατέχειν.
10. Ἀλλ' ὅταν κληθῇς, πορευθεὶς ἀνάπεσον εἰς τὸν ἔσχατον τόπον, ἵνα ὅταν ἔλθῃ ὁ κεκληκώς σε, εἴπῃ σοι, φίλε, προσανάβηθι ἀνώτερον, τότε ἔσται σοι δόξα ἐνώπιον τῶν συνανακειμένων σοι.
11. Ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται, καὶ ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται.
12. Ἔλεγε δὲ καὶ τῷ κεκληκότι αὐτὸν ὅταν ποιῇς ἄριστον ἢ δεῖπνον μὴ φώνει τοὺς φίλους σου μηδὲ τοὺς ἀδελφούς σου μηδὲ τοὺς συγγενεῖς σου μηδὲ γείτονας πλουσίους, μήποτε καὶ αὐτοί σε ἀντικαλέσωσι, καὶ γένηταί σοι ἀνταπόδομα.
13. Ἀλλ' ὅταν ποιῇς δοχὴν, κάλει πτωχοὺς, ἀναπήρους, χωλοὺς, τυφλούς,
14. Καὶ μακάριος ἔσῃ, ὅτι οὐκ ἔχουσιν ἀνταποδοῦναί σοι. ἀνταποδοθήσεται γάρ σοι ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων.
15. Ἀκούσας δέ τις τῶν συνανακειμένων ταῦτα, εἶπεν αὐτῷ μακάριος, ὃς φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ.
16. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, ἄνθρωπός τις ἐποίησε δεῖπνον μέγα, καὶ ἐκάλεσε πολλούς.
17. Καὶ ἀπέστειλε τὸν δοῦλον αὐτοῦ τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου, εἰπεῖν τοῖς κεκλημένοις, ἔρχεσθε, ὅτι ἤδη ἕτοιμά ἐστι πάντα.
18. Καὶ ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντες. ὁ πρῶτος εἶπεν αὐτῷ, ἀγρὸν ἠγόρασα, καὶ ἔχω ἀνάγκην ἐξελθεῖν, καὶ ἰδεῖν αὐτὸν, ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον.
19. Καὶ ἕτερος εἶπε, ζεύγη βοῶν ἠγόρασα πέντε, καὶ πορεύομαι δοκιμάσαι αὐτά, ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον.
20. Καὶ ἕτερος εἶπε, γυναῖκα ἔγημα, καὶ διὰ τοῦτο οὐ δύναμαι ἐλθεῖν.
21. Καὶ παραγενόμενος ὁ δοῦλος, ἀπήγγειλε τῷ κυρίῳ αὐτοῦ ταῦτα. τότε ὀργισθεὶς ὁ οἰκοδεσπότης, εἶπε τῷ δούλῳ αὐτοῦ, ἔξελθε ταχέως εἰς τὰς πλατείας καὶ ῥύμας τῆς πόλεως, καὶ τοὺς πτωχοὺς καὶ ἀναπήρους καὶ χωλοὺς καὶ τυφλοὺς εἰσάγαγε ὧδε.
22. Καὶ εἶπεν ὁ δοῦλος. κύριε γέγονεν, ὡς ἐπέταξας, καὶ ἔτι τόπος ἐστί.
23. Καὶ εἶπεν ὁ κύριος πρὸς τὸν δοῦλον, ἔξελθε εἰς τὰς ὁδοὺς, καὶ φραγμοὺς, καὶ ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, ἵνα γεμισθῇ ὁ οἶκός μου.

1. *Et accidit, vt introiret in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato, ad edendum panem, & ipsi obseruabant eum.*
2. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.*
3. *Et respondens Iesus dixit ad legis peritos & pharisæos dicens, Num licet sabbato sanare?*
4. *At illi tacuerunt, Ipse vero apprehensum sanauit eum, ac dimisit.*
5. *Et respondens ad illos, dixit, Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati?*
6. *Et non poterant ad hæc respondere illi.*
7. *Dicebat autem ad inuitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:*
8. *Cum inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias ne accumbas in primo loco, ne quando honoratior te sit inuitatus ab illo,*
9. *Et veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi, Da huic locum, & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere.*
10. *Quin potius cum vocatus fueris, vade accumbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.*
11. *Quia omnis qui se extollit deijcietur. Et qui se deijcit, extolletur.*
12. *Dicebat autem & ei qui se inuitauerat, Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos diuites, ne quando & ipsi te vicissim inuitent, ac rependatur tibi beneficium.*
13. *Imo cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos,*
14. *Et beatus eris, quia non possunt rependere tibi. Rependetur enim tibi in resurrectione iustorum.*
15. *Hæc cum audisset quidam de simul accumbentibus, dixit illi, Beatus, qui edet panem in regno Dei.*
16. *At ipse dixit ei, Homo quidam parauerat cœnam magnam, & vocauit multos.*
17. *Et dimisit seruum suum hora cœnæ, vt diceret inuitatis, Venite, quia iam parata sunt omnia.*
18. *Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei, Villam emi, & necesse est mihi exire, & videre illam, rogo te, habe me excusatum.*
19. *Et alter dixit, Iuga boum emi quinque, & eo ad probandum illa, rogo te, habe me excusatum.*
20. *Et alius dixit, Vxorem duxi, & ideo non possum venire.*
21. *Ac reuersus seruus, renuntiauit Domino suo hæc. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo, Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, claudosque & cæcos introduc huc.*
22. *Et ait seruus, Domine factum est, vt imperasti, & adhuc locus est.*
23. *Et ait dominus seruo: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.*

24. Λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων τῶν κεκλημένων γεύσεταί μου τοῦ δείπνου.

24. *Dico enim vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.*

Periocha huius Historiæ.

I. PRimum membrum in hac historia obseruandum hoc est, quod Christus die sabbati accedit ad edendũ panem, hoc est, ad conuiuium in ædibus principis Pharisæorum. Hunc enim morem Iudæi tum temporis obseruabant, quod diebus sabbati ingrediebantur suas synagogas, ibi orabant, psallebant, Mosen & Prophetas legebant, suaque sacra peragebant. Has occasiones Christus non neglexit, sed & ipse synagogas ingressus est, ibique docuit. Finito Dei cultu, solebant amici conuenire, inter se agitare conuiuia, & partes etiam mittere egentioribus, siue his, qui non præparauerant. Sicuti videre est Neh. 8. vers. 10. & Tob. 2. versic. 1. Secundum constitutionem itaque illam quodam sabbato peractis sacris, princeps quidam sacerdotum inuitat Iesum ad prandiũ, & hic comparet. Sic vero Christus suo exemplo docet, honesta conuiuia diebus feriatis non esse damnanda. Legimus autem in sacris de diuersis conuiuiis, quisque viderit qualia instituat. 1. Si quis inuitat peregrinos, ignotos vel etiam egenos, sicuti fecit Abraham Gen. 18. ver. 3. ille insigne præstat opus charitatis. Vnde Epistola ad Hebræos 13. v. 2. dicit: Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim quidam angelos hospitio exceperunt. Et Christus in sequentibus huic hospiti dicet, si paret conuiuium, vt inuitet pauperes, debiles, claudos, cœcos, tum beatum ipsum futurum. 2. Non tamen propterea plane prohibitum est cognatos & amicos inuitare. Sic enim Abrahamus Genes. 21. v. 8. instituit conuiuium magnum in die ablactationis Isaaci. Filij quoque Iobi conuiuiã ordinaria inter se agitabant, & sorores suas ad illa vocabant. Verum quia inter familiares facilius & liberius peccatur, Iob eos sequenti die per oblationem victimarum sanctificabat. Iob. 1. v. 4. Et in huiusmodi conuiuiis duo potissimum spectantur. 1. Honesta recreatio. 2. Amicitiæ plantatio: etiam spiritualis. Sicuti Christus propterea diuertit ad Matthæum. Matth. 9. v. 10. vt publicanos & peccatores cõuerteret. Item ad Zachæum Luc. 19. ver. 7. Si vero excessus in eiusmodi conuiuiis accedat, vt factum est in tõsura gregis Nabalis, 1. Samuel. 25. v. 36. & in tumulento epulo Belsazaris. Dan. 5. v. 2. aut quando *obseruatores* conuiuæ ad calumniam, sicut hic factum est: aut etiam ad necem aliqui quæruntur, prout fecit Absalom suo fratri Ammoni. 2. Sam. 13. v. 28. tum sunt talia conuiuia abominatio coram Deo. Nam etiam cum ipsa rerum natura pugnant: siquidem conuiuium à vita non à morte nomen habet. Ex his paucis Christianus facile intelliget, quid sit cuiuis concessum, & in quo tum Deo tum hominibus gratum faciat. Sed hæc, vt videntur, sunt vulgaria: illud autem est peculiare, quod introiit *in domum cuiusdam principis Pharisæorum*. Nam quinam Pharisæi fuerint, nouimus. Baptista eos vocat viperas, & passim re ipsa commonstrarunt, quod sint hostes Christi ipsiusque Euangelij. Quod ad conuiuium Matthæi, Simonis leprosi, Lazari & Zacchæi accessit, non est mirum; quia illi ipsius fuerunt amici & fautores. Sed Pharisæi ipsum vocarunt bibulum, vt qui nimis frequenter conuiuia adiret. Hic ipsum *obseruant* an in sermone vel moribus aliquid deprehenderent, quod carpere possent. Et hoc fit apud *Principem Pharisæorum*, hoc est, apud eiusmodi, qui inter reliquos versipelles quadruplatores facile primas obtinere potuit. Certe Paulus talem conuersationem improbauit. Nã Corinthiis suis scribit. 1. Cor. 5. v. 11. Scripsi vobis non commisceri; Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum eiusmodi nec cibum sumere. Et 2. Thess. 3. ver. 14. vetat, ne cum quocunque commisceamur, qui verbo Euangelij non obediat. Iohannes quoque vult, ne Aue quidem dici iis, qui eandem Euangelij doctrinam non afferant. 2. Iohan. ver. 10. Num igitur Christus & Apostoli sibi inuicem in hoc articulo sunt contrarij? Quod nequaquam statuendum est. Et tamen est quæstio non contemnenda, in qua interdum constrictæ conscientiæ informatione indigent, ne quid in consimili casu agant, quo se ipsos grauent. Attendendum itaque quod D. Paulus distincte agat, & Christianos doceat agere ipsos in hoc mundo quasi duplicem vitam. Vnam Ecclesiasticam & spirituale iuxta suum Christianismũ in doctrina, fide, precibus, sacramẽtis & similibus. Et iuxta hanc Christus se suosque segregauit à Pharisæis. Neque enim solus Iohannes eos vocauit progeniem viperarum, Matth. 3. versic. 7. Sed & ipse Christus generationem prauam & adulteram. Matth. 12. vers. 39. Cæcos & duces cæcorum. Matth. 15. versic. 14. hypocritas, Luc. 13. vers. 14. Alteram politicam & externam, in quotidiana conseruatione cum hominibus quo ad cibum potum, emptiones, venditiones, & alios congressus. De hac vita apte Paulus pronuntiat, si Christiani cum meris sanctis conuersari vellent, tum è mundo ipsis exeundum fore. 2. Diligenter etiam hoc attendendum, quod Christus non appetit ipsorum conseruationem & quadras, non currit post ipsos, vt eorum quærat dapes, sed ipsi eum inuitant, ibi Christus non est adeo inhumanus & austerus, vt beneuolam conuersationem ipsis deneget. Et licet non ignoret, quod ipsum *obseruaturi* sint, eumque hoc fine inuitent, quod cogitarunt, hic Iesus multa coram populo publice in nobis desiderat, sæpe nos arguit, attendamus, an etiam priuatim eadem nobis in os & faciem dicere ausit; tamen inuitatus accedit, vt ostendat se non reformidare, quo minus eadem ipsis coram indicet, imo occasionem quærit, vt vtiles & necessarias doctrinas ipsis proponat. Vult igitur quasi dicere: non taxabo vestros errores & mores tantum quando solus sum cum meis, sed etiam quando me obseruatis: sermo enim veritatis simplex & planus est, & potest corycæos atque obseruatores tolerare. Tamdiu etiam Christus cum ipsis conuersatus est, quamdiu ipsum audiebant, interrogabant, nec se manifestos hostes esse declarabant. Quia enim venit quærere id, quod perierat; ideo etiam perditos Pharisæos quæsiuit. Nec tantum acerbe eos arguit, sed etiam blande & humaniter eos in conuiuiis & colloquiis tractauit, atque sic aliquos lucrefecit, inter quos Nicodemus non postremus fuit. Hoc fine adiit etiam publicanorum conuiuia, vt illos ad veram pœnitentiam adduceret. Postquam autem de Pharisæis fuit desperatum, non amplius ipsorum conuiuia adiit, sed horrendum væ ipsis denunciauit, atque sic etiam illud Tit. 3. vers. 10. hæreticum hominem post vnam atque alteram correptionem deuita. 4. In ipso denique conuiuio Christus non ita se gerit vt omnia probet, quæcunque dicerentur vel agerentur: non simulat, quasi omnia placerent: non etiam loquitur de rebus alienis & peregrinis, atque interim tacet de sua religione; sed in ipso cõuiuio ingenuam edit confessionem, taxat ipsorum superstitionem de sabbatho, ambitionem in eligenda πρωτοκλισίᾳ, docet quicunque sint inuitandi, & inprimis ipsis in aures ingerit, quod regno cœlorum mundana præferant, ac proinde ex illo excludendi sint. Sic nimirum ipsi mature huius conuiuæ pertæsi, non amplius postea ipsum inuitarunt. Ex his quisque colligere potest, quatenus cum alterius religionis hominibus sit conuersandum, ne quis inde iustam offendiculi ansam arripiat.

II. Secundum membrum Pharisaici huius conuiuij est miraculosa sanatio hydropici: Etsi enim Christus præmittat quæstionem: *Num liceat sabbatho sanare?* tamen quia ad eam demum post peractum miraculum ipse respondet, eo ipsam reseruabimus. Ipsum vero hoc miraculum de bonitate & potentia Christi idem docet, quod reliqua omnia. Nihilominus tamen sicuti fere singula miracula aliquid peculiare habent à reliquis diuersum: ita etiam hoc miraculum sanat hydropici. Quodnam est illud? Hoc, quod non petit sanari, sed tantum *erat ante illum*, hoc est, vel adstabat, vel assidebat, vel decumbebat, & tacebat.

In Euangelio de multis ægris legimus, quibus Christus subuenit; sed illi eius opem vel ipsi implorarunt, vel alij pro ipsis intercesserunt. Regulus Iohan. 4. vers. 47. de Capernaum descendit in Canam, & Iesum rogat pro filio, vt eum sanet. Lucæ 7. versiculo 13. Vidua Naimitica flet. Ibidem versic. 38. Maria Magdalena pedes Iesu rigat lachrymis. Matth. 15. versiculo 22. mulier Chananæa & clamat post Christum, & sequitur eum, nec orando desistit, donec exaudiatur. Lucæ 17. vers. 13. decem leprosi leuant vocem suam, & dicunt: Iesu præceptor miserere nostri, Lucæ 18. vers. 38. Cæcus quoque fortiter clamat; Iesu fili Dauid miserere mei. Pro hoc hydropico autem nemo intercedit, & ipse tacet, nec verbulum quidem loquitur? Cur hoc facit? Num non habuit os & linguam? Ad hoc respondet Iohannes. 1. Epist. 3. versic. 21. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Sed quando proprium cor nos accusat, tunc cum Iobe digitum apponimus ori. Exemplum habemus in Dauide, dum is pius fuit, & ambulauit viam mandatorum Domini, bone Deus, quam fiducialiter clamat ad Dominum, Domine iudica causam meam. Sed postquam cum Bethsabea in homicidium & adulterium prolapsus est, & Dominus occidit filium ex adulterio natum, & per proprium filium Absalonem eum ex regno suo pellit, quam patiens est? quomodo silet? & cum Simei subditus ei malediceret, atque Abisai eius caput amputare vellet, Dauid eum prohibuit, addens, Dominũ præcepisse vt maledi-

vt malediceret Dauid. Sic apud hunc hydropicum propria conscientia obstitit, ne clamaret; Etsi enim hydrops etiam alias causas habere potest, vt etiam temperantissime viuentes eo laborare possint, tamen communiter, & vt plurimum oritur ex inordinata vita quando homines gulæ inhiant, ventriculum nimium onerant, & reliqua viscera interiora debilitant. Idem etiam absque dubio huic hydropico accedit, vt cogitarit: cæci sane fiducialiter clamare possunt, quia visum inuiti amiserunt, ego si temperanter vixissem, non haberem sic tumentes pedes, & ventrem, quapropter silebo, ne circumstantes insuper me rideant. Sic etiam populus Dei. Thren.3.v.29. cum inique egisset, & Deum ad iracundiam prouocasset, vult os suum in puluere ponere, si forte Dominus etiam silentis misereretur. Et Micheæ 7.vers.8. Ne læteris inimica super me, quia cecidi. Iram Domini portabo, quoniam peccaui illi, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum. Sic hic hydropicus cum silentio præstolatus est salutare Domini, Thren.3.v.26. Magnum etiam solatium accedit miseris, si videant alios ipsis condolere, & pro ipsis intercedere, vt auxilium ipsis feratur: Tum enim spem bonam concipiunt, futurum, vt, si maxime ipsi indigni videantur, aliorum tamen fauore subleuentur. Sic Luc.4.versic.38. Iohannes, Iacobus & Petrus intercedunt pro socru Petri febricitante. Matth.8.versic.6. Centurio pro seruo paralytico, Matth.9.v.18. Iairus pro filia. Matth.15.v.23. discipuli pro Cananæa muliere. Matth.17.v.15. Pater Lunatici pro filio. Ioh. 11.v.3. Martha & Maria pro Lazaro. Sed pro misero hoc hydropico nemo est, qui intercedat, nullus Pharisæorum dicit, est miserabilis persona, mi Iesu, adiuua ipsum. Quinimo cum Iesus ipse occasionem ipsum sanandi quæreret, & interrogaret, num sabbatho sanare liceret, *ipsi tacuerunt*. Sicuti etiam alias interrogati tacere soliti erant; Nam si dixissent licere, pugnassent cum propriis suis obseruationibus, si vero dixissent non licere, metuerunt Christi reprehensionem. Ergo tacuerunt.

Quid vero Christus? non austeris verbis ipsum excipit, vel increpat durius, dicendo, satis diu lurcando & heluando laborasti, vt *ἀνασαρκα* & hydropem tibi attraheres; Iam igitur prout voluisti, sic habes. Sed quia videt cor ipsius morbo contritum & humiliatum, quod sacrificium Deo est gratissimum Psal.51.v.19. ideo illud non despicit. Sed licet sciat Pharisæos se *obseruare*: tamen mox in primo ingressu *respondens dixit*. Cui quæso Dominus hic respondit, cum nemo ipsum interrogarit? Ipsius hydropici tacitis cogitationibus & gemitibus, qui licet palam rogare vel clamare ausus non fuit, occultis tamen suspiriis sanitatem exoptauit. Quia igitur Christus est ille Dominus, qui homines exaudit de profundis, & qui antequam clament, exaudit. Esa.65.vers.24. ideo ad ipsius cogitationes respondet, *an liceat sanare sabbatho*? Et quia Pharisæi, qui omnium Magistri esse volebant, silebant, ipse mox in aggressu adhuc ante prandium accedit, *apprehendit, sanat & dimittit eum*. His tribus verbis sic coniunctim positis, & facilitas sanationis indicatur, & quod absque mora Christus hoc eximium beneficium in miserum istum hominem contulerit: Nam bis dat, qui cito dat. Sanatum *dimisit*, non secum detinuit ostentationis causa, nec sibi ad seruitium reseruauit, sed ad suos dimisit. Hæc omnia sunt consolatione plenissima, vt sciamus, qualem saluatorem habeamus in Christo Iesu: nimirum, qui non tantum nobis suppetias fert, quando innocenti incidimus in aduersitates, aut quando alij suis supplicationibus & intercessionibus nos iuuant: sed etiam quando ipsi nostra culpa & nostris peccatis aduersa nobis attraximus, & quando nemo hominum est, qui commiseratione nostri, ducitur vel pro nobis orat, tum Christus, modo pœnitentiam agamus, nostri misericordia mouetur, & quasi dolet, quod in nostris miseriis nullam consolationem atque condolentiam habeamus, atque eo citius iuuat. Ipse enim Deus est & non homo, cuius cor intra se conuertitur, & pariter omnia eius viscera perturbantur, vt furorem iræ suæ facere non possit, sed succurrat. Ose.11.vers.9. sic nimirum ostendit, quomodo calamum quassatum non confringat & linum fumigans non extinguat, Esa.42.vers.3. Matth.12.versic.20. siquidem non succurrat tantum firmis fide, sed etiam languidis. Ideo D. Hieronymus pie alicubi dixit: sæpius legimus in Euangelio, fiat tibi sicuti credis. Ego non optatim semper illud mihi dici: Nam si à Deo non plus acciperemus, quam quantum ipsi fidimus male nobiscum ageretur. Ideo Paulus Deum longe liberaliorem describit, Eph.3.vers.20. quod potens sit facere abundanter vltra id, quod petimus aut intelligimus. Idem præsens exemplum docet. Quapropter diligenter caueamus, ne intemperantia, crapula, vel aliis peccatis spontanea mala & morbos nobis attrahamus. Si tamen id factum sit, & cum acolasto omnem nostram substantiam dissipauimus ita vt nobis debeatur confusio faciei. Quid faciemus? non propterea animum despondeamus, sed cogitemus Deus sane legem promulgauit, vt à peccatis abstineremus, & si legem non audiemus, crucem mittet, non vt ab ipso nos auertamus, sed vt pœnitentiam agamus & conuertamur ad percutientem nos, Esa.9.versic.13. Ideo cogitemus, imitabimur hydropicum, & nos sistamus saluatori nostro Iesu Christo, non in ædibus pharisæi, sed in confessione & Sacramentis. Scientes, ipsum non tantum *ἀκούσια* mala, in quę quis ex ignorantia incidit, sed etiam *ἑκούσια* & spontanea curare. Quid? An non Adamus ipse sciens peccauit? Et tamen seruator ipsi datus est, Ah, vbi maneremus, si tantum ignorantias ignoscere vellet? Idcirco lapsi nos ipsi sistamus, non nos deseret, sed consolatione & auxilio nobis succurret. Hydropicus sic typum gerit totius generis humani, & in genere omnium peccatorum. Hydrops vt plurimum oritur ex inordinata diæta, quando nimio cibo & potu ventriculus ita distenditur, vt recepta non amplius concoquere possit. Sic peccatum in mundum introductum est ex inordinata diæta Adæ & Euæ, primorum nostrorum parentum, qui comederunt de arbore vetita, Genes.3.vers.6. & iniquitatem biberunt tanquam aquam, Iob.15.vers.16. Quando etiam hydrops hominem occupat, tum eius sanguinem & humores, adeoque totum ipsius habitum sic immutat, vt totus alius factus videatur, nec priorem hominem amplius referat. Sic peccatum totum hominem immutauit & corrupit, vt nequaquam amplius sibi similis sit. Diuinam illam imaginem concreatam exstinxit, vt nec mente sapiat, nec voluntate se Domino subiiciat, nec vllæ vires in ipso reperiantur, quæ non sint à Deo creatore auersæ. Hydrops morbus hanc etiam habet proprietatem, quod, licet venter hydropici præ aqua distendatur, & totum corpus ob abundantiam aquæ tumeat, tamen æger perpetua siti laborat, & identidem plus aquæ potusque ingurgitare cupiat. Vt nimis vere de hydropicis dictum sit. Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Eadem est ratio singulorum peccatorum, quibus vnus aut alter hominum deditus est. Auarus, qui semel cor apposuit diuitiis, quo plus nummorum corrasit, eo plures appetit: Crescit enim amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Sic auaro tam deest, quod habet, quam quod non habet, Sic, qui semel libidini se dedit, nisi mox primis principiis obstet, & caueat, ne flammæ inordinati amoris hepar corrumpant, in eiusmodi profunditatem luxuriæ incidit, vt omnia lupanaria percurrat, nec satiari queat. Ebrietatis vitium eandem habet qualitatem, quod experiuntur illi, qui habitum in lurcando & potando contraxerunt. Illi vel tandem potationum pertæsi, interdum optarent, vt à nimio vini vsu abstinere possent; Sed quando vitia in mores transierunt, remediis difficulter locus inuenitur; Vnde quidam cum iactura valetudinis vitium illud contractum mutare coguntur. Sic superbi inani tument fastu, ex *φιλαυτία* & concepto de seipso iudicio orto. Hi quo plus gloriæ inter homines consequuntur, eo ardentiore siti altius ascendendi & emergendi laborant. Idem de omnibus aliis vitiis dici potest. Porro quemadmodum hydrops, vbi vires acquisiuit, inter incurabiles morbos refertur (Hydrops, Quartana Medicorum scandala plana) & tandem hominem in mortem præcipitat, nisi per Dei gratiam media sanationis inueniantur. Sic peccati stipendium mors est; Et nisi adhuc in hac vita medium sanationis adhibeatur, præcipitat hominem in æternam mortem, & infernum inferiorem. Sanationis autem modus optimus hic est, vt hydropicus vitiis laborans in sabbatho se offerat conspectui Christi, otietur à malis suis operibus, ingrediatur templum, audiat verbum Dei, desideret ab ipso sanari, agnoscat sua vitia, eadem confiteatur, absolutionem petat, & adeat mensam domini, vt à Christo tangatur & apprehendatur, sicque sanetur, Hæc media qui negligit, seque à conspectu Christi subducit, ille sanitatem nunquam recipiet.

III. Tertium membrum Pharisaici huius conuiuij est doctrina de sabbatho. *Num liceat sabbatho sanare*? Hæc quæstio sæpius in harmonia est tractata, ac proinde eo breuius nunc nos expediemus. 1. Matth.12.vers.2. Cum Iesus Hierosolyma discederet, & discipuli in via spicas vellicarent, & comederent. 2. Ibidem versic.10. in Synagoga cum manum aridam sanaret. 3. Iohan.5.versic.10. cum sanasset paralyticum triginta octo annos decumbentem. 4. Luc.13.vers.14. cum sanasset anum, quæ octodecim annos curua ingressa erat, 5. Ioan.9.versic.14. cum sanasset cœcum natum luto ipsius oculis illito, & in natatoria Siloe abluto. Hic iam sexto loco eadem quæstio inter Christum & Pharisæos tractatur. Debet autem etiam inter Christianos vrgere hæc quæstio: quid sabbatho facere liceat & deceat, ne cum Iudæis sabbathum vel prophanemus, vel in superstitionem commutemus. Si ergo sacras literas consulamus, hæc potissimum in sabbatho facienda inuenimus.

I. Deus honestam iniunxit quietem, vt non tantum paterfamilias cum liberis & tota familia abstineat à mechanicis & manuariis suis operibus, sed etiam iumentorum aliqua habeatur ratio. Habemus sex dies, in quibus satis laborari potest, qui diligens esse velit. Sed quidam sabbatho laborant & postea per integram septimanam ferias sibi sumunt. 2. Sabbatho verbum Dei est audiendum, sic Iudæi singulis sabbathis legebant Mosen & Prophetas, Actor. 15. versic. 21. Christus quoque ipse hunc morem obseruauit Luc. 4. versic. 16. in sua patria, vt & alibi. Paulus etiam in Actis in sabbatho accessit conuentus hominum. Sicuti Act. 16 versicul. 33. Lydia purpuraria in sabbatho conuersa est. 3. In sabbatho etiam exercendus est vsus Sacramentorum, vt per illa cum Deo reconciliemur. Iustus in die septies cadit: quanto ergo sæpius in septimana. Itaque ad templum properandum, vt ibi Deo peccata nostra confiteamur, consideremus passionem, mortem & resurrectionem Christi ex iis consolationem hauriamus, & lætam etiam peccatorum absolutionem audiamus. Iudæi hoc fecerunt typice, quando die sabbathi agnos, vitulos, hircum & alia obtulerunt, tanquam figuras & vmbras Christi: quanto magis nos id facere debemus, qui habemus Christum corpus? Coll. 2. vers. 17. 4. Eodem die nos exercere debemus in operibus misericordiæ. Sicut passim Christus die sabbathi multos ægros sanauit, & hydropicum, vbi simul à Minori ad Maius docet huiusmodi operibus non prophanari sabbathum. Ideo dicit Pharisæis: *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet & non continuo*, scalas & funes adhibebit, *vt extrahat illum die sabbathi?* Admodum conuenienter, Augustino teste, Christus hydropicum confert eiusmodi in puteum prolapso in quo aquis submergendum esset, nisi extraheretur: sic hydropicus aqua intercute vel tandem suffocatur nisi à morbo liberetur. Hic ergo liberatus est die sabbathi, in testimonium, quod opera misericordiæ sabbatho sint exercenda. Frange esurienti panem tuum, (dicit Esa. 58. ver. 7.) & egenos vagosque introduc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: Et vocabitur sabbathum delicatum, sabbathum sanctum domini gloriosum. Sic Paulus. 1. Cor. 16. ver. 2. ordinauit, vt in sabbatho collectæ instituerentur pro pauperibus. Maiores nostri die sabbathi visitarunt hospitalia, pauperibus erogarunt eleemosynas, & cõsimilia opera caritatis exercuerunt. 5. Inprimis in sabbatho nos ipsos commonefacere debemus sabbathi vitæ æternæ, vti erit sabbathum ex sabbatho, Esa. 66. vers. 23. Quemadmodum hic in sabbatho vestes mutamus, & mundiores induimus sic tum plane exuemus veterem hominem, & induemus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Dabitur singulis, vt cooperiant sese byssino splendenti & candido. Byssinum autem sunt iustificationes sanctorum Apoc. 19. versic. 8. Tunc vere comparebimus coram facie Domini, audiemus magnum illum λογοθέτην & cœlestem cancellarium Christum disserentem de summis mysteriis salutis nostræ, abundabimus coram Domino deliciis cœlestibus, eundemque canticis & hymnis nostris concelebrabimus in omnem æternitatem. De his sabbatho cogitandum.

Enodanda hic videtur etiam alia quæstio; hæc nimirum, cum Dominus noster Iesus Christus ipse Iudaicum sabbathũ obseruarit, qui fiat, quod nos Christiani illud mutauerimus in diem Dominicum, quem loco sabbathi feriamur? Hic Iesuitæ dicunt, hoc ab Ecclesia matre sic esse introductum, cui nos debeamus obedientiam. Atque inde porro argumentantur: si Ecclesia tantam habet authoritatem, vt illud mutet, quod à Deo institutum, & inde à principio orbis obseruatum est, licet nullum habeat Dei verbum: cur non eadem autoritas valeret etiam in aliis Articulis? Et cur vos Lutherani non etiam reliquas ferias ab Ecclesia institutas, obseruatis? Nos vero Iesuitis respondemus per inficiationem, & negamus, quod mutatio sabbathi in diem Dominicum proueniat ab Ecclesia Apostoli, quos Christus suo loco constituit Doctores orbis, & inprimis gentium, & quos merito sequimur, hanc mutationem introduxerunt. Et habuerunt Apostoli eius rei graues causas. 1. Respexerunt Pharisæorum dogma de necessaria obseruatione legis Mosaicæ etiam à gentibus tenenda, si saluari velint. Apostoli ergo vt se à Iudæis in totum segregarent, non tantum in consilio suo, Actor. 15. versicul. 28. gentes ab obseruatione ea absoluerunt, sed etiam dies mutarunt, in quibus cultus diuinus erat peragendus. Elegerunt autem diem Dominicum Apocal. 1. versicul. 10. quo Christus resurrexit à mortuis quia Ier. 16. versic. 15. fit mentio memoriæ alterius beneficij, quam eductionis ex Ægypto, cuius beneficij Deus in Decalogo meminit Deut. 5. vers. 15. 2. Deinde Apostoli etiam eo respexerunt, quod sabbathum à Deo dicitur signũ. Exod. 31. v. 13. Videte vt sabbathum meũ custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris. Et Ezechiel. 20. v. 20. Sabbatha mea sanctificate, vt sint signum inter me & vos. Iam vero nouerant Apostoli, signa & figuras tantum ad Christum vsque durare debere. Coll. 2. vers. 17. ideo cum aliis vmbris & figuris etiam hoc signum sabbathi remouerunt. Fuit autem sabbathum signum. 1. Creationis, quando Deus requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat, Genes. 1. vers. 2. 2. Redemptionis, quando Christus peracto opere suæ *oblationis* in sublimi ara crucis, quieuit in sepulchro ad *resurrectionem vsque*. 3. Signum Sanctificationis, vt sciatis, quia ego *Dominus qui* sanctificaui vos, & non ipsi vos. Exod. 31. vers. 13. 4. *Signum* Mortificationis nostræ, vt non faciamus voluntatem nostram sed glorificemus Deum in viis ipsius Ies. 58. vers. 13. 5. Signum æterni sabbathi & quietis, ad quam adhuc sumus introducendi. Heb. 4. versi. 6. Hæ fuerũt præcipuæ causæ, ob quas Apostoli diem sabbathi mutarunt, vt sic falso à Iesuitis hoc Ecclesiæ attribuatur, quod faciunt in eum finem vt eius autoritatem in cudendis nouis Articulis fidei nobis obtrudant. Et initio quidem Apostoli libere obseruarunt vtrumque diẽ. Nam apud Iudæos obseruarunt sabbathum, vt & alias ceremonias legis Act. 21. ver. 20. Apud Gentes diem Dominicum, Apoc. 1. vers. 10. quem alias Euangelistæ vocarunt, *μίαν σαββάτων*, primum diem septimanæ, Act. 20. vers. 7. Et Paulus scripsit Coll. 2. vers. 16. Nemo vos iudicet in parte fidei festi, aut neomenia, aut sabbathorum. Et ad hanc sabbathi abrogationẽ ipse Christus collimauit, quando toties in Euangelio contra Pharisaicam superstitionem disputauit; Et Luc. *6. ver. 5.* dixit, Dominus est filius hominis etiam sabbathi.

Aliquid etiam de abusu sabbathi adiiciendum videtur. Dupliciter illud violatur. 1. ad sinistram quando omnis generis seruilia opera in eo peraguntur. Eo modo peccauit. Num. 15. vers. 32. is, qui in sabbatho ligna collegit. Sic monet Ierem. cap. 17. v. 21. suos Iudæos, custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die sabbathi, nec inferatis per portas Ierusalem. Et nolite eiicere onera de domibus vestris in die sabbathi, & omne opus non facietis. Nehemias quoque cap. 13. vesicul. 15. prolixe describit, quomodo hunc abusum tanquam magistratus magna seueritate cohibuerit & abrogarit. Et hic abusus est manifestus, à quo Iudæi post reditum ex Babylone abstinuerunt. Ideo Christo hic abusus parum facessit negotij: Lex eum punit. 2. ad dextram peccant hypocritæ, & cum his Christo multum negotij: Quia enim labores prophani sunt prohibiti, ipsi finxerunt *traditiones, quibus* operum prohibitionem coarctarunt. *Inter eas recensent*: In sabbatho debere vnumquemuis *sua mutare vestimenta*, non debere ieiunare vltra *sex horas*, *debere* vesci carnibus, non assare porrum, *non decorticare* allium, non interficere muscam *nec etiam pulicem*, nisi mordeat, non vinum fundere super sinapi: non ingredi super herbas, ne euellantur; *non* arborem ascendere, ne ramus frangatur. Breuiter non coquunt, non iter faciunt, nihil laborant; atque adeo superstitiosæ à laboribus abstinent, vt referant de Rabbi Salomone, qui sabbatho in cloacam inciderat, & eo die extrahi noluit, ne sabbathum violaretur. Hinc versus.

Sabbatha sancta colo de stercore surgere nolo. Sed cum hoc magistratui referretur, is mandauit, ne etiam dei solis in sabbatho Christiannorum extraheretur. Hinc alter versus;

Sabbatha nostra quidem Salomon celebrabis ibidem. Cõtra hanc ineptam superstitionem, ex qua etiam *fluxit*; *quod* Christum sabbathum soluere contenderunt, *si quando* ægrum saltem verbo sanauit, Christus plurimum *pugnauit*, & passim docuit ad sabbathi sanctificationem *facere non* nænias illas pharisaicas, sed verbum Dei in *templo* & synagoga primum audire; deinde idem domi repetere: Et quia sabbathum propter hominem est institutum, opera charitatis exerceri debere. Illa vero opera, quæ impediunt ministerium, sunt prohibita hac tamen cum *limitatione*, si necessitas ingruat, vt moram ferre nolint, vt absque læsione conscientiæ etiam illa peragamus.

IV. Quartum membrum huius conuiuij est Christi commonefactio ad inuitatos de discubitu; Cum enim *intenderet*, hoc est attente obseruaret, & consideraret, quomodo Rabini inter se *eligerent πρωτοκλισίας & primos accubitus*, atque inde animi tumorem, fastum & superbiam ipsorum cognosceret; Ideo, quemadmodum in primo ingressu hydropicum tumorem ægri præsentis sanauit, ita nunc spiritualem tumorem & fastum Pharisæorum curare intendit. Monet ergo nõ decere homines pios, doctos & liberaliter educatos in publico concessu ambire digniora loca, aut ita gloriosæ humanæ deditos esse, vt curent tales nugas. Et addidit duas rationes. 1. fieri posse, vt honoratior superueniat, cui necessario cedẽdum erit, si modo aliqua honestatis ratio apud alterum erit. 2. fieri posse, vt iudicium hospitis qui te inuitauit, à tuo sit diuersum, vt maxime nolis locum dare honoratiori; tamen iussus cogeris id facere, vtpote in domo aliena. Sed vtrumque

hic

fiet cum magno rubore & dedecore. Proinde πρωτοκλισίαι non sunt ambiendæ nec eligendæ. Quin potius ad nuptias vel conuiuium vocatus modeste de te sentias, & aliis plus honoris deferas, quam tibi ipsi, ac proinde *in nouissimo accumbe loco.*

Nam inde cum gloria poteris ascendere in honestiorem locum, qua in re iudicium hospitis te plurimum iuuare potest; qui non finet te accumbere inferiori loco, quam dignitati tuæ personæ conueniat. Hæc est Christi doctrina; Verum quærat hic aliquis: Num Christus ex præcone salutis factus est Magister ceremoniarum, qui velit docere; quomodo in nuptiis & conuiuiis publicis hospites, ad mēsas sint collocādi? Resp. Omnino Christus sublimius quid per hunc sermonem, quem Lucas *parabolam* vocat, (parabolæ enim sublimiorem sensum habent, quam externa verba prę se ferunt,) intelligit: nihilominus tamen innuit sibi suoque cœlesti patri probari, si homines in hoc mundo politicam motum ciuilitatem obseruant. Neque res indigna est Euangelico Doctori, si etiam interdum morales huiusmodi doctrinas tractat; vt enim bonus medicus non tantum grauioribus sed etiam leuioribus morbis medetur; sic etiam bonus Euangelicus studet in suis auditoribus non tantum grauiora peccata resecare, sed etiam si quæ alia in communi vita minus honesta accidunt. Notari itaque debet hic locus contra Anabaptistas, qui clamant, nullum debere esse respectum personarum, ac proinde omnes esse pares & æquales, siue sint Doctores, siue magistri, siue nobiles, siue consules. Allegant ad facti sui defensionem inter alias locum Iacob 2.v.1. vbi Apostolus repræhendit; quod in congressibus viro splendide vestito attribuant locum digniorem, pauperem autem remittāt ad scabellum pedum suorum. Sed miseri isti homines nihil intelligunt. Christus quando de suo regno loquitur, & de cœlestibus beneficiis, quæ in illo distribuūtur, tunc tollit omne discrimen personarum: hic nec diues, nec pauper, nec seruus, nec liber, nec masculus, nec fœmina. Gal.3.versic.28. Sed omnes vnum sunt in Christo Iesu. Idem enim verbum, eadem sacramenta, idem baptismus, eadem absolutio, eadem lex, idem Euangelium offeruntur & regi, & subulco. Hic nulla disparitas personarum. Sed in ciuili atque œconomica vita vult Christus, vt honoratior, hoc est, qui vel ratione muneris publici, vel ratione ætatis dignior est, primum accubitū habeat. Et hanc doctrinam Anabaptistæ sua rusticitate non euertent: Nam honorem, cui honorem Rom. 13.v.7. Salomō quoque moralem hanc doctrinam habet Prouerb.25.v.6. Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum, ne steteris: Melius est enim vt dicatur tibi, Ascende huc, quam vt humilieris coram principe. Sic igitur Christus humilitatem docet, & accubitum πρωτοκλισίας vetat. Recte tamen Patres, Basilius, Theophylactus & alij monent; Christum hic docere veram & non fictam humilitatem: vbi quidam eligunt quidem inferiorem locum, sed postea per integrum conuiuium toruum vident Hic recte Chrysostomus dicit: sine causa loco te humilias, si corde te præfers. Sic & illud non ciuilitatis, sed rusticitatis, si cui debetur dignior locus, nec tamen vllo modo, vllis precibus, nullis monitionibus permoueri potest, vt eum occupet. tantū vt humilis esse videatur. Sub hac ficta humilitate affectata superbia latitat, quæ Deo dupliciter displicet; Nā primo loco accūbere per se nō est peccatū, neque Christus id reprehendit, sed hoc, quod *eligebāt primos accubitus,* & se reliquis doctiores, sapiētiores, meliores, sanctiores æstimabant: cum hoc iudicium sit penes Deum. Porro qui Christus hic *parabolam dixit*, & sublimus qui per eam quam tantum ciuilem modestiam in conuiuiis obseruandam esse, docere voluit, ideo etiam de eo aliquid est agendum. Nimirum docere voluit per omnem vitam; vbique in omnibus, & semper humilitatem sectandam, & delectum illum exaltationis fugiendum esse. Cum certum sit, quod Deus quouis tempore humiles exaltarit, superbos autem humiliarit. Siquidem contritionem pręcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus. Prou.16.v.18 Et fere superbia primaria causa est omnis interitus. Hæc doctrina altius deduci, & spiritualiter explicari potest. Deus filio suo quoque fecit *nuptias* in cœlis, de quibus Apoc. 19. vers. 7. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se. Ad hasce nuptias, primo inuitauit angelos. Ibi Lucifer voluit occupare πρωτοκλισίαν, sed degradatus est Ies. 14.v.12. Quomodo decidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Apo.12.ver.8. Draconis nullus amplius locus in cœlo inuentus est, Draco Diabolus & satanas proiecti sunt in terram, & angeli eius cum illo missi sunt. Et Luc. 10. v.18. Christus testatus est se vidisse satanam sicut fulgur de cœlo cadētem. Post angelos inuitati sunt etiam ad illas nuptias homines, parentes nostri πρωτόπλαστοι Adamus & Eua; Ibi Eua quoque eligere voluit primum discubitum voluit Deo par esse & æqualis Gen.3.v.5. & in eo consensit maritus: sed ambo iusti *cum rubore extremum tenere locum*, ex paradiso eiecti sunt, & in extrema illa deiectione ipsis & omnibus eorum posteris in æternum pereundum fuisset, nisi summus Dei filius ex cœlo in hanc miseriarum vallem descendisset, & nouissimus virorum factus fuisset; Esa.53.versic.3. atque sic in seipso nos quoque rursus exaltasset. Ipse non rapinam arbitratus est æqualem esse Deo, sed exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens: humiliauit se, & factus est patri obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Sed vicissim etiam exaltatus est super omne nomen, vt iam in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, Phil.2. versi.6. Huius exemplum nos quoque imitemur. Sicuti fecit Maria, Luc.1.v.38. Ecce ancilla Domini. Et Petrus, qui se aliis verbi ministris non prætulit, sed 1.Pet.5.ver.1. se sympresbyterum & conseniorem vocauit. Postea etiam vers.5. generalem hanc sententiam subiunxit. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini ergo sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.

Si quis hanc doctrinam vlterius velit extendere, is transeat per omnes status, & deprætendet, quomodo Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam. In Ecclesia Deus varie distribuit dona ad ædificationem Ecclesiæ, sicut Paulus 1. Corinth.12.versiculo 8. prolixe illud refert. Sed hic sæpenumero inter collegas idem accidit, quod Apostolis, Matt.18.v.1. Quis, putas, maior est? Eo quando res cum verbi ministro deuenit, iam ruinæ vicinissimus est, vt in hæresin prolabatur. Accidit hoc Arrio, Nestorio & reliquis hæreticis, atque maiorū nostrorū ætate Carolostadio. Paulus Pseudoapostolis tribuit, 1.Cor.4.v.18.& c.8.v.1. quod sint inflati. Sic etiam Coll. 2.ver.18. dicit, quod phanaticus sit εἰκῆ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, temere turgens carnis suæ sensu. Verus ergo minister, quo sublimiora dona habet, eo humilior fit. Paulus laborauit plus, quam reliqui Apostoli omnes, 1. Cor.15.v.10. sed accepit Satanam colaphizantem, 2. Cor. 12. versicul. 7. ne ob magnitudinem reuelationum extollat se. Sic in politia Deus etiam sua dona distribuit, prudentiæ, eloquētiæ, fortitudinis, singularis fortunæ & industriæ, vnde illi, qui in magistratu sunt, magnam consequuntur autoritatem & existimationem. Sed quamprimum politicus incipit ista sibi tribuere, & alios præ se despicere, mox versat se fortuna. Quamprimum rex Israelis Saul superbus fit, abiicitur, & Dauid eligitur. Vide 1.Sam.15.ver.17 orationem Samuelis ad Saulem. Dauid quoque ex superbia numerauit populum, 2. Sam. 24. v. 2. Sed quam grauiter Deus ipsum punierit, notum est. Vrias non contentus gladio & corona, thuribulum in templo quoque tractare voluit: sed statim lepra punitus est à Domino, 2.Par.26.v.19. Exempla regis Tyri, Ezech. 28.v.2. Nabuchodonosoris, Dan.4.ver.27. & Belsasaris, Dan. 5. v. 22. notissima sunt atque illustrissima. Et si Deus tantis regibus non pepercit, certe etiam non parcet ipsorum consiliaris, si cor eorum eleuetur. In Oeconomia idem obseruare licet. Hagar seipsam exaltauit, & despexit suam Dominam, Saram, Gen.16.ver.5. Sed tandem eiecta est ex ædibus Abrahami, Gen.21.v.14. Phenenna quoque Elcanæ coniunx despectui habebat Hannam ob sterilitatem, 1.versiculo 6. Sed hæc vicissim ignobilis mansit, Hanna autem genuit Samuelem omnium Prophetarum coryphæum; Sic interdū aliquis superbit, de sua pulcritudine. Sed Deus minatur, Esa.3. v.24. pœnam, quod pro crispanti crine, & pro fascia pectorali cilicium ipsis dare velit. Sic Nabal ob diuitias despexit, & contumelia affecit Dauidem pauperem & exulem, 1. Samuel.25.v.10. Sed Deus illum humiliauit, & hunc omnium ipsius bonorum possessorem fecit. Itaque si quando Deus alicui bona siue animi siue corporis, siue fortunæ largiatur, norit, Deum id propterea facere, quod illum probare velit, an etiam didicerit dictum illud Syrucidæ cap.3 vers.20. Fili, quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam; quoniam magna potentia Dei solius, & per humiles magna efficit.

Ex his quæ hactenus dicta sunt, post quisque non tantum intelligere, sed etiam explicare veritatem illius generalis dicti, quo Christus sane parabolam concludit, illudque etiam in aliis locis repetit, *Omnis qui se extollit, deiicietur, & qui se deiicit, extolletur.* Itaque sic statuamus. Quemadmodum Dominus Iesus hic in Pharisaico cōuiuio oculos circumducit, attendens quomodo singuli Pharisæi eligant primos accubitus, quod eodem modo adhuc hodie in cœlis, sedens ad dexteram sui patris circumspiciat & attēdat, qui inter homines fiat. Si quos ergo videt affectare superioritatem, quos tamen ipse non euexit, tum eos vicissim humiliat; certe si hodie circumspiciat, longe alium ordinem in orbe Christiano inueniet, quam ipse instituit.

Ex scripturis, & præsertim ex Daniele notum est, Deum

Cæsari ἀποδέδωκε in orbe Christiano tradidisse: sub summis enim Monarchis Deus reliqua regna & ditiones regere, atque in officio continere vult. Vnde Paulus Rom 13.v.1. de Romano Imperatore scribit, omnis anima subiecta sit potestatibus sublimioribus, Non enim est potestas nisi à Deo. Et Petrus 1.Ep.2.ver.13.Subiecti estote omni humanę ordinationi propter Deum: siue regi, tanquam præcellenti, siue ducibus ab eo missis. Contra hanc Dei ordinationem Papa Romanus in Christianitate occupauit primum locum. Et quidem à Cæsaribus; quibus ipse varias nebulas ob oculos obiecit, ad istam sublimitatem euectus est; sed iam vicissim eos pro libitu premit. Sed experietur, quod Dominus conuiuij ipsi suo tempore dicturus sit: Descende inferius; Et si hoc maturius non fiet, fiet tamen in nouissimo die, quando mittetur in stagnum ignis ardentis & sulphuris. Apoc.19.v.20.

V. Quintum huius conuiuij membrum est, quod Christus inuitantem se, vt & reliquos conuiuas instituit, ne in conuiuiis parandis vel inanem gloriam vulgi aucupetur, vel remunerationem spectet, sed vt hospitalitatem suam gratis & potissimum erga pauperes exerceat. Sic ergo se gratum erga benefactorem exhibere, & conuiuij pretium persoluere voluit; Nam etiam iis, qui sincero studio nobis benefaciunt, maior gratia referri nequit, quam si admoneantur de iis, in quibus errant, vt in veram viam reducantur: Animaduertit enim Christus hactenus communem hunc Iudæorum, inprimis autem Pharisæorum morem esse, quod in conuiuiis adornandis magnifico apparatu & splendore se ostentent, amicos & vicinos magno numero inuitent, ab ipsis vt idem fiat, expectent pauperes interim negligant, aut etiam si maxime eleemosynas illis distribuant, id cum pompa venandæ gloriolæ causa faciant, sicuti Matth. 6. v.2. videre licet. Hoc vitio cum absque dubio sic princeps Pharisæorum, ad cuius mensam Christus cum multis aliis inuitatus erat, etiam laboraret, atque eo ipso opus per se bonum cōtaminaret, Christus ipsum ab eo reuocare voluit. *Cum facis prandium*, inquit, *aut cœnam*. Græcis prandium significat ἄριστον quasi ἀόριστον ratione temporis, vt vult Etymologia: veteres enim tanquam frugi homines semel tantum in die cibum sumebant, idque in certo tēpore, atque hinc ἄριστον dictum esse volunt. Postea accessit alterum edendi tempus, quod dixere δεῖπνον, vel tanquam τῶν πόνων διαναπαῦον, vt post peractos labores homo recreetur, vel quasi διαπεπονημένον quod non tam facile vt ἄριστον appareretur. Quidam δόρπον quasi tertium edendi tempus adiiciunt, sed apud plerosque autores δόρπος idem est, quod δεῖπνον, nisi quod illud magis poeticum sit. Denique apud Græcos accessit ἀκρατισμα, (fortassis Germanorum *Schlaffirunck*,) quod à meracius potandi consuetudine nomen adeptum putant, quod panis bucella mero tingeretur. Hodie multis integer dies non sufficit ad potandum; adeo multum à veterum frugalitate recessimus. Quanquam etiam Iesaias de Iudæis sui temporis conquestus sit; quod idem fecerint, c.5.v.11. Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, ad potandum vsque ad vesperam, & vino æstuatis.

Primo indicat Christus quinam non sint inuitandi: *Noli vocare* 1. *amicos tuos*. 2. *neque fratres tuos*. 3. *neque cognatos tuos*. 4 *neque vicinos diuites*. Hæc verba Christi κατὰ τὸ ῥητὸν accepta videntur pugnare cum ipsa natura, cum exēplis sanctorum, imo etiam cum exemplo ipsius Christi. Naturæ lex monet, vt quo quisque propiore siue sanguinis siue cognationis vinculo nobis iunctus est, eo pluribus beneuolentiæ officiis eum prosequamur. Hinc Paulus 1.Tim.5.v.8. Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli est deterior. Sancti etiam tales ad conuiuia inuitarunt. Abraham amicos, Genes.21.v.8. Isaacus vicinum regem Abimelechum cum Phicole duce militum, Gen.26.ver.26 Iosephus fratres in Ægypto conuiuio excepit, Gen.43.v.32. Exod. 18.ver.12. Cum Iethro socer Mosis venisset ad ipsum in desertum, venerunt Aaron frater & omnes seniores Israel; vt cum ipso panem comederent coram Domino. Quin imo ipse Christus ad discipulos suos, Petrum & Matthæum diuertit, atque cum Lazaro, Martha & Maria amicissimis suis libenter conuersatus est. Quo igitur sensu hic prohibet, ne tales ad conuiuium vocentur. Quærenda est λύσις vel in toto contextu, vel in eius verbis. Quidam ergo putant Christi sententiam sic accipiendam esse, quia dicit: *nolite vocare amicos diuites*, vt hæc vocula *diuites* referatur ad omnes præcedentes amicos, patres, fratres, cognatos & vicinos. Hi si sunt diuites, tū non esse vocandos: Si vero pauperes sint, licere omnino eos vocare. Ac proinde etiam in posteriori membro voculam *pauperes*, quoque referunt ad debiles, claudos, cæcos. Si sint in re lauta, sicuti etiam quidam debiles & gibbosi inueniuntur, qui alienam quadram sequuntur, & loco morionum ineptiis hominibus inseruiunt: tales quoque non esse vocandos. Et sane hic sensus non est impius. Verum ipse contextus veriorem sensum præbet, quod nimirum monere voluit: siquidem conuiuia honoraria referantur inter officia caritatis, quę mere gratuita esse debeant, idcirco etiam sic instituenda esse, vt nullam retributionem, nullum priuatum commodum, nullam gloriam inde expectent. Ideo diserte adiicit: *ne quando & ipsi te vicissim inuitent, ac rependatur tibi beneficium*. Ideo dicit Luc.6.ver.33. Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Vult igitur Christus Christianorum conuiuia ex mera & plena charitate & beneuolentia & liberalitate proficisci debere, vt sic differant à conuiuiis gentium & peccatorum. Alias si quis quem inuitat, & ab eodem postea duplicatum beneficium exspecta, is Pharisaismum conuicit. Hac in parte hodie sæpenumero peccatur. Inuitat quis verbi ministrum, vel alium quempiam, & pauxillo cibo ac potu eum recreat, vt sic sibi quasi debitorem faciat, quo duplo maiori beneficio ipsum rursus afficiat, apud Principem & alios ipsum commendet, vnde maior gratia ipsi accedat. Hic, vt dixi, est Pharisaismus; quem Christus hoc loco reprehendit.

Secundo igitur loco indicat, quinam ad conuiuium sint vocandi? *Imo cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos*. Hoc auribus inhumanis auditu admodum est graue. Nā pauper Lazarus passim ante diuitum fores iacet, & negligitur. (Quanquam malitiosi & validi mendicantes *sua prauitate* multorum bonorum animos à se alienent.) *Singuli prætendunt*, quæso quid vtilitatis ad me redibit, si singulis diebus mensam medicorum, cæcorum & claudorum alam? omnis impensa eiusmodi conuiuij mihi perit, siquidem non habent, vnde rependant. Hoc appræhendit Christus & dicit: Eo nomine *beatus eris*, quia non habent, & *quia non possunt rependere tibi*. Neque tamen tibi periit tua beneficentia, quam contulisti in pauperes. Nam erit tempus, quo tibi illud charitatis officium longe plenius & perfectius rependetur, quam quisquam diuitū vel amicorum in hoc seculo rependere potuisset: Nam quicquid in hoc mundo rependitur, illud temporaneum & transitorium; sed *rependetur tibi in resurrectione iustorum*, vbi Deus pro temporali refectione pauperum æternam cœlestium gaudiorum perfruitionem tibi rependet. Hoc quādo Pontificij tractant, mox inferunt: Ex hac historia patet, bona opera esse meritoria vitæ æternæ. Nos vero respondemus, doctrinam de meritis & præmiis bonorum *operum esse* distincte in Ecclesia Christi proponendam. *Si quis contendat*, peccatorum expiationem, cœlestis patris *reconciliationem*, & vitæ æternæ donationem nostris *operibus* deberi: ei nos respondemus, quod *iniuria afficiat* meritum Christi. Huius enim solius proprium officium est, vt dona illa, adoptionem, salutem & *vitam* æternam nobis paret. Illa gratis nobis donantur propter meritum & obedientiam filij Dei, & fide accipiuntur. Nos autem quando fecerimus omnia; quę præcepta sunt nobis, dicere debemus: serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, Luc.17.v.10. Interim tamen bona opera, quæ fiunt à reconciliatis ex fide, placent Deo propter Mediatorem, & habent sua præmia, spiritualia & corporalia, tum in hac vita, tum in futura; non ex meritis nostris, & quasi Deus noster debitor sit ob operum nostrorum dignitatē, sed quia ex mera misericordia & paterna liberalitate, propter Christum, promisit se præmiis ornaturum hanc *languidam*, imperfectam & inchoatam nostram obedientiam. *Hæ igitur* promissiones in nobis excitare debent studium *bonorum* operum, non autem animos nostros efferre, ac si plurimum iis mereri possemus. Nā etiam hoc, quicquid illud sit, fit ex gratia propter Christum, cuius obedientia perfecta patri adeo grata fuit, vt etiam nostram inchoatam obedientiam, quam ad Christi doctrinam Spiritu sancto duce pręstamus, velit spiritualibus & corporalibus, temporalibus & æternis prę̄miis ornare. Ex his patet nemini nocere suam beneficentiam, quam exercet in pauperes: & tamen opera ipsius non esse meritoria vitæ æternæ.

Potest hic generalis doctrina tractari de pauperibus, quomodo famelici sint cibandi, & deficientes potandi, Esa.58.v.7. Quas item Dominus in Mose leges dederit, vt mendicantes coerceantur: & tamen pauperibus non desit, vnde ex publico alantur, Deut.14 vers vlt. & 15.vers.4. & 24. versicul.19. Cauendum enim ne ignaui illi fuci, qui ex mendicitate quæstum faciunt, vere pauperibus bolos ex faucibus eripiant. Ditiores etiam sunt commonefaciendi, vt Iobum imitentur, qui dicit, cap.31.versic.17. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea? Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimēto pauperem? &c. Tobias quoque senior inter alia præcepta filio etiam hoc dedit cap.4.vers.7. Panem tuum cum esurientibus, & egenis comede: & de vestimentis tuis nudos tege. Si quis etiam hic velit tractare locum de nouissimo iudicio, commodam habebit occasionem: Nam post resurrectionem & iustis

iustis tribuentur præmia benefactorum, & impij dignas accepturi sunt pœnas, prout factis suis meruerunt.

VI. Sextum siue postremum, adeoque præcipuum Pharisaici huius conuiuij membrum est concio Christi, de bonitate Dei, Iudæos ad cœlesti sui regni communionem inuitantis, & horum ingratitudine, qui terrena bona cœlesti felicitati prætulerunt. Ante omnia autem Euangelista occasionē refert, qua factum, vt Christus hac de re dissereret. Inter reliquos enim Pharisæi conuiuas vnus assidebat, qui cum audisset verba Christi, *retribuetur tibi in resurrectione iustorum*, accensus desiderio cœlestis conuiuij, in quo electi discumbent cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno Dei, erupit in hęc verba: *Beatus, qui edet panem in regno Dei.* Hæc verba quidam tanquam ex æmulatione prolata suscipiunt, quasi sciolus quidam & inflatus Pharisæus Christo sermocinanti interlocutus sit, & sermonem eius corrigere voluerit. Quasi dicere voluisset, quid opus est coram tam doctis viris, quales hic præsto sunt, de tam edilibus rebus agere, quomodo conuiuæ sint ordinandi, qui item ad conuiuium sint vocandi: Sublimiora hactenus de regno cœlesti, cuius meditatio etiam sabbatho conuenit. Huius sententiam, si hæc fuit, Christus non reiicit: sed adducta hac parabola ostendit, quibus felicitas illa sit obuentura, & quomodo primores Iudæorum, licet primo loco fuerint inuitati & vocati, suā culpa ab illo cœlesti conuiuio sint excludendi, atque in eorum locum tam contempti Iudæorum, quam promiscue gentium turba successuri. Alij existimant illum conuiuam hæc verba ex deuoto corde protulisse: Quia enim sermo Christi viuus est & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, & vsque ad diuisionem animæ & spiritus pertingens, Heb. 4. v. 12. ideo etiam in hoc conuiua illum fructum protulit, vt is fastiditis mundanis epulis appositis, ad cœlestes epulas anhelare inciperet. Hic est effectus blādæ & humanæ illius conuersationis, & quod absque mordacitate eos admonuit atque instituit. Vtut autem sit, hic cōuiua siue ex æmulatione, siue ex deuotione hæc verba protulerit, nos tamē monemur, in ipso vsu cibi corporalis cogitandum esse, non tantum vt edamus & saturemur, sed vt operemur etiam cibum, qui non pereat, sed permaneat in vitam æternam, quem filius hominis nobis dat, Iohan. 6. vers. 27. Ideo etiam multi post sumptum cibum & potum in gratiarum actione sua adiiciunt, & fac nos participes æternæ tuæ mensæ, per Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

Christus igitur ostensurus, quinam panem in regno Dei commesturi, & qui ab eo secludendi sint, adducit parabolam per se planam & apertam, de homine quodam prędiuite, qui in vrbe sua constituit parare cœnam magnificam, quæ & multis ferculis constaret & multis parata esset. ad eam ergo initio inuitauit ciues multos, diuites & honoratos. Sed cum hora cœnæ eosdem per seruum rursus vocaret, & ipsi friuolas excusationes prætenderent, ob quas comparere non possent, ipse quidem Dominus inique hoc tulit & inuitatis non leuiter indignatus est. Ne tamen expensæ conuiuij frustra factæ essent, in eorum locum primo ex vicis & plateis ciuitatis cōuocari iussit pauperes, debiles, cæcos, claudos, qui absque dubio ob famem & inopiam cœnam non essent recusaturi. Postea, istis ad conuiuium non sufficientibus, iussit etiam peregrinos & exteros, extra ciuitatem iuxta vias & sepes repertos adducere, & si qui horum vel ob pudorem venire nollent, vel alias comparere grauarentur, seruo iniunxit, vt compellat intrare; qua domus compleatur. De primis autem inuitatis serio pronuntiat, nullum ipsorum suam cœnam gustaturum. Hæc est summa parabolæ, cuius singula membra iam sunt enucleanda.

1. *Homo quidam*, qui hic parabolice considerandus introducitur, designat Deum patrem cœlestem; quem Christus Matt. 22. v. 2. in consimili parabola vocat *hominem regem*: *Hominem*, quia humane & paterne erga nos homines est affectus, *Regem*, quia regit cœlum & terram. Hic rex regum quotannis & quotidie ad cœnam verbi homines vocat. Venite, gustate & videte, quoniam suauis est Dominus, Psal. 34. ver. 9. In mundo cum primis honorificum est, ad regis vel principis alicuius mensam vocari: Certe Hamamis magnifice gloriatus est coram domesticis suis, quod solus cum rege ad mensam reginæ vocatus esset, Esth. 5. versi. 12. At longe maior gloria à Deo inuitari, qui est rex regum, qui dominatur à mari ad mare, cuius sedes cœlum, & terra scabellum pedum, qui millia millium habet ministrantium sibi. Quidam per *hominem* intelligunt filium Dei à patre in mundum missum, vt vere homo fieret. Neque hic sensus malus est, quin omnino hic homo, magnis impensis, nimirum pretio sui sanguinis, hanc cœnam nobis parauit.

2. *Parauit cœnam*. Per *cœnam* intelligunt quidam Dominicam illam dispensationem, qua filius Dei nouissimis mundi temporibus homo factus, redemtos suos pascit pane verbi Euangelij, & variis sacramentorum ferculis. In doctrina Euāgelij proponitur nobis agnus Dei Iesus Christus, in alto stipitis crucis æstuante amore assatus. Hic vult esse cibus noster. Proponitur panis angelorum, verum Manna, quod qui manducauerit, viuet in æternum, Ioh. 6. versic. 51. Proponitur caro Christi, qua fruimur non tantum fide in verbo, sed etiam orē in sacramento, virtute verborum ipsius, quæ vera efficere possunt omnia, quæ promisit. Proponitur eximius potus, quem qui biberit, non sitiet in æternum, nimirum sanguis Iesu Christi, vinum illud rubrum. Gen. 49. v. 11. quod habet virtutem expurgandi peccata, 1. Ioh. 1. v. 7. Et hunc sacrum potum quoque non tantum fide haurimus, quando credimus, nos esse redemtos non sanguine hircorum, sed ipsius Pontificis Iesu Christi: sed etiam ore bibimus in sacra cœna sub vino, virtute verborum institutionis ipsius. Alij per *cœnam*, hic intelligunt felicitatem æternæ vitæ, ad quam electi per verbum ministerij vocantur. Et sane de hac Christum proprie etiam agere manifestum est ex occasione parabolæ, quæ loquitur de pane in regno Dei manducandi.

Cum enim vsitate Ecclesia distinguatur in militantem in his terris, & in triumphantem in cœlis; quæ tamen vna est Ecclesia; quæ hic inchoatur per fidem, illic autem perficitur per spiritum: Ita quoque vnicum est quodammodo conuiuium, quo pascitur in hoc mundo militans Ecclesiam in velamine verbi & sacramentorum, in altero vero mundo triumphans Ecclesia sine velamine in Christo ipso. Et quemadmodum per se quidem vnum est regnum Dei, & tamen propter Ecclesiam militantem & triumphantem distinguitur in regnum gratiæ & gloriæ: Ita quoque Christus nos in hoc mundo degentes, cibat gratia: postquam transiuerimus, cibabit gloria. Vtrobique tamen vnus est Christus, vtrobique vnus cibus, & potus, tantummodo diuersimode paratus, quo hic fruimur per fidem, illic autem fruemur per spiritum, 1. Corinth. 5. v. 7. Vtriusque igitur seculi conuiuium vnum *cœna*, hic vocatur: tū, quia in hoc mundo post Euangelij prędicationem nulla noua doctrina est exspectanda, in Euangelio Deus omne suum consilium de saluando humano genere manifestauit: tum etiam, quia cœleste conuiuium nulla alia felicitas sequetur, sed hæc durabit in omnem æternitatem.

3. Cœna hæc *magna*, dicitur. Reuera *magna* est, siue inspicias cœnæ huius institutorem Deum, cui Assuerus, Iulius Cęsar, & alij Monarchæ, qui & ipsi magna conuiuia instituerūt, nulla ex parte sunt conferendi: siue inspicias multitudinem vocatorum, de quibus mox audiemus, siue etiam ferculorum copiam & abundantiam, quæ sufficiunt ad saturandum omnes discumbentes, vt nunquam amplius neque esuriant, neque sitiant: siue etiam vasa aut paropsides inspicias, in quibus nobis fercula ista, sed agnus Dei, proponuntur.

Vasa ista sunt verbum prædicatum, baptismus, absolutio, cœna. In verbo offertur agnus Dei credendus: In baptismo induendus, in absolutione, vt meritum eius nobis applicemus: In cœna, vt fiat noster cibus & potus. Hoc mundus non æstimat *magnum*, dicit, quid hoc magni? audio tantum verba, video tantum aquam, panem & vinum. Spiritualia maiori cum pompa conferri debebant. Sed D. Chrysostomus rectè respōdet; si essemus angelici, proponerentur nobis ista in meris spiritualibus: nunc quia sumus carnales & mundani, mundana etiam Elementa assumuntur, vt spiritualia illa nobis accommodentur. Nos itaque Christiani non offendamur, sed dum in hac mortali vita degimus, hæc magni æstimemus, vbi ad conuiuium triumphantis Ecclesiæ transcenderimus, ibi demum vere *magna* inueniemus, quæ oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non penetrarunt. Esa. 64. vers. 4. 1. ad Cor. 2. v. 9.

4. *Inuitat multos*, per *multos* primum intelligere possumus totum genus humanum: Deus enim occulto decreto ne vnū quidem hominem ab hac cœna exclusit. Ideo hæc inuitatio mox in paradiso ad totius humani generis progenitores, initium cœpit; Vbi Deus promisit filium, qui mactari se passurus sit pro salute totius humani generis. Nec insolens est in scriptura sacra, quod vocula *multi* ponitur pro *omnibus*, Matth. 20. 28. Christus ipse dicit se venisse, vt animam suam det redemtionem pro *multis*. Hoc Paulus 1. Tim. 2. v. 6. Sic explicat, quod Christus dederit semetipsum redemtionem pro *omnibus*. Ita etiam hæc vocula explicatur. Ies. 55. v. 1. *Omnes* sitientes venite ad aquas & qui non habetis argentum, properate, emite, comedite. Et Matth. 11. v. 28. Venite ad me *omnes*, qui laboratis. Quanquam etiam hæc vocula *multos* inuitauit, dextre explicari possit respectu angelorum. Hi enim cœlesti cōuiuio etiam fruuntur: non tamen vt inuitati, sed tanquam domestici, qui in domo cœlestis patris manserunt. Homo autem factus est extraneus, ac proinde rursus inuitari debuit. Si tamen scopum huius parabolæ spectare velimus, per *multos* intelligimus Iudæos, in primis autem ipsorum primores. *Hos*

enim Deus inuitauit per legem*, quæ fuit pædagogus ad Christum. Hi fuerunt in V.T. populus Dei præ gentibus. At quia per legem saluari non poterāt, *hora cœna* venit filius Dei ipse, attulit suum Euangelium, & promisit se passione & satisfactione sua ipsis salutem paraturum; & vitam æternam daturum, modo *veniant*, hoc est ad Deum conuertantur, & à lapsu reuertantur; His duobus autem verbis verbum *venite* in scriptura explicatur. Quia autem natura sumus in regno satanæ, ideo necesse est, vt per pœnitentiam & fidem conuertamur ad Deum. Sed semper veteri nostro Adamo adlubescit vetustas carnis, vnde, residiuam patimur: Proinde dicit nobis Dominus, reuertere. Qui sic *veniunt*, hoc est, conuertuntur & reuertuntur, *illis parata sunt omnia*. Neque enim opus est, vt nos homines aliquid de nostro addamus. Ipse enim Dominus parat nobis mensam; Ps. 23. v. 5. & conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Ies. 25. v. 6. Neq; enim ea est ratio huius cœnæ, quæ interdum inter homines, vbi amici ollas comportant, & quisque domo ferculum secum affert, vt cœna pararetur. Nullo modo. Sed quod impossibile erat legi, hoc Dominus præstitit misso filio, Rom. 8. v. 3. Hic hæreditatem nobis parauit: nec in ara crucis citius animam suam, Patri tradere voluit, quam dicere posset; consummatum est. Nec iam nobis dicit, Ego, quod meum est feci: oportet iam te quoque, quod tuum est, facere: Sed simpliciter dicit: *parata sunt omnia*, tantummodo veni, vtere, fruere.

5. Quid Iudæi? *Cœperunt simul omnes excusare.* Cupiunt quidem Iudæi etiam saluari, sed eo modo nolunt, quo Deus per verbum Euangelij reuelauit; nimirum per fidē in Christum. Ideo alij quidam *quinque iuga boum emunt*, hoc est, offerunt sua sacrificia, & habent certas ceremonias ab ipso Deo datas, per harum obseruationem se saluari posse sperant. Iste vero Iesus nimis facilem reddit viam salutis, dum nihil, præterquam fidem requirit. Alij vero *emunt villam siue agrum* hoc est, habent politicum regimen, sunt diuites & potentes, & si hunc Iesum regem susciperent periculum esset, ne venirent Romani, & omnia pessundarent. Rursus alij dixerunt *se vxorē duxisse, atque adeo venire non posse*, hoc est, prætendunt, sibi non vacare, vt cognoscant & iudicium ferant inter Pharisæorum & Iesu contentionem, habere aliud, quod agant. Hoc modo tres illæ excusationes respectu Iudæorum, qui tempore Christi viuebant, explicari possunt. Generalius tamen etiam ad alia tria obstacula, quæ multum homines in salute impediunt, accommodari possunt. Christus Matth. 13. v. 22. tria ponit, quæ efficiunt, vt verbum Dei auditum nullum fructum afferat; nimirum solicitudo seculi, fallacia diuitiarum, & voluptates mundi. Consimiliter Ioannes 1. Epist. c. 2. v. 16. itidem tria enumerat, quę hominibus quo ad salutem nocent, nimirum superbiam vitæ, concupiscentiam oculorum, & concupiscentiam carnis. Hæc probe cum hisce tribus conueniunt. Primus *qui agrum emit* laborat superbia vitæ: In quem enim finem homines sibi agros, villas, & latifundia comparant, quam vt præ aliis in pretio & honore, tanquam potentes habeantur? Alter, *qui quinque iuga boum emit* laborat solicitudine seculi. Finis enim boum emtorum hic est, vt operibus exerceantur Psal. 144. v. 14. atque sic patrifamilias plurimum lucri afferant. Tertius, *qui vxorem duxit*, laborat concupiscentia carnis: Plerique enim coniugium ineunt, non propter ordinationem Dei, & vt legitimo modo fœcunditatem quærant, sed vt voluptatibus carnis indulgeant. Et hæc tria plurimum incommodant saluti hominum. Obserua autem, quod cum priores duo *se excusatos haberi* petant, tertius tamē simpliciter sine omni excusatione dicit *non possum venire*. Nā illorum animi, qui luxurię carnis indulgent, longe minus curant salutem æternam, quam qui diuitias appetunt, aut solicitudinibus immerguntur. Hi interdum de somno suo expergiscunt, & de salute quoque sua cogitare incipiunt. Illi vero plane quasi obstupescunt, vt vere ab Hosea dictum sit, c. 4. v. 11. Fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor.

6. Postquam seruus Domino suo excusantium responsa retulit, quid paterfamilias? Nos quidem putamus excusantium verba satis humaniter sonare: sed Christus testatur, quod *paterfamilias iratus* fuerit, & postea dixerit, nullum istorum virorum suam cœnam gustaturum. Ne tamen impensas cœnæ frustra faceret, iungit seruo, *vt cito exeat in plateas & vicos ciuitatis & pauperes ac debiles, claudosque & cæcos introducat.* Hæc verba dupliciter ab interpretibus accipiuntur: vterque tamen sensus commodus est, nec cum parabolæ fine pugnat. Alij per eos, qui ex *plateis & vicis ciuitatis* vocantur, intelligūt abiectos & plebeios Iudæorum, qui in vna quidem ciuitate Dei cum Sacerdotibus, Pharisæis, scribis & legis peritis habitarunt; sed ab his tanquam indocti, & qui legem non intelligerent, habebantur pro *cæcis, claudis, debilibus & pauperibus.* Hosce primo ad conuiuium paratum vocatos esse affirmant.

Et sane si Acta Apostolorum inspiciamus, hic sensus cum historia conuenit: Apostoli enim Christi non statim Hierosolymis discesserunt, seque ad gentes contulerunt: sed diu in Iudæa manserunt, ibique Christo ex Iudæis numerosam Ecclesiam collegerunt, vt Act. 21. v. 20. Paulo dicere potuerint: Vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt. Hi vero omnes respectu magnatum, fuerunt *pauperes & debiles.* Nam etiam Iesaias prædixit cap. 10. vers. 22. Si fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ tantum conuertentur ex eo; Alij vero etiam hanc primam missionem patrisfamilias cœlestis referent ad gentiles, quod nimirum Christus mox, postquam Iudæi seipsos indignos fecere regno Dei, Apostolos suos ablegarit ad gentes. Hoc non pugnat cum rei veritate. Quia tamen hic expresse fit mentio *vicorum & platearum ciuitatis*, necesse erit, vt per hanc primam legationem, qua vocatæ sunt gentes ad cœnam magnam intelligamus illas, quæ vel in vicinia Iudææ vixerunt, vel inter quos Iudæi intermixti habitarunt. Sicuti passim in Actis audimus, quomodo Paulus in gentium regionibus primo Iudæis in Synagogis verbum Dei annunciauit; Postea autem quando Iudæi sese regno Dei indignos fecerunt, se ad gentes conuerterit. Hæ gentes quasi *in vicis & plateis* Iudæorum vixisse videri possunt, quia lex & expectatio Messiæ non penitus fuerunt ipsis ignota ob conuersationem cum Iudæis.

7. Quia vero ex horum aduentu, domus conuiuij non fuit repleta, ideo paterfamilias seruum tertia vice ablegat *ad vias & sepes*, & vult, vt hos, *compellat intrare*. Per hos nullos alios intelligimus, quam remotos gentiles, & barbaros populos ad finem orbis vsque habitantes. Hi vere in viis & post sepes iacuerunt, quia caruerunt legibus, tam diuinis quam humanis, quibus ciuitas aliqua constitui posset. Fuerunt illi, antequam verbum gratiæ illis annūciaretur, incompositis moribus, tanquam illi, qui post sepes habitant. Et quæ ita sunt aperta, nullis muris vel portis munita, illa cuiuis iniuriæ sunt exposita: Sic miseræ quoque gentes mille modis à diabolo fuerunt vexatæ, & sine omni misericordia ad gehennæ exiliū protractæ. De his dicit cœlestis paterfamilias *compelle intrare, vt impleatur domus mea*. Vult cœlestis pater ex singulari gratia, vt nimirum ex barbaris gentibus numerus electorum compleatur. Quid vero est *compellere intrare*? Num homines ad fidem sunt cogendi? Nequaquam; Fides enim non est omniū; sed est donum Dei. Et nisi Deus hanc ex gratia alicui donat, nemo alius ipsum vi ad finem adiget: Dat autem Deus fidem per medium prædicati verbi: Rom. 4. v. 17. Ad auditum ergo verbi homines cogi possunt, vt sæpius illud audientes virtute spiritus sancti ex reluctantibus consentientes, & ex volentibus volentes efficiantur. Quemadmodum ergo nos solemus, si conuiua aliquis neget, se aduenturum alterum famulum mittere, & additis rationibus instantius aduentum vrgere: sic etiam verbi minister & blandiendo & terrendo & promissis & comminationibus instare debet, donec hominem pertinacem vincat. Et hoc est *compelle intrare*. De quo Paulus 2. Tim 4. vers. 2. prędica verbum, insta oportune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Ad compulsionem etiam illam quidam referunt miraculorum operationem, & vitæ in doctoribus integritatem: Neque inepte; Etenim miracula passim gētes permouerūt, (prout in Actis Apostolorum multoties refertur) vt derelicto Idolorum cultu, fidem Christi susceperint, Sic honesta & integra docentium vita fortem stimulum admouet auditoribus, vt & doctrinam attentius audiant, & vitam diligentius imitentur. Hoc compelle intrare si quis nolit admittere, habet Deus grauiores compulsoriales, nimirum crucem & aduersitatem tanquam hamum & frænum, quibus constringit maxillas eorum, quibus non est intellectus, & qui ad Dominum approximare nolunt. Sic Paulus Act. 9. ver. 3 quasi per tonitru prostratus nomen dedit Christo, quod alias minime facturus fuisset. Ex hac compulsione Dei sumunt sibi Pontificij licentiā, duos adhuc cogēdi modos assumere. Vnum Ecclesiasticum, quando pastores, per Ecclesiasticas censuras homines compellunt: Alterum politicum, quando magistratus per carceres, gladios & ignes inobedientes in ordinem cogunt. At hi duo modi nihil faciunt ad præsentem parabolam. Christus hic de eo agit, quomodo homines qui agunt extra Ecclesiam, in eam sint colligendi & compellendi. At Ecclesiasticæ censuræ homines in Ecclesia iam viuentes, sed inordinate viuentes, extra Ecclesiam eiiciunt. Sic Magistratus, qui gladium & ignem ad cogendos homines adhibet, illos non Ecclesiæ lucrifacit, sed ex communi vita exterminat, ita vt iam non supersint, quos compellere possint, vt intrent. Hi igitur modi cogendi nihil ad rem faciunt, licet allegent Augustini autoritatem, qui vel tandem etiam senserit, hæreticos & schismaticos recte ad fidei & corporis Christi vnitatem cogi. Idem tamen Augustinus nunquam probauit, si in hæreticos ad mortem vsque sæuiatu-

uiatur. Aliud tamen est, si pius magistratus blasphemos vel alios in fide turbantes carcere coerceat, aut etiam secundum leges politicas puniat: Neque enim frustra gestat gladium, sed custos est vtriusque tabulæ.

8. Sequitur finalis patrisfamilias decisio: *Dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Hæc verba quidam quasi in Christi persona enunciata essent, accipiunt. Nec in eo magnopere errant: Siquidem Christus, tanquam iudex viuorum & mortuorum, & tanquam is, qui hanc cœnam sanguinis sui pretio parauit, optimo iure pronuntiare potest, quos ad hanc suam cœnam admittere velit, quos nolit. Sed hæc ipsa etiam conuenienter patrifamilias, qui totum negotium hactenus rexit, attribui possunt. Etenim continuatione seruo suo indicat & manifestat suam sententiam, quam de primis inuitatis conceperit. Qua indicatur, Iudæos, qui primi ad regni Dei communionem vocati erant, prorsus destituendos omni vera Dei cognitione, & à gaudiis regni cœlestis penitus excludendos.

Hic est simplex sensus huius parabolæ. At vero in huiusmodi diuinis doctrinis non sufficit verum sensum loci nouisse, sed necesse est, vt nobis etiam applicemus. Et applicatio illa non in genere tantum hæreat, sed ad ipsa indiuidua, vnumquemque hominem transferatur. Sicuti videmus Deum ipsum id fecisse in Decalogo. Ibi Deus ante faciem suam habuit sexcenta millia Israelitarum: & tamen ipsis non in genere dixit: Vos non habetis Deos alienos coram me: sed in indiuiduo: Tu, tu non habebis, &c. Sic nimirum Deus monstrare voluit in omnibus diuinis doctrinis, siue fidem siue mores concernāt, hoc spectandū esse, vt indiuiduis applicentur. Eodem modo in hac parabola non sufficit in genere agnoscere Dei bonitatem, qui cœnam parat, inuitat, vocat: non sufficit nouisse, esse eorum numerum magnum, qui se excusant, cœnam hanc negligunt, ac proinde eam non gustabunt. Sed vnusquisq; apud se consideret, an ipse quoq; in illa Dei bonitate sit inclusus, & quando per seruum vocatur, an ipse quoq; se excuset, aut simpliciter dicat, se non posse venire. Et hac in parte verbi ministri diligentes esse debent, vt alia auditoribus monstrent, ipsisque applicent. Nos iam hic tantum generalia capita tractabimus.

1. Immensa & ineffabilis Dei bonitas nobis hic consideranda proponitur. Deus non opus habuit vlla creatura. Est enim אל שדי Gen. 17. v. 1. est Dominus αὐταρκὴς, sibiipsi ad omnia sufficiēs, rex seculorum immortalis, inuisibilis, solus habēs immortalitatem, & lucem inhabitans inaccessibilem, 1. Tim. 1. v. 17. & 6. v. 16. Vt tamen bonitatem suam aliis notam faceret duas rationabiles creauit creaturas, Vnam angelos, inter quos illi, qui in integritate perstiterunt, sunt in cœlis beati, & faciunt verbum eius; Psal. 103. v. 20. & proinde etiam semper vident faciem patris in cœlis, Matth. 18. v. 10. Alteram homines, qui per peccatum omnes à Deo defecere, & facti sunt inimici & hostes Rom. 5. v. 10. & 8. v. 7. Potuisset ergo Deus facile nobis, qui hostes sumus, & mortui in peccatis, carere seq; sufficienter cum angelis recreare. Sed vt diuitias bonitatis suæ commendaret & ostenderet non ipsius culpa perire, qui pereunt, parat de nouo cœnam, ad quam homines inuitat. Ita ille, qui per se beatus est nobis, hostibus reparat felicitatem. Et vt amplius intelligamus, quanta ipsius sit bonitas, cogitandum, simul, quo cibo hanc cœnam instruxerit in Psa. 50. v. 10. dicit Nonne omnes ferę syluarum sunt meæ, & iumenta in montibus atque boues. Et in Psal. 78. v. 23. Aperuit cœli ianuas, & pluit Israelitis manna ad mãducandum, panem cœli dedit eis, & panem angelorū homo manducauit. Sed ex his Deus nō parauit nobis cœnam; (sicuti stulti Iudæi talem sibi imaginantur ex Behemoth & Leuiathan) Quia enim fames nostra est spiritualis, cœna etiā talis esse debuit, quæ æternum pararet gaudiū & gloriā. Ideo Deus mactauit propriū filium pro mundi peccatis, Ies. 53. v. 10. Non pepercit proprio filio, sed pro nobis omnibus illum tradidit, Rom. 8. v. 32. Huius caro est vere cibus & potus mundi, Ioan. 6. v. 55. Eā nos quotidie fide mãducamus & bibimus, atq; insuper etiā ore haurimus, quoties sacram Domini εὐχαριστίαν accedimus: Nam regnum Dei in scripturis ita proponitur, quod nos natura simus egeni, famelici, qui æterna fame & siti contabescere coguntur: si quis tamē esurit iustitiā & sitit salutem, hoc est: qui agnoscit, se suis viribus non posse consequi salutem, & tamen toto pectore cū hoc cōuiuia gemit? *beatus, qui edet panem in regno Dei*, is veniat ad Euangelium, apprehendat fide Christum crucifixū, & passum is virtute verbi & sacramentorum ipsius cibabitur, & potabitur ad spem vitæ æternæ. Hæc Dei bonitas in nobis desiderium excitare debet fruendi hęc cœna, vt sic cogitemus. Expende iam omnia, quam impense Deus curet tuam salutē, qui tantum impendit, vt pro nobis hostibus mactarit filiū, & eius carne, atque sanguine nos cibet atque potet. Et ego hanc tātam Dei bonitatem non curarem? non desiderarem? Absit ab anima mea hæc labes. Ego nolo me excusare, lubenter veniā & cōparebo; quia hospes meus est Deus, cibus ipse Dei filius: spiritus sanctus ministrat: mēsa in hac vita est Euangeliū gratia, in altera erit gloria. Dauid non passus est se diu multumque rogari, & ad hanc cœnam cogi, ipse vltro se conuiuam obtulit, Psal. 27. v. 4. Vnum petij à Domino, hoc requiram, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ, &c. Psal. 48. v. 11. Melior est vna dies in atriis Domini super millia.

2. *Seruus*, quem Dominus diuersis vicibus emisit, vel vt vocaret inuitatos, vel vt nouos inuitaret, præ se fert Typum fidelis verbi ministri, cuius vnica cura & diligentia esse debet: vt quam plurimos ad cœleste conuiuium inducat. Ideo sedulus sit & indefessus, omnia, quæ Dominus ibi iniunxit, exequatur, neminem vtcunque debilem vel pauperem negligat, vel indignum putet, cuius curam agat: Pro miserrimo enim rustico filius Dei tantundem sanguinis effudit, quantum pro rege aliquo; operam det, vt domus Domini sui ex vndecunque collectis impleatur. Ideo non sit Mercenarius, sed vigilantes oculos auditores suos circumducat, vt attendat, an etiam aliqui excusationes prætendant; & ad cœnam accedere nolint. Si Dominus successum largitur prædicationi eius, cum gratiarum actione eum referat ad Dominum, nec sibi adscribat. Sin homines ad cœnā venire recusent & illud referat ad suū Dominum, per preces & gemitus ipsi conqueratur. Hi gemitus non sunt inefficaces, sed flagella Domini prouocant, quibus Deus tales compellit intrare. Ideo Paulus Heb. 13. v. 17. dicit, si verbi ministri cum gemitu officium faciunt, tum illud auditoribus non expedire, siquidem Dei pœnam prouocet.

3. Excusantium personæ nos monent, ne in consimili peccato deprehēdamur. Quisque enim fere apud se cogitat: Ego hanc cœnam non negligam, sed lubens comparebo, quemodo alias satiabor in omnem æternitatem. Si vero quis vitam & facta singulorum inspiciat, deprehendet, tergiuersantium & excusantium infinitum esse numerum. Nam attende, quomodo Deus nos vocat? Non voce è cœlo: sed *seruum mittit*, hominibus vtitur, & per verbum prædicatum vocat; Sed quia multi sunt pseudoprophetæ, qui negant Dominum, qui ipsos mercatus est. 2. Pet. 2. v. 1. Quænam est vera vox? Christus illud indicat, *venite parata sunt omnia.* Venite, non fugite, vt Adā fecit Gen. 3. v. 8. Et parata sunt omnia, ita vt non opus sit vestris operibus ista mereri. Elegit vos in Christo ante iacta fundamenta mundi, Eph. 1. v. 4. Et parauit non tantum pro nobilibus & magnatibus, si veniunt, sed etiam pro cœcis, claudis & pauperibus. Veniendum autem, hoc est, à peccatis surgēdum, iis valedicēdum, Christus fide amplectendus, & noua vita inchoanda. Epicuræi quoque libenter saluarentur, sed nolunt surgere à peccatis; qui vero in eodem loco manet, in quo est, ille non venit. Et hinc oriuntur innumeræ illæ excusationes apud homines. Transi per decem præcepta, & iuxta illa vulgarem hominum vitam examina, tum excusationes inuenies. In primo pręcepto requirit Deus amorem & fiduciam sui prę omnibus: at quam multi magis amant opiniones phanaticorum, quam verbum Dei? præbendas Pontificiorum; quā improperium Christi? Sed quis ab his ipsos reuocet? Alij quidē se excusant, quod illos libellos libenter legant ob politiorem literaturam, alij quod egestate compulsi eo se conferant; cum alias non habeant, vnde viuant. In secundo præcepto prohibitæ sunt execrationes. Audis quempiam nomē Domini blasphemare, eum reprehendis, mox se excusat, inquiens; Agnosco sane me id non debere facere, sed sic fert mea consuetudo. Negligit quis cōciones, Sacramenta, monetur; sed hic variæ prætenduntur excusationes & occupationes, ob quas quis tum venire non potuerit; veniam alio tempore. In quarto præcepto Deus fide, amore, obseruantia & reuerentia superiores & inferiores erga se inuicem colligit, in Ecclesia, Politia & Oeconomia. Sed semper inueniunt liberi, subditi & auditores excusationes ob quas suis præpositis sint immorigeri. In quinto præcepto prohibet Deus iram & odium, sed bone Deus, quando homines semel sunt offensi, quot prætendunt excusationes, antequam reconcilientur. In sexto prohibetur omnis lasciuia; Sed hic quisque intra cor suum sibi fingit excusationes, sicut etiam Dauid fecit; qui annum integrum in securitate transegit. In septimo furta, rapinæ, vsuræ, & consimiles illiciti contractus prohibentur. Sed quam pauci hos intermittunt? Prætendunt se habere vxorem & liberos, quos alia ratione alere non possint. In octauo obtrectationes & calumniæ prohibentur: sed nihil illis fere vulgarius: excusant se, autem istorum hominum moribus, quod nō alia fama digni sint. Hæ sunt specialiores excusationes. In genere autem quā plurimi amore diuitiarum, solicitudinibus vitæ & voluptatibus carnis detinentur, quo minus Dei cœnam adeant: Quapropter exemplo excusantium moueamur, vt caueamus, ne ad eundem lapidem impingamus.

4. In primis gentes, altera parte huius parabolæ ad grati-

tudinem erga Deum excitari debent. Si enim retro cogitemus qualis maiorum nostrorum vita fuerit ante aliquot secula, bone Deus, quam miseram illam fuisse deprehendemus: In spiritualibus fuerunt sine Christo, alieni à Repub. Israelis, hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo, Eph.2.v.12. In politicis sine ordine, sine legibus, sine politia, incópositis & barbaris moribus. Intueamur saltem Indos Orientales, & videbimus Ideam eorũ, *qui in viis & post sepes* sederunt. Postquam autem Deus misit ad nos seruum suum, & per verbum Euangelij nos ad cœnam suam vocauit, illico omnia ad statum feliciorem efflorueruñt: Nam non tantum vocare iubet Deus suos cõuiuas: sed etiam *introducere*, hoc est, per spiritum sanctum est efficax, trahit ad verbum audientes, eos conuertit & illuminat, vt noui homines fiant. Imò gentes *compellit intrare*, vt sic suam erga ipsos charitatem declaret. Quia enim libenter vellet, vt ipsius essent conuiuæ, & cum ipso in æternum delitiarentur: Ideo nõ tantum beneficiis eos inuitat, sinit solem suum oriri super bonos & malos. Matt.5.v.45. Sed etiã, quando venire renuunt, in manus sumit malleum legis, quo conterit corda duriora: sicque rem eo deducit, vt ipsi cum Dauide dicamus: bonum est mihi Domine, quia humiliasti me, vt discerem iustificationes tuas, Psal.119.v.71. Sola enim vexatio dat intellectum auditui. Iesa.28.ver.19. Quando igitur tales compulsoriales adstant, placide eas excipiamus & agnoscamus hoc modo Deũ æternam nostram salutem procurare. Recte igitur monuit Paulus Rom.15.9. debere gentes honorare Deum super misericordia sua. Vide locum. Vtique Deum honorare debemus non tantum verbis, sed etiam facto atque vita, ne nobis gentibus idem accidat, quod Iudæis, quos Deus reiecit, & nos gentes recepit. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne forte nec tibi parcat. Rom.11.v.21. Exemplum huius rei habemus in florentissimis Ecclesiis, quas Apostoli ipsi Ephesi, Corinthi, Philippis & alibi plantarunt. Diu illæ Ecclesię Arrianismo & inutilibus disputationibus laserunt, donec Mahometismus dominium obtinuit. Romæ quoque non amplius ea habetur fides, quam Paulus ad Romanos commendat. Nos igitur caueamus.

5. Quia & conclusio parabolæ memori mente est retinenda; qua paterfamilias inquit: *Dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* In aliis conuiuiis interdum iactura non magni æstimatur, sic negligantur: siquidem frugi paterfamilias domi pane & caseo contentus esse potest. Sed quod hãc cœlestem cœnam attinet, qui illam negligit, ille esuriet & egebit in omnem æternitatem. 1. in regno gratiæ multi improuisi & subitanei casus accidunt, vt illi, qui multos annos auditum verbi & vsum sacræ cœnæ in templo neglexerunt, in extremis nec consolationem ex verbo, nec sacramenti vsum percipere possint. Alij repentina apoplexia ex humanis eripiuntur, alij in agro vel aquis pereunt, vt sacris priuentur. Et hoc est illud, *non gustabunt cœnam magnam.* Veteres quoque dixerunt: contemtores verbi & sacramentorum, priuantur gratia verbi & Sacramentorum.

Quoties quoque euenire solet, vt qui non necessaria iurgia cum verbi ministris alunt, in extremis nullum ministrum habere possint, vt eius opera vtantur. Omnes prætendunt, Deus est propitius, non adeo seuere hæc puniet. Omnino est propitius, sed tamen te ad cœnam venire iussit. & quidem hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Psal.95.v.8. Et qui spopondit, tibi peccatorum remissionem, idem tamen diem crastinum tibi non spopondit. 2. In regno glorię maior talium erit miseria; quod videmus in diuite epulone, cui iam per sedecim fere secula non datum est, vt gustaret guttam aquæ, Luc.16.v.24. Quid igitur tales gustabunt? flammam ignis ardentis cum pice & sulphure: gustabunt æternam mortem, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur; & erunt abominatio omni carni, Ies.66.vers.vltimo.

CAPVT CXX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS CONCIONEM CHRISTI IN VIA: QVIS IDONEVS sit ipsius discipulus. Luc.14. versic.25.

RATIO ORDINIS.

Hic mihi Christus ex patria discessisse, & in Iudæã transiisse videtur, vt & ibi Ecclesias visitet: Quia enim multæ turbæ iuerunt cum ipso, vtique ipse quoque iuit. Solitæ autẽ sunt turbæ ipsum maiori numero sequi, si quando alicubi ad tempus substitit, & postea nouam migrationem ipsum instituere animaduerterunt. De ordine igitur hic disputare velle, superuacaneum est. Nos simpliciter Lucæ ordinẽ sequimur. Illud vero obiter monere lubet. Quia in superioribus diximus, Christum in hac vltima sua profectione & Ecclesiarum visitatione multas conciones, quas superioribus annis habuerat, repetiisse. Ideo etiam interdum attendere decet, quænam sint illæ doctrinæ, quas repetiit. In præcedenti capite repetiit doctrinam de sabbatho; concionatus est de humilitate aduersus superbiam: in parabola cœnæ rursus docuit abiectionem Iudæorum, & vocationem gentium. In hoc capite rursus proponit, vt omnes illi, qui se sectari volunt, meditatã habeant omnia, quæ vel per crucem, vel per persecutionem ipsis accidere possint.

Discipulus Christi, quibus dotibus præditus esse debeat. Luc 14.

25. Συνεπορεύοντο δὲ αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, καὶ στραφεὶς εἶπε πρὸς αὐτούς,

26. Εἴ τις ἔρχεται πρός με, καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα, καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τὰς ἀδελφάς, ἔτι δὲ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν, οὐ δύναταί μου μαθητὴς εἶναι.

27. Καὶ ὅστις οὐ βαστάζει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἔρχεται ὀπίσω μου, οὐ δύναταί μου εἶναι μαθητής.

28. Τίς γὰρ ἐξ ὑμῶν θέλων πύργον οἰκοδομῆσαι, οὐχὶ πρῶτον καθίσας ψηφίζει τὴν δαπάνην, εἰ ἔχει τὰ πρὸς ἀπαρτισμόν;

29. Ἵνα μήποτε θέντος αὐτοῦ θεμέλιον, καὶ μὴ ἰσχύοντος ἐκτελέσαι, πάντες οἱ θεωροῦντες ἄρξωνται ἐμπαίζειν αὐτῷ.

30. Λέγοντες· ὅτι οὗτος ὁ ἄνθρωπος ἤρξατο οἰκοδομεῖν, καὶ οὐκ ἴσχυσεν ἐκτελέσαι.

31. Ἢ τίς βασιλεὺς πορευόμενος συμβαλεῖν ἑτέρῳ βασιλεῖ εἰς πόλεμον, οὐχὶ καθίσας πρῶτον βουλεύεται, εἰ δυνατός ἐστιν ἐν δέκα χιλιάσιν ἀπαντῆσαι τῷ μετὰ εἴκοσι χιλιάδων ἐρχομένῳ ἐπ' αὐτόν;

25. *Ibant autem turba multa cum eo, & conuersus dixit ad illos:*

26. *Si quis venit ad me, nec odit patrem suum, ac matrem, & vxorem & filios, & fratres & sorores, praterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

27. *Et quisquis non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.*

28. *Quis enim est ex vobis, qui velit turrim adificare, quin prius sedens computet sumtus, an habeat, quibus opus est ad perficiendum?*

29. *Ne postquam posuerit fundamentum, nec potuerit perficere, omnes qui viderint, incipiant illudere ei.*

30. *Dicentes, hic homo cœpit adificare, nec potuit consummare.*

31. *Aut quisquis rex proficiscens, vt committat prælia aduersus alterum regem, nonne sedens prius cogitat, an possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit contra se?*

32. Εἰ δὲ

32. Εἰ δὲ μήγε, ἔτι αὐτοῦ πόῤῥω ὄντος, πρεσβείαν ἀποστείλας ἐρωτᾷ τὰ πρὸς εἰρήνην.

33. Οὕτως οὖν πᾶς ἐξ ὑμῶν, ὃς οὐκ ἀποτάσσεται πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ ὑπάρχουσιν, οὐ δύναταί μου εἶναι μαθητής.

34. Καλὸν τὸ ἅλας, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἀρτυθήσεται;

35. Οὔτε εἰς γῆν οὔτε εἰς κοπρίαν εὔθετόν ἐστιν; ἔξω βάλλουσιν αὐτό. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

32. *Alioquin adhuc illo longe agente, legatione missa, petit ea quæ pacis sunt.*

33. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

34. *Bonus est sal. si vero sal infatuatus fuerit, per quod condietur?*

35. *Neque in terram, neque in sterquilinium vtilis est; foras proiiciunt illum. Qui habet aures ad audiendum audiat.*

Periocha huius concionis.

AD hanc concionem habendam Christo saluatori nostro occasionem præbuit multitudo turbæ, ipsum ex Peræa descendentem comitantis. Hi enim omnes videri volebãt Christi sectatores & discipuli. Audierant enim ipsum propediem Hierosolymam abiturum, vt regnum suum occuparet, cumque omnes hoc regno frui vellent, ipsum sequuntur. Christus autem *conuersus dixit ad illos*, si quis suus discipulus esse velit, non esse rem leuem, nec sufficere si pedibus corporis se sequatur, sed esse rem adeo arduam & difficilem, vt cogatur Christo postponere, quoduis charum, quantumuis magnum, vt cogatur proprios carnales affectus deponere, & crucem Christi portandam suscipere, cogatur renunciare omnibus, quæ possidet, & Euangelico sale conditus ab omni corruptione carnis alienus esse. Et quia Christi discipulum fieri res adeo est ardua, in medio concionis interserit cõmonefactionem duabus parabolis compræhensam, qua singulos monet, vt vires animi sui mature excutiant, vtrum tanto oneri ferendo sint pares: alioquin satius futurum, vt abstineant ab ipsius discipulatu, ne maius damnum & opprobrium reportent. Disputant autem hic quidam de vocula *discipuli*, quæ ter in hoc textu reccurrit, an ea accipienda sit in genere de omnibus Christianis, qui Christi discipuli dici solent, Act. 1. v. 26. An vero in specie, in eo sensu, quo Apostoli & septuaginta discipuli dicuntur. Hinc incipiunt distinguere in his, quæ Christus à discipulis suis requirit, & alia quidem in genere attribuunt omnibus Christianis, alia vero Apostolis, & iis, qui ad ipsorum imitationem perfectioni studere velint. Sed reuera quæ de sua perfectione proferunt, nugæ sunt, & fundamentum in scripturis non habent. Paulus ipse, quem cũ Petro Apostolorum principẽ dicere possumus, de se fatetur, se non esse perfectum, Phil. 3. v. 12. Sed omnia in se esse particularia, 1. Corin. 13. v. 9. Quid ergo nobis de perfectione pollicebimur. Habuerunt Apostoli & septuaginta certum suum officium à reliquorum Christianorum officio distinctum, & ad illud Christus peculiaribus instruxit præceptis, quæ ipsi obseruaretur. Hic agit Christus cum *turba* promiscua, quę ipsum tanquã discipuli magistrũ & auditores Doctorẽ sequebantur, his præscribit, quid ab ipsis & omnibus, qui Christiani dici & haberi velint, requirat.

I. Christus ergo à discipulis suis in hac concione quatuor requirit conditiones, quas ordine videbimus.

1. *Si quis venit ad me, nec odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres & sorores, præterea autem & animam suam, non potest esse meus discipulus.* Hanc conditionem etiam supra proposuit, Matth. 10. v. 37. quam in LXXII. cap. Harmoniæ explicauimus, vnde etiam vberior expositio desumi potest. Tantum hoc interest, quod Christus illic, *qui amat patrem plus quam me*, hic autem dicit: *qui non odit patrem*. Sed sensus eodem recidit: Neque enim putabimus Christum στοργὰς naturales in hominibus extinguere velle, quas & ipse in prima creatione hominibus implantauit, & in proprio corde ad mortem vsque lucere passus est. Nam Ioh. 19. vers. 27. iam iam moriturus ex filiali στοργῇ matrem suam virginem commendauit dilecto discipulo Iohanni: Si ergo coniungantur ambo dicta, hic verus sensus inde resultat, Christum Iesum à suis Christianis sic diligi debere, vt illa dilectio non tantum dilectionem parentum, coniugis, liberorum, & quorumuis Christianorum longe superet; sed etiam si parentes, coniux vel liberi, vel etiam quiuis alij nos in aliquibus à Christi doctrina vel sequela auocare vellent, vt eos non tantum non audiamus, sed ab eis nos segregemus, & propterea odio ipsos prosequamur. Imo si etiam propria *anima*, suis motibus, affectibus & appetitionibus nos à Christi præceptoris monitis & salutari doctrina auertere vellet, eam, vtcunque difficile videtur, odisse debemus: aut vt loquitur Paulus, carnem nostram (ceu acerrimum nostrum hostem) mortificare & crucifigere debemus cum vitiis & concupiscentiis, Galat. 5. versic. 24. Ex his etiam decidi potest illa quæstio; Vtrum magistratui, qui patris loco haberi vult, parendum sit, defectionem à doctrina Euangelij mandanti. Certe talem *odisse*, & ab eo quam longissime recedere debemus. Quisque, cui sua salus cordi curæque est, de mediis legitimis cogitabit, quibus ab istiusmodi magistratu liberetur. Inprimis autem Deus piis precibus assidue solicitandus est, vt pectora nostra, sancti sui spiritus gratia in amore Christi magis magisque crescere faciat, & inordinatos nostros affectus frenet, ne quid amore Christi indignum admittamus. Si quis enim nõ amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit Anathema, Maranatha, 1. Cor. 16. v. 22. Et hæc est prima conditio Christianismi, quæ proh dolor hodie valde rara est.

2. Secunda conditio. *Et quisquis non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Hanc conditionem quoque Christus in superioribus suis proposuit, vtpote Matth. 10. v. 38. Matt. 8. v. 34. & Luc. 9. v. 23. quę etiã cap. LXXII. & LXXXVI. plenius exposita est. Quid igitur facere debet Christianus? *Baiulare crucem suam*. *Crucis* nomine intelligit omnem fortunam, qualemcunque Deus immittit; inprimis vero duriores illas aduersitates, quas nonnunquam Deus permittit ab impiis Euangelij hostibus Christianis obuenire. Vocat autem *suam* crucem, non quam quisque ipse sibi fabricat vel attrahit, sed quam Christus crucis Dominus cuique peculiarem immittit. Hanc quisque βαστάζειν *baiulare* debet. Βαστάζειν interdum Suida teste, significat rem aliquam manu contrectando eius pondus explorare. Talis exploratio in cruce ferenda non facile admittitur: sed debet bonus Christianus vtramque scapulam cruci supponere, & patienter, si non alacriter, portare, quicquid Dominus imposuerit. Habent autem hanc promissionem, quod Dominus sit fidelis, nec patiatur quẽquam tentari supra id, quod ferre potest, sed facit cum tentatione prouentum, vt sustinere possimus, 1. Cor. 10. vers. 13. Itaque vestigiis Christi, qui nos in baiulanda cruce præcessit, insistamus & *veniamus post eum*, hoc est, sicuti ipse nobis exhibuit exemplum obedientiæ, patientiæ, innocentiæ, constantiæ: Sic nos ipsum sequamur. Quid enim prodesset crucem baiulare, si non recte baiules?

3. Tertiam conditionem boni Christiani Christus hoc in loco sane ponit. *Sic omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Hoc arripiunt Pontificij, & illos solos perfectos Christianos esse dicunt, qui omnibus suis facultatibus valedicũt, & in eremum vel monasterium aliquod se conferunt, ibidemque diu noctuque sub certis regulis ab Abbatibus conceptis seruiendo vitã transigunt. Et sane in primitiua Ecclesia persecutiones adeo fuerunt violentæ, vt veri Christiani necessitate coacti possessiones suas reliquerint & ad saluandam vitam suam in deserta se absconderint. Et de huiusmodi casibus Christus hic loquitur. Fere enim inter homines fieri solet, vt quando diuitiæ affluunt, cor apponant. Psal. 62. v. 11. & qui illud faciunt, incidunt simul in tentationes & laqueos Diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem, 1. Tim. 6. v. 9. Vult igitur Christus, vt bonus Christianus, si maxime omnem mundi substantiam possideret, sic tamen affectu illis renunciet, vt sit, quasi non haberet: & potius quam Christi fidem & confessionem deserat, istis omnibus valedicat, & cum superioribus odio prosequatur. Hoc modo Paulus hunc Christi locum explicat, 1. Cor. 7. v. 29. Hoc dico fratres, tempus breue est, reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tãquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur; præterit enim figura huius mundi. Beda quoque distinguit, inter relinquere omnia, & renuntiare omnibus. Relinquere omnia, inquit, paucorũ est: at renũtiare omnibus cunctorum fidelium, vt sic teneant, quæ mundi sunt, vt tamen per ea non teneantur in mundo. Est itaque tertia boni Christiani conditio, vt sic in mundo viuat, ac si nihil eiusdem possideret.

4. Quartam boni Christiani conditionem Christus his verbis cõpræhendit: *Bonus est sal. si vero sal infatuatus fuerit, per quod condietur?* Quod supra Matt. 5. v. 13. Christus Apostolis suis,

de sale accommodauit, ob verbum per ipsos prædicandum, & cap. Harm. LI. pericl. 2. copiose explicatum est, idem nunc omnibus auditoribus & Christianis applicat, propter idem verbum ab ipsis auditum. Verbum enim Dei salis propria habet: qui 1. est iuxta medicorum testimonium, calidæ naturæ: Sic etiam verbum Dei hominum mentes accendit, & amore Dei quasi feruere facit. 2. Sale carnes à corruptione præseruantur: idem præstat verbum Dei in corrupta nostra natura, quæ nullo alio modo, quam per verbum ab æterna corruptione liberatur. 3. Sale cibi condiuntur, vt ex sapore suaui ore nobis commendentur, & à ventriculo facilius concoquantur: Sic verbum Dei nos gratos & acceptos Deo reddit, qui alioquin coram ipso insulsi & insipidi futuri essemus. 4. In Veteri Testamento salis magnus vsus fuit in sacrificiis, vnde etiam Christus Marc. 9. v. 49. dixit: Omnis victima sale salietur; ita omnis cultus Dei, omnia etiam dicta & facta nostra verbo Dei condita esse debent, si Deo grata esse velint.

Hæc propria quilibet etiam Christianus in se habere debet; vt 1. Vero & constanti amore Dei & Christi ardeat, neq; quicquam sibi in hoc mũdo antiquius vel charius esse patiatur, quam vt in omnibus ipsius gloria promoueatur. 2. Corruptas suæ carnis cupiditates continua verbi meditatione reprimat, & si quando vitiosus eius pruritus diuexat, eum inspersо in sale Euangelico in dolorem potius, quam voluptatem conuertat. 3. Operam etiam det, vt non tantum ipse corruptioni carnis valedicat, sed etiam tam sermonibus, quam vitæ exemplo alios condiat, quo & ipsi Deo grati & sapidi reddantur. Sit sermo vester, dicit Paulus Coloss. 4. v. 6. semper in gratia sale conditus, vt sciatis, quomodo oporteat vos vnicuique respondere. 4. Cum primis autem det operam, vt sale verbi diuini saluberrimo conditus, se sistat Deo hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium, Rom. 12. v. 1. Hæc propria si in Christiano concurrant, tum *bonus est sal.* Porro *si infatuatus erit*, si Christianus verbum vitæ, & sinceram Euãgelij doctrinam vel corruperit vel abiecerit, *per quod condietur*? Cum enim solum Dei verbum sit vnicum illud medium & instrumentum, per quod Deus mundum à corruptione reuocat, omnino, qui illud insulsum apud se reddit, ipse quoque insipidus manebit. Quomodo vero sal infatuetur, prædicto loco pluribus explicatum est. Talium vero recidiuam admittentium Christianorum, quis futurus est exitus? *neque in terram, neque in sterquilinium vtilis est, foras proiiciunt illum.* Aliæ res si consumpantur, aliquem tamen habent vsum, ad minimum vt infimum proiectæ agris stercorandis inseruiant. At infatuatus sal nec ad hoc quidem conducit, siquidé agris sterilitatem inducit. Ideo tantum foras proiicitur, & pedibus hominum conculcatur. Sic in nouissimo die non erit miserabilior creatura, quam possit esse Christianus Apostata, apud quem sal Euangelicus infatuatus, ad nihil proderit, quã vt foras extra regnum Dei & futurum nouum mundum proiiciatur in gehennam, in stagnum ardentis ignis, vbi erit fletus & stridor dentium. Hæ sunt quatuor illæ conditiones, quas Christus à bono discipulo & Christiano requirit.

II. In medio autem quatuor harum conditionum interserit Christus commonefactionem, vt quoniam ex his omnes intelligant, quam res ardua sit vere Christianum esse, quia non tepide sed ardenter hoc religionis negotium tractari debeat, prius apud animum suum expendant, an tãtum virium, vt hisce omnibus sufficere possint; si enim hunc statum Christianitatis semel ingrediantur, postea autem eius grauitate absterriti pedem retro vertant, futurum, vt præter grauissimum damnum quod passuri sunt, in summam etiam ignominiam incidant. Commonefactionem autem duobus parabolis vestitam proponit. Vna sumpta est ab ædificantibus, altera à re militari. Hæc humana negotia testatur Dominus ab hominibus summa cura & solicitudine inchoari & perfici; quanto magis necesse est, vt in suscipienda Professione Euangelica consimilem aut etiam maiorem solicitudinem adhibeant.

I. Ædificaturus turrim, nisi desipiat, non temere aggreditur, quod cogitat; sed prius domi sedens computat, quantis sumptibus ædificium tale perficere possit, & omnes suos loculos excutit, quærens an tantam vim pecuniæ domi habeat, quanta ad rem illam conficiendam requiritur. Si deprehenderit rem suam familiarem tantos sumtus nequaquam ferre posse, tum ad ædificando abstinet, ne semel fundamento iacto, & aliquo vsque ædificio extructo postea demum abstineat, & sumtus suos perdat, & omnium risui se exponat. 2. Sic rex cum alio rege bellum initurus prius regni sui vires explorat, & considerat vtrum imperium eius sustinere queat. Et si intellexerit vires suas ad conflictum esse impares, modis omnibus pacem quærit, & tractat, ne si in conflictu succumbat, grauius damnum ferat, & in opprobrium hominum incurrat. Sic vult dicere Christus turbæ se sequenti, vos multo magis expendere debetis robur animi vestri, an hisce, quæ modo dixi, pares esse possitis, antequam vos meos discipulos esse & velle profiteamini: Nam si suscepta mea professione à cœpto postea resilueritis, apud Deum & angelos in grauiorem ignominiam incurretis, & in maius salutis vestræ damnũ incidetis. Hoc D. Petrus in epistola sua his verbis enunciat. 2. ep. 2. v. 20. Si refugientes coinquinationem mũdi in cognitione Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eius posteriora deteriora prioribus: Melius est enim illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod ipsis tradiũ est sancto præcepto: Nimirum contingit ipsis: canis ad vomitum, & sus ad volutabrum. Hic est verus scopus harum duarum parabolarum.

Admonent tamen hæ parabolæ etiam de aliis. Primo nimirum de eo, quod Paulus dicit 1. Cor. 3. v. 9. Vos ædificatio Dei estis.

Quisque igitur Christianus Deo ædificium extruere debet, illudque non vulgare, sed vel *turrim*, vt Christus hic loquitur, vel templum, vt loquitur Paulus 1. Cor. 3. vers. 16. ex quo quisque in cœlum conscendere possit.

In hoc ædificio extruendo quisque duo potissimum spectet. 1. Vt fundamentum huius ædificij sit firmum & solidum. Nisi enim templorum & inprimis turrium fundamenta sint firmissime iacta, in tempestate violentiore facile fieri potest, vt ædificium subsidat & corruat, Matt. 7. v. 27. Fundamentum autem huius spiritualis turris vnicum & solidissimum est Christus Iesus. Hinc Paulus 1. Cor. 3. versic. 11. Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id, quod positum est: quod est Christus Iesus. De hoc fundamento dicit dominus apud Esaiam 28. vers. 16. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, qui crediderit in eum, non confundetur. Hoc dictum Apostolus de Christo interpretatur. 1. Pet. 2. v. 6. Hoc fundamentum, qui in corde suo iacit & retinet, is secum habet petram salutis, aduersus quam ne inferorum quidem portæ præualebunt. Matt. 16. v. 18.

2. Quisquis viderit, quid super hoc fundamentum ædificare velit. Si ligna, fœnum, stipulam superstruxerit, *hoc opus* non durabit, sed detrimentum patietur. Itaque *sedens computet sumptus, an habeat, quibus opus est ad perficiendum*: an possit superstruere, aurum argentum, lapides pretiosos. Viderit an habeat gemmeam fidem, auream charitatem, argenteam simplicitatem, marmoream spem & fortitudinem, cum reliquo choro virtutum Christianarum. His si instructus sit, tum poterit turrim suam exornare, vt & Deo gratum & coram hominibus splendidum sit ædificium. At vero, quia natura sumus egeni, & omnium rerum indigi, qui ex nobis tanquam ex nobis nihil boni cogitare possumus. 2. Cor. 3. ver. 5. vnde istas impensas, quibus turris exornari & absolui possit, sumemus? Vnde? nisi à Deo, à quo omne donum perfectum, & omne datum optimum. Iac. 1. v. 17. Hic spiritum suum bonum dabit omnibus petentibus se. Luc. 11. v. 13. Ex quo spiritu omnes illæ virtutes promanant, quibus ædificium illud exornari potest, & cum ipso fundamento conueniunt. Spiritus enim sanctus vt cum Christo vnus est: ita etiam ipsius membris Christianis diuidit mensuram fidei & donorum, prout cuique necessarium est ad salutem.

Altera parabola admonet nos de militia hominis Christiani. Vere quidem Iobus pronunciat cap. 7. vers. 1. de cuiusuis hominis vita, quod sit militia super terram: Sed de Christianis hoc vel maxime verum est. Hi enim statim, quãprimum in Baptismo Christo nomen suum professi sunt, abrenunciarunt Diabolo, & omnibus ipsius operibus & pompis. Hinc ergo Diabolum hostem habent *iurratum*, quamdiu Christiani dici & haberi volunt. Quam potens autem hic noster hostis sit Christus ipse & scriptura id nobis indicant, quando eum vocant fortem armatum. Luc. 11. vers. 21. Deum huius seculi, 2. Cor. 4. vers. 4. & κοσμοκράτορα. Eph. 6. versic. 12. Quam crudelis sit, id infinita exempla cædium, incendiorum, vastationum, excidiorum & finalium desperationum ostendunt. Hinc nostro hosti subsidij loco venit Mundus, qui in ipsius castris militat, & totus in maligno positus est. Hic pollicitationibus & comminationibus, adeoque prauorum exemplorum & voluptatum illecebris nos rursus à Christo Imperatore nostro abducere conatur, & illud vnum agit, vt Diabolo suo principi rursus manus demus. In hoc vero formidabile bello illud vel maxime formidandum est, quod propria nostra caro huic nostro hosti arma contra nos ipsos suppeditat, ex naturali sua vitiositate, intellectu corrupto, praua voluntate, cupiditatibus & desideriis vitiosis. Hæc faciunt, vt quidam vel inuiti hoc prælio contra istum hostem retrocedant. Nam vere ipse *cum viginti millibus contra nos venit*, cũ nos vix

nos vix *decem millibus ipsi occurrere* possimus. Siquidem vitiorum nos impugnātium magnus est numerus: qui vero pro nobis militant, illorum pauci sunt. Est ergo Christianorum status per se valde durus, difficilis & periculosus, qua de causa Christus hic mature monet, vt quisque consideret, an duram hanc prouinciam secum suscipere velit. Christus quidem neminem ad se venientem reiicit: nemini tamen etiam supplex fit, sed in primo statim ingressu cuiuis indicat, quid apud se sperare & expectare debeat: in hac quidem vita militiam, in altera vero præmium & coronam. Hanc qui obtinere desiderat, in hac vita animose ad mortem vsque pugnet. Esto fidelis, dicit Christus Apoc 2. vers. 10. vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Miles autem in pugnam abiturus indiget armis, sic quiuis Christianus armis spiritualibus contra hostes suos se instruere debet. Arma autem militiæ nostræ à D. Paulo diligenter describuntur. Eph 6. v. 14. State Succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite: & gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu. Hæc armatura alibi plenius explicatur, & desumitur ex armamentario imperatoris nostri Christi, absque quo nihil possumus: sed si ipse nos confortet, in eo possumus omnia. Phil. 4. versicul. 13. Tantum hoc obseruemus in hac militia, quo à proposita parabola discedimus: vt, quandoquidem hic hostis nunquam nobis honestas pacis conditiones proponit, nos etiam nunquam cum ipso paciscamur, nec vllam pacem vel otium ab ipso expectemus, quamdiu mortalem hanc vitam in his terris degimus. Ac proinde satius est, (sicuti Christus in hac concione nos docuit) vt in his terris amittamus parentes, coniugem, liberos, fratres, sorores, amicos, omnem nostram substantiam atque denique vitam ipsam: quam vt cum hoste transigamus. Is enim pacis conditiones mille mortibus duriores nobis proponit: nimirum vult, vt à Christo Saluatore nostro deficiamus. Hoc qui vel facit vel facere vult, ei, vt Christus inquit, satius foret, vt dum hostis *adhuc longe agit, mittat legationem, & pacem petat*: imo satius ipsi esset, nunquam ex satanæ regno exiisse. Talium enim damnatio, vt supra indicatum est, erit intolerabilior.

Hanc suam concionem Dominus concludit Epiphonemate illo, quo solet res maximi momenti, & quæ singulari obseruatione dignæ sunt, auditoribus suis commendare, easque non tantum ad attentionem, sed etiam vt memori mente dicta seruent, excitare solet. *qui habet aures ad audiendum, audiat.* Etsi autem Christus *aurium* tantum mentionem facit, cū omnes totius animæ vires sint intendendæ, vt homo Christianus in suo statu ad finem vsque perseueret, atque sic æternam salutem reportet: tamen illas omnes intellectas vult. Aures enim quasi ostium animæ sunt, per quas mens & intellectus percipiunt, quid ad ipsarum salutem vel interitum faciat. Quapropter vult Christus, vt cui *data sunt aures* quibus possit & attendere; quid ipsi dicatur, & illud intellectui renunciare ad expendendum & intelligendum, vt is *audiat*, hoc est, attendat, attendendo expendat, expendendo intelligat & intelligendo in vsum transferat.

CAPVT CXXI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS PARABOLAS DE OVE, DRACHMA ET FILIO perdititis. Luc. 15. versic. 1.

RATIO ORDINIS.

HOc decimumquintum caput Lucæ, quod eodem ordine tractabimus, quo inuenimus, quasi gemma lucidissima eminet inter conciones postremæ profectionis Christi: Tractat enim doctrinam de pœnitentia, & Articulum Iustificationis, tribus parabolis pulcherrimis; quarum primam etiā Mat. 18. v. 12. notarat. Nos eas breui expositione percurremus.

Parabolæ de Oue amissa, perdita drachma & filio Acolasto. Luc. 15.

1. Ἦσαν δὲ ἐγγίζοντες αὐτῷ πάντες οἱ τελῶναι καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ ἀκούειν αὐτοῦ.	1. *Accedebant autem ad eum omnes publicani & peccatores, vt audirent illum.*
2. Καὶ διεγόγγυζον οἱ φαρισαῖοι καὶ οἱ γραμματεῖς, λέγοντες, ὅτι οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται, καὶ συνεσθίει αὐτοῖς.	2. *Et murmurabant Pharisæi ac scribæ, dicentes, Hic peccatores recipit, ac cibum capit cum illis.*
3. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν ταύτην, λέγων.	3. *Dicebat autem ad illos parabolam hanc, dicens.*
4. Τίς ἄνθρωπος ἐξ ὑμῶν ἔχων ἑκατὸν πρόβατα, καὶ ἀπολέσας ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ καταλείπει τὰ ἐννενήκοντα ἐννέα ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ πορεύεται ἐπὶ τὸ ἀπολωλὸς, ἕως εὕρῃ αὐτό;	4. *Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne relinquit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam?*
5. Καὶ εὑρὼν ἐπιτίθησιν ἐπὶ τοὺς ὤμους ἑαυτοῦ χαίρων.	5. *Et cum inuenerit eam imponit in humeros suos gaudens:*
6. Καὶ ἐλθὼν εἰς οἶκον, συγκαλεῖ τοὺς φίλους καὶ τοὺς γείτονας, λέγων αὐτοῖς συγχαίρετέ μοι. ὅτι εὗρον τὸ πρόβατόν μου τὸ ἀπολωλός.	6. *Veniensque domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Gaudete mecum, quia inueni ouem meam, quæ perierat.*
7. Λέγω ὑμῖν, ὅτι οὕτω χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐννενήκοντα ἐννέα δικαίοις, οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας.	7. *Dico vobis quod ita gaudiū erit in cœlo super vno peccatore resipiscente magis quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.*
8. Ἢ τίς γυνὴ δραχμὰς ἔχουσα δέκα; ἐὰν ἀπολέσῃ δραχμὴν μίαν, οὐχὶ ἅπτει λύχνον, καὶ σαροῖ τὴν οἰκίαν, καὶ ζητεῖ ἐπιμελῶς, ἕως ὅπου εὕρῃ;	8. *Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, non accedit lucernam, & verrit domum, quæritque diligenter donec inueniat?*
9. Καὶ εὑροῦσα συγκαλεῖται τὰς φίλας καὶ τὰς γείτονας, λέγουσα, συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον τὴν δραχμὴν, ἣν ἀπώλεσα.	9. *Et cum inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Gaudete mecum, quia inueni drachmam, quam perdideram.*
10. Οὕτω λέγω ὑμῖν· χαρὰ γίνεται ἐνώπιον τῶν ἀγγέ-	10. *Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei su-*

λων τοῦ θεοῦ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι.

11. Εἶπεν δὲ, ἄνθρωπός τις εἶχε δύο υἱούς,

12. Καὶ εἶπεν ὁ νεώτερος αὐτῶν τῷ πατρί· πάτερ, δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας. καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον,

13. Καὶ μετ᾽ οὐ πολλὰς ἡμέρας συναγαγὼν ἅπαντα ὁ νεώτερος υἱὸς, ἀπεδήμησεν εἰς χώραν μακρὰν, καὶ ἐκεῖ διεσκόρπισε τὴν οὐσίαν αὐτοῦ ζῶν ἀσώτως,

14. Δαπανήσαντος δὲ αὐτοῦ πάντα, ἐγένετο λιμὸς ἰσχυρὸς κατὰ τὴν χώραν ἐκείνην καὶ αὐτὸς ἤρξατο ὑστερεῖσθαι,

15. Καὶ πορευθεὶς ἐκολλήθη ἑνὶ τῶν πολιτῶν τῆς χώρας ἐκείνης, καὶ ἔπεμψεν αὐτὸν εἰς τοὺς ἀγροὺς αὐτοῦ βόσκειν χοίρους.

16. Καὶ ἐπεθύμει γεμίσαι τὴν κοιλίαν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι, καὶ οὐδεὶς ἐδίδου αὐτῷ.

17. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε. πόσοι μίσθιοι τοῦ πατρός μου περισσεύουσιν ἄρτων, ἐγὼ δὲ λιμῷ ἀπόλλυμαι.

18. Ἀναστὰς πορεύσομαι πρὸς τὸν πατέρα μου, καὶ ἐρῶ αὐτῷ, πάτερ, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐνώπιόν σου,

19. Καὶ οὐκ ἔτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου, ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου.

20. Καὶ ἀναστὰς ἦλθε πρὸς τὸν πατέρα ἑαυτοῦ. ἔτι δὲ αὐτοῦ μακρὰν ἀπέχοντος, εἶδεν αὐτὸν ὁ πατὴρ αὐτοῦ καὶ ἐσπλαγχνίσθη, καὶ δραμὼν ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν.

21. Εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ υἱὸς, πάτερ ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐνώπιόν σου, καὶ οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου.

22. Εἶπε δὲ ὁ πατὴρ πρὸς τοὺς δούλους αὐτοῦ, ἐξενέγκατε τὴν στολὴν τὴν πρώτην, καὶ ἐνδύσατε αὐτὸν, καὶ δότε δακτύλιον εἰς τὴν χεῖρα αὐτοῦ, καὶ ὑποδήματα εἰς τοὺς πόδας.

23. Καὶ ἐνέγκαντες τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν, θύσατε, καὶ φαγόντες εὐφρανθῶμεν.

24. Ὅτι οὗτος ὁ υἱός μου νεκρὸς ἦν, καὶ ἀνέζησε, καὶ ἀπολωλὼς ἦν, καὶ εὑρέθη. καὶ ἤρξαντο εὐφραίνεσθαι.

25. Ἦν δὲ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ὁ πρεσβύτερος ἐν ἀγρῷ, καὶ ὡς ἐρχόμενος ἤγγισε τῇ οἰκίᾳ, ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν.

26. Καὶ προσκαλεσάμενος ἕνα τῶν παίδων αὐτοῦ, ἐπυνθάνετο, τί εἴη ταῦτα.

27. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, ὅτι ὁ ἀδελφός σου ἥκει, καὶ ἔθυσεν ὁ πατήρ σου τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν, ὅτι ὑγιαίνοντα αὐτὸν ἀπέλαβεν.

28. Ὠργίσθη δὲ, καὶ οὐκ ἤθελεν εἰσελθεῖν. ὁ οὖν πατὴρ αὐτοῦ ἐξελθὼν, παρεκάλει αὐτόν.

29. Ὁ καὶ ἀποκριθεὶς, εἶπε τῷ πατρὶ, ἰδοὺ, τοσαῦτα ἔτη δουλεύω σοι, καὶ οὐδέποτε ἐντολήν σου παρῆλθον, καὶ ἐμοὶ οὐδέποτε ἔδωκας ἔριφον, ἵνα μετὰ τῶν φίλων μου εὐφρανθῶ.

30. Ὅτε δὲ ὁ υἱός σου οὗτος, ὁ καταφαγών σου τὸν βίον μετὰ πορνῶν ἦλθεν, ἔθυσας αὐτῷ τὸν μόσχον τὸν σιτευτόν.

31. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, τέκνον, σὺ πάντοτε μετ᾽ ἐμοῦ εἶ, καὶ πάντα τὰ ἐμὰ σά ἐστιν.

32. Εὐφρανθῆναι δὲ καὶ χαρῆναι ἔδει, ὅτι ὁ ἀδελφός σου οὗτος νεκρὸς ἦν, καὶ ἀνέζησε, καὶ ἀπολωλὼς ἦν, καὶ εὑρέθη.

per vno peccatore resipiscente.

11. *Ait autem, Homo quidam habuit duos filios,*

12. *Et dixit adolescentior illorum patri, Pater da mihi portionem substantiæ quæ ad me redit. Et diuisit illis substantiam.*

13. *Ac post dies non multos, cum omnia contraxisset adolescentior filius, peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.*

14. *Postquam omnia consumsisset, facta est fames valida in regione illa. Et ipse cœpit egere.*

15. *Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius, atque is misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.*

16. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quibus porci vescebantur, neque quisquam illi dabat.*

17. *In se autem reuersus dixit, Quot mercenarij patris mei abundant panibus: ego vero fame pereo.*

18. *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei Pater, peccaui in cœlum & coram te.*

19. *Et non amplius sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis.*

20. *Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe abesset, vidit illum pater ipsius & misericordia motus est, & accurrens ruit in collum eius, & osculatus est eum.*

21. *Dixitque ei filius, Pater, peccaui in cœlum & coram te, neque posthac sum dignus vocari filius tuus.*

22. *Dixit autem pater ad seruos suos, proferte stolam primam, & induite illum, date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes.*

23. *Et adducentes vitulum illum saginatum, mactate, sumtisque epulis lætemur.*

24. *Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit. Perierat & inuentus est. Et cœperunt lætari.*

25. *Erat autem filius eius senior in agro, & cum veniret, & appropinquasset domui, audiuit concentum & choros.*

26. *Et vocauit vnumè seruis suis, & interrogauit, quid essent illa.*

27. *At is dixit illi, Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum illum saginatum, quod incolumen illum receperit.*

28. *Indignatus est autem, nec volebat introire. Pater ergo illius egressus, rogabat illum.*

29. *At ille respondens, dixit patri, Ecce tot annos seruio tibi, nec vnquam præceptum tuum transgressus sum, nec vnquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis lætarer.*

30. *Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam tuam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum illum saginatum.*

31. *At ille dixit ei, fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.*

32. *Lætari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit. Et perierat & inuentus est.*

Periocha harum Parabolarum.

Omnes synceri Ecclesiæ Doctores in eo consentiunt quod & articulus Iustificationis inter reliquos omnes sit facile præcipuus, quo incorrupto existente non facile reliquum doctrinæ Christianæ systema corrumpatur, & quod idem Articulus nullibi in scriptura tanta simplicitate, perspicuitate & consolationis efficacia tractetur, quam in hoc 15. cap. Lucæ. Ita vt quo diligentius expendatur, eo etiam magis placeat. Sunt quidem sententiæ hæ etiam admodum eximiæ &

miæ & consolatione plenæ. Ezech.18.versic.23. Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Matth.11.versi.28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Gal.2.versic.20. Quod nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. 1.Tim.1.versic.15. Fidus sermo, & omni acceptione dignus; quod Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere. Sed longe iucundius totum negocium hic depingitur, quomodo nos quotidie à Deo deficimus, alij ex simplicitate, alij ex ignorantia, alij ex petulantia? Vnde in mille pericula luporum, famis & interitus incidimus: quomodo Deus nos rursus quærat & ad pœnitentiam adigat, & quando reuertimur. quam paterne Deus nos suscipiat: reuersi vero caueamus, ne recidiuam patiamur, sed in vitæ nouitate ambulemus. Hæc omnia pingit Christus in simili pastoris, matrisfamilias & patris: vt si quando pastorem ouem perditam quærentem videmus: si quando ipsi aliquid amisimus, & magna intentione quærimus, singuli cogitent, talem affectum etiam Deus habet erga me. Et quia articulus est difficilis, cui ægre firmum assensum præbemus, proponit tres parabolas, vt sic ex verbo Dei, ex rerum natura, & ex communi vita commonefiamus. Licet autem eadem sit sententia omnium trium; quælibet tamen aliquod peculiare habet, vna infirmitatis, altera ignorantiæ, tertia petulantiæ, vt audiemus. Præmittit autem Euangelista occasionem, quæ Christum ad dicendas hasce parabolas permouit. Ea hæc fuit: *Appropinquabant ad Iesum publicani & peccatores, propter hoc murmurabant Pharisæi & scribæ.* Quinam *publicani & peccatores* apud Iudæos fuerint, iam aliquoties in harmonia Cap. XVI. cap. LVII. & LXVI. expositum est. *Publicani* fuerunt illi, qui populi Romani vectigalia, Iudæis inuitis iure belli imposita, ipsorum nomine publice tractarunt, vnde reliquis Iudæis, inprimis autem Pharisæis, tanquam hostes patriæ libertatis summe exosi fuerunt. *Peccatores* nominati fuerunt illi, qui publico aliquo scelere noti & celebres erant: quales sunt scortatores, scorta publica, errones, otiosi & ceremoniarum Iudaicarum corruptores. Et hi *appropinquarunt ad Iesum, vt audirent ipsum*, hoc est, vt salutarem institutionem, consolationem & conscientiæ pacem apud ipsum inuenirent. Etenim ex Baptistæ concionibus didicerant, securim iam ad radicem arboris positam esse, vt si quæ arbor non fructum bonum faceret, excinderetur & in ignem abijceretur. Audiuerant etiam hunc Iesum omnibus laborantibus & oneratis dixisse, vt ad se venirent, seipsos refocillaturum. Audiuerant denique eundem Iesum nuper in Petrea dixisse, si qui vocati non veniant, eos cœlestem cœnam in æternum non gustaturos. Hisce ergo ipsi moti accedunt eum, non hoc fine, vt in peccatis suis perseuerent, sed vt ipsum de pœnitentia & peccatorum remissione concionantem audiant. Ea enim fuit dulcedo & efficacia sermonis Christi, vt etiam eos, qui vitiis & rebus huius seculi penitus addicti erant ad se discendi causa traheret. Fuit enim ille doctor, cui Dominus dedit linguam eruditam, vt sciret verbo sustentare eum, qui lassus erat. Esa.50.vers.4. Debuissent itaque Scribæ & Pharisæi hisce peccatoribus congratulari, eo quod resipiscere vellent, Christi autem bonitatem collaudare, quod neminem fastidiret, sed facile omnes admitteret. Verum quia inuidia cor ipsorum occuparat, vt nihil non in Iesu carperent & reprehenderent, ideo etiam hic *murmurarunt*, primum apud se illud Christi factum indigne ferentes, deinde etiam turbis obstrepentes, illisque dicentes, *hic peccatores recipit & cibum capit cum illis.* Particula *cum his* cum singulari emphasi posita videtur. q.d. Magnificus ille doctor tantus vir, qui singularem quandam Sanctimoniam profitetur, vt publice pro Messia haberi velit: hic tamen non vitat malorum consortia, sed nunc deploratissimis se commiscet, notos & infames peccatores non tantum ad familiaria colloquia admittit, sed etiam mensa & cibo dignatur, vt videatur eos tanquam domesticos amplecti. Quid eo ipso aliud facit, nisi quod se his similem prodit? Noscitur enim ex comite, qui non cognoscitur ex se. Antequam progredimur, hic prius considerandum est, quomodo & quales peccatores huius Mundi Seruator recipiat. Illud enim extra controuersiam est, quod licet omnia Dei beneficia sint immensa & ineffabilia: vix tamen aliud maius est, quam quod miseros peccatores rursus in gratiam recipit. Sed magnitudinem eius nemo agnoscit, nisi qui perpendit, quantum malum sit peccatum, quod nos tantum à Deo, summo bono, segregat, Esa.59.vers.2. Sed etiam Diaboli & Mortis tyrannidi, adeoque infernalibus cruciatibus subijcit. Vnde sæpenumero, quando peccatum & conscientia euigilant, ad laqueum & gladium recurrunt, ignominiosissimam mortem tolerabiliorem statuentes, quam morsus illos conscientiæ. Tali ergo conscientia, quid iucundius dici potest, quam illud ex Ezechiele: Deus iurat per vitam suam se nolle tuam mortem, sed vt conuertaris & viuas. Aut ex hisce parabolis: quod Deus ipse quærat peccatores, conuersis occurrat, & angelos ad lætitiam propter ipsorum conuersionem excitet. Sed hic attendenda est ingenij humani prauitas erga immensam hanc Dei bonitatem. Sunt enim omnes homines peccatores: ac proinde omnes debebant gratis manibus hanc bonitatem suscipere atque sibi applicare. Sed inueniuntur hi peccatores in triplici differentia. 1. Sunt aliqui ἄθεοι & securi, qui de suo peccato nihil sunt soliciti: imo si ab aliis moneatur, oggannuint & dicunt, an non nouisti, quid Christus in parabola dicat: *Maius erit gaudium in cœlo super vno peccatore resipiscente, quam super nonaginta nouem iustis.* Ergo maneamus in peccatis, pergamus, imo fiamus deteriores sic enim etiam gaudium in cœlestis multiplicabitur. Hoc nimirum modo mundus aurea hac doctrina abutitur, & tanquam porci, nobiles huiusmodi Margaritas pedibus conculcat. Matth.7.v.6. 2. Sunt aliqui peccatores hypocritæ, qui toti coram Deo scatent peccatis, sed ipsi nulla agnoscunt & contra scripturam apud seipsos dicunt: mundum est cor meum, purus sum à peccatis. Prou.20.vers.9. Ideo non indigent Mediatore vel Messia, quin potius indigne ferunt, quando docetur, peccata resipiscentibus & credentibus gratis remitti à Deo propter Messiæ satisfactionem. Tales *murmurant* sicut Pharisæi, qui putant se esse sanctos, atque propterea Christum cum ipsis, non cum publicanis & peccatoribus conuersari debere. Obijciunt Deo cum seniore filio. vers.29. *Ecce tot annos seruio tibi, nec vnquam preceptum tuum transgressus sum, nec vnquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis lætarer.* Tales iustitiarij non appropinquant ad Christum, neque etiam gratiæ Dei participes fiunt. 3. Denique sunt peccatores quidam resipiscentes, qui cor suum scrutantes agnoscunt sua peccata, fatentur & deplorant. Hi ad Christum peccati extirpatorem confugiunt, & ab eo etiam blande suscipiuntur. Nam omnem venientem ad ipsum non reiicit. Ioan.6.versic.37. Hos etiam in hisce parabolis contra Pharisæos tuetur. Pharisæi enim publicanos & peccatores dudum excommunicarant, non cum ipsis manducabant, nec ab illis tangi volebant. Luc.7.versic. 39. Imo Diabolo tradiderant. Christus autem docuit omnes peccatores resipiscentes saluari posse. Hoc postquam audiunt, lætantur, ac proinde ad Iesum confluunt, vt discant, quomodo saluari possent. Christus videns bonum hoc ipsorum propositum, licet non erat plena conuersio, sed tantum eius initium, tamen non reiicit sed recipit & porro instruit, quomodo ad plenam pœnitentiam peruenire possint. Ideo in parabolis bis loquitur non simpliciter de peccatoribus sed de *peccatore resipiscente.* Et quando audiemus Deum diligere mundum non sic accipiamus, quasi Deus probet peccata; aut quando audimus, quod Christus quærat peccatores, non intelligamus, quasi nos in securitate confirmare velit: sed quod omnes ad pœnitentiam inuitet, vt ad se veniant, quo salui fiant, caueant ergo omnes ne hac bonitate Dei abutantur, sed inueniri, se patiantur. Alias multæ oues in deserto à Lupo diripiuntur: multæ drachmæ in quisquiliis pereunt: multi Acolasti in patibulo exaltantur, si non reuertantur.

Christus vt factum suum aduersus Pharisæorum maledicentiam amplius tueretur, & inflatam ipsorum atque vanam sanctitatem redargueret, tres proponit parabolas ex diuersis quidem materiis sumtas, sed ad vnum scopum tendentes, qui hic est: Neminem debere mirari, multo minus murmurare, quod peccatores admittat, & cum iis familiarius conuersetur. Idem enim sibi quo ad peccatores accidere, quod in communi vita singulis hominibus accidere soleat. Quisnam pastor non lætatur, & alios ad congaudendum non inuitat, vbi ouem perditam reperit? Quænam materfamilias non gaudet, & vicinos ad congaudendum non inuitat, quæ drachmam amissam rursus inuenit? Et denique quis bonus pater non toto pectore exhilaretur, si filius, quem totum periisse putarat, ad meliorem frugem se conuertat & redeat? Sic sciatis mei officij esse vt errantes homines in viam reuocem, & electorum numero intra Ecclesiam rursus associem. Cumque hi publicani & peccatores hactenus satis diu à via salutis aberrarint, nunc autem me accedant, vt eam addiscant, vtque ego eorum pedes dirigam in viam pacis. Luc.1.versic. 79. Cur non ex animo lætarer & simul alios ad congaudendum inuitarem? Et sane scio in cœlis coram Deo & Angelis gaudium esse. Vos vero Pharisæi & scribæ, quia non gaudetis sed murmuratis, quæso expendite ipsi cuius spiritus filij sitis, & an Angelicam an vero fanaticam naturam potius referatis? Hic est generalis sensus omnium trium harum parabolarum: Quia vero vnaquæuis earum peculiare quid continet, ideo singulas seorsim exponemus.

Parabola amissæ ouis.

PRima parabola, quam Christus etiam Matth.18.versi.12. adduxit,& in XCII. Cap. Harm. inuenitur, videtur mysterium redemptionis suo modo nobis ob oculos ponere. Quomodo Christus bonus & fidelis Pastor miserum & perditum humanum genus in eremo huius mundi quæsiuerit, inuentum humeris suis imposuerit, atque ad ouile Ecclesiæ reportarit. Omnes ergo Patres fere vno ore hanc parabolam sic explicant, quod filius Dei sit pastor ille, qui **nonaginta nouem oues**, hoc est nouem Angelorum choros in cœlo, ***in deserto reliquerit***, & in terram venerit, quæ siturus humanam naturam, quæ perierat. Et asserunt **oues** dici tam Angelos quam homines ob simplicitatem, in qua creati sunt. Et hos Angelos à filio Dei quasi relinqui; quia semen Abrahæ & non Angelos assumpserit. Hebr 2 vers.16. Per ***desertum*** autem intelligendum cœlum & paradisum. Quia quemadmodum ouis in deserto pascua abundantissima inuenit, in vrbe vero macellum est, vbi vitam amittit: ita homo in cœlis habuit satietatem & quietem integram, in mundo autem inuenit afflictiones. Quemadmodum autem ouis facillime aberrat à reliquis, si parumper pascuorum causa remaneat. Nam alias oues gregatim & simul gradiuntur. Sed quoties videmus aliquam, dum viridem ramum de arbore depascit, cæteris vlterius progredientibus, aliquantisper remanere, sicque à reliquis aberrare. Eodem modo primus noster parens Adamus, dum de arbore vita fructum viridem decerpsit, & comedit, à recta via aberrauit. Et adhuc hodie idem omnibus errantibus & peccantibus accidit. Quid enim fere est, ob quod maior pars hominum perit, quam exigua particula herbæ viridis, quæ tamen mox marcescit. Porro inter ouem errantem & aliam rem amissam hoc interest quod aliæ res in eo loco, in quo amissæ sunt, inueniuntur, sed ouis errans non manet in eodem loco, in quo relicta est, sed immittit se in nemora atque identidem magis magisque perit. Ita homo nō quiescit, postquam vnum peccatum commisit, sed in alia atque alia sese immergere solet. Exemplo sit Adamus noster statim post suum lapsum. Denique ouis amissa, quando lupo obiicitur, non habet dentes, nec vngues, nec cornua, quibus se tueri valeat. Sic peccator, postquam gratiam Dei amisit, nulla amplius habet arma, quibus se contra Diaboli tetertimi hostis violentiam liberare possit.

Hanc Patrum expositionem non decet cauillari & sugillare, licet Christus in sua applicatione ostendat, se hominem peccatorem non cum Angelis, sed cum aliis hominibus, intra septa Ecclesiæ manentibus, nec notoriis peccatis seipsos polluentibus conferre. Est enim hæc expositio ἀνάλογος fidei, concordat cum tota scriptura, & mysterium redemptionis illustra. Interim nec ille erat, qui per 99 relictas oues intelligit fideles & electos, qui magno numero in Ecclesia coniunctim viuunt, & Deo in sanctitate & iustitia seruiuunt: per errantem ouiculam autem vnumquemuis electum, qui à via salutis per peccata & scelera aberrauit, & quem cœlestis Pastor singulari cura & diligentia quærit. Nam hic verus & genuinus huius parabolæ vsus est: non vt quis tantum in genere de Adamo ipsiusque filiis eam intelligat, sed vt quisque in specie & indiuiduo cogitet, suam infelicitatem in oue hac depictam esse, vt cum Dauide ex Psalm.119.versic.176. dicat: Erraui, sicut ouis quæ periit: quære Domine seruum tuum. Hoc enim est principium conuersionis agnitio peccati. Singuli ergo cogitent sibi dici Tu es ouis, quam Deus creauit in simplicitate, & quam per Baptismum regenuit, effuso in te abunde spiritu sancto. Ioan.3.versic.5. Tit 3.vers.6. Tu vero in hoc minus strenue vestigia primi parentis Adami sequeris, quod ob rem vilem, ob lentis edulium, vt Esau Genes. 5.vers.32. Ob paupillum honoris politici, vt Absolon. 2. Samuel.15.versic.6. ob leuiculam & cito transituram voluptatem, vt epulo. Luc.16.vers.19. deuias à Deo tuo. Sic vero teipsum spolias omnibus armis aduersus Diabolum infernalem Lupum, tibique in æternum pereundum erit, nisi liberetis.

II. Quomodo ergo liberamur? & quomodo salus nobis rursus obtingit? Huius doctrinæ eximia habemus testimonia & dicta in Prophetis & Euangelistis Esa.1. versic.18. Agite pœnitentiam, & si peccata vestra fuerint, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Ierem.3.vers.1. Terra polluitur, quando vxor deserit maritum, & associat se alij viro: Tu autem cum multis amatoribus fornicata es: tamen tantum reuertere ad me dicit Dominus. Act.10.vers.43. Huic Iesu omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod per nomen eius peccatorum remissionem accipiant, omnes qui credunt in eum. Hæc dicta quando proponuntur, atque Euangelice explicantur, tum inueniuntur multi, qui dicere solent: viam salutis nimis facilem à nobis tradi. Sed reuera hi nec quicquam intelligunt. Neque enim adeo facilis est hæc via salutis, verum omnium difficilima, 1. Ex parte Dei. Neque enim putare debemus, quasi peccatum ipsi tantum sit iocus, & quasi simulet tātum se irasci, imo quam serio peccatis irascatur, & qua seueritate illa puniturus sit, mox in epulone videbimus. Luc.6.vers.24. Sed sciendum, quod ***Pastor*** Filius Dei Dominus noster Iesus Christus pro nobis intercedit, Patris iram mitigauit, in se recepit, quod persoluere velit, quæ non rapuerit, & quod deperditam ouiculam rursus quærere velit. Sicut autem qui in nemoribus & vepretis aliquid quærit, perterre cogitur, vt spinæ eum pungant; ita veræ spinæ hunc pastorem pupugerunt, spinea corona redimitus, & toto corpore ita vulneratus fuit, vt nihil sani in eo fuerit à vertice capitis ad plantam pedis vsque. Sic ergo non corruptibilibus rebus, auro & argento, non integro hoc mundo (quod leuiculum fuisset) redempti sumus à perditione nostra, sed pretioso sanguine immaculati agni CHRISTI & incontaminati. 1.Petr.1.vers.18. Nec hoc tantum fecit, sed etiam, quia inuenti non sponte eum sequuntur, ideo nos ***imponit*** humeris, & deportat ad reliquum gregem, nec deponit nos ex suo sinu & cura, donec ad salutem nos adduxerit. Esa.40.vers.11. *Sicut pastor gregem suum pascit: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Et cap.46.vers.3. Audite, qui portamini à meo vtero, qui gestimini à mea vulua vsque ad senectam Ego ipse, & vsque ad canos Ego portabo, Ego feci, & Ego feram: Ego portabo & saluabo. Hæc qui recte considerat, nunquam dicet, viam salutis ex parte Dei esse nimis facilem. 2. Ex parte nostra quoque non est facilis. Etsi enim Deus parauit omnia, quæ ad salutem nostram sunt necessaria: animalis tamen homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, stulticia sunt ipsi & non potest intelligere. 1.Corinth.versic.14. Sicut in ouibus amissis videre licet, quæ Pastori quærenti non occurrunt, sed potius ab ipso fugiunt. Sic nos fugimus à Christo nos quærente. Inprimis autem in Acolasto Christus accurate depingit, quam difficulter salutis viam ingrediamur. Eum pater fideliter & diligenter monet, vt secum domi maneat: sed nihil proficit, filius *simpliciter* apud exteros vult aliquid experiri. Ipsum *peregre abeuntem* comitatur ministerium Legis quod *nimirum pecunia parata* & à patre ablata sensim deficit; sed *quamdiu ipse vel vnicū* habet teruncium, tamdiu non vult reuerti ad patrem. Imo etiam omni sua substantia exutus, mauult apud porcos vitam transfigere, quam *ad patrem* redire. Tandem vbi extrema necessitas vrget, vt videat aut omnino pereundum aut eundum esse, ibi oritur lucta carnis, metuit ne pater ipsum repudiet, & vix inter mercenarium esse patiatur. Hæc quotidie in peccatoribus cum conuersione luctantibus videmus. Nemo ergo dicat viam salutis esse nimis facilem. Quam difficulter apud quosdam obtinetur, vt dicant, ***Pater peccaui***. Multo minus alij dicere volunt: ***fac me sicut vnum de mercenariis tuis***, hoc est, nolunt se totos resignare in manus Dei, vt pro libera sua voluntate ipsos tractet. Discamus ergo summam hanc Dei bonitatem grata mente agnoscere, quam in se commendat, quod Pastorem dedit, qui nos *oues errantes* quærit: & conuersi ad hunc pastorem & episcopum animarum nostrarum Deo in omnem æternitatem gratias agamus. 1.Pet.2.v.vlt.

III. Quod vero pastor ouem errabundam inuentam, non percutit, non pedibus calcat, non præ ira occidit, sed ***humeris impositam*** gaudens reliquis rursus coniungit, & ***vicinos atque amicos*** ad congaudendum inuitat, eo Christus significare voluit, se & cœlestem suum Patrem non indignari conuersis ob pristinos errores & peccata, sed singulari dilectione & prouidentia se eos prosequi, nec se tantum ob ipsorum resipiscentiam & salutem lætari, sed vna secum omnes cœlestes spiritus, sibi vicinos & amicos. Certe lætantur ***angeli pacis***, Ies.33 versic.7. quod vident laborem suum docendi, monendi, hortandi, increpandi in Domino non fuisse irritum, cum alioquin officium suum non faciant cum gaudio, sed gementes. Hebr.13.vers.17. Lætantur etiam ***angeli celestes***, quod vident custodiam suam quam impendunt in eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Hebr.1.vers.vltim. non male esse collocatam, & quod in cœlo loco deficientium Diabolorum plures recipiunt sodales. Lætantur tandem, ***angelus magni consilij***, eo quod videt pretium redemptionis suæ in talibus non perisse. Lætatur, quod tales per pœnitentiam Deo rursus suo quodam modo assimilantur, cui antea prorsus contrarij erant. Nam sicut Deus magno odio prosequitur peccatum. Psalm.5.versic.5. ita etiam pœnitentes peccatum fugiunt ceu summam pestem. Quemadmodum Deus ardentissime amat filium suum Iesum Christum, & in eo vnico ipsi bene complacitum est: ita pœnitentes Christum toti orbi præferunt.

Psal.

Pſalm.3.verſ.25. Denique quemadmodum Deus per ſe ſanctus eſt,ſuoſque ſanctos eſſe vult. Leu.19.v.2.delectatur miſericordia & dilectione: ſic etiam pœnitentes ſanctitati, iuſtitiæ,pietati & omnibus bonis operibus toto pectore ſtudent. Nemo ergo miretur Chriſtum hic dicere, *in cœlo gaudium futurum magis ſuper vno peccatore reſipiſcente, quam ſuper nonaginta iuſtis*, loquitur humano more,vbi etiam homines ſenſibiliter plus lætantur de vna aliqua re,quam amiſſam putabant,ſed denuo eam reperiunt,quam ſi decem alias conſimiles in arca reſeruatas habent. Sic pater,ſi quando filius quiſpiam lethaliter decubuit, de cuius vita deſperarat, ſed ille ipſi reſtituitur,plus lætatus de huius vnius reſtituta valetudine,quam decem reliquorum ſanitate, qui extra periculum conſtituti erant, licet omnes ſuos filios ex æquo diligat, & ſanos eſſe cupiat.Quod vero Chriſtus in fine dicit de *iuſtis qui pœnitentia non indigent*; illud vel dicit de Phariſæis, qui ſibi iuſti,ac propterea pœnitentia ſe non indigere videbantur:vel etiam vulgari modo, quo inſignes peccatores publicam pœnitentiam agere & cum Eccleſia reconciliari cogebantur, reliqui autem,qui non ita peccarunt, ad eiuſmodi pœnitentiam nō adigebantur. Alias omnes homines pœnitentia indigent,& inprimis Chriſtianorum vita nihil aliud eſſe debet, quam continua pœnitentia.

Parabola de drachma perdita.

IN hac ſecunda parabola nobis non tantum conſiderandum proponit noſtrum ſtatum, in quo initio fuimus conditi à Deo:noſtrum item lapſum, quomodo per Adamum & Euam ſimus deperditi: ſed etiam noſtri reſtitutionem in Chriſto, quomodo ſpiritus ſanctus eam operetur, dum accenſa luce verbi nos quærit per miniſterium,& in primis per conciones pœnitentiales circa nos verrit,cruce inſtat,& omnibus modis vrget, vt ſic nos ad cœleſtem cœnam intrare compellat.

I. Non inepte conferimur *drachmæ*, groſſo ſiue monetæ. 1. ratione originis.Vt enim moneta ſeipſam cudere nequit: ſic nec homo ſeipſum condere poteſt. At monetam cudere non cuiuis eſt conceſſum,ſed tantum magnatibus & qui ſingulare habent priuilegium:ſic hominem creare non eſt Angeli vel alterius creaturæ, ſed ſolius Dei: Vnde etiam opus manuum ipſius vocatur. Agnouit hoc Iob,qui c.10.verſic.8. Deo dixit: Manus tuæ fecerunt me,& plaſmauerunt me totum in circuitu,&c. Vbi poſtea pluribus opus creationis Dei deſcribit. Dauid Pſalm.100.verſ.3. Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus,ipſe fecit nos,& non ipſi nos. Eſa.64.verſic. 8. Et nunc Domine pater noſter es tu:nos vero lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Cœca ergo gentilitas turpiter errauit, dum Poetæ de Prometheo fabulati ſunt, quod ipſe hominem formarit: Philoſophi autem diſputarunt, primum hominem dari non poſſe. Magis impij fuerunt Manichæi,qui contenderunt, homines corruptos eſſe ex Diabolo. Apage cum hoc commento ex eccleſia. Sumus optimi Dei opus, ſi autem opus ſumus manuum Dei,nemo murmuret ſi ipſum Deus nō creauit, qualem ipſe optaret ſicut olim quidam fatuus dixit: Me regem natum oportebat:ſic hodie multos male habet, quod Deus ipſos non diuites aut formoſos creărit. Tales Eſa.45.verſ.9. remittuntur ad figulum, vt ex teſtis diſcant, vtrum fictori ſuo reſponſare debeant. Sic monetæ Magiſter ex vna maſſa diuerſas cudit monetas,obolos,nummos,groſſos,vnciales.Sed nec obolum nec nummum murmurare decet, maneat in ea ſorte ad quā cuſus eſt.Sic nec homines murmurent. Dominus enim pauperem facit & ditat.1.Sam.2.verſic.7 & Prou.22.verſic.2. Diues & pauper obuiant ſibi inuicem Dominus creauit vtrumque.Et ſi maxime diu murmures,nihil tamen efficis Matt.6. verſic.27.Si autem humilieris.1.Pet.5.v.5. poteſt Deo ex tuo groſſo thalerum facere.

2. *Drachma* cuditur vel ex auro vel argento vel cupro vel ære,quæ tamen omnia nihil aliud ſunt, quam terra aliter atque aliter colorata.Ita homo Gen.2.verſ.7.à Deo creatus ex limo terræ.Et Chymicus ſi ſubtrahat ex auro quintam eſſentiam,tum reſiduum manet pura terra: ſic quando Deus homini ſubtrahit ſpiritum, tum totus rurſus commutatur in terram.Commonefaciat nos hoc humilitatis, vt de origine noſtra cogitantes nō minus ſuperbiæ criſtas demittamus: quam pauo fœdos ſuos pudes inſpiciens. Si ex orbe ſolis vel ex ſtella aliqua creati eſſemus forſitan haberemus, de quo nos efferremus.Nunc quid ſuperbit terra & cinis?Syr.10.v.9. Ideo recte Abrahamus ſe coram Deo humiliauit, quia ſit puluis & cinis. Gen.18.v.27. Sancti quoque Iob & Dauid quando cineres capiti ſuo inſtrauerunt, ſe huius ſuæ humilis originis commonefecerunt.

3. *Drachmæ* quoque & omnibus monetis imago aliqua imprimitur & inde prouenit eius valor. Ideo enim Chriſtus Matth.22.v.20.Mox de imagine numiſmatis inquirit: ſic homini creato quoque imago impreſſa eſt.Vnde Gen.1.ver.26. inſtituitur deliberatio à ſacroſancta Trinitate:Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Quæ fuit hæc imago? Non corporale quippiam,ſed ſpirituale: perfecta ſanctitas & iuſtitia Eph.4.verſic.24. Imperium in omnes inferiores creaturas& ſtatus felicitatis,in quo homo ſine miſeria & metu mortis beatus vixit. Tunc homo fuit elegantiſſimus regius nummus coram Deo: atque hæ fuiſſent delitiæ Dei,ſi modo cum Angelis in cœlo mox cum homine in terra conuerſari potuiſſet.

II. Cogitemus autem etiam de triſti noſtro lapſu. Hic in hac parabola *mulier perdidit drachmam vnam*. Quæ hæc mulier?Eua prima mater noſtra.Vnde Adam conqueritur Gen. 3.verſ.12. Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi.Paulus quoque 1.Timoth.2.verſic.14.Mulier ſeducta eſt,& prima in præuaricatione fuit.Vt autem drachma deperdita in luto ſplendorem & valorem amittit, & tandem penitus rubigine corrumpitur. Sic etiam homo per lapſum amiſit omnia à Deo data dona.Ideo Eſa.dicit c.1.v.22. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam. Ante lapſum homo talis fuit groſſus,qui aliis cum honore Dei menſurari potuiſſet.Iam ita eſt deformatus,vt natura nihil præterquam angulum quærat.Tantummodo diligenter conſideremus,quid amiſerimus. 1. Amiſimus imaginem ex qua dependet valor. Gerebamus ante lapſum imaginem Dei, eramus receptaculum omnium virtutum in iuſtitia & ſanctitate. Nunc gerimus imaginem Adami,imaginem terreni hominis.1.Corint. verſic.49.In peccatis concepti & nati.Pſalm.51.verſ.7. Vnde figmentum cordis noſtri prauum eſt ab ineunte ætate. Gen. 6.verſ.5.& 8.verſ.21. prodeunt etiam ex corde noſtro tantum prauæ cogitationes.Matth.15.verſic.18.Breuiter caremus gloria Dei.Roman.3.verſic.23. 2. Amiſimus etiam inſcriptionem. Dicebamur olim filij Dei,ſicut Adamus Luc.3.v.vltim. Iam dicimur filij Adami,filij Diaboli & Belialis. Deut.13.v. 13.Semen nequam,filij ſcelerati,qui dereliquerunt Dominū. Iſ.1.verſic.4.Filij nequam. Matth.13.verſic.38. Filij iræ.Eph. 2.v.3.& damnationis. 3. Amiſimus etiam clangorem. Debebamus Deum celebrare in omnibus noſtris dictis & factis.Pſal.150.verſ.14.Coloſſ.3 verſ.17. Nunc ſumus æs ſonans. 1.Cor.13.v.1. *Ein thenends ertz* quod ſonum inconditum de ſe præbet.Preces noſtræ & gratiarum actiones raro ad Deum in cœlum adſcendunt. Multorum autem os maledictione plenum eſt,& ſepulchrum patens guttur eorum.Rom.3.v.14. 4. Amiſimus etiam iuſtum noſtrum pondus non aliter quā quando moneta incidit in manus Iudæorum, qui inde defalcant. Nam quod Belſazero Babylonico ad parietem adſcriptum fuit. Dan 5.verſ.27. TECEL, id eſt, appenſus eſt in ſtatera,& inuentus minus valens. Idem Dauid in Pſalm 62. verſic.10. Veruntamen vani filij hominum in ſtateris: vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.Et Pſalm.39 verſ.6. Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. In huius conſideratione Dauid iudicium domini deprecatus eſt. Pſ. 130.verſ.3.& 143.verſ.2.quia in conſpectu eius non iuſtificabitur omnis viuens.Et Iob.9.verſ.3.fatetur,ſe inter mille ne ad vnum quidem reſpondere poſſe.Ideo recte Auguſtinus: Væ omni hominum vitæ,quantumuis laudabili,quando remota diuina miſericordia conſideratur. Agnouerunt hoc etiam Pontificij, ideo ſtateræ archangelum Michaelem præfecerunt: ea tamen cum conditione, vt ſi homo cum ſuis bonis operibus minus valens deprehenderetur,ipſi bullas,cereos,peregrinationes, aquam benedictam, Aue Maria & alia imponeret.Nugæ hæ ſunt an ſi quis creditorem nummis rationariis perſoluere vellet. Pueri ſic decipiuntur,non viri prudentes &rerum experti.Nos igitur hanc amiſſionem ſerio agnoſcamus,& ingenue confiteamur.

III. Sed conſiderandum,quomodo reſtituamur in integrum. *Drachma* ſua ſponte non redit in loculum: ſed eſt quærenda.Sic nec homo perditus ſe ſiſtit Deo: ſed eſt quærendus.Deſcendit autem filius Dei de cœlo,vt nos quæreret. Matth.18.verſ.11. Venit filius hominis ſaluare, quod perierat. At dicat quis: peracto opere redemptionis redit in cœlum, quomodo ergo iam nos quærit? Reſp. Hodie quærit nos per miniſterium Verbi & Sacramentorum: huic in vnam manum dedit ſcopulam in alteram faculam.Scopæ quibus miniſtri *domum* eccleſiæ *verrunt*, ſunt conciones legales, vbi ſecuri peccatores, denunciatione diuinæ maledictionis ſunt terrendi vt tinnitum aliquem de ſe edant ſicut facit groſſus quando per ſcopulam in angulo eſt tactus. *Lucerna* ſiue fax eſt doctrina Euangelij, per quam peccator peccatum agnoſcens contra deſperationem ad Chriſtum remittitur, à quo rurſus in gremium eccleſiæ & communionem ſanctorum

recipitur. Hinc à Christo Matth.5 vers.13. sali & luci conferuntur. Sal sunt quando sedent, & emundant argentum, purgant filios hominum, & colant eos quasi aurum & argentum. Malach.3.versic.3. Lux sunt, quando pristinum nitorem rursus inducunt. Ad hoc melius perficiendum, addidit duo sacramenta: Baptismum in quo à sordibus peccatorum abluimur. Ideo Ananias Paulo dixit. Actor.22.versic.16. Exurge & Baptizare, & ablue peccata tua in nomine Iesu. In Cœna quoque imprimitur nobis sanguis Iesu Christi, cuius vnica gutta eius ponderis est, vt valeat omnes infernales pompas præponderare. Quin & hoc obseruatu non indignum videtur, quod tempore belli vel necessitatis interdum cuditur cruda moneta cum exiguo signo, Germani vocant *Ruppen*, per se quoad intrinsecam bonitatem non sunt eius valoris, etiam tamen ob Ducis belli voluntatem durante bello valet. Ita Fridericus II. in bello contra Papam Innocentium, dedit militibus coriaceam monetam, quæ tantundem valuit ex Imperatoris mandato, quantum iusta moneta. Ita si nos deperditæ drachmæ, sed rursus inuentæ, modo in ærario Dei valeamus, sufficiat nobis siue cuprei simus, siue coriacei. Quanquam in eiusmodi monetis etiam hoc obseruatur, quod coriaceo numismati inserta est spina argentea, vt à reliquo corio discerni possit: ita nobis Christus inserit auream spinam de sanguine suo, vt aliquid valeamus. 1. Corinth.6. versic.vltim. magno pretio empti estis. Deinde solent etiam Reges & magni principes talem monetam minus probam per renuntiationem ad se recipere, & possessoribus probiorem restituere. Idem faciet Deus, is mutabit scoriam nostram in argentum. Quia Christus dedit seipsum in λύτρον pro nobis. Matth.20.vers.28. Is quemadmodum aurifaber conflat & emundat argentum Matth.3.vers.3. ita & nos per sepulchrum & nouissimum mundi ignem colabit, vt in die restitutionis omnium nos rursus producat, tam puros pleni ponderis & valoris, ac si nunquam rubigine peccati læsi fuissemus. Tunc erimus Cymbala bene sonantia, & in cœleste ærarium cum laude reponemur.

Parabola de filio prodigo.

HÆc tertia parabola in eundem finem dicta est, in quem duæ præcedentes: Hoc tamen interesse videtur, quod superiores ostendunt, quanta cura & solicitudine Deus peccatores errantes quærat: hæc vero doceat, quando peccator se inueniri patitur, vult reuerti, sed agnoscit se indignum, quanta benignitate cælestis pater talem resipiscentem suscipiat, in oscula ruat, & per omnia pristinæ gratiæ restituat. Interseritur etiam, qualis talis peccatoris pœnitentia esse, & quomodo vitę nouitas etiam sequi debeat, si synceram & veram quis eam haberi velit. Nos præcipua membra parabolæ expendemus.

I. Christus dicit: *Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior illorum patri, Pater da mihi portionem substantiæ, quæ ad me redit.* Alij hoc interpretantur de duobus populis, Iudæis & gentibus, quorum vtrorumque Deus pater est. Roman.3.vers.29. Et gentes mature discesserunt à vera Dei cognitione, suaque libertate abusi & tamen postea à Deo recepti sunt, quod Iudæos male habuit, qui propterea ad commune doctrinæ Euangelicæ conuiuium accedere noluerũt. Sed de hac interpretatione sub finem aliquid dicemus. Alij, idque fit communiter, hoc exponunt de Adamo, cui data fuit imago Dei, cum aliis donis pulcherrimis, quibus cum summa felicitate intra paternas ædes vti potuisset. Additum autem ei mandatum, quod illis cum obedientia erga Deum vti debeat. Sed quemadmodum hic *adolescentior filius* liberatus auidus, ex inopia iudicij patri suo dixit *Da mihi τὸ ἐπιβάλλον μέρος portionem substantiæ mihi competentem*, perlustrabo peregrinas regiones, vt multarum rerum vsum & experientiam acquiram, & tentem, quid proprio marte lucri facere queam. Hanc portionem Iurisconsulti vocant legitimam, quæ liberis ita competit, vt eam pater ne exhæredato quidem filio subtrahere possit. Sic etiam Adamus noluit manere sub obedientia, voluit donis concessis pro suo arbitrio vti, comedit de arbore vetita, vt sic cognitionem boni & mali acquireret. Sed eo ipso præclara illa dona, & pro se & pro posteritate sua amisit, vt iam omnes egeamus gloria Dei Rom.3.versic.23. Hæc expositio bona est & conueniens. Sed longe conuenientior est, quando non in genere tantum de gentibus & reliquis Adami filiis cogitamus, sed quisque agnoscit, in hoc Acolasto depictam esse suam petulantiam, qua sæpius Deum patrem suum grauiter offenderit: & hic ipsi monstrari quomodo in viam redire debeat. Quisque ergo statuat sibi hic dici: Tu es vnus ex perditis hisce filiis reuertere ad patrem tuum. Tibi in Baptismo data est stipulatio bonę conscientię. 1.Petr.3.vers.21.salus, Marc.16.vers.16. regeneratio. Iohan.3. versic.5.effusio Spiritus sancti locuples. Tit.3.vers.6. denique regnum Dei. Iohan.3.vers.5. Dum ergo sumus in domo Dei, in ecclesia vult cælestis pater, vt spiritu Dei ducamur, Gal.5. v.18. vt spiritu facta carnis mortificemus. Rom.8.v.13. vt non obliuiscamur purgationis veterum nostrorum delictorum. 2. Pet.1.v.9. Dat insuper suum verbum, quod nos in omni bono instruit, malum autem arguit, & ab illo deterret. Sed quã sæpe hic nos dicimus: *Pater da mihi meam portionem substantiæ*, hoc est, nolo viuere sub pressura legis, nolo tantum spiritu duci, cupio pro libertate mei arbitrij, & pro meo beneplacito vitam instituere. Ac tum proficiscimur *in regionem longinquam*: elongamur à Deo & ipsius verbo, quo solo nobis Deus in Ecclesia prope adest Rom.10.v.8. Hoc nolumus nos amplius audire, obduramus corda nostra Hebr.3.v.8. atque sic dilapidamus omnia nostra bona, amittimus spiritum sanctũ, naufragium patimur fidei, feruor precum extinguitur, salutem denique ipsam perdimus. Hoc nimis verum est, modo illud agnoscamus. Quapropter quando de Acolasto sermo est, non faciamus sicuti plerique facere solent, qui dicunt: petulanti huic nebuloni recte factum, quod cruce iam castigatus est. Sed cogitet quisque: & Deus dedit mihi ingenium, prudentiam, sanitatem pacem, diuitias. Et hæc sunt illa bona quæ in hoc mundo *τὰ ἐπιβάλλοντα* & superadiicit præter gratiã & salutem. Hic bonus debebam esse dispensator. Sed quomodo iis vtor? Fere vt Acolastus: dico ex Psalm.2.vers.3. Disrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum eorum. Nolo enim astrictus esse vinculis legum & monitionũ. Caro suggerit: Vtere tempore: edamus bibamus. Cras enim moriemur. 1.Cor.15.v.32. Vide Sap 2.v.1. Et hic pleriq; ducti carnis sequuntur, quod aliud nihil est, quam Acolastum agere, licet vnus altero profundius huic luto immergatur. Christus autem studiose parabolam ita proposuit, vt etiam maximis peccatoribus possit esse consolationi.

II. Quid vero pater hic facit, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat? In præcedentibus parabolis indicatum est, quomodo pastor ouem, mulier drachmã quæsiuerint, & quod eodem modo etiam Deus peccatores ad pœnitentiam quærat. Quid ergo hic dubitabimus, quin pater hic optimus & mitissimus filium adolescentiorem blãdis verbis monuerit, vt secum domi maneret, inueniri inter peregrinos fures, stelliones, latrones & alios malos homines, qui omnibus bonis ipsum spoliare possent. Addidit etiam sine dubio ministerium legis: mi fili, tu grauiter peccas in Deum, hunc hoc tuo facto offendis, is irascitur tibi, & inter peregrinos experieris, quod te sit punitutus. Quapropter desiste à tuo proposito, redi ad saniorem mentem & mecum mane. Sed filius noluit audire patrem, verum institit, vt daretur sibi sua portio. *Pater* ergo *diuisit ipsis substantiam τὸν βίον*, vitam seu bona, ex quibus vita sustentatur. Sic etiam nos Deus per verbum suum monet, 2. Corinth 6.versic.1. Videte ne gratiam in vanum receperitis. 1. Corinth.10.vers.12. Qui existimat se stare, videat ne cadat. Ephes.4.vers.30. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, quo signati estis. Philippen.2. vers.12. Date operam vt cum metu & tremore vestram salutem operemini. Hæ commonefactiones omnes eo sunt directæ, quod Deus libenter nos secum retineret, & vult vt in gratia maneamus. Sed nos libertatis auidi, omnino cupimus in mundo aliquid experiri. Ergo Deus addit ministerium legis, & prædicit nobis mala, quæ ex hac inobedientia sint oritura. Nam & filio prodigo euenit quod pater ipsi prædixerat. Ille patris monita non curauit quandiu obulum in marsupio habuit, sed *viuens luxuriose* luxu, superbia, choreis & cum scortis dissipans substantiam suam. *Postquam enim consumpsisset omnia, venit fames valida in regionem illam.* Hæc fuit Dei pœna, qua ipsum ad pœnitentiam, & vt ad patrem suum rediret, adigere voluit. Sic nec nos Deum, siue canentem siue plorantem nobis. Matth.11.versic.16. audimus: sed manemus Iohannes in eodem, & in licentia atque luxuria carnis pergimus. Quid ergo Deus? si ita præceps esset vt homo, protinus diceret tali homini: Vade ad Diabolum, atque apud eum in æternum peri: sed Ose.11 versic.9. Non faciam furorem iræ meæ: non conuertar vt disperdam te: quoniam Deus ego, & non homo. Et apud Ezech. Viuo, Ego nolo mortem peccatoris. Item Ies.49.versic.15. Nunquid mulier obliuisci potest infantem suum? Et si illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar. Quapropter quia neque Euangelio neque lege nos in veram viam reducere potest: ideo quærit alium textũ, crucem *famem*, vel pestem, vel alias aduersitates, atque sic tales compellit intrare. Nos ipsi fateri cogimur, Deum nos sæpenumero per legem, per Euangelium frustra quærere, nos omnem ipsius diligentiam contemnimus, vt non mirum esset, terram se aperire & multos viuos deglutire. Sed longanimitas & benignitas Dei nos ad pœnitentiam adducit. Roman.

man.2.vers.4. Et patienter agit propter nos nolens quenquam perire sed omnes ad pœnitentiam reuerti. 2. Pet.3.v.9. Quando ergo hæc omnia sunt frustranea tum mittit *famem*, hoc est externas pœnas, pauperiem, morbos, infortunia, hominum odia & persecutiones. Hæc mala, quando accedunt, agnoscamus esse conciones pœnitentiales nos admonentes de reuertẽdo ad Deum ne pereamus. Sic enim Paulus 1. Cor. 11.32. dum iudicamur à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.

III. Redeamus ad Acolastum, & videamus quid fecerit, cum sic premeretur fame, *& cœpisset egere*. Non statim pœnitentiam egit, nec mox ad patrem abiit: *sed abijt & adhæsit vni ciuiũ regionis illius*, hoc est, alia mediã & auxilia quæsiuit. Sed ciuis ille *misit illum ad villam suam, vt pasceret porcos*. O beneficium! Qui noluit in ciuitate in ædibus paternis subesse benignissimo patri, is nunc cogitur se in seruitutem tradere peregrino homini, qui non dignatus est ipsum ad vrbana negotia, sed *misit eum εἰς ἀγρὸν in rus*, non vt agros coleret, quod adhuc honestius fuisset, aut vt armenta pasceret, sed *porcos pasceret*, quod homini Iudæo, quibus sues fuere abominationi, intolerabile quasi fuit. Nec dum tamen finis malorum. *Cupiebat enim ventrem suum implere*, non de frumento aut aliis leguminibus, quibus rustica gens cibatur, aut etiam de glandibus, *sed de siliquis quibus porci vescebantur, neque quisquam illi dabat*, κεράτιον significat proprie corniculum, deinde etiam siliquam, hoc est, leguminum folliculum, à corniculi similitudine. Quidam volunt intelligere de peculiari fructu cuiusdam arboris, quæ vna cum fructu Græcis κεράτιον dicitur. Sed quid vetat hic accipere de leguminum folliculis, hoc est, siliquis. Nam has pecorum pabulo gratissimas esse etiam Plinius testatur. Sic ergo filius hic prodigus porcis ipsis infelicior longe infra eorum conditionem abiectus est, vt quo cibo illi abundabant, ipse destitueretur. Hic videamus, & hinc discamus, in quam miseriam & quantam vilitatem homo peccator, Deum deserendo se coniiciat. Nimirum in quantam se coniecit hic diuitis & optimi patris filius, qui domi omnibus bonis abundare potuisset, sed ob inobedientiã erga patrem in eam vilitatem deuenit, vt ex diuite inops, ex libero filio subulcus, ex domino porcorum seruus fieret, & tamen nec siliquas ad saturitatem habere posset. Idem omnibus peccatoribus euenit quanquam vni plus, alteri minus. Nam verum est illud Psal.73. versic.27. Ecce, qui elongant se à te, peribunt. Elongant autem sese peccatores à Deo, non locorum spatiis, sed affectu. Vt licet Deus nos quærat, lege, Euangelio, cruce, atque hisce mediis ipsos ad se libenter reducere vellet: nos tamen semper cum Adamo longius abimus, cum hoc Acolasto alia media, quibus crucem depellamus quærimus. Sed hac ratione Deum subinde magis magisque irritamus, eo quod non reuertimur ad percutientem nos, nec Dominum exercituum requirimus. Iohan.9. vers.13.

IV. In hoc ergo rerum statu Acolasto fame pereundum fuisset nisi *in se reuersus dixisset: quot mercenarij patris mei abundant panibus?* Hactenus illecebris carnis & mundi delitiis sic extra se raptus, & quasi mente captus fuit, vt nihil eorum consideraret, quæ ad ipsius salutem facerent. Nunc in *se redit*, & rem omnem altius perpendit. Sed vnde hic motus, quod ad se reuersus est. Hoc adscribunt Pontificij libero arbitrio, vt sic adstruant, hominem per lapsum non omnes vires amisisse, sed habere pura naturalia, posse viribus sui liberi arbitrij seipsum ad Deum conuertere. Sed non tantum in eo errant, quod hoc exemplum præpostere trahunt ad suum propositum. Nam quando de viribus liberi arbitrij quæritur, quid illæ valeant in hominis conuersione, tunc agitur de illa prima conuersione, qua quis plane à Deo alienus primo ad ipsum conuertitur. Hic prodigus autem adolescens iam ante fuit in ædibus paternis & meminisse potest, quid in iis viderit & audiuerit. Longe ergo alia est ipsius ratio, quam eorum, qui primo conuertendi sunt, nec vnquam membra Ecclesiæ fuerunt. Adhæc accesserunt apud hunc prodigum alia media, per quæ Deus, non liberum arbitrium, illam reuersionem ad se operatus est. Recordatur monitionum paternarum: cogitat quam turpiter & luxuriose substantiam suam dissiparit: accedunt egestas & fames, quæ durissime eum premunt: ac tandem pudet ac tædet cum vitæ suæ infra porcos abiectæ. Et hic est primus gradus resipiscentiæ ad salutem, si quis recogitet, & vnde deciderit, & quo deciderit. Sed quando sic crescit crux & miseria, ibi Satanas quoque non procul abest, & habet venenata sua spicula, suggerit, quid facies in hac penuria? Fureris aut suspendas te, vt finem miseriarum inuenias. Et per huiusmodi suggestiones multi pereunt in æternum. Sed Acolastus aduersus hasce cogitationes se sustentat meditatione bonitatis sui patris. *Quot mercenarij patris mei abundant panibus? Ego vero* filius ipsius *fame pereo*. Deposito ergo pudore & mœrore, *surgam*, ex hisce sordibus porcinis, & reiecta hac infelicitate confidenter *ibo ad patrem meum*, non quod me purgare queam, & habeam quod stultitiæ vel petulantiæ potius meæ prætexam, sed omnem meam spem positam habeo in paterna ipsius bonitate, ob quam petere audeo, non vt in pristinam dignitatem me restituat. Nam ea multis modis me indignum feci; sed tantum vt me habeat loco mercenarij. Non igitur culpam admissam eleuabo, multo minus negabo, neque hanc miseriam meam cuiquam alteri quam mihi ipsi imputabo: sed ingenue culpam meam confitens, paternam ipsius benignitatem appellabo. Scio ingenua & simplex confessio & animus vere sibi displicens plus apud ipsum valebunt, quam accurata excusatio. Dicam *Pater* (Hæc enim appellatio ipsum ad misericordiam permouebit) *peccaui in cœlum & coram te*, hoc est, in primam & secundam tabulam, Deum & te offendi: *non amplius sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis*, his verbis vult se resignare in liberam patris voluntatem, siue ad pœnam siue ad gratiam. Propositum hoc est bonum, nec quicquam amplius superest, quam vt illud exequatur, quod sibi animo proposuit. Itaque *surgens venit ad patrem suum*.

Hic articulus probe est notandus quia plurimum in eo situm, vt ipsum imitemur. Nam in hoc omnes sumus æquales, quod Deum peccatis offendimus, sanguinem Christi conculcauimus, spiritum sanctum contristauimus: quin & in eo sumus æquales, quod Deus singulos ad pœnitentiam quærit, non tantum per verbum sed etiam per crucem & calamitates. In pœnis autem etiam acolastum imitamur, quod caro non mox cogitat, agam pœnitentiam & cum Deo, meo reconciliabor: sed omnes media quærimus, an crucem excutere possimus. Mox, crescente cruce, Satanas adest cum suis spiculis, desperes de Deo, manus violentas tibi inferas, vt ex miseriis libereris. Hic deest talibus, 1. *quod non reuertuntur in se*. 2. *quod de Dei patris bonitate non cogitant*. Exempla habemus in Caino, Saulo, Achitophele, Iuda & aliis. Hi omnes habuerunt primum, quod nimirum Deum peccatis offenderunt, habuerunt etiam secundum, quod Deus ipsos verbo & cruce ad pœnitentiam quæsiuit. Sed nullus eorum *reuersus est in se*, verum Cain datus est in sensum reprobum, Saul desperauit, Achitophel & Iudas sibiipsis gulam laqueo fregerunt, atque sic in æternum perierunt. Discamus ergo ex Acolasto, quomodo veram pœnitentiam agere debeamus. *Reuertamur intra nos*, hoc est, serio peccata nostra agnoscamus, & non sit externa aliqua simulatio, sicut aliqui inter pocula dicunt *peccaui*, sed mox cum aura euanescit hic affectus. Sed sit talis affectus, quo totum cor contristetur & conteratur, vbi conscientia retro cogitat: Ah quid fecisti, tam benignum & propitium patrem habuisti, & tam petulanter ac malitiose eum offendisti: ah quam turpiter bona paterna dilapidasti, quoties te reuocauit, sed tu semper restitisti spiritui sancto. Iam autem te addixisti seruitio nequissimi Domini, Diaboli, qui te infra porcos detrudet, vt ne siliquis quidem ventrem satiare possis. Hoc est *intra se reuerti*: & talis spiritus cõtritus & contribulatus est Deo gratũ sacrificium, quod nunquam despiciet. Psalm.51.vers.19. 2. Cum Acolasto etiam dicamus *Surgam*, è vitiorum sordibus in quibus hactenus iacui, *& ibo ad patrem meum*, quem tamdiu peccando dereliqui: petam vt mihi remittat offensas, & in gratiam recipiat. Hæc est fides sperans indulgentiam in sanguine Christi. Itaque in terroribus conscientiæ non fugiamus à Deo, sicuti Adamus & Cain fecerunt, sed potius ad Deum vadamus, & rogemus vt remittat peccata propter filium, vt nos recipiat ob misericordiam, quam promisit in mediatore. Nam ὁ μόσχος ὁ σιτευτὸς *vitulus ille sanguineus est mactatus*, hoc est, propter sacrificium Filij pater nos recipit. 3 Edenda etiam est ingenua peccatorum confessio, vt non eleuentur, non excusentur, non culpa in alios transferatur, sed aperte dicatur: *Pater peccaui in cœlum & coram te non amplius sum dignus vocari filius tuus*, sed meritus sum æternam damnationem, *fac me sicut vnum de mercenariis tuis*, hoc est, ego me patienter trado tuæ voluntati siue in gratiam, siue ad pœnam, corripe me acriter, quia probe merui, tantum non amplius eiicias me à domo tua. O Domine hic tunde, vre, seca, modo parcas in æternitate. Iram domini portabo, quoniam peccaui ei. Mich.7.vers.9. Hoc etiam probe notandum est, vt quisque sciat, quomodo ad Deum sit reuertendum, & patienter ipsius indignatio portanda. 4. Denique hæc omnia non tantum in animo sibi sunt proponenda, si quis pœnitentiam agere velit, sed executioni sunt danda, sicut hic de prodigo dicitur. *Et surgens venit ad patrem suum*.

V. Quid vero pater? Iam peruentum est ad ἀκμὴν, & ad summum. Nam quis nouit, quid pater facturus sit, quando redierimus? Pater ante hac sæpius voluit filium reuerti, sed

tum filius redire noluit. Iam filius redit, quis scit an patri ad suscipiendum vacet: fortassis dicet, ante hac toties & toties te vocaui & noluisti, iam etiam abi in malam rem. Et fortassis durus quispiam mundanus pater aures obturaret. Quamuis etiam illud difficulter fiat: quia tam humilis deprecatio perrumpit cor. Dicit ergo Christus Luc.11.vers.13. Si vos cum sitis mali nostis bona dare filiis vestris: quanto magis pater vester de cœlo dabit Spiritum sanctum petentibus se? Ergo optime de Dei patris voluntate est sperandum. Nam nota sunt dulcissima dicta Esa.49.versic.15. Psal.103.v.13. Ezech. 18.versic.23. Matth.11.vers.28. 1.Timoth.1.4.16. Sed hoc in loco longe iucundius depingitur. Hic stat filius perditus & prodigus, qui ante hac fuit petulans & luxuriosus, nunc autem est tristis, & quærit patris sui gratiam. *Cumque adhuc longe abesset, vidit illum pater ipsius*, prout oculata est bonitas, non auertit pater vultum, non dicit nolo nebulonem videre, sicut facere potuisset. Sed mox ad aspectum ipsius miseriæ, quam ex nuditate, macie, vultus tristitia colligere potuit *misericordia motus est*, iustam iram in commiserationem flectens. Nec expectat, donec ipsi supplex fiat, & culpam deprecetur: sed *accurrit, ruit in collum eius, eum osculatur*, & gaudet cum seruis: non eum increpat, non flagellat, sed suscipit, ornat, mactat & lætatur. Et cum filius conceptam suam deprecationem humiliter proferre vellet, pater interrumpit ipsius sermonem mãdatis suis ad seruos. Quis non miretur & magnifaciat hanc inopinabilem bonitatem patris erga hunc filium? Sed causa quam iucundissime nobis ob oculos pingitur, explorabilis Dei misericordia & clementia, qua peccatores resipiscentes suscipit & complectitur. Ah si quis horum probe meminisse posset in agone suo! Nam dum eundum est ad patrem & ad iudicium, ibi tum assurgunt in corde tentationes, quales hic spargunt Pharisæi & Scribæ, vt quis cogitet: num putas Deum te in cœlum recepturum, qui in his terris tantus fuisti peccator, lurco, aleator, &c. Et si maxime abstinuisti à grauioribus sceleribus, tamen numerus peccatorum tuorum reliquorum superat arenam maris. Nam putas Deum illa neglecturum? Quam fœdæ & sordidæ multoties tuæ fuerunt cogitationes, vt si de iis proxime assistenti constitisset tuum consortium refugisset, quid Deum facturum putas? Si maxime tu nunc, postquam non amplius peccare potes, saluari velis: Deo tamen illud non erit oportunum. Ibi tum hoc Euangelium in manus est sumendum, & ex eo animus erigendus. Qui enim de gratia Dei despexerat, is Deo magnam iniuriam facit, eumque pro mendace habet, contumelia etiam afficit meritum Christi. Ab his grauissimis peccatis abstineamus, neque iis numerum reliquorum augeamus. Sed firmiter statuamus Deum patrem, vna cum Angelis suis nobis in occursum venturum, nos pœnitentes recepturum, & in cœlo lautissimum conuiuium daturum.

VI. Nam subiungitur, quod pater ad ministros suos conuersus, ipsis dixerit, 1. *proferte stolam primam & induite illum*. *Stola* est vestis genus ad talos vsque demissæ, qua non serui nec mercenarij, sed filij in ædibus paternis induebantur. Cumque in Græco additi sint duo articuli τὴν στολὴν τὴν πρώτην, *stolam illam primam*, sunt aliqui in ea opinione, filium degenerem cum peregre abire vellet, stolam illam domi reliquisse, & alio vestimenti genere vsum fuisse, patrem vero stolam hucusque asseruasse, eamque nunc proferre iussisse, vt illa indueretur: quod & factum est. Atque sic filius coram seruis quasi adoptatus, & in priorem locum in ædibus paternis collocatus est. Iussit etiam *dari annulum in manus eius*. Annulorum vsus quam antiquus sit, constat ex historia Iudæ Thamaris Genesis 38.versic.18 Omnibus autem temporibus, & maxime apud Romanos fuit insigne virtutis, honoris & inprimis nobilitatis, quo à vulgari plebe discernebantur. Eximit ergo pater hoc modo hunc suum filium ex seruili & subulcorum statu, eique locum rursus concedit inter liberos & ingenuos. 3. Mandauit etiam vt adderentur *calceamenta in pedes*. Etenim subulci in morem nudipes aduenerat, hoc non conuenit filio tam diuitis patris. Vt ergo honeste vestitus incederet, calceamenta addita sunt. 4. Denique addit: *adducentes vitulum illum saginatum, mactate sumptisque epulis lætemur*. Non vulgarem sed saginatum vitulum mactari vult, quia, sicut in præcedentibus parabolis, amici & vicini ad commune gaudium inuitati sunt: sic ipse omnes suos domesticos ad congaudendum excitat. Addit autem rationem huius sui instituti, ne quis ex leuitate ipsum hoc fecisse arbitretur. *Quia hic filius meus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est*. O admirandam patris bonitatem, non tantum filij spem, sed etiam omnem opinionem longe superantem. Adumbrat autem eadem ineffabilem cælestis patris benignitatem, qua peccatores pœnitentes & reuertentes excipit. 1. Dari ipsis curat per seruos suos, verbi ministros, *stolam illam primam*, quę τὴν πρώτην sic nuncupatur, quia primi nostri parentes ea exornati fuerunt, dum adhuc in paradiso in numero filiorum Dei essent. Fuit ea imago Dei. Sed eiecti ex paradiso, nudi & pellibus tantum vestiti egressi sunt. Quicunque ergo vult nuptiis cœlestibus assidere, necesse est, vt hac stola, veste nuptiali, Matth.22.vers. decimo secundo rursus induatur, alias in exteriores tenebras eiicietur. Est autem hæc stola Christus, quem in Baptismo induimus, iuxta illud Pauli, Galat.3. versiculo 27. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Per hunc etiam habemus accessum ad patrem. Ephes. 2.versic.18. & ipsius solius beneficio rursus inter filios Dei censemur. Iohan.1.versic 12. 2. Dari etiam iubet *annulum*, hoc est, Spiritum sanctum in corda nostra, qui spiritus υἱοθεσίας & adoptionis nostræ, in quo clamamus, Abba, pater. Roman.8.vers.15. Est arrhabo salutis nostræ, in quo signati in diem redemptionis. Eph.4.versic.30. Et recte spiritus *annulo* confertur: quia sicut sponsus sponsæ annulum loco arrhæ attribuit, qui fit certum testimonium ipsam sponso irreuocabili nexu desponsatam esse. Sic ex Spiritu sancto certi sumus Deum nos sibi æterno fœdere desponsasse. Ose.2. vers.19. nec vllam creaturam nos separare posse à Dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu. Roman.8.versic. vltimo. 3. Adduntur etiam *calceamenta in pedes*. Pedes affectibus conferuntur, qui homines carnales abducunt, quocunque volunt, & sæpenumero etiam conuersos in vepreta vitiorum & in atria superstitionum abripiunt. Necesse ergo est, vt per prædicationem Euangelij pedes nostri muniantur, Ephes.6.vers.15. vt in viis Domini ambulemus, & ea præstare studeamus, quę ipse à nobis requirit, vt digne Euangelio Christi conuersemur. Philippens. versic.27. & cohonestemus doctrinam Domini nostri Iesu Christi in omnibus. Hæc est nouitas vitæ, quæ à vere conuersis requiritur. Si quis enim stolam fidei negligit, si ductum spiritus non sequitur, si honestatem conuersationis non obseruat, is non vere egit pœnitentiam, sed finxit pœnitentiam. Si autem tria illa in vere conuerso reperiuntur, tum sequitur. 4. *epulum cœleste*, ad quod mactatus est saginatus vitulus, Christus Iesus, qui in ara crucis pro peccatis mundi oblatus est. Quomodo autem Christus in cœlesti hoc epulo, domesticorum Dei cibus sit, tam in regno gloriæ, de eo Capite. CIX. in Cœna magna dictum est. Huic cœlesti epulo etiam adhibetur *concentus musicus & chori*, ita vt ad summam & exquisitam lætitiam nihil desit. Et in hac iucundissima diuinæ bonitatis consideratione æternum lætabimur, atque sumpto poculo salutis iucundabimur in Deo nostro exultantes ad perpetuas æternitates.

VII. Superest vltimum membrum huius parabolæ, de senioris filij indignatione, & quomodo hunc quoque pater conatus sit sua lenitate & mansuetudine ad commune gaudium inuitare. Fuerat is in agro, non vt porcos pasceret, sicut frater inter peregrinos, sed vt labores seruorum & mercenariorum inspiceret & dirigeret. Ex agro rediens & domui paternæ appropinquans audiuit *concentum & choros*, non lasciuas saltationes sed conuiuarum lætantium cantus, sicuti antiquitus in honestis conuiuiis carmina & hymnos concinere, & maioris gaudij excitandi gratia, gressus quoque & saltus suos secundum eorum tonum moderari soliti sunt. Hac noua & insolita lætitia ipse quasi stupefactus ex seruorum vno cognouit, quænam huius gaudij esset causa. Ibi ipse, qui præ omnibus aliis communi gaudio se adiungere debuisset, cum serui omnes fratris felicitati gratulabantur, indignatus noluit ad commune epulum intrare. Pater hoc cognoscens, eumque communis lætitiæ participem fieri cupiens, ad ipsum est egressus, & cœpit, non quidem ob iniustam & impiam eius indignationem ipsum increpare, sed blande rogare vt omisso stomacho communi conuiuio sese iungeret, atque sic patris, fratris & domesticorum omnium gaudium augeret. His vero optimi sui patris tam blanda oratione vsque adeo non mitior factus est, vt & cum patre arroganter expostulare ausus fuerit. *Ecce*, inquit, *tot annos seruio tibi, nec vnquam præceptum tuum transgressus sum, nec vnquam dedisti mihi hædum*. (ἔριφον tenerum & adhuc recentem capræ fœtum, qui instar agni est, significat) *vt cum amicis meis lætarer: sed postquam filius tuus hic qui deuorauit substantiam tuam cum meretricibus venit, occidisti illum saginatum*. Satis odiose exaggerat fratris delictum, quem etiam fratris titulo appellare dedignatus est. *Filius tuus hic*, das lebliche Fruchtlin, qui *substantiam tuam* decoxit cum scortis. Potuisset pater ad iram commoueri oratione hac satis elata & arroganti. Et qua fronte dicere potuit, se patris præceptum nunquam transgressum esse, cum pater facile ipsi plurimos lapsus indicare potuisset? Quot insuper beneficia à patre affectus est, licet *hædum* nullum acceperit. Et num paternam illam curam, qua ipsum domi detinuit, ne in consimilia scelera & miseriã incideret, pro nihilo ducit? Sed benignissimus pater, seposita ira, porro studet indignantis animum demulcere. Mi *fili, tu semper mecum es, & omnia mea*

tua

tui sunt, nihil tibi propterea decedet, licet iam erga fratrem tuum liberalis fuerim, non minus habebis quam antea: nec hactenus dum mecum fuisti, passus sum vlla te necessaria te egere. Quod vero nunc cum fratre tuo iuniore factum est, non debebas indignari & inuidere, sed vel saltim mihi congaudere & simul epulari: *quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit. Et perierat & inuentus est.*

Gerit hic senior filius typum Scribarum & Pharisæorum, adeoque omnium hypocritarum, qui exemplis gratiæ diuinæ offenduntur. Hi exercent se in operibus legis tanquam *in agro*, & propter opera hæc se Deo longe gratiores & acceptiores esse quam alios, ipsi sibi persuadent. Quando postea audiunt, Deum etiam magnos peccatores in gratiam recipere, ipsis peccata condonare, & in hæredes sempiternæ vitæ assumere, vbi & Deo de receptis perditis hominibus, & ipsis peccatoribus & resipiscentia gratulari debebant, ibi ipsi offenduntur & indignantur, & in odium peccatorum *nolunt intrare*, nec doctrinam Christi suscipere. Imo etiam rogati recusant intrare. Christus ipsos miraculis & Apostolorum doctrina humanissime inuitauit, sed omnia fuerunt frustranea. Vnde Apostoli ipsis dixerunt Actor. 13. versi. 46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus. Nec tantum indignantur peccatoribus conuersis, sed etiam expostulant cum Deo patre. Indigne enim fuerunt hypocritica sua opera in salutis negotio contemni, & omnia ad solam misericordiam referri. Ideo virtutes & obedientiam suam mirifice commendant, & Deo quasi ingratitudinem exprobrant, quod non dignis præmiis tantam obedientiam remunerarit. Cum tamen obedientia illa necessaria sit, non meritoria. Denique etiam miseris peccatoribus lapsus suos obiiciunt, & dolet ipsis, quod non deteriores fuerint. Deus pater, licet mox huiusmodi hypocritas iusta ira in abyssum abiicere posset; tamen etiam hic iram reprimit, & studet modis omnibus etiam horum murmur compescere, eosque Euangelicæ gratiæ & cœlestis conuiuij participes facere. Esto, sitis iusti & fueritis morigeri, quia semper mecum fuistis, & omnia mea vestra sunt, tantum non obmurmuretis resipiscentiæ fratrum vestrorum, de qua lætatur omnis cœlestis familia, & vobis propterea prorsus nihil de salute vestra decedit, si modo communis gaudij & cœlestis epuli vna participes fieri cupiatis.

Also ist Gott ein wolgeplagter Mann, von den Frommen, von den Bösen, deren keinem theil ers recht machen kan.

Hæc est simplex expositio trium harum iucundissimarum parabolarum. Habent quidem singulæ plures doctrinas, quæ extraordinarie assumi possunt. Nobis sufficiat totam expositionem ad genuinum scopum direxisse. Aliis τὰ πάρεργα lubenter relinquemus.

Quia tamen in superioribus diximus, aliquos in hac tertia parabola per seniorem filium Iudæos, & per iuniorem Gentiles intelligere, & docere in vtroque populo idem accidisse, cuius hic præludium aliquod in Pharisæis & Publicanis præcesserit: idcirco paucis etiam illorum expositionem perstringemus. 1. Duorum horum populorum, Iudæorum & Gentilium, vnus communis pater & conditor est. Roman. 3. versic. 29. Quorum *iunior*, scilicet gentilis, ab Ecclesia Dei recedens, acceptas à Deo facultates, in regione longinqua dissipauit cum meretricibus. Etsi enim Deus ipsi hæc naturæ dona dederat, vt ex visibilibus inuisibilia Dei cognoscere posset, Rom. 1. vers. 20. errauit tamen in cogitationibus suis, & gloriam incorruptibilis Dei commutauit in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & serpentium. Sicque idola colens turpiter cum ipsis fornicatus est, donec omnia bona & naturæ & gratiæ consumeret. 2. Consumptis omnibus *cœpit egere* cognitione Dei, vera pietate & omnibus virtutibus. Derelicto enim fonte virtutum, quid aliud quam mera barbaries sequi potest? Et secuta est in longinqua illa atque à Deo semota regione *valida fames*, fames non panis, neque sitis vini, sed audiendi verbum Domini. Amos 8. vers. 11. Vbi autem hæc dira fames ingruit, ibi deficit cultus Dei & omnis vera religio, atque sensim homines animis contabescunt. 3. in hac egestate *adhæsit vni ciuium in illa regione*. Diabolus in mundo regnum obtinuit, cuius potestati tota gentilitas tum fuit subiecta. Hic multos habet Philosophiæ, Poeseos etiam veritatis Magistros: hic quisque sibi eligit pro libitu, per quem summum bonum se consequi posse sperarunt. Sed reipsa experti sunt, ipsorum doctrina nec spiritualem famem sedari, nec saturitatem parari, tantum se mitti *ad porcos vt siliquis* ventrem distendant. 4. Pertæsis ergo miserrimæ suæ conditionis, & Deus ipsorum misertus, misit ipsis verbum Euangelij, quo *surgere* ipsos iussit ex sordibus suillis, à colluuie idolomaniæ, superstitionum & omnium vitiorum. Hi ad verbum Dei impigri surrexerunt, nec seipsos ob vilitatem indignos reputantes nec de Dei prædicata benignitate diffidentes, ad eandem felicitatem, qua hactenus Iudæi in domo Dei vsi, properarunt. 5. Deus gentes magno numero ad regnum suum accurrentes, non tantum benignissime & paterne suscepit, sed etiam Innocentiæ *stola*, quam egressæ ex domo Dei amiserunt, in Christo ipsos vestiuit, *annulo* spiritus eas sibi desponsauit, nouis viribus & vt in Dei præceptis ambulare possent, ceu *calceamentis*, instruxit. Nec hisce contentus adhibet eas ad lautissimum suum conuiuium, quod in Ecclesia sua parauit. cibat eos sacrosancto filij sui corpore sub pane benedicto, potat ipsos eiusdem sanguine in calice consecrato. Et hisce delitiis eas reficit tantisper, donec transferantur in beatam illam immortalem vitam, vbi omni voluptatum genere abundabunt in omnem æternitatem. 6. Populus autem Iudaicus, qui in V.T. *in agro* legalium ceremoniarum assidue fuit occupatus, & graue legis iugum satis diu portauit, videns gentiles tam facile ad gratiam Dei recipi, remissionem peccatorum & promissionem vitæ æternæ consequi, contra murmurauit, &, vt ex Actis Apostolicis patet, sæpius noluit permittere, vt gentes ad gratiam Euangelicam admitterentur, nisi iugum legis simul in se reciperent. Sed Deus illorum morositate nihil offensus, per concilium Apostolorum (quos Christus orbis & præsertim gentium Doctores constituit) Actor. 15. vers. 28. gentes à rigore legis liberauit, & per sedecim secula iam in doctrina gratiæ conseruauit. Cui pro hac benignitate gratias agimus, licet occæcati & obdurati Iudæi acerbissimo odio nos propterea prosequantur.

Die Iuden vermaulen vnsern Herrn Gott den Himmel, so kan er ihrer auch wol enthraten.

CAPVT CXXII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, PARABOLA DE dispensatore iniquo. Luc. 16. v. 1.

RATIO ORDINIS.

De ordine historiarum hic disputare velle superuacaneum est. Nos enim, vt iam aliquoties dictum est, sequimur ordinem Lucæ. Qui hoc in loco, vt ostendat hanc parabolam alio loco & tempore dictam esse addit: *dicebat autem & ad discipulos suos*: cum priores parabolæ ad Pharisæos & Scribas dictæ fuerint. Vnicum hic notandum est, quod Lucas vers. 18. huius capitis interserit vnicam periodum, qua innuit sibi displicere Pharisæorum doctrinam de residuo. Et quia hæc eadem doctrina Matth. 19. versic. 3. & Mar. 10. vers. 2. quoque tractatur, vbi Pharisæi plena disputatione Christum hoc nomine aggrediuntur. Ideo mouit hoc Andream Osiandrum, & Cornelium Iansenium & alios, vt tam Matthæi quam Marci descriptionem ad hanc periodum reducerent, & in vnam Harmoniam compingerent. Sed sunt hæc diuersissimis in locis facta. Lucas hic describit, vt ex præcedentibus patet, quid Dominus Iesus in Iudæa docuerit. Disputatio autem Pharisæorum contra Iesum facta est in regione *trans Iordanem* hoc est in Peræa, prout vterque Euangelista disertis verbis testatur. Et quid opus est historias, quando se inuicem consequuntur, tam procul ab inuicem discerpere? Osiander ipse fatetur disputationem cum Pharisæis, & oblationem infantum vna die accidisse: & tamen per aliquot capitula ad inuicem legregat. Nos ergo simplicitatem sequentes, hanc periodum huic parabolæ subiungemus: disputationem autem suo loco, volente Domino, tractabimus.

Dispensator iniquus. Luc. 16.

1. Ἔλεγε δὲ καὶ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, ἄνθρωπός τις ἦν πλούσιος ὃς εἶχεν οἰκονόμον, καὶ οὗτος διεβλήθη αὐτῷ ὡς διασκορπίζων τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ.

1. *Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat dispensatorem, & hic delatus est apud illum, vt qui dissiparet bona ipsius.*

2. Καὶ φωνήσας αὐτὸν, εἶπεν αὐτῷ, τί τοῦτο ἀκούω περὶ σοῦ; ἀπόδος τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας σου, οὐ γὰρ δυνήσῃ ἔτι οἰκονομεῖν.

2. *Et vocauit illum, & ait illi. Quid hoc audio de te? redde rationem dispensationis tuæ, non enim poteris posthac dispensare.*

3. Εἶπε δὲ ἐν ἑαυτῷ ὁ οἰκονόμος, τί ποιήσω, ὅτι ὁ κύριός μου ἀφαιρεῖται τὴν οἰκονομίαν ἀπ' ἐμοῦ; σκάπτειν οὐκ ἰσχύω, ἐπαιτεῖν αἰσχύνομαι.

3. *Ait autem dispensator intra se, Quid faciam, quia dominus meus aufert à me dispensationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco.*

4. Ἔγνων, τί ποιήσω, ἵνα ὅταν μετασταθῶ τῆς οἰκονομίας, δέξωνταί με εἰς τοὺς οἴκους αὐτῶν.

4. *Scio quid faciam, vt cum amotus fuero, à dispensatione, recipiant me in domos suas.*

5. Καὶ προσκαλεσάμενος ἕνα ἕκαστον τῶν χρεωφειλετῶν τοῦ κυρίου ἑαυτοῦ, ἔλεγε τῷ πρώτῳ, πόσον ὀφείλεις τῷ κυρίῳ μου;

5. *Conuocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo, Quantum debes domino meo?*

6. Ὁ δὲ εἶπεν, ἑκατὸν βάτους ἐλαίου, καὶ εἶπεν αὐτῷ, δέξαι σου τὸ γράμμα, καὶ καθίσας ταχέως, γράψον πεντήκοντα.

6. *At ille dixit, Centum batos olei. Dixitque illi, Accipe cautionem tuam, & sede cito, & scribe quinquaginta.*

7. Ἔπειτα ἑτέρῳ εἶπε, σὺ δὲ πόσον ὀφείλεις; ὁ δὲ εἶπεν, ἑκατὸν κόρους σίτου. Καὶ λέγει αὐτῷ, δέξαι σου τὸ γράμμα, καὶ γράψον ὀγδοήκοντα.

7. *Deinde alteri dixit, Tu vero quantum debes? Qui ait, Centum coros tritici. Et dicit ei, accipe cautionem tuam, & scribe octoginta.*

8. Καὶ ἐπῄνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας, ὅτι φρονίμως ἐποίησεν, ὅτι οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσι.

8. *Et laudauit dominus dispensatorem iniquum, quod prudenter fecisset. Quia filij huius seculi prudentiores sunt filiis lucis in natione sua.*

9. Κἀγὼ ὑμῖν λέγω, ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τοῦ μαμμωνᾶ τῆς ἀδικίας, ἵνα ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς.

9. *Et ego vobis dico, Facite vobis amicos ex mammona iniustitia, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

10. Ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ, καὶ ἐν πολλῷ πιστός ἐστι. Καὶ ὁ ἐν ἐλαχίστῳ ἄδικος, καὶ ἐν πολλῷ ἄδικός ἐστιν.

10. *Qui fidelis est in minimo, & in multo fidelis est. Et qui in minimo iniustus est, is & in multo iniquus est.*

11. Εἰ οὖν ἐν τῷ ἀδίκῳ μαμμωνᾷ πιστοὶ οὐκ ἐγένεσθε, τὸ ἀληθινὸν τίς ὑμῖν πιστεύσει;

11. *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis vobis credet?*

12. Καὶ εἰ ἐν τῷ ἀλλοτρίῳ πιστοὶ οὐκ ἐγένεσθε, τὸ ὑμέτερον τίς ὑμῖν δώσει;

12. *Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?*

13. Οὐδεὶς οἰκέτης δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν. ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει. ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει. οὐ δύνασθε Θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ.

13. *Nemo seruus potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis* Deo *seruire & mammona.*

14. Ἤκουον δὲ ταῦτα πάντα καὶ οἱ Φαρισαῖοι, φιλάργυροι ὑπάρχοντες, καὶ ἐξεμυκτήριζον αὐτόν.

14. *Audiebant autem hæc omnia & Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum.*

15. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς, ὑμεῖς ἐστε οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων, ὁ δὲ Θεὸς γινώσκει τὰς καρδίας ὑμῶν. ὅτι τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν, βδέλυγμα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἐστιν.

15. *Et ait illis, Vos estis, qui iustificatis vos ipsos coram hominibus. Deus autem nouit corda vestra. Quia quod hominibus excelsum est, abominandum coram Deo est.*

16. Ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται ἕως Ἰωάννου, ἀπὸ τότε ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ εὐαγγελίζεται, καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται.

16. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, ab eo tempore regnum* Dei *annunciatur, & quiuis in illud vim facit.*

17. Εὐκοπώτερον δέ ἐστι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν.

17. *Facilius autem est cœlum & terram præterire, quam legis vnum apicem cadere.*

18. Πᾶς ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ γαμῶν ἑτέραν, μοιχεύει. καὶ πᾶς ὁ ἀπολελυμένην ἀπὸ ἀνδρὸς γαμῶν, μοιχεύει.

18. *Quisquis dimittit vxorem suam, & alteram ducit, adulterium committit. Et omnis qui dimissam à viro ducit, adulterium committit.*

Periocha huius Parabolæ.

IVlianus Apostata & Porphyrius Sophista seruatorem nostrum Iesum Christum ob hanc parabolam turpiter traduxerunt, & calumniati sunt, quasi per eam dilapidationem bonorum, furta, rapinas, fraudes & similia peccata probasset, eo quod Dominus iniquum hunc dispensatorem *laudasset, quod prudenter fecisset.* Sed scimus omnes, quod si cuiuis liberum esset, parabolis glossas affingere, quas vellet, tum mirabiles disputationes contra varia Dei præcepta orituræ essent. Sed hæc est lex parabolarum, quod Christus sibi explicationem & applicationem earũ reseruauit, quam etiam vbique vel præmisit, vel subiunxit, & intra illas metas ab ipso monstratas non continere debemus. Inprimis autem si attendamus, qua occasione Christus ad proponendam hanc parabolam adductus fuerit, tum doctrina & admonitio eius erit planior. Proposuerat Christus in præcedentibus exemplum prodigi, qui omnia sua dilapidauit, & tamen cum reuerteretur gratiam apud patrem consecutus est. In illo exemplo voluit pingere quales nos omnes simus, nimirum natura perditi & prodigi: nihilominus tamen Dei misericordiam tantam esse, vt si conuertamur, per pœni-

tentiam

tentiam & fidem, recipiamur. Hæc doctrina pro peccatoribus adeo salutaris & consolatione plena est, vt merito omnes cum Acolasto accurrere, aut si ire non possent, serpere deberent, quo diuinæ huius gratiæ participes fierent. Nam si quem iudicium Dei & mors apprehendunt, dum est in statu perditionis, tum perit in æternum: sicut Acolasto accidisset, nisi domum properasset. Sed animaduertit CHRISTVS, quod hæc tam fidelis ipsius commotio à Pharisæis contemnatur, magnitudo gratiæ Dei nec consideretur, nec recipiatur: nullus est qui cogitet, Ego peccaui, sed omnes manent securi, & pergunt audacter in anteacta vita. CHRISTVS ergo, vt pigritiem excutiat, & omnes permoueat, vt valedicant securitati, testatur Euangelista, ipsum mox postquam finierat Acolastum, & animaduertebat, quam parum apud homines huius seculi profecisset, qui volunt mali manere, & studiose, etiam contra Dei voluntatem, perire, ibi subiunxisse Christum hanc parabolam de iniquo dispensatore, ad discipulos directam, ita tamen, vt etiam Pharisæi eandem audirent, & se ea notari intelligerent. Et voluit ipsis ea indicare, nequaquam ipsos perpetuo sic in securitate circuituros, sed futurum tempus, vt ad rationes reddendas citentur, vbi minus subsistere possint, quam hic dispensator. Attendant ergo quid ille fecerit. Siquidem ipsi tempus conceditur conficiendi suas rationes, certe non negligens est nec contemnit citationem, sed omnes neruos ingenij intendit, vt sibi prospiciat, ne post remotionem ab officio egere cogatur. At huic vult Christus inferre, si hic œconomus & dispensator in iniquo adeo diligens fuit, tantum vt ventri suo prospiciat, ne quid ei desit: cur vos in causa Dei & animæ vestræ adeo estis desides, nec serio cogitatis, quomodo æternam animæ salutem procurare debeatis. Qui hanc occasionem huius parabolæ attendit, ille nunquam dicet, Christum ea furtum & rapinam probasse. Parabolam itaque in manus sumemus, & prout Christus ipse eam partitur, sic nos etiam tractabimus. Habituri autem sumus. 1. Narrationem parabolæ. 2. Eiusdem applicationem ab ipso Christo monstratam.

I. Proponit Christus in parabola duas personas 1. *diuitem hominem*. 2. eiusdem *œconomum* siue dispensatorem. Non autem loquitur de mundanis rebus, sed ipse tanquam cœlestis homo, cœlestia per illa vult intelligi.

1. *Diues homo* est Deus, cuius *dispensatores* sunt omnes homines, eo quod ipsis bona sua concedit: quanquam vni plus, alteri minus. Bona illa sunt 1. Bona mundi siue fortunæ, vt aliqui vocant: aurum, argentum, agri, pecudes, prædia, dominationes. Hæc Deus initio dedit Adamo plena manu: Genes. 1. versic. 28. & licet per peccatum hæc bona amiserit, tamen Deus post diluuium ad posteros repetiit. Genes. 9. versic. 2. 2. Bona corporis, qualia sunt sanitas, pulchritudo, robur, omnes sensus, visus, auditus, motus. Hæc, qualia & quanta sint bona, fere non agnoscimus, nisi ex priuatione. 3. Bona animi seu spiritualia: ingenium, sapientiam, prudentiam, memoriam, eloquentiam, pacem, verbum salutis, promissionem gratiæ, iustitiæ, & vitæ æternæ. Hæc bona Deus hominibus communicat, non vt ipsi eorum sint Domini, sed *dispensatores* ad alios. Ipse Deus manet eorum Dominus, iuxta illud Psalm. 24. vers. 1. Domini est terra & omnis plenitudo eius. Quemadmodum ergo diues aliquis Dominus œconomo suo gubernationem pecuniæ, frugum & aliorum quæ possidet, concredit, ita tamen vt rationes de iis reddat: ita Deus nobis singulis sua dona elocauit, vt moderate iis in ipsius timore vtamur, cum iis proximo inseruiamus, & Domino vsuram faciamus: quia ratio de iis olim reddenda. Nec decet vt hic vnus alterum respiciat, & egentior cogitet, hæc magnis Dominis, quibus Deus integras regiones & populos gubernandos tradidit, dicta sunto: aut etiam illis, qui magnis donis, sapientia, eloquentia & similibus sunt ornati. Equidem verum est, quod de his, quo plus acceperunt, eo plus ab ipsis requiretur, Luc. 12. versic. 48. sed vtcunque quis pauper sit, tamen habet quod à Deo accepit. Si non mundi bona, tamen corporis: si non hæc splendida, tamen ipsum corpus & ipsam animam, quibus quis debitor factus est Deo: & præter hæc accepit, verbum, Sacramentum, ablutus est à peccatis in baptismo per sanguinem Christi, cibatus & potatus eiusdem corpore & sanguine in sacra Cœna. Annon hæc sunt magna dona, quæ Deus etiam in pauperrimos confert.

2. Quærat ergo quis, quomodo de iis vtatur, vt non *iniquus* sed bonæ frugis *dispensator* sit? Hic quisque expendat, quid Deo, quid proximo, quid sibiipsi debeat, tum eo rectius officium faciet. 1. Quo ad Deum: huic omnibus nostris bonis seruiamus. Aurum, argentum & reliqua bona nostra contribuamus ad propagandum purum verbum, ad conseruandum ministerium, cuius gemitus ob tenuitatem sustentationis passim audiuntur. Corporis vires, aures, os & reliqua locemus ad audiendum Deum in verbo, ad prædicandas ipsius laudes, ad promouendum ipsius cultum, sapientiam, eruditionem, eloquentiam eo dirigamus, vt iis Dei Ecclesiam ædificemus. Imo corpus & animam eo impendamus. Toti enim sumus eius, qui nos sanguinis sui pretio sibi acquisiuit. 1. Petr. 2. vers. 9. 2. Quoad proximum. Si Deus plus tibi dedit, quam illi, liberalior cum ipso communices: maxime si coram te sit, & Deus ipsum tibi vicinum dederit. Hic tum deriua fontes tuos foras, & in plateis aquas tuas diuide: tu tamen eorum dispensator manere potes, Prouerb. 5. versiculo 16. Non sis ita duriter affectus erga pauperes, sicuti mox de diuite epulone audiemus, erga Lazarum. Ideo Deus in veteri Testamento ordinauit decimas, de quibus prolixe agitur Deuteronom. 14. versic. 22. & ibi nominat Leuitam, viduas, pupillos & pauperes, quorum habenda sit ratio. 3. His quando satisfactum est, tum quod superest, bona conscientia quis vti potest, pro sua, suorum liberorum & familiæ necessitate, non ad superbiam, luxum vel voluptates: sed moderate, parce & in timore Dei. Si quis inde habeat victum & amictum, tum residuum colligere & reseruare potest ad futuram necessitatem. De his habemus disertum Dei verbum. Quapropter si quis olim in nouissimo die cupiat lætam illam vocem Matth. 25. versic. 28. audire: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui, suam dispensationem sic instituat, vt in reddendis rationibus probetur. Hic enim sumus dispensatores terrenorum bonorum, illic futuri sumus hæredes æternorum bonorum: hic peregrinamur, illic in patriam recipiemur: hic sumus in valle lachrymarum, illic futuri in palatio gaudiorum: hic fungimur seruitio, illic accepturi coronationem & remunerationem.

3. De dispensatore hoc dicitur, quod *delatus sit apud Deum, vt qui dissiparet bona illius*. Sic apud omnes fere homines, bone Iesu, quæ & quantæ sunt dissipationes? Plerique auro & argento suo, ac si illud à se & non à Deo haberent, superbiunt; alij per luxum & profusionem omnia prodigunt, nulla habita ratione pauperum. Imo his (quod sæpe principes faciunt iniustis exactionibus) bolum ex faucibus eripiunt, vt luxus & voluptates suas conseruent. Pauperes multis ante fores iacent, Christus acclamat, vt ipsos iuuemus, sed plerique surdas habent aures. Sic sæpe videmus, quomodo iuuenes robore corporis sui abutantur ad seruitium diaboli, potando, lurcando, helluando, scortando, inutiles labores suscipiendo. Sic flores iuuentutis Diabolo consecrant: feces autem senectutis Deo reseruant. Magnus etiam est abusus spiritualium bonorum. Si cui Deus largitur argutum ingenium, eruditionem, linguarum scientiam, eloquentiam & similia dona, tum multi iis abutuntur ad peruertendam religionem. Et quia Deus non statim hosce abusus punit, plerique putant Deum dormire, & hæc nequaquam curare: & si maxime interdum euigilet publicis pœnis, tamen ipsi manent in sua proteruia. Sed huiusmodi dissipatoribus idem accidit, quod iniquo huius dispensatori, *Diffamantur, vt qui Deo dissipent bona sua.* A quibus diffamantur? 1. A propriis peccatis, sicuti Genes. 18. versic. 20. peccata Sodomorum & Gomorrhæorum in cœlum clamarunt, & Deum ad pœnam prouocarunt. Sic etiam horum peccata vindictam à Deo exigunt. 2. A Diabolo. Hic enim conscribit longum repertorium vitiorum & peccatorum nostrorum, vt ea deferat ad Deum. Ideo Apoc. 12. ver. 10. à cœlesti Ecclesia vocatur accusator confratrum ipsorum, qui illos ante conspectum Dei accuset die ac nocte. Nec simpliciter eos accusat, sed etiam calumniatur, sicuti Iobo fecit, Iob. 1. vers. 10. cuius simplicitatem & pietatem coram Deo pro hypocrisi calumniatus est. 3. Quin & boni angeli, quando malis operibus eos abigimus, nos accusant coram Deo. Nam hi semper vident faciem patris nostri qui in cœlis est, Matth. 18. versic. 10. 4. Gemitus pauperum seu proximi quem quis tyrannice tractauit, quoq; deferunt iniquos apud Deum. Sic Gen. 4. v. 10. Sanguis Abel de terra clamauit ad Deum pro vindicta, Exod. 2. v. 23. Gemitus & vociferationes Israelitarũ ad Deum ascenderunt in cœlum. Et Ps. 12. v. 6. dicit Dominus: propter gemitum pauperum exsurgam: ponam in salutari & prædicabitur ei. 5. Propria conscientia, quæ mille testiũ loco est, multos etiam apud Deum defert. Sed quid tandem fit? Iniquo dispensatori dicitur: *redde rationem dispensationis tuæ, non enim poteris posthac dispensare.* Sic & nos citamur ad reddẽdas rationes: partim per conciones pœnitentiæ, partim per morbos, varias cruces & afflictiones. In primis verò

quando accedit hora mortis, tum prorsus deponimur ab officio, & illa spoliat nos omnibus bonis. Si quis iam fuit *iniquus dispensator*, tum ipsum accusant, & contra ipsum testantur non tantum homines, diaboli, angeli, propria conscientia, sed etiam propria opera, quæ nos sequuntur, Apocal.14.versic.13. Ibi tum erit reddenda ratio de quouis verbo otioso, Matth.12.versic.36. nec licebit tum appellare: sed standum erit latæ sententiæ irreuocabiliter in omnem æternitatem. De hoc admonemur, vt mature circumspiciamus & consilium quæramus, quomodo rationes nostras instituere velimus, per conuersionem & seriam pœnitentiam, dum adhuc sol gratiæ nobis splendet, ne mox diuina ira nobis imparatis superueniat.

4. Iam porro attendendum est, quid fecerit iniquus dispensator, vt etiam remotus ab officio, tamen non egeat. Consultat ipse secum, & dicit: *Fodere non valeo, mendicare erubesco, scio quid faciam, &c.* Hic describit Christus naturam & ingenium *filiorum huius seculi*; de quibus infra dicet. Quando autem filios huius seculi nominamus, tum non intelligimus tantum fures, lurcones, latrones & similes, sed omnes in quibus vetus Adamus, de quo singuli bonam vnciam habemus, prædominatur. Quid ergo faciunt hi filij huius seculi. In hoc dispensatore id videmus: quod Deus præcipit, illud nolunt facere, crucem quam illis immittit, nolunt portare: sed quod seuere prohibuit, illud magis adlubescit. Attende, in hoc dispensatore iniquo omnia tria inuenies. 1. Deus ordinauit, vt quisque in sudore vultus sui, iuxta vocationem & statum suum, suum panem comedat, Genes.3.versic.19. Sed hic dicit vetus Adamus, *fodere non valeo*, nimis multum hoc requirit laboris, & exiguos reddit prouentus. 2. Pigris minatur Deus, Deuteron.6.versic.11. quod ipsis egestas ventura sit quasi viator, & pauperies tanquam vir armatus. Sed hic rursus dicit vetus Adamus: *mendicare erubesco*. Quid? num pauper esse debeo, nec quicquam habere, & aliorum ianuam stipis causa pulsare, hoc pudendum foret. 3. sequitur; *scio quid faciam*. Quid ergo? Non quidem dicit fiam latro, vel fur: sed cogitat, Ego fallam meum Dominum, defraudabo eum in suis bonis, & magnam eorum partem ad debitores ipsius deriuabo, tum hi beneficij huius memores, *recipient me in domos suas, cum amotus fuero à dispensatione*. Hæc quando de iniquo hoc dispensatore audimus, tum omnes eum culpamus & dicimus: O degenerem dromonem, qui dignus est vt Deus eum puniat, Ego potius laborassem, vt cutis fumigasset: aut si omnino Deus mendicitatem mihi imposuisset, agnouissem pœnam & patientes tulissem potius, quam vt Dominum meum defraudassem. Sic nos quidem dicimus, sed fere fit, vt illi qui festucam vident in hoc œconomo trabem non conspiciant in proprio suo oculo. Nam πράξις vt plurimum diuersum demonstrat. Nam quot passim videmus oberrare, quibus Deus in iuuentute honestum dedit patrimonium, concessit vocationem & statum, in quo honeste se & suos sustentare potuissent, si fideliter functione sua defuncti fuissent: sed otium, desidia, commessationes sodalium, alea & similia ipsos nocumento fuerunt. Et quidem horum aliqui non erubescunt mendicare, verum sunt impudentes mendici, qui mallent alicui marsupium cum pecunia eripere. Sed plerique cum hoc villico tacite secum consultant, quomodo per vsuras aut alios gryphos contra septimum præceptum aliquid parare possint. Hasce fraudes & imposturas non tanti laboris esse existimant, & quia hoc in mundo inter filios huius seculi valde vulgare est, & tamen nemo pro tali haberi velit: ideo Deus in aliena persona depinxit, vt corruptos hosce mores tanto facilius agnoscamus, & studiosius fugiamus, quia omnes in dispensatore improbamus. Memores ergo simus precum Salomonis Prouerb.30. versic.8. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.

5. Quomodo iniquus dispensator impiam suam deliberationem in actum traduxit? *Conuocatis singulis Domini sui debitoribus dixit primo, dixit secundo*, & sic deinceps, *quantum debes Domino meo?* Hæc vero non ita intelligo, vt plerique quasi hic dispensator adeo ignauus & negligens fuerit, vt quantum singuli deberent, ignorarit, & demum ex debitoribus liquidum debitum cognoscere coactus fuerit. Nam singulorum τὰ χειρόγραφα & Syngraphas obligatorias habuit ad manus, in quibus debiti summam videre potuit. Sed interrogatio hæc eo facit, quod quando singuli summam sui debiti confessi sunt, & ipse vni remittit, *quinquaginta batos olei*, alteri autem remittit, *viginti coros tritici*, ipsius liberalitas de alieno tanto magis ipsis innotescat, ipsique postea eo promptiores sint, vicissim ipsi gratificandi, eumque intra ædes suas ad sustentationem vitæ recipiendi. Idcirco mox primo, qui *centum batos olei debebat dixit: accipe cautionem tuam, & sede cito & scribe quinquaginta*: alteri autem, qui *centum coros tritici debebat, dixit, scribe octoginta*. Quod non est ita accipiendum ac si singuli veteribus suis chirographis hanc correcturam addiderit. Hoc enim facere non licet, & fraus nimis redderetur manifesta. Sed dilaceratis & remotis primis syngraphis obligatoriis singulos iussit nouas conscribere, in quibus plus non facerent, quam ipse scribere iussisset. Si quis autem nouisse cupiat, quid sit *batus olei*, & quid sit *corus tritici*, is quasi per compendium id colligere potest ex loco. Ezech.45.versic.10. Statera iusta, & Ephi iustum & batus iustus erit vobis. Ephi & batus æqualia, & vnius mensuræ erunt: vt capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori Ephi: iuxta mensuram cori erit æqua libratio eorum. Et quia Hebræi omnes suas mensuras præsertim in liquidis iuxta oua gallinacea regularunt, hinc cuiusuis mensuræ quantitas colligi potest. *Log* sex oua continet: *Batus* septuaginta duo Logim excipit: *Corus* siue *Ithomer* decem batis completur. Hinc etiam patet iniquum hunc dispensatorem plus remisisse ei, cui viginti coros tritici remisit, quam cui quinquaginta batos olei licet hæc summa maior sit. *Et laudauit Dominus iniquum dispensatorem*, non quod pie & recte, sed *quod prudenter fecisset*. Quidam hæc verba non Christo sed Euangelistæ attribuunt, vt sic tanto magis CHRISTVM excusent, quod huius fraudes & deceptiones non probarit. Sed quia hoc opus est effugio, cum ex mox sequenti tristi Christi querela manifestum euadat, quod Christus nihil horum probarit. Sic ergo Dominus delectatus dicitur ingenio iniqui sui dispensatoris, sicuti nos nonnunquam, quando audimus facinus quidem damnamus, miramur autem & laudamus ingenium, simul tamen dolemus, eum hoc ingenium non in melioribus exercere. Laudauit ergo, non quod fraudem commisisset, sed quod prudenter sibi in futurum prospexisset.

6. His subiicit Dominus mœstam querelam: *quia filij huius seculi prudentiores sunt filiis lucis in natione sua*. Quos *filios huius seculi* vocat, iam in iniquo dispensatore vidimus. Per *filios* autem *lucis* intelligit Christianos, qui per Spiritum sanctum & Baptisma Deo renati sunt in filios. Et hi titulum hunc non habent natura, sed per regenerationem, à Deo patre, qui est pater luminum, Iac.1.versic.17. & à Deo filio, qui est lux mundi, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan.1.versic.9. & à spiritu sancto, qui quoque est Spiritus lucis & non tenebrarum. De his qui sic Dei spiritu sunt illuminati conqueritur Christus, & taxat eorum desidiam, quod in quærendis & appetendis cœlestibus æternis bonis, non eam adhibeant diligentiam, quam filij huius seculi in quærendis bonis perituris. Vult dicere: videtis quanto serio dispensator mundanus, si ipsi officium renunciatur, res suas tractet, non quiescit vsque dum sibi prospiciat, vbi remotus ab officio manere possit. Et hic iniquus dispensator tam serio hoc agit, vt faciat id cum iactura honoris & existimationis suæ apud debitores, & cum periculo vitæ apud Dominum, si in austerum & iminitem Dominum incidisset, illeque pro iure suo cum ipso agere voluisset. Quid vos, qui vultis vocari *filij lucis*? Scitis vos debere valedicere huic mundo: scitis vobis reddendam esse rationem, quia quotidie videtis aliquos vos eo antecedere: scitis vos in iudicio ad mille non posse vnum respondere. Iob.9. versic.3. & tamen adeo secure in diem viuitis. vos filij hominum, si decimam partem eius diligentiæ impenderetis ad acquirenda cœlestia bona, quam filij huius seculi tribuunt acquirendis terrestribus per fas, & nefas, melius vobiscum ageretur. Confer inter se filios huius seculi *in sua natione*, in suis actionibus & studiis, cum filiis lucis, & hæc nimis vera esse reipsa deprehendes. Ad acquirendum vnum florenum, quem tamen fures rapere possunt, integrum diem insumere audemus: ad consequendum thesaurum vitæ æternæ per integram septimanam ægre & cum tædio insumimus vnam horam. Mercenarius fert æstum diei, vigil frigus noctis, ob paucos nummos: opifex integram septimanam ad sudorem vsque laborat: Mercator ob temporalia bona cum periculo per mare nauigat: Venator per montes per syluas in æstu & frigore, feras sequitur: Miles ob exile stipendium, corpus & vitam vendit. Econtra Christianus per integram hebdomadem vix horam impendit in studium beatitatis. O pudor! ô dolor! Excutiamus mortiferum hunc somnum: hæc mundana despiciamus, cœlestia autem suspiciamus & magnificiamus. Illic pro corruptibili auro & argento, immarcessibiles coronas & thesauros, & pro mortali hoc corpore, clarificatum accipiemus.

I I. Ha-

II. Hactenus Narrationem habuimus huius parabolæ, cum qualicunque eiusdem expositione. Nunc sequitur eiusdem applicatio ab ipso Christo facta: *Et ego vobis dico: Facite vobis amicos ex Mammone iniustitiæ, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* De vocula *Mammona* dictum est cap.51.huius harmoniæ,pericopa septima: & significat proprie in lingua Syriaca copiam ac thesauros diuitiarum huius mundi. Hic autem dicitur à Christo *Mammon iniquitatis* siue iniqui, non propterea quod diuitiæ per se sint malæ & iniquæ. Abrahamo enim Iosepho, Dauidi, Salomoni,& aliis, qui fuerunt diuites & potentes, diuitiæ non fuerunt Mammon iniquitatis. Sed sic vocat Christus, quia communiter ab hominibus quoad diuitias peccatur,non tantum in iis acquirendis,sed etiam in iisdem possidendis & vsurpandis. Et hoc vsque adeo vulgare est,vt etiam veteres dixerint: Diues aut est iniquus,aut iniqui hæres. Quicunque autem diuitiis, etiam à Deo concessis,non recte vtitur,is domi habet *Mammonem iniquitatis*.Quoad Christi vero institutum ,sic vult ille dicere: videtis mundum Mammonem & diuitias eo conuertere,vt sibi in mundo amicos parent,qui tamen fere sunt instabiles,& tempore necessitatis vel parum, vel nihil prosunt. *Ego dico vobis*,si cui Dominus dedit substantiam huius mundi, vt libenter det eleemosynas, non claudat viscera misericordiæ erga pauperes;sed liberalis sit erga ipsos: sic parabit sibi amicos, *vt cum defeceritis*, quod fit, quando mors ipsum exuit omnibus temporalibus bonis, tum *recipient eum in æterna tabernacula*.Hic vero ne in errorem prolabamur ad duo est attendendum 1.Quinam sint illi *amici*. 2. Quomodo iidem nos *recipiant*.

I. Per *amicos* intelligunt Iesuitæ sanctos qui iam cum Christo viuunt,& hos tum precationibus,tum iustificationibus, tum cultu imaginum amicos esse faciendos, vt in hora mortis nostri miserti nos in cœlum suscipiant. Sed hoc falsum est: Quia Christus hic non loquitur de demortuis,sed de viuis nostris confratribus, quibus ex Mammone nostro adhuc benefacere possumus: qui vna nobiscum adhuc viuūt in hac peregrinatione,& nostro siue consilio,siue auxilio, indigent. His mature,dum adhuc viuimus,& valemus,subueniamus,esurientes cibemus,sitientes potemus,& reliqua misericordiæ opera exerceamus. Hi,quibus ita benefacimus,erunt in nouissimo die nostri *amici*. 2. Sed quomodo nos *recipient*?Non vno modo;sed pluribus. 1. Quando diligenter pro nobis orant,vt Deus nos illuminet,nobisque benedicat: sicut fecit Abrahamus pro Abimelecho Gen.20.17. 2. Quādo nobis viam ad salutem notam faciunt.Sic 1.Reg.17.9. Sareptana in fame communicauit panem Eliæ , Philippenses Paulo in custodia communicarunt de suis bonis Philip.4.15. Quid vero ille profugus & hic captiuus vicissim præstarunt? receperunt eos in æterna tabernacula:deduxerūt eos ad veram fidem,& propter hos Deus ipsis benefecit. 3.Quomodo in nouissimo iudicio coram Christo & beatis angelis de beneficentia nostra erga se publice testificabuntur, iuxta quod testimonium Christus nos in cœlum recipiet.Sicuti ea de re Christus ipse prolixe testatur Matth.25.versic.34. Ipse Christus est Dominus internorum tabernaculorum , ipse nobis mansionem in illis parauit Iohan.14.2. Quando iam in nouissimo die sedebit iudex, & vna cum ipso sedebunt non tātum duodecim Matth.19.28 sed etiam sancti 1.Cor.6.2. tum segregabit oues ab hircis,& hos quidem ad læuam ; illas vero ad dextram collocabit.Hirci,qui fidem ouium,quę in corde latet,non vident,murmurabunt & sibi iniuriam fieri conuitiabuntur.Ibi tum procident hi *amici*, & coram Christo ouibus testimonium præbebunt , audientibus & ringentibus hircis.Hic vnus dicet:Ego miser scholasticus in iuuētute mea periissem , & fortassis ad boues vel porcos relegatus fuissem: sed hic vir fuit meus patronus,meque ad studia adhibuit:hic princeps,illa nobilis matrona dedit mihi subsidium studiorum.O bone Iesu,tu etiam ipsis hoc repende in vita æterna. Sic alius dicet.Ego pauper & egenus fame periissem in priore vita,in lecto meo contabuissem, nisi hic vir,vel illa matrona suis eleemosynis & medicamētis me recreassent.O Christe Iesu,retributor omnium bonorum, largiter nūc ipsis hoc retribue in cœlo.Ibi Christus dicet: Amen dico vobis,quod fecistis vni ex hisce fratribus meis minimis,mihi fecistis:venite igitur benedicti Patris mei, & hæreditate regnum vobis paratum ante constitutionem mundi. Hi sunt amici, & hic est modus recipiendi in æterna tabernacula. Quisque ergo det operam, vt multos sibi amicos paret, qui olim sint testes pietatis. Est reuera magnum fœnus, si quis pro terrenis bonis,consequatur cœlestia:si pro libra luti,recipiat centū pondo auri. Certe tales pro caducis bonis recipiunt æternum thesaurum in cœlis,suosque census ita adaugent,vt reditus sibi parent perpetuos.

II. Christus,vt eo fortius nos permoueat ad liberaliter dispensanda corporalia bona pro pauperibus,subiungit adhuc plures rationes inter quas hæc vna est. *Qui fidelis est in minimo, & in multo fidelis est. Et qui in minimo iniustus est: is & in multo iniquus est.* Est ratio ducta à consilio Dei, quo is quibusdam opes confert,non in alium finem,quam vt liberales sint.Heri hoc obseruare solent,vt seruum nouitium in re aliqua minuta probent,& si eum fidelem deprehendunt,tunc plura etiam ipsi concredunt ; sin in tenuibus infidelitatē suam prodit,potius Dominus seruum ex ædibus abigit,quam vt plura ei credat.Sic Deus hoc consilio quibusdam dat Mammona, seu rem vilissimam,vt eos probet an etiam sublimioribus rebus sint admonendi. Et vnde fieri putabimus,quod multi liberalibus ingeniis præditi,tamen rebus agendis adhibiti,nihil proficere possunt,quam inde, quod in dispensatione minorum Dei bonorum non fuerunt fideles , ideo Deus ipsos indignos censet, quibus maiora communicet. Hic vero in verbis Christi notandum est quo loco diuitiæ mundanæ sint habendæ.Mundus habet eas pro re maxima,vnde diu noctuque magno labore,quidam etiam per fas & nefas,cum periculo vitæ & animæ eo contendunt, vt multa corradere possint,vt diuites fiant.Sed Christus diserte hic testatur,quod sit ἐλάχιστον,*minimum*.Hoc verum esse credamus,quia os veritatis id prolocutum est. Multi etiam indignantur, quod sibi non tantundem diuitiarum datum sit,quantum aliis. Si cōsiderarent diuitias esse rem minimam,iam quiescerent. Debebant autem multi simul cogitare,quis scit , vtrum etiam fidelis futurus fuisses,si plura accepisses? Relinque ergo Deo liberam dispensationem temporalium bonorum.

III. Alia ratio additur: *Si in iniquo Mammona fideles non fuistis quod verum est,quis vobis credet? Et si in alieno fideles non fuistis,quod vestrum est. quis dabit vobis?* Diuitias hic vocat Christus & iniquas,& alienas,& nostras. *Iniquas*,quia multos peccare faciunt. *Alienas*, quia non nobiscum nascuntur;sed à Deo alterius gratia communicantur, nihil faciunt ad pietatem,nihil ad vitam æternam: ideo vere sunt ἀλλότρια. Τὰ ἡμέτερα ἀγαθὰ, & *nostra bona* dicuntur, ad quæ pij nati, vel potius regeniti sunt , & quæ semper ipsis prosunt, neque vnquam eos deserunt.Qualia sunt fides,pietas,patientia,beneficentia,& ipsa denique vita æterna,ad quam pij à Deo creati à Christo redemti , & à S.S. Sanctificati sunt , vult g.Christus dicere : Qui malus prouisor est rerum alienarum,idem etiam suis non bene consulet. Iccirco optimum factu, vt etiam à propriis arceantur,& proinde salus & vita ęterna non concedentur illis, qui cum suo Mammone non fuerunt liberales. Illud autem diligenter notandum , quod diuitiæ à Christo dicantur *aliena*. Multi bonis externis profuse abutuntur,& si propterea reprehenduntur, indigne ferunt, dicentes:Atqui hæc bona mea sunt,an non licet mihi cū meo facere,quod Ego volo. At heus tu bone vir,Christus hic negat tua propria esse,& affirmat esse *aliena*. Hunc audias,& in alieno non esto infidelis.

IV. Postrema ratio sumpta à contrariis & pugnantibus quæ in vno homine simul locum habere non possunt. *Nemo seruus potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & Mammona.* Hoc intelligendum est de duobus dominis sibi inuicem contrariis, quales sunt Deus & Mammon.Hi vsque adeo dissident,vt cœlum ab inferno non plus dissidere possit. Deus enim vult, vt in hac vita pie viuendo,in altera ipsi conuiuemus,atque sic in æternum nobis bene sit. Mammon tamen nec pietatem,nec salutem curat ; sed vult,vt auare,parce,sordide viuentes ipsi vni seruitia præstemus , fiat de æterna vita quicquid sors tulerit.Sed quia hæc ratio supra cap.51.harmoniæ peric.7. ex 6. cap.Matth.versic.17.sufficienter est exposita, sedulum lectorem eo remittimus.

3. Tractationi parabolæ,& eiusdem applicationi iam subiungit Euangelista iudicium Pharisæorum qui & ipsi huius concionis auditores fuerunt,& facile sentiebant se ea petitos esse.Erant enim φιλάργυροι *auari*,inhiantes temporalibus bonis. Et quia sentiunt se tactos non possunt dolorem pectore premere;sed egerunt eum. Ita enim semper accidere solet,vt qui sua vitia taxari sentiunt,offendantur & incandescant. Ebrius ægre fert Ebrietatem taxari:ita auarus auaritiam, scortator scortationem, superbus , superbiam, vsurarius vsuras & sic deinceps. Quid g.Pharisæi? ἐξεμυκτήριζον αὐτόν, *deridebant illum*. μυκτηρίζειν significat aliquem irridere, subsannare, & naso suspendere adunco. Præpositio etiam ἐξ verbo significationem maiorem & quasi intentionem addit : vt dubium non sit Pharisæos Christum non simpliciter risisse, sed etiam externa signa irrisionis in vultu & gestibus edidisse.*Sie haben in ausgelachet, vnd ausz.geraunschet*. D. Paulus hoc verbo vsus est in passiua voce Gal.6.versic.7. Nolite errare, θεὸς οὐ μυκτηρίζεται Deus non irridetur. Aliquoties etiam

legitur in Veteri Testamento vt Psalm.22.versf.8. conqueritur Christus: omnes videntes me ἐξεμυκτήρισάν με subsannarunt me. 2. Reg.19.21. & Esa.37.22. Nunciat Esaias regi Sennacherib: spreuit te, ἐμυκτήρισεν subsannauit te, filia Zion virgo, vbi respondet Hebræo לעג lachen, irrisit. Et habet hoc verbum cognationem cum עלג quod balbum significat, ac si quis balbutienti loquatur, & per irrisionem ipsius loquelam minus aptam imitetur. Ideo autem Pharisæi auari hanc Christi concionem irriserunt, quia cogitarunt, miser hic Iesus egenus & inops peruagatur vniuersam nostram regionem, secum ducens discipulos adhuc se egentiores. Iam producit rationes quibus nobis non tamen persuadeat, vt eleemosynam ipsi & discipulis erogemus, sed etiam ipsos intra ædes nostras recipiamus, & gratis alamus. Sed diu concionabitur antequam hoc à nobis obtineat: imo si conciones suas in vniuersum suspenderet fortassis citius à nobis aliquid obtineret. Et quia lex Dei diuitiarum affluentiam promittit suis cultoribus, vtique vel hinc manifestum est, diuitias nobis ob pietatem à Deo datas esse. Tales fuerant tum Pharisæi. Sed hi non soli tales fuerunt. Eædem sannæ & cogitationes hærent in multorum hominum cordibus, quando legunt vel audiunt sententias de dandis eleemosynis. Salomon dicit Prouerb.19.17. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. Sed quotusquisque est, qui hæc audiens, prompte Deo mutuo det, & ab ipso compensationem expectet? Ergo in nobis eosdem defectus agnoscamus, quos hic in Pharisæis culpamus. Quinimo ex hisce disce hanc communem sanctæ doctrinæ mercedem in hoc mundo esse, quod ab impiis risu excipi solet. Sicuti quidam Hierosolymitani id fecerunt Apostolis Actor.2.versic.13. in prima concione Pentecostes: & Athenienses idem facere Paulo, Actor.17.versf.32. cum Christianæ fidei articulos ipsis exponeret, & sic omni tempore doctrina clementiæ, modestiæ, continentiæ, beneficentiæ à mundo ridebitur. Sed verbi ministri hasce sannas eo patientius ferent, quia vident ne Christum quidem Dominum ab ipsis liberum fuisse. Quid vero Christus? 1. Non cedit Pharisæorum sannis, sed doctrinæ suæ autoritatem tuetur, & vicissim in ipsos iusto zelo inuehitur, ipsisque hypocriseos laruam detrahit. *Vos estis, qui iustificastis vos ipsos coram hominibus*: quasi dicat, vultis nouisse, quales vos sitis? Ego paucis vobis indicabo. Quæcunque vos facitis, illa omnia in eum finem facitis, vt vobis coram hominibus opinionem sanctitatis & iustitiæ paretis. Hinc omnia in externis ceremoniis posita habetis, in crebis lotionibus, ieiuniis, precationibus & eleemosynis in publico, in sacrificiis, peculiari vestitu, & singularibus gestibus, quibus vitia vestra sub specie boni contegitis, vt pietatis studium sub exemplo Patriarcharum, & promissionibus legis tueamini. At vtcunque coram hominibus, qui tantum ex externis iudicant, sancti & iusti habeamini: verum *Deus nouit corda vestra*. Quæ, quia hypocrisi, inuidia, elatione & irrisione plena sunt, ipse abominatur. *Quia quod hominibus excelsum est, abominandum coram Deo est. Hominibus excelsum* hic vocat non virtutes & heroica facta, quæ etiam gentilibus interdum admirationi fuerunt: sed Pharisaicam & hypocriticam elationem, qua sese coram hominibus venditant, vt summi sancti esse videantur, licet intus & in cute sint hypocritæ. Monet nos hæc sententia, ne nos ex mundanorum hominum iudiciis pendere desideremus. Multa enim homines approbant, quæ Deus reprobat. Sed operam demus, vt nostra consilia, actiones, vitam & alia Deo probemus. Huic si placeamus, sufficit si maxime alias toti mundo displiceamus. Paulus talia hominum iudicia reiecit & repudiauit, 1. Corint. 4.3. & Galat.1.10 scribit: Si hominibus placere vellem, Christi seruus non factus essem. Idem de aliis rebus accipi potest. Abundare diuitiis, ab omnibus honorari, & in omnibus rebus primas tenere, coram hominibus excelsum quid est, & suspiciendum: sed nisi vera iisdem adsit pietas & sanctitas, tales abominationi sunt coram Deo. Ita mundana sapientia, eloquentia & consilia dare magnum quid sunt coram hominibus: sed nisi νόημα nostrum captiuum teneamus in obsequium Christi, 2. Cor.10.5. talis sapientia carnis inimica est Deo, Rom.8.7.

2. Sui officij & muneris rationem reddit: *Lex & Prophetæ vsque ad Iohannem, ab eo tempore regnum Dei εὐαγγελίζεται, annuntiatur.* Male habebat Pharisæos & Scribas, qui cum ipsi in suis synagogis legem Mosis & Prophetas legerent, Iesus passim Euangelium suum de regno Dei vrgeret. Huius rationem reddit, & fatetur legem & Prophetas habere in populo Dei vsum præclarum & multiplicem, siquidem à Deo ipsi dati fuerint in pædagogum ad Christum, Galat.3.24. Ac proinde finem suum illa habitura esse, iam olim præmonstratum fuisse. Hunc finem adesse Iohannem Baptistam ipsis indicasse, siquidem aperte docuerit iam adesse illum inde ab initio promissum humani generis seruatorem, qui expiatis mundi peccatis, & deuicta Diaboli tyrannide Dei regnum instauraturus sit: & hunc seruatorem ipsum digito monstrasse. Non debere igitur ipsos mirari, quod relictis veteris cultus ceremoniis, auditores suos per prædicationem Euangelij inuitet, vt fide regnum Dei suscipiant, in illud ingrediantur, atque sic beata Dei cœna fruantur. Licet autem hæc ipsa Dei prædicatio ipsis sit ridicula, quam subsannent: nouisse tamen dicunt eam non esse inefficacem. Quantumuis enim ipsi rideant: tamen *πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται, quiuis in illud vim facit.* vocula *πᾶς* hic promiscuam multitudinem significat, quæ quasi Pharisæis & Scribis oponitur: vnde recte translata est *quiuis*. Vult Christus Pharisæis dicere: Rideatis vos quantum volueritis, tamen sciatis alios satis multos superesse, qui pro consequendo Dei regno turmatim confluunt, velut contendentes illud aliis præripere, siquidem nullus ipsorum in hoc studio postremus esse vult. Hanc sententiam licet alio fine adductam etiam supra habuimus ex Matth.11.12. quæ in 56.cap. harmoniæ fuse exposita est: & possunt inde aliqua cum fructu huc transsumi. Cæterum quia dixit, *Lex & Prophetæ vsque ad Iohannem*, ne calumniari possent, sicut aliquoties ab ipsis factum, ipsum esse legis destructorem, cuius auctoritatem labefactet, ideo constantissime illud vrget, & addit sententiam de legis indissolubilitate. *Facilius est cælum & terram præterire, quam Legis vnum apicem cadere.* Ad huius sententiæ expositionem facit, quod idem seruator noster Matth.5.17. in eandem sententiam dixit, & expositum est c. 51. Harmoniæ peric.3. vbi prolixe docuit, se non venisse vt legem destruat: sed vt eam compleat. Eandem hanc quæstionem de legis destructione tractat etiam Paulus in epistola ad Galatas capp.2.& 3. Etsi enim lex ceremonialis est abrogata post Christi aduentum, cuius typus erat: etsi etiam lex forensis magna ex parte concidit, quia tantum promulgata erat pro politia Iudaica: etsi denique etiam à maledictione & damnatione legis moralis liberati sumus: tamen manet legi sua autoritas rata & sacrosancta, quia illa omnia in Christo Iesu suum complementum habent, absque quo si essent, etiamnum legis pædagogiæ per omnia subiecti maneremus.

3. Vt nullum dubium relinquat, se legem Mosis non abrogare, exemplo id docet sumpto ex lege forensi, quo exemplo Pharisæos pungit, quod ipsi sint, qui legem Mosis soluant, quod inter alia faciunt crebris suis repudiis & diuortiis. Apud Iudæos enim iam vsu introductum erat, vt marito concessum esset leuiculam ob causam & propter exiles næuos, vxori suæ, si vlterius ipsi tædiosum vel molestum esset, dare dimissoriam epistolam, & instrumentum libertatis, vt libera permissa sit vnicuique viro. Contra hanc Iudæorum licentiam, vel potius leuitatem Christus hic paucis suam exponit sententiam, & dicit: *Quisquis dimittit vxorem suam, & alteram ducit adulterium committit. Et omnis qui dimissam à viro ducit, adulterium committit.* Sic vero Christus matrimonij dignitatem asserit, & prohibet ne potentes repudiis ludant, sicuti pueri astragalis, quod multis in locis valde vsitatum est. Quia autem de hac sententia dictum est cap.51. Harm. peric.3. ex Matth.5.31. & infra ex Matth.19.3. & Marc.10.2. hæc ipsa controuersia inter Christum & Pharisæos prolixe tractatur, eo rem omnem reiicimus.

CAPVT

CAPVT CXXIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS PARABOLAM DE DIVITE EPVLONE, Lucæ 16. 19.

RATIO ORDINIS.

IVcundum est obseruare, quam exquisito ordine hæ doctrinæ & parabolæ Christi se mutuo sequantur, Luc. 14. 16. Pharisæos & scribas inuitauit, ad magnam cœnam, in cœlis paratam iis, qui vocationi parent, & per fidem sese Deo sistunt. Sed Pharisæi & Scribæ secure hanc cœnam negligunt, Luc. 15. 1. publicani & peccatores Christo appropinquant, vt ex ipso discant, quomodo huius cœnę participes fieri queant. Hoc Pharisæos male habet, sed Christus parabolis ostendit, quam necessarium sit, si Deus per crucem nos intrare compellat, vt ipsi obtemperemus, nisi teterrima fame perire velimus. Si autem veniamus, Deum Patrem summa clementia nos suscipere, peccata & offensas clementer condonare, & pristino amori atque dignitati tales restituere. Sed nec hoc mouit Pharisæos, qui erant auari & colligendis nummis magis intenti, quam acquirendo regno Dei. Ergo Christus in principio huius capitis 16. sermone quidem ad discipulos directo, sed vt & Pharisęi audirent, proponit parabolam de iniquo dispensatore, eaque docet Pharisæos non perpetuo in bonis suis terrenis delitiaturos, sed fore tempus, qua rationem reddituri sint, quomodo illa dispensarint. Quapropter blande inuitat & hortatur eos ad beneficentiam erga pauperes, additis multis rationibus, quæ animum pium permouere possunt, ne cor suum apponat diuitiis, neve seruitio Mammonæ sese dedat: sed potius de parandis æternis tabernaculis cogitet. His vero Christiani vsque adeo nihil moti sunt, vt Christum irriserint, & naso suspenso subsannarint. Cum ergo malitia & improbitas Pharisæorum crescat, crescit etiam apud Christum zelus, qui iam aliam parabolam adducit, qua arctius eos premit, & metu futuræ damnationis percellere cupit. Nam cum ipse sit Dominus cœli, terræ, & inferorum, hic quasi vna manu paradisum aperit, & ad ictum oculi beatitatem Lazari conspiciendam præbet: mox alteram manum in gehennam vsque extendit, atque inde hunc epulonem, ceu titionem fumigantem profert; eumque vicissim naribus Pharisæorum admouet, vt gustent, quomodo hæc caro vstulata ipsis sapiat, & an etiam risuri sint, quando venerint in illum locum tormentorum. Quapropter ab abusu terrenarum facultatum sibi caueant, & benignitate erga pauperes vtantur. Nam etiam hic epulo noluit recte dispensare sua bona, non desiderauit sibi facere amicos ex iniquo Mammona, sicuti Pharisæi. Sed tandem cum æterno suo damno expertus est, qui fuerit exitus horum omnium. Epulo, quod Pharisæi notare debuissent: non fuit ἄθεος, vocat enim Abrahamum patrem, ob circumcisionem nouerat etiam Mosen & Prophetas, & tamen venit in locum tormentorum, quia pauperem Lazarum ita immisericorditer neglexit. Ostendit simul Christus in diuitiis & prosperitatibus huius vitæ nequaquam felicitatem collocandam esse, vt fere homines faciunt: neque, quenquam ob paupertatem, aut alias mundi aduersitates pro infelici iudicandum, sed in omnibus æternitatem spectandam esse. Denique hac parabola quasi exemplum proponit sententiæ suæ paulo ante prolatæ, qua dixerat: *Quod hominibus excelsum est, abominandum coram Deo est.* Quid coram hominibus magis suspiciendum est quam cum epulone regalem ducere vitam? Sed hic abominationi fuit coram Deo. Quid magis abiectum, quam instar Lazari mendicare, & in mendicitate mori? sed hic lætus fit incola cœli.

Diues Epulo, & Pauper Lazarus. Luc. 16.

19. Ἄνθρωπος δέ τις ἦν πλούσιος, καὶ ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον, εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς.

20. Πτωχὸς δέ τις ἦν ὀνόματι λάζαρος ὃς ἐβέβλητο πρὸς τὸν πυλῶνα αὐτοῦ ἡλκομένος.

21. Καὶ ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ πλουσίου. ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες ἐρχόμενοι ἀπέλειχον τὰ ἕλκη αὐτοῦ.

22. Ἐγένετο δὲ ἀποθανεῖν τὸν πτωχὸν, καὶ ἀπενεχθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς τὸν κόλπον τοῦ ἀβραάμ. ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος, καὶ ἐτάφη.

23. Καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, ὑπάρχων ἐν βασάνοις, ὁρᾷ τὸν ἀβραὰμ ἀπὸ μακρόθεν, καὶ λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ.

24. Καὶ αὐτὸς φωνήσας εἶπε, πάτερ ἀβραὰμ ἐλέησόν με, καὶ πέμψον λάζαρον, ἵνα βάψῃ τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ ὕδατος, καὶ καταψύξῃ τὴν γλῶσσάν μου, ὅτι ὀδυνῶμαι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ.

25. Εἶπε δὲ ἀβραὰμ τέκνον, μνήσθητι, ὅτι ἀπέλαβες σὺ τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου, καὶ λάζαρος ὁμοίως τὰ κακά. νῦν δὲ ὅδε παρακαλεῖται, σὺ δὲ ὀδυνᾶσαι.

26. Καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις, μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται. ὅπως οἱ θέλοντες διαβῆναι ἐντεῦθεν πρὸς ὑμᾶς, μὴ δύνωνται, μηδὲ οἱ ἐκεῖθεν πρὸς ἡμᾶς διαπερῶσιν.

27. Εἶπε δὲ ἐρωτῶ οὖν σε πάτερ, ἵνα πέμψῃς αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου.

28. Ἔχω γὰρ πέντε ἀδελφοὺς, ὅπως διαμαρτύρηται αὐτοῖς ἵνα μὴ καὶ αὐτοὶ ἔλθωσιν εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς βασάνου.

29. Λέγει αὐτῷ ἀβραὰμ, ἔχουσι μωσέα καὶ τοὺς προφήτας,

19. *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso & epulabatur quotidie splendide.*

20. *Erat autem quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius hulcerosus.*

21. *Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis. Sed & canes veniebant, ac lingebant hulcera eius.*

22. *Accidit autem, vt moreretur mendicus, & deportaretur ab angelis in sinum Abraam. Mortuus est autem & diues, ac sepultus est.*

23. *Atque in tartaro, sublatis oculis suis, cum esset in tormentis, vidit Abraam eminus, & Lazarum in sinu eius.*

24. *Et ipse clamans dixit: Pater Abraam miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, ac refrigeret linguam meam, quia crucior in flamma hac.*

25. *Dixit autem Abraam, fili recordare, quod receperis bona tua in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic solatio fruitur, tu vero cruciaris.*

26. *Et super hac omnia inter nos & vos hiatus ingens firmatus est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque isthinc huc transcendere.*

27. *Ait autem, Rogo ergo te pater, vt mittat eum in domum patris mei.*

28. *Habeo enim quinque fratres, vt testificetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum cruciatus.*

29. *Ait illi Abraham, Habent Mosen ac Prophetas*

ἀκουσάτωσαν αὐτῶν.

30. Ὁ δὲ εἶπεν, οὐχὶ πάτερ Ἀβραάμ, ἀλλ' ἐάν τις ἀπὸ νεκρῶν πορευθῇ πρὸς αὐτούς, μετανοήσουσιν.

31. Εἶπε δὲ αὐτῷ, εἰ Μωσέως καὶ τῶν προφητῶν οὐκ ἀκούουσιν οὐδὲ ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ, πεισθήσονται.

audiant illos.

30. *At ille dixit, Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscent.*

31. *Ait autem illi, Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexit credent.*

Periocha huius Parabolæ.

OMnibus temporibus disputatum est, vtrum hoc exemplum à Christo productum, sit tantum parabola, an rei gestæ vera historia. Nec desunt à patribus, qui affirment ex Hebræorum traditione constare, circa illa tempora vixisse eiusmodi diuitem, & medicum Lazarum, cum quibus idem contigerit in hac vita, quod Christus hic recenset, vtriusque autem vel præmium vel pœnam post hanc vitam Christum adiecisse, vt sic auditores tanto plus moueret, ab auaritiæ & diuitiarum studio reuocaret, & ad liberalem dispensationem erga pauperes prouocaret. Sed siue sit historia, siue parabola perinde est, modo dextre explicetur, & recte applicetur. Vult autem Chistus in hisce duobus depingere totum genus humanum, quomodo Deus illos tractet in hac vita, & qualiter eos velit hic vitam instituere: vt olim cœlestis beatitudinis participes fiant. Nam neque olim Iudæos statim post circumcisionis fœdus initum in cœlos suscepit, neque hodie nos Christianos mox post baptismum suscipit, sed in hoc mundo relinquit. Et quemuis in certam vocationem pro liberrima sua voluntate collocat, in qua ipsum, qualem se gerere velit, probat. Sic vero distribuit, vt vnus sit diues, alter pauper, vnus læta, alter tristi fortuna fruatur: vnus in delitiis, alter in morbis & aduersitatibus vitam transigat. Si diuitias, opes, lætam fortunam & sanitatem in quempiam confert, ei hic proponit diuitem, vt discat, quid facere, quid fugere debeat, ne & ipse veniat in locum tormentorum. Quod facile fieri potest, si cor apponat ad diuitias, si voluptatibus sese immergat, pauperes negligat. Dei & ipsius verbi obliuiscatur, nec solicitus sit de ventura vita.

Si quempiam paupertate, mendicitate & morbis puniat, vt ab omnibus sit derelictus, nec quidquam in re familiari promouenda præstare possit, ei proponit Lazarum, vt discat, si maxime in hoc mundo sit pauper, quomodo se gerere debeat, vt deportetur in sinum Abrahæ. Certe, si Lazarus in miserabili suo statu à Deo defecisset, fidem & pœnitentiam abiecisset, contra Deum & proximum murmurasset, nunquam in sinum Abrahæ deportatus fuisset. Quare si hoc modo dextre accommodetur hoc exemplum (quod, mutua collatione inter hos duos instituta, commodissime fieri potest) siue quis pro historia siue pro parabola illud habeat, eundem finem à Christo propositum consequetur. Nunc rem ipsam tractabimus.

1. Conferri possunt inter se quoad statum huius vitæ. 1. In eo conuenerunt, quod ambo fuerunt *Iudæi*, ex benedicta posteritate Abrahæ, quæ sola tum temporis erat gens sancta, genus electum, & populus acquisitionis. *Diues* audierat cum reliquis Iudæis Mosen & Prophetas, nominat etiam Abrahamum *patrem*, & hic vicissim ipsum *filium* secundum carnem. *Pauper* quoque fuit Iudæus, quod innuit Hebræum ipsius nomen *Lazarus*, & propterea *in sinum Abrahæ deportatus est*, quia eiusdem fuit cum ipso fidei. Ergo vterque eorum signum fœderis cum Deo portauit in proprio corpore, & contra gentiles ex Psalm. 147. vers. vlt. gloriari potuit: non fecit taliter omni nationi. 2. Quoad fortunæ bona magna inter ipsos fuit disparitas. Vnus ipsorum fuit *diues* πλούσιος, quasi πολὺ ὅσιος multum habens: & hoc mundus in præcipua parte felicitatis positum habet. Vnde vulgo omnes dicunt: Beatus vir, qui habet multum *Silbergeschirs*. Idem etiã Dauid de vulgo testatur in Psa. 144. 13. vbi dicit: quorum promptuaria plena sunt, eructantia ex hoc in illud, oues ipsorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Fuit igitur diues hic vnus ex eorum numero, de quibus Iob. 21. 7. Impij senescunt in bonis diebus confortatique diuitiis. Domus eorum pacatæ sunt à timore, & non est virga Dei super eos. In labore hominum non sunt, & in laboribus hominum non flagellantur. Vnde torques eorum est superbia, operiunt se violentia. Nec dubium, quin hic diues magnam acquisierit existimationem & beneuolentiam inter homines, quia non fuit omnibus sordidus sed visus est suis diuitiis ita vt tã in conuersationibus quam in vestitu, vt multi iis frui potuerint. *Lazarus* autem est pauper, & inops πτωχὸς à πτώσσω siue πτήσσω, quod significat metu percellor, timore cõtrahor, quod timide oberrantibus mendicis, recte competit. Hinc ergo Lazarus non habuit, vnde se sustentaret, vnde etiam desertus ab omnibus mendicabat. Nam Prou. 14. 20. Pauper etiam proximo suo odiosus est: amici vero diuitum multi. Neque fuit hic Lazarus ex validorum mendicantium numero, contra quos etiam politicæ leges datæ sunt, sed totus fuit ἑλκωμένος *Vlcerosus*, vt si maxime libenter laborare, & panem suum parare voluisset, tamen præ inualetudine & infirmitate id non potuerit.

3. Diues splendido se ornabat vestitu, *induebatur purpura & bysso. Purpura* olim fuit vestis regia & Senatoria quæ etiam Pontificibus Iudæorum, quibus successerunt purpurati Romani, ad gestãdum à Regibus Ethnicis concessa fuit. 1. Macc. 14. 43. *Byssus* fuit linum Indicum, & Ægyptium, ex quo vestis linea magis quem lanea, eaque purissima, fuit confecta. Tanti pretij fuisse refertur, vt byssus & aurum eiusdem ponderis pari pretio permutarentur. Etsi Plinio fides est habenda, per ignem consumi non potuit, sed tantum purgatus est. Vnde etiam bysso inuoluerunt regum corpora, quando rogo imponebantur, vt ita corporis fauilla intra funebrem illam tunicam conseruari, cum reliquis cineribus non commisceretur. Plin. lib. 19. cap. 1. Et sane honorato viro magnum vestis decus addit honesta: sed quisque vestitu vti debet pro qualitate sui status, & functionis: si ciues nobiles, nobiles comites, comites principes vestitu æquare velint, magna confusio introducitur. Id fecit hic diues epulo, qui priuatus tam sumptuosis vtitur vestibus, quam Iosephus Gen. 41. 42. cum vniuerso regno Ægypti præficeretur. *Lazarus* autem fuit *nudus*. Cutis eius obducta erat scabie & vulneribus, quę fortassis pannoso & lacero pallio vtcunque tegebatur. Nam si quis non habeat cibum conuenientem, nec vestitum, quo se tegat, ibi vlcera & scabies prorumpunt, & cutem instar corticis operiunt.

4. Impiis solenne est, vt de peccato *in peccatum prolabantur*: sic hic epulo in præcedenti membro fuit superbus pauo, nunc fit Epicuri de grege porcus. Neque enim in proprio suo genio fuit nouerca, sed multos habuit combibones, *& epulabatur quotidie splendide*, verba sunt emphatica. Εὐφραινόμενος, hoc est, non tantum epularum delitiis sese oblectauit, sed lętus genio sic indulsit, vt omnia solatiorum genera quæsierit, quæ ad conuiuiorum voluptatem & hilaritatem faciunt: qualia sunt, cantus Musicus, organa, amicorum, sodalium, morionum, & consimilium nauci hominum præsentia. Hæc omnia, etiam corporalem sanitatem, quæ inter omnia corporalia bona merito primas obtinere statuitur, huius diuitis insinuant felicitatem. Vbi enim morbi dominantur, ibi etiam in splendidissimis conuiuiis nulla voluptas, nulla lætitia esse potest. Et tales luxuriosas comessationes exercebat, *quotidie*, vt eum totum ventri deditum fuisse, nec vllis aliis rebus vacasse intelligas. Atque hæc fecit λαμπρῶς *splendide*, magnifice, pompose, *Er machts das es ein ansehen hatte*. Ergo totus fuit ex eorum numero, qui quotidie cum Epicuro hymnum illum decantant: Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Aut iuxta illud, Esa. 56. 12. Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius. Sap. 2. 1. Consimiles sermones helluonum leguntur. *Lazarus* in tanta abundantia non vixit, sed famelicus & ab omnibus desertus, splendide esuriebat: ita vt miseram famem ex omnibus ipsius artibus conspicere licuerit. Et ad sedandam illam mi. ser non impudenter petebat fercula, perdices, vinum & consimilia: sed tãntum expetiit *satiari de micis, quæ cadebant de mẽsa diuitis*, quæ alioquin vel pedibus hominum contererentur, vel à canibus colligerentur. *Er wolte sich mit einer Hundesparteckę abweisen lassen*. Sed ea fuit immisericordia tam diuitis, quam ipsius domesticorum, vt ne quidem illarum particeps fieri potuerit. Vnde in perpetuam ipsius ignominiam adiicitur, quod canes benigniores in eum fuerint, quam homines. *Nam canes veniebant, & lingebant vlcera eius*. Quanquam non desint, qui putent hoc ipsum etiam fecisse aliquid ad augendam Lazari miseriam. Siquidem canes vlcera linxerint, non vt mendico benefacerent, sed vt ipsis bene esset. Neque enim semper dolore caret, quando hulcera nondum matura attinguntur, & contrectantur. Sic Lazari patientia vtrinque probata est, ex vna parte, dum nullam hominum erga se humanitatem experitur, ex altera parte, dum ab ipsis canibus molestiam hanc ferre coactus est.

5. Denique

5. Denique, diues etiam habuit *domum ad cuius ianuam iacebat mendicus.* Neque enim portitor ipsum intra atrium domus intromittere voluit. Fuisse autem domum admodum splendidam, ex multitudine comessatorum, & eorū, qui quotidie hanc aulam visitabant, colligere licet. In colloquio Abrahami vocat ipse diues, *domum patris sui.* Ergo hæc quoque fuit pars felicitatis ipsius mundanæ, res non parta labore, sed relicta. Econtra *Lazari* infelicitas tanto fuit maior, qui ne minimum quidem tuguriolum habuit, sub quo contra iniurias ventorum, nubium, niuis, & reliquarum tempestatum se tueri potuisset. Fuit enim ἄοικος καὶ ἄϊκος, sine domo, sine lare, vt sine re, sine spe, sic sine sede miser. Ideo ἐβέβλητο, quasi porrectus & proiectus erat ad diuitis ianuam, vt si maxime stare, vel sedere liberet, tamen hulcerum grauitate & multitudine discruciatus, minime posset. Sic ergo in hisce duobus habemus exemplar, in diuite quidem summæ mundanæ felicitatis, in Lazaro vero extremæ humanæ miseriæ. Ille in summis diuitiis prospera fruebatur valetudine, versabatur in oculis & existimatione hominum propter opes, splendorem vestium, liberalitatem erga sodales, & assiduas, quibus delitiabatur, voluptates. Hunc premebat pauperies non vulgaris: sed cum aduersa valetudine & mendicitate coniuncta: vt ratione ægritudinis Iobo conferri potuerit, qui hulcere passim à planta pedis ad verticem capitis vsque percussus fuit Iob. 2.7. ratione paupertatis ne quidem micas de mensa cadentes habere potuerit, quibus saturaretur. Vsqueadeo enim hic calamitosus nullius hominis commiserationem & curam sensit, vt ad ianuam diuitis ante eius oculos iacens, canes humaniores expertus fuerit quam homines.

II. Conferamus etiam eosdem quoad mortem. Et 1. in eo rursus ambo conueniunt, quod vterque mortuus est. Nam de paupere dicitur: *Accidit autem, vt moreretur mendicus.* De diuite mox subiungitur: *Mortuus autem est & diues.* Hæc enim ita post lapsum sors humanæ vitæ, quod eius exitus mors est, cuiusque quis sit status vel conditionis. Nam mors hanc seruat legem, tollit cum paupere regem. Mors sceptra ligonibus æquat. Et: Pallida mors æquo pede pulsat, & regnum turres, & pauperum tabernas. Lazarus tamen maturiore morte à Deo euocatus est, quam diues. Solet enim Dei benignitas magis festinare, vt eximat pios ex suis afflictionibus & æterna quiete donet: quam vt ipsius iustitia properet impios abripere à mundana sua felicitate, eosque tradere æternis cruciatibus. Expectat enim, diuina longanimitas tales ad pœnitentiam, quæ si non sequatur, thesaurizant sibi tales iram, in diem iræ reuelationis iusti iudicij Dei. Rom. 2. v. 5. Nec dubium est, quin Lazarus longe æquiori & tranquilliori animo mortuus sit, quam diues. Erat fame & hulceribus ita eneruatus, vt morti non potuerit reluctari: imo hæc grata ipsi fuit, vt vel tandem ex tantis miseriis & afflictionibus liberaretur. O mors, dicit Syracides cap. 41.3. bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defracto ætate, & cui de omnibus cura est. Diuiti autem, qui hactenus in summis voluptatibus vixit, admodum mors fuit acerba, iuxta illud v.1.ib. O mors quam amara est memoria tua homini pacem habendi in substantiis suis: viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum? Ideoque in lecto se hinc inde volutauit, quia dolorū & cruciatuum inassuetus. Hic occupati fuerunt medici & myropolæ, vt consilio bono, vt aqua forti, & conuenientibus pharmacis eum subleuarent. Sed omnia sunt frustranea: cum morte migrandum est, & omnia sua post se relinquit. 2 Post mortem de diuite dicitur: *ac sepultus est.* Quod absque dubio cum magna pompa de phantasia factum est: sicuti illud in ditiorum sepulturis fieri solet, vt non tantum consanguinei, cognati domestici & amici: sed etiam omnes fere noti longo ordine ipsos ad sepulcrum comitari, atque funebribus sermonibus defunctum honorare solent.

Cum moritur diues, concurrunt vndique ciues: cum moritur pauper, vix præsto est vnus & alter. Idem etiam de Lazari sepultura hic siletur, & existimat Chrysostomus, ipsum sine omni comitatu à vilibus hominibus extra vrbem protractum, & fortassis in fossam aliquam abiectum fuisse, nulla terra contectum. Quod scriptura asini sepulturam nominare solet. Ier. 22.19. quam Deus impiis minatur. Sed pio Lazaro ea non abfuit. Nam *ab angelis deportatus est in sinum Abrahæ.* Ecce, cuius in vita puduit diuitem, & omnes eius domesticos, eius post mortem non pudet angelos Dei, qui sunt administratorij Spiritus, missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem cupiunt salutis. Heb. 1. v. vlt. De *sinu Abrahæ,* in quem eum deposuerunt, omni tempore multum disputatum fuit, aliis hoc, aliis aliud statuentibus. Augustinus inter omnes maxime sobrie de eo statuere videtur, quando dicit esse secretæ cuiusdam quietis habitationem. Pontificij adhuc hodie simpliciter statuunt, sinum Abrahæ, limbum patrum esse tertiam contignationem, in Purgatorio in quo desudarint Patriarchæ tum, cum Christus paradisum & cœlum nondum merito suo aperuisset. Sed somnia hæc sunt otiosorum hominum, extra & contra Scripturas (vt infra pluribus dicemus) introducta. Si recte scire velimus, qui sit *sinus Abrahæ,* tunc sciamus Christum ἀνθρωποπαθῶς loqui in similitudine. Quemadmodum liberi quando in absentia parentum à familia male tractantur, à matribus, quę tenerrime ipsos amant, in sinum excipiuntur, ibi solatia audiunt, & omnium malorum facile obliuiscuntur: sic quoniam Abrahamus est communis omnium Iudæorum pater; cum quo Lazarus eandem & fidē & sigillum iustitiæ fidei habuit, ideo significatum Lazarum benigne in consortium beatorum susceptum, eadem cum ipsis quiete donatū, atque gaudiis regni cœlestis, quod Abrahamo promissum fuit, recreatum esse. Est ergo sinus Abrahę ille locus, vbi Deus ipse, vbi angeli, vbi sancti Patriarchæ & Prophetæ sunt, qui alibi manus Dei dicitur Sap. 3. 1. quo nullum tormentum pertingit. Ibi etiam Lazarus consolationum accipit. Nam in hac vita quoque multa aduersa & acerba tulit. Ita vt dubium non sit, ipsum non raro tentationes satis tristes sustinuisse, de certitudine promissionum diuinarum, quod bonis bene esse debeat. Hic cogitarit: Ego per Dei gratiam pie viuere studeo, & tamen patior inediam, plenus sum hulcerum. Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas? & sum flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. Ps. 73.13. Et quando oculis suis intuitus est impij diuitis felicitatem, tunc ingeminauit illud Ier. 12.1 Quare via impiorū prosperatur: bene est omnibus qui preuaricantur, & inique agunt? Nunc vero sinum Abrahę depositus *solatio fruitur,* & experitur omnia verissima esse, quæ Deus piis felicitatis loco promisit. Iccirco Deo gratias agit, non tantum quod ipsum liberauit ex miseriis huius mundi: sed etiam quando videt diuitem torqueri, quod Deus ipsum clementer custodiuit, quod non venit in locum tormentorum, simul erigitur expectatione maiorum bonorum, quando corpus resurget.

III. Conferantur etiam inter se hi duo, quoad statum alterius vitæ ibi rursus magna disparitas deprehendetur.

1. Prima differentia est, quod pauper nomine exprimitur, diues non item. In mundo diuitum nomina vbique innotescunt, fiunt clara, illustria & magnifica: pauperum non item, horum nomina aliis sordescunt, & plumbeo paupertatis onere in profundas tenebras demerguntur. Sicuti Deus, Mosi in consolationem dixit. Exod. 33.37. Inuenisti gratiam coram me, teipsum noui ex nomine. Ita quoad omnes pios fundamentum Dei firmum stat, habens signaculum hoc: cognouit Dominus qui sunt sui. Est ergo hic pauper vnus ex eorum numero, quibus Deus dicit Esa. 48.1. Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu. Nomen sane pauperis fuit satis conueniens, vocatus fuit *Lazarus* nomine ab Hebræa radice עזר adiuuit, & adiuuando sustentauit. A quo verbo etiam vxori Adamo creandæ Genes. 2.18. nomen datum est, quod vocatur עזר adiutorium. Inuenitur etiam plura nomina in V.T. ab hac radice deriuata, Azariæ, Eliezeri, & aliorum v. nomini addita est littera H loco præpositionis, Ad, vt indicetur, hunc talem esse, qui indigeat alterius ope ad adiuuandum. Cuius etiam adiutor fuit Deus, si non in hac certe in altera vita. Diuitis nomen non expressum est. Cū enim Deus dicat de impiis Psa. 16.4. non ero memor nominum eorum per labia mea: ideo nec ea nomina in papyro, vel in libro suo scripta esse vult, Ideo indefinite tantum vocatur, *homo quidam.* Nam memoria iusti est cum laudibus: nomen autem impiorum putrescet. Prouer. 10.7. Gaudeant ergo pij nomina sua scripta esse in libro vitæ, ex quo in nouissimo die aperte recitabuntur, & ad cœleste gaudium vocabuntur: impiorum nomina vicissim æterna obliuione & tenebris obliterabuntur.

2. Alteram differentiam facit disparitas locorum, in quem quisque eorum est delatus. *Lazarus sedet in sinu Abrahæ & solatio fruitur.* In hac enim vita Deum honorauit, quod verbo ipsius fidem habuit, crucem impositam patienter tulit, suamque animam pia inuocatione Deo commendauit: ideo vicissim nunc à Deo honoratur, & quidem longe sublimius, quā ipse in hac vita cogitare, vel assequi potuisset. De *solatio* ipsius in præcedenti membro dictum est, quæ quis, si velit, commode huc transferre potest. Est ergo Lazarus in loco gaudij & & lætitiæ in consortio angelorum & beatorum, atque fruitur conspectu Dei. *Diues est in inferno & in tormentis,* & quidem talibus, quæ nemo hominum tando explicare potest. Est in illo loco, in quo vermis damnatorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur. Esa. 66. 24. In loco, in quo quærit mortem, & non inuenit eam: & desiderat mori, sed mors fugit ab eo. Apoc. 9. v. 6. Ideo conqueritur, *crucior in flamma hac,* & gutta aquæ ad refrigerium ipsi denegatur in omnem æterni-

tatem. Quinam autem sint illius cruciatus, hoc omnibus hominibus ineffabile. Ia enim anima torquetur perpetuo morsu conscientiæ ex recordatione admissorum scelerum: mox subit dolor amissæ irreparabilis felicitatis, quam beneficio Christi facilime cōsequi potuisset, rursus illum excruciat cogitatio æternæ damnationis, quæ nunquā auerti poterit: prætereа quod cum dolore expectat resurrectionem corporis, cū quo anima rursus vnita Diabolo tradetur in horribiles pœnas, ex quibus non liberabitur in omnem æternitatē. Et hæc sunt dua illa loca receptacula animarum post hanc vitā. Vnus *infernus*, in quem diues epulo remissus est, & eodem omnes impij remittentur. Qui enim non credit in filium Dei, iam iudicatus est, & non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum, Ioh.3.vers.vlt. Et ex hoc inferno, nulla est redemptio. Cassiodorus, infernus quos semel recipit, nunquam restituit. August. Hic ligantur & soluuntur peccata. In futuro seculo nihil aliud est nisi remuneratio, & condemnatio. Alter locus est cœlum in quem deueniūt illi, qui vnico merito Christi confisi, firma fide in eo obdormiuerunt. De his Christus ipse dicit Iohan.11.26. vbi ego sum, ibi erit & minister meus. Ioh.17.24. Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, ibi illi sint mecum. Hinc latroni conuerso Luc.23.43. dixit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Et de omnibus fidelium animabus Apocal.14.13. Spiritus scribere iussit: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo dicit spiritus, quia requiescunt à laboribus suis, & opera illorum sequuntur eos. Nam animæ iustorum sunt in manu Dei, & nullum tormentum mortis tangit eos. Sap.3.1. De hisce duobus habitaculis animarum etiam Augustinus scripsit: Duæ sedes sunt animarum, vna est in igne æterno, altera in regno æterno. Tertium penitus ignoramus, imo nec esse in scripturis sanctis inuenimus. Pontificij his duobus locis præter limbum patrum, & tenebricosum locum infantum non baptizatorū addunt etiam tertium locum *purgatorium*, in quo animæ, quæ non plane puræ ex hoc mundo decesserunt, igni torreantur & purgentur, donec satis munde deprehendātur, quæ in cœlum admittantur. Prouenit hoc commentum ex curiositate humana, quæ negligit patefacta, & multum solicita est de occultis. Cogitarunt ergo otiosi monachi, non conuenit, vt qui modo ex immundo hoc mundo decedit, is statim in cœlum admittatur, in quod non intrabit neque immundum neque coinquinatum Apo.21.vers.vlt. Et licet quis decedat fide in Christum: tamen peccatum ibi adiacet. Ro.7.21. Ergo necesse est, vt alicubi aliquantisper subsistat, donec plane purgetur. Item cogitarunt: si quis habeat fidem historicam, non autem sit plene conuersus ex impedimento aliquo iniquum foret vt is in æternum damnetur. Ideo post purgationem in cœlum admittetur. Sunt quidem hæ iucundæ speculationes: sed non iuxta nostras cogitationes, verum secundum Dei verbum in rebus fidei est pronunciandum. Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ dicit Dominus. Esa 55.8. Sed præterquam quod hoc commentum est iniuriosum in sacrosanctum meritum & sanguinem Christi, qui solus peccato nos purgat ab omni. 1.Iohan.1.8. & 2. versiculo 2. etiam corrupit apud homines id quod in scripturis inter præcipuum refertur, vt quis nimirum beate & placide mori discat. Nam morituri, si maxime fidem habuerunt: tamen putarunt, se non sufficienter esse purgatos, ac proinde in igne purgatorio torrendos & torquendos: vicissim si fide caruerunt, non magnopere fuerunt sollicitі de pœnitentia vel conuersione; sed redimentes suffragia pro mortuis, securi decesserunt, atque sic infinitus hominum numerus à sacrificulis deceptus misere in æternum interiit. Persuaserunt enim morituris multa esse adminicula, quibus mature ex purgatorio liberari possint: inprimis preculas monachorum, eleemosinas, & missæ offertorium. Sed hæc falsa sunt. Nam in scripturis huius rei nec præceptum habemus, nec doctrinā, nec exempla In V.T. Deus in Leuitico Mosis multa sacrificiorum genera ordinauit; sed pro mortuis ne vnicum quidem. In N.T.D. Apostolus Paulus 1.Thes.4.13. Christianos prolixe instituit super mortuis, sed nihil horum iniungit: tantum vult ne lugeant sicut gentes, quæ nullam spem habent. Si etiam huic Epuloni nota fuissent suffragia & nugæ Pontificiorum, petiisset Lazarum ad fratres mitti, vt Missas, vigilias, anniuersaria, memorias, peregrinationes, indulgentias, & quæ præterea ad suffragia pertinent, sibi procurarent. Multam enim substantiam reliquerat. Sed inania sunt figmenta, quæ Pontificij de suo purgatorio protulerunt. Vt mirum sit totum mundum hoc commento fuisse deceptum, cum adeo prorsus nihil de eo in scripturis habeatur. Sed quia mundus claritatem veritatis non recepit vt saluus fieret, misit ei Deus efficaciam erroris, vt crederet mēdacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati; sed consenserunt iniquitati, vt Paulus scripsit 2.Thes.2.10. Augustinus suo tempore de eo quoque disputauit, sed nihil decidit, tantum duo loca animarum corpore solutarum statuit. Verum postea Pontificij firmius Purgatorium esse crediderunt, quam totam scripturam. At Pontificij dicunt: Spiritus & animæ ipsæ appàruerunt, præsertim tempore Gregorij Magni, quæ hoc confirmarunt. Respon. Christus hic dicit *habent Mosen & Prophetas, hos audiant: si non audierint, nec credent si quis ex mortuis resurrexit*. Sed Pontifices Romani, quia ignis purgatorius in ipsorum popinis lucentem focum facit, Mosen & Prophetas dimiserunt, atque mortuos audierunt. Sed vt dictum est, hoc nomine quamplurimos deceperunt, & salute suo priuarunt, dum sperarunt, si maxime in hac vita pœnitentiam non agant, se tamen in altera vita suffragis de mortuorum iuuari posse. Contra hanc deceptionis plenam doctrinam, fideles verbi ministri suos auditores serio commonefaciant, vt ne pœnitentiam suam extrahant, sed mature resipiscant, ne idem ipsis accidat, quod fatuis virginibus Matt.25.11. Sed HODIE si vocem Domini audierint, non obdurent corda sua. Psalm.95.8. Nam recte dixit Chrisostomus: Hoc tempus est pœnitentiæ, illud iudicij: hoc agonum, illud coronarum: hoc laboris, illud relaxationis: hoc ærumnæ, illud retributionis. Et Iustinus in Tryphone dicit hāc Christi sententiam esse, Ἐν οἷς ἂν ὑμᾶς καταλάβω, ἐν τούτοις καὶ κρινῶ: in quibus vos deprehendero, in illis & iudicabo. Aut, vt Cyprianus loquitur in sermone de mortalitate: Qualem te inuenit Deus cum de hoc mundo te euocat & accersit, talē pariter & iudicat. At, dicat quis, Deus in hora mortis neminem plene mundum inuenit, cumque nihil immundi intret in portas cœlestis Hierusalem. Apoca.21.vers.vlt. quis mox cœli incola erit. Resp. Mundities & puritas hæc non secundum nostram rationem æstimanda, sed iuxta Dei verbum statuenda est Act.15.9. Fide purificantur corda nostra, non purgatorio. Ioh.15.3. Iam vobis mundi estis propter sermonē quē locutus sum vobis. Et Paulus testatur Ephes.5.27. Christū patri suo cœlesti exibere sponsam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed quæ sit sancta, & immaculata. Intuere Lazarum. Num is in nostris oculis fuit mundus? Certe nec corpore, nec anima: sed totus miser. Quia tamen mortuus est in fide seminis Abrahæ, non in purgatorium remissus, sed in sinum Abrahæ receptus est. Ideo recte scribit Cyprianus contra Demetrianum. *Tu sub ipso licet exitu & vitæ temporalis occasu pro delictis roges Deum, confessionem & fidem eius agnitionis implores, venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem, sub ipsa morte transitur.* Hanc gratiam Christus impertit, redimendo credentem pretio sanguinis sui. Audi, hæc gratia, quod pro mundis in cœlum recipimur, non est purgatorium, neque persolutæ satisfactionis pro peccato; sed redemptionis per sanguinem Christi. Et hæc est secunda diuersitas inter diuitem & Lazarum post hanc vitam.

3. Tertiam disparitatem facit diuersum, vt sic nuncupem, sodalitium. *Lazarus* secum habet Deum seruatorem suum Iesum Christum, sanctos angelos, Abrahamum & omnes Diuos, & hoc solatio fruitur, quod scit se ab ipsorum consortio in omnem æternitatem non esse segregandum. Audit enim *hiatum ingentem esse firmatum, vt qui velit transire non possit. Diues* secum habet omnes Diabolos, gehennæ qui sufficienter eum terrebunt, & cruciabunt: habebit etiam secum quinque fratres, comessationum socios vbi ipsorum clamores, gemitus & eiulatus diuiti pœnam suam duplicabunt. Nam vt eandem fidem in Christum eadem salus sequitur: ita eadem peccata eandem & parem etiam merentur damnationem.

IV. Iam, quod præcipuum est, considerare decet, quænam sit causa damnationis diuitis, & quæ causa saluationis pauperis. Quouis tempore inuenti sunt, qui putarunt diuitem damnatum esse propter diuitias; Lazarum autem saluatum esse propter paupertatem & mēdicitatem. Et hinc factum est, vt hoc Euangeliū, quod medicamē esse debuit animæ, multis fieret venenū. Nam, Apostolici, Manichæi, Monachi, Anabaptistæ opes abiecerunt; quia propter illas damnationem metuerūt. Patres etiam mirati sunt exempla gentiliū qui magno animo diuitias contempserunt, & abiecerunt Sicut D. Hieronymus commendat exemplum Cratis Philosophi apud Paulum, qui magnum auri pondus abiecit, putans se non simul & virtutem & diuitias possidere posse. Addit: Et nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur? Huc applicarunt postea multa dicta. Psal.10.14. Tibi, Domine, derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Es.49.13. Dominus consolatus est populum suum & pauperum suorū miseribitur. Matth.5.3. Beati pauperes: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et 11.5. pauperes Euangelizantur. Iac.2.5. Nonne Deus eligit pauperes in hoc mundo? Hinc multi patrimo-

trimonium suum deseruerunt, loco purpuræ cilicium induerunt, loco epularum ieiuniū elegerunt, & fere ex malis Christianis deteriores hypocritæ facti sunt: nimitum inflati sunt Pharisæi qui ex selectitia sua paupertate Deum fecerunt, deteriores hoc epulone, vt qui non tantum aliorum nullam curam habuerunt, sed etiam alios præ se cōtemserunt. Quapropter hac opinione nemo se seduci patiatur. Nam vt paupertas per se neminem saluat: quia propter inopiam multi deliquerunt. Syra. 27. 1. & Salomon propterea deprecatur paupertatem, ne furetur & peieret nomen Domini. Prouer. 30. 9. Ideo non est dubium multos mendicos inferno arsuros. Vt ergo paupertas per se non saluat: sic nec diuitiæ per se damnant. Nam benedictio Domini diuites facit, nec sociatur eis afflictio. Prou. 10. 22. Datur etiam piis, vt Abrahæ Genes. 13. v. 2. Danidi & aliis. Atque recte Augustinus ex hoc Euangelio allegat, Deum Lazarum pauperem in diuitiis Abrahami sinum collocasse, vt ostendat vtrumque, & diuitem & pauperem saluari posse, si modo recte res suas iuxta Dei verbum instituant. Quid ergo diuiti defuit? Audi Christum Luc. 12. v. 21. qui de alio diuite agens, dicit: hic est, qui sibi thesaurizat, & in Deū non est diues. Ergo non abundantia, sed penuria hunc diuitem damnauit. Quid enim prodest corpus purpura, bysso, holoserico & auro tegere, & interim anima turpiter coram oculis Dei nudatum esse? Quid commendat coram hominibus suauem odorem balsami vel vnguenti nardi spirare, & coram Deo cadaueris ad instar fœtere? quid denique iuuat corpore saginatum esse, sed anima esurire? Hæc defuere Epuloni, sed dum is vixit, non sensit: quamprimum mortuus est, è vestigio sensit. Ibi intelligere cœpit, gratia & misericordia Dei carere, esse maximam egestatem, & se vere, dum vix erat, coram angelis Dei maximum fuisse mendicum. Sed dicat quis: non decet hunc diuitem adeo egenum quoad bona opera pronunciare, fuit Iudæus, habuit fœdus circumcisionis, visitauit synagogas, mactauit pascha, decimas dedit, victimas & sacrificia obtulit. Sunt sane hæc opera, sed tantum ceremonialia, quæ hypocrita, vel *damn* etiam edere potest: sed vere bona opera, quæ ex fide prodeūt in honorem Dei, & proximi vtilitatem, qualia sunt pœnitentia, sincerus Dei amor, amor verbi diuini, Mosis & Prophetarum, Temperantia, Iustitia, Innocentia, quæ sunt diuinæ diuitiæ, hæc opera non habuit. 1. Non egit pœnitentiam suorum peccatorum: & quomodo ageret, cum non tantum otij habuerit, vt de ea cogitaret? voluptatibus sic fuit immersus, vt non potuerit agnoscere se esse peccatorem. 2. Nullus apud ipsum fuit amor Dei, sed tantum vētris, diuitiarum, combibonum, & suiipsius. 3. Nullus amor verbi: audiuit quidem Mosen & Prophetas, sed tantum pro cōsuetudine, non *vt resipisceret*. Quādo ex Esa. 3. 1. 6. & 5. 11. aut ex Amos 6. 1. aliquid prælectū est, vel contra superbiam, vel contra ebrietatem, hoc surdis prætermisit auribus, vel aliud quid cogitauit. 4. Nullus apud ipsum fuit amor proximi vel misericordia, quā Deus præfert sacrificiis. Ose. 6. 6. Matt. 9. 13. Vnde etiam plus vini in mensa sua effudit, plus panis & eduliorum canibus suis dedit quam pio Lazaro. 5. Nulla apud ipsum inuenta est temperātia, quæ vult vt Dei donis in ipsius timore, & cum gratiarum actione vtamur. 1. Tim. 4. 4. 6. Denique vt breuiter omnia contrahā, audiuit ex Mose hominem ad imaginem Dei creatum esse, ac proinde operam dare debuisset, vt pie, iuste, sancte & innocenter viueret: sed ipse vixit tanquā porcus & bestia. Quid ergo mirum ipsum damnatum esse? Cæterum diues non tātum caruit bonis operibus, vt iam audiuimus: sed etiā scatuit multis magnis vitiis, quæ damnationem ipsius auxerūt. Inter quæ 1. fuit impietas, quod est degener filius Abrahæ, cuius nec fidē, nec opera imitatus est. Et licet Mosen & Prophetas habuerit: quicquid tamen illi de statu futuræ vitæ, de inferis & damnatorum cruciatibus docuerunt, illud etiam cū quinq; suis fratribus pro vanis terriculamentis & fabulis habuit. *Ey der Teuffel ist nicht so schwartz, als man ihn mahlet: noch die Helle so heiß, als die Pfaffen dauon reden.* Sed nunc nimis vera ista esse experitur: ideo optat fratribus nouo quodam modo, per Lazarum rediuiuum ista denuntiari, ne in eundem locum cruciatus veniant. Nā si maxime adhuc centum annos Mosen & Prophetas audiant, tamen ipsos his fidem non habituros, nec pœnitentiam acturos. 2. Alterum vitium fuit superbia in vestitu, quod vltra & supra sui status conditionem vestitu splendido se omnibus cōspicuum dedit. Et fere diuitias hæc stultitia & fatuitas comitatur, quod quatuor potissimū modis modum excedunt. 1. Superfluitate: vbi quinque vlnæ sufficerēt, ibi ipsi decem vel viginti accipiunt: nec sunt cōtenti vno atque altero mutatorio vestimento: sed magno numero ea cōfici curant, & postea pro tineis in cistam recondunt. 2. Sumptuositate: quod non respiciunt suum statum & conditionē: ancilla eodem modo vestiri vult, quo honorati viri filia: rusticus ciuem, ciuis nobilem, nobilis comitem, comes principē virum vestibus pictis & inauratis æquare, imo superare vult. 3. Nouitate quicquid vident peregrinas nationes gestare illud siue ipsos deceat, siue nō deceat, imitari conantur: & coguntur sartores fere singulis annis nouas, easque monstrosas ideas vestium, tam pro viris, quā pro mulieribus excogitare. 4. Leuitate & scurrilitate: intueatur quis gynecea nostra, & videat qualiter illæ, quæ virgines esse volunt, & esse debent, nudatis pectoribus & mammillis incedant: hasce nunc quidam vncti iuuenes sequuntur. Et res eo vergere videtur, vt periculum sit futurum, vt multi non amplius tegant eas corporis partes, quas natura & honestas tegere iubet. 3. Tertium vitium diuitis fuit luxus: quia fuit vir pollens ad bibendum vinum, & vir fortis ad miscendam ebrietatem. Esa. 5. 22. Fuit vnus ex eorum numero, paschata qui semper celebrant, ieiunia nunquam. 4. Quartum vitium fuit immisericordia ergā indigentem proximum, Quod ergo Deus Ezech. 16. 49. testatur inter alias Sodomæ iniquitates etiam hanc fuisse, quod manum egeno & pauperi non porrexerunt, idem etiā de hoc epulone statuere debemus. Hęc ergo vitia, & non diuitiæ, epulonem in gehennam præcipitarūt. Recte ergo Augustinus dixit. Tolle impietatem, & diuitiæ non nocebunt. Econtra *Lazarus* in bonis fuit pauper, non potuit Deo hecatombas mactare. Sed hæc egestas nequaquam ipsi cœlū permeruit, verum hoc, quia in Deo fuit diues. Nam ipse *Mosen & Prophetas audiuit* ita, vt inde *resipisceret*. 1. Agnouit, se natura esse miserū peccatorem, & non tantum originali suo, sed etiā quotidianis peccatis & lapsibus hanc pœnam egestatis imo etiam grauiorem probe meruisse. 2. Fidem suam direxit in benedictū semen Abrahæ, nihil addubitans quod Deus propter illud sit propitius, peccata remittat, & post hanc vitam æternam requiem daturus sit. Hæc fides, radix omnium virtutum, apprehendit salutem: & per hanc fidem in Christo omnia possedit, vt si maxime corpore æger & debilis, animo tamen firmus fuerit. 3. Patienter etiam tulit crucem, acquieuit bona, & libera Dei voluntate: non maledixit diuiti immisericordi, fortassis etiam excusauit, existimās ministros duriores esse hero, qui mandata pro ipso accepta non exequantur. Fuit contentus, quod sciret se in cœlo propitium habere Deum: & licet in hoc mundo non haberet propriam domū: credit tamen sibi in altera vita paratam sedem. Non ergo Lazarum egestas, morbus & paupertas saluarunt: sicuti nunquam crux per se saluat. Quia non omnes aduersitates sunt δοκιμασίαι vel μαρτύρια, sed plurimæ earum sunt τιμωρίαι, quæ à Deo nobis immittūtur, ne innoxij nobis ipsis videamur Ier. 30. 11. veræ ergo causæ saluationis Lazari fuerunt, quod audiuit verbum Dei, Mosen & Phrophetas: quod illis fidem adhibuit, quod fidei fructus veros edidit.

Habent ergo hic tam diuites quam pauperes, quod dicant, si locum tormentorum euitare, & ipsi quoque in sinum Abrahæ deportari velint. 1. Diuites caueant, ne spem & fiduciam ponant in Mammone suo iniquo, sed potius discant veram sapientiam, quæ bonum à malo, lætam fortunam ab iniqua discernere potest. Vident in hoc epulone, quam diuitiæ ipsius fuerint & fallaces & infelices. Interdū hęc vita somnio confertur, sicuti idem facit Esaias c. 29. 8. hoc verum esse hæc vita epulonis monstrat. Dum in viuis fuit somniauit magnificentiam, immensas opes, sodalitium ad voluptates promptum, ministros ad nutum paratos, canes venaticos, & quid non? Postquam euigilauit ad alteram vitam, vbi mansit purpura? vbi delicati cibi? vbi solades? vbi ministri? vbi lætitiæ artifices? omnia euanuerunt. Nudus venerat in hunc mundum: nudus ex eodem egressus est, nec habuit quo tegeret suam turpitudinem. Tales somniantes multi sunt in mundo, quorum vnus magnam vim auri, alter copiam delicatissimum ciborū, tertius prædia & hortos somniat, in quibus dum viuūt, delitiantur: sed quando euigilaturi sunt, ad alteram vitam, nihil horum amplius videbunt. Ergo o vos diuites, operam date, vt & hic & illic vobis bene sit. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Matth. 6. versic. 20. Pauperibus quoque in hoc mundo benefacite, vt misericordia & liberalitas vestra innotescat in nouissimo die. Ante omnia autem bonum fundamentum ponite in futurum, fidem, vt apprehendatis veram vitam. 1. Timot. 6. v. 17. 2. Pauperes etiam non collocent fiduciam in sua paupertate: alioquin idolomaniam exercent per hanc se in cœlum intromitti opinantes. Non murmurent in sua indigētia, sicut fecere Israelitæ, 1. Cor. 10. v. 10. & perierunt ab exterminatore, Spē ponant in misericodia Dei, & in merito Christi qui satis fecit pro ipsorum peccatis. Si in his terris desunt opes, dent operam, vt in corde habeant thesaurum. Nam iam ante ipsis constat, quod non habeāt manentem ciuitatem in hoc mundo: proinde futuram inquirant, in qua cum Lazaro perenni solatio fruantur. Hebr. 13. v. 14.

V. In colloquio quod diues instituit cum Abrahamo sunt quoque aliqua notatu digna, quæ non prætereunda vi-

dentur. Nam in tota sacra scriptura non extat alius locus, in quo tam expresse & aperte agatur de statu animarum post hanc vitam ante iudicium, atque hoc loco. Non quidem vt curiositati humanæ satisfiat, sed vt illa potius cohibeatur. Solet enim illa patefacta negligere, & sollicite inquirere de occultis. Nos debemus contenti esse patefactis, & occulta reseruare in Academiam cœlestem. Eleganter enim Augustinus lib. 2. de Gen. cap. 5. scripsit: Melius est dubitare de occultis, quā litigare de incertis. Duo diuersa hominum ingenia de rebus futuri seculi iudicantia inueniuntur: alia omnia, etiam abstrusissima conantur rimari & inuestigare, & hæc fere opprimuntur à gratia maiestatis illius, vt in delirium, vel maniā incidunt: alia nihil de statu futuri seculi audire volunt, prætendentes illud, Esa. 64. v. 4. oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non penetrauit. Sed medium tenuere beati. Ea quæ Deus in verbo suo reuelauit, tuto expendere, & iuxta eorū ductum de futuro statu animę pie, sobrie, & in timore Dei cogitare possumus, maxime ex hoc loco, qualis ille sit post discessum ex corpore, priusquā corpori in nouissimo die rursus vniatur. Nam recte Bernhardus dixit: status animæ est triplex: vnus in corpore corruptibili, vbi est in perpetua lucta. Alter extra corpus. Tertius in corpore incorruptibili.

1. Primum membrum quod hic notandum, est, quod anima hominis à corpore recedens, est & manet immortalis. Mors siquidem naturalis, est resolutio corporis & animæ, ex quibus homo tanquam integralibus partibus constat. Est autem inter ea hæc differentia, quod corpus ab anima separatum, resoluitur in cineres. Vnde Iob. 17. v. 14. Putredini dixi, pater meus es: mater mea, & soror mea, vermibus. Anima autem non resoluitur, sed manet incorruptibilis & immortalis. Neque enim anima ventus aut halitus tantum est, qui ex ore in auram efflatus euanescat: sed est materialis spiritus à Deo ita creatus vt in æternū sit, & maneat. Hoc pluribus ex scripturis probari potest. Eccl. 12. 7. Reuertatur puluis in terrā, vnde erat: & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Matt. 10. 28. Nolite metuere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Matth. 22. 32. Deus dicit: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Non autem est Deus mortuorum; sed viuentium. Ergo Patriarchæ viuunt coram Deo, non quidem quoad corpus, sed quoad animā. Vnde etiam, quoties de patriarchis dicitur, quod mortui sint semper redditur, quod sint collecti ad patres suos. Dauid Psa. 31. 6. Christus Luc. 23. 46. Stephanus Act. 7. 59. animas suas Deo commendant. Et in hac parabola anima Lazari ab angelis deportatur in sinū Abrahæ. Paulus etiam cupit dissolui, & esse nimirum, quoad animam, cum Christo. Phil. 1. 23. Et animæ interfectorum Apocal. 6. 9. sub altari exoptant vindictam sumi à suis interfectoribus. Hæc omnia euincunt, animam etiam post mortem esse superstitem. Idem etiam docent historiæ martyrum, qui tanto promptius corpora sua Deo victimas obtulerunt, quia de anima certi erant, illam post superata tormenta & cruciatus statim esse in manu Dei. Heb. 11. 36. Illi ludibria, verbera, vincula, carceres &c. sunt experti, Deo melius aliquid pro nobis prouidēte, ne sine nobis consummarentur. Sic Paulus de se 2. Tim. 4. 6. Ego iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Quin & conscientia impiorum ipsis dictat animam non cum corpore interire. Vnde enim fit, quod sæpenumero fit, quo tanto eiulatu & planctu hinc decedunt, nisi quod intelligunt, statim post mortem rationem reddendam esse. Hæc in eum finem prolixius produxi vt solide refutentur, qui animam mortalē statuerunt; quales nō tantum inter gentiles fuerunt Zeno, Aratus & alij: nec tantum Iudæorum Sadducæi. Act. 23. 8. sed etiā inter Christianos multi Epicurei. Certe Paulus III. Pontifex Rom. moriturus dixit. Hodie experiar, vtrum anima sit immortalis. Ergo in vita sua nunquam id crediderat. Et semper etiam in ecclesia inuenti sunt aliqui, cum illis lurconibus Sap. 2. 2. dicunt: Fortuito nati sumus & post hoc erimus, tanquam non fuissemus, quoniam fumus afflatus est in nostris naribus: & sermo est scintilla in cōmotione cordis nostri: quia extinctus cinis erit corpus nostrū, & spiritus diffundetur, tanquam mollis aer, & transibit vita nostra, tanquam vestigium nubis, & tanquam nebula dissoluetur, quæ fugata est à radiis Solis, & à calore illius aggrauata. 2. Iam secundo inquirendum: quoniam animæ non vna cum corpore moriuntur, nec in nihilum rediguntur, sed superstites viuunt, quonam veniant? Aliqui gentilium, qui animas immortales quidem esse crediderunt: tamen easdem per μετεμψύχωσιν post mortem in alia atque alia corpora migrare statuerunt. Alij, vt Poetæ fabulati sunt de campo Elysio, in quem virtute præditorum animas remiserunt, & de inferis, vbi facinorosorum animę torqueantur. Et absque dubio hic fuit adhuc radiolus quidam ex luce, quam à patribus acceperant. Sub Papatu docuerunt homines de quinque diuersis locis. 1. Vnus fuit infernus, in quem perfectę impios deuenire tradiderunt. 2. Alter limbus innocentum siue infantum, nec circumcisorum ne baptizatorum: quibus nec bene sit, nec male, tantum quod Deum non videant. 3. Tertius, purgatorium, quo remiserunt nec plane malos, nec plane bonos, seu inter *medios, vt à residuis suis* peccatis ibi purgentur. 4. Quartus fuit *limbus Patrum*, in quo sanctos Patriarchas sub spe & expectatione detinuerunt, vsque dum Christus peracto opere redemtionis *paradisum aperiret*, eosque inde liberaret. 5. Quintus fuit cœlum, in quo *Deus cū* beatis angelis habitat, & in quod nunc perfecte *mundos* admittunt. Sed in his omnibus non est audienda ratio *humana*, quę de rebus futuri seculi non plus nouit, quam stupidus anser. Audiamus Christum, quem cœlestis Pater audiri iussit. Matth. 17. 5. is in hac parabola duo tantum monstrat loca, vnū pro piis & credentibus, qualis fuit Lazarus: alterum pro impiis & incredulis. Vt enim inter fidem & incredulitatem nihil est intermedij: sic nec inter locū beatorum & damnatorum. De purgatorio autem fidelium scribit D. Paulus exprefie. Rō. 8. 1. Nihil damnationis est in iis, qui sunt in Christo Iesu. Reliqui, qui non curant Mosen & Prophetas, qui nullam agunt pœnitentiam: qui non credunt, & sine omni misericordia, illi vt oues in inferno sunt positi, & mors depascit illos. Ps. 49. 15. Quemadmodum ergo Num. 16. 33. Core, Dathan, & Abirom viui descenderunt in infernum: *ita illi mortui eodem* peruenirūt. Hinc August. de ciuit. Dei *lib. 13. cap. 8. In requie sunt* animę piorum à corpore separatę: impiorū autē, *pœnas luunt*, donec istarum ad æternam vitam; illarum vero ad æternam mortem quæ secunda dicitur, corpora reuiuiscant.

3. Quomodo autem, & quando animæ ad illa loca deferūtur? Id Christus in hac parabola diserte definit. Nam Lazari anima statim à morte ipsius deportatur in sinū Abrahæ. Ergo vice versa diuitis anima quoque statim à morte ipsius à diabolis deportata est in gehennam. Ideo in textu ipsius sepulturæ è vestigio subiungitur, *atque in tartaro sublatis in oculis vidit Abrahamum eminus*. Vulgata versio habet: *& sepultus in inferno*, & fortassis non inepta. Nam vnusquisque merito sepelitur in sua parochia. Atqui diues fuit parochialis Diaboli. Ergo in ipsius cœmeterium, quod est infernus: merito sepelitur, si non corpore, certe anima. Sic ergo credendum quod animæ defunctorum sine mora à Deo ad suum deputatum locum remittuntur, non quiescunt ad tempus *alicubi in* intermedio aliquo loco. De impiis dicit Iob 21. 13. *Ducunt* quidem in bonis dies suos: sed in puncto *ad inferna descendunt*. Et de impio diuite. Luc. 12. 20. *stulte*, hac nocte repetent animam tuam à te. De *piis* dicit *spiritus* Apocal. 14. 13. Beati mortui qui in *Domino moriuntur*, à modo iam. In Græco est ἀπάρτι, quod à Suida *redditur* plane: omnino & explete: vt idem sit, quod ἀπηρτισμένως, id est, perfecte, expleto numero, ita vt nihil desit, nihil supersit. Latroni quoque Christus dicit Luc. 23. 44. Hodie mecum eris in paradiso. De eo Athanasius scripsit lib. var. quæst. 19. Non propter solam latronis animam Christus Deus noster paradisum aperuit, sed etiam ob reliquas Sanctorum animas. Et ad hoc confirmandum Christus Ioan. 5. 24. Amen, amen, dico vobis: quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet (*habet* dicit non habebit) vitam æternam, nec in iudicium venit, sed *de morte* transiuit (non *transibit*) in vita. Hac consideratione *pellamus* tristes illas cogitationes, quibus interdum *nosipsos excruciamus*, quasi post mortem anima diu extrahatur, *antequam* ad quietem perueniat, & sibiipsis nescio quod *magnum tędium* interim imaginantur. Quidam libenter contenti essent, si certum tempus determinatum esset, vt quamdiu anima filiæ Iairi exulauit è corpore, aut anima *iuuenis* Naimitici, aut etiam ipsius Lazari per quatriduum. Sed *hinc* cognoscimus, ab hisce curis nos plene liberos esse.

4. Quid vero interim faciunt animæ, vsque dum corporibus ex morte resuscitatis rursus vniantur? Non defuerunt, qui statuerent, eas interea dormire, & sumserunt occasionem ex Scriptura, in qua mors somno confertur. Matth. 9. 24. Puella dormit. Iohan. 11. 11. Lazarus amicus noster dormit. 1. Thessal. 4. 13. De dormientibus nolumus vos ignorare. Sed sciendum, quòd hic somnus homini mortuo attribuatur, non ratione animæ, quę est purus actus: sed ratione corporis Sic etiam Patres locuti sunt Chrysostom. serm. 17. ad Hebr. ὁ θάνατος οὐκ ἔστι, ἀλλὰ κοίμησις: non mors est illa; sed dormitio. Nūc, si anima, dum est in corpore, quod ipsius quasi carcer & sepulchrum est, non dormit: quomodo dormiret libera, & vinculis illis exuta? Quid ergo agunt animæ. 1. Sanctorum liberatę ob omni malo, vidēt Deum à facie ad faciem. 1. Corinth. 13. 12. & hæc est ipsarum æterna vita, quod in hoc mundo cognouerunt verum Deum, & filium eius Iesum Christum & quod nunc in altera vita vident gloriam, quam dedit Pater Filio, quem dilexit ante constitutionem mundi. Ioan. 17. 3. & 24. cum sanctis angelis Deum celebrant, ipsique pro gubernatione, liberatione & saluatione gratias agunt, sicut habetur Apocal.

Apocal.7.9. quod amicti stolis albis steterint ante thronum Dei, & in conspectu agni habentes palmas in manibus suis, qui clamarint voce magna, dicentes: Salus Deo nostro qui sedet super thronum,& Agno. Insuper consolationem accipiunt pro ærumnis, quas sustinuerunt in hac vita Psalm.16. versicul.vltim. Illic Deus adimplet eos lætitia cum vultu suo: quia delectationes in dextera eius vsque in finem. Inter quas consolationes hæc præcipua est, quod sciunt se hac felicitate in æternum non posse excidere. Hæ fere sunt actiones animæ piæ, corporis legibus solutæ. Quæ omnia, licet summa sint, nondum tamen ita sunt perfecta, ac futura sunt, quando corpora ipsis rursus coniungentur, sicut colligere licet ex Apocal.6.10. 2. Impiorum animæ amiserunt omnia bona.& vicissim præcipitatæ sunt in abyssum malorum. In hoc mundo Sol ipsis æque luxit ac piis: habuerunt suam requiem & refrigerium, aliorum consolationem & consilium audire, interdum etiam auxilio subleuari potuerunt. Sed hæc omnia iam ipsis sunt adempta: quia *bona sua receperunt in vita sua.* Ad hæc vident horrenda spectra dæmonum, coram quibus non possunt non contremiscere. Nam cum diaboli in infernum sunt detrusi.2.Pet.2.4. horum conuersatione magis magisque excarnificantur, vnde cum eiulatu miserabili horrendos clamores emittunt, de quibus Sap.5.2. Nam cruciantur *in illa flamma.* Quæ qualis sit, nemo hominum verbis exprimere potest, quisque studiose caueat, ne in æternum experiatur. Nam qui semel in illam inciderit, sine omni spe vllius liberationis in ea hærebit. Ita quisque mature se paret, ne in statu impœnitentiæ deprehendatur. Nam Apoc.10.6. iurauit per viuentem in secula seculorum: quia non erit amplius tēpus scilicet agendæ pœnitentiæ,& consequendæ gratiæ. Hæc enim omnia per mortem clauduntur. Ideo Paulus monet Galat.6.10. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia eorum apud inferos, quo tu properas. Eccl.9.10. Et hoc nunc nos monebit membrum de chasmate.

5. Quidnam ergo est illud *chasma siue hiatus*, de quo Abrahamus hic diuiti epuloni concionatur? Habet hic vulgata versio *chaos*, quod confusionem significat, sed inepte. Nam in Græco est χάσμα quod *hiatum terræ*, siue voraginem significat, à verbo χάω, id est hio. Commonefacit autē hisce verbis Abrahamus nos, quod homini duo tempora posita sint; vnum vitæ & pœnitentiæ; alterum mortis & iudicij. 1. In tempore vitæ nondum chasma est firmatum; sed patet via tam ad salutem, quam ad interitum. Ibi Deus temporaliter benefacit, æque impio ac pio. Facit suum Solem oriri super bonos & malos,& pluit super iustos & iniustos. Matth.5.45. Ibi longanimitas & benignitas Dei expectat omnes homines ad pœnitentiam. Rom.2.4. Nam patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiā reuerti.2.Pet.3.9. Dumque hic sumus in via *habemus Mosen* cum minis & maledictione aduersus peccata, *vt resipiscamus Habemus Prophetas*, qui dulcissimas de Christo Iesu promissiones proponunt, vt *credamus*. Est ergo hoc tempus homini concessum, vt hæc tria addiscat, in quibus cardo salutis nostræ vertitur: quomodo homo recte & secundum verbum Dei debeat credere, quomodo pie viuere: quomodo beate mori.

Hoc tempus quicunque inutiliter præterire sinit, nec hanc artem artium addiscit, sicuti diues epulo fecit, eidem tensim accedit secundum tempus. 2. Tempus mortis, quo talis homo in iudicium, & ad mille ne vnum quidem potest respondere. Iob.9.3. Ibi tum incipit anima pœnitere & dolere, quod vitam non aliter instituit; quod pœnitentiam & fidem non melius didicit. Optat: Ah si in corpus redire liceret, vt adhuc ad aliquot annos in mundo viuerem, quam attente Mosen & Prophetas audire vellem! quā sollicite vitam, iuxta ipsorū præscriptum instituerem? Sed Abrahamus hic dicit: quia tēpus acceptabile,& dies salutis.2.Cor.6.2. iam præteriit, *ingens hiatus est firmatus*: vt, quemadmodum terræ vorago, si magna sit, impedit, ne quis ex vno loco in alterum transeat, sic firmissimo & immutabili Dei decreto constitutum esse, vt quicunque semel naturæ debitum per naturalem mortem exoluit, ille nunquam in hanc temporalem vitam redire possit, si maxime velit: quia eodem decreto terminatum esse, vt qui semel vitæ æternæ particeps factus est, nunquam ex ea excidat, & qui semel in infernum detrusus est, perpetuo in eo maneat, nec redemtionem vllam expectet. Nam dicit Abrahamus diuiti *fili*, scilicet secundum carnem, sed non spiritum, *recordare quod acceperis bona tua, in vita tua.* Non quæsiuisti regnum Dei, nec iustitiam eius; sed tantum voluptates,& bonos dies. Quia ergo præteriit illud Hodie, quo non debuisses cor tuum obdurasse sed verbum Dei audiuisse. Psalm.95. 8.& *hiatus iam confirmatus*, vanæ,& frustraneæ sunt omnes tuæ petitiones, supplicationes, clamores & eiulatus. Hic audit, sibi in æternum denegatam esse omnem consolationem & mitigationem. In hac vita habuit Solem, pluuiam, benedictionem externam: iam sibi guttam aquæ de digito cadentem denegari audit, hoc est, quod nulla creatura, siue in cœlo, siue in terra ipsi ad consolationem vel mitigationem inseruire debeat. Accedit cruciatus ingens, quem verbis explicare nequit: *Crucior in hac flāma.* Meminit *linguæ* (licet corpus in terra sepultum fuerit) vnius,& quidem minimi membri, vt coniiciamus, quid de tota anima fiat. *Lingua* autem epulonis non immerito cruciatur: quia multi delicati cibi, & præstantissima vina inutiliter, atque sine gratiarum actione erga Deū per eam pertransierunt: multa etiam turpiloquia cum obtrectatione proximi per eum fuerunt commissa: quot denique execrationes, maledicta, & blasphemias ipsum ebrium per linguam euomuisse putabimus? Cum ergo lingua talis ignis sit,& vniuersitas iniquitatis. Iac.4.6. quid mirum, eam etiam in æterno igne discruciari? Ad Cruciatus illos accedunt tristes illæ cogitationes, quæ conscientiam mordent, & quasi perpetuus vermis rodunt; En quam facile potuisses hunc locum tormentorum euitare? quoties vocatus es ad pœnitentiam & fidem per minas & promissiones, sed noluisti, risisti. Ah si nunc posses redire in illum statum. Aut si omnino mihi denegatum sit, si modo *quinque fratres* audirent Lazarum, qui *illis testificaretur* esse locum adeo horrēdum, vt ipsi pœnitentiam agerent, & crederent: *ne & ipsi veniant in hunc locum cruciatus.* Metuit nimirum, ne ex consortio fratrum pœna in condemnatione augeatur, quia & vitæ exemplo, & relictis diuitiis ipsis peccandi occasionem præbuerit. Et hæc omnia cupit expediri per *Lazarum* quem, dum in viuis fuit, non dignatus est prope in via aspicere, nunc *eminus eū videt*, & tantum non supplex fit, sed frustra. Nam & hęc pars aliqua erit, qua tormenta impiorum exasperabuntur, quod videbūt Sap.5.2. iustos, quos ipsi habuerunt in derisum, stātes in magna constantia aduersus eos, qui ipsos angustauerunt. Hic ergo est *hiatus ille firmatus*, quod animæ semel in infernum delatæ, nunquam in æternum inde liberari possunt; sed in cruciatibus expectare coguntur iustum iudicem, qui ipsis dicet: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo,& angelis eius. Matth.25.41. *da wirds erst recht angehen, wenn sie allen Teuffeln in die Rappuse geworffen werden.*

6. Postremo etiam Abrahæ sententia, qua totam hanc siue historiam, siue parabolam concludit, probe obseruanda est, qua dicit: *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexit, credent.* Hæc sententia eximie nobis commendat sacram Scripturam,& docet quam sacrosancta illa nobis esse debeat, & efficaciter ad resipiscendum, credendum, & vitam recte instituendam, quam si præco quispiam siue ex cœlo siue ex mortuis ad nos veniret, & multa nobis de illis visis & expertis testaretur. Et hic est verus canon Scripturæ. Hoc enim in loco Christus Mosen & Prophetas canonizauit, sicuti Luc.10.16. Apostolos & Euangelistas, vt illos audiamus. Fugienda ergo sunt non tantum Epicurea ingenia, quæ Deum ipsiusque verbum pro nihilo habent; nec tantum Philosophica illa, quæ in Platone, Socrate, Aristotele, Cicerone, Demosthene & Plutarcho vel similibus, plus sapientiæ quærunt, quam in Mose & Prophetis: nec tantum Enthusiastæ Schvvencofeldiani, Anabaptistæ, & in genere vt vocantur, cœlestes Prophetæ, qui ex *insomniis*, & arcanis sui reuelationibus salutarius quid se addiscere posse sibi persuadent, quam ex orali & prædicato verbo Mosis & Prophetarum: sed etiam cumprimis fugiendus est Romanus Pontifex cum suis creaturis, qui suas traditiones, & huius sanctiones verbo scripto non tantum æquiparat, sed etiam præfert in eo, dum sæpenumero tanquam alter Antiochus sacra Biblia igne concremauit. Sed hoc & illud Deus vlciscetur qui Deut. 4. & 12. versicul. vlt. suo verbo nihil addi, nihil demi præcepit. Sicut etiam Christus Matth. 28. vers. vltim. Apostolis suis dixit: docete gentes seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Ezechielis quoque 20.19. dicit Deus: Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite, & facite ea. Quid ergo opus est Mosi & Prophetis canones & decreta Pontificum & conciliorum addere. Hilarius recte dixit: Iis, quæ scripta sunt, contentus sis. Et rursus. Non relictus est hominum elogiis de Dei rebus alius, quam Dei sermo. Augustinus etiam huius fuit humilitatis, quod scripsit: Nolo, autoritatem meam sequaris. Noli meis libris quasi canonicis scripturis insistere. Inprimis autem monet hic locus, vt ex scriptura, & non ex mortuis cupiamus discere Dei voluntatem. Sic enim *ingens hiatus firmatus est, vt si maxime velint ad nos transire, non possint.* Hoc si Gregorius Magnus, vir aliquin non in Apostolicus obseruasset, non tam fœde à spectris seductus fuisset, vt ignem purgatorium, atque animas

ex eo certis subsidiis liberari posse, statueret. Verum simpliciores sic sentiunt: Tamen aliquid fuerunt spiritus illi apparentes, qui statum animarum viuis retulerunt? Resp. Vtique aliquid fuerunt nimirum diabolus ex orco, qui ementita specie animarum, quæ dudum decesserant, sic voluit crassissimos Papatus errores inuehere, falsam doctrinam disseminare, atque sic multas hominum myriadas seducere. Deus mature suos præmonuit, vt sibi ab hac seductione cauerent, Esa. 8. 19. Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem pro viuis à mortuis. Ad legem magis & ad testimonium, 2. Pet. 1. 19. Habemus firmiorem sermonem Propheticum cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris. Sit ergo & maneat verbum Dei lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris, Psalm. 119. 105. quamdiu ambulamus in via huius vitæ, antequam hiatus firmetur. Id si fecerimus, erit nobis verbum Mosis & Euangelium Christi potentia Dei ad salutem. Rom. 1. 16.

CAPVT CXXIV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONCIO CHRISTI DE VITANDO SCANDALO: DE FRAterna reconciliatione: de natura fidei: & de fidelium officio. Luc. 17. vers. 1.

RATIO ORDINIS.

De ordine parum hic monendum videtur, præterquam hoc, quod ordine optimo hæc ad priora sequantur. Qandoquidem enim Christus vidit Pharisæos se subsannare & irridere, ob doctrinam de faciendis eleemosynis, & de periculo diuitiarum: ideo ne discipuli eo turbarentur, monet de scandalis, quod quidem illa ob malitiam hominum accidant, debere tamen ipsos in fide firmiores esse quam vt iis offendatur. Conuenit autem hoc 17. caput Lucæ magna ex parte cum 18. Matthæi. Repetit enim doctrinam de scandalo, & de reconciliatione fraterna. Addunt autem doctrina contra persuasionem de merito operum, de ingratitudine humani ingenij, ne vastatione Hierosolymorum, & fine seculi.

Concio Christi de vitando scandalo, reconciliatione fraterna, natura fidei, & officio fidelium. Luc. 17.

1. Εἶπε δὲ πρὸς τοὺς μαθητάς, ἀνένδεκτόν ἐστι τοῦ μὴ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα, οὐαὶ δὲ δι' οὗ ἔρχεται.
2. Λυσιτελεῖ αὐτῷ, εἰ μύλος ὀνικὸς περίκειται περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ ἔρριπται εἰς τὴν θάλασσαν, ἢ ἵνα σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων.
3. Προσέχετε ἑαυτοῖς. ἐὰν δὲ ἁμάρτῃ εἰς σὲ ἀδελφός σου, ἐπιτίμησον αὐτῷ. καὶ ἐὰν μετανοήσῃ, ἄφες αὐτῷ.
4. Καὶ ἐὰν ἑπτάκις τῆς ἡμέρας ἁμάρτῃ εἰς σε, καὶ ἑπτάκις τῆς ἡμέρας ἐπιστρέψῃ ἐπί σε, λέγων, μετανοῶ, ἀφήσεις αὐτῷ.
5. Καὶ εἶπον οἱ ἀπόστολοι τῷ κυρίῳ, πρόσθες ὑμῖν πίστιν.
6. Εἶπε δὲ ὁ κύριος, εἰ ἔχετε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, ἐλέγετε ἂν τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ, ἐκριζώθητι, καὶ φυτεύθητι ἐν τῇ θαλάσσῃ, καὶ ὑπήκουσεν ἂν ὑμῖν.
7. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν δοῦλον ἔχων ἀροτριῶντα ἢ ποιμαίνοντα, ὃς εἰσελθόντι ἐκ τοῦ ἀγροῦ ἐρεῖ, εὐθέως παρελθὼν ἀνάπεσαι.
8. Ἀλλ' οὐχὶ ἐρεῖ αὐτῷ. ἑτοίμασον, τί δειπνήσω, καὶ περιζωσάμενος διακόνει μοι, ἕως φάγω, καὶ πίω; καὶ μετὰ ταῦτα φάγεσαι, καὶ πίεσαι σύ;
9. Μὴ χάριν ἔχει τῷ δούλῳ ἐκείνῳ, ὅτι ἐποίησε τὰ διαταχθέντα αὐτῷ, οὐ δοκῶ.
10. Οὕτω καὶ ὑμεῖς. ὅταν ποιήσετε πάντα τὰ διαταχθέντα ὑμῖν, λέγετε, ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν, ὅτι ὃ ὠφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν.

1. *Ait autem ad discipulos, fieri non potest, quin veniant offendicula, va autem illi, per quem veniunt.*
2. *Expedit illi, si mola asinaria ponatur circa collum eius, & proiectus fuerit in mare potius, quam vt offendiculo sit vni de pusillis istis.*
3. *Cauete vobis, Si vero peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnituerit, remitte illi.*
4. *Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit in te, dicens, pœnitet me, remitte illi.*
5. *Et dixerunt Apostoli Domino, Adauge nobis fidem.*
6. *Dixit autem Dominus: Si haberetis fidem sicut granum sinapis, dixissetis huic arbori sycamino, eradicare, & transplantare in mare, & obedisset vobis.*
7. *Quis autem vestrum habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso ab agro dicat, Statim accedens accumbe.*
8. *Ac non potius dicit illi, Para, quod cœnem, & præcinge te, ac ministra mihi, donec edero, ac bibero, & posthac edito & bibito tu?*
9. *Num gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperata fuerant? Non puto.*
10. *Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus, quia quod debuimus facere, fecimus.*

Periocha huius concionis

QVia hæc doctrina de vitando scandalo à Christo quoque Matth. 18. ver. 7. tractata est (quam cap. XLII. Harmon. Euangelicæ exposuimus) putant plerique à Luca hic miscellanea scribi, quæ inter se nullo ordine, aut connexione cohæreant. Sed hi non considerant, quam grauem ob causam Christus hasce repetitiones instituerit. Quodnam enim malum fere frequentius est, quam alios scandalizare? Et tamen pro re leui habetur: adeo vt hoc ipso pauci non offendantur, quia alios offendi vident. Ideo Christus suos diligenter monet vt scandala caueant, & hoc ipso, quia frequentia sunt, non offendantur. Nos, quia in prædicto capite Harmon. prolixe memorauimus quæ de scandalo dici possunt, iam tantum ea delibabimus, quæ ad præsentem contextum pertinent.

I. Considerandum, ad quos Christus hanc concionem habuerit. *Ait autem ad discipulos.* Mirum, ad hos directam hanc admonitionem, cum ipsi Spiritu sancto, & dono miraculorum ornati, scandala nihil curare poterant? Resp. omnino indigebant

bant Apostoli hac doctrina duplici nomine.

1. Vt sannis,irrisionibus,contradictionibus Pharisæorum, dum Christo conuersabantur: item postea, quando in officium Apostolatus sui ingressi essent,non persecutionibus totius mundi scandalizarentur, scientes, hoc esse mundi ingenium, quod sese Deo,& omni bono,omni studio & conatu opponit, & pios, tam publice, quam priuatim offendit. Contra hoc Apostoli sese præparent, ne scandalizentur. Deinde fuit hæc doctrina Apostolis necessaria, vt præmonerentur, ne ipsi alios scandalizarent, quod & doctrina, & vita aut moribus, & defectione à Christo fieri potuisset. Certe scandalo non caruit, quod Petrus Galat. 2. versicul.14. non recte incedebat ad veritatem Euangelij: & nisi Paulus seuera sua admonitione illud auertisset, plurimû damni dedisset. Sic scandali plenum fuit, quod Nicolaus,vnus ex septem primis diaconis, Actor 6. versic. 5. propriam coniugem prostituit: cuius doctrinam Christus ipse Apocal. 2.v.15. arguit. Cum quanto scandalo coniunctum fuisse putabimus, quod Iudas præceptorem suum prodidit, & in mortem tradidit. Matth. 26. 14. vnde patet, quam iustas Christus causas habuerit, suos Apostolos monendi, vt sibi caueant,ne aliis scandalum præbeant. Quod autem hoc in loco Apostolis dictum est: illud quidem ad omnes Christianos,potissimum autem ad verbi ministros spectat.Hi caueât, ne vel ipsi scandalizentur improbitate & ingratitudine mûdi: & propterea ab officio suo desistant: neve falsa doctrina,vel improba vita, vel defectione à doctrina veritatis ipsi alios scandalizent. Vna hæretica concione verbi minister quam plurimas animas offendere potest. Sed væ illi,qui hoc facit:grauissimas enim pœnas Christus adiicit. Sic vero Apostolos & suos animare voluit, vt sciant, se Deo curæ, nec inultos fore, si scandalizentur: cum atrocissimis pœnis à Deo improbi damnandi sint,qui piis offendicula ponunt.Et Apostoli eo minus offendi potuerunt,quia Christus non tantum prædixit,quid fit futurum,sed etiam pœnam prænunciauit,quæ tales sit secutura.

2. Quid vero, & quomodo Christus de scandalo concionatur? Generalis eius propositio est:piis studiose *scandala esse cauenda*,ne vel ipsi sibi,vel aliis impedimento sint in via salutis.Rationes etiam addit. Prima, quia *fieri non possit, quin veniant offendicula*. In Græco est ἀνένδεκτον quasi quod non ἐνδέχεται, quod non vel nunquam contingit, vel accidit, ac proinde est impossibile, quasi ἀδύνατον vel ἀνεγχώρητον. Qui fit autem, quod impossibile sit, non esse scandala, num à Deo ita ordinatum est,vt fatali necessitate ea eueniant? Nequaquam. Deus enim mala nô ordinat:sed sequuntur ea ex malitia ex improbitate mundi, quæ cum semper in motu sit & efficax, quomodo non necessario sequerentur scandala? Quemadmodum, si quis videat familiam male compositam & omni ex parte dissolutam, atque dicat, impossibile est, quin hæc familia mature intereat. Sic Christus loquitur de mundi improbitate, quam impossibile est, non sequi offendicula.Monet ergo Christus hæc dicendo de lubricitate honeste viuendi in hoc seculo: quia admodum difficile est, in medio improborum honeste viuere. Ideo Pauli admonitio Phil.2.15.sæpius meditanda & obseruanda. Sitis irreprehensi & finceri, filij Dei inculpati,in medio nationis prauç ac peruersç,inter quas splendetis vt luminaria in mundo.Altera ratio:*væ autem illi, per quem veniunt*.

Scandala eo studiosius sunt cauenda,quia suos autores nequaquam excusabunt. Neque enim valebit illa excusatio: quia necessaria fuerunt scandala, ideo non potui ego ea præcauere. Nam non talis hæc est necessitas quæ mutari nequeat, sicuti loripes necessario claudicat: sed est necessitas contingentiæ,quæ per Dei gratiam per pias preces,& per sollicitam ac prouidam conuersationem cum hominibus facile præcaueri potest. Tertia ratio, à pœnarum grauitate, quæ moneat scandalorum autores. *Expedit illi, vt mola asinaria ponatur circa collum eius,& proiectus fuerit in mare potius,quam vt offendiculo sit vni de pusillis istis*.

De μύλῳ ὀνικῷ seu *mola asinaria* dictum est Matth. 18. vt & de aliis quibusdam,quo lectorem remittimus.

Demersio in mare, pro atrocissima pœna in mundo habetur,quod scilicet talis tantum sit βδέλυγμα & abominatio, vt periculum sit,ne & terra & aer ab ipso contaminentur, nisi in profundissimum mare sepeliatur. At Christus testatur illam pœnam leuem, & latu facilem videri posse, etiam si molari lapidi collum ipsius alligetur, quod sane extremam desperationem in submersione afferri potest, respectu eius,si quis propter datum scandalum in profundum inferni conijci debeat.Ergo ob enormes illas,& indicibiles pœnas magno studio cauendum, ne quis scandali autor sit. Quod vero in primis dicit cauendum esse,ne quis offendiculo sit *vni ex pusillis istis*, non hunc habet sensum, quasi tantum pusillorum scandalum sit cauendum, quoad maiores vero & superiores non curandum; sed respicit Christus mores & ingenia filiorum huius seculi,qui vel maxime scandala excitant, & si eo nomine moneantur, vt horum vel illorum rationem habeât, & talia,quæ cum scandalo coniuncta sunt, intermittant,mox excipiunt.Et quis est iste sutor,sartor, vel mendicus,vt in eius gratiam hoc vel illud intermittam? Quid ad me peregrini isti errones, quos tantopere reuereri debeam,vt in eorum gratiam meos mores mutem, sed hi ipsis displicent, aut ipsis iis offenduntur, redeant ad suos, tum scandalum sublatum erit. Huiusmodi sermones satis superbos sæpe audimus, & contra illos Christus directum esse vult illud *de pusillis*.

4. Post hæc concludit Christus hanc partem concionis. Ergo *προσέχετε ἑαυτοῖς, cauete vobis*,& probe attendite, ne vel ipsi aliis offendiculo, quia væ illi per quem veniunt scandala: aut,ne scandala,quæ ab aliis proueniunt, vos scandalizent, & ad lapsum protrahant. Cautione enim ex vtraque parte opus est, & ne nos ipsi demus aliis bonis scandala, & ne vicissim scandala à malis oblata admittamus. Et hæc in præsentia de scandalis sufficiant.

II. Altera pars concionis est, de reconciliatione fraterna. Nam fieri solet, vt etiam fratres non tantum eiusdem confessionis, sed etiam alias coniunctissimi, se mutuo offendant,& sibi inuicem scandala præbeant. Hic docet Christus, quid,si illa oriantur, fieri debeat. Liceat autem hæc eadem doctrina etiam tractata sit Matth.18.21. & à nobis explicata capit. XCIII. Harm.tamen etiam hanc repetitionem nequaquam superuacaneam censemus. Quorum enim caro, mundus,& Satanas nos facile obliuisci facit,eadem vt identidem repetantur,necessitas postulat. De hac autem reconciliatione in præsenti tria potissimum monet.

1. Sicut improborum scandala,quæ nobis obiiciunt, merito negligimus & præterimus, ac si petulans canis nos morderet: ita fratrum scandala, quibus nos lædunt, nequaquam negligere debemus. Non quidem vt lædentem vicissim lædamus: sed cupidi eius salutis *increpemus ipsum*, atque hac ἐπιτιμίᾳ ipsum ad pœnitentiam prouocemus.Hic enim vnicus finis esse debet omnis increpationis fraternæ: nimirum emendatio. Quomodo autem increpatio instituenda sit, de eo Matth.18. prolixe & per gradus agitur, quo lectorem remittimus.

2. Alterum est, vt post increpationem remissio adhibeatur.Sed ne ita simpliciter & nude accipiatur, addit Christus. *si pœnituerit*, si signa displicentiæ ediderit, agnoscendo admissum peccatum,& veniam eius petendo; *remitte illi*,nullam vlterius requiras vltionem, imo ne satisfactionem quidem illatæ iniuriæ. Ergo hinc etiam colligamus, quæ sint partes offendentis: nimirum vt agnoscat admissum crimen, de illo pœnitentiam agat,& resipiscat. Quæratur autem quis, quid?si is,qui læsit me, peccatum non agnoscat,increpationem non audiat,imo deterior reddatur, quid faciam? num retinebo offensç indignationem?Minime.Christianorum est, etiam improbis, & culpam non deprecantibus, ignoscere, & omnem rancorem in corde remittere, Deoque rem omnem contra impœnitentes committere. Si vero ipse postea etiam cognoscat,se peccasse,& pœnitentiam agat,cum quod prius corde remiseramus, etiam ore remittamus, ea ipsa familiaritate, quæ ante reconciliationem non iniuria subtrahi potest,testemur ex animo factam esse peccati admissi remissionem.

3. Tertio, ne,quam fratri debemus in condonandis offensis indulgentiam certis terminis includamus, addit etiam quoties remittere debeamus. *Si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit in te dicens: Pœnitet me, remitte ei*. vocula *septies* numerus finitus hic ponitur pro infinito, sicuti in scripturis vsitatum est, ob sui perfectionem. Vult igitur Christus dicere: quotiescunque in te peccauerit, ei quotiescunque resipuerit, remitte illi. Simul tamen hic obseruandum est, nos hic manere intra terminos à Christo constitutos,qui de certa specie offensæ,nimirum fraterna, agit. Nam si petulans quispiam auditor Ecclesiam, aut etiam malitiosus subditus magistratum septies aut sæpius offendat, ille nequaquam hac sententia Christi se tueri potest.Imo etiam ille,qui frater esse non vult, & offendit, veniam non postulabit. Sit ergo mihi tanquam ethnicus & publicanus, Matth.18.17. & tamen meum esse debet, vt facilis sim ad condonandum.

III. Tertia pars concionis de natura fidei; ad hanc doctrinam proponendam Apostoli occasionem præbuerunt Christo sua petitione. *Adauge*, siue πρόσθες, appone & adde,*nobis fidem*.Non autem putemus Apostolos sine præcedente causa in hanc postulationem prorupisse. Sed ipsi secum considerarût,quas & quam insignes doctrinas Dominus ipsis proposuerit,de agenda pœnitêtia, de recte dispensandis cor-

poralibus à Deo datis donis, de fugienda auaritia, de recto vsu diuitiarum, de cauendo scandalo, de remissione offensarum in se admissarum. Hasce doctrinas obseruare, pium quidē & Christi discipulo dignū est: sed vbi sunt vires ista perficiendi? Meminerint autem Christum ante hoc Matth. 9.23. dixisse: credenti omnia esse possibilia. Sibi vero aliquoties, vt Matth. 8.26. & 14.31. & 17.20. ὀλιγοπιστίαν, & fidei imbecillitatem obiecisse, vnde eueniat, quod multa non perficere possint, quæ alioquin efficerent, si fidem haberent. Inprimis vero in perficiendis iis, quæ Christus hactenus docuit fide opus esse intelligebant. Si qui opes, & bona sua deserere, atque ob Christum voluntariam paupertatem suscipere debeat, is nunquā id faciet, nisi habeat bonā fiduciā in Deū. Nam diffidentia de bonitate & prouidentia Dei facit, vt homines huius seculi multos thesauros accumulent, quod intermissuri essent, si Deo fiderent. Sic nemo citius offenditur, quam qui in fide sunt infirmi. Si quis sit robustus in fide, facile improborum scandala reiicit, & repudiat. Proinde recte Apostoli fidei augmentum à Domino postulant, rogantes, vt ipse det, quod iubet, & quod recens ipsis commendauit, atque ob eius defectū ipsos culpauit. Sic vero Apostoli nobis & omnibus Christianis exemplum præbent, quomodo verbum Dei, & Christi conciones audire debeamus: vt nimirum iis serio afficiamur, ita vt iis moti ardenter ad ipsum preces fundamus, quò nos Christus suis donis & efficaci fide donet, vt ea quæ audiuimus, etiam perficere queamus ad nominis sui gloriam, aliis in exemplum, & in nostram salutem. Nam qui verbum Dei audit, nec ex eo fidem suam cōfirmat, vel vitam & mores iuxta eius præscriptum conformat, is sibi in iudicium & maiorem condemnationē audit. Nam seruus qui voluntatem Domini scit, & non facit, vapulabit multis, Luc. 12.47. Simul docent Apostoli, à quonam fidei incrementum sit petendum, nimirum à Christo vero Deo. Etenim fides Dei donum, de quo ipse Christus Ioh. 6.29. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Concedit autem hoc donum per auditum verbi, vt habet Paulus Rom. 10. vers. 17. Itaque hinc etiam patet, licet Apostoli augmentū fidei petierint, illos tamē fide non plene caruisse. Reuera enim magnæ fidei testimonium est, quod credunt, ipsum Iesum fidei incremētum ipsorum cordibus adiicere posse: hoc nihil aliud est, quam homine maius quid à Iesu sperare. Quin & hoc obseruatu dignum. Pontificij dubitationem, pro magna & Deo grata virtute prædicant. Id si verum esset, male precati fuissent, quando fidei incrementum petiuerunt. Sed tota scriptura nos docet, vt fortes simus in fide, luctemur contra dubitationem. Paulus 2. Cor. 13. v. 5. scribit: Tentate & probate vos ipsos, an sitis in fide. Anne cognoscitis vos ipsos, quod Christus in vobis sit, nisi forsan reprobi estis. Hic audimus, velle ipsum, vt quisque seipsum probet, an sit in fide: eo testatur eos, qui non agnoscunt Christum in se esse, reprobos esse. Ergo qui sentit se fide destitui, diligenter pro ea cū Apostolis ad Christum oret. Hæc copiosa oratione explicari possent: Sed nobis fundamenta monstrasse sufficiat.

Christus non Apostolis directe ad postulata respondet; sed de fide miraculosa ita disserit, vt nihilominus alterius iustificantis fidei efficaciam declaret, eam ipsis commendet, atque sic innuat, recte eos pro augmento fidei rogasse. Respondet enim iisdem verbis, quibus etiam Matth. 17. v. 20. fidem commendauit, & explicata inueniuntur in Cap. LXXXIX Harmoniæ, & docet, se non magnā quantitatē fidei requirere, sed modica fide, quæ sit instar *grani sinapis*, hoc est, viuax, acris, feruens, non autem frigida vel mortua, contentū esse posse. Talem si habeant, nihil ipsis præstitu impossibile futurum, adeo vt si *dicerent arbori sycamino, eradicare, & trans plantare in mare, obedisset vobis.* Vnicum exemplum, quod oculos positum erat, Christus assumit, & ex eo concludere vult, fidem veram alias res maxime spirituales longe felicius aggredi & perficere posse, si maxime media abesse videantur. Matth. 17. versic. 20. nominauit montem, qui forte tum ipsi vicinus erat, vt digito eum Apostolis monstrare potuerit. Hic nominat arborem Sycaminum, quæ absque dubio tum etiam ipsis obuia erat. Sic vtrobique idem est sensus. De arbore Sycamino quidam curiose disputant, quęnam illa fuerit. Nam, hodie nobis species illa arboris non satis bene est nota. Aliis ficum Ægyptiam, alij morum Ægyptiam; alij morum simpliciter accipiunt. Apud Dioscoridem l. 1. cap. 147. συκάμινος & pro moro simpliciter, & pro sycomoro accipitur. Sed ad rem præsentem parum refert, an morum, an ficum Ægyptiam intelligas. Qualiscunque enim arbor fuerit, res de fidei efficacia eodem redit. Patres tamen, qui allegoriis in huiusmodi rebus delectati sunt, aliquāto diligentius inquisiuerunt, vt per mori fructum, qui extrinsecus niger est, eo melius nigrū diabolum delineare possent. Sed nos hęc mittimus. Illud potius spectamus vt hac fidei commendatione excitati, indesinenter ad Christum oremus, vt ipse illam in cordibus nostris accendat, augeat & confirmet, vt non tantum ipsius doctrinam addiscere, eiusq; præceptis obtemperare; sed etiam omnis generis scandala & aduersitates in hoc mundo per eam superare *possimus*. Interim non cogitandum quasi Christus petitioni *Apostolorum* non satisfecerit, quia non directe ipsis respondit, *quod velit* ipsis fidem addere. Nam omnino omnibus suis *concionibus* nihil aliud fecit, quam quod illorum fidem de die *in diem* auxit; donec post gloriosam suam in cœlos ascensionem spiritus sui efficacia in tantum ipsam confirmauit, vt toti mundo reformando suffecerit.

IV. Quarta pars huius Concionis agit de officio fidelium, atque medetur simul & securitati & confidentiæ, si quæ in illis enasci vellet. Quandoquidem enim Dominus in præcedentibus multa bona opera à suis requisiuit, vt sint liberales in pauperes, vt sint voluptatum contemptores; vt sollicite scandala vitent, vt faciles sint in condonanda offensa proximo: fieri poterat, vt si quis vnum vel plura horum perfecisset, sibiipse persuaderet, se iam officio suo plane defunctum esse, iamque velle se quieti dedere, nec quicquam vlterius operari: alius posset sibiipsi in hisce operibus placere, se efferre atque iactare, ac si multa coram Deo ob hanc suam obedientiam meritus esset. Vtrisque Christus vnico *exemplo ex* vulgari hominum consuetudine desumpto occurrit, *& dicit:* Nullus est in orbe Dominus, vtcunque commodus, si seruus ex diurno labore agri domum reuertatur, vt magno honore eum afficiat: sed mox certum ab illo exigit seruitium, vt prius ipsi cœnam paret atque seruiat, postea demum se quoque cibo reficiat. Ex hoc vero exemplo Christus duo elicit. Vnum quod Christianus talis sit Dei seruus, qui totam suam vitam Deo debeat, ad imam vsque vesperam, hoc est, ad vltimam vsque mortis horam, quæ demum labori finem imponet. Quod Dei serui simus, de eo nobis constat ex creatione, conseruatione, redemtione & sanctificatione. Domino itaque nostro fidi simus.

Quamdiu? Apocal. 2. versiculo 10. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Ergo fides non *facit* hominem inerti otio desidere, sed eum impellit, vt quo pluribus à Deo donis ornatus est, eo magis strenue in Domini agro siue vinea, hoc est, in Ecclesia Dei laboret, *quamdiu* in hac lachrymarum valle eum viuere *concessum est*, donec in patriam cœlestem transferatur. Vt enim seruus non probatur, qui tantum aliquot horas laborat, postea vero otio sese dedit aut ad somnum componit, sed requiritur, vt in labore ad vesperam vsque perseueret, & postea demum hero cœnam paret, priusquam ipse ad mensam accumbat: ita nunquam pro fideli Dei seruo agnoscetur, qui vbi semel atque iterum aliquid laude dignum in Ecclesia effecit, mox sibiipsi ferias indicit, ad quietem se componit, nec ad vltimum vitæ terminum vsque Dei gloriam, Ecclesiæ ædificationem & plurimorum salutem promouere cupit. Simul autem Christus monstrat, quænam sint illa opera, quæ à tali seruo facta Deo sint grata. Nam loquitur de seruo, qui *fecit, quæ imperata fuerant*. Quisque ergo in sua vocatione ea edat opera, quæ à Deo sunt mandata. Neque enim hominum traditionibus Deo inseruitur, frustra eum colunt, *si maxime diu* se istis macerent. Quid Deo vel proximo prodest, *si maxime* Monachi se ieiuniis affligant, si nudum corpus ciliciis vestiant, si omnibus suis statuis cereos accendant, si humi cubent, & consimilia à se ipsis excogitata opera faciant. *Arent agrum* dominicum, aut *pascant* gregem dominicum, & postea *ministrent Domino ad cœnam*: sic grata Domino facient. Ita verbi minister per totum diem vitæ suæ laboret in aruo Domini, tum eradicatione impiarum arborum & herbarum, tum plantatione arborum iustitiæ, & nouellarum quæ florent in domo Domini, ad gloriam eius: idem etiam fideliter pascat gregem Domini sibi commissum, prouidens, ne coacte, sed vt sponte id faciat, non turpis lucri gratia; sed voluntarie. Et quando hoc fecerit, tota die vitæ suæ, tum fide eius adueniente, statuat se non prius admittendum ad cœnam Domini in regno cœlorum, quam ipso Domino obtulerit fructus laborum suorum, vnde ipse pascatur. Hoc enim illud ferculum est, quo Deus comprimis delectatur.

Nonnunquam etiam Dominus fidis suis seruis sub finem vitæ immittit graues & diuturnos morbos, quibus eorum patientiam probat, vt tota ipsorum voluntas subiiciatur in obsequium Christi, ceu quasi in vero crucis affigatur, sicque Christo ex tolerantia suorum gratum edulium paretur. Sic etiam illi, qui officio magistratus funguntur, populum fidei suæ commissum; tum ceu agrum fertilem excolant, tum ceu gregem pascant. Sunt enim & ipsi ποιμένες λαῶν, pastores populorum.

Si quæ

Si quæ ergo spinæ aut sentes in populo enasci vellent, aratro seueræ disciplinæ eas euellant, nouale noueant, bonis legibus subditos informent, peccandi licentiam coerceant, & in honesta disciplina singulos continere studeant. Curent quoque, vt singuli gregis vnitatem seruent, vt inter se pacate & quiete viuant, quisque suo iure citra aliorum vel impedimentum vel damnum fruatur. Tale seruitium Deo quoque gratum est. Sic patresfamilias, præceptores & quicunque iuuentuti instituendæ præfecti sunt, illum agellum quoque Dei esse statuant, ac proinde in eo plantando, conserendo, rigando & ad fructum promouendo nulli labori parcant, vt Dominus aliquando ipsorum probitate & indole se oblectare possit.

Alterum quod Christus ex illo serui exemplo elicit, hoc est quod nostris operibus coram Deo nihil mereamur. Nam dicit Christus: *Num gratiam habet herus seruo illi, quia fecit quæ ei imperata fuerant? Non puto. Sic & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quia quod debuimus facere, fecimus.* Quemadmodum herus suo seruo nequaquam obstrictus redditur, nec ei gratiam habet. etiam si totum diem in agro arat, aut gregem pascat, & sub noctem demum cœnam paret atque ministret, siquidem ad hoc conductus est: sic etiam cœlestis Pater nihil quicquam cuiquam debet, etiam si quis in ipsius præceptis obseruandis ad extremum vitæ suæ halitum admodum strenuus & sedulus fuerit. Etenim quæcunque facimus, illa ex debito facimus: quia quicquid sumus & habemus, illud omne ex Deo habemus. In ipso viuimus, mouemur & sumus, Actor. 17. vers. 28. Ipse est noster Dominus, Factor & opifex: ideirco merito omnia in ipsius honorem rursus expendemus. Hoc Christi dictum omne operum meritum euertit, vtcunque Pontificij de eo glorientur. Nam loquitur Christus hic cum Apostolis iam iustificatis & renouatis, & dicit: *Cum omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus.* Et vult ipsos ita dicere, non tantum de operibus, quæ ante vocationem ad Apostolatum fecerunt, nec tantum de iis quæ initio fecerunt, cum adhuc valde infirmi essent. Sed inquit, cum per Spiritus Sancti gratiam tantum profeceritis, vt *omnia feceritis*, tamen dicite: *serui inutiles sumus.* De seruis vere inutilibus, quando Deus in iudicium cum ipsis intrat, vt iuxta opera sua iudicentur, pronunciatur illa sententia, quæ extat. Matth. 25. versic. 30. Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium. In vtroque enim loco & illic & hic idem vocabulum ponitur, ἀχρεῖος δοῦλος. Et quid mererentur homines? Cum 1. serui sint, qui imperata facere debent. 2. Quicquid boni faciunt, illud non ex se faciunt, sed per gratiam Dei. 3. Opera quoque sunt imperfecta, cum semper aliquid labis ipsis adhæreat. 4. Ex nostris operibus Deo nihil accedit commodi. 5. Afferamus opera quæcunque possumus, nunquam rependimus Deo minimam partem beneficiorum, quæ ipse in singulas horas in nos confert. Alios ergo de meritis gloriari finamus, nos nosipsos seruos inutiles esse agnoscamus. Quod vero Pontificij semper excipiunt, præmia & mercedem, quæ in cœlo magna futura est, promitti, & hanc nos promereri debere. De eo dici potest: Nos Christianos non esse tantum seruos mercenarios Dei; sed ex Dei benignitate etiam ipsius filios, & Christi membra factos esse. Si iam tanquam filij & Christi consortes operamur bona, tum Deus ex gratia nobis pollicetur remunerationem. Et ea ratione non amplius *inutiles serui* sed *amici Christi* dicimur, Ioann. 15. versic. 14. dicit Christus ipse: Vos amici mei estis, si feceritis omnia quæ præcipio vobis. Talibus etiam in nouissimo die adiudicabit vitam æternam, non tanquam meritum bonorum operum, sed tanquam hæreditatem filiorum. Matth. 25. ver. 34. Venite benedicti patris mei, hæreditate regnum vobis paratum à constitutione mundi. In hoc textu etiam notandum est verbum *quod debuimus*, ὃ ὠφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν. Eo innuitur, nouam obedientiam siue bona opera scripturam in renatis & iustificatis non tantum consulere, nec vt rem indifferentem & arbitrariam proponere, sed tanquam rem necessariam exigere propter voluntatem & mandatum Dei. Hinc Paulus sumsit illud suum Rom. 8. v. 12. ὀφειλέται ἐσμέν, debitores sumus, non vt secundum carnem, sed secundum spiritum viuamus, 1. Thess. 4. versic. 3. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Et hæc sunt membra huius concionis.

CAPVT CXXV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CHRISTVS PROFICISCITVR PER SAMARIAM IN GALILÆAM, ET in itinere decem leprosos verbo sanat. Luc. 17. vers. 11.

RATIO ORDINIS.

SVnt, qui hanc Christi profectionem coniungunt cum illa, aut certe statim subiungunt post illam, quam Lucas descripsit c. 9. v. 51. Sed reuera, quod tamen pace tantorum virorum scriptum velim, grauiter hallucinantur. Nam illic descripsit Lucas Christi iter, quod ex Galilæa suscepit per Samariam Hierosolymam versus ad festum tabernaculorum. In qua vrbe & eius vicinia Christus aliquantisper durauit, donec Iudæi secunda vice lapidibus ipsum inde expulerunt. Quia vero secum constituerat, quod antequam pateretur, Ecclesias abs se plantatas in tota Palæstina visitare velit, illamque visitationẽ per septuaginta discipulos, Luc. 10. v. 1. denunciari curauit in omni loco, quo ipse venturus erat. Idcirco hãc visitationem hactenus in Peræa & Iudæa perfecit. Nunc Galilæam etiam postrema vice visitaturus, per Samariam, quemadmodum recta iter facienti necessum erat, in eam descẽdit. Ergo hic longe aliud iter describitur, nimirum quod Christus ex Iudæa per Samariam suscepit in Galilæam. Et tamen tota hæc profectio à Luc. 9. v. 51. ad finem vsq; hunc titulum retinet, quod *iuerit Hierosolymam*, & quidem vt ibi complerentur dies assumtionis ipsius. Nam quecunque hactenus acciderit, illa nihil aliud sunt, quam præparatio ad passionem, & consummatio illorum dierum. Quapropter nullum est dubium, hanc profectionem cum priore illa non esse commiscendã, sed hunc peculiarem locum ipsi tribuendum.

Miraculum decem leprosorum in via sanatorum.

LVC. 17.

11. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ πορεύεσθαι αὐτὸν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ αὐτὸς διήρχετο διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας.
12. Καὶ εἰσερχομένου αὐτοῦ εἴς τινα κώμην, ἀπήντησαν αὐτῷ δέκα λεπροὶ ἄνδρες, οἳ ἔστησαν πόῤῥωθεν.
13. Καὶ αὐτοὶ ἦραν φωνὴν, λέγοντες, Ἰησοῦ ἐπιστάτα ἐλέησον ἡμᾶς.
14. Καὶ ἰδὼν εἶπεν αὐτοῖς. πορευθέντες ἐπιδείξατε ἑαυτοὺς τοῖς ἱερεῦσι. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὑπάγειν αὐτοὺς, ἐκαθαρίσθησαν.
15. Εἷς δὲ ἐξ αὐτῶν ἰδὼν, ὅτι ἰάθη, ὑπέστρεψε μετὰ φωνῆς μεγάλης, δοξάζων τὸν Θεόν.

11. *Et factum est, dum iret Hierosolymam & ipse transibat per mediam Samariam & Galilaam.*
12. *Et cum ingrederetur quendam vicum, occurrerũt ei decem viri leprosi, qui steterunt procul.*
13. *Et ipsi extulerunt vocem, dicentes, Iesu præceptor miserere nostri.*
14. *Quos vt vidit, dixit illis, Ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, vt inter eundum mundati sunt.*
15. *Vnus autem ex illis vt vidit, quod mundatus esset, regressus est cum voce magna, glorificãs Deum.*

16. Καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, εὐχαριστῶν αὐτῷ· καὶ αὐτὸς ἦν Σαμαρείτης.

17. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, οὐχὶ οἱ δέκα ἐκαθαρίσθησαν, οἱ δὲ ἐννέα ποῦ;

18. Οὐχ εὑρέθησαν ὑποστρέψαντες δοῦναι δόξαν τῷ θεῷ, εἰ μὴ ὁ ἀλλογενὴς οὗτος.

19. Καὶ εἶπεν αὐτῷ: ἀναστὰς πορεύου, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε.

16. *Et procidit in faciem ad pedes eius, gratias agens ei, & ipse erat Samaritanus.*

17. *Respondens autem Iesus dixit, Nonne decem mundati sunt, nouem autem illi vbi?*

18. *Non sunt inuenti redeuntes dare gloriam Deo, nisi alienigena hic.*

19. *Et ait illi: Surgens vade: Fides tua seruauit te.*

Periocha huius miraculi.

SAluator noster Iesus Christus recte vocatur Malach.4.v.2. Sol Iustitiæ. Quemadmodum enim sol in cœlo nũquam quiescit, sed incessabili motu non tantum ab ortu in occasum fertur; sed etiam modo versus septentrionem, modo versus meridiem, pro diuersitate temporum anni declinat, vt sic terras & maria omnia lustret, ipsisque suæ lucis & caloris beneficium impertiat: Sic Christus in postrema sua profectione, versus Hierosolymam ad suam mortem, non tantum recta linea ad vrbem illam per Samariam contendit; sed etiam inde digressus in Peræam versus ortum se contulit: hinc rursus in Iudæam versus occasum: nunc denique rursus versus septentrionem in Galilæam. Idque fecit in eum finem, vt omnes doctrina Euangelij sui illustraret, ipsisque beneficia sua tam corporalia quam spiritualia confirmet. Ideo recte de eo Petrus dixit, Act. 10.v.38. Circumiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo, Et hæc omnia præstitit hinc inde peregrinando. Alioqui iter facientes putant se immunes esse ab eo, vt multum boni operentur, iccirco tempus fabulis & facetiis consumunt. Sed Christus hic & per omnem suam vitam diuersum monstrauit Illustre quoque exemplum habemus. Act.8. v.28. in Eunucho reginæ Candaces, qui in cursu suo legit prophetam Iesaiam.

Quoad præsentem autem historiam, habemus decem miracula loco vnius. Decem enim leprosis occurrentibus, hic sol Iustitiæ sanitatem corporis contulit solo verbo. Et quia consimilia miracula in Euangelica historia plura leguntur, putant aliqui, non posse singulares aliquas & vtiles doctrinas ex contextu desumi. ideo eum suo loco relinquunt, & quærunt Allegorias, quid significet *lepra*, quid *ite*, quid *ostendite*, & sic deinceps. Equidem Allegoria, quam Augustinus hic habet, est satis elegans. Dicit per leprosos significari animam peccato infectam. 1. Sicut enim in lepra morbus & defectus est incurabilis, non in superficie cutis, sed in ipsa medulla (vt sic loquar) sanguinis in epate, & interioribus corporis visceribus: sic etiam in homine coram Deo non tantum sunt peccata, externa illa mala opera, quæ etiam homines iudicare possunt: sed coram Deo corrupta & deprauata est tota nostra natura, caro, sanguis, anima cum omnibus suis facultatibus. 2. Per denarium leprosorum numerum vult significari totum genus humanum, ob numeri perfectionem: & peccata nostra, quibus Deum offendimus, pugnant cum decem præceptis. 3. Christus & hi decem leprosi sibi mutuo occurrunt, & in primis leprosi properant, antequam vicum ingrediatur: sic filius Dei incarnatus venit in mundum, vt peccatores quæreret. Nos eidem occurrimus in humilitate, à longe, tanquam indignissimi. Ibi serio orandum, eleuata voce ipsius misericordia imploranda, quia non ex operibus Iustitiæ quę nos facimus, sed secundum suam misericordiam nos saluos facit. Tit.3.v.5. 4. Christus verò hosce leprosos misit ad Sacerdotes, qui inter eundum mundati sunt: sic peccatores remittit ad ministerium verbi & Sacramentorum, vt per illud mundentur ab omnibus suis peccatis. Ibi enim reposita est virtus Dei ad salutem omni credenti, Rom.1.v.16. 5. Sicut autem non omnes decem, licet omnes sanati fuerint, redeunt, & Christo gratias agentes iuxta totum hominem saluantur: ita quoque non omnes qui bene cœperunt, ad finem vsque perseuerant, sed quidam recidiuam patiuntur, cum quibus posteriora deteriora fiunt primis. Luc.11.ver. 26. & 2.Pet.2.v.20. Hæc, inquam, Allegoria & iucunda est & scita: quia depingit totum Christianismum, quomodo is inchoetur, progrediatur, & ad finem vsque perseuerare debeat. Et si quis huiusmodi Allegoriis delectatur, vtatur sane iis. Veruntamen iuniores concionatores parce iis vtantur, ne cum Origene & Iudæis omnia in allegorias commutent. Nisi enim illæ in scriptura certa sua & firma fundamenta habeant, satius est, illas omittere, quam inepte aut citra fructum iis vti. Itaque tutius est simplici sensui literæ insistere, & statuere in scriptura nil tam exile esse, quod non peculiarem aliquam, si quis diligenter scrutetur, præbeat doctrinam. Quod in hac historia etiam videbimus.

I. Primum est, quod refert Euãgelista, in postremo anno ministerij Christi accidisse, vt *dum iret Hierosolymam, & prius per mediam Samariam descenderet in Galilæam*, quod apud vicũ quendam paruum. (Nam κώμη hic dicitur, quæ dictio castellum exiguum denotat) *occurrerunt ipsi decem viri leprosi, qui steterint procul*. Sic enim Deus per Mosen ordinarat, vt leprosi à cœtibus hominum semoti, extra ciuitates & consortium hominum habitarent, Leuit.13.versiculo 46. Sicut etiam Miriam soror Mosis, Num.12.vers.14 leprosa extra castra remissa est: & Ozias rex 2.Par.26.versic.21. in separata domo habitauit, postquam leprosus factus est. Neque enim vult Deus, vt qui contagiosis morbis, quales sunt lepra, elephantiasis pestis & consimiles, aliis se immisceant, eosque simul inficiant. Est hoc peccatum contra Christianam charitatem; Et immundi debent mundos vitare, congressu, conuictu, tactu. Hi ergo à longe stantes, intenta voce clamant: *Iesu* ἐπιστάτα *præceptor miserere nostri*. Ἐπιστάτης præfectum & aliis præpositum significat. Qua voce ipsum non solum sibi superiorem & præstantiorem agnoscunt; sed etiam morbis omnibus valentiorem, qui ipsis possit imperare, vt ad eius mandatum cedere cogantur. Implorant autem ipsius tantum misericordiam; siquidem nihil habebant, quo se ipsi commendare poterãt. Sic vero fiduciam suam in Christo testatam faciunt. Fidei enim natura hæc est, quod abiectis omnibus mundanis præsidiis, ad meram Dei confugit misericordiam. Sic hi sperant, si tantum Christus ipsos respiciat & consideret, quam miserandum in modum viuant, & quod viui quasi mortui sint; futurum vt auxiliatricem manum ipsis adhibeat. *Hic ante omnia notandum*, quod apud vicum tam *exiguum decem leprosi* habitant; vnde colligere licet, quod lepra apud Iudæos fuerit plaga admodum vulgaris. Et *quidem* possent fortassis huius rei etiam naturales *causæ reddi*: quod regiones orientales sint calidiores, vbi sanguis *facile* aduritur. Sed apud Israelitas populum Dei, *fuit* hoc prorsus peculiare. Legimus enim Leuit.13. & 14. quod non tantum homines; sed etiam domus, vestes, lepra infectæ fuerint, hoc est, quod tale quid in muro, pariete, lino, veste & pilis apparuerit, quod lepræ speciem habuerit, vt qui vel in domo habitet, vel veste indueretur inficeretur. Vnde domus vel desertæ vel dirutæ, & vestes ambustæ fuerunt. Et scribunt Iudæi ipsi, in toto orbe nihil consimile fuisse in vllo populo. In Syria quoque floruerunt leprosi homines; sed de lepra vestium siue ædium nihil legimus: & qualis illa lepra fuerit, nos nescimus. Hoc autem certo certius ex scriptura, lepram esse pœnam peccati. Cur ergo Iudæi, populus Dei, plus ea infestantur, quam *aliæ* gentes? Cur apud ipsos aliquid peculiare est, quod *inter* Ethnicos non inuenitur? Resp. Hic se aperit doctrina. Nimirum hæc 1. Pet.4. ver. 17. Quoniam tempus est, & incipiat iudicium à domo Dei. Sic apud Christianos peccata à Deo grauius & citius puniuntur, quam apud Turcas & Tartaros. Quare? Quia Luc.12. versiculo 47. seruus sciens voluntatem Domini & non faciens pluribus vapulabit. Qui ergo Dei verbum habent, illi exactius debent agnoscere, & diligentius etiam considerare peccata quam alij. Ideo dedit Deus populo suo memoriale in domo, in vestibus, in corpore, vt non dubitarent, quam primum ab ipsius verbo recedunt, quod è vestigio omnia ipsis futura sint immunda; sicut vicissim mundis omnia mũda: Tit.1. vers. 15. Ita & nobis omnes plagæ debent esse cõcio legis, vt agnoscamus, quantopere natura nostra sit vulnerata per infernales latrones, & eo diligentius omnipotentem Medicum quæramus.

Videmus hic etiam effectum crucis, qui est, quod inter se coniuncti & vnanimes viuunt, etiam illi, qui alias splendente fortuna se inuicem auersantur. Iudæi & Samaritani, vt habemus Ioan.4.ver.9. non communicabant inter se inuicem. Hic vero lepra Iudæos & Samaritanum in vnam societatem compegit, eosque inter se concordes reddidit. Sic aduersitates multos inter se amicos faciunt, qui alioquin ab aliorum consortio abhorruissent.

II. Dominus Iesus audiuit clamorem leprosorum fiduciæ testem, nec surda aure præteriit. Ipse enim est ille Domi-

nus,

nus, qui Esa.65. versic. 24. ait: & erit antequam clament ad me, ego audiam. Felix clamor, qui sistit solem iustitiæ currentem,& permouet, vt *videat*. Vbiuis enim ipsius aspectus & intuitus est salutaris,& permouet eum, vt exhibeat beneficium. Cum autem eos sanaturus esset, non tamen ad illos accessit, non eos tetigit, non dixit, estote mundi, sed dixit: *ite ostendite vos sacerdotibus*: & ita non confestim eos mundat, sed facit, *vt inter eundum mundarentur*, idque ad 20. fere milliaria. Hic Pontificij dicunt stabiliri confessionem auricularem. Et norunt seniores, qualis illa fuerit carnificina animarum & cordium, quia persuaserunt hominibus, nullum peccatum remitti, nisi singula in specie per singulas circumstantias confessario in aurem recitentur. Et si quis sciens ac volens vnum subticeat, illud in æternum remitti non posse. Nos quidem ignoramus, quanta illi fuerit maceratio, quia nō sumus experti, aliquo modo tamen cogitando assequi possumus. Dauid dicit. Ps.19.13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Cum ergo maior pars peccatorum sit occulta, nobisque ignota, in perpetua sollicitudine & metu Christianus fuit, an etiam omnia fuerit confessus. Et ad periculosam atque desperationis plenam doctrinam alium textum in Bibliis inuenire non potuerunt, quam hunc: qui tamen totus ab hac materia fuit alienus. Nam sacerdotes Iudæorum non potuerunt lepram tollere, aut homines purgare: Sed tantum iudicare & testari, an quis mundus sit, an immundus, & pro curatione sacrificium offerre. Pontificij autem contendunt, neminem à peccato mundari, nisi hoc modo sit confessus. Sed refutationem pleniorem huius doctrinæ iuniores habere possunt ex Theologorum nostrorum libris: hic tantum illud notent, quod impertinenter hic textus ad illam doctrinam accommodetur. Et tamen certum est, significare hoc aliquid, neque frustra à Christo factum esse. Quid ergo docere voluit? Doctrina intellectu facilis est, sed tamen vtilis & necessaria, ac proinde obseruanda. Hæc nimirum, Deus dixit Psalm.50.vers.15. Inuoca me in die tribulationis, & eruam te. Iam videmus aliquem, qui fuit in tribulatione, scimus eum Deum inuocasse, nouimus etiam ipsum liberatum esse hoc vel illo modo. Nos etiam incidimus in tribulationem, oramus: sed quia nos non mox & eodem modo liberat, vt alios, confestim statuimus, preces nostras fuisse irritas, neque exauditas. Ex hoc ergo exemplo discamus, Deum non vno eodemque modo omnium preces exaudire, eosque iuuare, sed pro libera sua voluntate: iccirco ipsius arbitrio & modum & tempus iuuandi resignemus. Hæc doctrina hisce exemplis splendide illustrari potest. Matth.8.vers.2. legimus, post concionem illam in monte leprosum accessisse Christum, eumque rogasse, vt se mundaret. Christus mox manum extēdens, eum tangens, dixit: Volo; esto mundus. Hoc ergo exemplo, & quia postea clamauit, Matth.11. versicul. 29. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, hi decem etiam sunt moti & excitati vt Christo occurrant, & consimili gratia se iuuandos sperent. Quid fit? Vult quidem Christus etiam hosce sanare, & euentus id commonstrauit, sed longe alio modo: neque enim ad eos accessit, non inspexit, non tetigit, non confestim mundauit; sed dixit: *ite, ostendite vos sacerdotibus*, & demum post iter 20. fere milliarium effectum curationis Christi sentiūt. Ita videmus modum curationis apud Deum diuersum esse. Si iam hi decem leprosi ita affecti fuissent, sicut Naaman Syrus 2.Reg.5 versic.11. qui indignabatur, quod propheta Elisæus ad ipsum non progressus esset, nec locum lepræ manu sua tetigisset, nec nomen Domini Dei super se inuocasset, sicque eum curasset, & propterea cum indignatione abire volebat, nisi serui id dissuasissent. Si, inquam, hi leprosi etiam indigne tulissent, quod Christus non ad eos accessit, non plagam inspexit, non lepram tetigit, non confestim mundos reddidit, cum tamen ipsi humiliter à longe stterint, non tantum eum rogarint; sed eleuata voce ipsum inclamarint: sed Dominus tantum eos ad sacerdotes remittit, si dixissent: quid apud sacerdotes nondum curati faciemus, hi nobis lepram semel adiudicauerunt, sententiam suam non mutabunt, & nos ipsi lepram in nobis videmus, lepram sentimus? Frustra ergo ad ipsos mittimur, cum nec illorum iudicio, nec etiam sacrificio mundationis, quæ adhuc nulla est, opus sit. Si tales se exhibuissent, tum etiam nostro iudicio digni fuissent, quibus sanatio subtracta fuisset. Sed non faciunt, patienter moram ferunt, & horam expectant, qua Christo placuit ipsis sanitatem conferre. Idem ergo & nos facere discamus, vt Deo nostro nihil præscribamus; sed sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, sic sint oculi nostri ad Dominum Deum nostrum directi, donec misereatur nostri Psalm. 123. vers. 2. Recte igitur Maria mater Domini, Iohann 2. versic.5. ministris nuptialibus iniunxit; quodcunque dixerit vobis, facite. Interim patienter expectemus, donec ipsius hora veniat. Ipse enim est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione: Psalm.9. versicul.18. Idem & Deus etiam facere solet in puniendis malis. Quosdam qui Christianos ipsius tangunt, in continenti punit, vt Ieroboamum, 1.Reg.13.v.4. aliorum tyrannidem magna patientia tolerat, vt Herodem & Romanos imperatores. Nihil ergo ipsi præscribamus, sed cum patientia tam liberationem quam vindictam expectemus.

Porro, quia filius Dei in hunc mundum venit, vt totum hominem: Iohan.7.v.23. corpore & anima sanet: ideo etiam his verbis *ite, ostendite vos sacerdotibus*, monstrat quomodo id fiat. Nimirum remittit nos ad ministerium Verbi & Sacramentorum in Ecclesia: & quemadmodum hi sanati sunt, dum iuerunt, & mandato Christi obtemperarunt; ita & nos dum in Ecclesia Verbum audimus, absolutione & sacramentis vtimur, vult nobis Christus peccata remittere, nos lauare, vt in cœlesti Ierusalem mundi coram Deo compareamus. Sic cum Dauid grauiter peccasset, & totus æger esset, mittitur ad ipsum Nathan propheta, qui ex Dei verbo peccatum eius arguit, eumque ad pœnitentiam reuocat 2.Sam.12. versicul. 1. Actor.9. vers. 4. Vult Christus Saulem contra Ecclesiam suam tumultuantem sanare, & potuisset quidem ipsi totum cor immutare, & informare; sed ipsi quoque dicit: Ingredere ciuitatem; ibi tibi dicetur, quid debeas facere. Et mittitur postea ad ipsum discipulus Ananias, qui ipsum baptizauit. Et hæc est causa, ob quam tam serio & anxie vrgemus auditum verbi & vsum Sacramentorum. Per hoc enim medium vult Christus nos à peccatis mundare, & sine eo animæ salutem non possumus consequi. Circumfer autem oculos in mundo, & attende quid fiat, & quomodo homines sint affecti. Quidam cupiunt saluari, quidam etiam sollicite orant & clamant, vt Deus ipsorum misereatur. Sed quando Deus dicit; *ite, ostendite vos Sacerdotibus*, tum ministerium ipsis sordet: alij nolunt audire conciones, quæ ipsis nimium vulgares videntur, cum in libris Poetarum & historicorum longe elegantiora legere possint: alij vsum Sacramentorum negligunt, quia nolunt se idiotis & rusticis æquiparari. Quid igitur mirum si tales non tantum in peccatis suis maneant, sed etiam de die in diem deteriores euadant? Non remittit nos Christus in cœlum, Deut.30.v.11. sed leue quid, vt videtur, iniungit. Vtut autem leue sit, sequitur tamen inenarrabile bonum: quia is, qui nobis hoc præcipit, est omnipotens Deus, qui ex minimis maxima producere potest.

III. Hactenus in hisce decem leprosis par fuit fiducia in Christum: sed nūc postquam senserunt eius opem, admodum dispar fuit gratitudo. Etenim cum adhuc immundi erant, quam solicite quæsiuerunt sanitatem; quam bonas habuerunt cogitationes, quod mundati pie se gerere velint; quam anxie clamarunt, *Iesu, miserere nostri*. Nunc postquam cutem vident esse mundam, & se sanatos, benefactoris sui obliuiscuntur. *Vnus tamen ex ipsis regressus est, & voce magna* (quod indicium est animi valde læti & grati) *glorificās Deum*, summa cum reuerentia *procidit in faciem suam ante pedes Iesu, eique* humiliter *gratias egit. Et ipse*, quod magis mireris, *erat Samaritanus*. Reliquos putat Lyra seductos fuisse per sacerdotes Iudæorum, qui virtutem & efficaciam mundationis non verbis Iesu Christi sed sacrificiis adscripserint. Verum quid opus est alijs hoc attribuere, cum natura & ex se potuerint esse ita securi. Hic vero quid nos iudicabimus? Nonne dicemus, ô pessimos & ingratissimos nebulones, dignos quos lepra decies peior rursus inuadat. Sed caueamus, ne festucam videamus in oculis aliorum, & trabem non cernamus in propriis oculis Matth 7.v.3.

Quid enim est vsitatius, quam quod sub cruce omnes anxie clamemus. Nam in angustia requirimus Deum, & quando Deus nos affligit & castigat, meditatio nostra ad ipsum, Ies.26.vers.16. Ibi offerimus nos ad emendationem vitæ; ô quam probi futuri sumus, si ex hoc malo, ex hisce cruciatibus calculi vel podagræ nos Deus liberauerit: & non pauci sunt, qui serio hoc secum constituunt, aliqui sponsores darent, & promissa literis atque sigillis confirmarent. Sed quotusquisque restitutus suis hisce promissis stat: Et hoc vsque adeo vsitatum est, vt totæ vrbes atque regiones, quando fame, peste, bello à Deo puniuntur, clament ac spondeant; Si Deus nos ex hoc malo liberauerit, hęc & illa vitia corrigemus, iuxta legum præscriptum sub nitos gubernabimus. Et sane propositum per se bonum est. Sed quando pœna est sublata, tū plerique redduntur deteriores. Sed quid ad hæc Christus? Non ignorabat hoc beneficium purgationis ad omnes decem peruenisse, licet vnicus tantum cum gratiarum actione illud agnosceret. Quapropter taxat primum reliquorum ingratitudinē, & postea huius Samaritani gratitudinē commendat. *Nonne decem mundati sunt nouem illi vbi? Non sunt reperti qui redirent, vt darent gloriam Deo, nisi hic alienigena?* Interrogat, non quod nesciret, sed vt hoc modo ipsorum ingratitudinem &

reprehenderet; & aliis notam faceret. Vult dicere: Certum est omnes decem idem mundationis beneficium accepisse, & tamen vnicus tantum grata mente illud agnoscit. An non hoc graui vituperatione dignum est. Sic statuamus Christum adhuc hodie ad dexteram cœlestis sui Patris sedentem oculos in orbe circumducere,& obseruare, quinam pro acceptis beneficiis grati sint; quinam vitam inde emendent,& qui non. Hos dum videt, querimoniam instituit: Mi pater, Ego hunc & illum hominem seruaui, in hac vrbe, in illa regione tot millia virorum & infantium ex peste liberaui: sed nemo illorum hoc grata mente agnoscit, nec vitam emendat. Has querimonias audiunt angeli; & hic singuli cogitent, quam turpe hoc nobis accidat. Idem deprehendemus, si spiritualem consideremus ingratitudinem. Omnes nati sumus filij iræ, in baptismo remittitur nobis ille reatus, sed non statim in cœlos abripimur; verum dicit nobis, *ite, ostendite, &c.* hoc est, finit nos viuere in hoc mundo, vt audiamus Verbum, discamus eius voluntatem, in fide crescamus, & pie viuamus. Sed quot nostrum reuertuntur? Si decem ex centum, oportet ipsum contentum esse. Quis sponte sua veterem Adamum mortificat? Quis serio gratias agit? Sane quidam admoniti id faciunt. Quapropter Verbi ministri in admonitionibus sint crebri, & auditores facile eas admittant. Alioquin is, qui ad dextram patris sedet, non frustra queritur. Nam ex textu colligi potest, reliquos nouem corpore quidem sanatos esse, at anima minime saluos factos. Samaritano enim dicit, vt iam pluribus audiemus: quia retinuisti fidem, *illa te seruauit.* Reliqui habuerunt quidem initia fidei, & inde corpore sanati sunt: Verum quia secuta est secura vita, circa fidem naufragium passi sunt,& propterea pereunt.

IV. Præcedentia tria membra fuere huius historiæ peculiaria, & præbuerunt doctrinas, quas fortassis alibi non tam facile inueniemus: hoc quartum membrum, licet etiam alibi in Euangelio habeatur, non tamen hic est prætereundum. Quoniam Christus id, quod gratus Samaritanus (& quidem recte) ipsi tribuebat & acceptum ferebat, ipse vicissim ipsius fidei tribuendum & acceptum ferendum pronunciat. Nam dum hic alienigena sic prostratus ante Christi pedes adhuc iacebat, dixit ei: *surgens, vade*, securus de hoc beneficio, quod tibi firmum constabit, ad finem vitæ vsque: *fides tua te seruauit*, siue saluum fecit. Est pulchra sententia, qua Christus in Euangelio sæpius vsus est, Matth. 9. versic. 22. hæmorrhousæ: Ibid. vers. 29. duobus cœcis; secundum fidem vestram fiat vobis. Luc. 17. versiculo vltimo, peccatrici: & aliis pluribus in locis. Nam Christus seruauit hanc consuetudinem, quando habuit doctrinam, in qua multum situm est,quam auditoribus suis voluit commendatam reddere & cordibus ipsorum profunde implantare, tum eam illustri alicui sententiæ inclusit, quam postea sæpius repetiit. Quod etiam de hac sententia statuere debemus. Loquitur autem hic Christus non de externa salute vel sanitate: Nam huius etiam reliquos nouem participes factos esse iam audiuimus; sed loquitur de salute æterna, qua fides non tantum huius Samaritani corpus mundauit, sed etiam animam purificauit, vt totus homo saluus factus sit. Hic dicat quis: Atqui putaram, solum Deum nos saluos facere: & Christum esse nostrum saluatorem, vt dicendum sit, Christus te seruauit, & non, fides tua te seruauit. Num Deo siue Christo hæc gloria adimenda, & nobis, siue fidei nostræ adscribenda est? Respond. Non. Nam de Samaritano expresse hic dicitur, *procidit in faciem, & gloriam dedit Deo*, hoc est, agnouit suam indignitatem, & omnem laudem sanationis suæ vni Deo attribuit. Sic nos multo plus in salutis negotio omnem gloriam Deo relinquamus: nec glorietur in conspectu Dei omnis caro; sed qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Corinth. 1. versic. 19. At instet quis; Cur ergo Christus hic dicit: *Fides tua te saluauit*? Respond. Hoc obseruandum est, quod scriptura vtrumque tradit; & 1. quod per gratiam Dei iustificemur, Romanor. 3. versiculo 24. quod Christus est iustitia nostra, 1. Corinth. 1. vers. 30. quod Deus, sit Dominus saluos faciendi. Psalm. 68. vers. 21. quod Deus secundum suam misericordiam nos saluos fecerit. Tit. 3. vers. 5. Et 2. quod fide iustificemur & saluemur. Sed facit hoc magno cum discrimine. Deo salus nostra *adscribitur* tanquam causæ efficienti, apud quem salutem æternam & non alibi quærere debemus, Fides autem, tantum est medium & instrumentum, quo salus à Deo oblata ab homine accipitur. Et hic sedulo cauendum, ne quis putet, fidem esse adeo præclarum & meritorium opus, quod salutem mereatur. Nam omnibus nobis obiici potest illud, Matth. 8. versicul. 26. O vos modicæ fidei. Omnes cum lunatici patre. Marc. 9. versiculo 24. fateri cogimur: Credo quidem Domine: sed tu adiuua incredulitatem meam. Omnes cum Apostolis orare debemus: Luc. 17. vers. 5. Domine adauge nobis fidem. Hoc cum ita se habeat, nemo de fide sua gloriari debet, sed quisque agnoscat illam tantum organum & instrumentum esse, quo salutem apprehendat: & patiatur se hoc dictum ad veram fidem excitare. Nam non deest, qui hominibus donat salutem: sed sæpe desunt, qui eam accipiunt. Deus voluntatem suam de salute nostra in verbo patefecit, & per verbum atque Sacramenta eam in nos effudit: fides vasculum est, in quod salus infunditur, & quo asseruatur. Quod ergo quibusdam parum datur: id non fit aliunde, quam quod fides deficit, quæ non accipit. Ideo Deus populo suo dicit, Psalm. 81, vers. 11. Dilata os tuum & implebo illud.

Vult quoque Christus hoc dicto cor nostrum tranquillare, contra tentationes de certitudine salutis nostræ. Nam quando nobis Deus ex gratia per verbum salutem offert & promittit tum cor auditu verbi fidem aliquam concipit. Sed mox deprauata caro nobis obstrepit suis cogitationibus ad dubitationes directis. Quis scit, an Deus etiam serio te saluum esse cupiat? Ah fortassis tu salute non es dignus? Deus est misericors, sed tantum electis. Iam quis scit, an tu sis è numero electorum; multi vocati; pauci electi: via est lata, quæ ducit ad interitum, & multi currunt eam. Hic vult Christus cor nostrum de certitudine confirmare, quando dicit: *fides tua te saluum fecit*: quasi dicturus; non disputes de electione; sed inquire in cor tuum: An fidem habeas; hanc si inuenies, non amplius dubites: quia secundum fidem tuam tibi fiet. Sed hic rursus caro obstrepit: At fides tua est admodum infirma & imbecillis, quid illa in *salutis* negotio efficeret? Respond. sit sane infirma, est tamen fides, quæ apprehendit Christum, qui satis firmus & fortis est, vt nos infirmos subleuet & portet Luc. decimoseptimo, versiculo sexto. Si habueritis fidem *sicut granum sinapis*. Et Spiritus sanctus adiuuat infirmitatem nostram, vt quando nos nescimus quid oremus, sicut oportet, tum ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Roman. octauo, versiculo vigesimo sexto. Quare valde sunt periculosæ aduersariorum disputationes de electione, quibus & seipsos & iuniores atque imperitiores sæpenumero implicant. Ab hisce disputationibus Christus nos adducit, qui parcissime de electione, plurimum autem de fide in suis concionibus egit. Ideo quisque hinc tantum discat, verum sit in fide, tam de salute dubitare non debet. An autem quis in fide sit, id facile nouisse potest. Nam Paulus scribit 2. Corinth. decimotertio, versiculo quinto. Vosmetipsos tentate, si estis in fide; ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus id vobis est, nisi forte reprobi estis. Sic propheta Dauid in suis tentationibus non ad electionem, sed ad fidem & spem suam recurrit, Psalm. 31. versic. 1. In te Domine speraui, non confundar in æternum. Miserere mei Deus, quoniam speraui in te. Fiat Domine misericordia tua super nos, quemadmodum sperauimus in te: Psalm. trigesimo tertio, versiculo vigesimo secundo.

Sic videmus hoc miraculum leprosorum nobis quoque præbere vtiles & iucundas doctrinas, ita vt non magnopere opus sit, quærere Allegorias, quibus illustretur. Si quis tamen cupiat plura cognoscere, de lepræ spirituali significatione, quomodo spiritualis illa lepra, peccatum, curetur: & quales sanati sese gerere debeant, ille consulat LII. caput Harmoniæ nostræ.

CAPVT

CAPVT CXXVI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, HABENS CONCIONEM CHRISTI DE ADVENTV regni Dei: Lucæ 17. verſ. 20.

RATIO ORDINIS.

CHriſtum hanc concionem in Galilæa, poſt ſuum illum aduentum habuiſſe, dubium non eſt. Eo quoniam Phariſæi etiam Hieroſolymis ipſum ſecuti ſunt, mouent ipſi quæſtionem, quando vel tandem venturum ſit regnum Dei. His ita reſpondet Dominus, vt prauam ipſorum opinionem taxet, poſtea vero diſcipulos diligentius edocet, de ſtatu temporis aduentus ſui, vt & ipſi confirmatiores ſint in veritate, & cautiores in vitandis periculis illius temporis. Et licet de illis Apoſtolorum temporibus potiſſimum agat, noſtris tamen temporibus, quæ nouiſſimo aduentu vicina ſunt, etiam ſeruiunt: quia in Hieroſolymorum & Iudaicæ gentis excidio nobis prælusum eſt. Hæc eadem autem, quæ Chriſtus diſcipulis in Galilæa dixit, poſtea Matth. vigeſimoquarto, & Marc. decimotertio. Hieroſolymis repetit. Vnde quidam etiam hunc textum eodem reiiciunt, & putant, Lucam hæc hic per Anticipationem annotaſſe. Sed nos hactenus vidimus, Chriſto non inſolens fuiſſe, eandem doctrinam, diuerſis in locis, certitudinis ergo repetere. Quapropter nec nobis moleſtum eſſe debet, vnumquodque ſuo loco tractare.

Concio de aduentu regni Dei. Luc. 17.

20. Ἐπερωτηθεὶς δὲ ὑπὸ τῶν φαρισαίων, πότε ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ· ἀπεκρίθη αὐτοῖς, καὶ εἶπεν οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως.	20. *Interrogatus autem à Phariſæis, quando venturum eſſet regnum Dei, reſpondit eis, & dixit, non veniet regnum Dei cum obſeruatione.*
21. Οὐδὲ ἐροῦσιν, ἰδοὺ ὧδε ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ. ἰδοὺ γὰρ ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν.	21. *Neque dicent, Ecce hic aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.*
22. Εἶπε δὲ πρὸς τοὺς μαθητάς, ἐλεύσονται ἡμέραι, ὅτε ἐπιθυμήσετε μίαν τῶν ἡμερῶν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἰδεῖν, καὶ οὐκ ὄψεσθε.	22. *Et ait ad diſcipulos, venient dies, quando deſideretis vnum dierum filij hominis videre, & non videbitis.*
23. Καὶ ἐροῦσιν ὑμῖν ἰδοὺ ὧδε, ἰδοὺ ἐκεῖ· μὴ ἀπέλθητε, μηδὲ διώξητε.	23. *Et dicent vobis, Ecce hic, ecce illic. Ne abeatis, neque ſectemini.*
24. Ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἡ ἀστράπτουσα ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν, εἰς τὴν ὑπ' οὐρανὸν λάμπει, οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ.	24. *Nam ſicut fulgur coruſcans è regione, quæ ſub cœlo eſt, & in alteram, quæ ſub cœlo eſt fulget, ita erit filius hominis in die ſuo.*
25. Πρῶτον δὲ δεῖ αὐτὸν πολλὰ παθεῖν. καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης.	25. *Sed prius oportet illum multa pati, & reprobari à natione hac.*
26. Καὶ καθὼς ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ νῶε, οὕτως ἔσται καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.	26. *Et ſicut accidit in diebus Noe, ita erit in diebus filij hominis.*
27. Ἤσθιον, ἔπινον, ἐγάμουν, ἐξεγαμίζοντο, ἄχρι ἧς ἡμέρας εἰσῆλθε Νῶε εἰς τὴν κιβωτόν· καὶ ἦλθεν ὁ κατακλυσμός, καὶ ἀπώλεσεν ἅπαντας.	27. *Edebant, bibebant, vxores ducebant, & dabant nuptum ad eum vſque diem, quo intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes.*
28. Ὁμοίως καὶ ὡς ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Λώτ· ἤσθιον, ἔπινον, ἠγόραζον, ἐπώλουν, ἐφύτευον, ᾠκοδόμουν.	28. *Conſimiliter etiam ſicut accidit in diebus Lot, edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant.*
29. Ἧ δὲ ἡμέρᾳ ἐξῆλθε Λὼτ ἀπὸ Σοδόμων, ἔβρεξε πῦρ καὶ θεῖον ἀπ' οὐρανοῦ, καὶ ἀπώλεσεν ἅπαντας.	29. *Ceterum quo die exijt Lot è Sodomis, pluit igni & ſulphure de cœlo, & omnes perdidit.*
30. Κατὰ ταῦτα ἔσται ἡ ἡμέρᾳ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀποκαλύπτεται.	30. *Secundum hæc erit dies, quo filius hominis reuelatur.*
31. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ὃς ἔσται ἐπὶ τοῦ δώματος καὶ τὰ σκεύη αὐτοῦ ἐν τῇ οἰκίᾳ, μὴ καταβάτω ἆραι αὐτά· καὶ ὁ ἐν τῷ ἀγρῷ, ὁμοίως μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω.	31. *In illo die qui fuerit in tecto, & vaſa eius in domo, ne deſcendat ad tollendum illa & qui in agro ſimiliter non redeat ad relicta.*
32. Μνημονεύετε δὲ τῆς γυναικὸς Λώτ.	32. *Memores autem eſtote vxoris Lot.*
33. Ὃς ἐὰν ζητήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· καὶ ὃς ἐὰν ἀπολέσῃ αὐτὴν ζωογονήσει αὐτήν.	33. *Quicunque quæſierit animam ſuam ſeruare, perdet illam. Et quicunque perdiderit illam, vitam illi parabit.*
34. Λέγω ὑμῖν, ταύτῃ τῇ νυκτὶ ἔσονται δύο ἐπὶ κλίνης μιᾶς, ὁ εἷς παραληφθήσεται, καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται.	34. *Dico vobis in illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.*
35. Δύο ἔσονται ἀλήθουσαι ἐπὶ τὸ αὐτό. ἡ μία παραληφθήσεται, καὶ ἡ ἑτέρα ἀφεθήσεται.	35. *Duæ erunt molentes ſimul, vna aſſumetur, & altera relinquetur. Duo in agro, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.*
36. Δύο ἔσονται ἐν τῷ ἀγρῷ· ὁ εἷς παραληφθήσεται, καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται.	36. *Et reſpondentes dicunt illi. Vbi Domine?*

37. Καὶ ἀποκριθέντες λέγουσιν αὐτῷ, ποῦ κύριε; ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, ὅπου τὸ σῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται καὶ οἱ ἀετοί.

37. *Hic vero dixit illis. Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.*

Periocha huius concionis.

NOtum est ex Euangelica historia, non tantum Iohannem Baptistam suas conciones inchoasse, promissione regni cœlorum, Matth.3.vers.2. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum: nec Christum tantum, Mar.1. v.15. Euangelij sui initium hoc fecisse: impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: sed etiam Luc.9.v.2. Christum discipulos suos emisisse, vt prædicent regnum Dei. Ita vt tum temporis inter Iudæos plurimus fuerit sermo de regno Dei. Prophetæ autem, quando de regno Dei vaticinati sunt, intellexerunt per illud humanæ redemptionis negotium, quod filius Dei, vbi in carnem venisset, peracturus, & homines, expiato peccato, & destructa diaboli tyrannide, in libertatem filiorum Dei asserturus, atque in Ecclesia verbo suo & sacramentis gubernaturus esset: donec mortalis huius vitæ cursum emensi, ad æterni & cœlestis regni possessionem venirent. Pharisæi autem oracula Prophetarum non recte intelligentes, sibi ipsis imaginati sunt externum aliquod mũdanum regnum, quale fuerit Dauidis & Salomonis, per quod omnibus suis hostibus formidabiles facti, in pristinam libertatem redire vellent. Et quia tum graui iugo Romanæ seruitutis premebantur quod libenter ex humeris suis abiicere voluissent, non sine acerba εἰρωνείᾳ in publico eum interrogant: *Quando venturum esset regnum Dei?* Quasi dicerent: Tu, tuique discipuli nunquam non in ore habetis regnum Dei, Et plerique sunt in illa persuasione, te esse Messiam, & regnũ illud instauraturum, maxime quia tuis concionibus & miraculis plurimos in spem certam rapuisti. Sed quando vel tandem pollicitationes tuas in effectum traduces? Satis diu nos suspensos tenuisti, quandiu etiamnum expectandum erit? Certe si regnum illud excitare velles, non in Galilæam migrandum; sed in regia vrbe Solymorum commorandũ esset. Sed tu vrbem fugis, & in Galilæa latitare cupis. Quis ergo in posterum tuis concionibus fidem habebit?

Hæc Pharisæorum interrogatio nos monet, semper in Ecclesia Dei varias opiniones de regno Dei fuisse. In primitiua Ecclesia fuerunt Chiliastæ, qui & sibi & aliis persuaserunt, post resurrectionem Christi regnum in hoc mũdo cum sanctis mille annos duraturum, atque Christum in summa pace, secundum Prophetarum vaticinia, omnia gubernaturum. Non procul ab his absunt Anabaptistæ, qui propterea & omnem magistratum & ius gladij abrogant, quia Christus suos ipse defendere velit. Quid pontifices Romani & ipsorũ Satellites de regno Dei sentiant, ipsi viderint. Profecto ante hæc tempora plerique seipsos prodiderunt, quod Pharisæos imitentur, sint εἴρωνες, & derideant pleraque, quæ de regno Dei ex scriptura proferuntur, modo ipsi regnum huius mundi obtinere possint. Sunt nimirum illi, de quibus 2.Pet.3.vers. tertio prædicitur, quod in nouissimis temporibus empectæ & illusores venturi sint, qui pollicitationem aduentus Domini irrisuri, nec credituri sint, quod vnquam ille sit futurus.

Si quis autem de regno Dei certiora nouisse velit, is sciat, potuisse quidem *regnum Dei* appellari quoque politiam populi Israelitici: quia Deus ipse eam ordinauit, legibus & ceremoniis à se promulgatis. Hinc etiam populus ipse Dei populus dictus est. Et quandiu ille se secundum leges Dei gubernari passus est, tamdiu ipsorum regnum Dei regnum dici potuit, vt qui singulari modo ipsis adesset, & proprie ipsorum rex esset. Hoc vero Dei regnum Iudæi perperam viuendo amiserunt, & inciderunt in Romanorum regnum & gentilium gubernationem, quod male ipsos habuit, & subinde auitum suum regnum desiderarunt, in quo Deus rex illorum esset. Quando vero nobis in Ecclesia ne Dei regno sermo est, tum hoc non intelligimus: sed de illo regno quod Prophetæ promiserunt, Psal.72.v.8. Ies.9.versic.6. Daniel 2.vers. 44.& 7.vers.13. Zac.9.versic.9. & admiranda de eo prædixerunt. Fore illud amplissimum, à mari ad mare, & vsque ad fines terræ: regni illius nullum futurum finem, ita denique pacatum, vt lupus cum agno, puer cum aspide & pardo ludat, & similia multa. Et de hoc potissimum intelligi debet, quando de regno Dei loquimur. Et est quidem regnum Dei vnicum, docendi tamen & illustrandi causa, in tres quasi species distinguitur, iuxta tres symboli Apostolici articulos. Est *regnum potentiæ*, siue vniuersale, quo gubernat omnes creaturas, condendo conseruando, & ad fines à se destinatos dirigendo. In hoc regno est etiam diabolus, qui cogitur ipsi genua sua flectere; eius mali angeli, Turca, Papa & omnes impij, quos regit & cohibet, ne plus noceant piis, quam ipsius bona sit voluntas. Sicuti in historia Iobi id videre licet. 2. Est *regnum gratiæ*, siue speciale in Ecclesia, vbi per verbum homines ad regni huius communionem vocat, Sacramentis suis sanctificat, regenerat, iustificat, in fidelium cordibus habitat, & per spiritum suum bonum ipsos dirigit ad æternam salutem. 3. Est *regnum gloriæ*, perfectum & omnibus numeris absolutũ in cœlis, inter sanctos angelos & beatas animas, vbi suam maiestatem ipsis conspiciendam præbet, & satiantur illi delectationibus in dextera eius vsq; in finem. Hoc est, illud *regnum Dei*, ad quod omnes adspiramus, quod demum post diem nouissimi iudicij plene perfectum erit, quãdo corpora animabus iuncta, perpetua pace, lætitia & gaudio fruentur.

Hoc tamen etiam sciendum, quod in cœlis in regnũ gloriæ nullus venturus sit, qui non prius in his terris fuerit incola regni gratiæ. Quare demus operam, vt simus vera Ecclesiæ membra, fideles & pij, tum de regno Dei eiusque *aduentu* nihil quicquam dubitandum erit.

Poterat Christus curiosos hosce interrogatores vel irrisores simpliciter reiicere: sed propter alios, qui dociles esse poterant, non dedignatur ipsis respondere. Sic autem respõdet, vt primum doceat, aduentum regni sui non posse præcognosci ex externis signis; sed potius vnum quemuis paratum esse debere, & quandocunque illud veniat, ipse id recipiat. Deinde asserit regnum Dei iam inter illos esse; sed ipsos empectas & irrisores, præ sua stupiditate illud nec videre, nec sentire.

I. Dixit: *Non veniet regnum Dei cum obseruatione.* Παρατήρησις significare potest scrupulosam & superstitiosam obseruationem à παρατηρεῖν; sicuti hoc verbo Paulus vsus est Gal.4. versi.10. vbi ait: ἡμέρας παρατηρεῖσθε, καὶ μῆνας, καὶ καιροὺς, καὶ ἐνιαυτούς: dies obseruatis (scilicet superstitiose) & menses & tempora & annos. Metuo de vobis ne frustra laborauerim apud vos. Vt ita [illegible] vitium hic denotet. Per παρατήρησιν igitur possumus intelligere, vel externas obseruationes temporum, dierum, annorum, discrimina ciborum, peculiaris vestitus religiosorum, vel etiam ceremoniarum: quasi regnum Dei alligatum esset externis ceremoniis, sicuti Iudæi id faciebant, qui nolebant permittere Messiam etiam gentiũ regem esse, sed eum Hierosolymis regni sedem habere voluerunt, vnde omnes gentes sit exterminaturus. Vel per παρατήρησιν etiam intelligere possumus externum apparatum, qualis in regnum aduentu spectari solet. Vult igitur Christus innuere regnum Dei venturum mundano modo, cum apparatu regio, & pompa splendida, sed in humilitate, antequam homines id obseruent. Sicut etiam Zach.9.vers.9. Christi regis aduentus ita describitur. Atque sic Christus Pharisæorum falso conceptam de Messia opinionem refellit, vt sciant ipsum non futurum terrenum Monarcham, *Non dicent, ecce hic, aut, ecce illic,* hoc est non habebit Dei regnum cum suo capite in *his* terris certam & fixam sedem, vt siue Hierosolymis, *siue Samariæ*, siue Romę, aut in aliqua alia celebriore *vrbe quasi alligatum* sit, vt ibi Christus quæri debeat: quasi ibi magis propitius sit, & facilius exaudiat, quam alibi. Sed à prophetis hoc regnum Dei sic descriptum est, quod occupaturum sit vniuersum terrarum orbem.

Discamus etiam hic cognoscere rationem regni Dei, & quomodo in illud perueniamus. Nam natura omnes alieni sumus à regno Dei, & sumus sub potestate Sathanæ & tenebrarum. Coll.1.v.13. Iam in mundo sic comparatum est, vt si quis alienus sit à regno aliquo, cuius tamen incola & ciuis fieri cupit, tum necesse est, vt iter ingrediatur, seque in illud regnum conferat. Si quis cupiat viuere sub rege Angliæ, si quis sub rege Galliæ, aut sub rege Poloniæ, vtique oportet eum in illud regnum proficisci. Regnum Angliæ nunquam ad me veniet, me oportet venire ad illud. Sed longe alia ratio est quo ad regnum Dei. Hoc nobis nimis est sublime, nec nos natura habemus vires, illud quærendi ad illud ascẽdendi, aut ad illud veniendi. Ergo necesse fuit, vt ipse Deus se humiliaret, & cum regno suo ad nos veniret, si nostræ saluti consultum vellet. Pater igitur cœlestis filium suum regem constituit super Sion montem sanctum suum, Psal.2.v. 6. hoc est super ecclesiam suam. Filius quoque patri obediẽs voluntarie descendit & aduenit, sicut & pluuia in vellus. Psal. 72.v.6. Atque hoc regnum initio quidem inter Iudæos proprio suo ministerio, postea vero ministerio Apostolorũ suorũ in toto terrarum orbe instituit, vt vbicumq; verbũ Dei pure

& sin

& sincere iuxta analogiam fidei docetur, & sacramenta iuxta Christi institutionem administrantur, ibi est regnum Dei. Et quando nos verbum deuote audimus, per illud ad agnitionem Dei & nostri peruenimus, pœnitentiam peccatorum agimus, recte credimus, pie viuimus, & ad beatam mortem nos præparamus, tum regnum Dei venit ad nos, licet non factum sit cum *μετὰ παρατηρήσεως*, & *externa obseruatione*. Cum igitur regnum Dei ad nos veniat, (sicut etiam in secunda petitione orationis Dominicæ precamur: Adueniat regnum tuum,) & nos non ad illud, cogitent piæ mentes, qualis ἐνέργεια πλάνης, & quam efficax seductio in Papatu fuerit, quando sacrificuli auditores suos, ad quærendam iustitiam, pacem conscientiæ, & gaudium in Spiritu sancto, in quibus Rom. decimoquarto, versiculo decimoseptimo, regnum Dei cōsistit, modo Hierosolymam ad dominicum sepulchrum, modo Romam ad limina Apostolorum Petri & Pauli, modo Lauretum ad Cameram Diuæ virginis, modo Compostellam ad Iacobū maiorem remiserunt. Anseres abierunt, anates redierunt, nec regnum Dei inuenerunt. Si potius ipsi sacrificuli domi verbum Dei in manus sumsissent, auditores suos per illud ad peccatorum agnitionem adduxissent, quomodo illa gratis propter Christum remittantur, ex Euangelio commonstrassent, eosq; ad nouitatem vitæ atque patientiam in cruce adduxissent, tum regnum Dei vltro ad ipsos venisset, nec opus fuisset, vt illi vel pedem in Italiam ponerent. Neque enim regnum Dei in terris ad certum locum alligatum est, sed per se venit, quādo Verbo, quod est quadriga illa, Ezech. 1. v. 5. in qua rex cœlestis per vniuersum mundum circumuehitur, locus conceditur.

2. Imo dicit Christus non tantum, quod regnum Dei ad nos veniat, sed addit: *Ecce regnum Dei intra vos est*. Quia hoc generatim ad Pharisæos dicit, eo asserit, Messiam regem huius cœlestis regni iam exhibitū esse, publice & palam ipsum docere, & apud & inter Pharisæos atque Iudæos. Vt ita non opus sit quærere de aduentu regni Dei, quando ille futurus sit, sed potius animi erant præparandi, vt regnum Dei, quod ἐντὸς αὐτῶν, & in medio ipsorum erat, admitterent & susciperēt. In eo enim sæpe à nobis peccatur, quod Dominus quidem regnum suum ad nos venire patitur, nos vero non semper locum habemus, vt illud recipiamus, sæpe obicem ponimus. Os interdum loquitur de regno Dei: sed cor procul ab eo peregrinatur, sicut in Pharisæis est videre. Multi in regnum Dei recepti, inde resiliunt, nolunt gubernari à Spiritu sancto, præbent membra sua arma iniustitiæ. Rom. 6. v. 13. atq; sic facto ostendunt, se à regno Dei, quod tamen ipsis proximum est, alienos esse. Sed quando Spiritus sanctus, seu digitus Dei, per verbum in nobis operatur, tunc venit ad nos regnum Dei. Luc. 11. v. 20. Deinde possunt hæc verba, *Ecce regnum Dei est*, ἐντὸς ὑμῶν, *in vobis*, vel *intra vos*, separatim accipi de vere credentibus, & electis, de quibus vere pronuntiare possumus, regnum Dei esse in cordibus & animis eorum. Etenim per fidem Christus habitat in cordibus nostris, Eph. 13. vers. 17. Vbi Deus filius est, ibi pater & Spiritus sanctus non procul absunt; quia pater & filius vnum sunt. Ioh. 10. versic. 30. à quibus Spiritus sanctus progreditur. In quam sententiam etiam Christus dicit Ioh. 14. vers. 23. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Certe vbi Deus mansionem suam habet, ibi etiam est ipsius regnū. Quapropter vere credentes, ne in minimo quidem dubitent, *regnum Dei esse intra ipsos*. Nam habent remissionem peccatorū, habent iustitiā Christi, habent pacem conscientiæ, & gaudium Spiritus sancti *intra se*, in quibus proprie regnum Dei consistit, Rom. 14. v. 17. Et hoc adeo certum est, vt non desint Theologi nō contemnendi nominis, qui sentiant, quando vere credens Christianus moritur, tum non animam procul auolare à corpore in cœlum Empyræum siue Iesuitarum, siue Caluinianorum quo fortassis ob distantiam loci tarde perueniret: sed migrare (vt sic loqui liceat, quia verba propria desunt) *intra se ipsam*, & in intima sua, vbi habitantem habet pretiosum illum hospitem Iesum Christum, regni cœlestis præsidem in cuius sinu mox, citra omnem moram, placide quiescat consolationem accipiat, & per illum cœtui sanctorum associetur. Sublimia hæc sunt, fateor, & hominum sermoni ἄῤῥητα atque inexplicabilia. Qui tamen piis meditationibus illa secum ruminat, ei multiplices pias cogitationes præbebit.

II. Altera parte responsionis suæ Christus relictis Pharisæis, quibus salutares suas conciones risum iocumque esse dudum animaduertit, Apostolos suos instruit, & de futuris periculis præmonet. In illa vero instructione ordine hæc sunt.

1. *Venient dies quando desiderabitis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis*. Per *dies filij hominis* intelligit illam externam conuersationem, qua tempore ministerij sui familiariter apud Apostolos, eos docendo, monendo, consolando, alendo, defendendo vsus est. Nunc illos dies non magni reputari, imo se contemni & negligi cum suo regno, conqueritur. Sed breui euenturum, vt talia pericula & motus mundi exurgant, vt optaturi sint, se vel vnum saltem diem familiarius cum eo conuersari posse, quo ipsius consilio & consolatione fruantur. Sic vero Apostolos præmonet de anxietate, quam laturi essent in passione eius dum capitur, condemnatur, crucifigitur, moritur, sepelitur: ibi desiderabunt vnum diem videre filij hominis, quales prius multos viderant, sed non videbunt. Atque hæc discipulis dicendo, vult Christus vt hostes sui ex comparatione colligant, quanto maior infelicitas ipsos oppressura sit. Sed non tantum tempore passionis durabit hoc desiderium, verum etiam à Christo extenditur ad posteriora tempora quibus insurrexere pseudo-Messiæ, & multos seduxere, qui dixerunt: *Ecce hic, ecce illic* est Messias. Nam circa illa tempora testatur Iosephus libro primo Antiq. Iud. 20. cap. 4. 11. 12. 14. & libro secundo, capit. duodecimo, belli Iudaici, fuisse segetem satis fertilem seductorum, quorum alij in desertum, alij in montem oliuarum euocarunt, seque illius liberatores futuros esse professi sunt. Inter quos etiam fuit Ægyptius ille, Actorum 21 versic. 38. qui quatuor millia sicariorum eduxit in desertum: Hæc enim est iusta Dei pœna, quando homines oblatam verbi diuini doctrinam ingrati reiiciunt, vt postea Deus ipsis errores & illusiones efficacissimas immittat, vt credant mendacio, quia veritati non crediderunt. 2. Thessal. 2. versic. 11. Accidit idem in toto Oriente, cuius Ecclesias ipsi Apostoli plantarunt. Cum enim illi magis spinosis Philosophorum disputationibus, quam simplici verbi diuini doctrina oblectarentur, tandem doctrinæ puritatem amiserunt, & Mahometes omnes illas ecclesias abstulit, suoque Alcorano subiugauit. In occidente nihilo melior fuit Ecclesiæ fortuna: Cum enim etiam ibi simplicitatis doctrinæ Euangelicæ pertæsi essent, eamque variis ceremoniis exornare, & vulgo commendabilem reddere vellent, excreuit chaos illud humanarum traditionum, quo tota doctrina corrupta, & Antichristo ingressus in ecclesiam paratus est. Nos qui hodie singulari Dei beneficio doctrinæ puritate gaudemus, caueamus, ne fiamus auribus prurientes. 2. Tim. 4. versic. 3. qui sibiipsis secundum desideria sua magistros coaceruent: Nam etiam de postremis temporibus Spiritus prædicit, quod peruersi doctores sint surrecturi. 1. Tim. 4. versic. 1. & 2. Tim. 3 vers. 1. Ergo prouidi simus: Nam interdum etiam vere credentium constantiam Deus hoc modo probare solet, vt habetur Deut. 13. v. 5.

2. Contra hasce seductiones dat Apostolis bonum consilium, *ne abeatis neque sectemini*. Sic vero monet, ne vel minimum studium istiusmodi impostoribus impendant, sed eos vitent, atque fugiant. Nec dubium est, quin hæc verba Christi discipulos cohibuerint, quod ne minimam quidem communionem cum istis Magis & deceptoribus habuerint. Rationem autem addit Christus firmissimam à natura secundi sui aduentus. Nam vbi semel visibilem meam præsentiam à vobis abstulero, non erit, quod vos vel alij eam in certo aliquo terræ loco sitis inuenturi, aut aliis monstraturi, ad nouissimum vsque diem. Et tunc non ita veniet, vt quis eum vel in deserto, vel in conclaui latitantem aliis indicare possit. Sed *sicut fulgur coruscans è regione, quæ sub cælo est, in alteram quæ sub cælo est fulget, ita erit filius hominis in die suo*. Nam cum magna luce atque in maiestate patris venturus est ad iudicium sicuti alibi pluribus hac de re agitur.

3. Ne tamen Apostoli in eam deuenirent opinionem, quasi Dominus non ita multo post regnum suum cum maiestate illa, virtute & gloria inchoaturus esset, diserte asserit, quod prius passurus & moriturus sit. *Sed prius oportet illum multa pati & reprobari à natione hac*, scilicet à Pharisæis & ipsorum sodalitio, iuxta illud, quod Dauid vaticinatus est. Psalm. 118. versiculo vigesimosecundo de lapide angulari & pretioso, quem inepti isti ædificatores improbaturi quidem essent, sed qui futurus sit in caput anguli iuxta Dei dispositionem. Atque sic docet regnum Dei in his terris cruce tectum; & illi coniunctum esse, adeo vt ipse Christus regni huius Dominus & instaurator per crucem in illud ingressus sit. Ad eam igitur ferendam & tolerandam nos præparemus, & à Christo Spiritum constantiæ petamus. Certum enim est, si commortui fuerimus, & conuiuemus, si sustinebimus, & conregnabimus. 2. Timoth. secundo, versiculo 11.

III. Quia Christus mentionem fecit gloriosi sui aduentus, nunc porro eius tempus describit, & aptis exemplis illustrat. Prius desumptum est à conditione temporum Noachi, alterum à conditione temporum Lothi. *Sicut accidit in diebus Noe, ita erit in diebus filij hominis*. Hic aliqui per *dies filij*

hominis, intelligunt totum illud tempus, quod interiectum est inter ipsius conuersationem & finem mundi. Ita quemadmodum ætas Patriarcharum ipsorum *dies*, & quemadmodũ ætas Mosis & duratio legis, Mosis *dies*, Prophetarum autem seculum, ipsorum *dies* nominari possunt: sic etiam filij hominis à natali ad reditum vsque ipsius dies dicatur. Et statuunt hunc esse sensum verborum Christi, quod regnum Ecclesiæ suæ in hoc mundo ad eius finem vsque sic gubernaturus sit, vt nulla mutatio neque in politia neque in Oeconomia secutura sit. Sed quemadmodum inde ab antiquis temporibus homines ederunt, biberunt, nuptum dederunt, nuptum acceperunt, emerunt, vendiderunt, plantarunt & ædificarunt, hic ad nouissimum vsque diem eadem futura studia hominum: nec regnum suum ea impediturum, modo iuste & legitime exerceant. Et sane hic sensus non est impius, & sic rem se habuisse, per sedecim secula nunc vidimus. Et si Chiliastæ siue Millenarij hunc sensum tenuissent, nunquam Mahometi occasionẽ præbuissent, vt tam fictas fabulas, impias & superstitiosas in totum Orientem inueheret. Verum quia Christus ipse hoc membrum hisce verbis concludit: *secundum hæc erit dies, quo filius hominis reuelatur*, ideo dubium non est, ipsum hoc textu potissimum ad vltimum suum aduentum collimare, ita vt quo propiores illi futuri sunt homines, eo etiam similioribus moribus cum Noachi & Lothi temporibus futuros. 1. Qualia ergo fuerunt tempora Noachi? *Edebant, bibebant, vxores ducebant, & dabant nuptum ad eum vsque diem, quo intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes.* Edere, bibere, matrimonio se implicare, per se non sunt peccata, & si quis ea prohibere vellet dæmoniorum doctrinam, teste Paulo 1. Tim. 4. v. 3. proferret. Ergo abusum bonorum Dei, qui inter illos antediluuianos homines regnauit, & quem ex Mosis Gen. c. 6. colligere possumus, Christus taxat quod in coniugio contrahendo non seruarunt leges à Deo præscriptas: alij Polygamiam introduxerunt, alij duxerunt vxores, non quas parentes volebant, sed quas ipsi sibi eligebant: plerique dispari gaudebant connubio, vt Cainitæ sese in piorum Patriarcharum familias insinuarent, & speciosas quasque inde sibi deligerent. Ex his postea progeniti sunt Nephilim, tyranni, & homines ἄθεοι, qui nec Deum nec homines curarunt. Hinc secuta est communis & publica morum corruptela, ita vt Lamech duos interfecerit, atque insuper de isto facinore gloriatus sit. Misit quidem Dominus Noachum præconem iustitiæ. 2. Pet. 2. v. 5. eosque ad pœnitentiam reuocauit, addita grauissima comminatione diluuij, quo omnes ad vnum, (Noacho cum suis in arca excepto) perditurus esset. Sed apud ipsos constans impœnitentia mansit, & perfricta in malo frons, ita vt Deus ipse conquestus sit, Spiritum suum non perpetuo cum hominibus rixaturum, & pœnitentia se duci, quod vnquam hominem crearit. O terribilem Dei vocem, quam nisi Christus Mediator mitigasset, actum etiam fuisset de nobis omnibus. Istis vero antediluuianis subsecutus est inspiratus interitus, in quo paucissimi sunt seruati.

2. Qualia vero fuerunt tempora Lothi? Ea Christus iisdem ferme verbis describit: *edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant.* Hæc rursus per se non sunt mala vel peccata, verum abusus & securitas, quæ cõcurrebant, hæc omnia corrumpebant. Quemadmodum etiam Ezechiel illud testatur, quando Iudæis obiicit cap. 16. vers. 49. hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant. Cumque eleuatæ essent, fecerunt abominationes coram me, & abstuli eas, sicut vidisti. Ex his Sodomitarum mores cognoscere licet. Erant Sodoma & Gomorrha, antequam à Domino subuerterentur, sicut Paradisus Domini. Genesis decimo tertio, versiculo decimo. Sicuti igitur illis in locis, in quibus agri sunt fertiles & gleba diues, homines voluptatibus indulgere solent: ita ipsi *edebant & bibebant*, non ad naturæ necessitatem & facietatem, sed ad superabundantiam, vt otio, comessationibus, ebrietati & voluptatum studio, vltra quam decet indulserint. Item secuta sunt luxus, superbia & fastus, vt etsi *plantabant & ædificabant*, ad pauperes tamen peregrinos & egenos nihil commodi inde perueniebat. Cuius rei indicium est, quod cum angeli Domini in humana specie illuc venissent, nemo eos hospitio exceperit, ipsisque in platea manendum fuisset, nisi Lothus eos intra ædes suas recepisset. Genesis 19. versic. 2. Miserat quidem Deus ad ipsos Lothum, vt eos à vitiis dehortaretur, & in viam pietatis reuocaret: Erat enim & aspectu & auditu iustus. Verum ipsi iustam eius animam de die in diem iniquis suis operibus cruciarunt. 2. Petr. 2. vers. 8. Bello quoque ipsos per Orientales reges afflixerat. Gen. 14. v. 1. & per Abraham Patriarcham liberauerat, sed mox ad ingenium & pristina studia redierunt, donec tandem mensura peccatorum impleta, nefandam & detestandam libidinem angelis ipsis obtulerunt. Nec tamen pauci huiusmodi sceleribus contaminati fuerunt, sed omnis populus à puero ad senem vsq; domum Lothi circumuallarunt, ipsique & hospitibus ipsius vim intulissent, nisi eos angeli Domini *cæcitate* percussissent. Deus igitur ad iustam iram commotus iusto *iudicio*, postquã Lothum liberauerat, *igni & sulphure pluit de cælo, & omnes perdidit.* Sic igitur primus mundus aquis, Sodomitæ igne perierunt ob suam impietatem.

3. Qualia vero iam sunt nostra tempora? vix ouum ouo similius, quam sint nostri seculi mores moribus antediluuianorum & Sodomitarum. Misit quoque Deus nouissimis hisce temporibus præconem iustitiæ, magnum LVTHERVM, angelum illum volantem per medium cœli habentem Euangelium æternum, nobisq; Euangelizantem voce magna: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius, & adorate eum qui fecit cœlum & terram, fontes aquarum, Apocal. 14. vers. 6. Sed quomodo homines hoc Dei beneficium excipiunt? Pontificia cohors Euangelium Christi aspernatur & odio habet, eiusq; præcones flamma, ferro, fune persequitur. Caluiniani ex altera parte illud secundum rationis suæ dictamen regulare conantur, periculosas disputationes de electione, de maiestate Christi mouent, & tantum non Christo in os contradicunt. *Sic apud illos Idolomania, apud hos doctrinæ corruptela dominatur. Illi vero,* qui de Euangelio gloriantur, non digne Euangelio viuunt, sed corruptis suis moribus puram doctrinam conculcant & conspurcant, vt etiam hostes eo minus doctrinam curent. Hic audiuntur blasphemiæ, abusus diuini nominis, deierationes, execrationes, contemtus concionum, neglectus Sacramentorum, inobedientia liberorum erga parentes, subditorum erga magistratus, & vicissim Tyrannis & iniquæ exactiones erga inferiores, odia, simultates & discordiæ proximorum, cædes, homicidia, scortationes, adulteria, incestus, coniugia ex disparibus religionibus contracta, vsuræ, furta, rapinæ, latrocinia, periuria, & quam plurima alia, sicuti quisque verbi minister publicam omnium ordinum corruptionem, in quo viuit loco obseruare & taxare potest. Quid dicam de carnis studiis, quæ passim quidem, maxime autem in aulis principum, quæ sacraria pietatis, iustitiæ & temperantiæ esse debebant, dominantur; ibi regnat insatiabile *comessandi potandi* & helluandi studium, ebrietas *fundo carens, securitas* profundissima, & omnis generis intemperantia. Hęc sequuntur postea etiam & desidia in operibus vocationis, luxus item & superbia, atque inanis *fastus* in vestitu nouo, insolito, & ad leuitatem composito. Plerique emunt, vendunt, plantant, ædificant, non vt tantum commode habitent, multo minus, vt pauperes, egenos, peregrinos aut exules hospitio suscipiant sed vt opes suas ostentent, atque male parta inutiliter infumant. Cum igitur nostri seculi mores temporibus Noachi & Lothi adeo correspondeant, quis dubitabit *diem, quo reuelabitur filius hominis*, in vicinia esse?

4. Est autem & illud notatu dignum, quod non tantum de Noacho dicitur, quod eo die, *quo intrauerit in arcam, venerit diluuium*, sed etiam de Lotho, quod *quo die exiuit è Sodomis, pluuia ignis & sulphuris deciderit de cælo*, quo indicatur & docetur, quod Deus tum impios punire soleat, quando *pios* & fideles suos cultores prius subduxit, & in tuto *collocauit. Vt* enim propter suos plerumque integris regnis, & amplis ciuitatibus benefacit, eas conseruat & exornat: ita iisdem ademtis iram suam in impios effundit. *Sic* Hierosolyma ab hoste obsessa, capta & miserabiliter euersa est, quamprimum Christiani oraculo admoniti Pellam migrarunt. Non igitur temere negligendum est, quando Deus viros præclare de ecclesia & Republica meritos intempestiue ex hac lachrymarum valle euocat. Quando enim huiusmodi columnæ domus subruuntur, de reliquo ædificio magnum periculum ingruit. Ideo Esaias cap. 57. versic. 1. conqueritur, iustus perit, & non est, qui recogitet in corde suo; & viri misericordiæ colliguntur, quia non est, qui intelligit: à facie enim malitiæ collectus est iustus. Veniet pax, requiescet in cubiculi suo ambulans recte. Quisque igitur pro se tanto plus pietati studeat, tunc Deus ipsum quoque sciet eripere de tentatione, quando iniquos reseruabit in diem iudicij cruciandos. 2. Pet. 2. vers. 9. De quibus bis hic dicitur, *venit diluuium & perdidit omnes*, & *sulphure de cælo perdidit omnes. Omnes* nimirum qui vitiis istis fuerunt corrupti, viros & fœminas, senes & pueros, diuites & pauperes, nobiles & ignobiles. Excepto Noacho in diluuio cum suis, qui beneficio arcæ seruati sunt: & in Sodomis Lotho cum filiabus, quos angeli eduxerunt ex igne in Zoar. In postremo itaque igne similiter omnes peribunt, exceptis piis in Christum credentibus, quis probe scit, quomodo in vltimo mundi igne suos seruare velit, sicut seruauit

seruauit tres iuuenes in ardenti fornace Babylonica: Dan. 3. ver. 91. Tantum operam demus, vt sequentem Saluatoris comminationem diligenter attendamus & obseruemus.

IV. Nam vt eo melius nobis, qui circa consummationem huius seculi viuimus, consulat, nos salutari præcepto instruit, quales inter horribiles nouissimorum temporum motus nos gerere debeamus: & simul remouet omnia, quæcunque nos, ne præcepto illi obtemperemus, impedire poterant. Præceptum hoc est: *In illo die, qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat ad tollenda illa: & qui in agro similiter non redeat ad relicta.* Sunt hæ figuratæ locutiones quibus Saluator hoc innuere vult, debere vnumquemque tunc temporis, vocationi suæ, ad quam legitime constitutus est, summa fide & diligentia sic insistere, eiusque opera vrgere, vt nec pretiosissima in hoc mundo se inde auocare patiatur. Idcirco terrenis bonis omnibus renunciandum esse, ne æternorum bonorum iacturam patiamur. Per *vasa* enim Hebræorum more intelligit non tantum œconomicam supellectilem, sed omnia illa, quæcunque ad corporis necessitatem ac sustentationem faciunt. Sunt autem potissimum tria genera vocationum à Deo approbatarum. Nam quidam sedent *in tecto*, in culmine & fastigio gubernationis politicæ. Hi omni cura & diligentia populum tibi commissum iuste ita regant, vt quieta & tranquillam vitam agat, in omni pietate & castitate. Nullæ voluptates, nullę venationes, aut alia ludicra ipsis gratiora esse debent, quam vt muneri suo commisso satisfaciant, vt cũ ex improuiso domini dies ingruat, ipsi in officio suo seduli & fideles deprehendantur. Alij autem versantur in *agro* dominico, vt illum arando, seminando, sementē producendo, & messem cœlestem promouendo, colant. Aut etiam vt in agro ouiculas Domini pascant, & custodiant. His quoque nihil in mundo adeo gratum & acceptum esse debet, vt se à studiis suæ vocationis auocare patiantur: non otium, non sodalitia, non conuiuia aut alia, sed pascant gregem sibi commissum spontanee secundum Deum: non turpis lucri gratia, sed voluntarie: & sint forma gregis ex animo. Et cum princeps pastorum in magno illo suo die apparuerit, percipient immarcescibilem gloriæ coronam. 1. Pet. 5. vers. 2. Rursus alij sunt in *agro* Oeconomico, tanquam patresfamilias, qui manibus suis, & in sudore vultus laborant, vt coniuges suas & liberos honeste alant. Hi quoque laboribus vocationis & officij sui sollicite incumbant, neque ad *vasa relicta redeant*: caueant, ne auaritiæ & fraudibus sese dedant, ne per imposturas, vsuras, aut alias prohibitas artes ditescere cupiant. Satius est in tenui fortuna & bona conscientia expectare aduentum Domini, atque ab ipso ad cœleste gaudium assumi, quam in mundo per fas & nefas cumulum pecuniæ & vasorum corradere, & in damnatione relinqui. Hoc est Christi præceptum de fide in vocatione seruanda, si ipsius reditum læto vultu expectare velimus. Nihil autem hic audimus de nouo aliquo ordine siue monastico siue eremitico instituendo, in quo secundum certarum regularum præscriptum & obseruationem Christi aduentum expectemus. Quæcunque ergo in eo genere à superstitiosis hominibus fiunt, iis Deum frustra coli ex Iesa. 29. versiculo 13. & Matthæi 15. versiculo 9. nouimus. Relictis igitur istis vanis hominum traditionibus, legitimæ vocationis studia fideliter vrgeamus ad Dei gloriam, iuxta ipsius verbum, & ad proximi vtilitatem, iuxta charitatis & iustitiæ leges. Hoc si fiat, tum Christus pedes nostros ad æternæ salutis hæreditatem diriget.

Sunt autem tria quæ carnem nostram corruptam retrahunt, vt minus prompta sit huic præcepto Christi obtemperare. Vnum est, quod nemo libenter admittit iacturam bonorum terrenorum: alterum est, quod sollicita vitæ cupiditas nobis omnibus est innata: tertium, quod difficulter ab hominibus amicissimis abstrahimur. Aduersus hæc tria carnalia impedimenta Christus suos in sequentibus diligenter instituit.

1. Contra id, quod omnes inuiti temporalium bonorum & *vasorum* iacturam admittimus, dicit: *Memores estote vxoris Loth.* Quid vero ipsa fecit & quid passa est, vt eius meminerimus? De hac historia Moses Genes. 19. versiculo decimoseptimo testatur, quod relictas Sodomis opes maioris fecerit, quam insigne illud Dei beneficium, quod ipsam cum marito & filiabus à præsentissimo exitio liberauit. Cum enim ipsi non minus dictum fuerit, quam marito, ne respiciat, neve in ista planicie consistat. Ipsa tamen licet aliquousque progressa, tamen sulphure pluuiæ stridore, ignis & fulgurum micantium splendore, tectorum ardentium, & corruentium fragore, hominum & animalium, virorum, mulierum & paruulorum discurrentium eiulatu mota, insuper de bonorum suorum simul pereuntium iactura dolens, substitit, & respexit, vnde ab incendio illo communi arrepta in salis statuam conuersa est. Noluit fugere ab instanti ira Dei, iuxta præceptum datum, sed cogitauit de terrenis bonis relictis. Versa est in columnā salis, vt conducat exemplum, ne insulsi maneamus in ira Dei. O si beneficium liberationis, quo iam fruebatur, digne æstimasset! tunc non solum ipsa seruata fuisset, sed etiam grauissimum istud scandalum incestus Lothi cum filiabus auertisset, atq; Deus alias opes ipsi donare potuisset! Quam multos putabimus tum Sodomis fuisse, qui libentissime vitam suam omniũ bonorum iactura redempturi fuissent, si modo licuisset? Et hæc infelix fœmina, quo iam fruebatur bono, ex oscitantia è manibus rursus amisit. Eius igitur memores mundana bona nunquam tanti faciamus, vt propter illa Christi pręcepto hic nobis præscripto non satisfaciamus. Et fugiamus istos homines, qui sic sunt affecti, vt propter Christum & eius Euangelium ne minimam quidem fortunarum suarum iacturam facere velint. Sunt hi vxore Lothi deteriores. Hæc enim tantum respicit Sodomam; illi vero suis fortunis immersi, toti illis adhærent, & cum ipsis peribunt. De statua salis in qua Lothi coniux conuersa, vide nostram Genesin. cap. 19.

2. Contra nimiam vitæ huius cupiditatem, dicit: *Quicunque quæsierit animam suam seruare, perdet illam: & quicunque perdiderit illam, vitam illi parabit.* Eandem hanc sententiam etiam supra habuimus, Luc. 9. vers. 24. & exposita est in cap. LXXXVI. Harmoniæ nostrę. Est autem sententia bimembris. In primo membro loquitur de illis qui cum vocationis suæ intermissione, & Christi, eiusque Euangelij abnegatione vitæ suæ consulunt. De his diserte pronuntiat, quod animas suas perdant. Et quid mirum? quia Iesum Christum vitę & salutis autorem amiserunt. Et experientia docet, quod eiusmodi apostatæ, & fidei suæ veræ abnegatores viui quasi mortui sunt, timidi sunt, nec audent confidenter quicquam de religione proloqui. Cauteriata enim ipsorum conscientia eos redarguit: quæ in morte demum, quid defectione sua amiserint, ipsis dictabit. In posteriori membro loquitur de constantibus confessoribus, & piis martyribus, qui propter Christum, & ipsius Euangelium non tantum omnia mundi bona, sed etiam corpus atque vitam impenderunt. De his pronuntiat; quod licet coram mundo *animam perdant*, coram Deo & in æternitate *vitam ipsi parent*. In Græco est verbum ζωογονεῖν quod significat fœtum viuum parere. Quod in martyribus verissimum est. Etenim licet anima à corpore dissoluatur, & corpus interdum in tenues fauillas resoluatur: non tamen anima vna moritur vel interit, sed à morte transit ad vitam, Iohan. 5. v. 24. & colliguntur tales animæ in fasciculum viuentium, vt illę in nouissimo die suis corporibus, quando illa ex mortuis resurrexerint, restituantur, & tunc coram in æternum viuant. Hęc qui pie considerat, nunquam in ipso tanta mundanæ vitæ cupiditas erit, vt propter eam, neglecta vocatione Christum eiusque doctrinam deserat.

3. Contra illos, qui inuiti ab amicissimis distrahuntur, dicit: *dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & alter relinquetur. Duo erunt molentes simul, vna assumetur & altera relinquetur. Duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur.* Paucæ amicitiæ in mundo coeunt ex sincero amore veræ religionis: quanquam hæ tantum sint veræ amicitię, quando corda piorum in vna de vero Deo, & fide cõfessione ceu Christi glutino colligũtur. Hæ amicitię nunquã dissoluuntur, sed durant in omnem æternitatem: quia eorum nullus relinquetur, sed coniunctim assumentur, vt coram Christo in æternum cohabitent & conuiuant. Mundanas autem amicitias conciliat, vel amor quispiam carnis, vt in cõiugio, vel studiorum similitudo, vel commerciorum vtilitas. Et in his multi non curant religionis disparitatem: matrimonium init Catholicus cum Euangelico, studiorum similitudo coniungit Caluinianum cum Pontificio, commercia inter se exercent Christiani, Iudæi & Turcæ. Et in huiusmodi societatibus & conuersationibus animi sæpenumero intimo amoris affectu sic se inuicē complectuntur, vt etiam melior pars multum de fidelitate suæ vocationis remittat. Hos si Domini dies imparatos obrueret, & in gratiam consortis ab officio recessisse deprehenderet, periculosus profecto eorum status futurus esset. Quapropter Christus monet, vt veri Christiani nullum vinculum fœderis vel coniunctionis tam arctum, nullam studiorum communicationem tam iucundam, nullum commercium tam fructuosum sibi esse patiantur, vt propter illud contra vocationem agant, aut hanc negligant. Vtcunque enim sese arctissime cum huiusmodi hominibus vniunt; tandem tamen futurum esse, vt necessario ab inuicem segregentur. Eum enim futurum extremi iudicij rigorem, vt si duo coniuges coniunctissime vixerint, vnus tamen eorum impietati vel falsæ doctrinæ locum concesserit, tum illum sub horam mortis in ęterno exitio relinquendum esse, nec quicquam altero vel eiulante, vel se macerante. Idem etiam futurum quod ad illos, quos vel eorundem studiorum

amor vel commerciorum commoditas coniunxit. Cum igitur omnino talis separatio inter fideles, & à fide alienos futura sit suadet Christus, vt mature pij sese ab illis segregent, ne ipsorum nimia conuersatione & vsu à vocationis suæ operibus abstrahantur, sicque in magno Domini die patiantur. His ita à Christo magna serie prolatis, nouus scrupulus in cordibus discipulorum oritur, quod solliciti redduntur, vbi sit ille locus, in quem pij assumi debeant, quando impij relinquentur. Ideo interrogant Dominum, & dicunt: *Vbi Domine?* Vbi nos tuti & securi erimus? aut quorsum nos conferre debemus, vt assumamur? Respondet ipsis Christus prouerbiali sententia, qua etiam vtitur Matt. 24. vers. 28. *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* De aquilarum acuto visu & subtili olfactu Philosophi mira scribunt, & Iob etiam aliquid de eo habet, cap. 39. ver. 30. Est ergo vulgaris huius sententiæ explicatio hæc: quod electos & credentes aquilis conferunt. Vt autem aquila visu tantum valet, vt oculos recta in solem splendentem dirigere possit: ita debere credentes oculos fidei non alio, nisi in solem iustitiæ Mal. 4. v. 3. dirigere. Et debere spiritus olfactu ex præcedentibus signis aduentum Domini præsagire, seque ad eum præparare, vt à Domino suo recipiantur, qui ipsorum caussa τὸ σῶμα *Corpus* suum in ara crucis immolauit. Non mala est hęc interpretatio. Sed illa altera mihi plus probatur, quia Christus *aquilæ* confertur, sicut ipse se aquilæ confert Deut. 32. vers. 10. quando testatur, quam sollicite populum Israeliticum per desertum deduxerit. Sicut aquila prouocās pullos suos ad volandum, & super eos volitās, expandit alas suas. De se igitur loquitur Christus, & monet discipulos, ne de loco sint solliciti: Ego enim aduolabo ad meum *corpus*, Ecclesiam, & vera eius membra: & vbicunque vos fueritis in mundo, ibi vobis adero. Et nos verius *corpus*, siue πτῶμα, *cadauer*, vt Matthæus habet, dicimur, quam Christus. Quia initio eramus mortui in peccatis Eph. 2. v. 1. & postquam cœlestis hic Pelicanus nos sanguine suo viuificauit, denuo omnes naturali morte morimur, & corpora nostra in cadauera commutantur. Christus ergo vita nostra, in nouissimo die nos denuo viuificans, aduolauit ad nos, nosque ad se assumet. Sic enim dicit, Ioan. 14. v. 2. Ego vado parare vobis locū. Et si abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Et Paulus 1. Thess. 4. v. 16. Primum mortui resurgent, deinde nos, qui viuimus simul rapiemur cum illis in nubibus obuiā Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus. Neminem igitur nimium consternat nouissimus Christi aduentus, tantum videat, vt viua fide præditus sit, tum dies ille ipsi non terribilis erit, sed lætissimus ingressus ad hæreditatem regni cœlorum.

CAPVT CXXVII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS DOCTRINAM DE VERÆ ET CONSTANTIS inuocationis natura, quæ tandem à Deo impetret postulata. Luc. 18. 1.

RATIO ORDINIS.

LVcas adhuc duas Christi conciones numerauit, vnam de perseuerantia in oratione: alteram de articulo Iustificationis. Has breuiter expediemus: postea Euangelistæ coniunctim Christum ex Galilæa reducent in patriam. Cornelius Gansenius in sua concordia Euangelica hanc concionem reseruat in 24. cap. Matth. ad postremas conciones Christi, quas Hierosolymis ante suam passionem habuit: quia etiam illic Dominus suos ad preces ardentes, quibus se ad aduentum suum præparare debeant, exhortatus est. Sed quæ Christus diuersis in locis concionatus est, & Euangelistę per circumstantias notant, à nobis non confundenda; sed quæque suo loco relinquenda.

Parabola de iniquo iudice, quæ docet indesinenter orandum, si quid impetrare velimus. Luc. 18. 1.

1. Ἔλεγε δὲ καὶ παραβολὴν αὐτοῖς πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι, καὶ μὴ ἐκκακεῖν,

1. *Dicebat autem & parabolam ad illos huc spectantem, quod oporteret semper orare, nec defatigari.*

2. Λέγων, κριτής τις ἦν ἔν τινι πόλει, τὸν θεὸν μὴ φοβούμενος, καὶ ἄνθρωπον μὴ ἐντρεπόμενος,

2. *Dicens, Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat nec hominem reuerebatur.*

3. Χήρα δέ τις ἦν ἐν τῇ πόλει ἐκείνῃ, καὶ ἤρχετο πρὸς αὐτὸν, λέγουσα, ἐκδίκησόν με ἀπὸ τοῦ ἀντιδίκου μου.

3. *Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens, Vindica me de aduersario meo.*

4. Καὶ οὐκ ἠθέλησεν ἐπὶ χρόνον. μετὰ δὲ ταῦτα εἶπεν ἐν ἑαυτῷ.

4. *Et nolebat aliquandiu. Post hac autem dixit intra se.*

5. Εἰ καὶ τὸν θεὸν οὐ φοβοῦμαι, καὶ ἄνθρωπον οὐκ ἐντρέπομαι, διά γε τὸ παρέχειν μοι κόπον τὴν χήραν ταύτην, ἐκδικήσω αὐτὴν, ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με.

5. *Quanquam Deum non timeo nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne tandem veniens sugillet me.*

6. Εἶπε δὲ ὁ κύριος, ἀκούσατε, τί ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας λέγει,

6. *Ait autem Dominus: Audite, quid iudex iniquus dicat.*

7. Ὁ δὲ θεὸς οὐ μὴ ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ, τῶν βοώντων πρὸς αὐτὸν ἡμέρας καὶ νυκτὸς, μακροθυμῶν ἐπ᾽ αὐτοῖς,

7. *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, etiam cum patiens fuerit super illis?*

8. Λέγω ὑμῖν ὅτι ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν αὐτῶν ἐν τάχει. πλὴν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐλθὼν, ἄρα εὑρήσει τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς.

8. *Dico vobis quod faciet vindictam illorum cito. Verum filius hominis cum venerit, an repertu- rus est fidem in terra?*

Periocha

Periocha huius concionis.

SCriptura sacra nos sæpe, multumque ad pias preces exhortatur, & addit simul magnificas promissiones de exauditione, quibus merito ad studium inuocationis excitari debemus. Psal.50.15. dicit Deus: Inuoca me in die tribulationis, & ego eruam te, & tu glorificabis me. Christus Ioh.16.23. Amen amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit perfectum. Addidit etiam Deus huic suo mandato pœnam, si quis non obtemperat. Psal. 79.6. Et Ierem. 10.25. Effunde Domine iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocarunt. At vero nos sæpenumero in peccando languidos & remissos reddit, quod nostra opinione interdum multum oramus, & parum exaudimur. Vnde quidam ex impatientia preces prorsus intermittit, & cœcæ fortunæ res suas permittunt, quandoquidem putant Deum ne inuocatum quidem eas curare. Hisce Christus, vt Euangelista ipse testatur, hac parabola occurrit, & docet, si maxime Deus interdum erga nos orantes difficilior esse videatur, & nos non tantum simus hominum calamitosissimi, sed etiam quo magis oramus, eo profundius in calamitates immergamur, adeo vt preces nostræ vanæ & irritæ esse videantur: nos tamē inuicta fidei constantia in precibus perseuerare debere. Si enim indefessa viduę oratio ęquā sententiam apud iniquum iudicem extorsit, quid non sperabunt pij apud Deum? Ideo dicit Lucas hanc parabolam dictam esse *πρὸς τὸ in eum finem*, vt sic exemplari modo indicet, *δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι, quod oporteret semper orare*, & vt illud *πάντοτε semper* recte intelligamus, addit *μὴ ἐκκακεῖν*, hoc est, *non defatigari*, non oportere malis succumbere, non aduersis, si maxime illa inter precandum crescant & augeantur, non tamen tanta videri oportere, vt propter illa ab oratione desistamus. Dilationem itaque diuini auxilij, vsque adeo nullam ab oratione deficiendi materiam præbere debere, vt potius alimenta subministret ad orandum, & occasionem vrgentiorem reddat ad supplicandum. Nam Deus non vno modo exaudire solet. Interdum statim largitur petita; vt Eleazaro, Genes.24.12. & Hannæ.1. Sam.1.11. interdum plus dat; vt Abrahamo. Gen.17.18. pro Ismaele intercedenti, cui additur Isaac: interdum differt propter gloriam suam, sicut factum cum Lazaro, Iohan.11.4. interdum prorsus non dat, vt Paulo, 2. Cor. 12.8. Nam nos interdum nescimus, quid petamus, vt filij Zebedęi, Matth.20.22. interdum etiam male petimus, vt in concupiscentiis nostris insumamus, sicut nobis id obiicit Iacobus cap. 4. versic. 5. Quapropter nos quidem orando insistamus. Nam & Luc. 21. 36. Christus nos vigilare iubet, omni tempore orantes. Et Paulus 1.Thessal.5.17. sine intermissione orare iubet. Rursus Philip.4.6. dicit: Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Hoc si nos instanter precando nostro loco fecerimus, tunc de exauditione ne minimum quidem dubitemus, certi suo tempore, & quando Dei hora venerit, auxilium certo subsecuturum. Sed parabolam ipsam audiamus.

I. In ea Christus primum habet descriptionem iudicis iniqui his verbis: *Iudex quidam erat in quadam ciuitate qui Deum non timebat, nec hominem reuerebatur.* In ciuitatibus iudices eliguntur, vt ius dicant omnibus & singulis, qui vel à potentioribus, vel à prauis hominibus malitiose premuntur. Hos, quales esse debeant, describit Iethro ad Mosen, Exod. 18.v.21. Prouide de omni plebe viros sapientibus, & timentes Dominum, in quibus sit veritas, & qui oderint malitiam, qui iudicent populum omni tempore. Et Iosaphat pius rex suis iudicibus dixit.2.Parali.19.7. sit timor Domini vobiscum & cum diligentia cuncta facite, non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptatio, nec cupido nummorum. Hæc Iethronis & Iosaphati descriptio, præsenti iudici prorsus non conuenit. Nam primo *Deum non timebat*. Extreme ergo impium, iniquum & iniustum fuisse oportet. Vt enim Dei timor fons est omnis sapientiæ & iustitiæ: ita vbi Dei timor abest, non facile ab eiusmodi homine quicquam boni profluit. Deinde vero apud hunc etiam accidebat illud, quod erat *nec hominem ἐντρεπόμενος, qui homines reuereretur*, ita vt non erubesceret etiam coram illis peccare. Quod maioris malitiæ iudicium est. Nam non pauci inueniuntur, qui Deum quidem non timent, vt quem non videant: reuerentur tamen hominum iudicia & conspectum, ne coram ipsis peccent. Quando autem quis frontem ita perfricuit, vt non erubescat palam etiam coram hominibus peccare, tum talem extreme impudentem esse, & verticem malitiæ attigisse certum est. Sicuti dubitare non licet hunc iudicem fuisse multis valde iniurium, munera accepisse, defraudasse partes, rapuisse, & ius atque æquitatem peruertisse. Dignum certe, qui Cambysem regem fortitus esset, de quo Herodotus refert, quod Sisamnem iudicē iniquum excoriarit, & pelle illa solium iudiciale texerit, atque filium Otanem patris loco constituerit, cum admonitione, vt rectius iudicaret, siquidem exemplum pœnæ indesinenter coram oculis haberet. Sicubi ergo sunt iniqui iudices, qui afflictorum, viduarum & pupillorum causas audire nolunt, illis hoc inculcetur, & moneantur, Deum tales iniquos iudices obseruare, annotare, & suo tempore punire. Addatur etiā Psalmus 82. qui talium iniquorum magistratuum pœnas refert. De Philippo Macedonum rege narratur, quod aniculæ cuiusdam pauperculæ causam, eum aliquoties interpellantis, audire noluerit, eo quod otium non haberet: sed anum magno animo ipsi respondisse: Proinde nec rex esse velis. Philippus eius libertatem admiratus, & ipsi aures præbuit, & alios audiuit. Regum enim & Principum munus proprium hoc est, vt subditos suos, inprimis afflictos, patienter audiant. Alioquin eorum animos plurimum à se alienant. Et historiæ referunt, Demetrium Macedonum animos, eo potissimum à se alienasse, quod multorum supplices libellos, ipsis spectantibus, in profluentem abiecisset.

II. Huic iniquo iudici adiungit hic Christus *viduam*, quę erat in eadem ciuitate, & premebatur ab *ἀντιδίκῳ adversario suo*. Viduarum status in hoc mundo fere est miserrimus. Vnde etiam in Scriptura nomen habent אלמנה quod viro orbatæ non valeant loqui & litigare: vel quod colligatæ fileant, nec vacent vociferationibus & tripudiis. Græce vidua dicitur *χήρα*, per antiphrasin, à *χαίρειν*, quod deliciis & oblectamentis careat. Nos Germani vocamus *VVittvveh*: quia ipsis væ sit. Nam vere ita est, vt vulgo dicitur: Contemnunt spinam cum cecidere rosæ. Quoties fit, vt quæ antea in honore fuerunt, postea nihili fiant. Curatores eas parum curant. Si fiat ipsis iniuria, nemo eas tuetur. Iudices nihil lucelli sperare possunt, ideo eas negligunt. Maritus, cuius radiis coruscabat, abiit ad patres. Si sunt diuites, omnes, ceu canes venatici ab ipsis expectant offam. Si sunt pauperculæ, nihil in orbe contemtius & magis neglectum. Si sint iuuenes, inueniuntur, qui pudicitiæ insidientur, qui nomen & famam in suspicionem rapiant. Si sint vetulæ, habentur pro inutili terræ pondere, quæ omnibus sint obstaculo, & vel propriis liberis nimis diu viuant. Si conciones diligenter visitent, habent suos Empectas, quasi sanctorum pedes deuorare velint. Breuiter non videtur miserior creatura sub Sole esse coram hominibus, quā vidua, præsertim si sit 1.Tim.5.5. *μεμονωμένη* desolata. De eo etiam Iob conqueritur cap.24.3. quod suo tempore fuerint iniusti homines, qui asinum pupillorum abegerint, & bouem viduæ per pignora abstulerint, atque subuerterint viam pauperum, & oppresserint pariter terræ mansuetos. Sic Sap.2.10. tribuitur impiis, quod dixerint: non parcamus viduæ. Talis etiam fuit hæc vidua, quæ grauem habuit *aduersarium*, qui vel hæreditatem intercepit, vel bona aliqua eripuit, vel aliis grauioribus iniuriis eam oppressit. Hæc ordinarium habuit iudicem, cum appellat, *vindica me de aduersario meo*, vidua sum, ab omnibus derelicta, aduersarium habens me potentiorem: iustam tamen habeo causam, licet aduersarius opibus & gratia plus valeat. Fer ergo vel tandem inter nos sententiam.

Et hoc *ἐπὶ χρόνον* satis longo tempore. Verum, quia iudex fuit impius, querelas suas satis diu frustra affert, & exiguam spem habet auxilij.

Videmus hinc, Christianis non esse prohibitum, quo minus si ab aduersariis pręter ius grauentur, vt iudicem adeant, legum præsidium implorent, seque ab aduersariorum iniuriis vindicari petant.

Hinc Deus ipse in Veteri Testamento iudicia ordinauit, Deut.17.8. Et in Nouo Testamento D.Paulus stans ad tribunal Cæsaris, Cæsarem appellauit, & ab hoc iudicari voluit, Act.25.10.

III. Iam indicantur causæ suscepti vel tandem patrocinij à iudice, idque ipsius verbis. *Quanquam Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo eam, ne tandem veniens sugillet me.* Ergo exaudit viduam non ex Dei timore, non ex commiseratione erga afflictam, nec propterea quod iustam haberet causam: quæ merito iustus iudex respicere debet. Sed aliæ sunt causæ 1. *διὰ τὸ παρέχειν μοι κόπον, quia mihi molesta est*, quasi dicat, liberari volo à clamoribus importunæ istius mulieris. Video enim nisi id fiat, nullum finem futurum ipsius interpellationi, quibus me obtundet. Vbi vero hic manet æquitas causæ? vbi amor iustitiæ? vbi odium iniustitiæ? Prodit autem hic iudex hoc suo sermone omnium impiorum iudicum & magistratuum animum, quibus *κόπος labor & molestia* est, si pauperum tractan-

da sit causa. His idem dici debebat, quod Philippo Macedonum regi, vt aut officiũ faciant, aut ab eo desistant, qui eius olim coram Deo grauem reddituri sunt rationem. 2. Ne εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με, *ne tandem veniens suggillet me.* εἰς τέλος ἐρχομένη, potest quidem verti, ad extremum venire: sed boni Græci testantur εἰς τέλος idem sonare, quod πάντοτε, semper & indesinenter venire. Hunc ergo κόπον & laborem iniquus iudex vult declinare, ne vidua hæc identidem ventitando ipsum obtundat, ipsique molesta sit. ὑπωπιάζειν proprie significat suggillare eam faciei partem, quæ sub oculis est: metaphorice autem vexare, obtundere, & ita aliquem affligere, vt plagarum vestigia appareãt. Est metaphora sumpta à pugilibus & luctantibus, qui pugnis, verberibus & cædibus se mutuo obtundunt. Quod ergo plagæ corpori, idem indesinentes interpellationes animo præstant. Miretur autem quis, cum hic iudex neminem hominum reueritus sit, quod tamen vel tandem huius mulierculæ rationem habuerit. Responderi ergo potest, ipsum hoc fecisse, non ex reuerentia erga homines, sed ex metu erga suos conciues. Hi enim eum in iudicem elegerant, potuerunt ergo eundem ab officio deponere. Metuit itaque, ne si à vidua hac passim diffamaretur, ab honore suo remoueretur. Metus igitur, & non reuerentia erga homines, eum etiam mouit, vt vel tandem huic viduæ ius diceret.

IV. Addit Christus ἐπιφώνημα & censuram suam de toto hoc facto iniqui iudicis, atque sic ipse statum & scopum huius parabolæ ostendit. Ait autem: *Audite quid iudex iniquus dicat, Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die & nocte, etiam cum patiens fuerit super illis?* vult dicere: Iniquus iudex expugnatus est assiduis precibus viduæ, vt ipsemet testatur. Deus ergo multo magis patietur se vinci precibus suorum fidelium. Notandum autem hic, quod hæc parabola sumpta sit non à simili, sed à dissimili: sicuti plures huiusmodi in Euangelio inueniuntur. Nam si quis DEVM cum iniquo iudice conferre vellet, is profecto turpiter erraret, atque insuper Deum notoria & impia iniuria afficeret. Non ergo iudex iniquus cum Deo, sed perseuerantia viduæ in instando, cum nostra constantia in precibus, conferri debet. Deus autem & iniquus iudex per ἀντίθεσιν comparari possunt. Hoc modo 1. iudex fuit *iniquus*: Deus autem est iustissimus, qui non potest iustitiam negligere, quando ea precibus fidelium imploratur. 2. Iudex *non est reueritus homines*, ac proinde fuit immisericors. Deus autem est misericordissimus, ita vt non possit non afflictorum preces exaudire, maxime eorum, qui sunt instar viduæ desolatæ. 3. Iudici iniquo causa & preces viduæ fuerunt κόπος *labor & molestia.* Deo autem nostro nulla inuocatio importuna & molesta, imo gratissima συμφωνία est, maxime si à pluribus vna perficiatur, Matt. 18. 19. 4. Iniquus iudex viduam nihil æstimauit: Deus autem habet eos, qui ipsum in spiritu & veritate inuocant, pro suis ἐκλεκτοῖς, *electis* & maxime dilectis. Vult ergo Christus cõcludere: An potest in cuiusquam pij hominis mẽtem venire, vt si videat nonnunquam iniquos iudices constãtia precum victos, tandem facere, quod initio diu nolebant, & iustam sententiam pronunciare, non multo magis idem de Deo suo Opt. Max. statuat, quod propter miseriam inopum & gemitum pauperum sit exsurrecturus & auxilium laturus. Psalm. 12. 6. Maxime qui ad eum *clamant die ac nocte.* Sic vero explicat quid πάντοτε προσεύχεσθαι *semper orare.* Non sicuti Euchitæ fecerunt, qui sepositis omnibus aliis laboribus, etiam piis & honestis, vnice orationi vacarunt: sed significat de die orare, & noctu non intermittere. Deus itaque suos electos certo liberabit, *etiam cum patiens fuerit supra illis*, scil. impiis. Nam Deus patienter fert impios diu, expectans eos ad pœnitentiam, Rom. 2. 4. Patienter agit Deus, inquit Petrus 2. cap. 3. ver. propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Nequaquam ergo longanimitas Dei pœnas tollit, nec obest, quo minus suo tempore pœnas dent. Et tum fere tarditas iudicij, suppliciorum grauitate compensatur. Certitudinis ergo addit Christus: *Dico vobis, quod faciet illorum vindictam cito.* Tribuit Christus Patri suo epitheton, quod vocat eum *Deum vindictæ*: quo aliqui offenduntur, putantes hæc pugnare cum ipsius bonitate & misericordia. Sed errant. Nam Dauid sic distinguit in Psal. 18. 27. cum electo, electus eris? & cum peruerso peruerteris. Hinc etiam Psalm. 94. 1. sic eum compellat; Deus vltionum libere age. Exultare, qui iudicas terram: redde retributionẽ superbis. Et ipse Deus dicit Deut. 32. 35. Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum. Cumque Deus sit iudex totius terræ, teste Abrahamo Gen. 18. 25. non potest iudicium suum aliter exequi, quam vt iustos quidem liberet, atque sic eos vindicet, impiis autem in verticem ipsorum reddat, prout malis suis operibus meriti sunt. Sic vindictam satis grauem exercuit pro Israelitis contra Pharaonem & totam Aegyptum. Sic nimirum commonstrare voluit veritatem dicti Zachar. 2. 8. qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi sui. Antichristiana Roma quoque iamdudum vltionem Dei meruisset, ob sanguinem sanctorum, & sanguinem martyrum Iesu, de quo dudum ebria facta est. Apoc. 17. 6. sed me r: *impatiens est super illis*: verum faciet eorum [illegible] in vindictam *cito.* Hoc vocabulum *cito* non pugnat cum τῇ μακροθυμίᾳ Dei. Nam horas, dies, menses & annos nos non debemus æstimare iuxta nostrum computum, quibus grauis & molesta est omnis etiam minima mora, qua Deus nostri liberationem differt: sed iuxta computum Dei, apud quem est vnus dies sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus, 2. Pet. 3. 8. Quandocunque ergo à Deo constitutum tempus vindictæ aduenit, ἐν τάχει & *cito*, Deus eam exercuisse dici potest: quia vt vt tempus longum est coram hominibus: breue tamen est in oculis Domini. Deinde etiam ἐν τάχει & *cito* vindicta exercita dici potest respectu impiorum, qui, quando ex insperato opprimuntur, cito pœnas dedisse dici possunt: quia nihil tale ipsi metuebant. Nam impij conturbantur & erubescunt velociter Psal. 6. 11.

V. Totum hunc locum Christus concludit graui exclamatione: *veruntamen filius hominis cum venerit, an reperturus est fidem in terra?* Hæsitant hic quidam: nam hæc sententia ad præcedentes apposite accommodari possit, cum tota à præcedenti doctrina videatur esse aliena. *Sed si quis cohærentiam* recte attendat, videbit hæc à Christo rectissime superioribus adiecta esse. Dixerat, Deum cito facturum vindictam electorum suorum, ac proinde eos in orando perseuerare, nec deficere debere, vt liberationem à malis consequantur. Nunc aduersatiuam subiicit, & conqueritur paucos in fide perstituros; *verum filius hominis quando venerit &c.* quasi dicat, Pater quidem meus facit electorum suorum vindictam, idque *cito* per meum aduentum, quo electos meos liberabo ab omnibus malis ac propterea constanter orare debebant. At vero, proh dolor, vsu veniet, vt quando Ego venero ad faciendum vindictam electorum meorum paucos sim inuenturus, qui perstiterint in fide, plerisque ab ea deficientibus, & simul etiam à precatione cessantibus ob liberationis dilationem. Si ergo facta prius mentione electorum postea recte fidei meminit, eo pro electo haberi non possit, qui non in fide constans, & ex vera fide etiam in *inuocatione* Dei perseueret. Simul etiam Christus *hic exprimit statum* nouissimorum temporum, quam *dissolute* tunc mundus sit victurus, & quam rari sint vere *credentes* futuri. Scimus autem *Fidei* vocabulum plura quidem habere significata, inprimis autem duo, quorum *primum Deum* concernit: quod sumitur pro *doctrina* fidei, pro eiusdem confessione, & cumprimis *pro certa* fiducia, qua Christum in promissionibus Euangelicis firmo assensu apprehendimus, vt per ipsum iustificemur & saluemur. Alterum significatum homines concernit, & continet dictorum conuentorumque constantiam & veritatem. Iam si oculos in mundo circumtulerimus, deprehendemus *fidem raram esse in terra*, vtrouis modo eius significationem suscipias. Nam quod primum doctrinam fidei veræ & sinceræ iuxta verbum Dei attinet, est ea fere extincta in vniuerso orbe. Turca siquidem Mahumetana sua impietate doctrinam fidei de Christo conspurcauit, *sicque totum* orientem à fide auertit. In occidente *Papa non minus* humanis suis traditionibus, conciliorum *canonibus & decretis*, fidem in Christum aboleuit. *Quid dicam* de Arianis, Seruetanis, Anabaptistis in quibus plus blasphemiarum, quã fidei reperias? Hic accedunt reliqui fanatici & Schwuermeri, qui Christo in verbo suo & *Sacramentis* contradicunt. Quid fidei sinceræ apud hos inueniri posse putabis? Superest ergo exigua mundi portio apud eos, qui Euangelium Christi sincere profitentur. Sed & apud hos plures inueniri scimus, qui ore quidem fidem Christi confitentur, sed factis eandem negant. Tit. 1. 16. Veniet ergo Dominus Iesus seruator noster ad iudicium quandocunque voluerit, dictum hoc suum nimis vere impletum esse inueniet. Quod deinde fidem attinet, quatenus inter homines est constantia dictorum conuentorumque, non minus ea in orbe euanuit, quam prior illa. Nulla est constantia in dictis, in promissis, in pactis, in fœderibus, in contractibus, in omnibus commerciis, vt Deus nimis vere repetere possit suam querimoniam, quam habet Ierem. 5. 1. Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei. Quod si etiam, viuit Dominus, dixerint, & hoc falso iurabunt. Transi per ordines & status hominum: & in singulis plus infidelitatis quam fidei inuenies. Principes vix plus immoderatis exactionibus & venationibus subditos exhauriunt, quam vt eorum pacem & salutem procurent, vicissim subditi magistratibus etiam parum sunt fideles,

sicubi

ficubi se eis aliquid decerpere posse vident, Ecclesiarum ministri quoque plus lucro student, & impiis ob pusillum gratiæ blandiuntur, Ecclesias etiam amplioris stipendij gratia permutant, quam vt fideles reperiri conentur. Auditores vicissim fidos ministros non obseruant, non diligunt, nulla gratitudine prosequuntur, diffamant, & quouis damno eos afficere sibi laudi ducunt. Si quis porro ad patres familias, & mechanicos artifices descendat: ibi certe etiam fidem exulare deprehendet. Quid vero in hac vniuersali corruptione faciundum? Id quod Christus hactenus docuit. Quisque vocationi suæ fideliter insistat, stationem suam constanter tueatur. Deum assiduis precibus indesinenter fatiget, & sibi in Christo Iesu portum salutis paratum esse certo credat, sic in aduentu Christi liberabitur ab omni malo, vltionem impiorum videbit.

CAPVT CXXVIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS parabolam de Pharisæo & publicano. Luc. 18. 9.

9. Εἶπε δὲ καὶ πρός τινας τοὺς πεποιθότας ἐφ᾽ ἑαυτοῖς, ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, καὶ ἐξουθενοῦντας τοὺς λοιποὺς τὴν παραβολὴν ταύτην.

10. Ἄνθρωποι δύο ἀνέβησαν εἰς τὸ ἱερὸν προσεύξασθαι, ὁ εἷς φαρισαῖος, καὶ ὁ ἕτερος τελώνης.

11. Ὁ φαρισαῖος σταθεὶς, πρὸς ἑαυτὸν ταῦτα προσηύχετο· ὁ θεὸς εὐχαριστῶ σοι. ὅτι οὐκ εἰμὶ ὥσπερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, ἅρπαγες, ἄδικοι, μοιχοὶ ἢ καὶ ὡς οὗτος ὁ τελώνης.

12. Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, ἀποδεκατῶ πάντα, ὅσα κτῶμαι.

13. Καὶ ὁ τελώνης μακρόθεν ἑστὼς, οὐκ ἤθελεν οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπᾶραι, ἀλλ᾽ ἔτυπτεν εἰς τὸ στῆθος αὐτοῦ, λέγων, ὁ θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ.

14. Λέγω ὑμῖν, κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ γὰρ ἐκεῖνος. ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται. ὁ δὲ ταπεινῶν ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται.

9. *Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant, quod essent iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam.*

10. *Duo homines ascendebant in templum, vt precarentur, vnus Pharisæus, & alter publicanus.*

11. *Pharisæus stans, hac apud se orabat, Deus gratias ago tibi quod non sim sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, vel vt etiam hic publicanus.*

12. *Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.*

13. *Et publicanus procul stans, nec oculos volebat ad cœlum attollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.*

14. *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam magis quam ille. Quia omnis qui se extollit, humiliabatur. Qui vero humiliat se, extolletur.*

Periocha huius Parabolæ.

QVia seruator noster in præcedenti parabola egit de precatione & duabus eius virtutibus, fide atque perseuerantia. Nam qui sine fide orat, nihil accipit. Nobis autem Christus dicit Marc. 11. 14. omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis. Qui etiam in oratione deficit, non mirum, si nihil consequatur, qui vero perseuerat, is vel iniquum iudicem, nedum mitissimum Deum precando emollire posset. Et quia hic alteram parabolam subiungit de duobus hominibus, qui *ascendebant in templum, vt precarentur:* ideo etiam huius parabolæ argumentum esse statuunt doctrinam de precatione, & voluit Christus hic docere tertiam orationis virtutem, nimirum humilitatem. Nam oratio humiliátis se, dicit Syrac. 35. 21. nubes penetrabit; & donec appropinquet, non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat. Et sane doctrina de precatione ex hac parabola non incommode tractari posse; siquidem multa piæ orationis requisita hic reperiuntur, vtpote 1. oraturus, non semper tantum cubiculum intret, & domi priuatim precetur; sed etiam *in templum* properet, ibi se Ecclesiæ coniungat. vt vna cũ Ecclesiastico cœtu, quasi globo facto, cœlum adoriatur. Hęc vis Deo grata est. 2. In oratione sua cõpellet nõ sanctos, nõ Ethnicorum numina, nõ vllas creaturas: sed solum *Deum.* 3. Non oret *apud se*; talem enim orationem Deus nec audit, nec approbat, sed oret ad Deum. 4. Inter precandum non respiciat proximum, siue meliorem, siue deteriorem, non sinistre de eo iudicet: sed sciat sibi rem esse cum summa maiestate Dei, qui solus sibi reseruauit iudicium super omnem carnem. 5. In primis autem pœnitenti corde ad precandum accedat, peccata sua agnoscat, coram Deo deprecetur, fiduciam de remissione eorum firmam ob Christum propitiatorem concipiat, nec de exauditione dubitet. 6. Inde *domum* redeat, ad operas suæ vocationis, in quibus Deo & proximo inseruiat. Hęc & alia membra, quoad precationem, ex hac parabola desumi possunt. Atqui Euangelista in exordio parabolæ alium nobis ostendit scopum, quod nimirum Christus hanc parabolam dixerit ad quosdam *qui in se confidebant, quod iusti essent, & aspernabantur cæteros.* Et Christus in fine parabolæ pronũciat de Publicano, quod *iustificatus descenderit in domum suã,* atque sic monstrat, se huic parabolæ inclusisse summum articulum Christianę religionis de Iustificatione hominis peccatoris coram Deo: hoc est, quomodo miser peccator se gerere debeat in hac vita, vt consequatur remissionem peccatorum, vt habeat propitium Deum, & post hanc vitam non damnetur, sed saluetur. Hoc enim sonat *iustificatus* in lingua Spiritus Sancti. Ergo tractatur hic illa doctrina in qua sita est omnis nostra salus, & æterna felicitas, & ad quam solide addiscendam omni animi desiderio ferri debemus. Certum enim est adulterato vel corrupto hoc articulo, impossibile esse puritatem retinere in aliis. Hoc vero articulo saluo, corruunt corruptelæ, vt quemadmodum 1. Sam. 5. 2. Dagon Philistinorum idolum consistere non potuit ante arcam Domini, sed disiectum est, ita etiam hoc articulo stante disiiciuntur corruptelæ & errores. Quia enim appropinquabat tempus passionis, atque ipse Christus circumeundo Ecclesiis valediceret, summamque suæ doctrinæ repeteret: ibi totum cor suum effudit, & hac parabola Galilææ valedixit, mox inde ad Iordanem rediens. Sic autem tractat hunc articulum, non vt monstret quomodo acute de eo disputare debeamus, sed quomodo in praxi sit exercendus, omni enim tempore inueniuntur, qui ad instar Pharisæorum *confidebant se esse iustos,* ob externa quędã opera, & quidem *in se confidebant,* atque sic summo iure cœlum à Deo obtinere volebant: cum tamen nec iusti essent, & si maxime iusti essent, non debebant *confidere in se,* sed in Domino Ierem. 9. 24. Et vbi hæc confidentia propriæ iustitiæ reperitur, ibi accedit alterum vitium: quod qui sibi sic nomine iustitiæ placent *aspernantur cæteros,* tanquam iniustos & peccatores. Sicut Pharisæi fecerunt Publicanis. 1. Porro si hunc articulum recte velimus addiscere ante omnia tenendum, quænam via sit ingredienda, si quis iustificari velit. Hoc ostendit Christus, dum hunc articulum parabolice propositurus non proponit nobis Pilatum hominem gentilem, non Herodem hominem tyrannum & vulpeculam, non lurcones & latrones, aut publicanum in telonio sedentem, & homines deglubentem: sed *duos homines qui adscendebant in templum.* Et horum *vnus* erat *Pharisæus,* vir apud Iudæos summæ æstimationis, ob sanctitatis & iustitiæ studium, quod coram plebe venditabat. *Alter* erat *Publicanus,* ex illo hominum ordine, qui totus Iudæis fuit exosus, eo quod liberatis patrię erga Romanos proditores videbantur, ob conductitia vectigal. Sed hic relicto telonio ad templum properat. Sic

ergo Christus docet, si quis coram Deo iustificari velit, cuiuscunque conditionis sit homo: siue ex eorum numero, qui coram hominibus politice videntur esse iusti, qualis fuit Pharisæus: siue habeatur pro graui & enormi peccatore, qualis fuit Publicanus: tum non debere eum domi in peccatis perseuerare in iis pergere, sicque numerum eorum augere: sed propositum habere, quod velit à peccatis desistere ac propterea debere eum *ascendere* non ad excelsa idolorum, sed *in templum* ad Deum, qui solus potest iustificare impium. Quia vero itiones in templum ab hominibus omni tempore, non semper ex deuotione, sed etiam alio fine instituuntur. Apud Iudæos, alij emebant, alij vendebant: apud alios, alij ad idolomaniam, alij ex superstitione: fortassis etiam alicubi tantum ex consuetudine, vel vt ipsi confabulationem cum amicis instituant, vel vt spectatum, aut veniat, aut eant. Ideo hic causa itionis in templum exprimitur, *vt precarentur*. Per preces autem συναχθῆναι intelligitur hic, vt & alibi in scripturis, omne id, quod ad cultum Dei pertinet, & in templo peragebatur. Ibi tum, quod est probe obseruandum primo in templo prælegebantur Moses per singula Sabbatha, Act. 15. 23. & dies festos, vt inde attente considerarent, qualiter hactenus vitam suam instituissent, quæ peccata, quos lapsus commisissent, eos agnoscerent, & coram Deo deprecarentur. Postea sacrificia addebant, tum holocautomata, tum sacrificia pro peccato & pro delicto, quæ omnia erant typus de Christo, qui propitiatorium sacrificium futurus esset pro peccatis: quod certis etiam lectionibus & Prophetis confirmabatur. Hæc omnia ostendunt, qua via sit insistendum, si velimus corã Deo iustificari. 1. Non oportet te domi hærere in peccatis, nec ire in lupanar, aut in popina sedere, sed *ascendere in cœlum*, non quidem illud Hierosolymitanum, quod dudum est destructum: sed vbicunque sincerum verbum Dei sonat, & verus sacramentorum vsus, iuxta Christi institutionem administratur, ibi nos reliquis Christianis adiungamus, & operam demus, vt simus membrum illius cœtus. 2. in templo conuenire debemus, non vt garriamus, aut nugas tractemus: multo minus, vt si quid ex Dei verbo audiamus, quod nobis minus gratum sit, illud auersemur, contemnamus & indignemur, sed *vt oremus*, hoc est, Deo cultum suum præstemus, tum audiendo legem & Euangelium, tum orando & gratias agendo pro acceptis beneficiis. Neque quisquam dicat, domi possum legere verbum, domi possum orare, & Deo gratias agere. Etsi enim illud verum sit: non tamen sit tanto effectu, quanto in cœtu Ecclesiastico. Hic enim Christus pollicetur se vna præsentem esse, tum apud verbum prædicatum, tum apud preces fusas. Matt. 18 19. 20. Et Paulus testatur. Rom. 10. 17. fidem esse ex auditu verbi Christi. 3. In templo, etiam non eo fine conueniendum, vt semper aliquid noui audiamus, sed vt eadem doctrina ex Mose, Prophetis & Euangelistis nobis inculcetur. Qui autem cum Atheniensibus tantum huic curiositati vacant, vt semper aliquid noui vel dicant, vel audiant, illi alio, quam in templum. Domini se conferant. Hic enim tantum docetur, quomodo satanæ tyrannidi valedicendum, quomodo æterna damnatio deuitanda, & vicissim salus cum æterna vita consequenda. Hæc est magna, & magni momenti ars, neque adeo facilis, vt quidam eam sibi imaginantur, siquidem non ex voluntate viri vel carnis, sed ex virtute Dei eam addiscimus. Et vt maxime semel est inchoata, non tamen statim est perfecta, sed continuanda, & proinde subinde ad templum recurrendum. 4. Cauendum autem, ne ita in templum eamus, sicut Herodes: qui & ipse quotannis ascendit Hierosolymam, sed domum rediit antiquus Herodes, impius & versipellis, hoc est, *non descendit iustificatus in domum suam*, sed periit. Et hoc primum est, vt sciamus, quænam sit vera scala, cui insistere debeamus, vt in ea ambulantes iustitiam consequamur, & in cœlum ascendamus. *Eundem est in templum*, siue quis sit doctus Pharisæus, siue sit idiota Publicanus. Multi putant, templum visitare esse rem superuacaneam & nullius momenti, per quam quis multum temporis perdat. Sed si quis hunc vnicum vsum perpendat, non pœnitebit eum, si quotidie iuisset in domum Domini.

II. Iam progrediendum, & discendum, quando veræ viæ insistimus, quid vlterius sit faciendum, vt sequatur hæc sententia: *descendit iustificatus in domum suam*. In hoc omne situm est punctum. Ac proinde Christus veram huius praxin depingit in duabus personis, in quarum vna discamus, quid sit cauendum, in altera, quid sit faciendum. 1. *Pharisæus*. In huius persona adumbrat Christus, quomodo etiam illi, qui *steterunt*, & Deus ipsos custodiuit ne prolaberentur in turpia peccata: tamen indigebat iustificatione coram Deo. Ideo hic vnum introducit ex Pharisæis, qui tum temporis apud homines apicem iustitiæ consecuti videbantur, vt omnino sciamus, neminẽ in vniuerso orbe ita viuere, vt non indigeat iustificatione corã Deo. Ergo etiã in optima vita dispiciendũ, vt habeamus propitium Deum, alias cum Pharisæo non iustificati descendimus in domum nostram. Quid ergo fecit hic Pharisæus. Audiamus ipsum. Sic vero inquit: *Deus gratias ago tibi, quod non sim sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus*. quasi dicat, Audiui iam legem Mosis in templo recitari, & maledictionem tremendam denunciari omnibus iniustis, raptoribus, adulteris, & consimilibus peccatoribus. Et quidem homines huius seculi in *viis suis sunt* valde inquinati, cumque ego eiusdem naturæ *consors sim*, & non minus ac ipsi seduci potuissem: tamen Dei *beneficio* ab eiusmodi lapsibus sum custoditus, atque eo merito Deo meo gratias ago. Dicat hic quis: Ego nihil iniqui ex hoc Pharisęo audiui, nec video quid in eo desiderare possim, & tamẽ audio ipsum, *non iustificatum* discessisse. Quid ipsi defuit? Resp. Licet nos nihil desideremus: Euãgelista tamen in vestibulo parabolæ nobis indicauit, quid Christum in ipso desiderarit; nimirũ *quod in se confidebat, & cæteros aspernabatur*. Quia ergo propriam iustitiam stabilire voluit, & iustitiam Dei negligebat, etiam hac excidit. Dilucide ergo in hoc Pharisæo videre licet, quid sit iustificare seipsum, & quidẽ ex lege. Lex duo requirit. 1. docet, quid sit vitandum. 2. quid sit faciẽdum: Vtrumque Pharisæus, à se præstitum esse testatur: ac proinde concludit se iustum esse, Deúmque cœlum sibi debere. Nam sibi persuadet suam iusticiam *deduci posse* per omnia decem præcepta. Iuxta 1. agnoscit, & colit *verum Deum Iehouam*: & ab idolorum cultu abstinet. Iuxta 2. orat, & *Deo gratias agit*. Sic etiam Paulus vult 1. Thessal. 5. 17. Sine intermissione orate: gratias agentes Deo in omnibus. Iuxta 3. ascendit in templum, & bono exemplo promouet cultum Dei. Iuxta 4. dat decimas Sacerdoti & Magistratui. Iuxta 5. & 8. non fuit iniustus erga proximum. Iuxta 6. non fuit adulter. Iuxta 7. non fuit raptor. Et licet Deus in 9. & 10. præcepto prohibeat prauas concupiscentias, à quibus nemo hominum abstinere potest: tamen earum loco Deo suo annumerat opera supererogationis. 1. ieiuniorũ. 2. decimarũ, quę Deus acceptare debeat.

De ieiuniis dicit: *ieiuno bis in Sabbatho*, hoc est, in septimana. Sic autem nominabant Iudęi hebdomadem à Sabbatho, primario die quo claudebatur. Cæterum Deus in Veteri Testamẽto ordinauit populo suo Leuit. 23, 27. per integrum annum vnicum diem ieiunij, quo affligere deberent *animas* suas, & nihil gustare deberent, vsq; dum *vesperas stellas cœli* viderent. Fuit is decimus dies mensis *septimi: qui simul etiam* fuit dies propitiationis. Postea Zachar. 8. 19. legimus *de ieiunio* quarti, de ieiunio quinti, *de ieiunio septimi*, & de ieiunio decimi mensium, quæ ieiuna *Iudæi de suo*, extra Dei mandatum, addiderunt. *Quidam tradunt* eos ieiunasse 17. Iunij, quia eo die *à Mose fractę fuerint* tabulæ legis: & eodem tempore Manassis idolum in templo positum. Ieiunasse etiam 9. Iulij, quia tum acciderit templi destructio. Ieiunasse item 3. Septembris, quia eo tempore fuerunt præcipua Iudæorum ieiunia. Sed Pharisæorum ordo, qui in omnibus perfectionem captauit præ aliis, singulis septimanis bis ieiunauit. Ieiunabant autem Pharisæi feria secunda & quinta, si fides habenda est Theophylacto. De decimis etiam dicit: *decimas do omnium, quæ possideo*. Alias certa erant frumentorum, fructuum & animalium genera, de quibus, vt Iudæi decimas *darent*, Deus ordinarat. Deut. 12. 17. nominantur decimæ *frumenti*, olej, vini Leuitic. 27. 3. mentio fit decimarum *de pomis arborum*, de frugibus terræ, de bobus & ouibus, *quæ transeunt* sub baculo pastoris. Et hæ decimæ sic fuerunt distributæ, vt pars earum cederet Leuitis. Numer. 18. 21. pars pauperibus, viduis & pupillis. Deuter. 14. 29. pars regi 1. *Sam.* 8. 15. De reliquis vero in hortis & alibi nascentibus, non tenebantur decimas dare: quia hę adeo fuerunt amplę, vt sufficerent. Pharisęi autem, qui & hic præ aliis perfectionem affectabant, decimarunt etiam mentam & anethum, & cyminum & alia olera. Matth. 22. 23. Hisce ergo supererogationis operibus apud Deum compensare voluit, si quid deesset plenæ obseruationi noni & decimi præcepti. Et hæc est illa *exultatio*, confidentia, & superbia, quam Deus ferre nequit, & propterea ea infectos humiliat. Est enim illa tinea (vt Basilius inquit) quæ pulcrum pomum erodit & perdit. Est pruina & grando, quo seges salutis perditur. Est lutum illud, quod rotis adhærens, cursum currus ad salutem impedit. Sunt igitur bona opera quidem facienda, sed in iis non confidendum: quia in quouis etiam bono opere peccat iustus. Et Iob dicit cap. 9. v. 38. Ego verebar omnia opera mea. Habuit autem hæc precatio Pharisæi etiam alios defectus, qui non sunt oscitanter prætermittendi 1. *orabat apud se*: hoc est, præces suas non dirigebat ad Deum, nec cogitabat, quãta maiestas esset, cum qua per preces agendum est, si quis saluus fieri cupiat, in cuius conspectu ne stellæ quidem mundæ sunt Iob 25. 5. & coram quo nullus est innocens, Exod. 34. 7. Itaque orabat *apud se*, respiciebat tantum suam vitam, & quia hęc ipsi perplacet, crescit ei animus, quod cogitat:

cogitat: quod Deus alios homines non recipit in cœlum, non est mirum, sunt enim tales & tales, *raptores, iniusti, &c.* Me vero recipiet, quia non sum talis, sed potius supererogaui. 2. Contemnit etiam præ se Publicanum: non sum *velut etiam hic Publicanus.* Magna hæc fuit Pharisæi confidentia, quod vidit hunc Publicanum secum ascendere in templum orandi gratia: hic certe optima quæque de eo sibi polliceri debuisset, maxime cum externa pœnitentiæ & correctionis signa præ se ferret. Vnde merito à condemnatoria sententia abstinere, potius suis precibus eum apud Deum pro plena pœnitentia, & peccatorum indulgentia iuuare debuisset. Sed sic fit, quando quis in consideratione corruptæ naturæ non pellucidum speculum Decalogi, sed tantum homines, qui & ipsi corrupti sunt, respicit. Vt enim qui lutulentum speculum intuetur, nunquam faciem suam videre potest: sic, qui homines corruptos tantum intuetur, nunquam suam corruptionem agnoscet. Sed legem suam Deus proposuit nobis, vt illam inspiciamus, & iuxta illam vitæ corruptionem agnoscamus. 3. In his omnibus oblitus etiam est Messiæ, Neque enim existimauit se apud Deum vllo Mediatore indigere. Absque hoc autem cum nemo habeat accessum ad Deū, quid mirum, ipsum non iustificatum fuisse. Contrahamus ergo in vnam sententiam, & dicamus quid huic Pharisæo defuerit, ob quod Christus eum reiectum esse testatur. 1. Defuit ei vera cognitio sui ipsius & sui cordis. Oblitus erat illius Prou. 21. 2. omnis via viri recta sibi videtur. Dominus autem corda appendit. Dominus secundum cor iudicat. Corda autem hominum natura plena sunt malis, imo fons peccati, & omnis impuritatis. Matth. 15. 19. Hæc nisi coram Deo mundentur, externa species sanctitatis nihil iuuat. Si ergo Pharisæus proprium cor cognouisset, citius sua mala confessus esset & Deum pro condemnatione eorum orasset, quam ieiunia & decimas suas iactasset. Agnouisset Deum omnia sub peccatum conclusisse, vt omnium misereretur. Roman. 11. 32. Hoc quia non agnouit, se ipsum decipit, Deo se opponit, proximum contemnit. 2. Defuit ei vera Dei agnitio. Nam imaginatur sibi talem Deum, qui externa operum iusticia sit contentus, nec attendat affectus & motus cordis. Hoc est Deum de gradu suo deiicere cum omnis scriptura testetur, ipsum esse scrutatorem cordium & renum. Psalm. 7. 10. Ie. 17. 10. cuius tanta est sanctitas, vt etiam in angelis suis reperiat prauitatē. Io. 4. 18. Iob tam pius fuit, quam hic Pharisæus; & tamen fatetur cap. 9. 3. se coram Deo pro millibus ne ad vnum quidem respondere posse. Dauid quoque deprecatur Dei iudicium Psal. 143. 2. quia in eo se nequaquam iustificari posse sciuit. Esai. 64. 6. etiam iustitias nostras panno menstruatæ confert. Ideo etiam Daniel cap. 9. 18. testatur, se suas preces coram facie Dei prosternere non in iustificationibus suis, sed in miserationibus Dei multis. Hi Deum aliter agnouerunt, quam superbus hic Pharisæus. 3. Defuit huic Pharisæo etiam tertium, vtroque præcedenti deterius, nimirum quod nesciuit, qualem iusticiam Lex Dei requirat, putauit eam externa operum larua contentam esse. Inde sibi persuasit, quod legi non tantum satisfecerit; sed etiam supererogarit. Quare non se Dei, sed Deum sui debitorem cōstituit. Ita elatus hic homo inflata sua superbia Dei misericordiam prostrauit, Deum è throno suæ maiestatis remouit, & sibi subiecit. Annon hæc est abominabilior prauitas, quam mille Publicani rapinæ, atque alia peccata? Sed quam multos hic Pharisæus post se reliquit fratres? qui & ipsi putant non tantum sanctos, sed etiam se plus habere meritorum quam ipsi indigeant, & posse ea etiam aliis communicare. Et sunt hi in eo hoc Pharisæo deteriores quod hic, in operibus & ceremoniis à Deo præceptis, ipsi vero in mendacibus bullis indulgentiarum, in nugacibus missis, & aliis operibus ab hominibus excogitatis, quibus sanctissimum Dei nomen prophanatur, iusticiam suam collocant. Vt mirum sit in hac tanta luce Euangelij posse aliquibus oculos ita perstringi, vt non agnoscant, quid ad gloriam Dei, & propriam salutem faciat. Antequam progrediamur adhuc notatio quædam addenda est, & monendi sunt auditores, vt illam pugillaribus cordi sui inscribant. Est autem ea hæc: Si non est gloriandum de bonis operibus, quanto minus quis gloriari debet de malis operibus? Et si iustus vix saluatur: impius & peccator vbi comparebunt? 1. Petr. 4. 18. Inueniuntur autem, proh dolor, multi proterui huius seculi filij, qui absque rubore id facere audent. Vt si quis eos audiat, mox ei incidat illud Psal. 52. 1. Quid gloriaris in malitia tua, qui potens es in iniquitate? Quot inueniuntur, qui non possunt gloriari de multis precationibus, sed quod multa millia blasphemiarum vno hiatu euomere possint? alij non gloriantur de ieiunio: sed quod non tantum vna septimana verum vno die bis ebrij fuerint. Sunt enim potentes heroes ad bibendum. Esa. 5. 22. Alij non gloriantur de castitate, sed quot virgines stuprarint & peccatum suum quasi Sodoma prædicant, nec abscondunt. Es. 39. Alij non possunt gloriari, quod non sint iniusti; sed fateri coguntur, se malum bonum, & bonum malum dixisse: lucem tenebras, & tenebras lucem posuisse. Es. 5. 20. imo quid multis opus? Si aliqui abyssum cordis prodere vellent, fateri cogerentur, se nihil dare, ne centesimam quidem partem ad cōseruationem ministerij: se denique non esse sicut cæteri homines, sed aliis deteriorem. Si ergo superbus hic, & bonis operibus onustus Pharisæus non abiit iustificatus in domum suam, certe nec hi suis blasphemiis, stupris, & aliis impietatibus, cœlum sibi aperient. 2. *Publicanus.* Qualis fuerit olim Publicanorum vita, & quid Christus de Publicanis impœnitentibus senserit, id ex Euangelio notum est. Matth. 5. 46. dicit: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habetis, nonne publicani & Ethnici idem faciunt? Matth. 18. 17. Si frater peccans Ecclesiam monentem non audierit: sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Christus itaque innuit, incredulos Ethnicos, & impœnitentes Publicanos pari passu ambulare. Fuerunt enim Sycophantæ, vt Zachæus ipse fatetur. Luc. 19. 8. Si iam hic Publicanus Pharisæum adiisset, ipsiusque consilio vsus fuisset rogans, vt se doceat, quid faciendum sit vt suorum peccatorum remissionem impetret, & propitium Deum habere possit, suasisset vtique, vt deserto suo detestando statu venerandum Pharisæorum ordinem ingrederetur, sicque se honestis vestibus, & humilibus gestibus omnibus commendabilem redderet. Sicuti etiam sub Papatu hominibus suaserunt, vt peccatis repleti monachalem cucullum induerent, seque in illo sepeliri curarent: sic enim ipsorum peccata tegi. Hæc nugæ sunt: Christus Publicanum pœnitentem aliter introducit, & exemplum hoc nobis proponit non ad disputandum, sed ad imitandum. Quid ergo facit? 1. Cum in templum venit, ibique ex lege audit, Deum rapinas, vsuras, sycophantias, & eiusmodi iniustitias sub pœna æternæ maledictionis seuerissime prohibuisse: ibi incipit horrere & timere iram Dei, cogitans: væ mihi, vbi ego comparebo, qui hactenus Dei mandata secure transiliui? Ideo *procul stans* timidus quasi fugam capessiturus. Sicut etiam Exod. 19. 16. Israelitę in castris timuerunt, cum viderent micare fulgura, & audirent tonitrua ante legis promulgationem.

Huius legis tabulæ etiam pendebant in templo, ex quibus peccata arguebantur. Mactabantur insuper victimæ, spectatoribus in exemplum, quomodo ipsi mactandi sint propter peccatum, nisi fiat remissio. Timet ergo iram Dei, *nec audet oculos in cœlum attollere.* Agnoscit ergo peccata, pudet ipsum eorum, & scit sibi deberi confusionem faciei. Adest vera contritio. Nam etiam præ dolore *percutiebat pectus suum,* verum fontem peccatorum ostendens cor corruptum, ex quo omnes malæ cogitationes, dicta & facta proueniunt. Cogitat enim? ô maledictum cor quid fecisti, quam perdite hactenus vixisti, in quam lernam malorum me præcipitasti, quot homines contra me coram iudicio Dei stabunt, meque grauiter accusabunt? Sistit ergo se cum conscientia sua coram iudicio, non quasi coram Cæsare, quem interdum hypocritæ fallere possunt, sed coram iudicio eius, in cuius oculis omnia sunt manifesta, quem nemo decipere potest, & qui stricte atque iuste secundum legem iudicat, nec est acceptor personarum. Et hoc est vnum, quod Publicanus fecit: vbi ex lege sibi ob oculos statuit mortem & infernum, in quibus in æternum sibi pereundum agnoscit, nisi cum Deo reconcilietur.

Alterum est, quod in hisce terroribus non manet, non arripit cultrum, vt Saul gladium, & seipsum iugulat: non laqueum, vt Iudas: non dicit cum Caino, maior est iniquitas mea, quam vt mihi remitti possit: sed apprehendit veram cōsolationem. Nam recordatur, quid ex Prophetis audierit, quid Deus dicat de illis, qui serio pœnitent, Ierem. 18. 7. Repente loquar aduersus gentem, & aduersus regnum vt eradicem, & destituam & disperdam illud: si autem pœnitentiā egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei, Ezech. 18. 23. & 33. vers. Viuo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat. Intuetur quoque sacrificia, quæ tum offerebantur, & iis recogitat officium Messiæ, quem etiam propitiatorium in templo adumbrabat, & propter quem audierat Deum gratis peccata remissurum. Huius satisfactioni se incudit, & propter illum remissionem peccatorum petit. Ideo per breuem confessionem & petitionem addit: *Deus esto propitius mihi peccatori.* O mi Deus, fateor me esse grandem peccatorem, & propterea iure damnandū. Non possum, neque cum Adamo, neque cum Eua culpam in alios transferre: Ego ipse peccaui: sed imploro tuam misericordiam, qua tibi reconcilier: non possum prætendere vlla merita, non possum afferre excusationes, tantum tuam imploro placabilitatem. Miserere mei Deus secundum ma-

gri ad misericordiam tuam, Psalm. 91. 1. ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ. Possunt hæc verba desumta esse ex Psal. 25. 11. vbi Dauid precatur: propter nomen tuum ἱλάσθητι propitius esto peccato meo. Et respicit ad verum ἱλαστήριον, quod Deus nobis proposuit in sanguine filij sui, Romanor. 3. 25. Qui solus est ἱλασμὸς & propitiatio pro totius mundi peccatis, 1. Ioh. 2. 2.

Et hoc est alterum, quod Publicanus præstitit, in quo etiam ipsum imitari debemus: vt sic eamus in templum & viã salutis hoc modo ingrediamur, vt ex lege agnoscamus peccata; pectus nostrum percutiamus, & de emendatione serio cogitemus: in Euangelio autem Christum vera fide amplectamur, Deumque, vt propter ipsum nobis propitius sit, precemur. Et hoc est illud quando dicimus, hominem sola fide iustificari.

III. Nunc audiamus etiam quænam sententia inter hosce duos sit lata. Ratio humana Publicano omnem iustitiam denegasset, tanquam homini, qui hactenus prophane vixisset. Etsi maxime diceret, agnosco me peccasse, & pœnitet me: tamen ratio regereret, hoc te non liberabit. Nam furi pœna patibuli remittitur: si maxime serio testatur, se pœnitentia duci commissorum furtorum? Vicissim Pharisæum ratio prędicatura esset, quod bene se gesserit, vt qui coram mundo diues & potens esse potuisset, nisi ita liberalis fuisset in decimis, & peculiari ordini se mancipasset.

Cogitat itaque ratio, impossibile est, vt hæc Domino non probentur. Sed Deus iudicio mundi præfecit, non rationem humanam, verum filium suum Dominum nostrum Iesum Christum Ioh. 5. 27. Quomodo hic iudicat: *Dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam magis quam ille.*

Hæc verba non sic sunt accipienda, quasi Pharisæus etiam fuerit iustificatus coram Deo: Publicanus autem vberiorem & nobiliorem iustitiam consecutus sit. Nam coram Deo est tantum vnica iustificatio. Sed quia Pharisæus iustus visus est coram se, & coram hominibus: ideo relinquit ei Christus iustitiam mundanam, sed quæ coram Deo nihil valet. Ideo dicit Matth. 5. 20. Dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Hanc ergo iustitiam quæ coram Deo valet, Publicanus per fidem apprehendit, atque sic *iustificatus est*, hoc est, absolutionem à peccatis accepit. Postea lætus, & cum bona conscientia, iuxta regulam verbi diuini, progressus est in sua vocatione. Nam *descendit in domum suam*, non ad telonium, vbi vsuræ rapinæ, & deceptiones exercebantur: hoc scamnum relinquit aliis, qui Dei gratiam non curant. Ipse hanc semel consecutus, non amplius vult perdere. Sic videmus, quæ sit via & ratio, qua cum Deo reconciliamur. 1. Eramus in templum, vt ibi legem & Euangelium audiamus. 2. Si lex peccata arguit, non respiciamus cæteros homines aut Publicanum, sed nos ipsos, & si maxime multa bona proximo exhibuissemus, non tamen producamus illa in rationes coram Deo, sed expectemus, donec Christus ea prædicaturus est. Matth. 25. 35. 3. Sin quis peccauit, agnoscat sua peccata, non neget, sed deploret, seque æterna damnatione dignum fateatur. 4. Non tamen desperet sed fide apprehendat Christum in merito & sanguine suo, Et sic 5. descendat iustificatus in domum suam, ibique operas vocationis suæ lætus perficiat. Iesuitæ certe huic Publicano tam cito & facile absolutionem non communicassent sed adegissent ipsum primum ad confessionem omnium peccatorum: postea exegissent satisfactionem Missarum, cereorum, peregrinationũ, donationum ad templa & monasteria. Sed Deus hisce donationibus, & satisfactionibus ad hominum quæstum institutis, non indiget. Ipse gratis gratiam suam confert pœnitentibus. Est autem hoc etiam expendendum: An hæc iustificatio tantum semel sit quærenda; aut, An sufficiat, si quis post grauem lapsum eam quærat? Sicuti Dauid post commissum adulterium & homicidium iacuit coram arca, & flebiliter reconciliationem cum Deo quæsiuit. Nequaquam, sed est talis doctrina, quæ quotidie in praxi est exercenda. Vti enim panis quotidianus, quoties absumitur, resumendus est: ita etiam, quia iustus in die septies cadit. Prouerb. 24. 16. quotidie iteranda est illa petitio: Dimitte nobis debita nostra, atque per eam iustificatio quærenda. Hoc Christus in hoc exemplo monstrat. Iudæi quotidie bis conueniebant, in téplo: quia bis sacrificia offerebantur, bis thymiama accendebant, & tum simul precabantur. Hinc Dauid Psalm. 142. 2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo eleuatio manuum mearum sicut sacrificium vespertinum. Sic etiam nos diem precatione & inchoemus & finiamus. Et licet vbiuis orare Ioan. 4. 23. etiam domi in cubiculo, Matth. 6. 6. tamen singuli precum domi mane & vesperi non debent obliuisci. Sed quia verendum est, multos siue simpliciores, siue crassiores illud negligere, prodest, vt singulis diebus Solis in Ecclesia conueniamus, ibi ex auditu verbi diuini hanc doctrinam primum repetamus post ea addita peccatorum cõfessione, & audita absolutione eandem exerceamus. Et hoc stadium decurrere debet *Christianus*, quamdiu in hoc mundo viuit, donec vitam *æternam apprehendat*. Maxime autem in agone hac doctrina indigebimus. *Ibi enim* Diabolus propriam nostram carnem contra nos *instigabit*, vt illa nos reos agat omnium criminum, atque *simul* damnationem intonet. Eia suggeret, bene rebus tuis *præfuisti*, vitam in peccatis & vitiis transegisti, iam coram *iudicio Dei* sententiam tuis factis dignam audies. Ibi meminerit *Christianus* se didicisse, vt peccata agnoscat, deploret, confiteatur, deprecetur. Sed caro regeret, nihil iuuabit te hæc pœnitentia. Nam nec fur dimittitur, si maxime pœniteat, nihilominus pendebit. Hic tu responde, alia est ratio iudicij diuini, quam humani, in Dei iudicio Christus pro me satisfecit. Hic accedet diabolus, & actionem vrgebit suggerens: Christus te non iuuabit: tu peccasti, tu ergo etiam puniendus es. Hic tu responde: Christus iudex erit, non diabolus. Ille vero in parabola de Publicano proposuit veram rationem iustificãdi: Publicanum intueor quando nouisse cupio, quomodo Deus erga me sit affectus. Tandem dicet, num putas rationem saluandi adeo facilem esse, vt qui per omnem vitam nequiter vixit, mox moriens in cœlum admittatur, si *modo pœ*niteat & credat. Responde tu, *omnino via ad salutem est ita* facilis, sed pro eo gratias ago, non tibi *Diabolo, non meæ* carni, non toti mundo, sed Deo Patri Filio & Spiritui Sancto, quem etiam propterea celebrabo in omnem æternitatem. Bernhardus Abbas Clareuallensis huius luctæ exemplum proponit in seipso. Hic operam dedit, vt omnes Monachos pietate superaret, cumque se id consecutum existimaret, confidit in illa pietate. Scribit ergo se citatum ad tribunal Dei, ibique accusatum tanquam grandem legis transgressorem. Ibi respondisse se: Feci, quæ potui. Sed Satan opposuisse: omnia fuerunt facienda. Maledictus qui non permanserit in omnibus. Deuter. 27. 26. Id cum tu non feceris, meritus es iram Dei. Hic Bernhardus intra se rediens confessus est: Ah perdite vixi. Tum Satanas inferebat. Ergo Deus habet flagella & pœnas, quibus te persequatur.

Bernhardus: Ah bone Deus, percute hic, vre, seca, tantum parce in æternitate. Rursus Satanas: & hic & illic pœnam esse ferendam. Ibi diu hæsit Bernhardus, tandem *prouocauit* ad Christum dicens: Christus meus *duplici iure possidet* regnum cœlorum, primo tanquam verus *Deus iure æternæ* generationis, deinde tanquam verus homo iure redemtionis Primum ius ipsi relinquo: *alterum vero scio*, quod & mecum, & cum omnibus *credentibus sit* partiturus. Atque sic Bernhardus ex illo agone eluctatus est.

IV. Hactenus principalem huius parabolę doctrinam de Iustificatione vidimus, quæ sic quasi in angustum contracta, grata esse debet. Pharisæus stramineam habuit iustitiam, & tamen tantopere ei fidit, vt in cœlum per eam conscendere voluerit: sed decidit in infernum. Publicanus autem apprehendit firmam Dei misericordiam, & in ea scalam Iacob, CHRISTUM, per quem secure ascendere potuit. Sic Pharisæus fuit diues in operibus, sed inanis dimissus est: Publicanus esuriebat & sitiebat iustitiam, ac proinde impletur omnibus bonis. Nunc sub finem addit Christus γνώμην: *Quia omnis qui se tollit, humiliabitur. Qui vero humiliat se, extolletur.*

Huic vero sententiæ, ex duorum istorum *hominum* exemplo desumptæ, Christus includit hanc *doctrinam* vt in Pharisæo quidem monstret, quid proprie *sit Superbia* corã Deo damnata: in Publicano autem quid *sit Humilitas* Deo grata. Humilitas non est externa virtus, consistens in vestitu, vel gestibus: sed est interna virtus cordis, quæ hominem retrahit ab omni fiducia operum, meritorum, iustitiæ & aliarum rerum, de quibus quis coram hominibus gloriari possit: & facit, vt homo humilis & inops se proiiciat ad pedes diuinę maiestatis, respiciens in solam misericordiam Dei, in quam omnem suam spem & fiduciam collocauit. Hæc virtus prouenit ex vera agnitione sui, suæ miseriæ & lapsuum. Et tum homo se recte humiliat, quando agnoscit, se ex ipso nihil habere, nec posse: sed quæcunque habet, illa se habere ex gratia. Et quod hæc ipse à Deo data dona non sint perfecta, eo quod à nobis polluantur. Econtra Superbia est, quando homo quidem agnoscit se à Deo dona sua habere: sed iis superbit, in iis confidit, & sperat, se propter illa Deo gratiorem futurum, quam alij sint. Hoc notandum est contra Iesuitas, qui, quemadmodum araneæ ex rosis venenum exsugunt: ita ipsi ex hoc Euangelio, in quo fiducia bonorum operum funditus prosternitur, & gratuita fidei iustificatio illustratur, hoc virus exugunt, quod dicunt: En videtis Publicanum non sola fide iustificatum esse, sed accessisse etiam bonum opus humilitatis, ob quod etiam à Christo propterea commendetur. Sed, bone Iesu,

ne Iesu, quid magis in contrarium sensum confingi posset? Si Christus operum iustitiam stabilire voluisset, tum id in Pharisæo, non in Publicano fecisset. Sed Pharisæum cum suis operibus reiicit: Publicanum autem ob fiduciam in propitiatorium recipit. Quod vero simul humilitas adest, id non docet hominem operibus iustificari, sed ostendit bona opera non excludi à iustificandis, licet non bona opera, sed sola fiducia misericordiam Dei & iustitiam apprehendat: vice versa Iesuitæ etiam hoc ingerunt: Quod homo non iustificetur fide, illud in Pharisæo videmus. Hic enim habuit fidem: & tamen non est iustificatus. Sed sic produnt, se nescire, quid sit proprie fides iustificans. Pharisæi fides talis fuit, qualem Iacobus etiam dæmonibus attribuit cap. 2. vers. 19. dæmones credunt, & contremiscunt. Talis fides omnino non iustificat. Sed quando homo humilitate suam agnoscit indignitatem, scit autem in Christo esse perfectionem iusticiæ, hanc per fidem in verbo & sacramentis sibi applicat, & huic vni ac soli fidit, talis fides iustificat. Interim homo non dicitur spoliari bonis operibus. Alias perinde esset, ac si quis dicere vellet: sola mendici manus accipit eleemosynam: Ergo non opus est, vt habeat oculos aut pedes. Quis absurdissimam absurditatem non videt?

Antequam ab hac Parabola recedamus, breuiter hæc quæstio annectenda videtur: Qui fiat, quod Pharisæo tantopere vitio vertatur, quod de bonis suis operibus gloriatur, cum tamen idem alij fecerint, neque ita male fuerit susceptum. Iob. 31. 1. prolixe gloriatur, quod sollicite sibi cauerit, ne fieret adulter: quam misericors fuerit erga pauperes: quod buccellam suam non comederit solus, sed pupillus vna ederit: quod fuerit oculus cæco, & pes claudo. David Psal. 26. 1. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum; & in Domino sperans non infirmabor. Psalm. 101. enumerat, quam prouide & pie aulam suam instituerit & rexerit. Ezech. 2. reg. 20. 3. Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. D. Apostolus Paulus 2. Corinth. 11. & 12. capp. multis gloriatur de suis infirmitatibus & plagis, quas Euangelij Christi causa sustinuerit. Item 2. Timoth. 4. 17. gloriatur, se bonum certamen certasse, cursum consummasse & fidem seruasse. Et tamen nulli horum ista, quæ protulerunt vitio data sunt. Resp. Hic locum habet illud, quod vulgo dicitur: Duo cum faciunt idem, tamen non est idem. Pharisæus de bonis suis operibus gloriatus est ex superbo corde coram Deo, eaque loco iusticiæ allegauit, sic stans & nugans apud semetipsum, aliosque condemnans nulla vrgente necessitate. Hi vero, compulsi sunt, ad enumerationem suorum siue operum, siue afflictionum ex maleuolorum suorum importunitate. Sicuti amici Iobi hoc vnicum vrserunt, ipsum tanta calamitate premi ob peccata & scelera sua, quibus Deum offenderit. Hic ipse compulsus est innocentiam suam contra ipsos tueri. Alias contra Deum suam pietatem non allegauit, sed confessus est, se pro mille ne vnum quidem respondere posse. Iob. 9. 3. Dauid quoque deprecatur Dei iudicium: quia non possit illud sustinere. Psalm. 130. 3. & 143. 2. Paulus quoque fatetur 1. Cor. 4. 4. Se quidem nihil sibi conscium esse, sed in eo non iustificatum esse. Et Rom. 3. 22. se vna cum aliis pro peccatore sistit, quia hic nulla sit distinctio. Cum ergo non ex superbia ista protulerint, non meritum quæsierint, sed vt maleuolorum calumniis reiectis vlterius proximo prodesse possint, apud ipsos locum habet illud Gregorij: In auribus Dei superba non sunt, quæ humili corde proferuntur.

CAPVT CXXIX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS DISPVTATIONEM PHARISÆORVM CVM Christo de diuortiis Iudæorum Matt. 19. 1. Marc. 10. 1.

RATIO ORDINIS.

QVod finitis sermonibus, qui leguntur Matth. 18. Christus à Galilæa demigrarit, supra audiuimus. Quia vero illa profectio à Christo non instituta fuit per Transiordanem regionem siue Peræam, sed recta per Samariam, sicuti videmus. Luc. 9. 51. ideo neque Matthæi, neque Marci verba superioribus hucusque adiicere potuimus: sed hucusque reseruanda fuerunt vbi ea describitur Christi profectio, qua post institutam & peractam visitationem, postremo soluit ex Galilæa, & per Peræam proprius accessit ad fines Iudææ, vt inde Hierosolymis se sisteret iusto tempore ad sacrificium redemtionis peragendum. Vt vero semper hactenus salutis hominum vbique studiosus fuit: sic etiam in hac profectione idem facit. Nam & rudes docet & morbidos sanat, & quærentibus respondet tam Pharisæis, quam discipulis. Summa: nullas occasiones, quibus hominibus prodesse possit, negligit.

Christi profectio in Peræam, & disputatio cum Pharisæis de diuortiis Iudæorum, Matth. 19. v. 1.

1. Καὶ ἐγένετο ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, μετῆρεν ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας, πέραν τοῦ Ἰορδάνου.
2. Καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς ἐκεῖ.
3. Καὶ προσῆλθον αὐτῷ οἱ Φαρισαῖοι, πειράζοντες αὐτὸν, καὶ λέγοντες αὐτῷ, εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν;
4. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς, οὐκ ἀνέγνωτε, ὅτι ὁ ποιήσας ἀπ᾽ ἀρχῆς, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς;
5. Καὶ εἶπεν, ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.
6. Ὥστε οὐκ ἔτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία. ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω.
7. Λέγουσιν αὐτῷ, τί οὖν Μωσῆς ἐνετείλατο δοῦναι βιβλίον ἀποστασίου, καὶ ἀπολῦσαι αὐτήν;
8. Λέγει αὐτοῖς, ὅτι Μωσῆς πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἐπέτρεψεν ὑμῖν ἀπολῦσαι τὰς γυναῖκας ὑμῶν, ἀπ᾽ ἀρχῆς δὲ οὐ γέγονεν οὕτω.

1. *Et factum est cum consummasset Iesus sermones hos, demigrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem.*
2. *Et secutæ sunt eum turbæ multæ, & sanauit eas ibi.*
3. *Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes eum, & dicentes ei: Licetne homini diuortium facere cum vxore sua, qualibet ex causa?*
4. *Qui respondens ait eis: An non legistis, quod is, qui fecit ab initio masculum & fœminam, fecit eos?*
5. *Et dixit: Propterea deseret homo patrem ac matrem, & agglutinabitur vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam.*
6. *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus copulauit, homo ne separet.*
7. *Dicunt illi: cur ergo Moses iussit dare libellum repudij, ac dimittere eam.*
8. *Ait illis: Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis repudiare vxores vestras, cæterum ab initio non fuit sic.*

9. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται, καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμήσας, μοιχᾶται.

10. Λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, εἰ οὕτως ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικὸς, οὐ συμφέρει γαμῆσαι.

11. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον, ἀλλ' οἷς δέδοται.

12. Εἰσὶ γὰρ εὐνοῦχοι, οἵτινες ἐκ κοιλίας μητρὸς ἐγεννήθησαν οὕτω, καὶ εἰσιν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνουχίσθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. καὶ εἰσιν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς, διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. ὁ δυνάμενος χωρεῖν χωρείτω.

9. *Dico autem vobis, quod quicunque repudiauerit vxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, is committit adulterium.*

10. *Dicunt ei discipuli eius: si ad istum modum habet causa hominis cum vxore, non expedit contrahere matrimonium.*

11. *Qui dixit illis: Non omnes capaces sunt huius dicti, sed ij quibus datum est.*

12. *Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi qui facti sunt eunuchi ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, Qui potest capere, capiat.*

Marc. 10. 1.

1. Κἀκεῖθεν ἀναστὰς, ἔρχεται εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας, διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, καὶ συμπορεύονται πάλιν ὄχλοι πρὸς αὐτὸν, καὶ ὡς εἰώθει, πάλιν ἐδίδασκεν αὐτούς.

2. Καὶ προσελθόντες οἱ Φαρισαῖοι, ἐπηρώτων αὐτὸν, εἰ ἔξεστιν ἀνδρὶ γυναῖκα ἀπολῦσαι; πειράζοντες αὐτόν.

3. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς, τί ὑμῖν ἐνετείλατο Μωσῆς.

4. Οἱ δὲ εἶπον, Μωσῆς ἐπέτρεψε βιβλίον ἀποστασίου γράψαι καὶ ἀπολῦσαι.

5. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτοῖς, πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἔγραψεν ὑμῖν τὴν ἐντολὴν ταύτην.

6. Ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτοὺς ὁ Θεός.

7. Ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ.

8. Καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. ὥστε οὐκ ἔτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ μία σάρξ.

9. Ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω.

10. Καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ πάλιν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ τοῦ αὐτοῦ ἐπηρώτησαν αὐτόν.

11. Καὶ λέγει αὐτοῖς, ὃς ἐὰν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν.

12. Καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς, καὶ γαμηθῇ ἄλλῳ, μοιχᾶται.

1. *Et cum inde surrexisset, venit in fines Iudææ, per regionem quæ est vltra Iordanem, & conueniunt rursum turba ad illum, & sicut consueuerat, rursum docebat eas.*

2. *Et adeuntes Pharisæi interrogarunt eum. Licetne viro vxorem repudiare: tentantes illum.*

3. *At ille respondens dixit illis: Quid vobis præcepit Moses?*

4. *At illi dixerunt, Moses permisit libellum repudij scribere, ac dimittere.*

5. *Et respondens Iesus, dixit illis, Ad duritiem cordis vestri scripsit vobis præceptum illud.*

6. *Cæterum ab initio creationis masculum & fœminam fecit illos Deus.*

7. *Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ.*

8. *Et fient duo caro vna. Itaque non iam sunt duo, sed vna caro.*

9. *Quod igitur Deus coniunxit, homo non separet.*

10. *Et in domo rursum discipuli illius eadem de re interrogauerunt illum.*

11. *Et dixit illis, Quicumque repudiauerit vxorem suam, & duxerit aliam, adulterium committit aduersus illam.*

12. *Et si mulier repudiauerit virum suum, & nupserit, adulterium committit.*

HI duo Euangelistæ, Matthæus & Marcus, qui Christum hic reducunt in Peræam, diuerso ordine Christi respõsionem ad Pharisæorum quæstionem commemorant. Matthæus enim primum dicit, Dominum Pharisæos ad primæuam coniugij institutionem reuocasse, atque inde ostendisse, illud indissolubile esse, nec vxorem repudiare licere. Postquam autem Pharisæi obiicerent Mosis statutum de libello repudij: ibi tum eum concessionis istius causam reddidisse. Marcus autem refert, Dominum prius interrogasse de Mosis statuto, & ad Pharisæorum responsionem eius statuti rationem dedisse, neque demum primæuam coniugij institutionem adduxisse. Sed hæc varietas nullam parit contrarietatem. Res enim & verba (vt vulgo dicitur) transposita, idem sonant. Vtrobique enim res sunt eædem, præterquam quod apparet, Marcum posuisse interrogationem Christi, quam Matthæus omiserat. Cumque sic mutuas operas tradant, vt quod vnus obscurius dixit, alter suppleat, & clarius exponat, vtriusque verba sunt in Harmonia ponenda.

Harmonia disputationis de diuortio.

a. Καὶ ἐγένετο ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, μετῆρεν ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας.

b. Καὶ ἐκεῖθεν ἀναστὰς, c. ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας, πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

a. Καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς ἐκεῖ.

b. Καὶ συμπορεύονται πάλιν ὄχλοι πρὸς αὐτὸν, καὶ ὡς εἰώθει, πάλιν ἐδίδασκεν αὐτούς.

c. Καὶ προσῆλθον αὐτῷ οἱ Φαρισαῖοι. b. καὶ ἐπηρώτων αὐτὸν, a. πειράζοντες αὐτὸν, a. καὶ λέγοντες αὐτῷ, c. εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, a. κατὰ

a. *Et factum est cum consummasset Iesus sermones hos, demigrauit à Galilæa.*

b. *Et cum inde surrexisset,* c. *venit in fines Iudææ trans Iordanem.*

a. *Et secuta sunt eum turba multa, & sanauit eas ibi.*

b. *Et conueniunt rursum turba ad illum, & sicut consueuerat, rursum docebat illas.*

c. *Et accesserunt ad eum Pharisæi.* b. *& interrogarunt eum.* c. *tentantes illum,* a. *& dicentes ei:* c. *Licetne homini diuortium facere cum vxore sua,* a. *qualibet*

πᾶσαν αἰτίαν; b. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς, τί ὑμῖν ἐνετείλατο μωσῆς; οἱ δὲ εἶπον, μωσῆς ἐπέτρεψε βιβλίον ἀποστασίου γράψαι καὶ ἀπολῦσαι.

a. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς, οὐκ ἀνέγνωτε, ὅτι ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς; καὶ εἶπεν, ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. ὥστε οὐκ ἔτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία. ὃ οὖν ὁ θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω.

Λέγουσιν αὐτῷ, τί οὖν μωσῆς ἐνετείλατο δοῦναι βιβλίον ἀποστασίου, καὶ ἀπολῦσαι αὐτήν; b. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, c. Λέγει αὐτοῖς, a. ὅτι μωσῆς, c. πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν. b. ἔγραψεν ὑμῖν τὴν ἐντολὴν ταύτην (καὶ) a. ἐπέτρεψεν ὑμῖν ἀπολῦσαι τὰς γυναῖκας ὑμῶν, c. ἀπὸ δὲ ἀρχῆς b. κτίσεως a. οὐ γέγονεν, οὕτω. (ἀλλὰ) b. ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτοὺς ὁ θεός.

Ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ; καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.

Ὥστε οὐκ ἔτι εἰσὶ δύο ἀλλὰ μία σάρξ. ὃ οὖν ὁ θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω. a. λέγω δὲ ὑμῖν, ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται, καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμήσας, μοιχᾶται. b. καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ πάλιν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ τοῦ αὐτοῦ ἐπηρώτησαν αὐτόν. καὶ λέγει αὐτοῖς, ὃς ἐὰν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν. καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς, καὶ γαμηθῇ ἄλλῳ, μοιχᾶται. a. λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, εἰ οὕτως ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικὸς, οὐ συμφέρει γαμῆσαι. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς; οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον, ἀλλ' οἷς δέδοται. εἰσὶ γὰρ εὐνοῦχοι, οἵτινες ἐκ κοιλίας μητρὸς ἐγεννήθησαν οὕτω, καὶ εἰσιν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνουχίσθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. καὶ εἰσιν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς, διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. ὁ δυνάμενος χωρεῖν χωρείτω.

ex causa b. *At ille respondens dixit illis: Quid vobis praecepit Moses? At illi dixerunt; Moses permisit libellum repudij scribere, ac dimittere.*

a. *Qui respondens ait eis: An non legistis, quod is, qui fecit ab initio masculum & foeminam, fecit eos? Et dixit: Propterea deseret homo patrem ac matrem, & agglutinabitur vxori suae, & erunt duo illi in carnem vnam. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus copulauit, homo ne separet.*

Dicunt illi: cur ergo Moses iussit dare libellum repudij, ac dimittere eam. b. *Et respondens eis Iesus,* c. *dixit illis. Moses:* c. *ad duritiam cordis vestri.* b. *scripsit vobis praeceptum istud. (&)* a. *permisit vobis repudiare vxores vestras,* c. *caeterum ab initio* b. *creationis.* a. *non fuit sic (sed)* b. *masculum & foeminam fecit illos Deus.*

Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhaerebit vxori suae, & fient duo vna caro.

Itaque iam non sunt duo sed vna caro. Quod igitur Deus coniunxit, homo non separet. a. *Dico autem vobis, quod, quicunque repudiauerit vxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, is committit adulterium.* b. *Et in domo rursum discipuli illius eadem de re interrogauerunt illum, & dixit illis. Quicumque repudiauerit vxorem suam, & duxerit aliam, adulterium committit aduersus illam. Et si mulier repudiauerit virum suum, & nupserit, adulterium committit.* a. *Dicunt ei discipuli eius: si ad istum modum habet causa hominis cum vxore, non expedit contrahere matrimonium. Qui dixit illis: Non omnes capaces sunt huius dicti, sed ij quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi qui facti sunt eunuchi ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat.*

Periocha huius profectionis & disputationis.

POstremam Domini Iesu profectionem ex Galilaea in Iudeam, Euangelistae paucis describunt. Matthaeus indicat, quos comites itineris habuerit, praeter Apostolos & discipulos, qui indiuidui eius comites fuerunt, *multa turba secuta sunt eum, & sanauit eos ibi.* Ex quo coniicere licet, qualis comitatus ipsius fuerit, nimirum maiore ex parte constabat ex debilibus aegris, mutis, claudis, surdis, coecis, & consimilibus miserabilibus personis. Tales enim ipse ad se vocauit Matth. 11.28. & miserias istas sustulit, vt sic commonstraret, se verum hominum curatorem esse. Corporalia itaque beneficia confert in eos, qui corporalia quaerunt. Si qui animae salutem apud ipsum quaesiuerunt, etiam inuenerunt, & impetrarunt. Probauit tamen horum aegrotorum fidem & patientiam, quod non statim in egressu ex Galilaea eos sanauit, sed passus est eos se sequi per aliquot milliaria, *ad fines Iudaea* & sanauit eos *ἐκεῖ ibi.* Sic enim conueniebat, vt Iordanem transmissurus, & terram promissionis ingressurus, illustribus beneficiis commonstraret, se verum esse promissum Iesum, Messiam declaratum, qui suum populum introducturus sit in coelestem patriam: se item esse illum, de quo Esa. 35. 4. praedixit, quod ipse Deus venturus, & nos saluaturus sit. Tum aperientur oculi coecorum ac Marcus addit: *& conuenerunt rursum turba ad illum.* Quod voculam *πάλιν rursum* bis repetit, inde colligere licet ipsum priores illas turbas sanatus à se dimisisse: postea vero de nouo alium coetum confluxisse, atque ad ipsum venisse. Potuisset sane tum se subduxisse, vt qui Hierosolymam iter instituerat, vbi propediem moriturus, sicque totus mortis cogitationibus occupatus erat. Verum patris mandatum, qui ipsum ad Euangelizandum miserat, & hominum amor, quorum salus ex ipsius doctrina dependebat, cum permouerunt, vt sepositis suae mortis cogitationibus *sicut consueuerat illos rursus doceret.* O laudabilem consuetudinem, si quis consuescat agere, quae suae sunt vocationis, iuxta voluntatem Dei! Exemplum autem nobis praebet, vt simili studio & alacritate studeamus exequi ea, ad quae Deus nos vocauit, & quo viciniores nos morti esse animaduertimus, & promptiores simus proximi commoda & salutem promouere. Praebet quoque nobis hoc studium Christi ad turbas insignem consolationem: vt inde agnoscamus, quomodo etiam erga nos sit affectus. Cum enim adeo liberaliter salutem & docendo & sanando obtulerit illis, inter quos sciebat multos suis beneficiis indignos esse, & male vsuros, quomodo negligeret eos: qui eum serio redemptorem & seruatorem suum agnoscunt, inuocant, colunt. Porro accedamus ad disputationem de diuortio. Supra cap. CXXII. Harm. Audiuimus ex Luc. 16. 10. Christum improbasse Pharisaeorum doctrinam de diuortiis, vt quae cum lege Dei pugnaret. Hoc indigne ipsi tulerunt. Animaduerterunt enim hoc modo suam autoritatem & existimationem apud vulgus imminui. Quapropter probe apud se (vt ipsi putabant) expensa & deliberata, insidiosa quaestione eum adoriuntur, & quidem tum cum populum doceret. Vt sic videamus, nunquam Christo nec discipulos, qui eum audiant, nec hostes defuturos, qui eum molestent, & persequantur. Durant enim illae inimicitiae Genes. 3. 5. denunciatae ad finem vsque mundi, quo antiquus ille aduersarius in stagnum ignis & sulphuris abiicitur. *Accedunt ergo eum, & interrogant πειράζοντες αὐτὸν tentantes eum*, hoc est nullo bono fine eum interrogarunt, sed venati sunt, vtrum ex sermone ipsius aliquid accipere possent, quo ipsi periculum vel apud magistratum, vel apud plebem crearent. Problema autem siue quaestio in medium proposita haec: *licetne homini diuortium facere cum vxore sua quauis de causa?* Impudens sane quaestio, quaerere licentiam dimittendi vxorem, *κατὰ πᾶσαν αἰτίαν quauis de causa*, vt non tantum si sit sterilis, si rixosa, si deformis, si non affabilis, non satis hilaris, etiam seu leuiori de causa. Nam *quauis causa*, nulla causa est vt sufficiat dicere, quia mihi haec displicet.

quia nolo eam diutius retinere. Sed proculdubio propterea ita late extenderunt hanc quæstionem: quia putarunt se eo facilius Christum capere posse, vt qui absque dubio aliquid dicturus esset, vel contra Mosen, quo ansam haberent ipsum deferendi apud Pontifices & seniores, vel contra priorem suam doctrinam quo ipsum inconstantiæ apud plebem arguere possint, vel contra plebem, quæ ad diuortia admodū prona & procliuis erat, quo hæc ex impatientia ipsum lapidaret. Est hoc argumentum incurabilis impietatis & pertinaciæ, quod insidias struunt illi qui non tantum publice omnibus benefaciebat, ad hæc ab omni suspicione mala alienus erat; sed etiam toties ipsos in suis captiunculis pudefecerat. Hosce Hypocritarum mores agnoscere discamus, vt si consimile quid hodie nobis etiam accidat, non offendamur, sed sapientia, prudentia ipsis obuiemus: sicuti Christum hic fecisse audiemus.

Nam qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat Iob 5.13. idem etiam hic non tantum deflectit omnes eorum decipulas, sed etiam ita se expedit, vt nō sine rubore & pudore discesserint. Primum autem, vt Marcus refert, interrogauit: *quid Moses hac de re præcepit?* Interrogauit, non quasi Mosis doctrinam ignoraret, sed vt legis contemptorem nequaquam se esse declaret. Atque sic primum gryphum insidiarum ipsorum remouit. Ipsi enim sperarant, se ex ipsius responsione aliquid collecturos, quod cum Mosis constitutione, cui ipsorum consuetudo de diuortiis innitebatur, pugnaret. Respondent Iudæi: *Moses permisit libellum repudij scribere, ac dimittere.* Recte dicunt: *permisit*: quia nunquam Moses diuortia & repudia approbauit, sed ad auertenda maiora mala permisit. Permissio illa legitur Deut.24. prolixe. Sed quæ eius fuerit ratio, in posterioribus pluribus dicamus, neque vspiam in Mose inueniemus, quod is statuerit mulierem dimittendam *κατὰ πᾶσαν αἰτίαν qualibet ex causa.* Nihilominus Iudæi, quia à Mose illam permissionem haberent, sperabant se contra Christi doctrinam Matth.5.32. & Luc.16.18. triumphaturos.

Christus Mosis authoritatem hic intactam relinquit, sed ipsius statuto de libello diuortij opponit ex eodem Mose aliam antiquiorem constitutionem, eamque non Mosis, sed ipsius Dei. Orditur autem eam ab acri interrogatione, qua crassam & voluntariam ignorantiam illis obiicit. *An non legistis, quod is qui fecit, &c.* Legerant vtique quia historia creationis tota ipsis non ignota fuit: sed legerant, sicuti hodie Pontificij chorales Psalterium legunt & canunt, scilicet negligenter, oscitanter, vt nullam eius sententiam recte expenderent. Ideo Christus illam Dei constitutionem eo plenius ipsis proponit, & quidem ita, vt singula probe verba doceat, diuortiorum licentiam nequaquam cum Dei institutione conuenire, ac proinde illam nullo modo probari posse. Sic ergo dicit *ὁ ποιήσας creator ab initio* non creauit vnum masculum, & plures fœminas, sed vnum *marem & vnam fœminam,* & inter duos illos instituit coniugium. Emphaticum autem esse videtur, quod Christus citat illud Gen.1.27. & 5.2. *masculum & fœminam creauit eos,* vt sic tam ipsis quam nobis mirandam primorum coniugum introductionem in mundum in memoriam reuocaret. Duo enim primi coniuges ex vno homine substiterunt in discrimine duorum sexuum: vt sic ex ipsa creatione & primo stipite monstraretur, temere coniuges non debere coniungi. Et si enim duæ sint personæ: vnum tamen esse quasi hominem, qui non nisi per violentiam & tyrannidem dissecari queat. Addit deinde Christus: *& dixit: Propterea deseret homo patrem & matrem, & adglutinabitur vxori suæ.* Non videtur arctior in mundo coniunctio esse, quam sit inter parentes & liberos; quia hi ab illis progeniti, vitam post Deum ab ipsis acceperunt. Sed Adamus primus homo agnouit vinculum coniugij longe arctius esse, vt quod etiam parentes deserere, & propriam familiam instituere faciat; eo quod vxor quasi ex latere viri ædificata, sit os ossibus eius, & caro ex carne ipsius, atque sic vera Iischa seu virago, quia de viro sumpta. Vnde etiam *agglutinabitur* non vxoribus suis (vnica enim tunc tantum erat mulier) sed *τῇ γυναικὶ αὐτοῦ vxori suæ*, illi scil. quæ diuinitus ipsi adducta & copulata erat. Tertio subiungit Christus ex Gen.2.24. *& erūt duo in carnem vnam.* Et notabile est cum Gen.2. tantum scriptum sit: *& erunt in carne vna.* illud Christus hic explicat: *& erunt duo* (& non plures) *in carnem vnam.* Et hanc explicationem sumit ex ipsis circumstantiis textus. Neque enim tunc plures erant quam duo: vnus scilicet masc. & vna fœmina. Et hi duo erant in carnem vnam, quæ dirimi non debeat. Atque maioris emphasis gratia addit articulum *οἱ δύο, duo illi.* Et repetit: *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.* Sic videmus primam coniugij institutionem in omnibus eo fuisse directam, vt coniugium inter duos & non plures personas coeat, & vt duæ illæ personæ sic coniugali vnione vnitæ maneant, vt nemo, nisi amara mors, ipsas dirimat. Proinde Christus concludit: *quod ergo Deus copulauit, homo ne separet.* Illud *τὸ quod* refert Christus ad duos illos, vnum scilicet marem, & vnam fœminam. Sic ergo Christus ex *prima* matrimonij institutione turpem illam & crudelem temere vxores repudiādi licentiam damnat & abrogat, vt nemo contradicere ausit, nisi qui primam Dei institutionem culpare velit. *Et tamen,* vt audiemus, Pharisæi oggannient. Prius tamen ex *hisce* Christi dictis aliqua sunt obseruanda. 1. Christus suo exemplo egregiam regulam monstrat, si quando controuersiæ incidunt, siue de religione, siue de cultu Dei, quid tum fieri debeat. Nimirum recurrendum ad primam cuiusque institutionem, & quia ex ea sententiam Dei colligere liceat, in ea requiescendum esse. Obseruauit hanc regulam, Apostolus Paulus. Cum enim in Ecclesia Corinthiaca certamen ortum esset de sacra Domini cœna, & varij abusus introducti, Paulus aliter eos non correxit, quam quod ipsos ad primam Christi institutionem reuocauit: In qua nocte tradebatur Dominus Iesus, accepit panem, &c. 1.Corinth.11.versic.23. Idem faciamus in aliis controuersiis, tum de voluntate Dei certi erimus. 2. Multos turbat, illud, quod Christus hic dicit, Deum dixisse: *homo deseret patrem & matrem & adhærebit vxori suæ,* cum Moses Gen.2.versic.23. hoc dictum Adamo tribuat. Putant ergo vel Mosen non *recte scripsisse, vel* Christum perperam allegasse, quorum tamen neutrum *dicere* audemus. Moses enim scripsit dictante Spiritu sancto; & Christus est ipsa veritas. Sciendo ergo Christum consulto & præmeditate hoc Pharisæis dixisse, vt ostenderet; Adamum in statu innocentiæ tam illustrem habuisse lucem cognitionis in rebus diuinis, vt quæ ipse tum pronunciauit, ab ipso Deo dicta videri potuerint, vtpote, qui tum in ipso, tanquam in suo templo inhabitarit. Hæc meditemur, vt tanto maiori cum desiderio ad eandem perfectionem rursus aspiremus. 3. Coniugij quoque dignitas hic asseritur, contra omnes, qui sancto huic ordini variis modis detrahunt. Patet ea 1. ex autore, qui Deus est, qui cum sanctus sit, non instituit, nisi quod & ipsum sanctum est & bonum. Opera enim Domini sunt exquisita in omnes voluntates eius. Psalm.111.versic.2. Ideo ipse dixit Gen.2.versic.18. Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium. Huc respexit Salomon Prou.18.versic.21. Qui inuenit mulierem, rem bonam inuenit, & hauriet benedictionem à Domino. 2. Patet eiusdem dignitas ex antiquitate. Quamprimum enim duo saltem homines, in orbe creati fuerant, statim hic ordo est institutus & ex hoc vitæ genere, reliqui duo, Ecclesiasticus atque politicus suam originem trahunt. Et ne quis coniugium ob vitæ molestias inter peccati pœnas numeret, institutum fuit ante lapsum sed post lapsum molestiæ illæ irrepserunt. 3. Denique, si quis multiplices fines & vsum coniugij consideret, amplius eius dignitatem agnoscet. Reuera sine eo parum honeste nec commode viui, neque genus humanū legitime seruari & propagari potest. Tolle coniugium ex vita humana & intra seculi spacium vel totum orbem ad extremam orbitatem rediges, vel eundem spuriis replebis, qui sunt abominatio coram Deo. Vnde etiam gentes honestæ ante latam Dei legem coniugium magnifecerunt, *sicuti videre* est Genes.12.vers.17. in Pharaone, & Gen.20.versic.3. in Abimelecho. Vere ergo à Paulo pronunciatum *est,* 1.*Tim.*4. versic.1. dæmoniorum doctrinam esse, si *quis prohibeat* nubere. Est enim honorabile coniugium in omnibus & thorus immaculatus. Hebr.13.versic.4. 4. *Coniugij* etiam definitio ex his desumi potest. Christus ponit duo genera, *προσκολλήσεως conglutinationem*, & *συζυγίας duorum in vnum iugum coniunctionem.* Est enim coniugium legitima, & à Deo instituta vnius viri, & vnius fœminæ coniunctio, facta cum vtriusque consensu, vt se mutuo iuuent, sobolem ex Dei benedictione progenerent, sicque honestum contra libidines remedium inueniant. Habet autem verbum *προσκολληθήσεται agglutinabitur* singularem emphasim. Quemadmodum enim *κόλλα* siue gluten res duas adeo arcte & firmiter coniungit, vt iam non duæ, sed vna esse appareat: ita in coniugio firmissima & indissolubilis debet esse conglutinatio, cum in externa cohabitatione corporum, tum maxime in arctissima animorum coniunctione. Et hoc gluten adeo firmum esse debet, *vt sint duo in carnem vnam,* non eo sensu, sicut quidam accipiunt, vt vnius prolis caro ex duobus istis generetur: sed eo, quo Christus explicat, vt sint quasi vnus homo, vna persona, vna *ψυχὴ καὶ ζωή,* vna vita, & vna anima, quæ non dirimatur nisi morte. 5. Præterea quisque operam det, vt de suo coniugio pronunciare possit, quod Christus hic dicit: *quod Deus copulauit & coniunxit.* Nisi autem Deus coniuges coniungat, miseram traducent vitam. Verus Deus hodie non ita coniungit, quemadmodum Adamum & Heuam in paradiso: vbi Deus ipse proxeneta & paranymphus sponsam sponso adduxit, & iunxit. Sed

xit. Sed agit hodie Deus per media. Qui itaque legitime volunt coniugium contrahere, illi id inchoent cum piis precibus, curent vt habeant consensum parentum, aut eorum qui parentum loco sunt, caueant ne peccent in gradus consanguinitatis vel affinitatis: & reliquas etiam regulas connubiales, quas in Gen. cap. 24. prolixe tractauimus, obseruent. Sic Deus coniunxit Isaacum & Rebeccam. Et hæc etiam est causa, cur solennes nuptiæ, cum præcedente proclamatione, coniugio præmittantur. Sunt illæ non institutæ potissimum ob epulas & choreas: sed vt hac ratione noui coniuges eo firmius testimonium consequantur, quod coniugium suum ita instituerint, vt præeuntibus precibus à Deo per sacerdotalem benedictionem coniungi optarint. 6. Denique quia Christus hic dicit: *quod Deus coniunxit homo non separet*, non desunt, qui à contrario sensu disputant, & concludunt. Ergo quod Satanas coniungit, sicuti multi ex mero libidinis æstu concurrunt, ab hominibus separari possunt. Hæc disputatio commodius dirimi non potest, quam si attendatur, quænam sint impedimenta, quæ matrimonium vel contrahendum, vel iam contractum dirimant. Nam si omnino indissolubilis nexus, & inseparabilis coniunctio in coniugio esse debeat, requiritur *vt Deus coniungat*, vt sit diuina coniunctio, hoc est, vt non pugnet cum doctrina verbi Dei, de substantia coniugij. Cohærent autem inter se hæc duo. 1. *Homo non separet.* 2. *quod Deus coniunxit.* Cum ergo incidunt talia impedimenta, quæ aduersa fronte pugnant cum institutione Dei, tum in talibus impedimentis non homo separet id, quod Deus coniunxit: sed Ecclesia ostendit, talem coniunctionem, quia pugnat cum norma matrimonij diuinitus tradita, non esse legitimam vxorem: si consensus non est liber & expressus: si sit impedimentum graduum à Deo seuere prohibitorum: si natura prorsus non sit idonea ad matrimonium: si accedat talis error personæ, qualis Iacobo cum Lia. Talia impedimenta non sunt ab Ecclesia priuata autoritate constituta: sed notata sunt ab ipso Deo in institutione matrimonij & non segregant coniugium diuinitus coniunctum: sed declarant non esse diuinam coniunctionem. Quæ vero impedimenta Pontificij superaddunt, vt de cognitione spirituali, de voto castitatis, de diuersitate religionis, nugæ sunt, nec pugnant cum substantia coniugij. Quod vero prius dictum est de iis, qui per fornicationem coniugium inchoant: quia talis casus non pugnat cum substantia matrimonij, agant pœnitentiam, corrigant quod peccarunt, & Deum precentur, vt ipse adhuc eos coniungat. Cæterum ad præcedentem Christi doctrinam, qua Pharisæos ad primæuam coniugij institutionem reuocauit, ipsi Christo vicissim Mosem suum obiiciunt, atque sic non tantum Iesum Mosis autoritate premere, sed etiam Deum & Mosen inter se committere conantur. *Cur ergo* inquiunt, *Moses iussit dare libellum repudij, & dimittere eam?* Et sane hæc quæstio consideratione digna: An Mosi licuerit contra Dei institutionem dispensare, & libellum repudij concedere? Quomodo autem ea dextre expediri possit, Christus sua responsione monstrabit: quæ hæc est: *Moses ad duritiem cordis vestri, scripsit vobis praeceptum istud, & permisit vobis repudiare vxores vestras*, vocat hanc Mosis concessionem hic ἐντολὴ *praeceptum*, generali vsurpatione istius vocabuli pro statuto, vel constitutione politica. Alias potius fuit permissio, indultum vel priuilegium, quam præceptum. Et Christus Mosen excusat quod ipsius voluntate formula diuortij non sit introducta, sed ipse inuitus quasi ad eam adactus. Nam extorsit eam σκληροκαρδία *durities* & improbitas *cordis*, quæ Iudæos tanquam innatus morbus occuparat. Quoties Deus ipse conqueritur, quod Iudæi sunt populus duræ ceruicis. Exod. 32. 9. & 33. 3. imo durissimæ ceruicis Dan. 9. 6. Hæc durities ipsos adeo inhumanos efficit, vt semel concepto odio, etiam iniusto, illud nunquam deponere vellent, sed pertinaciter in eo perseuerarent, & summa truculentia vxores quæ semel displicuissent persequerentur: adeo, vt non tantum fines matrimonij turbarentur, sed etiam vxoricidium metuendum esset. Itaque Moses diuortium permisit, non quod res per se iusta & bona esset, sed vt grauius malum euitaretur. Piæ mentes, & quæ conscientiæ suæ rationem habuerunt, in politia Israelitica secutæ sunt normam institutionis à Deo propositam. Sed quia plerique ob cordis duritiem illa norma nolebant regi: Moses tanquam vir prudens & politicus legislator, ne œconomica tranquillitas prorsus turbaretur & vastaretur, politicam fecit constitutionem de modo & metis diuortiorum. Et tamen semper conscientiis insonuit vox illa, quam Christus hic ponit: *ab initio non fuit sic.* Et: *quod Deus coniunxit, homo non separet.* Si quis ergo quærat, an illa diuortia per libellum repudij facta etiam coram Deo valuerint: ei respondeo per hanc, quæ vulgo iactatur, distinctionem: aliud est ius fori, aliud est ius poli. In politico foro Mosis, talis non peccasse videtur, si modo iuxta constitutionem ipsius in scribendo libello repudij processit: at in foro conscientiæ grauiter contra Deum peccauit, quem seria pœnitentia sibi reconciliare debuit si ipsius pœnam euitare voluit. Quantopere enim Deus temerariis illis Iudæorum repudiis offensus fuerit, id per Prophetam Malachiam ipsis indicat cap. 2. 13. dum testatur, se ad ipsorum sacrificium vltra respicere nolle, quia despiciant, & repudient vxores pubertatis suæ, & vxorem fœderis, inter quam & ipsos Dominus testificatus sit. Proponit ipsis etiam exemplum proaui Abrahami, qui in coniugio suo non formam, non voluptates, non alia commoda, sed semen quæsiuerit: hunc ipsos imitari debere, qui ex deformi æque ac ex formosissima per Dei benedictionem prolem suscipere possint. Patet ergo etiam ex Propheta Malachia ratum esse hoc Christi, quod dicit hic: *cæterum ab initio creationis non fuit sic.* Quin etiam in Mosis constitutione hoc obseruandum venit: quod is nequaquam vxorem simpliciter repudiare iussit, sed si omnino Iudæi diuortium facere vellent, docuit, qua ratione id fieri debeat. Atque sic quasi remoras illic iniecit ne adeo temere & facile, instar aliarum gentium ad diuortium prorumperent. Nam 1. non voluit diuortium fieri κατὰ πᾶσαν αἰτίαν *qualibet ex causa*, vt Pharisæi hoc loco Christo proponunt: sed si *rem fœdam*, & sibi intolerabilem, quæ tamen publicis legibus non plecteretur, in vxore deprehendisset. 2. modum & rationem diuortij sic præscripsit, vt non statim & è vestigio vxorem ex domo exturbare licuerit: sed prius libellus repudij conscribendus erat. Et si Augustino lib. 19. contra Faustum Manichæum cap. 26. fidem habemus, non licuit hasce literas repudij scribere, nisi solis Scribis, qui erant legis interpretes, & sæpe ex æquitate & pietate maritum à diuortio dehortari potuerunt: siquidem etiam illa sua haberent incommoda, posse eum pœnitere, posse rancorem, iram & odium euanescere, & tum non amplius licitum fore denuo eam recipere, cum semel dimissa & alteri iuncta, ipsi polluta facta fuerit. Deut. 24. 4. Ierem. 3. 1. Dum igitur in expediendo libello repudij nonnunquam satis longa mora interuenerit, dubium non est, hac ratione multa diuortia præpedita fuisse. Nam 3. quicunque per se erant, aut saltem in speciem viri boni & honesti, illi ad dandum eiusmodi libellum repudij non facile permoti fuerunt, siquidem nominibus suis insertis publice apud omnes prodebant suam morositatem, qua erga coniuges laborarent, quod ipsum eorum famam & existimationem apud alios bonos non parum minuebat. 4. Denique hac ipsa ratione libelli repudij tam vitæ quam famæ Hebræarum mulierum consultum fuit: ne vel maritus ex præcipiti ira eam occideret, cum aliud remedium, quo ab ea liberari possit, haberet: neve alij eas vel ob adulterium vel ob aliud aliquod scelus repudiatas esse aut malitiose maritos deseruisse, arbitrarentur. Hæc pro Mose dicenda sunt, vt is testimonium à Deo datum Num. 12. 7. & Hebr. 3. 2. solidum retineat, quod in omni domo Dei fuerit fidelissimus seruus. Permisit itaque Moses, vt Chrysostomus inquit, dimidium mali, ne totum perderet bonum. Interim ratum & firmum manet hoc Christi: *ab initio creationis non fuit sic*, hoc est, diuortia & repudia pugnant cum primæua coniugij institutione. Atque hac de causa Christus apud Marcum descriptionem primæuæ institutionis de verbo ad verbum repetit, quemadmodum iam prius apud Matthæum etiam adduxerat. Neque quisquam putet hanc Christi repetitionem esse superuacaneam, aut dicat non esse verisimile quod Christus idem bis dixerit: cum talis repetitio faciat ad reprobationem & confirmationem sententiæ propositæ, & Pharisæi eius fuerint ingenij, vt τὸ καλῶς δὶς καὶ τρὶς apud ipsos prolatum, tamen parum effecerit.

Porro, postquam Christus ex primæua coniugij institutione demonstrauit, matrimonium debere esse indissolubile, & Mosis concessionem ex politica æquitate introductam, institutioni & legi diuinæ nihil præiudicare, ne tergiuersari aut lucem fugere à Pharisæis putaretur, nunc quoque suam de diuortiis sententiam diserte profert. Facit autem id singulari cum autoritate, *dico vobis*, neque immerito. Ipse enim tanquam autor primæ institutionis coniugij iure suo illam vendicat, & Mosaicam permissionem per omnia cassat atque tollit, excepto vnico casu fornicationis. *Dico vobis quod quis repudiauerit vxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium. Et qui repudiatam duxerit is committit adulterium.* Hæc certe est seuera sententia contra diuortia Iudæorum, in qua Christus diserte pronuntiat, adulteria esse, quæ ipsi coniugia dicebant. Imo tria adulteria sub vno diuortio latere, vel eo committi, testatur. 1. Adulter fit maritus, qui vxorem sine iusta causa dimittit, & aliam ducit. 2. Adulteram facit coniugem cui dato libello

repudij potestatem facit, vt alteri nubat. 3. Adulterium etiam committit, qui dimissam ducit. Ratio huius dicti Christi manifesta est, quia non situm est in cuiusquam priuata potestate, vt vinculum matrimonij legitime contracti soluat. Hoc cum ipsi repudiatores faciant, tanto grauius contra Deum peccant. Et hæc tam seuera Dei sententia tum temporis apud Iudæos valde fuit necessaria. Etenim ad antiquam Iudæorum licentiam, quam sibi in repudiandis vxoribus sumserant, etiam hoc accessit, quod Romani, apud quos etiam licentia repudiandi in immensum creuerat, Iudæam per suos Præsides gubernabant. Sic ergo Iudæi Romanos, & Romani Iudæos in sua leuitate se mutuo confirmarunt, atque suis moribus se inuicem accommodarunt. Romani initio in seruando coniugio admodum constantes fuerunt. Et testatur Valerius Maximus lib. 2. cum Aulo Gellio lib. 4. c. 3. inter virum & vxorem à condita vrbe vsque ad 520. annum nullum intercessisse repudium. Primum autem Spurium Carbilium vxorem sterilitatis causa dimisisse, qui quanquam tolerabili causa motus videbatur, reprehensione tamen non caruit, quia veteres Romani nec liberorum quidem cupiditatem fidei coniugali præponi debuisse arbitrabantur. Sed posteriores Romani longe aliter fuerunt affecti. Nam paucis ante Christum natum annis Romæ Cato (magnus ille publicæ honestatis vindex) vxorem suam Martiam, ex qua filios genuerat, eamque grauidam Hortensio, sub arctioris amicitiæ prætextu concessit, & cum hic moriens illam hæredem scripsisset, eandem denuo ad se recepit, vt sic ex nouo illo coniugio opulentior fieret. Hi tunc erant mores Iudæorum & Romanorum, quos Christus hac sua sententia grauiter reiecit. Eant nunc Pharisæi, & apud Romanum præsidem ipsum deferant.

Obiter hic etiam adulterij grauitas à verbi ministris notari potest. Ea est calamitas nouissimi seculi, vt multis ludus & iocus sit, & res non pœna, sed risu digna, si quis alterius cōiugem polluat. Sed si quis rem ipsam sine carnis affectu ex Dei verbo iusta lance ponderet, deprehendet, si quis adulterium cum aliis sceleribus conferat, vix aliud inueniri posse, quod tot multiplicibus sceleribus scateat. 1. Multifariam eo in Deum primum coniugij autorem & fundatorem, peccatur: quo auspice matrimonium inchoatum, & cuius benedictione confirmatum est. 2. Multiplex etiam fit iniuria coniugi, cui fidem addixit: liberis propriis, quorum salus vita carior esse debeat: affinibus item & toti cognationi. Vt non mirum sit Paulum adulteros. 1. Cor. 6. 9. ex regno Dei excludere, & Hebr. 13. pronunciare: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Et vere eos iudicat. Nam si recte obseruemus, punitur adulterium in anima. Rom. 1. vers. 28. corpore. 1. Cor. 6. v. 15. in bonis. Prouerb. 29. v. 3. in intellectu. Ose. 4. v. 11. in fama. Prouerb. 6. versic. 33. in vita. Prou. 2. versic. 19. in posteris Iob. 13. versi. 10.

Hactenus Christo res fuit cum Pharisæis de diuortiis Iudæorum. Nunc, postquam domum venit, discipuli de nouo disputationem illam mouent: vnde patet, etiam ipsos publicis moribus & consuetudini de diuortiorum vsu simpliciter credidisse, & locum dedisse. Sed Christus ipsis etiam domi respondet: *Quicunque repudiauerit vxorem suam, & duxerit aliam, adulterium committit aduersus illam. Et si mulier repudiauerit virum suum, & nupserit alteri, adulterium committit.* Hisce verbis, prout hic à Marco annotata sunt, & Luc. 16. vers. 18. quoque in eundem modum leguntur, Pontifices Romani non absq; graui conscientiarum carnificina abusi sunt. Dum enim diuortiorum licentiam coercere voluerant (qua in re non peccarunt) illa aliter non admiserunt, quam vt vtraque pars, tam innocens, quam nocens à coniugio in posterum abstineret, nec quisquam viuente priore siue marito siue vxore, alij iungeretur. Nec vllo alio firmiore argumento nituntur quam quod hæc ipsa Christi verba κατὰ τὸ ῥητόν, & secundum literam mordicus tenent atque vrgent. Et sane vltro fatemur, si Christus tantum hoc respondisset, quod hic in Marco & illic in Luca legimus, tum simpliciter cum ipsis consentire cogemur propter nullam prorsus causam licitum esse tale diuortium, propter quod partes ad secunda vota redire possint: sed quæcunque intercedat causa, non posse vinculum matrimonij dissolui, nisi per mortem. Sed quia vniuersalis & necessaria est hæc regula in Euangelistis, vt vera sententia & interpretatio sumatur ex collatione ipsorum inter se: quia, vt hactenus plurimis in locis videmus, mutuas inter se tradunt operas, & quod vnus prætermisit, alter supplet. Ideo etiam hic Matthæi descriptio cum reliquorum duorum descriptionibus conferenda.

Id si fecerimus deprehendemus Matthæum testari, Christum non semel, sed duobus in locis, & quidem diuersis temporibus, quando materiam diuortij tractauit, diserte addidisse exceptionem de casu fornicationis Matth. 5. vers. 32. & hoc in capite. Et quidem Matthæus concionibus illis Christi interfuit, vt tanto minus de veritate dubitare liceat. Ex Matthæo itaque patet, iuxta Christi *sententiam* tantum illud diuortium esse licitum, in quo etiam liceat *innocenti* parti ad secunda transire vota, quando coincidit *causa fornicationis*: in reliquis vero causis omnibus non esse *licitum*, vt vir vxorem dimittat, & aliam ducat. Id enim si fiat, *pronunciat* adulterium committi: ostendit igitur in omnibus *diuortiis* propter quascunq; causas fiant, manere vinculum *matrimonij*, excepto illo, quod fit causa fornicationis. Hic *enim* nocens pars vinculum iam abrupit: & nisi per reconciliationem illud redintegretur, innocens eam relinquere, seque alteri iungere potest. Sic enim argumentari licet à contrario sensu. Quia Christus dicit: qui dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, & duxerit aliam, mœchatur. Ergo qui propter causam fornicationis dimittit vxorem, & aliam ducit, non mœchatur. At quomodo consulitur nocenti personæ, quæ se continere nequit, si illa nemini cohabitare, sed perpetuo vri, & tandem in exitium seipsum præcipitare debeat? Hic leges eam morti adiudicant. Hoc si executioni detur iam vstiones illæ sunt extinctæ & intempestiua est clementia, sontibus parcere & insontibus scandalum præbere. Hic certe quærat quis: quandoquidem Dominus Iesus vnicā saltem veram diuortij causam concessit, *quæ fit in casu fornicationis, siue adulterij*, qui fiat, quod *Paulus* 1. *Cor.* 7. 15. etiam aliam concedat in casu *infidelitatis*. *Resp. Paulus ibi* nō egit de diuortiis, sed de casu desertionis. Nec concedit fideli, vt infideli repudium mittat, propter disparitatem religionis, nisi accedat vnica illa Christi exceptio de causa fornicationis. Expresse enim Paulus dicit: si infidelis consentit cohabitare, fidelis non dimittat illam. Nam etiam liberi tunc sunt sanctificati propter fidelem. Sed addit, si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater vel soror, in huiusmodi. Audimus Paulum distincte loqui. 1. Non concedit fideli, vt propter diuersitatem religionis vel petat, vel faciat diuortium, sicuti Anabaptistæ fingunt alterum coniugum statim posse repudiari, si ipsorum sectam amplecti nolit. 2. Si vero fidelis ab infideli iniuste deseratur, in hoc casu desertionis, si infidelis ad cohabitationem non possit adduci, & fidelis continere nequeat, pronuntiat Paulus, fidelem nō esse similiter alligatam desertori, qui iam δεσμὸν συζυγίας vinculum coniugij ruperit, sed esse liberam. *Et phrasis Pauli*, οὐ δεδούλωται, non est seruituti subiectus, rectissime omnium intelligi potest ex iis, quæ scripsi Rom. 7. 2. Mulier lege alligata est viro, dum viuit. Mortuo *autem viro, libera* est à lege viri, ne sit adultera, si alteri viro *copuletur*. Ergo in casu desertionis, concedit Paulus quoque secundas nuptias. Ex hoc fundamento etiam nostra consistoria, in casu malitiosæ desertionis, quando per aliquot annos etiam confirmatum deprehendunt, partes dirimunt, & insonti, vt aliam ducat permittunt. Ex illo dicto 1. Tim. 5. 8. Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet: fidem negauit, & est infideli deterior. Si infideli deterior est, discedat cum priore infideli seruituti non est subiectus frater siue soror in huiusmodi. De reliquis causis diuortium, quæ interdum ponuntur, cōsulendi sunt Iureconsulti & Consistoria. Vt: An propter veneficiū, machinationem vitæ & nimiam sæuitiam fieri possit diuortium: an propter morbum incurabilem, & furorem *superuenientem* possit fieri diuortium: an propter *dissensum parentum* matrimonium inter liberos contractum possit rescindi? In his non ego dixerim diuortium institui posse, quia pugnaret cum præsenti regula Christi. Proinde fere partibus consulitur, vel per cautionem aliquam de non sæuiendo, vel per separationem thori mensæ, quæ pro diuortio non est reputanda, vel pertinent ad impedimēta legitimi coniugij, de quibus in superioribus diximus, vbi non opus est instituere diuortium: sed tantum Ecclesia, siue eius loco consistorium declarat, talem coniunctionem non esse legitimam, ac propterea coram Deo nullam. Hoc tamen etiam addendum videtur, Theodosium & Valentinianum, Christianos Imperatores, sub doctissimis & vigilantissimis episcopis, qualis fuit Ambrosius, reuidisse constitutionem de diuortiis, in qua plures causas diuortij concedunt, vt sæuitiam, veneficia, insidias vitæ structas, &c. Sed ipse Ambrosius, tantum pro politica cōstitutione habuit: & licet in foro politico eam non damnauit, non tamen docuit idem etiam in foro conscientiæ licere. Sic enim scribit in 16. cap. Lucæ ad verba: omnis qui dimiserit vxorem suam, & alteram duxerit, mœchatur. Audi, inquit, legem Domini, cui obsequuntur, etiam qui leges ferunt. Item: Dimittis ergo vxorem quasi iure sine crimine: & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet: sed prohibet lex diuina.

Apostoli audita hac magistri sui repetita sententia, eam nimis duram censent, nec diffitentur se hactenus eiusdē sententiæ

tentiæ cum Pharisaicis doctoribus, de diuortiorum facilitate, fuisse. Proinde Christo hic dicunt: *Si ad istum modum habet causa hominis cum vxore*, quasi dicerent: Si lex coniugij tam arcta est, vt quis cum vxore, quam duxit, perpetuo viuere cogatur, adeo, vt nisi ipsa prior mœchando vinculum matrimonij abrumpet, eam ferre oporteat: siue sit iurgiosa, petulans, prodiga, rustica, ebria, deformis, stulta, sterilis, & aliis mille vitiis molesta, si talem non dimittere licet, οὐ συμφέρει γαμῆσαι, *non expedit matrimonium contrahere*, melior & tutior est cœlibatus, quam matrimonium, quod tot incommodis oneratur. Hoc dict. Apostolorum firmiter obseruat & sequitur clerus Pontificius, qui vt onera & molestias matrimonij euitent, malunt quotannis nouam aliquam eligere iuuenculam concubinam quam per omnem vitam vni vxori adhærere. Fortassis ipsos absterret Salomon Prou. 21. verf. 19. qui dicit: Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda. Vel Syracides cap. 25. 23. Apud Leonem & Draconem habitare optarim potius, quam cum muliere improba. Talia dicta facile homines leues, & qui non serio Dei timore tanguntur, permouere possunt, vt neglecto sancto matrimonij statu, impuro cœlibatui se mancipent, & in hoc mundo tamdiu animo vrantur, donec vel tandem corpore & anima in æternum ignem abiiciantur. Et hic Satanas, indefessus coniugij hostis, mirus est artifex, qui ex vna parte matrimonij incommoda, & cœlibatus voluptatem exaggerare potest, cum certum sit, si quis rem iusta ratione reputare velit, commoda & iucunditatem matrimonij cœlibatum plurimis modis superare. Sed audiamus Christum ipsum, quid suis discipulis responderit. *Non omnes capaces sunt dicti huius, sed ij, quibus datum est*, Habent hæc verba concessionis speciem, qua Christus non simpliciter negat, posse vitam extra coniugium commodius & minori cum molestia institui, si modo hominum natura & conditio id ferat, nec cœlibes inordinatis flammis libidinum torqueantur, sed caste & sancte extra coniugium viuere possint. Sed simul innuit, iam corruptum esse humanæ carnis ingenium, vt non omnes ad cœlibatum sint idonei, sed tantum ij, quibus cœlitus est datum. Et hac de caussa, contra incontinentiam carnis datum est remedium, sanctum matrimonium, de quo Paulus 1. Corinth. 7. 1. Bonum est homini mulierem non tangere: sed propter fornicationes, suam quisque vxorem habeat, & propriam quæque virum habeat.

Hic vero non pudet Pontificios ad stabiliendum impurum suum cœlibatum Christo Seruatori in os & faciem contradicere. Dum enim Christus dicit: *non omnes capiunt sermonem hunc*, ipsi dicunt, omnes posse capere donum continentiæ, si modo velint. Etenim quemadmodum reliqua dona spiritualia non sunt naturalia; sed diuinitus dentur iis, qui petunt, iuxta illud Iacobi 1. versic. 17. omne datum bonum, & donum perfectum è supremis est descendens à patre luminum. Qui igitur indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Ita hominibus persuadent, continentiam quoque tale esse donum, quod Deus nemini petenti & quærenti velit denegare. Quod ergo pauci donum illud habeant, inde fieri: quod nec oratione, nec studio, nec lucta contra carnem illud petant & quærant, vt quemadmodum incredulis Iudæis Ioan. 8. versic. 37. dixit: sermo meus οὐ χωρεῖ non locum habet in vobis, scilicet ob incredulitatem: ita idem verbum hic de cœlibatu vsurpari opinantur, quod propterea is in paucis locum habeat, quia pauci pro eo apud Deum supplicant. Sed responsio plana est. Sunt dona Dei, quæ largitur fidelibus, duplicia: quædam sunt generalia, omnibus piis communia & necessaria, qualia sunt, fides, spes, charitas, gratia Dei, iustitia Christi, salus, & vita æterna. De his loquuntur Christi promissiones: Quicquid petieritis, dabitur vobis, &c. Quædam autem Dei dona sunt peculiaria & priuata, de quibus non extat promissio, quod Deus velit illa omnibus & singulis credentibus dare, de eo Paulus docet Roman. 12. versic. 6. quod habeamus dona secundum gratiam, quæ nobis data est, differentia. Et 1. Corinth. 12. vers. 4. Diuisiones donorum sunt: sed vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alij datur gratia sanationum, alij donum miraculorum, alij prophetia, alij donum linguarum, & sic deinceps. Inter hæc peculiaria & priuata dona referenda etiam est continentia. Nam scriptura neque mandatum neque promissionem habet, quod Deus illud petituris communicare velit. Deum itaque tentant, qui carentes dono continentiæ, tamen cœlibatui se mancipiant, ea spe seducti, quod donum hoc à Deo exorare velint. D. Paulus scribit quidem 1. Corinth. 7. vers. 7. vellem omnes homines esse, sicut Ego sum (fuit autem cœlebs) sed non hortatur, vt omnes hoc affectent, nec promittit omnibus eius facultatem: sed dicit; vnusquisque proprium donum habet à Deo, vnus quidem sic, alius vero sic. Addit etiam; Deum ita distribuisse vocationes, vt alij quidem in coniugio, alij vero in cœlibatu ipsi seruiant, & pro diuersitate vocationis, diuersis etiam donis nos instruere. Et hic vnumquemque sua dona considerare, atque ad commune Ecclesiæ vtilitatem conferre debere. Cum ergo continentia sit peculiare & priuatum Dei donum, quod Deus non decreuit indifferenter omnibus & singulis credentibus conferre, non etiam possum illud ex fide petere, quia mandato & promissione destituor. Non aliter, quam sicut nec omnes credentes promiscue habent, & etiamsi velint & petant, non possunt omnes habere donum miraculorum, sanationum, linguarum, prophetiæ, &c. Quapropter certum est, non omnes credentes habere, aut etiam posse habere donum continentiæ, quod ad cœlibatum idonei esse possint. His ergo, qui non continent, sed vruntur, Paulus cœlibatum non suadet, licet hoc vitæ genus multas commoditates habeat, ne cui laqueum iniiciat: sed potius suadet, vt qui non continent, matrimonium ineant. Melius esse nubere, quam vri. Et propter fornicationem vitandam, habeat quisque suam vxorem. Rationem addit: Ne vos tentet Satanas, propter incontinentiam vestram. Sic ergo & Christus & Paulus in eo conueniunt, quod in cœlibatu plures & maiores sint commoditates, quam in matrimonio. Quia tamen continentiæ donum non omnibus sit datum, tutius hosce facere, si matrimonij iugo colla subdant. Cæterum vt Christus rem omnem discipulis plenius perspicuam reddat, in specie ipsis explicat, quinam ad cœlibatum sunt idonei. Et facit *Eunuchorum* tria genera. Per Eunuchos autem intelligit eos, quibus coniugij vsu non est opus, ac proinde ad cœlibatum sunt Idonei. 1. *Sunt Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt*, qui sunt frigidiores, quam vt ad generandum sint apti. De his non opus est quicquam annotare, neque conuenit vt coram Ecclesia multum de iis disseratur. 2. *Sunt Eunuchi, qui facti sunt Eunuchi ab hominibus:* quibus vel propter vitium aliquod, vel propter morbum corporis aliunde accidit, vt ad generandum sint inepti: vel quos homines violenter castrarunt vt reginis & virginibus seruandis idonei sint. Quod olim inter barbaras gentes vulgare fuit: & hodie adhuc apud Turcas in vsu est. Proprie spadones dicuntur *kaphanen*. 3. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum*. Hic tantum non triumphant Pontificij, quod putant, Christo teste, cœlibatum conferre ad regnum cœlorum consequendum. Sed decipiunt seipsos æquiuocatione phrasis *regni cœlorum*. Hæc in Scriptura non vna significatione vsurpatur: sed interdum accipitur pro regno Dei in futuro seculo: interdum vero pro Ecclesia in hac vita, quam Deus Spiritu Sancto gubernat, & ad hoc vtitur ministerio verbi & exercitiis pietatis, vt videre est Matth. 13. per integrum caput, & 22 2. Iohan. ergo quæritur in quo sensu phrasis *regnum cœlorum* hic accipiatur? Hic Petrus dicit 2. Petr. 1. 20. Scripturam non esse propriæ interpretationis. Nemo igitur vel potest vel debet certior interpres esse huius sententiæ Christi, quam Paulus, qui hanc materiam ex professo tractat. Hic constanter docet, vitam æternam esse donum Dei, quam solus Christus sanguine suo nobis acquisiuit, quodque illam in Euangelij promissionibus fide accipiamus. Cœlibatum autem docet esse expeditionem in iis, qui donum continentiæ habent, non ad Epicureas delicias, sed ad onera ministerij, & ad exercitia pietatis, atque sic ad *regnum cœlorum*. Est ergo hæc Apostolica explicatio, quid sit *seipsum castrare propter regnum cœlorum*: nimirum, se totum ministerio Ecclesiæ sic consecrare, vt repudiatis omnibus mundanis, etiam coniugio ipso, illi soli vacent, ne curis domesticis distracti minus expediti sint ad munera regni cœlorum obeunda, aut etiam ad persecutiones sustinendas. Hoc facit Apostolus Paulus, qui siue vxorem habuerit, siue non habuerit (quod credibilius est) tamen eam non circumduxit. reliqui Apostoli eodem modo se accommodarunt, vt tanto expeditius regnum Dei per totum orbem terrarum propagare possent. Eodem affectu quiuis Christiani præditi esse debent, vt sint parati, propter regnum Dei, Christum, & ipsius Euangelium nō tantum cōiuges, sed & parentes, liberos, fratres & sorores, adeoque ipsam vitam deserere duntaxat vt illa promoueantur. Tandem concludit Christus totam hanc disputationem hoc Epiphonemate: *Qui potest capere capiat*, quasi dicat. Non desunt, quibus à Deo datum est, vt continenter viuere possint, neque à Satana in lucta carnis superentur: sed hoc non est omnibus credentibus datum. Quapropter nemo temere sibi ipsi aut aliis legem imponat. *Qui potest capere*, id est, qui sentit se hoc dono à Deo ornatum esse, *capiat*, id est, religiose eo dono ad Ecclesiæ ædificationē vtatur. Hinc à cōtrario sensu colligere licet.

Ergo qui se infirmiorem esse videt, matrimonium contrahat, quod Deus omnibus commune remedium esse vult, quo imbecillitati suæ medeantur. Ex quibus omnibus manifestum euadit, Christum nequaquam vniuersalem legem cœlibatus sancire, sed cuiuis pro modulo donorum à Deo acceptorum liberum relinquere, vt eligat, id, quod se minore cum conscientiæ pressura facere posse intelligit. Rectè ergo fecerunt Episcopi & Sacerdotes Germaniæ, cum post annum Christi 700. ab aliquot Romanis Pontificibus, Bonifacio, Hildebrando, & aliis interdictum de coniugio obtruderetur, quod ex verbo Dei grauiter & constanter contradixerunt. Argumenta, quibus suum coniugium defenderunt, inter alia hæc fuerunt. 1. In V.T. Deus sacerdotibus coniugium concessit. 2. Non legitur, quod in N. Testam. sit interdictum. 3. Paulus diserte dicit, se non habere præceptum de cœlibatu. 4. Paulus vult, vt Episcopi & Diaconi sint vnius vxoris viri. 5. Christus & Paulus affirmant, non omnes capere consilium continentiæ. Et plura alia: licet tandem tyrannis Pontificium vicerit, & veritatem oppresserit. Et quia Pontificij Patrum autoritate vt plurimum pugnant, sciendum, plerosque quidem Patres sic disputare, vt videantur sentire, omnes, si modo velint & petant, posse continentiam in cœlibatu præstare: non tamen deesse, qui euidentia rei moti, idem cum Christo sentiant & loquantur. Ignatius Si quis potest in continentia manere, maneat sine gloriatione: si vero gloriatus fuerit, periit. Hieronymus ad Iouinianum. Si omnes virgines esse possent, nunquam Dominus diceret: qui potest capere, capiat: nec Apostolus in suadendo trepidaret. Idem scribit in 19. Matth. Vnde infert Dominus, qui potest capere, capiat: vt vnusquisq; consideret vires suas, vtrum possit virginalia & pudicitiæ implere præcepta. Per se enim castitas blanda est, quemlibet ad se alliciens: sed considerandæ sunt vires, vt qui potest capere capiat. August. de virginit. c. 40. Vnusquisque habet proprium donum. Quis ergo donat ista? Quis distribuit propria vnicuique sicut vult? nempe Deus, apud quem non est iniquitas. Ac hoc, qua æquitate illa faciat alios sic, alios autem sic, homini nosse aut impossibile, aut difficile est: quin tamen æquitate faciat, dubitare fas non est. Bernh. in serm. ad clericos. Vtinam qui continere non valent, cœlibatui dare nomina, vereantur. Sumptuosa enim turris est, & verbum grande, quod non omnes capere possunt. Sed de his satis.

CAPVT CXXX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, PARVVLI CHRISTO OFFERVNTVR, QVIBVS IPSE manus imponit & benedicit, Matth. 19.13. Marc. 10.13. & Luc. 18 15.

RATIO ORDINIS.

Hρμοσ τ. ἀκολουθίας hic manifestus est. Matthæus enim post finitam disputationem de diuortio, subiungit. *Tunc oblati sunt ei paruuli.* Quæ particula τότε *tunc* tempus & ordinem indicat, Consentit cum Matthæo Marcus, qui eodem ordine hasce historias collocat. Nec dissentit Lucas, siquidem eam vna cum reliquis duobus Euangelist. præmittit historiæ de diuite, regnum Dei ambiente. De ordine itaque hic nullum est dubium.

Historia oblatorum paruulorum Christo. Matth. 19.13.

13. Τότε προσηνέχθη αὐτῷ παιδία, ἵνα τὰς χεῖρας ἐπιθῇ αὐτοῖς, καὶ προσεύξηται. οἱ δὲ μαθηταὶ ἐπετίμησαν αὐτοῖς.
14. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν, ἄφετε τὰ παιδία, καὶ μὴ κωλύετε αὐτὰ ἐλθεῖν πρός με, τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.
15. Καὶ ἐπιθεὶς αὐτοῖς τὰς χεῖρας, ἐπορεύθη ἐκεῖθεν.

13. *Tunc oblati sunt ei pueri, vt manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos.*
14. *Iesus vero ait eis: Sinite pueros, & ne prohibeatis eos ad me venire, talium est enim regnum cœlorum.*
15. *Et cum imposuisset eis manus, abijt illinc.*

Marc. 10.13.

13. Καὶ προσέφερον αὐτῷ παιδία, ἵνα ἅψηται αὐτῶν. οἱ δὲ μαθηταὶ ἐπετίμων τοῖς προσφέρουσιν.
14. Ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς, ἠγανάκτησε, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με, μὴ κωλύετε αὐτά. τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.
15. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν.
16. Καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὰ, τιθεὶς τὰς χεῖρας ἐπ᾽ αὐτὰ, εὐλόγησεν αὐτά.

13. *Et attulerunt ad illum pueros, vt tangeret illos, discipuli vero increpabant eos, qui adducebant.*
14. *Cum vidisset autem Iesus, indignatus est, & dixit illis: Sinite pueros venire ad me, ne prohibete illos. Talium est enim regnum Dei.*
15. *Amen dico vobis, quicunque non acceperit regnum Dei tanquam puer, haudquaquam ingredietur in illud.*
16. *Et cum cœpisset illos in vlnas, impositis manibus super illos, benedixit eis.*

Lucæ 18.15.

15. Προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη, ἵνα αὐτῶν ἅπτηται. ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ, ἐπετίμησαν αὐτοῖς.
16. Ὁ δὲ Ἰησοῦς προσκαλεσάμενος αὐτὰ εἶπεν, ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με, καὶ μὴ κωλύετε αὐτά. τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.
17. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ὡς τὸ παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν.

15. *Afferebant autem ad eum & infantes, vt eos tangeret, Quod cum viderent discipuli, increpabant illos.*
16. *Iesus autem cum illos ad se vocasset, dixit, Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos. Talium enim est regnum Dei.*
17. *Amen dico vobis, quicunque non acceperit regnum Dei veluti puer, non intrabit in illud.*

Harmonia huius historiæ.

b Καὶ a τότε l προσέφερον αὐτῷ e τὰ παιδία, c καὶ τὰ βρέφη, l ἵνα h ἅψηται a καὶ τὰς χεῖρας ἐπιθῇ αὐτοῖς,

b Et a *tunc* l *afferebant ad eum* e *pueros,* c & *infantes,* l *vt* h *tangeret illos,* a & *manus eis im-*
ponere-

καὶ προσεύξηται. c ἰδόντες l δὲ οἱ μαθηταὶ. ἐπετίμησαν f αὐτοῖς b τοῖς προσφέρουσιν. b ἰδὼν l δὲ ὁ Ἰησοῦς, b ἠγανάκτησε Καὶ c προσκαλεσάμενος αὐτὰ l εἶπεν αὐτοῖς: l ἄφετε τὰ παιδία h ἔρχεσθαι πρός με & μὴ κωλύετε αὐτὰ a ἐλθεῖν πρός με: l τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

h Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, ὡς τὸ παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν. b καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὰ, a καὶ c ἐπιθεὶς αὐτοῖς τὰς χεῖρας, b εὐλόγησεν, αὐτά. a Καὶ ἐπορεύθη ἐκεῖθεν.

poneret, & oraret. c *Quod cum viderent,* l *discipuli, increpabant* f *illos* b *qui adducebant.* b *Cum vidisset* l *autem Iesus, indignatus est. Et* c *cum illos (pueros) ad se vocasset* l *dixit* b *ipsis (discipulis)* l *Sinite pueros* h *ad me venire, nec prohibete illos* a *ad me venire:* l *talium enim est regnum cœlorum.*

h *Amen dico vobis: Quicunque non acceperit regnum Dei tanquam puer, haudquaquam ingredietur in illud.* b *Et cum cepisset illos in vlnas, &* c *manus eis imposuisset,* b *benedixit eis.* a *Et abijt illinc.*

Periocha huius historiæ.

NON est vlla historia in toto codice Euangelico, quæ frequentius in templo legatur, quam hæc ipsa. Quoties enim infans ad sacrum baptismatis fontem affertur, toties etiam ex agendis Ecclesiasticis hæc historia recitatur. Sed admodum raro eadem in Ecclesia explicatur. Quia vero Dei verbum in eum finem datum est, vt illud scrutemur, & intelligere discamus nos in præsentia communia lineamenta expositionis piæ ducemus: alij poterunt plenius ea diducere & exornare. Sunt autem in tota historia potissimum tres personæ attendendæ. 1. Matres paruulos adducentes. 2. Discipuli, ne id fiat, prohibentes. 3. Christus suam sententiam interponens.

I. Parentes horum paruulorum sunt consideratione digni. Nam postquam Dominus Iesus triennium & amplius totam Palæstinam pertransiuit, benefaciendo & sanando omnes, qui à Diabolo oppressi erant. Actor. 10. 38. Plebis, quidem fauorem & beneuolentiam sibi conciliauit: Pontifices vero, sacerdotes & Pharisæi, præsertim Hierosolymitani immane in ipsum odium conceperunt, quia crescente ipsius autoritate suam minui videbant. In regia itaque vrbe consultant & decernunt, quod sit occidendus: & si quis eum Messiam confiteretur, eum excommunicandum esse. Interim Dominus Iesus pertransit vniuersam regionem Iudæam, Galilæam, Peræam, vt auditoribus suis valediceret, quibus dudum de passione & morte sua prædixerat, & concionatus fuerat. Dum ergo citra Iordanem in confinio Iudææ quoque valedicit, veniunt matres, & *adducunt paruulos suos,* nec tantum τὰ παιδία *pueruulos* qui incedere & loqui poterant, sed etiam τὰ βρέφη *infantes,* qui illa facultate destituebantur, ac propterea apportabantur, in eum finem, *vt illos tangeret,* seu, vt Matthæus apertius explicat, *vt impositis manibus oraret* pro illorum salute, illisque bene precaretur. Permouit illos, quod ex plurimis miraculis Christi cognouissent, ipsum per impositionem manuum & orationem varia mala à multis repulisse, & bona ipsis contulisse. Cum ergo audirent se hoc tanto doctore priuatos iri, eius benedictione etiam liberos suos ante discessum frui cupiunt, certo sibi persuadentes, per impositionem manuum ipsius & orationem, etiam suos infantes à malis, & diaboli potestate præmuniri posse. Hic enim peruetustus fuit apud populum Dei benedicendi mos, vt paruuli senioribus atque sanctis viris offerrentur, quo impositis manibus ipsis benedicerent. Sic Gen. 48. 1. Iosephus duos suos filios, Ephraim & Manassen, adduxit ad Iacobum patrem, vt impositis manibus ipsis benediceret.

Docent hæ matres, quodnam præcipuum parentum officium erga suos liberos esse debeat: nimirum, vt eos Christo offerant, & adducant. Naturales στοργαὶ vrgent parentes, vt liberis suis bene consultum cupiant. At melius ipsis consuli nequit, quam si ad Christum perueniant, in quo nos Pater benedicit omni benedictione Spirituali in cœlestibus. Eph. 1. 3. Sacramentarij existimant, superstitiosum quid subfuisse, quod hæ matres contactum desiderarunt; & fuisse eos longe imperfectioris fidei, quam fuerit centurio Matth 8. 8. qui non requisiuit contactum, sed contentus esse voluit verbo. Hoc disputant in eum finem, vt etiam auditores doceant contentos esse verbo, si maxime contactus Christi per Sacramenta non accedat. Respond. Nos quidem non negamus, Christum etiam sine contactu sanare & iuuare posse per merum verbum. Sed quandoquidem ipsius bonitati ita placuit, vt etiam in Sacramentis, quasi corporis sui contactu nos iuuare velit, nos illam bonitatem non reiiciamus; sed exosculemur.

II. Quid vero discipuli? *Increpabant illos, qui adducebant,* & cum indignatione eos reiiciebant. Cur ita? Non ex inuidia: sed ex zelo, pro magistri sui honore & quiete. 1. imaginabantur sibi adhuc terrenum regnum Christi: cogitabant igitur, quid Christo cum mulierculis istis & pusillis? Leuiora hæc sunt, quam vt Dominus pro maiestate sua leuibus istis occupari debeat. 2. volebant etiam ipsi parci, vt qui alias plus satis occupatus esset, adeò, vt interdum commode panem comedere non posset. Cogitant ergo, quid futurum est, quando etiam pueruli cateruatim accurrent? 3. Hactenus venerunt ægri, & vt Dominus eos sanaret, ex misericordia passi sunt. His autem paruulis nihil deerat: quid ergo opus est, eos Domino offerre. 4. Denique putabant Christum nihil posse tractare cum huiusmodi paruulis & infantibus: siquidem nondum sint rationis capaces, non possint verbum cum fructu audire, neque miracula iudicare. Satius ergo esse, vt Dominum missum faciant. Sed hoc ipso discipuli produnt magnam suam inscitiam, vt merito ipsos pudere debuisset, triennium & amplius Christo conuersatos fuisse, neque in doctrina salutis plus profecisse. Debebant meminisse dictorum Scripturæ, quæ testantur, infantes ab vtero matris Deo curæ esse. Psal. 22. 10. Tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ. Et Dauid dicit Psal. 139. 13. Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de vtero matris meæ. Meminisse etiam debebant vulgaris illius ex psalmo 8. 3. Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem, propter inimicos tuos. Item, quod Christus dixisset Iohan 6. 37. omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras. Quod denique nuperius Matt. 18. 2. cum contentio esset de primatu, puerum in medio statuerit, & monuerit, ne offenderent hosce credentes in se. Ex hisce nos cognoscamus, quantus hostis sit Satanas salutis infantum & puerorum. Nam quia nouit, per hosce Christi regnum ampliari, idem mille modis ipsis insidiatur, vt impediat, ne ad illud perueniant. Et hoc non facit tantum per eos, qui nimia indulgentia, vel etiam praua institutione illos corrumpunt; sed etiam sæpe sub prætextu religionis. Sic olim Iudæos decepit, vt liberos suos Molocho, imo dæmoniis offerrent. Sic in Papatu ex persuasione Monachorum, parentes liberos suos monasteriis incluserunt, antequam intelligerent, quid ipsis prodesset, quid obesset: postea vniuersam vitam impuris vstionibus consumserunt. Sub luce Euangelij diabolus Anabaptistas excitauit: qui nolunt infantes baptizari, vt hac ratione à Christo abstrahantur. Vigilent ergo pij parentes ne in propria pignora crudeles deprehendantur.

III. Sed Christum videamus & audiamus, qui controuersiam hanc decidit. Is 1. *indignatus est,* neque immerito. Hac enim ratione discipuli, quantum in ipsis erat, infantum saluti obstabant, dum eos à Christi communione arcent. Adhæc parentum fidem labefactabant contra suum officiu, qui quosuis in fide confirmare debebant. Denique Christi regnum coarctabant. Infantes autem & pueri magna eius pars sunt. Quemadmodum enim familiæ in orbitatem rediguntur ex sterilitate, quando nulli amplius infantes in illis pariuntur: ita Ecclesia sterilis redderetur, nisi subinde in ea pueri pueris succedant. Iure ergo Christus discipulis ob hoc factum indignatus est. 2. *Conuocatis & pueris* (habet enim Lucas αὐτὰ, scilicet τὰ παιδία, καὶ τὰ βρέφη) *& discipulis,* & hisce dixit: *Sinite pueros ad me venire, nec prohibete illos Talium enim est regnu cœlorum* τοιούτων dicit, *talium* non τούτων siue horum: vt significet, regnum cœlorum esse non tantum illorum infantu, qui tunc oblati sunt, sed etiam omnium *talium,* qui Christo offeruntur & adducuntur. Et maioris confirmationis ergo addit: *Amen dico vobis: Quicunque non acceperit regnum Dei, tanquam puer haudquaquam ingredietur in illud.* Quibus verbis Christus diserte, & magna cum asseueratione enunciat, nisi nos adulti pueris, si non ætate, voluntate tamen, imitatione, humilitate & simplicitate assimilemur, vt & ipsi ad Christum veniamus, siue adducamur, & ab ipso benedictionem consequamur, non futurum, vt hæredes regni cœlorum fiamus?

Tandem Christus pucrulos hosce *in vlnas suscipit*, vt eos, tanquam carissima κειμήλια propius pectori, & paterno cordi admoueat, sicque paternum suum affectum apertius commonstret. *Manus ipsis imponit*, benedictas scilicet manus, in quas à patre suo acceperat omnia bona cœli & terræ. *Atque benedixit eis*, virtutem & efficaciam huius benedictionis, quis digne æstimabit? Certe ex huius benedictione, ceu ex perenni fonte profluit omne bonum, siue multum, siue modicum, prout ipsi placuerit, quo nos fruimur. Hisce confirmat Christus id, quod nos supra in primo membro de officio parentum diximus: horum nimirum esse, vt infantes & paruulos suos Christo offerant & adducant. Id quomodo ab ipsis fiat Christianis notum esse debet. Fit autem potissimum triplici ratione. 1. Quia liberi sunt donum Dei, & fructus ventris hereditas Domini, vt habet psalmus 127.3. ideo quamprimum pij parentes illam Domini benedictionem sentiunt, mox Deo gratias agere, & piis precibus fœtum suum Christo commendare debent: implorent etiam preces Ecclesiæ, per quas vlterius Christo eum offerant, nec dubitent, preces illas à Christo etiam exauditas, Matth.18.19. & Iohan. 16.23. adeo, vt si maxime quid infortunij, vel ante partum, vel à partu accidat, hanc habeant consolationem, quod fructum istum vteri Deo commendarint, qui illum paternæ suæ misericordiæ inclusurus sit, vt qui non tantum noster, sed etiam seminis nostri Deus esse velit Gen.17.7. 2. Quando vero liberi Dei beneficio in mundum sunt prognati, tum non sufficit, eos precibus Christo offerre: sed properandum est ad sacrum baptismum, vt per aquam & Spiritum renascantur. Iohan. 3.5. vt sic Christo incorporentur, atque fiant membra mystici ipsius corporis. Neque hic audiant pij parentes vel Anabaptistas, vel etiam propriæ rationis argumenta, quæ obiicit: quid facies? infantes nihil intelligunt, quid igitur in templo cum ipsis tractabis? Expecta annos discretionis. Hic tu responde. Atqui ad hanc sacram actionem, non indigemus ratione nec intellectu. Quinetiam nos adulti in huiusmodi sacris actionibus debemus captiuare intellectum nostrum in obsequium Christi, atque cum Christo non per rationem, sed per fidem agere. Atque hoc innuit Christus, quando hic dicit: *nisi quis acceperit regnum Dei sicut puer, haudquaquam ingredietur in illud.* Nam ipse Christus non alio respicit, quam ad obedientiam fidei. Vt quemadmodum infantes ex ore suorum parentum dependent, neque contra illos disputant: ita nos adulti ex ore & verbo Dei simplici fide dependere debemus. Abrahamus fuit vir 75. annorum, & tamen à Deo sic se duci passus est, vt circumcisionem (rationi ridiculam ceremoniam) cum tota sua familia susciperet. Idem fecere Moses, Dauid & alij sancti. Cum igitur ratio humana nihil faciat ad baptismum, cur illam in infantibus spectabimus? Nam omnino Christus hoc suo facto ostendit, etiam infantes suæ gratiæ participes esse posse, nec à gratia baptismi remouendos esse: quasi Spiritu prævidens, sub finem mundi exorituros Anabaptistas, qui & ipsi cum discipulis contra oblationes paruulorum disputaturi essent. 3. Porro, quando paruuli post baptismum adolescunt, vlterius Christo adducendi sunt per sedulam, sollicitam & piam institutionem. Sicuti Deus omnibus temporibus à sanctis requisiuit, & Genes.18.19. in Abrahamo magnifice deprædicauit. Non ergo cogitet pater, Ego pro filio meo sedulo oraui, antequam nasceretur: quamprimum postea natus fuit, ipsum Christo per baptismum obtuli, eique ipsum commendaui. Ergo feci, quod debui, in reliqua vita ipse iam se regat. Nequaquam sic cogitandum, sed cum annis demum crescat cura educationis. De eo D. Paulus Ephes.6. 4. vos patres, educate filios vestros in disciplina & correptione Domini. D. Petrus quoque habet elegans dictum 1. epist.2.1. Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum & simulationem, & inuidias, & detractiones, & sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscite: vt in eo in salutem crescatis. Tria requirit Apostolus. 1. Quia natura sumus corrupti, & ex originali malo nobis malitia & dolus inhæreat, quidam etiam cum ætate imitatione aliorum deteriores fiant, vt inuidiæ & detractioni indulgeant: vult vt hæc vitia pueri adolescentes deponant. 2. Vsum lactis suadet: vt quemadmodum nuper nati infantes lacte matrum nutriuntur, sic ipsi ex simplici *Dei verbo*, inprimis autem catechetica doctrina, quæ lactis instar est, donec solidioris cibi fiant capaces, instituantur. 3. Vtique sic crescant, non tantum ætate & statura, sed potius in salutem. Hæc debent quotidiana esse exercitia Christianorum, siue puerorum siue adultorum: & qui sic quotidie Christum adeunt, se ipsi offerunt & sistunt, hi sunt ipsi accepti, eos amplectitur, ipsisque benedictionem communicat ad vitam æternam.

Pro hoc tertio paruulorum adducendorum ordine in primitiua Ecclesia egregium & vtile habuerunt exercitium, quod singulis annis certo tempore pueruli, sensim adolescentes ad pastorem vel Episcopum loci adducti sunt, vt ab iis examinarentur, quid in doctrina pietatis profecissent. Hic certe iuniores in discendo diligentes & feruentes fuerunt, vt bonum à doctore suo reportarent testimonium. Et hoc exercitium nominarunt Confirmationem, *scilicet* iuniorum in fide. Postea sub Papatu accesserunt *nugæ Pontificiæ*: chrisma, fascia, alapa. Ob hasce *nugas in prima Euangelij* reformatione totus actus Confirmationis est abrogatus: *Man hat das Kind mit dem vnreinen Bad hinweg geschicket.* Et male exercitium Confirmationis retinere potuisset, rescissis istis næniis Pontificiis. Nam quam difficulter nunc eiusmodi Catechetica rursus instituantur, id experiuntur illi, quibus salus & ædificatio Ecclesiæ curæ cordique est.

CAPVT CXXXI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CHRISTVS INSTITVIT DIVITEM IVVENEM, QVOMOdo possit consequi vitam æternam, Matt.19.16. Marc. 10.17. & Luc.18.18.

RATIO ORDINIS.

QVandoquidem omnes tres Euangelistę, Matthæus, Marcus, & Lucas adeo exacte de ordine huius & sequentis historiæ consentiunt: non tantum superuacaneum est, sed etiam curiosum foret, vlterius de eo inquirere velle. Quapropter sine mora tractationem ipsius in manus sumamus. Nec est dubium, quin hic adolescens interfuerit actui illi, cum infantes & pueri Iesu offerrentur, & audiuerit, magnificā ipsius promissionem, *talium esse regnum cœlorum*. Cogitauit igitur secum, Ego nec infans sum, nec puer, hic Iesus me non suscipit in vlnas, non complexatur, aut benedicit, oportet ergo me ex ipso audire, qua ratione Ego regnum cœlorum cōsequi possim. Sed audiemus, rem eodē redire, de quo modo diximus: vt nimirum veniat ad Iesum. Nam talium, qui ad Christum veniunt, siue infantes, siue adulti sint, est regnum cœlorum.

Historia iuuenis principis de vita æterna inquirentis.
Matth. 19.16.

16. Καὶ ἰδοὺ εἷς προσελθὼν, εἶπεν αὐτῷ. διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί ἀγαθὸν ποιήσω, ἵνα ἔχω ζωὴν αἰώνιον;	16. *Et ecce vnus accedens, ait illi, Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?*
17. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ, τί με λέγεις ἀγαθὸν, οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. εἰ δὲ θέλεις εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν, τήρησον τὰς ἐντολάς.	17. *Qui dixit ei: Cur me vocas bonum? Nullus est bonus, nisi vnus, nempe Deus. Quod si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*
18. Λέγει αὐτῷ, ποίας; ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπε, τὸ, οὐ φονεύ-	18. *Dicit illi, Quæ? Iesus autem dixit: Non facies ho-*

σεις,

σεις, οὐ μοιχεύσεις, οὐ κλέψεις, οὐ ψευδομαρτυρήσεις.

micidium, non committes adulterium, non facies furtum, non falsum dices testimonium.

19. Τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα, καὶ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.

19. Honora patrem & matrem: & diliges proximum tuum, vt teipsum.

20. Λέγει αὐτῷ ὁ νεανίσκος, πάντα ταῦτα ἐφυλαξάμην ἐκ νεότητός μου. τί ἔτι ὑστερῶ;

20. Dicit illi adolescens: omnia hæc seruaui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?

21. Ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, ὕπαγε, πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὸς πτωχοῖς· καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ. καὶ δεῦρο, ἀκολούθει μοι.

21. Ait illi Iesus: si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.

22. Ἀκούσας δὲ ὁ νεανίσκος τὸν λόγον, ἀπῆλθε λυπούμενος. ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά.

22. Cum audisset autem adolescens eum sermonem, abiit tristis. Erat enim habens possessiones multas.

23. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι πλούσιος δυσκόλως εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

23. Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, Diues difficile intrabit in regnum cœlorum.

24. Καὶ πάλιν λέγω ὑμῖν, εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν.

24. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem in regnum Dei ingredi.

25. Ἀκούσαντες δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἐξεπλήσσοντο σφόδρα, λέγοντες· τίς ἄρα δύναται σωθῆναι;

25. Auditis autem his discipuli expauerunt valde, dicentes: Quis ergo potest saluus fieri?

26. Ἐμβλέψας δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν αὐτοῖς, παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι, παρὰ δὲ θεῷ πάντα δυνατά ἐστι.

26. Intuitus autem illos Iesus, dixit illis, Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.

Marci 10. 17.

17. Καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ εἰς ὁδὸν, προσδραμὼν εἷς, καὶ γονυπετήσας αὐτὸν, ἐπηρώτα αὐτὸν, διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί ποιήσω, ἵνα ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;

17. Et cum exiret in viam, accurrit quidam, ac genua flexit illi, & interrogabat eum, Præceptor bone quid faciam, vt vitam æternam possideam?

18. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός.

18. Iesus autem dixit illi, Cur me dicis bonum? Nemo bonus nisi vnus Deus.

19. Τὰς ἐντολὰς οἶδας, μὴ μοιχεύσῃς, μὴ φονεύσῃς, μὴ κλέψῃς, μὴ ψευδομαρτυρήσῃς, μὴ ἀποστερήσῃς. τίμα τὸν πατέρα σου, καὶ τὴν μητέρα.

19. Præcepta nosti? Ne committas adulterium. Ne occidas. Ne fureris. Ne falsum testimonium dicas. Ne fraudes. Honora patrem tuum & matrē.

20. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῷ· διδάσκαλε, ταῦτα πάντα ἐφυλαξάμην ἐκ νεότητός μου.

20. At ille respondens dixit illi, Præceptor hæc omnia seruaui ab adolescentia mea.

21. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ, ἠγάπησεν αὐτὸν, καὶ εἶπεν αὐτῷ, ἕν σοι ὑστερεῖ. ὕπαγε, ὅσα ἔχεις, πώλησον, καὶ δὸς τοῖς πτωχοῖς. καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ. καὶ δεῦρο ἀκολούθει μοι, ἄρας τὸν σταυρόν.

21. Iesus autem intuitus illum, dilexit eum, & dixit illi, Vnum tibi deest, Abi, quæcunque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Et veni, sequere me, sublata in humeros cruce.

22. Ὁ δὲ στυγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ, ἀπῆλθε λυπούμενος. ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά.

22. At ille molestia affectus propter sermonem, discedebat mœrens, habebat enim possessiones multas.

23. Καὶ περιβλεψάμενος ὁ Ἰησοῦς, λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελεύσονται.

23. Et cum circumspexisset Iesus, dicit discipulis suis, Quam difficulter hi qui pecuniam habent in regnum Dei intrabunt.

24. Οἱ δὲ μαθηταὶ ἐθαμβοῦντο ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ. ὁ δὲ Ἰησοῦς πάλιν ἀποκριθεὶς, λέγει αὐτοῖς, τέκνα πῶς δύσκολόν ἐστι τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν, εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν.

24. Discipuli vero obstupuerunt super verbis illius: At Iesus rursum respondens, dicit illis, Filij, quam difficile est eos qui fiduciam habent in pecuniis regnum Dei ingredi.

25. Εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος εἰσελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν.

25. Facilius est camelum per foramen acus ingredi, quam diuitem in regnum Dei ingredi.

26. Οἱ δὲ περισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες πρὸς ἑαυτοὺς, καὶ τίς δύναται σωθῆναι;

26. Illi vero supra modum admirati sunt dicentes intra sese, & quis potest esse saluus?

27. Ἐμβλέψας δὲ αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, λέγει, παρὰ ἀνθρώποις ἀδύνατον, ἀλλ᾽ οὐ παρὰ τῷ θεῷ, πάντα γὰρ δυνατά ἐστι παρὰ τῷ θεῷ.

27. Intuitus autem Iesus illos, dicit apud homines impossibile: sed non apud Deum. Nam omnia possibilia sunt apud Deum.

Lucæ 18. 18.

18. Καὶ ἐπηρώτησέ τις ἄρχων αὐτὸν, λέγων, διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;

18. Et interrogauit eum quidam princeps, dicens, Magister bone, quid faciendum mihi, vt consequar vitam æternam?

19. Εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ θεός.

19. Dixit autem ei Iesus, Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.

20. Τὰς ἐντολὰς οἶδας, μὴ μοιχεύσῃς, μὴ φονεύσῃς, μὴ κλέψῃς, μὴ ψευδομαρτυρήσῃς. τίμα τὸν πατέρα σου

20. Præcepta nosti? Non committes adulterium, non occides, non facies furtū, non falsum testimoniū

καὶ τὴν μητέρα σου. | dices, Honora patrem tuum & matrem tuam.

21\. Ὁ δὲ εἶπε ταῦτα πάντα ἐφυλαξάμην ἐκ νεότητός μου. | 21. At ille ait, Hæc omnia seruaui à iuuentute mea.

22\. Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, ἔτι ἕν σοι λείπει. πάντα ὅσα ἔχεις, πώλησον, καὶ διάδος πτωχοῖς, καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ, καὶ δεῦρο, ἀκολούθει μοι. | 22. Audiens autem hæc Iesus ait ei, adhuc vnum tibi deest. Omnia quæcunque habes, vende, & distribue pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & age sequere me.

23\. Ὁ δὲ ἀκούσας ταῦτα, περίλυπος ἐγένετο· ἦν γὰρ πλούσιος σφόδρα. | 23. His ille auditis, mœrore affectus est, quia diues erat valde.

24\. Ἰδὼν δὲ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς περίλυπον γενόμενον, εἶπε, πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰσελεύσονται εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. | 24. Videns autem Iesus illum mœrore affectum, dixit, Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.

25\. Εὐκοπώτερον γάρ ἐστι κάμηλον διὰ τρυμαλιᾶς ῥαφίδος εἰσελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν. | 25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei.

26\. Εἶπον δὲ οἱ ἀκούσαντες, καὶ τίς δύναται σωθῆναι; | 26. Et dixerunt qui audierant, Et quis potest saluus fieri?

27\. Ὁ δὲ εἶπε, τὰ ἀδύνατα παρὰ ἀνθρώποις, δυνατὰ ἐστι παρὰ τῷ θεῷ. | 27. At ille ait, quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

Harmonia huius historiæ.

Καὶ a ἰδοὺ b ἐκπορευομένου αὐτοῦ εἰς ὁδὸν, προσδραμὼν c εἷς c τις ἄρχων, b καὶ γονυπετήσας αὐτὸν, h ἐπηρώτα αὐτὸν, a καὶ εἶπεν αὐτῷ, c λέγων διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί a ἀγαθὸν l ποιήσω, c ἵνα l ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω, ὁ δὲ h Ἰησοῦς l εἶπεν αὐτῷ. τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. a εἰ δὲ θέλεις εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν, τήρησον τὰς ἐντολάς λέγει αὐτῷ, ποίας; ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπε h τὰς ἐντολὰς οἶδας; a τὸ l μὴ μοιχεύσῃς, μὴ φονεύσῃς, μὴ κλέψῃς, μὴ ψευδομαρτυρήσῃς, b μὴ ἀποστερήσῃς. l τίμα τὸν πατέρα h σου, l καὶ τὴν μητέρα c σου, a καὶ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. b Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς l εἶπεν c αὐτῷ a ὁ νεανίσκος, b διδάσκαλε, l ταῦτα πάντα ἐφυλαξάμην ἐκ νεότητός μου, a τί ἔτι ὑστερῶ, c ἀκούσας δὲ ταῦτα, h ὁ Ἰησοῦς b καὶ ἐμβλέψας αὐτῷ ἠγάπησεν αὐτὸν, καὶ l εἶπεν αὐτῷ a ὁ Ἰησοῦς. h ἔτι b ἕν σοι ὑστερεῖ. a εἰ θέλεις τέλειος εἶναι c ὕπαγε b πώλησον a σοῦ τὰ ὑπάρχοντα c ἅπαντα h ὅσα ἔχεις, καὶ διάδος τοῖς πτωχοῖς, καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ, καὶ δεῦρο ἀκολούθει μοι, b ἄρας τὸν σταυρόν. f ἀκούσας δὲ a ὁ νεανίσκος τὸν λόγον b συγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ, c περίλυπος ἐγένετο, e καὶ ἀπῆλθε λυπούμενος. l ἦν γὰρ c πλούσιος σφόδρα, c ἔχων κτήματα πολλά. c ἰδὼν δὲ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς περίλυπον γενόμενον, b καὶ περιβλεψάμενος e ὁ Ἰησοῦς, l εἶπεν c τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ: b πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελεύσονται; a Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι πλούσιος δυσκόλως εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. b οἱ δὲ μαθηταὶ ἐθαμβοῦντο ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ ὁ δὲ Ἰησοῦς πάλιν ἀποκριθεὶς, λέγει αὐτοῖς: τέκνα πῶς δύσκολόν ἐστι τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν, εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν. a καὶ πάλιν λέγω ὑμῖν. l εὐκοπώτερον ἐστι κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος εἰσελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν, a ἀκούσαντες c δὲ οἱ a μαθηταὶ αὐτοῦ, c περισσῶς ἐξεπλήσσοντο, c εἶπον δὲ οἱ ἀκούσαντες, e λέγοντες b πρὸς ἑαυτοὺς, h καὶ l τίς a ἄρα l δύναται σωθῆναι; e ἐμβλέψας δὲ h αὐτοῖς l ὁ Ἰησοῦς, a εἶπεν αὐτοῖς, e παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατον, b ἀλλ᾽ οὐ παρὰ τῷ θεῷ. e πάντα b γὰρ c τὰ ἀδύνατα παρὰ ἀνθρώποις, l δυνατὰ ἐστι παρὰ τῷ θεῷ.

Et a ecce b cum exiret in viam accurrit c quidam princeps, b ac genua flexit illi & interrogabat eum, a & ait illi, c dicens: l Magister bone, quid a boni l faciam c vt vitam æternam possideam? h Iesus autem l dixit ei: Cur me dicis bonum? Nemo bonus nisi vnus Deus. a Quod si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi: quæ? Iesus autē dixit: h Præcepta nosti? l Ne committas adulterium. Ne occidas. Ne fureris. Ne falsum testimonium dicas. b Ne fraudes. l Honora patrem h tuum, l & matrem c tuam; a & diliges proximum tuum, vt teipsum b At ille respondens l dixit c ei a adolescens. b Præceptor, hæc omnia seruaui, ab adolescentia mea. a quid adhuc mihi deest? c Audiens autem hæc h Iesus, b & intuitus illum, dilexit eum, & l dixit illi. a Iesus, c adhuc b vnum tibi deest: a si vis perfectus esse, c vade, l vende a quæ habes c omnia, l & distribue ea pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me, b sublata in humeros cruce f cum audisset autem c adolescens eum sermonem, b molestia c mœrore affectus propter sermonem, e dejiciebat mœrens, l quia diues erat valde, e habens possessiones multas, c videns autem Iesus illum mœrore affectum, b & cum circumspexisset e Iesus, l dicit c discipulis suis. b Quam difficulter hi qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. a Amen dico vobis, diues difficile intrabit in regnum cœlorum.

b Discipuli vero obstupuerunt super verbis illius. At Iesus rursus respondens, dicit illis, Filij, quam difficile est eos, qui fiduciam habent in pecuniis regnum Dei ingredi: a Et iterum dico vobis, l Facilius est camelum per foramen acus ingredi quam diuitem in regnum Dei ingredi. a Auditis c autem a his discipuli c supra modum expauerunt.

e Et dixerunt, qui audierant, c dicentes b inter sese, h & l quis a ergo l potest saluus fieri?

e Intuitus autem b illos l Iesus, a dixit illis, e apud homines hoc impossibile est, b sed non apud Deum, e omnia b enim c quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

Periocha huius historiæ.

POstquam in præcedentibus de officio parentum, de studiis infantum & puerorum disserendi occasione habuimus: nunc noua disserendi occasio offertur de adultioribus, de opibus item & diuitiarum, ne hoc quenquam in ingressu regni cœlorum impediat. Toti autem huic tractationi occasionem præbuit νεανίσκος & adolescens quidā vt Matthæus eum nominat. Qui simul etiam fuit ἄρχων princeps, vt Lucas refert, nimirum familiæ suæ. Nam celebratiores inter Iudæos familiæ, suos habuerūt ἄρχοντας & primores. Certe non vulgaris dignitatis ipsum fuisse, opum & professionum abundantia, quā omnes tres Euangelistæ ipsi tribuunt, arguit. Is cum animaduertisset Christum illinc abire, ne tum exoptatam disserendi occasionem post illius discessum negligeret, teste Marco accurrit, magnum suum studium & ardorem in audiendo eo significās Genua insuper flexit, quo gestu corporis, animi quoque humilitatem testatus est, & quanti Dominum Iesum, qui alioqui

alioquin fere omnibus inuisus & exosus erat, in suo corde faceret. Insuper honorifice ipsum compellat, non tantum *Magistrum*, sed etiam magistrum *bonum* eum nominans, à quo tandem viam consequendi vitam æternam discere cupit: quod nunquam fecisset, nisi Dominum Iesum maximi fecisset. Est hoc insigne exemplum religiosi animi in iuuene, qui de vita æterna etiam in iuuentute fuit sollicitus. Et eum serio hanc quæstionem proposuisse, ex omnibus circumstantiis colligere licet: vt mirum sit Hieronymum in eam deuenisse sententiã, quod statuit, ipsum tentandi animo interrogasse. Serium enim hoc studium esse debet omnium adolescentum, vt meminerint Creatoris sui adhuc in diebus iuuentutis suæ antequam appropinquent anni, de quibus dicent, non mihi placent. Eccl. 12. 1. Nam in quo corriget adolescentior viam suam? nisi in custodiendo sermonem Domini. Psalm. 119. 11. Et Ioannes testatur 1. ep. 2. 14. se adolescentibus scribere, vt fortes sint, & verbo Dei in ipsis manente, vincant malignũ. Tales iuuenes fuere Iacobus Patriarcha, Iosephus, Dauid, Daniel & Timotheus, de quo Paulus confirmat 2. Tit. 3. 15. quod sacras literas nouerit ab infantia sua. Quin & hoc in præsenti iuuene laude & obseruatione dignum est: quod doctrinam de consequenda vita æterna inquisiturus, non adiit Scribas, Pharisæos siue Pontifices Iudæorum, qui & ipsi sibi scientiam mysteriorum salutis arrogabant. Et si maxime antea apud ipsos fuit, vt qui in obseruatione legis à pueritia diligens fuerit: tamen apparet, illos ipsi non satisfecisse, icirco alibi cogitur quærere, quo conscientiam suam sollicitam possit tranquillam reddere. Et recte fecit, quod Iesum adiit, si modo cum ipso mansisset. Ipse enim est aqua viua, quam qui bibit, non sitit in æternum, Iohan. 4. 13. Est panis vitæ, quem qui manducat, viuet in æternum, Iohan. 6. 58. Apud hunc etiam nos, & non apud alium quæramus salutis & æternæ vitæ consequendæ rationem. Hic nobis à Patre datus est Catholicus Doctor, qui cœlitus nobis dixit: Hunc audite. Matth. 17. 5.

Sed inspiciamus etiam huius iuuenis quæstionem, quam in hunc modum proposuit: *Bone Magister quid boni faciam, vt hæreditem vitam æternam*? In hisce verbis non tantum Iudaicus sed communis omniũ hominum error latet. Nunc enim posteaquam per tristem primorũ parentum lapsum toti corrupti sumus, & ex nobis ipsis tanquam ex nobis nihil boni ne cogitare quidem, nedum facere possumus; omnes natura sic affecti sumus, vt per bona opera, quæ tamen præstare nequimus, cœlum rursus conscendere conemur. Et hinc factum est, quod in toto orbe omnibus temporibus amplissima hæc fuit secta, quod homines salutem & regnum cœlorum per opera consequi volunt. Ignorant nimirum suum morbum, cui natura sunt subiecti, cuius vitio si maxime multa operentur, mala tamen tantum operantur. Proinde tales ante omnia ad sui agnitionem sunt adducendi, vt prius per medicum sanẽtur, postea ex gratitudine bona operentur: sicuti Christus in responsione ad hunc adolescentem id ostendet.

Sic autem Christus adolescenti primum respondit: Cur me dicis bonum? Nemo bonus nisi vnus Deus. Cur vero Christus boni titulũ detrectat, cum tamen ipse sit vere Deus, & propterea etiam perfecto bonus? Fecit id absque dubio hac de causa, quod animaduerterit hunc iuuenem hisce verborum blandimentis ipsius beneuolentiam captare, cum hominum nihil sublimius de ipso senserit, licet aliis hominibus eminentiorem statuerit. Cum ergo vulgaris, sed peruersa hominum consuetudo sit, vt ambitiosis titulis insolenter superbiant, adeo vt interdum etiam non ab iis, qui diuinæ maiestatis & sanctitatis proprij sunt, abstineant; ideo ad taxandum istud vitium, titulum *boni* ab ipso non vult recipere: sed omnem bonitatis laudem in vnum solum Deum transfert. Interim tamen neque se *Deum*, neque se *bonum* esse negat: tantum ab hoc *boni* epitheton non recipit, q. d. Quia me ψιλὸν ἄνθρωπον, & nudum hominem esse existimas, merito ab appellatione boni abstinere debebas: cum solus Deus dicendus sit bonus, & si quid boni apud homines, eorumque opera inuenitur, id à solo bono Deo accipiunt. Aut ergo agnosce me quoque Deum, aut à *boni* titulo abstine. Hæc est prima pars responsionis Christi ad hunc adolescentem. In quo omnes boni hoc imitari discant: vt, si quando etiam ipsi insignibus encomiis & titulis ornantur, laudes illas retorqueant in laudes diuini nominis, & consideratione suorum defectuum non admittant in animũ voces Deo proprie conuenientes. Fere enim isti hoc facere solent, vt sub tacita adulatione beneuolentiam nostram captent, & vicissim à nobis aliquid eliciant, quo par pari ipsi referatur. Sic iuuenis Christo *boni* titulo adulans, omnino sperauit, se ab ipso elicere posse, vt si gloriaretur se omnia Dei præcepta inde à iuuentute obseruasse, ipsum vicisse bonum resalutaret. Altera vero, & principalis responsionis pars, quæ ad adolescentis responsionem di-

recte respondet, aliquanto prolixior est, & quasi dialogum inter Iesum & adolescentem continet. Nos illum continuo contextu percurremus: postea, quæ potissimum obseruanda sint, etiam paucis indicabimus. Primo Christus dicit: *quod si vis ad vitam ingredi serua mandata*. Ad legem Dei initio ipsum remittit, vt legem ad agnitionem peccatorum & imperfectionis suæ eum adducat. Hic enim est finis legis & præceptorum, vt per illa ad agnitionem peccatorum adducamur, Rom. 3. 20. Iuuenis interrogat, quænam sunt illa mandata, quæ seruare debeo. Iesus ipsi proponit præcepta secundæ tabulæ, quæ agunt de dilectione proximi, & dicit: *Præcepta nosti?* Mox illa ipse recitat: *Ne committas adulterium. Ne occidas. Ne fureris. Ne falsum testimonium dicas. Ne fraudes. Honora patrem tuum, & matrem tuam, & diliges proximum tuum, vt te ipsum.* Attende, quomodo, & quo ordine Christus hic Decalogi præcepta recitet. Mirum, ipsum à Caluinianis non traduci, nec reprehendi. Quando autem nos præcepto, de honorandis parentibus, quartum, & non cum ipsis quintum locum in decalogo tribuimus, magnum ipsorum iudicio, piaculum & nefas committimus. Christus & ipsius Apostoli talem ἀκρίβειαν non attenderunt. Si quis duas tabulas legis, quarum prima agit de cultu Dei, altera de dilectione proximi: item, decem verba siue præcepta Decalogi agnouit, cum eo contenti fuerunt, nec semper de ordine solliciti fuerunt. Marcus hic interponit, μὴ ἀποστερήσῃς, *ne fraudem feceris*, aliena illicite auferendo. Quæ particula potest esse vel appendix septimi præcepti de furto. Nam significat, ne priues, neve spolies quenquam. Aut apposita est loco noni & decimi præcepti de praua concupiscentia, quæ his verbis reprimi debet. Sed pergamus. Adolescens ad hanc præceptorum recitationem Christo respondet. *Præceptor, hæc omnia seruaui à pueritia mea.* Seruauit nimirum eo modo, quo tum temporis Pharisæi, se totam legem implere posse se imaginati sunt. Vbi in præceptis Legis tantum notoria, crassa & externa facta vtpote cædem, adulterium, furtum & consimilia, notari putarunt: de internis peccatis, vt pote ira, libidine, praua concupiscentia & aliis, parum solliciti. Hoc licet Christus adolescenti prolixe ex Matth. 5. ostendere potuisset; hac tamen vice id non fecit, quia magis ex simplicitate & errore, quam ex malitia id dicere vidit. Imo hoc etiam adolescens addit: *quid adhuc mihi deest*? Adeo ipsum fefellit propriæ, & quidem legalis iustitiæ fiducia, vt non tantum de mãdatorum Dei obseruatione gloriari ausit, sed etiam, si quæ altiora & perfectiora restent, inquirit, in iis etiam suam industriam & diligẽtiam probaturus. Agnoscit ergo sibi adhuc aliquid deesse, quidnam autem illud sit, ipse ignorat; ac proinde à Christo petit, vt ipse æstuãtem consciẽtiam sua doctrina tranquillã reddere velit. Dominus Iesus, hæc adolescentẽ de seipso referentem, *intuitus est* eũ blande, & *dilexit eum*, ob pietatis studium, animi integritatem, & quod videret ipsum bonæ indolis esse, ciuiliter bene moratum, & per omnia liberaliter educatum, licet plurima adhuc ipsi deessent. Ipse enim quassatam arundinem non conterit, neque linum fumigans extinguit, Esa. 42. 3. sed infirmitatibus nostris benigne medetur. Respondet itaque illi: *adhuc vnum tibi deest*. Imo plurima ipsi deerant: sed Christus tanquam cum infirmo agens, noluit ipsum copia & multitudine consternatum reddere. Addit autem: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæcunque habes omnia, & distribue ea pauperibus & habebis thesaurũ in cœlo, & veni sequere me sublata in humeros cruce.* In his verbis Christus tã adolescenti, quam aliis monstrauit, quodnã sit illud *vnum*, quod ei ad perfectionem & ad salutem consequendam desit, nimirũ, contemptus diuitiarum & terrenarum opũ. Hisce enim, vt ex sequentibus patebit, animum suum ita apposuerat, vt præ illis cœlestes thesauros, imo Christum ipsum mundi seruatorem, negligeret. Ideo cor ipsi tangit, quando dicit: *vade, vende quæcunque habes omnia, & distribue pauperibus.* Hoc adolescenti huic diuiti durum erat verbum, licet antea gloriatus fuerit, se etiam præceptũ illud de dilectione proximi indeusque à iuuentute sua seruasse. Si seruauit, quomodo potuit tam multas habere possessiones, & non potius superflua distribuere fratribus egentibus? Vtque sciat, se hac distributione facultatum suarum, inter pauperes, nullã iacturam corporalium bonorum passurum, dicit ei: *& habebis thesaurum in cælo*, vbi sunt illa bona, quæ ærugo & tinea non demoliuntur, & quæ fures non effodiunt, nec furantur, Matth. 6. 19. At vero, quia etiam gentium Philosophi quidam inuenti sunt, qui omnes suas facultates reliquerunt, & inter alios distribuerũt, vt libertatẽ animi sui ostenderent, & se in eo quasi beatos esse demonstrarent, quod animus ipsorum quasi maior esset toto mundo, vt qui eius non indigeret. Ideo Christus hic addit illud, in quo potissimum ipsius perfectio constitisset, si parere voluisset. *Et veni sequere me*, tu pauper, pauperem me apud quem inuenturus es animæ requiem, & æternam salutem. Et hoc est, quod etiam supra monuimus, si quis ve-

sit particeps fieri regni cœlorum, necesse esse, siue infans sit, siue adultus, vt veniat ad Christum. *Talium enim*, qui Christo adhærent, *est regnum cœlorum*. Non autem Christus prius hunc diuitem adolescentẽ ad se venire, atque se sequi iubet, quam bona sua inter pauperes distribuisset: ne ipse aliquid de eius bonis appetere videretur: sed vt manifeste ostenderet, se ipsum quærere, & non quæ illius sint. Non desiderat ipse terrestria: qui nobis dat dona cœlestia. Tandem concludit: *sublata in humeros cruce*. Crux enim indiuidua comes est sectatorum Christi. Sicuti non ita pridem in hac ipsa vicinia docuerat, Luc. 14. 27. Qui nõ baiulat crucem suam, & venit post me: non potest esse meus discipulus. Hæc est summa doctrinæ, quam Christus proponit diuiti adolescenti, qua ratione vitam æternam hereditare possit.

Hoc loco Pontificij abutuntur ad oppugnandam iustitiã fidei, & Christum contradictionis insimulant. Dicunt enim: Alias Christus vnicam tantum fidem requirit, & pollicetur in se credentibus vitam æternam: hic vero diuitem adolescentem remittit ad opera legis. Ergo significat & fidem, & opera necessaria esse ad salutem: atque sic duplicem facit iustificationem, vnam fidei, alteram operum. Respondeo simpliciter & plane in singulis locis attendendum est, cum qualibus hominibus Christus sermonem suum instituat. Nam pro diuersitate per cunctatorum diuersa etiam dedit responsa. Quando eũ accesserunt Scribæ & consimiles personæ interrogantes, quid faciendo, aut quibus operibus vitam æternam sibi comparare debeant. Ibi Christus simpliciter respondit: Si operibus vultis vitam æternam promereri, nulla sanctior nec perfectior regula bonorum operum est, quam doctrina legis, cui nihil vel addi, vel adimi potest, quæ etiam habet promissionem vitæ. Si quis eam perfecta obedientia, eo modo, sicut lex præscribit, impleuerit. Non autem propterea Christus affirmat, Scribas istos vel hunc iuuenem hoc præstare posse, imo hoc agit, vt ipsos conuincat, quod legem perfecte implere non possint, vt intelligant, opus sibi esse alia iustitia, quam suorum operum, si vitam æternam velint hæreditare. Quemadmodum ergo medicus, si ægrum habeat, qui ex phrenesi morbum suũ non agnoscat, eum ad saltandum & currendum hortatur, vt agnita sua infirmitate medium & medicamenta tanto facilius admitat: ita Christus legem cum suis promissionibus primum proponit, vt, quia humanus animus ex spirituali quadã phrenesi de sua virtute plurimum sibi blanditur, in ipso conatu experiatur, se legem perfecta obedientia implere non posse, & ita discat, opus sibi esse medico & alia iustitia ad vitam æternam. Quod ipsum adolescens hic paulo post expertus est. Quã primum enim Christus ipsum de æterna obseruatione præceptorum gloriantem ad perfectam proximi pauperis dilectionem remisit, mox toto animo cõsternatus discessit, qui iam scalis sua opera factis in cœlum conscensurus putabatur. Neque etiam potest doctrina de gratuita fidei iustitia locum habere, nisi prius homo sit conuictus quod operibus suis ex lege non possit salutem & vitam æternam consequi. Atque hoc modo lex est pædagogus noster ad Christum, Gal. 3. 24. vt ipse sit nostra iustitia. Quando vero Christum adierunt, qui iam ante sensu suorum peccatorum erant consternati, nunquam eos ad legem; sed simpliciter ad fidem remisit, qua apprehenderent Christum Iesum, agnum illum Dei, qui sustulit peccatum mundi, vt in ipso vitam & salutem inuenirent. Hoc Pontificij nequiter inuertunt. Quod enim Christus Pharisæis opinione propriæ iustitiæ inflatis proposuit, vt superbiam eorum retunderet, hoc ipsi catechumenis, quærentibus quę sit fides qua vitam ęternam consequi possint, proponunt. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et cum Moses eos, qui volunt iustificari, mittat ad Christum. Põtificij suos iustificandos per baptismum iam Christo insitos à Christo ablegant ad Mosen & legem, vt faciendo ea, quæ scripta sunt, iustificentur & viuant. Hanc methodum etiam obseruarunt Apostoli, Luc. 2. 38. cum Iudæi catechumeni metu suorum peccatorum consternati interrogarent, quid faciemus viri fratres? Petrus nequaquam respondit: Si vultis vitam ingredi, seruate mãdata legis. Sed dicit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque in remissionem peccatorũ. Sic Act. 16. 30. cum carcerarius Philippis quæreret: Domine quid me oportet facere, vt saluus fiam? Quid respondit Paulus? num dixit: fac ea, quæ in lege scripta sunt, & viues? Nequaquã. Sed: crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu, & domus tua. Et cõtinuo baptizatus est, & ipse, & domus eius. Sic ergo videmus, Christum nequaquam sibi ipsi contradicere in doctrina iustificationis, sed tantum pro diuersitate auditorum suam doctrinam ita accommodare, vt & elati, si doctrinæ locum dare velint, & deiecti ad iustitiam fidei adducantur, & per eam saluentur. Interim omnes nouimus, quod fides bona opera non tollat. Nam neque vlla est vera fides, quam quæ per charitatem est efficax. Gal. 5. 6. Et in eo facile cũ Pontificiis consentiemus, quod bona opera sint necessaria. Sed si addant hæc verba, *ad salutem sunt necessaria*: tunc illa repudiamus, quia pugnant cum ὑποτυπώσει sanorum verborum. Neque duæ sunt iustificationes, vna fidei, altera operum. Sed coram Deo est vnica iustificatio fidei, & ea perfecta: opera autem: quæ sequuntur, sunt effectus iustificationis. Sicut etiam Augustinus scite dixit: Bona opera non præcedunt iustificandum; sed sequuntur iustificatum.

Disputatur etiam: vtrum hoc præceptum diuitum huic adolescẽti datum sit tãtum personale, an vero generale? Respondendum puto: primario & per se fuisse speciale. Neque enim Christus consimile mãdatum aliis dedit, sed singulis dispẽsationem rerum suarum œconomicarum liberã reliquit, etiam, iis quos summo sanationis dono affecerat. Paulus quoque quando ex professo tractat doctrinam de eleemosynis pauperibus erogandis, nemini iniungit, vt omnia erogent: sed expresse dicit; non vt aliis sit remissio, & vobis angustia; sed ex æqualitate. 2. Cor. 8. 13. Neque Vigilantium in eo errasse statuo, quod asseruit, melius facere illos, qui rebus suis recte fruantur, & paulatim fructus possessionum pauperibus diuidunt, quàm illos, qui possessionibus venundatis simul omnia elargiuntur. Secundario autem potest fieri generale præceptum, vt pro re nata, & maxime vrgentibus persecutionibus, omnia, quæ possidet, *non tam vendere*, quam deserere, & Christum nudum, nudus & ipse, sequi cogatur. Nam etiam alias Christus de suis discipulis pronunciauit, si quicquam in orbe se magis charum habeant, non esse ipsos se dignos.

Videamus etiam, quomodo adolescens hic Christi doctrinam exceperit. Erat initio valde auidus regni cœlorum, simul & perfectionis. Postquam autem ex Christo cognouit, per abiectionem diuitiarum, quarum ipse plurimas habebat, & per sequelam Christi posse ipsum perfectionem consequi, iam zelus ille deferbuit, & ipse pedem retro tulit. Quo enim plures possessiones habebat, eo magis ipsarum mancipium factus fuerat. Fortassis si parum possedisset, facile cum Apostolis relictis omnibus, Dominum secutus esset. Sed additio diuitiarum, apud ipsum quoque peperit additionem auaritiæ, vt animum suum ab opibus abstrahere non potuerit, ac propterea maluit Dominum, fontem *salutis & vitę*, quã opes suas deserere. Nam sermone Domini *vehementer contristatus* ab ipso abiit. Nec possunt *Euangelistæ* fere sufficientia verba inuenire, quibus *ipsius tristitiam* & mœrorem describant. Marcus dicit, *στυγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ, molestia affectus est*, idque, cũ indignatione aliqua, quam etiam ex vultu animaduertere licuit. στυγνάζω enim deriuatur ab antiquo στυγέω quod significat odio prosequor; & Matth. 16. 3. tribuitur cœlo, quando illud rubet, & tempestatem minatur. Lucas dicit, *περίλυπος ἐγένετο, mœrore affectus est*. L X X. vsi sunt hoc vocabulo Genes. 4. 6. de Caino, qui indignabatur, quod Deus ad Abelis, & non ad sua sacrificia respexisset. Ibi dicit ipsi Dominus: *Ἵνα τί περίλυπος ἐγένου*, vt quid succensa est ira tibi? vt quid condicit vultus tuus? vbi describitur habitus & gestus hominis valde mœsti, & magna tristitia affecti. Tandem Matthæus & Marcus dicunt *ἀπῆλθε λυπούμενος, discedebat mœrens*, magna animi ægritudine & tristitia affectus. *Es verschmecht dem guttigen Herrn nicht ein gerings, dass ihm der Herr Iesus seinen auffgeschlagenen Kram von guten VVercken nicht wil passiren lassen*. Huius vero tristitiæ & discessus causa refertur nulla alia, quam quod multa haberet & *κτήματα* & *χρήματα*, *& multas possessiones, & diues erat valde*. vel potius ipse ab istis suis bonis quasi captiuus detineretur. χρήματα significant, alias diuitias & omnia bona, siue mobilia, siue immobilia, à χράομαι, quod significat vtor, quia diuitiis est vtendum ad ea, quæ oportet, non sunt recondendæ. Hoc vero hic iuuenis noluit facere, ac proinde iure confusus, abiit. Est autem exemplum omnium eorum, qui iustitiæ suæ & operibus confidunt: hi vel tandem confunduntur. Nam accedẽte morte, quæ est *αἰώνιος ὁ ...*, tum demum intelligunt sibi præstanda fuisse ea, quæ vires ipsorum longe superant, si operibus saluari debuissent. Ac propterea non possunt non contristari ac animo affligi, quando se de fiducia sua tam turpiter deiectos esse sentiunt. Et sane est hæc salutaris tristitia, & secundum Deum, quando operatur pœnitentiam ad salutem stabilem, 2. Cor. 7. 10. Sed hic adolescens ipse suis commodis obstitit, quod tristitia affectus à Christo discessit, quem potius vt Deum amplecti, & plene ex ipso discere debuisset, vbi iustitiam, salutem, & vitam æternam quærere deberet, cum in se & suis operibus se ea nequaquam inuenire posse intelligeret. Sed tales etiamnum hodie inueniuntur, qui de propriæ iustitiæ fiducia deiecti, non tantum dolent, contristãtur, & indigne ferunt; sed etiam ne errasse videantur, veritatis doctrinam & fidos monitores odio prosequuntur, & hostiliter

ſtiliter oppugnant. Hos mittamus vadere, ſicut vadunt. Nam idem etiam Chriſtus hic fecit.

II. Non eſt dubium, exemplum huius adoleſcentis omnibus, qui aderant magnam admirationem peperiſſe. Qui enim modo accurrerat, zelo feruidus, & admirabili alacritate nil quam cœleſtia ſpirans, iam ſubito toto animo conſternatus rurſus diſcedit, totus terrenis ſuis opibus immerſus. Dum ergo illi omnes in hanc cogitationem eſſent intenti, Chriſtus *eum circumſpexiſſet*, & cordium ipſorum motus vidiſſet, incepit non tam admirabundus, quam dolens ob humani ingenij corruptionem de periculoſo diuitum ſtatu concionari, vt ſic diſcipulos ſuos in officio contineret, ne eos ſuæ paupertatis pœniteret. Dicit autem initio: *Quam difficulter hi, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.* Cum vero diſcipuli ob hæc verba obſtupeſcerent, videntes nimirum, non tantum tot diuites in mundo, ſed etiam quod diuitias ambirent & appeterent: Chriſtus quaſi blandimento quodam orationis, doctrinæ aſperitatem mitigat, & explicationem quandam addit, quales diuites intelligat. *Filij, quam difficile eſt eos, qui fiduciam habent in pecuniis, regnum Dei ingredi.* Inueniuntur enim, qui, ſi maxime diuitiæ affluant, cor tamen non apponunt, Pſal. 62. 11. nec confidunt in illis. Hi coram Deo ſunt pauperes Spiritu. Sed quia hi rari ſunt, ſicut etiam Syracides fatetur cap. 31. 8. Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula: & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecunia & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Ideo Chriſtus generaliter de omnibus diuitibus loquitur, potiſſimum autem non tantum de amantibus diuitias, quod eſt omnium auarorum proprium, ſed de confidentibus in eas, qui fiduciam, quæ ſoli Deo debetur, transferunt in aurum & argentum. Et quod hactenus de difficulter ſaluandis diuitibus dixit, illud etiam comparatione amplificat, inquiens: *Iterum dico vobis: Facilius eſt camelum per foramen acus ingredi, quam diuitem in regnum Dei ingredi.* Hic multum diſputant de camelo, & de foramine acus, per quod camelus ingredi cogatur. 1. Sunt aliqui, qui dicant Hieroſolymis portam fuiſſe, quæ foramen acus dicta fuerit, per quam camelus niſi depoſito onere, & flexis genibus tranſire non potuerit. Cumque hoc ſine difficultate fieri non potuerit: ita neceſſe fore vt ſi diuites per anguſtam portam, quæ ducit ad vitam, ingredi velint, prius onus diuitiarum abiiciant, quod pleriſque admodum difficulter accidit. Sed quia ex nullis probatis hiſtoriis demonſtrari poteſt, quod talis Hieroſolymitana porta fuerit; merito hanc ſententiam ſuo relinquimus loco. 2. Alij ſimpliciter inhærent literæ, & putant, camelum animal hic intelligendum eſſe. Et ſane cameli comparatio cum diuitibus pulchre conuenit. Onerant enim ſic ſe ſarcinis diuitiarum, vt veluti gibbo quodam inæqualitatis coram Deo & hominibus deformati incedant, & proinde per anguſtam portam ſalutis, niſi depoſito gibbo tumoris, & ſarcinis opum, ad æqualitatem reducantur, ingredi non poſſint. Quia vero camelum, animal, per foramen acus tranſire ſimpliciter impoſſibile eſt: ideo illi, qui hanc tuentur ſententiam, prætendunt eſſe locutionem hyperbolicam. Quod ego non libenter dixero. Nam hyperbolas Chriſto & eius verbo tribuere velle mihi minus pium videtur. Mihi ergo magis placet; 3. tertia ſententia, qua alij per *camelum* non animal, ſed funem nauticum, quo anchora alligatur, qui & ipſe Græcis κάμιλος, camelus, dicitur, metaphora ab animali ſumta, ob eius craſſitiem & tortuoſitatem, intelligunt. Etſi enim etiam difficile ſit talem funem per foramen acus traducere: non tamen ſimpliciter eſt impoſſibile. Siquidem ſi funis reſoluatur in tenuia ſua filamenta, facile ſenſim traduci poteſt. Aptior etiam eſt comparatio funis cum acu, quam animalis cum acu. Summa autem totius huius ſermonis Chriſti eſt, quod voluit oſtendere, diuites ægre admodum Euangelij vocationem, quod nos regni cœleſtis ciues facit, ſequi.

Hic vero iuniores concionatores attendant, ne occaſione huius ſermonis Chriſti ſiue diuites, ſiue diuitias ſimpliciter damnent. Diuitiæ enim ex Dei benedictione dantur Deut. 28. 1. & ipſius dilectis in ſomno. Pſalmo 127. 3. Vnde recte Salomon Prouer. 10. 22. benedictio Domini diuites facit, nec ſociatur eis afflictio. Fuerunt quoque multi pij & ſancti diuites, non tantum in V. T. (quo tempore putant Pontificij hoc præceptum perfectionis nondum datum fuiſſe) quales fuere, Abrahamus, Gen. 24. 35. Iob, Iobi. 3. Dauid, Salomon & alij: ſed etiam in Nouo, inter quos fuit Lazarus Bethanienſis Chriſti amicus, & Ioſephus ab Arimathæa, cuius ſtudium in aſſerenda Chriſti innocentia & honore tempore paſſionis clarius eluxit, quam omnium Apoſtolorum. Non igitur Dominus diuitias vel diuites ſimpliciter reiecit, ſed corruptos hominum mores arguit, qui illis rebus, quas Deus ipſis adminicula virtutum & pietatis largitur, ad proprium ſuum exitiũ abutuntur. Sic poſſet pius vir ſibiipſi optare multas opes: tantum vt haberet facultatem multis benefaciendi. Sed videmus, proh dolor, fere omnes, quibus diuitiæ affluunt, Cor ipſis apponere, & illo vitio laborare, cuius Chriſtus hic meminit, *vt fiduciam habeant in diuitiis ſuis.* Hoc peccatum adeo grande & enorme eſt contra primum præceptum, vt illud ſolum mereatur æternam damnationem. Nam & Paulus ad Eph. 5. 5. teſtatur, quod omnis auarus ſit idolorum ſeruus, & non habeat hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Ideo etiam Syracides dicit cap. 31. 6. Aurum ſacrificantibus ſibi eſſe lignum offenſionis: væ illis, qui ſectantur illud, & omnis imprudens deperiet in eo. Vere aurum eſt lignum offenſionis iis, qui illud appetunt. Nam ſi quis perpendat, quas curas, quos labores, quot pericula auari ſuſtineant & quas malas & illicitas artes exerceant, donec pecunias corradant, plurimum offenſionis inueniet. Iam vero diuitias poſſidentes, quot lites, rixas, diſſidia ſuſtinent, propter MEVM & TVVM, vt quis longe commodius ſuperfluitate iſti diuitiarum deſtituatur. Adde his vitia, in quę diuites facile incidũt, qualia ſunt luxus, ſuperbia, intemperantia, faſtus, laſciuia, libido, quæ ſunt offenſiones animę ad interitum, vt in Epulone diuite vidimus. Denique, quando tempore mortis opes ſunt deſerendę, bone Deus, qui ibi ſunt gemitus; lacrymę, interdum etiam ſingultus & clamores. Deſerere enim coguntur Deum ſuum, in quem hactenus omnem ſuam fiduciam collocarũt. De vero autem Deo quem hactenus ſecure neglexerunt, ſpem nullam habere poſſunt. Ideo fere indignabundi, cum gemitu & fremitu feruntur ad vmbras. Et talium damnatio iuſta eſt. Nã externa quidem profeſſione Dei cultum & numen prę ſe tulerunt: in corde autem Mammona ſuum vero Deo prætulerunt, neque illum in fidei & religionis confeſſione propter hunc periclitari paſſi fuiſſent. Hæc ergo vitia ij, quos Dei benedictio diuites fecit, caueant, & ſemper memores viuant dicti illius Paulini 1. Tim. 6. 17. tum diuitiæ ipſos non damnabunt. Sicuti etiam paupertas neminem per ſe ſaluat, prout nunc audiemus. Nam teſtantur Euangeliſtæ porro, diſcipulos, poſtquam audiuerunt, faciliorem eſſe tranſitum cameli per foramen acus, quam ingreſſum diuitis in regnum Dei *obſtupuiſſe & ſupra modum expauiſſe*, ac proinde *mutuo, intra ſe,* & ad inuicem dixiſſe: *Quis ergo poteſt ſaluus fieri?* At quid opus eſt, ipſos expaueſcere ſuper hoc ſermone, aut de ſalute dubitare, Cum relictis omnibus ipſi pauperes, Chriſtum pauperem dudum ſecuti ſint? cum item nõ ignorare potuerint, pauperum ſemper in mundo longe maiorem numerum eſſe, quam diuitum? Dicunt ergo aliqui; Diſcipulos licet inopes, tamen de aliorum ſalute angi, & dolere tot magnos & præclaros viros à regno Dei ſecludẽdos eſſe. Nam intellexiſſe ipſos, etiamſi nõ omnes in mundo habeant diuitias, raros tamẽ eſſe, qui non ſumme iis officiantur, eaſque habere maxime deſiderent. Et quoniã Chriſtus hic affirmat, diuites difficulter ſaluãdos, nõ tam propter opum affluentiam quam propter animum, quẽ ergà diuitias habent, diſcipulos in hanc quæſtionem erupiſſe: *quis ergo poteſt ſaluus fieri?* Hæc ſane bene dicuntur: ſed videtur aliud ſubfuiſſe. Nimirũ diſcipuli hoc pauore, & hac interrogatione produnt animi ſui morbũ quem Petrus in ſequenti capite amplius deteget. Reliquerant ſane illi reculas ſuas, & Chriſtum ſecuti ſunt, quo ipſo potiri poſſent: ſed fecerunt id, vt hactenus multis in locis vidimus, ſpe conſequendi regni terreni, in quo profectos opes & facultates amplas, atq; ſpolia opima à gentibus reportare vellent. Poſtquam ergo nunc ſentiunt, per hunc opulentum adoleſcentem, qui propter Chriſtum opes ſuas deſerere nolebat, omnes eos moneri, qui eiuſdem eſſent ingenij, iam doles ipſis non tam aliorum perditio, quos fiduciam in opibus collocare videbant, quã propria ſua conditio; quas ampla illa ſpe de poſſidendis mũdi opibus, turpiter excidiſſe metuebant. In eo tamen; quod ipſi pauperes dolent de perditione diuitũ, redarguunt modernos ordines Mendicantium inter Pontificios. Qui quoniam ſua ex inconſiderato voto deſeruerunt, & in clauſtra ſe abdiderunt, magnifice de ſua egeſtate gloriantur, diuitibus ſuam fortunam inuident, eos ſupercilioſe damnant, ſe vero per paupertatem ſuam voluntatem cœlum mereri ſibi perſuadent. Inepti homines, qui non poſſunt intelligere aliud eſſe, habere diuitias, & aliud *confidere in diuitiis.* Neque ſemper ſequitur ab opum cupiditate alienos eſſe eos, qui vel turpiter eas prodegerunt, vel inani ſuperſtitione perſuaſi reliquerunt. Et quemadmodũ modo diximus, diuitias ex benedictione Dei datas, ſi rectè adminiſtrẽtur, neminem damnare, ita hic quoque dicere cogimur, paupertatem per ſe neminem ſaluare. Neque enim vlla paupertas habet ſalutis meritum, excepta ea, de qua Paulus ſcribit. 2. Cor. 8. 9. Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues: vt illius inopia vos diuites eſſetis. Si quis tamen ex Dei voluntate & diſpenſatione pauper ſit, & egenus, is non deſperet, ſed pietati ſtudeat, precibus vacet, &

fiduciam suam in Domino collocet, qui ipsi in difficultatibus constituto, paterna sua ope succurrere potest.

Postremo Dominus Iesus, qui nunquam suis neque consternatis, neque pauefactis deest, vt conceptam animi tristitiam in discipulis mitigaret, benigne *eos intuitus est*, vt sic mansueto suo oculo turbationem mentis eorum sedaret: & simul etiam verbis consolatione plenis, quibus diuinam virtutem ipsis considerandam proposuit, eos ad confidentiam exhortatus est. Dixit enim: *Apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum. Omnia autem quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Duo cõplectitur hęc respõsio membra. Primũ concedit *apud homines impossibile esse*, vt non tãtum diues, sed in genere quisquam hominum saluus fiat. Ea enim nunc est, post tristem primorum parentum lapsum, omnium hominum cõditio, vt natura omnes terrenis addicti, cœlestia negligant, nisi diuina regeneratione animi ipsorum mutentur, vt terrena despiciendo, cœlestia suspicere incipiant. Quapropter omnino humana virtute nemo saluatur, sed diuina requiritur gratia, qua id quod antea erat impossibile, ipsius benignitate reddatur facile. Vbi probe notãdum, quod Christus discipulos de salute tam sua, quam aliorum consternatos, non remitti ad naturæ suæ vires, aut liberi arbitrij sui fiduciam, quibus impossibile esse testatur, vt homo saluetur: sed simpliciter ad gratiam Dei. Quo ipso concidit officina Papę, & sumptuosa illa meritorum, tam propriorum, quam alienorum, suppellex, quam multi magno ære coemere. Hæc enim quicquam ad salutis promotionem facere Christus hic negat, dum affirmat *apud homines hoc impossibile esse*. 2. Sed alterum responsionis membrum, qua ratione tam diuites, quam pauperes facile saluari possint. *Apud Deum omnia sunt possibilia.* Hic enim per Spiritus sui gratiam corda hominum regenerat, & in iis operatur, quæ alias ipsis essent impossibilia. Sic diuitum multorum corda mutat, vt illa diuina virtute à temporalium rerum amore & cupiditate abstracta, tanquam cœlestia desiderent. Efficit etiam, vt alacres vel abiiciant & deserant, quę possidēt, vel, quasi non possiderent, sint affecti, parati non tantum illa, sed etiam ipsam vitam impendere, si Dei gloria, & religionis negotium id postulant. Hoc in Apostolis præstitum esse videmus, qui post acceptum Spiritum sanctum, cum consternatione hac de rebus tēporalibus earundem desiderium omne abiecerunt, cõtẽti eo, si per Dei gratiam cœleste Christi regnum in hoc mũdo propagare possent. Omnes eodẽ modo affecti, quo Apostolus Paulus Phil. 4. 11. de se scribit: Ego didici, in quibus sum contentus esse. Scio & humiliari, scio & abundare, vbique, & in omnibus institutus sum, & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati, omnia possum in eo, qui me confortat.

CAPVT CXXXII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, PETRVS SVO ET COLLEGARVM NOMINE INQVIRIT DE COMPENsatione, quod propter Christum omnia deseruissent. Dominus respondet, & addit parabolam de conductis operariis in vineam, Matth. 19. 27. & 20. vers. 1. Marc. 10. 28. & Lucæ 18. 28.

RATIO ORDINIS.

HÆc ad antecedentia non interrupto ordine sequi non tantum vnanimis trium Euangelistarum consensus ostendit: sed etiam particula τότε, *tunc*, quam Matthæus ponit, euincit. Et quidem sic arcte hæc cohærent, vt multi hanc historiam cum priore in vnum caput coniungant. Verum, quia dubium non est, hanc fuisse peculiarem & priuatam cum Apostolis actionem, cui postea parabola aptissime subiungitur, ideo eandem peculiari capite etiam explicabimus.

Petrus cupit nosse præmium Apostolatus. Matth. 19. 27.

27. Τότε ἀποκριθεὶς ὁ πέτρος, εἶπεν αὐτῷ· ἰδοὺ ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι, τί ἄρα ἔσται ἡμῖν;	27. *Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis?*
28. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀκολουθήσαντές μοι, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, ὅτ' ἂν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ ἰσραήλ.	28. *Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*
29. Καὶ πᾶς ὃς ἀφῆκεν οἰκίας, ἢ ἀδελφὰς, ἢ πατέρα, ἢ μητέρα, ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγροὺς ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου, ἑκατονταπλασίονα λήψεται, καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει.	29. *Et omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitæ æternæ fortietur hæreditatem.*
30. Πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι, ἔσχατοι· καὶ ἔσχατοι, πρῶτοι.	30. *Multi autem primi erunt nouissimi, & nouissimi primi.*

Marci 10. 28.

28. Καὶ ἤρξατο ὁ πέτρος λέγειν αὐτῷ, ἰδοὺ, ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι.	28. *Et cœpit Petrus dicere illi, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.*
29. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐδείς ἐστιν, ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν, ἢ ἀδελφοὺς ἢ ἀδελφὰς, ἢ πατέρα ἢ μητέρα, ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγροὺς, ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ τοῦ εὐαγγελίου,	29. *Respondens autem Iesus, dixit, Amen dico vobis, Nullus est, qui reliquit domum aut fratres, aut sorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem aut liberos, aut agros, mea causa, & Euangelij,*
30. Ἐὰν μὴ λάβῃ ἑκατονταπλασίονα νῦν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, οἰκίας, καὶ ἀδελφοὺς, καὶ μητέρας καὶ τέκνα, καὶ ἀγροὺς μετὰ διωγμῶν, καὶ ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον.	30. *Quin recipiat centupla, nunc in tempore hoc, domus, & fratres & sorores, & matres & liberos, & agros cum persecutionibus, ac in seculo venturo vitam æternam.*
31. Πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι, καὶ οἱ ἔσχατοι πρῶτοι.	31. *Multi autem primi erunt postremi, & postremi primi.*

Lucæ 18. 28.

28. Εἶπε δὲ ὁ πέτρος: ἰδοὺ ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα: καὶ	28. *Ait autem Petrus, Ecce nos reliquimus omnia, &*

ἠκολουθή-

ἠκολουθήσαμέν σοι.

29. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐδείς ἐστιν, ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν ἢ γονεῖς ἢ ἀδελφοὺς, ἢ γυναῖκα ἢ τέκνα, ἕνεκεν τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ.

30. Ὃς οὐ μὴ ἀπολάβῃ πολλαπλασίονα ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, καὶ ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον.

secuti sumus te.

29. *Hic verò dixit eis, Amen dico vobis, quod nemo est qui reliquit domum aut parentes aut fratres, aut uxorem aut liberos, propter regnum Dei.*

30. *Qui non recepturus sit multo plura in hoc tempore, & in seculo venturo vitam æternam.*

Harmonia huius historiæ.

b Καὶ, a Τότε ἀποκριθεὶς b ἤρξατο l ὁ Πέτρος b λέγειν, καὶ a εἶπεν c αὐτῷ. l ἰδοὺ ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι, a τί ἄρα ἔσται ἡμῖν; b ἀποκριθεὶς l δὲ e ὁ Ἰησοῦς l εἶπεν f αὐτοῖς. a Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀκολουθήσαντές μοι, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, ὅτ' ἂν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ ἰσραήλ. Καὶ πᾶς ὃς ἀφῆκεν οἰκίας, ἢ ἀδελφοὺς, ἢ ἀδελφὰς, ἢ πατέρα, ἢ μητέρα, ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγροὺς ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου, ἑκατονταπλασίονα λήψεται, καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει. h ἀμὴν λέγω ὑμῖν, c ὅτι h οὐδείς ἐστιν ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν, ἢ ἀδελφοὺς, b ἢ ἀδελφὰς. h ἢ πατέρα, ἢ μητέρα, ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, b ἢ ἀγροὺς, h ἕνεκεν b ἐμοῦ καὶ τοῦ εὐαγγελίου, c καὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ h ὃς b οὐ h μὴ ἀπολάβῃ c πολλαπλασίονα b νῦν h ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, b οἰκίας, καὶ ἀδελφοὺς, καὶ ἀδελφὰς, καὶ μητέρας, καὶ τέκνα, καὶ ἀγροὺς μετὰ διωγμῶν, h καὶ ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον. c πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι, καὶ οἱ ἔσχατοι, πρῶτοι.

b *Et* a *tunc respondens* b *cœpit* l *Petrus* b *dicere, &* a *dixit* c *ei.* l *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te,* a *quid ergo erit nobis?* b *Respondens* l *autem* e *Iesus* l *dixit* f *eis,* a *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti me estis, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam sortietur hæreditatem. Amen dico vobis,* c *quod* h *nemo est, qui reliquit domum, aut fratres,* b *aut sorores,* h *aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos,* b *aut agros, mea causa, aut Euangelij,* c *& propter regnum Dei,* h *quin recipiat* c *multo plura,* b *nunc* h *in tempore hoc,* b *domus & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros cum persecutionibus,* h *ac in seculo venturo vitam æternam.* e *Multi autem primi erunt nouissimi, & nouissimi primi.*

Periocha huius Colloquij Petri cum Christo.

PEtrus nondum potest conquiescere in hoc negotio, ipse cum suis collegis Christum secutus est, nō ea intentione, quod perpetuo pauper esse velit, sed hac spe, quod amplissimam compensationem à Christo accepturi sint, quam certe in externis opibus & facultatibus huius mundi consistere statuerunt. Præter spem itaque ipsis accidit, quod de periculosa diuitum conditione, & quod ipsis fere spes omnis vitæ æternæ præciditur, nuper audiuerunt. Monet ergo Christo hanc quæstionem: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, Quid ergo erit nobis?* Magnificus sane sermo, sed eo ipso Petrus exprimit cum sui ingenij, tum totius humani generis sollicitudinem, quomodo nihil boni sine mercede vel sine præmiis vult agere. Nam præter cætera infinita discrimina inter Deum & homines, etiam hoc non est postremum, quod quæcunque Deus bona facit, illa facit nulla necessitate, nulla sua vtilitate: sed ex mera bonitate. Nos vero homines vix quicquam boni agimus, nisi aut necessitate coacti, aut vtilitate perspecta; quæ si absint, languet nostra actio. Ideo Deus Opt. Max. hanc ingenij humani labem perspiciens, & tamen omnes homines saluos fieri cupiens. 1. Tim. 2. 4. amplissima præmia, quibus pietatem remunerare velit, in verbo suo proponit. Hinc Dauid Psalm. 19. 12. Iudicia Domini vera, in custodiendis illis retribuendo multa. Esa. 45. 19. Non dixi semini Iacob, Frustra quærite me. Et Paulus 1. Cor. 15. v. vlt. Stabiles & immobiles estote: abundantes in omni opere Domini, semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Idem 1. Tim. 4. 8. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Neque enim Deus remunerationem, semper reiicit in alteram vitam. quia est ille Dominus, cuius merces est cum eo. Esa. 40. 10. licet eam fere differat, quam moram humanum ingenium quoque ægre fert. Idē hic Petro accidit, ideo Christo dicit: Nos Apostoli, relictis omnibus ad tuam vocationem te secuti sumus, spe illa bona freti, nos remunerationem amplissimam consecuturos, quæ iacturam illam omnem resarciat. Nunc, quoniam audimus, diuitum adeo periculosam esse conditionem, scire equidem velim, quid nobis amplius sit sperandum?

Concurrunt hic aliquot grauia vitia in Apostolis quæ in tantis sanctis (quales iam tum esse volebant) sunt intolerabilia. 1. valde ambitiose iactant, quid propter Christum fecerint: *nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Quæso autem, mi Patre, dicas nobis, quæ & quanta & reliqueris propter Christum cum tuis sociis, casas piscatorias, vel tuguriola potius, scaphas aliquot, retia, hamos, remos, contos, & alia quædam paupertatis instrumenta, quibus per durum manuum laborem duriter & parce victitastis. Adhuc, qualiter & quatenus hæc omnia reliquistis? Eatenus, vt domi tamen eadem omnia retinestis. Vsum reliquistis, sed possessionem retinuistis. Nam post Christi resurrectionem, Ioh. 21. 3. ad eorundem vsum rediistis: Non ergo de tam magna desertione adeo magnifice gloriari debuistis. Considerate potius, quid vobis ex Christi comitatu accesserit. Sine laborare, sine molestia victum & necessaria omnia habuistis, vt Luc. 22. 36. ipsi fateri cogimini, nihil vnquam vobis defuisse, dū Christum secuti estis. 2. Magna hic elucet ingratitudo, quod beneficia Christi, quæ opes & diuitias mundi longe superant, nō digne æstimarunt. Christus enim sua doctrina conscientias ipsorum liberas reddidit à seruitute traditionum Pharisaicarum, eosque adduxit ad libertatem filiorum Dei. Iam ergo plus receperant, quam reliquerant. 3. Adhuc tertium vitium, quod de præmio quærunt, antequam ad metam peruenerunt: imo cum adhuc incerti essent, an vnquam ad metam peruenturi essent. Vere piorum est, non de præmio; sed de suo officio sollicitos esse. De præmio certi esse possunt, quo Deus iustissimus nunquam ipsos priuabit. De officio autem suo solliciti sint, consideratione suę infirmitatis & corruptionis naturalis, ne illud negligant, atque sic præmio sperato excidant. 4. Quartum vitium simul produnt, quod adhuc animi ipsorum titillantur spe regni terreni, vnde etiam spiritus superbiæ ipsis crescunt, vt Christo magistro suo talia proponere ausint. Ex his quisque etiam sui ingenij vitiositatem agnoscat, ne sibi quicquam de perfectione sua imaginetur. Videmus enim quam facile etiam sanctissimis tales cogitationes quasi furtim surrepere possint, quibus se coram Deo plane contaminatos esse ostendunt. Apostoli ante triennium à Christo electi fuerūt, vt essent sal terræ, & lux mundi: perseuerarunt etiam apud Christum multis aliis deficientibus: & tamen hic adeo turpiter se dant. Quapropter, qui existimat se stare, videat ne cadat. 1. Cor. 10. 12.

II. Christus, licet Apostoli acrem correptionem meriti essent, amice tamen & blande eis respondet, & turbatos animos amplissimis promissionibus erigit. Calamum enim quassatum non conterit, & linum fumigans non extinguit. Esa. 42. 3. Et est fidelis ille Pontifex, qui infirmitates nostras non tantum agnoscit, iisque compatitur; sed etiam ipsis medetur. Hebr. 4. 15. Bene itaque & nos speremus, qui nostras interdum infirmitates sentimus & deploramus. Promissiones autem proponit duas. Vnam, pro Apostolis specialem, & singularem. 2. Alteram, quæ ipsis cum omnibus piis & credentibus est communis. Quibus subiicit suam admonitionem, ne, qui bene cœperunt, efferantur; sed ad finem vsque in labore & humilitate perseuerare studeant.

De Apostolis in specie dicit, graui cum asseueratione; *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* 1. De bonorum desertione nihil repetit. Neque enim operæ pretium erat, de tam tenuibus rebus multum verborum facere, & ipsi iā semel atque iterū ex Magistro audierant: si quis nō renue-

tit omnibus, quæ possideat, eum non posse esse ipsius discipulum. 2. Sed dicit: *Vos, qui secuti estis me.* Bonorum desertio parum facit ad regnum Dei nisi accedat sequela Christi. Est autem hæc duplex: vna corporalis, qua Apostoli tãquam indiuidui Comites Christum secuti sunt, altera Spiritualis, qua ipsum secuti sunt, addiscentes ipsius doctrinam, ex qua non tantum vitam æternam, & mores ad ipsius imitationem instituerunt; sed etiam viam, qua Christum ad vitam æternam sequerentur, ingressi sunt. 3. Addit, *in regeneratione.* Hæc verba D. Hilarius, & alij quidam referunt ad præcedẽs verbum, *secuti estis*, vt Christus loquatur de primo suo aduentu, quo opus redemtionis humani generis inchoauit, & per baptismum ex deperditis, Adami filiis: cum ipsos, tum alios in Dei filios regenerauit, vt olim æterna & cœlesti vita frui queant. Alij vero referunt ad sequens verbum *sedebitis*: vt loquatur de secundo suo aduentu, vbi in nouissimo die, qui à Petro Act. 3. 21. dicitur dies restitutionis omnium, & mortui resurgent omnes, & superstites in momento immutabuntur. Is dies hic vocatur à Christo *regeneratio*, eo quod in resurrectione regeneratio nostra, quæ in baptismo inchoata, & vbi anima ab omnibus sordibus peccatorum abluta est, plene perficietur, ita vt etiam corpora nostra incorruptibilitatem & immortalitatẽ induant, atque conformia fiant glorioso corpori Christi. Phil. 3. v. vlt. Potest autem vterque sensus commode coniungi, quia Christus dicere vult: non vos pœniteat iacturæ, quam passi videmini, eo quod me veræ *regenerationis* autorẽ & doctorem, relictis aliquibus vestris reculis, præ aliis secuti estis. Non deerit vobis vestrum præmium, quod in magno illo *regenerationis* & restitutionis omnium die vniuerso mundo patefaciam. Nam 4. *quando* Ego, qui nunc nihil quã *Filius hominis*, imo omnium hominum abiectissimus videor in nubibus cœli cum sanctis meis angelis venero, & sedero *in sede maiestatis meæ* iudicaturus viuos & mortuos: tunc *etiam vos sedebitis iudicantes duodecim tribus Israel.* Hic cogitate, quæ illa maiestas gloria futura sit. Sedet quidem Filius hominis iam *in sede maiestatis suæ* ad dexteram cœlestis sui Patris: sed corã nobis hominibus ea iam est occulta. In nouissimo autẽ die, quando cum gloria & maiestate magna se iudicẽ exhibebit, tunc omni carni apparebit, quanta illa sit maiestas. Nõ quod corporali sessione sic sessurus sit: sed per tropum & humano more describit manifestationem illã gloriæ suę, vt res ipsa eo illustrior fiat, & melius intelligatur. Etenim monarchæ res magnas peracturi, in sublimi throno considere, & assessores vel principes cognatos, vel proceres regni, aut fidelissimos cõsiliarios habere solent: vbi certe Assessorum omnium gloria magna est, quæ ipsis accedit ex maiestate sui regis. Sic testatur Christus, se in illo maiestatis suæ actu eiusdem secum gloriæ socios habere velle Apostolos, qui in his terris fidi regni ipsius fuerint administri. Idem, quod hic Christus pollicetur Apostolis, ad ipsos repetit. Luc. 22. 19. De hac autem sessione Filij hominis in sede suæ maiestatis scribit Daniel cap. 7 13. quod ea ipsi monstrata fuerit in visione.

Cæterum hic quæritur, quomodo Apostoli *sint iudicaturi duodecim tribus Israel*, cum Ioh. 5. 22. Christus expresse dicat, Patrem Filio dedisse omne iudicium? Putant aliqui, id futurum ab ipsis comprobatione sententiæ Christi, aut Apostolorum cum aliis comparatione. Sed Christi promissio amplius quid polliceri, ipsisque autoritatem & potestatem aliquam in ipso iudicio tribuere videtur. Ideo dicere possumus Apostolos iudicaturos. 1. quoad doctrinam & prædicationem Euangelij, quia secundum illam in nouissimo die sententia pronunciabitur, quæ in cœlos recipiet omnes credentes, & vicissim condemnabit omnes, qui Euangelio nõ crediderunt. Sic Paulus scribit Rom. 2. 15. in die cũ iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum per Iesum Christum. 2. Iudicaturi etiam sunt suo testimonio, quod cõspectu suo ita conuincent Iudæos vt non possint in iudicio illo prætendere, quod doctrinam illam ignorarint. Nam propria ipsorum conscientia ipsos conuincet, & in memoriam reuocabit, quid Apostoli inter ipsos ipsorum salutis gratia & dixerint, & fecerint: sed ipsi omnia pertinaciter respuerint. Ideo etiam Christus dicit Matth. 24. 14. Euangelium prædicandum esse in vniuerso orbe, in testimonium omnibus. 3. Iudicaturi etiam sunt suo exemplo. Nam si Iudæi prætendere velint, doctrinam Euangelij nimium ipsis fuisse sublimem & abstrusam, quam iuxta legis doctrinam neque percipere, neque recipere potuerint. Apostoli exempli loco ipsis ante oculos statui possunt, qui, cum rudes & illiterati essent, tamen Euangelij doctrinam intellexerunt, per eam renati, & filij Dei facti sunt. Hęc certe iudicabilis erit Apostolorum dignitas, illi, qui in hoc mundo omnibus, potissimum autem Iudæis, contemtui fuerunt, iudicaturi sunt sua doctrina, suo testimonio, suo exemplo *duodecim tribus Israel.* Etsi enim omnes stabunt ante tribunal Christi, Rom. 14. 10. & manifestabimur, vt vnusquisque reportet propria corporis. 2. Cor. 5. 10. tamen hic *duodecim tribus Israel* nominantur, vel, quia Apostoli secundum numerum illarum tribuum electi, & primum ad eas missi sunt: vel quia Christus mortuus est, vt filij Dei dispersi, per prædicationem Euangelij congregarentur. Iohan. 10. 52. Atque sic totus Israel Dei. Gal. 6. 16. saluaretur. Vnde etiam totum regnum Messiæ in Scriptura peculiariter regnum Israelis dictum est.

2. Postquam Dominus Apostolis suis aperuit, *quæ propria ipsorum futura sint bona*, eo quod relictis omnibus se secuti sint: iam etiam secundo loco indicat, quæ bonos reliquos Christianos & fideles maneant, qui & ipsi Christum sequuntur, & sæpenumero si non omnia, quædam tamen propter ipsum relinquere coguntur. Hisce dat generalem hanc promissionem: *& omnis, qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet in hoc tempore* (vt habent Marcus & Lucas) *& in futuro seculo vitam æt.* 2. Sunt hæc verba aliquanto diligentius expendenda. 1. De quibus loquitur hęc promissio? Non simpliciter de omnibus, qui patres, liberos & agros relinquunt. Potest enim quis hoc facere ex impietate, alij per intemperantiam, alij ex inani superstitione: quæ omnia Christo non probantur, ac proinde tales loco præmij pœnam consequentur. Sed Christus diserte exprimit, quos sic remunerare velit: eos *nimirum, qui sua deserunt*, vt Matthæus dicit *propter nomen meum*: aut vt Marcus, *mea causa aut Euangelij*, aut, vt Lucas habet *propter regnum Dei.* Sensus apud omnes tres eodem recidit. Christus enim est, qui Euangelium ex sinu Patris protulit, & per illud regnum Dei instaurat: vnde hæc tria Christus, Euangelium, regnum Dei, ab inuicem diuelli non possunt. Pertinet itaque hæc Christi promissio ad eos, qui vera fide & Euangelio hausta, Christo sic adhærent, & in eo atque per eum in regno Dei saluari cupiunt, vt nihil in mundo adeo charum habeant, quod ipsi præferant, ita vt si opus sit, omnia illa libentius, & absque tergiuersatione abiiciat, modo à Christo non separentur. Exemplum huius habemus in Abrahamo, patre omnium credentium. Is, vt diem Christi videre posset, ad vocationem Dei non tantum deseruit patriam, parentes, cognatos, & exul factus est: sed etiam vnicum & dilectissimum filium Isaacum ad mandatum Domini immolare paratus fuit. Hunc imitemur, si γνήσιοι, ipsius *filij esse velimus.* 2. Quid relinquere oporteat Christianum? Enumerat Christus, *domos, fratres, patrem, matrem, vxorem, filios agros*: quæ omnia & charissima sunt, & summe necessaria, & sine istis nemo commode, nemo honeste vitam transigere potest. Cogitat ergo omnis humana ratio, quis ea sine molestia relinquere potest, nisi fere sensum communem exuerit? Parentibus certe, coniugibus, liberis, fratribus & sororibus Natura & Deus ipse ita nos obstrinxit, vt impie agant, qui eos temere deserat, aut necessaria neget. 1. Tim. 5. 8. qui suorum, maxime domesticorum, curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior. Habent ergo Christi verba hunc sensum: vt parentibus, vxori, liberis, cognatis præstemus quidem debita pietatis & humanitatis officia, prout Dei verbum ipsis id præscribit: quando vero ipsi nos à Christo auocare, in deuia errorum & corruptelarum abducere conantur, satius est ipsos deserere, & vni Christo adhærere, quam propter ipsos æternam salutem perdere. Sic domus, prædia, & aliæ facultates honeste partæ, quamdiu vna cum Christo salua fide retineri possunt, non debent temere relinqui: sed quando persecutores nos cogere volunt, vt vel Euangelij puritatem abnegemus, vel expectemus, vt omnibus bonis exuamur, tum bona illa omnia prompte sunt relinquenda, & iactura illa pro lucro reputanda. Non ergo est generale mandatum, ab omnibus indifferenter obseruandum: sed tantum Christus docet, quid singuli, si necessitas vrgeat, facere debeant. 3. Quid vero præmij habituri sunt, qui sic propter Christum charissima relinquunt? Christus duplicia recenset 1. *Centuplum*, vt habet Matthæus, aut, vt habet Lucas, qui numerum illum finitum exponere voluit, πολλαπλασίονα *multo plura in hoc seculo.* 2. *in seculo venturo vitam æternam.* De compensatione vitæ æternæ in venturo seculo, nullus pius dubitabit. Sunt enim verba Christi qui est Deus veritatis: vnde ipse de se dixit Luc. 21. 33. cœlum & terra transibunt, sed verba mea non transibunt. De centupla autem remuneratione in hac vita dubitare quis posset; cum experientia multoties refragari videatur. Quot enim pios Euangelicos nostra ætas vidit, qui à Pontificiis Euangelij causa omnibus suis facultatibus exuti, residuum vitæ in egestate transigere coacti sunt. Quanquam, Deo sit laus, contrarium etiam, & plenam huius promissionis Christi impletionem viderimus. Sciendum ergo modum retributionis non esse vnum. In quibusdam implet eã Christus etiam κατὰ τὸ ῥητόν. Quid defuit Abrahamo, postquã paternam

paternam domum, & omnem suam cognationē ad vocationem Dei reliquit? Diues fuit, benedictionem Dei in omnibus sensit: etiam reges in eius confœderationem venerunt. Sic Apostolis postquam Euangelij causa egressi essent in vniuersum terrarum orbē, & domi reliquissent omnia, omniū fidelium domus erant apertæ, vt loco vnius ædiculæ centum haberent domus: omnesque fidelium agri Apostolis quoque suum fructum & necessaria ferebant, vt recte Paulus scripserit 2. Cor. 6.10. Apostolos esse tanquam nihil habentes, & tamen omnia possidentes. Sic vbi vnum patrem, vnam matrem, pauculos fratres & sorores reliquerunt, alibi centum fideles inuenerunt, qui paterno, materno & fraterno animo eos prosecuti sunt. Aliorum exempla plura adduci possent. Iobo omnia sua bona restituta sunt duplicia. Valentinianus ob Euangelij Christi professionem amisit militis dignitatem; sed postea accepit Imperatoriam maiestatem. Addit autē hic Christus *recipient μετὰ διωγμῶν cum persecutionibus*. Quidam legit *in persecutionibus*, vt quasi miraculi instar sit, quod Christiani, beneficio Christi, etiam vigentibus & feruentibus persecutionibus tyrannorum, tamen passim inuenerint pio patronos, qui ipsos tanquam parentes, fratres & coniunctissimi complexuri, ipsisque benefacturi sint. Sed in omnibus legitur *cum persecutionibus*, vt innuat Christus, ipsos etiam in optimo rerum suarum statu à persecutionibus & aduersitatibus non fore immunes. Quapropter non sibi imaginentur aureum seculum in hoc mundo, sicut fecerunt Millenarij ex loco Apocal. 20.3. neque enim inimicitiæ Gen. 3.15. finem sortientur ante consummationem huius seculi. Et hic est vnus modus implendæ illius retributionis. Alter modus est, quando Deus animum pij hominis tali *αὐταρκείᾳ* donat, vt sit iis, quæ habet, contentus, iuxta Pauli dictum 1. Tim. 6.6. vt quis sibi videatur ditissimus, licet in orbe nihil possideat, cum animus non afficiatur rebus humanis, nec in mundo quærat manentem ciuitatem; sed omni studio cœlos affectet. Sic ergo vera manet Christi promissio.

III. Sub finem, quia Christo Petri & reliquorū confidētia non fuit ignota, & verendum erat, ne ob magnificā hanc promissionē sese aliis præferrent, hunc locum graui sententia cōcludit, qua ipsos, & in primis Petrum sub modestia & metu continere cupit. *Multi autem primi erunt nouissimi, & nouissimi primi.* q. d. Bene sane cœpistis, & aliquo vsque profecistis, multos etiam alios anteuertistis, atque magna & insignia præmia habebitis, si constanter ita perrexeritis: sed metam nondum attigistis, multominus præmium iam consecuti estis. Nolite ergo altum sapere, nolite arroganter de vobis ipsis sentire. Quod enim iis interdum accidere solet, qui in stadio currunt 1. Cor. 9.24. vt vnus & alter reliquis ex interuallo præcurrant: sed postea vel ex spiritus interclusione, vel ex improuiso lapsu, aut virium defatigatione impediantur, vt ex primis fiant vltimi, neque brauium accipiant: sic idem est Ecclesiæ in hac vita status, vt multi, qui in confitendo fuerunt primi, relabantur inter postremos, & qui fuerunt vltimi inter primos tandem inueniantur. Quapropter estote modesti, ne idē vobis accidat. Iudæ hoc accidit, qui ex primo ordine inter nouissimos relapsus est. Paulus nouissimus Apostolorum, & quasi *ἔκτρωμα* fuit, plus tamen per Dei gratiam laborauit, quam reliqui omnes. 1. Cor. 15.10. Sic Iudæi, qui primi vocati sunt ad regnum Messiæ, mox spreto & reiecto Euangelio Christi, primatum gentibus concessere. Primæ gentes, & ipsæ iam defecere. Asia olim fuit religiosissima: Aphrica plena pietatis, fidei & zeli: iam subiacent iugo, & impietati Turcicæ. Europa vltima accessit, viderit, vt in statu suo maneat. Idem de vrbibus dici potest. Magna fuit olim Romæ dignitas, cuius fides prædicata fuit in vniuerso mundo. Rom. 1.8. Quid nūc est? Sedes Antichristi, & Circes stabulum. Vbi est Corinthus? vbi Thessalonica? Nos hic in Saxonia, quibus lux Euangelij his postremis temporibus primo illuxit, hoc nobis quoque dictum statuamus, vt caueamus, ne ex primis fiamus nouissimi. Hoc vero Epiphonema Christus in sequenti parabola plenius exponit.

Parabola de operariis in vineam conductis.

Matth. 20.1.

1. Ὁμοία γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐξῆλθεν ἅμα πρωῒ μισθώσασθαι ἐργάτας εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ.	1. *Simile enim est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo statim diluculo ad conducendos operarios in vineam suam.*
2. Συμφωνήσας δὲ μετὰ τῶν ἐργατῶν ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν, ἀπέστειλεν αὐτοὺς εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ.	2. *Conuentione autem facta cum operariis, in singulos dies denario, misit eos in vineam suam.*
3. Καὶ ἐξελθὼν περὶ τὴν τρίτην ὥραν, εἶδεν ἄλλους ἑστῶτας ἐν τῇ ἀγορᾷ ἀργούς,	3. *Et egressus circiter horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos.*
4. Καὶ ἐκείνοις εἶπεν, ὑπάγετε καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα, καὶ ὃ ἐὰν ἦ δίκαιον, δώσω ὑμῖν.	4. *Et illis dixit. Ite & vos in vineam, & quodcunque iustum fuerit, dabo vobis.*
5. Οἱ δὲ ἀπῆλθον. πάλιν δὲ ἐξελθὼν περὶ ἕκτην καὶ ἐννάτην ὥραν, ἐποίησεν ὡσαύτως.	5. *Illi autem abierunt. Rursum autem exiit circiter sextam & nonam horam, & fecit similiter.*
6. Περὶ δὲ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν ἐξελθών, εὗρεν ἄλλους ἑστῶτας ἀργούς, καὶ λέγει αὐτοῖς, τί ὧδε ἑστήκατε ὅλην τὴν ἡμέραν ἀργοί;	6. *Circa vndecimam vero exiit, & inuenit alios stantes otiosos, ac dicit illis: Cur hic statis totam diem otiosi?*
7. Λέγουσιν αὐτῷ, ὅτι οὐδεὶς ἡμᾶς ἐμισθώσατο. λέγει αὐτοῖς, ὑπάγετε καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα, καὶ ὃ ἂν ἦ δίκαιον, λήψεσθε.	7. *Dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Dixit illis, Abite & vos in vineam, & quicquid fuerit iustum, accipietis.*
8. Ὀψίας δὲ γενομένης λέγει ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος τῷ ἐπιτρόπῳ αὐτοῦ, κάλεσον τοὺς ἐργάτας, καὶ ἀπόδος αὐτοῖς τὸν μισθόν, ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων.	8. *Cum autem vespera facta esset, dicit dominus vineæ procuratori suo, Voca operarios & redde illis mercedem, incipiens à postremis vsque ad primos.*
9. Καὶ ἐλθόντες οἱ περὶ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν, ἔλαβον ἀνὰ δηνάριον.	9. *Et cum venissent, qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singuli denarium.*
10. Ἐλθόντες δὲ οἱ πρῶτοι, ἐνόμισαν, ὅτι πλείονα λήψονται, καὶ ἔλαβον καὶ αὐτοὶ ἀνὰ δηνάριον.	10. *Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi, & acceperunt ipsi quoque singuli denarium.*
11. Λαβόντες δὲ ἐγόγγυζον κατὰ τοῦ οἰκοδεσπότου,	11. *Et cum accepissent, murmurabant aduersus patremfamilias,*
12. Λέγοντες, ὅτι οὗτοι οἱ ἔσχατοι μίαν ὥραν ἐποίησαν, καὶ ἴσους ἡμῖν αὐτοὺς ἐποίησας, τοῖς βαστάσασι τὸ βάρος τῆς ἡμέρας καὶ τὸν καύσωνα.	12. *Dicentes, Hi nouissimi vnam horam fuerunt in opere, & illos pares nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstum,*
13. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν ἑνὶ αὐτῶν, ἑταῖρε, οὐκ ἀδικῶ σε. οὐχὶ δηναρίου συνεφώνησάς μοι;	13. *At ille respondens vni eorum dixit, Amice, nō facio tibi iniuriam, nonne denario pactus es mecū?*
14. Ἆρον τὸ σὸν, καὶ ὕπαγε. θέλω δὲ τούτῳ τῷ ἐσχάτῳ δοῦναι ὡς καὶ σοί	14. *Tolle quod tuum est, & abi. Volo autem huic nouissimo dare sicut & tibi.*

15. Ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι, ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς; εἰ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι;

16. Οὕτως ἔσονται οἱ ἔσχατοι πρῶτοι, καὶ οἱ πρῶτοι ἔσχατοι. πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί.

15. *An non licet mihi, quod volo, facere in rebus meis? An oculus tuus malus est, quod ego bonus sum?*

16. *Sic nouissimi erunt primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

Exegesis huius parabolæ.

Ex hac parabola desumunt Ecclesiastici doctores multas graues & vtiles doctrinas, vtpote de Ecclesia, de lapsu & reparatione humani generis, de Iustificatione, de Electione, de Fide, de bonis operibus, de nouissimo iudicio, de vita æterna, de reiectione reproborum. Nec negari potest seminia horum articulorũ fidei Christianæ in ea iacta esse, ac proinde concionatores pro qualitate sui auditorij diuersas doctrinas eligere posse: nos tamen pro ratione nostri instituti primo scopum huius parabolæ tractabimus, deinde demonstrabimus, quomodo præcipua eius membra ad doctrinas applicare debeamus. Nam, vt de singulis & minutissimis agamus, opus non est, etiam D. Chrysostomo teste, qui ita scribit: In parabolis non oportet nimia in singulis cura perangi. Sed cum, quid parabola intendat didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxio conatu est inuestigandum.

I. De scopo parabolæ. Christus fere in suis concionibus non habuit doctos, argutos & ingeniosos auditores: sed simplices discipulos & idiotas, Idcirco hunc vt plurimum morẽ obseruauit. Si quando tractauit vtilem, necessarium & eximium fidei articulum, quem voluit discipulis & auditoribus esse commendatum, ne facile eius obliuiscerentur, sed semper in memoria & in oculis portarent, tunc parabolæ eum inclusit. Nam omnes parabolis delectamur, & quando tales res in vita communi nobis occurrunt, tunc etiam doctrinæ recordamur. Item: quando articulus quispiam fuit difficilis, quo ratio perturbatur, nec Apostoli eum cõprehendere poterant, tum etiam talem parabolæ inclusit. Cum autem parabolæ sumantur ex rebus vulgaribus, quę omnibus sunt notæ, & quotidie ob oculos versantur, eo etiam facilius doctrinæ iuxta illam simplicitatem accõmodatæ, intelliguntur. Ita huic parabolæ inclusit Articulum *de regno cœlorum*, hoc est, non agit de externa politia, quasi illam reformare vellet, sed de suo proprio regno, quo partim in terris regnat per fidem, partim in cœlis per gloriam: siue, de Ecclesia partim in terris militante, partim in cœlis triumphãte. Quia vero valde multa ad hoc *regnum cœlorum* pertinent, attendendum, de quanã particula doctrinæ in illo regno agat. Neque enim licet, vt quisque pro suo lubitu hoc vel illud tractari prætendat: sed quia Prophetia Scripturæ non est ἰδίας ἐπιλύσεως & propriæ explicationis, 2. Pet. 1. 20. ideo obseruandum, quo Christus in parabolis intendat, vt eius ductum sequamur. Nam vt nos de præcipua doctrina certi esse possimus, fere in omnibus parabolis, vel in principio, vel in fine sententiolam aliquam annectere solitus est, ex qua præcipuum parabolæ scopum colligere licet. In hac vero parabola & præmisit certam sententiam, & eadem illam conclusit, dum dixit: *Multi primi erunt nouissimi, & nouissimi erunt primi.* concludit autem his verbis: *sic nouissimi erunt primi, & primi, nouissimi.* Ergo vult monere, vt, qui in Ecclesia tam ratione donorum, quam operarum inter primos habentur, modestiæ studeant, ne si insolescant propter dona, aut operibus suis confidant, inter nouissimos reiiciantur. Dicat quis: Num hæc doctrina est adeo difficilis, vt opus fuerit eam parabolæ includere? Vtique. Intuere exẽplum Petri. Is Matth. 16. 16. certe inter primos fuit, cum suo & collegarum nomine adeo splendidam ẽderet confessionem, vt Christus ipse testaretur, patrem suum in cœlis ea ipsi reuelasse. Mox vers. 23. cum Christum à passione sua dehortari inciperet, inter nouissimos prolabitur, vt Christus ipsum Satanam vocarit, & nisi destitisset, penitus ex regno Dei exturbatus fuisset. Sic videmus quam latenter hoc malum alicuius animo irripere possit, vt ex improuiso & inscius fere ex primo nouissimus fieri queat.

Idem malum etiam hic fere Petri & sociorum animum occupasset. Postquã enim Christo adfuisset adolescẽs diues, qui de bona sua vita, quæ nullis vitiis siue flagitiis contaminata esset, gloriatus fuerat; Christus autẽ singulari vocatione ipsi mandasset, vt diuenditis facultatibus omnibus, & inter pauperes distributis, se sequeretur. Hic vero, eo quod valde diues esset, nollet, atque tristis abiret. & Christus diceret, eũ nihilo plus intraturum in regnum Dei, quã camelus posit pertrãsire possit foramen acus: quia scilicet vocationi nolit obedire. Ibi Petri animum rursus titillat hæc cogitatio. Hic iuuenis merito reiicitur ex regno cœlorum, quia Christum vocãtem non vult sequi. Nos vero relictis omnibus Christum sumus secuti iuxta eius vocationẽ. Ergo sumus meliores & digniores, meriti vt in regnum cœlorum intromittamur. Hic respondet ei Christus: Estis quidem in regno cœlorum; sed oportet te etiam probe attendere, vt recte in eo te geras, ne ob superbiam & animi elationem rursus eiiciaris. Nam *primi possunt fieri nouissimi*, hoc est, qui multa fecerunt & passi sunt propter regnum Dei, possunt fauorem & gratiam Dei perdere, vt nõ accipiant βραβεῖον in hoc stadio, 1. Cor. 9. v. 24. si nimirum fidant suis operibus, si de obedientia sua nimium glorientur. Ita videmus ipsum Petrum hunc articulum non recte intellexisse, atque ea propter non superuacaneum fuisse, quod Christus eum parabolæ inclusit. Hoc est fundamentum, & hic est scopus parabolæ, in eo acquiescendum, si maxime singula membra non adeo feliciter accommodare possumus.

Propius tamen summam parabolæ nobis etiam applicemus. Omnes sumus aut instar iuuenis, aut instar Petri. Ratio enim humana non potest, aut non vult hæc duo inter se conciliare: vnum quod salus gratis nobis contingat, sine operibus: alterum, quod nihilominus sit bene operandum, vt vocatio & electio nostra firma fiat, 2. Pet. 1. 10. adeo *vt qui nõ operetur*; sed repugnet, sit reiiciẽdus. *Sumus enim debitores:* & hæc est volũtas Dei, nostra sanctificatio, ac præceptũ ipsius vt nos mutuo diligamus. Et tamen, quando hæc omnia fecimus, nullũ adest meritum, sed manet sola gratia. Hæc duo, inquam, non possumus concordare. Et hinc omnibus temporibus secutæ sunt corruptelæ in religione, Rom. 3. 8. cum quidam audirẽt, Deum gratis peccata remittere, & homines saluare, mox aliqui exclamarunt: Ergo facimus mala, vt eueniant bona. Hanc cantilenam nostri Epicurei etiam cantare possunt, Operarij econtra sic cogitant: quia est Dei voluntas vt bene operemur, habemus eius mandatum, promissiones, minas, & nos fecimus. Ergo debetur nobis merces. Nec mirum, mundum ita turbari: Nam etiam Petrus qui audiuit Baptistam, & ita vltra tres annos Christo conuersatus erat, tantumque profecerat, vt Matth. 16. 16. insignem ederet confessionem, tamen turbatur. Nam ita secum ratiocinatur. Iuuenis non vult deserere suas possessiones, & *excluditur propterea* ex regno cœlorum. Nos omnia reliquimus: *Ergo meriti sumus* regnum cœlorum. Hic respondet *Christus, caue sis: ne ex primo fias nouissimus.* Et quia metuit, ne vel non intelligat dictum, vel cito obliuiscatur, *addit parabolam*, qua in simplicitate vult docere. 1. *Quod paterfamilias* gratis vocet & conducat. 2. *Iam* qui repugnant, vineam non ingrediuntur, tota die stant otiosi; hi sub vesperam nihil accipiunt. 3. Qui laborant ad præscriptum patrisfamilias, hi mercedẽ accipiunt. 4. Et tamen non accipiunt ob laborem operis: quin, qui merita prætendunt, reiiciuntur. Sic ergo Christus hic idem docet, quod Paulus Galat. 2. 15. Nos natura Iudæi & non ex gentibus peccatores, in Christum Iesum credimus, vt iustificemur ex operibus legis. Item Tit. 3. 5. Non ex operibus iustitię, quę fecimus nos; secundum suam misericordiam nos saluos fecit. Ita ergo vterque articulus est *muniendus* & conseruandus, cum gratuita iusticia, tum bona opera.

II. His ita præmissis, iam reliquæ doctrinæ *tanto facilius* & expeditius sequuntur. Inter quas hic *primum sit, quod* Christus non tãtum hic, sed Deus etiam alibi Ecclesiam suã *vineæ* assimilat, vt Deut. 32. 32. Ps. 80. 9. Es. 5. 1. & 27. 2. Matt. 21. 33. & Ioh. 15. 1. Et prodest diligẽter cõsiderare, quid cõmonefactionis omnibus & singulis præbeat, quod Ecclesia vineę, singuli Christiani vitibus, verbi ministri, magistratus & patresfamilias operariis conferuntur. Summa fere in his consistit.

1. In initio Deus creauit vites, tanquam generosissimũ & præstantissimum germen, quo cor hominis exhilaretur. verũ, sicut per peccatum omnes reliquæ creaturæ subiacent corruptioni. Rom. 8. 20. ita etiam vites sunt corruptæ, vt ante diluuium tantum fuerint syluestres vites. Post diluuium Noachus Gen. 9. 20. primus fuit, qui adinuenit artem insitionis & transplantationis, vt agrestes vites mitescerent, & dulces vuas ferrent. Sic Deus etiam hominem initio bonum creauit, ad imaginem suam in iustitia & sanctitate. Sed quantopere per peccatum corrupti simus, id indicat Deut. 32. 31. *De vinea Sodomorum*, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus, Fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Et Ierem. 2. 21. Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum, quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena? Sed Deus, cœlestis Noachus, etiam nouit artem transplantandi, Est enim & ipse agricola Ioh. 15. 1. & habet generosissimã vitem Christũ. Decerpit ergo nos ex naturali oleastro Rom. 11. 14. & nos infert nobili huic viti, vt ex ea succum

& spiritum

& spiritum haurimus, atque ex carnalibus spirituales efficiamur. Et hæc ratio transplantandi, qua Deus vtitur, prorsus est diuersa à vulgari ratione plantandi hominum. Nos enim bonum surculum ex hortensi arbore decerpimus, eumque syluestri stipiti inserimus, vt inde succum attrahat & sui generis fructum proferat. Deus inuertit & nos syluestres, bonæ suæ viti inserit, vt eius succo confirmati, etiam bonos fructus feramus.

2. Iam qui habet vites, commodam sibi aream in aprico loco & ferali solo eligit, vbi vineam plantat, & vites in ordines collocat. Sic Deus ipse Esa.5.2. testatur, se sepi vineam suam ab aliis agris segregasse. Quoad Ecclesiam. Deus habet verbum, quo suam Ecclesiam, tanquam per sepem, segregat à reliquis populis & sectis. Habet legem, qua ceu ligone vertit solum, spinas & tribulos euellit, hoc est, durum hominis cor emollit. Pluuiam etiam salutarem segregat Deus huic hæreditati suæ. Psal.68.10. nimirum sacrosanctum suum Euangelium, per quod largitur Spiritum suum sanctum, qui fidem in nobis plantat, & facit, vt Deo reconciliemur, ei placeamus, & grati efficiamur. Ædificat etiam turrim in hac sua vinea. Esa.5.2. hoc est, eam tuetur, ab hostibus cum spiritualibus, tum corporalibus. Suorum enim curam fidelem agit, ne quid ipsis accidat, quod saluti ipsorum noxium fit. Scimus enim quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Rom.8.28.

3. Elocat suam vineam colonis, vt habet Christus Matth. 21. 33. Coloni sunt verbi ministri. Hi aream purgare, vites verbo plantare, aridas consolationibus rigare, luxuriantes correptionibus putare, atque sic vineæ prouentum iuuare debent. 2. Magistratus. Hi Ecclesiam tuentur, ne prædones violenti, aut raptores operarios impediant: abigunt apros, vulpeculas & feras, ne vineam vastent. 3. Patresfamilias. Hi liberos, tanquam nouellos oliuarum, & tenellos palmites in Ecclesiam adducunt, vt marcescentibus vitibus vetustioribus, nouitiæ & iuniores substituantur. Per hos singulos monendo instat, ne frustra in vinea simus, sed vt constanter in Christo maneamus. Sine ipso enim nihil possumus facere. Ioh.15.5.

4. Venit etiam paterfamilias, vt inspiciat fructum & prouentum suæ vineæ. Verum quid inuenit? Esa.5.2. conqueritur. Expectaui, vt faceret vuas, & ecce fecit labruscas. Sperat Deus se in Ecclesia sua inuenturum amorem sui, & amorē proximi: & ecce inuenit securitatem, superbiam, simultates, lites. Tum dicit paterfamilias ad procuratorem vineæ suæ, sicut habuimus. Luc.13 7. de ficu sterili. Ecce tot & tot anni sunt, ex quo venio quærere fructum in vite hac, & non inuenio. Succide ergo illam, vt quid terram frustra occupat? Sed intercedit vineæ cultor, & offert suam industriam, se circa illam fodere, adhæc stercora iniicere, & operam dare, an sequenti anno fructum ferre velit. Sic ergo etiam impœnitentibus, & male viuentibus pœnitendi spatium conceditur.

5. Si vero & hæc sunt frustranea, tum Deus ipsemet quasi lamētari incipit, Esa.5.4. Quid est, quod debui vltra facere vineæ meæ & non feci ei? Ad custodiendā eam, sepem confeci: ad irrigandam, pluuiam salutarem dedi: ad imputandos infrugiferos stolones, crucem immisi: emendationis tempus insuper concessi. Sed hæc omnia frustra? Quid ergo amplius faciam? Et nunc ostendam vobis, quid Ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius, & erit in direptionem diruam maceriem eius, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur: & ascendent vepres & spinæ & nubibus mandabo ne pluant super eā imbrem. Eodem fere etiam modo loquitur in Psalm.80.31. hoc est, Deus vult talem populum, qui Ecclesiæ titulum inaniter gestat, nec fructus bonos Deo suo fert, grauiter punire, eum vastationi subiicere, vt omnes agnoscant & videant, esse Deum, qui cœlitus attendat, an etiam homines in terris rectè & piè viuant. De hoc Dei iudicio Christus Matt.21.41. cum Iudæis pluribus aget. Sed hæc de vinea in præsenti sufficiant, quæ partim faciunt ad consolationem, vt discamus, quomodo Deus ex amara vite faciat dulcem, partim ad commonefactionem, vt generosæ viti Christo inserti, fructus etiam ferre studeamus.

III. Potest addi etiam hæc doctrina: quod ex hac parabola colligere licet, neminem per se esse in vinea, nec quenquam sponte sua venire ad patremfamilias, & ambire locum in vinea, siue vt sit vitis, siue vt sit operarius. Sed paterfamilias cogitur eos quærere: & dum eos quærit *inuenit eos stantes otiosos*, id est, sine bono: nec simpliciter stantes; sed *in foro*. Antiquitus autem in foro non tantum res venales habentur, & contractus conficiuntur, in quibus multæ fraudes, imposturæ & peccata concurrunt: sed etiam in foro iudicia exercentur, & malefici puniuntur. Vult Christus hoc innuere, quales natura simus; sine bono, pleni peccatis & iudicandi. Neque nos quærimus Deum, vt ipse nos emendet, & in gratiam recipiat: Sed si velitis nos saluari, ipse quærit nos, & inuenitur postea à nobis non quærentibus. Ideo Deus ipse dicit Esa.65.1. inuenerunt, qui me non quæsierunt. 1. Ioh.4.10. In hoc est charitas: non quasi non priores dilexerimus Deū sed quoniā ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiationē pro peccatis nostris. *Exiit* ergo bonus hic *paterfamilias prima diluculo, hora tertia, hora sexta, hora nona, hora vndecima*, hoc est, quoad vniuersum mundum, exiit inde ab initio mundi, per omnia tempora & secula: tempore Adami, Abrahami, Mosis, Prophetarum, Christi. Item, quoad singulos, exit mox à natiuitate nostra ad finem vsque vitę. Numerat autem Christus hoc loco horas, non iuxta nostrum, sed iuxta Hebræorum horologium. Apud Iudæos *prima hora* fuit, quæ ab exortu Solis prima erat: *vndecima hora* autem fuit, quæ proxime occasum præcessit.

2. Sed & illud attendendum est, quid paterfamilias illis, quos in foro inuenit, dixerit: *quid statis tota die otiosi*? ostendit his verbis medium quod otiosos & malos in vineam suam compellere soleat. Est hęc concio Legis. Nam quia eos, quos ad imaginē suam cōdiderat, inuenit otiosos, nihil boni agentes, adhæc in foro plenos peccatis, eos grauiter arguit. Nam minatur Matt.25.30. quod inutilis seruus sit eiiciendus in tenebras exteriores. Nec tantum ipsos arguit; sed addit etiam: *ite in vineam*. Quam illā de qua modo egimus, in qua Christus est vitis, & Pater agricola, remittit eos in Ecclesiam, vt in Christum credant, per fidem ipsi inserantur, atque sic seruetur à ventura ira. Et hoc vt iam dictum est, facit à summo diluculo, ad vesperam vsque.

3. Quomodo vero intelligendum est illud, quod de *conuentione facta* dicitur? Quidam per *denarium* intelligunt vitam ęternam, quam Deus mercedis loco promiserit fideliter in vinea ipsius laborantibus. Sed falsa est hæc interpretatio. Si enim *denarius* est vita æterna: quomodo hæc datur murmurātibus, quibus paterfamilias succenset, & quos ex vinea abire iubet? Hoc quosdam mouit, vt *de denario* in explicatione parabolæ prorsus silendum censuerint, cum alias singula membra parabolarum applicari nō possint, vt quæ vel ornatus causa, vel vt parabola aptius cohæreat, addita fuit. Nos per *denarium* intelligamus Christum. Hic enim vere est denarius redemtionis & solutionis: est siclus Israelis, qui totam ciuitatem Hierosolymam facit sanctam. Adamo Deus in principio impresserat suam imaginem in sanctitate & veritate: sed turpiter & pro se, & pro posteris amisit, vnde etiam tanquam malus colonus & operarius ex paradiso exturbatus est. Filius autē Dei pro nobis intercessit, & se soluturum promisit, quod non debuit. Cœlestis igitur Pater intercessionem suscepit: sed sub illa *conuentione* & conditione, vt Christum tanquam λύτρον, & *redemtionis denarium* nobiscū habeamus. Hunc qui firma fide apprehendit, illi imago Dei rursus imprimitur: aut, vt Paulus scribit 2.Cor.3.v.vlt. transferamur in eandē imaginem Christi, à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Ergo quādo scribit Ep.1.4. nos in Christo Iesu electos esse, tamen illud non absolute est accipiendum, ac si electio tantum esset actus in Deo: sed cogitādum, quod Deus nobiscum *pactus sit de Christo*. Iccirco nos ipsum firma fide apprehēdere debemus: vt per fidem ipse in nobis habitet, & nos etiam per fidem in ipso inueniamur. Quid vero fit de iis, qui ex vinea exturbantur? De his parabola non expresse dicit, quod denarium acceperint: neque dicitur, accipe denarium & vade: sed *tolle quod tuum est, & abi*. Si tamen eum accipiat est ipsis Christus denarius iudicij, quem susceperunt, sed eo male vbi sunt.

IV. Quales vero hi, qui in foro otiosi sunt inuenti, & à patrefamilias obiurgati, sese gerūt? Non respondent, sed excusant, quod *nemo eos conduxerit*. Missi autem in vineam, non manent stantes in foro: non alio se conferunt: sed dicto patrisfamilias sunt obedientes. Alias enim denarium non accepturi essent. Monet hoc, quid nos deceat, quando à Deo ad salutem vocamur. Hic certe abeundum est, non alio, nisi in vineam, vbi est Christus generosum germen. Nam qui Christo non inseritur, is in nouissimo die abiicietur in ignē. Ioh. 15 6. Qui autem huic viti implantatus est, is in ipso habet omnia: accepit ab ipsa succum & spiritum, vt in ipsa adolescat ad vitam æternam. In abitione autem in vineam non est procrastinandum. Nemo dicat, sunt duodecim horæ diei, sufficit si ad vndecimam horam me sistam. Sed, vt habet Psalmus 95 8. Hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Ne Deus idem de nobis cōqueratur, quod conquestus est de Iudæis, Esa.65 2. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.

IV. Discendum etiam, quando quis obediens vocationi patrisfamilias venit in vineam, quid ibi agere, & qualem se

gerere debeat. Hoc monstrat parabola. Nihil ibi destruendum vel turbandum: non otiose vel fabulando tempus terendum: non proterue alij glebis terræ petendi, vel in opere impediendi; sed & laborandum. Monet nos hoc, vt quando accepimus remissionem peccatorum fide per Christum, in verbo & Sacramentis, ex quibus omnia habemus gratis, vt tantum ... ne hanc libertatem conuertamus in licentiam carnis, & in Ecclesia plus proteruire incipiamus, quam antea fecimus extra Ecclesiam. Gal. 5. 13. Et Petrus 1. epist. c. 2. vers. 16. quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Hic in vinea oportet fodere, vites putare & purgare, & fundum stercoratione pinguem reddere, vt vites fructum ferant, hoc est: debet quisque veterem suum Adamum mortificare: carnem suam crucifigere, in Spiritu secundum Euangelium ambulare. Nam qui hoc in vinea non facit, ille ex ea exturbatur. Et hoc ita faciendum, licet cogamur *portare pondus diei & æstum*, hoc est, licet valde durum id carni nostræ accidat, sicuti Paulus de seipso scripsit 1. Cor. 9. v. vlt. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Et hic doctrina de bonis operibus commode adduci potest, quæ in sequentibus membris potissimum consistit.

1. Qui bona opera facere vult, eum oportet esse in vinea, in familia cœlestis patrisfamilias, hoc est, vt per fidem Christo sit insitus Deo reconciliatus, & per Spiritum renatus. Nā mala arbor non potest bonus fructus ferre. Matt. 7. 18. Et quicquid non ex fide fit, peccatum est. Rom. 4. ver. vlt. Est ergo prorsus ... & absurdum, quod Pontificij multum disputant de operibus infidelium & non renatorum: an iis aliquid mereri possint, & an iis fidendum sit ad salutem.

2. Qualia opera sint facienda? Non quod cuius per se bonum videtur. Nam ἐθελοθρησκεία, & voluntarij cultus à Paulo reiiciuntur. Col. 2. v. vlt. Et Christus ipse dicit Matth. 15. 9. ex Esaia. Frustra me colunt mandatis hominum. Paterfamilias ergo, qui vocat, remittit suos operarios in vineam, vt ibi in ipsius præceptis ambulent, & fructuosi quid laborent ad Ecclesiæ ædificationem: non redeant in forum, hoc est, desinant peruerse agere, & discant benefacere, quod nō aliunde melius, quam ex præceptis Decalogi discere possunt.

3. Quacunque hora Deus aliquem vocat, obtemperet & sequatur. Sicuti modo etiam ex Psa. 95. 8. audiuimus. Nescit enim an alia hora hic Dominus rediturus sit. Nec nos disputemus cum Deo, cur nos maturius, alios vero tardius vocet. Sicut Petrus fecit Ioh. 21. 20. cum à Christo ad crucem vocaretur, & ipse Iohannem videret, cui nihil eiusmodi imponeretur, mox dixit: Domine, hic autem quid? Sed voci diuinæ simus obedientes.

4. In labore bonorum operum non simus pigri; sed tanto studio, tanta diligentia & faciendo & patiendo ea perficiamus, vt vere dicere possimus *onus diei & æstum portauimus*, hoc est, admodum durum nobis accidit, vt vocationi nostræ satisfaceremus. Nam Ierem. 48. 10. maledictus dicitur, qui facit opus Domini fraudulenter.

5. Præcipuum est in his omnibus, vt quando omnia fecerimus, dicamus nos esse seruos inutiles. Luc. 17. 10. Nullus dicat: Ego multum laboraui, iam quiescā. Plus enim aliis sum accepturus, vel etiam eo confidentius peccabo. Tales Christum non recte didicerunt. Sed de hoc iam peculiare membrum, illudque summe necessarium habebimus.

V. Iam sequitur id, quod proprie ad statum & scopum huius parabolæ pertinet. Postquam cœlestis paterfamilias nos vocauit, nos vocationi obedimus, forum relinquimus, vineam intramus, in ea laboramus, idque tanto serio, vt pondus diei & æstum tolerauimus, crucem patienter sustinuerimus, tum certe sumus in Ecclesia, & in recta via, quæ ducit ad salutem. Sed hic Christus monet, diligenter cauendum ne *primi fiant nouissimi*. Quomodo id fit? Hoc ostendit parabola. Quando nimirum ij, qui gratis vocati sunt in vineam, obliuiscuntur quod id fuerit mera gratia: non amplius se humiliant: confidunt in operibus suis, & prædicant sua merita: loco mercedis suorum operum volunt sibi rependi vitam æternam. Hoc si quis faciat, tum paterfamilias ipsi irascitur. Et, vt ipsis ostendat esse meram gratiam & non meritum, iniungit procuratori, vt mercedem soluturus *incipiat à postremis vsque ad primos*, q. d. si pro operibus meritum solueretur, tunc incipiendum esset à primis, sed vt sciatis esse meram gratiam, *volo huic nouissimo dare sicut primo*. Hic murmurat ratio, & conqueritur, sibi iniuriam fieri, *siquidem pondus diei & æstum portauerit, & nouissimi, qui vix horam laborarint, sibi pares faciat*. Sed quid dicit cœlestis paterfamilias? *An oculus tuus malus est, quod ego bonus sum?* Malum oculum vocat inuidum & illiberalem, q. d. An mea benignitas cruciat tuos oculos, & inuidiā commoueris ob id, quod ego liberalis & benignus sum erga tuos collaboratores? Atque inde concludit Christus: Sic (hoc modo, quando operarij suis meritis volunt fidere, & contra bonitatem cœlestis patrisfamilias murmurare) *nouissimi erunt primi, & primi nouissimi*.

Summa summarum est: vult Christus nos agnoscere; esse meram gratiam, non tantum, quando initio vocamur in vineam, sed etiam manere gratiam, quando in vinea multum laborauimus, vt labore nostro nos nihil meruisse sciamus. Exempla manifesta sunt. Latro qui consumsit omnem vitam suam in sceleribus, vocatur demum vesperi, & conuertitur sub finem vitæ, atque accipit adhuc eo die vitam æternam in paradiso. Esaias multum scripsit de hac vinea, & in ea laborauit 80. annos, non tamen superbit, non se aliis præferendum censet: quin à Iudæis tandem hanc mercedem accepit, vt ab ipsis lignea serra dissecaretur. Sed quid dico de Esaia? Primi patriarchæ alij 600. alij 800. quidam 900. annos in hac vinea laborarunt, & tamen nihilo plus vel meruerunt, vel acquisiuerunt, quam nos sumus acquisituri; sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi illi saluati sunt, sicut & nos Act. 15. 11. vere nos, in quos fines seculorum inciderunt, non habemus, quod conqueramur: quia respectu illorum patriarcharum vix vnam horam laboramus in hac vespera mundi. Hoc verum est quod Deus adhuc hodie aliquos mane vocat, hoc est, mature, & adhuc in flore iuuentutis culturæ vel custodiæ suæ vineæ adhibet, & sinit *pondus diei atque æstum portare*, hoc est, aliquibus imponit durum & laboriosum statum, vt vix magno labore pauca apud suos efficiant: aliis imponit grauem crucem, infirmitates & morbos, dispendia rei familiaris, & varia infortunia, vt nihil feliciter succedat. Aliis feliciter procedunt omnia: est sanus & incolumis, apud omnes in gratia, fortunatus & in re lauta. Hic etiam apud aliquos fit *oculus malus*, liuidus & inuidus, murmurat caro & conqueritur: Cur ego vero præ aliis mane, & ad æstum diei vocatus sum? Hic respondet paterfamilias: *non facio tibi iniuriam*. Ego voco quem volo, & quando volo, & quomodo volo. *An non licet mihi, quod volo facere in rebus meis*? Non obstrictus sum, vt tibi reddam rationem, sufficiat tibi mea gratia. Sed hic sunt aliqui adeo impudentes, vt velint patrifamilias præscribere, quando ipsos vocare debeat: non voca me mane, sed vesperi, ne multa cogar pati. Sed paterfamilias dicit, Ego noui verum tempus, quando quemuis vocare debeam, tu, quando te voco, me sequere. Si vis in foro manere, experieris, cui nocueris. Si ob æstum & pondus diei murmuras, & *dicis, potius excedam ex vinea*, quam tale onus gestare: tum *respondet paterfamilias*: Ego quidem quæsiui salutem tuam, vt in æternum tibi bene esset: sed, siquidem non vis saluari, *tolle quod tuum est, & abi*, satis mature experieris, quid *resp*ueris, quando veneris in locum, in quo est stridor dentium.

VI. Possunt etiam aliquot œconomicæ doctrinæ ex hac parabola desumi. Quales sunt hæ,

1. *Paterfamilias exiit ἅμα τῷ πρωΐ statim diluculo, ad conducendos operarios*. Hoc omnibus patribusfamilias præbet hanc doctrinam, vt mane surgant, & rem suam familiarem curent atque promoueāt. Oculus enim Domini, vt vulgo dicitur, saginat equum. Matutinæ horæ non tantum aptæ sunt precibus, studiis & sacris, sed etiā omnibus operibus. Veteres matutinis horis cōsecrarunt sua sacra, suas deliberationes, & grauiora negotia. Quando rustici demū circa meridiē & serius ad sua veniunt, raro nobiles agri in flore stant. *Ideo Salomon* de pigris dicit Prou. 26. 14. Sicuti ostium vertitur *in cardine* suo: sic piger in lectulo suo. Quemadmodum ergo ostium in cardine nihil promouet, sic talis manet etiam Iohannes in eodem. Nihilo meliores sunt, qui diem in noctem, & noctem in diem commutant Esa. 5. 20. Sic Heliogabalus interdiu vel comessabatur vel dormiebat: nocte seria tractabat, contra Dei ordinationem, de qua Dauid scribit Psal. 104. 23. quod Deus diem homini dederit ad laborem, noctem autem ad quietem. Neque commodat talis inertia valetudini, & multos prauos humores corpori ingenerat. Breuiter, nocet corpori, fortunis, animæ. Qui non credit, perit.

2. Exiit hic paterfamilias ad conducendos *operarios*, non otiosos in vineam suam. Passim magnæ audiuntur querelæ, & fortassis nimis veræ, quod pauci fideles serui, pauci industrij, & prompti operarij inueniantur. Illud hinc fit, quod tales dæmones putant, Deum nihil id curare, an fideliter, an negligenter laborent, sed grauiter errant. Hic paterfamilias *nullū* vult otiosum stare, & in primis contra eos, quos vndecima adhuc hora in foro inuenit, grauiter & seuere inquit: *quid hic statis totam diem otiosi*? Nam reuera nullius rei iactura grauior est, quam temporis. Ideo Apelles dixit: Nulla dies sine linea. Et Cato nunquam grauius indoluit, quam si diem inutiliter insumsisset. Quid ergo illi Deo respondebunt, qui inutiliter pueritiam, iuuentutem, virilem ætatem & magnam partem senectutis traduxerunt. Quam grauiter illi dolebunt, quando conscientia euigilauerit, cū dicet: O mihi præteritos

toriros referens Iuppiter annos. Nam si quis tota Biblia perlustret, inueniet in omnibus libris dicta & exempla, quæ cōtra huiusmodi otiosos produci possit. Adamus, cum adhuc esset in statu integritatis, & paradisus omnia sponte produceret: tamen à Deo ad laborem ire iussus est. Iam post lapsum labor quasi in pœnam impositus est. Gen.3.19. in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Aliqui autem comedunt & bibunt, vt sudent: & laborant, vt frigeant. Labor etiam homini est additus loco medicinæ. Nam vt aquæ nisi moueantur, putrescunt: ita in homine humores. Exemplum habemus in Dauide. Quamdiu ille bellis & aduersitatibus exercebatur, tam diu orabat, psalmos componebat, & bonis operibus studebat; quam primum fit otiosus, adulterio & homicidio se contaminat. Et hoc non tantum de viris, sed etiam de mulieribus est dicendum. Ideo Paulus 1.Tim.5.13. viduas iuuenculas, quæ otiosæ, verbosæ & curiosæ circuire discunt, relicit. Rectius fecit Anna Tobiæ senioris vxor, quæ maritum suum cæcum laborare manuum suarum aluit. Tob.2.19. Salomon quoque Prou.31. prolixe refert, quomodo mater sua regia gynæceum suum ad labores assuefecerit. Iob hæc omnia in vnum fasciculum colligit, dum scribit cap.5. vers.7. Homo nascitur ad laborem, sicut auis ad volatum. Nam etiam auiculæ adolendo ad escam laborare coguntur. Ex scriptis quoque Ezechielis & Pauli manifestum est, ipsos otiosis fuisse infensissimos. Ezechiel.c.16.versic.49. Sodomæ & filiabus eius adscribit otium. Nam plerumque, vbi est fertile solum, ibi luxus & lusus superbia, ebrietas & fastus dominari solent. Hoc fecere Sodomitæ, mane ientaculum, circa meridiem prandium, postea merendam, sub noctem cœnam, tandem repotia sumserunt, donec ignis de cœlo decidit, qui omnes consumsit. Paulus autem diserte scribit 2. Thess.3.10. Si quis non vult operari, nec manducet. Et Eph.4.28. otiosos furibus æquat. Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti. Non ergo tantum concionatores labores vrgeant: sed etiam magistratus suos habeat censores qui in otiosam iuuentutem animaduertant.

3. Cum vespera aduenisset, mandauit *Dominus vineæ Procuratori suo, voca operarios, & redde illis mercedem.* Præbet ergo hoc illam doctrinam, quod operariis merces sine mora sit soluenda. Nam fidus labor, requirit fidam mercedem: prout ratio ipsa hoc docet. Ac Deus ipse Leuit.19.13. præcipit: Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane. Et Deuteron.24.14. Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui; sed eodem die reddes ei pretium laboris sui ante Solis occasum, quia eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. Iudęi semper fuerunt tenaces, eaque de causa tam arctis indiguerunt mandatis. Sed, proh dolor, multos inter Christianos, quoad hoc vitium, habent fratres. Nam non tantum querelę audiuntur de infidelibus operariis, sed etiam de illis, qui nimis tædiose & tarde mercedem laboris soluunt. Inueniuntur nobiles, qui in re ampla sunt, qui pecuniam in cista habent: & tamen ephippiarius, sutor, sartor, faber decies & amplius, cum dispendio suarum operarum coguntur ipsos adire, & de debito humiliter monere. Alij erga equites, aurigas & reliquos ministros adeo sunt duri, vt nihil supra. Cogitent ergo tales Domini, quid ipsis in tabella œconomica proponatur ex Eph.6.9. & Col.4.1. Sciant se in cœlis quoque habere supra se Dominum, cui rationem redditurі sunt: & gemitus ministrorum iusti ipsis non proderunt. Iacobus etiam Apostolus mercedem laboris retentam inter peccata clamantia recenset cap.5.4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiit.

VII. Doctrina de Prædestinatione quoque ex hac parabola tractari potest. Qui sane Articulus est valde difficilis. Nam etiam piæ mentes interdum difficulter hasce cogitationes excutere possunt. Si es ad salutem electus & prædestinatus, bene res habet, non potes salute excidere, qualitercunque viuas. Si non es prædestinatus, actum de te est, quodcunque agas. Nam Dei prædestinatio peracta est, antequam mundi fundamenta iacerentur. Ephes.1.4. Et hoc propositum Dei falli non potest. Hoc mouit aliquos ante hæc tempora, vt putarint de hoc Articulo in Ecclesia prorsus non docendum esse. Sed tales errarunt. Quia enim omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum 2.Tim.3.16. omnino etiam hic Articulus ad pietatem et consolationem accommodari potest: prout liber Concordiæ admodum pie & erudite id monstrat. Inprimis autem phanatici doctores, prophanis & horribilibus suis phrasibus, hunc articulum totum fere odiosum reddiderunt, quales sunt; Quod Deus maiorem partem humani generis ad damnationem creauit & prædestinarit: quod Deus in consilio suo decreuerit, quod talium reproborum nunquam misereri velit: quod tales nec Euangelio credant, nec iuxta illud bene operentur, quia non sint prædestinati: quod licet tales baptizentur baptismus tamen ipsis non prosit: quod Electi, vtcunque grauissime peccent: non tamen amittant Spiritum Sanctum. Et consimiles horrendas voces plures effundunt, quas referre non libet. Si quis ipsis obijciat, Christi dictum Ioh.3.16. quod Deus mundum dilexerit. Mundus autem non denotet Electos, sed perditos. Ibi alij mirifice se torquent in vocula Mundus, quæ ipsis Electos notare cogitur. Alij duplicem faciunt dilectionem Dei: vnam, qua aliquos per Christum liberet: alteram, qua ita diligat, vt tamen nihil cœlestium bonorum ipsis attribuat, sed in peccatis & Satanæ potestate relinquat. Hunc vero Articulum Christus in hac parabola breuiter paucis hisce membris complectitur.

1. Qui cupiunt saluari, & certi esse, an sint in numero electorum, eos non remittit in cœlos, vt ibi scrutentur fatales tabulas Electionis; sed recurrit in *vineam*, in Ecclesiam, ad verbum vocationis. Quos enim Deus saluare vult, illos vocat per verbum Euangelij: & quos ita vocat, illi norint, Deum ipsos non ludificare, prout impij quidam blaterant: sed serio ipsorum salutem expetere. Hic vero mox aliqui excipiunt: Atqui Deus multos non vocat, non vocat Turcas, non Tartaros. Hic cum D.Paulo 1.Corinth.5.12. respondere possem, quid mihi de iis, qui foris sunt iudicare? Sed sciendum, quod Turcæ etiam in maioribus sint vocati: quod autem illi verbum vocationis abiecerunt, ipsorum culpa factum, & luunt nunc impij posteri culpam impiorum maiorum.

2. Cum iis, quos Deus ita vocat, *facit conuentionem de denario. Denarius* est, vt supra monuimus, Christus, siclus Israelis, qui ad nostri redemtionem in mundum missus est. Hic complectitur omnia, quæ ad opus redemtionis pertinent, & quæ sequuntur, qualia sunt, pœnitentia, fides, sanctitas, & similia. Deus quidem filio suo totum mundum dedit hæreditatem. Psalm.2.8. sed non absolute ad salutem. vult enim omnes quidem saluos fieri: sed ita vt ad agnitionem veritatis veniant. 1.Timoth.2.4. Qui ergo veritatem suscipit, & in Christum credit, is saluabitur: qui veritatem relicit, nec redemtionis denarium seruat, is damnabitur. Marc.16.v.vlt.

3. Insuper Deus tales vocatos & conductos remittit in vineam, non ad otium, sed *ad laborem, vt pondus diei & æstum portent.* Hic & aduersa patienter sunt toleranda, & bona opera strenue promouenda. Sumus enim nos vocati Christi, Eph.2.10. noua creatura in Christo Iesu, ad facienda bona opera, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

4. Quando quis hæc tria habet: vocationem, fidem in Christum: studium bonorum operum, quæ de fide testantur, tum de sua prædestinatione & electione ne minimum quidem dubitet: tantum caueat, ne ob bona opera quæ præstitit, insolescat: sed operam det, vt in timore & tremore suam salutem operetur, & Deum assidue precetur, vt ipse, qui bonum opus in ipso inchoauit, illud etiam perficiat. Phil.2.12. Talis etiam non dubitet de mercede. Nam, vt habet parabola, sub vesperam vocantur omnes operarij, & quisque accipit suam mercedem. Hoc modo doctrina Prædestinationis non à priori est ordienda: sed à posteriori addiscenda, tum præbet homini firmam catenam, quæ in cœlum ipsum attrahere potest. Hanc catenam nexuit nobis Paulus Rom.8.30. Quos Deus prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, eos & glorificauit.

Hic autem quis obijcit: Attamen in hac parabola scriptum est, quod vnus ex vocatis & laborantibus ex vinea eiectus, & *quod suum est tollere atque abire* iussus est. Ad hæc tota parabola hoc dicto concluditur: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Itaque tria illa membra, ex quibus me de electione mea certum esse posse dicis, non sunt adeo firma. Respond. Hoc nobis in præmonitionem præscriptum. Nam quod aliqui reiiciuntur, non Dei, sed ipsorum culpa fit. Quare tu caueas, ne in eandem culpam incidas: Nam quando Deus homines ad salutem & vitam æternam vocat, tum illi non sunt vno modo affecti.

1. Alij nolunt verbum vocationis audire: sed sicuti surdæ aspides obturant aures suas. Psal.58.5. indurant corda sua. Psalm.95.8. non obediunt Euangelio. Rom.10.16. & quando Christus ipsos vult congregare sub alas suas. Matth.23.37. ipsi nolunt. Non tales Deus in cœlum suum admittet.

2. Aliqui acceptant quidem Euangelium, sed tantum ob temporalia bona, non vt per illud sub cruce saluentur: sed vt bonos delicatos dies habeant, aut ex bonis Ecclesiæ ditentur. Quando vero Deus ipsos non statim introducit in ter-

ram lacte & melle fluentem, sed ad tempus in deserto circumducit, mox recidiuam patiuntur, reuerti volunt ad ollas suas Ægyptiacas, sicut olim Israelitæ fecerunt, Quis hisce cœlum daret?

3. Multi etiam in vinea sunt otiosi, imo turbant & impediunt aliorum labores: in Ecclesia rident aliorum deuotionem. Ipsi vero interea sunt frigidi, non orant, indulgent propriis cupiditatibus: fugiunt æstum & onus diei, sectantur praua sodalitia. Quid de his iudicandum erit?

4. Denique multi sunt murmuratores superbi, qui ob dona sua plus esse & videri volunt, quam alij. Hi quoque Deo displicent & reiiciuntur. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur. Esa. 2. 12. Hæc si quis vitet, & strenue sequatur vocationem, constanter Christo adhæreat, in eoq; sit contentus, sit patiens in cruce, & maneat in humilitate, tum nullum subest periculum reprobationis.

VIII. Adhuc vnam addemus doctrinam. Quidam Patrum, vt Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, dicunt; per quinque horas, in parabola nominatas, denotari quinque ætates hominis. *Mane*, denotat pueritiam: *Hora tertia*, iuuentutem: *Hora sexta*, quando Sol est altissimus, virilem ætatem: *Hora nona*, decrescentem ætatem, quia Sol vergit ad occasum: *Hora vndecima*, decrepitam senectutem. Et volunt, vt hinc agnoscamus immensam Dei bonitatem, qui nolit mortem peccatoris. Exod. 18 13. sed velit omnes homines saluari. 1 Tim. 2. 4. quia per omnes horas & ætates eos vocat. Aliqui sequuntur ipsum in pueritia: vt Samuel, Ieremias, Iosias, Baptista. Alij in iuuentute: vt Timotheus & Titus. Alij virili ætate: vt Petrus, Andreas, Paulus. Alij in senecta. Hic iam quisque ad se applicet, & attendat, an vocationi in singulis ætatibus factæ, etiam pareat. Si in infantia fuisti petulans puer, noluisti obtemperare parentibus, præceptoribus, magistris, facias id in iuuentute tua. Eccles. 12. 1. Memento creatoris tui, in iuuentute tua. Si etiam in iuuentute tua cum Acolasto Luc. 15. 13. praua sodalitia, & luxuriam secutus es, fac id in virili ætate, & ora cum Dauide ex Psalm. 25. 7. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Si etiam virilem ætatem non Deo, sed mundo consecrasti, vel saltem in senio te serio ad Deum conuerte, & ex Psalm 71. 9. ora: Ne proiicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. *Si etiam* hanc ætatem elabi passus es: propter Deum mature conuertere, quia clepsydra mortis properat ad finem. Si nondum mortuus es, & dies adhuc vocatur HODIE, porta gratiæ & salutis adhuc patet: sin mors præuenit, nulla postea valet pœnitentia. Quapropter nemo pœnitentiam differat, donec arbor cadat. Nam prout ceciderit ita erit Eccles. 11. 3. Et Angelus iurat Apoc. 10. 6. per viuentem in secula seculorum, non fore amplius tempus, scilicet ad pœnitendum. Quidam hic secure peccant in Dei misericordiam, & proinde pœnitentiam de ætate in ætatem differunt. Sed benignitate Dei non abutamur. Rom. 2. 4. Nam, vt recte Augustinus monet: Deus quidem per omnes ætates vocat, sed tu incertus es, vtrum omnes ætates sis permeaturus. Quin potius imitemur operarios in parabola, qui, qua quisque hora euocatus est, ea iuit in vineam: ita tu quoque eas, quando vocaris. Semper prætendimus latronem, qui demum vndecima hora fere elapsa conuersus sit: quid si vero idem si maturius vocatus fuisset, maturius etiam venisset? Qui vero suam pœnitentiam de die in diem differunt, illi fere à morte præoccupantur, vt salutis nullam curam neque per se neque per alios agere possint, atque sic anima & corpore pereant. Exempla talium, qui sic pereunt, ætas nostra multa vidit: sed eorum, qui ea attendant, & ex illis se emendent, sunt pauci.

CAPVT CXXXIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM, QVOMODO MARIA ET MARTHA nunciauerint Christo, fratrem Lazarum ægrotare. Iohan. 11. versic. 1.

RATIO ORDINIS.

NOn extat in toto codice Euangelico iucundior historia, quæ pluribus doctrinis & consolationibus abundet, quam hæc de Lazaro rediuiuo. Quapropter omnibus piis mentibus exacte nota esse debet, vt ex ea, tam in vita doctrinas, quam in morte solidas consolationes haurire possint. Huius autem præstantissimæ historiæ primæ parti hunc locum attribuere cogimur: quia, vt ex sequentibus liquido patebit, quæ tres Euangelistæ, Matthæus, Marcus & Lucas parabolæ de vinea subiunxerunt, pertinent ad illam profectionem, qua Christus ex Peræa Bethaniam venit, & quam intra biduum absoluit. Si quis tamen velit hanc primam huius historiæ partem subiungere disputationi Pharisæorum de diuortio, & prætermittere benedictioni paruulorum, quia Christus accepto nuncio de morbo Lazari, *mansit in eodem loco duobus diebus*, vt sic biduo illi attribuantur, quæ in proximis tribus capitibus tractauimus, illi Ego non multum refragabor. Nam ex Euangelistarum descriptionibus hoc obseruare licet: quod in tribus annis ministerij Christi tantum præcipuas historias, conciones, miracula annotarint, quæ in singulis annis acciderunt. Postquam autem prope ad passionem peruentum est, consignarunt, quid singulis diebus acciderit: in ipsa vero passione etiam secundum horas historiam ordinarunt, vt sic diligentiam suam Christiano orbi probarent. Cumque admodum prope ad historiam passionis accessserimus, non inconcinne possent illæ tres historiæ & conciones illi biduo, quo adhuc Christus in illo loco commoratus est, attribui. Nos tamen, ne historia ipsa nimis procul ab inuicem distraheretur, primam partem huc reponere maluimus.

Maria & Martha Christo nunciant, fratrem Lazarum ægrotare. Iohan. 11.

1. Ἦν δέ τις ἀσθενῶν Λάζαρος ἀπὸ Βηθανίας, ἐκ τῆς κώμης Μαρίας καὶ Μάρθας τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς.

2. Ἦν δὲ Μαρία ἡ ἀλείψασα τὸν κύριον μύρῳ, καὶ ἐκμάξασα τοὺς πόδας αὐτοῦ ταῖς θριξὶν αὐτῆς, ἧς ὁ ἀδελφὸς Λάζαρος ἠσθένει.

3. Ἀπέστειλαν οὖν αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ πρὸς αὐτὸν, λέγουσαι, κύριε ἴδε, ὃν φιλεῖς, ἀσθενεῖ.

4. Ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν, αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ δι' αὐτῆς.

5. Ἠγάπα δὲ Ἰησοῦς τὴν Μάρθαν, καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς, καὶ τὸν Λάζαρον.

1. *Ægrotabat autem quidam nomine Lazarus Bethaniensis, à Castello Mariæ & Marthæ huius sororis.*

2. *Maria autem erat ea quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus ægrotabat.*

3. *Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes, Domine, vide quem amas, ægrotat.*

4. *Audiens autem Iesus, dixit,* Infirmitas *hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.*

5. *Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius, & Lazarum.*

6. Vt

6. Ὡς οὖν ἤκουσεν ὅτι ἀσθενεῖ, τότε μὲν ἔμεινεν, ἐν ᾧ ἦν τόπῳ, δύο ἡμέρας.

7. Ἔπειτα μετὰ τοῦτο λέγει τοῖς μαθηταῖς, ἄγωμεν εἰς τὴν Ἰουδαίαν πάλιν.

8. Λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ, ῥαββὶ, νῦν ἐζήτουν σε λιθάσαι οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ πάλιν ὑπάγεις ἐκεῖ;

9. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, οὐχὶ δώδεκά εἰσιν ὧραι τῆς ἡμέρας; ἐάν τις περιπατῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ, οὐ προσκόπτει, ὅτι τὸ φῶς τοῦ κόσμου τούτου βλέπει.

10. Ἐὰν δέ τις περιπατῇ ἐν τῇ νυκτὶ, προσκόπτει, ὅτι τὸ φῶς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ.

11. Ταῦτα εἶπε, καὶ μετὰ τοῦτο λέγει αὐτοῖς, λάζαρος ὁ φίλος ἡμῶν κεκοίμηται, ἀλλὰ πορεύομαι ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν.

12. Εἶπον οὖν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, κύριε, εἰ κεκοίμηται, σωθήσεται.

13. Εἰρήκει δὲ ὁ Ἰησοῦς περὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ἐκεῖνοι δὲ ἔδοξαν, ὅτι περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου λέγει.

14. Τότε οὖν εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς παῤῥησίᾳ, λάζαρος ἀπέθανε,

15. Καὶ χαίρω δι' ὑμᾶς, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, ἀλλ' ἄγωμεν πρὸς αὐτόν.

16. Εἶπεν οὖν θωμᾶς ὁ λεγόμενος δίδυμος, τοῖς μαθηταῖς, ἄγωμεν καὶ ἡμεῖς, ἵνα ἀποθάνωμεν μετ' αὐτοῦ.

6. *Vt ergo audiuit, quod ægrotaret, tum quidem temporis mansit in eodem loco, quo erat duobus diebus.*

7. *Deinde post hoc dicit discipulis: Eamus in Iudæam iterum.*

8. *Dicunt ei discipuli, Rabbi, modo quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?*

9. *Respondit Iesus, Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt.*

10. *Si quis autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.*

11. *Hæc ait, & post hæc dicit eis, Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno excitem eum.*

12. *Dixerunt ergo discipuli eius, Domine, si dormit, saluus erit.*

13. *Dixerat autem Iesus de morte eius, at illi putauerunt, quod de dormitatione somni diceret.*

14. *Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste; Lazarus mortuus est.*

15. *Et gaudeo propter vos, vt credatis, quod non fuerim ibi. Sed eamus ad eum.*

16. *Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad discipulos, Eamus & nos vt moriamur cum eo.*

Exegesis huius historiæ.

EVangelista præmittit breuem descriptionem Lazari, vocat eum λάζαρον τὸν ἀπὸ βηθανίας, *Lazarum de Bethania*. Bethania autem vocatur *castellum Mariæ & Marthæ*, quo sensu nō satis liquet: an sorores illæ fuerint Dominæ illius vici & castelli: an vero saltem inde oriundæ, atque ibi habitarint? sicuti Bethsaida Iohan. 1. versic. 44. ciuitas Andreæ & Petri dicitur, eo quod inde essent oriundi. Quanquam vero similius sit illud prius: siquidem ex omnibus circumstantiis manifestum est, magnam fuisse huius familiæ existimationem apud Iudæos Hierosolymitanos. Quia vero plures fœminæ in Euangelio inueniuntur, quibus inditum fuit nomen *Mariæ*: ideo Euangelista differentiæ causa addit: *Maria autem erat ea, quæ vnxit Dominum vnguento.* Vbi non intelligenda est illa vnctio, quam habuimus supra Cap. L V I I. Hormoniæ; ex Lucæ cap. 7. vers. 36. sed illa, quam habituri sumus infra ex Iohanne cap. 12. vers. 3. Tres enim vnctiones fuisse supra indicatum est. Ad hanc familiam etiam Christus diuertit Luc. 10. versic. 38. cum à Iudæis primum lapidibus ex templo expulsus fuisset Iohan. 8. vers. vltim. Ita vt satis arcta familiaritas intercesserit inter Christum & hanc familiam, quæ etiam fecit, vt ablegato nuncio ad Christum in Peræam, ipsi fratris morbum significari curarint. Ipsæ sorores Dominum non adierunt, non ex neglectu & contemptu aliquo, sed quia inhumanum fuisset fratrem, ad mortem vsque decumbentem domi sine cura deserere: cui accedebat magna fiducia, quam dudum ex Christi benignitate conceperant. Ideo etiam paucis verbis legationem absoluunt: *Domine, vide quem amas, ægrotat.* Hic parumper subsistemus, & doctrinas inspiciemus.

1. Ante omnia attendenda hæc verba: *Domine quem amas,* quæ nos & omnes Christianos excitare debent, vt & nos omnes actiones & conuersationem sic instituamus, vt Christus nos amet, & sit noster, (vt ipse infra hoc vocabulo vtitur) noster *amicus.* Nam quem Deus diligit, & qui hunc sibi amicum parat, is in omnibus aduersitatibus & necessitatibus tutum habet asylum, ex quo consilium, auxilium, consolationem expectare potest. Quid vero faciendum, vt Christum amicum paremus? Intueamur Lazarum & sorores, easque imitemur. Fuerunt seduli auditores & amatores verbi Dei, inprimis Maria: iuxta ipsius verbum honeste vitam suam instituerunt: Christum eiusque discipulos, vt modo dictum est, hospitio exceperunt, ipsisque benefecerunt. De auditu verbi ipse Christus dicit, Iohan. 14. vers. 23. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad ipsum veniemus. & mansionem apud eum faciemus. Cumque Matth. 12. versic. 48. mater, fratres & sorores ipsum è concione euocarent, protenta manu super auditores, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. De obseruatione sui verbi, dicit Ioh. 15. vers. 14. Vos amici estis, si feceritis, quæ Ego præcipio vobis. Et mox rursus: Vos dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Itaque quando Christus per prædicatum verbum Euangelij nobis cœlestis sui Patris voluntatem aperit, illam attendamus, & iuxta illam vitam nostram instituamus. Nam beati qui verbum Dei audiunt, & custodiunt illud. Luc. 11. vers. 28. Et Iohan. 8. v. 52. dicit Christus: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. De operibus beneficentiæ erga Christum, & postquam nunc in cœlos migrauit, erga pauperes ipsius fratres, nuper audiuimus Luc. 16. vers. 9. facite vobis amicos, de mammona iniquitatis. Et quicquid talibus egentibus Christi membris fit, illud Christus in nouissimo die sibi factum reputabit. Matth. 25. v. 40. Hoc complexus est Ioh. 13. vers. 34. hoc dicto Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: sicut dilexi vos, &c.

2. Discimus etiam hinc, quænam sit fortuna dilectorum Dei filiorum & Christi amicorum in hac vita. Mundus opinatur, iis, quos Deus diligit, nihil aduersi accidere posse, sicut etiam ipse satanas Deo obiicit Iob. 1. v. 10. quod Iobum & ipsius domum circumuallarit, vt nusquam ipsi nocere possit. Et Matth. 4. v. 3. Christo dicit: si es filius Dei, fac hoc: fac illud: præcipita te deorsum, non potes damno affici: quia angelis de te mandatum est. Hæ etiam sunt mundi cogitationes de piis: sed de Lazaro hic diuersum audimus. Sorores enim Christo nunciant: *vide, quem amas ægrotat:* & quidem ita ægrotauit, vt tandem amara mors ipsum rapuerit. Interim miseræ sorores, *quas & ipsas Dominus diligebat*, versantur in summo luctu ob morbum vnici & dilectissimi fratris, qui hactenus consilio ipsas iuuit: vnde nuncium ablegant ad Christum, vt ille rebus afflictis auxilio subuenire velit. Sed antequam nuncius reuertatur frater mortuus, vt iam de omni spe sit actum, quod plurimis lachrymis deplorarunt, vt postea audiemus. Hæc ergo est vera imago fortunæ Christianorum in hac vita. De voluptatibus, lætitia, firma valetudine, & læta fortuna non multum sibi polliceri possunt: sed morbi, crux, luctus, miseria & afflictiones, sunt quotidiani ipsorum hospites. Ita vt verus Christianus cum Asapho ex Psalm. 73. vers. 14. dicere possit: Ego flagellatus fui tota die & castigatio mea in matutinis. Sed hæc non nimium nos contristent: quia scimus, quod per multas tribulationes oporteat nos ingredi in regnum Dei. Actor. 14. v. 21. Hoc modo conformes reddimur imagini Christi. Rom. 8. v. 29. Et certum est: Si vna commortui fuerimus, etiam conuiuemus: & si sustinuerimus conregnabimus. 2. Tim. 2. v. 11.

3. In cruce, morbis & aduersitatibus quid facere, quonam nos conuertere debemus? Hoc etiam docent sorores Lazari, quæ mittunt *ad Iesum*, eique fratris morbum nunciari

curant. Admonent etiam Dominum Iesum amicitiæ *quem amas*, & pacti, quod inter Christum & discipulos eius viget, atque sperant ipsum non diu emansurum, sed manum medicam morbo adhibiturum. Hanc artem etiam nos discamus, vt in omnibus nostris necessitatibus non alio confugiamus, quam ad Christum Iesum, huic nostras curas & solicitudines ardentibus precibus commendemus, nec dubitemus, quin, si ad ipsius gloriam & nostram salutem seruiat, nobis opem sit laturus. Et hic ipsum quoque commonefacimus amicitiæ & pacti, quod cum ipso habemus. In baptismo enim facta est stipulatio bonæ conscientiæ. 1. Pet. 3. versic. 21. quam postea morte sua confirmauit, quod nunquam nos deserere velit. Si hoc fecerimus, euentus felix, sicut apud hasce sorores, subsequetur. Etsi enim interdum auxilium suum, certas & iustas ob causas, differt: fieri tamen nequit, quin tandem preces, firma fiducia erga ipsum conceptas & fusas, exaudiat, sic enim promisit Psalm. 50. v. 15. Inuoca me in die tribulationis, & ego eruam te, & tu glorificabis me. Et Psalm. 102. v. 18. Respexit Deus in orationem humilium: & non spreuit preces eorum.

4. Attendenda est etiam forma legationis & precationis duarum harum sororum, quæ simplex est & breuis, nihil præterquam Lazari morbum & sororum solicitudinem Domino proponens. *Domine, vide, quem amas ægrotat.* Nihil Domino præscribunt, nullas rationes adducunt, cur ipsis subuenire debeat. Sufficit ipsis, si Domino suam necessitatem proposuerint, ipse tam potens est, vt modum & media iuuandi etiam sine ipsorum monitionibus inuenire possit: tam benignus etiam est, vt velit iuuare, etiam citra prolixam persuasionem. Recte ergo Augustinus dixit: sufficit vt moueris, non enim amas, & deseris. sic & nobis sufficiat in nostris morbis aduersitatibus & angustiis, vt Deo nostro paucis verbis, quæ nos necessitates vrgent, proponamus, animi nostri ægritudinem in paternum ipsius sinum exoneremus, nihil postea præscribamus, sed tantum patienter & placide ipsius opem expectemus. Ipse faciet. Exemplum desume ex humanis. Si ὁ σπλάγχνις cuiusdam & boni parentis probus filius in puteum incidisset, illudque parenti referres, ibi non opus foret multas rationes recensere, quibus pater moueretur, vt filio in præsenti periculo constituto subueniret, naturalis στοργὴ & paterna affectio patrem stimulaturæ essent, vt incunctanter ad opem filio ferendam accurreret: si hoc mundani patres faciunt, quid non faceret cœlestis Pater, qui στοργὰς illas naturales hominum animis implantauit, vt ex iis aliquo modo agnosceremus, qualiter cœlestis Pater erga nos sit affectus? Quemadmodum enim pater miseretur filiorum: sic Dominus miseretur timentibus se. Psal. 103. v. 13. Imo vt mater miseretur filij vteri sui, qui affectus adhuc tenerior est: ita Deus nostri miseretur. Isa. 49. vers. 15. Huius ergo clementi & paternæ voluntati nostras curas resignemus. Ipse nobis non deerit.

II. Audiamus, quid responsi Christus nuncio sororum Lazari dederit: in eo Christus nobis monstrabit Dei morem, quem seruare solet, quando suis vult succurrere. Præcipit nobis in Psalm. 50. v. 15. vt ipsum in die tribulationis inuocemus, & promittit tum exauditioné tum liberationem. Sed quoad liberationem hunc morem obseruare solet, vt auxilium aliquantisper differat, & sub ipsis precibus necessitatem atque angustias crescere sinat. sicuti id in præsenti exemplo videmus. Nam postquam Christus audiuit, Lazarum amicum suum ægrotare, non statim surgit & recta ad eum properat, sed *mansit in eodem loco, in quo erat duobus diebus.* Et, quod plus est, nuncio dicit: *infirmitas hac non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam* His verbis solatus est nuncium & per ipsum etiam sorores Lazari. Sed interim antequam nuncius domum reuertatur, Lazarus moritur: & quidem prout supputare licet, eo ipso tempore, quo Christus hæc dixit. Hic tumultuatur ratio, & grauiter conqueritur: hæccine est amicitia Christi, sic negligere amicum ad mortem vsque decumbentem? atque insuper miseras sorores bonis verbis vana spe lactare, *non esse infirmitatem ad mortem*; cum tamen mors eo ipso momento eum superet. Ne ergo ob hanc moram quis de amore Christi erga has sorores dubitet, Euangelista lectorum animos præmunit, interserens: *Diligebat autem Iesus Abraham, & sororem, & Lazarum.* Non ergo piorum infirmitates semper sunt iræ diuinæ iudicia: sed sæpe in iis Deus impœnitentibus exemplum proponit, vt cogitet: si hoc fit in viridi ligno, quid futurum in arido? si etiam quis piorum à Deo chronico & diuturno morbo detineatur, non grauatim id ferat, nec se à Deo negligi putet. Ipse est adiutor in opportunitatibus: & iusto tempore veniens veniet, nec tardabit. Interim Dominus Iesus sorores Lazari non vana spe lactauit, nec fictis verbis consolatus est, Nam vtique fratris *infirmitas non erat ad mortem*, scilicet talem, qualem sorores sibi imaginabantur, & in qua Lazarus perpetuo detineretur. Et si finem totius historiæ inspiciamus quod nimirum quatriduanus resurrexit, ipsi dicemus, non fuisse immissam ægritudinem ad mortem: sed *pro gloria Dei*, & in primis *vt filius Dei per eam glorificetur.* Etenim si maxime Christus ægro affuisset, eumque ex morbo liberasset: aut si, quamprimum expirasset, eidem animam rursus inspirasset: tamen nunquam ne centesimam quidem partem tantæ gloriæ & honoris ex miraculo consecutus fuisset, quantam consecutus est, quod Lazarus ipso absente moritur, sepelitur, & in sepulchro fœtere incipit, & tamen à Christo resuscitatur. Nec est dubium, quin Christus celeberrimum hoc miraculum studiose ad hoc tempus, quo ipsius mors imminebat, reseruarit, vt sic scandalo crucis & mortis suæ mederetur, & suam post triduum resurrectionem futuram credibiliorem redderet. Quia enim Dominus non tantum recens mortuos suscitauit, sed & eum, qui iam in sepulchro quatriduanus erat, credibilius factum est, ipsum etiam post triduum resurrecturum, & resurrexisse.

1. Hunc Dei morem obseruemus, eique nos accommodare discamus, vt si quando etiam in nostris aduersitatibus auxilium differat, nón impatientes reddamur: sed statuamus ipsum iustas suas habere causas, vt fidem nostram probet: vt preces accendat: & tandem, quando his constanter instamus, tanto illustriorem à Deo liberationem impetremus, & consolatio nostra sit tanto efficacior. sicuti *in Lazaro hic videmus.* Is fidit Christo, eius auxilium per nuncium implorat & expectat tam diu, donec tandem animam exhalet. Hic coram mundo omnis spes & fiducia vana visa fuerunt. Sed vel tandem Domini auxilium ita secutum est, vt gloriosum ipsi fuerit non tantum tempore suæ vitæ, sed in hodiernum vsque diem. Hunc morem Deus obseruauit erga omnes sanctos. Abrahamo patri omnium credentium dedit promissionem de benedicto semine: Sed 25. annos ipsum in suspenso detinet, in senecta demum filium Isaacum ipsi donat. Iosephus fuit pius iuuenis: cursus autem vitæ ipsius talis fuit, ac si Deus totus ipsius oblitus esset: tandem tamen post diuinam moram venit Deus, suamque præsentiam manifestat, dum ipsum potentem facit principem Ægypti: Etsi ergo nobis interdum mora admodum diuturna videtur, vt cum Dauide ingeminemus illud Psal. 13. v. 1. Vsque quo Domine obliuisceris me in finem? Vsque quo auertis faciem *à me? tamen* non reddamur pusillanimes, sed viriliter *agamus, & confortetur* cor nostrum. Psal. 31. v. vlt. expectemus *Dominum*: quia licet moram fecerit, tamen veniens veniet & non tardabit. Hab. 2. v. 3. Et si duret à *custodia matutina*, vsque ad noctem: tamen speret Israel in Domino. *Ps. 130. v. 6.*

2. Illud vero consolatione plenum est, quod Christus de morbo Lazari pronunciat: *Infirmitas eius non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.* Sic docet, quando Deus nobis immittit morbos & aduersitates, atque in iis nos aliquantisper detinet, quod eo ipso non nostrum exitium vel interitum, sed suam gloriam & ipsorum Christianorum commodum & honorem quærat. Vult nos eo deducere, vt nos peccata nostra agnoscamus, seriam pœnitentiam agamus, veram fidem exerceamus, ardenter precemur, atque sic Dei gloria apud nos primo promoueatur. Etenim extra crucem, & dum omnia iuxta animi nostri voluntatem nobis cadunt, raro illa exercitia apud nos sunt seria. *Sed quando* crux adest, tunc illa nos vrget ad pœnitentiam, *fidem & preces.* Ideo recte dixit Dauid Psal 18. v. 36. disciplina tua ipsa me docebit, Et Ier. 28. v. 19. Vexatio dat intellectum auditui. Et rursus c. 26. v. 16. Domine in angustia requirunt te, & in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Et quando hoc modo Dei gloria primo promota est, tunc sequitur, quod etiam piorum honor promoueatur: siue id fiat in hoc mundo, sicuti factum est cum Iacobo & Iosepho, siue id fiat in altero mundo, sicuti accidit Lazaro mendico, & eueniet omnibus, qui firma fide Christo adhærent. Dominus enim humiliat & exaltat. 1. Samuel. 2. versic. 7. Et Hanna apud Tobiam c. 3. ver. 21. recte dixit: Hoc pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Et Deus ipse promittit, Ier. 31. versic. 13. Ego conuertam luctum eorum in *gaudium*, & consolabor eos, & lætificabo à dolore suo.

III. Postquam itaque Dominus sic biduum in Petræa substitit, non negligens amicum ægrum, sed celebriorem expectans edendi miraculi occasionem, & vt tanto maior gloriæ Dei fieret illustratio. Exacto illo biduo dicit discipulis: *Eamus iterum in Iudæam.* Hæc vox non mediocriter perculit animos discipulorum. Nam audita voce *Iudææ*, mox sibi in memoriam reuocant, se fere nunquam cum Domino in Iudæa fuisse, quo non in periculum aliquod inciderint. Idem nunc

hunc futurum metuunt. Sed vt suum metum tegant, prætexunt se pro Domino solicitos esse. *Rabbi*, inquiunt, *modo* (Iohan.10.versic.30.) *quærebant Iudæi te lapidare, & iterum vadis illuc?* Qui amat periculum, in eo peribit. Quapropter si nostrum admittis consilium, abstineas à Iudæa, illa tibi fatalis esse videtur.

1. Hic videmus in discipulis humanis generis ingenium, quomodo illud erga crucem sit affectum. Quando ex Dei verbo hanc consolationem audimus, quod crux nostra, nostræ afflictiones, persecutiones, pericula ad Dei gloriam & nostram salutem vergant, tum magno animo illa subire, Deo fidere, & omnes tentationes superare debeamus. Hanc consolationem discipuli modo ex Christi ore audierunt: & tamen caro ipsorum horret Christum comitari in Iudæam, quia metuunt periculum mortis à Iudæis imminere. Sic etiam nos horremus crucem, plus quam Diabolum ipsum, mobisque ipsis persuademus, si tantum à cruce liberi esse possemus, iam nos beatos fore. Et sane quod caro debilis crucem reformidat & detrectat, mirum non est. Siquidem ipse Dei filius horruit bibere calicem, quem cœlestis Pater ipsi propinauit. Ideo etiam ter eum deprecatus est. Matth.26.v.39. Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Caro autem infirma, ex Dei verbo efficaci consolatione erigi debet, vt sciamus in eiusmodi calice crucis non venenum nobis à cœlesti Patre, sed vitam & salutem propinari: feces autem peccatores terræ exhaurient. Psal.75.v.9.

2. Christus autem discipulos suos contra hanc pusillanimitatem erigit & solatur, ex doctrina de Prouidentia Dei. Et docet, non in Iudæorum voluntate & potestate positum esse, vt Christo & discipulis noceant, quando vellent: sed præesse ipsis sublimiorem potestatem, quæ nefarios ipsorum conatus retardare possit. *Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt. Si quis autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* Sortitur hæc sententia varias & diuersas interpretationes, & earum quasdam satis ineptas. Simplex sensus hic est. Loquitur Christus parabolice, & vult dicere: Quemadmodum cœlestis meus pater cuilibet diei in principio creationis duodecim attribuit horas vni longiores, alteri breuiores, & quicunque in eiusmodi die ambulat, dum Sol adhuc lucet, non offendit, quia videt quo ambulet, & vbi vertetur: Sic idem cœlestis meus Pater cuiuis homini suum diem vitæ, & in eo 12. horas, siue breues, siue longas assignauit, & dum ille dies durat, non metuat, quod quicquam aduersi ipsi citra Dei voluntatem accidere possit. Sed elapsis illis horis, & quando nox ingruit, tum non amplius mundo fidendum, quia pericula simul incidere possunt. Et quia omnino vniuscuiusque dies vel tandem occidit, vbi tempus adesse intellexerimus, non reluctemur voluntati: sed dicamus, fiat voluntas tua Domine, tu dedisti vitam; tu eam auferendi potestatem habes: tu æternam vitam restitues: sit nomen tuum benedictum in secula. Nemo ergo piorum, qui in viis vocationis suæ ambulat, nimium se excruciet ob insidias & odia ostium veritatis: sed si caute egerit, & diligenter precatus fuerit, fidat Deo, quod ipsum defensurus sit, ne quicquam aduersi contra eius voluntatem ipsi accidat. Nam & capilli capitis nostri numerati sunt. Matth.10.versic.30. Si vero tum iuxta Dei voluntatem & prouidentiam Dei aliquid aduersi nobis accidat, magno animo feramus, scientes quod his qui Deum diligunt, omnia cooperentur in bonum. Rom.8.versic.28. Nam & quæcunque persecutiones, exilia, egestates & similia propter Christum sustinemus, illas ipse abunde compensabit. Interim hæc sit nostra consolatio, quod non est in Diaboli, neque in impij mundi potestate, vt ipsi Solem nobis occidere faciant, quando ipsi volunt: sed hoc in solius Dei manu positum est, is diei duodecim horas attribuit, harum ne vnam quidem omnes nostri hostes, contra ipsius voluntatem, nobis eripere possunt. Ipse omnes dies nostros in libro suo annotauit, etiam cum nondum formati essent. Psal.139.v.16. ex his homines ne vnum quidem delebunt. Iob.14.v.5. Breues dies hominis sunt, numerus mensium apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Sic ergo magnum munimentum consolationis habemus in Prouidentia Dei. Antequam nati essemus, Deus nobis assignauit non tantum certos dies vitæ, sed etiam quid singulis diebus accidere debeat. O felicem ergo, qui omnem suam curam in Deum iactare discit, vt huic libere committat, quicquid ipsi euenire velit.

3. Postquam Christus hoc modo discipulos suos animasset, & metum diligenter excussisset, aperit ipsis causam profectionis suæ in Iudæam: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado & à somno excitem eum*, q.d. Non ascendam in Iudæam, vt Iudæos disputationibus lacessam, aut concionibus irritem: sed vt Lazarum, communem nostrum amicum visitem, & à somno excitem. Discipuli vocculam *somni* arripiunt, & quia de naturali dormitione illam intelligunt, mox argumentum inde nectunt, quo Dominum denuo à profectione in Iudæam auertere conantur. *Domine, si dormit, saluus erit.* Est enim somnus in grauioribus morbis rediturae sanitatis argumentum. Quid ergo opus est, iam eius causa iter suscipere? Et quis vnquam audiuit, quempiam iter bidui instituisse, vt amicum de somno excitaret? Sic semper volunt discipuli vt suus metus præponderet Christi proposito. At Christus, quod discipulis obscurum erat, apertius explanat, dicens: *Lazarus mortuus est*: non autem hic addit vt prius, & ego vado, vt eum resuscitem à mortuis: modestiam in verbis & ipse seruans, & eandem nos docens. Sed addit: *& gaudeo propter vos, vt credatis, quod non fuerim ibi, sed eamus ad eum.* Lætatur Christus se non adfuisse Lazaro morienti, propter discipulos, *vt credant*, hoc est, vt fides ipsorum crescat, augeatur & confirmetur. Nam vtique discipuli iam antea credebant, sed ex Christi absentia illa fides augenda erat. Augebatur autem primum ex eo quod audirent Christum ipsis referre, quæ circa Lazarum acciderunt, etiam nemine nunciante. Deinde augebatur etiam ex eo, quod longe excellentius miraculum est, quatriduum mortuum resuscitare, quam si præsens, vel morbum depulisset, vel modo extinctum resuscitasset.

Ex his Christi verbis pij primum consolationem hauriant contra mortem. Nam multos non mediocriter angit hæc tentatio, quod cogitant, quid mihi prodest, quod per omnem vitam Christum sequar, Euangelium audiam, & in Christum credam, vel tandem idem finis est, & fidelium & infidelium, sicut & Salomon dicit Eccl.2.v.14. Didici, quod vnus interitus est sapientis, hoc est, pij & stulti, id est, impij. Et sane coram oculis mundi res ita se habet, sed non coram Deo. Hic enim Christus satis latum discrimen facit, inter mortem impiorum, & credentium. Quando impij moriuntur, tum in inferno sunt positi, & mors depascit ipsos, vt habet Psal.49.v.15. Sed quando credens in Christum moritur, tum Christus dicit: amicus noster *dormit*. Ethnici de morte ita senserunt, quod sit finis omnis felicitatis humanæ, & initium æterni interitus. Et sane in iis, qui extra Christum sunt, hoc verum est, sed qui per fidem Christo sunt implantati, iis mors, quoad animam, ostium & initium est ad æternam felicitatem, quoad corpus autem, hoc requiescit à laboribus suis. Apoc.14.v.13. Requiescunt enim iusti in cubilibus suis, ne videant mala, quæ Deus mundo immittit ob impietatem, Ies.57.v.2. Sicut etiam Matth.9.v.24. de filia Iairi dixit, quod non mortua sit, sed dormiat. Et sane mors Christianorum appositissime somno confertur. Quemadmodum enim mercenarius, quando tota die laborauit, æstum & pondus diei portauit, lætatur, quod appetente vespera fessa membra somno recreare potest, ibi seponit omnes suas curas, nulla solicitudine cingitur, sed placide & quiete dormit ad sequens vsque mane: Sic Christianus, quando moritur, omnes curas & solicitudines mundanas abiicit, à laboribus suis quiescit, & in Christo Iesu placidissime dormit, vsque ad illucescentem diem futuri seculi. Quemadmodum etiam dormiens homo mortuo est similis, qui nihil eorum nouit, quæ circa ipsum fiunt, nihil videt, nihil audit, nihil percipit, sed quamprimum nomine suo vocatur, mox euigilat, surgit, & ad munia suæ vocationis redit: sic mortui nihil prorsus rerum mundanarum norunt vel percipiunt, quando autem in nouissimo die Christus eos vocauerit, mox excitabuntur, de somno suo surgent, & vitam æternam ingredientur. Vide Iohan.5.v.25. 1. Corinth.15.versic.51. & 1. Thess.4.versic.16. Vnico verbo Christus reuocabit omnes fideles mortuos, venite ad iudicium. Quare nemo mortem metuat, sed potius si secundum Dei voluntatem ipsi immittatur, læto & placido animo suscipiat, vt qui per eam ad desideratam quietem promoueatur, & ex eadem rursus magna cum gloria resuscitandus sit. Dicat cum Simeone: Luc.2.v.29. Nunc dimittis Domine seruum tuum, secundum verbum tuum in pace. Idem etiam reuocabit seruum suum ex morte ad pacem sempiterni seculi.

Deinde etiam hoc in illis Christi verbis probe est obseruandum, quod Christus de Lazaro mortuo: sepulto, & iam fere computrescente, pronunciat. Lazarus *amicus noster* dormit. Ergo amicitia, quæ nobis cum Christo & aliis fidelibus per fidem intercedit, ne ipsa quidem morte abrumpi vel dissolui potest. Imo quia per mortem animæ ex ergastulo corporis emissæ, ad Christum in æternam vitam transeunt, ideo tum demum recte ipsi conuersantur, nec amplius à Deo peregrinantur & exulant, sicut factum est, dum in corpore essent. 2. Cor.5. versic.6. Christianorum etiam amicitia ne morte quidem dissolui debet. In vita autem æterna, quando

omnes corrupti & carnales affectus aboliti erūt, ibi demū vera, syncera & incorrupta amicitia inter beatos vigebit. Hæc consideratio in Paulo desiderium illud excitauit, quod Phil. 1.v.23. dissolui optat & esse cum Christo. Meminerat enim Christum latroni Luc.23.v.43. dixisse: Hodie mecum eris in paradiso. Huius considerationе etiam nos metum mortis, si illa aduenerit, repellamus. Quis enim mori metuat, si cogitet se in hoc mundo à multis malis hostibus tanquam scorpionibus liberari, & per mortem ad optimum, fidissimum & beneficentissimum amicum, Iesum Christum, venire?

4. Potuissent hoc sermone Christi ipsius discipuli permoueri, vt citra omnem vlteriorem tergiuersationem ipsum in Iudæam sequerentur. Sed Thomas Didymus impatientior, satis immodeste hæc verba ad reliquos discipulos depromit: *Eamus & nos, vt moriamur cum eo.* Beda quidem & alij, hæc Thomæ verba in meliorem partem atque sic interpretari conantur, quasi reliquos exhortatus fuerit, vt Christum absque metu in Iudæam sequerentur. Sed quando quis attendit, quod vbique in Euangelio, quando Thomæ sit mentio, ipsius tarditas & incredulitas sese prodit, quis potest credere ipsum hoc in loco adeo fortem in fide fuisse? Sensus itaque verborum Thomæ hic est: *Optimi collegæ, videtis hunc Iesum, nostrum magistrum, à proposito suo diuerti non posse. Omnia enim pro suo arbitrio agit, nec aliorum consilia, vtcunque salutaria, admittit. Sed hoc vnicum agere videtur, quasi data opera & studiose, cum semetipsum tum nos secum, in exitium præcipitare velit.* Quid igitur faciamus? *Eamus & nos, vt moriamur cum eo*, sic finem omnium malorum assequemur. Magna hæc fuit non tam infirmitas, quam immodestia in Thoma; sed longe maior benignitas in Domino, qui hanc tantam imperfectionem in discipulo sine asperiore reprehensione tolerauit. Nos ad hoc exemplum Thomæ nequaquam consimiliter peccare discamus. Si tamen ex imbecillitate carnis tale quid nobis acciderit, pœnitentiam agamus & bene speremus, ipsum etiam nobis veniam daturum. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Hebr.4.versic.15.

CAPVT CXXXIV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, IN QVO CHRISTVS ASCENDENS HIEROSOLYMAM, mortem suam Apostolis prædicit. Matth.20.v.17.Marc. 10.v.32.& Luc.18.v.31.

RATIO ORDINIS.

QVi videre vel intelligere nolit, hanc historiam optimo & rectissimo ordine præcedentem, tum ratione temporis, ob Euangelistarum consentiens testimonium, tum ratione materiæ, sequi, illum bardum & stipitem esse oportet. Nam quod modo Apostolis dixerat se in Iudæam iturum, illud nunc actu perficit, atque simul ipsis denunciat amplius quid quam antea; nimirum, non tantum Lazarum se visitaturum, sed mox postea acerba & ignominiosa morte crucis succubiturum: gloriose tamen tertia die resurrecturum.

Christus ascendens Hierosolymam, discipulis passionem prædicit. Matth.20.

17. Καὶ ἀναβαίνων ὁ Ἰησοῦς εἰς ἱεροσόλυμα, παρέλαβε τοὺς δώδεκα μαθητὰς κατ᾽ ἰδίαν ἐν τῇ ὁδῷ, καὶ εἶπεν αὐτοῖς,
18. Ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς ἱεροσόλυμα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδοθήσεται τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ γραμματεῦσι, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ.
19. Καὶ παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν εἰς τὸ ἐμπαῖξαι καὶ μαστιγῶσαι, καὶ τῇ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.

17. *Et ascendens Iesus Hierosolyma, assumsit duodecim discipulos suos solos in via. Et ait illis.*
18. *Ecce conscendimus Hierosolyma, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum ac scribis, & condemnabunt eum morte.*
19. *Et tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & tertia die resurget.*

Marc.10.

32. Ἦσαν δὲ ἐν τῇ ὁδῷ ἀναβαίνοντες εἰς ἱεροσόλυμα. καὶ ἦν προάγων αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐθαμβοῦντο. καὶ ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο, καὶ παραλαβὼν ὁ Ἰησοῦς πάλιν τοὺς δώδεκα ἤρξατο αὐτοῖς λέγειν τὰ μέλλοντα αὐτῷ συμβαίνειν.
33. Ὅτι ἰδοὺ, ἀναβαίνομεν εἰς ἱεροσόλυμα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδοθήσεται τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς γραμματεῦσι καὶ κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ, καὶ παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσι,
34. Καὶ ἐμπαίξουσιν αὐτῷ. καὶ μαστιγώσουσιν αὐτὸν, καὶ ἐμπτύσουσιν αὐτῷ, καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτὸν, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.

32. *Erant autem in via ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos Iesus, erantque pauefacti, & sequentes timebant. Et assumtis Iesus rursum duodecim, cœpit illis dicere, quæ sibi euentura essent.*
33. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum ad mortem, & tradent illum gentibus.*
34. *Et illudent illi, & flagellabunt eum, & inspuent in illum. Et occident eum, & tertia die resurget.*

Lucæ 18.

31. Παραλαβὼν δὲ τοὺς δώδεκα, εἶπε πρὸς αὐτοὺς, ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς ἱεροσόλυμα, καὶ τελειωθήσεται πάντα τὰ γεγραμμένα διὰ τῶν προφητῶν τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου.
32. Παραδοθήσεται γὰρ τοῖς ἔθνεσιν, καὶ ἐμπαιχθήσεται, καὶ ὑβρισθήσεται, καὶ ἐμπτυσθήσεται,
33. Καὶ μαστιγώσαντες ἀποκτενοῦσιν αὐτὸν καὶ τῇ τρί-

31. *Assumens autem Iesus duodecim, dixit ad eos, Ecce, ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis.*
32. *Tradetur enim gentibus, & illudetur, & contumeliis afficietur, & conspuetur.*
33. *Et postquam flagellauerint, occident eum, ac die*

τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.

34. Καὶ αὐτοὶ οὐδὲν τούτων συνῆκαν. καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν, καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα.

tertia resurget.

34. *Et ipsi nihil horum intellexerunt. Et erat verbum istud absconditum ab eis, nec intelligebant quæ dicebantur.*

Harmonia huius historiæ.

b Ἦσαν δὲ ἐν τῇ ὁδῷ ἀναβαίνοντες εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ἦν προάγων αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐθαμβοῦντο, καὶ ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο. a Καὶ ἀναβαίνων ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα, παρέλαβε τοὺς δώδεκα μαθητὰς κατ' ἰδίαν ἐν τῇ ὁδῷ, b καὶ h παραλαβὼν b ὁ Ἰησοῦς πάλιν h τοὺς δώδεκα, b ἤρξατο αὐτοῖς λέγειν τὰ μέλλοντα αὐτῷ συμβαίνειν. a καὶ εἶπεν αὐτοῖς. b Ὅτι ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα, e καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδοθήσεται τοῖς ἀρχιερεῦσι, καὶ τοῖς γραμματεῦσι, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ. c καὶ τελεσθήσεται πάντα τὰ γεγραμμένα διὰ τῶν προφητῶν τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου. e καὶ παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν, a εἰς τὸ ἐμπαῖξαι καὶ μαστιγῶσαι καὶ σταυρῶσαι, h καὶ ἐμπαίξουσιν αὐτῷ, c καὶ ὑβρισθήσεται, b μαστιγώσουσιν αὐτὸν, h καὶ ἐμπτύσουσιν αὐτῷ, c καὶ μαστιγώσαντες, b ἀποκτενοῦσιν αὐτὸν, l καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.

c Καὶ αὐτοὶ οὐδὲν τούτων συνῆκαν, καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν, καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα.

b *Erant autem in via ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos Iesus, erantque pauefacti, & sequentes timebant.* a *Et ascendens Iesus Hierosolymam, assumsit duodecim discipulos suos solos in via.* b *Et* h *assumtis* b *Iesus rursum* h *duodecim,* b *cœpit illis dicere, quæ sibi euentura essent.* a *Et ait illis,* b *Ecce ascendimus Hierosolymam,* e *& filius hominis tradetur principibus sacerdotum ac Scribis, & condemnabunt eum morte.* c *Et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* e *Et tradent eum gentibus,* a *ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum:* h *& illudent illi,* c *& contumeliis afficietur, & flagellabunt eum,* h *& inspuent in illum,* c *& postquam flagellauerint,* h *occident eum,* l *& tertia die resurget.*

c *Et ipsi nihil horum intellexerunt. Et erat verbum istud absconditum ab eis, nec intelligebant, quæ dicebantur.*

Periocha huius historiæ.

HActenus Saluator noster Iesus Christus aliquoties discipulis suis prænunciauit futuram suam passionem & mortem. Initium eius fecit Matth.16. versic.21. vbi Petrus eum reprehendit, sed propterea Satanas dicitur. Mox in monte Luc.9.vers.31. Moses & Elias quoque cum ipso collocuti sunt de exitu, quem completurus erat in Ierusalem. Matt.17.versic.12. in descensu de monte iterum loquitur de iis, quæ passurus esset à Scribis. Inprimis autem Mar.9.versic.31. latenter transit Galilæam, & discipulos suos de passione instituebat. Nunc postquam tempus, quo secundum Patris decretum passionem subiret, aderat, sponte sua Hierosolymam ascendit, quasi ob Paschatis iam imminentis celebrationem: sed reuera propterea, vt ipse Pascha nouum immolaretur, sicque opus redemtionis humani generis perficeretur. Quia autem videbat discipulos suos ad hanc profectionem minus esse promptos, sed & sibi & Christo metuere, *ipse illos præcedebat*; cum alias vel discipuli vel aliqui ex plebe præcedere soliti fuissent. Sic vero etiam hoc gestu ostendit, se mortem nequaquam reformidare, sed paratum & alacrem esse, ad perficiendam voluntatem cœlestis sui Patris, atque simul etiam discipulos suo exemplo excitare voluit, vt metum excuterent, & imperterriti se sequerentur. Et sane *secuti sunt* ex obedientia, sed *pauefacti timebant*, metuentes ne ex communi concilij decreto ipsi quoque occiderentur. ἐθαμβοῦντο *stupefacti mirabantur*, quod sciens & volens, tanta animi constantia in tam præsens periculum vitæ se coniiceret. In discipulis itaque habemus exemplum humanæ infirmitatis: in Christo autem exemplum diuinæ tolerantiæ, quod nostras infirmitates patienter fert.

Cumque iam in via esset versus Hierosolymam, atque à frequenti turba pro more comitaretur, ipse *duodecim* Apostolos κατ' ἰδίαν è reliqua turba *seorsim ac solos assumsit*, illosque de passione sua, quam Hierosolymis subiturus esset, clarissime instruxit, non aliter quam si omnia & singula in tabella depingeret. Hos autem præ aliis de passione ac morte ipsius probe instituì oportebat, quia ipsos scandalum crucis vel maxime pressurum erat, & ipsi tamen eius testes esse debebant in vniuerso terrarum orbe. Vt vero ad maiorem attentionem ipsos excitaret, præmittit particulam, *Ecce*: quasi dicturus, quæ iam vobis indicabo, ea singulari diligentia intra animos vestros reponite, & memori mente reseruate. Nam nunc adest tempus, vt habet Lucas, quo *consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* Hoc non frustra præmittit Christus, sed in eum finem, vt Apostoli eo minus turbarentur, si audituri essent, per hanc passionem impleri scripturas Prophetarum. Quænam ergo sunt illa? Christus ordine indicat. 1. Vbi mortem passurus sit non in occulto aliquo angulo: sed in regia & sancta vrbe *Hierosolymis*. 2. A quibus: non à vulgo tantum, sed potissimum à *Pontificibus & Scribis*, tanquam primoribus populi: 3. His *tradetur* per proditionem, lucri causa. Sed quis traditurus esset hoc loco reticet, ne animum prophanum irritasse videretur, & reseruat hoc in vltimam cœnam. 4. *Condemnabunt eum morte* Iudæorum primores: quod tum factum est, quando in atrio Caiaphæ Pontificis omnes clamauerunt: Reus est mortis. 5. Hi porro *tradent eum gentibus*: quod factum est, cum vniuersum Concilium surgeret, & Christum Pilato in prætorio tanquam maleficum traderet. 6. Addit etiam de *illusionibus, contumeliis, consputione & flagellatione*: quæ omnia partim in Pontificis atrio per integram noctem, partim sequenti die in prætorio Pilati sustinuit. 7. *Postquam flagellarint, occident eum & crucifigent.* Crucis supplicium Iudæi efflagitarunt, in ignominiam Christi & omnium ipsius sectatorum. Num ergo tum plane actum erit de Iesu? Nequaquam: *sed tertia die resurget.* Sic enim à cœlesti Patre decretum erat, vt per crucis ignominiam ad cœlestem gloriam exaltaretur. Clam neque pati neque mori voluit, sed quasi in cōspectu totius orbis, in ea vrbe, ad quam quotannis circa Pascha omnes Iudæi ex omnibus mundi plagis commeabant. Cum enim mors Christi sit summus thesaurus, nimirum vita mundi, nullo modo abscondita esse debuit. Et hac de causa clam nasci, & aperte mori voluit: quia in morte plus situm, quam in natiuitate. Nam in eum finem homo natus est, vt mori posset. Et quia morte sua voluit tollere maledictum legis, permisit vt illi, qui acerrimi legis propugnatores videri volebant, eum morti traderent. Sicuti plerunque tales hypocritæ, sunt maximi Christi hostes. Sed hoc cedit in gloriam Dei. Nam si idiotæ oppugnarent Euangelium, & doctissimi illud defenderent, tum mundus sibi Euangelij protectionem adscriberet. Nunc omnis gloria manet soli Deo.

Indagandæ etiam sunt causæ ob quas Christus toties, tam accurate & perspicue mortem suam prædixit. 1. Fecit, vt ostenderet suam passionem non esse coactam, sed spōtaneam, ex obedientia erga suum Patrem, sicut in Scriptura prædictum fuit. Psalm.40.vers.7. Christus introducitur sic Patrem appellans: Holocaustum & pro peccato non postulasti: Tunc dixi, Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui. Ies.53.vers.7. Oblatus est, quia ipse voluit, nec aperuit os suum. Et Paulus Gal.2.versic.20. Viuo in fide filij Dei, qui dilexit me, & semetipsum tradidit pro me. Et propterea Christus noluit mori, cum Iudæi vellent, sed tum demum, cum à Patre decretum tempus adesset. Luc.4.versi.29. volebant Nazarethani ipsum de supercilio montis præcipitare: sed ipse transiit per mediū illorum. Ioh.7.versic.44. volebant Iudæi ipsum per lictores comprehendere: sed ipse verbis furorem ipsorum repres-

sit. Iohan.8.verſ.59.& 10.verſ.31. lapidare ipſum voluerunt: ſed ipſe abiit,quia hora ipſius nondum venerat.Vnde manifeſtum eſt, ipſum hic quoque ſecedere potuiſſe, ſi voluiſſet. Sed eſt bonus ille paſtor, qui animam ponit pro ouibus ſuis. Iohan.10.verſ.11. Vſus huius conſiderationis hic eſt: quod Christi obedientia nobis inſignem conſolationem præbet, contra accuſationes Legis, Mortis & Diaboli. Non habent hi hoſtes acriorem actionem contra nos,quam ex Capitulo, Inobedientia. Rom.5.verſic.19. Per vnius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi. Et ſiquis vno verbo multa dicere velit,dicat: Inobedientia eſt fons omnium peccatorum.Vnde enim proueniunt execrationes, vnde neglectus & contemptus verbi diuini, vnde rebelliones erga ſuperiores,vnde odia & contentiones, vnde libidines, vnde diuortia,vnde crapulæ ebrietates? Niſi ex inobedientia erga mandata Dei. Hanc noſtram inobedientiam ſua obedientia corrigere & expiare voluit: vt Paulus in prius allegato loco recte de ipſo ſcribere potuerit: propter vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi: Ergo quando propria conſcientia nos inobedientiæ arguit & conuincit, ad Christum recurramus,ille pro agentibus pœnitentiam & credentibus ſatisfecit.

2. Altera cauſa fuit,quod apud diſcipulos voluit auertere ſcandalum,quod paſſuri eſſent. In vltima cœna Matth.26. verſ.31.dicit Chriſtus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me,hac nocte. Hoc diſcipuli credere noluerunt, & tamen factum eſt: diſcipuli enim diffugerunt, & Petrus inſuper Dominum abnegauit. Quid igitur futurum fuiſſet, ſi nihil ipſis prædixiſſet?Tela enim præuiſa minus feriunt. Et Chriſtus ipſe dicit Iohan.16.verſic.4. Hæc locutus ſum vobis: vt cum venerit hora eorum, reminiſcamini, quia Ego dixi vobis. Prodeſt hæc conſideratio adhuc hodie contra clamores Iudæorum, & ſannas Turcarum. Rident hi nos,quod corpus & animam commendamus tali viro, & omnem noſtram fiduciam collocamus in eum, qui captus, condemnatus, conſputus, flagellatus & ignominioſa morte crucis affectus eſt. Obiiciunt: quomodo vos liberabit à morte,diabolo,inferno, cum ſeipſum non potuerit liberare ex manibus Iudæorum? Solimannus impius Turcorum Sultanus, cum Anno 1541. Budam Hungariæ occupaſſet, felem cruci affixit in contumeliam Domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed nos hiſce Empectis omnibus hoc reſpondemus,quod Seruator noſter iſta non ex infirmitate, ſed ex voluntate noſtri ſalutem paſſus ſit. Si ipſe non volens paſſus fuiſſet, nunquam Iudæi ipſi præualuiſſent, ſicuti ante hortum totam cohortem vnico verbo proſtrauit.Iohan.18.verſic.6. Inprimis autem ad auertendum hoc ſcandalum multum facit, ſi cogitamus hæc Chriſto obueniſſe,non fortuito,ſed ex Dei prouidentia,iuxta oracula Prophetarum.

3. Tertia cauſa fuit, quod hac ratione Apoſtolorum animos abducere voluit à cogitationibus regni mundani. Opinio enim illa Phariſaica,quod Meſſias regiam auleam eamque ſplendidiſſimam, magnificentia Dauidis & Salomonis longe ſuperantem, habiturus eſſet, nimis profundas radices in cordibus Apoſtolorum egerat, & quidem adeo profundas,vt iam mox mater filiorum Zebedæi cum filiis acceſſura, & primas ſedes in illo regno petitura ſit. Vult ergo Chriſtus hac concione ipſis dicere. O mei dilecti Apoſtoli, Hieroſolymis non ſumus habituri bonos dies. Ego meo loco bibam amarum calicem, & triſti baptizabor baptiſmate: vos veſtro loco potius vos ad conſimilem paſſionem præparate, quam vt mundanam gloriam expectetis. Vſus huius cauſæ eſt, vt & nos noſipſos ad ferendas aduerſitates præparemus. Nam & nobis dictum eſt Act.14.verſi.21:quod per multas tribulationes ingredi debeamus in regnum Dei. Et 2.Tim.3.verſic.12. Omnes qui pie viuere volunt in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Vt ſic conformes reddamur imagini Ieſu Chriſti Rom.8.verſic.29.Mature ergo nos præparemus. Experientia enim docet,quod ſi ex improuiſo infortunium aliquem obruat, nemo fere recte ei obuiam ire poſſit, ſed animus conſolatione deſtituitur. Si vero animus prius ſolamine verbi diuini recte ſit obfirmatus,tum ad quemuis fortunæ ictum melius durare poteſt.

4. Fecit hoc Chriſtus etiam in eum finem, quod multoties de ſua paſſione concionatus eſt,vt & nos Chriſtiani eiuſdem paſſionis ſæpius meminerimus, eam meditemur, de ea loquamur, canamus, omnem conſolationem & ſalutem in hoc myſterio quæramus. Ideo Luc.9.verſ.44. diſcipulis ſuis dicit: Ponite vos in cordibus veſtris ſermones iſtos, filius enim hominis futurum eſt,vt tradatur in manus hominum.Et Paulus 2.Timoth.2.verſ.8. Memor eſto, Dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid, ſecundum Euangelium meum. Hebr.12. verſ.3. Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes.Et hæc fuit etiam cauſa, ob quam pij veteres, paſſim in triuiis imagines & ſtatuas paſſionis Dominicæ erexerunt, vt viatores tranſeuntes paſſionis Chriſti recordarentur, & ex illa meditatione conſolationem contra latrones aut alios graſſatores conciperent. Non negauero, in Papatu multiplicem ſuperſtitionem acceſſiſſe, & quaſdam ad idolomaniam proſtitiſſe. Sed propterea in Imagines immane ſæuire velle,Turcicum potius eſt quam Chriſtianum. Tollatur abuſus: relinquatur verus vſus. Eccleſiæ ob imagines, quæ memoriæ cauſa proſtant, nequaquam turbari debent.

5. Denique fecit hæc omnia ad conſolationem Apoſtolorum. Nam non prædixit ipſis tantum mortem ſuam, quæ à malis obuentura erat: ſed etiam reſurrectionem tertia die, quam ex diuina ſua poteſtate procuraturus erat. Cum ergo viſuri ſunt Apoſtoli vnum ex hiſce prædictionibus impleri, inde iudicium ſumere debuerunt,alterum etiam non emanſurum. Sed quia primum non intelligunt, & alterius præ mœrore obliuiſcuntur: ideo neceſſe fuit,vt in hiſtoria reſurrectionis angelus per mulieres eos rurſus de hoc admoneret,Luc.24.verſic.6. Nos ex his etiam conſolationem ſumemus. Cum enim & nobis in verbo Dei vtrumque proponatur, & prædictio crucis, & promiſſio remunerationis: ideo quando primum impletur,de altero non dubitemus. Iuxta illud Matth.5.verſ.11. Beati eſtis,cum maledixerint vobis, & omne malum dixerint aduerſum vos, mentientes propter me:gaudete, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

II. Audiamus etiam de Apoſtolis,quomodo hi hanc de paſſione & morte Domini ſui concionem ſuſceperint. De iis Lucas refert: *Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab illis: nec intelligebant, quæ dicebantur.* Res certe admiratione digna, quod diſcipuli nihil horum intelligunt,cum tamen hic non prima, ſed ad minimum quinta vel ſexta vice Chriſtus de re eadem concionetur. Ad hæc omnia adeo fuerunt plana & aperta, vt puer ſeptennis intelligere potuiſſet.Omnino enim ſciebant quinam eſſent *Pontifices & Scribæ.* ſciebant etiam, quis eſſet *filius hominis*, nec ignorare poterant, quid eſſet *illudi,condemnari,flagellari,crucifigi*, Hæc omnia licet planiſſima erant,tunc tamen abſcondita erant ab ipſorum intelligentia; Hoc fecit carnalis ille intellectus de regno Meſſiæ, quaſi is pollicitus Dominus futurus eſſet,qui in magnis diuitiis in aurea pace & ſplendidiſſima fortuna vitam tranſacturus, & omnes ſuos miniſtros beatos effecturus eſſet.

Hinc diſcamus, qui fiat, quod Scriptura ſacra aliquibus obſcura videatur, ſicut Ieſuitæ illam calumniantur, Et ſane ſunt aliqui loci difficiliores, & Prophetiæ quædam obſcuriores, articuli fidei de ſalute & vita æterna ſunt apertiſſimi, adeo vt etiam ſimpliciſſimi eos aſſequantur, Vere igitur dicere poſſumus,quod Paulus ſcripſit 2.Corinth.4.13. ſicuti opertum eſt Euangelium noſtrum,in iis qui pereunt,eſt opertum, in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti. Ergo ſi velimus cum fructu audire vel legere verbum Dei, exuamus prius mundanos affectus, ſicut Moſes Exod.3.v.5. calceamenta de pedibus ſuis ſoluere debuit,antequam videret myſterium ardentis rubi.Et ſcite à D.Hieronymo dictum eſt,ſcripturam ſacram eſſe illud mare, in quo agnus humilis peditet, elephas autem ſuperbus natet, Humilitati itaque in doctrina fidei ſtudeamus,tum fructuoſe proficiemus.

CAPVT

CAPVT CXXXV.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM, QVA MATER FILIORVM ZEBEdæi vna cum filiis petit sessionem ad dexteram & sinistram Christi. Matth. 20. v. 20. & Mar. 10. v. 35.

RATIO ORDINIS.

Particula τότε *Tunc*, quæ in hac historia apud Matthæum extat, est nota ordinis, quod hæc priorem mox sit secuta. Quamprimum enim Iacobus & Iohannes perceperunt, quod Hierosolymam ituri sint ipsi vel obliti passionis, de qua Christus concionatus fuerat suaui suo somnio de regno mundano indulgent vel sibi persuaserunt statim post resurrectionem tertiæ diei ipsum regnum suum auspicaturum; Rem ergo omnem mox ad matrem, Mariam Salome referunt, Iam exoptatam occasionem esse existimantes qua id, quod dudum animo conceperant, commode consequi, & alios anteuertere possint. Subinde enim sibi metuerunt, ne Petrus, qui prior ad Apostolatum vocatus, & multis secretis etiam adhibitus fuerat, ipsis primam sedem præriperet.

Veniunt igitur mater & filij, & primatum à Christo petunt; sed is ipsis denegatur, & reliqui decem Discipuli hanc petitionem indigne ferunt. Series etiam narrationis, quam Matthæus & Marcus seruant, aperte monstrat hunc locum, & non alium, huic historiæ in Harmonia deberi.

Iacobus & Iohannes vna cum matre petunt consessum ad dextram & sinistram Christi. Matth. 20.

20. Τότε προσῆλθεν αὐτῷ ἡ μήτηρ τῶν υἱῶν ζεβεδαίου μετὰ τῶν υἱῶν αὐτοῦ, προσκυνοῦσα, καὶ αἰτοῦσά τι παρ' αὐτοῦ.	20. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo.*
21. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῇ, τί θέλεις; λέγει αὐτῷ, εἰπὲ, ἵνα καθίσωσιν οὗτοι οἱ δύο υἱοί μου, εἷς ἐκ δεξιῶν σου, καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων ἐν τῇ βασιλείᾳ σου.	21. *At ille dixit ei, Quid vis? Ait illi, Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam & alter ad sinistram in regno tuo.*
22. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν, οὐκ οἴδατε, τί αἰτεῖσθε. δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι; λέγουσιν αὐτῷ, δυνάμεθα.	22. *Respondens autem Iesus, dixit, Nescitis quid petitis, Potestis bibere poculum, quod ego bibiturus sum, & baptismate quod ego baptizor, baptizari? Dicunt ei, Possumus.*
23. Καὶ λέγει αὐτοῖς, τὸ μὲν ποτήριόν μου πίεσθε, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε. τὸ δὲ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου καὶ ἐξ εὐωνύμων μου, οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου.	23. *Et ait illis, Meum quidem poculum bibetis, & baptismate quo ego baptizor, baptizamini: sedere autem ad dexteram meam, & sinistram meam, non est meum dare, sed iis continget, quibus paratum est à patre meo.*
24. Καὶ ἀκούσαντες οἱ δέκα, ἠγανάκτησαν περὶ τῶν δύο ἀδελφῶν.	24. *Et cum audissent decem, indignati sunt de duobus fratribus.*
25. Ὁ δὲ Ἰησοῦς προσκαλεσάμενος αὐτοὺς, εἶπεν, οἴδατε ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν.	25. *Iesus autem vocauit eos ad se, & ait, Scitis quod principes gentium dominentur illis, & qui magni sunt, potestatem exercent in eas.*
26. Οὐχ οὕτως ἔσται ἐν ὑμῖν, ἀλλ' ὃς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν μέγας γενέσθαι, ἔστω ὑμῶν διάκονος.	26. *Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister.*
27. Καὶ ὃς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν εἶναι πρῶτος, ἔστω ὑμῶν δοῦλος.	27. *Et qui voluerit inter vos primus esse, sit vester seruus.*
28. Ὥσπερ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν.	28. *Sicut filius hominis non venit vt sibi ministraretur, sed vt ipse ministraret, vtque daret animam suam redemtionem pro multis.*

Marc. 10.

35. Καὶ προσπορεύονται αὐτῷ ἰάκωβος καὶ ἰωάννης, οἱ υἱοὶ ζεβεδαίου, λέγοντες, διδάσκαλε, θέλομεν ἵνα ὃ ἐὰν αἰτήσωμεν, ποιήσῃς ἡμῖν.	35. *Et accedunt eum Iacobus & Iohannes, filij Zebedæi, dicentes: Præceptor, volumus, vt quicquid petierimus, facias nobis.*
36. Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς τί θέλετε ποιῆσαί με ὑμῖν;	36. *Ille vero dixit eis, Quid me vultis facere vobis?*
37. Οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ δὸς ἡμῖν, ἵνα εἷς ἐκ δεξιῶν σου καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων σου καθίσωμεν ἐν τῇ δόξῃ σου.	37. *Illi vero dixerunt ei, Da nobis, vt vnus tibi à dextris, & alter tibi à sinistris sedeamus in gloria tua.*
38. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, οὐκ οἴδατε, τί αἰτεῖσθε. δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ πίνω, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι;	38. *Iesus autem dixit illis, nescitis quid petatis, Potestis bibere poculum, quod ego bibo, & baptismate, quo ego baptizor, baptizari?*
39. Οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ δυνάμεθα, ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς τὸ μὲν ποτήριον ὃ ἐγὼ πίνω, πίεσθε, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθήσεσθε.	39. *At illi dixerunt ei, Possumus. Iesus autem dixit illis poculum quidem, quod ego bibo, bibetis, & baptismate quo ego baptizor, baptizabimini:*
40. Τὸ δὲ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου καὶ ἐξ εὐωνύμων μου, οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται.	40. *Ceterum sedere mihi à dextris ac sinistris, non est meum dare, sed his continget quibus datum est.*
41. Καὶ ἀκούσαντες οἱ δέκα, ἤρξαντο ἀγανακτεῖν περὶ ἰακώβου καὶ ἰωάννου.	41. *Et cum audissent decem, cœperunt indignari de Iacobo & Ioanne.*

42. Ὁ δὲ Ἰησοῦς προσκαλεσάμενος αὐτοὺς, λέγει αὐτοῖς, οἴδατε, ὅτι οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν, κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν.

43. Οὐχ οὕτω δὲ ἔσται ἐν ὑμῖν. ἀλλ' ὃς ἐὰν ὑμῶν θέλῃ γίνεσθαι μέγας ἐν ὑμῖν, ἔσται διάκονος ὑμῶν.

44. Καὶ ὃς ἂν θέλῃ ὑμῶν γενέσθαι πρῶτος, ἔσται πάντων δοῦλος.

45. Καὶ γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν.

42. *Iesus autem cum vocasset eos ad se, dicit illis, scitis quod qui videtur imperare gentibus, dominium exercent aduersus illas. Et qui magnates sunt inter eas, potestatem exercent in illas.*

43. *Verum non sic erit inter vos. Sed quicunque voluerit ex vobis fieri magnus inter vos, erit minister vester.*

44. *Et quicunque voluerit ex vobis esse primus, erit omnium seruus.*

45. *Nam & filius hominis non venit, vt sibi ministraretur sed vt ipse ministraret, ac daret animam suam redemtionem pro multis.*

Harmonia huius petitionis duorum Apostolorum.

a Τότε προσῆλθεν αὐτῷ ἡ μήτηρ τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου μετὰ τῶν υἱῶν αὐτῆς, προσκυνοῦσα, καὶ αἰτοῦσά τι παρ' αὐτοῦ.

Ὁ δὲ εἶπεν αὐτῇ, τί θέλεις; λέγει αὐτῷ, εἰπὲ, ἵνα καθίσωσιν οὗτοι οἱ δύο υἱοί μου, εἷς ἐκ δεξιῶν σου, καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων ἐν τῇ βασιλείᾳ σου.

b Καὶ προσπορεύονται αὐτῷ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης, οἱ υἱοὶ Ζεβεδαίου, λέγοντες, διδάσκαλε, θέλομεν ἵνα ὃ ἐὰν αἰτήσωμεν, ποιήσῃς ἡμῖν.

Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς τί θέλετε ποιῆσαί με ὑμῖν;

Οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ δὸς ἡμῖν, ἵνα εἷς ἐκ δεξιῶν σου καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων σου καθίσωμεν ἐν τῇ δόξῃ σου.

a Ἀποκριθεὶς c δὲ ὁ Ἰησοῦς, εἶπεν, b αὐτοῖς, illis, c οὐκ οἴδατε, τί αἰτεῖσθε. δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι; b οἱ δὲ c λέγουσιν αὐτῷ, δυνάμεθα.

a Καὶ b ὁ Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς, τὸ μὲν ποτήριόν a μου, b ὃ ἐγὼ πίνω, c πίεσθε, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε. τὸ δὲ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου καὶ ἐξ εὐωνύμων μου, οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου.

c Καὶ ἀκούσαντες οἱ δέκα, ἤρξαντο ἀγανακτεῖν, a περὶ τῶν δύο ἀδελφῶν, b περὶ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου. c Ὁ δὲ Ἰησοῦς προσκαλεσάμενος αὐτοὺς, λέγει b αὐτοῖς; c Οἴδατε ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν, κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι b αὐτῶν c κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. b Οὐχ οὕτως c ἔσται ἐν ὑμῖν, ἀλλ' ὃς ἐὰν b ὑμῶν c θέλῃ ἐν ὑμῖν μέγας γενέσθαι, ἔσω ὑμῶν διάκονος. Καὶ ὃς ἐὰν θέλῃ b ὑμῶν a ἐν ὑμῖν c εἶναι πρῶτος, ἔσω b πάντων c ὑμῶν δοῦλος. Ὥσπερ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν.

a *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedei cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo.*

At ille dixit ei, Quid vis? Ait illi, Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam & alter ad sinistram in regno tuo.

Et accedunt eum Iacobus & Ioannes, filij Zebedæi, dicentes: Præceptor, volumus, vt quicquid petierimus, facias nobis.

Ille vero dixit eis, Quid me vultis facere vobis?

Illi vero dixerunt ei, Da nobis, vt vnus tibi à dextris, & alter tibi à sinistris sedeamus in gloria tua.

a *Respondens* c *autem Iesus, dixit* b *illis,* c *Nescitis quid petatis. Potestis bibere poculum, quod ego bibiturus sum, & baptismate quo ego baptizor, baptizari?* b *At illi* c *dicunt ei, Possumus.*

a *Et* b *Iesus* c *ait illis,* a *Meum quidem poculum bibetis, & baptismate quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam, & ad sinistram meam, non est meum dare, sed iis continget, quibus paratum à patre meo.*

c *Et cum audissent decem, cœperunt indignari* a *de duobus fratribus,* b *de Iacobo & Iohanne.* c *Iesus autem vocauit eos ad se, & ait* b *illis, Scitis quod principes gentium dominentur illis, & qui magnates sunt* b *inter illos, potestatem exercens in eas.* b *Verum* c *non sic erit inter vos, sed quicunque voluerit* b *ex vobis* c *magnus fieri inter vos, sit vester minister. Et qui voluerit* b *ex vobis* a *inter vos primus* c *esse, sit* b *omnium seruus. Sicut filius hominis non venit vt sibi ministraretur, sed vt ipse ministraret, & qui daret animam suam redemtionem pro multis.*

Periocha huius historiæ.

I. IN hac historia ante omnia consideranda venit *mater filiorum Zebedæi*, Eam probam, & religionis amantem fœminam fuisse, ex multis Euangelistarum locis colligere licet; Passim enim Christum est secuta, conciones eius audiuit eique ministrauit, vsque dum in cruce expiraret, sicut testantur Matth. 27. vers. 56. & Marc. 15. vers. 40. vbi *Salome* nominatur; tam omnium matrum proprium est, quod filiis suis quam optime prospectum cupiunt. Neque hic affectus maternus culpandus vel damnandus est; Deus enim illarum cordibus inseuit, vt liberorum educatio tanto felicius perficeretur. Sed per hunc ipsum affectum matres multoties peccant, sicut eius exemplum habemus in hac Salome, quæ se à filiis instigari passa est, vt pro ipsis in regno Christi, quod statim à resurrectione initium suum habiturum & mundanum futurum, ipsa quoque credebat, prima sedes peteret. *Accessit* ergo *ipsum, adorans*, hoc est, inclinato corpore reuerentiam ei exhibens, *& petens aliquid ab eo.* Muliebris hoc videtur fuisse astutiæ, quod petitionem suam non exprimit, sed prius assensum à Domino elicere cupit. Hoc faciunt illi qui gradatim animos magnatum captare volunt quando peculiare quid impetrare volunt, & sic ipsorum obstringunt fidem, vt postea negare non possint. Sed Christus non temere annuit, verum prius particularem petitionis explicationem postulat, vt eam, quã iniquam futuram sciebat, redarguere possit. Sic vero nobis exemplum præbet, ne ipsi fidem nostram amico, vel ob familiaritatem, vel ob carnalem affectum temere obstringamus, sed prius in specie petitionis qualitatem, an iusta, an vero iniusta sit, cognoscamus. Est enim cor hominis prauum & inscrutabile Ier. 17. versic. 9. & quorundam cupiditas adeo est insatiabilis, vt non pudeat ipsos quiduis petere, modo ipsorum desideriis & libidini satisfiat. Nisi Herodes adeo temere fidem suam obstrinxisset puellæ saltatrici, fortassis Baptistæ non tam cito caput abscissum fuisset.

Cum igitur cogeretur exponere suam petitionem, hanc proponit; *Dic*, siue decerne, *vt hi duo filij mei sedeant in regno tuo, vnus ad dexteram tuam, alter ad sinistram tuam*, Si mater hæc petiisset, vt filij sui in posterum, quemadmodum hactenus vltra triennium factum fuerat, Christo indiuidui comites adessent, salutiferam eius doctrinam indesinenter audirent, miracula stupenda spectarent, atque sic beneficiorum, quæ cælitus secum detulit, participes redderentur, tum iustam petitionem proposuisset; Sed ipsa à vero scopo aberrans, captat talia; quæ respectu veræ gloriæ cælestis, vix vmbra dici possunt; Non orat; mi Domine, da, vt hi duo filij mei tua tuique patris gratia digni reddantur, vt te tuamque voluntatem recte cognoscere discant, vt omnium suorum peccatorum remissionem consequantur, vt fiant participes æternæ hæreditatis filiorũ Dei, vt verum vsumfructũ habeant tuæ passionis

passionis & mortis, quo tecum & cum patre tuo in cælesti vita in æternum viuant & regnent. Si tale quid petiisset, tum rem Christo gratam proposuisset; sed ipsa fascinata somniis Pontificum & Pharisæorum de mundano Messiæ regno, sic format suam petitionem, scimus ex doctrina nostrorum scribarum, Messiam potentem fore Monarcham, Filij quoque mei credunt te esse verum Messiam, vt qui præclaris operibus id commonstrasti. Cum igitur omnem spem & fiduciam hactenus in te collocarint, rogo, vt in ingressu regni tui prima officia inter ipsos, præ aliis, quibus & ipsis tecum sedere promisisti, distribuas, sicque ipsos diuites, potentes, & in existimatione positos efficias. O bone Iesu, quot hodie inueniuntur matres, huic Salomæ similes, quæ à vero scopo, iuxta quem pro filiis sollicitæ esse debebant, aberrant, curant, vt corporibus ipsorum bene sit, animas negligunt; operam dāt, vt in hoc mundo ipsis bene sit, an vero etiam post terrena gaudia olim in cælo beati victuri sint, de eo parum cogitant. Si in mundo damnum rerum domesticarum accipiant, dolent. Sic amor plerarumque matrum est vere cæcus, Ad harum matrum censum referendæ sunt etiam illæ, quæ simulant quasi & ipsæ optarent filios suos Christo esse proximos, vt Ecclesiam ipsius, & gregem verbo pascant. Ideo laborant, vt vnus acquirat optimam præbendam, alter Canonicatum, tertius Præposituram, quartus Abbatiam, quintus Episcopatum. Et quando ad eiusmodi titulos, ac beneficia, (siue potius veneficia) ipsos promouerint, tum optime cum ipsis actum opinantur, sed qualiter cum ipsis actum sit, animæ in altero orbe experientur, Dum autem hic ad se rapiunt thesauros Ecclesiæ, qui pauperibus dati sunt, & in illis heluantur, atque fœdiora perpetrant, Deus illa non impunita dimittet.

II. Duos etiam discipulos, *Iacobum & Iohannem* consideremus. Matth. 4. vers. 18. legimus; quando Christus initio duos fratres, Petrum & Andream ante cæteros Apostolos, cum in mari Galileæ retia laxarent, ad aliam multo digniorem & vberiorem piscationem vocauit. Mox vidit hosce, duos fratres Iacobum & Iohannem retia sua cum Patre Zebedæo reficientes, & illos quoque vocauit, qui relicto patre & retibus secuti sunt eum. Quid hac diuina vocatione dignius? Quid enim piscatorum statu, atque eorum præcipue, qui reficiendis laceris retibus vacant, abiectius? Quid vero Apostolici muneris dignitate in Ecclesia sublimius, vt vere de ipsis vsurpari potuerit illud 113. vers. 7. suscitans à terra inopem & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Et tamen abiectissimi hi piscatores ad tantam celsitudinis gloriam à Domino vocati, hoc honore non contenti, nunc ipsi eum accedunt, & qui non ita pridem cum patre lacera retia reficiebant; iam summi principes in regno Messiæ, esse cupiunt. Verba ipsorum sunt satis dura & impolita, caulam potius ea quam aulam redolentia, nisi quis leni interpretatione ea mitiget; θέλομεν, *volumus*, (satis pro imperio, cur non humiliter potius desideratis?) *vt quicquid petierimus, facias nobis.* Hic est sermo, non in aulis principum natus, sed ex cymba Piscatoria allatus. Postea cum Dominus expressam petitionem exigeret, eandem petitionem; quam mater proposuerat, repetunt; *da. vt vnus tibi à dextris, alter à sinistris sedeamus in gloria tua.* Quis vnquam sub mantellis piscatoriis tantam ambitionem quæsiuisset, nisi eam hic inueniremus? Plerique putamus tantum in aulis dominari ambitionem, sed hic videmus etiam eam ad transtra transire. Et ex hoc exemplo discamus, inter omnes cordis humani affectus, honoris & gloriæ cupiditatem latissime patere; Nemo enim est neque tam agrestis & inhumanus, neque vicissim tanta humanitate præditus, quin incredibili quadam gloriæ cupiditate flagret; Ad hæc nemo tantis honoribus insignis, qui non etiam plures appetat; Et sane honorem quærere in pietate virtutibus & bonis operibus, illud nequaquam est improbandum; sed mundus honorem quærit in opibus, in diuitiis, in potentia, in ampla familia, in ingenti Patrimonio, in diuite & varia supellectile. Hisce rebus qui abundant, eos claros, honoratos, illustres existimat; licet sint scelestissimi. Vice versa, qui paupertate & inopia premuntur, pro inhonoratis habet mundus. licet sint virtutum omnium ornamentis exculti. In hanc mundi viam hi duo Apostoli in hoc suo proposito, & petitione etiam deuiarunt, decepti eo, quod adulterina mundi bona, veris, cælestibus & diuinis bonis prætulerunt. Christus ipsos iam tunc tanto honore dignatus fuerat; & maiori dignaturus post pugnam in vita æterna; Ipsi vero minorem honorem appetere cœperunt; Est verum aurum, est adulterinum aurum, quod tantum speciem refert, sic sunt etiam vere pretiosæ illæ gemmæ & margaritæ, sunt etiam aliæ, quæ fucata specie pulchritudinem mentiuntur. Si quis iam nobis referret, in India habitare barbaros populos; qui pluris facerent adulterinum aurum, quam verum, & adulterinas gemmas quam veras, quis non gentes illas rideret, Sic reuera ridendi sunt duo hi Apostoli, qui verum honorem à Christo partim iam tributum, partim adhuc retribuendum quasi repudiant, atque appetunt falsos & adulterinos mundi honores.

III. Sed Christum audiamus, quid ambitiosæ trium harum personarum petitioni respondeat. Tria verba reponit; *Nescitis, quid petatis.* Acrius sane Dominus respondere poterat, verum solita vsus benignitate, ignorantiæ tribuit, quod insignis ambitionis erat, quam tamen non minor ignorantia præcedebat. Etsi enim sciebant secundum rationis & carnis suæ affectus, quid peterent; secūdum tamen Messiæ regnum, eius officium & propriam suam vocationem reuera nesciuerunt, quid peterent, Ipsorum enim petitio Deo erat contraria, qui filium suum in hunc mundum misit, non vt ipsi instar regum mundi ministraretur, sed vt ipse hominibus ministraret ad salutem, sicut ipse hic dicit. Erat eadem petitio contraria officio Christi, quod non erat, vt externe in abundantia auri & argenti hominibus dominaretur; sed vt interne per verbum & spiritum sanctum corda hominum purificaret & spiritualibus dotibus exornaret: Contraria denique fuit hæc petitio ipsorum commodis, qui à Christo in eum finem vocati erant, non vt instar politicorum potentes dominarentur, sed vt in prædicando Dei verbo strenue laborarent, sicque spirituale Dei regnum propugnarent. Generalem hinc sumamus regulam, quam ipse Christus tradit, quod omnes illi, qui in suis petitionibus ad Deum directis, non respiciunt sanctissimam ipsius voluntatem, non officium Christi, non suam vocationem, nesciant, quid petant. Sicuti huc referri possunt omnes, qui à Deo diuitias, mundanos honores, seculi dignitates, excelsas sedes petunt. Hi reuera nesciunt quid petant: Putant enim pacem, tranquillitatem & felicitatem in iis rebus esse, quæ non modo curis & laboribus, sed etiam animarum periculis & præcipitiis plenæ sunt. Proximi his sunt, qui à proximo offensi, ex incontinenti iracundia, mox à Deo vindictam contra ipsum petunt, optant & imprecantur, vt Deus ipsum perdat, vt permittat, quo mala morte pereat: His fere deteriores sunt, qui vias impietatis, magiæ, libidinum, adulterij ebrietatis, veneficij, & consimiles ambulant, & tamen Deum inuocare non erubescunt, vt felicem successum ipsis largiatur: His omnibus cum Christo recte dici potest: *Nescitis quid petatis.* Nam si cæci isti homines scirent: diuitias esse illas spinas, quæ semen verbi diuini, quod nos ad salutem regenerare debet, suffocant. Matth. 13. vers. 22. Si scirent, eos, qui volunt diuites fieri, incidere in tentationes & laqueos Diaboli, in multa inutilia & nociua desideria, quæ hominem mergunt in interitum & perditionem 1. Timoth 6. versic. 9. Potius diuitias cum Salomone deprecaturi, quam petituri essent Prouerb. 30. vers. 8. Si item scirent, huius mundi delitias & voluptates, esse merum venenum animæ pauxillo melle mundi illitum, quod impedimentum obiicit veris voluptatibus vitæ æternæ, nosque ab iis excludit, potius cum Christo Domino crucem portaturi, & per arctam viam, quæ ad æterna gaudia ducit, ingressuri, quam latam viam temporalium & caducarum voluptatum, quæ ad interitum ducunt, electuri essent. Idem etiam reliquis dicendum est: *Nescitis, quid petatis*: Et hoc est manifestum indicium corruptæ nostræ per peccatum naturæ, quod non diiudicare possumus, quid sit vere bonum, & quid adulterinum bonum, imo fere sæpius malum & noxium eligimus, quam id, quod vtile & bonum esset. Hanc igitur nostram corruptionem humiliter agnoscamus, eo cautius vitam & actiones nostras instituamus, & semper cum Dauide ex Psalmo 19. vers. 13. precemur: Mi Deus, ab occultis peccatis munda me, & à superbis (quæ scil. vehementiores hi animi affectus concitant:) & ab alienis parce seruo tuo. Tum perfectus ero, & mundus ab impietate magna. Et hæc est vna pars responsionis Christi. 2. Postquam ergo Dominus huius matris & ipsius filiorum petitionem, tanquam iniustam reiecit, proponit ipsis hanc quæstionem: *Potestis bibere calicem: quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Quibus verbis regiam viam ipsis ostendit, qua non ad temporariam & inanem, sed ad veram dignitatem & gloriam peruenitur, quæ non alia est, quam tolerantia crucis & variarum afflictionum. Eam passim etiam alibi Christus in Euangelio proposuit, hic autem id facit sub Metaphora *Calicis & baptismatis* ποτήριον, *poculum* siue *calix*, (quæ vox in vulgata versione vsitatior est:) multiplex est in Scripturis. Est calix mysticus, calix benedictionum, calix saluationum &c. Sed quod præsentem locum attinet, loquitur Christus de *calice* tribulationis, angustię, crucis & passionis, qualem Christus ipse bibit tempore suæ passionis, vt nos redimeret. Et hic, communis est cum Christo non tantum omnibus piis, sed

etiam impiis. Mutuata est hęc Metaphora à veteri potantium ritu, quo per modiperatorem, hoc est, conuiuij præsidem, sua cuique vini portio, quam haurirent, statuebatur. Sic Deus etiam sua vnicuique & quæ exhauriat mala, & quibus fruatur bonis, certa mensura definiuit: Non aliter: quam quemadmodum paterfamilias cuique seruo suum dimensum assignat, ac inter liberos certas portiones distribuit. Porrigitur autem hic *calix tribulationis* à Domino, aliter piis, aliter impiis: Piis ad emendationem & purgationem, vel ad exercitium fidei, impiis, ad exitium: Et tunc vocatur calix iræ, & furoris Domini Psal. 11. vers. 6. Ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum, hoc est, decreta est impiis vltio, & diuinitus ordinata impietatis eorum retributio: sic in Psal. 75. v. 9. Calix in manu Domini est, infuso vino turbido plenus, & effundet ex hoc in hoc: vtique feces eius exprimant, bibent cuncti improbi terræ. Agit ibi Dauid de vltione, quæ oppressura sit aduersarios sibi, Vtque certam & paratam eam esse indicaret, facit calicem turbido vino plenum, à Deo ipsis propinari, & ipsos eum totum ebibituros, adeo vt etiam feces ipsas exucturi sint. Est autem etiam *Calix lætitiæ*, quem pij bibunt ab afflictionibus liberati, cuius Dauid meminit Psalm. 23. versi. 5. Calix meus inebrians, siue abundans, quam præclarus est? & Psalm. 16. versic. 5. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, hoc est, ipse Iehoua est portio mea, & hęreditas mihi ordinata. Hic vero inquit Christus non de calice lætitiæ, sed de calice tribulationis, an duo hi Apostoli eum bibere possint: Quasi diceret, intra paucos dies audituri estis, quam anxie sim deprecaturus calicem passionis, quem Pater meus mihi infudit ebibendum. Matth. 26. v. 39. Neque enim per dignitates & voluptates mundanas, sed per passionem & mortem ingrediendum est in regnum cœlorũ. Hac de causa antehac & vobis & aliis dixi: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus Matth. 10. v. 38. & Luc. 9. v. 23. si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Si itaque vos in regno meo, vultis paratas sedes habere, paratis vos in mundo ad crucem & passionem.

Porro Christus non contentus Vnica Metaphora *Calicis*, qua discipulos suos de sustinenda cruce & tribulationibus monet, sed addit etiam alteram de *baptismo*: Nam in scriptura etiam aliquoties *baptismus* pro cruce accipitur; Βάπτισμα enim proprie significat intinctionem & immersionem. Et quia crux est quædam immersio in calamitates, non male baptismati assimilatur: Sic Christus dixit Luc. 12. versic. 50. baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor: vsque dum perficiatur. Huius baptismatis hic admonet duos hosce Apostolos, an talem ac tantam crucem propter gloriam Dei perferre possint, quantam ipse sit perlaturus, cum sibi veluti præmium petant, proximum à se dignitatis locum.

Ex his vero quid nos aliud discamus, quam quod ipsius Christi ducis & principis nostri crux, ludibria, verbera, claui, & ignominiosissimum mortis supplicium, quod item eiusdem Apostolorum, Martyrum & confessorum exempla, qui eius vestigia secuti sunt, nos quoque ad aduersitatum tolerantiam, ad calicem passionis hauriendum, ad crucem omnibus nostris cupiditatibus & affectibus affigendam inuitant. Huc respicit Paulus ad Hebr. 12. vers. 1. qui postquam capite præcedente recensuerat veterum Patrum luctus & fidem, subiungit: Habentes igitur tantam nubem (& copiam) testium, & nos curramus per patientiam ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, (nimirum de salute nostra per mortem suam constituenda) sustinuit crucem confusione contempta. Hoc si ita est: qua fronte æternæ vitæ gloriam se consecuturos sperant illi, qui omnem suam vitam otio, voluptatibus, ludo, & carnis indulgentia consumunt? scimus, omnes, quod piis in cælis summum & infinitum bonum propositum, apud inferos autem extremum malorum constitutum sit: & nemo est, qui non ex animo cupiat beatissima illa felicitate frui, & ab illa sempiterna miseria liberari. Id si serio desideremus, accommodemus etiam nos Christi doctrinæ de crucis & aduersitatum tolerantia. Nobis certe non alia via in cælum sternetur, non nouum Euangelium condetur, quod desidibus & voluptuariis aditum in cælum sine labore patefaciat. Stat Christi sententia: Matth. 24. v. 35. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non præteribunt: Præparemus igitur & nos ad bibendum Calicem Domini, ad sustinendum ipsius baptisma, ad portandam ipsius crucem: vt sic tandem per crucem ad regnum, per labores ad requiem, per pugnam, ad sempiternam palmam & coronam perueniamus.

Theophylactus hoc in loco non habet ineptas, aut à scopo prorsus alienas cogitationes: dum putat, Christum passionem suam *baptismum*, præter alias causas etiam propterea vocasse, quia passione & morte sua nos abluturus & purificaturus esset ab omnibus peccatis: *Calicem*, autem nominasse: quia cupide eam accesserit, non aliter, quam si bibendum esset poculum suauis potus, per quem etiam dulcis somnus ipsi immittendus sit. Alij patres *occasione calicis*, & quod Christus in sacramento cœnæ ex suo *calice* omnes bibere iussit, concluserunt, id propterea factum: *quod eo* nobis innuere voluerit. sicut ipse pro nobis sanguinem fuderit, & mala infinita pertulerit: sic pij, qui è calice Domini ipsius sanguinem hauriunt, parati esse debeant, vicissim suum sanguinem propter Christum fundendi, & quæuis mala patienter sustinendi. Hoc parum considerant illi homines: qui heredibus Christi calicem ex sacramento suffurati sunt. Et quando pij Christiani siue Laici eius institutionem vrgent, Iesuitæ ipsis respondent: *nescitis, quid petitis.* Quasi vero nescirent, petunt id, quod Christus ipsorum Dominus & Seruator ipsis testamento legauit, & isti *[illegible]* non sine sacrilegio ipsis eripuerunt. Et si maxime ipsi ex simplicitate ignorarent, quid peterent; Christus tamen optime sciuit, quid regni sui sectatoribus necessarium esset, & hoc mutare ipsis religio esse debuisset. Fortassis apud Iesuitas res adhuc eo deueniet vt, quando parentes accesserint, & pro liberis recens natis baptismum petierint, ipsis quoque respondeant; *Nescitis, quid petitis*, Sed Deus det ipsis mentem saniorem. 3. Ad hanc Christi interrogationem, *duo* hi discipuli, quemadmodum prius primas sedes stulte postulauerant, ita nunc nimia auiditate consequendi quod optabant, temere affirmant; *Possumus*; O vos miseros piscatores! Quid potestis? Ac modo trepidastis, cum Audiretis Dominum in Iudæam iter suscepturum, vnde iam hæc fortitudo animi? Eatis prius Hierosolymam, ibi inspicite quomodo Iudæi Dominum vestrum tractaturi sint, postea dicite, quid possitis. Verum igitur in ipsis est vsitatum dicterium: Dulce bellum inexpertis. Quemadmodum illi, qui in pace domi desident, nec hostem vllum vnquam viderunt, verbis animose certare, & magnos triumphos obtinere possunt, sed vbi ad rem ventum fuerit, turpiter deficiunt; Ita hi duo Apostoli confidenter dicunt, *possumus*, Quid opus est multum de re inquirere? Hæc non tantum possibilia nobis sunt, sed & facilia; Verum vbi ad rem ventum est; Matth. 25. versic. 56. relicto Iesu fugerunt. 4. Potuisset Dominus etiam hic ipsorum in pollicendo temeritatem *insectari*, *vt*pote cui ipsorum infirmitas & timiditas probe *nota erat*, *sed* solita erga ipsos vtitur clementia, ipsorumque imbecillitates patienter fert; vsque dum à spiritu sancto *confirmentur*, & suo tempore ipsi rem rectius *agnoscant*: Subiicit ergo; *Calicem meum quidem bibetis, & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini*, hoc est, talia pro gloria Dei & meo regno atque Euangelio quoque passuri estis, qualia ego mox tum passurus. Et quod hic Dominus hisce duobus discipulis prædixit, illud suo tempore impletum est, Et quidem Iacobus hunc calicem bibit; quando ipse Actor. 12. versic. 2. sub Herode, primus Apostolorum iugum lictori, propter fidei confessionem præbuit. Quo ad Ioannem vero, de quo constat, ipsum nequaquam per mortem passionis de corpore exiuisse, dicere possumus, ipsum duplici modo calicem bibisse; Vno modo, quo mens ipsius prompta ad passionem fuit, & ipse quouis tempore paratus fuit ad *potandum calicem* pro Domino. Talis vita à martyrio nihil *aut parum distat*. Martyr intra horam mortis supplicium sustinet, Talis vero omnibus diebus vitæ suæ martyrizatur. Altero modo, quod patienter sustinuit, quæcumque à persecutoribus ipsi sunt illata Act. 5. versic. 40. carcerem & verbera cum reliquis Apostolis gaudenti animo tolerauit. Cumque à Domitiano tyranno (vt habet Ecclesiastica historia) in dolium feruentis olei missus esset, atque inde sospes & incolumis exiisset, mox autem in Insulam Pathmum exulatum immitteretur, ibi certe cum fratre Iacobo, qui gladio occisus est, calicem Domini veraciter bibisse intelligitur; Sed & nos etiamsi nihil tale perpetiamur, si nulla vincula, nulla verbera, non carceris, non corporis, supplicia, non vllam persecutionem propter iustitiam sustinemus: calicem tamen Domini accipere possumus, quando corpus nostrum ipsi castigamus, & in seruitutem redigimus, humilitatis spiritu nos Deo subiicimus, illatas à proximo contumelias placida mente *sustinemus sic*que nos Deo hostiam viuentem exhibemus. Rom. 12. vers. 1. 6. Non est dubium, duos hosce Apostolos, postquam audiuerunt, Dominum ad promptam ipsorum pollicitationem, dicere, ipsos calicem suum bibituros, & suo baptismate baptizatos iri, magnas intra animos suos spes concepisse, futurum, vt & reliqui sui voti compotes fiant. Sed Christus subiicit id, quod ipsi minime audire desiderabant: *Sedere autem ad dextram meam, & sinistram meam, non est meum dare, sed in continent,*

quibus

quibus paratum est à patre meo. Hic concidere omnes eorum spes vanæ. Hic Hilarius & alij Patres suas peculiares habuerunt cogitationes: Putarunt enim primas sedes non paratas esse Iacobo & Iohanni, sed vel Mosi & Eliæ, qui apud Christum comparuerunt in transfiguratione: vel Petro & Paulo, primis Apostolorum, qui plus aliis laborarint: sed non decet in hisce mundanis tenebris, de cælestibus illis rebus diuinare.

Arrius autem Eunomius, Photiniani & Samosateniani ex hoc dicto extorquere conati sunt, filium esse minorem Patre: quia ipse dare nequeat, quod pater dat. Sed rectè respondit Augustinus; sunt verba Domini, in forma serui loquentis: nō in persona filij: Nam quando in persona filij loquitur, dicit: omnia mihi tradita sunt à patre meo. Matth. 11. vers. 27. Iohan. 10. vers. 30. Ego & Pater vnum sumus Ioh. 16. versic. 15. Omnia quæcunque habet Pater mea sunt. & Luc. 22. v. 29. In persona filij dicit: Ego dispono vobis regnum: sicut disposuit mihi pater meus: Nihil ergo derogat hoc dictum æternæ & veræ diuinitati Iesu Christi: Nam omnino ipsi, tanquam seruo, & qui venit ministrare, non ministrari, non fuit datum: neque hisce neque aliis datum, id quod secundum carnales suos affectus petierant: Non etiam ipsius officij fuit, mundanas dignitates & opes distribuere: ex spirituali regno mundanum facere, & regium thronum occupare, sed Euangelium docere, omnes ad pœnitentiam vocare, superbiam deprimere, cōtemtum mundi docere, denique à secularibus & mundanis ad cœlestia, æterna & immarcessibilia bona homines inuitare. Ad hæc neque hoc ipsius fuit officij, vt incolas cæli eligeret secundum carnales affectus, & externam consanguinitatem, atque sic cælestia officia secundum carnis cognationem distribueret, sed vt illa relinqueret iis: qui ab æterno ad regnum Dei sunt electi, per ipsius sanguinem in fide iustificati, & qui ad finem vsque constanter in fide perseuerant. Hoc responsum Christi Apostolorum petitionem pudefecit, ipsos excitauit, vt in posterum in spiritualia mysteria regni Christi diligentius inquirerent. Adhuc vnam doctrinam præbet hic locus, quæ probe est notanda: Nimirum regnum cælorum nobis obtingere, neque ex consanguinitate, neque ex operibus & meritis, siue propriis siue alienis, sed ex mera & pura gratia atque misericordia cælestis patris: Non enim dicit Christus: regnum cælorum, & sedes in iis distribuentur secundum opera & merita singulorum, dabitur ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου, *quibus paratum est à patre meo.* Quomodo item verbū ἑτοιμάζω in sacris literis vsurpetur, cui in Hebræo respōdeat, & quod propriè decernere, ratificare, certum firmum & perfectum facere, apparare & instaurare significet, de eo supra in Cantico Simeonis Cap. Harm. XI. dictum est: Vult igitur & Christus hic innuere irreuocabili consilio patris, adeoque totius trinitatis electis & beatis cœlorum regnum decretum, ipsisque adeo firmum, certum & perfectum paratum esse, vt ne portæ quidem inferorum præualere queant. Nihil ad hoc faciunt nostra opera: nihil nostræ passiones. Nam si maxime quid boni operamur, tunc facimus id ex debito, si ex debito, ergo non est meritum; si aduersi quid patimur, illud nostris peccatis mereri possumus, & scribit Paulus Rom. 8. v. 18. expressè: Existimo, quod non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: Relinquamus igitur illum Aphorismum Pauli Rom. 6. vers. vlt. sartum & tectum: Gratia Dei vita æterna est, in Christo Iesu Domino nostro: Nam & in nouissimo die Christus electos suos hoc modo ad regni consortium vocabit: Venite benedicti patris mei, hæreditate regnum vobis paratum à constitutione mundi Matth. 25. v. 34.

III. At nouum hic oritur incendium, quod Christus etiam de nouo extinguere & sopire cogitur: Quemadmodum hi duo fratres carnaliter primas principum sedes in regno Christi petierunt. Ita reliqui *decem* quoque carnaliter *indignati sunt de duobus fratribus*, eo quod ipsi non minus primas sedes in regno Christi ambirent & sperarent, quam Iacobus & Iohannes. Vsque adeo ambitionis Diabolus occulte Apostolorum corda occuparat, non aliter, quam si omnem ætatem in principum aulis contriuissent, vbi quisque sibi præ aliis placet, sibi summos honores pollicetur, & aliis, qui ipsi præferuntur, inuidet; Rectè igitur Bernhardus ambitionem descripsit, dum dicit, esse eam subtile malum, secretum virus, pestem occultam, doli artificem, hypocrisis matrem, liuoris parentem, vitiorum originem, tineam sanctitatis, cordium excæcatricem: ex remediis morbos creantem, ex medicina languorem generantem. Dominus autem, sicut ex diuina mansuetudine prius tolerauerat ambitiosam duorum petitionem, sic etiam nunc carnalem horum indignationem non acerbius insectatur, sed *eos ad se vocatos* ad humilitatem exhortatur, sicut etiam Matth. 18. v. 3. fecit, vbi etiam de primatu contendebant. Atque sic commune remedium ipsis applicat quo aduersus eiusmodi carnales affectus vti debeant: Proponit autem ipsis duo exempla, quorum vnum vitare, alterum autem imitari debeant. Vnum exemplum principum huius mundi, à quo plane diuersis moribus ipsos esse vult, alterum suum, qui omnibus ministrat, nemini dominetur, & hoc ipsos imitari vult, si cum ipso regnare velint.

I. Proponit ipsis exemplum principum huius mundi, qui gentibus dominantur, dicit: *Scitis, quod principes gentium dominentur illis, & qui magni sunt, potestatem exercent in eas:* Vult hic considerari conditiones mundanorum regnorum, in quibus *principes & magni* non simpliciter κυριεύουσι, *dominantur*, & ἐξουσιάζουσι, *potestatem exercent*; sed vt Christus hic loquitur κατακυριεύουσι καὶ κατεξουσιάζουσι, hoc est, *aduersus dominium & potestatem exercent*, vt præpositio κατὰ in deteriorem partem declinet, quasi qui principatum suum gerant; non semper in commodum & bonum subditorum, sed cum violentia quadam. & plerunque pro arbitrio agunt, nulla habita ratione iuris & æquitatis; Vnde multorum, si non vox, tamen mens est: Sic volo, sic iubeo, sic pro ratione voluntas. Nam propterea se non tantum gladio, sed & neruis rerum gerendarum, auri, argenti, & opum abundantia instructos arbitrantur, vt omnes eos metuant, vt, qui non sponte obedire & subesse volunt, metu pœnæ tamen id facere cogantur. Habent insuper suos exercitus, tam equites quam pedites, quibus voluntatem suam complent, & populos vel inuitos sub sua potestate retinent. Perstringit hoc modo Christus abusum plerorumque regum & principum, quem in gubernatione sua committunt, vt tanto magis Apostolorum ambitionem, & dominandi cupiditatem retundat: non interim abolet politias, magistratus & politica iura, sicut furiosi Anabaptistæ illud facere conantur; sunt enim pij reges ad id à Deo constituti, vt sint Ecclesię nutritij. Esa. 49. versic. 23. Huius curam si fidelem agant, & omnibus suis subditis ius dicant, & iustitiam administrent, ipsi quoque Deo in suo ordine seruiunt, & per fidem in Christum salutis participes fieri possunt.

Nihilominus tamen Christus conditionem sui regni, & vocationem suorum Apostolorum, à conditionibus mundanorum regnorum longe diuersam esse vult; ideo dicit: *Non erit ita inter vos*; quasi diceret: O mei Apostoli, non seducant vos carnales vestræ cogitationes, quasi ad imitationem mūdanorum regum dominari velitis, longe ab isto regimine diuersum erit vestrum officium. Vos accincti, non gladio ferri, sed gladio diuini verbi gentes deuincere debetis, vt non coacti, sed volentes sese regno meo subdant, Deoque gratias agant, qui ad tale regnum ipsos adduxerit, in quo non ipsi cogantur temporalia sua bona contribuere, sed potius spiritualia bona accipiant ad æternam suam salutem; Hisce verbis Christus ab Apostolorum vocatione & officio rescidit omne id, quod politicas eminentias sapit, nec quicquam ipsis reliquit, in quo seculi huius reges & principes in mundanis sequi possint. Hoc cum ita sit, pro vt nemo piorum negare potest, quæso vnde enatum est politicum istud regimē, quod hodie Christi vicarij, & qui de Apostolica sede multum gloriantur, vsurpant? In quo reges & principes huius mundi non tantum æquant, sed etiam pompa, potentia, luxu & superbia longe superant: Sicuti etiam in Canonibus suis vtrumque gladium, tam ipsi spiritualem quam corporalem sibi attribuunt & conscientias hominum nouis decretis & legibus onerant, atque contristant. Cum tamen Christus talem potestatem & dominium nequaquam suis Apostolis, sed tantum politicis regibus & principibus concesserit: Ipsi etiam Apostoli, & eorum successores nunquam talem potestatem sibi arrogarunt, donec Antichristus homo peccati & filius perditionis: de quo Paulus 2. Thess. 2. versic. 3. vaticinatus est, se in Ecclesiam intrusit, seseque ipsum extulit supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Huius Antichristi fructus est politia illa Papæ, quam Deus adhuc aliquantisper in mundo tolerat.

Ceterum, quia in rebus mundanis nihil absque ordine cōsistere potest, Christus etiam inter discipulos suos non prohibet, quo minus vnus *maior*, alter *minor* sit, sed tantum aliam rationem maioritatis, & minoritatis, quæ non in dominatione, sed seruitio cōsistit, præscribit. Dicit enim: *quicunque ex vobis inter vos*, (non frustra verba sic posuisse videtur, sed voluit innuere, se hic nihil agere de politicis, sed tantū de iis, qui Ecclesiastico munere defungi cupiunt) *magnus fieri volueris sit vester minister.* Vt tanto plus eos moueat, addit alterum membrum, quod per omnia eiusdem est sensus. *Et qui volueris ex vobis, inter vos, primus esse, sit omnium vestrum seruus.* Quibus verbis Christus vtrumque docet, & quomodo quis in Ecclesia sua ad supremas docendi sedes conscendere possit, & qualem se quis gerere debeat, quando sedem superiorem consecutus est; Non fit hoc dominando & imperando, sed mini-

strando & seruiendo. Sic ergo Christus inter ministros suos ordinauit,vt maioritas,siue sublimior dignitas præ aliis,consistat non in pompa huius mundi, non in sublimibus sellis, & mundana superbia;sed in seruitio & laboribus. Et vt vnus alteri in ministerio suo tanto magis innotescat, debet is cui Deus plura dona concessit,laboribus & industria,quibus Ecclesiæ Christi fructuose inseruiatur anteire. Hoc qui præstat, is inter *magnos & primos* in Ecclesia recenseri debet. *Magnus* autem est & *primus*, non sublimitate dignitatis, sed molestia ministerij, non dominatione,sed communi omnibus subiectione. Et hic quisque laborare debet,vt aliis maioritate præcurrat in eo; quando non priuatum suum commodum, sed publicum commodum Ecclesiæ præ aliis promouit. Id si quis faciat, iam plus molestiæ & laborum acquiret, vt tanto maior in Ecclesia fiat; Sicuti Pastori plus onerum incumbit, quam Diacono,superintendenti plus quam Pastori;Et si Episcopi,quasi generales suo officio satisfacere vellent,satis amplam in suo munere occasionem habituri essent, qua iuxta Christi præscriptum in Ecclesia *magni* esse possent,si maxime politicam suam Iurisdictionem aliis commendarent. Hæc de exemplo principum populorum,hic sufficiant. Infra in passione denuo dicendi occasio præbebitur.

2. Quia difficile est eos, qui præ aliis præclaris Dei donis ornati sunt,adducere,vt aliis,& quidem humilioribus atque simplicioribus seruiant, ideo proximum exemplum adducit,dicens; *Sicut filius hominis non venit, vt sibi ministraretur, sed vt ipse ministraret.* Non negat in hoc mundo sibi ab aliquibus ministratum fuisse, sed hoc vult dicere; Si ego in tali pōpa in hunc mundum venissem,vt terreni regis instar dominaretur,amplo satellitio & multorum seruorum turba stiparer,sicque multi principes in meo satellitio occupati essent, tunc non mirum foret, animos vestros ambitione accendi,vt & ipsi sublimes spiritus conciperetis. At vero ipsi videtis,quomodo,assumta serui forma venerim,vt omnium vtilitatem seruirem. Ego perambulando diuersas regiones & ciuitates,& in iis prædicando Euangelium, & sanando infirmitates nihil aliud quæro, quam patris mei gloriam,omnium vtilitatem,& singulorum salutem. Quæ ergo vestra poterit esse excusatio, si neglecto meo exemplo, quo aliis ministro,vos aliis imperare velitis?

Vt vero Christus amplius ostendat, quam anxie sui ministri aliis in ministerio suo ad salutem inseruire debeant, addit de suo exemplo; *vtque daret animam suam redemptionem pro multis.* In Græco hic est λύτρον,quod significat pretium datum pro redimendis peccatoribus. Paulus vsurpare solet vocabulum ἀντίλυτρον. Et Græca hæc Etymologia valde elegans est; Nam cum captiui initio vincirentur & postea liberandi atque liberi dimittendi essent, necessario prius ex vinculis & catenis rursus soluebantur, quod ipsius erat λύεσθαι. A tertia præteriti λέλυται, fit nomen λύτρον, quasi dicas solutorium,id nimirum præmium,quod pro soluendo & liberando aliquo ex vinculis datur. Sicut didastrum dicitur præmium pro docendo; sic λύτρον,pro redimendo. Hic vero λύτρον, præmium siue pretium redemtionis fuit, *anima Christi*,tota ipsius vita, quam anima simul & corpore pro nobis impendit. Ideo Paulus scribit 1. Corinth.6. versic.vlt. Emti estis pretio magno: & Petrus 1.vers.18. Scientes, quod non corruptibilibus auro & argento redemti estis de vana vestra conuersatione, sed pretio sanguine immaculati agni & incontaminati Christi.

Verum enimuero, quia Christus *dedit animam suam redemtionem pro multis*; & pretium redemtionis numerari solet illi, qui captiuos detinet; nos vero à Sathana detenti fuimus in captiuitate & vinculis ob peccata; quæri potest,cui Christus hoc λύτρον soluerit; Nam cogitare velle,ipsum animam suam Sathanæ tradidisse,illud vero absurdissimum foret: Sciēdum ergo verum regem & Dominum, cuius captiui fuimus ob peccata esse Deum,sub cuius ira nos omnes detinebamur, & Diabolicæ potestati tradebamur,vt ita Diabolus non *sit* Dominus huius carceris, sed ὑπηρέτης seu minister,cui iustus iudex reos in custodiam coniiciendos tradit, pro vt Christus loquitur Matth.5.ver.25. Christus ergo animam suam cælesti suo patri dedit in precium redemtionis prō humano genere: vt sic iræ & iustitię ipsius satisfieret. Cumque ipsius passio fuerit voluntaria, licet nullum peccatum commiserit neq; mortem meritus fuerit: idcirco eadem patri adeo grata fuit,vt propter filium ex carcere iræ suæ dimittat omnes, quotquot firma fide Christo insiti,vera membra sunt mystici ipsius corporis. Ad hæc quia illa passio & mors perpessa fuit ab eiusmodi persona, quæ Deus simul est & homo,tanti etiam pretij, valoris, & meriti fuerunt apud Deum patrem, vt totum genus humanum suis peccatis tantum non potuerit demereri,quantum Christus sua obedientia meritus est.

Denique quod Christus addit, se venisse,vt daret animam suam redemtionem *pro multis*, id quosdam turbat, *vt* dubitēt;an Christus pro omnibus hominibus sit mortuus. Et certe Caluiniani aperto ore cōtendunt, Christum tantū mortuum esse pro electis, pro illis vero,qui damnantur,ne guttam quidem sanguinis effudisse. Sed sciendum vocabulum πολλοί, *multi*, græca consuetudine in Nouo Testamento significare totam multitudinem,& OMNES. Exempli gratia Rom.5 v.15. Vnus delicto multi mortui sunt,id est omnes. Et statim additur:gratia Christi in multos redundauit. Voluit Apostolus dicere:Per Adamum omnes sunt mortui,& per Christum omnibus salus est parta: sicuti Apostolus mox seipsum explicat. Sicuti per vnius inobedientiā,peccatores constituti sunt *multi*;ita per vnius obedientiam,iusti constituuntur *multi*. Hosce locos omnes Origenes,cui proprietas græci Idiomatis notissima fuit, per OMNES exponit: sic Rom.12.v.5. Nos multi, id est, nos omnes Christiani, vnum corpus sumus in Christo. 1. Corin. 10.v.17. Vnus panis vnum corpus multi, hoc est, nos omnes Christiani sumus. Sicuti igitur *in hisce & aliis* locis quam plurimis vocula *multi* pro *omnibus accipitur*: sic etiā in hoc dicto Christi accipienda est *vt* οἱ πολλοὶ *multi*;totam hominum multitudinem significet: Nam & alias in scripturis sacris particula OMNIS *habetur*, vt illa hunc locum explicare possit 2. Cor.5.v. 15. Pro omnibus mortuus est Christus & 1. Ioh. 2. vers. 2. Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, sicut etiam Baptista de ipso testatus est Io.1.v.29. quod si agnus Dei, qui tollat peccata mundi. D. Hieronymus & alij putant voculam *multi* positam esse respectu eorum, qui meritum Christi non accepturi, nec in eum credituri essent. Hoc quanquam dicere liceat, certum tamen & vtraque manu retinēdum est promissiones de Christo esse vniuersales; Alioquin si nos ad talem absolutam particularitatem adducere patiamur, qua Deus in suo decreto aliquos à Christi merito excluserit, iam fides & consolatio nostra euertitur.

CAPVT CXXXVI.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM SANATI CÆCI, ANTE INGRESSUM Hiericho. Lucæ 18. vers.35.

RATIO ORDINIS.

OMnino videri poterat, hoc miraculum, quod Lucas in præsentia describit, idem esse cum illo, quod habet Marc.c.10.v.46. & eundem vtrobique fuisse cæcum,cuius tamen nomen Marcus expresserit. Et sane circumstantiæ per omnia sic conueniunt, vt non nisi vnica discrepet. Nimirum quod Lucas testatur hunc cæcum sanatum esse, cum Christus appropinquaret Hiericho, ante ingressum in vrbē. Marcus vero scribit suum cæcum Bartimæum sanatum esse altero mane cum Christus Hiericho rursus discederet. Ne ergo vel dicendi occasionem præbeamus, qua Euangelistæ contradictoria scripsissent, vel verba per violentiam interpretationem à genuino suo sensu dimouere cogamur, retineamus Augustini sententiam, qui in lib. 2. de Consens. Euang. statuit Lucæ miraculum diuersum esse ab eo quod describit Marcus. Et quis non credat Christo *in tam* populosa regione, & in tanta multitudine ægrorum sæpenumero occasionem præbitam fuisse,idem miraculum eodem modo in diuersis & propinquis locis edendi. Nos vtrique miraculo suum locum in Harmonia attribuemus. Hoc enim modo etiam gloria Christi illustratur, quod plures ægros sanasse scribitur.

Cæco

Cæco visus statuitur ante ingressum Hiericho. Lucæ 18.

35. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἱεριχὼ, τυφλός τις ἐκάθητο παρὰ τὴν ὁδὸν, προσαιτῶν,
36. Ἀκούσας δὲ ὄχλου διαπορευομένου, ἐπυνθάνετο, τί εἴη τοῦτο.
37. Ἀπήγγειλαν δὲ αὐτῷ, ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος παρέρχεται.
38. Ἐβόησε λέγων, Ἰησοῦ υἱὲ Δαβὶδ ἐλέησόν με.
39. Καὶ οἱ προάγοντες ἐπετίμων αὐτῷ ἵνα σιωπήσῃ. αὐτὸς δὲ πολλῷ μᾶλλον ἔκραζεν, υἱὲ Δαβὶδ ἐλέησόν με.
40. Σταθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, ἐκέλευσεν αὐτὸν ἀχθῆναι πρὸς αὐτόν. ἐγγίσαντος δὲ αὐτοῦ, ἐπηρώτησεν αὐτὸν,
41. Λέγων, τί σοι θέλεις ποιήσω; ὁ δὲ εἶπε, κύριε, ἵνα ἀναβλέψω.
42. Καὶ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, ἀνάβλεψον. ἡ πίστις σου σέσωκέ σε.
43. Καὶ παραχρῆμα ἀνέβλεψε, καὶ ἠκολούθει αὐτῷ, δοξάζων τὸν θεόν. καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἰδὼν, ἔδωκεν αἶνον τῷ θεῷ.

35. *Accidit autem cum appropinquaret Hiericho, cæcus quidam sedebat iuxta viam, mendicans,*
36. *Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat, quod hoc esset.*
37. *Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret.*
38. *Et clamauit dicens, Iesu fili Dauid miserere mei.*
39. *Et qui præteribant, increpabant eum, vt taceret. Ipse vero multo magis clamabat, Fili Dauid miserere mei.*
40. *Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum,*
41. *Dicens, Quid tibi vis faciam? At ille dixit, Domine, vt visum recipiam.*
42. *Et Iesus dixit ei, Recipito visum. Fides tua te saluum reddidit.*
43. *Et confestim visum recepit, ac sequebatur illum, glorificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.*

Periocha huius historiæ.

Historia sic habet, Dominus Iesus, seruator noster, recto itinere & regia via ex Peræa per Bethabaram vbi erat traiectus Iordanis, Hierosolymam suis contendēs, ciuitatem Hiericho transire cogebatur. Cum igitur in viciniam illius ciuitatis perueniret, *cæcus quidam iuxta viam sedebat*, stipem *mendicans* prætereuntibus, qui circa Pascha magno numero hinc inde commeabant. Hic vero apud mendicitatem huius cœci nobis in memoriam reuocare debemus, Dei mandatum, per Mosen promulgatum de mendicis Deut. 15. vers. 4. Omnino indigens & mendicus non erit inter vos, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus. Et in eum finem partem decimarum ordinauit, quæ pro omnibus pauperibus in tota illa terra sufficere potuisset, nisi Pharisæi suis traditionibus talias mandata Dei, annihilassent & tanquam Harpyæ eas ad se rapuissent. Noluit autem Deus in suo populo esse mendicos. 1. Quia hunc populum sibi elegerat peculiarem ad conseruandum & propugnandum suum cultum & religionem. Sciebat autem religionem veram & verbum Dei diffamari, sicubi mendici inordinate circumcursitant. 2. Est enim indicium, charitatem refrixisse apud illos, qui vnum corpus, vnus spiritus esse debebant, Eph. 4. v. 4. quando paucula membra alere vel non possunt, vel non volunt. 3. Sciuit etiam Deus ex otio cui mendici indulgent, & penuria cibi multa mala oriri.

Hinc fures, prædones, latrones. Ideo passim dedit præcepta quibus paupertati succurrebatur: ita tamen vt omnes laborare coacti fuerint. Et Iudæi adhuc hodie suos pauperes alunt, vt nullus eorum mendicatum ire cogatur. Sed quia, vt dictum est, tempore Christi sacerdotes Dei præcepta secure negligebant, Pharisæi autem domus viduarum deuorabant, ideo passim ad viam sedebant, vt à viatoribus stipem & sustentationem emendicarent. In eo Iudæi grauiter peccarunt. Sed si verum fateri velimus, hodie in Christianismo, non minus (si modo non plus) peccatur. Apud Iudæos fuerunt tales mendici, qui commiseratione erant digni, vt Lazarus vlcerosus, Luc. 16. vers. 20. hic cœcus, & claudus ille Act. 3. vers. 2. qui sedebat ad portam templi speciosam. Hi propter morbos, & defectus à Deo immissos nō potuerūt labore manuum victum quærere, & proinde necessitate mendicarunt: Sed apud nos inueniuntur validi mendicantes qui desidiæ assueti laborare nolunt, & postea aliis laborantibus bolos ex faucibus eripiunt. Sic in populosioribus ciuitatibus videre licet petulātem iuuentutem, tota die otiose per plateas discursantem, & ostia ditiorum stipis causa pulsantem, quam tamen mox vel lusu vel deliciando perdunt, Non quisquam est, qui tales ad mechanica artificia adhibeat, vt in sudore vultus panem suum acquirere discant, Hic, hic & magistratus & verbi ministri consilia sua, & operas coniungere debebant, vt perniciosa hæc genimina eradicarentur.

Cum igitur hic cœcus & mendicus ex strepitu vocum & pedum intelligeret, magnam aliquam hominum multitudinem præterire, *interrogabat quid hoc esset*. Sunt enim cœci, eo quod oculis careant in inquirendo curiosi: Responsum est ipsi: *Quod Iesus Nazarenus transiret*. Tunc ille protinus relictis reliquis prætereuntibus omnibus, à quibus satis amplam eleemosynam sperare poterat, suam vocem & petitionem ad vnicū Iesum direxit. clamans: *Iesu fili David, miserere mei*. Absque dubio in synagoga Ies. 35. vers. 5. audiuit, quod quando Messias filius Dauid aduenerit, oculi cœcorum aperientur. Audiuit etiam ex communi fama, hunc Iesum aliis cœcis visum restituisse. Concepta itaque magna fiducia ad ipsum pro misericordia clamat, nihil addubitans se, postquam Dei beneficio vel tandem aliquando in illum incidisset, quoque huius beneficij participem futurum. Et vt tanto plus suam fiduciam omnibus notam redderet, cum reliqui Dominum tantum vocarent *Iesum Nazarenum*, ipse eum vocat *filium Dauid*, quod Epitheton antiquitus & tum temporis Messiæ tribuebatur. Hinc apparet hunc mendicum cœcum, ex interna Spiritus sancti reuelatione plus de Iesu Christo spiritualiter vidisse, quam omnes Pharisæi & Scribæ, qui sibi oculatissimi & perspicacissimi videbantur. Fides enim ipsius iusta & recta fuit, tam quoad personam, quam quoad officium Christi. Quo ad personam, cōfitetur eum Deum & hominē; Deum, dum dicit, *miserere*. Solius enim Dei proprium opus est, hominum miseræ misereri, atque ipsis subuenire. Hominem, dum vocat *filium Dauid*, qui ex Dauidis prosapia iuxta promissionem Dei, 2. Sam. 7. vers. 12. Psal. 132. vers. 11. Ies. 11. vers. 1. Ier. 23. vers. 5. natus esset. Quoad officium fatetur ipsum esse *Iesum*, hoc est, Saluatorem & redemtorem qui homines saluare possit ex omnibus malis, in quæ per lapsum Adami inciderant. In humilitate autem preces suas proponit, non prætendens sua merita vel quicquam humani: sed tantum dicit, *miserere mei*. Fateor me esse miserū peccatorem, & meis peccatis hanc cœcitatem à Deo probe commeruisse: sed fiduciam meam colloco in tua bonitate quæ misericordiam promisit omnibus peccatoribus pœnitentibus.

Præclara hæc fuit huius cœci fides, sed quemadmodum Satanas semper suas habet molitiones, quibus in subruenda & euertenda fide credentium vtitur, ita & hic facit. Nam *qui præibant, & increpabant illum, vt taceret*. Putabant enim ipsum tantum vulgarem petiturum eleemosynam, quales Deus elargire etiam solitus fuit ex illis, quæ ipsi ab aliis communicabantur: & metuebant ne Dominus importunitate clamoris offenderetur. Nec dubium, quin interim Satanas in corde etiam tales cogitationes suggesserit, tu prouide mendice, quid molestiæ vis creare sancto huic viro, qui longe sublimiora habet quæ tractet quam vt te ad se admittat. Hi melius eum nouerunt, quam tu, cumque te tacere iubeant, omnino sileas: si vellet te iuuare, sponte id faceret. Semel enim atque iterum iam clamasti. Verum cœcus hic per hæc obstacula atque impedimenta forti sua fide prorumpit; & quo plus ipsi prohibent, tanto magis ipse clamabat. Cum enim non liceret ipsum videre Iesum, nec sciebat quam procul is à se abesset, ideo vocem magis intendebat, ne obstrepantis turbæ voces ipsius clamorem impedirent, quo minus perueniret ad aures eius, quem appellabat, subinde ingeminans illud, *Iesu fili Dauid, miserere mei*. Breuis precatio, sed maiesta-

tis plenæ, quam & nos addiscere atque vsurpare decet. Etenim conuenit ea omni tempore, & in omni precandi necessitate. Quiduis enim à Deo petituri misericordiam eius recte prius imploremus. Nam ex illa sola omnia bona sunt expectanda: Ideo Dauid dicit Psalm.145.vers.9. Miserationes Domini super omnia opera eius. Et Psal.103.v.4. Qui coronat te misericordia & miserationibus.

Porro vt Iosua Ios.10.versicul.13. olim non procul à Hiericho solem in medio cœli stantem fecit, donec vltionem sumeret ab hostibus populi Dei: ita etiam hic cœcus solem iustitiæ stantem fecit. Videtur enim Christus dissimulasse, quasi clamorem cœci non audiret, siue ne ostentationis causa edendi miraculi cupidus videretur: siue vt constanté cœci fiduciam clariorem redderet, eosque ad consimilem perseuerantiam orandi instigaret: tandem tamen *stetit, & cæcum ad se adduci iussit*. Potuisset sane verbo etiam non adducti oculos aperire: sed vt miraculum esset euidentius, & omnes viæ comites ad eius considerationem excitarentur; adduci eum iussit. Inueniuntur enim mendici nequam, qui vt tanto plus mendicando impetrare possint, cœcitatem fingunt. Ne ergo quis talem fraudem etiam hic fuisse suspicari posset ipsum adduci & coram omnibus sisti voluit. Adductum interrogat, licet iam ante sciat ipsum visus receptionem petere: sed interrogat ad declinãdam calumniam: ne quis dicere posset, ipsum pro stipe ostentationis causa cœco visum restituisse. Cœcus constanter respondet: *Domine vt visum recipiam, ἵνα ἀναβλέψω*. Sonant hæc verba, ac si hic cœcus, non cœcus natus, sed ex accidente vel morbo aliquo cœcus factus fuisset. Amissi itaque visus receptionem expetit. Hæc est altera precandi formula, qua hic cœcus ad Dominum Iesum vtitur, quam & ipsam nos addiscere decet. Nam & ipsi per peccatum spiritualem videndi vim amisimus, & proinde precandum, vt depulsa vitiorum caligine visus noster nobis restituatur, ne oculi nostri terrenis rebus infixi, in hisce mundanis detineantur, sed sursum ad cœlestiũ cõsiderationem attollãtur. Assidue ergo precemur: *Da Domine vt videam* 1. *Da vt videam*, hoc est, et verã fidem agnoscam, te solum esse verum Deum, & Christum quẽ misisti, esse veram veritatis viam, qua ad te & æternam salutẽ adducamur. 2. *Da vt videam* & agnoscã vanitatem huius mũdi, vt videã & deplorem peccata à me admissa, & magnas meas infirmitates, vt videam & semper ob oculos habeam vltimum vitæ meæ finem, ad eúque ita me præparem, ne vnquam oculi mei obdormiant in morte. 3. *Da* postremo *vt videam* post hãc vitam te de facie ad faciem, & in iustitia appaream conspectui tuo: quo satier, cum apparuerit gloria tua. Psal.17.v.vltimo.

Christus audita precatione cœci, ei respondet: *Ἀνάβλεψον: Recipito visum*, siue respice. Et addit vsitatum illud fidei elogium: *Fides tua te saluum reddidit*. Sic vero præbet exemplum humilitatis, quod non ex arrogantia sibi, sed potius ex humilitate alienæ fidei vim sanationis adscribit. Simul vero nobis fidei virtutem commendare voluit, vt eam imitemur, si spiritualem sanitatem ab ipso consequi cupiamus. Cum igitur hæc cœci fides à Christo commendetur, æquum est vt ipsius conditiones & qualitates diligenter inspiciamus & notemus, siquidem imitari velimus. Non est historica fides, de qua Iac.2.versic.19. dicitur: Dæmones credunt, & cõtremiscunt. Nec est miraculosa fides de qua Paulus 1.Cor. 13.v.2. Si omnem fidem habuero, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Sed est 1. in corde ardẽs & firma fiducia in Iesum Christum, Dei & Mariæ filiũ quod is sit Messias & talis Dominus qui & velit & possit iuuare. Ideo hic cœcus auersa mente ab omnibus in toto comitatu ad solum Iesum, Dauidis filium suam intentionem dirigit, vt ab eo iuuari possit. 2. Est etiam fides in ore sonans. Ideo absque pudore & metu alta voce Christum inclamat, vt sui misereatur. Nam fides in corde latitans, debet & in ore esse sonans, sicut Paulus docet Rom.10.*vers.10*. Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutẽ. Illa fides nullius est pretij, quæ seipsam non confitetur, sicuti hodie politicæ cuiusdam prudentiæ esse debet, si quis fidem suã ita celare possit, vt nemo norit, cuius sit confessionis. Hęc fortassis Pharisaica fides dici posset, quia Ioh.12.v.42. legimus, quod multi ex principibus Iudæorum crediderint in Iesum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ne ex synagoga eiicerentur. Fuit fides verbo Christi obediens. Nam vocatus ad Christum vt adduceretur, non diu cunctatur, sed mox se adduci patitur, etiam per medium ignem transiturus si opus esset. Fuit fides in opere constans. Etsi enim populus eum increpabat, & tacere iubebat: ipse tamen tanto plus non semel atque iterum, sed indesinenter clamabat, firmam spem alens futurum vt exaudiretur. Cumque Christus opem ipsi contulisset, non deficit, vt nouem leprosi, sed ipsum sequitur. Hasce dotes veræ fidei notemus vt iisdem studeamus. Nam in negotio fidei animus est obfirmandus, ne facile quis in tentationibus cedat, nec se Satanæ vel mundi molitionibus expugnari patiatur. Imo instar facis ardentis esse debet, quæ non vt candela à vento extinguitur, sed magis inflammatur.

Ad vocem ergo Christi cœcus *confestim visum recepit*, sed non rediit ad sedem mendicitatis suæ: Verum sicuti antea in petendo beneficio fidei suæ magnitudinem & constantiam commonstrauit: ita nunc post acceptum beneficium gratitudinem suam declarat. Nam *sequebatur Iesum*: non suam fidẽ prædicans, qua à Christo commendari audiuerat: *sed glorificans Deum*, à quo hoc beneficium per Iesum profectum esse, ac proinde ipsi soli omnem gloriam attribuendam agnoscebat. Quin & *omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo*. Si Pharisæi affuissent, pro more suo miraculum calumniati fuissent, & fortassis Beelzebub ascripsissent. His absentibus, videmus plebem magis pie affectam esse, & Deo tribuere laudem, cuius virtute ipsi non dubitant Iesum hoc miraculum edidisse, sic sæpenumero vnicus calumniator totã multitudinẽ turbare potest: quibus remotis felicius procedit opus Domini.

Quidam ex hac historia cœci desumunt *Allegoriam*, non ineptam, qua si quis delectatur, potest eam extendere, eaque per occasionem vti.

Cœcus iste designare potest totum genus humanum, quod cœcum est ob ignorantiam veritatis, & mendicum ob inopiam omnium virtutum. Sedit illud olim iuxta viam, à Philosophis & mundi huius doctoribus quærens stipem saluiferæ doctrinæ, sed eo ad salutem pasci non potuit. Christo ergo per viam huius mundi transeunte, & ad Hiericho appropinquante, hoc est, defectum nostræ mortalitatis assumente, nouum lumen generi humano exortum, eique visus restitutus est, per verbum Euangelij, ex quo concipimus constantem fidem in Iesum Christum & ardentem inuocationem nominis ipsius. Licet autem illi qui præibant, quales fuere synagoga Iudæorum & Pharisæorum sectæ increpent, vt taceamus, nos tamen à concepta nostra in Christum fiducia nos dimoueri non patiamur, sic *Christum sequemur* in cœlestem vsque Hierosolymam, ibique saluabimur.

CAPVT CXXXVII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM, QVOMODO IESVS AD ZACHÆVM publicanorum principem diuerterit. Lucæ 19.vers.1.

RATIO ORDINIS.

HAnc historiam præcedentem directe secutam esse non tantum ex Marco & Luca colligere licet: sed etiam si circumstantiæ considerentur, admodum conuenienter se inuicem sequuntur. Quod enim miraculum Christus in visu cœci restituendo corporaliter exercuit, illud iam in Zachæo conuertendo spiritualiter agit. Est quoque vtrobique magna simil tudo. Illic cœcus visum à Christo recipere desiderans reprimitur à turba: Sed ipse hoc impedimentum superat intensione vocis & clamoris. Hic Zachæus Christum videre desiderans, etiam à turba, quæ pusillo viro prospectum denegabat, impeditur: sed & hic impedimentum superat conscendens in arborem. Illic cœcus cum vocis intentione declarasset desiderij sui magnitudinem iussus est à Domino ad se adduci. Hic cum Christus etiam videret desiderij ardorem in Zachęo eum ad se aduocat & pluribus cum ipso conuersari cupit. Hic à Domino suscipitur & curatur mendicus; hic suscipitur & saluatur diues, vt intelligamus ipsum nullius sortis homines à gratia sua excludere: vtq; simul ostenderet apud Deum esse possibile, vt diues etiam ingrediatur in vitam æternam. Nam diuiti superiori, qui etiam

princeps

princeps erat, & magno desiderio vitæ ad Christum accurrerat, sed amore diuitiarum, quas ad Christi doctrinam nolebat abiicere, tristis rursus discesserat: opponitur hic Zachæus qui & ipse diues & princeps publicanorum fuit magno desiderio Christum videre curabat. Hic quidem nihil vendere iussus est, at sponte offert dimidiam opum suarum partem pauperibus, & iniuria à se affectis quadruplum restituere promittit. Sic apud Deum sunt possibilia, quæ apud homines sunt impossibila.

Zachæi conuersio & vocatio. Luc. 19. v. 1.

1. Καὶ εἰσελθὼν διήρχετο τὴν ἱεριχώ,
2. Καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ ὀνόματι καλούμενος ζακχαῖος, καὶ αὐτὸς ἦν ἀρχιτελώνης, καὶ οὗτος ἦν πλούσιος,
3. Καὶ ἐζήτει ἰδεῖν τὸν ἰησοῦν, τίς ἐστι, καὶ οὐκ ἠδύνατο ἀπὸ τοῦ ὄχλου, ὅτι τῇ ἡλικίᾳ μικρὸς ἦν.
4. Καὶ προδραμὼν ἔμπροσθεν, ἀνέβη ἐπὶ συκομωραίαν, ἵνα ἴδῃ αὐτὸν, ὅτι δι' ἐκείνης ἤμελλε διέρχεσθαι.
5. Καὶ ὡς ἦλθεν ἐπὶ τὸν τόπον, ἀναβλέψας ὁ Ἰησοῦς, εἶδεν αὐτὸν, καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν. ζακχαῖε, σπεύσας κατάβηθι, σήμερον γὰρ ἐν τῷ οἴκῳ σου δεῖ με μεῖναι.
6. Καὶ σπεύσας κατέβη, καὶ ὑπεδέξατο αὐτὸν χαίρων.
7. Καὶ ἰδόντες ἅπαντες διεγόγγυζον. λέγοντες, ὅτι παρὰ ἁμαρτωλῷ ἀνδρὶ εἰσῆλθε καταλῦσαι.
8. Σταθεὶς δὲ ὁ ζακχαῖος, εἶπε πρὸς τὸν κύριον, ἰδοὺ, τὰ ἡμίση τῶν ὑπαρχόντων μου, κύριε, δίδωμι τοῖς πτωχοῖς, καὶ εἴ τινος τι ἐσυκοφάντησα, ἀποδίδωμι τετραπλοῦν.
9. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτὸν, ὁ Ἰησοῦς, ὅτι σήμερον σωτηρία τῷ οἴκῳ τούτῳ ἐγένετο, καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς ἀβραάμ ἐστιν.
10. Ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλός.

1. *Et ingressus perambulabat Hiericho,*
2. *Et ecce vir nomine Zachaeus, atque is princeps erat publicanorum, & idem erat diues,*
3. *Et quærebat videre Iesum, quis esset, nec poterat præ turba, quod statura pusillus esset.*
4. *Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum, nam illac erat transiturus.*
5. *Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, dixitque ad eum, Zachæe festinans descende, nam hodie domi tuæ oportet me manere.*
6. *Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.*
7. *Cumque viderent omnes, murmurabant dicentes, quod ingressus esset apud hominem peccatorem diuersaturus.*
8. *Stans autem Zachæus, dixit ad dominum, Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.*
9. *Dixit vero ad eum Iesus, Hodie salus domui huic contigit, eo quod & ipse filij Abraham est.*
10. *Venit enim filius hominis quærere & seruare, quod perierat.*

Periocha huius historiæ.

CHristum Iesum in hac vltima sua profectione vrbem Hierichuntem: nō tantum ingressum esse, sed etiam *perambulasse*, Marcus & Lucas testatur. *Perambulauit* autem non eo modo quo otiosi viatores vicos & plateas celebriorum ciuitatum spectanda causa peruagantur: sed per mediam ciuitatem pertransiit iter suum Hierosolymam versus susceptum persecuturus. *Hiericho* autem fuerat olim vrbs splendida, magna & populosa, sita in regione campestri & pinguissima. Prouenie bat ibi balsamum, quod alias nullibi nascebatur; abundabat rosetis & palmetis, vnde & ciuitas palmarum dicta fuit. Sed fuit eadem hæc ciuitas maledictioni singulariter subiecta. Postquam enim Iosua dux Israelitici populi illam cū arca Domini circuisset, & muri clangore tubarū sacerdotalium corruissent, ipse cum populo ingressus, omnia ferro flammaque vastauit, ciuitatem anathema fecit, eiusque reædificatori maledixit, vt in primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorū portas eius ponat. Sicuti Iosu. 9. prolixe hæc leguntur. Et tamen inuentus est Hiel de Bethel, ex tribu Ephraim, qui temporibus impij Achabi eam instaurare ausus est. 1. Reg. 16. versic. 34. Sed maledictio Iosuæ in eo impleta est. Nam dum fundamenta ponit, moritur eius primitiuus Abiram, postea reliqui ordine, donec in constitutione portarum moriebatur vltimus Segub. Tempore belli Hierosolymitani rursus destructa est hæc ciuitas à Vespasiano ob perfidiam ciuium, postea ab Adriano rursus instaurata: atque sic durauit ad Hieronymi vsque tempora: inde sic decreuit, vt vix villæ nomine digna fuerit. Vsque adeo dira res est maledictio, vt non immerito ipse locus piis odiosus esse potuerit. Veruntamen Christus in hac maledicta ciuitate satis vberem inuenit messem, non tantum quo ad cæcos & pauperes, sed etiam quo ad diuitem publicanum, qui Ecclesiæ ipsius membra facta sunt. Ipse enim propterea in mundū venit, vt sublata maledictione legis propter peccatum benedictionis filios nos faceret. Discamus igitur in Christo Iesu nullum locum esse infamem, modo possit Euangelium & fidem admittere. Ideo recte Paulus Rom. 10. vers. 12. ad Gal. 3. vers. 28. & Col. 3. vers. 11. asseuerat, in Christo Iesu nullam esse distinctionem Iudæi & Græci, barbari & Scythæ, serui & liberi: sed omnia in omnibus esse Christum. Ita Samaria Iudæis habita est impia, & propemodum ipsis Ethnicis peior, multos tamen Christo dedit fideles. Non tantum Iohan. 4. vers. 40. ex oppido Sichar: item leprosum Samaritanum Luc. 17. vers. 16 Qui gratitudine Iudæos superauit: sed etiam in eo, quod ex Samaria ortus est, præter alios Iustinus Martyr, qui Christi negotium & scriptis & sanguine tutatus est. In Veteri quoque Testamento Hiericho nobilitata fuit habitatione & miraculo Prophetæ Helisæi. Cum viri illius ciuitatis ipsi conquererentur 2. Reg. 2. vers. 19. ciuitatis quidem habitationem esse optimam, sed aquas pessimas & steriles ipse eas immisso sale sanauit, & totam regionem fertilem reddidit. Apud illum fontem Helisæi scribunt crescere arbores instar prunorum, spinosas tamen, in quibus flores nascuntur, quas vulgus Hierichuntinas rosas appellare solet. Hæ rosæ, nocte natalitia seruatoris paulatim hiant, & postea se recludunt, licet siccæ sint & aridæ. Vnde hic effectus sit, Deus nouit: quidam putant in testimonium virginei partus hoc fieri. Sed nos id suo relinquimus loco.

In hac maledicta ciuitate *ecce* inuenit Christus vnum discipulum *Zachæum* nomine. Nomen per se bonum est: Nā *Zachæus* Græcis sonat ἄκακον simplicem, purum & bonum. At talis hic Zachæus hactenus non fuit, vt qui ipse postea fraudes & rapinas suas fateatur, & populus ægre ferat, quod Christus ad talem publicum peccatorem diuertat. Ergo nomen hucusque suum ἀντιφραστικῶς gessit, vt qui Zachæus siue simplex dictus fuerit, quasi minime simplex. Sed imposterum corriget. Ergo quisque viderit, ne vitia sua honesti nominis titulo velet: sed si honesto nomine ornatus sit, illud etiam pietate amplius exornet. Exprimitur etiam huius Zachæi professio & dignitas, *erat enim princeps publicanorum.* De publicanorum statu & religione hactenus sæpe in Euangelio dictum est. Fuit is status apud Iudæos se exosus, eo quod Romanis operam suam locarent in exigendis vectigalibus & tributis, atque sic patriæ libertatis oppressores videbantur. Cui postea accessit, quod non contenti eo, quod Romani à viatoribus, mercibus & aliis, vectigalis & tributi loco exigi mandarunt, ipsi insuper plura exigebant, quod in suum lucrum reseruabant. Populo Iudaico duplici nomine onerosi. Ideo Ioannes Baptista Luc. 3. vers. 13. cum à publicanis interrogaretur. Quid ipsi facere debeant, vt Deo reconcilientur, dixit: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, accipiatis. In hoc ordine Zachæus fuit *princeps*, hoc est, præfectus multis aliis qui circa Iordanis traiectus ad exigenda vectigalia fuerunt constituti: Vnde colligere licet hominem non ita fuisse simplicem cum inter publicanos ita emergere potuerit.

Inter mercatores multi sunt, qui functioni suæ satisfacere possunt, sed sunt plebæi, at coryphæum esse inter merca-

tores requirit experientiam & dexteritatem. Additur etiam ipsius fortuna: *Et idem erat diues.* Vnde vero hæ diuitiæ? Potuit eas habere ex patrimonio, propterea ipse postea dicit τὰ ἥμισυ τῶν ὑπαρχόντων μου, *dimidium bonorum meorum*: sed hinc non omnia habuit, verum ex professione sua, ex vectigalibus & tributis sine conscientia ab hominibus peregrinis expressis. Huic vero incessit desiderium videndi Iesum, illudque non vulgare: *quærebat Iesum videre, quis esset.* Admiratur famam Iesu: idcirco hominem de facie videre & nouisse cupit. Nam de alloquio & conuersatione nihil sperare potuit, cum se publicanum & peccatorem tam sancti viri congressu indignum iudicet. Hic certe non fuit vulgaris sancti Spiritus impulsus, absque quo si fuisset hic talis vir, quem & vitæ genus & fortunæ indulgentia impellere poterant, vt humilem Iesum sperneret, nunquam in tam ardens & pium videndi Iesum desiderium, ex quo postea totus mutatus est, peruenisset. Quicunque igitur Spiritus S. motum aliquem sentit, ille reuerenter eum habeat. Nam ex leui aliqua scintilla magnam facem fidei is accendere potest. Zachæum ex fama incessit desiderium videndi: huic quæsitæ occasioni postea offert se Christus hospitem: tandem sequitur salus ipsius, & totius domus.

Huic tanto desiderio Zachæi videndi Iesum obiicitur impedimentum quod à turba vndique circumfusa ipsum videre non poterat. Ratio additur, ὅτι τῇ ἡλικίᾳ μικρὸς ἦν, *quoniam statura pusillus esset.* Facile enim fieri potest, vt pusiones à longioribus circumcincti, nihil omnino videre possint. Sed hic apud Zachæum accessit solertia, qua defectum corporis ingenij dotibus compensauit. Sicuti sæpenumero magna in paruo regnat corpore virtus. Oblitus ergo & suæ dignitatis, & suarum diuitiarum, tanquam infimæ sortis homo *præcurrens ascendit arborem Sycomorum, vt videret eum. Nam illac erat transiturus.* Facile diuinare potuit, quod omnes qui hoc visuri essent, illum essent irrisuri, quod ipse, homo primarius & diues puerorum instar, arborem conscenderet, ex qua transeuntem videre posset. Sed amor & desiderium videndi Iesum, & inprimis impetus Spiritus sancti, ruborem hunc omnem absterſit. De arbore συκομωραία, seu sycomoro, nō videtur operę pretium multa disserere cum nostris hominibus, siue sit ficus Ægyptia, siue sit alia arbor penitus ignota. Dioscorides scribit cap. 167. hanc solum in Ægypto nosci, & esse arborem excelsam, folia habens similia moro, fructus autem proferens similes ficui, nisi quod eos proferat sine granis, non in ramis, sed ex ipso caudice non maturescentes, nisi aut vnguibus aut ferro scalpantur. An vero in sola Ægypto hæc arbor nascatur, de eo quis dubitare possit: cum Scriptura testatur Salomonem Hierosolymis præbuisse tantam multitudinem, quasi sycomores quæ nascuntur in campestribus, 1. Reg 10. vers. 27. Et quando Amos dicit cap. 7. v. 14 Ego sum armentarius vellicans sycomoros, innuit, hanc arborem in Palestina admodum esse vulgarem, nec tantum in Ægypto prouenire. Sed ad rem.

II. Iam ex vocatione Zachæi manifestum euadet, quam felix, fortunatusque fuerit ipsius conatus. Quæsiuit occasionem videndi Iesum, eam feliciter consecutus est, iuxta illud Christi Matth. 7. vers. 7. Quærite, & inuenietis. Zachæus quæsiuit & inuenit pretiosam margaritam. Nam postquam Iesus venit ad illam arborem, *suspiciens vidit illum.* Vidit illum non corporali tantum aspectu, sed tali qui vbiuis fuit salutaris. Nec tantum vidit illum, sed etiam alloquio suo dignatur, proprio nomine eum compellans quasi familiariter notum. Nam proprias oues vocat nominatim Iohan. 10 ver. 3. *Zachæe festinans descende, nam hodie domi tuæ oportet me manere.* Res mira, legimus sane in Euangelio, Dominum ab aliis inuitatum, eos accessisse, sed quod vltro ad conuiuium se ingesserit, nusquam legimus, quam apud hunc principem publicanorum. Sic fides semper plus impetrat, quam optarit. Zachæus Iesum tam videre cupit: iam sortitur eum hospitem, Matth. 9. vers. 2. paralyticus quærit sanitatem & impetrat insuper remissionem peccatorum. Ex his omnibus conspicua fit inenarrabilis φιλανθρωπία & benignitas Iesu Christi, quod non simpliciter publicani, sed principis publicanorum, hospitio vltro se obtulit, à cuius consortio Pharisæi & Scribæ vel maxime abhorrebant. Requirit autem Christus *festinationem*, vt omnibus de eius promptitudine & fidei dono constet. Nisi enim verbis Christi fidem habuisset, nunquam Iesu fores suarum ædium patefecisset. Dicit autem: *oportet* me hodie in domo tua manere, non quasi in tam ampla ciuitate nullum aliud hospitium inuenire potuisset: sed hoc quasi prætexit Christus, vt occasionem haberet animam ipsius & salutem quærendi. Et vult non tantum apud ipsum hospitari & pernoctare: sed etiam in domo eius manere. Quod apud Zachæum factum est per fidem. Nam per fidem Christus habitat in cordibus nostris, Eph. 3. v. 17. Quisque igitur mediis illis vtatur, quibus Christus mensionem apud eum faciat. Zachęus hæc audiens *festinans* de arbore *descendit, & gaudens illum excepit.* Nihil respondit. Nam insperatum gaudium sæpius vocem præcludit. Re autem ipsa & gestibus declarat, sibi hoc hospite nihil gratius accidere posse. Quemadmodum igitur Deus hilarem datorē *diligit.* 2. Cor. 9. v. 7. sic etiam Christus hilarem sectatorem amat, atque sic in hospitium Zachæi ingreditur.

III. Audiendum etiam quid dixerint & fecerint rei huius spectatores. Paulo ante cum Hierichunta ingrederetur, omnis turba dedit laudē Deo ob beneficium visus, quo cœcum mendicum affecit. Nunc *omnes murmurant, eo quod ingressus esset apud hominem peccatorem hospitaturus*, idque in eum finem, vt salutem domui ipsius afferret. Quid in hoc malifacit Christus, quod murmure sit dignum? Imo cum animam ex perditione eripere maius beneficium sit quam cœco visum restituere: hic maiorem laudem Deo tribuere debuissent. Sed hæc est magna pars corruptionis nostræ, quod carnalia Christi beneficia semper maioris æstimamus, quam spiritualia: quia carnales sumus plus, quam spirituales. Fortassis etiam ex ciuitate interuenerunt Scribæ & Pharisæi, qui huic murmuri in turba occasionem dederunt. Murmurant quod Christus diuertat *apud hominem peccatorem*, quod traditione Pharisæorum prohibitum erat. At considerare debuissent, ante hac quidem, eum talem fuisse: *Sed iam Deum corde eius mutasse*, quod cum pœnitens & fide in *Christum* ardens Christus καρδιογνώστης videat, ipsi tam temere nō debuissent iudicare. Sæpius enim ex Christo audiuerunt, quod non conuersetur cum publicanis & peccatoribus, vt illos in malitia sua confirmet, sed vt eos ad resipiscentiam vocet. Quapropter nullam omnino causam habuerunt isti corrupti iudicij homines contra Christum murmurandi.

Zachæus hasce vulgi murmurationes nihil moratus σταθεὶς, *sistit sese* Christo, eique qualiter conuersionem suam instituere velit, indicat, auditurus, an Christus cum ipsius proposito contentus esse possit, an vltra quid requirere velit. Initio autem ingenue & aperte fatetur, se hactenus magnum peccatorem fuisse. Ideo dicit εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα, *si quid aliquem dolose defraudaui.* Nam *Sycophantæ* semper male audierant, & pro dolosis mendacibus & fraudulentis habiti sunt. Vocabulum hinc originem habere volunt. E duobus seruis Græci cuiusdā viri, alter ficus quæ domi paratæ erant, absumserat; alter quis eas abstulisset, ignorabat. Quærente eas Domino sons innocentem accusabat. Herus, vt veritatem exploraret, haurire subtepidam aquam vtrumque iussit, deinde euomere. Ibi malitia & dolus alterius serui manifestatus est. Et tunc primo sycophantæ vocabulum ortum: eo ita appellato qui ficos deuorauerat, culpamque in innocentem cauillando ac mentiendo coniecerat. Hoc vocabulo Zachæus hic vtitur, atque sic fatetur se dolose & fraudulenter cum proximo egisse, sicque Deum offendisse. Idem vero se hoc nomine pœnitere indicat, & vt quam vera & seria sua pœnitentia sit, ostendat, vult eam ex fructibus cognosci. *Dimidium bonorum meorum do*, addico, confero & deputo *pauperibus* ab hoc tempore. Nam quod cum antea hoc facere inceperit, vt quidam opinantur, verisimile non est, & ex circumstantiis historiæ desumi non potest. Hæ autem bona ipsi vel ex honesto lucro obuenisse credibile est. Alias enim si vel ex furto vel rapinis eleemosynas pauperibus dare voluisset, illæ Christo nequaquam gratæ fuissent, si quem vero defraudasset, dicit: *reddo quadruplum.* Agnoscit enim quod quæ per sycophantiam quis alteri aufert, ea furti speciem habeant. Sic Deus Exodi 22. vers. 1. pro oue furto ablata & mactata, quadruplum requirit: sed vers. 4. mitigat, si viuens adhuc reperiatur, vt tantum duplum restituat. Sed Zachæus vltro *quadruplum* offert, & sic seriam suam pœnitentiam commonstrat. Ex hoc exemplo discere debemus, quæ sit natura veræ pœnitentiæ. Non pudet eum lapsus & peccata sua agnoscere & confiteri, & si quem offendit, ad restitutionem & reconciliationem se vltro offert (scit enim iuxta Augustini dictum Epist 54. ad Macedonium, peccatum non remitti nisi ablatum restituatur) & denique expectat, ecquid Christus vlterius in verbo suo iniungere velit. Hic iam *camelus* depositus mundanarum diuitiarum sarcinis incipit per foramen acus transire: & sunt possibilia Deo, quæ impossibilia fuissent hominibus.

Quid igitur Christus ad hanc ingenuam Zachæi confessionem, eleemosynarum & restitutionis oblationem? Annunciat ipsi consolationem, qua fide apprehendit benedictionē Abrahæ Rom. 4. vers. 3. & Gal. 3 v. 9 vnde prouenit salus. Hæc autem dependet ex Messia, qui solus peccatores soluat. Ideo dicit Iesus: *Hodie salus domus huic contigit, eo quod & ipse filius Abraham est.* Occurrit simul his verbis indignantibus murmurationi, quam ipsis indignam esse ostendit, cum eiusdem generis & gentis homines confratribus inuidere non debeat, si per

si per Dei gratiam conuertantur & resipiscant. *Est & ipse filius Abraham* non minus quam Pharisæi, Scribæ, & vos omnes circumstantes, cur igitur hoc nomine vel mihi vel ipsi indignari vultis, quod ego eum ad resipiscentiam quæro, & ipse vltro ad eam sese offert? D. Chrysostomus & post eum multi alij, existimauit hunc Zachæum origine fuisse gentilem: hic autem vocari *filium Abraham*, propter fidem, iuxta illud Roman. 9. versic. 8. Vbi filij promissionis æstimantur in semine. Sed hoc non est verisimile. Nam hactenus conuersationem gentilium vitauit, ne Iudæis calumniandi occasionem præberet, & vt confirmaret id quod aliquoties dixerat, se missum esse ad perditas oues Israeli. Et quis dubitabit, si ita fuisset, Iudæos multo plus tumultuaturos fuisse, vt qui non tantum ad hominem peccatorem, sed etiam ad hominem præputium habentem diuertisset. Neque sequitur, Zachæus fuit publicanus à Romanis constitutus. Ergo ipse fuit quoque Romanus: Nam hactenus ex Euangelio sæpissime cognouimus, ipsos etiam Iudæos ad hoc munus se conduci passos fuisse: vnde tanto acerbiore odio contribules eorum ipsos persecuti sunt.

Quod dicit, *domui salutem contigisse*, in eo Christus respexit eo, quod vel Zachæus totam suam familiam conuersurus esset, sicuti id regulus, centurio, Cornelius, & alij fecerunt, vel quod domus ipsius iam magna ex parte fidelis facta fuerit. Nam & iuxta Græcæ linguæ proprietatem ipsa domus filia Abrahæ dici potest οἶκος υἱὸς τοῦ Ἀβραάμ, domui salus contigit, quia filia Abrahæ est, à Christo iam deposita, in ὑιοθεσία Dei.

Addit denique Christus: *venit enim filius hominis quærere & seruare quod perierat*. Hic reddit Christus rationem ex sua parte, quare ad Zachæum diuerterit, non quod peccatorem in peccatis confirmare, sed potius eum conuersum ad salutem adducere velit. Adducit igitur argumentum à suo officio, quo etiam Marc. 2. versic. 17. Luc. 5. vers. 31 Matth. 9. versic. 12. vtitur. Vt enim Medicus cum ægrotis recte versatur, quo eos sanet: ita Redemptor cum his qui redemptione indigent. Complectitur autem Christus in hoc suo redemptionis officio duo: ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλός, *&*, *quærere & seruare quod perierat*. Prius est diligentiæ: posterius est potentiæ: Vtrumque est singularis φιλανθρωπίας, qua Christus vsus est hic erga Zachæum, & alias erga omnes miseros mortales. Sic Christus reddit facti sui rationem, quare ad peccatorem diuerterit: quia scilicet propter peccatores in mundum venerit. Primus enim Christi in mundum aduentus non est pro iustis, sed peccatoribus: secundus futurus est ad iudicium & peccatoribus & iustis.

Tandem nec hoc prætermittendum esse videtur, quod Pontificij passim in suis encæniis & solennitatibus dedicationis templorum hanc historiam de Zachæo tractandam ordinarint, quam apposite & quibus de causis ipsi nouerint. Ego nullam video concinniorem, quam quod plerique templorum ipsorum patroni & fundatores, initio multum pecuniæ per sycophantiam, vsuras, rapinas, per fas nefasque instar Zachæi corraserunt: postea vero vel propria conscientia facti, vel à sacrificulis persuasi maiorem substantiæ suæ partem eiusmodi domui pro redimendis suis peccatis, non sine superstitione dedicarunt, & consecrarunt. Nam quod allegant illud fieri propterea: quia *hoc die domui illi salus contigerit*. Item quod ipsi conueniat: *hodie in tua domo oportet me manere*, illud friuolum est. Etenim inepte hæc à familia & spirituali domo Zachæi ad materialia templa accommodantur. Si quis autem omnino cum Zachæo Encænia celebrare velit, is cum ipso ardenti studio quærat Christum, ipsum hospitio cordis sui, quod templum sacrum Domino patet, excipere desideret. Hoc templum non exornatur accensis cereis & pictis crucibus: sed si simus filij Abrahæ vel potius filij Dei per fidem, nosque postea per omnem vitam tanquam filios Dei geramus. Hoc si fecerimus, tum salus etiam nobis continget & nostræ domui, hoc est, liberis familiæ & toti posteritati: Si vero Encænia celebranda essent cum tota aliqua Ecclesia, scias Deum non coli rum suffitu thuris, tum lampadum incensione: sed potius deuota gratiarum actione pro accensa luce verbi sui & ardentibus precibus, quibus eius conseruationem pro nobis & posteritate quærimus, humili denique corde & contrito spiritu tremente sermones Dei. Talia Encænia Deo grata sunt: ac propterea ipsum rogemus vt nobis quoque tale cor, quale Zachæo dedit, tribuat, quo ipsum nos in hac vita in domicilium cordis nostri recipiamus: ipse vero vicissim nos in altera vita in æterna tabernacula suscipiat.

CAPVT CXXXVIII.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS PARABOLAM CHRISTI DE DECEM MINIS decem seruis traditis. Luc. 19. v. 11.

RATIO ORDINIS.

DVbitari potest, vtrum hæc parabola de decem minis decem seruis traditis, miraculis de duobus cæcis sanatis, quæ Matthæus & Marcus annotarunt: præmittenda an postponenda sit. Eo quod cæci sanati sint statim in egressu ex Hiericho, hæc autem parabola proposita dicatur, *eo quod esset prope Hierosolymam*. Hiericho autem ab Hierosolymis distabat 150. stadiis, hoc est, ad quinque milliaria Germanica. Sed quia Euangelista ipse hanc parabolam præcedentibus per hæc verba connectit, ἀκουόντων, (scilicet quæ de Zachæo & eius domo Christus dixerat) *illis audientibus, & adiiciens dixit parabolam*, non decet hæc ab inuicem discerpere. Maxime cū Euangelista simul ostendat, quid Christo occasionem præbuerit hunc sermonem proponendi. Nimirum crassus non tantum turbæ, sed etiam discipulorum stupor, qui *existimabant* Iesum in hac ipsa profectione ad regiam vrbem Hierosolymam, regnū suum occupaturum & futurum, vt illud *confestim manifestaretur*, hoc est, tanta pompa & maiestate erigeretur, vt omnibus liquido constaret, Iudæos esse populum liberum, quod Deo ita curæ sit vt ipsius authoritate non externum, sed in sinu suo natum regem habere debeat. Et quia hunc finem huius profectionis indicant, multi se adiunxere itineris comites, vt rei videret euentum. Et quia modo in Zachæi ædibus dixerat, *filium hominis venisse vt quærat & seruet quod perierat*. Ipsi τὸ ἀπολωλός, *quod perierat*, absque dubio interpretati sunt regnum Iudaicum, libertatem publicam, & cultum Mosaicum. Hæc iam à Christo restitutum iri somniant. Sed Christus ipsis per hanc parabolam significat, rem Hierosolymis longe aliter casuram, quam ipsi opinentur. Regnum enim suum se in longinqua regione occupaturum. Iudæos autem Hierosolymitanos regnum suum per omnia detrectaturos Apostolos autem suos & reliquos ministros qui cum ipso regnare velint, interim ipso absente donis suis negotiari, sibique multos lucrifacere debere, tum se in suo reditu fidelibus ministris regni sui consortium communicaturum, rebelles vero ciues & ignauos seruos seuere puniturum. *Regnum* autem *Dei* nominatur, licet ipsi temporale & mundanū somniabant, quia illud per Messiam à Deo missum in populo instaurandum existimarunt. Matt. 25. v. 14. consimilis parabola repetitur. Verum quia illa diuerso loco & diuerso tempore alia occasione adducta cum hac non commiscenda, sed peculiari suo loco tractanda est.

Parabola de decem minis. Luc. 19. v. 11.

11. Ἀκουόντων δὲ αὐτῶν ταῦτα, προσθεὶς εἶπε παραβολὴν, διὰ τὸ ἐγγὺς αὐτὸν εἶναι Ἱερουσαλὴμ, καὶ δοκεῖν αὐτοὺς, ὅτι παραχρῆμα μέλλει ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἀναφαίνεσθαι.

11. *Hæc illis audientibus, adiiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Hierosolymam, quodque existimarent fore, vt confestim regnum Dei manifestaretur.*

12. Εἶπεν οὖν, ἄνθρωπός τις εὐγενὴς ἐπορεύθη εἰς χώραν μακρὰν λαβεῖν ἑαυτῷ βασιλείαν, καὶ ὑποστρέψαι.	12. *Dixit ergo: Homo quidam genere clarus, profectus est in regionem longinquam, vt acciperet sibi regnum, ac reuerteretur.*
13. Καλέσας δὲ δέκα δούλους ἑαυτοῦ, ἔδωκεν αὐτοῖς δέκα μνᾶς, καὶ εἶπε πρὸς αὐτοὺς, πραγματεύσασθε, ἕως ἔρχομαι.	13. *Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem minas, & ait ad illos, Negotiemini, donec veniam.*
14. Οἱ δὲ πολῖται αὐτοῦ ἐμίσουν αὐτὸν, καὶ ἀπέστειλαν πρεσβείαν ὀπίσω αὐτοῦ, λέγοντες, οὐ θέλομεν τοῦτον βασιλεῦσαι ἐφ' ἡμᾶς.	14. *Ciues autem eius oderant eum, miseruntque legationem post illum dicentes, Nolumus hunc regnare super nos.*
15. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐπανελθεῖν αὐτὸν λαβόντα τὴν βασιλείαν, καὶ εἶπε φωνηθῆναι αὐτῷ τοὺς δούλους τούτους, οἷς ἔδωκε τὸ ἀργύριον, ἵνα γνῷ, τίς τί διεπραγματεύσατο.	15. *Et factum est, vt rediret, accepto regno, iussitque vocari illos seruos ad se, quibus dederat pecuniam, vt sciret, quantum quisque negotiatus esset.*
16. Παρεγένετο δὲ ὁ πρῶτος, λέγων, κύριε, ἡ μνᾶ σου προσειργάσατο δέκα μνᾶς.	16. *Venit autem primus dicens, Domine, mina tua decem minas acquisiuit.*
17. Καὶ εἶπεν αὐτῷ, εὖγε ἀγαθὲ δοῦλε, ὅτι ἐν ἐλαχίστῳ πιστὸς ἐγένου, ἴσθι ἐξουσίαν ἔχων ἐπάνω δέκα πόλεων.	17. *Et ait illi, Euge bone serue, quia in minimo fuisti fidelis, habeto potestatem super decem ciuitates.*
18. Καὶ ἦλθεν ὁ δεύτερος, λέγων, κύριε, ἡ μνᾶ σου ἐποίησε πέντε μνᾶς.	18. *Et alter venit dicens, Domine, mina tua confecit quinque minas.*
19. Εἶπε δὲ καὶ τούτῳ, καὶ σὺ γίνου ἐπάνω πέντε πόλεων.	19. *Et huic ait, & tu praefectus esto quinq; ciuitatibus.*
20. Καὶ ἕτερος ἦλθε, λέγων, κύριε, ἰδοὺ ἡ μνᾶ σου, ἣν εἶχον ἀποκειμένην ἐν σουδαρίῳ.	20. *Et alius venit, dicens Domine, ecce mina tua, quam habui repositam in sudario.*
21. Ἐφοβούμην γάρ σε, ὅτι ἄνθρωπος αὐστηρὸς εἶ, αἴρεις, ὃ οὐκ ἔθηκας, καὶ θερίζεις, ὃ οὐκ ἔσπειρας.	21. *Timui enim te, quod homo austerus sis, tollis, quod non posuisti, Et metis, quod non seminasti.*
22. Λέγει αὐτῷ, ἐκ τοῦ στόματός σου κρινῶ σε, πονηρὲ δοῦλε. Ἤδεις, ὅτι ἐγὼ ἄνθρωπος αὐστηρός εἰμι, αἴρων ὃ οὐκ ἔθηκα, καὶ θερίζων ὃ οὐκ ἔσπειρα.	22. *Dicit ei, Ex ore tuo te iudicabo serue male. Nouer as quod homo austerus sim, tollens quod non posui, & metens, quod non seminaui.*
23. Καὶ διατί οὐκ ἔδωκας τὸ ἀργύριόν μου ἐπὶ τὴν τράπεζαν, καὶ ἐγὼ ἐλθὼν σὺν τόκῳ ἂν ἔπραξα αὐτό;	23. *Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illã?*
24. Καὶ τοῖς παρεστῶσιν εἶπεν, ἄρατε ἀπ' αὐτοῦ τὴν μνᾶν, καὶ δότε τῷ τὰς δέκα μνᾶς ἔχοντι.	24. *Et astantibus dixit, Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet.*
25. Καὶ εἶπον αὐτῷ, κύριε, ἔχει δέκα μνᾶς.	25. *Et dixerunt ei, Domine, habet decem minas.*
26. Λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι παντὶ τῷ ἔχοντι δοθήσεται. ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος, καὶ ὃ ἔχει, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ.	26. *Dico enim vobis, quod omni habẽti dabitur. Ab eo autẽ qui non habet, etiam quod habet, auferetur.*
27. Πλὴν τοὺς ἐχθρούς μου ἐκείνους, τοὺς μὴ θελήσαντάς με βασιλεῦσαι ἐπ' αὐτοὺς, ἀγάγετε ὧδε, καὶ κατασφάξατε ἔμπροσθέν μου.	27. *Quin inimicos meos illos, qui noluerunt me, regnare super se, adducite huc & interficite ante me.*
28. Καὶ εἰπὼν ταῦτα, ἐπορεύετο ἔμπροσθεν, ἀναβαίνων εἰς Ἱεροσόλυμα.	28. *Et his dictis ibat pergens ascendere Hierosolymam.*

Periocha huius parabolæ.

NE in ipsa rerum tractatione vocabulum *Mina* remoram nobis obiiciat hic in frontispicio quædam explicationis loco apponere libet. *Mna* vel *Mina*, certum numerum aut pondus pecuniç notam, est vox communis Hebręis, Græcis & Latinis. Venit autem ab Hebræo מנה Mana, quod numerare & partiri significat. Reperitur hæc vox in veteri Testamento, Esd.2.v.69. & in Ezech.45.v.12. De quantitate autem Minç discrepant authores, Ezechiel eam describit vel potius (vt quidam arbitrantur) qualis & quanta in nouo illo templo esse debeat, inquiens. Siculus autem 20. obolos habet, viginti sicli & 25. sicli, & 15. sicli (hoc est 60.) erunt vobis pro mina vna. Munsterus super 30. cap. Exodi de quantitate huius ponderis & vicinorum sic scribit. Habent Hebræi in ponderibus hos gradus. Siclus quem illi Schækel vocant, continet grana hordeacea 384. Mina vero quam & Litra vocant, id est, libram, habet 60. siclos: hoc est, grana hordeacea 23040. At Kikar, quod nostri talentum vertunt, habet 60. libras, grana scilicet 1382400. Ego autem hæc pondera exigens ad pondus Gallici coronatus inueni, vni scutato Gallico respondere grana hordeacea 75. atque in hunc modum siclum cõtinere coronatos quinque, & prçterea grana hordeacea 9. Quod pondus per 60. multiplicatum, consurgit ad 307. coronatos. atque 15. grana hordacea. Tantum valuit libra aurea apud Hebræos, si nõ est error in positione fundamenti, & grana vbique sunt æqualis ponderis. Si rursum multiplices libram sexaginta, habebis pondus talenti, nempe coronatos 18432. quod tamen de vulgari talento intelligendum est. Talentum autem sanctuarij fuit duplum ad prophanam, habens scilicet secundum priorem supputationem coronatos 36864. & tantum fuit pondus auri, ex quo fabrefactum fuit candelabrum sacrum, cum ornamentis & instrumentis suis. Quid Græcis & Latinis *Mina* siue *Mna*, annotant recentiores vocabularij ex variis authoribus præsertim ex Budæo & Georgio Agricola, eo alios remmittẽdos censeo. Parum enim ad rem huius parabolæ facit, quanti ipsi Minam Atticam æstiment. Tribus tamen verbis aliquid, *Mina* Græce μνᾶ, Atticum est vocabulum, *quo* tam in appellatione rei nummariæ, quã ponderalis Athenienses vtebãtur. Constabat autem ex drachmis *Atticis centum*, eratque maior Romana libra drachmis *quatuor*. *Nam hæc* nonaginta sex pendebat drachmas: sicut *apud* Priscianum videre est. Sed hęc pro huius vocabuli expositione dixisse sufficiant. Nunc parabolam ipsam explicare aggrediamur.

I. Prima principalior parabolæ *pars* continet aliquot membra, quæ singula erunt expendenda. Vtpote, consilium regis peregrinaturi: Deinde quomodo reliquerit bona sua sub manu seruorum dispensanda: denique seditiosam ciuium ipsius legationem.

1. *Homo quidam* εὐγενὴς *nobilis vel genere clarus profectus est in regionem longinquam, vt acciperet sibi regnum, ac reuerteretur.* Hic *nobilis* non alius est, quam Dominus noster Iesus Christus. Et vere seipsum *nobilem* vocat. Nam respectus diuinitatis ex Patre longe, longissime omnes creaturas nobilitate superat. Est Patri suo coæternus, coæqualis, vt recte Iesaias dixerit c.53.v.8. Generationem eius quis enarrabit? Quoad humanam naturam est ex Spiritu sancto conceptus, *ex pura &* immaculata virgine natus, intacto virginitatis flore. Quæ ipsius mater è sanctis Patriarchis oriunda est: & habet Christus in sua Genealogia vltra viginti reges & principes, vt vere nobilissimus dici queat, imo sanctus sanctorum, quem nemo vllius peccati arguere possit. Est etiam *clarus* propter præstantissimas promissiones de ipso factas. Moses enim & quotquot ipsum secuti sunt Prophetæ, de hoc nobili clarissimas edidere promissiones tam de corporalibus, quam de spiritua-

spiritualibus bonis. Hic nobilis vir *proficiscitur in regionem longinquam, vt regnum sibi accipiat*. Ergo Messiæ regnum non erit in vicina regia vrbe Hierosolyma, sed in *longinqua regione*, sic nominans cœlos. Illi enim vere longe à nobis absunt, non ob distantiam locorum, sed quia cœlestia profunde abdita sunt à ratione humana, quę illa minime intelligit. Vocat autem etiam χώραν regionem: quia non est angustus angulus, sed capacissimus locus, si modo locus nominari debet. Ideo Ioh. 14.v.2. Christus dicit: In domo Patris mei multæ sunt mansiones: & ego abeo vobis locum parare, non physicum, sed cœlestem. Habet quidem hic rex etiam in hoc mundo regnum, nimirum regnum gratiæ, in quo regnat per verbum & Sacramenta, & per fidem: quod nos videmus & 1.Tim.3. v.15. domui confertur, quæ est Ecclesia Dei. Hic autem loquitur de regno gloriæ, quod habet inter sanctos angelos & beatas animas, vbi æternam suam maiestatem ipsis spectandam præbet. Hoc regnum longe à nobis abest non spatio locorum: Nam regnum Dei intra vos est Luc.17.v.21. sed remotum est propter maiestatem & diuersas ab hoc mundo rationes. Nam Esaiæ 94.versic.4. Oculos non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non penetrauit, quæ Deus præparauit timentibus Iesum. Consideret quoque Christianus per se ex collatione quæ & quanta illius regni sit futura maiestas. Quam amplum & spatio sum hoc visibile cœlum, & tamen acumine visus ad stellas vsque pertingere possum? quam ampla & spatiosa est terra, & tamen cogitationibus nostris vtramq; Indiam & maria perambulare possum. Quid autem & quale sit illud cœleste regnum, id non assequor, nisi Deus peculiariter aliquibus aperiat oculos quod fecit paucis veluti famulo Elisæi, 1.Reg.6.vers.17. Omnibus Apostolis in monte. Matth.17.v.3. Stephano, cum ad mortem rapiebatur, Act.7.versic.55. Paulo, cum audiret verba ἄῤῥητα, quæ homini non licet loqui, 2.Cor.12.ver.4. Ad hanc *longinquam regionem* profectus est Christus Hierosolyma ad occupandum regnum. Nam ascendit in altum, captiuitatem captiuam duxit, & accepit dona pro hominibus. Psalm.68.versic.19. De hac regni cœlestis occupatione agit etiam Apostolus Paulus præclare & prolixe. Eph.2.vers.20. Et Philip.2.v.9. Ibi Christo tale nomen datum scribitur quod est supra omne nomē, vt in nomine Iesu flectatur omne genu, cœlestium, terrestriū & inferorum. Heb.1. vers.3. Sedet ad dextram maiestatis in excelsis tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Et vbi regnum hoc accepit, prædicit se aliquando *reuersurum*. Quando redire velit, tempus non determinat, sed in incerto relinquit, vt & ministros suos & ciues sub metu retineat. Sic enim securitas adimitur & metus relinquitur, ne Dominus reuersus eos in officio negligentes reperiat.

2. At dicat quis: Num igitur Christus proficiscens in longinquam regionem ad occupandum regnum gloriæ suæ interim Ecclesiam & regnum gratiæ suæ deserit? Nequaquā. Hanc enim promissionem ante ascensionem post se reliquit. Matth.28. versic.vlt. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Imo vbi tantum duo vel tres in ipsius nomine congregati sunt, ibi se medium interesse profitetur. Matth.18.v.20. Et Apoc.1.v.13. dicitur filius hominis ambulare in medio candelabrorum. Candelabra autem designabant Ecclesias: quanquam à nobis non videatur. Regnat autem etiam inter nos: sed non visibiliter, verum per Spiritum sanctum & eius dona. Constituit ergo suo loco *seruos*, seu ministros, quos Spiritus sanctus ponit Episcopos vt regant Ecclesiam Dei, quam sanguine suo acquisiuit. Act.20.ver.28. *Vocatis autem decem seruis suis dedit etiam minas*. Seruat certum numerum *decem*. Nam Deo omnino constat certus numerus & suorum seruorum & suorum donorum. Quanquam apud nos idem numerus *decem* ob sui perfectionem, nobis infinitatem insinuet. Quod licet Christo & electorum & donorum & ministrorū suorum numerus exactissima ratione notissimus sit: nobis tamen ille numerus est incertus, adeoque infinitus, sicut decem per decem in infinitū multiplicari possunt. Nota autem quod hi serui non ipsi se ingerunt, sed à Domino *vocantur*. Rom.10.ver.15. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Obiiciunt Pōtificij nobis Euangelicis, vnde nos nostram vocationem habeamus? Eodē modo quo Pontifices Iudaici, Hannas & Caiphas Baptistæ & Christo obiecerunt, quis ipsis potestatem docendi & baptizandi dedisset. Nos sane per Papæ cōcessionem nequaquam in Ecclesia docemus. Nam & Papa ipse cum suis nullā legitimam in ea vocationem habet. Sed docemus ex ipsius Ecclesiæ vocatione, cui Christus ipse Matt.18.v.3. hanc potestatem concessit. Nam Christus non amplius immediate seruos suos vocat, sed mediate per homines: & tamen nisi alicuius nomen in cœlo prius sit adscriptum, mundana vocatio parū ipsum subleuauit. Vnde vero hi serui Christi agnoscuntur? Nō ex amplis titulis, sicuti Papa suos Cardinales, suffraganeos, Abbates, quorum nomina in scriptura aut in libro vitæ non extant, habet. Sed vt quisque habeat suam *minam*, hoc est, doctrinam Euangelij de regno Christi. Hanc qui affert & Ecclesiæ proponit, is pro Christi seruo haberi debet, licet inter ipsos postea dona sint varia & diuersa, vnice tamen ad Ecclesiæ ædificationem directa, 1.Cor.12.v.4. Hæc autem mina datur *vt negotietur donec Dominus redeat*. Vbi non intelligatur pecuniaria negotiatio, qualis fuit in Papatu, vbi venalia fuerunt sacerdotia, absolutio, sacramenta, ipsum cœlū, Deusque. Hæc est impia simonia, quam à Simone Mago Act.8.v.18. hereditario iure acceperunt, sed parabolice hoc dictum est. Quemadmodum impiger mercator non labori, non operæ parcit, sed in omnes occasiones intentus est, vt etiam cū periculo vitæ lucrum suum promoueat: Ita Christi seruus omni studio contendat, vt per diligentem Euangelij prædicationē, & fidelem sacramentorum administrationem multos homines Christo lucrifaciat. Tales negociatores Christi fuerunt Apostoli: Petrus inter Iudęos, Paulus inter gentiles. Hinc ipse 1.Cor.9.v.19. Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerē. & Act.20. v.18. in synodo Myletana tam Episcopos quam auditores testes citat, quod ipsi sciant, quod à prima die, qua ingressus sit Asiam, non subterfugerit, quominus annunciarit ipsis omne Dei consiliū. Hosce alij fideles ministri in negotiatione sua imitari debent. Et licet sine laboribus & ærumnis ea perfici nequeant, bono tamen sint ministri animo, labores non sunt futuri perpetui, sed sub Christi aduentum suum habituri finem.

3. Addit Christus tertio de seditiosa ciuium suorum legatione. Ciues *autem eius oderant ipsum Ciues* sunt Iudæi. His enim cum primi natus est hic rex secundum promissiones & oracula Prophetarum. Sed vt Ioh.1.versic.11. scriptum est: In propria venit, & sui eum non receperunt. Ideo etiam hic dicit Christus: Ciues *miserunt legationem post illum dicentes: Nolumus hunc regnare super nos*. Agnoscunt ergo Apostoli & quicunque noui regni occupandi gratia Christum comitabantur, Hierosolymis hoc tempore regnum nullum esse quærēdum. Nam quod hic Christus prædixit, illud in passione mox impletum est, Iohan.14.v.15. Ipso Christo audiente clamant Non habemus regem nisi Cæsarem, & rursus versic.21. ægre ferebant, quod Pilatus scripsisset Iesum Nazarenum esse regem Iudęorum. Hoc nimirum erat illud dicere. *Nolumus hunc Iesum regnare super nos*. Et tamen huius recusationis ne minimam quidem habuerunt causam: Sed ex mera obstinata malitia id fecerunt. Quæ res eo indignior erat, quod *ciues* ipsius erant, hoc est, ad quos dominium ipsius ceu veri regis Sionij iure naturæ spectabat. Sed impleuerunt, quod Dauid prædixit Psalm.2.v.3. Disrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum, & hoc deinceps Iudæi perpetuo impleuere, dum Apostolos persecuti sunt, eosque prohibuerunt, ne nomen Christi docerent, dum Stephanum lapidarunt, & alios pertinaciter trucidarunt, satis numerosam *legationem miserunt post illum*, ex qua cognoscant ipsos nolle Christum regnare super se. Vide 1.Thess.2.vers.15. Hos multi ex gentibus vel malis Christianis imitari discunt, qui nomen quidem Christi in ore ferunt, moribus autem & vitæ integritate, adeoque tota professione non respondent. Hi omnes etiam Christi iugum contumaciter excutiunt: maxime vero illi, qui loco Christi Antichristo se subiiciunt. A qua peruersitate Deus nostros custodiat. Et hæc de peregrinatione nobilis hominis in regionem longinquam.

II. Secunda principalior parabolæ pars quoque peculiaria sua habet membra, quæ sunt excutienda, qualia sunt, rediturus huius Regis, examen rationum cum seruis, vbi præmio afficiuntur fideles & diligētes, pœna ignaui serui, & denique vltio contra seditiosos ciues. Quę omnia eo spectant, vt tum spe pręmiorum, tum metu pœnarum pij in officio suo vigilantiores contineantur.

1. Quantumuis Iudæi hunc Iesum noluerint habere regem, & adhuc hodie pertinaciter eum negent atque blasphement: redibit tamen illis inuitus gloriose regnans cum seruis suis rationem initurus, & de inimicis suis vltionem sumpturus. Nam *factum est vt rediret accepto regno*. Hoc futurum est in nouissimo die, quando redibit ad iudicium viuorum & mortuorum, de quo Prophetæ, Inprimis Daniel Christus ipse & Apostoli multum sunt vaticinati. Caueamus itaque ne nos Empectas illos turbare patiamur, de quibus Petrus 2. Petr.3. vers.3. agit. Quod promissiones aduentus eius rideant, eo quod non à vestigio eas adimpleat. Cœlum & terra transibunt sed hoc verbum de ipsius reditu non transibit.

2. Reuersus rex ante omnia sollicitus fuit de seruis suis quibus pecuniam suam concrediderat, *vt sciret quantum quisque negotiatus esset*, hoc est quantum lucri negociando fecisset. Est autem in Græco verbum διαπραγματεύσατο, quod cum lu-

cro negociari significat. Sic ergo in nouissimo die Christus cum seruis suis aget, quod eos primum per angelos adduci iubebit, & quos deprehenderit Euangelici sermonis prædicatione & cōcredidit sibi donis multas animas sibi lucrifecisse, eos non solum collaudabit, sed etiam magno remunerabit præmia & cœlestis sui regni consortio donabit. Idque faciet vnicuique pro diuersa ratione industriæ & parti lucri: vt maiorem gloriam & præeminentiam in regno suo daturus, qui plus laborauerunt, & plus lucri fecerunt, omnes tamen æterni gaudij participes erunt. Hoc in parabola diserte exprimitur, quando *primus seruus* adducitur *cuius vna mina decem minas acquisiuit*, & non tantum collaudatur: *Euge serue bone in minimo fuisti fidelis*, sed etiam *decem ciuitatibus* præficitur. Alter seruus, cuius *vna mina quinque alias confecit*, *quinque præficitur ciuitatibus*. Vide quā benignus hic sit Dominus, non expostulat cum hoc seruo, quare non plus lucrifecerit, cum cōseruus ipsius ex æquali pecunia duplo plus lucratus fuisset: scit enim hic Dominus varios esse negociationis casus, nec semper labori & industriæ lucrum respondere. Ideo contentus est mediocri lucro. Sic censura nouissimi iudicij reuelabit quantum quisq; in Ecclesia Dei negociatus fuerit & alios lucrifecerit. Singuli ergo operam dent, vt omnis ipsorum vita & doctrina, omnia dicta & facta Christum spirent, tunc licet alij eminentiores futuri sint, ipsi tamen etiam suam laudem & præmium cōsequentur. Illud vero cum primis obseruatione dignum est, quod hi duo serui non dicunt. Nos per vnam minam nostra industria tot & tot acquisiuimus. Sed *Domine tua mina acquisiuit decem*. Item: *Tua mina confecit quinque*. Sic lucrum non suo labori, non suæ negociationi vel industriæ sed totum diuinę gratię ascribendum, à quo omne id prouenit, quod bonum & Deo gratum est. Hoc D. Apostolus Paulus probe obseruauit. Nam cum 1. Cor. 15. v. 10. dixisset: Ego abundantius omnibus laboraui. Mox per correctionem addit: Non ego autem sed gratia Dei mecum.

3. Postquam boni in mundum singuli serui rationem reddidissent, aduenit tādem etiam ignauus & malæ fidei seruus, qui non tantum non negociatus est sua mina, sed insuper ignauiæ suæ culpam nequiter retorquet in mores & iniquitatem sui domini. *Ecce Domine* inquit *Mina tua quam habui repositam in sudario*, quo tibi sicuti erat maneret incolumis. Adeo non profudi, vt ne attigerim quidem, Hoc malui, quam venire in periculum, ne si negotiatio male cessisset, sicuti varij in ea sunt casus tecum mihi res esset. *Timui enim te, eo quod homo austerus*, & lucri admodum cupidus *sis*. *Tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti*. Magna hæc est ὕβρις & petulantia huius serui, qui se excusaturus trāsfert culpā in austeritaté sui Domini. Sed hi sunt mores hypocritarum qui ne ipsi Deo quidem parcunt, sed ipsum iniustitiæ arguunt, vt qui legem dederit, & eam seruantibus multa promiserit, sed eadem parum seruet. Notæ sunt voces Iudæorum Esaiæ 58. v. 3. Quare ieiunauimus & non aspexisti? humiliauimus animas nostras & nesciuisti. In ministerio autem hunc ignauum seruum illi potissimum imitantur, qui neglecto Christi mandato, qui ipsos sua mina negotiari iussit, neglectis item exemplis collegarum, quos satis industrios esse vident, aliam rationem excogitant, qua heri sui lucro consulant, vel vocationem Domini penitus, deserunt, & aliud vitæ genus suscipiunt, quod & minus periculosum & magis fructuosum futurum sperant. Vident prædicationem verbi diuini à filiis huius seculi floccipendi, in audiendis confessionibus, & arguendis peccatis hominum sæpe eos offendi: intelligunt denique totam curam pastoralem esse rem laboris & periculi plenam, quia Deus ex manibus pastorum pereuntium sanguinem repetere velit Ezech. 3. v. 18. Hic incipiunt ignaui isti serui querulari de rigore iustitiæ diuinæ, dicentes, se adeo pusillanimes esse, vt tam strictæ rationi, quæ exigetur satisfacere non possint. Hinc aliqui ecclesiasticam negotiationem commutant in politicam: sed quo cum fructu plerique adhuc ante exitum vitę experiuntur. Neque enim potest Christus impunitum relinquere neglectum suorum donorum, si maxime nihil alias mali accedat. Sed hosce ignauos & nauci seruos, Christus in nouissimo die non minus ex propriis verbis condemnabit, quam hic Dominus suum ignauum seruum. Etenim hæc ipsa consideratio rigidæ iustitiæ diuinæ & cupiditatis lucri, quam in ipso esse sciunt, tanto magis ipsos ad negociationem & officium etiam cum periculo faciendum impulisse debuisset, vt ipse Dominus rediens cum fœnore & lucro sua dona recipere potuisset. Nam in hac parabola, rex audiens serui excusationem cum calumnia sui coniunctam, offensus non tantum rex ignauia, sed etiam proteruia, qua in Domini austeritatem culpam negligentiæ cōferret *ex ore suo ipsum indicauit*, dicens: *serue his nequam* ignaue scilicet & heri tui insimulator, *ex verbis tuis te iudicabo*, *Si noueras, quod homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui*, tum hoc te non ad ignauiam impellere sed ad maiorem industriam permouere debuisset. Si enim aliena, vt tu dicis, pro lucri auiditate tam cupide appeto, poteras cogitare, me multo magis mea cum lucro requisiturū. Aut: quia omnino in negociationibus varij & inopinati sunt casus, vt quis cum summa pecuniæ suæ interdum in periculum damni incidat, *quare non dedisti pecuniam meam ad mensam*? vbi vel ex mutatione nummorum, *vel ex contractu* mutui quoque lucrum faciunt, & tu cum ipsis *eiusdem* lucri particeps fieri potuisses. Sic non opus fuisset cum periculo vitæ & pecuniæ maria & terras peragrare, & mihi lucrum quærere: domi tuæ & extra periculum certum lucrum parasses. *Et ego veniens*, vel à te, vel à mensariis, si hi pecuniam tibi reddere nollēt, *vtique cum vsuris exegissem pecuniam meam*. Ad hanc seueram Domini sui sententiam ignauus seruus obmutuit. Dominus igitur *astantibus dicit*, *Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet*. Non repetit minam suam ad se, sed illi dari iussit, qui omnium fuit vtilissimus: vt sic facto demonstret, se non tam pecuniam, quam lucrum suę pecunię spectare. Mirantibus autem seruis, cur hæc mina adiicienda sit illi, qui iam ante decem minas habebat, & dicentibus, *Domine, habet decem minas*, cur non potius traderur vni ex iis, qui minus habet? Dominus subiicit commune illud & tritum dictum: *Dico vobis, quod omni habenti dabitur*. *Ab eo autem qui non habet, etiam quod habet & auferetur*. q. d. Ille, qui cum eo, quod à me habuit, lucrum fecit, vere habuit quod *ipsi commisi*, *ac* proinde dignus est, cui amplius quid committatur, & qui ditior fiat. Alter autem, qui quod à me habuit, sic habuit, ac si non haberet, dignus est qui priuetur etiam illo, quod à me habuit. Hæc Pontificij Episcopi probe considerare debebāt, quorum plerique prædicationis Euangelicæ pertæsi Ecclesiasticam negotiationem in politicam iurisdictionem permutarunt. His suadendum erat, vt quandoquidem ipsi per prædicationem Verbi & Sacramentorum administrationē Christo negotiari nolunt, vel saltem minam suam dent mensariis & nummulariis, hoc est, munus suum Ecclesiasticum commendent hominibus fidelibus, qui idonei sunt alios docere. Sed ipsi sunt vere ignaui canes in præsepio, qui nec ipsi vel possunt vel volunt docere, quod tamen Episcoporum in ecclesia proprium munus esse debebat, nec alios suo loco docere permittunt. Quod autem mina ab ignauo seruo ablata traditur ei, qui iam ante decem habebat, *hoc singulos fideles* seruos excitare debet, vt tanto maiori *fide* & *diligentia* suis donis Christo multos lucrifacere studeant: siquidem in futura retributione ipsorum gloria & gaudium augebitur ex donis eorum qui illis in hac vita non bene vsi fuerunt. Sic omni ex parte habentibus dabitur, auferetur autem ab illis qui nihil habent, etiam quod habent.

4. Hoc examine cum seruis habito, iubet Dominus secūdo loco *inimicos illos suos adducere*, *qui noluerunt ipsum regnare super se*, vtque rebellionis suæ meritas luerent pœnas, dicit: *Interficite eos*, *ἐμπροσθέν μου in conspectu meo*. Et quidem Christus Iudæos suos hostes, qui ipsum regem habere noluerunt, dudū per Romanos internecioni tradidit, vrbem ipsorum regiā deuastauit, & totam gentem in perpetuum exilium dispersit. Sed in nouissimo die *omnes suos inimicos*, diabolos, Iudæos, gētes, falsos Christianos æterna morte condemnabit, eosque mittet in stagnum ignis ardentis sulphure, Apoc. 19. versi. 20. Quia autem in hac parabola hic noster *Dominus introducitur* prius remunerari fideles seruos, quam punire ignauum vel vindicare hostes, nos monet ipsum promptiorem esse ad coronandos iustos, quam ad condemnandum impios. Sicut etiam in nouissimo die prius iustis dicturus est: Venite benedicti patris mei, quam impiis: Ite maledicti in ignem æternū.

Postremo Euangelista totam hanc narrationem hisce verbis concludit: *Et his dictis antegrediebatur Iesus ascendens Hierosolymam*. Hoc est, Postquam suis exemit errorem, quasi propterea ascenderet Hierosolymam, vt mundanum regnum ibi auspicaretur: postquam ipsis etiam indicasset odium Iudæorum contra se, vt ostenderet, se odium illud non metuere, & iam auspicari velle profectionem in regionem longinquam, in qua sibi accepturus esset regnum, recta perrexit Hierosolymam versus. *Præcedebat* autem suos: quia sciebat (vt ex Marco & Iohanne audiuimus) eos sibi ab *Hierosolymis* metuere. Sed hoc modo Christus nobis suam *constantiam commendat*, quæ vbique terrore nullius periculi & ipsius etiam mortis, officium sibi à patre demandatum exequi voluit. Cōstabat autem ipsi sigillatim de omnibus quæ Hierosolymis ipsi euentura erant, non tamen eo se absterreri passus est, sed tendit eo indefesso gradu, imo suum comitatum instar ducis præcedit. Sic suo exemplo docens, quid nos deceat, si quando diuina vocatio nos vrget. Qua in re eo paratiores esse debemus, quod Christus præeundo nobis viam complanauit, & in longinqua sua regione quoque locum parauit.

CAPVT

CAPVT CXXXIX.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM ILLVMINATIONIS DVORVM CÆcorum post egressum ex Hiericho. Matth. 20. versic. 29. & Marc. 10. versic. 46.

RATIO ORDINIS.

DE ordine hic nulla est difficultas. Cum enim Lucas testatus sit, Dominum absoluto sermone de decem seruis & decem minis recta Hierosolymam versus iter instituisse. Matthæus autem & Marcus vterque referunt, egrediente Domino ex Hiericho cęcos hosce sanatos esse, nullum dubium est hoc ordine historias has se inuicem sequi. Illud vero maius dubium mouet, cum Matthæus de duobus cœcis, Marcus autem tantum de vno referat, quomodo hoc conciliari possit. Conciliandi modi sunt duo. 1. Quemadmodum Matthæus cap. 8. vers. 28. habet duos dæmoniacos, quos Christus in regione Geresenorum sanarit. Marcus autem cap. 5. versic. 2. & Luc. 8. versic. 27. tantum de vno referunt, illud autem sic conciliatur quod vnus eorum notior fuit altero. Sic aliqui putant Marcum tantum illum cœcum commemorare voluisse cuius nomen, persona, & calamitas notior fuit, & cuius illuminatione clarior fama de hoc miraculo sparsa est. Ideo etiam nomen exprimit tam ipsius, quā parentis, eumque *Bartimæum, filium Timæi*, appellatum scribit. 2. Euthymius & alij censent duos illos cœcos quos Matthæus illuminatos scribit prorsus diuersos ab illo Bartimæo, de quo Marcus agit. Nam & diuerso sanandi modo Christus vtitur. In Matthæo cæcorum oculos tetigit; in Marco tantum verbo sanauit. Et hæc conciliandi ratio fortassis omnium esse conuenientissima. Nam non est dubium singulari Dei dispositione factum, vt quo propius Christus ad mortem suam tenderet, eo crebriores hominibus benefaciendi ipsi occasiones obiicerentur. Vt sic vbiuis beneficentiam suam etiam inter peregrinandum exerceret, nobisque exemplum præberet quo & ipsi erga omnes & vbiuis proficui esse studeamus.

Cœci sanati post egressum ex Hiericho. Matth. 20. v. 29.

29. Καὶ ἐκπορευομένων αὐτῶν ἀπὸ ἱεριχὼ, ἠκολούθησεν αὐτῷ ὄχλος πολύς.	29. *Et egredientibus illis ab Hiericho, sequuta est eum turba multa.*
30. Καὶ ἰδοὺ δύο τυφλοὶ καθήμενοι παρὰ τὴν ὁδὸν, ἀκούσαντες ὅτι Ἰησοῦς παράγει, ἔκραξαν λέγοντες, ἐλέησον ἡμᾶς κύριε, υἱὸς δαβίδ.	30. *Et ecce duo cœci sedentes iuxta viam, cum audissent, quod Iesus transiret, clamauerunt dicentes: domine miserere nostri, fili Dauid.*
31. Ὁ δὲ ὄχλος ἐπετίμησεν αὐτοῖς, ἵνα σιωπήσωσιν. οἱ δὲ μεῖζον ἔκραζον, λέγοντες, ἐλέησον ἡμᾶς κύριε, υἱὸς δαβίδ.	31. *Turba autem increpabat eos, vt tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: miserere nostri domine fili Dauid.*
32. Καὶ στὰς ὁ Ἰησοῦς, ἐφώνησεν αὐτοὺς, καὶ εἶπε, τί θέλετε ποιήσω ὑμῖν;	32. *Et stetit Iesus & vocauit eos, & ait, Quid vultis, vt faciam vobis?*
33. Λέγουσιν αὐτῷ, κύριε, ἵνα ἀνοιχθῶσιν ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοί.	33. *Dicunt illi, Domine, vt aperiantur oculi nostri.*
34. Σπλαγχνισθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς ἥψατο τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, καὶ εὐθέως ἀνέβλεψαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ.	34. *Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum, & confestim visum receperunt oculi illorum, & secuti sunt eum.*

Marci 10. v. 46.

46. Καὶ ἔρχονται εἰς ἱεριχὼ, καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ ἀπὸ ἱεριχὼ καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ ὄχλου ἱκανοῦ, υἱὸς τιμαίου βαρτίμαιος, ὁ τυφλὸς, ἐκάθητο παρὰ τὴν ὁδὸν προσαιτῶν.	46. *Et veniunt Hiericho, cumque egrederetur ab vrbe Hiericho, ac discipuli illius & turba copiosa, filius Timæi Bartimæus, cæcus sedebat iuxta viam mendicans.*
47. Καὶ ἀκούσας, ὅτι Ἰησοῦς ὁ ναζωραῖός ἐστιν, ἤρξατο κράζειν καὶ λέγειν, ὁ υἱὸς δαβὶδ Ἰησοῦ ἐλέησόν με.	47. *Et cum audisset, quod Iesus Nazarenus esset, cœpit clamare & dicere: Fili Dauid Iesu miserere mei.*
48. Καὶ ἐπετίμων αὐτῷ πολλοὶ, ἵνα σιωπήσῃ. ὁ δὲ πολλῷ μᾶλλον ἔκραζεν, υἱὲ δαβὶδ ἐλέησόν με.	48. *Et increpabant eum multi, vt taceret. At ille multo magis clamabat, Fili Dauid miserere mei.*
49. Καὶ στὰς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτὸν φωνηθῆναι, καὶ φωνοῦσι τὸν τυφλὸν, λέγοντες αὐτῷ, θάρσει, ἔγειραι, φωνεῖ σε.	49. *Et stetit Iesus, ac iussit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes illi, Bono animo esto, surge, vocat te.*
50. Ὁ δὲ ἀποβαλὼν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, ἀναστὰς ἦλθε πρὸς τὸν ἰησοῦν.	50. *Ille vero abiecto pallio suo, surrexit, & venit ad Iesum.*
51. Καὶ ἀποκριθεὶς λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, τί θέλεις, ποιήσω σοι; ὁ δὲ τυφλὸς εἶπεν αὐτῷ, ῥαββονὶ, ἵνα ἀναβλέψω.	51. *Et respondens dicit illi Iesus, Quid vis, faciam tibi? Cæcus autem dixit ei, Rabboni, vt visum recipiam.*
52. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, ὕπαγε ἡ πίστις σου σέσωκέ σε, καὶ εὐθέως ἀνέβλεψε, καὶ ἠκολούθει τῷ Ἰησοῦ ἐν τῇ ὁδῷ.	52. *Iesus autem dixit illi, Abi, fides tua saluum te reddidit. Et protinus recepit visum, & sequebatur Iesum in via.*

Periocha harum historiarum.

QVæcunque de his miraculis sanatorum cœcorum dici possunt, etiam dicta sunt cap. Harmon. CXXXVI. ita vt minime opus esse videatur pluribus his immorari, quia tamen in superioribus semel atque iterum monuimus in singulis Christi miraculis, singulare quid inueniri, in quo ab aliis discrepent. Ideo etiam hic attendendum, (si qua

singularia inueniantur, vt ea separatim considerentur. Breuiter ergo historias percurremus, & quæ singularia sunt, indicabimus.

In Matthæo. 1. Hoc diuersum est à reliquis, quod cum cœci ad Iesum vocarentur, & hic ipsos interrogasset quid vellent, vbi sibi faceret, ipsi responderunt: *Vt aperiantur oculi nostri.* Oculi enim cæcorum sunt clausi, atque operculo ita denso obducti, vt si maxime moueantur, nullam tamen lucem admittant: Non aliter quam si valuæ fenestris obducantur, ibi per clausas fenestras nemo quicquam videre potest. *Aperiri* ergo *oculi* dicuntur, quando visus restituitur, & remoto externo obstaculo, quasi fenestris apertis lumen admittitur, vt iam quæuis obiecta videre queant. Sic (quanquam in alio sensu) Gen. 3. v. 7. Adamo & Heuæ aperti sunt oculi, vt viderent in seipsis, ea, quæ iam ante quidem ipsis aderant, sed oculi ipsorum ad ea clausi erant. Dicit etiam Matthæus, *Iesum eorum misertum tetigisse oculos eorum.* Reliquorum oculos verbo sanauit, horum contactu: rursus apud alios vtrumque, verbum & contactum coniunxit. Est enim liberrimum agens & non ad vnum vel alterum medium alligatus. Nos certe hodie & verbo per prædicationem Euangelij, & contactu per vsum Sacramentorum illuminat, sanat, saluat.

In Marco plura peculiaria esse videntur. 1. Cum Iesus cœcum ad se vocari iuberet, vocantes ipsi dixerunt: *Bono animo esto surge, vocat te.* Ex quo apparet, ipsum animo turbatum fuisse forsitan quia heri & hodie iam aliquot cœci sanati fuerant, monuit, ne in ipso potentia Domini deficeret. Sed bene habet. Nã manus Dei non est abbreuiata, nec paruula facta, vt non possit redimere, aut vt non esset in ipso virtus ad liberandum. Ies. 50. v. 2. 2. *Cœcus vocatus, abiecto pallio suo, surrexit & venit ad Iesum.* Ex hoc ingens ipsius desiderium & fiduciæ magnitudinem colligere possumus: non simpliciter surrexit, sed præ gaudio exiliit, & vt eo expeditior ad Iesum veniret, etiam pallium abiecit, docet nos, si quando à Christo per verbum vocamur, vt absque omni mora & cunctatione ad ipsum properemus. Non est pœnitentia nostra de die in diem differenda, sed hodie quãdo vocem eius audierimus, non obduremus corda nostra. Psalm. 95. versiculo 8. Simul autem sordidum mendicitatis & peccatorum pallium est abiiciendum, hoc est vetus illa conuersatio, qua peccatores à mundo stipem emendicauimus, deponenda: aut vt Paulus docet Tit. 2. vers. 12. Abnegantes impietatem & secularia desideria sobrie & iuste & pie viuamus in hoc seculo. Valde sordide vestitus est, qui Christum accedit ebrius, auaritia, ira, luxu, vel libidine coopertus. Hæc abiicienda sunt, ne sordido suo quis pallio sanctissimos illos oculos, sole puriores offendat. 3. Christus Marci cœcum sanaturus, dicit ei *Vade, abi, fides tua te saluum fecit.* Abire iubet, non quasi ipsum circa se tolerare nolit: sed quemadmodum alias eos, qui beneficium ab eo acceperunt, placide dimisit, ne ob acceptum beneficium ipsi ad seruitia obstricti etiam putarentur. Sic hæmorrhoussæ dixit Marci 5. vers. 34. Vade in pace, & esto sana à plaga tua: & Chananææ Marci 7. vers. 29. propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua. Sic etiam huic cœco in eodem sensu dixit: *Vade, fides tua te saluum reddidit.* 4. Cœcus nihilominus accepto visu, *Iesum sequebatur in via* Hierosolymam abeuntem ad sustinendam crucem. Et Christus facile passus est, cum hunc, tum reliquos cœcos se eo sequi, vt ibi multos haberet testes gloriæ Dei & suæ beneficẽtię, si forte aliqui Iudæorũ de sua improbitate conuinci possint. Si vero Christus prohibuisset hosce cœcos se sequi, videri poterat quasi ob pauperiem & mendicitatẽ eos reiecisset: cum tamen pauper & inops potissimum laudent nomen Dei, Psal. 74. v. 21.

Lubet hic paucis adiicere, quomodo hi cœci sint imago spiritualis nostræ cœcitatis, qua nos natura in spiritu nostro, ratione & intellectu, iusto Dei iudicio ob Adami lapsum puniti sumus. Sicuti in quamplurimis scripturæ locis tenebris circumdati dicimur, sed quia multi sunt, qui hanc cœcitatem non agnoscunt, sed probe videre putant: ideo talibus hæc cæcitas probanda & demonstranda est. Quod commode hac ratione fieri potest. 1. Si quis ambulet per viam, & sit vel ante pedes eius fouea profundissima, vel ad latus thesaurus amplissimus, & ipse neutrum videat, thesaurum negligat, in foueam autem cadat, quis dicet hunc videre? Nos certe extra Dei verbum in hoc mundo sic ambulamus, vt nec infernalem lacum, in quem quamplurimi procidunt, nec cœlestem thesaurum, quem plerique secure negligunt, videre velimus. An non igitur sumus cœci? 2. Quis dicet videre eum, qui inter lucem & tenebras non discernit: qui prunas pro auro accipit? Sic animalis homo in spiritualibus nihil potest intelligere? 1. Cor. 2. versic. 14. prunas ille perituri huius mundi, imo etiam inferni, eligit, & cœleste aurum vitæ æternæ negligit: tenebras humanarum traditionum & fabularum præfert luci verbi, mortem præponit vitæ, quin & infernum cœlo. Quomodo igitur cœcitatem nostram negabimus? 3. Cœcus nescit quo vadat, nescit ad quod latus se vertere debeat, palpat ad parietem. Sic nos in rebus adoriendis sumus incerti, & extra Dei verbum nescimus, in quo recte, in quo male agamus. Quid fecerunt olim gentiles de Deo vero? iam hunc, iam illum cœci elegerunt. Quid Pontificij de via ad salutem? iam ad Missam, mox ad peregrinationes, rursus ad Pontificum bullas, inde ad varios ordines monasteriorum: denique ad purgatorium confugiunt. Quæ hæc est cœcitas? 4. Cœci sæpius impingunt & facillime labuntur. Ita cogita, quid vulgatius sit, quam quod etiam illi, quorũ oculi sunt clausi, cœcutiant, impingant, quando iuxta animi suæ arbitrium & Satanæ instinctum viuunt potius, quam iuxta voluntatem Dei. Et quando hi satis diu cespitarunt, tunc vel tandem prolabuntur in desperationem, inde in ignem inextinguibilem: sicut in regno Antichristi factum est.

Quid igitur faciendum, vt ab hac spirituali cœcitate liberemur. Inspiciamus hosce cœcos, qui miseriam suam agnoscentes sederunt ad viam per quam Iesus ambulauit, cumque hunc præterire audiunt, ipsum inclamant, atque ab eo sanationem petunt & impetrant. Oculatiores itaque fuere hi cœci quam Pharisæi: hi Christi miracula Beelzebubo adscribere per blasphemiam, cœci autem agnoscunt potentiam diuinã, quæ restituere possit id, quod toti mundo est impossibile. Itaque 1. agnoscamus spiritualem nostram cœcitatem: agnoscamus quantopere mentis oculi in rebus cœlestibus sint obtenebrati: agnoscamus, quomodo Satanas quotidie impiis superstitionibus, prauis cupiditatibus seu crassis & noxiis humoribus aciem oculorum animæ obfuscet. Et hic est primus gradus ad sanitatem, agnitio morbi. Multi enim non agnoscunt, sicuti Apocal. 3. v. 17. Ecclesiæ Laodiceæ angelo scribitur: Dicis quod diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, pauper, cœcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me vestimenta, vt non appareat confusio nuditatis tuæ: & collyrio inunge oculos tuos vt videas: Ex hoc censu fuerunt etiam illi Pharisæi, qui Ioh. 9. v. 40. Christo responsant: Numquid & nos cœci sumus? Quærendus est Medicus, sed non apud Pharisæos, qui sunt cœci & duces cœcorum, de quibus Christus Ioh. 9. ver. 39. dixit: In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident, videant, & qui vident, cœci fiant. Sed quærendus est hic Medicus apud populum à Iordane versus Hierosolymam progredientem. Est hic cœtus magnus: Patriarchæ, Moses, Prophetæ, Euangelistæ, Apostoli, Confessores & Martyres, qui omnes vno ore testantur, Iesum Christum Dei & Mariæ filium esse lucem mundi, qui illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum. Iohan. 1. v. 9. Qui propterea à cœlesti Patre in hunc mundũ missus est, vt aperiat oculos cœcorum, Esa. 35. 5. & educat eos ex carcere tenebrarum, in quo clausi sedebamus. Esa. 61. 1. Idem Medicus omnes ad se vocat: & neminem venientem repellit. 3. Edenda etiam est ingenua confessio de hoc Medico. Certe Pharisæi horum cœcorum clamore non mediocriter offensi sunt. Ipsi enim Beelzebubo miracula Christi adscripserunt: Cœcitatem Iesu tãquam *filio Dauidis*. Sic Pharisæi nostri seculi, non possunt ferre homines ad solum Christum remitti, semper ei ad latus collocant Mariam matrem, & cæteros sanctos. Sed tu, mi Christiane, non *patiaris te absterreri istorum increpationibus*: sede ad viam, per quam Iesus ambulat, audi sonum prætereuntium, & Christum serio inuoca: tunc dabitis apertionem oculorum, vt conuertatis à tenebris ad lucem, & de potestate Satanæ ad Deum, vt accipias remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos, per fidem, quæ est in Christo. Act. 26. 18. 4. Denique sicuti hic postremus pallium abiecit, vt eo expeditior ad Christum veniret, & postquam visum accepit, Christum secutus est, celebrans Deum: sic & nos abiiciamus veteres & sordidas consuetudines, & Christo per veram pœnitentiam appropinquemus, in mandatis eius ambulemus, sequẽtes ipsum per passionem & crucem, cœlestem Hierosolymam versus, prædicantes ipsius bonitatem, qua nos tum corpore, tum anima affecit. Caueamus, ne ab illa via vnquam secedamus: alias non inueniemus requiem, posteriora deteriora prioribus, & tales vel tandem in æternum pereunt. O *vnica lux mundi, Christe Iesu,* illumina tu oculos cogitationum nostrarum luce verbi tui: & libera Ecclesiam tuam penitus ex tenebris regni Antichristiani, sicut cœpisti; & deduc nos in cœlestem Hierosolymam, vbi est sors sanctorum in lumine, ibi te celebrabimus in æternum.

Amen.

CAPVT

CAPVT CXL.

HARMONIÆ EVANGELICÆ, CONTINENS HISTORIAM LAZARI RESVSCITATI. Iohan. 11. vers. 17.

RATIO ORDINIS.

POstquam Dominus Iesus in hac sua profectione Hierosolymam versus, prope ad vrbem, ad dimidium milliare Germanicum peruenisset, Bethaniæ, qua alias recta via ab Hiericho Hierosolymam transeundum erat, subsistit, veterem suum amicum Lazarum in sepulchro visitaturus, & ex eo suscitaturus. *Venit ergo illuc, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.* Hi *quatuor dies* diuersimode numerantur. Aliqui putant, primum diem mortis fuisse, cum nuncius trans Iordanem ad Iesum venisset, & infirmitatem Lazari retulisset. Et si maxime Lazarus eo die mortuus fuisset, tamen non eodem die sepeliri potuisset. Quare ab eo die vix hosce quatuor dies numerare poterimus. Alij putant, Lazarum non eo die mortuum fuisse, cum nuncius adhuc præsens erat; sed demum post biduum, quo Christus ipse Apostolis indicauit, *Lazarus mortuus est.* Et proinde existimant, hosce quatuor dies ab eo demum numerandos esse. Sed vt vt sit, numerentur hi dies à quocunque termino, quis velit, hoc tamen certum & infallibile manet, quod Lazarus *quatriduanus fuerit in monumento*, cum Iesus veniret Bethaniam. Nam ipsa Martha idem infra diserte pronunciabit. Addit autem Euangelista, quam procul Bethania ab Hierosolymis abfuerit, *quindecim fere stadiis*, hoc est, dimidio milliari nostrati. Sic ergo fama de morte Lazari ob vicinitatem loci facile Hierosolymam penetrare potuit, qua *multi ex Iudæis* excitati fuerunt, *vt venirent ad Martham & Mariam, easque consolarentur de fratre suo.* Ex quo apparet, in quanta existimatione hæ duæ sorores cum fratre apud plerosque fuerint, nimirum, ob nobilitatem, pietatem & virtutes charæ fuerunt apud omnes. Hoc autem omne ex singulari Dei dispensatione factum est, vt sic Hierosolymitanis Iudæis Lazari mors & sepultura notior esset, neque resuscitatio postea negari posset: sed miraculum tanto plures testes haberet.

Resuscitatio Lazari. Iohan. 11. 17.

17. Ἐλθὼν οὖν ὁ Ἰησοῦς, εὗρεν αὐτὸν τέσσαρας ἡμέρας ἤδη ἔχοντα ἐν τῷ μνημείῳ.	17. *Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.*
18. Ἦν δὲ ἡ Βηθανία ἐγγὺς τῶν Ἱεροσολύμων, ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε.	18. *Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam fere stadiis quindecim.*
19. Καὶ πολλοὶ ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐληλύθεισαν πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν, ἵνα παραμυθήσωνται αὐτὰς περὶ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτῶν.	19. *Multique ex Iudæis venerant ad Martham ac Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo.*
20. Ἡ οὖν Μάρθα ὡς ἤκουσεν, ὅτι Ἰησοῦς ἔρχεται, ὑπήντησεν αὐτῷ· Μαρία δὲ ἐν τῷ οἴκῳ ἐκαθέζετο.	20. *Martha ergo vt audiuit, quod Iesus venisset, occurrit illi. Maria vero domi desidebat.*
21. Εἶπεν οὖν ἡ Μάρθα πρὸς τὸν Ἰησοῦν, κύριε, εἰ ἦς ὧδε, ὁ ἀδελφός μου οὐκ ἂν ἐτεθνήκει.	21. *Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.*
22. Ἀλλὰ καὶ νῦν οἶδα ὅτι ὅσα ἂν αἰτήσῃ τὸν θεόν, δώσει σοι ὁ θεός.	22. *Sed & nunc noui, quod quæcunque poposceris à Deo, daturus sit tibi Deus.*
23. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου.	23. *Dicit illi Iesus, Resurget frater tuus.*
24. Λέγει αὐτῷ Μάρθα, οἶδα ὅτι ἀναστήσεται, ἐν τῇ ἀναστάσει ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.	24. *Dicit ei Martha, Noui quod resurget in resurrectione, in nouissimo die.*
25. Εἶπεν αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται.	25. *Dicit ei Iesus, Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet.*
26. Καὶ πᾶς ὁ ζῶν καὶ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ μὴ ἀποθάνῃ εἰς τὸν αἰῶνα. πιστεύεις τοῦτο;	26. *Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?*
27. Λέγει αὐτῷ, ναὶ κύριε. ἐγὼ πεπίστευκα, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος.	27. *Ait illi, etiam Domine. Ego credo, quod tu sis Christus ille filius Dei, qui in mundum venturus erat.*
28. Καὶ ταῦτα εἰποῦσα, ἀπῆλθε, καὶ ἐφώνησε Μαρίαν τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς λάθρα, εἰποῦσα, ὁ διδάσκαλος πάρεστι, καὶ φωνεῖ σε.	28. *Et cum hæc dixisset, abijt, & vocauit Mariam sororem suam clanculum, dicens, Magister adest, & vocat te.*
29. Ἐκείνη ὡς ἤκουσεν, ἐγείρεται ταχὺ, καὶ ἔρχεται πρὸς αὐτόν.	29. *Illa vt audiuit surgit cito, & venit ad eum.*
30. Οὔπω δὲ ἐληλύθει ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν κώμην, ἀλλ' ἦν ἐν τῷ τόπῳ, ὅπου ὑπήντησεν αὐτῷ ἡ Μάρθα.	30. *Nondum autem venerat Iesus in castellum, sed erat in eo loco, vbi occurrerat ei Martha.*
91. Οἱ ὄντες μετ' αὐτῆς ἐν τῇ οἰκίᾳ, καὶ παραμυθούμενοι αὐτήν, ἰδόντες τὴν Μαρίαν, ὅτι ταχέως ἀνέστη καὶ ἐξῆλθεν, ἠκολούθησαν αὐτῇ, λέγοντες, ὅτι ὑπάγει εἰς τὸ μνημεῖον, ἵνα κλαύσῃ ἐκεῖ.	91. *Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quod cito surrexisset, & exisset, sequuti sunt eam dicentes, Vadit ad monumentum, vt ploret ibi.*
32. Ἡ οὖν Μαρία ὡς ἦλθεν, ὅπου ἦν ὁ Ἰησοῦς, ἰδοῦσα αὐτὸν, ἔπεσεν εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ, λέγουσα αὐτῷ, κύριε, εἰ ἦς ὧδε, οὐκ ἂν ἀπέθανέ μου ὁ ἀδελφός.	32. *Maria ergo cum venisset eo, vbi erat Iesus, videns eum, accidit ad pedes eius, & dicit ei, Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.*
33. Ἰησοῦς οὖν ὡς εἶδεν αὐτὴν κλαίουσαν, καὶ τοὺς συνελθόντας αὐτῇ Ἰουδαίους κλαίοντας, ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, καὶ ἐτάραξεν ἑαυτόν.	33. *Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum.*
34. Καὶ εἶπε, ποῦ τεθείκατε αὐτόν; λέγουσιν αὐτῷ, κύριε, ἔρχου καὶ ἴδε.	34. *Et dixit, Vbi posuistis eum? Dicunt ei, domine veni, & vide.*

35. Ἐδάκρυσεν ὁ Ἰησοῦς.

36. Ἔλεγον οὖν οἱ ἰουδαῖοι, ἴδε, πῶς ἐφίλει αὐτόν.

37. Τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν εἶπον, οὐκ ἠδύνατο οὗτος ὁ ἀνοίξας τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ, ποιῆσαι, ἵνα καὶ οὗτος μὴ ἀποθάνῃ;

38. Ἰησοῦς οὖν πάλιν ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ, ἔρχεται εἰς τὸ μνημεῖον. ἦν δὲ σπήλαιον, καὶ λίθος ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῷ.

39. Λέγει ὁ Ἰησοῦς, ἄρατε τὸν λίθον. λέγει αὐτῷ ἡ ἀδελφὴ τοῦ τεθνηκότος, μάρθα, κύριε, ἤδη ὄζει, τεταρταῖος γάρ ἐστι.

40. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, οὐκ εἶπόν σοι, ὅτι ἐὰν πιστεύσῃς, ὄψει τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ;

41. Ἦραν οὖν τὸν λίθον, οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἦρε τοὺς ὀφθαλμοὺς ἄνω, καὶ εἶπε, πάτερ, εὐχαριστῶ σοι, ὅτι ἤκουσάς μου.

42. Ἐγὼ δὲ ᾔδειν, ὅτι πάντοτέ μου ἀκούεις, ἀλλὰ διὰ τὸν ὄχλον τὸν περιεστῶτα εἶπον, ἵνα πιστεύσωσιν. ὅτι σύ με ἀπέστειλας.

43. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, φωνῇ μεγάλῃ ἐκραύγασε, λάζαρε δεῦρο ἔξω.

44. Καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο. λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, λύσατε αὐτὸν, καὶ ἄφετε ὑπάγειν.

45. Πολλοὶ οὖν ἐκ τῶν ἰουδαίων οἱ ἐλθόντες πρὸς τὴν μαρίαν, καὶ θεασάμενοι ἃ ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν.

46. Τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν ἀπῆλθον πρὸς τοὺς φαρισαίους, καὶ εἶπον αὐτοῖς, ἃ ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς.

35. *Lacrymatus est Iesus.*

36. *Dixerunt ergo Iudæi, Vide, quomodo amabat eum.*

37. *Quidam autem ex ipsis dixerunt, Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci, facere vt & hic non moreretur?*

38. *Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis impositus erat ei.*

39. *Ait Iesus, Tollite lapidem. Dicit ei soror mortui Martha: Domine iam olet, quatriduanus enim est.*

40. *Dicit ei Iesus, Nonne dixi tibi, quod si credideris, visura esses gloriam Dei?*

41. *Sustulerunt ergo lapidem à loco, vbi is qui mortuus fuerat, erat positus. Iesus autem tulit sursum oculos, & dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.*

42. *Ego autem sciebam, quod semper me audis, sed propter turbam, quæ circumstat, dixi, vt credant, quod tu me miseris.*

43. *Atque hæc cum dixisset, voce magna clamauit. Lazare veni foras.*

44. *Et exijt qui fuerat mortuus manus & pedes habens reuinctos fasciis sepulchralibus, & facies illius sudario erat obuincta. Dicit ei Iesus, soluite eum, & sinite abire.*

45. *Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam, & viderant, quæ fecisset Iesus, crediderunt in eum.*

46. *Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecisset Iesus.*

Periocha huius historiæ.

I. HIc primo nobis consideranda venit *Martha*, eiusque cum Domino colloquium. Hæc vt semper alias sedula & sollicita ambulauit: sic etiam hic prior aduentum Domini cognouit, eique mox occurrit, desiderio videndi Iesum, & cum eo colloquendi, non admonita hac de re sorore. Vnde etiam de Maria Euangelista scribit *domi desidebat*. In Martha autem videbimus luctam inter fidem & incredulitatem. Nam quamprimum in conspectum Domini venit, mox mœsta & flebili voce incipit querulari: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Sunt hæc verba vacillantis fidei. quibus Martha significat, se & sororem nuncium ad Dominum misisse, cum frater adhuc ægrotaret, certa spe ductæ, quod si ipse præsens fuisset, facile pro sua bonitate & potentia morbum depulsurus fuisset. Magnam ergo partem culpæ, quod frater mortuus fuisset, transfert in absentiam Christi: quasi vero non etiam absens eum seruare potuisset. Sic vero prodit carnis suæ imbecillitatem, quod sperarit Dominum, audito morbo Lazari amici, è vestigio aduenturum, & præsenti suo auxilio ipsum liberaturum atque impediturum, ne moriatur. Nunc, quia emanserit, & frater interea mortuus sit, vult, vt ipsemet perpendat, an fideliter amici officio defunctus sit. Et licet hæc verba addat: *Sed & nunc noui, quod quæcunque poposceris à Deo, daturus sit tibi Deus.* Quæ verba fiduciam præ se ferre videntur, quasi aliquo modo speraret, Dominum adhuc rebus afflictis opem afferre posse, tamen infirmitas carnis simul concurrit. Quasi Domino precatione opus sit ad edẽda miracula, quemadmodum aliis sanctis hominibus. Non ergo credidit, quod ipse tanquam verus Deus propria virtute, cum reliqua miracula edere, tum mortuos excitare possit. Sic ergo partim sperat adhuc aliquid de fratris resuscitatione, partim desperat: quia facilius fuisset ægrum in vita cõseruare, si Iesus tanquam amicus præsto fuisset, quam mortuũ suscitare. Eodem modo, quo Martha: sic & nos vt plurimum sumus affecti. Quamdiu nos pace & læta fortuna donat, parcit nobis quoad morbos, dat bonos amicos, fautores & patronos, & largitur nobis desideria cordis nostri: tum eum amamus, laudamus, benignum patrem, & amicum nominamus. Aut etiam, si maxime crucem immittat, sed tamen ab eadem mature nos rursus liberet, tum etiam illud patiẽter ferre possumus. Sed si Deus hoc intermittat, & crucem aliquanto diutius nos premere permittat, tum non tantum anxie cum Dauide ex Psal. 13.1. clamamus: vsque quo Domine obliuisceris me in finem: vsque quo auertis faciem tuam à me? Et ex Psal. 85.6. Num quid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem? sed etiam interdum impatientes reddimur, murmuramus aduersus Deum, quasi non nobiscum ageret secundum pactum suum, quo nos tanquam filios suscepit. Num ergo sic nos deserere debet? Hæ fuerant Marthæ cogitationes: Domine decuisset tuam personam, vt, quoniam alias omnibus obuiis tuam offers beneficentiam, vt nos sorores, quas amas, non neglexisses, sed absque mora nobis succurrisses, maxime cum per peculiarem nuncium id petierimus. Hanc infirmitatem in nobis etiam agnoscamus, quæ in nobis tanto magis crescit, quanto minus spei in humanis superesse videmus: sicut etiam de Rachele Ieremias testatur cap. 31.15. quod noluerit consolationem admittere super filios suos, eo quod non essent.

Dominus Iesus, qui linum fumigans non extinguit, nec calamum quassatum conterit, vacillantem quoque Marthæ fidem erigit, & mœstam cõsolatur, dicens: *Frater tuus resurget:* sed non addit, quando & quam cito. Nec etiam dicit: Ego eum resuscitabo: quia Dominus vbique verborum iactantiã vitauit, & modestiæ in sermone studuit. His tamen verbis eam sensim ad spem miraculi erigere voluit. Illa autem hisce verbis nondum fidens, sed inuolucri quid subesse arbitrata, respondit: *Noui quod resurget in resurrectione, in nouissimo die.* Quibus verbis ingenuam edit confessionem de summo illo, & humanæ rationi incomprehensibili fidei Christianæ articulo, de resurrectione mortuorum. Sicque se segregat non tantum à gentilibus, qui hunc articulum riserunt, vt videre est Act. 17.18. sed etiam à Saducæis Iudæorum, licet Pontifices eadem secta imbuti essent. Sed ipsa melius instituta, partim ex verbo Dei, partim ex concionibus Christi, credit vniuersalem mortuorum resurrectionem in nouissimo die. Sed quod frater Lazarus ante illum diem resurrecturus sit, difficulter credit. Christus, vt Marthæ fidem amplius proueheret & confirmaret, addit *Ego sum resurrectio & vita.* Hic ponit Iesus fundamentum realis consolationis, & Marthæ spem facit, fieri posse, vt frater iam mox resurget, si modo ipse velit. Ratio. Quia non tantum possum mortuos suscitare, sed ipse sum *resurrectio & vita.* Coniungit hæc duo vocabula, quia loquitur de pio Lazaro. Impij quidem in nouissimo die quoq; resurgent; sed non ad vitam, verum ad æternam mortem. Pios autem & iustos ipse filius Dei viuificabit in æternum. Ideo

etiam

etiam Iohan.14.6.dicit: Ego sum via,veritas,& vita. Petrus Act.3.15. eum vocat autorem & ducem vitæ. Ipse enim est Dominus saluos faciẽdi,& Dominus, cuius sunt exitus mortis.Psal.68.21.vult ergo Christus Martham hoc credere,quod ipsi,tanquam qui sit vita ipsa essentialiter, exigui sit laboris vitam demortuo restituere: cumque sit Dominus mortis, se facile huic imperare posse, vt si quod membrum Christi absorpsisset,illud illæsum reddat.Sicut Oseæ 13.14.ipse dixit,de manu mortis liberabo eos, & de morte redimam eos: ero mors tua,ô mors,morsus tuus ero inferne. Hoc fundamento pro fide Marthę posito,vt cogitet,quem secum habeat,nimirum eum,qui sit vita ipsa, ac proinde mortem absque difficultate pellere possit,subiungit vberioris confirmationis causa:*qui credit in me,etiam si mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit,& credit in me,non morietur.* Hic monstrat Christus Christianis suis solidam consolationem aduersus mortem. Eius vero particeps fit nemo,nisi *qui credit in Christum*. Hisce mors in æternum nocere nequit.Non quidem eo sensu,quo Iudęi Iohan.8.52. Consimilia verba Christi susceperunt, quasi de temporali morte loqueretur, quod ab ea immunes futuri sint,qui in Christum Iesum credant. Nam statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. Hebr.9 27. Hoc statutum Christus non tollit, qua de causa etiam mors via omnis carnis dicitur.Et Christus hic dicit: *etiamsi mortuus fuerit, viuet.* q.d.Equidem Christianus vel tandem mori cogitur,non minus quam alij homines:ita tamen morietur,vt nihilominus viuat. Etenim corpus mortalitatem & corruptionem deponere cogitur,si vitam ingredi velit:sed anima non moritur,& si ea habeat Christum per fidem in se habitanté, iam habet vitam æternam in se manentem,quæ per mortem corporis nequaquam ipsi eripi potest. Atque sic etiam naturalis mors Christiano credenti non mors est, sed somnus. Nam in nouissimo die etiam corpus resuscitabitur,cum anima rursus vnietur, & ad æternam vitam admittetur, quando increduli ad carcerem remittentur. Hæc est insignis consolatio, non soli Marthæ, sed omnibus Christianis data, quæ multis parasangis superat omnes auri & argenti, gemmarum & margaritarum thesauros in toto orbe terrarum. Nam quid prodesset homini,si vniuersum orbem lucraretur,animæ autem suæ detrimentum patiatur? Matth.16.16. Quid profuit Alexandro Magno totum terrarum orbem debellasse, absq; omni suo fructu,& iam in æternum damnatum esse? Ergo mundanam huiusmodi gloriam, de qua Salomon testatur, quod sit vanitas vanitatum,abiiciamus, & huiusmodi solidas consolationes accipiamus. Simul etiam Christus Martham hisce verbis informauit, quod ad impetrandam resurrectionem mortuorum, non indigeat vel externo adiutorio vel precibus,vt alij sancti: cum ipse sit resurrectio vitæ,& vitam ex se det,cuicunque velit.

Cæterum,quia hæc nemini prosunt, nisi his, qui credunt: ideo Christus, vt huius nos commonefaciat, Marthæ dicit: *Credis tu in hæc.* Nimirum,quod ego sim resurrectio:quod ego sim vita:quod qui in me credit,etiam si mortuus sit,viuat: quod qui viuit & credit in me,non moriatur in æternum? Et hic attendendum,qualem fidem Dominus requirat,non generalem & implicitam,qua quis statuat credẽtibus in Deum, multa ab ipso bona & priuilegia concedi, sed requirit Christus fidem in specie & indiuiduo,vt quisque pro se credat,sicut hic Marthæ dicit, *credis tu hæc*? Quando ergo de fide ex Dei verbo docemur, semper has cogitationes habere debebamus,ac si Christus nobis ad latus staret,& sigillatim vnumquemuis interrogaret,vtrum etiam credat,quæ ex verbo Dei audit,vtrum fiduciam suam in illis collocet? Hic quisque viderit,qualem responsionem Christo det.Martha certe sic interrogata ingenuam & egregiam fidei suæ confessionem edit: *Etiam Domine,Ego credo quod tu sis Christus ille filius Dei,qui in mundum venturus erat.* Breuis hæc est: sed plena & perfecta de Iesu Christo confessio, tam quoad eius personam, quam quoad officium. De persona dicit: *credo quod tu*,qui vulgo hominis filius diceris,& passim à multis contemneris. atq; persecutionem pateris, *sis Christus Dei filius*, atque sic in vna indiuisa persona Deus simul & homo. Et hoc primum est, quod fides nostra capere debet: nimirum quod Redemtor & Saluator noster Deus sit & homo, & quod is ipse sit vnica hęc persona Iesus Nazarenus,de quo Martha hic dicit: *credo, quod tu sis Christus*. Quoad officium,de eo sic loquitur: *tu es Christus, ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος, qui in mundum venturus erat,* hoc est, quem cœlestis Pater inde ab initio mundi promisit, quod eum in mundum mittere velit, vt eum à peccatis redimat:quem etiam vnxerit & ordinarit, vt sit noster Pontifex, Rex & magnus Propheta, quem Deum suscitaturum Moses promisit:in quem sperarunt,& omnem suam fiduciam posuerunt, atque vel tandem venire magno desiderio exoptarunt omnes Patriarchę, pij Reges, Prophetæ, & quotquot salutis suæ post Adami lapsum fuerunt appetentes, is ipse *Christus* seu Messias tam diu desideratus es tu.Hæc est fides mea, dicit Martha.Huiusmodi fidem omnes Christiani habere debẽt,si Christo probari velint.vt si is nos examinet,quid credis? Expedite respondeamus: Credo & noui, quod in Christo Iesu Domino meo habeam talem Seruatorem & Liberatorem, qui sit Deus & homo,ac proinde & velit & possit me seruare. In hunc enim finem à cœlesti suo Patre vnctus, & in hunc mundum missus est. Huic vnico fido viuens & moriens, & per ipsum æternæ fœlicitatis me participem futurum certo scio.Hæc est vera & saluifica fides. Ceterum,quomodo hæc phrasis *ὁ ἐρχόμενος, qui venturus est*,proprie Christo competat, de eo prolixe egimus in L V.cap.Harmoniæ, quo lectorem remittimus.

II. Expedito hoc primo colloquio inter Christum & Martham,nunc porro audiamus, qualem se altera soror *Maria* gesserit.Nam cum Martha ex colloquio cum Domino aliquid consolationis & spei concepisset, nõ potuit intermittere, quo minus etiam sorori communicaret. Hæc enim est natura & proprietas fidei,quod Christianus verus non potest esse contentus,si ipse per se & solus consolationem ex Euangelio percipiat,sed expetit complures eius participes fieri,Sic cum Ioh.1.40. Andreas Simonis Petri frater fidem in Iesum concepisset,mox quærit fratrem suum Petrum, atq; eundem etiam ad Iesum adducit. Sic hoc in loco Martha postquam in Christo consolationem de fratris resurrectione accepit, non potest quiescere, donec & soror eiusdem particeps fiat. Ideo *abijt,& vocauit Mariam sororem*, ei lætum hoc nuncium afferens,quod *Magister adsit,eamque vocet*. Nam credibile est, permissu & iussu Magistri eam abiisse. Alias satis inciuile fuisset,tantum hospitem tamdiu extra castellum relinquere, nec domum deducere. Qui autem *Iudæi erant cum ea*,& Marthæ non ignorabat multos eorum Christum odisse, iccirco λάθρᾳ latenter & *clanculum* sorori indicat,Magistrum adesse, ne qui ex illis, qui iniquiores erant Domino,Mariam impedirent, quo minus Magistrum adiret. Maria quamprimum percipit Iesum adesse,eamque vocasse,est vocationi ipsius obediens, *surgit cito,& venit ad eum*, auditura,quid Dominus ipsi dicturus sit.Hoc monere nos debet,vt si quando Deus etiam nos in verbo suo vocat, in omnibus rebus, in cruce, luctu & aduersitatibus promtissimi & paratissimi simus, vt ad eum veniamus,ipsiusque verbum audiamus. Potuisset Maria dixisse (sicut postea verba ipsius fere ita sonabunt) cur nunc modo venit, oportuisset ipsum maturius venisse, dum frater adhuc in viuis erat,ibi tum cum in vita conseruare potuisset, nunc nimis sero venit, & quantum verbales illæ consolationes me subleuabunt? Hoc non facit;sed cito surgit, ad Iesum venit, atque apud ipsum consolationem quærit. Vnde colligi potest, quanto dilectionis feruore hæ duæ sorores Dominum prosecutæ sint.Maria neglectis Iudæis omnibus,*qui eam in domo consolabantur*,quamprimum audit Magistrum adesse, celeriter & sine dilatione ad eum accurrit, sperans ab ipso solidam consolationem se accepturam,sicut & factum est.Sic & nos in omni luctu nostro & animi perturbationibus ad Christum confugiamus,verbum ipsius audiamus,tum experiemur corda nostra ipsius consolatione recreari. Habent quidam hanc consuetudinem,sed eam malam & peruersam,quod in luctu,quem vel ex morte proxime cognatorum, vel aliunde conceperunt,satis longo tempore abstinẽt, ab ingressu templorum & auditu verbi diuini, domiq; suæ omnem dolorem concoquere volunt.Non bene hi sibi consulunt. Longe citius tristitiam mitigaturi essent,si auditu verbi diuini vterentur.Solum enim Dei verbum consternatis animis veram, solidam, & constantem consolationem præbet. Est enim verbum vitæ æternæ.Ioh.6.60.habens consolationes,quæ lætificant animam. Psalm.94.19. Et hisce consolationibus Spiritus sancti Ecclesia Christi in hac vita se sustentare cogitur. Act.9.31.

Cum ergo Maria sic ad Dominum properaret,*Iudæi secuti sunt eam,dicentes:vadit ad monumentum,vt ploret ibi.* Quod eam sequuntur Iudæi, hac diuina dispensatione factum est, vt sic etiam ipsi tacite ad spectandum miraculum attraherentur, ad quod plerique fortassis nunquam accessissent ex odio Christi,si ipsum adesse sciuissent.Maria autem cum ad ipsum fontem omnis consolationis peruenit,non minus carnis suæ infirmitatem prodit, quam soror. Etsi enim alias duæ hæ sorores diuersissimæ fuerint complexionis, vt supra audiuimus, quoad corruptam tamen naturam sibi inuicem sunt simillimę. Nam Maria *accedit* quidem humilitatis ergo *ad pedes Iesu*: sed eidem eadem verba obiicit, quæ Martha, quasi ex ore eius exempta. *Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* q.d.Siccine beas tuos amicos? Peregrinis vltro succurris, fratri meo,ne rogatus quidem.Nunc nimis tarde aduenis,quãdo nullum auxilium ne sperari quidem amplius potest. At-

que simul conticuit, absque dubio lacrymarum copia, vt fieri solet, vocem intercludente. Lacrymis itaque Domino suam suæque sororis calamitatem & luctum proponit, iisque adeo feruentibus, vt *& Iudæi, qui venerant, cum ea plorarent*. Nam talis συμπάθεια inter Christianos vigere debet, vt quod vni, siue lætum id sit, siue triste, accidit, reliqui, quasi sibi accidisset, afficiantur. Et hoc est illud Pauli Rom. 12. 15. Gaudere cum gaudentibus: & flere cum flentibus. Nec Deo est aduersum, si quis lugeat & fleat ob obitum clarorum amicorum. Nam & Patriarcha Iacob luxit filium suum Iosephum. Genes. 37. 35. multos annos, postquam persuasum ipsi erat, cum à fera bestia discerptum esse. Debet tamen discrimen esse inter luctum gentilium, qui spem nullam habent, & inter Christianos, quibus Articulus resurrectionis notus est. Sicut ea de re scribit Apostolus Paulus 1. Thess. 4. 13. Et Syrac. 38. 16. Quod notandum est contra Anabaptistas, qui Stoici potius sunt, quam Christiani, & nullum penitus luctum vel lacrymas pro mortuis aut afflictis amicis tolerare volunt. Cumprimis vero solidam consolationem hoc præbet, quod Euangelista de Iesu Christo refert, quod cum vidisset Mariam, Martham & Iudæos, qui vna aderant plorantes, ipse quoq; *lacrymatus sit*. Neque enim eiusmodi habemus Pontificem, qui non possit συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, sensu nostrarum infirmitatum affici: sed tentatum in omnibus similiter, absque tamen peccato. Heb. 4. 15. Diabolus est ἐπιχαιρέκακος, qui lætatur rebus aduersis hominum. Sed Christus adeo φιλάνθρωπος & amator hominum est, vt si videat nos flere, ipse quoque ingemiscat & doleat, quod res miserorum mortalium eo deuenerit, vt sic mortis & diaboli potestati sint subiecti. Nec tantum lacrymatus est Christus, sed etiam *infremuit spiritu*, hoc est, non tantum externo gestu & frendendo dentibus suam indignationem cognoscendam dedit: sed etiam, ne fictum quid videretur, *spiritu*, adeoque toto animo infremuit, *& turbauit seipsum*, Sed quæso, contra quem directus fuit hic fremitus, hæc item turbatio & indignatio? Contra neminem alium, quam contra mortem, & eum, qui mortis habet imperium, diabolum. Hi enim fuerunt caussa huius tristitiæ & lacrymarum. Indigne ergo fert, quod atra mors hunc bonum suum amicum rapuit, & hoc fremitu seipsum excitat ad aggrediendum grande hoc opus, quo Lazarum ex faucibus mortis eripere vult. Offert ergo se morti fortiter, eam ad certamen prouocat, & minatur se vindictam sumturum de ea, quod tot pios homines suos amicos inde ab exordio mundi rapuerit. Huius documentum nunc se in Lazaro, mox autem perfectius in sua resurrectione præbiturum: donec in nouissimo die omnes ex potestate ipsius eripiet, atque sic mortem, tanquam nouissimum hostem, penitus erit deleturus. 1. Cor. 15. 26. Postquam ergo sic seipsum ad futurum opus excitauit, inquirit: *vbi posuistis eum?* tanquam rem ipsam aggressurus. Inquirit autem vbi positus sit Lazarus, non quasi ignoret. Qui enim nouerat Lazarum esse mortuum, cum nemo hominũ id ipsi indicasset, quomodo ignoraret, vbi ipsius sepulcrum esset? Sed quia alias in plerisque tanquam verus homo se gessit: ideo idem hic fecit, maxime vt omnem suspicionem collusionis remoueret. Dicunt ergo ei: *Domine veni, & vide*. Et mox illis lacrymantibus, *lacrymatus est & Iesus*, suam compassionem sic significans.

His suis lacrymis Dominus Iesus assumtæ suæ humanæ naturæ veritatem adstruit. Sicut enim tanquam verus homo infremuit spiritu, sicut tanquam verus homo modo inquisiuit de loco sepulturæ: sic etiam tanquam verus homo lacrymatus est, cum tanquam Deus lacrymas cohibere potuisset. Cumque verus homo sit, vtique etiam ab humanæ naturæ affectionibus (absque tamen peccato) alienus non esse debuit. Inter quas affectiones etiam hæc refertur, vt quis alterius, maxime amici calamitate & aduersitatibus commoueatur. Id etiam Christus hic facit: Et cumprimis hoc probe notandum videtur, quod Christus hoc in loco splendidissimum & maximum editurus miraculum, quo suam diuinitatem apertissime erat demonstraturus, simul etiam euidentissima signa humanæ suæ naturę & infirmitatis, fremendo, turbando sese, & lacrymando, addit, vt se verum Deum, & verum hominem esse comprobaret. Sicut etiam alias vbiuis in Euangelio Christi acta sic temperantur, vt ex vna parte diuinitatis maiestas, ex altera humanitatis humilitas insinuaretur. Habuerunt autem hæ lacrymæ Iesu tum temporis etiam hunc vsum, quod qui eas viderunt, tanto magis mirati de morte Lazari, & de Domini potentia dubitarunt: vnde subsequens miraculum tanto ipsis factum est admirabilius, quãto minus fuit expectatum. *Dixerunt ergo Iudæi: vide, quomodo amabat eum*. Senserunt nimirum hi, sinceras (non fucatas) lacrymas, sinceræ etiam dilectionis testes esse. Cumque viderent Dominum Lazari mortem, qui tamen ipsi consanguineus non erat, sic deplorare, magni amoris indicium esse collegerunt. *Quidam autem* asserunt ex Iudæis, qui has ipsas lacrymas in calumniam rapuerunt, *& dixerunt: Non potuit hic qui aperuit oculos cæci facere, vt & hic non moreretur?* q.d. Si tam impense ipsum amauit, cur non à morte eum præseruauit? quod facilius fuisset factu, quam nati cœci oculos aperire. Nam & medici sæpenumero ægrum à morte præseruare possunt: cum tamen nati cœci oculos aperire ipsis impossibile sit. Cur nunc nimis sero suum amorem lacrymis testatur? Gratius omnibus fecisset, si satis mature adhuc ægrotanti succurrisset, sicque, quantopere eum amaret, commonstrasset. *Iesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monimentum*. Hunc secundum fremitum Iesu concitatum putant ob calumniam illorum Iudæorum, qui lacrymas Iesu ficti amoris iudicium iudicarunt. Et reuera tales calumniatores etiam pientissimi cuiusq; fremitum concitare possunt. Quanquam & hoc accessisse potest, quod venerat ad vicinitatem monimenti siue sepulcri, & sic fremitu rursus aduersus mortem, hostem suum, insurgit. *Monimentum* enim latius inde dicitur, quod nos de eo, qui ibi sepultus iacet, moneat. Sicut etiam Græcis μνημεῖον seu memoriale dicitur. Erat autem sepulcrum Lazari *spelunca, cui lapis erat impositus*, quem lapidem nec ipse, nec ipsius discipuli remouerunt: sed illis, qui cum Martha & Maria venerant, dixit: *Tollite lapidem*. Quod omne facit, & ad augendam miraculi fidem, & ad remouendam omnem suspicionem præstigij.

Hic vero Martha ex sua ratione nouam orditur cum Christo disputationem, dicens: *Domine iam olet, quatriduanus enim est*. vult dicere: quid vis Domine tractare cum cadauere quatriduano iam fœtente, offendes & tuas & omnium circumstantium nares. Hæc enim fere est nostra natura, quod interdum nobis ipsis persuademus, nos in fide fortes esse; sed quando ad rem ipsam ventum est, tum demum infirmitates nostras sentimus. Sicut videre est in Martha, quæ prius splendidam de Iesu Christo edidit fidei confessionem, quod sit resurrectio & vita: Sed nunc postquam Dominus ad sepulcrum peruenit, suæque promissioni satisfacere vult, concidit omnis eius fides, & existimat, rem nimis diu dilatam esse, ac proinde omnem conatum irritum fore. Sumit autem suã obiectionem ex ratione: *quatriduanus enim est*. Et sic fieri solet, quando Dei opera ad limites & metas stultæ nostræ rationis exigimus. Ideo Paulus recte monet 2. Corint. 10. 5. vt omnem nostrum intellectum captiuemus in obsequium *Christi*. Neque enim inter se conueniunt Dei verbum ac consilium, & stulta nostra ratio. Dei sapientia rationi nostræ est stultitia, nec potest illa intelligere 1. Cor. 2. 14. Et tamen hæc Marthæ contradictio & diffidẽtia, auxit miraculi certitudinem. Nam ex ipsius sororis verbis iam constat de diuturnitate mortis: & quia Martha diffidit de resuscitatione, indicium est, nullam esse collusionem inter Iesum & sorores. Christus, vt vacillanti huic Marthæ fidei succurrat, ipsum quoque à rationis suæ dictamine remouet, & simpliciter ad suum verbum atq; promissionem remittit. *Nonne dixi tibi, quod si credideris, visura esses gloriam Dei?* Fidem requirunt, non rationem Dei verba & opera. Huic Christi consilio obtemperent omnes Christiani, & in rebus diuinis missa ratione, fidei innitantur, tum & ipsi Dei gloriam visuri sunt. Experientur re ipsa quod Deus in promissis suis constans & verax sit. Hic enim est summus ipsius honos & gloria, quod in dictis & factis sibi semper & perpetuo constat. Huic ipsius constantiæ & veritatis, si & nos fidem habuerimus, etiam in nobis suam gloriam commonstrabit, nosque in Christo Iesu filio suo ad summam gloriam euehet, atque tandem coronam æternæ glorię imponet, qua ornati, omnibus regibus, Imperatoribus & Monarchis huius mundi præferemur. Huius gloriæ, quæ non mundana, caduca vel transitoria; sed vere diuina & cœlestis est, qui particeps esse velit, is fidat Domino, is credat in Deum. Hanc enim gloriam cœlestis Pater solis dilectis filiis donat. Ideo Apostolus Petrus 1. Pet. 1. 7. omnes Christianos monet, vt operam dẽt, quo probatio fidei ipsorum multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur, in laudem & gloriam, & honorem vestrum, & cum reuelatus fuerit Iesus Christus exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.

III. Post hanc Christi admonitionem Martha quiescit, & vna cum reliquis, qui *lapidem sustulerunt à loco, vbi is, qui mortuus fuerat, erat positus*, suspenso animo rei euentum expectat. Cum ergo omnium animi & oculi intenti essent ad id, quid Christus facere velit: ecce opus ipsum orditur à gratiarum actione, & à colloquio cum cœlesti suo Patre. Nobis in exemplum, vt quicquid ardui molimur, id à precibus ad Deum inchoemus. Fecit idem etiam propter præsentes Iudæos, quos sciebat plerosque sua miracula Diabolo adscribere. Vt ergo audirent, hic nullam esse magiam, nullam conspirationem cum Satana, sed quicquid ageret, id ipsum agere cum

re cum vero Deo in cœlis, ideo *oculos sursum tulit, & clara voce dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti.* Hanc gratiarum actionem alij sancti reseruassent vsque post peractum miraculum, & prius orassent. Sed si Iesus præces præmisisset, Iudæi inde conclusissent, ipsum non propria potestate & autoritate, sed aliena, hoc miraculum edidisse. Vt ergo voluntatis paternæ, & suę identitatem probaret, mox pro consensu gratias agit, & addit: *Ego autem sciebam, quod semper me audis.* Cum enim vna eademque semper sit Patris & Filij voluntas, quomodo aliter fieri potuit, quam quod cum Iesus Lazari resuscitationem animo concepisset, mox Pater etiam in eam consenserint. Atque hac de causa ne hac quidem gratiarum actione opus fuisset: *sed propter turbam, quæ circumstat, dixi, vt credant, quod tu me miseris.* Hinc generalis regula desumi potest, qua de causa Saluator noster frequenter in Euangelio se humiliter submiserit, & humilia de se locutus sit: nimirum, propter nos homines, vt ipsius verbis fidem habeamus, atque saluemur. Sic ergo semper potiorem habuit rationem nostrę salutis, quam suæ dignitatis fidus hic hominum custor & amator. Sic ergo præmissa gratiarum actione mox suam potestatem præsentibus testatam fecit, & *voce magna clamauit; Lazare veni foras.* Vox magna, magnæ virtutis indicium est: & non inquit, Lazare dico tibi in nomine Patris mei cœlestis: sed absolute imperando, *veni foras*

Et quidem nomine proprio vocat, *Lazare*, ne quis alium surrexisse putet: nec dicit reuiuisce, sed, *veni foras*, loquens vt viuenti & dormienti, atque sic reipsa demonstrans, quod prius vers. 11. ad discipulos dixerat; vado vt à somno excitem eum. Nec mora, voce illa magna, excitatus, *prodijt qui erat mortuus*, atque subito non tantum animam, sed & vires recepit. Sed ecce miraculum ex miraculo surgit: *prodijt* enim *ligatus manus & pedes* κειρίαις *fasciis* sepulcralibus *& facies eius sudario erat obuoluta*, quod etiam sanum hominem prodire vetaret. Redditur autem hac ratione miraculum non tantum illustrius, sed etiam certius; omnes enim hoc ornatu eum prodeuntem viderunt, quo ante triduum sepelierant. Et ne quid deesset ad plenam miraculi fidem, non tantum videndum, sed etiam palpandum eum præbet; non ipsa vincula soluit, sed astantibus *dicit Iesus: soluite eum*, & tactu cognoscite, Lazarum voce mea vere resurrexisse, atque non tantum vita, verum & optima valetudine præditum esse, id quod ex motu & incessu alacritate colligere promtum vobis erit.

IV. Tandem effectus miraculi narratur, isque ob auditorum diuersitatem duplex. Primo enim *multi ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.* Hic enim finis est miraculorum Christi, vt ipse testatur vers. 42. vt credant Christum esse missum à Deo Messiam: & quamuis fides illorum omnibus numeris perfecta non sit, dociles tamen se præbent, & operanti in illis Spiritui sancto contumaciter non resistunt. Et hic eximius est fructus, quem illi habent, qui piis conuersantur. Ibi enim quamplurimę occasiones se offerunt, quæ ad salutem proficiunt: cum vicissim impij scandala obiiciant, quæ nos ad salutem tendentes impediunt. Nam secundo loco *quidam ex illis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ Iesus fecerat.* Quod non fecerunt eo animo, vt Pharisæorum contra Iesum odium & inuidiam temperarent, & tollerent; quæ Originis sententia fuit: sed admodum maligno & peruerso. Adeunt enim Pharisæos apertos & irreconciliabiles Christi hostes, maiori odio præbent occasionem, atque ita Diabolicam ingenij malitiam produnt, quod ea, quæ amorem merentur, calumniis suis opprimere studeant. Verum itaque manet illud Simeonis vaticinium, Luc. 2. 34. quod Christus positus sit in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur; & illud Pauli 2. Cor. 2. 15. Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salui fiunt, & in iis qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Culpa autem omnium minimè Christo asscribenda, sed peruersitati hominum, & Diaboli, qui excœcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Christi, 2. Corinth. 4. 4. Solatio tamen sit, quod *multi ex illis crediderunt, quidam* saltem, iique pauci *abierunt ad Pharisæos*: neque offendamur, si hodieque idem accidere, & ex nostris quosdam in castra vel Caluinianorum vel Pontificiorum, aliorúmque sectariorum transire videamus: se potius operam demus, vt ex eorum simus, & maneamus numero, qui libenter Christi verbum audiunt, ex illo fidem concipiunt, & credunt, Christum esse eum quem Pater misit, Iohan. 11. 41. & Iohan. 20. 31. vt credentes vitam habeamus in nomine eius sempiternam. Amen.

FINIS.